BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS
16825
Jus

O III
H

Prawo 16.825.

P

FOR

QUO

Ideoque

Sed &

Acceſſere

FLORILEGII MAGNI,
SEU
POLYANTHEAE
TOMVS SECVNDVS
JANI GRUTERI.

FORMATUS CONCINNATUSQUE EX QUINquaginta minimum Auctoribus vetuſtis, Græcis, Latinis, Sacris, Profanis,

QUORUM TAMEN NULLUS FERE COMPARET
IN TOMO PRIMO.

Ideoque non ſolum novitate ſua omnibus paſſim ordinibus, ECCLESIASTICIS, POLITICIS, SCHOLASTICIS futurus jucundiſſimus:

Sed & ſummè utilis & neceſſarius, pace, bello, tam Tyronibus quam Veteranis: non modò Apollinis atque Minervæ, ſed & Martis & Bellonæ: Utpote complexus libros omnes Græcos Latinoſque hactenus editos, de re militari.

Acceſsere & heic quoque nova Apophthegmata, Emblemata, Mythologica: item XXV Monoſtichorum Latinorum millia; totidem redolentia Definitiones, Sententias, Dogmata, Similitudines, Proverbia, Exempla, &c. decerpta penè ad verbum ex literati orbis Scriptoribus claſsicis.

ELENCHUS Titulorum totius Operis Epiſtolæ adjunctus.



M. Valentini Joannis
Mazurkowic Col. Maioris
A. 1669.
ass. Bibliotheca Collegij Maio
ris Academiæ Cracoviæ.

ARGENTORATI

Cum Gratia & Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis, necnon Chriſtianiſs. Regis Galliarum.

Sumptibus Hæredum Lazari Zetzneri,

ANNO M. DC. XXIV.

Ex Libris
Universitatis
Albertensis

VERE NOBILISSIMO AMPLISSIMO-
que Domino,

OLIGERO GEORGII F. ROSE-CRANTIO, SERENISSIMO DANIÆ REGI &c. A SANCTIORIBVS CONSILIIS, &c. PRAEFECTO IN ODENSEE ET DALENCLOSTER, DN. HEREDITARIO in Roſenholm, Schafbii &c.

S. P. D.

DESTITUTUS præſidio eo quo volucrem ſe fecit Dædalus, & obſtruente alioqui terras ac maria licentioſo Marte, nullam exputo rationem, quâ deſideria mea ad te permittam, Generoſe Domine, niſi imiter Philomelam. Ergo ut ipſa ſtabulis coërcita ab affine Tereo, miſerias ſuas patefecit ſorori indicio telæ, *Purpureaſq; notas filis intexuit albis:* ſic Muſæo iſtius pepli tapete infortunium meum pudenter exſinuo, Typographicâ arte mille minimùm propagatum exemplaribus; ut unum ſaltem alterumq; veniat tibi in manus, eumq; inveniat favorem quem ii merentur, qui à primâ ætate amatores admiratoreſq; rerum eximiarum, eos unicè obſervant, reverentur, colunt, quos à Virtute atq; Honore genitos educatoſque ad decus & præſidium rei literariæ, totos in eo eſſe videmus, ut gratiam Poſteritatis ſibi ſeriò polliceantur, & Memoriæ in tabulis nomen conſequantur indelebile: inter quos, ſi quiſquam in Germania, Roſecrantius certè familiam ducit, invidente nemine.

Et ita ſe res habet. Ea fuit hactenus Dei in me indulgentia, ut contentus majorum pauperie, ipſi tantùm uni ſupplicaverim, homini nato nulli. At enim ut civilis Enyo potiora Europæ communi involvit incendio; meq; etiam inter alios omnis ætatis, omnis ordinis mortales, peſtilenti amburit halitu; vereor ut hic exul neceſſe habeat deinceps, non tantùm convenire prece mentis alatâ numen cæleſte, ſed & implorare, voce ac vultu obnoxio, ejuſdem in terrâ vicarios: idque poſt annum ætatis ſexageſimum tertium.

Non abirem forſan à decore, ſi reſpicerem ad Britanniarum Monarchæ magnificentiam; non ideò quod inter reliquos imperantes jure merito cenſeatur literarum literatorumq; Muſageta: ſed etiam quod ego ipſe, à matre, ab avia, & ſim & audiam Anglus, ideoq; ad curam ac tutelam majeſtatis ejus propriè propiuſq; ſpectare videar: tanto quidem magis, quod in inſula illa fortunata perpetuò vixerim, adoleverim, ſtuduerim, aut Norvvichi, aut Cantabrigiæ, ab anno ætatis quarto ad decimum nonum: ideoq; honeſtè imitari poſſem Leporum mores: utque ii deprehenſi aut arte aut fortunâ venatoris, jamque adeo diſcerpendi à canibus, recto trepidant curſu ad cubilia ſua, ibidem depoſituri vitam ubi primùm eam acceperant; ſic ego circumcinctus variâ non unius Bellonæ formidine, confugerem ad nidum illum infantiæ adoleſcentiæque veterem.

Sed nec inhoneſtè cogitare poteram de Delphinatu, ejuſq; urbe primaria Gra-

tianopoli,ad quam non modò jam integrum biennium vocaliter evocor flagranti animo, ſcriptione, ſuadâ, juvenis incomparabilis Caroli Perineti, Domini de Maugarny, prolixè deferentis mihi ædes prædiaque ſua & amicorum; ſed & pater ipſius Dominus de Barſac, loci illius lumen ac columen primum jam nunc utrimque expandit ad me excipiendum brachia, fidejubetque præterea, futurum ut eximius ille Galliæ ſuæ Neſtórne an Achilles, D. Franc. Bonna Ledigerius, à Chriſtianiſſimo Regum ad ſuos redux, coram largiter præſtet, & univerſa & ſingula, ſi non plura & majora, quæ ille ipſemet Coneſtabilis ante plures annos peculiari chirographo benigniſſimè mihi obtulerat. Nec id adhuc ſatis: ejuſdem quoque aſſeverationis ultrò ſe vadem ſiſtit, ampliſſimus Dn. Claudius Expillius, regionis ejuſdem Præſes meritiſſimus; ac præeunte toto Camœnarum ac Charitum choro, jam modò in expectatione eſt adventus noſtri: pollicitus inſuper omne genus prothymiæ, qua ſcit capi poſſe Gruterum. O favores incredibiles! ô mores ſine æmulo atque exemplo! ô affectus & linguâ & ſtylo ſuperiores! Pararem me profectò ad obſequium: ſiſterem me tam comibus, tam candidis, tam liberalibus: viderem, alloquerer, exoſculareranimas omni nive, omni argento candidiores. ſed quid? Vnus obſtat Roſecrantius, & tanquam ego ex chalybe forem, ipſe autem merè Magnes; ita allicióme dicam, an trahor, rapiorq; ad ſemper lucidam Bibliothecæ ipſius pharon, ut jam vel ſic obſeſſus occulta Stratiotarum ſagena, vix tamen intra cochleæ meæ teſtam continear, etiam inter naufragia aliorum adſpiraturus ad portum illum verè Bonæ Spei, verè Bonæ Mentis.

Nec ſine cauſſa. Per plura enim annorum luſtra ſuetus aut præeſſe Bibliothecæ Electorâli, aut incumbere meæ: ſuetus, inquam, deliciari inter illuſtrium ingeniorum nomina, imò numina, quæ Græcè, quæ Latinè Perennitatis genio ſcripta ſua commendarunt: ac jam modò, cum minime id metus ſperaret, ab eadem felicitate derepente evolutus, quid mirum, ſi adſpiro in dies atque horas ad ſimiles diſciplinarum talium conſultos? ſi vix me contineo quin curram volucri veſtigio, ubi Senatum ſimul & ſemel inventurus ſum, ſine quo vita mihi minimè vitalis, hoc eſt, Roſecranti, apud te? ubi ante ædes nullus draco Heſperius, ſed plurima potius & Siren, & Circe, & Calypſo; ſed omnes innoxiæ, quæque ad theſaurum iſtum adeuntes invitent, non arceant: aſſeverentq; opes illas literatas nõ tam tibi comparaſſe ac tuis, quã utilitati voluptatique publicæ, quemadmodum & mundi hic oculus radiata diei tela, non intra pharetram occulit, ſed quotidie ſparſim mortalium oculis ingerit, etiam non petentium.

Et ita eſt, mi Domine. ſi & heic belli unda decumana *Inſonuerit, venienſque immenſo bellua ponto Imminuerit* Academicæ huic Andromedæ, planè conſtitui me vobis coram ſiſtere. eaque de cauſſa hanc ecce præmitto paginam metatoriam: certâ cum ſpe, reperturum me in Roſecrantio alterum Henricum Ranzovium, Statorem videlicet omnium artium, omnium antiquitatum: cujus ideo memini, quod ante annos XXXVIII, occupata ab Principe Parmenſi Antuerpia, comiter ex itinere meo Germanico Bredebergæ evocatus ab ipſo, nullo non cumularer honore ac dignatione. At apud te, mi Roſecranti, ſi conſequar, corpori quidē alimenta carceris, animæ verò famem ſitimque Tantali perpetuam, incluſus ſcilicet Græcolatino vocalium amnium arborumque paradiſo; dabis mihi, non damnum aut malum; ſed novum planè fatum. ex eo ſanè die numeraturus ſum natales meos, non rudes illos

& iner-

& inertes, quales olim erant infanti, ſed qui, Deo aſpirante, uberi proventu intermiſſam præteritorum annorum præſentent fœcunditatem: ingeniique mei laboriſque monumenta; partim inchoata, partim ſemiperfecta, partim etiam affecta, & ultima tantum deſiderantia manum, quotidie ſenſim ac ſine ſenſu proferant in publicum. Non illa quidem magni forſan momenti: ſed quibus tamen multifariam inſtruatur ætas rudior, ſublevetur virilis, ſerior confirmetur.

Planè nulla eſt in Tacito, in Livio theſis ſive aphoriſmus bello pacive affinis, quin ex hac prima & ſecunda Florilegii, ut & tertia & quarta nondum editi parte, extendere queam ac colorare, ad eam faciem qua ante annos viginti concinnavi Diſcurſus meos ad Tacitum, quorum ſimiles mecum adhuc habeo trecentos amplius, nihil requirentes quam librarii unius alteriuſque elegantem manum, quę eos ſcilicet deſcribat ad præli propriorem uſum. Sed & Inſcriptionum Antiquarum corpus dare poſſum quarta parte ſui auctius, quam vis eidem non appendero epigraphas Anulorum Numiſmatumque Græcorum Latinorumque &c. quas Ioſephi Scaligeri hortatu ante octodecim annos ex omnibus omnium Antiquariorum libris in aliquot Indices conjeci addita interpretatione neceſſaria. quæ ſi non perierint in direptione Heidelbergenſi, luculenter augeri poterunt, mi Domine, ex tuo Keimeliarchio. Hæc indico, non ut me meave jactem, ſed ut tibi conſtet, nonnulla adhuc mihi ſupereſſe quibus demereri queas, ſi non Senatum, at populum reipublicæ literarię. Quod tanto fieret ſecurius, ſi iter meum munires regio diplomate, cujus publica majeſtate, tanquam Mercurii caduceo, præterire poſſem harum illarum que partium ſtationes ac latrocinia, tutumque me atque incolumen vobis præbere. Ea profecto ratione, quidquid mihi deinceps accederet dierum, id Sereniſſimo Danorum Regi, Roſecrantioque juxta Deum Opt. Max. libens meritoque acceptum ferrem. Quin & ſi quid deinde lucubraturus eſſem jucundum aut literis aut literatis, id omne provenire, non jam à me, quam à fonte regiæ benignitatis repente naſci iure optimo cenſerem, & ego & unà mecum amici mei plures, quibus hactenus ſcripta mea nec ingrata fuere, nec odioſa. Certè unico hoc in iſtum ſeniculum collato commeatu, iidem ſe ſentirent & laudibus exſtimulari, & præmiis invitari, ad illuſtranda, ad exornanda jam nimium frigentia Gratiarum Muſarumque cōmercia, ſi modo non mentitur dictum vetus, *Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.*

Interim divinam convenio Providentiam, precorque ut te mi Domine, diu diuque ſervet in decus Regis, in tutelam Reipublicæ, in honorem Diſciplinarum liberalium. Tubingæ 10. Martii cIↃ IↃ cxxiii.

Gloriæ tuæ addictiſſimus
Janus Gruterus.

Præstantißimis viris

DN. LAZARI ZETZNERI

HEREDIBVS

S. P.

Ecce vobis unam alteramq; Florilegij nostri partem. vultis & tertiam & quartam? etiam dabuntur. eis enim jam nunc ultimam impono manum. Miram, inquietis, hominis mutationem! Fateor; sed non minus temporum. Ante plures annos optimo Parenti vestro frustulum horum negabam, quamvis sæpe rogatus; quod tunc alia postularent & professio mea, & occupatio. Quippe totus eram in redigendis ad certas classes omnium gentium linguarumq; Proverbiis; Hebræis, Arabibus, Græcis, Latinis, Italicis, Gallicis, Hispanicis, Britannicis, Danicis, Germanicis, Belgicisq;, &c: eram in absolvendis XXX. Suspicionum libris: eram in augendis Inscriptionibus Romanis: eram in emendando post Lipsium Seneca; post Scaligerum Catullo, Tibullo, Propertio; post Brantium Cæsare; post Bersmanum Ovidio. At ubi vestris annui precibus, videbam exoriri in Bohemiâ incendium, cujus flamma amplecteretur facilè omnem Germaniam. Itaq; ego ille à pueritiæ primis annis vagus Exul, ideoq; omnia tuta timens; prospiciebam, me vobis inserviendo, mihi quoq; prospecturum. quod & accidit. Iam non est suo loco Bibliotheca Electoralis, ut neque mea; haud quidem comparanda cum Palatinâ, sed certè nulli privatæ ad Nicrum librariæ postponenda, sive copiâ censeretur, sive bonitate: utpote cujus causâ plus quàm quinquagesies profectus fui ad Panegyrin illam Francofurtensem; & singulorum ibidem universorumq; Librariorum officinas non modò excussi, sed & sarcinas exsolvi, versavi, desloravi. Vt taceam mille aliquot libros, interim mihi vel ære comparatos, vel hereditate adjectos: quibus præter notæ non postremæ codices MSS. intererant item Editiones omnium Auctorum primogeniæ. Destitutus autem tam luculentâ divinæ humanæq; Sapientiæ supellectile: nihil jam mihi reliquum est, quam ut Florilegiis istis famem sitimq; mitigem, ille antea Helluo. Nam ne cogitem de restaurando simili Musæo, non ætas tantum serior, sed & publica sæculi vetat calamitas. Agelli nutrices, vel adhuc madent à sanguine colonorum, vel fumant ab incendio Croati militis. Eo quò discordia regum Perduxit plebem miseram! Ergo ex quo circumagor de villâ in villam, de regione in regionem verò Martis pila; tanto pertinacior sum in utriusq; linguæ Auctoribus classicis. eadem namq; operâ, & commodo vestro, hoc est publico, me adplico, & simul animi mentem oculosq; averto à contemplatu mali publici privatiq;. Imò ex eisdem scriptis disco non patienter tantum, sed & fortiter ferre hos Bellonæ turbines. Atque utinam deridere etiam & pro derelictis habere possem, cum prisco Biante, externa isthæc omnia! tanquam mera Fortunæ missilia, in nos; quibus inescati paullo pòst miserè illaqueemur. Sanè dignitates atq; honores, quàm nunc versent vexentq; gerentes; unà cum retibus, Vulcani non absimilibus, sparsimus: hæreditas & argentum, quàm magno luant possidentes; etiam experimur: gratia & favor Potentum, quam sit cum periculo; utinam non experiamur! Quæ felices qui munuscula isthæc cæcæ Deæ ultrò incidentia in sinum, aut excutiunt, aut in dimum recepta projiciunt in publicum; tollenda ab eis qui non norunt; ut etiam de diademate regio pronunciabat cordatus ille Macedo Antigonus. Evoluti certè spoliis talibus, nunquam spoliaremur à Mastige aliquo Lascivientis Germaniæ. At mihi, noudum Stoico, si locus contingat, ubi liceat subduci populo, ubi incumbere libris, ubi vivere cum mortuis, ubi litare Quietæ & Tranquillitati; bene est: nihil amplius opto.

Sed nimus exorbitamus. redeundum ad rem. Et verò si avidâ utrinq; manu vestra illa Polyanthea ab omnibus excipitur; nihil video cur non & istam nostram flagrantiore invadat appetitu Adolescentia rudior; certè paullò cordatior; hoc est, quæ non statem ac sanctimoniam. Quàm enim hæc superet illam priorem, non ab unâ collectam manu, ideoq; mendici palliastro similli-piam & præstantiam. Prior quidem non destituitur, nudis Sententiis, Similitudinibus, Apophthegmatis, Phrasibus, &c: sed quid illa, ad nostrũ Oceanũ, aliud quàm guttulæ aliquot fontis Hyanteæ, quàm grana aliquot montis Heliconii: quæq; ideo gustũ cuiq; vix præbeãt; magisq; incendãt famã ac sitim, quã tollãt: At nostra contrà (includo etiã partẽ tertiã & quartã) non dubiã tamen apponunt cœnam variis patinarum struicibus, sed & pro poculis rorantibus meras propinant amystides. Nec mirum. Si quando incideret honestior aliqua eximii Scriptoris, vel epistola vel oratio, in laudem in vituperium virtutis alicuius vitiive: si quando occurreret Dissertatio, quæ honestum suaderet, inhonestum dissuaderet; si quando in hanc vel illam partem se eximia dissunderet Senatoris Deliberatio; non eum profectò alveum in plures cuniculos dispersimus, quàm Cyrus ille Babylonem festinans Gyndem fluvium; sed totam eam aquam uni ejusdem tituli castello commendavimus: ne corpus videlicet egregium in minutias abiret exiliores, aut ossa exhiberentur, sine carne, sine nervis, sine sanguine. Rerum natura nihil homini dedit aut utile magis aut necessarium ipsis Manibus, digito quoque decenter suo hærente loco. Verùm si singulos digitos abscideremus; nullum sui præstabũt usum; nõ magis quàm truncus cui inhæserãt. Sic in deliberationibus, in dissertationibus, in orationib. si unaquæq; earũ mãserit vel integra, vel quàm minimũ mutilata, quidvis ab ea peti poterit, quidvis promi. tanquam ex uberepenu, ex pleno horreo, ex instructo armamentario, si non ex fonte perenni. Sin segmenta, aliquam multa excerpseris rerúmne an verborum; secundum; rosam imitabuntur aut lilium: ac manu semel iterumq; pressius tractata livescent, marcebunt, nulli usui, nulli voluptati. quod utrumque tamen retinebunt ista nostra. quorum utilitates multas ut præteream silentio, at hoc insuper inde habebit ætas junior, quod animadvertet statim, ut accuratiorem argumentandi disputandiq;, sic & materiem quamq; & ordinandi & ornandi, modum ac rationem. Quanquam, ne mentiamur, non hæc adeò laboravimus adolescentiæ rudiori, quàm eis, quos ærumnosa civilis belli pestis abegit à laribus suis, frustraq; memoriæ subsidia requirunt à libris: quàm eis qui in legatione positi, classicorum auctorum vastiorem molem circumferre nec possunt, nec debent: quàm eis qui à Senatu, à Principe, rogati in concilio sententiam, tantum non habent moræ, ut excutere queant veterum opiniones: quàm eis, quibus extempore habenda apud populum concio, libitum q; est excurrere in locum communem: & abundanti luxu recreare quidem pronas auditorum aures, attonare verò imperitas fulgure ac tonitru. quàm eis qui in schola de omni scibili disserere amant in utramq; partem, &c. Si qui etiam sunt, qui aut gavioribus plurium artium, aut altiorum professionum tractatione cumulatius impediuntur, quàm ut cum otio ad Græcæ ad Latinæ linguæ latifundia divertant: & nihil tamen magis habent in votis, quàm plura scire: iisdem omnine id quod desiderabant, ultrò hoc sudore ac lucubratione alienâ obvenit. Habent enim isti tomis, tanquam è variis regionum mercatibus, digestas, multorum annorum peregrinatione, sacrosanctas totius orbis literati opes. habent sub unum aspectum multorum sæculorum vigilias ac monumenta, in horulæ unius contracta lectionem. Planè Impp. Regibus, Principibus, Ducibus, legatisq; eorum, nec non Magistratibus urbium, hoc præter innumeras infinitasq; salutarium monitorum faces, omnia illa quæ toto terrarum orbe per omnes mundi ætates usq; ad Carolum ferè Magnum, & bello & pace piè, religiosè, prudenter

ter, modestè, clementer, benignè; quæ contrà vitiosè, turpiter, flagitiosè, sceleratè, crudeliter, inverecundè cogitata, deliberata, suscepta, perpetrata sunt, quasi in Vniversitatis tabulâ, graphicè depinguntur. Vestra Polyanthea, si res gestas verbulo indicat: *sibi satisfecit. hæc nostra, quomodo eadem evenerint, quare evenerint, quo fine evenerint, inculcat: nec causas solummodò & occasiones, & consilia, & rationes sed & prætextus, & simulationes dissimulationesq; largiter suppeditat. Adeo quidem, ut apud Syros, Persas, Medos, Macedonas, Græcos, Romanos, nihil actum sit bene, nihil male: cujus rei insignem casum unum, alterum, tertium, quartum, non proponat scriptione diffusiore. Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, AEmilius Probus, Dio Cassius, Iosephus, Plutarchus, alii. Quæ virtutum vitiorumq; exempla, cùm obtineant vim præceptorum, cùm sint prorsus tutissimi regiminis regulâ, pro judicii certi normâ proficiantq; adeò non sentientibus (more aromatum quorum odor eis adhærescit, qui aliquandiu insederunt Pharmacopolio) nulli Principum profectò ingrata esse poterunt prolixitate suâ: nisi fortè quis est, naso duci solitus ritu Bubali, ab uno alterove Administro aulico, ipsi insusurranti: Inferius esse tantâ majestate, devertere ad subsellia literionum, pendere ab ore Pædagogi, auscultare dictatis magistelli delirantis*: Satis amplis doctoribus instructum, maioribus suis. *hoc enim Adulatoribus illis in more est: qui celsas potestates sacrosanctas facere volunt, si se paucissimis communicent, si cum nemine sermones copulent, &c. eo consecuturi, ut ab ipsis perpetuò pendere, ab ipsis super re qualibet consuli, ab ipsis unis circumstantias locorum, temporum, personarum, requirere habeant necesse: Dominos suos eò tandem deducturis, ut ne nomen quidè suũ subscribere possent, nisi iisdem nebulonib. manũ digitosq; ducentibus. quibus bellè hac in re convenisset Gothicus ille rex: de quo istud excerpsi ex MS. Bibliothecæ Palatinæ, nusquam alibi, quod sciam, lectum*: Rex Theodericus illiteratus erat, & sic obruto sensu, ut in decem annos regni sui, quatuor literas subscriptionis Edicti sui discere nullatenus potuerit. Quare laminam auream jussit interrasilem fieri, quatuor literas regis habentem. Si subscribere voluisset, positâ laminâ super chartam, per eam pennam ducebar, ut subscriptio ejus tantùm videretur.

Et ita planè est. exempla hæc crebriora, hoc in se ferè habent quod usus, quod exercitatio, quod experientia. Nec viam modò iterq; mõstrãt spectatorib. aggrediẽdi, tractãdi, perficiendi, munia belli munia pacis: sed & tã mirifico æmulationis eos de præterea inflammant æstu, ut quamvis rudes, quamvis nondum tyrones, sic tamen aptos reddant & idoneos ad currendum in eodem circo ad similem palmam: hoc est, si à lectione recenti talium scriptorum statim transferantur ad civilem, ad bellicam administrationem: pari industriâ, pari cautione, pari facilitate, pari felicitate, quidvis suscipient, gerent, consummabunt, sive ad togam sive ad sagum pertineat, atq; illi ipsi qui totam ætatem ærumnosè in talibus artibus actibusq; consumpserunt. Id ipsum non est quod quis nobis credat, sed Ciceroni. Lucius, *inquit*, Lucullus ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modò opinionem vicit omnium, quę de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adolescentiam in foreſi operâ, quæsturæ diuturnum tempus in Asiæ pace consumserat. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam Itaque cùm totum iter & navigationem consumsisset partim in percunctando à peritis, partim in reb. gestis legendis: in Asiam factus imperator venit: cùm esset Româ profectus rei militaris rudis *Tale quid credibile etiam visum Octaviano Augusto fidem facit Tranquillus, qui de eo ita loquitur*: In evolvendis utriusque linguæ Auctoribus nihil æquè sectabatur, quàm Præcepta & Exempla publicè vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad Exercituum Provinciarumque rectores, aut ad urbis Magistratus plerunque mittebat: prout quique monitione egerent. Etiam libros totos & Senatui recitavit, & Populo notos per edictum sæpe fecit. ut orationes Q. Metelli & Rutilii, &c. *Cæsari igitur Augusto opus istud præsens approbaturi eramus: quo cum desipere præstat, quam sapere cum Pyrgopolynice aliquo aut Thrasone, quorum ars imperatoria omnis pendebat ab sententia unius atq; alterius Artotrogi ac Gnathonis. Extant adhuc in Bibliothecis libri aliquot Excerptorum Imp. Constantini Porphyrogeniti, quibus quinquaginta aliquot Locos communes inclusit concinnatos ex grandi Græcorum historicorum numero; ad usum Politicorum suorum in negotiis & pacis & militiæ. At quàm jejunè, quàm steriliter, quàm, sed taceo, omnia ibidem digesta sint: quàm corpus illud floreum è spinis potius constet ac pappis, quàm è floribus & fructibus: nolim mihi fidem adhiberi. sed eis qui perlegerunt. Hoc tantùm dicam: nostra ista præ illis, lateribusne an saxis, esse aurea, esse gemmea, nedum marmorea. idq; re ipsâ quoq; experientur Principes, Duces, Milites, qui ipsis evolvendis operam seriam adhibebunt. Parcius profecto deinceps pendebunt ab oraculis Consiliariorum suorum: sentientq; verioris esse tripodis dictum illud Diocletiani Principis, cùm jam Princeps non esset.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt dicunt. quid probandum, quid improbãdum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit. cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur. Facit judices, quos fieri non oportet: amovet à Republica quos debebat obtinere. Quid multa? Bonus, cautus, optimus, venditur Imperator, &c. *Hæc cùm profero, non vitupero Polyantheam vestram, sed comparo tantùm cum quatuor istis Florilegii nostri voluminibus: arbitrorq; priorem sine posterioribus mancam, claudam: sin eidem misceantur; non abituram ab arboribus sterilitate laborantibus, donec aliis veluti maritentur. arbitror, inquam, Virginem illam nihil unquam parituram, nisi jugatam Quatuorviris nostris, idque nuptiis solennibus: tuncque parituram nobis legitimam, sive Pauperum, sive Peregrinantium Bibliothecam. &c. Valete. Scribebam*

Tubingæ verè extemplo.

JANUS GRUTERUS.

ELENCHVS TITVLORVM.

A.

ABdicationis. *Adde & Diaboli.*
Abnegationis Christi.
Absentiæ. *Adde & Cognationis, Desiderii, Inexpectatæ, Peregrinationis & Præsentia.*
Abstinentiæ. *Adde & Cibi, Conviviii, Frugalitatis, Gulæ, Ieiunii, Luxus, Mediocritatis, Sufficientiæ, Victus.*
Absurdi. *Vide & Indecori.*
Abundantiæ. *Adde & Fastidii, Fertilitatis, Raritatis, Sterilitatis.*
Abusus. *Adde & Artium, Vsus.*
Academiæ. *Vide & Artium liberalium, Disciplina, Discipuli, Præceptoris, Schola.*
Acceptionis personarum. *Adde & Accusationis, Iudicis, Persona, Rei.*
Accusationis. *Adde & Defensionis, Iudicii, Præfecti Rei.*
Aciei. *Adde & Aulæ, Exercitus, Ordinis.*
Acquisitionis. *Adde & Amissionis Amoris patriæ, Diligentiæ & Ignaviæ, Occupationis, Perseverantiæ.*
Acutè dictorum.
Actionis. *Adde & Finis, Fructus, Magistri, Orationis, Principis, Sermonis, Verborum.*
Adfinitatis.
Adhortationis. *Adde & Admonitionis, Allocutionis.*
Adiaphororum.
Adjurationis.
Adjutoris. *Adde Auxilii.*
Administrationis. *Vide Curæ, Procurationis, Administrorum Principum.*
Administrorum Principum. *Adde & Aulæ, Gubernationis, Magistratus, Præfectorum, Principis, Regis.*
Admirationis. *Adde & Excellentiæ, Laudis, Prælati.*
Admissionis Principalis.
Admonitionis. *Adde & Adhortationis, Castigationis, Consultationis, Correctionis, Reprehensionis.*
Adolescentiæ. *Adde & Aetatis, Iuventutis, Resipiscentiæ, Servorum, Tyrannidis.*
Adoptionis.
Adorationis. *Adde & Idolorum, Precum.*
Adspectus.
Adventus. *Vide Desiderii.*
Adventus Principum. *Adde & Excipiendi, Gaudii, Triumphi.*
Adversitatis. *Adde & Afflictionis, Calamitatis, Cladis, Infelicitatis, Tentationis, Tribulationis.*
Adulationis. *Adde & Parasiti, Philosophi, Regis, Regni.*
Adulterii. *Adde & Divortii, Homicidii, Pellicis, Stupri, Zeli.*
Advocati. *Vide Eloquentia, Iudicii, Mulierum, Rhetoricæ, Schola.*
Aedificii. *Adde Domus, Habitationis.*
Aëris. *Vide Elementorum.*
Aegritudinis. *Adde & Doloris, Luctus, Medicinæ, Morbi, Pœnitentiæ, Sanitatis, Tristitiæ.*
Aemulationis. *Adde & Civitatis, Invidiæ.*
Aequalitatis. *Adde & Puritatis.*
Aequanimitatis. *Adde Pusillanimitatis, Sufficientiæ, Tranquillitatis.*
Aequitatis. *Adde & Præmii.*
Aerarij. *Adde Pecuniæ, Quæstura.*
Aerumnarum. *Vide Adversitatis.*
Aestimationis. *Adde & Mercium, Emptionis, Venditionis.*
Aetatis.
Aeternitatis. *Adde & Vitæ aeternæ.*
Affabilitatis. *Adde & Admissionis Principalis.*
Affectionum.
Afflictionis. *Adde & Adversitatis, Aegritudinis, Tribulationis.*
Aggrediendi. *Vide Conatus, Initii, Successus.*
Agonisticæ. *Vide Certaminum.*
Agriculturæ. *Adde & Navigationis, Oeconomiæ, Otii, Rusticæ rei.*
Agyrtæ. *Vide Impostura.*
Alchimiæ.
Alex.
Alieni. *Adde & Curiositatis, Externorum, Fortuiti.*
Alimentorum. *Vide Annonæ, Cibi, Victus.*
Allocutionis. *Vide Adhortationis.*
Altercationis. *Vide Litis, Contentionis.*
Allocutio Ducis. *Vide Ducis, Imperatoris, Principis.*
Altum sapere. *Vide Curiositatis, Eximietatis, Insolentiæ, Magnæ rei, Mediocritatis, Modi, Mysterii.*
Alumni. *Vide Annonæ.*
Ambigui.
Ambitionis. *Adde & Aemulationis, Amoris sui, Factionis, Gloriæ, Politicorum.*
Amentiæ. *Vide & Dementiæ.*
Amicitiæ. *Adde & Amoris, Apotheoseos, Incerti, Incredulitatis, Iniuriæ, Societatis, Tranquillitatis.*
Amici.
Amissionis rerum. *Adde & Acquisitionis, Afflictionis, Calamitatis, Damni.*
Amnestiæ. *Vide & Concordiæ, Iniuriæ, Oblivionis.*
Amœnitatis. *Vide Delectationis, Iucunditatis.*
Amoris. *Adde & Dilectionis.*
Amoris conjugalis. *Vide Coniugis, Matrimonii, Vxoris, Zeli.*
Amoris Dei.
Amoris liberorum in parentes. *Vide Liberorum.*
Amoris parentum in liberos. *Vide Parentum.*
Amoris patriæ. *Adde & Patriæ.*
Amor prolis. *Vide Liberorum.*
Amoris proximi. *Adde & Proximi.*
Amor Socratis. *Adde & Adolescentiæ.*
Amoris sui. *Adde & Censuræ.*
Amoris Veneri. *Adde & Pulchritudinis.*
Anathematum. *Adde & Consecrationis, Donariorum, Oblationis, Sacrificii.*
Ancillæ. *Vide Servorum.*
Angelorum.
Animæ. *Adde & Diaboli, Hominis creatio.*
Animalium.
Animi. *Adde & Liberorum.*
Anni.
Annonæ. *Adde & Alimentorum, Commeatus, Dardanariorum, Famis, Victus.*
Anni. *Vide Aetatis.*
Antichristi.
Antiquitatis. *Adde & Morum, Idolorum, Suffragii.*
Antistitis. *Adde & Concionatoris, Ecclesiastæ, Episcopi, Pastoris, Prælati.*
Anxietatis. *Vide Curæ, Solicitudinis.*
Apertè. *Vide Aspectus.*
Apostasiæ. *Vide Hereseos.*
Apostolorum.
Apotheoseos.
Apparitionis. *Vide Diaboli, Spectrorum.*
Appellationis. *Vide Iudicis.*
Appetitus. *Vide Cupiditatis, Desiderii.*
Approbationis. *Adde Censuræ, Consensus, Communionis.*
Aptitudinis. *Adde & Artis, Cognitionis sui, Convenientiæ, Decori, Ingenii, Studiorum, Successus.*
Aquæ. *Adde & Fluminis, Maris.*
Arx. *Vide Anathematis & Templi.*
Arbitrii.
Arborum. *Vide Terræ, Rusticæ rei.*
Arcani. *Adde & Secreti.*
Arcium. *Vide Castellorum.*
Ardelionum.
Arduitatis. *Vide Difficultatis.*
Aretalogorum. Vide Impostura.
Argenti. *Vide Auri, Pecuniæ.*
Argentariorum. *Vide Fœneris.*
Argutiæ.
Ariolorum. *Vide Divinationis.*
Armorum. *Adde & Belli, Vrbium.*
Arrogantiæ. *Adde & Honoris, Insolentiæ.*
Artis. *Adde & Naturæ, Nobilitatis, Quærendi, Rhetoricæ, Scientiæ.*
Artium manuariarum sellariarumque. *Adde & Oeconomiæ, Opificij.*
Aruspicinæ.
Aspectus. *Adde & Amoris, Conscientiæ, Faciei, Formæ, Oculorum, Præsentiæ, Pulchritudinis, Visus.*
Assentatio. *Vide Adulationis, Parasiticæ rei.*
Assiduitatis. *Vide Diligentiæ, Perseverantiæ.*
Assuetudinis. *Vide Consuetudinis.*
Astrorum.
Astrologiæ.
Astronomiæ.
Astutiæ.
Asyli. *Vide Defensionis, Supplicum, Templi, Tutelæ.*
Atheismi. *Vide Ataxiæ, Impietatis, Ordinis.*
Athletarum. *Vide Certaminis, Gymnasii.*
Attentionis. *Adde Divitiarum, Luxuriæ, Peccati, Vitij.*
Auctoris.
Auctoritatis. *Adde & Maiestatis.*
Audacia. *Adde & Belli, Fortitudinis, Temeritatis.*
Auditus.
Augendi. *Vide Finis, & Maturitatis.*
Augurii. *Adde & Divinitatis.*
Aviditatis. *Vide Avaritiæ, Cupiditatis.*
Avium.
Aulicæ rei. *Adde & Administrorum Principalium, Miseriæ, Secreti.*
Auroræ. *Vide Diei.*
Auri. *Adde & Libertatis.*
Auspicii. *Vide Divinationis.*
Austeritatis.
Autarkiæ. *Vide Aequanimitatis, Frugalitatis, Mediocritatis, Moderationis, Sortis, Sufficientiæ.*
Autumni. *Adde & Anni.*
Auxilii divini. *Adde & Favor.*
Auxilii humani. *Adde & Beneficii, Benignitatis, Officii, Proditionis, Promotionis.*
Auxilii mutui. *Vide Auxilii humani.*

B.

Balneorum.
Baptismi.
Barbæ.
Barbariæ.
Beati.
Beatitudinis. *Adde & Animi, Boni summi, Felicitatis, Rusticæ rei, Tranquillitatis.*
Belli caussæ. *Adde Æquitatis. caussa.*
Belli civilis. *Adde & Factionum Seditionis.*
Belli externi. *Adde & Armorum, Discordiæ, Ducis, Hostium, Periculi.*
Belli navalis.
Benedictionis.
Beneficii. *Adde & Auxilii, Benignitatis, Celeritatis, Domi. E-leemosyna, Largitionis Muneris, Officii, Parentum, Promissi.*
Beneficii Ecclesiastici.
Benevolentiæ.
Benignitatis. *Adde & Auxilii, Beneficii, Boni-*

Elenchus Titulorum.

Bonitatis, Lenitatis, Officiositatis.
Bibliothecæ. *Adde & Librorum.*
Bigamiæ. *Vide Viduitatis.*
Bilinguitatis. *Vide Adulationis, Blanditiarum, Calumniæ, Dissimulationis, Doli, Fœderis, Fraudis, Interpretationis, Lingua, Parasiti, Sermonis, Simulationis, Vocis.*
Biothanati.
Blanditiarum.
Blasphemiæ. *Adde & Vindicta divina.*
Bonitatis. *Adde Legis, & Hypocriseos, & Probitatis.*
Brevitatis.
Breviloquii.

C.

Cacozeliæ. *Vide Æmulationis, Arrogantia, Hypocrita, Iactantia, Initis, Personæ, Sortis.*
Cadaveris.
Cæcicatis.
Cædis. *Vide Homicidii, Necis.*
Cælibatus. *Adde & Heredipetæ, Matrimonii, Orbitatis, Virginitatis.*
Cæli. *Adde & Laboris.*
Calamitatis. *Adde Adversitatis; Miseria, Tyrannidis.*
Calliditatis. *Vide Deceptionis, Fraudis.*
Callide dictorum.
Calvitii. *Vide Comæ.*
Calumniæ. *Adde Divitiarum, Famæ.*
Candidati. *Vide Comitiorum, Dignitatis, Electionis, Episcopi, Honoris, Magistratus, Ordinis, Pastoris.*
Canis. *Vide Venationis.*
Canitici. *Vide Comæ, Senectæ.*
Capillorum. *Vide Comæ.*
Cantus. *Vide Musicæ, Poeseos.*
Captatoris. *Vide Heredipetæ.*
Captivitatis *Adde & Victoriæ.*
Carceris.
Caritatis.
Carnificis.
Carnis.
Carminis.
Carminis famosi. *Vide & Libelli.*
Carminis magici. *Vide Incantamentorum.*
Castelli.
Castigationis *Adde Accusationis, Amici, Amicitiæ, Correctionis, Reprehensionis.*
Castitatis. *Adde & Pudoris, Pudicitiæ, Virginitatis.*
Castrorum. *Adde & Aulæ.*
Casus.
Cavendi, cautionis. *Adde Circumspectionis, Exempli, Improvisi, Præmeditationis, Providentiæ.*
Cavillationis.
Cauponariæ rei. *Vide Dardanarii, Hospitii.*
Caussæ. *Adde & Demonstrationis.*
Caussidici. *Adde & Advocati.*
Cautionis.
Celandi. *Vide Secreti.*
Celebritatis. *Adde & Claritatis, Famæ, Gloria, Honoris, Immortalitatis, Nominis.*
Celeritatis. *Adde & Festinationis, Occasionis, Tarditatis.*
Censuræ. *Adde & Cognitionis sui, Iudicii, Reprehensionis, Talionis.*
Census. *Vide Ærarii, Tributi.*
Certaminis. *Adde & Duelli, Contentionis, Exercitationis, Gymnicæ rei, Litis.*
Chaldæorum. *Vide Astrologiæ.*
Charæ rei. *Vide Pretiosi.*
Charitatis Dei. *Adde & Amoris Dei.*
Charitatis patriæ. *Adde & Amoris patriæ.*
Charitatis proximi. *Adde & Amoris proximi.*
Christi.
Christi adventus.
Christi incarnationis.
Christi passionis.
Christi crucis.
Christi mortis.
Christi resurrectionis.
Christi ascensionis.
Christi virtutis.
Christi nativitatis.
Christianismi. *Adde & Nominis.*
Cibi. *Adde & Idololatriæ Victus.*
Circumspectionis. *Adde & Improvisi, Præmeditationis, Providentiæ, Prudentiæ, Securitatis.*
Civis. *Adde & Subditi.*
Civilitatis. *Adde & Benignitatis, Comitatis.*
Civitatis. *Adde Concordiæ, Patriæ, Reipubl. Seditionis, Vrbis.*
Cladis. *Adde & Communitatis, Fugæ, Pugnæ, Ruinæ.*
Clam. *Vide Aspectus, Secreti.*
Clamoris.
Clancularii. *Adde Arcani, Aspectus.*
Claritatis.
Classis bellicæ. *Vide Bellinavalis, Navigationis.*
Clementiæ, *Adde & Prælii, Rebellionis, Victoriæ.*
Clerici.
Clientelæ. *Vide Patrocinii.*
Coactionis. *Adde, Iussionis, Necessitatis, Vis.*
Cœli. *Vide Cæli.*
Cœlibatus. *Vide Calibatus.*
Cœmiterii.
Cœnæ. *Vide Convivii.*
Cœnæ Dominicæ. *Vide Eucharistiæ.*
Cœnobii. *Vide Monasticæ rei.*
Cœnobitæ. *Vide Monasticæ rei.*
Cogitationis. *Adde & Contemplationis, Diaboli, Meditationis, Secreti, Solitudinis.*
Cognationis. *Adde & Affinitatis, Ignobilitatis, Nobilitatis, Plebis, Vulgi.*
Cognitionis. *Adde & Scientiæ.*
Cognitionis Dei & Christi. *Vide Dei & Christi.*
Cognitionis sui. *Adde & Personæ, Onerum, Successus.*
Coitus. *Adde & Veneris.*
Collegii. *Vide Societatis.*
Collegæ. *Vide Magistratus.*
Colloquii.
Coloniæ.
Comæ. *Adde & Habitus.*
Comessationis. *Vide Convivii, Ebrietatis, Gulæ, Luxus, &c.*
Comitiorum. *Adde & Electionis, Magistratus.*
Comitatis *Adde & Admissionis, Benignitatis, Civilitatis, Vrbanitatis.*
Commeatus *Adde & Annonæ.*
Commendationis. *Adde & Intercessionis.*
Commercii. *Vide Mercaturæ, Negotiationis.*
Commiserationis. *Vide Compassionis, Misericordiæ.*
Commoditatis. *Vide Occasionis, Opportunitatis.*
Commodi. *Adde & Lucri, Vtilitatis.*
Comœdiæ. *Adde & Spectaculi, Theatri, Tragœdiæ.*
Communitatis. *Adde & Cladis Privati, Publici, Societatis, Totius.*
Comparationis. *Vide & Talionis.*
Compassionis. *Vide Misericordiæ Dei, Societatis, Veniæ, Victoriæ.*
Compotationis. *Vide Convivii, Luxus, &c.*
Comptus muliebris. *Adde Fuci, Ornatus, Speculi.*
Conatus. *Adde Actionis, Exitus, Finis, Initii, Magnæ rei, Occupationis, Successus, Voluntatis.*
Concilii.
Concionatoris. *Adde & Ecclesiastæ, Prædicationis.*
Concordiæ. *Adde & Civitatis, Discordiæ, Societatis.*
Concubinæ.
Concupiscentiæ. *Adde & Peccati.*
Cõditio vitæ. *Vide Electionis, Institutionis, Status.*
Confessionis fidei.
Confessionis peccatorum.
Confidentiæ. *Adde & Casus, Circumspectionis, Fiduciæ, Providentiæ.*
Confusionis. *Vide Multitudinis, Ordinis, Turbæ.*
Congruentiæ. *Vide Aptitudinis.*
Conjecturarum. *Vide Divinationis & Magiæ.*
Conjugii. *Adde & Matrisfamilias, Matrimonii, Vxoris.*
Conjurationis. *Adde Factionis, Conspirationis, Tyrannicidii.*
Conniventiæ. *Vide Castigationis, Longanimitatis, Reprehensionis, Veniæ.*
Consanguinitatis. *Vide Affinitatis, Charitatis, Cognationis.*
Conscientiæ. *Adde Criminis, Furiarum, Iniuriæ, Iniquitatis, Iudicii, Mentis, Peccati, Turpitudinis.*
Consecrationis. *Vide Anathematum, Apotheoseos.*
Consensus. *Adde & Approbationis, Concordiæ, Sententiæ, Societatis, Voluntatis.*
Considerationis. *Vide Circumspectionis.*
Consilii. *Adde & Consultationis, Cunctationis.*
Consiliariorum. *Adde & Administri Principum, Senatus.*
Consolationis. *Adde & Luctus, Mœroris, Solatii.*
Coniortii *Vide Conversationis, Societatis.*
Conspirationis. *Adde & Conjurationis & Tyrannicidii.*
Constantiæ.
Consternationis. *Vide Inopinatæ rei, Terroris.*
Consuetudinis. *Adde & Charitatis, Familiaritatis, Moris, Opinionis.*
Consultationis. *Adde & Consilii, Deliberationis, Magistratus, Senatus, Sententiæ.*
Contemplationis *Vide Cogitationis, Meditationis, Solitudinis, Vitæ contemplativæ.*
Contemptus.
Contenti hominis. *Vide Æquanimitatis, Frugalitatis, Sufficientiæ.*
Contentionis. *Adde Æmulationis, Ambitionis, Certaminis, Litis, Lucri.*
Continentiæ *Adde Abstinentiæ, Castitatis, Frugalitatis, Sobrietatis, Temperantiæ.*
Continuationis. *Vide Perseverantiæ.*
Contractus *Vide, Obligationis, Pacti.*
Contradictionis. *Vide Contumeliæ, Maledicti.*
Contrarii.
Contributionis. *Adde & Exactionis, Tributi.*
Contritionis.
Contubernii. *Vide Consortii.*
Contumaciæ. *Adde & Pertinaciæ.*
Contumeliæ. *Adde & Iniuriæ, Patientiæ.*
Cõvenientiæ. *Vide Aptitudinis, Decori, Loci.*
Conventionis. *Vide Obligationis & Pacti.*
Conversationis. *Adde Familiaritatis, Similitudinis, Societatis.*
Conversionis. *Adde & Correctionis, Erroris, Pœnitentiæ.*
Convictus. *Vide Assuetudinis, Conversationis, Societatis.*
Convitii. *Adde Comœdiæ, Contumeliæ, Maledicentiæ.*
Convivii. *Adde, Crapulæ, Divitiarum, Ebrietatis, Gulæ, Luxuriæ.*
Copiæ. *Vide Abundantiæ, Deliciarum, Multitudinis, Numeri.*
Coronæ. *Vide Vnguenti.*
Corporis. *Adde & Animæ, Carnis, Mentis, Morbi.*
Correctionis. *Adde & Castigationis, Calamitatis, Conversionis, Emendationis, Erroris, Pœnitentiæ, Pœnæ, Supplicii.*
Correptionis. *Adde & Admonitionis, Criminatio-*

Elenchus Titulorum.

minationis, Iurgii, Reprehensionis.
Corruptionis. *Adde Auri, Doni, Muneris, Proditionis, Simoniæ.*
Crapulæ. *Adde & Conviuii, Deliciarum, Diuitiarum, Ebrietatis, Gula, Luxus, Peculatus.*
Creationis.
Creaturæ. *Vide Abusus.*
Creditoris. *Adde & Debitoris, Mutui.*
Credulitatis. *Adde & Fidei, Incredulitatis.*
Crescendi. *Vide Finis, Maturitatis, Prouentus, Successus.*
Criminationis. *Vide Calumniæ, Delationis, Reprehensionis, Vituperii.*
Criminis. *Adde Culpa, Delicti, Mali, Peccati, Sceleris.*
Crinium. *Vide Coma.*
Crucis. *Adde & Afflictionis, &c.*
Cruciatus. *Vide Doloris, Supplicii, Tormentorum.*
Crudelitatis. *Adde & Sæuitiæ, &c.*
Culturæ. *Vide Artis.*
Culpæ.
Culus *Vide Adorationis, Honoris, Idololatriæ, Reuerentiæ.*
Cultus diuini. *Dei cultus, Deuotionis, Oblationis, Pietatis, Religionis, Sacrificii.*
Cunctationis. *Adde Moræ, Procrastinationis, &c.*
Cupiditatis. *Adde Desiderii, Vanitatis rerum, Vita humana, Votorum.*
Curæ. *Adde & Ægritudinis, &c.*
Curæ proximi. *Vide Pastoris, Proximi.*
Curiæ. *Adde & Aulicæ rei.*
Curiositatis. *Add & Alieni, Magni, Mediocritatis, Modi, Modestiæ, Officii.*
Custodiæ. *Adde & Satellitis.*
Custodiæ rerum suarum. *Vide Acquisitionis.*

D.

Dæmonis. *Adde & Diaboli, Idololatriæ, &c.*
Damnationis. *Adde & Accusationis, Iudicii, Rei.*
Damni. *Adde & Calamitatis, Iniuriæ, &c.*
Dardanariorum.
Debiti. *Adde & Crediti.*
Deceptionis. *Adde & Astutiæ, &c. Erroris, Hypocrisis, Impostura.*
Decoctoris. *Vide Prodigalitatis.*
Declamationis. *Vide Oratoriæ rei, Rhetoricæ.*
Decori. *Adde & Æstimationis, Aptitudinis, Existimationis.*
Decreti. *Adde & Approbationis, Præmii, Sententiæ.*
Dedecoris. *Vide Infamiæ.*
Dedicationis. *Vide Anathematum.*
Deditionis. *Adde & Vrbis deditæ.*
Defatigationis. *Vide Lassitudinis.*
Defensionis. *Adde & Aduocati, Iudicii, Patrocinii, Rei.*
Defectionis. *Vide Rebellionis.*
Deformitatis. *Adde Fœci, Pulchritudinis.*
Degenerationis. *Adde & Liberorum, &c. Natalium.*
Deificationis. *Vide Apotheosis.*
Delatoris. *Adde & Calumniæ, Sycophantiæ.*
Delectationis. *Adde & Placendi, Iucunditatis.*
Deliberationis. *Adde & Circumspectionis, Consultationis, &c.*
Deliciarum. *Adde & Abstinentiæ, Conuiuii, Diuitiarum, Ebrietatis, Frugalitatis, Gulæ, Luxus, Paupertatis, Voluptatis, &c.*
Delicti. *Adde & Criminis, Culpæ, Mali, Peccati, Sceleris.*
Delubrorum. *Vide Templi.*
Democratiæ. *Adde & Dementiæ, Populi, Plebis, Vulgi.*
Demonstrationis.
Depopulationis. *Vide Populationis, Prædæ, Rapinæ.*
Depositi.
Deprecationis. *Vide Excusationis, Intercessionis, Supplicis, Veniæ.*
Derisionis. *Vide Risus.*
Desiderii. *Adde & Absentiæ, Cupiditatis, Emptionis, Moræ, Satietatis.*
Desideriorum. *Vide Admissionis, Intercessionis, Libelli supplicis.*
Desidiæ *Vide Ignauiæ, Inertiæ, Otii, Pigritiæ, &c.*
Despectus *Vide Contemptus.*
Desperationis.
Desuetudinis. *Vide Exercitii, Perseuerantiæ, Vsus.*
Detractionis. *Adde Calumniæ, Delationis, Obtrectationis, Sycophantiæ.*
Detrimenti. *Vide Damni.*
Deuotionis. *Adde & Dei cultus, Religionis, Sacrificii.*
Dei benignitatis.
Dei cognitionis.
Dei cultus.
Dei dilectionis atque honoris.
Dei fauoris. *Vide Fauoris.*
Dei gratiæ. *Vide & Gratiæ.*
Dei immutabilitatis. *Adde & Fati.*
Dei iræ.
Dei oculi aspectusque.
Dei potentiæ.
Dei præsentiæ. *Adde & Præsentiæ.*
Dei regni.
Dei timoris.
Dei ultionis. *Adde & Vindictæ.*
Dei voluntatis.
Deorum gentilium. *Adde & Idolorum.*
Dexteritatis. *Vide Circumspectionis, Industriæ.*
Diaboli.
Dialecticæ.
Dicteriorum. *Vide Dictorum, Scommatum.*
Dictorum.
Diei. *Adde Auroræ, Dilationis, Luminis, Noctis, Tenebrarum, Temporis.*
Dierum festorum. *Vide Festorum.*
Diei natalis. *Vide Natalitatis.*
Difficultatis. *Adde Deliciarum, Licentiæ, Luxus, Magnæ rei.*
Diffidentiæ. *Adde & Credulitatis, Fidei, Incredulitatis.*
Dignitatis. *Adde & Honoris, Magistratus, Muneris, Officii, Potestatis.*
Dilationis. *Adde & Moræ, Procrastinationis.*
Dilectionis.
Dilectus militaris. *Vide Militiæ.*
Diligentiæ. *Adde & Exercitii, Perseuerationis, Rusticæ rei.*
Discendi. *Adde & Discipuli, Doctrinæ, Eruditionis, Institutionis, Præceptoris, Schola, &c.*
Disciplinæ.
Disciplinarum liberalium. *Vide Artium liberalium, Doctrinæ, Eruditionis.*
Disciplinæ Ecclesiasticæ.
Disciplinæ militaris. *Adde & Ducis, Itineris, Militiæ, &c.*
Discipuli.
Discordiæ. *Adde & Certaminis, Ciuium, Concordiæ, Litis, Pacis, Reipubl. Simultatis, Schismatis.*
Discretionis *Vide Prudentiæ.*
Discriminis. *Vide Periculi.*
Disputationis.
Dispensationis.
Dissidii. *Vide Discordiæ.*
Dissensionis. *Vide Discordiæ.*
Dissimulationis. *Adde & Simulationis.*
Diuinationis. *Adde & Aruspicinæ, Auguris, Diaboli, Futuri, Prædictionis.*
Diuitiarum. *Adde Amicitiæ, Auaritiæ, Laboris, Lucri, Pulchritudinis, &c.*
Diuortii.
Doctoris. *Vide Doctrinæ, Institutionis, Pædagogi, Præceptoris.*
Doctrinæ. *Adde & Librorum, Studii, Vrbis.*
Doloris.
Doli. *Adde Deceptionis, &c. Hostis, Principis, Stratagematum.*
Domesticæ rei. *Vide Familiæ, Cognationis, Propinquitatis.*
Dominii. *Adde & Acquisitionis, Domini, Possessionis.*
Domini. *Adde & Familiæ, Seruitutis.*
Dominandi libidinis. *Vide Regnandi cupidinis Tyrannidis.*
Domus. *Adde & Ædificii.*
Doni. *Vide Muneris, &c.*
Donariorum. *Adde & Anathematis, &c.*
Dotis. *Adde & Nuptiarum.*
Dubii. *Adde & Ignorantiæ.*
Ducis boni malique.
Ducis mercenarii. *Adde & Militis mercenarii.*
Duelli. *Adde & Certaminis, Prælii.*

E.

Ebrietatis. *Adde & Crapulæ, Conuiuii, Gulæ, Luxus, Somni, Vini.*
Ecclesiæ.
Ecclesiasticæ auctoritatis, immunitatis, potestatis.
Ecclesiasticorum honorandorum.
Ecclesiasticorum bonorum.
Ecclesiastæ. *Adde & Antistitis, siue Concionatoris, Episcopi.*
Educationis. *Adde & Gymnasii, Institutionis.*
Effigiei. *Adde & Imaginis, Picturæ, Simulacri, Statuæ.*
Effusionis. *Vide Prodigalitatis.*
Egestatis. *Adde & Diuitiarum, Frugalitatis, Inopiæ, Paupertatis.*
Egregii. *Vide Magni.*
Electionis. *Adde & Candidati, Educationis, Fortunæ, Institutionis.*
Eleemosynæ. *Adde Mendici, Misericordiæ.*
Elegantiæ. *Adde & Artium, Pulchritudinis.*
Elementorum.
Eloquentiæ. *Adde & Facundiæ, Oratoriæ.*
Emendationis. *Adde & Correctionis, Erroris, Medicinæ.*
Emeriti. *Vide Vacationis.*
Eminentiæ. *Vide Magni, Modi.*
Emptionis. *Adde & Æstimationis, Medicinæ, Moris.*
Emolumenti. *Vide Lucri, Vtilitatis.*
Encomii. *Vide Laudationis.*
Episcopi. *Adde Antistitis, Concionatoris, Prælati, &c.*
Epistolæ. *Adde & Absentiæ, Desiderii, Præsentiæ, &c.*
Equi & Equestris rei.
Erroris.
Erubescentiæ. *Vide Pudoris, Roboris, Verecundiæ.*
Eruditionis. *Adde Doctrinæ, Literarum, &c.*
Ethnici. *Vide Gentium.*
Euangelii.
Eucharistiæ.
Eventus. *Adde & Exitus, Voluntatis.*
Exirationis. *Vide Eunuchi.*
Eunuchi. *Adde Inuidiæ, Satellitis.*
Exactionis. *Vide Census, Tributi, Publicani, Vectigalis.*
Examinis. *Adde Censuræ, Electionis, &c.*
Excellentiæ.
Excelsi. *Vide Magni.*
Excipiendi. *Vide Aduentus, Principis.*
Excommunicationis.
Excusationis. *Vide Reconciliationis, Veniæ.*
Execrationis. *Adde & Excellentiæ, Exceptionis, Imprecationis.*

Execu-

Elenchus Titulorum.

Executionis. *Vide Mandati.*
Exempli. *Adde & Laudationis.*
Exequiarum. *Vide Sepulturæ.*
Exercitii. *Adde & Certaminis, Fortitudinis, Gymnasii, Modi, Tyrocinii, Vsus.*
Exercitus.
Exercitus ex hostico alendi.
Exercitus ordinandi. *Vide Aciei, Ducis, Prælii.*
Exhortationis. *Vide Admonitionis, Allocutionis.*
Exilii.
Eximii. *Vide Excellentiæ, Magni, Mediocritatis, Modi, Nomis.*
Existimationis. *Adde & Auctoritatis, Decoris, Famæ, Opinionis.*
Exitus. *Adde & Caussæ, Eventus, Finis, Fructus, Successus.*
Exorbitationis. *Vide Errorū.*
Exorandi. *Vide Impetrandi, Intercessionis.*
Exorcismi.
Expavescendi. *Vide Terroris, Cacitatis.*
Expeditionis. *Vide Exitus, &c. Sermonis, Successus, Tempestivitatis.*
Expeditionis bellicæ. *Vide Itineris.*
Expectationis. *Adde & Desiderii, Futuri, Reditus, Spei.*
Experientiæ.
Expiationis.
Exploratoriæ rei. *Adde & Itineris, Prælii.*
Expositionis infantum. *Vide Infantis, Puerperii.*
Exprobrationis.
Expugnationis. *Adde Belli, Templi, Vrbis.*
Expurgationis. *Vide Excusationis, Reconciliationis.*
Extemporaneæ rei. *Vide Celeritatis, Orationis.*
Externorum. *Adde Dominii, Possessionis, Superflui.*
Externorum morum. *Vide Morum.*
Extranei. *Vide Peregrini.*

F.

Fabularum.
Facetiæ. *Adde & Ostentationis.*
Faciei. *Adde & Vultus, &c.*
Facilitatis. *Vide Admissionis, Benignitatis, Civilitatis, Clementiæ, Humanitatis.*
Facinoris. *Vide Sceleris.*
Facti. *Vide Actionis.*
Factionis. *Adde & Aemulationis Ambitionis, Discordiæ, Rebellionis, Seditionis, Tumultus.*
Facultatis. *Vide Licentiæ, Occasionis.*
Facundiæ.
Fallendi. *Vide Deceptionis.*
Fallaciæ. *Vide Doli, Fraudis, Hypocrisis, Impostura, Mendacii, Simulationis.*
Fallitatis. *Adde & Deceptionis, Fallaciæ, Fraudis, &c. Calumniæ, Sycophantiæ &c.*
Famæ. *Adde & Memoriæ, Laudis, Obscuritatis.*
Famis.
Familiæ. *Adde & Paterfamiliæ, &c. Seditionis.*
Familiaritatis. *Adde Consuetudinis, Conversationis, &c. Societatis.*
Famulorum. *Vide Servi & Servitutis.*
Fani. *Vide Ecclesiæ, Templi.*
Fascinationis. *Adde & Incantationis.*
Fastidii. *Adde & Satietatis.*
Fastus. *Vide Arrogantiæ, Superbiæ, &c.*
Fatuitatis. *Vide Stultitiæ.*
Fatigationis. *Vide Lassitudinis.*
Fœditatis. *Vide Deformitatis.*
Favoris.
Felicitatis. *Adde & Animi, Beatitudinis, Cognitionis sui, Pretatū.*
Feminæ. *Adde & Mulieris, Nuptiarum, Vxoru, &c.*
Ferarum. *Vide Animalium.*
Feriæ. *Vide Festorum.*
Ferocitatis. *Adde & Insolentiæ, &c.*
Fertilitatis.
Festinationis.
Festorum.
Fidei Christianæ.
Fidei ac Fidelitatis. *Adde & Incredulitatis, Servitutis, Successionis.*
Fidei in Deum. *Vide Fiduciæ.*
Fiduciæ *Adde Casus, & Confidentiæ.*
Filii, Filiæ. *Adde & Educationis, Liberorum, Matrimonii, Parentum.*
Finis. *Adde & Exitus, Fructus, Maturitatis, Perseverantiæ, Principii, Successus.*
Fisci. *Adde & Ærarii, &c. Vectigalis.*
Flagitii. *Vide & Pravitatis, Sceleris, Vitii.*
Fletus. *Vide Lacrimarum, Luctus.*
Florum. *Vide Anni, Horti, Rusticæ rei, Terræ, Vnguentorum.*
Fluminis. *Adde & Aquæ, Terræ, &c.*
Fœderis. *Adde & Sanctionis, Pacti, &c.*
Fœnoris. *Adde & Avaritiæ, Dardanariorum, Vsuræ.*
Fontis. *Vide Fluminis.*
Formæ. *Adde & Pulchritudinis.*
Fornicationis. *Vide Scortationis, &c.*
Fortitudinis.
Fortitudinis piorum. *Adde & Martyrii.*
Fortitudinis animi.
Fortitudinis bellicæ.
Fortunæ. *Adde & Cupiditatis, Favoris, Prosperitatis.*
Fragilitatis. *Vide Infirmitatis.*
Fratris aut Sororis. *Adde & Amicitiæ, Successionis.*
Fraudis. *Adde & Erroris & Prædæ.*
Fortuiti. *Vide Alieni, Externorum, Fortuna.*
Frontis. *Vide Aspectus, Facies.*
Fructus. *Adde & Finis, Terræ, Vtilitatis.*
Frugalitatis. *Adde & Abstinentiæ, Convivii, Crapulæ, Ebrietatis, Gulæ, Luxus, Sobrietatis Tranquillitatis, &c.*
Frumentariæ rei. *Vide Annonæ, Commeatus, Famis.*
Fuci muliebris. *Adde & Luxus, Ornatus, Vestis.*
Fuci, pro fraude. *Vide Furti, Hypocrisis, Personæ.*
Fugæ. *Adde & Insidiarum, Stratagematum.*
Funeris. *Adde & Sepulturæ.*
Furiarum. *Adde & Conscientiæ.*
Furoris. *Adde & Dementiæ, Insaniæ.*
Furti.
Futuri.

G.

Garrulitatis. *Adde & Linguæ, Loquacitatis.*
Gaudii. *Adde & Lætitiæ, Promissionis, Regni*
Gemmarum. *Adde & Abusus, Divitiarum, Luxus, Opum, Ornatus, Vestitus.*
Generationis.
Generositatis. *Vide & Nobilitatis.*
Genethliaci. *Vide Astrologiæ.*
Gentilium. *Adde & Ethnicorum.*
Gentium. *Vide Nationum.*
Generis. *Vide Natalium, Nativitatis, Nobilitatis.*
Geometriæ.
Gloriæ. *Vide & Ambitionis, Excellentiæ, Honoris.*
Gloriationis. *Adde & Gloriæ, &c, Iactantiæ, Ostentationis.*
Gradationis, Gradus *Vide Excellentiæ, Mediocritatis, Ordinis.*
Grammaticæ.
Grandium. *Vide Excellentium, Magni, Partis.*
Gratiæ Dei.
Gratiarum.
Gratiositatis. *Vide Ambitionis, Plebicolæ, &c.*
Gratitudinis. *Adde & Rebellionis.*
Gratum esse. *Vide Placendi.*
Gravitatis. *Vide & Admissionis, Comitatis, Popularitatis, Vrbanitatis.*
graviter dictorum.
Gubernationis. *Adde & Principis, Regis, &c.*
Gulæ. *Adde & Abstinentiæ, Cibi, Convivii, Delitiarum, Luxus.*
Gustus. *Vide Gulæ & Luxus.*
Gymnicæ rei. *Adde & Exercitii, &c.*

H.

Habitationis. *Vide & Aedificii, Domus, &c.*
Habitus. *Adde & Vestitus.*
Hæreditatis.
Hæredipetarum.
Hæreseos.
Heremitæ. *Vide Monachi, Solitudinis, Vitæ contemplativæ.*
Hiemis. *Vide & Anni.*
Hilaritatis. *Vide Gaudii.*
Historiæ.
Histrionum. *Vide Comœdiæ, Personæ, Spectaculorum, Theatri, Tragœdiæ.*
Homicidii. *Vide & Cædis, Vltionis.*
Homicidæ sui. *Vide Biothanati.*
Hominis. *Vide & Providentiæ.*
Hominis generationis. *Adde & Generationis.*
Hominis miseriæ. *Adde & Matrimonii, Miseriæ, Risus.*
Hominis præstantiæ.
Hominis scelerum. *Vide Improbitatis, Sceleris.*
Hominis votorum instabilis. *Vide Risus.*
Honestatis. *Vide Perseverantiæ.*
Honoris. *Adde & Ætatis, Arrogantiæ, Dignitatis, Promissionis, Potestatis, Præmii, Reverentiæ, Statuarum, Titulū, Magistratus.*
Horti. *Vide Rusticæ vitæ.*
Hospitalitatis. *Adde & Imperii.*
Horæ Canonicæ.
Honoris contemptus.
Hostilitatis.
Humanitatis. *Vide & Benignitatis, Clementiæ, Comitatis, Misericordiæ.*
Humilitatis. *Vide & Iactantiæ, Insolentiæ, Mediocritatis, Modestiæ, Patientiæ, Tolerantiæ.*
Hyemis.
Hymni. *Vide Cantus, Musicæ, Poeseos.*
Hypocrisis. *Vide & Obsequii, Ostentationis, Personæ, Simulationis, Sophistæ.*

I.

Iactantiæ. *Adde & Gloriæ, Ostentationis.*
Iacturæ. *Vide Damni, Periculi.*
Iaculorum. *Vide Armorum.*
Idololatriæ. *Adde & Deorum gentilium.*
Jejunii. *Vide Abstinentiæ, Sobrietatis.*
Ignaviæ. *Vide Negligentiæ, Socordiæ.*
Ignis. *Vide Incendii, Providentiæ.*
Ignominiæ. *Vide & Infamiæ.*
Ignorantiæ.
Ignorantiæ sui. *Vide Cognitionis sui.*
Ignoscendi. *Vide Clementiæ, Misericordiæ, Veniæ.*
Ignoti. *Vide & Experientiæ, Ignorantiæ.*
Illiberalitatis. *Vide Liberalitatis, &c.*
Imaginis. *Adde & Effigiei, Statuæ, &c.*
Imbecillitatis. *Vide Ægritudinis, Infirmitatis, Morbi.*
Imitationis. *Adde & Aemulationis, Exempli.*
Immanitatis. *Vide Crudelitatis, Sævitiæ.*
Immortalitatis. *Adde & Æternitatis, Famæ, Gloriæ, Memoriæ, Nominis.*
Impatientiæ. *Adde & Patientiæ, Tolerantiæ.*
Impedimentorum militarium. *Vide Itineris, Militis.*
Impedimenti. *Vide Meræ, Occupationis.*
Impendii. *Vide Sumptus.*
Imperfectionis. *Vide Perfecti, Totius ac partis.*
Imperii atque Imperatoris. *Adde & Acquisitionis, Aequitatis, Episcopi, Gubernationis, Monarchiæ, Obedientiæ, Pastoris, Principis, Regis.*
Imperitiæ. *Vide & Ignorantiæ, Ignoti, Inscitiæ.*

Impe-

Elenchus Titulorum.

Impetrationis. *Vide & Desiderii, Exorationis, Intercessionis, Negandi, Precum, Petitionis, Rogationis.*
Impetus. *Adde & Festinandi, Inopini, Moræ, &c.*
Impietatis.
Importunitatis.
Impossibilitatis.
Impostura. *Vide & Hypocrisis, Personæ, Simulationis.*
Impotentiæ *Vide & Arrogantia, Divitiæ, Insolentia, Potentiæ, Potestatis.*
Imprecationis. *Adde & Execrationis, Maledictionis.*
Improbitatis. *Adde & Malignitatis, Malitiæ, Pravitatis, Sceleris.*
Improvisæ rei. *Adde & Expectationis, Inexpectati, Præmeditati, Providentiæ.*
Imprudentiæ. *Vide & Casus, Erroris, Providentiæ, &c.*
Impudentiæ.
Impudicitiæ.
Impunitatis. *Vide & Ignoscendi, &c. Simoniæ, Venia, &c.*
Impuritatis.
Incantationis. *Vide & Artium, Magiæ.*
Incendii. *Adde & Gloria, Ignis.*
Incepti. *Vide Initii, Principii, &c.*
Incerti. *Vide Dubii, Ambigui.*
Incestus.
Inchoandi. *Vide Initii, Maturitatis, Principii, Perfecti, Perseverantiæ.*
Incongruentiæ. *Vide Aptitudinis, Indecori.*
Inconstantiæ. *Adde & Instabilitatis, Mutationis, Vicissitudinis rerum.*
Incontinentiæ. *Vide Libidinis, Voluptatis.*
Inconveniētiæ. *Vide Aptitudinis, Indecori.*
Increpationis. *Vide Reprehensionis.*
Incredulitatis. *Vide & Diffidentiæ.*
Incrementi *Vide Inchoandi, Initii, Maturitatis, Finis.*
Incursionis in hostē. *Vide Militiæ, Itineris.*
Indagationis. *Vide Quærendi.*
Indecori. *Vide Aptitudinis.*
Indicis. *Vide Testimonii.*
Indignationis. *Vide & Iræ.*
Indolis. *Adde & Ingenii, &c. Institutionis, Morum, Puericiæ.*
Indocti. *Vide Doctrinæ, Eruditionis, Ignorantiæ, Insciticæ, &c.*
Induciarum.
Indulgentiæ. *Vide Clementiæ, Impunitatis, Lenitatis, Misericordiæ, Parentum, Veniæ, &c.*
Industriæ. *Vide & Artis, Diligentiæ, Ingenii, Laboris, Studii.*
Ineptitudinis. *Vide Aptitudinis, Convenientiæ, Indecori.*
Inertiæ. *Vide Ignaviæ, Otii, Quietis.*
Inexpectati. *Vide Improvisi, Inopinati, Luctus, Repentini.*
Inexperti. *Vide Experientiæ.*
Infamiæ. *Vide & Comœdia. Famæ, Gloriæ, Honoris, Ignominiæ.*
Infantiæ. *Vide & Generationis, Natalium.*
Infelicitatis. *Vide Infortunii.*
Inferni.
Infidelitatis. *Vide Gentilium, Perfidiæ.*
Infirmitatis. *Vide Imbecillitatis.*
Infortunii. *Adde & Adversitatis, Afflictionis, Cladis, &c.*
Ingenii. *Adde & Doctrinæ, Educationis, Eruditionis, Industriæ, Institutionis, Morū.*
Ingenuitatis. *Vide Libertatis, Servitutis.*
Ingluviei. *Vide Crapulæ, Ebrietatis, Gulæ, Luxus.*
Ingratitudinis. *Adde Discipuli, Liberorum, Parentum.*
Inimicitiæ.
Iniquitatis *Adde & Æquitatis, Iustitiæ, Iniustitiæ, Iniuriæ.*
Initii. *Adde & Exitus, Finis, Fructus, Maturitatis, Perseverantiæ, Successus.*
Injuriæ.
Injustitiæ.
Innocentiæ.
Inopiæ. *Adde Egestatis, Eleemosynæ, Mendicitatis, Obsessionis, Paupertatis.*
Inopini. *Vide Improvisi, Repentini,*
Insaniæ. *Adde & Dementiæ, Furoris, Medici, Sapientiæ, Stultitiæ.*
Insciticæ. *Adde & Doctrinæ, Indocti, Ignorantiæ, Eruditionis.*
Insidiarum. *Adde & Dissimulationis, Fraudis, Simulationis.*
Insignis rei. *Vide Excellentiæ, Magnæ rei.*
Insipientiæ. *Vide Stultitiæ.*
Insolentiæ. *Adde & Impotentiæ, &c. Petulantiæ.*
Insomnii. *Vide Divinationis, Somni, Somnus.*
Insontis. *Vide Innocentiæ, Iudicii, Rei.*
Insperati. *Vide Improvisi, Repentini.*
Instabilitatis. *Vide & Inconstantiæ, &c. Mutationis, &c.*
Instandi. *Vide Perseverantiæ.*
Institutionis. *Adde & Disciplinæ, Educationis, Liberorum.*
Institutorum *Vide* [illegible] *suetudinis, Morum.*
Insultationis. *Vide* [illegible] *vitatis, Insolentiæ, Maledicentiæ.*
Instrumenti. *Vide Supellectilis.*
Instrumentorum bellicorum. *Vide Armorum.*
Integritatis. *Vide Innocentiæ.*
Intemperantiæ.
Intempestivitatis. *Vide Festinationis, Occasionis, Temporis.*
Intercessionis. *Adde & Clementiæ, Commendationis, Misericordiæ, Precum, Reconciliationis, Rei, Veniæ.*
Interpretationis. *Adde & Adversitatis, Metus.*
Interrxgationis. *Adde & Iudicis, Quæstionum, Rei.*
Invasionis. *Vide & Prædæ, Rapinæ.*
Inventionis. *Adde & Acquisitionis, Artis, Auctoris, Quærendi.*
Invidiæ. *Vide & Livoris.*
Inviti. *Vide Coactionis, Mandati, Providentiæ, Vis, Voluntatis.*
Invocationis. *Adde Auxilii, Intercessionis, Orationis ad Deum, Precum.*
Involuntarii. *Vide Invitis, Voluntatis.*
Inusus. *Vide Artis, Assuetudinis, Exercitij. Usus.*
Inutilis rei. *Vide Vtilitatis.*
Joci & Ludi.
Jocosè dictorum.
Iræ. *Adde & Affectuum, Iudicis, Patientiæ, Principis.*
Irrisionis. *Vide Risus.*
Itineris. *Vide & Prælii, Viæ.*
Jucunditatis. *Adde & Deliciarum, Gratiæ, Oblectationis, Placendi.*
Judicis.
Judicis corrupti. *Adde & Furti.*
Judicij. *Adde & Consilii, Honestatis, Opinionis, Sententiæ.*
Judicij non temerè ferendi.
Judicij divini.
Judicij extremi.
Juramenti. *Adde & Cultus Dei, Linguæ, Perfidiæ, Perjurii.*
Jurgii. *Vide Contentionis, Litis.*
Juris.
Jurisprudentiæ. *Vide & Advocati, &c.*
Jussorum. *Vide & Mandati.*
Justitiæ. *Adde & Æquitatis, Injuriæ.*
Juvandi. *Vide Auxilii & Vtilitatis.*
Juventutis. *Adde & Adolescentiæ.*

L.

Laboris. *Adde Finis, Fructus, Laudis, Præmii.*
Laboris frustranei. *Vide Absurdi, Aptitudinis, Conatus, Indecori, Præposteri.*
Lacrimarum. *Adde Luctus, Mœroris, Tyrannidis.*
Læsionis. *Vide Damni, Vulneris.*
Lætitiæ. *Vide Gaudii.*
Lamentationis. *Vide Luctus.*
Lapsus. *Vide Erroris.*
Largitionis. *Adde Beneficii, Eleemosynæ, Doni, Liberalitatis, Muneris.*
Larvæ. *Vide Hypocrisis, Personæ, Prætextus.*
Lassitudinis.
Latitandi. *Vide Aspectus, Conscientiæ, Secreti, Securitatis, Tenebrarum.*
Latrocinii. *Adde & Æqualitatis, Lucri, Piratarum.*
Laudis, Laudationis. *Adde Admirationis, Invidiæ, Maledicentiæ, Magistratus.*
Laudis propriæ.
Lectionis. *Adde & Discendi, Institutionis, Libri.*
Legationis. *Adde Supplicii.*
Legislatoris, *Vide Legis.*
Legis. *Adde & Adulterii, Iustitiæ, Politicorum, Prohibitionis, Rhetoricæ.*
Lenimenti. *Vide Solatii.*
Lenitatis. *Adde Æquanimitatis, Longanimitatis, Patientiæ, Pœnæ, Supplicii, Tranquillitatis, Venia.*
Lenonis. *Adde Lupanaris, Scorti, &c.*
Libelli famosi. *Vide Convitii, Maledicentiæ.*
Libelli supplicis. *Vide Desiderii, Petitionis, Supplicis.*
Liberalitatis. *Adde & Aulæ, Beneficii, Donationis, Largitionis.*
Liberè dictorum.
Liberorum. *Adde & Cognationis, Familia, Filiorum, Oeconomiæ, Parentum.*
Liberorum procreationis. *Vide Coitus, Matrimonii, Veneris.*
Libertatis.
Libertatis loquendi. *Vide Lingua, Sermonis, Reprehensionis.*
Liberi arbitrii. *Adde & Fati.*
Libidinis. *Adde & Amoris Veneri, Peccati, Veneris, Voluptatis.*
Librorum. *Adde & Lectionis Scripturæ.*
Licentiæ. *Adde & Amoris erga adolescentes, Difficultatis, Impunitatis.*
Linguæ. *Adde & Delationis, Garrulitatis, Maledicentiæ, Obtrectationis.*
Litis. *Adde & Accusationis, Advocati, Certaminis, Iudicii.*
Literarum. *Adde & Doctrinæ, Eruditionis, Studii.*
Literarum. *Vide Epistolæ.*
Livoris. *Adde & Invidiæ, Obtrectationis, Suspicionis.*
Loci *Vide Dignitatis, Honoris, Ordinis.*
Longanimitatis. *Adde & Æquanimitatis, Lenitatis, &c.*
Longævitatis. *Adde & Senectutis.*
Loquacitatis. *Adde & Garrulitatis, Linguæ, &c.*
Lucernæ. *Vide Luminis.*
Lucri. *Adde Acquisitionis, Alieni, Fructus, Pupilli, Quæstus.*
Luctus. *Adde & Familiæ, Miseriæ humanæ, Mœroris, Mortis, Tranquillitatis, Vitæ.*
Lucubrationis. *Vide Diligentiæ, Discendi, Noctis, Studii.*
Ludi ac Lusus.
Ludi ac Joci *Vide loci, Iucunditatis, Otii, Recreationis, Spectaculi, Voluptatis.*
Luminis. *Adde & Noctis, Tenebrarum.*
Lunæ. *Vide Astronomiæ.*
Ludimagistri. *Vide Discipuli, Præceptoris.*
Lupanar. *Adde & Adulterii, Lenonis, Meretricis, Scortationis.*
Lusus. *Vide Certaminis, Gymnicæ rei, Ludi,*
Lucis. *Vide Luminis, Noctis, Secreti, Tenebrarum.*
Lustrationis. *Vide Expiationis.*
Luxus. *Adde Cibi, Deliciarum, Divitiarum, Gulæ, Impudicitiæ, Mediocritatis, Mendicitatis, Modus, Mimis, Paupertatis, Regnandi libidinis, Sensuum, Superbiæ.*

Sequentia requirantur PARTE huius Florilegii secundi, SECUNDA, fine Literæ L.

POLYAN-

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER I.

Abdicationis.

¶ PATRVM SENTENTIÆ.

DIvus Joan. *Chrysostomus*: Si quis Rege natus, patre ignominiâ affecto, versari malit cum prædonibus, sicarijs ac sacrilegis, illorumque conuictui paternam domum postponat; hunc dimittit pater, sic ut tandem experimento probet propriæ dementiæ magnitudinem. *Hom. 3. ad Rom.*

D. Zeno: Non potest de quoquam benè mereri, quem pater patientissimus & clementissimus abdicaverit; & quidem non accusatione, sed approbatione conuictum. *Sermone 5. de Esaiâ.*

¶ ORATORVM GRÆCORVM.

Lucianus: Neque enim legislator omnibus, ô pater, istam potestatem permittit, neque uti quoslibet filios, neque quoties libuerit, neque quibuslibet de causis, abdicent. Verùm ut patribus concessit certis de causis irasci, ita prospexit & liberis, ne id immerentibus accidat. Ideoque iussit, ne libera esset, ac citra iudicium vindicta, sed ad Judices vocat, æstimatores constituit, qui neque per iracundiam, neque per calumniam iudicent quod iustum est. Noverat enim, frequenter accidere multis, vt iniquas ob causas adiram commouerentur: hic quidem cùm falsæ calumniæ crederet: ille famulo, vel vxori infensæ fidem haberet. Quare noluit rem iniudicatam agi, neque indefensa causa liberos statim condemnari: verùm aqua infunditur, dicēdi fit copia, nihil inexcussum relinquitur. Quandoquidem igitur hoc solum authoritatis datur patri, vt in ius vocet: & vobis iudicibus, vtan iusta sit accusatio, iudicetis: id quidem quod mihi imponit, & cuius gratiâ nunc indignatur, nondum spectate, sed illud priùs expendite, num amplius abdicandi ius ipsi sit concedendum, cùm semel abdicaverit, iamque sit usus facultate quam lex concedit, atque hanc paternam potestatem expleverit: deinde rursum in familiam receperit, & priorem abdicationem abrogarit.

Nam ego iniquissimum istud esse dico, vt infinitæ sint liberorum pœnæ, multæque condemnationes, & perpetuus metus: vtque lex nunc irato inseruiat, nunc abrogetur: rursum vt eodem modo valeat: denique ut jus sursum ac deorsum voluatur, prout ex occasione patribus fuerit. Verùm initio æquum quidem erat vt concederet, cumque indignante indignaretur, ac puniendi ius faceret ei qui genuisset. Porrò ubi semel potestatem absumpserit, ac lege absus sit, iram expleverit, posthæc rursum in familiam receperit, & in hanc opinionem transierit, ut frugi putet, in his perseveret necessum est, neq; postea resiliendum, neq; retractanda sententia, neq; rescindendum iudicium. Etenim nullum erat iudicium vt puto, quo ex se natum cognosceret, frugi'ne, an contrà esset euasurus. Atque hanc ob causam genere indignos abdicare concessum est, quos quum educabant, cuiusmodi futuri essent nesciebant. Cæterùm ubi non coactus, sed suapte sponte atque authoritate ex sese comprobatum recipit, qua deinde ratione possit mutare factum, aut quis supereſt legis vsus? Etenim dixerit legislator, hic si improbus erat, dignusque quem abdicares, cur reuocasti? cur in familiam denuò reduxisti? cur legem irritam fecisti? Nam liber eras, tuique iuris ut hoc non faceres. Neque enim tibi concedendum est vt leges eludas, neque vt ad animi tui mutationes iudicia trahantur: neque vt leges nunc irritæ fiant, nunc authoritate polleant, iudices interim testes sedeant, imò potius tuæ voluntatis ministri, modò punientes, modò absolventes, quandocunque tibi visum fuerit.

Semel genuisti, semel educasti, pro his etiam semel abdicare potes: tum quidem quum id justè agere videberis. Verùm ut hoc fiat sine fine, vt perpetuò, vt frequenter, vt facilè, id supra patris ius est. Quare per Jouem Judices ne permittatis huic, qui sua sponte receperit, superioris iudicij sententiam irritam fecerit, iram exauthorauerit, vt rursum me ad eandem pœnam prouocet, & ad paternam potestatem recurrat, cuius exoletum iam & inutile est priuilegium, huicque soli invalidum, & antehac consumptum.

Etenim illud considerate, quemadmodum in alijs iudicijs, vbi judices sorte ferunt sententiam, si quis perperam pronunciatum existimat, permittitur ad alios judices prouocare. Sed si qui sua sponte de judicibus conuenerint, delectisque arbitris causam commiserint, non idem licet. Etenim si quis, quorum sententijs initio stare nō cogebatur, hos sponte delegerit, iamæquum est boni consulere quæ statuerint. Itidem sanè & tu, quem non amplius recipere licebat, nisi videretur genere dignus, hunc si frugi esse arbitratus iterum admiseris, non amplius abdicandi jus habebis: siquidem indignum esse, in quem hæc denuo fiant, ipse testatus es, iam de integro frugi esse filium confessus. Itaque non pœnitere receptionis, sed firmam reconciliationem esse convenit, post sententiā toties pronunciatam, ac rem bis judicatam, primùm quando abdicasti, deinde quando sententiam mutasti, & in patrimonij portionē asseruisti, rescissis decretis superioribus, confirmas illa quæ postea sunt placita. Proinde perseverа in his quæ proximè statuisti, tuumque ipsius iudicium serva. Pater sis oportet, quandoquidem id decreuisti, id probasti, id ratum fecisti. Ego quidem si natura non essem filius, sed adoptatum abdicare velles, ne id quidem tibi licere existimarim. Quod enim liberum erat initio non facere, id semel factum, iniquum est rescindere.

Porrò eum qui primùm natura sit filius, postea iudicio, sententiaque accersitus, quæso num par est rursum expellere, & eadem necessitudine sæpius priuare? Si verò seruus essem, tuque primùm ratus improbum, in vincula coniecisses, deinde cognita innocentia, me manumisisses, num tibi aliâs irascenti, in eandem seruitutem reuocare liceret? Nequaquam. Igitur istiusmodi acta leges firma volunt esse, ac perpetuò valere. Ego cùm pluribus etiam argumentis docere possem, non esse ius huic abdicare denuò quem semel abdicatum sponte suâ receperit, tamen ea missa faciam. Nunc spectate cuiusmodi filium parat abdicare. Neque hoc dicam me tunc imperitum fuisse, nunc esse medicum (nihil enim ars in hac causa suffragetur) tum juvenē, nunc ætate prouectum, vt ætas etiam ipsa fidem faciat me nihil peccasse. Nam leue forsitan hoc quoque. Sed tunc quidem, quanquam nulla iniuria, vt ego quidem dixerim, at neque beneficio affectus, à familia me alienavit. Nunc verò cùm recens illi author fuerim salutis, ac beneficus exuterim, exigor. Qua re quid esse possit ingratius? ut meâ servatus operâ, tantoque à discrimine elapsus, sanationem illam statim factis huiusmodi pensет, nulla meritorum habita ratione: sed vsque adeò facilè oblivioni mandarit, atque in solitudinem abigat eum qui jure sit obsecutus, quum præterius ejiceretur: neque solùm non memineritiniuriæ, verùm etiam & salutem attulerit, & sanæ menti restituerit? Neque enim exiguo, Judices, neque vulgari in hunc collato beneficio, tamen huiusmodi malis nunc videor dignus. Porrò quanquam hic ignorat, quo in statu tunc fuerit, vos tamen omnes nostis, quid facientem, quid patientem ipsum, quomodo affectum, ego curandum susceperim: ac medicis reliquis desperantibus, fugientibus familiaribus, nec propiùs accedere audentibus, talem reddiderim, vt etiam accusare, vt & de legibus disserere possit. Quin potiùs exemplum vides pater, cùm propemodum talis esses, qualis nunc est uxor, ad pristinam sanitatem te revocaui.

Quare non est æquum ut pro his officijs, huiusmodi gratiam mihi reponas, neque in me solummodo sanus sis. Etenim te non mediocribus à me beneficijs affectum esse, vel ex his liquet, quibus me criminaris. Quem enim odisti, quia vxorem in extremo periculo versantem, gravissimeque affectam non sano, qui fit vt non potius summopere diligas, quia te simili morbo liberavi? &

gratiam habeas tam acerbis ereptus malis? At tu, quod quidem est ingratissimum, simulatque ad te redisti, protinus in jus trahis: reddita salute punis, & ad pristinum odium recurris, eandem legem recitas. Egregiam igitur mercedem persolvis arti, dignamque pro remedijs refers gratiam, qui quidem adversus medicum tantùm sanus es. Vos autem judices, huic concedetis, vt de bene merito pœnas sumat, vt salutis authorem expellat, vt eum qui sanitati restituerit, oderit, vt per quem revixit, vlciscatur. Non, si quod iustum est, facietis. Etenim si maximum aliquod flagitium in præsentia commisissem, tamen non mediocrem gratiam antè debebat, quò cùm ille respiceret, cuius cùm meminisset, conueniebat hunc præsentem iniuriam negligere, & ob illa priora facilè ignoscere, maximè si tam ingens sit beneficium, ut omnia superet, quæ postea possint accidere. Quod equidem mihi in hunc competere puto, quem servaui, qui mihi vitæ totius est debitor: cuique hæc præstiti, ut sit, ut sapiat, ut intelligat: præsertim cùm cæteri omnes iam desperarent, seque morbo vincendo impares esse faterentur.

Nam & illud, opinor, ad meriti mei magnitudinem accedit, quòd cùm id temporis filius non essem, cùm nulla de causa curationem suscipere cogerer: verùm liber essem, alienus, naturali causa solutus, tamen non neglexi, sed vltroneus non vocatus, non jussus adij, succurri, assiduus fui, sanavi, restituì, meum patrem servaui, de abdicatione me purgavi, iram benevolentiâ sedavi, legem pietate sustuli, magnoque beneficio reditum in familiam emi, & in tempore adeò periculoso fidem erga patrem demonstravi, meq; ipsum artis ope insinuavi, ac tristibus in rebus legitimus filius apparui.

Idem post pauca: Etenim ut istud tibi demus ad breue tempus, licere quotiescunque velis abdicare, utq; præterea potestatem istam tibi largiamur adversus bene meritum: haud tamen simpliciter, opinor, neque quibuslibet de causis abdicabis. Neque hoc dicit legis conditor. Quicquid utcunque criminatus fuerit pater, abdicato: & satis esse voluisse tantùm, & quæstum esse. Nam si id esset, quid opus erat foro? Verùm vos istud expendere jubet, judices, num grauibus, ac justis de causis irascatur pater, nec ne. Hoc igitur jam considerate. Exordiar autem ab ijs quæ protinus insaniam huius sunt secuta. Primum omnium quod fecit sanæ menti reditus, abdicationem rescidit: ego servator, beneficus, breuiter omnia eram. In his, ni fallor, nihil criminis esse poterat. Deinde quid est omnium quod accusat? Quod obsequium? quam curam filio dignam prætermisi? quando foris cubui? quas intempestiuas potationes, quas comessationes obijcis? quæ propinatio? quis leno pulsatus est? quis accusauit? Nemo profectò. Atqui hæc sunt ob quæ præcipuè lex permittit abdicare. At cœpit ægrotare nouerca. Quid istud mihi vertis crimini? & morbi pœnam à me reposca. Quid istud mihi vertis crimini? & morbi pœnam à me reposcis? Non reposco, inquit. Sed quid? Quod eam curare jussus, recusas, ob hoc dignus fueris qui abdiceris, quippe immorigerus patri. Ast ego cuiusmodi sint ista quæ jubet, in quibus cùm obsequi nequeam, videar immorigerus, paulisper differam. Sed illud priùs simpliciter dico: neque legem huic concedere ut quidvis imperet, neque me cogere jut in omnibus omnino paream. Huiusmodi sunt mandata quædam, ut si non parueris, pœnæ non sis obnoxius: quædam id genus, ut nisi obtempereris, iram & supplicium merearis: veluti si ægrotes, ego verò non curem: si quid rerum domesticarũ sit curandum, & ego negligam: si rei rusticæ inspectionem demandes: & ego recusem. Hæc omnia, idque genus alia, probabiles pardes: & ego recusem. Hæc omnia, idque genus alia, probabiles paternæ querelæ prætextus afferunt. Porrò cætera liberorum sunt arbitrij, quæ ad artes earumque vsum pertinent: maximè si nulla in re patri fiat iniuria. Jam si cui pictori præcipiat pater: hæc pinge fili, non illa. Rursum musico, Harmoniam hanc pulsa, non illam: tum fabro ærario: ista cude, non illa: num quisquam illum patietur abdicare filium, eò quod non ex ipsius arbitrio artem exerceat? Nemo opinor.

Atqui medendi ars quanto est honoratior, vitæque conducibilior, tanto conuenit esse liberiores qui eam exercent: ac justum est vt ars in exercendi facultate aliquod priuilegium habeat, nec cogatur, nec imperio subijciatur, res sacra, Deorum doctrina, sapientũ hominum studium; nec servituti legis submittatur, neq; timori, pœnisque tribunalium, neque suffragijs, neque patris minis, neq; indocti hominis iræ sit obnoxia. Proinde si tibi palam & apertè ita respondissem, Nolo curare cùm possim, sed mihi soli artem didici: ac patri, cæterisque omnibus imperitus esse volo: quis est tyrannus usque adeò ferox, ut arte uti nolentem cogat? Nam huiusmodi officia, supplicationibus & precibus, non legibus, ira, judicijs eliceretur. Oportet medico persuadere non jubere, ut velit, non ut metuat, non est ad curationem trahendus, sed vltro ac lubens accedat oportet, immunis à compulsione patris. Immunis est ars ipsa, quandoquidem etiam ciuitates publicitus honores, præeminentias, immunitates, privilegia medicis tribuunt.

Hæc igitur in genere poteram artis nomine respondere, etiam si tu me illam docuisses, multum studij, multum pecuniarũ impendisses, ut discerem, & unam hanc curationem, quam præstare possem, tamen recusassem. Nunc verò cogita quàm iniquã rem agas, qui me, mihi à me ipso partis uti, non sinas. Hanc ego artem perdidici, cùm neque tuus essem filius, neque tuis legibus obnoxius. Atque hanc tamen tibi didici: huius fructum primus percepisti, etsi nihil ad eam discendam suppeditaueris. Quem præceptorem mercede conduxisti? quem pharmacorum apparatum comparastis? Nullum omnino. Verùm inops ego, rerumque necessariarum indigens, à præceptoribus mei miseris sum edoctus. Nam abs te patre mihi ad discendum dabatur huiusmodi viaticum, molestia, solitudo, egestas, familiarium odium, cognatorum aversatio: pro quibus uti arte mea postulas, visque earum rerum esse dominus, quas mihi paravi cùm dominus non esses.

Contentus esto si quid antehac vltro, nullo prouocatus officio, benè de te summeritus: cùm nullo nomine vllam gratiam abs te reposcere possem. Cæterùm non conuenit sanè, ut meum beneficium mihi in posterum necessitatem pariat, ut quod volens benefeci, occasionem præbeat, vt postea nolenti præcipias: utq; in consuetudinem vertatur, vt qui semel aliquem sanaverit, semper deinde curet omnes quos voluerit is qui sanatus est. Etenim quos curassemus, eos nobis dominos creassemus: & nosmet ipsos ipsis tradidissemus, pro mercede servitutem accepturi, & ad omnia quæ jusserint, obtemperaturi. Qua re quid esse potest iniquius? Quoniam te grauiter laborantem restitui, ob id existimas ubi jus esse abutendi mea arte? Hæc ego dicere possem, etsi quæ præstare possem, ea mihi imperaret, nec omnibus omnino vel invitus obtemperassem.

At nunc etiam perpendite, cuiusmodi sint huius mandata. Quandoquidem, inquit, me insanientem sanasti, atque uxor etiam inianir, simili que affectu laborat, sic enim opinatur, eodemq; modo à cæteris medicis est destituta, tuque ut te comprobasti, potes omnia, sanato hanc quoque, & morbo libera. Quod si quis ita simpliciter audiat, vehementer æquum videatur, præsertim illiterato, arti que medicæ imperito. Sin autem me auscultetis pro arte respondentem, intelligetis nos neque omnia posse, neque consimiles morborum naturas, nec eandem medendi rationem, nec eadem remedia in omnibus efficacia. Ac tum palam fiet, quantum interfit, nolis quippiam, an non possis. Vos interim patienter attendite mihi de rebus hisce philosophanti, & existimate nec inelegantem, nec extra causam, nec alienam à re, nec intempestiuam fore de his disputationem.

Primùm sanæ naturæ corporum ac temperamenta, nequaquam sunt eadem, tametsi maximè in confesso est ijsdem ex elementis constare. Verùm alia de his, alia de illis magis aut minùs participant: idque de virorum corporibus etiam dico, quæ neque omnibus æqualia, similiáue cùm temperamento, tum constitutione: vnde necessariò consequitur, vt morbi quoq; tum magnitudine, tum specie differentes his accidant: vtque alia sanatu sint facilia, atque ad curationem sponte propensa, alia rursum prorsus desperata, vt quæ facilè corripiantur, & vi à morbis expugnentur. Proinde si quis existimet quamlibet febrim, aut quamlibet tabem, aut peripneumoniam, aut insaniam quolibet in corpore unam, atque eandem esse genere, nec inter prudentes, nec inter doctos, nec inter eos qui his rebus exquirendis laborarunt, est reponendus. Quin idem malum in hoc corpore facilè sanabitur, in illo minimè. Quemadmodum, opinor, si generis eiusdem triticum in diuersos agros immittas: aliter in plano solo, profundo, irriguo, aprico, ventis salubribus expositio, exculto proueniet, eritque fructus uber, lætus, copiosus. Rursum aliter in monte, & petricosa terra, aliter in opaca, aliter in monti subiecta: denique variè pro varia loci natura. Itidem & morbi pro ratione corporum in quæ inciderint, aut maiores, & uberiores, aut minores eueniunt.

Verùm his omissis pater, nec omnino discussare, vult quamuis insaniam quouis in corpore consimilem esse, similemque desiderare curationem. Præter hæc quæ tam multa sunt, facilè cognouerare curationem. Præter hæc quæ tam multa sunt, facilè cognouerare curationem. Præter hæc quæ tam multa sunt, facilè cognouer

tum esse: verùm hæc omnia nomina significant, magis minúsue morbo teneri. Porrò causæ aliæ sunt viris, aliæ fœminis. Rursum viris ipsis aliæ juvenibus, aliæ senibus: puta juvenibus plerunque repletio: senibus autem importuna calumnia, impotens ira quæ in domesticos sæpenùmero incidit: ac initio perturbat animum: deinde paulatim in insaniam conuertit. Porrò mulierum corpora multæ res infestant, & facilè in morbum adducunt: præsertim si quem vehementer oderint, aut inimico fœlicitatem inuideant: si quid molestum sit, aut si cui succensent: hæc succensa, longoq; tempore alita, insaniam efficiunt. Hujusmodi quippiam pater, vxori tuæ accidit: & fortè nuper aliquid ipsi mœrorem intulit: nihil enim illa oderat. At morbo tenetur: nec his malis vllius medici curâ eripi possit. Quod si quis alius se facturum promittat, si quis eam liberarit, tunc me oderis licet, velut iniurium.

Atqui etiam illud ô pater, non verebor dicere: etiamsi non prorsus esset, vt est, desperandum, sed adhuc aliqua salutis spes ostenderetur, nec sic quidem facilè manum admoverem, neque potionem ministrare statim auderem, videlicet veritus fortunam, ac multorũ hominum obtrectationem. Vides, vt omnes arbitrantur, priuignos inuisos esse nouercis omnibus, etiamsi probæ fuerint, eaque hanc ceu communem quandam mulierum insaniam insanire. Quare facilè suspicaretur aliquis, si malum hoc seeus eueniret, nec profuissent remedia, perfidam ac dolosam fuisse curationem. Atque vxoris tuæ, pater, ita se res habet, quodq; prorsus exploratum habeo, tibi dico: nunquam melius est habitura, & si millies pharmacum biberit. Ideoq; curationem aggredi æquum non est, ni si in hoc solùm me urges, vt frustrer, meque infamia vis operire. Patere vt mihi eiusdem artis professores inuideant. Quod si me rursum abdicaris, ego quidem quamuis rebus omnibus destituar, tamen tibi grave nihil imprecabor. Sed quid si, quod auertat Deus, redeat morbus. Solent enim hujusmodi mala irritata recurrere, quid erit mihi faciendum? Curaturum me, probè scias, tum quoque, nec vnquam officio defuturum, quod liberis natura præscribit: nec generis, quoad in me fuerit, obliviscar. Deinde si resipueris, num mihi credendum fore vt me denuo recipias unquam? Vides iam, vt ista quum facis, morbum accersis, & affectum reditus commonefacis. Heri ac nudiustertius tantis elapsus malis, contendis, vociferaris: quodque grauissimum est, irascceris: ad odium te conuertis, legesq; reuocas. Hei mihi pater, istiusmodi fuerant superioris insaniæ tuæ proœmia. *Declamatione Abdicati.*

Libanius: Quocirca hæc eum animo rèputabam meo, quod si ad hæc vitia permitterem liberum esse aditum, actum esset mihi de generoso filio, neq; mihi tantùm, sed etiã patriæ: si verò animaduersione quadam vterer, molestiaq; afficerem, & pœnam imponerem, quæ auxiliari naturæ valeret, lucrarer quidem ipse, & vrbs lucraretur: hinc porrò gloriam quidem familiæ fore, fructum verò communem. Itaq; apud me cogitans quo pacto id fieret, & mea consilia ex suasionibus neglecta videns, adij viam in negotijs tritã; & judicibus lectis vnà irascentibus, à me hunc seiunxi, multis ante judicium, per Jovem, lachrymis fusis, multisitem in ipso judicio per omnem actionem, multo etiam pluribus domi post suffragia data. Nam abdicationes non ijs potius qui proijciuntur mœrori esse, credere oportet, quàm eorum quæ ejcere coguntur, abdicatus domum non habet; abdicans filio caret. Proinde sic vitam egi, vt ij qui calamitatibus premuntur; dum conuiuia & concœnationes, & omnia quæ aliquam oblectationem habent, omnino effugerem. Interim diu noctuque à Deis petebam, vt meliorum actionum cupidinem inserrent Themistocli, neque repulsam passus sum. Etenim solus secum habitans, & animi dolore percitus, & ad necessariorum curam redactus, venustatem corporum, & obscœnos amores, & illaudatas voluptates non ita amplius persequebatur. Neque animi excolendi prorsus negligens erat: sed & honestorum munerum meminerat, quædam etiam melius disponebat & commutabat; ac naturam non ita labefactabat; quin vigilijs quibusdam laudabilioribus quàm antea se exercebat, in Miltiadem intuens & trophæum Marathonium. Ob quæ cùm ad ipsum recipiendum iam incitatus essem, cohibui me, vt virtus radices ageret. Dum hæc fierent, multi ad me necessarij accedentes aiebant, Euge Neocles, disti qua ratione filium emendares, &c. *Declamatione Vigesima.*

Libanius: Recordare igitur quod non statim post primas culpas abdicationem adhibui: sed à precibus cœpi: hinc ad vultum truculentum processi: deinde ad verba: tertiò, ad hæc mensa non sum dignatus: non sum allocutus: postremò, quasi qui animum despondisset familiaribus admonitiones permisi. Re non cessante, ad id me contuli, quod solùm prohibere morbum valeret: non ut illum paternis bonis fraudarem: verùm vt probus heres appareret. Neq; judicibus delirare visus sum, neque iniquè agere dũ medicos imitarer. Quinam igitur illis mos est? quando morbi cedunt medicamentis, sic faciunt: & nihil amplius satagunt: vbi autem maius fuerit malum, quàm auxilium ab illis remedijs, vrunt, secant, nihil cunctantur admouere eorum, quæ dolores quidem pariunt, sed mali vim cohibent. Eodem modo si nobis alia suffecissent, prioribus solis vsi fuissemus: verùm ad maiora vocati, quid facere debuimus? Nonne eos, quorum modò meminimus, medicos æmulari, quibus nihil est & quod ægrotantibus maiorem adferat tristitiam, & quod utilius sit? Item persimile quiddam video etiam equis vsuvenire: nam illorum fastum & contumaciam ascensor equitando primùm voce conatur inhibere; deinde flagello: his autem non sufficientibus, fræno maxillas cruentat. Atque is prudenter facit: ac nemo ipsam ait labem hoc pacto adferre jumentis: imò quisque sedulum equi rectorem vocat. Eodem etiam abdicationis jura tendunt, Themistocles, vt adolescens immodestos mores exuat, & honestus probusque fiat: hoc est quod parentes quærunt: hoc lex ipsa vult ante parentes. Non enim sanè aduersus familias scripta est abdicatio: ad eas distrahendas & dividendas. Nam hoc legis opus non est, obesse procreatis, sed benefacere: neque vt qui abdicat, loco eorum qui abdicantur pecuniarum dominus evadat. Quippe ridiculum esset: verùm vt ad ædes paternas sana mente revertantur. Huic rei argumento est: quod non insolubilem abdicationem lex constituit: sed ijs quibus abdicare concessit etiam revocare, atque eisdem à patris ordine domoque abstistere, iterumq; statum eundem recipere dedit. At verò fuerunt, qui liberorũ vitia leviter tulerint. Non patres mihi dicis, Themistocles, sed inimicos & hostes, eorumq; quos genuerunt pestes: quos equidem sicarijs peiores esse affirmarem; cum eos ne jura quidem naturæ bonos esse coëgerint. Ais porrò tu, patres fuisse quosdam, qui liberis permiserint, quidquid liberum esset, facere. Reperiat fortasse aliquis patrem etiam filij mangonem; tametsi non apud nos (absit enim vt talis quisquam sit Athenis) sed alibi. Quid ergo? Idcircóne pravos imitabimur? Atqui tu duces meticulosos imitari noluisti. Æquum verò censeres ut pravos ego patres æmularer? Et tamen liberorum non benè à natura informatorum parentibus facilè quis ignosceret, si eos non abdicarent, quia scirent fieri non posse, vt eorum indoles mutaretur, & ex parva fieret magna. Nobis autem, Themistocles, naturæ tuæ specimen pro maximis fuit: quæ diuinare dabat ea quæ patuerunt. Non igitur æquum est aut nautam, aut navem pereuntem apud me despicere. Quinetiã agricolas planè vides non eandem de quavis terra rationem habere; sed tenuem quidem negligere, bonam verò colere & expurgare: norunt siquidem, illam nihil aut exiguum quid pro laboribus reddere: hanc autem magnificè studium eius cultui adhibitum compensare. Equidem agricultores imitabar in terre natura probanda, per abdicationem: & illorum more fœcunditatis occasiones arripiebam, quo præclare fructus augerentur, omnibus impedimentis amotis. Igitur pro his succenses, & actis mihi testificantibus, non concedis hæc pulchrè facta esse? Etenim si tibi institutionis modus nõ profuit, quid hoc, Judices, virium habet aduersus eum potissimũ qui iuvare proposuerat? Nam si ludimagister chori curam haberet, atque ea per quæ quis pulcherrimè proficeret, ostenderet: & discipuli choreæ molliter se gererent, nec attenderent, vel etiam per Jovem contenderent inter se, nec conspirarent amicè: non id eius crimen esset qui docere voluerat; sed eorum qui discere noluerunt. Nunc autem hoc dicere fas non est quod scopum non attigerim? sed enim collimaui, Dijs adjuvantibus, rectius quàm vllus sagittarius. Ab illa nimirum abdicatione, Themistocles, omnia nobis, quæ ubique terrarum & maris admirationem excitant. *Declamatione Vigesima.*

Libanius: Videtur qui legem tulit, patribus tantum instituisse comminationem abdicationis, si quidem civitatis curam habebat, vt decebat legislatorem. Neque enim ignorabat plerosque deteriores fore accepta libertate, & faciendo quod ipsis videtur; utique si ne ipsos hoc quidem quod sub patribus viverent, coërcere potuit. Nam futurum erat, vt abundarent cibo, ac multos suppeditaturos haberent cognatos, socios, amicos, familiares, qui miserert scirent. Quapropter nihil efficere poterant, cùm multi corruptores, & ad peiora cohortantes præstò adessent; ac nemo satis ad prohibendum auctoritatis haberet; licentia verò daretur quàm maxima. Hæc legislatorem non latebant: itaque condidit legem quæ metum certè incuteret, non tamen bellum induceret consanguineis. Nam cladis, vt arbirror, quæ in bello contigit, finis est divellere parentes à liberis. *Declamatione Vigesima prima.*

Libanius: Equidem non dicam quod in promptu maximè est, ut hæc lex comminationem tantùm nudam contineat; opus non adiungat. Neq; ut is, qui eam tulit, supplicium adolescentibus intentet; prius audaciam formidine reprimens; Naturam autem in se ipsam bellum excitare minimè patiatur. Istud enim non hominis esset, qui concordem ciuitatem contineret: imò communis inimici, qui familias divellere niteretur. Verùm esto, detur, scriptis tantum attendamus: nihil amplius acquiratur. Quid igitur? dum abdicandi potestatem dedit; an etam omnes abdicare concessit? non ita est. Sed eos quidem, quos condemnauit, odit; de quibus verò non expostulat, de ijs ne verba quidem fecit. Quando etiã homicidam accusare licet, sed non eum certè cuius puræ sunt manus, criminari æquum est. Sic est etiam profectò his de rebus non abdicandi potestas modestis adolescentibus nocet: sed improbi liberi hanc legem subeunt. Adesdum, & dic quæso, quæ peccata commiserim: an succenses, quod me temulentum deprehenderis? an quod amoverim aliquid ex ijs qui domi erant? an alea ludentem? an scorta habentem? an verò procacitate & insolentia usum apud te? sumne convitiatus? an impudenter intuitus? an verbera minitatus? an apud vicinos accusavi? an imperitum, ru-

dem & asperum vocaui? an ægrotantem contempsi? hæc proba. Et abdicationem, exiguam cenſebo pœnam? verùm nihil horum est: at crudelitatem protuli, dū ea quæ epistola continentur, recenserem: ut ego quidem supplicarem; tu verò respueres? Et quis ex omnibus audivit? ne apud piratas quidem hoc exposui. Esto: sed recens uxore bona sepulta, ad secundas nuptias festino, idque criminans expellis? ne feceris, ne solus expellito: carnificem flagitia postulant: istæc à lege puta nunc reposci: quid factū est? quid ausum? siquidem iniuriam accepisti, pœnas exige: at si nihil es perpessus, desine rixari. Nam propterea, inquit lex, prætorium constituo: quòd suspectam habeam parentum iram, qui sæpè juris septa transiliunt: quoniam igitur supplicium est, quod sit in abdicatione, maleficia ante mulctam doceantur. Atenim non vis, inquit, uxorem ducere, & quænam lex hoc coërcet. *Declamatione* 30.

Libanius: At neque lascivus, neque prodigus, neque scortator ego sum, neque aleæ mentem adhibeo. His de causis abdicare legislator jubet. *Declamatione* 36.

Libanius: Videbam defraudatum non semisse tantùm, sed & honoris insigni. Si enim tu mortuus fuisses, hic verò nullius consors, & tabulæ lectæ fuissent, nec literæ fratrem comprehendissent, quænam reliqua illi fuisset vita? quémnam aduersum intuitus fuisset, aut juvenum, aut seniorum? in quónam prodijsset suggesto? quam ad populum orationem habuisset? qui communium æquam habere partem contendisset, quam in paternis non obtinuerat? ecquis legationem ei commisisset? Quis ducem exercitus suffragio instituisset? ex qua familia duxisset uxorem? qui verò liberos suos increpuisset? ist hæc omnia, mi pater, ex uno illo testamenti capite exoriebantur, neque pecuniarum tantùm, ut arbitrabaris, privatio fuit, sed & liberæ fiduciæ: hoc linguam ipsi amputabat: hoc obstruebat os: hoc à patria extorrem faciebat. *Declamatione* 40.

Libanius: Ac ne quis arbitretur me ærumnam ignorare, quæ cum qui domo excidit comitatur; famem, illuviem, vigilias, humilitatem, mœrorem, vestium inopiam, luctum perpetuum: horum enim doctor propè abest, & planè cuncta novi quæ in eos cadunt qui huc redacti sunt, ut nihil quidquam opus sit me à te discere; ac tolerabilius sit in barathrum incidere, quàm eiusmodi fortunam sustinere. *Declamatione* 41.

ORATORVM LATINORVM.

Triarius: Quare abdicas? Nunquid dies noctesque impendo turpibus convivijs? plurimum vino in lupanari? *Seneca 2. controuers. prima.*

Quintilianus senior: Non ignoro omnium ferè qui abdicantur hunc esse morem, vt acta iam causa ad preces conuertantur, & mitigare patres rogando velint. *Declamationis 158. fine.*

Idem: In omnibus quidem abdicationis controversijs, quatenus pro liberis dicimus, summissa debebit esse actio, & satisfactioni similis. *Declamationis 259. sermone.*

Quintilianus senior: Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ perditæ, datum est adversus filios, qui peccare plus possunt. Filia vix nutricum minas tulerit, vel eorum, à quibus educatur tristitiam. *Declamatione 259. à f.*

Quintilianus senior Declamatione 260. m. Nulli horum obiectum est, quod venenum patri parasset: nulli quod percussorem in fata parentis sui conduxisset. Creditis, judices: alioqui puto non tam levem subituros fuisse pœnam sub tam asperis patribus. Quid est igitur? amavit ille meretricem, & intra concessos adolescentiæ lusus (licet aliud parentibus videatur) naturâ tamen datos forsitan minus tenuerit cupiditatum frenos? en quod fames emendet. Ille ductus æqualitate, cum sodalibus inijt paulò tempestiviora convivia? en quod mendicitas coërceat. Ille liberalius vixit? & quomodo crimen istud hoc tempore est? aliquid fortasse donauit.

Quintilianus senior: Quid igitur hæc ætas committere potuit, tanta animadversione dignum? Lex abdicationis adversus ferociam juvenum constituta est. Hæc verò infirmitas, adeò nocentis nomē non recipit, ut vix recipiat innocentis. Vultis igitur judices, dicam illa, omnibus in abdicationum iudiciis vulgata pro liberis? Non ego luxuriatus sum, non ego meretricem amavi, non paterna bona vitijs consumpsi. *Declamatione 279. pr.*

Quintilianus senior: In quacunque parte non parentem iustè abdicarem. Ideò enim vos sustulimus, ut nobis obsequamini: & certè nullus excusatus à patre non probabitur, quàm qui non probat patrem. Scilicet nos stulti, qui forma Reipub. dignitatem tuemur. Discede ab insipiente, ab insano. Sed non habeo necesse judices, diu commendare vobis officia civilia, in quibus iam diu satis feci. Videte, ut alia taceam, habitum ipsum Cynicum. Cæteros enim, quos abdicant patres, sine narratione culpæ abdicare non possunt. In hoc filio, satis est ad odium, habitum ostendere. *Declamatione 282. pr.*

Quintilianus senior: Quid peccavi cur abdicer? num adversus patriam iners sum? luxuriæ deditus bella fugio? an adversus patrem impius? in qua parte filij cessat officium? Non optasti, inquit, quod volui. Jam excedis legem tuam, pater filio debes imperare, forti non potes, potes peregrinationem, potes militiam: sed non sententiam iudicij, non decretum senatus, non præmium forti. *Declamatione 371 p.*

Quintilianus, senior: Abdicatus, inquit lex, ne quid de bonis patris capiat, paterna hæc esse bona constat: abdicatum te esse æquè patet, quæ ultra quæstio est? *Declamationis 374. initio.*

Quintilianus senior: Non esse privilegium parentibus datum mentior: datam esse video liberis respondendi potestatem, & de abdicatione judicem cognoscere. Dico igitur certa esse quæ imperent patres, navigationem, militiam. Quædam excipi, Senatoris, Magistratus, Judicis sententiam: & liberos esse, quia cives. Hanc verò novam legem, silentium crimen esse, cum abdicetur procacitatis petulantia, sub hoc patre tacere non licet. Fingere quærere quid amico deliberanti suaserim. Extorquebis? quare judex reum damnaverim? quam rationem senator in sententia secutus sim? Isto modo levissimis quoque causis expellemur, & utcunque delicatis visum fuerit, testamenta perdemus. Abdicas. Amavi? potavi? & fortasse iste donasti. Tanti supplicij quod crimen est? Non indicas, inquit, quid locutus sis. Finge nolle: licet. Magistratus non exigit, patria non exigit: si proditorem putas, accusa. Sunt quædam secreta, judices: & animi parentum imperijs vacant. *Declamatione 378.*

Quintilianus: Patri qui abdicare non potuit, minus est filius nocens, quàm absolutus. O pertinacissimum accusatorum genus, victi parentes! Dum authoritatem nominis vestri fortius imperiosis asseritis affectibus, & ne pudorem pœnitentiamque fateamini, contumaciâ vindicatis errorem calamitatibus meis accessit, vt ter absolvere &c. mox. Non habet alium quàm mortis exitum filius, qui nec reconciliari potest, nec abdicari. *Declamatione 17. §. 2 & 3.*

Quintilianus junior: Abdicationis formæ duæ sunt; altera criminis perfecti, vt si abdicetur raptor, adulter; altera imperfecti, veluti pendentis & adhuc in conditione positi: quales sunt, in quibus abdicatur filius qui non paret patri. Illa semper asperam abdicationis actionem habet. Immutabile est enim quod factum est. Hæc ex parte blandam & suadenti similē. Mavult enim pater corrigere quàm abdicare. *Libro VII. Institutionum Oratoriarum cap. quinto.*

MONOSTICHA TROCHAIGA.

Abdicanti quàm abdicato vastior longè est dolor.
Abdicatio medicina est filiorum, at aspera.
Abdicationis causas publicè reddat pater.
Abdicationis vsus quid nisi emendatio est?
Abdicati hereditatem haud obtinent patris sui.
Nemo sanus ad primam offensam exhæredat filium.
Neminem abdicant parentes quàm salutis gratia.
Quem bono nequit corrigere, corrigit pater malo.
Separat, non scindit, à patre filium abdicatio.

JAMBICA.

Corrigere malit, abdicare quàm pater.
Fecit virum Themistoclem abdicatio.
Non perdit abdicatio, sed corrigit.
Quem non potest corrigere, eum abdicat parens.
Semper minus dolet abdicatus, quàm abdicans.
Vt corrigatur, abdicatur filius.

Abnegationis Christi.

¶ APOPHTHEGMATVM SACRORVM.

DOMINVS NOSTER JESVS CHRISTVS. Præpostero Petri discipuli zelo damnato, Christus dixit alijs, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Quisquis enim voluerit animam suam seruare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam. Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?* Quum nulli peius sibi consulant, quàm qui sese amant supra Deum, ab Christi redemptoris nostri sacro hoc apophthegmate initium his collectaneis facere visum est. *Vide Matth. 16, 24. 25. 26.* De abnegatione sui ipsius Christianis omnibus præcepta, vide *Matth. 10. 38. & 13 45. & 18. 3. & 19. 21. Actorum 7. 3.* & pluribus locis Apostolicarum epistolarum *D. Pauli & Petri.*

Anastasia, Ad supplicium pro Christi Euangelio pertracta exclamabat, *Melius mihi est vt moriar, quam vt Filium Dei abnegem, & credentibus in eum sim offendiculo. Nicephor. eccles. hist. lib 14. ad calcem.*

Polycarpus. Quum ad defectionem Polycarpus sollicitaretur, ethnicis quibusdam dicentibus, Quid mali est, istud dicere, Domine Cæsar, & illic sacrificare, & sic tandem salvum evadere & incolumem? primò nullum dedit responsum: sed illis magis instantibus, sic tandem locutus est: *Nunquam facturus sum quod consulti-*

vii. Quum autem à Proconſule urgeretur, vt Chriſtum convitijs afficeret, & libertas corporea exinde illi offerretur, reſpondit: *Octoginta ſex annos Chriſto inſeruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo igitur regem meum, qui me ad hoc uſque tempus ſeruauit incolume, mcontumelioſis verbis poſſum afficere? Euſeb. lib. 4. Eccleſ. hiſt. cap. 14.*

Abſentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

SYNESIVS: Si Philoſophiæ virtutem honoras, non modò in præſentibus eaque prædictis, verùm & in abſentibus honorabis. *Epiſtola 27.*

Idem: Cùm coràm etiam corporis præſentiâ recum aliquando conſueuerim, abſentem intueri videor, ſpeciem atque imaginem ex affectu expreſſam repræſentante memoria: ac meis auribus etiamnum mirum in modum ſuauis illa ſacrorum tuorum ſermonum vox inſonat. Tu verò niſi ita es affectus, iniuriam facis; ſin es affectus, non multùm facis. Amoris enim debitum rependis. Sed cùm ad illam Philoſophiæ communionem reſpicio, illamq; ipſam philoſophiam, in quam diu multumque incubuimus: ubi eò inquam ratiocinando perueni, rectori moderatoriq; Deo occurſum hunc noſtrum tribuere ſoleo. *Epiſt. 136.*

Ennodius: Nemo abſentes credat regis noſtri oculos, pro cuius fama dimicandum eſt. Si cœlum lancearum imber obtexeret, qui fortius telum jaceret, non lateret. *Paneg. Theod cap. 18. m.*

Ennodius Apolog. pro Synodo: Aliquando, quod capiti veſtro adſcribatur, facta eſt apud Deum offenſa per gratiam, & extitit nutrix veniæ, peccati mater oblatio? Fuerunt quidem corporis tantùm conventione ſeparati, quos loqueris; animarum tamen præſentiam non vitarunt. Si eos putas à conſortio mutuo diſſociatos, quos fibula religionis pio mordens dente coniungit, procul te ab æſtimatione Catholica culparum duxit affectus. Mandati cœleſtis habitatio nos aut miſcet, aut ſeparat. Non intereſt quæ interualla nos ſegregent, ſi vno in ſupera mãſione conclaui retinemur.

Ennodius: Qui ſquàm ne digreſſum ad longinqua cenſeat, quem mente contingit? Nam ſi ſpiritus res eſt diuinitatis in homine, prolixarum non poteſt ſentire damna terrarum. *lib. 1. Epiſtola 17. m.*

Ennodius: Deo gratias ago, quod votivis vos auctos ſucceſſibus reduxit ad propria: quos mens mea pro connexione caritatis nunquam ſentit abſentes. *lib. 3. epiſt. 5. f.*

Ennodius: Quidquid caritate iunctum eſt, quidquid ſanguinis catenâ ſociatur, hoc diſtractum vix reſpirat per interualla regionum. *lib. 3. epiſt. 14. p.*

Ennodius lib 5. epiſt. 4. pr. Viuit in quacunque terrarum parte proximitas. Sequeſtratione corporum ſanguinis catena non rumpitur. Per diſcreta regionum, caritas damna non ſentit: quando inter eos qui habitatione ſeparãtur, præſentiæ vice tenetur affectibus.

Ennodius: Vbi ſunt qui dicunt inter habitatione diſcretos diligentiam non durare, & affectionis calorem terrarum diviſione tepeſcere, nec longiùs procedere poſſe mentes quàm oculos? Ecce amoris mei plenitudo, violenti à ſequeſtrationis exæſtuat, & colloquij medicina languidior, corporis ſedibus non tenetur. *libr. 9. Epiſt. 34. m.*

Chryſologus ſermone 33. pr. Chriſtus quidem ingreditur ſynagogam, ſed Judæus nec recipit intrantem, nec agnoſcit præſentem, nec operantem cæcatus intelligit. Cernite quàm nihil ſit præſentia corporalis, vbi fuerit mentis miſeranda ſeparatio: ſicut contrà nihil officit abſentia corporalis, vbi corda fuerint ſociata per fidem.

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE GRÆCORVM.

Halicarnaſſæus: Abſit ut mente, affectu, & cogitationibus, quæ ad animorum coniunctionem ſpectant, unquam ſeiungamur. *cap. 1. præceptorum nuptialium.*

Arrianus cap. 24. lib. 3. Epicteti: At qui ab illo diſceſſi, dolet. Cur autem aliena ſua eſſe duxit? cur conſpectu tuo delectatus, te mortalem, cur peregrinatorem eſſe non cogitauit? Quare pœnas dat ſtultitiæ ſuæ? Tu verò qua mercede, quáve de cauſa te macer as? An ne tu quidem iſta meditatus es? ſed vt mulierculæ nullius pretij, ita & ipſe frueris omnibus ijs quibus delectabaris: quaſi ſemper compos futurus locorum, hominum, colloquiorum: & nunc plorans ſedes, quod eoſdem non cernas, nec ijſdem in locis verſeris? merito, culpaque tua, ut & corvis & cornicibus ſis miſerior, quibus nec gementibus nec priora deſiderantibus quolibet volare licet, nidosque ſuos transferre, & mare tranſmittere. Eſto. Sed quia rationis expertes ſunt, id eis accidit. Nobis igitur ratio propter calamitatem & infelicitatem data eſt à dijs immortalibus, ut in ſempiterna miſeria & luctu ætatem exigamus? Omnes immortales ſint, nec peregrè quiſquam abeat, nec nos uſpiam proficiſcamur, ſed ſtirpium inſtar radicibus affixi maneamus. Si quis verò familiarium diſceſſerit, ſedeamus plorantes: ac viciſſim, cùm redierit exultemus, & plaudamus, quemadmodum pueri. Annon tandem lacrimas relinquemus, & quæ ex philoſophis audierimus recordabimur? Niſi fortè ſic eos tanquam incantatores audivimus: Mundum hunc unam eſſe urbem, vnamque naturam qua conſtet: ac neceſſe eſſe vt ſit circuitus quidam, & dum alia alijs cedant, hæc diſſoluantur, illa ſuboriantur, hæc ſuum ſtatum teneant, illa verò moueantur. Enimuero eſſe omnia amicorum plena: primùm deorum immortalium, deinde hominum, etiam quæ natura inter ſeſe conciliarit, quorum alios unà vivere, alios diſcedere oporteat, ſic vt præſentibus gaudeant, digreſſis non doleant. Hominem autem, præterquam quod naturâ magnanimus ſit, quæque in ipſius poteſtate non ſunt, facilè contemnat: aliud etiam habere, ut non radices egerit, nec adhæreſcat in terra: ſed aliâs in alia loca migret, nunc poſtulante neceſſitate, nunc ſpectandi gratia. Conſimilis ratio Vlyſſis quoque fuit: Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes. Et ante hunc Herculis, qui totum terrarum orbem peruagatus, Acer vt inſpector paſſim fandi atque nefandi: ut & hoc ejceret ac repurgaret, & illud reſtitueret. At quot eum amicos habuiſſe putas Thebis? quot Argis? quot Athenis? quot in iſtis peregrinationibus paraſſe? quippe qui vxores etiam duxerit, cum ipſi commodum videretur, & liberos procrearit, eosque deſeruerit, non gemens, non deſiderans, quaſi pupillos reliquiſſet. Norat enim, mortalium neminem pupillum eſſe, ſed eſſe patrem, qui continenter omnes curet. Neque enim verbo tenus tantùm audierat, Jouem patrem eſſe hominum, quem patrem ſuum & putaret, & appellaret, eumq; intueretur, eoq; fretus res ſuas gereret. Vnde factum, vt vbique beatè illi viuere liceret. Nunquam autem fieri poteſt, vt felicitas & rerum abſentiũ deſiderium eodem in loco conveniant. Quod enim beatum eſt, ſecum habere oportet omnia quæ vult: ſimile eſſe repleto: abeſſe oportet ſitim, abeſſe famem. At Vlyſſes afficiebatur vxoris deſiderio, & in rupibus ſedens plorabat. Noli Homero & eius fabulis planè fidem habere. Nonne, ſi verè ploraſſet, omnino infelix fuiſſet? Quis autem vir bonus & fortis infelix eſt? Omnino rerum vniuerſitas malè gubernatur, niſi ciues ſuos curat Jupiter vt ſimiles ſint ipſius ac beati. Atqui iſta nefas eſt vel cogitare. Vlyſſes autem ſi quidem plorabat & lamentabatur, vir bonus non fuit. Quis enim bonus eſt qui ſeipſum ignoret? Quis verò ſeipſum nouit, qui oblitus ſit, quicquid ortum fuerit, caducum eſſe: neque poſſe fieri, vt homo ſemper conſuetudine hominis vtatur? Quid ergo eſt ea deſiderare, quæ fieri nequeunt? Seruile eſt, & ſtultum: eſt hoſpitis, eſt eius qui (qua una re poteſt) ſuis decretis & opinionibus repugnet Deo.

Libanius: Equidem eos etiã qui domi manent deploro valde, dũ reputo quid rerum nunc tandem apud ſe fingant, & quomodo nos habere, cum animis volutent. Amant porro maximè eiuſmodi curæ & cogitationes animum diuidere ac ſcindere. Leuius enim eſt præſentes in bello euentus ſpectare, quàm abſentes diuerſis agitarĩ cogitatibus. Quare vnà cum illis ob anxium timorẽ doleo, & cùm mẽmini rationum ob quas parentes liberos, matres filios, & ſponſæ viros emittebant: dum illi fortiter dimicare hortarentur; hæ prudenter & cautè certare monſtrent: vxores à maritis ut quàmprimum reuerterentur, peterent. *Declamatione quarta.*

Procopius ſophiſta: Quantum dolorem adferant boni ac probi viri, ſi cùm ſui dederunt experiẽtiam, deinde ab his quibus cognitĩ ſunt, diuellãtur, nunc re ipſa doctus etiã alijs cõmemoro. Vos enim noram quidem etiam antè quàm ad colloquia veniſſem. Quòd ſi miraris vnde, præceptores habebam, qui experti vos admirabantur. Cùm verò etiã ipſe cõmunicatis rebus ac ſermonibus didiciſſem: gratias quidem agebam fortunæ. Rurſus eam accuſabam, ſi tanta rẽ guſtata ſummo, quod ajũt, digito, confeſtim ademptura voluptatẽ eſſet. Neque tanta me voluptate præſentia perfundebant, quantum mœroris futuri temporis metus apportabat. Cogitabam enim: Statim nobis relictis diſcedet. Hoc & contigit & factum dolorẽ peperit. Atq; re dubius pendeo quid agam. Tu verò contendis, vt magis magisq; nobis amorem incendas etiam procul ſemotus. Tuis enim officijs erga me, ſpẽ quoq; meã longè vincebas. Verùm utinã Deus quiſpiam nobis propitius ſit, & te mox ad nos reducat. *Epiſtola quarta.*

Procopius ſophiſta: Bonorum virorum exhilarare poteſt etiam ſine aſpectu memoria, magiſq; tùm cũ expertis prorſus amore impletis, non ampliùs præſto ſint, neque aſpectu ſemper voluptatem præbent. Tunc enim dubitantes cuiuſmodi ſint, deſideriũ habent, quod pro conſpectu, ſemper memoriam præſtet: ſecum enim ipſi fingunt abſentes, & præſentiũ imitationẽ meditantur. Hæc pronũcio, tali affectu implicatus, qui fecit, vt & experiens mirarer, & non præſentem rurſus quæram. Et fortunam precor, ut novam aliquam rationem inueniat, atq; tanto locorum interuallo diſiunctos à ſe inuicem amicos in vnum eundemq; locum conducat. *Epiſt 21.*

Procopius ſophiſta: Bonos amicos abſentes magis probare ſortuna ſolet. Judicium enim benevolentiæ non ab eo pendet, ſi præſentẽ colat. Nã hoc aliquando faciat qui ſpiã nõ aliter quàm in ſcena peritus hiſtrio perſonã induit, quod revera nõ eſt, effingit ac exprimit. Sin quis loco disjunctus in unũ diligẽtiã cõcedat, & animo conjungatur: hic eſt ille qui legẽ amicitiæ ſanctã habere ac ſervare novit.

nouit. Eiuſmodi nobis prodijſti, ſecundaria virtute præterita longè ſuperans ac præcellens. Quod ſi patrum etiam imagines gerunt filij, meritò ſanè me quoque fama ſublimem fert, & extollit, quæ facit, ut per filium probum ac frugalem exiguus parens in ampliore ſim exiſtimatione, atque per omnia loca ciuitatibus tranſmittit. Sed mihi virtutem illam cole, quam apud me, dicendi, & eruditionis, & eadem te circa leges, diligentia, atquè induſtria, præditum eſſe declara. *Epiſtola 41.*

Idem. Quanquam locorum intervallo ſum à te ſeiunctus: tamen hoc damno corpus duntaxat afficitur. Nam fieri non poteſt, ut unquam tui memoria ex animo meo diuellatur, & inculpatæ conſuetudinis, qua ſumus à pueris educati. Cùm autem mihi conſcius ſim me ſincero erga te animo affectum eſſe, ſempérque tuis commodis promptiſſimè ſeruire paratũ, eandem arbitratus ſum te de me ſententiam habere, neque quicquam denegaturum. Faciesigitur perbenè, ſi frequentiùs meos familiares inuiſeris ſi qua re opus habeant, & auxilio fueris in ijs quibus indigent, atque nos de tua voluntate animíque ſententia certiores feceris. *Ex typis epiſtolicis.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Nec fefellit hoc Gytona. Itaque extra cellam proceſſit, tanquam aquam peteret; irámque meam prudenti abſentia exſtinxit. *Satyrico.*

Plinius junior: Olim nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt, inquis, quod ſcribam. At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas; vel ſolùm illud, vnde incipere priores ſolebant; Si vales, bene eſt; ego valeo. Hoc mihi ſufficit: eſt enim maximum. Ludere me putas? ſerio peto: fac ſciam quid agas; quod ſine ſollicitudine ſumma neſcire non poſſum. *lib. 1. epiſt. 11.*

Plinius junior: Quamdiu ego trans Padum, tu in Piceno, minus te requirebam. Poſtquam ego in vrbe, tu adhuc in Piceno, multo magis. Ex quo ipſa loca in quibus eſſe vnà ſolemus, acriùs me tui commonent: ſeu quod deſiderium abſentium nihil perinde ac vicinitas acuit: quóque propius acceſſeris ad ſpem fruendi, hòc impatientius cupias. Quidquid in cauſa, eripe me huic tormento: veni, aut ego illuc vnde inconſultè abij revertar, &c. *Epiſtola 1. libri 6.*

Plinius junior: Equidem etiam fortem te, non ſine cura deſiderarem. Eſt enim ſuſpenſum & anxium, de eo quem ardentiſſimè diligas, interdum nihil ſcire. Nunc verò me cùm abſentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incerta & varia ſolicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia, quæque natura metuenti um eſt, ea maximè mihi, quæ maximè abominor, fingo. Quo impenſius rogo, vt timori meo quotidie ſingulis, vel etiam binis epiſtolis conſulas. Ero enim ſecurior dum legam: ſtatimque timebo cùm legero. *Epiſtola 4. libri 6.*

Plinius junior: Poſtquam à te receſſi, non minus tecum, quàm cùm apud te fui. Legi enim librum tuum, identidem repetens (non enim mentiar) quæ de me ſcripſiſti, in quibus quidem perco p io ſus fuiſti. *Epiſt. 31. lib. 9.*

Cl. Mamertinus: Veſtra hoc concordia facit, inuictiſſimi Principes, vt vobis tanta æqualitate ſucceſſuum etiam fortuna reſpondeat. Rempubl. enim vna mente regitis, neq; vobis tanta locorum diuerſitas obeſt, quo minus etiam velut iunctis dexteris gubernetis. Ita quamvis maieſtatem regiam geminato numine augeatis, vtilitatem imperij ſingularis conſentiendo retinetis, &c. *capit. 11. Paneg. in Maximianum.*

Symmachus: Cum iam filiæ veſtræ dies natalis appeteret, commodum aderant quæ muneri miſeratis. Ea nobis immane quantum cara & grauia fuere. Nam ſi quid in abſentes bene conſulas, impenſâ maiore gaudetur. *lib. 1. epiſt. 5.*

Symmachus: Sit licet ruris ſtatio mitior, non poteſt benè defrui ocio qui ſuis abſentibus timet. *lib. 1. epiſt. 45. f.*

Symmachus: Sed quid juuat deſiderantes, quod peruectus in proxima nobis negaris? Æquius ferebam longinquam tui ſtationem. Spes enim præſentiæ tuæ magno interuallo negata ceſſabat. Nunc expectationem noſtram viciniæ facilitate ſollicitas. *lib. 1. epiſt. 96.*

Symmachus: Contra abſentem ciuem ſimúlq; diſtrictum publicis curis, non ſinas quidquam de juſtitia tua ſperare præſidij. Sunt leges, ſunt tribunalia, ſunt magiſtratus, quibus litigator utatur ſalva conſcientia tua. *lib. 3. epiſt. 36.*

Symmachus: Sentio bonorum ſeparationem ſtatim diuturnam videri. *lib. 3. epiſt. 84.*

Symmachus: Nos tuum præoptamus aduentum. In miſſis muneribus deſideria noſtra ſolaris. Admodum quidem delector oblatis: ſed hoc ipſo officio damna abſentiæ tuæ grauius ſentiũtur. Pleniora enim præſidia atque ornamenta de amico præſente caperemus. *lib. 5 epiſt. 20. pr.*

Symmachus: Hoc tantùm mordet animum, quod longo à vobis itinere diſcernimur. Sed ſi ſcriptorum vices frequens vſus exerceat, ſortiemur præſentiæ imaginem. *lib. 6. epiſt 51.*

Symmachus: Præ te fers in tanta bonorum multitudine poſt diſceſſum meum nihil, vt ante, iucundum eſſe. Sed puto quòd pia affectione fallaris, quia paruum eſt in amante judicium. Et ego quidem non ex his primùm literis quid de me ſentias ſcio. Prope eſt tamen ut agere gratias abſentiæ meæ debeam, quia mihi ſyngraphan quandam teſtimonij tui præſtitit. *lib. 8. epiſt. 45 m:*

Symmachus: Euſebium ad hoc ævi nulla actuum culpa fuſcavit, ſed abſentia; quæ pleriſque occulit merita, ſi teſtimoni o præſentium deferatur. *lib 9. epiſt 58.*

Symmachus: Noveris pro abſentibus dominis, Rectorem ſuſcipere debere partes defenſionis. *lib. 10. epiſt. 7 f.*

¶ Poetarum Graecorum ac Romanorum.

Ariſtophanes Equitibus 608.

Hominum cariſſime, & juvenum fortiſſime,
Quantam injeciſti nobis ſollicitudinem
Dum abes! At nunc quando ſalvus huc reverteris,
Expone quomodo tuam cauſam obtinueris.

Plautus Amphitr. 1. ſc. 3.

Numquid vis? Al. *ut cum abſis, me ames, me tuam abſentem tamen.*

Plautus Aſinariæ 3. ſc. 3. v. 2.

Vale. Ph. *aliquanto amplius valerẽ ego, ſi tu hic maneres.*
A. Salve. Ph. *ſalvere me jubes, cui tu abiens affers morbũ.*
A. Mater mihi ſupremam tua dixit; domum ire dixit.
Ph. *Acerbum funus filiæ facit. ſi te carendum eſt.*

Plautus Bacchid. 2. ſc. 3. pr.

Ibo in Piræum; viſam ecquæ advenerit
In portum ex Epheſo navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, noſtrum tam diu
Ibi deſidere, neque redire filium.

Plautus Milite 4. ſc. 8. v. 30.

Conſervi, conſervaque omnes bene valete, & vivite.
Bene quæſo inter vos dicatis & mihi, abſenti tamen.

Plautus Moſtellar. 1. ſc. 1. v. 11.

Sine modo venire ſalvum, quem abſentem comes.
T. Nec veriſimile loquere, nec verum frutex,
Comeſſe quenquam ut quiſquam abſentem poſſiet.

Plautus Moſtellariæ 2. ſc. 2. v. 10.

Triennio poſt Ægypto advenio domum.
Credo expectatus veniam familiaribus.
T. Nimio edepol ille potuit exſpectatior
Venire, qui te nunciaret mortuum.

Plautus Perſa 1. ſc. 1. v. 20.

Mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non viſita vi.

Plautus Sticho 1. ſc. 1. pr.

Credo ego miſeram fuiſſe Penelopam,
Soror, ſuo ex animo, quæ tam diu vidua
Viro ſuo caruit. Nam nos eius animum
De noſtris facile noſcimus, quarum viri hinc abſunt.
Quorumque nos negocijs abſentum, vt æquum eſt,
Sollicitæ noctes & dies ſoror ſumus ſemper.
P. Noſtrum officium nos facere æquum eſt, neque
Id magis facimus quam nos monet pietas.

Plautus Trinummo 3. ſc. 1. v. 16.

O here Charmide, quàm abſente te heic tua res diſtrahitur tibi!
Vtinam te redijſſe ſalvum videam, ut inimicos tuos
Vlciſcare; & mihi, vt ergate fui & ſum, referas gratiam.

Terentius Hecyræ 2. ſc. 1.

Tu mulier, me omnino lapidem haud hominem putas.
An quia rure eſſe crebrò ſoleo, neſcire arbitramini,
Quo quiſque pacto hic vitam veſtrorum exigat?
Multò melius, hic quæ fiunt, quàm illic vbi ſum aſſiduè.

Terentius Heautont. 2. ſc. 3. (ſcio.

Dum abs te abſum omnes mihi labores fuere quos cepe leves,
Præterquam tui carendum quod erat.

Terentius Heautont. 3. ſc. 1.

Aut ego profectò ingenio egregiè ad miſeriam
Natus ſum, aut illud falſum eſt, quod vulgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio ægritudo, & quanto diutius
Abeſt, magis cupio tantò, & magis deſidero.

Auſonius Epig. 103. ad Gallam.

Vado. ſed ſine me, quia te ſine. nec niſi tecum
Totus ero pars ſim cùm altera, Galla tui.
Vado tamen. ſed dimidius: vado minor ipſo
Dimidio: neciam me locus ullus habet.
Nam tecum ferè totus ero quocunque recedam.
Pars veniet mecum quantulacunque mei,
Separor unus ego: ſed partem ſumo minorem
Ipſe mei: tecum pars mea maior abit.
Si redeam, tibi totus ero: pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua jura. Vale.

Auſonius Epiſtola 24. v. 76.

—— Longa omnia credunt
Qui ſimul eſſe volunt.

Gunthe-

Guntherus lib. 3. verſ. 421.

Tu procul à nobis abſens & in orbe remoto,
Rarus in Italia, ſed in hac rariſſimus urbe
Eſſe ſoles; & rege meo mihi notior hoſpes.
Sic neq; nos nobis, nec tu ſatis, inclute Rector,
Conſulis, & cura miſeri fraudamur utraq;,
Expoſiti cunctis, nullo ſub vindice, fatis.

Guntherus lib. 5. v. 170.

——Tandem ſub judice ſummo
Ardua tractari cœpere negocia regni.
Fundere multiplices ex omni parte querelas
Aſpiceres, dubiasque viros collidere cauſſas.
Quidquid ab alterutris abſentis tempore Regis
Pertulerant, queruli mixto clamore queruntur.
Sic domino peregrè poſt tempora longa reverſo,
Commemorare ſolent lacrymoſa negocia ſervi,
Preſſuraſque ſuas, & iniquæ verbera rixæ,
Alternosque dolos, occultaque crimina furti,
Et ſcelerum noxas, & quidquid nequiter actum
Enarrare valent, odio flagrante loquuntur.
Omnibus his placidas conſtantia Principis aures
Commodat, & validos tranquilla mente tumultus
Temperat, indignans aliqua ratione moveri:
Oppreſſos relevat, pœna graviore ſuperbos
Percutit, afflictis bonus, ac metuendus iniquis.

Guntherus lib. 5. v. 494.

Terdona veteres, nobis prohibentibus urbes
Erigit, & vetitas audet ſarcire ruinas.
Nec timet tratum, quem ſcit procul abſore regem:
Nec putat ulterius noſtros ſentire recurſus.

Ibidem verſ. 575.

Sic velut antiqui revocato tempore ſecli,
Aurea pacifico ſub Rege revixerat ætas.
Sed quantum placidæ, firmata pace, quietis
Præſtiterat noſtro Regis præſentia regno,
Italicis tantum populis injecerat abſens
Cladis: & aſtrictos laxaverat ante furores.
Sic dum dimidium tenebris abſentia Solis
Infuſcat mundum, reliquo præſentia lucem
Fundit, & alterno partitur lumine cœlum.

¶ Emblematum.

Batillius LXXXVI.

Non obliviſcendi amici ob intermiſſam vitæ conſuetudinem.

Parce mihi de me tam multa querenda referre
Vt facis, & noſtram carpere parce fidem.
Vt tepidum ad tempus peregrina Ciconia nidos
Hoſpitis & repetit culmina nota ſui;
Sic alijs longè quamvis regionibus abſum
Edicto patrijs juſſus abeſſe focis:
Non tamen ulla tui capiunt me obliv'ia, nunquam
Non mecum atque tuum nomen habere juvat.
Nunquam non animo veterem complector amicum,
Cuius nulla mihi non memor hora venit,
Dum pacis redeant ſoles, brumâque remiſſâ
Antiquos liceat dum remigrare lares.

Jac. Catſius Emblemate amatorio XLVIII.

Animos nil dirimit.

Tactus ut eſt magnete chalybs, licet aſſis utrumq;
Separet, ad lapidis vertitur ora ſui.
Vt ſemel adfricuit mihi blanda venena Cupido,
Totus ab occulto glutine, Phylli, trahor.
Non mare, non montes, non inter valla locorum,
Corpore ſejungunt pectora noſtra tuo.
Semper amans peregre eſt, mea corda per omnia tecum,
Teq; abeunte abeunt, teq; manente manent.

¶ Monosticha Trochaica.

Benè, quaſo, inter vos dicatis & mihi abſenti tamen.
Corpore abſenteis reperire eſt literatâ epiſtolâ.
Damna abſentiæ non ſentit ferviđe qui diligit.
Diſſitos cœlo ſoloque conjugat dilectio.
Dum ſecunda audimus quidvis metuimus de abſentibus.
Eſt miſerum non eſſe cum illo, quo ſine eſſe non potes.
Haud digreſſus ad longinqua eſt, mente quem fas tangere.
Inter valla animis non obſtant invicem ſe amantibus.
Iuxta abſentium colenda virtus ac præſentium.
Maximè remotos unit invicem allocutio.
Mente animoque agant nobiſcum ſeparati finibus.
Nil abſentia officit, ubi corda copulat fides
Nil adeo bonos amicos excutit quam abſentia.
Nulla ſeparat locorum caritatem longitas.
Publicè intereſt abſentes defendi a quibuslibet
Quamvis abſentis cubile exhorreſcimus lea.
Senſus alius eſt præſentis, alius abſentis boni.

¶ Jambica.

Abibo hinc, præſens quando promoveo parum.
Abſens nocet, quicunque præſens commodo eſt.
Abſentem honores, qui præſens contemnitur.
Damnoſa nulli abſentia pro Republicâ eſt.
Et longior pro morte amici abſentia eſt.
Foris eſt amator; animus eius eſt domi.
Gratum mage eſt, abſentibus quod obvenit
Gravis omnis eſt amanti amici abſentia.
Maiora ſemper credimus de abſentibus.
Maiora vero fama ait de abſentibus.
Nemo loquatur abſenti aut ſurdo malè.
Non ſemper uno corpus atque animus loco eſt.
Oculos doloris prudens non fert publici.
Præſens adeſſe videtur, abſens qui juvat.
Procul à Iove es? procul eius item es à fulmine.
Reverentia Regis maior eſt è diſſito.
Semper remoti cura ſit minor mali.
Sub nube Sol non eſt minor; fulget minus.
Vita occulit merita plerisque abſentia.

Abſtinentiæ.

¶ Sententiæ Patrvm.

D. *Nazianzenus contra Arianos oratione XXV.* Nos nec annuos diurnosque proventus numeramus, nec tumida menſa ſtupidique ventris lenociniis gloriamur. Nec enim quicquam eorum laudamus quæ ſemel in fauces transmiſſa pari poſtea honore ſunt, vel ut rectius loquar, pari ignominia. Verùm ſimplici atque illaborato victus genere utimur, nec à beſtiis, quarum vita ſuppellectilis, atque omnis apparatus expers eſt, multum diſſidemus. An mihi quoque veſtis aſperitatem obiicis, vultusque ſitum haud ſatis elegantem? nam his quoque rebus nonnullos eorum, qui valde abjecti animi ſunt, efferri perſpicio.

D. Chryſoſtomus: Eſculenta & poculenta nobis à Deo ideirco data ſunt, non ut his ultra modum ingurgitemur, ſed vt alamur. neque enim vinum eſt quod temulentiam gignit. ſi enim ita ſe res haberet, omnes temulentos eſſe neceſſe eſſet. *Homil. 20 ad Corin. 2.*

Iſidorus Peluſ. Multæ cauſæ ſunt, quamobrem à cibis quiſpiam ſe abſtineat, nimirùm & conſuetudo, & natura, & inſtituta, quæ cõtinentiæ cauſa obeuntur. Nam mos ſæpè in legem tranſit. Quædam autem abſtinentia eſt, quæ ex odio atq; vitioſo affectu ortum trahit. Quædam rurſum eſt; quæ ad majorum ac ſublimiorum virturum ſtudium atque exercitationem contingit. Si poſtremam hanc ſequeris, reprehenſione caret jejunium. Si autem execrandæ Manichæi ac Marcionis partis es, nemo ex noſtro grege cibum tecum ſumet: utpote qui Chriſti legem corrumpas, ac bona tanquam mala deſpicias & aſperneris. *lib. 1. Epiſt 52.*

Idem: Quoniam inter plurimas neceſſitates quibus natura noſtra premitur, maxima eſt ea, qua eam venter exercet (nam cùm multa nobis imperet, rationi obtemperare minimè vult) conſiderationis ope atque auxilio ipſius tyrannidem amputemus: atque, vt quod vix omnino ſubigi poteſt, ſubigamus, rationem ineamus. Hoc autem aſſequemur, ſi eo quod opus ſit neceſſitatẽ leniamus, ac per frugalitatem immoderationem coerceamus. *lib. 2. Epiſt. 40.*

Idem: Qui vitam maximè continentem & frugalem ſibi conſectandam propoſuit, animo quidem magnus & ſplendidus eſt, victu autem ac cultu tenuis. Nam cum ipſe magni pretii ſit, pauca expendit. At qui vitæ lautitiam in pretio habet ac turgidam menſam conſectatur, animo quidem parvus & abjectus eſt, gratiiſq; vacuus, victu autem profuſus. Nam cùm ipſe nullius pretii ſit, plurima inſumit. Quò fit, vt ille velut paucis contentus, copioſiſſimum ſe eſſe exiſtimet: hic autem ingentes ſumptus faciens, in proximorum bona ſceleratas ſuas manus injiciat, ac proinde pauperrimum ſe eſſe arbitretur. Quiſnam igitur ſanæ mentis priorem beatum non prædicet: ſecundum autem non oderit ac deteſtetur? *lib. 3. Ep. 371.*

¶ Philosophorvm Oratorvmque Græcorum.

Epictetus apud Stobæum: Beata vita differt à luxuriosa. Nam illa quidem modeſtia, animo ſua ſorte contento, bona conſuetudine, temperantia, frugalitate paratur: hæc intemperantia delitiis, perturbatione ordinis, immodeſtia. ac finis illius, laudatio vera eſt: hujus, vituperatio. Si ergo beatè vivere cupis, ne captato laudem è luxu. Modus tibi amoris cibi & potus eſto, prima expletio appetitus: condimentum & voluptas, ipſe ſit appetitus. Sic neque plusquam oportet ingeres, neque coquis egebis, & quovis potu contentus eris. Prandia & cœnæ ſint neque petulantes, neque ſeveræ, ſed hilares & frugales: ut neque propter corpora mentes perturbentur ineſcatæ voluptatibus, neque ſe ipſas negligant, opum delitiis & morbis corporis afflictæ. Animus curandus potius quàm corpus.

Simplicius ad cap. 17. Epictet: Quæ copiæ rerum externarum

utilitas ei est, qui naturæ congruenter vivit, cùm potius illis lædatur? Quis vsus est sumptuosarum & variarum epularum, ei qui per valetudinem citra noxam illis frui nequit?

Libanius: Cùm vitæ luculentæ facultates deessent Socrati, non spectauit unde loco earum quæ perierant ipsi pecuniæ acquirerentur, sed sumptus subtrahendos esse potius censuit, & seipsum instruxit ut minus egeret tot & tantis, nec anxiè unde posset insumere consideravit. Lacernâ quidem unicâ per annum vsus est: aquam verò bibit jucundius quam alii Thasium vinum; & esuriendo comedere, loco Persicæ mensæ habuit. *Declamatione Vigesima nona.*

¶ LATINORVM.

Seneca: Tecum ipse dispicias, quid sit necessarium, quid supervacuum. Necessaria tibi ubiq; occurrent: superuacua & semper & toto animo quærenda sunt. Non est autem quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos, & gemmeam supellectilem. quæ est enim virtus, supervacua contemnere? tunc te admirare, cùm cõtempseris necessaria. Non magnam rem facis quod vivere sine regio apparatu potes: quod non desideras milliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, jam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis. Tum te admirabor, si non contempseris etiam sordidum panem; si tibi persuaseris, herbas, vbi necesse est, non pecori tantùm, sed homini nasci; si scieris cacumina arborum explementum esse ventris, in quem sic pretiosa congerimus, tanquam recepta servantem. sine fastidio implendus est. quid enim ad rem pertinet quid accipiat; perditurus quidquid acceperit? *Post pauca:* Disce parvo esse contentus; & illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam: Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus. *Epistola* 110.

Seneca: Non habet panem meus pistor; sed habet atriensis, sed habet colonus. Malum panem, inquis? Expecta, bonus fiet. etiam illum tenerum tibi & siligineum fames reddet, ideo non est anté à edendũ quàm illa imperet. Expectabo ergo, nec antè edam, quàm aut bonum panem habere cœpero, aut malum fastidire desiero, necessarium est parvo assuescere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum, etiam locupletibus & instructis à rebus octavam prohibent & occurrunt. Quidquid vult habere nemo potest: illud potest, nolle quod non habet: rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis est bene moratus venter, & contumeliæ patiens. Æstimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quod lassitudo mea sibi ipsi acquieverit. non unctiones, non balneum, non vllum aliud remedium quàm temporis quæro. nam quod labor contraxit quies tollit. hæc qualiscunq; cœna, aditiali jucundior erit. *Epistola* CXXIII.

Plinius Maior: Multo utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat: ultimoque probro manus in cibis triumphali seni deducebatur, vel in Capitolio epulanti, pudenda re, servo suo facilius parere quàm sibi, *lib. 28. cap. 5.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Pluto v. 1005.

Adolescentem hunc ingenio haud esse malo arbitror,
Quod ditior nunc factus lentem negligit:
Ante cibum quemlibet præ inopia negligens.

¶ EMBLEMATUM.

Dion. Batillius. LXXIV.

Maiori corporis sarcinâ animus deprimitur.

Vt non æquato premitur quum pondere libra,
Plus parte hac surgit, plus sedet hac alia;
Sic onerato epulis animus sub corpore nutat,
Et bene conveniens desinit esse jugum.

Camerarius LXXII. Centur. 3.

Sobrietatis opus. Vpupæ adiantum.

Quisquis difficiles præsentit pectore motus,
Is norit præscriptum à ratione modum.

Camerarius XLVII. *Centur. 1.*

Sit modus in rebus. Tria pocula.

Sit tibi, ne noceat, vini moderatior usus:
Prima sitim, curas altera pocla leuent.

Catsius Emblemate sacro. XII.

Sapientis facilis victus.

Nautica plebs titubat, credas mera vina bibisse,
Quodq; bibit, Tabaci nil nisi fumus erat.
Stellio se ventis, se rore Cicada saginat;
Nec minus in silvis hic salit, illa canit.
Quàm modico contenta cibo mens æqua quiescit!
Rapa triumphales pauit adusta viros.
Non augenda tibi res, sed minuenda cupido est,
Delicijs animum si saturare velis.

APOPHTHEGMATVM SACRORUM.

CHRISTIANORUM VE.

Vt Jesvs Christus Dominus ac Salvator noster ingressus domum Marthæ in Bethaniâ, ab eâdem vtpote matre familias benignè excipitur. quæ cùm satageret circa frequens ministerium (ut loquitur Scriptura) solicita, quænam fercula tanto digna hospite apponeret, & ob id sororis etiam ministerium sibi necessarium reputaret, ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet. Et respondens dixit illi Dominus: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium.* q. d. In vanum turbata es, vt plura fercula mihi, qui hæc despicio, apponas: cùm unum condimentum dumtaxat nostræ refectioni sit necessarium. (ita Stella in expositione loci.) tacitè insinuans, quod habet Ecclesiast. cap. 37. In multis escis non deerit infirmitas; & qui abstinens est, adiiciet vitam. *Lucas cap. 10.*

Eadmundus Cantuarien. Archiepisc. Licet Archiepiscopatûs honore præfulgeret, nihil prius optabili fuit, quàm sine arte mensa. nullo namq; ciborum delectu, crebriùs solam frigidam, & frustum panis pro delicijs sumpsit. rogantique cur in tantum abstineret; *Quia,* inquit, *non mihi cura corpus pascere, sed sustentare.* & ideò cibavit eum Dominus pane vitæ, & intellectûs, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. *Osbertus & alii, in Vita.*

S. Hilarion. Intemperantiæ & lasciviæ stimulis agitatus, quandoque hunc secum sermonem miscebat: *Ego te asselle faciam ut non calcitres: nec te hordeo alam, sed paleis: famere conficiam, & siti: gravi onerabo onere, ut cibum potius quàm lasciviam cogites.* Sciebat enim, ut refert in Epist. Hieronymus, à patre Libero ad inconcessam Venerem gradum esse proximum intemperantiæ. *Hieronymus in Vita.*

Isidorus Xenodochus. Hic cùm sæpiùs mensæ accumbens in lachrymas resolveretur, quânã de causâ id faceret, rogatus: *Pudet me,* respondit, *vesci cibo à ratione alieno, cùm sim & ratione præditus, & futurus in Paradiso deliciarum, & ambrosiæ nutrimento satiandus.* Et eccui non vilescant cibi terreni, si cum æternis illis eos conferat? *Palladius in Vita.*

Hellen Abbas. Ardebat aliquando summo mellis desiderio: cumque præter opinionem favos reperisset, appetitui frenos injiciens, dicebat: *Recede à me intemperans cupiditas.* Non ignorabat vir sanctus, quanta virtus foret placitis abstinuisse bonis. *Palladius in Vitis PP. cap. 59.*

Franciscus Borgia. Vide titulum de AFFLICTIONE.

Iulianus Imperator, etiam post fœdatam in se avitæ Religionis imaginem, non parvam hujus virtutis scintillam produxit; cùm è palatio, velut ad nihil utiles, pelleret eunuchos, tonsores, & coquos. Roganti enim causam, respondebat: *Eunuchis mihi jam non est opus functa uxore. Vnicus tonsor pluribus sufficiet: & cùm nulla palato arrideant bellaria, coquum non requiro.* Utinam illi de assentatoribus par judicium! *Socrates Eccles. hist. lib. 3. cap. 1. & Ammianus lib. 22.*

Theodosius Iunior. Et hic Venatum egressus, non conscijs viæ studijque socijs, ad Monachum divertit: qui licet Jmperatorem agnosceret; æstu tamen cursuque fatigato, panem aceto maceratũ, & olivæ liquorem apposuit. O virtus, quid non facis ubi nobiliora semel ingenia occupasti? comêdit Jmperator, bibit frigidam fonte receptam: tandemq; se Theodosium confessus, *Verè,* inquit, *tibi affirmo Pater, nunquamme in Palatio tanta cum voluptate cibum sumpsisse.* Jta ante eum Darius ab Alexandro fugatus, cùm inediæ telo compulsus aquam turbidam & cadaverum squallore inquinatam hausisset, se unquam jucundiùs bibisse negavit: nunquam enim sitiens biberat. *Cedrenus.*

Cantacuzenus Magnus. Dum ob prosperum rerum eventum Genio merum largiùs funderent proceres, ne modestiæ temperantiæque limites excessisse videretur; in ore, & mente; *Nunc me sobrium oportet, cùm alij non ebrij esse non possint.* Non ignorabat, prosperos rerũ eventus humana ingenia explorare. *Nicep. Greg. l. 9.*

Fredericus Imperator, Etiam abstinentiæ cultor eximius: intellexerat aliquando Leonoram conjugem, ex quâ nullam prolem suscitaverat, facilè fœcunditatem consecuturam, modò vino (à quo semper abhorruerat) præsertim in Germaniâ, frigidâ regione, uteretur: *Esto,* inquit: *malim uxorem sterilem, quàm vinosam. AEn. Syl. lib. 2. Comment. de gestis Alphonsi.*

Leonora Imperatrix. Tantum abest ut iniquo animo sui mariti responsum acciperet, ut etiam palàm profiteretur: *Etsi domini mei* (conjugem appellans) *jussioni tam libens pareo, quàm vivo; si tamen vini usum mandaverit, mori optarem, quàm parere. Idem.*

ALIA ADHUC APOPHTHEGMATA SACRA.

Vrias Chitthaus, David redintegrato contra Hammonitas bello,

bello, cũ domi desideret Vriæ uxorẽ formosã lavantẽ vidẽs accersit, & à se cõpressam remittit quã ex se cõcepisse audiẽs, maritũ è castris revocat, ut partus illius haberetur. Id autẽ nõ succedit, Vrias enim Davidi quærenti quare nõ descendisset domũ suam, respondit, Arca ipsa, & Jsrael ac Juda manent in tugurijs, & Joab Dominus meus ac servi Domini mei in superficie agri castra habent: & ego ingrederer domum meam ad comedendum & edendum & cubandum cum uxore mea? ut vivis & ut vivit anima tua, non sum facturus rẽ hanc. Ita delusus David ad alias fraudes recurrit. *Vide 2. Sam.* 11.

Ester. Allocutura regem Ahasuerum, Mardochæo edixit, *Congrega omnes Iudæos, quos Susis reperies, & orate pro me: neque comedatis, neq; bibatis trium dierum & trium noctium spatio: ego autem cum ancillis meis similiter jejunabo.* Ester. 4. 16.

Daniel Propheta. Ejus abstinentia varijs de causis celebratur 1. capite. ne pollueretur de mensa regis Chaldæi, neque de vino potus ejus, intercedit apud Eunuchorum præpositum. cap. 10. *Panem*, inquit, *desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies*, &c.

Macarius. Euagrius quum meridiei tempore ad Macarium eremitam accedens, siti admodum pressus, aquam ab eo petiisset, ille, *Contentus esto*, respondit, *umbrâ: multi enim viatores & navigantes hac nunc carent.* Deinde quum Evagrius verba de continentia & temperantia faceret: *Confide*, inquit, *ô fili, & bono esto animo. Ego totis annis viginti, neq; panẽ, neq; aquã, neq; somnũ ad satietatem cepi. Panem namque meum ad certum libræ põdus comedi, aquam ad constitutam mensuram bibi, & parieti acclinatus, exiguam aliquã somni partẽ rapui.* Niceph. eccl. hist. l. 11. c. 43.

Pior, monachus Ægyptius, inter ambulandum solebat comedere: atq; cuidam interroganti cur ita faceret? respondit, *Se in cibo sumendo non quasi opus facere, sed quasi supervacaneum quiddam.* Alteri item de eadem re sciscitanti dixit, *Ne animus, dum comedio, voluptate afficiatur corporea.* Socrat. hist. Eccles. lib. 4. cap. 18.

Stephanus rex Hungariæ. Conradus Franeus Jmperator habuit fratrem Henricum Sueviæ ducem, qui cùm fratri non pareret, opposuit illi Conradus arma, & expulit Suevia, profugientem ad regem Hungariæ Stephanum, suum propinquum, sive affinem. Non placuit Hungaro contumacia, Henrici ducis in fratrem, eamque rem tali integumento in sinuavit. Die paraseeves, jubebat rex duci affini suo in mensam apponi carnes: & cùm ille horreret eo die vesci carnibus, quando in omni Christianismo arctissimum esset jejunium: rex subintulit, *Minus malum reor vesci carnibus, quam fratris sine vlla necessitate rebellare.* Hoc admonitus facto Henricus dux, rediit in gratiã cũ fratre. *Alb. Cranzius, metropol. l. 4. c. 10.*

David agens in suo propugnaculo, Pelischtæis ad Bethlehemũ suam stationem tunc habentibus, motus desiderio quodam dixit, O si quis bibendam daret mihi aquam è cisterna Bethlehemi, quæ est ad portam. Quapropter perruperunt tres fortissimi duces per castra Pelischtæorum, & hausta aquam è cisterna Bethlehemi, quæ est ad portam, deportantes attulerunt ad Davidem, qui noluit bibere eam, sed effudit eam Jehovæ. Dicebat enim, *Absit mihi à Iehova, ut faciam hoc. an sanguinem istorum hominum, qui invexerunt periculum vitæ suæ biberẽ?* sic noluit bibere illam. 2. *Sam.* 23. 15. &c.

Monosticha Trochaica.

A malis cessatio, venia est opus, non gloriæ.
Abstine à cibo qui ad edendum haud esurientes suscitat.
Abstine carne atque vino; aut ijs utare parcius.
Abstinens manu; pudorem & aure & ore verberat.
Abstinentia ac quiete morbos cures plurimos.
Abstinentia opitulatur omnibus virtutibus.
Corpore esse vis robusto? victu simplici utitor.
Cuiq; edendum est ac bibendum, vitæ ut obeat munia.
Et faciles ministrant fraga vulsa dumetis cibos.
Fas famem sedare pane, fas sitim sedare aqua.
Freno egestatis jumentum subjuges lasciviæ.
Gratiam nullam meretur si quis a malo abstinet.
Imperant quicunq; ventri, & imperant affectibus.
Integras nutrire gentes farre & unda haud arduum est.
Lana, pulsque sunt naturæ frugi opes sacerrimæ.
Majorem abstinendo quæras quam fruendo gloriam.
Mensa Fortunæ ambitiosa est; mensa Virtutis replet.
Mentem hilarat statim atq; mentem fructus abstinẽtiæ.
Non manus modo abstinentes, sed & habere oculos decet.
Obvium invenire ubique est unde vivas in diem.
Panis atque aqua ipsa alendis sufficit mortalibus.
Parvulo natura vivit & parabili bono.
Plurimæ dapes diversaque haud alunt sed inquinant.
Plurimos curare suevit morbos abstinentia.
Plurimos fecere morbos multa mensæ fercula.
Pecula horret a puello quisquis est abstemius.
Præsto aqua est tibi Ceresque? quod sat est vitæ obtines.
Qui ventrẽ domat, quo q; illis quæ sunt sub cœlre imperat.
Quod desiderat natura, quamlibet parvo impleas.
Sic bibe ut mens pesque præstent semper officium suum.
Si cupis sanè diuque vivere, unus sit cibus.
Temperes bono ægrè, usurum quo diu non te putes.
Tertijs tantùm diebus Sauromatæ capiunt cibum.
Venter ut vivis est receptat omnia, haud quoque indiget.
Vt vivas cibo est opus, verùm ubi vis parabili.

¶ Jambica.

Ad saturitatem nullâ fortunâ est opus.
Adsuesce puro haud delicato uti cibo.
Ambitio magno nobis constat, non fames.
Assuesce victu mundo, non & prodigo.
Cibi varietas, caussa morborum omnium est.
Cibus Deorum est quidquid ultro provenit.
Cuiquamne edendum est ante quam imperet fames?
Da corpori quod est necessè, haud quod cupit.
Dapes inemptæ sunt saporis optimi.
Est caussa edendi una, una potandi, salus.
Est sanitatis mater abstinentia.
Est sanitatis mater indigentia.
Excussa silvis poma compescunt famem.
Facilisque solvit sera glans jejunia.
Hemina vini, unusq; panis sat replet.
Laudis meretur nil alieno qui abstinet.
Malo abstinere, primus virtutis gradu est.
Morbis carent queis simplex est alimonia.
Morbos parit plures repletio, quàm fames.
Natura nil desiderat prater cibum.
Nec capere corpus multa, nec diu potest.
Nec avidus est nec delicioſus abstinens.
Oportet esse, ut vivas; non vivere, ut edas.
Ventri replendo panis unus sufficit.
Vtare victu tenui, sed non sordido.

¶ Apologorum.

De Ficedula Turdum in fertiliorem locum ducente.

Ficedula per locum quendam desertum iter faciens, reperit turdum labruscæ uvis, & sylvestrium arborum baccis victitantẽ apud quem hospitata, hortata est eum, ut relicto tam sterili & deserto loco, secum pergeret. se enim ducturam eum in regionẽ, suavissimis uvis, ficis, & omni pomorum amœnitate refertam. Quum autem turdus illius consilijs obsecutus, in locum à ficedula prædictum pervenisset, reperit cibos adhuc suaviores, quàm illa promiserat. Sed quum videret nonnullas aves visco implicitas, alias laqueis captas, complures retibus irretitas, & mille insidias ac dolos avibus tensos, vale ficedulæ dicens, antequàm in patriam rediit, ubi usque ad decrepitã ætatẽ, absq; ullo insidiantiũ metu, vitã tranquillè protraxit.

Fabula indicat, longè melius esse, tenui & agresti victu quietè vivere, quàm lautis & opiparis epulis, inter vitæ discrimina. *Laur. Abstemius.*

Require plura titulo Cibi, Deliciarum, Frugalitatis, Naturæ, Victus, Gulæ, Convivij, Superfluitatis, Jejunij, Deliciarum.

Abundantiæ.

Monosticha Trochaica.

Et nihil paritura saxa copia imbrium rigat.
Largius suis fruuntur larga queis domi est penus.
Res cui est abunda, abundè copioseq; utitur.
Res cui sunt copiosæ, copioseè ijs utitur.
Parsimoniæ esse vix quit copiæq; copulæ.

¶ Jambica.

Ardente Trojâ, Priamus & flammâ indigot.
Defectui succedit usque copia.
Malorum initium ingens, bonorum copia est.
Multos peremit rerum abundans copia.
Oleri & piper miscet cui piperis copia est.

Abusus.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Chrysostomus*: Paupertatem minimè fugiamus, tanquam malum, est enim conciliatrix regni: neq; item persequamur divitias, ut bonum, incautos enim perdunt? sed ubiq; oculos ad Deum intendentes, utamur, quò convenit, ijs, quæ ab illo nobis tributa sunt; & corporis robore, & abundantia divitiarum, cæterisque rebus omnibus. Absurdum enim planè est, cùm ab ipso facti simus, non ei qui nos fecit, sed aliis isthæc utenda præbere. Fecit tibi oculum? hunc ipsi præsta, præbe utendum; non autem diabolo. quomodo autem Deo præbebis? opera ipsius considerans, & ipsum glorificans; abducens verò à mulieris aspectu. Fecit tibi manus? Has ipsi possideto, non diabolo; non eas ad rapinas ac prædas, sed ad mandata faciendas, ad beneficia conferenda, atq; ad preces assiduas extendens; ad eos, qui ceciderunt, erigendos. Fecit tibi aures? has ipsi præbe; non infractis ac mollibus cantilenis, non turpium sermonũ auditioni. Omnis enim enarratio tua, inquit, in lege altissimi.

& rursus, In multitudine, inquit, presbyterorum sta: & si quis sapiens fuerit, ei te adjunge. Fecit tibi os? Ex hoc nihil prodeat, quod Deo non probetur: sed psalmodias, hymnos, odas canat spirituales: ut det gratiam, inquit, ad fulciendum, non ad evertendum; ad benedicendum, non ad maledicendum; non ad struendas insidias, sed contrà omninò. Fecit tibi pedes? non ut properes ad vitiositatem, sed ad bona. Fecit tibi ventrem? non ut ipsum rumpas, sed ut philosophicam exerceas, sobrietatem. Jndidit cupiditatem ad liberorum procreationem, sed non ad scortationem & adulterium. Dedit tibi mentem: non ut blasphemiam in ipsum jacias, non ut sis convitiator; sed ut bene dicas. Dedit & pecunias; ut quò oportet, ipsis utamur: eademq; de causa vires dedit. Fecit artes: ut vita sustentetur, nõ ut à rebus ad spiritum pertinentibus nos ipsos avocemus; non ut sordidis artibus operam demus, sed necessariis; ut nobis mutuam opem feramus, non ut insidiemur. Dedit rectũ: eò duntaxat, ut arceat pluviam; nõ ut ipsum quidẽ ornetur auro, pauper verò pereat fame. Dedit vestes: ut tegamur, non ut ostentemus; nõ ut illæ quidẽ multo aurõ rigeant, Christus verò nudus pereat. Domũ dedit: nõ ut solus habeas, sed ut alijs etiam præbeas. Terram dedit: non ut majore illius parte ad te abstracta, in scorta, & psaltrias, & minos, & tibicines, & citharœdos insumas Dei bona; sed in esurientes atq; egenos. Dedit tibi mare: ut naviges, ne itinere faciendo labores; nõ ut curio sè illius fundũ scruteris, & lapides, & alia hujusmodi inde extrahas; non ut hoc tibi studio habeas. Atenim, quamobrẽ ergo, inquit, sunt lapides? Quinimò dic tu mihi: Quã ob causam lapides illi in tanto pretio sunt? nũ facultate aliqua? nũ usu? at certè qui è mari nõ sunt, utiliores sunt: etenim hi saltẽ ad ædificationẽ conferunt, illi verò nusquam. At illi, inquit, pulchritudinẽ afferunt. quomodo? totũ id opinionis est. sunt candidiores? at nõ certè marmore valdè candido: quinetiã neq; ad illius cãdorẽ accedũt. at splẽdidiores? ne id quidẽ. at utiliores? at majores? neutiquã. Vnde igitur suspiciũtur? non aliundè, quàm ex sola existimatione. Nã si neq; pulchriores sunt, (multos enim inveniemus illis lucidiores & candidiores) neq; utiles, neq; solidiores. unde, inquã, adeò suspiciũtur? an nõ ex sola existimatione? Quã igitur ob causam illos dedit? non ipse dedit: sed tu magnũ esse quippiam putasti. Quid igitur est, inquit, quòd scriptura etiam eos celebrat? nimirũ accomodatè ad tuam opinionẽ loquitur. Nam & præceptor ad puerulũ verba faciens, eadẽ atq; ille sæpe suspicit: ut illũ sibi conciliet, ac paulatim subvehat. Quid pulchritudinẽ expetis vestiũ? Vestẽ tibi circũda, & calceos: his te orna: hæc tibi satis sunt. Desiderabilia, inquit David, super aurũ & super lapidẽ preciosum multũ, judicia Dei. Terrena verò hæc pro nihilo sunt habẽda: nõ sunt hæc, ô dilecte, utilia. Si utilia essent, nõ jussisset cõtemnere: sed divina scriptura ad existimationẽ nostrã loquitur. Atque hoc etiã divinæ benignitatis est. Quã igitur ob causam, inquit, purpura, & cætera hujusmodi? divinæ magnificẽtiæ hæc sunt opera. Nã alijs quoq; ex rebus suas voluit divitias ostẽdere: alioquin & frumẽtũ ipse dedit solũ; tu verò ex hoc multa paras, placẽtas, bellaria varia ac multa, magnã afferentia voluptatẽ. Voluptas & inanis gloriæ amor hæc omnia invexit. Videbãtur enim hæc tibi omnibus rebus præferẽda. Cæteroqui si peregrinus quispiã aut agricola harũ rerũ imperitus te interroget, teq; illa suspicientẽ videns dicat; cur ista suspicis atq; admiraris? quid habebis, quod respondeas? Pulchra esse aspectu? sed nõ ita est. Deponamus igitur hanc opinionẽ, verisq; reapse bonis inhæreamus. Hæc enim minimè sunt; sed temerè accedunt tantùm, instar fluminis dilabentia. *Homilia* 10. *ad Philippenses.*

Philo Iudæus: Omentũ ventris est protuberatio. Vẽter porro nihil aliud est, quã præsepe brutæ cõcupiscentiæ, qui potationibus rigatur & ingluvie, & inũdatur alijs post alias cibi potusq; delicijs; suis more gaudens in cœni volutabro degere. proindè locus excremẽtis dicatus, cõvenientissimus est illi turpi & intẽperanti pecudi. Adversatur autẽ ei tẽperantia; quam exerceri, & labore studioq; confirmari decet omnibus, modis, ut bonum maximum ac perfectissimum, privatim ac publicè utile. Quocirca gulosa concupiscentia, cùm sit impura profanaq;, meritò extra virtutis fines exulat. Temperantia verò pura virtus & immaculata, cibi potusq; negligens; ut contemptrix voluptatum ad ventrem pertinentium, ad sacrum altare admittitur. *libro de præmijs Sacerdotum & honoribus.*

¶ Philosophorum Historicorum Rhetorum.

Isocrates: Non convenit, si qui obvios verberant, robur accusare: neq; propter homicidas fortitudini convitiari; neq; deniq; hominũ improbitatẽ in res transferre, sed illi ipsi culpãdi sunt, qui bonis reb. male utũtur; & cives suos per ea lædere nõ dubitant, hoc est per eloquentiã, quæ ad eorũ salutem convertere potuissent. *In Nicocle.*

Dionys. Halicarnassæus: An necessariò & ex rei publ. cõmodo omnia illa fecerit L. Sulla, inquirere nõ est hujus tẽporis: tantũ ostẽdere volui, ob hæc facinora, grave & invisum redditũ esse Dictatoris vocabulũ. Id quod nõ solũ potestatibus, sed cæteris etiam vulgo mirandis expetendisq; rebus interdum evenit. Omnia enim honesta & utilia videntur, tantisper dum usus eorum rectus est: quo per eos qui illis præsunt depravato, eadem turpia habentur & inutilia. Ejus autem rei caussa est natura, quæ cum omnibus bonis fatales pestes subolescere voluit. *fine libri quinti Antiquitatũ Roman.*

Cicero: Iste homo Venerius, & affluens omni lepore & venustate, de bonis Servilij in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit. Sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum. *V. in Verrem cap. 54.*

Cicero: Quid ergo illa tua tum obtestatio tibicinis? quid focus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti Deorum immortalium numine ad hominum timorem quid voluisti? *Orat. pro domo cap. 48.*

Cicero: Exhæredare filium voluit. Quam ob caussam? Nescio. Exhæredavit ne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cui dixit? Nemini. Quid est aliud Judicio ac legibus, ac majestate vestra, Judices, abuti ad quæstũ atq; libidinẽ, nisi hoc modo accusare, atq; id objicere, quod planum facere non modò non possis, verùm ne coneris quidem. *pro Amerino cap. 19.*

Cicero: Cæsaris æra refigere debebamus; ejus etiam chirographa defendimus? At enim ita decrevimus. Fecimus id quidẽ tẽporibus cedentes, quæ valẽt in repub. plurimum. Sed immoderatè quidam, & ingratè nostra facilitate abutuntur. *l. 12. Epist. famil. prima.*

Cicero: Omnino hoc est populi, maximéq; nostri, in eo potissimũ abuti libertate, per quẽ eam consecutus sit. *lib. 11. Epist. fam. 12.*

Cicero: Quæstudia, magnorum hominum sententiã, vacationem habent etiam publici muneris, ijs concedente Republica, cur non abutamur? *libro 9. Epist. fam. 6.*

Cicero: Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum quem sors dedit. Hunc oportet & sua sponte esse moderatũ, & tuis institutis ac præceptis obtemperare, quorũ si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges quibus esset adstrictus: non ut ea potestate, quã tu ad dignitatẽ permisisses, ad quæstum abuteretur. *l. 1 Epist. 1. ad Quintum fratrem.*

M. Brutus: Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni deniq; officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem cujus sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluris faciam eum, qui tibi est carissimus, illud tribue judicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua ut adipiscatur honores paternos.

Seneca: Turpis qui alto sole semisomnis jacet, cujus vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt qui officia noctis lucisq; pervertunt; nec ante deducũt oculos hesterna gravis crapula, quã appetere nox cœpit. Hos tu existimas, scire quemadmodum vivendum sit, qui nesciunt quando? &c. *Epistola 122.*

Idem: Omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deserunt. Hoc est luxuriæ propositum, gaudere perversis; nec tantùm discedere à recto, sed quàm longissimè abire. Deinde etiam è contrario, isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt in anibus venis, & ad cibum ebrij transeunt? atqui hoc frequens adolescentium vitium est qui vires excolunt. Non videntur tibi contra naturam vivere qui commutant cum fœminis vestem? non vivunt contra naturam qui hyeme concupiscunt rosam, brumâ lilium? qui pomaria in summis turribus serunt? qui fundamenta thermarum in mare jaciunt? Cùm instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle, novissimè in totũ ab illa desciscũt. Lucet? somni tẽpus est. Quies est? nũc exerceamur; nunc gestemur, nunc prandeamus. Jam lux propius accedit? tempus est cœnæ. nõ oportet id facere quod populus. res sordida est, trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur; proprium nobis ac peculiare mane fiat. *Epistola eadem, ubi adhuc plura.*

Quintilianus Iunior: Quidam vehementer in rhetoricen invehi solent; adijciuntq; exempla Græcorum Romanorumq;, & enumerant qui perniciosa non singulis tantùm, sed rebus etiam publicis usi eloquentia turbaverint civitatum status vel everterint. Quo quidem modo nec Duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa deniq; sapientia. nam & dux Flaminius, & Gracchi, Saturnini, Glauciæ magistratus, & in medicis venena, & in ijs qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur: attulerunt sæpe valetudinis caussas. Nunquam tecta subeamus: super habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius: potest uti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita: & (ne terrenis immorer) Solem Lunamq; præcipua siderum, aliquando etiam nocere? &c. *libro 2. Orat. Instit. cap. 16.*

Poetarum.

Ovidius libro II. Tristium vers. 265.

Non tamen ideirco crimen liber omnis habebit:
Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem
Quæq; juvet monstrat, quæq; sit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur innocuas ut agat facundia caussas.
Protegit hæc sontes, immeritosq; premit.

Sic igitur

Sic igitur carmen recta si mente legatur,
Constabit nulli posse nocere meum.
Prudentius contra Marcionitas.

Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ violatur origine venæ;
Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia sordet.
Nunquid equus ferrum, taurus, Leo funis, oliuum,
In se vim sceleris cùm formarentur habebant?
Quod jugulatur homo, non ferrum caussa furoris
Sed manus est: nec equum vesania feruida Circi
Auctorem levitatis habet, rapidive fragoris;
Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum
Perfurit; infami studio perit utile donum.
Sic Lacedæmonicas oleo maduisse palæstras
Novimus, & placidum servire ad crimina succum.
Inde per aërium pendens audacia funem
Ardua securis scandit prosceniaplantis.
Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisq; inter discrimina ludunt.
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consessus, legesq; jubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum discerpta cruentis
Morsibus oblectent hilarem de funere plebem.

¶ Apophthegm. Christianor.

Philippus Gall. Rex: Abstinentiæ se comitem præbet Abusio ut ita oppositа juxta se posita magis illucescant. Quid enim temperato rerum usu præclarius? inordinato verò quid perniciosius? Intuebatur aliquando Histriones & Circulatores magnam populi frequentiam ad se allicere Christianissimus Rex Philippus: & ad proceres conversus; *Histrionibus*, ait, *& huiusmodi farinæ hominibus pecunias dare, nihil aliud, quam dæmoni sacrificare.* Videbat Rex prudentissimus, quantus esset pecuniarum, quæ in similes homines insumuntur, abusus. *Vincent. in Specul. histor, lib. 29. cap. 41.*

Ludovicus XI. Franc. Rex: Cùm ad eum referret quidam, hominem illiteratum, at curiosum, numerosam & insignem instauasse sibi Bibliothecam; subridens, *Verè*, inquiebat, *hic gibboso comparandus: qui cùm gibbi onus in dorso ferat, nunquam illud intuetur.* Sentiens abusum esse, librorum copiam comparare, quibus uti nescias. *Corozetus in Dictis memor.*

Doctor Anonymus: Redarguentibus hunc, quòd docendo non modò nihil proficerent auditores, sed & deficerent; *Non meo*, respondit, *sed suo vitio imputent.* Innuebat enim tacitus, quod olim simili responso Theodorus Atheniensis: quòd doctrinam, quam ipse dextrâ porrigeret, sinistrâ exciperent. *Auct. serm. Convival.*

Sigismundus Imp. Quid autem iste? Magnoperè apud eum laudabat quispiam fœneratores, quòd etiam dormientes quæstum facerent: *At tu*, inquit, *vigilando omnibus abuteris, & consumis.* Egregiè eius prodigalitatem perstringens. *Æn. Syl. lib. Comment. in gesta Alph.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad malas res noli abuti dotibus prudentiæ.
Aut opibus non utimur vulgò, aut eis abutimur.
Eloquentia est abusus multus, usus rarior.
Forma abusu fit malum, etsi munus est Dei bonum.
Fructibus fere neglectis, occupamur cortice.
Margaritas spargere an vis inter immundas sues?
Neminem sua re abuti, interest rei publicæ.
Nulla tam bona res est, uti qua quis haud queat malè.
Principum favore abuti, est se suosq; perdere.
Publico expedit, malè uti ne queat re quis sua.
Vnaquæque ars pro usu hominum, benè audit, audit vel malè.

¶ Jambica.

Æquè ensem latro quàm viator utitur.
Etiam optimâ uti possumus re pessimè.
Haud eius usus esse, quem haud noris, potest.
Legitimus usus haud abusus fœminis.
Malè utitur se, malè qui hominibus utitur.
Ne sellam olivo unquam ipse absterseris tuam.
Non est bonum id, quisquam malè uti quo potest.
Nullum est bonum quo quis malè uti non queat.
Omnes pietate abutimur, nemo utitur.

Academiæ.

¶ Sententiæ Patrvm.

Nazianzenvs: Insano quodam erga Sophistas studio Athenis tenentur quàm plurimi & stolidissimi adolescentes, non modò ignobiles & obscuri, sed nobiles etiam & illustres, ut qui miscellanea quædam multitudo sint, & juvenes, & ita affecti, ut eorum impetus vix reprimi possint. Quodigitur in equestribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis & spectaculis oblectantur (exiliunt enim, clamant, pulverē in cœlum mittunt, sedentes habenas moderantur, aërem verberant, equos digitis quasi stimulis in alterum atq; alterum latus subindè jungunt, cùm nihil horum in ipsorum potestate situm sit: facilè inter se aurigas, equos, equorum stationes, certaminis duces permutantidque quinam tandem pauperes plerunque atque inopiâ laborantes, & quibus in unum quidem diem victus suppetit) hocipsis quoque planè circa præceptores suos, aliósque eiusdem artis professores, eorumq; æmulos accidit, in hoc nimirum elaborantibus, ut & plures ipsi sint, & illos opera sua locuplettores efficiant. Atq; ea res vehementer absurda & prodigiosa est. Præoccupantur urbes, viæ, portus, mōtium cacumina, campi, solitudines, omnes denique Atticæ ac reliquæ Græciæ partes, atq; adeò incolarum maxima pars. Nam & illos in partes ac studia distractos habent. Cùm autem juvenis quispiam accesserit, atque in eorum, à quibus captus est, manus & potestatem venerit (venit autem, vel sponte, vel coactus) tum verò Attica hæc illis consuetudo est, luduſque rei seriæ admixtus. Primùm apud eorum aliquem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui eiusdem sunt patriæ, vel qui Sophistices artem apprimè callent, ac lucra magistris conciliant, eoque nomine apud eos in summo honore ac pretio sunt: quandoquidem illis mercedis loco est, habere qui ipsorum commodis studeant. Deinde à quolibet cavillis lacessitur: quod quidem, ni fallor, eò faciunt, ut novitiorum animos contrahant, atque à principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem, ab aliis audaciùs, ab aliis eruditiùs, prout ille vel rusticis & ineptis est moribus, vel urbanitate præditus. Atq; id gnaris quidem horrendum valdè & inhumanum videtur, iis autem perquàm jucundum & suave, qui hoc priùs norunt. Amplior enim est hæc minarum ostentatio, quam res ipsa. Tum per forum ad balneum cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine collocati, atque æquis spatiis distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cùm autem propiùs accesserint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentē cum saltatione tollentes, (hic autem clamor, ne ulterius progrediantur, vetat, sed ut insistant, tanquam eos balneum minimè admittat) simulque pulsatis januis, cùm per strepitum juveni metum incusserint, postea concesso ingressu ita demum eum in libertatem asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps ut æqualem ac sodalem accipiunt. Atque hocipsis est totius huiusce cæremoniæ jucundissimum, nimirum ab his; qui molestiam exhibent quàmprimum liberati. *Orat. 20.*

Synesius: Plerique apud nos, tam privati quàm sacerdotes, somnia quædam comminiscentes, quas ipsi revelationes appellant, per veram mihi visionem vel malum conciliaturi videntur, nisi propediem sacras Athenas pervenire contigerit. Quoties igitur in Piræicum navarcham incideris, ad nos scribito, illic enim tuas literas accipiemus. Non solùm autem ex ea profectione utilitatis cōsequar quod præsentibus me malis exsolvam, sed quod deinceps non ampliusillinc venientes scientiarum atque eruditionis nomine adorabo, qui cùm nihil à mortalibus nobis discrepent, haud sane quantum ad Aristotelis Platonisve intellectum attinet, nihilominus inter nos perinde atque inter mulos semidei versantur pro eo quod Academiam, & Lycæum viderint, & variam illam Porticum ubi Zeno philosophabatur, quæ nunc varia esse destitit. Proconsul enim asseres ademit: Inde ob sapientiam arrogantiores eos esse prohibuit. *Epistola 54.*

Ennodius: Ut campus militem, mare navitas, fora causidicum, sollicitant incerta raptorem; ita auditoria linguas exercent. Nam quæ malum ratio suadebit silentium in loco, in quo sunt præmia constituta uerborum? ubi orationis palma, si hic gratia taciturnitatis? Benè solvuntur sudoris pretia, ubi sunt templa victoriæ, benè effugatur servitus inter atria libertatis. Vincta hîc ora teneat mens captiva, non agnoscit forum Romani populi, non liberalis eruditionis gymnasium, qui adhuc quasi in secessibus conticescit. Sint muta fortè diversoria: hîc nihil est tam familiare, quàm pompa dicendi. Fescenninos sales hymenæis dare genium consuetæ professionis plausus hortatur: eriguntur lituis bellatores: virtute debiles gravis buccinarum cantus attollit. Data sunt universis amica incitamenta propositis. *principio Dichonis 7.*

¶ Oratorvm Græcorvm.

Libanius: At tu in statu populari facis acerbiora tyrannide: idq; Theseum laudans, quod se principatu quem obtinebat abdicasset: qui non propterea populi libertatem potentiæ suæ præposuit: ut Anytus & Melitus prohiberent eum, qui vellet Athenis sermones instituere: sed ut animi metu liberati animos disciplinis exerceamus, & corpora exercitiis tueamur. idcirco pulcherrimum & suavissimum spectaculum sunt Athenæ, & undequaque huc ventitant & navibus & pedibus: atque alii quidem diu commorantur, alii vix abeunt: non quòd mensis vincamus Sybarim: nec quia tritici ferax nobis terra est, (at enim contra, Athenienses, iis quæ extra Aticam gignuntur, alimur) sed quia sermonum est officina civitas.

Ille

Ille interrogabat, hic respondebat. Huic quidem dicere integrum erat; alter verò docebat. Illum quidem laudantem videris aliquid eorum quæ antè dicta sunt, alium accusantem: alium opinionem non honestam solventem. Hæc digna quæ in arce Deæ sint: hæc decent eos qui à Diis instituti sunt. Hæc Theseo: hæc Respublica digna: hæc urbem faciunt elegantiorem Lacedæmone. Ideo venerabiliores sunt qui sapientiam colunt, quàm ij qui armis sunt formidabiles. Hoc longo nos intervallo à Barbaris sejunxit. Igitur qui libertatem in differendo tollit, is est qui popularis status affinia & peculiaria subvertit; & veluti qui corporis oculos effodit aut linguam exscindit.

Æneas sophista: Olim Pelium communis docendorum Heroũ ludus videbatur. Nunc vestra & Musarum civitas. Et crediderunt parentes liberos sibi qui ad vos accederent, aut artes liberales ac disciplinas discere, aut tenere jam videri. Neq; mirum. Vrbs enim antiqua & veteris doctrinæ plena, de qua cùm alia multa & egregia celebrantur, tum quòd Calliope admirata civitatem apud vos consederit, Helicone relicto & sorores secũ ad habitandum persuaserit. Mercurius autem facere omnino non poterit, quin cum sororibus colludat. Sed & Apollo qui Musicus deus est plus hanc amat, quàm Parnassum. Non enim ei simile videtur gladius Delphorum & amasiorum formositas. Neque Delphorum rupes, & lauro consitus lucus, ubi etiam aqua deum sentit, & musicum quiddam sonare dicitur. Quod verò pulcherrimum est, Bacchus docens revera deorum ceremonias ac mysteria. Hæc comparata sunt ad excitandos senes, ad convocandos juvenes. Ob hæc in spem venio optimã juveni copiam fore, præsertim quod priùs initiatus, & nostris muneribus instructus, profectus est, quemadmodum Athenis, qui parvis mysteriis ante magna initiantur. Recipe igitur benignè juvenem, & eius ingenium ex præsenti cupiditate perspectum habe, ob quam & mare navigat, & per magnam Epiri partem iter facit, non admodùm valenti corpore. Tribuatur etiam propter epistolam aliquanto magis. Hanc enim audacem esse oportet, neque ulla ratione pudore affici, nunc primùm ad vos euntẽ, ac summo cum amore accipere, & quiddam etiam cum ea loqui. Sic ad vos commeabit sæpius. *Epistola 16.*

¶ Latinorvm.

Eumenius: Manifestum est, Imperatores qui coloniam istam Augustodunum tot tantisque opibus totius imperii erigere atque animare statuerunt, vel præcipuè sedem illam liberalium literarũ velle reparari, cui peculiarem frequentiam honestissimæ juventutis illustrato studiorum honore providerint. Cui enim unquam veterum Principum tantæ fuit curæ, ut doctrinæ atque eloquentiæ studia florerent, quantæ his optimis & indulgentissimis dominis generis humani, Diocletiano & Constantio? quos ego quidem, quantum ad votum pietatemque pertinet, liberorum nostrorum parentes appellare non dubitò, qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum interitu summi doctoris orbatam, respicere dignati, suo potissimùm judicio præceptorẽ ei moderatoremque tribuerunt; & inter illas imperatorias dispositiones, longè majoribus summæ Reipublicæ gubernandæ provisionibus occupatas, literarum quoque habuere delectum; neque aliter quàm si equestri turbæ, vel cohorti prætoriæ consulendum foret, quẽ potissimùm præficerent, sui arbitrii esse duxerunt; ne ij quos ad spem omnium tribunalium, aut interdum ad stipendia cognitionum sacrarum, aut fortasse ad ipsa palatii magisteria provehi oporteret, velut repentino nubilo in mediis adolescentiæ fluctibus deprehensi, incerta dicendi signa sequerentur. In quo ego nihil laudi meæ tribuo, sed domini nostri Constantii verè principis juventutis, incredibilem erga juventutem Galliarum suarum, solicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo, qui honorem literarũ hac quoque dignatione cumulavit, ut me, filio potiùs meo ad pristina mea studia aditum molientem, ipsum jusserit disciplinas artis oratoriæ retractare, & qui hoc ipsi palatio parentis sui Maximiani munus invexerat, mediocrem quidem pro ingenio meo naturáq; vocem, cœlestia tamen verba & divina sensa Principum prolocutam, ab arcanis sacrorum penetralium ad privatarum Musarum adyta transtulerit; non utique quia mihi, quem (quod sine invidia dixerim) tanta dignatione respicit quanta pro summis honoribus debet sufficere, sapienti, vellet aliquid imposita ista professione detrahere; sed ut professioni ipsi ex eo honore quem gessi adderet dignitatem. Cui igitur dubium est, quin divina illa mens Cæsaris, quæ tanto studio præceptorem huic conventui juventutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum instaurari atque exornari velit; cùm hoc omnes omnium rerum sectatores atque fautores, parum se satisfacere voto & conscientiæ suæ credant, si non ipsarum quas appetunt gloriarum templa constituant. Inde est, quod Atheniensis humanitas aram Misericordiæ instituerit, quod Romani ducis animi magnitudo templum Virtutis & Honoris. Quarum enim artium, sive animi affectionum, magnis hominibus ingeneratus ardor fuit, earum etiam consecrata existere ad posteros monumẽta voluerant. Ædem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecunia sua censoria fecit; non id modò secutus, quod ipse literis & summi poëtæ amicitiâ duceretur; sed quòd in Græcia cùm esset imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum. Idemq; primus novem signa, hoc est, omnium Camœnarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi Numinis consecravit: quia mutuis operibus & præmiis juvari ornarique deberent; Musarum quies defensione Herculis; virtus Herculis, voce Musarum. Credo igitur tali Cæsar Herculius, & avi Herculis, & Herculii patris instinctu, tanto studiũ literarum favore prosequitur; ut non minus ad providentiam numinis existimet pertinere benè dicendi quàm rectè faciendi disciplinas, & pro divina intelligẽtia mẽtis æternæ sentiat literas omniũ fundamenta esse virtutum, utpote continentiæ, modestiæ, vigilantiæ, patientiæ magistras. Quæ universa cùm in consuetudinem tenera ætate venerunt, ad omnia deinceps officia vitæ, adq; ipsa quæ diversissima videntur militiæ atque castrorũ munia convalescunt. Ideoque his omnibus industriæ atque omnis laudis nutricibus, aut ut verius loquar, matribus, cùm præceptorem Cæsar Herculius declarare dignatus sit; necesse est etiam sedem propriam cupiat reformari; ut cùm ad antiquam firmitatem cultumque reparata sit, multò heic justius quàm Romæ; nuncupetur ædes Herculis atque Musarum. Et sanè, interest etiam gloriæ, quam tanti Principes tot victoriis ac triumphis merentur, ut ingenia quæ canendis eorum virtutibus excoluntur, non intra privatos parietes, sed in publica ostentatione, & in ipso urbis istius ore vegetentur, &c. *Oratione pro restaurandis scholis, capp. 5. 6. 7. & de restaurandis Mæianis.*

Eumenius: Videtur mihi ipse ille qui Mæniana hæc primus instruxit, idcirco ea potissimùm collocasse interque Apollinis templum atq; Capitolii, ut veluti cognato vicinorum sibi Numinũ tenerentur amplexu, cùm augustissima tecta literis dedicata inde Athenarum conditrix Minerva conspiceret, hinc Apollo medius Camænarum. Igitur ibi maximè & oportet & fas est exercere juventutis ingenia, ubi tam propinqua sunt numina amica doctrinæ, ubi ex proximo juvat mens divina sapientiam, & carminum deus vocem; & verecundiam virgo perpetua, & providentiam præscius futurorum. Ibi adolescentes discant, nobis quasi solenne carmen præfantibus, maximorum Principum facta celebrare. Quis enim melior usus est eloquentiæ, quàm ubi ante aras quodãmodo suas, Jovios Herculiosq; audiant prædicari Jupiter pater, & Minerva socia, & Juno placata? *cap. 10 eiusdem orationis.*

Eumenius: Inter omnia quæ virtute Principum ac felicitate recreantur, sint licet forsan alia magnitudine & utilitate potiora, nihil est tamen admirabilius hac liberalitate quam fovendis honorandisque literarum studiis impertiunt: quippe nulli unquam antehac Principes pari cura belli munia, & huiusmodi pacis ornamẽta coluerunt. Diversissimus enim ad utramq; sectam deflexus est, dispar natura mentium, & discrepans in electione judicium, ipsorũ deniq; utriusque artibus præsidentium Numinum dissoni monitus habitusq; dissimiles. Quò magis horum nova & incredibilis est virtus & humanitas, quæ inter tanta opera bellorum, ad hæc quoq; literarum exercitia respiciunt, atque illum temporum statum, quo (ut legimus) Romana res plurimùm terra & mari valuit, ita demùm redintegrari putant, si non potentia, sed etiam eloquentia Romana revirescat. *cap. 19. de restaur. scholis.*

¶ Monosticha Trochaïca.

An scholas hodie frequentant divites, an nobiles?
Dicere omnes plura quærunt, nemo plura discere.
E scholis multus sophista provenit, rarus sophus.
Fuisse Athenis, eruditum non facit.
In foro haud æquè perores gratiosè quàm in schola.
In scholis tantùm docemur res supervacaneas.
In scholis est solitudo: sunt culinæ celebres.
Nemo non didicisse mavult junior quàm discere.
Nemo serijs inhæret, occupamur frivolis.
Nemo vitæ, nemo morum disciplinas quæritat.
Non modò juvat studentes, sed conversantes schola.
Aut senior redit, aut magis sanabilis.
Nullum facit malum, bonum nullum schola.
Ornat omnem dignitatem, haud destruit professio.
Qui scholam boni subintrant, exeunt scholâ mali.
Quis neget scholas parentes omnium virtutum?
Rhetorum Philosophorumq; solitudo est in scholis.
Semidei inter semiasellos sunt Athenarum hospites.

¶ Jambica.

Paucissimi vitæ; schola omnes discimus.
Scholasticus bonus, malus politicus.
Scholastico senente quidnam inanius?

Videantur plura titulo *Doctrinæ, Discendi, Poëtica rei, Loci, Peregrinationis, Discipuli, Ingenij.*

Accusationis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

D. Nazianzenus: Nos nec alium quemquam ex iis quẽ criminis alicuius rei sunt, incognitâ causâ dimittimus, ne si arctiſſi-

si arctissimâ quidem amicitiâ nobis conjunctus sit, nobilitateque insignis: neque enim Deo & ecclesiasticis lege quicquam venerabilius est: quare nec hunc dimittemus. Verum si quis aliquid habet quod eum accuset, te præsente simulq; judicante, si ita libuerit, sin minus, absente quoque, nobis judicibus exploratus, si quidem innocens inventus fuerit, etiamsi servus sit absolvatur. Nam & servorum & heroum, idem est pater ac Deus: nec dignitatibus jus definitur. Si verò convictus fuerit, à proprio peccato condemnatur. Ita fiet, ut nec lex violetur; nec defuncto ignominia feratur, & tu improbam suspicionem fugies; quasi ob id quod a nobis fideque sana abhorreas, hæc versutè potius quàm generosè machineris; atque ab allio accusata in alium impetum detorqueas. *Epist. 38. ad Simpliciam hereticam.*

D. Nazianzenus de Basilio Magno: Nec verò hæc eò me commemorata sunt, ut illius existimationem oratione mea defenderem: præstantior enim est, quàm ut accusatoribus, si qui tamen sunt, in ipsius famam quidquam liceat. *Orat. 20.*

D. Greg. Nyssenus: Qui ex se ipso ad sua proferenda peccata impulsus est, eò quod suâ sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui jam affecti animi medicinam adhibere cœperit, & signum mutationis in id quod melius ostenderit, in mitioribus pœnis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquâ suspicionem, vel accusationem in gratiis convictus est, longius illi conversionis tempus datur. *Epistola ad Letoium.*

Chrysostomus: Qui accusatur, quamdiu non habet testes, minimè pudore suffunditur. *Homilia 3. ad Corinthios 1.*

Isidorus Pelusiotæ: Si tu illud veritus, ne is, qui à te contumeliâ affectus est, prior te accusaret, existimasti forè, ut si anteverteres, culpam adumbrares, ac crimina ea, quæ in te conferuntur, succideres, scitum revera, ne dicam malignum ac veteratorium, est hoc artificium. Si autem hoc eâ spe atque expectatione fecisti, tanquam judicio superior verè discessurus, in quadam profectò stultitia versaris. Neque enim ille ob ea convincetur, ob quæ tu jam juxta verum eorum, qui scripserunt, testimonium convictus es. *lib. 3. Epistola 348.*

Isidorus Pelusiotæ: Quandoquidem, ut à vobis scriptum est, Eusebius qui ad alios objurgandos, & ad falsa crimina objicienda, & confingendas absurdas reprehensiones calidissimus ac vehementissimus est, ipse quidem magis quàm quivis alius iis obnoxius est quæ insectatur: verùm per hoc artificium id se assecuturum putat, ut vitia sua obscura sint: id velim discat, solertiam suam stultitiam ipsi fore. Atque hoc ipsum maximè nos haudquaquam fugit, quòd dum id agit ac molitur, ut flagitia sua nos fugiant, magis deprehenditur atque irretitur. *lib. 3. Epist. 367.*

Synesius: Joannes (ait iste) Æmylium occidit: Alius verò hæc ab inimicis eius qui Rempubl. gerunt conficta esse dicit. Quamobrem rei quidem veritatem novit justitia tempusque deprehendet. Ego verò quamvis incerta adhuc res sit, omnes ad unum detestandos puto, illum quidem quoniam eiusmodi est, ut licet hoc non commiserit, at commissurus certè fuerit, nec abhorrentem à suis moribus criminationem sustineat: hos autem, vel si minimè confinxerint, quoniam erant confecturi, ac per commodè hoc ipsum illis facinus succedit. Nam cùm cujuspiam vitæ ratio ab aliqua suspicione diffidet, quamlibet multi conjurati testimonium dicant, nihilo magis probaverint. Veluti si quis stupri Ajacem insimulet, risu omnium obruatur. Alexander verò, ut cinædus non esset, at effeminatus erat, & ad hanc criminationem idoneus. Sisyphũ porro & Ulyssem odi, quod etsi aliquid veri dicerent; ejusmodi tamen essent, ut sæpè mentirentur. Ego verò in hac ipsa calamitate mea fortunatissimus sum, dum id genus inimicis atque amicis careo, & intercluſum mihi sit cum omnibus commercium, nec sit quicquam cum omnibus commercium. *Epistola quinquagesima.*

¶ Patrum Latinorum.

Chrysologus: Admittit, non prodit crimina, accusator insontis. *Sermone 175. m.*

Ennodius: Quæ malum ratio est, ut ita sis parcus in gratia, prodigus in querela; & exigas frequentiam literarum quam ipse non tribuis, viperinis oculis illud quod alter deliquit inspiciens; tuas culpas nulla falce resecando; *lib. 1. Epist. 24. p.*

Ennodius: Scriptum est in Carthaginensi Concilio, Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum; in quibus odio succensa vicinitas per nutrimenta arida flammam persecutionis exsuscitat, & universam doli fabricam, sumptu & machinis cohærentibus secreta dispositione componit. *Apolog. pro Synodo.*

Ennodius: Clamat Carthaginense Concilium, Quoscunque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiam submovemus. Et: Nullæ accusationes à judicibus audiantur Ecclesiasticis, quæ legibus sæculi prohibentur. *Apolog. pro Synodo.*

Ennodius: Liquido nocens est, qui innocentibus aut meritum culpabilis, aut nomen opponit. *Apolog. pro Synodo.*

Ennodius: In criminibus objectis, quod non excluditur, approbatur. *Apolog. pro Synod.*

¶ Principum Oratorumque Græcorum.

Phalaris: Tertiò jam nihil injuriarum à te mihi factum persuasum habe, quamvis graviora crimina per singulas accusationes conjeceris: attamen qualem te optabamus & æquum erat esse, talem fuisse cognovimus. Accusantium verò sermones fictos & falsos putavimus, quod veritatem inquirere de te verebamur. Verùm & hoc scias, non factam injuriam cùm fit crebra delatio, in ipsius fortunæ securitatem ab iis referri, qui ne ab ipsa damnum patiantur, metuunt. Quare curam adhibe, ut neq; teipsum neq; fortunãm nobis infestam reddas. Hoc etiam grave & injustum tibi videatur, non solùm quod persæpè à me, & per singulas injurias, beneficio affectus, non eadem nobis officia rependis. Ego enim non permittam ut à malitia, benignitas vincatur: verùm etiam quòd ne tibi quidem ipsi erga me benè mereri volentem æquus esse videberis. *Epist. 130.*

Iulianus Imp. Plato ait, Dignus est honore is qui nihil peccat: qui verò alios etiam deterret ab injuria, plus quàm duplici honore dignus est. Ille enim uni, hic pluribus dignitate par est, qui scelus [illegible] indicat magistratibus. At qui socium præterea se iis adhibuit puniendâ & coërcendâ injuriâ, hic magnus vir in civitate & perfectus est; hic victor in virtutis certamine pronuncietur. *In Misopog.*

Lysias: Ego autem vos scire existimo, quid Nicomachus ab inimicis meis persuasus, hanc mihi controversiam moverit; non quod speraret alicuius mei delicti fidem se vobis facturum, sed quod pecuniam à me accepturũ confideret. Quò enim magis sunt culpabiles, magisque periculorum rudes qui accusantur, eò magis ipsos virant, & quàm maximè fugiunt omnes. *cap. 9. orationis de sacræ oleæ trunco.*

Lysias: Cui injuriam & insidias, ut ipse ait, feci, hic totos quatuor annos non ausus fuit me in jus vocare, ob vulnera consultò illata. Ac, cùm alii continuò vindictam moliantur, si re quam adamârunt & appetiverunt, spolientur; hic multo tempore post idem facit. *cap. 11. Apologiæ in Simonem.*

Aristides Rhetor: Nec viri prudentis est, vel in cujuslibet civis criminationem esse propensum; nedum Niciæ, cui plurimùm à nobis benevolentiæ pro rebus gestis jure debetur. *Initio orationis prioris Siculæ.*

Simplicius: Et facile est & jucundum, & indoctis omninò dignum; culpam eorum quæ ipsi delinquunt, in alios conferre. *Ad cap. 10. Epicteti.*

Libanius: Restat igitur, Judices, sententia conveniens ira erga delicta: nam si vestræ partes defecerint, nihil profuerit oratio nostra: cùm debita accusatio sic demùm efficax esse soleat, si indignatio judicum accesserit: quæ si absit, nugæ illæ videantur. *Progymnasm. contra Homicidam.*

Libanius: Si quæ, ut flagitiosissima accusamus, hæc superare deprehendimur, in nosmetipsos illa nequiter moliemur. *Orat. Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Si quis, cùm quempiam detulit, mox seipso condemnato, persequi illum planè desistat: hoc majus est argumentum, quòd is qui delatione accusatus erat, minimè peccasset, quàm si judicum sententiâ insons & indemnis declaratus absolutusque esset. Nam suspicaretur aliquis, Judices, aut muneribus jus prodidisse aut sermonum fuco & calamistris deceptos: aut reum misericordiâ prosecutos esse. At verò qui detulerat, semetipso condemnato, judex ab omni suspicione liber efficitur, eo ipso quòd à delatione sua destitit. *Declamatione 31.*

Libanius: Præterea multi quoque Deorum irâ moti faciunt, per quæ ipsi sui accusatores declarantur, & iis eos qui in jus vocant, iis quas præbent aufi, trahunt; & plures nunc sic scelerum probationes faciunt, dum prioribus secunda judicia adjungunt. *Declamatione 33.*

Philostratus: Inimico pravum videri, nihil habet molestiæ. Inimici namq; oderunt, non ob ea, quæ cæteri palàm accusant, sed ob ea, in quibus privatim se læsos arbitrantur. Ab amico autem accusari tanquam pravum, multò molestius est, quàm omnia, quæ ab inimico accidere possunt: neque enim fieri potest, quin ipsis odiosus sit, propterea quod pravus esse judicetur. *libr. 7. Apollonii, capit. 10.*

¶ Romanorum.

Quintilianus senior: Rectè fecit legumlator, qui ita scripsit legem, ut non puniretur, si condemnasset. Quare? noluit accusatorem esse calumniatorem, noluit accusatorem dare aliquid odio. Alioqui scimus, multa vera quidem non esse, credibilia tamen esse. Accusator quid debet tibi? ut eum deferat adversus quem argumẽta habeat: adversus quem testes habeat: alioqui nocentem an innocentem qui scit? Ipsi Judices hoc non pronunciant: sed se ex animi sui sententia facere profitentur. Quis autem miratur, si ea res accusatorem decepit, quæ decipere judices potuit? Accusator cùm id efficit, ut reus damnandus videretur, reddidit rationem accusationis. Nullus autem tam inimicus legislator fuit, ut errorem accusatoris punire vellet. Oportet esse in civitate & accusatores: alioqui omnia mittũtur ad manus, omnia mittũtur ad ferrũ. Per se diffi-

cilẽ rationem vindictæ, & ultionẽ facimus. penè licentiã grassatoribus & latronibus damus, quod nemo accusare sine periculo capitis sui potest. Sed tamen adversus hæc illud remedium est, quod accusator cogitat quid objecturus sit. Si ne hoc quidem prodest, vidisse aliquid in accusatione, motum esse probabilibus argumentis, in totum judicia ista tollemus. Hunc autem habuisse quare accusaret, credite judicibus qui damnaverunt. Hic inimicus. quid illi qui cognoverunt ? quo vultis motos esse judices ut damnarent? Non enim moti sunt auctoritate ipsius accusatoris. Argumentis moti sunt: illis credimus. Testibus moti sunt: hos habebamus. Et mihi videtur ideò constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit: quoniam videbat legumlator posse fieri, ut deciperetur accusator. Itaq; ejus qui non damnasset, præsentem pœnam esse voluerunt. Nulla dilatio est. *Declamatione* 263.

Quintilianus senior: Cùm suspectus esset reus, boni erat civis accusare: neque aliter stare leges possunt, neque aliter civitas. *Declamatione* 313. *ante finem.*

Quintilianus senior: Si quis capitis accusaverit, & non damnaverit, ipse capite puniatur. Hoc, opinor, illi justissimi legis hujusce latores spectaverunt, ne quis impunè alteri periculum afferret. Homicidii genus putaverunt, petere spiritum hominis, quem occidi oporteret. Tu hoc feceisti: accusasti innocentem. Si tibi creditum esset, periturus erat is quem accusasti. Judices eodem tempore de te pronunciaverunt. Non potest omninò ista circumscribi religio & severitas judicii, ut non pœnam det pars utralibet. Hoc absoluto qui periturus fuit, continuò id quoque consequutum est, ut tibi esset pœna patienda. *Declamatione 331. m.*

Quintilianus: Quàm facili momento causæ fata vertuntúr! quod feciſſe etiam is scelus frequenter inventus est, qui objiciebat. *Declamatione* 1. §. 15. *f.*

Quintilianus: Non sum reus inexplorati pudoris, nec anteacta vitæ meæ sub hodierna primùm lite tractantur. Felicior innocentia est citra suspiciones, certior post reatus: & quantum infamiæ præstant, objecta dum mutant, tantundem auctoritatis absoluta restituunt. An scilicet superatus est gratia pater? & apud senes, apud parentes auctoritate prævalui? viderint qui calamitatibus suis sic blandiuntur, ut sibi adfuisse credant misericordiam, favorem. Filius à patre delatus, nunquam poterit superior esse, nisi causa. *Declamatione* 17.

Trajanus Imp. Sine auctore propositi libelli, nullo crimine, locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est. *inter Epistolas Plinij numero* 98. *lib.* 10.

Plinius junior: Rursus alter mihi: Quò ruis? quid audes? quibus te periculis objicis? quid præsentibus confidis incertus futurorum? Lacessis hominem jam præfectum ærarii, & brevi consulem; præterea quâ gratiâ, quibus amicitiis fultum: nominatque quendam qui tunc ad Orientem amplissimum exercitum non sine magnis dubiisq; rumoribus obtinebat. Ad hæc ego: Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi: nec recuso si ita casus tulerit, luere pœnas ob honestissimum factum, dum flagitiosissimum ulciscor. *lib. 9. epist. 13.*

Plinius junior: Quietus dixit, iniquissimum esse querelas dolentium excludi: ideóque Arriæ & Fauniæ jus querendi non auferendum: nec interesse cujus ordinis quis sit, sed quam causam habeat. Cornutus, datum se à Consulibus tutorem Helvidii filiæ, petentibus matre ejus & vitrico: nunc quoque non sustinere deserere officii sui partes; in quo tamen & suo dolori modum imponere, & optimarum fœminarum perferre modestissimum affectum: quas contentas esse admonere Senatum Publicii Certi cruentæ adulationis; & petere, si pœna flagitii manifestissimi remittatur, nota Certo quasi censoria inuratur. *lib. 9. epist. 13.*

Symmachus: Facilè accusatur desertus auxilio. *lib. 2. epist. 28.*

Symmachus: Ajunt qui callent Rhetoricam disciplinam, nihil esse controversiæ, ubi eadem partium jura sunt. Et *mox:* Ergò quia pares sumus, dulce colludium, ut cum altero neuter expostulet. Veniam, quam deberis, impetrabis. *lib. 3. epist. 5.*

Symmachus: Qui alteri culpæ ducit officii negligentiam, pollicetur de se operam promptiorem. Expostulatio igitur tua instar est sponsionis. Non meditabor nova verba, non excogitabo sententias. Si peccatum silendo contraxeris, tuis tantùm literis arguêris. *lib. 3. epist. 20. m.*

Symmachus: Silentium meum etiam ipse reprehenderem, si tuas literas aliquando sumpsissem. Itaq; in altero arguere non potes, quod à te commissum meministi. *lib. 5. epist. 84. pr.*

Symmachus: Provisum est, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, in se idem prius pœnæ sponsione vinciret. *lib.* 10. *epist. 63. pr.*

Idem: Supererat ut crimine non probato, in accusatorem formidata reis pœna transiret, &c. *ibidem, m.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Est quippe mos hic improbis, ut conferant
Causam suorum criminum in læsos, eis
Per ficta nocent ut magis mendacia,
In seq; jacta diluant sic crimina.

Plautus Bacch. 4. sc. 3. v. 15.

—— Perij! multa mala mihi in pectore
Nunc acria atq; acerba eveniunt. crimini n' me habuisse
Immeritò tibi iratus fui. (fidem!

Plautus Persa 1. sc. 2. v. 10.

Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi qui faciunt, mihi placent; planè loquor.
Nam publicæ rei causa quicunque id facit
Magis, quam sui quæsti, animus induci potest,
Eum esse civem, & fidelem, & bonum.
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium, atque etiam in eam legem adscribitor:
Vbi quadruplator quempiam injexit manum,
Vt aqua parti prodeant ad Tres viros.
Si id fiat, ne isti faxim nusquam appareant,
Qui heic albo rete aliena oppugnant bona.
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Vbi sunt magistratus, quos curare oporteat?

Plautus Truculento 1. sc. 2. v. 57.

Qui alterum incusat probri, eum ipsum intueri oportet.

¶ Apologorum.

Babrias Περὶ Λύκε καὶ Ἀρνός. fab. 35.

Λύκος πρὸς Ἀρνα φησὶν, ἃ πρὸ δεκαετίας σὺ μοι
Ὕδωρ πίνοντες; ἀρὴ γας ἐξέφω,
Καὶ πῶς ὕδωρ πίοιμι ἀγνοῶ ποτε.
Θοῖνη γένη μοι κἂν θέμις, κἂν μὴ θέμις.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τὰς ἀδίκως φανερῶς ἀδικουμένους.

De Lupo & Agno.

Lupus Agno inquit, Nonne dudum tu mihi
Aquam perturbasti? nuper ex ventre natus sum,
Et quomodo aquam perturbarim nescio quando.
Cœna mihi fies sive jure sive injuria.

Affabulatio.

Adversus eos, qui intrepidè palàm injurii sunt.

Naufragus & Mare.

Naufragus in littus ejectus præ labore dormiebat. paulò post excitatus, mari conviciabatur; accusans, quod aspectus comitate homines alliciens, ubi eos susceperit, absorbens disperdat. At illud, mulieri assimilatum, sic eum adfatur: Ne me, heus tu, accuses, sed ventos. Ego enim tali naturâ sum, quali me modò intueris. Hi verò improviso in me irruentes, fluctus excitant, & exacerbant.

Accusationis sui.

¶ Sacrorum Apophthegmatum Christianorum.

Theodoretus. Theodoretus dicebat, non solis accusatoribus credendum est, quamvis *digni videantur, quibus habenda* sit fides: sed auris altera reo servanda est. *Theodoretus Eccles. hist. lib. 1. cap. 33.*

Anachoreta Anonymus: Veluti proximus ad conversionem gradus est peccati agnitio; ita et jam sui de eodem Accusatio. Quare rogatus Anachoreta, quam potissimùm ad cœlum viâ inveniſſet, respondit: *Si se homo semper accuset. Doroth. doctr. 7.*

S. Antonius: Et hic ejusdem mentis: sciscitanti namq; cuidam, quámnam humani operis partem maximam existimaret; *Eam*, inquiebat, *quæ peccatum proprium in conspectu Dei ponit. Ibidem.*

Julianus Imperator: Cùm pro tribunali sederet aliquando, accusatus apud eum quidam peculatus, qui argumenta omnia in se contorta alacriter refutabat: dúmq; causidicus argumenti ac documentorum inopia percitus, diceret: Quis ullius criminis pœnas dabit, si reo inficias ire proderit? Julianus, *Ecquis*, ait, *insons erit, si accusatori crimine non probato habeatur fides? Zonaras tom. 3. Annal.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absurdissimum accusare nostro crimine alterum.
Accusare à quo accusaris, an non est defensio?
Accusare noli, ego q; cessabo defendere.
Accusasse intelligendus est qui nomen detulit.
Altero accusante reges suspectos premunt sibi.
Innocens queat quis esse, si accusasse sufficit?
Haud damnandus est è verbus accusantium reus.
Heu quam durum est accusare, ne in periculum incidas!
Improbum non accusari, quam dimitti, tutius.
Innocens, etsi accusatus, absolvi tamen potest.
Insimulatur innocens quidem, at nocens revincitur.
Intueri seipsum oportet, qui probri alterum arguit.
Ipse de quibus teneris accusare alium improbi est.
Iudicum indignatione vincit accusatio.
Ne quidem civem jugulare jure quisquam vult bonus.
Neminem defer, periculum si non è silentio est.

Nemo

Nemo adulteros accusat quàm cui temperantia est.
Nil magis dolet, accusator quàm si servus sit hero.
Nulla acerbior accusatio quàm quæ agitur silentio.
Observat papulas alienas plurimo ulcere obsitus.
Præstat omninò accusari quàm laudari ab improbis.
Quam miserum est, salutis ergo, rapere in jus innoxios!
Quem premit reum rex, multus accusator opprimit.
Quid facturus accusanti es, qui laudanti detrahis?
Quod times prodi, accusare, malitiæ genus novum est.
Rex reum facit raro ipse quempiam; aliis utitur.
Rex sibi invisos deferre clàm solet per tertium.
Sapè nil reo æquè prodest, quàm accusator impotens.
Si non antea accusatur, damnari nequit nocens.
Tutius non accusare malitiam, quàm absolvere.
Tutius non accusare quàm dimittere improbum.
Vera etiam mihi contra fratrem displicet accusatio.

¶ Jambica.

Damnat reum sua vita, haud accusatio.
Minus negant, quàm arguenti creditur.
Nocens nisi accusatus obrui haud potest.
Patrare noli in altero quod carpseris.
Quisquis sibi se excusat, accusat Deo.
Quisquis sibi se accusat, excusat Deo.
Vel nomine ipso odiosa est accusatio.
Verbis iniquè accuses, ipse quæ facis.
Verbo sat est negare qui verbo arguit.
Vitia animi culpes; naturæ excuses.

Requirantur plura titulo *Iudicij, Advocati, Rei, Defensionis.*

Aciei.

¶ Sententiæ Patrvm.

Dio. *Chrysostomus*: Nihil ad superandum & expugnandũ tam faciles facit in tentationibus, quàm esse divulsos ac divisos. Nam dic quæso, disrũpe ac divide aciẽ in bello; & ne labore quidẽ opus habebũt inimici, sed eos vinctos capient separatim inventos, & ea ratione imbecilliores. *Homil. 30. Epist. ad Hebræos.*

¶ Philosophorvm Principúmqve.

Xenophon: Postquam muros contemplatus esset, ab urbe copias abducere parabat: quum transfuga quidam ex urbe egressus, ait Babylonios ipsum adoriri velle, quãdo copias abducturus esset. Nam de muro phalangem hanc despectantibus, inquit, visa est imbecilla esse: quod quidem ita se habuisse, mirum non erat. Quia enim murum amplum circumdarent, necesse erat phalangem ad exiguã densitatem redigi. Quæ Cyrus quum audisset, stans in medio exercitus sui cum iis, quos circum se habebat, præcepit, ut gravis armaturæ milites ab utrâq; extremitate phalangem explicantes abirent, propter eam partem exercitus, quæ subsisteret: donec utraq; extremitas ad se, atq; ad medium perveniret. Id quum facerent, tum iis, qui subsistebant, fiducia quædam accedebat, quod duplicata jam esset aciei densitas: tum illis quoq; confidentia similiter augebatur, qui abscedebant. Mox enim illi, qui subsistebant, propè ab hostibus aberant. Quum autem progrediendo extremitates utrimq; conjunxissent, constitêre jam facti firmiores, tùm qui abscesserãt, propter anteriores: tùm anteriores, propter eos, qui à tergo accesserant. Hoc modo explicata phalange, necesse est primos & ultimos fortissimos esse: ignavissimos in medio collocari: quæ quidẽ acies & ad dimicandum, & ad prohibendam fugam instructa commodè videbatur. Præterea equites, & armatura levis, à cornibus semper eò propiùs ad Imperatorẽ accedebant, quò phalanx duplicata densior efficiebatur. Hoc modo per cohortes conglobati, pedetentim inde recedebant, quò tela de muro pertinebant. Quum extra telorum ictus essent, converterunt sese: ac primùm quidem modicos passus progressi, statum mutabant clupeum versus, atque ita consistebant, ut murum intuerentur. Quantò autem longiùs abscederent, tantò rariùs fiebat muratio. Posteaquam in tuto sibi esse videbantur, conferti recedebant, donec ad tabernacula pervenirent. *cap. 26. lib. 7. Cyrop.*

Onosander: Multipliciter & variè instruitur acies. Nam armaturæ, militum, locorum, copiarumque hostilium habenda ratio est. Et varias hujusmodi rationes, ut occasio exigere videbitur, experiri sciet Imperator. Quæ verò absque rerum singularum inspectione multis ordinum dispositionibus convenire poterunt, ea summatim deinceps persequor.

Copias equestres Imperator non pro arbitrio suo, sed ut necessitas coget, ordinabit, & hostium equitatu inspecto, suos equites contrà constituet.

Eo autem modo disponat, quo instrui solet pugna in cornu, ut & à fronte, & à latere pugnare possint, in ampliore loci spacio expeditiores, & ut cæteri qui hos subsequentur, equestri arte uti commodè valeant.

Levis armaturæ milites, jaculatores, sagittarios, & funditores, in primo agminum ordine collocabit. Nam si à tergo illi subsistant, plus damni suis, quàm hostibus, inferent; si in medio, inefficax & nihil erit tota illorum industria: nec recessim cedere poterunt, ut contentis viribus jacula certiùs vibrent: aut si procurrendo conjicere velint, præcedentes socij impedimento erunt: funditores verò, nec fundam rotare, nec verbera explicare poterunt, tot sociis militibus hinc illinc adstantibus, qui fortè in telorũ turbines ipsi quoq; incurrent. Sagittarii quidem ante alios dispositi, in hostiũ corpora velut in scopum, jacula sua dirigent. At si in postremâ, aut mediâ acie sint, in sublime jaculabuntur, adeoque sursum quidem summâ vi spicula emittent, sed statim in hostium capita remissè quasi jam confutato impetu, decident, nec graviter lædent.

Si fortè armis decernendum sit in locis, modò per plana depressis, modò collis instar adsurgentibus, tunc maximè Imperator levem armaturam in locis asperis collocet. At si ipse planiciem occupaverit, & aliquot ex hostilibus copiis in arduis locis constiterint, velites erumpere jubeat. Nam faciliùs isti conjectis telis secedere poterunt, & si agiles sint, expeditissimè in colles ipsos procurrent.

Interjiciantur inter ordines quoq; intervalla quædam, ut si missilibus conjiciendo absumptis, nihilominùs hostes urgeant, priúsquam manus conferant, possint velites objecto medio agmine, cõpositè cõversi, absq; tumultũ, ad postremos sese recipere. Nec enim totum exercitũ tutò circumire, aut in cornua curvari possent. Nam subitò eos adversarii pugnâ commissâ anteverterent, mediosque ita includerent, ut demissis militibus vim inferre nequirent; sed potiùs in propria arma impulsi ordines conturbarent, alio in alium incurrente. Levium autem armorum transversi in cornua impetus, non levem hostibus perniciem adferunt: jacula enim è lateribus conjiciunt, & hostium corpora, quâ nuda sunt, feriunt. Sed inter illa arma fundæ pugna præcipua est. Nam plumbei globuli, ob consimilem aeri colorem, fundis emissi, oculos fallunt, & improvisi in hostes incautos decidunt, eosque gravi lapsu vehementer affligunt. Telum enim fervido stridore in aere agitatum, ignescit, & alto inflicto vulnere, in carnem ita penetrat, ut conspici nequeat, tumore vulneris connivente. *capp. 15. 16. & seqq. Strategici.*

Idem: Si levis armaturæ subsidio Imp. deficietur, eoque hostes polleant, tunc primi denso agmine consistant, clypeosq; habeant, ad humanæ staturæ modum oblongos, quibus totum factilè corpus obtegatur: & quotquot deinceps usq; ad postremos erunt, clypeos hujusmodi supra caput extendant, quàmdiu intra telorum jactum manebunt. Sic enim quasi imbricibus tecti, nihil ab telis damni perpetientur. Sin utrique exercitui præstò sint velites, primi, antequam ad manus tota acies veniat, conjectis eminùs telis inter sese decertent, aut in ipso agminum congressu hostium latera petentes, telis suis utantur. Hujusmodi enim concertationibus compellent eos in angustum, nec sine magno tumultu.

Imp. etsi ne ab hostibus circumveniatur maximè cavere cupiat, non ideo tamen in tantam latitudinẽ, phalangem extendat, ut imbecillis omninò tenuisque sit. Hanc enim citò perrumpere inciperent hostes, viamq; sibi vi facerent: nec jam cornua circumdare, sed disjectis mediis copiis, terga adversariorum opprimere tentarent. Istam verò cladem non solùm curet evitare, sed etiam conetur inferre, si invalidam & exilem esse animadvertat hostium phalangem. Sed nec etiam postremos ordines in multam densitatem ita contrahat, ut facilè circumvenientibus hostibus intercipi possint. Imò eos, qui agminis caudam, & cornuum latera tutabuntur, non minùs obfirmet, quàm si in primâ acie primi consisterent. Nec enim minùs qui in postremis ordinibus sunt, circumvenientes hostes dissipant, quàm qui ad cornua extenduntur, si quidem Imperator futura mente præcipiens, aut ultimum agmen explicare voluerit, & insuper phalangis cornua utrinque promovere, ita ut postremi adversus hostium frontem consistãt: aut jusserit, ut si jam fortè ab hostibus circumventi sint, ob terga præcedentium terga obvertant sua, pugnaq; decertent ancipiti. Solers quidem ille censebitur, qui permultos hostes cernens, exiguâ manu periclitaturus, operam dedit, eligendis obtinendisque iis locis, in quibus propter amnicum supercilium acie instructâ, montium ipsorum auxilio, cornua includere volentes excludat; paucis in eminentioribus jugis collocatis, ad hostes arcendos, ne ascendere, & supra militum suorum capita esse possint.

Ad hæc autem negotia, non solùm Imperatoris prudentia valdè confert, sed etiam Fortuna. Talia enim loca fortuita esse necesse est, nec Imperator ea pro arbitrio præparare potest. Erit tamen ejus considerare quænam meliora & commodiora erunt. Etenim qui ingentes numero ducunt exercitus, sæpè acie in lunæ figuram instructâ progredi solent, rati fore, ut hostes quasi provocati, pugnâ, ita ut vir virum legat, implicatâ, decertent; & hoc modo semicirculari progressu sensim curvato, ambobus cornibus mutuâ conjunctione in circulum coeuntibus, circumscripti teneantur. Sed contra hunc dolum pari figurâ non eundum erit; imò tres in partes tribuendæ copiæ, ac duas quidem Imperator hinc illinc hostiũ cornibus objiciet; tertiam verò in lunarum eorum sinum immit-

tet,& contrà ſtando firmiter obnixo gradu urgebit. Undè fiet,ut ſi in circulari figurâ permanſerint, qui in mediâ phalange erunt, nihil agant: aut ſi accedendo ad interiora progredi turmatim voluerint, & ſemicirculum rectâ extendere, ſeſe tum invicem elidant, & ordines diſſolvant. Fieri enim nequit, ut manentibus ſuo loco militibus,pugnantibuſque in cornu, dimidiatus ille circulus, in rectâ ſeriem perveniat. Itaque conturbatis disjectisque ordinibus tertiâ & ſubſidiariâ ſuorum diviſione, irruptionem faciat in eos, qui de medio illo fornice in anteriora tumultuariè ferentur. Sin curvati & fornicati conſiſtant, iis velites & ferentarios opponat; miſſilibus enim nec leviter affligentur. Benè etiam Imperatori ſuccedet, ſi toto agmine obliquo, limis ictibus, hoſtilem utramque lunati exercitus partem feriat: ſic enim hoſtes dum manum totis copiis conſerere diu prohibentur, paulatim, altero tantùm cornu depugnante,comprimuntur; primi quoque neceſſariò pugnæ ſeſe immiſcebunt,obliquo & tranſverſo impetu coacti. Nec etiam de nilo erit,ex adverſo inſtructâ acie, pedem ſenſim quaſi metus causâ referre,aut converſis ordinibus fugæ ſpeciem recedendo exhibere, & mox quaſi reparatâ fronte, inſiſtentibus hoſtibus obſiſtere. Interdum enim illi præ gaudio veram eſſe fugam rati, ſolutis ordinibus adverſarios urgent, ac turbidè alii ante alios procurrunt, quibuſcum tunc decertare minimè periculoſum eſt. Illi enim,reſiſtentibus præter ſpem adverſariis, perterriti,fugam ſtatim facient, qui alios olim inſequebantur. *cap.* 20. & 21.

Idem Onoſander: Det operam Imp. ut ſelecti aliquot milites ſeorſim extra agmen clanculùm collocati, tanquam ſubſidiarii, inclinantem exercitus partem, prompti illico paratique ope ſuâ erigant. Atque aliàs etiam non parùm juvabunt, qui integris viribus adorientur feſſos. Nam & ſuos ſimul jam fatigatos recreabunt, & hoſtes jam fractos ac languidos alacres ipſi urgebunt. Hinc etiam major exiſtet utilitas,ſi quanto Imperatori videbitur ſpacio,remotæ ab exercitu copiæ aliquot clàm hoſtibus relinquantur, ut commiſſo jam prælio,id quod à ſpeculatoribus facilè renunciabitur, erumpant, inque hoſtes totis viribus impetum faciant. Quod tùm maximè uſurpandum erit, cùm ſperata auxilia per tempus nõ ſubvenient. Hoſtes enim rati auxiliares iſtas adverſariis copias adveniſſe, fortè an priùs ſe in fugam conjicient,quàm immiſcuerit ſeſe acies; majorem hoſtium,quàm revera ſit,multitudinem adventare exiſtimantes. Ac præſertim quidem ſi improviſi appareant hoſtes, adverſariorũ animi percelluntur. Suſpicantur enim gravius quidpiam ſe perpeſſuros, proindéque terribiliora ſibi ventura pericula proponunt. Omninò autem terrificum erit, repentinâ in eos à tergo irruptione ferri: &, ſi fieri poſſit, noctu cohortes aliquot præmittere, ut circumdatis hoſtium copiis à tergo conſiſtant, & manè pugnâ jam commiſsâ,ex inſidiis poſtremum hoſtium agmen adoriantur. Ita enim ne in fugâ quidem ſpes ulla ſalutis illis ſupererit, qui nec retrò ſe convertere poterunt, propter oppugnantes ex adverſo; neq; in adverſos hoſtes ire, propter eos qui terga urgebunt ac premunt. *cap.* 22. *Strategici.*

Idem: Eſt etiam prudentis Imperatoris,ordines ita diſponere,ut fratres cum fratribus,amici cum amicis unà ſint. Quum enim,qui in diſcrimine verſatur,proximus illi eſt,à quo diligitur, tunc neceſſariò evenit, amicum pro amici ſalute audaciùs depugnare. Pudet quippe gratiam benè merenti non referre; & ſocius ſocium deſerendo,ſi prior in fugâ eſſe videatur,erubeſcit. *cap.* 24. *Strategici.*

Onoſander: Imp. milites ſuos, & pedem referre, & hoſtes perſequi ordine ſemper ſervato, jubeat, ut non ſingillatim diſperſi, in hoſtium manus incidentes, dum fortè fugient, minore clade premantur; & ſi rem benè feliciterq; gerant, integris ſemper ordinibus ac manipulis,majorem hoſtibus perniciem inferant, & fortiores exiſtimentur, ſintque reipſa tutiores. Nam plerumque terga vertentes hoſtes,cùm adverſarios paſſim,nulloq; ordine inſequentes vident,conſpirantibus mutatisq; animis, ordines ſuos repetunt ac reparãt,rurſusq; converſi impetum acriter urgendo faciunt. Scilicet fatentur experti, melius tutiuſq; nihil eſſe, quàm ordines ſervare,nihil contrà pejus & periculoſius,quàm ſolvere. *cap.* 27.

Leo Imperator: Deinceps jam de diverſo ſtudio acierum inſtruendarum,quibus alię nationes,& quibus Romani Imperatores initio utebantur, verba faciemus,ut iis cognitis, non modò ſi opus ſit, uti poſſis,ſed alia quædam præterea excogites. Solertia enim imperatoria ubi occaſionem rerum gerendarum ceperit, non in iis ſolùm quæ inventa ſunt,conſiſtit,ſed etiam multò plura ac ſæpè meliora excogitat.

2 Aſſidua enim aliqua bellicorum motuum exercitatio, utilitatem permagnam militi apportat: ſed ea hoſtibus facilè indicatur, vel per hoſtium ſpeculatores, vel per transfugas qui ad hoſtes defecerunt. Itaq; ſæpè alia excogitata benè atq; exercitata aſtutia,irrita nulliusque momenti eſt.

3 Quæ à nobis in capite de exercendis militibus commemorata eſt exercitatio, ea quoniam ſimplex eſt, & ad univerſam aciem accommodari poteſt, neq; facilè efferri hoſtibus aut divulgari poteſt,ſatis eſſe militibus idonea & accommodata poteſt.

4 Sinaliqua opportunitas interveniat ad exercitationem agitationemq; militum majorem ſuſcipiendam, diverſis form's exercitationibusque turmas,cohortes milliarias, reliquasque cohortes agitabis, tùm iis quæ ad uſum neceſſariæ ſunt, tùm iis quæ ſupervacaneæ ſunt: quæ quanquam omni tempore neceſſariæ non ſint, interdum tamen utiles eſſe ſolent.

5 Unicuiq; aciei exercitationiq; certa quedã nõta adhibeatur, ut qui in quotidiano bellicorũ motuũ uſu milites ſunt, uniuſcujuſq; aciei differentiã cognoſcãt, neq; quaſi peregrini aut hoſpites ignorent, quando aliquid illis agendum præcipitur, quænam potiſſimùm aciei forma ipſo belli tempore ab Imperatore præſcribatur.

6 Forma differentiæ acierũ triplex eſt,una utilis, quâ etiã Romani uti conſueverũt. Ea eſt,quæ cohortes ſuas confuſe inſtructas, & non in proclaſtas, id eſt, curſores, aut vindices,id eſt,defenſores diviſa eſt,ſed omnes cohortes ſimul inſtructas,neque in tres aut in duas partes diſtributas habet. Quâ in parte duobus cornibus,quaſi ad circumcludendos alios,ſatis juſtũ ſpatiũ capiẽtibus, & ad ſe mutuò iterum reclinantibus, dextrum cornu exterius, ſiniſtrum autẽ interius orbiculatim contrariam inter ſe profectionem obambulent. Quâ formâ menſe Martio equites inter ludendum utebantur.

7 Alia forma eſt, quando in acie curſores & defenſores inſtruũtur: cúmq; hæ partes diviſæ ducentos aut quadringentos contineant, longo intervallo à ſe diſtent, & intermovendum velut facto agmine curſores ad inſequendos alios exeant, deinde redeant, interdum quidem per opportuna loca eò dilabantur, & ſimul cum defenſoribus adverſum hoſtes procedant, interdum per eadem ſpatia redeant, & in extremis oris duarum partium ijdem appareant, qui antè in illis collocabantur.

8 Alia forma eſt,quando una quædam acies inſtruitur,& media pars in defenſores,reliquæ partes in curſores conferuntur: deinde excurſio quædam quaſi ad inſequẽdos alios fiat,& media pars quaſi defenſores conſequatur, reliquæ partes utrinq; quaſi curſores exeant,tùm in redeundo una pars cunctatur,& tardar foris, altera quaſi facto agmine cedit ad defenſores, & rurſus procedente jam ea quæ conſtitit defenſores verſus, altera in occurſum illius currens per unam partem tranſit,atque hoc modo una pars alteri ex adverſo eſſe invenitur,cùm ſeipſas non pellant.

9 Alia quædam forma eſt huic omninò contraria,quæ mediam partẽ curſores habet, reliquas utrinq; partes ad defenſores cõferat.

10 Conſueta hæc Romanis acies adverſus omnes nationes utilis & cõmoda eſſe videtur, quando acies in propugnatores & ſubſidiarios,id eſt,curſores & defenſores, lateranos & corniſtites,tergiſtites & inſidias dividitur, quemadmodum ſuprà à me commemoratum eſt.

11 Hæ exercitationes ſic ſuſcipiendæ ſunt, ut ne hoſtium notæ pervagarãque fiant. Prima igitur acies inſtructa, ſecundam ſimul ſecum aciem non habeat,ſed ſeipſam ſolam, ſine lateranis & corniſtitibus, ſine tergiſtitibus & inſidiis, quæ exercitatio maximè ſimplex neceſſaria videtur: & vice ſecundæ aciei,mediocriter intervallo interjecto,paucos quoſdam equites à tergo conſtitutos habeant, ad quos ſe recipere diſcant. Similiter ſeparatim ſecundam aciẽ inſtrues,& paucos antè equites collocabis, ut diſcat ſecunda acies eos fugientes idoneè recipere. Poſſunt etiam laterani & corniſtites ſuã quandam ante bellum habere exercitationem, ut hoc modo univerſus exercitus omnes ad motus aſſuefiat: hi tamen minimè hoſtibus aut cæteris palàm fiant. Hoc fiet,ſi corniſtites,id eſt,qui dextram in partem ad circumcludendos hoſtes collocantur, ſive à latere æqualiter cum fronte aciei inſtruantur,ubi occaſio cornu tranſeũdi ad includendos hoſtes eſt,ad haſtam declinantes, deinde univerſum ſpatium quantum neceſſitas poſtulat inambulantes, directè iterum in acie moveant, & hoſtium aciem intercludere conentur.

12 Rurſus laterani ad ſiniſtram partem inſtructi,& ad ſcuta declinantes,& illud quod opus eſt ſpatium ambulantes,rurſus directè procedant,& conentur corniſtitum adverſo cornu exæquari.

13 Has tibi Imperator acierum differentias idcircò explicuimus,ut opportuno tempore aſſuefiat iſtis exercitus tuus, & majorẽ bellicorum motuum peritiam habeas, ut multis neceſſariis rebus ſæpè circumſtantibus,utilis horum uſus interdum inveniatur.

14 Alias autem diverſas acierum formas quæ abs te ad tui exercitus apparitionem, vel ad hoſtium expugnationem ſuſcipiendæ ſunt,tibi explicuimus,quas à diverſis nationibus Romani ad uſum ſuum acceperunt,ut eas idoneis temporibus poſſis ad utilitatem tuam uſurpare, interdum etiam hoſtibus iſtis utentibus, adverſus illorum molitiones aliquid contrarium excogitare.

15 Neque verò tu Imperator ſolùm bonus & amans patriæ, & ad propugnandam Chriſtianorum fidem viram profundere, ſi ita uſus ferat, paratus ſis, ſed & omnes præfectos tuos & ſingulos milites ſic tractabis, ut qui tales ſint, hoc in ſtatu permaneant: qui non ſint, induſtriâ ſtudióque tuo adducti, hujuſmodi virtutes non negligant,ſed ſive amore,ſive timore impulſi, patriæ amantes & præfectis obedientes ſint.

16 Sint laborum patientes, & ad bellum pro patriâ ſuſcipiendum parati.

17 Tu verò hoc eodem cum illis animo ſis, & prudentiâ quadam imperatoriâ, non temeritate aut audaciâ res tuas adminiſtrea, atque aciem militum inſtruas.

18 Aſſuefiant omnes qui propter CHRISTUM JESUM Dominum noſtrum,& cognatorum,amicorum,patriæ,& univerſæ Chriſtianæ plebis bellum ſuſcipiunt, facilè ſitis turbulentiam, famis inediam,

inediã, frigorũ calorumq; appulsus tolerare, & omnes ingraveſcentes rerum perturbationes æquo animo ſuſtinere. namq; eſt horum laborum officiorumque veſtrorum repoſita apud Deum merces, & apud nos quoque remuneratio. Quanquam etiam nos veſtri causâ ſoliciti ſæpè ſumus, & in veſtris ærumnis ſimul earundem miſeriarum participes ſumus.

19 Si aliquid adverſum hoc tempore contingat, ita te para, ut ab hoſtibus occultetur, & in rebus afflictis circumſtantibus conſtãti altóque animo eſſe videaris, & contrarium potiùs demonſtres, te hilarem vacuumque à cura eſſe.

20 Quædam enim nationes, in quibus Perſæ fuerant, cùm adverſus Romanos pugnabant, atque in aliquod periculum inciderent, ne ſalutem quidem quam exoptabant ſibi ipſis proponere volebant, ſed eam ab hoſtibus propoſitam accipiebant: tanta erat in iſtis malorum ac gravium rerum perpeſſio.

21 Ut verò quæ antè demonſtrata ſunt paucis repetamus, exercitum tuum armis teges ad formam à me antè deſcriptam. In primis autem arcubus ſagittiſque plurimis. magna enim arma atque efficacia ſunt ſagittæ, & præcipuè contra Saracenos ac Turcas, quoniam ſpes omnis victoriæ illorum in ſagittis ponitur.

22 Etenim ad ſagittarios illorum feriendos valent, qui nudantur cùm ſagittas jaciunt. Sed etiam ad equos equitum vulnerandos magnopere valent ſagittæ à noſtris hominibus emiſſæ, multumq; damni inimicis inferunt, optimis equis continuâ ſagittarum conjectione trucidatis: qua ex re omnis Saracenorum ſtrenuorum alacritas in bello concidit.

23 Non enim ſervitute & militia ulla, ſed lucri & libertatis cupiditate, vel potiùs prædandi ſtudio; & ſuæ ipſorum fidei aut infidelitatis potiùs religione quadam, qua de cauſa mala patiuntur à nobis, & Deum putantur hoſtem habere, & offenſionem injectam non poſſe ſuſtinere.

24 Quando ad bellum procedis, extra foſſatum firmum ne caſtra ponas, ſi vel intra vel prope hoſtilem terram fueris. Quando verò bellum jam inſtat, foſſam undique ducito ad valli formam, reliquáque præſidia omnia adhibeto, ut eò confugere poſſis, ſi aliquid adverſum in bello cadat.

25 Demonſtrabo etiam quemadmodum oratione potero, reliquas in bello acierum inſtruendarum formas.

26 Eſt quædam etiam aciei forma in tres æquales partes in bello diviſa, cuius ſuprà mentionem feci, mediam, dextram, & ſiniſtram. In media parte habet quadringentorum aut quingentorum virorum multitudinem. Altitudo hujus aciei nullam certam menſuram habet, ſed equites unaquaque in cohorte tùm prima tùm ſecunda in acie collocantur, & aciei frons æqualis denſataq; eſt. Apparatum & tuldum à tergo aciei inſtructæ habet. Quòd ſi tempore prælii, qui ita aciem inſtructam habet, hoſtes habeat haſtatos, in difficilibus aſperisq; locis aciem ſuam inſtruat, ac ſagittariis quamplurimis utatur, ut locorum difficultate diſperſi diſſipatique non facilè aut liberè impetus haſtarum valere poſſint.

27 Quòd ſi intelligat adverſum nationem bellicoſam pugnandum eſſe, non modò ante diem belli differat & rejiciat prælium, quantum poteſt, ſi illos in bello fortiores valentioresq; ſe eſſe putet, ſed etiam in tuto firmóque loco ſecurè caſtra ponat.

28 Ipſo quoq; die belli, ſi æſtas potiſſimùm fuerit, ipſo diei fervore bellum differas, & in ipſo veſperæ calore cum illo confligas, ut Solis ardore & temporis ipſius æſtu, audacia ferociáque illorum reprimatur.

29 Huic formæ quam ſuprà deſcripſimus, opponitur pedeſtris acies diligenter inſtructa, & locus æquabilis atque expoſitus, propter haſtarum impetum & conflictationem cominus & conſertis manibus habitam, & ſine ulla intermiſſione: quia inutiles cominus conjectiones ſagittarum fiunt, & ſagittarii neq; haſtas neq; ſcuta habent.

30 Si in prælio commiſſo depulſio depreſſióque fiat, & in fugam convertantur, magnopere ex eo lædentur, niſi ſubitæ converſionis & invaſionis iterum in hoſtes repellentes artificium habeãt.

31 Incurſiones autem & circumventiones per corniſtites à lateribus atque à tergo factæ valdè eos lædent, niſi in acie lateranos egregios habeant, qui magnam incurſionem repellere poſſunt.

32 Atque ideo, quemadmodum diximus, in talibus prælijs & aciebus inſtruendis, loca æquabilia, expoſita & plana eligẽda ſunt, quæ neq; paludes, neq; foſſas, neq; arbuſta habeant, ut ne acies diſſipetur.

33 Parato jam inſtructóque exercitu, & ad præliandum in die belli converſo, ne conflictationem ipſam differas, ſi tibi decretum eſt eo die prælium committere.

34 Conflictationes ipſas vel proceſſus ad confligendum, pro ratione ſagittarum æquales, denſas & celeres facere oportet, ut ne rarditate procedendi, continuæ & plures ſagittarum conjectiones tùm milites tùm equos magis vulnerent.

35 Sin aliqua neceſſitas urgeat ut difficiliore in loco prælium committatur, haud abs re fuerit quoſdam pedeſtri in acie collocare, quoſdam ex equis, ut ne omnes cum equitibus, in hac locorum inæqualitate admiſceamus.

36 Haſtarum autem adverſus ſagittas dimicationes, ſi inæqualia præruptáque loca fuerint, magnas offenſiones in bello accipiunt, atque ad confligendum impediunt: itaque planis expoſitisque locis haſtati ad dimicandum egent.

37 Sin ſe ad bellandum cum hoſtibus minus habilem eſſe Imperator intellexerit, non publicis prælijs cum eo conflictari, ſed incurſionibus & impreſſionibus nec opinatis, & locorum opportunitate ad furtivas inſidias & aggreſſiones hoſtium utatur: neque cauſa cur bellum differatur, vel ſuis vel hoſtibus patefiat, ut ne ex eo hoſtes animentur ad prælium, tui à prælio abſtrahantur.

38 Revolutiones, id eſt, converſiones & reverſiones in diſceſſionibus, non manifeſtè atque ex adverſo hoſtium fiant, ſed ad latus ſe aliquando convertant, atq; iterum à tergo illos intercipiant. quidam enim ex hoſtibus, ut Perſæ, cùm aciem diſſolvere nolint, facilè terga ſua objiciunt iis qui contra eos converſi ſunt, & quaſi fugiendo pugnant.

39 Nam qui diſcedunt & ſubterfugiunt, ſi converſi voluerint ex adverſo hoſtium ſe objicere illis, magnopere læduntur ſi in illos inſtructos incidant.

40 Turcæ fugientes hoſtes confuſè inſequũtur, unde facillimè læduntur ſi qui fugæ ſe mandant, ſine aciei ſuæ perturbatione faciant, & rurſum cãdè cũ ordinis cõſervatione in illos iterũ invadant.

41 Aliæ nationes permultæ, ordinatæ atque inſtructæ fugientes inſequuntur: itaque minimè oportet coràm atque ex adverſo in illos converti, ſed ad latus atq; à tergo, quemadmodum memoravi, incurſionem facere.

42 Quoniam Turcarum mentionem fecimus, haud abs re fuerit univerſam illorum aciem, & quemadmodum adverſum illos noſtra acies inſtruenda ſit, explicare. Hoc enim experientia tenebamus, cùm Bulgari induciis violatis, Thracum regionem populabantur. Bulgaros enim ultio divina, propter hoc perjurium, in Chriſti Dei noſtri & totius univerſitatis regis nomine admiſſum, juſto ſupplicio coercuit. Nam cùm noſtræ copiæ adverſus Saracenos occupatæ eſſent, Turcas divina providentia adverſum eos Romanorum vice armavit, claſſe noſtra Iſtrum tranſmittente atq; illos adjuvante, & Bulgarorum contra Chriſtianos armatum exercitum tribus prælijs fuderunt, divinitùs ad hoc ut videtur miſſi, ne Romani Chriſtiani Bulgarorum Chriſtianorum ſanguine inquinarentur.

43 Scythicæ nationes unam habent aciei apparatusque formam, quamvis diverſorum hominum imperijs ſubjiciantur, & ad negotia faceſſenda incitati. Paſtionibus pecorum vitam tranſmittunt. Solæ autem Bulgarorum & Turcarũ nationes ſimiliter acies ſuas in bello inſtruunt, reliquis Scythis longè melius ac fortius ordinati & unius imperio obedientes bella gerunt.

44 Sed quoniam Bulgari pacem in Chriſto amplectuntur, & fidem in Chriſto cum Romanis communicant, quoniam Deus illos propter inducíarum violatarum perjurium ulciſcebatur, nolumus ulla conſilia imperatoria adhibere, & adverſus illos noſmet armare: itaq; neque illorum contra nos aciem, neque noſtram adverſum illos, cùm unâ in fide quaſi fratres jungamur, apparationem demonſtrare, nuncq; potiſſimùm cùm jam ſe noſtro imperio adminiſtrationique, quemadmodum optavimus, ſe ſubmittunt.

45 De Turcarum forma parùm aut nihil à Bulgaris differente jam dicamus. Populoſa ac libera hæc natio eſt, reliquarum rerum quæ ſunt in hominibus ſplendida, minorem curam habentes: in eo ſolùm laborantes, ut in confligendo cum hoſtibus fortes ſint atq; habeantur.

46 Hæc igitur natio ſub unius dominatu cùm ſit, graves acerbasq; pœnas dat præfecti ſuis, ſi ullius delicti teneantur: neq; amore, ſed timore ab improbitate coërcetur, & labores atque ærumnas omnes ſtrenuè perfert: ad calores & frigora toleranda ſatis paratur: reliquarum rerum egeſtatem, quemadmodum reliqui qui Nomades ſunt, id eſt, paſtionibus pecudum ſe totos tradiderunt, æquo animo perpetiuntur.

47 Laborioſum admodum genus Turcarum eſt, & tectum in conſiliis atque occultum, neque ſociale, neque fidum, pecuniarum cupiditate inexplebile, jurisjurandi contemnens, fœdifragum: donis haud contineri poteſt. Nam penè priúſquam dona acceperint, inſidias moliuntur, & induciarum violationem.

48 Temporum opportunitatem diligentiſſimè perſequuntur. neque manu & viribus tantum contendunt, quantum dolis & ſubitis incurſionibus, & rerum neceſſariarum intercluſione, hoſtes adoriuntur.

49 Armantur gladijs, haſtis, ſagittis, galeis. Unde in prælio duplicia arma complures ex illis geſtant: humeris haſtas ferunt, & manibus arcum tenent, & ſi quando uſus poſcit utriſque utuntur: ubi verò alij eos inſequuntur, arcu magis valent.

50 Nec verò ſoli illi arma geſtant, ſed equi etiam ſpectatorum virorum cenduclo aut ferrò anteriora tegunt.

51 Multũ operæ collocãt in ſtudio ſagittarũ ex equis jaciendarũ.

52 Beſtiarum multitudinẽ ſecum habent, equarũ, jumentorũq; aliorũ, tùm ad lac bibendum, tùm propter opinionẽ multitudinis.

53 Caſtra ponunt non in foſſato quemadmodum Romani, ſed uſque ad belli diem, per cognationes & tribus diſperguntur. Equos aſſiduè tùm hyeme tùm æſtate alunt. Belli autem tempore neceſſarios ad uſum equos retinent, & propè Turcica tentoria pedicis injectis tenent, atque uſque ad ipſius prælii tempus conſervant.

54 Excubias eminùs collocatas habent, sed ita crebras, ut non facilè subitis impressionibus opprimi possint.

55 In prælio, ut Romani faciunt, aciem suam in tres non dividunt, sed diversis in partibus drungisti simul & confertim inter se adjuncti, partes ita parùm inter se distantes habent, ut una videatur esse acies.

56 Præter aciem instructam, copias quasdam præterea habent, quas vel ad insidias mittunt adversum eos, qui negligenter in hostili acie illis opponuntur, vel ad subsidium afflictæ oppressæque partis emittunt. Tuldum autem, id est, impedimenta, à tergo aciei propè vel ad dextram vel ad sinistram, unius aut duorum milliarium intervallo habent, & parvam quandam custodiam militum illi assignant.

57 Sæpè autem superfluos equos à tergo post aciem instructam locant, & manipulos confusè atque inordinatè apparant: ut densata altaque sit, permultùm laborant, frontem verò æquabilem densamque faciunt.

58 Utuntur pugnis eminùs habitis, insidiis, circumscriptionibus hostium, simulatis discessionibus, conversionibus, & dispersis aciebus.

59 Ubi hostes in fugam verterint, illud primùm laborant, ut omni contentione insequantur, nihil prius habentes quàm persequi hostes. Neq; quemadmodum Romani reliquæq; nationes, cõtenti sunt mediocriter illos insequi, & pecunias illorum diripere, sed eò usque invadunt, dum omnibus quibus possunt viis hostes protinùs deleant.

60 Si qui ex hostibus Turcorum, ad munitionem aliquam confugerint, confestim conantur commeatus inopiam, si quæ sit aut virorum, aut jumentorum, cognoscere, & ibi in continuâ obsidione sunt, donec eius inopiâ hostes opprimant, vel ad aliquam consensionem aut deditionem illos compulerint: ac primò levioria illis proponunt, assentientibus deinde graviora imponunt.

61 Hi Turcorum mores hoc solo à Bulgarorum distant, quòd hi Christianorum complexi fidem, Romanorum moribus assuefacti, morum asperitatem & agrestem vitam simul cum infidelitate abjiciunt.

62 Pastionum inopia maximo impedimento Turcorum exercitui est, quia multitudinem jumentorum secum semper vehunt.

63 Conflictationis tempore pedestris acies magnopere illos lædet, quæ adversa equitibus solet esse iis qui ex equis descendere nõ solent: neque enim stare pedibus diu possunt, quia equis vehi sunt soliti.

64 Adversus illis locus æquabilis campestrisque est, & acies equestris densataque, & sine intermissione illos sequens.

65 Adversæ illis sunt manuum concertationes, & incursiones nocturnæ, si ita tutò fiant, ut qui invaduntillos, unam partem habeant instructam, alteram autem occultam atque abditam.

66 Hoc vehementer illos vexat, si qui ex illis ad Romanos deficiant. Cognoscunt enim omnes suos inconstantem habere animum, & lucri appetentes esse, ac ex multis tribubus conflatos, atq; adeò cognatorum suorum & mutuæ benevolentiæ minorem rationem habere.

67 Cùm paululùm ad fugiendum retrocesserint atq; hilarentur, multi è nostris statim consequuntur. Itaq; molestè admodum ferunt si quis ab illis deficiat.

68 Quando quis cominus ad pugnandum cum illis accedere voluerit, excubias habeat multas & crebras exiguo intervallo disjunctas: deinde præparet, & adversus omnem fortunæ impetum provideat, ut si quando hostium fuga fiat, munitionem aliquam ad illos obsidendos paret, & commeatum aliquot dierum habeat, tum hominum, tum etiam, si fieri potest, jumentorum: ac in primis aquæ affluentiam habeat, deinde impedimenta sic instruat, quemadmodum in capite de tuldo diximus.

69 Si pedestris acies fuerit in prima potissimùm pugna, qui exercitus maximè assuetus illis fuerit, eum primò instrues, quemadmodum alibi explicuimus: hoc est, ut equites post se instructos habeant.

70 Sin equites fuerint qui adversum Turcos instruuntur, si ad pugnandum cum illis satis habiles fuerint, ita instrues eos, quemadmodum antè memoravimus, ubi de instruendis illis verba fecimus.

71 Ad latera multos & strenuos segregabis: ad tergus enim defendendum satis sunt defensores, id est, vindices. Cursores autem plus tribus aut quatuor sagittæ jactibus in persequẽdis hostibus à defensoribus ne separentur. Omninò autem elaborabis, ut in planis expositisque locis, quantum potes, aciem tuam instruas, ubi neque sylvæ condensæ, neque paludes, neque arbusta perturbare possint, propter insidiarum metum, quas Turci moliri solent.

72 Excubiæ intervallo quodam interposito, ad partes quatuor aciei collocabuntur.

73 Si fieri possit, fluvium transitu perdifficilem, aut paludem, aut lacum, ad tergus aciei in tuto conservandum habeas.

74 Si belli secundus exitus fuerit, neque nimis cupidè illos opprimas, neq; negligenter illos insequaris. Neq; enim quemadmodum reliquæ nationes faciunt, sic Turci ubi primo superãtur prælio, statim profligati discedunt, sed omnes vias postea quærunt, quemadmodum hostes suos incursionibus superare aut fundere possint. Sin permista acies pluresq; pedites fuerint, provisio quædam jumentorum pabuli habenda est. Neque enim imminentibus hostibus omninò equites permittuntur pabulari.

75 Hæc igitur bellica consuetaque Turcorum est exercitatio. A Bulgarorum autem forma paucis quibusdam rebus, quemadmodum antè dictum est, differt: reliquis in rebus similis est.

76 Hæc nos ad te scripsimus, non quasi adversus Turcos bellum suscepturi, neque enim propè nos sunt, neque hostes nobis nunc sunt, sed se subjectos potiùs nobis conantur ostendere.

77 Sed ut scias acierum & instructionum varietatem, & idoneis temporibus opportunè illis utaris, sicubi utile aut commodum judicaveris, quæ multo cum labore ac studio ab aliis inventæ sunt, atq; etiã adversum illos alias cõtrarias moliri atq; excogitari possis.

78 Sunt quædam nationes, ut Galli, Longobardi, quæ olim in infidelitate versabantur, nunc veram Christianorum fidem nobiscum complexi sunt: è quibus aliæ sociales nobis, aliæ sub imperiũ nostrum subjectæ sunt. Atque iis privatæ quædam militares acies, quas partim per manus ab aliis acceperunt, partim bellandi consuetudine invenerunt. Quæ omnia non ideo tibi commemorabo, ut bellum illis inferre possis: quomodo enim adversus socios, & subjectos, & ejusdem fidei participes, & nobiscum conjunctos homines, bellum suscipieremus? sed ut iis cognitis, quæ contraria sunt illis, si quid tale usus poscat, adinvenire possis, & adversum quascunque molitiones hostium, contrarias illis in promptu habeas.

79 Nam & Sclavi quoq; olim erant quando trans Istrum, quem Danubium appellamus, habitabant. Hos expugnabant Romani, cùm pastorum more vitam transegerunt, qui antequam Istrum transirent, sub jugum Romanæ ditionis colla summittebant. Istorum mores atq; instituta nullo modo prætermittenda judicavi, sed omnia tibi percensere pro viribus enitar, ut apis instar ex unoquoque quod optimum atque utilissimum est, delibes.

80 Galli & Longobardi libertatis rationem plurimi æstimant: sed Longobardi magnam hujus virtutis partem amiserunt. Galli autem admodum audaci infractoque animo sunt, in bello strenui ac penè temerarii. In magno opprobrio ignaviam & parvam retrocessionem ponunt, atque eam fugam esse existimant, & facilè ac strenuè præ mortis contemptu tum equites tum pedites manus cominus conserunt.

81 Quando igitur in equestribus præliis in aliquas angustias deducuntur, una omnium consensione ex equis descendunt, & pedites se instruunt, & pauci contra plures se armant, aut si id minus possunt, prælio desinunt.

82 Armantur scutis hastis, spathis brevioribus, quas ex humeris loris quibusdam gestant: quidam autem accinguntur illis.

83 Pedestri prælio admodum lætantur, & vehementibus incursionibus.

84 Instruuntur in præliis sive pedites sive equites non aliquo certo & definito modo, & in acies aut turmas aut cohortes dividuntur, quemadmodum Romani, sed per tribus & familias & cognationes, sæpè etiam conjurata quadam amicitia. Itaque quidam amicis interfectis sæpè in prælio permanentes seipsos in maxima pericula conjecerunt, ut illorum vicem ulciscerentur.

85 Frontem aciei æqualem & densam in prælio habent.

86 Confligunt equites & pedites universo cum impetu, & vehementer ac impetuosè ruunt omni timore vacui.

87 Minus obedientes præfectis illorum sunt, & potissimùm Galli, ac voluntariè ad certum tempus, etiam antequam à præfectis accersantur, in expeditione sunt. Hoc tempus si prætereat, & illis diutiùs manendum sit, hunc temporis tractum molestè ferunt, atq; ab expeditione sua discedunt, & domum se conferunt.

88 Improvidi rerum sunt, neque varietatis, incolumitatis, aut aciei instruendæ, equestrisq; potissimùm, ullam rationem habent.

89 Pecuniis facilè corrumpuntur, quia lucri admodum cupidi sunt. Hujus rei experientia nobis constat, quòd cùm ex Italia ad res administrandas permulti eò accesserunt, illorum consuetudine ac moribus imbuebantur, & ab humanitate ad barbariem ac cupiditatem pecuniæ transierunt.

90 Vexant illos admodum ærumnæ ac miseriæ. Quemadmodum enim mentes audaces strenuasq; possident, ita corpora delicata ac tenera habent, & ad labores sustinendos minus habilia.

91 Calores, frigora, pluviæ, commeatus, aut rerum necessariarum inopia, & vini potissimùm, dilatio belli, illos excruciant.

92 Equestris prælii tempore adversantur illis loca difficilia & condensa, quia vehementi incursionis impetu directè cum hastis ruere solent.

93 Damna & offensiones facilè à tergo aut ad latus ex insidiis sustinent, quia excubias reliquasq; hujusmodi molitiones minus curant.

94 Quòd si qui fugam simularent, facilè illi dissiparentur, & subitò in eos iterum conversi, permultùm illos læderent.

95 Sæpè etiam nocturnæ sagittariorum incursiones læduntillos, quia dispersè & disjectè castra ponunt.

96 Sin quis se ad confligendum cum illis parans iis moribus atque institutis utatur, haud opus fuerit publica cum illis dimicatione contendere, idq; in initiis belli potissimũ: sed insidiis & improvi-

provisis incursionibus illos adoriri, vel dilatione prælij tempus eludere, vel pacificationem simulando commeatum illorum abs sumere, vel caloribus & frigoribus audaciam illorum atque alacritatem minuere.

97 Si dilatio & similia maximè fieri possunt, quando ad munitiora & difficilia accessu loca hostilis illorum exercitus accedit, ibi tum hastis usi illum locum invadere non possunt.

98 Si ijs prædictis modis contra illos nihil proficiatur, sed ad bellum toti spectent, ubi exercitum instruunt, sic instruant quemadmodum in capite de acie instruenda docuimus.

99 Sclavonica natio simili vitæ cultu & moribus ac Galli utebatur. Libertatis amans, subiici aut imperio parere noluit, quando trans Danubium sua in regione habitavit: unde hunc in locum traducta atque aliis vi servire coacta, indigenis suis, & non alienigenis obedire voluit: melius enim putabant ab indigenis suis violari, quàm Romanis parêre, & sub illorum legibus vivere. Qui autem ex illis sacrosancti baptismatis fontem receperunt, ij quantum in illis est, ad antiquæ libertatis formam eum conservant.

100 Populosa natio est, omnium ærumnarum patiens: calores, frigora, pluvias, nuditatem, commeatus, & rerum necessariarum inopiam facilè perfert.

101 Hanc nationem noster divina quadam sorte Jmperator Romanus, & pater meus Basilius, à reliquarum gentium feritate traduxit, & Romano more præfectos illis constituens, & baptismate sacro illos imbuens, à servitute liberavit, & contra Romanorum hostes pugnare instituit: itaque studiosè ijs in rebus versatus est, ut Romanos hac re securos faceret, qui sæpe antea Sclavorum populationibus infestabantur, & bella multa ab illis illata sustinebant.

102 Erant autem Sclavi ij nescio quomodo hospitibus humani, quam hospitalitatem adhuc studiosè retinent.

103 Peregrinis enim benigni ac mites erant, & illos lubenter ac humaniter accipiebant, & à loco in locum comiter deducebant, & ab omni noxa offensioneque integros & securos conservabant. Itaq; si propter negligentiam hospitis peregrinus lædatur, bellum statim contra eum movet. Nam fidei magnam declarationem esse putat, si peregrini vicem ulciscatur.

104 Aliud præterea non inhumanum hoc apud eos videbatur esse. Captivos enim suos non ad infinitam servitutem obligabant, sed ut captivos potius apud se retinebant, & certum quoddam servitutis tempus præscribebant, ut post hoc tempus expletum, certa quadam mercede datâ ad suos redire possint, vel si mallent, apud illos liberi & amici permanerent.

105 Fœminæ illorum præter cæteras modestæ feruntur. Multæ enim virorum suorum mortem tam graviter ferunt, ac si sua esset, & seipsas suffocant: vitam enim viduam ac solitariam ferre non possunt.

106 Milio ad commeatum utebantur: temperantiam in victu maximè colunt: reliquos agriculturæ labores minus perferunt, quia vitæ liberaliorem cultum magis diligunt, neq; adduci possunt ut magno cum labore sumptuosas epulas parent, atq; eas postea vorent atque exorbeant.

107 Armantur parvis hastulis vel jaculis duobus unusquisque vir: quidam etiam scutis magnis; quos thyreos vocant. Arcubus enim ligneis utuntur, & sagittas habent veneno imbutas, quod efficax admodum est, nisi enim qui plagam accepit vel theriacam bibat, vel aliquod aliud salutare præsidium, vel statim plagam omnè præcidat ne latius serpat, universum necesse est corpus pereat. Ad loca prærupta & accessu difficilia cõfugere, & ibi cõmorari gaudẽt.

108 Quemadmodum in illos Romani incursiones impetusq; faciebant, antè à nobis explicatum est, ubi de nec opinatis incursionibus egimus, ut tu imperator quamvis non in illos nunc, sed in similes tamen illorum, aut in alios barbaros incursionem faciens (si quidem id utile tibi videbitur) habeas ad omnem usum in promptu, quasi exercitatum, quod facto opus erit.

109 Quoniam de diversarum gentium mõribus atq; institutis verba fecimus, haud ab re fuerit de Saracenis, qui rem publicam nostram perturbant, nunc aliquid commemorare, quâ naturâ sint, quibus armis in bello utantur, quibus modis nostri adversum eos armandi sunt, & quemadmodum impetus in illos faciendi.

110 Saraceni Arabes sunt genere, ad ingressum felicis Arabiæ olim habitantes. Nunc verò genus eorum in Syriam & Palestinam dispersum est, primùm commorandi causa, deinde ubi superstitionis suæ autor Mahumet fuerat, horum locorum ditionem, & Mesopotamiæ atq; Ægypti, reliquorumq; ac finitimorum locorum imperium armis occupabant, id quod Romanorum cum Persis de imperii gloria dimicatio, illorum capiendorum occasionem dabat.

111 Erga Deum impij sunt: blasphemiam suam pro pietate dicunt. Christum verum & mundi servatorem Deum vocare non sustinent. Omnis mali facinoris Deum esse autorem arbitrantur: & bello delectari dicunt Deum, qui dissipat gentes quæ bella volunt: suas ipsorum leges sanctissimè custodiunt: carnem suam pinguefaciunt, & animum dehonestant. Adversus igitur hanc illorum impietatẽ, pietate ac religione nostra pugnemus, & divinas humanasq; leges sanctissimè custodiamus, atq; illos si possumus expugnemus.

112 Camelis sarcinariis utuntur pro curribus & jumentis, asinis & mulis: & tympanis & cymbalis in aciebus utuntur, quibus equos suos assuefaciunt: & huiusmodi sonis ac strepitibus hostium suorũ equos perturbant, & in fugam coniiciunt. Sed & Camelorũ quoq; aspectus equos perterrefacit, & ulterius progredi non patitur.

113 Camelorum jumentorumque huiusmodi apparationem sæpè, ut multæ & ingentes copiæ videantur, in medio exercitu collocant, & crebra flamula illis imponunt, ut illorum turba magna, multitudo hominum esse videatur.

114 Calida corporis constitutione sunt, in tam calida mundi plaga degentes. Pedestres copias dicunt se Aethiopibus sagittariis, qui armis gravibus nudantur, roborare, & ante equites quasi leves collocare. Istis usi, videntur hostibus inexuperabiles esse.

115 Pedites sui equis vehuntur, & post equites sedent ex equò, quando prope regionem suam expeditio est. Vtuntur armis etiam equites illorum, sagittis & spathis, hastis, scutis & securibus. Armaturam gestant galeas, thoraces, cassides, ocreas æneas, brachialia, & si quæ alia ad Romanorum formam arma sunt. Zonas & frænа & gladios, reliquaq; hujusmodi, argento exornant ambitiosius.

116 Neque cùm persequuntur alios, neq; cùm ab aliis exagitantur, aciem illorum dissolvunt. Sin acies illorum dissolvatur aliquando, minimè ad formam suam revocari facilè possunt, sed solùm de salute laborant.

117 Audaces sunt si victoriam sperent: sin desperent de victoria, timidi valde sunt. Omnia enim, etiam quæcunq; mala sunt, à Deo provenire asserunt. Quòd si quâ adversâ fortunâ vexentur, quasi à Deo immissâ non repugnant, sed conflictationis offensionem accipientes, omnem contentionem prælij remittunt. Somnolenti sunt, ac propterea nocturna prælia pertimescunt, idq; potissimum quando alienam terram incursant. Itaq; vel ad munita loca discedunt, ibiq; tota nocte custodiam habent, vel castra sua tam diligenter muniunt, ut nocturnis hostium irruptionibus non perturbentur.

118 Quadratam & oblongam aciem semper instruunt, quæ tutissima est, ad oppugnandũ difficillima in hostium irruptionibus.

119 Hac formâ utuntur tum in itinere faciendo, tum in manibus conserendis, & magna ex parte Romanos imitantur, tum in aliarum rerum bellicarum formis: & experientia præliorum exercitati, ijsdem modis nos invadunt, quibus à nobis antea profligabãtur.

120 In aciebus suis firmi stabilesq; consistunt, neque cum celeritate hostes invadunt, neque facilè ad deponendum prælium jam inceptum pertrahuntur.

121 Consistunt in acie, & perferunt impetum illorum qui in illos acriter invadunt moderatè: ubi verò relanguescere impetum hostium vident, tum excitati vehementer ac strenui præliantur.

122 Hoc non modò in pedestri prælio, sed etiam in navali faciunt: & postquam feriendo & tela conijciendo hostes exatiati sunt, scutis simul addensatis ea omnia cùm sustinent, statim conferti se colligunt, & manus conferere incipiunt: cum quibus prudenter semper ac circumspectè dimicandum est.

123 Cautione & constitutione quadam rerum bellicarum longè meliore ac probatiore cæteris nationibus utuntur, quemadmodum à præfectis nostris ad illos sæpè accedentibus universumq; rerum statum indagantibus, cognovimus, & ex aliorum narrationibus ad nos delatis audivimus, & à nostro pientissimo patre, qui persæpè adversum illos bellavit, accepimus.

124 Frigus illos & hyems & largæ pluviæ vexant: itaq; ijs temporibus potius quàm serenis adoriendi sunt, quia arcus illorum propter cœli humiditatem languidi sunt, & universum corpus quasi effœtum debilitatur. Ejusmodi enim temporibus à Romanis capti incursionibus & populationibus, atque interfecti sunt.

125 Serenis igitur calidioribusq; anni temporibus oblectati, in unum conveniunt, ac æstate potissimum, & in Tarso Ciliciæ civitate, cum indigenis pacem faciunt: reliquis temporibus ex Tarso & Ædanis & aliis Ciliciæ civitatibus in Romanos incursiones faciunt.

126 Tum igitur adoriendi sunt, hyeméq; potissimum, quando ad prædam exeunt: hoc fiet, si copiæ nostræ occulto aliquo in loco propè clàm permaneant, & egressum ad prædationem animadvertant: sic enim vastabunt eos: vel etiam magno cum numero & bellico apparatu instructi, illos iterum convenientes adoriantur.

127 Periculosum enim est, quemadmodum antè à me commemoratum est, publico in prælio periclitari, quanquam admodum videantur hostes suos superaturi: fortunæ enim exitus incertus.

128 Conveniunt ad bellum non arcessiti, aut descriptionibus assignati, sed ad bellum voluntariè confluunt omnes divites, ut pro sua ipsorum patria conducti moriantur. Pauperes, ut aliquam prædæ partem lucrentur, arma illis indigenæ suppeditant: & fœminæ potissimum viriique hoc modo participes rei bellicæ sunt, magni officij loco ponentes, armare eos, qui propter imbecillitatem corporis armare seipsos non possunt. Atq; hæc de Saracenis, qui barbari infidelesq; sunt, à nobis dicta sunto.

129 Romanos non solùm hoc oportet conari, ut alacri animo milites sint, & qui nondùm in bello fuerant, adversus eos prælium suscipiant, qui Deum nostrum universitatis regem Christum blasphemant, & omnino illos quantum possunt iuvent & prosequantur tum donis tum armis tum piis votis, qui adversum Gentes bella suscipiunt, sed & plura iis efficere, ædes & familias eorum qui cum alacritate animiq; promptitudine ad bellum iverint, beneficiis ac

benevolentia prosequi,& si quid iis qui in exercitu sunt, aut equis eorum opus fuerit,sive sumptus sive arma iis suppeditent,&liberaliter subministrent.

130 Hoc si fieret,cùm longè majores Romanorum copiæ sunt, benè atque idoneè armatæ, delectique propter robur ac strenuitatem viri,nullâq; re necessariâ defecti, facilè Deum propitium habentes,de barbaris Saracenisque victoriam reportabunt.

131 Si enim armaturâ,sagittisq; potissimum & telis plurimis,& multitudine hominum,& strenuitate,& idoneis consiliis, molitionibus militaribus abundaverimus Romani contrà illos, tum divino consilio tum victoria de illis non destituemur.

132 Hæc enim gens propter spem prædæ,& quia belli pericula minus timent, ad magnam facilè multitudinem congregantur, ex omni Syria interiore & Palæstina,& imbecilles atque imbelles viri propter hujsmodi spem prædarum ad reliquos fortes milites se aggregant.

133 Si verò Christi præsidio adjuti,bene instructi atque armati,alacriter cum illis pro animæ nostræ salute quasi pro Deo & cognatis&reliquisChristianis fratribus dimicantes,nos illis opponamus,magnam in Deo spem habemus,nos nullam offensionem accepturos,sed omnem victoriam reportaturos.

135 Vbi illi prædandi causa Taurum transierint, in ipsis viarum angustiis, quando fatigati admodum revertuntur, & prædam jumentorum aut aliarum rerum referunt, in excelsis quibusdam locis sagittarij & funditores collocandi sunt, & cum equitibus dimicandum ita est. Vel si aliter usus ferat,insidiis,aut aliis molitionibus,aut saxis ingentibus devolutis,vel obstructione viarum arboribus objectis,aut aliis modis à nobis antè commemoratis,aut si quid aliud ad usum idoneè invenire potes,adoriendi sunt.

136 Aciem suam non dissolvunt,si quis aut duo aut tres invaserint eos,donec vel victoriâ freti insequantur, vel de victoria desperantes fugæ se mandaverint. Itaq; primò incursio in illos sagittis est facienda.Si enim equi illorum qui Parij dicuntur,& Æthiopes reliqui sagittarij equites vulnerentur & feriantur, cùm nudi sunt, facilè in fugam se conicient : quia equos quos plurimi faciunt,& per quos se salutem comparare arbitrantur, incolumes custodire magnoperè laborant.

137 Equi si pereant sagittis veneno imbutis, simul intereunt qui vehuntur equis:sin sagittas imbutas esse cognoscant,antequam percutiantur aurugient.

138 Neq; enim tantùm gloriam nomenq; expetunt. Saraceni cùm ad prælium exeunt,quantum cupiditatis causa &rerum necessariarum conquirendarum gratia : neq; enim agros colere norunt, ut indè pauperes vivant,sed gladio suo ab ineunte ætate vel vivere vel mori discunt:unde unâ de illis victoriâ multis periculis Romanos liberat:ubi enim viderint eos qui ad bellum exierunt nequaquam reverti, sed à suis jam desiderari,non jam audebunt tam incircumspectè ad bellum postea procedere.

139 Cilices Saraceni universum quem habent peditatum, ad utrunq; genus prælii parant,tum terrestri per Tauri montis exitum, tum mari per navigia quæ illi Cumbaria appellant. Quando autem terrâ non egrediuntur ad prælium,conscendunt mare, ibique prædantur,aut in maritimis locis considunt ad prædam quærendam.aliàs ad Romanorum agros populandos exeunt.

140 Speculatores abs te diligenter emittendi sunt qui res illorum cognoscant, ut contra eos exercitum idoneum præpares, ut quando è terra continente exeunt, præfecto classis indicetur, qui in Tarsensium & Adoneorum agros maritimos incurset. Neq; enim tam numerosus barbaris Cilicibus exercitus est, ut ijdem ad pugnandum terrâ simul & mari habiles sint.

141 Ad summam autem,si illos vastare cupis, classe simul maritima, & terrestribus copiis per Taurum simul cum aliis præfectis adoriaris, & impetus incursionesq; adversus illos facies, atque ita prædatorũ illorũ regionem populaberis,quemadmodũ clarissimus atq; amplissimus pater meus Basilius Jmperator Romanus fecerat.

142 Qui Mesopotamiæ, Syriæ,finitimi Saraceni sunt,iis molitionibus oppugnabis,quibus paulò ante hoc tempus imperator exercitus ille utebatur, qui Theodosii civitatem ab illis occupatam eripuit,& in nostram potestatem redegit:& quoniam equi Romani minus assuefacti sunt vel aspectui camelorum,vel tympanorum cymbalorumq; strepitui,exercendi ad ista equi sunt, præfectorum autem & primariorum virorum potissimùm, ut neque aspectum camelorum refugiant,neque sonitum tympanorum cymbalorumque formident.Itaq; permulta sunt, quæ quis diligenter intuens, ad ista excogitare possit.

143 Brevi autem,quæcunq; à nobis de apparatu belli, de armis, armaturâ,exercitationibus,aciebus bellicis, ac reliquâ disciplinâ militari conscripta sunt, ea omnia ad Saracenos oppugnandos recensebantur. hæc enim gens finitima nostro imperio,quemadmodum Persæ olim fuerant,non minus sub nostrum imperium subjectos homines vexat,atq; illi olim fecerunt. Itaque huius libri conscribendi laborem suscepimus,ut nostri adversus illos paratiores instructioresq; essent. Aliæ verò acierum formæ à nobis præterea adinventæ sunt,quibus adversum barbaros usus magnam victoriam comparabis.

144 Variam aciem ad hunc modum instruc virorum quatuor millium. Prima sit acies quæ propugnatrix dicitur, virorum mille quingentorum: & in tres partes eam divides,dextram,sinistram, mediam,ut singulæ quingentorum virorum sint : ac ita propè se mutuò collocabis,ut una acies esse videatur. Secundam aciem virorum mille facies,eamq; in quatuor partes divides, unius sagittæ jactu à se mutuò distantes, ut in unaquaq; parte ducenti quinquaginta viri post primam aciem collocentur. Quòd si primam aciem retrocedere contingat, in vacua interstitii loca recipiantur, atque adeo una cum illis acies fiant. Nam quatuor partes secundæ aciei tria intervalla faciunt,in quæ prima acies se recipiens,ad secundam aciem aggregetur. Post hos,tergistites instrues,homines quingentos:quos duas in partes à tergo divides,dextram & sinistram. Hos à tergo secundæ aciei instrues,ac si tertia acies essent, ut unaquæque pars ducentos quinquaginta viros habeat, ut si quando opportunũ sit,& ipsi ad secundam aciem adiuvandam progrediantur,quæ jam primam receperat. Has tres acies ad usum separatas, propinquitate conjunctas,ad se mutuò adiuvandas idoneas esse perspeximus. His adjunges cornua propè,& coram prima acie ad dextrum latus cornistites,ad sinistrum lateranos:ijq; ex ducentis viris conficiantur, ut ad hostium aciem ambiendam cornistites parati sint : & ad hostes qui ei cumcludere vos conantur,impediendos,laterani instructi sint. Præter hos utroq; in latere eminus cohortes duas ducentorum virorum collocabis,quas hinc atq; illinc aciei in insidiis collocabis,qui drungisti & confertim prosiliant, & hostium latera invadant. In tribus autem vacuis spatiis atq; intervallis secundæ aciei viros centum aut ducentos collocabis, ut videatur una junctaque acies esse. His,si quid opus sit,locum dent primæ aciei ad hæc intervalla se recipienti:sin minus, ad fugam incitatos reprimant, & ad suam ipsorum aciem eos impellant, & tergistites magnopere cum illis postea juncti adiuvabunt : quæ res non parvo præsidio est iis qui in prælio fuerint. Qui restant centum viri,cum imperatore ipso simul in expeditione procedant,ut si quando adflictæ parti succurrendum sit,ij eò missi magnum in bello momentum adferant, & præsentiâ suâ inclinatam partem sublevent. Atq; ad hunc modũ prima,secunda,tertia acies instructæ,militiæ nostræ Laterani,Cornistites,Tergistites,& insidiæ,& in interstitiis qui sunt positi,& qui in subsidiis cũ imperatore sũt,quatuor millibus virorũ describãtur. Jmperator medium primæ aciei locum obtinebit, instruat ac provideat quæ facto opus sunt, secumq; hoc centum virorum habeat subsidium. Sin majoribus copiis usus sit,ad turmarcham, qui olim imperator,nunc merarcha aut turmarcha dicitur, mittere oportet. Turmarcha autem singulis partibus sive turmis anteponi debet: omnibus autem præsit imperator. In singulis turmis drungarii sive Tribuni sint & comites sub illis, reliquiq; præfecti qui regant gubernentq; exercitum,& ad propositum prælium incitent.

145 Primæ aciei multitudinem ad hunc modum divides. Tertiam partem ejus,quos noveris fortes strenuosque esse, in cursores divides,bessem reliquam in defensores,ut ij se hostibus obiicientes quasi propugnatores,drungisti,id est,confertim sine acie in hostes procurrant. Quòd si in fugam illos verterint, sequantur defensores sive vindices,aciem instructam non deserentes, sed diligenter servantes. Sin premantur cursores sive proclastæ & retrocesserint,ut cum acie defensores illos excipientes hostes reprimant. Sin quid gravius contingat,secunda acies & tergistites præterea opem ferãt, atq; adeò hostes insequantur,sibi mutuò opem, si quid usus postulet,ferentes. Neq; enim mihi tutum videtur esse;omnes una in acie ponere,ne simul pugnantes simul in periculum veniant, & in fugam se conjiciant. Hic autem quanquam prima adflicta sit,secunda tamè firmiter consistit, atq; illi opẽ ferre solet. quòd si quid gravius hæc quoq; patiatur,tertia tamẽ securè invadat. Atq; ita nostræ tres acies firmæ adversus unam hostium aciem contendentes,facilè eam superare atq; expugnare possunt,& in fugam præcipitare, adjuvantibus ad hanc rem lateranis & cornistitibus.

146 Hæc quatuor millia ex delectis strenuisq; viris fiant, & in bello gerendo exercitatis : neq; enim de plebeis ac fortuitis hominibus mentio à nobis facta est,sed de ea acie quæ posset arma gerere,& alacriter dimicare.

147 Contubernia hujus aciei ad decem virorum altitudinem facies,ut in unaquaq; acie duo viri sint,alter lochagus, sive decanus, aut præstes:& ultimanus,sive caudanus,sive quintanus: quos strenuos idoneosq; viros esse oportet,& idoneis armis instructos. Atq; ad hunc modum altitudine acierum instructa, ad longitudinem quam κατὰ ζυγὸν transversam altitudini appellant, quantum numerus & latera patiuntur,instruat.

148 Quoniam quemadmodum nunc posuimus, prima acies in treis partes dividitur,unaquæq; pars quinquaginta contubernia habet,quæ singula decem viros habebunt,à lochago id est,decano,ad ὄπισθον,id est,ultimanum,ordine locatos, ut universa contubernia primæ aciei centum quinquaginta sint,id est,viri mille quingenti. Secunda acies habeat in quatuor illius partibus contubernia viginti quinq; singulis,universis centum contubernia, id est, viros mille. Laterani habeant contubernia viginti,viros ducentos : similiter cornistites contubernia viginti, viros ducentos habeant. Insidiæ præterea hinc atq; illinc aciei contubernia viginti, viros ducentos singulæ habeant. universæ cõtubernia quadraginta,viros quadringentos.qui in intervallis inanibus singulis locantur secundæ aciei,

contuber-

contubernia decem virorum, simul trecentorum, & qui præterea imperatori adsunt centum viri.

149 Reliquæ acies exceptis cursoribus ordine quodam instruantur, Laterani, Cornistites. Insidiæ non semper instructæ, sed pro usus ratione interdum drungisti, id est, confertim incurrant, interdum ordinem suum conservent.

150 Eligentur ex iis designatis quatuor millibus virorum, præfecti delecti mille trecenti quadraginta sex, quintani octingenti, decani quadringenti, quinquagenarii octoginta, centuriones quadraginta, comites viginti, drungarii quatuor, turmarchæ duo. Ita erũt Præfecti majores tũ minores mille trecenti quadraginta sex. Sicq; in universo exercitu eliganturij strenui milites. Summam totius numeri, vel universum reliquũ exercitũ potius, quod thema dicitur, horum quatuor mille virorum delectorũ, armatis equitibus ac strenuis militibus complebis, quemadmodum tibi ad opportunitatem temporis idoneum videbitur.

151 Atq; hæc quidem ita nobis describãtur, si minor fuerit hostium exercitus, aut si æqualis. Sin longè plures hostium copiæ fuerint, ad prædictam formam exercitũ duplicabis, totidè pluribus ad exercitũ tuum adjectis, ut universa acies octo millium sit, & singulæ cohortes æqualẽ atq; antea numerũ habeant. Sin nõ satis fuerit duplicare, triplicabis exercitum, & duos alios duces adjunges cũ militibus delectis & strenuis, ut fiant universi duodecim millia virorum. Itaque prædicto more universus exercitus describetur, triplicatis unaquaque in acie millitibus.

152 Si cũ paucis & strenuis hostibus negotiũ futurũ est, videturq; tibi utile esse uno exercitu omnes instruere, treis facito acies, singulas quatuor milliũ, quemadmodum prædiximus. vel etiã si pluribus millibus pro ratione copiarũ tuarum abundaveris, & prima acie irruentes hostes excipies, & dũ ij hac exercẽtur, si in fugã vertantur, quiescere cæteros facies. Sin minus: tũ altera acies à tergo illorũ invadẽs, corruptionẽ in eos faciet: quare nõ parũ hostes profligabũtur. Sin ne sic quidẽ superẽtur, sed fortiter resistãt, tũm tertia vel ad latus vel à tergo invadẽs, & simul cũ aliis hostes circũcludẽs, funditus delebit. quãvis enim audaciâ quasi calore aliquo imbuũtur hostes, carne tamen vacui nõ sunt, ut vulnera illata sentire nõ possint.

153 Si cum magnis & ingentibus copiis conflictatio tibi futura est, quatuor millia unam in aciem conferes, & multitudinem copiarum tuarum tres in partes divides, quemadmodum prædixi, in primam, & secundam aciem, in tergistites & lateranos.

154 In cornistites præterea & insidias reliquasq; cohortes, quas suprà recitavi, divides, itaq; instructus atque apparatus prodibis ad confligendum cum cursoribus, id est, proclastis primæ aciei & Cornistitibus, si ita usus ferat, quemadmodũ in capite de belli apparatu diximus. Sin plures adhuc hostes fuerint, maioriq; exercitu opus sit, reliquæ Orientis præfecti suis cum copiis adsint ad huiusmodi usum parati, in quibus delecti viri ab improbis & ignavis separentur, ut in uno quoq; themate, id est, caterva, quatuor millia virorũ sint, propter militum nostrorum diligentem hanc ad formam exercitationem: & qui spectati viri strenuiq; fuerint, ad exercitum tuũ aggregabũntur, & tecum hostes invadent. Hanc ad formam etiam triginta millia hominum instrui in acie possunt, ad fortiter & strenuè inimicos oppugnandos. *cap.* 18. *rei bellicæ.*

¶ Ælianus De Aciebus Instituendis.

Primus omnium, quos noverimus, poẽta Homerum acierum instruendarum scientiam tenuisse, ac homines ea præditos facultate probasse laudavisseq; videtur. Quale illud de Menestheo carmen legimus. Nulla quidem huic similem mortalem protulit ætas: Ordine qui Martis turmas equitemq; locaret. Et quidẽ de Homerica disciplina armorum legimus opera Stratoclis, Hermiæ, & Frontini nostræ ætatis viri consularis: sed latius Æneas genus id instruendi exposuit, qui de tota quoq; re militari satis operum edidit, quæ Cynæam Thessalum redegisse in brevitatem constat. Pyrrhus etiã Epirota quemadmodum copiæ instrui deberent, scripsit: & Alexander ejus filius, Clearchus, itemq; Pausanias, Evangelus & Polybius Megalopolitanus, vir in vario literarum studio delectatus, & Scipionis familiaris. Ad hæc Eupolemus atque Jphicrates, Posidonius Stoicus euam artem instruendarum acierum scripsere, pluresq; alii, aut prima quædam imbuendi erudimenta edidère, ut Bryon, aut pleniores tractatus, quos Topicos à denotatione locorum inscripserunt. Verum enumerare omnes, qui aliquid de re militari scriptum reliquerunt, longum & supervacuum est: omniũ tamen operalegi, & quid de iis judicem, dicam: omnes ferè ita mihi unanimiter scripsisse, quasi docere homines vellent non ignaros, sed satis earum rerum peritos, quas explicare statuerent. Quod igitur nobis incommodum, cùm primum rei hujusmodi disciplinam affectaremus, occurrebat, ut neque præceptores nostræ ætatis idoneos haberemus, neq; satisfacere posse veterum illa præcepta putaremus, id pro viribus enitemur, ne aliis eveniat, committamus: quamobrem quoties minus sententiam nostram verbis satis exprimere possumus, adjumento utimur figurarum descriptionis: ut ipse conspectus visu intelligentiæ subveniat. Nusquã tamen antiquorum autorũ vocabulis uti omittã. ut qui primus his nostris erudimentis imbuatur, nihil postea peregrinum sibi sonare arbitretur, cùm illorum opera audiet. Credo autem neminem fore, qui nostra hac viâ & ratione institutus, non facilè veterum quoque omnia possit opera intelligere. Vtilem omnium maximè disciplinã hanc esse, intelligi ex iis licet, quæ Plato Philosophus in eo opere, quod edidit de legibus, disserit. Cretensiũ enim legum latorẽ ita leges condidisse affirmat, tanquã homines semper parati essent ad bellum, atq; in procinctu dimicandi consisterent: omnibus namq; inter se vrbibus bellum geri, quòd non aliquo præcone aut feciali, sed ab ipsa rerũ natura indiceretur. Quod cùm ita sit, quænam alia esse potest disciplina vel potior, vel humanæ vitæ commodior, quàm hęc rei militaris? Initium verò sumendum ab iis censeo, quæ absolutè ad bellum atque perfectè apparantur, quarum duplices esse cõpias novimus: Aut terrestres enim, aut navales. Terrestres, quæ terrã prœlientur, Navales, quæ mari, aut fluviis classe decertent. Sed de instructione navalis ordinis aliàs, nunc quæ ad terrestrem pertinent, expeditionem exponemus. Hominum igitur, quos ad bellum colligimus, numerus ita constat, ut partim bellatores sint, partim imbelles, tantum ad usus necessarios bellatorum & ministeria accomodati. Bellatores ij sunt, qui ad decertãdum instruuntur, armisq; adversarium invadunt. Imbelles reliqui omnes habentur, ut medici, ut tabernarij, ut servi, & ceteri, qui exercitum ministerij causã sequuntur. Bellatorum alij pedites, alij vectores. Pedites, qui pedibus in terra eniuntur: Vectores, qui alij quo feruntur vehiculo: quorum duplex est genus. Nã alij equis, alij elephantis vehuntur: quinetiã qui equo utuntur, seorsum in duas partes distinguuntur: quippe qui aut in curribus cõstent, aut equis ipsis insideant: hæ sunt universi generis differentiæ. Membrum pedestre atq; equestre multiplex est: quod verò in elephantis & curribus versari proposui, nulla evariat differẽtia. Pedestris itaq; ordo in partes digeritur tres, Armatos, Velites, Peltatos. Armati gravissimis inter pedites armis uti consueverunt more Macedonum, & ob eã rẽ gravis armaturæ dicuntur, ac nomẽ illud Armati speciale accipiũt. Nam scutum amplius & rotundum gerunt, & hastã longiorem. Velites levissimè omnium armantur, quocirca vel expeditos nuncupari, eosdem licuit: non loricam induunt, non ocrea muniuntur, non clypeum, aut scutum grave gerere soliti sunt: sed telis tantum vtuntur, aut sagittis, jaculis, lapide, aut ex funda, aut ex manu: quo in genere Argili telum ponendum est. Peltatis similis Macedonicæ illi armaturã in usu est, sed levior. Nã & pelta scutum parvum leveque est, & conti eorum longò sarissis sunt breviores: deniq; genus id armaturæ locum inter velites & armatos tenere apertum est, videlicet gravius, quã velites, levius quã armati: quamborẽ sunt cõplures, qui eos cum velitibus jungant, & utroq; vocare velint levem armaturã. Equestres copiæ, quæ à quadrigis sejungi, & per turmas locari debent, modo armandi inter se distant. Pars enim armis tota obsepta est, & hinc cataphracti nomẽ sortita est, pars nõ tota armis integitur. Cataphractos igitur intelligi eos volo, qui nõ solum sua corpora, sed etiã equos loricã undiq; muniunt. Partis autẽ nõ cataphractæ, alii hastati habẽtur, alij ferẽtarij. Hastati, qui manus cõserunt, & cominus hastã decertant, quorum alii scutum gerunt, & inde scutati dicuntur. Alij sine scuto hastã impugnant, qui nomine speciali Hastati vocantur, & contati. Ferentarij equites ij dicuntur, quĩ eminus solẽt dimicare: quorũ alij jaculis, alii arcu utuntur. Iaculantur, quos Tarẽtinos vocamus. Arcu utuntur, qui equites sagittarij, & à nonullis Scythæ etiã vocantur. Tarẽtinorũ duo sunt genera, nam alii longius jaculantur, & ob eã rẽ equites jaculatores dicuntur, & Tarẽtini speciali vocabulo. Alii cùm semel aut bis jaculũ miserint, quo leviori utuntur, manus de cetero cum adversario conserunt, & cominus pugnare incipiunt, non secus, quàm quos hastatos appellari retulimus. Leves hos nominari solitũ est. Ergo Tarẽtinorũ alii Tarentini nomine suo vocantur, qui de longè jaculari cõsueverũt: alij leves, qui pugnam cominus subeunt. Exposui genera copiarum numero novem, armatos, peltatos, velites, equites hastatos, equites jaculatores, equites sagittarios, equites cataphractos, currus, elephãtos: sed cùm phalanx quæq;, collegia, præfecturas, ordines, numerũ que idoneum cõtineat, atq; etiam verba sortiatur, quæ tum ad præcepta quotidiani exercitii, tum ad prœlium ipsum accomodentur, de his singulis doceamus necesse est. Primum igitur in hac disciplina & præcipuum est, ut ex multitudine hominum, quam fusam inordinatamq; acceperimus, idoneos eligamus, & locis convenientibus instruamus, hoc est, decuriemus, & condecuriemus, atque ut numerum statuamus copiarum, qui modicè commodèque ad belli rationem & usum suppeditet, quippe cum & itinere, & in castris, & in prœliis ipsis instructum haberi exercitum sit per quam utile. Jam sæpius magnas copias inordinatas à paucis ordinatis militibus profligatas legimus: quamobrem Æneas ita genus id disciplinæ definit, ut scientia sit bellicæ motionis. Polybius verò scientiam esse inquit, qua homines militari ordini admittantur, decurientur, condecurientur, denique aptentur, & erudiantur ad belli usum & rationem. Decuriare igitur est, decurias instituere. Est autem decuria numerus hominum, qui à duce uno positione simplici subinde deductus serie, cesset vel in octavum, vel in duodecimum, vel in decimumsextum. Numerus enim decuriæ variè ad hunc modum à diversis autoribus datur. Verum in re nobis proposita sexdecim describantur: cùm hic numerus, tum ad phalangis longitudinem modicè habeat, tum, si usus aliquando exigat altitudinem, vel duplari in 32.

ut aut-


ut augeantur, vel dimidiari, ut in 8. diminuatur, nihil postpositis expeditis militibus esse possit impedimento. Nam sive jaculentur, sive funda, aut arcu utantur, facile suo jactu altitudinem phalangis exuperent. Optimus cuiusq; decuriæ præponi, & ductor ceterorum omniū esse debet, qui & decurio, & decanus, & dux, & primus, & prę-stes nuncupatur. Ultimū decuriæ tergiductorē vocamus. Totā verè ipsam decuriam, ordinē, versum, & decaniam, nonnulli etiam enomotiam, quasi auctorationē à sacramento militari appellant. Sed sunt qui enomotiā, quartam esse decuriæ partē asserant, præfectūq; enomotarcham præponant. Duas itē enomotias dimœriam, quasi bipartitam vocant, & principē Dimœritam, ita ut semidecuriam dimœriam quoq; liceat vocitari, & semi decurionē Dimœritam, qui secundus decuriæ est: nam qui proximè decurionē postponitur, sub stes dicitur, qui verò hunc sequitur, præstes. Itē subStes, qui proximus ab hoc prestite est, ac deinceps in hunc modū præstes subsțesq; locatur, ut ordo totus ex præstitibus & substitibus positis alternatim conficiatur. Vnde meritò decuriam ita quoq; definiunt, ut versus sit ex primis secundisq; pro virtute institutis, atq; uni decurioni obtēperantibus. Condecuriare, est primæ decuriæ secundam ità apponere, ut lateri primi versus decurionis, decurio secundi versus respondeat, & lateri subStitis primi decurionis, subStes primus secūdæ decuriæ, ac deinceps ad hunc modū. Astes verò is dicitur, qui ita appositus viget, verbi gratiā, decurionis primæ decuriæ astes, decurio secundæ decuriæ est, & subStitis primæ, subStes secundæ, itaq; deinceps: quoties igitur post secundam decuriam tertia & quarta, & reliquæ deinceps adiiciuntur, talis constructio condecuriatio dicitur, totaq; coagmentatio phalanx, sive legio. Cujus longitudo prima decurionū ordinatio est, quæ & frons, & facies, & acies, & jugum, & os, & duces, & præstites, & primi decuriarū vocari solita est. Quantū verò phalangis ponè frontē ad tergi usq; ductores porrigitur, id altitudo nominatur. Stare per directū in longū astites, jugare dicitur. Stare per directū in latū præstites subStitesq;, versare vocabulū accipit. Phalanx seorsum in primas summasq; partes duas à fronte per totam sui altitudinē secatur, quarum altera cornu dextrum & caput vocatur, altera cornu lævum, & pes dicitur, qua autem longitudo ita secatur, oris & umbilici nomine utimur.

Post armatorum phalangē ponè levis locatur armatura. Equites verò ab hac loco tertio statuuntur, fieri tamen potest, ut usus vel secus disponi interdū exigat, quod in progressu operis explicabimus. Nunc quantus armatorū atq; equitū numerus esse debeat, & quemadmodū singulos oporteat ordinari, & ordines magna cū celeritate transformari necessitate incūbente conveniat, & quænā disciplina movendi de singulis ordinib. habeatur, exponemus. Numerum statuere certū copiarū nulla probabili ratione possumus. Prout enim rem suam quisq; plus minúsve apparatus desiderare intelligit, ita modū describet. Sciendum tamen eos numeros deligi oportere, qui ad ordinū transformationē possint occurrere habiliores, hoc est, quoties phalangis longitudinem augere, altitudinem diminuere, aut è contrario agere voluerimus: quamobrem genus numeri illud probamus, quod subinde in partes æquas usque in unitatem possit dividi: unde autores qui de acierum instructione scripsêre, magna ex parte phalangem gravis armaturæ numero sexdecim mill. 384. institui censent oportere. Leves armaturæ subduplo ejus numeri, itemq; hujus subduplo equitum phalangem describunt. Nam 16. mil. ccclxxxiiij. numerus dimidiari subinde usq; in unitatē potest. Formæ igitur descriptioni sq; gratiâ hunc ponimus numerū. Vnde fit, ut quoniam decuriam sexdecim hominibus constare proposuerimus, M. xxiiij. decurias confici necesse sit. Decuriæ in ordines digeruntur, quibus singulis vel nomen proprium inditum est: duæ namque decuriæ dilochiam, velut duplarē quandam decuriam sive armaturam constituunt, hominum xxxij. cujus ordinis princeps dilochita, duplaris quidam decurio nuncupatur. Quatuor decuriæ tetrarchiam, quadruplarem dixerim decuriam faciunt, hominum sexaginta quatuor, cui præest tetrarcha, quadruplaris decurio. Duæ quadruplares illæ centuriam constituunt, hominum cxxviij. decuriarum octo, cujus præfectus Cēturio, & à nonnullis ordinarius dicitur. Duę centuriæ manipulum reddunt, decuriarum sexdecim hominum cclvj. cui manipularius præest. Sunt qui genus hoc ordinis cclvi. Xenagiam à mercenario milite vocent, ejusque principē Xenagum. In hisce singulis cclvi. hominum manipulis homines superordinarii quinque habentur: Signifer, Tubicen, Minister, Præco, Tergidux. Quadram habere hunc ordinem formam certum est, longitudine ad xvi. altitudine que ad totidem. Duo manipuli pentacosiarchiam, cohortem quingentariam componunt, hominum D. xij. centuriarum xxxij. cujus princeps pentacosiarcha, Tribunus minor. Duæ cohortes quingentariæ mœrarchiam, id est, cohortem milliariam faciunt, hominum M. xxiiij. centuriarum lxiiij. cujus præfectus mœrarcha, Tribunus major. Duæ millenariæ meros, hoc est, partem constituunt, hominum ij. mill. xlviiij. cujus præfectum mœrarcham à parte, quasi Partarium dicimus, decuriarum cxxviij. Genus hoc ordinis nonnulli telos nuncupaverunt, præfectumque ejus telarcham. Duæ partes phalangarchiam phalangem simplarem consummant, hominum quatuor mill. xcvj. decuriarum cclvi. cujus præfectus phalangarcha, princeps phalangis simplaris dicitur: nonnulli strategiam, id est prætoram hunc ordinem vocant: & Strategum, id est, prætorem ejus principem nominant.

Duæ simplares phalanges duplarem phalangem reddunt hominum octo millium CXCII. decuriarum D. duodecim. Sunt qui ordinem hunc meros, id est, partem appellari velint, quod modò cornu & alam diximus nominari. Duæ duplares phalanges quadruplarem phalangem coagmentant, decuriarum M. XXIIII. hominum XVI. mil CCCLXXXIII. Sunt itaq; in tota phalange sive legione cornua duo, phalanges simplares quatuor, partes octo, cohortes milliariæ sexdecim, quingentariæ triginta duæ, manipuli sexaginta quatuor. Centuriæ CXXVIII. Centuriæ quadruplares CCLVI. Decuriæ duplares D. XII. Decuriæ M. XXIIII. Optimus quisque præfectorum phalangum simplariū in prima simplari, hoc est, in dextro cornu statuitur: secundus virtute, in secunda, hoc est, in lævo cornu locatur: tertius cum secunda in lævam ponitur mediam versus secturam: quartus cum prima in dextram, hic etiam mediam versus secturam. Quòd cum prima & quarta præfectos habeant, primum virtute & quartum, secunda autem & tertia secundum virtute & tertium, pares utique virtute suorum principum constant. Nam si in quatuor magnitudinibus insunt proportiones æquales, quod à prima & quarta proveniat, magnitudine id ei esse æquale, quod fit à secunda & tertia, apertum in disciplinis mathematicis est.



Prima igitur & quarta secundam & tertiam æquiparant: partium quoq; præfecti ita ordinantur, ut primus virtute in lævo primæ phalangis simplaris statuatur. Secundus in dextero secundæ. Tertius in lævo tertiæ. Quartus in dextro quartæ. In singulis etiam decuriis quadruplaribus decuriones ita locantur, ut primæ decuriæ princeps virtute excellat, quartæ secundum virtutis locū obtineat, tertiæ tertium, secundæ quartum. ita enim virtute pares intra se cōstent, cùm prima primum, & quartum virtute habeat, secunda autē secundum virtute & tertium. Item cùm in singulis manipulis quatuor decimæ duplares contineantur, hac eâdem ratione vel in his ipsis principes ordinemus, ut primæ quadruplaris præfectus in dextro ponatur, & virtute cæteris sit præstantior. Quartæ lævū teneat cornu, & virtute secundus habeatur. Tertiæ in dextro constituatur, & virtute sit tertius. Secundæ in lævo locetur, quartus virtutis ratione. Hanc eandem proportionem sive comparationem vel in majoribus præfecturis servabimus.



Nunc de intervallis, quibus armati inter se distent, tum in longum, tum in altum, agemus. Differentia triplex est intervalli. Nam homo ordinatus cubita quatuor occupat. Densatus duo. Constipatūs unum. Densatio igitur est, cùm ex laxioribus arctiora reddimus intervalla: atq; ita per astitem subStitemq; corpus phalangis colligimus, & militem universum facimus, tum in longum, tum in latū, adductiorem, verum ita, ut recipere possit immutationem. Constipatio

patio est, quoties phalanx per astitem ac subsitem arctius sese colligit, quam modò densari retulimus, adeò ut ob frequentiam militis, nulla vel dextrorsus, vel siniſtrorsus possit fieri declinatio. Densatur, cum phalangem duci in hostes placet Jmperatori. Constipatur, cùm hosti aggredienti resistendum in robore est. Cum itaque frontem phalangis decuriones M. xxiij. compleant, ij certè ordinati, cubita quatuor millia, xcvj. longitudinis occupabunt, hoc est, stadia decem, & cubita xcvi. Densati stadia quinque, cubita quadraginta octo. Constipati stadia occupabunt duo, & semis, & cubita viginti quatuor. Armabitur phalanx scuto & hasta. Scutum optimum, quod Macedonicum, æneum, mediocriter cavum, ad octo dodrantum magnitudinem. Hasta nulla cubitis octo brevior, longissima, quæ eatenus sumi potest, quatenus tenere miles & uti facile valeat. Decuriones utpote duces decuriarum phalangis, optimos esse omnino convenit, ita & statura & viribus corporis præstantiores cæteris sint, & rei militaris peritiores. Hoc enim iugum phalangē continet vniversam, & in usu præcipuum est. Vt enim gladius pondere sui ferri posterioris & mole aciem efficaciorem præstat, idem in phalange existimandum esse, ut pro acie ac oris cuiusdam robore ipse sit ordo decurionum. Pondus autem & molem & magnitudinis additamentum afferat constituta in tergo militum multitudo. Curandum quoad fieri potest, ut etiam iugum secundum militē cōstet idoneo. Nam ejus quoq; ordinis ista in frontem prominet, & adiuncta priori utilis ex propinquo est, & vel desiderato vel sauciato decurione, secundus se in parte priore constituens, ordinis incolumitatem servabit. Tertium item iugum & quartum, & reliqua deinceps pro virtute instituemus, ut qui deterior sit, iis subinde posterior collocetur. Macedonica phalanx in expugnabilis, & intoleranda hostibus habita est genere suo instructionis & ordinis. Miles enim armatus, vel in duobus cubitis stat, quoties densari imminens prœlium postulat. Sarissæ longitudo ad cubita quatuordecim, quorum duo manus auferunt, reliqua duodecim prominent. Itaque fit, ut secundi suas sarissas super armatos iugi prioris prominentes, ad decem cubita habeant: tertii ad octo, quarti ad sex, quinti ad quatuor, sexti ad duo. Ab his nulla item sarissa primum superat iugum. Quod cum per singulos jugi primi sarissæ quinque aut sex prominent, species formidolosa existat, consentaneum est. Miles item firmus ac robustus constat quinque sexque sariſſis obseptus, & tot tantisque fultus innixusque facultatibus commilitonum. Quinetiam qui post sextum positi sint iugum, & si minùs sariſſis agunt, tamen pondere sui corporis prominentes, augent vires totius phalangis & facultatem, nec fugiendam vllam ducibus & præstitibus relinquunt occasionem, nonnulli hastam posterioris militis longiorem quàm prioris sumi idcirco voluerunt, ut etiam qui in tertio & quarto iugo locati essent, spiculis suis pari fronte hostem possent excipere. Tergidux superordinarius singulorum ordinum prudens peritusque esse debet, qui provideat & procuret, quemadmodum milites ordinis totius versent inter sese atq; iugent: & recedentes vel metu, vel aliqua alia causa prohibeat, & restitui cogat in ordinem, atq; etiam cùm constipandum sit, compellat militem, cogatq; si usus exigit, in arctum quàm maximè adduci. Ita enim fit, ut vires & robur phalanx accipiat. Quas ob res non modo in fronte, verùm etiam in tergo legionis principem & ducem aliquem statui, necessarium ducimus. Hęc de decuriatione armatorum phalangis dixisse sufficiat. Nunc de velite. Instruet Jmperator suum velitem pro paratu ex consilio hostium, modò in fronte, modò in dextera, modò in leva, nonnunquam etiam in tergo, videlicet quemadmodum res ususque exigit. Nos exempli gratia sic instruimus.

Decurias quoq; in ordine velitum statuemus M. xxiiij. videlicet totidem quot phalanx continet armatorum: ut sub primâ armatorum, decuriâ, prima velitum ordinetur, & sub secundâ secunda, & deinceps sub singulis singulæ constituantur, non tamen ex sexdecim hominib. has instituemus, sed ex octo: ita ut M. xxiiij. decuriæ compleant hominum octo millia excij. Nomina eorum & ordines ita accipe. Quatuor decurias velitum systasin, id est, constitutionem vocamus, hominum triginta duorum. Duas constitutiones pentecontarchiam, semicenturiam dixerim, hominū sexaginta quatuor. Duas semicenturias, centuriā: hominū centum & triginta octo. Inesse singulis centuriis debēt superordinarii quinque, Signifer, Tergidux, Tubicen, Minister, Præco. Duas centurias psilagiam à ducētis velitibus, quasi velitariam, vel expeditariam nominamus, hominum ccxlvi. Duas velitarias xenagiam à mercenario milite, velut mercenariam dicimus, hominū D. xij. Duas mercenarias systema, tanquam constitutoriam appellamus, hominum M. xxiiij. Duas cōstitutorias epixenagiam ceu admercenariam, hominum duorum mill. & quadraginta octo. Duas admercenarias stiphos, hominum quatuor mil. & nonaginta sex. Duo stiphœ epitagma, velut additā legionem, decuriarum mille & vigintiquatuor, hominū octo millecentum & nonaginta duorum. In his quoq; superordinarios octo inesse solitum est, quorum quatuor Epixenagi, hoc est, duces sive principes admercenariæ illius habentur, reliqui Systematarchæ præficiunt principes seu præfecti eius, quam constitutoriam interpretamur. Iaculatores sagittarii, & omnes qui aliquo teli genere utantur, utiles ad eam rem esse constat, ut prœlium exordiantur, hostem provocēt, feriant, saucient eminus, & prosternant: fundāt aciē, repellāt equitē, cogant adversariū procursantē loco cedere, explorent, perlustrēt quæ loca suspecta, locēt insidias: hi deniq; & primū certamē subeūt, & unà cū ceteris pugnāt: & quāquā ceteri desierūt, ipsi perseverāt in dimicatione: omnino gen⁹ hoc militū cū operā præstet celeriorem, agatq; eminus, multa efficere potest & præclara.


De acie equestri.

Equitum acies autores superiores, aut quadratas, aut parte altera longiores, aut Rhombi cuneive gerentes speciem, tradidēre. Sed nemo suam ferè satis expressit sententiā. Quamobrē nos descriptione etiam figurarum, formas explicabimus acierum ipsas, quò possint facilius percipi. Aciebus ad Rhombi similitudinē formatis Thessalos primos usos cōperimus, qui plurimū equitatu valuerunt, Iasone (ut ferūt) autore generis huius aciei, utpote ad omnes usus accōmodatioris: equites enim cōstituti in hac forma vertere se in quemvis prospectum possunt, minimeq; vel à tergo vel à latere capientur. Quippe cum præstantiores, Rhombi latera teneant, & principes, angulos regant. Stat enim in priore angulo turmæ ipsius præfectus, in dextro autem & siniſtro, qui custodes vocantur lateris, statuūtur. In reliquo vero angulo decem seu ductorem tergi locari solitū est.

Rhombus.

ἰλάρχης.

P.



Tergidux. D οὐραγός.

Cuneatis Scythæ utuntur & Traces. Quinetiam Macedones usi sunt suadente rege Philippo. Efficacius enim genus id arbitratum est, quàm quadratum: ob eam scilicet rem, quòd suos principes circumpositos habeat, & fronte exiguâ constet, & equitandi usum per quodlibet intervallum facilem præbeat regressum celeriorē. Quippe quod minus difficiles illos circuitus habeat, quos quadratæ acies sortiuntur. Quadratis aciebus Persæ & Siculi, ac pleriq; Græcorum usi sunt, existimantes & ad compositionem & ad equitantium coitionem accommodatius: & omnino hoc disciplinæ genus servare multis in rebus præstantius. Nam & instructio, quoniam per versus ac iuga ordinetur, occurrit facilior, & principes in hoc uno formandi genere hostem universi aggrediuntur.

Phalanx Curvata.



Optimæ inter quadratas habentur quæ duplici, tam in longum quàm in altum, numero constent. Exempli gratia, octo in longum, quatuor in altum, aut decem in longum, quinque in altum, quæ numero parte altera longiores consistunt: figura autem seu forma quadræ instituuntur. Etenim longitudo equi à capite ad caudam respectu suæ latitudinis plures eos habere debet, qui per iuga ordinentur, quàm eos, qui in versus se porrigant. Nonnulli triplicem esse longitudinis numerum ad altitudinis probant, scilicet ita arbitrantes fore, ut quadra forma efficiatur. Triplicem enim propemodum longitudinem habere ad suorū armorum latitudinē videmus. Quapropter cùm novem in fronte statuant, tres in latum componunt. Haud enim fieri potest, ut equitum multitudo posteriorem eandem præstet utilitatem, quam in pedestribus copiis, ubi scilicet ponè renitentes, primorum continent altitudinem. Equitum namque omnium numerus, corpus ponduſque unum consistet. Itaque fit, ut si posteriores prioribus iuncti renitantur, nihil suo impulsu proficiant. Immò unà cum aliis labantur, & perturbatis ordinibus gravius suo errore quàm virtute hostium versentur necesse sit. Quamobrem ita evenit, ut quoties equestris longitudinis numerus æquè & altitudinis constet, numerus ipse quadratus sit. Forma autem altitudinis parte altera longior. Aſt quoties turmæ forma quadrata est, è contrario evenit, ut equitum numerus parte alterâ longior existat.


Phalanx

Phalanx quadrata.

y y y y y y y y y
y y y y y y y y y
y y y y y y y y y
y y y y y y y y y
y y y y y y y y y


Rhombi formam omnium maximè necessariam venisse in usum creditur, eò quòd præ ceteris omnibus constituto præfecto turmæ, equites qui in lateribus ordinantur, non equo suo illi præfecto jugent, sed ita subiiciantur, ut eorum capita juxta armos equi præfecti apponantur. Intervallisque inter sese iustis equites tum dextri, tum læui; tum etiam posteriores discernantur, ne frequentia turbet ordinem, cum equi immitiores in proximos sibi equos conversi calcitrent, & militibus vulnera infligant. Autores autem hujus generis aut ita disponunt, ut equites & versent & jugent: aut ita, ut versent quidem, sed non jugent: aut ita, ut jugent, sed non versent. Quæ singula, quemadmodum se habeant, dicam. Qui Rhombos simul & versare & iugare voluerunt, medium & maximum iugum turmæ, numero impari statuunt: ut undecim, aut tredecim, aut quindecim, cui ex parte utraque, priore, inquam, posterioreque adiungunt binario primis illis pauciores: verbi gratia, si maximum illud iugum equitibus constet quindecim, addita iuga utrinque denis aut ternis componunt, & quæ item post hæc utrinque adiungunt, denis singulisque conficiunt, atq; ita binario subinde pauciores adiiciunt, dum singuli relinquantur, totaque turma equitibus consumetur C. XIII.

Rhombus, qui versat & jugat.



Rhombum dimidiatum, & jam transformatum in triquetrum, cuneum seu rostrum vocamus. Quapropter cunei quoque forma perinde explicata jam est: quod aciei genus, cùm suum medium exiens in acutum habeat, & motum facilè, quorsum velit, sortiatur, expeditè admodum vel molem posteriorem sua cum fronte circumagit, & celeriter potest immutari.

Cuneus, qui versat & jugat, vel rostrum.



Alij ita instruxere, ut equites, qui rhombum conficerent, neque versarēt neq; jugarent. Ita enim & cōversiones & trāsitiones equitū posse facilius fieri existimarūt, cū nō antè, nō ponè, nō à latere quic quam impediret. Statuunt primum præfectum turmæ, mox ad ejus utrumque latus adiungunt singulos loco submissiore, ut quod dictum iam est, capita iunctorum equorum iuxta armos præpositi equi ordinentur. Et primus ordo, qui duo latera rhombi contineat numero impari undecim equitibus constet, præfecto medio constituto, quinis autem in utramque partem suppositis. Deinde iugi principem post turmæ totius præfectum collocant. Tum in eius partem utramque simili ratione quaternos subijciunt, ut totus secundi ordinis numerus novenarius sit, binario minor priore: & quasi duo æquidistantia latera duobus illis Rhombi lateribus primis constituantur. Mox tertium septenario describunt, atque ita subinde binario diminuentes, in unum usque deveniunt. Et hæc turma equitibus constat xxxvi. Hoc genere Polybius utitur, sed numero hominum sexaginta quatuor & forma literæ λ, deorsum inversæ γ.

Rhombus, qui neque versat, neque jugat.



Sunt quæ ex versantibus quidem, sed non præterea ex iugantibus constent, quæ ad hunc modum constituuntur. Versu aliquot equitibus instituto, quorum primus præfectus sit turmæ, ultimus autem tergiductor, in eius latus utrunque versus alios numero hominum unitate minores disponens, qua eques per interiecta intervalla distat ab equite. Quod si in primo decem sint equites, uterque appositus novenis constabit, & tertii octonis, atque ita numerus subinde decrescet, dum in unum deveniat: sic enim fieri potest, ut equites inter se versent quidem, sed non iugent. Vtile genus quoque id disponendi est ad declinationes, quas agi in utrumlibet latus solitum est.

Uocatur autem, quæ ad dextram fit, in hastam declinatio: quæ autem ad lævam, in habenam.

Turma ex versantibus.

Præfectus.



Rhombus versans, non iugens.

Tergiductor.

At si turma ex iugantibus quidem, sed non ex versantibus consistere debeat, in hunc modum dispones, medium & maximum iugum numero constitues impari. Cetera autem subinde per media intervalla adiunges, quemadmodum in superiore turma proposui, atque ita efficietur, ut turma iugantibus tantum consistat.



Turma ex iugantibus.

Turmas vario modo, ut etiam levem armaturam statuimus: aut enim antè phalangem, aut in latere, aut post levem atmaturam: sed nos describendi exempli gratia post levem locavimus. Et prima equitib. constet sexaginta quatuor, cuius primum iugum equites compleant quindecim, secundum tredecim, tertium undecim, & reliqua subinde binario usque in unum decrescant. Signum is feret, qui in secundo iugo à læve principi iugi astat. Omnes turmæ numero sexaginta quatuor statuētur, equites quatuor millia CXVI. Duæ turmæ Epilarchiam, hoc est turmam duplarem constituunt, equitum CXXVIII. Duæ duplares Tarentinam reddunt, equitum CCLVI. Duæ Tarentinæ magisterium, equitum D. XII. Duo magisteria Ephipparchiam duplare magisterium, equitum M. XXIIII. Duplicatum duplare magisterium telos, equitum 2. mil. 48. Duplicatum telos epitagma, id est summam ordinis sive agminis facit, equitum quatuor mil. XCVI. Explicatæ iam sunt variæ sententiæ veterum, quemadmodum turmæ instruantur, sed quoniam in his magnam differentiam esse constat, non sine delectu uti debemus, sed quotidianis exercitiis sæpius experiri genera instruendi singula. Itaque securè in prœliis, quod facilius commodiusque probetur, admittere, officium est. Quid enim stultius, quàm cùm minimis de rebus homines diligenter inquirant, ambigant, perscrutentur, de his tam amplis, tam necessariis non antè periculum facere accuratissimè velint, quàm certamina subeant. Quod tamen genus turmæ probaveris, id licet & augere numero hominum, & minuere.

De curruum & elephantorum institutione, quanquam usus eorum rarus est, tamen doctrinæ gratia plenioris, exponam nomina, quibus autores superiores usos comperio. Duos currus zygarchiā, id est, parilem vocāt. Duas pariles, cōiugationē. Duas cōiugationes, epizygarchiam, duplarem coniugationem. Duas duplares, harmatarchiam currulem. Duplicatam currulē, cornu. Duplicatū cornu, phalangē. Pluribus uti phalangibus curruū licet, vocabulis ijsdē, quæ modò exposui. Curribus aūt ipsis, aut expeditis, aut falcatis usos cōperimus. In ordine elephantorū, qui uni præest elephanto,

zoarchus,

ɛvarchus, ab animalis præfectura vocatus est: qui duobus imperat, Therarchus à fera, quasi ferarius, & constitutio talis Therarchia, feraria. Qui quatuor dominatur, epitherarchus, duplicaris ferarius: & hæc constitutio epitherarchia, duplaris feraria. Qui octo præfectus est, Ilarcha, hoc est, turmæ princeps, & constitutio ista Ilarchia, turmæ præfectura. Qui sexdecim præest, elephantarcha, id est, elephantorum præfectus: & constitutio elephantarchia, præfectura elephantorum: qui triginta duobus imperat, ceratarchia, id est, cornu præfectus: & constitutio, ceratarchia, cornu præfectura. Quòd autem ex sexaginta quatuor constat, id phalangem vocamus elephantorum, cuius præfectus Elephantarcha vocatus est.

Genera perfectarum copiarum, & nomina constitutionum & ordinum exercitus, omnia in hunc modum notata animadvertimus, vocabula de cetero, quæ in præceptis versantur, explicasse utile est: utjam pridem milites quid quodque significet certiores, facilè quæ per aciem imperantur, intelligere possint, & facere. Est quod declinatio appelletur, cujus duplex est genus: aut enim in hastam, aut in scutum. Immutationem item dicimus, & conversionem, & reversionem, & inflexionem. Ad hæc versare, jugare, reddere in arrectum, evolvere, duplicare. Addo inductionem, dextrâ deductionem, levam deductionem. Phalangem transversam, phalangem arrectam, phalangem obliquam. Intercalationem, præpositionem, impositionem, suppositionem, postpositionem, appositionem. Quid quodlibet eorum significet, breviter exponam.


Nec ignoro, non apud omnes autores præceptâ eisdem esse nominibus tradita. Declinatio est motio militum singulorum, cùm vel in hastam, hoc est, dextrorsum sese convertunt, vel in scutum, hoc est, sinistrorsum. Quod commodè agitur, quoties hostes existunt à latere cornu, utique superandi, aut adversi itineris gratia; aut ob aliquem usum alium, quemadmodum singulis in rebus ostendam. Duplicata autem declinatio partem versus eandem, ora militis in hostilem à tergo conatum transfert. Quæ res immutatio dicitur, & vel in hastam, vel in scutum fieri solita est.

d	d	Prima statio ante declinationem.
⊖	⊜	Prima declinatio.
p	p	Secunda declinatio, quæ & Immutatio dicitur.


Discrimen duplex notatur immutationis: aut enim ab hostibus, aut in hostes immutantur. Quamobrem immutationem ita definiunt, ut prioris aspectus translatio sit in aspectum posteriorem; hoc est, tergi, aut è contrario. Immutatio igitur ab hoste, bis in hastam milite declinante efficitur. In hostem autem, bis declinante in scutum fieri assolet. Conversio est, cùm densatis copiis per astitem substitemque, totum phalangis corpus, tanquam hominem unum, vel in hastam vertimus, vel in scutum, ita ut circa primum decurionem, velut centrum omnes circumagantur, atque ita locum priorem immutent, ut aspectum dextrum accipiant, singulis substitibus & astitibus loca servantibus, suo hoc modo.

Discrimen.

Prima statio aciei.




Reversio est conversionis restitutio in eundem locum, quem ante copiæ densâ instructione obtinebant, quàm conversio fieret. Inflexio est militum ex duabus conversionibus motio, ita ut locum accipiant posteriorem.



Deflexio est militum ex tribus conversionibus motio, ita ut si ad hastam agantur, transeant in lævum aspectum: si ad scutum, in dextrum.

Prima conversio in scutum.



Versare, est singulos sua in decuria è directo decurioni & tergiductori constare æqua inter sese conservantes intervalla. Iugare est singulos sua in decuria è directo suo astiti stare; servantes simili modo intervalla. Iugant ergo præfecto primæ decuriæ omnes decuriarum præfecti. Substiti verò primi præfecti substites ceterorum omnium principum, ac deinceps ad hunc modum. Reddere in arrectum, est militis ora ad primum aspectum restituere. Verbi gratiâ; similes adversus hostes constitutus imperetur declinare in hastam, deinde præcipiatur in arrectum restitui, rursus in hostem converti, adversumque stare oportebit. Evolutionum duo sunt genera, alterum per decurias, alterum per juga. Utrumque in tres digeritur species, Macedonicam, Laconicam, Choreum, quæ & Persica & Cretensis nominatur. Macedonica est, quæ primorem phalangis locum commutat, & frontem in tergum aspectumque posteriorem traducit. Laconica est, quæ locum phalangis posteriorem commutat: & pari ratione relicto primore aspectu, sumit posteriorem, tergumque efficit frontem. Persica illa, quam & Cretensem & Choreum diximus nuncupari, locum eundem servare phalangis, militibus singulis commutantibus sua loca, ita ut præfectus decuriæ locum tergiductoris accipiat, & tergiductor vicem præstet decurionis, frons que ex tergo aspectui posteriori reddatur. Evolutiones per juga fieri solent, quoties cornua transferri ad intercisa sive secturas, & intercisa ad cornua melius est, ut mediæ copiarum partes corroborentur: & aut dextræ per levas, aut levæ per dextras reddantur validiores. Qui ne per majores exercitus partes faciant evolutiones, canent hoste propinquo, per minores ordines eas securius faciunt. Quemadmodum autem evolui oporteat, dicam. Evolutio per versum, quæ nomen à Macedone accipit, fieri solet, cùm decurio locum immutat, & postpositi omnes conversi de hasta sequuntur, intervalli que itidem servatis, & consistunt per ordinem. Genus Laconicum agitur, cùm decurio immutatus de hasta universam decuriam transfert, & locum sibi parem alium accipit, & reliqui omnes sectantes recto se constituunt ordine, & aptant, aut cùm tergiductor immutatur. Primus autem subsistens, conversus de hasta ante tergiductorem se collocat, ceteri que omnes sectantes, alter sese præ altero ponit, donec præfectus decuriæ primus constituatur. Choreus ita fit, ut decurio de hasta mutatus decuriam antecedat, & ceteri omnes sequantur, dum ipse præfectus locum tergiductoris accipiat, & tergiductor præfecti. Ita per decurias evolvi solitum est. Quo eodem more per juga quoque evoluimus, quoties per ordinem evolvendum sit, ut quilibet ordo aut locum servans eundem evolvat, ac dextrorsúmve transeat. Nihilo enim secùs, quàm modò retulimus, agi oportebit. Duplicandi duo sunt genera: Aut enim per juga, aut per altum duplicamus. Utrumque vel numero fit, vel loco. Numero duplicabitur longitudo, si quæ M. XXIV. militibus constat, MM. XLVIII. reddatur, insertis ex substitibus altitudinis in militum intervalla eodem, quem longitudo occupat loco: quod facimus, quoties densare longitudinem placet. At ubi restituere placuit, evoluere sua in loca jubemus eos, quos inservimus longitudini. Sed sunt, qui genus hoc duplicandi improbent, præsertim hoste propinquo, expeditasque copias atque etiam equites cornibus jungi, itaque speciem dari duplicationis sive duplicandi accessione censeant. Duplicanda est longitudo, quoties aut superare cornu hostium volumus, aut ne nostrum superetur, cavemus. Altitudinem duplicare solemus, vel addita secunda decuria primæ, ita ut secundæ præfectus ponè primæ præfectũ proximus collocetur, secundus secundæ, quartus primæ constituatur, & tertius secundæ, sextus primæ ordinetur: ac deinceps ad hunc modũ, ut tota secunda decuria primæ inseratur, & quarta simili ratione in tertiã: & omnes numero pares decuriæ in impares, vel his eisdẽ decuriis paribus per evolutionẽ adjunctis tergo imparium. Aut igitur ita duplicãda est altitudo, ut numero eodẽ servato, milites sese longius porrigent,

quatenus suæ versum, & spacium altitudinis duplicent: cùm autem restitui oportuerit, aut interjectos adjunctosve tergo milites illos, in suas decurias revocabimus, aut spacia coarctabimus quæque intervallo auximus laxiore.


Transversa est phalanx, quæ longitudine multo productiore constat, quàm altitudine. Arrecta est, quæ per cornu progreditur, longè productiore altitudine constans, quàm longitudine, omninoque plus longitudinis, quàm altitudinis habeat: oblongum id consuevimus nominare. Arrectum verò è directo, quod plus altitudinis, quàm longitudinis habeat: quocirca phalangem quoque interpretari licet his eisdem nominibus. Obliqua est, quæ alterum cornu, quod libuerit, propinquum obiiciens hostibus, eoque decertans, alterum semotius teneat, manens aggrediendi opportunitatem. Intercalatio est, cùm intervallis præpositi militis, inserimus per directum aliquos ex his, quos postponi placuerat. Præpositio est, cùm vel ex utrâque parte aciei, vel ex altera tantum fronti proponimus aliquos ratione auxilii. Impositio est, cùm levem armaturam intervallis alternatim phalangis totius inserimus. Postpositio seu subiectio est: cùm levem armaturam phalangi incuruæ postponimus, ita ut forma omnium copiarum portæ triplicis speciem præferat.

Sequitur, ut quemadmodum ordines converti ex suo loco, suæque instructioni restitui debent, doceamus. Cùm itaque ordines converti in hastam assuescere voluimus, præcipitur decuriam dextri extremi quiescere: ceteras omnes per singulas declinare in hastam, dextrorsumque procedere, tum reddere in arrectum: deinde juga posteriora colligere, atque ita densato milite converti in hastam. Quo facto, si restitui suum in locum placuerit, jubebimur immutari ad scutum, hoc est, quemque in locum vergere aversum, tum ordinem totum reverti, hoc est, quemadmodum milite obdensato conversus spectavit dextrorsum, ita totum transferri in locum unde converti inceperat. Mox decuriones quiescant, reliqui procedant per juga. Deinde immutentur, ut vergant quorsum principio spectabant, tum decuria dextri extremi quiescat. Hæc enim suum jam obtinet locum, reliquæ omnes ad scutum declinent, & procedentes restituantur. Ad postremum sursum præcipitur. Itaque suum quisque recipit locum, & servat. At si convertere ordinem ad scutum velimus, præcipitur decuriam lævi extremi quiescere: hæc enim suam jam habet positionem, reliquos omnes declinare in scutum, sinistrorsumque procedere, tum reddere in arrectum. Deinde juga posteriora colligere, mox ad scutum converti, ut jam actum sit quod voluerimus, hinc si restituere placet non secus, quàm illos in hastam conversos restituemus: quippe qui rursus quemq; in hastam immutari præcipiamus, deinde ordinem reverti, mox decuriones quiescere, & reliquos omnes procedere per juga, tum immutari, postmodum decuriam lævi extremi quiescere, utpote suum jam locum obtinentem: reliquas declinantes in hastam procedere, dum justa recipiant intervalla: ad postremum reddere in arrectum, atque ita omnes suum locum recipient. Si autem inflectere ad hastam placuerit, duas simul conversiones ordinis faciemus. Itaque efficietur, ut decuriones à prospectu adverso in aversum per ordinis immutationem transeant. At cum restituere volumus, præcipitur item ad hastam inflectere, hoc est, duas item conversiones ibidem ordinibus dare. Ita enim fit, ut eodem spectent decuriones, quorsum principio constituti spectabant, antequam ulla inflexio fieret. Hæc cùm fecerimus, decuriones quiescere præcipiemus, reliquos immutatos juga relaxare posteriora, tùm rursus mutari, & ordinis postremam decuriam dextram quiescere. Jam enim hæc suum in locum restituta est, reliquos declinantes in scutum, procedere, & suis intervallis restitui, mox reddere in arrectum. Itaque ordines primum suumque locum recipient. Sed si inflectere ad scutum velimus, præceptis utemur contrariis, hoc est, bis inflecti in scutum: quo facto, restitutionem agemus, quod ex his, quæ modò exposui, apertum jam est. Deflexio agitur, cùm ordinem ter partem versus eandem convertimus, hoc est, aut in hastam, aut in scutum: facit porro inflexio in hastam, ut militum ora transferantur à parte primore ad posteriorem. Deflexio autem facit, ut à primore vel ad lævam deveniant, vel ad dextram: nam si ad hastam deflectitur, in lævam transfertur: si ad scutum, in dextram. Si phalangem densari cornu versus dextrum placuerit, præcipiemus decuriam cornu dextri quiescere, reliquas autem declinari in hastam, atque in dextram colligere, tum reddere in arrectum, & juga posteriora colligere. Cùm autem restituere libet, quiescere decuriones, reliquos immutari, & juga relaxare posteriora. Deinde rursus mutari mox decuriam cornu dextri quiescere. Jam enim restitutum in dextro est: reliqui ad scutum declinantes suos duces sequantur, & primis intervallis receptis reddant in arrectum. Si autem cornu versus sinistrum densari phalangem libuerit, præceptis e contrario utemur. Mediam item phalangem, si densari placuerit, præcipiemus dextram duplarem phalangem declinare ad scutum, lævam ad hastam, tum procedere mediam versus phalangem, mox omnes reddere in arrectum, jugaq; posteriora colligere. At si phalangem primis instituere locis velimus, præcipitur immutari, & per juga procedere, excepto primo: tum omnes rursus mutari, & dextram duplarem phalangem declinare in hastam, lævam autem in scutum: mox sectari suos ductores donec ad prima deveniat intervalla. Deinde reddere in arrectum. Sed quoties immuratur, si per densationem agitur, erecta teneri spicula omnia, ne impediant, convenit. Iis eisdem exercitiis ac præceptis levis quoque armatura instituenda eruditaque est. Sunt certe præcepta hæc Immutationum, Conversionum, Inflexionum, Evolutionum, & Restitutionum utilia ad subitos hostium superventus, quos vel à latere vel à fronte intulerint. Macedonicâ evolutionem Macedones invenisse proditum est. Laconicam ad Lacedæmonios referunt auctores, quocirca ita nuncupari merverunt. Philippum tamen, qui Macedonum imperium auxit, & Græcis apud Cheroneam profligatis, Græciæ impe avit, ac eius filium Alexandrum, qui brevi Asiam in suam ditionem redegit, Macedonicam neglexisse evolutionem legimus, ut nisi summa utendi necessitas cogeret, nunquam uterentur. Laconicæ usu utrumque adversarios devicisse ferunt. Datur enim Macedonicæ vitio, quòd hoste repentè à tergo superveniente, non sine magna turbatione ageretur. Nam cùm posteriores converterent sese in locum priorem, & rem haudquaquam fugæ dissimilem facerent, hostes audaciores reddebantur: & iam milites, qui ita evoluissent, deterrere ac persequi poterant. Laconica certè contrario agit. Ubi enim duces una cum sequente milite verterunt sese obvios in hostem à tergo supervenientem, terrorem inferre nimirum possunt & turbationem. Sed assuefaciendæ sunt copiæ, tam pedestres, quàm equestres, partim voce, partim signis, quæ visu percipi valeant, ut rem aptè ac opportunè, quam quisque exigat usus, possit expedire. Nonnulla etiam tuba præcipi convenit. Ita enim plenius omnia ministrabuntur. Certiora sunt ea, quæ voce indicantur, nisi quid sit impedimento. Sed tranquilliora, quæ signis mandentur, videlicet cum res nulla est, quæ obstet atque obscuret. Vox autem percipi interdum non potest, aut propter armorum sonitum, aut propter equorum transitum & hinnitum, aut propter impedimentorum tumultum, & totius multitudinis strepitum. Signa quoque multis rationibus obliterari possunt, ac evanescere. nam & crassitudine aëris, & pulvere excito, & umbre, & solis splendore oppositio. Ad hæc locorum inæqualitate & frequentiâ arborum. Adde quod interdum fieri non potest, ut signum ad unumquemque usum præparemus, cum longe plura possint occurrere, quàm quibus assuefacti sint milites. Novis autem rebus quidnam consueti signi afferatur. Non tamen concidi ita potest, ut præceptum simul & vocis & signi incertum sit.

De itineribus.

Nunc de itineribus dicam, si ante quot modis expediri solet iter, diffiniam. Itinerum aliud arrecta inductio est: aliud deductio, aut dextra, aut leva, & aut simplici, aut duplici latere, aut triplici, aut quadruplici agminis procedetur. Simplici, cùm ex parte una adversarium aggressurum suspicamur: duplici, cùm ex duabus: triplici, cùm ex tribus: quadruplici, cùm undique. Unde fit, ut aut ter, aut simplici phalange agatur, aut duplici, aut triplici, aut quadruplici. Arrecta inductio est, cùm ordo ordinem sequitur. Verbi gratia, quum vel xenagiâ præcedente reliquæ sequuntur xenagiæ, vel quadruplarem decuriam reliquæ ordinatim sectantur. Item quæ agitur per cornu altitudine longè productiore quàm longitudine: nec pluribus, quàm duabus decuriis, hominibus denis compositis constet ordo. Huic opponitur genus aciei, quod Cœlembolum, quasi rostrum cavum nominamus: quod ita instruitur, ut duplicatæ phalangis præcedentia cornua inter se distent, sequentia iungantur, ad formam literæ V, sicut descriptio ostendit. Quæ ut primos dilectos, ita iunctos inter se habet ultimos. Cùm enim arrecta illa inductio medium adversariorum petat, habet id cavum rostrum in promptu, ut solutâ coniunctione extremorum, impetum copiarum primarum frustretur, lateraque invadat arrectæ inductionis inimici. Quin etiam triplex phalanx obiici huic eidem generi ita potest, ut una alterius cornu impugnet, secunda reliquum cornu aggrediatur, media & tertia impetum maneat & conflictum.

Arrecta instructio.




Deductio est, cùm phalanx suos duces. hoc est, decuriones aut parte dextra habet deducentes, quæ dextra deductio dicitur: aut læva, quæ deductio læva nuncupatur: non item per decuriam, sed per juga ambulans, cornu præposito, & latere instructa, aut duplici, aut triplici, aut etiam quadruplici, prout hostem exisli-

existimet aggressurum. Sed quasi utraque phalangis pars suo latere conflictum ineat primum, ita describatur, ut longitudinem triplicem, quàm altitudinem habeat. Frons enim X, altitudo tribus constat hominibus. Quamobrem miles non tantum ex directo, verùm etiam latere aggressius, conflictum tum excipere tum inferre, nimirum per exercitationem debet condiscere.

Arrecta deductio læva.	Arrecta deductio dextra.
ddd	ddd
ddd	ddd
F ddd	ddd F
r ddd	ddd r
o ddd	ddd o
n ddd	ddd n
s ddd	ddd s
ddd	ddd
ddd	ddd
ddd	ddd

PHalanx, quæ antistomus à duplici frontis, seu oris obiectu, quasi occeps vocata est, ita instruitur, ut medii tergis inter sese oppositis constent, extremi autem confligant cum adversariis. Perutilis hæc pedestribus copiis est, cùm adversus largam hostium equestrem copiam dimicant: melius enim resistunt circumventioni, & multiplici equitum invasioni. Valet hoc instruendi genus potissimum contra barbaros, qui loca Istro amni vicina incolunt: quos amphippos cognominant, à mutatione equorum: ex aliis enim equis in alios transilire consueverunt. Equestres, quæ opponuntur copiæ, forma constantes quadrata, in ordines duos parte altera longiores, pro usus necessitate divisæ sunt, ut totidem membris phalangis peditum bipartitæ obiiciantur.


Equestris instructio.



Equestris instructio.

PHalanx amphistomus, nomen à duplici fronte, sive ore in lateribus instituto acceperat, ita ut latericeps quædam & anceps posset nominari. Similis superiori occipiti est, præterquam quod illa suis extremis decertat, hæc suis lateribus dimicat. Cetera verò, quæ de superiore exposui, huic quoque conveniunt: omnia hastis longioribus, tam hæc quàm superior illa pugnat, more Alanorum & Sauromatarum. Spectat decuriarum dimidium in partem priorem, reliqui conversi sunt in posteriorem, ita ut dimidiati milites oppositis inter se tergis prœlientur fronte duplici, altera priore, quam decuriones conficiant: altera posteriore, quam tergiductores: cum etiam in duplarem phalangem copiæ dividi possunt, ut frons prior altera constituatur phalange, posterior altera constet.

Phalanx anceps.



PHalanx duplaris antistomus, hoc est, occeps nuncupatur, quæ suos duces non extra per deductiones, sed intus adversos inter se positos habeat: tergi autem ductores extrà videlicet in dextram lævamque deductionem distinctos. Forma hæc instrui solet, quoties adversarii equites forma rostri aggrediuntur. Cùm enim rostrum exeat in mucronem, ducesque sequentes de latere habeat, tentantesq; frontem copiarum pedestrium rumpere, ne id eveniat, duces peditum in medio stant, ut impetum adversariorum vel impediant, vel re infectâ faciant præterire. Qui enim rostro instructi aggrediuntur, ea spe sunt, ut medios aciei profligant, omnesque turbent copias. Quòd cùm principes copiarum pedestrium intelligant, utrâque parte sese veluti murum constituunt, & paulò inter se distantes, vergentesque ad locum penitiorem impetum irritum reddunt adversariorum. Genus id instruendi equestre, quod rostrum dicimus, Philippum regem Macedonum invenisse, scribitur. Præponere ille strenuos omnes solebat, ut eorum virtute miles quoque deterior contineretur, opusque unà cum præstantioribus prosequeretur, more spiculi aut ensis, cujus aciè pro sua soliditate, suoque acumine facilè transadigente, reliquum etiam ferrum, quanquam hebes esset, non sine efficacia penetraret.

Phalanx duplaris occeps.




Rostrum equestre.

PHalanx duplaris Peristomus seu Amphistomus, id est latericeps sive anceps, illa est, cujus partes per deductionem cornu præposito obliquè procedant, & dextra habeat præfectos, & leva tergiductores intus. Cùm enim adversa acies quadra dividat se in duo obliqua cornua, dextrum & sinistrum, cupiens aciem hostium similem circumvenire, hac de causa, qui circumventum sibi vident imminentem, in duplicem mobilem phalangem sese afformant, & partem sui alteram in lævum dirigunt cornu, alteram vertunt in dextrum. Unde nomen Peristomi, hoc est, latericipitis, genus id accipit. Quippe quod latere suo utroque spectantem in hostem habeat.

Phalanx duplaris latericeps.



Amphistomus.



Similiceps.

PHalanx homœostomus, à similitudine oris seu frontis nominata, quàm similicipitem appellarim, ita fit, ut decuriam perfectam, hoc est, hominum sexdecim, moventem in hostem sequatur alia similis: unde homœostomus dicta est. Nam & qui sequuntur simili fronte & formâ comitantur. Opponitur hæc generi aciei, quod plinthum à latere vocant: quem si placet, Laterculũ dices. Ordinatur id genus tam formâ, quam numero æquilaterum. Formâ, inquam, cum undique æqualibus constet spaciis. Numerò autem cum quot hominib. longitudo componatur, totidem ẽt altitudo. In hoc eodẽ ordinis genere omni ex latere armatos apponi

solitum est, nullo vel sagittario, vel funditore adjuncto. Conficitur hic laterculus ex duabus dimœriis : decuriæ namque dimidium dimœriam dicimus. Cùm enim decuria sexdecim constare hominibus debeat, dimœria octo constat. Bipartita id interpretetur, si placet, quo ad melius vocabulum invenerimus.

Phalanx similiceps.

p p p p p p p p p
p p p p p p p p p

Frons.

p p p p p p p p p
p p p p p p p p p

Frons.

d d d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d

Laterculus.

PHalanx duplaris Homœostomus, cùm partes æquali progredientes sitinere, aut in dextra deductione ambæ continent suos duces, aut in læva.

Duplaris similiceps.

d d d	d d d
d d d	d d d
d d d	d d d
d d d	d d d
d d d	d d d
d d d	d d d
d d d	d d d

PHalanx Heterostomus à frontis diversitate appellata, quam Versicipitem dixerim, ita instruitur, ut ambulans per inductionem duces ordinis præcedentis habeat (ut fit) in dextra deductione, sequentis autem in læva, ità ut ordines alternatâ principum locatione procedant. Nullus enim eodem latere suos continet principes, quo antecedens.

Phalanx versiceps.

d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d
d d d

TVrmam, quæ ad speciem ovi instruitur Ilion Thessalus excogitarat, unde Ile vocata est, suosque Thessalos eo ipse genere instruendi exercuit. Utile hoc est, cùm singulis suis angulis habeat principes. Primum Ilarcham, hoc est, turmæ præfectum : ultimum tergiductorem, utrinque autem lateris custodes. Opponitur huic acies, quæ forma lunæ cornib. in partem ductis priorem formetur, duceseque suis in cornibus habeat, & suis brachiis circumvenire adversas equitum copias tentet. Quamobrem illæ more Tarentinorum à longè iaculantur, circularem retorquentes accessum & turbantes. Tarentinos iaculatores appello, sicut inter initia operis dictum est, à Tarento Calabriæ oppido, cujus equites parvo quodam iaculo uti consueverunt, &c.

¶ Romanorum.

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Ratio disponendi exercitus docuit illum mente perditâ implicatoq; consilio, cùm eum pugnæ locum caperet, ut interclusâ fugâ moriendi necessitatem imponeret, cùm spem victoriæ non haberet, quod quidem Imperatori nostro optandum largiter fuit, qui hoc uno maximè offenditur, si certamen lubricum faciat spes prompta fugiendi, relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat. non amas Imp. bella, nisi ferventem hostem in gradu suo præcisa fuga teneat, ut aut ferro concidat, aut miseratione servetur. *Cap.* 28.

Idem ibidem : Ultra quam visus agi possit extensa acies pertinebar, non quo frons imbecilla tractu invalido duceretur; sed tãta subsidiorum atque ordinum confirmatione, ut acies non porrectior quàm robustior murum utrinque præberet; quod eam nec constipatio contraxisset, nec longitudo tenuaret. *Capitis 28. fine.*

Vegetius : Nunc qualiter instruenda sit acies, si pugna imminet, declaretur unius legionis exemplo, quod si usus exegerit, trãsferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro. Huic cohors secunda conjungitur. Tertiâ cohors in media acie collocatur. Huic annectitur quarta. Quinta verò cohors sinistrum suscipit cornu. Sed ante signa, & citra signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocantur, hoc est, ordinarij, ceterique principales. Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassides, cataphractas, ocreas, scuta, gladios majores, quos spathas vocant, & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu jaciunt. Item bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, adcujus jactum præcipuè exercebãtur milites, quodarte & virtute directum, & scutatos pedites, & loricatos equites sæpe transverberabat : aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum : Secunda hastatorum, armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarij & levis armatura, quos nunc auxiliatores & armaturas dicimus : & scutati plumbatis vel gladiis & missilibus accincti, sicut nunc omnes propè milites videntur armati. Erant item sagittarii cum cassidibus, cataphractis & gladiis, sagittis & arcubus. Erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides jaciebant. Erant tragularii, qui ad manubalistas vel arcubalistas dirigebant sagittas. Secunda acies similiter armabatur : in qua consistentes milites, hastati vocabantur. Sed in secunda acie, dextro cornu, cohors sexta ponebatur : cui jungebatur septima. Octava cohors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in secunda acie sinistrum semper obtinebat cornu. *Capite XV. Libri 2. de re militari.*

Quemadmodum triarij vel centuriones armentur.

Post omnes autem acies, triarij cum scutis, cataphractis & galeis ocreati cum gladiis, semispathis, plumbatis & binis missilibus locabantur, qui genu posito subsidebant, ut, si prima acies vinceretur. ab his quasi de integro reparatâ pugnâ posset sperari victoria. Omnes autem signarii vel signiferi, quamvis pedites, loricas minores accipiebant, & galeas ad terrorem hostium ursinis pellibus tectas. Centuriones verò habebant cataphractas, scuta, & galeas ferreas : sed transversis & argentatis cristis, ut facilius agnoscerentur à suis. *Capite XVI.*

Commissâ pugnâ gravem armaturam stare pro muro.

Illud autem sciendum est, & modis omnibus retinendum : quod commisso bello, prima ac secunda acies stabant immotæ. Triarij quoque residebant. Ferentarii autem & levis armatura scutatores, sagittarii, funditores, adversarios provocabant ante aciem procedẽtes : si hostes fugare poterant, sequebantur : si eorum virtute ac multitudine premebantur, revertebantur ad suos, & post eos stabant. Excipiebat autem prœlium gravis armatura, quæ tanquam murus (ut ita dicam) ferreus stabat; & non solùm missilibus, sed etiam gladiis cominus dimicabat. Et si hostes fugasset, non sequebatur gravis armatura, ne aciem suam ordinemque turbaret, & ad dispersos recurrentes hostes, incompositos opprimerent : sed levis armatura cum funditoribus, sagittariis, & equitibus, fugientes sequebantur inimicos. Hac dispositione atque cautela sine periculo legio vincebat, aut superata servabatur incolumis : quia jus legionis est, facilè nec fugere nec sequi. *Cap. XVII.*

Nomina militum, & gradus in scutis eorum adversis scribenda.

Sed ne milites aliquando in tumultu prœlii à suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant : ut ipsi nominant δείγματα, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscuiusque militis, literis erat nomen ascriptum, addito, ex qua esset cohorte, quave centuriâ. Ex his ergo apparet, legionem benè institutam, quasi munitissimam esse civitatem, quæ omnia prœlio necessaria secum ubique portaret, nec metueret repentinum hostium superventum, quæ etiam in mediis campis subitò fossâ valloque muniretur, quæ omne genus militum, omne genus contineret armorum. Si quis igitur pugna publica superare Barbaros cupit, ut divinitatis nutu, dispositione Imperatoris invicti reparentur, ex tyronibus legiones votis omnibus petat. Intra breve autem temporis spacium, juniores diligenter electi & exercitati quotidie, nõ solùm mane, sed etiam post meridiem, omni armorum disciplinâ vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facilè coæquabunt. Nec moveatur, Cæsar, tua majestas, quod olim consuetudo est mutata, quæ viguit : hujus fœlicitatis ac provisionis est perennitas tua, ut pro salute reipublicæ & nova excogitet, & antiqua restituat. Omne opus difficilè videtur, antequam tentes, ceterum si exercitati & prudentes viri delectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari & diligenter institui. Quidvis enim

enim efficit solertia, si competentes non denegentur expensæ. *Capit. XVIII.*

De camelis & cataphractis equitibus.

Vegetius: Camelos aliquantæ nationes apud veteres produxerunt in aciem, ut Vrsiliani in Aphrica. Macetes hodieque producunt. Sed hoc genus animalium arenis & tolerandæ siti aptum, eōfusas etiam in pulvere vento vias absque errore dirigere memoratur. Ceterum præter novitatem, inefficax bello est. Cataphracti equites propter mutimina quæ gerunt, à vulneribus quidem tuti, sed propter impedimentum & pondus armorum, capi eos facilè est, quoniam frequenter obnixi contra dispersos pedites, quàm contra equites. in certamine meliores tamen sunt, aut ante legiones positi, aut cum legionariis mixti, quando cominus (hoc est manu ad manum) pugnatur, acies hostium sæpe rumpunt. *Capite XXIII.*

Quomodo quadrigis falcatis, vel elephantis in acie possit obsisti.

Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ ut primò magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui. Nam difficile currus falcatus planum semper invenit campum, & levi impedimento retinetur: unoque afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maximè hac Romanorum militum arte perierunt. Vbi ad pugnam ventum est, repente toto campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigæ cùm incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quatuor palis connixum propugnaculum, quod quomodo abjeceris, tribus radiis stat, & erecto quarto infestum est. Elephanti in prœliis magnitudine corporū, barritus horore, formæ ipsius novitate, homines equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Postea Hannibal in Aphrica, Rex Antiochus in Oriente, Iugurtha in Nimidia copiosos habuerunt, adversus quos diversa excogitata sunt genera armorum. Nam & Centurio in Lucania gladio manum (quam promuscidem vocant) uni abscidit, & bini cataphracti equi iungebātur ad currum, quibus insidentes clibanarii, sarissas, hoc est, longissimos contos in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à sagittariis, quos vehebant beluæ, lædebantur, & earum impetum equorum celeritate vitabant. Alii contra elephantos cataphractos milites immisērūt: ita ut in brachiis eorum, & in cassidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne manu sua elephas bellatorem contra se venientem posset apprehendere. Præcipuè tamen velites antiqui adversum elephantos ordinarunt. Velites autem erant iuvenes, levi armatura, & corpore alacri, qui ex equis missilia optimè dirigebant. Hi equis prætercurrentibus ad latiores lanceas, vel maiora spicula beluas occidebant: sed crescente audacia, postea collecti, plures milites pariter pila, hoc est, missilia, in elephantos congerebant, eosque vulneribus elidebant. Illud additum est, ut funditores cum fustibalis & fundis, rotundis lapidibus destinatis, illos (per quos regebantur elephanti) cum ipsis turribus affligerent atque mactarent, quo nihil tutius invenitur. Præterea venientibus beluis, quâ irrupissent aciem, spacium milites dabant. Quæ cùm in agmen medium pervenissent, circumfusis undique armatorum globis, cum magistris absque vulneribus capiebantur illæsæ. Carrobalistas aliquanto majores (hæ enim longius & vehementius spicula dirigunt) superpositas curribus, cum binis equis aut mulis post aciem ordinari convenit, ut cùm sub jactum teli aceesserint bestiæ, sagittis balistariorum transfigantur. Latius tamen contra eas & firmius præfigitur ferrum, ut in magnis corporibus majora sint vulnera. Adversum elephanthos plura exempla & machinamenta retulimus, ut si quando necessitas postulaverit, sciatur quæ sint tam immanibus beluis opponenda. *Cap. XXIV. lib. 3. de re militari.*

Ratio podismi, quantum spacium in acie inter singulos homines in longum, vel in latum inter singulos ordines debeat custodiri.

Vegetius: Explanato autem qualiter debeat instrui acies, nunc podismum mensuramque ipsius ordinationis exponam. In mille passibus campi, una acies mille sexcentos sexaginta sex suscipit pedites: propterea quia singuli pugnatores ternos occupant pedes. Quod si sex acies in mille passibus campi volueris ordinare, novem millia nongenti nonaginta sex pedites sunt necessarii. Si autem in ternos ordines hunc numerum volueris tendere, duo millia passuum comprehēdes. Sed melius est plures acies facere, quàm militem spargere. Senos autem pedes à tergo inter singulas acies in latum diximus, interpatere debere: & ipsi bellatores stantes singulos obtinent pedes. Ideoque si sex acies ordinaveris, quadraginta & duos pedes in latum, & mille passus in longum 10000. hominum tenebit exercitus. Si autem in ternos ordinare volueris 21. pedes in latum, & duo millia passuum in longum, 10000. tenebit exercitus. Ad hanc rationem sive 20000. sive 30000. peditum fuerint juxta mensuram podismi, sine aliqua dubitatione difficultatis poterunt ordinari, nec dux fallitur cùm sciat, qui locus quantos capere possit armatos. Denique si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, jam inde novem vel amplius acies ordinari convenit. Magis enim expedit, ut conferti pugnent, quàm longius separati à suis. Nam si nimium fuerit acies attenuata, citò ab adversariis facta impressio ne perrumpitur, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel juxta dignitates corū servatur ex more, vel certè pro qualitate hostium commutatur. *Capite XV.*

De equitibus ordinandis.

Constructa acie peditum, equites ponuntur in cornibus, ita ut loricati omnes, & contati juncti sint peditibus. Sagittarij autem, vel qui loricas non habent, longius evagentur. A fortioribus nāque equitibus, peditum protegenda sunt latera: & à velocioribus atque expeditis, hostium cornua superfundenda atque turbanda sunt. Scire dux debet, contra quos grumos, hoc est, globos hostiū, quos equites oporteat poni. Nam nescio quā occulta ratione, immo pene divina, alij contra alios dimicant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpe vincuntur. Quod si equites impares fuerint, more veterum velocissimi cum scutis levibus pedites ad hoc ipsum exercitati iisdem miscendi sunt, quos expeditos velites, quasi volitantes nominabant. Quo facto quamvis fortissimi hostium venerint equites, tamen adversus mixtum agmen pares esse non possunt. Unum hoc remedium duces veteres invenerunt, ut assuefacerent iuvenes currentes egregiè, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum levioribus scutis, gladiis atq; missilibus. *Cap. XVI.*

De subsidiis, quæ post aciem collocantur.

Sed optima ratio est, & ad victoriam plurimum confert, ut lectissimos de peditibus, & equitibus, cum vicariis, comitibus, tribunisque vacantibus, habeat dux post aciem in subsidiis præparatos: alios circa cornua, alios circa medium, ut sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, provolent subitò, & suppleant loca: additāque virtute, inimicorum audaciam frangant. Hoc primi Lacones invenerunt: imitati sunt Carthaginenses: Romani postea ubique servaverunt. Hac dispositione nulla melior invenitur. Nam directa acies hoc solum agere debet, si potest, ut hostem repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere debes post aciem, de quibus cuneum aut forficem facias: si ducenda sit Serra, item ex abundantibus ducetur. nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, universa turbabis. Si globus hostium separatus, aut alam tuam, aut partem aliquam urgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra globum possis opponere, sive pedites, sive equites de acie tuleris, dum alia vis defendere, alia periculosius denudabis. Quòd si bellatorum tibi copia non abundat, melius est aciem habere breviorem, dummodo in subsidiis colloces plurimos. Nam circa medias partes campi, ex peditibus bene armatis debes habere lectissimos, de quibus cuneum facias, & statim aciem hostium rumpas. Circa cornua autem de contatis loricatisque equitibus ad hoc reservatis, & levi armatura peditum, alas hostium circumvenire te convenit. *Capite XVII.*

In quo loco primus dux stare debeat, in quo secundus, in quo tertius.

Dux qui præcipuam sustinet potestatem inter equites & pedites, in parte dextra stare consuevit. Hic enim locus est, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus est liberque procursus. Ideo autem inter utrosque consistit, ut & consilio regere, & autoritate tam equites quàm pedites ad pugnam possit hortari. Hic de equitibus supernumerariis, mixtis peditibus expeditis, adversariorum sinistrum cornu, quod contra ipsum stat, circuire, & à tergo semper urgere debet. Secundus dux in media acie ponitur peditum, qui eam sustentet & firmet. Hic fortissimos pedites, & bene armatos de illis superfluis secum habere debet, de quib. aut ipse cuneum faciat, & aciem hostium rumpat: aut si adversarii cuneum fecerint, ipse forficem faciat, utcuneo illi possit occurrere. In sinistra parte exercitus, tertius esse dux debet, satis bellicosus & providus, quia sinistra pars difficilior est, & velut manca in acie consistit. Ideo bonos equites supernumerarios & velocissimos pedites habere debet, de quib. sinistrum cornu semper extendat, ne circumveniatur ab hostib. Clamor autem (quem barritum vocant) prius non debet attolli, quàm acies utraque se junxerit. Imperitorum enim vel ignavorum est, voci ferari de longè, cùm hostes magis terreantur si cùm telorum ictu clamoris horror accesserit. Semper autem studere debes, ut prior instruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cùm nullus obsistit: deinde & tuis confidentiam auges, & adversariis fiduciam minuis, quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formidare, qui vident contra se acies ordinari. Huic additur maximū commodum, quia tu instructus paratusque ordinantem, & trepidum adversarium præoccupas. Pars enim victoriæ est, inimicum turbare antequam dimices. *Cap. XVIII.*

Quibus remediis virtuti vel dolis hostium resistatur in acie.

Exceptis superventib. vel incursionib. repentinis ex occasione, quam nūquam dux exercitatus amittit. Nam in itineribus, jam fatigatis; in fluminum transgressione divisis; in paludibus occupatis; in jugis montium laborantibus; in campis sparsis atque securis: in mansione dormientibus, oportunum prœlium semper infertur: cum aliis negotiis occupatus hostis, prius interimatur quàm præparare se possit. Quod si cauti sunt adversarii, & insidiarum nulla sit copia, tunc adversus præsentes, scientes, videtes, æquâ conditione pugnatur. Tamen ars belli, nō minus in hoc aperto cōflictu,

quàm in occultis fraudibus adjuvat eruditos. Cavendum vel maximè, ne ab ala, cornuque siniſtro (quòd ſæpius evenit) aut certè dextro, (quod rarò contingit) circumveniantur tui à multitudine hoſtium, aut à vagantibus globis, quos vocant Grumos. Quod ſi acciderit, unum remedium eſt, ut alam cornuque replices & rotundes: quatenus converſi tui, ſociorum terga defendant. Sed & in angulo ipſius extremitatis fortiſſimi collocentur, quia ibi impetus ampliùs fieri conſuevit. Item adverſus cuneum hoſtium, certis reſiſtitur modis. Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta cum acie primò anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcinum. Contrà quod ordinatio ponitur: quam forficem vocant. Nam ex lectiſſimis militibus confertis in V literam, ordo componitur: & illum cuneum excipit, atque ex utraque parte concludit, quo facto, aciem non poteſt irrumpere. Item ſerrà dicitur, quæ à ſtrenuis directa, ante frontem opponitur hoſtibus, ut turbata acies reparetur. Globus autem dicitur, qui à ſua acie ſeparatus, vago ſuperventu incurſat inimicos, contra quem alter populoſior vel fortior immittitur globus. Hoc ſervandum quoque eſt, ne ſub tempore, quo jam committitur pugna, velis ordines commutare, aut de locis ſuis aliquos numeros ad alia transferre. Statim enim naſcitur tumultus atque confuſio, & imparatis conturbatiſque facilius hoſtis incumbit. *Cap. XIX. libri 3. de re militari.*

Frontinus. Cneus Scipio in Hiſpania adverſus Hannonem ad oppidum Indibile cùm animadverriſſet Punicam aciem ita directam, ut in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidem miles, ſed qui alienum negotium ageret: in ſiniſtro autem Afri minus viribus firmi, ſed animi conſtantioris, reducto ſiniſtro latere, ſuorum dextro cornu, quod validiſſimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoſte conflixit. Deinde, fuſis fugatiſque Afris, Hiſpanos, qui in receſſu ſpectantium more ſteterant, facilè in deditionem compulit.

Philippus Macedonum rex, adverſus Illyrios gerens bellum, ut animadvertit frontem hoſtium ſtipatam, electis de toto exercitu viris, latera infirmiora, fortiſſimis ſuorum in dextro cornu collocatis, ſiniſtrum latus hoſtium invaſit, turbatâque acie totâ, victoriam profligavit.

Permenes Thebanus, conſpecta Perſarum acie, quæ robuſtiſſimas copias in dextro cornu collocatas habebat, ſimili ratione & ipſe ſuos ordinauit, omnemque equitatum & fortiſſimum quemq; peditum in dextro cornu, infirmiſſimos autem contra fortiſſimos hoſtium poſuit, præcepitque ut ad primum impetum eorum ſibi fugâ conſulerent, & in ſilveſtria confragoſaque loca ſe reciperent: ita fruſtrato robore exercitus, ipſe optima parte virium ſuarum, dextro cornu, totam circuit aciem hoſtium, & evertit.

P. Cornelius Scipio, cui poſtea Africano cognomen fuit, adverſus Aſdrubalem ducem Pœnorum in Hiſpania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitum, ut media acies fortiſſimis fundaretur: ſed cùm hoſtes quoque eâdem ratione aſſiduè ordinati procederent, Scipio eo die, quo ſtatuerat decernere, commutavit inſtructionis ordinem, & firmiſſimos, id eſt, legionarios in cornibus collocavit, ac levem armaturam in media acie, ſed retractatam: ita cornibus, quibus ipſe prævalebat infirmiſſimas hoſtium partes lunata acie aggreſſus facilè fudit.

Metellus in Hiſpania eò prœlio, quo Herculeium devicit, cùm comperiſſet cohortes ejus, quæ validiſſimæ vocabantur, in media acie locatas, ipſe mediam ſuorum aciem reduxit, ne eâ parte antè cum hoſte confligeret, quàm cornibus confligatis, medios undiq; circumveniſſent.

Artaxerxes adverſus Græcos qui Perſidem intraverant, cùm multitudine ſuperaret, latius quàm hoſtes acie inſtructa, in fronte equitem, levemque armaturam in cornibus collocavit, atque ita exinduſtria lentius procedente media acie, copias hoſtium cinxit, ceciditque.

Contrà Hannibal ad Cannas reductis cornibus, productaq; media acie, noſtros primo impetu protruſit. Idem conſerto prœlio, paulatim invicem ſinuantibus, procedentibuſque ad præceptum cornibus, avidè inſequentem hoſtem in mediam aciem ſuam recepit, & ex utrâque parte compreſſum cecidit, veterano & diù edocto uſus exercitu: hoc enim genus ordinationis exequi, niſi peritus, & ad omne momentum reſpondens miles, vix poteſt.

Livius Salinator & CL. Nero, cùm Aſdrubal bello Punico ſecundo decertandi neceſſitatem evitans, in colle confragoſo poſt vineas aciem direxiſſet, ipſi reductis in latera viribus, vacua fronte ex utraque parte circumvenerunt eum, atque ita aggreſſi ſuperaverunt.

Hannibal, quum frequentibus prœliis à CL. Marcello ſuperaretur, noviſſimè ſic caſtra metabatur, ut aut montibus, aut paludibus, aut ſimili locorum aliqua opportunitate adjutus, aciem eo modo collocaret, ut vincentibus quidem Romanis, penè indemnè recipere poſſet intrà munimenta exercitum, cedentibus autem, inſtandi liberum haberet arbitrium.

Xantippus Lacedæmonius in Aphrica adverſus M. Atilium Regulum levem armaturam in prima acie collocavit, in ſubſidio autem robur exercitus, præcepitque auxiliaribus, ut emiſſis telis cederent hoſti: & cùm ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, confeſtim in latera diſcurrerent, & à cornibus rurſus erumperent, exceptumque jam hoſtem à rubuſtioribus, & ipſi circumirent.

Sertorius, idem in Hiſpania adverſus Pompeium fecit.

Cleandridas Lacedæmonius adverſus Lycaonas denſam inſtruxit aciem, ut longè minoris exercitus ſpeciem præberet: ſecuriores inde hoſtibus, in ipſo certamine diduxit ordines, & à lateribus circumventos eos fudit.

Caſtronius Lacedæmonius, cùm in auxilium Ægyptiis adverſus Perſas veniſſet, & ſciret firmiorem eſſe Græcum militem, magiſque à Perſis timeri, commutatis armis Græcos in prima poſuit acie, & cùm illi æquo Marte pugnarêt, ſubmiſit Ægyptiorum manum: Perſæ cùm Græcis, quos Ægyptios opinabantur, reſtitiſſent, ſuperveniente multitudine, quam ut Græcorum expaverant, ceſſerunt.

Cn. Pompeius in Albania, quia hoſtes & numero & equitatu prævalebant, juxta collem in anguſtiis protegere galeas, ne fulgore earum conſpicui fierent, juſſit: equites deinde in æquum procedere, ac velut prætendere peditibus, præcepitque eis, ut ad primum impetum hoſtium refugerent, & ſimul ac ad pedites ventum eſſet, in latera diſcederent: quod ubi explicitum eſt, patefacto loco ſubita peditum ſurrexit acies, invectoſque temerè hoſtes, inopinato, interfuſa prœlio cecidit.

M. Antonius adverſus Parthos, qui infinita multitudine ſagittarum exercitum eius obruebant, ſubſidere ſuos, & teſtudinem facere juſſit, ſupra quam tranſmiſſis ſagittis, ſine militum noxa exhauſtus eſt hoſtis.

Hannibal adverſus Scipionem in Aphrica, cùm haberet exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non ſolùm ex diverſis partibus, ſed etiam ex Italicis conſtabat, poſt elephantos 80. qui in prima fronte poſiti hoſtium turbarent aciem, auxiliares Gallos & Ligures & Baleares Mauroſque poſuit, ut non fugere poſſent, Pœnis à tergo ſtantibus. & hoſtem oppoſiti ſi non infeſtarent, at certè fatigarent, tum ſuis & Macedonibus, qui jam feſſos Romanos integri exciperent, in ſumma acie collocatis, noviſſimos Italicos conſtituit, quorum & timebat fidem, & ſegnitiem verebatur, quoniam pleroſque eorum ab Italia invitos extraxerat. Scipio adverſus hanc formam, robur legionis, triplici acie in fronte ordinatum per haſtatos & principes & triarios oppoſuit, nec continuas conſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpacium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti facilè tranſmitti ſine perturbatione ordinum poſſent: ea ipſa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies, dato eis præcepto, ut ad impetum elephantorum, vel retro, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diviſit, & dextro Romanis equitibus Lælium, ſiniſtro Numidis Maſiniſſam præpoſuit: quæ tam prudens ordinatio, non dubiè cauſa victoriæ fuit.

Archelaus adverſus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hoſtem falcatas quadrigas locavit, in ſecunda acie phalangem Macedonicam, in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitivis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimum fidebat, levem armaturam in ultimo ſtatuit. In utroque deinde latere equitatum, cujus amplum numerum habebat, circumeundi hoſtis cauſa poſuit. Contra hæc Sylla foſſas amplæ latitudinis in utroque latere duxit, & capitibus earum caſtella communivit: qua ratione, ne circumiretur ab hoſte, & peditum numero, & maximè equitatu ſuperante, conſecutus eſt. Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relictis intervallis, per levem armaturam, & equitem, quem in noviſſimo collocaverat, ut cùm res exegiſſet emitteret eum: tum proſignanis, qui in ſecunda acie erant, imperavit, ut denſos numeroſoſque palos firmè in terram defigerent: intraque eos, appropinquantibus quadrigis ante ſigna noſtram aciem recepit, tum demum ſublato univerſorum clamore velites & levem armaturam ingerere tela juſſit, quibus factis quadrigæ hoſtium aut implicitæ palis, aut exterritæ clamore telisque in ſuos converſæ ſunt, turbaveruntque Macedonum inſtructuram: qua cedente cum Sylla ſtaret, & Archelaus equitem oppoſuiſſet, Romani equites ſubitò emiſſi, averterunt eos, conſummaruntque victoriam.

C. Cæſar, Gallorum falcatas quadrigas eadem ratione palis defixis excepit inhibuitque.

Alexander ad Arbela, cum hoſtium multitudinem vereretur, virtuti autem ſuorum fideret, aciem in omnem partem ſpectantem ordinavit, ut circumventi, undique pugnare poſſent.

Paulus adverſus Perſen Macedonum regem, cùm phalangem ſuorum duplicem, mediam in partem direxiſſet, eamque levi armatura cinxiſſet, & equitem in utroque cornu collocaſſet, triplicem aciem cuneis inſtruxit: inter quos ſubinde velites emiſit. Quo genere cùm profligari nihil videret, cedere inſtituit, ut hac ſimulatione perduceret hoſtes in confragoſa loca, quæ exinduſtria captaverat. Cùm ſic quoque ſuſpecta calliditate recedentium, ſequeretur ordinata phalanx, equites à ſiniſtro cornu præter ora phalangis juſſit tranſcurrere, citatis equis tectos, ut objectis armis ipſo impetu perfringerent hoſtium ſpicula: quo genere telorum exarmati Macedones ſolverunt aciem, & terga verterunt.

Pyrrhus

Pyrrhus pro Tarentinis apud Asculum, secundum Homericum versum, quo pessimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque, sinistro Brutios atque Lucanos cum Salentinis, in media acie Tarentinos collocavit, equitatum & elephanos in subsidijs esse jussit. Contra Coss. aptissimè divisis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in subsidijs collocarunt, & his immiscuerunt auxilia. Utrinque quadraginta millia constat fuisse, Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Romanos quinq; millia desiderata sunt.

Cn. Pompejus adversus C. Cæsarem palustri prœlio Pharsaliæ triplicem instruxit aciem, quarum singulæ denos ordines habebant in latitudinem. Legiones secundum virtutem cujusque firmissimas in cornibus, & in medio collocavit, spacia his interposita tyronibus supplevit, dextro latere D C. equites, propter flumen Enipeum, quod & alveo suo & alluvie regionem impedierat, reliquum equitatum in sinistro cornu cum auxiliis omnibus collocavit, ut inde Iulianum exercitum circuiret. Adversus hanc ordinationem Iulius Cæsar & ipse triplice acie, dispositis in fronte legionibus, sinistrum latus, ne circuiri posset, admovit paludibus. In dextro cornu posuit equitē, cui velocissimos miscuit peditum, & ad morem equestris pugnæ exercitatos, sed deinde cohortes in subsidio retinuit, ad res subitas: sed dextro latere conversas in obliquum, unde equitatum hostium expectabat, collocavit: nec ulla res ad victoriam plus eo die Cæsari contulit: effusum namque Pompei equitatum inopinato subinde lati excursu averterunt, cædendumque tradiderunt.

Imperator Cæsar Germanicus, cum subinde Catti equestre prœlium, in silvas refugiendo diducerent, jussit suos equites, simul atque ad impedimenta ventum esset, equis desilire, pedestrique pugna confligere: quo genere consequutus est, ne quis non locus ejus victoriam miraretur.

C. Duillius, cùm videret graves suas naves mobilitate Punicæ classis eludi, irritamque virtutem militum fieri, excogitavit manus ferreas, quæ ubi hostilem apprehenderent navem, superjecto ponte, transgrediebatur Romanus, & in ipsorum ratibus cominus eos trucidabat. *Lib. 2. cap. 3. Stratagematum.*

De acie hostium turbanda.

Papyrius Cursor, filius consulis, cùm æquo Marte adversus obstinatos Samnites concurreret, ignoranubus suis præcepit Spurio Naucio, ut pauci calones, & agasones mulis insidentes, ramosque per terram trahentes, à colle transverso, magno tumultu decurrerent: quibus prospectis proclamavit victorem adesse collegam, ut occuparent ipsi præsentis prœlij gloriam: quo facto, & Romani fiduciâ concitati propulêre, propulsi terga vertêre.

F. Rutilius Maximus, quarto consulatu in Samnio, omni modo frustra conatus aciem hostium perrumpere, novissimè hastatos subduxit ordinibus, & cum Scipione legato suo circummisit, jussitque collem capere, ex quo decurri poterat in hostium terga: quod ubi factum est, Romanis crevit animus, & Samnites perterriti fugam molientes cæsi sunt.

Minutius Ruffus Imperator, cùm à Scordiscis Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites unà cum æneatoribus: præcepitque, ut cum vidisset contractum prœlium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere: sonantibus montium iugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus, quâ perterriti dedêre terga.

Attilius Glabrio Cos. adversus Antiochi regis aciem, quam is in Achaiam per angustias thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantum, sed cum iacturâ quoque repulsus esset, nisi circummissus ab eo Porcius Cato, qui tum tribunus militum à populo factus in exercitu erat, dejectis, jugis Callidromi montis, Ætolis, qui præsidio tenebantur, super eminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset: quo facto perturbatis Antiochi copiis, utrinque irrupêre Romani, & fusis fugatisque castra ceperunt.

C. Sulpitius Petrejus Cos. contra Gallos dimicaturus, jussit mulliones clàm in montes proximos cum mulis abire, & inde conserto jam prœlio, velut equis insidentes ostentare se pugnantibus: quare Galli existimantes adventare auxilia Romanis, cessere, jam penè victores.

Marius circa aquas Sextias, cùm in animo haberet posterâ die depugnare adversus Theutonos, Marcellum cum parva manu equitum peditumq; noctu post terga hostium misit, & ad implendam multitudinis speciem, agasones lixasque armatos simul ire jussit, jumentorumq; magnam partem instratorum cum centunculis, ut per hoc facies equitatus objiceretur, præcepitque ut cum animadverti essent committi prœlium, ipsi in terga hostium descēderent: qui apparatus tantum terroris intulit, ut asperrimi hostes in fugam versi sint.

Licinius Crassus, fugitivorum bello apud Calamarcum educturus militem, adversus Casium & Canimocum duces Gallorum duodecim cohortes cum C. Promptino, & cum Quinto Marcio Ruffo legatis post montem circummisit: quæ cum commisso jam prœlio, à tergo clamore jam sublato, decurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fugam pro pugna capesserent.

Marcellus, cùm vereretur, ne paucitatem ejus, militum clamor detegeret, simul lixas calonesque & omnis generis sequelas conclamare jussit, atq; ita hostem magni exercitus specie exterruit.

Valerius Levinus adversus Pyrrhum, occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui utrique persuasit Pyrrhum interemtum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes, consternati à mendacio, se pavidi in castra receperunt.

Iugurtha in Numidia, adversus C. Marium, cùm Latinæ quoque linguæ usum ei conversatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit, & occisum à se C. Marium tum Latinè clarè prædicavit, atque ita multos nostrorum avertit.

Myronides Athenienſis dubio prœlio adversus Thebanos rem gerens, repentè in dextrum suorum cornu prosiliit, & exclamavit, se jam sinistra vicisse: quare & suis alacritate & hostibus metu iniecto, vicit.

Crœsus prævalido hostium equitatui camelorum gregem opposuit: quorum novitate & horrore consternati equi, non solum insidentes præcipitaverunt, sed peditum quoque suorum ordines protriverunt, vincendoque hosti præbuerunt.

Pyrrhus Epirotarum rex, pro Tarentinis adversus Romanos, eodem modo elephantis ad perturbandam aciem usus est.

Pœni quoque adversus Romanos idem fecerunt frequenter.

Volscorum castra, cùm propè virgulta silvasque posita essent, Camillus ea omnia quæ conceptum ignem usque in vallum proferre poterant, incendit, & sic adversarios exuit castris.

M. Crassus, bello sociali eodem modo propè cum copiis omnibus interceptus est.

Hispani contra Hamilcarem boves vehiculis adjunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tædæ & sepi & sulphuris plena, signo pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt.

Phalisci & Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces & angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt. Idem Vejentes & Fidenates facibus arreptis fecerunt.

Atheas rex Scytharum, cùm adversus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, jussit à fœminis & pueris omnique imbelli turba, greges asinorum, ac boum ad postremam hostium aciem admoveri, & erectas hastas præferre: famam deinde diffundit, tanquam auxilia sibi ab ulterioribus Scythis adventarent, qua assevératione avertit hostem. *cap. 4 ejusd. lib. 21.*

Quemadmodum acies debeat ordinari, ut in conflictu reddatur invicta.

Frontinus: Ordinaturus aciem tria debet antè prospicere, solem, pulverem, & ventum. Nam sol antè faciem eripit visum: ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium adjuvat tela. Pulvis à fronte congestus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur etiam imperiti vitare solent: sed duci provido cavendum est in futurum, ne post paululum accedente die noceat solis mutata conversio, nec ventus adversus hora solita eo pugnante nascatur. Ita ergo constituantur ordines, ut hæc post occipitium nostrum sint, & (si fieri potest) adversariorum impetant faciem. Acies dicitur exercitus instructus: frons quæ adversum hostem spectat. Hæc in publica pugna, si sapienter disponitur, plurimum juvat: si imperitè, quamvis optimi bellatores sint, mala ordinatione franguntur. Institutionis lex est, ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocentur, quos antea principes vocabant. In secundo ordine circundati cataphractis, nec non optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinentur, quos prius hastatos vocabant. Singuli autem armati in directum ternos pedes inter se occupare consueverunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: ut nec acies interluceat, & spacium sit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum sex pedes distare voluerunt, ut haberent pugnantes spacium accedendi atque recedendi: vehementius enim cum saltu incursuque tela mittuntur. In his duobus ordinibus & ætate maturi, & usu confidentes, & muniti etjam gravioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent: sed venientes adversarios excipere, & stando pugnandoque repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis juvenibus, de bonis jaculatoribus, quos antea ferentarios nominabant. Quartus item ordo construitur de scutatis expeditissimis, de sagittariis iunioribus, de his qui acriter verutis vel martiobarbulis (quas plumbatas nominant) dimicant, qui dicebantur levis armatura.

Sciendum ergo est, stantibus duobus primis ordinibus tertium & quartum ordinem ad provocandum cum missilibus & sagittis primo loco semper exire. Quj si hostes in fugam vertere potuerint, ipsi cum equitibus persequuntur. Sin verò ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam & secundam aciem, & inter ipsas recipiunt se ad loca sua. Prima autem & secunda acies cùm ad spathas & ad pila (vt dicitur) ventum fuerit, totum sustinet bellum. In quinta acie ponebantur interdum carrobalistæ, manubalistarij, fundibulatores, funditores. Fundibulatores sunt, qui fustibalis lapides jaciunt. Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio: & utraque manu impulsus,

propè ad instar onagri dirigit saxa. Funditores sunt, qui fundis ex lino vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa. Quibus scuta deerant, sive lapidibus manu jactis, sive missilibus in hoc ordine dimicabant, quos accensos, tanquam juniores & postea additos, nominabant. Sextus ordo post omnes à firmissimis, & scutatis, & omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur; antiqui Triarios, appellabant. Hi, ut requieti & integri acrius invaderent hostes, post ultimas acies sedere consueverant. Si quid enim primis ordinibus accidisset, de horum viribus reparationis spes tota pendebat. *lib. 2. cap. 14. Stratagem.*

Monosticha Trochaica.

Agmen an justum est ubi tot lixæ sunt quot milites?
Noli acie certare tota si minimè est necessitas.
Pulchra occasio adsit necesse cùm certare acie lubet.
Plurimum est si fulgurantibus armis acies fulgurantibus.

¶ Jambica.

Acie instruenda melior est qui cautior.
Acies bifrons usq; unifrontem vicerit.
Aciem prior qui struxit, habetur fortior.
Agmen quadratum, ubiq; agmen tutissimum.
Equites, aciei bina præstant cornua.
Hostis peritus cuneo occurrit forfice.
Non semper; ut vis, acies instrui potest.
Turbata acies impedimento ipsa est sibi.

Acquisitionis rerum,

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Gregorius Nazianzenus:* Verè difficilius esse videtur, præsentia bona tueri ac retinere, quàm absentia adipisci: faciliusque est sublatam ex oculis felicitatem studio & curâ reparare, quàm præsentem conservare. *Oratione tertia.*

Idem: Facilius semper est labefacere ac perdere, quàm conservare, & labore quidem homo gignitur, quemadmodum ait Iob, & navis extruitur, & domus exædificatur, interficere autem vel evertere, vel incendere, quivis facilè potest. *Oratione XXVIII.*

D. Nazianzenus: Deus à nobis comprehendi noluit, ne ob adipiscendi facilitatem, facilis quoq; rei quæsitæ jactura sit. Fit enim ferè, ut quod non sine labore atq; industriâ partum est, arctius quoq; teneatur: quod autem nullo negotio comparatum est, citissimè vilescat & abjiciatur, utpotè quod recuperari possit. Atque ita in beneficium cedit, non obvia illa & exprompta beneficentia, duntaxat ad prudentes ac cordatos. *Oratione XXXIV.*

D. Nazianzenus: Ejusdem est difficultatis, & bonum aliquod quo prius carebas adipisci, & cùm adeptus fueris, conservare. Fit enim plerunque, ut quod studio & industria partum est, socordia labefactetur: quod autem inertiâ amissum est, labore & diligentia recuperetur. *Oratione quadragesima.*

D. Nazianzenus: Si pertentationes & impedimenta, throni hereditatem consequeris, non est cur tibi hoc mirum videri debeat. Nulla res magna, probationis & explorationis est expers. naturâ enim ita comparatum est, ut res humiles & abjectæ facili negotio, res autem sublimes & excelsæ, non nisi summo studio & facultate pariantur. *Oratione XXXI. in electione Episcopi Eulalij.*

D. Chrysostomus: Quid affertis mariti? Multas pecunias? Sed illa servat. ipsa autem illius providentia propendet ex æquilibrio; & adeo ea opus habet, ut multi qui multa possidebant, quoniam non habebant qui servaret, omnia perdiderint. *Sub finem Homiliæ V. ad Thessal. 2. cap. 3.*

D. Chrysostomus: Hereditario jure facultates quamvis provenere, harum tamen custodia laboribus perpetuis angoribusq; non vacant: verùm laborare illos, atque in ærumnis agere necesse est, & quidem non minus quàm qui illa initio quæsierunt. *Homil. XII. ad Timoth. 1. cap. 4.*

Synesius: Beatitudo opus habet ad sui conservationem Dei ipsius auxilio: opus & mente, & arte, & tempore, præclarè quoque gestis, & ubivis, & variis, quæ nec experientiâ ullâ constant. nec sunt ijs qui experiuntur, facilia. Non enim quemadmodum homini secundus fortunæ successus advenit, ita sine labore ac solicitudine conservatur. *Oratione de regno.*

Elias Cretensis: Antequam bona comparata sint, expetuntur expetita autē studiosè quæruntur; studiosè quæsita, prosperè cedunt. postea quam autē ea quispiam adeptus est cupiditatis ignis exstinguitur, resque possessæ negliguntur, atque in contemptum veniunt. Atque ob prædictas causas, minoris negotij est sublatam è medio felicitatem curâ & diligentiâ revocare, quàm præsentem tueri ac retinere. *In Nazianzen. Orationem tertiam.*

D Cyprianus: Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti de vita nostra quotidiè dimicamus; danda opera est, ut post hæc initia, ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse; plus est quod adeptum est, posse servare: sicut & fides ipsa, & nativitas salutaris, non accepta sed custodita vivificat, nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat. *Epistola quinta.*

Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Proculdubio quisquis Ecclesiasticam deprimit libertatem, aut punitur in se, aut punitur in sobole. Amittunt ergo filii etiam propria, cum his quæ favore eorum paterna impietas occupavit. *libro septimo Policratici, capitis vigesimi extremo.*

Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Magnum equidem ipse arbitror, imperium parare; sed multo magis id quod sis adeptus conservare. Nam adipisci sæpius illi contigit, qui audaciam duntaxat adhiberet: sed retinere quod adeptus sis, id verò jam non sine temperantia, nec sine continentia, nec sine multo studio fieri solet. *Libro septimo Cyropædiæ.*

Xenophon: Quod attinet illa, quæ agenda deinceps erunt, hæc mea sententia est. Si deflectamus ad inertiæ desidiam, & ad vitam ignavorum hominum voluptariā, qui laborem pro re miserrima, vitam laboris expertem pro voluptaria ducunt: cito nos equidem nobis ipsis aio parum utiles futuros, adeoque bona hæc universa cito amissuros. Non enim viros fortes fuisse sufficit ad hoc, ut fortes permaneant, nisi quis perpetuo diligentiam, ut talis sit, adhibeat: sed ut artes etiam aliæ per neglectionem minoris æstimantur, & ut ipsa corpora benè adfecta, per desidiæ remissionem malè se rursùm habere incipiunt: sic & temperantia, & continentia, & fortitudo, quum quis exercitationem horum remittit, exinde rursus ad improbitatem deflectunt. Non igitur per inertiam cessandum nobis, nec in id, quod in præsentia suave est, proruendum. Quippe magnum equidem aliquid esse arbitror, imperium parare: sed multò maius id, quod sis adeptus, conservare. Nam adipisci sæpius etiam illi contigit, qui audaciam duntaxat adhiberet: sed retinere, quod adeptus sis, id verò non iam sine temperantia, nec sine continentia, nec sine multo studio fieri solet. Quæ quum intelligamus, multo iam magis virtutem exercere debemus, quam antea, bonis hisce nec dum partis: atq; etiam scire nos oportet, tum plurimos & invidere, & insidiari, & hostes fieri, quum plurima quis possidet: præsertim si ab invitis & opes, & obsequium, quod nobis usu venit, habeat.

Deos quidem certè nobiscum futuros, existimandum est. Non enim insidiis usi, hæc iniustè possidemus: sed insidiis petiti pœnas sumsimus. Quod verò secundum hoc optimum est, à nobis ipsis parari debet. Est autem illud, ut subditis ipsi meliores, imperio nos dignos æstimemus. Caloris sanè, & frigoris, & ciborum, & potus, & laborum, & somni partem servis etiam concedi necesse est: sed ita tamen hæc cum ipsis communia nobis esse debent, ut declarare nos in his primum præstantiores eis conemur. Militaris verò scientiæ atque exercitationis omnino nihil cum iis communicandum est, quos adquirere volumus, ut nobis & laboribus operisque suis inserviant, & tributum pendant: sed his exercitiis nos superiores istis esse debemus, atque adeo scire, Deos ipsos hominibus hæc instrumenta libertatis & felicitatis exhibuisse. Et quemadmodum arma istis ademimus, ita nos ipsos nunquam ab armis destitui oportet: idque pro certo habere persuasum, illis omnia, quæcumq; velint, maximè sua & propria esse, qui quàm proximè ab armis absint.

Quod si quis hujusmodi quædam cogitat: Quid ergo conducit nobis quod ea, quæ cupiebamus, perfecerimus: si quidem adhuc necesse erit famem, sitim, curas, labores tolerare? Nimirum hoc cognosci oportet, tanto plus adferre læticiæ bona, quanto maiori labore præcedente ad ea perveniatur. Labores enim fortibus viris obsonii loco sunt. At absque eo, ut aliquis indigeat eius quod consequitur: nihil tam sumtuose parari possit, ut suave sit. Quod si ea, quæ maximè homines expetunt, divinitus nobis parata sunt: ut autem illa quam suauissima videantur, ipse sibi quisque parat: sanè vir talis in hoc meliori erit conditione, quàm alii victus indigentes, quod esuriens suavissimis cibis vescetur, & sitiens fruetur suavissimo potu, & requietis egens suavissimè quiescet. Quapropter equidem, censeo, debere iam nos contentis viribus bonorum virorum officio fungi: ut bonis quam optimè suavissimeq; fruamur, & quod omnium est gravissimum, non experiamur. Nec enim adeo grave ac molestum est, bona non adipisci: quam acerbum, quæ sis adeptus, amittere.

Quin hoc etiam consideretis, quam prætexere causam velimus, cur nunc potius vitam ignaviorem sectemur, quàm antehac. An propterea, quod cum imperiò sumus? At verò non convenit eum, qui cum potestate sit, subiectis sibi peiorem esse. An quod esse iam feliciores videamur, quàm priùs? idcircóne fortunæ prosperæ dicet aliquis indulgendam esse ignaviā? An quia servos adepti nunc habemus, in eos animadvertemus, si fuerint improbi? At quo pacto

pacto conveniret eum, qui sit ipsemet improbus, alios improbitatis aut dissolutionis causa plectere? Præterea cogitetis velim instituisse nos multos alere, tam ædium nostrarum, quàm corporum custodes. At quomodo turpe non fuerit, nos alios salutis nostræ satellites parandos nobis existimare, ipsos autem nos minimè nobis satellites esse? Atqui certò sciendum est, non esse ullum aliud tale præsidium vel custodiam, qualis est ista, si virtute quis præstet. Hoc enim unâ comitari necesse est. Ei verò, qui virtute destituitur, nec aliud quidquam rectè succedere convenit.

Quid igitur esse faciundum ajo? & ubi virturem exercendam? ubi studium & operam adhibendam? Nihil novi proferam, sed sicuti illi æquales dignitate in Persia degunt, ac versantur ad curias: sic ajo vobis æqualibus universis, quotquot hèic adestis, iisdè studiis operam dandam, quibus illic occupati fuimus: ac vos quidem me præsentes intueri debetis, & animadvertere, num in iis curandis adsiduus sim, quæ curari à me necesse est: ego vicissim animum advertens vos contemplabor, & quos quidem videro præclaris & honestis rebus operam dare, honoribus & præmiis ornabo. Quin etiam liberos, qui nobis nascentur, liberaliter hèic instituamus. Nam & ipsi meliores erimus, si liberis nostris nos ipsos tamquam exempla longè optima exhibere volemus: & liberi nostri, etiam si velint, non facilè improbi evadent: quando nihil, quod turpe sit, vel conspecturi, vel audituri sunt, sed in virtutis & honesti studio dies totos consument. *Fine lib. VII. Cyropædiæ.*

Demosthenes: Jam Pæonem & Illyrium cæterosque denique omnes sub Philippo rege viventes, existimandum est sui juris ac liberos, quàm servos esse malle. Insueti enim sunt cuiquam parere per omnia: & homo importunus est, ut ajunt, neque profectò id incredibile fortassis est. Nam res secundiores quàm par est, temeritatis occasionem incautis præbent. Quare sæpè videtur parta tueri bona esse difficilius, quam parare. *Sub finem Olynthiacæ primæ.*

Idem: Adeò socordes estis, Athenienses, ut per quas è secundis adversæ res factæ sunt civitatis, per illas ipsas speretis actiones, eas ex adversis fore secundas? At istud & incredibile est, & naturæ contrarium. Multò enim facilius quæ habeas, defendi solent omnia, quam parari. *Olynth. 2.*

Demosthenes: Malæ leges etiam florentibus rebusp̃ublicis nocent. Nullæ enim rerum vicissitudines essent, nisi constitutos in periculis, bonæ tum actiones tum leges, tum boni viri, & accurata ratio rerum omnium erigerent & proveherent: iis verò qui felicissimi videntur, omnia hæc neglecta paullatim effluerent. Nam plerique mortalium rectis consiliis & vigilantiâ, minimis etjam in rebus opes parant, sed eas iisdem rationibus tueri nolunt. *Adversus Leptinem.*

Aristides Rhetor: Si cùm ipse mendices, ac victu careas quotidiano, duosque vel tres obulos desideres, regem accusas, qui nec auro nec argento parci jubeat, atque id superbiam ac verborum jactantiam facis, simul & pecuniâ carebis & mente. *Oratione de paraphtegmate.*

Iulianus Apostata: Sed nunquid nobis Adonidis hortos, tanquam egregia facinora, ô Constantine, jactas & profers? Quinam sunt, quæso, inquit, isti horti? In quibus ait ille, mulieres Veneris viro, fictilibus injecta terra olerum feraci, serunt ea quidem, quæ ubi brevi temporis spatio efloruerunt, statim viriditatem amittunt. Hæc audiens Constantinus, erubuit: quippe qui hæc adversus sua facta, tanquam hujusmodi essent, dici satis intelligeret. *In Cæsaribus.*

¶ Romanorum.

Sallustius: Imperium facilè his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verùm ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasêre, fortuna simul cum moribus immutatur, ita imperium semper ad optimum quemq; à minus bono transfertur. *Capite 7. Catilinaria.*

Cicero: Res familiaris quæri debet eis rebus, à quibus abest turpitudo: conservari autem diligentiâ & parsimoniâ; iisdem etjam rebus augeri. *Libro 2. de Officijs.*

¶ Historicorum Græcorum.

Iosephus: Simulque Salomon jubebat Hebræos meminisse, quod quibus artibus paravissent tanta bona, eisdem & hæc retenturi essent, & alia majora & cumulatiora quæsituri. Neque enim aliter existimandum, quàm justitiæ ac pietatis meritò hæcillis contigisse, esse autem facilius parare quæ desint, quàm parta tueri, & cavere ne ullum detrimentum admittatur. *Lib. VIII. Antiq. Iudaic. cap. 4.*

Plutarchus: Potentiam, divitias, imperium, vel mulier, vel puer potest alicui imponere. Oarsæ & Dario Bagoas diadema arreptum, cumque eo regnum Persicum imposuit. ut autem is qui magnam adeptus est potentiam, tolerare eam atque administrare possit, neque mole rerum conteratur aut subvertatur, viri est virtute, mente, atque animo præditi, qualis fuit Alexander Magnus. Sobrius enim in tanta imperij mole non passus est à potentia se inebriari, aut ad bacchandum incitari: cujus gustum alij exiguum cum percepissent, sui compotes esse nequiverunt.

Etenim mali saturati vel pecuniâ,
In civitate vel potiti honoribus,
Luxuriant insperatam ob fortunam domus

&c. *Videantur enim hujus sententiæ aliquot exempla capite XII. libri secundi, de fortuna vel virtute Alexandri.*

Dio Cassius: Iulius Cæsar cùm ultrò resipiscere Hispani nollent, vi eos castigavit, tantumq; eâ re eos, qui gloriam prius ab Hispania reportassent superavit, quantò difficilius est conservare res quàm parare; aut id efficere, uti ne quos novos motus subditi excitent utilius est, quàm eos ab initio, integris adhuc rebus utentes subigere. *libro XLIV. Historiæ Romanæ.*

Dio Cassius: Parabant cives Trajano redeunti longius obviam procedere: sed is nunquam in urbem reversurus erat, neq; dignum aliquid rebus antè gestis editurus, atq; etiam illa ipsa quæ acquisierat ab hoste rursum amissurus. Dum enim navigat versus Oceanum, ea quæ vi ceperat, omnia maximo tumultu defecerunt, præsidiis quæ apud eas gentes reliquerat, ejectis à singulis aut cæsis. *Libro LXVIII.*

Aelianus: Sæpè pecuniæ, quas multo cum labore quis unciatim vix comparserit, juxta Antilochum, universæ simul in scorti marsupium effunduntur. Quemadmodum enim Echinam, sic etjam nummos, capere facilius est; retinere verò difficilius. Et Anaxagoras etjam in libro de Regno, inquit, Magno cum negotio pecunias comportari, sed multò majori opera conservari ac custodiri. *Lib. IV. Variæ historiæ, cap. 14.*

¶ Romanorum.

Livius: Oratio legatorum Antiochi reliqua fuit, ut memores rerum humanarum, & suæ fortunæ moderarentur, & alienam ne urgerent: finirent Europâ imperium. Id quoque immensum esse: & parari singula acquirendo facilius potuisse, quàm universa teneri posse. *Libro XXXVII. cap. 35.*

Idem in Oratione Legatorum Rhodiorum: Pro dignitate ac gloriâ apud omne genus humanum, quod vestrum nomen imperiumque juxta ac Deos immortales jampridem intuetur, pugnastis, quæ parare & quærere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit. *Eodem libro cap. 54.*

Florus: Difficilius est provincias obtinere, quàm facere. virib. parantur; jure obtinentur. *lib. 4. cap. 12. §. 2.*

Iustinus de Pyrrho rege: Confecto prælio cùm superior fuisset, quoniam tamen à Sicilia abiret, pro victo fugere visus est: ac propterea socij ab eo defecerunt: & imperium Siciliæ tam citò amisit, quàm facilè quæsierat, *Lib. XXIII. cap. 7.*

Curtius oratione Legatorum Darij: Facilius est quædam vincere quàm tueri. Quàm hercule expeditius manus nostræ rapiunt quàm continent? *Libro quarto capit. 72. de Vita Alexandri Magni.*

Curtius verbis Alexandri Magni: Non est diuturna possessio in quam gladio inducimur, beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia, horum fides stabile & æternum faciet imperium. *libro VIII. cap. 38.*

¶ Poëtarum.

Ovidius:

Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri:
Casus inest illic, hèic erit artis opus.

P. Syrus.

Fortunam citius reperias quàm retineas.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 61. Vulpis & Uvæ.

Fame coacta Vulpis alta in vinea
Uvam appetebat summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait;
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
Qui facere quæ non possunt verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

¶ Monosticha Trochaica.

A domo sua remota qui occupat, rarò tenet.
A paucis periculosè compares rem plurium.
Arduum æquè est conservare quam parare gloriam.
Arduum est id continere, quod minus dextrè capis.
Arduum minus tueri quædam quàm devincere,
Arma quæ haud queant tueri, caritate vincias.
Bos arat, fructus aratri nullus ad bovem redit.
Compares tibi virtutem citius quàm custodias.
Difficulter comparata cuique sunt carissima.
Et malis bonisq; rebus compares pecuniam.
Ex torrente non casuro semper, illico hauriás.
Fuci apum fœtos inertes esse dicti tant suos.
Fortitudo comparat res, continet clementia.
Glorioſius recipias perditas res quàm pares.
Hercules, toto orbe victo, fecit inde nil sui.
Improbè quæsita, honestis nemo exercet artibus.

Impro-

Improbo labore parta, facta casu ne putes.
Majus est rem comparare, quàm quid ei dein addere
Non adquirere acerbius est, quàm comparata perdere.
Non diu illa possidentur vi merâ in quæ inducimur.
Non facilè est acquirere magnas artibus bonis opes.
Non trahit piscator omne lineâ quod vult sua.
Omne nostrum est id virtute quod partum ex hostico.
Plus negotij est servare rem suam, quàm quærere.
Principatum vi quæsitum, non nisi vi servaveris.
Promptius quid rebus addas quam iis dederis exordium
Quæ capi armis desperabis; expugna prudentiâ.
Qui potest adquirere, idem repudiare rem potest
Quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri (nequit.
Robore adsequi quid magnum est, majus at prudentiâ.
Sæpe saxum grande piscepro multo rete occupat.
Si quæ sunt injustè parta, justè parta devorant.
Stultus est qui parta linquit, ut cupita ad se trahat.
Tuta non est in quam ab armis ducimur possessio.
Vi cave obtinere & armis, quod potes per judicem.
Vi merâ noli obtinere quod potes prudentiâ.

¶ JAMBICA.

Alieni genis benè parto nemo cesserit.
Alii laborant, alii fructus auferunt.
Alius ferè est qui seminat, alius qui metit.
Apis parat mel, melle at alter utitur.
Armis tuenda armis parata præmia.
Bona retineas, ea arte quâ quæsiveris.
Diutinè uti benè licet partum benè.
Et hamum & escam sæpe piscis abstulit.
Facilius est tueri rem quam quærere.
Honestius vi quid quæras quam fraudibus.
Juvenis paret rem: parta re utatur senex.
Magnas opes facile, ægrè parvas compares.
Meæ pecuniæ accessio ad me pertinet.
Minore curâ opes paras, quam possides.
Nemo occupet plus quàm sufficere cui potest.
Partum quod est malè, malè item dilabitur.
Plumâ tenere avem nequis: pede occupes.
Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.
Quidquid facilè obtinemus, facilè spernimus.
Quod non capit quis, continere quei queat?
Quod non potes ferro occupare, auro occupa.
Relicta res, est comparata gratior.
Res una eademq; est, omnia amplecti, & nihil.
Scelere potestas parta, scelere desinet.
Servare parta, virtus æquè ac quærere.
Speciosius rem vi quàm fraude adaugeas.
Virtute belli parta sunt justissima.

Plura huc adstrui possunt ex titulo *Armorum Beatitudinis, Divitiarum, Felicitatis, Honoris, Imperii, Provinciæ, Custodiæ, Fortunæ, Petulantiæ, Saturitatis, Perfectionis, Finis, Perseverantiæ, Dominii, Possessionis, Vis.*

Actionis,

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

Clemens Alexandrinus: Quæ autē non facimus, ea aut non facimus propterea quod non possimus, aut propterea quod nolimus, aut propter utrunq;. Non volamus itaque, quoniā nec possumus, nec volumus. Non natamus autem modo, verbi gratiâ, quoniam possumus quidem, sed non volumus. Non sumus autem sicut Dominus, quoniam volumus quidem, sed non possumus. Nullus est enim discipulus super magistrum. Satis est autem si facti fuerimus sicut Dominus, non essentiâ: fieri enim nō potest, ut id quod est adoptione, sit essentiâ æquale ei quod est naturâ. sed quod facti simus sempiterni, & contemplationem eorum quæ sunt cognoverimus, & filii appellati simus, & patrem ex ijs quæ sunt ei conjuncta solum videamus. Velle ergo omnia antecedit: rationales enim facultates sunt ejus quod est velle, ministræ. Velis, inquit, & poteris. *Libro* 11. *Stromatum.*

Idem. Nonnulla quoque rectè fiunt ab iis qui non sunt præditi cognitione: sed non ex ratione, sicut fit in fortitudine Nonnulli enim cùm sint naturâ iracundi, & deinde id absq; ratione aluerint, ad multa citra rationem quodam feruntur impetu, faciuntq; similia iis qui sunt magni & excelsi animi: adeò ut sordidi & illiberales opifices eadem nonnunquam rectè gerant, quod attinet ad toleranti am: sed neq; ex eadem causa, ex qua qui est præditus cognitione. neque idem sibi proponentes, nec si totum corpus tradant. Charitatem enim non habent, ut ait Apostolus, quæ generatur per cognitionem. Quæcunq; ergo fit actio à sciente, ea est recta actio: quæcunque autem ab insciente, mala est, etiamsi maximè persistat, & in hoc proposito maneat, quoniam non fit fortis ex consideratione: neq; dirigit actionem ad aliquid utile ex iis quæ ad virtutem dirigunt, & procedunt à virtute. Eadem autem ratio est etiam in aliis virtutibus. *libro Stromatum septimo.*

D. Chrysostomus: Omne quodcunq; facitis, inquit, in verbo aut in opere, omnia, inquit, facito in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Nam si sic faciamus, nihil erit scelestum nihil immundum, ubi Christus invocatur. Si comedas, si bibas. si uxorem ducas, si peregrè proficiscaris, in nomine Dei fac omnia, hoc est, eum vocans adjutorem. In omnibus eum prius orans, res aggredere. Vis aliquid loqui, hoc præpone. Et ideo nos quoque in epistolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini, omnia sunt fausta & felicia. Nam si consulum nomina efficiunt ut firmæ & validæ sint literæ, multò magis nomen Christi. Aut hoc dicit. Secundum Deum omnia & dicite & agite. Nolite Angelos introducere. Comedis, Deo age gratias, & itidem postea id facturus. Dormis, age gratias, & itidem postea idem facturus. Vadis ad forum, fac idem, nihil mundanum, nihil quod ad vitam præsentem pertineat. Fac omnia in nomine Domini & omnia rectè succedent. Ubicunq; positum fuerit nomen, omnia sunt fausta & felicia. Si dæmones expellit, si morbos perpulsat: multo magis rebus affert facilitatem. *Homil. 9. ad Colloss enses.*

D. Chrysostomus: Sic ergo eos prosternamus, & adversus illos pugnemus, & antè verba per vitā eos perterreamus. Hæc est enim magna pugna: hæc est ratiocinatio adversus quàm contradici non potest, quæ fit per facta. Nam etsi per verba millies philosophemur, non exhibeamur autem vitam illis meliorem, nullum est lucrum. Non enim attendunt ea quæ dicūtur, sed examinant ea quæ gerimus, ei dicunt: Tu prior pare tuis verbis, & tunc hortare alios. Si autem dicis in futuro, quidem esse bona innumerabilia, tanquā autem non sint sic videaris affixus præsentibus; facta tua sunt verbis mihi credibiliora. Quando enim videro te aliena rapere, eos qui excesserim supra modū lugere, & in multis aliis peccare; quēadmodum tibi credam, quod sit resurrectio? Nam etsi hæc non dicant, ea tamen cogitant & versant in mente: & hoc est quod prohibet, ne infideles fiant Christiani. Eos ergo erigamus & inducamus per nostram vitam. Pauci, ijq; illiterati, ita perterruerunt mentem philosophorum, ut qui & factorum ostenderint philosophiam, & per rectam vitæ institutionem ac philosophiam emiserint vocem tuba clariorem: ea enim est lingua fortior. Quando autem dixero, nō oportere acceptæ meminisse injuriæ, deinde Græco fecero mala innumerabilia: quemadmodum potero eū verbis inducere, cùm factis expellam? Eos ergo venemur per rectam vitę institutionem, & per eorum animas ædificemus ecclesiam: & has congeramus divitias. *Homilia* 3. *ad Corinthios*, 1.

D. Chrysostomus: Quæ literæ dicebant, hæc Apostoli ipsi factis perspicua omnibus faciebant. Hæc optima est docendi ratio: ita discipulum impellere doctor poterit. Sin dicat quidem, ac verbis philosophetur, factis verò contraria repræsentet; nondum doctor est. Nam & discipulo hoc facilè est, verbis philosophari. Sed illa admonitio & persuasio accedat, oportet, quæ per opera fit. Nam hæc & doctori reverentiam conciliat, & discipulo propensionem ad parendum. quomodo? quoniam, ubi verbis quidem viderit philosophante, secum dicit, ea quæ fieri non possint, magister iste præcepit, idque ipse primus ostendit, qui ea non facit. Sin autem viderit virtutem factis ipsis expressam, non habebit amplius, cur ista dicat. *Homilia* 12. *ad Philippens.*

D Chrysostomus: Sicut lucerna quando ipsa fuerit lucida, accendere potest innumerabiles, extincta autem ne sibi quidem præbebit lumen: ita etiam de vita pura si quæ est in nobis, fuerit lucida, efficiemus innumerabiles & discipulos & doctores. neque enim verba mea ijs qui audiunt ita prodesse poterunt, ut nostra vita. *Homilia* 5. *ad Thessal.* 2.

D. Chrysostomus: Dicere quidem est facilè: agere autem cùm opus fuerit, cuivis est difficile propterea ex factis humana natura magis solet corrigi & componi: & tanta est virtutis excellentia, ut servus toti domui profuerit cùm domino. *Homilia* 5. *ad Thessalon.* 2.

D. Chrysostomus: Nos quidem neque torpescimus, neque lassescimus, neque hæc vobis dicere defatigamur. reliquum est, ut vos dum hæc auditis, non ea molestè admittere videamini. Videtur autem quispiam ea molestè suscipere, cùm non ea facit quæ dicimus. Nam qui opere exsequitur, ea jugiter audire cupit; quippe à quibus nihil molestiarum & laudis plurimum se referre arbitratur, quod non consequuntur, nisi qui ea quæ dicimus faciunt: aliàs quippe qui dicit, onerosus est. Si quis denique eleemosynam faciat, dum audit de eleemosynis disserentem, non modò non lassescit auditu, sed exultat potius, audiens rectè sua dici atque prædicari. *Homil 6. ad Timoth.* 1.

D. Nazianzenus: Nec enim qui in sermone sapiens est, hic mihi sapiens est, nec qui volubilē quidem linquam, imperitum autē animum habet, illis utiq; sepulchris non absimilis, quæ, cùm foris pulchra & decora sint, intus tamen cadaveribus scatent, atque ingentem fœtorem tegunt: verùm is demum, qui pauca quidem de virtute verba facit, cæterum per ea, quæ agit, multa demonstrat, ac fidem & authoritatem sermoni suo per vitā conciliat. Præstantior

meo

meo quidem judicio est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quã quæ sermone pingitur: divitiæ, quas manus tenent, quàm quas somnia effingunt: & sapientiã, quæ per opera demonstratur, quàm quæ sermone nitet, ac splendescit. Intellectus enim bonus, inquit ille, omnibus facientibus eum, non autem prædicantibus. Hujus porrò sapientiæ certissimum examen tempus est, ac verè gloriationis corona senectus. Nam si, ut ego cum Salomone sentio, hominem antè mortem beatum prædicare non oportet, incertumq; est, quid superventura dies paritura sit propterea quòd terrena nostra vita multas conversiones habeat, atq; humilitatis corpus sursum & deorsum agitetur, ac subinde immutetur quid afferri potest quinis, qui magnã vitæ partem sine reprehensione cõfecit, & jam communis hujus vitæ maris velut in portu est, tutiore, ac proinde beatiore sit statu, quàm is, cui longa adhuc navigatio supereſt? Ne igitur linguã claudas, quæ multa rectè locuta est, quæ multos fructus, ac multos justitiæ fœtus edidit. *Oratione* 15.

D. Nazianzenus: Quoniam æquè imperfecta res est, actio sermone destituta & sermo ab actione remotus, idcirco actionis subsidium sermoni adjungebat, alios videlicet adiens, ad alios legationem mittens, alios accersens, admonens, arguens, increpans, minis insectans, probris incessens, pro gentibus, pro urbibus, pro singulis etiam hominibus certamen suscipiens, omne salutis genus excogitans, unde cumq; medicinam morbo adhibens. *Oratione XX. de Basilio Magno.*

D. Nazianzenus: Illud in te, & quidem vehementer miror, quod cùm Basilium ceu sanctum virum laudes, atq; hactenus ut æquum est, honore afficias, ipsius tamen opus evertere conaris, non secus ac profanorum hominum, cõtumeliaq; maximè dignorum, quiq; vanè temereq; vixerint, atq; è vita discesserint. *Epist.* 38.

Isiodorus Pelus. Ea quidem, ut audio, indole, naturæq; bonitate præditus es, ut studiosè discas, egregieque loquaris. At spiritalis vitæ iter per actionem potiùs, quàm per sermonem feliciter cedit. Quare si immortalia præmia tibi curæ sunt, præclarè loqui parvi pendens, id stude ut benè agas. *lib* 1. *Epist.* 14.

Idom: Actiones sermonibus haud indigent, illæ enim apparent: sermones autem potiùs, ut in actiones vertantur, opus habent: & quidem ipsi, si cùm honestate & gravitate conjuncti sint. Quamobrem si tibi cordi est utrinq; celebrari, da operam, ut & sermonem ad actionem, & actionem ad sermonem adjungas. *lib.* 1. *Epist.* 46.

Pelusiota: Idem, Sophistam profectò, etiam scribens, agis, atq; vocabulorum elegantiam fingis. Atqui in ipsis utilitatis quoque rerum materiam præbere oportet. Etenim pulchrè loqui, cymbalo simile est: at probè agere, angelis innatum est. Nam illis cum metu conjuncta & prompta obedientia, quod Dei voluntates exequatur, testimonium dicit. *lib.* 16. *Epist.* 163.

Idem: Non verborum enunciatio, verùm rerum administratio, divinæ doctrinæ consectatorem hominem reddit. Nam neq; vetus ille rebellis, propterea quòd divina oracula memoriâ tenebat, cùm Dominum tentaret, ob eorum cognitionem laudem merebatur: verùm contrà abijciendus ac detestandus erat. quòd cùm scientia præditus esset, actionem inficiaretur ac respueret. Quare nisi levis haberi vis, utpote in lingua sola eruditionem sitam habens, fac eam reipsa ostendas. Nam nec Goliath ex armis externis quicquã commodi tulit: quoniam internorum auxiliorum imbecillitate laborabat. *lib.* 1. *Epist.* 180.

Idem: Qui se Deum nosse confitentur, factis autem negant, ij demum sunt, qui ob dogmatum quidem rectitudinem gloriantur: verùm quia fidei minimè consentaneam vitam exhibent, Deum, quantum in ipsis situm est, dedecore atq; ignominiâ afficiunt. Dũ enim & divina jussa aspernantur, & alios adducunt, ut eum blasphemis lacessant, quem etiam benedicere non cuiuslibet est, verũ hominum summâ virtute præditorum, hinc scilicet spurios sese atque adulterinos esse convincunt. *lib.* 2. *Epist.* 64.

Idem: Quod, ubi de divina religione verba habenda fuerint, nunquam superati fuerimus, nec impudentiæ opinionem contraxerimus verùm omnes sermone ac disputatione vincamus, ac profligemus, cuilibet perspicuum est. Quòd autem omnes ad ea, quæ facimus, non ea quæ dicimus, animum adiciant, atque ab his sententiam ferant, ac si non apertè, animo saltem & cogitatione, liberè ac prò potestate pronuncient, id quoq; scire oportet. Quocirca curandum nobis est, ut vitam sermonis comitẽ, ac muneris nostri administrationem, fidei, quam profitemur, consentaneam habeamus, ne alioqui sermonib. viventes reb. superemur, *li.* 2. *Epist.* 180.

Idem: Nec dictionum aucupes, nec oratores, nec dialectici, nec qui ob dicendi facultatem gloriantur, sapientes appellandi sunt: verùm ii, qui eo Philosophiæ genere, quod in actione versatur, elucent. Quod si hos quoque logica exornet, sapientiores nominãdi sunt. Si autem etiam Philosophia (quæ in contemplatione sita est, hoc est pietas, quàm solam propriè sapientiam esse definimus) sapientissimos eos nuncupare convenit. Atque ita existimandum hanc velut fundamentum & ædificium esse, alteram velut ornamentum, postremam ut coronidem, ac fastigium. Quemadmodũ igitur sublato fundamento & ædificio, nec ea quæ ad ornatum, nec ea quæ ad opus perficiendum spectant, locum habitura sunt: sic etiam sublatâ virtute nec logica, nec ea pars quæ in contemplatione versatur, locum habebunt. *lib.* 2. *Epist.* 201.

Idem: Quoniam pleriq; sermonibus philosophantes; operibus coarguuntur (divina enim oracula in medio hominũ cœtu decantantes clam ea, quæ nefas est, faciunt) idcirco dictum est, Discite benè facere. Siquidẽ probè loqui, probo opere remoto, non modò vanum quiddam & irrane esse cernitur, verùm etiam; & seghib, ac languidis risum, & gravioribus molestiam parit. *lib.* 2. *Epist.* 293.

Idem: Frater quidem tuus, vir eximie, ob mores in admiratione est: tu ob sermonem. ille ob animi integritatem: tu ob linguæ facundiam. ille ob morum moderationem: tu ob verborum fastum ac tumorem. Ille, ut fructu scatens: tu, ut foliis abundans. Quamobrem si ita est, fratrem tuum imitare: ut utroque nomine laudem & gloriam consequaris. Neque enim tam tuis ille, quàm tu ipsius dotibus opus habes. *lib.* 3. *Epist.* 46.

Idem: Quandoquidem sermo actione destitutus non ultra aurẽ grassatur: qui autem ab actione animatus est, ut qui acris & efficax sit, altè penetrat, animumque attigit: eam ob causam, (id quod ex me scire cupis) Deus Sacerdotibus edixit, ut ad cor Hierusalem loquerentur. Nam qui ad aures verba faciant, permulti quidem sunt, ac sacerdotio indigni: qui autem ad cor, pauci omninò, atqui sacerdotali dignitate redimiri merentur. *lib.* 3. *Epist.* 202.

Idem: Quemadmodum sermo actionis expers mancus & imperfectus est: ita etiam actio, quæ à sermone deseritur. Ex his enim ambabus rebus, etjamsi nolint ii, qui dissertam sapientiam vilem quandam & protritam rem esse stultè opinantur, recta & splendida magistrorum vita insignitur. Qui enim fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod si ambas inter se comparare oportet, facere ac non loqui præstat, quàm loqui ac non facere. *lib* 3. *Epist.* 362.

S. Isodorus Pelusiota: Cùm nobis imperatum sit, ut inimicos amemus, tamen ne amicos quidem amamus: cùm paupertatem colere, nos contrà non modò his, quæ habemus, contenti nõ sumus, sed etjam ex alienis calamitatibus opes nostras augemus, cùm nobis indictum sit, ut quietem agamus, nos contrà negotiorum amãtes iis etiam, qui quietem agunt, molestiam exhibemus. Nec ea tũ hæc facimus, sed etiam alios docere aggredimur, quæ ipsi facere nolumus. Reliqua enim prætermitto: nihil enim, quod animos offendat, dicere cupio. Hæc igitur cùm homines audiunt, ac nos alia quidem docere conari, alia autem agere conspiciunt, nos tanquam simulatione uti, atque in rebus minimè ludicris ludere existimantes, adversus divinam providentiam linguas acuunt: quæ etiam quidem in ipsos, verùm in nos, qui hujusmodi blasphemiæ causam præbemus, gravius animadvertet. *lib.* 3. *Epist.* 405.

Idem: Tu quidem fortassis absurdam existimas esse vocem, tanquam à Judæis, nihil recti sanique vel dicentibus vel facientibus, prolatam. At ego, quia Legislator ipsos in eo non reprehendit, sic arbitror: Quoniam quæ discentes nos facere oportet, ea faciendo discimus: idcircò benè dictum esse: Omnia quæcunque dixit Deus, faciemus, & audiemus. Nam illi quidem, qui aliam quampiam rem discunt, probabili ordinis ratione prius audiunt, deinde faciunt; Qui verò divina præcepta in opus actumque producere student, ab ipsâ actione discunt, non tàm oratione quàm actione & opere cognitionem pariente. Re enim verâ virtutis cultor per ipsam exercitationem instituitur ad virtutem, & quodam modo discit, eam & utilissimam esse, & decentissimam honestissimamque, & maximè conservantem naturæ, & utiliter sanctam. *lib.* 4. *Epist.* 81.

S. Isodorus Pelusiota: Tu verò sapiens, ignorare mihi videris id quod omnes nõrunt. Per litteras enim quæsivisti, quid sibi velit illud: Deum se nosse profitentur; factis autem negant. Nam quod omnes hoc sciant, non solùm sacrorum oraculorum alumni, sed etiam illi, quibus hæc nullo modo contigit cognoscere, etjam Demosthenes suo confirmat testimonio, dum ait: Quam omnis oratio, si absint facta: vanum quiddam atq; inane est. Quid, quod etjã qui extra Ecclesiam sunt Legislatores in eos qui judiciũ imminutæ majestatis subierunt, nõ ob verba dictaq;, sed ob facta animadvertunt: Christus autẽ cùm duos unius patris filios proposuisset, quorum unum, cum audivisset (mandatum paternũ) in vineam abeundũ, & ibi opus faciendum esse, qui promiserat quidem se iturum. non tamen ivit, reprehendit: alterum autẽ, qui non promiserat, sed tamen opus fecit, approbavit. Non enim verbis melius, quàm factis sententiæ animorum æstimantur. Verbi gratiâ, Deum esse confiteris. Rectè tu quidem dixisti. Est enim reverâ Deus. Sed exiguum quiddam est oratio, nisi ab ipsis operibus accedat testimoniũ. Nam si Deum verbis professus, ea tamen facias, quæ quis fecerit, qui cogitet, Deum nullũ esse, quomodo, quæso, non ipsũ opus redarguet dictũ, & mores, falsitatis convincent orationẽ. Quare per ea quæ facis, Deum esse profitere, ut & sermo & mores hoc prædicent, & qui audiunt, persuadeantur. Quòd si usq; ad orationẽ constiteris, actionis autẽ & officij parvã curam duxeris, equidẽ non capio orationem, quæ absq; tuâ effectione ejus quod deceat, auditoribus possit persuadere. *lib.* 4. *Epist.* 85.

Idem: Quoniam multi ex iis qui præcipiunt aliis maxima quæque opera, ad eaq; suscipienda eos exhortantur, ipsi ne exigua quidem facere sustinent, sed verbis tantum philosophantes, factis opprobrium debent: Idcircò dictum est (à Prophetâ:) Discite bonum facere. Oportet igitur vitam pari passu cum sermone ambulantem

habere

habēre eum, qui non velit & probra ſuſtinere, & ſupplicium ſubire ſempiternum. *lib.* 4. *Epiſt.* 212.

Ennodius: Ubi jaculis opus eſt, verba nil conferunt. *li.*2. *Ep.*19.

¶ Philosophor. Rhetorumque Græcor.

Xenophon. Quum autem ex Socrate quidam quæreret, quodnā ipſi videretur vitę inſtitutum homini optimū eſſe: reſpondit, actionem bonam. At quum rurſus ille quęreret, an etiam fortunam proſperam pro inſtituto quodam duceret? Equidem, ait, fortunam & actionem prorſus eſſe ſtatuo contraria. Nam ſi quis nihil quærens aliquid rei neceſſariæ cōſequatur, id fortunam eſſe proſperam puto: at ſi quis doctrina & exercitatione rectè quid faciat, id actionē bonam eſſe duco; quiq; hoc inſtituto gaudent, ij mihi videntur bene agere. Homines etjam optimos deoq; acceptiſſimos ajebat eſſe, in agricultura eos, qui ad agricultionem pertinentia rectè faciant: in medicina, qui res medicas: in republica, qui res civiles. At qui nihil rectè agit, eum neque utilem ad quidquam eſſe dicebat, neq; acceptum Deo. *cap.* 28. *lib.* 3. *Memorabilium.*

Xenophon: Nam falſa gloria celeriter ab experiētia redarguitur, at verā ſtrenuitas, niſi Deus impedimento ſit, ſemper in actionib. ſplendidiorem gloriam ſuppeditat. *cap.* 33. *conviv ij.*

Nicocles Rex ad ſubditos: Veſtram erga nos benevolentiam factis magę quàm verbis declarate *apud Iſocratem.*

Polybius: Maxima quæque operùm, verbis quidem aggredi ſanè quàm facillimum eſt, at factis & reipſa præclarum aliquod inceptum exequi difficile. *Libro* 5. *Hiſtoriarum cap.* 33.

Lucianus: Ego ex ſapientibus illos potiſſimum ajo laudandos eſſe, qui non ſolùm pro quibuſq; rebus præſtantiſſimas orationes ediderunt, ſed ſimilibus factis ea comprobarunt, quæ verbis polliciti ſunt. Nam prudens ęgrotus eos medicos non accerſet, qui quàm optimè de arte diſſerere poſſunt, ſed qui in ejus uſu ſe exercuerunt. Potior ētiā eſt meo judicio, is Muſicus, qui pſallendi, & citharæ pulſandæ eſt peritus, quàm qui rhythmos, & cōcentus novit dijudicare. Quid enim tibi eos cōmemorem imperatores, quos meritò prę-ſtantiſſimos cenſuerunt, quòd non ſolū aciē rectè inſtruere, & milites oratione accendere noſſent, ſed etjā in prima acie pugnarent, ſuæq; ſtrenuitatis ſpecimen ederent: cujuſmodi priſcos illos Agamēnonem, & Achillē: recentiores verò Alexandrū, & Pyrrhū fuiſſe ſcimus. Quorſum verò hæc dixi? Nō quòd aliter hiſtoriā edere velim, horū memini: ſed quia mechanicos etiā illos ęquū eſt admirari, qui artis contēplatione famā ſibi cōpararunt, & eādē operā ſuæ induſtrię monumēta, & opera poſteris reliquerunt. Quandoquidē qui ſe in dicendo duntaxat exercuerunt, Sophiſtarū potiùs quā Sapientū appellationē meruerunt. Talē audimus fuiſſe Archimedē, & Cnidium Soſtratum: quorum alter Ptolemæū ſubjugavit, & Mēphim ſine obſidione, averſo, bipertitóq; fluvio occupavit: alter hoſtium triremes arte exuſſit. Thales Mileſius quoq; antè illos Crœſo pollicitus, exercitum ſicco pede ſe trajecturū, una nocte retrò caſtra fluviū Alym circunduxit, tametſi non erat mechanicus: ſed ingenij ſolertia, & authoritate in congreſſib. maxima valebat. Nam perveluſtum eſt illud Epei cōmentum, qui non ſolū Achivis equū fabricaſſe, ſed etjā cum ipſis in eum conſcendiſſe fertur. Inter hos & Hippię hujus qui noſtra ætate vixit, æquū eſt meminiſſe, viri in dicendo quātum quivis priorū exercitati, ingenio acuti, mentéq; exprimenda maximè perſpicui, qui opera ſermonib. longè præſtantiora exhibebat, & quæ arte ſua pollicebatur, etjā efficiebat: neq; verò in hujuſmodi promiſſionibus, quibus ipſo priores ætate floruerunt: ſed juxta geometricā rationē, propoſita, q̄ ajunt recta linea trianguli exquiſitè conſtituit. Atqui aliorū unuſquiſq; uno ſuæ facultatis opere decerpto, in quo excellere dicatur, aliquis eſſe ſibi videtur. Hic verò mechanicorū, geometricorū, harmonicorū, & Muſicorū primarius apparet. Ita perfectè tamen horum unumquodq; demōſtrat, ac ſi illud unū ſciat. Nam ejus de radiis, de repercuſſionibus & ſpeculis ſcientiā: prętera Aſtronomiā, in qua qui ętate præceſſerūt pueros fuiſſe oſtendit, laudare non eſſet exigui tēporis. *tit. Hippiæ.*

Dio Chryſoſtomus Pruſæus: Ferè ſolent pleriq; homines, non actis ſed agentibus invidere. *Oratione* 40.

Ariſtides: Aliud eſt in mari medio de re nautica diſſerere, ſuamque oſtendere fortitudinem, aliud extra tempeſtatem ad parietem ſedentem. *Orat.*2. *Platonica Quatuor* ℣.

Ariſtides Sophiſta: Non tam rerū copiâ, quàm conſilio, fiduciâ, & patientiâ, res pleræq; geruntur. *Sub finem Orationis Rhodiacæ.*

Themiſtius: Si factum ipſum non admodum inſigne eſt, inſignis tamen & laudibilis voluntas cuiuſmodi prima tua illa ad Rhenum expeditio atq; profectio fuit. Etenim opus quidē ipſum manifeſtum pleriſq; conſecutum non eſt; animus tamen ingens, & verè Regius, ut Principem antè tempus raptum ulciſceretis: & illius ſtirpis reliquias conſervares. Qui ſquis verò parvum illud fuiſſe arbitratur, ſecum iſtud fuiſſe arbitratur, ſecum iſtud reputet, voluntate ac ſuſceptione ſola, atq; impetu Occidentis audaciam fuiſſe repreſſam. Velut Achilles quoddam, cum bello abſtineret vociferans duntaxat, & exclamans atq; tabernaculo proſiſtens excitatam Græcorū navalibus flammam reſtrinxit, Trojanoſq; à pertinaci inſolentia deterruit. *Orat.* 6. *de Imper. aud. cupid.*

Arrianus: Iam quis noſtrum de rebus bonis & malis eruditè diſputare non poteſt? aliàs eſſe bonas, aliàs malas, aliàs ancipites ac bonas quidem virtutes, & ea quæ cum virtutibus conjuncta ſunt; malas autem contrarias, ancipites, divitias, ſanitatem. At verò ſi nobis hæc diſſerentibus ſtrepitus major exciterur, aut eorum qui adſunt quiſpiam nos derideat, percellimur. Vbi ſunt iſta philoſophe quæ dicebas? unde iſta proferebas è labris videlicet. Quid ergo aliena adſumenta cōtaminas? quid ludos facis in rebus maximis? aliud eſt enim tanquam in penu reponere panem & vinū; aliud eſt edere. id quod comederis concoquitur, digeritur in nervos, carnes, oſſa, ſanguinē, colorem, ſpiritum convertitur quæ autem repoſueris, cum voles in promptu habere atq; oſtendere poteris. inde autē ad te nō alia redibit utilitas, niſi ut ea habere videaris. *lib.*2. *ca.* 9. *Epicteti.*

Arrianus: Eorū quæ agūtur partim præcipuè ſpectantur partim fiunt ratione temporis, partim de induſtria certoq; conſilio, partim obſequij cauſa, partim ex inſtituto vitæ. *cap.* 14. *lib.* 3. *Epicteti.*

Arrianus: Qui nuda præcepta acceperūt, ſtatim ea evomere volunt: ut qui è ſtomacho laborant, cibū. Prius illa cōcoquito, deinde non ita evomes. Alioqui omnino vomitus erit, res impura, & non eſculenta. Quin potius iis concoctis, & digeſtis, mutationē aliquā oſtēdito in mente tūa factam: quēadmodum pugiles humeris ſuis declarāt, ut exercitati fuerint, ut cibū ceperint: quemadmodū artifices quid didicerint. Faber nō dicit, Audite me diſſerentē de re fabrili: ſed conducta domo, ex ſtructiſq; omnibus, ſe arte eſſe prædītum oſtēdit. Tale quiddā & tu facito: edito ut homo, bibito ut homo, ornator, matrimoniū contrahito, liberos procreato, Remp. gerito, convitiū tolerato, ferto fratrem iniquū, ferto patrē, ferto filiū, vicinū, comitē. Hęc nobis oſtēdit, ut cognoſcamus te verè philoſophicū aliquid didiciſſe. Nō. Sed venīte, meq; audite. Commentaria dictantē. Abi: quærito in quos iſta evomas. *cap.*21. *lib.*3 *Epict.*

Simplicius: Non rectè tantum ſentiendum & appetendum, & declinandum eſt, ſed etiam officia conſentanea rectis opinionibus præſtanda. *finē cap.* 11. *ad Epict.*

Simplicius Finis orationis eſt actio, cujus etjam cauſa uſurpata fuit oratio in his enim veriſſima eſt ſummi oratoris Demoſthenis ſententia, omnem orationem, ſi facta deſint, vanum & inane aliquid videri. *ad cap.* 73. *Epict.*

Libanius: Sequere, inquit in jus pœnas daturus ob ea quæ cōtra liberos auſus es; & nudum ſuper his cędis nomen objecit. Ego verè decere arbitror, nō factū ipſum per ſe ſolum objectare, neq; ita rationes eorū. quæ acta eſſent exquirendas, niſi qua mēte etjam commiſſa fuiſſent, audiviſſetis. Multæ res deteriorem appellationē obtinent: verùm ſi modum etjam aliquis adjunxerit, etjā quod videbatur pravum cōfeſtim amotū eſt, & maleficiorum præmiū, quia ea præſtitit effugit. Quærit accuſator liberos ne interfecerim? Ego id quidē negare nequeo, ſed honeſtè factum, hoc vos edocere conabor. Nonnullorū criminum, accuſator, quidam pœnas pendit, eorum ſcilicet quæ ſceleratè feciſſe ob inimicitiam deprehenſus eſt; aut cùm ad quæſtum reſpiciens inſidiatus eſt, aut ſi quæ alio dolo fabricatum eſſe convictus eſt: in ijs verò in quibus is qui fecit injuriā, concidit, & qui non prior inſidias ſtruxerat, ſed tāquam injuria ab illo prius accepta, jure ijs quæ tenebat ſe defendit, hunc nunquam in ullo nec lex opinor, nec judex criminaretur. Si tu igitur aliquid horum habes dicere, exagita me ut ſævum erga naturam. *Declamatione* 35.

Baſilius Imperator: Adminiſtrationem regni, ut omni reprehēſione vacuā preſtes, quę in aliis reprehendis, ipſe facere ne audeas: ſunt enim ferè ſubditi acerrimi ad examinandas principum ſuorū actiones. Si autem hæc diligenter ob ſervaveris, duo iſta maximi momenti bona inde conſequeris: te enim irreprehenſibilē adverſus omnes omniū calumnias cuſtodies: & ſubjectos tuos non dicēdo ſolùm, ſed etiam tacendo, virtutem omnem exercere docebis. Si verò alia dices, alia facies, habebis conſcientiā tuam, quę te continenter accuſet: E contrario ſi bona dicens, ſimilia facies, habebis eos qui vitam tuam examinare volūt, & teſtes & laudatores ac imitatores, ſine ulla ſimulatione, tuæ probitatis. *cap.* 21.

¶ Orator. Philosophorumque Roman.

Cicero: Ut quiſq; optimè natus inſtitutuſque eſt, eſſe omnino nolit in vita, ſi gerendis negotiis orbatus, poſſit paratiſſimus veſcī voluptatibus. *Lib.* 5. *de Finib. bon.*

Ibidem: Ergo hoc apparet, nos ad agendum eſſe natos.

Seneca: Adjuvare nos poſſunt non tantùm qui ſunt, ſed & qui fuerunt, ex iis autem qui ſunt, eligamus non eos qui verba magna celeritate præcipitant, & cōmunes locos volvunt, & in privato circulantur: ſed eos qui vita docent; qui cum dixerint quæ facienda ſint, probant faciēdo; qui docent quid vitandū ſit, neq; unquam in eo, quod fugiendū dixerint, deprehenduntur. Eum elige adjutorē, quē magis admireris cum videris, quam cū audieris. *Epiſt.* 52.

Seneca: Nullos pejos mereri de mortalibus judico, quā qui philoſophiam velut artificium aliquod venale didicerint, qui aliter vivunt, quam vivendum eſſe præcipiunt. Non magis mihi poteſt talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cū mari, eripienda vento vela. Quanto majore putas vitam tēpeſtate jactari quàm ratam? Non eſt loquendum ſed gubernandū. Omnia quæ dicunt, quæ turba audiente jactant, aliena ſunt, dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus & Poſidonius & ingens agmē tot & talium. Quomodo probare poſſint ſua eſſe, monſtrabo: faciant quæ dixerint. *Epiſt.* 108. *fine.*

Petro-

Petronius Arbiter : Nec tamen putaverunt ad rem pertinere, ubi inciperent quod placuerat ut fieret. *Satyrico.*

Plinius junior: Quàm multùm interest quid à quoque fiat? eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur. Navigabam &c. *mox:* quod factum ne mihi quidem, qui municeps, nisi proximè auditum est; non quia illo clarissimo Arriæ, sed quia ipsa persona minor. *Epist. 25. lib. 6.*

Idem: Hoc ego tunc ago: sed non omnibus eadem placent; nec conveniunt quidem præterea, faciendi aliquid, vel non faciendi vera ratio, cùm hominum ipsorum, tùm rerum etiam ac temporum conditione mutatur &c. *Epist. 27. lib. 6.*

Egesippus: Igitur vobis integrum examen reservate, & colligite veritatem, non ex contectione verborum, sed ex serie negotiorum. *cap. 7. lib. 4. exc. Hier.*

Io. Sarisberiensis: Principum & divitum est, alios in via morum præcedere, non quæ facienda sunt aliis tumidè intonare. Constat enim omnem virtutis laudem in actione consistere, cassumque esse splendorem verbi, cui nec est soliditas operis. In omni opere, inquit Salomon, erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *5. cap. 6.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchidib. 4. sc. 4. v. 56.

——— *Ah! placidè volo*
Unum quidq; agamus. hoc ubi egero, tum istud agam.

Terentius Adelph. 5. sc. 3.

——— *multa in homine Demea*
Signa insunt, ex quibus conjectura facilè fit,
Duo cùm idem faciunt, sæpè ut possis dicere,
Hoc licet impunè facere huic, illi non licet.
Non quod dissimilis res sit, sed quod qui facit.

Terentius Heautont. act. 4. sc. 5,

Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet
Quam invitus facias, vel non hæc deambulatio
Quam non laboriosa, ad languorem dedit.

Thales apud Ausonium.

Quod facturus es, dicere disfuleris.

¶ Apologum.

Vulpes & Lignator.

Vulpes venatores fugiens, & in desertò multa decursa via, virum lignatorem in eo invenit, cui supplicabat, ut se absconderet, à quo ei ostenso suo tugurio, ingressa delituit in angulis. Ac venatoribus provectis, ac virum rogantibus de vulpe, hic voce quidem negabat, scire quidquam, sed manu locum eius demonstrabat. Hi verò cùm non advertissent, confestim abiêre. Ut præterierant, Vulpes exivit, nihil allocuta. Illo autem ipsam accusante, quod servatori gratias non ageret, Vulpes inquit: Egissem gratias, si habuisses manuum gestus & mores verbis similes.

Fabula in eos, qui verbis quidem favent promittuntque utilia, sed eadem rebus factisque destruunt. *Æsopus.*

Psittacus & Felis.

Psittacum quidam emens in ædibus pastum dimisit. Ille usus mansuetudine, insiliens in nido stetit, ibique dulce melos cecinit. Feles animadvertens, rogavit, quis esset, & unde veniret? Cui ille, Herus me non dudum emit, scilicet tu animalium impudentissime, recenter cùm adveneris, ita clamare audes? mihi verò domi genitæ non permittunt heri clamare. Quin ubi illud attento, succensentes me ejiciunt: tu verò intrepide audes appropinquare. Respondens ille dixit, ædium domina, longè hinc cesse, non tantùm enim meâ gravantur heri voce, quantum tuâ. *Æsopus.*

Phædrus Fab. 52. Apes & Fuci.

Apes in alta quercu fecerant favos;
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, Vespa judice,
Quæ genus utramque nosset cùm pucherrimè,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par est color,
In dubium planè res ut meritò venerit.
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alveos accipite & ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis & forma favi
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant, apibus conditio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam:
Apertum est quis non posit, aut quis fecerit;
Quapropter apibus fructum restituo suum.

¶ Emblematum.

Ad eod. Seba. Homo campanam pulsans.

Æra gravi cunctos veluti campana sonore
Ipsa licet penitùs sint sibi surda cient:
Sic es recta docens alios, perversa sequute.
Qui q; aliis sapiens, non sapis ipse tibi.

Ioach. Camerarius LVII. Centuria prima.

Sic vitam invenies.

Spica attrica manu sua grana effundit ad usus:
Sic ostende actu, quæ meditata tenes.

¶ Apophthegm. Christianor.

Jesus Christus: Cùm ad eum, in vinculis ab Herode detentus Joannes, duos ex discipulis ablegaret, (idq; ut eam doctrinâ, quam pridem de Christo imbiberant, altè retinerent) qui dicerent: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? inquirebant autem de vero Messia: Ipse eorum ignorantiam prudenter dissimulans, ac Joannem docere se fingens, *Euntes,* inquit, *renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis.* Tunc tandem sufficiens cognitionis cujuspiam argumentum esse insinuans, si actio doctrinæ confirmetur. *Matth. cap. 9.*

Idem. Legisperitum se tentantem, ac curiosiùs inquirentem; Quid faciendo vitam æternam possidebo? quid, & quomodo legeret, interrogabat. Quo dilectionis mandatum recitante, subjungebat: *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.* q. d. Non diligas verbo & lingua: sed opera & veritate. *Luc. cap. 10.*

Idem: Interrogantibus Judæis, Si tu es Christus, dic nobis palàm; respondit: *Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Verum de se, ac quovis alio, judicium ex actionibus desumi vult; veluti de arbore judicatur ex fructibus. *Ioan. c. 10.*

Pambo Abbas: Neq; in hoc ab Antesignani sui vestigiis aberrarunt viri sancti; quorum nonnulla præclara dicta factaque subnectam. Prodit se inter eos primus Pambo Abbas: qui cùm religionis & pietatis gloria præfulgeret, literarum tamen expers, pio ferventiq; affectu petiit à quodam doceri Psalmos. Verùm doctore illo suæ doctrinæ initium sumente à Psalmo 38. ejusq; primum versiculum (Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ) memoria ediscendum proponente; cæteros audire renuit, dicens: *Si hunc operè complevero, reliquus vix mihi opus.* Cumq; post menses aliquot rogaretur, cur à cœpto opere animum averteret: *Quia,* ait, *priorem illum versiculum necdum opere complevi.* Ac demùm percontanti post multum temporis, an tandem eum didicisset; respondit: *Quadraginta & novem anni sunt, & vix eum opere implere valui. Socrat. Tripart. hist. lib. 8. cap. 1.*

S. *Ægidius:* Et hic Pambone hoc in genere non inferior. Increpabat enim judicè, quòd cùm se Deo credere asseret, bona nihilominùs temporalia æternis anteponeret; eoq; interrogante, An ergò tantum opere exequitur homo quantum credit? respondebat: *Sancti & justi, bona quæ studuerunt ac potuerunt facere, opere conati sunt adimplere. Si autem opere non potuerunt, pio saltem desiderio operis defectum supplevérunt. Ex sent. aureis ejusdem.*

Idem: Roganti se, utrùm præstaret verbum Dei populo annunciare, an opere exequi; subridens, *Dic mihi,* ait, *utrùm è duobus tu plura meritum arbitraris; eum, qui ad S. Iacobum v. g. peregrinationis causa properat; an illum, qui eò perveniendi viam demonstrat?* innuens, factores legis apud Deum justificandos. *Ibid.*

Ioan. Abbas: Venerant ad eum moribundum fratres, breve aliquod vitæ documentum petituri. Quibus ille ingemiscens; *Nunquam,* ait, *propriâ voluntate fretus quicquam feci: nec alium docui, quod priùs ipse non fecerim. In vitis PP. cap. de eorũ profectu.*

Franciscus Borgia Soc. Iesu: Eboræ agens, dum sexta feria aggregatis Sociis, ut more antiquorum patrum collationibus sacris vacarent; rogaretur sententiam; hoc tantùm, *Opera,* inquit, *verbis præstant. In vita ejusdem lib. 4. cap. 1.*

¶ Monosticha Trochaica.

A Dei cultu auspicandus rerum agendarum tenor.
Actibus licentiam omnem rex suus exterminat.
Actione mens amica non mero ore proditur.
Ad faciendum quàm dicendum solus Parthus promptior.
Adstat desuper qui nostros actus omnes prospicit.
Arguunt voluntatem acta: sermo nudus nil probat.
Cuncta agas dicasq; semper, ac si sis vitæ exitu.
Cuncta sic agas latere posse neminem ut putes.
Dicere pauca, multa facere, non solet, nisi adprobus.
Dignior fide sit vita, sermo quàm regnantium.
Duo ubi idẽ faciunt, licet impunè huic facere, illi nõ licet.
Ego odi homines ignavà operâ, & philosophâ sententiâ.
Experiri istuc mavellem mè, quàm mi memorarier.
Factum cuique suum nocere debet, haud item reo.
Gesta fiunt clara vel non, nomine exercentium.
Ipsam habet rem, qui actionem habet reciperatoriam.
Nil agat rex ipse, eis sed qui agere possunt imperet.
Minimè verbis attendendum est, facta ubi aliud arguũt.
Nemo non finem bonum optat actionibus suis.
Non ex verbis res, sed verba è rebus prudens æstimat.
Non modo est laudanda virtus; actione item exprimas.
Non præbet alij actionem alterius circumventio.
Non sat est justum esse verbis, justus es? factis proba.
Nunquam quemquam numero vidi facere, quod facto est
Plurima opera, verba pauca, propriè sunt fidelium. (opus.
Proximum est ab innocentia gestum timidè scelus.

Qui loquitur benè ac malè vivit, voce se damnat sua.
Quid juvat indulgere verbis, cùm experiri rem licet?
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Quid refert utrum voluerim fieri, an factum gaudeam?
Recta non verunt Athenæ, Sparta recta sed facit.
Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules.
Vir probus factis amicum cor probat, linguâ improbus.
Vt probus sias voluntas minimè nuda sufficit.

¶ Jambica.

Actis minimè invidemus, astagentibus.
Ad cuncta quæ facis Deum testem invoca.
Benè sapere, & benè agere, fermè dissident.
Cùm facta videam, verba quid quæso audiam?
Cùm nemo mentem noverit, facta inspicit.
Cùm res loquuntur, frustrà verba funditus.
Extolle verbis, opere sed Deum cole.
Fac actiones congruant fini suo.
Factis Philosophus, haud verbis deprehenditur.
Haud prosper est malæ actionis exitus.
Idem duo cùm faciunt, non tamen est idem.
In actibus pone antt oculos tuis Deum.
In actione posita laus virtutum est.
In actione virtus, non scientiâ est.
In actione posita virtus: os putret.
Inanis est, sine actu aliquo sapientia.
In opere virtus, non sermone vertitur.
Mentis probæ proba omnis est item actio.
Nihil gerendum est, cui ratio non sit sua.
Nil agere quod non prosit, omnium optimum est.
Non est loquendum, quam faciendum fortius.
Non facere non facienda laus est maxima.
Non perficit virum probum actio unica.
Omnem actionem vitæ à sacris inchoes.
Præclara facta accepta cuncta fer Deo.
Præstat benè pauca, quam multa agere non benè.
Quam rarus est qui luce quid dignum facit!
Quò plura quis facit, hoc & peccat pluries.
Ratione rerum agamus, haud libidine.
Rectè illa nemo fecerit quis, quæ oderit.
Rerum dies verbis terere, imprudentia est.
Sermo actione cassus, haud est efficax.
Sic cuncta fac, ceu te quis aspecta verit.
Si respicis mortem, quod ages, ages benè.
Spectanda fama hominis quidem, facta at magis.
Sunt verba tanquam vestis; res nervi ac caro.
Velle, ante cedit actiones quaslibet.
Vbi voluntas recta, recta ibi actio est.

Acutè Dictorum.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Cornelius Pontifex: Non infrequens est, ut ex dicentis loquentisq; verbis, ejusdem genium ingeniumq; cognoscamus. Et si viva vox omnis (ut est in proverbio) suam habeat elegantiam & energiam: quantò magis, si ad eam acuta quædam venustas accesserit? Ejus itaq; nunc exempla aliquot ex utroque ordine in medium adducemus; licet quilibet hujus operis titulus sua etiã habeat, quæ aliàs vix futura Apophthegmata. Aciem itaque hîc ducat Cornelius Pontifex, qui Novatianum redarguens, quòd se invitum ad Pontificatum evectum jactitaret: *Si invitus*, inquit, *Novatiane designatus es Pontifex; probabis, cùm volens cesseris.* Quo dicto, ejus intemperatam oris proteviam repressit, & quàm vanè gloriaretur, declaravit. *Platina in vita.*

Leontius Episcopus Ancyræ, etiam rari ingenii vir, cùm in gravissima illa Antiochena de fidei dissensione sententiam suã palàm proferre non auderet, caput canis albicans iteratò demulcens, dixisse fertur: *Nivem hanc solutam, multum luti subsecuturum est.* Ænigmate hoc obscuriùs indicans, dissonantiam eam se mortuo in seditionem evasuram. *Histor. Eccles. Euseb.*

Sisinnius Episcopus Novat. Abstulerat Novatianis Ecclesiam Leontius Ancyræ Episcopus: accedit Sisinnius, eam reddat, postulans. Cui alter: Quid? inquit, vos Novatiani pœnitentiam tollitis, & Dei benignitatem ab hominibus clauditis? respondit Sisinnius: *Neminem adeò pœnitet, quàm me.* Cui rursus Leontius; Quomodo te pœnitet? *Quòd te videam*, inquit Sisinnius. *Socrates Histor. Eccl. cap.* 20.

Idem: Dicenti sibi D. Joanni Chrysostomo, unam civitatem duos Episcopos habere non posse: *Nec habet*, ait Sisinnius, quod cùm ægrè ferret Joannes, & inferret; Ergo tu solus vis esse Episcopus? respondit: *Neque hoc dico: sed quòd apud te solum non sum Episcopus; qui tamen aliis sum Episcopus. Ibidem.*

Paulus II. Pontifex Max. Hic cùm præfecturam Rhodiensem, à Gallo exhaustam, Hispano commisisset gubernandam; plures ejus mutationis causam scisciati. Quibus ille: *Gallicus morbus, Hispano medico erat curandus.* Quod nempe Galli profusiores, Hispani frugaliores essent. *Platina in vita.*

Leo X. Pontif. Max. Et in hunc præclaras ingenii dotes natura effuderat, ita ut nescias, an in sacro illo ordine reperias superiorem. Venit quandoque ad eum quispiam artis chimicæ peritus, offerens libellum, quem de auro conficiendo è quavis pænè materiâ ingeniosè, non tamen efficaciter, conscripserat. Miratur ingenium hominis Pontifex, magnãque expectantem, vacuâ crumenâ donat: &, *Auro te donarem*, inquit, *verùm cùm illud conficiendi certam scientium promittas, id unum tibi sufficerit (si eam ad effectum deducas) ut habeas in quo tuum aurum reponas. Corozetus & alij.*

Constantinus Imperator: Neque hac dicendi urbanitate & venere caruisse civilem ordinem, ex subjectis liquidò cõstabit. Cùm Acesilaum Novitianorum Antistitem in Concilio multa effutientem audiret Constantinus; & inter alia, spem remissionis à sacerdotibus nullatenus exspectandam, sed à Deo: *O Aceſi!* exclamat, *pone scalam, & si potes, solus ascende in cœlum.* ejusdemque improbitatem & pertinaciam hoc dicto compescuit. *Histor. Tripart. lib. 11. cap. 13.*

Ludovicus XII. Franc. Rex: Ille instanti urgentique conjugi, Claudiam filiam Carolo Maxæmiliani Cæsaris nepoti desponderet; *Visne*, ait, *clitellas asini equorum ephippiis præferri?* & assumptâ parabolâ, subdidit: *Principio cervas cum cervis amplioribus cornibus natura insignivit: at cùm cervæ se maribus cervis præferrent, indignatus Deus, excornes prodirent, imposterum imperavit. P. Æmil. in vita.*

Comes Nassovia: Erat & hic, ut bellicâ virtute, ita & sagaci ingenio clarus, quippe castrorum Cæsarianorum ductor, cùm præter Cæsaris opinionem diutiùs in Peronæ Franciæ oppidi obsidione moraretur; ab Hungariæ regina Caroli filia reprehensus, quòd in expugnatione columbarii (ita Peronam nuncupabat) tantam moram necteret; *Fateor*, dicebat, *Peronam columbarium: verùm alit robustas & alacres columbas, quæ se ægrè capi permittunt. Theat. vit. hum.*

Mendicus Anonymus: Elisabetha Angliæ Regina, cùm fortè ad templum procederet: mendicum ad templi fores incubantem, stipemque exigentem conspicata, ut erat ingenio facili, *Eja*, inquit, *quàm verum illud adagium, Pauper ubique jacet.* Quo audito ille nihil cunctatus (erat enim eo genere, quos cùm laboris pertædet, mendicitatis studium etiam literatos quandoque delectat) respondet:

In thalamis Regina tuis hac nocte jacerem,
Si foret hoc verum, Pauper ubique jacet.

Incerti auctoris.

Bayardus Capitaneus F. R. Dissidentibus inter se Carolo V. Imperatore, & Francisco Galliarum Rege, cùm ei oppidi Metisci custodia obtigisset, & Franciscus à Stritigen adversæ patris ductor oppidum sibi tradi per internuntios rogasset, responsum hoc referri jussit: *Equi Francici* (quos Bayard appellant) *non timent Roussinos* (equorum genus) *Alemannicos.* Ita simul animi fortitudinem, promptitudinemque expressit. *Corozetus.*

Cosmus Medices: à Strossianis in exilium ad Benacum pulsus, dum ad eum venisset qui rogaret quidnam ageret? respondit: *Galliæ incubanti frequens adsum, ut ejus postmodum fructu potiar.* Insinuabat autem, se assiduè de reditu cogitare, quem postmodum est consecutus. *Egnat. lib. 7. cap. 2.*

Adfinitatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad probos propinquitate proximè jungi optimum est.
Est socer genero pro patre; gener socero instar filij est.
Filias des honoratis, non opulentioribus.
In puellarum intuere mores, non opulentiam.
Non ditissimus legendus est gener, sed optimus.
Optimum est propinquitate ad optimos se adjungere.
Qui priùs fuit Junonis hostis, ejus jam est gener.

¶ Jambica.

Adfinitas perit ferè cum filia.
Adfinitas valet potentum, ubi expedit.
Adfinitate plures inter se obliges.
Adfinitatis vinculum firmum liberi.
Fidelis haud est usquequaque affinitas.

Adiaphororum.

¶ Apophthegmatum sacrorum.

Spiridion: Cùm instaret Quadragesima, & quidam ex itinere fortè ad Spiridionem Episcopũ divertisset, ille filiam suã accersens,

sens: *Age* (inquit) *primùm viri hujus pedes lava, deinde ei cibum appone.* Ubi verò respondit Virgo, neque panem in ædibus esse, neque polentam (supervacanea namque fuisset istarum rerum apparatio, propter jejunium.) Spiridion, cùm precibus Deum invocasset, veniámque petivisset, dedit mandatum filiæ, ut carnes suillas, quas fortè in ædibus haberet sale cõditas, coqueret. Quibus coctis, hospitem facit secum accumbere, déque carnibus appositis comedere cœpit, hortatúrque hospitem, ut ipsum imitetur. Qui cùm illud facere recusaret, dicerétque se Christianum esse: *hanc ob causam*, inquit Spiridion, *minus recusare debes. Nam omnia munda esse mundis, sacræ literæ pronuntiant. Soz. om. Eccl. hist. lib. 1. c. 11.*

Sisinnius: Cùm Episcopum Arsacium Sisinnius Novatianorum Episcopus honoris causa inviseret, cuidam ex necessariis Acacii sciscitanti, cur albâ veste, episcopo insuetâ, indueretur? & ubi scriptum reperiret, presbyterum debere albâ veste indui: *Tu*, inquit, *prius dic mihi, ubi sit scriptum, episcopum debere nigrâ veste uti.* At cùm, qui rogaverat, hæreret, Sisinnius responso hæc præterea adjecit: *Tu quidem non poteris mihi ostendere, quòd episcopum oportet nigrâ veste indui: at me Salomon sic cohortatus est, sint tibi vestimenta alba. Itemq; Servator, ut ex Euangeliis constat, albâ veste uti visus est: quin etiam Mosen & Eliam albis vestibus indutos, Apostolis demonstravit*, &c. *Socrat. hist. eccl. lib. 6. cap. 20.*

Adjurationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

D. Chrysostomus: Adjurationis magnum olim habebant metum: nunc autem hoc quoque est conculcatum. Et sæpè contingit, ut puer flagris cædatur, & Deum adjuret & Christum ejus, & dicat: Ita Christianus moriaris, & nemo attendat, nemo advertat & curet. Sin autem per proprium adjuret filium, statim & invitus & stridens dentibus, iram remittit. Alius rursus dum trahitur, & in medio foro abducitur, adstantib⁹ & Græcis & Judæis, maximè horrendis eum qui abducit adjurat Sacramentis, & nemo attendit: Quid non dicent Græci, quando fidelis adjurat fidelem & Christianum, & nulla ejus habetur ratio, sed etiam despicimus? Vultis rem vobis narrem, quam ipse audivi, neque enim rem fingens dico, sed auditam à persona fide digna.

Ancilla quædam cuidam viro improbo & impuro fugitivo conjuncta, ipsa, quum vir ejus multum peccasset, & à domina esset vendendus, majora enim erant peccata quàm ut ei dari posset venia, & mulier erat vidua, & eum castigare quum ejus domum perderet nõ poterat, sed statuerat vendere, deinde esse nefarium existimans domina virum ab uxore separare, maluit illam mulierẽ quamvis frugi & utilem simul cum eo vendere, quàm illam separationem. Videns ergò puella se esse redactam in magnam animi perplexitatem, veniens ad reverendam personam dominæ suæ familiarem, quæ & mihi narravit, & genua prehendens, & multùm lachrymans & ejulans, rogavit ut suam dominam pro ipsa oraret, & multis verbis cõsumptis postea hoc quoque addidit, tanquam ei maximè persuasura, quoddam maximè horrendum inferens jusjurandum. Ita Christum videas in die judicii, ne meas preces despicias, & quum hæc dixisset, abiit. Quæ verò fuerat rogata, quum quædam incidisset solicitudo de iis quæ ad vitam pertinent, ut accidit in domibus, oblita est. Deinde repentè in crepusculo pomeridiano recordata est maximè horrendi illius quo adacta fuerat jurisjurandi, & vehementer fuit compuncta, & abiens enixè & diligenter rogavit, & rem confecit. Illa autem nocte cœlos repentè vidit apertos, & ipsum Christum. Vidit autem ut videri potest à muliere. Quoniam autem de jurejurando fuit solicita, quoniam timuit, hac visione digna fuit habita.

Hæc autem dixi, ne despectui habeamus adjurationes, maximè quum de rebus bonis & honestis nos quidem rogaverint, maximè pro eleemosyna, pro benignitate & clementia. Nunc autem sedent pauperes pedibus manci ac mutilati, videntes te prætercurrentem: deinde quoniam pedibus te non possunt assequi, sperant se veluti quodam hamo adiurationis metu te retenturos, & manus extendẽtes adjurant unum aut duos solos des obolos: tu autem prætercurris per tuum adjurata dominum, & si te adjuraverit quidẽ per oculos aut mariti peregrè præfecti, aut filii, aut filiæ, statim cedis, & salit animus, & incalescis. Sin autem per dominum adjurarit, prætercurris. Ego autem multos novi quæ audito Domino prætercurrerunt. Eò itaque miseris adigunt pauperes ut risum moveant. Nam quoniam verbis utentes vehementibus & acribus, non tangunt animum, ad hanc viam deveniunt per quam maximè delectant: & eum qui est in calamitate, & fame cruciatur, cogit nostra improbitas pulchritudinis dicere encomium.

Et utinam hoc solum, sed alterum quoque genus hôc acerbius, nempe præstigiatores cogit esse pauperes, scurras, & parasitos risum moventes. Quando enim calices, hederaceas pateras, & pocula digitis inserens & imponens ludit cymbalis, & fistulam habens, turpia cantica & amore plena per eam cantat & voce clamat: Deinde multi circumstant, & alii quidem frustum panis, alii verò obolum, alii verò aliquid aliud præbent, & diu retinent, & delectantur & viri & mulieres, quid est hôc gravius? An non sunt hæc valdè deploranda? parva quidem sunt, & parva existimantur, nostris autem moribus magna ingenerant peccata. Quando enim dictus fuerit quidam obscœnus & dulcis modus, mollit animum, & illam ipsam corrumpit animam. Et pauper quidem Deum invocans, & bona vobis precans innumerabilia, à vobis nihili æstimatur: qui autem pro his inducit juvenilia, habetur in admiratione. *Homilia 11. ad Thessalonicenses.*

Administri Principum.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. Nazianzenus: Non ita est, inquiunt, qui res illius venerantur novumque Deum illum nobis effingunt, suavem inquam illum & benignum: verùm quia nequaquam apertè promulgavit ut Christiani vexarentur, atque ea omnia paterentur, quæ persecutoribus collibitum esset, idcirco eum à persecutionis crimine vendicant. Atqui Hydram nemo unquam lenem & mansuetam dixit, quod novem capita pro uno proferret, si quid fidei Poëtis habendum est: nec Pataricam Chimæram, quòd tria ac diversa, ut terrorem majorem afferret: aut illum apud inferos Cerberum, quòd totidem & similia: aut Scyllam, æquoream pestem, quòd sex in orbem maximéque horrenda: & tamen superiores ipsius partes suaves & humanas fuisse narrant, nec aspectu injucundas (virgo enim erat, cognationis cuiusdam necessitudine nobiscum devinctâ:) at reliqua capita canina erant, & belluina, atque omninò pernicioſa, classes totas corripientia, nec quantum ad periculum, ab oppositâ charybdi quicquam differentia.

An tu etiam sagittariorum & funditorum sagittas ac lapides, nõ autem funditores ipsos & sagittarios accusabis? An venatorem canes, & veneficorum toxica, & cornupetarum boum, & dilaniantium ferarum cornua & ungues: qui autem his utuntur, extra culpã ponentur, nec criminis earum rerum, quas perpetrarint, participes erunt? Magnæ profectò hæc stultitiæ fuerint, ac sophistâ procul dubio opus habuerint, qui vitiorum suorum patrociniũ suscipiat, viribúsque eloquentiæ veritatem obtegat. Sed nulla unquam ratione seipsum occultabit, nec si in omnem quidem partem se verset, ac per vafritiem suam in omnes formas immutet, atque Orci galeam, ut dici solet, induat, aut Gygis annulo & palæ conversione sese suffuretur. Imò contra, quò magis elabi atque effugere tentat, hôc magis comprehenditur & convincitur apud veritatis tribunal, ac prudentissimos quosque earum rerum judices, utpote hæc faciens atque committens, quæ ne ipse quidem, ut justa, defendere queat. *Oratione tertia, quæ est in Iulianum stelitentica prior.*

D. Nazianzenus: Aulici proceres, ac sublimibus thronis & dignitatibus insignes, ne ob potentiam magnopere animos efferatis, nec de mortalibus rebus tanquam immortalibus cogitatis. Fidem Imperatoribus servate, sed priùs Deo, propter quem his etiam quibus commissi & traditi estis. Qui generis splendorem jactatis, date operam, ut mores quoque nobilitatis: aut aliquid dicam, injucundum quidem & molestum, at nobile tamen & generosum. Nam tùm verè nobilissimus vester ordo esset, nisi libelli ignobiles etiam in vestrum album asscriberent. *Orat. 27.*

¶ Latinorvm.

Egesippus: Vespasianus tam fortis in prælio, ut per illum & Nero vinceret essetque hostibus formidabilis, tam fidelis Domino Principi, ut solus imperium non quæreret, quod solus merebatur. *cap. 46. libri 5. excidii Hierosol.*

Ennodius: De civitate Mediolanensi quasi Icarus avolasti, & ne mandati me salutatione dignatus es. Sic faciunt quos potentium lateribus jungat inopinata sodalitas. *lib. 9. Epist. 21. a. m.*

¶ Philosophorvm Oratorúmque Græcorum.

Euripides: Præterea quòd omnes qui sunt ullibi Græcos honore, aut memoratu dignos, & maximè artium studio deditos, atque rursus ex his omnibus potissimùm qui ex doctrina scribere vel disserere possunt, undequaque accersis, & rerum necessariarum largâ suppeditatione, omnique comitate foves, ut reliquis curis liberati, semper promoveant tua opera, & in suis quilibet artibus progressus faciant, & in his imples domum, non adulatoribus, neque sannionibus, & hos magis observare, quàm ab ipsis non observari vis, quemadmodum est audire sæpenumero, quòd illis potiùs tale esse qualis sis acceptum, referri debeat, & ita posterorum etiã memoriæ prodi, quàm quòd illi suam fœlicitatem tibi asscriberet. Illis quidem etiamsi tua munera deficiant, tamen & divitias satis magnas & gloriam esse & voluptatem in ipsis artibus, quis non ex his omnibus te admiretur & beatũ prædicet? præsertim verò quod in confesso, jam est & cognitum omnibus, tanta benignitate tuos familiares à te tractari, ut etiam potentia admodum tibi conferãt, nomen verò regis nihil obsit, quò minùs ab amicis diligaris. *Epistola ad regem Archelaum.*

Nicocles Rex: Ne invidete eis qui apud me principem locum tenent; sed contendite & enitimini, ut ob probitatem & virtutem cum summis æquemini. Amandos & honorandos esse putate, quos rex magni facit; ut eadem hæc vobis etiam à me tribuantur. *Apud Isocratem.*

Aristides Sophista: Et in negotiis regiis nemini unquam doloris erat causa, verum perpetuis beneficiis & propinquos & amicos, ac patrias urbésque singulorum prosequebatur. *In funebri oratione Alexandri.*

Themistius: Cùm autem animadvertisses domesticorum atque comitum justitiam, unicum esse Principi fundamentum securitatis, eos omnes qui ubique terrarum erant optimi, partim revocasti, partim adsciviſti, partim liberasti. Hunc itaque palatium tuum stipatorum instar ac satellitum custodit, hinc Nestoris in consiliis dandis prudentia, inde Diomedis libertas, hinc Chrysantas ille Cyri, inde Artabazus Xerxis. *Oratione 12.*

Themistius: Nemo est, sapientissime Imperator, qui judicium tuum in eo vehementer probet, quod ut quisque optimus vir est, ita maximè ad familiaritatē, cùm studes attrahere. Rectè enim sentis, firmandi regni certissimam viam esse consuetudinem eorū, qui præter justitiā & omne genus laudis vel magnopere bonum & expetendum ducūt. Nam & talis quisquis habetur, quales sunt ij, quorum conjunctione delectatur, & ad colligendam hominū benevolentiam nihil est opinione probitatis accommodatius. In caritate autem civium vel in primis regni fundamenta sunt posita.

Quare quod magna cum voluptate omnes gentes & sentiunt, & prædicant, hoc jam consecutus es, ut remoto barbarorum & convenarū satellitio, quibus feri & immanes tyranni corporis sui custodiam committunt, ab omnibus insidiis & conjuratione civium tutissimam vitā agas; & omnes qui ubiq; sunt mortales, quos tua virtus & Deorū benignitas tuæ ditioni & imperio subjugavit, juris æquabilitate societati inter se atq; devincti sibi gratulētur, quod eorum ætas in imperii tui tempus incurrerit. Non potest in familiaritatē tuā malis artibus adulator irrepere, non sicarius, non qui ullo vel facinore se obstrinxerit, vel flagitio obligarit. Omnibus perditis & conscelcratis hominibus divina animi tui sapientia ad amicitiam tuam aditum obstruxisti, aperuisti autē iis qui sanctitate morum & rerum maximarum contemplatione in corporibus humanis Deorum vitam imitantur. Septi sint alii armatorum gregibus ad salutem suam & terrorem civium: tu in innocentia tua & omnium nationum summo amore tui conquiescis. Stipat regiam tuam Nestoris prudentia, Diomedis libertas. *Orat. 20. ad Valentē Imp.*

¶ Romanorum.

Vellejus Paterculus: Rarò eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt: ut duo Scipones duobus Lælijs, quos per omnia æquaverunt sibi: ut D. Augustus M. Agrippa, & maximè ab eo Statilio Tauro, quibus novitas familiæ haud obstitit, quò minùs ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura eniterentur sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent. neque in parvo paucitas ministeria defecit: interestq; Reipubl. quod usu necessarium, & dignitate eminere; utilitatémq; auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Sejanum Ælium, laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit: virum severitatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum; nihil sibi vindicantem, coq; assequentē omnia; semper infra aliorū æstimationis se metiētem; vultu vitáq; tranquillū, animo exsomnē. In hujus virtutū æstimatione jampridē judicia civitatis cum judiciis Principis certāt.

Neq; novus hic mos Senatus Populiq; Romani est, putādi quod optimum sit esse nobilissimum. Nam & illi Antiqui, ante primum bellum Punicum ab hinc annos trecentos, Tib. Coruncanum, hominem novū, cùm aliis omnibus honoribus, tùm Pontificatu etiā maximo, ad principale extulere fastigium; & equestri loco natum Sp. Carvilium, & mox M. Catonem, novum etiam Tusculo, urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum, in Consulatus, Censuras & Triumphos provexēre. Et qui C. Mariumignotæ originis, usq; ad sextum Consulatum, sine dubitatione, Romani nominis habuere principem: & qui M. Tullio tantum tribuēre, ut penè assentatione sua, quibus vellet principatum conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret; profectò hoc senserunt; in cujuscunque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.

Hæc naturalis exempli imitatio, ad experiendum Sejanum, Cæsarem; ad juvanda verò opera Principis, Sejanum protulit; Senatumque & Populum Rom. eò perduxit, ut quod visu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocet. *libro posteriore Hist. cap. 127. & 128.*

Plinius junior: Cùm ex heredibus quidam, quasi reverentia Eurythmi liberti Cæsaris, remitterent accusationem, pulcherrimè dixerat Imperator Trajanus: Nec ille Polycletus est; nec ego Nero. *Epist. 31. lib. 6.*

Cl. Mamertinus: Habuerunt nonnulli alii Principes devotam & amantem sui cohortē, sed alio quodam modo; primùm quod imperitia rudes indoctissimum quemque in consilium deligebant; scil. ut ipsorum prudentia vulgo suo aliquatenus emineret. Ita cùm vilissimus quisq; honorū & divitiarū potitus foret, sua commoda & vitia Principum diligebant. Ab his optimus quisque abigebatur procul, cùm suspecta esset probitas & invisa, & quantò quisque honestior, tantò importunior turpium arbiter vitaretur. At tu, Auguste, omnibus nugis remotis, optimum & doctissimum quemq; perquiris. Si quis præstat virtutibus bellicis & laude militiæ, in amicis habetur: qui in oratoria facultate, qui in scientia juris civilis excellit, ultrò ad familiaritatē vocatur. Quicunque in administratione Reipubl. innocentem se unquam & strenuum præbuit, in consortium munerum receptatur, regendis provinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis. Omnes à te augentur pecuniâ, locupletantur divitiis, honoribus honestantur. Prorsus amicitias tueris privati fide, Imperatoris opulentiâ. *capit. 25. Orationis ad Iulianum Aug.*

Cl. Mamertinus: In referendâ gratiâ, hoc tibi polliceor, semperque præstabo; mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neq; in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neq; in sententiâ simpliciter ferendâ fidem, neq; in hominum voluntatibus pro Republ. teq; lædendis libertatem, neq; in laboribus perferendis industriam, neq; in augendis imperii tui commodis, grati animi benevolentiam defuturam: idq; omni vitæ meæ tempore summis opibus enixurū, elaboraturū, effecturū, ut honores in me tui, non quia necesse fuerit ad quemcunque delati, sed quia ita oportuerit rectè positi & ratione collocati esse videantur. *fine orat. in Iulianum.*

Latinus Pacatus: Sed cùm hæc & ad hunc modum cætera mores hominum & instituta formarint, tùm nihil abdicandis vitiis adoptandisque virtutibus, impensius sentio profuisse, quàm quòd his te viris semper dedisti, quos affectare publica deberet imitatio: qui quanquam faciles tibi fuissent sequacésque discipuli, tam cæteris expetendi essent magistri. Ut de his sileam, quos tibi primus ille nascentis imperii dies obtulit, tantis virtutibus præditos, ut nō pro copia sumpti, sed ex copiâ viderētur optati, quos tu postea qualésque legisti, quibus provinciarum custodiam, quibus militaris rei summam, quibus consiliorum tuorum arcana committeres? ergò cùm duplex fuerit iste delectus, unus ex judicio, alter ex fato, incertum meliores viros sapientia tua an fortuna quæsiverit, cùm tales vel acceptos habeas vel repertos, ut & illi meruerunt teneri, & isti debuerint cooptari &c. *cap. 15. Panegyrici Theodosio Augusto dicti.*

Symmachus: Scio amore factum quo summates viros plerumque dignamini, ut sacræ orationi vestræ lector adhiberer. Sed cùm intelligo sermonem illum præminere omnimodò scriptis aliis, quæcunque ad hoc locorum Senatus audivit, me quoque arbitror pluris habitum esse quàm cæteros. Magnis enim negotiis itidem ut magnis comœdiis, edecumati apponuntur actores. Non idem honor in pronunciandis fabulis Publio Pollioni qui Ambivio fuit, neque par Æsopo & Roscio fama processit. Quare optimi Principes, quæ in me benè consultatis, ut divinitùs oblata complector. *lib. 10. Epist. 2.*

¶ Emblematum.

Batillius CXIV. Embl.
In servos aulicos.

Qualis amans Clytie quamvis radice tenetur,
Perpetuò ad Solis vertitur ora sui.
Sic aulæ procerum Regi mens dedita servit,
Gaudentq; assueto libera colla jugo.

Camerarius XXVI. Centur. 1.
Sic perire juvat.
Hedera arborem circumplexu necans.

Mens generosa aliis se totam impendere gestit:
Quid ni? Tali ipsam morte perire juvat.

Camerarius LXII. Centur. 2.
Neuter solus.

Quid vis fida canis? quid vult sibi candidus anser?
Sit monet integritas sit vigilax q; fides.

Horologium. Embl. VII.

Vt orbium diversus in contraria
Nisus, coërcet fervidum motum rotæ;
Sic & senectæ providens cunctatio;
Calidos juventæ frenat ausus, & regit.
Idcirco Princeps eligat sibi senes
Ad consulendum; juniores comparet
Ad exequendum jussa Prudentum senum.
Flor. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Caritate summus Regi, & antecellit præmiis.
Consulit populi saluti qui squis in regem est pius.
Cor fidele, tuta regis in periculo timet.
Detrahit quid regum honori servientis gloria.
Et bonam Regis naturam comites faciunt pessimam.
Exitiosius Mucianum spreveris quàm Cæsarem.
Expedit rex cuncta prudens per viros primarios.
Heu! quam multa nesciente sceleratiunt Principe!
Improbos regi aufer, & rex quisque erit vel optimus.

Ipsa

Ipse item sævit tyrannus, at amici ejus magis.
Morum habenda major ratio Regibus quam sanguinis.
Non videt rex lumine æquo cepit à quo ingens decus.
Novit Regem quisquis Regis administros noverit.
Nunquam desunt qui speculantur acriter iras Principũ.
Omne crimen administri, Principi jure imputes.
Plurimùm optimos navarchos remigum juvat manus.
Plus existimationi Rex studet quàm Regius.
Plus periculi Sejanum spernere est, quam Cæsarem.
Rrincipe ignaro his & illis dant malum domestici.
Proximus regi suspectat tam pares quàm non pares.
Publicæ res administri plures, plurimùm juvant.
Quicquid Regis administer peccat, in Regem cadit.
Quicquid errat administer regis, est regis scelus.
Quo remotior Luna est à Sole, hoc est & grandior.
Regecapto, ejus ministri sortem eandem sustinent.
Rex facit scelus suum, omne servientium scelus.
Rex potens ut sit repostum est servientium in manu.
Servit omnis qui potestati addidit se regiæ.
Vbi duæ eminentiæ sunt, æmula ibi contentio est.

¶ Jambica.

Absque administris Rex quid exequi queat?
Agas feras & cuncta amicus Cæsaris.
Bellum geri sine administris non potest.
Dormire fas pastori, si vigilat canis.
Et interit cum Sole siderum decor.
Magnus libertus, parvi signum Principis.
Malus est minister regis imperii pudor.
Minister, omnem fortunam ad ducem refer.
Negotiis par, neque supra, Regi placet.
Quem rex honorat, jure plebs omnis colat.
Regi bono, administer omnis sit bonus.
Regi malo, administer omnis sit malus.
Regum administri cuncta agunt ad gratiam.
Rex in ministris etiam violatur suis.
Rex talis est, quale ejus contubernium est.
Se damnat ipse Rex malos qui promovet.
Servorum obsequia herorum honestat dignitas.

Videantur plura titulo *Aulæ, Aulici, Principis, Regis, Imperatoris, Præsidis, Provincia.*

Admirationis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Chrysostomus: Etenim si te ipse exercere vis, habes quæ admirari, & circa quæ totum tempus ore hianti esse debes, quæ quidem non risu, sed admiratione, multisque laudibus digna sunt: idque eò magis, quòd qui ridiculorum rerum admirator est, & ipse quoque sæpe talis evadit, atq; adeò illo deterior qui risum aliis excitat. Quod ut ne tibi accidat, pedem inde quàm primum refero. Cur enim, quæso, stas ad divitias hians, ac veluti attonito similis? quidnam, obsecro, mirandum spectas, ac tale, quod oculos tuos morari debeat? equos auro stratos, famulos illos quidẽ barbaros illos autem eunuchos, & sumptuosa item vestes, & molliti ei deditum in iis animum, & contractum illorum supercilium, & circuitiones, & tumultus: hæc ipsa, obsecro, quorsum admiratione digna fuerint? Hi autem quid à mendicis differunt in foro tripudiantibus, ac fistula canentibus? Siquidem & ii magna virtutis fame correpti choream agunt, quàm illi magis ridiculam, acti & circumacti, nunc quidem ad lautas extructasq; mensas, nunc ad meretricium fornicem, nunc adulatorum gregem, & parasitorum turbã. Qui si auro splendescunt; hoc potissiũm nomine miserabiles sunt, ut quibus præcipuo studio ea sint, quæ ad ipsos nihil spectant. Mihi enim ne vestes ipsas intueare, verùm ipsorum animam denudato ac despicito, num ea vulneribus innumeris abundet: num pannos induta, desolata sit, & à nemine tecta. Quid igitur externa insania opus est? *fine Homiliæ 4. ad Romanos.*

D. Greg. Nyssenus: Qui longis orationis digressionibus, hujus rei laudes latiùs explicant, quasi ex hoc aliquid admirabile huic virginali studio sint addituri, hi profectò mihi seipsos ignorare videntur; cùm suæ sententiæ magnopere ipsi repugnent. Quibus enim encomiis se rei magnitudinẽ amplificare arbitrantur, iisdem laudẽ faciunt suspectã. Nam quæ naturâ excellunt, admirationem secum afferunt, neq; orationum patrocinio indigent; qualia sunt, cœlum, sol, cæteráq; id generis, quæ in omni cœlo ac terra aliquid admirabile habent. Humilioribus autem studiis, oratio fundamento proposita, aliquam magnitudinis opinionem laudum artificiosa adjungit. Itaque fit plerunque, ut admiratio quæ encomiis comparatur, veluti commentitia, ab hominibus suspecta habeatur.

Ergò hæc laus virginitatis egregia est; ut scilicet statuat quis virtutem ipsam omni esse laude præstantiorem; atq; ex ipso potiùs vitæ genere, quàm ex aliqua oratione castitatem suspiciat & admiretur. Nam qui in hoc argumento, gloriæ cupiditate adductus versatur, non ab eo planè absimilis est, qui aliquam sudoris sui stillam, quam is magni faciat, putet fore additamentum immenso mari; si modò hominum sermone crediderit tantum munus posse illustrari atque ignorari. Aut enim is suarum virium ignarus est, aut id quod laudat non intelligit. *de Virginitate, cap. 1.*

Isidorus Pelusiota: Athenas non rectè miraris, & porticum & stoam, atque Atticam pompam, in quibus ob nugarum studium olim assiduus eras; tu, inquam, qui res terrenas contempsisti, ac nihil eorum quæ hic sunt, amare passus es. *lib. 1. Epist. 227.*

¶ Philosophorum Rhetorumque Latinorum.

Isocrates: Summopere scire velim, quid is facturus fuisset, si eos contempsisset, quàm admiratione virtutis eorum, omnia contrario studio habuisse constat. *Laudatione Busiridis.*

Epictetus: Si initio parva admiratus fueris, magnis indignum te præbebis. Sin parva contempseris, in magna eris admiratione. Nihil minutius est studio voluptatis, avaritia, arrogãtia: nihil præstantius magnitudine animi, clementia, humanitate. *apud Stobæũ.*

Arrianus: Qui eum quem decet vitæ statum tenet, is rebus extra se positis non inhiat. Homo quid expetis? Mihi quidem satis est, si & appetam & adverser secundùm naturam; si ita & inciter & refugiam ut natura mea postulat; si sic proponam, sic aggrediar, sic assentiar. Quid ergo nobis quasi obeliscо devorato obambulas? Vellem me ab obviis etiam admiratione affici, & sectantes acclamare, ô magnum Philosophum! Quinam sunt isti, quibus admirationi esse cupis? Nonne ii sunt, quos dicere soles insanire? quid ergò? apud insanos in admiratione esse cupis? *cap. 21. lib. 1.*

Arrianus: Si Deus quæ repetit, non ultra reddis, eris inter servos, etsi millies consulatum gesseris, etsi palatium ascenderis: sentiésq; admirabilia quidem (ut Cleanthes dicebat) non tamen absurda dicere philosophos. Re ipsa enim cognosces, vera ea esse, ut eorum, quæ admirationi sunt, quæq; expetũtur, nullum esse usum iis, quæ illa consecuta sunt: iis verò quæ nondum consecuti sunt, adferre opinionem, cùm advenerint, bona omnia unà affore. Verùm cùm adfuerint, æstus par est, jactatio eadem, idem fastigium, idem eorum quæ absunt desiderium. Neque enim explendis desideriis libertas comparatur, sed refutanda cupiditate. *cap. 1. lib. 4. Epicteti.*

Arrianus: Vir bonus nunquid eorũ quæ fiunt admiratur? Nunquid novum illi videtur? An non pejora & graviora exspectat ab improbis, quàm ipsi accidunt? An non in lucro deputat, si ab improbitate absint? Ille tibi maledixit. Magnam ei gratiã habeo, quod non verberavit. Sed & verberavit. Magnam habeo gratiã quod non vulneravit. Sed & vulneravit. Magnam habeo gratiam qud non occidit. Quando enim didicit, aut à quo, mansuetum animal esse hominem, sociabile, ipsam injuriã magno ei malo esse à quo inferatur? Hæc igitur cùm neq; didicerit, nec persuasa habeat: cur non id sequatur quod sibi expedire putat? Vicinus conjecit lapides. Quid ergò tu peccasti? At supellex confracta est. Tu ergò vasculum es? Non, sed libera voluntas. Quid ergo tibi adversus istud datum est? tanquam lupo ut re mordeas, & plures lapides conjicias? Ut homini autem, si quæras quid inspice penum tuum: vide quas tecum facultates attuleris. num beluinam? num ultionis avidam? Equus quando miser est? cùm naturalibus facultatibus privatur: non cùm coerciri nequit, sed cùm currere nequit. Canis, non cùm volare nequit, sed cum nequit indagare. Quid ergò si homo etiã eodem modo miser est, non is qui leones strangulare nequit, aut statuas amplecti: (neq; enim ad hoc ullis à natura facultatibus est instructus) sed is qui amisit prudentiam, bonitatem, fidem. *lib. 4. cap. 5. Epict.*

Libanius: Ut quis ea admiretur, quæ despicit fieri non potest. *Oratione Achillis ad Vlyssem ab Agamemnone ablegatum.*

¶ Romanorum.

Cicero: Fit suavis oratio, cùm aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas: delectat enim quidquid est admirabile, maximéq; movet ea, quæ motum aliquem animi miscet, oratio. *Oratoriarum partitionum cap. 6.*

Seneca: Incorruptus vir, sit externus & insuperabilis, miratorq; tantùm sui: fidens animi, atque in utrumque paratus artifex vitæ. *lib. de vita beata, cap. 8.*

Seneca: Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cœtu invicem noxio procul abesse. Hoc ut esse verum scias: aspice, quanto aliter unusquisque populo vivit, aliter sibi. Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorũ monstrari & conspici fructus est. Quis eam quã nulli ostenderet, induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis sub alicujus rusticæ arboris projectus umbra, luxuriæ suæ pompã solus explicuit? nemo oculis suis lautus est; nec paucorum quidem & familiarium: sed apparatum vitiorũ suorũ pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator & conscius. Ne concupiscamus efficies, si ne ostendamus. Ambitio & luxuria, & impotentia scenam desiderant. Sanabis ista, si absconderis. *Epistola 94. §. 16.*

Plinius junior: Eundem Erucium antequã scribam, eundẽ cùm scripsi, eundem etiã cùm remittor, nõ tanquã eundem lego. Quod te quoq; ut facias & horror & moneo. Neq; enim debet operibus ejus obesse quod vivit. An si inter eos quos nunquam vidimus flo-

ruisset, non solum libros ejus, sed etiam imagines conquireremus: ejusdem nunc honor præsentis & oratio quasi satietate langueſcet? At hoc pravum malignumq; est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti: nec laudare tantùm, verùm etiam amare contingit. *lib. 1. epist. 16. fine.*

¶ Monosticha Trochaica.

Admiratio ingens verba non parit, at silentium.
Artifices minimè admirantur qui artes non intelligunt.
Quam mirantium plebs magna, tam magna invidentiũ
Tuta laudamus: miramur in quibus periculum est. (est,
Verba non parit, parit silentium admiratio.
Viteriora fas mirari est, sed sequi præsentia.

¶ Jambica.

Humana temne, ut iis sis admirabilis.
Miramur abstrusa, haud miramur obvia.
Miramur omnes nostra; aliena temnimus.
Mirantur omnes qui quod nullus hoc facit.
Mirantur optima quaque, & qui sunt pessimi.
Miratur id plus plebs quod non intelligit.
Pro magnifico est id omne quod non cognitum est.
Qui fœminam miratur, miratur lutum.
Quod nesciunt mirantur id plus simplices.

Admissionis principalis.

¶ Sententiæ Græcorum Patrum.

Dnazianzenus: Hoc autẽ eccui ex omnibus ignotũ est, quòd multos etiam è rusticioribus, qui ad eum publicè accedebant, ut eorum, quæ homines ab Imperatoribus petere solent, aliquid consequerentur, ita mulctabat, palàm pugno feriens calcibusq; impetens, ut præclarè secum actum putarent, quòd atrocius aliquid minimè passi essent, *Oratione 4. Stelitreutica in Iulianum altera.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcor.

Xenophon: Secundùm hæc ita jam se parare cupiebat Cyrus, quẽadmodum decere regem existimaret: idq; de amicorũ sententia faciundum statuit, ut quàm minima cum invidia & rariùs cõspiceretur, & augustiori specie. Quapropter id in hunc modũ machinatus est. Prima luce stabat in loco, quo putabat esse cõmodum, & admittebat quemlibet aliquid dicere volentẽ: ac posteaquã respondisset, dimittebat. Quũ aũt intellexissent homines, aditũ sibi ad Cyrũ patere: nimia quãta multitudo adeũ confluxit. Jamq; adeò conveniẽdi ejus causa semet impellentiũ molitiones & rixę multiplices erãt. Adparitores quidem ipsius adhibito discrimine, prout poterant, accedendi potestatem faciebant. Quod si aliquando qui spiã ex amicis, impellendo disjecta hominum turba, præ aliis conspectus esset: tùm verò manũ protendebat Cyrus, & istos attrahebat, atq; his verbis utebatur: Exspectate amici, donec turbam hanc dimoveamus: ac deinde per otiũ congrediemur. Quamobrẽ operiebantur amici, & turba major adfluebat: donec opprimeret eum vespera priùs, quàm per otiũ congredi cum amicis & colloqui posset. Itaq; dicebat Cyrus: Modo quidem amici, tempus est discedendi. Cras mane adeste. Nam est, quod vobiscũ colloquar. His auditis, libenter amici discedebant etiã cursitantes, rerum omnium necessariarum neglectione multati. Ac tùm quidem ita quieti se dedere. Postridie Cyrus eodẽ aderat loco, quem jam multò major hominũ adire volentium turba circumstabat, qui multò priùs etiã, quàm illi amici, advenerant. Cyrus igitur Persis hastas gestantibus ambitu magno circum se collocatis, neminem admitti jussit, præter amicos & Persarum sociorumque Principes.

Illi verò quum convenissent, hanc Cyrus orationem habuit: Nihil est, amici ac socii, quòd de Diis queramur, quasi non perfecerimus hactenus omnia, quæcũq; liceret optare. Sed enim si hujusmodi quiddam est, res magnas gerere, ut neq; possis ipsi tibi vacare, neq; cum amicis hilariter vivere: beatam sanè vitam hanc equidem valere jubeo. Nam & heri animadvertistis, à prima nos aurora cœpisse audire accedentes, neque desisse ante vesperam: & nunc videtis hos, atque alios multò plures iis, qui heri aderant, præstò esse, ut nobis negotia facessant. Itaque si quis istis se submittere velit, futurum equidem cogito, ut exigua parte vos mei copiam habeatis, & ego vestri. Mei quidem ipsius mihi, sat scio, ne tantilla quidem erit copia. Præterea, rem, inquit, aliam quoq; ridiculam animadverto. Nam equidem ita sum erga vos adfectus, ut par est: at eorũ, qui hiq circumstant, vel unum aliquem, vel neminem novi: & hi tamen omnes ita parati sunt, ut si vos impellendo vincant, priores etiã vobis à me quæ voluerint, impetraturi sint. Ego verò æquum arbitrarer hos, si quis à me petere aliquid vellet, amicos meos vos demereri, atque orare, ut eos adduceritis. Fortasse dixerit qui spiam, cur ita non ab initio me comparaverim, sed omnibus in medio me potiùs exhibuerim? Nimirum intelligebam, res bellicas ejusmodi esse, ut imperatorem non oporteat esse postremum, vel intelligendis iis, quæ necesse est: vel gerendis quæ usus postulat. Et imperatores si rarò conspicerentur, existimabam prætermittere multa, quæ fieri debuerant. Nunc posteaquam bello maximi laboris confecto quiescimus, etiam meus animus æquum censet, ut requiete aliqua potiatur. Quare quũ ipse ambigam, quid faciundũ mihi sit, ut & res nostræ, & aliorum, quos curæ nobis esse oportet, rectè se habeant: consulat aliquis in medium, quid maximè conducturum perspiciat. Hæc Cyri verba fuerunt.

Post eum surgens Artabazus, qui se aliquando cognatum Cyri dixerat: Profectò, ait, rectè factum abs te Cyre, qui hac de re dicere cœperis. Nam equidem, te admodum juvene, cœpi amicitiam tuã expetere: sed quum te mei non egere viderem, adire te sum veritus. Postquam verò me fortè rogasses, ut quæ Cyaxares mandarat, studiosè Medis exponerem: mecum ipse cogitabam, si prompto te juvissem in illis animo, futurum me tibi familiarem, & habiturum copiam colloquendi tecum, quamdiu vellem. Et sunt illa certè sic effecta, ut etiam tu me prædicares. Deinde primi amplexi sunt amicitiam nostram Hyrcanii, quum magna sociorum apud nos esset penuria. Itaq; tantùm non eos in gremio præ caritate gestabamus. Postea quum hostium castra capta essent, otium tibi non esse putabam, ut mihi operam dares, atque ipse tibi ignoscebam. Hinc Gobryas nobis amicus accessit, quod mihi voluptati erat, itidemque Gadatas: unde factum, ut esset difficile, tui habere copiam. Quum autem Sacæ & Caduſij societatem nobiscum coiviſſent, nimirum par erat hos colere, qui & ipsi te colerent. Posteaquam eò reversi sumus, unde profectionis initium factum erat: quia te videbam occupatum instruendis equis, curribus, machinis: existimabã te, ubi hac cura liberatus esses, otium habiturũ, ut mihi quoque operam dares. Sed ubi nuntius ille terribilis venit, homines universos contra nos colligi: maxima esse illa intelligebam, quæ si prosperè cederent, certò me jam scire putabam, fore magnam inter nos ambos consuetudinis mutuæ copiam. Nunc tandem & ingenti prælio victoriam adepti sumus, & Sardes cum ipso Crœso nobis subjectas tenemus, & Babylonem cepimus, & omnia nostram in potestatem redegimus: nec heri tamen, ita me Mithres amet, accedere te potuisse̊m, nisi cum multis luctatus fuissem. Verùm ubi te me prehendisti dextrâ, & apud te manere jussisti: tum scilicet in oculis omniũ eram, qui sine cibo ac potu totum apud te diem consumere cogerer. Nunc igitur, si quo fieri modo potest, ut qui plurimùm tibi commodaverimus, plurimùm etiam te fruamur, benè est: sin autẽ, rursus ego nuntiabo verbis tuis, ut omnes à te discedant, exceptis nobis, qui amici ab initio tui fuimus. Ibi tum & Cyrus, & complures alii risere.

Chrysantas autem Persa surgens, hoc modo loquutus est: Antehac Cyre, consentanea quidem ratione te in oculis omnium exhibebas, quum illis de causis, quas exposuisti: tum quod nos ij non eramus, quos tu colere maximè deberes. Quippe nos etiã nostra causa aderamus. At erat necesse tibi, quovis ut pacto multitudinem tibi conciliares: ut quàm lubentissimè nobiscum eosdem susciperes labores, & eadem audire pericula vellet. Nunc quum non modò talis sis, sed etiàm conciliare possis alios, quos opportunum fuerit: æquum est, ut tibi quoque jam domus contingat. Quippe quem alioquin ex imperio fructum perciperes, si careres solus foco domestico, quo nullus neque sanctior fundus est inter homines, neque gratior, neque magis noster & peculiaris? Præterea non adfici nos etiam pudore putas, si te videamus foris toleranter vivere: nos in ædibus degere, ac videri conditione, quàm tua sit, esse potiori. *cap. 31, & seqq. lib. 7. Cyropædiæ.*

Polybius: Qui dexterè solerterque erga omnes quorum consuetudine utuntur, gerere se norunt: non solùm præsentes, sed etiam absentes longè locati, suæ benevolentiæ fomitem quendam vehementem atque validum relinquunt. *lib. 4. historiar. cap. 35.*

Aristides sophista: Quòd humanitatis genus ille prætermisit, qui & erga cives omnes, vel quavis de causa ipsum accedentes, familiarissimè se gerat, & gestu utatur clementissimo. Omnem verò humanitatem illud excedit, quod puro utitur sermonis genere, nec ad eum accedere volentibus multùm est laborandũ, cùm liceat omnibus qui vel alicujus sunt frugi quasi ultrò lustrale labellum penetrare. Nec enim existimat se, si rari ac difficiles contingant accessus, hoc modo magnitudinis ac potẽtiæ, qualem antea nullus habuerit, famam in vulgus consecuturum; sed ita potiùs si communiter benevolum se & æquum omnibus indigentibus exhibeat.

Arbitratur enim debere verum Regem secundum Universi regem conformari, tum quantum ad humanitatem, tum quantum ad civium omnium curam pertinet; neque cùm ante regnum adeptũ benignè ac moderatè se gesserit, eo comparato difficilem se & violentum præstare. Id enim non regni clementis esse signum, sed rusticitatis & insciti argumentum certissimum, qualis fuit in Macedonico Græcorum contra barbaros duce Pausanias Cleombroti filius, qui dum domi maneret, modestè se gerebat: Postquam autem in Hellespontum expeditionem fecit, & patriæ & sui oblitus est, ut quidvis potiùs quàm Spartanus videretur; cùm & erga socios violentus esset, & in convictu protervus atque injurius, & moribus planè tyrannicis. Verùm rex noster & privato licere, & regi, eundem perpetuò manere, apertissimè demonstravit, qui tum ante regnum talem se præbuit, ut eo dignus meritò judicaretur, tũ post creationem eadem animi sententia & moribus iisdẽ est usus, sic utà se ipso non declinaret, nec injuriã affectaret, sed modesto vitæ genere sibi propo-

propositō, partim violentiā & injustitiā odio haberet, partim sese temperantiæ exhiberet exemplum : adeò ut ij qui ante protervi fuerant & injurioſi conſpecta hujus modeſtia, mores ſuos mutarint, ac tam opum cupiditatem reliquerint quam ſeipſos ad temperantiam compoſuerint, &c. *Laudatione M. Aurelij Antonini Philoſophi Aug.*

Onoſander : ADMITTAT Dux quemlibet volentem aliquid nuntiare, & ſervum, & liberum, & noctu interdiu adventem, etſi ipſe ſit in tabernaculo, ſive quieti, ſive balneo, ſive menſæ indulgeat. Cunctatores enim & inacceſſæ ſeveritatis, quique ſervis imperant accedentes injurioſe repellere, in multis & magnis, & meritò falluntur negotiis ; imò rem aliquando totam negligentiā ſuā labefactant. Nam ſæpe multi prætereunt, quod in puncto temporis gerendum utiliter indicaſſent. *cap.* 11. *§. 1.*

Baſilius Imperator. Egenti aurem tuam acclina, eique placidè reſponde : etſi propter regni terreni ceſſitudinem, facilis aditu omnibus non es ; at propter regni cœleſtis ſpem, acceſſus ad te pateat omnibus. conſolare mœrentes : ſi non donis, at certe placidis & lenibus verbis : nam vel unum Principis verbum pluris eſt, quàm multa munera : & dictum unicum ad conſolandum efficacius ac valentius eſt, quàm res aliæ ſexcentæ : non enim tantùm valet pecuniæ copia ad reficiendum animum dolentem, quantum blanda & lenis oratio Principis. ea via eſt ad conciliandum tibi citra ullos ſumptus omnium benevolentiam, qui ex eo te Patrem patriæ, potius quàm Dominum, prædicabunt. *Cap.* 51.

Leo Imperator. Si quis, ſive ſervus ſive liber, nocte aut die, in itinere aut caſtris, in requiete aut ſomnio, in balneo aut menſa, aut ullo alio tempore tecum voluerit communicare, ne averſeris illum, ſed accerſe ad te : qui enim homines reficiunt, & difficiles acceſſu ſunt, & adminiſtris ſuis præcipiunt ut eos qui accedunt repellant, à magnis ſæpe arduiſq; rebus gerendis abſunt. Hæc tibi poſt bellum, & ſi quid aliud utile excogitabis, obſervanda præcipimus. *cap.* 16. *rei bellicæ.*

¶ SENTENTIÆ ROMANORUM.

Seneca. Is cui curæ ſunt univerſa, quamquam alia magis, alia minus tuetur ; nullam tamen non Reipubl. partem tanquam ſui nutrit, inclinatus ad meliora, etiamſi ex uſu eſt animadvertere : oſtendens quàm invitus aſpero remedio manus admoveat, in cujus animo nihil hoſtile nihil efferum eſt. Qui potentiam ſuam placidè ac ſalutariter exercet, approbare imperia ſua civibus cupiens. felix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam placidè ac ſalutariter exercet ; approbare imperia ſua civibus ſuis cupiens. felix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam publicaverit, fermone affabilis, acceſſuq; facilis, vultu qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis deſiderijs propenſus, & iniquis acerbus &c. *lib.* 1. *cap.* 13. *de Clementia.*

Plinius : An quisquam ſtudia humanitatis profeſſus, non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admiſſionum tuarum facilitatem ? non capitolium magis publicum magis omnium quam Aula, nullæ obices, nulli contumeliarum gradus ſuperatisq; jam mille liminibus, ultra ſempera iqua dura & obſtantia. Magna ante te, magna poſt te, juxta te tamen maxima quies. tantum ubiq; ſilentium, tam altus pudor, ut ad parvos penates & larem anguſtum ex domo Principis modeſtiæ & tranquillitatis exempla referantur. Ipſe autem ut excipis omnes ! ut expectas ! ut magnam partem dierum inter tot imperij curas quaſi per otium tranſigis ! Itaque non ut aliàs) attoniti, nec ut periculum capitis adituri tarditate, ſed ſecuri & hilares cū commodum eſt convenimus ; & admittente Principe interdum eſt aliud quod nos domi quaſi magis neceſſarium teneat. excuſati ſemper tibi, nec unquam excuſandi ſumus. ſcis enim ſibi quemque præſtare quod te videat, quod te frequentet ; ac tanto liberalius ac diutius voluptatis hujus copiam præbes. nec ſalutationes tuas fuga & vaſtitas ſequitur. remoramur, reſiſtimus, ut in communi domo : quam nuper illa immaniſſima bellua plurimo terrore munierat ; cùm velut quodam ſpecu incluſa, nunc propinquorū ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorū civium ſtrages cædesque proferret. Ob verſabantur foribus horror & minæ, & par metus admiſſis & excluſis. adhoc ipſe occurſu quoque viſuque terribilis. ſuperbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa. non adire quiſquam, non alloqui audebat tenebras ſemper ſecretumque captantem ; nec unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi ut ſolitudinem faceret. *cap.* 48, *paneg. ad Trajanum.*

Plinius : Videmus ut provinciarum deſideriis, ut ſingularum etiam civitatum precibus occurrat. nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora. adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim, tandemque Principis fores excluſa legationum turba non obſident. Hoc vere Principis, reconciliare æmulas civitates, tumentesque populos non imperio magis quàm ratione compeſcere, intercedereque iniquitatibus magiſtratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit : poſtremò velociſſimis Sideris more omnia inviſere, omnia audire, & undecunque invocatum ſtatim, velut numen, adeſſe & aſſiſtere. Talia eſſe crediderim quæ ipſe mundi parens temperat nutu ſiquando oculos demiſit in terras, & facta mortalium inter divina opera numerare dignatus eſt. quibus nunc per te liber ſolutusque, cœlo tantùm vacat ; poſtquam te dedit qui erga omne hominum genus vice ſua funge etur fungeris enim ſufficisque mandati, cùm tibi dies omnes ſumma cum utilitate noſtra, ſumma cum tua laude condatur. *cap.* 80. *panegyrici ad Trajanum.*

Latinus Pacatus : Creber egreſſu expectantibus populis te faris, nec videri modò patiens, ſed facilis adiri, è proximo accipis vota omnium tuorum, ut qui ſquis ille conſultor eſt, etiamſi meruerit repulſam, ferat tamen ſui numinis conſcientiam. At quanto alter illorum Principum mos fuit, qui majeſtatem regiam imminui & vulgari putabant, niſi eos intra repoſitum Palatinæ ædis incluſos, tanquam aliquòd Veſtale ſecretum veneratio occulta conſuluiſſet, niſi intra domeſticam umbram jacentes ſolitudo proviſa, & ſilentia latè conciliata vallaſſent. Quin ſi quando in lucem veniebe, & diem ferre potuiſſent, lecticis thenſisque ſubvecti & denſiſſima circum ſupraque cooperti virorum armorumque teſtudine, ſenſim atque ad numerum movebantur. tum longè populus abigebatur, nec otioſa viatoris manus plebem verbere ſubmovebat, ut ſecretum eſſet in publico. At noſter hic omnibus ſpectandus offertur ; nec magis communem hunc diem atque ſolem quam Jmp. noſtrum videri licet. quin cùm vicinum habeant permiſſa faſtidium, nunquam iſte mirantes explet oculos : magis magisque viſus expetitur, &, (novum dictu) præſens deſideratur. *capite vigeſimo ſecundo Panegyrici Theodoſio dicti.*

C. Suetonius : Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem Auguſtus Jmp. tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaverit, quaſi elephanto ſtipem. *in vita ejus cap.* 53.

C. Tranquillus : Titus Jmperat. in cæteris deſideriis omnium hominum obſtinatiſſimè tenuit ; ne quem ſine ſpe dimitteret. Quin & admonentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur, quam præſtare poſſet. Non oportere ait, quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere. *in vita ejus capite octavo.*

Julius Capitolinus : Pertinax Jmp. civilem ſe ſalutantibus & interpellantibus ſemper exhibuit. *vitæ ejus cap.* 9.

Auſonius : Laudabile eſt Jmperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupationibus cauſſari. In confirmas adere cunctantes : etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc ſileatur interrogas. Celebre fuit Titi Cæſaris dictum, Perdidiſſe ſe diem quo nihil boni fecerat : ſed celebre fuit, quia Veſpaſiani ſucceſſor dixerat, cujus nimia parſimonia & auſteritas vix ferenda, miram fecerat filij lenitatem. In Valentiniano genitus, cujus alta bonitas, præſens comitas, temperata ſeveritas fuit, parto & condito optimo reipub. ſtatu, intelligis poſſe te eſſe leniſſimum ſine diſpendio diſciplinæ. *Panegyr. ad Gratianum.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aut cum rege nil loquendum eſt, aut loquenda veritas.
Aut Regem non alloquare, aut alloquare ſuaviter.
Neminem a ſe cum repulſa Rex dimittit comior.
Neminem dimitte triſtem : re nequis ? ſpe ſublevas.
Non poteſt patere cunctis, qui ſibi ipſe non patet.
Omnibus patet ſol oſq; nemini incluſum negat.
Perdidit diem quo amicum non ſibi rex fecit novum.
Querelam iniquè excludat Rex dolentium.
Regem alloquare impunè verbis byſſinis.
Regis à ſermone triſtem abire quemquam non decet.
Si loqui cum rege quaris, verbis utere byſſinis.
Simplici ſermone amicos qui ſtatim expedit, ſapit.
Tamdiu cura eſſe regi quis pote quamdiu uſui eſt.

¶ JAMBICA.

Aditus faciles præbeto interpellantibus.
Aditu facilis affabilisq; Rex, placet.
Aut rarius regi loquare aut ſuaviùs.
Curus ſuis eſt Princeps cuivis qui patet.
Perdis diem quo nil facis bono bene.

Plura invenies, titulo Principis, Regis, Ducis &c. Deſiderij, Libelli ſupplicis. Petitionis, Supplicationis, Communionis. Affabilitatis.

Admonitionis.

§ SENTENTIÆ PATRVM. GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus : Dico ergo, laudem & vituperationem, vel quod laudi & vituperationi est assimile, esse medicamenta hominibus maxime necessaria. Qui sunt itaque curatu difficiles, ab igne, malleo, incude, hoc est, minis, reprehensione, increpatione, tanquam ferrum aguntur. Qui autem ipsam fidem attendunt, tanquam per se docti, & libero animi arbitrio impulsi, laude augentur. Laudata enim virtus non secus ac arbor crescit. Hoc cum intelligeret, mihi videtur Samius præcepisse Pythagoras:

Quæ mala sunt faciens reprehendere, sed bona, gaude.

Reprehendere autem dicitur etiam admonere, quod Græce est νουθετειν. Admonitionis autem, quæ Græce est νουθετησις, etymologia est νουθ ὑπὸ τῆς διανοιας τιθεμένης, hoc est, mentis immissio, quod sit increpatorium genus quod mentem pariat. *lib. 1. Pædagogi, cap. 10.*

D. Chrysostomus : Ne igitur succenseatis verborum gravitati. Horum enim verborum gravitas leves reddit animas vestras à peccatorum pondere. Nam & ferrum grave est & malleus gravis; ac tamen faciunt vasa aurea & argentea; & quæ distorta sunt, dirigunt. quòd nisi gravia essent, distortam materiam dirigere neutiquam possent. Ita etiam gravis sermo noster componere animam potest. Verborum igitur gravitatem plagasq; ab illis factas ne fugiamus. Non enim ideò infertur plaga ut animam frangat ac laceret, sed ut corrigat. Scimus enim Dei munere, quis sit verberandi modus, & quàm altè infligamus plagam: ut ne comminuatur vas; sed ut poliatur, ut dirigatur, ut aptum reddatur quo utatur Dominus; ut ex sanitate splendidum offeratur beneq; sculptum in illa die, in qua existet flumen ignis; ut offeratur, pyræ illius, quæ ibi futura est, minimè indigũ. Nam nisi dum hæc estis, vos inflammaverimus; illic omninò inflammemini necesse est: nec aliter fieri potest. Dies enim Domini in igne revelatur. Satius est ad breve tempus nostris sermonibus uramini, quàm perpetuò flammã illa. *Hom. 6. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus : Admonitiones laudationibus temperandæ sunt. nam hoc modo in bonam partem accipiuntur, cum eos quos monemus, ad suam ipsor. Imitationem provocamus. *Homil. 8. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus : Ne ex potestate, inquit, increpate, non ex arrogantia. Cum admonitione consolamini pusillanimes. suscipite infirmos, patientes estote ad omnes: nam qui est austerus & de se desperat, fit audacior despiciens & increpans. propterea oportet admonitione dulce reddere medicamentum. *Homil. 10. ad Thessalon. 1.*

S. Isidorus Pelusiota : Si, ut nonnulli dictitant, ex eo quod salutem & existimationem nihili omnino pendis, & effrenatum atque impotens ianuæque expers os habere, & adversus eos, quos minimè fas est, impetum facere videris, nos quoque fortasse operam ludimus, qui implacabilem feram monere aggredimur. *lib 3. Epist 113.*

Idem : Quemadmodum acutè quidem aut per quàm graviter loqui facile est, mediocritatem autem tenere, Musici habitus est: eodem modo de loquendi libertate & timiditate sentiendum est, Sunt enim qui non id agunt, ut prosint, sed ut contumeliam duntaxat inferant. Sunt rursùm, qui hoc tantùm sibi propositum habẽt, ut adulentur, ac falsas laudes contexant. At qui optima mediocritate utuntur, ij nec cóntumeliam inferunt, nec adulantur, sed verborum libertatem ac licentiam pudore, atque objurgationem suavitate condientes, ita demùm ad eos, qui sui ignoratione laborant, curandos veniunt. Quocirca ipse quoque, hac disciplina adhibita, ad Esaiæ medendum (qui præingenti arrogantia hoc quoque amisit, ut hominem se esse existimet) accede. *lib. 3. Epist. 121.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem cohortationes, atque consilia nullam vim habuerunt, quòd scilicet furiosum illud improbitatis studium, quo flagras, omni correctione fortius inventum sit, ad vota rursum me converto. Faxit igitur Deus, ut ab hoc furore abscedas, ac ad prudentem mentem pervenias. *lib. 3. Epist. 323.*

Idem : At quonam pacto liberè loquemur? Sic ne ut meram libertatem adhibeamus, an ut ipsam sanitatem temperemus? Quosdam enim novi, qui acri ac vehementi objurgationis genere sanati sunt: quosdam rursum, qui eo obtriti sunt, atque ad graviorem improbitatem eruditi: alios denique, qui moderatam admonitionem atque orationis libertatem ludibrio habuerunt, eámque pro nihilo putarunt. Quonam igitur modo quispiam tot morbis unum remedium afferet? quonámque modo eos curabit, cùm causæ ex diversis affectionibus oriantur? Ergo, ad me ipsum dixi, Si tu solus futurus esses, qui operam luderes, cunctari, atq; id munus defugere oporteret, cùm autem & Moses & Elias & Joannes, pij ac Deo chari viri, neq; consilio, neq; libera reprehensione illos juverint, nec tamen propterea suis rebus deteriùs consuluerint, sermonis quidem libertati suavitatem admiscere oportet, divinæ autem dextræ sanationem permittere. Mala enim propemodum ex seipsis omnes homines norunt: bona autem, nec ab aliis quidem audientes, addiscere in animum inducunt. *lib. 3. Epist. 397.*

Isidorus: Dementiam, vel potius vecordiam, ô beate, eorum qui semetipsos conijciunt in negotium difficile, aut certè id facilè recipiunt, insectatus; nescio quo pacto illud prætermisisti, quod tamẽ vel maximè eam ostendit. Quidnam ergo illud est? Non omnes homines iisdem morbis laborant; neq; omnes eidẽ curationi cedunt: Sed cum sint multæ ac variæ omnisq; generis affectiones, auxilia ac remedia plura etiam ac magis varia esse oportet. Quòd si perturbat te id quod dictum est, paulisper sustine, ita fiet, ut qui nunc te detinet animi tumultus, eò vergat tandẽ, ut magis etiam miserandos illos esse existimet. Cum enim multi ac varii sint (animorũ) morbi primùm quidẽ homini nato perdifficile atq; arduũ est, eos perspectos & cognitos habere: deinde etiãsi cognitos habeat, nosse quale eis conveniat remediũ. Non enim omnibus eadẽ apta conveniantq; sunt auxilia, neq; omnes iisdẽ curantur remediis. Nam quod hunc juvit, alteri nocuit: & quod alteri benè successit, hoc alterũ evertit. Ac ne tibi fortè paradoxa & absurda quædã proferre videar quod dictum est latiùs explicabo.

Non qui oratione ducuntur, ijdẽ & exẽplo emendãtur & ad modestiã flectuntur, sed sed alius hoc, alius illo in meliorem statũ traducuntur. Neq; illi qui stimulis indigent, iidẽ etiã frena patiuntur: sed pigri quidem atq; ignavi, qui ad honestatẽ capessendã difficulter permoventur, rationis plagã excitantur: qui aut justo ferventiores sunt, nec facilè retinentur, ac tanquam pulli (indomiti) procul à linea feruntur, ij constringendo retinendoq; juvantur. Alii laudibus, alij reprehensionibus corriguntur, si utraq; tempestivè adhibeantur. In cõtrariã verò cadent partẽ, si extra justa & cõvenientia tẽpora evagentur. Alij nãq; cohortationi cedunt; alij objurgationi: Alij quidẽ in cõventibus ac cœtibus hominũ reprehensi; alij verò in penetrali domus admoniti suos nævos detergent. Solent enim alij quidẽ cũ alioquin cõtẽneret eos qui adipsos verba faciunt, publicâ increpatione corrigi: alij autẽ cũ ad publicas reprehensiones potius impudentiores fiant, omnẽq; pudorẽ excutiãt, privatâ & arcanâ objurgatione remotis arbitris factâ, nec nõ si ostendamus, nos ipsorũ vicẽ dolere, ad obedientiã instituuntur & assuefiunt. Porrò alios quidẽ per omnia obsevare cõvenit, quos nimirũ illa opinio, quod putãt se latere, dũ id moliuntur, tãquã sapientiores inflaverit. Aliorũ verò nõnullæ sunt actiones vitiosæ, quas etiam dissimulare oporteat, ne ad indolentiã irridẽtur, tãdẽq; per omnia tales evadant, qui nullâ ratione in officio queant cõtineri, quippe qui pudorẽ ac verecundiã, maximũ illud obedientiæ remediũ, deti iverint atq; absterserint. Præterea etiã irasci nõnullis in speciẽ oportet, quãvis reverâ irati nõ simus, & negligere aliqua tametsi nõ negligamus: Et alios quidẽ moderatione & æquitate animi sanare; alios verò separatione: Et alios quidem vincere; ab aliis autem vinci quoque videri, quibus videlicet hoc expedit.

Cum igitur tot tãq; multiplicia sint genera & morborũ & auxiliorũ, neq; omnes iisdem cedãt, sed etiã cõtrà ad deteriora nõnunquã peccata admittenda irritentur: quis quæso aut omnia scire, aut huic tanto muneri par esse queat, nisi divinus spiritus animũ ipsius illustrãrit? Sed qui imperiũ sibi probè cõvenire existimant, ideò tantũ sumunt audaciæ, (ut Episcopatũ invadant,) neq; ejus difficultatem muneris apud animũ perpendentes neq; vocem dominicam audientes, quæ adeò rarũ negotiũ esse demõstrat, ut qui benè ei præsit, ut etiã dubitabundâ oratione usus fuerit, dicens: Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituet dominus super familiam suam, ut det illis de mensum? *lib. 4. Epist. 145.*

§ ROMANORUM.

Ennodius : Prolixis non est opus fervorem in vobis cœlestem animare colloquiis. habet incrementa sua divinæ virtutis incendium. Nec opus est eos in trophæo jam positos attolli laudibus, qui sine monitore vicerunt. *lib. 2. Epist 4 a. f.*

Ennodius. Apud scientem rerum relegere bona, non est admonitionis necessitas, sed laudis occasio. *lib. 4. Epist. 7. a. f.*

Ennodius. Fas est liberos à reatu vitia detestari. Quis æquo animo ferat monitorem, quod verbis destruit actibus non vitare. *lib. 7. Epist. 6. a. m.*

Chrysologus : malos qui monet offendit: incurrit odium qui arguit curiosos. *Sermone 127. m.*

Io. Sarisberiensis : Solent qui mare enavigant, illis habere gratiam & referre, quorum beneficio pericula evasere. accenduntur ignes, clamores excitantur, eriguntur & signa quibus Scyllæa vorago, turbo Charybdis, saxa latentia, tractus & tenacitas Syrtium à navigantibus queant Salubriter declinari. Sic & his qui ea imminere denunciant quibus salus periclitatur humana, rectissimè gratia debetur ex merito: & qui eam merentibus non rependit, ingratus beneficij dignus est salutis dispendium sustinere. Nemo autem est qui salutem vitiis nesciat impediri; eaque ex amore proximorum notari ad fugam, publicè interest. Vita enim humana quovis freto procellosior est, nec possunt vitari discrimina, nisi suis denuncientur indiciis. *Prologo libri 9. Policr.*

Idem post pauca : A me à pluribus conclamaturut taceam, dicentibus, quod nec etiam virtutis speciosa laus est in ore peccatoris. hoc hi solum faciunt, quibus vitia placent, currentes

currentes in mortem nemine revocante, aut qui salvantur invit. nam quibus bona placent, non à quo, sed quid dicatur attendunt, & ex caussis, dicentis dicta pensantes gratum habent quidquid undecunq; elicitum proficit ad virtutem. Non ergò quis, sed quid quave de caussa scribam, diligens lector attendat, & ubi maledicta invenerit, sinserus judex, & nec invidiæ nec odij, nec alterius affectionis motu concussus testimonium de malo perhibeat, & ubi benè dixero, non me oedat. *libri octavi Policratici prologo.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Plato. Ridiculum tibi fortè videtur: me ista monere, cùm tibi sint nota. Sed ego in theatris conspicio certatores à pueris provocari; nedum ab amicis, qui benevolentiæ studio cohortari putantur. Vos certè nunc tanquam in theatro quodã certatis. In quo si nostra opera opus est: certiores nos facite. *Epist. 4. ad Dionysium regem.*

Aristides Rhetor: Nec est quod miremini, si cùm reprehendere vos nequeam, admonendos tamen censeo; aut iis duntaxat qui ad accusandum accedunt, admonitionem putetis convenire; cùm etiã ijs qui laudare volunt, congruat, id quod ex per vulgato, de curioribus, sermone perspicuum fiet. nemo enim ut ita dicam, postremos horum incitat, ut nec eos qui longissimè à tergo relinquuntur, sed quos victoriæ propinquos videt. Quid quod nec duces suas hortationes in eos milites insumunt, apud quos sive multum, sive nihil dicatur, parum interest, sed quibus eæ maximè sint usui futuræ. Similiter nec nos jam vafrum apud vos aut astutum quicquam proferimus, sed ea ferè quæcunq; facitis ipsi, quibusq; editis innuntriti. *Oratione paneg. Cyrenæa.*

Philostratus: Hoc loco veritatem sortitum est illud Homeri dictum jure putabitur. Ait enim postquam oratio viros bellaces irritavit, omnes unà galea, unusque clypeus fiunt. Id enim in viris istis tunc accidere visum est, qui Apollonij oratione corroborati mori etiam pro philosophia prompti paratique erant, & se potiore conditione, quam qui fugerant, arbitrabantur. *lib. 4. cap. 12. fine.*

¶ Romanorum.

Seneca: Quid prodest, inquit, aperta monstrare? plurimum, interdum enim icimus nec attendimus. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet. nec patitur elabi. Pleraq; ante oculos posita transimus: admonere, genus adhortandi est. Sæpe animus etiam aperta dissimulat. ingenerenda est itaq; illi notitia rerum notissimarum. *Epist. nonagesima quarta §. quinto.*

Quintilianus Senior: Facilius est exigere animum, quàm præstare. *Declamatione 279. ante finem.*

Plinius Iunior: Scio te stimulis non egere: me tamen tui caritas evocat ut currentem quoq; instigem. sicut tu soles me. ἀγαθὴ δ' ἔρις, cùm in vicem se mutuis exhortationibus amici, ad amorem immortalitatis exacuunt. *fine Epist. 7. libri 3.*

Plinius Iunior: Amor in te meus cogit, non ut præcipiam, neq; enim præceptore eges, admoneam tamen, ut quæ scis, teneas & observes, aut scias melius. *Epistola 24. principio lib. 8.*

Symmachus: Vt sæpe scribas monere non debeo; cùm spontanea officia stimulo exhortationis non oporteat incitari. *lib. 5. Epist. 3.*

Symmachus: Bona voluntas quæ ex ingenio venit, non est agitanda calcaribus. *lib. 5. Epist. 94.*

Idem: Incitamentum spontanea officia nõ requirunt. *lib. 5. Ep. 96.*

Symmachus: Postulare non debeo quod sponte facietis, ut curarum nostrarum magnitudinem scriptis lætioribus comprimatis. *lib. 6. Epist. 41. f.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzênus Carm. 56. ad Olympiadem.

—— Πατρὸς δὲ παραίφασις ἐσθλὸν ἀρίστη
Nil porro utilius monitis melius q; paternis.

Plautus. Aulularia 2. sc. 1. ℣. 23.

—— *Id quod in rem tuam*
Optimum esse arbitror, te id admonitum invenio.

Plautus Menæchmis. 2. sc. 1. ℣. 71.

Mones quidem hercle rectè. M. tum demum sciam.
Rectè monuisse, si tu rectè caveris.

Plautus Pseudoli 4. sc. 1. ℣. 30.

—— *Potin ut taceas?*
Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit. teneo omnia.
In pectore condita sunt: meditati sunt doli dolè.

¶ Apologrum.

Babrias Fab. 51. Καρκῖνος καὶ Τέκνον.
Ὀρθῶς βαδίζειν εἶπεν Καρκῖνος Τέκνον.
Μὴ δήγε λοξὸς τλῶ ὁδὸν παρατρέχειν.
Πρῶτε μάτερ, καὶ καθηγοῦ τῷ τέκνῳ.
Κἀγὼ βλέπων ἔψομαι πρὸς τὰς σὰς τρίβους.
Επιμύθιον.
Ο παραινῶν τις, ποιείτω.

Cancer & natus ejus
Recta ambulare dixit Cancer filio
Neque obliquus viam pratercurre.
Prai mater, & duc filium
Et ego videns sequar tuas semitas.

Adfabulatio.

Quæ quis hortatur fieri, illa faciat.

De Patre filium ad virtutes frustra hortante Fab. 77.

Pater quidam filium vitiis deditum, multis hortabatur verbis, ut derelicta vitiorum via, virtutibus invigilaret, quæ ei laudem & decus erant parituræ. Cui filius frustra, inquit, pater adhæc facienda hortaris. Multos enim prædicatores (ut ajunt) audivi qui longè te melius ad virtutum hortabantur viam, nunquam tamen eorum admonitionibus obsecutus sum.

Fabula indicat, viros malignæ naturæ, nullius hortatu à vitijs velle desistere. Laur. Abstemius.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

S. Ioannes Baptista. Cùm mandatorum Dei transgressores a electorum consortio separandos proponeret, & circumstans turba de salutis obtinendæ medio inquireret, dicens; Quid ergo faciemus? respondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Venientibusque Publicanis ut baptizarentur, ac idem interrogantibus; *Nihil*, ait, *amplius, quam vobis constitutum est, faciatis.* q.d. Ne amplius extorqueatis in vectrum usum, ultra id quod præscriptum est à Principe. Et militibus idipsum percontantibus; *Neminem*, inquit, *concutiatis*: videlicet opprimendo, aut corporaliter affligendo: *neque calumniam faciatis*: extorquendo ab innocentibus vobis indebita. *Contenti estote stipendijs vestris*, quæ nempe vobis acceptantibus, sunt pro militiæ laboribus constituta. *Luc. cap. 3.*

S. Ephræm: Cùm invereundè meretrix ejus concubitum postularet, solicitus qua ratione eam ad meliorem reduceret mentem, conditionem propositam ratam habuerit, dicens, Si vis non ambos simul dormire, ubi tibi dixero; placet, arripit illa sermonem, & locum inquirit quo respondente; In medio civitatis: Quid, inquit illa, nonne aperto rubore suffundemur, id palàm committere ante conspectum omnium? Cui vir pius, quasi conversionis ejusdem ansam accipiens; *Si ergo*, ait, *hominum oculos sufficere putasti, ad pudore conficiendam animam, & a malâ actione abducendam: Dei oculos qui omnia intuentur, non multo magis reverebimur, & extimescemus?* Ita quæ voluit capere imparibilem & castam animam, divino spiritu capta est, & tam seria adhortatione ab errore conversa. *Sur. tom. 1. in vita.*

Olympius Abbas: Aliquod dogma à se requirenti, respondebat: *Vbicunque sederis, dic assiduè, Peregrinus sum.* Brevis sententiæ profundum mysterium. Ecquis enim se peregrinum hîc reputans, non omnia facilè utpote aliquando relinquenda, contempserit; & ad veram illam supernorum civium mansionem suspiraverit? *Prat. Spirit. cap. 12.*

Abbas Elias. Vt insignius aliquod elogium proferret, interpellatus; *Diebus*, ait, *patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore & studio apud Monachos erant: Nuditas rerum omnium, Mansuetudo, & Continentia. quorum in locum successêre Avaritia, Gula, & Audacia. quod horum tibi placet, arripe.* Quàm verè omni in statu & ordine illud obtinet?

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores: mox datura
Progeniem vitiosiorem.

Ibid. cap. 32.

Theotecnus Episc. Cæsareæ Palæst. Circa tempora Galieni Imperatoris, Marinus vir genere & virtute illustris, pro tribunali vocatus quòd Christianus esset, cùm trium horarum spatium ad deliberandum à Judice accepisset; egressum Theotecnus ejus loci Antistes ad colloquium invitat, & prehensâ manu in Ecclesiam ducit: quem cùm interiùs ad ipsum Sanctuarium collocasset, læva paullulum in alteram partem dimota, gladium quo erat accinctus ostendit; & ex adverso Evangeliorum codicem proponit: præcipitque, ut ex duobus, quod magis esset ex animi sententia, seligeret, ubi verò manu protensa absque cunctatione Evangelium accepit; ita eum affatus Præsul: *Tene, & adhæresce Deo, Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, certò assequêre. Abi in pace.* In tantùm hæc verba apud eum valuerunt, ut per præconem ad tribunal revocatus, majorem fidei ardorem studiumq; declarans, actutum inde ut erat ad supplicij locum ductus, martyrium constanter subierit. *Euseb. histor. Ecclesiast. lib. 7. cap. 14.*

S. Ludovicus Episc. Tolosanus. Conjunctissimo sibi collegæ injunxerat, ut si quæ præter decorum observaret, sine dissimulatione corriperet ac moneret: qui dum crebriùs id faceret, & liberiùs fortassis quàm par erat, ab aliis ipse correptus & admonitus. quibus Ludovicus: *Amici*, inquit, *monendi sunt & objurgandi: vera enim amicitia quod sentit, dissimulare nescit.* Ex membrana manuscripta in Biblioth. FF. Minorum Lovanij.

Antonius

Antonius Sylveria Luſit. Dandum nunc aliquid civilis ordinis exemplis, ut prioribus inſperſa, varietate ipſa dēlectent. Dienſis arcis Præfectus ANTONIUS SYLVERIA Luſitanus, conſpicatus Turcarum claſſem ad præfatam arcem expugnandam adventare, ad commilitones converſus, in hæc verba prorupit: *En viri, tempus nunc, acceptam à majoribus gloriam bellicam, debitamq; tum Deo tum Regi fidem, nobis ob oculos ponendi.* Profuit præſens Ducis animus, & de hoſtibus vix ſperatam victoriam reportavit. *I. P. Maffæus hiſt. Ind. lib.* 11.

Vxor Iuliani Præfecti. In hoc quoque virtutis genere muliebris ſexus ſuâ laude non eſt fraudandus. Direpturus Juliani Apoſtatæ imperio ſacrata Deo vaſa è Chriſtianorum templis ejuſdem Præfectus JULIANUS, adverſus ſacram aram (horret animus meminiſſe) in conſpectu omnium, veſicam exonerat. non ſuſtinet tantum nefas Ezoius, vir pietate & religione ſummus: & prohibere conantem alter in faciem cædit; dicens, Quid? non vides res Chriſtianorum omni Dei cura & providentia deſtitui? At ultori Deo meritas pro ſcelere pœnas dedit. In morbum enim prolapſus, viſceribus putredine exeſis, ipſas naturæ ſordes contra naturam, etjam per ſacrilegum os, blaſphemiæ inſtrumentum, egeſſit: ad quem tunc Chriſtiana fide nobilis uxor; *Debes*, ait, *meritò mi marite Chriſtum Salvatorem laude prædicare, quòd tibi hac caſtigatione ſuam potentiam declaravit. Ne enim te lateret quem oppugnaveris ſolita ſua lenitate uſus, has plagas tibi inflixit.* Miſer itaq; cùm conjugis oratione, tum cruciatu intolerabili, morbi cauſſam agnoſcens, fruſtrà Imperatorem, ut ablata reſtituat, oravit: & ipſe extemplò hac vitâ migravit. *Theodor. hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 12.*

Placilla Theodoſij Imp. uxor. Hæc etiam de ſalute mariti ſolicita, eùm eum proſperis rebus elatum ſupra modum, ideoque ab avitæ pietatis ſtudio alienum animadverteret, adhortari ſubinde nō deſtitit, & hoc eum ſermone compellare: *Conſiderare te oportet conjux, quis antea fueris, & in quem locum te evexerit univerſitatis conditor: & ſic cum, qui tibi ut fideli miniſtro Imperium commiſit, ritè decenterq; coles. Niceph. Calliſt lib. 12. hiſt. cap. 42.*

Eadem. Conjugis ſui ſuperbiam arrogantiamque ita aliquando prudenter moderabatur: *Cogita*, inquiebat, *privatum te hominem fuiſſe; atque nunc præ cæteris ad Romana Reipub. gubernacula adſcitum, non ut ſuperbires, ſed te hominem cogitares; variis perinde ac ſubditi fragilitatibus obnoxium. Lycoſth.*

Anonymus. Baſilius Macedo Imperator, cùm magna dominica in ædem Apoſtolorum veniſſet, civéſque quoſdam venerando aſpectu videret vultu triſti, & mœrorem præ ſe ferentes, ad ſe vocatos interrogavit: Cur non ipſi quoque ſplendido amictu ad eam ſolennitatem acceſſiſſent, ſed veluti in magna aliqua civitatis calamitate mœrerent? Cúmque unus eorum reſpondiſſet. *Tibi quidem, Domine, & ijs qui tibi adſtant, ſplendidè veſtiri & lætari convenit: non item eos hæc decent, qui in diſcrimine mortis ſunt conſtituti. Videris enim ignorare, ob ventorum aſperitatem, duos frumenti modios aureo nummo vendi*: Hac voce audita, gemitum ex imo duxit pectore, & miſeratio lachrymas ei expreſſit: conſolatúſq; eos, ut in palatium rediit, convocatos quibus civilia & imperatoria negotia commendaverat, multis eſt inſectatus convitiis, deteſtatúſq; quod de caritate annonæ ſe non feciſſent certiorem: ſtatímque ventum propoſito ſuo & publico frumento, XII. modios aureo vendi juſſit. Quod ejus factum probans Deus, largitus eſt fertilitatem. *Cedrenus.*

MONOSTICHA TROCHAICA.

Cùm rogas ut quod facit quis faciat, currentem mones.
Durius cerè monendi ſervi ſunt quam liberi.
Faſtuoſus ſe moneri ducit contumeliam.
Gratior ferè Regi eſt qui laudat quam ille qui monet.
Immemorē memorē facit, qui q memor meminet monet.
Liberè admonere non eſt emendare, offendere eſt.
Non dolent ictus amici quos dat objurgatio.
Non meminit, niſi cùm admonetur, quiſpiam ſortis ſuæ.
Præter ipſum ſe, monere quemlibet quivis ſolet.
Qui monet! paſſim bene audit; quiſq; ab illo ſed fugit.
Qui monet quod quis facit, nō tam monet quam cōprobat,
Qui monitis juſti obſecundat æquitati eſt proximus.
Quid mones me qui & tutorem & pædagogū olim obrui?

JAMBICA.

Admiſſo equo, quid calcar ſubdere officit?
Audire monita non ſolent ulla improbi.
Aures ſtatim damus monentibus malè.
Cupido nocendi ſæpius carpi grave eſt.
Mordaci item ſalubre mel dulcedine eſt.
Non admonetur verbo Phryx ſed verbere.
Officia ſtimulo haud indigent ſpontanea.
Prius fac ipſum id, ceteros quorum admones.
Prolixa nolis eſſe quæ ſunt aſpera.
Qui curſitantem hortatur, ſic quoq; adjuvat.
Qui ſæpius monet, caſtigat rarius.
Quis eſt alienis qui admoneatur caſibus?
Rudem docere oportet, arguere improbum.
Verbo probum moneto, verbere improbum
Vno flagello multos incitaveris.

Adoleſcentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM. CHRISTIANORUM.

D. *Chryſoſtomus*: Adoleſcentia ex præſumpta opinione communi ferme contemptibilis exiſtimatur. *Homilia 13. initio ad Timoth.* 1.

D. Chryſoſtomus: Si ætatis defectum indolis magnitudine, morumq; maturitate ſuppleveris, nullus jam te adoleſcentiæ cauſſa contemnet, verúm admirabitur magis. *Hom. 13. ad Timoth.*

D. Greg. Nyſſenus: Periculoſa eſt plerunq; vel in omni negotio conſiliorū moderatrix adoleſcentia neq; facile quiſpiam aliquid earum rerum quæ ſtudio digna ſunt, recte ab eo factum comperit, à quo non eſt ſenectus in conciliis ſobrietatem adhibita. *capite vigeſimo tertio de Virginitate.*

Idem eod. capite: Adoleſcentia quæ non conſilio regitur, aut facultatibus ſuis damnum importavit, aut aliquo mundanæ laudis ſplendore, aut dignitate ſpoliata eſt.

D. Greg. Nyſſenus de S. Greg. Thaumaturg: Cùm corpore admodū juvenili natura cogitationis cura parētibus vita defunctis, deſtitutus eſſet quādo plerisq; ætate imperfecta mens qd ſit bonū dijudicare neſcit: protinus ab initio oſtēdit, qualis in ætate perfecta futurus eſſet. Ac quēadmodū germina generoſa, cū à primo incremēto in directos ramos excreſcūt, per præſētē pulchritudinē agricolis futurū decorē præmōſtrāt: eodē modo etiā ille, quādo cæteris ꝓpter ignorātiā erroribus & obnoxius & lubricus eſt animus, ad res vanas & inutiles juvētute facilè plerūq; prolabēte: tūc per primam vitę inſtituti electionē oſtēdit in ſeſe, verū eſſe illud verbū Davidis dicētis, Juſtus ut palma florebit. Sola enim nimirū hæc arbor perfecta craſſitudine cacuminis à terra ſurgit & excreſcit, cūq; ꝓceritatis incremētū ꝓgrediatur, nullū in latitudinē à tēpore accipit acceſſionē. Sic etiā ille à primo germine floruit, electione vitæ inſtituti ꝓtinus perfectus & eminētib. frondib. conſurgēs & excreſcēs.

Omnibus enim omiſſis, quarū eorū ſtudio juvenilis ætas tenetur, equitatione, venatione, cultu amœniore, indumētis, aleatione, delitiis, ſtatim totus acquirēdis virtutibus incūbebat, deinceps eligens ac perſequēs quicquid præſenti ſemper ætati ſuæ cōveniens & accōmodatū eſſet. Initiū autē acquirēdarū virtutū ab ſtudio ſapiētiæ fecit, atq; hanc veluti pullus quidā conjunctus una ſequebatur ſobrietas: utriq; autē cōtinentia præſidio erat: animi verò humilitatē & moderationē unà cū contēptione pecuniarū aſſequutus eſt. Non enim aliundē faſtus & ſuperbia exiſtit, niſi avaritia, rēq; ſuam qualibet ratione augendi ſtudium ejuſmodi vitia una ſecum inducat. *Oratione de Vita S. Gregorij Thaumaturgi.*

Idem eadē oratione: Cùm degeret in Ægypto in magna Alexandri urbe, in quā ex omnibus partibus philoſophiæ & medicinæ ſtudioſa juventus cōfluebat: moleſtū ſpectaculū æqualibus erat adoleſcēs ſuper ætatē ſobrietate tēperātiaq; ornatus. Ejus enim vitæ puritatis & integritatis laus impurorū probrū ac dedecus erat. Vt igitur aliquā excuſationē intēperātes ac libidinoſi haberēt, ſi ipſi non ſoli tales eſſe viderētur inſidias cōminiſcūtur, & vafrū quoddā cōſiliū excogitant, ut aliquā notā & maculā magni illius viri vitæ inureret, ac producitur ab eis, quæ illū calumniaretur muliercula meretrix, quæ corpore quæſtū faceret, infamia irrogata ex carcere dimiſſa: cūq; ille pro cōſuetudine cū viris doctis atq; delectis in habitu gravi & honeſto de quadā quæſtione philoſophica diſpiceret, unaq; ſe cū illis exerceret, muliercula accedit ineptis geſtibus formā oſtētans, & mollitiē luxūq; præ ſe ferēs, & per omnia quæ & dicebat & faciebat, ſeſe cōſueſcere cū eo ſimulans: tādē dicebat ſe mercedibus fraudatā eſſe, adiiciens etiā cauſas præ impudētia, pro quibus querebatur ſe mercedibus eſſe fraudatā. At cū illi, qui ejus vitæ puritatē & cōtinentiā nō ignorabant, indignarētur, & ita adverſus mulierculā cōmoverētur: neq; unà perturbatus eſt cū iis, qui ipſius nomine ſtomachabātur: neq; quicquā ejuſmodi dixit, cū calūniis premeretur, quare pronunciare par eſſet eū, qui graviter moleſteq; rē ferret: nō teſtes vitæ advocavit: nō jurejurādo probrū ab ſe rejecit: nō malitiā eorū, qui hæc adverſus eū machinati erant, cōvicit: ſed ſubmiſſa atq; ſedata voce converſus ad quendam familiarem, Heus tu, inquit numera ei pecuniam, ne diutius importunitate ſua propoſitæ quæſtionis tractatum conturbet.

Cū autē is, cui hoc injūgebatur, à meretricula ſuſcitatus quātā pecuniā ab illo poſceret, ſine mora omne adnumeraſſet: atq; ab laſcivis & protervis adverſus ſobriū & cōtinētē inſidiæ peractæ eſſent: & jā in manibus illius infamis lucrū eſſet, divinitus & cōtinētia adoleſcētis probatur, & calūnia æqualiū patefit. Simul enim atq; manu pecuniā accepit, ſpiritu infelici atq; maligno correpta fremituque imāni atq; feriali, diverſo à voce humana ſono ingemiſcens, collabitur prona in medio cætu cōgregatorū, ſpectaculū horrēdum atq; terribile præſentib. repentè facta, cū & capillus, quē ſuis manibus vellebat, dilaceratus atq; diſiectus, & oculi inverſi eſſent, & os ſpumā emitteret. Ac non prius à dæmonio ſuffocari deſiit, quam magnus ille Deum pro ea invocaſſet atque pacaſſet. Talia de adoleſcentia magni illius viri narrantur, digna profectò inſequentis ejus vitæ principia. Et quidem miraculum

tantùm

tantum eſt, ut etiamſi nullum aliud præterea proferre licet, ob hoc ſolum à nemine eorum, qui virtute excelluerunt, ſecundas laudum partes debeat obtinere, dives adoleſcens, peregrè extra patriæ fines, an populoſa urbe habitans: in qua propterea quod adoleſcentes ad arbitrium & libitum voluptatib. indulgerent, vitæ puritas dedecori haberetur ab ijs, qui ſobrij, ſanaque mente præditi non eſſent: cum nec materde vita curioſè inquireret, nec pater vitam quotidianam moderaretur, in tantam, ſeſe a vitiis & affectibus ſejungendo, virtutem eniſus eſt, ut præſidem rerum univerſarum, qui per gravem plagam calumniam mulieris detexit atq; convicit, teſtem vitæ ſuæ faceret. Ecquod majus aliquis ad laudandum argumentum excogitare poſſit? qui poſſit hunc ipſum aliquis dignè ac pro merito admirari? qui cùm ratione naturam deviciſſet, ac veluti manſuetum quoddam animal, juventutem ſub jugum rationis miſiſſet, omnibusque affectibus naturalibus inſurgentibus ſuperior fuiſſet, & invidiam quæ omneis res eximias invadere ſolet, adverſus excitaſſet, etiam hac ſuperior fuit, quippe neq; ad ulciſcendum inſidias ſodalium commotus, & eam, quæ illis in ſubornando probro operam navaverat, per operationem ab afflictione dæmonis liberatam beneficio proſequutus eſt. *de Vita Thaumaturgi.*

Baſilius Seleuc: Adoleſcentia eſt ætas ejuſmodi, quę temperantiam prodat, quæque voluptatis violentiæ facilè capiatur. *Oratione 8. m.*

¶ Latinorum.

Ennodius. Spes perfectionis eſt, honeſta in adoleſcente inchoatio: nec ab erudito diſtat, qui inter exordia boni gloriam occupat inſtituti. *lib. 7. Epiſt. 24. f.*

Ennodius: Solida eſt ſpes adoleſcentium, quam magnorum cultura proſequitur, ſi ceſſat curatio, ubertas tritici tranſit in loliũ. Parthenium, diu circa diligentiam literarum culminis veſtri metus attraxerat. Sed nunc per abſentiam veſtram venerandæ ſolutus lege formidinis, molitur obſcæna. ætas illa peccatis amicior multos reperit ad errata ductores. Jmplorat fidem propoſiti mei pater; & incolumem filium loco deflet defuncti. Sic faciunt, quibus de profectu ſuorum fiducia nulla reſponderit. *lib. 7. Epiſt. 30. pr.*

Egeſippus: Patet iſta ætas fallaciæ, facilè decipitur, & fraudulentorum inſidiis circumvenitur, vix reſiſtit dolis ætas ſenilis. plerumque tamen ſenum prudentia circumſcribenti verſutis inſidiis irretitur. Ergo ſi maturior uſus ſæpe labefactatus eſt, quid mirum ſi ætas immaturior adeſſe non potuit ſibi, cùm inſidiantium catervis perurgeretur? *cap. 40. lib. 1. excidij Hieroſolymitani.*

¶ Philosophorum Rhetorumque Græcorvm.

Crates: Aſſuefacite voſmetipſos edendis offis & aquæ potandæ. Piſcẽ & vinũ ne guſtetis. Hæc enim ſenes quidẽ feros reddunt, quẽadmodum Circes pharmaca: juvenes verò effœminant atq; enervant. *Epiſtola 15. ad Adoleſcentes.*

Nicocles rex: Adoleſcentes ad virtutem excitate, non tantum præcipiendo, ſed in ipſis etiam actionibus eis demonſtrando, quales præſtantes viros, eſſe oporteat. *apud Iſocratem §. 14.*

Apollonius Cordio. Eſtiæum injuriâ abs te affectũ eſſe perhibent, idq; cùm in amicitia cum eo eſſes: ſi tibi poſt intercedere cum aliquo amicitia. vide Gordi, ne periculum facias in homine, qui non putatur quidem, at eſt revera. Saluta filium Ariſtoclidem pro quo vota facio, ne tui ſimilis nobis evadat. Nam tu quoque juvenis omni vitio reprehenſionéque carebas. *Epiſtola 54.*

Xenophon: Ais me corrumpere juvenes? Atqui novimus certè, quæ juvenum corruptelæ ſint. Tu dicito, an quem per me ſcias vel ex religioſo impium, vel ex modeſto petulantem, vel ex frugi ſumtuoſum, vel ex ſobrio vinoſum, vel ex laborum tolerante mollem factum, vel ab alia voluptate prava ſuperatum. At ego profecto, ait Melitus, novi eos, qui abs te perſuaſi ſunt, ut tibi magis obtemperarent, quam parentibus. Equidem hoc, inquit Socrates, de inſtitutione verum fateor. Sciunt enim, hanc meam fuiſſe curam. De valetudine vero medicis potius homines, quam parentibus obtemperant: & in concionibus omnino Athenienſes univerſi potius iis, qui prudentiſſime dicunt, quam neceſſariis ſuis parent. Annon in delectu prætorum & parentibus veſtris, & fratribus, & vero vobis ipſis antefertis eos, quos exiſtimatis rerum bellicarum periti ſſimos eſſe? Nimirum o Socrates, inquit Melitus, & expedit ita, & uſu receptum eſt, An non igitur, ſubjecit Socrates, mirum hoc tibi videtur eſſe, quod quum in actionibus ceteris præſtantiſſimi quique non ſolum pares aliis ſint, ſed etiam eximio quodam honore ornentur; ego quia maximo in hominum bono, quod inſtitutionis eſt quorundam opinione ceteris præſtare judicer, capitis abs te anquirar? *cap. 5. defenſionis Socraticæ.*

Lucianus: Poſtquam mane ſurrexit ex lecto non conjugali, reliquúm que ſomnum ab oculis abſterſit aqua vili, & ſacram chlamydem humeralibus fibulis aſtrixit, paterna domo egreditur capite demiſſo, ac neminem omnium ex adverſo intuens. Aſſeclæ autem, & pædagogi, turba conveniens ipſi, ſequuntur, venerabilia virtutis inſtrumenta manibus tenentes: non ſecti pectinis inciſuras, quibus coma demulceri queat, neque ſpecula formarum oppoſitarum, non pictas imagines: ſed vel multiplices pugilares à tergo ſequuntur, vel veterum virtutes operum cuſtodientes libelli: quòd ſi adeunda ſit Muſici ſchola, ſequitur ſonora lyra. Omnibus autem philoſophicis animi diſciplinis abundè exercitatus, ubi jam tenens cyclicis illis bonis ſatiata fuerit, corpus quoque liberis exercitationibus excolit. Nam illi curæ ſunt equi Theſſali, brevitérque juventutem domans in pace meditatur res bellicas, ſpicula emittendo, certâque dextra ſagittas vibrando. Deinde & vnctæ palæſtræ, & ad ſolis meridianum calorem oppletur pulvere corpus denſatum, deſtillantéſque contentioſorum laborum ſudores, poſt quos lavacra brevia, & menſa ſobria, rebus paulo pòſt gerendis non adverſa. Rurſum enim ipſi præceptores, & veterum operum exempla inſinuantes & curantes recordationes, Nempe quis heros fortis fuerit, quis ob prudentiam publico teſtimonio cohoneſtatus, aut qui juſtitiam ac temperantiam amplexati fuerint. Hujuſmodi virtutibus tenerum adhuc animum imbuens, quando jam veſpera rebus gerendis finem imponit, tributo, quod ventri ex neceſſitate debetur depenſo, ſuaviores ſomnos dormit, poſt diurnos iſtos labores ad tempus conquiescens.

Quis igitur talis ephebi non fieret amator? cui verò adeò fuerit hebes oculorum acies, & luxata mentis ratiocinatio? Quomodo verò non amaret illum, in palæſtris quidem Mercurium, inter lyras autem Apollinem equitatorem verò ceu Caſtorem, ac divinas virtutes mortali corpore proſequentem? At mihi quidem ô Dij cœleſtes, utinam perpetua ſit hæc vita, ex adverſo amici ſedere, & ſuave loquentem propè audire, & cum exeunte, ſimul exire, & omne cum eo opus commune habere. Optarit igitur amator, ut ſuus amaſius, per illæſam, & inconcuſſam vitam, abſque moleſtia poſſit ad ſenectutem pervenire nullius fortunæ invidam impreſſionem expertus. Quòd ſi verò etiam qualis eſt humanæ naturæ conditio, morbus quiſpiam ipſum invaſerit, cum ægrotante pariter ægrotabo: ſi etiam per mare procelloſum feratur, cum eo navigabo. Quòd ſi etiam tyrannica vis illi vincula innectat, par ferrum mihi circundabo. Quicunq; illum oderit, meus inimicus erit, eumque benevolentia proſequentes amabo. Si verò prædones, vel hoſtes videam in ipſum irruentes, præter vires etiam amabor: ſi moriatur, vivere nõ ſuſtinebo. Poſtrema autem mandata iis, quos proximè poſt illum amavi, iſta dabo, ut commune ambobus ſepulchrum accumulent: & oſſa inter ſe permiſcendo, ne mutum quidem pulverem à ſe mutuo ſeparent.

Atque hæc non primi experiment mei amatores quibus dignos proſequor: ſed illa Diis proxima, heroum prudentia, velut quadam lege ſancivit: in quibus amicitiæ ille amor ad mortem uſq; ſimul expiravit. Phocis à teneris annis Oreſtem Pyladi coniunxit: qui cũ Deum mutuorum affectuum mediatorem accepiſſent, perinde atq; in uno eodémq; vitæ navigio ſimul navigarunt. Ambo Clytemneſtram interemerunt tanquam Agamemnonis filij, ambo Ægiſthũ occiderunt. Pœnas quibus agitabatur Oreſtes, ægriùs ferebat Pylades, eum defendebat cùm damnaretur. Nec amatoriam illam amicitiam Græciæ terminis metiti ſunt: ſed ad ultimos Scytharum fines navigarunt: alter morbo laborans, alter morbum emolliens. Et cùm in Tauricam terram aſcenderent, ſtatim occiſæ matris Erinnys ipſos velut hoſpitio excepit: ac barbaris undique circunſtantibus, alter quidem ex conſueta inſania collapſus, jacébat, Pylades autem ſpumam oris abſtergebat, atque corporis curam gerens, tegebat illud veſtibus, non amatoris modò, ſed & patris affectum præ ſe ferens. Quando igitur decretum fuit, ut altero ad cædem manente, alter literas laturus Mycenas proficiſceretur, ambo manere alter pro altero volunt, uterque in altero vivente, ſe ipſum vivere exiſtimans. Epiſtolas à ſe removet, tanquam Pylade digniore, qui illas acciperet, tantum non amator pro amato factus.

Perire namque hunc eſt onus mihi graue:
Namque ego ille ſum qui calamitates has veho.

Et paulò poſt dicit.

Huic quidem da litteras.
Arges enim mittam, tibi ut res bene habeat,
Occidat autem nos, cui opus.

Nam ſic ſe habet totum negocium. Quando enim à puero ſimul enutritus amor ille ſerius, in eam ætatem, quæ ratiocinatione uti poteſt, confirmatus fuerit, id quod olim eſt amatum, mutuos amores rependit, adeóq; difficile eſt percipere uter alterius ſit amator, cùm perinde ac è ſpeculo, amantis benevolentiæ in amatum ſimilis cadat imago. Quid igitur ceu peregrinam voluptatem nobis exprobras, id quod vitæ noſtræ proprium eſt, & divinis legibus definitum, pérque ſucceſſionem ad nos tranſmiſſum. Libenter verò ipſum recipientes, cum pura mente, veluti rem ſacram tractamus. Nam verè beatus ille eſt, jùxta ſapientum ſententiam.

Cui pueri molles, & equi ſolidam ungulam habentes,
Huic minimum grauis eſt cana ſenecta viro,
Si quem adamant pueri.

Socraticæ verò doctrinæ, & ſplendidum illud virtutis examinandæ judicium, etiam Delphicis cortinis eſt approbatum. Nam veritatis oraculum Pythius reddidit omnium virorum Socrates ſapientiſſimus: qui pariter cùm cæteris præceptis, quibus vitam humanam promovit, & puerorum amorem, ceu rem

præcipuè

præcipuè utilem, admiſit. Convenit autem juvenes amare, ut Alcibiadem Socrates, qui ſub una eademque patris chlamyde ſomnos dormivit. Atque equidem Callimachi illud præconium, ad finem orationis libentiſſimè omnibus apponerem.

Namque utinam cupido ſectantur lumine amatos,
Erchias ut pueros juſſit amare ſenex,
Sic & ametis eos, fortique habitetis in urbe.

His cognitis adoleſcentes, modeſtè cum bonis pueris verſamini, neq; modicæ delectationis gratia, longa effuſa benevolentia, uſq; ad vigorem ætatis, fictos amandi effectus protendite: ſed cœleſtem Amorem adorantes, à pueritia ad ſenectutem uſque firmos affectus conſervate. Nam hoc pacto amantibus ſuaviſſimum eſt vitæ tēpus, nulla inhoneſta conſcientia inhabitante. Celebris autem illorum fama, poſt mortem ad omnes paſſim emanat.

Quòd ſi verò Philoſophis adhibenda eſt fides, etiam æther poſt terram eos excipit, qui iſta ſectantur: qui meliori fato morientes, præmium hoc virtutis incorruptibile conſequūtur. *titulo Amorū.*

Iulianus Cæſar Paneg. 1. in Conſtantium Aug. Cùm Imperator manere loco in litem præciperet, nemo id fecit: ſed quantum quiſque viribus ac celeritate valebat cum armis currere. Etenim quo tu id conſilio faceres, nondum intelligebant, ſed ætate tua duntaxat perſpecta; quid utile eſſet à te melius dijudicari, quàm à ſeipſis, perſuadere ſibi non poterant: tum quod multa cum parente tuo prælia feliciter confecerant, &c.

Libanius: Socrates ſi adoleſcentes viderit, antequam æras ferat, ad ſuggeſtum ſalientes, vellicat, continet, publicis incumbere non ſinit. *Declamatione 29.*

Libanius: Adoleſcentes, Iudices, fuiſtis vos omnes, & juvenes ālitis filios. ſcitis utiq; ætatulam iſtam ab omni peccati labe puram eſſe non poſſe: ſed hic magis, ille minus vitiis urgetur. at quisque omnino ſtultitiæ alicubi reus peragitur: & quid mirum, quando ne ſenectus quidem ipſa ubiq; decorum ſervat? verum jam olim multi pœnitentia ducti ſunt eorum quæ fecerant: atque eundem invenires & ſenem, & infamiæ notā inuſtum. quinetiam id ætatis nonnullis veniam conſequi contigit. nam venia, Judices, juvenibus ut juvenibus, conceditur, ſeni ut homini: ſed enim Deorū ſolorum eſt, opinor, præſtantiores ut ſint, quàm ut peccare poſſint. Non vidiſti equos, pater, & exagitantes, & deturbantes equitem, & non ideo tamē inutiles habites, & excuſſores? ſed & ab aliquo audivi, pater rei equeſtris perito, tales equos naturā generoſos eſſe. quocirca cùm paululum ſubſultationes ſuſtinuerint, & juventa præterierit, iiſdem jam moderatis, & longe alios ſuperantibus, ad opera utuntur. Fugit adoleſcentulus aliquid laborioſi? quippe puer erat: & laboris amantes in ea ætate admirandi, & ſenibus ſimiles ſunt cenſendi. *Declamatione 40.*

Libanius: Quid non eorum dixi quæ licebat? ut juventuti facillimum eſſet decipi, labi & errare; cùm juvenes tēmpore prudentiam non compararunt? ut nulla in re peccare ſolis Diis præſcriptum ſit. nonne dixi quæ ſæpe à vobis audivi, quòd legis voluntas eſt terror & juenes formidare vult expulſionem, ut ſe contineant; non item ut arceantur, & ſine lare, ut domus non deſit, vagentur ob levia delicta? Si enim ob majorem culpam, cur non interfecit? Porrò patrem etiam interrogabam, an juventutē ſine errore tranſiſſet, & cum, nihil haberet quod diceret, rogabam ut patrem ſuum apud nos imitaretur. Hæc cum dicerem, nugas agebam; patris nomine confuſus. *Declamatione 41.*

Arrianus: Quid in mentem venit Epicteto, ut nullum mihi verbum faceret? adeone de me deſperavit? Non eram adoleſcens? non eram doctrinæ capax? quot verò alii adoleſcentes per ætatem talia multa delicta committunt? Audio Polemonem quendam olim è luxurioſiſſimo continentiſſimum eſſe factum. Eſto. Non putabat me Polemonem fore? Comam quidem meam corrigere potuit, potuit torques & monilia à me auferre; efficere potuit ne mihi pilos evellendos curarem. *cap. 1. lib. 3. Epict.*

Heliodorus: Conſuevere adoleſcentes cum coluntur ab amaſiis, eas deſpicere; vi autem coacti cedere. *libro octavo AEthiopicarum rerum.*

Philoſtratus: Detineri à dœmone adoleſcens ſe neſciebat, & de his utique ridebat, de quibus alius nemo riſiſſet. quandoque autem in ploratum riſus vertebat, cùm nulla ſubeſſet lacrimandi cauſſa. interdum ſecum ipſe loquebatur, aut cantabat. Horum omnium, luxurioſam & mollem juventutem eſſe cauſſam homines arbitrabantur. Sed adoleſcens dæmonis inſtinctu ita geſticulabatur &c. *lib. 4. Apollonij cap. 6.*

Simocatta. Nepos tuus Myronida nimis luxurioſè vitam inſtituit Rubro panno paſcua boum perturbavit, & egregiam vaccam præcipitem egit. Æquales verò damnum ludibrio habuerunt. Ne præbeas adoleſcenti ultra duos Chœnices. Iuvenes enim & luxuriando petulantes & laſciviendo ſunt immodeſtiores. *Epiſt. 77.*

¶ Romanorum.

Cicero: Equidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus vitæ voluptuariæ, & extremis, ut dicitur, digitis artigiſſent; ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe, gravesque homines atque illuſtres fuiſſe. *Oratione pro M. Cælio.*

Cicero: Non modo invidetur adoleſcentiæ, verùm etiam favetur. *Libro ſecundo de Officijs.*

Cicero: Vt adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur; leviorq; fit eorum ſenectus qui à juventute coluntur & diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. *libro de Senectute.*

Ibidem: Quis eſt tam ſtultus, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperum eſſe victurum? Quin etiam ætas illa multo plures quàm ſenectus mortis cauſſas habeat. facilius in morbos incidunt adoleſcentes, gravius ægrotant; triſtius curantur: itaque pauci veniunt ad ſenectutem.

Seneca: Crates Stilponis auditor, cùm vidiſſet adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogavit quid illic ſolus faceret? Mecum, inquit, loquor. cui Crates; Cave rogo, & diligenter attende ne cum homine malo loquaris, &c. *Epiſtola decima.*

Seneca: Ariſto aiebat, malle ſe adoleſcentem triſtem quàm hilarem & amabilem turbæ. Vinum enim fieri bonum. Quod recens durum & aſperum viſum eſt: non pati ætatem, quod in dolio placuit. Sine eum triſtem appellent, & inimicum proceſſibus ſuis: benè ſe dabit in vetuſtate ipſa triſtitia. perſeveret modò colere virtutem, perbibete liberalia ſtudia, non illa quibus perfundi ſatis eſt, ſed hęc quibus tingendus eſt animus. *Epiſtola trigeſima ſexta.*

Quintilianus Senior: Etiamſi quid remiſſius ac liberalius fecit, ætate excuſari poteſt. *Sermone Declamationis 260.*

Quintilianus Declamat. 19. §. 12 p: Proſpiciebam miſerin grande quandoque facinus prorupturum, quòd ocio vitam, quòd deſidem domi perdebat ætatem. Non peregrinationibus excolere mentem, non experiri militiam, non tentare maria, non rure colere, non adminiſtrare rempublicam, non ducere volebat uxorem. Præterea traxerat ex frequentibus caſtigationibus tædium patris, & in execrationem mei, conſcientia qua non emendabatur, exarſerat.

Plinius Iunior: Omnia mihi ſtudia, omnes curas, omnia avocamenta eximit, excuſſit, eripuit dolor quem ex morte Junij Aviti graviſſimum cepi. Latum clavum in domo mea induerat, ſuffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat: ad hoc ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quaſi magiſtro uteretur. rarum hoc adoleſcentibus noſtris. nam quotuſquiſque vel ætati alterius, vel auctoritati, ut minor cedit? ſtatim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem; atque ipſi ſibi exempla ſunt. Sed non Avitus, cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur: hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat. ſemper ille aut de ſtudiis aliquid, aut de officiis vitæ conſulebat: ſemper ita recedebat, ut melior factus, vel eo quod audierat, vel quod omnino quæſierat, &c. *Epiſtola vigeſima tertia libri octavi.*

¶ Poetarum.

D. Gregor. Nazianzenus in vita ſua.

Quod autem ephæbis fervidis fere accidit,
(Præceps eorum ſemper eſt namq; impetus,
Non aliter atq; pullus ad curſus ſalit
Ferox) idem mihi contigit.

Ariſtophanes Nubibus. V. 818.

Quid tu iſthoc rides, quod verum eſt? Si quia videor
Te eſſe puerum, & ſapere ſenum deliria.

Plautus Bacchid. 4. ſc. 3. V. 53.

Quis illic eſt? L. Mneſilochus, grati tui ſodalis Piſtocleri,
Haud conſimili ingenio atq; ille eſt, qui in lupanari accubat,
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit ſibi!
In mare it, rem familiarem curat, cuſtodit domum.
Obſequens obediensq; eſt moræ atq; imperijs patris.
Hic ſodalis Piſtoclero jam puer puero fuit.
Triduum non inter eos eſt ætatis, uter major ſiet.
Verùm ingenium plus triginta animis majus eſt quam alteri.

Plautus Moſtell. 5. ſc. 2. V. 17.

Fateor peccaviſſe, amicam liberaſſe, abſente te
Fœneri argentum ſumpſiſſe; id eſſe abſumptum prædico.
Num quid aliud fecit, niſi quod ſummis gnati generibus?

Ibidem verſ. 34.

—— Prodire pudet in conſpectum tuum
Propter ea quæ fecit, quia te ſcire ſcit. nunc te obſecro
Stultitiæ adoleſcentiæq; ejus ignoſcas: tuus eſt.
Scis ſolere illanc ætatem tali ludo ludere.

Terentius Adelph. 1. ſc. 1. verbis fatui patris.

DE. Quorſum iſtuc? MI. quia tu Demea, hæc male judicas,
Non eſt flagitium mihi credè, adoleſcentulum
Scortari, neq; potare: non eſt; neq; fores
Effringere. hæc ſi neq; ego, neq; tu fecimus!
Non ſivit egeſtas facere nos. tu nunc tibi.

Id laudi

Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia:
Injurtum eſt. nam ſi eſſet unde id fieret,
Faceremus. & tu illum tuum, ſi eſſes homo;
Sine res nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius quam, ubi te exſpectatum ejeciſſet foràs;
Alienori ætate poſt faceret tamen.
De. Proh Iupiter rediges tu homo me ad inſaniam.
Non eſt flagitium facere hæc adoleſcentulum?
Terentius Andria. 1. ſc. 1.

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Pamphilus,
Liberius vivendi fuit potentia. nam antea
Quei ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter, prohibebant? SO. ita eſt
SI. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos;
Horum ille nihil egrgiè præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter
Gaudebam. SO. non injuria: nam id arbitror
Apprimè in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.
SI. Sic vita erat, facilè omnes perferre acpati;
Cum quibus erat, cumque unà his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini,
Numquam præponens ſe aliis, ita facillimè
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.
Terentius Andriæ. 2. ſcen. 6.

Potin' es mihi verum dicere? D. nihil facilius.
S. num illi moleſta quippiam hæ ſunt nuptiæ,
Hujuſce propter conſuetudinem hoſpitæ?
D. Nihil hercle: aut ſi adeo, bidui eſt aut triduì
Hæc ſollicitudo. noſtin: deinde deſinet.
Etenim eam ſecum rem recta reputavit via.
S. Laudo. D. dum licitum eſt illi, dumque ætas tulit;
Amavit, tum id clam, cavit ne unquam infamia
Ea res ſibi eſſet, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus: animum ad uxorem appulit.
Terentius Andriæ. 5. ſcen. 4.

Tune impune hæc facias? tu ne hic homines adoleſcentulos
Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis?
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas CR. ſanun' es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
Terentius Heautont. 1. ſc. 1.

Quotidie accuſabam: hem! tibine hæc diutius
Licere ſperas facere me vivo patre,
Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras ſi id credis, & me ignoras Clitia.
Ego te meum eſſe dici tanti ſper volo,
Dum quod te dignum eſt, facies. ſed ſi id non facis;
Ego quod me in te ſit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re iſtuc fit, niſi ex nimio ocio.
Ego iſtuc ætatis, non amori operam dabam:
Sed in Aſiam abij hinc propter pauperiem, atque ibi
Simulrem, & gloriam armis belli repperi.
Auſonius de Herculano Grammatico.

Herculane, qui profectus gremio de noſtro & ſchola,
Spem magis, quam rem fruendam præbuiſti avunculo,
Particeps Scholæ, & cathedræ pene ſucceſſor meæ,
Lubrica niſi te juventa præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam.

¶ EMBLEMATVM.

Had. Junius Emblemate XLIV.

Hinc luxu compta, inde ſitu horrida feminapugnant
Alcidem in partes flectere quaque ſuas.
Nititur inculta hinc juga ſcandere ſe duce Virtus,
Hinc Vitium pronos mergere delicias.
Camerarius x. Centur. 1.
Neglecta juventus. *Salix.*

Perdere virtutem fructus cum flore juventa;
Frugis perda ſalix ne vocitere cave.
Camerarius xv. Centur. 4
Solus jam grandior erat.

Turmatim juvenes, aſt gaudent æquori ſoli
Majores Thumi: dic mihi utri ſapiant?
Lubricum juventutis. Emblem. xxxv.

Dum tener, & nondum ſundarat in orbe columnas,
Monſtraque delerat Amphytrioniades;
Apparent illi Virtus hinc, inde Voluptas,
Et ſtudet in partes flectere quaque ſuas.
Blanda Voluptatis, Virtutis dura videtur
Semita, dum primo lumine quamque notat.
Hanc tamen invictæ ſubiens certamine mentis,
Ad Superos tandem vi ſibi ſtravit iter:
Alcida ſimiles homines ſunt: dum lævis ætas,
Et peragit curſus cæca juventa ſuos;
Felix qui rectum potuit ſervare tenorem
Integer, & nullo crimine tactus obit.
Florent. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Admodum decet verecundam eſſe adoleſcentiam.
Ad voluptates ſervilis prona eſt ætas lubrica.
Emendatus eſt adoleſcens quem graves amant ſenes.
Gaudeat ſenum præceptis lævis adoleſcentia.
Hei quam multa minus videmus propter adoleſcentiam!
Indoles morum adoleſcentiæ ac ſui ſpes eſt bona.
Liberior vitæ eſt poteſtas cuique ubi ephebos exit
Mollis ætas hac illac trahitur quocunque duxeris.
Mutui adoleſcentum amores ominium ardentiſſimi.
Non lavemus ſed favemus lubrico adoleſcentiæ.
Proſpiciendum eſt in ſenectâ nunc adoleſcentiæ.
Sunt patres iniqui in omnes adoleſcentes judices.
Vnum adoleſcentem noris, omnes noris, congruunt
Vinum, amor, nox nil perſuadet ſunt adoleſcentiæ.

¶ JAMBICA.

AEtas patet fallaciæ immaturior.
Auctoritas nulla ipſi eſt adoleſcentiæ.
Habere amicam, haud vitium eſt adoleſcentiæ?
Melius adoleſcens erubeat, quam palleat.
Multum legendum, haud multa adoleſcentibus.
Parata multa venia adoleſcentiæ eſt.
Regenda magis eſt fervida adoleſcentia.
Res utilis eſt, eſſe adoleſcentiam in metu.
Tandem ſolet deferbere adoloſcentia.

Adoptionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

S. *Salvianus*: Nonnulli filios non habentes, à reſpectu ſe tamen ſalutis ſuæ & remedio peccatorum penitus avertunt, ac licet ſemine ſanguinis ſuę careant, quærunt tamē quoſcunq; alios, quibus ſubſtantiam propriæ facultatis addicant, id eſt, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inſcribant, quos ſibi quaſi adoptivos imaginarii parentes ſuos faciant, & in locum eorū quæ non ſunt pignorum, perfidia generante ſuccedant: ac ſic miſerrimi quiq; & impiiſſimi cum vinculis filiorum non conſtringantur, ipſi tamen ſibi vincula parant quib. infelicia animarum ſuarum colla conſtringant. Cùm vis domeſticarum neceſſitudinum nulla ſit, foris diſcrimen acceſſerunt, & licet cauſæ deſint periculorum, ruunt tamen quaſi in interitum voluntarium. *lib.* 3. *contra avaritiam.*

¶ PHILOSOPHORUM HISTORICORUM RHETORUM.

Democritus: Viro locupleti mea quidem ſententia. conſultus fuerit, amici alicujus filium ſibi adoptare utpote talem habituro qualem deſideraverit. licet enim eligere pro arbitrio, ac talem qui idoneus eſſe videatur, & maximè naturam ejus referre. Vides quātum interſit! Adoptanti quidem filium, ex pluribus & bonis deligere licebit aliquem. cujus ingenio præcipuè delectetur. gignenti autem ex ſe ipſo, multa pericula imminent. talem namq; oportet habere, qualiſcunq; natus fuerit. *ex ſtobæo.*

C. Tacitus Oratione Galbæ: Finita Iuliorum Claudiorumq; domo, optimum quemq; Cæſarem adoptio inveniet, nam generari & naſci à principibus fortuitum, nec ultra æſtimatur: adoptandi judicium integrum, & ſi velis eligere conſenſu monſtratur. *libr.* 1. *Hiſt. cap.* 16.

Salluſtius Oratione Micipſæ: Colite & obſervate Jugurtham talem virum, imitamini virtutem, & evitimini ne ego meliores liberos ſumpſiſſe videar, quàm genuiſſe. *cap.* 10.

Silius Baſſus: Aliquis in adoptionem juvenis petitur? Si volet ire, quæret ſenex illi qui petit, qualis & quos habeat majores; quanta bona; an ſatis magno ſe poſſit addicere. *apud Senecam Controverſia ſexta.*

Porcius Latro: Fabriciorum imagines Metellis paruerunt. Æmiliorum & Scipionum familias adoptio miſcuit. Etiam abolita ſęculis nomina per ſucceſſores novos fulgent. Sic illa patriciorum nobilitas, ab fundamentis urbis, in hæc tempora conſtitit. Adoptio fortunæ remedium eſt. *apud Senecam controverſia* 9.

Tacitus: egregie oſtendit, quomodo adoptionibus fictitiis orbi præturas provinciaſq; ſortirentur, utq; morem eum inhibuerit Senatus. *libr.* 15. *Annalium cap.* 19.

Dio Caſſius apud Xiphilinum in Orat. Hadr. Imp.: Mihi natura filium non dedit: vos verò lege dediſtis, patres conſcripti. Multū autem intereſt, naſcatur, an adoptetur filius: propterea quod qui

nascitur, talis est qualem eum fortuna dederit: eum vero qui adoptatur, utrusquisque sibi suo arbitrio probatum deligit: ex quo fit, ut ille sæpe nascatur mutilus & demens: hic, quod certo judicio fit, integer & sanæ mentis deligatur. *in Vita Hadriani.*

Plinius: Nulla adoptati cùm eo qui adoptat cognatio, nulla necessitudo, nisi quod uterque optimus erat, dignusq; alter eligi, alter eligere. *cap. 7. panegyri ad Trajan.*

Calpurnius Flaccus: Vos interrogo judices, utrum sit sanus, qui & suos abdicat, & adoptat alienos. Adoptio sancta res quidem quæ beneficia naturæ & juris imitatur. In hoc puero nescio quid sit indignius, utrum patris origo, quòd est dubia, an matris meretricis origo, quòd certa est. *Controversia 30.*

AEl. Spartianus: Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptivum bonũ filiũ habuit, cũ illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiã ipse Trajanus in suo municipe ac nepote diligẽdo. *c. 21. Vitæ Sever. Imp.*

Cassiodorus: Per arma posse fieri filium, grande inter gentes constat esse præconium: quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur. Ignavi autem esse nesciunt quos pepererunt. Hi enim gratiam, non de natura, sed de solis meritis habent: quando vinculo animi obligantur extranei, & tantain hoc actu vis est, ut prius se velint mori, quam aliquid asperum patribus videantur infligi &c. *lib. 4. Epist. 2. Variarum.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 64. in fucos muliebres.

Καὶ γεγαπτῶν παίδων πολυ φέρτεροι, ὡς ἐφύτευσε,
Καὶ πεῤ ἀρσιτέρων, ὅτιγε χερειότεροι.
Liberis adoptivis præferimus eos quos procreavimus.
Etiamsi adoptati illi aliis sint elegantiores.

Terentius Adelphi. 1. scen. 2.

Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus. si quid peccat Demea,
Mihi peccat, &c.

Ausonius de Nerva Imp.

Nerva senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles: instatur adoptio prolem,
Quam legisse juvet, quàm genuisse velit.

Idem de Trajano Imp.

Hic quoq; prole carens, sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, dissiteare parem.

Idem de Hadriano Imp.

Orbus & hic: sociatq; virum, monumenta daturum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

¶ Monosticha Trochaica.

Filium mihi si dedisti adoptandum, est factus meus
Interest multum nascatur an legatur filius.

¶ Jambica.

Adoptione fulcias vacuam domum.
Id quod deest naturæ, adoptio perficit.
Non adrogatur absens aut dissentiens.
Non arrogatur aliquis, nisi jam vesticeps.

Adorationis.

¶ Theologorum.

D. *Greg. Nyssenus:* Eos qui in creatura numen divinum esse existimarent nihilo minora colere atq; venerari putabat, quam qui ex materia simulacra efficiunt. & rectè pieq; ita judicabat. nam qui creaturam adorat, etiamsi in nomine Christi id facit, simulacrorum cultor est, Christi nomen simulacro imponens. *Oratione funebri Placillæ.*

D. Greg. Nyssenus: Nihil eorum quæ per creationem facta sunt, adorandum esse ab hominibus, sermo divinus lege sancta jussit, ut ex omni ferè à Deo inspirata scriptura tale licet perdiscere. *Sub initium Orationis. 4. contra Eunomium.*

D. Nazianzenus: Est hoc in regio more positum, haud quidẽ scio an apud omnes quoq; alios homines, qui imperio subsunt, cæterum apud Romanos studiosissimè observatum, ut publicis statuis Imperatores ornentur. Nec enim coronæ ac diademata, & purpuræ inter, & numerosæ leges, & tributa, & subditorum multitudo, ad constituendum ipsis imperium sufficiunt: verum adorationẽ quoque accedere oportet, per quàm angustiores appareant: parumque habeant ipsi adorari, nisi idem quoq; sibi in imaginibus picturisq; præstetur, quò cumulatior ipsis perfectiorque veneratio reddatur. His porrò imaginib. alij Imperatores aliud quiddã præterea appingi gaudent, quidam clarissimas quasq; urbes dona offerentes; alij victorias caput eorum corona cingentes, nonnulli magistratus adorantes, & dignitatum notis exornatos: alij ferarum cædes & scitas jaculationes, alij Barbarorum domitorum atq; ad pedes jacentium varias multiplicesq; figuras. Neque enim rerum earum, ob quas magnificè de se sentiunt, veritatem solùm amant: sed earum quoq; simulachra. *Oratione 3.*

Io. Sarisberiensis: Nec potuit regi Saulo ignorantia suffragari, cùm nemini liceat ignorare, creaturam quæ se appetit adorari, indelem esse, & voluntatis perversæ. *lib. 2. cap. 27. Policratici.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcor.

Lucianus: Ad sinistram ædis, stat Semiramidis simulacrum, ædem ipsam dextrâ demonstrantis. Stat autem hanc ob causam. Hominib. quicunq; Syriam incolunt, legem tulerat, ut se ceu Deã colerent: cæterorum autem Deorum, atq; ipsius etiam Junonis nullã rationem haberent. Quod illi tum ita faciebant. Sed postquã morbi, clades, & dolores illi divinitus acciderunt: ab illa insania destitit, seque mortalem esse confessa est: subditisq; iterum præcipit ut ad Junonẽ converterentur. Ob eam igitur causam adhuc tali specie stat, advenientibus indicans Junonẽ colendam esse, nec se amplius, sed illam esse Deam confitens. *de Syria Dea, ejusq; templo.*

Philestratus: Cùm Apollonius intrasset Babyloniam, Satrapæ portę appositus, regis statuã auream illi obtulit, quã nisi quis procidens adorasset, civitatem intrare non permittebatur. verũ iis qui ab Imperatore Romanorũ legati missi venissent, talis nõ incumbebat necessitas: sed ei qui à barbaris accederet, aut regionẽ perlustraret, nisi prius simulacrum coluisset, ignominiosum fuisset: adeò fatuus mos apud Barbaros obtinebat. Apollonius itaq; statuam aspiciens. cujusnam esset interrogavit: cùm regis esse responsum fuisset, Is inquit quem vos tam supplíciter veneramini, si a me tãquam vir bonus laudari meruerit, majorem quàm ex hac veneratione gloriam assequetur. *lib. 1. cap. 19.*

Ælianus: Ismenias Thebanus, cum Regis Persarum adeundi & alloquendi facultas nõ aliter permitteretur, quàm si eum adoraret, tacitus apud se viam inijt qua defungens eos ludificaretur. Simul atq; in regis conspectum venit, annulum sensim digito detractum, clam & nemine advertente ad pedes abjecit, quem mox jacentem sustulit. eoque corporis gestu, quasi venerabundus procubuisset, visus est patrio Persarum mori institutoque paruisse: cùm re vera nihil se indignum aut præter civium morem admisisset. *lib. 1. Var. hist. cap. 21.*

Xphilinus: Apim Alexandriæ adire noluit Augustus Imp. quod diceret se Deos adorare consuevisse, non boves. *In Vita ejus.*

¶ Romanorum.

Valerius Maximus: Athenienses Timagoram inter officium salutationis, Darium regem more gentis adoratione adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blandiciis, totius urbis suæ decus Persicæ dominationi summissum, graviter ferentes. *lib. 6. Dict. fact. cap 3.*

Idem de sex Persis victis à Dario hinnitu equi: Auditoq; eo sex reliqui summæ potestatis candidati, continuo equi dilapsi, ut mos est Persarum, humi prostratis corporibus, Darium, regem salutarunt. *lib. 7. c. 3.*

Justinus: Conon dux diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit: à cujus conspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarũ adorare nollet. *lib. 6. c. 3.*

Q. Curtius: Alexander jam omnibus præparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc esse maturum, quonam modò cœlestes honores usurparet, cæpit agitare. Iovis filium non dici tantũ se, sed etjam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset, ac linguis. Itaq; more Persarum, Macedones venerabundos ipsum salutare, prosternentes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti pernicio sa adulatio, perpetuum malum regum. Nec Macedonum hæc erat culpa (nemo enim illorum quidquam ex patrio more labare sustinuit) sed Græcorum qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. *lib. 8. cap. 25.*

Curtius: Tu Macedones voluisti tibi genua ponere, veneratiq; te ut Deum, &c. *loquitur Hermolaus Alexandro. lib. 8. cap. 36.*

Suetonius: Tiberius Imp. Consularem virum satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugit, ut caderet supinus. *in Vita ejus cap. 27.*

Suetonius: P. Vitellius erat miri in adulando ingenij. primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit, cùm reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato. circumverten sq; se, deinde procumbens. *In Vita A. Vitellij cap. 2.*

Lampridius: Alexander Severus adorari se vetuit, cum jam cæpisset Heliogabalus adorari regum Persarum more. *cap. 18.*

Trebellius Pollio: Zenobia vixit regali pompa, more magis Persico. adorata est more regum Persarum. Convivata est Imperatorum more Romanorum. §. 30.

Eutropius Diocletianus Imp. in imperio Rom. primus regię cõsuetudinis fortunã magis, quã Romanę libertatis invexit, adorariq. se jussit, cùm antè eum nuncupatim salutarentur. *lib. 9. Brev.*

¶ Apophthegm. Sacr.

Simeon Persa: Sapores Persarum Rex cum Simeonẽ episcopum ut daretur in quæstionem adduci jussisset, ille neq, veritus est quicquã, neq, regẽ adoravit. Qua de re graviter cõmotus rex, scisciatur quid sit causæ cur jam neutiquã ipsum adoret, cùm antè id feciisset? Cui Simeones: *Nõ antea,* inquit, *deductus erã ad verum Deũ prodendum, & propterea non recusabã debitos honores regi præstare: at jam idẽ ipsum facere fas nõ est. Nam jam pro nostra pietate & religione decertaturus venio.* Quę cùm dixisset, jubet rex ut Soletta adoret: quod ille cõstanter recusans post diuturnos carceres gladio feritur, confirmatis paulò ante obitum centum aliis martyribus, qui cum eo martyrij palmam sunt assecuti. *Sozom. eccl. hist. lib. 1. cap. 9.*

Mono-

¶ Monosticha Trochaica.

Circium domos ruentem tamen adorant incolæ,
Fac adores cui Fortuna mater est. quid eis queunt.
Is facit Deos qui adorat, non facit qui fabricat,
Quisq; adorat quod lucrosum est, quisq; adorat quod timet.

¶ Jambica.

Circumage corpus, Veneraturus Numina.
Etiam procellis sacra fiunt, ceu Deis.
Illam osculamur qua sumus Victi manum.
Qui regem adorat, adorat frustulum luti.
Rident Deum quicunq; adorant Principes,
Soli Deo servanda sua adoratio est,
Venerationi tecta duplum est ponderis.

Adventus Domini,

¶ Sententiæ Patrum.

Dio. *Chrysostom:* Quonam modo quis diligat adventũ Christi? Si de ejus præsentia gaudet: qui verò in ejus gaudet præsentia, digna gaudio facit. Opes omnes si opus sit, atq; ipsam animam ponet, ut bonis fruatur æternis, ut secundum ipsius advẽtum congruo habitu mereatur adspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate: hoc est, diliget adventum ejus. Qui illius advẽtum diligit, omnia faciet, ut ante universalem illum singularis fiat ad eum quidam salvatoris adventus. Quis vero iste est? Audi dicentẽ ipsum dominum nostrum: Qui diligit me, mãdata mea servabit: & veniemus ego & pater, & mansionem apud eum faciemus. Considera quàm magnum, quam singulare sit eum qui communiter omnibus adveniet, singulariter nobis adventum suum polliceri. Veniemus enim, inquit, & mansionem apud eum faciemus. Si quis diligit adventum ejus, omnia aget, ut ipsum ad se invitet & habeat, ut illi perpetuum luceat lumen, nihil in nobis resideat præsentia tãtæ majestatis indignum, & continuo ad nos veniet, nobiscumque morabitur. Dicitur autem adventus iste Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quod scil. appareat desuper, ac supernè oriatur. Inquiramus ergo quæ sursum sunt, & radios illos celeriter ad nos attrahamus: nullus qui ad inferiora defigat obtutus, ac se ipsum in humũ suffodiat, Solis lucẽ aspicere poterit. Nemo qui se ipsum seculi negotijs inquinat, intendere aciem valebit in liquidissimum justitiæ Solem, nulli ex his lucis suæ largitur gratiam, qui in hisce versatur: respisce parumper & ex hujusmodi profundo, atq; ex seculi turbine & tempestate te recipe, si Solem intueri cupis, si superni advẽtus gratiam appetis: si hoc interim suavissimo fruaris adventu, magna postmodum fiducia illum aspicies. Nunc itaq; philosophare, atq; contende, ne sit apud te arrogantiæ spiritus, ne te vehementer colaphis cædat atq; dejiciat. Non sit tibi lapideum cor atq; tenebrosum, ne illic allidas plenam mercibus navem, non aliquis in te lateat dolus: quippe & scopuli & cæca saxa, naufragia gravissima operantur. Cave nutrire feras beluas, vitia scilicet, ac perturbationes, quæ feris omnibus immaniores sunt. Noli fluxis rebus confidere, ut possis firmiter subsistere: nullus in aqua stet, sed in saxo omnes securè ac firmiter stent. 2 *ad Timotheum Homilia* 9.

Io. *Chrysostomus:* Nempe antè adventum Christi nihil erat humanâ feritate deterius. Omnes quippe adversus se invicẽ velut inimici atque hostes, feralia exercebant inter se odia. Filios mactabant parentes, atq; in ipsa viscera sua per summã insaniam ferebantur. Nihil tum erat stabile ac firmum: non naturalis ac conscripta lex arcendis sceleribus quicquam habebat momenti, sed perversa erant omnia, ubiq; fervebant adulteria, cædes, & si quid gravius dici & excogitari potest. Furta nempe, ut ait quidã, virtutis habebantur loco, & nimiũ quidẽ id congruo, quandoquidẽ hujusmodi Deũ venerabantur. Monebant quotidiana oracula illũ atq; illũ perimi.

Dicam aliquid ex illius historia tẽporis admonendi causa? Androgeus quidã Minois filius, quum Athenas profectus esset, atq; in luctaminis contentione vicisset, exsolvit pœnas, atq; interemptus est. Apollo igitur malũ majore malo curare pergens, bis septẽ pueros pro eo abduci jussit, ac perimi. Quid hoc tyrãnide gravius? quid ea immanitate dici potest acerbius? at id factum est, atq; homo dẽmonis insania concitatus, ut oraculo obtemperaret, abiit necavitq; viros. Vides quàm necessario error invaluit? Quid enim non præsumerent homines? quid non non iniquitatis admitterent, qui tam scelestos, inventoresq; malorũ colerent deos? Nam siquidẽ ea ludicra justè fierẽt, prohibẽda non erãt: quod si injusta, ut re vera nequissima, & ne initio quidẽ fuerãt imperãda. At infelix hominum genus, ubi luctatores ac pugiles coluit, bella perpetua, & cædes variẽ per urbes, per vicos, per domos gerebantur indies. Pueros lascivè amabant. Fuit quidam apud illos præclari nominis, opinionisque philosophus, qui leges tulit, ne servo liceret amare pueros, aut cute avida inungi, quasi ea res virtutis, magnoq; in honore haberetur. Apertè deniq;, ac in publico plerisq; cum uxorib. cõgredi legitimũ erat. At si quis illorum cũcta prosequi velit, inveniet illos in ipsam naturam impiè fuisse cõtumelioso. Et quum tantis errorum tenebris orbis obsitus esset, nemo cõtra ferebat leges, nemo prohibebat sed omnia illorũ poëmata his sceleribus plena sunt, adulteriis, impudicitijs, puerorumq; violationib. omnia fervent, pernoctationes execrandę fiebant, mulieresq; ad ea spectacula vocabãtur. O sceleſtũ illud nocturnum, funestumq; spectaculũ. In theatro fiebat ea pernoctatio, & virgo inter adolescentes insanos, atq; ebriã turbã sedere cogebatur. Tenebrosa profectò celebritas, & execrãda omnino opera, quæ ab ipsis in ea celebritate gerebantur. *Hom. 5. Ep. ad Tit.*

D. Chrysostomus: Ne hac intentione Deo famulemur, ut nobis ille gratias habeat, sed ut quod est muneris nostri impleamus, debitumq; persolvamus. Nam re verâ omnia, quæ agimus nos, ac si debitum Deo tenemur exolvere: nam si quũ servos pecuniâ emimus, semper illos nobis vivere volumus, & juris nostri esse quæ habuerint omnia: quanto magis is, qui nos ex nihilo condidit, & esse, qui antè non fuimus, fecit, qui postmodum proprio nos ac pretiosissimo redemit sanguine: tantumq; se dejecit nostri gratiâ, quantũ nemo pro filiis charissimis faceret: qui de summa cæli arce, ac paternis finibus ad nostra infirma descendit, qui sanguinem effudit suũ. sui nos juris esse vult? Si igitur mille haberemus animas, easq; pro illo poneremus omnes, putasne dignum aliquid illius charitati retribuere possemus? Minimè id quidem. Cur, quæso? Quia quum ille nihil deberet nobis, hoc fecit ex gratia: nos autem ex hoc illi debitores sumus. Atq; ille Deus quum esset, servus factus est, neque morti obnoxius in mortem venit, carne susceptâ. Nos verò, etsi pro illo animas non poneremus, naturæ lege posituri eramus, ac etjam inviti paulò post excessuri ex vita. Eadem & in pecuniis ratio. Has enim etsi illius gratia non demus, mortis tamẽ necessitate linquemus. Ita & de humilitate sentiendum. Nam etsi ipsius gratia humiliari renuimus, pressuræ nos & clades potentiorumq; metus vel invitos humiliabunt. *Homil. 2. Epist. ad Philemonem.*

Adventus principis,

¶ Sententiæ Philosoph. Oratorumque.

Xenophon. Cyrus, ubi autem in regionis locã culta descedisset, Armeniorũ nemo se domi continuit, nec vir nec fœmina: sed obviã processerunt omnes ex pace voluptatẽ capientes: ac secũ quidquid alicujus pretij quilibet haberet, ferebant, agebant. Atq; his Armenius minimè offendebatur, quod Cyrum magis hoc modò delectatum iri, delato ab omnib. honore, putaret. Tandem & uxor Armenij occurrit, filias ac minorem natu filium secũ ducens: ac præter alia munera, illud aurũ quoq; adferebat, quod Cyrus accipere pridem noluerat. Hoc Cyrus ubi vidisset: Vos effecturi non estis, inquit, ut mercedis causa hinc inde, pficiscar, ac bene merear. Retine tu, mulier hanc pecuniam tibi, quam adfers, neque posthac Armenio dederis eam defodiẽdam: sed filium tuum potius his exornatum quam pulcherrime, in militiãm mittito. De reliquis & tibi, & marito, & sexus utriusq; liberis id parato: quod consequuti, & quo ornati, elegantius atq; jucundius vitam agatis. Ubi vero quisq; vitâ defunctus erit, satis esto, corpora sub terra condi. His dictis Cyrus prętervectus est, deducentibus simul & Armenio, & reliquis hominibus universis: qui quidem eum & benefactorem adpellabant, & virum illum bonum: idq; continuo faciebant, donec extra regionem suam deduxissent. Armenius vero etiam majorem exercitũ ei adjunxit, quia domi pacẽ haberet. Sic ergo Cyrus abiit, non solum eâ pecuniâ ditatus, quam acceperat: sed etjam ad multò majorẽ, quam hæc esset, aditu morum elegantia parato: ut eas, quoties esset opus, sumere posset. *cap. 17. lib. 3. Cyropædiæ.*

Philostratus: Cùm Apollonius è navi descendens in urbem pergeret, tanquam Deum omnes aspiciebant, transeuntiq; veluti sacra ferenti omnes cedebant: cùmque majori pompa quam gentium princeps incederet, &c. *lib. 5. cap. 8.*

Plinius: Ac primum qui dies ille quo expectatus desideratusq; urbem tuam ingressus es? jam hoc ipsum quod ingressus es, quam mirum lætumq;, nam priores invehi & importari solebant, nõ dico quadrijugo curru & albentibus equis, sed humeris hominum. Tu sola corporis proceritate elatior alijs & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum egisti. Ergo non ætas quemquam, non valetudo, nõ sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoq; neglecto medẽtium imperio ad conspectum tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Inde alij se satis vixisse te viso, te recepto, alij nunc magis esse vivẽdum prædicabant. Feminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, cum cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites peperissent. Videres referta tecta ac laborantia, ac ne eum quidẽ vacantem locũ qui non nisi suspensum & instabile vestigiũ caperet, oppletas undiq; vias, angustumq; tramitem relictũ tibi, alacrem hinc atq; inde populum, ubiq; per gaudium paremque clamorem. tam equaliter ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta est, quam omnibus venisti. *cap. 22. paneg. ad Trajan.*

Incertus Panegyristes Maxim. & Const. Augg. Te primo ingressu tuo, tantâ lætitiâ, tantâ frequentia populus excepit, ut cùm te ad Capitolini Iovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas, urbis admitteret. *cap. 8.*

Cl. Mamertinus: Nunc aũt ut primum ex utriſque Alpium jugis vestrũ numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa: omnibus qui

suspexerant æqua admiratio atq; dubitatio injecta, ecquinam de illis montium verticib. orirentur: an his gradibus in terras cœlo descenderunt. Ut verò propius propiusq; cœpti estis agnosci omnes agri oppleti, non hominibus modò ad visendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus remota pascua & nemora linquentibus. Concursare inter se agricolæ nunciare visa: aræ incendi, tura poni, vina libari, victimæ cædi: cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare, Dijs immortalibus laudes grateſque cantari, &c. *cap.* 10. *genethl. Maximiani.*

Idem: Ut verò lumine egressi per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipse, ut audio, penè commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, senibus, aut per fores in publicum proruentibus, aut per superiora ædium limina eminentibus. clamare omnes præ gaudio jam sine metu, & palàm manu demonstrare, vides Diocletianum? Maximianum vides? quàm juncti sedent! quàm concorditer colloquuntur! quàm citò transeunt! nemo studio suo par fuit oculis ad intuendũ, dumq; vos alterna cupiditate mirantur, neutrũ satis videre potuere. Ipsa etiam gentium domina Roma, immodico propinquitatis vestræ elata gaudio, vosque è speculis suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propius expleret, ad intuendum cominus quantum potuit accessit: lumina siquidem Senatus sui misit. &c. *cap.* 11.

Eumenius: Dij boni quisnã ille tum nobis illuxit dies, cùm tu (quod primũ nobis signum salutis fuit) portas ipsius urbis intrasti? quæ te habitu illo in sinum reducto, & procurrentibus utrimque turribus amplexu quodam videbatur accipere. Miratus es, Imper. undè se tibi tanta ob viam effuderet multitudo, cùm solitudinem ex vicino monte vidisses. omnes enim ex agris omnium ætatum homines convolaverunt, ut viderent quem superstitem sibi libenter optarent. *mox:* Exornavimus vias quibus in palatium pervenitur, paupere quidem suppectile, sed omnium signa collegiorum, omnia Deorum nostrorum simulacra protulimus, paucissima clarorum instrumenta modulorum, per compendia sæpius tibi occursura pertulimus. Divites nos crederet qui veritatem studio æstimaret. sed enim providentiam tuam latere non potuit, quam vis benè dissimulata paupertas, intellexisti officiosam & honestã inopum vanitatem. *cap.* 9. *gratiarum actionis Constantino Aug.*

Eumenius: Statim atq; ad littus appuleras, obvius sese majestati tuę triumphus effudit, exultantesq; gaudio Britanni cum conjugibus ac liberis obtulerunt, non te ipsum modò, quem ut cœlo delapsum intuebantur, sed etiam navis illius quę tuum numen advexerat, vela remigiaq; venerantes, paratiq; te ingredientem stratis sentire corporibus, &c. *cap.* 9. *Panegyrici Constantio Cæsari dicti.*

Eumenius: Flagrabit tota civitas, gaudijs perstrepet, cum profeiscêris, fortasse retinebit (dabis enim veniam) amorisque nostri contumeliam feres. *fine gratiarum ad Constantinum Aug.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug: Qui fuit dies ille quo Mediolanum ingressus? quæ gratulatio principum civitatis? qui plausus populi? quæ securitas intuentium te matrum virginumque quæ duplici fructu fruebantur, cùm pulcerrimi Imperatoris formam viderent, & licentiam non timerent? *cap.* 7.

Incertus Panegyristes Constantino Aug Tecta ipsa ut audio, cõmoveri & altitudo culminum videbatur attolli, quacunq; Numen tuum tardo molimine currus inveheretur. tanta te populi densitas, tanta Senatus stipatio provehebat simul & attinebat. Felices qui te propius aspicerent, longius positi nominabant: quos præterieras, loci quem occupaverãt pœnitebat: vicissim omnes inde discedere, hinc sequi. Certare innumerabilis multitudo, & impulsu vario fluctuare, & tantum sibi hominum animi post illam sexennij cladem superesse memorabant. an si etiam quidam, ut resisteret poscere, & quæri tam citò accessisse Palatium, & cùm ingressus esses, non solum oculis sequi, sed pænè etiam sacrum limen irrumpere.

Inde omnibus circumfusis, ut inde excederes, opperiri, prospicere, optare, sperare: ut viderentur eum à quo obsidione liberati fuerant obsidere. Gloriatus sit licet, & verò, summus Orator humeris se Italiæ in patriam reportatum, te Constantine Senatus populusq; Romanus & illo die & alijs quacumq; progressus es, & oculis ferre gestivit: nec quicquam aliud homines diebus munerũ sacrorumq; dierũ, quàm te ipsum spectare potuerunt, qui tuus esset fulgor oculorum, totiusq; corporis circũfusa majestas, quæ oris dignitas. Gaudere cuncti spectaculorum mora, & familiarib. sibi artificibus ob hoc solũ favere quod te præsente certarent. *cap.* 19.

Cl. Mamertinus: Virgines, pueri, fœminæ cernebant Imperatorem longã viam sub gravium armorum onere currentẽ, properantis anhelitũ sine sensu lassitudinis crebriorẽ, sudorũ rivos per fortia colla manantes, & inter illũ pulveris qui barbam & capillũ onerarat horrorem, micantia sidereis ignib. lumina. Voces gaudentiũ oppresserat miraculi magnitudo. cessebãt officia laudandi, plus quã laudanda cernentes. *cap.* 6. *Orationis dictæ Iuliano Aug.*

Latinus Pacatus: Civitas tanta se & tam simplici exultatione jactabat, ut nisi esset vera, lætitia nimia videretur. ferebant se obviæ tripudiantium catervæ: cuncta cantu ac crotalis personabant, hinc tibi triumphum chorus, ille contra tyranno funebres nævias & carmen exequiale dicebat. hi perpetuum victis abitũ, ille victoribus crebrum optabat adventum. Iam quocunq; tulisset gradum, sequi, circumcursare, vias denicq; quibus ferebaris obstruere. nullus cuiquam sui tuive respectus: blandam tibi faciebat injuriam contumacia gaudiorum. Quid ego referam pro mœnibus suis festum liberæ nobilitatis occursum, conspicuos veste nivea Senatores, reverendos municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes? quid portas virentibus sertis coronatas? quid aulæis undantes plateas, accensisq; funalibus auctum diem? quid effusam in publicum turbam domorum, gratulantes annis senes, pueros sibi longam servitutem voventes, matres lætas, virgineſque securas. *cap.* 37. *Paneg. Theodosio Aug. dicti.*

¶ Poetarum.

Plautus Sticho 4. sc. 1. v. 18.

Iam redeo, nimia voluptas est, si diu abfueris à domo,
Domum si redieris, si tibi nulla est ægritudo animo obviam.
Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium exsulem me & inanem fecit ægritudinum.

Guntherus lib. 3. v. 190.

Paret & exhibitum non aspernatus honorem,
Mœnia victor adit: non est tractabile sensu.
Eloquio vemeo, quæ gaudia, quantus ab urbe
Occursus populi: quo scilicet ordine cæstus
Antistes, lætusq; suo cum præsule clerus
Vestibus ornati nitidis, preciosa ferentes
Signa crucis, textusq; sacros, thuris vè vaporem
Prodierint: ut purpureo velamine passim
Belligeros instratos equos fu'gentia latè
Signa ferens, phaleratus eques fremebunda lupatis
Oraterat, cogatq; leves subsistere cursus:
Vt venerus, matresq; simul, miteſq; puellæ,
Candida sidonio velata corpora textu,
Gestantes nitido baccata monilia collo,
Fulvaq; gemmatis incincta tempora ciclis,
Vrbis utrumq; latus densa statione tenentes,
Vocibus acclament faustis, dominumq; salutent.
Vt domus aulæis late pendentibus omnis,
Et picturatis constrata platea tapetis,
Rebus odoriferis, & pingui thure vaporet:
Vt tuba terribili spiramine, tibia leni,
Cornua ventoso strepitu, cava, tympana rauco,
Seu lyræ percussis dulci, modulamine nervis
Murmure mirantes placido demulceat aures.
Vt puer, populusq; minor, venientibus ultro
Exultias substernat equis, Pæanaq; lætum,
Ioq; triumphe canat hæc omnia plura nobis.
Si modò supperetent vires, memoranda fuerunt,
Deficit ingenium: non hæc fiducia menti,
Vt penitus meminisse velim, rerumq; nitorem
Voce sequi.

Adversitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcor.

Clemens Alexandrinus: Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tãquam morti destinatos. Quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominib. Usque in hanc horã & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manib. nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionẽ patimur, & sustinemus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. Talia sunt ea etjam quæ dicit Plato in Republica, etiamsi torqueatur justus, etjamsi ei effodiantur oculi, eum futurum esse beatum. Is ergò qui est cognitione præditus, nunquam finem habebit positum in anima, sed in eo quod sit semper felix & beatus, & regius Dei amicus: & licet quis ei inurat ignominiam, eumq; & exilio & publicatione facultatum, & postremò morte afficiat, nunquàm avelletur à libertate, & præcipuà in Deum charitate. Omnia sustinet, & omnia suffert charitas, quod ei sit persuasum divinam providẽtiam omnia rectè administrare. Rogo ergo vos, inquit, imitatores mei estote.

Primus ergo gradus corporis, est doctrina cum timore, per quam abstinemus ab injuria: secũdus autem est spes, per quam desideramus quæ sunt optima: perficit autem, ut est consentaneũ, charitas, quæ jam docet per viam cognitionis. Gentiles enim, nescio quomodo, cum necessitati quæ caret ratione, ea quæ eveniat tribuerint, inviti se parêre confitentur. Dicit certè Euripides.

Quæ dico, mulier mente percipias volo,
Qui non laboret nullus est mortalium.
Sepelire natos, seminare hinc alteros
Mox ipsum obire, luctus hic mortalium est.

Deinde subjungit,

Oportet hæc natura quæ vult perpeti.

Et, *Quidquid necesse est, non grave est mortalibus.*

Libro Stromatum quarto.

D. Nazianzenus. Inambulabam, atq; ita pedibus ferebar, ut oculi maris aspectu fruerentur, nec verò aspectaculum illud lætum ac jucundum erat, quumquàm alioqui jucundissimum esse soleat, cũ tranquillitate purpuratur, ac litoribus blandum quiddam & suave alludit.

alludit, Sed quid tum? (libenter enim utor Scripturæ verbis) Vento magno flante excitabatur & infremebat, fluctusq;, ut in talibus rebus fieri consuevit, partim procul exurgentes, seque paulatim in summam altitudinē efferentes, ac posteà decrescentes, ad ripā solvebantur: partim in propinquas petras incidentes, atq; inde repulsi in spumosam ac tenuem aspersinem dilabebantur. Hic & lapilli, & Algæ, & Buccinæ & levissima ostrea extrudebantur: & quasi expuebantur, nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus arripiebantur, petris interim non minus immotis & inconcussis remanentib. quàm si nulla omnino vis ipsis admoveretur, nisi quòd fluctuum ictibus verberabantur.

Ex hoc spectaculo nonnihil utilitatis ad philosophiam percepisse me sensi, & (ut omnia ad meipsum referre atq; dirigere soleo, ac potissimum si ad aliquem rerum eventum animus meus æstuet, & tanquam vertigine afficiatur, ut mihi nunc accidit) non obiter & negligenter id, quod oculis observabatur, accepi: sed in doctrinam mihi hoc spectaculum cessit. Quid enim, inquiebam? an non mare vita hæc nostra est, & res humanæ? nam hic quoq; multum est amaritudinis & instabilitatis. An non venti, tentationes iugruentes, & inopinati rerum eventus? Quod mihi animadvertisse videtur David, cum diceret, Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ in animam meam. Et alio loco, Libera me, Domine, de profundis aquarum. Et rursus, Veni in altitudinem maris, tempestas demersit me.

Porrò eorum, qui tentantur, alii mihi, velut levissima quædem corpora & spiritus expertia distrahiq; videbantur ac ne tantillum quidem adversarum rerum impetum sustinere: nec enim robur & firmitatem habere, ponduscq; prudentis & cordatæ rationis, fortuitis casibus obluctantis: alij autem petræ instar esse, ac petra illa, supra quàm stamus, & quàm colimus, digni, quicunq; nimirum philosophica ratione utuntur, ac supra vulgi humilitatem evecti, humana omnia immoto & firmo animo ferunt, atq; eos quidem, qui talibus rebus quatiuntur, irridēt, vel miserantur (illud ob Philosophici animi generositatem, hoc propter humanitatem & commiserationem) ipsi autem turpè esse statuunt res graves & acerbas, cùm absunt, contemnere ac ne graves quidem existimare, cùm autē adsunt succumbere, perinde scilicet atq; eæ non fluxæ, sed firmę ac stabiles sint: atq; extra tempus quidem philosophari, cùm autē opus est, philosophiæ expertes apparere: quemadmodum si quis athletarum omnium præstantissimum se esse censeret, ne in arenā quidem descendens, aut probrum & nobilem gubernatorē, in tranquillitate quidem artem suam magnificè jactans, coorta autē tempestate gubernacula de manibus ponens. *Oratione* 28.

D. Nazianzenus: Ne ipsi quidem timores prudentib. viris incommodi sunt: quin potius meā quidem sententiā valde commodi & salutares. nam etsi ne existant, optavi, ijs tamen cùm existunt tudimur. Ægra enim anima vicina est Deo, ut eximiè alicubi loquitur Petrus: atq; omnis qui periculū effugit, arctius ei adjungitur à quo salutem est cōsecutus. Proinde non quia mali participes extitimus, indignemur, sed quia effugimus grati animi officio fungamur, nec alios nos Deo inter pericula, & alios post pericula exhibeamus. Verùm sive peregrè agentes, sive publica negotia gerentes, sive privatam vitam ducentes, eum sequamur à quo salutem accepimus, atque ad illius partes nosmet adjungamur parva & humi repentia parum curantes. atque historiam posteris demus tum ad gloriam nostram, tum ad animæ lucrum, periculum scil. securitate, & calamitatem rebus secundis potiorem esse. *Epist.* 16.

D. Chrysostomus: Vides quosdam præter dignitatem celebres haberi? Dic: Noli æmulari in malignantibus: quoniam sicut fœnum velociter exarescent, & sicut olera virentia citò decident. Vides & justos & peccatores supplicijs adfici? Audi quòd non eadē sit utrobiq; causa. Multa siquidem, inquit, sunt peccatoris flagella. De justis verò non dicit, flagella: sed Multę sunt, inquit, tribulationes justorum, & ex omnibus eripiet illos Dominus. Et rursus: Mors peccatorum mala. &, Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Homilia* 28. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Desine indagare & curiosè perscrutari, cur iste dives, & ille pauper. Perinde enim facis hæc sciscitans, ac si circumiens rogares: cur iste albus, aut ille niger, aut ille naso aquilino, hic verò simo. Quomodò enim nostra nihil refert, hoc ne modò an illo se habeat, ita neq; pauperē esse neq; divitem, & multò minùs quàm illa: sed ad utendi modum refertur universum. Et si sis pauper, philosopharis autem, potes vivere cum animi trāquillitate, & si sis dives, es omnium miserrimus, virtutem fugiens. Nam quæ ad nos pertinent & nostra intersunt, sunt ea quæ sunt virtutis: & si ea non adsunt, aliorum nullus est usus. Propterea & hæc sunt crebræ interrogationes: quòd ea quæ nihil refert, & quę sunt, ut ita dicam, indifferentia, multi sua referre existimant, eorū autem quæ refert nullam subducunt rationem. Nam quod refert & ad nos pertinet est virtus & philosophia. *Homilia* 29. *ad Corinthios.* 1.

D. Chrysostomus: Cur doles quòd pecuniam perdideris: Sed cogita eos qui ne panē quidem satiantur: & citissimam accipies consolationem. Et in unoquoq; eorū quæ sunt gravia & aspera, ne defleas ea quæ acciderunt, sed pro ijs quæ acciderunt gravia & aspera age gratias. Habuisti pecunias & amisisti? age gratias. Ne lacrymeris pro damno: sed age gratias pro tempore, quo tibi earū fuit fructus. Dic convenienter Iobo: si bona accepimus à Domino, cur mala non sustinebimus? Cum hoc autem illud etjā considera: si amisisti pecunias, at corpus habes sanum, & non cum paupertate de ejus quoq; lamentaris inflammatione. At tuum quoq; corpus aliquam habuit noxā. Sed non est hic fundus malorū humanorū: sed ferris interim in medio dolio: Multi enim cum paupertate ac mutilatione lucrantur cum dęmone, & errāt in desertis. Alij rursus patiuntur his graviora. Absit enim ut patiamur, quæcumque pati possumus. Hæc ergò semper reputans, eos cogita qui pātiuntur graviora, & de nullo eorum doleas. *Hom.* 38. *ad Corinthios.* 1.

Io. Chrysostomus: Si nullus malus supplicio afficeretur, nemo putaret Deo humanarū rerum curam incumbere: si omnes punirētur, nullus resurrectionē speraret futurā, q; quasi merces hic omnibus redderetur. idcirco hic punit quosdam, pleroscq; nō punit. Ideo hic premuntur justi, quia peregrini & advenę sunt, atq; aliena in patria vivunt. Iusti ergo probationis causa hæc tolerant. 2. *ad Tim. hom* 8.

S. Isidorus Pelusiota: Nemo in rebus acerbis & calamitosis animū dejiciat: verùm probitatis semen foveat atq; excolat: atq; omnino, vel in hac vita, vel in altera, effulgebit. *lib.* 2. *Epist.* 49. *extremo.*

Idem: Cùm regiam dignitatem obtinēte Ezechia Barbarus Persiam universam ducens, Hierosolymam aggressus fuisset, rexq; admirandum ac divinum, atq; omnium, quæ vnquam contigerant, illustrissimum trophæum erexisset, tum verò ipsi ex hoc successu tumore affecto, ac præ lætitia sublimiùs de se, quàm hominis conditio postularet, sentienti, adversæ valetudinis frænum injectum est, ut altos ipsius spiritus deprimeret, humanæq; naturæ fragilitatē coargueret, animiq; morbo ex lætitia contracto mederetur. Nā quod mortalium animi gaudio magis efferri soleant, ostenderunt Iudæi. Posteaquam enim Ægyptij defuncti sunt, eosq; mare pro sepulcro habere conspexerunt, tum verò ad idolorum cultū sese coverterūt. Nam cùm mare transissent, nec periculi quicquā subissent, ubi terrā attigerunt, naufragiū pertulerunt. Quod quidē Thebanorum Imperator Epaminondas optimè perspiciens, partā de Lacedæmoniis victoriā, statutoq; trophęo, postridie tristem se ac mœstū amicis, ostendit. Iis aūt percunctantib. ecquid molesti accidisset. Minimè, inquit, verū hesterno die altiores, quā par esset spiritus gessisse me sensi. Ac proinde hodie immoderatā hanc voluptatē coerceo. Quocirca ne tu quoq; mœrore consterneris, si cū animi bonis abundes, corporis morbis edomeris. Verùm illud tibi in mentē veniat, hanc rē, vel coronas tibi parturire, vel arrogantiā reprimere. *Li.* . *Ep.* 74.

Synesius: Verumenim verò grave est (ut ajunt) adversis rebus uti, cumq; difficilè alicui tempus acciderit, ibi cum alia omnia tū & fratrum animi & amicorum comprobantur. *Epist.* 8.

¶ Latinorum.

Salvianus: Esto, sunt vitia ista felicium, & longæ pacis & opulentæ securitatis: Cur quæso illic sunt, ubi jam nulla pax, nulla securitas? In omni fermè urbe Romana pax & securitas non sunt, cur sola vitia tantum perdurant? Quis rogo ferre possit in domo egestuoso esse lasciviam? criminosior quippe est luxuriosa paupertas, & majoris est invidiæ miser nugator, quis captivitatem expectans de circo cogitat? quis metuit mortem & irridet? nos & in metu captivitatis ludimus, & positi in mortis timore ridemus, &c. *Initio lib.* 7. *de gub. Dei.*

Salvianus: Ecce etjam multi ex eis, licet patriâ careant, & in cōparatione præteritarum opum pauperes vivant, pejores fermè sunt quàm fuerunt, pejores autem non uno modò: quia etsi eadem faciunt quæ antè faciebant, hoc ipso tamē deteriores sunt quia à scelere non cessant, siquidem facinora eorum etsi majora non sunt, attamen plura, ac per hoc, etsi criminum novitate non crescunt, pluralitate cumulantur. adde quòd hæc faciunt senes, faciunt pauperes. utrumq; enim sceleris augmentum est, minus siquidem prodigiosum est peccare juvenes, peccare locupletes, quæ autē in ijs spes aut remedium est, qui ab usitata impuritate, nec miseriarum egestate, nec vitæ extremitate revocantur? *lib.* 7 *de gubernatione Dei.*

Zeno: Ad hoc sanè in eremo de petra bibisti, manna de cœlo gustasti, ut cùm esses ad egestatem postmodum devolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris. *Serm.* 2 *ex Exod.*

Zeno: Iudæi, unde se beatos putant, infelices inde esse noscūtur. Etenim commodius puto misero in statu suo manenti, quàm beato in ultimas miserias devoluto. *Serm.* 6. *de Exod.*

Ennodius: Ut acrius urat adversitas, prosperorum mutatione blanditur. *lib.* 7. *Epist.* 2. *pr.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcor.

Hierocles: Finis igitur Deis immortalibus, qui nobis præstant, suæ nostri administrationis justitia atq; ordo præscribūt, ut ea nostro nomine moliātur, quib. hęc minuatur nequitia nostra, & quibus ad ipsos reverti valeamus. Sunt enim nostri solliciti, tanquam cognatorum, cùm labi nos contigit, quo fit, ut verecundia, divinaque ultione, atq; dedecore homines tantum à virijs revocari rectè dicatur. solum enim quod ratione præditum est animal justitiam natura percipit. *cap.* 17. *carm. Pythag.*

Aristides Rhetor. Quin imò urbs Athenarū nō victorias modò maximas retulit, sed etjā adversam fortunā ita tulit, ut non ita ejus res præclarè gestas, quàm in malis tolerātiam mirari debeamus, &c. *mox*: Deinde etjam in rebus adversis superior victoribus evasit quandoquidem fortunæ cui cedebant illi, hæc resistebat. quocirca utrumq; victoriæ genus egregiè consecuta fuit, oppidis omnibus. tam secundâ quàm adversa fortunâ devictis. *paulo post:* Quo fit,

ut non modò res bellicas adversas meliùs quàm prosperas alii tulerit: sed & domesticas molestias ita composuerit, ut reliquis exemplum temperantiæ quo nullum potuerint invenire præstantius exhiberet. *Oratione Panathenaica.*

Simplicius: Quivis, ut ego quidem existimo, pulcrius nobis, hoc est, animo existimet, in rebus asperis vacare perturbatione, quã non incidere in res adversas eoque fuerint. Vt enim corpora vehementissimis quibusq; motionibus quæ quidem eas feriè queunt maximè exercentur, tam ad valetudinem quam ad vires & celeritatem: ita & animi, ut ubi opus est, aliquid quã facillime & tranquillissimè feratur. Quod duabus hisce rebus consequemur: una, ut rectè de iis sentiamus, altera, ut præparati ad ea simus, cùm tractatione corporis asperiore, quæ ad omnia opportuna est, quaque fit ut multi improbi homines verbera, & ea quę dolorifica censentur, cõtemnant: tùm præmeditatione & expectatione, quæ omnia in nobis sita sunt. Quod si neq; mors, nec hujusmodi quicquam terribile est, constat, neque ipsa, neque eos qui inferunt, perturbationis nobis esse causam, sed nosmetipsos, nostrasq; opiniones. Nũquam igitur causa perturbationis nostrę alteri adscribenda est, sive is dolor sit, sive metus, sive quid aliud ejus generis: sed nobismetipsis, & nostris opinionibus.

Maximus Tyrius: Miserũ videri possit, siquidem bona in gratiã hominum à malis distinxêre Dei immortales, ut diversas definitasq; habeant naturas, nec cum altero confundi possit alterum, nõ magis quam dies cùm nocte, aut lux cum tenebris, aut ignis cùm aqua (quorum singulã si cùm cõtrariis velis conjungere, aut pugnantiam utriusq; in eandem naturam confundere, quod utriusque proprium est penitus tollis) homines tamen qui beatam sequuntur vitam ultro illis mala admisceant.

Vt si quis illis concedat Deorum ut interdiu luce clarâ vivant, perpetuò fruãtur lumine, somno nocturnâq; quiete carere possint, indignaturi sint solem nũquam recedere, nec tenebris vicissim locum dare. Mane quæso, ne plurima simul respondere cogamur. Si quidem inveniri humani possint oculi, qui lucem ferant perpetuam, aut dari ars aliqua quę solis circularem queat sistere ambitũ, ut supra terram suspensus lampadis instar clarissimæ, quæ in excelso defigitur loco, lumen nobiscum semper communicaret suum.

Hoc siquidem posset, staretq; sol ipse, nec aspectu ejus nostri defatigarentur oculi, quis ita demens furiosusq; esset, quem tam sinistra animi afflaret cupido, ut noctem tenebrasq; amare, oculis quiescere, corpus denique adinstar defuncti hominis malit abjicere? Quod si connivere perpetuò possint oculi, nec tamen propterea sol abire desinat, aut si abire sol desinat, connivere tamen perpetuo nequeant oculi; vides non voti nostri opus esse, ut lucem semper videamus, sed necessitatis, ut noctem admittamus.

Eodem modo amor qui bonum prosequitur, sese habet. Amat enim hoc animus (quidni amaret enim?) Et odit malum (quidni odisset enim?) Nec fieri tamen potest, ut vel quod amat consequatur penitus, aut quod odit vitet penitus. Nec jam de improbo loquor animo, qui malis & abundat undique, & bona ignorat; qui in spe ipsa diffidit, in felicitate summa facilè labitur: sed quem probum quem prudentem dicimus.

Videamus ergo an & hunc putemus si ad felicitatem semel pervenerit, posse inoffenso vitæ cursu pergere, summaq; illa fortunæ benignitate semper vti? An potius humanæ id naturæ contingere non posse arbitrandum sit: quia multa sunt quæ obstant. Sicut viro celeritur currenti evenire solet, multæ ut occurrant foveæ, viarumq; prærupta: tum abyssi, aggeresq; quos nisi cursu admodum aut saltu valet, transilire si velit, facilè labitur, offendit, errat, animum despondet. Vir contra fortis, cursor strenuus, viæ peritus, à viribus suis hoc habet, celeriter ut pergat, à peritia, ut non aberret, ab arte, ut non impingat. Novit enim quæ plana sit via minimeq; salebrosa, quæ contra cælet foveam: quæ nec vitari possit in cursu nec videri possit currenti.

Hoc est quod obscurè de humana vita protulit Homerus.

Dolia bina jacent Iovis alto inclusa cubili,

inquit: quorum in altero mala sunt plurima, bonum nihil: alterum utroq; mixtum est. Tertium verò in quo bona pura sint, nusquam in Iovis ponit domo. Iam quæ ex doliis hauriuntur illis, ita hominibus distribuit, ut Homero placet, Iupiter: ut ex altero puri putiq; mali calicem profundat inevitabilem; contentionibus plenum & furijs, pavore ac metu: sexcentis denique alijs noxiis meriscque malis. Ex altero verò, ut Homerus diceret, bono mixtũ maloq;. Ego temperamentum hoc quidem intelligo, nec fidem detraho: libet tamen verbis paulo lenioribus alteram distributionem Iovis, quæ melior videtur, exprimere. Hoc nimirum modo.

Virtus animi improbitasq; horum doliorum sunt fontes: quarum hæc rapidam præcipitemque evomens undarum vim, vitam confundit ac inundat: haud secus quàm fluminis hyberni impetus, in segetes plantasque diffunditur, invisus agricolis, invisus pastoribus, nec viatoribus gratus: infructuosus, sterilis, inutilis, noxiusque. Virtutis contra cujuscunque animum irrigarint fontes, totam huic vitam fœcundam cultamque, ac maturis educandis frugibus reddunt idoneam. Interim sudor requiritur agricolæ, requitur labor, requiritur molestia. Nec enim Ægyptius colonus solo Nili fretus flumine semẽ suum spargit: nisi prius aratro bovẽ junxerit, sulcum duxerit, multum laborarit. Tum demum flumen vocat, opus suum illi commendat. Ita fluvius miscetur cum labore agricolæ, cum labore spes, cum molestia fructus. Ita bonis miscenda sunt mala.

Aut saltem, ut lenius loquamur, scias hominis in potestate non esse, nuda ut aliquid agentibus contingant bona. Ad portum si navigaturus aliquo iveris, gubernatorem tibi credo eliges, non qui tempestatem nullam nullos unquam vidit fluctus, sed qui multis ex periculis longaque malorum experientia paulatim sibi comparârit artem. Ego imperatori diffido qui nunquam male rem gessit: sed ducẽ potius quæro qualis Athenien sibus fuisset Nicias, si è Sicilia redire potuisset, aut qualis Cleon qui modestius in populari se gessisset imperio, si Amphipoli rediisset. Quẽ contra quocumq; in vitæ genere, seu gubernator fuerit seu imperator, sive privatè vivat, sive pręsit alijs, sive unus sit, sive vrbs tota, nimis felicem videro, benignitati fortunæ diffidam, ut Crœso Solon, ut Polycrati Amasis. Terram equis abundantem Crœsus, navibus instructum mare possidebat Polycrates. Quorum nihil diuturnum fuit, nõ terra Crœso, non Polycrati mare. Polycratẽ enim Orontes, Crœsum cepit Cyrus. Ita felicitatem longã magna malorum excepit series. Ideoq; Crœsum non judicabat felicẽ esse Solon: sapiens enim erat. Propterea Polycratem Amasis relinquebat: periculũ enim vitabat.

Sic & ego vitam approbo, quæ adversam gustavit fortunam, sed gustavit tantum.

Ipsa modo tinxit labia arescente palato.

quæ virtutem habeat, eaq; utatur, quoties fortuna invitum perit. Sic inter omnes colores qui maximè clarus est maximè delectat oculos, nisi tamen fuscum conjungas, magnam illi voluptatis detrahis partem. Ita si secundis rebus misceas adversa, magis virtutem advertes, magis felicitatem senties. Sitis voluptatem bibendi commendat homini, fames voluptatem edendi commendat homini, nox oculis desiderium commendat solis. Optat homo noctem post solem, famem cum satur est, sitim cum ebrius fuit. Quod si demas hanc vicissitudinem, voluptas quæ fuerat, fit dolor.

Sic & Artaxerxes rex Persarum dicitur, præ voluptate nimia, cõtinuaque in qua versatus erat pace, felicitatem aliquamdiu ne vidisse quidem suam. Cui epulum parabat tota Asia, potum præbebant fluvii omnes pulcherrimi, vitæ inserviebant artes plurimæ. Verùm postquam è mari bellum illi est exortum, cum decem Græcorum millibus, fortissimisq; congressus imperatoribus, victus in colliculum quendam profugit: in quo noctu cum quievisset, tum primum si ire cœpit, homo miserrimus. Ubi non Choaspen suum habebat, non Tigrin, non Nilum, non pocula aut pincernas. Hic illi satis fuit, quod à Mardo homine aquæ corruptæ utrem acciperet: ac tum demum scire in felicissimus potuit mortalium, quis voluptatis sit usus, quid suaviter sit vivere.

Ergò ne voluptatis aliqua erit satietas, secundæ fortunæ nõ erit? Est, ut arbitror, quàm autcibi ullius aut vini gravior. Nec enim ociari Achilles potuit, nec silere Nestor, nec periculis carere Ulysses. Licebat enim in pace vivere Achilli, Myrmidonibusq; imperari: Thessalam terram colere, Pelei fovere senectutem. Nestori rursus in Pylo præesse suis sine bello, senumq; ociose transigere. Domi Ulyssi circa frondosum Neritum, in terra quam *felicem juvenum nutricem*. Homerus vocat, manere: aut in umbroso postremo irriguoq; Calypsus antro, famulantibus undiq; Nymphis, mortis seniiq; ignaro vitã ducere. Sed nec immortalis esse ea lege voluit ut ociosus esset, aut virtutem suam nusquam exhiberet.

Necesse enim est hac qui uti cœpit semel, sępè in mediis quibus humana obnoxia est vita casibus exclamet.

Hoc quoq; sustineas cor: nam graviora tulisti.

Quam autem Ulyssi famam relinquis, miseriam si demis? Quam Achilli, si Hectorem, si Scamandrum, si

Mœnia bis sex capta mari ——

Undecimque vrbes, quas in terra.

Herculem non aliunde quàm è media cum periculis lucta sustulerunt. Iovíq; asscripserunt homines. Cui feras si demas & tyrannos, si plurima illa sursum deorsumque itinera, & adversa omnia, Herculis virtutem mutilasti. Atqui Olympicis Pythiisque ludis oleastrum nemo, nemo malum consequitur, qui solus secum in pulvere decertarit: sed adversario prius opus est, ut præconis voce victor declareris.

In hoc verò vitæ stadio, hoc in certamine, quem bono viro adversarium dabis, præterquam adversæ fortunæ gustum? Agedum athletas nostros in stadium vocemus. Age, quinam Athenis? Socrates, qui cum Melito, cum vinculis, cum veneno luctaturus est. Quis ex Academia? Plato, qui cum tyranni ira, cum mari multo, cum maximis periculis. Veniat & alius athleta Atticus, qui cum Tissaphernis perjuriis, cum Ariæi insidiis, cum proditione Menonis, & occultis regis decertet consiliis. Volo è Ponto adveniat athleta, & quidem ad certamen maximum, maximosque adversarios; paupertatem dico, infamiam, famem, frigusque. Ego verò & exercitia ejus laudo.

Corpus sponte sibi lania sit verbere multo,
Injiciens pannos humeris.

Nec difficulter propterea vicit. Quapropter coronam viris defero, victoresque eos in virtutis certamine præconio meo proclamo.

Quod

Quod si mala illis cum quibus luctantur dempseris, coronam illis demis, demis prius præconium. Deme Athenienſibus velocem illum ad Marathonem curſum, mortemque quam oppetiere ibi: & Cynægiri manum, & Polyzeli cladem, & Callimachi vulnera; nihil præclarum Athenienſibus relinquis: niſi forte Erichtonium aut Cecropem, fabulas meras, nec fide digna nomina.

Hanc ob cauſam quam diutiſſime ſalva libertas ſua Spartanis conſtitit, quod ne pace quidem ociantur. Habes etiam tum flagra, habes plagas Laconicas, magnumque malorum agmen virtutibus immiſtum. *Diſſertatione XXXV. Ex adverſa fortuna utilitatem percipi.*

Julianus Imp. Atenim nunquam hoſtibus inferiorem diſcedere, felix ac fortunatum obiiciet aliquis. Verùm obſiſtere fortunæ multo eſt robuſtius; id quod majoris virtutis indicium eſt. Equis enim gubernator bonus eſt qui pacatò, ac quietò mari navem dirigit, cùm ſumma in alto tranquillitas eſt? aut quis currus moderator idoneus, qui in plano atque æquali ſpatio faciles equos ac tractabiles & celerrimos jungit, & interim ſuam in his artem atq; induſtriam oſtentat? quantò verò: nec præſtantior eſt ſive navis gubernator, qui ingruentem tempeſtatem præſagiat ac præſentiat, atque ut eam devitet operam adhibeat: quod ſi ullis fortaſſe de cauſſis in illam inciderit, integram navem atque incolumem cum onere ipſo conſervet? ſive currus, moderator, qui & contra locorum aſperitatem pugnet, & equos unà permutet, ac ſi qua in re peccent violenter compellat. Atque ut uno verbo dicam; ex eventu fortunaque nullam artem examinare convenit, ſed unamquamque in ſe ipſa ſpectare. Neque cleon imperator Nicia præſtantior eſt, tametſi ad Pylum feliciter rem geſſerit; neque alius quiſquam eorum qui fortuitò potius quàm certo animi conſilio victoriam retulerit. *Paneg. q 2.1. ad Conſtantium.*

Heliodorus: Conſuetudo verſandi in calamitatibus effecit ut omnia in deteriorem partem accipias & conjectura interpreteris. Solent enim fere homines, ad rationem eorum quæ accidunt, accõmodare animum. Cæterum meliora quam tu exiſtimas, indicare mihi ea quæ vaticinio prædicta ſunt, eſſe videntur. *Libro VIII. Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Seneca: Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui nunquam ſuggillatus eſt: illi qui fudit ſanguinem ſuum, cujus dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus; qui quoties cecidit contumacior reſurrexit, cum magna ſpe reſcendit ad pugnam. Interim plura ſunt, quæ nos terrent quàm quæ premunt: & ſæpius opinione quam re laboramus. Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus. Cùm illa quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſunt, certè nondum venerunt. Quædam enim nos magis torquent quam debeant; quædam ante torquent quam debeant; quædam torquent cùm omninò non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus, &c. *Epiſtola XIII.*

Seneca: Iſta quæ tu vocas aſpera, quæ adverſa & abominanda, primum pro ipſis ſunt quibus accidunt, deinde pro univerſis: quorum major Deis cura eſt quam ſingulorum. Pro ipſis eſt, inquis, in exilium proiici, in egeſtatem deduci, Liberos, conjugem efferre, ignominia affici, debilitari? Si miraris hoc pro aliquo eſſe, miraberis quoſdam ferro & igni curari, nec minus fame ac ſiti. Sed ſi cogitaberis: tecum, remedij cauſſa quibuſdam & radi oſſa & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra; quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quædam incommoda pro his eſſe quibus accidunt, tam me hercules quam quædam quæ laudantur atque appetuntur, contra eos eſſe quos delectaverint: ſimillima cruditatibus ebrietatibusque & ceteris quæ necant per voluptatem, &c. *Cap. 3. de Providentia.*

Quintilianus: Alia ſunt adverſa, quæ de continuatione ſui patientiam parant, quæ durant aſſiduitate firmantque mentem, quod te pater oderit, quotidie novum eſt. *Declamatione 17. §. 16.*

Plinius: Cùm omnia ubique ſecunda merearis, nonne manifeſtum eſt ſi quid adverſi cadat tuis laudibus tuisque virtutibus materiem campumque proſterni? cum ſecunda felices, adverſa magnos probent. *Cap. 31. paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Adverſa magis creduntur. *Lib. 6. Epiſt. 20.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 1. de rebus ſuis.

Ejn auras concede leves: ſat namque malorum
Pectoris ipſe mei domuiſti mole tumorem,
Seu judex meritis mulctans mea crimina pœnis,
Seu velut indomitum variis duriſq; caballum
Curſibus, ingentiq; dolorum examine frangens,
Seu faſtum reprimens, hominis pietatis amicos
Qui facile invadit, mentis gravitate carentes,
Queis bonitas divina mali eſt occaſio fuſtus:
Seu documenta volens per tot mala prodere noſtra:
Vt cuncti vitam vitæque adverſa peroſi,
Et dubios caſus atque infortunia juſtis
Injuſtisque ſimul vententa, præpete curſu
Æternum meliusque piis properemus ad æquum.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 5. de calamit. ſuis ad Deum.

Sunt quibus immenſos tribuas bonus æris acervos,
Sunt quibus inſignem ſobolem, formæque nitorem,
Nonnullis decus eloquii vacuumque timore
Pectus: at ipſe mihi nomen famamque paraſti
Ob vitæ ærumnas, obque agmina ſæva malorum,
Atque omnes in me fixit tua dextra ſagittas.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 7. ubi ærumnas ſuas luget.

Qui fit ut unus ego ſalebroſo tramite curram,
Ac mea perpetuis quatiatur vita procellis?
Nec ſemel in terris veſtigia figere læta
Conceſſum eſt miſero: verum perfuncta labore
Membra, novæ rurſus cruciantur mole laborum.
O Patris æterni Sapientia, dic age quæſo,
Dic age, tantorum quæ ſit mihi cauſa dolorum.
Cur labor egregios homines exercet & angit?
Impia cur nullo vexatur turba labore?
Supplicisne ſcelus meritis tua vindicat ira?
An potius purgas animos fornace dolorum,
Eximere ut ſordes fulvo ſolet ignis ab auro?
Anne etiam valido me vis inimica furore,
Vt ſolum prius, aggreditur, pugnaque laceſſit.
Tuque tuum pugilem molli perfundis oliva,
Nudatumque paras ad magnum & nobile bellum
Vt poſtquam illuſtri tulero certamine palmam,
Me collaudatum dones mercede perenni.
Hæc tibi, Chriſte, quidem ſunt cognita. namq; gubernas
Arcanis totum ſapiens rationibus orbem:
Quarum pertenues radios lucemque tuemur,
Dum luteum gerimus corpus, dum lumina tarda.

Phædrus Fab. 83.

Qui re ſecunda fortis eſt, dubia eſt fugax.

¶ Emblematum.

Batillius. CXXIII.

Virtus odiis exercita creſcit.

Suavius ut ſpirant cæpe inter & allia miſta
Fragrantique magis floris odore roſa:
Sic odiis virtus probriſque exercita creſcit
Fortior, in celias luxuriatque comas.

Camerarius XI. Centur. 1.

Concuſſa uberior.

Major in adverſu virtutis gloria vera eſt:
Vberior ventis Myrrha agitata fluit.

Camerarius XVII. Centuria 1.

Ventis immota ſuperbit.

Ventorum adverſis ſolidatur flatibus arbor:
A cruce & à precibus mens pia robur habet.

Camerarius XXV. Centur. 1.

Per damna, per cædes.

Cladibus augeſcit virtus animoſa: Bipenni
Sic ilex vires tonſa ſubinde capit.

Camerarius LVIII. Centur. 1.

Depreſſa reſurgit.

Fortis ab adverſis animus præclarior extat:
Pondere ſic preſſus ſurgit acanthus humo.

Camerarius LXVI. Centuria 1.

Lætamur graviora paſſi.

Non æſtu cytiſus, non frigore, non nive laſus,
Spernere magnanimos omnia dura docet.

Camerarius XXVIII. Centur. 2.

Fruſtra remorantibus auſtris. *Equus montem ſcandens.*

Non remoratur equum vis venti aſſurgere in auras,
Virtutis nec ſors aſperat, ardat iter.

Camerarius XLII. Centur. 2.

Una ſalus.

Vna ſalus Deus eſt, pia mens ſolam hanc cape preſſa
Aerumnis: ſitiens cervus ut ardet aquas.

Camerarius LXXV. Centur. 3.

His ego ſuſtentor.

Adverſus caſus fortis ſua pabula ducit:
Pro victu ut ſpinas mollis acanthis habet.

Camerarius XCVIII. Centur. 3. Musca circa speculum.

Scabriſque tenacius hærent.
Rebus in adversis ſis fortis: nempe ea parua
Laus est virtutis, prosperitate frui.

Camerarius LXIV. Centur. 4.

Contemnit tuta procellas. *Siren inter columnas Herculis.*
Fluctibus ex mediis luscivit florida Siren,
Hanc mare, sed fortem sors inimica beat.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Ludovicus Episc. Tolos. Quàm firmam ornatamque in arduis rebus mentem Romani illi Athletæ ſervaverint; teſtantur eorumdem monumenta poſtumæ ætati relicta. Verùm ne & nos hac laude caruiſſe quiſpiam arbitretur; paucos ſub brevitate tranſcurremus, qui eâdem claruerunt. Cogitanti autem ſe prodit Ludovicus Toloſanæ Eccleſiæ Antiſtes. Hic vix annos pubertatis egreſſus, Cathaloniam obſes à patre mittitur: ubi ſeptennium carceri incluſus, cùm rogaretur, quî tam æquam tot rebus adverſis mentem ſervaret; reſpondit: *Adversa Dei amicis plus conducunt, quàm prospera. Tunc enim Deo subditi ſumus, quando adversis urgemur.* In eandem ſententiam *Syl. Ital. lib. 7. bell. Pun.*

Tanta, inquit, *adeò, cùm res trepide, reverentia Divûm*
Nascitur
ex membrana manuscripta in Bibl. FF. Minorum Lovanii.

S. Martinus Tur. Episc.

Vide Dei benignitas, cura, &c.

Franciſcus Borgia: Temperato tranquilloque animo vir, cùm adverſa incidiſſent, immotus permanebat: eiusque in ferendo cõſtantiam admirantibus, dicebat: *Res humanas, ut quæ nihil ad nos attinent, in minimis pono.* &, *An abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat? quid timeamus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? In vita eiusdem lib. 4 cap. 6.*

Alphonſus Aragonum Rex. Ut & his alterius ordinis exempla ſubjungamus, monet genere, & virtutum omnium gloria illuſtris Alphonsus Aragonius: qui cùm partes Joannæ Neapolis reginæ, vi & auxiliaribus copiis tuendas ſuſcepiſſet, dehortantibus propinquis, ne ſe temerè periculo exponeret: *Non abhorreo*, inquit, *pericula, ſine quibus nemo unquam gloriam conſecutus eſt.* Præclara magnanimi Regis vox; quam ſera poſteritas haud immeritò ſtupeat. *Panormit. lib. 1. cap. 2. de Rebus geſtis ejuſdem.*

Venceslaus Bohemiæ Rex. Et is cum toto exercitu fuſus fugatusque, dum in manus hoſtium incidiſſet, & captivus detineretur; rogatus, quonam animo eſſet, *Nunquam*, reſpondit, *meliori. Dum enim omnibus humanis præſidiis vallatus eſſem, vix de Deo cogitandi dabatur ſpatium: nunc omnibus illis exutus, ſolum Deum cogito, qui me, ſat ſcio, invocantem exaudiet.* Capnionis hoc dictum erat: *Quando duplicabantur lateres, tunc venit Moyſes*: quo Dei auxilium præſtò ſemper eſſe declararet, cùm adverſæ res potiſſimùm ingruunt. *Aen. Syl. in hiſt Bohemicâ.*

Catharina Aragonia. Et quis illam hoc loco tacitè prætereundam judicabit, quæ virili mentis animique conſtantia, toties Fortunæ inconſtantiam, humanoſque caſus ſuperavit? Repudiarat eam Henricus VIII. Angl. Rex, ut Bolenâ (quæ velut altera Helena, tanti excidii, quale poſtmodum ſubſecutum, fax & ſcintilla) potiretur illa nihil indignata, divinæ ſe clientelæ ſubmittebat: rogata verò utrumvis rerum ſtatum eligeret: proſperumne, an adverſum: *Hunc præ illo ſe malle*, reſpondit: *quia*, inquiebat, *infelicibus rarò deest conſolatio: fortunatis verò plerumque mens ipſa & ratio. N. Sanderus lib. 1. de ſchiſm. Angl.*

Vide Apophth. de Afflictione *infrà.*

¶ Monosticha Trochaica.

Acrius urit re ſecunda interpolata adverſitas.
Auferunt rectum ſecunda: plus quis in malis ſapit.
Cogitare adverſa oportet maximè rebus bonis.
Diſciplina item virtutis jugis eſt adverſitas.
Dulcius mel eſt apum, os ubi acris obſidet ſapor.
Dura ſors torpere nientem non ſinit pigro ſitu.
Indicat gubernatorem non malacia verum hyems.
Ipſa ſæpe incommoda pro his ſunt maximè quib. accidunt.
Majoris animi eſt tolerare adverſa quàm relinquere.
Malelim mihi malè eſſe, quam mihi eſſe molliter
Nimio ſatius eſt, ut opus eſt te ita eſſe, quã ut animo lubet.
Non poſſunt diu durare tormentorum maxima.
Nullum adverſa cõminuit ſors, niſi quem fallit proſpera.
Promptius feras ſiniſtra, quàm ſecunda: deprimunt.
Quære, & invenies perpeſſos multa dura ſingulos.
Rebus in malis miſellus eſſe non poteſt probus.
Res ſecunda quos fatigant, res adverſas queiferent?
Res ſiniſtræ ſi ferantur dexterè, admodum juvant.
Se domant adverſa, quidque facto opus ſit perdocent.
Tam bene haud quæ as ſecunda ferre, dura quam feras.
Turpe adverſa ſpernere cùm abſunt, cum adſunt iis ſuccumbere.
Vir bonus quamvis teratur, ſurgit latius, ut crocus.

¶ Iambica.

Adverſa ferre & læta vir poteſt probus.
Adverſa ferre qui poteſt, & perferet.
Adverſa fert vir ſtrenuus pavens fugit.
Adverſa fors virtutum amorem haud eximit.
Adverſa frenant, proſpera animos efferunt.
Adverſa gravius quiſq; fert quæ non videt
Adverſa habe pro exercitationibus.
Adverſa magnos, læta felices probant.
Adverſa non torquent viros; examinant.
Adverſa pariunt gloriam innocentiæ.
Adverſa præſtant quod ſecunda denegant.
Adverſa quis melius ferat quam proſpera.
Adverſa reddunt ſupplicem, læta efferum.
Adverſa ſemper ſors alternat proſperis.
Adverſa tolerat optimè, quiſquis tegit.
Adverſitas quæ exempla habet, minus dolet.
Adverſitas virtutis eſt probatio.
Diſcipula ferè virtutis eſt Adverſitas.
Eſt vita vilis duriter viventibus.
Felicitati præferenda adverſitas.
Gravius boni ferunt adverſa abſentia.
Infregit adverſa ipſa qui vidit prior.
In nocte lucent aſtra, de die latent.
Latere Regum adverſa neminem queunt.
Lenitur exemplo celebri adverſitas.
Mala plura contingunt hominibus quàm accidunt.
Male evenit ferè bonis, malis benè
Malo mihi male eſſe, quàm eſſe molliter.
Multa ori amara cordi ſunt ſuaviſſima.
Nihil magè irritabile eſt quàm adverſitas.
Nocent mala, augent ſed tamen prudentiam.
Non quid feras, ſed quemadmodum intereſt.
Nulli nocet, cunctis prodeſt adverſitas.
Perſæpe præſtat proſperis adverſitas.
Plerumque ſumptu amara, ſalutem promovent.
Rupes ferendo vincit aſſultus maris.
Vbi deſit hoſtis, deſit & victoria.
Vita abſque triſti ſorte, mortuum eſt mare.
Vrgentibus ne cedas, palma præmonet.

Adulationis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Pudore ſuffunderer, ſi cùm tantùm honorem à conſtantio Imp. acceperimus, juſtum ei patrocinium nequaquam afferremus: quod iis etiam qui nihil beneficii in nos contulerunt, à nobis, qui verbi & veritatis cultum profitemur, præſtari debet: idque præſertim poſt illius è vita diſceſſum, cùm jam verendum non ſit, ne in aſſentationis opinionem incidamus; ac jam omni malâ ſuſpicione vacet oratio. *Orat. 3. ſtelliteutica 1. in Iulianum.*

Chryſoſtomus: Adulantium obſequia in verbis hærent; mens vero eorum talis non eſt, ſed dolo referta. *Hom. 32. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: Aſſentatio quidem & illiberalitas eſt, cuivis inſervire non ob eas res quæ opus ſunt, ſed aliquid quod ad hanc vitam faciat captantem. Humilitas verò ſi quis ob cauſſas quæ Deo probantur id faciat; ideoque à gradu dignitatis ſuæ deſcendat, ut magnum quippiam atque admirabile opus perficiat. *Homilia 5. ad Philippenſes extremo.*

S. Iſidorus Peluſiota: Magna mihi quoque, vir optime, adulandi facultas ſuppetit, ut qui per fucum & impoſturam beatũ te prædicare queam, ac pedum tuorum ſemitam facilè conturbare. Quod quidem nihil aliud eſt, quàm te ſupinum reddere, atque ad ignaviam & ſocordiam inflectere, cùm contrà magna cum animi contentione ſtare debeas, ac Dei miſericordiam & facilitatem ſupplicibus verbis implorare. At non me hoc facere ſinit Deus in Davide loquens, ac ſe eum, ut peccantem, argutarum minitans, qui cum adulteris portionem ſuam ponit.

Ac proinde, ſi falſas blanditias, & aſſentationes amas, eos perfer, qui te in fraudem inducunt, ac circunſcribunt. Si autem te ad Deum abiturum eſſe expectas, conſiliis meis obtempera, gulæque rabiem extingue, voluptatum igniculos conſopiens: quarum immodicus uſus homines ad futuras flammas tranſmittit. *Lib 1. Epiſtol. 345.*

Idem: Adulatores ex tua lingua pendere audio, qui omnium optimum eſſe jurent, ſi quid etiam abſurdiſſimorum vitiorum laudare atq; admirari in animum induxeris: ac rurſum, ſi virtutẽ quoq; ipſam vituperandam ſuſceperis, eandem quàm celerrimè vituperent,

sent,& insectentur. Quocirca si nobis obtemperare minimè vis, at Isocrati saltem obtempera,qui ut adulatores quemadmodum eos, à quibus decipimur,odio habeamus,admonet. Nam utrique,si fidem nanciscantur,eos, qui ipsis fidem habuerunt,injuria afficiunt. *Lib.* 2. *Epist.*128.

Idem: Eaignorare videris, quæ etiam admodum pueri norunt. Mirari enim te dixisti,qui fiat,ut qui jucunda loquuntur,auditores faciliùs alliciant,quàm qui utilia præcipiunt:illud nimirum ignorans,hinc fieri,ut illi admirationi isti odio sint, quòd illi cupiditatibus obsequantur, isti autem adversus eas pugnent. Voluptati enim cedit utilitas. *Lib.* 2. *Epist.* 204.

Idem: Ego adulationem timore valentiorem ac molestiorem esse assero. Nam quæ vis efficere nequit,obsequium, & cultus efficit:ac frequenter eos,quos metus minimè subegit,assentatio in servitutem addixit. Quocirca nobis faciendum est, ut & adversus metum, & adversus blanditias(hoc est adversus duos serviles affectus) strenuum animum præstemus:ac veritatem solam colamus. *Lib.* 3. *Epist.* 137.

Idem: Nihil meo quidem judicio adulatoribus molestius est, qui de divitum lingua suspensi, adhibito jurejurando confirmant, si quid illi,etiam quod turpissimum & absurdissimum sit, mirificis laudibus efferre instituant,id omnium optimum ac præstantissimum esse: ac contrà, si illi etiam virtutem ipsam vituperare aggrediantur,eam quàm celerrimè insectantur. Quamobrem cordatis viris utrumque fugiendum est, nempe & adulari,& adulationibus deliniri. Ambo enim ista,ut hominum risum missum faciam,& incurabile vitium,& intolerandum cruciatum patiuntur. *Lib.* 3. *Epist.* 281.

Idem: Quandoquidem ad surripiendam non fortium tantùm, sed etiam prudentum virorum mentem assentatio magnam vim habet: idcirco non injuria metu valentiorem eam esse assero. Illi etenim pleriq; cedere verentur : huic autem lubentius animis succumbunt, temerè videlicet ac citra cruciatum seipsos dedentes. *Lib.* 3. *Epist* 359.

Idem: Quoniam autem per epistolam ex me quæsivisti, quid causæ sit quod cum alii Herodi ultrà dignitatis modum adulati essent,dixissentque,Vox Dei & non hominis,ipse pœnas luerit: ajo (id propterea factum, quia ipse populum non reprehenderit, neq; adulationem impiam & insanam repudiârit. Nam dum eam acceptavit,etiam ad majorem ipsos impietatem assuefecit atq;erudivit. Credibile autem est,ipsos quoque(adulatores illos)si maximè non è vestigio,at certè posterius pœnas persolvisse. Quòd si etiam hic divinam animadversionem impuniti effugerunt, æterna alterius seculi supplicia non evadent. *Lib* 4. *Epist.* 50.

Idem: Quærebas,quid sibi velletillud, quod dicitur: Et injustè agens in eo benedicitur. Auscultа igitur. Benedicitur hoc loco deductum est ab eo quod est benè dicere,& valet idem quod laudatur, encomiis ornatur ab assentatoribus suis, qui improbitatem ipsius demulcent, ac ne sensum quidem morbi suo silentio ei ingenerare sustinent. Quæ causa quoque est, cur talis inveniatur incurabilis. Nam quia ne sensum quidem mali habet, curationem nec quærit, nec admittit. Atque hoc omnium est gravissimum,quando improbitas laudatur, ac ne quidem pro improbitate habetur. Quocirca maximè quidem in id incumbendum est, ut, si fieri potest, talem corrigamus. Sin minus,cavendum tamen omni studio,ne vel adulatione vel demulcendo malum foveamus: sed silentio saltem improbitatis sensum ipsi injiciamus.

Quòd si nec hoc quidem voluerit quis facere, contento cursu unicuique fugiendum est, ne injustitiæ particeps fieri per adsentationem deprehensus, eidem quoque in suppliciis perferendis socius efficiatur. Quemadmodum enim is, qui alteri ad virtutem capessendam sese ducem præbuerit,coronatur, tametsi nihil apud eũ profecerit:(nam quantum in se fuit,implevit)Ita etiam punitur is, qui alterum ad injustitiam instigat,tametsi nihil valuerit. Nam & hic quod suum erat,fecit. *Lib.* 4. *Epist.* 148.

¶ Latinorum.

S Salvianus: Non te moveant blandimenta eorum: venena tibi sunt,non respicias adulationes, gladii sunt, & quidem ferreis atque hostilibus tetriores. Illos enim homines cuncti vident: istos incauti non vident. illi quia apertè sæviunt,evitantur: isti quia occultè insidiantur,occidunt: & hoc periculosiores sunt, ac novo nocendi genere pejores : quod illis ferreis gladiis nemo est penitus qui se lædi velit:istis multi se etiam occidi volunt, nova atque inæstimabilis mali lethalis illecebra. illis gladiis quicunque percutitur: & timore pariter & dolore torquetur: istis quicunque occiditur delectatur. fuge ergo hoc malum, fuge assentationes insidiantes tibi,fuge obsequelas noxias tibi : ista sunt officia quæ te jugulant,&c. *Lib.* 3 *contra Avaritiam,ipso ferè fine.*

Ennodius: Sine adulationis suspicione est inter æquales amicitia personas:& tunc fida diligentum sinceritas ad probatur, quoties non venit à potestate quod metuas. *Dictione* 9. §. 3 *m.*

Egesippus: Itaque more quodam usuque Græcis familiari, regem adulando prædicandisque omnibus ejus, non solum quæ laudi aliena,sed etiam involuta vitiis forent, in intimam ejus amiciam brevi pervenit, ut inter primos secretorum arbitros eligeretur. *Lib* 1. *cap* 41. *excid Hierof.*

Ioan. Sarisberiensus: Sunt qui vulgares & adulationes plebeias non admittant,ut qui nolunt vili unguento, oleove corrupto, quod omnibus fœtet,inungi, cum amicorum aut convivarum expetunt gratiam. Quid enim turpius est, quam ad lenocinia histrionis transfigurare vultum,mutare habitum,motum ducere, & non tam videre alium,quam se ipsum genere histrionem ? Quid ineptius,quàm cum alius magno hiatu oris, ad te impellendum vanitatis spiritum proferat,si tu aurium vela, & latitudinem cordis ad tumorem concipiendum oppandas. Et quia videntur ab omnibus, facilius hæc à plerisque vanis vanitatis obsequia contemnuntur. Veruntamen illa magis timenda,quia magis perniciosa sunt, quæ quodam cautelæ velamento studiosius occultantur, & quasi sub imagine increpationis aut correctionis,alteriusve officii, aut virtutis : irrepunt. Quod nonnullos dum benivolentiam immoderatius captant,feciſſe reperies. Ait enim Lælius,non ille lator legis amicitiæ,sed suasor belli civilis,& furoris incentor,qui & ab aliis Lentulus appellatur,

Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur,deerat ne tibi fiducia nostri?
Dum movet hæc calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem pavisse rogam,regnumque senatus?
Vsque adeo miserum est civili vincere bello?

Sic & in Comœdiis servorum calliditate,domini deluduntur, præmissis increpationibus rationes suas infirmari permittunt, & tandem se victos simulant, ut & credulorum senum confirment errorem,& de proditionis perfidia gratiam aucupentur,magna satagentes industria,ut sic semper decipiant, ut nusquam possint argui falsitatis. Eorum namque veritas mendacio servit. Quid quod aucupes novitatum rumusculos congerunt, eisdemque curiosorum auribus satisfaciunt, ut hâc viâ compendiosius ad id quod desideratur, accedant. Temporis quoque diligentissimi observatores sunt, ne quid intempestive ingerant, sed inter prandendum, aut cùm vino quis exhilaratus fuerit, aut cujuscumque compos voluptatis. Hujus cautelæ meminit Maro, cum ad Æneam revocandum sororem à Didone missam asserit,quæ sola viri molles aditus & tempora norat. Quis autem non rideat, cùm agaso non tessis,titulorum fascibus purpuratur, & non sine sanna & cachinno audientium Dama transit in Marcum.

Papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ipsa est, adsigna Marce tabellas.

Est quidem omnium captanda benevolentia,quæ fons amicitiæ, & primus charitatis progressus est:sed honestate incolumi,officiorum studiis, virtutis via,obsequiorum fructu,integritate sermonis. Adsit & fides dictorum scilicet factorumque constantia, & veritas, quæ officiorum & bonorum omnium est fundamentum. Gratiam bonorum, sed & omnium, si fieri posset, virtus appetit,sed ad eam dedignatur per sordes accedere. Nobilis utique res est & delicata, & quæ omne, quod dedecet aspernatum. Omnis etiam species, quæ ex seipsa non lucet, ei suspecta est. Numquid igitur mentitur,ut placeat? Numquid bonum dicit malum, & malum bonum? Numquid amicum, qui parum sanus est, instigat, & amplius faciat insanire?

Porrò cùm omnis assentatio turpis sit, pernicioſior est cum ad subornandum vitium personæ, vel naturæ, vel dignitatis accedit autoritas. Nempe philosophi probabile dicunt, quod videatur vel omnibus vel pluribus, aut sapientioribus, aut quod in propria facultate artifici. Si ergo sapientiam cujusque Plato commendet, aut Socrates, Aristoteles acumen ingenii, Cicero dicendi copiam, Mathematicæ studium Pythagoras, metrorum varietates Flaccus, Naso levitatem versificandi : quid ni credat ? Subeunt enim citius & fortius singulos fomenta vitiorum,magnis

Cùm subeunt animos autoribus.

His tamen sui compos animus non seducitur, certè quia nemo novit, quid sit in homine, præter spiritum hominis qui in ipso est. Unde apud Virgilium compos sui pastor, & sapientibus & magnis viris nostri temporis doctrinæ, ait,

Me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Tu quoque præsiso si palles improbe nummo,
Si facis,in penem quicquid tibi venit amorum

Licet te tota vicinia modestum dicat, ac pudicum, minimè vel jurantibus credas. Memoriter tene quod parvulus didicisti,

Plus aliis de te,quam tu tibi credere,noli.

Non facile dixerim, uter sit prior in vitio, qui linguam adulationibus polluit:aut cujus cor ex eis se in lætitiam resolvit. In hoc enim elationis cæcitas : in illo, fraus excæcandi damnatur. Ubique vero damnatur dolus, sed & cæcitas, quæ à superbia est, nusquam absolvitur. Esto quod adulator sit nequior, iste non minus contemtibilis est. Nec caperetur linguæ tendiculis alienæ, si non blandiretur ipse sibi. Quid itaque alium arguit elationis, qui sibimet adulatur? In quo enim alium accusat, seipsum condemnat. Eadem enim facit, quæ judicat. Væ inquit dominus,qui consuunt pulvillos sub

los ſub omni cubito manus, & ponunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis. Utique pulvillos conſuunt, qui auribus parant inſidias, qui vana & mollia congerunt, quibus ſenſus demulceant, qui opera commendant hominum, ut eos famæ præconiis, & quâdam ſuavi jucunditate favoris, inducant ad quietem. Uſus enim pulvinaris & cervicalis, eſt mollicies quietis. Pulvinar ergò ſub omni cubito manus ponitur, quando non modo operatio, ſed quicquid ei adjacet commendatur. Caput univerſæ ætatis cervicali ſuperponitur, dum quis adulantium verbis in totius vitæ operibus delectatur: *Lib. 3 cap. 5 Policratici.*

Ioan. Sarisberienſis: Cùm turpè ſit omnibus adulari, longè turpius eſt, ſi in præcipuæ autoritatis, aut ordinis, viros, adulatio cadat. Adeo quidem ut ſacrorum canonum inſtitutis cautum ſit, clericos irrefragabiliter deponendos, qui noſcuntur adulationibus inſervire. Rectè quidem, quia omnis adulatio comites habet dolum & fraudem, proditionemque & notam mendacii. Sequelam quoque ignominiam ſervitutis, excæcationem proximi, & exterminium totius honeſtatis. An non eſt talis non modo ejiciendus à clero, ſed à toto fidelium cætu. Hæc tamen peſtis, jam in tantum, domino indignante, invaluit, ut ſi ventum forte fuerit ad conflictum, vereor ne modeſtos & bonos viros poſſint facilius expellere, quàm expelli. Serpit enim illuvio fœda, & morbus cancero ſus in omnes, ut nullus aut rarus ſit, quem labes iſta non maculet. Omnis enim affectant benevolentiam eorum, cum quibus vivitur. Quod quidem non modo licitum eſt, ſed honeſtum: utpote omnia, quæ natura virtutum parens, & recte vivendi dux optima, gignit. Sed dum hanc affectionem, moderationis regula deſerit, fertur in præceps, diſcurrenſque per omnia agenda, & non agenda, per infamiam & bonam famam, favoris auceps, gratiæ ſollicitator inceſtus, ut cùm amicum blanditiis præcorruperit, more meretricantis fortunam ſurripiat, extenuet facultates, aliena in ſe congerat ſpolia, & ſuum omnia convertat ad lucrum.

Efficitur ergo ut nulla ſit ei moleſta ſervilis obſecundatio, nullum indecens videatur obſequium, omnium officiorum perſonas induit, dum præmia omnium fraudulenter præripiat. Qui ſunt enim qui veſtibus nitent, qui faſtigiati incedunt, qui ſequi pedarum ſtipantur comitatu, commilitonum & contubernalium dealbantur obſequio, qui primis ſalutationibus in foro gloriantur, qui primos recubitus habent in cœnis, quorum aures mulcentur fomento prænominum, & quibus nobilium molles reſerentur auriculæ? Quos fortunæ gratia alarum ſuarum remigio ad ſublimia ſubvehit & extollit, & à quibus quælibet magna domus, diſpoſitionis ſuæ formulam trahit, & habitum mutuatur? Nempe adulatores alienum vivunt ad nutum, dum eos fraudulenter emungant. Veritas aſpera eſt, & plerumque moleſtiam parit, dum aliquem palpare dedignatur? Verum amaritudo ejus utilior eſt, & integris ſenſibus gratior, quam meretricantis linguæ diſtillans favus. Meliora ſiquidem ſunt (Sancto Salomone teſtante) amici verbera, quam fraudulenta oſcula blandientis. Quidni? Fides enim perfidiæ ſemper antefertur. Non manet fides incolumis, ubi aliud agitur, & aliud ſimulatur, præſertim animo & voluntate nocendi. Dicitur enim fides, ſi ſequimur Stoicos, eo quod fiat quod dictum eſt. Lux mea, ſalus mea, refugium meum, cor meum, & vita mea, dux invicte, vivientium ſapientiſſime, omnium largiſſime & benigniſſime, vivendi forma, virtutis ſpeculum, & cetera hujuſmodi importune ingeſta, nonne plena ſunt, non tam adulationis vitio, quàm veneno?

Sunt enim qui nec ſcurrantis ſpeciem vitant, cum amicitiam profitentur. Venena, inquit ſapiens, non dantur, niſi melle circumlita. Nullæque occultiores ſunt inſidiæ, quam hæ quæ latent in ſimulatione officii, aut aliquo neceſſitudinis nomine. Tu obſequiũ putas, amicitiam ſuſpicaris, metiris affectum, inſidiæ ſunt. Nec, ut eſt in fabulis, (quoniam & mendacia poëtarum ſerviunt veritati) Juno Semelen deceptam in incendium impuliſſet, ſi non eſſet nutricis induta faciem, & mentita affectum. Tibi credis impendi famulatum, extremæ & miſerrimæ ſubiiceris ſervituti. Nam

Cùm facilem diſtillat in aurem
Exiguum, de naturæ vitiique veneno,

diſperearn niſi ſubmoveat omnes qui vera loquuntur, dedignati aſſentationis ſubire notam. Lumine ſubmovetur, & bene ſi non judicatur inimicus, qui potentis amici voluptatibus, etiam turpioribus non modo contradicit, ſed etiam non conſenut. Equidem vero conſenſus ad gratiam ſufficit, approbare, commendare, applaudere, inſanienti neceſſe eſt: cum omnia malefecerit, laudandus eſt quaſi re bene geſtâ. Sicut enim identitas voluntatum, amoris indicium eſt: ſic ex diſſenſu inimicitiarum quiſque reus arguitur. Proinde Satyricus inquit,

Quid Roma faciam? mentiri neſcio: librum
Si malus eſt, nequeo laudare & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: fumus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi; ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alij: me nemo miniſtro
Fur erit. atque ideo nullis comes exeo, tanquam
Mancus, & extincta corpus non utile dextræ.

Fugio ergo urbem tantis obſcænitatibus plenam, adulatorum veneficio toxicatam, ſuis adulatoribus de relinquo.

Vivant Arturius iſtic,
Et Catulus: maneant qui nigrum in candida vertunt.

Nec tamen unius urbis tantum vitia depingi credas, jam totius orbis ſunt. Quo ad iſtud, orbem Romanum crede. Memini me audiſſe Romanum Pontificem, ſolitum deridere Lombardos, dicens, eos pileum omnibus colloquentibus facere, eo quod in exordio dictionis benevolentiam captent, & eorũ cum quibus agitur, capita quodam commendationis demulceant o eo. Fili mi, inquit Salomon, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Ipſi enim contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes cõtra animas ſuas. Prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem. *ſub finem cap. 5. lib. 3.*

Ioan. Sarisberienſis: Adulator enim omnis virtutis inimicus eſt, & quaſi clavum figit in oculo illius, cum quo ſermonem conſerit. Eoque magis cavendus eſt, quo ſub amantis ſpecie, nocere non deſinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum id luminis, quod adeſſe videbatur, extinguat. At hæc auditorum aures obturat, ne audiant verum: quo quid poſſit eſſe perniciouſius, non facile dixerim. Scitum eſt illud Lælii aut potius Ciceronis: Cujus aures clauſæ ſunt veritati ut verum audire non poſſit, eius ſalus deſperanda eſt. Quid vero infidelius quàm eum, cui fidem debeas, circumvenire verborum blanditiis, ludibrio habitus, geſtus transfiguratione, & totius vanitatis lenocinio excæcatum, in ſordes vitiorum impellere & præcipitationis abyſſum? Quid odibilius fraude & dolo, quo ſub imagine amoris & fidei, in ſimplicem & credulum, & quod deteſtabilius eſt, amicum, perfidiæ & inimicitiarum nequitia exercetur? Hoc ſiquidem genus hominum omnia loquẽtium ad voluptatem, ad veritatem nihil verba oris eius iniquitas & dolus, qui etiam errantibus amicis, ad eorum ſubverſionem ingeminat, euge, euge. Quos ut plenius noveris, generationem apud Comicum vide, & quid de ſe fateatur auſcultа.

Negat quis, nego: ait, aio. Denique, imperavi egomet mihi,
Omnia aſſentari.

Tota enim gnathonicorum factio, comœdia eſt.

Rides, majore cachinno
Concutitur: flet ſi lachrymas conſpexit amici,
Nec dolet, igniculum ſi brumæ tempore poſcas,
Accipit endromidem. ſi dixeris æſtuo, ſudat.

Unde Umbricius inquit,

Non ſumus ergo pares melior qui ſemper & omni
Nocte die que poteſt alienum ſumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, aut ſi quid fecit amicus
Quod proferre palam non poſſit lingua modeſtè.

Quod quidem nõ modo amico, ſed ne libero homine dignum eſt, cum vera & unica libertas in virtutis ſpeciẽ cadat. & turpitudo quos inficit, poſtremæ ſubiiciat ſervituti. Hiſtrionem eſſe vel mimum, infamiam ingerit his, quos à tantæ abjectionis opprobrio naturæ vel perſonæ dignitas videtur excepiſſe. Porro qui vultum induit alienum, & varias affectuum alternat facies, incolumitati ſenſuum inſidias parat, & *Sordidus auriculis alienis colligit eſcas*, & ſi hiſtrionem verbo diffiteatur, eum morib. & turpitudine confitetur. Quod aſſentatoris proprium eſt qui ad alterius vivit nutum, & antequam ſuum proferat judicium, de ſingulis exſpectat alienum. Cæterum palpo, qui tamen aſſentatoris vel adulatoris cenſetur nomine, quoniam eadem res multis notatur indiciis, hominum mentes explorat, prætentat voluntatem, ut cui rei volueris ſenſus accommodet, ut gratiam illius, cum quo agitur, fraudulenter ſurripiat. Novit enim Deus curſu ſenſuum & voluntatum unione, quæ rivulos ſcaturire. Idem ſiquidem velle & nolle, (ut ait hiſtoricus) ea demum firma amicitia eſt. Quid ni?

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Cum vero præſenſerit voluntatem, ſic palpat, ſic demulcet, tantâ ſuavitatis perungit gratiâ, ut virtuti ſomnium inducat, & totam moderationis, ſine qua nunquam recte vivitur, formam Lethæi fluminis infuſione ſubvertat. Magnas gratias agere, Thais mihi? Iucundus eſt enim Comicus, & aptus qui ſe nugis noſtris frequẽter immiſceat, Ingentes inquit. Fuerat quidem ſatis ſi magnas reſpondiſſet. Sed quia adulatoris fraus omnia extollit in majus, & de ſuo aliquid adiicit unde ſibi gratiam cumulet, ingentes inquit. Sed nec mendacium erubeſcit. Qui enim ſibi potuit perſuadere, ut honeſtatem hominis tantæ turpitudinis macula decoloraret quacunque de cauſa, utique perſuadebit, ut quod appetit, faciat, ſi poſſit, recte, ſi non, quocumq; modo rem. Verum qui ſuo nomine, ut proprie eloquamur, dicitur adulator, vitia cujusque delabat, & ne ſe ipſum videat, oculos colloquentis quadam nube vanitatis implet, & aures falſis præconiorum titulis reficit. Ait Ethicus,

Quid quod adulandi gens prudentiſſima laudat,
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum in validi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis:
Miratur vocem auguſtam, qua deterius nec
Ille ſonat, quo mordetur gallina marito.

Hoc

Hoc autem minime videtur mirum, si perditissimi homines, & quibus hic grávis moribus, & fæculentus mundus sordidatur, ad tantam turpitudinem possunt impelli. Sed hoc potius duco mirabile, quod populum qui sibi credat habent, qui de se magis alienæ linguæ acquiescat, quam propriæ judicio conscientiæ, dum seipsum quilibet extra se quærit, & nosse dedignatur, quam sit sibi curta supellex. Nihil est enim quod credere de se non possit cum laudatur, non modò diis æqua potestas, sed quæcumque anima de fermento superbiæ intumescit. *Libro tertio Policratici capite quarto*

Io Sarisberiensis: Cæterùm cùm multiplex sit vitium adulandi, aliis vultu, aliis verbo, aliis opere vel munere assentantibus, efficacissima est adulationis fraus, cum simulatione confirment munera, aut ei difficilius obsequium contestatur. Si aliter credis,

Quàm te tua tempora fallunt,
Qui sæpe mel sumpta dulcius esse putas.

Probatio siquidem veræ dilectionis est sub hujus tempestatis corruptione, frequentatio muneris. Ars artium est, si placere vis, frequenter dato.

Si calidum scis ponere sumen
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,

Alter Mercurius eris ei, & si vis amplius, es Apollo,

Phœboque pulchrior, & sorore Phœbi.

Nec est quod de suffragio ipsius desperes, quem muneribus pascis. Alimenta siquidem umbratilis gratiæ, & nominis prostituti munuscula sunt, & nisi fuerint frequentata, amicitiæ nomen interimunt. Frustra de muneris quantitate præsumitur, nisi animam cupiditatis igne succensam, crebræ visitationis refrigerio temperes, & avaritiæ jugem esuriem frequenti beneficiorum interpolatione de mulceas. Aquilarum dicitur esse natura, ut cum stomachum pleniori refectione ingurgitaverint, in quintum decimum diem, vel ut aliis placet, in quadragesimum suspendant esuriem, oblatorumque ciborum copiam aspernentur, una saturitate contentæ. Sane longe alia conditio divitum, imo eorum qui venalem prostituunt gratiam. Magis enim aliquatenus accedunt ad homines, qui necesse habent, quia crebro esuriunt, crebro refici. Vix possunt collectam esuriem in diem quadragesimum provelare, quin indignentur amicis, si non avaritiæ hiatum vel ob impleverint.

Solebant antiquitus Gratiarũ simulacra effigiari nuda, eo quod soliditas amicitiæ, & veritas fidei, sine qua nec gratiæ quidem nomen subsistit, nullo simulationis fuco valeat obumbrari. Sed jam cum ad homines ventum sit, qui non amicos, sed seipsos in singulis amant, multiplicitatis fucus ut placeat necessarius est. Apud istos enim gratia, quia gratis non est, jam non gratia, sed lucri inescatorium est. Facies siquidem meretricis facta est ei, nec quodcumque vitium erubescit, dum lucri tendit ad quæstum. Vetus querela est sapientis, indignum amicitiæ lugentis occasum:

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Prostat. & in quæstu pro meretrice sedet.

Quod ex eo constat, quòd si cesset utilitas, rarus aut nullus est, qui propter se virtutem amicitiæ colat. In tot circulis sæculorum, in tanto ætatum lapsu, in tanta multitudine & differentia personarũ, vix, ut ait Lælius, tria inveniuntur, aut quatuor paria in amore. *Lib. 3. Policratici cap. 7.*

Io. Sarisberiensis: In eo adulatoriæ vis magna consistit, si omissis propriis, aliena commoda curare videaris, de tuo nunquam aut raro, semper autem loquens de illius, quem aucuparis, emolumento. Præterea manum contine, ne si quid etiam in vito ingeratur, accipias, dum influat Iordanis in os ejus; qui dum omnia cupit, sibi quoque omnia de jure putat competere. Esuriens gula insatiabilium quorundam animalium, donec satietur communem aliis invidet cibum, & in quo aliorum subveniturinopiæ, se fraudem perpeti suspicatur. Sic fortunatus sibi interdum subtrahi putat, quidquid quocunque titulo confertur in alium. *Cap. 11. lib. 3. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Non modò in omni domo, aut conviventiũ cætu, adulantium tanta sit copia, ut si quis modestus adversus eos mutire audeat, illos

Defendat numerus junctæque umbone phalanges.

Certè dum vir honestus innitens conscientiæ, virtutum insistens officiis, esurit, sitit, alget, & multiplices fortunæ indignantis injurias excipit,

Vilis adulator picto jacet ebrius ostro.

delitiis ingurgitatur ad crapulam, vino æstuat, lautioribus cibis distenditur, & pro arbitrio variis artificiis cœlum sibi contemperat. Primos habet recubitus in cænis, in conventibus primos confessus, præelecto prænomine conclamatur, salutationes excipit primas, primas sententias in judiciis profert, in demonstrationibus honestissimè, in deliberationib. utilissime sentit, quicquid loquitur, sal merum est: quicquid agit, justitia vel liberalitas. Age ergo & interistos sapere aude. Ilico multa adulatorum veniet manus, & veluti te Judæi cogent in suam concedere turbam. Multitudine itaque tuti sunt, & artificio, ut ipsos possint etiam reges, & principes expugnare. Et miro modo inermis populus prævalet in armatos, & mollicie quæ robustissima sunt, potenter expugnat. *Cap. 13, libri 3, Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Ab eo tempore proverbium natum est: Quia usus formosorum abusio est. & illud: Formæ gratia eo minus grata sapienti est, quo corruptio est gratior cotruptori. Difficilius etenim ab infirmis defensoribus custoditur, quod plures appetunt. Illud incauto facilius surripit fraudulentus, aut invito pudicitiæ prædo violentus extorquet. A patribus tamen pridem diffinitum est, quia pudicitia auferri non potest, nisi mentis corruptio antecedat. Quod enim, ut magnus asserit Augustinus, non præcedente libidine violenter patitur corpus, vexatio potius dicenda est, quam corruptio. Ibi ergo servari pudicitia potest, ubi nulla, nisi voluntaria esse potest corruptio, in mentis scilicet integritate, ubi in æternum servari pudicitia potest. Nec magnum est integram esse carnem, ubi mens tetra corruptione polluitur. At nunc si deceptor amans, aut violentus abest, ita malè à teneriori ætate instituuntur adolescentes, ut oculis lascivientibus, nutu faciei, corporis gestu habituque exteriori, & lenocinio vix ipsis meretricibus concesso, sollicitent corruptores, & legum quæ in eos jam plurimæ latæ sunt, nullam habent reverentiam vel timorem, licet in eos gravissimè animadvertendum decreverit Imperator. *Lib. 3. Policratici cap. XIII*

Io Sarisberiensis: Si Gnathoni creditur, qui squis non arridet ditibus, etiam cùm malefecerint, aut non applaudit in pessimis eorum, videtur aut invidere fortunæ, aut officio non differre. non apud Gnathonicos veritatis eloquium crimen est majestatis. *lib. 6. cap. 27. P.*

Idem: Gnathones in invidiam felicium quæcunque, vere sunt dicta retorquent: usque mendacii aut temeritatis nos reos faciant, mentiuntur nos legem imposuisse Principibus, & colla eorum jugo importabili oneraſſe. Veritas si quidem inimica est illis, & inimicitias divitum procurant amatoribus veri; quorum ut gratiam consequantur, nihil in verbo aut opere erubescunt. Ad singula clamat Gnatho, seu bona, seu mala sint, pulchre! benè! rectè. Et nescio quomodo omnes ipsos etiam probos expugnant, & qui adulatorum nequitiam detestantur: à quibus etsi non sit laus quæsita, nihilominus oblata delectat. *Lib. 6. Policratici cap. XXX.*

Io. Sarisberiensis: In tota assentationis familia, insignis est Thraso, & licet non exierit primus, aut omnium primus habendus est, aut non minimus inter primos. ei namque, licet ineptus sit, tota Gnathonicorum factio famulatur. & forte Terentius ideo Gnathonem introduxit, servum militis glorioſi, ut eleganter innueret, in vita hominum & in assertione morum subesse Gnathonicam Thrasonianæ. altera tamen pendet ab altera, adeo quidem ut invicem sine re esse non possint. nam & Gnathonis opera inutilis est, sit miles, glorioſus, & forte Thrasonis arrogantia conquiescet, si non eam fallacia Gnathonis exceperit. *Libro octavo cap. 1. Policratici*

¶ Philosophorvm Oratorúmqve Græcorum.

Plato: Pudet referre quàm multæ tunc epistolæ scriptæ sunt tam abs te quàm ab aliis tua causa ex Italia atque Sicilia ad me & ad multos propinquorum familiariumque meorum: quæ omnes exhortabantur, precabanturque vt tibi obsecutus accederem. Visum est igitur omnibus & in primis Dioni, eundum esse, neq; me molli otio dedendum, quanquam ego ob ætatem me excusabam: & de te asseverabam, quòd nequires obtrectatoribus malevolisque meis dissidium inter nos quærentibus resistere. Conspexeram enim iampridem, & nunc etiam perspicio opes tam privatorum quàm principum quanto majores sunt, tantò magis insidiatores & turpium noxiarumque voluptatum machinatores nutrire, quo nihil pernicioſius gignit opulentia atque potestas. Verumtamen omissis his omnibus venire decrevi, ne querelæ materiam alicui familiarium meorum relinquerem, quòd cùm possent ejus res saluæ esse, ob negligentiam meam perissent. *Epistola 3 ad Dionysium.*

Lysias: Multos reges quibuscum versatus est, adulatione sua in fraudem induxit. solùm immunis fuit ab hac pernicie Dionysius Syracusanus. *de Andocide cap. 3.*

Aristides: Dicat mihi vel Plato, vel aliquis pro ipso alius, num quid ab adulatore, sit alienius quam veritas; aut veritatis studioso quidquam sit ingratius adulatore? Iam cùm hoc ipsum sit adulatio falsum dicere, &c. *Oratione 1. Platonica.*

Idem paulo post: Age verò, num adulatione licet alicubi ad justitiam semper uti? minimè verò atqui si quis ad virtutem. Rhetorica utatur, boni aliquid efficiet. itaque bona est Rhetorica cum justitia conjuncta. at adulatio semper est turpis.

Aristides Rhetor. Adulatores, qui quidem maximi sunt ac præstantissimi, censentur tamen in vulgo; adeo ut quemadmodum servus ad herum, ita se ad tyrannum habeat adulator. *Mox.* Adulatore quidem nil est humilius, nec quod ad servitutem sit propensius. *Orat. 1 Platonica.*

Maximus Tyrius: Fabulam quandam conscripsit Prodicus, in qua Herculem jam puberem, virilesque gerentem animos, duplici in via statuit: utrique huic viæ Virtutem Voluptatemque tanquam duces præficit. Quarum altera arrogans procaxque: al-

tera

tera formoso vultu, modesto incessu, venusta voce, aspectu mansueto, veste solutiori ab eo inducitur. Altera rursus lasciva, fucata, veste florida, vultu impudentissimo, incomposito gradu, voce inconcinna. Hæc animadvertit ipse etiam Hercules, ut qui & Iovis esset filius, & indoli is præclaræ. Quare voluptati res suas sibi habere jubet, ducemque sequitur Virtutem.

Hoc exemplo & nos fabulam fingamus, viamque itidem statuamus duplicem, & unam virum bonum. Hujus viæ duces pro virtute amicum, pro voluptate adulatorem ponamus. Sed & hi habitu, vultu, veste item, voce atque incessu differant. Ut alter quam jucundissimus appareat, alter nihil præter id quod est præ se ferat. Alter renidens dextera protensa, crebris laudibus, blanditiis, precibus, obsecrationibusque ad se invitet hominem: mirasque ad quas se duce perventurus sit voluptates describat. Locum videlicet, ubi prata floribus rideant, labantur fluvij, volucres canant, auræ spirent leniter, arbores plurimis amictæ foliis terram vestiant, planæ semitæ, latissima sint curricula. Sed & horti floridissimi, ubi pyra pyris (ut apud Homerum est) mala malis, uvæ subnascantur uvis. Alter contra dux pauca dicat, sed vera. Maximam nimirum viæ partem esse salebrosam, minimam, facilem: necesse esse itaque, ut vir bonus, qui committere se illi postulet, ita se comparet, ut cum opus sit, laborem ferre possit: si quid planum expeditumque occurrat, id in lucro reponat. Hæc uterque si dicat, utri credet, utram viam inibit? Respondeamus fabulæ autori, si quidem homo ille aliquis ex corrupto Assyriorum grege futurus est, aut Phœnicius Strato, aut Cyprius Nicocles, aut qualis fuit Sybarita ille, alterum è ductoribus pessime etiam oderit, nec aliud quam agrestem, austerum, atque invenustum putabit esse: alterum contra elegantem, suavem, mireque humanum judicabit. Demus ergo à præclaro illo si Diis placet, ductore deduci hunc hominem; dubium non est quin in ignem cum Assyrio, aut in paupertatem cum Phœnice, aut in vincula cum Cyprio, eum de ducturus sit: aut in aliud denique verum malum, ad quod falsa perducere voluptas solet. Sin aliquis similis Herculi futurus est verùm certè ductorem, id est amicum, præferet, sicut Hercules virtutem. Et hic quidem finis sit fabulæ. Qua sepositâ sermo noster ad se redeat, pergatque videre, quomodo ab amico discerni adulator possit.

Et aurum quidem admorum sibi index lapis distinguit: amicitiam vero ab adulatione quid tandem separabit? An finis utriusque? Atqui si finem expectabimus, aliud malum præveniet, priusquam verum dignoscamus. Iudicare enim oportet, priusquam utamur: nam si judicium præcedat usus, cum usum pœnitentia excipit, nihil prodest adhibuisse judicium. Vis ergo dolore potius ac voluptate eos distinguamus: At vero & adulator, si modum excedat, molestissimus esse solet, & gravissimus: amicus contra, si secunda fortuna accedat, jucundissimus.

Videamus ergo ne utilitate & damno distinguendi sint. Sed & hic scrupulus occurrit. Adulator enim aut opes ejus consumit cui nocet, aut in voluptatem eum præcipitat. quorum alterum levissimum, alterum etiam cum voluptate conjunctum est. Amicitiæ vero gratia multi sæpe & in exilio amicos comitati sunt, & infamiam cum illis subierunt, & mortem eorum causa pertulerunt.

Quid igitur restat quo ab amico adulatorem separabimus, si nec finis sufficit, nec voluptas, nec damnum? Age seorsim, utrumque inspiciamus. Nonne is qui suavissimè nobiscum agit, & leniissimè, amicus est? Omnino sic videtur esse: si enim inimicus is est, qui doloris nobis causa est, is qui præcipuè nobis voluptatis causa est, amicus erit. Et tamen aliter se res habet. Medicus quippe qui consultum maxime vult homini, maximi subinde doloris illi causa est: eodem modo & imperator prudentissimus, & gubernator peritissimus. Amant & liberos patres, & discipulos præceptores. Quid tamen molestius sæpe est, quam filio pater, & discipulo præceptor? Quis dubitat quin & Ulysses socios amaret suos, qui tam multa, dictu aspera perpessu gravia pertulit.

Dum sibi dum sociis reditum pariterq; salutem
Apparat.

Ubi tamen cum populo libidini voluptatique dedito, qui pecudum instar, *Lotum gustarent mellitam* (ita namque voluptatem Homerus vocat) rem sibi esse videt, non dubitat socios suos quos jam illorum luxuries afflaverat, quos jam loti illius portentosa ceperat suavitas, invitos flentesque ad navem trahere. Talis non est inter procos Eurymachus, sed alterius illius generis, quos adulatores dicimus, qui comitibus suis permittere non dubitat, ut pinguissimas sues capraque mactent, vinum assiduè exhauriant, noctu cum ancillis volutentur, regis tanti domum evacuent, ejus denique connubio insidias struant.

Vis ergo, ut paucis rem absolvamus, dolore & voluptate relicta, cum improbitate adulatorem, cum virtute amicum jungamus? Quia nec voluptate amicitia caret, nec dolore adulatio, sed utrumque utriquè, & amicitiæ voluptas, & adulationi dolor est admixtus. Nam & matres & nutriculæ liberos suos diligunt, & in eorum educatione voluptatem adhibent, nèc propterea eos amare negabis. Suadet Menelao Agamemnon,

Vt fas tu posito, cui{us} per sol{a}t honorem.

Censen' hoc velle eum, ut aduletur? Ulysses postquam è mari in Phæacum terram emersisset, nudusque è strato suo, ubi delituerat, consurgeret, inter reliquas ibi ludentes invenit puellas, regi nam agnoscit, quam nunc cum Diana, nunc cum pulchra planta confert: nec quisquam tamen propterea adulari dicet Ulyssem.

Ex proposito enim, usuque & instituto animi, ab amico adulator distinguitur. Sicut uterque & qui virtutis studio, & qui mercedis causa militat, armis utitur, nec tamen de operibus eorum ab externa quisquam actione judicat, cum pro instituti ratione usum utriusque potius distinguat. Alter enim servare amicum solet, quia est amicus, alter se mercede cuilibet addicit. Alter in eo quod agit suæ sponte est, alter venalis. Alter iis fidem servat, cum quibus fœdus contraxit, alter ne iis quidem cum quibus amicitiam. Eodem adulatorem ab amico differre puta. Ambobus enim sæpius accidit, ut eodem modo agant, eodem modo cum amicis vivant, cum tamen alter ab altero vel ex usu, vel ex fine, vel ex animi proposito sit discernendus. Amicus enim id quod bonum putat, sive id dolorem postea sive voluptatem adferat, cum amico communicat, & ex æquo fruitur: adulator ex præscripto libidinis suæ, quicquid cum amico agit, ad lucrum suum dirigit. Amicus æqualitatem, proprium bonum spectat adulator. Alter æqualitatem in virtute, alter lucrum in voluptate. Alter paritatem in congressu, alter humilitatem in cultu. Alter veritatem in familiaritate, alter fraudem. Alter emolumentum in posterum, alter in præsens delectationem. Alterius beneficia memorari gaudent, alterius fraus sepeliri postulat. Alter quæ amici sunt, ut communia curat, alter ut aliena consumit. Amici & in secundis rebus familiaritas gratissima est, & in adversis sortem ex æquo fert. adulator neque secundis rebus expleri potest, neque in adversis usquam apparet.

Amicitia laude, vituperio digna est adulatio. Amicitia par pari rependit utrinque, adulatio claudicat. Qui enim egestate adductus, ut id consequatur quod deesse sibi videt, alterum colit, inæqualem se fateatur necesse est,, quatenus non vicissim ab illo colitur. Amicus si ignoretur, adulator nisi ignoretur miser est. Amicitia si exploretur confirmatur, adulatio si exploretur perit. Amicitia tempore crescit, adulationem tempus convincit. Amicitia nullius unquam eget, alicujus semper adulatio.

Quòd si aliquid hominibus cum Deo commune est, homo pius, amicus Dei est, superstitiosus adulator Dei. Et beatus quidem vir pius, qui amicus Dei est, miser, superstitiosus. Quemadmodum autem alter virtute sua fretus sine metu accedit Deos, alter improbitatis suæ conscientia dejectus multo cum timore sine ullæ fiducia venit, nec aliter Deos quam tyrannos timet. eodem, ut arbitror, modo coram hominibus spei plena, plena fiduciæ est amicitia, sine spe & fiducia est adulatio. Amicum nullum tyrannus, adulatorem nullum rex habet: regnum autem propius ad Deum, quam tyrannis accedit.

Quod si amicitia morum est æqualitas, improbus vero nec sibi nec ipsi bono æqualis est, vir bonus viro bono amicus est, quia est æqualis: adulator contra viri boni quomodo adulator esse possit, cum latere virum bonum non possit adulator? improbi vero ut sit adulator, si æqualis illi fuerit, non amplius adulator erit, nec enim pares admittit adulatio: quod si æqualis non erit, ne amicus quidem erit. Sic & inter Reip. formas, ea quæ optimatum dicitur, plena est amicitiæ, popularis contra status plenus adulationis est. Melior autem optimatum quam popularis status est. Nullus apud Lacedæmonios Cleon erat, aut Hyperbolus, luxuriosi populi adulatores improbi. Iam si Calliam privatum hominem qui in conviviis adulatores habebat plurimos, ubi adulationis præmia calices, & meretrices, cæteræque hoc genus sordidæ servilesque voluptates erant. Dionysius in comœdiis suis perstringit Eupolin: ipsum populum qui dicacitatis Eupolidis spectator erat, in qua comœdia, in quo theatro, quibus Dionysiis perstringemus? Ubi adulatores illos plurimos, quibus non vulgaria præmia, & quæ ventris veneriisque voluptates non excederent proposita fuerunt: verum ipsa Græciæ calamitas? Quos si rejicere, Niciæque ac Pericli morem gerere Athenienſium voluisset populus, non adulatores sed amicos habuisset magistratus suos.

Iam ad monarchias si eas, Xerxen Mardonius, barbarus barbarum, demens dementem, luxuriosum dominum adulatur servus imbellis. Cujus adulationis vide quis sit finis. Evertitur Asia, mare flagellatur, Hellespontus jungitur, Athos perfoditur. Et postremo, ne quid de sit, omnes hos labores consequitur, adulatoris ipsius debellatio, fuga, & mors. Adulantur & Alexandrum Macedones, cujus adulationis effectus sunt, bracæ Persicæ, adoratio Barbarica, Herculis ac Philippi, totiusque Argeadarum familiæ oblivio. Nam tyrannides quid recensere opus est? ubi enim timor atque herilis potentia subditos premit, necesse est adulationem florere, amicitiam sepultam esse.

Atqui non ibi tantum, sed in studiis artibusque adulatores sunt: qui

qui in ſpeciem eodem modo artes tractant, re ipſa tamen longè abſunt. Ita muſica ſpuriâ adulatione ſua homines infecit, cum Dores relicta patria illa ſua muſa agreſti, quam inter greges ſuos pecudésque canebant, novas voces, tibias, & tripudia amare cœperunt, atque ita unà cum muſica etiam adulterarunt virtutem. Quin eodē quoq; modo medicina ſpuriâ adulatione ſua infecit mortales, cum relictâ Aſclepii Aſclepiadarumque medendi diſciplina homines, novam ex ea artem effecerunt, quæ culinariæ ſimilior eſt, corporū peſſimorum adulatricem peſſimam. Etiam ſycophanta adulatione ſua oratorem inficit, cùm rationem rationi opponit, juſtoque injuſtum, & honeſto quod turpe eſt ſuperſtruit. Inficit & philoſophum adulatione ſuâ ſophiſta. Et hic quidem adulatores antecedit reliquos. *Diſſertatione quarta, Quomodo ab adulatore amicus debeat diſtingui.*

Iulianus Imp. A veritate ſi quis ſponte aberrat, turpiſſimæ adulationis notam effugere non poteſt: & hoc inſuper iis quos collaudat tribuit, ut ne in cæteris quidem pro merito commendari videatur. *Panegyr. 1. ad Conſtantinum.*

Simocatta: Lex eſt equabus, ut quidem mea fert opinio, ſapientiæ plena. Laudo enim affectum in his naturæ vehementiorem. Sed quæ ipſis lex eſt? Lactentem equum cùm indigere vident altricis, & procul matrem, ut aliquando contingit, à prole abeſſe, generoſum quiddam faciunt. non enim obliviſcuntur ſuæ naturæ, atque partum relictum fovent, nulla re indignantes, ut fœtum naturalem ac genuinum. Atque hunc naturæ ipſis ſenſum inſevit, non enim Solonis lex coëgit. Transferam orationem ad te. Fratris filiū negligis, januam januâ permutantem, miſerrimâ tunicâ indutum. Revera tibi mens eſt rationis carentior, quàm brutis. Canes alienos alis. Sic enim eos qui circa te ſunt adulatores dicere convenientiùs, Benevolentiſſimi tibi videbuntur eſſe, donec in tuis luxuriam agitant ô miſer. Latrabunt autem omninò etiam te, adhuc noviſſimam crapulam eructantes. Adulatorum enim ſic eſt ingenium, ut mala firmâ memoriâ complectatur, & facilè in bonorum oblivionem adducatur. Serò tandem nepotem complectere Terpander. Sin minùs, providentiam invictam habebis hoſtem, lachrymis naturæ ſuum gladium acuentem. *Soſipater Terpandro. Epiſtola 7.*

¶ Romanorum.

Auctor ad Herennium: Habet aſſentatio jucundâ principia; eadem exitus amariſſimos affert. *libro quarto.*

Cicero: Quàm turpis eſt aſſentatio! *Epiſtola ad Atticum lib. 13. Epiſt. 28.*

Idem: Κολακείαν non longè abſunt à ſcelere. *Epiſt. 30.*

Cicero de Amicitia: Sic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem quàm adulationem, blanditiæ, aſſentationem.

Ibidem: Quid poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alterius non modò ſenſum ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur? &c.

Poſt aliqua multa: Apertè adulantem nemo videt, niſi qui admodum eſt vecors: callidus ille & occultus ne ſe inſinuet, ſtudioſè cavendum eſt: nec enim facillimè agnoſcitur: quippe qui etiam adverſando ſæpè aſſentetur. &c.

¶ Poetarum.

Lucianus. In Adulatores.

Nil homine invenit natura nocentius illo,
Quàm qui ſynceram fingit amicitiam.
Non hoſtis vobis ultrà, ſed habetur amicus,
Talis: & hac tſta lædimur arte crebrò.

¶ Apologorum.

Babrias. Fab. 19. Περὶ Κόρακος καὶ Ἀλώπεκος.

Τὸν τὸν Κόρακ' ἔδακνε, Κερδὼ δ' ἠπάτα,
Εἰ γλῶσσαν εἶχας, ξεῖνος ἦς ὄρνις μέγας.
Εὐδὺς δ' ὁ τέττιξ ἔψευσεν, ἦ δ' ἀτὴν φάγεν.
Ἔχεις κόρακ' ἄπαντα, νοῦν κτῆσαι μόνον.

Επιμύθιον.

Πρὸς τὰς ἐπὶ κολακείαις χαίρουσας.

De Corvo & Vulpe.

Caſeum corvus mordebat ſed Vulpes decipiebat,
Si linguam haberes, eſſes magna Iovis avis.
Continuò verò is eum abjecit, ea ipſum comedit.
Habes Corve omnia, mentem ſolam compara.

Affabulatio.

Adverſus eos, qui adulationibus delectantur.

¶ Emblematum.

Had. Junius. Emblemate XXII.

Vt Leo, quem caci vis lancinat efferа morbi,
Sentit opem, ſi Simium edat citam:
Pulponem & dirum ſycophantam qui ejicit aulâ,
Rex viru regnum vacuat gravi.

Batillius. CXVI.

Artem equitandi Principes ſolam diſcunt.

Applaudunt Regi proceres, delictaq; morum
Et comes & cuſtos, ore tacente probant.
Solus adulari neſcit Regemq; receptum
Excutiet tergo, ni benè inhæret, equus.

Batillius, CXVII.

Adulator cùm blanditur Principi captatum venit.

Blandum ut titillat, prius ungue & ſcalpit aſellum,
Poſtmodo quem rabido devoret ore lupus,
Sic & adulator Regis quem captet ad aures
Verba ſecunda ſolet blanditiaſq; loqui.

Idem. CXVIII.

Ab Adulatoribus circumventus.

Qualis arundineo captus modulamine cervus
Conſiſtens jam non mente, memor ve ſui,
Conſiſtet propius, ſic venatoris apertum
Præbeat ut telis inſidiisq; latus;
Talis, blanda juvant quem & dulcia verba morantur,
Aſſentatoris captus ab arte, perit.

Camerarius. VII. Centur. 1.

Nil mihi vobiſcum eſt. Cupreſſus.

Ite leves procul hinc aliorum in prædia blattæ,
Noſter adulantes neſcit amare decor.

Camerarius. VIII. Centur. 2.

Ad medelam. Simia cibus Leoni.

Ipſe ſui eſt morbi medicus leo: vos quoque Reges
Aſſentatores pellite ſponte malos.

Camerarius. XC. Centur. 2.

Nil ſolidi. Chamæleon.

Turpis adulator formas ſe vertit in omnes,
At verax ſimilis mens manet uſque ſui.

Camerarius. III. Centur. 4.

Nocet aſſentatio magnis. Balena piſciculis colludens.

Vilis adulator blandè mentitus amicum
Se ingeret, admiſſus maxima damna dabit.

In Adulatores. Embl. LIII.

Dum mentitur avem, dum Veſpertilio murem,
Muſtelas geminas callida ludificat:
Doctus Adulator pro vento carbaſa vertens,
Temporibus ſervit ſedulus uſque ſuis.
Flor. Schonhovius.

Catſius. Emblemate Ethico L.

Viri infortunati procul amici.

Dum diſtenta cutis pinguedine, ſanguine vena,
Sunt comites homini vermis, & atra pulex.
At ſimul ac lentum mors congelat agra cruorem,
Neuter adeſt: neque enim quo fovеatur habet.
Blandus adulator nitido comes hæret amico,
Lenis honoratam dum vehit aura ratem.
Hunc videas piceis cùm ſors tonat atra procellis,
In medio ſocium deſeruiſſe mari.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Jesus Christus: Magna jam cura ſtudioque referendum, quantopere Adulationis ſeductionisque, quæ falláci laude ſtimuli, ab illuſtrium virorum pectoribus non ſine ratione conſilioque ſummoti ſint. Ut autem à veritatis Magiſtro ordiamur: reprehenſi Phariſæi, abeuntes conſilium inierunt, ut eum in ſermone (ſecundùm Script. phraſim) caperent; mittuntque diſcipulos ſuos cum vectigalium collectoribus (quos Herodianos, quaſi Herodi ſubjectos nominat Matthæus) qui eum hoc verborum lenocinio demulcerent: Magiſter, ſcimus quia veraxes, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum, &c. ad quæ Dominus, cui nihil occultum: *Quid me tentatis hypocritæ?* q. d. Cur veſtra hypocriſi ſolicitatis me, ut vobis placentia loquar? vero accommodatóque nomine Adulationem hypocriſim appellat: cùm per illam ea facere delectet, ut loquitur Auguſtinus ſuper Pſalm. 9. in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudatur operator. *Matth. capit. 22. Marc. 12. Luc. 20.*

Herodes Agrippa: Cùm hujus particulatim meminerint Sacræ literæ, ut poſteris daretur exemplum, quanta ſit Adulationis pernicies, eum hoc loco prætermittendum non eſſe, quamvis fortaſſis à propoſito nobis ordine alienum, judicavi. Cæſareæ itaque dum ludis pro Auguſto celebrandis vacaret, in theatrum proceſſit, amictus veſte regiâ, quæ ſuâ majeſtate ſpectantibus horrorem venerationi mixtum incuteret. Aſſentatores ejuſdem magno clamore Deum conſalutabant; rogantes, ut faveres propitius. Quam impiam adulationem cùm nec caſtigaret nec repelleret, divinam ultionem ocyùs ſenſit, graviſſimis quippe cruciatibus imperitus, oculos quaſi jam in morte gravatos ad amicos convertens; *En ego*, inquit, *veſtra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor; fatali neceſſitate veſtrum arguente mendacium. Et quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior. Actor. cap. 12. & Ioſeph. lib. 19. Antiq. cap. 7.*

Themiſtius dicebat, *Adulatores purpuram magis quàm Deum colere, neque aliqua re differre ab Euripo, nunc huc, nunc illuc,*

atque in contrarium adeò momentum refluente. Nicephor. Eccles. hist. lib. 10. cap. 40.

Iulianus Imperator, Nemini obscurum esse dicebat, *assentatores non Deum, sed purpuram colere, Euripoq; admodum similes esse, qui modò in hanc, modò in illam partem præcipitatur, Socrat. Eccl. hist. lib. 3. cap. 21.*

S. Gregorius: In tanto apud istum pretio fuêre Adulatores, ut cùm suum de illis judicium proferret, dixerit: *Adulator scorpio est, qui palpando incedit, sed cauda ferit. Collig. ex lib. 1. in Ezech. cap. 9.*

Ioan. Dantiscus Episcopus Varmiensis: Hujus quoque de Parasitis & aulicis Gnatonibus judiciũ libet attexere. Ille enim, Actæonis canibus eos comparare solitus, dicebat: *Idem accidit Principibus à Parasitis, quod Acteoni à canibus: ut nempe devorentur ab ijs quos alunt.* Refert *Philip. Camer. in operibus successivis. Georg. Sabinus, & alij.*

Sigismundus Imperator: Ille cùm se Adulatores veluti pestes odisse assereret: Brunenius Neronensis sermonem interrumpens, Tamen, dixit, nullum genus hominum isto magis amas. Cui Imp, *Vincis sanè*, ait. *Ita enim naturâ comparatum, ut, cùm vitandos Assentatores dicimus, tùm maximè illis adhæreamus: nam neque tu tanto tempore mecum fuisses, nisi meis moribus adblandiri assuevisses. Æn. Sylv. de dictis Sigismundi & Friderici Imp.*

Idem: Vni è Proceribus se supra modum laudanti, & diis similem asserenti, alapam inflixit: hoc dicto, *Cur me mordes adulator?* Sciebat egregius Imperator, verum esse quod habet Hugo de S. Victore, Adulatorem amicum in obsequio, hostem in animo, comptum in verbo, turpem in facto, lætum ad prospera, fragilem ad adversa, inflatum ad obsequia, anxium ad opprobria, immoderatum ad gaudia, facilem ad humana, difficilem verò esse ad honesta. *Æn. Syl. lib. 1. Comm. de reb. gest. Alphonsi.*

Ladislaus Polon. Rex: Clarum Sigismundi exemplum; nec minùs tamen illustre Ladislai, qui etiam Assentatores colaphis excipere solitus, causam verò rogatus; *Percutientes*, dicebat, *me, repercutio.* nolebat & ille cum Propheta oleo peccatoris caput suum impinguari. Oleum enim peccatoris, ut exponit Cassiodorus, est dilectio simulata verborum, quæ vocum blandimentis, nostras mentes velut olei pinguedo ingrediens, rigorem veritatis emollit. *Collig. ex Prom. mor. Th. Staplut. serm. 11. Adventus.*

Alphonsus Aragonum Rex: Nulla virtus aut laus, in qua sibi locum non vendicet Alphonsus: ita ut in eum unum omnium virtutum laudúmq; congeries effusa videatur. Adulatores etiam plus quàm hostili loco habuit; & de illis verba faciens, *Sunt*, ajebat, *Adulatores persimiles lupis.* nec malè. nam veluti lupi titillando & scalpendo asinos vorare soliti: sic & illi ad Principum pernicem, blanditiis simul ac mendaciis intendunt. *Ant. Panorm. & Æn. Syl. ille lib. 3 de Gestis, hic de Dictis ejusdem.*

Carolus V. Imp. Nec minùs prudenter prudens ille Imperator hanc assentandi pestem fugiebat. Cùm enim Lutetiæ Parisiorum constitutus, gravi oratione ejusdem laudes in publicum adducerentur, paucis oratori respondit: *Grata mihi est affinis Regis erga me benevolentia; sed laudes illæ mihi attributæ, commonefactiones duntaxat sunt, qualis esse deberem. In vita ejusdem Cythr. & alij.*

Philippus II. Caroli filius: Parentis sui vestigiis inhærens, conceptam à teneris agendarum rerum prudentiam rariùs dicto manifestabat: neque, si id præstiterit, literis consignatam, aut æmulæ posteritati transmissam existimaverim. Interrogatus verò aliquãdo (prout narrantis ore excepi) quo apud eum loco essent Adulatores; *Pejori*, inquiebat, *quàm corvi.* & subdens illud Aristippi, ut est apud Brusonem. *Malim*, ajebat, *in corvos incidere, quàm in assentatores & parasitos.* Videbat Rex sapientissimus, illos corpus tantùm, at hos animos etiam mentesque corrodere: & verum esse illud *Nasonis lib. 2. Trist.*

Impia sub dulci melle venena latent.

Mauricius Saxoniæ Dux: Hic verò Assentatorem conspicatus, dixisse commemoratur: *Stercus domini sui comedit, ut canis.* Notabat autem, ut habet Seneca, Assentatores non tantùm esse dominorum suorum arrisores, sed & arrosores. *Philip. Camer. in locis Manl.*

Fridericus Saxoniæ Dux: Ille ut regni solique, ita & animi mentisque heres; ab illo hominum genere cavendum ratus, dicebat: *Maximè metuendi sunt ii, qui pedibus proximi sunt, ne calces conculcent.* tacitè insinuans, adulantibus proprium, Regum Principúmve auribus propiùs assistere. *Ibidem.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad nimiam assentationem longa servitus via est.
Assentator homines prorsum ex stultis insanos facit.
Affectus veri venenum pessimum assentatio est.
Asper esto adulatori, castiganti moriger.
Assentatio viventeis, mortuos corvus comest.
Assentatione vitia aluntur ac licentia.
Assentare: quæstus is jamnunc multò est uberrimus.
Assentationes arce; si non arces, provocas.
Assentator nare odore circa aliorum prospera est.
Aucupum modo assentator vocem Regem est æmulus.
Aut superbus invidúsve est assentandi nescius.
Cuncta regis assentator scelera pro egregiis habet.
Devenustat veritatem judicii assentatio.
Est perinde anceps si nulla nimia ve assentatio est.
Fas adulari est ei cui mortem inferre haud est nefas.
Fortium mentem ac prudentum etiam aufert assentatio.
In bonis semper secundas ferre adulator cupit.
Initium assentationis dulce, amarum ab exitu est.
In malis semper priores ferre adulator cupit.
Iugis assentationis assecla impudentia est.
Læta adulator, sed amicus proferet quæque tristia.
Liberi naturâ non sunt qui adsentantur regibus.
Longa servitus ubi est, ibi est & assentatio.
Maximæ fortunæ adhæret maxima assentatio.
Maximè sanos quoque mente privat assentatio.
Milite absque glorioso infacetus est Gnatho.
Multa fructum restinguunt, sed præcipuè assentatio.
Nemo adulatur potenti publica causa rei.
Nemo ire obviam regi audet obsito adulatoribus.
Nemo non magè assentator est sibi ipsi quam alteri.
Non amico digna, sed nec libero assentatio est.
Non benè viventem, at pascentem, laudat assentatio.
Non cadit mentes in altas turpis assentatio.
Non tam sæpè opes Regum hostis vertit quàm assentatio.
Nullam adulator suorum stabilem morum sedem habet.
Nulla pestis adulatore pejor adolescentia est.
Omnia adsentare: eis quæstus nunc multò est uberrimus.
Palpantes adulatores quasi tuos hostes fuge.
Post manus lotas utantur reges assentantibus.
Præripit sophista cunctis palmam adulatoribus.
Principem minimè assentator, Principis sortem colit.
Principi malè assenteris, imò vel magnis Deis.
Principio jucunda fine tristis assentatio est.
Principum mentem venenat perpes assentatio.
Quidam adulator tragœdum complet, quidam comicum.
Quos adularis pejores illico ipsos efficis.
Quos palam assentamur, eis clàm non dicimus male.
Regum adulatores cuncta interpretantur mollius.
Rex cum adulatore multo, vitulus est inter lupos.
Rex quis unquam adulatorum vincla rupit integer?
Sæpè dum blanditur ipsa offendit assentatio.
Sæpè reges, sæpè regna, evertit assentatio.
Servilissimum malorum est omnium assentatio.
Servitutis longioris filia est assentatio.
Veritas paucos delectat, plures assentatio.
Veritatis obtenebrat lumen assentatio.
Vocula una adulatoris multum orbi intulit mali.
Vti amico & adulatore pariter aliquo nemo potest.

¶ Jambica.

Amicitiæ quàm similis adsentatio est.
Aures superbas assentatores regunt.
Calumniæ germana est assentatio.
Corrumpitur laus est ubi assentatio.
Crescit morâ Amicitia, interit Adsentatio.
Dic aliquid, ejà, contra, uti simus duo.
Etiam arte flet, cùm luget assentatio.
Fœdat & fastos temporum assentatio.
Gratissima est tyrannidi assentatio.
Iam pro maligno est, qui adsentatur parciùs.
Illam osculamur, quam oppressi sumus manum.
In acumine linguæ amicitia assentantium est.
Iucunda profert, non vera, assentatio.
Magnæ comes potentiæ assentatio est.
Mendacio adulatorum servit veritas.
Minimè virum decet ingenuum adsentatio.
Mordere adulando caris verè improbi est.
Mos est adulari omnium potentibus.
Multis loco humilitatis assentatio est.
Multum potest metus, plus assentatio.
Munit viam ad potentiam adsentatio.
Necessitati juncta est assentatio.
Nunquam pares connectit assentatio.
O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
Pascit canes, adulatores qui fovet.
Plus sæpè nocuit, quàm hostis, adsentatio.
Quidquid loquitur adulator, sal est merum.
Simulationis adulatio emissaria est.
Solum modò amant, haud etiam adulantur, boni.
Stultorum animos tantum inflat adsentatio.
Supinitatis mater assentatio est.
Suspecta valdè est putida assentatio.
Valentior timore est assentatio.
Venter Deus profectò adulatoribus.

Adul-

Adulterii.

§ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Est adulterium, si quis relictâ ecclesiasticâ & verâ cognitione, & de Deo persuasione, accedat ad falsam quæ non convenit opinionē, aut in Deos referens aliquid ex iis quæ sunt genita, & alicujus ex iis quæ non sunt simulachrum aliquod constituens, ad transiliendum cognitionem, vel potius ab ea desiliendum. Ab eo autēm qui est cognitione præditus, aliena est falsa opinio, sicut vera est ei conjuncta & familiaris. Quocirca præclarus quoque Apostolus unam fornicationis speciem vocat idololatriam, consequenter Prophetæ qui dicit: Mœchatus est cum ligno & lapide. Ligno dixit, Pater meus es tu: & lapidi, tu me genuisti. Deinde de cæde consequitur præceptum. Est autem cædes firma ac constans ablatio. Veram ergò de Deo & ejus æternitate orationem qui vult auferre, ut falsum inserat, dicens vel universum nullâ regi providentiâ, vel mundum esse ingenitum, vel negans aliquid ex iis quæ sunt firma ac stabilia in vera doctrina, is est pernicioſissimus. *lib. 6. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Quid causæ fuit, inquiunt, cur mulierem coërceret, marito contra indulgeret, eumque liberum relinqueret: & mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur, acerbissimisque legum pœnis excrucietur: vir autem, qui fidem uxori datā per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius sit? Hanc legem haud quaquam probo, hanc consuetudinem minimè laudo. Viri erant, qui hanc legem sanxerunt: ac propterea adversus mulieres lata est. Quandoquidem & filios paternæ potestati subjecerunt, infirmiorem sexum inultum atque incuratum reliquerunt. At Deus non sic. *Orat. 31.*

D. Greg. Nyssenus: Faciamus in fœminis unam esse formâ integrâ, quæve digna sit, ut ametur; ideòque quoniam regis conjugio conveniret, à quibusdam impudicis hominibus egregiam ob formam ei insidias poni: hæc sanè quàm diu in eos omnes, qui sibi vitium offerre student, inimico est animo, remq; ipsam vero marito indicat, mulier est pudica, quæve solius viri sui honori servit: nullúmque propterea cum ea locum habent petulantium hominum insidiæ. Sin autem ex iis, qui insidiantur, uni consentit, non sanè à pœna illam liberat pudicitia, quam in aliis præ se fert.

Ad damnationem enim sat est vel unius labe cubile deturpatū. Eodem modo animus is, qui Deo vivit, non ullis rebus se obiecta verit, quæ sibi ex errore quodam non veram honesti speciem præbent: sin ex aliqua affectione vitii maculam cordi contraxerit, spiritalis ipse matrimonii jura rescidit: atque, ut in divinis literis scriptum extat, in animam malevolam non intrabit sapientia. Pari ratione nos verè dicere possumus, in animo irarum invidiæq; pleno, quíve ejusmodi aliquo peccato irretitus tenetur, fieri non posse ut in eo bonus sponsus inhabitet: quæ enim consilii ratio conciliabit id, quod natura inter se alienum non cohæret, neq; ullo societatis jure illigatum est? *cap. 15. de Virginitate.*

Chrysostomus: Quoties adulterum condemnas, interim autem ipse es adulter; ut te nullus homo judicet, quod ad rei damnandi judicium pertinet, contra te sententiam tulisti. *Homil 5. ad Rom.*

Chrysostomus: Seu reginam corruperis, seu ancillam tuam quæ viro nupsit, par est crimen. Quare? Quoniam non personas quæ injuriâ afficiuntur ulciscitur? sed seipsum. Tu enim similiter es pollutus. Deum similiter affecisti contumeliâ. Nam & hoc & illud est adulterium. Nam & hoc & illud est matrimonium. Etiamsi non adulterium admiseris, sed sis scortatus, etiamsi maritum non habeat mulier, Deus tamen vindicat, quoniam seipsum vindicat. Non enim tam illum quàm Deum despiciens hoc facis. Ex illo autem est perspicuum, quod illum quidem latens facis, Deum autem non videre præ te fers. Nam dic mihi, si quis purpurâ ab imperatore dignatus, & alio honore plurimo, & jussus vivere pro honoris dignitate, recedens aliquam vitiasset mulierem, quémnam affecisset contumeliâ, illámne, an imperatorem qui dedit? Nam illa quoque affecta fuit contumeliâ, sed non similiter. Quamobrem rogo caveamus hoc peccatum. Sicut enim nos uxores punimus, quando nobiscum habitantes seipsas aliis dederint, ita nos quoque punimur, si non à legibus Romanorum, à Deo quidem certè. Etenim hoc quoque est adulterium.

Adulterium enim est, non solùm si viro conjuncta mœchetur, sed etsi alligatus uxori. Exactè enim attende quod dico. Hoc non solùm est adulterium quando viro conjunctam corrumpimus mulierem, sed etsi liberam & solutā ipsi alligati uxori, ea res est adulterium. Quid enim si quæ mœchetur non est alligata, tu verò es alligatus? legem es transgressus: injuriâ affecisti carnem tuam. Nam cur, dic mihi, uxorem punis si scortata fuerit cum soluto, & qui non habet uxorem? Quoniam est adulterium. Quamobrem? Atqui qui cum ea est scortatus, non habet uxorem? Sed ipsa viro est alligata. Ergò tu quoque alligatus es uxori. Quamobrem & quod à te fit, est similiter adulterium. *Homilia 5. ad Thessalonicenses.*

Chrysostomus: Unicuique Deus tribuit uxorem: natura constituit terminos, nempe cum una concubitum. Quamobrem, qui est cum altera concubitus, est transgressio, & latrocinium, & quod per avaritiam & plura habendi cupiditatem infertur damnum: imò verò est gravior quovis latrocinio. Non enim adeò dolemus si nostræ exportentur pecuniæ, ut si nostrum matrimoniale perfodiatur cubile. *Homil. 5. ad Thessal.*

D. Chrysostomus: Quisque, si regis violarit uxorem, sive pauperis, sive servi, pari ratione adulter est; cùm peccatum non personarum differentia, verùm ex voluntate improba id scelus admittentis judicetur. Imò equidem illum magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quàm qui reginam ipsam violaverit. Illic enim plurima irritamenta sunt; puta opes, elegantia formæ, & ejusmodi cætera. *2. Timoth. Homil. 5.*

Isidorus Pelusiota: Christus enim cùm in terram venisset, atq; ipsi hæc quæstio proposita fuisset, non modò Mosem non reprehendit, sed etiam ipsum purgavit, culpam nimirum in eos vertens, propter quos ipse quoque, id quod naturæ congruebat, negligere, atque uxoris repudium permittere coactus fuerat. Dixit enim: Ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, hoc est, ob contumaciam vestram animique pervicaciam. Ab initio autem non fuit sic. Atque ad eundem modum ipse quoque eas, quæ matrimonii legem violant, ejicere jussit: hoc autem nisi contingat, omnia alia uxorum vitia ferre præcepit, imò necessarium esse pronunciavit. Neq; id quidem frustrà & temerè. Nam cætera quidem vitia unumquemque eorum qui matrimonii lege copulantur minimè intuentur: adulterium ad ipsa matrimonii pacta tendit, ac filiorum benè natam indolem, ac nobilitatem contumelia afficit, & cognationes lacerat, ac denique humanam omnem vitam pessundat & evertit. *lib. 3. Epist. 76.*

Idem: Quandoquidem amor ex aspectu oritur, idcirco Christus quoque eum, qui petulanter atque impudicè oculos pascit, adulterum esse pronunciavit: quo videlicet non facinus duntaxat, sed etiam cogitationem prohiberet. Atque ad eundem modum, Lex quidem de homicida, Christus autem de eo quoque, qui irascitur, supplicium sumit. Illa enim manui, hic animæ leges sancit, ac dum radicem oriri non patitur, ramos etiam antè cohibet. Quæ cùm ita sint, oculum & iracundiam velut injecto fræno coërce: ne ille ad adulterium, hæc ad cædem te velut porrecta manu ducat. *libr. 3. Epist. 254.*

Idem: Quoniam per literas quæsivisti, quam ob causam postquam scriptum fuerat: Qui ingreditur ad mulierem nuptam, non innocens erit: dictum sit præterea: Neque omnis tangens eam: Respondeo, ingrediendi quidem verbum usurpasse (Salomonem) de coitu: secundùm id quod dictum est à Sara ad Abrahamum: ingredere ad ancillam meam, & liberos ex ea procrea: Tangendi autem de basiando, aut contrectando. Quanquam enim ista si cum coitu conferantur, peccata esse non videntur: veruntamen veritate judicante ipsa quoque meritò lapsus quidam censenda fuerint. Nam si curiosa contemplatio adulterium esse judicata est à Christo, contrectatio certè multò magis pro adulterio judicabitur. Quemadmodum enim in imaginibus depicti color magis afficit spectatores quàm nuda lineamenta, sic etiam in corporibus comparatum est, ut tactus quàm visus majorem movendi vim habeat. Si igitur aspectus, quamvis subtilior sensus sit ac purior, condemnatus est tamen: non immeritò tactus, ut qui sit crassior atq; impurior sensus, prohibitus est. *lib. 4. Epist. 109.*

Basilius Seleuc. Ubi nunc cum viro compositio de amicitia? ubi animæ tuæ vincula? ubi insolubilium veterum summa potestas? ubi laudatissimi amoris retentio? unà cum marito naturæ pudorem exuisti, ô mulier! Vicisti belluarum feritatem: illæ quidem inditas à natura leges verentur, amant conjugem, & post mortem amorem in marem, qui frequenter concordiæ testis est, non abrumpunt. Nunquam leænæ factum audivimus tuæ libidinis æmulum: reptilium natura nescit conjugii legem violare? Draconum gens ab amoris insania libera est. Nonnulla fama est, quæ turturem miratur ob imitationem hominum, qui vel post fata conjugis torum ut prodat, vi adigi non potest, & quamdiu vivit, mortui memoriam vivere querela indicat. Pudeat te tam perditi amoris, quē coarguunt volatilia: rem perhorresce, quæ supra reptilium crudelitatem est. *in Herodiaden orat. 18.*

Basilius Seleuc. Grave malum fornicatio, & omnino grave, immortali digna cruciatu. Hic etiam mille contrahuntur noxæ. Vitam enim miseram & ærumnosam cogitur traducere, qui talis: nec cum eo meliùs agitur, quàm cum supplicio addictis. Cùm in alienas ædes se immergit cum timore, cum multa trepidatione, omnia suspecta habet, & servos & liberos. Quare hortor, vos hoc morbo liberetis, sin id minùs vultis, templorum adyta ne ineatis. Nam & coopertæ scabie oves, & morbis oppletæ non sunt cum sanis congregabiles; sed à grege abigendæ, dum morbum deponant. Christi enim membra sumus: ne igitur membra meretricis simus. Non est hic locus lupanar, sed Ecclesia. Quod si meretricis membra habes, in ecclesia ne steteris, ne locum ipsum contaminaveris. Nam si gehenna nulla esset, supplicia nulla, quomodo ausis admoveri alteri

post pacta connubia alia, post nuptiales tædas, post liberorum procreationem, post initam societatem? quomodo pudore non absterreris? quomodo non erubescis? Qui post uxorum mortem aliis admiscentur, culpantur à multis, etsi impunè id liceat: tu verò tua vidente, ac vivente alteram introducis præterea? quantæ res hæc libidinis? De talibus illud est: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Minas exhorresce; vereare cruciamenta. Non est in istius usu nequitiæ tantum voluptatis, quantum tibi pœnarum. *Orat. 41. sub finem.*

¶ Latinorum.

D. Hieronymus: Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Deus nobis præcepit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur: apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur. *Epist. 30.*

Salvianus: Quotusquisque est divitum connubii sacramenta conservans? quem non libidinis furor rapiat in præceps, cui non domus ac familia sua scortum sit; & qui non, in quamcunque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis sequatur insaniâ? secundùm illud scilicet, quod de talibus dicit Sermo divinus; Insanientes in fœminas facti sunt. Quid enim aliud quàm de se dictum hoc probat, qui totum pervadere vult concubitu, quicquid concupierit aspectu? nam de concubinis quidpiam dici, forsitan etiam injustum esse videatur: quia hoc in comparatione supradictorum flagitiorum, quasi genus est castitatis paucis esse contentum, & intra certum conjugum numerum frenos libidinum continere. Conjugum dixi: quia ad tantam res impudentiam venit, ut ancillas multi uxores putent. Atque utinam sicut putantur esse quasi conjuges, ita solæ haberentur conjuges! illud magis tetrum ac detestabile, quod quidam matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursum servilis status conjuges sumunt, deformantes sancti connubii honorem per degeneris contubernii vilitatem; non erubescentes maritos se fieri ancillarum suarum, præcipitantes fastigium nobilium matrimoniorum in cubilia obscena servarum: digni prorsus etiam illarum statu quarum se putant dignos esse consortio. *lib. 4. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Cæteri autem & plurimi ferè ac nobilissimi, prope iidem omnes; penè unus gurges, omnium gula; penè unum lupanar omnium vita. Ecquid dicam de lupanaribus? minoris criminis lupanar puto: meretrices quæ illic sunt fœdus connubiale non norunt; ac per hoc non maculant quod ignorant: impudicitiæ enim piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterii non tenentur. Adde, quod & pauca fermè sunt lupanaria, & paucæ quæ in his vitam infelicissimam damnavêre meretrices.

Apud Aquitanos verò, quæ civitas in locupletissima ac nobilissima sui parte, non quasi lupanar fuit? quis potentum ac divitum non in luto libidinis vixit? quis non se barathro sordidissimæ colluvionis immersit? quis conjugii fidem reddidit? imò quantum ad passivitatem libidinis pertinet, quis non conjugem in numerum ancillarum redegit, & ad hoc venerabilis connubii sacramenta dejecit, ut nulla in domo ejus vilior videretur in maritali despectione, quàm quæ erat princeps matrimonii dignitate? Cogitat fortè aliquis, non ita ad plenum esse ut loquor: habuisse enim illic matres familias jus suum, & dominarum honorem potestatemque tenuisse. Verum est: habuerunt quidem multæ integrum jus dominii, sed nulla fermè impollutum jus matrimonii: & nos modò non quærimus, quæ mulierum potestas, sed quàm virorum corrupta fuerit disciplina. quamvis nec potestatem quidem illic matres familias integram habuisse dicam: quia quæcunque jus connubii inviolatum ac salvum non habet, nec dominium salvum habet. haud multum enim matrona abest à vilitate servarum, ubi paterfamilias ancillarum maritus est. Quis autem Aquitanorum divitum non hoc fuit, quem non sibi ancillæ impudicissimæ aut adulterum aut maritum jure dixerunt. Hîc jam quæro à sapientibus, cùm hæc ita essent, quales putent fuisse illic familias, ubi tales erant patres familias? quanta servorum illic corruptela, ubi dominorum tanta corruptio? morbido enim capite nil sanum est: neque ullum omnino membrum officio fungitur, ubi quod est principale non constat.

In domo autem sua dominus quasi corporis sui caput est, & vita ejus cunctis quasi norma vivendi. Pessimumque est in hoc negotio, quod libentiùs omnia deteriora sectantur; & faciliùs mala institutio damnat bonos, quàm bona emendat malos. Porrò cùm etiam boni atque honesti patres familias famulos bonos facere non possint, quantam illic putamus fuisse labem familiarum ubi domini erant impuritatis exemplum? quamvis non exemplum illic tantummodò fuerit, sed vis ac necessitas quædam: quia parere impudicissimis dominis famulæ cogebantur invitæ; & libido dominantium necessitas subjectarum erat. Ex quo intelligi potest, quantum cœnum impudicarum sordium fuerit, ubi sub impurissimis dominis castas esse etiamsi voluissent, fœminas non licebat. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

Chrysologus: De adulterio non nisi turpis debuit procreari. *sermone 174. pr.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Lysias: Hujus criminis tàm in populari statu, quàm in paucorum principatu, eadem minimis adversus maximè potentes constituta est vindicta; ut abjectissimus quisque idem habeat juris quod dignissimus. *cap. 1. Apologia pro cæde Eratosthenis.*

Lysias: Auditis disertis verbis expressum, eum non esse damnandum cædis, qui cum uxore sua deprehensum adulterum hoc supplicio affecerit. Atque ipse Legislator adeò justa arbitratus est esse hæc in conjugum stupro, ut & in concubinarum violatione, quæ conjugibus longè posthabentur, eandem voluerit irrogari mulctam. Nec dubium est, quin, si graviorem novisset vindictam in conjugibus violatis, ea fuisset usurus: Nunc autem cùm majorem invenire non posset, eandem, quæ in concubinis violatis statuta est, usurpari voluit. Recita mihi & hanc legem. Lex. Auditis, viri, legem juberè, ut, si quis hominem ingenuum, aut puerum per vim dedecore afficiat, dupla pœna teneatur: & si conjugatis vim inferat, (propter quas [blanditiis seductas] occidere fas est) eisdem pœnis ut obnoxius sit. Atque ita violentos mitiùs censet puniendos, quàm se insinuantes. His enim mortis pœnam constituit, illis verò duplam. Eos enim, qui vim faciunt, odio haberi censuit ab illis, quibus vis illata est. Qui verò se insinuando persuadent, adeò ipsarum animos pervertere, ut aliorum uxores reddant sibi benevolentiores quàm maritis, & universam domum suæ faciant potestatis, liberos quoque reddant incertos, maritorúmque sint, an adulterorum. Qua de causa, qui legem tulit, mortem ipsis constituit pœnam. *cap. 10. Apologiæ pro cæde Eratosthenis.*

Lucianus: Dicunt ædem illam quæ principio fuit, non esse eam quæ nunc est, sed antiquiorem illam successu temporis collapsam esse: hanc autem quæ nunc est, esse Stratonices opus, uxoris Assyriorum regis. Videtur autem mihi Stratonice illa esse, quam privignus amavit, cujus amorem medici industria deprehendit. Cùm enim hæc ægritudo ipsum invasisset, animi dubius ob malum quod turpe videbatur, silentio premens ægrotabat. Jacebat autem nihil dolens: verùm color ejus omnino immutabatur, & corpus in dies marcescebat. Medicus autem ut vidit ipsum morbi nullum præ se ferre manifestum indicium, cognovit eum amore laborare. Amoris autem occulti multa sunt signa; oculi languentes, vox, color, & lachrymæ. Quibus animadversis hoc fecit. Manu dextra tenebat cor adolescentis, eos verò qui in domo erant, omnes vocabat. Ille ingredientibus cæteris omnibus, erat maximè quietus: at noverca veniente, tùm demùm & colorem mutare, & sudorem emittere incipiebat, & tremore corripiebatur, eique cor subsultabat. Quæ cùm ita fierent, manifesta amoris indicia medico præbebant. Atq; ipsum hoc pacto sanavit. Advocato adolescentis patre, qui de filio valdè sollicitus erat: hic morbus, inquit, morbus non est, sed scelus. Nam hic quidem dolore vacat: sed ipsum amor, & vecordia tenet: eaque expetit quæ neutiquam consequetur, si quidem amat uxorem meam, quam ipsi non sum concessurus. Itaque is istiusmodi prudentia mentiebatur: at pater ilico supplicavit, per prudentiam, & medicinam, filium mihi ne perdas. Non enim sua sponte hoc malo tenetur: sed hic morbus invito illi accidit. Quare tu ne per zelotypiam toti regno luctum excites: neque medicus cùm sis, arti medicæ sis author cædis. Ita ignarus ille, precabatur. Sed medicus, denuò respondit, nefaria moliris, quum mihi conjugem adimere, & medico vim inferre vis. Tu verò quid faceres, si quis uxoris tuæ desiderio teneretur, quando hæc à me postulas? Tum ille ad hæc respondit, fore ut neque conjugi parceret, neque filio salutem invideret, etiamsi novercam expeteret. Neque enim parem esse jacturam, uxorem, aut filium amittere. Quibus auditis medicus, quid me rogas? inquit. Etenim tuam uxorem expetit: & quæ tibi dicebam modò, falsa erant omnia. His itaque pater adducitur, ac filio conjugem relinquit, & regnum. Ipse verò in Babyloniam regionem se contulit, urbemque supra Euphratem sibi cognominem condidit, ubi diem obiit. Hoc pacto Medicus amorem cognovit & curavit.

Stratonice verò hæc cùm adhuc priori marito cohabitaret, somnium tale vidit. Visa est ei Juno jubere, ædem illam in Sacra civitate extruere, & si non pareret, ipsi mala multa comminari. Cujus somnii primùm nullam rationem habebat. Postea verò, cùm gravis morbus ipsam corripuisset, viro visionem narravit, Junonem placare pœpit, ædemque illam promisit se conditura. Ac statim ubi convaluit, maritus ipsam in Sacram civitatem misit, cúmque ipsa pecunias & magnum exercitum, partim ædificandi causa, partim securitatis gratia. Vocato autem quodam ex amicis suis, juvene admodum formoso, cui nomen erat Combabo: Egote, inquit, Combabe utpote probum, amicorum omnium diligo maximè: & cùm ob prudentiam, tùm ob tuam erga me benevolentiam, quam & præstitisti, omnino laudo. In præsentia autem mihi est opus magna fide: quare volo ut tu cum uxore mea profectus, ædificium absolvas, & sacra peragas, & exercitui præsis. Postquam autem redieris, magnum à nobis ho-

bis honorem consequêre. Tum protinus obsecravit Combabus multis precibus ne se mitteret, nec pecunias suis faculeatibus multò majores crederet, nec uxorem, opusque sacrum.

Timebat autem ne zelotypia tandem sibi erga Stratonicen pareretur, ut quam solus inde abducturus erat. Verùm ubi nequaquam fuit permotus, hic secundò supplicavit, ut sibi spatium septem dierum permitteret, ac deinde ablegaret, ubi res maximè necessarias peregisset. Quo facilè impetrato, domum suam abit, & procidens in terram: his verbis lamentabatur. O me miserum! quò mihi hæc fides? quò mihi hoc iter, cujus exitum jam video? Juvenis ego sum, & cum muliere formosa proficiscar: magnamque in calamitatem incidam, nisi omnem mali causam amoveam. Quare opus est ut magnum peragam facinus, quo metus hic omnis curetur. Hæc fatus, mancum se reddidit amputatis virilibus, quæ in vasculo recondit, cum myrrha, melle, aliisque odoramentis: postea cùm illud obsignasset annulo, quem gestare solebat, vulnus curabat. Porrò cùm sibi proficiscendum judicaret, ad regem venit, cui præsentibus multis cùm dat vasculum, tùm hæc dicit. Hoc ego vasculum, Domine, inter pretiosissima domi repositum habui, idque in primis amabam. Nunc autem quando magnum iter ingredior, hoc apud te deponam. Tu verò tutò serva, nam hoc auro potiùs mihi est, pariſque cum animo pretii duco. Et postquam rediero, salvum recipiam. Tùm ille acceptum altero annulo obsignavit: & quæstoribus servandum tradidit. Itaque Combabus exinde iter peragebat. Et cùm ad Sacram civitatem venissent, ædem diligenter extruxerunt, & in opere tres annos exegerunt.

Interim ea evenere quæ metuebat Combabus. Nam Stratonice cum eo diu conversata, eum amare cœpit, mox etiam ejus amore insaniit. Et ajunt, qui Sacram civitatem incolunt, Junonem harum rerum ultrò fuisse causam: ut non lateret Combabi probitas, utque Stratonicen ulciscereturr, quòd ædem non facilè promisisset. Hæc autem principio quidem temperans erat, morbumque celabat, verùm ubi malum hoc factum est majus quàm ut silentio tegi posset, palàm conficiebatur, interdiu flebat, & Combabum accersebat, eique omnia Combabus erat. Tandem cùm nullo pacto malum hoc curare posset: honestam compellandi rationem quærebat. Itaque cùm alii amorem confiteri caveret, eum verò aggredi ipsa vereretur: istud excogitavit: ut vino inebriata cum ipso in colloquium veniret. Pariter autem cum vino ingrediente, & loquendi fiducia accedit: nec admodum turpe est non impetrasse, sed eorum quæ aguntur singula oblivioni traduntur. Ut autem visum est, ita quoque fecit. Postquam ex cœna egressi sunt, ad ædes in quibus Combabus divertebatur, supplicabat, & genua prensabat, amoremque fatebatur.

Ille autem orationem ejus ægrè admittebat, ipsumque opus detrectabat, eique temulentiam objiciebat. At cùm illa magnum quoddam malum sibi meditaturam minaretur, adductus metu rem totam patefecit, & quicquid à se ipso passus esset, enarravit, ipsumque opus in lucem protulit. Stratonice iis visis quæ nunquam futura putasset, à furore quidem illo ita in præsens destitit, amoris autem haud quaquam oblita est: sed perpetua conversatione eum illo, ita infectum amorem solabatur. Hic amor est in sacra civitate, & etiamnum durat. Mulieres Gallos quidem concupiscunt, & mulieres Galli depereunt: nec zelotypus quisquam est, at res valdè sacra censetur. Enimverò hæc quæ Stratonice in Sacra urbe faciebat, regem nequaquam latuerunt. Sed complures venientes accusabant illos, & quæ fierent, commemorabant. Hæc ægrè ferens, quamvis re infecta, Combabum revocavit. Alii verò falsò narrant, Stratonicen, postquam rogata non potuisset consequi, literis ad virum scriptis, Combabum accusasse, tanquam qui ipsam ad stuprum sollicitasset. Et quod Græci de Sthenebœa dicunt, déque Phædra Cnossia, idem & Assyrii de Stratonica fabulantur. At credo neque Sthenebœam, neque Phædram, talia perpetrasse, si Hippolytum Phædra verè concupiscebat. Sed hæc ita se habeant, ut acciderunt. Cæterùm ubi nuntius ad Sacram civitatem pervenit, & accusationem cognovit, Combabus animo confidenti abiit, quia domi defensionem reliquerat.

Eum reducem rex in vincula protinus conjecit, & in custodia tenuit. Postea præsentibus amicis qui adfuerant, cùm mitteretur Combabus, illum adductum in medium accusare cœpit, eique adulterium, & intemperantiam objecit. Et graviter admodum commotus, fidemque & amicitiam appellabat, dicens, Combabum triplicem injuriam intulisse, ut qui adulterium commisisset, fidem violasset, & in Deam impius fuisset, cujus in opere talia perpetrasset. Multi verò qui aderant, coarguebant ipsum, quòd manifestè ipsos congredientes vidissent. Postremò videbatur omnibus Combabus morte mox afficiendus, ut qui capitalia peregisset. Ille verò stabat hactenus, nihil dicens. Sed cùm ad supplicium duceretur, tùm demùm loqui cœpit, & depositum popposcit, dicens, se non contumeliæ nuptiis illatæ causa neci à rege dari, sed quòd ea retinere cuperet, quæ abiens apud illum deposuisset. Ad hæc vocato quæstore, rex ea jussit afferre, quæ ipsi custodienda dederat. Quibus allatis, resignato sigillo Combabus, ea quæ inerant monstravit, & quæ ipse à se passus fuisset, exposuit, dixitque, O rex! ego ista veritus, quum me ad hoc iter mitteres, invitus ibam: at postquam magna necessitate à te compulsus fui, talia feci, utilia quidem domino, sed mihi non fœlicia. At verò talis cùm sim, in viri crimen adducor. Quibus obstupefactus rex, cùm ipsum est amplexatus, tùm lachrymabundus simul dixit: O Combabe, cur magnum hoc malum commisisti? cur teipsum solus virorum tam indigno facinore deformasti? quæ nequaquam probo, O infœlix! qui talia sustinuisti, qualia utinam neque tu esses perpessus, neque ego vidissem: neque enim ista defensione mihi opus erat. At siquidem Deus ita voluit, primùm quidem, tibi ultio à nobis erit, mors videlicet ipsorum sycophantarum. Postea donum ingens tibi obveniet, aurum multum, argentum immensum, Assyriæ vestes, & equi regii. Ad nos venies non vocatus, neque te quisquam à nostro conspectu arcebit. non si cum uxore concumbam. Hæc dixit pariter, & fecit. Atque illi quidem ad supplicium ducti sunt: huic verò data bona, auctaque amicitia.

Nec jam amplius Assyriorum quisquam, cùm sapientia, tùm fœlicitate videbatur similis esse Combabo. Postea verò cùm postulasset, ut sibi liceret ædem quantum ejus reliquum erat, absolvere (eam enim reliquerat imperfectam) rursum missus est: ac ædem perfecit, ibique reliquum vitæ tempus remansit. Dedit autem illi rex, cùm virtutis, tùm beneficentiæ causa, ut æreus in templo statueretur: atque honoris gratia Combabus in templo stat æreus, Hermoclis Rhodii opus: forma quidem mulieri similis, vestitum autem virilem gerens. Feruntur & illius amici qui erga ipsum maxima benevolentia fuerunt affecti, in solatium ejus quod ille passus fuit, ejusdem affectionis societatem sibi elegisse. Nam & seipsos castrarunt, eandemque illi vitæ rationem iniverunt.

Alii verò factum hoc inter sacra referunt, dicentes, Junonem cùm amaret Combabum, multos ad se castrandum impulisse. ne solus ille lugeret quòd eviratus esset. Quæ consuetudo ex quo cœpit, etiamnum manet: & multi quotannis hoc in templo castrantur, & evirantur, sive Combabum consolantes, sive Junoni gratificantes. Quare castrantur, nec virilem vestitum ampliùs habent: sed & vestes muliebres gerunt, & muliebria opera conficiunt. Cæterùm, ut audivi, horum causa ad Combabum refertur. Nam illi etiam hoc accidisse traditur. Peregrina quædam mulier ad celebritatem veniens, cùm videret illum & formosum, & veste virili amictum, magno amore capta est. Postea verò cùm spadonem esse cognovisset, sibi ipsi mortem conscivit. Ob quæ Combabus mœrore affectus, quòd in rebus venereis esset infœlix, vestem muliebrem induit, ne qua mulier posthac eodem pacto deciperetur. Quæ causa est cur Galli vestem muliebrem sumunt. *Titulo de Syria Dea.*

Arrianus: Dicente Epicteto, hominem ad fidem servandam esse natum: quam sententiam qui everteret, eum evertere proprium hominis munus; quidam ingressus est Philologus aliquando in adulterio reprehensus. Tum ille: At si omissa ea fide ad quam nati sumus, uxori vicini insidiamur, quid agimus? quid aliud nisi perdimus & everrimus fidelem, verecundum, sanctum? vicinitatem autem non evertimus, non amicitiam, non Rempublicam? qua porrò in statione nosmetipsos collocamus? quo loco te habeam ô homo! An vicini? an amici? quo tandem? an civis? Quid tibi credam? Quod si vasculum esses ita putre, ut tui nullus usus esset, forâs in sterquilinium projicereris, ac ne inde quidem te quisquam tolleret. At homo cùm sis, & nullum humanum locum tueri queas, quid tibi faciemus? Esto te amici locum tenere non posse, servi potes? quis tibi fidem habebit? Non igitur & ipse aliquo in sterquilinium vis abjici, ut vas inutile? *cap. 4. lib. 2. Epicteti.*

Arrianus: Quid ergo? nonne sunt communes naturâ mulieres? Assentior. nam & porcellus communis est eorum qui sunt invitati: sed cùm in partes dissectus & distributus fuerit; tu si tibi videbitur, ascende, & partem ejus qui tibi assidet rape, furare clanculùm, aut immissa manu abligurito. Quod si carne nihil potes avellere, pinguedine imbuito digitos. O egregium compositorem & convivam Socraticum! Age. theatrum nonne commune est civium? cùm igitur consederint, tu adesto ubi visum fuerit, & eorum aliquem ejicito, sic etiam mulieres naturâ sunt communes, Ubi autem legislator, tanquam convivator, eas diviserit, non & tu tuam partem quæres? an potiùs alienam rapies & abliguries? *eod. cap. 4. lib. 2. fine ipso.*

Arrianus: Num appetitui vestro periculum erat? num adversationi? num propensioni? num odio? Non, inquit Agamemnon: sed fratris mei muliercula rapta fuit. Ergo ingens lucrum est, adulterâ mulierculâ spoliari. *capite vigesimo secundo libri tertii, Epicteti.*

Apollonius: Praxiteles Chalcidensis erat homo furiosus. Is venit aliquando gladio cinctus ad meam januam, missus à te Philosopho & Isthmiorum agonotheta. Cædis autem proposita dataque merces erat, uxoris tuæ communicatio. Et scelestissime Basse, ego magna multaque beneficia in te collocavi. *Epistola tricesima sexta.*

Philostratus: Res quidem est eadem & una, sive à marito, sive ab adultero contingat. Quod verò periculo est minùs securum, id gratiam habet majorem. Non enim adeò manifesta potestas exhi-

larat, ut illicita & arcana voluptas. Omne verò furtivum solet esse delectabilius. Sic etiam Neptunus, purpureo fluctui subiit, & Juppiter auro, aquæ, bovi, draconi, atque aliis integumentis : unde Bacchus & Apollo & Hercules existunt ex adulterio nati dii. Dicit autem Homerus etiam Junonem tum eum libenter vidisse & cum voluptate quando cum ea clàm coit. Mariti enim potestatem mutavit in furtum adulterii. *Epist.* 58.

Idem : Adulter & si persuadeat, periculosum sumptum facit, & mœrore plenum, si non impetret. Fœlicitati enim periculum lex minatur. Mœroris autem precium est amor. At satius est iis quæ quispiam concupivit impetratis esse in metu ac solicitudine, quàm spretum & contemptum mœrore confici. *Epistola* 59.

Libanius : Atqui nonnullos dicturos arbitror, mulierem sponte sua comitatam esse: neque Alexandrum ullam feciſſe injuriam : & Menelaum nimium quàm par est officiosum esse, qui fugitivam diligat. Est verò in promptu dicere, Alexandrum quidem injuriam intulisse, dum sequi nolentem rapuit : Menelaum autem quæ decet facere, dum eam quæ invita abiit, habere postulat, Verùm ne in immensum crescat oratio, concedatur volentem lubentem sequutam esse. Ergo ab Alexandro decepta hoc fecit : non enim antehac tale quidquam videtur peregisse. Quare scelus hoc etiam est Alexandri. At multò gravius & pejus est, quòd persuasit ut flagitiosa esset, quàm quod necessitate illata dedecoravit. At enim quæ vim passa est, corpore quidem contumeliam accepit ; animo verò corrupta non est : quin etiam odit eum qui vim intulit ; sed quæ persuasa est admirari, quæ fugere æquum erat, consors est criminum, siquidem improbitatis particeps fuit. Præterea eiusmodi res est, quæ nullam emendationem admittit, labefactatis moribus.

Itaque Alexander utrimque injustus fuit : atque in altero scelleratior comperitur. Enimverò excessu utar, ulteriúsque progrediar. Non deceperit mulierculam Alexander, quin illa nolenti importuna fuerit. Ergò honestè oportuit inhibere errantem, non autem adjuvare iniquè agentem : eaq; gratia hospitis benignitatem remunerare, mulierculæ non favendo, nec operam tribuendo ad ea quæ par non fuit, neque enim societas flagitiorum in his rebus eximit reprehensione eum qui particeps fuit : sed in eodem gradu constituit eum qui obaudivit, atque illum qui exhortatus est. Ac tantum culpæ, quantum operis quisque particeps est. Quamobrem ejusmodi ratio non illum quidem à criminum labe parum facit ; Helenam verò minimè : sed hanc unà cum illo exagitat. Neque moderatior est Alexander, tametsi mulierecula in causa sit. *Oratione Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius : Ut primùm Troja egressus Priami filius, contemptu Jovis hospitalis justitia, oculis injustis vidit Helenam, & mulierecula rapta est in adulterium ; gravis sanè res hæc ei fuit qui perpessus est. Quî enim non foret ? grave etiam ac dirum patri meo fuit Agamemnoni. Tùm Græcorum exercitum communem comparârunt, barbaros nuncupantes, & adulterium exagitantes. Hinc Græcia commota est, & omnia contra Asiam processerunt, non unius fœminæ gratiæ (quæ enim illius cura fuit eis, qui nihil quidquam damni acceperunt ? sed Græco more sapiebant, & adulterii nomen abominabantur. *Oresti oratione pro patre.*

Libanius : Horrenda res est adulterium, quod etiam per se humanam vitam labefactat, & progreditur quoq; ad cædem maximè necessariorum. Omnibus autem malis in unum coactis, nonne majus & gravius in se habet ? quod status hominum in suspicionem vocat, & genera divellit, & spurios declarat, & mentes dividit, hostes invicem reddens eos qui inter se amicissimi erant. O quot familiarum beatitates evertit ! ô quot per adulterium fœlicia connubia in luctum mutata sunt ! quid porrò etiam maximum omnes censemus, ex iis quæ hostes superiores facti perpetrarent ? contumelias in conjuges, & propinquorum genere cædes, scio vos omnes affirmaturos. Cujus verò gratiâ ferunt arma viri ac bella sustinent ? ut castas uxores habeant, & certos ac distinctos liberos, & ut parentes legitimi, & verè conjuges vocentur. Qui ergo absurdum non fuerit nos, ut hostes externos repellamus, omnia movere, pecunias erogare, & corpora contemnere : eos autem qui in urbe media, hostilia committant, ac tantò sunt periculosiores, quantò minus ab illis latentibus cavere quis possit, ejusmodi, inquam, viros si quis correptos ulciscatur, duci in prætorium, & accusatorem experiri, quasi crimini verteretur ei, quòd quantum in ipso situm esset, servaret in urbe, continentia, non eos tantùm qui nunc sunt, verùm etiam posteros, exemplo priùs reprimens ; etiam semetipsum probro liberaret, cum talibus conversari non ferendum arbitratus. Quin etiam in ipsos qui plectuntur, beneficium conferret, dum vitæ turpissimæ finem illis imponit : & ignominiæ notæ ab ea quæ patraverant inurendæ sensu eos privaret. *Declamatione quinta.*

Libanius : Quoniam viri tandem uxores frequentare dedignabantur, irretiti à Laide, quædam temperantiam magnam facientes, continere se in statu & habitu suo potuêre ; nonnullæ à natura superatæ, dum Laidis vitam beatam arbitrantur, & pœnas à maritis sumere existimant, venalem formam suam volentibus exponere decreverunt. Hinc ut opinor quidam, ut molestias sibi illatas ulciscerentur, & inimicorum miseriis insidiarentur, illicò ad quod libuit attraxerunt eas, quæ à viris desertæ, Laidis occupationem æmulatione dignam esse credebant. Etenim miram vim habet vir meretrici addictus, & diebus noctes addens, ad mulierem provocandam ad continentiæ neglectum. Num quid mutare naturam potuerunt adhuc mulierculæ, quæ semel suavitates libidinum gustaverint. *Declamatione vigesima quinta, actione de Laide.*

Libanius : Adulter non fuit Halirrhothius, neque conjugium maculavit, neque feminibus injuriam fecit, neque successiones illegitimo satu dedecoravit, neque marito superior voluit esse apud mulierem, in nondum nuptam totum istud patratum fuit, ex quo connubium facere libuit. *Declamationis vigesimæ secundæ fine.*

Libanius : Legis, adulterum deprehensum occidere permittentis, vituperium adulterii confessionem continet. At non ob eam, inquit, causam intercedens accusavi, sed quod legem neque justa neque conducibilia scisscere animadverterem. Quei non justa per Jovem ? non justum est, ut uxor sit ejus qui duxit ? non justum est ut legitimi urbibus liberi procreentur ? quid verò ? nonne etiam perutile est filios parentibus suspectos non esse ? sic certè majore cum benevolentia ad militiam irent. Verùm indemnatum occidere nefas est. Et quid judicio opus est, quando in cubili meo te deprehendi ? quid porrò patefacto malo judicium sortiri ? Quod si qui in alienam domum se contulit, & cum aliena muliere copulatus, loco mariti concubuit, non juguletur statim in lecto, in quo ita protervè salax lascivit ; sed in jus vocetur, & leges meditatus causam dicat ; & qui exposcant inducat : atque is qui talia perpessus est, cùm gladius adsit, concubitum adeò amarum perspectum tôleret, atque adulterum tanquam beneficum, ad fores usque deducat ; hæccine justa ? & æstu animi ad cædem honesto uti justum non erit ? sed postridie perferre consolantes, & terrentes, ajentesque, etiam ne tu locupletem deferes ? non enim malo quodam alio adjuncto discedes ? Quando igitur, dices, si quidem justum hoc fuit, non erat in antiquis legibus ? Quot verò etiam alia, quæ nunc justa sunt, non in legibus antiquis fuêre, quæ procedens tempus invenit ? nonne per singulos, ut ita loquar, menses, vides leges alias abrogatas, alias promulgatas ? cùm res ipsæ talia soleant introducere : quoniam melius est hoc quàm illud obtinere. Nam tametsi planè admirandi ingenii fuerint, qui leges olim tulerant, homines tamen erant. Si verò quid eorum quæ ex usu sunt & in rem, hominis mentem effugerit, quid mirum ? Ergo lex quædam legi præstat, & ob id ipsum aliis omnibus placuit, præterquam tibi. *Declamatione* 33.

Libanius : Ad hoc usque tempus pauperes sapere censebam, qui ducere uxores vellent : tum quia ab ipsa conjuge quid acceptûri essent, quæ & laborantem adjuvaret, & manibus etiam suis aliquid conferret : tum etiam plura à liberis, cùm ad virilem ætatem pervenissent, & senectutem ipsorum sustentarent. At nunc mihi videntur inopes qui conjugium non fugiunt, desipere : ac multò magis egeni qui formosas ducunt uxores : non enim tã sibi ducunt, quàm iis qui eas corrumpere possunt : cujusmodi aliquid etiã à me factũ est. Nam cùm ũxor mea, Judices, venustatem ex flore ætatis aliquã haberet, ob idq; laudaretur, atq; egrederetur sæpè domò, pro necessitate quæ semper aliqua contingebat : quales sunt reculæ pauperecularum mulierum, quæ ancillarum sibiipsis utriq; funguntur officio, hanc igitur cùm ista vidisset, primùm, ut probabile est, admirari, tùm alloqui, deinde amatorios mussitare sermones, & pecunias, & spes : per longum tempus, ut postea sensi, nõ persuadens, ad extremum persuasit : illa autem me quidem despiciebat, & præsentem fastidiebat : & exeunte me gaudebat : ac prorsus manifestè in alium inruebatur. Hic verò tamdiu mea potitus uxore ; atq; ad eam ingrediens, quando tutum ; & quò vellet eam ducens : ac tandem servituti addicta ærumnosæ animæ, & ad omne obsequium comparata, consuetudine insolentiæ, & crapulæ ; nõ poterat latere, ac tum urbs referta fuit ejusmodi sermone : etiã in tonstrinis, & unguentorũ officinis, & in foro : itemq; in ædibus, multus fuit hîc rumor, Adulteriũ audacter cõmittitur per urbẽ. Is aũt qui audet, opulẽtus est de egregio isto viro loquentes. uxore verò sua fraudatus, pauper, nomine meo adjecto. Ego lõgo tẽporis spatio ignarꝰ omniũ degebã : nec. n. inimicorũ quisquã adeò sevus erat, ut exprobratur⁹ accederet. amici aũt taliũ rerũ nuncii esse cunctabãtur, sed rumore increbescente, & infamia summa inusta, visũ est necessariis meis dirũ esse, si nunquã hæc rescirẽ : profecti ad me, & in terrã intuiti & silentio perditu servato, lachrymis fusis, optime virajebant, oportuisset nos habere meliora tibi indicanda : verùm cùm res talia non concedant, quòd ea quæ tibi molesta sint dicturi simus, haud ignoramus : sed id perferre potiùs, quàm tacere, amicorum est.

Tunc sanè commemoraverunt eã, quæ modò vobis declaravi : ut verò extra me fuerim, & ad humum deductus, his auditis, ac propemodũ furiis agitatꝰ, q tunc præsentes aderant sciunt : vix tandem ad me reversus, cogitabã quomodo hunc, aut ulciscerer, aut metu meliorẽ efficerem : & cum animo reputans comperiebam eum qui leges ab initio civitati condiderat, partim quædam pulchrè divisisse, & virtutes quatenus oportuit honoravisse, partim cum iis qui nocentes ac sontes essent, non decorè egisse, & adulteris sanè istis non omne quod par fuit invexisse. Verùm si quis pecuniis alium spoliaverit,

haverit, is conceſſit ut illico ſe vindicando, occideret: & qui id feciſſet, puris ſeceleris habitus eſt. At ſi quis marito conjugem ſurripiat; Illum ejiciens, defer, inquit, & precare Deos ut judicium ſortiaris. interficere vero non conceſſit. quod certè cum multa effeciſſe, adulteria ducerem, legem propoſui, Judices, quæ à prioribus omiſſa ſuppleret; & continentem eſſe cogeret eum etiam qui non ita à natura comparatus eſſet. igitur æqui & modeſti, & inhoneſtis libidinibus ſuperiores, mirabantur, laudabunt, dudum hanc legem aiebant promulgatam eſſe oportuiſſe. verum ſplendidus hic & magnificus, & inopum domos percurrens, cum videret in ſe primum legem latam iri, indignabatur, exagitabat, tremebat, oratores conducebat, verbis jura vincebat: & cum intercedendo vetuiſſet legem ratam fieri, inſectans mecum multis adulatoribus deridebat, cavillabatur, & legis latorem nuncupabat. omnibus autem vociferantibus, quod ipſe arguiſſet ſe adulterii, per hanc præclaram accuſationem; accedo ad ipſum vobiſcum ulciſcendum, ſiquidem certè potuero. at hic ſe perpeſſu aſpera ferre dicit, ſi nullo teſtimonium adverſus ipſum perhibente pereat: etenim civitatem totam nihil eſſe putat, concionatores populares, oratores, privatos, tot tribus, cives, inquilinos, externos: quorum omnium mentibus condemnatus circumvagatur; cum cuncti ab iſto acta, & probè norint & tacere nequeant. verum ſcitis, Judices, & ſæpè dictum eſt, & ſæpè audiviſtis. quod verò quiſquam majus teſtimonium præbeat in judicio, quam quòd qui jus dicunt, priusquam prætorium ingreſſi fuerint, reum condemnarint. *Declamatione 33.*

Libanius: Non hoc dicere licet iſtum tametſi perdite amaſſet, perſuadere haud quaquam potuiſſe, quod pecunia careret. Quis enim veſtrum neſcit ingentem iſtius opulentiam? aurum, ædes, villas, mancipia, pecora, latifundia, uſuras menſtruas. atqui idem vir & amans & diteſcens citò mulierculæ animum pellexerit. Nam nihil tantam vim habet ad temperantiam expugnandam, quàm largiendo progredi poſſe: ſi enim primum tentamentum repulerit, munera veniunt plura, & rurſus totidem alia; & quotidianum incrementum ante victoriam non deſinit. hoc nimirum, Judices, proditores facit, quod immenſo pretio hoſtes emant negotia. hoc ſuadet jura patriæ flocci facere: hoc multa perfecit adulteria. & aliquam jam olim in rerum affluentia degentem, plus habendi cupido pertraxit. Quòd ſi opulenta mulier amplius aliquid ſuſpexit, quid mirum ſi capite cenſi uxor ab auro commota ſit? atque hæc dico, non quod veniam illi concedam (abſit enim ut quidquam mulieri pretioſius ſit marito) ſed quia rationi conſentaneum erat, non locupletem feminam pecuniis ad ſe miſſis perculſam obſtupuiſſe: & acceptis iis quibus egebat, eorum viciſſim quibus datori opus erat copiam feciſſe. hæc tamen de quavis muliere inope non affirmo: enimvero uſuvenit, ut uxor etiam penuria laborans ſit inexpugnabilis: verùm quia opulento qui in ejuſmodi jus violare velit, magnum undequaque adjumentum accedere poteſt, quòd magnas opes paraverit. *Declamatione trigeſima tertia.*

Libanius: Enimvero ſi abſolvatur, quod abſit, & hoc ipſi condonaveritis quis erit, autoritate accepta, qui ſententia metu incutiente, talia patrabat? Non ſoli mihi, Judices, formoſa mulier eſt, ſed fortean etiam quibuſdam veſtrum. ſed enim hic exactè ſcit quot & quibus: ego verò opinor nonnullis eſſe. Timete ergo quibuscunq; pulchra conjux eſt. imo omnes omnino quibus uxores ſunt, formidate. quoniam audio iis qui eo audaciæ elati ſunt, ipſum adulterii flagitium oblectationi eſſe: etiamſi pulchritudine potiri non liceat. quod ſi profecto aliquis etiam Deorum vobis ſponderet, Judices, hunc domos veſtram non inquinaturum, nonne merito mei etiam ſic miſeremini, cui liberi & ſunt & non ſunt? Nam interdum mihi videntur eſſe mei: interdum non mei: & confideo deliberans, expellamne domo, ut non meos? verum educabone, & ſatis meo editos cenſebo? Quòd ſi impendio hoc ita ſe habet (fingamus enim judices) quod ipſos eruet à probris? quis feret cum libertate in repub. verſantes? quis non iis occludet os? quis non abſtrahet à ſugeſto? An verò liberè loqui & concionari audent, qui ne norunt quidem à quibus procreati ſint? neceſſe eſt igitur ut obtecti diſcurrant. & quid liberos commemoro? nonne etiam ipſe vocem amiſi? nam ſi quando in cœtu aliquid quod urbi expediat, & moleſtum ſit quibuſdam, dixero, exurgens aliquid dicet, Egregie verò nobis hic rempubl. ſervabit; prout ſcilicet domum quoque ſuam! ſed uxoris genti & cognationi jus erit conſortij alicujus honeſtioris loci? unde nam? videtis quantum ignominiæ vir unus effuderit? quam ob cauſam, animoſe & opulente? cujus flagitij pœnam iſtam exegiſti? aurumne tibi eripui? an argentum? an veſtimentum? at juxta prædiatua agellum emendo fundi tui angulum abſcidi? horum nihil dixeris, quæ certè facta non ſunt. Cur ergo quod ſolum mihi fuit peculium (uxor enim pauperi poſſeſſio ſola eſt) hoc ſurreptum tenes? formæne decus expetebas? quaſi inter ſcorta hoc non extaret. verum opinor, ſi ſcortillis utereris, neminem contumelia afficeres, neque injurius eſſes, neque faceres ærumnoſum at jucundum erat tibi hæc poſſe: idcoque meretriculas tranſiliiſti, & mihi inſidiatus es. *ſub finem Declamationis trigeſima tertiæ.*

Libanius: Quidnam prohibet, inquit, adultero capto diem dicere? Ad hoc reſpondeo: primùm quidem grave eſt ei qui oſtenditur, tantum mali quod videt ſuſtinere, & continere dextram, præ inſolentia oculis patente, ad cædem properantem. deinde ſæpe res dictis ceſſerunt in prætoris: atque adulter quidem continens videtur; qui autem læſus eſt calumniator. Etenim multa ſunt quæ ſæpè in jus vocatis ſuccurrunt, negotiorum experientia, ejus qui in reatu eſt celebritas, copia patronorum. Quondam etiam alicui canicies & longævitas præſidio fuit; & quem ex aſpectu non diceres in eo deliquiſſe, hic adulteratur cum ea, quam ſuſpectam non haberes. nam pleraq; ſunt maleficia, quæ audita fidem non faciunt, nihilominus committuntur. Iudicio agendum eſt cum adultero? Quid ergo ſi qui defert junior fuerit? quid ſi adulterii convictus patris ætatem auctoritatemque habuerit? non putas hos increpaturos, illos non creditoros, alios demittere, iuſſuros? Quid ſi ad teſtificandum parati, adulterò poſthabeant eum cui injuria facta eſt? nonne neceſſe erit calamitati muliebri etiam calumniæ accedere? *Declamatione trigeſima quarta.*

Idem: Vnde nam putas tam crebra iſta audacter committi adulteria? nonne ex eo, quod adulteri è judiciis facile abſolvantur? Præterea, ſi exactior circa uxores cura adhibeatur, his etiam qui libenter maledicunt ora occludemus. quandoquidem nunc forum talibus implent ſermonibus: hic illius uxorem. Quod ſi quis diffiderit, ſtatim juſiurandum. ille hoc audito, cùm eum qui dixerat cohibere debuiſſet, alteri fit doctor; & hoc progreſſu res famæ tranſmittitur, quam poëtæ deam eſſe affirmant. *eadem oratione.*

Libanius: Ne in jus, inquit, vocaſſet, adulterum qui deprehenderit ſuper muliere, ſed ipſemet necato. Quid hoc evidentius & ſane dum alterum dicit, omnem plane comprehendit, ſive juvenis ſit ſive non, ſeu notus ſive ignotus, ſeu familiaris ſive non, ſeu foris advenerit, ſive ſit intimus: ac nihil prorſus exemit, non genus, non fortunam, non ætatem. Quid hoc juſtius? quàm vero utilis lex ſit, cuilibet clarum eſt. etenim ſcio exercituum præfecturas conſervare civitates; itemque legitimos liberos, ut præmiorum maximum, cunctes ad militiam animoſos facere? verùm ſi liberorum ſatus ſuſpectos quis mihi reddat, ignavum facit militem pro talibus dimicaturum. *Declamatione 34.*

Libanius: Enimverò adulterium mihi omnium minimè ferendum videtur. nihil ita onerioſum eſt, non bonorum ſuo haſta publicatio, non corporis mutilatio, non liberorum interitus, non exilium & oberratio in externa regione, non carnifex, non inſepultum eſſe projectum. Quocirca tyrannidem odi vel maximè, quia ejuſmodi contumelias maximæ oblectationis loco habet. *Declamatione quarta & trigeſima.*

Libanius: Videndum eſt quis tandem ſit adulter, & quænam adulteræ acta ſint. ergo adultero primum opus eſt leonibus, lenis, ancillulis, tum verba ad cupidinem & mulierculæ fraudem affabrè ſtruenda ſunt. idem alia ſæpè dicta, ſi res ita fert tabellis quoque ſuperinſcribit, & libidinem denotat. munera pleraque partim ſtatim profert: partim alia ſe paulo poſt daturum pollicetur. his autem adducta mulier, admittit ſermones, dona, nuncios, epiſtolas, etiam ijs quæ vult ille qui ſcripſit, annuit: deinde pollicitum accipit: ille capit teſſeram, & hunc exitum habet facinus. horum nihil hic prætermiſit, neque egregia illa & pudica filia; neque venuſtus ille ſponſus, meæ potius opulentiæ quam filiæ amator. verùm in ambobus, eorum qui alienum cubile tentant, opera omnia ſunt peracta: & ea, quæ muliere decepta, nunquam deficiunt. ſed ille quidem nuncios & munerum pollicita promiſerat, & qui hæc ferrent, aderant: hæc autem libenter admittebat, & quod ſanè majus, & ſummum eſt, quaſi ſuper pactis congreſſi erant ambo; ac finem habuerat ſcena & fabula. ille adulteri perſona induta latebat: hæc tanquam alienum amplexabatur: ac flagitium fuit, quaſi inter neſcientes peractum. ubi hæc omnia convenerunt, qui, per Jovem, non adulterium fabrica prætentum fuit? quocirca pro filia uſque adeò ſum miſer, & hanc ob rem infortunatus, ut amplioribus non egeam verbis, & conſtet dudum illam pudicitiam prodidiſſe: nam ſi voluntas ubique legibus obnoxia eſt, & quæ conſilij ſunt indagare opere pretium fuerit judicibus: quòd nullus herclè externus eſſet qui deciperet, non arbitror illam ab exiſtimatione patrati adulterii exemptam.

Quandoquidem neque eum qui telum ad occidendum conjecit; ſed non direxit & collimavit, liberat à fama ſicarij, quod minimè lethali ictu percuſſerit: neque eum qui noctu quidem inſidiatus eſt, ut furaretur, cùm antea deprehenſus fuerit, hoc ipſum quòd nihil eripuerit, tanquam innocentem eruet. hoc profecto etiam callidus ille vir noverat, & propoſito adulterium adſcripſit, & tot obtinuit dotes, quoties illa ad alios mentem advertit. & quis nam auſit mihi reclamare adulterum non eſſe qui talia tentavit? ille ipſe quibus filiam meam actis adulterarum condemnavit, his ſemetipſum eorundem reum apertè declaravit.

Etenim non illam quidem excludere juſtum eſt, quæ perpeſſa, quæ decepta, quæ majorem quàm omnes petulantiam

experta est : illum verò qui ita del usit , & totam instruxit contumeliam , indemnem & impunitum esse , & usquequaque manifestum : & non hoc tantùm , sed etiam quod sanè majus est, ex injuria etiam quæstum facere. quòd si non ille adulterorum flagitia exequutus esset , cùr conjugem postea quasi ex legibus de adulteriis de domo expellebat? Neque enim gladij mucrone percuteretur , nisi adesset homicidæ manus : neque mulier adulterii delationem sustineret , nisi ij qui furtim in cubile irrepturus erat , prius exhibitus esset. Deinde quis non abominaretur virum ob nequitiam , in mulierem contumeliosum , sponsum affinitatis hostem , domesticum generis insidiatorem? & qui tanta infamiæ lucrum pusillum antepositi , tamque amarum , & à Diis averruncandum : idque cùm potuisset cum gloria melius comparare & perfrui unà cum uxore , si is sibi temperavisset. quare si adulter fuit , & adulterorum omnium infensissimus , & tanto dignior qui puniatur , quanto etiam magis novum excogitavit scelus : cur non justissimè occubuit,mi homo , & plusquam par est benigne ? *Declamatione trigesima quinta.*

Heliodorus : O Cnemon,quàm nimirum simplex mihi videris esse,si me ancillam & argento emptam , tecum deprehendi periculosum putas! Qua porrò pœna illam judicabis dignam , quæ se ingenuam esse prædicans,& legitimo jure conjugij cohabitatorem habens denique mortem sibi finem sceleris esse propositum sciens, adulterium committit? *libro AEthiopicorum primo.*

Idem ! Ostendam hodie tibi Demænitam cum adultero , in domo , quod vel maximè indignitatem auget,aliena extra urbem cubantem. *Eod. libro.*

Heliodorus : Mulieres comes , juvenumque cupidæ , implacabiles existunt , & sævam iram concipiunt , cùm sua spe labuntur : & contumaces , tanquam eos à quibus injuria sunt affectæ , meritò ulciscuntur. Nedum ut hæc quiescat,regii sanguinis , magnisque viribus & potentia ; quo illi & honore afficere benevolos erga se, & punire sibi obsistentes impune liceat. *libro 7. AEthiopicorum.*

Heliodorus : Oroodates facile admisit calumniam de uxoris stupro , propter suspicationem quam jam antea de Arsace conceperat , veruntamen molestus ei non fuit ; tum quod manifestum argumentum quo illam convincere posset non haberet, tum quod reverentia generis regij , etiamsi quid suspicabatur , tolerandum & premendum esse putaret. *libro septimo AEthiopicorum.*

¶ Latinorum.

Quintilianus Senior : Non mehercule apud animum meum satis constituere possum , an impuberi adulteros licuerit occidere quo enim tandem modo defenderetur filius tuus , si quis extitisset , qui diceret , Occidisti homines nondum maritus. nec enim vis ista nominis hujusce , appellatione prima consistit : nec satis est maritum tantùm osculo putari.

Postea nudari filium , atque in conspectu judicum constitui coegisset : atque interrogaret , an ille maritus esset , qui fieri pater non posset. Ac si tantùm illi tanquam adultero irascerís , satis erat hoc dicere pro filio tuo : Puto , nondum habebat mariti dolorem. Ad vulnera adulteri , & cædem , & tristissimum occidendi hominis ministerium , magno quodam impetu , & (ut sic dixerim) furore opus est. Nec minor eos concitari , qui veterem matrimonii consuetudinem , qui pudorem cubiculi , qui spem liberorum expugnatam esse credunt : qui illos occultos atque inenarrabiles patiuntur æstus. Non potest uxorem suam sic odisse , qui adhuc amare non potuit. *Declamatione 179. m.*

Quintilianus Senior : Cùm reus agar cædis , nihil fortius confiteor , quàm à me occisos homines : & , si quid numerus quoque adiicere invidiæ potest , duos. Verùm istud non potest videri sævitia , non crudelitas , quæ per leges venit : occidere adulterum licet cùm adultera. Ex alia parte nascitur origo hujus calumniæ : Prægnantem (inquit) occidisti : & supplicia prægnantium , lex differre in diem partus jubet. Ut confiterer hoc esse supplicium , atque eo nomine appellandum : fortiter tamen dicerem , leges omnes quæcunque de suppliciis scriptæ sunt , ad eos pertinere , qui damnati sunt , qui in judicio convicti , qui per ministeria publica , & carnificum manus occiduntur. Nam & cæterorum supplicia ante judicium non solent esse , & non nisi per magistratus exiguntur , non nisi certa lege ordinationum hoc jus scriptum est : mariti dolori hoc jus ille conditor conscriptorque legis hujus , voluit esse privatum. Non magis ergo tempus aut diem præstituisset adultera , quàm manum carnificis , quàm sententiam judicis , quàm imperium magistratus. Quid si ne differri quidem hoc supplicium potest ? non enim dubium est , quin lex de his loquatur , qui quandoque sint in Reipublicæ potestate. Damnatus aliquis, custodia publica continetur , carcere continetur : potest de hoc supplicium sumere magistratus cùm voluerit, Adultera dimissa,non redit in manum mariti.

Nec hoc tantùm in lege est , ut adulteræ supplicium differri non possit : sed illud etiam , ut non tantùm adulteræ pereant. Nam lex cùm occidere mihi adulterum cum adultera permittat, manifestè illud ostendit , non posse eos diversis temporibus occidi : ac si alteri remittatur supplicium , impunitatem etiam alteri dandam. Ergo non solùm prægnantis supplicium , etiam ut sic loquamur , sed etiam adulteri non differendum tantùm sed tollendum omninò fuisset. Quod si hoc quidem supplicium appellari convenit (habent enim omnia hæc nomina suam proprietatē) non semper homo supplicio affectus dici potest : non ubicunque pœnam habent , etiam supplicium est. Nomen hoc , est publicæ animadversionis nomen , exactæ per magistratus pœnæ. Indignum fuit occidere eam,quæ prægnans facta est.

Nondum dico quanto gravius peccaverit ? interim cujus miseretur ? infantis ex adulterio fortasse concepti ? Et , judices , interrogo vos cujus rei gratia legem caviſse existimetis ? illius qui erat conceptus à nocente femina ? non est credibile legem prospexisse ei , cui rerum natura datura fortasse non erat lucem : qui an nasci posset , dubium fuit : qui etiam odium , ex ea quæ conceperat , merebatur. Quare ergo scripta lex est ? pro patribus qui nihil fecerunt. Indignum enim visum est , etiam si mortem meruisset mater , auferri filium innocenti patri. Dixero , Lex pro me scripta erat : non potest videri contra me valere. In hac verò , ne illius quidem , quicunque futurus sit , movere vos miseratio potest. quis enim illum agnosceret ? quis educeret? cùm manifestum esset ex crimine, ex flagitiis , ex are,quæ morte punitur , esse conceptum ? Ipsam verò adulteram adeò oportuit occidi,ut nulli unquam irasci magis leges debuerint.

Ultra commune flagitium est , prægnans adultera. aliqua hoc tempore , quo salvo pudore à marito secubaret , cum adultero volutata est ? Et cùm animalibus mutis , etiam quorum libido ratione continetur ; hæc tamen sit natura , ut posteaquam conceperint , omnem refugiant venerem : matrona ne pudore quidem partus (ut vos dicitis) jam instantis moveri potuit , ut pudicitiam , si non marito , at futuro certo filio præstaret. Illa igitur prior damnavit ventrem suum. Victurus autem fuit ille , si ego adulteram non occidissem. Non novimus hos mores turpissimarum feminarum , ut oderint puerperia ? ut filios , velut indices ætatis suæ , abominentur? *Declamatione 277 pr.*

Quintilianus Senior : An verò parum sancti illi videntur fuisse majores , illi constitutores juris , qui civitates adhuc velut antiquo illo errore confusas , ad certam vivendi formam redegerunt ? illis non est visum nefas , accipere pecuniam : sed etiam hac pœna animadverti putaverunt , sicut pleraque delicta puniuntur. nec enim semper usque ad mortem perveniunt. Credo autem illum , quisquis fuit legis hujusce constitutor , illa intra se cogitasse : Non omnium animos maritorum durare ad sanguinem : esse quosdam mitiores , qui ne conspicere quidem cruorem sufficerent : multi se à gladiatorum vulneribus avertunt : & quanquam nemo dubitet & illud spectaculum in parte esse pœnarum , tamen nequissimorum quoque hominum suprema pericula habent suam gratiam : de spectaculo loquor. Cogitaverunt quantò esset difficilius occidere : ac scierunt futurum , ut si unam hanc mortis pœnam contra adulteros constituissent , sæpius impune committeretur adulterium. Constituerunt ergo pœnam & secundam : prospexerunt infirmioribus , prospexerunt lenioribus. Forsitan cogitaverunt & illud : non omnibus futuras esse vires. ita temperaverunt severitatem,ut vindicaret se quomodo quisque posset. *Declamatione 279.*

Quintilianus Senior : Duo cubilia irruisti , duobus maritis injuriam feciſti , duas familias incerta stirpe confudisti. *Declamatione 310. a. f.*

Quintilianus Senior: Declam. 347 pr. Adulteros fuisse in matrimonio constat.nemo negat. Matrimoniū duobus generibus solvitur,aut repudio, aut morte alterius. Neq; repudiavi, & certe vivo. Sed rumor de morte venit: hæc statim nupsit alieno marito. Quid est hoc aliud,quàm improbius adulteriū? Meæ igitur nuptiæ manserunt , illæ non fuere legitimæ. Legitimum porrò matrimonium , nisi soluto priore , esse non potest. An opinione contenti sumus ? Isto genere etiam si cædis absolvar , omnibus tamen periclitor bonis. quippe testamentum meum lectum est , & uxor omnium bonorum heres inventa est. Et ego scilicet testamento meo exheredatus ? Quòd si jus domini post hanc opinionem retinui , retinui etiam mariti. mihi ad defensionem hoc satis est , licuit. Possitis occisorum fortasse misereri, quòd decepti sunt , quòd illos spes sua fefellit. Adulteri tamen fuerunt , etiam si ignoraverunt. An ego si ignorassem , quod liceret, non occidissem? utrum domum meam non fui intraturus? an me in alium cubiculum,juxta adulteros meos collocaturus ? an cùm venissem in cubiculum , & jacentem cum adultero uxorem meam deprehendissem, excitaturus tantum. quid deinde recepturus ne, an cessurus.

Si talem

Si talem habiturus eram animum, dij, gratias ago quòd nocte veni. Vos profectò, dij conjugales, hanc illi mentem dedistis, ut domum in dotem daret, ut eadem familia excubaret: ut is janitor esset, qui me admitteret: ut reversus denique nihil novi invenirem, præter adulteros. Ergo uxor sic à me amata, testamento relicta heres, auditâ morte mariti, non inquisivit ubi periissem: non aliquos certiores nuntios, non reversuros à supremis officiis servulos expectavit: sed festinatò quoque nupsit, & in novæ libidinis amorem, mea judicia protinus transtulit. in eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto? adeo mariti prioris etiam memoria abierat. Desij ista mirari, cùm adulterum vidi juvenem, propter quem tam diu viduae esse non posset, quàm diu peregrinari poteram ego qui uxorem sic amavi. Temerè profectò, temere in longius iturі iter conjuges nostras domi relinquimus, subitò absentiũ oblivisc untur, & penè cum ipsis toris uxorum pectora refrigescunt.

Quintilianus Senior: Quemadmodum pauper uxorem divitis inimici corrupit? alieni facti a me rationem exigis. Qui scio, an hoc genere vindicare se voluerit qui aliter non poterat? pauper, inquit, fuit. quasi tantùm pretiis mulieres corrumpantur, præsertim divites imò illecebris & blandiciis magis capiuntur. *Declamatione 379. a. f.*

Calpurnius Flaccus: Ego pædagogus filius tuum adulterum feci: credo luxuria mea, servus novicius, & pauper antequam servus. Multa pater largiebaris, indulgebas omnia; nihil unquam negabas. *Declamatione 17. f.*

Calpurnius Flaccus: Habet adulter pœnam suam; cruciatur conscientiâ, pudore torquetur; & si interim tectus evasit, inveniet illum postremo vel fama. *Controversia 47.*

Plinius Iunior: Sequenti die audita est Gallita adulterij rea. nupta hæc tribuno militum honores petituro, & suam & mariti dignitatem centurionis amore maculaverat. maritus legato Consulari: ille Cæsari scripserat. Cæsar excussis probationibus, centurionem exauctoravit, atque etiam relegavit. Supererat crimini, quod nisi duorum esse non poterat, reliqua pars ultionis. sed maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris retardabat, quam quidem etiam post delatum adulterium domi habuerat, quasi contentus æmulum removisse. Admonitus ut perageret accusationem, peregit invitus. sed illam damnari etiam invito accusatore necesse erat. damnata, & Iuliæ legis pœnæ relicta est. *Epist. 31. libri sexti.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus: Carm. 2. de virginitate.

Rebus in humanis etenim mage noxia pestis
Nulla est, nec gravius quæ mollia pectora vexet,
Quam non legitimum lectum versutus adulter
Dum petit, & dubio fœcundat semine mœcham.

Plautus Asinariæ 5. sc. 1. v. 6.

At scelesta, ego prater alios meum virum fui rata
Siccum frugi, continentem, amantem uxoris maximè.
P. At nunc de hinc scito illum ante omnes minimi mortalem pretij;
Madidum, nihili, incontinentem, atque osorem uxoris suæ.
A. Pol ni vera ista essent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.
P. Ego quoq; hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus.
Verùm hoc facto sese ostendit; qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicam ducat decrepitus senex.
A. Hoc ecastor est, quod ille it ad cœnam quotidie:
Ait sese ire ad Archidemum, Chæream, Cheræstratum,
Clinian, Chremem, Cratinum, Dineam, Demosthenem:
Is apud scortum corruptela, & liberè lustris studet.

Ibidem vers. 21.

Eum etiam hominem aut in senatu dare operam aut clientibus,
Ibi labore delassatum noctem totam stertere?
Ille opere foris faciendo lassus noctu advenit

Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam corruptus, porrò suum corrumpit filium.

Plautus Asinariæ 5. sc. 1. v. 35.

—— Egon' ut non domo uxori meæ
Surripiam in delicijs pallam quam habet, atque ad te deferat?
Non edepol conduci possim vita uxoris annua.
P. Censen' tu illum hodie primum ire assuetum esse in ganeum?
A. Ille ecastor supplicabat me, quod ancillas meas
Suspicabar, atq; insontes miseras cruciabam.

Ibidem vers. 42.

Perij misera! ut osculatur carnifex, capuli decus:
D. Edepol animam suaviorem aliquanto quam uxoris meæ.
F H. Dic amabo, an fatet anima uxoris tuæ? D. nauteam
Bibere malim, si necessum est, quam illanc osculari er.
A. Ain tandem? edepol næ tu istuc cum magno malo tuo
Dixisti in me! si te venias modò domum: faxo scias
Quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.
A R. Ecquid matrem amas? D. egone? illam nunc amo, quia non adest.
A R. Quid cùm adest? perisse cupio. P. amat homo te hic, ut prædicat.
A. Næ illac ecastor fenerato fundatat! nam si domum
Redieris hodie, osculando ego ulciscar potissimum.

Adhuc vers. 76.

—— Surge amator, i domum.
D. Iam obsecro uxor! A. nunc uxorem me esse meministin tuam?
Modò, cum dicta in me ingerebas, odium non uxor eram.
D. Totus perij! A. quid tandem? anima fœtet ne uxoris tua?
D. Murrham olet. A jam surripuisti pallam quam scorto dares?
A R. Ecastor quin surrepturum pallam promisit tibi.
D. Non tales? A R. ego dissuadebam mater. A. bellum filium!
Istoscine patrem æquum moves liberis largirier?
Nil te putet. D. polsi aliud nil sit, tui me uxor pudet.
A. Cano capite te cuculum uxor ex lustris domum rapit.

Fine Comediæ ejus.

Hic senex si quid clam uxorem suo animo fecit volux,
Neq; nocum neq; mirum fecit, nec secus quam alij solent.
Nec quisquam est tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin ubi quidquam occasionis sit sibi faciat bene.

Plautus Bacchid. 4. sc. 8. v. 16.

—— Iube sis me exsolvi citò:
Nam nisi ego exsolvor, jam manifesto hominem opprimet.
C. Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illum cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.
Tum illam quæ corpus publicat vulgo suum,
Faxo, se haud dicat nactam quem derideat.

Plautus Mercatore 4. sc. 5. p.

Ecastor lege durâ vivunt mulieres,
Multoque iniquiore misera quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam.
Id scil. rescivit uxor, impunè est viro.
Vxor, viro si clam egressa est foras,
Viro fit caussa; exigitur matrimonio.
Vtinam lex esset eadem uxori, quæ est viro.
Nam uxor contenta est quæ bona est, nunc viro.
Quei minus vir una uxore contentus siet?
Ecastor faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Vt illæ exiguntur, quæ in se culpam commerent,
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.

Plautus Milite 5. sc. 1. pr.

Ducite istum si non sequitur: rapite sublimem foras:
Facite inter terram atque cœlum ut medius sit: discite dire,
Viden ut istic tibi sit acutus, Cario culter probè.
C. Quin jamdudum gestio mœcho hoc abdomen adimere,
Vt faciam quasi puero, in collo pendeant crepundia.
P. Vbi lubet, distendite hominem divorsum & dispeunite
P Y. Obsecro hercle te, ut mea verba audias, priusquam secer.
P. Loquere, nondum nihili factus. P Y. viduam esse censui;
Itaq; ancilla conciliatrix quæ erat, duebat mihi.

Mox vers. 21.

Iuro per Dionam & Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hic hodie vapularim, jureq; id factum arbitror.
Et si intestatus non abeo hinc, benè agitur pro noxia.
C. Ergo des minam auri nobis. P Y quamobrem? C. salvis testibus.

Vt tete

Vt tete hodie hinc amittamus Venereum nepotulum:
Aliter hinc à nobis, ne sis frustra.

Item versic. 33.

Sic posthac te reprehendero, ego te hic arcebo testibus.
P Y. caussam haud dico.

Plautus Pœnulo 4. sc. 2. ℣. 40.

Quid agis? S. facio quod manifestò machi haud fermè solent.
M. Quid id est? S. refero vasa salva.

Incertus de Lucretia.

Romæ tibi ambiguum mea mors sine teste dedidisset,
Esset utrum ut corpus, sic scelerata anima.
Pro in animam testor scelus haud tetigisse, sed ecce
Vt solum fœdum est corpus, & id fodio;
Qua cruor inflictam labem lavet, & per aperta
Pectora ab invisa sit fuga sede animæ.

Item.

Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egereretur, ait:
Procedant testes me non favisse tyranno,
Ante virum sanguis, spiritus ante deos.
Quam recte hi testes pro me post fata loquentur,
Alter apud manes, alter apud superos.

¶ Emblemata.

Camerarius xciii. Centuria 4.
Sacri concussio lecti.

Vipera en amplexu gaudet murana. Quid ergo
Dissimile his brutis turpis adulter agit?

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ioseph Patriarcha. Quum sustulisset uxor Putipharis, satellitum præfecti, oculos suos in Josephum à Putiphare emtum è manu Ismaelitarum, ut diceret, concumbe mecum, ille renuens dixit ad uxorem Domini sui, *Ecce Dominus meus non cognoscit mecum quicquid est in hac domo, & quæcunque sunt ipsi tradidit in manum meam. Nullus est ei in hac domo major me, neque subtraxit à me quicquam præter te, quatenus uxor ejus es: quomodo ergo facerē malum hoc maximum, & peccarem in Deum?* Genes. 39. 7. 8. 9. Eximius adolescens impudicæ heræ libidini minimè consentiens, pallio quo prehensus fuerat, relicto, effugit, & in victæ castitatis suę præclarum, dedit documentum. Etenim timor Dei, ut quidam piè dixit, est primaria virtus & virtutum custos. Mulier turpissima, cùm sancti adolescentis pudicitiam suis illecebris expugnare nequivisset, tetris eum mendaciis & calumniis onerat & prægravat. Itaque Joseph ob confictum crimen in carcerem innocens detruditur. Grave quidem ei fuit, lædi famam suam, quam pluris faciebat quā vitam: tamen non fit furor toties læsa, ac tot malis pressa, patientia ejus. Fuit itaque Josephi vita cœlum quoddam, lucidissimis virtutum stellis exornatum: erga Deum quidem timoris ac pietatis: erga herum justitiæ, integritatis, fidei & gratitudinis: erga dominam modestiæ, verecundiæ & castitatis: erga seipsum prudentiæ spiritualis, munditiem animæ magna solicitudine & cura custodientis: item, fortitudinis, vitiorum illecebras constanter repellentis, virtute superantis ac evitantis: addo etiam, infracti & invicti roboris animi, pietatis studio adversa quæque tolerantis ac sustinentis. Nam quod relicto vestimento fugiens, vitæ famæque periculum subit, & soli Deo conscientiæ suæ judici ac testi, innocentiam suam, vindicandam permittit, exemplum reliquit omnibus seculis, Dei amorem & conscientiæ integritatem universis hujus vitæ bonis anteferri debere, & quodlibet inustæ infamiæ probrum auxilii divini expectatione perferendum esse. Quare Josephi carcer fuit multarum virtutum illustre gymnasium, patientiæ exploratio, fidei per ipsas miserias pellucentis exercitium, & victoriæ ac triumphorum ejus materia atque occasio. Plura vide apud *Philonem Iudæum, Gregorium magnum, & Sapient. cap.* 10. *vers.* 13. 14.

Iesus Christus. Occultum olim, & abominabile apud veteres illos Sophos, quod hodie (proh dolor) Magnatum ferè ludus est, Adulterium nunc pertractandum. utpote quod tantum humano generi pudicitiæque incommodum adferat; quantum salutis, conjugalis fides præstat. Habet igitur & hoc, qui velut præsentem perniciem animæ detestentur; habet qui amplectantur. Prioris generis ductor sit vera pudicæ castitatis norma ac regula Coæternus Dei Filius: qui Pharisæis ejus discipulos redarguentibus, quòd illotis manibus manducassent panem, ait post multa: *Non intelligitis, quòd omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Matth. cap.* 15.

S. Maria mater Christi. Quis te Virgo castissima meritis laudibus dignè celebret? quæ velut lilium inter spinas, cùm de filij conceptione Archangeli nuntium accepisses, non tam de nuntio incredula, quàm de modo solicita: — *Quomodo*, inquis, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi diceres intra te: Ego meæ virginitatis jacturam facere nolim, & votum de ea in perpetuum servandâ violare. Maluisti certè etiam desponsata, cordis corporisque integritate splendere; quàm dignitatem aliquam quantumvis excellentem cum ejus violatione subire. *Luc. cap.* 1.

Balduinus Flandriæ Comes, qui & Jmperator Byzantinus: hunc enim in tantum ab hoc crimine fuisse alienum constat; ut publicè per præconem bis in hebdomada edici curaverit: *Ne quis in palatio meo pernoctato, qui alienam conjugem contigerit. Nicetas.*

Othocarus Bohemiæ Rex. Minori cum laude, & infra regiam dignitatem hic. de conjugis enim impudicitia monitus; *Lex*, aiebat, *naturæ est, Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent.* verum levitatis incontinentiæq; indicium. insinuat quippe conjugi non esse illicitum fidem violare conjugalem, cùm & ipse idem faciat, alijs feminis abutendo. Cornua quippe facere, communi phrasi idem est quod fallere. *AEn. Syl. lib. 3. Comm. de gestis Alphon.*

¶ Monosticha Trochaica.

AEquè nil dolet quàm stupro pollui famam domus.
Conjugis sua marito fas necare adulterum.
Damnat ipse se ultrò adulter judicans adulterum.
Invenire rure non est, urbs adulteros tegit.
Facilitate adulterorum vertimur in fastidium.
Feli adulteroque quavis usque aperta janua est.
Nomine amicorum hospitumque polluuntur conjuges.
Non amor solùm, ipse nummus est qui adulteros facit.
Rure non est invenire, verùm in urbe adulteros.
Sæpè mulier post mariti mortem adulterum accipit.
Sapius scelus; subinde forma adulteros facit.
Tolli adulteri haud queant si non lupanar auferas.
Turpitudini est patronus crimen calans conjugis.

¶ Jambica.

Adulter animo, adulter est & corpore.
Adulter es de adultera si cogitas.
Adultera uxor pœna maxima est viro.
Adulterij præludium scortatio est.
Adulterium haud minus viri est quàm fœmina.
Adultero heu quam lacera conscientia est.
Adulteros non forma sed scelus trahit.
Circa capillos multi sunt adulteri.
Committi adulterium absque duobus non potest.
Hei quot mala & quanta adsident adulteris.
Impune deprensum neces adulterum.
Plures odora unguenta habent adulteros.

Advocati.

¶ Sententiæ Græcorum.

Synesius: Cui ego litteras commisi, etsi animo philosophus, arte tamen ac professione orator est. Itaque quamdiu Anysius aderat, & Pentapolis supererat, apud nos eam adhuc artem exercebat. Cùm autem pòst discessum tuum insequens nos tempus hostibus vendens, altum causarum silentium intulisset; ad aliud forum navigare constituit, ubi vænalis lingua, quæ sunt oratorum merces, illustrem reddit oratorem. Fac ut illi cuiuspiam viri familiaritatem concilies, cui gentium Jmperium obtigerit. *Epistola. 59.*

Synesius: Nulla alia in vestro foro ditandi sui ratio est, quam si divina omnia & humana jura misceantur, atq; pro libero & ingenuo vetterator aliquis efficiatur. *Epistola centesima.*

¶ Latinorum.

Quintilianus Senior: Has illi artes timuerunt, hanc calliditatem advocatorum. Constituit enim natura arma nequitiæ, per quæ ab ducantur judicum animi. *Declamatione 334. m.*

Seneca: Illud quoque cogita, injuriarum latissimè patere materiam illis, per quæ periculum nobis quæsitum est: ut accusatore submisso, aut criminatione falsa, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæque alia inter togatos lacrocinia sunt. *libro de Injurijs cap. 9.*

Plinius Iunior: Et enim sicut fas est mihi excusare Baticis contra unum hominem advocationem: ita nec fidei nostræ, nec constantiæ convenit adesse contra provinciam, quam tot officiis tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando devinxerim. *lib. 1. Epistola 7.*

Plinius Iunior: Frequens mihi disputatio cum quodam, cui nihil æquè in caussis agendis ut brevitas placet: quam ego custodiendam esse confiteor, si caussa permittat; alioqui prævaricatio est, transire dicenda: prævaricatio item cursim & breviter attingere quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda. nam plerisq; longiore tractu vis quædam & pondus accedit. utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quàm mora imprimitur.

Heic

Hercule mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex Græcis orationes Lysiæ ostentat, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sæpe plurimæ sunt circumcisæ & breves. Ego Lysiæ Demosthenem, Æschinem, Hyperidem multosque præterea: Gracchis & Catoni Pollionem, Cæsarem, Cœlium, in primis M. Tullium oppono; cujus oratio optima fertur esse quæ maxima. Et hercule, ut aliæ res bonæ, ita bonus liber melior est quisque quo major. Vides ut statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modò sint decoræ, nihil magis quam amplitudo commendet. Idem orationibus evenit: quinetjam voluminibus ipsis auctoritatem quandam & pulchritudinem adiicit magnitudo, &c. *lib. 1. Epistola 20.*

Plinius Iunior: Postulatus advocatus à legatis provinciæ Beticæ, seculaque clarissima Senatus assensione, patrocinium eis meum non denegavi. veniebat in mentem, priores nostros, etiam singulorum hospitum injurias accusationibus voluntariis exsecutos; quo deformius arbitrabar publici hospitij jura negligere. *lib. 3. Epistola 4.*

Plinius Iunior: Nigrinus tribunus plebis recitavit libellum disertum & gravem, quo quæstus est, venire advocationes, venire etiam prævaricationes; in libris coiri, & gloriæ loco poni, ex spoliis civium magnos & statos reditus. In fine dixit; petendum ab optimo Principe; ut quia leges, quia Senatusconsulta contemnerentur; ipse tantis vitiis mederetur. Pauci dies, & liber Principis severus, & tamen moderatus. *mox:*

Quàm me juvat, quod in caussis agendis, non modò pactione, dono, munere, verùm etiam xeniis semper abstinui. Oportet quidem quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Jucundum tamen si prohiberi, pudice videas, quæ nunquam tibi ipsi permiseris. Erit fortasse, imò non dubiè, hujus propositi mei & minor laus & obscurior fama, cùm omnes ex necessitate facient, quod ego sponte faciebam. Interim fruor voluptate, cùm alij divinum me, alij meis rapinis, meæ avaritiæ occursum per ludum & jocum dictitant. *lib. 5. Epistola 14.*

Plinius Iunior: Eximitur dies, me gaudente; qui nunquam ita paratus fuit, ut non mora læter. *Epist. 21. lib. 5.*

Plinius Iunior: Suberat edicto Senatusconsultum hoc: Omnes quidquid negotij haberent, jurare prius quàm agerent jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. his enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes & cui vetabantur. peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare: Interim tota civitate edictum carpitur, laudatur, &c. *lib. 5. Epist. 21.*

Plinius Iunior: Avidius Quietus sæpe referebat, præcipere solitum Thraseam, suscipiendas esse caussas, aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. cur amicorum; non eget interpretatione, cur destitutas? quod in illis maximè & constantia agentis, & humanitas cerneretur. cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum referret, bonum an malum induceretur. Ad hæc ego genera caussarum, ambitiosè fortasse, addam tamen claras & illustres. æquum enim est agere nonnunquam gloriæ & famæ, id est, suam caussam. hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiæ tuæ statuo. Nec me præterit, usum & esse & haberi optimum dicendi magistrum. Video etiam multos parvo ingenio, literis nullis, ut benè agerent agendo consecutos. sed & illud quod vel Pollionis, vel tanquam Pollionis accepi, verissimum experior; Commodè agendo, factum est ut sæpè agerem: sæpè agendo, ut, minus commodè; quia scilicet assiduitate nimiâ, facilitas magis quàm facultas, nec fiducia sed temeritas paratur. Nec verò Isocrati quo minus haberetur summus orator, effecit quod infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret impediebatur. Proinde multum lege, scribe, meditare, ut potis cùm voles dicere: dices cùm velle debebis. Hoc ferè temperamentum ipse servavi: nonnunquam necessitati, quæ pars rationis est, parui. egi enim quasdam à Senatu jussus; quæ tamen in numero fuere ex illa Thraseæ divisione, hoc est, ad exemplum pertinentes, &c. *Epistola 29. libri sexti.*

Plinius Iunior: Adsistebam Vareno jam tantùm amicus, & tacere decreveram nihil enim tam contrarium, quàm si ad vocatus à Senatu datus defenderem ut reum, cui opus esset ne reus videretur, *lib. 7. Epistola 6.*

Plinius Iunior: Vix dum conticueramus, & Massa quæstus Senecionem, non advocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse, impietatis reum postulat. *libri Septimi epistola trigesima secunda.*

Plinius Iunior: Occiso Domitiano statui mecum ac deliberavi, esse magnam pulcramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. Porrò inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quam quod in Senatu Senator Senatori, prætorius consulari, reo judex manus intulisset, fuerat alioqui mihi cum Helvidio amicitia, quanta potuerat esse cum eo qui metu temporum nomen ingens paresq; virtutes secessu tegebat. fuerat cum Arria & Fannia: sed non ita me jura privata, ut publicum fas & indignitas facti, & exempli ratio excitabat, &c. *libri 9. Epistola 13.*

Symmachus: Scis nempe in illo forensi pulvere quam rara cognatio sit facundi oris & boni pectoris: cum aut modestum ingenium verecundia contrahit, aut successu eloquens insolescit. *lib. 1. Epist. 37. m.*

Symmachus: Epictetus causidicorum more prolapsus, dum vult impensius placere susceptо, Sabinum probatum omnibus bonis, incauto sermone perstrinxit. *lib. 5. Epist. 41.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 4. sc. 3.

Quid opus est me advocato, qui utri sim advocatus nescio?

Plautus Rudente 3. sc. 6. v. 52.

Verum tamen ibi, ei advocatus ut siem,
Si qui mea opera citius addici potest.

Terentius Adelph. 4. sc. 5.

Ridicule! adversumne illum caussam dicerem:
Cui veneram advocatus?

Terentius Eunuchi 4. sc. 6. fine.

Fac animo hac præsente dicas. CH. faciam. TH. Attolle pallium
Perij! huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro.

¶ Apologrum.

De Rustico per vocem hœdi ad Jurisconsultum admisso.

Fab. 89.

Rusticus quidam gravi lite implicitus, ad quendam jurisconsultum accesserat, ut eo patrono sese explicaret. At ille aliis negotiis impeditus, renunciare jubet, se non posse nunc illi vacare. Quare abiret, alias rediturus: Rusticus qui huic ut veteri, hodoque amico plurimum fidebat, pluries rediens nunquam admissus est. Tandem hœdum adhuc lactantem & pinguem secum deferens, ante ædes Jurisperiti stabat, & hœdum vellicans illum balare cogebat. Janitor qui ex præcepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita hœdi voce, januam illico aperiens, hominem intro re jubet. Tunc rusticus ad hœdum conversus, gratias, inquit, ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tam duras difficilesque esse, quas munera non aperiant. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius CLXXXIV.

In causidicum avarum.

Nostræ tenus fateor, Linus est facundia linguæ.
Et melius causam nemo clientis agit.
At nisi primum illi fulgens colluceat aurum,
Et radians nummus splendeat ante jubar,
Non movet ora Linus, non illa oracula fandi,
Quæsitumque reis denegat auxilium,
Memnoniæ similis statuæ, quam redere fama est
Ad Solis tantum lumina prima sonos.

In malos Causidicos. Embl. XXXIV.

Forenses Rabulas vocavit ille
Togatos benè Vultures; sed illud
Inter hos tamen interest, & illos,
Quòd cadavera Vultures morentur,
Hi vivis quoque detrahant cruorem.
Florent. Schonhovius.

Apophthegmatum Christianorum.

Ludovicus XII. Gall. Rex. Sequitur justa causarum in judicio tutela: quæ veluti benè impensa, bona est & salutaris; ita neglecta & contra regulam probitatis usurpata, ac proprii quæstus sordibus imbuta, portentosa est, & prorsus inepta. Occurrit hoc loco Ludovicus XII. Gall. Rex: qui cùm Lutetiæ moraretur, quoties liliatis subsellijs jus dicebatur, de more intererat; & disertos causarum patronos suo quoque patrocinio fovebat. De illis tamen, non secùs ac de aliis, dicebat: *Tales sutorum artificium sibi vendicant:* causamque subdens, *Quia*, aiebat, *quod sutoris proprium est, alutam dentibus producere; hoc etiam illis, in dilatandis Prudentum responsis, & Cæsarum decretis. P. AEmil. in Vita.*

Idem;

Idem: Pragmaticos Forenſes variis cavillis impetebat. vnde quæſtione aliquando cum Proceribus mota, quid oculis potiſſimùm prodeſſet; illud Auguris illius apud veteres vſurpabat: *Si Pragmaticum, Patronumq; rariſſimè videris.* Ecquis, ait Auguſt. Epiſt. 36. tandem Advocatus reperitur, qui dicat ſuſcepto ſuo: Recipe quod mihi, cum malè adeſſem, dediſti; & redde adverſario, quod ei, me iniquè agente, abſtuliſti? *Ibidem & Annal. Franc.*

Advocatus Anonymus. Fuerat hic magnus, at felix cauſarum patronus: qui eo munere abdicato, religionem amplexus, Cœnobio ob dexteritatem in rebus agendis præficitur. verùm rebus ſibi non tam dextrè ut priùs ſuccedentibus, mirati fratres, cauſam inquirunt. ad quos ille: *Dei timor qui mihi ante oculos facit; quòd tam liberè mentiri non audeam, veluti in ſæculo ſolebam,* imperitè notans, quantum is qui ſæcularium rerum patrocinio ſe dedicavit, veritatis limites tranſgrediatur aliquando, ut propoſitam ſuſceptamque cauſam contra fas tueatur. *Auctor Sermon. convivialium.*

Morio F. Sforti. Aliud ad calcem adjungo; conditionem perſonæ, à qua profectum, non ineptè experiens. Altercabantur coram Franciſco Sforti Mediolanenſium Duce nonnulli: uter eſſet præferendus; Advocatus Medico, an è converſo: quolibet autem ſuas partes exquiſitis argumentis firmare conante, cùm grandis illa difficultas indeciſa remaneret; Morio diſputationem interrumpens, ſententiam dixit: *Non videtis,* inquiens, *ſi quando latro ſuſpendendus, quòd præcedat ipſe ſubſequente tortore?* invrbanâ hac parabolâ, Advocatum Medico præferendum inſinvavit. *Corocetus.*

Civis Dieſtenſis Anonymus. Properanti manus iniicit Dieſthemij Brabantiæ oppidi olim incola & civis. Ille, prout fideli relatu accepi, cùm filium haberet quem ad bonarum artiũ ſtudia educaverat, anxiè ſecum animo volvebat frequentiùs, cui tandem profeſſioni eum applicaret. aliosque ſuper hac re conſulens, hoc modo procedebat: *Si Theologico ſtudio ſtatuiq; ſe dedat; vereor ne lubrica illa ætas, crebris animæ periculis exponatur. neque ſuis etiam caret Medicina incommodis; utpote cujus praxis plena labore & periculis. Ad Iurisprudentiam itaque confugiat neceſſe. E tribus malis eligatur quod minus eſt. Quippe ſatius, ut crumenas ſuis emungat nummis; quam vitâ corpus proximi: æternâ retributione propriam, & aliorum animam.* Verumtamen huic judicium ſuum & mens eſto. longè aliter Greg. ſuper Ezechielem: Iuſtus Advocatus à nullo injuſtas cauſſas accipit; nec verba dare pro juſtitia conſuevit. *Incerti auctoris.*

¶ Monoſticha Trochaica.

Adverſum illum cauſſam dicerem, cui advocatus venerã?
Advocati implere munus, majus eſt quam judicis.
Advocatis frons perfricta, mens quidem at perfrictior.
Advocati non eſt, hinc ſtare, illinc cauſſam dicere.
Cauſſidicina, erucæ adinſtar, omne quod viret vorat.
Ex malis aliorum orator improbè auget res ſuas.
Fatuitas hominum advocatis optimam vitam facit.
Hæc tu etſi perverſe dices; facilè Achivos flexeris.
Impudens os advocati eſt? mens eſt impudentior.
Intereant fame advocati, ſi ad nos redeat mens bona.
Ius & æquum advocatorum quando ſervat natio?
Ore ſuto ſibilare tandem vipera deſinit.
Perij; huic ipſi opus patrono eſt, quem defenſorem paro.
Peſſima cauſſa patronis eſt opus vel optimis.
Qui malis patrocinatur, bis poteſt dici malus.
Qui malis patrocinatur, de bono ſit peſſimus.
Sæpius judex, patrono infeſtus, damnavit reum.
Tam mala ulla cauſſa non eſt quin patronum habeat ſuum.
Tollis advocatum omnem, hominum fatuitates ſi auferas
Va populo cui cauſſidicorum pulcra præſtò copia eſt!

¶ Jambica.

Cauſſam tuetur ecquis infelicium!
Cauſſidicus illicò Cercops fit pro libero.
Crumenimulga cauſſidicorum factio eſt.
Cui advocatus es, cauſſam ejus adjuva.
Haud ulla cauſa eſt ingenio male mala.
Iuri officit rabularum anceps oratio.
Ni noſſem cauſſam, crederem vera hunc loqui.
Nullo tuente cauſſa & optima interit.
Nullum vitium ſine patrocinio eſt ſuo.
Nunquam patronus deficit pejoribus.
Perfricta frons rabularum, at mens perfrictior.
Quisquis malum tuetur, ipſius eſt malus.
Qui tibi dat operam, te illi iraſci injurium eſt.
Venale rabulis ipſum item eſt ſilentium.
Vrbes beatas, cauſſidicus miſeras facit.

Plura petantur è titulo Calumniæ, Delatoris, Rabulæ, Patroni.

Ædificij, Ædificationis.

¶ Sententiæ Patrvm. Græcorum.

D. *Chryſoſtomus:* Ne ædes habitemus ſplendidas; nam iter facimus, non habitamus. quamobrem ſi quis novit quod præſens vita ſit quædam via, & ut ita dixerim, foſſatum, non quæret ſplendida ædificia. quis enim quamvis valde opulentus, velit in foſſato præclaras domos ædificare? nemo. eſſet enim ridiculus, & ædificaret inimicis, & ipſos attraheret, quamobrem ſi ſapimus, à foſſato & militia nihil differet vita præſens. *Homilia 23. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Quid tanto ſtudio, quod nihil eſt quæris? quid labores pro nihilo ſuſtines? At ſplendida ædificia conſpicis, eorumque te fallit aſpectus. In cœlum protinus attolle oculos, averſumque à lapidibus & columnis obtutum, ad illam pulchritudinem dirige, animadvertes formicarum iſta eſſe, & culicum opera. Sapienter intuitum ad digniora converte, aſcende cœleſtia animo, inde præclaras iſtas intuere ſtructuras, videbis nihil aliud eſſe, quã parvulorum ludicra. Vidiſti ut ſubtilior, ut levior, ut nitidior; utque illuſtrior ſit ſemper aër, quanto illius celſiora penetraveris? Ibi qui eleemoſynas largiti ſunt, domicilia ſibi, tabernaculaq; conſtruxêre. Iſta omnia in reſurrectione ſolventur, imo etiam ante reſurrectionem, tempore omnia defluunt, pereunt, atque ſolvuntur. Et ante ipſam vero vetuſtatem, quanto majorem ſui gratiam cernentibus præbent, tanto repentino motu terræ proſtrata ſunt, aut incendio conflagarunt. Non ſolum enim in ætatibus hominum, verum & in ſtructuris ædificiorum immatura mors fuit. Et fit ſæpius, ut quæ vetuſtate curioſa ſunt, concuſſa humo immota perdurent: quæ vero inſigni fulgore nitent, fixaque ac nuper inſtructa ſunt, ſolo tonitru agitata ruunt, Deo (ut reor) diſponente, ne ſtructurarum mollibus intumeſcamus. *Homil. 15. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chryſoſtomus: In domo vetere, putredine carieque conſumpta, nemo fulcra ſupponit, neque antiquis ſtructuris connectit, verùm à fundamentis everſam, demum illam de novo erigere atq; renovare contendit. *Homilia 5. Epiſt. ad Titum.*

D. Greg. Nyſſenus: Facit natura ut ſit hominibus neceſſaria habitatio: ſed per hunc uſum voluptas ſubiens per animæ compagẽ, convertit uſum in quandam immoderatam & ſumptuoſam ornamentorum magnificentiam, & traduxit ſtudium ad quædam vineta & piſcinas, & hortos, & hortorum ornamenta. Tanquam ſerpens adrepit voluptas: poſtea autem ſuperbia in verticem aſſurgit, arrogantiaq; & faſtu circumvolvitur, adverſus eos qui ſunt ejuſdem generis ſibi ſubjungens imperium: poſt hæc ſecum attrahit tractum pecuniæ cupiditatis; quam neceſſariò ſequitur intemperantia, quæ eſt ultima & caudæ inſtar obtinens pars feritatis quæ eſt ex voluptate, &c. *Homilia 4. in Eccleſiaſten.*

S. Iſidorus Peluſiota: Te quidem ſplendidam domum, atque omni admiratione ſublimiorem, extruxiſſe ajunt: at interim animam, tanquam viliſſimum aliquod ac nullius omnino pretii, neglexiſſe. Hæc igitur ſcito, te haud probum conſilium inire. Nam domus quidem tua in poſterum quoque avaritiam tuam etiam tacens prædicabit: at anima horridos cruciatus ſuſtinebit. *lib. 2. Epiſt. 156.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Socrates quum diceret eaſdem ædes pulchras & utiles eſſe, docere mihi quidem videbatur, cujuſmodi ſint exſtruendæ. Id autem conſiderabat hoc modo. An non illum, qui domum habere velit, qualem habere convenit, hoc moliri neceſſe eſt, ut habitatu ſit jucundiſſima, & utiliſſima? Quod quum pro confeſſo haberetur: Ergo jucundum eſt, inquit, per æſtatem domum habere frigidam, per hiemem calidam. Quum hoc quoque concederetur: Ergo in ædificiis, ait, quæ meridiem ſpectant, per hiemem ſol in cubicula ſplendet, per æſtatem vero ſupra nos, ſupráque tecta incedens, umbram ſuppeditat. Quamobrem ſi hæc ita fieri bonum eſt, altius ædificanda ſunt ea, quæ meridiem ſpectant, ut ſol hibernus non excludatur: humilius vero, quæ ſeptemtriones ſpectant, ne venti frigidi poſſint incidere. Atque ut res ſummatim indicetur, quo quis ſingulis anni temporibus jucundiſſimè collocet, id vero haud dubiè jucundiſſimum ac pulcherrimum ædificium fuerit. Ceterum picturæ, variique colores, plures delectationes adimunt, quam ſuppeditent. *cap. 23. lib. 3. Memorabilium.*

Epictetus: Noli tabulis & picturis ædes tuas occupare, ſed modeſtiâ, ſobrietate, temperantiâ depingito. quod enim aliundè accedit, impoſturâ quadam ad paſcendos oculos adhibetur. modeſtia vero eſt innatum & indelebile, & perenne domus ornamentum. *apud Stobæum.*

Epictetus:

Epictetus: Elaborare ut gypso candefacta domus in admiratione sit, luxurioſi est: animum verò benignitate liberalitatis illustrare, & splendidi est & humani. *apud Stobæum.*

Dio Prusæus: Quid igitur est, quod ego facere possim, ut liberemini ab penuria, & velim? Aut quamobrem vos ita erga me affecti estis? Quod hercle porticus sub thermis ædificarim, & officinas. Hoc enim est, in quo me nonnulli aiunt injuria affeciſſe civitatem. Et quem unquam aut vos, aut alius hominum reprehendit, qui ipsius villam aut domum ædificasset? An propter hoc frumentum pluris venit? Atqui quinque myradibus emi aream, longè majore quàm justo precio. At ego erubesco, per Jovem atque Deos, si quis civium, (neque enim civitas adeò flagitiosa est) contristatur & invidet, si quem videat porticum aut officinam ædificasse. *Oratione 46.*

Dio Prusæus: Sermones autem facti sunt multi, non à multis verò, & valde jucundi, quòd suffoderem civitatem, quòd vastam reddidissem, prope expellens cives, quòd omnia essent submersa confusaque, quodque nihil reliquum esset. Et erant quidam, qui valde dolebant casum illius, ægrè ferentes si non manerent veteris felicitatis monimenta; tanquam loco moverentur Athenis vestibula Minervæ, aut Parthenonem, aut Samesum aut Heræum nos subverteremus, aut tanquam Milesiorum Didymium, aut templum Dianæ Ephesiæ. At nonne turpes atque ridiculæ sunt ruinæ, multo humiliores casis quas subeunt oves; pastorum autem nullus posset ingredi, neque generosiores canes?

Super quibus vos quidem pudore estis suffusi, erubuistisq; præsidibus ingredientibus, at illi non iucundè erga vos affecti, insultabant, ridebantque, ubi fabris non licebat oculos attollere, sed operabantur cernui, videntes ea cadere & impelli, quæ ad mallei ictum tremebant & divellebantur; attamen erant qui difficulter aspiciebant destructa prioris paupertatis ignobilitatisque signa, non quod illis curæ essent stantes columnæ atque suggrundia, ædificatæque officinæ alioqui; sed ut nunquam vos majores gereretis animos, quàm illi. Benè enim nostis, quod & ædificiis & diebus festis atq; proprij potestate fori, eoque quod non cogantur apud alios pati inquisitionem, neque contribuere, sicuti opinor, vici; his omnibus efferri soleant animi civitatum, majorque fieri populi autoritas, atque plus nanciſci honoris & à peregrinantibus hospitibus, & à præsidibus. Porrò hæc amantibus quidem suam ipsorum patriam, neque metuentibus ne quando illa videantur inferiores, admirabilem præbent voluptatem; eos verò qui contrariè sunt affecti, voluntque inter infirmos multum valere, civitatisque gloriam suum contemptum existimant, necesse est ægre ferre, & invidiosè.

Atqui calceum quidem oportet congruere pedi, & si videatur major, circumcidere; civitatem autem nunquam prohibere oportet majorem fieri, nec quenquam ad se eam applicare, neque metiri juxta suum ipsius animum, si paruo sit atque illiberali præditus; præsertim quum exempla præstò sint. Dico autem Smyrnæorum & Ephesiorum, Tarsensiumque illorum, atque Antiochensium. Atque ego hæc manifestè scio, quod etiam antea quidam audientes rumpebantur, molesteque ferebant, quod tales assuefieretis audire sermones, atque cum tantis civitatibus quis auderet & vestram nominare. *Oratione 46.*

Philostratus: Ciconiæ devastatas urbes non involant, præteritum cladis fragorem fugientes. Tu verò domum habitas, quam ipse diripuisti. Et diis in ea litas quasi inhabitantibus, aut existentibus quidem, oblitis verò, quòd & ipsorum possessionem tenes. *Antonino Epistola 18.*

¶ Romanorum.

Plinius: Idem tam parcus es in ædificando, quam diligens in struendo, itaq; non, ut ante, immanium transvectione saxorum Vrbis tecta quatiuntur. Stant securæ domus, nec jam templa nutantia. satis est tibi nimiumq; (cùm succeſſeris frugaliſſimo Principi) magis reiicere aliquid & amputare ex iis quæ Princeps tanquam necessaria reliquit. præterea pater tuus usibus suis detrahebat quæ fortuna imperij dederat; tu tuis quæ pater. At quàm magnificus in publicum es? hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, &c. *cap. 51. Paneg. ad Trajanum.*

Symmachus: Hanccine mihi esse fortunam, ut quoquo versum pedem gradumque contulerim, exædificandum aliquid offeratur? velut me nunc Capuani Prætorij instauratio in graves cogit expensas: cujus pars fatiscit incuria, pars negligenti dudum celeritate reparata indecorum præstat habitaculum. his nisi properata cura subvenerit, aut pecuniæ postea dispendium cumulabitur, aut ruinæ. Nam quisquis hæc opera intermittit, amittit. Quare animus est amoliri ædium senectutem. Ita desiderato & expetito ocio ad negocium cessimus sumptuosum. *lib. 1. Epist. 4.*

Symmachus: Sed non usque quaque agendarum rerum sumus desides. Nam domi corruptorum parietum discidia sarciuntur: quia frequentationem soliditati conditor primus antetulit, & antiquior ei visa est celeritas utendi quàm securitas succedentium. Vos nova & ævum mansura molimini. Siquidem sermo detulit quædam Lucullanis operibus æquanda feciſſe. Nec tamen vobis impendij magnitudine cesserimus. Par enim sumptus est, semel solida collocare, & sæpè integrare cadentia. *lib. 6. Epist. 70. m.*

¶ Poetarum.

Plautus Mostellar. 1. sc. 2. v. 33.

——— *Magna pars hominum*
Moram hanc induxerunt, si quid nummo sarciri potest,
Vsq; dum mantant, neq; id faciunt, domi cum
Parietes ruunt; ædificantur ædes tota denuò.

Prudentius adversus Judæos.

Destructone jacent Salomonia saxa metallo
AEdificata manu? jacet illud nobile templum.
Cur jacet? artificis quia dextera solubilis illud
Cementum struxit resolubile: jure solutum est
Et jacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoq; perire.
Si nostrum contra quod sit vis noscere templum,
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies pinusve dolata
Texuit, exciso quod nunquam marmore crevit.
Cujus onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arce pependit:
Sed verbo factum Domini, non voce sonora
Sed verbo, quod semper erat, finem nec habebit.

¶ Monosticha Trochaica.

AEdium ex priore parte de interiore judices.
Amphitheatra ne ponantur quam solo firmissimo.
Ante jacta fundamenta frustra ædificium exstruas.
Cui libido est ædificandi, absque adversario interit.
Dum pluit, hominem ade pellet stilla tectum quæ subit.
Extruit labor diu urbem, quem hostis hora una eruit.
Lectulus ferè est communis rectulo uno qui manet.
Promptius demoliaris ædes quam rursum exstruas.
Regulam ad pravam excitari recta fabrica haud queat
Subterraneus rigorem frigorum mollit specus.
Tecto opus homini est ferarum prædane sit morsibus.
Tecto opus homini, ob profani temperamenta aeris.
Vestibulo eleganti & ædes convenit elegantior.

¶ Jambica.

Ardere nescit lignum alumine oblitum.
Cœlum est, manus non victa quidquid condidit.
Deformior formosa in ade oratio est.
Et pulcrior formosa in ade oratio est.

Vide tit. Domus.

Ægritudinis, Animi Corporisve.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Chrysostomus*: Quo imbecilliores ipsi erant, eo magis ad eos se demittebat. Ægrotanti quippe non succenſere, sed opem adferre oportet. *Homil. 18 ad Corinth. 2.*

D. Nazianzenus: Tu fiduciam meam in bonam partem accipias velim; aut certe injurius in me fueris, libertatem mihi adimens, cogensque me conceptum mœrorem, velut morbum quendam malignum & supputridum imo pectore continere. *Epistola 20.*

D. Nazianzenus: Morbo crucior & gaudeo, non quia crucior, sed quia aliis patientiæ sum magister. Quoniam enim id non habeo ut dolore vacem, hoc lucri obiter ex dolore facio, quod perfero, & gratias ago, ut in rebus lætis, ita etiam in acerbis. quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum, apud summam rationem expers rationis esse; tametsi ita nobis videatur *Epist. 69.*

Chrysologus: AEgrotus non quemadmodum curetur imperat, sed tantùm ut curetur implorat. *Sermone 34.*

¶ Philosophorum Oratorumque ¶ Græcorum.

Dio Prusæus: Quod multi quidem à voluptate devincuntur, in causa forsitan est, quod deliniti & incantati, apud eam manent: ægritudini verò succumbere, omnino ratione caret, & admirabile est. Luctu etenim repleti, tortiq; difficilimo omnium tormento, in eo manemus: & rationem, quæ nos liberos facere queat, noſque absolvat à doloribus non admittimus. At verò quid tandem abjectius homine ægritudine affecto, & quid aliud turpius spectaculum? Etenim & corporis opinor crassitudinem contrahit, & tetricum

tricum aſpectuque inamœnum reddit. Non ſolum verò cedere huic animi corruptioni, verùm aliàs etiam quaſdam extrinſecus ſtudioſe comparare, ut nigrum amictum, & manuum complicationes, & humiles cathedras, quo ab his omnibus quodammodo animus compellatur nunquam ægritudine deſiſtere, ſed ſemper recordari atq; ægritudine affici, certum habentes, quaſi nulla futura ſit liberatio hujus, niſi ſemper omnino aliqua perturbationis cauſa appareat, nonne vehementer ſtolidum eſt? Et cauſam ſanè præſtat, aut neceſſarij cujuſdam mors, aut familiarium cujuſdam morbus, aut ſuus cujuſque: ad hæc, ignominia, pecuniarum amiſſio, & rerum neceſſariarum penuria, aut nimia negociorum diſtractio, & periculum, & mille alia quæ in vita contingere ſolent: propemodum neceſſum eſt, horum ſemper aliquid adeſſe. Deniq;, etſi ſciatur tempus, quo nihil occurrat difficile: attamen illius expectatio ſcientiaq;, accidere poſſe, affliget animum eorum qui ità ſunt affecti. Non igitur horum ſingulis afferenda eſt conſolatio (hoc enim effici nequit, & moleſtiarum plena eſt vita) ſed prorſus hæc affectio ex animo eximenda eſt: atq; hoc firmiter judicandum, quod viro prudenti nullam ob rem ægritudo admittenda ſit: unde cætera libere vivere licebit, nihilq; rerum gravium reformidabit. Nihil enim omnium grave eſt: ſed ob opinionem, noſtramq; imbecillitatem tale fit. Quare multi, ſi quid accidit quod abſurdum exiſtimatur, ſemper ejus recordantur, quum gravis ſit memoria perinde affecti ut pueri. Nam & illi ignem tangere cupiunt: & licet vehementer doleant ex tactu, tamen iterum tangunt.

Quemadmodum igitur in bellum exeuntibus nulla eſt utilitas, ſi nudi ad hoſtes accedant, & poſtea telorum volantium unum, quodq; declinare velint (non enim fieri poteſt, ut omnia vitentur) opus eſt autem thorace ſolido, & alia omni armatura, ut etſi telum aliquod incidat, non penetrare poſſit: eò modo & ijs qui in hanc uitam procedunt, poſſibile non eſt ut omnia declinent & evitent, utq; à nullo feriantur eorum quæ ſexcenta in unumquemq; jaculatur fortuna: ſed opus eſt animo firmo, & maxime impenetrabili, nulliq; cedente, aut certè haud facile, quiq; non qualibet à re vulneretur, quandoquidem neceſſe eſt pungi, & plurima accipere vulnera. Etenim qui pedes habent teneros, & penitus non attritos, deinde nudis incedant, nunquam talem invenient uiam, ut non pungantur, doleantq;, quin & levia illis erunt moleſta: exercitatis verò, ne aſperrima quidem via difficilis eſt. Quum tot igitur dura ſint, quæ & corpori noſtro poſſint accidere, quid tandem expectandum eſt? Aut quomodo fieri poteſt, ut is qui unumquodque horum ſentiat, facileq; ſuccumbat, non omnium ſit infelicisſimus Deos ſemper orans ut ne hoc, ut ne illud accidat? Quemadmodum, ſi quis in pluvia vadat, & nullum habeat velamen, ſed ſolummodo optet, ut ſingulas guttas poſſit effugere. at verò longe guttis continentiora ſunt, quæ fortuna immittit, moleſta. An non per Iovem fatuus fuerit, qui navigans non attendat ad clavum, neq; fluctum irruentem fortiter excipiat, ſed precetur, ut nullæ undæ navem tundant? Age igitur ò inanis, etiamſi omnia tibi alia pro voto ſuccedant: at quam tandem habes in diem ſequentẽ vivendi fiduciam, ut non inter omnia quæ bona exiſtimantur, ſtatim auferaris? Proinde de hoc primo te convenit mœſtum eſſe, & rei metuere incertitudinem. Si verò illud conſideraveris, quod nullum ſit omnino certum vitæ tempus, ſed omnes beati, quiq; nimis felices ſunt habiti, defuncti ſint: & tibi jam adſit ille vitæ terminus, etiamſi diutiſſime vivas: magnas putabis eſſe nugas, magnamq; ſtoliditatem, exiſtimare quicquam ex univerſis quę fiunt, grave eſſe, aut magnũ, aut admirabile, præter unum, quod mœſticiæ & timori atque hujuſmodi affectionibus non eſt ſubjectum. Vnam tranſegiſſe diem Jaſonem ferunt, virtute quadam uſum accepta à Medea, deinde (opinor) neq; à dracone neq; à tauris ignem efflantibus quicquam paſſus eſt.

Hæc igitur virtus acquirenda eſt, aque Medea, hoc eſt à prudentia accipienda, ut in poſterum omnia contemnantur. Quam ſi non habuerimus, omnia nobis ignis erunt, & pervigiles dracones. Proinde unuſquiſq; mœſtorum, id quod ſibi accidit, ait eſſe atrociſſimum, maximeq; dignum mœſticia. Etenim & unuſquiſque portantium, ſuum onus ait eſſe graviſſimum. Eſt hoc autem infirmi & mali corporis. Ipſum enim quum alius fortior acceperit, facile ferret, *Oratione decima ſexta.*

Libanius: Et quomodo infirmo & peſſimè habenti, & poſtremum rebus ſuis conſulerè exiſtimanti, prolixo ſermone uſus fuiſſem? qui verò cùm apud ſapientes laudari opportunitatem cernerem, ego ſic intempeſtivum morbo negotium induxiſſem, & febre cruciato importunis dictis caput obtudiſſem? neſcitis, Judices, quanta ægrotis quiete opus ſit? neſcitis à medicis præcipi quieſcẽdum, & ipſis male affectis, & iis qui illis adſiſtunt? ubi ea quoque quæ natura honeſta non ſunt ægrotantibus tædium adferre poſſunt? ſive quis loquatur, ſive taceat; ſive ſtet, ſive conſideat: ſeu rideat, ſive tetricus ſit; ſive exeat, ſive maneat, horum ſingula ægrũ feriunt, eique ſtomachum movent: & malum augent. Danda verò eſt opera in ægroto uſquequaque exhilarando, & ne ulla in re nauſeet, cavendum eſt: idcirco apud ipſos & mentimur & fingimus ſermones quibus oblectentur, & ſi quid injucundum acciderit, occultamus: & quod bonum non eſt, quaſi bonum eſſet, ita aſſerimus: tunc ergo itáne me tecum contendere, pater, parabam? & hæc quæ nunc dixi, tam luculenter exponere, & ut non rectè conſuleres, probare conari, atque animum adiram propenſum inſtigare? & ignem igni addere? & quis nam medicorum aliorumve, ſi morbum incrementum accipere contigiſſet, non in me mortis cauſam tranſtuliſſet? Hic eſt qui morbo vim addidit: dum videlicet filium, quem objurgaverat, apud ipſum laudavit. ferrum quidem patri non intulit: ſed excandeſcentia accenſum profligavit. etenim ſi nunc dum vales, non libenter ſermones admittis; quamvis & qui jus dicunt, & qui circumſtant, me juſta dicere concedant: quemnam tunc te præbuiſſes animo ægrotationis morbique impetu exagitato? nonne vociferatus fuiſſes amovendum expellendumque eſſe, ut verbis te enecantem: & in odio quidem adverſus illum perſtitiſſes; ſingularem verò erga me charitatem in odium convertiſſes? proinde abiiſſem malus iræ medicus effectus. *Declamatione quadrageſima.*

¶ Latinorvm.

Cicero: Cùm conſtet ægritudinem vetuſtate tolli, hæc vis non eſt in die poſita, ſed in cogitatione diurna. nam ſi eadem res eſt, & idem eſt homo; quei poteſt quidquam de dolore mutari, ſi neque de eo, propter quod dolet, quidquam eſt mutatum, neque de eo qui dolet? cogitatio igitur diurna, nihil eſſe in re mali, dolori medetur, non ipſa diuturnitas. *libro 3. Tuſcul. quæſtion. cap. 30.*

Cicero: Vt in cauſſis non ſemper utimur eodem ſtatu, ſed ad tempus, ad controverſiæ naturam, ad perſonam accommodamus; ſic in ægritudine lenienda, quam quiſque curationem recipere poſſit, videndum eſt. *Tuſcul. quæſtion. lib. 3. cap. 33.*

Idem: Vt medici toto corpore curando, minimè etiam parti, ſi condoluit, medentur: ſic Philoſophia, cùm univerſam ægritudinem ſuſtulit, tamen ſi quis error aliunde extitit, ſi paupertas momordit, ſi ignominia pupugit, ſi quid tenebrarum obfudit exilium, ſuccurrit? Interim vult ægritudinem omnem procul abeſſe à ſapiente; quod inanis ſit, quod fruſtra ſuſcipiatur, quod non natura exoriatur, ſed judicio, ſed opinione, ſed quadam invitatione ad dolendum, cùm id decrevimus ita fieri oportere. Hoc detracto, quod totum eſt voluntarium, ægritudo erit ſublata illa mœrens. morſus tamen & contractiunculæ quædam animi relinquentur. hanc dicant ſanè naturalem, dum ægritudinis nomen abſit, grave, tetrum, funeſtum; quod cum ſapientia eſſe, atque habitare nullo modo poteſt. Atqui ſtirpes ſunt ægritudinis quàm multæ, quàm amaræ! quæ ipſo trunco everſo, omnes eligendæ ſunt. *Ibidem, libri ferè extremo.*

Seneca pater: Quæris, quomodo te ſanaverim? non tibi medicus, ſed filius profuit. deſiderio laborabas: gratum tibi erat quidquid meis manibus acceperas. Vt primum intravi recreatus es. quid in te curandum eſſet animadverti. Hæc tua uxor, non eodem morbo laborat. Multa ſunt diſſimilia; ſexus, ætas, animus. Nihil magis ægris prodeſt, quàm ab eo curari à quo volunt. *Epitom. libro 4. Controv. 5.*

Seneca: Medicina ægro, non regio quærenda eſt. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum? non vehiculum navemq; conſcendit, ſed advocat medicum, ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. *Epiſtola 104.*

Seneca: Ægritudo in ſapientem virum non cadit: ſerena enim ejus mens eſt, nec quidquam incidere poteſt quod illam obducat. Nihil æquè hominem quàm magnus animus decet. non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi metus & mæror contundit, ſi mentem obducit & contrahit. *capite 5. de vita beata.*

Seneca: Ægrò tanti in remedium cedunt honeſta ſolatia: & quidquid animum erexit, etiam corpori prodeſt. Studia mihi noſtra ſaluti fuerunt. Philoſophiæ acceptum fero quod ſurrexi, quod convalui: illi vitam debeo, & nihil illi minus debeo. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, ſermonibus, allevabar. Nihil æquè ægrum reficit atque adjuvat, quàm amicorum affectus: nihil æquè exſpectationem mortis ac metum ſurripit. non judicabam me, cùm illos ſuperſtites relinquerem mori: putabam, inquam, me victurum, non cum illis, ſed per illos: non effundere ſpiritum mihi videbar, ſed tradere. *Epiſtola 78.*

Quintilianus: Non exſpectes ut ſtatim gratias agat, qui ſanatur invitus. *Declamatione 15. pr.*

Auſonius: AEgrotantes amicos Trajanus viſere ſolebat; hactenus in eo comitas prædicanda eſt. Tu & viſere ſolitus & mederi. præbes miniſtros, inſtruis cibos, fomenta diſpenſas, ſumptum adiicis medelarum: conſolaris affectos; revaleſcentibus gratum adiicis medelarum: conſolaris affectos; revaleſcentibus graptum adiicis medelarum: conſolaris affectos; revaleſcentibus gratulari. In quot vias de una ejus humanitate progrederis? Legionibus univerſis, ut in communi Marte evenit, ſi quid adverſi acciderat, vidi te circumire tentoria: ſatin ſalvæ: quærere,

tractare vulnera faucium ; & ut saluti eræ apponerentur medelæ, atque ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibum, te commendante sumpsisse. Audivi confirmantia ad salutem verba profari ; occurrere desideriis singulorum : hujus sarcinas mulis aulicis vehere ; his specialia jumenta præbere ; illis ministeria perditorum instaurare lixarum ; aliorum egestatem tolerare sumptu ; horum nuditatem velare vestitu : omnia agere indefessè & benignè, pietate maxima, ostentatione nulla : omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis. Inde cunctis salute nostra carior factus, meruisti ut haberes amicos obnoxios, promptos, devotos, fideles, in ævum omne mansuros ; quales caritas non fortuna conciliat. *Paneg. in Gratia.*

¶ Poetarum.

Oppianus 3. ἁλιευτ. v. 108.

Cùm quis morbo luctuoso animum æstuans
Iam extremum diem videns prope mortem,
Primò quidem cupidus & appetens vitæ
Per omnia valde medicis obsequens est, quæcunque jusserint
Faciens : verùm ubi fata prævaluerint ineluctabilia
Inferni, non amplius de in curæ est ei vita, sed extensus
Cubat, permittens mortiexhaustamembra.

¶ Apologi.

De Auriga & Rota currus stridente. Fab. 84.

Auriga interrogabat currum, quare rota, quæ erat deterior, stridéret, cum cæteræ idem non facerent. Cujus currus : Ægroti inquit, semper morosi, & queruli esse consueverunt.

Hæc indicat fabula, mala solere homines ad querimoniam semper impellere. Abstemius.

¶ Emblemata.

Camerarius lxvi. Centur. 4.

Cum tempore crescit.

Noster sæpè dolor pariter cùm tempore crescit,
Non secus ac Nili bellua vasta solet.

¶ Monosticha Trochaica.

Ægra mens ægrumque corpus, nocte plus dolet die.
Ægra non sunt obterenda, sed juvanda pharmacis.
Ægritudo mentis, urget corporis ægritudinem.
Ægritudo quæq; tandem mitigatur tempore.
Ægrotante corpore anima cuiq; vel sanissima est.
Ægrotare se qui nescit quei queat curarier ?
Curat ægritudo mentem, corpus etsi vulneret.
Corpora ægra sæpè mergit perpusilla accessio.
Corpus ægret omne membris multis ægrotantibus.
Corpus ægrum, vel pusillis concuti offensis solet.
Gratulamur ægris, ægros ipsos se cum sentiunt.
Instar anni & ægrotanti vel dieculaunica est.
Maximè morbis obnoxia omnibus est infirmitas.
Maximum est ægris curari bene volentis dextera
Mentem studio lætiore mulceas male habentium.
Mens ibi est ubi dolorem sentit esse æger suum.
Nil amœni ibi est, voluptatem ægritudo ubi anteit.
Nil ferè est quod ægrotanti tadium non adferat.
Nullus animi morbus est, medicinâ quem non auferas.
Omnes cum valemus recta consilia ægrotis damus.
Pars salutis est, curari ægrum à medico à quo ipso velit
Sæpè non tantùm medicinâ præstat ægro quàm dolus.
Sanitas, opesque, ubi animus æger est, nihil juvant.
Sole nox, mero fugatur tristis ægrimonia.
Sumptuosa mensamentis auget ægritudinem.
Tandem dies homini adimit ægritudinem.
Tangi ab umbra digituli ulcus grandius summi timet.

¶ Jambica.

Ægra medela mentis est oratio.
Ægrescit animi invalido fessus corpore.
An æger animus falsa pro veris videt ?
Animi ægritudo, morbus potentissimus.
Animi dolor, languorem corporis parit.
Animo generoso corpus ægrum non nocet.
Animus malè æger res miserrima omnium.
A quo velis, curari, pars salutis est.
Curanda sunt quædam ægris ignorantibus.
Cuncta voluptas mater ægritudini est.
Curare hominem ægrum, in orbe nil molestius.
Dies hominibus adimit ægritudinem.
Et corpore ægris adsita est morositas.
Etiam vetustas tollit ægritudinem.
Frustra solum mens mutat ægra ; acus sibi est.
Morosa gens est & querula ægrotantium.
Non semper ad ægros admittuntur proximi.
Nulla est voluptas ægrotante corpore.
Nullo ægrotamus genere, ut nullo vivimus.
Omnem dies adimit homini ægritudinem.
Patimur ferè omnes molliter ægritudinem.
Persæpe ægro fecit medicinam oratio.
Quidquid est quod animum erexit, prodest etiam corpori.
Repugnat ægritudo fortitudini.
Si non animo bene est, nec corpori bene est.
Sperare nil concessum ægris nocentibus.
Tandem dies homini adimit ægritudinem.

Plura petantur titulo. *Medicina, Morbi, Æquanimitatis, Tranquillitatis, Doloris, Tristitiæ, Luctus.*

Æmulationis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus :* Scitis æmulationis tyrannidem, quantasq; vires ad omnem contentionem dissolvendam, & ad erigendum languidos ac remissos habeat zelotypiæ natura. Et quid opus est de hominibus istud dicere, quando & in iis quæ ratione non admodum valent, & in puerorum ætate adhuc immatura multam potentiam ostendat zelotypia ? Fit enim sæpenumero, ut puer qui ad patrem vocatus non accedebat, sed contentiosè abnuebat, quam primum viderit alium quempiam puerum patri obsequi, ultrò jam ad paternos fines accurrat, ita ut quod sedula non potuit advocatio, id æmulatio efficiat. hoc igitur & Deus fecit. Non enim advocavit solum, manusque expandit, sed & zelotypiæ passionem in ipsis excitavit, dum eos, qui multo viliores erant (id quod potissimum æmulationem facit) non in ipsorum bona introduxit, sed, quod multo majus est, ac violentiorem facit passionem hanc, in ea quæ multo sunt bonis illorum majora necessioraq; , & quæ illi ne in somnis quidem imaginari potuissent, introduxit. *Homilia* 18. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus : Tu cùm sis homo invides hominibus, & ei qui est ejusdem generis adversaris ; quod ne facit quidem dæmon : & quamnam veniam consequeris ? quamnam autem defensionem & excusationem ; qui contremiscis & palles quando videris fratri res esse secundas, cùm oporteret coronari lætarique & exultare ? Si autem voles eum æmulari, non prohibeo, æmulare : sed ut, sicut ille, in bona sis existimatione ; non ut ipsum deprimas, sed ut ad idem pervenias fastigium, ut eandem ostendas virtutem. Hoc est bona æmulatio imitari, & non bellum gerere ; non dolere de bonis aliorum, sed propter sua mala morderi : cujus contrarium facit invidia. Propria enim mala negligens, propter bona aliena tabescit. Pauper enim non ita sua mordetur paupertate, ut proximi copiis. Quo quid potuerit esse gravius ? Iste enim in hoc, sicut priùs. dixi, est avaro & plura habendi deterior. Nam hic quidem quando aliquid acceperit, lætatur : ille autem quando alius non acceperit, tunc lætatur. Quamobrem rogo & adhortor : ut hanc malam viam dimittentes, & ad bonam transmutati æmulationem (est enim vehemens & quovis igne calidior ejusmodi æmulatio) magna hinc bona percipiamus & fruamur. *Homilia* 31. *ad Corinthios* 1.

D. Chrysostomus : Sed quomodo fieri potest, ut homo in hominem non insurgat ? Neque enim insurgit adversus Angelos, quoniam nec illi adversus Archangelos. Neque rursus bruta plus quàm ego efferri & majores spiritus possunt concipere. Ubi autem par est honore natura, & unum donum, & iste plus quàm ille nihil habet nec superatur, quomodo non insurrexerit ? Imò verò propter hæc non debes insurgere in proximum. Nam si omnia sunt communia, & alter plus quàm alter non habet, undenam arrogantia ? Ejusdem sumus naturæ participes, animæ & corporis similiter, eundem spiramus aërem, iisdem utimur alimentis undénam insurrectio ? *Homilia* 10. *ad Ephesios.*

D. Chrysostomus : Quando exempla proposita sunt magna, est æmulatio vehemens & desiderium. *initio Homilia* 10. *ad Ephesios.*

D. Chrysostomus : Est bona æmulatio, cùm quis sic æmulatur, ut virtutem imiterur. est & mala æmulatio, cùm quis ea facit ut rectè agentem depellat à virtute. *cap. 4. ad Galatas.*

D. Nazianzenus: Heſiodum minime laudo, qui ejuſdem artis opifices Ἀντιτέχνας, id eſt, æmulos adverſariosque vocavit. neque enim mea quidem ſententia, magis invidet quàm accurrit, & exoſculatur, ac veluti familiarem & neceſſarium cõplectitur. Cantor autẽ eo magis cantori adjungitur, quod eorum opera circa vocem ac ſermonem verſatur. Quo etiam ipſe modò erga eloquentiam tuam affectus, ſiquidem ita ſanus eſſem, ut corpus animæ cupiditatibus ſubſerviret, nemo me prior ad te complectendum accurriſſet. Verùm ut Solem nubes obſcurat, ita me morbus. accipies igitur præſentiæ vicem epiſtolam. *Epiſtola 44.*

¶ Philosophorvm Oratorúmqve Græcorum.

Ariſtides Rhetor: Videmus ubi multi ſunt inter ſe ſimiles, multa negotia, majoremque contentionem exiſtere: poſtquam autem unus aliquis excelluerit, reliquos cedere. Similiter in dicendo, cùm quis princeps exiſtit, acquieſcunt plerique, nec ſibi negotium faceſſunt, verùm quam poſſunt cautiſſimè dicunt & modeſtiſſimè. *Oratione 2. Platonica, pro Quatuor Viris.*

Themiſtius: Qui ſocietatis amans & facilis, atque ſuavis eſt animus; in eos verget, qui diſciplinarum ſtudio tenentur. At qui inſociabilis, & agreſtis eſt, in ærarios fabros ac lignarios. Quinetiam ſi ita lubet, concedamus Poëtas cæterosque artifices, ſi quis dixerit, à ſe invicem diſſidere, & invidioſe in ſe mutuo invehi. Etenim artium illis præmia, harum quidem pecunia eſt, illarum verò præter pecuniam laus, quibus per æque qui inferior in iis ſit perfrui minime poteſt. Quare neceſſe eſt eum cui minus habeat ut plurimum iis indignari, moleſtæque ferre, qui felicem ſucceſſum habeant. Contra qui verè ac ſyncerè ad aliquid contendunt, idque in animo incitatum ſtudium parturiunt, hi libenter complectuntur ac geſtiunt, lætitiaque cumulantur, quo plures ad delitiarum ſuarum captationem ſocios & adjutores nacti fuerint. Siquidem iſtud etiam in venatione accidere cernunt, ut qui per ſe ſolus veſtiget difficile admodum in feram incidat, pluribus autem ſimul venatoribus cubile facilius deprehendatur. Inſunt autem in veritatis etiam venatu inacceſſa condenſaque multa, quæque ei ſint, qui per ſeipſum inquirat, indagatu difficilia, ad quæ plures ſane venationis, prædæque participes vocare oporteat: velut olim contra ſuem Ætoli Regis agri populatorem, ac vaſtatorem flos eſt totius Græciæ collectus. Et quidem poſtquam prædâ potiti ſunt, inter venatores ortum de partibus jurgium eſt, atque contentio. Jnde denique bellum inter Acarnanos, & AEtolos exarſit. Beque ſuis capite, & villoſæ tegmine pellis. In Philoſophiam vero poſtquam patefacta, & aperta veritas fuerit, ſive ſanguine fruuntur omnes, qui operæ ſocij & adjutores fuerunt.

Propterea Ariſto Cleanthem adamabat, cumque eo diſcipulos communicabat; propterea Crantorem Crates; propterea Speuſippus Xenocratem Chalcedone arceſſebat. Lyco vero & Ariſto ille de Lycæo, ambo quidem Ariſtotelis doctrinæ dediti erant, ſed cum Lyro tantam eruditionis famam, ac gloriam adeptus eſſet, ut & hoſtes ipſi præ illius fama Lyconis navigiis in mari, tanquam ſacris abſtinerent, nequaquam tamen adverſus Ariſtonem commovebatur, nec ei invidebat, quamvis aſſiduitate, diligentiaque fieret indies profectior, ſed per jocum etiam ac facetias aſſeverabat, claudum eum qui integris eſſe: pedibus præcurrere. Fuerat enim Ariſto caſu quodam altero crure captus. Ob eam cauſam & novem Muſæ cum ſint, ſecum invicem, & cum Apolline choros exercent, nullaque ex iis adverſus cæteras commovetur, quod ſola minimè ſapiens ſit, aut quod ſola minimè à Poëtis imploretur, ac neque Calliope citharam ſibi vendicet, nec Thalia tibias, neque lyram Terpſichore: ſed una quæque quod ſuum eſt, communem in chorum conferre, ac contribuere amate canuntque ſeſe invicem excipientes (ait Poëta) non concentum inter turbantes, neque invidentes, aut occinentes.

Non ita adulterint iſti falſoque Philoſophi dicti. Sed ſi quis amore doctrinæ captus nihilque aliud quod agat, inſuper habens, in cubiculo ſe tantiſper lectuloque ſuo Ariſtotelis, ac Theophraſti lectione paſcat, celerrime iſtud ſentiunt, omnique in eos civitate commota Regis, oculos appellant, ſi etiamnum ſicarius iſte Solem intuetur, & parricida atque veneficus: ſummaque accuſationis hæc eſt, quod Categorias (inquit) aggreſſus eſt, & de eo quod in ſubjecto eſt cum quodam hoſpite diſſeruit. Quod ſi ſyllogiſmum etiam attigerit, aut de natura aliquid ſcripſerit, hoc ipſi ſeditio eſt, & ex arce demoliendam Tyrannidem clamat. Atqui ſi veritatem & ſapientiam uſurpat aliquis; ad te vero reipſa vereque Plato, Socrates, aut Pythagoras pertinent, noli vellicare eum, aut perdere qui earundem rerum amore teneatur. Sed gloria illum ac prædicatione potius efferas, ad idque ſtimulos ei adiicias, ac cohorteris. Ita enim vel maximè progredietur, nec hebetior fiet, aut à concepto amore retardabitur, ſi collaudantem aliquem, & acclamantem nactus fuerit, & à quo ex laboribus ſuis quendam velut gloriæ fructum expectet. Nunc autem præſingulari callliditate cavere iſtud videris, ne ſi quem alium laudaveris, ſapientiæ tibi videaris poſſeſſione decedere, aut ſi quem alium admireris eidem apud alterum quempiam admirationem concites; indeque deſinant homines in te unum intueri, teque unum admirari. Propterea ſi quem forte ridiculum ſenſeris ac prorſus abhorrentem, ei benignum te ac humanum præbes, nec illius ſapientiam ſuſpicere privatim, ac publicè vereris. Sed cum aliquis homines in ſui admirationem traxerit, ac tute ipſe illum intus in animo miratus fueris, tum demum ille acerbus, atque inimicus animus, tum obducta vultui nubes, tum non modo eum qui laudatur, ſed & laudatores ipſos torvè atque hoſtiliter intueris. Adeo nullus ex animo morbus invidia, ac livore moleſtior gignitur, eoque magis quo qui eo laborat acutius pervidet, non ea tantùm quæ juxta ſe, atque in proximo ſita ſunt, verum etiam quæ longinqua ſunt & magno à ſe intervallo ſeparata. Ego vero Heſiodum Poëtam audiebam, cum diceret, figulum figulo, & furnorum extractorem furnorum opifici invidere. Nunc autem aliqui præ temeritate ab ſuis in alios ordines tranſeunt, promiſcuè inter jaculatores Equites. Quare collocate ibi eos, ubi diſpoſiti ab initio fuerant, ac ne iſtud illis concedite, ut nudi, & humi abjecti equis inſidentes, atque egregiè tectos invadunt. *Oratione prima.*

Philoſtratus: Cùm Apollonius viſa nave Armeniorum portum ingredi, nautasque pro ea firmanda variis operibus implicari. Videte, inquit, ejus navis populum, quo pacto alii lembos conſcendunt, cùm ſint remiges, alij vero ſuſpenſas anchoras demittunt, alii vela contrahunt, ex puppe aut prora quæ factu neceſſaria ſunt, proſpiciunt, quod ſi horum ſuo operi peragendo defuerit, aut temerè negligenterve quod agendum eſt fuerit proſecutus, male ſeſe navis haberet, & ipſemet quaſi procella quadam navim læderet. Verùm ſi æmulatione quadam inter ſe certantes laborabunt, ne quis altero deterior in ſuo opere videatur, rectè probeque in portu navis firmabitur, proſpereque cum lætitia tota navigatio peragetur, eorumque in conſultando rectitudo, tantùm ipſis proderit, quantum ſi Neptunus Aſphalius ſecuritatem polliceretur. His orationibus Smyrnam in concordia benevolentiaque continuit. *lib. 4. cap. 3.*

Philoſtratus: Neque divinus Plato Sophiſtis invidit, & hoc omnino quibuſdam perſuaſum eſt, ſed idcirco æmulatorium in illos animum geſſit, quod obambulabant, & magnas paruáſque civitates pariter demulcebant, ad Orphei ac Thamyri modum. Vt invideret autem tantùm abfuit, quantùm æmulatio ab invidia. Nam invidia malitioſos ac perverſos animos nutrit. AEmulatio verò ſplendidos excitat. Et invidet quiſpiam his quæ ipſe conſequi non poteſt. Quibus verò melior aut pejor reddatur, hæc æmulatur. *Epiſtola 13. ad Iuliam Auguſtam.*

¶ Romanorum.

Cicero: AEmulatio dupliciter illa quidem dicitur; ut & in laude, & in vitio nomen hoc ſit. nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur; & eſt æmulatio ægritudo, ex eo quod alter quoq; potiatur illo quod ipſe concupiverit. *libro 4. Tuſcul. quæſt. cap. 8.*

Idem: Obtrectare alteri, aut illa vitioſa æmulatione, quæ rivalitati ſimilis eſt, æmulari, quid habet utilitatis? cùm ſit æmulantis, angi alieno bono quod ipſe non habeat: obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat. *cap. 26. ejuſdem libri.*

Quintilianus: Quæ eſſe inter impares poteſt æmulatio? *Declamatione 9. §. 2. m.*

Plinius Iunior: Cùm verſus tuos æmular, tum maximè quam ſint boni experior. ut enim pictores pulcram abſolutamque faciem raro niſi in pejus effingunt: ita ego ab hoc archetypo labor & decido. quo magis horror, ut quam plurimæ proferas, quæ imitari omnes concupiſcant, nemo aut pauciſſimi poſſint. *Epiſt. 10. lib. 5.*

Plinius: Nihil eſt tam pronum ad ſimultates quam æmulatio, in feminis præſertim. ea porrò naſcitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardeſcit invidia: cujus finis eſt odium. quo quidem admirabilius exiſtimandum eſt, quod mulieribus duabus in una domo, parique fortuna nullum certamen, nulla contentio eſt. ſuſpiciunt invicem, invicem cedunt: cumque te utraque effuſiſſimè diligat, nihil ſua putant intereſſe utram tu magis ames. *cap. 84. paneg. ad Traianum.*

Cl. Mamertinus: Obtrectant ſibi invicem artifices operum ſordidorum: eſt inter aliquos etiam canoræ vocis invidia: nihil denique tam vile tamque vulgare, cujus participes malignis æmulationis ſtimulis vacet. *capite ſexto Panegyrici in gemethliacum Maximiani.*

Poeta-

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

At se mensura magna magno ac pede debet
Metiri quicunq; sapit: præstat q; secund.as
Ferre inter magnos quam primas inter egentes:
Non secus ac tenues alte volitare per auras
Infra aquilas, supra quam ferri præstat alaudas.

Phædrus fine lib. 2. Fabular.

Aliud invidia est, aliud æmulatio.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 24. Rana rupta & Bos.

Inops potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam Ranaconspexit Bovem,
Et tacta invidia tanta magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior.
Illi negarunt. rursus intendit cutem
Majore nisu; & simili quæsivit modo,
Quis major esset; illi dixerunt, Bovem.
Novissime indignata, dum vult validius.
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad simultatem nihil tam pronum est, quam æmulatio.
Æmulari, quam invidere. semper est honestius.
Æmulatio perorum periculosa etiam est probis.
Æmulationem tolle; virtus una tollitur.
Æmuli boni bonorum sunt, mali sunt invidi.
Æmuli gaudere cæde, jus ac fas credunt mali.
Æmulis e medio sublatis in segnitiam labimur.
Calcari æmulationis ad summum acuimur decus.
Citò imitaris vitia, nequeas virtutes quorum adsequi.
Crescit agentibus loco uno æmulis contentio.
Desinit sequi quis illud adsequi quod non potest.
Erguntur ad æmulandum quod laudari animi vident.
Iam tantum inter nos certamus scelere, non virtutibus.
Improbos licet cognoscas; verum mutari eos nefas.
Inter pares honore concertatio est.
Non sat est bonos laudare; & æmulandi sunt nimis.
Non sat est bonos laudare, & æmulari eosdem decet.
Optimos sequare quamvis forte consequi haud vales.
Plures laude prosequuntur quam æmulantur optimos.
Præstantiorem qui æmulatur, pol sapit.
Pulcrior haud est vitæ finis, æmulari quàm Deos.
Qui malum æmulatur, esse quo pacto queat bonus?
Turpiter procacitate certes ac petulantia.
Virium æmuli persæpe cedunt per reverentiam.

¶ Jambica.

Avidissimi parens odij æmulatio est.
Carpes alium facilius, quam æmulaberis.
Cujusque non est æmulari Socratem.
Cura æmulandi major est minoribus.
Eja æmulare, verum absque invidentia.
Etiam æmulos nequitia infelix invenit.
Exempla quisque Regis æmulus sui est.
Ibi invidia fel est, ubi æmulatio est.
Inertia abit, ubi intrat Æmulatio.
Ingenia alivis? fac sit æmulatio.
Inops, potentem dum vult imitari, perit.
Inter pares, acerrima æmulatio.
Inter pares, virtutis æmulatio est.
Laudato saltem quos imitari non vales.
Laus æmulationis incitabulum est.
Licet bonorum esse æmulis, haud invidis.
Noli æmulari, etsi felices, improbos.
Non sat est bonos laudare & æmulari eosdem docet.
Nulli æmulus carus suæ potentiæ est.
Nullum sinit rumor populi sine æmulo.
Omnis mali proclivis æmulatio est.
Perquam est acerba muliebris æmulatio.
Quæcumq; laudas æmulari eadem decet.
Quisque æmulatur id, quod laudari videt.
Quis æmuli bono haud dolet, gaudet malo?
Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
Satis coluit, quicumque imitatus est Deos.
Suum æmulum quæ perdidit Virtus, perit.
Virtutibus quasi æstrum est æmulatio.
Vix mutuam præstat fidem æmulatio.
Vno oscitante & oscitabunt ceteri.

Aequalitatis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

D. *Nazianzenus:* Par spes doctrinæ, hoc est rei omnium invidiosissimæ, nos ducebat, & tamen aberat invidia: æmulatio autem studio. hoc utriq; certamen, non uter primas ferret, sed uter alteri eas concederet. uterq; enim alterius gloriam pro sua ducebat. una utriq; anima videbatur, duo corpora ferens. Quod si fides ijs minimè habenda est, qui omnia in omnibus sita esse dicunt, at nobis certe credendum est, quod uterque in altero, & apud alterum siti eramus. *Oratione vigesima.*

D. Greg. Nyssenus: Quid dicam de summa amoris affectione, qua sese mutuo patres nostri complectebantur. Nihil certe miri est, eos qui sint homines in natura, cujus per omnia par est dignitas, nolle potiori ceteris esse loco; sed existimare mutuo nos debere nosmet humilitate superare.

Paullo post: At petulantiam adversus ingenuos homines, & ignominiam adversus dignitate pares, qui nam quæso canones unquam approbarunt. Si qui nos extra sacerdotij dignitatem, seorsim quemlibet, intueri velint; quid amplius alter habet altero? genus? institutionem? ingenuitatem collatam ad præstantissimos & claros quosque? scientiam? ea verò vel paria reperiri possunt in nobis, vel saltem non minora. Quam nam igitur ille potestatem habet inferendæ nobis injuriæ, si nulla hæc generis est præstantia, neq; dignitatis splendor, neq; eximia dicendi vis, neq; beneficentia prius erga me declarata? quandoquidem etiamsi hæc essent, nihilominus condonari non debet exercita erga homines ingenuos contumelia. Verùm cùm nihil horum sit, non arbitror recte nos facturos, si tantùm fastus morbum incuratum negligamus. neque verò alia potest esse curatio quam si deprimatur superbia, & inanis ille fastus coërceatur, inflatione tam elata nonnihil expirante. *Epistola ad Flavianum.*

S. Isidorus Pelusiota: Æqualitas amicitia est, vir præclarissime. Sic enim natura comparatum est, ut inæqualitas amicitiæ detrimentum ac perniciem afferat. Quamobrem cave tu quoque ne eodem homine & amico & adulatore utaris. Neque enim ille id feret, qui æquo jure amicitiam tecum contraxit. *lib. 3. Epist. 145.*

¶ Oratorvm Græcorvm.

Isocrates: Æquissimum est, ut eadem bonis & improbis tribuantur: æquissimum verò ut recta ratio tueatur, & discrimen servetur, ne inæquales æqualia consequantur, sed ut ea cujusq; & fortuna sit & dignitas, quam meretur. At Oligarchiæ & Democratiæ id spectant, ut æqualitas sit. uter ejusdem reipub. socios; & in eo statu præclarum habetur, si nemo plus alio possit: id quod è re improborum est. Monarchiæ verò principem locum præstantissimo cuique deferunt; secundùm illi qui à primo est proximus; tertium & quartum ceteris eadem ratione. Quam si non ubique receptæ in mores sunt, ea tamen est hujus Imperij ratio ac voluntas. *in Nicocle.*

Idem: In magistratuum creatione, & in quotidianæ vitæ consuetudine, ceterisq; studiis, apud Spartanos æquitatem & æqualitatem plus valere videmus quam apud ceteros. quæ quidem instituta, uti sunt obligarchijs contraria, sic in bonis Democratiis usitata. *In Areopagitico.*

Libanius: Adhortabatur me pater, neq; terram, neque pecora, neque navis præfecturam, neque aurum, neque argentum, neque regis opes pluris unquam æstimarem, quam gloriam ab affectu & amore erga populum comparatam. hoc verò pulcrè cessurum aiebat, si locupletibus & juris æquabilitatem non ferentibus obsistere, & allidere mallem, quàm unà cũ illis civitatis statum depravare. *Declamatione 12.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Incusamus legem quæ jubet ut patrimonia æquentur, ut non satis significanter scriptam, & multa obscura in se habentem. Nam hoc non satis distinxit, utrumne patrimonia nunc demum æquari oporteat: an quotiens aliquod eminebit: an si verè remedium id solum pro Republica est, perpetuum esse debeat: & ideo lex repudianda, quia hoc non satis dispexit. Si hæc vis est legis istius, ut sit de æqualitate patrimoniorum: idem census omnibus detur: omnes penè dies, omnia tempora necesse erit in hac partitione consumi, si quis frugalis vixerit, si quis luxuriosus vixerit. Est præterea contra leges omnes scripta hæc lex. Quippe nullum jus non ita compositum est, ut suum quisque

habeat, & alieno abstineat. Sed ne servari quidem potest. Quid enim futurum est præterea illud, quòd aliqui negotiabuntur, aliqui acquirent, aliqui frugaliter vivent? Quæ ratio relinquendæ hæreditatis erit? quæ ratio testamentorum? cùm is qui creverit hæreditatem, continuò non plus sit habiturus, quàm cæteri, & divisurus cum his qui non eundem honorem supremis defuncti tabulis habuerunt? His adiiciamus quòd etiam inutilis est, duabus præterea causis. Nam & frugalitatem eorum, qui servaturi sunt, imminuet: & luxuriæ eorum qui consumpturi sunt, prospiciet. Cur enim quisquam servet, tam perditurus aliena luxuria, quàm sua? Cur enim non quisque abutatur. *Declamatione* 261.

Cassiodorus: Tolerabile fit omne, quod æquabili ordinatione disponitur: quia divisum onus sub communione subjectos certum est non gravare. pars enim extrema ad nunquemque redit, cùm summa universos incluserit. *lib.* 3. *Var. Epist.* 41.

Idem: Justitiæ ratio persuadet, excedentes reprimere, ut ad cunctos possit quietis suavitas pervenire, nam quemadmodum æquabilitas agitur, si vires mediocrium consurgere non sinantur? &c. *lib.* 4. *Epist.* 14. qui etiam videatur. *libro* 9. *Epist.* 2.

¶ Poetarum.

Ausonius initio ludi VII. Sapientum.

Neque me esse primum vestrum, aut imum existimo;
AEqualitas quod ordinem nescit pati.
Rectè olim ineptum Delphicus lusit Deus
Quærentem, quisnam primus Sapientum foret:
Vt in orbe teretis nomina eorum inscriberet,
Ne primus esset, ne vel imus quisquam.

¶ Fabula.

Equus & Asinus: Homo quidam habebat equum & asinum. Cùm iter facerent in via, ait asinus equo, Tolle à me oneris partem, si vis me esse salvum. Illo non persuaso, asinus cecidit, atque è labore mortuus est. Ab hero autem omnibus impositis ei, etjam asini pelle, conquerens equus clamabat; Hei mihi miserrimo, quid mihi obtigit afflicto? qui parum oneris nolui accipere, ecce omnia gesto, & pellem.

Affabulatio.

Si magni cum parvis conjungantur, utique servantur in vita. Æsopus.

¶ Monosticha Trochaica.

A nullis magè fortunæ modum exigimus, quàm æqualibus.
Civitas dicenda servæ est, in qua haud est æqualitas
Civitas haud libera est, in qua non est æqualitas.
Crure ligneo, Ladæ frustra altero curras pede.
Est homo res singularis: ferre non potest parem.
Illicò incipit simultas desinit cùm æqualitas.
Lance pensitandum est æquâ æqualiter quicquid licet.
Libera absq; æqualitate non videtur civitas.
Non arietant inter sese nisi in eodem qui ambulant.
Nulla ibi lis aut simultas est, ubi est æqualitas.
Paria quæ vocentur, arte quæ parantur disparî?
Plurium obtrectationi subdita est æqualitas.
Plus minusque spernit a se segregatque æqualitas.
Rectè fixa atque ordinata destruit inæqualitas.
Sorte nascimur pari: una virtus impares facit.
Tolle æqualitatem, & urbes tollis omnes liberas.
Ventum ut est ad exitum, omnes utiq; in æquo tunc sumus.
Vrbes urbibus jugat, socijs socios æqualitas.

¶ Jambica.

Ab impari malum omne sub luna fluit.
AEgrè quis à suis fert vinci æqualibus.
AEqualis est cunctis ager Laconibus.
AEqualis est ratio: affectus citò cadit.
AEqualitas excludit invidentiam.
AEqualitatem admitte; & orbis interit.
AEqualitatis optima est divisio.
AEqualitate in orbe pulcrius nihil.
AEqualiter de causa æquali sentias.
Apud inferos parissima est æqualitas.
Aut invident nobis minores aut timent.
Bilibra Amorum æqualitatis indigna est.
Certaminis minimè auctor est æqualitas.
Facillimè sociantur cum paribus pares.
Imparia sunt, parata ab arte disparî.
Inter pares, malum juge est, Discordia:
Modicis habetur rebus facile æqualitas.
Naturæ ubiq; æqualitas pro regula est.
Natura semper gaudet ipsa æqualibus.
Nullius est belli parens AEqualitas.
Obnoxia obtrectationi æqualitas.
Pars æqualitatis prima, dia æqualitas.
Quærenda nulli, paria quæ sunt omnibus.
Secessionem excludit omnem æqualitas
Sit præmium unum quorum unus fuit labor.
Solet fides sperari facilior ex pari.
Vbi est amicitia, est ibidem æqualitas.
Vbi est opum cupido, abest æqualitas.
Volentibus fit cunctis æquatus labor.

Æquanimitatis.

¶ Monosticha Trochaica.

AEqua mens acerba dum fert; vincit illa ac proterit.
AEquum animus indignanti iniquat contumeliæ probrum.
Amplius nil velle, mentis non iniquæ opum satis est.
Animus æquus ærumnarum condimentum est optimum.
Arduum est immensa dona sortis æquiter pati.
Arduum est pati posse æquâ mente magna commoda.
Arduum est servare mentem sorte in omni æquabilem.
Aspicit sortem quâ est pejor stultus, quâ melior sophus.
Commodè malis posse uti maxima est prudentia.
Consulas boni in bonumque vertas quidquid accidit.
Cùm fieri nequit quod vis, id quod potest fieri velis.
Cum triginta essent tyranni, portâ haud extuli pedem.
Deijcit adversis, efferri prosperis, vecordia est.
Dextera datum sinistra qui excipit, fallit duos.
Dum juvat fortuna tolli; dum tonat, mergi, cave.
Est viri æqua ferre mente sors quod ipsamet ferat.
Ex malis excerpe siquid his inest ipsis boni.
Factum quod mutare nescis æquo animo cur non feras?
Idem est animus in pauperie qui olim in divitijs fuit.
In suum trahit colorem quidquid evenit bonus.
Istuc officium est viri æquo ferre animo sors quod ferat.
Nec sapito altius secundis, nec malis infringitor.
Nec timere, nec tumere, mentis est æquissimæ.
Nil potest malum ijs videri qui bona omnia à se petunt.
Nil tam acerbum est in quo non sit æquo animo solatium.
Nunc tument nimis timentve pro modo Sortis, levis.
Omne quod ferre est necesse mente vir æqua excipit.
Omnibus qui se applicare novit, & memor sui est.
Optimè fortunæ utrumque perferunt onus probi.
Pallij pars adducenda purior non turpior.
Pessimè sortem malam fert qui bonam fert pessimè.
Pol si animus est æquus tibi, satis habes, quei bene vitam colas.
Primo habeas quod est necesse, dein habeas quod est satis.
Promptius malam fortunam quisque quam bonam regat.
Qui bonam malamve sortem ferre nescit, quid feret.
Qui nimis timet tumet ve, semper immemor sui est.
Quod nequis mutare curnam mente æqua minus feras?

¶ Jambica.

Adversa rectè nemo fert quam vir bonus.
AEquanimiter suscepta ferenda servitus.
AEqui bonique facere oportet id quod adest.
AEquo animo, habenti nil, tamen nil deficit.
AEquo ferendum est animo fors quidquid ferat
AEquo feras divina animo infortunia.
AEquo suum qui fert animo malum sapit.
Animo bono, fortuna tristis, aurea est.
Animo malo, fortuna læta, plumbea est.
Bonus animus in malâre dimidium est mali.
Fer mente pauperiem æqua; effeceris levem.
In re malâ, animo si bono utare, adjuvat.
Mens æqua supplet quidquid deficit rei.
Mutari quod nequis, animo omne æquo feras.
Nihil grave illi est qui omnia leviter excipit.
Non tu tuum malum æquo animo miser feres?
Nunquam indigebit, sorte qui lætus sua est.
Placidè ferendo leniuntur aspera.
Placidè ferendo lenias asperrima.
Qua pulcriora sunt probi obvertunt foras.
Quodcunq; adest, æqui bonique consulas.
Summam ad salutem, summum convertas malum.
Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis.
Vt quimus, agimus; quando ut volumus, non licet.

Æquita-

Æquitatis.

¶ SENTENTIÆ ORATORVM GRÆCORUM.

ARISTIDES RHETOR: Qui tales sermones habent, ij omnem rerũ naturam ignorare, velut si è tota terra quæ incolitur exularent, mihi videntur. quomodo namq; vel rerum commodam inire rationem, vel de imperio disserere possint, qui ejus naturam primùm ignorent? omne etenim imperium à potentioribus contra æquitatis legem exercetur. Jam quomodo alioquin aut æquum sit aut justum, ut quis alienæ terræ tributum imponat, aut leges præter necessitatem ferat, aut jura illis vel jussa det, aut quæ sua non sint occupet? quandoquidem ista præter æquitatem fiunt? quare si quis exactius juris naturam velit perquirere, nec potiùs aliquid rerum naturæ concedere, quàm sophistam agere; is jam protinus omnia imperia ac magistratus abrogabit, cùm ea potentioribus serventur: atque etiam ad Deos ipsos præ nimia sapientia procedet, eosque quod non æquo jure cum hominibus agant, sed imperium sibi arrogent, calumniabitur. Sed hæc, ut arbitror, ab iis disputantur, qui in angulis educati Solem nunquam viderunt, à quo solent aliæ stellæ lumine privari. Sin hæc necessariò cum omni imperio cohærent, estque hoc imperii jus, ut princeps potiori sit jure quàm cæteri, ita demùm cedam, si qua vel Græca, vel barbara potestas minus imperii jure quàm populus Atheniensis usa demonstretur. *Oratione Panathenaica.*

Simplicius: Avaritia omnis dirimit necessitudines; sicut æquabilitas, cùm suum cuique tribuitur, easdem continet, auget, conservat. Nam & latronum communitas, quamvis ex talibus conflata viris, tantisper durat dum præceptum hoc servatur, ne alii plus æquo sibi appetant. Ob hoc enim justitiæ vestigium, etiam injustitia illa permanet. *ad cap. 58. Epict.*

¶ ROMANORUM.

Auctor ad Herennium: Ex æquo & bono jus constat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere. *libr. 2. cap. 13.*

Cicero: Semper is qui contra scriptum dicit, æquitatis aliquid afferat oportet. Nam summa impudentiæ est, eum qui contra quod scriptum sit, aliquid probare velit, non æquitatis præsidio id facere conari. &c. *lib. 2. cap. 46. Inven.*

Idem: Æquitas non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam: ut cùm de verissimo accusatore disputatur, aut cùm hæreditatis sine lege, aut sine testamento, petitur possessio: in quibus causis, quid æquius, æquissimúmve sit, quæritur: quas ad causas, facultas petitur argumentationum ex æquitatis locis. &c. *Orat. Partitionum, cap. 28.*

Ibidem: Æquitatis vis est duplex, cujus altera directi, & veri, & justi, & ut dicitur, æqui ac boni ratione defenditur: altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio gratia; in injuria, ultio nominatur. *cap. 37.*

Cicero: Nihil potest esse æquabile, quod non à certa ratione proficiscatur. *fine libr. 2. Tusculanarum quæst.*

Symmachus: Urget Ostiense prædium nostrum militaris impressio. Nos legum inane nomen vocamus. Dii viderint exitum causæ, interim mordemur non metu damni, quàm æquitatis injuria. *2. Epist. 52.*

¶ POETARUM.

Plautus Captivis 5. sc. 4. v. 18.

Eheu! cur ego plus minùs ve feci ei quàm æquum fuit?
Quod male feci, crucior modò, si infectum fieri posset.

Plautus Sticho 5. sc. 4. v. 44.

Bonum jus dicis: impetrare oportet, quia æquum postulas.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

ABIMELEC *Rex Gerari*, Existimans Saram non esse uxorem Abrahami Patriarchæ, sed tantummodò sororem, accepit eam sibi. Antequam verò ad eam accessisset, à Domino graviter objurgatus, de Sara restituenda sumpto consilio ad Abrahamum accersitum dixit, *Quid feci tibi nobis? & quid peccavi in te, quod induxisti super me, & super regnum meum noxam magnam? Opera quæ non sunt facienda feci sti adversum me. quid spectabas, cùm faceres rem hanc?* Restituta deinde ei uxore, subjecit, *Ecce regio mea tibi exposita est: in loco tibi grato habita.* Saræ verò dixit, *Ecce dedi mille siclos argenteos fratri tuo: ecce ipse tibi est operimentum oculorum apud omnes qui tecum sunt: sit etiam apud quoscunque, & esto erudita. Genes. 20. 9. &c.*

JOSEPH *Patriarcha.* Joseph per præfectum, poculum mandato suo in manica Benjaminis clàm fratribus abditum, ut sublatum furto, ab ipsis abeuntibus repetit: qui furti crimen ex anteactis diluentes & conscientia freti se inquisitioni submittunt, mortémque in se & servitutem decernunt. Hi invento penes Benjaminem poculo ad Josephum reducti, dixit eis Joseph, *Quodnam est hoc factum quod feci stis? an ignorabatis virum cujusmodi ego sum, certo posse experimento discere?* Tum dicente Juda, *Quid dicemus Domino meo? quid loquemur? aut quomodo purgabimus nos? Deus ille reprehendit iniquitatem servorum suorum: ecce nos servos Domino meo, tum nos quàm eum in cujus manu inventus est scyphus ille:* Dixit, *absit mihi ut faciam hoc: vir ille in cujus manu inventus est scyphus, is esto mihi servus: vos autem ascendite cum pace ad patrem vestrum. Genes. 44. 15. 16. 17.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æquitas, Lex, Pax, opimant omnia & terra & mari.
Æquitas per se experenda, non metu, non præmio.
Æquitas simulata nil est quàm duplex iniquitas.
Æquitas spectanda utique; in jure sed vel maximè.
Æquitatem difficulter servat, præstans omnibus.
Æquitatem gratiamq; Pluto flocci non facit.
Æquitate temperanda duret ut potentia.
Æquus es? spera æqua: iniqua iniquos illicò obruunt.
Æquus esto erga mortales; in Deos esto pius.
Æquus esto, & consequeris æqua ubique ab omnibus.
Cede majori, minori parce, promove parem.
Civis est malus cui non id est satis quod cæteris.
Cum bonis benè agere oportet, cum malis contra malè.
Est humilis satis superq; in urbe jure qui æquo agit.
Inter plus minusq; ubique semper altercatio est.
Ius civile ab æquitate segregare, haud est probe.
Maximam implet æquitatis partem nulli qui nocet.
Nomina sunt potentiorum, Bonitas æquè atque Æquitas.
Prædicandum æquum; ast habendum plus eo, quibuslibet.
Pro reo sæpè æquitas stat; jus actorem vindicat.
Quando judicat tyrannus, naufragatur æquitas.
Quod validius in fortuna summa, id est & æquius.
Si cupis famam æquitatis, sperne famam; æquum face.
Si suum cuique habere non licet, æquitas perit.

¶ JAMBICA.

Ab æquitate abire mos potentiæ.
Ab iniquitate Libra vitam vindicat.
Æquum omne, res minimè toleranda Regibus.
Æquum ut feras, iniquum oportet postules.
Communicanti æquum quod est, nemo invidet.
Esto æquus, æquum ab altero ut dein impetres.
Etiam æquitas quid mutat ex solennibus.
Iungi æquitati usque adsolet Victoria.
Laudamus æquum; quærimus sed plus æquo.
Multo adjuvari haud quærit æquitas prece.
Multa adjuvari non cupit prece æquitas.
Nulla æquitas est quam forum non continet.
Partes tuentur æquiores Numina.
Plura æquitas expugnat quam felicitas.
Plus æquitati dandum, quam licentiæ.
Semper putatur æquius, quod fortius.
Sequitur Deos cuicunque cordi est æquitas.
Sit præmium unum, unus fuit quorum labor.
Spectanda vel in jure maximè æquitas.
Suum cuique tribuere, tota est æquitas.

Videantur plura titulo *Iuris, Meriti, Iustitiæ.*

Ærarii.

¶ SENTENTIÆ PATRVM LATINORUM.

S. SALVIANUS: Amplius dico, non solùm agi nunc illas ludicrorum infamium labes quæ priùs actæ sunt, sed criminosius multò agi. Tunc integra Romani orbis membra florebant: augusta horrea publica opes fecerant: cunctarum urbium cives divitiis ac deliciis adfluebant: vix poterat religionis auctoritas inter tantam rerum exuberantiam, morum tenere mensuram. Pascebantur tunc quidem passim in locis plurimis auctores turpium voluptatum; sed plena ac referta erant omnia. Nemo Reipubl. sumptus cogitabat, nemo dispendia, quia nõ sentiebatur expensa. Quærebat quodammodo ipsa Resp. ubi perderet; quod penitùs posset jam vix recipere: & ideo cumulus divitiarum, qui jam ferè modum excesserat, etiam in res nugatorias redundabat. Nunc autem quid dici potest? recessere priorum temporum facultates, miseri jam sumus, & necdum nugaces esse cessamus: cumque etiam pupillis prodigis soleat subvenire paupertas, simulque ut desiterint esse divites desinunt esse vitiosi: nos tantùm novum genus pupillorum ac perditorum sumus, in quibus opulentia esse desiit, sed nequitia perdurat: adeò nos, non ut alii homines causas corruptelarum in illecebris, sed non in cordibus habemus, & vitiositas nostra mens nostra

stra est; ut ad emendandos nos non facultatum ablatione, sed malarum rerum amore peccemus. *lib.6.de gubern.Dei.*

Salvianus: Calamitas fisci & mendicitas ærarii non sinitur ubique in res nugatorias perditæ profundantur expensæ. Interim res probat quanta prodigere vellemus si opulenti essemus, cùm prodigamus tanta mendici. *lib. 6. de gubern. Dei.*

Io. Sarisberiensis: Singulorum facultates nequaquam omnium copiis adæquantur. De loculis propriis quilibet sumit: at potestas de arca publica vel ceimelio haurit, quæ si forte defecerit, ad singulorum recurritur facultates. Atqui privatum quemque suis necesse est esse contentum; quæ si fuerint extenuata, qui nunc potentis appetebat fulgorem, paupertate sordidus confusionis suæ tenebras erubescit. Inde etiam Lacedæmoniorum decreto, potestatibus in usu publicorum bonorum parcitas indicta est; dum tamen hæreditariis uti, & his quæ pinguiori fortuna accedunt, communi jure liceat. *libri 4. Policratici cap. 4. fine.*

¶ Historicorum Oratorumque.

Tacitus: Ærarium ambitione exhaustum, per scelera supplendum, dictitat Tiberius Imp. *lib.2. Annalium cap.38.*

Idem: Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam, deprecante populo; edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti; simul imparem oneri Rempubl. nisi vicesimo militiæ anno Veterani dimitterentur. *lib.1. Annal.cap.78.*

Idem: Aerario ablata bona Sejani damnati crimine læsæ majestatis, ut in fiscum cogerentur. *lib.6. Annal. cap.2.*

Tacitus: Aerarii cura, nunc penes quæstores, nunc penes prætores, nunc penes præturâ functos, causam vid. *lib.13. Annal.cap.29.*

Idem: Tabulæ exustæ sunt, quibus obliterata ærarii monumenta retrahi volebat Pætus. *lib.eod. cap.23.f.*

Suetonius: Tabulas ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam excussit D. Augustus. *In Vita ejus, cap.32.*

Idem: Domitianus Imp. reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit: nec repeti nisi intra annum, eaque conditione permisit, ut accusatori qui causam non teneret, exilium pœna esset. *cap.9. Vitæ ejus.*

Vulcatius Gallicanus: Senatus Antonium hostem appellavit, bonáque ejus proscripsit, quæ Antoninus Imp. in privatum ærarium congeri noluit: quare Senatu præcipiente, in ærarium publicum sunt relata. *In Vita Avidii Cassii, cap.7.*

Cl. Mamertinus: Cùm me ærarium publicum curare voluisti, cùm quæreres virum animi magni adversus pecuniam, liberi adversus offensas, constantis adversus invidiam, me (qui tibi videbar ejusmodi) delegisti, idque eo tempore quo exhaustæ provinciæ partim prædicatione barbarica, partim nõ minùs exitialibus quàm pudendis præsidentium rapinis, ultrò opem Imperatoris exposcerent; partim milites sæpè anteactis temporibus ludo habiti præsens stipendium flagitarent, quoquo modo videbar honore me onere pensare. *cap.1. pro conss grat. act. Iuliano Aug.*

Libanius: Nec sum nescius etiam vos, Judices, in expendendis rationibus ducum exercitus, æquè rigidos esse iis qui facultates quæ aderant dissiparunt, atque illis qui non adjunxerunt quæ fas est. *Declamatione 37.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Vespis v. 1110.

Attamen fucos habemus, adsidentes insimul,
Verùm aculeo carentes, qui tributi fœnera
Exedunt nostri, nec ullo macerati tædio,
Nec labore. hoc maceramur, nostra si stipendia
Auferant non militantes pro salute patriæ,
Quæ manum remo nec hastæ pustulosam admoverint.

¶ Monosticha Trochaica.

Ambitu exhaustum, supplendum per scelera est ærarium.
Civium domus privatæ, ærarium tutissimum.
Civium domus privatæ sunto ærarii vicem.
Corporis malo splen crescit; sed perit cum corpore.
In commune opes feruntor indigente ærario.
Mitte in ignem obliteratas duri ærarii syngraphas.
Publicanorum haud satis Rex temperet cupidines.
Publico tamen cuicunque est opus pecunia.

¶ Jambica.

Ærarii est hirudo miles exterus.
Ærarium è lachrymis coactum in se ruit.
Bellum para. simulq; parce ærario.
Crescente splene membra tabent cætera.
Egena nummis civitas vilissima est.
Res civium lauta, optimum est ærarium,
Sat dives est sub cive dite ærarium,

Videantur plura titulo *Census*, *Tributi*, *Vectigalis*, *Principis*, &c.

Æstimationis.

¶ Sententiæ Patrum.

D. Chrysostomus: Decies mille pondo paleæ & fœni, non æquaverunt pretium decem margaritarum. *Homilia 27. Epistolæ ad Hebræos.*

¶ Oratorum Philosophorumque

Cicero: Nemo ullum ex trunco corporis spectabat; sed artificio comico æstimabat. *loquitur de Roscio Comœdo.*

Cicero: Qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis. Difficile est enim finem facere pretio, nisi libidini feceris. *Verrina quarta.*

Cicero: Nos te non ex fortuna, sed ex virtute tua pendimus, semperque pendemus. *lib.5. Epist. famil.17.*

L. Annæus Seneca: Quædam pluris sunt, quàm venierunt, & ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamvis empta sint, debes. Primùm quid interest quanti sint, cùm de pretio inter ementem & vendentem convenerit. Deinde non veniit illud suo pretio, sed tuo. Pluris est, inquit, quàm væniit. Sed pluris vænire non potuit: pretium autem cujusque rei pro tempore est. Cùm benè ista laudaveris, tanti sunt quanto pluris vænire non possunt. Præterea nihil venditori debet qui benè emit. Deinde etiamsi pluris ista, non tamen ullum tuum munus est, ut non ex usu effectúve, sed ex consuetudine & annona æstimetur. Quod tu pretium ponis trajicienti maria, & per medios fluctus, cùm è terræ conspectu recessit, certam secanti viam, & prospicienti tempestates futuras, & securis omnibus jubenti subitò vela stringi, armamenta demitti, paratos ad incursum procellæ, & repentinum impetum stare? Huic tamen tantæ rei pretium vectura persolvit. Quanti æstimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum aut ignem? scio tamen quanti ista consecuturus diversorium subeam. Quantum nobis præstat, qui labentem domum suscipit tignis & fulturis? & agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit? certo tamen & levi pretio fultura conducitur, &c. Videatur *lib. 6. de Beneficiis, cap. 15. & seqq.*

¶ Emblematum.

Camerarius XIV. Centur. 2.

Pretiosum quod utile. Cornu Monocerotis.

Commoda quæ est usu non fama, res pretiosa est.
Displicet hæc paucis, at placet illa magis.

¶ Monosticha Trochaica.

Ædibus quoque in fumosis splendet ac floret Dice.
Æstimat homines à sorte stultus, moribus sophos.
Æstima virum bonum haud à sorte verùm à moribus.
Asse res carè vel uno comparas superfluas.
Carè emuntur unico asse res quibus non est opus.
E domo prodire parva magnus etiam hospes potest.
Ex sua natura antiqui fingunt homines cæteros.
Fiunt pluris empta carè, quàm quæ ultrò nanciscitur.
Frondibusq; fructibusq; item æstimantur arbores.
Majus aut minus res quæ fit, caussa, tempore & loco.
Mos malus, viros censu censere, haud innocentia.
Nemo id esse, quod videtur etiam cæteris, timet.
Nemo tanti ab altero fit, ipse quanti se æstimat.
Non feret tempus Catones omne; Clodios feret.
Omnes res perinde sunt, ut agis, ut eas magni facis.
Par pari datum hostimentum est; opera pro pecunia.
Pluris æstimare noli quempiam ob pecunias.
Ponderat res non personas judicum justissimus.
Quæ non æstimamus ipsi, credimus de aliis parùm.
Quanti margaritum, tanti si vitrum vilissimum est?
Quempiam æstimare magni vim fuge ob pecunia.
Qui probare margaritas nescit, is nec æstimet.
Quisque accepta parvo, quisque magno præbita æstimas.
Quisque proculcat jacentes: quisque stantes promovet.
Quisque rebus anteponit quisque magni quod facit.
Sæpè maximè est pretiosum pro quo pretium non datur.
Tanti eris tantiq; habebere ipse, quantum habes domi.
Tunc bonum nostrum æstimamus dignè, ubi jam amisimus.

¶ Jambica.

Admissa quæ sint, non item in quantum, æstimes.
Animi intuenda forma: mente animum æstima.
Animum facientis, non ipsum factum æstima.
Duo indicare pretia dedecet bonum.
Et mus ducentis vendita est denariis.
Et pro duabus una res rebus valet.
Facientis animum nemo, omnes factum æstimant.

Frumenti egestas pretium glandibus facit.
Gemmis suam dat caritatem opinio.
Grande as fit auri parvâ laminâ pensius.
Idem duo cùm proferunt, non est idem.
Magna opera emuntur & magnis periculis.
Nemo duplex pretium rei ponat suæ.
Nemo suos plus habitu corporis æstimat.
Nil censeas ex formâ, verùm ex usibus.
Non quale sit, sed quanti, quidq; quærimus.
Pretiosa multa tempore fiunt, vel loco.
Pretium libido gemmis dat, non veritas.
Pretium rei cuique est suum pro tempore.
Quod cuique carum est, hoc idem venerabile.
Quodcunque in orbe est, æstimes pecuniâ.
Rebus pretium famamq; Fortuna adstruit.
Rebus suum constituit pretium raritas.
Rerum æstimator semper iniustus dolor.
Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.
Vile est in inopia magna, emi quidquid potest.
Vini pretiosi fax & pluris venditur.

Videantur plura titulo *Emptionis, Necessitatis, Annonæ, Cupiditatis, Famis, Obsidionis, Venditionis, Temporis, Mercaturæ, Negotiationis, Vsus.*

Aetatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

CHRYSOSTOMUS: Complures sæpè senectutem admirantur, alii è contra juventutem laudibus efferunt: ita ne ipsis quidem ætatibus deest mœroris occasio. Nam cùm ætatis gratiâ contemni nos videmus, senes tunc esse mallemus: cùm verò jam canis caput aspergitur, juveniles suspiramus annos, innumeræque se doloris causæ undique ingerunt. *Homil. 1. ad Timoth. 2.*

D. Greg. Nyssenus: In humano genere, id quod ætatis quidem est provectæ, est imbecillum: quod autem nondum confirmatæ & stabilitæ est ætatis, est immoderatum & insolens: optimum autem est quod inter duo intercedit; quod quidem utramque effugerit molestiam: in quo ostenduntur vires quidem juventutis separatæ ab insolentia, à senectutis aût imbecillitate prudentia minimè separata: adeò ut sint vires contemperatæ cum prudentia, ex æquo fugientes, & senectutis imbecillitatem, & juventutis audaciam. *Homil. 6. in Ecclesiast.*

¶ ORATORUM PHILOSOPHORUMQUE ROMANORUM.

Cicero: Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, reperiemur in eadem propemodum brevitate, qua illæ bestiolæ quæ unum diem vivunt. *Tusc. quæst. lib. 1. c. 10.*

Idem: Omnium ætatum certus est terminus: senectutis autem nullus est certus. *libro de Senectute, cap. 20.*

Ejusdem capitis fine. Rerum omnium satietas, vitæ facit satietatem. Sunt puritiæ certa studia. Num igitur ea desiderant adolescentes? sunt & ineuntis adolescentiæ, num ea jam constans requirit ætas? sunt etiam hujus ætatis: ne ea quidem quæruntur à senectute? sunt extrema quædam studia senectutis. Ergò ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis; quod cùm evenit: satietas vitæ tempus maturum mortis affert.

Seneca: Molestum est, inquis, mortem ante oculos habere. Primùm, ista tàm juveni ante oculos debet esse quàm seni: non enim citamur ex censu: deinde nemo tàm senex est, ut improbè unum diem speret. Unus autem dies, gradus est vitæ. Tota ætas partibus constat, & orbes habet circumductos majores minoribus. *Epistola 12.*

Seneca: Jucundissima est ætas devexa jam, non tamen præceps: & illam quoque in extremâ tegula stantem, judico habere suas voluptates. *Epist. 12.*

Seneca: Utinam de vita beata non in conspectu mortis ageremus! sed nunc quoque non moremur. Hæc ætas optimè facit ad hæc studia: jam despumavit, jam vitia primo fervore adolescentiæ indomita lassavit: non multùm superest ut exstinguat. Et quando, inquis, tibi proderit istud, quod in exitu discis, aut in quam rem? in hanc ut exeam melior. Non est tamen quod existimes ullam ætatem aptiorem esse ad bonam mentem, quàm quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit; quæ ad salutaria, mitigatis affectibus, venit. *Epist. 68.*

Seneca: Quemadmodum in minoris corporis habitu, potest homo esse perfectus; sic & in minore temporis modo, potest esse vita perfecta. Ætas inter externa est. Quamdiu sim, alienum est: quamdiu vir bonus sim, meum est. Hoc à me exige, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiar; ut agam vitam, non ut prætervehar. Quæris quod sit amplissimum vitæ spatium? usque ad sapientiam vivere. *Epist. 98.*

Seneca: Hoc quod ætatem vocamus humanam, compara immenso; videbis quàm exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. *Epist. 99.*

Seneca: Insita sunt nobis omnium ætatum, omnium artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. *libr. 4. de Beneficiis, cap. 6.*

Seneca: Illorum brevissima ac sollicitissima ætas est, qui præteritarum oblivisc untur, præsentia negligunt, de futuro timent. *cap. 15. de brev. vitæ.*

Quintilianus senior: Inter extraneos quoque & alienos est aliquod privilegium ætatis. Honores priòr peterem: adsignandum advocatus prior rogarer. In his etiam minimis observationibus inhumanè non cederes honorem lateris. *Declamatione 258. a. m.*

Plinius junior: Implevit quidem annum septimum & sexagesimum, quæ ætas etiam robustissimis satis longa est, &c. *lib. 1. epist. 12. circa finem.*

Incertus Panegyristes Maxim. & Const. Impp. Quid ego Constantine Aug. de prudentia dicam, qua te penè credimus fore ipso patre potiorem? qui veteres illos Romanæ Reipubl. principes, superiorem Africanum, Pompejumque Magnum ætatis cursum virtute prævectos, tam maturè sumpto vincis imperio, tantarumque rerum sustines molem incipiente virtute. *cap. 5.*

Nazarius oratione Paneg. ad Constantinum Aug. Nobilissimorum quoq; Cæsarum laudes exequi velle, studium quidem dulce, sed non & cura mediocris est; quorum in annis pubescentibus, non eruptura virtutis tumens germen, non flos præcursor indolis bonæ lætior quàm maturior apparet; sed jam facta grandifera, & contra rationem ætatis maximorumque fructuum matura perceptio. *cap 3.*

Nazarius orat. in Constantinum Aug. Tu Imperator optime, inito principatu adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio, òstendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis. Tu exinde domi militiæque juxta bonus, nusquam gradum extulisti, quin ubique te gloria, quasi umbra comitata sit. *capite decimo sexto.*

Nazarius orat. in Constantinum Aug. In Crispo Cæsarum maximo, velox virtus ætatis morâ non retardatâ, pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit: cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plenæ possent videri, nisi cœpisse & patrem cogitaremus. *capite 36.*

Latinus Pacatus: Annorum ita fuit cura majoribus, ut non solùm in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in præturis quoque aut ædilitatibus capessendis ætas spectata sit petitorum, nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occuparit. Nec injuria id quidem: nam & qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiæ lubrico, ut non cadant, titubant. An non clarissimos nominis Romani viros (illos Catulos, illos Scipiones loquor) aliquantisper sibi luxuria vindicavit? quos etsi ad portum mutati in melius revexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, & naufragos ac fluitantes ab illis quibus mersabantur erroribus ægrè ætas recepit. Benè igitur cuncta quadrarunt, & cæteris, quæ innumera congruebant, anni quoque suum junxere suffragium, qui soli in homine perfecti, bono duarum potiuntur ætatum, virtute juvenum, & maturitate seniorum. Prius fortassè imperium inire debueris, ut diutius imperares; sed sine exempli periculo providebitur, ne quid amiseris. Vita longiore pensandum, quod ex præterito perdidisti. Parum interest quando ceperit, quod terminum non habebit. *capite septimo, Paneg. Theodosio Aug.*

¶ GRÆCORUM.

Philostratus: Anni quinquagesimi tempore, in hominibus vigere maximè solet ingenium, omnemque doctrinam cupidè amplecti. *libr. 5. Apoll. c. 9.*

¶ POETARUM.

Ex Solonis Elegia.

Infans septenos postquam compleverit annos,
Vallum oris dentes conspicere incipies.
Postquam septem alios Deus huic concesserit annos,
Fit pubes semenq; huic genitale datur.
Verùm septem aliis postquam annis creverit ætas,
Densa seges barbæ contegit orta genas,
Additus est illi cùm septenarius alter,
Virtum virtutis fortia signa dabit.
Hinc monet adveniens uxorem ducere quintus,
Posteritatis & hunc tum meminisse suæ.
Solers ingenium est, firma & prudentia sexto,
Stulta nec hoc deinceps facta videre juvat.
Septimus accesserit cùm septenarius, atque
Octavus, linguâ pollet & ingenio.
Nono aliquid possunt, sed jam minuuntur in illo
Vires, quis peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cùm alios septem perfecerit annos,
Maturam mortem tristia fata dabunt.

P. Syrus

P. Syrus Mimus.

Ætas tinadum celat, ætas indicat.

¶ Emblematum.

Batilius. III.

Sic omnis scribitur hora tibi.
Occulto motu sic sensim præterit ætas,
Tota unus tantum est vitaq; nostra dies:
Atque horas solis sectatur ut umbra fugaces,
Mors omnem ad vitæ flectitur atra notam.

¶ Monosticha Trochaica.

Divam Avaritiam universa observat ætas & colit.
Grande mortalis spatium ævi sunt ferè anni quindecim.
Hoc habet sanè omnis ætas; semper in vetitum ruit.
Incipit ætas à senecta, haud in senectam desinit.
Itidem ut tempus anni, ætatem aliâ aliud factâ convenit.
Non ætate verum ingenio adipiscitur sapientia.
Non potest ætas docere quæque, discere at potest.
Nostra ut ætas sit maligna posterа at non sic erit.
Nulla non capax est ætas omnium virtutum.
Optimum fit vinum ætate; ætate oleum fit pessimum.
Qualiber præcepta ætatem quamlibet minimè docent.
Sapientia ætas condimentum est. sapiens ætati cibus est.
Veritatem corporum, ætatum haud mutat diversitas.
Vt virent ætate, sic & consenescunt omnia.

¶ Jambica.

Ætate primum est in nostrâ quod optimum est.
Ætati alia alia idonea institutio est.
Ætatis in animo haud sentias injuriam.
Cunctas honore honestat ætates pudor.
Haud semper ætas indicat prudentiam.
Non omnis ætas criminis cui vis vacat.
Non quæque ætati cuilibet res convenit.
Rei gerundæ, ætas media est aptissima.
Vetante nullo ludus ætati datur.
Votum seni, juveni vis, consilium viro est.

Videantur plura titulo *Adolescentiæ, Infantis, Iuventutis, Senectutis, Dignitatis, Honoris, Magistratus.*

Æterni.

¶ Sententiæ Patrvm.

D. Nazianzenus: Æternitas nec tempus, nec temporis ulla pars est; neque enim in mensuram cadit. Sed quod nobis tempus est, Solis motu definitum, hoc æternis ævum est; nimirum ille quasi temporalis quidam motus, & intervallum, quod simul cum æternis extenditur. *Oratione 38. & 42.*

D. Chrysostomus: Cùm igitur quæ videntur, temporalia sint; quæ autem non videntur, æterna: ad hæc oculorum aciem intendamus. Ecqua enim nobis excusatio futura est, si fluxa & caduca sempiternis potiora habuerimus? Nam etsi suave est, quod præsens est, minimè tamen perpetuum. At verò ea acerbitas, quæ ex hac suavitate nascitur, ejusmodi est; ut nec finem habeat, nec veniam. Quam enim excusationem habituri sunt; qui cùm acceperint, tantoque beneficio affecti sint, humilibus tantùm rebus & abjectis tanto studio incumbunt, atque in terram collabuntur? Etenim complures audio, qui ridiculis hisce verbis utuntur: Da mihi hodiernum diem, & tu crastinum sume. *Homil. 9. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Æternitas tanquam ἀειζωότης, hoc est, sempiterna vita. Eoque nomine hoc vocabulum de sola ea natura, quæ ortus expers est, semperque sui similis, usurpare consuevit. Nam immortale, de eo, quod cùm ortum habuerit, minimè tamen moritur, hoc est de Angelo, tùm de anima prædicari potest. Atque item incorruptuble, de iis quæ quamvis effecta sint, ea tamen conditione fuerunt, ut à corruptione aliena essent. At æternum divinæ naturæ propriè convenit. Ac proinde de adoranda duntaxat ac summè regia Trinitate, quæ nec *prius*, nec *posterius*, nec primum & secundum & tertium admittit, usurpari solet. Divinum quippe numen numero excelsius est, ac temporibus præstantius, atque omni cogitatione sublimius. Quanquam enim proprietatum ratione distinguitur: dignitate tamen & essentia copulatur. Distinguitur enim, ut Judæi & Sabellius confutentur: copulatur autem, ut Arrius & Eunomius dedecore atque ignominia perfundantur. Sic enim in personas porrigitur, ut tamen quantum ad essentiam, quæ comitem prorsus dignitatem habet copuletur. *lib. 3. Epist. 149.*

Idem: Etiam ab iis, qui omnia hujus vitæ spatiis includunt, & cum ea terminari putant, tolerabilior vitæ exitus habetur, ut opinor, quàm ruditas atque imperitia in vita. Quod si illis, multò magis nobis ita videri debet, qui in æternitatem, tanquam scopum intenti sumus, & prudentiam in dies divinis oraculis acuere debemus. *lib. 4. Epist. 190.*

¶ Philosophorum.

Cicero: Ut mundum ipse Deus mortalem æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Nam quod semper movetur, æternum est. *cap. 8. Somnii Scipionis.*

Seneca: Nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxium æterno est. *fine Epistolæ 57.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

S. Eugenius Episcopus: Non exigui ponderis eam sententiam Apostoli 1. *Corint. 15.* & mortalium mentibus infigendam inserendamque existimo: Magnum momentum, unde pendet æternitas, verè magnum: quo acerbitatem pœnarum, cum beata gloriæ æternitate, fas est mortali commutare. Meritò itaque Æternitas nobis proponatur, & quantum ejusdem desiderio exarserint Christianorum plerique: neque enim omnia in hunc locum congerenda, ne sola hujus tituli tractatio in immensum opus succrescat. Ut autem ea prætereamus, quæ Æternitatis largitor diversis in locis de eâ dixit & annuntiavit: Eugenius Antistes raræ virtutis vir, cùm jam in animum induxisset, potiùs pro Catholica fide mortem oppetere, quàm vel ad latum unguem ab eadem secedere, ac sententiam rogaretur, respondit: *Illud est vita æterna, mori pro Iustitia.* Quàm benè ille cum Regio Psalte annos æternos in mente habuit! quos & lucri faceret, momentaneos hos lubens amisit. *Gregor. Turonens. histor. Franc. lib. 2. cap. 3.*

S. Franciscus: Cùm ob assiduas & ubertim fluentes lachrymas oculorum ægritudinem incurrisset, ab iisque sibi abstinendum, ni corporei luminis usu privari vellet, medici consulerent, suspirans dixerit: *Non est ob amorem luminis, quod nobis cum muscis commune est, visitatio lucis æterna vel modicum repellenda: quia non propter carnem spiritus, sed propter spiritum caro lucis beneficium accepit. Sur. tom. 5. in vita.*

Idem, Interrogatus, quî tam tenui amictu hyemalis algoris asperitatem temperaret, respondit: *Si superna æternæq; patriæ flammæ per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur. Sur. tom. 5. in vita.*

Recaredus Hispan. Rex: Non eum sæculares curæ, non intentatæ mortis metus, ab hoc æternitatis desiderio avocarunt. Hispania quippe Ariana labe purgata, avitam complexus est fidem. Ac pater ni eam abneget, necem minatur: cui is; *Benè,* inquiebat forti constantique animo, *mecum agis pater: siquidem ut Regnum hoc abs te jugulatus amittam, æternum cum Superis pro caduco hoc consequar.* Regia illa vox, & cedro digna. *Egnat. lib. 1. cap. 1.*

Thomas Morus Anglus: Cùm Henrici VIII. decretis subscribere recusaret; & ad expugnandam ejus constantiam multi Principes nequicquam venissent, uxori tandem imperatum, viro suadeat, ne se, liberos, bona omnia, & famam, vitamque quâ frui adhuc posset, pro derelictis haberet: cui ille: Ecquamdiu, inquit, Aloysia mea, potero hac vita frui? Totis viginti, & ampliùs annis, illa respondit; si Deo ita visum. Vin' ergò, ait Morus, *æternitatem viginti annis commutem? Nè tu imperita mercatrix es mea uxor; nam si annorum viginti millia diceres, aliquid tu tamen diceres: sed quid ad æternitatem? Sanderus de schism. Anglic. lib. 1. Thom. Staplet. in vita ejusd.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ante tempus, postq; tempus est, q; erisq; Æternitas.
Carceres metas q; nescit gloriosa æternitas.
Comparatum æternitati tempus omne perbreve est.
Gloriæ unius diei præferenda æternitas.
Nemo non caduca præfert rebus immortalibus.
Quotidie morimur: tamen nos esse æternos credimus.

¶ Jambica.

Æterna non sunt finis est quibus suus.
Æterna non sunt queis suum est exordium.
Æternitas constat rerum contrariis.
Exordio caret atque fine æternitas.
Iugi vegetat sese agitatu alma æternitas.
Motu perenni servat sese æternitas.

Affabilitatis.

¶ Sententiæ Græcorum.

Isocrates: Moribus tuis adsit affabilitas, verbis urbanitas. Est autem affabilitas, obvios salutare: urbanitas comiter eos appellare. *Paræneſi ad Nicoclem.*

Liba-

Libanius: Quod se Alexander Magnus communem præbuit, & erga eos cum quibus versaretur comem, usq; eò ut & interrogare liceret, si quis quid vellet, & responsa benigna redderentur; quis non admiretur? Aliis enim regibus si quis oculos injicere ausit, pro injuria ducitur. At Alexander turpissimum esse arbitrabatur, si non occurrentibus mansuetissimus videretur. *Chria prima.*

¶ Romanorum.

D. Ambrosius: Legimus non solùm in privatis, sed etiam in ipsis Regibus, quantum facilitas, blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia verborumque obfuerit tumor, ut regna ipsa labefactaret, & potestatem solveret, &c. Videatur *libro 2. Officiorum cap. 7.*

Cicero: Cùm duplex sit ratio orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat etiam ad gloriam. Ea est enim quâ eloquentiam dicimus. Sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Extant epistolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum filium trium prudentissimorum, (sic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militésque blandè appellando deleniant. *lib. 2. de Offic. cap. 14.*

Suetonius: Tiberius Imp. in appellandis venerandísque singulis & universis, prope excesserat humanitatis modum, &c. *In Vita ejus cap. 29*

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Quid? faciles aditus, quid? aures patientissimas, quid? benigna responsa, quid? vultum ipsum augusti decoris gravitate, hilaritate permixta, venerandum quiddam & amabile renidentem, quis dignè exequi posset? quarum rerum miraculo sic omnes devinciebantur, ut non tam omnes dolerent, quod illum tyrannum ita diu tulerant, quàm quod tali Principe tam serò fruerentur. *cap. 34.*

Latinus Pacatus: Ut te omnibus Principem, singulis exhibueris Senatorem; ut crebro civilique progressu, non publica tantùm opera lustraveris, sed privatas quoque ædes divinis vestigiis consecraveris, remota custodia militari, tutior publici amoris excubiis, aliorum voce dicetur. *cap. 47. ad Theodosium.*

¶ Apophthegmatum Cristianorum.

S. Ioannes Patr. qui & Eleemosynarius: Præclara, & non reticenda Magnatum virtus; quibusvis ad eorum patrocinium confugientibus aures patentes præbere, ac Principis majestatem tempore & loco servare. Quo in genere non pauci excelluêre. nos ex iis in medium adducemus. Et ut mundi redemptorem Christum sileam, cujus omnis prædicatio, conversatióque mirè affabilis; D. Joannem Eleemosinarium referam, qui Patriarchatus munere insignitus, bis per hebdomadam patentibus porticibus cuivis aures accommodabat: cúmque, ut fit, consessores sui quosdam duriùs increpatos repellerent, eos his verbis compellabat: *Cùm nos ad Deum sine intercessore liberè accedamus, qui tamen homines sumus; quomodo & non conservis nostris portas reseramus, & benignam cuivis aurem præbemus?* æquè præclarè ac Vespasianus ille olim; qui neminem à Cæsaris colloquio tristem discedere oportere respondebat: ut auctor est Sueton. *Surius tom. 1. in Vita.*

Idem: Cùm aliquando præsedisset, omnium alloquio querelisque excipiendis paratus, & nemo pro subsidio accessisset; vespere subtristis abiit. Causam verò sciscitanti, cur tristior appareret; *Hodie,* dicebat, *nullus à me quicquam accepit: neque minimum quidem piaculum offerre potui Christo pro peccatis meis.* an non ea laude dignus, qua is apud Quirites? qui amicis se diem perdidisse conquerebatur. *Ibidem.*

Pius II. Pont. Max. Cùm ad eum senex verbis supra modum profusus, petendi quippiam gratiâ accessisset, eúmque quia profusiorem quidam de adstantibus moneret; verè pius Pontifex, omnia illum ab exordio repetere imperat: vultúque severiùs in alterum retorto, *Nescis,* ait, *ex quo Pontificatum iniy, aliis vivere me oportere; non mihi.* Rarum exemplum humanitatis, quod meritò æmulentur posteri. *Ioan. Ant. Camp. in Vita.*

Rudolphus Imp. Austriacus: Cùm frequentior ad eum foret populi concursus, & per satellitium quosdam tenuioris fortunæ ad se affectantes submoveri adverteret; non sine stomacho edixit: *Per Deum* (ipsa ejus verba sunt) *sinite homines ad me venire. Non enim ideo ad Imperium vocatus sum, ut in arculâ includar.* Meminerat pius Imperator, Regem Regum dum inter homines homo degeret, discipulos increpasse, quòd parvulos, id est humiles & abjectos, à se removerent: talibus inquiebat est regnum cœlorum. *Refert I. Lipsius lib 2. Mon. Polit. cap. 7.*

Henricus Imp. Friderici Fil. Et hic ita in rebus assiduus, ut vix serò cibum caperet, monentibus autem valetudinis curam haberet; *Privato,* ait, *homini tempus cibi est cùm id lubet aut solet: at Regi, si nomen suum non abdicat, id solum, quo vacat. Ibidem.*

Alphonsius Aragonum Rex: Illius quàm similis vox & animus? reprehensus enim quòd erga hostes & subditos se affabilem & mansuetum præberet: *Nihil,* ajebat, *magis adversariorum animos flectit, quàm placabilitatis & mansuetudinis nomen. Panorm. lib. 3. de gestis Alphonsi.*

Anonymus Senator Norimberg. Addamus inclytum hoc & rarum exemplum. Cùm Noribergæ aliqamdiu versaretur Ferdinandus Imp. (alii referunt ad Maxæmil. I.) quendam è primatibus rogat, quomodo tantam multitudinem regerent; qui respondit: *Blandis verbis, & atrocibus pœnis.* Sic enim debent imperia esse constituta, ut gubernatores omnibus comiter respondeant, & in pœnis adhibendis gravitatem servent. *Phil. Camer. in locis Manl.*

Requirantur plura titulo *Admissionis, Comitatis, Principis. Regis, Humanitatis.*

Affectuum.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Greg. Nyssenus: Ex affectuum morbis, alter quodam modo alterius vinculo tenetur, & cui unus ex his accedit, reliqui quasi naturali quadam necessitate compulsi, ad eum concurrunt. Id quod in catena fieri videmus: ejus enim principio attracto, neque reliqui illius orbes consistere possunt, sed ultimus catenæ orbis cum primo simul motus est, cùm ex eorum perpetuo ordine qui simul annexi sunt circuli, à primo motio ipsa progrediatur: ita humani affectus impliciti inter se atque connexi sunt, sæpeque fit, ut cùm unus imperaverit, reliqua item morborum turba animum invadat. Atque si hæc quidem ipsa quasi malorum catena tibi explicetur necesse est fac esse quempiam, qui præ voluptate quadam siti inanis gloriæ affectu superatus: est huic sanè inanis gloriæ cupiditati adjuncta etiam appetitio quædam, ut plus is assequatur: quoniam non potest quis plus habendi cupiditate teneri, nisi hujus affectus dux & comes quædam sit gloriæ aviditas: deinde appetitio hæc, qua quis afficitur, ut & opum, & dignitatis amplitudine cæteris ipse antistet, vel in æquales concitet iram, vel superbiam in inferiores, vel in superiores invidiam, cujus socia est simultas: hujus verò comes acerbitas, quam odium quoddam hominum consequitur: at horum omnium postremum est damnatio in gehennam, tenebras, atque ignem desinens. Vides horum omnium malorum quasi viam, quemadmodum videlicet ab uno voluptatis affectu cuncta proficiscuntur. *cap. 4. de Virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Qui contra fœdissimas voluptates pugnacissimè se defendunt, eas verò quæ in honoribus atque imperii appetitionibus existunt, voluptates consectantur; hi nihil omninò dissimile faciunt, ac si quis servus libertatis avidus, maturè operam det, non ut à servitute vindicetur, sed si ab eo in cujus potestate fuit, ad alium dominum transferatur. Servi enim pari conditione omnes sunt, quamvis non eorundem dominorum imperio potestatéve teneantur, cùm unus aliquis illis dominetur, & cum potestate imperet. *cap. 16. de Virginitate.*

D. Nazianzenus: Non vulgares tantùm homines, sed præstantissimos quosque viros Momus attingit; ut solius Dei sit omni peccato vacare, atque ab omni perturbatione animi immunem esse. *Oratione 20. in morte D. Basilii Magni.*

Chrysostomus: Et sanè peccatum omne tùm denique quàm fœdum sit, patet; cùm ab eo, qui id admittit, affectum detraxeris. Si ei, qui ira inflammatus fuerit, in memoriam ea verba redigas, quæ flagrante iracundia protulit: erubescet, & seipsum irridebit. ac mille mala perpeti, quàm verba illa audire mallet. Si impudicum hominem post coitum ad mulierem eam, cui stuprum obtulit, adduxeris: hic quoque, ut scelestam & execrandam, ipsam aversabitur. *Homil. 5. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Cùm anima seipsam negotiis carnalibus penitùs dederit, hebetatur illius acies, ac prorsus obtunditur. Ubi enim à charitate deciderit, necessariò ad contentionis devolvitur studia, jamq; mentis acies nihil aliud quàm rixas conspicari potest. Nempe enimis, qui aliqua hujusmodi rerum temporalium concupiscentia detinetur, ejusmodi vitio ebrius, nequaquam de veritate integrum atque illibatum valet perferre judicium. *Homilia 2. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Ac quidem fœdos ac obscœnos affectus per te ipse nosti, nec de his sermonem habere oportet. Quoniam autem probos & humanos ignoras, hos tibi exponam. Sunt autem hi, humanitas, misericordia, placabilitas, aliáque id genus. Quòd si te hoc conturbat, quòd eos affectus appellarim, hujus quoque rei testes fide dignos præbebo. Quanquam tu quidem, sat scio, ea quæ à me dicentur, intellectu minimè assequeris, utpote qui imperitiæ alumnus sis: dicam tamen nihilo seciùs. Orator igitur Demosthenes, totius Græciæ caput de Philippo verba faciens, cùm rogaretur, ut Olynthios captivos dono daret, his verbis usus est: Ita ut Philippus affectu aliquo duceretur, ac beneficium daret. Josephus autem, vir eruditionis & eloquentiæ nomine clarissimus, de factionis, qui in Hie-

in Hierosolymitanæ urbis expugnatione viguerunt, scribens, ita locutus est : Cùm effera & implacabilis natura crudelitatis studium & exercitationem insuper assumpserit, duplici ex parte ad eam misericordiæ, ac probo & humano affectui, aditus omnis interclusus est. Nullus porrò tàm bonus affectus perierat, quàm misericordia.

Quin Philo quoque, qui ob sublime & excelsum dicendi genus, Platonis vel discipulus, vel magister esse visus est (de iis enim dictum est, Aut Plato Philonizavit, aut Philo Platonizavit) Mosen, ut improborum odio flagrantem, laudibus prosecutus, his verbis usus est: Ingēti autem dolore affectus, ac justa iracundia perfusus, Ægyptios quosdam, hoc est eos, qui urgendis operibus à Pharaone præfecti fuerant, criminatur. Afficitur enim quodammodo anima, atque aut ad misericordiam, aut ad placabilitatem, aut ad benignitatem, aut ad improbitatis odium propendet. Nisi enim frangeretur quispiam, supplicibus cujuspiam precibus minimè commoveretur. Nisi inflecteretur, rogantem haudquaquam miseraretur. Nisi aliquo affectu tangeretur, beneficium in hostem minimè conferret. Nisi justitiam læsam esse existimaret, in improborum odium minimè converteretur. Hanc porrò conversionem, affectum etiam appellans. Ut enim qui à virtute in vitium sese convertit, afficitur : ita rursum qui à vitio ad virtutem sese convertit, nonnihil afficitur. Affectus enim vocabulum conversionis est. *lib. 3. Epist.* 81.

Idem : Eum equidem ipse solum propriè vivere statuerim, qui in corporis passionibus præstantiorem ac sublimiorem se præbet. Nam qui se ipsum illis subjecit, atque ab iis summa vi exagitatur, non modò in extremam exitii voraginem desinit, sed ne hìc quidem vivere potest, ob eas, quæ ab illis manant, molestias, & metus, & pericula, & infinitum eorum examen. Nam sive mors expectetur, metu etiam ante mortem exanimatur : sive morbus, sive contumelia, sive paupertas, sive aliud quiddam inopinati, etiam ex sola suspicione periit & extinctus est. At non in eadem causa est, qui turbulentis animi permotionibus dominatur : verùm & timoribus & periculis, ac denique omni mutatione superior est: non quòd nihil patiatur (hoc enim fortasse fieri nequit) sed, quod multò majus atque admirabilius trophæum efficit, quia ea impetum facientia, & velitantia, teláque mitti contemnat. *lib. 3. Epist.* 352.

Idem : Furibundas & rabidas carnis affectiones cicurare ac mitigare & lenire oportet: quod si non obtemperent, etiam, quoad ejus fieri potest, coercere. At tu, quemadmodum fama fert, habenas ipsi remittens, quò illæ volunt duceris : volunt autem in perniciem & exitium desinere. Quamobrem ne in profundum malorum præceps feraris, da operam ut eas tanquam injecto fræno reprimas. *lib. 3. Epist.* 368.

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis : Affectus in homine ab initio extitisse sacræ scripturæ designat auctoritas, appetitum, scil. justi, & commodi appetitum. Quorum alter in voluntate, alter in necessitate consistit, & quanto appetitus justi qui in voluntate est, amplius crescit, tantò melior est, & dignus ampliori beatitudine. Nam nimis velle quod justum est, nemo potest, nisi fortè quis queat esse justus nimium, aut beatus. Porrò si appetitus commodi mensuram necessitatis excedat, vergit ad culpam, & cupiditatis conscius, sibi vitiorum parit originem. Alter ergo istorum quoniam militat charitati, quærit quæ Dei sunt ; alter in propria utilitate versatur, postponens quæ Dei sunt, aut proximorum. Ab hoc duplici fonte mores oriuntur. Rectè quidem, si faciat quis alii, quod sibi vult fieri, & ab eo abstineat alii inferendo, quod sibi nollet ab eo irrogari. Distorti verò, si quis alium lædat, vel non prosit, cùm possit, quæ quidem utrinque multipliciter fiunt. A priore quidem amor libertatis, amor patriæ, & tandem extranеorum amor. Nam libertatem non amare non potest, qui seipsum & patriam amat, & in gradu suo extraneum quicunque sincerâ charitate diligit proximum.

Siquidem in eo consistit charitas ordinata. Ab altero verò cupiditas dominationis procedit, & laudis & gloriæ, & adeò invalescit, ut ex opinione multorum, res tamen parùm consideratæ examinātium virtutibus conjungatur. Nam qui rectum sapiunt, hoc vitiis majoribus aggregant, licet ei ab imperitis, qui tamen sapientum censentur nomine, virtutes subesse videantur. Unde & veteres primique Romani prout eorum docet & commendat historia, laudis avidi, pecuniæ liberales erant. Ingentem gloriam appetebant divitiis spretis, & honestatem utilitati quantælibet præferebant. Hanc quidem gloriam ardentissimè dilexerunt, eo totam referentes vitā & mortem. Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt. Prius enim pro libertate, deinde pro domino certatum est. Fuerunt tamen quibus justitia, quantum gentili dabatur, sufficiebat, cupiditate deducta. Aliis nihil satis erat, sed sub imagine magnanimitatis vel impossibilia præsumentes, laudem maximam consequebantur & gloriam. *libri* 8. *Policrat. cap.* 5.

Io. Sarisberiensis : Conjunctio affectionis efficacior est quàm juris, eò quod ad naturam familiarius accedit ; ipsique unitur animæ quidquid affectionis fœdere copulatur. Non est ubique perniciosior adulatio, quàm quæ affectionis inductione procedit, &c. *cap.* 13. *lib. 3. Policrat.*

¶ Philosophorum Principum Historicorum Græcorum.

Isocrates: Dabis operam, ut rebus omnibus imperes, quibus animum servire turpe est : cujusmodi sunt, lucrum, ira, voluptas, dolor. Hæc ita consequere, si ea in lucro deputes, quæ gloriam, non quæ opes augeant. In ira, si talem te præbeas delinquentibus, quales in te delinquentem alios esse velles. In oblectationibus, si turpe ducas, servis imperare, voluptatibus servire. In rebus molestis, si calamitates aliorum inspicias, & te hominem esse recorderis. *Paranesi ad Demonicum.*

Arrianus. Sunt quæ homines facilè concedant : sunt quæ non item. Nam se amentem aut vecordem esse nemo fatebitur: imò cōtra omnes dicere audias, utinam tātum mihi felicitatis esset, quantum est ingenii. Timidos autem se esse facile fatentur, & dicunt : Sum quidem timidior, fateor sanè, sed cætera stultum non deprehendes. Se incontinentem esse hominem, non temerè quispiam fatebitur : injurium nullo modo, nihilóq; magis invidum aut curiosum : misericordem verò plerique. Quid ergo causæ est? Summa ac princeps, dissensio & perturbatio in judicio bonarum malarúmque rerum. Aliis verò aliæ sunt causæ. Ac quæ turpia esse persuasum habent, ea nunquam fatentur. Nam timidum quidem esse, & misericordem, moderati ingenii laudem esse dicunt: stultum verò, mancipii proprium. Nec delicta quibus humana societas violatur, ullo modo ignoscunt. In pleriſque verò peccatis potissimùm huc feruntur, ut ea fateantur, quod invitum quiddam iis inesse putant, velut in timore & misericordia. Quod si quis intemperantiam suam fatetur, amorem causatur : se venia dignum esse, quod non ultro fecerit. Injuriam verò negant, ut quam nequaquam esse coactam & invitam opinentur. Inest & in zelotypia quiddam, ut putant non voluntarium. Itaque & hanc confitentur.

Cùm igitur inter tales homines vivamus adeò perturbatos, adeò ignorantes vel quid dicant, vel quid mali habeant aut non habeāt : vel quare habeant, & quomodo liberari eo possint : operæ pretium fuerit in seipsum crebrò inquirere : Nunquid & ipse sum ex illorū numero? Quid de me ipso sentio? Quomodo me ipsum tracto? Nunquid ut sapientem? Nunquid ut continentem? Nunquid & ipse dico aliquando talia? Súmne ad ingruentem casum ferendum eruditus? An sentio quod sentiendum est nihil scienti, me nihil scire? Num magistrum convenio tanquam oraculum, obtemperare paratus : an verò & ipse muco nares oppletus scholam ingredior, historiam tantùm cogniturus, & libellos pridem non intellectos, intellecturus? aut etiam fortassis aliis enarraturus. *lib.* 2. *cap.* 21.

Basilius Imperator: Concedet tibi Deus victorias & triumphos adversus hostes, cùm ipse adversus perturbatos animi motus trophæa & titulos erexeris : qui enim invisibiles hostes devicit, eum visibiles etiam posse vincere necessariò consequens est. Sed quem voluptates superare, ut vile mancipium, & transversum ad se rapere valent, nunquam Deo lubebit eum victoriæ honore condecorare : qui verò victoriam de libidinibus & aliis animi perturbationibus partam voluntariis laboribus coronaverit, is, in certum argumentum futuræ posteà retributionis æternorum bonorum, etiam in hac vita de inimicis victoriam à Deo quasi debitore concessam jure suo referet. *cap.* 11.

Heliodorus: Dic confidenter, neque dolori vires taciturnitate suppedites. Omnis enim affectio quæ citò cognoscitur, facilè curari potest: sed quæ tempore inveteraſcit, propemodum est insanabilis. Alimentum est enim morborum silentium. Cæterùm quod enunciatur, leniri consolatione facilè potest. *lib. 4. AEthiop.*

Alcinous: Quoniam verò virtutes quamplurimæ circa affectus perturbationesq; versantur, ipsi jam definiendi videntur affectus. Est igitur affectus, ratione carens animi motus, ex bono aliquo excitatus aut malo. Irrationalis motus ideo dictus est, quia nec judicia nec opiniones affectus sunt, verùm animæ quæ ratione carent partium motus. In parte enim animæ rationis experte motus sunt, qui etsi in operibus existunt nostris, nihilo tamen magis in nostra sunt potestate. Sæpè quippe invitis nobis innascuntur & reluctantibus. Quandoq; enim accidit, ut etiam si cognoscamus ea quæ incidunt, nec tristia esse nec grata aut expetenda, nec etiam metuēda; nihilominus ab iis trahamur. Quod sanè nunquam fieret, si perturbationes ejusmodi, idem essent quod judicium. Judicia enim tunc rejicimus, cùm ea improbamus, sive rectè, sive secus. Addidimus in definitione præterea, ex bono aliquo aut malo natus: quia ex eo quod inter illa medium est aut indifferens, affectus nunquam in nobis concitatur. Quatenus enim bonum aliquid videtur aut malum, perturbationes omnes nascuntur. Bonum enim si adesse videmus, lætamur, si ad futurum, concupiscimus : malum contra cùm adest, dolemus, cùm imminet, metuimus.

Simplices præcipuique affectus & quasi reliquorum elementa, sunt duo ; voluptas scilicet & dolor. Cæteri autem ex iis constant & quasi sunt formati. Neque enim timor iis & concupiscentia quasi simplices quidam principésque annumerandi sunt. Quoniam qui metuit,

metuit, non omnino voluptate privatus est : neque enim vel minimum aliquis tempus vivere poterit, qui se aut liberari à malo posse aut levari saltem desperarit. Abundat tamen atq; excellit dolor in eo ac molestia, ideoque mœret. Et qui concupiscit, quod in expectatione potiundi ejus manet quod concupiscit, delectatur, cùm verò non penitùs confidat, nec firmam sat spem habeat, tristatur. Quod si cupido ac metus minimè simplices sunt principésque, sine controversia id sequitur, nullam quoque reliquorum affectuum simplicem esse; iram, inquam, desiderium, æmulationem, cæteráque hujusmodi. In iis enim voluptas conspicitur & dolor, ut qui ex iis sint conflati.

Affectus præterea alii agrestes, alii mansueti sunt. Mansueti quidem quicunque naturâ hominibus insunt, qui si modum teneant, necessarii sunt ac proprii hominibus, sin verò hunc excedunt, vitiosi sunt. Ejusmodi sunt, voluptas, dolor, ira, misericordia, verecundia. Proprium quippe est hominibus, iis quæ secundùm naturam accidunt, delectari, contrariis verò dolere. Et ira quidem ad repellendam ulciscendamque necessaria est injuriam : misericordia humanitati convenit : verecundia verò, ut à rebus declinemus turpibus, nos impellit.

Alii sunt agrestes affectus, qui præter naturam sunt: cùm ex depravatione aliqua aut perversa nati sint consuetudine. Hujusmodi sunt, risus effusior, & in malis quæ alteri eveniunt, exultatio, & humani generis odium : qui sive vehementes atque intensi seu remissi, sint, aut quocunque modo se habeant, semper aberrant, mediocritatémque laudabilem nullam prorsus admittunt.

De voluptate autem & dolore, sic inquit Plato : Hos videlicet affectus, à natura quodammodo in nobis concitari. Cùm dolor iis accidat & tristitia, qui præter naturam moventur : voluptas autem iis, qui in constitutionem naturæ suæ propriam restituuntur. Existimat enim naturalem hominis statum esse, medium inter voluptatem atque dolorem, dum neutro movetur: quo in statu plurimum tempus vivimus. Plures item tradit voluptatum esse species : quarum aliæ corporis, aliæ sunt animæ. Rursus ex voluptatibus alias cum contrariis conjunctas, alias puras esse. Alias rursus ex præteritorum recordatione, alias ex futurorum spe nasci. Rursus alias turpes, quæ intemperantes, & injustæ, alias moderatas, & cum ipso bono conjunctas. Sicut gaudium honorum causa, & quæ virtutem comitantur, voluptates. Cùm verò voluptates plurimæ natura sua sint turpes, nequaquam disputandum esse censet, utrum simpliciter & absolutè bonum esse possit voluptas. Ex iis enim nulliúsque precii ea videtur esse, quæ alteri natura agnascitur, nec principem habet aut primariam essentiam. Quippe quæ cum contrario cohæreat suo: ut quæ cum dolore conjungatur. Quod nunquam fieret, si alterum bonum, alterum simpliciter esset malum. *lib. de doctrina Platonis cap. 31.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Nullo genere par erat causa nostra; & conciones quæ ad clamorem confluxerant, nostram scilicet de more rideban invidiam; quod pro illa parte vindicabant pretiosissimam vestem; pro hac panunciam ne centonibus quidem bonis dignam. Hinc Ascyltos penè risum discussit, qui silentio facto, Videamus, inquit, suam cuique rem esse carissimam. Reddant nobis tunicam nostram, & pallium suum recipiant. *Satyrico.*

Seneca : Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti & concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum. Sicut distillatio una nec adhuc in morem adducta, tussim facit; assidua & vetus, phtisin. Itaque qui plurimùm profecere, extra morbos sunt, affectus adhuc sentiunt. *Epistola 75. §. 1. f.*

Seneca : Non diminutionem malorum in bono viro intelligo, sed vacationem. Nulla debent esse non parva. Nam si ulla sint, crescent, & interim impedient. Quomodo oculos major & perfecta suffusio excæcat, sic modica turbat. Si dat aliquos affectus sapienti, impar eis erit ratio, & veluti torrente quodam auferetur: præsertim cùm illi non unum sed universum affectuum cœtum reliqueris, cum quo colluctetur. Plus potest quamvis mediocrium turba, quàm unius magni violentia, &c. *Epistola 85.*

Seneca: Quoniam ego ab uxore non impetro, ut me fortius amet, impetrat illa à me, ut me diligentius amem. Indulgendum est enim honestis affectibus: & interdum etiam, si premunt causæ, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus, &c. *Epist. 104.*

Seneca : Utrum satius sit, modicos habere affectus, an nullos, sæpè quæsitum est. Nostri illos expellunt. Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo salubris esse aut utilis possit, ulla mediocritas morbi, &c. *Epistola 116. pr.*

Seneca : Nullum vitium est sine patrocinio. nulli non initium est verecundum & exorabile; sed ob hoc latius funditur. non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillis primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit parit : excluditur facilius quàm expellitur. Quis negat omnes affectus à quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri natura mandavit; sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio : si suo veniat jure, luxuria est. Ergo intrantibus resistamus, quia facilius non recipiuntur quàm exeunt, &c. *Epist. 116.*

Seneca : Muta animalia humanis affectibus carent : habent autem similes illis quosdam impulsus. Alioquin si amor in eis esset, odium esset: si amicitia, & simultas: si dissensio, & concordia, quorum aliqua in illis quoque extant vestigia. Cæterum humanorum pectorũ propria bona maláq; sunt. Nulli nisi homini concessa prudentia est, providentia, diligentia, cogitatio. Nec tantùm virtutibus humanis animalia, sed etiam vitiis prohibita sunt. Tota illorum, ut extra, ita intra, formæ humanæ dissimilis est, &c. *lib. 1. de Ira, c. 3.*

Seneca : Cætera vitia licet abscondere & in abuto alere. Ira se profert, & in faciem exit, &c. Nec ignoro, cæteros quoque affectus vix occultari; libidinem, metum, audaciam, dare sui signa, & posse prænosci : neque enim ulla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moveat in vultu, sed hoc interest : alii affectus apparent, hic eminet. *lib. 1. de Ira, cap. 1.*

Seneca : Ferè justum quisque affectum judicat, quem agnoscit. *lib. 1. de Ira, cap. 12.*

Seneca : Nihil ex his quæ animum fortuitò impellunt, affectus vocari debet. Ista, ut ita dicam, patitur magis animus quàm facit. Ergo affectus est, non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis, & hunc fortuitum motum persequi. Nam si quis pallorem, & lachrymas procidentes, & irrigationem humoris obscœni, altúmve suspiritum, & oculos subitò acriores, aut quid his simile, indicium affectus, animique signum putat, fallitur, neque intelligit hos corporis esse pulsus, &c. *lib. 2. de Ira, cap. 3.*

Seneca: Nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio; nulliq; sunt tam feri & sui juris affectus, ut non disciplinâ perdomentur. Quodcunque sibi imperavit animus, obtinet. Quidam ne unquam riderẽt, consecuti sunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus. Alius contentus brevi somno vigiliam indefatigabilem extendit. Didicerunt alii tenuissimis & adversis funibus currere; & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditq; nihil esse difficile, cujus sibi ipsa mens patientiã indiceret. Istis quos ante retuli, aut nulla pertinacis studii, aut non digna merces fuit. Nos non advocabimus patientiam, quos tantum præmium expectat, felicis animi immota tranquillitas? *lib. 2. de Ira, cap. 13.*

Idem : Facile est affectus suos, cùm primum oriuntur deprehendere. morbum signa præcurrunt. Quemadmodum tempestatis ac pluviæ, ante ipsas notæ veniunt; ita iræ, amoris, omniumq; istarum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuncia. Qui comitiali vitio solent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, si calor summa deserui; & incertum lumen, nervorúmque trepidatio est, si memoria sublabitur, caputque versatur. Solitis enim remediis incipientem casum occupant; & odore gustúque quidquid est quod alienat animos, repellitur; aut fomentis contra frigus rigorémque pugnatur : aut si parum medicina profecit, vitaverunt turbam, & sine teste ceciderunt. Proderit morbum suum esse, & vires ejus antequam spatientur opprimere, &c. *lib. 3. cap. 10. de Ira.*

Quintilianus : Non animum mihi ipse finxi, aut mea potestate regitur affectus, in arbitrio formantis more omnium naturæ compositus, cum crimine meo natus sum. Nam sive cœlestis providentia, sive irrationabilis casus, sive assignata siderum cursu nascentibus nobis necessitas, multa varietate pectora nostra distinxit, nec minus numerosas animorum quàm corporum dedit formas. Sunt quorũ mentes etiam nocentium supplicia confundant, qui ad omnium sanguinem pallescant, ignotorum quoque miseriis illachrymant. Sunt contrà, qui ne suorum quidem misereantur. Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conspectum tremit. *Declamatione 9. & 19 f.*

Quintilianus: Habet pietas impetum suum, nec ullum dominum novit affectus. *Declamatione 6. §. 22.*

Iulius Capitolinus : Cùm Marcus Antoninus mortuum educatorem suum fleret, avocaretúrque ab Aulicis ministris ab ostentatione pietatis, dixit Pius Aug. Permittite illi ut homo sit: neque enim vel Philosophia, vel Imperium tollit affectus. *In Antonini Pii Vita, cap. 10.*

¶ Emblematum.

Batillius CLVII.

Affectus mentis.

Nec tu aliud Circes intellige pocula, quàm quos
Mens hominum motus irrequieta capit.
Quos sæpè induere in vultus, mores q; ferarum
Queus q; integra animi vertere jura solent.

Camerarius XXXI. Centur. 2.

Hæc vera potentia est.

Affectus quisquis mentis moderatur habenis,
Fertur equo domito; qui vagus, ille fero.

¶ Apophthegmatum Cristianorum.

Franciscus Borgia S. I. Consonum nunc de humanis affectibus, iisque si mali sunt domandis, paucã dicamus, ut enim affectus, si moribus congruant, nec rectæ rationi adversentur, fovendi sunt : ita si moribus & rationi difformes, radicitùs evellendi. Franciscus Borgia iteratò se offert : qui dum præsente se quempiam de vitæ

ſanctitate innocentiáque laudari audiret, illud unum inſonabat: *Talis erit, qui ſe ſincere norit.* Sontis inſontisque vitæ cauſam, in affectus projiciens. *Lib 4. Vitæ ejuſdem cap. 5.*

Idem: Cùm intellexiſſet Carolum V. ætate jam & labore feſſum, rebus Imperii feliciter tranſactis, ſe in cœnobium recepiſſe: *O magnum virum*, inquit, *qui eùm de hoſtibus toties triumpharet, tandem ſe ipſum vicerit. Ribad. in Vita ejuſdem, lib. 2. cap. 14.*

Senex Religioſus Anonymus: Et ille non immeritò priori conjungendus: qui hortum cupreſſis conſitum cum diſcipulis ſuis obambulare ſolitus, eis ut teneriores evellerent primùm, tum magis annoſas, præcepit, quibus dicto obtemperantibus, ita ad eos ſenior: *Hoc modo affectus noſtri dum tenelli, facilè extirpantur: ubi verò radices egerint, difficillimè. Doroth. doctrin. 11.*

Petrus Aldobrandinus Card. Venerat hic Mediolanum orator ab Apoſtolica ſede miſſus: rogatúſque à Margarera Auſtriæ Regina (ad cujus triumphalem ingreſſum plurima erant expreſſa ſimulacra) quiſnam Regum omnium videretur ſibi maximus; *Qui*, reſpondit, *libentius ſibi, quàm aliis imperat.* hoc Imperium verè poſſidet, qui nunquam in alia fortuna eſt alius. *Henric. Farneſius in Apoph. de Principe.*

Idem dicebat, *Felicitatis fabrica in temperandis affectibus ſita eſt.* Virtus enim & vitium, ex affectu æſtimatur. *Ibid.*

Wenceslaus Dux Bohemiæ: Inter Civiles non injuria WENCESLAUS principium faciet. Etenim qui hac animi æquitate etiam Philoſophorum moderationem eſt tranſgreſſus. Mortuo námq; patre, in Bohemiæ Ducem electus, cùm ſciret Boleslaum fratrem ſuæ vitæ inſidias ſtruere, nunquam niſi verbis eum deterruit à ſcelere, at fruſtrà, redeuntem à templo Wenceslaum frater exſpectat, comitatus aliquot nefariis: & impetum in eum facit, irruit è contra Wenceslaus, & Boleslao ad terram proſtrato, gladióque adempto, perfidiam exprobrat; manúmque & enſem continet: ac in mediis irarum fluctibus, adfectu ſuperato, eum intactum dimittit. Quam egregiam animi moderationem admirantibus qui aderant; *Malim*, dicebat, *ut frater Deo ſanguinis reddat rationem, quàm ſi ego in fratrem manus injecero, & fraternæ necis cauſam apud Deum dicere compellerer.* Stupenda animi tranquillitas, & affectuum dominium: cui ſi Archytæ, aut Platonis, Staſyppive modeſtia conferatur; jocus ludibriúmmque, ac veluti pueriles ſudi inter viriles actiones videbuntur. *Fulgoſ. lib. 4.*

¶ Monoſticha Trochaica.

Abſque affectibus, reperta nulla adhuc humanitas.
Ægritudinum radices nonne affectus ſunt mali?
Affectus quidem miniſtri tam mali ſunt, quàm duces.
Contra affectus præliandum haud ſubtilitate aſt impetu.
Eſt affectus, haud effectus verum amicum qui probat.
Imperat regno haud puſillo qui imperat affectibus.
Impetu, haud ſubtilitate contra affectus prælium.
Magna res & pulchra, cunctis imperare affectibus.
Æquè Reges ac privati ſubjacent adfectibus.
Nec Deus mutatur ira, nec mutatur gratia.
Ne pugnes ſubtilitate contra affectum, aſt impetu.
Non habet neceſſitatem circa humiles affectio.
Non naturæ aſt imbecillæ mentis perturbatio eſt.
Non dominatur in fideles mente animi ulla affectio.
Paſſioni ei à quo quiſque vincitur, ſe ſubjacet.
Plura fert à Diis, ſibi ipſi quiſque plura quo negat.
Serv itus miſerrima eſt quæ affectibus ſervit ſuis.
Vel ſaxum eſt Deus ve cui non perturbatio ſua eſt.

¶ Jambica.

Affectibus ſcire imperare haud improbi eſt.
Affectibus quoque ſubjacet ſapientia.
Affectioni nullus eſt junctus labor.
Affectio quod dictat phaleras reſpuit.
Affectio taciturna, nulla affectio eſt.
Affectui mage attenditur quàm effectui.
Affectus omnis vilis eſt apud improbos.
Deus nec ira tangitur nec gratia.
Iudex parum fidelis eſt affectio.
Nec interit ipſa morte ſancta affectio.
Non tam facilè exit adfectus, quàm admittitur.
Præclarè honeſto indulgeas affectui.
Rationi inimica eſt omnis animi affectio.
Regi queunt affectus, exui haud queunt.
Spectanda rebus, non verbis adfectio.
Verè imperare, eſt imperare affectibus.
Vix perpetrantur res magnæ abſque affectibus.
Vix provider mens verum, affectus ubi officit.

Videantur plura titulo *Amoris*, **Cupiditatis**, *Avaritiæ*, *Odij*, *Iræ*, *Victoriæ*, *Vindictæ*, *Ambitionis*.

Affinitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D CHRYSOSTOMUS: Porrò Deus, ut charitas intenderetur excogitavit etiam aliud argumentum cognationis. Prohibitis enim cognatorum matrimoniis, nos eduxit ad alienos, & illos rurſus ad nos attraxit. Nam quoniam ex naturali hac cognatione non licebat illos nobis conjungi, ex matrimonio illos rurſus conjunxit; totas domos per unam ſponſam, & generibus tota commiſcens genera. Ne ducas, enim inquit, uxorem ſororem tuam, neque ſororem patris, neq; aliam puellam, quæ tecum habet cognationem, quæ prohibet matrimonium; nominatim ponens genera ejuſmodi cognationum. Tibi ad illarum ſufficit affectionem, eodem utero eſſe editas ad te aliter attinere alias. Cur in anguſtum redigis latitudinem charitatis? Cur cauſam tuæ in ea amicitiæ ſupervacaneè conſumis? per quam potes etiam tibi parare aliam occaſionem amicitiæ foris ducta uxore, & propter illam, cognatorum ſeriem, & patrem, & matrem, & ſorores, & eorum neceſſarios. *Homilia 34. ad Corinthios 1.*

Baſilius Seleuc. Saul inviſo Davidi filiam dare vult, non quo exoſum cohoneſtaret, ſed ut filiæ nuptiis cædem emeret. *Orat. 16. m.*

¶ Latinorum.

D. Ambroſius: Homines ſib invicem conciliat neceſſitudo, non ſeparat. *lib. 2. de Fide cap. 4.*

Egeſippus: Antipater egregiè factus ad emerendam muneribus atque amicitia ſocietatem potentium, gratiam præ cæteris ſibi regis Arabum conciliaverat, quia de locis Arabiæ uxoris acceptæ prætendebat neceſſitudinem. *lib. 1. cap. 22. de excid. Hieroſ.*

¶ Historicorum Græcorum.

Herodotus: Lydi ac Medi, ubi diem noctеſcere viderunt, interventu eclipſi Solari, à pugnando deſtiterunt; eóq; propenſius ad pacem inter ſe conſtituendam feſtinaverunt, auctoribus Syenneſi & Labyneto: qui ut juſurandum intercederet, & reconciliatio affinitate fieret operam dederunt: decernentes ab Aliatte Arienam filiam, Aſtyagi Cyaraxis filio nuptum dandam. Quoniam ſine vehementi neceſſitudine conventiones ſtabiles iniri non queunt. *lib. 1. cap. 47.*

Dio Caſſius: Antequam diſcederet ex Italia Antonius, ipſe & Cæſar mutuò primùm per amicos, poſt coram expoſtulaverunt: ac quia non vacabat eis bellum movere, in gratiam quodammodo redierunt, Octaviæ præcipuè opera. quoque pluribus neceſſitudinis vinclis continerentur, Cæſar Antyllo Antonii filio filiam ſuam, ac contra Antonius ſuam ex Octavia ſorore Auguſti filiam Domitio (uni ex percuſſoribus Julii Cæſaris) deſponderunt. Hæc verò ita ab iis fingebantur, quæ facturi haudquaquam erant; ſed tantúm ſimulabant, quia præſentia negotia id poſcebant. *lib. 48. hiſtoriæ Rom.*

¶ Romanorum.

Iulius Cæſar: Accuſabatur Duumnorix, tanquam qui magnum numerum equitatus ſuo ſumptu ſemper circa ſe haberet. Neque ſolùm domi, ſed etiam apud finitimas civitates largiter poſſe. Atque hujus potentiæ cauſa matrem in Biturigibus, homini illic nobiliſſimo ac potentiſſimo collocaſſe. Ipſum ex Helvetiis uxorem habere. Sororem ex matre, & propinquas ſuas nuptum in alias civitates collocaſſe: favere & cupere Helvetiis propter eam affinitatem, &c. *lib. 1. belli Gallici.*

Idem: De numero eorum omnia ſe habere explorata Rhemi dicebant, propterea quod propinquitatibus affinitatibúsq; conjuncti, quantam quiſque multitudinem in communi Belgarum concilio, ad id bellum pollicitus eſſet, cognoverint. *lib. 2. bell. Gall.*

Cicero: Cæteri novis affinitatibus adducti, veteres inimicitias ſæpè deponunt: mater illa Cluentii ſibi ad confirmandas inimicitias, affinitatis conjunctionem pignori fore putavit. *Orat. pro Cluentio cap. 67.*

Valerius Maximus: C. Carbo tribunus plebis P. Africanum ab ipſa penè porta in roſtra perductum, quid de Tiberii Gracchi morte, cujus ſororem in matrimonium habebat, ſentiret, interrogavit: ut auctoritate clariſſimi viri, inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret: quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti neceſſarii memoria miſerabiliter eſſet locuturus. At is jure eum cæſum videri reſpondit. *libro 6. Memorabil. cap. 2.*

Vellejus Paterculus: Septimo fermè anno Cæſar morabatur in Galliis, cùm medium jam, ex invidia Pompeii malè cohærèntis, inter Cn. Pompejum & C. Cæſarem concordiæ pignus Julia, uxor Magni deceſſit, &c. *libr. 2. cap. 47.*

Æmilius Probus: Demetrius rex cùm filiam ſuam Seleuco regi in matrimonium dediſſet, neque eo magis fida inter ipſos amicitia manere potuiſſet, captus bello, in cuſtodia ſoceri generi periit morbo. *de ſucceſſoribus Alexandri Magni.*

Tacitus: Dicebatur contra, Pompejum imagine pacis, Lepidum ſpecie amicitiæ deceptum ab Auguſto: poſt, Antonium Tarentino Brundu-

Brundusinoque fœdere, & nuptiis sororis illectum, subdolæ affinitatis pœnas dedisse. *lib.3. Annal.cap.10.*

Iustinus : Mithridates nihil de offensa Romanorum sentientem, Tigranem impellit, ut Ariobarzani regni admodum bellum inferat: & ne quis dolus subesse videretur, filiam ei suam Cleopatram in matrimonium tradit. *lib.38.cap.4.*

Incertus Panegyristes Maximiano & Constantino Augg. Perpetuis profectò pietatibus coalescat ista affinitas; quæ semper summos in Republica viros ad concordiam copulavit. Etenim si quamvis dissidentes familias Gracchi & Corneliæ matrimonium reduxit in gratiam, si pro Divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa confecit; quid sperandum est, cùm sempiternam patris ac filii caritatem, etiam nuptiarum fœdus astrinxerit? *capite decimo tertio.*

Curtius Oratione Alexandri Magni : Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntæ qui capiti meo comparavit insidias, socium se & consscium adjunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habeo, sororem suam in matrimonium dedit. *libro sexto, capite quadragesimo quinto.*

Cassiodorus : Adeò inter Reges affinitatis jura divina coalescere voluerunt, ut per eorum placabilem animum proveniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Sociantur proximitate domini, ut nationes divisæ simili debeant voluntate gloriari, & quasi per alveos quosdam concordiæ, adunata se possint gentium vota conjungere. *libro 3. Variarum, Epistola 4.*

Idem: Quamvis à diversis regibus expetiti pro solidanda concordia, aut neptes dedimus aut filias, Deo nobis inspirante, conjunximus, &c. *libro 5. Epist. 43.*

¶ Poetarum.

Plautus 2. sc. 4. v. 41. Aulularia.

Meus gnatus me ad te misit, inter se atque vos
Affinitatem conciliarem & gratiam,
Tuam vult sororem ducere uxorem. L. *hau, nosco tuum*
Bonis tuis rebus meas res irrides malas.
v. Homo ego sum, homo tu es. ita me amabit Iupiter,
Neque te derisum veni, neque dignum puto.
1. *Mearum rerum me novisse æquum est ordinem:*
Cum vestris non est nostra æqua factio:
Affinitatem vobis aliam quærite.

Plautus Trinummo. 2. sc. 4. v. 85.

Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites;
Id optimum esse, tute uti sis optimus:
Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus.
Nunc conditionem hanc, quam fero. & quam abs te peto,
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites sunt. Deos decet opulentia,
Et factiones. verùm nos homulluli,
Satillum animæ, qui cùm extemplò amisimus,
Æquè mendicus atque ille opulentissimus;
Censetur censu ad Acheruntem mortuus.
Nunc tu ut scias hei c factiones atque opes
Non esse, neque nos tuam negligere gratiam,
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quares benè vertat! habeon' pactam?

Ausonius ad socerum,

Et nunc perpetui sentis sub honore sepulchri,
Quam reverens nata, quamq; tui maneam.
Cælebs nam q; gener nunc hæc pia munera solvo:
Nam & cælebs unquam desinet esse gener.

Afflictionis.

¶ Sententiæ Patrvm.

D. Greg. Nyssenus: Quemadmodum bilioso quique superfluis humoribus abundant, amara remedia haud gravatè sorbent, ut per illa causa morbi efficiens expurgetur: ita qui ab inimico agitatur, & ad Deum fugit, excipit rerum acerbarum & adversarum impetum, ut qui vim habeat voluptatis efficaciam exstinguendi: non enim gaudere potest qui dolet. Quoniam igitur per voluptatem intravit peccatum, per contarium prorsus expelletur. Ergo qui persequuntur eos, qui Dominum confitentur, & toleratu difficilia tormenta atque supplicia excogitant, remedium quoddam animis per dolores adhibent, violentis rerum asperarum admonitionibus voluptatis morbum curantes. Ita crucem Paulus excipit, gladium Jacobus, lapides Stephanus, capite deorsum verso crucifixionem beatus Petrus, omnes qui hos secuti sunt fidei athletæ varias rormentorum & suppliciorum species, bestias, barathra, rogos & flammas, frigoris concretiones & congelationes, carnium ex lateribus & costis lacerationes & avulsiones, capita clavis undique confixa, oculorum amissiones, digitorum abscissiones, corporis per crura in utramque partem disruptiones, per famem excruciationes & confectiones. Hæc atque ejusmodi omnia, tanquam peccati expiationes, Sancti illi cum lætitia admittebant, ne quod vestigium cordi per voluptatem impressum relinqueretur, acerbo atq; doloroso hoc sensu omnia der voluptatem animæ impressa vestigia delente. *Oratione 8. de beatitudinibus.*

D. Nazianzenus: Ego verò vel hujus vitæ cruciatum improbitati, vel res lætas & secundas pietati omnino ascribere vereor: non quòd non aliquando & ob aliquam utilitatem hoc contingat, nempe ut vel per improborum calamitatem vitii cursus reprimatur, vel per bonorum felicitatem virtuti via muniatur, sed quia non semper, nec omnino, verùm hoc futuri temporis sit, in quo alii virtutis præmiis, alii scelerum pœnis afficientur. Resurgent enim, inquit, hi in resurrectionem vitæ, illi in resurrectionem judicii. Rerum autem hujus ævi alia forma est, alia gubernatio, tametsi omnia eo ferant, atque apud Deum æquabile quiddam procul dubio habeat id quod nobis inæquale esse videtur: haud aliter atque in corporibus eminentes ac demissæ partes, magnitudines item & parvitates, atque in terra, tam ea, quæ altè se efferunt, quàm quæ subsidunt: ex quibus pulchritudo mutua inter se habitudine conflatur ac perspicitur. Quandoquidem opificis quoque materia, quæ prius inæquabilis atque incondita erat, perquàm tamen artificiosa esset, si ad operis cujusdam structuram accommodaretur: id quod tum demum intelligimus atque fatemur, cùm operis elegantiam undique perfectam & absolutam intuemur. Atque nec ille artis inscius est, ut nos sumus: nec res hujus vitæ propter ea temerè atque incondite gubernantur, quia exploratas earum rationes non habemus. *Oratione 16.*

D. Nazianzenus : Et quidem profectò plaga cordatis hominibus doctrina efficitur, ac plerunque prospero rerum successu potior ac præstabilior est afflictio. *Oratione vigesima super morte Basilii Magni.*

D. Nazianzenus: Quid mirandum si sancti quoque viri malis premantur? sive ad limi quantumvis exigui purgationem, sive ad virtutis explorationem, & philosophiæ documentum, sive denique ad imbecillorum eruditionem, qui in illis fortiter adversa perferre condiscunt, rebúsque calamitosis minimè frangi ac debilitari. *Oratione 19. in funere patris.*

Chrysostomus: Unusquisque magnorum virorum, non à requie, non à deliciis, verùm ab afflictione, à tentationibus, insignes coronas reportarunt. *Sermonis 3. ad Romanos fine.*

Chrysostomus : Ipsæ per se afflictiones bona quædam res est. Quam ob rem? nempe quod ad patientiam accingunt atque exercent. *Homilia 9. ad Romanos.*

Chrysostomus: Quid igitur de iis dicas, quos sæpenumero afflictio transversos egit, atque in errorem induxit? nempe quòd erroris inductio non ab afflictione, sed ab illorum imbecillitate profecta sit. Neque enim si quis stomacho laborans medicamen acre, quo purgari ipse queat, non admittat, sed illud atterat, medicamen incusabimus, sed membri valetudinem: quemadmodum & hîc animi infirmitatem. Nam qui ab afflictione perculsus in diversum agitur, id multò facilius à laborum relaxatione patietur. Si enim ligatus cadit (hoc enim afflictio) multò facilius solutus. Si constrictus, ac coërcitus in diversum agitur, facilius multò in stultam sui persuasionem adductus. Dices, quî verò fiet, ut afflictio evertere me nequeat? si cogitaveris, velis, nolis, ferendum esse, quod tibi incommodum illatum est. Sed si interim gratias agis, te maximum facere lucrum: sin autem ægrè fers, mœres, ac convicia in Deum jacis, te non solùm præsentem levare calamitatem, sed tempestatem majorem ac ruinam tibi adsciscere. *Homilia 9. ad Romanos.*

Chrysostomus: Docet nos Apostolus, ob vulgi opiniones atque sententias minimè conturbari; etiamsi nos impostores appellent, etiamsi nos ignorent, etiamsi sontes ac morti addictos esse existiment, etiamsi in mœrore atque egestate versari, etiamsi rerum omnium inopia premi, etiamsi cùm læti atque hilares simus, mœsto ac luctu profligato animo esse: quandoquidem nec cæcis perspicuus est Solis splendor, nec iis, qui mentis errore afficiuntur, eorum, qui prudentes ac sobrii sunt, voluptas perspecta & explorata. Soli enim pii viri recti sunt rerum judices; nec iisdem, quibus alii, rebus vel gaudent, vel anguntur. Quemadmodum enim si quis palæstræ rudis pugilem vulneribus affectum, ac corona redimitum spectet, eum ob vulnera diserucciari judicarit; quòd videlicet, quantam & corona voluptatem pariat, ignoret: eodem modo isti, quia quæ patimur norunt, ea autem ob quæ patimur nesciunt, non mirum si hæc sola suspecta habeant ac vereantur; ut qui certamina quidem & pericula perspiciant, præmia autem & coronas, & certaminum causam, non item. *Homil. 12. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Stabiles estote & immobiles: nihil enim adeò labefactat facitque vacillare, atque existimare se temerè affligi & sine causa. *Homilia 42. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Non modò non dolemus in hisce tribulationibus, sed etiam gaudemus: quodque majus est; non modò propter futura præmia, sed etiam ob præsentia. Si quidem hei c quoque ob eam causam clari atque illustres sumus. Quocirca tantum abest, ut luctu afficiamur: ut etiam triumphum remissam appellemus; atque ob ea, quæ contingunt, glorie mur. *Homil. 5. ad Corinth. 2.*

D. Ioan. Chrysostomus: Tunc anima purgatur quum propter Deum premitur. Tunc majori auxilo fruitur, atque ampliori gratiâ digna

existit, quum majore subsidio opus habet. Quin ante illud quoque præmium, quod à Deo propositum est, ingentia bona percipit, quum philosophice se gerit. Nam afflictio & fastum amputat & segnitiem omnem exscindit: atque ad patientiam instruit, ac velut inungit. Rerum humanarum utilitatem detegit: atque ingentem philosophiam inducit. Omnes enim turbulenti animorum motus ipsi cedunt, invidia, æmulatio, libido, potentia divitiarum & corporum amor, arrogantia, fastus, ira, ac reliquum hujusmodi morborum agmen. Quod si in rebus ipsis, & privatim virum aliquem, & populum universum cernere libet, in promptu erit mihi ostendere, & qui in calamitate, & qui in quiete atque oblectatione versati sint, ac docere, quantum illinc fructus, quantum hinc socordiæ promanarit.

Etenim Hebræi, quum exagitarentur, atque incommodis & calamitatibus afficerentur, ingemiscebant ac Deum obsecrabant, plurimúmque auxilii è cœlo pertrahebant. Quum autem incrassati sunt, recalcitrarunt. Ninivitæ rursus, quum securè ac tranquillè viverent, Deum usque adeò ad iracundiam incitarunt, ut se urbem funditùs deleturum minaretur. At postquam Jonæ prædicatione humiles ac summissi redditi sunt, tum verò nullum non philosophiæ argumentum præbuerunt. Quod si hominem unum privatim intueri libet, Salomonem tibi animo propone. Nam cùm hic in cura & perturbatione versaretur, de gentis videlicet illius imperio atque gubernatione consilia agitans, dignus habitus fuit cui visio illa contingeret. Quum autem luxui ac deliciis se dedidit, in ipsam vitii voraginem devolutus est. Quid ipsius pater? Quónam tempore eximium atq; admirandum virum se præbebat? An non quum in tentationibus versaretur? Quid Absalon? An non tum demum prudenter ac modestè se gerebat, quum exilii causa solum vertisset? Postquam autem reversus est, tùm tyrannidem invasit: tùm parricidii crimine sese devinxit. Quid Job? Nam quanquam ille, etiam quum lætá omnia ac prospera haberet, clarus & illustris erat, illustrior tamen post calamitatem visus est. Quid autem prisca & vetera commemorare attinet? Nam si quis præsentem rerum nostrarum statum expendat, quantum fructus ex afflictione nascatur, perspiciet. Nunc enim, quum pace fruimur, elanguimus & defluximus, ac sexcentis Ecclesiam malis implevimus. Quum autem exagitabamur, & moderatiores, & meliores, & studiosiores, & ad hosce conventus concionésque audiendas promptiores eramus. Quod enim auro ignis, hoc animis est afflictio: spurcitiem abstergens, puros eos efficiens, luculentos & illustres reddens. Hæc ad regnum inducit: illa ad gehennam.

Quocirca hæc quidem angusta: illa autem lata. Unde etiam Christus dicebat, In mundo pressuram habebitis: tanquam ingens bonum ad nos perveniens. Itaque si inter ipsius discipulos censeris, arctum & angustum iter capesse, nec indignare, atque animum desponde. Nam nisi ad hunc modum premaris, omnino te inutili quadam & infructuosa alia de causa premi necesse erit. Nam & invidus & pecuniarum avidus, & qui meretricis amore flagrat, & inanis gloriæ cupidus, & quilibet eorum, qui prava consectantur, multos mœrores multásque calamitates subit: nec minus quàm ii qui lugent, angitur. Quod si non collachrymat ac mœret, pudore scilicet ac stupore prohibetur. Alioqui enim, si animum ipsius cognitum habeas, infinitis eum fluctibus repertum conspiciens. Quum itaque res ita se habeat, ut & eum, qui hanc, & eum, qui illam vitam sequitur, premi necesse sit, qui fit ut non hoc potius vitæ genus amplectamur, quod innumeras cum afflictione coronas affert? *Homilia 26. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Hoc est verè contriti cordis, quando non sumus asperi in eos qui nos contumeliis afficiunt, quando non ægrè ferimus, quando respondemus, & nos excusamus. Nihil æquè facit animam philosophia præditam atque afflictio. Nulla res est æquè jucunda atque luctus qui est ex Deo. *Homilia 24. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Ne illud quidem est parum, quomodocunque ferre afflictiones: nam ideò gaudere, hoc jam est eorum qui humanam naturam superant, & habent corpus quasi impatibile. *Homilia 1. ad Thessalon. 1.*

Chrysostomus: Imbecillam quidem charitatem & fidem labefactant afflictiones; fortem autem reddunt fortiorem. Nam qui in dolore quidem est animus, cùm fuerit infirmus & debilis, nihil ei accesserit. Qui est autem infirmus & validus, tunc maximè. *Homil. 2. ad Thessal. 2.*

D. Ioan. Chrysostomus: Job uxori os obstruxit: Cur, inquit, velut una exinsipientibus loqueris? Revera corrumpunt bonos mores colloquia prava. Semper quidem certè, maximè in calamitatibus, tunc qui mala suadent vim habent: nam etsi animus ex se satis sit promptus ad indignationem & fastidium, quantò magis, quando est etiam qui consulit, an non deturbatur ad barathrum? *Homilia 20. Epistol. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Quid tu, cùm arctam viam tibi tenendam proposueris, ac de ea re pacta cum Deo inieris, lata via, quæ ad mortem ducit, incedis? Nam præsens indulgentia futuram pœnam accersit. Contrà, præsens afflictio, & cupiditatum compressio futurorum bonorum fructum atq; oblectamentum parat. *lib. 1. Epist. 144.*

Idem: Quemadmodum lanæ, ad excipiendam purpuræ tincturā, ob vestimenti excellentiam rigidè admodum priùs astringuntur: Eodem modo ille ingenti animi magnitudine præditus Paulus, à Judaica væcordia præcisus, triduana cæcitate priùs astrictus est, ut qui Dei purpura effectus sit, omnésque homines ut idem fiant, cohortetur. *lib. 1. Epist. 346.*

Basilius Seleuc. Multi mortales cùm viros Deo acceptos acerbum quippiam pati viderint; verbi causa, aut in valetudinem prolapsos, aut in paupertatem, aut aliquid hujusmodi, animo offenduntur, ignari quod hæc infortunia sint amicorum Dei vel maximè. *Oratione 40. pr.*

Salvianus: Agnoscere possumus cuncta quidem quæ affliguntur, judicio Dei percuti; sed propter peccata subverti: quia rectè illi rei factum adscribitur, qui ut ita fieret exegit. Nam & homicida cùm à judice occiditur suo scelere punitur: & latro & sacrileg⁹ cùm flammis exuritur, suis criminibus concrematur. Unde & quod Vandali ad Africam transierunt, non est divinæ severitati, sed Afrorum sceleri deputandum. Gravi enim eos antequam illuc pergerent, ac longa iniquitate traxerunt. Pietatis divinæ fuit, quod pœnam diu debitam distulit; piaculorum autem & criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur accepit. *lib. 7. de gubernatione Dei.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 1. de rebus suis.

Nam quos præter spem res afflixere sinistræ,
Vix meliora sibi promittere tempora possunt.

Terentius Heautont. 1. sc. 1.

An cuiquam est usus homini, sese ut cruciet? M. mihi est.

Lucianus, In breve ævum.

Fœlici brevis est etiam longissima vita:
Tempus at immensum est, unica nox misero.

¶ Emblematum.

Had. Junius, Emblemate XXXIX.

Clathrata callea macerie clusa columbula
Incurvis aquilæ permetuit carpier unguibus,
Formidat gravius sollicita mente periculum
Afflictus. capitis ritè suo consulit & rei.

Batillius XCVII.

In afflictum omnes incurrunt, & quisq; quod potest diripit.

Ut postquam traxit summis avulsa ruinam
Dodonea jugis arbor, humiq; jacet.
Conferti accedunt ferro crebraq; bipenni
Agricolæ instantes ut sibi ligna parent:
Sic quos extulerat magna ad fastigia rerum
Si fortuna loco, facta noverca, movet.
Vel quivis audet tum conculcare jacentes
Impunè in miseros duraq; verba loqui.

Jac. Catsius, Emblemate sacro VIII.

Sanat quod perculit.

Non tibi fert animus tua Serica perdere, quamvis
Mille foraminibus Serica, Virgo, notes.
Quod lacerávit acus, rutilo mox splendet in auro,
Pulchrior ex ipso Vulnere Tela redit.
Quos premis alme Deus, non opprimis. arrige mentem,
Qui geris ætherea Vulnera facta manu.
Perfer, erit sana cute pulchrior ipsa cicatrix;
Et dabit haud dubiam Vulneris auctor opem.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Noemi: Quum Noemi Bethlehemum post diuturnam in regione Moabitide commorationem reversa vidua esset cum Rutha nuru sua, fusæ omnes cives accurrerent ad eas & quærerent, Hæccine est Noemi? dixit ad eas, *Ne vocate me Noemin, vocate me Maram* (Noemi enim significat amœnam, & Mara amaram) *eò quòd amaritudine affecit me omnipotens valdè. Ego plena abieram, at vacuam reduxit me Iehova. cur vocaretis me Noemin, cùm Iehova testificatus sit contra me, & omnipotens malis affecerit me? Ruth cap. 1.*

Theodoretus: *Arbitror equidem* (inquit) *hujus universitatis moderatorem Deum, quò nostram improbitatē acriùs coerceat, primùm nobis suppeditare bona: deinde nos eisdem denuò spoliare: atque altero quidem docere, quam facilè possit ea quæ vult præbere: altero autem nos coarguere, velut ejusmodi beneficia parum promerentes. & eo pacto ad vitā rectius honestiúsq; traducendam sive instituendam impellere. Theodoret. eccles. hist. lib. 4. cap. 4.*

Nicephorus: *Postquam*, ait, *per multam libertatem nostram, fidei professionem in molliciem & languorem convertimus, atque invidia stimulati, armari ipsi contra nos cœpimus: orationibusq; et scriptis pro hastis & spiculis usi, turpiter fœdas seditiones excitavimus, proindeq; hypocrisis & irrisio quam potuit maximè in Ecclesiam involavit, & militia vires majores accepit, oculus Dei more suo benignè nos castigando visitavit & paternè coercuit, &c. Niceph. eccles. hist. lib. 7. cap. 2.*

Stephanus: Monachus quidam, nomine Stephanus, quum insanabili morbo opprimeretur, adeò ut membra corrupta medicis excidenda traderet: tamen opus facere, foliáq; palmarum manibus complicare & contexere non destitit. Atque eos qui aderant cohortatus est, *ut de suis calamitatibus non dolerent, neque aliud quicquam cogitarent, nisi quòd ea, quæ à Deo fiunt, omnino ad bonum finem spectarent, & quod sibi utile foret, in ejusmodi cruciatus incidisse; idque pro peccatis fortasse, pro quibus præstaret hic pœnas, quam post hanc vitam persolvere. Sozomen. eccles. histor. libro sexto, capit. 29.*

Episca-

Episcopi Constantinopolitani: Afflictionum (inquiunt) *genera nobis impactarum vix numero comprehendi possunt, propterea fortasse quod pœnæ peccatis debitæ nobis persolvendæ erant: fortasse autem quòd benignus Deus per ingentem rerum adversarum multitudinem nos exercere volebat. Pro quibus Deo certè agendæ sunt gratiæ, qui per tot afflictiones suos servos erudivit, & secundùm multitudinem miserationum suarum rursus eduxit nos in refrigerium. Theod. eccl. hist. lib 5. cap. 9.*

Mauricius Comes Oldenburgicus: A Bremensibus civibus variis contumeliis affectus, & acceptis à civitate literis quæ hostilia illi denuntiarent, vias publicas militè insedit, & paulò pòst pugnâ commissa Bremenses magna clade afflictos fugat. Deinde ad confinia civitatis accedens, portas vidit non clausas. Intromissis speculatũ ex agmine duobus, videntibúsque clausas domorum fores, læti redierunt, dicentes, penes Mauricium esse, si vellet, tota urbe potiri. Grassabatur autem pestis tum in urbe terrificè, ita ut desperata salute, domi se quisque suæ contineret. Audiens Mauricius, ingemuit, dicens: *Quia rex supernus illam oppugnat urbem, nolo ut accedat afflictis à Deo afflictio nostra. Multa mihi jucunda in hac urbe fuerunt: si modò dissidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat severus rerũ arbiter Deus, ne & in nos serpat contagio.* Ita reduxit exercitum vir, qui ejus urbis videretur dignus imperio, quod tam benigno fuit animo in afflictam. Post aliquot dies autem pax inter Mauricium & Bremenses sancita est. *Alb. Crantzius, Metrop. lib. 9. c. 40.*

Carolus Andegauensis: Deletis una die in toto regno Siciliæ Gallis, is nuncius Romam ad Carolum delatus, ejus animum mirificè turbavit, unde vocem illam protulit, quam Ricordanus & Franciscus Malaspinus illius ætatis historici, nempe anno 1281. memoriæ mandarunt: *Quando fortunam mihi adversam esse vis, ô Deus, facito ut sensim amittam quæ brevi temporis spatio parta sunt.* Hoc etiam illi accidit. Etenim licet omnes & extremos conatus adhiberet: tamen neque suis, neque alienis viribus Siciliam recuperare potuit, fortunam in dies magis magisq; adversam expertus, &c. *P. Massonus, lib. 3. Annal. Franc.*

¶ Alia adhuc Apophthemata.

Iesus Christus: Afflictionum modò quis fructus quæve utilitas, demonstrandum. Neque enim (ut inquit Cyprianus) nisi præcesserit pugna, potest esse victoria. Hoc in se ipso exhibuit Dominus ac Salvator noster, qui assumpto jam immortali ac glorioso corpore, se in alia effigie (ut loquitur Marcus) discipulis in Emaus ambulantibus interposuit, eosque ex Sacris literis instruens, tandem subjunxit: *Nonne oportuit hæc Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Ita enim à Deo decretum, per stultitiam Crucis salvos facere credentes. *Luc. cap. 23.*

Idem: Discipulos illos, qui inter alios gloriam & honorem affectabant in regno suo, rogabat; *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ut intelligamus, passionis calicem, & tribulationis amaritudinem, esse vim gloriæ & superni honoris. *Matth. cap.* 20.

SS. Paulus & Barnabas: Hi Christi capitis viva membra, ab eodem nunquam desciverunt. Lapidibus enim à Judæis impetitu, & extra civitatem ejecti, nihilominus confirmabant discipulorum animos in fide, & dicebant: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. cap. 14.*

Macarius Alexandrin. Lascivientis carnis stimulos persentiens, ferò de illis refrenandis cogitabat. neq; præsentius remedium corporis afflictione ratus, saccum arena ruderibusque oppletum humeris per sylvas defert. Cui Theosebius obviam factus, cùm rogasset, quid agis Macari? ille, *Vexatorem*, respondit, *meum vexo.* Utinam in hoc incumberet lasciva hujus ætatis juventus, & suæ menti illud Ethnici insculperet!

Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.

Pall. in hist. Lausian. 20.

S. Bernardus: Neque ad castitatem convenientiamq; conservandam solum confert Afflictio; verùm etiam ad benè beatéque in hoc sæculo vivendum. Docet id D. Bernardus; qui sæculi ludibria abnuens, divino impulsus spiritu, cùm fratres, & quoscumque poterat, ad religiosam vitam adhortaretur, unus Gerardus ejus germanus, cæteris ut apparebat prudentior, non acquiescebat. Cui vir sanctus: *Scio, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui.* quod & factum. Nam non ita diu pòst graviter ictu lanceæ sauciatus, mortem præsentem veritus, inclamat: Monachus sum Cistersiensis. Quo Bernardus intellecto, *Sciebam*, inquiebat, *quod durum ei esset contra stimulum calcitrare. In vita ejusdem. cap 3.*

S. AEgidius: Regatus à quodam sodalium; Quid nobis agendum, frater, si tribulationes ingruant? respondit: *Licet lapides & saxa de cœlo plueret Dominus, non nocebunt nobis si tales fuerimus, quales nos ille requirit.* insinuans quod in Odis Horatius:

Iustum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida —— &c.

Ex sent. aurei ejusdem.

Franciscus Borgia S. I. Ad alium non minùs illustrem transgredior, corpus suum variè affligentem, Franciscum Borgiam. Qui dum à sociis, cur id ageret, rogaretur: *Belluam istam*, inquit (eo nomine corpus honorabat) *plorare jubeo: ut quam deliciis voluptatem ce-*

pit palatum, eandem abstinendo amittat, expiet &c. Lib. 4. Vitæ ejus cap. 5. Andr. Schottus.

Idem: Amici nomine appellare solitus ea omnia, quæ ad corporis afflictionem conducebant. Hinc si per solis ardores, aut brumæ aspera frigora, itinerúmq; anfractus proficiscebatur, illud identidem ingeminabat: *Quàm bellè me juvant amici mei!* mente apprehendens æternam illam coronam, non nisi legitimè decertanti conferendam. *Ibidem.*

¶ Monosticha Trochaica.

A recenti tempestate littus omne est spissius.
Fors licet rédeat secunda gaudere afflictos piget.
Improbis afflictio una, dupla at ingruit probis.
Maximè tunc gratiæ agendæ sunt Deo, cùm affligimur.
Nil sic corda amicorum ultrò jungit ut afflictio,
Obsequio celebres florentem, nec labentem deseras.
Quantò plus erit tormenti, tantò erit plus gloriæ.

¶ Jambica.

Afflictio indivisa virtutum est comes.
Afflictione pejor est felicitas.
Aurum ignibus, discrimine arguitur probus.
Diuturnitate senescit adflictatio.
Domi & foris ægrè quod sit, semper est satis.
Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.
Etiam ad salutem pharmacum est afflictio.
Magnum remedium afflictis commiseratio est.
Malis benè esse solitum est potius, quam bonis.
Malum suum quisque autumat gravissimum.
Non atterit bonos probat tentatio.
Pati necesse est multa mortalem mala.
Quod ignis auro, hoc animis est afflictio.
Quo torta plus lyra est, plus est & musica.
Recens malum priorum confestim admonet.
Respicere suevit melior adflictos Deus.
Victas virili pectore ærumnas doma.
Vires resumit inclinata fax novas.

Agriculturæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Insitio arbores eas quæ erant inutiles facit generosas, & quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ, & utilentia quæ est ex cognitione. Ajunt autem insitionem fieri quatuor modis: uno quidem, quo inter lignum & corticem oportet eum adaptate qui inserit: quo quidem modo Catechismum suscipiunt, qui sunt ex gentibus idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie. Altero autem, quando ligno fisso, in ipsam plantam generosam immiserint: quod quidem accidit in iis qui sunt philosophati. Eis enim dissectis dogmatibus, ingeneratur agnitio veritatis: Ita autem Judæis quoque aperta veteri scriptura, noua & generosa planta oleæ inseritur. Tertia autem insitio agrestes tangit & hæreticos, qui vi trahuntur ad veritatem: nam cùm utrunq; surculum falce acuta deraserint, donec medullam quidem nudaverint, sed non ulceraverint, eas inter se vinciunt. Quartus autem modus insitionis est, qui dicitur inoculatio: à generoso enim trunco circumciditur oculus, ita ut cum eo in orbem cortex circumscribatur, unius palmi magnitudine. Deinde æqualiter cum oculo circumscriptus eraditur truncus, & sic immittitur circumligatus, & luto circumlitus, integro servato & illæso oculo & minimè inquinato. Hoc est genus doctrinæ quæ oritur ex cognitione, quæ res potest perspicere ipsas. Hoc quidem certè genus est maximè utile in arboribus sativis. *lib. 5. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: In Salvatorem implantamur, transpositi & transformati in terram bonam ex vita veteri. Mutatio autem plantationis confert ad fertilitatem & bonitatem fructuum. *lib. 6. Stromatum.*

D. Ioan. Chrysostomus: Ars est agricultura, ars est textrina, ars est ædificatio, quæ etiam ipsæ perquam necessariæ sunt, ac vitam nostrã maximè tuentur. Nam cæteræ, ut ferraria, fabrilis, eaque quæ in ovibus armentisque pascendis sita est, his duntaxat ancillantur: quin harum quoq; nulla perinde necessaria est ut agricultura. Quippe quam etiam Deus primam invexit cùm hominem procreavit. Etenim sine calceis ac vestimentis vita duci potest; sine agricultura non potest. Tales Hamoxobios esse ferunt, tales eos qui apud Scythas in pascuis degunt; tales apud Indos Gymnosophistas: hi enim & ædificandi, & texendi, & conficiendarum vestium artem reliquerunt, solaque agricultura opus habent. Pudeat vos qui supervacaneis artibus indigetis, & epularum structoribus & placentarum effictoribus, variandique arte præditis artificibus, aliisque ejusdem generis permultis, ut vitam transigatis. Pudeat vos qui vanas artes in vitam humanam induxistis, vobis qui Christum creditis, barbari illi pudorem incutiunt, quibus arte opus non est. Etenim ita divinitus comparatum

est,ut paucis admodum rebus natura contenta sit. *Homil. 15. ad Corinthios 2.*

Idem paulò pòst: Ecquid ex agricolarum labore atque industria emolumenti afferretur, si homines inter se bellum gerant, aliíq; aliorum bona diripiant? nunc enim Principis metus eos reprimet, conservatq; ea quæ ab illis elaborantur: quem tu metum si semel sustuleris, frustra labor ille omnis susceptus fuerit.

D. Ioan. Chrysostomus: Porrò artes etiam quasdam perspicere est, quæ imperii speciem imitentur: ac potissimùm agriculturam. Est enim plantarum velut præfectus quidam agricola: quippe qui partim eas amputet,ac cohibeat,partim augeat & excolat: non secus ac præclarissimi quique principes flagitiosos homines ac pluribus labem & perniciem afferentes suppliciis afficiunt, atque excindunt, bonos contra & modestos viros ad ampliores honores provehunt. Quo fit, ut Scriptura quoque vinitoribus Antistites comparet. Quanquam enim plantæ vocem nullam mittunt, ut in urbibus ii solent, quibus injuria fit: at per ipsum tamen aspectum injuriam acceptam ostendunt,ut quæ à noxiis herbis in arctum coactæ marcescant. Atque ut improbitas legibus coërcetur ad eundem modum hic quoque artis hujus adjumento,& terræ vitium,& plantæ ignobilitas ac feritas corrigitur.

Etenim ea omnia, quæ in humanis moribus existunt, illic quoq; reperiemus,asperitatem nimirum,mollitiem,timiditatem,temeritatem,inconstantiam, ac ramos quidem alios opibus intempestivè, atque in vicinorum perniciem florentes, alios rursus egentes injuriaq; affectos, velut quum sepes quædam in vicinarum plantarum exitium assurgit,atque item infrugiferæ aliæ arbores & agrestes in altum elatæ subjectarum arborum incrementum impediunt. Et quemadmodum præfecti ac reges habent, qui imperium suum labefactent atq; oppugnent: ita etiam agricola ferarum incursus, aëris intemperiem, grandinem, rubiginem, imbrem,siccitatem, aliaque ejusdem generis. Quæ quidem eò fiunt,ut perpetuò spes tua in Deo sita sit. Nam cæteræ quidem artes hominum quoque studio ac præsidio sese tuentur: hæc verò ubertatis spem magna ex parte in Dei ope atq; auxilio positam habet,totáque penè omnino hinc pendet: at tametsi pluvias etiam,partiumq; anni temperiem desideret, potissimùm tamen Dei providentiam requirit. Neque enim,qui plantat,aut qui rigat est aliquid: sed qui incrementum dat, Deus. Quin hîc quoque & mors & vita est,& parturigines,& partus,quemadmodum in hominib⁹. Nam & exscindi contingit, & fructum ferre, & mori, & quod mortuum fuerit,rursus ad vitam redire. In quo etiam nobis variè ac perspicuè terra de resurrectione sermocinatur. Nam quum radix fructum fert, ac semen edit, an non id pro resurrectione habendum est? Ac multam utique Dei providentiam & sapientiam imperio adjunctam cernere quis possit,si singula persequi velit. *Homil. 15. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: In agricolatione, non solùm qui seminat, verùm etiam qui metit multum sustinet laboris,cum squalore, cum pulvere,eumque multa colluctans miseria. *Hom. 6. ad Galatas.*

Chrysostomus: Interea spinas evellamus: tunc verò cùm evulsæ fuerint, ac paululum requietis concessum terræ, bonam sementem faciemus, ut omni quod inde contraxit vitio depositò, magna cum habilitate suscipiat divina semina. *Homil. 6. ad Philippenses.*

Idem: Si spinis evulsis terra maneat otiosa, feret rursus herbas inutiles. quamobrem ejus quies & otium est præoccupandum bonorum seminum & plantarum dejectione. *Homil. 16. ad Ephesios.*

D. Greg. Nyssenus: Agricola agriculturam necessariis usibus non metitur,sed ad plura studium semper intendens, dum alienis finibus usurpandis suos agros latiùs profert,magnum aditum peccato adversus illud studium atque institutum vitæ patefacit: unde sedatu atq; compositu difficiles oriuntur contentiones & lites de finibus,agrorum inter se mutuas controversias excitantibus iis, qui simili avaritiæ modo tenentur. Hinc iræ, hinc impetus ad malum, hinc aliorum adversus alios conatus à sanguine ac cæde sæpenumero initium sumunt. *Homilia de Oratione ad Deum.*

Basilius Seleucienſis: O quas tunc res videre fuit! Panes pariebant panes,& mensæ alimento extemporario differtæ erant;panes absque rustico sudore parti non de spicis erumpebant,sed de Domini manu efflorescebant. Et verò quàm multa humanum pastum anteeunt? velut,aratio soli,aratorum satio, aëris in nubes conversio, imbrium ortus, ventorum alibilium latio, tempestatum vicissitudines, lunæ commutationes, stellarum radii tremuli, culmorũ adscensus, opportuna segetis maturatio,legendæ messis durus labor,areę miseria,molæ auxilium,superflui excretio, artis conformatio, simul ignis adspiratio. Quæ nunc omnia contactu solo Domini manus perfecit. Aderat enim,qui terræ latera ad fructificandum excitat; aderat, qui cœlum nubibus circumvestit; aderat, qui artis industriam mortalibus est elargitus; aderat,qui portat omnia verbo oris sui; aderat, qui in ea,quam gestabat, carne fidem præsentiæ faciens; quis rerum creaturam qubernacula teneat,uno miraculo patefecit. *Oratione 33. m.*

¶ Theologorum Latinorum.

Zeno: Mensura servata amputatur in surculum,palmes in scrobem dimittitur,ut animatus ibidem genitalis humor, mauente semper secum substantia nutriatur: auxiliare illi necessariò jungitur lignum: cujus tutela defensus sese sustollat. At ubi adoleverit in vitem perfectam,ad jugúmq; pervenerit,ejus omnes crines luxuriosi tunduntur: pura materia tabulatis infertur, nodis adstringitur, ne à ligno, quo portatur, vel cujus adminiculo, vel ducatu in uberes fructus longius invitata producitur,vi aliqua separetur. Tum solenniter ploranus clementer imbre suo rorat,conceptáque musti felicibus lachrymis fluenta denuntiat. Statim oculis apertis folia radiata procedunt, quibus subjecti,ac si commendantes sequaces fructus arridunt: quos solis ardores,pluviæ,ventiq; exercendo provehunt,ad maturitatemque perducunt. At ubi vindemię venerit tempus,decore dissipato passim uva detrahitur: in torcularique operariorum pedibus subjecta calcatur: prelo premitur: duabusq; tabulis vehementer urgetur, donec omnis dulcedo medullitùs exigatur. Sicque pretiosum fluentum à suis calcatoribus & bibitur,& patrifamilias cellis vinariis infertur: ut melius veteresçendo reddatur. *sermone de Psalmo 79.*

S. Valerianus: Asserunt solliciti agricolæ rudem terram & nullis unquam examinatam sulcis,non statim justis respondere seminibus, nec benè conceptum sulco germen nutrire, nisi prius scissa ac sæpiùs repetita mollescat, Jam tunc necesse est,ut dominus agelli sui fructũ securus expectet,cùm antiqui cespitis amaritudo cessaverit. Ubi si arandi studium subitò cultura destituit, prope est, ut pristino colore terra sordescat. Hæc est enim boni maliq; discretio,quod diligentiæ naturã vincit,negligentiã revocat ad naturam. *Homiliæ 17. initio.*

S. Valerianus: Major sollicitudo agricolam manet,postquã diutino terram labore contigerit. Vigilandum est primùm,ne fortè commendata sulcis semina, aut fera præsumptuosa sibi vendicet, aut avis insidiosa contemnat. Sequitur ut ex otio in usum aquæ bibula fossa deducatur, ne superveniens tempestas pullulantia germina aut occidat,aut rapiat. Opus est etiam herbas velli, & aridum cespitem sarculo operante molliri; ac per illos quos sibi agricolæ vendicant feriatos dies, improbum animal circumducta sepe prohibere. Tantus est enim amor alendæ vitæ, tanta providentiæ cura, tantum culturę studium,ut nec tum quenquam otiosum esse conveniat,cùm arista fructus perfecto flore commendat. Nam solent adultæ messes spinis accrescentibus impediri, atque illa quæ in spe maturitatis constituta sunt alieno semine suffocari. Ita intelligendum,& multa agricolæ studio crescere, & maxima quæque per negligentiam deperire. *Homilia 19.*

Chrysologus: Ager quoties longa incuria sylvescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore,peritissimi cultoris ubiq; semper aperitur, & purgatur incendio: ac studio benigno cultoris ignis apponitur,ut exustis sentib⁹ reveletur prima facies cãpi, præstetur agricolæ libertas,fiat facilis via vomeri,sit germinis ferax sterilis diu terra: & lõga, acmœsta otia læto lætissima jam repenset in fructu. *sermone 164. ante med.*

Egesippus: Ægrum ac jeunum solum,& ideò desertum ab incolis,quod sine ullo usu esset cultoribus,naturali sterilitate. *cap. 16. libro 4. exc. Hieros.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Quum ad animum Cyro accidisset,futurum,ut qui ad se defecerant,quod à Babylone non procul remoti essent, miserè adfligerentur, nisi præsens ipse semper adesset: nõ solum eos,quotquot ex hostibus dimittebat,Assyrio dicere jussit,sed misso etiam caduceatore denuntiavit: se paratum, ut agricolis parceret,nulláque hos adficeret injuria, siquidem & ipse illorum,qui ad se defecissent,agricolis permissurus esset,suas ut operas facerent. Ac tu quidem,ait,etiamsi prohibere possis,non nisi paucos prohibebis: quod eorum,qui ad me defecerunt,exiguus sit ager: ego verò permitterem,amplam tibi ditionem cultam esse. Jam eo tempore,quo fructus colligendi sunt, si quidem bellum fuerit, is qui potentior est, hos mea sententia colliget: sin pacem inierimus,tu scilicet id facies. Quod si quis vel meorum adversus te arma sumpserit,vel tuorum adversus me: in hos, inquit,pro virili uterque vindicabimus. Cum his mandatis caduceatorem ablegavit. Assyrii verò,quum hęc audissent,omnia movebant ad persuadendum regem,ut hæc admitteret, ac quàm minimum belli reliquum faceret. Assyrius verò,sive genti suæ obsequutus, sive quodidem & ipse vellet,hæc comprobavit. Itaque pactis initis convenit,ut cum agricolis pax esset,cum armatis bellum. Hæc igitur de agricolis Cyrus perfecit,jumentorum pascua suos si vellent in ditione sua collocare jussit: hostium verò ditionem populari undecumq; possent, ut militia sociis jucundior esset. Nam tametsi commeatus nullus pararetur, tamen eadem pericula proposita erant: at ipsam militiam leviorem efficere videbatur, quod ex hostium regione annonas haberent. *cap. 34. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Videtur agriculturæ studium simul & voluptatem quamdam habere, & rei familiaris amplificationem, & exercitationem corporum, ut ad ea perficienda robur habeant, quæ ingenuis hominibus conveniunt. Primùm enim fert terra se colentibus ea, quæ hominibus ad victum necessaria sunt: atque etiam illa fert, de quibus voluptatem capiunt. Deinde suppeditat omnia suavissimis cum odoribus,& gratissima specie, quæcumq; homines ad aras, & signa deorum, atque etiam ad seipsos ornandos adhibent. Præterea multa obsonia partim producit, partim nutrit. Etenim ars pecuaria cum agricultura conjuncta est. Quo fit ut multa suppetant, quibus sacrificandis tum placare deos,tum ipsimet uti possimus. Quumque copiosissimè bona sumministret, non sinit ea cum mollitie capi, sed ad hyemis frigora, & æstatis calores tolerandos consuefacit. Eadem illos, qui manibus suis laborant exercendo magis robustos efficit: alios verò,qui cura sua colunt agrum, strenuos reddit,dum manè ipsos excitat,acriterq; pergere cogit. Etenim & ruri, & in

& in vrbe semper quovis anni tempore quædam actiones sunt opportunissimæ. Deinde sive quis eques opem civitati suæ ferre velit, agricultura maxime alendo equo sufficit : sive pedes, acre corpus reddit. Etiam terra venationis ad studium nonnihil adjumenti præstat quod & per eam facile canes ali possint, & feræ nutriri. Et quin canes quoque cum equis ex agricultura commodum aliquod percipiunt, vicissim & ipsi ruri prosunt : equus, dum mane portat rei rusticæ curatorem, ac sero redeundi potestatem facit : canes autem, dum feras abigũt, ne fructibus pecuibusve noceãt, ac solitudini securitatẽ præstãt. Incitat etiam terra nonnihil agricolas ad defendẽdum armis agrum, quum fructus in medio propositos educet, qui victori cedant.

Et quæ tamdem ars homines magis ad currendum, ad jaculandum, ad saltandum idoneos reddit quam agricultura ? quæ ars se exercentibus vice versa plura largitur ? quænam sui studiosum suavius excipit, porrigens accedenti quod sumat ex animi arbitratu ? quænam majori cum rerum copia hospites excipit ? Vbinam facilius copioso igne, calidisque lavacris per hiemem uti licet, quam ruri ? Vbi quis aquarum, auræ, umbrarumque caussa jucundius traducere possit ætatem, quam ruri ? Quænam ars alia primitias suppeditat diis rectius convenientes, vel festos dies abundantiori cum copia rerum exhibet ? quænam domesticis gratior est, uxori jucundior, liberis optatior, erga amicos benignior ? Mihi quidem mirum videatur, posse hominem ingenuum vel possessionem aliquam acceptiorem hac ducere, vel studium aliquod hoc tum jucundius, tum ad vitam utilius reperire. Præterea tellus, quæ quidem dea est, justitiam quoq; docet illos, qui animadvertere possunt. Nam studiosissime se colentibus maximam bonorum copiam vicissim largitur.

Quod si aliquando ij, qui in agricultura versantur, & tum ad alacritatem, tum fortitudinem condocefacti sunt, à magnis copiis hostium ab operis suis arceantur : possunt certe, nisi Deus prohibeat, præsertim quum & animis & corporibus egregie instructi sint, invasis eorum finibus, à quibus impediuntur, quo minus operas suas faciant, indidem capere, unde se alant. Ac sæpe in bello etiam tutius est armis victum quærere, quam instrumentis rusticis. Instituit etiam nos agricultura, ut mutuo nobmet juvemus. Nam adversus hostes cũ hominum copiis pergendum est, & hominum opera terra est colenda. Itaque necesse est eum, qui recte agriculturam exercere velit, operas suas sic instruere ; ut sint alacres, & ad parendum promtæ. Eadem moliatur oportet, qui copias adversus hostes ducturus sit, ut eos, qui faciunt, quod viros fortes decet, muneribus ornet ; ac non recte atque ordine munus suum obeuntes plectat. Etiam necesse est agricolam non minus interdum operas suas cohortando excitare, quam imperatorem milites. Neque servis minus spe bona, quam ingenuis hominibus opus est : immo verò magis, ut manere velint. Etiam is recte dixit, qui agriculturam aliarum artium matrem & nutricem esse perhibuit. Nam quum agricultura prospere succedit, etiam artes ceteræ omnes vigent : at ubi terra necessitate aliqua inculta manet, etiam artes cæteræ fere terra marique extinguuntur.

Quibus auditis Critobulus : Enimvero, inquit, hæc mihi dicere præclare videris, mi Socrates. Sed plurima sunt in agricultura, quæ provideri ab homine non possunt. Quippe nonnunquam grandines, pruinæ, æstus, imbres immensi, rubigines, alia ; pulchre cogitata & elaborata tollunt. Etiam oves interdum educatas egregie morbus aliquis invadens miserrime perimet. Quæ quum audiisset Socrates : Ego vero mi Critobule, ait, scire te arbitrabar, penes deos nihilo minus potestatem rusticis in operibus summam esse, quam in bellicis. Vides autem eos, opinor, qui re militari occupantur, ante bellicas actiones Deos placare, actum per sacrificia, tum auguria inquirere, quid faciundum, quid omittendum sit. Et in actionibus rei rusticæ minus tibi laborandum putas, ut deos propitios reddas ? Omnino scire debes, homines, qui quidem sapiant, humidorum & siccorum fructuum, boum, equorum, ovium, omnium denique fortunarum suarum caussa deos colere. Dicis tu præclare mi Socrates, ait, qui me jubeas operam dare, ut opus omne non sine diis ordiar : quippe quorum in potestate sint tam ea, quæ pace, quam quæ bello suscipiuntur. Itaque studebimus hæc ita facere. *cap.* 16. *lib.* 5. *œconomiæ.*

Lucianus : Enimvero hoc, admirande Hesiode, pastorale est quod dixisti, verúmque reddere videris Musarum afflatum, quum non, possis ipse tuorum carminum defensionem suscipere. Nos autem hujusmodi divinationem à te, & Musis non expectabamus : siquidem talia, vaticinandi multò quàm vos peritiores agricolæ, etiam de illis optimè nobis vaticinarentur, nempe si pluat Deus, fore, ut manipuli uberes proveniant ; sed si squalor agros occuparit, & arua sitiant : fieri non posse quin eorum siccitatem fames sequetur. Tum etiam agros æstate colendos non esse, quòd nulla hinc utilitas perciperetur, effusis temere seminibus : neque demetendas virides adhuc aristas, alioqui fructum inanem inventum iri. Sed neque illud eget vaticinio, quòd nisi semina operias, & ligonem tenens famulus terram ipsis iniiciat, aviculæ advolabunt, omnémque messis spem intercipient. Etenim non aberrabit à vero, qui dixerit hæc esse agricolarum præcepta & documenta : sed à divinatione procul abesse mihi videntur, cujus opus est, obscura, & nullibi uspiam aperta prænoscere, ut Minoi prædicere futurum ut filius ejus in mellis dolio suffocetur, & Apollinis iræ caussam Achivis præsignificare, futurúmque anno decimo Ilij excidium. Hæc ars divinandi præstat : quæ siquis illi adscripserit neque me vatem dixerit : quum prædicam, & divinabo, etiam absque aqua Castalia, lauro, & Delphico tripode, eum qui obambulaverit nudus hyeme, pluente quoque & grandinante Deo febri algida non levi correptum iri. Quódque majoris est peritiæ vaticinandi quàm hoc, etiam calorem post hæc, ut verisimile, sequuturum : aliáque id genus multa, quorum meminisse esset ridiculum. *Dissertatione cum Hesiodo.*

Themistius : Agriculturæ is laudator erat, & amator acerrimus, eamque unam Philosopho dignam esse post labores relaxationem, atque oblectationem censebat, præsertimque jam grandævo, & ætate confecto corpusculo idoneam illam exercitationem, & temperatione plenam voluptatem esse dictitabat. Ac sæpe ubi senem adisses, aufe rentem arbores deprehenderes, aut repurgantem, aut alio transferentem, aut aquam rigandis plantulis in liras, & sulcos derivantem. Qui n etiam aliquid ex maturis fructibus protulisset, aut circum vitium ordines deducens, cum pulchritudine, tum magnitudine visendam uvarum struem ostendisset ; nec non perinde, ut Genealogi solent, uvarum colonias, tanquam ad matrices Civitates reducebat. Erat illi ager, quem propria manu instituerat, corrivatis aquarum scatebris, quas nemo hactenus viderat, ac plerisque aliis præcipua cura instructis, uti Philosopho non indigna esset habitatio. *Oratione secunda in Patris obitum.*

Aristides Rhetor : Nec animi fructus æquales quotannis percipimus, sive copiam, sive bonitatem spectes ; verùm anni vis non minor esse videtur quàm terræ. *Oratione secunda Platonica pro Quatuor Viris.*

Libanius : Quei agricultura parvum quid & vile esset, quod à talibus & tantæ majestatis Diis suppeditatum est ? Atenim auditu acceptum est ut Minerva bovem jugo submiserit, atque aratrum hominibus dederit : Dionysius autem vitis voluptatem patefecerit. Frumenta porro & ordea Cereris munus esse constat. Oleam quoque Minervæ consecratam, ejusque inventione productam fuisse ad judicium de Attica cum Neptuno, notum est. Quamdiu quidem certe hæc Agricolarum ars defuit, nulla in re differebat hominum vita à belluina : neque urbes ullæ sunt conditæ, nec status ullus civilis societatis, nec legum constitutio. Sed jus gratia statuebatur, & infirmus à potentiore agebatur ac trahebatur. Equidem opinor Agriculturam homines conciliavisse, oppida construxisse & concordiam inservisse ; ac proinde lites & controversias legibus diremptas esse. Ergo, cùm innumerabiles sint hominum occupationes & studia, omnium certe optimum est agricolatio. Maximum siquidem Agricolis quæstum affert : cum eos videlicet bonos efficit.

Nam quia arationi incumbit & agri colendi studio tenetur, procul quidem abest à foro, & contentione forensi : procul etiam à prætoriis & prætoriorum calumniis : procul verò à concione, & tumultibus concionis : non defert, non mentitur, non in jus vocatur, non falsum testimonium perhibet : non remunerari vicissim postulat : non parandis inhiat pecuniis, ex quibus alteri periculum creet, verum post sementem aliamque operam quam in stirpibus colendis impendit, anni tempestatem & proventum annuum expectat. Et cum precibus quidem ac votis semina terræ mandat. frugum verò fructuum que primitias, diis qui largiti sunt, offert. A negotiis aliis facessendis quàm longissime absistit ; quippe qui inter boves, oves & capras versatur.

Quapropter id genus hominum mihi videtur facilius deos exorare, cùm ipsos invocant & bona sibi poscunt. neque enim unquam aliis imprecantur mala. Præterea Temperantiam & continentiam ab agricolis potissimum! lenones, crapula, minime ipsos stimulant ad res Venereas. Siquidem hæc ruri affinia non sunt. Etenim ruricolæ uxori tantùm animum adhibent, & justos solum concubitus norunt, liberorum suscipiendorum caussa.

Quod si fortitudinis est, æstus ac frigoris vim vehementem tolerare : Agricolis semper necesse est adversus hæc præliari. non enim dubio procul sub tecto manentibus opus promoveretur. sed opus est sub dio & Jove frigido æstate atque hieme laborem insumere. plurimum etiam laborant qui philosophiæ incumbunt : hi verò cum pauci numero sint, magno se dignos honore censent. Sapientiæ profecto scientiæve non exigua pars ad agricultionem pertinet.

An non Sapientiæ est, peritiam habere astrorum ? Atqui nisi Agricola de Pleiadibus aliisque sideribus ea noverit quæ scienti futura sunt adjumento, nomen quidem agricolæ sibi vindicare poterit : sed à re officioque plurimum aberraverit : & omnis ejus labor peribit eritque in damno, cum opportunitatis articulos non teneat. Tales utique evadunt agricolæ ex eo quòd animos suos excolunt. Quin etiam multiplices morbos evitant, quos nimiæ pariunt deliciæ : & quibus confectos videmus eos qui beati vocantur. Nam priusquam hæc invaletudo tollatur, altera superincidit. Ita perpetuò manibus egent medicorum. Agricolis verò ne opus quidem fuerit medicis. Etenim quòd semper in terra colenda se exerceant, præsidium corporibus est. quare robustiores sunt, quàm ut morbi capiantur impetu. Si ergo maximum bonum sanitas habetur, eo sanè fruuntur agricolæ. Ad hæc cum terræ continentis & insularum ornamenta sint urbes : ipsas utique constituit & conservat agricola. Verum enim si quis agriculturæ attribuat ingentes ædium substructiones, ac templorum pulchritudines, epulas quæ pacis tempore celebrantur, & apparatus ad bellum, non id injuria faciat.

Et quanti ponderis ac momenti sit, facile quis percipere potest, si cum animo suo reputet qualis vitæ nostræ status fuerit, cùm agricultio nondum esset. Nam si quis vinum eximat & frumenta fructusq; & Palladis munus, lupis integrum esset nobiscum de felicitate con-

tendere. Ac ne in præliis quidem animosè ac strenuè cum hoste congredi possemus. Jamdudum enim docuit nos Homerus hominem sic à natura comparatum esse ut cibo vinoq; sibi vires acquirat. Jam si quis existimet jucundiorem esse vitam quæ in oppido degitur, in suo corde eam rem volutet, quàm sua sit vites intueri, & racemos pendentes? quàm volupe etiam sub pinu vel platano tempore meridiano recumbere! quàm gratum segetes auris Favonij agitatas cernere! quàm jucundum boves mugientes & oves balantes audire! quàm amœnum spectaculum juvencarum saltitantium & lac sugentium! Equidem ea nihil esse duco quæ in Theatris docentur, præ voluptatibus quæ ex illis rebus hauriuntur. Aquam certè quæ per tubos & longos canales ducitur, deteriorem esse affirmaverim ea quæ ex ipsis fontibus manet. Atenim longe puriores sunt rivi qui è terra emergunt, ijs quæ ad oppida aquæ ductorum manibus deducuntur.

Sunt qui præclarum esse putent gnarum esse luctæ, victoriam in gymnicis certaminibus obtinere, & corona donari. Verùm hoc robur quidem victoris ostendit: sed nulla unquam in re profuit iis quibuscum versaretur. At verò agricolæ laboribus suis omnes alunt.

Artem porro oratoriam quisquis admiratur, in animum inducat suum, urbes absque illa virtute dicendi consistere potuisse: sine agricolatione, haudquaquam. Veniant quoque illi in mentem Triptolemi vehicolum & aligeri dracones ac satus sublimes: utque nullibi hæc historia ab ullo de Rhetorica fuerit exposita. Quandoquidem incolumitati suæ studere omnibus hominibus necesse est, liberis, & servis & Græcis & Barbaris. Facultatis autem dicendi tantus non est usus.

Quare è Græcis ipsis non paucos reperias qui eloquentiæ parum studioli fuerunt. Navigandi verò artem qui alijs anteponit, is certè opes cum periculis & tempestatibus appetit: & lucro nimis est addictus & si quid humanitus ipsi accidat, infelix erit, & sepultura carebit fluctibus profligatus. Sed & illud tamen advertat, sibi agriculturæ beneficio navigandi copiam esse. Nam si oneraria nave minimè onusta mercibus terrenis navigare tentet, ante fame conficietur, quàm portus ad quos tendit conspiciat. Vsque adeò præclarissima res est Agricultio, & omnia quæ laudantur exsuperat. *Encomio Agriculturæ.*

Libanius: Etiam ante Cererem agrorum quidem cultores non erant, neq; arationes; sed sua sponte oriebantur herbæ, gramina & legumina: ac multos ad salutem hominum proruptos & promiscuos flores terra fundebat, concipiens & parturiens acerba atque agrestia ante quàm mitia. Vagi homines erant, sed non in se invicem ferebantur saltus & montes circuibant, fortuitum & spontaneum cibum quærentes. *Declamatione 19.*

Libanius: At agricultura, tutares est. quamvis enim tempestatum intemperies fructibus obsit, multa sunt tolatio, lana, caseus, lac, calathorum contexendorum venditio: quod si cuncta defecerint, virgulta certè suppeterent. *Declamatione 37.*

Maximus Tyrius: Agedum agricolis auxilium feramus: quandoquidem non armis sed verbis tantum hoc certamen cernitur. Quivis nec agricolam dubitemus, si ad arma veniendum sit, minus quam militem tueri partes suas posse. De quo alias videbitur. Nunc verbis, dico, non armis litem hanc dijudicemus. Nec enim Homeri testimonio, aut si quis illo etiam facundior fit, magnopere standum putamus. Nam si eo opus sit, possumus & nos è medio Helicone adducere poëtam, non minoris certe quam Homerus sit autoritatis, qui hoc sæculum accuset.

Qui primi manibus gladios fecere, & iarum
Insidias, primique suos edere juvencos.

Nam ejusmodi qui laude digna judicet, homo sit oportet, vitæ humanæ, non minus quam ipsum bellum est, infestus: cui si demas omne quod injustum est, necessitatem tamen relinquis miserandam. Quod hoc modo apparebit. Hominum alij probi, alij improbi sunt. Probi autem cum probis nequaquam pugnant. Quomodo enim qui idē sentiunt inter se pugnare possunt? Restat ergo, ut vel cum probis, vel sui similibus pugnent improbi. Quia neque secum illis, nec cum justis convenit. Rursus pugnant illi qui inferiores sunt, utrijs qui plus habent, adæquentur: & qui plus possunt, ut plus consequantur. Esto. Sequitur ergo ex iis quæ diximus, tria esse hominum genera. Quorum prius inducias ac pacem semper agit secum, neq; bellum novit: quos probos dicimus. Duo reliqua pugnant semper, alterum secum, alterum cum probis. Vnde concluditur, bellum probis necessitate imponi, sponte susci pi ab improbis.

Jam de improbis quid opus est agere? cum non sit verendum, ne quis eos laudet. Probi verò cum non ex instituto bellum gerant, sed coacti (aut enim ut in officio quicquid usquam improborum est contineant, quod ab Hercule est factum, bellum susci piunt, aut ut impetum hostilem propulsent, quod in Medos factum est à Græcis) utrum malle eos existimas: an ut una cum belli necessitate, virtute quoque bellica careant, aut ut cum invito ejus usu necessitatem retineant servitutis? Ego prius illud arbitror. Quis enim dubitat quin medicus qui probus sit, sit etiam misericors, unaque cum morbis artem suam velit periisse? Jam videamus an eodem modo & agricolæ se habeat labor. Terræ colendæ homines se dedunt, vel cum justitia vel sine ea. Cum ea qui fructuum utilitatem spectant, sine ea, qui lucrum habent propositum. Hoc tantum observetur, non hic de omni agricul turæ studio agi. Cum enim agricultura non minus quam bellum utrique generi, probis dico improbi sque, communis sit, videndum est ne decipiamur, neque cum agricultura bellum, sed cum injustitia justitiam conferamus. Primo igitur hoc præsupponendum est, justum utrunque esse, & qui bellum gerit, & qui terram colit: quorum alter coactus bellum gerit, alter coactus, sed egestate, terram colit. Atque ita utrumque conferamus. Verum quid dico? Nam si utrunque æque justum, æque honestum est, æquam uterque laudem merebitur, atque ita victor erit uterque. Vis ergo ut pro justitia utrique injustitiam reponamus? Sed & hoc modo, si improbitatem utrique parem tribuamus, utrique laudem quoque adimemus. Quomodo ergo hæc controversia recte dijudicabitur? Visne ut ostendam tibi? Fiet.

Dictat mihi animus, ut apud Platonem est, quoddam esse genus hominum, quod nec virtute excellit, nec improbitati penitus se astrinxit, quatenus à rectis opinionibus non adversum est penitus, sed sub bona lege bene institutum educatumque est. Hoc hominum genus, tanquam ambiguum, tanquam in medio virtutis vitiique constitutum, bifariam dividamus: ut alios terræ relinquamus, alios in castra mittamus. In hoc genere utriusque studium spectemus: Utrum magis ad virtutem, utrum magis ad improbitatem, vel hunc vel illum, impellat. Videamus autem hoc modo. Maximum homini malum est cupiditas. Utrum cupiditatem facilius generat, bellum an agricultura? Atqui alterum insatiabile esse constat, frugale alterum. Insatiabile est bellum, frugalis est agricultura. Maxima belli est varietas, simplex est terræ studium. Alterius ambigua, alterius certissima est ratio. Quid enim belli fortuna minus certum est? terræ vero cultus semper est sui similis. Fausto belli successu efferuntur animi: fructuum ubertas moderatiorem efficit agricolam. Quod si bilis & iracundia res molestæ, difficilesq;, & quæ ægre in officio contineri possunt, semper comitantur hominem, quis major iracundiæ fomes est, quam bellum & arma? Quid contra agricultura mitius? Jam ad virtutes utrunque ita se habet: ac primo ad temperantiam. Qui arma tractat, si vir fortis est, fit temerarius: si imbellis, periculo se exponit. Non enim minus qui jam audax est, fit temerarius, quam qui imbellis est, fit audacior. Qui voluptates ante amavit, fit dissolutior. In agricultura contra, qui fortis est, frugibus abundat: qui infirmior, valetudine suæ consulit, qui meticulosus est, prudentius agit, qui voluptati addictus fuit, fit continentior. Si justitiam spectes, bellum injustitiæ magister est, agricultura justitiæ. Bellum cum alterius injuria plura semper quærit, alterius bonis semper imminet: actum demum finem suum consequi putatur, cum maximam intulit injuriam cum per nefas voti sui potuit potiri. Agricola tantundem dat & accipit: justissimeque munus exercet suum. Si plantam colit, planta fructum reddit: si segetem colit, seges fœcunditate sua pâr pari rependit: si vitem curat, vitis magnam vini copiam persolvit, si oleam educat, floret olea feliciter. Nemini metum incutit agricola, nulli hostis est, amicus omnibus, sanguinis expers, expers cædis. Sacer devotusque Diis frugum, Diis vindemiarum, Diis areæ, arationis in spectoribus Diis.

Jam in populari Rep. omnibus æqualis est agricola: quia nihil æque ac paucorum imperium tyrannidemque odit agricola. Neque enim agriculturæ alumni, Dionysius aut Phalaris sunt, sed utrunque arma produxerunt. Jam vero in festis, in sacris, in solenni conventu, utri tibi præstare videntur? An non miles inelegans festi celebrator est, aptissimus agricola: miles à sacris alienissimus, natus ad ea agricola? miles in conventu solenni metuendus, contra pacem præ se fert agricola. Vt existimem primo omnium festa deorum & mysteria, solos celebrasse agricolas. Hi primi tripudia ad torcularia instituerunt Bacchica, primi in areis sacra Cereris, primi de oleæ inventione gratias Minervæ egerunt, primi Diis terræ frugum suarum primitias à quibus acceperunt, consecrarunt. Quæ gratiora fuisse Diis certum est, quam decimæ quas aut Pausanias, aut Lysander obtulit: quorum è bello primitiæ, quorum pietas, ex aliorum miseriis processit. Contra agricolarum mitissima sunt vota, religiosissimæ victimæ è proprio labore depromptæ, sine calamitate ullius, sine ullius malo. Quod si & sapientiæ utriusque habenda est ratio: videamus & hic utrunque. Nonne alterius in bello, ut equitatum instruat.

—— ut clypeis armatorum agmina jungat.

quo in humanis rebus nihil est aut tristius aut jucundum minus: alterius circa terræ studium occupatur industria?

Pleiades quoties Atlantis pignora surgunt,

messem incipit,

—— cum cedunt, sumit aratrum.

Spectat & anni tempestates, & Lunæ cursum, & astrorum ortum, & imbres & ventos. Sin & corporis virtus & in subeundis laboribus utriusque inspicienda est patientia, minimum quo opus exerceat, militi relictum est tempus: nullum non sibi vindicat agricola. Semper sub dio versatur, soli amicus, nivibus assuetus, bene compacto corpore, pedibus nudis, operis sui administrator ipse, insomnis: velox, cum currendum, robustus, cum aliquid ferendum est. Quod si bellum forte vocet, videbis militem non umbraticis exercitum laboribus: qualem ad Marathonem expertus est Darius. Milites enim tum temporis Athenienses habebant, non qui cum caraphractis in acie stetissent, aut sagittam emittere didicissent: nec qui in mari, aut ex equis pugnassent. Verum ipsi populi tributim divisi, meri agricolæ, appellente Marathonem classe Barbarorum, passim accurrerunt. Milites qui iras alerent nō contemnendas. Quorum hic ligone armatus erat, alter vomere pugnabat, tertius falce in hostem ferebatur.

O pulchrum, nativumq; exercitum, ô ingenuos viros! ô pulchri præstantesq; terræ atque agriculturæ alumni, quam virtutes vestras admiror,

admiror, quam arma vestra laudo, quibus pro terra vestra pugnastis! pro vineis, quæ coluistis, pro olivetis, quæ plantastis. Post pugnam rursus ad terram vestram redistis, ex militibus agricolæ, ex agricolis milites fortissimi. O mutationem pulchram! Nam si Persas in exercitu sequuntur suæ pellices, ut pro charissimis coporibus fortiter pugnent: minusne agricola strenuè à charissimis suis, a vite scilicet si abscindatur, olea si eruatur, segete si incendatur, calamitate mac vastitiem avertet? Si cum hoc exercitu posteriores conferas, plures invenies, milites, pauciores victores armatos, sed mercede conductos. Milites umbraticos, milites petulantes, qui vincuntur in Sicilia, capiuntur in Hellesponto. Quod si ad Persas venias: etiam hos agricultura dedit. Quando enim vincuntur Medi, vincunt Persæ? Cum adhuc agros suos colebant Persæ, Medi militabant, venit Cyrus, qui Pataragadis exercitum, quem ibidem in aspera exercuerat terra, adduxit: milites qui manu propria laborem quem libet didicerant perferre. At cum rusticari desierunt Persæ, cum terram neglexerunt, cum aratra sua, cũ falces: tũ cũ armis suis pariter ipsam quoq; abiecerunt virtutẽ. *Dissertatione 14. Agricolas utiliores esse militib. in republica.*

AElianus: Cùm alia sunt in agresti vita laudabilia, tum præsertim morum facilitas ac mansuetudo. Quies enim, & otium agere rebus rusticis pulcherrimam efficit placiditatem. Tu verò nescio quomodo agrestis es, & vicinis non bonus propinquus. Iacis nos glebis ac pyris, & homine viso maximum clamorem tollis, quasi lupũ persequens & difficilis es atq; hoc nimirum quod dicitur talia vicinitas. Ego verò nisi paternum rus colerem lubens illud venderem tantùm ut vicinum malum effugerem. Sed quæso te, Cnemon sinistrum illud ingenium ac mores depone, neque te ira in oblivionem adducat, ne te ipsum quoque lateas insaniens. Hæc ab amico tibi amica sint præcepta, & morum remedium. *Epistola 13.*

AElianus: Non dicebam ego te divitias acriter videntes ac minimè cæcas invenisse & derides me terramque & fortunam, quoniam bonorum etiam curam habet. Tu igitur ostende te de fœlicium illo numero esse, quos imperante Saturno ferunt ex terra omnia habere sua sponte, & in commune hæc ubera, & liberè referre, & morum simplicitate præditos, unámque domum habitare omnem qui sub cœlo comprehenditur locum. Quis igitur tam sit amans obtrectationis aut malus, qui tibi sic divitias cumulanti invideat, aut æmulatorem animum in te gerat. Nondum tanta malitia rusticorum animi sunt imbuti, ut doleant alienis divitiis & pecuniæ rationem habeant. Hæc in agrestes capras vertantur & in oratores qui in judiciis versantur. *Epistola 17.*

Simocatta: Ad Ætnam Siculum montem migramus valedicentes Atticæ. Non enim unquam vidimus terram infortunatiorem ad frugum proventum. Pro triticis myrrhinas, pro hordeis hederam nobis protulit, & area mihi plena famis est. Ob eam causſam cùm prima semina non enata sint, non equidem secundo in ingratam terram jeceram. Non potest agricola famem & militem habere infestum, neque gubernatores navium possunt turbinibus simul & fulminibus reluctari. *Epistola 27.*

Simocatta: Civiles tempestates fugiens, & immutabiles in urbe motus, rus hoc precio conduxi, & mutationem animi putabam me assequuturum, sed in majora mala conjecti sumus. Modo enim frumenti putredinem hostem habeo, modò locustas. Alias etiam grandinem. Pruina fruges perdit ac vastat, ut inexorabilis Tyrannus, & sudores meos infœlix ventis largior. Heu misero quo me vertam. Cùm agrestium laborum nobis in mentẽ venit, res urbanas diligimus, si ad civiles tumultus nos conferamus, res rusticas amo. Et semper quod non præstò est præsente fortunatiùs apparet. Vna dolorum declinatio mors est, sive naturalis, sive sponte consita. Itaq; laqueus mihi remedium est. Odio est mihi vita. Misericors enim mortem producere stultum est. *Epistola 41.*

Simocatta: Quæso te Corianne, meridiano tẽpore tuã operã accõmodare mihi velis. Spinis enim rus meũ circũsepiam. Nã perversos habemus viatores. Non possum eadẽ opera cũ animantibus brutis & hominibus contendere. Lepus vites. Brucchus olera perdit. Quid jam de talpis loquar? Meticulosum enim agricolæ malũ est, & hoitis penè expugnatus. Quare me adiuva, & in laboribus mihi sis adjumento, atq; ego te rursus ejusmodi rebus juvabo. Sic enim etiã formicę se mutuò juvando molestiã fallunt, & maximos labores peragũt. *Ep 59.*

Simocatta: Vtile est ad uberem bonúmq; frugum proventũ stercus ovium. Itaq; da mihi tuarum ovium sordes, atq; tu quoq; mercedem accipies de fertilitate, pyra & olera, ac tuam liberalitatem splendidioribus donis remunerabor. *Epist.* 74.

Simocatta: Nihil est in rerũ natura miserius agricolis. Etiã venti nos infœlices Tyrañide premunt. Perdit nos Auster. Spicas mihi ad nihilũ redegit. Vites perdidit & uvas corrupit. Atq; in judiciũ trahere non possum autorẽ injuriæ. Propterea falcẽ & sarculum auferam, atq; scutum, galeam gladiumque in eorum locum capiam, miles fiam, ac arte mutata, fortunam circumscribam. *Epist.* 80.

¶ Latinorvm.

Plinius Iunior: Et hac penuria colonorũ, & cõmuni tẽporis iniquitate, ut redditus agrorum, sic etiam precium retrò abiit. *lib. 3. Epist. 19.*

Plinius Iunior: Me prædiorũ in plures annos ordinatura detinet in qua mihi nova consilia sumenda sunt. nam priore lustro, quamquam post magnas remissiones, reliqua creverunt: inde pleriq; nulla jam cura minuendi æris alieni, quod desperant posse dissolvi, rapiunt etiam consumũtq; quod natum est, ut qui jam putent se non sibi parcere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis & medendum est. medendi una ratio, si non summa, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos operis exactores, custodes fructibus ponam: & alioqui nullum justius genus redditus, quàm quod terra, cœlum, annus refert. at hoc magnam fidem, acres oculos, numerosas manus poscit: experiendum tamen, & quasi in veteri morbo, quælibet mutationis auxilia tentanda sunt. *Epistola 87. libri nona.*

Eumenius: Merito qui vis ignoscat ipsis cultoribus, quos piget laborare sine senectu. siquidem ager qui nunquam respondet impendiis, ex necessitati deseritur, etiam opinio rusticanorum, quibus in aere alieno vacillantibus, nec aquas deducere, nec silvas licuit excidere. *cap. 6. gratiarum actione Constantino Aug.*

Cl. Mamertinus: Ecquis Deus uno in anno multiplices fructus agro uni dedit? num quisquam in eadem novali æstate una amplius quàm semel messuit? num cui uno autumno, unoq; vineto, vindemia triplex fluxit? una certè unius est hiemis olivitas. Sed in nostri Principis beneficiis miraculo caret multiplicata fecunditas. *cap. 22. Orat. ad Iulianum Aug.*

Idem paullo post: Dein cùm ager assiduitate fructuum in maciem decoquatur, Imperatoris nostri posterior liberalitas vincit priorem, nec fit effecta gignendo, sed per vices fructuum fecundatur.

Cl. Mamertinus: Ne agricolæ quidem, quorum opera ad morum signorum cœlestium temperanda sunt, tempestatum præsagia rimabantur. *cap. 23. Orationis ad Iulianum Aug.*

Symmachus: Hic usus venit in nostram ætatem, ut rus quod solebat alere, nunc alatur. *lib. 1. Epist. 2.*

Symmachus: Nostrorum duriciam ferre non possumus, qui cum reliqua superio a nec dum solverint, etiam pensionem proximi anni ferre detrectant. Idcirco quæso ut eum homine meo quem ad exactionem utilium misi, curam communicare digneris, & religiosam operam libenter adripias. Grave est enim nos quidem pro agris nostris functionibus publicis esse munincos: actores autem locorum ne id quidem velle redhibere, quod sciunt per annos singulos esse solvendum. *lib. 5 Epist. 87.*

Symmachus: Nobis Tyburis aura blanditur; sed contrà exasperat animum male gesta ratio villicorum. Nẽq; ager cultura nitet, & fructuum pars magna debetur, nihilque jam coloris super est facultatum, quod aut rationi opitetur aut cultui. *l. 6 Epistola 61ma:*

Symmachus: Etsi te superbum Tybur explevit, Laurentibus sylvis amœna commuta; nec verearis ruris horridi denunciationem. In oculis est venantibus mare: celebri itinere villa præstringitur. In ipsa itur ferarum cubilia plano ac patulo accessu. Etsi hæc abessent, anteiret nimirum sermo inter nos mutuus & litterarum liberalis collatio, Tarentinas aut Siculas voluptates. Quare si tu quoq; huic sententiæ manum porrigis adde te rusticantium numero; & paulisper Catones atque Atilios æmulare, quos vomeris stiva ad Consulares misit secures. *lib. 7. Epist. 15.*

Symmachus: Res illis est per Apuliam non tam reditu ampla quam censu. Hæc nisi bonorum judicum fulciatur auxilio, publicis oneribus fessa succumbet.

Sym: Agri sororis meæ Italicæ, cultore vacuati, & fessi onere munerum publicorũ, judiciaria auctoritate refovendi sunt. *l. 9. Ep. 37. m.*

¶ Poetarvm.

Martialis 1. Epig. 18.

Res magna est, Tite, quam facit colonus.

Ausonius Epistola 22.

Hic sæpè falsus messibus vegrandibus,
Nomen perosus villici,
Semente sera, sive multum præcoqua,
Et siderali inscitia,
Cælum lacessens, seq; culpæ subtrahens,
Reos peregit Cælites.
Non cultor instans, non arator gnaturis;
Promusq; quam condus magis:
Terram infidelem nec feracem criminans,
Negotiari maluit.

Videantur plura titulo *Horti, Ruris, Rusticæ rei, &c.*

Alchymiæ.

¶ Sententiæ emblematvm.

Catsius Emblemate Ethico xxix.

Artium tristis janua.

Dum cogit verra feras exire latebris,
Mox aliquis prædam qui nihil egit habet.
Ingenio penetras imæ per viscera terræ,
Dum male quærendo Chymice, perdis opes.
Multa quidem nobis non contemnenda dedisti:
At miser, hoc nunquam quod tibi quæris habes.
Igne licet caleat, caret ah! nidore culina:
Pyxida tu vacuam; cetera vulgus habet.

Jac. Catsius Emblemate Ethico. xxxi.

Spes Chymica, vigilantis somnium.

Dum volucrem sequitur, dum spe jam devorat esam,
Dum canis in prædam fervidus ore ruit,
Guttura latrantis nil tale timentia fallit,
Seq; paludoso gurgite mergit Anas.

Ergo

Ergo miser prædam studio qui captat inani,
Ora refert solis plena molossus aquis.
Sit canis hic ficta sub imagine Chymicus, hospes,
Spes cui semper adest, res cui semper abest.
In Alchumistas. Emblem. XLVIII.
Dum certis incerta sequor, rem prodigus omnem
Convertì in fumos, & miseros cineres.
Flor. Schonhovius.

Aleæ.

¶ SENTENTIA PATRIS.

Io. Sarisberiensis: Tritum proverbium est. Qui lepores agitat verba consumit. At si alios diligentius intueris, consumunt & vitam, quæ ineptijs & factionibus aut flagitijs tota versatur. Nonne tibi videtur aleator ineptus, qui tesserarum non tam vivit, quam perit ex gratia, & omnem jactum sortis suæ præsulem facit? est ne ars accommodatior rationi, cujus quanto quisque studentior, tanto erit studiosior? Attalus Asiaticus, si gentilium historiis creditur, hanc ludendi luscivam dicitur invenisse, ab exercitio numerorum paululum deflexa materia. Cum enim antiquiores illud exercitium dumtaxat approbarent, quod ad investigationem veri, disciplinasque liberales proficeret, vel recte vivendi instrueret usum, hic subtili quidem, licet infructuosa inventione, veteris exercitij duritiam non temperavit, sed emollivit, multis adhuc in pristina manentibus gravitate. Amanibus namque Græcorum abacus nondum excitit, aut ratio calculandi, aut ludus in quo plene vicisse est, ad denunciatum calculum, in campis adversarij constituisse perfectam & maximam harmoniam. Cum verò in eisdem harmonica Arithmetica, vel Geometria trium terminorum medietate exultat, semiplena victoria est. Quævis aleærum, etsi contingant citra triumphi gloriam, aut ludentis felicitatem, aut artis peritiam protestantur. Jucundum quidem & fructuosum est, numerorum nosse certamina, qui deprecationi inveniantur obnoxij, & qua ratione in castris sint alij tutiores omnium periculorum ignari, nisi forte circumventi ab hostibus capti ventur.

Hujus voluptate certaminis, Ptolomæum, Alexandrum, Cæsarem, Catonem, ipsum quoque Samium graviores operas legimus temperasse, quo etiam inter ludendum id agerent, unde essent Philosophicis negocijs aptiores. Alea verò exciso regno Asiæ, inter manubias eversæ urbis non sub una tantum specie, migravit ad Græcos, Hinc tessera, calculus, tabula, urio vel dardana pugna, tricolus, senio, monarchus, orbiculi, taliorchus, vulpes, quorum artem utilius est dediscere quàm docere. Quis enim non erubescat, si sortis suæ gratiam, non virtuti debeat, sed taxillis? Quis fritilli cautelam suæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne satis improbata est cujusque artis exercitatio, qua quanto quisque doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnis hic est. Mendaciorum siquidem & perjuriorum mater est alea, & ex aliena concupiscentia sua prodigit, & nullam habens patrimonij reverentiam, cùm illud effuderit, sensim in furta delabitur & rapinas. Illam vero nonnulli præferunt, in qua Vlysses lusisse legitur, eo quod ingenij aliquatenus multa meditatione excitare videatur acumen. Sed ex eo mihi videtur perditior, cùm nihil infelicius sit, quàm in eo, in quo minimum proficias, plurimum laborare. Est enim inutilis importunitas deprecantis, qua inutilia adquiruntur, & quærendi inanis est diligentia, cùm invenisse non proderit. Posset itaque motus animi, & mentis agitatio, quæ tibi frustra distrahitur, rebus pulchrioribus, & melioribus accommodari.

Aleam verò à regione morum illius autoritas prorsus exterminat, qui universum orbem docens in filio, eam denunciat omnibus fugiendam. Ab ea siquidem armantur ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miseram etsi non miserabilem incidunt egestatem. Si denunciationis quæris autorem, illum agnosce, qui.

Non sibi, sed toti genitum se credidit orbi.

Est tamen cum in aliqua specie sui licenter admittitur, si absq; vitio curarum gravium pondus alleviet, & sine virtutis dispendio jucundam interpolationem afferat gaudiorum. Omnis verò licentia moderationis suffragio convalescit, & solidæ virtutis usus ab intemperantia deformatur. Totius verò licentiæ moderatrix est loci, temporis, modi, personæ, & causæ præmissa inspectio, quæ omnium negotiorum faciem decora venustate commendat, aut turpitudinis condemnat opprobrio.

Est ergo in singulis plurimum habenda ratio personarum, cùm natura, conditio, fortuna, suis singulæ hominem induant personis, ex quibus quid se deceat, uniuscujusque erit colligere. Decorum siquidem aliunde non provenit. Chilon Lacedæmonius jungendæ societatis causa missus Corinthum, duces & seniores populi ludentes invenit in alea. Infecto itaque negotio reversus est, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem. Regi quoque Demetrio in opprobrium puerilis levitatis, tali aurei à rege Parthorum dati sunt. Eo siquidem munere exhonoranda visa est adolescentia senilis, & quæ in majestate regni levia committere minime verebatur. Nunc verò nobilium in eo sapientia declaratur, si venaticam noverint, si in alea damnabilius fuerint instituti, si naturæ robur effœminatæ vocis articulis fregerint, si modis & musicis instrumentis, virtutis immemores obliviscantur quod nati sunt. Verum à parentibus hæc pernicies manat ad liberos. Quid enim faciet filius, nisi quod patrem viderit facientem?

Si damnosa senem juvet alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.

Fuerat quidem tenerior ætas à libidinibus & voluptate, parente vitiorum, arcenda propensius; & ne quid licentius illis præsentibus à majoribus fieret, diligentius præcavendum, quia, ut idem ait Satyricus.

Fortius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos autoribus.

Egregiè quidem Eleazarus cùm redimēdæ vitæ causa sollicitaretur committere in legem Domini, exempli periculum opposuit, dicens: Quis ego sum Eleazarus nonagintà annorum, ut transeam ad vitam alienigenarum, & juvenes religiosos seducam! Nascuntur ergo majoribus hæredes quidem degeneres, & qui virilem sexum muliebri mollitie dehonestant. *lib. 1. cap. 5. Policratici.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alea leges iniquas jura non solvunt fori.
Aleator cede ludo, adhuc potes dum vincere.
Alea vinoque abire clam tacitum tempus solet.
In lucrum tam certa non est alea quam in dispendium.
Iudicijq; prælijq; semper anceps alea est.
Mille perdet aleator vincat ut denarium.
Millies male ludit, vincat aleator ut semel.
Pyrrhus aleam de summâ rei jaciens, ea excidit.
Scylla patrimoniorum est ac Charybdis alea.
Si lucrosa est alea uni, mille fecit pauperes.
Sobrijs minime exercetur alea inter sersa.

¶ JAMBICA.

Bonus aleator, ac bonus vir, differunt.
Incerta semper Martis pendet alea.
Plus quisque perdit quam lucratur aleæ,
Semper Iovis tali cadunt feliciter,
Vir pessimus, ferè aleator optimus.

Alieni.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Quæ autem sunt mundi, aliena dicimus, non ut quæ sint absurda, nec ut quæ non sint Dei Domini universorum, sed quoniam per totum seculum non in eis permanemus, ut quæ possessione sint aliena, & successorum: usu verò sint uniuscuiusque nostrùm propria, propter quos etiam facta sunt: sed tamen eatenus, quatenus una cum eis esse nobis necesse est. Igitur convenienter naturali appetitioni, recte utendum est ijs quæ sunt prohibita, cavendo ne quovis modo nimium dilabamur, & supra modum in ea afficiamur. *libro Stromatum quarto.*

D. Nazianzenus: De mea fuga ac reditu, alij quidem aliam aliamque causſam pro suo in nos vel odio vel amore afferant: illi me culpa minimè liberantes: hi contra laudibus etiam efferentes. Nihil enim hominibus adeo suave ac jucundum est, ut de rebus alienis sermonem habere; idque præsertim si vel benevolentia quadam vel odio trahantur, à quibus veritas plerunque surripi solet. *Oratione 1.*

D. Nazianzenus: Vellem sermonibus ijs interesses, quos alij de te tam familiares & necessarij quam externi uno ore serunt. quandoquidem etiam homines promptius cupidiusque in alienis philosophari solent. *Epistola 17.*

Chrysostomus: Hinc mala nascuntur omnia: quòd quæ sunt nostri corporis, aliena esse ducimus. Quid dicis? frater non est tibi curæ? sed cui erit curæ? Infideli ne, qui ejus malis lætatur, exprobratq; & insultat? At diabolo qui impellit & supplantat? Et undenam, inquit, intelligam, quòd proficiam dicens & consulens quæ oportet? Vndenam autem est perspicuum quod non proficies? Hoc est enim extremæ amentiæ, cùm in incerto sit finis, certum subire crimen negligētiæ? At qui Deus futura præsciens: sæpè dixit, & nihil profecit, & neque sic destitit: idq; cùm sciret se non persuasurum. Si autem qui præscivit se nihil plus effecturum, non desistit corrigere: quamnam habebis excusationem, qui futurum omninò ignoras, pigrescisque & torpescis? Etenim multi sæpè aggressi profecerunt: & cùm maximè desperassent, tunc maximè sunt assecuti. Quòd si etiam nihil ampliùs effeceris, feci sti quod tuum est. Ne sis ergo in humanus, neq; immisericors, neq; negligens. Nam quòd hæc verba sunt crudelitatis & socordiæ, illinc est perspicuum. Cur enim cùm unum ex tuis membris laborat non dicis; Quid mihi curæ, & unde mihi constabit, quòd si ejus curam geram, convalescet? sed omnia facis: ut etsi nihil juveris, te non possis reprehendere, quòd aliquid sit prætermissum eorum quæ debent fieri. Deinde membrorum quidem corporis tantam curam gerimus, membra autem Christi negligemus? *Homilia 44. ad Corinthios 1.*

S. Isidorus

S. Isidorus Pelusiota: Magna me admiratio tenet, quonam pacto tyrannicus, ac sævus morbus, voluptatisque omnis expers, & cruciatum parturiens, tum omnes cujusvis ætatis superarit, tum omnes cujuslibet dignitatis subegerit, ac denique ornatum omnem ac modestiam labefactarit. Vnusquisque enim, prætermissis peccatis suis & quidem gravissimis, veniaque persæpè majoribus, aliorum errata, tametsi leviora, veniaque sæpenumero digna curiosè inquirit: ac sua quidem supputans mœrore non afficitur: de alienis autem verba faciens, exultat, lætitiáque perfunditur, atque in aliorum actionibus perscrutandis & condemnandis tempus omne suum conterit. Ac sibi ipsi quidem falsas etiam defensiones purgationésque comparat: aliorum autem acerbus & inexorabilis Judex sedet, etiamsi alioqui justis excusationibus affluere videantur. Quocirca ijs, qui hujusmodi morbo medicinam excogitare cupiunt, faciendum est, ut animi oculum ab alienis rebus ad delicta sua convertant, linguamque suam assuefaciant, non ad alios, sed ad seipsos acri & vehementi oratione insectandos. Hoc enim justitiam parturit (dic enim tu prior, inquit, iniquitates tuas, ut justificeris:) illud autem majorem condemnationem parit. Grave est enim, atque absurditatem omnem excedens, eos qui magnis criminibus se devinciunt, iis qui nihil, aut parum peccant, succensere. *lib. 2. Epist.* 110.

Idem: Commune hoc sanè malum esse videtur, ut homines non solùm in rebus proprijs cæcutiant, proximorum autem delicta acutè cernant, sed etiam sibi ipsis quidem excusationes defensionesque quamlibet invitas arcessant, alienorum autem acerbi atque inexorabiles sedeant judices. Qui verò sui ipsorum amorem revèra deposuerunt, & sic existimant, Justitiam obtinere oportere, eundem adversùs se ipsos, si quando peccârint, ferunt calculum, quem etiam contra proximos ferrent: Imò in se ipsos per pœnitentiam duriùs animadvertunt, cum sciant, ei qui pœnis non emendetur, exitium impendére. In hoc igitur accuratum examen immittens nos Christus, dixit: Quid vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non animadvertis? Neque enim convenit, ut aliorũ acerbꝰ sit judex, qui propria (errata) negligit. *lib 4 Ep. 25.*

Synesius: Tertius ac postremus liberorum excessit. Sed illud decretum, nihil eorum, quæ in potestate nostra sita non sint, bonum esse, vel malum, adhuc in animo meo perseverat: aut potius olim quidem doctrina à me erat comprehensum; nunc dogma animi factum est, multis casibus exercitati. Necesse autem erat vehementiorem esse mali hujus impetum: *Epistola 126.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Alienum profectò est, quod ratio naturâ vel officij non inducit; si tamen rectè dicitur alienum, quod rectius fuerat semper fuisse nullius. quæ verò naturæ sunt, pleræquè sunt omnium; quæ officij, sua sunt singulorum. Quod tamen ratio ex honestis causis admittit, non est simpliciter alienum: si modesto forte jucunditas, vel utilitas subest, & nemini noceatur: hoc enim non aversatur officio vel naturæ. sin autem impugnat alterutrum, statim est & simpliciter alienum, atque usquequaque non licet. hujus itaque contrectatio semper est, aut erroris, aut criminis. *capite 2. libri primi Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Nihil suavius videtur hominibus, quàm aliena loqui, aliena curare. *capite primo libri septimi Policrat.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Nicocles Rex: Alienis abstinete, quo tutis vestras opes tene atis. *apud Isocratem.*

Nicocles Rex: A rerum alienarum cupiditate tam longè absum, ut cùm alij, si paulò vicinis potentiores fuerint, mox & agri partem eripiant, & multa præter jus & æquum sibi vendicent; ego ne eam quidem regionem accipere voluerim quæ mihi offerebatur. Malo enim cum justitia meum tenere solum, quam per injuriam imperium hoc nostro longè lateque acquirere. *Apud Isocratem.*

Epictetus: Nulla aliena præstantia efferaris animo. Si equus semet jactans diceret, Sum pulcer, ferendum esset. tu verò cùm insolenter gloriaris, te pulcrum equum habere; scito te superbire bono equi. Quid igitur est tuum? Vsus visorum. quare cum in usu visorum ita moratus fueris, quemadmodum postulat, tũ effereris: tũ enim aliquo tuo bono lætaberis. *cap. 11. Enchir.*

Epictetus: Scito facile non esse, institutum tuum in eo statu, qui sit naturæ consentaneus, conservare, & res externas amplecti: sed aliter non posse fieri, quin is, alterum qui curet, alterum negligat. Si in id studes, ut liberi tui, uxor, amici, perpetuò vivant & floreant, stultus es. nam quæ in tua potestate non sunt, ea in potestate tua esse vis, & aliena esse tua. Sic etiamsi puerum peccare non vis, stultus es. id enim postulas, ut vitium non sit vitium sed quiddam aliud. At si eo quod appetis, frustrari non vis; hoc quidem potes. *cap. 19. Enchiridij.*

Epictetus: Naturæ propositum ex ijs rebus de quibus nulla inter nos controversia est, cognosci potest. Exempli gratia: Si vicini puer poculum aut quid aliud confregerit, in promptu illud statim est, Ita fieri solere. Scito igitur, si & tuum confractum fuerit, eundem esse te oportere qui fueris cùm frangeretur alienum. Sic transfer ista ad majora. Filius alterius obiit, aut uxor? nemo est quin dicat, humanum id esse. sin ipsi alicui id acciderit, statim, Hei mihi, inquit, o me miserum! Meminisse autem oportebat, ut affecti simus, cum tale quippiam de aliis audiverimus. *cap. 33. Enchiridij.*

Arrianus: Res ipsæ quidem sunt indifferentes: sed earum usus non est indifferẽs. Quo pacto igitur idem simul constantiam & tranquillitatem, simul diligentiam & cautionem juebitur ab omni simulatione remotam? Si eos imitetur qui ludunt tesseris. Calculi sunt indifferentes, tesseræ sunt indifferentes. Vnde sciam, quid sit casurum? Eo autem quod ceciderit, diligenter & artificiosè uti. hoc verò meum munus est. Sic etiam in vita præcipuum illud munus est, res distinguentẽ ac discernentẽ dicere, externæ res in mea parte nõ sũt, voluntas in mea parte est. Vbi quærã bonũ & malũ? Intrinsecus, in meis. In alienis autẽ nunquam vel bonũ nominabis, vel malũ, vel utilitatẽ, vel damnum, vel quicquam aliud horum. Quid ergo? Negligenter istis utendum est? Nequâquam. Nam hoc voluntati malum est, ejusq; naturæ contrarium. Sed partim diligenter, quia usus eorum non est indifferens: partim constanter, quod quatenus res sunt, non differunt. Nam ubi discrimen est, ibi neq; prohibere me quisquam potest neq; cogere. Vbi vero & prohiberi & cogi possum, earum rerum neque adeptio penes me est, neque ipsæ bonæ malæve sunt: usus autem earum aut bonus, aut malus est, & in mea potestate situs.

Est autem difficile miscere hæc inter sese, & in unum conducere: diligentiam ejus qui rebus afficitur, & constantiam illius qui nihil eadem curat: non tamen fieri nequit. Nam alioqui nec felicitatis fieri compos quisquam poterit. In navigando quid facimus? Quid ego præstare possum? Eligere gubernatorem, nautas, diem, occasiones. Post ingruit tempestas. Quid præterea mihi curæ est, cũ meo sim functus munere? Alterius est hoc argumentum gubernatoris. At & navis mergitur. Quid igitur est quod faciam? Quod possum, id solum ago, ne perterritus suffocer: ne clamitem, neve incusem Deum: Sed norim, ei quod natum sit, etiam esse pereundum. Neq; enim sum æternitas, sed homo, pars universorum ut hora diei: venire me oportet ut horam, & præterire ut horam. Quid igitur mea interest, quomodo præteream? Suffocatione, an febri? Nam tali quopiam modo mihi prætereundum est. *lib. 2. cap. 5.*

Arrianus: Quod penes te non est, vel parare, vel tueri cùm vis, id alienum est. *cap. 26. lib. 3. Epict.*

Arrianus: Non cogitamus neminem ab alio vel iujari, vel lædi, sed à decreto de singulis istis rebus? Hoc est quod noceat, hoc est quod evertat, hæc pugna, hæc seditio, hoc bellũ. Nihil aliud est, quod Eteoclem & Polynicem in mutuam cædem impulerit, nisi decretum de imperio, decretum de exilio: quod scilicet hoc extremum malũ, illud summum bonum videretur. Hæc autem natura est omnium, ut & bona persequantur, & mala fugiant: ut qui alterum eripuerit, in alterum conjecerit, hostis judicetur, & insidiator, sive frater, sive filius, sive pater. Nam bono nihil est nobis conjunctius. Quod si illa bona & mala sunt, neq; pater filiis amicus, neq; frater fratri, sed ubiq; omnia plena hostium insidiatorum, calumniatorum. Sin voluntas ea quæ esse debet, solum bonum est: ea quæ non debet, solum malum: quæ pugna restat? quod convitium? quibus de rebus? De iis quæ ad nos nihil attinent? Contra quos ergo? Contra ignorantes, contra calamitosos, contra eos qui maximis in rebus errant.

Horum Socrates memor, domũ suam incolebat, uxorẽ tolerans asperrimam, & filiũ ingratum. Nam qua in re aspera erat. Vt quantum aquæ vellet, in caput ejus infunderet: ut conculcaret placentam. Quid verò ad me, si persuasum habuero, ista nihil ad me pertinere. Hoc vero meũ munus est, in quo neq; tyrannus me volente prohibebit, neq; dominus, neq; multi unũ, neq; robustior imbecilliorẽ. Hoc enim à Deo ita est datũ, ut prohiberi non possit. Hæc decreta in ædibus amicitiam constituunt, in orbe concordiam, inter nationes pacem. Hæc faciunt gratum adversus Deum, ubiq; fiducia plenum, quasi de alienis & nullius pretij. *lib. 4. cap. 5.*

Procopius Sophista: Tu in copia pecuniarum constitutus inopiam deploras. Ego verò & pecunias & bene nummatos despicio, quamvis paupertate summa præditus. Ita pauperem & divitem mentis sententia facit, non pecuniæ, à fortuna huc illuc quasi errore vagantes. Itaq; desine parum viriliter lugere, nihil magnũ putans, nisi si quid ad virtutem ducit. Quòd enim tale non est, alienum est, & ad errorem ac fraudem impellit. Vnde qui sapientiam tenent, quasi tẽulentiam quandam & nugas hæc excutientes, terram terræ relinquentes, animo sublimi cœlum peragrant, sensus & materiam atq; erroris locũ quasi difficile quoddam mare natando trajicientes. *Epistola 58.*

Xiphilinus: Parthis bellum cum quibusdam populis gerentibus, opemq; ab eo postulantibus, auxilia non misit; negavitq; convenire sibi curam rerum alienarum. Vespasianus Imp. *in Vita ejus.*

¶ Romanorum.

M. T. Cicero: Est difficilis cura rerum alienarum: quanquam Terentianus ille Chremes, humani nihil à se alienum putet. *libro 1. De officijs cap. 9.*

Quintilianus Senior: Est humanæ infirmitatis ista natura, ut ex omnibus accidentibus gravissimum putet quisq; quod patitur: & cũ aliena cogitationibus, nostra dolore tractẽtur, necesse est apud impatientiam suam vel minora prævaleant. *Declamatione 5. §. 17.*

Seneca: Nulli ad aliena respicienti sua placent. Inde Deis quoque irascimur, quod aliquis nos antecedat, obliti quantum sequatur à tergo ingentis invidiæ. *3. de Ira cap. 31.*

Petronius Arbiter: Negavi circuitu agendum, sed planè jure civili dimicandum; ut si nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret. *Satyricò.*

Petronius Arbiter: Omnia ista vera sunt: nec ulli enim celerius homines incidere debent in malam fortunam quàm qui alienum concupiscunt.

Plinius Major: Peregrinos Arabia ipsa mirè odores & ad exteros petit. Tanta mortalibus Quarum rerum satietas est, & alienarum aviditas. *libri 12. Natur. hist.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Παύζε μὲν ἀνθρώπων, ἀλλότρια τοῦδε διόιο.
Ἡ δ' ἀρετὴ, βροτέη τοῦτο μόνον σιοτή.
Quæ tenet hic mundus, cuncta hæc aliena putato.
Virtus, hanc habeas si modò, sola tua est.

Plautus Captivis 1. sc. 2. ℣. 42.

Alienus cùm ejus incommodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere est, cui ille est unicus?

Plautus Trinummo 3. sc. 2. ℣. 58.

Nunquam erit alienis gravis qui suis se concinnat levem.

Plautus Rudente 4. sc. 7. ℣. 4.

—— *De illo vidulo.*
Si sapis sapias: habeas quod Dij dant boni.
D. AEquum videtur tibi, ut ego alienum quod est,
Meum esse ducam? G. quodne ego inveni in mari.
D. Tanto melius illi obtigit, qui perdidit:
Tuum nihilo magis oportet esse vidulum.
G. Isto tu pauper es, cum nimis sanctò pius.
D. O Gripe, Gripe, in ætate hominum plurima
Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atq; edepol in eas plerunq; esca deponitur,
Quam si quis avidus posest escam avariter,
Decipitur in transennæ avaritia sua.
Ille qui consultè doctè atq; astute cavet,
Diutine ei uti benè licet partum benè.
Mihi ista videtur præda prædatum irier,
Vt cum majore dote abeat quam advenerit.
Egone ut, quod ad me allatum esse alienum sciam
Celem? minimè istuc faciet noster Damones.
Semper cavere hoc sapientes aquissimum est,
Ne conscij sint ipsi maleficij sui.
Ego mihi cum lusi nihil moror ullum lucrum,

Terentius Phormionis 1. sc. 3. sub finem:

Ita pleriq; ingenio sumus omnes; nostri nosmet pœnitet.

Terentius Phorm. 3. sc. 1.

Enim vero, Antipho, multi modis cum istoc animo vituperandus es.
Itane hinc abijsse, & vitam tutandam dedisse alijs tuam?
Alios, tuam rē credidisti, quam te, animadversuros magis?

P. Syrus Mimus.

Alienum nobis: nostrum plus alijs placet,

Item.

Alienum est omne quidquid optando evenit.

¶ Apologorum.

Babrias Περὶ Ἀλώπεκος καὶ βάτου. Fab. 8.

Φεύγμεὺς Ἀλώπηξ ὡς ὑπερβαίνειν θέλοι,
Ὀλισθαίνεσι, καὶ βάτου δεσμεύεται;
Ἐξεσο πλέκα, λοιδορεῖ δὲ τὴν βάτον.
Μέμφυ σεαυτὴν, μὴ μὲ τοῦ, κεῖνος φάτο.
Επιμύθιον.
Πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν κακὰ σιωπῶντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων κατηγορῶντας.

De Vulpe & Rubo.

Sepem Vulpes transilire voluit,
Lapsa, ac rubo innixa,
Percussa planta convicia dicebat rubo:
Increpa te ipsam, non me, ille ait.

Affabulatio.

Adversus eos, qui sua tacent vitia, & alia reprehendunt.

Babriæ Περὶ παιδὸς ἐσθίοντος σπλάγχνα. Fab. 7.

Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα,
Οἰμοι κέκλην' ὡς σπλάγχνα, μῆτερ, ἐσχίσα.
Ἡ δ' ὦ γελῶσα, μὴ φοβοῦ τέκνον, ἔφη.
Τῶν σῶν γὰρ ἐδέν. ἀλλ' ἐμεῖς ἀλλοτρίων.
Επιμύθιον.
Ὅτι δεῖ παιδοτελῆ αὐτερέφειν καὶ μὴ γογγύζειν.

De Puero Comedente intestina.

Bovis puer festo die quum comedisset viscera,
Hei mihi clamabat quòd intestina effundo mater.
Hæc ridendo ait, Ne timeas fili:
Non enim ex tuis quicquam, sed vomis ex alienis.

Affabulatio.

Quòd oporteat aliena restituere & non murmurari.

Babrias Περὶ Κολοιοῦ τε καὶ ἄλλων ὀρνέων. Fab. 26.

Ἀλλοτρίοις πτερύγεσιν ἠμφισταμένου,
Ηὔχει Κολοιὸς ὀρνέων ὑπερφέρειν.
Πρωθὴν δὲ δῶρον ἡ Χαλκιδὼν ἠρπακει,
Μεθ' ὧν ἄπαντες, εἶτα γυμνὸς ἐυρέθη.
Επιμύθιον.
Ὅτι δεῖ ἑαυτῷ κάλλος ἁρμόζειν.

De Cornicula & cæteris Avibus.

Alienis pennis induta
Gloriabatur Cornicula præstare avibus.
Primum donum Hirundo rapuit,
Post eam omnes, hinc nuda inventa est.

Affabulatio.

Quod ex collatione pulchritudo dissolvatur.

AEsopus. Caprarius & Capræ. In desertam speluncam Caprarius hyeme deductis capris, sylvestres inibi reperit capras, hircosque longè plures quàm habuit & grandiores. Propriis ergò propter agrestes dimissis capris, illas educavit frondibus. Vbi verò serenitas advenit, proprias quidem demortuas fame reperit. sylvestres vero in montem effugere. At caprarius ridens domum abiit vacuus.

Libanius: Ablatis plumis alienis, nudatur forma monedulæ, & deridetur. Non suis bonis ornari, fructum habet brevem, magnamque affert deprehenso ignominiam. *Fabula tertia.*

De Graculo & Pavone. *Anonymus.*

Graculus, invento picti pavonis amictu,
Se polit, & socias ferre superbit aves.
Quem fore pavonem, pavonis penna fatetur.
Pavonum generi non timet esse comes.
Pavo dolum sentit; falsi pavonis honorem
Increpat, & domitam verbere nudat avem.
Nuda latet. socioque fugit, minuitque pudorem
Sic putat, hunc diro corripit ere comes.
Ascensor nimius nimium ruit; aptus in imis
Est locus; hæc levis est, illa ruina gravis.
Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
Posse suum superans, se minus esse putat.
Si tibi nota satis naturæ meta fuisset,
Nec vilis, nec inops, nec sine teste fores.
Cui sua non sapiunt, alieni sedulus auceps
Quod non est rapiens, desinit esse quod est.

De Cane & Carne. *Anonymus.*

Nat canis ore gerens carnem, caro porrigit umbram
Vmbra coharet aquis: has canis urget aquas.
Spem carnis plus carne cupit, plus fœnore signum
Fœneris; os aperit, sic caro spesque perit.
Non igitur debent provanis certa relinqui.
Non sua si quis amat, mox caret ipse suis.

De Vulpe & Mulieribus gallinam edentibus. Fab. 9.

Vulpes juxta villam quandam transiens, conspexit catervam mulierum plurimas gallinas, opi pare assatas, alto silentio comedentem, ad quas conversa: Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me essent, si ego facerem, quod vos facitis; Cui respondens quædam anus: pessima animalium, inquit, nos quæ nostra sunt comedimus, tu vero aliena furaris.

Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in aliena licere, quod proprijs dominis licet. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batilius XI.

Nostri nosmet pœnitet.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Pertæsus pariter sortis uterque suæ.
Sorte suâ vivit nemo contentus, & intra
Fortunam vir est qui velit esse suam.
Nulli non ingrata sua est, diversa probatur.
Nostra alijs, nobis plus aliena placent.

Batilius CCXVI.

Qui appetit alienum principatum, amittet suum.

Cornua quòd tauri quæstus sibi deesse camelus,
Nunc etiam truncis auribus esse dolet:
Qui spem inconcessam affectas alienaque regna,
Tu cave ne ipse tuis excutiare bonis.

Camerarius Lxxiii. Centur. 3.

Nemo quidem melius. Cassita Æsopi.

Cum sua quis rectè curare negocia possit,
Alterius stulte pendet ab arbitrio.

¶ Monosticha Trochaica.

Consilium tuum mutare noli alieni injuriâ,
Culpa est se rei immiscere, quæ non ad se pertinet.
De suis periclitantur ferè aliena qui appetunt.
Effugium reperire quis non quærit alterius malo?
Ex alijs speranda non sunt quæ tibi non sufficis.
Ex malis sua bona alienis nemo comparat bonus.
In suo quam alieno quisque est cacior negotio.
Lumina admovere noli rebus quæ non sunt tuæ.
Meam rem non cures, si rectè facias. num ego curo tuam?
Nemo tam lætus suo est quam tristis alieno bono.
Nemo propria magis tuetur, quam qui aliena haud appetit.
Nil refert pedésne an oculos aliena inferas domo.
Observat papulas alienas plurimo ulcere obsitus.
Plus malis gaudet alienis quisque quam bonis suis.
Plus vide mus in alieno negotio quam proprio.

Qui fuit sua in re egens ferè in aliena est insolens.
Quis dominationi alienæ sanguinem ultrò commodet?
Quod tibi haud das, ab alienis prò ide speres parum
Regia lauis de alienis certat: retinet privatus sua.
Rem tuam alios credis quàm te esse animadversuros magis?
Spem fiduciamq; in ipso ponere, haud in altero.
Sua in re egens, ferè in aliena est insolens.
Stultior stultò est, sibi esse alienum hominem ullum qui putat.

¶ Jambica.

Aliena curans utique curat & sua.
Aliena curant, evoluti propriis.
Aliena curat justus, non curat sua.
Aliena melius cernunt homines quam sua.
Aliena propter, ne tui obliviscere.
Aliena quærens sæpe privatur suis.
Consilium aliis facilius dederis, quàm tibi.
Curare aliena, strenua est inertia.
Ec quis periclo alienam rem curet suo?
Fortuna aliena propria præfertur salus.
Frustra ex aliis speres, quod non præstas tibi.
Hebes minus in aliena quàm re quam in sua est.
In proprio quis non hebes negotio est.
Inspicere fas tua est, aliena sed nefas.
Nec negligas aliena, sed nec appetas.
Nemo potest lege agere alieno nomine.
Non est homo satis quem aliena non movent.
Nunquam per alios gesta avidus intercipe.
Plus in alieno quisque cernit quam in suo.
Quis non aliena facile pericula deserat?
Rebus suis qui metuit, alieno abstinet.
Satagit suorum, aliena qui nec negligit.
Sibi quisque ruri æstate metit, non alteri.
Spernas opes alienas dives in tuis.

Videantur plura titulo *Amoris sui, Externorum, Sortis, Arrogantiæ, Fortunæ, Cupiditatis, Prædæ, Rapinæ.*

Allocutionis militaris.

¶ Sententiæ Theologorum.

Ennodius: Tamen eminus Pitzia, indomitam Bulgarum juventutē speculatus, ardentes adolescentium impetus potioribus verborum armavit incendiis. *Panegyr Theoderico Regi dicto.*

Egesippus: Sed periculosum putatis in hostem descendere, & murum armis circum sonare: quasi vero muliebria de nobis, & non virilia opera ipsa natura expetat, quæ nobis ideo vitalem infudit spiritum, ut eum pro gloria libenter refundamus. Ad quæ igitur, nisi ad maxima quæque à Duce suo bellator adhortandus est? Nam usitati operis adhortatio, non solum conventis, sed etiam convenientibus affert pudorem, ut exigas, quod sponte debetur: id enim de se militem præstare oportet. Et tamen quid immoderatum à vobis exigo? Nonne præstat mori per virtutem, quam vivere ad ignominiam? In medias Romanorum acies frequenter Judæus excurrit, ac sese hostilibus cuneis impavidus infundit, non ad spem victoriæ, sed ad indicium fortitudinis, & ostentationem gloriæ: Vos, quibus terra & mari nemo impune adhuc restitit, quibus non est novum vincere, & crimen non vicisse, cum tanta de cœlo habeatis vincendi suffragia, nec semel quidem propiuisse in hostem gradum non pudet? sed armatos otium tenere, & in procinctu positos, feriatis animis expectare, ut fames pro nobis dimicet, atque in media potius sua, quam nostris fusi gladiis, in opprobrium nobis erubescendos vertant triumphos? Non pudet (inquam) strenui commilitones, universarum victores gentium, nihil de armis sperare, nihil de viribus, sed de sola obsidione, & operiri, quando hostis morbo consenescat, atque in suo moriatur lectulo? Et quæ potest esse sine bello victoria? *lib. 5. cap. 27. exc. Hier.*

¶ Philosophorum Historicorum Græcorum.

Xenophon: Interea Chrysantas Persas venit, & alii nonnulli ex æqualium ordine, secumque transfugas adducebant. Eos Cyrus, ut par erat, de rebus hostium interrogabat. Illi vero narrabant, armatos jam è castris prodire, atque à rege instrui, qui & ipse progressus extra castra, cohortatione copiosa & vehementi ad eos uteretur, quotquot continuo prodirent, uti quidem adfirmaretur ab illis, qui eum audissent. Heic Chrysantas: Quid vero, inquit, si & tu, Cyre, militem convoces, dum adhuc exhortandi facultas conceditur? an nō & ipse redderes eos animosiores? Cui Cyrus: Ne tibi molestæ sint, ait, exhortationes istæ Assyrij, mi Chrysanta. Nam admonitio nulla tam præclara futura est, quæ homines minime fortes eodem, quo auditur, die fortes sui effectura: non sagittarios, nisi eam artem prius exercuerint: non jaculatores, nec equites: immo ne id quidem efficiet, ut corporibus in labore perferendo valeant, nisi se prius exercuerint.

Et Chrysantas: Satis est mi Cyre, inquit, animos eorum cohortando meliores reddi. Num queat, ait Cyrus, una oratio pronuntiata eodem die, non pudore duntaxat audientium animos implere, vel à turpitudine revocare! sed etiam excitare, ut laudis gratia laborem omnem, omnesque periculum subeundum statuant, ac mentibus suis infixum habeant, optabilius esse pugnando mori, quam fugiendo salutem apisci? Nonne si hujusmodi cogitationes hominum animis inseri debeant, & durabiles esse, primum leges sint tales oportet, ut earum beneficio viris fortibus honesta & liberalis vita paretur: ignavis abjecta, plena doloris, acerba victu vita incumbat? deinde præceptores, ut equidem arbitror, & magistros necesse est accedere, qui eis præficiantur, & tam exemplo quam doctrina eos ad actiones illas adsuefaciant: donec insitum hoc ipsis fuerit, ut viros fortes & laudatos reabse ducant felicissimos, ignavos & infames omnium miserrimos existiment. Sic enim animati esse debent, apud quos potior futura sit disciplina, quam metus hostilis. Quod si quis militibus armatis ad pugnam prodeuntibus, quo tempore multi etiam disciplinæ prioris obliviscuntur, oratione subitò concinnata possit homines extemplo bellicosos efficere: nimirum facillima res omnium fuerit, eam virtutem tum discere, tum docere, quæ in hominum vita longe maxima est. Nam equidem ne hos quidem ipsos, qui nobis adsunt exercitati studio nostro, firmos futuros esse, polliceri mihi ausim: nisi vos heic præsentes intuerer, qui & exemplo instruere, quales esse oporteat, & suggerere poteritis, si quid exciderit. Apud eos verò, qui ad virtutem prorsus instituti non sunt, mirum mihi sane videatur, ô Chrysanta, præclarè habitam orationem plus ad virtutem & fortitudinem adferre momenti: quam apud musicæ imperitos bene cantatum carmen ad musicam percipiendam conferat, *Cap 27. lib. 3. Cyropædiæ.*

Xenophon: Animadvertere videor, eorum orationes, quibus & ad beneficium præstandum, & ad lædendum facultas est maxima, plurimum in animos audientium penetrare. Iidem si munera largiantur, licet viliora sint iis, quæ paris hominis condicionis offerunt: tamen ab accipientibus illa pluris æstimantur. Itidem si modo Persas Cyrus cohortatus fuerit, multò gratius eis hoc futurum est, quam si à nobis præstetur. Et æqualium in ordinem illi cooptati, beneficium hoc ducturi sunt longe solidius, si & à filio regis, & ab imperatore, profici scatur: quam si eodem opera nostra perveniant. Quanquam ne illa quidem abesse debent, quæ nostrarum sunt partium: sed omninò quovis modo nobis illorum animi sunt exacuendi. Quidquid enim illorum virtuti accesserit, id è re nostra fuerit. *Cap. 5. lib. 2. Cyropædiæ.*

Iosephus: Postquam Titus hæc oratione prosecutus est: divina quædam alacritas militibus incidit &c. *lib. 3. bell. Iud.*

Aelianus: Homines ut fortes ac boni viri sint, hortatione egent, & suasionis plena oratione: quæ & metum tollat, & addat animos. Athletæ quidem ad stadia hortandi sunt, milites ad arma. *Libro 6. de Animalibus cap. 1.*

Heliodorus: Commilitones, non video quid attineat vos pluribus hortari, qui admonitione nulla indigeatis, sed vitam præcipuam bellum semper ducatis &c. *lib. 1. Æthiopicor.*

Simocatta: Post æquam hanc Ducis sui orationem milites Rom. auribus hauserunt, divino pleni affatu, alacritateque, & animi robore in victo communiti, de cetero ad opus ipsum peragendum furebant: & sobria quadam insania, quasi oestro perciti, arma ferebant. Potest enim contemptum hujus lucis instillare etiam virilis & robusta oratio. *Lib 5. cap. 5. histor. Mauriciana.*

Nicetas Choniates, de Contostephano: Non ignarus sæpe modicam cohortationem ad certamen pugili plurimum profuisse, legiones ad hunc modum alloquitur, &c. *lib. 5. Manuelis Comneni.*

Zonaras: Convocato statim exercitu, oratione habita, qua militum animis alacritatem ad rem strenuè gerendam attulit, ac fiduciam quandam quasi inspiravit, statim duxit contra hostem, atque illustri victoria potitus est. *Loquitur de Constante tomo 2.*

¶ Romanorum.

Cicero: Faciam igitur ut Imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos milites ad prœliandum videant, ut eos tamen adhortentur. *Philippica 4.*

Tacitus: Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat: qui quanquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miscebat: ut spernerent sonores barbarorum, &c. *Lib. 14. Annal. cap. 36.*

Tacitus: Silius, etsi præsumpta spes hortandi causas exemerat, clamabat tamen, pudendum ipsis, quod &c. *Libro 3. Annal. capit. 46.*

Tacitus: Allocutione varia, Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam quomodo instiget dux Civilis, videatur quarto libro *historiarum cap. 78.*

Sallustius: Compertum habeo milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timidæ exercitum Imperatoris oratione fieri. Quanta cujusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant: nequiquam exhortere: timor animi auribus officit. *cap. 58. Catilinaria.*

Idem: Plurà dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent. nam strenuis abundè dictum est. *Loquitur Marius dux cap. 85. Iugurthina hist.*

¶ Poetarum.

Homerus Iliad. A. versu 29.

Sic locutus concitavit robur & animum cujusque
Veluti quando aliquis venator canes albidentes
Instigat in silvestrem suem, vel leonem:
Sic in Achivos instigavit Trojanos magnanimos
Hector Priamides, pernicioso similis Marti.

Silius Italicus lib. 16. v. 297,

Dux vetus armorum, scitusque accendere corda
Laudibus, ignifero mentes furiabat in iram
Hortatu, decorisque urebat pectora flammis, &c.

Statius lib. 4. Thebaid.

—— hortamina fortes
Præveniunt: timidis etiam brevis addita virtus.

¶ Fabula.

De Pastore gregem suum adversus Lupum hortante.

Pastor, qui magnum caprarum oviumque gregem habebat, videns gregem suum quotidie lupi escam fieri, ac minui. oves & capras congregans, longa eos oratione hortatus est, ne vellent lupum formidare, quum essent numero plures, & cornibus, quibus lupus careret, insuper armatæ. Sed vellent unanimiter, & auxilio mutuo sese ab illius impetu & furore defendere, promittens se quoque eis non defuturum. Illæ hac oratione animatæ, promittunt, jurantque se nequaquam lupo cessuras. Quum autem paulo post lupus adventare nunciaretur, tanto timore affectæ sunt, ut nullis pastoris verbis possent à fuga cohiberi. Tunc pastor secum, impossibile est, inquit, mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignavos, & meticulosos, non solum conspectu, sed etiam hostium fama terreri, nullaque ducis oratione ad virtutem accendi. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Ah ne amicos sol silentes rhetores videret!
Efficacior sæpe armis in bello est oratio.
Elevat timidos firmat que fortes allocutio.
Fortibus quamvis tubarum proficit clangor viris.
Haud oratio fortes facit, sed exercitatio.
Oratio ex ignavo fortem non facit.
Sæpe ægris medicina præsens facta est eloquentia.
Sermo amici sedat iram, sedat infortunium.
Sermo amicus linguæ amarum verterit mel in merum.

¶ Jambica.

Ægroto animo medetur & oratio.
Animos paventum præstruas hortatibus.
Corpus cibis, animus sermone pascitur.
Est sermo amici animo, cibus quod corpori!
Oratio fortem facit animi ignaviam.
Parvo modulo, animus magnus incitabitur.
Suave est amico vox amici re malâ.

Plura occurrent tit. *Ducis.*

Ambitionis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Hinc ego excussa omni ambitione, non secus ac gravi quodam domino, & molesto morbo, philosophari, atque ad supernæ vitæ studium meipsum transferre constitui. *Oratione 10 in funere Cæsarii fratris.*

D. Nazianzenus: Nec me contemni ægrè fero, & honore affici lætor. illo enim digni sumus: hoc ambitionis nostræ est. *Epist. 36.*

D. Iohan. Chrysost Etiamsi orationem habens, hominum laude celebretur, major tamen in eo metus est, quam laus ac prædicatio. Atque adeo hanc brevem habet: illum perpetuum. At apud principes in gloria & splendore versatur? Verum illic rursus livor, & periculum, Ut enim tu erga illos affectus es: ita etiam alii complures. At perpetuo laudatur? Hoc vero acerbam servitutem efficit. Neq; enim libere quicquam ex animi sententia facere audebit: ne in eorum, à quibus celebratur, offensionem incurrat. Grave enim ipsi vinculum est nominis claritas. Quocirca quo pluribus notus ac familiaris est, eo etiam plures dominos habet, ejusque servitus crescit: ut qui dominos suos, quoquo se vertat, inspectet. Ac servus quidem, quum ab heri sui vultu remotus est, respirat, ac summa libertate fruitur: hic autem ubique dominos obvios habet.

Omnium enim, quos in foro videt, est servus. Quod si necessitas aliqua urgeat, forum ingredi non auder, nisi famuli quoq; assectentur, atque equus & omnis alia pompa parata & adornata sit, ne alioqui à dominis improbetur. Quod si syncerum aliquem amicum videat, familiaris cum eo, tanquam æquali, sermones habere non audet. Dominos enim metuit, ne ab ipsis de gloriæ suæ gradu dejiciatur. Ex quo efficitur, ut quo clarior est, eo graviore servitute opprimatur. Quod si quid molesti patiatur, eo acerbior est hæc contumelia, quo plures illius testes habet, ac præter dignitatem res ea esse videtur. Nec contumelia dumtaxat istud est, sed etiam calamitas. Nam permultos habet, qui adversis ipsius rebus lætentur: quemadmodum contra, quum bono aliquo fruitur, complures, qui ipsi invideant, ac livore afficiantur, eumque dejicere studeant. Hoc ne igitur, dic, quæso bonum est? hoc ne gloria? Minime vero: sed ignominia & servitus, & vincula, & quidquid grave à quoquam dici possit. *Homilia 24. ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Nihil ecclesiam æque potest dividere, ut ambitio, & amor imperii & gerendi magistratus. *Hom. 11. ad Ephesios.*

Isidorus Pelusiota: Ambitionis amorem, suapte natura vehementem & acrem, atque humanum genus mirum in modum superãtem, scitè ac sapienter reprimens, atque in melius derivans Salvator, his verbis utitur, Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Alioqui non habebitis mercedẽ, apud Patrem vestrum qui est in cælis. Quoniam enim, ut creator & effector, ambitionis semina hominum animis primùm insita esse probè norat, non frustrà & sine causa, sed ut ingenti honoris cupiditate flagrantes in melius proficeremus (optimum videlicet, ad servile turpium ac sordidorum affectuum jugum propellendum, amuletum & præsidium in gloriæ desiderio positum habentes) verùm nos beneficium nobis insitum in contrarium flexisse, ac cælestis honoris oblivione ad terrenum conversos esse: idcirco rursum, optimi cujuspiam agricolæ instar, animæ curam suscipiens, vitiosos stolones amputat, atque improbissimorum hominũ ubertatem ad insanum humanæ gloriæ studium vehementer luxuriantem reprimit: quicquid autem in ea suave atque ad cælestium honorum feracitatem vitale ac fœcundum est, id non modò relinquit, sed etiam ex suscitat, ac fœcundius reddit: dum nempe ostentationem, quam humanæ gloriæ cupidi & appetentes faciunt, funditus evellit, eam autem quæ Deum solum intuetur, studiosissimè appeti meritò permittit. *Lib. 3. Epistol. 34.*

Idem: Ambitio & imperandi cupiditas, omnium causa malorum, quæ etiam benè constituta evertere conatur, gravia bella non solùm nostrâ memoriâ, sed etiam antiquis temporibus invexit in res humanas. *Lib 4. Epist. 55.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Singularis boni fructus est, ambitionis refrenatio: illo præsertim tempore, quo sine opinionis damno possit ad quisita retinere. *Paneg Theod. cap. 4 f.*

Io. Sarisberiensis: Homo propriæ conditionis ignarus, & debitæ subiectionis detrectans jugum, fictitiam quandam affectat libertatem, ut possit vivere sine metu, & impunè quod voluerit facere, & quodammodo jam esse sicut Deus. Non tamen quod divinam velit imitari bonitatem, sed Deum, dando impunitatem malis, ad suam vult malitiam inclinari. De radice ergo superbiæ surrepit ambitio, potentiæ scilicet cupiditas & honoris, ut hinc vires habeat ne prematur. Hinc proveniat reverentia, ne vilescat. Nemo enim est qui non gaudeat libertate, & qui vires, quibus eam tueatur, non optet. Nihil est quod non in permutationem ejus veniat, si locus adsit: Servitus enim quædam imago mortis est, & libertas securitas vitæ. Inde est, quod ad conciliandam potentiam effunduntur opes: & quanto quis potentiæ cupidior est, tanto eas facilius expendit. Cum vero potentiam nactus est, erigitur in tyrannidem, & æquitate contempta, naturæ & conditionis consortes, inspiciente Deo deprimere non veretur. Et licet omnes occupare non possint principatus & regna, à tyrannide tamen omnino immunis est aut nullus, aut rarus. Dicitur autem quia tyrannus est, qui violẽta dominatione populum premit, sed tamen non in populo tantum, sed in quantavis paucitate, potest quisque suam tyrannidem exercere.

Nam etsi non populo, tamen quatenus quisque potest, dominatur. Non enim de his institutus est sermo, qui sunt omnino animi de fæcati, & subjectione continua gaudentes, alicui in vita præesse refugiunt. Vita potius politicorum excutienda est. Quem mihi dabis inter illos, qui non velit vel unum potentia anteire? Quis est qui nolit sibi jus esse in aliquem? Quis est qui sic subditum tractet, sicut se vellet tractari, si subderetur? Dum ergo ambitio invalescit, calcata æquitate, procedit injustitia, & tyrannidis procurans ortum, omnia quibus illa crescit, exequitur. Qui ergo suis non prævalet viribus, nititur alienis. Est videre quamplurimos aucupes potestatum, honorum procos, adhærere potentibus, & se reipublicæ muniis immiscere, tentantes viam qua se possint è latere, vel ex adverso in altum tollere: quo præ aliis possint, aut saltem posse ratione consortii videantur. Effundunt patrimonia, labores immensos aggrediuntur, & perferunt instare obsequiis, & blanditiis sollicitare, quos captant, non verentur. Nullum ergo officium gratuitum est, non dux aut judex, centurio aut decanus, sed nec præco, nec caupo, nisi ad pretium fiet. At hæc in profanis tolerabilia, dum quæ publica sunt, ambitio non corrumpat. Nam quæcumque publica sunt, pietati debent & fidei consecrari. Cæterùm hæc ambitiosiora sunt, & vix aut nunc-

quam

quam gratis in aliquem cadunt. *Libri septimi Policratici cap. decimo septimo.*

¶ Philosophorvm Historicorum Græcorum.

Simplicius: Utilis est ad affectuum qui in nobis vigent correctionem ambitio. unde extrema tunica perturbationum ambitio dicitur, quod reliquis perturbationibus ipsa ad justrice exutus animus, hanc postremam exuit, ut tandem ad ipsum bonum nudus perveniat. *ad finem cap. 15. in Epict.*

Dio Cassius: Bella civilia Romanos afflixere, Pompeio & Cæsare dissidentibus: quorum bellorum potissima fuit causa, primarum partium, & dominandi cupiditas. Pompeius enim fortunæ ac gloriæ Cæsaris cœpit invidere, palam postremo se ei ostendit inimicum: nec Cæsar passus quidquam detrahi de dignitate sua. *Lib. 41. hist. Rom.*

Philostratus: Consules consulumque filii, partim Polemonem, partim Favorinum efferentes, ambitionis utriusque fuere auctores: qua magnum certamen inter sapientes quoque viros suscitari solet, quæque humanam naturam in senii expertem introducit gloriæ cupiditatem, *in vita Phavorini.*

Ibidem: Ambitio ejusdem artis æmulatores invadit.

Zosimus: Si post devictum Xerxem perpetuò conjuncti mansissent Græci, præsenti fortuna contenti: nec Athenienses ac Lacedæmonii discessionem à se invicem feciissent, contendentes inter se, utri Græcorum Duces esse deberent, numquam in aliorum potestatem venisset Græcia. Sed cùm bellum Peloponesiacum copias Græcorum deminuisset, ipsasque civitatis ad penuriam rei pecuniarie redegisset: apertæ sunt fores Philippo Matedoni &c. *initio lib. 1. Hist.*

¶ Romanorum.

Cicero: Miserrima est omnium ambitio honorumque contentio, de qua præclare est apud Platonem: Similiter facere eos qui inter se contenderent, uter potius rempubl. administraret, ut si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. *Lib. 1 de Officiis.*

Seneca: Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere sed conspici volunt, aliqua facias, quæ in habitu tuo aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum & intonsum caput & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem perversa via sequitur, devita. Satis ipsum nomen philosophiæ, etiamsi modestè tractetur, invidiosum est. *Epist. 5.*

Idem: Nemo eorum qui in republ. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illis non tam jucundum est, multos post se videre, quam grave aliquem ante se: Habet hoc vitium omnis ambitio non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verùm cupiditas omnis: quia incipit semper à fine. *Epistola 63.*

Seneca: Ne concupiscamus supervacua, efficies, si ne ostendamus effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia scænam desiderant. sanabis ista si absconderis. Itaque si in medio urbium fremitu collocati sumus, stet ad latus monitor: & contra laudatores ingentium patrimoniorum, laudet parvo divitem & usu opes metientem. contra illos, qui gratiam ac potentiam attollunt, otium ipse suspiciat traditum literis, & animum ab externis ad sua reversum. Ostendat, ex constitutione vulgi beatos, in isto invidioso fastigio suo trementis & attonitos, longèque aliam de se opinionem habentes, quàm ab aliis habentur, nam quæ aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt. itaque examinantur & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos: tunc appetita formidant, & quæ & illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incumbit. tunc laudant otium lene & sui juris: odio est fulgor: & fuga jam à rebus adhuc stantibus quæritur: tunc demum videas philosophantes metu, & ægræ fortunæ sacra consilia. nam quasi ista inter se contraria sint bona fortuna & mens bona: in melius in malis sapimus: secunda rectum auferunt. *Epist. 94.*

Plinius Iunior: Arrianus Maturus caret ambitu: ideo se in equestri gradu tenuit, cùm facile possit ascendere altissimum. *Lib. 3. Epist. 2.*

¶ Poetarum

Ausonius de Delphidio rhetore.

Felix, quietis si maneris literis,
Opus camœnarum colens:
Nec odia magnis concitata litibus
Armaret ultor impetus:
Nec inquietis temporis tyrannici
Palatio te attolleres,
Dum spem remotam semper arcessis tibi,
Fastidiosis obvia,
Tuumque malvis esse quàm fati bonum:
Desideratis plurima,
Vagus per omnes dignitatum formulas,
Meritusq; plura quàm gerens.

¶ Emblematis.

Batilius. CIV.

Irritus ambitiosi labor.

Sisyphus hic non est. sed cui revolubile monte
Sisyphus adverso volvere cessit onus.

Invidentum gaudens qui sorte vicarius ipsum
Æquali fessum jam recreare velit.

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus: Non minùs rescindenda est regnandi ac carnis fœda libido, quam Ambitionem vocamus: quæ successionis legitimæ jura per vim violat sæpè, & sceptra ad indignos defert, homini Christiano indigna, atque radicitus exstirpanda: prout eam etiam primus discipulorum animis exstirpavit unigenitus Dei Filius. Persoluto enim statêre, discipulos ad se vocatos, quid in via tractassent, rogat. qui dum confitentur inter se ventilatum, quisnam eorum futurus esset major in regno cœlorum: advocans parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, videlicet ab hac stulta contentione, & efficiamini sicut parvulus iste*, (quem putant fuisse Martialem Petri discipulum & Germaniæ Apostolum) *non intrabitis in regnum cœlorum.* Insinuat humiliter de se sentiendum per virtutem, velut parvuli faciunt per ætatem. *Matth. cap. 18. Marc 9. Luc. 9.*

Idem: Cùm audita mortuorum resurrectione, mater filiorum Zebedæi peteret, Die ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo, id est, ut primarias circa te dignitates obtineant: tam inordinatam & ambitiosam postulationem arguens, dixit: *Nescitis, quid petatis:* & paulò post: *Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus datum est a Patre meo* q.d. Non ut homo, veluti vos existimatis, aut ex humano adfectu, ratione cognationis hoc dare possum: sed divino judicio illud dabitur his, quibus ob virtutem paratum est. *Matth. cap. 20. Marc. 10.*

Idem: Indignantibus decem Apostolis, quòd filij Zebedæi per matrem primarias post resurrectionem dignitates postulassent, ad se vocatis, ait: *Scitis, quia Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur?* Dominari hoc loco contemptum inducit & coactionem: unde significatum vult Dominus, Prælatos ac Principes Christiani populi, non debere ut Gentiles, dominari subditos deprimendo, & ex mera regnandi libidine præesse. unde subdit: *Vos autem non sic. Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator.* quibus omnem fastum & inordinatam ambitionem vetuit. *Matth. cap. 20. Luc. cap. 22.*

Anonymus Orator: At parum Dominici præcepti consilijq; memores illi, quos hîc ordine in scenam adducam. Prologum agat Granatensis regni Orator quondam celeberrimus. Illi nihil prius, quàm, debitum (ut jactabat) suis virtutibus, honoris regnique fastigium. unde oratione habita, dum è cathedrâ descendenti, quidam non parui nominis, auxiliarem dexteram porrigeret: suam ad se traxit, inquiens: *Nolo mihi dextram abs te porrigi ut descendam: porrige, si quicquam vales, ut ascendam.* at, ut bene Plautus in Amph.

Virtute ambire oportet, non fautoribus:
Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.

Foresta de Dict. memorabil.

Bardas Præfectus militum: Iungat se illi comitem Bardas militum sub Basilio Imperat. Præfectus. Qui dum per decretum Imperatoris sibi ablatam non exiguam potestatis, quâ antè præfulgebat, portionem cerneret: è vestigio imperium ipsum ambit, militem & vires colligit. Mittitur interea Stephanus Nicomèdiæ Antistes, suasurus bello abstineat, Imperatori suum regnum cedat, & illi pristina facultas. at is eum vix responso dignatus, dextroque pede protenso, quem coccinei coloris calceus, Imperij insigne, decorabat: *Fieri nequit*, ait, *ut qui hunc semel in conspectu multitudinis induit, eum temerè exuat. Quare vel me sua sponte Imperatorem agnoscant, vel invitis ipsis Imperium mihimet vendicabo.* Ita fervebat animus cupiditate dominii, & implicitè dicebat, quod ille apud Persium olim:

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui.

Cedren. In Basilio.

Adolphus Egmondanus. Veniam nunc ad aliud sæculi nostri, imò etiam soli, priore crudelius. illo enim in Principem, hoc in patrem sævitum. Adolphus Egmondanus, dum patris sui Arnoldi Geldriæ Ducis & dynastæ diuturnum imperium molestiùs ferret, per factiones quosdam in suas partes trahit, patrique palàm bellum facit. Cumque res sopita, per Carolum Audacem pro sententia diceretur: Arnoldus pater solùm titulo Geldriæ Ducis utatur, at filio opida urbesque ac arces cedat, Gravia dumtaxat sibi exempta: accipiat quoque in alimoniam de manu filii tria quotannis aureorum milia. arroganti ac effrenato vultu voceque Adolphus: *Quid malum? Pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit. Aequum est ad nos recurrant regnandi vices: nec aliud admisero, quàm de annuâ pensione: sic ut pater Geldria tota excedat, nunquam in eam pedem relaturus. alias malim præcipitem dare parentem in puteum, & me superinicere, quam ut in has conditiones pacisear.* En responsum, non tam impium (quale & tunc omnibus visum) quàm insanum. Refert *I. Lipsius Monit. Pol. lib 2. cap. 5.*

Chan Tartarorum: Claudam hoc virorum agmen loco so, licet alterius ordinis exemplo: ut vel eo etiam liquidò constet, non solùm quàm crudelis, sed & impia sit ac irreligiosa Ambitio. Chan Tartarorum (eorum Princeps sic dicitur) cùm Stephanus haud ita nuper optimus fortissimusque Poloniæ Rex obiisset, in comitiis de rege creando, ipse quoque per legatos intervenit, dixitque: *Potentem se*

esse. & posse myriades equitum educere è suis terris, Poloniæ tuendæ vel augendæ. Item frugalem se esse ac continentem, & sine ullis ciborum deliciis, solâ equinâ in fame contentum. Tertio, quod ad religionem attinet: Tuus, inquiebat, *Pontifex, meus Pontifex esto: tuus Lutherus, meus Lutherus esto.* Ecce hominem paratum omnia sacra Deosque deserere regnandi causa. Ita etiam hoc ævo videas, quod olim Ennii:

Omnis cura viris uter esset Induperator.

Ibidem num. 11.

Chrotildis Franciæ Regina: Hæc quoque, sui sexus intemperatam libidinem dominandi, in promovendis suis nepotibus ad legitimam regni successionem, adhibuit. Cùm enim propriis filiis rejectis, alios ex fratre nepotes adoptaret, eorumq; capillitium more illius ævi summâ cura enutriret: fratres legationem ad eam mittunt, & cum illa nudatum ensem & forcipem, optionem facientes, utrum malit nepotum capiti adhiberi, at illa plus æquo commota, & ambitionis stimulis agitata: *Satius*, exclamat, *mihi est, si ad regnum non erguntur: mortuos eos videre, quam tonsos.* Ita de Sejano memorat Juvenalis, quòd, cùm

——nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsa præceps immane ruinæ.

Fanc. Hottoman. de Franco-Gallia cap. 19.

Alexander Alexandrinus: Propositum est, inquit, hominib. improbis, in quorum animis inexplebilis honoris & pecuniæ cupiditas insita est, ut Ecclesiis qui plus habere videntur dignitatis, ex occulto insidientur: qui per varias ac multiplices vias sinceram Ecclesiæ pietatem oppugnare non cessent. Nam impulsu diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad voluptates, quæ fortè se offerunt, feruntur præcipites: atque ab omni pietate refugientes, timorem divini judicii proterunt. *Theod. eccl. hist. lib. 1. cap. 4.*

Synesius: *Si homo* (inquit) *honore prope divino, id est episcopatus munere fruatur, si quidem justæ sit dulcissimum percipiet fructū: sin ea dignitate prorsum est indignus acerbam futuræ pœnæ necesse est sustineat expectationem. Porro non novus hic, sed vetustus admodum est metus, ne quid in Deum committam, honorem ab hominibus ferens. Niceph. eccl. hist. lib. 14. cap. 55.*

Anonymus: Arator quidam senex in Germania, cùm episcopum ducemq; Coloniensem, qui iter armatus faciebat, vidisset, magno risu solutus, & interrogatus, Quæ tanti risus causa esset? respondit, *Ridere se quod Petrus Apostolus, clericalis ordinis princeps, in tanta inopia mortuus esset, & posteros in eo ordine tantopere locupletasset.* Respondente autem episcopo, se simul & ducem esse & episcopū, eoque tempore ut ducem armatum esse, & cum armatis iter facere: cùm autem in templo esse contingeret, illi ut episcopum agere: majori etiam cachinno solvi arator cœpit. Denuo igitur causam rogatus, dixit, *Vellem equidem declarari mihi, cùm mortuum hunc ducē, cujus personam geris, in inferno esse continget, quo putes episcopum iturum. Fulgosius lib. 6. cap. 2.*

Ioan. Theologus Minor: Caroli Sapientis, Francorum regis seculo Ioannes Theologus Minor Avenione ductus in carcerē fuerat, quod ea in urbe gravibus concionibus vitia temporum coarguere sub verborum involucris auderet. *Fuisse diem* (per ambages dictitabat) *qua cum omnia quæ gignere natura potest genera volucrum jam in lucem edita, ac vestita suo quaque decore ornatuq; essent, apparuerit divina species avis, sed ea implumis, atq; idcirco quæ volitare, seque alere vagando non posset. Verum miraculo majestatis, miserationeq; ineffabili adductas cæteras volucres, ne fame miseriaq; periret, ex suo quemq; corpore aliquid plumarū pennarumq; revellisse, in illamq; contulisse, quo ad cibum capiendum ferretur, victitaretq;. Hanc ubi se tanto honore dignitateq; esse habere q; sensit, fastu spiritibusq; inflatam tantam in se cæteris altitudinem movisse, ut omnium cōsensu spoliata redacta q; sit ad pristinam egestatem. Per similitudinem procerum Ecclesiæ ordinem divinitus institutum, sed initio inopem, deinde a mortalib. locupletatum, per superbiam & quæ minimè deceret, ætatem agere. Si odium judicium q; mortalium ad quos veniissent, minimè vererentur, si quādo opibus jam præstent, terrarum illis nullus metus, nullus pudor foret, at Deum cuncta acerrimè intuentem, a quo ad hominum genus pietate demissione q; animi imbuendum legati sint, tandem timendū sibi ducerent: qui quo tardior, eo gravior ultor futurus sit. Illum enim dextram in proceres Ecclesiæ fræ fulmine armare: ut quod ab homine fieri nefas sit, ipse non exuat modò sed ut exurat, scindat, dissipet. Paul. Æmilius, de rebus gestis Francorum, lib. 9.*

Ferdinandus Aragoniæ & Siciliæ rex: Quum Ferdinandus ab omnibus rejecto Henrici fratris ejus filio Iohanne, ad quem mortuo patre regni successio pertinebat, Rex acclamaretur, eo autem abnuente a Principibus ea causa ad concionem populus vocaretur, ubi & ipse Ferdinandus adesse jussus est: is quod futurum erat animo prævidens, sub chlamyde fratris filium, admodum puerum adhuc, regio more amictum clam deferens, eò & ipse compulsus venit. Igitur omnium suffragiis & votis ac unanimi consensu Ferdinandus, Aragonū rex, puero dejecto eligitur. Quod ubi Ferdinandus comperit. Iohannem fratris filium è chlamyde extulit humeroq; impositum populo ostendens, edita voce edixit. *En Aragonenses regem vestrum: noster hic est rex, huic fidem servemus, prout mos est Hispanæ gentis.* Atq; his dictis collocatum in regio solio infantulum, primus ipse ad pedes ejus procumbens veneratus est, atq; in verba ejus juravit, idemq; ut omnes facerent exemplo suo adegit. Restituto igitur auctoq; illi regno, privatum potiùs agere, quàm sibi regnum alienum usurpare delegit: quod tamen à plerisq; principibus sequentibus seculis in Europa sine pudore, & Dei metu prorsus depositō, factum est. *Vide Th. Fazellum de rebus Siculis, posterioris. Dec. lib. 9.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ambitio aliud corde clausum, aliud ore promptum habet.
Ambitio jam more sancta est, legibusq; libera.
Ambitio nequit domari: si palam haud quit, clam viget.
Ambitum factum esse scitis: vosq; id scire, omnes sciunt.
Ambitus lues, potentum usq; usq; perdit impetum.
Ambitus non cedit ulli, ne quidem in re pessima.
Ambitus paullatim plebem primulum facit suam.
Ambitus quidem mala est res, sæpe sed patrat bona.
Ambitus suos celebrant femina per liberos.
Ambitus sufflaminato prosperrotam aut ruis.
Ambitus tamen frequenter causa fit virtutum.
Ambitus tolli sibi credit, quidquid cessit alteri.
Auctor omnium est malorum, heu, arrogantia ambitus.
Cuncta vincla charitatis ridet acer ambitus.
Hæreses vis ni versus tollere? aufer ambitum.
Haud unquam suo expelletur cum auro demens ambitus.
Inter luctus lacrimasq; nondum cessat ambitus.
Luxus, ambitus q; scænam quærit ant, nolunt tegi.
Maximæ laudis capaces ambitus facit suos.
Ne quidem senecta extingait postremissima ambitum.
Nil sua facit sed cuncta populi gratia ambitus.
Non amicos re sed commodo ambitio omnis æstimat.
Non amicos re sed uno censet ambitus lucro.
Omnia usque ad cænum & cœlum largiuntur ambitus.
Parturit fructus acerbos atque crudos ambitus.
Plurima innovat, majoris quo putetur ambitus.
Plus mali semper conatur ambitiosus quam boni.
Præterit plebem, potentes occupat solum ambitus.
Prodigus fere est egens que inordinatus ambitus.
Pulcra ad omnia excitamur ambitu atq; præmio.
Quando non magnis jugatur ambitus virtutibus?

¶ Jambica.

Ætas senecta & ambitus malum atterit.
Ambitio adeptis consenescit honoribus.
Ambitio cunctis major est affectibus.
Ambitio gloriæ, affectus est felicium.
Ambitio magnis addito est virtutibus.
Ambitio pestis omnis est potentiæ.
An quæ est Dea Ambitione pestilentior.
Aut gratiæ, aut odio. subscribit Ambitus.
Auxilia legum, non valent sub ambitu.
Etiam ambitione clades accipitur Ducis.
Etiam ambitioni temulentia est sua.
Et feminæ ambitiosæ sunt per liberos.
Etiam erubescunt qui vincunt per ambitum.
Et orbem habet suum civilis ambitus.
Famam bonorum ambitio prava lancinat.
Frequenter & virtutum causa est Ambitus.
Haud dæmon ullus pejor est ipso ambitu.
Hodie ambitus splendet per turpitudinem.
Inimica semper Ambitio justæ est Deæ.
In pejus usque mutat urbes ambitus.
Malum profecto multi forme est ambitus.
Præter quietem vult alia omnia ambitus.
Relinquit homines ultimus omnium Ambitus.
Valde efferata es vane bellua Ambitus.
Virtute ambire oportet, non favitoribus.
Vultu meliore, quam ingenio, Ambitio nitet.

Videatur & titulo. *Gloriæ, Cupiditatis, Aemulationis, Invidiæ, Artium, Honoris, Contentionis, Certaminis, Discordiæ.*

Amicitiæ.

¶ Sententiæ patrvm græcorvm.

Clemens Alexandrinus: Docemur esse triplex genus amicitiæ: & eorum primum quidem est, idque optimum ac præstantissimum, id quod est ex virtute: valida enim est, quæ est ex ratione dilectio. Secundum autem ac medium, ex remuneratione: est autem hoc genus aptum ad societatem ac communicationem, lubenter impertiens, & vitæ conducibile. Communis enim est quæ ex gratia amicitia. Ultimum autem ac tertium, nos quidem dicimus id quod est ex consuetudine: illi verò, id quod ex voluptate veri ac mutari potest. Ac mihi quidem pulcherrime Hippodamus Pythagoreus videtur describere amicitias. Una quidem est inquit ex scientia deorum: altera verò ex hominum suppeditatione: tertia vero ex voluptate animantium. Est ergo una quidem Philosophi amicitia, altera vero hominis, tertia autem animalis.

Revera

Revera enim Dei est imago homo benefaciens: quâ in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul servat & servatur. Et ideo cum quis petens fuerit consecutus, non dicit danti, Recte dedisti, sed, Recte accepisti. Ita accepit quidem qui dat, dat autem qui accipit. Iusti autem miserentur. Benigni autem erunt habitatores terræ: innocentes autem relinquentur in ea: qui autem inique se gerũt, exterminabuntur ab ea. Ac mihi videtur Homerus fidelem prædivinans, dixisse: Da amico. Inimico autem ferendum est auxilium, ne maneat inimicus. Auxilio enim vincitur quidem benevolentia, dissolvuntur vero inimicitiæ. Sed si proponatur quidem promptitudo & animi alacritas, quatenus habet est accepta, non quatenus non habet. *lib. 2. Stromatum.*

D. Basilius Magnus: Qui erga Rosam sic affecti sunt, ut pulchritudinis amantes par est ij neque spinas è quibus flos enascitur, molestè ferunt: atq; audivi ex aliquo tale quiddam de ipsis loquentem sive is luserit sive seriò dixerit, quod quemadmodum amatorias quasdam compunctiones amatoribus, sic tenues & subtiles illos aculeos natura flori admiscuisset, ut decerpentes ad majorem cupiditatem acribus istis stimulis irritaret. Quorsum autem mihi rosa jam literis inducitur? Nihil opus habes ut doceare, si modo scripti tui meministi, quod rosæ florem continens, ver universum nobis facundiæ diffundit & aperuit: sed querelis quibusdam & accusationib. ex adverso nos quasi pupugit, instar spinæ verò mihi tui sermonis spina voluptati est, & ad acrius quodãmodo desideriũ me amoris incendit. *Epist. ad Liban.*

D. Nazianzenus: At verò me ad reditum impulerunt, maximè quidem vestri desideriũ, & quia vos mutuo mei desiderio teneri sentiebam. neque enim quidquam ad amorem ita firmum ac robustum est, ut mutuus affectus. *Orat 1. de fuga in Pontum.*

D Nazianzenus: Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem illius. Amicus fidelis protectio fortis, & munitũ palatium. Amicus fidelis vivus thesaurus. Amicus fidelis super aurum & lapidem præciosum multũ. Amicus fidelis hortus conclusus, fons signatus, qui opportunè aperiuntur & communicantur. Amicus fidelis solarii portus. Quòd si prudentia etiam & judicio excellat, quanti hoc faciendum? Quod si præterea summa doctrina, hoc est, tam nostra, quam ea, quæ quondã nostra erat, quando tandem istud luculentius? Quod si ad has quoq; dotes id accedat, ut lucis sit filius aut homo Dei, aut ad Deum propius accedens, aut vir desideriorum bonorum, aut quibusdam id genus nominibus dignus quib. homines divinos & excelsos ac supernæ partis exornat Scriptura, id verò Dei jam donum est, meritumq; nostrũ prorsus excedit. Quòd si insuper ab amico ad nos veniat, eoque, nec virtute, nec amore erga nos inferiori, hoc utique adhuc gratius atq; jucundius, unguentoq; illo, sacerdotis barbam & vestimenti oram decorante, fragrantius. *Orat. 4 quæ est in Iulianum stelitentica altera.*

D. Nazianzenus: De amicitia nostra, sive ut aptius loquar, animorum consp ratione, & naturæ conjunctione aliquid dicam breviter, veritus invidiam. Quod si nos forte amoris & cupiditatis æstus modum excedere coegerit: affectui nostro quæso ignoscite, affectuũ omnium justissimo, & quo non affici, damnum ac detrimentum est, iis quidem certè qui sana atq; integra mente sunt. *Orat. 20 in funere D. Basilii Magni.*

D. Nazianzenus: Exinde uterque alteri quidvis eramus, contubernales, convictores, concordes, unum idemq; spectantes, ferventiorem quotidie ac firmiorem cupiditatem nobis invicem colligentis. Etenim corporum amores, quia rerum fluxarũ sunt, fluunt quoque, non secus ac veris flores. nam neq; flamma cõsumpta materia remanet, sed unà cum ea exstinguitur, nec cupiditas marcescente fomite subsistit. At pudici & Deo grati amores, quandoquidem res stabiles ac firmæ sunt, propterea diuturniores etiam sunt: quantoque major pulcritudinis species ipsis obiicitur, tanto etiam arctius, & secum, & inter se, rerum earundem amatores devinciunt. hæc quippe superni amoris lex est. *Orat. 20.*

D. Nazianzenus: Basilius Magnus, sublimi ora quàm pro hominis conditione sentiens, omnia ad spiritum referebat: atque amicitiæ officia, quæ alioqui sanctè colebat, hic solum aspernabatur, ubi Deum anteponi oportebat: atq; antiquiores habere res in spe positas, quam fragiles & caducas. *Orat. 20.*

D. Nazianzenus: Omnia quæ à te profici sentiuntur, suavia nobis sunt, quæcunque tandem illa sint, & quoquo modo se habeant. *Epist. 7.*

D. Nazianzenus: Equidem ipse te magis quàm aërem spiro, idq; solum vivo quod tecum sum, vel coram, vel absens, per animi simulacrum. *Epist. 9 fine.*

D. Nazianzenus: Contumeliã carissimo fratri Basilio à tua pietate illatam esse atq; etiam num inferri, molestè fero: utpote quẽ tum vitæ tum studiorum, ac sublimissimæ philosophiæ socium, & ab initio elegi, & nunc habeo: nec quidquam mihi ob judicium de eo meũ succenseo. sic enim parcius loqui præstat, ne alioqui ipsius virtutes prædicans me ipsum laudare videar. Tu verò dum eo contempto nos honore afficis, perinde mihi facere videris, ac si quis unius viri caput altera manu demulceat, altera manu feriat: aut etiam cõvulsis domus fundamentis, parietes pingat, atq; externas partes exornet. Proinde si quid mihi obtemperãdum putabis, hoc facies, ut aũt obtemperes, abste peto atq; contendo. æquum est enim. Si illũ ut par est colueris, ipse quoq; ab eo vicissim observaberis. Nos verò sequemur, quẽadmodũ umbræ corpora, utpote parvi, & ad pacẽ propensiores. Non. n. ita misero statu res nostræ sunt, ut aliis quidẽ in reb. philosophari, melioremq; partẽ sequi velimus, dilectionem aũt, quæ totius doctrinæ nostræ caput est, contemnamus & pro nihilo ducamus: præsertim erga virũ sacerdotem, tamq; insignem, quẽ & vita, & sermone, & cautele, omnium quos novimus præstantissimum esse agnoscimus. *Epist. 20.*

D. Nazianzenus: Eia! te per amicitiam ipsam obtestor: eia! per ea quæ carissima habes: per spes animo cõceptas, quas tibi faustas effice, fidumte & sincerum amicum mortuo præbens: utiis etiã qui vitã fruuntur, hoc largiaris, ac spem meliorem afferas. naturâ sanè omnibus insitum est mortuo quippiam amplius elargiri. *Epist. 18.*

D. Nazianzenus: Quæ tibi molesta sunt, utique & nobis. Amicorum enim pro eo atque amicitiæ lex poscit, communia omnia tam prospera quam adversa esse censemus. *Epist. 70. principiò.*

D. Nazianzenus: Ex libris quos petis, alterum here habes: alterum non habeo. mihi enim in hoc velim ne abroges fidem. quippe qui me his solis frui, eaque solà rectè possidere existimem; quorum ipse particeps es, quibusque ut tuis uteris. *fine Epist 70.*

Basilius Seleuc: In amicis & inimicis formæ discrimen natura nullum figuravit. *Orat. 16. m.*

Chrysostomus: Quomodo qui amant pecunias, pecunias expendere, sua sponte nõ elegerint, sed maluerint cogi in angustias quam videre illas minui: ita is cui est aliquis jucundus, maluerit pati mala plurima quam videre eum lædi quem diligit. *Hom. 32 ad Corinth. 1.*

Chrysost. Nihil perinde amicitias gignit atq; conglutinat, ut cùm quis lætum aliquid ac sanum de quopiam commemorat. *Hom. 14. ad Corinth 2.*

Chrysost. Nihil perinde ad amandum allicit, ut cùm is qui amatur intelligit eum qui amat benevolentiam suam magnopere expetere. *Hom. 14. ad Corinth. 2.*

Chrysost. Argue fratrem, suscipe amicitias propter tuam in Christum charitatem, propter tuam in ipsum dilectionẽ. prohibe ne ipse abeat in barathrum. nam mensæ esse participes, & benignorum verborum, & jucundæ allocutionis & deliciarum, non est admodum amicitiæ, ea nostris amicis dona largiamur, ut eorum animam ab ira Dei extrahamus. *Hom. 18. ad Ephes.*

Chrysost. Non universè quamlibet amicitiam charitatemque admiratur Paulus, sed eam quæ ex scientia oritur: id est, ut non erga omnes eand. charitatem adhibeatis. id enim minimè charitatis est, sed insulsitatis. Quid est in scientia? adhibito judicio, cogitata ratione, delectu quodam ac sensu. non enim desunt qui inconsultò ac temerè ament: ex quo etiam fit, ut hujusmodi amicitiæ parum roboris habeant. *Hom 2. ad Philippenses.*

D. Chrysost. Multæ sunt occasiones efficientes amicitiæ. Et turpes quidem prætermittemus. Nemo enim nobis contradicet illas nõ esse malas. Sed si vultis, in mediũ adducamus naturales & quæ ad hanc vitam agendam pertinent. Atque hæc quidem ad vitam agendam pertinent. ut, De aliquo quispiam est bene meritus, amicum paravit à majoribus, fuit socius mensæ aut peregrinationis, aut est vicinus (sunt hæ quoque pulchræ & honestæ) aut est ejusdem artis. Atque hæc quidem non est syncera: habet enim æmulationem quandam & invidiam. Naturales autem, utputa patris erga filium, filii erga patrẽ, fratris erga fratrem, avi erga nepotem, matris erga filios. Si vultis autem uxoris quoque erga maritum. Hæ enim omnes matrimoniales, sunt ad vitam pertinentes & terrestres. Atque hæ quidem videntur illis esse vehementiores. Videntur autem, dixi, propterea quod ab illis sæpe sunt superatæ. Et aliquando quidem apparuerunt amici melius & syncerius affecti quam fratres, & quam filii in parentes. Et qui fuit quidem genitus, non opem tulit. Qui autem eum non cognovit, adfuit & opem tulit. Dilectio autem spiritualis, est omnium suprema, veluti quædam regina, quæ in suos dominatũ obtinet, honestaque est specie, pulchroque & ornato habitu. Nihil enim terrestre eam parit sicut illam, non consuetudo, non beneficium, non natura, non aurum, sed à superis descendit è cœlo. Et quid miraris si beneficio non eget ut consistat, quum ne si mali quidem quidquam accipiat evertatur? *Hom 1. ad Colossenses.*

D. Chrysost. Hoc Christo nihil detrahit quod sponte factus est patri obediens. quandoquidem nos etiam amicis obedimus), neque id tamen nos minores facit. *Hom. 7. ad Philipp.*

Chrysost. At habet, inquis, hoc quoq; lucrum: auget enim amicitias. Imò nihil est frigidius hominibus qui ex conviviis fiunt amici. Ex mensa, & saturitate parasitorum hinc solum oriuntur amicitiæ. Ne contumelia & probro affeceris rem adeo admirabilem, nempe charitatem, neque dixeris hanc ejus esse radicem. ut si arboris aurum ferentis & lapides pretiosos, radicem nõ diceret quispiam esse talem, sed nasci ex putredine. nam si hinc nata fuerit amicitia, nihil ea fuerit frigidius. 1. *Homiliæ fine ad Coloss.*

Chrysost. Sic oportet diligẽtem diligere, ut si ab eo petatur anima, & fieri possit, non vetet. Non dico si petatur solum, imo verò ut ipse ad hoc donum accurrat. Nihil enim, nihil hujusmodi amore fuerit jucundius: nihil illic contigerit molestum. Fidelis amicus revera est vitæ medicamentum. Fidelis amicus est re vera validum tegumentũ. Quid enim non fecerit verus & germanus amicus? Quam non attulerit voluptatem? Quam non utilitatem? Quam non securitatem? Etiãsi thesauros dixeris innumerabiles, nihil verò & germano amico potest æquiparari. Primum autem dicamus quantam voluptatem habet amicitia. Gestit gaudio eum videns & diffunditur. Cum eo conjungitur quadam conjunctione, quæ ineffabilem animo habet voluptatẽ. Et si solum ejus meminerit, mente assurgit & attollitur. De germanis loquor amicis, qui sunt unanimes, & qui pro amicis mori eligerint, & qui ardenter amant. Ne mihi cogitantes eos qui leviter amant, & sunt

mensæ socii & amici nomine, existimetis arguere id quod dicitur. Si quis habet amicum qualem dico, verba agnoscet, & si eum quotidie viderit, non satiatur. Eadem ipsi quæ sibi ipsi optat & precatur. Novi ego quendam, qui pro amico viros sanctos rogans rogabat ut pro ipso primum orarent, deinde pro se.

Tanta res est bonus amicus, ut & loca & tempora propter ipsos amentur. Quomodo enim à splendidis corporibus flos emanat in loca vicina, ita etiam amici, ad loca ad quę accesserint, suam emittunt gratiam: & sæpe quum absque amicis in illis locis fuerimus, flemus recordantes dierum in quib. cum illis versati sumus, & gemimus. Verbis explicari non potest quantam affert voluptatem & lætitiam præsentia amicorum. Soli autem sciunt qui experiuntur. & gratiam petere, & gratiam accipere ab amico licet citra suspicionem. Quando nobis imperant, tunc eis habemus gratiam. Quando dubitant & verentur, tunc tristitia afficimur. Nihil habemus quod non stillorum. Omnia quæ hic sunt sæpe despicientes, propter illos nolumus hinc recedere. Illi sunt etiam luce magis desiderabiles. Re vera ipsa quoque luce est amicus desiderabilior: loquor de sincero & germano. Nec mireris. Melius enim est ut sol nobis extinguatur, quam ut privemur amicis. Melius est degere in tenebris, quam amicis privari. Et quomodo? Ego dico. Multi Solem videntes sunt in tenebris. Abundantes autem amicis, ne fuerint quidem in afflictione. De amicis loquor spiritualibus, qui nihil præferunt amicitiæ. Talis erat Paulus, qui & animam suam libenter dedisset etiamsi à se non esset petita, & in gehennam libenter cecidisset. Ita ardenti diligendũ est affectione. Volo dare exemplum amicitiæ. Patres & filios superant amici, amici, inquam, secundum Christum. *Hom. 2. ad Thessalonicens.*

D. Chrysost. Magna res est amicitia, & quam sit magna, nullus discere, nec oratio explicare potest, præter ipsam experientiam. Hoc fecit hæreses: hoc Græcos fecit esse Græcos. Qui diligit, non vult imperare, nec magistratum gerere, sed majorem habet gratiam si obediat & jussa exequatur. Vult magis gratificari quam gratiam accipere. Diligit enim, & non tanquã exsatiato suo desiderio, sic afficitur. Non tam lætatur beneficium accipiens, quam benefaciens. Mavult enim eum habere sibi obnoxium quam ipsi debere. Mavult autem & ipsi debere, & ipsum habere debitorem: & vult gratificari: & non vult videri gratificari, sed esse potius debitor. Multos forte ex vobis existimo ignorare quod dictum est. Et vult prior beneficio afficere, & non videri prior beneficio afficere, sed reddere. Quod quidem Deus quoque fecit in hominib. Erat filium suum pro nobis donaturus, sed ne videretur nobis donare, sed nobis debere, jussit Abraham dare filium suum, ut rem magnam faciens, nihil magnum videretur facere.

Nam quando non fuerit quidem amicitia, & exprobramus beneficia, & parva extollimus. Quando autem fuerit amicitia, & ea celamus, & quæ sunt magna parva volumus ostendere: ne videamur amicum habere debitorem, sed ipsi esse debitores, in eo quod eum habeamus debitorem. Scio multos nõ intelligere quod dicitur. Causa autem est. Loquor de re quæ nunc cœlum habitat. Quomodo ergo si dicerem de aliqua planta quæ nascitur in India, cujusne habuit quidem quisquam experientiam ne posset quidem rem explicare oratio, etiamsi infinita dicerem: Ita etiam quæcumq; nunc dixero, temerè & frustra dicam: nemo poterit scire. In cœlo plantata est hæc planta, ramos habens non onustos margaritis, sed vita quæ ex virtute agitur, quæ est his multo jucundior. Quamnam vis dicere voluptatẽ & turpem & honestam? Sed omnes exuperat voluptas amicitiæ, etiamsi mellis voluptatem dixeris. Nam id quidem affert satietatem, amicus autem nunquam dum fuerit amicus: sed augetur potius desiderium, & satietatem nunquam affert voluptas. Vita quoque præsente amicus est jucundior. Multi quidem certe post mortẽ amicorum, ne optarunt quidem amplius vivere. Cum animo etiam exilium tulerit quispiam. Absq; amico autem ne suam quidem patriam habere voluerit. Cum amico etiam paupertas est tolerabilis. Absq; eo autem & sanitas, & divitiæ sunt intolerabiles. Alterum habet seipsum. Angor quod non possim exemplo rem ostendere. *Homil. 2. ad Thessalonicens.*

D. Chrysost. Nihil ita humano generi nocere consuevit, ut amicitiam contemnere, neq; eam magnò cum studio, & tota observatione servare: sicut è contra nihil est quod ita res humanas moderetur ac dirigat, ut hanc omnib. viribus persequi. quod profectò Christus insinuans ajebat: Si duo ex vobis consenserint in unum, quidquid petierunt, accipient. & rursus: Cùm abundaverit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ejusmodi profectò contemptus omnes hæreses genuit. quippe ex eo quod non diligerent fratres, secundis eorum successibus invidebant. ex ea aũt invidia, dominationis ambitu tenebantur. porrò ex ambitione hæreses nascebãtur. *Hom. 2. ad Timoth. primo.*

D. Chrysost. Et in malis dilectio invenitur: puta latrones latrones amant, homicidæ homicidas. verùm non est ea dilectio ex conscientia bona, sed mala: neque ea ex corde puro sed ex impuro proficiscitur: neque ex fide non ficta. fides autem quod verum est indicat; & ex sincera fide charitas gignitur. *Hom. 2. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysost. Hoc est amicitia, hoc est auxilium verè fraternum alter alterum admonere peccantem ac reprehendere. nõ enim comedere & bibere faciunt amicitiam: talem enim habent latrones & sicarii: sed si sumus amici, si verè alter alterius curam gerimus. ad hæc alter alteri conferamus. hæc nos adducunt ad amicitiam utilem. *Hom. 30 Epist ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota. Syncris amicis, atque ob summam virtutem amicitias amplexantibus nunquam carebis, quamdiu talis futuris, qualis nunc es. callidum enim ac peritum hujus rei venatorem te præbes, ut qui pro rebus mores habeas. His igitur utere: atque omnes quibus virtus curæ est, amicum te habituri sunt. *Lib. 2. Epist. 51.*

Idem: Quoniam nimia amicitia suspicione carere minime videtur, divino metu temperetur: ut utrumque in nobis abundet, nempe & Dei metus, & amicorum amor: ille improbas suspiciones eliminans, hic charitatem ac benevolentiam bonorum omnium matrem pariens. Nam cùm Dei metu temperatum atque permixtum amorem habemus, omne bonorum genus in nobis pullulat. *Lib. 2. Epist. 102.*

Idem: Rectissimam amicitiæ normam, si quispiam te esse dixerit, à vero haudquaquam aberrat. Lingua enim simplex es, animo simplicior, vita & moribus simplicissimus. *Lib. 3. Epist. 45.*

Idem: Amicitiæ primordium, ac benevolentiæ igniculus, atque id quod & me, & optimum virum Eutonium, mutuo amore sauciavit, improbitatis odium fuit, quod in ipsius moribus animadverti. Posteaquam enim ipsum non modò virtutis causa, sed etiam eorum, quos virtutis amor tenet, libenti atque alacri animo periculum adeuntem conspexi, hinc reliquam quoque viri illius philosophiam tanquam vestigiis odoratus, ad ipsum amandum sum incitatus. Cùm autem rursum insani quidam Sophistæ pietatis Christianæ dogmata convellere atque labefactare conarentur, hic verò eorum armis atque syllogismis instructi, non priùs eos ferre destitimus, quàm eos prorsus in fugam conjecissemus, ac perspicuam & integram victoriam retulissemus. Hic nimirum secundus nobis amicitiæ, non dicam igniculus, sed fax perspicuè accensa est, ac permansit. Nam ea divini amoris lex est. Corporeus siquidem, ut pote abjectus & humilis (quandoquidem à corporibus fluxis & caducis coagmentatur) fluit, atque florum instar marcescit. Nam neque ignis absumpta ea materia, quæ flammæ causam præbuit, manet, verùm una cum ea abscedit: nec sopito atque extincto igniculo amor consistit. At divinus & pudicus amor, quia rei firmæ ac stabilis est, proinde stabilis quoque ipse est: quãque virtutis pulchritudinem magis imaginatur, eò quoque arctiùs, & secum, & inter se devincit eos qui earundem rerum desiderio tenentur. *Lib. 3. Epist 87.*

Idem: Ego nec peccati expers sum, nec peccati expertes amicos quæro (non enim inveniam) verùm eos quidem qui maximis virtutibus, ac paucis minimisque vitiis præditi sunt, in amicorum classem ascribo: eos autem, qui contra affecti sunt, nec numero, nec rursus abdico. Non, inquam, numero, ne cœtui nostro calumniam efficiant (apud omnes enim hoc in consuetudine positum est, ut quemque ex iis, qui cum eo consuetudinem habent, judicent:) non autem abdico, ipsem ipsis bonam relinquens. Illis enim & consiliariis, & amicis utor: his autem non bellum infero, sed quam possum, pacem tribuo, Apostolicam scilicet legem servare studens. Si fieri potest, quantum in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habentes. Eos autem moneo, ut à vitio abstineant ac virtutem complectantur. Quod si ipsi consilium meum in odii atque inimicitiæ occasionem traxerint, haud parvum mœrorem (non quòd inimicitiam mihi indixerint, sed quod nullam utilitatem acceperint) mihi accersent. *Lib. 3. Epist. 285.*

Idem: Illud scito, vir cumprimis admirande, eum, qui amici speciem præ se ferebat, re mihi minimè significata, nec communicata (norat enim me non perpessurum, nec ipsi permissurum, ut vetustam amicitiam disciderem) ea fecisse, quæ fecit. Ac proinde ab amicitia nostra proscribatur. *Lib. 3. Epist. 349.*

Idem: Amicus tuus in magnis negotiorum procellis relictus, atque omni mota machina, quemadmodum naucleri, quorum artem tempestas demersit, in votis ac precibus fluctuat. Quamobrem ipse quoque vota fac, ut tempestate superior evadat. *Lib. 3. Epist. 378.*

Synesius: Atqui animos cum fortuna nequaquam attolli oportebat, nec veterum amicorum meminisse, infrà præsentem dignitatem arbitrari. Tu verò longo jam tempore nostri oblivisceris; minimè verò decebat, utique cum maxima nos mutuo benevolentia conjunxerit. *Epist. 24.*

Synesius: Tu quamdiu nondum in fortunam impegeramus, nobiscum perseveraste: inde unà cum illa recessisti. *Epistola quadragesima sexta.*

Synesius: Uti potentum amicitia, non abuti convenit. *Epistola 63.*

Synesius. Hactenus res nostræ felici in statu fuerant: inde velut reciproco quodam fluminis impetu, & publica me, & privata mœrore afficiunt. Tu verò si secundo vento naviges feliciterque vivas: non usque quaque fortuna nobis infesta est. *Epist. 88.*

Idem: Interim quemadmodum si quid mihi ex animi sententia contigisset, tibi omnium mihi amicissimo capiti communicassem: sic & molestorum ad te famam auditionemque transmitto: uti & condoleas mihi, & si quid possis, re ad ingenium meum expensa, sententiam tuam de eo proferas, quid me facere oporteat. *Epistola 95.*

Synesius: In amorum genere, qui ex humilibus humanisq; causis excitantur, odiosi atque exolescentes sunt, quos sola præsentia, nec nisi difficulter meriuntur. Quos autẽ assistens numen moderatur ac regit, juxta divinum platonis oraculum, miro quodam artificio colliquans, unumq; è duobus mutuò sese amantes efficiens, istius-

mei

modi & temporis & loci naturam imbecillam comprobant. Nihil enim obstare potest animis sui invicem desiderio flagrantibus, quo minus secretis quibusdam congressionibus unà cõveniant, mutuoq; conjungantur. Inde nimirum alicunde devinctam esse necessitudinẽ nostram oportet, si nihil philosophiæ educatione indignum admittere velimus, affixi sensibus; cumq; ipsi ab subjectis corporibus non pulsantur, animorum præsentiam respuentes. *Epist.* 139.

Synesius: Pylæmenem me puta, ipsum animum animo ipso complecti. Desunt mihi verba, quib. quanta est voluntatis animi mei vis effundatur: vel potius ne ipse quidẽ affectus cujusmodi ergà te in animo meo insit. Sed homo quidam exstitit amatoriarum rerum peritus. Plato Aristonis filius Atheniensis in amatoris natura, eoque quod circa delitias suas sibi accidere vellet invenjendo solers, in explicando disertus ac facilis. Quare pro me istud & inveniat & dicat. Vellet igitur (ait ille) Vulcani quadam arte colliquari, & coalescere, vnumque ex ambobus effici. *Epist.* 151.

¶ Latinorum.

Chrysologus: Si amicos morum facit imitatio, morum similitudo conjungit, conveniebat eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi jacula, & ipsam mortis formidinem conspicit, & prævidet calcaturos. *Sermone* 181. *pr.*

Ennodius: Pyladis & Orestis, Nisi & Euryali, Pollucis & Castoris convenit gratiæ meminisse vel fidei, quos inter se ita cõcors animorũ devinxit æqualitas, ut horum duos experitus cum amicis juvaret ineritus, alter amico vitam suæ mortis afferret. *lib.* 1. *Ep.* 9. *a. f.*

Ennodius: Non validis radicibus nititur amor indebitus, & citò ad examen reducitur qui eq̃ud gratiæ aura subripuit. Me solum novi prius debuisse diligi quam probari. hunc tantum fructum de caritate possẽdi, quem incognitus provisione subtraxi. Sed vos convenerat non citò ab eo, cui imposuistis amici nomẽ, abscedere. solet enim esse ignara districtionis devincti conscientia. & opus est ut perpetuò teneat quicquid semel fidum pectus acceperit. *lib.* 3. *Ep* 11. *pr.*

Ennodius: Vix ad consilium reducitur pio amore pectus obsessum putat remedia, & quæ comperit nihil juvisse. *lib.* 3. *Ep.* 22. *m.*

Ennodius: Scio tunc novellam amicitiam habere dulcedinem, si annosa servetur: & illud esse in affectione purius, quod nostri examinavere majores. *lib.* 4. *Epist.* 25. *m.*

Ennodius: Facessat à Christianis moribus varia de amante sententia: qui officium oris sui dedicaverit laudibus, liberum non habet inchoata deserere, ne devenustet prefati mella præconij vilitate sequẽtium. Videro qui ingenium credat esse sectari novitatem: ego, ut tarde amicos eligo, ita in his indemurabiliter persevero. *li.* 5. *Ep.* 21. *pr.*

Ennodius: Dulciora sunt antè exemplum bona diligentiæ, nec tantum habet virium aut genij, qui amicitiarum callem secundus ingreditur. Summatim sibi gratiam non potest vindicare, cui in amore forma præstatur. Impudentia est non respondere charitati, cùm manifestet res benè orta virtutem. *lib.* 6. *Epist.* 6.

Ennodius: Prima meeroris causa est, quod prospera vestra, dum in longinquo degitis, vix datur agnosci: ex quo nascitur circa personam meam omnis adversitas. *lib.* 6. *Epist.* 35. *m.*

Ennodius: Antè experimentum amicorum fides occulta est. postquam in lucem processerit, eorum qui aliquid saporis habuerint sibi mentes obligat. Est tamen minus libera servitus quæ charis exhibetur. *lib.* 8. *Epist.* 15. *pr.*

Ennodius: Lenocinium est, non gratiæ sacramentum, quod tantum præsentibus adhibetur. amicitiæ sinceritas & longè positos non relinquit. *lib.* 9. *Epist.* 10. *pr.*

Ennodius: Manifestis patet indiciis amicus bonorum: nec in altero mores quisquam hominum, nisi quos in se formavit, amplectitur. *Parænesis didascal.*

Io: Sarisberiensis: Quæsitum est, si inter malos charitas & amicitia esse potest. sed tandem placuit, eam nisi in bonis esse non posse. Magna utique inter molles & malos concordia, sed ea tantum à charitate discedit, quantum lux distat à tenebris. Et licet interdum mali, sicut & boni, idem velle, & idem molle possint, amicitiæ tamen titulum non assequuntur. Unde & Sallustio & Ciceroni placuit, in malis factionem esse, quod in viris bonis vera amicitia est. *capit.* 12. *libr.* 3. *Policrati.*

Io: Sarisberiensis: Hoc quoque jam pridem venit in dubium, an quemquam divitum & potentum, amare contingat. Tandemq; receptum est, eosdem nunquam amare, vel rarò, & in eis præcipuè causis, in quibus se potius, quam alios amare videantur. Contraria siquidem in eodem esse non possunt. Et quo divites plurimum cupiditatis, eo habent minimum charitatis. Hæc etenim invicem maximè adversantur. Porrò ut ait quidam, Omnis dives iniquus aut iniqui heres est, & rarissimum est, ut divitiæ affluant, nisi amoris & cupiditatis glutino solidentur. Eas desiderantis animi vigilantia & labor acquisivit, sed ægrior sollicitudo retinet & conservat, inquit Ethicus:

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri:
Casus in est illic, hic erit urtis opus.

Cum ergo istudars, illud casus nomine censeatur, quis eas sine applicatione mentis intensa diutius servat? Certè vetus proverbiũ est, quia ubi amor, ibi oculus, & ubi vigil mẽtis intẽtio, ibi fixa cordis positio. Unde licet invito & repugnanti animo plerumq; affluant, cor tamen apponere fidelis philosophus prohibet, & doctor gentium eos, qui divites fieri cupiunt, in laqueum diaboli, & tentationis dicit incidere. Et qui utroque major est, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ asserit, Deò & Mammonæ simul serviri non posse. Quoniam

Imperat aut servit collecta pecunia cuique.

Sed diviti numquam servit, aut rarò. Unde liquet divites frequentius iniquos quàm heredes iniquorum. Quomodò regnat charitas, ubi iniquitas dominatur? Utiq; dives familiaris esse novit, amicus nunquam, aut rarò. Hic tamen non de eo, qui habet divitias, sermo est, sed qui amat. Ex quibus liquet, quia quantacumque ex familiaritate, potentioris gratia videatur, diligentem cautelam exigit subditorum. Alioquin omnis ejus illecebra, plus aloes, quàm mellis in exitu habitura est. *lib.* 3. *Nugarum Curialium capite duodecimo.*

Io: Sarisberiensis: Amicitiæ prostituræ fides haberi non debet. nã quæ venit à sinceritate animi, fidelis certa, & fixa est: quæ ab arca vel loculis, flurda, incerta, erronea, deficiente viatico marcescit. Omnis enim res quæ in commercium venit, ab uno transit ad alterum, ditioremq; & avidioremq; comitatur emptorem. *cap.* 3 *lib.* 8. *Pol.*

¶ Philosophorum Principum Oratorumque Græcorum.

Plato: Hermiæ neque multitudò equorum, neque alius belli apparatus, neq; auri magnitudo usque adeò vires augeret, quantum amicorum bonorum constantia atque fidelitas. *Epist.* 6.

Plato: Posteris temporibus Dio rediens domum, fratres duos Athenienses secum duxit: non ex philosophia sic amicos, sed ex hac communi vulgariq; familiaritate, quæ hospitalitate quadam & frequenti inter sacra spectaculaq; consuetudine, amicitiam contrahere consuevit. Similiter illi tum ex his quæ dixi: tum quia redeunti obsequia præstiterunt, amicitiam cum Dione conflaverant. Hi ergò cũ in Siciliam profecti essent, intelligerentq; calumnias inter illos, ipsos qui ab ipso liberati erant, in Dionem conjectas, quasi tyrannidem affectaret, non prodiderunt modò amicum & hospitem, sed fere propriis manibus, ipsi percussores fuerunt. Arma enim tenentes interfectoribus palam auxiliati sunt. Et facinoris quidem illius turpitudinem impietatemq;, neque prætereo equidem neque enarro. Multi enim hæc diligentius celebrant ac in posterum celebrabunt. Sed adversus infamiam civitatis nostræ respondeo. Nam si Atheniẽses fuerunt illi qui prodiderunt: ille quoq; Atheniensis fuit, qui neque pecuniarum neque honorum pollicitatione, ut proderet illum adduci unquam potuit. Non enim per vulgarem mercenariamque benevolẽtiam factus erat amicus: sed per liberalis disciplinæ cõmunionem. Cui certè vni, qui sapit, plus adhibet fidei, quam ulli & animorum conjunctioni & corporum consanguinitati. *Epist.* 7.

Plato: Ego tuis pecuniis quemadmodum olim tibi dixi utar: quomodo aliorum amicorum facultatibus: utor autem quàm paucissimis possum: in iis scilicet, quæ necessaria, justa & honesta videntur, & mihi & ei à quo accipio. cujusmodi mihi quiddam hoc tempore accidit. Sunt mihi fratris filiarum, quæ tum mortuæ sunt, cùm ego, te tamen jubente, non sum coronatus, filiæ quatuor, prima est nubilis, altera annorum octo, tertia paulo amplius tertium, quarta nondum est annicula. Iis autem quibus ego nubentibus superstes ero, tum à me tum à meis amicis dotes curandæ sunt: quibus non ero, eæ valeant. Si patres earum ditiores me essent, dos curanda non esset. Nunc ipsis sum locupletior: & earum matres ego tum ab aliis, tum à Dione adjutus collocavi nuptum. Una igitur Speusippo traditur, ejus ex sorore neptis. Opus est autem huic non amplius xxx. minis, honestæ siquidem & convenientes nobis sunt ejusmodi dotes. Deinde si mater mea moriatur, ad monimentum faciendum non opus fuerit amplius decem minis. Atque hæc quidem mihi hoc tempore sunt necessaria. Quod si quis alius fiat sumptus aut privatim aut publicè ob meam ad te profectionem, sicuti aliquando faciendum dicebam: meum erit contendere & pugnare, ut sumptus fiat perexiguus, quod demere non potero, ubi impensum feretur. *Epist.* 13. *ad Dionysium.*

Xenophon: Tibi verò Gadata, liberum quidem procreandorum, uti videtur, facultatem Assyrius ademit, amicos parandi facultatem, non abstulit. sed velim tibi persuadeas, te nos hoc facto tibimet amicos adjunxisse: qui tibi conabimũr, si poterimus, haudquaquam deteriores opitulatores esse, quam si vel filios, vel nepotes haberes. Hujusmodi verba Cyri fuerunt. *cap.* 21. *lib.* 5. *Cyropæd.*

Xenophon: Cyrus Cyaxari salutem. Nos neque te solum reliquimus, quum nemo tunc ab amicis solus relinquatur, quum hostes per eos vincit: neque propterea, quod abs te discessimus, in periculo te nos constituisse arbitramur: sed quo majori abs te intervallo absumus, tanto tibi plus securitatis à nobis parari existimamus. Nam qui apud amicos proximè desident, non eos maximè tutos efficiunt: sed qui hostes quam longissimè repellunt, ij potius amicos extra periculum collocant. Considera verò, quem me erga te expertus, ipse vicissim quem erga me te geras, dum modò de me quereris. *cap.* 25. *lib.* 4. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Quum à rege Persarum litteræ redderentur, Agesilao quas de necessitudine hospitij, & de amicitia régis perscriptas adtulerat is Persa, qui cum Callia Lacedæmonio venerat: minimè illas accepit, sed eum, à quo adlatæ fuerant, renunciare jussit regi, non esse, quamobrem privatim litteras ad se mitteret, quod si Lacedæmoni se amicum, & Græciæ benevolum declararet, vicissim se quoq; omni studio amicitiam cum eo culturum. Sin deprehensus fuerit, insidias nobis facere: non est quod se existimet me amicum habiturum, et-

ſimſi permultas ab eo litteras acceperam. Equidem hæc etiam in parte Ageſilaum laudo, quod ut Græcis placeret; oblatam à rege neceſſitudinem hoſpitij ſit aſpernatus. Nec minus illud admiror, quod non uter eſſet opulentior, ac pluribus imperaret, ei majores eſſe gerendos ſpiritus arbitraretur: ſed qui tum ipſe meliores eſſet, tum in meliores imperium haberet. *cap. 42. de Vita ejus.*

Xenophon: Ex amicis non eos, qui plurimum poterant, ſed qui promptiſſimi erant, complectebatur Ageſilaus. Odio proſequebatur non eum, qui læſus ſe vlciſcebatur: ſed qui beneficiis adfectus, ingratum ſe declarabat. Erat illi voluptati, turpis quidem lucri avidos, pauperes videre: iuſtos autē collocupletare: quod efficere cuperet, ut plus ex juſtitia, quàm ex injuſticia, lucri perciperetur, variis eum hominibus habere commercium, bonis uti ſolebat. Quod ſi quos aliquando vituperantes, vel laudantes alios audiret: exiſtimabat, non minus illorum ſe mores adgnoſcere, qui ea proferebant: quàm eorum, de quibus diceretur. Quotquot ab amicis circumvenirentur, non vituperabat, qui autem ab hoſtibus deciperentur, eos maximopere reprehendebat. Diffidentes fallere, ſapientis eſſe: credentes, nefarium putabat. Si abiis laudaretur, qui vellent etiam vituperare, quæ diſpliceret, gaudebat; neque cuiquam illorum, qui libertate in dicendo uterentur, infeſtus erat: ab iis tamquam ab inſidiis, ſibi cavens, qui mentem ſuam aſtute celarent. Delatores majori proſequebatur odio, quàm fures: quod majus eſſe detrimentum duceret amicis, quam rebus ſuis ſpoliari. *cap. 51. Vitæ ejus.*

Xenophon: Præterea Socratem aliquando de amicis etiam id diſſerentem audivi, de quo mihi quidem videretur aliquis utilitatem maximam ad conciliationem & uſum amicorum percepturus. Nam audire ſe dicebat ex multis, eſſe quiddam inter omnia bona præſtantiſſimum, amicum certum ac bonum. Videre tamen, complures cujuſvis rei cura potius adfici, quam ut amicos ſibi pararent. Etenim cernere ſe quoſdam, qui & domos, & prædia, & mancipia, & rem pecuariam, & ſuppellectilem ſtudioſe comparent, adquiſitaq; conſervare nitantur: at complures amicum, quem bonum maximum eſſe perhibeant, neque ut ſibi parent, ſolicitos eſſe: neque ut quantū poſſint, eum ſibi conſervent. Quinetiam videre ſe ajebat nonnullos, ſi amicos & ſervos ſimul adverſa valetudine laborare cernant, ad ſervos quidem adducere medicos, aliaque valetudini conducentia ſtudioſe parare, quum interim amicos negligant. Itidem utriſque morientibus, ſervorum eos obitum graviter ac moleſte ferre, magniq; detrimenti loco ducere: in amicis nullum ſe damnum feciſſe, putare. Nec in reliquis facultatibus quidquam non curatum, vel inexploratum relinquere: quum amicos, egētes ipſorum curā, negligant. Præterea videre ſe commemorabat, pleroſque facultatum ſuarum, tametſi admodum multas habeant, numerum ſcire: ſed tantum abeſſe, ut amicorum, quos paucos habeant, numerum norint: ut etiam quum ſciſcitantibus aliis indicare conantur, quos inter amicos referāt, rurſus aliquos ex numeratis revocēt. Tantum ſcilicet eis amicos eſſe curæ. Atqui cum quanam poſſeſſione ac bono amicus egregius comparatus, non manifeſto ſit melior? Nam qui equus, quodvē jumentorum par, adeo fuerit utile, ac bonus amicus? quodnam mancipium adeò benevolum fuerit, recumq; manendi ſtudioſius? quænam alia res ſic omni ex parte ſit vtilis? Etenim amicus bonus ſeipſum ſubſtituit, ad quidvis, quod amicis deeſt; ſive ad conſtituendas res privatas, ſeu munera publica. Idem ſive quis adficiendus eſt beneficio, vires amico ſufficit: ſeu quis metus perturbet, fert opem, partim ſumtus impertiendo, partim operas mutuas tradendo, partim unà perſuadēdo, partim cogendo. Idem utentibus fortunā proſpera lætitiā adfert, & adverſis rebus laborantes plurimum erigit. Quæcumque verò vel manus cuiq; ſumminiſtrāt, vel proſpiciunt oculi, vel aures antè percipiunt, vel perficiunt pedes: in eorum nullo amici beneficii eſt inferior opera. Sæpe quæ quis à ſeipſo non elaboravit, non vidit, non audivit, non perficit: in iis amici ad amicos ſufficere potuit opera. Arbores nonnulli ſtudent excolere fructus cauſa, quū fertiliſſimū illud prædium, quod amicum vocamus, ſegniter remiſſeq; plurimi curent. Audivi aliquando etiam aliud eius colloquium, quod mihi videbatur auditorem excitare, ut ſeipſum exploret, quanto amicis uſui eſſe poſſit. Nam quum vidiſſet quemdam ex familiaribus ſuis amicum, qui egeſtate premeretur, negligere: interrogabat Antiſthenem in illius præſentia, qui amicum negligebat, aliorumq; multorū: Suntne, inquiens, amicorum quædam, mi Antiſtenes, perinde ac ſervorum æſtimationes? Nam ex ſervis hic duab. minis æſtimatur, ille vix mina dimidia: alius minis quinque, alius etiam decē. Quin etiā Nicias, Nicerati filius, emiſſe talento dicitur eum qui argentifodinis præeſſet. Itaque conſideremus, an perinde ſervorum, ſic & amicorum ſint æſtimationes. Sunt profecto, inquit, Antiſthenes. Nam equidem velim hunc potius amicum mihi eſſe, quam duas habere minas; illū ne dimidiæ quidem minæ præferrem; alium potius quam decem minas eligerem; alium cunctis facultatibus ac laboribus, ut mihi amicus eſſet, redimerem.

Ergo, ſubjecit Socrates, ſiquidem hæc ita ſe habent, rectè facturū aliquem arbitror, ſi ſeipſum explorer, quanti amicis æſtimandus ſim; atque operam det, ut quanti vis ſit pretij, quò minus amici eum deſerant. Nam equidem ſæpe audio dicentem aliquem, ab homine amico ſe eſſe deſertum; alium, quòd is, quem amicum eſſe arbitratus ſit, vel unā ſibi minam præferret. Hęc omnia conſidero, num quemadmodum ubi quis ſervum vitioſum vendit, alteriq; addicit eō pretiō, quod reperire potuit: ita etiam nullius amicum momenti quum pretij plurimum accipi poteſt, vendi expediat. At neque ſervos bonos magnopere vendi video, neq; bonos amicos relinqui.

Viſus eſt etiam mihi Socrates ad explorandos amicos, quales ſcilicet parari debeant, ſuos cordatos reddere, quum hujuſmodi quædam proferret. Dic mihi, mi Critobule, ſi amico nobis bono ſit opus, quo pacto conſiderare rem conabimur? Num primò quærendus erit, qui imperet gulæ, potus cupiditati, laſciviæ, ſomno, ignaviæ? Nam qui ab his vincitur, is neque ipſe ſibi, neq; amico poſſit præſtare, quod ex uſu ſit. Non poſſit profecto, inquit Critobulus. Ergo tibi videtur abſtinendum ab eo, qui rebus hiſce ſerviat? Omnino, inquit. Quid verò? ait, qui ſumptuoſus quum ſit, ſatiari non poteſt, ſed ſemper rebus vicinorum eget, eaſq; capiens reddere non poteſt, vel non impetrans odio non dantem proſequitur; non tibi videtur hic quoq; gravis amicus eſſe? Omnino, inquit. Igitur ab hoc etiam abſtinendum? Abſtinendum ſci icet, inquit. Quid autem, ſi quis rem facere poteſt, multaſq; pecunias concupiſcit, ac propterea difficilē ſe in pactis præbet, & accipiendo delectatur, recuſans quod accepit reddere? Videtur is mihi, ait, etiam improbior eſſe illo altero. Quid autem, ſi quis ob rei faciundæ cupiditatem nulli alij rei vacet, quàm unde lucrum poſſit capere? Ab hoc quoque, mea quidem ſententia, eſt abſtinendum. Nam inutilis ei fuerit, qui uti eo velit. Quid verò, ſi quis homo ſit ſeditioſus, ac multos amicis hoſtes velit excitare? Fugiendus & ille profectò. At ſi quis horum quidem vitiorum expers ſit, beneficiis autem ſe adfici patiatur, nulla viciſſim benefaciendi ratione habita? Inutilis & ille fuerit.

Sed dicito tandem, mi Socrates, qualem ut amicum nobis adjungamus, opera danda eſt? Eum arbitror, qui diverſa ab his ratione, ſit iis in voluptatibus continens, quæ corpore percipiuntur, juramentum ſervet, in pactis ſe non difficilem exhibeat, ſumma contentione conetur efficere, ne illis, à quibus beneficium accepit, viciſſim benefaciendo ſit inferior: ita ut conſuetudine ſua utentibus uſui ſit.

At quo pacto hæc explorare, mi Socrates, poſſimus prius, quàm eis utamur? Statuarios, inquit, ſic exploramus, ut non ex ipſorum verbis conjecturam faciamus, ſed quem prius ſtatuas egregiè feciſſe cernimus, ei fidem habemus, quod etiam rectè cæteras ſit elaboraturus. Ergo tu, inquit, Critobulus, dicis etiam hominem, qui ſe prioribus amicis beneficum declaraverit, plane poſterioribus quoq; benefacturum. Nimirum, ait, quemcumque prioribus equis rectè uſum video, eum arbitror etiam aliis bene uſurum?

Sint hæc, ait. At quo pacto is nobis adjungendus eſt, qui amicitia nobis dignus eſſe videatur? Primum, ait, res divinæ conſiderandæ ſunt: num dii nobis conſulant, ut eum amicum faciamus. Quid igitur? poteſne dicere, quo pacto eum, qui nobis adjungendus videatur, etiam diis haud adverſantibus, venari debeamus? Profecto, ait, non inſiſtendo veſtigiis ejus, quemadmodum leporem venamur: neque fraude, quemadmodum aves: neque vi, quemadmodum hoſtes. Nam invitum amicum capere, per eſt difficile, neque minus difficile, vinctum retinere, tanquam ſervum. Potius enim hoſtes, quam amici fiunt, ſi hæc illis accidant. At quo pacto amici? Sunt, ait, carmina quædam, quæ qui tenent, incantando quos volunt amicos ſibi poſſunt facere. Itidem fertur quaſdam amoris illecebras eſſe, quarū periti ad quoſcumq; tandē eis utantur, ab illis diligūtur. Unde igitur has percipiamus? ait. Homerum narrantē audiſti, quib. verbis Ulyſſem Sirenes incantarint; quorum hujuſmodi quoddā eſt principium.

Huc ades, ô celebris Grajorum gloria Vlyſſes.

Hac igitur incantatione, mi Socrates, quum ad alios etiam homines utebantur Sirenes, nū detinebant eos, ne excantati ab eis diſcederent? Nequaquā, ſed his incantationibus ad illos utebantur, qui ob virtutē gloriæ cupidi erant. Prope dicis ejuſmodi verbis unumquemq; incantandum eſſe, quæ ſi audiat, à laudante non irridēdi cauſa proferri exiſtimet. Nam ita quidem magis hoſtili eſſet animo, homineſq; tales abs ſe repelleret, ſi quis non ignorantem, ſe parvum ac turpem, & imbecillum eſſe, prædicaret ut pulchrum, ut magnum, ut robuſtum. Num & alias quaſdam incantationes noſti? Non, ſed Periclem accepi, multarum peritum fuiſſe, quib. hanc urbē incantando effecerit, ut ipſum diligeret. At quo pacto Themiſtocles ad amorē ſui civitatē hāc pellexit? Profecto nō incantando, ſed bono quodā cives adficiendo. Videris mihi dicere, mi Socrates, neceſſarium eſſe, ut ſi quidē bonum amicum paraturi ſimus, nos ipſi primū tam in dicēdo quam agendo boni efficiamur. An tu exiſtimabas, ait Socrates, fieri poſſe, ut pravus quiſpiam bonos amicos pararet? Videbā enim, ſubjecit Critobulus, etiam oratores viles egregiis concionatoribus amicos eſſe, & non ſatis ad imperatorium munus idoneos viris ejuſdē muneris peritiſſimis eſſe familiares. Num igitur, inquit, hac etiā in parte, de qua diſſerimus, noſti quoſdā, qui quū inutiles ipſi ſint, vires utiles ſibi efficere amicos poſſint? Minimè verò, inquit. At ſi fieri non poteſt, ut vir improbus honeſtos & egregios amicos paret; hoc mihi dicas velim, an facile ſit eū, qui vir ipſe bonus ſit & honeſtus, honeſtis & egregiis hominib. amicū fieri? Nū te, mi Critobule, perturbat, quod ſæpe numero vides homines præclaras res gerentes, & abſtinētes à turpibus, nō amicos eſſe, ſed inter ſe diſſidere, & indignius ſeſe tractare, quam homines nullius pretij faciant? Non modo, ſubjecit Critobulus, privati homines hoc faciunt; ſed etiā illæ urbes, quæ honeſti ſtudioſæ ſunt turpiaq; minimè admittūt, ſepè hoſtiliter erga ſe invicē ſunt adfectę. Quę quū ipſe mecū reputo, vehemēter de adquirendis amicis deſpero. Quippe nec improbos inter ſe amicos eſſe poſſe video. Nam quo pacto vel inter ingratos, vel inertes, vel avaros, vel infidos, vel intēperātes amicitia cōciliari poſſit? Quæ me cauſa movet, ut improbos omnes potius à natura inter ſe hoſtes eſſe, quam amicos, exiſtimem. Jam verò, uti tu quidem ais, ne bonis quidem in amicitia pravi con-

gruere

gruere possunt. Nam quo pacto illi, qui improbè agunt, amici possint esse iis, qui ejusmodi facinora oderunt? Quod si etiam illi, qui virtutem studiosè colunt, inter se per seditiones in civitatib. de principatu contendunt, & præ invidia se ipsos oderunt: quinam deinceps inter se amici erunt, & quos inter homines benevolentia fidesque reperietur:

Enimvero, subjecit Socrates, variè se res habet, mi Critobule. Nam homines à natura partim ad amicitiam comparati sunt, quandoquidem opera mutua indigent, ac invicem miserentur, seque juvando aliis alij prosunt, idque quum intellexere, gratiam sibi invicè habent: partim ad inimicitias propendent. Nam quum eadem bona & jucunda putent, de iis inter se digladiantur, dijunctisque animorum sententiis invicem sibi adversantur. Præterea tum contentio, tum ira, res quædam hostiles sunt; itemque plus habendi cupiditas, infestum quiddam est: & odio dignum, invidia. Nihilominus amicitia per hæc omnia penetrans, honestos egregiosque viros copulat. Nam propter virtutem malunt absque molesti a facultates mediocres possidere, quam rixando potestatem in omnia sibi adquirere, simulq; possunt esurientes ac sitientes sine animi fastidio cibi ac potus participes fieri, ac tametsi formosis amoribus delectentur, coercere se tamen possunt, ne offendant eos, quos offendi non convenit. Etiam à pecuniis abstinendo, quo minus alienis inhient, non solum legitimè sibi debitis esse contenti possunt: sed etiam sibi invicem largiri. Præterea possunt simultatem non modo sine molestia, sed etiam ex utilitate mutua moderari; ac prohibere, quo minus ad hoc ira progrediatur, cujus ipsos deinde pœniteat. Invidiam prorsus tollunt, partim bona propria amicis mancipando, partim amicorum bona pro suis ducendo. Qui ergo non consentaneum sit, viros honestos & egregios non solum sine damno, sed etiam mutua cum utilitate honorum civilium participes fieri?

Nam qui honores in civitatibus ac magistratus ambiunt idcirco, ut potestatem habeant pecuniam publicam peculandi, vi homines opprimendi, fruendi voluptatibus: illi vero injusti sint, ac improbi, necesse est; neque fieri potest, ut cum alio conjungantur. At si quis velit honoribus in republica frui, ut tum ipse non adficiatur injuria, tum justis in rebus opem amicis ferre possit, simulque princeps ipse aliquo bono patriam adficere conetur; quamobrem talis homo conjungi cum alio, qui sit & ipse talis, amicitia non possit? Num amicis esse usui unà cum honestis & egregiis viris minus possit, vel ad bene de republica merendum minus facultatis habebit, si honestos & egregios in eo studio socios habeat? Quinetiam gymnicis in certaminibus patet, si liceat præstantissimis adversus deteriores conjunctis viribus pergere, futurum, ut ipsi cunctis in certaminibus victores evadant, omniaque præmia consequantur. Quanto igitur hoc istic fieri non permittitur, at in negotiis civilibus, ubi homines honesti & egregii præcipuas partes obtinent, quum nemo impediat, quo minus quis beneficio rempublicam, cum quo ipse velit, adficiat: qui non ex usu sit, ut optimis quibusque amicis comparatis rempublicam aliquis administret, atque iis potius sociis & adjutoribus gerendarum rerum, quàm adversariis utatur? Enimvero patet hoc etiam, si bellum aliquis adversus alium gerere velit, ei sociis opus esse, illisque pluribus, si strenuis ac fortibus se opponat. Atqui beneficiis adficiendi sunt, si quos opitulari nobis volumus, ut sint animis alacres. Multo autem melius est, optimos quosque, tametsi pauciores sint, beneficiis adficere; quàm deteriores, quorum major sit numerus. Nam improbi multo pluribus benefactoribus, quàm probi egent.

Tu vero, mi Critobule, fidenti animo bonus esse enitere, atque ubi talis factus fueris, honestos & egregios amicos venari coneris. Ac fortassis etiam ipse nonnihil tibi conferre ad hanc virorum honestorum egregiorumque venationem possim propterea, quod ad amorem benevolentiamque propensus sim. Nam quoscumque homines amem, totus ardenter in hoc feror, ut eos diligens, vicissim diligar, & desiderans, vicissim desiderer; & conversationis cupidus, vicissim expetar. Quibus & tibi opus fore video, si quando cum quibusdam amicitiam inire cupies. Itaque ne me cæles, quibus esse amicus velis. Nam quum placere studeam illi, qui mihi placet; minimè venandi homines imperitum esse me arbitror. Atqui, subjecit Critobulus, harum artium ego, mihi Socrates, jamdudum cupidus sum: præsertim si eadem mihi scientia suffecerit ad eos, qui animi bonitate præstant, & qui corporis elegantia excellunt. Tum Socrates: At vero, mi Critobule, inquit, non hoc scientia mea continetur, ut manus injiciens, forma præstantes aliquis remoretur. Sum enim persuasus, homines ea de causa Scyllam fugisse, quod manus eis admoverer. Sirenes vero, quia nemini manus injicerent, sed longo ex intervallo homines incantarent, universos ajunt remoratas esse, qui quidem audiendo demulcerentur. Et Critobulus: Doce vero me, inquit, si quid habes, quod ad conciliandos amicos conferat. Non enim cuiquam manus injiciam. Ac ne eos quidem, ait Socrates, ori admovebis? Bono animo es, inquit, Critobulus. Nec enim os ulli admovebo, nisi forma præstet. Tu vero mox, air, mi Critobule, contrarium ei, quod expediat, dixisti. Nam qui pulchri sunt, nihil ejusmodi morantur; at qui deformes, lubèter admittunt: quod existiment, propter animum se formosos adpellari.

Ad ea Critobulus: Age animo alacri me doceto, inquit, artem venandi amicos: quandoquidem pulchros osculaturus, honestos exosculaturus sum. Et Socrates: Ubi, mi Critobule, amicitiam cum aliquo, inquit, contrahere voles, an mihi permittas, ut ad ipsum defe-

ram, te admiratorem ipsius esse, atque amicitiam ejus expetere? Licet istuc dicas, vero, ait Critobulus. Quippe neminem novi, qui se laudantes oderit. At si præterea de te dixero, ait, quod præ admiratione ipsius etiam benevolentia singulari eum complectaris, num me putabis invisum te velle reddere? Atqui in meipso inquit, benevolentia quædam erga illos excitatur, quos animo in me benevolo esse suspicor. Hæc igitur, ait Socrates, mihi de te dicere licebit ad eos, quos amicos efficere voles. Quod si mihi præterea potestatem facias dicendi de te, quod amici tibi curæ sint; & quod nulla re sic delecteris atque bonis amicis: quod ob amicorum præclara facinora non minus exsultes, quam ob tua: quod ob amicorum commoda non minus gaudeas, quàm ob tua; quam in studio perficiendi, ut amici ea consequantur, non defatigeris; quod denique virtutem viro dignam esse intellexeris, beneficiis amicos, hostes lædendo vincere: nimirum arbitrabor me tibi percommodum fore socium venationis bonorum amicorum.

Quamobrem, ait Critobulus, hoc mihi commemoras, quasi non tua sit in potestate situm, ut de me, quod velis, dicas? Non profecto, subjecit Socrates, uti quidem ego de Aspasia aliquando audivi. Aiebat enim, bonas pronubas, quæ cum veritate de aliis bona commemorent, plurimum ad conciliandam inter homines affinitatem valere: quæ vero mentirentur, eas laudando nihil proficere. Fieri enim, ut qui decepti sunt, se oderint mutuo, atque etiam conciliatrices ipsas. Quæ quum ita esse persuasus sim, recte facturum me arbitror, si nihil mihi licere de te dicere laudandi causa statuam, quod non verè proferri possit. Nimirum tu, mi Socrates, ait Critobulus, talis amicus es mihi, ut me sis adjuturus, si ad parandos amicos aliquo modo aptus fuero: sin autem, nihil utilitatis meæ causa facturus dicturus. Utrum autem, inquit Socrates, magis commodis tuis servire tibi videor, si falsis te ornem laudibus, an si persuadeam, ut vir bonus esse studeas? Quod si necdum perspicis, ex his quæ dicam, considera. Nam si tibi cum naviculatore volens amicitiam conciliare, falso te laudem, bonumque gubernatorem esse dicam, atque ille persuasus à me, navem imperito tibi gubernandam committat, aliudne quidquam sperare possis, quam te tum navem, tum teipsum exitio daturum? Vel si tua causa civitati publice persuasero mentiens ut se tibi, tamquam viro artis imperatoriæ, judiciorum, rerumque civilium perito committat: quid putas & tibi, & per te, civitati eventurum? vel si privatim civibus nonnullis persuadeam, idque mentiendo, ut tibi res suas credant, nimirum homini administrandæ rei familiaris perito, atque industrio: an non, ubi periculum illi de te fecerint, damnosum te aliis esse, prætereaque ridiculum declarabis? Nimirum via maxime compendiaria, tutissima, & rectissima est, mi Critobule, ut in quo bonus esse videri velis, operam des, ut bonus sis. Quæcumque autem in vita mortalium virtutes adpellantur, eas omnes si consideres, doctrina & studio posse augeri animadvertes. Atque has, mi Critobule, venandas nobis esse arbitror. Tu si aliter judicas, velim me doceas. Et Critobulus: Me vero pudeat, inquit, his contradicere, mi Socrates. Nec enim honesta, nec vera dicerem. *cap. 10. & seqq. lib. 2. Memorabilium.*

Phalaris Aglao: Omnem divitiarum opulentiam, qua nos Deus opt. maximus auxerat, elocavimus ad fortunæ commutationes, non in terræ penetralibus, ut tu monere solebas, sed in amicos, quicunq; munera voluissent accipere. Tu verò ne tantum quidem temetipsum nobis impertis, ut quod ad vos amicos attinet, cum imperio exuti spoliatiq; fuerimus, spem aliquam in extremo casu retineamus. Verum quamvis antè noluisti, at nunc accepto quasi pignore in tuam fidem depositi, fac quod officium amorq; amice postulat. Nullam enim terræ plagam judicare tutam poterimus si vos omnium amicorum optimi, quasi pulvere infideliores præteriti à nobis eritis. Quibus fœlicem cursum tenentibus etiamsi ego in aliam fortunam delapsus fuero: tamen lætus nihilo minus prosperè fortunateque me agere arbitrabor. *Epist. 10.*

Phalaris Aphilanti & Thrasibulo: Vos quidem, pecunias, quas mutuo acceptatis, Teucro reddidisse confirmatis: at ille se recepisse negat. Non autem Hercules possum aut nobis diffidere, aut illi fidē non habere. Nam ille postulat ut signum aliquod ad confirmandam solutionem proferatis. Vos contra tamq; amico credidisse ei dicitis. Quamobrem anceps animi, ne alterutrius vestrum sermoni diffidere videar, quasi redditæ sint ita fingo. Quod utinam in perpetuum veritas ignoretur. neq; impostor malus, uter, tandem ille sit, in nobis inveniatur. Commodum enim censeo, multarum pecuniarum. potiùs quàm amicorum jacturam facere. Hoc autem necessum est illustrata patefactaq; veritate, qui fecerunt injuriam, & mendacium dixerint, pro amicis, inimici reddantur. *Epist. 64.*

Phalaris Lacrito: Non fuisse pro tali spe, periculum suscipiendū, adeo formidantibus, non equidem optassem, celeriorum eventuum in te experientia probare: siquidem nostrum metum tua superavit fortitudo. Bono igitur omine es usus cætera similiter ex animi tui sententia eventura. Neque vero te remoro reliquam spem illam habemus. Sed & his curis omne stat negotium & donec ad nos incolumnis revertaris, à tuis responsionibus dependemus. Quæ igitur amandantes te diximus, hæc eadem nunc de absente loquimur, præ regione regnoque nos Lacritum cupere ac desiderare, quem pro infinitis locis, & urbibus, & regnis, & ipsa sic me dii ament, anima, nobis esse existimamus. *Epist. 125.*

Idem, Eidem. Et tui promissi Lacrite memor esto, & solitudo Phalaridis tibi curæ sit. Non enim ignoras, in quanta amicorum inopia

rchin-

relinquar. Tanto autem cum timore scribo, non quòd vulgi potentiam ego perhorrescam, sunt enim nobis multò inferiores aut quòd sociorum imbecillitas me sollicitum habeat. Omnibus enim rebus hostibus antecello: sed tuam in pugnis promptitudinem, ne jam de industria commutes: noliſque peritus rei militaris, haberi, nisi rebus omnibus uno tempore gerendis præsens interfis. At memineris, nos tibi, temetipsum quasi depositum tradere cùm hinc abires, quod nobis integrum salvumq; restituturum pollicebaris. Et nunc id suppliciter obsecramus, non ut tuo ingenio naturaq; facias aliquid indignum. Id enim fieri non potest: sed ut in multis aliis certaminibus, laboriosum pugnatorem te possis ostendere. Jam verò etiamsi te ipso mollior & timidior sis: tamen in alijs te nobis iterum absolutum perfectumque præstabis. *Epist.* 126.

Phalaris Philodemo: Magna te dementia teneri Philodeme judico, si tot vota tórque sacrificia pro te, ut domum redires à nobis susceptа existimas: de quinq; talentis quidem ut hæc nobis integra servarentur, quæ tu nihil abs te commodi sperantes tradidissemus, & non potiùs tua ipsius in nos familiaritate. Id autem per Deos cum nulla copia debet comparari. Quod si vis omnino, à te ut dotata puella videatur, possunt quidem nihilominus & hæc ex tuis fieri. Sin ita non placet: illis quinque talentis, à te ipso totidem adnumerato, dotemque decem talentorum efficito: ut si sic placitum est: altera pars Phalaridis liberalitati: altera verò Philodemi opulentiæ referatur accepta. Ex testificatione verò Theanus, apud te magnorum multorumq; meorum benefactorum, voluptatem capio non vulgarem. Quæ enim in puellam adhuc merita contulimus de his mater facta etiamnum testimonium perhibet. *Epist.* 131.

Brutus Cœs: Rhodus quidem jam à Cassio subacta est, civitas petulantius robur suum experta, quàm fortius. Lycia verò nobis universa subdita est: partim bellis defatigata, partim necessitate compulsa, vimque nulla passa. Volentes enim fecerunt quæ non multò post nolentibus etiam agenda fuissent. Quare vos quoque constituite, utrum bello coacti servitutem recipiatis aut ultro nos recipientes, amicitiam pactumque nobiscum statuatis *Epist.* 13.

Coi Bruto: Neque Rhodiorum captivitas terrorem nobis feciſſet, si non tuis partibus faveremus, neque Lyciorum prosperitas cum assentatione nos persuasisset, Spes enim & metus, in amicis alicujus sunt momenti. in hostibus verò contemnenda. At nos qui longis retro temporibus tibi adhæsimus, unum dolemus, si videamur aut minis aut pollicitationibus digni habiti. Nos igitur potiùs exemplum amicitiæ aliis propone, quàm ad nos conciliandos, alios assume. *Epist.* 14.

Apollonius Seleucienſibus: Strato quidem, quicquid ei mortale fuit reliquens in terra decessit ex hominibus. Operæ precium est igitur, ut nos qui punimur adhuc, nomine quidem hîc vivimus, curam aliquam de negotiis ac rebus illius suscipiamus. Aliis igitur alia cura merito jureque delegatur, nunc aut etiam postea: partim ut familiaribus, partim ut amicis tantum hominibus, qui non alio tempore cognosci poterunt, fuerit ne verùm ejusmodi nomen etjam antea. Ego verò, cùm sic quoque præ cæteris vester esse velim, filium è Seleucide natum illi Alexandrum, meæ disciplinæ participem faciam. Omnino verò pecunias etiam largior: qui ampliora do, quàm possidere propemodum fas sit. *Epist.* 13.

Epictetus: Quid sunt amici? statuæ aureæ sunt: Quid est amicus? Pomo citreo similis, foris beatus. nam intra pectus acidum occultat malo. *altercatione cum Aug. Hadr.*

Simplicius: Si servi quoq; fideles & verecundi, artificiosis & operosis præstant, pluriſque fiunt à dominis; quanto magis tales amici plures erunt cordatis hominibus, quàm ij qui nummulas donant? nam & ad jucundam vitæ consuetudinem, & ad consilium dandum, & ad tuendas res carissimas ac pretiosissimas, & in periculis, & morbis, & post obitum fideles amicos utiliores esse constat, nulla in re à familiaribus & amicis discrepantes. *ad cap.* 31. *Epicteti.*

Simplicius: In amicitia delectus quidem agendus est, morum similitudine considerata. Dissimilia enim non facile in amicitiam coalescunt, quamvis utraque bona esse videantur. Mores enim frigidiores & stabiliores non conveniunt cum agilioribus & fervidioribus. Deinde videndum, quemadmodum veteres suos amicos tractaritis, cujus amicitiam experimus. Tertium est, ac potius & primum & medium & ultimum, utrum brutis cupiditatibus pareat, an utrumque in eo ratio dominetur. Hinc consequens est, ut appetitiones spectentur, utrum hæ ad res honestas & probatas bonis ferantur, an vero ad jucundas & fœdas, & hominum vulgo placitas: prætereaq; num moderatæ tractabilesq; sint appetitiones & declinationes, rectæque rationi facilè pareant, an vehementes & effrenes, & ad id quod ipsis placet arripiendum semper incitatæ? Tales enim omnia suo arbitratu cogentes, non sunt idoneæ ad amicitiæ conjunctionem.

Atque ea etiam ingenia, quæ summum bonum in rebus externis collocant, ut in opibus, aut corporibus aut civili auctoritate & gloria, ne ipsa quidem apta sunt ad amicitiam. Nam cum hæc dividi possint, qui ea vehementius appetit, plus capit, & minus relinquit utique, ut amicus paria non obtineat. Ac in pecunia & corporibus id quidem clarum est. Sed & gloriosæ captator unus scilicet, vult florere gloria. Animi vero bona, quæ indivisa ii habent penes quos sunt, ut virtutes, ut scientiæ, si alter eorum sit particeps, in altero adeo non minuuntur, ut augeantur etjam. Simul enim excitantur & inflammantur hæc in animis eruditorum & bonorum virorum, & aliis communicata multiplicantur, & velut silicis & calybis attritu lux una veritatis & honestæ vitę inde emicat. Præterea amici in verum bonum intenti, & ad rectæ rationis normam res suas dirigentes, una regula utuntur dijudicandæ utilitatis. Nam utriusque & bonum commune est, & una recta ratio. Cum autem in amicorum animis regula sit communis, quæ utilia & noxia dijudicet, itemque jucunda & molesta: conjungi eos inter sese est necesse, omnemque dissensionem & tumultum tolli è medio. Sin una communi regula rectæ rationis non usi ambo fuerint, divelli eos est necesse. Ac delectus quidem amicorum est talis, Tractatio autem & conservatio, uno verbo ut dicam, id quod rectum est, tenebit. Sic igitur utendum est amicis, ut eos uti nobis volumus. Ac beneficia quæ à nobis in illos proficiscuntur, extenuanda sunt cogitatione nostra: contraque amplificanda quæ in nos illi contulerint. In delictis autem contrarium faciendum est: illorumque extenuanda sunt, nostra exaggeranda & improbanda.

Primum vero nihil existimandum est, quin idem nostris etiam amicis magis conveniat: & principatu libenter illis est cedendum, quasi nobis ipsis cederemus. Siquidem amicus, veteri proverbio, alter ipse est. Quia vero fieri non potest quin homines aliquando delinquamus, & alij alios offendamus: amicitiæ institutum totis viribus est tuendum. delictumque leniter castigandum, ut vere aureo illi præcepto pareatur, Crimen ob exiguum tibi ne fiat hostis amicus, Quod liceat: & reditus in gratiam firmus & fidelis tam verbis quàm re ipsa declarandus, ne peccati conscientia ei qui peccavit, de reliquo suspectam faciat amicitiam, non credendi eum qui offensus sit, eandem retinere voluntatem. Illud vero perspicuum est non amico tantum, sed & ejus necessariis benevolentiam & officia præstanda esse, ut eorum conjunctio nobiscum non minor quam cùm illis ducatur: nec absens minus, ac potius magis est curandus quam præsens, quod mihi de meo quodam amico constat. Ut autem paucis complectar, si verus delectus agatur, & quasi fundamenta amicitiæ rite jaciantur, jam ipse ille cordatus amor eam ad covenientem usum perducit, & amicitiæ officia facile perdocet. Ultro enim amicus sic amicum tractans, ut sepsum, omni fungetur officio. *ad cap.* 37. *Epicteti.*

Simplicius: Quantum in amicitia insit boni, prolixam desideraret commemorationem, sed tamen dicam quæ in mentem veniunt. ac primum, uterque amicus duos habebit animos, totidemq; corpora: nec dubium, quin externa etiam quæ dicuntur bona communia. Quod si plures tales amici fuerint, unusquisque multis augetur & animis & corporibus & fortunis. Igitur & in rerum naturæ inquisitione magna lux veritatis ita conjunctis animis illucescit: & in virtutis usu, si ea quæ in singulis excellunt, in commune conferantur & usurpentur, una quædam integra & perfecta virtus cum publicè omnibus, tum separatim singulis facile contingit, quæ & à numine illustretur ob perfectionem. Accedunt tuta consilia dubiis temporibus, & actiones constantes, prudentiâ simul & potentiâ corroboratæ. Jam peregrè profectus amicus suis per amicum adest, bonoque animo est: non tantum vivens, sed & moriens, quasi unà cum iis ætatem degeret. Quanta vero in hac re suavitas inest? Quid enim jucundius amici conspectu, sermone, actionibus? Fides vero atque fiducia nec ob cognationem tanta esse potest, nec ob principatum, nec ob pecuniæ magnitudinem, quanta propter synceros amicos. Alexander certè interrogatus ut thesauros suos haberet, amicos suos demonstravit. Est & pædagogus optimus, amicus. Nam à nemine quisquã ob delictum minore cum offensa quam ab amico arguitur: neq; veremur quemquam sic, neglecto officio aliquo, ut amicum. Res lætas & secundas auget amici præsentia, curas & solicitudines nemo æque levat & consolatur: tutaque est ad optimam hominum tractationem exercitatio. Nam & princeps locus amico libenter conceditur, & ejus delictis facile ignoscitur, & quæ sentias citra fucum & vere amico dixeris. Pro acceptis autem beneficiis & benevolentia gratiam alacriter animo referre studeas: nec humanitas & erga quempiam pari liberalitate & benignitate, atque adversus amicum declaratur: nec periculi socius æque promtus, vel cum periculo capitis, atque amicus reperietur. Quod si exercitum ex amicis conscribere liceret: multo pauciores, facile plures hostes profligarent.

Si quis ergo se erga amicos hisce rebus solerter exercuerit, & ob amicitiæ caritatem citra molestiam consuefecerit: facile cum tempus postularit, iisdem adversus alios etiam homines utetur, eadem officij ratione servata. Est & illud animadversione dignum, amicitiam naturalibus etiam affectionibus conferre desiderium, caritatem, & præstandi officii alacritatem. Nam & fratres, & liberi, & maritus & uxor, nisi amici inter sese fuerint, quamvis Epicteto obtemperantes, naturali affectioni tribuerint quod decet, tamen id nec alacriter, nec hilariter, nec ultrò denique, sed veluti coacti facient, tamquam necessarium aliquod & urgens munus obituri: non autem singulari studio incitati, nec eas res ut præcipua bona amplexi: sed ideo aggressi, ne officio suo defuisse videantur. Cur autem amicitiæ affectio tantam vim habeat, illud in causa est, quod consilio & voluntate suscepta est. Nam quæ à voluntate non pendent, ea naturali sunt affectione devincta. Voluntaria vero arctiore vinculo sunt astricta, quod rationis & voluntatis facultas, animæ natura superior est: & uni, omnia ad unum redigenti, propinquior. Etsi autem ea quoque magna & admirabilia bona sunt amicitiæ quæ exposuimus: pleraque tamen humana sunt. Quod vero in ea maximum est, maximéque divinum, ignoratur: quod sincera amici-

ua

tia mentes amicorum in unum contrahens, meditatio pulcherrima est divinæ conjunctionis. Neque enim fieri potest, ut ad geniorum & Dei conjunctionem perveniatur, nisi ea quæ est inter cognatos animos antecesserit. Rectè igitur Pythagorei præ aliis virtutibus amicitiam coluerunt, eamque vinculum omnium virtutum esse pronunciarunt. Nam si una quævis abfuerit virtus adesse recusat amicitia. Quis enim injustus, aut intemperans aut timidius, ac magis etiam væcors, boni quod est in amicitia capax esse queat? Debet igitur qui amicus esse vult, semetipsum repurgare, quantum fieri potest, à brutis affectibus, ac tum sui simile quærere: idque inventum amplecti, quasi dimidio animæ sue alterave corporis sui parte reperta, secundum fabulam Aristophanis. Atq; hæc amicitiæ desiderio tributa sint, quam vel in paucis cernere optabile est, nostra ætate propemodum penitus è vita mortalium profligatam. *eod. cap.*

Aristides Rhetor: In hac porrò civitate, Smyrna scilicet, fola veteris dicti falsitas est deprehensa, quo ferebatur, infelicium hominum apud amicos oblivionem nasci: quippe cui etiam inter ipsas clades tantum fortuna dignitatis atque gratiæ reservaret. *palinodia de Smyrna restituta.*

Aristides Rhetor: Et ipsos Deos totumque mundum & cœlum amicitia dicunt & communione dicunt contineri; eoque fieri, ut inoffensa semper omnia procedant: invidiam autem & inimicitiam in Deorum ædibus aut moribus nec esse unquam nec gigni. *Oratione Panegyrica Cyzicena.*

Themistius: Quid causæ tandem esse putem, cur si quis apud vos de Trojanis, ac Græcis disputet, deque eorum inter se bello, aut de Xerxis ultra Hellespontum adversus Græcos expeditione suscepta, aut ipsamet denique Græcia sermonem instituat; exponat quæ, & quanta sit ex intestinis discordiis perpessa, ejusmodi vos orationes oblectent, ac delinitos teneant, eaque à liberis vestris addisci cupiatis, initio ab Achillis ita facto, quasi hæc demum ad illos informandos idonea sit, aut propterea sapientiores futuri sint, quod civitatum inter se, ac Privatorum hominum bella, atque inimicitias, subsecutasque indidem clades, ac calamitates noverint: de amicitia verò, deque ejus in humanum genus emolumentis, ac commodis nihil unquam intelligere statuêritis, ac neque discere ipsi, nec liberos vestros ad discendum incitare volueritis. Atqui lites perire ex hominum genere funditus optat ipse litium artifex Poeta: sine amicitia verò nullus est qui vitam eligat, tametsi reliquis omnibus commodis abundet. Quare qui rem istam vilem, ac parvi faciendam putat, vilem sese esse, ac parvi faciendum intelligat. Qui verò facilem, ac proclivem arbitratur. Theognidem audiat:

Paucos invenies, Polypæde hoc tempore amicos,
Rebus in adversis qui coluere fidem.
Oratione tertia, quæ est de Amicitia.

Themistius: Est itaque equorum studioso experenda imprimis illius artis cognitio, qua bonos equos à deterioribus possit dignoscere; Nec minus auri cupido utile est lapidem eum comparare, quo probari aurum potest: Quin etiam meliores ille boves emet, qui Boum virtutem, bonitatemque perspexerit, idemque in navigio navigandi peritus, & in canibus venator efficiet. Ego verò cæteris quidem in rebus rudis sum, atque imperitus, nec eas, aut multum cupiam, aut sciam ipse discernere: sed unius cumprimis possessionis amore teneor, veræ nimirum, ac synceræ amicitiæ; quam quidem multo mihi magis contingere velim, quàm aut Nisæum equum, aut Celticum canem, aut Darij regis aurum aut Cretensam taurum, aut Achillis denique clypeum, quem Homerus universum cœlum continere finxit, solemque ac lunam, & è regione solis, mare, atque terram, aranteisque insuper & uxores ducentes, litigantes, ac bellum inter se gerentes. Verùm adeo erat illa amicitia vilior possessio, ut in Achille nihilo magis conceptus ille de Patrocli nece mœror conquieisset, tum ad eum mater clypeum attulit quinetiam alterum ejusmodi clypeum dedit ne amicus ejus tristaretur, & rursum alterum ejusmodi comparavit, ne amicus esset inhonoratior. Jam verò qui formosam aliquam mulierem amarent, plerique amorem suum sanguine diremerunt, de honoribus item perpetuas in se invicem contentiones, atque pugnas ambitiosi suscipiunt, de divitiis verò adeò ab omnibus exoptatis quid attinet dicere, quæ & quanta miscere inte, homines bella, atque excitare soleant?

Soli autem ij, qui amicitiæ amore tenentur de possessione invicem non pugnant, sed subinde suas in sese mutuo delitias, atque amores inveniunt. Cumque vel privato homini, qui hujus possessionis compos factus sit, plurimum & ex eo lucro felicitatis accesserit, multo tamen plus ei accesserit, cui & multis civitatibus, & ampliſſimæ regioni imperari contigerit. Cui enim audienda multa sunt, & videnda multa, multorumque simul capessenda cura est; huic, paucæ admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, unumque corpus, & unus animus. Sin amicitiæ sibi opes quæ sierit, videbit persæpe, audietque minimè etiam in propinquo posita, & longinqua varum, ac divinorum instar cognoscet, ac pluribus, quemadmodum Dij faciunt, simul interesse poterit. Quanam igitur ratione tantum boni quispiam investigare, investigatum captare, captarum obtinere tandem possit? Nonne perinde ut venatores, primum omnium nos oportet prædæ vestigio dediciſſe, signaque, atque indicia accuratè nosse, ac recognoscere, per quæ minimè imprudentes, quod ferarum indagatoribus nonnunquam accidit, pro felici illa præda, ad præruptum aliquem locum, ac præcipitem deferamur? Etenim in hac venatione multæ, ac variæ feræ, beatum amicitiam simulant, præsertimque omnium insidiosissima, quæ ab hujus temporis hominibus simulatio appellatur. Tam callidè autem, ac malitiosè imitatur, ut vel ad cubile ipsum persæpe venias, vestigiorum consideratione deceptus: Neque verò satis est ut unà cùm illa gradiatur, sed & vocem prorsus similem, & ad illecebram comparatum sermonis lenocinium exaudias. Sanè unumquodque eorum, quæ in hominum vita sunt, bonorum periculo semper aliquo tectum, atque obvolum videtur, nullumque est contrarij penitus expers, ac sincerum: Nec absurdè quidam Scenicus Poeta dixit, nullum in vita bonum esse quod.

Radice ab una, qualis arbor prodeat:
Sed semper illi, quod malum est, adnascitur.

Atque hoc est, quod multis perniciem, atque exitium affert, qui meliora à deterioribus seligere, ac separare facilè nequeant, Igitur ego juxta atque vos Homericam illam Minervam precemur, ut ab oculis densissimam caliginem removeat, quo nullo negotio, non Deum in prælio ab homine, sed veram, ac sinceram amicitiam à ficta, simulatoque discernamus. Dicendum itaque quot, & quanta judicia sint ejus, quem conciliari, atque in amorem recipi oporteat: nam & cum Minerva manum movere, Minervæ oratio præcipit.

Imprimis itaque hic quem exploramus in suorum charitatem propensus esto, & propinquorum amantissimus naturaque insitos ejusmodi stimulos habeat, qui conglutinationem animorum, ac conciliationem efficiant. Quod si me delirare quispiam in primo statim disputationis aditu dixerit, qui antè experimentum jubeam ea cognoscere, quæ non nisi experimento facto aperta esse possunt; velim is intelligat, mihi ad hoc divinatione opus fore. Nemo enim nostrum, ut poetæ dicunt.

De quercu est antiqua saxoque creatus

Sed unicuique & pater est, & mater, & frater, & fortasse consanguineus. Quare cum id scire voles, quemadmodum sese erga te amicum gesturus ille sit, vide imprimis, quomodo se erga patrem gesserit, aut matrem, aut quemadmodum erga fratrem sese gerat, aut in uxorem sit affectus. Nam si benignus sit in omnes, ac benevolus, sperare etiam in te meliora convenit, sin morosus, atque infensus sit, longe abs te fugiendus est. Qui enim domi nequam est, foris nunquam bonus esse poterit. Post hæc considerandum illud est, utrum penitus gratiæ omnis expers, ac sterilis sit. Nam quemadmodum solum aliud infructuosum, aliud ei qui semina mandaverit fideliter respondet; sic amicorum alij gratiarum minimè feraces sunt, & oblivioſi, & ad amicitiam inutiles; alij ad referendum beneficium propensionem quandam, & voluntatem præ se ferunt. Neque enim omnino opus ipsum exigendum est, sed voluntas duntaxat inquirenda, ac si tantum quantum possunt referant, intuendum est. Possunt autem laudare saltem, ac eum memori mente prosequi. Nihil est enim planè quod amicitiam, aut grata beneficii recordatione facilius adstringat, aut ingrati animi vitio dissolvat. Propterea Persicis legibus ingrati animi constituta pœna est, quod ubicunque sit, maximè odium atque inimicitiam ingeneret. Ubi verò nulla est, quæ id puniat, ibi ex eodem vitio, mutuo sese odio prosequuntur, nec litigant tamen, sed occultus simultates exercent, quin illud attendendum est, quomodo ea, quam captamus, præda ad voluptates, & multos labores sese habeat: atque utrum hos quidem magnopere detrectet, illis verò capiatur. Siquidem multos suscipere labores, & multas voluptates omittere, in susceptis pro amicitia certaminibus necesse est. Quid enim tandem causæ est, cur adeo illustris sit ac celebris Strophij filius Pylades, nisi quod cum Oreste variis ærumnis, ac calamitatibus conflictari quam domi regnare maluerit? Atque hoc insuper in eo considerandum est, sit ne invidus, an omni invidentia superior. Num tu enim censes quemquam satis in amicum benevolum unquam futurum, qui intestinum illum morbum habeat, qui proximis quibusque inferre bellum solet, ab alienis, nihilque ad se pertinentibus abstinere? Neque verò hoc, opinor, prætermittes, cum utilem & accommodatam ad amicitiam indolem à contraria discernes, ne te adhærescens ei aliqua avaritiæ labes atque illiberalitas lateat. Sunt enim animo veram ac sinceram amicitiam apprehendere cupienti sordes imprimis contraria. Quippe eos ipsos videmus, qui amici dicuntur, quemadmodum antea quidem dextras sibi invicem jungant, simul deambulent mutuaque vivendi consuetudine utantur: sed ubi paucos nummos fortuna aliqua in medium injecerit, catulorum more prosilientes, se invicem mordeant, ac dilanient. Quid ille qui mitis alioqui, & gratus, sed & ab omni avaritia invidentiaque alienus est? an si gloriæ cupidus sit, & omnibus in rebus superior esse pertinacissimè studeat, ad communionem unquam, ac societatem esse possit idoneus? Quis porrò ambitionem nescit æqualitatem amicitiæ non admodum ferre posse? Quare superbum & arrogantem hominem qui nimium æquam in omnibus libertatem, jusque suum persequitur, nunquam in amicitiam adsciscamus, sed neque concitatum ad rixam aut iracundiam. Quomodo enim ad familiaritatem idoneus est furiosus, atque amens.

Atqui ego sic statuo Iram furorem brevem esse. Jam vero post hæc diligenter intuendum erit, sitne in eorum aliquod propensus, quæ honestatis parum habeant, atque dignitatis: puta aleam, citharo edicam aut tibiam. Quicumque enim in aliquid ejusmodi

modi affectu, ac cupiditate propensus est, huic ad meliora nunquam amicitiæ validæ ac stabiles esse possunt, fluminis instar in declive corrivatæ. Num igitur hominem ita repurgatum invenire difficile est? aut etiam auro rarior virtus est, benèque cum eo agatur, cui vel unus eiusmodi ad discernendum oblatus sit? Itaque neque multas, neque infinitas amicitias colet, qui deligendi peritus extiterit. Necesse enim est ei qui in paucis tuendis constans, ac stabilis non fuerit, ut neque pluribus bene uti possit. Etenim plures homines iisdem rebus neque delectari, neque molestè ferre possunt, ac ne eadem quidem uti fortunæ conditione: sed huic quidem istud, aliud alteri jucundum est, & molestum, atque huic felicitatem, & prosperitatem aliquando concedit Deus, alteri non item. Quamobrem dicat ille nobis, qui multitudinem in amicitia consectatur, quando ex illa suorum amicorum copia iisdem rebus gaudere alios, alios dolere contigerit quibuscum afficietur? cumque hic mœrore secum afficiet illum lætari alter ac gaudere volet, ad utrum sese illorum conferet? An non necesse erit eum dum aliis defert, in eorum quorum honori detraxerit offensionem incurrere? Homeri vero dictum illud multo congruentius de amicis, quam de manubiis dici potest: sapientibus revera exiguum gratum esse.

Verum quandoquidem quæ honesta, difficilia sunt, neque aut ipsi vitio caremus, aut ij in quos inquirimus, non omnino repudiandus erit is, qui quamcumq; vel etiam exiguam in animo labem habeat, sed eiusmodi in rebus unum hoc quærendum, num in simile quoddam nequitiæ genus prælapsi fuerimus. Virtus enim secus omnis consentiens ac consentanea est, vitium neque virtuti benevolum, nec sibi ipsi gratum, atque acceptum est: unde neque iracundus iracundo amicus esse potest, nec ignavus ignavo, nec contumax contumaci. Quæ si inter mista fuerint, utcumque sese invicem tolerent, atque temperentur: Cum procaci enim, ac petulanti stupidus conveniet, cum glorioso, qui angusti, atque abjecti animi est, cum superbo, pavidus atque attonitus, cum acriori & concitatiori, qui tardus, ac languidus est. Sed & avarum tolerare poterit is, qui in sumptus profusus est, & cum gloriolæ cupido misceri facile potest, qui plurimum in tenebris jacere, ac delitescere studet. Tales superiorum temporum amicitiæ fuere, quæ quidem celebri hominum fama prædicatæ sunt in quibus stabiles, ac perpetuæ consociationes extiterunt. Nam Chabriæ, & Iphicratis amicitiam celebrant, horum vero celeri alter erat atque acri indole præditus: tardior Chabrias, neque ita natura commotus, & cum ille fræno, hic stimulo indigeret, præclarè secum invicem copulati fuerint. Sed Homerus sane non modo belli instituendi, veram etiam amicitiæ peritissimus fuit. Achilli enim amicum Patroclum, arroganti licet lenem ac facilem tribuit. Schenelum rursus & Diomedem conjungit, quorum ille injuriarum patiens, hic omnino esset impatiens. Ubinam ergo utrumque de duobus illis viris testatur? Ibi scilicet, ubi Achivorum Regem inducit post zeleitæ sagittationem excitum instruentem. Nam cum uterque probris ab eo per iracundiam esset affectus, hic quidem minime injuriam sustinet, alter sedato, ac tranquillo animo patitur. Hæc igitur, & his similia seligenda ac separanda sunt, ei qui delectus faciendi non imperitus est.

Cæterum qua tandem ratione venari illos ac capere possumus? Non enim postquam homines investigaverimus, dimittendi nobis erunt, sed circum eos longe erit alacrius discurrendum, quam circa fruteta venatores soleant. Quippe cicur illa, & mansueta fera est, nec de carnibus dumtaxat certamen nobis, atque contentio, sed de vitæ universæ societate propositum est. Igitur quænam illis retia circumdabimus? aut quam escam proponemus, quæ neque degustantibus obsit, nec subdolam & fallacem voluptatem adferat, sed citra detrimentum adhærescat & cum utilitate etiam deliniat? Etenim feras, atque pisces aliis quibusdam illecebris propositis piscatores, ac venatores capiunt: solum autem hoc animal amicus, ipsomet venatore tanquam esca, capitur. Propterea honestum eum esse, ac bonum convenit, ut posteaquam illum præda degustaverit, adhærescat, nec facile sese amplius expedire possit. Quod quidem delectum ipsum sponte sua quodammodo citraque negotium ullum in promptu faciet. Nam qui ita moribus affecto sese ultro gestientem, atque exultantem obtulerit, is ipse est, quem jamdudum requirebamus: quisquis autem virtutem aut non admiratur, aut detrectat, ille quidem ut stupidus, atque hebes fugiendus, hic tanquam depravatus odio prosequendus. Unumquemque verum hamorum, qui ad eam venationem necessarii sunt, cujusmodi esse oporteat, deinceps explicabimus. Igitur imprimis è longinquo velut ad equuleos ad eum accedendum est, ita ut paulatim cicurem ac mansuetum reddamus, jam tum à levioribus, atque vilissimis rebus initio, uti videbitur, facto, ut si benignè aspiciamus, si appositè cum eo scitèque sermonem misceamus, si assideamus, si cum eo ambulemus si congressum illius, & aspectum jucundum nobis esse significemus. Quinetiam in foro locus ille consectandus erit, in quo crebrò cum eo versari liceat, ut & in conviviis, in balneis, in spectaculis, expeditione, in itinere faciendo aliisque id genus vitæ communitionibus. Hæc enim quamvis non admodum magna esse dixerimus, tamen exiguæ res maximarum esse solent initia. Quod si ego non certos homines vererer, qui meam illam in minutissimis persequendis diligentiam deriderent, etiam his quæ hactenus dixi viliores capiendi rationes vobis exponerem. Jam verò si istud dixero, dextram iniicere, & ejus quem captamus manum prehendere, aut digitum premere futuræ amicitiæ aculeum quendam, ac stimulũ immittere. Verùm ridebunt me, probe scio, atque angustè, jejunèque disputare me nimium dicent. Ego vero patres ipsos video, cum puerulos vehementius complectuntur, præ immoderato affectu eo redigi, ut eos verberent identidem ac mordeant. Videtur enim istud omne quoddam mentis indicium esse; quæ cum ejus qui amatur anima conjungi, ac copulari magno cum impetu gestiat; pro eo vero quod cum ea conglutinari per se nequeat, in corpus ipsum defera tur. Porrò ad amicum captandum efficacissimum remedium existimanda laus est, Quanquam suspectam eam admodum assentatores reddidere, velut Seplasiarii oleum. E propinquo enim insidiantes, hi quidem oleum, adulatores laudem corrumpunt. Ideo hac cum moderatione utendum est, ut neque illic temperantiæ limites transgrediamur, neque hic veritatis. Minimè vero præsens quispiam laudandus est, hoc enim unum remedii genus validius aggreditur, & in interiora subit, cum ei cui medemur tunc temporis non adhibetur: idque ipsum tanquam suspectum, ac subdolum vulgo homines respuunt. Quamobrem nihil opinor, à sagittariis laudatores dissident. Validiora quippe horum tela sunt cum eminus, quam cum minimo è spatio emissa sunt.

Cæterùm non ad eum solum, quem venamur, admovendæ machinæ sunt, sed illos insuper, qui si ante capti fuerint faciliorem nobis suscepti operis aditum efficient. Hoc igitur ita aggredi par est, ut & liberos ipsos, & fratres, & parentes nobis demereamur, & officiose complectemur: Nam si, ut est in vetere proverbio, ei qui benevolus est etiam canis adulatur, quanto magis homines beneficio aliquo devincti cicures, ac mansuetos sese benè merenti exhibent? Hoc autem dico, propterea quod ingens adeo certamen est, eaque quam captamus præda, non Lepus, non Aper, aut Cervus est, sed omnium facillimum, ac mitissimum animal. Quare in ejus venatione expeditos venatores imitabimur, ut quemadmodum illi Palumbes & Turtures circumstantes, per has congeneres aviculas illiciunt spontèque inductas in viscum aut laqueos impellunt: ita & nos per eos qui ante capti fuerint nondum captatos amicos aggrediamur. Neque enim columbarum quidem domesticæ peregrinas nonnunquam multas pelliciunt.

Sed de his hactenus, Deinceps vero dicendum nobis est, quomodo quæsita præda custodienda, ac retinenda sit. Quod enim ex præda lucrum, si postquam ipsius compotes fuerimus retinere nequeamus? Itaque diligentur conservanda nobis est, sive aliquo jam tum ab initio, ac scopo proposito, quo quidem usi maxime id quod volumus assequamur. Est autem is communis amborum utilitas, velut in familia, & civitate, aliisque vitæ societatibus. Quarum nulla penitus salva esse potest, nisi in singulos eorum quæ geruntur fructus, atque utilitas redundet, & ad unum illum caput omnia referantur. Præterea omnia in quæ cura, diligentiaque impenditur, meliora, utiliter, quæ & ipsa sibi, & iis, qui possident effici solent. Nam & Equus melior, & Bos, & Canis redditur, si illum Equiso, alterum Colonus, hunc Venator diligenter curet, ac foveat. Contra in curia non Equum solum, Canemve, sed & Clypeum ac Lyram, & falcem corrumpit: sic amicitiam eius tuenda cura optimo in statu componit, negligentia caducam, & uteram efficit. Cave enim existimes domum quidem administranti tibi ne ea quam celerrimè dissolvatur, assidua cura, ac diligenti provisione opus esse. Amicum vero, si quem forte comparaveris, nullam qua conservetur diligentiam requirere. Tunc ergo vel ardiculam aliquam curam desiderare tuam non fines, si qua ejus pars aut ingravescente hyeme, aut incumbente vento, aut ingenti pluvia convulsa sit: Amicum temerè, ac uter se habeat relinques, sive dolore, aut ægritudine teneatur, sive alter qui spiam infelix casus acciderit? Atqui paries, qui labefactetur, ac corruat, nullam tibi ruina ipsa graviorem molestiam adferat, nec cæterorum ut ensilium, aut possessionum quicquam plus pernicie ipsa, detrimentoque suo, negligenti homini damni conscisat. Amicitia vero contempta non solum deperit, sed etiam in inimicitiam transit, è qua maxima hominum generi incommoda accidunt, si quæ unquam accidunt. Postea vero cum honesto, proboque viro decertandum erit, qualem paulo ante tibi repurgatum descripsimus. Ita undequaque deponenda ignavia est, & in laborum, vigiliarumque communionem veniendum, nec non periculorum, sumptuum, atque infamiæ, non ut expectèt dum ad earum calamitatum societatem vocetur, sed ut sponte accurrat, & ante tempus ipsum sæpenumero præsagiat, atque etiam conetur ad singulas amici necessitates accommodatam sibi personam imponere, puta in adversa valetudine medici, in litibus, patroni, ubique consiliarii, & post consilium adjutoris, & socii. Sed cum inæqualitas, varietasque maxima in vita reperiatur, nec inter ullos perfecta omni ex parte similitudo insit: non jam de ea disputo, quæ in vultibus hominum cernitur, neque enim mihi in præsentiarũ ea diversitate opus est, sed in externa fortunæ conditione, divitiarum scilicet, ac paupertatis: claritatis item, & obscuritatis: eiusmodi enim rerum ne ii quidem, qui penitus inter se devincti sunt, singularum ex æquo participes esse possunt, in amicitia vero plerumque quòd excedit, contemptum inferioris ingenerat. Quare cum te ad earum rerum processum, incrementumque fortuna provexerit, una tecum amicus promovendus erit: si eque fortuna provexerit, una tecum amicus promovendus erit: si enim infra te reliqueris, non facile iisdem eum oculis respicies. Quod si dum illum attrahere niteris, aliqua ex adverso necessitas retrahat, frequenter ad eum convertendus aspectus erit ut in eodem semper vultu persistas. Nam si clam tibi superbia arrogantiaque obrepserit, ea te sublimẽ attollens, omnia hæc vincula celerrime dissolvet. Tum enim

enim accidit ut tanquam altera ex parte lanæ ſublata, librationis in trutina æqualitas minime permaneat. Ac tragicus quidem Poëta etjam ignotum ſibi hominem, ſed actorem bonum, collaudat, & amicum arbitratur. Ego vero, tametſi hoc dictũ utpotè omnino elegans, probo, tamen eos, qui amicitiam conſervare ſtudent vehementer hortor, uti quoad fieri poteſt, conſuetudinem, ac familiaritatem adiiciant: itaque habeant, ad animorum conſociationem mutuum convictum mirum in modum conducere. Nam cum omnibus in rebus præcipua ſit in exercitatione, meditationeque vis poſita, tum conſuetudo ipſa quædam amicitiæ meditatio eo æſtimanda eſt. Contentio porro omnis, rixaque penitus excludenda; ac tanquam inimicitiarum ſeminarium omni ope cavenda eſt. Non enim inter adverſarios in certando, ſed certaminis ſocios amicitia verſatur. Idcirco non ijſdem diſciplinis, aut fortunis clarescere conſentaneum eſt eos qui communionem hanc amicitiæ ſartam tectam conſervaturi ſint. Periculoſa enim res eſt ſimilitudo, facileque dum earundem laudum amorem occulte in animis inſerit, ad certamen, & contentionem impellit. Quamobrem ſi te fortuna vel Oratorem cum Oratore conciliaverit, vel cum Medico Medicum, vel Grammaticum cum Grammatico, noli cum amico contentioſe certare, ſed cum Heſiodo ipſo potius nec te illum deteriorem convincito, ſed poetam potius à veritate aberraſſe demonſtres. proinde majori ei fama atque exiſtimatione cedas, & in ſecundo ſemper honoris gradu conſiſtas, aut prior tibi potiori jure debeatur. Atque ſi hoc te modo geſſeris, nihil erit amplius, quod iſtos verſus admiremur, ſed hoc eorum ſcriptori dicemus. Heus tu, egregie, & abs te ipſo edocte Poeta, non artium ſimilitudo ipſa, ſed mores hominum invidiam, ac contentionem efficiunt. Si enim moderati ac faciles ſint, parum illos ejuſdem communio artis incitabit, ſin minus, tam peritia, quam imperitia minimè ad ſocietatem conjunctionemque animorum idonea ejuſmodi hominibus accidet.

Jam quoniam nihil omnino delinquere extra ſortem humanæ eſt conditionemq; naturæ (non enim illis è Porticu ſapientibus fidem habeo, tales unquam oriri inter homines poſſe, quales illi ſomniant ſapientes, ac bonos viros, nec inter homines amplius numerandos,) ſed Epigramma illud fortaſſe verius eſt, quod Athenis publico in ſepulcro inſcriptum legitur; quodque recte omnia facere diis ſolis, tamquam præcipuum attribuit. dicendum idcirco de iis peccatis eſt quæ in amicitiam incurrunt, quemadmodum aut prohibenda, ne accidant, aut ſi acciderint curanda ac propulſanda ſunt. Nam cũ amicus nuſquam omnino cum adulatione conſentiat, tum in eo quam longiſſime diſtat, quòd hic omnia collaudet; ille errare te labique temere non permittat. Huic enim lucrum ex officio, ſaturitasque propoſita eſt: nec te colit, ac ſuſpicit, ſed opes, potentiamque tuam. Quare neque ei cura eſt, quam bene te habeas, quin potius ne quam optime te habeas ut facillime ſuum ex te compendium faciat. Amicus contra te unum intuetur, tibique addictus uni eſt, nec quicquam tibi, ſi fieri poſſet, mali vellet contingere. Jgitur paulatim evellendi morbi ſunt, ut neque vehementiorem dolorem adferas, neque nimium in medendo indulgeas. Sed quemadmodum Medici ferramento ſæpius omiſſo, adhibitis quibuſdam medicamentis citra dolorem morbis medentur; ita & tu amicum ad ſanitatem revoca. Potes & ipſe medicamentis pro aduſtione, ſectioneq; ad eam curationem uti. Ejuſmodi porro medicamenta erunt pleni benevolentia atque libertate ſermones, non jucundi, atque ad gratiam confecti, ejuſmodi enim alitur & fovetur ægritudo; ſed qui tametſi auſteri, atque veri ſint & libertate pleni, exprobatione ac contumelia carent (Nam reprehenſio à convitio plurimum differt, & ab opprobrio increpatio, nec animo duntaxat loquentis, ſed vel ipſo etiam ſermone à benevolentia ac libertate profecto) ejuſmodique ſint, ut caſtigene quidem, minime tamen convitientur; corrigant non probrum inferant.

Jgitur diligenter in ejuſmodi occaſione providendum eſt, ne acrem ac mordacem nimis orationem adhibeamus: quin potius ſuavitatis ei nonnihil, ac dulcedinis admiſceamus, velut melli amarę, alioqui, ſed utili potiunculæ. Qui ſic erit comparatus, non illud committet, ut præ moleſtia potio reiiciatur, ac Medicus demo excludatur. Ego vero id Medico vitio vertendum eſſe dico, cùm talia morborum remedia, atque ita excogitat, ut ægritudines ipſas irritet. Neque eum tamen laudo, qui ægroto indulgeat ciborum genus omne potusque quæ incrementum morbo, ac varietatem adferant, quique Pincernæ aut ſtructoris non Medici ſibi perſonam imponat. Quamobrem nihil in amicitia nimirum volo: utraque enim extremitas alio quopiam quam quo divertendum ſit, abducit. Altera enim in adulationem inducit, hæc in odium, atque inimicitiam deſinit. Calumnia porro ubique permoleſta quidem eſt, rixasque ac contentiones ubique provocat, quocumque ſe inſinuaverit: ac cum patre filium, fratrem cum fratre committit: à qua illa eſt de Hippolyto Tragœdia excitata: eademque ex æquo utrumque lædit, tam eum ſcilicet cui inſidias molitur, quam qui à ſe decipitur, illum quod inique perpeti aliquid cogitur, hunc, quod in ferre eam ipſam injuriam compellit. Sed amicitiæ præ cæteris infeſtiſſima ſuapte natura eſt, & inſidioſiſſima. Quæ ubicumque ad votum ſuccedere ſibi conatus ſuos ſenſerit, per blandè irrepens paulatim eum ſubruit ac manifeſtum facit, qui nequaquam munitus atque imbecillus eſſet. Obſtruendum igitur illi eſt, atque incredulitate prohibendus aditus; valida in auribus noſtris arce conſtructa, ut procul illius impetus arceantur. Atque ut maxime in ipſo, acceſſu rejicienda, ac propulſanda ſit, tamen ſi forte clam in interiora penetraverit, cave illam exceptam occulas, aut intra ædes tuas admittere procures, ſed in apertum illico profer, ac redargue. Videbis enim illam ſubita vertigine correptam ac tergiverſantem, & verbis hæſitantem, ac prorſus attonitam. Quod ſi ſemel perpeſſa fuerit, in poſterum moleſta eſſe deſinet, ſed ne tentabit quidem, nec proprius accedet. Quicumque vero accedente illa gaudent ſtolidi, atque inepti homines, benigneque ſuas illi fores aperiunt, fructum humanitatis ſuæ minime ferunt: de poteſtate enim ab ea dejciuntur, ut nihil ab furioſis diſſideant. Vide quam ſimiles planè, ac germanæ utrorumque actiones, atque affectiones ſint. Timent quippe ac ſuſpectos habent, quos minime conveniret, ut qui aqua metuunt, aut quemadmodum furioſus in ſcenis Oreſtes adverſus ſororem, vociferatur, quæ morbum illius obſequio ſuo levabat. Atque quod omnium miſerrimum eſt, contra amiciſſimos arma capiunt, eosque libenter interficerent. Quod ipſum furioſi alterius opus eſt, alteramque ad tragœdiam pertinet.

Æſopi vero fabularum ſcriptoris cùm alias ſæpe meminiſſe utile eſt, tum ea commemorare, quæ de calumnia præclarè admodum ſcriptis prodidit. Nam illam ſemper Vulpi attribuit, doloſæ atque ignavæ beſtiæ, & ab illa fortiſſimas quaſque ferarum captas, ac deceptas facit. Nec invitus fabellam quandam, quam adhoc ipſum in promptu habeo vobis exponam, ſi me cum ſoſpiſtes certantem non gravatè tuleritis. Tanti duo eundem gregem ducebant, paſcendi ſocij ac ſumma inter ſe neceſſitudine devincti. Porrò leo illorum ſocietatem timebat, neque illos, neque illorum cauſa gregem invadere audebat. Itaque fame enectus ad vulpeculam adit, & cum ea ſocietatem pacifcitur. At illa usque eo callida, & malitioſa erat, ut adhibitis machinis eos à ſe invicem divulſerit, & in ſeſe concitaverit; atque ita utrumque ſenſim egregiamac facilem prædam leoni præbuerit. Hæc Æſopi vulpecula. Exiſtunt autem etiam inter homines vulpeculæ quædam, ſive homuntiones potius exigui & illiberales, pone vulpes ſecum attrahantes: alij verò non vulpes, ſed ſerpentes difficilis, & horribilis veneni plenos, adrepentes, & benevolentiæ atque humanitatis involucris obtectos, qui longiſſime abigendi, & expellendi ſunt. Demulceri enim nos ſæpius mordentibus ijs, atque exhilarari contingit cùm extremam duntaxat linguam cernimus, interiora vero nolumus pervidere. At ego cuinam ſimiles mihi videantur, ſi vobis libeat, imagine quadam adumbrare volo. Sæpè igitur, opinor Scyllæ effigiem vidi, non qualem Homerus fuiſſe narrat (Homerus enim nihil aliud de forma ejus dicit, niſi fuiſſe illam belluam in ſpecu degentem, quæ capita ſex, duodecim manus haberet) ſed Pictores elegantius quiddam in eo opere commenti ſunt. Nam à capite ad ilia usque virginis ei ſpeciem tribuunt; à femore autem quod reliquum eſt in canes deſinere faciunt, horrendos illos, atque terribiles, Quorum ternus ordo dentium eſt, capita vero ſurſum erecta, ac parem numero prædam quæritantia. Jam id Homerum ſignificare hac fabula voluiſſe conjicio, ſapientem & callidum hominem totam accurate belluam noſſe, nec ſuperiorum ejus partium aſpectu deceptum, ſed reſtituſſe illico, atque arma cepiſſe, & ad certamen fuiſſe paratum, incautos vero, atque imprudentes homnes capi. Quod ſi quis non id ſibi Homerum voluiſſe putat, ſed id ſolum in fabula, quod apparet, intuetur, hic mihi videtur, ſi Scyllam conſpiceret humanam quidem in ea formam conſpicaturus, canes vero nequaquam deprehenſurus.

Quomodo ergo cavere iſtud poterimus, ac veram amicitiæ faciem & malitiæ falſa contectæ imagine benevolentiæ diſcernemus? Vultis itaque, ne iterum in ſignis atque indictis proferendis nimium importunus ſim, uti fabulam quandam oratione explicans, quæ in ea ſignificentur conſideranda vobis relinquam? Etenim quemadmodum Prodicus refert, quieſcenti, ac conſidenti Herculi tunc tum exceſſit ex ephebis, idque animo reputanti, quonam inter homines vitæ genere utens, & quodnam iter arripiens quam feliciſſime ætatem reduceret, duæ ſeſe mulieres obtulere, quarum alteram ille Virtutem, Vitium alteram appellat. Quæ poſtquam ſingulæ commoda ſua denumerarunt, uiſumque Herculi eſt, ducem ſibi virtutem adſciſcere, hunc illa ſecum adducens, ut, inquit, magis intelligas, quam recte ſtatuetis: eum in editum quendam ad ſublimen locum transfert, qui ex aperta vaſtaque planitie in altum tendebat, in qua duo inerant cacumina, quæ eminus intuentibus in unum caput coaleſcere videbantur. Sed Virtus propius admoto Herculi utraque faſtigia plurimum diſtare à ſe invicem demonſtravit: & hic, inquit, ad dexteram vertex ſacer Amicitiæ locus dicitur, comitis, ac ſororis meæ, alter vero huic oppoſitus ſimulationis eſt, quæ malitiæ ſocia, ac contubernalis Dea eſt. Quare propius accede, & utriuſque loci naturam, ac ſitum deſidera, ne forte eminus contemplatus unum eſſe & eundem arbitrere, ſimulque Prudentiam adjungere ſeſe illi juſſit, eique

patefacere atque explicare singula. Ergo collis utriusque radices, atque aditus similes admodum, & inter se convenientes ostendit, ijsdem omnino floribus refertos, ijsdem consitos arboribus; nisi quod hæc quidem omni tempore firma erant, ac vegeta, alia subinde germinare, & marcescere videbantur. Vtroq; porro ex colle frigidi ac pellucidi lactis fons scaturiebat. Sed horum alter totus dulcibus ac jucundis aquis manabat: alterius si aquam inferius gustares, dulciorem etiam crederes, ubi verò proxime fontem ipsum perveniss, amaram & venenatam putares, quæ convulsionem, vertiginemq; ijs adferret quos ad bibendum color invitasset. Iam summitates ipsas plane dissimiles, atq; omnino contrarias judicabat: nam quæ ad dexteram prior eminebat, arborum erat perpetuò virentium, cupressi, ac lauri opaca nemoribus, fructuosisq; arboribus consita. Omnia lenibus auris perflabantur, quæ aerem, atq; augere stirpes, non perfringere atq: evellere possent. Plurimum autē valuæ, & tranquillæ quietis, & oblectamenti locum illum obtinebat, pauciq; admodum visebantur eodem semper vultu, summa cum lætitia ultro citroque commeantes. In summo Virgo quædam sedebat, minime quidem formosa, sed decora nihilominus, & vera, & antiqua pulchritudine visenda, qualia esse solent antiqui operis simulacra, quæ ad sui admirationem moram temporis & curiosiores oculos desiderant. Cæterum prò amictu ornatus ei erat ex pellucida, ac subtili veste, adeò ut multis in partibus nudū corpus appareret sed anima corpore magis erat ipso perspicua. Nam aspectum simplicem habebat, ac generosum, constantem, nec mutabilem visum. Ac si quispiam ad eam venerabundus, ac suspiciens accederet, non ei aurum aut argentum repræsentabat: sed ipsummet illum duplo sæpius ac triplo pulchriorem, ac majorem. Igitur Hercules ejus aspectu obstupefactus est, sibique uti propitia esset obsecravit. Tum à Prudentia scisitatus est, quenam essent vicinæ istæ mulieres, utpote speciosæ & Divæ comitari dignæ. Hæc (respondit illa) quæ uberrimam illam lucem tenet, & in adamante considet, veritas est Jovis filia. Altera verò quæ caput inclinat, & quiescit, Benevolentia dicitur. Hujus ad omnia ministerio Dea utitur. Puer ille cujus gravitas quam prò ætate major est, quiq; aurea ambabus manibus vincula tenet, Amor est amicitiæ minister ac famulus, alis autem ac jaculis caret, quia minime volare cupit, & sine sanguine quod vult efficere soleat. Nam quoscumq; honestos ac probos, itaq; sibi invicem congruentes viderit, eos mutuo conglutinat ac devincit. Porrò illius vincula nullo pacto dissolvi, frangique possunt, solisque ijs qui vincti sunt gaudent. Quin tu ades inquit, & alteram contuere, in quam pleriq; omnes incidunt. Primum ergo aditum monstrabat, priori illi, uti dixi, penitus similem: inde exitum ipsum, arduam videlicet, ac præruptam rupem picea nube in summo vertice obductam, utrinq; præcipitia, atq; immensæ voragines eingebant, & acervi ossium humanorum collecti, venenatorumq; insuper ac mortiferorum serpentium. Tum simulationem ostendit ad amicitiæ similitudinem componentem se, atque fingētem. Verùm prò sincero ac germano decore fucata ei ac depicta facies erat, prò sereno risu subdolo quodam rictu ora diducebat: & ut amabilis videretur introeuntibus amoris quædā indicia demonstrabat: cumque nemo sponte accederet, procul accurrens prosternebat se, atque obuiam prodibat, enixèque supplicans deducebat. Ad erat illi mulierum turba, prioribus nequaquam similis, fraus videlicet, insidiæ, atq; ignavus dolus, prò veritate perjurium comes erat, petulans, audax, atque infidum, quod præ cæteris suam illi operam atque auxilium commendabat. Ibi Hercules fortè mulierem quandam in limine claudicantem videns, quænam ea esset Prudentiam percontabatur. At illa Adulatio est, dixit, simulationis emissaria, eademque Dea, ingredientibus, uti cernis, insidias parans, eos complectitur ac mirifica quædam facit, blande omnes demulcens, & ad fiduciam atque ascensum invitans. Sed quænam illa est tristis, ac demissa, quæ paucos plāgentes ac ingemiscentes deducit? Pœnitentia, inquit, tarda, nec opportuna admodum Dea. Quomodo vero aliquot non sinat plane à serpentibus exsugi, sed spirantes adhuc erigat, & domum incolumes reducat, &c. *Oratione tertia quæ est de Amicitia sed imperfecta.*

Themistius de Procopio. Demisso erat semper in terram vultu, semper tetricus, contracto supercilio taciturnitatem, tanquam grave aliquid ac plenum majestatis affectans, societatis expers, detestandus, molestiæ ac fastidij plenus, & in hoc gloria sese efferens, quod & odissent omnes, & odio ab omnibus haberetur. At qui Phalaris, & Aristomachus, & Apollodorus, ac Dionysius aliquem utique singuli perhibere poterant, à quo & amarentur & vicissim redamarent. neque enim vel viperas vel scorpios ipsos natura omnino mutui expertes amoris fecit: quæ tametsi hominum genus odio persequantur, minimè ab eorū amore qui sunt ejusdem generis excluduntur. *Oratione nona ad Valentem Imp.*

Lucianus: Char. Præter rem moraris nos, ô optime, qui tibi jamdudum potuissemus, universa oratione exposita. hinc abire. Veruntamen quid agas, quando quispiam, amicus existens, tantopere urgeat? *titulo Charidemi.*

Lucianus: Profectò Toxari, non arcu modò valuerunt Scythæ, belliciſque in rebus cæteris antecelluerunt: sed etiam ad dicendum & persuadendum aptissimi omnium fuerunt: unde mihi cùm dudum secus videretur, nunc eidem meritò fecisse videmini, qui sic Orestem ac Pyladem in Deorum numerum retuleritis. Nesciebam & illud, vir optime, quòd pictor quoque bonus esses: qui admodum evidenter ostendisti nobis, quæ sunt in Orestis templo, picturas, pugnámque virorum, alteriq; pro altero suscepta vulnera. Atqui non putabam olim apud Scythas, tanto studio cultam fuisse amicitiam: sed ipsos ut pote peregrinos, agrestes, odio perpetuo, ira, & excandescentia committi, amicitiam verò ne in familiarissimos quidem exercere, idque conijciens, cum ex alijs quæ de illis audivimus, tum ex hoc quò patres vita functos devorant.

Tox. An nos Græcis cùm alijs in rebus, tum in cultu parentum justiores & sanctiores simus, in præsentiarum haudquaquam contenderim tecum. Verùm amicos nostrates Græcis amicis longè esse fideliores, & majorem apud nos, quàm apud vos amicitiæ rationem haberi, facile fuerit docere. Ac per Deos Græcorum, ne tibi sit molestum audire, si quæ perspexi, dixero, multum jam temporis apud vos versatus. Vos enim mihi videmini præclariùs cæteris de amicitia verba facere posse: vim verò factáque illius, adeò non solùm prò sermonum dignitate non exercere, ut sat vobis sit prædicare eam, & quantum sit bonum, ostendere. At in usu, deficientes à sermonibus, nescio quomodo è medio opere aufugitis. Cæterùm quum Tragœdi in scenam progressi, istiusmodi amicitias vobis repræsentant, approbatis, applauditis, illisque prò se mutuo periclitantibus illachrymamini plerique: ipsi verò nihil dignum laude prò amicis præstare audetis. Quin si egeat amicus re aliqua, protinus, ut in somnia, procul avolantes evanescunt multæ illæ tragœdiæ, vósque similes relinquunt inanibus istis, ac mutis personis, quæ diducto rictu, atque immane hiantes, ne minimū quidē loquūtur. At nos è diverso, quos summe in dicendo de amicitia posteriores, hoc in ea præstāda præcedimus.

Itaque si videtur, nunc ita faciamus: priscos illos amicos silentio prætereamus, siquos vel nos, vel vos, ex his qui olim fuerunt, recensere valemus, postquam ista quidem parte superaveritis, compluribus, ac gravibus adductis testibus, nempe poëtis qui Achillis, & Patrocli amicitiam, tum Thesei, Pirithoique, neq; non aliorū necessitudinē, pulcherrimis versibus, carminibúsq; cecinerūt.

Quin paucos quosdam in medium afferamus ex his qui nostra memoria fuerunt, eorumque res gestas exponamus: ego quidem Scythicas, tu verò Græcanicas. Et in his uter superarit, melioréque amicos produxerit, is & victor esto, & suam ipsius victoriam promulgato, tanquam qui pulcherrimum atque honestissimum certamen decertarit: adeò ut ego quidem malim mihi devicto in singulari certamine, dextram amputari (quæ apud Scythas victo est pœna) quàm in amicitia quopiam inferior judicari, præsertim Græco, ipse Scytha cùm sim.

Mne. Equidem haud mediocris est negotij, cum viro, ut tu es, bellatore, singulari certamine congredi, singularis solertiæ & acuminis orationibus instructo. Haud tamen usque adeò ignaviter, tam citò universam deserens Græciam, tibi cesserо. Etenim hoc esset gravissimum, ut à duobus illis tot Scythæ victi fuissent, quot fabulæ declarant, & vetustæ picturæ vestræ, quas paulò antè scitè admodum repræsentasti: Græci verò, tot gentes, tot civitates, nullo defendente abs te vincerentur. Nam istud si fiat, non vestro more dextram, sed linguam execari conveniat. Vtrum vestro more dextram, sed linguam execari conveniat. Vtrum verò nobis definiendus est numerus rerum ab amicis actarum, an quanto quis plures dicendas habuerit, tanto ad victoriam consequendam locupletior videbitur.

Tox. Nequaquam. Imò non multitudine vis harum definiatur, sed præstantia, ut si tuæ meis acutiores appareant, quamuis numero sint pares, magis lethalia vulnera mihi infligant, quarum ictibus memet ocyus dabo. *Mne.* Probè loqueris. Statuamus ergo quot erunt satis. *Tox.* Quinque utriq; fore satis mihi videntur. *Mne.* Iudem mihi videtur. At prior dicito: verùm juratus te vera dicturum: alioqui fingere ejusmodi, non admodum fuerit difficile: nec palàm refelli queant. Porrò si juraris, nefas sit non habere fidem. *Tox.* Iurabimus, si quid etiam jurejurando opus esse censes. *Mne.* At quis tibi è Diis nostratibus? num idoneus Jupiter Philius? *Tox.* Maximè. Ego quoque nostratem meapte in lingua jurabo.

Mne. Testis igitur, esto Jupiter Philius, quæcunq; tibi sum dicturus, vel quæ viderim ipse, vel quæ ab aliis quoad fieri potuit, diligentissimè perceperim, narraturum, nihil ex me ipso exaggerantem. Ac primo quidem loco, Agathoclis & Diniæ amicitiam tibi referam, Nam Samius hic Agathocles, non ita pridem vixit, vir in amicitia præstantissimus, utre declaravit. Cæterùm reliquis in rebus vulgo Samiorum nihilo præstantior, neque genere, neq; opibus aliis. Huic cùm Dinia Ephesio, Lysionis filio, amicitia à puero intercesserat. Porrò Dinias supra modum ditatus est, utque solent ii qui nuper opes nacti sunt, complures & alios secum habebat, idoneos illos ad compotationem, & ad voluptuariam consuetudinem: ab amicitia verò longè alienissimos. Atque inter hos interim habebatur Agathocles, cumque illis versabatur, & compotabat, non admodum approbans eam convivendi rationem. Ac Dinias hunc nihilo majori in pretio habebat quàm adulatores. Tandem etiam offendere cœpit, crebrò objurgans: molestusque videbatur, quippe qui majores ipsi commemoraret, præciperétq; ut servaret, quæ multo labore parta, pater illi reliquisset: adeò ut ob hæc ne ad comessationes quidem deinceps adhiberetur, sed solus cum illis comessaretur, celare cupiens Agathoclem. Demum ab assentatoribus illi misero persuasum est, quòd amaretur à Charielea Demonactis uxore, viri illustris atq; inter Ephesios in honoribus civilibus primarii. Jam & literulæ à muliere ventitabant, & serta semimarcida, & admorsa poma: denique quicquid ad hæc lenæ machinantur in adolescentes, quò paulatim illis amorem artibus quibusdam inserant, primumq; hac incendant opinione, quòd sese credant amari. Nam & hoc plurimum illicit, præsertim eos qui sibi formosi videntur, donec imprudentes in cassés inciderint.

Erat

Erat autem Chariclea urbana mulier, mirum in modum meretricia: & quivis obuius, etiamsi vel minimum concupiuisset, & si dunvaxat aspexisset, protinus annuebat, nec erat metuendum, ne recusaret Chariclea: potens alioqui artifex: & quavis meretrice doctior amatorem allicere, & ambiguus cùm adhuc esset, totum subigere: ac quũ jam teneretur, incitare, & accendere, nunc ira, nunc blandimentis, mox fastidio, & quod ad alterum inclinare videretur: & tota erat undiq; comparata mulier, artibúsq; omnigenis in amantes instructa. Tunc igitur Diniæ adulatores hanc ad adolescentulum adducunt, multáque assimulabant, quò eum in amorem Charicleæ impellerẽt. Hæc autem quæ jam complures adolescentes jugularat, & innumetabiles amores mentita fuerat, domósq; opulentas everterat: varium quoddam & inexpugnabile mãlum: ubi manibus prehendit simplicem hunc adolescentulum, & hujusmodi artium imperitum, ex unguibus non dimisit.

Verùm ubi undiq; complexa fuisset & confixisset ipsum, cùm jam omnino teneret, tum ipsa à captura est perdita, tum infœlici Diniæ sexcentorum malorum fuit causa. Nam primùm quidem statim literulas illas ad eum dat, ancillam subinde missitando quibus renuntiaret, ut fleret, ut vigilaret, utque tandem misera se ipsam præ amore essest strangulatura: donec jam beatus ille persuasus, sibi formosus esse videretur, & Ephesiorum uxoribus amabilis. At tandem multum exoratus in congressum est adductus. Et ex eo tempore facilis erat conjectura fore ut caperetur à muliere formosa, ad voluptatem congredi docta, & in occasione flere, & inter loquendum miserabiliter suspirare, & jam abeuntem amplecti, & adeunti occurrere, & formam, ut quam maximè placeret, colere, interdum vel voce, vel cithara canere: quibus omnibus in Diniam usa est. Postquam verò sensit excruciari, jámque amore illaqueatum, & colliquatum esse, adhæc aliud excogitat, quo miserum perdat. Gravidam se ex eo simulat (& hoc quoque est efficax ad magis inflammandum stultum amantem) neque postea illum adibat, affirmans à viro sese observari, qui hunc amorem persensisset. Hic verò rem ampliùs ferre non poterat, nec durare quum illam non videret: sed flebat, adulatores accersebat, Charicleæ nomẽ inclamabat, imaginémque illius amplexus (albo autem lapide facta erat) ejulabat. Demum in solum sese proijciens, volutabatur, idque perfecta rabies erat. Siquidem mulieri reddita sunt dona, non pro pomorum aut sertorum pretio: sed solidæ domus, agri, famulæ, vestes, floridæ, auri quantum optaret. Quid multa? brevi Lysionis domus antea inter Jones nobilissima exhausta est atque exinanita.

Deinde ubi jam exsuccus esset, eo rejecto, alium quempiam adolescentulum Cretensem bene nummatum venata est, atque ad illum desciuit. Iam videlicet illum adamabat, atq; is quidem credebat. Iraq; Dinias neglectus non à Chariclea modò, sed etiam ab assentatoribus (nam isti quoque ad Cretensem amatorem jam desciverant) abit ad Agathoclem jam pridem non inscium, quàm illi res misere haberẽt: & quanquam primùm pudebat, omnia tamen exposuit, amorem, egestatem, arroganciam mulieris, rivalem Cretensem, deniq; se non victurum nisi cum Charicleа consuescat. Ille verò intempestivum esse ratus exprobrare Diniæ, quòd ex amicis unum sese non admisisset, sed tunc sibi assentatores antepositisset: divendita, quam unam in Samo habebat, domo paterna, pretium illi attulit, talenta tria. Quibus acceptis Dinias, illico Charicleæ formosus denuo factus apparuit. Rursus ancilla, literulæ, & expostulatio, quòd jamdiu sese nõ adisset, concurrerunt: item adulatores correpturi suis dolis Diniam, quem adhuc arrodi posse cernerent.

Cùm autem se illam aditurum promisisset, venissétque primo fere somno, essétque intus Demonax Charicleæ maritus, seu alioqui sensérat, sive ex compacto uxoris (nam utrunque ajunt) exiliens velut ex insidijs, & atrium occludi, & Diniam comprehendi jubet, ignem & flagra minitans, & ensem prout in mœchum educens. Hic verò cognoscens ubi malorum esset, vecte, qui propè jacebat, arrepto, & Demonactem ipsum in tempora percussum & Charicleam occidit, non uno quidem ictu hanc, verùm & vecte sæpius, postremò Demonactis gladio. At famuli interea muti stabant rei novitate attoniti, deinde comprehendere conati, cùm in hos quoq; ferro insiliret, ipsi aufugerunt. At Dinias clam sese subduxit tanto facinore perpetrato. Et ad aurorã usque apud Agathoclem est commoratus, ubi quæ facta essent reputabant, & quid in posterum esset eventurum, dispiciebant. Vt autem diluxit, milites aderant (jam enim res erat divulgata) illi comprehensum Diniam, nec inficiantem homicidium, adducunt ad præfectum qui tunc Asiam moderabatur. Hic verò ad Persarum regem eum remittit. Nec ita multo pòst relegatus est Dinias in Gyarum Insulam ex Cycladibus unam, damnatus à rege ut ibi in perpetuum exularet.

Agathocles autem cùm reliquis in rebus nunquam abfuerat, tum pariter soluit in Jtaliam & amicorum solus, unà in judicium est comitatus, neq; usquam defuit officio. Porrò ubi jam in exilium profectus est Dinias, ne tum quidem desertus est ab amico: sed ipse sua sponte damnatus simul in Gyaro versabatur, & cum illo exulem agebat. At quum jam rerum omnino necessariarum inopia laborarent, locans se ipsum purpurarijs, urinabat, natúmque hinc lucrum referens, Diniam alebat. Quin & ægrotanti diutissimè inservivit: & ubi vita defunctus est, noluit unquam in patriam reverti, sed ibi in Insula permansit, cùm amicum vel mortuum deserere puderet. Hoc non ita pridem Græcus amicus præstitit: neque enim scio an quinque anni præterierint, ex quo Agathocles in Gyaro mortem obijt.

Tox. Vtinam Mnesippe, injuratus hæc dixisses, ut ijs fidem non haberepossem: adeò Scythicum quendam amicum Agathoclem istum descripsisti. Quin vereor ne quem etiam alium huic simílem narres.

Mne. Audi etiam alium Toxari, scilicet Euthydicum Chalcidensem: de quo mihi retulit Simylus Chalcidensis nauclerus, adjurans se teste rem factam esse. Ajebat enim navigasse sese ex Jtalia Athenas, circiter Pleiadum occasum, collectitios quosdam homines vehentẽ, inter quos fuisset Euthydicus, & cum ipso Damon Chalcidensis ejus amicus, coæquales illi, Euthydicus quidem validus & robustus, Damon contrà suppallidus, & valetudinarius: qui nuper ex diuturno morbo convaluisse videretur. Ergo ad Siciliam usque ipsos fœliciter navigasse ajebat Simylus: sed ubi trajecto freto, in ipso mari Jonio jam navigarent, tempestatem maximam eis incubuisse. Quid autem attinet multa referre? nimirum immanes procellas ac sinuosas grandines, & siquæ aliæ tempestatis mala. Cùm autem jam essent juxta Zacynthum, nuda navigantes antenna, præterea funes quosdam trahentes, quo nimirum fluctus impetum exciperent, circiter noctem mediam, Damonem qui in tanta jactatione nausearet in mare propendentem vomuisse. Deinde, ut conjicio, nave vehementiùs in eam partem in quam ille propendebat, inclinata, simúlque propellente fluctu, eum prono capite in pelagus excidisse, neque nudum tamen, ut misero vel commodè natare liceret, mox exclamasse cùm præfocaretur, vixque sese ab undis extolleret. Quod simul atq; Euthydicus audivisset, cum nudus in strato jaceret, eum semet in mare abjecisse, arreproq; Damone qui jam deficiebat (nam hæc refulgente Luna diutius cerni poterant) illi adnatasse, ac sublevasse. Ac voluisse quidẽ illis opitulari sese miseratos virorum calamitatem, verum neq; isse, cùm vento prævalido agitarentur. Illud tamen fecisse, lubera compluria illis immisisse, & contos aliquos, quibus innixi enatarent, si quos ex illis nanciscerentur: postremò lcanforia quoque tabulata, cáque non exigua.

Ergo per Deos perpende, quod aliud gravius benevolentiæ documentum quispiam edere queat in hominem amicum, qui in mare usque adeò sæviens, noctu decidisset, quàm communicata morte? Iámque mihi ante oculos pono surgentes procellas, fragorem aquæ sese frangentis, spumam undique effervescentem, noctem ac desperationem. Ad hæc illum præfocari incipientem, vixque nun extantem, manúsque porrigentem amico: Hunc autem incontanter insilientem, simulque nantem, ac metuentem ne se prior Damon interiret. Sic enim profectò cognosces, quod generosum hunc qnoque amicum Euthydicum retulerim.

Tox. Vtrum perierunt viri Mnesippe, an illis ex insperato salus obtigit? adeò illis non mediocriter timui.

Mne. Bono sis animo, Toxari, servati sunt: quinetiam nunc Athenis ambo philosophantes degunt. Nam Simylus hæc sola habebat dicenda, quæ olim noctu vidit, hunc delapsum illum desilientem, simúlque natantes, quatenus per noctem aspicere dabatur. Porrò quæ post hæc acciderint. Euthydicus ipse narrat. Primùm quidem suberа quædam fortè nactos, his sese sustinuisse, & incommode enatasse. Deinde conspectis jam sub aurorã tabulatis adnatasse, quibus postremò conscensis, facilè Zacynthum appulissent. Post hos autem qui neutiquam mali sunt, ut ego quidem autumo, accipe jam tertium nihilo illis inferiorem. Eudamidas Corinthius Aretæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis utebatur, ijs quidem opulentis, ipse cùm esset pauperrimus. Hic moriens testamentum reliquit, alijs quidem fortasse ridiculum, quod haud scio an tale tibi videbitur, viro probo, & apud quem amicitia in pretio sit, quique de primis in ea partibus contendas. Sic enim in eo scriptum erat, Lego Aretæo matrem meam alendam, & in senectute curandam: Charixeno filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari poterit. Erat autem illi mater anus, & filiola nuptiis jam matura. Siquid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque partem, inquit, haberto alter. Hujusmodi lecto testamento, qui tenuitatem quidem Eudamidæ noverant: at amicitiam quæ illi hisce viris intercesserat, ignorabant, rem pro joco ducebant: & nemo non ridens discedebat, dicendo, cujusmodi hæreditatem Aretæus, & Charixenus sunt accepturi, fœlices videlicet, siquidem persolveat Eudamidæ, superstites etiam ipsi hæreditatem tradent mortuo. At hæredes quibus ista erant legata, ut audierunt, ilicò venerunt, agnoscentes ea quæ testamento erant mandata. Itaque Charixenus, quinque duntaxat dies superstes, diem obiit. Aretæus verò factus hæredum optimus, tum illius, tum sua ipsius suscepta parte, & Eudamidæ matrem alit, & filiam non ita pridem datis quinque talentis, quæ habebat, elocavit, duobus quidem propriæ filiæ, duobus in amici filiæ dotem: ac nuptias ambarum eodem die fieri voluit. Quid tibi Toxari, Aretæus iste videtur? num leve amicitiæ argumentum exhibuisse, adita hujusmodi hæreditate, neque deserto amici sui testamento? An hunc quoque perfectis in calculis ponemus, ut è quinque sit unus?

Tox. Etiste quidem egregius: quanquam equidem Eudamidam multò magis ob fiduciam, qua fuit erga amicos, admiratus sum. Declaravit enim se eadem facturum fuisse erga illos, tametsi ea non essent in testamento scripta: verùm ante alios venturum, talium hæredem non scriptum:

Mne. Probè dicis, Sed quartum tibi jam narrabo, Zenothemim Massilienſem Charmolei filium, qui mihi legationem pro patria obeunti in Jtalia monstratus est, vir formosus, procerus, & dives, ut apparebat. Huic iter facienti uxor assidebat in rhęda, aliàs deformis, manca dimidia corporis parte dextra, altéroque oculo

capta, teterrimum quoddam & refugiendum terriculum. Deinde cùm demirarer si decorus ille & venustus cùm esset, mulierem ejusmodi secum vehi sustineret: is qui mihi eum commonstrarat, necessitatem nuptiarum exponit, singulis diligenter cognitis. Erátq; ipse Massilienſis. Menecrati, inquit, deformis istius patri amicus erat Zenothemis, viro diviti, ac honorato, rebus ijsdem par ipse. Aliquando autem suis facultatibus est mulctatus Menecrates, quo tempore etiam declaratus est infamis à viris sexcentis, ut qui sententiam iniquam pronunciasset. Ad hunc autem modum, inquit, nos Massilienses punimus, siquis corruptè judicet. Graviter itaque ferebat Menecrates, & quòd fuisset condemnatus, & quòd ex divite pauper, ex nobili infamis repente evasisset. In primis vero discruciabat ipsum hæc filia, jam nubilis, & annos octodecim nata, quam ne cum omni quidem patris substantia, quam ante mulctam possederat, dignatus fuisset quisquam ingenuus ac paupĕr facilè accipere, quæ forma esset tam infœlici, imò etiam crescente Luna cadere diceretur. Hæc ubi apud Zenothemim declararet, bono, inquit, es animo Menecrates. Neque enim ipse egebis necessarijs, & filia tua dignum aliquem suo genere sponsum inveniet. Quæ simul ac dixit, apprehensa illius dextra, domum deduxit, suásq; facultates, quæ illi multæ erant, cum ipso est partitus, & cõvivio quod apparari jusserat, amicos excepit, & in his Menecratem, quasi cuipiam è necessarijs jam persuasisset, ut puellam in matrimonium acciperet. Posteaquam autem cœnassent, libássentq; Dijs, tum porrecto illi pleno poculo, accipe, inquit, Menecrates, à genero amicitiæ poculum: nam hodie ducturus sum ego filiam tuam Cydimacham: dotem autem jam olim accepi, talenta quinque & viginti. Cui cùm respondere, apage, ne feceris ô Zenothemis, neve ipse usque adeò insaniam ut te juvenem & formosum cum deformi & mutilata puella conjugatum conspiciam. Hæc illo loquente, hic sponsam tollens, in thalamum abiit, & paulo pòst ea devirginata prodiit, cum qua ex eo tempore consuescit, eam summopere amans, & quemadmodum vides, circunferens. Nec solùm non pudet matrimonij, sed etiam perinde atque de eo glorians, ostentat, ut contemnit corporis formam, aut fœditatem, & divitias, & gloriam: sed amici tantùm Menecratis rationem habet, neque arbitratur eum sexcentorum virorum sententia deteriorem ad amicitiam factum. Verùm prò his jam illi gratiam sic retulit fortuna. Puerulus enim formosissimus ex illa deformissima susceptus est. Quem cùm pridie pater in curiam intulisset, oleagina fronde coronatum, ac pulla veste amictum, quò plus commiserationis avo conciliaret, infans judicibus arridebat, & manus complodebat: ad quem commota curia, Menecrati mulctam remittit. Iámque hic isto apud judices patrono usus, rei famæq; restitutus est. Hæc affirmabat Massilienſis Zenothemim amici gratia fecisse, haud exigua, sicuti vides, neque qualia passim Scythæ factitant, qui formosissimas pellices diligenter eligere dicuntur. Restat nobis quintus. Neque verò mihi videor alium quempiam debere dicere, omissò Demetrio Sunienſi.

Navigarat in Ægyptum Demetrius, unà cum Antiphilo Alopecenſi, qui cum illo jam inde à teneris annis amicitiam contraxerat, & ephebus ephebo convivebat, & erudiebatur, alter quidem Cynicam disciplinam ex Rhodio sophista discens, alter nimirum Antiphilus medicinæ operam dans. Aliquando etiam Demetrius in Ægyptum est profectus, ut Pyramidas, & Memnonem viseret: siquidem audiverat, eas quanquam excelsæ erant, umbram non præbere, Memnonem autem oriente sole clamare. Harum igitur rerum cupiditate adductus Demetrius, cùm ut Pyramidas videret, tum ut Memnonèm audiret: sextum jam mensem adverso Nilo navigabat, relicto Antiphilo, quod is itinere, atq; æstu fatiscceret. Hic verò interea in calamitatem incidit, quæ generoso quopiam amico indigeret. Etenim famulus ejus nomine & patria Syrus, inita societate cum sacrilegis quibusdam, unà cum illis in Anubis templum irrupit: sublatóque Deo, aureísque phialis duabus, aureóque caduceo, & cynocephalis argenteis, atq; id genus aliis, omnia apud Syrum deposuerant. Deinde fortè comprehensi (capti enim fuerant divendentes nescio quid) rem omnem in rota districti protinus confessi sunt, & in ædes Antiphili adducti venerunt. Hic furta sub lectulo, in obscuro loco posita promebant. Syrus itaq; ilico vinctus est, herúsque ejus Antiphilus, atque is quidem interea dum præceptorem audit, auulsus. Nec opitulabatur quisquam: quin magis hi qui fuerant hactenus amici, aversabantur hominem, tanquam qui templum Anubis sacrilegio compilasset: séque impiè fecisse putabant, si quando cum ipso bibissent vel edissent. Tum reliqui duo famuli, convasatis ijs, quæ domi erant, aufugerunt. Ergo miser Antiphilus jamdiu in vinculis detinebatur, & omnium qui erant in carcere sontium scelestissimus esse putabatur. Porrò præfectus carceris Ægyptius homo superstitiosus, ratus sese rem gratam facere Deo, atque illius ulcisci vices, gravis Antiphilo imminebat. Quòd si quando culpam à se amoveret, affirmans se nihil ejusmodi patrasse, impudens habebatur, atq; hoc nomine multo magis erat invisus. Itaque jam subægrotabat, & malè se habebat: nec mirum, quippe qui humi cubaret, idque etiam noctu, neq; crura protendere sineretur, ligno incluſa. Nam per diem catasta stringebatur, altera manu vincta ferro: ac noctu totus esse in vinculis cogebatur. Quinetiam domicilij pædor & præfocatio, multis ibidem vinctis, & in angustum coactis, vixque respirantibus: tum ferri stridor, & somnus exiguus, hæc omnia molesta erant atque intoleranda, ut pote homini ijs non assueto, nec ad tam durum vitæ genus exercitato. Cùm verò jam deficeret, ac ne cibum quidem capere vellet, tandem advenit Demetrius, nihil dum sciens eorum quæ acciderant. Et cùm sci visset, ut se habebat, & curriculo ad carcerem venisset, tunc quidem non est admissus, quoniam erat vespera, & carceris custos jamdudum occlusis foribus dormiebat, ministris excubias agere jussis. Mane verò multũ precatus ingreditur, ingressus diu quærit Antiphilum malis ita immutatum ut cognosci non posset. Circumiens igitur è vinctis unumquẽque contemplabatur, eorum more qui familiarium cadavera facta jam marcida, in stragibus quærunt. Quòd nisi nomen fuisset eloquutus, Antiphilum Dinomenis filium, ne longo quidem tempore potuisset agnosci quisnam esset, usq; adeò malis erat immutatus. Ut verò ad vocem agnitam respondisset, atq; adeunte illo comam diduxisset, eam à vultu abigens squalidam atque impexam, ostendit sese quis esset. Hic ambo collapsi sunt oculis oborta caligine, in tam inopinato spectaculo. Verum aliquanto pòst, cùm se, & Antiphilum recreasset Demetrius, & singula ut se habebant, ex eò plane accepisset, bono animo esse jubet. Tum divisò pallio, ipse quidem dimidiato induitur, illi verò reliquum dat, detractis putribus & detritis panniculis, quibus erat opertus: ac deinceps modis omnibus illi aderat curam ejus gerens, & inserviens. Nam ei esse locans mercatoribus, qui versabantur in portu à mane ad meridiem, oneribus gestandis non parum lucri faciebat. Tum ab opere reversus, mercedis partem carceris custodi impertiendo, mansuefaciebat & pacabat illum: at reliquum ipsi in amici curam sufficiebat, Atq: interdiu quidem aderat Antiphilo, quò illum consolaretur. Vbi verò nox illum occupasset, pro carceris foribus facto ex herbis torulo, substratisque frondibus quiescebat.

Quem in modum aliquandiu vixerunt, ut nullo prohibente Demetrius ingrederetur, & calamitatem faciliùs ferret Antiphilus: donec extincto in carcere latrone quopiam, idq; ut putabatur, veneno, facta est sedulò custodia, nec ampliùs ex liberis quisquam in carcerem ingrediebatur. Quas ob res dubius atq; anxius, cùm nulla alia via amico adesse posset, adito præfecti collega, se ipsum defert tanquam cum aliis in templum Annubis irrupisset. Quod ut confessus est, protinus in carcerem est adductus, & ductus ad Antiphilum. Nam hoc multis precibus à custode carceris vix obtinuerat, ut proximè Antiphilo, eadémq; in trabe vinciretur. Hic igitur vel maximè declaravit, quanto in illum fuerit amore, cùm sua ipsius incommoda negligeret: cùm & ipse interdum ægrotaret, id curans quo pacto ille & plurimum dormiret, & minùs angeretur.

Itaque calamitatem inter se ferentes faciliùs tolerabant, donec tale quippiam accidit, quod ferme eorum calamitati finem imponeret: scilicet è vinctis quispiam, haud scio unde nactus limam, adjunctis conjuratis captivorum plerisq; catenam insecuit, qua ordine astringebantur, cyphonibus in hanc insertis, soluitque omnes, qui facilè trucidatis custodibus quippe paucis, simul exiliunt. Atqui hi quidem ilico quò quisq; poterat, dissipati, postea pleriq; sunt comprehensi. porrò Demetrius, & Antiphilus inibi remanserunt. Syro quoq; retento, qui jam aufugere parabat. Vt autem diluxisset, Ægypti præses cognito quod acciderat, emisit quidem qui illos insequerentur. Accersitum verò Demetriũ, ejúsq; socios à vinculis liberavit, laudatos quod soli non aufugissent. At his haud sat erat, quòd sic dimitterentur. Sed clamabat Demetrius, sibiq; non mediocrem injuriam fieri contendebat, si pro maleficis habiti, viderentur per commiserationem, vel ob id laudis, quòd non aufugissent, dimitti. Tandem compulêre iudicem, ut rem diligenter excuteret: qui cognita illorum innocentia, ipsos laudatos dimisit, & Demetrium miratus super pœnas quam præter jus in vincula conjecti tulerant, est consolatus: quinetiam utrumque munere cohonestavit, de suo datis Antiphilo drachmarum decẽ millibus, duplo autem Demetrio. Atq; etiamnum in Ægypto est Antiphilus. Demetrius autem sua quoq; viginti millia relinquens amico, concessit in Indiam profectus ad Brachmanas, tantùm hoc loquutus Antiphilo, meritò sibi jam ignoscendum videri, quòd tum ab eo discederet. Neq; enim sibi opus fore pecunia, quandiu esse pergeret, qui erat, videlicet qui posset pauci esse contentus: neq; ampliùs illi amico esse opus, quippe cui res jam commodè sese haberent. Hujusmodi sunt Toxaris amici Græci. Quod ni initio notasses nos, tanquam qui verbis superbiremus, ego multas orationes tibi recitassem, eásque egregias, quas in judicio Demetrius habuit, cùm interim propriam causam non ageret: sed pro Antiphilo fleret, & supplicaret: totámque culpam in se reciperet, donec Syrus flagris cæsus, ambos eos liberavit. Hos igitur paucos è plurimis, quos mihi primùm memoria suggessit, præclaros, firmósque amicos tibi narravi. Quod reliquum, jam ab oratione decedens, dicendi partes tibi trado. Porrò tibi ipsi curæ fuerit uti non deteriores, sed his longè præstantiores Scythas referas, siquid de dextra solicitus es, ne ea tibi præcidatur. Verùm oportet strenuum te præstes virum, etenim ridiculus fueris, si cùm Orestem ac Pyladem admodum sophisticè laudaris, pro Scythia dicens, ignavus orator appareas.

Tox. Rectè quidem Mnesippe, qui me ad dicendum hortaris, ac si non cures, tibi in narrationibus victo lingua præcidatur. Sed jam exordiar, nullis perinde ac tu verborum phaleris utens (neque enim is Scytharum mos) præsertim cùm res ipsæ altius loquantur quàm verba. Nihil autem ejusmodi expectaveris à nobis, cujusmodi laudando discruisti, puta siquis sine dote deformem uxorem duxerit: aut si quis amici filiæ nubenti pecuniam dederit, talenta duo: aut per Jovem, siquis in vincula sponte iverit, cùm certè sciret se paulo pòst esse solvendum: Admodum enim leviá ista, quibus nihil ineſt, vel magni negocij, vel fortitudinis.

Verùm ego tibi referam multas cædes, belláq; & mortes amicorũ causa susceptas, ut intelligas vestra ista lusum esse, si cum Scythici confe-

conferantur. Neque tamen istud sine causa facitis, sed meritò parva ista laudatis: propterea quod non sunt vobis graves admodum declarandæ amicitiæ occasiones, quippe in alta pace viventibus: quemadmodum nec in tranquillitate queas scire, bonus sit gubernator necne. Vt enim hoc dignoscas tibi opus fuerit tempestate. Ad apud nos bella perpetua, & aut invadimus alios, aut cedimus invadentibus, aut concurrentes, pro præda & pascuis pugnamus, Hic potissimùm opus est bonis amicis, eoque quàm firmissimè constituimus amicitias, iola hæc arma invicta, & inexpugnabilia esse judicantes. Priùs autem volo tibi commemorare quo pacto amicos faciamus, non ex poculis quemadmodum vos, neque siquis æqualis sit, aut vicinus: verum ubi strenuum quempiam virum conspexerimus, quíque res magnas præstare possit in hunc omnes studio incumbimus. Quódq; vos in conjugiis, id nos in ambiendis amicis facere non gravamur, diu quasi p o cos agentes, nihílq; non facientes, ne amicitia frusti emur, ne-ve rejecti videamur. At ubi jam delectus quispiam in amicitiam venerit, exinde fœdus initur, magnóque juramento se obstringunt, se unà victuros, alterúmque pro altero, si sit opus, mortem oppetiturum. Atq; ita facimus. Ex quo semel incisis digitis sanguinem in calicem destillaverimus: summísque in tinctis gladiis, ambo pariter admoventes biberimus, non est quicquam quod inde queat nos dirimere. Licet autem tres ad summum ad hujusmodi fœdera admittere. Nam qui multis sit amicus, eodem loco apud nos habetur, quo communes istæ, atq; adulteræ uxo. es, ejúsque amicitiam, cùm multas in partes dissecta sit, non æquè firmam esse arbitramur.

Exordiar autem ab his quæ nuper Dandamis fecit. Dandamis enim hic in conflictu cum Sauromatis, còm abductus esset captivus amicus ejus Amizocas. Quin potiùs antè tibi jurabo nostrum jusurandum, siquid em istud initio tibi sum pollicitus. Non enim per Ventum & Acinacem, quicquam mentiturus sum de Scythicis amicis.

Mne. Mihi equidem non admodum opus erat tuo juramento: rectè tamen fecisti, quòd nullum Deorum juraris.

Tox. Quid tu dicis? Annon tibi videntur esse Dij, Ventus, & Acinacis? Ita-ne ignoras nihil hominibus vita & morte esse majus? Per hæc utiq; juramus, quoties per Ventum & Acinacem juramus: videlicet per Ventum, tanquam qui sit vitæ causa: per Acinacem verò, ut qui sit mortis author.

Mne. Atqui si ista est causa: profectò multos alios quoque estis habituri tales Deos, qualis est Acinacis, puta jaculum, lanceam, cicutam, laqueum, & similia. Nam hic interitus varius est Deus, & vias aperit innumerabiles, quibus ad illum sit aditus.

Tox. Vides quàm contentiosè & litigiosè istud facis, dum me interpellas, meámque orationem interturbas: at ego te loquente tacui.

Mne. At istud, Toxari, denuo non faciam, nam rectè objurgasti. Quare quod superest, dicito confidenter, ac si te loquente absim, adeò tibi silebo.

Tox. Quartus igitur agebatur dies Dandamidi & Amizocæ, ex quo amicitiam inierant cùm sanguinem mutuum bibissent. Venerant interea in regionem nostram Sauromatæ, cum equitum decem millibus: peditum verò triplum advenisse ferebatur. Ii cùm in nos ex improviso irruissent, omnes quidem in fugam convertunt, plerosq; autem pugnantes occidunt: nonnullos quoque vivos abducunt, nisi siquis in fluminis ripam ulteriorem tranarat, ubi nobis dimidium copiarum, & pars curruum erat. Sic enim id temporis castra fueramus metati, haud scio quo consilio Archiplanorum ducum nostrorum, ad utramq; Tanaidis ripam. Protinus itaque & prædas abigebant, & captiva abducebant, & tentoria diripiebant, & curribus potiebantur, captis simul cum viris, nostrósque ob oculos pellices, uxorésq; nostras constuprabant. Quam rem ægrè ferebamus. Sed cùm captus Amizocas duceretur, miserè vinctus amicum nominatim inclamavit, & sanguinis calicísque commonefecit. Quibus auditis Dandamis, nihil cunctatus, spectantibus omnibus tranavit ad hostes. Tum Sauromatæ densatis telis irruerunt in ipsum, jam confixuri nisi succlamasset Zirim. Quod ubi quis dixerit, eum non occidunt: sed tanquam cum redemptionis pretio venientem accipiunt. Mox ad illorum ducem adductus, reposcebat amicum: Ille verò redemptionis pretium postulabat: quod nisi magnum accepisset, dimissurum sese negabat. Tum Dandamis, quæ possidebam, inquit, ea omnia direpta sunt à vobis. Si quid autem nudus possim facere, id sum paratus polliceri vobis: ac quicquid voles imperato. Et si ita vis, ejus in locum accipe me, & ad quidvis abutere. Ad hæc Sauromata, nihil, inquit, omnino est opus retinere te: ídque quum temet dedideris. Quin tu parte eorum quæ possides tradita, amicum abducito. Rogat ilico Dandamis quidnam vellet accipere. Ille oculos postulat, atque hic protinus exhibuit eruendos. Quibus eruti is, & persoluto Sauromatis pretio, recepto Amizoca reversus est innitens illi: unáque tranantes, ad nos redierunt incolumes. Hoc factum Scythis omnibus fuit solatio: neque jam victos esse rebantur sese, cum viderent, quod apud nos bonorum esset maximum, ab hostibus non esse abductum, verùm superesse egregiam mentem, & in amicos fidem. Atque id ipsum Sauromatas non mediocriter terruit, reputantes cum quibus viris essent pugnaturi, si se præparassent: etsi tum ex improviso superassent. Proinde sub noctem relicta pecoris parte maxima, curribúsque incensis fugerunt. Porrò Amizocas non tulit diutius, ut videret ipse, cæco Dandamide amico: sed semet ipse excæcavit: atque ita sedent ambo, omníque honore à populo Scytharum publicitus aluntur.

Quid tale vos Mnesippe referre possetis? etsi quis tibi concedat ut his quinque decem alios addas, etiam citrà jusiurandum, si ita vis, ut & multa liceat affingere. At ego tibi rem nudam exposui. Tu verò siquem hujusmodi proposuisses, non sum nescius quàm multa ornamenta tuæ orationi inseruisses: quemadmodum supplicasset Dandamis, quomodo fuisset excæcatus, quæque dixisset, & quomodo rediisset ipsúmque Scythæ bene ominantes excepissent: atque id genus alia, cujusmodi vos ad parandam attentionem excogitare soletis. Audi igitur & alium huic parem Belittam, hujus Amizocæ consobrinum. Is ut detractum ex equo à leone Basthen amicum conspexisset, cùm simul venarentur, jámque leo circumplexus illum, jugulo admotus esset, atque unguibus laniaret, desiliens & ipse, involavit in tergum beluæ, reflexitque in sese provocans & avertens, atque inter dentes digitos inferens, conatus quoad licuit Basthen è rictu leonis eximere donec leo omisso illo jam semimortuo, ad Belittam sese convertit, atque ipsum quoque circumplexus occidit. At ille moriens (nam tantò antevertit) acinacem in leonis pectus defixit. Itaque pariter exanimati sunt omnes. Nos autem sepelivimus eos, duobus aggestis tumulis inter se vicinis, altero amicorum, altero è regione, leonis.

Tertiò jam Mnesippe, tibi referam, Macentæ, Lonchatæ, & Arsacomæ amicitiam. Hic enim Arsacomas deperibat Mazæam Leucanoris filiam, qui regnabat in Bosporo: tum quum legatione fungeretur super tributo, quod Bosporani semper nobis pendere soliti, id temporis tertium jam mensem ultra diem legitimum distulerant. Cùm igitur in convivio vidisset Mazæam proceram ac formosam virginē, amore captus est, eóque discruciatus. Iamitaque quæ de tributis agebantur, erant transacta: respondératque illi Rex, & mox dimittendū convivio excipiebat. Est autem mos in Bosporo uti proci in convivio petant puellas, narrantes quinam sint, quibusque rebus freti, decreverint eas in matrimonium accipere. At tum forte multi aderant in convivio proci, reges regumque filii. In his erat & Tigrapates Lazorum princeps, & Adyrmachus Machlynæ dux, aliíque cum his permulti. Oportet autem unumquemq; procum, postea quam expositus quis sit, & qua fiducia, ad ambiendas nuptias venerit, convivari cum reliquis, tacitumque accumbere. Deinde peracto convivio, postulata phiala, vinum in mensam effundere, atq; interea ipsam ambire, multum interea collaudantem se se quo genere, quibus opibus, qua sit potentia. Cùm multi juxta legem ita facerent, & postulassent, regna & opes commemorando: tandem Arsacomas postulata phiala, non libavit (neque enim mos apud nos vinum effundere, quin magis contumeliosum hoc judicatur in Deum) sed tractim bibens, Colloca mihi rex, inquit, filiam tuam Mazæam, qui multo sum potior istis, quantum ad opes & possessiones attinet. Leucanore verò admirante (sciebat enim Rex pauperem Arsacomam, ac de plebe Scytharum esse) percontantéq; quantum pecorum, aut quantum habes plaustrorū, Arsacoma, nam iis rebus vos divites estis. Imo, nec plaustra, inquit, possideo, nec armenta: verùm sunt mihi duo amici: honesti, probiq;, quales alij Scytharum nemini, quibus dictis derisus est, contemptus, visúsq; temulentus. Mane verò reliquis prælatus est Adyrmachus: jámque sponsam abducturus erat in Mæotidem ad Machlyenses. At Arsacomas domum reversus: amicis indicat quemadmodum rejectus esset à rege, derisúsq; in convivio, cū pauper esse putaretur. Atqui dixeram, inquit, illi quantas haberem opes, nempe vos o Lonchata, atq; Macenta, vestrámque benevolentiam longè præstare, multóque firmiorem esse Bosporanis opibus. Verùm hæc dicentem me subsannavit, contempsitq;, & Adyrmacho Machlyensi sponsam abducendā tradidit, quòd aureas phialas se diceret habere decem, præterea currus quaternis sedilibus octoginta: ad hæc ovium boumque multam copiam. Sic videlicet antepositi fortibus viris poculorum multitudinē, operosa pocula, gravésque currus. Proinde o amici, dup ici nomine discrucior. Etenim Mazæam amo, & injuria mihi tot inter homines illata, non mediocriter me angit. Arbitror autem vos quoque ex æquo injuriâ esse affectos, si modò ita vivimus, ut cœpimus cùm conjungeremur: nimirum ut unus homo simus, ijsdem dolentes ijsdémque gaudentes. Imò, inquit Lonchates, unusquisibet è nobis injuria afficiebatur tum quum in te ista fierent. Quomodo igitur, inquit Macentes, hac in re nos geremus? Per partes, inquit, Lonchates negocium suscipiamus. Atque ego quidem Arsacomæ promitto me caput Leucanoris allaturum. Tu verò sponsam ipsi adducas oportet. Ita fiat, inquit. At tu, Arsacoma interim, Nam his peractis verisimile est exercitu ac bello fore opus, hic mane quò contrahas, & appares arma, equos aliarúmq; rerum vim quam maximam. Facillime autem plurimos adjunxeris: partim quod ipse strenuus, partim quòd nobis non pauci sint familiares: maximè verò si desederis intergore bovis. His decretis, Lonchates quidem quantum potuit, rectà in Bosporum contendit: Macentes verò ad Machlyenses, in equo uterque. At Arsacomas domi manens, & cum æqualibus contulit, & ex familiaribus vim hominum armavit: demum & in tergore bovis desedit. Consuetudo autem desedendi in tergore bubulo apud nos est istiusmodi. Vbi quis ab alio læsus est, cupítque ulcisci, neque par esse pugnæ videtur: rum bove immolato, carnes frustulatim concisas, igni torret. Deinde ipse porrecto humi corio, sedet in eo, in tergum reductis manibus, more eorum qui à cubitis vincti sunt. Et hoc quidem apud nos maximum est supplicandi genus. Appositis verò bovis carnibus, adeuntes illis, aliúsque quisquis vult, quisq; partē sibi sumit, & eorum dextro pede calcans, pro facultate pollicetur, alius se præbiturum quinque equites suo cibo, suóq; stipendio: alius decem, alius plures, alius pedites armatos quotquot poterit: alius se duntaxat, qui pauperrimus. Colligitur itaque in tergore bovis, in-

gens nonnunquam multitudo. Qui exercitus,& certissima fide cohæret,& hostibus est inexpugnabilis, tanquam jurejurando devinctus. Nam tergus calcasse, est jurasse. Arsacomas igitur his agendis incumbebat. Atque illi coacti sunt equitum quidem circiter quingenta millia: armatorum verò & peditum, utrorumque simul vicena. At Lonchates ubi ignotus in Bosporum pervenit,Regem adit, de regni negocijs quiddam tractantem, aitq; venire sese publico Scytharum nomine,sed privatim res maximas apportare. De publicis, inquit negocijs, hæc in præsentiarum denuntiant Scythæ, ne vestri pastores in planitiem usque transgrediantur: sed intra Trachonem pascant. Cæterùm latrones de quibus expostulatis,quòd regionem vestram incursent, negant eos publico consilio emitti, sed privatim quemque lucri causa prædari: quorum siquis deprehendatur, tui sit arbitrij, ut in eos animadvertas. Hæc quidem illi denuntiant. At ego certiorem te facio, gravem in vos insultum futurum ab Arsacoma Mariantæ filio, qui nuper legatum egit apud te,idque opinor, cùm filiam tuam postularit, neque abs te impetrarit: ob id indignatur, sedétque in tergore taurino septimum jam diem,contractúsque ipsi est exercitus haud exiguus. Audivi, inquit Leucanor, & ipse cogi copias in tergus bovis sed eas adversus nos contrahi,idque duce Arsacoma, nesciebam. Atqui in te,inquit Lonchates,hic apparatus constituitur. Mihi autem inimicus est Arsacomas,graviterque fert quòd ipsi præferar à natu maioribus, & quòd in omnibus videar illo esse præstantior. Quòd si mihi spoponderis alteram filiam tuam Barcetim,alioqui nec indigno vestra affinitate,brevi reversus tibi caput ejus afferam. Spondeo, inquit rex,metu valdè perculsus,siquidem norat quam ob causam iratus esset Arsacomas nempe ob nuptias,cùm alioqui Scythas etiam formidaret. At Lonchates,jurato,inquit,te præstiturum pacta, neque inficiaturum, Id cùm fieret,manúque ad cœlum tendens jurare vellet: Absit,inquit,ut hîc: ne quis spectantium conjiciat qua gratia juremus. Quin potiùs hoc Marus templum ingressi, foribus occlusis juramentum concipiamus: ac nemo nos exaudiat. Nam siquid horum inaudierit Arsacomas,vereor ne me ante bellum immolet,manu jam nunc non parva cinctus. Ingrediamur,inquit rex,vos autem abstitite quam longissimè: neque quisquam ad templum veniat, quem non accersiverо. Posteaquam igitur ingressi sunt isti, & procul abstitere satellites, stricto gladio,alteráq; manu ore occluso, ne vociferaretur, ictum in pectus adegit. Deinde caput defectum sub chlamyde tenens prodibat, quasi fabulans interim cum illo,brevíque sese dicens affuturum,quasi ab ipso ad negocij quippiam mitteretur. Atque ita eò reversus,ubi vinctum equum reliquerat,quo conscenso in Scythiam se proripuit. Cùm autem rem gestam diu ignorassent Bosporani, eáque cognita, factioso de regno decertarent,nemo est eum insequutus.

Hæc itaque gessit Lonchates,promissúmque præstitit, Arsacomæ dato Leucanoris capite. Porrò Macentes de his in via certior factus, quæ in Bosporo acciderant,pervenit ad Machlyenses, primúmque illis nuntium attulit de rege trucidato. At populus, inquit,te Adyrmache, genere cùm sis,ad regnum vocat. Proinde fac ut ipse prior occupans, imperium arripias,in rebus perturbatis obortus: puella verò te sequatur à tergo in curribus. Nam ita facilius populum Bosporanum tibi conciliaveris,ubi Leucanoris filiam conspexerint. Porrò & sum Alanus ego,& tuæ sponsæ cognatus maternus: siquidem nostra è gente Masteram Leucanor ascivit uxorem. Et nunc ubi adsum missus à Masteræ fratribus qui sunt in Alania, denunciantibus ut quàm ocyssimè in Bosporum venias,neque patiaris ut imperium ad Eubiotum deveniat,qui tametsi frater nothus est Leucanoris, tamen à Scythis amatur,& Alanis est invisus. Hæc quidem dicebat Macentes, eodem cultu,eadémque cum Alanis lingua. Hæc enim communia sunt Alanis & Scythis: nisi quòd quemadmodum Scythæ, comati non sunt Alani. At Macentes in hoc quoque illis erat assimilis, videlicet detonsa coma: quatenus conveniebat Alanum minus esse comatum quàm Scytham. Itaque ob hæc ei fides habebatur,& Masteræ & Mazææ cognatus esse putabatur. Et nunc,inquit,ô Adyrmache ad utrumque sum paratus: vel proficiscitecum in Bosporum si velis: vel manere,si sit opus,& sponsam adducere. Istud equidem,inquit Adyrmachus,longè malim quandoquidem cognatus es,te puellam adducere. Nam si nobiscum unà proficiscaris in Bosporum, unum duntaxat equitem numero addideris. Quòd si mihi uxorem advexeris,multorum instar fueris. Atque ita factum est. Et hic quidem iter ingressus est,Macentæ tradens ducendam Mazæam, quæ virgo etiam dum erat. At ille per diem quidē illam in curru ducebat,verùm cum nox occupasset,equo imposita (curarat autem ut alius quidam eques sese sequeretur) tum insiliens,& ipse non ampliùs ad Mœotin tendebat. Sed deflectens ad mediterraneam, relictis ad dextram Mitræorum montibus,virginem interea quiete recreando,tertio die à Machlyensibus ad Scythas iter confecit: statímque ejus equus, ubi destitisset à cursu,paulùmque constitisset,extinctus est. Porrò Macentas Arsacomæ Mazæam in manus tradens,Accipe,inquit,à me quoque quod promisi. Tum illo ad insperatum spectaculum stupefacto, gratiásque agente,Desine,inquit,Macentas,me alium à te ipso facere. Nam quod mihi gratias agis pro his quæ feci, perinde est ac si sinistra mea dextræ gratias agat,quòd vulnerata remedium adhibuit,& ægrotantem benignè curavit: Ergo ridicula fecerimus etiam nos,si jamdudum commixti,& quatenus licet in unum conflati, magnum adhuc esse credamus, siqua pars nostri aliquid in totius corporis utilitatem fecerit. Etenim pro se ipso fecit,cùm sit pars totius beneficio adiuti. Atque ad hunc quidem modum Arsacomæ gratias agenti, Macentas respondit. Cæterùm Adyrmachus auditis insidiis non perrexit ire in Bosporum. Iam enim Eubiotus rerum potiebatur,accersitus à Sauromatis apud quos versabatur. Is in patriam reversus,contractis ingentibus copijs,per montuosa in Scythiam irrupit: paulóque pòst irruit & Eubiotus,Græcos undecunque poterat secum ducens, Alanos quoque & Sauromatas,accersitos utrinque vicies millenos. Conjunctis autem copiis Eubiotus atque Adyrmachus nonaginta millia confecerunt: quorum tertia pars erant equites sagittarij. Nos autem (nam & ipse ad hanc expeditionem contuleram, addens ijs qui ad tergus convenerant, equites ad plenum instructos centum) contractis haud multò minùs triginta millibus unà cum equitibus operiebamur insultum,duce Arsacoma. Vt autem adventantes illos conspeximus,contra duximus agmen, præmissis in hostem equitibus. Atque ubi jam diu acriter esset pugnatum,nostri jam terga dabant,& perrumpebatur phalanx: ac tandem totum agmen Scythicum duas in partes est dissectum: quarum altera non omninò palam victa se subduxit: sed hæc fuga refugium videbatur, Neque enim Alani diu insequi audebant. Partem autem alteram, eámque minorem, cinctam Alani & Machlyenses undequaque cædebant, jaculis ac sagittis confertim emissis: ita ut nostri obsessi vehementer laborarent,& plerique arma abijcerent. Inter quos fortè erant Lonchates & Macentes,jámque vulnus acceperant,dum ante alios sese periculis objciunt: hic quidem nimirum Lonchates adusto femore: porrò Macentes securi sauciato capite,& conto in humerū impacto. Quòd simul atque sensit Arsacomas,cùm in altero agmine esset nobiscum, turpe ratus si relictis amicis abiret,subditis equo calcaribus cum clamore per hostes equitabat,sublato gladio: adeò ut Machlyenses animi impetum non sustinuerint,sed diducta,acie,transeundi copiam ipsi fecerint. At ille receptis amicis,& exercitatis omnibus aliis, impetum fecit in Adyrmachum,impactóque in cervicem gladio,ad zonam usque dissecuit: quo fuso dissipata est omnis Machlyensium, nec multò pòst,Alanorum acies: præter eos etiam Græci. Atque ita redintegrato prælio superiores fuimus, diúque trucidantes insequuti fuissemus,nisi nox operi finem imposuisset. Postero die ab hostibus venerunt legati,qui supplices amicitiam orarent. Bosporani duplicatum tributum pensuros sese pollicebantur: Machlyenses datum iri à se obsides confirmabant. Alani eam invasionem ita compensaturos sese spondebant,cùm nimirum Sindianos, quibuscum jamdiu nobis erat simultas,nobis subigerent.

His conditionibus adducti sumus,cùm ita multò priùs Arsacomæ, & Lonchatæ usum esset: quibus singula moderantibus pax inita est.

Talia Mnesippe,audent Scythæ amicorum gratia facere.

Mne. Omninò tragica,Toxari, fabulisque similia. Et propitius sit Acinacis & Ventus,per quos jurasti: siquis ista non credat, non admodum reprehendendus videatur.

Tox. At vide,vir egregie,ne incredulitas ista,ab invidia vestra proficiscatur. Quanquam me non deterrebis fidem non habendo, quominus & alia his consimilia referā,quæ noverim à Scythis esse gesta.

Mne. Tantùm ne longum facias,vir optime, neque adeò solutis utare sermonibus,ut nunc sursum ac deorsum Scythiam,& Machlyanam percurrens,deinde in Bosporum discedens: postremò rediens, silentio meo prorsus abusus es.

Tox. Parendum tibi & hanc præscribenti legem,dicendúmq; paucis,ne audiendo fatigeris nobiscum circumiens. Quin potiùs audivi quæ mihi Sisinnes nomine,amicus præstiterit. Cùm enim domo Athenas proficiscerer,idq; cupiditate literarum Græcarum, in Amastrin Ponticam appuli: quæ urbs non procul à Carambe dissita,iis est obuia qui à Scythia navigant. Comitabatur Sisines à puero amicus. Nos igitur ubi res quasdā importatas in portu spectassemus,in eúmq; è navi subduxissemus,emimus nihil suspicantes mali. Interea fures quidam effracta sera,efferunt omnia,ita ut non reliquerint quod vel in eum diem sufficeret. Cùm igitur domum reversi,id quod acciderat cognovissemus,non visum est in jus vocare,vel vicinos qui plures erant: vel hospitem,veriti ne vulgo sycophantæ videremur,si dixissemus nobis ab aliquo sublatos esse Daricos quadringentos, multáque vestes,& stragula quædam,atq; alia quæcunq; habebamus. Quare consultabamus quid in præsentia esset facto opus,rerum omnium in peregrina regione egenis. Ac mihi quidem ita visum est tum temporis,statim demerso in latus acinace, vita migrare,priusquā vel fame, vel siti oppressus quippiam indignū sustinerem. Verùm Sisinnes me consolabatur,obsecrans ne quid tale facerem. Aiebat enim excogitasse sese unde nobis victus suppeteret. Et eo quidem die bajulandis è portu lignis mercedē attulit,qua victū suppeditavit. Mane autē obambulās in foro, pōpā vidit,ut ajebat,juvenū nobiliorū,& honestorum qui viritim lecti,ut proposita mercede singulare certamen inirent, in tertiū diē erant decertaturi. Ex quibus cū intellexisset quomodo res omnis apud ipsos se haberet,accedens ad me, ne amplius Toxari,inquit,dicas te pauperem: nam te intra triduum divitem reddam.

Hæc ait,atq; interea ægre parato victu, spectaculo jā instituto spectabamus & ipsi. Etenim me assumptū duxit in theatrū,ranquā ad jucundū aliquod,& novū Græcorū spectaculū. Ergo ubi cōsedissemus, spectabamus: primū quidē feras jaculis cōfixas,& à canibus agitatas, & in homines vinctos emissas,nocētes quospia,ut cōijciebamus. Post quā autē prodierūt gladiatores,& producto prægrandi quodā juuene, dixit præco. Quicūq; voluerit cū hoc singulari certamine congredi, prodeat in mediū. præmiū pugnæ accepturus, decē millia drachmarū. Hîc surgit Sisinnes desiliens,& se dimicaturū pollicitus arma poscit. Tū acceptam mercedē, decē millia mihi deferens,in manum dat.

Si vice-

Si vicero, inquit, Toxari, unà proficiscemur, suppetérque commeatus: sin cecidero, redi in Scythiam me sepulto, Quibus auditis ejulabam. At ille sumptis armis, reliquum quidem corpus munivit: verùm galeam non imposuit: sed nudo consistens capite pugnabat. Ac primùm quidem vulneratur ipse, retorto gladio in poplite cæsus: ita ut multus sanguis efflueret. Ego interim metu jam eram præmortuus. At ille confidentiùs invadentem adversarium observans, ferit in pectore, & transfigit: ita ut protinùs ad pedes ejus procubuerit. Atque hic vulnere fatiscens, mortuo incumbebat: parúmque aberat, quin & ipse quoque efflaret animam. Ego verò accurrens erexi, animúmque reddidi. Qui postquam victoria parta dimissus est, sublatum illum domum deportavi: multúmque temporis curatus à medicis, supervixit, atque hodie apud Scythas degit, ducta in matrimonium sorore mea: claudus tamen adhuc est ex vulnere. Hæc res Mnesippe, non apud Machlyenses, neque in Alania gesta est, ut testibus careat, & ficta credi queat: sed multi adsunt Amastriani, qui Sisinnæ pugnæ meminerunt. Quum quintum præterea factum Abauchæ tibi narravero, finem faciam. Venit aliquando hic Abaucha's in Borystenensium urbem, secum uxorem ducens, quam summopere diligebat, duósque liberos, alterum quidem lactentem, masculum, alterum, quæ puella erat quinque annos nata. Erat autem peregrinationis comes amicus ejus Gyndanes, atque is quidem vulnere laborans, quod in via acceperat à latronibus, qui eos fuerant adorti: cum quibus dum pugnaret, ictus est in femore, ita ut præ dolore ne stare quidem posset. Noctu autem dormientibus illis (nam in cœnaculo quodam diversabantur) ingens ortum est incendium, omniáque circunclusit, jamque flamma undique domum circundedit. Tùm expergefactus Abauchas, relictis liberis plorantibus, uxore quæ inhærebat, repulsa, jussáque ut ipsa se servaret, amico in humeros sublato descendit, ac perrumpens evasit, ita ut nequaquam incendio læderetur. Secuta est uxor, infantem gestans, & puellam jubens ut sequeretur. Ea verò semiusta, abjecto ex ulnis infante, vix exiliit è flamma: cum qua veniens puella, penè & ipsa extincta est. Post hæc cùm exprobraretur Abauchæ, quòd desertis liberis, & uxore, Gyndanen extulisset, Liberos quidem, inquit, facile mihi fuerit denuò procreare, quia incertum est sint-ne futuri boni: at amicum multo tempore talem non invenerim, qualis est Gyndanes, qui multis in rebus suam erga me benevolentiam probavit. Dixi Mnesippe, è pluribus his quinque propositis. Jam tēpus est pronūtiari, utri nostrū, aut lingua, aut manus sit amputāda. Quis igitur futur⁹ est judex?

Mne. Nemo: non enim narrationis arbitrum quenquam constituimus. Sed scis quid agemus? Quandoquidem in præsentia, nullo proposito scopo jaculati sumus, electo arbitro, alios denuò amicos apud ipsum referamus. Tùm ei qui succubuerit, mihi quidem lingua, ubi verò dextra amputabitur. At hoc quidem crudele. Quando autem tu amicitiam laudare visus es, ego verò existimo, nullam aliam hominibus esse possessionem istâ præstantiorem ac pulchriorem, quin ipsi quoque ex compacto hinc & in posterum amici futuri, nos invicem amplectimur, ambo victores, maximis præmiis positi: pro unica lingua, unicáque dextera, binas uterque habituri? præterea quatuor oculos, quatuor pedes, denique dupla omnia. Ejusmodi enim quiddam est, quum duo, trésve copulantur amici, qualem Geryonem scriptores depingunt, senis manibus, ternísque capitibus hominem. Nam illi meo judicio, tres erant, qui simul omnia gererent, ut amicos decet.

Tox. Probè dicis, atque ita faciamus. *Mne.* Verùm neque sanguine opus est, Toxari, neque Acinace, qui nobis amicitam confirmet. Nam hæc confabulatio, & quod eadem expetimus, longè sunt certiora illo calice quem bibitis: quoniam talia non obligationem, sed animum postulare mihi videntur. *Tox.* Placent ista. Quare jam amici, & hospites simus: tu mihi hic in Græcia: ego tibi si quando in Scythiam veneris. *Mne.* Atqui scire te velim, non grave futurum mihi, vel longiùs etiam proficisci, si tales amicos nanciscī liceat, qualem ex oratione, Toxari, te esse constat.

Maximus Tyrius: Possisne dicere, qui sint illi quos Homerus modò diis similes, modò dios, modò prudentiâ Jovi æquales vocare soleat? Quos verò alios, quàm summos illos viros, Agamemnonem, Achillem ac Ulyssem, & si quis virtute sua aliquam illi laudis subministravit materiam? Quid si verò non cum Jove eos contulisset, sed aut cum Machaone medico, aut vate Calchante: aut Nestore, qui equitandi, aut Mnestheo, qui instruendæ aciei, aut Epeo, qui fabrili arte, aut Nireo, qui formâ antecessit omnibus? Quid an non statim in promptu tibi causa comparationis hujus videretur? Num ergò in altero, similitudinis continuo tibi constat ratio, in altero Jovi quidem similes dici vides, & Poëtæ comparationem laudas, ipsam tamē non assequeris? Agedum Homeri nomine causam tibi exponam, idque ratione libera (nec enim ad poësin sum fact⁹) Patrem ille Deūm alibi hominúmque Jovem dicit: non quòd relicto cœlo suo, modò in avem, modò in aurum, aut quodcunq; aliud postularet usus, conversus, mortales complexus sit fœminas:

Sic primùm generans magnorum semina regum.

Quod si verum esset, næ paucorum liberorum pater esset Jupiter, sed quia eos de quibus diximus & nasci dederit & natos conservet, visum est patrem eum dicere poëtæ: quod nomen primum est, & à quo initium sumit amicitia. Esto. Et hoc quidem de ipso Jove. At eorum qui similes Jovi dicuntur, alia ratio est. An non Salomonem vides, qui fulmen, ut putabat, manu molitus, tonitruúmque strepitum ac flammæ cœlestis ignem imitari conatus est, Jovi tamen à poëtis minimè conferri. Hæc enim cùm faceret Salmoneus, Thersitæ erat similis qui imitatur Nestorem. Quónam igitur modo accedere ad Jovem possunt homines? Si illud nimirum in Jove imitentur, ex quo salus, dilectio, paternáq; ejus in homines cura dimanat. Hæc mortalium virtuti cum divina est cognatio. Quæ à diis quidem fas & justitia, aut si quæ alia sunt augustą magis magísq; divina nomina, appellatur: apud homines amicitia benevolentiáque, aut si quæ sint mitiora magis magísq; humana nomina, vocatur. Divinæ aūt virtuti cùm in aliis tùm in hoc potissimùm humana cedit, quòd minùs latè ejus pateat amicitia. Quæ quidem non in totum se diffundit genus, sed ut in pecudibus fieri videmus, tantùm in ejusdem gregis consortibus locum habet: idq; vix omnibus. Sæpè enim videas eodem in grege, sub eodem pastore, contentiones crebras, crebra discidia: quorū alii cornibus alii dentibus inter se velitantur: ut vix amicitiæ illius restent scintillæ aliquot, eæq; numero paucissimæ. Ac cibos quidem porūq; & amictū, reliquaq; corpori necessaria, homines æris inter se ferriq; commutatione comparant: & quæ majora habentur, auro argentóq;. Vitio quidem illorum: sine ullo enim metallorū usu gratis inter se communicare poterant, mensura omniū æquissima: ut is qui re aliqua egeat, quo necessitati suæ consulat, rem à possidente mutuetur: is qui eadem abundet, ea lege dimittat, ut ab eo vicissim expectet, quæ reddi sine reprehensione possunt. Et Glauco quidem Lycio objicere Homerus videtur, quod aurū cum ære cōmutet, & quæ centū nummis præstinata erant, novem dimittat. Quod si paulum utriusq; seponamus precium, & ex instituto potiùs tàm hujus quàm illius permutationem hanc metiamur, æqualis erit res utraque.

Nunc quot homines propemodū tot caupones. Mercaturę omnia, strictissimorum commerciorū plena sunt omnia. Sunt forensia, sunt marina, sunt terrestria, sunt peregrina: sunt urbana, sunt provincialia, sunt transmarina. His qui incumbunt, sursum terram deorsúmq; vertunt, miscent mare. Hi quæ abdita sunt venātur, quæ occulta scrutantur, quæ dissita sequuntur, quæ rara conquirunt, quæ conquisita sunt rursus defodiunt, terram implent, arcas stipant. Horum omniū causa una est, quòd fides ubiq; nulla, nulla sit amicitia; quibus accedit injusta cupiditas, sibi nata tantùm, egestatis metus, improbitatis consuetudo, voluptatis studiū. A quibus omnibus fugatur, in terram defoditur, penitúsq; mergitur amicitiæ nomen. Vix ut minima tènuissimáq; ejus apparere queant vestigia. Quod si usquam vel apud Græcos vel Barbaros ob pecuniarū inopiam, sine ulla invidia aut custodia, omnia amicorū cōmunia fuisse leguntur, id pro miraculo à Poetis celebratur, interq; fabulas locum habet: neque fidem invenire, tanquam res nimium eximia, potest. Nec sine causa. Ira Græcorū olim classis, navium mille, flos ipse terræ totius, flos populi, in Asiam venisse dicitur: qui eodem contubernio eodemq; cibo integrū quo in conspectu hostium versati sunt decenniū, usi dicuntur. Cujus cùm rei memoria in Homerico locum invenerit carmine, in tanto tamen vel tempore vel populo, unicam modo quam describeret societatem invenire veram potuit. Thessalici dico juvenis cum viro Locrensi. Quo nihil in tota ejus poësi est, quod aut voluptatem adferat majorem, aut ad virtutē magis invitet, aut ab omnibus magis celebretur. Reliqua Homeri, si diligenter inspexeris, quid aliud sunt, quàm pugnæ & furores, minæ & iræ? quorum finis est luctus, gemitus, necesque, pernicies ac cædes.

Circumfertur & Attica historia, quæ ab amicitia suum mutuatur splendorem. In plurimis Atticorum scriptis, solum hoc Minerva dignum, solum Theseo, honesta nimirum bonorū virorū ac justa amicitia: quæ utríque gladium communē in tyranni necem tradidit, cōmunem mortem præbuit. Quod si demas, non video quid in Athenensium amicitia laudare possis: exulcerata omnia, putida omnia, infida, corrupta; non sine invidia, vel ira, vel illiberalitate, vel avaritia, vel ambitione. Eodem modo reliquam quoq; si percurras Græciam, idem invenies: funestas passim historias, viri cum viro, urbis cum urbe, gentis unius pugnā cum altera: non Doricam tantum cum Ionica, nec cum Attica Bœotā, sed cum Ionibus Ionas, Dores cū Doribus, cum Bœotis Bœotos, cū Athenensibus Athenienses, cū Thebanis Thebanos, cū Corinthiis inter se decertantes Corinthios: cognatos inter se hostili esse animo contubernalésque: omnes inter se mutuo insurgere: qui sub eodem sole vivunt & eodem aëre, qui iisdē legibus utuntur & linguā, qui eandem colunt terrā, frugibus iisdem vivunt, eadem celebrant sacra: quos murus idem, eadem complectitur civitas. Hos omnes, inquam, videas pugnare modò, modò fœdus pangere: jurare & pejerare, paciscī pactumq; rumpere: arq; ita minima interdum de causa mala movere maxima. Quibus enim semel vis amicitiæ effluxerit animo, nihil est quod non facile ad iram impellere eos & turbare possit. Sicut navi concavæ saburram si demas suā, paulo momento movetur quovis & impellitur. Quam ergò ratione ineat homo, cui cordi est amicitia, ut tam rarum sibi vindicare possit munus? Non ita dictu facile est, & tamen dicendum:

Ut nullum est homini fœdus sæuoq; leoni,
Vivere nec possunt pariter agniq; lupiq;.

Ita ad conciliandum homini hominem nihil est quod magnopere valeat, donec auro argentóque intentos habet oculos. Quod si à se impetrarit ne faciat, nondum hæc ad amicitiam sufficit continentia, aliud enim mentē perturbat: pueri puta alicujus flos, aut uxóris forma. Quæ omnia irretorto si spectet oculo, *speciosus est magnanimi populus Erechtei*, & concionum præconia, & parta apud omnes gloria, res celerrima, quæque universam velocissimè terram pervagatur. Hanc si contemnas, nondum judicium contempsisti. Quod si

possis, nondum potes carcerem; carcerem si possis, mortis adventum metues.

Necesse est autem multas præterire voluptates, multis resistere laboribus, ut id quod omnibus par sit virtutibus, omnibus æquipolleat laboribus, consequaris: rem auri precio majorem, forma diuturniorem, omni certiorem gloria, omnibus integriorem honoribus: rem quæ & per se petitur, & sponte offertur, & meritò laudatur: quæ sive dolorem sive voluptatem afferat, recordatione tamen sui se sustentat instituti. Est autem res ea rarissima. Cujus tamen umbram ubiq; invenies. Adulatorum dico, qui rideant semper, semper palpo feriant, plurima examina cœtúsque plurimos: quorum in summa lingua amicitia habitat, nec benevolentia, sed necessitate adducti circumvolitant: mercenarii verè non amici. Et hujus quidem mali immunis futurus es nunquam, dum qui remuneratione metiantur amicitiam invenire poteris. Nec negari potest propterea, quin alibi existat illa, quamvis nec publicè nec privatim vulgo hominum videtur. Citò enim arma exuerent, citò militaribus artibus armorúmque officinis, omnique militum renuntiarent turbæ: nemo de tesseris sollicitus esset, nemo arces muniret amplius, aut in castris ageret: sed sub Jove tanquam fœciali de integro fœdus inirent commune: qui non ex Olympia Isthmóque id indicit, sed ex ipso cœlo voce maxima proclamat:

State viri mihiq; hoc permittite, multa dolenti.

Ut vos conservem, priusquam mutuis omnes vulneribus ad internecionem redigamini. Nunc verò fœdera initis momentanea, triginta fortasse annorum, quibus nec omino nec satis tuto à malis respiratis, donec novus oriatur prætextus aliquis, qui sursum deorsumq; omnia moveat. Adde, quod plerunq; evenit, ut quamvis ab armis decedatis, quamvis pace fruamini, bellum tamen aliud interveniat, non publicum, sed privatum; quod non ferro, non igne, non classe geritur, non equitatu, sed sine his omnibus, animum corrumpit, animum òppugnat, animum invidia, ira, bile, contumeliæ studio, aliisque sexcentis implet malis.

Quid remedii igitur? quæ nobis induciæ? quæ Olympia aut Nemea? Pulchra quidem apud Athenienses celebrantur festa; Dionysia dico & Panathenæa: sed ab iis qui odia exercent mutua. Bellum narras non festum. Pulchra sunt apud Lacedæmonios Gymnopædiæ & Hyacinthia chorique solennes. Sed & Agesilaus Lysandro invidet, & Agin odit Agesipolis; & regibus Cinadon, & ephoris Phalanthus, & Spartiatis insidiantur Partheniæ. Festo diffido, nisi iis inter se conveniat à quo celebratur. Hæc una induciarum lex, una ratio, à legislatore præscripta Deo: sine qua amicitiam nemo videbit unquã. Licet sæpè fœdus inierit, licet sæpè Olympicis, aut Isthmicis ascriptus; sit aut Nemeæis. Quod ad animum penetret volo præconium: tales inducias loquor. Dum enim bellum illud animi internum sine libamine, sine præcone adhuc durat, amicitiæ expers manet animus, inimicus, acerbus. Hæ sunt Pœnæ, hæ Erinnyes: hinc theatrica spectacula, hinc tragœdiæ. Sequamur has inducias, advocemus philosophiam. Veniat, fœdus feriat; vocem suam præconiumque interponat. *Dissertatione 36.* Quomodo quis ad amicũ se præparare debeat.

Iulianus Imp. An verò expectandum est, dum vocere? an priorem officio atque amicitia certare, prorsus extinctum est? Vide ne iniquã legem in amicitiam inducamus, si ab amicis eadem conveniat, quæ vulgò à quibuslibet familiaribus expectantur. Quæret aliquis, quẽadmodum amici simus, cùm ne de facie quidem inter nos noverimus. At ego vicissim quæro, quî fit ut eos, qui mille annos, imò etiã bis millenos antea fuerunt, diligamus? Nempe quia boni viri erant. Et nos sanè tales esse volumus: Ac tametsi quod ad me attinet, multum ab eo absumus, ut tales simus, voluntate certè proximè accedimus. Verùm quid pluribus tempus consumo? si in vocatum venire oportet, venies: sin vocem expectas, habes adhortationem meam. Quocirca per Jovem hospitalem te oro, ut ad nos quàmprimum venias. *Epist. 4.*

Iulianus Imp. Si nostra amicitia tibi usui esse potest, ea tibi præstò erit, cùm voles. Omnino amicitiam quoque infimorum utilem esse, docemus, qui leoni mercedis loco salutem attulit. *Epist. 8. fine.*

Iulianus Cæsar: Qualem verò te post tam præclarum facinus exhibueris, atque ut clementer ac benignè omnes illius amicos ac familiares tractaveris, qui quidem nullius cum eo sceleris participes fuisse convinci poterant, tametsi multi ad accusandũ calumniatores consurgerent, qui id duntaxat monebant, ut suspectã horũ cum illo amicitiã haberes, istud ego virtutis omnis caput, ac summam esse statuo. Nam & summa cum æquitate, & justitia, & multò prudentius à te factum arbitror. Quisquis verò aliud sentit, is cùm ab vera de re existimatione, tùm ab animo tuo & sententia abhorret. Siquidẽ eos servari justissimũ erat, qui nullius criminis essent convicti. Amicitias verò illorũ suspectas, atque idcircò fugiendas efficere nequaquã oportere persuasum habebas: cum subditorum tibi benevolentia ad tantã dignitatis, ac rerum gestarum amplitudinẽ esses evectus. Quin etiam filium ipsum scelerati, ac facinorosi hominis infantem adhuc de paterna pœna ac supplicio sentire aliquid passus non es. Ita totum illud à te susceptum negotium cùm in clementiam ac mansuetudinem desierit, absolutæ ac perfectæ virtutis indicium præbet. *fine Panegyr. 1. ad Constantium.*

Libanius: Noverat, quamdiu fortuna pares essemus, & amicos fore. Divitiæ verò quæ superbiam gignunt, amicitiã dirimere solent. Et hoc erat quod vulgò dicitur, Æqualitas amicitia; cùm alter alterum haudquaquam excedit. *Declamatione 8.*

Libanius: Inimicitiam jam aliquis olim occultavit, quasi quodam amicitiæ prærextu. Sed amicus verus, nullus voluit infensus esse videri. Ex illa enim fictione & malè agentem latere licet, nihilque perpeti: in hac dissimulatione, qui non faceret, odio haberetur. *Decl. 21.*

Libanius: Divitem hominẽ homines & censent & appellant eũ, qui auri copiã habet; cui vis argenti est: cui terræ multũ, & mancipia, & domus, & cœnaculariæ ædes, & naves & pecora, & cuicunque non omnia quidẽ hæc adsunt; sed unũ quiddã ex istis subinde suppetit; hunc ita vocant: aliúmque alio ditiorẽ, atque alterũ minus altero: & eidẽ utrumq; nomen dant, tùm eorũ quæ accedunt ratione, tùm eorum quæ pereunt. Hic dives gaudet, cùm bona fortunæ crescunt; aut omnia deinceps, aut particulæ quædã. Deinde veniunt unà congratulaturi, & una festũ celebraturi, quotquot amici sunt, & propinqui genere. Jam verò eripiente fortuna; & suã ipsi telã retexente; pleriq; doloris participes sunt futuri: tum mœror adversarius superiori voluptati, illũ quidẽ ipsum occupat; ejus itidẽ familiares ac necessarios invadit. Ac multus rumor est in urbibus, quòd pessum eant facultates alicui; nunc videlicet famulorũ improbitate, nunc facinorosorũ insidiis; interdum magistratuũ suffragiis: aliquid etiã tale sponsio efficeret: naves itẽ onerariæ quæ non feliciter ad maritimos quæstus navigarunt. Quamobrẽ in lavacris, & in officinis, ac domi, unusquisque vir ad conjugẽ & liberos non nihil de mutatione & vicissitudine cõmemorat. Duntaxat prompti & proclives sunt homines ad expendendũ ad quã conditionẽ quis ex qua sorte redactus fuerit: magnus, inquiunt, deinde parvus: beatus, deinde miser. Sunt aũt quib⁹ hoc vel morte acerbi⁹ esse videatur. Porrò testes huic opinioni accedunt ipsi penuriã vexati, dum ingemiscunt, quod mortui non sint. Quocirca quod ad hæc attinet non repugnarem, neque libens reprehenderem dolorem, qui ex iis oritur; aut sermones qui instituuntur. Verùm & opulentia alia penuria est; quæ vulgo non videntur esse ejusmodi: itaque neque cùm adsunt hæ divitiæ opulentũ esse hominẽ dicunt, neque cùm abeunt, pauperẽ. Quænã verò ista hęc opulentia est? amici. Etenim amicis abundantẽ ajo divitẽ esse, & sic appellandũ. Eum aũt, cui à Plutone hoc ademptũ est, inopem esse factum. An non locupletis & beati viri est, multis quidẽ oculis cernere, multis etiã auri⁹ audire, multis itẽ manibus uti; ac totis denique corporibus & mentibus quæ in illis sunt? An tyranno quidẽ magnũ est præsidiũ & benevolentia & multitudo satellitũ: privato aũt viro exiguum & leve quiddam benevolentia & copia familiarium? quocirca mihi videntur injurii & rerũ omniũ ignari, qui hæc non ita appellant, ac præsertim q respõsum audierunt quod Alexander Macedo de thesauris dedit. Quod si amici thesauri sunt; atque hæc dicta Alexandrũ non minus exornant, quã pleraque trophæa; quã ob causam non eum cui multi sunt amici opulentũ existimamus: cui verò pauciores, minus locupletẽ; cui denique nullus est amicus, pauperrimũ? prudentum aũt hominũ fuerit, quoti escunque mos amicũ eripuerit, dicere pauperiorẽ illum effectũ esse, cui amici jactura facta est. Jam verò cùm famuli obeunt, istud verbi enunciatur: ac damnũ esse videtur, non tot servis, quot antea, imperare posse: at cùm amicos super amicis aliquis extulerit ac sepelierit, hiccine cũ pari facultatũ modò domũ reverteretur? & quî id fieret? enimverò si nõ amplius illos, cũ quib⁹ amicitiæ fœdus inierat, videbit; neque quicquam loquentes & suadentes auscultabit: neque sibi succurrentibus potietur; neque partim quod juberet, partim etiam quod tacitus optaret, facientibus fruetur: nihil, tanta ipsi possessione concisa, unquã vetaret eundem & penuriâ laborare, & ditescere, quoties circa eundem utrumque continget, ac pecuniæ quidem multæ fuerint; amici aũt ex pluribus pauciores, ut si quis ipsum dicat opulentũ esse; alius verò inopẽ; neuter alterũ mendacii cõvinceret, quandoquidem quod ad sermones attinet, perinde fuerit. Atenim video utique alios quidem in hisce versari absque pecuniis: alios aũt nihilo servis quos emerunt meliores esse, verùm iis præstantiores qui memorantur argentei: atque isti quidem possent fluviis pontes exstruere. Quòd si quis ipsos pauperie vexari dixerit, ad medicos hic ducendus esset, ut veratro purgaretur. Verúm qui sic mul rideret, & de penuria quæ in sermonibus agitatur, doceret: fortean multis persuaderet eum sanũ esse existimans, usq; adeò ut veratro nihil opus haberet. Integrũ ergò vobis fuerit, eos qui multã auri vim habent, vocare pauperes, ejus rei gratia, quã neque acquisierunt, neque obtinent. Liceat præterea dicere me quoque pauperiorẽ evasisse: imò quisquis id non asserit, non satis expendisse mea videtur: neque ut integro die opus esset ad enumerandos amicos qui mihi fato functi sunt. Igitur etiã Achilles cùm Patroclus occubuisset, factus est pauperior, non ob ea quę cum ipsius cadavere combussit; sed quia Patroclum deflevit, quinetiam ego ipsum collaudo, quòd ea fecerit quæ Homerus canit eum fecisse, cùm Patroclum non amplius in vivis esse audisset. *Dissertatione de inexplebili cupiditate.*

Libanius: Quidam accedens ad Alexandrũ Magnum; Ego, inquit, ô Rex, perlibenter velim aspicere thesauros tuos. Ad hoc illũ impulisse puto, quod cerneret omnes hunc sibi gentes subdidisse, & pecuniæ copias illas jam consummatas esse. Quid verò Alexander? minimè injuriã sibi fieri censebat, si quis audacter interrogasset. Ergò jubet ministros suos assumere hominẽ atq; circũducere, ostenderéque non sanè auri copias, neq; argenti tot ac tot talenta, neque manubias immensas; sed aspicere ad amicos suos imperans: noli inquit Alexander, quærere aliud: isti n. sunt thesauri mei. Quod aũ convenientem ac decentẽ appellationẽ hanc esse duxerit amicitiæ, perspectu facile est intuenti tẽpora quib⁹ uti homines necesse est, casusq; secũdos itẽ & adversos; deniq; ætates & cõsultationes. Sunt aũt tempora duo pe-

nes quæ

nes quæ totius vitæ est arbitriũ, nempe pacis & belli. In utroq; autẽ plurimũ valet amicitiæ fors. Nã bella gerentib⁹ opus est pecunia, op⁹ armis, opus consiliariis, opus sociis. Penuriam igitur pecuniæ tollit amicus conferens sua in medium; neque suas magis quàm necessarii esse existimat facultates proprias: saluberrima requirit consilia idem, eaq; proferens, res emendat. Jam multi inopes armorum respicientes ad amicos, illa facilè paraverunt. Quin etiam societatis commoda ductu amicitiæ conciliantur.

Idem hoc amicitiæ bonum & civitatum est & privatorum. Dico enim eos ego esse amicos civitatum, benevolentes præsenti Reip. statui. Ii sunt qui leges ferunt, plebiscita conscribunt, sententias ducũt, injustos redarguunt, bonis ut præmia decernantur, auctores sunt.

Sed non minus privatis emolumentum in amicitia proponitur. Quippe qui delinquentes castigent, qui errantes in viam reducant, indigentibus succurrant, rebus gaudeant secundis, condoleant adversis. Iidem bella sedare conantur quàm rectissimè, & pacem quàm diutissimè servare: observantque quod cuique sit convenientissimum, & ad profutura accommodant actiones suas. Atque alias quidem civitates à regib⁹, alias à populo administrare videmus; quædam & in paucorum sunt potestate. Qui igitur præsentibus rebus favet, is & regnũ conservat regi, & custodit libertatem populis, defenditq; formã paucorum imperii. Jam aliqui mortales cum paupertate confligantur; aliis magnas divitias fortuna largitur, ad utrumq; horum mirificum affert momentum amicitia. His aũt quæ habent conservat, illorum autem egestatẽ sublevat. Atq; ea quoq; quæ per nosmetipsos exequi non conceditur, accessio amicorum perficit. Quis enim ignorat, opus esse viro ducta uxore? secundùm Hesiodum. At ducturi, si verba de nuptiis facienda essent ipsis, admodum erubescerent? advocat igitur usus necessarium; qui meditatus adveniens cum multis elegantibus verbis, quæq; adsunt auferens, quæq; absunt addens, facilè gentes cõciliat. Cùm verò amittuntur liberi, & necessaria alia, quæ perturbatio major sæpè est quàm ut ferri possit; qui tum præstò igitur sunt & dolorem demunt, & prohibent prosilire ad ensem, nonne isti? Quis exilium metuat, nisi expers amicorum? Ego quidem omnes etiam ætates non verear affirmare, maximos ex hac re fructus percipere. Senectam hæc allevat: socios florentibus suppeditat: indidem & pueris contingunt studiorum sodales. Ita nihil est quod ab usu amicitiæ remotum possis dicere. Sunt quidem non levia argumenta hæc, respondisse sapienter Alexandrum: ego tamen cujusmodi res sit amicitia, certiùs oũ perspecturũ esse judico, qui destitutos amicis cõsideraverit. Quid enim in formidine tyrãnus, bonorũ omnium firmum credere, quod non impendes malum metuere potest? nam qui consiliario caret qui ipsum abducat à deterioribus, adducatque ad meliora; quiq; persuadeat hæc fugienda⁹, illa persequenda esse: quo pacto hic aut bellum susceperit, cùm præstabit, aut pacem fecerit, cùm hæc potior erit? unde insidiatoribus indicatis, ante illorum conat⁹, tristia poterit repellere? quis victoriam illius concelebrarit? quis victo dolorem impertiat? Quòd si civitati desit qui curam illius gerat, quomodo in præsentia tuta, in futurũ secura esse poterit? Privatis verò, an non tristissima vita sine hac communitate fuerit? quis in foro colloquetur? quis subjiciet quo sit facto opus? quis consulet quid vetari oporteat? quis sublevator calamitatis, quis in judicio advocatus erit? Neque juventus sine amicis delectationem habere potest; & senecta illa privata multò onerosior; & paupertas absque hac geminum malum. Dives autem insidiatores reperiet multos, qui opitulentur nullos. Sed permulta mala commemorari possint, quæ cum inopia amicorum conjuncta sunt, quod si penuria amicorum laborãtes, in tot sunt difficultatibus, sequitur ut beatissimi sint ii qui affluunt copia amicorum; similiter út hi jucundissimam vitam, hi gravissimam degant; ac multò quidem rectiùs amici vocari debeãt thesauri, quàm ea quæ sic nominantur. Quid enim ab his tantum quantum ab amicis? utrum pecunia in aciem processit, & unà cum belligerantibus adiit pericula? minimè. At auctor fuit sententiæ? index insidiarum, sedatrix seditionis? at reddidit meliorem? nequaquam. Atqui hæc omnia hisque etiam plena à necessariis, nec non pecunia quoq; ipsa conferri solet, præterea amici optimi, nunquam eos qui uterentur ipsis reddidere deteriores. At divitias scimus sæpè in malum exire. Quare consideratè Alexander ab his ad illos thesaurorũ nomen transtulit, eò quòd semper opus sit amicis ei qui vitam beatam sit acturus. Ei verò qui hoc bono careat, idem videtur accidere, ac si altera manu privaretur. Quantum enim sibi inter se conferunt ad gressum pedes, tantum exhibent in negotiis amici. Neq; erraverit qui oculorum par communitati amicorum comparaverit. Poterit & is qui ad superiora Heroica volet tempora respicere, etiam de illis exempla adducere. Quid enim amicitia Herculis ac Thesei, quídve præclaris facinoribus illorũ illustrius? annon idem velle ac sentire & conspirare ad certamina obeunda simile? Cùm autem sevocatione quadam opus Herculi esset, quis Athenas abductum necessariis omnibus sustentavit? nonne Theseus? Atque hic idem in Pirithoi familiari usu, videamus quos fructus perceperit, quidque illi à se contulerit. Rapienda erat Helena Theseo, quia precibus illam obtinere non poterat. Erat igitur discrimen haud exiguum, partim à patre, partim à fratibus & aliis Lacedæmoniis: sed nihilominus & Theseus facinus illud ausus facere, neq; desertus à Pirithoo fuit, qui gratiam referendam nequaquam formidini postponeret. Neq; illum pœnituit promptitudinis; at mox graziam redditam accepit. Cùm enim nuptias petiturus esset Proserpinæ, Jovis & Cereris filiæ, jussit se quoque Thesea sequi. At hic primùm reprimere illum conati, manifestã calamitatem demonstrans: sed cùm dicendo movere eum non posset, in societatem periculi sese dedit; quæ passurus esset haud nescius, sed paratus pati illa potiùs quã offendere amicum. Jam post cædem paternam, quo Agamemnon redactus fuerit, audimus. Nonne. n. exagitabatur à furiis, odio habebatur à suis, execrabilis & impius videbatur universis, omniumque detestandus maximè? neque Pylades in ea fortuna hominem aversatus fuit, neque operto capite se in metu, ne implicaretur infamia illius, subduxit: sed & præstò ei, & assectatus ipsum fuit, neque illius certaminis societatem defugit, neque puduit curare eum qui sua manu jugulasset matrem.

Hæc parva sunt, si de Achillis sententia æstimentur. Is enim cùm planè cognovisset, ferendum necessariò alterum horum, vel ut Hectorem non interimeret, vel ipse etiam ut occideretur; vindictã amici præposuit vitæ suæ. Sed ne Euripides quidẽ prætereundus: omnino autem Poëtæ illius indubitata sapientia est. Quid ait igitur ille? Nihil esse pluris faciendum amico certo, quod optimum esse ipse ordine memorat. Deinde animadvertẽs homines divitias & regnũ magni pendere, planè pronunciat, Non regnum amico, non opes præstant bono. Meritò igitur amici ab Alexandro & judicati & appellati fuere thesauri. Quapropter qui sapient, cùm illum ob dictum laudare, tùm re etiam imitari studebunt. Non enim esse beata vita poterit, nisi copia amicorum suppeditet bonorum.

Alcinous: Amicitia propriè dicta, non aliter quàm per mutuam fit & reciprocam benevolentiã. Hæc verò tunc existit, cùm uterque, non minus de alterius quàm de sua est sollicitus felicitate: quæ quidem æqualitas non aliter quàm per similitudinem conservatur morum. Simile enim simili modo moderatum sit, est amicum: intemperata verò, neque inter se, nec cum moderatis possunt convenire. Sunt & aliæ quædam, quæ putantur, nec sunt tamen amicitiæ, in quibus aliqua apparet virtutis species, cujusmodi est naturalis parentũ in liberos cognatorumque inter se benevolentia, nec non ea quæ civilis ac sodalitia nuncupatur. Quas non semper mutua comitatur benevolentia. Species præterea quædam amicitiæ, amatoria est.

Est autem amandi ratio, quæ honesta, animi generosi, quæ turpis, perversi, quæ media, ejus qui medio modo affectus. Et enim quemadmodum tres in animalis ratione præditi anima sunt habitus, unus rectus, unus turpis, unus medius horum: ità & amandi rationes, specie inter se diversæ. Quod maximè fines diversi, quos proponunt sibi, declarant. Et turpis quidem à sola corporis voluptate abripitur: ideóque planè est brutalis. Honestus verò solum respicit animum, quatenus quædam in eo virtutis indicia apparent. Medius utranque & corporis appetit pulchritudiem & animi. Quo amore qui dignus est, etiam medius est: hoc est, nec honestus planè nec improbus.

Quare eum qui circa corpora versatur Amorem, Dæmonem appellare potiùs quàm Deum oportet: cùm nunquam in humano fuerit corpore, sed divina deferat ad homines, & vice versa. Cùm verò amatoria hæc ratio in tres vulgo sit distincta species, ut jam dixim⁹, boni viri amor, cùm à vitiosis remotus sit affectibus, artificialis est. Unde & in rationali animæ parte collocatur. Quæ autem de eo præcipiuntur, hæc sunt: ut quis dignoscat quis amore dignus sit, eumq; paret sibi amicum, & cùm paraverit fruatur. Dignoscit autem vel ex proposito, vel ex appetitionibus an generosæ sint, an bonum finem sequantur, an violentæ & calidæ. Parabit autem eum quem in deliciis habiturus est, non lasciviendo, aut ut extollat eum nimium: sed ut castiget potius, ostendátque non expedire illi ut eo pacto vivat, quemadmodum nunc habet. Cùm autem amasio suo fruetur, ad ea semper eum adhortabitur, quibus exercitatus ad perfectum pervenire habitum poterit. Finis autem illis est, ut ex amante & amato, amici tandem fiant. *lib. de Platonis doctrina, cap.* 32.

Æneas Sophista: Præclarus Nemesius, ob legum peritiam laudatus, majorem de suis moribus admirationẽ omnibus præber. Quódnam hujus evidentissimum signum? Amicum colere novit & secundis operum rebus lætatur, cùm autem secùs quàm oportebat aliquid accidit, dolet. Velim te præter reliquam philosophiam hoc etiam studere. Studebis autem si absentium & præsentium amicorum memoriam æquè tenueris. *Epist.* 18.

Procopius Sophista: Sapientissimus Diodorus finem imponat mutuo inter nos silentio, & abs te scripta flagitans & tibi nostra reddens. Hic enim in mea amicitia est. Jam autem antè etiam te quàm videret, dilexit. Nostri enim sermones de te habiti, etiam ante aspectum incitaverunt amorem. Nam est homo naturâ bonorum virorum amans, & probos summa cum diligentia & cura investigat, quasi metuens, ne quis cùm ejusmodi sit, lateat. Quid verò me hæc opus est tibi dicere. Non enim dubium est, quin, cùm experientiâ didiceris, inferiorem ac minus dignam laudem sis existimaturus, & me invalidum oratorem dicas, qui ne ea quidem consequi verius potuerim, quæ veritas ipsa probaret. *Epist.* 12.

Procopius Sophista: Eis qui dant operam amicitiæ, sufficere benevolentiam arbitror, & necessariis usibus promptè, & alacriter inservire. At statim omnia profundere, neque aliàs justum est, neque ei qui beneficium accipit honestum. Qui enim semel mulctatur ad secundum usum tardior efficitur. Quod etiamsi vobis non accidit, amicitiæ lege semper confirmatis, attamen ego de his quæ mihi videntur scribere, pudore prohibeor. Unde si me vultis libertate loquendi, apud vos semper gaudere, non recusabitis æs alienum vobis debitum accipere *Epist.* 35.

Idem: Non existimo tantam ad te rei dominum lætitiam pervenisse, quantam ego cepi, cùm quæ tibi contigissent audirem persus-

sumque

ſuaſumque habeo, favente fortuna, te ad altiorem dignitatis gradum evectum iri. Nam tui mores, & totum ingenium tuum apud præſtãtiſſimos etiam & optimates non eſt incelebre, partim facilitate qua in congreſſibus erga homines uteris, partim pietate in Deos & religione. *Ex typo Epiſtolari.*

Baſilius Imperator: Habe majorem animi lætitiam ex amicorum erga te ſtudio, quàm ex parentum & genere propinquorum: nam conſanguineorum amicitia non à virtute, ſed à natura proficiſcitur, ita ut ne voluntaria quidem meritò cenſeri poſſit: ſed amicorum benevolentia, à virtute & judicio naſcitur: & illa quidem naturam, hæc autem Deum habet authorem. Verùm ubi quid opus eſt, longè major habenda ratio morum eſt, quàm ſanguinis & judicii, quàm neceſſitatis: nam propinqui ſæpenumero etiam exiguæ pecuniæ cauſa parentibus inſidias moliuntur: veri autem amici totius mundi divitias nihili facientes, etiam vitam ipſam præ amicorum ſalute & charitate vilem habent. *cap.* 12.

Baſilius Imp. Ubi voles, facilè quemlibet amicum tibi comparabis, ſi de eo abſente bona quædam dixeris coram aliis, quos ei renunciaturos eſſe non dubitabis. Initium enim amicitiæ ferè laudatio eſt, inimicitiæ verò vituperatio. Et quos jam habes amicos, eos ſi magis devincire tibi voles, lauda abſentes coram aliis eorum amicis: nam ita videberis præſentes etiam laudare in abſentibus. Explora autem amicos in anguſtis & diverſis rebus: felicium enim multi ſunt amici. Sed eos amicos veros judicato, qui te non lucri cauſa diligunt, ſed propter ipſam amicitiæ virtutem: alia enim amicitiæ ſpecies quæ tempori ſervit, non tam amicitia quàm negotiatio & mercatura quædam eſſe deprehenditur. *cap.* 26.

Baſilius Imp. Omnium potentiſſimum vinculum eſt amicitiæ charitas: nihil enim eſt in rebus humanis, quod cum amico fideli permutari poſſit. Conſtantem ergo amicitiam ſerva omni & tempore & loco, cum iis quos veros amicos ſemel expertus fueris, ut & illi ſine ulla titubatione aut ſuſpicione mutuum erga te animum gerant. Et ne unquam animo ingratus ſis: pars enim pietatis eſt, benè merentibus gratiam referre: qui verò ingratus eſt, ipſe ſibi infenſus eſt: relata enim gratia augetur & multiplicatur referenti: non relata autem, etiam quam habuit antea perdit. Dum ergo te gratum exhibueris, multos habebis tui demerendi cupidos ac ſtudioſos: ingratus autem ſimulatque deprehenſus fueris, nullum amplius habebis, in cujus benevolentia acquieſcas, & quo cum lubenter ac jucundè vivere poſſis, etiam ſi omnes ſimulatam erga te animi propenſionem præ ſe ferant. *cap.* 35.

¶ Romanorum.

Quintilianus ſenior: Cuſtodienda eſt perſona amici, ut quanquam de re nefaria, non tamen ſine reſpectu amici loquatur, & actione tota miſeratur illius. *Declamat.* 289. *ſermone.*

Quintilianus ſenior: Jungit amicitias ſimilitudo morum. Neſcio quomodo inter ſe animorum lumina vident & agnoſcunt: nec quiſquam amare in altero poteſt, niſi quod tacitus probat. Nec hæc in nobis tantum comparatio. Muta animalia ſi in unum conferantur genera tamen coibunt. Amicus illius fuiſti: cum illo tibi feria ac joci: non potes videri non probaſſe, quem non ignoraſti. *Declamatione* 307. *m.*

Quintilianus: Viderint ſanctiſſimi viri, qui receptas nominum perſuaſiones velut aliquam ſervitutem charitatis attendunt. Me ſi quis interroget, nullos affectus tantùm naſci puto. Et ſi quis omnia vera ratione reſpiciat, quicquid liberos, fratres, propinquos invicem tenet, amicitia eſt. Homines igitur, quos cùm maximè incredibiliũ rerum loquitur invidia, ſumus ſine dubio non ejuſdem pars animæ, non ejuſdem pondus uteri: & quantò minus in cauſis, tantò plus in affectu eſt. Admirabilior charitas, in quam coimus viribus noſtris. Non pudet, judices, hanc fateri perſuaſionem, minus debetur homini, qui aliquem ideò tantùm amat, quia neceſſe eſt. Ita eſt, judices, ita eſt, à primis ſtatim ætatibus in eandem coire vitam habet aliquem fraternitatis affectum. Sic effectum eſt, ut nos ſtatim fama committeret: & tali certamine coivimus, ut ſi quid accidiſſet uni, deberet & alteri exemplum. *Declamatione* 6. §. 1.

Quintilianus: Junxerat nos potentiſſimus amor ille puerilis. *Declamatione* 9. §. 3. *pr.*

Quintilianus: Tacete priora ſæcula, in quibus tamen à primordio generis humani pauciſſimæ amicitiæ paria, admirabiliora fecerat longa temporibus noſtris fides intercepta: quidquid hiſtoriæ tradiderunt, carmina finxerunt, fabulæ adjecerunt, ſub hac comparatione taceant. *Declamatione* 9 §. 7. *f.*

Quintilianus: Neque reperio quid in rebus humanis excogitarit natura præſtantius amicitia, quid concordia contra fortunam majus auxilium. Nam primũ præter cætera animalia induit noſtris pectoribus quandam ſocietatẽ, quæ mutuo gaudere congreſſu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cùm mentibus noſtris varios impoſuerit motus, nullum profectò meliorem benevolentia tribuit affectum. Quid enim foret humano genere felicius, ſi omnes eſſe poſſent amici? Non bella, ſeditiones, latrocinia, lites, cæteraq; mala quæ hominibus ex ſeipſis nata ſunt, fortunæ acceſſiſſent. Id quia nimium Deo viſum eſt: at certè honeſtis convenire mentibus, fidem colere, amoris gratiam referre, omnibus temporibus, omnibus gentib⁹ præcipuum & quodammodo ſacrum fuit (neq; enim niſi optimis mentibus contingit, ut aut amare ſciant, aut ſic amari mereantur) hoc ego crimen expaveſcam? Scires quantopere gloriarer pater, ſi cum amico ego meo rediſſem. *Declamatione nona, §. decimo quinto. p.*

Quintilianus: Eant nunc antiquarum conditores fabularũ poëtæ, & ſe ad exhortandam amicitiæ fidem magna quædam compoſuiſſe carminibus putent, ſi dixerint aliquos per maria terrasq; aſperiorem fortunã amicorum tantùm ſecutos, aut principem Græciæ virũ in ultionẽ interfecti amici inauſpicata bella geſſiſſe. Nam inter fratres quoq; illa maximè admirabilis, tamen alterna mors eſt. Una fingitur conjunx, quæ jam perituri vitam mariti vicaria morte ſua redemit: adjicitúrq; miraculo fabulæ, feciſſe hoc eam quod non præſtitiſſet pater. En indubitabile ſeculi decus, & fictis majus: ut moreretur pro me amicus, ſuum reliquit patrem, meum vicit. *Declam.* 9. §. 30.

Quintilianus: Amicitiam mihi videtur natura excogitaſſe, ut coire invicem poſſit totum hominum genus. *Declam.* 16. §. 7. *pr.*

Idem: Neſcias an diligat, cujus non habet experimenta niſi ſola felicitas: & ſi vitæ præſtes omnia ſecunda, amicus ouoſa res eſt. *eod.* §. 7. *f.*

Plinius junior: Hæc tibi ſcripſi, quia æquum erat te pro amore mutuo, non ſolùm omnia mea facta dictaque, verùm etiam conſilia cognoſcere. *fine Epiſt.* 5. *lib.* 1.

Plinius junior: Si utrumque noſtrum probas, de Rufo quoq; neceſſe eſt idem ſentias; cùm ſit ad connectendas amicitias vel tenaciſſimum vinculum, morum diſſimilitudo. *lib.* 4. *Epiſt.* 15. *pr.*

Plinius junior: Corellium ego cùm ex admiratione diligere incepiſſem; quod evenire contra ſolet, magis admiratus ſum, poſtquam penitùs inſpexi: inſpexi enim penitùs; nihil à me ille ſecretum, non joculare, non ſerium, non triſte, non lætum, &c. *lib.* 4. *epiſt.* 17.

Plinius junior: Hæc tibi ſcripſi: quia de omnibus quæ me vel delectant, vel angunt, non aliter tecum quàm mecum loqui ſoleo: deinde quod durum exiſtimabam, te amantiſſimum mei fraudare voluptate quam ipſe capiebam: neq; enim ſum tam ſapiens, ut nihil mea interſit, an iis, quæ honeſtè feciſſe me credo, teſtificatio quædã & quaſi præmium accedat. *lib.* 5. *epiſt.* 1. *fine.*

Plinius junior: Plures habere amicos multis gloriosum, reprehenſioni nemini fuit. *lib.* 5. *epiſt.* 3. *fine.*

Plinius junior: Ipſi amare invicem, qui eſt flagrantiſſimus amor, adoleſcentuli cœpimus. Manſit hic poſtea, nec refrixit judicio, ſed invaluit. Sciunt qui alterutrum noſtrum familiarius intuentur. Nam & ille amicitiam meam latiſſima prædicatione circumfert; & ego præ me fero, quàm ſit mihi curæ modeſtia quies, ſecuritas ejus. *Epiſtola* 8. *libri* 6.

Plinius junior: Eſt mihi perjucundum, quod viri optimi mihiq; amiciſſimi adeò cohæſiſtis, ut invicem vos obligari putetis. Nam ille quoque præcipuam ſe voluptatem ex amicitia tua capere profitetur, certatq; tecum honeſtiſſimo certamine mutuæ charitatis, quam ipſum tempus augebit. *Epiſt.* 7. *libri* 7.

Plinius junior: Perge ut cœpiſti, virúmq; optimum quàm familiariſſimè dilige; magnam voluptatem ex amicitia ejus percepturus, nec ad breve tempus. Nam cùm omnibus virtutibus abundet, tùm hac præcipuè quòd habet maximam in amore conſtantiam. *libri* 7. *Epiſt.* 8.

Plinius junior: Nihil eſt quod verearis, ne ſit hoc illi moleſtum; cui orbem terrarum circumire non erit longum mea cauſa. Proinde nimiam iſtam verecundiam pone; teq; quid velis, conſule. Illi tam jucundum eſt quod ego, quàm mihi quod tu jubes. *Epiſt.* 16. *lib.* 7.

Plinius junior: Quæ omnia huc ſpectant, ut invicem ardentiùs diligamus, cùm tot vinculis nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique hominum judicia conſtringant. *fine Epiſtolæ* 20. *libri* 7.

Plinius junior: Claudius Pollio, quàm reverenter, quàm fideliter amicos colat, multorum ſupremis judiciis, in his Muſonii Baſſi graviſſimi civis credere potes; cujus memoriam tam grata prædicatione prorogat & extendit, ut librum de vita ejus (nam ſtudia quoque, ſicut alias artes bonas veneratur) ediderit: pulchrum iſtud & raritate ipſa probandum; cùm plerique hactenus defunctorum meminerint ut querantur. *lib.* 7. *epiſt.* 31.

Plinius: Hunc hominem appetentiſſimum tui, mihi crede, complectere, apprehẽde, imò & invita, ac ſic ama tanquam gratiam referas: neque enim obligandus ſed remunerandus eſt in amoris officio, qui prior cœpit. *ibid.*

Plinius ſecundus: Claudius Pollío amari à me cupit; dignus hoc ipſo quod cupit, deinde quod ipſe te diligit; neque enim ferè quiſquam exigit iſtud, niſi qui facit; vir alioqui rectus, integer, quietus, &c. *lib.* 7. *epiſt.* 31.

Plinius junior: Olim non librum in manus, non ſtylum ſumpſi: olim neſcio quid ſit otium, quid quies, quid denique illud iners quidem, jucundum tamen, nihil agere, nihil eſſe: adeò multa me negotia amicorum nec ſuccedere, nec ſtudere patiuntur. Nulla enim ſtudia tanti ſunt, ut amicitiæ officium deſeratur: quod religioſiſſimè cuſtodiendum, ſtudia ipſa præcipiunt. *Epiſt.* 9. *lib.* 8.

Plinius junior: Unicè probo, quod Pompeii Quintiani morte tam dolenter afficeris, ut amiſſi charitatem deſiderio exprendas: non ut plerique qui tantùm viventes amant, ſeu potius amare ſe ſimulant, ac ne ſimulant quidem, niſi quos florentes vident. Nam miſerorum non ſecus ac defunctorum obliviſcuntur. Sed tibi perennis fides, tantaque in amore conſtantia, ut finiri niſi tua morte non poſſit. *lib.* 9. *epiſt.* 9.

Plinius junior: Suetonium Tranquillum, probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimum virum, & mores ejus ſecutus & ſtudia, jampridem in contubernium aſſumpſi: tantoque magis diligere cœpi quanto hunc propius inſpexi. *Epiſt.* 95. *lib.* 10.

Plinius; Jam & in privatorum animis exoleverat priſcum mortalium bonum amicitia; cujus in locum immigraverant aſſentationes, blanditiæ, & pejor odio amoris ſimulatio. Etenim in Principum domo nomen tantum amicitiæ, inane ſcil. irriſumq; manebat. Nam quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quos ſibi alii domini, alii ſervi vidébantur? Tu hanc pulſam & errantem reduxiſti. Habes amicos quia amicus ipſe es. Neque enim ut alia ſubjectis ita amor imperatur, neque ullus affectus tam erectus & liber, & dominationis impatiẽs, nec qui magis vices exigat. Poteſt fortaſſe princeps iniquè, poteſt tamen odio eſſe nonnullis, etiamſi ipſe non oderit: amari niſi ipſe amet non poteſt. Diligis ergò cùm diligaris, & in eo quod utrinque honeſtiſſimum eſt, tota gloria tua eſt; qui ſuperior factus deſcendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore ſubmitteris; imò tunc maximè Imperator cùm amicum agis. Etenim cùm plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, præcipuum eſt Principis opus amicos parare. Placeat tibi ſemper hæc ſecta, & cùm alias virtutes tuas, tùm hanc conſtantiſſimè teneas. Nec unquam preſuadeatur humile eſſe Principi, niſi odiſſe. Jucundiſſimum eſt in rebus humanis amari, ſed non minus amare. Quorum utroq; ita frueris, ut cùm ipſe ardentiſſimè diligas, adhuc tamen ardentiùs diligaris: primum quia facilius eſt unum amare quàm multos, deinde quiatibi amicos tuos obligandi adeſt facultas tanta, ut nemo poſſit te niſi ingratus non magis amare. *cap.* 86. *Paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Princeps cùm in uno probavit amare ſe ſcire, vacat culpa ſi alios minus amat. *cap.* 87. *Panegyr. ad Trajanum.*

Plinius: Indulgentiſſimus Imp. in concordia noſtra ea præſtitit ambobus, quæ ſi tantum in alterum contuliſſet, ambos tamen æqualiter obligaſſet. *cap.* 90. *Paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Inter hæc beneficia tua, gratiſſimum eſt nobis quod nos rurſus Collegas eſſe voluiſti. Ita charitas mutua, ita congruens vitæ tenor, ita una eademque ratio propoſiti poſtulabat; cujus ea vis, ut morum ſimilitudo concordiæ noſtræ gloriam minuat: ac proinde ſit mirum ſi alter noſtrum à Collega ac ſi à ſeipſo diſſentiat. *cap.* 91. *Paneg. ad Trajanum.*

Nazarius orat. ad Conſtantinum Imp. Tibi tamen Roma etiam in illa ſui ſorti venerabilis, quod quos impensè amamus, obſervantia eorum integra eſt, etiamſi fortuna dilapſa eſt. In abjectos officia gratiora ſunt, quæ non ex miſericordia, ſed ex honore venerunt: ſed rectè à ſapientibus ponitur connexio inter ſe apta virtutum. Sic enim mutuo & opera juvant, & fructum operæ partiuntur, ut facilè appareat inſeparabilis & indiſcreta permixtio. *cap.* 6.

Symmachus: Meritò apud nos in dies ſingulos tui cultus augeſcit, & juſto cumulo creſcit affectio. Namque ita uſu comparatum videmus, ut amicitia benè locata experiundo quotidie dilatetur. *libr.* 1. *Epiſt.* 36.

Symmachus: In ſumma, mihi curatio eſt, ut amicitiam tuam boni uberent. Te quoq; idem velle habeo compertum. Semper enim natura gaudet æqualibus; & familiare ſibi eſt omne quod ſimile. *lib.* 1. *Epiſt.* 37. *f.*

Symmachus: Amicitia citò ſanatur officio. *lib.* 1. *Epiſt.* 85.

Symmachus: Eo ſtudio atque propoſito es, ut inſtar gratiæ habeas, ſi tibi probabilis amicus accedat. *lib.* 2. *Epiſt.* 80. *f.*

Symmachus: Quod fortunæ tuæ pollucibiliter floruerunt, meum duco compendium: quando ita animatus ſum ut amicorum proſperata meis commoditatibus externa non arbitrer. Et revera quotus quiſque homini dies lætus eſt ſua tantùm ſecunda numeranti? Latiùs gaudet qui & alterius bonis paſcitur. *lib.* 3. *Epiſt.* 24. *pr.*

Symmachus: Plenæ atq; inveteratæ inter nos amicitiæ nihil adjici poſſe credideram. Inveniſti tamen quo perfectam diligentiam tui in faſtigium tolleremus. *libr.* 3. *Epiſt.* 25. *pr.*

Symmachus: Factum nuncias, quod ſpe & opinione ante percepi, ut tibi amicitiam bonorum primus congreſſus aperiret. Namq; hoc nobis & tui mores, & illorum judicia promiſerant. Facilè enim probitas delata ad virtutum arbitros placet. *lib.* 3. *Epiſt.* 29.

Symmachus: Affectio boni animi capax eſt augmenti, quoties meritis provocatur. *lib.* 3. *Epiſt.* 32. *f.*

Symmachus: Amo & ſuſpicio virtutes tuas. Sed accidit quòd tibi etiam amicus invideam. Flaviano meo aliquandiu ſolus frueris. Accipe planius quid velim dicere. Ad te migravit quicquid Romæ optimum fuit. Et vobis quidem ſocietas veſtra dabit mutuum gaudium. Mihi quid ſolatii erit? quem & ille deſeruit, & tu minus deſiderabis, quia unus tibi pro utroque ſufficit. *lib.* 3. *Epiſt.* 58.

Symmachus: Cùm præ cæteris tibi domeſtica bona chara ſint, proximum ſibi gradum jure amicorum cura defendit. *lib.* 3. *Epiſt.* 75.

Symmachus: Hærentem me literis impuliſti, ut amicitiam, quam dudum tacitus optabam, nunc provocatus excolerem. Amplector futuræ inter nos familiaritatis auſpicem voluntatem. Et quamvis præventus voto tuo; enitar, ut potero, ne vincar officio. Has enim partes video mihi reſervatas, ut religio, quæ te hortante ſumpſit exordium, meo annitente ſumat augmentum. *lib.* 3. *Epiſt.* 78.

Symmachus: Primis quidem literis tuis viciſſitudinem mox rependi. Sed quia novæ familiaritatis auſpicibus plus debetur officii; excolere amicitiam literario munere perſevero, ut perſpicias benè cum his miſceri fœdus animorum, qui cumulationem gratiam religioni referre noverunt. *lib.* 3. *Epiſt.* 79.

Symmachus: Flavianum pectoris mei dominum, tui ſocium, hærere animo tuo uſq; ad improborum dolorem nimis gratulor. Nam ſæpè apud me de tali amicitia gloriatur. Hoc ego futurum ante proſpexeram, virtutes utriuſque conſiderans, quarum ſimilitudo concordiam facit. Et ideò plus gaudii quàm miraculi capto, teque oro ne quid in tales amicos faſcino liceat. Ille enim mihi non eſt rogandus cui aliud velle non expedit. *lib.* 3. *Epiſt.* 86. *m.*

Symmachus: Novos beneficiorum gradus invenis, & inconſtantem putas amorem qui incrementa non accipis. O felicis ingenii benignitatem! Quid Flaviano meo amplius velim, neſcio: cùm tu ſponte præcurrens impudentes nos facias æſtimari, ſi adhuc aliquid optamus. *lib.* 4. *Epiſt.* 5.

Symmachus: Nihil bonæ rei inter vos dividi amor æquus ac mutuus ſinit. *lib.* 4. *Epiſt.* 18. *f.*

Symmachus. Orationi uni jam fiduciam fecit publicus favor. Sed poſt ſententiam gentis togatæ, adhuc expectatione judicii tui pendeo, quod volo juratus emittas: quia convenit vinciri ſacramento fidem, ſi quando amicitia in ſuſpicionem gratiæ venerit. *lib.* 4. *Epiſt.* 65. *fine.*

Symmachus: Pecuniarias cauſas uſque ad detrimentum amicitiarum non oportet extendi. *lib.* 4. *Epiſt.* 72. *f.*

Symmachus: Fides amicitiæ ſyngraphum non requirit. *libr.* 4. *Epiſt.* 64.

Symmachus: Serva oro depromptæ in eum benignitatis tenorem: etſi hoc à conſtantia tua ſperandum magis quàm poſtulandum eſt. In dubium enim voluntarii amoris fides non venit. *libr.* 5. *Epiſt.* 6. *fine.*

Symmachus: Bonorum frequens aſtipulatio de ſanctis moribus tuis, in hoc me deſiderium provocat, ut amicitias tuas impatienter exoptem. Nam qui omnium ore celebrantur, & probitatis laude conſpicui ſunt, incognitos quoſque ad amorem propriæ familiaritatis invitant. *lib.* 5. *Epiſt.* 4.

Symmachus: Amicis juſta cupientibus uſui eſſe debemus, præcipuè eis quos judicio probamus & amore complectimur, *libr.* 5. *Epiſt.* 39.

Symmachus: Maximum lucrum eſt quærere familiaritatem bonorum. *lib.* 5. *Epiſt.* 64.

Symmachus: Quod vel veſtri animi ſpecimen, vel mei deſiderii ſolamen poteſt eſſe præclarius, quàm ut apud me in dies ſingulos meritorum veſtrorum cultus augeſcat? Amicitia enim quæ celebratur officiis, nunquam certo fine contenta eſt. *lib.* 5. *Epiſt.* 71.

Symmachus: Amicitia animis non annis æſtimatur. Rudis igitur tibi eorum non videatur affectus quorum in te cultus annoſus eſt. Hoc eò ſpectat, ut noveris Auxentium & Marianum filios meos prudentiſſimos juvenes inter laudatores tuos primo re loco cenſeri; atq; ideò non cognoſcendos novo aditu, ſed amoris fœdere & religione recolendos. *lib.* 6. *Epiſt.* 17.

Symmachus: Vidi in literis nuper mihi redditis religioſum pro nobis animi tui gaudium, & apertiſſimè deprehendi quid voluptatis ex amicorum proſperis uſurpes. Promptiùs igitur te diligo, poſtquam hoc votum bonæ mentis inſpexi. *lib.* 8. *Epiſt.* 29.

Symmachus: Adeò amicitia comparata eſt, ut officiorum vicibus mutua gubernetur utilitas. *lib.* 7. *Epiſt.* 62. *pr.*

Symmachus: Vir bonus ſolet amicorum proſpera voluptate partiri. *lib.* 7. *Epiſt.* 63. *f.*

Symmachus: Nulla aſſiduitas potis eſt animum amantis explere. *lib.* 7. *Epiſt.* 79.

Symmachus: Ubi ſim, quid egerim (nam præcipuè amicitia rerum talium curioſa eſt) ſi placet proſequar. *lib.* 8. *Epiſt.* 23.

Symmachus: Pleriſque amor eſt undique gentium pretioſa conquirere. Me juvat ſtudioſos ſapientiæ viros in amicitiæ poſſeſſionem vocare: quorum te ſummatem eſſe, jamdiu atteſtantur experti. *lib.* 9. *Epiſt.* 2.

Symmachus: Soleo amicitias optimorum primus expetere. Nunc fortunæ meæ inclinatio, ut prævenirer, effecit. Tribuenda eſt igitur venia tarditatis, non negligẽtiæ, ſed mœſtitudini meæ. Et bono omine familiaritas copulanda, cui auſpicium fortunatius præſtitiſti. Sed licet me officii ordine & dignatione præverteris; in poſterum tamen nequaquam reſidem judicabis: ut animorum noſtrorum conciliatio quæ invitamento ſumpſit exordium, meis literis frequentata cumuletur. *lib.* 9. *Epiſt.* 63.

Symmachus: Sed in his præcipua mihi fuit ratio non ſilẽdi, quod prior votum ſanciendæ familiaritatis habuiſti. Unde curare me decuit, ne culpam faſtidii contraherem diſſimulando reſponſa: atque mallem ſemper mea opera amicitias inchoari; tantùm abeſt ut pigrè & negligenter accipiam munus religionis oblatæ. Ago igitur gratias bonæ voluntati tuæ; & curabo ſedulò officiis meis, ut credas potuiſſe me ſcribendi ordine præveniri, diligentia animi non poſſe. *lib.* 9 *Epiſt.* 66. *m.*

Symmachus: Fateor veræ amicitiæ hanc eſſe rationem, ut commoda noſtra mutuò gaudeamus. *lib.* 9. *Epiſt.* 81. *p.*

Symmachus: Sed pars epiſtolæ tuæ, quæ mihi aſſignat palmam eloquii, ſit licet nimis jucunda, minùs tamen vera. Non audeo ſcribere, mentiris & decipis cùm hæc de me prædicas: ſed illud potiùs, ſcio quòd amore falleris. Tu quemquam facundum voces, vir in dicendo ſummarum partium, cui ſit patritiæ dignitatis oratio? Ergo parce verbis lenocinantibus, & fuco oblitis, & ad gratiam comparatis. Amicitiæ noſtræ fortè conveniat ut talem videri me cæteris cupias: pùdoris tamen eſt ut mihi ipſi eſſe perſuadeas. *lib.* 9. *Epiſt.* 82.

Symmachus: Acceſſit etiam nobis familiaritas, quæ te mihi æquiorem judicem faciat. Gratioſa quippe eſt amicitia, & à ſe vero examine

mine in blandiores sensus charitate mutat. *lib.9. Epist.* 82. *m.*

Symmachus : Patentes amicitiæ tuæ fores benignè accitus intrabo, & compensare meditabor, pudentis silentii moras crebrioribus paginis. Tu tantum bona venia recipe obsequium linguæ inopis, & pauli sper Imperialis magistri submitte judicium. *lib.9. Epist.83.*

Symmachus : Incassum dissimulationis & taciturnitatis accusor, quum debitam tui diligentiam Jove teste non deseram. Sed nequitia meorum arbitror accidisse, ut missa ad te scripta resederint. Quæso igitur ne ex infrequentia literarum meus in te animus æstimetur. Nam plerumque officii is simulatur affectio. Amicitiæ autem sinceritas pectoris magis fidem postulat, quàm delinimenta sermonis. *lib.9. Epist.87.*

Symmachus: Pro filiis nostris, Deo jurante conjunctis, in duobus solidis ad te misimus sportulam nuptialem : quam cum prompta dignatione susceperis, documentum dabis omnia amicorum festa esse communia. *lib.9. Epist.97.*

¶ Poetarum.

Plautus Aulularię 2. sc. 2. v. 68.

Quia videt me suam amicitiam velle, more hominũ facit :
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi ; per metum malè rem gerit :
Idem quando illæc occasio perit, post serò cupit.

Plautus Aulularię 3. sc. 4. pr.

——— *Di immortales ! facinus audax incipit,*
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium,
Aut rem. velut Megadorus tentat me omnib⁹ miserũ modis:
Qui simulavit mei honoris causa mittere huc coquos ;
Is ea causa misit, hoc qui surriperit aurum mihi.

Plautus Bacchid. 3. sc. 2. pr.

Multimodis meditatus egomet sum, & ita esse arbitror,
Homini amico qui est amicus, ita uti nomen possidet,
Nisi Deos ei nil præstare. id operâ expertus sum ita esse.

Plautus Bacchid. 3. sc. 6. v. 9.

Num qua advenienti ægritudo objecta est? M. *atq; acerrima.*
P. *Vnde?* M. *ab homine quem mihi amicum arbitratus sum antehac*
P. *Multi more isto atq; exemplo vivunt ; quos cùm censeas*
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimonis,
Lingua factiosi, inertes opera, subleśta fide.
Nullus est cui non invideant rem secundam obtingere ;
Sibi ne invideatur, ipsi signa vi rectè cadent.
M. *Edepol na tu illorum mores perquàm meditatè tenes.*
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum obveniũt suo:
Nulli amici sunt: inimicos ipsi in sese omnes habent.
Atque ii se cùm frustrantur, frustrari alios stolidi æstimãt.
Sicut est hic, quẽ esse amicũ ratus sum, atq; ipsius sum mihi ;
Ille quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Facere, & in me inconciliare copias omnes meas.

Plautus Persa 1. sc. 1. v. 19.

Nimis stultè amicis uteris. T. *quid jam ?* S. *quia jam imperare oportet.*

Plautus Persa 4. sc. 4. v. 45.

Vide sis ! ego ille doctus leno penè in foveam decidi,
Nisi hic adesset. quantum est adhibere hominem amicum ubi quid geras ?

Plautus Pœnulo 5. sc. 4. v. 41.

Sed quis hic homo est? A. *Amicus vobis.* V. *qui quidem inimicus non est.* (*malum.*
A. *Bonus est hic homo, mea voluptas.* V. *pol istũ malim quàm*
A. *Si quidem amicitia est habenda, cum hoc habenda est.*
V. *haud precor.*
A. *Multa bona vobis facere vult.* V. *bonus bonis benefecerit.*

Plautus Rudente 1. sc. 4. v. 24.

——— *Dic, vivis ne obsecro?*
A. *Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,*
Quando mihi te licet tangere. ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere !

Plautus Sticho 3. sc. 1. 7.

Etiam Antiphonem conveni affinem meum,
Cumq; eo reveni ex inimicitia in gratiam.
Videte quæso quid potest pecunia.
Quoniam re benè gesta redisse me videt,
Magnasq; apportavisse divitias domum
Sine advocatis, ibidem in cercuro, in stega,
In amicitiam atque in gratiam convertimus.

Plautus Sticho 1. sc. 1. v. 14.

Quando ita rem gessistis, ut vos vellem amicosq; addecet ;
Pax commerciũq; est vobis mecũ. nam hoc tu facito cogites,
Vt cuiq; homini res parata est, firmi amici sunt. si res labat,
Itidem amici collabascunt, nec amicos invenis.

Plautus Trinummo 2. sc. 4. v. 54.

Satin' tu sanus mentis aut animi tui es,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium esse amicum inventum intelligo.

Plautus Trinummo 3. sc. 1. v. 19.

Nimium difficile est reperiri amicum, ita ut nomen cluet ;
Cui tuam cum rem credideris, sine cura omni dormias.

Terentius Andriæ 3. sc. 3.

Per ego te Deos oro, & nostram amicitiam Chreme,
Quæ incœpta à parvis cum ætate accrevit simul.

C. Cilnius Mecœnas.

Ni te visceribus meis, Horati
Iam plus diligo ; tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem.

P. Virgilius Maro.

Quocunque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
Tangere quas terras, quosq; videre homines :
Dispeream, si te fuerit mihi charior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest ?
Cui Venus ante alios, Dii, Diq; umq; sorores,
Cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
Cuncta, quibus gaudet Phœbus. chorus ipseq; Phœbi.
Doctior ô quis te Musa fuisse potest ?
O quis te interris loquitur jucundior uno ?
Cleio nam certè candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari,
Non contra, ut sit amor mutuus inde mihi.

Phædrus fab. 48.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
Cùm parvas ædes sibi fundasset Socrates,
E populo sic quis nescio, ut fieri solet :
Quæso tam angustam talis vir ponis domum ?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

Guntherus lib. 10. v. 287.

Ergo Placentinos, toties offensus ab illis,
Imperii Cæsar manifestos deputat hostes :
Hoc satius reputans, quàm si sub melle venena
Impia celantes, hostilia quæq; moverent.
Nulla quidem pestis magis est operosa nocendi,
Quàm simulatus amor, nimiumq; domesticus hostis.

Petronius Arbiter.

Nomen amicitiæ si, quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet vultum servatis amici :
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum : pater ille vocatur,
Filius hic ; nomen divitis ille gerit.
Mox ubi ridendas incluśit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Incertus.

Vrna brevis geminum quamvis tenet ista cadaver,
Attamen in cælo spiritus unus adest.
Vixímus unanimes Luciusq; & Flavius : idem
Sensus, amor, studium, vita duobus erat.

Incerti.

Serranum, Vegetumq; simul, junctumq; duobus
Herogenem, charos aspice Geryonas.
Esse putes fratres, tanta pietate fruuntur.
Imò neges ; sic est in tribus unus amor.
Triga mihi paucos inter dilecta sodales,
Triga sodalitii pars benè magna mei.

Incertus.

Ablatus mihi Crispus est, amici.
Pro quo si precium dari liceret,
Nostros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit.
Crispus præsidium meum, voluptas,
Pectus, delicia. nihil sine illo
Lætum mens mea jam putabit esse.
Consumptus malè, debilisq; vivam.
Plus quàm dimidium mei recesśit.

¶ Apologorum.

Hyæna & Vulpes.

Hyæna ajunt annuatim mutata natura nunc mares nunc femellas esse. Aliquando igitur Hyæna Vulpẽ conspiciens, objurgabat, quod amicitiam ejus ambientem se non reciperet. Illa respondit, ne tu me objurges, sed verò naturam tuam ; propter quam ignoro, utrum te ut amica, vel amico sim usurus.

Homo ac Satyrus.

Quidam cum Satyro inita societate, una cum eo comedebat. Cùm accessisset hyems, homo manus suas admotas ori afflabat. Rogante Satyro causam: Manus meas calefacio propter frigus. Paulò post allato edulio calido, homo admotum ori insufflabat ipsum. Rogãte rursus Satyro cur id faceret: Frigefacio ferculum, inquit. Tunc Satyrus: Ego posthac renuntio tuam amicitiam, quia ex eodem ore & calidum emittis & frigidum.

Affabulatio. Fugiendas amicitias, quarum anceps est affectio.

De Turdo amicitiam cum Hirundine ineunte.

Gloriabatur turdus, se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater, stultus es fili, inquit, si credis cum ea posse convivere, cum uterq; vestrûm diversa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis.

Hac monemur fabula, ne eos nobis faciamus amicos, quorum vita à nostra dissentit. *Laur. Abstemius.*

De Rustico

De Ruſtico & Mure. Fab.28.

Ruſticus quidam erat admodum pauper, ſed adeò facetus, ut ne calamitatis quidem tempore, nativi leporis oblivi ſceretur. Is cùm villam ſuam caſu, igne injecto, ita ardentem videret, ut aliquo modo ignem extinguere poſſe diffideret, mœſtus ſpectabat incendium. Interim cernit murem quendam, qui villâ egreſſus, periculum quàm ocyſſimè fugiebat. Oblitus damnorum, ruſticus cucurrit, & murem corripiens, illum in medium jecit incendium, dicens: Ingratum animal, tempore felicitatis mecum habitaſti, nunc quia fortuna mutata eſt, villam meam deſeruiſti.

Fabula indicat, eos non eſſe veros amicos, qui arridente fortuna à latere tuo non diſcedunt, turbata autem, præcipiti abeunt curſu. *Laur. Abſtemius.*

De Muliere, quæ proviro ſe mori velle dicebat. Fab.60.

Matrona quædam admodum pudica, & viri amantiſſima, ægrè ferebat maritum adverſa valetudine detineri. Lamentabatur, ingemiſcebat, & ut ſuum in virum amorem teſtaretur, rogabat mortem, ut ſi maritum ſibi eſſet ereptura, ſe potiùs quàm illum vellet occidere. Inter hæc verba, mortem cernit horribili aſpectu venientem, cujus timore perterrita, & jam ſui voti pœnitens: Non ſum ego, inquit, quem petis, jacet ibi in lecto, quem occiſura veniſti.

Hæc fabula indicat, neminem eſſe adeò amantem amici, qui non malit ſibi benè eſſe, quàm alteri. *Abſtemius.*

De Cane, oves domini ſui occidente, à quo ſuſpenſus eſt. Fab.78

Paſtor quidam cani oves ſuas dederat cuſtodiendas optimis illum paſcens cibis. At ille ſæpè aliquam occidebat. Quod cùm paſtor animadverti ſſet, canem capiens, eum volebat occidere. Cui canis: Quid me, inquit, perdere cupis, ſum unus ex domeſticis tuis, interfice potiùs lupum, qui continuè tuo inſidiatur ovili. Imò, inquit paſtor, te, quàm lupum morte dignum magis puto. Ille enim palàm ſe meum hoſtem profitetur, tu verò ſub amicitiæ ſpecie quotidie meum imminuis gregem.

Hæc innuit fabula, longè magis puniendos, qui ſub amicitiæ ſpecie nos lædunt, quàm qui apertè ſe noſtros inimicos profitentur. *Laur. Abſtemius.*

De Viro amicos experiri volente. Fab.85.

Vir quidam dives admodum & liberalis, magnam habebat amicorum copiam, quos ad cœnam ſæpiſſimè invitabat, ad quem libentiſſimè accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis ſibi fideles eſſent, omnes pariter convocavit, dicens: obortos ſibi inimicos, ad quos perdendos ire ſtatueret. Quare correptis armis ſecum irent, ut illatas ſibi ulciſcerentur injurias. Tunc omnes, præter duos, ſeſe excuſare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos duos tantùm in amicorum numero habuit, quos deinde ſingulari amore proſequutus eſt.

Hæc indicat fabula, adverſam fortunam amicitiæ experimentum eſſe quàm optimum. *Abſtemius.*

¶ Emblematum.

Batillius LXXXIV.

Amicitia.

At quam te memorem, ſeu virgo, ſeu Dea, fare,
Seu Dea, ſeu virgo, qualis & unde genus?
Et Dea ſum & virgo, poſitis pro nomine ſignis
Nota ſatis, Iove quæ ſum ſata, Amicitia.
Cur juvenis forma es? Non me ætas ipſa Sibyllæ,
Non mutent & quæ Tempora cuncta trahunt.
Cur tibi detectum caput eſt? Pateo omnibus, & non
Ullum ullus pudor eſt eſſe negare meum.
Quid toga tam rudis eſt? Alcidæ ferre labores,
Duram Iri q, pati calleo pauperiem.
Sed Vitæ & mortis *titulos quid fimbria præfert?*
Ad mortem uſque meus continuatur amor.
Cur Æstas & Hyems *porrectâ in fronte notantur?*
Vera fides quovis tempore firma manet.
Cur tibi ſic latus eſt ipſumq, ad pectus apertum?
Ipſum animi nudo ſic penetrale mei.
Brachium at inclinans digito quid cor Dea monſtras?
Cordi ut lingua & opus convenienter eant.
Quid cordi hæc inſcripta tuo Longe & Prope *ſignant?*
Abſens ut præſens, ſic mihi ſemper adeſt.

Batillius LXXXVII.

Amici propter utilitatem.

Non niſi ubi feſto madeat nidore culina,
Conviva eſſe frequens improba muſca ſolet.
Non niſi, (dum lucri pingues afflantur oderes)
Vulgus amicitias utilitate probat.

Camerarius XXXVI. Centur. 4.

Adverſis non deeſſe decet.

Ecce Scari ſocios prendant ut vimine clauſos,
Scilicet eſt veræ hoc ſymbolum amicitiæ.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Christus Dominus: Contemplemur *Amicitiæ* vinculum, potens & prævalidũ: cujus præſidio ni cincta ſit humana vita, deſerta erit, & vix vitæ imaginem referens. Ejus autem vim & virtutem inſignem ſuo exemplo demonſtravit noſtri generis Redemptor. Cui, dum nuntiatum eſſet, Lazarus quem amas, infirmatur; poſt biduum ad diſcipulos converſus, *Eamus*, ait, *in Judæam iterùm.* Mirantibus verò illis ac dicentibus: Rabbi nunc te quærebant Judæi lapidare, & iterum vadis illuc? reſpondit, paucis interjectis: *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut à ſomno excitem eum.* Vera quippe amicitia forâs mittit timorem, omni enim tempore, ut dicitur *Proverb.* 17. diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur. *Ioann. cap.* 11.

Judæi Anonymi: Egregium hi amicæ pietatis exemplar. Miſſi enim (ut refert Lucas) à Centurione quodam ad Chriſtum, ut eum pro ſervo illius deprecarentur, ſolicitè orabant, utq; magis benevolum redderent; *Quia dignus eſt, ut hoc illi præſtes*, inquiunt, *diligit enim gentem noſtram, &c.* Egregius locus, amici bonum ubique promovendum edocens. *Luc. cap.* 7.

Vide titul. *de Beneficentia, Charitate erga homines, &c.*

Ludovicus XII. Gall. Rex: Ad Civilis ordinis benefacta tranſeo, & narrare incipiam, quanto apud quoſdam in pretio hoc amicitiæ vinculum ſemper fuerit. Prodeat in medium, ſuoque in teſtimonio primus confirmet, Galliarum Rex Ludovicus, ejus nominis duodecimus. Qui parta de hoſte victoria, poſtquam Feuxeum inter ſuos cecidiſſe percepit, diſſimulato omni plauſu quem victoria exigebat, ad amicos converſus: *Utinam*, ait, *ego Italia excluſus eſſem, & veret verò Feuxeus, reliqui ſupereſſent proceres. Hoſtibus tales eveniant victoriæ: ſi ſic iterum vincimus, victi ſumus.* Quàm appoſitè hoc loco vetus illud inclamari poſſet: Flere victum; at victorem perdi ab ipſa victoria. Ita pius Rex amicorum vitam propriis commodis anteferebat. *Æmil. in vita.*

Henricus II. Dux Brabantiæ: Conſimilis benevolentiæ eſt domeſticum hoc, quod ſubjungo. Henricus II. Brabantiæ noſtræ Dux, cùm veniſſet ad Villarienſe cœnobium, rogatus, templi limina ſubiret, inviſurus Sanctorum reliquias iſthîc in pace ſepultas, reſpondit: *Sufficiat mihi nunc videre oſſa Fratrum domus in monte ſepultorum: ibi enim latent reliquiæ mihi charæ.* En, quos vivos fuerat proſecutus, etiam mortuos vivus complectitur. Verum namque amorem mors non ſolvit. *Ex Chron. monaſt. Villarienſ. manuſcripti.*

Triumpara Rex Cocini. Rarum amicæ fidei exemplum. Favebat hic Luſitanis, eosque fovebat, ac grave ob id bellum ei movit Zamerinus Calecutanus Rex. Luſitanis autem dimitti poſtulantibus, ne eorum cauſa ea belli tempeſtas exoriretur: *Bono animo*, inquit Triumpara, *Divinæ providentiæ fidite; quæ bonas cauſas, dum in potiſſimum diſcrimen adductæ ſubleVare conſuevit. Neque enim permittam; ut ii quos ſemel in tutelam atque amicitiam recepi, me vivo & conſentiente, ad alienæ opem ſupplices ac vagi confugiant.* I.P. *Maff. hiſt. Ind. lib.* 2.

Alphonſus Aragonum Rex: Audiens illud Veſpaſiani dictum, Amici diem perdidi: *Gratiæ Deo*, ait, *quod eam ob rem nullum diem perdidi. Panorm lib.* 1. *de Geſtis Alphonſi.*

Eques Anonymus Garſiæ Reg. Navarr. Æquè hoc in genere nobilis ac clarus Eques Garſiæ Regis, ille enim Ferdinando & Garſia in Hiſpaniis bello decertantibus, Garſiam quem puerum educaverat, bello atque prælio abſtinere monet: ſibi conſtare aſſerens, eum à ſuis relinquendum. (Malè enim audiebat apud ſuos Garſias.) Contemnit hic monita, & ſe prælio parat. Quid faceret amicus Eques? inſtat, urget, perurget, at fruſtra: tandemque in hoc verbum prorupit: *Eheu! ſtatutum video ut interficiaris: cui rei cùm nihil opis adferre queam, id enitar ſaltem, ne te vel mortuum vel victum videam.* Ita galeam atque thoracem exutus, ſolo enſe haſtaque in hoſtium turmam ingruit, non rediturus. Maluit quippe cum amico mortem opperire, quàm ſuperſtes eum mortuum videre, aut victum. *Bap, Fulgoſ. lib.* 4.

Thomas Pontanus: Et hic prudentia ac rerum experientia clariſſimus, dicere ſolebat: *Amorem nunquam feciſſe ſtipendium.* Innuebat autem, Amoris eam eſſe vim, ut ubivis terrarum facilè locum inveniat, etiam ſine pecunia. *Iac. Spieg. in lib.* 2. *Æn. Sylv. de dictis & factis Alph.*

Thomas Morus: Magnus item iſte amicorum & amicitiæ cultor, etiam in extremis anguſtiis conſtitutus. Accepta quippe mortis ſententia, eaque qualis in latrones ferri ſolet; cùm eam clementer (ut dicebant) Rex mitigaſſet, eò quòd benignius cum eo agere decreviſſet: *Hanc*, ajebat, *Regiam benignitatem ab amicis meis omnibus avertat Deus. Thom. Staplet. in vita, cap.* 18.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ionathan: Quum alloquutus eſſet Saul Jonathanem filium ſuum & omnes ſervos ſuos de morte afficiẽdo Davide, Jonathan amicꝰ Davidis dixit ei, *Quærit Saul pater meus morte afficere te: nunc ergo cave tibi, quæſo, mane, & confidens in occulto abſconde te. Ego autem conſiſtam ad latus patris mei in eodem agro ubi tu eris, & ipſe alloquar de te patrem meũ; & ubi percepero aliquid, nuntiabo tibi.* Alloquens ergo Jonathan de Davide bonis verbis Saulem patrem ſuum, dicebat ad eum: *Ne peccet Rex in ſervum ſuum Davidem, quia non peccavit in te: quinimò facta ejus bona ſunt tibi valde. Nam cùm exponens vitam ſuam in manu ſua percuſſit Philiſthæos*

& comparavit Iehova salutem magnam toti Israeli, vidisti & lætatus es: & quare peccares contra sanguinem innoxium, morte affligendo Davidem immeritò? Tunc auscultavit Saul voci Jonathanis, eique David reconciliatur, 1. *Sam. 19. v. 1. 2. &c.* Capite verò sequente, nempe 20. David fugiens Saulem apud Jonathanem de injuria conqueritur: qua Jonathan audita cum Davide constituit tempus, locum & rationem, quibus eum de patris animo certiorem faciat, jurejurando veri amici perpetuum officium ei promittit, & ab eo restipulatur. Deinde, posthabita paternæ indignationis & periculi sui ratione, fideliter stat promissis, Davidem amicum liberat, consolatur & confirmat. Totum autem illud 20. caput finceri amici characteres exprimit. Nam in Jonathanis verbis & factis elucent eximiæ multæ virtutes, nempe charitas, fidelitas, benevolentia, prudentia, humilitas, animus ab invidia alieniſſimus, benignitas, pietas, timor Dei, justitia, sapientia, zelus, &c. scitè dicta autem quum toto capite sparsa sint, & ad amicitiæ fontes præcipuè recurrant, locum indicasse sufficiet.

Idem: David percipiens Saulem procedere ad quærendam vitam suam, manebat in deserto Ziphi, ad quem accedens Jonathan filius Saulis, confirmavit manum ejus in Deo. Dixit enim ei, *Ne timeto, quia non est inventura te manus Saulis patris mei, sed tu regnaturus es super Israelem, & ego futurus sum secundus à te: quia etiam Saul pater meus novit ita fore.* Pepigeruntque ambo fœdus coram Jehova, &c. *1. Sam. 23. v. 16. 17. &c.*

Ruth: Quum Noëmi diceret Ruthæ nurui suæ, Ecce fratria tua Orpha reversa est ad populum suum & ad deos suos, revertere post fratriam tuam: dixit illi Ruth, *Ne adversa esto mihi ut derelinquam te recedendo à te: nam quocunque iveris ibo, & ubicunque diversata fueris, diversabor: populus tuus populus meus: & Deus tuus Deus meus est. Ruth. 1. v. 16.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ab amicitia concussa quisque ad florentem volat.
Absque amicitia nec ædes ulla, nec stare urbs potest.
Absque amicitia vitalis esse vita cui queat.
Absque amico, nec juventa nec senecta commoda est.
Absque amico æquidem ulli gratiosa patria est.
Absque amico non mage esse dives quàm pauper potest.
Accipit pari gradu omnes, vel facit, sodalitas.
Ad latus felicius se vertere est Theramenis.
Ad salem ac cuminum amici, amici jucundissimi.
Æque absentis ac præsentis fac amici sis memor.
Æstimes animis non annis veram amicitiæ fidem.
Aliter inter sese amici, aliterq; inimici dissident.
Aptus haud est facilitate ad amicitiam viaticum.
Arduum non est nocere amicis; arduum hostibus.
Assentare, indulge, dona, si omnium esse vis amor.
Aurum ut ignis, sic amicos longus explorat dies.
Aut cupidine, aut errore, amicus esse desinit.
Aut veris egemus amicis, aut inimicis acribus.
Bruma ubi advenit fortunæ, falsi amici devolant.
Calcei novi ostentantur: sub lecto veteres jacent.
Certus amicus ante habendus & soli longè & sali.
Comparare vis amicum? tolle absentem laudibus.
Continenter amicitia morum unicâ constantiâ.
Cui pecunia est, amicus illi abesse non potest.
Cum novos paras amicos, ne veterum obliviscere.
Cuncta vita si secunda sint, amicus quid nam aget?
Curam amicorum transferre jus fas est ad posteros.
Decipitur nemo qui amicis rectè res narrat suas.
Diffugiunt cum face amici siccatis statim cadis.
Dissimula amicorum vitia, virtutes celebra palam.
Distat ab hoste amicus usu; non facie, non nomine.
Dives est abundè, amicis qui hinc & inde cingitur.
Dulce habere qui cum sic loqui, ut tecum, omnia audeas.
E foro haud redi priusquam amicum ibi paraveris.
Eja quid jucundo amico sanus comparaverit?
Esse non potest amicus qui animo tecum dissidet.
Est hirundo amicus; præsto est cùm calet, brumâ avolat.
Est is amicus, qui in re dubiâ te juvat, ubi re est opus.
Est magis spectanda rebus quàm loquelâ affectio.
Esto amicus, alteris qui tales sunt, ut sunt sibi.
Ex amicis non potentes, sed colas promptissimos.
Ex amore nata amicitia omnium verissima est.
Fac potiùs quid possit amicus quàm inimicus periculum.
Fidum amicum habere malim, quàm gazam omnẽ Persicã.
Filios amicorum, & parentum formâ agnoveris.
Firmior coactâ ubique amicitia est ultronea.
Flamma aut aurum, sic amicum longius tempus probat.
Fortior quovis tyranno amicorum custodia.
Fratri non propinquo, amicus potior est vicinior.
Gloriam haud decorè affectes ex amici infamia.
Haud opus cuiquam est amico de cujus dubitet fide.
Haud sanctum est citò sentire quid de amico perperam.
Haud voluptuosa amicis, vera proloqui decet.
Imperare amico oportet, stultè eo uti ni velis.
Incitantur multi amicorum auxilio ad facinus malum.
In periculo multùm amicus, nil potest pecunia.
Integra amicitiam, novus q; beneficiis aperis locum.
Inter opes tuas amicos quid ni item æstimaveris?
Invenire amicos pretiosissimum est opum genus.
Invenis veros amicos, frontem ubi fors detegit.
Iura amicitiæ, successus ponderat, minimè fides.
Iure amicitiis parentum liberi succesſerint.
Iusta cùm petunt amici, si usui non es, noces.
Læta adulator, sed amicus perferet quoque tristia.
Libera admodum est amicis quæ exhibetur servitus.
Lubrica fide est, amici quisquis famam negligit.
Majus est damnum privari amico, quàm pecuniis.
Maximum damnorum amicum morte certum perdere.
Maximum est lucrum bonorum posse amicitiâ frui.
Maximum omnium malorum fidi amici amissio.
Mente & ore custoditur dulce amicitiæ bonum.
Minus indulge plus amicus, si quid actum perperam est.
Mors amici triste damnum quod q; sarciri haud queat.
Multi sunt potus amici, multi amici sunt cibi.
Munere, amicitias mereri, non habere item queas.
Muta amicitia in monendo est, ubi adulandũ ibi est loquax.
Mutui leges amoris mens avara despuit.
Navigantis terram-amicum adflicto gratum est cernere.
Nec bono malum esse amicum, nec malo bonum potest.
Nec relinque amicum afflictum, nec fortunato invide.
Ne de amicorum judicio gloriare: cæcutit.
Negligit salutem amici quisquis intentus suæ est.
Neminem pares amicum quam omnium probissimum.
Neminem re vera amant qui sese amare ipsos solent.
Nemo eum potest amare, factus est per quem miser.
Nemo ita alteri est amicus, est amicus ut sibi.
Nemo Regi amicus est, nisi uti fallat blandissimè.
Nemo quem fastidit ultro diligit fideliter.
Ne proba amicitiam adpetitam; jam probatam at adpete.
Ne quidem unum amas amicum, qui plus uno non amas.
Nescias bellone amicus sit mage an pace utilis.
Nequicquam exspectes amicos quod agere tu per te potes.
Nil amicitiâ est humanis in rebus præstantius.
Nil facilius est factu, quàm facere amico injuriam.
Nil facit præclari, amoris qui rependit debitum.
Nil minus est amori amicum, quam timor ac necessitas.
Nimiæ amicitiæ semper ferè adsidet suspectio.
Nimium difficile est reperiri amicum; ita nomen ut cluat.
Non amari ob se at alios, amoris est injuria.
Non domibus res rara amicus, rara res & sæculis.
Non placet qui amicos intra dentes conclusos habet.
Non opes, non regna, amico præferenda sunt bono.
Non tuam modò rem, sed amici in tuto ut colloces vide.
Nulli homini sat amicorum unquam vel fuit vel deinerit.
Nullibi mage deest amicus, quàm ubi abundare creditur.
Nullius rei absque amico dulcis est possessio.
Nullum amicum habet, cui nunquam triste verum dicitur.
Nunquam amicus occupatus est amico operam dare.
Nunquam erunt amici qui se mutuò parum æstimant.
O amici, quisque amicus est sibi, haud item alteri.
Ob delicta quis pusilla fidum amicum deserat.
Olim amicitiæ erat curæ, nunc modò curæ præmium est.
Omnibus scias amicum eum esse, amicus qui sibi est.
Otiosa est res amicus cuncta si sint prospera.
Otiosa res amicus rebus est felicibus.
Pauci erunt, tibi etsi amicos feceris cunctos bonos.
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
Pauperes non sunt amicus plurimus quibus favet.
Plurimi cui sunt amici, haud incidit periculo.
Pluribus locis amici est usus quam ignis atque aquæ.
Pluris arbitrari amicos quàm sunt, haud est improbum.
Plus quàm amicum prodit ejus qui fallit fiduciam.
Ponderat successu amicos vir malus, bonus fide.
Porrigenda haud est amico complicitis digitis manus.
Post amicitiam credendum est: ante eam fac judices.
Prodit ipsum se qui amicum periclitantem negligit.
Quæ fides venata amicos uspiam est miserrimos?
Quam vellem etiam noctu amicis operam mos esset dari!
Quei queas amare grande passus a quibus malum es?
Queis bellum haud intulerit, uti amicis quis queat bonis?
Quem Dii cunque honorant, illi nil amicis est opus.
Qui beneficium dat, amicus certior est quàm qui accipit.
Quid queas fideli amico possidere pulchrius.
Quid bonus sit amicus, absque magno nescias malo.
Quilibet simillimus esse ei cupit quem diligit.
Qui miser sua est fortuna amici latari potest.
Qui sibi est amicus, idem q; est amicus omnibus.
Qui sibi sic celestum amicum jungit, usque habet male.
Qui suos inter amicos vivit, aut bibit, sapit.
Quis citò de vita amici quid sinistri sentiat?
Quis furor, manu sinistra amputare dexteram?
Quisnam amicus aut inimicus esse quærat improbo?
Quisque amicus est beato: patrem haud invenit miser.
Quisquis verus est amicus tempore omni diligit.

Quos

Quos tibi rere esse amicos, scato mercenarios.
Rara res reperta, amicus fidus atque exors doli.
Rebus in malis amico nil melius domestico est.
Res amicorum inter ipsos cuncta sunt communia.
Res communes esse, amicorum haud est, diffidentium est.
Reperit multum, vel umbram quisquis amici reperit.
Retibus morum bonorum amicos capias plurimos.
Sic ames amicum, inimicum posse fieri uti putes.
Si quem habes amicum ejusq; vitia oportet sufferas.
Si quid perperam fit, plus amici indulgent & minus.
Sisne inimicus ánne amicus res facit, non vox palam.
Sobrii atque delicati nusquam consortium est.
Sola fida est mutuus metus cui est sodalitas.
Stultus amicitiam præcidit, dissuit prudentior.
Summa vi defendere æquum est prolem amici mortui.
Syngrapham nullam requirit certa amicitiæ fides.
Talis sis amico qualem eum erga te esse optabis.
Tam bonum est laudare amicum, amicū carpere quā bonū.
Tolle amicitiam omnium q; rerum erit confusio.
Tolle amicitias è vita; Sole mundo tollitur.
Temporis fures sunt multi, amici sed sunt maximi.
Temporis scias amicum qui faveat felicibus.
Turpius nihil est quàm amicum amicus quis si decipit.
Vah, quam, vellem & noctu amicis operam mos esset dari!
Velle idem nolle idem, ea demum amicitia est firmissima.
Vera amicitia id quod sentit dissimulare habet nefas.
Vera amicitia illa non est cui comes suspicio.
Vera mutui est amoris, velle, nolle idem, nota.
Vilis est annona amicorum, ubi aliquid deest bonis.
Vindictam amici vitæ Achilles prætulit.
Vis multos tibi esse amicos? de omnibus dicas benè.
Vmbram amici fortè; amicum reperire nusquam est.
Vnà amicus facere rectè, non unà solet malè.
Vteris vesane amicis si non una iis imperas.
Vti amico & adulatore non potes viro probo.
Vtilis est privato amicus; Regi plus est quàm utilis.
Vt vinum verus, amici sic veteres suavissimi.

¶ Jambica.

Ad mensam amicus nullus frugi quæritur.
Adversa amici nec vove, nec desere.
Adversa cui sors, huic amici sunt procul.
Amici anima una bina inhabitat corpora.
Amici etiam memoria homini suavissima est.
Amici lata, læta pariter sunt tua.
Amicitia ad fallendum adprimè commoda est.
Amicitia ei hujus, negotiatio est.
Amicitia esse non potest inter malos.
Amicitia esse non potest quàm inter bonos.
Amicitia est inter Deum ac viros bonos.
Amicitia expers omnis est superbiæ.
Amicitia fervet, quamdiu olla fervida est.
Amicitia firmissima est inter pares.
Amicitia improborum momentanea est.
Amicia officiis constat de mutuis.
Amicitia sal est vitæ mortalium.
Amicitia una imò unica est, æqualitas.
Amicitia unum de duobus perficit.
Amicitiæ contractus haud solvi potest.
Amicitiæ contractus nunquam solvitur.
Amicitiæ domi parandæ, non foris.
Amicitiæ & odii, instabile est consortium.
Amicitiæ ferè est parens æqualitas.
Amicitiæ ferè initium laudatio est.
Amicitia fides non quærit syngrapham.
Amicitiæ fons omnis benevolentia est.
Amicitiæ nil anteponit vir probus.
Amicitiæ nomen, non recipit factio.
Amicitiæ omni præferenda veritas.
Amicitiæ specie falluntur plurimi.
Amicitiæ simillima adsentatio est.
Amicitiæ vel quærunt, vel faciunt pares.
Amicitiæ vera est parens æqualitas.
Amicitiæ utilitate coluntur, non fide.
Amicitiam haud præcidas, verùm dissuas.
Amicitiam hodie non petunt, prædam petunt.
Amicitiam malè ultrà aras extenderis.
Amicitiam retinet fides ac veritas.
Amicitias confundunt invidia ac timor.
Amicitias dissimilitudo separat.
Amicitias purè resarcitas cole.
Amicitias utilitas haud conglutinat.
Amico amores qui credit, vult perdere.
Amicum aliquem mihi quam propinquum mavelim.
Amicum id omne est mica honesti quod beat.
Amicus, amici actu lætatur, ut suo.
Amicus certus in re incertâ cernitur.
Amicus esse non potes, si es lividus.
Amicus esse non potes, si es sordidus.
Amicus esse fastuosus non potest.
Amicus fidus portus est solatii.
Amicus in bino est anima una corpore.
Amicus omni ætate adæquè est utilis.
Amorem amici, mente metire è tua.
A morte verus sera amicus noscitur.
Animam potius relinque quam amicum deseras.
Ante eligas, deinde amicum diligas.
A queis ameris, pauperies sola indicat.
A quibus ameris sola egestas indicat.
Aut invenit parem amicitia, aut facit parem.
Aut sumit aut facit pares sodalitas.
Bis peccat is, peccat qui amici gratiâ.
Bonus bono est amicus, improbo improbus.
Cadente amico porrigunt omnes manum.
Carere amico, heu, ultimæ est amentiæ.
Casus amicorum, esse censeas tuos.
Conare amicis esse amicus non malus.
Contentiosus, esse amicus non potest.
Corpus duplex amicis, at cor unicum est.
Credendum amico tantundem est, quantum tibi.
Cui multi amici, pauperem ne dixeris.
Cui non es ipse, amicus ille nec tibi est.
Cui nulli amici, divitem ne dixeris.
Delicta quis non modica amici perferat.
Duos amicos violat, qui alterum violat.
Etiam amicorum gaudia nostra credimus.
Facillimum est inferre amico injuriam.
Felicem, amicus cui vel unus obtigit!
Fides amicitiæ haud requirit syngrapham.
Fortuna nullos fractæ amicos invenit.
Fructus amici proferunt mali malos.
Habebo amicos, præstò si pecunia est.
Habere amicum haud verba sed fidem decet.
Habitum de amicorum ore mentis ducimus.
Haud cuipiam sat esse amicorum potest.
Haud est amicus, rei qui amicus est tuæ.
Haud facile ab his quos antecedis diligi.
Haud minus amicos ipse quàm te diligas.
Haud promptè amicus invenitur pauperi.
Honora amicos tanquam honorares Deos.
Iactura amici major est pecuniæ.
Ibi est amicus, spes ubi est & commodi.
In animo amici amicus vivit mortuus.
In amore vinci, homini probo turpissimum.
Intercapedo amicitiam quamvis levat.
Inter dissimiles esse amicum quid queat?
Inter dominum ac servum est amicitiæ parum.
Ladens amicus ab inimico haud discrepat.
Lætatur actu amici amicus ut suo.
Laudo, malum cùm amici tuum ducis malum.
Malis amicum quam potentiam aut opes.
Moneri amicum, non rogari oportuit.
Mores amici haud ficti sunt, sunt simplices.
Mores amici noveris non oderis.
Multos amicos invenit fœlicitas.
Multis amicus, verè amicus nemini est.
Mutant amicos non relinquunt mortui.
Naturâ amicus quilibet summus sibi est.
Nec deserendus est amicus mortuus.
Ne cede amico qui ad pejora labitur.
Necessitatis causâ amicum amplectere.
Nec fraude, nec vi, amicum comparaveris.
Nec sis amicus nulli, nec sis pluribus
Nec temere amicum quem adseras, nec deseras.
Ne dexteram cuicumque porgas obvio.
Ne fidum amicum sorte in adversa time.
Nemo naturâ cuiquam amicus gignitur.
Nil est amico tardo quidquam iniquius.
Nil homini amico est opportuno amicius.
Nil stulto amico magis est intractabile.
Nil vero amico præstat, ipse quàm Deus.
Noli tibi amputare lævâ dexteram.
Non esse amicus non potest bonus bono.
Non est amici ad gratiam semper loqui.
Non est amicus absque temporis morâ.
Non est amicus cujus dubitas de fide.
Non est amicus, qui esse amicus desinit.
Non res in amicis, sed voluntas quæritur.
Non sunt amici, amici qui degunt procul.
Non tam jucundè habeas amicum quàm pares.
Nulla est amico pulchrior possessio.
Nulli fuit unquam amicorum ingens copia.
Nulli hodie amici sunt quam temporarii.
Nunquam probo improbóve amicus est malus.
Omnes ama, sed maximè tamen probos.

Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.
Opes amicos dant, egestas eripit.
Orbato amicis, una bonos quoque interit.
Paterni amici, amici cur non sint tui?
Paternum amicum qui lædit, ladit duos.
Pati pro amico, lucrum amico maximum.
Pauperum amicitia certior quam divitum est.
Peccatum amici reputes velut tuum.
Pecuniam malis quam amicum perdere.
Plures amant amicos cùm sunt mortui.
Plures amicos mensa fert quèm veritas.
Plures amicum diligunt a funere.
Pluris faciendus vetus amicus, quàm recens.
Plus una rupta amicitia est silentio.
Probare velle amicum; amicum est perdere.
Quæ prava sunt ea recta amicus judicat.
Quantum est adhibere amicum hominē, ubi rei quid geras?
Quid certo amico in orbe præpollentius?
Qui desinit esse amicus, amicus non fuit,
Qui famam amici haud curat, negligit suam.
Qui se ipse non amat, qui amabit alterum?
Quid vis necesse est causâ amici perpeti.
Quis corde tam propinquus est, quam sanguine.
Quod amicitia est bonis, malis hoc factio est.
Quo vis propinquo, amici nomen sanctius.
Rarissimus quisque est amicus pauperum.
Rebus malis amicus omnium est optimus.
Rebus secundis cuinam amicis est opus?
Res nulla factu vero amori est ardua.
Rivalitas amicitiæ minimè invida est.
Se ditat ipsum, opes qui amicis sufficit.
Sic nemo amicus alteri est sicut sibi.
Si quidem amicitia habenda, habenda cum bonis.
Specie amicitiæ sæpè fingitur dolus.
Suave est amici res videre prosperas.
Subire amici causâ vel necem decet.
Superari ab amico, non dolori; gaudio est.
Titulis adæquè gaude amici quam tuis.
Triplex funiculus difficilius rumpitur.
Tuis amicis da locum sententiæ.
Turpe erga amicos utier prætextibus.
Turpissimum est sub amici nomine fallere.
Vberius haud ullum est amico prædium.
Vbi amicitia est, ibi nil est expugnabile.
Vbi est amicus semper est ibidem opus.
Vbi sunt amici, ibi esse thesauros puta.
Vbi sunt amici, ibidem opes, ibidem opus.
Vbicumque sunt amici, ibidem sunt opes.
Verum, ore amici proditum, nihil dolet.
Veros amicos autehabe parentibus.
Veros amicos duxeris fratrum loco.
Verere amicos, legibusq; obtempera.
Veterrimus homini amicus, amicus optimus.
Veterrimus quisque homini amicus optimus.
Virtus amici mortui haud extinguitur.
Vita absque amicis felix esse non potest.
Vitam tuam pro amico amicus ponito.
Vix vel casam veris amicis impleas.
Vt flos, ita amicus, gratus est quamdiu est recens.
Vulgare amici nomen, at rara est Fides.

Amici.

¶ THEOLOGORUM PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

DNazianzenus: Peræquè & mihi malum consilium ineunti succenseo, & amicis. Quoniam itaque omnes qui secundùm Deum vivunt, atque eodem Evangelii tramite incedunt, amicitia & cognationis jure inter se devincti sunt, quid non à nobis liberè audiunt, quæ omnes submurmurant? *Epist. 43.*

Chrysostomus: Qui non est inimicus, non est omnino amicus; sed est aliud medium, quod nec est inimicitiarum, nec amicitiæ; in quo maximè sunt plures apud nos homines. *Homilia 16. ad Ephesios.*

Ennodius: Nos nempe memini fœderis certamina suscepisse; sed per quæ mutuæ vincamus charitatis officiis: ut dum inter hujusmodi luctamina nitimur, & vinci ambo optemus & vincere. *libr. 1. Epist. 9. m.*

Epictetes: Dato operam ut multi amici potius, quàm multi boves in tua sint domo. *apud Stobæum.*

Hierocles: Et primum quidem vult nos ipsis debere sponte cedere, cùm suadent quæ honesta sunt; & cùm omnia, quæ faciunt, ad nostram utilitatem referunt. In hoc enim quod commune bonū est lex amicitiæ connectit; ut ad virtutis amplificationem ab ipsis adjuvemur; illíque vicissim à nobis. Decet enim eos, qui tanquam commune iter bene vivendi conficiunt, quod alius alio melius præviderit, id ipsum etiā in communem utilitatem conferre: nec solùm benè monentib⁹ amicis cedere leniter; sed eodem animo illis etiā bonarū rerū communionē porrigere: neq; unquā de pecuniis, aut gloria, aut re alia hujus generis fluxa & caduca cum illis contendere. Id ipsum enim est propter leve peccatū in odiū eorū incurrere, qui in reb⁹ maximis atq; honestis, amici nobis sunt. Sunt igitur nobis in omnibus amicitiæ vinculo, tanquā maxima necessitudine constrictis, ferendi amici; præterquā in uno. Non. n. illis cedemus, si ruant in deteri⁹: nec sequemur etiā, si à sapientiæ studio ad aliud aliquod vitæ institutū, relicto virtutis scopo, transeant: sed totis viribus conabimur in vitam rectā reducere. Quod si & id minimè assequemur: tum pacē amplexi, nec ad inimicitiā provocabimus, propter familiaritatē, quæ præcessit: nec ad amicitiā adhuc, propterea quòd ad illa, quæ sunt deteriora, defecerint. Est igitur ob id amicus à nobis aliquando rejiciendus; tāquam virtutis, cujus gratiâ nobis necessarius fieri cœperat, particeps amplius esse non queat, Caveat autem qui rejicit, ne eo ipso incurrat in odium.

Decet enim nos, quamvis ab amicitia se ipsum quis substraxerit, curare diligentissimè, ut ad id, quod decet, revocetur; non amici casu lætari, ejúsq; judicii inopiā despicere: sed lugentes potiùs, atq; flentes ipsius vicē dolere, votisq; sublevare: omnia deniq; facere, & moliri, quibus ad salutē pœnitentia reducatur. Atque hæc quidē fuerint, nō de pecuniis cū ipso; non de gloria contendere: non etiā cum injuria societate privare: non propriā denique ambitionē ejus miseriam ducere. Quoniam aūt ad amicos optimè tuendos, justaque ratione deserendos, & ad revocandos etiā, cùm illos pœniteat; plurimū confert si injurias facilè toleremus; síque de re nulla cum amicis vel agam⁹ anxiè, vel exactè nimis ad calculos aliqua revocemus; sed quantum ipsa ferre potest animi patientia: ideò quantū potes, adjicit. Ne quis deinde potestatē voluntatis ratione metiretur; sed naturæ viribus, quantum necessitas accedens postulat; vires juxta necessitatē habitare addidit. Majora. n. quàm arbitratur, necessitate præstare quisque deprehenditur. Sunt igitur tantopere ferendi animi, quantū nos docet posse necessitas: & quod repentè tolerari non posse videbatur, amicitiæ necessitate tolerabile reddendum. Non. n. profectò solùm quæ vi cogimur forti animo ferri debere arbitramur: sed ea etiā, quæ ad conservandos, atq; revocandos animos conferunt, majore patiētia digna esse debemus existimare, tanquam divinæ necessitatis mandata.

Est verò potentior apud eos, qui rectè sapiunt, mentis necessitas, quàm quæ foris accedit. Sive igitur ad eam te convertas, quā pariunt negotiorū circumstantiæ; sive ad eam etiā, quæ libera, disciplinæque terminis contenta, divinis legibus cōgrua est: inveneris sanè quod in te est potestatis ratione mensurari; quam nunc versus amicis exhiberi postulat; dū levioris peccati occasione in eorū odiū incurrere prohibet, omnia, quæ extra animū sunt, parvi faciens, & vetans, ne istorū cupiditate ex amico inimicū faciamus: sed uti potiùs rebus ejusmodi contemptis, amicū revocemus, si defecerit; & nobis ubique ipsi conscii simus, nullis eorū, quæ poteramus, prætermissis, non eos solùm, qui amici erant, conservasse; sed recuperasse etiā, qui se ad deteriora subtraxerunt: nullius deniq; odii principiū dedisse: nec ei, à quo primùm orta sit injuria, parem reposuisse. Hæc enim subindicat amicitiæ divina lex, maximæ profectò virtutis, & quæ cæteras, tanquā perfectissima, supereminet. Est enim virtutum limes ultimus amicitia: principium verò pietas. Est etiā nobis & pietatis ratio semen bonorū omnium. Amicitiæ verò habitus, perfectissimus virtutum fructus. Quemadmodū igitur justitiæ nobis est habēda ratio nō apud eos tātùm, qui justè nobiscū se gerunt; sed qui damnū etiā conantur inferre, ne injuriā referendo, in eandem vitii pravitatē deveniamus: sic decet etiā amicitiā retinere; id est, humanitatē erga omnes, qui ejusdem nobiscum generis cōmunione utuntur, colere. Optimè aūt & convenienter amicitiæ ordo servabitur, si bonos, tanquā qui hominis perfectionē retinuerint; & propter naturam etiam, animíque significationem, omninò amplectamur: malos autem amemus propter naturam solùm; tanquam nihil ab animo ad amicitiæ susceptionem afferant. Unde fit etiam, ut rectè dicatur virum bonum odisse neminem, solumque sibi amicum existere.

Cùm enim bonum diligit: non eum, qui malus sit, putat inimicū. Sin autem virtute præditū quærit ad societatē, ex omnib⁹ eū diligit, qui probus sit: atque in amicitiæ legibus Deum ipsum imitatur; quī nullū quidē solet odisse; sed eum maximè, qui bonus sit, amplecti, atque diligere. Amoris. n, commoda universo mortaliū generi proponens, parte sua quēlibet dignū existimat: eosque, qui probi sunt, ad se evocat; virtutis aū desertores, atque profugos, justitiæ legibus, ad id, quod rectū est, dirigit, atq; ducit. Est. n. id utriusq; congruū, atq; utile. Sic etiā fuerit operæ pretiū amicitiā cū omnib⁹, adhibita singulorū dignitatis observatione, colere. Conveniat siquidē temperantē, & justū apud omnes existere; non apud justos & temperantes solùm: ut neque bonos cum bonis, & improbos cum improbis. Ita enim facile cum iis, quæ solent accidere, mutationi obnoxii, nihil boni ampliùs possidebim⁹, quo semper, & apud omnes utamur. Quod si virtutis habitū nobis ipsi comparavim⁹; non est in alicujus voluntate positū, ut ab eo nos removeat: neq; ut virtutis firmamentū adepti, dispositiones certas cū quibuslibet cōmutemus. Quod quidē cū in aliis virtutib⁹ fieri soleat; tū verò in amicitia præcipuè observandū est: quā supra virtutē esse maximā diximus. Est verò amicitiæ studiū communiter quidem in omnes, sed precipuè erga bonos ideo colendū, quod eidē humanitatis nomē præcipuè inserviat. *cap. 6. ad Carm. Pythag.*

Aristo-

Ariſtides: Vellem corpore eſſe firmiore, cùm aliis de cauſis, tùm ut mea quoque opera uti alicubi poſſetis. Eos enim qui ſunt cum illo conjuncti, nequaquam à me alienos puto. *fine funebris orationis Alexandri.*

Baſilius Imperator: Opta tibi eos amicos, & intimos familiares, qui ſanctè cum aliis amicitiam coluerint, & aliis dominis fidelem operam navaverint: quod enim aliis præſtiterunt, idem etiam præſtare tibi non gravabuntur: & qui bonus erga veteres amicos extiterit bonus ergate etiam futurus meritò credetur. Qui autem prioribus amicis aut patronis ignavus atque inutilis antè fuerit, vix unquam poſtea bonus erga te atque utilis erit. *cap. 23.*

Libanius: Multæ improbitatis foret, ſi eum cum quo prius converſabar, & quem rerum mearum conſiliarium adhibebam, poſtquā in ærumnam incidit, deſererem. Sed neque præclarum eſſet, æquitatis, cujus ſum conſcius in ſingulis ejus & dictis & factis, convitium in ipſum conjectum, validius eſſe cenſere. *Initio Declamat. 29.*

¶ Romanorum.

Quintilianus ſenior: Amicus, inquit, erat. Quid ais? Amicus etiamnum patri bono filius nō videretur. Antea tibi poterat ignoſci cùm ignorabas proditorem. Amicus ille? hoc de proditore, non eſt miſericordia. Qui miſereri proditoris poteſt, crudelis eſt. *Declamationis 307. extremo.*

Quintilianus ſenior: Per ſe mihi vel ſanctius nomen amici videtur quàm propinqui. Hoc enim proficiſcitur ab animo, hoc proficiſcitur à propoſito. Iſtud dat caſus conditio naſcendi, & quæ non ſponte noſtra eliguntur. *Declamat. 308. ſub finem.*

Quintilianus ſenior: Quæramus quos conſcios habuerit. Nónne illud genus quæſtionis præcipiendum eſt, quem habuerit amicum? Non temerè debet indicaſſe tantæ rei conſcientiam. Longa conſuetudo, vetus amicitia facit, ut veniat quis in ſceleris ſocietatem. *Declamatione 307. m.*

Plinius junior: Non ut multi, invideo aliis bonum quo ipſe careo: ſed contra, ſenſum quendam voluptatemque percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis video ſupereſſe. *fine Epiſtolæ 10. libri 1.*

Plinius junior: Benè eſt mihi, quia tibi benè eſt. *Epiſtola 18. libri quinti.*

Plinius: Nihil magis tuum credis quàm quod per amicos habes. *capitis 50. fine Panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Hoſcine homines arbitreris, qui plus amicis conſilio nocent, quàm inimicis obeſſe potuiſſent? *lib. 2. Epiſt. 55.*

¶ Poetarum.

Plautus Captivis 1. ſc. 2. v. 48.

Laudo, malum cùm amici tuum ducis malum.

Plautus Epidici 3. ſc. 3. v. 44.

Nihil homini amico eſt opportuno amicius,
Sine tuo labore quod velis actum eſt tamen.
Ego ſi allegaſſem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum, minusq; ad hanc rem callidum
Os ſublitum eſſet.

Plautus Trinummo 1. ſc. 2. v. 16.

Omnibus amicis quod mihi eſt, cupio eſſe idem.

Plautus Trinummo 1. ſc. 2. v. 52.

Haben' tu amicum, aut familiarem quempiam,
Cui pectus ſapiat? C. ædepol haud dicam dolo:
Sunt quos ſcio eſſe amicos, ſunt quos ſuſpicor,
Sunt quorum ingenia atque animos nequeo noſcere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant?
Sed tu ex amicis certis mihi es certiſſimus.
Si quid me feciſſe inſcitè aut improbè,
Si id non accuſas, tu ipſe objurgandus es, ſcio.

Plautus Trucul. 1. ſc. 2. v. 68.

Quàm primùm expugnari potis eſt amator, optimum eſt amica.
D. *Ego fateor. ſed longè aliter eſt amicus atque amator.*
Certè herclè quàm veterrimus homini optimus eſt amicus.

Plautus Trucul. 4. ſc. 4. v. 32.

Verum eſt verbum quod memoratur: ubi amici ibidem ſunt opes.

¶ Apologi.

Babrias. Περὶ Γεωργοῦ καὶ Γεράνου. Fab. 31.

Εθρεψ γερανων πῆξέ τις σπορέυς πάγλω.
Μεθ' ὧν πελαργὸν εἶλεν, ὅς θηλυις μέγα.
Εφη δ' ἀεργεῖνς, ὡς φίλῳ μόνῳ συ μοι.
Αλλ' ἐ πιγη λαβοῦσα, σωὶ κακοῖς ἔχει.
Επιμύθιον.
Πρὸς φίλον πρὸς, ἐνέμβιον τοῖς ἐχθροῖς τοῦ φίλου ἀνηρ.

De Agricola & Ciconia.

Gruibus tetendit Agricola quidam laqueum,
Cum quibus Ciconiam cepit, quæ vehementer lugebat.
Dixit autem agricola, ut amica quidem tu mihi es:
Sed laqueus qui cepit te, cum malis tenet.

Affabulatio.

In amicum cujuſdam, conjunctum cum inimicis amici ipſius.

¶ Emblematum.

Batillius. XCI. Embl.

In amicos infidos & maledicos.

In geminum qualis ſurgit caput Amphiſibæna,
Quâque illi cauda eſt, noxia dente petit.
Talis clam mordet jam nos linguâque laceſſit,
Coram qui vultus fidus amicus erat.

Camerarius Embl. XXXIV. Centuriæ primæ.

Amicus poſt mortem.

Quamlibet arenti vitis tamen hæret in ulmo:
Sic quoque poſt mortem verus amicus amat.

Camerarius LIIII. Centur. 1.

Si vivet vivam.

Muri hederam, hæc illos, alterno munere, firmant.
Hic typus expreſſus mutuæ amicitiæ eſt.

Catſius Emblemate ſacro XXVII.

Amicus certus in re incerta cernitur.

Cape leve ſi tractare manu ſit cura, viator;
Stringenti, lachrymis lumina rubra tument.
Qui facilem laudas, & amica fronte ſodalem,
Signa ſodalitii num ſit aperta tibi?
Dum joca miſcentur, dum luditur inter amicos,
Aſpera qui moveat jurgia, rarus erit.
Damna probant ſocios: tunc cùm de jure remittet,
Te cupiente ſuo, reſpice qualis erit.

Amiſsionis rerum.

¶ Sententiæ Theologorum Philosophorum Rhetorum.

D. Chrysostomus: Multi plagas quidem æquo animo tulerunt, qui tamen opum jacturam minimè pertulerunt: verùm earum cauſa flagris potiùs concidi atq; innumeris calamitatibus affici, quàm aliquam earum partem projicere maluerunt; gravioremque eam plagam exiſtimarunt, quæ ex opum detrimento capitur. Itaque hoc quoque aliud martyrii genus eſt, cùm quis earū amiſſionem forti animo perfert. Et quónam modo, inquiet aliquis, eam forti animo perferemus? Cùm intelligis te per unicam vocem, qua Deo gratias agas, plus lucri facturum, quàm damni feceris. Nam ſi audita earum amiſſione minimè conturbemur; ſed dicamus, Benedictus Deus: longè uberiores divitias invenimus. Neque enim tantum utilitatis capies; ſi opes tuas in egentes conſumas, & obambules, ac pauperes conquiras; facultatesque tuas in eos qui fame conſtricti ſunt ſpargas: quantum per hoc unum verbum emolumenti feres. Quandoquidem & Jobum non tam admiror, cùm domum ſuam pauperibus apertam habet: quàm eundem ſuſpicio & prædico; cùm bonorum ereptionem ita fert, ut gratias etiam agat. Quod etiam ipſum in liberorum amiſſione accidere cernere licet. *Homilia 1. ad Corinthios 2.*

Simplicius: Ut autem is qui ſua veretur amittere, non doleat, & ereptorem accuſet, fieri nequit. Qui verò aliena reddit, niſi planè ſit injurius, neque dolet, neque ſuccenſet ſua repetenti. Res externæ porrò noſtræ non ſunt, eoque nec in poteſtate noſtra ſitæ: ſed ſola hæc noſtra ſunt, deſiderium, appetitio & declinatio, in quibus bonum & malum noſtrum ſitum eſt. Quæ cùm ita ſint, planè perſuaſum atque in promptu habere debemus, res omnes externas nobis eſſe alienas. Erit autem in promptu, ſi non verbotenus duntaxat pro alienis ea habuerimus, ſed nos ad rem ipſam conſuefecerimus. Qui igitur filio mortuo plorat, eoque ſe privatum queritur: eum apparet ſic affectum eſſe, quaſi eum prius ſuum fuiſſe ſenſiſſet. Eaque de cauſa amiſſionē vocat reſtitutionem, eamque moleſtè fert: nec obſcurum eſt, talem, ſi poſſet, ulturum eſſe ereptorem. Qui verò ſe alienum reſtituiſſe putat, nec ſei ipſum affligit, nec eum accuſat qui repetiit id quod dederat. *ad cap. 16. Epicteti.*

Eumenius de Diocletiano: At enim divinum illum virum qui primus imperium & participavit, & poſuit, conſilii ac facti ſui non pœnitet: nec amiſiſſe ſe putat quod ſponte tranſcripſit. Felix beatúsque verè, quem veſtra tantorum principum, colunt obſequia privatum. *cap. 15. Paneg. Conſtantino.*

Seneca: Egregiè mihi videtur dixiſſe Metrodorus in epiſtola qua ſororem, amiſſo optimæ indolis filio alloquitur: Mortale eſt omne mortalium bonum. De his loquitur bonis ad quæ concurritur. Nam illud verum bonum non moritur; certum eſt ſempiternumque ſapientia & virtus: hoc unum contingit immortale mortalibus. Cæterùm tam improbi ii ſunt, tamque obliti quo eant, quo illos ſingulos dies trudant, ut mirētur aliquid ſe amittere, uno die amiſſuri omnia. Quidquid eſt cui Dominus inſcriberis, apud te eſt; tuum non eſt. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum eſt, tam neceſſe eſt perire quàm perdere. Et hoc ipſum ſi intelligimus, ſolatium eſt æquo animo, perdere quod periturum eſt. Quid ergo adverſus has admiſſiones inveniemus? Hoc, ut memoria teneamus amiſſa, nec cum ipſis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. Habere eripitur: habuiſſe nunquam. Peringratus eſt, qui cùm amiſerit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit caſus, uſum fructūs apud nos relinquit, quē nos iniquitate deſiderii perdimus. *Epiſt. 98.*

Seneca: Pecuniam perdidi. Fortaſſe te illa perdidiſſet. Pecuniam perdidi. Sed habuiſti. Pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculum minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, ſi cum illa avaritiam perdidiſti. Si manet illa apud te, es tamen utcunque felicior, quod tanto malo materia ſubtracta eſt. Perdidi pecuniam. Et illa quidem quàm multos. Eris nunc in via expeditior, in domo tutior. Perdidi pecuniam. Nempe quam ut tu haberes, alius ante perdiderat. *Ex excerptis, ubi hujuſmodi plura, circa amiſsionem liberorum, uxoris, amici, &c.*

¶ Apologi.

De Leone partem prædæ à Lupo petente. Fab. 187

Lupus & Vulpes inita inter ſe ſocietate, venatum profecti ſunt, qui quum cervum, quem ceperant, dividere vellent, ſuperveniens leo tertiam prædæ partem ſibi, ut quadrupedum regi deberi dicebat. Lupus verò negabat. Tunc excandeſcens leo, injectis in lupum unguibus, totum ejus caput pelle nudatum, rubicundum reddidit, unde lupus vix vivus evaſit. Converſus hinc in vulpem leo, tu verò quid dicis? Ego, inquit, mi domine rex, non tertiam modò partem, ſed totum cervum tuum eſſe non inficior. Ecquis, inquit leo, te ita ſapienter docuit reſpondere? Galerus, ait vulpes, ille ruber, quem ſocio meo lupo impoſuiſti.

Fabula indicat, melius eſſe partem interdum concedere, quàm totum amittere. *Abſtemius.*

¶ Monosticha Trochaica.

Anteparta ſæpè amittit cui ſat eſſe nil poteſt.
Bis perit quod oſcitanter neſcienti elabitur.
Creſcimus lentè, ad ruinam tendimus cito gradu.
Damna famæ, damnaque fidei æſtimari non queunt.
Dum volumus ſervare impenſa, porrò adjecta perdimus.
Excidunt multi paternis dum materna quærunt.
Fors reſarciendi damna mille præſtruit vias.
Ignavis jocus eſt qui amiſit dignitatem priſtinam.
Glorioſius recipias perditas res quàm pares.
Levior eſt dolor haud habere divitias quàm perdere.
Navigat ventis ſecundis, dum rem omnem jactat Zeno.
Non habere opes dolori eſt, plus ſed habitas perdere.
Nil cùm adit tam dulce cui quam, quàm eſt amarum cùm aufugit.
Nil perit viro ſapienti: cuncta ſecum fert ſua.
Non paraſſe, quam amiſiſſe parta, opprobrium eſt minus.
Non amittere rem videtur, cujus propria non fuit.
Non tã acerbũ eſt haud adipiſci, quàm jam adepta amittere.
Noſtra non amittimus, ſed ſunt data à quo reddimus.
Perdere id quo incommodamur, noxa non eſt; eſt lucrum.
Plus dolet bono privari quod prius guſtaveras.
Quæ minus poſſeſſa amamus, abſque luctu perdimus.
Quem diem non perdimus, illum quiſque perdere autumat.
Quem diem putat lucrari quiſque, perdit maximè.
Quod Dei dabunt boni cave amiſsis culpâ tuâ.
Rem minus multò eſt parare quàm reparare perditam.
Res virtute comparatas ſtultum amittere eſt metu.
Sæpius homines dum incerta petimus, certa amittimus.
Sylva diu diuque creſcit: momento unò fit cinis.
Si quis cuncta perdit, ſeque adhuc habet, nil perdidit.
Turpius exui potitus, quàm illis quæ ſperaveras.
Temporis jactura, rerum eſt omnium una maxima.

¶ Jambica.

Aliena dum adfectamus, propria amittimus.
Amiſſa quæ ſunt, maximè cuivis placent.
Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
Multum intereſt, quis auferat an neget tibi.
Nihil parant, amittere quod timent Scytha.
Perdit ſuas res, qui appetit res non ſuas.
Relicta, quàm parta, ægrius relinquimus.
Tolerabilius non acquirere quàm amittere.

Plura petenda ex tit. *Adverſitatis, Afflictionis, Calamitatis, Infortunii, Damni, Dominii, Poſſeſsionis, Alieni, Cupiditatis.*

Amoris Dei.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Greg. Nysse nus: Quomodo amor materialis non attingit eos qui ſunt adhuc infantes; infantia enim non capit affectionem; ſed nec eos qui extrema confecti ſunt ſenectute, videre licet ita affectos: ita etiam in divina pulchritudine, qui eſt adhuc infans, & fluctuat, & omni vento doctrinæ circumfertur: & qui eſt vetus & ſenio confectus, & non procul ab interitu, ad hanc cupiditatem inveniantur immobiles. Non enim eos tangit pulchritudo, quæ non cadit in aſpectum. Sola autem ea anima quæ ſtatum tranſiit infantilem, & ad ſpiritualis ætatis florem pervenit ac vigorem, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, & neq; propter infantiam caret ſenſu, neque ob vetuſtatem eſt imbecilla, quam adoleſcentulam nominat Salomo, ea paret magno & primo præcepto legis, toto corde & totis viribus diligens eam pulchritudinem, cujus deſcriptionem exemplumque & interpretationem humana non invenit cogitatio. *Homilia 1. in Cant. Canticor.*

D. Chryſoſtomus: Deus quidem nullius rei noſtræ indigens eſt, ac ne ſic quidem amare nos deſinit. Nos verò illius admodum egemus, ac ne ſic quidem illius amori adhæreſcimus: verùm tum fortunæ bona, tum hominum amicitias, tum corporis otium, tum principatum, tum gloriam ei præferimus, qui nobis tamen nihil quidquam anteponendum putat. *Homil. 5. ad Romanos ipſo fine.*

Chryſoſtomus: Quæris, quei media in ægritudine, ipſis in doloribus, Deo gratiam habere poſſis? ſi ipſum verè atque ex animo amaveris. Nam ſi tres illi pueri in fornacem conjecti, ſi & alii in vinculis malisq; infinitis conſtituti, à gratiis Deo agendis non intermiſerunt: multò ſanè magis qui morbis afflictantur, hoc ipſum præſtare poterunt. Nihil enim, nihil, inquam, quicquã eſt quod non vincat amor: cùm autem & Dei amor extiterit, tum demum omnia infra ſe poſita habet: quo quidem amore quiſquis incenſus fuerit, huic certè neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, neque morbus, ac ne ipſa quidem mors, aut quidvis aliud id genus grave, moleſtumq; videbitur: quin is potius omnia deridens, cœlum verſus volitabit, nihilo ſecius affectus animatusque, quàm animati ſunt, qui inibi vitã tranſigunt, oculos non aliò intendens, non cœlum, non terram, non mare contuens, ſed ita animo compoſitus, ut ipſius oculis divinæ illius gloriæ pulchritudo unà obſervetur: quem neque vitæ præſentis incommoda deprimere, neq; blanda ac voluptatem in ſe habentia attollere inflaréve poterunt. Huic igitur amori adhæreſcamus (neq; enim quicquam eſt, quod cum hoc conferri poſſit) tum ob præſentia, atq; adeò vel in primis ob ipſam amoris naturam. Per eum enim amorẽ à ſuppliciis vitæ tum præſentis, tum futuræ liberabimur, ac tandem cœlorum regno potiemur. Imò verò neq; à gehenna liberatio, neq; cœlorũ regni aſſecutio quicquam eſſe debet præ eo quod dicturus ſum. Omnium enim horum maximum, ſi Chriſtum unà & abs te amatum, & tui amantem, nactus fueris. Nam ſi hoc inter homines dum contingit, nullam non voluptatem exſuperat, cùm in ipſo Deo amãdo hæc utraque convenerint: quæ tandem oratio, quæ imò cogitatio animæ ſic affectæ fœlicitatem repræſentare poterit? Certè nec oratione, nec cogitatione ulla, ſed ipſo ſolùm periculo facto, quàm dico fœlicitatem, comprehendere poſſis. *fine Homiliæ 9. ad Roman.*

D. Chryſoſtomus: Apud homines quidem ſi eum quem aliquis alius diligit, dilexeris, repugnabit illius amator: hic verò dignatur te Deus amoris ſui communione, ac non communicantem odit. Humanus quidem amor zelo & invidia plenus eſt, divinus verò ab omni hujuſmodi affectus morbo liber eſt; propterea & quærit qui ſecum in amore concurrant. *Homilia 23. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Si qui mulierem habet dilectam, nihil ſentit eorum quæ quotidie contriſtant; qui divinum illum ac mundum amorem amaverit, perpende quanta voluptate fruatur. Iſtud quippe, iſtud inquam, regnum cœlorum eſt, iſtud bonorum fruitio, iſtud vera voluptas, vera lætitia, verũ gaudiũ, iſtud demum ipſa beatitudo eſt. Imò ut ut magna dixero, nihil tamen adferre potero, quo amoris hujus dignitatem repræſentem; ſed ſola experientia quantum hoc bonum ſit, docere poterit. *fine Homiliæ 23. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Cùm ab iis amamur qui plurimum poſſunt, timorẽ omnibus ſumus, multo utique magis, ſi à Deo amemur. *Homilia 30. ad Corinthios 2.*

Chryſoſtomus: Si quis habens quempiam quem amat, lucrum eſſe putat, ſi propter illum ſit paſſus quippiam, multò magis propter Chriſtum. *Homilia 12. ad Coloſſ.*

Chryſoſtomus: Hoc planè eſt charitatis, quæ eſt ſecundùm Deum, omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum verò minimè, eſt amicitia ſecundùm hominem. *Homilia 4. ad Theſſalonic. 1.*

Chryſoſtomus: Pro his qui revera amici ſunt, plurimi ſæpenumero damna perpeti elegerunt: pro Chriſto autem non dixerim ſuſtinere detrimenta, verùm præſentibus contenti eſſe bonis vix pauci tolerant: pro amico ſæpius & contumelias & inimicitias ſuſcipimus, Chriſti verò gratia nullus inimicitiam ſuſcipit. Amicum fame confectum nunquam omnino deſpicimus: Chriſtum verò quotidie venientem ad nos, neq; pane dignamur: idq; quum crapula diſtenti ructemus, ventriq; omnino inſerviamus, & heſternum ſpiremus vinũ, atq; deliciis ſolvamur: plurimiq; ex nobis meretricibus largiamur, alii paraſitis, aſſentatoribus alii, alii item monſtris & fatuis, & nanis: quippe & hi naturæ defectus ſunt quibus pro delectatione utimur. Amicis, qui verè amici ſunt, nunquam invidemus, nunquam illorũ felicitate mordemur: at in Chriſto hoc patimur, plusque amicitiam valere, qui diligenter inſpiciat, animadvertet, quàm timorem Dei. Namq; ſimulator, & faſcinator, & invidus homines plus quàm Deũ reveretur. Quo pacto? jam dicam. quod ſcilicet quum Deus inſpiciat cor, fraudes concinnare non deſinit: ſin verò hominem ſe intuerit perviderit, pallet, erubeſcit, atq; confunditur. Rurſus ad amicũ quum aliqua afflictione vexatur, ſoliciti pergimus: at ſi modicum diſtulerimus, reprehenſionem expaveſcimus.

At verò quum Chriſtus ſæpè in carcere in ſuis membris moriatur, eum ne viſitamus quidem. Ad amicos autẽ fideles, non ideò quia fideles ſint, ſed quia ſunt amici, proficiſcimur. Vides, ut nihil

Dei

Dei metu, nihilque ipſius amore perpetretur à nobis, ſed omnia partim amicitia partim conſuetudine facimus? Amicum peregre quum proficiſci cernimus, lugemus, ingemiſcimus, illachrymamur: & ſi mortuum videre contigerit, plangimus, & quidem quum certè noverimus ipſum à nobis non perpetuo eſſe ſeparandum, propter reſurrectionis ſacramentum. Enimvero quum Chriſtus quotidie ſeparetur à nobis, imo quum ipſum diebus ſingulis à noſtro arceamus ingreſſu, neque dolemus, neque aliquid acerbum nos pati arbitramur. Cæterum quum illum afficiamus injuriis, quum eum contriſtemus jugiter, atque irritemus, & contra quam ille juſſerit faciamus omnia, neq; ingemiſcimus, ſed inſenſibiles non ſecus ac lapides permanemus. Ne id quidem horroris ſatis eſt, ſi eo nō ſaltem ut amico utimur: ego enim oſtendam nos illo uti veluti inimico. Quomodo, inquies? Prudentia, inquit, carnis inimica eſt Dei. Atqui hanc circumferimus ſemper, illum fugamus, ſi nobis velit accurrere, atque ex januis arcemus noſtris. Mala namque opera hoc faciunt: auctores ipſi ſumus, ut quotidie contumeliis exagitetur avaritiæ noſtræ, rapinæque cauſa. Laudatur quiſpiam virtute probatus, quæ ad ſanam pertinent doctrinam loquens, & eccleſiam verbo prædicationis ædificans, nos huic protinus invidemus: quia quæ Dei ſunt gerit. Videmurque invidere illi quidem, verum livor ipſe noſter tranſit in Dominum majeſtatis, dum ædificationem illam non per alios, ſed per nos fieri volumus: non propter Chriſtum, ſed noſtri gratia. Nam ſi Chriſti urgeret affectus, ſive id per nos, ſive per alios fieret, nihil moveremur. Dic enim, quæſo, ſi quiſpiam medicus filium habens cæcitati proximum, ipſe nihil remedij adhibere poſſet: alium vero fortaſſe reperiret, qui hoc poſſet, nū illum repuliſſet? Nequaquam. Sed ipſi quodammodo ita loqueretur: Sive per te ſanitas, ſive per me contingat, nihil refert. Cur id? Quia non quæ ſua ſunt, quærit: ſed quid filio expediat, ſtudioſe perſequitur. Ita & nos, ſi Chriſtum toto animi affectu amaremus, diceremus profecto: ſive per nos, ſive per alios quoslibet, quod expedit fiat, nihil ad rem: ſive veritate, ſive occaſione, inquit, Chriſtus annunciatur. *Homilia 3. ad Timoth. 1.*

¶ Latinorvm.

Salvianus: Id dictum tepidiſſimi & negligentiſſimi quiq; homines ſolo tantum perſecutionis tempore putant eſſem ſervandum: qua ſi verò ullum omnino tempus ſit, quo præferri aliquid Deo debeat, aut qui perſecutionis tempore pretioſiorem omnibus rebus Chriſtum habere debet, reliquo omni tempore habere debeat viliorem. Quod ſi ita eſt, amorem Dei perſecutioni debebimus non fidei; & tunc tantum poterimus quantum nos impij perſequuntur: cùm utiq; aut majorem aut certè non minorem tranquillis quam aſperis rebus affectum Domino debeamus qua & hoc ipſo à nobis plus debet diligi, quia nos à malis non patitur adfligi, indulgentia ſcilicet piiſſimi & molliſſimi patris nobiſcum agens, qui magis vult nos, in pace & quiete fidem noſtram religioſis operibus oſtendere, quàm in perſecutione pœnis noſtrorum corporum comprobare, &c. *præfatione in lib. 1. de Avaritia.*

S. Salvianus: Nequaquam id ulli ſpondeo, quod poſſit cujuslibet rei firmum habere præſidium, qui aliquid plus amaverit quam Deum. *libro tertio contra Avaritiam.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 2. de virginitate.

Sic collectus amor propius conjungit amantum
Pectora caſta Deo, cupientem qui cupit, atq;
Cernentem cernit, ſitq; ob ſua advenienti.
Quem quo quisquam plus capit, hoc magè cernit eundem;
Quoque magis cernit, tanto magis expetit illum
Cernere: ſicq; bonus ſemper convolvitur orbis.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Macedonius: Nobilis quidam, qui venatione delectabatur, in montem, quem Macedonius heremita incolebat, aſcendens, cùm procul vidiſſet hominem illum, ſtatim ex equo deſiliens acceſſit, & allocutus eſt, rogavitq; quid faciens hic degeret? Macedonius contra viciſſim interrogavit, *Tu autem quid venisti hic facturus?* Nobili autem reſpondente, Venaturus: *Et ego*, inquit, *meum venor Deum, eumque capere cupio, & contemplari deſidero: nec ab hac pulchra ceſſabo venatione.* Theodoret. hiſt. Sanct. patrum, vita 13.

Saturus: Huic fuit procurator domus Hunerici, Vandalorum principis, qui cum lucidum eſſet membrum Eccleſiæ Chriſti, & pravitatem Arianorum libertate Catholica frequenter argueret, accuſatur & ad ſceleratam hæreſin amplectendam ſollicitatur. Promittuntur honores & divitiæ multæ ſi faceret, præparantur dira ſupplicia, ſi nollet. Hac optione propoſita, ut ſi regalibus juſſis non obediret, primò facta diſcuſſione, & ante amiſſa domo vel ſubſtantia, diſtractis omnibus mancipiis ac filiis, uxor ejus ipſo præſente Camelario in conjugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis ut velociter proveniret, impios provocabat. Ob quam cauſam uxor ejus inducias viſa eſt ab his qui exequebantur, neſciente marito, petiiſſe. Accedit ad maritum alia Eva, conſilio magiſtrata ſerpentis. Sed ille Adam non fuit, qui illecebroſa vetitæ arboris poma contingeret, quia non indigens, ſed Saturus vocabatur, ſaturatus ab ubertate domus Dei, & torrente deliciarum ejus potatus. Advenit mulier ad locum, ubi maritus ſingularis orabat, conſciſſis veſtibus, crineque ſoluto, ſecum comitantibus filiis, unámque infantulam, quæ tunc lactabatur, manibus geſtans, quæ neſcientis proiicitur ad pedes mariti. Etiam ipſa ſuis genua complectitur ulnis, ſibilans vociferatione draconis, Miſerere mei dulciſſime, ſimul & tui, miſerere communibus liberis quos conſpicis ipſe. Non ſubjaceat conditioni ſervili, quos claros proſapia reddidit generis noſtri. Non ſubiiciar ego indigno & turpi conjugio, viuente marito, quæ mihi ſemper inter cœnas plaudebam de Saturo meo. Cognoſcit Dominus, quia invitus facturus es hoc, quod fortè voluntariè aliquanti fecerunt. Cui ille, ſancti Jobi voce reſpondit, *Tanquam una ex inſipientibus mulieribus loqueris. formidarem mulier, ſi ſola eſſet hujus vitæ amaræ dulcedo artificio diaboli conjunx miniſtraris. Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent uxorem, auferant ſubſtantiam, ego ſecurus de promiſſis Domini mei verba tenebo, Si quis non dimiſerit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus.* Quid ultra? diſcedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, diſcurſitur, ſpoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi acceſſus, totum ei abſtulerunt, ſtolam tamen baptiſmatis auferre non potuerunt. *Victor, deperſecut. Vandal. lib. 1.*

¶ Monosticha Trochaica.

Inſatiabiles ſapientum ſunt in amore animæ Dei.
Manſuetudo ac pax character animæ amantis eſt Deum.
Quei Deum queas amare proximum ſi non amas?
Qui Deum haud amat, creatis eſt odio Dei omnibus.
Si Dei haud tenere amore, judicis teneat timor.

¶ Jambica.

Dilectio Dei: eſt dilectio proximi.
Is diligit Deum ſimul, qui proximum.
Nunquam otioſus ullo in homine amor Dei eſt.
Odit genus hominum qui Deum non diligit.
Qui non amant Deum, orbe toto nullum amant.

Amoris erga adoleſcentes.

¶ Socratis, aliorvmqve Græcorum.

Maximus Tyrius: Homini cuidam Corinthio, nomine Æſchylo, filius erat, Doricus adoleſcens, admodum formoſus. Hunc Actæonem (nam id adoleſcenti erat nomen) deperire forte juvenis Corinthus cœpit, è Bacchiadarum genere, qui tum temporis Corinthi imperabant. Cùm autem caſtus adoleſcens eſſet, amantemque libidinoſum negligeret, nocte quadam, cum aliquot ejuſdem familiæ juvenibus, in domum Actæonis procatum venit: ubi velebrietatis ſuæ vel regiæ poteſtatis vel amoris fiducia, abducere adoleſcentem conatur, propinquis eum retinentibus. Donec utrinque in diverſa diſtractus, miſer adoleſcentulus in manibus eorum expiraret. Quod Corinthiorum facinus cum altero illo cœpit conferri, quod in Bœotia accidit: non alia credo de cauſa, quam quod idem utrique adoleſcenti nomen eſſet, cum alter in venatione à canibus, alter in vino diſcerptus eſſet ab amantibus. Periander Ambraciotarum tyrannus, civis cujuſdam filium in deliciis habebat, quo cum præter jus fasque abuteretur, fœda potius libido quam amor dici debebat. Ergo Periander tempore quodam fretus poteſtate ſua, contumelioſe admodum adoleſcentem tractat: quæ res libidini ejus finem attulit, ſimulq; adoleſcentem ex catamito tyrannicidam fecit. Talis plerunq; pœna improbum amorem excipit.

Viſne viciſſim alterius amoris, qui legitimus eſt, unum & alterum tibi adferam exemplum? Adoleſcens, quidam Atticus, amatores habebat duos, privatum hominem, & tyrannum: quorum alter vir probus erat, conditionis ſuæ memor: alter improbus, potentiæ fiducia. Sed & adoleſcens vere pulcher erat, & amore non indignus: quo facilius tyrannum contempſit, privatum hominem amplexus eſt. Quare ſuccenſus ille, præter alias injurias, queis utrunque affecit, ſororem Harmodij, quæ Panathæneorum feſto ad gerendum caniſtrum veniebat, cum ignominia ejecit. Hujus facinoris pœnam ſtatim Piſiſtratidæ dedere, cauſaque Athenienſibus libertatis fuit, contumelioſa tyranni libido, adoleſcentis audacia, probuſq; amor, & amatoris virtus.

Epaminondas amatorio ſtratagemate Thebas in libertatem à Lacedæmoniis vindicavit. Erant Thebis multi pulchri adoleſcentuli qui amabantur, multi pulchri juvenes qui amabant. Utriſque arma in manum Epaminondas dat, ex utriſque cohortem inſtruit amatoriam, quæ minoris planeque inexpugnabilis cum eſſet, conferto ſimul agmine facile hoſtium impetum ſuſtinuit. Qualem neque imperatorum ſolertiſſimus Neſtor, in

Trojano agro, neque Peloponneſiaco Heraclidæ, neque in Attico inſtruxêre Peloponeſij. Neceſſe enim fuit amatores ſingulos, vel exiſtimationis ſuæ cauſa, quod in oculis adoleſcentulorum pugnarent, vel neceſſitatis, quod ſinguli amiciſſimum defenderent, ſtrenue rem gerere. Vehemens rurſus æmulatio adoleſcentulos pungebat, ut cum amatoribus ſibi ſuis paria facerent: ſicut in venatione catuli, qui majores canes ſequuntur.

Quæ ergo cauſa eſt, cur Epaminondam adducam & Harmodium, cùm de contrario amore agam? Vt intelligas rem duplicem, quarum altera cum virtute, altera cum improbitate conjuncta eſt, uno nomine amorem ab hominibus dici. Eadem enim voce & Deum mortales ſignificant, & morbum. Quo fit ut improbi amatores ſe efferant, quaſi aliquid cum Deo commune habeant, nomen videlicet: non credantur contra boni, quia ambiguitas imponit. Quare quod faceremus, ſi duo nobis explorandi eſſent argentarij; alterum namque qui probo nummo præferret cum qui videretur tantum, procul à ſcientia abeſſe diceremus: alterum contra, qui veritatem intelligeret, peritum eſſe concederemus. Eodem modo ſcientiam amandi in ipſius pulchri natura, tanquam in nummo quodam explorando, verſari dicamus. Si enim pulchrum duplex eſt: quorum alterum videtur eſſe, nec eſt, alterum videtur & eſt; neceſſe eſt eos qui pulchrum illud ambiunt, quod videtur, nec eſt; ſpurios & adulterinos amatores eſſe: contra, qui illud quod videtur & eſt, veros amatores & eſſe, & verum pulchrum amare. Eſto.

Cum ergo una hæc ſit explorandi ratio, qua & de homine & ſermone amatorio ſit judicandum; audeamus & in quædam Socratis verba inquirere, ut ſciamus quid illa ſibi velint, quæ toties in diſputationibus ipſius occurrunt, cum de amore loquitur. Vt cùm dicis gratia, *amoris faxulum ſe vocat*, cum *albam formoſi corporis amuſſim*, cum artis hujus ſibi vindicat ſcientiam. Etiam cum magiſtras hujus diſciplinæ agnoſcit, Aſpaſiam Mileſiam, & Diotimam Mantinicen: cum diſcipulos ejuſdem aſſumit, generoſiſſimum Alcibiadem, & divinum illud, ut vocat, caput, Phœdrum, & adoleſcentulum Lyſin; & formoſum illum Charmidem. Nullam enim amatoriam aut actionem aut affectum diſſimulat, ſed libere omnia ordine effundit. Quid quod amore Charmidis *palpitare ſibi cor dicit, percelli & furere non ſecus quam Bacchæ ſolent, amore Alcibiadis: ad Autolycum non aliter quam noctu ad lumen aliquod ſe convertere oculos?* Rurſus in ſua quam ex optimis civibus conſtituit Rep. cum de præmiis virtutis ſancit leges, non coronas aut ſtatuas, reliquaſque Græcorum nænias dat illis: ſed ut præſtantiſſimo liceat pulchrum amare adoleſcentulum, quem ipſe voluerit. O præmium admirabile! Jam in fabula quam de Amore finxit ipſe, quomodo deſcripſit eum? Turpem videlicet aſpectu, pauperem, ejuſdem fere fortunæ cujus ipſe eſſet, diſcalceatum, humicubum, inſidiatorem, qui ſemper venaretur aliquid, veneficum, ſophiſtam, præſtigiatorem denique. Et quicquid ipſi Socrati Dionyſijs objicere ſolebant comici. Et hæc quidem propemodum in medio Græcorum omnium, ſed & privatim, & publicè; in convivijs, in Academia, in Piræeo, in via ſub platano dicebat ſua, & in Lyceo. Adde quod reliquarum rerum negat ſe ſcire quicquam, nec quæ de virtute, nec quæ de Dijs traduntur, neq; quicquam deniq; eorum quæ cum faſtu profitebantur ſophiſtæ. Solum tamen amatoriæ ſcientiæ nomen artemque ſibi vendicat: in ea quotidie occupari ſe fatetur.

Quid ſibi volunt iſti tam verniles, ſive luſus, ſive ænigmata, ô noſter Socrates? Reſpõdeat nobis pro Socrate, vel Plato, vel Xenophon, vel Æſchines, ejuſve familiarium alius quivis. Ego certe miror & obſtupeſco cum cogito, Socratem ex admirabili illa ſua Rep. procul ab educatione juvenum, cum corona & unguento, ut ipſe loquitur, ablegaſſe Homerum: non aliam ob cauſam, quam licentiam illam, qua in poëſi ſua uſus eſt. Vt cum Jovem inducit, qui ſub immortali nebula Junonem ſuam amplectitur, in Jda monte. Vt cum Martis Veneriſq; congreſſum & Vulcani deſcribit vincula. Cum Deorum cõpotationes, & effuſos riſus. quod Apollo fugiat, Achilles ſequatur,

Mortali de ſtirpe, Deum
quod Dij lamententur:
Hei mihi Sarpedon animi lux unica noſtri
Occidit,

ait Jupiter. Et rurſus,

Hei mihi cui natus pariter præſtanſque miſerque
Contigit!

Thetis dicit, & cætera quæ ab Homero alia mente dicuntur, reprehenduntur à Socrate. Ipſe tamen Socrates, ille philoſophiæ amator. paupertatis contemptor, hoſtis voluptatis, amicus veritatis, lubricos adeo periculoſoſque diſputationibus ſuis miſcuit ſermones, ut merito excuſari fabulæ Homericæ poſſint ſi cum illis conferantur. Statim enim quicumque ejuſmodi, vel de Jove, vel de Apolline, vel de Thetide, vel Vulcano audit, non aliter quam in oraculo, aliud verba dicere aliud ſignificare intelligit. Itaque auribus voluptatem indulget, animo vero cum poëta certat, & imaginationem ſuam altius attollit, & ipſe quoque quaſi adjuvat figmentum. commoditatem denique fabulæ ac jucunditatem amplectitur, nec licentiam admittit tamen animo ac credit.

At vero Socrates qui ubique à veritatis commendatur ſtudio, magis periculoſas fingit fabulas, vel propter ſummam autoritatem viri, vel vim imitationis ſingularem, vel quod re ipſa abhorrere ab amore videatur. Quid enim diſſimilius Socrate, cum de amore & de temperantia loquitur? cum ad pulchrorum percuſſus quaſi deficit aſpectũ, libidinoſos reprehendit? Cum amatoriam Lyſiæ orationem refutat, cum Critobulum reprehendit: cum ab Alcibiadis venatione redit, cum Charmidem obſtupeſcit? Quid enim hæc ad ſapientis vitam, ad præſentiam animi, qua populum, libertatem, qua reges tangit, virtutem, qua ad Delium de hoſtibus, magnitudinem animi, qua in judicio adverſarios contemnit: quid ad ſupremum illud iter cum carcerem intrat, aut denique illa quibus ſe ad mortem parat? Nihil herculeſ. Nam ſi hæc ſimpliciter dicit, ut cogitat, taceo, ne quid gravius dicam: ſin oratione turpi honeſta deſignat: nec laudari poteſt hoc, nec periculo caret. Neque enim honeſtum turpi velare, & ea quæ proſunt ſub ijs quæ nocere poſſunt abſcondere, videtur ejus eſſe, qui prodeſſe vult (quippe quod prodeſſe poteſt nõ apparet) ſed qui nocere mavult: quod factũ eſt facillimũ. Hæc, niſi fallor, Callias diceret, aut Polus, aut ſi quis præterea Socraticæ philoſophiæ fuit adverſarius.

Age ergo illis, ne ulterius nugemur, ſic reſpondeamus. quamvis longe ſupra vires noſtras ſit voluntas: cum voluntas parum poſſit niſi facultas adſit. Et tamen ita conabimur, ut quo ſecurius noſtra procedat defenſio, id quod rei ſolent, faciamus, imminente periculo: nec enim ad crimen tantum quod objicitur reſpondent, ſed occulte in alios, quorum major eſt autoritas, culpam derivant; ut facinus à ſe commiſſum ita elevent, ſi tales in ſocietatem ejus venire oſtendant. Sic nos, rectene an contra hæc fecerit Socrates, inquirere, aliquantum in præſenti differamus: quin hoc potius modo violentis illis accuſatoribus reſpondeamus.

Videmini mihi, viri optimi, ineptius calumniari Socratem, quam aut Anytus aut Melitus. Illi quippe crimina nonnulla cum Socrati obiicerent, & quod juventutem corrumperet, & quod Critias tyrannum ageret, Alcibiades contumelioſe ageret: quod ex inferiore ratione ſuperiorem faceret: quod poſtremo per Canem juraret, & Platanum, Amatoriam vero Socratis nemo è tantis calumniatoribus accuſare fuit auſus. Sed nec aſperrimus accuſatorum ejus Ariſtophanes, cum Dionyſijs omnia Socratis traduceret, in amorem tamen ejus ullum vibravit dicterium. Cum tamen pauperem eum vocaret, & inepte garrulum, & ſophiſten: quidvis denique potius, quam ut male amare eum diceret. Videtur enim hoc ſupra calumniatorum omniũ & comicorum fuiſſe reprehenſionem. Quare cum & theatrum Athenienſium & judicium illius temporis hæc accuſatio effugere potuerit; in præſentia nobis cum ævi hujus calumniatoribus, qui nihil cedunt prioribus, ita agendum erit, ut primo oſtendamus ijs, non fuiſſe hoc inventum Socratis, ſed longe antiquius. Hujus rei teſtem ipſum laudare poſſumus Socratem, qui cum admiretur artem & commendet, tamen ab aliis inventam à ſe propagari tantum dicit. Cum enim Phædrus ille Myrrinuſius amatoriam Lyſiæ Cephali filij orationem legiſſet; negat ſe mirari talia, cum ipſe, non ſecus quam dolium aliquod, aliorum liquoribus plenum habeat pectus. Vt puta pulchræ illius Sapphus (quam à carminum pulchritudine ita vocat, cum exigua eſſet alias & fuſca) aut ſapientiſſimi, inquit, Anacreontis. Rurſus encomium amoris, quod in Sympoſio recitat, Mantinicæ cuidam fœminæ acceptum fert.

Verum ſive Mantinica ea fuerit, ſive Lesbia, certum eſt non primo de amore diſputaſſe Socratem. Quod ut appareat, ab Homero initium faciamus. Quo cum nemo majore copia & arte, honeſta quæ ſequenda, turpia quæ vitanda ſunt, propoſuiſſe videatur: invenies tamen admodum ſimpliciter & antiqua ruditate in diſciplinis verſari reliquis. Sicut cum de medicina, de aurigandi arte, de inſtruenda acie agit. Sic equum ſiniſtrum vetat metæ impingere: ſic potiunculam è vino Pramnio ægris propinat: ſic imbelles in medio aliorum locat, equiteſq; à peditibus diſtinguit. Hæc tam præclara, ſi Diis placet, noſtri temporis imperatores, medici, aurigæ, riſu exciperent. At cum de amore agit, nihil eſt quod non ordine deſcribat: effectus, ætatem idoneam, ſpecies, affectiones, tum honeſtas tum turpes. Amorem caſtũ, amorem impudicum, amorem probum, amorem libidinoſum, amorem furioſum, amorem ſedatum. Vt in ejuſmodi non amplius antiquitatem redoleat, ſed artifex ſit ſingularis,

Quales nunc homines. ——

Et ecce ſtatim in principio operis amatores introducit duos, qui de captiva una inter ſe certant, quorum alter audax eſt & furioſus: alter lenior quidem, hujus tamen perturbationis haud immunis. Alter ex oculis flammam jacit, omnibuſque maledicit & minatur ordine: alter tacite recedit, humi lachrymans procumbit & anxius oberrat: diſceſſurum deniq; ſe ait, cum maneat. Alia eſt impudici amoris imago, quam in Paride habes, qui prœlio ſe ſubducit, thalamum intrat, & ubique mœcho eſt ſimilis. Invenies & caſtum amorem, qui utrinque mutuo reſpondet, quem in Hectore habes & Andromache: quæ viro ſuo & amatori Hectori, patris fratriſq;, & ſi quæ præterea amiciſſima ſunt tribuit nomina. Ille viciſſim, ne de matre quidem ſua ſe tam ſollicitũ eſſe ait, quã de illa. Habes & Venereũ in concubitu Junonis & Jovis. Et libidinoſum, in procis: illecebroſum in Calypſone, veneficũ in Circe, virilẽ in Patroclo: qui labore mutuo accenditur, & ad mortẽ uſq; conſtans manet. Quorũ uterq; juvenis, uterque pulcher, uterq; caſtus eſt. Alter inſtruit, alter inſtruitur, alter dolet, ſolatur alter, alter canit, auſcultat alter. Affectum amatorium & hoc exprimit, quod cũ pugnæ poteſtatẽ ſibi fieri optet Patroclus, lachrymetur tanquam non impetraturus hoc hoc ab amante. Qui tamen & veniam illi cõcedit, & arma ſua. Sed & cunctante eo metuit, & jam mortuo mori quoq; optat, iramq; ſuã deponit. Amatoriæ ſunt & nocturnæ viſiones, & ſomnia, & lachrymæ illæ: donũ poſtremo ultimum quod ſepulchro impendit, capillus. Hæc ſunt amatoria Homeri.

Jam

Jam apud Heſiodum quid aliud Muſæ canunt, quam virorum mulierumque amores, amores fluviorum, plantarum, ac regum? Nam Archilochi amorem, quod ſit impudicus, facile prætereo. Sapphus vero (ſi quidem antiquiora cum recentioribus conferre fas eſt) quid eſt aliud quam amatoria ars Socratis? Videntur enim mihi idem ſpectare uterque; hic cum virorum, illa cum mulierum celebrat aſpectare uterque; hic cum virorum, illa cum mulierum celebrat amorem. Vterque plurimos ſe amare fatetur, & ab omnibus formoſis facillime capi. Quod enim Alcibiades illi & Charmides, & Phædrus, hoc Sapphoni Lesbiæ Gyrinna, Athis, & Anactoria: & quod Socrati æmuli illi Prodicus, Gorgias, Thraſymachus, & Protagoras, hoc Sapphoni Gorgo & Andromeda. Interdum namque increpat illas, interdum arguit, tum ubique urbana illa Socratis elucet diſſimulatio. *Ionem ſaluere jubeo*, ait Socrates. *Plurimum ſaluere Polyanactis filium jubeo*, ait Sappho. Negat ſe Alcibiadem quem diu antea amarat, priuſquam è colloquiis ſuis fructum haurire poſſet, accedere voluiſſe Socrates. *Parva mihi puella videre, nec adhuc matura*, ait Sappho. Ille habitum alibi & diſcubitum ſophiſtæ perſtringit: illa alibi canit, *Quædam ruſtica tunica induta*. Amorem ait Diotima apud Socratem, non filium ſed pediſſequum eſſe Veneris & famulum. Venus alibi apud Sapphonem in oda quadam ait, *Et tu pulcherrime famule amor*. Rurſus Diotima ait, florere amorem cum abundat, mori cum eget. Illa utrumque conjungit: cum *Amorem dulce amarum* vocat, & *dona ait dare, ſed moleſta*. Socrates Amorem *ſophiſtam* vocat, Sappho *verborum architectum*. Phædri amore *tanquam Bacchico furore concitari* ſe ait Socrates. Illa vero, *Amor mihi mentem*, inquit, *impulit, venti inſtar qui montanis incidit arboribus*. Socrates Xanthippen perſtringit, cum mortem ejus dolet: illa filiæ ſuæ ſcribit, *Nefas in poetica domo luctum eſſe; neque id nobis ſit dignum*.

Sed & Teij ſophiſtæ ars ejuſdem indolis ejuſdemque modi eſt. Nam & formoſos omnes amat, & laudat omnes. Nihil enim fere odæ illius canunt, quam Smerdiæ capillum, & Cleobuli oculos, & florem Bathylli. Sed & in illis caſtitatem vide. *Lubes deliciari tecum*, inquit, *mire enim venuſtulus es*. Et rurſus, *Pulchrum in amore eſt quod juſtum eſt*. Sed & alibi artem ſuam detexit, *Me*, inquit, *pueri verborum meorum cauſa diligant, venuſta enim ys tribuo, venuſta poſſum dicere*. Idem de Socrate Alcibiades dicebat, cum venuſtatem ejus cum Olympi Marſiæque tibiis & cantu confert. Quis ô Dij, amorem talem reprehendere poſſit, præter Timarchum? *Diſſertatione octava*, De amatoria Socratis.

Idem: De eodem amore. Reſumamus iterum eandem de amore diſputationem, tanquam magni itineris principium, interpoſita quiete, donec ad finem perveniamus. Quod ut fieri poſſit, duces viæ nobis aſſumamus, facundiæ præſidem Mercurium, Suadam, Gratias, ipſumque Amorem. Nec enim parvum eſt certamen, aut de levi inſtitutum: quandoquidem uſitatam orationis viam, quæ de amore agere ſolet, præcipitium comitatur profundiſſimum. Vt alterum neceſſe ſit, vel ut recte ames, tutoque viam hanc abſolvas, aut ut de via deflectens, ſecus ames, & in præceps feraris. Quod cum timeret noſter Socrates, videretque morbum hunc cum in aliis Græciæ partibus, tum præcipue Athenis dominari, plenaque eſſe omnia amatoribus qui deciperent, adoleſcentibus qui deciperentur, miſeratus eſt in utriſque miſerum hunc affectum: cumque rem tam impudicam lege vindicare non poſſet (neque enim Lycurgus erat, aut Solon aut Cledoſthenes, aut alius aliquis eorum è numero qui apud Græcos imperarunt) neque vi eos ad officium cogere poſſet (hoc enim vel Herculis fuiſſet vel Theſei, aut ſi quis alius robuſtus fuit morum caſtigator) neque rationibus perſuadere, quia, nihil eſt quod difficilius perſuaderi poteſt quam libido, præſertim ſi furiis quibuſdam agitata, quam proxime ad furorem accedat: negligendos ſibi neque hos neque illos putavit, aut de ſalute eorum deſperandum eſſe. Excogitavit ergo artem ejuſmodi, qua eorum animos duceret: quam ut commode oſtendere poſſim, Æſopico more fabellam proponam.

Paſtor quidam & lanio ſimul incedebant. Inter eundem evenit ut agnum pinguiſſimum ſeorſim à grege ſuo viderent aberrare. Accurrit uterque Agnus ergo ut ſciret cui ſe committeret (nam tum temporis humano more bruta loquebantur) quis uterque eorum eſſet, exquirit. Vbi quod res erat cognovit, artemque utriuſque ſatis percepit, paſtori ſe tradit, lanioni contra, tu, inquit carnifex es gregiſque noſtri crudelis mactator, huic vero gens non inviſa ſumus. Confer ſi placet, ex præſcripto hujus fabulæ, amatores illos cum multis lanionibus, Socratem cum paſtore uno: adoleſcentulos Atticos cum pecoribus, quæ à grege ſuo aberrant: nam & hi eodem modo inter ſe loquuntur: revera tamen neque pro fabularum licentia. Quid ergo facturus eſt, cum carnifices hos formæ inſidiari adoleſcentulorum videbit hic paſtor, magnoque impetu accurrere? Permittet hoc tacituſque adſtabit? Ita ipſis crudelior tortoribus eſſet. Imo curret ut illi, inſequetur eodem modo, ſed alio fine. Et tamen imperitus aliquis qui artem quam uterque profitetur ignorat, aut qui cauſam currendi neſcit, currere utrunque in perniciem putabit agni; donec finem videbit: tum enim curſum laudabit, imitari conabitur diligentiam, mirabitur hunc venatorem, beatam judicabit ipſam prædam. Quare amare ſe profitebatur Socrates, & amare quidem omnes; currebat etiam cum aliis, ſequebatur formoſos, rivales ſuos prævertebat, omneſque carnificum præcidebat conatus. Nam & laboris erat patientior, & amoris peritior, & ad capiendum dexterior. Nec ſine cauſa.

Alijs enim amor libidinis nomen erat, quod in mediis ſine certa ſede errat voluptatibus: cujus fons & origo eſt flos corporis, qui oculos intrat, ex oculis in animum dilabitur. Prima enim via qua pulchritudo ſeſe inſinuat, ſunt oculi. At vero amor Socratis, diligentia ſtudioque conſequendi ſimilis erat reliquis, libidine differebat. Si voluptatem ſpectes, temperantior, ſi virtutem, ſolertior, cujus fons & origo erat pulchritudo animi, quæ è corpore elucebat. Vt ſi pulchrum cogites fluvium, qui pratulum irrigat: flores enim quamvis pulchri ſint, qui ſub aqua ſunt, pulchriores tamen aquæ cauſa videntur. Idem poteſt flos animæ, pulchro innatus corpori: illuſtratur ab eo, elucet, ſplendorem ſuum transfundit. Vt nihil aliud ſit pulchritudo corporis, quam futuræ flos virtutis, & majoris quaſi pulchritudinis præludium. Sicut enim ſolis exortum fulgor quidam in ſummitate montium præcedit, quo vehementer delectantur oculi, quia aliud exſpectant: ita animæ ſplendorem ſplendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur philoſophi, quia aliud mox venturum vident. Nam ſi Theſſalus equi pullum, Ægyptius vitulum, Spartiata catulum amat; cur qui hominem amat, qui hoc animal deperit, ab Ægyptio agricola, aut equite Theſſalo, aut venatore Laconico ſuperabitur? Longe enim alia illorum cultura eſt, quæ ad laborem tantum animalia illa præparat, quibus poſtea utatur: cum amator hominis, qui adoleſcentem colit, nihil aliud quam communionem virtutis habeat propoſitam. Quod ut fieri poſſit, eligit ex omnibus maximè idoneos. Idonei maxime ad virtutem conſequendam ſunt, qui maxime ſunt pulchri.

Iam pulchritudo cum ſit eadem, alia tamen videtur oculis improbis, alia legitimis amatoribus: ſicut enſis cum idem ſit, alius tamen videtur viro forti, alius carnifici. Sicut Penelopen aliter Vlyſſes videt, aliter Eurymachus: ſicut ſolem aliter videt Pythagoras, aliter Anaxagoras. Pythagoras ut Deum, Anaxagoras ut lapidem. Sicut virtutem aliter ſequitur Socrates, aliter Epicurus. Socrates enim beatitudinem amat, voluptatem Epicurus. Eodem modo pulchrum corpus aliter ſequitur Socrates, aliter Cliſthenes. Socrates enim ut virtutis, ut voluptatis amator Cliſthenes. Cum ergo audies amare philoſophum, audies amare hominem improbum, cave utrunque eodem dicas nomine. Quia alter in libidinem fertur, alter pulchritudinem amat. Alter in virtus æger eſt, alter amat libenter. Alter bona illius ſpectat, quem amat: alter cum pernicie amat utriuſque. Illius amoris virtus, hujus opus eſt voluptas. Illius amoris finis eſt amicitia, hujus ſimultas. Ille amor gratuitus, hic mercenarius eſt. Ille encomio, hic vituperio dignus eſt. Ille Græcus, hic Barbarus eſt. Ille virilis, hic effœminatus eſt. Ille ſtat, hic volat, nec unquam diuturnus eſt. Qui illo amore captus eſt, Deo charus, charus legi, plenius pudoris, plenius libertatis eſt. Ille etjam interdiu amaſium complectitur, & ſe oblectat: cum eo in gymnaſio luctatur, in ſtadio currit, in venatione laboris comitem, in bello virtutis ſocium ſe præbet: ſi felix ſit, felicitatis conſors eſt, ſi moriendum eſt una moritur. Denique ad congreſſum nec nocte opus habet nec ſolitudine. Alter contra, Dis inimicus: libenter enim peccat. Inimicus legis: legem enim tranſgreditur: diffidens, expes, impudens, Solitudinem, noctem, loca tenebroſa captat: nunquam luce palam cum amaſio verſari audet. Solem fugit, noctem ſequitur & caliginem,

——— *Quam non paſtor*
amat,

Sed fur diligit. Alter enim paſtori, alter furi ſimilis eſt: amat enim latebras. Malum namque quod agit non neſcit, & cum non neſciat, tamen à voluptate trahitur.

Sic ad fructiferas arbores caute accedit agricola, fur violenter carpit, læditque plantas, ac frangit. Si pulchri corporis florem fructumque videas, cave polluas, cave temeres, cave florem tangas. Lauda potius, ut viator plantam ſolet,

——— *ſic propter Apollinis aram,*
Germen adhuc teneræ conſpexit ſurgere palmæ.

Parce Apollinis Joviſque plantæ, exſpecta fructus, rectius amabis. Non admodum moleſtum hoc eſt. Nec enim Socrates tantum hoc potuit, nec ſolius eſt philoſophi. Scimus Spartiatam quendam, qui nec in Lyceo enutritus, nec in Academia inſtiturus, nec in philoſophia eruditus eſſet, occurriſſe adoleſcentulo, quamvis Barbaro, tamen formoſo admodum, & qui in ipſo ætatis flore eſſet: quem amavit quidem (quid ni enim amaret?) nunquam tamen ultra oculos & aſpectum quicquam ejus delibavit. Ego pluris hanc Ageſilai fortitudinem facio, quam quæ in bello præclarè geſſit Leonides. Magis namque inexpugnabilis amor erat Barbari illius: tum Amoris tela magis penetrant, quam Caduſia aut Medica. Quare Xerxes mortuum calcavit Leonidem, Pylaſque ingreſſus eſt. At Ageſilao cum ad oculos tantum uſque proceſſiſſet amor, in ipſis animi foribus hæſit ac remanſit: quod majoris virtutis eſt. Ego certe illi præmium trado. Ego hoc in rebus Ageſilai magis laudo, quam cum Tiſſaphernem inſequitur, Thebanos ſuperat, flagra perfert. Illa namque ad corporis educationem inſtitutionemque pertinebant: hæc contra, vere exercitati animi multiſque flagris ſubacti ſigna fuerunt. *Differt*, 9.

Idem Tyrius: De eadem Socratis amatoria. Smerdies natione Thrax,

Thrax, formæ elegantiſſimæ planeque regiæ puer, dono à Græcis cubuſdam, regi Jonico, Polycrati nimirum Samio, donatus eſt. Quo munere in tantum rex delectatus eſt, ut puerum vehementer amaret: in quo rivalem habuit poëtam Teium, Anacreontem. Et à Polycrate quidem aurum argentumq; dono accepit Smerdies, aliaq; ejuſmodi quæ puerum formoſum a rege amatore accipere æquum eſt. Ab Anacreonte contra carmina ac laudes, & quæcumq; ab amatore poëta æquum eſt. Si quis jam utrunque amorem, regium dico poëticumque inter ſe componere velit, utrum eorum divinum magis cœleſtemq;, utrum magis Venere dignum, magiſque ſanctum viſum iri exiſtimas? Ego illum magis arbitror, quem Muſæ Gratiæque temperant, quam quem neceſſitas & metus. Alter enim homini captivo aut infelici ſimilis eſt mercenario, alter libero & Græco. Quam eſſe cauſam arbitror, cur vix apud Barbaros amor inveniri ſoleat. Vbi enim populus, ſervit, rex imperat; ibi totum illud medium, quod auctoritate, quod dignitate, ac ſocietatis lege inter ſe par eſt, penitus ſublatum eſt. Nihil autem amori magis inimicum eſt, quam metus & neceſſitas.

Eſt enim generoſum quid amor ac ingenuum, ipſaque Sparta magis liberum. Solus enim omnium quæ hominibus adeſſe ſolent, cui pure ac ſine labe vlla hæſerit, nec opes admiratur nec reges metuit, nec regiam ſtupet, nec judicium horret, aut mortem vitat. Non beliua ulla, non ignis, non præceps locus, non mare, non enſis, non laqueus, illi metum incutit. Sed & invia penetrat, & periculoſa ſuperat, & quæ alij metuunt, facilè contemnit, & quæ aliis difficilia videntur, facile efficit. Fluvios facile tranat, tempeſtate facile navigat, in montibus facile currit. Vbique præſenti eſt animo, omnia deſpicit, omnia in poteſtate habet. Res minime contemnenda eſt amor, quoties talis eſt. Vt arbitror, optaturum eſſe ſapientem virum, ne unquam ab eo amor recedat, ſi quidem una cum illo libertatem, ſecuritatem, animique firmitatem conſecuturus ſit,

Vereor tamen ne in omnibus talis ſit, ſed potius res fœda, quæ pulcherrimæ habitum ſibi vendicet, ſolaque ſimilitudine ſe efferat: ut ipſam quidem conſequatur imaginem, multum tamen abſit à fine. Sicut agyrta imitatur medicum, ſycophanta oratorem, ſophiſta philoſophum. Ita ubique invenies malum bono adhærere, & ob ſimilitudinem quam habet, cum eo coaleſcere. Cum tamen vel propoſito diſtinctum ſit, ut orator à ſycophanta, vel fine, ut medicus ab agyrta, vel virtute, ut philoſophus à ſophiſta. Pauci enim vel propoſitum, vel finem, vel virtutem intelligunt. Cum ergo duæ artes ambiguæ concurrunt, in quibus & ſimilitudo quædam & diſſimilitudo concurrit, neceſſe eſt eos, qui ſecundum diſſimilitudinem ſeparare artes non poſſunt, ex eo quod ſimile eſt, conjungant. Videamus ergo an eodem modo de amore ſit judicandum nomen nimirum eſſe medium, quod virtutem inter improbitatemque conſiſtit. ut tam ab hac quam ab illa ſuaviter alliciatur: utriuſque formam, utriuſque nomen, prout alteri earum adhæret, ſibi adſumat.

Cùm autem duæ ſint, ut Plato docet, partes animæ; quarum altera ratio, altera affectus dicitur: neceſſe eſt amorem ſi quidem ſit vitium affectum eſſe ſine ratione; ſin virtus, è duobus alterum: ut vel ad rationem referatur, & ab affectu plane ſeparetur, aut ad affectum referatur, qui rationi ſit conjunctus. Quod ſi amor nihil eſt aliud quam amicitiæ quidam impetus atque appetitus, quo ſimile natura ſua ad ſimile pertrahitur, ut cum ſimili miſceatur ſimile, affectus erit non ratio. Quare neceſſe erit, ut huic affectui præficiatur ratio, ut virtus fiat non morbus. Sicut in corporum noſtrorum temperamentis fieri videmus, ubi ſanitas nihil eſt, quàm diſpoſitio quædam, quæ ex humido & ſicco, frigido & calido, vel naturæ vel artis beneficio apte cõpoſito conſtat. quod ſi vel tantillum naturæ demas vel artis, diſpoſitionem illam turbas, ipſam ſanitatem evertis. Eodem modo, amor quamvis accedat ratio, affectus eſſe non deſinit: ſin rationem tollas, temperamentum illud aptum confundis, nihilque aliud quam morbum efficis.

Sit igitur appetitus quidam animæ, ipſe amor, qui fræno indiget, non minus quam equus generoſus. Nam ſi quocumque volet, animum abire permittes, non aliud agis, ut Homerica imagine utar, quam ſi equum adultum in campo exultare ac ferocire ſinas: ut, nec lavacra petat quæ debet, non curſus à domitore præſcriptos exerceat: ſed ſine habenis, ſine ullo paſſim feratur inſpectore. Atqui ut ingratum eſt, videre equum ſolutum, ita fœdum audire libidinoſum amorem. Hic ille amor eſt, qui rupes tranſilit, fluvios tranat, gladios arripit, laqueos nectit, novercam invadit, inſidiatur privigno; exlex, furioſus, intempeſtivus. Hic eſt, quem tragœdiæ in ſcenis depingunt, qui in fabulis accuſatur, furiarum pleniſſimus, pleniſſimus lachrymarum. Hic eſt qui lamentatur, qui gemit: qui raro felix eſt, qui præter æquum bonumque effertur, mutationi cuilibet eſt obnoxius: qui ſubito impetu in voluptates corporis rapitur, qui corpus corpori miſcere ardet, qui neque honeſtum, neque legitimum, neque amatorium vere petit complexum. Quia enim nomen audit pulchritudinis, impellitur: quia veram ignorat pulchritudinem, decipitur.

Huic alter qui contrarius eſt, ſola ſpe fœtus, juſte ac legitime, naturaliq́ue inflammatus cupidine, cum ſolo fœcundo ſexu coit, ut ſimile producat: gentemque muliebrem à noſtro ſeparat. Hæc eſt lex, quam Nuptiales, quam Gentilici, quam Natalicij conſtituêre divi: toti animalium naturæ communis. Quorum alia ſponte ſua, cum ad juſtam pervenêre ætatem, proprij amoris ſtimulo congrediuntur: alij arte junguntur. quod à paſtoribus, caprarijs, bubulcis, equiſonibus fieri videmus. quorum nemo eſt qui non pro naturæ ratione, pecudes ſuas vel committat, vel rurſus ſegreget: ne in petulantiam res abeat.

——ibant que ſeorſim
Iam natæ, mediæque, ſuis à matribus, agnæ.

Illa vero quæ humano generi præeſt, regia ac paſtoralis ars, nullum noſtræ proterviæ remedium habet, niſi prius rationi homo cedat, animumque ipſe ſuum verecundiæ temperantiæque, tanquam paſtoribus duobus, tradat paſcendam.

Nam ut reliqua animalia aliud vitæ ſuæ à natura præſidium habent, à quo conſervantur; ſicut robur leones, curſum cervi, venandi artem canes; quæ in aqua vivunt, natant, quæ in aëre, volant, quæ repunt, luſtra incolunt: Ita & hominibus qui reliquis omnibus ab alijs vincuntur (nam & viribus infirmiſſimi, & curſu ſunt tardiſſimi; volare non poſſunt, natare vix queunt, luſtra ſibi non fodiunt) rationẽ ſolam, quæ pro cæteris omnibus eſt commoditatibus, Deus conceſſit: cui appetitum amoris ſubjecit: ſicut equus frænis, ſagittatio arcus, navis gubernaculo, artifici denique inſtrumentum ſubijcitur. Nam & ratio magna ſui parte imbecillior eſt, niſi amor accedat, & amor furioſior, niſi rationi obſequatur. Eſt autem obſequium nihil aliud quam amoris ſimul rationiſque conjugium, quæ una ſimulque ad pulchrum feruntur ingentique curſu contendunt. Iam qui id in corpore ſepultum eſſe putant, voluptatem, in quo falluntur, pro pulchro ſequuntur. Malum enim plenum blanditiarum, ac quod quidvis facile perſuadet, eſt voluptas.

Hoc eſt quod Trojanum adoleſcentulum, qui ſemper in Ida oberraverat bubulcus, quia voluptates concoquere domeſticas non poterat, cum monte ſuo mare permutare juſſit, naviq́ue impoſitum in Peloponneſum tranſvexit; prædonem vérius quam amatorem. Nec enim aliud, ſi Dijs placet, pulchrum corpus in tota reperiri Aſia poterat; non Troicum, non Dardanicum, non Helleſponticum aut Lydium, quod cum lingua amatoris, cum moribus atque educatione conveniret. Spartam ergo Eurotamq; petit, tranſmarinus graſſator, & qui ex ſomnio amare didicerat. Hic hoſpitem ſuum lædit, hoſpes ut hoſtis agit, Græcum ſoluit connubium. O amorem delicatum, ô ſomnium improbum, ô ſceleſtos oculos, multorumque ſemper malorũ cauſam voluptatem! Sic etiam magnum illum Xerxen, qui ad Salaminem Platæaſq; cum Græcis congreſſus eſt, qui tot pulchra quotidie ſpectabat & in poteſtate habebat corpora, movere non potuit aut in amorem ſui pertrahere, fœmina ulla Indica, cum proceritate ſua, neque Medica cum tiara, neq; Mardonica cum mitra, neq; Carica cum armis, neq; Lydia cum cantu ſuo; non Jonica denique ulla aut Helleſpontica: ſed Ameſtrin filij ſui conjugem petit.

O improbiſſimum amorem, qui neglectis cibis gratiſſimis, amaros adverſoſq; guſtui requirit: idque nimiæ licentiæ vitio, quæ amore male uſa eſt. Quoties enim ſcientiam demis, potentiam tribuis animo, ſimul flagitiis acceſſum licentiamque concedis, ac viam quaſi paras. Demas Paridi potentiam Priami, fiduciamque ex eo, boves ſuos paſcet, de Helena ne ſomniabit quidem. Deme Xerxi licentiam, Ameſtris & deformis & plebeiæ inſtar erit fœminæ. Effert ſeſe regia poteſtas, ſi ratio abſit, oculi laſciviant. Quibus licentiam ſi demas, neque Euthydemo affricari Cleobulus, neq; Agathoni volet Pauſanias, neq; alius alij. Hoc eſt cur legem Cretenſium laudem, Eleorum damnem. Cretenſes neceſſitatis cauſa laudo, Eleorum reprehendo licentiam. Juveni Cretenſi turpe habetur, non amare: juveni Cretenſi turpe habetur amore pueri ſeſe inquinare. O legem caſtitate ſimul & amore pulchre temporatam! De Eleis nihil dico, de Lacedæmonijs loquor. Amat Spartiata puerum Laconicum, ſed non ſecus quam pulchram imaginem. Amant unum multi, unus multos. Voluptas libidinoſa quippe ſocietatem non admittit: amor qui ex aſpectu venit, vere ſocialis eſt, ſeſeq; ad omnia quæ amari poſſunt, extendit. Quid ipſo ſole pulchrius? quid pluribus ſufficit amatoribus? Et tamen ſolem diligunt omnium oculi.

Locris, Italiæ urbe, pulcher erat puer, pulchra lex, amatores improbi: quos forma pueri in amorem pertrahebat, in honeſte contra amare lex vetabat. Cumq; impulſu amoris ad explendam ſtimularentur libidinem, nec quod volebant à puero impetrare poſſent (honeſtus enim erat) ſuſpendio omnes vitam finierunt. Digni hac morte me hercule, cur enim vivat homo, cui male cum ſuis ſibi oculis convenit? Qui ſtatuam videt, ejuſq; laudat pulchritudinem, non recurrit ad laqueum. Et eques qui equum videt, & à forma laudat, nec tamen conſequi poteſt, non remedium à reſte petit. Sufficit agricolæ, ſi in agro vicini ſui pulchram plantam videat, aſpectus ipſe. Sufficit venatori, ſi apud alium pulchrum catulum videt, hoc ipſum quod videt. Nec quiſquam horum eſt qui mortem optet, ſi conſequi quod videt non poſſit. Amant vehementius aurum avari, quam amatores corpora: mallent ſepeliri una cum auro avari, quam cum corporibus amantes. Nec tamen quiſquam avarus à morte remedium petit, ſi non conſequatur aurum.

Sicut nec ipſe Perſarum rex, quo nullus negotiator unquam magis inexplebilis fuit, aut furioſe avarus, laqueum paravit ſibi. Qui cum tot terris imperaret, tot in voluptatibus, quot explendæ luxurioſiſſimi cujuſq; regis cupidini ſufficere debebant, volutaret ſeſe, mortui hominis tumulo inſidiatus eſt. Aurum enim audierat cum mortuo ſepultum eſſe. Atque ita magnus rex, cum tiara ſua ſibi, ſepulchrorum perfoſſor factus eſt. Et aurum quidem non invenit, ſed inſcriptionem ejuſmodi ex perſona mortui: *Male tibi ſit mortalium avariſſime, qui propter auri amorem mortuum tangere auſus es.* Idem merito dicat Græcus Græco homini, qui pulchri-

pulchritudinis cauſa, quam in corpore ſepultam eſſe putat, ad expiendam inſatiabilem animi libidinem fertur: Quid vis tibi, hominum dementiſſime, qui mortuum effodias? Neque enim aliter corpus viri tangere auderes, quod à viro tangi nefas eſt. Sceleſtus eſt iſte coitus, infœcundus complexus. In ſaxis ſeris, arenam aras. Ad ea quæ natura præſcribit, voluptatem converte tuam: ad veram agriculturam oculos converte. Voluptas te delectet, ſed non ſterilis.

Ne ſtirps intereat poſthac ſine ſemine nobis. Differt. 10.

Idē adhuc de eodē amore. Non eſt verus ſermo ille, a ſe ipſo in odis ſuis poëta Himeræus erit, ubi priore, in qua tanta de Helena ſcripſiſſe ſe fatetur, revocat. Quare novo præconio prius illud vituperium evertit. Ego vero exēpli illius poëtæ, in his de amore diſputationibus, retractanda mihi quædā video. Nec enim minus hic Deus nominis ſui cōtētum ulciſci poteſt. Quod ergo eſt delictum illud, quod tantopere à nobis retractandum dixi? Grave, me hercule, nec vulgare, & in quo, eximio vel poëta ſit opus, vel ſacerdote, ut integerrimo Deorum ariſtieri poſſit penitus. Non, ut apud Homerum, tripodibus ſeptem, aut talentis auri decem, aut Lesbicis mulieribus, aut Trojanis equis: ſed probo potius veroque ſermone, quo priorem illum improbum falſumque evertamus. Quales quoque pœnas Teium Anacreontem dediſſe amori ajunt. Nutrix quædam in Panionio, quod Jonum forum eſt, infantem geſtabat: occurrit illi ebrius cum corona Anacreon, qui, inter vacillandum, una cum infante nutricem inſcius protrudit: & quaſi hoc ſatis non eſſet, in puerum quoque ipſum, convitium aliquod torquet. Nutrix ſine alia offenſionis nota precatur, ut homo tam inſolens, pluribus aliquando verbis puerum laudaret, quam jam vituperaſſet. Votum perfecit Deus. Idem namque puer adoleſcit, fitque pulcherrimus ille Cleobulus, cui Anacreon quam plurimis laudibus pro exiguo convicio dedit pœnas. Quid vetat, & nos hodie Anacreontis illius exemplo non invitos improbiſſimæ linguæ pœnas dare?

Probare enim velle Amorem cauſam eſſe adulterij ut in Paride, vel flagitij ut in Xerxe, vel libidinis ut in Critobulo, atque ita quicquid impium eſt Deo illi adſcribere, quis neget ſummæ improbitatis eſſe? Quod ut appareat, hoc modo agamus. Putaſne alterius rei amorem, quam pulchritudinis amorem eſſe? Minimè vero: nihil minus enim quam amor eſſet, niſi circa ipſum pulchrum verſaretur. Scire ergo velim, cum Darium amare pecunias dicimus, aut Xerxen Græcorum terram, aut Clearchum bellum, aut honorem Ageſilaum, aut Critiam tyrannidem, aut Alcibiadem Siciliam, aut Gylippum aurum, manifeſtamne aliquam pulchritudinem videamus, cujus ſpe atque illecebris, qui amor à nobis dicitur, ſinguli impeliantur: ut alium hoc, alium aliud amare dicamus. Abſit vero. Eo enim modo, quæcunque apud homines turpiſſima ſunt, neceſſe eſſet alieno exornare nomine: atque ipſi vim inferre veritati.

Quis enim pulchrum aut honeſtum, vel in divitiis, omnium peſſima re, vel in bello omnium incertiſſima, vel in tyrannide, omnium crudeliſſima, vel in auro, omnium ſuperbiſſima, ponet? Quod ſi his Siciliæ amorem addas, aut Græciæ, ſpem quidem voluptatum dicis, nondum tamen ipſum pulchrum inveniſti. Ne ſi ipſam mihi Ægyptum cum ingentibus pyramidibus, magnoque ſuo flumine commemores, aut Babylonem, quæ à rerum omnium abundantia, aut Mediam, quæ ab equis, aut Phrygiam, quæ à paſcuis, aut Sardes, quæ ab auro commendantur. Hæc enim omnia eſſe debent eatenus pulchra, quatenus jucunda: magis jucunda ei qui voluptatem ex illis haurit, quam pulchra illi cui non proſunt.

Nihil enim pulchrum dici poteſt, quod cum damno aut periculo conjunctum eſt, quod flagitia patrat, quod in miſeriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentia deſinit.

Eſto. Diximus amorem ipſius pulchri amorem eſſe: ut qui aliud amet quam pulchrum, neceſſario amet voluptatem. Mutemus, ſi placet, verbum unum, eoſque qui voluptatem ſequuntur, non amare ſed concupiſcere dicamus: ne voce forte ambigua, non verba tantum ſed rem ipſam mutemus. Amor igitur pulchrum ſpectet, voluptatem ſpectet concupiſcentia. Quid ergo? qui quod pulchrum eſt amat, an nō concupiſcit quoq; idem? ſiquidem nihil aliud eſt, quam rei alicujus appetitus. Veniam autem ab iis petam, qui verba anxie rimari ſolēt: ſi rem eandem nunc appetitum nunc concupiſcentiam dico. Nam cum in aliis, tum in libertate verborum, aſſentior Platoni. Sit enim, hoc ſi volent, appetitus non concupiſcentia amor. Diſtinguatur interim hoc modo. Quoties ad id quod bonum videtur nos impellit animus, amor id dicatur non concupiſcentia: ſin contra, concupiſcentia dicatur, non amor. Quid ergo, ſi intemperans aliquis ſophiſta ſpeciem voluptati addat, ſibique illud aut illud pulchrum videri dicat, an & hunc amare concedemus? Aut contra, ſi quis aliquem ex illis videat, quos vere amare dicimus, qui nihil præter ipſum pulchrum habeat propoſitum, & interim ipſam intueatur voluptatem, quæ in appetitu pulchri conſiſtit, an hujus voluptatis cauſa, concupiſcere hunc dicet non amare? aut quo tandem modo hæc duo diſtinguemus? Nam ſi & ea quæ jucunda ſunt pulchra videntur, & quæ pulchra ſunt, cum voluptate cohærent, metuo ne cum amore confundere concupiſcentiam cogamur.

Vis igitur ut pulchro demamus ſpeciem, ne ſub habitu ipſius nos decipiat voluptas, voluptati vero ſuam relinquamus? Quod enim pulchrum eſt, cum natura ſua honore dignum ſit, pulchrum eſſe oportet, ut & jucundum ſit. Voluptati ſatis eſt videri, licet non ſit. Illa enim cum in oratione hominis qui ea fruitur non ipſa per ſe ſubſiſtat, ſufficit ſi videatur eſſe, nec ſit tamen. Quod dico tale eſt (ſatis enim jejune hanc mihi rem dividere videor, & exemplo egere) Corpus noſtrum nutriri non poteſt, niſi admoveatur cibus. cibum conficiunt dentes, confectum recipiunt inteſtina, receptus digeritur, ac per totum corpus diſtribuitur. Jam tempore, ut ajunt, Saturni, homines fagi pyrique alebant. Vnde manavit, ut terra fruges ſua ſponte proferre diceretur, quod nihil opus agricultura eſſet, ſed quicquid per ſe produceret, eo vitam ſuam ſuſtinerent homines. Pro his pone coquos, pone condimenta, pone diverſas ciborum delicias, ac ſingulis jus ſuum: & quicquid Siculorum aut Sybaritarum luxuries, quicquid Perſarum excogitavit mollities: hæc omnia uno nomine voluptatem dices. Et cibos quidem omnibus communiter, peculiarem ſingulis voluptatem dabis, & naturæ cibum, artem aſſcribes voluptati. Nam ſi apparatum mutaveris, ut Perſis Siculum, Siculis apponas Perſicum, nutrimentum utriſque utrunque relinques, voluptatem vero quia cum eorum id pugnat conſuetudine, in moleſtiam mutabis. Quippe cum reſpectu ſubſtantiæ ejus quod nutrire poteſt fit nutrimentum: voluptas vero prout afficitur ille, qui hoc aut illo delectari conſuevit. Conſuetudo autem alia eſt alij.

Exempli gratia, Græci, Perſæ, Lydi, Phœnices, gentesque ſimiles, vites ſerere eaſque colere, è vitibus uvam carpere, ex uva vinum exprimere didicerunt; potum, ſi uſum reſpicias non neceſſarium, ſi voluptatem, præſtantiſſimum. Schytarum plerique lacte utuntur, ut alij vino. quibuſdam apiculæ quæ è rupibus aut arboribus alveolos ſuos ſuſpendunt, potum condiunt. Sunt qui Nympharum rivos laticeſque aquarum non inficiunt, ſed ut natura ſuppeditavit eas, ita adhibent. Eſt & unum quoddam, niſi fallor, peculiare Schytarum genus, qui aquam quidem bibunt, quotieſcunque tamen voluptatis cauſa inebriari volunt, pyram ſtruunt maximam, in qua herbas urunt odoriferas. Hanc pyram in orbem circumſident, eoque odore non ſecus quam alij vini cyathis aliquot ſe invitant. Donec probe ebrij, ſaltare, canere, tripudiare incipiunt.

Sed quo tam longa oratio? Vt diſcrimen inter pulchrum oſtendam & jucundum. Refer ergo cibos illos, de quibus diximus, neceſſarios ſponteque natos, ad id quod honeſtum dicimus, quod eſſe debet non videri tantùm. Varietatem contra cæterorum quibus aliter afficiuntur alij, ad voluptatem: quæ ſatis eſt ſi videatur tantum, nec ſit revera. Quæ cum ita ſe habeant, videbis amorem idem eſſe quod eſt ratio, quod virtus, quod ars. Ratio, quod ad veritatem ejus, virtus, quod ad naturam, ars quatenus honeſtum & ſpectat & conſequitur. Cupiditates vero voluptatum, cum ipſæ, tum quæ in iis ſpectantur, procul à ratione abſunt. Cum ergo pulchrum oporteat eſſe pulchrum, ut amorem excitet; quale illud dicemus eſſe, aut quo pacto excitare amorem?

Viſne ex oraculis Socraticis tibi reſpondeam? Ipſum pulchrum, quod nec humana voce exprimi, nec oculis conſpici poteſt, vidiſſe olim animam noſtram, atque inde in hac vita, non ſecus quam in ſomnio aliquo, exiguam ejus conſervaſſe memoriam, cum vix quaſi per rimam illud nunc intueatur; vel quod loco, vel quod conditione longe ab eo remota ſit, & à pulcherrimo illo procul diſtracta ſpectaculo, depreſſa in terram, variis diverſiſque inquinata ſordibus, à quibus turbatur: vel quod in hac colluvie vitæque confuſione ambigua hæreat, in qua nihil præter tumultus aſſiduos improbitateſque intuetur. At vero ipſius pulchri natura inde principium ducit, inde huc defertur, paulatimque deſcendens, minus ſemper minuſque apparet, veramque illam vim ſuam amittit. Non aliter quam fluvij nobiliſſimi, cum in mare ſe exonerant, primo guſtum aquæ ſuæ ſine ulla amaritudine retinent, nautiſque venientibus purum præbent potum. Poſtquam vero in profundum aliquod pervenerint mare, aquamque ſuam ventis, fluctibus, marinoque æſtui ferendam dederint, antiquum guſtum ſuum in confuſione ea amittunt. Eodem modo pulchrum illud ineffabile, illud immortale pulchrum, primum per cœlum cœleſtiaque corpora deſcendit, in quibus adhuc integrū manet, purum purumque & nulla ſui parte minus. Cum vero cœlo relicto hæc loca verſus incipit deſcendere, perit paulatim & extinguitur.

Itaque ſicut fluvium vix amplius agnoſcit in mari nauta marinus ita pulchri ipſius influxum vix ullus homo, cum tenuiſſima ejus in terra veſtigia appareant, eaque aliis immiſta rebus. At vero qui fluvium diu prius cognovit, totamque ejus naturam animo impreſſit, ſimul ac occurrit illi, ſimul ac vel minimum ejus ſignum videt, non aliter quam Vlyſſes.

—— *de patrijs fumum cum conſpicit oris*,

exultat, gaudio accenditur, exhilaratur, amatque. Hujus pulchritudinis partem aliquam exiguam fluvius purus, planta florida, equus generoſus ſibi vindicare poſſunt. Si quæ tamen ejus ad terram uſque perveniant reliquiæ, non facile alibi eas quam in homine, qui forma & ratione inter omnia mortalia excellit corpora, qui anima præditus eſt, quam merito pulchri illius cognatam dixeris, invenias.

Propterea qui ſapit, ſtatuam cum videt, laudat in ea artem, non tamen amat ſtatuam. Et plantam qui videt, laudat in ea fructum, non tamen amat plantam. Et in fluvio aquæ tranquillitatem laudat, non tamen amat fluvium. In homine vero cum videt pulchritudinem, vivam, mente præditam, virtutis futuræ prænunciam, continuo memoriam ſuſcitat: neq; illud quod videt, ſed revera

Thrax, formæ elegantiſſimæ planeque regiæ puer, dono à Græcis quibuſdam, regi Jonico, Polycrati nimirum Samio, donatus eſt. Quo munere in tantum rex delectatus eſt, ut puerum vehementer amaret: in quo rivalem habuit poëtam Teium, Anacreontem. Et à Polycrate quidem aurum argentumq; dono accepit Smerdies, aliaq; ejuſmodi quæ puerum formoſum à rege amatore accipere æquum eſt. Ab Anacreonte contra carmina ac laudes, & quæcumq; ab amatore poëta æquum eſt. Si quis jam utrunque amorem, regium dico poëticumque inter ſe componere velit, utrum eorum divinum magis cœleſtemq;, utrum magis Venere dignum, magiſque ſanctum viſum iri exiſtimas? Ego illum magis arbitror, quem Muſæ Gratiæque temperant, quam quem neceſſitas & metus. Alter enim homini captivo aut infelici ſimilis eſt mercenario, alter libero & Græco. Quam eſſe cauſam arbitror, cur vix apud Barbaros amor inveniri ſoleat. Vbi enim populus, ſervit, rex imperat; ibi totum illud medium, quod auctoritate, quod dignitate, ac ſocietatis lege inter ſe par eſt, penitus ſublatum eſt. Nihil autem amori magis inimicum eſt, quam metus & neceſſitas.

Eſt enim generoſum quid amor ac ingenuum, ipſaque Sparta magis liberum. Solus enim omnium quæ hominibus adeſſe ſolent, cui pure ac ſine labe vlla hæſerit, nec opes admiratur nec reges metuit, nec regiam ſtupet, nec judicium horret, aut mortem vitat. Non bellua ulla, non ignis, non præceps locus, non mare, non enſis, non laqueus, illi metum incutit. Sed & invia penetrat, & periculoſa ſuperat, & quæ alij metuunt, facilè contemnit, & quæ aliis difficilia videntur, facile efficit. Fluvios facile tranat, tempeſtate facile navigat, in montibus facile currit. Vbique præſenti eſt animo, omnia deſpicit, omnia in poteſtate habet. Res minime contemnenda eſt amor, quoties talis eſt. Vt arbitror, optaturum eſſe ſapientem virum, ne unquam ab eo amor recedat, ſi quidem una cum illo libertatem, ſecuritatem, animique firmitatem conſecuturus ſit,

Vereor tamen ne in omnibus talis ſit, ſed potius res fœda, quæ pulcherrimæ habitum ſibi vendicet, ſolaque ſimilitudine ſe efferat: ut ipſam quidem conſequatur imaginem, multum tamen abſit à fine. Sicut agyrta imitatur medicum, ſycophanta oratorem, ſophiſta philoſophum. Jta ubique invenies malum bono adhærere, & ob ſimilitudinem quam habet, cum eo coaleſcere. Cum tamen vel propoſito diſtinctum ſit, ut orator à ſycophanta, vel fine, ut medicus ab agyrta, vel virtute, ut philoſophus à ſophiſta. Pauci enim vel propoſitum, vel finem, vel virtutem intelligunt. Cum ergo duæ artes ambiguæ concurrunt, in quibus & ſimilitudo quædam & diſſimilitudo concurrit, neceſſe eſt eos, qui ſecundum diſſimilitudinem ſeparare artes non poſſunt, ex eo quod ſimile eſt, conjungant. Videamus ergo an eodem modo de amore ſit judicandum nomen nimirum eſſe medium, quod virtutem inter improbitatemque conſiſtit. ut tam ab hac quam ab illa ſuaviter alliciatur: utriuſque formam, utriuſque nomen, prout alteri earum adhæret, ſibi adſumat.

Cum autem duæ ſint, ut Plato docet, partes animæ; quarum altera ratio, altera affectus dicitur: neceſſe eſt amorem ſi quidem ſit vitium affectum eſſe ſine ratione; ſin virtus, è duobus alterum: ut vel ad rationem referatur, & ab affectu plane ſeparetur, aut ad affectum referatur, qui rationi ſit conjunctus. Quod ſi amor nihil eſt aliud quam amicitiæ quidam impetus atque appetitus, quo ſimile natura ſua ad ſimile pertrahitur, ut cum ſimili miſceatur ſimile, affectus erit non ratio. Quare neceſſe erit, ut huic affectui præficiatur ratio, ut virtus fiat non morbus. Sicut in corporum noſtrorum temperamentis fieri videmus, ubi ſanitas nihil eſt, quam diſpoſitio quædam, quæ ex humido & ſicco, frigido & calido, vel naturæ vel artis beneficio apte cõpoſito conſtat. quod ſi vel tantillum naturæ demas vel artis, diſpoſitionem illam turbas, ipſam ſanitatem evertis. Eodem modo, amor quamvis accedat ratio, affectus eſſe non deſinit: ſin rationem tollas, temperamentum illud aptum confundis, nihilque aliud quam morbum efficis.

Sit igitur appetitus quidam animæ, ipſe amor, qui fræno indiget, non minus quam equus generoſus. Nam ſi quocumque volet, animum abire permittes, non aliud agis, ut Homerica imagine utar, quam ſi equum adultum in campo exultare ac ferocire ſinas: ut, nec lavacra petat quæ debet, non curſus à domitore præſcriptos exerceat: ſed ſine habenis, ſine ullo paſſim feratur inſpectore. Atqui ut ingratum eſt, videre equum ſolutum, ita fœdum audire libidinoſum amorem. Hic ille amor eſt, qui rupes tranſilit, fluvios tranat, gladios arripit, laqueos nectit, novercam invadit, inſidiatur privigno; exlex, furioſus, intempeſtivus. Hic eſt, quem tragœdiæ in ſcenis depingunt, qui in fabulis accuſatur, furiarum pleniſſimus, pleniſſimus lachrymarum. Hic eſt qui lamentatur, qui gemit: qui raro felix eſt, qui præter æquum bonumque effertur, mutationi cuilibet eſt obnoxius: qui ſubito impetu in voluptates corporis rapitur, qui corpus corpori miſcere ardet, qui neque honeſtum, neque legitimum, neque amatorium vere petit complexum. Quia enim nomen audit pulchritudinis, impellitur: quia veram ignorat pulchritudinem, decipitur.

Huic alter qui contrarius eſt, ſola ſpe fœtus, juſte ac legitime, naturalique inflammatus cupidine, cum ſolo fœcundo ſexu coit, ut ſimile producat: gentemque muliebrem à noſtro ſeparat. Hæc eſt lex. quam Nupriales, quam Gentilici, quam Natalicij conſtituêre divi: toti animalium naturæ communis. Quorum alia ſponte ſua, cum ad juſtam pervenêre ætatem, proprij amoris ſtimulo congrediuntur: alij arte junguntur. quod à paſtoribus, caprarijs, bubulcis, equiſonibus fieri videmus. quorum nemo eſt qui non pro naturæ ratione, pecudes ſuas vel committat, vel rurſus ſegregẽt: ne in petulantiam res abeat.

——ibant que ſeorſim
Jam natæ, mediæque, ſuis à matribus, agnæ.

Illa vero quæ humano generi præeſt, regia ac paſtoralis ars, nullum noſtræ proterviæ remedium habet, niſi prius rationi homo cedat, animumque ipſe ſuum verecundiæ temperantiæque, tanquam paſtoribus duobus, tradat paſcendam.

Nam ut reliqua animalia aliud vitæ ſuæ à natura præſidium habent, à quo conſervantur; ſicut robur leones, curſum cervi, venandi artem canes; quæ in aqua vivunt, natant, quæ in aëre, volant, quæ repunt, luſtra incolunt: Ita & hominibus qui reliquis omnibus ab alijs vincuntur (nam & viribus infirmiſſimi, & curſu ſunt tardiſſimi; volare non poſſunt, natare vix queunt, luſtra ſibi non fodiunt) rationẽ ſolam, quæ pro cæteris omnibus eſt commoditatibus, Deus conceſſit: cui appetitum amoris ſubjecit: ſicut equus frænis, ſagittatio arcus, navis gubernaculo, artifici denique inſtrumentum ſubjicitur. Nam & ratio magna ſui parte imbecillior eſt, niſi amor accedat, & amor furioſior, niſi rationi obſequatur. Eſt autem obſequium nihil aliud quam amoris ſimul rationiſque conjugium, quæ una ſimulque ad pulchrum feruntur ingentique curſu contendunt. Iam qui id in corpore ſepultum eſſe putant, voluptatem, in quo falluntur, pro pulchro ſequuntur. Malum enim plenum blanditiarum, ac quod quidvis facile perſuadet, eſt voluptas.

Hoc eſt quod Trojanum adoleſcentulum, qui ſemper in Ida oberraverat bubulcus, quia voluptates concoquere domeſticas non poterat, cum monte ſuo mare permutare juſſit, navique impoſitum in Peloponneſum tranſvexit; prædonem verius quam amatorem. Nec enim aliud, ſi Dijs placet, pulchrum corpus in tota reperiri Aſia poterat; non Troicum, non Dardanicum, non Helleſponticum aut Lydium, quod cum lingua amatoris, cum moribus atque educatione conveniret. Spartam ergo Eurotamq; petit, tranſmarinus graſſator, & qui ex ſomnio amare didicerat. Hic hoſpitem ſuum lædit, hoſpes ut hoſtis agit, Græcum ſoluit connubium. O amorem delicatum, ô ſomnium improbum, ô ſceleſtos oculos, multorumque ſemper malorũ cauſam voluptatem! Sic etiam magnum illum Xerxen, qui ad Salaminem Plataeaſq; cum Græcis congreſſus eſt, qui tot pulchra quotidie ſpectabat & in poteſtate habebat corpora, movere non potuit aut in amorem ſui pertrahere, fœmina vlla Indica, cum proceritate ſua, neque Medica cum tiara, neq; Mardonica cum mitra, neq; Carica cum armis, neq; Lydia cum cantu ſuo; non Jonica denique vlla aut Helleſpontica: ſed Ameſtrin filij ſui conjugem petit.

O improbiſſimum amorem, qui neglectis cibis gratiſſimis, amaros adverſoſq; guſtui requirit: idque nimiæ licentiæ vitio, quæ amore male uſa eſt. Quoties enim ſcientiam demis, potentiam tribuis animo, ſimul flagitiis acceſſum licentiamque concedis, ac viam quaſi paras. Demas Paridi potentiam Priami, fiduciamque ex eo, boves ſuos paſcet, de Helena ne ſomniabit quidem. Deme Xerxi licentiam, Ameſtris & deformis & plebeiæ inſtar erit fœminæ. Effert ſeſe regia poteſtas, ſi ratio abſit, oculi laſciviant. Quibus licentiam ſi demas, neque Euthydemo affricari Cleobulus, neq; Agathoni volet Pauſanias, neq; alius alij. Hoc eſt cur legem Cretenſium laudem, Eleorum damnem. Cretenſes neceſſitatis cauſa laudo, Eleorum reprehendo licentiam. Juveni Cretenſi turpe habetur, non amare: juveni Cretenſi turpe habetur amore pueri ſeſe inquinare. O legem caſtitate ſimul & amore pulchre temporatam! De Eleis nihil dico, de Lacedæmoniis loquor. Amat Spartiata puerum Laconicum, ſed non ſecus quam pulchram imaginem. Amant unum multi, unus multos. Voluptas libidinoſa quippe ſocietatem non admittit: amor qui ex aſpectu venit, vere ſocialis eſt, ſeſeq; ad omnia quæ amari poſſunt, extendit. Quid ipſo ſole pulchrius? quid pluribus ſufficit amatoribus? Et tamen ſolem diligunt omnium oculi.

Locris, Italiæ urbe, pulcher erat puer, pulchra lex, amatores improbi: quos forma pueri in amorem pertrahebat, in honeſte contra amare lex vetabat. Cumq; impulſu amoris ad explendam ſtimularentur libidinem, nec quod volebant à puero impetrare poſſent (honeſtus enim erat) ſuſpendio omnes vitam finierunt. Digni hac morte mehercule, cur enim vivat homo, cui male cum ſuis ſibi oculis convenit? Qui ſtatuam videt, ejuſq; laudat pulchritudinem, non recurrit ad laqueum. Et eques qui equum videt, & à forma laudat, nec tamen conſequi poteſt, non remedium à reſte petit. Sufficit agricolæ, ſi in agro vicini ſui pulchram plantam videat, aſpectus ipſe. Sufficit venatori, ſi apud alium pulchrum catulum videt, hoc ipſum quod videt. Nec quiſquam horum eſt qui mortem optet, ſi conſequi quod videt non poſſit. Amant vehementius aurum avari, quam amatores corpora: mallent ſepeliri una cum auro avari, quam cum corporibus amantes. Nec tamen quiſquam avarus à morte remedium petit, ſi non conſequatur aurum.

Sicut nec ipſe Perſarum rex, quo nullus negotiator unquam magis inexplebilis fuit, aut furioſe avarus, laqueum paravit ſibi. Qui cum tot terris imperaret, toti in voluptatibus, quot explendæ luxurioſiſſimi cujuſq; regis cupidini ſufficere debebant, volutaret ſeſe, mortui hominis tumulo inſidiatus eſt. Aurum enim audierat cum mortuo ſepultum eſſe. Atque ita magnus rex, cum tiara ſua ſibi, ſepulchrorum perfoſſor factus eſt. Et aurum quidem non invenit, ſed inſcriptionem ejuſmodi ex perſona mortui: *Male tibi ſit mortalium avariſſime, qui propter auri amorem mortuum tangere auſus es.* Idem merito dicat Græcus Græco homini, qui pulchri-

pulchritudinis cauſa, quam in corpore ſepultam eſſe putat, ad explendam inſatiabilem animi libidinem fertur: Quid vis tibi, hominum dementiſſime, qui mortuum effodias? Neque enim aliter corpus viri tangere auderes, quod à viro tangi nefas eſt. Sceleſtus eſt iſte coitus, infœcundus complexus. In ſaxis ſeris, arenam aras. Ad ea quæ natura præſcribit, voluptatem converte tuam: ad veram agriculturam oculos converte. Voluptas te delectet, ſed non ſterilis.

Ne ſtirps intereat poſthac ſine ſeminenobis. Diſſert. 10.

Idē adhuc de eodē amore. Non eſt verus ſermo ille, a ibi in odis ſuis poëta Himeræus ait, ubi priore, in qua fama de Helena ſcripſiſſe ſe fatetur, revocat. Quare novo præconio prius illud vituperium evertit. Ego vero exēpli illius poëtæ, in his de amore diſputationibus, retractanda mihi quædā video. Nec enim minus hic Deus nominis ſui cōtemtum ulciſci poteſt. Quod ergo eſt delictum illud, quod tantopere à nobis retractandum dixi? Grave me hercule, nec vulgare, & in quo, eximio vel poëta ſit opus, vel ſacerdote; ut integerrimo Deorum iaris fieri poſſit penitus. Non, ut apud Homerum, tripodibus ſeptem, aut talentis auri decem, aut Lesbicis mulieribus, aut Trojanis equis: ſed probo potius veroque ſermone, quo priorem illum improbum falſumque evertamus. Quales quoque pœnas Teium Anacreontem dediſſe amori ajunt. Nutrix quædam in Panionio, quod Jonum forum eſt, infantem geſtabat: occurrit illi ebrius cum corona Anacreon, qui, inter vacillandum, una cum infante nutricem inſcius protrudit: & quaſi hoc ſatis non eſſet, in puerum quoque ipſum, convitium aliquod torquet. Nutrix ſine alia offenſionis nota precatur, ut homo tam inſolens, pluribus aliquando verbis puerum laudaret, quam jam vituperaſſet. Votum perfecit Deus. Idem namque puer adoleſcit, fitque pulcherrimus ille Cleobulus, cui Anacreon quam plurimis laudibus pro exiguo convicio dedit pœnas. Quid vetat, & nos hodie Anacreontis illius exemplo non invitos improbiſſimæ linguæ pœnas dare?

Probare enim velle Amorem cauſam eſſe adulterij ut in Paride, vel flagitij ut in Xerxe, vel libidinis ut in Critobulo, atque ita quicquid impium eſt Deo illi adſcribere, quis neget ſummæ improbitatis eſſe? Quod ut appareat, hoc modo agamus. Putaſne alterius rei amorem quam pulchritudinis amorem eſſe? Minimè vero: nihil minus enim quam amor eſſet, niſi circa ipſum pulchrum verſaretur. Scire ergo velim, cum Darium amare pecunias dicimus, aut Xerxen Græcorum terram, aut Clearchum bellum, aut honorem Ageſilaum, aut Critiam tyrannidem, aut Alcibiadem Siciliam, aut Gylippum aurum, manifeſtamne aliquam pulchritudinem videamus, cujus ſpe atque illecebris, qui amor à nobis dicitur, ſinguli impellantur: ut alium hoc, alium aliud amare dicamus. Abſit vero. Eo enim modo, quæcunque apud homines turpiſſima ſunt, neceſſe eſſet alieno exornare nomine: atque ipſi vim inferre veritati.

Quis enim pulchrum aut honeſtum, vel in divitiis, omnium peſſima re, vel in bello omnium incertiſſima, vel in tyrannide, omnium crudeliſſima, vel in auro, omnium ſuperbiſſima, ponet? Quod ſi his Siciliæ amorem addas, aut Græciæ, ſpem quidem voluptatum dicis, nondum tamen ipſum pulchrum inveniſti. Ne ſi ipſam mihi Ægyptum cum ingentibus pyramidibus, magnoque ſuo flumine commemores, aut Babylonem, quæ à rerum omnium abundantia, aut Mediam, quæ ab equis, aut Phrygiam, quæ à paſcuis, aut Sardes, quæ ab auro commendantur. Hæc enim omnia eſſe debent eatenus pulchra, quatenus jucunda: magis jucunda ei qui voluptatem ex illis haurit, quam pulchra illi cui non proſunt.

Nihil enim pulchrum dici poteſt, quod cum damno aut periculo conjunctum eſt, quod flagitia patrat, quod in miſeriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentia deſinit.

Eſto. Diximus amorem ipſius pulchri amorem eſſe: ut qui aliud amet quam pulchrum, neceſſario amet voluptatem. Mutemus, ſi placet, verbum unum, eoſque qui voluptatem ſequuntur, non amare ſed concupiſcere dicamus: ne voce forte ambigua, non verba tantum ſed rem ipſam mutemus. Amor igitur pulchrum ſpectet, voluptatem ſpectet concupiſcentia. Quid ergo? qui quod pulchrum eſt amat, an nō concupiſcit quoq; idem? ſiquidem nihil aliud eſt, quam rei alicujus appetitus. Veniam autem ab iis petam qui verba anxie rimari ſolēt: ſi rem eandem nunc appetitum nunc concupiſcentiam dico. Nam cum in aliis, tum in libertate verborum, aſſentior Platoni. Sit enim, hoc ſi volent, appetitus non concupiſcentia amor. Diſtinguatur interim hoc modo. Quoties ad id quod bonum videtur nos impellit animus, amor id dicatur non concupiſcentia: ſin contra, concupiſcentia dicatur, non amor. Quid ergo, ſi intemperans aliquis ſophiſta ſpeciem voluptati addat, ſibique illud aut illud pulchrum videri dicat, an & hunc amare concedemus? Aut contra, ſi quis aliquem ex illis videat, quos vere amare dicimus, qui nihil præter ipſum pulchrum habeat propoſitum, & interim ipſam intueatur voluptatem, quæ in appetitu pulchri conſiſtit, an hujus voluptatis cauſa, concupiſcere hunc dicet non amare? aut quo tandem modo hæc duo diſtinguemus? Nam ſi & ea quæ jucunda ſunt pulchra videntur, & quæ pulchra ſunt, cum voluptate cohærent, metuo ne cum amore confundere concupiſcentiam cogamur.

Vis igitur ut pulchro demamus ſpeciem, ne ſub habitu ipſius nos decipiat voluptas, voluptati veroſuam relinquamus? Quod enim pulchrum eſt, cum natura ſua honore dignum ſit, pulchrum eſſe oportet, ut & jucundum ſit. Voluptati ſatis eſt videri, licet non ſit. Illa enim cum in opinione hominis qui ea fruitur non ipſa per ſe ſubſiſtat, ſufficit ſi videatur eſſe, nec ſit tamen. Quod dico tale eſt (ſatis enim jejune hanc mihi rem dividere videor, & exemplo egere) Corpus noſtrum nutriri non poteſt, niſi admoveatur cibus. cibum conficiunt dentes, confectum recipiunt inteſtina, receptus digeritur, ac per totum corpus diſtribuitur. Jam tempore, ut ajunt, Saturni, homines fagi pyrique alebant. Vnde manavit, ut terra fruges ſua ſponte proferre diceretur, quod nihil opus agricultura eſſet, ſed quicquid per ſe produceret, eo vitam ſuam ſuſtinerent homines. Pro his pone coquos, pone condimenta, pone diverſas ciborum delicias, ac ſingulis jus ſuum: & quicquid Siculorum aut Sybaritarum luxuries, quicquid Perſarum excogitavit mollities: hæc omnia uno nomine voluptatem dices. Et cibos quidem omnibus communiter, peculiarem ſingulis voluptatem dabis, & naturæ cibum, artem aſſcribes voluptati. Nam ſi apparatum mutaveris, ut Perſis Siculum, Siculis apponas Perſicum, nutrimentum utriſque utrunque relinques, voluptatem vero quia cum eorum id pugnat conſuetudine, in moleſtiam mutabis. Quippe cum reſpectu ſubſtantiæ ejus quod nutrire poteſt fit nutrimentum: voluptas vero prout afficitur ille, qui hoc aut illo delectari conſuevit. Conſuetudo autem alia eſt alij.

Exempli gratia, Græci, Perſæ, Lydi, Phœnices, gentesque ſimiles, vites ſerere eaſque colere, è vitibus uvam carpere, ex uva vinum exprimere didicerunt; potum, ſi uſum reſpicias non neceſſarium, ſi voluptatem, præſtantiſſimum. Schytarum plerique lacte utuntur, ut alij vino. quibuſdam apiculæ quæ è rupibus aut arboribus alveolos ſuos ſuſpendunt, potum condiunt. Sunt qui Nympharum rivos laticeſque aquarum non inficiunt, ſed ut natura ſuppeditavit eas, ita adhibent. Eſt & unum quoddam, niſi fallor, peculiare Schytarum genus, quī aquam quidem bibunt, quotieſcunque tamen voluptatis cauſa inebriari volunt, pyram ſtruunt maximam, in qua herbas urunt odoriferas. Hanc pyramin orbem circumſident, eoque odore non ſecus quam alij vini cyathis aliquot ſe invitant. Donec probe ebrij, ſaltare, canere, tripudiare incipiunt.

Sed quo tam longa oratio? Vt diſcrimen inter pulchrum oſtendam & jucundum. Refer ergo cibos illos, de quibus diximus, neceſſarios ſponteque natos, ad id quod honeſtum dicimus, quod eſſe debet non videri tantùm. Varietatem contra cæterorum quibus aliter afficiuntur alij, ad voluptatem: quæ ſatis eſt ſi videatur tantum, nec ſit revera. Quæ cum ita ſe habeant, videbis amorem idem eſſe quod eſt ratio, quod virtus, quod ars. Ratio, quod ad veritatem ejus, virtus, quod ad naturam, ars quatenus honeſtum & ſpectat & conſequitur. Cupiditates vero voluptatum, cum ipſæ, tum quæ in iis ſpectantur, procul à ratione abſunt. Cum ergo pulchrum oporteat eſſe pulchrum, ut amorem excitet; quale illud dicemus eſſe, aut quo pacto excitare amorem?

Viſne ex oraculis Socraticis tibi reſpondeam? Ipſum pulchrum, quod nec humana voce exprimi, nec oculis conſpici poteſt, vidiſſe olim animam noſtram, atque inde in hac vita, non ſecus quam in ſomnio aliquo, exiguam ejus conſervaſſe memoriam, cum vix quaſi per rimam illud nunc intueatur; vel quod loco, vel quod conditione longe ab eo remota ſit, & à pulcherrimo illo procul diſtracta ſpectaculo, depreſſa in terram, variis diverſiſque inquinata ſordibus, à quibus turbatur: vel quod in hac colluvie vitæque confuſione ambigua hæreat, in qua nihil præter tumultus aſſiduos improbitateſque intuetur. At vero ipſius pulchri natura inde principium ducit, inde huc defertur, paulatimque deſcendens, minus ſemper minūſque apparet, veramque illam vim ſuam amittit. Non aliter quam fluvij nobiliſſimi, cum in mare ſe exonerant, primo guſtum aquæ ſuæ ſine ulla amaritudine retinent, nautiſque venientibus purum præbent potum. Poſtquam vero in profundum aliquod pervenerint mare, aquamque ſuam ventis, fluctibus, marinoque æſtui ferendam dederint, antiquum guſtum ſuum in confuſione ea amittunt. Eodem modo pulchrum illud ineffabile, illud immortale pulchrum, primum per cœlum cœleſtiaque corpora deſcendit, in quibus adhuc integrū manet, purum putumque & nulla ſui parte minus. Cum vero cœlo relicto hæc loca verius incipit deſcendere, perit paulatim & extinguitur.

Itaque ſicut fluvium vix amplius agnoſcit in mari nauta marinus ita pulchri ipſius influxum vix ullus homo, cum tenuiſſima ejus in terra veſtigia appareant, eaque aliis immiſta rebus. At vero qui fluvium diu prius cognovit, totamque ejus naturam animo impreſſit, ſimul ac occurrit illi, ſimul ac vel minimum ejus ſignum videt, non aliter quam Vlyſſes.

—— *de patrijs fumum cum conſpicit oris*,

exultat, gaudio accenditur, exhilaratur, amatque. Hujus pulchritudinis partem aliquam exiguam fluvius purus, planta florida, equus generoſus ſibi vindicare poſſunt. Si quæ tamen ejus ad terram uſque perveniant reliquiæ, non facile alibi eas quam in homine, qui forma & ratione inter omnia mortalia excellit corpora, qui anima præditus eſt, quam merito pulchri illius cognatam dixeris, invenias.

Propterea qui ſapit, ſtatuam cum videt, laudat in ea artem, non tamen amat ſtatuam. Et plantam qui videt, laudat in ea fructum, non tamen amat plantam. Et in fluvio aquæ tranquillitatem laudat, non tamen amat fluvium. In homine vero cum videt pulchritudinem, vivam, mente præditam, virtutis futuræ prænunciam, continuo memoriam ſuſcitat: neq; illud quod videt, ſed

revera

revera verioremlongè amat pulchritudinem. Hæ cauſa eſt cur tam diligenter inſpiceret pulchra corpora Socrates, tam cito pulchritudinem animadverteret: cur nulla ſive ea in palæſtris verſaretur, ſive in conviviis comeſſaretur, pulchritudo cum præteriret. Non ſecus quippe quam venator accuratus, per humana corpora in memoriam veræ illius pulchritudinis redibat. *Diſſert.* 11.

Lucianus: Nuptiæ quidem ad vitam hominum promovendam res in primis utilis, & beata, quoties ex ſententia contingunt. Puerorum autem amores, qui caſta amicitiæ jura conciliant, ſolius Philoſophiæ opus eſſe duco. Quare omnibus quidem conjugio eſt vacandum: ſed pueros amare, ſolis Philoſophis relinquatur. *titulo Amorum.*

Amoris honeſti.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Adſequi famam & quietem magnam, non potes ſimul.
Aut non eſt labor in amore, in amore amatur aut labor.
Certa perfecti eſt amoris norma, velle, nolle idem.
Clave ſermonis, & amoris reſeres plenitudinem.
Diligit te qui non novit, at qui novit deſpicit.
Et planta plantæ amore gaudet mutuo.
Flamma Amoris eſt perennis; vivit & ſummo in mari.
Flamma amorque, quo teguntur hoc magis quoq; æſtuant.
Flamma, nix, nox, imber, aquor, cuncta Amori pervia.
Impetret in amore finem facilius quis quam modum.
Improbi molitione verus expers eſt amor.
Inconſtantem habeto amorem qui incrementa non capit.
In metu ac neceſſitate, nuſquam amor, nuſquam eſt fides.
Magna ſit neceſſe eſt cauſſa, amorem magnum qui ruat.
Maximus timor conjunctus eſt amori maximo.
Naſci Amor fortaſſe ſolus; creſcere ſolus non poteſt.
Nec moleſtias amori adde, & quas habet rectè feras.
Nec ſoles duos ſolum, amoris nec duplicem ignem animus capit,
Ne quidem à Deis amantur, niſi quos ipſi homines amant.
Nox amant qui non amantur. Vult amari quiſquam? ametur.
Non coharet ſermo amantum: os eum non mens regit.
Non poteſt in amore pulcrum id eſſe quod non eſt probum.
Parvus eſt amor explicari voce linguæ qui poteſt.
Plurimum fere ijs timemus quos amamus plurimum.
Pro ſodale abſente tuta quam vis incutiunt metum.
Quæ pulcra non ſunt pulcra amor tamen putat
Quam mage ignem abſcondis hoc & intus æſtuat magis.
Quei queas amare, grande paſſus à quibus malum es?
Qui non ipſe amavit, ægrè amantis ingenium inſpicit.
Rarus eſt amator, ipſum non amare qui arctè amat.
Sapè amorem dum occultamus ipſe ſe prodit magis.
Signum mutui eſt amoris ſummum, velle & nolle idem.
Spes Amorq; animæ perenne humanæ contubernium.
Tam malum eſt amare cunctos, nullum amare quam malum eſt.
Virium eſt amor magnarum, cui poteſtas it comes.
Vivit ignis ipſum multus obtegat licet cinis.

¶ JAMBICA.

Ab amantibus quod quiſq; exſpectat, & exhibet.
Ab ore famæ & amor in aliquo naſcetur.
Æqualitate gaudet excellens amor.
Aliter parens, aliter amat nutricius.
Amabit ſapiens, concupiſcent cæteri.
Amantis anima in corpore haud vivit ſuo.
Amare amantem cogitur vel bellua.
Amare eoſdem, ſignum amoris mutui eſt.
Amare læſus percuſſorem non poteſt.
Amare qui neſcit rei nulli eſt utilis.
Amare, res eſt omnium liberrima.
Amor timere neminem verus poteſt.
Amor vetus, meritis augeſcit à novis.
A vero abeſt amore crimen ac probrum.
Cogi metus poteſt; amor cogi haud poteſt.
Cogi nequit: magnes amoris, eſt amor.
Et ſaxa amorem vimque ſentit ferrea.
Et planta plantæ amore gaudet mutuo.
Extremè ames, extremè amari ſi cupis.
Ferro vel igne, fruſtrà amorem cogere eſt.
Flagrant amantes ſine calore corporis.
Flammas amoris ſeparare noxium eſt.
Gratis amare, vera amoris eſt nota.
Haud ore amorem examines, ſed pectora.
Haud unus eſt gradus neceſſitudinis.
Herum utique amat qui curat ejus ſervulum.
Hoc ſolum amans audit videtque quod cupit.
In amore falſi fingere odia non ſolent.
In amore vinci ab altero fœdiſſimum eſt.
Inerudita ferrè Amorem mens nequit.
Iudicia ſemper cæca ſunt amantium.
Mage in calemus cum propinquus eſt amor.
Nemo poteſt amare, qui non ipſe amat.
Nil aquè amorem auget, carendi quam metus.
Nil eſt amoris dulcius tyrannide.
Nil mutuo eſt amore amantum ſuavius.
Non eſt amores ut concilies præmijs.
Nunquam incipe amare, aliquando odiſſe quem potes.
Odium atque amor liberrimæ res omnium.
Plus pro altero quam pro ſe amor verus timet.
Pragnans amore, eſt ipſus obſtetrix ſibi.
Quæ pulcra non ſunt, pulcra amor tamen putat.
Quicumq; amat ferventer ſæpe reſpicit,
Qui mutuus eſt amor, eſt amor cultu optimus.
Quis reſpuat Deus preces amantium?
Securus eſſe verus non poteſt amor.
Si vis amari ab altero, alterum ipſe ama.
Solatio eſt amanti imago amaſiæ.
Sol luminibus, Amor ſed mente cernitur.
Suos amare nemo unquam poteſt nimis.
Tenax amoris gluten animus mutuus.
Vbi eſt Amor, ibi quoque ipſa Gratia eſt.
Vbi eſt Amor, Tuum Meumq; inde exſulat.
Velle idem, amoris vinculum vel maximum eſt.

Amoris Patriæ.

¶ SENTENTIÆ TVLLII.

Cicero: Ipſa patria, dici vix poteſt, quid charitatis, quid voluptatis habeat. *Poſt reditum ad Quirites.*

Auctor ad Herennium: Nullum tantum eſt periculum quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur. *libro 4.*

Cicero: Qui ea quæ nunquam cara ac jucunda duxit, animo æquo Reipubl. cauſſa deſerit, nullam benevolentiam inſignem in Rempub. declarat. qui autem ea relinquit Reipubl. cauſſa, à quibus cum ſummo dolore divellitur, ei patria chara eſt, cujus ſalutem charitati anteponit ſuorum. *pro domo ſua ad Pontifices.*

Cicero: Hoc animo ſemper fuimus omnes in patriæ proditoribus opprimendis, ut quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque & invidiam noſtram putaremus. *Pro Milone.*

Cicero: Tanta eſt charitas patriæ, ut veſtris etiam legionibus ſanctus eſſem, quod eam à me ſervata meminiſſent. *Philip.* 2.

Idem: Meus amicus eſt: ſit patriæ prius. Meus cognatus: An poteſt cognatio ulla propior eſſe quam patriæ, in qua parentes etiam continentur. *Philippica quinta.*

Idem: Quid turpius aut fœdius, aut quod minus deceat, quam contra Senatum, contra cives, contra patriam exercitum ducere? Quid verò magis vituperandum, quam id facere quod non licet? licet autem nemini contra patriam ducere exercitum. *13 Philipp.*

Ibid. Intelligit maximam pietatem conſervatione patriæ contineri.

Cicero: Nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patria, nec eam diligere minus debet, quod deformior eſt, ſed miſereri potius. *4 fam. Epiſtola 9.*

Idem: Eſt omninò patriæ charitas meo quidem judicio, maxima; ſed amor voluntatisq; conjunctio plus certe habet ſuavitatis *libro* 10. *Epiſt. fam. 5.*

Cicero: Vt omittam pericula, laborem, dolorem etiam quem optimus quisque pro patria & pro ſuis ſuſcipit, ut non modò nullam captet, ſed etiam prætereat, omnes voluptates; dolores deniq; quos vis ſuſcipere malit, quam deſerere ullam officij partem. *lib.* 1. *Finib.*

Idem: Tanta charitas patriæ eſt, ut eam non ſenſu noſtro, ſed ſalute ipſius metiamur. *lib.* 1. *Tuſcul. quæſt.*

Cicero: Cùm omnia ratione, animoq; luſtraris, omnium ſocietatum nulla eſt gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum republ. eſt unicuiq; noſtrũ. Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares; ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt. pro qua quis bonus dubitet mortem opperere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt & fuerunt. *libro* 1. *de Officijs.*

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

Robertus Neapol. Rex. Neſcio qua NATALE SOLUM *dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

cecini

cecinit olim Ovidius. & verè ita se habere suo exemplo fidem fecit Robertus Rex. Ut enim erat clementiâ & benignitate in suos inenarrabili, crebriùs hanc vocem usurpabat: *Malim benigni amantisque patriæ, quam pecuniosi & imperiosi regis nomen.* Hinc ille versus ei Romæ sub effigie inscriptus:

Aspice Robertum, patriæ virtute refertum.

P. Ioh. lib. 1. Elog.

Farinata Vbertus Nob. Quo tempore Guelphorum & Gebellinorum in Italia factiones calebant, inito consilio decretum, ut Florentia suis muris exspoliaretur. non tulit diræ sententiæ nomen unus Farinata, vir nobilis: qui acriùs in ejus auctores insurgens, *Sit*, inquiebat, *veræ virtutis præmium incolumis patria, uti decet, ex a quo omnium parens: cui nemo nisi degener atq; impius, manus injecerit.* Pari modo Fabius ad filium apud Silium Italicum effatur:

Iamq; hoc, nec dubites, longæui nate parentis
Accipe, & æterno fixum sub pectore serua.
Succensere nefas patriæ: nec fœdior ulla
Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras. *Ibidem.*

¶ Monosticha Trochaica.

Si honestius des tergа quàm pugnes in patriam
Codrus hostes morte vicit, ne periret Patria.
Conditio accipienda quavis quam linquenda patriâ.
Cum periculo aliquid aude pro salute ac patria.
Diligendi liberi sunt sed minus quam patria.
Est Cato consul perennis consulendo patriæ.
Hospitii sunt sanctâ jura, at sanctiora Patriâ.
Liberos pater sibi non suscipit, sed patriæ
Major patriæ debetur quàm parenti gratia.
Nemo non perire malit se, suam quam patriam.
Nemo patriam quia magnâ est diligit, sed quod sua est
Non modum ullum ponit iræ pugna cui pro patria est.
Non se, sed patriam coronant victores Olympici.
Omnibus tuis vel bellum indic amore patriæ.
Omnium rerum quibus vis patria est dulcissimâ.
Patria est cui capta, mortis accipit solatium.
Patriæ parvi sunt, famæ sed prægrandes termini.
Patriam, perire pro se qui cupit, plus patriâ.
Patria exul, vivos inter est cadaver mortuum.
Patria ob locum haud amatur dulcis est ob commoda.
Patrias suas coronant, non se, victores sacri.
Patrio solo carere maximum malum longè.
Plurimi malint moriri quàm exsulare patriâ.
Præstat auro honoribusque patriæ solum bonis.
Pro patria omnis prospera auguratio est.
Pro patriæ salute audendum etiam aliquid cum periculo.
Pro patriæ salute, sacrum, non sacrum omne temnito.
Pro scelus! Sitæque causâ patria ipsa proditur.
Quæ Germaniam petat si patria haud sit natio?
Quis non optet ut ruentem præcurrat patriam prior?
Quis periculum haud omne temnat pro salute patriæ.
Remgeras usq; augurato quæ saluti patriæ est.
Si juvat nos, patria est, si dejuvat ne patria est.
Summa virtus est honosque summus pro patria mori.

¶ Jambica.

Amanda patria quamvis ingratissima.
Civi bono dulce est mori ante patriam.
Cum patriâ perire, id instar vincere est.
Cum peste certâ Patriæ consulit bonus.
Cur somno inerti deseram patriæ decus?
Desertam etiam a Diis, rectè patriam juvei.
Dulce est periculum emori pro patria.
Dulcedo patriæ exprimi verbis nequit.
Ecquis velit pervi e pro se patriam?
Et post habenda Patriæ cognatio.
Fumus patriæ igne alieno luculentior.
Gratissimum natale cui vis est solum.
Grave perdere est, gravius timere patriam.
Haud civis est, cui patriæ abjecta charitas.
Irasci honeste nemo Patriæ potest.
Nefas malæ vel patriæ irasci puta
Nefas nocere patriæ, quàm vis malæ,
Nil patriâ jucundius mortalibus.
Nil patriâ parentibusque carius.
Non patria exsuli interdicitur, ast locus.
O quam est beatus, cui fas pro patria mori!
Patriæ salus patris saluti præfert.
Patriæ saluti vita rectè impenditur.
Plus patriæ debetur quam parentibus.
Plus patriæ est in rejus quam parentibus.
Quis est mori qui nesciat pro patria?
Quis spiritum non patriæ impendat libens?
Sit chara vita, sed minus quam patria.
Tellure forti nil paterna carius.
Turpis salute pro patria nullus timor
Vita minus civis debet, quam patriæ.
Vita profectò præferenda patriæ.

Amoris proximi.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Chrysostomus: Nemo quærat quod suum est, sed quod proximi: propria enim utilitas sita est in utilitate proximi, & illius utilitas in ea. Quomodo ergo si quis aurum proprium in domo proximi infossum, eo veniens recuset quærere & effodere: nunquam ipsum videbit: ita heic quoque qui non vult in utilitate proximi suam quærere, quæ pro eo sunt propositæ coronas nunquam assequetur. Deus enim propterea hoc sic posuit, ut simus inter se colligati: & quomodo quispiam somniculosum puerum excitans ut fratrem sequatur, cùm ex se id nolit, dat fratri in manum jucundum aliquid & delectabile, ut accipiendi desiderio persequatur eum qui tenet, quod fit utique. Ita heic quoque quod unicuique confert dedit proximo: ut ex eo alter ad alterum curramus, & ne simus divulsi. Et si vis hoc quoq; vide in nobis qui dicimus. Nam quod mihi confert, in te situm est: & quod tibi conducit in me. Tibi enim confert, ut docearis ea quæ Deo videntur; sed hoc mihi fuit creditum: ut tu hoc à me accipias, & propterea necesse habeas ad me currere. Et mihi confert ut evadas melior, pro eo enim magnam accipiam mercedem: sed hoc rursus in te est situm: & propterea necesse habeo te persequi, ut tu sis melior, & quod mihi confert à te recipiam. Vis hoc etiam videre in magistratibus? Qui judicat, non sedet sibi judicans, sed quærens quod confert proximo. Rursus qui alterius parent imperio, quærunt quod confert imperanti principi, per obsequium ac cultum, per ministerium, per alia omnia. Milites pro nobis arma sumunt, propter nos enim pericula adeunt: nos pro illis laboramus, à nobis enim sunt alimenta. Si autem dicis, quòd unusquisq; suum quærens hoc facit: ego quoq; hoc dico: sed per alienum suum invenitur. Nam & milites si non belligeret pro iis qui ipsum alunt, non habet eum qui ad hoc ei ministrat: & ipse rursus si non alat militem, non habet qui eum defendat. *Hom. 33. ad or. 1.*

D. Ioan. Chrysost. Causa malorum omnium radixque ac fons undè alia gignuntur omnia, est cùm non ea quæ proximi, sed quæ sua sunt singuli quærunt: ex quo fit, ut utrunq; pariter negligant: ita enim ne sua quidem aspiciunt. Sicut enim qui ea quæ proximi sunt quærit, sua quoq; rite disponit: ita & si quæ illius sunt, negligit, sua quoque despiciet. nam si sumus invicem membra, proximi salus non illius tantum est, sed & corporis reliqui: illiusq; detrimentum non ad ipsum pertingit solum, sed & corpus omne doloribus occupat. Si ædificatio sumus, si qua patitur pars, reliqua constructio titubat: sin verò firma & inviolabilis durat, structuram ferre reliquam potest. ita & in ecclesia, si fratrem despicis, teipsum neglexisti. *2. ad Timoth. Hom 7.*

S. Isidorus Pelusiota: Quæris, quid sibi velit quod in Evangeliis dictum est de Legisperito: At ille volens semetipsum justificare, dixit: Et quis est meus proximus? Audi ergo. Legisperitus ille proximum duntaxat esse putabat justum justo, sublimem sublimi, quo ad virtutem inquam. Non enim substantiâ, quæ una eademq; est, proximitatem æstimabat: sed aut dignitatibus, aut actionib. Quamobrem et volens seipsum justificare, hoc est justum demonstrare, quàm sublimis videlicet esset secundum virtutem, aut magnus, quòd esset magister, ait: Et quis est meus proximus? Quasi diceret: Ostende mihi aliquem qui tàm sit magnus, ut mecum possit comparari. Salvator autem, tanquam is qui hominem fecisset (Pusillum enim & magnum ipse fecit) non actionibus, neq; dignitatibus, sed naturâ definivit proximum: tantum non talia quædam dicens: Nondum tibi dico, Te aliis nihil antistare aut meliorem esse, ne illi qui reverâ sunt virtutis studiosi, fortè putarent, se proximis, (id est, non nisi sui similib.) dilectionem debere, tuum dogma pro regula veritatis habentes. Sed si vel maximè ita, ut tu vis, res sese habeat (jam enim hoc detur sic esse.) Tu id potius da operam, ut indigentis tua ope sis proximus non solùm loco, sed etiam animi propensione & erga ipsum curâ ac sollicitudine. Ob hanc enim ipsam rem Samaritanum quoq; tibi præfiguravit. Proximitas enim naturâ æstimatur, non virtute: substantiâ, non dignitate: compassione, non loco: curationis modo, & non loci propinquitate. Illum maximè arbitrare proximum esse, qui tui maximè indigeat, & sponte tuâ ad auxilium ei ferendum accede. *Lib 4. Epist 123.*

S Isidorus Pelusiota: Quoniam ex me quæsivisti, cur Deus per Ezechielem dixerit: Justificationes meas repulerunt, & in statutis meis non ambulârunt: compendiosâ interpretatione utar. Non solùm, inquit, impij (in Deum) deprehensi sunt, verùm etiam adversus proximos improbi apparuerunt. Quia enim generali quadâ partitione legitimæ sanctiones in duo ista capita tribuuntur: in cultu Dei, & humanitate erga cognatum genus; quam et ob causam duab. tabulis comprehensæ sunt: contingebat aut, ut plebs circa prius illud (caput pietatis) allucinaretur per ignorâtiam melioris, & decepti one eorum, qui ipsi imponere satagebat, quippe cùm & sub aspectu non cadat numen divinum, & multiplex sit de illo inter homines atq; dissentiens opinio: idcircò posterius caput adjunxit, ut quod omnib. sit manifestum. Nemo n. est qui nesciat, quantum sit malum & quanto digna supplicio cædes, & adulterium, & avaritia iniquitatis plena, & alia hisce gemina. Quia igitur impietatis nomine populum Judaicum reprehenderat, ne excusare possent ignorantiam, néve dicerent, veniâ se dignos esse, tanquâ eos qui ab aliis astutis hominib. circa res divinas decepti sint atq; in fraudem pellecti: ideò injustitiam quoq; eorum adversus tribulos suos redarguit, eosq; extra omnem veniam collocat, quâdoquidem

nec abiis, quartum accusatrix est communis omnium hominum natura, abstinuerint, sed effusè in omne iniquitatis genus prolapsi sunt. Cùm igitur ab ipsis id violatum sit, quod est manifestum, per hoc evincit, ab iisdem etiam alterum, quod obscurum erat, æquè voluntariâ malitiâ & improbitate fuisse violatum. *lib. 4. Epist. 213.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Videamus quis sit iste proximus quem tantò studio Evangelista commendat, non ita gradum parentelæ, aut necessitudinem consanguinitatis exposuit, ut extraneos à gratia fraternæ dilectionis excluderet. Proximus tuus est omnis homo, qui eâdem tibi est Christianitatis lege conjunctus, proximus tibi est, qui ab Ecclesiæ consortio non videtur alienus, proximus tibi est, quicunq; est proximus Christi. qui ergo proximum diligit Deum diligit. ita qui Deum diligit; oportet ut Christi sui proximum veneretur. *medio Hom. 12.*

¶ APOPHTHEGM. SACRORUM.

Abrahamus Patriarcha: Quum audisset Iehovam de Sodomæis excindendis disserentem, accedens dixit, *An etiam perdes justum cum improbo? fortassis sunt quinquaginta justi in ea civitate: an etiam perdes, ac non parces isti loco propter illos quinquaginta justos qui fuerint in ea? Absit tibi ut facias tale quippiam, mortis tradendo justum cum improbo, ut ita sit justo sicut improbo. absit tibi. an judex totius terræ non faceret judicium?* Deinde intercedens pro quadraginta, triginta, viginti, & decem, maxima cum animi & corporis demissione Dominum ad misericordiam flectens: veniam Loto nepoti justo viro obtinuit. *Vide Gen.* 18. 23 &c.

Ioseph Patriarcha: Videntes fratres Iosephi mortuum esse patrem suum, dicebãt, fortassis intestino odio nos prosequitur Ioseph, & omnino rependet nobis totum illud malum quod intulimus ei. Ideoque amandarunt aliquos ad Iosephum, qui dicerent, Pater tuus præcepit ante mortem suam, dicendo, Ita dicetis Iosepho, Obsecro, condona nunc defectionem fratrum tuorum & peccatum eorũ, quòd malum intulerunt tibi, nunc inquam condona quæso defectionem servorum Dei Patris tui: sed flebat Ioseph cùm illi alloquerentur se. Deinde adeuntes etiam illi prociderunt ante faciem ejus, ac dixerunt, Ecce nos tibi in servos. Dixit verò Ioseph ad eos, *Ne timeatis, num loco Dei sum ego? Vos quidem cogitaveratis contra mè malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret, sicut est die hoc, conservãdo in vita populum multum. Nunc itaq; ne timeatis, ego sustentabo vos & parvulos vestros.* Ita consolatus est eos, & locutus quæ erant eis cordi. *Gen* 50. 15 16. *&c Vide Gen.* 45. 3. 4. 5.

Elkana: Annæ uxori dilectæ, ob sterilitatem à Peninna irrisæ, flenti & ob tristitiam comedere recusanti dicebat, *Anna, quare fles? & quare non comedis? & quare malè se habet animus tuus? an non melior sum tibi quam decem filii?* 1. *Samuel.* 1. 8.

Iesus Christus Dominus noster: Quæcunque (inquit) volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. Ista enim est Lex & Prophetæ. *Matth.* 7. 12. Summa secundæ tabulæ. *Vide & Matth.* 5. 43. *&c.*

D. Ioan. Evangelista: Quum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, *Filioli, diligite alterutrũ.* Tandem discipuli & fratres qui aderant tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt, Magister, quare semper hoc loqueris? At is respondit dignam Ioannis sententiam, *Quia præceptum Domini est: & si solum fiat sufficit.* Plura de dilectione proximi in aurea illa epistola Catholica prima D. Ioannis. *Hieron in 6. cap. epist. ad Eph.*

Videantur plurà titulo. *Charitatis, Dilectionis, Eleemosynæ, Paupertatis.*

Amor subditorum.

¶ SENTENTIÆ.

CICERO: Etiam subiiciunt se homines imperio alterius & testati de caussis pluribus. ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis promissionisque capti: aut postremo, ut sæpe in nostra republ. videmus, mercede conducti. Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas, quam diligi: nec alienius quàm timeri. Præclarè enim Ennius, *Quem metuunt oderunt: quem quisque odit perisse expetit. lib. 2. de officiis cap. 7.*

Ibidem: Malus custos diuturnitatis metus: contraque benevolentia, fidelis est vel ad perpetuitatem.

Mox: Quod igitur latissimè patet, neque ad incolumitatem solùm, sed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, id amplectamur: ut metus absit, charitas retineatur: ita facillimè quæ volumus, & privatis in rebus & in republ. consequemur, &c.

Paulò post: Quamdiu imperium populi Rom. beneficiis tenebatur, non injuriis: bella aut pro sociis, aut de imperio gerebantur: exitus erat bellorum, aut mites, aut necessarii. Regum, rationum, populorum, portus erat & refugium Senatus. nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate & fide defendissent. itaque illud patrocinium orbis terræ potius, quàm imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam jam ante minuebamus: post verò Syllæ victoriam, pœnitus amisimus. desitum est enim videri in socios iniquum, cum extitisset in cives tanta crudelitas, &c.

Cicero: Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis & assectando colligere turpe est. virtus quam sequitur charitas, minimè repudianda est. *Libro de Amicitia cap. 17.*

Seneca: Illius demum principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt: cujus curam exeubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosilierit, diffugiunt: sed tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant: obiicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem struendum sit. Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt: latera obiecti circumfusique defendunt: incurrentibus periculis se opponunt, &c. *Lib. 1. de Clementia cap. tertio.*

Videantur plura titulo: *Acquisitionis rerum, Clementiæ, Affabilitatis, Admissionis, Veniæ, Victoriæ, Principis, Regis, Civium, Reipubl. Subditorum.*

Amoris sui.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

CLemens Alexandrinus: Quemadmodum Geometria in mensuris, magnitudinibus, & figuris, per eam quæ fit in planis descriptionem; & pictura totum locum optinet cum, quem vocant perspectivum, videtur assumere in iis quæ adumbrantur. Hæc autem falsò describit visum, artificiosè utens signis quæ fiunt per applicationem linearum visus. Hinc conservantur φαντασίαι, id est, eminentes visiones, & hypotheses, hoc est, visiones inferiores, & φάσεις, hoc est visa. Et videntur quidem alia eminere, alia verò subsidere: aliqua verò, aliquo alio modo visione apprehendi in loco lævi & æquabili. Ita autem Philosophi quoque instar picturæ imitantur veritatem, φιλαυτία autem, hoc est nimius amor sui, est semper quibuslibet causa peccatorum omnium. Quocirca non oportet eligendo & expetendo gloriam ab hominibus, esse nimium sui amantem, sed Deum diligendo esse sanctum cum prudentia. Si quis ergo utatur quidem singularibus, tanquam universis ac generalibus, & id quod servit habeat pro eo quod dominatur, à veritate excidit, non intelligens id quod à Davide dictum est per confessionem: Terram seu cinerem tanquam panem manducabam. Nimius autem sui amor, & vana opinio ac persuasio, est ei terra, & error. Quod si ita est, ex disciplina cognitio & scientia: si est autem disciplina, necesse est quærere magistrum.

Nam Cleanthes quidem sibi magistrum adscribit Zenonem, & Theophrastus Aristotelem, & Metrodorus Epicurum, & Plato Socratem. Sed etsi venero ad Pythagoram, & Pherecydem, & Thalem, & primos sapientes, consisto eorum quærens magistrum. Et seu dixeris Ægyptios, seu Indos, seu Babylonios, seu magos ipsos non cessabo eorum doctorem requirere. Porrò autem te quoque deduco ad primum ortum hominum, & illinc incipio quærere quis fuerit magister: nullus quidem ex hominibus, nondum enim didicerant. Sed nec aliquis ex Angelis: neque enim quomodo significant Angeli quatenus Angeli, ita audiunt homines. Neque enim quomodo sunt nobis aures, ita est illis lingua: neque instrumenta vocis quis dederit Angelis, labra, inquam, & quæ propter ea sita sunt, & guttur, & arteriam, & viscera, & spiritum, & aërem qui pulsatur. Multum autem abest, ut Deus insonet sanctitate quæ adiri non potest, qui ipse quoque separatus est ab archangelis. Iam verò angelos quoque accepimus didicisse veritatem, & qui eis præsunt principatus: ortum enim habuere. Restat ergo ut nos quoque ascendentes, eorum desideremus doctorem. Quoniam autem unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum filium, ut scribit Petrus, præclarè intelligens illud: In principio fecit Deus cœlum & terram. Is autem dictus est sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius qui præscivit omnia. Is autem ab alto, à prima mundi constitutione, multifariam multisque modis & docuit & perficit.

Unde meritò dictum est: Ne dixeritis vobis magistrum super terram. Vides unde nam ansas acceperit vera philosophia, etiam si lex sit imago & umbra veritatis. Sed Græcorum nimius amor sui, quosdam homines prædicat doctores. Quomodo ergo ad Deum creatorem omnis recurrit cognatio, ita etiã ad Dominum eorũ quæ bona sunt & honesta doctrina, & quæ justificat, & quæ ad hoc deducit & fert opẽ. Si qui autẽ ex aliquis affectione semina veritatis quomodocunq; acceptà non enutrierunt, sed terræ sterili & aridæ mandantes, ea herbis suffoca-

suffocarunt agrestibus, quomodo Pharisæi à lege declinarunt, doctrinas humanas inducentes, non est eorum causa magister, sed qui perperam audire voluerunt. Qui autem ex eis credsderunt & Domini adventui & scripturarum perspicuitati, ii versantur in cognitione legis: sicut etiam philosophi, per doctrinam Domini perducuntur ad agnitionem veræ philosophiæ. *Stromatum lib. 6.*

Isidorus Pelusiota: Commune hoc sanè malum esse videtur, ut homines non solum in rebus propriis cæcutiant, proximorum autem delicta acutè cernant: sed etiã sibi ipsis quidem excusationes defensionesque quamlibet invitas arcessiant, alienorum autem acerbi atq; inexorabiles sedeant judices. Qui verò sui ipsorum amorem revera deposuerunt, & sic existimant, justitiam obtinere oportere, eundem adversum se ipsos, si quando peccarint, ferunt calculum, quem etiam contra proximos ferrent. Imò in seipsos per pœnitentiam durius animadvertunt: cùm sciant, ei qui pœnis non emendetur, exitium impendere. *Lib. 4. Epist. 21.*

Io. Sarisberiensis: Superbia radix omnium malorum est, mortisque fomentum. Arescit rivuli si fontis vena præscinditur. Nec rami convalescunt, radice succisa. Deficiunt vitia, si elatio jugulatur. At si stercora radici congerantur, pinguescunt rami, & arentium sterilitas restituescit. Si fonti liquentia superfundas, accessio transit in rivulos. Si camino ignem adjicias, in signa incendium recrudescit. Sic si vitiatæ naturæ elationis innatæ toxicum foveas, quin vitalia ipsa mortiferum virus inficiat, nec si volueris, poteris impetire. Est enim omnibus non tam cognatus, quam innatus amor sui. Quod si modum excesserit, vergit ad culpam. Omnis enim virtus suis finibus limitatur, & in modo consistit. Si excesseris, in invios es, & nõ in via. Si amor hic invaluerit, nemo speret de cura. Lepra siquidem est, incurabilior omni lepra. *Lib 3. Polier. cap. 3.*

Io. Sarisberiensis. Nimio sui capiuntur amore fictitores gloriæ, qui dum nubes & inania captant, & nescio quid inani solidum apprehendere moliuntur, obvolvuntur sui: cùm tamen nihil aliud quam se oculis contueantur iniquis. nolunt enim apprehendere quod sunt, & illud ad emendationem vero judicio intueri, sed phantasticas duntaxat vanæ opinionis sequuntur umbras. siquidem alios spernunt præse, & ad spirant ad impossibilia, de fallaci rerum præsumentes imagine. Sic Narcissus in fabulis dum vana sin imagine capitur, abit in florem, & dum se ipsum imprudenter adspicit, flos sine fructu puerilter evanescit. *Lib. 8. Policrat. cap. 5.*

¶ Oratorum Principumque.

Aristides Rhetor: Cùm post navale prœlium essent omnes in Isthmum collecti, & exara Neptuni de principatu sententia ferret, quamvis in ea liceat aliquam ingrati animi turpitudinem Græcorum accusare, possumus tamen de cetero gratum animum laudare, ac pro Themistocle suscipere. Cum enim seipsum quisque primo posuisset loco, secundum omnes pronunciarunt Themistoclem. Ergo de principatu sententia ex eo, quod est omnib. in natura situm, ut neminem quis magis, quam se, diligat, proveniebat, ideoque nec momentum habebat ullum, nec erat venia indigna. verum quam de secundis ferebant partibus, ea veritatis, erat illustre testimonium nec eos aliter centere posse ostendebat. *Orat. 2. Platonica.*

Iulian. Imp. Utra leviora sint, Dii fortasse norunt: homo certè nullus potest dijudicare: cùm præsertim ingenitus cuique sui amor non sinat alteri fidem adhibere: quod ea sit fere hominum natura, ut omnes sua mirentur, a lena delpiciant. *in Misopog.*

¶ Poetarum.

Plautus Milite 2. sc. 3. v. 60.

Mihi ego video: mihi ego sapio: mihi ego credo plurimum.

Terentius Andriæ 2. sc. 5.

—— Nulla ve in re esse homini cuiquam fidem?
Verum illud verbum est vulgo quod dici solet.
Omnes sibi melius malle esse quam alteri.

Catullus Epigrammate 22.

—— neque idem unquam
Æquè est beatus, ac poema cum scribit:
Tam gandet in se, tamq; se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neq; est quisquam
Quem non in aliqua re videre sufferenum
Possis. Suus cuique attributus est error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Ausonius Epigram. 94. ad Narcissum.

Si cuperes alium, posses Narcisse potiri.
Nunc tibi amoris adest copia fructus abest.

¶ Apologi.

Gabrias Περὶ Κάπρου & κυὸς Ταύρου. Fab. 9.

Κάπρος ποτὲ πόδας κεχρὶς Ταύρου πάλαι,
Οὐκ ἐκλεύων, εἶτ' ἐπιβὰς ἐτέλει.
Ἡ κεντοῦσ', ὡς δὲ σὺ, νὴ τὸν Δία μόνον,
Οὕτω γὰρ πήσαιτ' & σὺ δὶς πανωλεθρίαν.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς λογιζομένους ἑαυτοὺς εἶναι ἢ σοφοὺς, ἢ δυνατοὺς, ἢ φρονίμους, ἢ ὁτιοῦν ἄλλο.

De Culice & Tauro.

Culex olim in cornu Tauri sedebat,
Quem ausere jussit, an se volare velit.
Audivit vero quemadmodum non noverat sedentem,
Ita nec evolantem sentiret.

Affabulatio.

Adversus eos qui volunt esse sapientes, potentesve, aut prudentes nec sunt.

Simia & Iupiter. Avienus.

Iupiter in toto quondam quæsiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret:
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumq; homini cogitur ire pecus.
Sed nec quam gerat desunt ad jurgia pisces.
Vel quidquid volucrum purior aura vehit:
Inter quæ trepidæ ducebant pignora matres
Judicio, quod discutienda Dei
Tunc bellua informem traheret quam simia natum
Ipsum etiam in risum compulit ire lovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpissima vocem
Dum generis crimen sic abolere cupit.
Iupiter hoc audit, manet hæc victoria si quem,
Judicio superest omnibus iste meo.
Ergo mos hominis est, quicquid sibi fecerit ipsa
Vile licet non sit, comprobat ipse tamen.

¶ Emblematum.

Iac. Catsius Emblemate Ethico 6.

Amans sibi omnia fingit.

Picus ut exiguo vitis de robore contigit ictu,
Iam mihi jam dixit pervia quercus hiat.
Rima, diem video, patet, inquit: at ehcu, patet
Vix patet exiguo vulnere prima cutis.
Stultus amans, simul ac soliti minus asperat virga est,
Clamat: vis victa jam dedit illa manus.
Intempesta dum stolido canit ore triumphum,
Et sibi dum amovet somnia quisque amat.

Ambitio Frustra est: Embl. VI.

Ecce viatores adverso, Sole nitente,
Tramite qui peragrant perficiuntq; vias,
Hic sequitur fugit ille suam quam sedulus umbram:
Qui sequitur, fugit hunc qui fugit, hunc sequitur.
Gloria sic humiles amplectitur, at sibi quisquis
Hanc nimia poscit ambitione fugit.

Flor. Schonhovius.

Suum cuique pulchrum. Embl. LXI.

En ut Simia parvulos catelles
Præfert omnibus omnium que formas
Deridet, neque se videt misella
Nudam podice, clunibusque calvam:
Nævos alterius videmus omnes
Lynceis oculis, suosque talpa
Quisque præterit, & videre non vult
Quia in tergore Manticam gerat.

Flor Schonhovius.

Philautia. Embl. XLIII.

Dum sua subjectis Narcissus spectat in undis
Corpora, & in facie deperit ipse sua,
Spernitur a Nymphis subitoque in pectore motu
Ipse sui est factus flos Hyacinthus amans:
Fabula narratur mutato nomine de te
Qui reliquos spernis cæcus amore tui.

Flor. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Ante pectus pera aliena est, propria in tergo sedet.
Cum nihil sciamus, nos scire arbitramur omnia.
Cuncta se qui scire jactant: si excutias, scient nihil.
Ebrius quisque ad bona est sua, arbitratur ceu dapis.
Ecqui parcat alieno qui ipse non parcit sibi?
Ecquis est qui se meliorem non aliis existimet?
Imperium alterius recusat, esse qui potest suus.
Magnus es futurus si nec diligis te nec tua.
Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum.
Nemini potest placere qui nimis placet sibi.
Nemo non mentis motus sua æstimat æquissimos.
Nemo non sibi bene esse malit quam homini alteri.
Nemo non sibi esse malit quam ulteriore in re spectari.
Nemo se arguit, timetque quilibet se offendere.
Nemo vilis est sibi ipsi, nemo nequam sui.
Nemo tam alteri est benignus quam benignus est sibi.
Nil vecordius sui est amore & arrogantia.
Nullus non regnare belle se tyrannus autumat.

Nullus est amici honores anteponat qui suis.
Omnes perdere alios quam periclitari malumus.
Omnis ætas omnis ordo plus amat se quam alterum
Omnium existit malorum causa amor nimius sui.
Plus amat se quam virtutem, se qui retur optimum.
Plus ferè nobis videmur posse omnes, quàm possumus.
Quæ quis est adeptus, ipsa vult haberi amplissima.
Quilibet reperire quærit effugium alterius malo.
Qui sibi est amicus idemque est amicus nemini.
Quis nisi amens amputavit dextera lævam suæ?
Quisquis se putat lacertam cùm vix sit limax brevis.
Quisque ubi quidquam occasionis est sibi facit bene.
Quis quod maximum esse bonorum credit, cedat alteri?
Quis regnum obtinere quod quit ipse tradat alteri?

¶ JAMBICA.

Amor sui, nulli non odio subjacet.
Ad semetipsos fortiter quis cæditur?
Causa profectò quisque conspirat sua.
Cognatus imò innatus amor sui omnibus.
Cui parcet ille, non pepercit qui sibi?
Cùm quis sapit, tunc desipit vel maximè.
Cunctis suos præfert catellos simia.
Fit nemo tanti ab alio, quanti se æstimat.
Haud ullus alij quàm sibi est amicior.
Homo nullus est qui non amicus sit sibi.
Injustitia ex amore nascitur sui.
Ipsum qui habet se, habet magistrum pessimum.
Magnos viros per ambitionem ne æstimes.
Malum suum quisque autumat gravissimum.
Mortalibus sui innata est dilectio.
Multis odiosus fit qui se ipsum diligit.
Multos sui pessumdat admiratio.
Natura cunctos vitæ amore vestiit.
Nemo alterum plus ipse quam se diligit.
Nemo est, amoris expers qui vivat sui.
Nulli est amicus, sibi qui amicus est nimis.
Nullum invenire est rebus qui haud faveat suis.
Omnes sibi melius malunt esse, quàm alteri.
Omnes videmur nobis esse belluli.
Quid faciet alteri, ipse cor qui edit suum?
Qui non dolet pro se haud dolebit pro altero.
Quis cruribus sponte ascian illidat suis?
Quis non sibi esse vult clientes plurimos?
Quis non sumat seipsum magis, quàm proximum?
Quis non cupit pingi ipsemet quam est pulchrior?
Quis non recuset pro altero sanus mori?
Quis se minoris quaso quam alterum facit?
Quod quisque vult mortalis hoc item putat.
Se quisque juste facere quod facit putat.
Sic nemo amicus alteri est sicut sibi.
Ut rebus homines omnibus sataguut suis!

Amoris venerei.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆC.

Chrysostomus: Qui amant, ii ante omnes eorum facta norunt quos amant, ut qui de eis sint solliciti. *proæmio Epist. ad Romanos.*

D. Chrysost. Cùm non admodum erga aliquem afficimur, illius amore non magnopere indigemus, quamvis præpotens ille & illustris sit. Sin verò fervido aliquem ac vero amore prosequimur: ut tenuis atque humilis ille sit, qui à nobis amatur, illius erga nos amorem magnæ gloriæ loco ponimus. *Hom 10. ad Romanos.*

D. Chrysost. Velle magnopere amari ex eo nascitur, quod & magnopere amet. *Hom. 10. ad Romanos.*

Chrysost. Tale amantium est ingenium, ut quando benefacientes non diliguntur cogantur vehementes fieri, & minari: non quidem volentes, sed amoris violentia ad hoc impulsi, ut vel sic contemptores suos ad se pertrahant. Tametsi enim talis dilectio coactione habeat, attamen ipsos etiam per hoc solatur quod vehementer amet, adeo ut & supplicium ex amore progrediatur. nam qui non dolet quod odio habeantur, illi neque puniri cupiunt. *Hom. ad Rom. 23.*

Chrysost. Qui amat nunquam potest odisse quidquid factum fuerit, amare est ejus bonum maximum. *Hom. 33. ad Corinth. 1*

Chrysost. Si sanguinem, inquit, cupis: non aram idolorum brutorum cæde, sed meum altare meo cruenta sanguine. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius, dic quæso? Hoc faciunt etiam qui amant. Cùm viderint eos quos amant aliena concupiscere, & propria despicere: suadentes persuadent, ut abstineant ab iis quæ sunt illorũ. Sed qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis & vestib. suam ostendunt liberalitatem & magnificentiam: in sanguine autem nullus unquam. Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, & ardentem in nos charitatem. *Hom, 24. ad Corinth. 1.*

Chrysost. Plures reperire est qui pecuniarum quam qui corporum amore teneantur. primum quia periculo carere videtur hæc cupiditas: deinde quoniam etsi corporum cupiditas acrior est, tamen citius exstinguitur. nam si perstaret, ut pecuniarũ cupiditas, eum qui captus esset, funditus quoq; perderet. *Hom. 7. ad Corinth. 2.*

D. Chrysost. Et quidem amasiam quispiam habens, sæpe etiam sibi mortem conscivit quod ea potiri non potuisset: atq; ea potitus, si quid in eam peccarit, ne luce quidem ac vita se dignum existimat. *Hom. 11. ad Cor. 2.*

Chrysost. Maxima certè vis amoris hæc est, cùm etiam cõtemptus, unà cum ipsis & mori & vivere vult. fieri enim potest, ut & amet quis, & pericula tamen fugiat. *Hom. 14 ad Corinth. 2.*

Chrysost. Qui nullo modo amant, in majori sunt voluptate quàm qui amant. Sed ad hoc quidem nemo contradixerit. Ego autem eum etiam qui amat quidem, reprimit autem libidinem, majori dixerim affici voluptate, quàm eum qui assiduè fruitur meretrice. Nam etsi ejus demonstratio sit difficilior, est tamẽ necesse hoc quoq; audacter dicere. Est enim difficilior, non ex rei natura, sed ex eo quòd hujus philosophiæ non sint digni auditores. Quid est enim, dic quæso amanti jucundius: ab amica despici, an honorari & suspici? Est perspicuum hoc esse jucundius. Quemnam ergo, dic quæso, magis honorabit meretrix: eúmne qui ei servit & factus est ejus mancipium: an eũ qui ejus superavit retia, & structis ab ea calamis volat altior? Est cuivis perspicuum quòd hunc. In quemnam autẽ suum magis conferet studium? in eúmne qui cecidit, an in eum qui nondum? In eum planè qui nondum. Quis est autẽ desiderabilior: isne qui est confectus, an is qui nondum est captus? Is qui nondum est captus. Si autem non creditis, à rebus vestris afferam demonstrationem. Quamnam enim mulierem magis amarit quispiam: eámne quæ facilè succumbit & ei se dedit, an eam quæ negat & ei negotium exhibet? Est perspicuum quòd hanc. Hinc enim accẽditur majus desiderium. Ergo idem quoque erit in muliere: & eum magis honorabunt & admirabuntur, qui eos despicit. Si est autem hoc verum, illud quoq; similiter in majori esse voluptate eum qui magis honoratur & diligitur. Nam & dux exercitus urbem quidem semel captam dimittit: ei autem quæ resistit & contendit, omni studio assidet. Venator quoq; feram venando captam habet in tenebris inclusam, quomodo meretrix amatorem: eam autem quæ fugit persequitur. At ille fruitur, inquit, desiderio: hic autem non fruitur.

Probro autem ac dedecore non affici, neq; ejus tyrannicis servire imperiis, neque ab ea duci & circumagi tamquam mancipiũ, pugnis contusum, conspurcatum, in capite pulsatum: parvam, dic quæso, existimas esse voluptatẽ? Si quis enim hæc accurate excusserit, & potuerit colligere omnia eorum probra ac contumelias, criminationes, iras q; perpetuas, quæ & ex animo existunt & ex deliciis, inimicitias & alia omnia, quæ ii demum sciunt qui patiuntur: inveniet quodvis bellũ plures habere inducias, quàm horum vitam. Quamnã ergo dicis, dic quæso, voluptatem? Eámne quæ capitur ex coitu, quæ est brevis & momentanea? Sed eam statim bellum excipit, & fluctus, & rabies, & idem rursus furor. At coitus habet voluptatem. (Hoc enim assiduè versant.) Qui est autem temperans, non potest assiduè pugnare cum tyrannide naturæ. Contrarium verò inveneris. Ipsa enim vis & perturbatio est magis apud eum qui scortatur. Multa enim ista in corpore agitatio vel quovis fluctuanti mari gravius afficitur, cujus nunquã sistitur cupiditas, sed ab ea semper impetitur: nõ secus atque qui corripiuntur à dæmone, & assiduè discerpuntur à malis spiritibus. Temperans autem non secus ac fortis athleta eam assiduè feriens, optimã & his innumerabilib. jucundiorem percipit voluptatem, hac victoria, & bona conscientia, & præclaris tropæis perpetuò ornatus. Si autem post congressum illa parum quieverit, hoc nihil fuerit. Rursus. n. invadit tẽpestas, & rursus fluctus. Qui aũt philosophatur: ne ab initio quidem permittit ut hãc accipiat perturbationem, neq; ut mare assurgat, neque ut fera vociferetur. Si vim autem sustineat, eum impetum comprimit. Sed ille assiduè pulsatur, pungitur, & non fert ictum. Fitq; perinde, ut si ferum furentem habeat equũ, & freno resistentem, & cum omni arte eum reprimat, ipse autem dans locum, ut hunc fugiat laborem, ab ipso omnem in partem feratur. *Hom. 37. ad Cor. 1.*

Chrysost. Unde nascitur amor corporum? ab elegantia formæ, inquies, cum sc. pulchra & venusta ea fuerit quæ vulnus infert. Frustrà & temerè hæc dicis. Nam si formæ pulchritudo amatores alliceret, omnes haberet amatores hęc puella. Quòd si non omnes habet: proinde nec naturæ, nec eleganti formæ, sed impudicis oculis istud adscribendum est. Nam cùm eam curiosè intuens suspexeris atque adamaris telum excepisti. Quisnam autẽ, inquies, facere possit: ut pulchram mulierem cernens, non eã laudet? Quo fit: ut cùm res hujusmodi mirari, voluntatis nostræ minimè sit: ne amor quidem in nostro arbitrio situs sit. Insiste, ô homo. Quid omnia simul confundis, undiq; in orbem excurrens, nec mali radicem perspicere volens? Siquidem plerosque video, qui formam admirentur ac laudibus efferant, nec tamen ament. Et qui fieri potest, inquies: ut qui mirantur, non item ament? Ne tumultuare, quæso. Hoc enim dicere paro. sed expecta: & audies Mosem, filium Jacob admirantem, ac dicentem. Et erat Joseph pulchra facie, & aspectu decorus. Num igitur propterea is amabat, qui hæc dicebat? Minimè. Non enim, inquies, eum, quem laudabat, cernebat. Atqui erga auditas quoque formas ita quodammodò afficimur, nõ modò erga conspectas. Verum ne mihi in his rebus contentionẽ moveas. an non David admodum formosus erat, ac subrufus cum oculorum pulchritudine? Porrò oculorum elegantia maximè violenta pulchritudinis pars est. Num igitur quispiam ipsius amore captus est? Minimè. Non igitur unà cum admiratione amor etiam nascitur. Nam & matres multi habuerunt corporis pulchritudine

dine florentissimas. Num igitur filii earum amore incensi sunt? Absit istud. Quanquam enim id quod cernunt admirentur: tamen in fœdum amorem non incidunt. At, rursum inquies, hoc ipsis natura præstat. Quænam oro natura? Quia matres sunt, inquies. Quid? An non audis Persas nemine cogente cum matribus suis misceri, nec unum aut duos, sed universam gentem? Quin citra hæc quoque liquidò hinc constat: morbum hunc non corporis elegantiæ, nec simpliciter pulchritudini ad scribendum esse, sed animi, stoordiæ atque oberrationi. Permulti enim, cùm innumeras præstanti forma mulieres præteriissent, deformibus sese dederunt. Ex quo videlicet perspicuum est, amorem à formæ venustate minimè proficisci. Nam si ita esset ii qui in amorem inciderunt, ab illis potius, quàm ab istis, rapti fuissent. Quid nam igitur in causa est, inquies? Nam si formæ honestas non facit ut quispiam amet, unde igitur amor causam ac radicem habet? An à malo dæmone? Habet quoque illinc ortum: sed non hoc est quod quæritur: verùm an non ipsi, quoque in causa simus. Neque enim illorum dumtaxat sunt insidiæ, sed cum illis: imò à nobis primùm. Num enim aliunde perniciosus hic morbus æquè ortum trahit, atque à consuetudine, & verborum blanditiis, & otio ac cessatione, quodque nihil quod agamus habeamus? Magna quippe, magna, inquam, consuetudinis vis est, atque adeò tanta, ut in naturæ necessitatem migret. Quòd si consuetudinis est hanc procreare, non dubium quin etiam extinguere.

Sanè multi amantes ad hunc modum amare desierunt, cùm quas amabant non cernerent. Hoc autem ad breve quidem tempus ac exilem ac perquam injucundum esse videtur: at progressu temporis suave efficitur: ac ne, si velint quidem, morbum revocare queant. Quid igitur, inquies, cùm citra consuetudinem ullam ab ipso primo aspectu captus fuerò? Hoc quoque in causa est corporis desidia, aut alimentum, aut quod ea quæ opus sunt non cures, nec in necessariis negotiis versaris. Nam qui talis est, instar erronis cujuspiam quovis malo transfigitur: atque hujusmodi animam, non secùs ac pecorum licenter vagantem, quisquis vult in servitutem trahit. Quoniam enim ipsa hoc in more positum habet, ut aliquid operetur: inquidem ipsius in rebus honestis actionem comprimas; quandoquidem nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Quemadmodum enim terra, cùm nec seritur, nec plantatur, herbam dumtaxat profert: eodem quoque modo anima, cùm necessariarum rerum nihil habet quod agat, atque animo aliquid agere cupiat, pravis rebus se tradit. Et quèadmodum oculus quando cernere non cessat, prava cernat necesse est, cùm bonis objectis caret: sic etiam animus, cùm se à necessariis abduxerit, jam circa inutilia versatur. Alioqui enim, quòd occupatio & cura primum quoque impetum, propellere queat, multis argumentis liquet. Quamobrem cùm pulchram mulierem conspexeris, ab eaque te affectum senseris: ultrà jam eam ne cernas, & liberatus es. Et qui fieri poterit, inquies, ut eam ultra non cernam, cùm cupiditate trahar? Aliis rebus, quæ animam distrahant, fac te addicas: libris nimirum, necessariis curis, patrociniis, opitulationibus eorum quibus injuria infertur, precibus, rerum futurarum meditationib. His animum adstringe.

Ad hunc modum non recens tantùm vulnus curabis, sed concretum etiam atque inveteratum facilè discuties. Nam si contumelia, ut est in proverbio, amanti persuadet, ut amorem abrumpat: quid afferri potest, quin multò magis spirituales hæ incantationes malum istud superent? dummodò vel solùm ab eo nos removere in animum inducamus? Quòd si cum illis versemur atque consuetudinem habeamus, quæ hujusmodi tela in nos conforquent; ac de illis tum loquamur, tùm audiamus: morbum hoc pacto animus. Quonam ergo modo ignem extingui cupis, cùm quotidie flammam accendas? Ac de consuetudine hæc mihi ad juvenes dicta sint. Nam quod ad viros attinet, eosque qui philosophari norunt: nihil perinde juvat, ut Dei timor, gehennæ memoria, regni cœlorũ cupiditas. Hæc enim ad extinguendum ignem sufficiunt. Ac præterea illud quoq; tecum reputa: id, quod cernis nihil aliud esse, quàm pituitam & sanguinem, ac corrupti alimenti succum. At lætus ac splendidus oris flos est, inquies. Esto sanè: sed terræ etiam floribus nihil lætius ac jucundius est: qui tamen, etiam marcescunt, atque in putredinem abeunt. Quocirca ne heic quoq; ad florem attende: sed interius animæ transi, ac pulchrã illam cutim cogitatione adimens, explora quæ sub ea sita sint. Quandoquidem etiã hydropicorum corpus nitet ac lucet, nec quidquã fœdi in superficie habet: sed tamen humoris illius, qui intus cõditus est, cogitatione perculsi, hujusmodi homines oculari non sustinemus. At tener & versatilis est oculus, ac rectè porrectum supercilium, & nigræ palpebræ, & suavis pupilla, & serenus aspectus. At rursum hoc vide, quòd istud quoq; nil aliud est, quàm nervi, & venæ, atq; arteriæ. Quin tu hunc quoq; pulchrum oculum, ægrum, senio affectum, mœrore afflictum, ira tumentem cogita: quàm sc. deformis sit, quàm celeriter pereat, quàm citiùs etiã pictura evanescat. Ab his jam cura, ut ad veram pulchritudinem animum traducas. At, inquies, animæ pulchritudinem haudquaquã cerno. At, si libuerit, cernes. Et quèadmodum qui absentes pulchros oculis non viderit, eosdem tamen admirari potest: eodem modo animæ pulchritudinem etiã sine oculis perspicere licet.

An non egregiam formam sæpe animo atq; cogitatione informasti? eoq; figmento nonnihil te affici sensisti? Effinge hunc quoq; animæ pulchritudinẽ: atq; hujusmodi formæ elegantia te oblecta. An, inquis, non cerno ea, quę corpore vacant. Atqui ista animo magis intuemur, quàm corpore. Siquidem ob hanc quoq; causam & Angelos, & archangelos admiramur, quamvis eos minimè cernamus! & probos item mores, animæq; virtutem: ac si probum hominem & moderatum videris, magis hunc admiraberis, quàm elegantem illam faciẽ. Quòd si injuria affectum videris eamq; æquo ac placido animo ferẽtem: ejusmodi hominem cum admiratione ama, etiamsi senio confectus sit. Ejusmodi. n. est animæ pulchritudo, ut in senectute quoq; amatores habeat, nec unquam marcescat, sed perpetuò floreat. Igitur ut hanc quoq; ipsi pulchritudinem adipiscamur: eos qui hac pollent captemus, atq; ipsorum amatores nos præbeamus. Sic enim ipsi quoque hanc pulchritudinem consequemur: atq; ad æterna bona pervenire poterimus. *Hom. 7. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Amantis hoc est, partim de eo quod non ametur exposulare: partim metuere ne modum in accusando excedens mœrorem afferat. *Hom. 14. ad Corinth. 2.*

Idem mox: Ab iis quos quis amat vel quoquo modo amari non parvam voluptatẽ affert: propterea quod ipse vehementer eos amet.

D Chrysost. Qui amant, si non Deum, at homines magis lætantur si male patiatur ab iis quos amant, quã si honorẽtur. *Hom. 8. ad Eph.*

Chrysost. Magna ex his nascuntur mala, magnaq; bona & domibus & civitatibus. nihil nostram vitam æquè concutit atque agitat ut amor viri & mulieris, pro eo multi etiam arma induunt. pro eo etiam produnt animam. *Hom. 20. ad Ephes.*

Chrysost. Qui diligunt, etiam quæ sunt tuta, suspecta habent ex magno fervore: hoc autem est ex multis tentationib. *Hom. 4. ad Thes.*

D. Io. Chrysost. Ea est amantium lex, ut se tum demum felices putent, cùm adversa pro his quos diligunt sustinent. *Hom. 2. sive Epist. ad Philemon.*

§ Latinorum Theologorum.

Zeno: Est & alius Amor sanè saluti nostræ contrarius: cui rectè hominis forma tribuitur, quia tempori alis, ac fragilis esse cognoscitur. Ideo lineamento puerili depingitur, quia ejus lasciva lubricitas nec annis senilibus temperatur. Ideo nudus, quia voluntas ejus est turpitudo. Ideo pennatus, quia in quæcumque conceperit, velociter ruit. ideo telis, facibusq; constructus, quia illiciti; ardoribus semper junctus est gladius. Ideo autem cæcus, quia cum exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum saltem sanæ pietatis affectum. Hic facibus suis Hevæ pectus incendit. Hic Adam suis telis occidit. Hic Susannam conatus est duorũ seniorum aut prodigiosis ignib. subjicere, aut pyricidali gladio jugulare. Hic Joseph mulieri flagitat esse violentum: quem etiam, dum denudat, esse non invenit impudicum. Hic synagogam expugnavit, cum sua illi arma concedit. Hic ubique turbulentus: ubique fertur insanus. Promittit, dat, tollit. nunc tristis, nunc hilaris, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, nunc jejunus, nunc accusator, nunc reus. Jocatur, ludit, pallet, tabet, suspirat, celat, obsequitur, aut tentat, aut decipit, perjusq; blanditur quàm furit. Occasionem ullam prorsus nocendi non præterit. Vultis scire quod malum sit? in ipso fructu suo etiam ipse se odit. Venenis ejus quotidie totus exæstuat mundus: pestiferisque voluptatibus ita corrupta sunt omnia, ut quicquid in eo geritur, non debere diligi à nobis sacris vocibus dum jubetur rectè sapientibus execrabilis esse videatur. *de Spe, Fide, Charitate.*

S Salvianus: Propinqua vestra pignora esse vobis & conjunctissima satis certum est. sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo conjunctior quam vos ipsi. amate itaque filios vestros, sed tamen secundo à vobis gradu ita illos diligite, ne vos odisse videamini. inconsultus namque & stultus amor est, alterius memor, & sui immemor. *Libro 3. contra Avaritiam post med.*

S. Salvianus: O amor, quid te appellem nescio, bonum an malum, dulcem an asperum, suavem an injucundum? ita enim utroq; plenus es, ut utrumq; esse videaris. A mari à nobis nostros honestum est, lædi acerbum: & tamen hoc ejusdem est interdum animi, ejusdemque pietatis, & cùm specie dissentiat, ratione concordat. Amor quippe nos facit nostros amare, amor interdum cogit offendere. Utrumq; unũ est: cum tamen aliud amoris habeat gratia, aliud odii patiatur offensam. quam grave hoc quæso, dilectissimi, aut quam acerbum est, ut causa odii amor esse cogatur? quod quidem cùm sæpe aliis, tum etiam mihi accidisse nunc satis vereor, ut dum adolescentem hunc quem ad vos misi, tradere individuis meis cupio, uni studens, multis molestus sim, & amor ejus offensa sit ceterorum: quamquam ii qui satis diligũt, non cito offendantur. Sed ego insinuationem meam minus gratam fore quibusdam timens, etiam imminutionem gratiæ offensam puto. placere enim dilectis meis plurimum cupiens, molestiam eorum reatum meum credo: & nisi eis satis placuero supplicium displicentis fero. quamquam hoc metuendum in vobis omnino non sit, qui totum me in vos recipiẽtes, etiam apud alios pro me timetis. Tantum enim abest ut displicere ego charitati ac sensui vestro possim, ut etiã illud mecum reformidetis, ne ego quibusdam forte displiceã &c. *Epist. 1.*

Chrysologus: Delicta non videt vis amoris. *Serm 3 m.*

Chrysologus: Videtis, quia delicta non videt vis amoris. Tardã misericordiam pater nescit. Delicta qui discutit, prodit. *Serm. 3.*

Chrysologus: Fortem facit vis amota: amor vetus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent separare perfectũ? Amor impenetrabilis est lorica respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortẽ ridet, si amor est, vincit omnia. *Serm 40.*

Chrysologus: Quid erit, quid debeat, quid possit non respicit jus amoris. Amor ignorat judicium, ratione caret, modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solarium, nõ recipit de difficultate remediũ. Amor nisi ad desiderata pervaserit, nescit amantem: & ideo

vadit quò ducitur, non quò debeat. Amor parit desiderium, gliscit ardorem, ardor ad inconcessa pertendit. Et quid plura? Amor quod amat non potest non videre. hinc est quod omnes sancti omnia quæ meruerant parva duxerunt, si dominum non viderent. Et revera fratres quo modo pro beneficiis reddet obsequium, si beneficiorum nō videat largitorem? Aut quomodo credit à Deo se amari, cujus non meretur aspectum. Hinc est quod amor qui cupit videre Deum, & si non habet judicium, habet tamen studium pietatis. Hinc est quòd Moyses audet dicere: si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam. Hinc est quod alius dicit: Ostende faciem tuam. Denique & ipsi gentiles ob hoc simulacra finxerunt, ut in ipsis erroribus oculis cernerent quod colebant. *Sermone 147.*

Ennodius: Ergo falsò creditur, amorem reddi diligentiæ, & tacitis animas se interrogare colloquiis: fidem mentium sensus asserere; ut quod impendimus vicaria nobis relatione debeatur? Vocem montium secreta restituunt, & in obsequio humanitatis muta famulantur. Sed magnitudinem tuam in contemptu mei contigit silentium pro scriptione reddere: & in adstipulatione artificis genii, temperando à paginis, pertinaciam garrulitatis opprimere, naturæ lege calcata. *Lib. 6. Epist. 37.*

Ennodius: Proximus magistro est, qui diligit ornamenta doctrinæ. *Dictionis 7 fine.*

¶ Philosophorvm Oratorvm Historicorvm Græcorvm.

Xenophon: Audio equidem, Deos etiam ab amore victos fuisse: & non ignoro cujusmodi ab amore iis etiam hominibus, qui prudentia singulari præditi viderentur, acciderint. Atque etiam ipse de meipso animadverti, ita me continentem non esse, ut si formosis adsim, ab eis abstinere negligendo queam. Quin hujus ego tibi rei sum auctor, qui te cum illa re inexpugnabili concluserim *Cap. 5. libri 6. Cyropædiæ.*

Xenophon: Socrates novum orationis exordium instituebat: Profecto, viri, paret nos, quum magnus quidā Deus adsit, qui ætate Deos æternos æquat, forma maximè juvenis est, amplitudine sua cuncta sustinet, animo hominibus æqualis est, nimirum Amor, ejus minimè oblivisci: præsertim quum omnes in ejus Dei sacris sodales simus. Nam equidem tempus aliquod commemorare non possum, quo nō aliquo semper amore fuerim occupatus: & Charmidem hunc scio multos ad sui amorem excitasse, ac nonnullos ipsum quoque expetivisse. Critobulus certè, quum adametur, jam & ipse alios amore complectitur. Quinetiam Niceratus, ut equidem accepi, uxorem amans vicissim ab ea diligitur. Quis autem nostrum nescit Hermogenem honestatis amore, quidquid tamdem ea sit, contabescere? Non videtis, quam severa sint supercilia, oculi immoti, oratio moderata, vox lenis, mores hilares? quumque Deos, qui maximè nobis venerandi sunt, amicos habeat: nos tamen, qui homines sumus, non contemnit. Tu verò, Antisthenes solus amoris expers es? Immo te vehementer amo profecto. Tum jocando Socrates quasi blandiens: Ne in præsentia mihi, ait, molestus sis. Nam, uti vides, aliud ago. Et Antisthenes: Quamtu, inquit, leno tui semper hujusmodi plane quædam facis, ac nonnunquam mecum non colloqueris, numinis utens prætextu, nonnunquam aliud quidquam captans.

Tum Socrates: Quæso te per Deos, mi Antisthenes, ait, tantum ne concidas me: qui molestiam quamvis aliam abs te tum fero, tum laturus jam amice. Enimvero amorem tuum equidem occulto, quum non animi sit, sed pulchritudinis meæ. Quod autem tu, Gallia, Autolycum ames, civitas universa novit: ac ut arbitror, etiam exteri plerique. Ejus rei causa est, quod uterq; vestrum parentes habeat claros, & ipsi quoque illustres sitis. Atque equidem indolem tuam semper amavi, sed multo nunc magis, quum te illum amare video, qui non deliciis diffluit, neque præmollitie languescit: sed omnibus & robur, & tolerantiam, & fortitudinem, & temperantiam suam demonstrat. Hujusmodi vero expetere, argumentum est etiam ingenii ejus, qui amatur. Equidem num una sit Venus, an duæ, Cœlestis nimirum & Vulgaris, haud scio. Nam & Iupiter, qui unus esse videtur, cognomina multa habet. Distinctas quidem utrique Veneri esse aras, fana, sacrificia: & Vulgari quidem neglectiora, Cælesti puriora, scio. Et conjicere licet: etiam amores, corporum quidem à Vulgari illa immitti: animi vero, & amicitiæ, & actionum honestarum, à Cælesti. Ac tu quidem, mi Callia, hoc ipso amore mihi videris esse captus. Argumento mihi est ejus, quem amas, honestas: quodque te video patrem ejus ad congressus cum hoc tuos adjungere. Quippe nihil horum bonus & honestus amator occultum patri esse vult.

Et Hermogenes: Per Iunonem, inquit, mi Socrates, quum ob alia re multa admiror, tum quod modo Calliæ simul rem gratam facis, & qualem ipsum esse oporteat, instituis. Profecto sic est, ait. Atque ut magis etiam delectetur, confirmare illi volo, multo præstantiorem esse animi, quam corporis amorem. Novimus enim omnes, absque amicitia consuetudinem nullam cujusquam esse pretii. Amare autem eos, quorum mores ac indolem admiramur, necessitudo quædam propria & voluntaria vocatur: at eorum, qui corpus adpetunt, multi mores vituperant, & ipsos amores odere. Quod si maximè amentinvicem uterque se, formæ tamen flos celeriter ætate quasi marcessit: quo deficiente, necesse est una etiam amicitiam marcescere. Animus autem quam diu prudentia proficit, etiam fit amabilior. Quin & in usu formæ satietas quædam ineſt. quo fit, ut quæ in ciborum usu propter satietatem, ea in amoribus quoque necessario accidant. At animi amor propterea, quod castus sit, etiam insatiabilior est: nec idcirco ceu quis existimare posset, minus est venustus ac jucundus: sed plane votum illud perficitur, quo petimus, ut deatum verba, tum actiones venustas largiatur. Quod enim liberali forma, & indole vere cunda generosaque florens animus, quique statim inter æquales principe loco dignus, & comis est, tum suspiciat, tum diligat amores suos: id vero verbis ostendi, non est opus.

Esse autem consentaneum, amatorem hujusmodi rerum etiam suis amoribus gratum fore vicissim, id quoque docebo. Primum enim quis odisse possit illum, à quo se bonum & honestum haberi sciat? deinde quem cernat amati decora magis, quam voluptates suas curare? credat præterea, sive quid delinquatur, sive morbus utrumque corripiat, amicitiam deminutum non iri? Quibus autem communis amor est, quo pacto non hos necesse est libenter se intueri, benevole colloqui, fidem habere sibi mutuo, prospicere sibi invicem, voluptatem simul capere ex honestis actionibus: condolere, si quid adversi accidat: perpetuo gaudere, dum bona cum valetudine frui consuetudine mutua possunt: sin alteruter ægrotet, multo frequentius convenire: de absentibus denique, quam præsentibus, magis esse sollicitum? An non hæc omnia sunt amoris plena? Certe ob hujusmodi officia simul & amicitiæ studio tenentur, & ea perpetuo ad senectutem usque fruuntur. Ateum, quia corpore pendet, quamobrem diligat aliquis mutuò? utrum idcirco, quod sibi tribuit ea, quæ concupiscit, adamato maximè probrosa? an quod ab iis, quæ facere studiose cupit præter amores, maximè necessarios arcet? Atqui magis etiam odio dignus est, quod non vim adferat, sed persuadeat. Nam qui vim adfert, improbum esse hominem sese declarat: qui vero persuadet, is illius, qui, persuadetur, animum corrumpit. Iam vero & is, qui pecunia formam vendit, qui magis diliget ementem sese, quam qui vendit in foro, & addicit sese? Non enim certe, quod formosus cum deformi, pulcher cum non pulchro, non amans cum amante versatur, idcirco eum diliget. Non enim mas ita, uti mulier, voluptatum rei venereæ cū viro particeps est: sed sobrius ipse temulentum ex venere spectat. Unde non mirum est, si contemptus amatoris in ipso existit. Quod si quis rem consideret, inveniet nihil rei gravis ex illorum amore qui ob mores amantur accidisse: quū multa, eaque nefaria, de illa impudenti consuetudine evenerint.

Iam & illiberalem esse consuetudinē illius, qui corpus magis, quā animum diligit, modò indicabo. Nam qui aliquem instituit, ut & dicere, quæ necesse sit, & gerere possit: is merito perinde, ac Chiro & Phœnix ab Achille, adfici honore debet. At qui corpus concupiscit, merito mendici cujusdam instar sequatur. Semper enim comitatur vel emendicans, vel requirens osculum, aut aliquam aliam tactionē. Quod si dicacius quid profero, velim mirum vobis non videatur. Nā & vinum me impellit, & amor ille meus domesticus, vt liberius adversus amorē illum loquar, quem æmulum habet, me pungit. Videtur. n. is mihi, qui formæ animum adiicit, similis illi esse, qui fundū mercede conducit. Nam ille ut melior reddatur, nihil pensi habet: sed ut ipse quamplurimum voluptatis ex eo percipiat. Qui vero amicitiā expetit, magis illi similis est, qui fundum proprium possidet, Etenim undecumque, si quid potest, colligens: adamatum meliorem efficit. Quinetiam ipsos amatores, qui sciant, eleganti forma præditos amatoribus imperare, consentaneum est nequiter in amantē se gesturos. At qui animadverterit non futurū, ut nisi bonus & honestus sit, amicitiam retineat? eum par est, majori studio virtutem colere. Maximū autem bonum illi contingit, qui ex adamato amicum egregium efficere vult, quod & ipsum virtutē colere necesse sit. Nec enim fieri potest, ut si ipse nequiter se gerat, secum versantem bonum efficiat: neq; si intemperantem & impudentem illi se exhibeat, adamatum temperantem ac verecundum efficere potest.

Libet autem tibi, mi Callia, de fabularum etiam enarratione indicare, non solum homines, sed etiam deos ac hæroas amorem animi pluris, quam corporis usum facere. Iupiter enim cum omnibus, quas mortales dilexit, congressus, mortales manere passus est: quorum vero animos admiratus esset, eos immortales faciebat. Eorum in numero sunt Hercules, Castor, Pollux: atque etiam alii quidam cōmemorantur. Quinetiam mea sententia Ganymedes non corporis, sed animi causa in Olympum à Iove translatus est: cui quidem sententiæ nomen etiam suffragatur. Est enim alicubi apud Homerum,

—— *adfectus suaviter audit.*

Dicit autem, delectatum fuisse audiendo. Et alio in loco est:

—— *consilia occultat qui pectore multa.*

Intelligit vero illum, qui animo consilia sapientiæ plena novit. De quibus duobus verbis factum nomen est Ganymedis, non illius quidem, qui corpore suavis, sed animo, à diis honore adficitur. Achillem quoque mi Nicerate, fecit Homerus Patroclū, non ut amores suos, sed ut sodalem, gloriosissime ulciscentē, posteaquam mortuus esset. Et Orestes ac Pylades, Theseus ac Perithous, aliique complures ex semideis præstantissimi, non propterea, quod una cubarint, sed quod invicem se suscipiendo, res maximas & pulcherrimas publicē perficerint, celebrantur. Quid autem? an non quæ jam præclara patrantur facinora, reperiet aliquis laudis gratia potius ab iis fieri qui & labores, & pericula volunt adire, quam ab aliis, qui voluptatem pro gloria eligere consueverunt?

Quamquam poetæ Agathonis amator Pausanias, dum purgaret eos, qui per intemperantiam unà volutantur, etiam exercitum ex adamatis & amatoribus fortissimū fieri posse dixit. Nam existimare se

ajebat,

ajebat, hos in primis pudore præpediri, quò minus se mutuo deserant. Quod quidem ab eo dictum mirari subit, eos scilicet, qui reprehensionem negligere, seque non revereri consuevissent mutuò, maximè verituros turpe quiddam admittere. Producebat & testimonia Thebanorum ac Eleorum, qui tale quid decrevissent. Quanquam enim una cubent, nihilominus amores in prœliis eadem in acie collocari. Quod quidem argumentum minimè congruens adferebat. Nam apud illos hæc consentanea sunt legibus, apud nos autem probro ducuntur. Ac mihi sanè, qui eadem in acie collocantur, diffidere sibi videntur, ne videlicet, si seorsum essent dispositi ab ipsis adamati, fortium virorum muneri non responderent. Lacedæmonij verò, qui existimant, corpus adpetentem nihil amplius boni & præclari consequi, tam perfectè bonos ac fortes viros ex adamatis efficiunt, ut inter exteros etiam, ex ejus civitatis instituto cum amatoribus in acie non collocati, nihilominus illos, qui adsunt, deserere vereantur. Non enim impudentiam, sed verecundiam esse deam quamdam volunt. Et videmur sanè omnes in iis, de quibus loqui mur, consentire; si hoc modò rem consideremus: Utrò scilicet modo adamato quis potius vel fortunas suas & liberos crediderit, vel beneficium præstiterit. Atque equidem sentio etiam illum, qui amati forma utitur, lubentius hæc universa creditурum ei, qui animo quoque sit amabilis. *cap. 28. ac seqq. Convivij.*

Lysias: Constat cupidinis telis peti, omnibus hominibus contingere: at hunc optimum & temperantissimum, qui cupiditatibus suis moderari, & incommoda ferre novit. *cap. 1. apologiæ in Simonem*

D. Halicarnassæus: Qui Thucydidis enthymematis capiuntur, iis sanè idem accidit, quod iis qui qualiscunque formæ aspectu, tanto amore capiuntur, utis parum à furore distet. Illi enim rei, cujus amore capiuntur, omnes inesse arbitrantur: ac si quis est qui aliquod in ea vitium reprehendere conetur, ab eo tanquam ab invido & calumniatore sibi cavent. Atque hi quidem, hac una orationis ejus virtute decepti, omnia etiam ea quibus caret huic scriptori attribuunt; neque id mirum. nam quæ quisque illi quod amat & admiratur, inesse vult, eadem re ipsa inesse arbitratur. *cap. 40. de judicio Historiæ Thucydideæ.*

Lucianus: Tu modò nobis æthere Deus, in tempore assiste, amicitiæ fautor, & arcanorum sacerdos Cupido, nequaquam pravus infans qualem pictorum manus jocando fingunt, sed quem primario semine Principium procreavit, perfectum protinus editum. Tu enim ex obscura, atque confusa deformitate, Universum hoc formasti. Proinde sublato, tanquam communi totius mundi sepulchro, circumfuso illo chao, illud quidem in ultimi Tartari secessus fugasti, ubi verè stant Ferrati postes, atque ærea limina portis, ut insuperabili addictum custodiæ, à reditu prohibeatur. Splendidæ autem luci obscura nocte prætenta, omnium & animâ carentium, & animam habentium opifex fuisti. Præcipuam verò hominibus concordiam infundendo, graves illos amicitiæ affectus conjunxisti, ut ex anima malicitiæ adhuc experte, & tenerâ, connutrita benevolentia in virilem perfectionem consummaretur. Nam inventum quidem est conjugium, necessariæ successionis remedium, &c. *titulo amorum.*

Idem: Amor duplex est. Deus, non una via ad nos ventitans, neq; uno spiritu nostros animos incessens. Sed alter, ut arbitror, puerilia sapiens, cujus mentem nulla ratio gubernare potest, frequens in animis insipientium congregatur: atq; ipsi muliebria potissimum desideria curæ sunt. Et hic est quotidianæ istius contumeliæ socius, absque discrimine cuicunque volenti sese celeriter applicans. Alter verò Amor, priscorum pater temporum, visu grave, sacrumque omnino spectaculum, promus temperatorum affectuum, blandum quiddam unius cujusque mentibus inspirat. Tunc propitium nacti hunc Deum, voluptatem virtuti immixtam amplectimur. Geminos enim revera, juxta Tragicum, spiritus efflat Amor. Unum autem & commune nomen dissimiles affectus habet. Nam & Verecundia, utilitatis pariter & damni anceps est Dea,

Quæ simul & fructus homini, & mala plurima confert.

Neque verò unicum est genus contentionum, sed

Sunt gemina in terris, quibus altercantur in unum
Mortales causæ, Varia quoq; mente trahuntur,
Hanc laudet prudens, damnandam reprobet illam.

Nihil igitur mirum, si affectus virtuti communem appellationem est sortitus, ita ut Amor vocetur, & flagitiosa illa voluptas, & modesta hæc benevolentia.

Lucianus: Cupido gnate, vide quæ facis. Non dico quæ te impulsore homines in terra, vel in se qui sque, vel invicem alij in alios admittunt: sed quæ in cœlo fiunt. Qui multiformem Jovem exhibes, illum in quodcunque tibi visum fuerit pro tempore immutans. Lunam autem è cœlo detrahis. Solem verò apud Clymenen aliquoties tardare compellis, oblitum augurationis. Nam quidquid injuriæ in me matrem tuam committis, audacter facis. Verùm tu confidentissimè, ipsam etiam Rheam, jam anum, totque Deorum matrem, ad pusionis amorem compulisti & ad Phrygij illius adolescentis desiderium. Eaque jam à te acta est in insaniam, junctisque leonibus, & assumptis Corybantibus, quippe qui & ipsi furore quodam afflati sunt sursum ac deorsum per Idam oberrant: hæc quidem amore Attis eiulat. Corybantum verò, alius suum ipse penem ense resecat: alius demissa coma per montes fertur insanus, alius cornu canit, alios tympano strepitum facit, alius cymbalum pulsat. Breviter, omnis undique Ida tumultus atque insaniæ plena est. Proinde cuncta timeo: metuo tale quid, ego quo te magnum malum peperi, ne si quandò resipiscat Rhea, vel etiam potius si insanire pergat, Corybantibus imperet, ut te correptum discerpant, aut leonibus objiciant. Hoc ego metuo, quum te periclitantem video. *Cup.* Bono animo esto mater, siquidem leonibus ipsis jam factus sum familiaris: ac sæpenumerò conscenso tergo, prehensaque juba, equitis ritu illos agito. Illi verò cauda blandiuntur mihi, manumq; ore exceptam circum lambunt, illæsamque reddunt. Porrò Rheæ ipsi, quando tandem vacaverit, ut me ulciscatur, cùm in Atte tota sit? Ecquid ego delinquo quum res pulchras quales sunt demonstro? Vos ne appetite res pulchras: quare his de rebus ne in me crimen conferte. An vis mater ut neque tu posthac Martem, neque ille te amet? *Ven.* Quam callidus es, & nulla in re non superas. Attamen horum quæ dixi, olim memineris. *Dialogo Veneris & Cupidinis.*

Lucianus. VENUS Quid tandem causæ est: Cupido, cur cæteros omnes Deos expugnaris, Jovem, Neptunum, Apollinem, Junonem; ne denique tuam matrem, ab una verò Minerva abstineas, tuaq; fax nihil ignis adversus ipsam habeat, vacua jaculis sit pharetra, tu arcu careas, nec jaculari noris. *Cup.* Metuo ipsam, mater, est enim formidabilis, aspectu truculento, ac summopere virilis. Proinde siquando illam tenso arcu petam, galeæ cristam quatiens, ex pavefacit me, tum intremisco, & è manibus meis effluunt tela. *Ven.* Atqui Mars; annon erat hac formidabilior? attamen exarmatum ipsum superasti. *Cup.* Imò ille ultro me admittit, & invitat. Verùm Minerva toryè semper aspicit: quin aliquando temerè ad illam advolavi, facem propius admovens: at illa, si ad me accesseris, inquit, te, per meum patrem, lancea transfixum, vel pede arreptum, & in tartara præcipitem datum, vel discerptum, perdam. Plurima item id genus minabatur. Ad hæc acribus oculis obtuetur, & in pectore faciem gestat horrendam, viperis comantè, quam magnopere formido: territat enim me, fugioque quoties eam aspicio. *Ven.* Esto sanè, Minervam metuis, ut ais, illamque. Gorgonem, idque Jovis ipsius fulmen non reformidaris. Musæ verò, cur tibi sunt invulnerabiles, & à tuis jaculis tutæ agunt? Num & hæ cristas quatiunt, & Gorgonas prætendunt? *Cup.* Ipsas revereor, mater: sunt enim vultu reverendo, semperque aliquid meditantur, & cantionibus intentum animum habent: quin etiam non rarò illis assisto, carminis suavitate delinitus. *Ven.* Esto, has relinque, quoniam sunt reverendæ: at Dianam cur non vulneras? *Cup.* Ut breviter dicam, hanc per montes assiduò fugientem, assequi non possum: deinde proprio quodam amore tenetur. *Ven.* Quonam ô gnate? *Cup.* Nempè venatus cervorum & hinnulorum, quos insectatur ut capiat, & jaculis conficiat: ac prorsum tota rerum hujusmodi studio tenetur: tametsi fratrem ejus, qui nimirum & ipse arcu valet, & ferit eminus. *Ven.* Intelligo gnate. Illum sagitta sæpè vulneraſti. *altero Veneris & Cupidinis dialogo.*

Lucianus: Ad demulcendum animum parum facere arbitrabar, cum amata quotidianam consuetudinem habere, & interim Tantali pœnas sustinere, ac pulchritudine oculos tantum non inundante, cum haurire liceat, sitim perferre. Neque enim satis est aspicere eum quem amas, neque ex adverso sedentem, & loquentem audire, sed perinde atque scalis quibusdam voluptatis compactis, amor primum visus gradum habet, ut aspiciat amatum: deinde ubi aspexerit, cupit adductum contingere. Summis itaque digitis, tametsi solum attigerit; fruitionis istius delectatio totum corpus mox percurrit. Postquam autem hoc potitus est facilè, tertium oculi conatum addit, non statim curiosum illum, sed labia labijs admovendo sensim, quæ priusquam planè contingat, absistit, nullo suspicionis vestigio relicto. Deinde verò ad id quod porrigitur applicans sese, semper exquisitioribus amplexibus illiquescit, interdum quoque tacitè os diducès. Nec manuum ullam segnem esse sinit. Nam manifestæ, eorum quæ sensu percipiuntur, amplexiones, voluptatem conglutinant. Aut clam dextra molliter per sinum subingressa, mammillas, pro sua natura, modicè extantes, premit: & solidi ventris exuberans illud digitis contrectat æqualiter. *titulo Amorum.*

Epictetus: Quid est amor? Otiosi pectoris molestia: in puero pudor: in virgine rubor: in fœmine furor: in juvene ardor: in sene risus: in derisore delicti nequitium est. *altercatione Imperat. Hadrianus.*

Arrianus: Ignosce mihi tanquam amatoribus: non sum meus; insanio *cap. 22 fine lib. 1. Epictet.*

Dio Chrysostomus Prusæus: Difficile est persuadere amantibus. nam suspicantur pleriq; & facilè irascuntur, seque nunquam satis pro dignitate diligi ajunt ab amatis: maximè cum tanto fuerint superiores, & conversentur cum potestate, *Oratione 61.*

Dio Prusæus: Dicis ne sapientem fuisse Homerum? Fortasse. Ergo partim ipsum putato dicere, partim vero legentibus reliquisse intelligenda. Hoc autem ex sermonibus non prorsus incertis colligi potest. Nam Chryseis initio quidem, ut videtur, non illibenter manebat apud Agamemnonem, propter eas quas dixi causas: atque diis habebat gratiam, quod nulli daretur minus glorioso, sed omnium regi. Et ille non negligenter erga eam erat affectus: Unde tum non egit de redemptione. Postquam autem res Agamemnonis domesticas audivit quales essent, & quàm afflictè, & crudelitatem Clytemnestræ & ferociam, hic timuit venire Argos. Et priore quidem tempore remansit, amans fortasse Agamemnonem: quum autem jam propè esset finis belli, atque sparsus esset rumor non diutius Trojanos posse resistere, non expectavit Ilii expugnationem. Norat enim victores fere superbos fieri, & superstitione circa Deum magis valere;

dum bellum gerunt homines. Propterea tunc accersiuit patrem, jussitque obsecrare Achivos.

Audiverat enim, ut verisimile est, Atridas sub uxorum esse imperio, easque esse superiores quàm viros, non solum propter pulchritudinem, sed quod principatum magis ad se pertinere arbitrarentur. Eos enim esse Pelopidas,& advenas Græciæ: sese verò Achaides, Tyndarei filias, & Ledæ. Tyndareus autem celebris erat, & rex Spartæ. Itaque propter hoc & Helenam sibi desponderi petebant Græcorum optimi, & juraverãt se laturos suppetias. Ad hæc sorores erant Castoris & Pollucis, qui Jovis filij sunt existimati: atque hactenus pro diis apud omnes habentur, ob potentiam quàm olim habuerunt. Præstabant enim omnibus in Peloponneso: extra Peloponnesum verò maxima potentia erat Athenien sium: atque & hanc vicerunt bello, regnante Theseo. Præterea consobrinus illi erat Meleager, Græcorum optimus, Hæc quidem nesciebat Chryseis, superci lium autem audiebat mulierum: atque Helenam noverat, quantum viro præstabat. Quare posteaquam audiverat de rebus Asiæ, quod magnæ essent, propter regionis fertilitatem, hominumq; multitudinem, pecuniarumque: contempsit non solum Menelaum, verùm etjam Agamemnonem, totamque Græciam, atque pro his illa elegit. At Menelaus & antea obedivit in omnibus Helenæ: & postea captivam receptam obsequijs demeruit. Agamemnon verò ob principatum elevatus, Clytemnestram ignominiose habuit: quare certum erat, quod se invicem non essent laturæ: sed talia futura, qualia & acciderunt.

Neque enim Chryseis libenter audivit Agamemnonem, dicentem præsertim palam in concione Achivorum, quod pluris ipsam faceret quàm uxorem, nullaque in re existimaret inferiorem. Hæc enim invidiam & zelotypiam afferre sciebat. Atq; etjam hercle mores videbat Agamemnonis, quod non stabilis, sed superbus esset, & despector, & quid facturus esset ipsi captivæ cogitabat, si quando quievisset concupiscentia: quando etiam propriæ conjugis & reginæ, ex qua liberos suscepisset, adeo contemptim meminisset. Stulte quidem gaudent, quando ab amatoribus vident alias contemni: quæ autem sapiunt, naturam ea facientis aut dicentis inspiciunt. Simul autem & erga ipsam sensit contumeliose eum se gerere: atque hoc, quum maximè amaret. Nam quod ita crudeliter abegit Chryseu, amatæ patrem, neque illi propter eam pepercit, & non solum non consolatus est senem, dicens nihil acerbi illius filiæ fieri sed è contrario, non solum illi minatus est, sed etiam Chryseida ignominia affecit, dicens:

Hanc verò haud solvam, dum ipsam rugosa senectus
Prandertt in nostris domibus, procul a patria Argis
Texentem tales, & nostri munere lecti
Fungentem. ——

Quantæ tandem superbiæ est? Quid enim posteaille fecisset quin adhuc amans talia de ea disserebat? Hæc igitur evitare & providere, ne quaquam malæ est mulieris. Manifestum autem fecerunt, opinor, ea quæ circa Cassandram Argis facta sunt, circaque ipsum Agamemnonem, quod sapuerit Chryseis, semetipsam ex his malis eripiens. Quapropter quod neque amore neque regno, neque rebus (ut videbantur) gloriosis atque bonis victa, quum esset juvenis, sese in negocia periculosa & conturbatam domum atque in invidiam & zelotypiam prodiderit, modestæ mulieris officium est: & verè dignæ, quæ sacerdotis filia sit, apud Deum educata. *Oratione 61.*

Libanius: Equidem mirarer, si Deus cùm sit Amor, malorum nõ dico Deis, sed hominum cuipiam sit. namDei proprium est, opinor, mala compescere tu cupidinem dicis cogerè ad insaniam. At verò ille amicitias quidem iustas inter homines excitat; sed injustos concubitus illorum non fovet neque ambit: verùm ab iis qui continere se nequeunt læditur, dum illum suæ temulentiæ auctorem faciunt. Quin etjam perjuriorum, quæ in talibus nequitiis oriuntur, pœnas esse negant, semetipsos decipientes. *Demaclamatione Vigesima tertia.*

Libanius: Nunc amorem Deum magnum atque humana natura potentiorem mea ipsius ærumnâ agnosco: illum certè amo propter odium in homines. quin effectus ejus admiror, quales ab antiquo edidit: multam apud Trojam Heroum cædem patravit: multas Græcorum & Barbarorum strages fecit: multas vastavit & diruit urbes: multa solo adæquavit mœnia: multas arces incendio tradidit: multis modis vitam nostram everit. Hic ad præcipitia ducit: hic in propriis visceribus enses tingere cogit, laqueo mandat, ad barathrum impellit Timonem: præclaras de me superbiæ pœnas exigit. *Declamatione 9.*

Libanius: Ego verò dicam amorem, utque eo ad hanc impulsus fuerit. Etenim si contumelia id fecisset Halirrhothius, & lascivia, & ut dolorem inferret, tanquam superbè contemnens & fastuose despiciens, pulchrè & rectè cæsus fuisset: non repugno. at si non ita insaniit desipuitque, ut nulla necessitate urgente ad Alcippen accederet? te vero non formidaret: non tam ejus, qui patravit, opus esse censeamus, quam ejus qui coëgit. Amoris porro vim, utque inexpugnabilis Deus sit, ut invictus, ut cunctos imbecilliores se efficiat, quis ignorat? quippe qui tantum in Deos, quantum in homines pollet. Scimus profecto quàm ardenter amaverimus, cùm alij, tùm supremus ipse, & quod in homines imperium habentes à cupidine cùm ipsis regimur, & non obsistimus, neque arma opponimus: verùm qui sagitas excepit, in quacumque formam ab hoc impulsus fuerit, in eam incitarè fertur. porro tam probè novimus hujus principatus magnitudinem, utque captum omnia facere necesse sit, ut etjam juratus amans violato jurejurando pœnas non subeat. Quinetjam ab hoc in honore habita sunt amatoria. *Declam. 22.*

Paulo post: Jois est cœlum, Neptuni mare, Tellus communis: Amoris verò omnia. pervadit enim universa potestas ejus: quippe qui post chaos & Tellurem ortus sit, antiquior Neptuno ac Jove, imo & illius parente. Quid mirum? quandoquidem etiam ipso cœlo. Ergo ne tanto Genio inservientem Halirrhotium oportebat occidi? nec veniam, nec misericordiam, nec benignitatem à te ullam consequi? quæ quidem vel ab hominibus in honore habere videmus. Sed enim cum quis in quempiam graviter deliquit, sæpenumerò impunè tulit indemnisque abiit, quod ad vinum, aut iram, aut levitatem, aut oblivionem, aut tale quid confugisset. Et tamen, quid ceterorum, quæ veniam adferre possunt, à cupidine necessitatis ratione non superatur. Igitur libens rogarem te, utrum nulli omnium ulla de causa condonabimus? *Declamatione 22.*

Libanius: Præclarè juventutem civitas erudiet temperantiæ operam dare si optimis laboribus arcebit à libidinis otio. Venatum ire, jaculari, & armis exercere militarem ætatem coget, ut nullus voluptatibus locus relinquatur. Nam ex jucunda sensus titulatione ac deliciis amor oriri solet. his ergo sublatis, eorumque loco inducta exercitatione bellica, libidinosæ illæ curæ quiescent & evanescent. *Declamatione 25.*

Libanus: Nihil amantibus ita molestum est, ut spes cupitæ rei finem non assecuta. *Declamatione 25. contra Laidem.*

Sub finem: Quisquis amat, spem affectum consolantem comparat.

Libanius: Magno ac vehementi flagrabat atque opprimebatur amore: adeo ut ne respirare quidem ei daretur. Ecquod hujus fuit indicium? enunciabat quæ occultare debebat, idq; per legatos (quod nemo nusquam audierat) adolescentis decus in concione popposcerat. *Mox:* An verò quid amantibus levius quàm labores, in quibus sita spes est potiendi amatis. Quamobrem tædiosum esset, ipsis pro ejusmodi ærumnas non exequi, ac duos solum à doloribus liberandi se modos norunt huic insaniæ magis adducti: ut aut occupent aut occumbant. *Declamat. 27.*

Alciphron: Velocissimus est amor & veniendo & avolando ô rex sperans volat, & desperatis rebus mox alas solet dimittere, postquam animum despondit. Propterea etjam præcipuum hoc est meretricum sophisma, ut semper procrastinatâ præsentis temporis fruitione, spe injecta, vincant amatores. Erga vos autem nulla datur procrastinandi facultas. Itaque in metu est satietas. Oportet igitur nos partim facere, partim mollescere, partim cœnas instruere, partim tibi domum ornare. Reliqua verò, quæ quomodolibet aliter interposita officia statim finiuntur, ut accendantur intervallis, captu faciliores ipsorum animi, dum metuunt, ne rursus aliud fortunæ præsentis impedimentũ accidat. Hæc igitur ô rex erga scortatores possim forsitan observare ac machinari. Erga te verò, qui jam ita me complecteris, ut etjam ostendas me, & apud alias meretrices jactites, me omnibus præcellere, ita mihi charæ Musæ faveant, ut ego non possim tergiversari aut aliquid fingere. Non adeo sunt lapidea, ut permissis omnibus etjam animo meo ad placendum, exiguam impendisse me existimem. *Lamia Demetrio regi. Epist. 1. sectionis 2.*

Alciphron: Si quid potes auxilij ferre, mihi dicas, non aliis meas res enuncians: sin nihil potes juvare, sis mihi nunc Areopagita taciturnior. Ego vero quomodocunque tibi mea narrem, amor subindicens, non sinit me à ratione gubernari, sed moderatio semper ab affectu submergitur. Etenim nescio quomodo in piscatorem infœlicem, qui vix necessarium victum comparare potest, amor, & urendo non remittit, sed prorsus quemadmodum divites & formosi adolescentes, ardeo, & qui aliquando ridebam eos, qui delitiarum affectibus servirent, nunc affectu plenus sum totus. Jam nuptias expeto, & Hymenæum cogito de filia Terpsichores. Est autem puella amori apta, una ex his quæ ex Hermone nescio quomodo in Pireum evasep

perſuaſo, quaſi empto: Pauper gratiam habet, ut miſerationem adeptus. Ille gloriatus & prædicat rem geſtam: Pauper ſilentio involuit. Rurſum ſplendidus factum acceptum refert facultati ſuæ potentiæ: Pauper dantis benignitati. Locuples nuncium mittit adulatorem & paraſitum atque coquum, & omnino aliquos de menſa: Pauper ſemetipſum, ut ne in hoc quidem honor abſit ab eo, quod ipſe rem gerit ac adminiſtrat per ſe. Locuples cùm dedit ſtatim coarguitur. Res enim emanat per multitudinem eorum qui conſcientiam facti habent, ſic ut neque propinqui, neque peregrini viatores, qui advenerunt, factum ignorent. Qui paupere amico utitur, ferè ſolet latere. Neque enim in rogatione ineſt amplitudo, & alienorum vulgationem reformidans atque metuens ne ſe potentiores efficiantur rivales, quippe cùm res ſit facilima, non prodit ſuam fœlicitatem ſed occultat. Pauper denique prorſus amans aliquis perſeverare atq; adeſſe ægrotanti poteſt ſimul vigilias perferre, unà in militiam egredi, ſuo corpore miſſum telum excipere, pro te vitam amittere. His rebus omnibus dives ſum. *Epiſt.* 44.

Idem: Si pecuniis indiges, pauper ſum, ſi amicitia & candidis moribus, dives ſum. Mihi verò non tam gravis eſt egeſtas, quid tibi turpis amor precio conductus. Meretricis enim munus eſt admittere eos qui Sariſas & Scatbas habent, ut è veſtigio numerari poſſint. Uxoris verò ingenuæ, ſemper ad optimum intentum animum habere, & probum amore ac benevolentia proſequi. Impera ut libitum eſt tibi, dicto ſum audiens: navigare jube, conſcendo: plagas accipere, patior: animam profundere, non recuſo, per ignem curſu ferri, non abjicio. Quis hæc dives facit *Epiſt.* 45.

Philoſtratus: Quodnam hoc novum eſt Androlepſium? Quæ Tyrannis: Ducis me aſpectu, & trahis nolentem, quemadmodum navigantes Charybdis abſorbuit. Erant equidem & amoris ſaxa oculorum venti, quib. ſi quis ſemel implicatus ſit, demergitur. Hoc igitur ne Charybdis quidem potuit. Definitum illud naufragium, & ſi quis pauliſper ſuſtineat, ſalutis copiam adipiſcitur, arbore reperta in medio pelago. Qui verò in hoc mare ſemel delatus eſt huic exitus in poſterum non patet. *Epiſt.* 49

Procopius Sophiſta: Si enim cunctatione magis incendi nobis amorem exiſtimas, probè ſcitò jam ad ſummum perveniſſe, neq; quicquam addi poſſe. *Epiſt.* 18.

Simocatta: Illudunt hominibus amores, & inſervitutem redigũt, eos qui ſub Luna ſunt, filij alati, ut etjam pictoribus fidem aliquam habeamus. Utinam enim videre hoſtem liceret. Sic enim jaculãtes jaculis conficerentur amores. Sed hoc ipſo plùs injuriæ patimur, quod ignoravimus hoſtes, cujuſmodi natura prædíti eſſent. Quali enim affectui ab ratione abhorrenti ſum implicatus: Melampen Diodori prolẽ miſerè depereo, ne ſomno quidem unquam mulierculam conſpicatus, ſed duntaxat audiens ab aliquo, eã mirabiliter & excellenter canere. Et animo ſum læſus, cù nullã oculis vim aut injuriam ſenſerim, quod ſolet accidere Lyſiſtrate. Nunc verò mihi ſunt oculi & aures. Tantũ vis amorũ potuit. Sive igitur eſt furia, ſpectaculum ignoro, ſive quædã eſt imaginatio, quod dictũ eſt, neſcio. Nõ enim ſufficit unus teſtis ad veritatem confirmandã. Attamẽ animo dolorẽ percipio, & quam non vidi ejus amore teneor, ac Panico furore mihi correptus videor. Etiam illud non ſub oculos cadebat quod deſiderabatur, & opinio ſola deſideratorum habuit ſubſtantiam. *Epiſt* 36.

Simocatta: Non potes Thetidem ſimul & Galateam amare. Neq; enim pugnat deſiderium. Nam amores non dividuntur, ſed neq; duplicem amorem attuleris. Quemadmodum enim terra duobus ſolibus calefieri non poteſt. Sic unus animus, duos ignes amatorios non ſuſtinet. *Epiſt.* 39.

Simocatta: Admodum infeſti ſunt nobis amores. Ego quidem amo. At illã quam amo, me odio proſequitur, & quid faciam miſerrimus. Non habent amores æquabilem trutinam. Impares mortalibus lachrymas ponderant. Si igitur faciunt injuriam, dii ne vocentur. Sin appellationem non fallunt, rectè & ex æquo judicent. Et mihi dolores ad juſtitiæ juriſq; normam partiantur. *Epiſt.* 45.

Simocatta: Ne me accuſes convitiorum & injuriæ. Amantes enim ſuavitatem atq; oblectationes adferunt, & plagis atque cicatricibus perſæpè formoſi efficiuntur. Sin indignè fers injuriam, nerosas quidem decerpes cùm ſpinam metuas. *Epiſt.* 48.

Simocatta: Nihil ab hominibus ita colitur, neq; verò quicquam ſatietati propinquius eſt quam amatorius affectus. Ubi tibi lachrymarum fluenta, quæ noſtris pedibus alluebant? Quò tibi avolarunt infinita genera ſermonum illorum verborumq; ſubmiſſio & ſupplicatio? Equidẽ opinor, neq; eos qui pecuniam mutuò ſumũt ejuſmodi verbis uti apud creditores, neq; vulneratũ, ſi manibus hoſtium ſit captus. Illa diligens vigilia præteriit. Matutinas cantiones reliquiſti. Deſeruiſti innumerabiles petitiones, fœdera, juramenta, quæ mihi per internuncias fœminas detuliſti. At aliam repentè virginem decidiſti quemadmodum dormientes immediatè ab alia ſomniorum materia ad aliã tranſgrediũtur. Laudo pictores. Alatos enim pingũt amores & atterẽ exprimunt, & figmẽtis portendunt veritatẽ. *Ep.* 54.

Simocatta: Si amas, ne deformitatem in Amaſia reprehendas. Nõ enim poteſt nõ cæcutire animus amore captus, quoniam invicta eſt amantium affectio. Sin non amas, quid lachrymaris & ingemiſcis, atq; tibi metipſi ſpontaneam tempeſtatem accerſis. Injuriam igitur facis utroque modo, nunc ut amator concupiſcens, nunc ut inimicus execrans ac deteſtans. *Epiſt.* 57.

Simocatta: Niſi Venereis voluptatibus non injucundam ſanitatem natura admiſcuiſſet, mas à muliebri genere in ſervitutem redigeretur Teleſilla. Ne igitur altum ſapias meretricula. Veneris flamma mihi abſterſa eſt. Non enim immortales dolores amorum jacula efficiunt. *Epiſtola* 72.

Simocatta: Amatoriis retibus non captus es Soſipater, florentem amans. Peritorum oculorum eſt indicium, amare juvenẽ ac formoſam puellã. Ne ingemiſcas victus pulcritudine. Majorẽ enim laboribus fructum reportabis. Amatoria lacryma ſuavis eſt. Etenim cum voluptate moleſtia permiſta eſt, & oblectant dolorem inferendo amores. Varijs enim affectibus Ceſtus Veneris inſculptus eſt. *Epiſt.* 84.

Hierocles: Quem quis diligit, imitatur etiam quantum poteſt. *cap. 1. carm. Pyth.*

Themiſtius: Honeſtum eſt eũ amare viciſſim qui ametur. *Orat.* 16.

Heliodorus: Virgo erexit ſeſe, & poſtquam reſpexit, rurſum deorſum inclinavit; inuſitato coloris conſpectu, & prædonum armatorum ſpecie, ne minimum quidem perterrita, ad curationem jacentis amaſii totam ſeſe componens: Quippe deſiderium vehemens & ſincerus amor omnia quæ extrinſecus adveniunt moleſta aut jucunda deſpicit: in unum verò id quod egregiè animo carum eſt intueri & in eo totum animum atque omnem curam ponere cogit. *libro* 1. *Æthiopicorum.*

Idem: Virginem intuentes prædones, eaſq; formidines quæ in illam irruebant, non ſecus ac ſi nullæ eſſent, contemnentẽ, totam verò in vulnera adoleſcentis intentam, & illius dolorem perinde ac ſuum graviter moleſteq; ferentem cùm hujus pulcritudinem, & magnitudinẽ animi mirabantur, tum ſaucij aſpectu, percellebantur. *eod. li.* 1.

Heliodorus: Theagenes quidem præ ſe ferebat convivatoris lætitiam, & ſeipſum cogebat, ut humaniter ac feſtivè tractare præſentes videretur: cæterum à me deprehendebatur quorſum animo tenderet, cùm jam oculos verſaret, lamq; vehementius & ſine ulla cauſã ingemiſceret, nunc triſtis eſſet ac veluti cogitabundus; mòx vultum hilariorem ſumeret, tanquam ſibi conſcius, & ſeipſum revocans; deniq; in omnem mutationem facilè delaberetur. Mens enim amantis perinde atq; ebrij flexibilis eſt, & quæ nulla certa ſede manere queat; tanquam animo utriſq; in humido affectu fluctuante. Proinde & in ebrietatem amans & in amorem ebrius proclivis eſt. Poſtea verò quàm oſcitatione mœrenti & anxia plenus apparebat, jam & cæteris qui aderant præſentes, manifeſtum erat quod non rectè valeret. *lib. Æthiopicor. tertio.*

Heliodorus: An nõ etiam ipſi puellæ notum eſt affectum eſſe animæ & morbum, amorem manifeſtum? An non vides quod illi oculi turgeſcunt, & aſpectus diſtortus eſt, & facie pallet, cor nõ accuſans? Adhæc animo errat, & quidvis oblatũ loquitur, & vigilias abſq; cauſa ſuſtinet: deniq; ſuccum corporis & juſtam amplitudinem ſubitò amiſit. Inquirendus eſt tibi, ſi modò fieri poſſit, aliquis qui illam ſanat. præſtiterit autem id cupitus ſolus. *lib.* 4. *Æthiop.*

Heliodorus: Ceterùm neſcio an aliquis Theagenis oculum in videnda Heraclia anteverterit. Velox eſt enim amans ad uidendum id cujus deſiderio tenetur. *lib.* 4. *Æthiop.*

Heliodorus: Cui perinde atq; mihi, aſpectus Charicliæ alas addere poſſit, & in ſublime rapere? An ne ſcis, quod Amorem etiam alatum faciunt pictores, agilitatem eorum qui eo detinentur, quaſi enigmate quodam, ſignificantes. *lib.* 4. *Æthiop.*

Heliodorus: A me omnia ſtudia ad unum dirigunrur ſcopum, ut Iſiadis imperata faciam. illi colo agrum, illius cauſa quæro & compara omnia, propter illam noctes dieſq; in ſomnes duco: nihil omnino recuſans quod mihi imperarit ſeu magnum ſeu parvũ fuerit, Iſias illa; quanquam nihil inde præter mulctam & laboris moleſtiam reportem. *Paulò poſt:* Sed mihi ad Iſiadem properandum, quæ me nũc forſitan acribus oculis circumſpicit, ne mihi aliquam offenſam in amore mora & cunctatio afferat. eſt autem nimis callida in accuſationibus etiam ſine cauſa & criminibus inſimulationibuſque contra me fingendis. *lib.* 6. *Æthiop.*

Heliodorus: Heraclia multis argumentis conjiciebãt Cnemonem non malè affectum eſſe erga Nauſiclis filiam. acer enim amans in deprehendendo eo qui ſimili affectui ſuccubuit. *libro ſexto, Æthiopicorum.*

Heliodorus: Sciebat Arſace quòd dolor ejus qui amatur, magis amantem quàm ſuus excruciat.

Mox idem: Hi quidem in horum conſideratione verſantes, & nunc lugentes, magiſque excruciari & anxium eſſe alterum alterius cauſa quam ſua affirmantes, &c. *lib.* 8. *Æthiop.*

Heliodorus: Amor ubi deſperat, amato nihil parcit & repulſam in vindictam convertere gaudet. *lib.* 8. *Æthiop.*

¶ Romanorum.

Petronius: Profuſis ego lachrymis rogo quæſoq; ut mecum quòq; redeat in gratiam. neq; enim in amantium eſſe poteſtate furioſam æmulationem daturum tamen operam, ne aut dicam aut faciam amplius quo poſſit offendi. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Sive ergo nobis vendis quod peto mercator paratus eſt; ſive quod humanius eſt, commodas, effice ut beneficiũ debeam. Nam quod ſervum te & humilem fateris; accendis deſideriũ æſtuantis. Quædam enim fœminæ ſortibus calent, nec libidinẽ concitant, niſi aut ſervos viderint, aut ſtatores altius cinctos. harena aliquas accendit, aut perfuſus pulvere multo, aut hiſtrio ſcenæ oſtentatione traductus. Ex hac nora domina eſt mea. uſq; ab orcheſtra quatuordecim tranſiit, & in extrema plebe quærit quod diligat. Itaq; oratione blandiſſima plenus, Rogo, inquam, nunquid illa quæ me

amat,

amat, tu es? Multum risit ancilla post tam frigidum schema: & Nolo, inquit, tibi tam valdè placeas: ego adhuc servo nunquam succubui: nec hoc Dei sinant ut amplexus meos in crucem mittam. Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur. Ego etiamsi ancilla sum, nunquam tamen nisi in equestribus sedeo. Mirari equidè tam discordem libidinem cœpi, atq; inter monstra numerare, quod ancilla haberet matronæ superbiam, & matrona ancillæ humilitatem.

Petronius Arbiter: Ergo Amor etiam Deos tangit? Iupiter in cœlo non invenit quod eligeret: & peccaturus in terris, nemini tamen injuriam fecit. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: O facinus, inquam, indignum quod amo te quamvis relictus, & in hoc pectore, cum vulnus ingens ruerit, cicatrix non est. *Post pauca:* Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit. *Deinde*: Sed nihil jam queror: nihil jam memini, si bona fide pœnitentiam emendas. *Satyrico.*

Calpurnius Flaccus: Numquid dicentium recti necessitatem qui aliquid amore fecerunt? *Controversia* 10.

Calpurnius Flaccus: Imparia sunt nobis in amore tormenta: primum quod amor velis nobis in senectute frigidior est. *Controversia* 36. *fine.*

Plinius Junior: Ejus pro salute, pro monibus, hoc sum magis anxius, quod unicus factus est. nosti in amore mollitiem animi mei, nosti metus; quo minus te mirari oportebit, quod plurimum timeã de quo plurimum spero. *lib.* 4. *Epist.* 21.

Plinius Junior: Vinci in amore turpissimum est. *lib.* 4 *Ep* 1.

Quintilianus: Cùm propter pecuniam ames, idem amoris & spei finis est. *Declamatione* 1 *§* 2.

Quintilianus: Exasperant necessitates, & in amore contentio semper accendit. *Declamat.* 14. *§.* 11. *pr.*

Idem: Is tutum in amore sanatur, qui quod desinit sibi debet. *ibid.*

Quintilianus: Amat, judices, amat, qui queritur quod non ametur. *Declamatione* 15 *pr*

Quintilianus: Amor sæpè egit in laqueos, in præcipitia compulit, cruciatusq; laborantis animæ vulneribus emisit. Quantum amori in hominem liceat, illi magis scient qui amant. *Decl.* 5 *§* 11.

Quintilianus: Amoris, (si sapientiæ sequamur autores) antiquissimum numen, & cui ex naturæ debet æternitas. Sed ille mitis & sobrius, honestis cupiditatibus & viribus sacræ charitatis exultans, ut qui cuncta priscæ noctis operta caligine diduxerit primum, deinde miscuerit. Hic verò quo perditis visceribus adhæremus inquieti, lascivientis adhuc ætatis instinctu tumultuosus ac petulans, telis funereis facibusq; armatus. Præstat igitur ille mortalibus liberos hac usitata conjugii pietate: hic incesta, ibidines, adulteria, meretrices. Referam nunc fabulosas immodici furoris prodigiosasq; novitates, cõceptum nescientibus oculis ignoti hominis aspectum. formam suis in se luminibus ardentem, virgines patrum senectute, flagrantes. mortalium ferarumq; vultus usq; ad monstrosæ fœcunditatis onera perlatos? Ex omnibus tamen quæ nobis patientibus extorquet affectus, hoc sævissimum patimur, quod nemo vult in amore sanari. *Declamatione* 15. *§.* 12.

Quintilianus: Miserabilis sis oportet, ut amator esse videaris. *Declamatione* 15 *§.* 10.

Quintilianus: Vix mehercule contingere potest, ut hilares ab hac impatientia sui quisq; discedant, quos pudor, quos satietas, quos pœnitentiæ ratio dimittit: nec sine aliquo morsu resilitur à malis quæ voluptate tenuerunt. Iterum materia amoris est, desinere nec queri. *Declamat.* 15. *§* 13. *f.*

Quintilianus: Sunt illi, quos in voluptates superfluẽtium facultatum mittit secura felicitas. improbius amant pauperes. tumultuabaris, admissus, moras, impedimenta ferre non poteras. maledicebas populo, convitiabaris intrantibus. *Decl.* 15 *§* 15 *f.*

Symmachus. Ubi amoris rudimenta præventa sunt; secundæ gratiæ locus est, ut augmenta poscantur. *lib.* 1. *Epist.* 61.

Symmachus: Paulò antè literas dederam: sed debitam tibi salutationem geminare non piguit. namq; amor, officiorum modum non tenet. *lib.* 2. *Epist.* 89.

Symmachus: Quamvis ultrò scripserim doloris mei adversa tenuari; abolendæ tamen sollicitudinis causa (quæ apud amantes semper incredula est) nunc quoq; nuncio, in concordiam mecum sanitatem redire. *lib.* 6 *Epist* 77.

¶ Poetarum Græcorum.

Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Perspice quam varias proles Saturnia formas
Sumpserit, insanæ Veneri dum laxat habenas.
Nunc avis efficitur, nunc serpens atq; maritus,
Nunc taurus nive candidior, nunc cycnus & aurum,
Et quascunq; jubet natus Cythereide formas
Arripit, ac pueri quamprimum jussa capessit.

D. Nazianzenus Carm. 4. de animæ calamit.

Ac velut arentem stipulam cùm tectus in imo
Devorat igniculum, protinus ipse micat:
Flamma quidem primo tenuis, mox tollitur ingens:
Sic mihi cum visus urerer ossa decor,
Protinus exeruit sese, cunctisq; refulsit,
Vt qui celari non potis esset, amor.

Luciani Amor Fugitivus.

Amissum Venus inclamabat saucia natum,
Ecquis mi in triviis errantem vidit Amorem?
Ille fugax meus est, dulce index munus habebit,
Basiolum Veneris, quòd si ipsum adduxeris, hospes,
Non tibi Basiolum simplex debebat amplius addam.
Plurima inest puero nota, qua dignoscere possis.
Non albus faciem, sed totus flammeus, acres
Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda,
Lingua animo dispar, suavis vox mollis ad instar.
Irato, mens intractabilis & fera fallax,
Versutus puer, & mendax, immania ludit.
Crispicomum caput est illi, faciesq; proterva,
Est q; pusillimanus, sed longè spicula mittit.
Mittit in ipsum Acheronta, & regem figit Averni.
Nudus membra volat passim, sed tecta latet mens.
Aliger instar avis, nunc hunc, nunc involat illum,
Fœmina masue siet, sedem ad præcordia figens.
Parvulus huic arcus, nervoq; aptata sagitta.
Parva sagitta quidem, sed qua æthera tendit ad usq;.
Parvula post tergum pharetra aurea; at intus amara
Sunt calami, quibus improbus & mesæpe lacessit.
Omnia sæva illi, sæva omnia, sævior illa
Parvula fax, ipsum solem qua sævus adurit.
Hunc tu si capies, vinctum duc, nec miserare.
Si flentem videas, ne decipiare cavето.
Sin ridet, tu stringe trahens. Si suavia porgat,
Tu fugito: oscula dira, & labra infecta veneno.
At si dicat, Habe hæc, Tibi cuncta hæc largior arma,
Ne attigeris. fallax donum, tincta omnia flammis.

Lucianus in amorem.

Mortales non lædit amor: mens crimen amori
Impingit sceleris luxuriosa sui.

Oppianus libr. 1. v. 377. Κυνηγετ.

Vere magis venerea curæ sunt opera
Ferisq;, & canibus, & perniciosis draconibus,
Aeriq; volucribus, & marinis piscibus.
Vere quidem bilioso serpens suffusus veneno
Propinquat cubile, juxta litus, marinæ uxoris.
Vere mare totum resonat Venere,
Et pisces nupturientes ferunt in tranquillitate (maris)
Vere etiam palumbes saliunt columbas:
Equi verò armentales in equas armantur:
Tauri autem, agrestes in vaccas ruunt
Et arietes flexuosi (cornibus) vere scandunt oves,
Et apri (dente) ignei incumbunt suibus,
Et hirci hirsutus inequitant capras:
Quinetiam ipsis hominibus vere magis (fervent) amores
—— Vere namq; publica ingruit venus.

Oppianus lib. 2. Κυνηγετ. v. 411.

Valde Amor quantus es! quãta est tua infinita potestas!
Quanta cogitas, quantum imperitas, quanta, Dive, ludis!
Terra est stabilis, telis autem tuis concutitur:
Inquies est mare, at tu etiam illud fixisti:
Penetrasti (te) usq; in cœlum, novitq; te magnus Olympus,
Pertimescat autem te omnia, & cœlum spatiosum superne,
Et quæcunq; infra terrã sunt, & seculatristia defunctorũ,
Qui Lethes quidem hauserũt ore miserias abolentẽ aquam,
Et evaserunt dolores omnes, te autem etiam formidant.
Tua autẽ potentia procul penetras quantũ nunquã aspicit,
Sol lucidus: Tuo deniq; igni etiam lumen solare concedit
Metuens, & Iovis una cedunt fulmina.
Tales, ô crudelis Dive, tenes ignitas sagittas,
Funestas, ardidas, rationis corruptrices furibundas,
Tubem spirantes, immedicabiles: quibus etiam ipsas
Feras perculisti ad non copulandos amores.

Oppianus lib. 4. v. 11. Αλιευτικ.

Perniciose Amor & fraudulẽte, Deor pulcerrime quidẽ o-
Ad intuendũ doloreficentissime vero cũ corperturbas (cultis
Illabens improvisus: sub pectus verò tanquam procella
Miseris: Efflas autem ignis acerbam vim,
Æstuans doloribus & inæstimabilibus furoribus:
Lacrumas aũt tibi emittere profitesum gaudiũ est & audire
Ex uno ejulatum: sub visceribus autem calidum rabiem
Purpurare: Cutis verò mutatum florem abolere:
Oculosq; cavare, mentemq; omnem evertere
Furibundam. Multos verò & in mortem provolvisti,
Quibuscumq; impetuosus & efferatus occurristi,
Rabiem afferens. Talibus enim exultas epulis.
Sive tu aq; inter Deos antiquissimus es ortu,
Ex Chao autem emersisti informi, acuta face
Splendens: primus autem conjugiorum junxisti leges, (vel vincula)
Primus item cubicularibus à rationibus imposuisti finem.
Sive te etiam alis sublatum Deum volucrem
Peperit Paphi regina ingeniosa Venus,
Benevolens sis, mitis verò & serenus nobis veuias,
Mensurã ferens. Non enim quisquam recusat opus amoris.
Vbiq; quidem imperitas, ubiq; vero te etiam expetunt,
Et valde pertimescunt. Is verò beatus est qui amorem
Temperatum acceperit, & in præcordiis custodierit.
Tibi verò neq; cœlitum gens satis est, neq; genus
Humanum: non feras renuis, nec quæcunq; pascit

Aer immensus. Intimi verò sub latebras stagnâ
Mergeris. Expedis verò etiam in pisces fuscas
Sagittas: ut ne quicquam tuæ rudi atq; expers necessitatis
Relinquatur, ne quidem qui humida natat piscis.
Nonnus fine libr. 11. Dionysiac.
—— Iuvenis dulci stimulo mollit
Amore furiosus delectatur æquali puella:
Et interdum gratiosæ in candidos circulos frontis,
Interdum gravi ernis vagam vam capilli
Videt, interdum manum rosei coloris, interdum mitræ
Revinctam roseæ circulum manillæ intuetur,
Cervicem contrectans nudam, circa verò formam
Delectatur, huc & illuc volvens inexplebile vultum,
Neq; relinquere vult unquam virginem.

¶ Portarum Latinorum.

Plautus Amphitr. 1. sc. 3.
— Ex amore hic admodum quam sævus est.
Plautus Amphitr. 3. sc. 4. v. 12.
Amat? sapit, rectè facit animo quando obsequitur suo,
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Plautus Asinariæ 1. sc. 3.
Unum quod'q; istorum verbum, nummis philippis aureis
Non potest auferre hinc à me, si quis emptor venerit.
Nec rectè quæ tu in nos dicis, aurum atq; argentum merum
Fixus hic apud nos est animus tuus clavo cupidinis. (est.
Remigio veloq; quantum poteris festina & fuge,
Quàm magis te in altum capesis, tam æstus te in portum refert.
Plautus Asinariæ 3. sc. 3. v. 26.
O Libanie, ut miser est homo qui amat! L. Imò hercle verò
Qui pendet multo est miserior.
Plautus Bacchid. 4. sc. 4. v. 85.
—— Celerem oportet esse amatorem manum.
Atq; idem hercle est ad perdendum magis quam ad scribendum citius.
Plautus Bacchid. 5. sc. 2. vers. 52.
Nisi abeas, quantum tu bellua es, malum tibi magnum dabo.
B. patiar:
Non metuo, ne quid me doleat quod ferias. N. ut blandiloqua est.
Plautus Casinæ 2. sc. 3. pr.
Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire:
Neq; potest quicquam commemorari, quod plus salis, plusq; leporis hodie
Habeat. cocos equidem nimis demiror, qui utuntur condimentis.
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præstat
Nam'q; ubi amor cõdimentũ inerit, cui vis placiturũ credo.
Neq; salsum, neq; suave esse potest quidquam, ubi amor non admiscetur.
Fel quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi lepidum & lenem.
Hanc ego de me conjecturã facio domi, magis quã ex auditis
Qui postquam amo Casinam, magis intio mundi tiis munditiam anteo.
Myropolas omnes sollicito. ubicumque est lepidum unguentum ungor,
Vt illi placeam. & placeo, ut videor.
Plautus Casinæ 3. sc. 1. 14.
Fac habeant linguam tuæ ædes, A. quid ita? S. cùm veniam, vocent.
A. Attate! cadundut tu homo es, nimias delicias facis.
S. Quid me amare refert, nisi sim doctus & dicax nimis?
Ibidem Scena 3. p.
Stultitia magna est, mea quidem sententia
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem cui quod amet in mundo siet.
Sicut ego feci stultus: contrivi diem
Dum astò advocatus cuidam cognato meo.
Plautus Cistellariæ 1. sc. 1. v. 74.
Perfidiosus est amor. S. ergo in me peculatum facit.
G. Bono animo es: erit isti morbo melius. S. confidam fore
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
G. Veniet. S. Spissum istud amanti est verbum, veniet; nisi venit.
Plautus Cistellariæ 1. sc. 3. v. 41.
Adolescens hic est Sicyoni, ei vivit pater,
Is amore projectitiam illam deperit,
Et illa hunc contra: qui est amor suavissimus.
Plautus Cistellar. 2. sc. 1. pr.
Credo ego amorem primum apud homines carnificinam cõmentum.
Etiane ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero atq; antideo cruciabilitatibus animi.
Tractor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullâ meti
Animi habeo, ubi sum, ibi nõ sum, ubi nõ sum ibi est animus;
Ita mihi omnia ingenia sunt quod lubet, non lubet jam id continuò.
Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur, quod dat, non dat, deludit.
Modò quod suasit dissuasit: quod dissuasit, id ostentat.
Maritimis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem.
Animum: neq; nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito Pernicies. ita pater apud villam detinuit me bos dies sex
Ruri continuos, neq; licitum interea est meam amicã visere.
Est ne hoc miserum memoratu?
Plautus Cistellariæ 3. sc. 1. v. 13.
—— O salute mea salus salubrior,
Tu nunc, sive ego volo seu nolo, sola me ut vivam.
Plautus Curcul. 1. sc. 1. v. 1.
Quo tete hoc noctis dicam proficisci foras,
Cum istoc ornatu, cumq; hac pompa, Phædrome?
P. Quo Venus Cupidoq; imperat, suadetque Amor.
Si media nox est, sive est prima vespera,
Si stat us condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quo imperant, ingratiq;.
Plautus Curcul. 1. sc. 2. v. 46.
— Sed quid est? quid lubet perditum
Dicere te esse P. quæ id quod amo careo.
A. Phædrome mi ne plora, amabo: tu me
Curato ne sitiam, ego tibi quod ames jam huc adducam.
Mox versu 53.
— Edepol qui amat, si eget, misera afficitur
Ærumna.
Idem 1. sc. 3. v. 8: (meum.
Adsum. nam si absim, haud recusem quin mihi malesit, mel
P. Anime mi procul quidem amantem abesse, haud consentaneum est.
Postea versu 14.
Ipsus se excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum licet.
P. Rectè objurgas. sanè haud quidquam est magis quod cupiam tamdiu.
PL. Tene me, amplectere ergo. P. hoc etiam est, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior. P L. prohibet, nec prohibere quit,
Nec prohibebit, nisi mori meum animum ubi te alienaverit.
P A. Enim vero nequeo durare quin ego herum accusem meum. (est.
Nam bonum est, pauxillum amare sanè, insanè non bonum
Verum totum insanũ amore. hoc est quod meus herus facit.
P. Sibi sua habeant regna reges sibi divitias divites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia.
Dum mihi absint invidere sibi quisque habeant quod
Deinde versu 26. (suum est.
— Quin tu is dormitum? P. dormio, ne occlamites.
P A. Tu quidem vigilas. P. At meo more dormio. hic somnus est mihi.
P A. Heus tu mulier! male mereri de immerente insciti est.
PL. Irascare, si te edentem hic à cibo abigat. P A. licet.
Pariter hos perire amando vicio: uterq; insaniunt.
Viden' ut misere moliuntur, nec queunt complecti satis?
Etiam dispertimini. PL. nulli est homini perpetuũ bonum.
Iam huic voluptati hoc adjunctum est odium.
Mox versu 44.
Hoccine fieri, ut immodestis te hic moderere moribus?
P. Auro cõtra cedo modestũ amatorem: à me aurum accipe.
Plautus Curcul. 1. sc. 1. v. 49.
Malus clandestinus est amor; damnum est merum.
P. Est hercle ità ut dicis.
Plautus Mercat. prologo v. 3;
Non ego item facio, ut alios in comœdiis
Vidi facere amantes; qui aut nocte aut die,
Aut soli, aut lunâ miserias narrant suas.
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Eodem. versu 18
Amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia,
Hæc non illum modo qui amat. sed quemquem attigit,
Magnò atque solido multat infortunio.
Nec pol profectò quisquam sine grandi malo
Præquam res patitur, studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minùs;
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, stultitiaque adeò & temeritas,
Incogitantia excors, immodestia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia:
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia, & dispendium.

Multæ

Multiloquium, pauciloquium. hoc ideo fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec sunt usui, hæc
Amator profert sæpè ad verso tempore.
Hoc pauciloquium rursum ideirco prædico,
Quia nullus unquam amator adeo est callidè
Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.
Nunc vos mihi irasci ob multiloquium non decet.
Eodem quo amorem Venus hoc mihi legavit die.

Plautus Mercat. 2. sc. 1. v. 38.

Eam ego postquam adspexi, non ita amo ut sani solent
Homines, sed eo pacto ut insani solent.
Amavi hercle equidem ego olim in adolescentia:
Verum ut ad hoc exemplum nunquam ut nunc insanio.
Unum quidem hercle jam scio, periisse me.
Vosmet videte ceterum quanti siem.

Plautus Mercat. 2. sc. 2. v. 42.

Si unquam vidisti pictum amatorem. hem illic est.
Nam meo quidem animo, vetulus, decrepitus senex,
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.
D. Nunc tu me credo castigare cogitas.
L. Ego te? D. nihil est jam quod tu mihi succenseas.
Fecere tale antè alii spectati viri.
Humanum amare est, humanum autem agnoscere est.
Nescis? ne objurga. huc non voluntas me impulit.
L. Quin non objurgo. D. at ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. L. ego ne te? ah ne Dii sirerint.
D Videsis modo etiam. L. visum est. D certen? L. perdis me.
Hic homo ex amore insanit.

Plautus Mercat. 2. sc. 3. v. 46.

Iam non vereor, ne illam me amare hic potuerit resciscere,
Quippe haud etiam quidquā ineptè feci, amantes ut solent.

Plautus Mercat. 3. sc. 4. p.

Sumne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum foris est animus: si foris sum: animus domi est
Ita mihi in pectore atq; corde facit amor incendium.
Ni oculos lacrymæ defendant, jam ardeat credo caput.
Spem teneo, salutem amisi; tedeat an non nescio.
Si opprimit pater, quod dixit, exulatum abiit salus;
Sin sodalis quod promisit, fecit, non abiit salus.

Plautus Mercatore 3. sc. 4. v. 69.

Cedo, si hac urbe abis, amorem te hic relicturum putas?
Si id fore ita, si id animo acceptū est, certū id pcerto si habes,
Quanto te satius est rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere,
Adeo cum illius te cupiditas atq; amor missum facit?

Plautus Mercatore 4. sc. 4. p.

Agite, ite actutum. nam mihi amatori seni
Coquenda est cœna. atq; equidem cum recogito,
Nobis coquenda est, non cui conducti sumus.
Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo,
Videre, amplecti, osculari, alloqui.

Plautus Mercatore 5. sc. 2. v. 13.

—— O Cupido quantus es!
Nam tu quem vis confidentem facile tuis factis facis.
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo.

Plautus Mercatore 5. sc. 2. v. 74.

Sed quin introducis me ad eam, ut videā. E. paulisper mane
C. Quid manebo? E. tempus non est introeundi. C. enecas
E. Non opus est inquam nunc intro te ire. C. respondē mihi
Qua causa? E. operæ nō est C. cur? E. quia non est ei commodū.
C. Itane? commodum illi non est, quæ me amat? quam ego contra amo?

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 44.

Nam qui ipse haud amavit ægrè amantis ingenium inspicit.
Et ego amoris aliquantum habeo? humorisque meo etiam in pectore:
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptariis.

Plautus Milite 4. sc. 2. v. 59.

Quid nunc tibi vis mulier? memora. M. ut quæ te cupit, eam nespernas.
Quæ per tuam nunc vitam vivit: sit, nec ne sit, spes in uno est.

Plautus Milite 4. sc. 6. v. 24.

Si pol me ducere volet uxorem, genua amplectar,
Atq; obsecrabo aliquo modo si non quibo impetrare,
Consciscam lethum, vivere sine illo scio me non posse.

Plautus Milite 4. sc. 7.

Si alium alio pacto propter amorem nesciam
Fecisse multa nequiter, verear magis
Me amoris causa istoc ornatu incedere.
Verum cum multos multa admisisse acceperim,
Inhonestum propter amorem, atq; alienum a bonis.
Mitto jam, ut occidit Achilles, quid passus est?

Plautus Mostellar. 1. sc. 3. v. 147.

Tu me amas, ego te amo, merito id fieri uterque existimat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.
P. Qui invidēt, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.

Plautus Persa 1. sc. 1. v. 1.

Qui amans egens ingressus est princeps in amoris viam,
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis.
Nam cum Leone, & cum Excetra, cum cervo, cum Apri Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo delectari mavelim,
Quam cum amore. ita fio miser quærendo argento mutuo;
Nec quidquam, nisi NON EST, sciunt mihi respondere, quos rogo.

Plautus Persa 1. sc. 1. v. 24.

Ergo edepol palles. T. saucius factus sum in Veneris prælio,
Sagitta Cupido cor meum transfixit. S. jam servi hic amant?
T. Quid ergo faciam? Deis ne adverser quasi Titani,
Cum Deis belligerem: quibus satis esse non queam.

Eodem v. 50.

—— Ah odio me enecas,
T. Amoris vitio, non meo, nunc, tibi morologus fio.

Plautus Persa 2. sc. 1. v. 10.

—— Miser est qui amat.
S. Certò is quidem nihili est, qui nihil amat. quid ei homini opus vita est?

Plautus Pœnulo 1. sc. 1. v. 96.

Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam potest.

Plautus Pœnulo 4. sc. 1. v. 3.

Is me autem porro verberat, incursat pugnis calcibus.
Servire amanti miseria est, præsertim qui quod amat, careat.

Plautus Pœnulo 1: sc. 3. v. 38.

Ibo, atq; accersam testes, quando amor jubet
Meo me obedientem esse servo liberum.

Idem 3. sc. 1. pr.

Ita me Dij ament, tardo amico nil est quidquam iniquius:
Præsertim homini amanti, qui quidquid agit, properat omnia.

Plautus Trinummo 1. sc. 2. v. 91.

Edepol fidei adolescentem mandatum malæ!
Dedisti'ne hoc pacto ei gladium qui se occideret?
Quid secus est, aut quid interest dare te in manus
Argentum amanti homini adolescenti, animi impoti,
Quei exædificaret inchoatam ignāviam
C. Non ego ei argentum redderem? M. non redderes,
Neq; de illo quidquam neq; emeres, neq; venderes,
Nec quei deterior esset, faceres copiam.
Inconciliasti'ne eum qui mandatus est tibi?

Plautus Trinummo 2. sc. 1. v. 25.

Cum meo animo ut recolo, ubi qui eget, quām pretij sit patri, apagete
Amor, non places: nihil te utor, quanquam illud est dulce, esse & bibere.
Amor amara dat tibi satis quod ægrè sit, fugit forum, fugit suos.
Cognatos, fugat ipse se à suo conspectu.
Neq; enim eum sibi amicum volunt dici, mille modis amor ignorandus est,
Procul abhibendus est, atq; abstinendus. apagesis amor!
Res tuas tibi habe, amor, amicus mihi ne tuas unquā. sunt tamen
Quos miseros malosq; habeas, quos tibi obnoxios feci'sti.
Certum est ad frugem applicare animum, quamquam ibi animo
Labor grandis capitur. Boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam. hoc probis pretium est. eo mihi magis lubet
Cum probis potius quam cum improbis vivere vanidicis.

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 29.

Omnia ego istæc, quæ tu dixisti, scio, vel exsigna vero,
Vt rem patriam, & gloriam majorum fœdarim meum,
Sciebam ut esse me deceret, facere non quibam miser,
Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi.
Et tibi nunc. proinde ut mereris, summas habeo gratias.
LI. At operam perire meam sic, & te hæc dicta spernere,
Perpeti nequeo: simul me piget, parum pudere te.
Et postremo, nisi me auscultas, atq; hoc ut dico facis,
Tute pone te latebis facilè, ne inveniat te honor.
In occulto jacebis. cùm te maximè clarum voles.
Per novi equidem Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse. atque ipse amoris teneo omnes vias.

Trinummo 3. sc. 2. v. 4. 1.

Ita est Amor balista ut jacitur, nihil sic celere est, neque volat.
Atq; is mores hominum moros & morosos efficit. (cet.
Minus placet, magis quod suadetur, quod dissuadetur placet.
Cum inopia est, cupias, quando ejus copia est, tum non velis.

Ille

Ille qui aſſellit, is compellit, ille qui conſuadet, vetat.
Inſanum eſt malum in hoſpitium devorti ad Cupidinem.
Plautus Truculen. 1. ſc. 1. v. 55.
Poſtremò in magno populo, in multis hominibus.
Replacida atq; otioſa, victis hoſtibus,
Amare oportet omnes, qui quod dent habent.
Plautus Trucul. 1. ſc. 2. v. 85.
Eſt hic intus nunc Phronеſium? A. tibi quidem intus eſt.
D. valet'ne? A. imò edepol melius fore credo, ubi te vidēbit.
D. Hoc nobis vitium maximum eſt: cùm amamus, tum perimus.
Si illud quod volumus dicitur, palam cùm mentiuntur,
Veram eſſe inſciti credimus. velut in æſtu mutuamur ira.
A. Eja, haud ita res eſt. D. ain tu te me amare? A. imò unicè unum.
Plautus Trucul. 2. ſc. 7. v. 2.
—— Satine qui amat, nequit, quin nihili
Sit, atque improbis ſeſe artibus expoliat? nam hoc qui ſciam, ne quis
Id quærit ex me, domi eſt qui facit improba facta amator,
Qui bona ſua proſtercore habet: foràs jubet ferri, metuit
Publicos: mundiſſimus eſt, puras ſibi eſſe vult ædes,
Domi quidquid habet, verritur: ἔξω.
Terentius Adelph. 4. ſc. 5.
—— Æſchine audivi omnia
Et ſcio. nam amo te, quo magis quæ agis curæ ſunt mihi.
Terentius Andria. 1. ſc. 1.
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa: ut conſuetum facile amorem cerneres.
Rejecit ſe in eum flens quam familiariter.
Terentius Andriæ 2. ſc. 1.
Quæſo edepol Charine, quoniam id fieri quod vis non poteſt,
Velis id quod poſſit. CH. nil aliud niſi Philumelam volo.
BY. Ah quanto ſatius eſt id operam te dare,
Iſtum qui amorem ex animo amoveas. quam id loqui,
Quo magè libido fruſtra incendatur tua,
CH. Facile omnes cùm valemus recta ægrotis conſilia damus:
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.
Terentius Andriæ, 5. ſc. 6.
—— num ille ſomniat
Ea quæ vigilans voluit?
Terentius Eunuchi 1. ſc. 1.
In amore omnia hæc inſunt vitia, injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum. Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogites:
Ego ne illam quæ illum? quæ me? quæ non? ſine modò,
Mori me malim! ſentiet qui vir ſiem!
Hæc verba me hercle una falſa lacrimula,
Quam oculos terendo miſere vix expreſſerit,
Reſtinguet, & te ultro accuſabit, & ei dabis
Vltro ſupplicium. PH. indignum facinus, nunc ego
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio.
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens
Vivus videnſq; pereo, nec quid agam ſcio.
PA. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas
Minimo. ſi nequeas paullulo, at quanti queas
Et ne te affligas. PH. ita ne ſuades? PA. ſi ſapis,
Neq; præterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas: & illas quas habet rectè feras.
Terentius Eunuchi 2. ſc. 1.
Dii boni! quid hoc morbi eſt? adeon homines immutarier
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeverus quiſquam, nec magis continens.
Terentius Eunuchi. 2. ſc. 3.
—— quid tu es triſtis? quid ve alacer?
Vnde is? CH. ego hercle neſcio, neq; unde eam, neque quorſum eam,
Ita prorſum oblitus ſum mei.
PA. Quæi quæſo? CH. amo.
Terentius Eunuchi. 2. ſc. 3.
O fortunatum iſtum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum.
PA. Quid ita? CH. rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi
Videbit, colloquetur, aderit unà in unis ædibus,
Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.
Idem 3. ſc. 5.
Pro eunucho eo deduci? quid tandem ex ea re ut caperes commodi?
CH. Rogas? viderem, audirem eſſem una, quæ cum cupiebam Antipho.
Num parva cauſa, aut parva ratio eſt?
Terentius Eunuchi. 4. ſc. 2.
Occepi mecum cogitare, hem! biduum hîc
Manendum eſt ſoli ſine illa? quid tum poſtea?
Nihil eſt. quid? nihil? ſi non tangendi copia eſt,
Eho, ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltem hoc licebit. certè extrema linea
Amare haud nihil eſt.
Terentius Eunuchi. 5. ſc. 9.
—— Perii! quanti ſpei eſt minus, tanto magis amo.
Terentius H. autontim. 2. ſc. 2.
—— mulier tibi adeſt. an diu Clinia?
CL. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo Clitipho.
Terentius Hecyræ. 4. ſc. 1.
Audiſti ex aliquo fortaſſe, qui videſſe eum diceret
Exeuntem aut introeuntem ad amicam? quid dum poſtea?
Si modeſtè ac raro hoc fecit? nonne ea diſſimulare nos
Magis humanum eſt quam dare operam id ſcire, quei nos oderit?
Nam ſi is poſſet ab ea ſeſe repente avellere
Qui cum tot conſueſſet annos, non eum hominem duceremus
Nec virum ſatis firmum gnatæ.
Terentius Phorm. 1. ſc. 3.
Aliis, quia deſit quod amant, ægrè eſt: tibi, quia ſupereſt, dolet.
Amore abundas. Antipho.
Nam tua quidem hercle certè vita hac expetenda, optandaq; eſt.
Ita me Dii bene ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo frui.
Iam de paciſci mortem cupio. tu conjicito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex iſtac copia.
Virgilius Ecloga. 8.
Fallor'ne? anne qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?
Auſonius Epig. 90. ad Venerem.
Hanc amo, quæ me odit: contra hanc, quoniam me amat, odi
Compone inter nos, ſi potes, alma Venus.
Perfacile id faciam: mores mutabo & amores.
Oderit hæc, amet hæc. rurſus idem patiar.
Vis ambas ut ames? ſi diligat utraq; velim.
Hoc tibi tu præſta Marce, ut ameris ama.
Suaſiſti Venus, ecce, duas dyſeros ut amarem.
Odit utraq;: aliud da Dea conſilium,
Vince datis ambas. cupio, verum arcta domires.
Pellice promiſſis nulla fides inopi.
Atteſtare Deos. Nec fas mihi fallere Deos.
Pervigila ante fores. Nocte capi metuo.
Scribe elegos. nequeo, Muſarum & Apollinis expers
Frange fores. pœnas judicij metuo.
Stulte, ab amore mori pateris non vis ob amorem!
Malo miſer dici, quam miſer atq; reus.
Suaſi quod potui: tu alios modo conſule. Dic quos?
Quod ſibi ſuaſerunt Phædra & Eliſa, dabunt;
Quod Canace Phyllisq; & faſtidita Phaoni.
Hoc das conſilium? tale datur miſeris.
Auſonius Epigr. 77.
Sit mihi talis amica velim:
Iurgia quæ temerè incipiat,
Nec ſtudeat quaſi cuſta loqui.
Pulcra; procax petulante manu,
Verbera quæ ferat, & regerat
Caſaq; ad oſcula confugiat.
Nam niſi moribus his fuerit,
Caſta, modeſta, pudenter agens,
Dicere abominor, uxor erit.
Idem Epigr. 78. ad Cupidinem.
Hoc quod amare vocant, miſce, aut diſſolve Cupido
Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.
Idem Epig. 79. ad Dionem.
Aut reſtingue ignem quo torreor, alma Dione,
Aut tranſire jube: vel face utrumq; pacem.
Auſonius Epigr. 38.
Hanc volo, quæ non vult, illam quæ vult, ego nolo.
Vincere vult animos non ſatiare Venus.
Oblatas ſperno illecebras, detrecto negatas,
Nec ſatiare animum, nec cruciare volo.
Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere:
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.
Callida ſed media Veneris mihi vendiret artem
Femina, quæ jungat quod volo nolo vocet.
Claudianus de paupere amante.
Paupertas me ſæva domat, diruſq; Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

De eodem idem.

Esuriens pauper telis incendor Amoris.
Inter utrumq; malum deligo pauperiem.

Claudianus de Magnete. v. 22.

Mavors sanguinea quæ cuspide verberat urbes,
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: sed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more sacerdos,
Ducit flamma choros: festa frondentia myrto
Limina cinguntur, roseisq; cubilia surgunt
Floribus, & thalos dotalis purpura velat.
Hèic mirum consurgit opus: Cytherea maritum
Sponte rapit cœliq; toros imitata priores
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum suspendit onus, galeaq; lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.
Ille lacessitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemmæ de conjuge modis.
Pronuba fit natura Deis, ferrumque maritat
Aura tenax, subitis sociantur Numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhelo silex, & amicam saucia sentit
Materiem, placidoq; chalybs agnoscit amores.
Sic Venus horrificum belli compescere regem,
Et vultum mollire solet, cùm sanguine præcepit
Æstuat, & strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, mollitq; tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igne.
Pax animo tranquilla datur, pugnasq; calentes
Deserit, & rutilas declinat ad oscula cristas.
Quæ tibi, sæve puer, non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen, cœloq; relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Iam gelidas rupes, vivoq; carentia sexu
Membra feris, jam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit, ferrumq; tenetur
Illecebris: rigido regnant in marmore flammæ.

¶ Emblematvm.

Hadr. Junius Emblemate 40.

Hinc tædam ut suus ignis edat teretem, vide
Illinc ut rapido male liquitur à rogo.
Visa tabet amans miser igne puellula:
Absens tabifico haud minus ulcere carpitur.

Had. Junius Emblemate 47.

Quid, Cerne, Cressa fixus arundine
Laxas habenas præcipiti fuga?
Hæc sors amantis, quem fuga concitat:
Mentem intus exest vulnus atrox nimis.

Incerti auctoris subscriptum statuæ cupidinis.

Sol ealet igne meo: flagrat Neptunus in undis.
Pensa dedi Alcidæ: Bacchum servire coegi
Quamvis Liber erat.

Had. Junius Emblemate 49.

Èn ut igneum facis coruscæ lumen
Insilit culex protervus, ac necat se:
Haud secus suos Amans misellus igneis
Persequens, crucem invenit, suumq; funus.

Batillius 168.

Sors amantis.

Sero post quam hæret lateri letalis arundo,
Cervaper & saltus & nemora alta fugit.
Hæc à sorte tuâ non multum abludit imago,
Cui percussa ferus pectora versat Amor.

Batillius 169.

Amoris moles.

Omnia qui vicit, cui mundi & tollere molis
Æthereæ pondus, sarcina nulla fuit,
Huic tergo impositus (solis credetis amantes)
Heret jam minimus Divûm onerosus Amor.

Batillius 170.

Ἀγλέως.

Hinc palmæ ramum puero puer alter Amori
Eripere è manibus fervidus instat Amor,
Constrictâ vinclo geminæ paulo inde remotæ
Collucent, flammâ summa petente, faces.
His nempe ut redument stimulis agitantur amantes,
Quis studii at q; animi mutuus ardor inest,
Sic quisq; officio prior ut respondeat urget,
Spectari & propria pugnat uterq; fide.
Sic sejuncti hærent, divisos corpore & orbe
Sic animo junctos firma catena tenet,
Illis inque suo tantus consensus amore est,
Vt sit idem his velle & vivere idemq; mori.

Batillius 171.

Amoris cum virtute & ratione conjunctio.

Quam melius Graïs Romanus pictor Amorem
Alciden inter Mercuriumq; loco
Constituit medium, quem cum Virtute sequendum
Scilicet & junctâ cum Ratione notet!

Camerarius 100. Centuriæ 2.

Amor causa omnium, Gloriæ scil. Virtutis, Formæ, Divitiarum.

Si rerum quæras fuerit quis finis & ortus,
Desine, nam causa est unica solus amor.

Camerarius 15. Centur. 3.

Semper ardentius.

Reginam volucrum dipsas necat, ardor amoris
Sic animum accendens te dabit exitio.

Camerarius 87. Centur. 3.

Alio hibernandum. Hirundo autumnalis.

Ardorem quisquis fugere optat tempore amoris,
Dum fervet, fugiat. namq; hieme arcta fuga est.

Camerarius 37. Centur. 4.

Fallacis fructus amoris. Piscator in pelle caprina.

Vt stolidus capitur specie deceptus amati
Sargus, sic capitur quisquis amore fuit.

Camerarius 74. Centur. 4.

Vix imis satianda medullis.

Numquam, plena licet, satiatur sanguine hirudo.
Sic succo at q; omni sanguine prævat amor.

Jacob. Catsius Emblemate primo Amatorio.

Quâ non nocet, arripe.

Pars sudis igne calet, pars altera nescia flammæ est:
Hac impunè manu tangitur; illa nocet.
Dextra voluptates Veneris serit, altera curas:
Hinc juvat, aligeri fax nocet inde Dei.
Elige quisquis amas, sed quæ juvat eligè partem.
Ipse Cupido facem, quâ caret igne, tenet.
Tristia Democriti falso delude cachinno:
Lude, jocus Venus est, nil nisi ludus amor.

Jac. Catsius Emblemate Amatorio. 3.

Nunquam deformis amica est.

Dulcis amor furor est! stupet ebria Simia prolem,
Nilq; suis catulis pulchrius esse putat?
Nescit amans vitium, nimis id licet exstet, amicæ
Quasq; alius dotes non videt, ipse notat.
Fucus amor vehemens, omniq; potentior herba est?
Hoc duce, facunda garrula nomen habet.
Quisquis amat, mentes agitante Cupidinis astro,
Omne bono vitium proximiore tegit.

Jac. Catsius Emblemate amatorio. 5.

Sensim amor sensus occupat.

Inscribo pepono quoties tua nomina, Phylli,
Litera cultelli cuspide facta latet.
Ille, licet fatuus, sortem miseratus amantis,
Plorat, & è tenero cortice gutta fluit.
Læsa cutis sensim laxo sepandit hiatu,
Iamq; viatori, Phylli, legenda patet:
Exclamo: Crevere notæ, crevere calores.
Hei mihi! quàm tacitis passibus intrat Amor.

Jac. Catsius Emblemate amatorio. 7.

Sine vulnere lædor.

Saucia cor dagero, vestigia nulla sagittæ;
Et jecur illæso corpore vulnus habet,
Vulnus habet? fallor, quod enim sine vulnere vulnus?
Hei mihi! cæcus Amor vulnera cæca facit.
Fulmine cùm misero mihi, non face, pectus aduras
Sæve puer, nostris hoc, precor, adde malis.
Da medicam, medicis quæ nesciat artibus uti,
Et sua, non herbas, applicet ora mihi.

Jac. Catsius Emblemate amatorio. 11.

Fit spolians spolium.

Forte super viridi Phyllis mea fronde sedebat,
Occulerat placidus lumina victa sopor.
Accedo, labra jungo labris, dumq; oscula furtim
Paucula surripio, me rapit illa mihi.
Dum vorat, occulto trahitur sic piscis ab hamo,
Musq; perit, gratum dum potest ore cibum.
Improba, furandi quis te neget esse peritam.
Cum vigil in somno fur tibi præda cadat?

Jac. Catsius Emblemate amatorio. 12.

Fumos venditamor.

Ærio de rore trahunt alimenta cicadæ:
Futilis aura tibi dat, salamandra, cibum.
Nautica plebs avido Tabaci bibit ore vaporem.
Nostra levi fumo pectora nutrit Amor:
Mira, puer Veneris vasto promittit hiatu:
At si perspicias singula, fumus erit.
Fumus amans, & fumus amor meis fumus amica est.
Et speciem fumi, quidquid amamus, habet.

Idem Emblemate amat. 13.

Amissa libertate lætior psittacus.

Omnibus angores, uni mihi gaudia portat
Carcere secludi, seruitiumq; pati.
Tunc cùm liber eram, solas spatiabar in umbras,
Mœstus, inops, tacitus, nec vigor ullus erat.
Ex quo dia Venus me carcere clausit Amoris,
Ex illo lepida garrulitate loquor.
Nunc cano, nunc vocum non est simulantior alter:
Quo mihi libertas? sors mea, ferre jugum.

Jac. Catsius Emblemate amatorio 14.

Fugiendo non effugit domum testudo.

Naso viam docuit longos mollire furores:
A patria, ut valeas, inquit, amator abi.
Iussa secutus eram, memini tua, doctor Amoris.
Hoc quoq; sustinui dicere, Phylli vale?
Iamq; feror, juga monstu equo, mare puppe pererro:
Me tamen impositum, me tamen urget onus.
Non animum fugiens, cœlum modo mutat, amator.
Quo fugis? heu! tecum dum fugis, ibit Amor.

Idem Emblemate 15.

Et in æquore flamma est.

Dum natat, & siculis Murena vagatur in undis
Non valet exustam mergere Sole cutem.
Vidi ego, qui fugeret trans æquora fulmen Amoris,
Igne vel in medio non caruisse mari.
Vidi ego, quem flammis Cythereа recentibus ussit,
A patria celeri dum rate vectus abit.
Ah! furit, & gelidis ardet Delphinus in undis:
Orta mari Venus est: hoc quoq; regnat Amor.

Idem Emblemate 16.

Flamma fumo proxima.

Quisquis es, antiqui remove monumenta caloris,
A regno domina qui modo liber abis.
Vera nec ora vide, moveat nec imago salsam;
Nec digitis gemmas quas tulit illa gere.
Vulnus erit, leviter modo tacta sit, ægra cicatrix:
Ardoremq; vocat fomitis icta silex:
Fax exstincta recens trahit, ah! trahit eminus ignem,
Et redit in flammam, quod vapor ante fuit.

Idem Emblemate 19.

Dum trahimus trahimur.

Hæc Domina est, medio quæ surgit in æquore Rupes,
Quemq; vides, parva nauta puppis ego.
Dum traho te, mea Vita, trahor, tu tracta quiescis,
Non trahis, ipse sequor: te traho, Phylli, manes.
Nil agis, ast ego totus agor: nihil ipsa moveris,
Tota, sed intereа tu mihi corda moves.
Me miserum! ad Dominam veniens tractusq; trahensq;
Hoc magis, heu! cupio quo magis illa negat.

Catsius Emblemate amatorio 23.

Fac sapias, & liber eris.

Vsq; rogas, negat usq; tibi crudelis amicа.
Ecquid adhuc duro mens in amore gemit?
Me remorantur, ais, formosæ vincla puellæ,
Vincla vel Herculea non soluenda manu:
Vincla genæ mihi, vincla comæ, mihi vincla papillæ.
Hei mihi! quot vinclis corda ligatur Amans.
Stulte puer, stulti vel stramine crura tenentur,
Et moriar, vinclum tu nisi tale geras.

Catsius Eblemati amatorio 25.

Dat, nec habet.

Cos obtusa manet, gladiis tamen addit acumen,
Quodq; dedit ferro, non dedit ipsa sibi.
Cotis agunt partes in pectore nostra Puella,
Quasq; dedere alijs, non habuere faces.
Phylli, Dionæo mihi cùm jecur igne peruras,
Corda geris Scythica frigidiora nive.
Me glacies torret, mi frigora causa caloris.
Ah! calor hic tandem desinat, unde venit.

Idem Emblemate amatorio 28.

Dominæ quo me vocat aura.

Ad Dominæ nutum levis exagitatur amator,
Quoq; puella solet vergere, vergit amans.
Non volucris summa quæ vertitur ænea turre.
Promptius aerias it q; redit q; vias.
Rideat illa, movet tristi miser ore cachinnos:
Ploret, amans lætas proluit imbre genas.
Nos miseros! agimur vacuo ludibria cœlo:
Abripit aura vagos, aura redire jubet.

Catsius Emblemate amatorio 30.

Ludit in humanis lasciva cupido, medullis,
Arbitrium proprij nullus amoris habet.
Nos quod amat, fugimus: quod nos fugit, istud amamus:
Dura proco, Ranam sponte puella fovet.
Triste gelu Domina mihi mors, tibi rana calores,
Mors tua, vita mihi, mors mea, vita tibi.
Te juvat ora lacu, me virginis ore rigari.
Ergo tibi cedant stagna, puella mihi.

Idem Emblemate amatorio 33.

Sibi nequam cui bonus.

Stultè aliquis nimio languet miserabilis igne:
Stultè aliquis tigno flebile pendet onus?
Sit tibi cura tui, dum te concedis amicæ,
Quid lacus, aut laqueus, quid tibi mucro subit?
Se quoq; curat avis, tibi dum crocodile, ministras.
Et perdix, Veneris munere, pinguis abit.
Et curare cutem potes, & servire puellæ:
Quod nimis, ut passim, sic in amore nocet.

Idem Emblemate 35.

Odit amor medicum.

Ferrea messa rubens furvis educta caminis,
Quam faber in tepidam forcipe mergit aquam,
Sibilat, & totas implet stridoribus ædes,
Hoc indignari, vel gemuisse voces.
Omnis amans rapidis uri sibi pectora flammis
Et gemit, & Dominæ sæpe recantat idem.
Hunc aliquis sanare velit, subit ira quid hoc est?
Infelix medicam respuit æger opem.

Idem Emblemate 39.

Non intrandum, aut penetrandum.

Hoc quod rete vides, teneri sit carcer Amoris:
Quæ sedet in medio, sit Cythereа tibi.
Aspicis ut culices insectaq; vilia muscæ,
Iactentur patulis prædа retenta plagis?
Posteritas crabro acris equi per stamina transit.
Et laquei vespæ concutiente ruunt.
Rumpit & abrumpit casses cordatus Amoris:
Degeneres Veneris molle retardat opus.

Idem Emblemate amat. 42.

Quid non sentit amor.

Dum jacet in mutа positum testudine stramen
Saltat, ut æqualem det lyra pulsa sonum.
Chordа manu non tactа tremit, non mota movetur:
Quid mirum? quod amat sentit adesse sibi.
Te video, mea Lux, te nec mea lumina cernunt:
Audio te, loquitur cùm tua lingua nihil.
Sentio te, nec me tua dextera contigit. i nunc
Et cordi quod amat Numen inesse nega.

Idem Emblemate 43.

Amor, tela Penelopes.

Flumine cùm, Dodona, tuo fax viva rigatur,
Stridet, & agelido victа liquore perit.
Per puor huc sine luce facem, mirabitur hospes
E medio flammas prosiliisse lacu.
Mira cano, sed Amico modo me tractat eodem,
Hanc ego vim Graij fontis habere putem.
Illa movens calidoq; gelu gelidoq; calorem,
Me cupiente fugit, me fugiente cupit.

Idem Emblemate amatorio 45.

Nescit habere modum.

Crescit in immensum Pharijs Crocodilus in arvis,
Inq; dies Nili major ab amne redit.
Augendi metas non huic dedit ægra senectus,
Morsq; vel ipsa paret vulnera, crescit adhuc.
Tu genuina mes, crocodile, furoris imago,
Augetur nostro pectore semper amor.
Frigida mors caliaos olim mirabitur ignes,
Cùm gelida tangit fervida corda manu.

Idem Emblemate amatorio 50.

Cedit Amor miseris.

Non petit exanimi de carne pediculus escam,
Morsibus haud vexat corpus inane pulex.
Et fugiunt mures, & aranea contrahit orbem,
Si qua ruinoso culmine tecta labant.
Flebilibus lasciva cassis Cythereа recedit.
Effugit è mœsto lubrica flamma thoro.
Stulte cupido jaces, ubi cor dolor anxius urit:
Ni valeant homines, stulte cupido jaces.

Idem Emblemate amatorio 51.

Amor elegantiæ pater.

Truncus iners Ærucа jacet, vivumq; cadaver,
Vt tamen hanc Phœbi calfacit igne jubar,
Apparet nivea mox Papilionis imago,
Et cœli, volucris jam nova, carpit iter.
Barbarus excolitur, facies nitet altera rerum,
Vt gelidum flammis cor tepefecit Amor.
Ergò Dioneæ pectus rude trade magistræ,
Et fieri si vis ingeniosus, ama.

Catsius Emblemate Ethico 15.

Colit otia saucius igne.

Magne nator ubi es? tu regna per invia ponti,
Pervq; sinus vitrei marmoris ire soles.
Nosse labor fuerat Delphinas, & horrida cete,
Quidquid & in vasto gurgite Doris alit.
Nunc sine mente jaces, nunc pectora sole perustus,
Non potes à radijs solis abire domum.

Si quis amore calet, consueta negotia cessant,
Cedit Acidaliæ Castalis unda faci.
Labor Amoris domitor. Emblem. 31.
Omnia parvè Puer, Veneris justissima proles,
Telorum duro cum premis imperio,
Sola Diana tamen vestrivim despicit arcus,
Dum sequitur fortes fortior illa feras:
Otia si tollas, perijt vesana Libido,
Quam labor assiduus, duraq; vita domat.
Floren. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; damno magno, amoris elui haud potest nota.
Adjuvetum curam & salutem servus est Amor Deum.
Alterius memor inconsultus est amor, & sui immemor.
Amor ubi condimentum inerit; cui vis placiturum reor.
Aut amor est insania, aut insania est fraterculus.
Clavum clavo, expelle amorem veterem item amoveas novo.
Clavus clavo, amor vetus novello amore pellitur.
Commodum suum ex amantis comparat lucro proba.
Cum Diones prole semper convenit Bacho bene.
Deluctarier cupio Antæo, quàm cum Amoro malim.
Ecce amoris jussa pontus, terraq; ac cælum facit.
Est potens affectus iræ? amoris est potentior.
Est bonum, pauxillum amare sane, insanè non bonum est.
Est bonum pauxillum amare sane, insanè insania est,
Est ista Amor, balista ut jacitur: nil sic celere est neque volat.
Et sibi majora veris fingit impotens amor.
Et suo amor jubet obedientem esse servo liberum.
Fel quod est amarum Amor mox dulce mel vel fecerit.
Flamma amoris parva primo est, at post latè exæstuat.
Formam amatorum puellæ plus colunt quam munera.
Graviter advertunt amantium animi quæ non sentias.
Gustu amor dat dulce; amarum ad satietatem usq; cogerit.
Hæc facetia est, amare inter se rivales duos.
Halitus, vox, suavium q; nonne dos oris tripla est?
Hora amorem aufert fames q; sin minus, modi rigor.
Ipsius se excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur, dum licet.
Ita tuum confert amare semper, ne tibi sit probro.
Lenior suis tyrannus est, quam amanti amasia.
Magnus est amor ex ipsa qui venit misericordia.
Marcet absq; hoste ullo victus miles qui Veneri vacat.
Mens si adest amanti, abesse mens quibus quæ solet?
Miles est Amor, nec umbram ferre inertia potest.
Mores hominum Amor morosos imo moros efficit?
Multa qui potest dare, ille multa amare idem potest.
Multi semet occiderunt cum suis amasiis.
Nec molestias amori adde, & quam habet rectè feras.
Ne quidem mare omne Amoris mitigaverit sitim.
Nil amor nisi otiosi pectoris molestia est.
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro feminæ.
Non diu durant amores qui rivalem non habent.
Non amor modò ex auditu; è somnio etiam nascitur.
Non eo quis modo amicam amplectitur quo liberos.
Non est usui quisquam amator, nisi qui perpetuat data.
Non Iovis sub regno amator, sed sub Veneris vapulat.
Non nihil certe est posse extrema amare linea.
Non opus levi telo est, amare ut possit Hercules.
Non vetant amare Amores, sed potiri pernegant.
Nullus est amans, sit idem quin merè tractabilis.
Nunquam se metitur amoris imperio qui subjacet.
Peior est Cupido cum blanditur, ultro quam furit.
Plus amans dolore amatæ verberatur quàm suo.
Primùm ancillas munerantur qui affectant ad heras viam
Promptias vites amoris vetita, ipsis quam exeas.
Quanto amatori minus spei est, tanto magè uritur.
Qui metu non frangitur frangi an potest cupidine?
Quisq; amicæ adesse vult reapse adesse quod putat.
Quod magis suades, semper minus placet amantibus.
Quos amat Venus facit repente amoris compotes.
Quoslibet suadela amores clave clam aperit aurea.
Res tuas tibi habe: mihi amicus unquam nefias Amor.
Sæpe magnitudo amoris in furorem vertitur.
Si domi est, foris est amantis animus, sin foris domi est.
Suavior q; gratiorque fœmina est amans recens.
Tardior semper vedis, ah! Hesperugo amantibus.
Tempore ac labore quidvis impetrat trahax Amor.
Totus est in armis idem quando nudus est amor.
Tristities ac Sollicitudo sunt Veneris comites Deæ.
Tunc amans audit, vadet, valeto; amicæ ubi illi adest.
Velocissimus Cupido & advolans & evolans.
Ver ubi est, nil orbe toto est, cui Venus non sit sua.

¶ Jambica.

Abrumpit amorem amanti contumelia.
Accede ad ignem hunc; jam calesces plus satis.
Ærumna afficitur misera, is qui amat, si egeat.
Amans impatiens facilè credit quod timet.
Amans profectò odio novissime & sibi est.
Amantibus spes multa pro solatio est.
Amator haud juris sui est: insania est.
Amator omnis pronus est ad lacrimas.
Amens amans fit, si desperat consequi.
Aamore captus victor & captæ sua est.
Amor est inconstans, qui incrementa non capit.
Amor juventa gignitur; alitur otio.
Amor quid est? anima vacantis passio.
Amor quid est? vacantium occupatio.
Amor, Veneris minister est, non filius.
Beati amantes sunt, cùm amant se mutuò.
Benè dissimulatum amorem occasio incidat.
Chao ac Tellure Amor ortus est parentibus.
Coitus venereus pars morbi est epileptici.
Contempto amori semper iræ adest tumor.
Credulitate abundat infelix amor.
Crumena Amorum, folio porri adstringitur.
Cui ipsus est odio, qui amat, stultè facit.
Cupidum animum amantis inopiâ incendas licet.
Cupidus Amantis animus inopia incenditur.
Deprensus omnem amor pudorem projicit.
Difficile custoditur amatum pluribus
Dives statim quod vult amator impetrat.
Est cæca, nec delicta amoris vis videt.
Est vespera mora omnis longa amantibus.
Etiam potest amare, occidere qui potest.
Et planta plantæ amore gaudet mutuo.
Et sani amantium æstuamus febribus.
Et saxa amorem visq; sentit ferreâ.
Facillimè ignem naphtha è proximo attrahit.
Famam una amator perdit cum pecunia.
Flammas amoris excites periculis.
Flamma Veneris ipso ardentior longè mari est.
Fluxum nihil mage est amore corporum.
Fortuna amorem pejor inflammat magis.
Fovere amorem at q; alere si negas, cadit.
Frustratum amorem, heu, excipit crudelitas.
Fusos rotantem cernimus Tyrinthium.
Hærere amantes post vagos ignes solent.
Haud est nihil extrema amare linea.
Homini malorum pluriumi auctor est amor.
Ignosce, si verè unquam amasti, amantibus.
In amore plus fortuna, forma quàm potest.
In amore servus nec dominum fert amulum.
Inceptio eadem amentium, quæ amantium.
Ingratus est amans, largitur qui parum.
Insania est certissima, infelix amor.
Insania est si amas nequis quod adsequi.
Magni est amoris prima cæcitas nota.
Malus clandestinus est amor: damnum est merum.
Maternus amor vel maximum est Thebis scelus.
Miserrimum est debere amare, quem haud juvat.
Molestius nil est repulsa amantibus.
Multò est amare, quàm ipsum arare, durius.
Multos Amor pellexit in dispendium.
Mordere non modò est canum, etiam amantium est.
Munditia illecebra animis est amantium.
Nil arduum est ex corde toto amantibus.
Non bene cum Amore convenit Sapientia.
Non ignis igne exstinguitur fluminе.
Nulla adsiduitas animum amantis expleat.
Nullum malum si fers in amore prægravat.
Nunquam trabali liber est amor metu.
Omnes ubiq; amare meræ est insulsitas.
O mors, amoris una sedamen mali!
Oportet esse amatoris celerem manum.
Paupertas utiq; amanti onus miserum ac grave est.
Peperit Amorem mixta Iris Favonio.
Periculosi amores, jucundissimi.
Periculosum ignem admovere stupeis.
Plerisque fomes est amoris musica.
Plerumque amor præcurrit & vocis suis.
Prorsus nihil Veneris facit natus boni.
Prudens, sciens, vivus videns q; amans perit.
Quandoque amoris est origo somnium.
Quicunque amat iam oblitus est prorsum sui.
Quicunque amat me, amat canem simul meum.
Qui pallor ægris, idem adest amantibus.
Quid est amor? rationis est oblivio.
Quis respuat Deus preces amantium.
Quis se videnti, amicam patiatur suam?
Quod amas, amato testibus præsentibus.
Sæpe obstinatus induit frenos amor.
Sanari amore nemo vult amantium.
Saturos amor eemisatur, haud famelicos.

Semper

Semper patent fores amicæ amantibus.
Signumq; amoris pallor est certissimum.
Sit rarus, esse magnum amorem quem cupis.
Stimulant amicæ dictæ quàm patris magis.
Surdè audit amans cui animus non est integer.
Vetustum amorem discutit recens amor.
Videndi erit, si non tangendi copia est.
Vitæ otiosæ proximus ferè est amor.
Votis amor plerumq; præcurrit suis.

Anathemathum.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Chrysostomus:* Quemadmodum Anathema, donumq; id quod Deo oblatum dedicatur, nemo est qui temerè manibus contingere audeat, neq; ad id propius accedere: sic & eum qui ab ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, ac tanquam longissimè abducens, hoc nomine, à contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo ut separantur, ac pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat. ab eo autem qui ab ecclesia obscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur: quapropter separatio quidem, tum hæc, tum illa, ex æquo à vulgo abalienatio erat: separationis verò modus non unus, sed illi contrarius. ab illo enim abstinebant, tanquam Deo dicato: ab hoc autem decedebant, tanquam à Deo alienato, & ab ecclesia abscisso. *Homilia* 16. *ad Romanos.*

Ennodius: Occasum Deo oblata non sentiunt: nec ad vetustatem tremulam pietate fulta mittuntur. Stat soliditas machinæ, quâ Christus ingreditur: & originariæ oblita fragilitas adipiscitur de possessore virtutem. Tecta vilia de consecrantis nobilitate decorantur; dum rei caducæ pretium tribuitur habere de Domino. *Dictione* 4. *f.*

Chrysologus: Qui aliena prorogat, dando diripit quàm furando: nec conpescit inde dolentum gemitus, sed producit. Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat: quia Deus in tali munere exuvias suorum pauperum, non misericordias intuetur. Sine causa Deo plorat, contra quem justè causa pauperis ploravit Deo. *Sermone* 54.

Eumenius Rhetor: Etenim si bello parta Marti dicantur, si mari quæsita Neptuno, si messes Cereri, si Mercurio lucra libantur, si item rerum omnium ad cultum referuntur auctorum; ubi fas est docendi præmia consecrare, nisi in sede dicendi, præsertim cùm mihi ultra communem cùm ceteris studiorum religionem etiam proprius quidam sit erga Mæniano illa ex majorum meorum recordatione dilectus. *cap.* 17. *de restaur. scholis.*

¶ Monosticha Trochaica.

Carior Deis injustus justo, propter munera.
Cùm Deo quid Dives offert, cult veri, haudq; est pius.
Est Deo sacrum vel opimum mentis innocentia.
Fœda opum cunctis libido, at in sacris fœdissima est.
Haud Deum placant malorum munera, irritant magis.
Impius, placare qui iram cult Dei dono, ampliat.
Largiendo damna nulla munerum sentit Deus.
Maximè Dii sunt præsentes, multa quùs anathemata.
Munerum splendore numen haud colas, opus fide est.
Nil sacrum nisi id quod per fas atq; leges suscipis.
Plus auri in metu sacramus Numini quàm ob prospera.
Præter justum æquumq; nullo flectitur dono Deus.
Publico semel dicata, jam tua esse desinunt.
Quænam sint donaria aut a quonam missa, haud quæritur.
Quilibet sacris tutandis sufficit suis Deus.
Res sacra, illico profana redditur victoria.
Sacra vendimus persuasi ab auri magnitudine.
Si Dei gaza indigerent, haud darent mortalibus.
Si placet donans Deo non displicet donatio.
Vt donariis Deorum, sic donis quoq; abstine.

¶ Jambica.

Anathemata ornant urbem, animum mathemata.
Diis casta castus offeras donaria.
Donis meræ suis coluntur Numina.
Ebur profectò munus incestum Deo est.
Insisa Divis sunt malorum munera.
Iustè exigitur ad solvendum, qui ad vovendum haud cogitur.
Nec numen aurum, dantis ast mentem probat.
Nil est sacrum nisi ritè factum sit sacrum.
Non curat hostis Divos adversarios.
Non sentiunt occasum oblata Numini.
Nullum Deum dono improbus placaveris.
Pennas volantum penna Aquilæ omnium terit.
Quavis profanat res sacras necessitas.
Sacrum Deo præstantius innocentia.
Sancta propriè sunt quæ nec profana sunt, nec sunt sacra.
Simplex sit omne Numini quod consecras.
Vti licet populo Deum donariis.

Cætera requirenda è titulis. *Donariorum, Oblationis, Sacrificii, Consecrationis, Dedicationis.*

Angelorum.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

D. *Nazianzenus:* Spiritus porrò atq; ignis Angelus appellatur: illud quia intellectile natura est præditus: hoc quia purgandis animis nostris adhibetur. quandoquidem primaria quoq; illa essentia ijsdem nominibus in Scriptura nuncupatur. Sed sint sanè illi incorporei, aut quàm proximè ad hoc accedentes, vides ne quomodo circa hujusmodi sermonē æstuemus, nec, quo progrediamur, habeamus: aut certè nō ultra progredi possimus, quàm quod Angelos quosdam & Archangelos scimus, Thronos, Potestates, Principatus, Dominationes, splendores, ascensus, intelligētes virtutes, vel mētes potius, puras naturas, minimeq; adulterinas, ad malū immobiles, vel certè non facilè mobiles, perpetuos choros circa principem illam causam agitantes (aut si quid apud quispiam earum laudibus decātandis afferre queat) purissimo splendore illinc perfusas, aut pro naturæ ordinis cuiusq; proportione, alias alio modo collustratas. Quæ etiam à summa illa pulchritudine adeo informantur & imprimuntur, ut ipsæ alia quoq; lumina efficiantur, ac per primi luminis influxiones & communicationes alios illuminare possint.

Hæ divinæ voluntatis ministræ sunt, roboreq; nō modò naturali, sed etiam adventitio pollent, loca omnia peragrant, omnibus ubiq; impigræ adsunt, tum ob naturæ levitatem. Aliæ aliam quandam orbis partem complectuntur, aut certè aliis quædam pars commissa est, ut novit, quæ hæc ordinavit ac distrinxit. Ad unum rerum omnium Conditoris nutum omnia in unum jungunt. Divinæ majestatis laudes canunt, ac sempiternam illam gloriam sempiternè intuentur: non ut inde gloriæ Dei aliquid accrescat (quid enim est, quod ei, qui plus est, aliisq; bonorum author, accrescere queat:) sed ne primæ illæ post Deum naturæ beneficio affici desinant. *Sub finem Orationis trigesimæ quartæ.*

D. Chrysostomus: Ipsi quoq; Angeli apparent nobis accincti, ut qui sint milites, ex eo enim quod accingantur, fit ut stent generosè & fortiter. ita ex eo quod stent, fit ut accingantur. *Orat.* 23 *ad Ephes.*

D Chrysostomus: Unusquisque fidelis habet angelum. nam etiam ab initio, unusquisque vir probus habebat angelum, sicut dicit Jacob: Angelus qui pascit me, & liberat me à juventute mea. Si ergo habeamus angelos, modestè nos geramus, tanquam nobis adsint quidam pædagogi. nam adest etiam dæmon. Propterea orimus & petimus angelum pacis, & semper pacem petimus. *Homilia* 2. *ad Coloss.*

D. Io. Chrysostomus: Quamquam multum interest inter Angelos & homines, & eos tamen prope nos deducit, propemodum nobis dicens, Propter nos laborant circa nos cursitant, & ut dixerit quispiam, nobis serviunt. Hoc est eorum ministerium, propter nos in omnes mitti partes. His exemplis plenum est vetus, plenum est novum testamentum. Nam quādo Angeli pastoribus bonum afferunt nunciū, quando Mariæ, quādo Joseph, quando sedent in monimento, quādo mittuntur ad dicendū discipulis, Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlū. quando Petrum solvunt ex carcere, quando alloquūtur Philippum, cogita quantus sit honor. Quando Deus Angelos mittit ministros tanquā ad amicos: quando Angelus apparet Cornelio: quādo omnes Apostolos ejicit è carcere, & dicit, Cantes stare, & loquimini in templo populo verba vitæ hujus. Porrò autem Paulo quoque ipsi loquitur Angelus. Vides ipsos propter Deū ministrare, & ministrare in rebus maximis. *Hom.* 3. *ad Hebræos.*

Isid. Pelusiota: Sophistam profectò etiam scribens agis, fingisque vocabulorum elegantiam. Atqui in ipsis, utilitatis quoque rerū materiam præbere oportet. Pulchrè loqui, cymbalo simile est: probe agere, Angelis innatum est. nam illis cū metu conjuncta & prompta obedientia, quod Dei voluntates exequantur, testimonium dicit. *lib.* 3 *Epist.* 163.

Isidorus Pelusiota: Angelorum classes, ut conservæ naturæ, ea quę nondum præsentia sunt ignorant. *lib.* 1. *Epist.* 195.

Idem: Si lumen esse vis, scurrilitatem ac risus petulantiā odio insectare: ne alioqui multos petulantiam ac procacitatem doceas. Sacerdos enim, Domini omnipotentis Angelus est. Angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pavore ministrans. *lib.* 1. *Epist.* 319.

Isidorus Pelusiota: Quod Angelorum quoque parens atque opifex sit Deus, Propheta testatur, de Deo his verbis utens: cujus manus cum versam cœli militiam creaverunt. *lib.* 1 *Epist.* 343.

Idem: Deo soli inserviunt Angeli. *lib.* 1 *Epist.* 406. *fine.*

Idem: Quid causæ est, inquis, cur omnia ferè divina, Ignis appellatione notentur? Ignis dictus Deus, & Angeli ignis flāmeus: & apparuerunt in Apostolis linguæ tanquam ignis: &, Spiritu ferventes. Arbitror id fieri, primum propter copiam invidentiæ expertem & divitias: cùm ab uno lychno infinitas accendat lampadas, nec tamen minuatur: sed ipse quoque denuò ac proporrò alias totidem numero vel etiam plures accēdere possit. Quod autem ad corporum rationem attinet, sursum fertur, quod solus ex rebus terrenis ignis loca superiora appetat & persequatur, cœlumque desideret. *libro* 4. *Epistola* 66.

Isidorus Pelusiota: Angelis conjugii usus supervacaneus est, neque expetendus. *lib.* 4. *Epist.* 192.

¶ Romanorum.

Nazarius: In ore denique est omniū Galliarum, exercitus visos

qui se divinitus missos præ se ferebant. & quamvis cœlestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam & caligantem aciē simplex illa & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat, illi tamen auxiliatores tui aspici audiriq; patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species, qui vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? flagrabant verenduni nescio quid umbone coruſci, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat, tales enim venerant ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Habent profectò & divina jactantiam, & cœlestia quoq; tangit ambitio. illi cœlo lapsi, illi divinitus missi, gloriabantur quod tibi militabant &c. *Orat. in Constant. Aug. cap.* 14.

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus: Carm. 2. de Virginitate.

His non connubium, non cura, agriq; dolores,
Non motus turbat miseras in corde cientes.
Non etiam membris dirimuntur, & adibus omnes
Inter se miro jungit concordia nexu.
Idem quisq; sibi: natura est omnibus una:
Vnaq; mens, similiq; Deo rapiuntur amore.
Nec verò gnatis charisq; uxoribus illi
Gaudent, ac dulci exercent sua membra labore.
Non illos inflammat opum vesana cupido,
Nec quæcunq; mali parit irritamina tellus.
Nec pelagus sulcant ratibus, nec vomere terram
Proscindunt ventris causa, mortalibus ægris
Primigena qui fraude mali genus omne creavit,
Optimus hic cunctis cibus est, ut numine summo
Exsatient mentem, Triadisq; ex lumine lucem
Immensam excipiunt. Sunt porrò conjugis omnes
Expertes, puris regis puriq; ministris.
Humens & simplex natura est, atq; coruſca.
Non à carne fluunt (namq; omnis carnea moles
Postquam concrevit, certa est obnoxia mortis)
Nec rursus carnem subeunt nec corpora crassa,
Sed tales remanent, quales sunt antè creati.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 53. profect. precat.

Pro duce sit quæso bonus Angelus illius ipse
Fulcior auxilio firmo, meq; ille per celia
Subducens gravibusq; malis, noctuq; diuq;,
Atque via optatum finem tribuensque laboris,
Incolumem educat tectis, rursumque valentem
Sanguinis ad socios referat, charosque sodales.

Io: Sarisberiensis prologo Policratici.

Angelus è specula totum circumspicit orbem,
Et corpus pennis subvehit atque regit.
Si videt è specula, sib protegit omnia pennis,
Vt jus non habeat hostis in orbe suo.
Hic tempestates prænunciat, atq; serenum,
Ventorum rabiem temperat, atq; maris.
Ne quid obesse queat, non dormit nocte, dieq;
Stat, quia subjectos undiq; stare facit.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus *Christus:* Magna animarum, inquit, Hieron. fidelium dignitas, ut unaquæq; ab ortu suæ nativitatis habeat in sui custodiam Angelum deputatum. quod etiam ex Salvatoris nostri responso non obscurè elicitur. Rogantibus enim discipulis, Quis putas major est in regno cœlorum? advocato parvulo, eum in medio illorum statuit, ejusq; innocentiam illis commendans, & contemptum vetans, subdit: *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis: dico enim vobis, quia Angeli eorum, i. custodiæ deputati, in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis, est.* apud quem nempe vos accusabunt, si unum existis contemnatis. Quam benè exclamat hoc loco D. Bernardus! Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum; sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. *Matth. cap 18.*

Abbas Isodorus: Beatum Abbatem Moysem tam vehementer impugnabat fornicationis spiritus, ut sui compos in cella remanere vix posset. Solatium quæritat apud Isodorum: qui cùm frustrà, ad cellulam rediret, hortaretur; tandem eum ad superiora domus ducit, & ad Occidentem respiciat, mandat. paret: videtque innumerabilem dæmonum copiam inter se turmatim concertantium. Deinde jubet ad Orientem se vertat: hìc conspicatus splendentem Angelorum exercitum. Tum iteratò ad eum Isodorus: *Quos,* inquit, *in Occidente vidisti, ipsi sunt qui etiam justos impugnant: quos verò versus Orientem, hi quos adjutorium misit servis suis Dominus exercituum. Cognosce igitur, quod plures nobiscum sunt, quam cum illis, ut dixit Elisæus Propheta.* *In vitis SS. PP.*

S. Cæcilia Virgo & Martyr. At injuriam pateretur fœmineus sexus, si eum silentio præterirem. veniat ergo in medium Cæcilia Romana, genere, patria, & virtute nobilis virgo, & suum de Seraphici ordinis spiritibus judicium depromat. A prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, Deo virginitatem consecrat. Sed quid? invitam parentes Valeriano in conjugem locant: ad quem illa, primâ nuptiarum nocte, hunc sermonem habuit: *Ego Valeriane in Angelus tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te conciterur.* quo dicto commotus Valerianus, Christi sponsam contingere non est ausus: quin addidit, se etiam in Christum crediturum, si Angelum videret. *Brev. Rom. 12. Novemb ex vita.*

S. Agnes Virgo & Martyr. Quid te dignum loquemur tenella Virgo quæ, dum Semphronius tuæ urbis Præfectus, concepta furoris flamma, optionem daret, ut vel Vestæ impuræ deæ sacrificium faceres, aut meretricium contubernium ingredereris invita; hac cum voce compellas: *O os impudens! si Dei mei tibi virtus innotuisset, non in tam impias voces prorumperes. Illi ea cura est corporis mei, ut Angelum suum mihi associet, qui corpus istud ab omni injuria vindicet.* Nos etiam qui Angelorum præsidio in his fluctibus gaudemus,

Dicimus grates tibi summe rerum
Conditor, Verbo tua quod ministros
Flammeos finxit manus, Angelorum
Agmina pura.
Quos jubes nobis comites adesse,
Et pios cœtus hominum tueri,
Atque grassantis premere incruenta
Arma leonis.

In vita ejusd. apud Surium, ex D. Ambrosio

Animæ.

¶ Patrum Græcorum Sententiæ.

Clemens Alexandrinus: Præstantiorem quidem hominis partem esse animam, est extra controversiam, corpus autem deteriorem. Sed neque anima bonum est natura, neq; rursus malū natura corpus. Neq; verò quod non est bonum hoc est protinus malum: sunt enim quædam quæ medium locum obtinent, & in mediis sunt præposita & rejecta. Oportebat ergo hominis compositionem, quæ est in sensilibus, consistere ex diversis, sed non ex contrariis, corpore & anima. Semper ergo bonæ actiones, ut meliores, attribuuntur ei quod est præstantius, nempe spiritui principali, voluptariæ autem & peccantes, ei quod est deterius, nempe peccati spiritui. Jam verò sapientis anima, & ejus qui est cognitione præditus, ut quæ in corpore peregrinetur, eò severe & austere vitur, non in ipsum nimiā affectionem ostendens aut indulgentiā, ut quæ sit evestigio relictura tabernaculum, si excedendi & migrandi tempus eam vocaverit. Advena, inquit, sum in terra, & peregrinus sum ego vobiscum. Et hinc externam mundi electionem Basilides eam dicit accepisse, ut quæ sit natura supra mundana. Hoc autem non ita se habet: unius enim Dei sunt omnia. Neq; erit aliquis natura mundi hospes, cùm sit una quidem essentia, unus autem Deus.

Sed electus vitam agit tanquam hospes, sciens omnia quæ sunt acquirenda, & quæ rejicienda: quæcunq; autem bona triplicia esse volunt Peripatetici, eis vtitur: quinetiam corpore, sicut aliquis qui proculperegre proficiscitur, diversoriis & habitaculis quæ ei in via occurrunt: curam quidem gerens etiam rerum mundanarum & loci in quo diversatur, habitationem autem & possessionem, sicut etiā usum relinquens, nulla motus perturbatione: prompto & alacri animo eū sequens qui è vita abducit: nulla occasione se unquam retro convertens, de incolatu quidem agens gratias, benedicens aūt propter exitū, cœlestem amplectens mansionem. Scimus enim quod si terrena nostra habitatio tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium à Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum quod est ex cœlo superindui cupientes, siquidem etiam induti nō nudi inveniemur. Per fidem enim ambulamus, non per speciem, ut ait Apostolus: magis aūte volumus peregrinari à corpore, & apud Deum versari. Magis autem est in cōparatione: comparatio aūt est in iis quæ cadunt in similitudinē, ut fortior fortibus fortior, timidorum autem fortissimus. Unde subjūxit: Quamobrē contēdimus, sive peregrinātes, sive apud eū versantes, ei placere, uni scil. Deo, cuius omnia sunt opus & creatura, & mundus, & supermūdana. Admiror Epicharmū qui apertè dicit: Si fueris mēte pius, nihil mali patieris mortuus. Superius manet in cœlo spiritus. Et poetā Lyricū canentē: Impiorum aūt animæ sub cœlo volant in cruētis doloribus, sub malorū jugis ine vitabilibus: piorū aūt in cælis habitant, cantib. beatorū principē canentus in hymnis. Non ergò huc de cœlis anima ad ea quæ sunt deteriora demittitur: Deus enim facit omnia ad ea quæ sunt meliora, sed ea quæ vitā elegit optimā ex Deo & justitia, cœlum terra commutat. *sub finem lib 4. Stromatum.*

D. Greg. Nyssenus: Anima est essentia generata, essentia vivens, intellectualis, corporeis sensuum instrumentis vivendi, atq; ea quæ cadunt sub sensus percipiendi facultatem ac vim per sese suggerens & immittens, quamdiu capax earum rerum natura constare videatur. *de anima & resurrectione.*

D. Nazianzenus: Corpore os affectus amputa, spirituales etiam amputa. quanto enim anima corpus antecellit, tanto præstantius est animam purgare quam corpus. quod si corporis purgatio laudabilis est, cogita quæsò quanto major atq; sublimior sit animæ purgatio. *sub finem Orationis 31.*

Chrysostomus: Si gloriæ sitiens est facesse abiis quę tibi in manib. sunt, animumq; non domum exornato, quò splēdidus sis & illustris.

nam

nam ut nunc quidem animarum te video, nihil quicquam te viliùs esse queat, qui animam desolatam cùm habeas, aliud nihil quàm domus tuæ pulchritudinem ostentes. Qui si quæ hèic à me dicta sunt, ferre non potes, audi quid olim peregrinus quidam ac prophanus homo fecisse dicatur: pudeatque tandem te vel exteræ philosophiæ. Ferunt quendam, ex eorum, quem dixi, numero hominum, in domum quampiam, multo quidem auro radiantem, magna adeò lapillorum ac columnarum pulchritudine fulgurantem ingressum fuisse. cùm autem domus ejusdem solum variis tapetibus ac peristromatis stratum vidisset, in domini os conspuisse: deinde ob hoc increpitum, hoc colore se excusasse, quòd tota in domo nihil videret ad excipiendum oris recrementum opportunius, ob idque coactum se illius os ea contumelia afficere. Vides ut ridiculus omnibusq; despicabilis sit, iis quidem certè qui mentis compotes sunt, quisquis externo se ornatu venditat. & quidem jure optimo. neque enim si quis uxore tua posthabita, in pannis, in vili ac lacero habitu relicta, illius ancillas sumptuosis vestibus induat, factum hoc æquanimiter feras, verùm & excandescas, & inexpiabilem tibi injuriam factam interpreteris.

Hoc ipsum igitur in animæ causa expendito. Nam quoties parietes, ipsamque domus tuæ supellectilem exornas, eleemosynam autem abundantem non præbes, neque te reliqua colenda philosophia exerces: profectò aliud nihil, quàm id, quod dixi, quodque eo etiam pestilentius est, facis. Nam servam inter ac dominam discrimen nullum. at animam inter & carnem ingens differentia. quod si ita est: multò certè magis animam inter & domum, animam inter & lectū, & scamnum. quamnam igitur defensionem, quæ idonea quidem sit, & obtendere possis? qui hæc omnia argento contingas includasque: illam autem pannosam, squalentem, ejurientem, vulneribus refertam, infinitorum canum dentibus divelli negligas, tum autem censeas magnam ab hocce rerum externorum ornatu gloriam tibi esse conquisitam. Id quod sanè summæ amentiæ est: ab iis videlicet rebus tibi placere, unde & ludibrium, & probrum, & dedecus, & infamiam, unoque verbo extremum tibi accersas supplicium. *Homilia 11. ad Romanos.*

Chrysostomus: Corpus tum demum vivere dicitur, cùm recto quodam gressu incedit: at ubi dissolutum jacet, ac præpostere movetur: etiamsi vivere aut ambulare videatur, tamen quavis morte, gravior est hujusmodi vita. Eodem modo si nihil sani loquatur: sed eorum qui mentis emoræ sunt verbis utatur, atque alia pro aliis cernat: rursus miserabilior est ille, quàm qui vitam cum morte commutarunt. Consimilem in modum anima quoque, cùm nihil sani habet, etiamsi viventis speciem præbeat, tamen mortua est: cùm aurum non ut aurum, sed ut magnum aliquid ac prætiosum cernit: cùm futura non cogitat, sed humi serpit ac volutatur: cùm pro aliis alia facit. Unde enim nos anima præditos esse constat? An non exactionibus? Cùm igitur suis ipsa munerib. non fungitur, an nō mortua est? Verbi gratiâ, cùm virtutis cura non tenetur, sed aliena rapit ac flagitiosè vivit. Unde enim queam dicere animam tibi inesse? An quòd ambules? At hoc bruta etiam habent. An quòd edas ac bibas? At hoc ferarum quoque est. An quòd recto corpore sis, ac duobus pedibus insistas? At hoc mihi potiùs indicat, te belluam humana forma esse. Nam cum cætera eadem tibi cum bellua sint, erectio autem non item: nimirum hocipso vehementius me turbas ac perterrefacis: magisque portentum id esse existimo, quod cerno. Etenim si feram humana lingua loquentem cernerem, non propterea hominem esse diceremi: quin hocipso nomine potiùs feram, quavis alia fera prodigiosiorem. Unde ergo mihi exploratum esse queat, humanam animam tibi inesse: cùm ut asini calcitres, ut cameli memor sis injuriarum, ut ursi mordeas, ut lupi rapias, ut vulpes fureris, ut serpentes vafer ac fraudulentus sis, ut canis impudenter te geras? Unde, inquam, te humana anima præditum esse intelligere queam. *Homil. 6. ad Corinth 2.*

Chrysost. Magnam & philosophicam animam nihil, quòd in hac vita molestè accidat, lædere potest: non inimicitiæ, non accusationes non calumniæ, non pericula, non insidiæ. Nam perinde atque in excelsum quoddam montis cacumen se receperit: nihil ad illam ex iis quæ de inferiore loco, de terra, inquam, jaciuntur, pervenire potest. Talis erat Pauli anima: quovis fastigio altiorem locum prehenderat, locum philosophiæ spiritualis, veræ philosophiæ. *instio Hom. 3. ad Philippenses.*

Chrysost. Quomodo terram non solum oportet ferre ea quæ sunt in ipsam dejecta: sic etiam animam oportet non consistere usque ad ea quæ sunt dejecta, sed etiam exsuperare. nam in hæc duo divisa est virtus: nempe & in id quòd declinetur à malo, & in id quod fiat bonum. Non enim sufficit recessus à malo ad adeptionem virtutis, sed est quidem via & initium illuc ferens: opus est autem nobis etiam magna animi alacritate. *Hom. 5 ad Thessal. 1.*

Chrysost. Vita turpium hominum insidias atq; rixas quotidie gignit, cum anima perpetuis vulnerib. adficiatur ex cogitationum turpis atque tumultibus. *Hom 7. ad Timoth. 1.*

D. Ioan Chrysost. Quomodo fieri non potest, ut navis quæ vento secundo fertur, impediatur, neque ut demergatur, donec vento fruitur: ita & homo perpetuo: sed & postquam redierit, magnam sui successus præbet gloriam, & nautis & vectoribus: illis quidem dans quietem, & non sinens ut remis adlaborent: hos autem ab omni metu liberans, & jucundissimum spectaculum eis suum præbens cursum. Ita etiam anima divino munita spiritu, est superior quidem omnibus fluctibus eorum quæ ad hanc vitam pertinent: viam autem quæ fert in cœlum secat vehementius quam illa navis, ut quæ non pellatur à vento, sed vela habeat, eaque munda omnia, impietate ab ipso paracleto à nostra cogitatione expellit quidquid est molle, enervatum, & dissolutum. Quomodo enim ventus incidens in velum laxum & molle, nihil egerit: ita etiam sanctus spiritus in animam mollem & dissolutam, pati non potest ut maneat. Sed magna intensione opus est & vehementia, ut nobis sit ardens animus, & semper sint nostra opera intensa, fortia & constantia. Ut quando oramus, hoc à nobis cum magna faciendum est intensione, animam in cœlum intendentibus, non funibus, sed magna animi alacritate. Quando rursus miseremur, nobis opus est intensione, ne cura domus, & sollicitudo de liberis & uxore, & metus paupertatis irruens, velum laxet & remittat. Nam si id undique recte intenderimus spe futurorum, suscepit operationem spiritus: ex illis autem rebus caducis & miseris nihil in eam incidet, sed etsi inciderit: ipsam quidem nihil lædit, sed statim firmitate ac duritie repellitur & excutit excussum. Propterea ergo nobis magna opus est intensione: etenim nos quoque magnum & spatiosum mare navigamus, plenum multis beluis & scopulis, & multas nobis pariens tempestates, & ex magna serenitate sævissimas procellas excitans. Oportet ergo, si velimus facile navigare, & sine periculo vela tendere, hoc est liberum animi nostri arbitrium. *Hom. 34. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Tu quidem scisscitatus es, quemnam illic anima statum habeat, aut quonam modo, vel loco contineatur. Ego verò respondeo: Ea quæ rectè atque honestè vixit, ad vitæ resurrectionem veniet: quæ autem malè & flagitiosè curriculum vitæ confecerit, ad sempiternum rogum proficiscetur. Quod quidem tu metuens, curam omnem adhibe, ut condemnationis ac pœnæ expers inveniaris. *Lib. 1. Epist. 267.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd multis rebus minimè indigere, communi omnium consensu maximum bonum sit, liquet. Quòd autem sublimiorem se præbere, quàm ut facultatibus opus sit, habeat, multò majoris virtutis ac laudis sit, id quoque extra controversia est. Ac proinde animæ curam maximè geramus: corporis, quantum necessitas exigit: externorum bonorum, ne tantillum quidem. Hac enim ratione hic quoque beatitudinis arcem attingemus, quæ cœlorum etiam regnum parturit. Quòd si quibusdam audientibus minimè veræ hæc esse videntur, at mihi videntur. Neque enim tam sedulò id ago, ut, quæ dico, veritatis fidem apud auditores nanciscantur (nisi velint obiter ac præter destinatum opus) quàm ut apud me. *Lib. 2. Epist. 19.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum Hierusalem (ut perspicuo exemplo utar) cùm divino auxilio munita & armata erat, recta stans citra laborem & cruorem trophæa statuebat: cùm autē hac propterea quòd adversus eam insanivisset, sese spoliabat, hostilis flamma eā nullo negotio prosternebat: eodem modo anima quoque, si divina ope propter morum constantiam ac modestiam septa & munita fuerit, hostes facilè superabit: si autem in peccatum proruperit, hīc quidem turbulentorum affectuum igne cōflagrabit, illic autem judicii flamma cruciabitur. *Lib. 3. Epistola 12.*

Idem: Si corporis pulchritudo nec ob stupores immutatur, verum etiam inter lachrymas retinetur: quanto minus animæ decor ob incurrentes tentationes, etiamsi in calamitatibus versetur, immutari debet? *Lib. 3. Epist. 83.*

S. Isidorus Pelusiota: Quòd animum una cum corpore interire arbitraris, perquàm ridiculum ac stolidum est, hominisque verè carnalis, atque & post hanc vitam nihil esse cupientis, & eā, quæ de te ab hominibus cujusvis ætatis commemorantur, confirmantis. Pudorem igitur tibi incutere debent, cùm philosophi, & Poetæ, & Oratores, & Scriptores omnes, qui animi immortalitatem docuerunt (quorum si ignarus & expers es, ut qui rerum omnium inscitia labores, certè à doctis & eruditis discere debeas) tum etiam te pudore quodā permovebit ea ratio, quæ nullo modo refutari queat. Nā quæ corpus quod semper fluit & corrumpitur, arripit, ac quod in eo labile ac mortale est astringit, & quod cadit excitat, atque & iis, quæ diffluunt, alimentum, & iis, quæ marcescunt, fruticationem præbet, non est profectò consentaneum, eam, à corpore separatam, vim suam deserere, per quā & corpus continebat, & conservabat. Quòd si nec externorum sapientium authoritate commovearis, nec firmissimæ huic & necessariæ rationi fidem accommodes, utpote ingenii atque omni venia gravioribus probitate oppressus ac demersus, divinum tibi oraculum recitabimus, per quod animæ immortalitas dilucidis verbis prædicatur. Quid igitur ait? Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quamobrem ne ob singularem atque incredibilem quandam admissorum à te scelerum magnitudinem (nullum enim, ut aiunt, sceleris genus intactum reliquisti) impia dogmata tibiipsi cude: verùm illud persuasum habens, immortalem animam esse, & te cum in hoc sæculo sæpe, tum in altero omninò pœnas daturum: tanquam qui vindicem illum oculum minimè falsurus sis, aliquando tandem vel sero ab improba vivendi ratione discede. *Lib. 3. Epist. 235.*

Idem: Divinam quidem esse animam arbitramur: non tamen ejusdem cum divinissimā maximeque regiā naturā substantiæ: & immortalem: non autem ejus naturæ partem, quæ principio caret & res creavit & sempiterna est. Nam si ineffabilis illius naturæ portio esset, non utique peccasset, non esset judicata, Quòd si hæc patitur; æquum est ipsam credi supremæ illius substantiæ opificium; non

partem esse, ne divina natura seipsam judicare deprehendatur. *lib.* 4. *Epist.* 124.

Idem: Pythagoras quidem & Plato, aliique apud Græcos sapientiæ opinione clari, necessitates demonstrationum sequuti, animam corpore præstantiorem digniorem què imperio, jure ac merito pronuntiarunt: & illam quidem artificem, hoc verò instrumentum appellarunt: illam quidem corporis expertem: istud autem trina constans dimensione: Istud quidem mortale & corruptioni obnoxium: illam verò immortalem, & corruptionis expertem. Quamquam enim aliis in rebus à veritate aberrarunt: tamen hac in re scopum attigerunt. Galenus autem (neque enim eos qui intelligenter ipsum legunt, fugit, quod concinnam quandam lyram, non lyricinem, illam esse duxerit) mortalem pronuntiavit. Nam & hoc addidit, Corporis temperamentum sequi facultates animæ: eoque tandem pervenit, ut diceret, ne quidem corporis expertem & immortalem esse animam, cum nescio quomodo temperamentum definierit animam: ut ita arguatur, frustra ac dicis tantùm causa nomen quidem animæ crebris usurpare sermonibus: dum autem hoc verbotenus concedit, ne videlicet multis sapientibus contradicere videatur, rem interea ipsam oppugnat. Sed non est ipsi hac in re auscultandum. Nam dum medico dogmati se accommodavit, suamque artem stabilire & commendare voluit, veritatis curam insuper habuit.

De curatione namque corporum, quoniam in hac arte excellens fuit artifex, vir ille, loquatur sanè suo arbitratu: (neque enim ipsi dignitatem in his rebus suam detraham:) De anima verò certamen cum sapientibus ne suscipiat, neque descendat in luctam, in quâ non est exercitatus & impræmeditatus, neque cum sit athleta judicium sibi sumat de arte musica: cumque omnem suam prudentiam circa corpora consumpserit, de anima ne tradat dogmata: neque credat, animam consistere in concilianda harmonia & contemperatione elementorum. Si enim hoc ipsi ex hypothesi detur: (nemo enim sapiens ita ex animo senserit) si quidem ita se habet rei veritas, cum ipso temperamento, vel potius unà cum corpore anima extinguetur. Si enim anima est harmonia, tum & ultima constituetur, & prima perimetur. Lyra enim & fides concinnatæ quidem aptatæque concentum pariunt: dissolutæ verò ad tempus aliquod manent, harmonia prius extincta.

Quid autem optimus ille (Galenus) dicturus est de iis quæ apud poetas & Philosophos & Oratores disputata sunt passim, quod in extremo judicio ubique & omninò futura sint supplicia? Quale verò præmium iis qui hanc vitam rectè laudabiliterque transegerunt? quique ita res rationesque suas instituerunt, ut multa certamina maximis laboribus ac sudoribus plena ad finem usque hujus vitæ ipsis fuerint proposita? Ubi verò supplicium illis definiet, qui omnem improbitatem ad mortem usque sectantur: interea tamen divitiis & honore fruuntur? Quo modo autem illam apud Homerum admonitionem interpretabitur, qua pars animæ ratione prædita utitur ad irascibilem facultatem: *Cor suffer patiens?* Quomodo hoc verò accipiet: *Manet usque anima & subit Orcum?* Quomodo item istud: *Certè aliquid restabit ad Orcum?* Quod nihil est aliud, quàm, Reverà ibi quoque aliquid supererit. Quomodo autem Euripides, quem sapientem esse dicitis, hoc pronuntiavit: *Benè ac beatè in infera tibi sit domo?*

Quomodo autem, si harmonia quædam est anima ad illam inconcinnitatem delabitur? ut rude atque absurdum quoddam edat carmen? Virtus enim est concinnum quiddam atque elegans: Vitium verò contrà absurda res & absona. Quomodo porrò laudandos existimat eos, qui scientias excoluerunt, si nescio cujus temperamenti beneficio tales facti sunt? Qua item ratione vituperabit eos, qui vanis artibus dediti fuerunt, si à natura ad has institui imbutique sunt? Quomodo item reprehendet eum, qui ex formosis corporibus percipitur, quæstum, si quidem eum conciliavit temperamentum? Quo autem pacto defendet eas quæ quotidie fiunt morum mutationes? Multi namque impuri ac libidinosi qui fuerant, ad castitatis studium sese contulerunt, neque verò de ipsis dici potest, temperamentum esse mutatum. Quidam enim adhuc adolescentes & libidinosi, in ipso vigore ætatis ad continentiam redierunt, non mutato simul temperamento, sed voluntatis proposito meliore id operante.

Sed ne, dum omnes, quæ unquam factæ sunt, mutationes commemoro, in longum extraham epistolam, illis omissis, ad objectionem quandam, quæ ipsi robustissima esse videtur me conferam: Quænam ergo hæc est? Si, inquit, immortalis est anima, ut quidem vult Plato, quid causæ est cur separetur à corpore, ubi cerebrum aut nimis refrigeratum, aut supra modum exsiccatum, aut humectatum fuerit? Ad hanc objectionem dum respondeo, omittam ipsius reprehensionem, quod sæpenumerò ex singultu, quem fortassis harmoniam vocat, morte quibusdam prædicta, & vita aliis promissa, à vero aberrarit, dum illi quidem diutius vixerunt, isti verò obierunt: (adeò illam artem, ut quæ merè sit conjecturalis, veritas fugit!) omittam hoc quoque, quod multorum, qui noxiis pharmacis essent incantati, animæ non excesserint tamen è corporibus (adeò non semper omninoque refrigerato cerebro separatur anima!) illud dixerim: Divinum esse vinculum, quod colliget ea quæ plurimum inter se distant, & communionem ac societatem quandam ineffabilem esse animæ incorporeæ cum corpore, & indicibilem esse consensionem atque affectionem mutuam inter immortalem substantiam & mortale instrumentum, ut ipsi quoque Platoni videtur.

Galenus autem hoc à se ne intelligi quidem posse simulat. Ideo autem hoc factum est, ut anima magno sibi studio habeat curâ corporis, non quidem ut carnositate quadam saginetur atq; intumescat, sed tantùm ut rectè valeat, cum anima, si eam valetudinis curam negligat, luitura sit eam corporis intemperiem, & inde incommodum perceptura, quamvis non propria & principali noxa, attamen per consensum. Intemperies enim corporis & ebrietas, animæ quoque illam affectionem transmittit. Ipsa verò, perinde ut gubernator in magna tempestate deprehensus jactatusque, perturbatur, & suam scientiam non declarat submersa. Tum verò quasi uvida facta sæpè agitur ac fertur quocunque humor aut fluctus eam impulerit comprehensam. Neque enim ea res hoc declarat, non esse immortalem animam, sed actiones ipsius impediri indicat. Nam neque musicus quamlibet optimus, ineptam habens lyram, aut in pelagus delapsus, concinnum carmen unquam ediderit. Et hæc quidem hactenus ex ratiocinationibus dicta sint. Jam verò opificis ipsius & creatoris animæ calculus proferatur, obsignans id quod dictum est, & dicens: Ne timete ab iis qui corpus occidunt, animam verò occidere nō possunt. Quod restat igitur, sic vitæ nostræ rationes actionesq; omnes instituamus, ut convenit eos facere, quibus persuasum est, animam immortalem esse. *lib.* 4 *Epist.* 125.

Idem: Quod de animarum lapsu traditum est ab Origine, id tametsi verum, ut puto, non sit verisimile tamen apparens, cum alia multa argumenta, tùm vel maximè duo, ut nostra fert sententiæ ratio, evertere videntur. Unum quidem, quod istud dogma in scripturis nō sit perspicuè prædicatum: Alterum verò impermixta oblivio. Non enim vident, quale nasciturum sit scandalum ex manifesta atque diserta hujus dogmatis prædicatione. Facilius quippe ad eum, quo ab initio fuit, statum recurreret anima quæ eo excidit, ubi hoc didicerit. Quænam hæc est extrema & profunda oblivio, ut nihil ipsa omnium, quæ in priore suo statu habuit, recordetur? Atqui si recordaretur, quàm celerrimè eò recurreret, unde esset delapsa, quamvis sexcentos oporteret tolerare labores. Nam si regis alicujus filius per socordiam dignitate quidem regia excideret, cum latronibus autem & siccariis versari mallet, memoria cum certè prioris felicitatis poterit nullo negotio quàm celerrimè reducere ad paternam dignitatem. Sin autem penitus extincta fuerit atque deleta ex animo ipsius prior memoria, neque grave aut difficile ducet, cum latronibus commorari: imò etiam libentissimè suavissimeque cum ipsis versabitur, nihilque prorsus faciet eorum, quæ possent ipsum ad regnum, quod ne novit quidem amplius, reducere. Cum autem nihil eorum, quæ ipsum illuc reducere possent, faciat, nunquam etiam eò revertetur.

Itaque memoriæ ratio, si verum esset quod de lapsu animarum, traditur, omnes homines ad reditum (in priorem statum felicis.) impulisset. Deinde perspicua scripturarū doctrina magis etiam eosdem confirmasset. Credimus enim alia quædam, nostrum meritum dignitatemque longè excedentia, recondita esse nobis præmia. Sed hæc, ut ego existimo, videtur utilissima, quod abolita prioris status animæ in quo fuerit, memoria, multa ac varia in vitam nostram dogmata importavit. Alii namque putant, extingui animam cum corpore: Alii verò in vitam hanc producti sunt, quasi hujus tantùm vitæ bonis perfruendum sibi esset. Et alii quidem casum temerarium quo omnia voluantur, excogitarunt: Alii autem fato & necessitati ortus & fortunæ res humanas permiserunt administrandas. Et alij quidem ortum esse mundum pronuntiarunt (alii contra ab æterno fuisse.) Alii cœlum quidem providentiam Dei sortitum esse: Terram verò non item. Alii corpus voluerunt à malo formatum esse, nec ullo pacto virtutis instrumentum esse posse. Aliaque ejusmodi infinita: quæ, ne oratiunculam in longum producamus, prætermittam.

Hæc autem (dogmata) omnia extincta essent, si memoria prioris conditionis in anima remansisset siquidem vera esset de lapsu animæ sententia, & si in sacris oraculis clarissimè annuntiata fuisset ejus prolapsio, ad reditum provocans. Priori enim ratione & Græci & barbari & quicunque sacras scripturas recipiunt, cognovissent quod cognitu est necessarium. Præterea carcerem (in quem detrusam & inclusam esse perbibent animā post lapsum) equidem video talem esse, qui non prohibeat sed potius augeat peccata. Quomodo enim punitur (anima,) eùm accipiat majorem ad peccandum occasionem? Quid autem peccavit anima (priusquā in corpus demitteretur?) graviorāne admisit cæde, aut adulterio, aut veneficio? Si quidē igitur compesceretur anima (in corpore, ne peccaret amplius,) ut invita quoq; emendaretur, tum verò locum habere posset ista ratio. Quale autem suppliciū sustinet anima, quæ corpus deliciis, & scortationibus, & aliis à natura abhorrentibus voluptatibus tradit ac mancipat? quæ carcerem suum (hoc est corporis cōmercium) ne quidem relinquere amplius vult? quæ profundam ac longiss. optat sibi contingere senectutē? quæ nihil non facit, ne quicquā sit impedimento voluptati? quæ & dormientem sæpe numerò excitat, & scortandi occasiones præbet, & libidinē instigat? Nemo certè, qui peccantem punire vult, occasiones ipsi majores ad exercendam libidinum petulantiam suppeditat.

Cur autem dicit Propheta: A ventre matris meæ Deus meus es tu: si antea quoque erat? Quomodo autē resurrectio corporum annuntiatur, ac non potius restitutio animarū in statum corporis expertē? Quomodo Abrahamus & Anna (Samuelis mater) sterilitatē orbitatemque deflerunt? Quomodo in benedictionis parte censendū erit illud: Crescite, & multiplicamini, & replete terram? Nam certaminū adeundorum gratia, non autē ut pœnas priorum delictorū persolvamus, in hanc vitā producti sumus. Quòd si in lucta ac certamine isto per ignaviā atque socordiā succubuerimus, & remissionē ac resto per ignaviā atque socordiā succubuerimus, & remissionē ac requiem

quiem quæsiverimus, tunc sanè, tunc inquam jure meritoq; coronarum expertes erimus. Verum quamilli qui vitiosa tradiderunt dogmata tamen virtutem amplecti nos monuerunt: (hanc enim arbitrati sunt optimam ducem ad reditum in priorem felicitatis statum) Ecclesia quoq;, affirmans, homines ad luctam & certamen ordinatos esse, ad virtutem eos excitat & hortatur. Per hanc enim eos qui vicerint, in cœlo præconiis & coronis ornatũ iri pollicetur. Quare omissis cõtentionib. de reb. dubiis atq; obscuris ad id quod apud omnes in confesso est, nosmetipsos congregemus. Nam & ipsi & nos omni robore virtutem tanquam rem divinã celebramus atq; controversiâ ab utraq; parte in admiratione habetur, negligentes, de re obscurâ & cõtroversa inter nos digladiamur. Sive enim lapsa est (anima antequã in corpus veniret,) ut illi perhibent, virtute opus est ad revertendum in priorem statum: Sive certaminis ac luctæ ergo in hanc vitam producta est, ut nos dicimus per virtutem coronæ nectuntur. *lib. 4. Epistol. 164.*

Basilius Seleuc. Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescẽdum. Prius equidem videbat, sed adspectum expurgaverat affectibus, & propter puritatem ratio inservitutem minimè duci poterat. Anima verò passionum vinculis impedita cum oculo malum communicavit: qualia namq; sunt animæ consilia, tales & corporis motus. Vidit, quòd bonum esset lignum ad vescendum. *serm. 3. m:*

Basilius Seleucienſis: Anima quæ virtute exuta improbitatem induerit, eum vocat ad habitationem, qui malis affectibus gaudeat, hoc est Diabolum. *Oratione 16. m.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Rerum omnium cursus obsequiis corporis, animarum constat imperio. aliud nobilitat cœlestis adfinitas, aliud objectio terrena summittit. Nec liberum est, ut quo mens Deo parente conlata deflexerit, quòd de ultimis adsumptum est, non sequatur: nec licet militem obviam manum decretis Imperatoris adferre. Hinc Crispus adseruit, aliud nobis cum Dis, aliud cum beluis esse cõmune. Huius secreti ratione cum absentibus peregrinamur, & salva membrorum valetudine, amantum febribus æstuamus. per hæc vincula nulla itinerum interjectione dividimur, & segregati habitaculis in unum studiis convenimus. *lib. 6. Epist. 6. pr.*

Zeno: Si attendas, non requires, ut ex universæ creaturæ contemplatione conditorem ejus agnoscas, sed in temetipso, velut quodam parvo, ac minori mundo deprehendes magnificam creatoris tui sapientiam. Incorporeum namque, & in comprehensibilem intelligis Deum ex ipsa anima, quæ in te immortalis est: quoniam quidem neq; tua mens principaliter in loco aliquo continetur: sed tantum ex consortio corporis invenitur in loco. Invisibilem esse Deum credis animæ tuæ substantia contemplata: quia ne ipsam quidem potes carnalibus oculis intueri: neq; enim color ei ullus, aut habitus est; vel forma ei aliqua corporeæ descriptionis exprimitur, sed ex virtutibus tantum atque operationibus innotescit. Et ideo neque in Deo requiras oculorum visum: sed sola mente, ac fide ad eum conversus intellectualem sensum, atq; intelligentiam concipe. Admirare quoque opificis sapientiam, quomodo animæ tuæ virtutem consortio corporis modulatus est ita, ut per omnes eius partes infusa duceretur, & quamplurimum inter se membra distantia ad unã consonantiam, concordiamq; constringeret. Intuere ergo, & attende, quæ sit ista virtus animæ, quæ ab ea traditur corpori, membrisq; diffunditur, quidve rursum sit, quia cárnis ad animam redit, ac redundat affectus, atque compassio. vel quomodo vitam quidem suscipit corpus ab anima: recipit verò anima dolores, mœroresq; de corpore. Require, quæ sint eius receptacula memoriæ: qui eruditionem, literarumque thesauri: quomodo non obliterentur ea, quæ prima didicimus additamentis novorum, argumentiq; recentium: sed manet uniuscujusq; disciplinæ inconfusa distinctio, velut æreis quibusdam tabulis cordis, & libris mentis incisa. Quomodo anima, cum ad carnis vitia declinat, & labitur, propriæ virtutis perdit decorem: & quomodo rursum dedecore abjecto nequitiæ, & virtutis institutionibus expurgata ad creatoris imaginem, ac similitudinem reformatur. Attende, si videtur, per hanc animæ considerationem, quid etiam ratio in se naturæ corporeæ gerat: & admirare, quàm dignum rationabili animæ admirandus opifex construxit hospitium, Rectum inter omnes animantes finxit solum corpus humanum, ut ex ipso habitu videas, & cognoscas, quia supernorum tibi est, cælestiumque cognatio. Omnia namque quadrupedia prona, & ventri obedientia facta sunt: homini verò erectus ad cœlum intuitus datus est: ut non ventrem spectet, neq; infra ventrem positis vitiis vacet, sed omnem habeat impetum, vel conatum ad superioris viæ cursum.

Nam idcirco etiam caput in summo culmine totius humanæ fabricæ situm est: & in ipso, quod præclarius est, in homine sensus isti corporei instituti sunt, id est visus, auditus, gustus, & odoratus: qui omnes vicini, & penè sibi mutuò cohærentes, brevibus tamen diremptis spatiis in nullo suis usibus invicem, officiisque præpediunt, vel obsistunt. Oculi quidem excelsioris speculæ sortiti sunt locum: ut parva superciliorum prominentia suprà dirigitur in directum tenderetur obtutus, & universorum consideratio facilior eis, & moderatior fieret. Aures verò inæqualibus quibusdam anfractibus ad apertæ ictiaéris sonum distincta modulatione suscipiunt. opus etiam hoc miræ, & inæstimabilis sapientiæ Dei, ut vocem quidem extrinsecus nullo vetante suscipiant, quinimo, & dum per inflexos amfractus ducitur, magis sonora reddatur: nihil tamen aliud extrinsecus incidere inflexionum ipsa objectacula patiantur, quod impedire possit auditum. Jam verò si linguæ intuearis naturam, quomodo quidem mollis est, & motus perfacilis ita, ut ad omnem verbi usum quãlibet variis & diversis motibus ullius rigoris difficultate deserviat, sed & dentium murus simul & vocis organo ministerium præbens, dum linguæ ipsi validissima exhibet circumvallationis obstacula, simul & cibis ministret molendo per alios, incidendo. Et ita per hæc omnia cogitationem tuam trahens, competenter considerans illud quoque, quod aëris spiritum pulmone revocamus, calorem corde servamus, & digestionum membra perpendens sanguinis per venas meatus, ex his omnibus investigabilem Dei sapientiam cernens, tu quoque cum propheta stupens, & admirans exclama: Admirabilis facta est scientia tua ex me. Attende ergo Tibi, ut possis attendere Deo. *Circa finem præcepti. Attende tibi.*

Zeno: Concepit spiritum Adam quem nescit, mihi autem non videt, exeuntem non potest prohibere. Et æstimat quisquam, Dei se posse scire secretum, qui sui corporis nescit arcanum. *sermone 3. de æterna filii genera.*

Zeno: Sicut stateræ momentum si in unam partem depresseris, leviorem sine dubio alteram facies, ita in hoc animæ, & corporis jugo, cum in unam partem propensior extiteris, clara erit alterius, & manifesta diminutio: quis enim dubitat cum corpus luxuria fluitat, carnibusq; distenditur, ignavum, & obtusum effici mentis vigorem. Si verò anima florentioribus virtutis exercitiis imbuatur, & meditatione meliorum ad culmen propriæ magnitudinis erigatur, fatiscentem corporis statim commoda in infirmitate marcescere. *de præcepto, Attende tibi.*

Io. Sarisberiensis: Hominem constare ex anima rationali, & carne corruptibili; antiqui sapientes definierunt. Caro siquidem vivit ab anima, cùm aliunde corpori vita esse non possit: quod semper inertiæ suæ tempore quiescit, nisi spiritualis naturæ beneficio moveatur. hæc autem habet & ipsa vitam suam. Deus enim vita animæ est: quam sententiam modernorum quidam graviter & verè, licet metricâ levitate complexus est,

Vita animæ Deus est, hac corporis. hac fugiente
Solvitur hoc. perit hac destituente Deo.

Sicut ergo corpori vivere, est vegetari, moveri ab anima, & dispositione sui motibus animæ acquiescere, & ei quadam obediendi necessitate concordare: sic & anima ex eo vivit, quod suo modo vegetatur, & verè movetur à Deo, & ei subjecta devotione obtemperat, & in omnibus acquiescit. Si quo minus, & eo minus vivit, nam & corpus qua parte sui non movetur ab anima, jam in eo teporem mortis incurrit. Dum ergo totum vivit, ad eam totum disponitur, quæ Moyse per partes infundit partibus, sed tota est, & operatur in universis ac singulis. Sic & Deus animam perfectè viventem, totam occupat, totam possidet, regnat & vivit in tota: nullus ei angulus exceptus est. Sed quid in anima angulum vel partem dico? partium expers est, simplicisq; naturæ, & totius duplicitatis ignara. partes tamen quas potuit sibi ab distributore bonorum vendicavit. Quas? inquis? virtutes utiq; quibus viget & operatur, & sui experimentum facit. Sine ergò multiplicitate partium & quantitatis quadam distensione crescit, ratione tamen & intellectu, appetitu boni, aversione mali, manente simplicitatis natura dilatatur. Cùm verò partes istas spiritus implet (Deus enim spiritus est) solida & perfecta est vita animæ, &c. *cap. 1. lib. 3. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Cùm fidelis anima de terra exaltatur, tunc deinde omnia trahit ad se ipsum. *sub finem cap 9. lib. 3. Policratici.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Diogenes: Præterea non est consentaneum ut Lacedæmonii, fortitudinis ostendendæ gratia, sine muris Spartam habitent: incustoditam autem animam, affectibus prædam relinquant, neque ullum ei præsidium imponant & cum finitimis maximo terrori sint, suis ipsi morbis se perire patiantur. quippe qui virtutem expellunt: qua sola animo bene valere, & qui conficiuntur, morbo liberari potuerunt. *Epist. 36. ad Asiceridem.*

Plato: Ei viro qui præclarissima sibi patriæq; affectat, nihil unquam nisi rectum & honestum potest accidere. Nec verò quisquam nostrûm natus est immortalis: neq; si cui id contigerit, esset is propterea felix, ut vulgò videtur. Rebus quidem carentibus anima nihil bonum est vel malum existimatione dignum: sed unicuique animæ id accidet, aut dum est cum corpore aut à corpore separatæ. Credendum est revera semper antiquis sacrisq; verbis: quæ nobis nunciant immortalem esse animam, judicesq; habere, suppliciaque pati maxima: postquam à corpore fuerit separata. Quamobrem minus malum existimandum est, perpeti gravissimas injurias à delinquentibus illatas, quàm inferre. Quæ quidem homo cumulandæ pecuniæ deditus, & hebeti ingenio non audit, ac si audiverit, quasi judicio deridenda contemnit: atq; impudenter rapit undiq; quicquid existimat sibi veluti bestiæ, voluptates ventris suppeditaturum, oblectationemq; veneream: servilem certè atq; ingratam & absurdam, nec veræ voluptatis nomine dignam: & quasi cæcus non cernit se frustrà contendere inexplebilem explere concupiscentiam. Neq; rursus cernit quantum sit impietas malum, quibusq; insit rebus semper injustitiæ mixta. Quam quidem necesse est animam quæ perpetraverit injusta, secum habere, & dum per terram revolvitur inter homines, & dum sub terram passim turpiter omnino atque miserè circumfertur. *Epistola 7. ad Dionis propinquos,*

Heraclit.

Heraclitus: Ego verò novi mundi naturam, novi etiam hominis. Novi morbos, novi sanitatem. Medebor ipsemet mihi, Deum imitabor, qui mundi inæqualitatem æquat mandans soli. Non occumbet morbo Heraclitus. Morbus occumbet Heracliti consilio, & ubique humida arescunt, calida frigescunt. Novit mea sapientia naturæ vias: novit & morbi finem atq; requiem. Quòd si corpus omnino redundarit, descendet ad fatalem locum. At animus non descendet, sed cùm sit immortalis in cœlum evolabit sublimis. Eum accipient æthera domicilia & Ephesios criminabor. Versabor, non in hominibus, sed in diis, neq; aliorum aras ædificabo, sed alii mihi. *Epistola ad Amphidamanta.*

Hierocles: Et illi etiam qui animam interire arbitrantur, cùm de appetenda virtute disputant, cavillantur potius, quàm veri quicquam asserant. Nisi enim aliquid nobis post mortem subsisteret, quòd veritate atq; virtute natura ornari cuperet; (cujusmodi est proculdubio animus rationis particeps) haud inesset nobis pura rerum honestarum appetitio. Præfocat enim istarum rerum studium suspicio interitus, & averut ad corporis voluptates, qualescunq; ministrari valeant. Qui enim ex eorum sententia, prudentis esse, aut moderati videatur, non omnia corpori indulgere, propter quod & ipse animus conservetur; cum per se quidem non existat, sed corporis certæ conformationi accedat? Qui rursum virtutis nomine corpus projiciamus, si animus ipse nobis cum corpore ita pereat, ut ne virtus quidem ipsa subsistat, cujus studio mortem sustinuimus? *In aurea Carm. Pythagoræ.*

Simplicius: Animæ pulchritudo, pulchritudine corporis soluta, non jà imago pulchritudinis, sed ipsa pulchritudo, ratio pura est, non alibi quidem pulchra, alibi verò non pulchra, sed tota & penitus pulchra. quare etiam cùm anima vel suam, vel alterius animæ pulchritudinem perspexerit, pulchritudinem corporis aspernatur & despicit, ad illam alteram inclinata. *ad cap. 30. Epicteti.*

Arrianus: Si Deus eam sui partem quam nobis dedit, rapuisset, atq; ejusmodi feciisset, ut vel à seipso vel ab alio cogi posset: desineret esse Deus, neq; nos eo quo deceret modo curaret. Si vis, liber es, si vis, de nemine cõquereris, neminem accusabis, omnia simul & tuæ & divinæ voluntati respondebunt. *fine cap. 17. lib. 1. Epict.*

¶ LATINORUM.

Quintilianus: Experta non totum mori hominem, illud quod nec flammis uritur, nec cineribus exstinguitur, nec urnis sepulcrisq; satis premitur, exspectat. *Declamatione 10. §. 1.*

Quintilianus: Sapientes, constare hominem & perfici corporis alimentis animæq; dixerunt, corpus caducum, fragile, terrenum, ut sicca humidis, calida frigidis, resolutis astricta pugnarent, partim aut doloribus affici, aut novissimis annis, aut senectute dissolvi. Animam verò flammei vigoris impetum, perennitatemq; non ex nostro igne sumentem, sed quò sidera volant, & quo sacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium autorem parẽtemq; spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato: sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra, donec in alia fata sæculo pugnante transmigret: Deinde prioris corporis meminisse. Inde evocatos prodire manes, inde corpus & vultus, & quicquid videmus accipere, occurrere suis imagines charas, aliquando & oracula fieri, & nocturnis admonere præceptis, sentire quas mittamus inferias, & honorem percipere tumulorum. *Declamatione 10. §. 18. m.*

¶ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 2. de Virg.

Non homo totum hominem, veluti de more loquuntur,
Progignit: verum crassæ tantummodo carnis
Est pater, & calidi dat semina prima cruoris:
Quorum utrumq; gravi corruptum morte peribit.
At anima in corpus divino condita flatu
Immeat externè (novit rex ille supernus,
Quo primum pacto flavit, terraq; jugavit
Augustum effigiem) Porro ne dicere falsa
Censear, ipsa tuo locupletes mihi testis amore
Esse potes: nec enim perfectus & integer ille est.
Non etenim natorum animas, sed corpora sola
Diligis & magno, cum sunt male sana, dolore
Afficeris, rursus gaudes florentibus illis.
Nam multo gravius mentes utriusq; parentis
Excruciat vel parvæ lues quæ membra suorum
Inficiat, quam magna animi labesq; luesque.
Cur? quia non animas illi, sed corpora gignunt.
Quod si cum mihi pars duntaxat vilior absto
Nascatur, nomen tibi non invita parentis
Ipsa tamen tribuo, quisnam tua pectora livor
Occupat, ut prives natos meliore parente?

Prudentius contra Marcionitas.

Nec mirere locis longè distantibus inter
Damnatas justasq; animas concurrere visus
Conspicuos, meritasq; vices per magna notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.
Errat quisqui animas nostrorum fine oculorum
Æstimat, involvit vitreo quos lucida palla
Objice, queis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntq; vagas obducto humore fenestras.
Numne Animarum oculis denso vegetamine gutta
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extra
Horrescunt setis? ciliove umbrante teguntur?
Illis vivida acies, nec pupula parva, sed ignis
Trajector nebulæ, vasti & penetrator aperti est:
Nil ferrugineum solidumve tuentibus obstat;
Nocturnæ cedunt tenebræ, nigrantia cedunt
Nubila pratenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aerios visu transmittit hiatus
Spiritus oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atq; ultima littora Thules
Transadigit, volucresq; oculos in tartara mittit.
Nostri nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus & cæco delentur tempore formæ.
Numquid & exutæ membris ac viscere, perdunt
Agnitione notas rerum, vel gressibus errant?
Una animas semper facies habet, & color unus
Aeris, ut cuiq; est meritorum summa, sinistri
Seu dextri, alternas nec commutabile tempus
Convertit variatq; vices: longum atq; perenne est
Quidquid id est, unus volvit sua secula cursus.

Idem eodem tractatu.

Experto dubitas animas, percurrere visu
Abditæ corporeis oculis? cùm sæpe quietis
Rore soporatis, cernat mens vivida remotos
Distantesq; locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens. neq; enim se segregat ipsa
Ante obitum vivitque ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis & carnis penetralia, seq; medullis
Exuit, abductamq; abigit de pectore vitam,
Viscerea sed sede manens speculatur acutis
Omnia luminibus, & qua circumtulit aerem
Naturæ levis intuitum, nullo obijce rerum
Discluſa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
Atq; orbis sub mole situm sordens elementum.
Objacet interea tellus, nec visibus obstat:
Quin & stelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Pervigilis animæ, quam vis dum sata gravantur
Nubila, & oppositio nigrescat vellere cælum.
Sic arcana videt tacitis cooperta figuris
Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensusq; oculisq; peragrans
Ordine dispositos venturis solibus annos
Procinctum videt Angelicum, jam jamq; cremandis
Orbis in exitium, raucos & percipit aure
Mugitus, gravium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit;
Corporis in volucris tumulo frigente repostis?

Prudentius contrà Marcionitas.

Nemo duos soles nisi sub claucomate vidit;
Aut si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus & aer,
Et glaucoma, aciem quod tegmine velat aquoso,
Libera ne tenerum penetret meditatio cælum.
Neve Deum rapidis comprendat sensibus unum
Spargitur in bisidas malesana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus exstruit aras.

Prudentius passione Romani.

Pupilla carnis crassa crassa perspicit
Et res caduca quod resolvendum est; videt:
Liquidis videndis aptus est animæ liquor:
Natura fervet sola fervent issima
Divinitatis vim coruscantem capit.

Prudentius fine Psychomachiæ.

Reddimus æternas, indulgentissime doctor,
Grates Christe tibi, meritoq; sacramus honores
Ore pio: nam cor vitiorum tercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisq; animæ voluisti agnoscere casus.
Novimus alternis conflictibus, & variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
Nunc inclinatis cervicibus ad juga vitæ
Deteriora trahi, seseq; addicere noxis.
Turpibus, & propriæ jacturam ferre salutis.
O quoties animam, vitiorum peste repulsa
Sensimus incaluisse Deo! quoties repe factum
Cæleste ingenium post gaudia candida tetrò
Cessisse è stomacho! fervent bella horrida, fervent
Ossibus, atq; inclusa fremit discordibus armis.
Non simplex natura hominis, nam viscera limo

Effigia-

Effigiata premunt animum, contraille serenæ
Editus afflatæ, nigrantis carcere cordis
Æstuat, & sordes arcta inter vincla recusat.

Prudentius lib. 2. contra Symmachum

Hæc igitur spondente Deo, quis fortis & acer
Virtutisq; capax, breve quidq; perennibus insit
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putabit?
Gaudia membrorum, quam vivæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudem distantia separat una,
Quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt, ego contra
Spero quod extra aciem longum servatur in ævum?
Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam.
Quis mihi regnator cœli, quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam meritò metuenda potestas?
Ibo per impuros ferventè libidine luxus:
Incestabo toros; sacrum calcabo pudorem:
Insitiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes:
Longævam perimam magico cantamine matrem:
Tardat anus dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum: fallunt publica jura.
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum:
Aut si res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor? revocat Deus ecce severa
Majestate minax: negat interitura meorum
Per mortem monumenta operum: non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More Noti: rapiam tamen & tormenta adhibebo,
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam: possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem: nec desperanda potestas:
Qui potui formare novum reparabo peremptum.

Prudentius lib. poster. contra Symmachum.

—— Animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumq; levem, tenerumq; vaporem:
Unde pererratis vegetet præcordia membris:
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.

Prudentius de animæ natura.

—— Ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum,
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vera est.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus naturæ suum, quod parvula anhelent
Vascula, vitalisq; adsit scintilla coactis.
Quæ quamvis infusa novum pexetret nova semper
Figmentum, vetus ille tamen de crimine avorum
Ducitur, illoto quoniam concreta veterno est.
Inde secunda redit generatio, & inde lavatur
Natura illuvies, iterumq; renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.

Prudentius de natura Animæ.

Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Majorem cunctis: ipsam quoq; crede creatam.
Formata est namq; ore Dei, quæ non erat ante,
Sed formata habitu pulcherrima, pictaq; rebus
Divinis, & plena Deo similisque creanti.
Non tamen ipsa Deus: quoniam generatio non est.
Sed factura Dei. solus de corde parentis
Filius emicuit. verus Deus ille: sed illud
Collatum est animæ, subitò ut quæ non erat, esset.
Ille coæternus patri est, & semper in ipso,
Nec factus sed natus, habet quodcunq; paternum est.
Hæc similis velut umbra Dei est, sed non habet umbræ
Quod corpus solidum, cujus simulatio in umbra est.
Atq; aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sectis quod non consumitur ullis,
Quod sapiens justiq; capax, reginaq; rerum
Imperat, antevidet, perpendit, præcavet instat,
Verborum morumq; caput, instructaq; mille
Artibus, & cœlum sensu percurrere docta.
His animam similem sibi conditor effigiavit,
Cetera dissimilem, quippe hanc comprendere promptum est,
Quam modus & species determinat. at Deus ingens
Atq; superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat sensuve teneri,
Incomprensa manet virtus, cui linea defit
Ultima, quam spatium non mensurabile tendit.

Idem paulò post.

Sit res illa Dei, non abnuo: pars tamen illa
Haud quaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit:
Nec prior aut senior, quam primum plasma putanda est.
Tunc etenim factam video, cùm cordis amicè
Intravit germana domum, limiq; recentis
Hospita, & ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est, sed spiritus & vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth.
Sed speculum destatis homo est, in corpore discas
Rem non corpoream: solers interprete Christo,
Qui patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice quam varios fundamus ab ore vapores,
Spiramus quoties animæ sufflabilis auras:
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans.
Cùm libet in gelidum flabrili frigore ventum
Spiritus existit tenuis, & sibilat aer.
Adde & distinctum quem musica tibia flatum
Concipit: aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos:
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Hæc cùm te videas mortali in corpore posse,
Cur non Æternum potuisse infundere credas
Qualem animam voluit? præscriptis quam quia condens
Efflavit fuditq; modis, sit facta necesse est.
Deniq; multa sapit, sed non sapit omnia nostræ
Vis animæ, certum sapere ac prænoscere jussa.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus. Potissimum in hac vitæ palæstra laboris solatium est, quòd absoluta hac vivendi periodo aliam vitam exspectemus, longè beatiorem, ac nullo fine terminandam. Hinc immortalitatis largitor CHRISTUS, muniens suorum corda ad fortiter tolerandas persecutiones; *Nolite*, ait, *timere eos qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere.* Illa utpote immortalitatis dono prædita, etiam cum corpore immortalem retributionem accipiet. *Luc.* 12. *Matth.* 16. *Marc.* 8.

Idem Ut animæ immortalitatem explicatiùs proponat, exemplo villici iniquitatis adducto, qui sibi compararat amicos de bonis Domini sui; tandem concludit: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis* (divitias intelligit, quæ ordinariè ab iniquitate descendunt, aut per eam acquiruntur, ut notavit Janssenius) *ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, quod verum non esset, nisi anima post mortem corporis aliud haberet receptaculum, nunquam cum eâ interiturum. *Luc.* c. 16.

S. Stephanus Protomartyr. Calamus manusque scribentem deficeret, si omnes in hunc locum referre voluero, qui de hac vita exeuntes, in Domino mortui, hanc immortalitatis spem etiam in mediis angustiis præclarè protestati sunt. Sit instar omnium unus STEPHANUS: qui à persecutoribus saxis obrutus, læto animo exspectans sempiternam illam mercedem, positis genibus; *Domine Iesu*, inquit, *accipe spiritum meum. Act.* c. 7.

Ioan. Shertus Anglus. At dignum etiam foret recensere, quàm multi nostro ævo hujus immortalitatis desiderio apud Anglo Calvinistas mortem oppetierint. Ex his JOANNES SHERTUS, reus crimine læsæ Majestatis, quòd Reginam Angliæ, caput Ecclesiæ negaret; cùm moneretur veniam delicti petere, & sententiam mutare: *Quid?* inquit, *pro vili hoc cadavere conservando, animam meam perdam? absit. Ex martyr. ejusdem.*

Alphonsus Aragonum Rex: Revolvens opera Senecæ Philosophi rogabatur, cur animus hominis ita esset insatiabilis, qui ait: *Animus hominis à Deo profectus, non prius conquiescit, quàm eò redeat, unde profectus est.* Ita olim Lucretius:

Cedit enim retrò de terra, quod fuit antè
In terra: sed quod missum est ex atheris oris,
Id rursum cœli fulgentia templa receptat.

Panorm. lib. 1. *de Gest. ejusdem.*

Carolus V. Imp. Et hic cæteris meritò adjungendus. qui Philippo filio occupato circa corporis ac capillitii potissimum cultum, *Non corpus*, inquiebat, *sed animus excolendus, quo veros tibi concilies amicos.* Significabat providus IMPERATOR, mores animi esse verè amicos fideles, qui nunquam etiam in adversis destituunt possidentem. Hinc satis appositè Jac. Bill.

Ancilla inseruit domina quicunque relicta,
Ecquis eum sani pectoris esse ferat?
Non sani magis est animi, qui mollia quærens
Carni, animam lenta tabe perire sinit.

Ex Vita Caroli V.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Iesus Christus Deus Homo Dominus noster. De Animarum immorta-

mortalitate obſervanda ſunt imprimis Domini noſtri pronunciata quæ ſequuntur. *Nolite* (inquit ad diſcipulos) *timere eos qui occidunt corpus, animam non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Matth.* 10. 28. Adverſus Sadducæorum de animarum interitu errorem impium, citat locum Moſis Exod. 3. 6. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Et addit, *Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Unde ſequitur animas horum patriarcharum vivere. Matth. 22. 32. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. 9. Dixit latroni reſipiſcenti & credenti, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. 43.

D. Stephanus & D. Paulus Apoſtolus: Dum ab Evangelii adverſariis lapidaretur Stephanus, invocabat Chriſtum, dicens, Domine Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum. *Act.* 7. 59. D. Pauli Apoſtoli de animarum immortalitate dicta extant firmiſſima. 1 *Corint.* 15. 19. 2. *Cor.* 5. 1. *Philipp.* 1. 23. *Hebr.* 12. 9. & 13. 17.

Anonymus: Theologus quidam inter veteres, de anima corpore ſoluta rogatus quid ſentiret, reſpondit, *Sapientum dictis fidem habeo, quòd omnis anima bona & pia, poſtquam adſtricto ſibi corpore ſoluta hinc diſceſſerit, mox ſentiens & contemplans eventurum ſibi bonum, utpote illo quod tenebras effundebat expurgato, ſive depoſito, ſive quocunque alio modo dicendum eſt, mirifica quadam voluptate mulcetur, & exultat, & placida ad Dominum ſuum proficiſcitur, a præſenti vita veluti carcere quodam gravi refugiens, & injecta ſibi vincula decutiens, à quibus mentis ala detrahebatur, & jam quodammodo deſtinata ſibi felicitate fruitur.* Anton. & Maxim. Serm. de anima.

¶ Monosticha Trochaica.

Anima corpore haud tenetur, ipſamet corpus tenet.
Anima heroa non libenter corporis caſa latet.
Anima nulla in terris errat ſeparata a corpore.
Corporis anima evolare quæque avet ex ergaſtulo.
Corpori animam manciparе res vel injuſtiſſima eſt.
Corpori ſuum decorem anima ſtatus communicat.
Corporis curam inſipiens, animæ curam ſapiens gerit.
Corpus veſtis eſt animæ: ergo a ſordibus purum tene.
Hoſpitium ſibi libenter pulchra anima pulchrum induunt.
Multa membra corporis ſunt, verum anima iis una imperat.
Nil animæ damni accidit pereunte quamvis corpore.
Non cum corpore exſtinguuntur magnæ animæ: ſemper manent.
Nullus in terra locus Deo animâ purâ gratior.
Præſto aut pœna peremptis anima in æternum manet.
Sapimus animo, fruimur animâ: ſine animo anima eſt debilis.
Turpem animam nigramque ſplendore auri haud illuſtraveris.

¶ Jambica.

Ad cuncta corpus animam ſcelera pertrahit.
Animæ caro diei unius penula eſt.
Animæ magis curam geras quam corporis.
Animæ profectò carceres ſunt corpora.
Animæ redit libertas morte corporis.
Anima impiorum uſq; uſque pallet ac tremit.
Anima non poteſt videri, ſenſibus nec percipi.
Anima una rebus omnibus pretioſior.
Anima volente corpus deſtruitur probi.
Corpus ſine anima nil agit, ſed mortuum eſt.
Cui non homini ſua anima dilectiſſima eſt?
Curæ animæ curis præferuntur corporis.
Curato corpus, curam animæ agere ut queas.
Eò unde venit anima poſt mortem redit.
Homines animæ ſiccæ, homines prudentiſſimi.
Immundities animæ eſt mundicia corporis.
Liquidis videndus aptus eſt animæ liquor.
Miniſterio animi corpus uti, dedecus eſt.
Non judicandum eſt de mero ullo ex doliis.
Non perdit animam mors, perdit vita improbas.
Noſtrum quis animam non poſtponit corpori.
Nutritur anima duris, mollibus caro.
Parcas ut animæ ſoli, parce nemini.
Quis non animam habet mancipatam corpori?
Quo corpori eſt melius, animæ hoc eſt nequius.
Quo ſenior eſt, hoc anima ſit florentior.
Ratio mage eſt habenda animæ quam corporis:
Sit maxima animæ cura, minima corporis.
Theſaurus animæ, ipſa eſt egeſtas corporis.
Vt ſicca lux, ſic anima ſicca eſt optima.

Animalium.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Nazianzenus: Viſne aliorum quoque animantium diſcrimina, quibus, tum à nobis, tum inter ſe differunt, naturas etiam & ortus, & educationes, & regiones, & mores, ac veluti in Republ. vitæ officia enumerem? Quonam modo alia ſocietate delectantur, alia ſolivaga ſunt? alia herbis, alia carnibus nutriuntur? alia ſæva & truculenta ſunt, alia manſueta? alia cum hominibus verſari atque ali ſolent, alia indomita & libera ſunt? alia ad rationem & diſciplinam propius accedunt, alia ratione & diſciplina prorſus abhorrent? alia pluribus ſenſibus, alia paucioribus prædita ſunt? alia motu carent, alia gradiendi facultatem habent, alia perniciosiſſima ſunt? alia magnitudine, & pulchritudine, aut alterutro horum excellunt, alia autem per exigua ſunt, aut deformiſſima, aut etiam utroque vitio laborant? alia ſtrenua ſunt, alia imbecilla? alia injuriam aperto impetu propulſant, alia ſuſpecta & inſidioſa ſunt alia incauta? alia induſtriæ reique familiaris adminiſtrandæ laude florent, alia prorſus inertia ſunt & improvida? Quodque prius dicendum erat, qui fit, ut alia humi ſerpant, alia corpore recto ſint? alia certa ſede acquieſcant, alia in utroque elemento degant? alia elegantiæ ſtudioſa ſint, alia cultum omnem reſpuant? alia conjugata ſint, alia à conjugio abhorreant? alia pudica ſint, alia libidini dedita? alia fœcundiſſima, alia parum fœcunda? alia diuturnæ vitæ, alia brevis? Deficiet me ſermo, ſi ſigillatim omnia perſequi tentem. *oratione* 34.

Chryſoſtomus: Quæcunq; à veteri ſcriptura dicta ſunt de cura habenda brutorum, ea inprimis & præcipuè conferunt ad doctrinam hominum. *Homilia* 21. *ad Corinth.* 1.

Chryſoſtomus: Quando rebus quidem ad corpus pertinentibus alios homines vincis, eximiis vero, atque excellentibus animi ornamentis cares; quomodo brutis non es deterior? Age enim in Medium adducamus eorum aliquem; qui cum vitio, qui minime congruenter rationi, qui in delictis, & immoderata rerum abundantia vivunt. Iſto equus eſt pugnacior, ſus robuſtior, lepus velocior, pavo formoſior, olor vocis ſuavitate præſtantior, elephas major, aquila facultate cernendi acutior, omnes aves ditiores. Unde igitur dignus es qui brutis domineris? ex ratione? minime id quidem. Quando enim illa, quo oportebat, non uteris, rurſus illis es deterior. Quando ratione præditus minus quam illa congruenter rationi vivis; ſatius tibi erat neq; initio factum eſſe rationis compotem. Non enim idem eſt, quum principatum acceperis, illum prodere: atque initio non accepiſſe. Regi ſatellitibus ſuis deteriori ſatius erat neque purpura ſe induiſſe. Idem hac in re evenit: Intelligentes igitur vel brutis ipſis nos eſſe deteriores, niſi virtutem habeamus; huic exercendæ operam demus, ut homines fiamus, vel potius angeli: *Homilia ſeptima ad Philippenſes.*

Iſidorus Peluſiota: Quoniam te novæ auditionis ſiti flagrare compertum habeo, nec omnino abſtiturum, niſi addiſcas, breviter explicabo, etſi humani ingenii limites excedere videtur id quod abs te quæſitum eſt. Ex animantibus, eæ quæ cibum maſticant animalia pariunt. Quæ autem bibunt, ova procreant. Atque illæ quidem primo partu contentæ ſunt, ut perfecto & abſoluto: hæ autem ſecundum etiam repetũt. Nam cùm tempus, ut ova in animalia mutentur, expoſcit, certum dierum ſpatiis ovis incubantia, naturalem quandam vim ipſis immittunt, ut, quæ priùs inanima pepererant, anima donentur. Etenim ſeminales rationes, quæ à ſummo illo effectore naturis primùm inſitæ ſunt, ſuffumigantes, ſi velut flatu quodam excitentur, ſcintillarum inſtar per temporum incrementa in materia inflammari conſueverunt. Quamobrem ea quidem, quæ fiunt admirari ac ſuſpicere oportet: verùm miraculum illud ad ſapientiſſimum opificem referre. Hæc enim non animantium in ſui conſervatione providentiam declarant (ſiquidem eorum natura imaginatione, non ratione utitur) verùm naturam eam, quæ omnia regit ac moderatur. Etenim animalia ingenio ac mente nihil efficiunt: at natura illa variorum generum effectrix cuique animanti ad ea, quæ ipſi utilia ſunt, numeris omnibus abſolvenda impetus atque appetitiones inſerit. *Lib.* 1. *Epiſt* 119.

¶ Latinorum.

Zeno: Singula quæque animalium à conditore omnium Deo ad defenſionem, ac tutelam ſui occaſiones quaſdam proprias acceperunt: quibus ſaluti ſuæ, cum neceſſe fuerit, auxilium ferant. & invenias, ſi diligenter intendas, plurima quoque nullo docente adverſum eos, qui perniciem moliuntur, vel obniti vehementius, vel declinare callidius: & rurſum naturali quodam impulſu ad ea, quæ expediunt, ferri, atque compelli. *de præcepto, Attende tibi m:*

Oroſius: Omnia penè animantia vel germinantia, patientius & tolerabilius ad ſummum frigoris, quàm ad ſummũ caloris accedant. *Oraſius contra Paganos lib.* 1. *cap* 2.

Ioh. Sarisberienſis: A beſtiis quoq; viarum tuarum eventus ſcrutaberis. Leporis timebis occurſum, ſi tamen evaſerit. Et enim proculdubio longe commodior in menſa, quam in via. Lupo obvio congratulaberis: boni ſiquidem nuncius eſt, licet ſolo viſu nocere ſoleat ei, quem ante præviderit, vocemq; præcludere. Juxta illud

Vox fugit ipsa, lupi Mærim videre priores.

Nicro Siculus litteratorio insistens studio, inter coæquales stilo operam dabat, eique lupus in turba puerorum repente conspectus, tabellam eripuit, successus hominis firmans, inaudita forma prodigij. Quid multa? lupi efficaciam non negabit, quisquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum. Vnde plerumque quod in eis dulcius est, adhuc lupinum saporem retinet; primique eorum fidem, quam à matre Lupa didicerant, sibi invicem servaverunt, eademque quadam lege naturæ manavit ad posteros. Ovibus gratanter obuiam gradieris, dum capram vites, cui alludens poëta ait,

Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

Bobus triturantibus, libentius tamen arantibus, obviabis. Nec displiceat si viam ruperint, quia mora itineris hospitij gratia compensabitur. Mulus infaustus est, Asinus inutilis; etsi utilissimi sint, ad perferenda onera. Equus quandoque bonus est; sed in eo nihil utilius, quam quod humanis usibus servit. Habet vero jurgiorum & pugnæ significationem. Interdum tamen ex colore & visu mitigatur. Vnde apud Virgilium, visis albis equis, apparente Italia, senior Anchises exclamat:

Bellum o bellum terra hospita portas.

Cervum, capreolum, aprumque silvestrem, onagrum & cætera hujus generis, malo prandenti apponas, quam vianti opponas. Æneas cervis pro navium numero fusis, omen quod contrarium videbatur, ad se sociorumque fortunam, virtute retorsit. Canis sequipeda commodissimus est: cujus, si vera est Hebræorum traditio, nec angelus ipse Tobiæ socius aspernatus est comitatum. Quid quod Cyrus scelere avi expositus in silvis ut periret, caniculæ uberibus regnum adeptus est Persarum. Locusta etsi minimum possit, iterantium tamen præpedit vota; ex eo forte sic dicta, quod loco stare faciat gradientes. E contra cicada viatoris promovet gressum, & initiatorum amœnat exitum. Aranea dum à superioribus filum ducit, spem venturæ pecuniæ videtur afferre. Obvius bufo futuros successus denunciat; mihi tamen vel solo visu molestus est. *lib. 1. Policratici cap. 13.*

¶ Philosophorum.

Arrianus: Nolite mirari, cur alijs animantibus ea quæ ad corpus pertinent, adeo in promptu sint, non cibus modo & potus, sed & cubilia: non requirunt calceamenta, non stramenta, non vestem: nobis autem hæc omnia sint necessaria. Quæ enim non sua causa, sed ad ministerium nata erant, ea non expediebat ita esse facta, ut alijs rebus indigerent, nam illud vide cujusmodi foret, si curare nos oporteret, non modo nos ipsi, sed oves etiam & asini, quomodo induendi essent, quomodo calceandi, quo pacto esuri, quo bibituri? Nunc brutæ animantes ita expeditæ sunt, ut milites Jmperatoris, calceati, induti, armati. Quam vero tribuno grave esset circumire, ut suos millenarios calcearet aut indueret: Ita natura etiam ea quæ ministerij causa creata essent, expedita fecit, instructa, nullam amplius curationem postulantia. Sic unus parvus puellus vel pedo propellit oves. Nos vero his de rebus Deo gratias adeo non agimus, ut quod eandem illis curam, quam nobis ipsis, non impendimus: propter nosmetipsos Deum accusemus. Atqui, Deum immortalem, vel una rerum creatarum, satis esset, verecundo quidem homini & grato, ad providentiæ sensum percipiendum. *cap. 16. lib. 1. Epict.*

¶ Fabula.

Aviarum: Venator & Tigris.

Venator jaculis haud irrita vulnera torquens
Turbabat rapidas per sua lustra feras.
Tum pavidus audax cupiens succurrere Tigris,
Verbere commotas jussit adesse minas.
Ille tamen solito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi qualis eram nuncius iste refert.
Et simul omissum transegit vulnera ferrum,
Perstrinxitque citos hasta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret quum saucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dic quis ille foret, qui talia vulnera ferret,
Aut ubinam jaculum delituisset agens.
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit,
(Nam solitas voces ira, dolorque rapit:)
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quaque oculis olim sit repetenda meis:
Sed cruor & validis in nos directa lacertis
Ostendunt aliquem tela fuisse virum.
Bruta licet soleant animalia jure timeri:
Omnibus est illis plus metuendus homo.

¶ Monosticha Trochaica.

Agninis canem fugit cum lactibus pulcrè alliges.
Arbores radicitus elephas quoque evellit manu.
A tauro fœnum habente ipse in carnibus longè fuge.
Aut feras virtus dolusve servat, aut velocitas.
Callidissimum habeto animalium homini quod adhuc incognitum est.
Cum jacet scropha, aquæ alienis præbet ubera ac suis.
E viris galli fiunt, nulli sed è Gallis viri.
Garrula advehuntur, recedunt absq; voce hirundines.
Inter nos formiculamque haud plurimum est discriminis.
Luscinia & vocem & colorem mutat anno quolibet.
Ne bruma quidem jam adultâ sentiunt brumam lupi.
Pauperiem cujusque animalis dominus ipse farciat.
Purum amant licet relinquant nullibi purum anseres.
Quotquot mordet morsus a cane undam habent formidini.
Rectè ætatem jumentorum, computes de dentibus.
Turbulentam aquam Camelus captat, puram refugit.

¶ Jambica.

Animal ferum omne levius est domestico
Animalia curam generis haud gerunt sui.
Bos lassus utique fortius figit pedem.
Canique lauta frustra sunt vomentium.
Caudam movet leo minas ubi incutit.
Etiam futuri animalibus scientia est.
Fortissimum quodque animal robore pellitur.
Ipsisque cervis est Leo velocior.
Pra ceteris est mitior cervus feris.
Præcipua dos erinaceis est tergori.
Præstant camelis & victum & vehiculum barbaris.
Sues bovesq; ingens malum mortalibus.
Sui data anima pro sale, ne putresceret.
Vbique vovem ramo trahas oleagino.
Velocitate nemo par lepusculo est.

Animi.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Greg. Nyssenus: Vt porcorum oculi natura in terram conversi, mirificarum rerum cœlestium aspectum non habent: sic animus corporis luxu perditus, cùm ad humilia, & ea quæ sunt pecudum, inclinatus sit, non cœlum amplius, neq; reliquarum rerum convenientiam & decorem cernere poterit. Quare ut ad voluptatem divinam illam quidem & beatam animus noster quietus ad liber maximè respiciat, ad nullas omnino res caducas & terrenas se ipse convertat, neque eorum voluptatum particeps fiet, quæ ad communis vitæ indulgentiam comperatæ sunt: sed omnem potius amoris vim à rebus corporis ad eam traducet pulchritudinis contemplationem, quæ & corporis expers est, & mente cernitur. *orationis de virginitate capite 5.*

Chrysostomus: Quo pluribus incommodis corpus divexatur, eo lætiori spe animus fruitur, ac splendidior efficitur; non secus atque aurum cui ignis diutius adhibetur. *Homilia 9. ad Corinthios 2.*

Ennodius: Vix est ut animum divitem possibilitas deserat: & difficillimum ut sequatur abundantia hominem mente mendicum. *Vita Epiphanij cap. 29. m.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Lysias: Et quidem, Judices quo sunt corporibus præstabiliores, & vultus decore, ætateq; florentiores, eo magis offendi debetis: cùm constet corpora quidem ipsis valere, sed animum deesse. *cap. 8. Orat. 1. m. Theomnest.*

Epictetus: Qui corpore valent, & æstus & frigora tolerant. sic qui animo bene constituti sunt, & iram & dolorem & lætitiam & cæteros affectus ferunt. *apud Stobæum.*

Simplicius: Quoniam in artibus videmus artificem esse qui moveat, instrumenta vero artis quæ moveantur: perspicuum est, instrumenti vice esse corpus, animi respectu. Is igitur est homo: & qui hominem curare voluerit, animum curet oportebit ratione præditum, & in propriis ejus bonis versetur. nam qui corpus curat, non hominem, nec ea quæ sunt hominis curat, sed instrumentum. Qui verò pecuniæ &id genus alijs rebus studet, nec hominem curat, nec hominis instrumentum: sed ea quæ ipsi instrumento serviunt. *fine præfationis in Epictetum.*

Simplicius: Nostri animi dum quidem boni sunt, bona appetunt: cum verò mali sunt, mala. Itemque à vitio transeunt ad virtutem, si curentur: & à virtute ad vitium, si negligantur: atque utrumque faciunt arbitratu suo, nullaque necessitate coacti. Quare nullius vitij causa in Deum conferri potest. Etenim fecit animum qui malus fieri posset, eo quod non prima illa tantum condidit, sed media etiam & postrema: ut ita omnia perfecta redderentur, & prima vere manerent prima, non autem extrema sterilia, imbecilla evaderent, materiæve permiscerentur. Fecit igitur animum qui malus fieri posset, Deus qui bonus est, ob divitias suæ bonitatis. Nec tamen aliter eum fieri malum passus est, nisi ipse voluisset. *ad cap. 1. Epicteti.*

Arrianus: Quid vero non nimis tuta ea res est nunc, præsertim Romæ quam qui affectaret, eum non scilicet in angulo sedere oporteret, sed prodire ad consularem aliquem, si res ita ferret, ac divitem, atque ex illo quærere, Heus, potesne mihi dicere, cui nam equos tuos tradideris? Ego vero. Nunquid cuilibet, & rei equestris imperito? Nullo modo. Quid vero aurum aut argentum, aut vestem cui? Ne hæc quidem cuilibet. Corpus autem tuum jamne meditatus es, cujus curæ sis commissurus? Quid ni? Perito scilicet aliptæ & medico? Omnino utrum hæc præstantissima tibi sunt, an vero & aliud quippiam habes melius his omnibus? Quid ais?

Id inquam, quod his omnibus utatur, quod singula exploret atq; deliberet. Nunquid animum dicis? Rectè accipis, hunc ipsum dico. Hæc quidem possessio, cæteris omnibus mihi longe potior videtur. Potes ergo nobis dicere, quo pacto curam animi gesseris? Nec enim consentaneum est, te vivum tanta sapientia præditum, tantæque in urbe auctoritatis, temere ac fortuito id fecisse: aut commisisse, ut res inter tuas præstantissima, per incuriam periret, atque ad nihilum redigeretur. Nullo modo. Nunquid ipse eum curasti? Ego vero. Vtrum edoctus ab aliquo, an ipse rationem eam invenisti? Hic jam res in discrimine versatur, primum ne dicat. Quid vero, bone vir, tibi rei mecum est? Quis mihi es? Deinde, nisi desistas negotium illi facessere, ne colaphum tibi impingat. Hujus rei olim admirator & ipse fui, priusquam hæc mihi accidissent. *cap. 12. lib. 2. Epict.*

Arrianus: Sic natura comparatum est, ut quivis animus, quemadmodum veris annuit, falsa abnuit, in incertis assensum sustinet: sic & bonum expetat, & malum aversetur. Ergà id verò, quod neque bonum neque malum est, neutro modo afficiatur. Quemadmodũ enim Cæsaris nummum nec argentario, nec hortulano improbare licet, sed ostenso eo, sive nolit, sive velit, mercem suam tradere necesse est: eadem est & animi ratio. Bonum primo aspectu ad se allicit, malum declinatur. Neque unquam boni speciem evidentem & efficacem improbabit animus, non magis quam nomisma Cæsaris. Hinc omnis motus & hominis & Dei pendet: propter hoc cuivis necessitudini, bonum præfertur. Nihil mihi rei cum patre est, sed cum bono. Adeone durus es? Sic sum. Hoc mihi nomisma dedit Deus. Quapropter si bonum aliud est, quam honestum & justum: valebit & pater & frater & patria, res denique omnes. At ego meum bonum negligam, ut tu eo potiaris, illoque tibi cedam? Quâ de causa? Pater tuus sum. Sed non bonum meum. Frater tuus sum. Sed non bonum meum. Si verò in recta voluntate illud collocaverimus, ut affectiones conserventur, bonum fiet: tum quia externa aliqua recedit, is bono potitur. Aufert pecuniam pater? Sed non nocet. Habebit plus agri, & quidem quantum volet. Nunquid etiam plus verecundiæ? plus fidei? plus pietatis. Ex hoc fundo quis te potest dejicere? Neque Jupiter quidem. Neque enim vult: sed penes me id esse voluit, deditque tale quale ipse habuit, ut nec prohiberi, nec cogi, nec impediri posset. Si quis ergo alij aliud nomisma præter illud ostenderit, mercemque paraverit: fur in provinciam venit. Proconsul quo nomismate utitur? Argenteo. Ostende, auferquod voles. Adest mœchus, quo nomismate utitur? Puellis. Cape, inquit, nomisma, & vende mihi istud. Da & eme. Alius pueris studet. Dato ei nomismate, cape quod vis? Alius venatione delectatur. Da ei bellum equuleum aut caniculum plorans & gemens pro eo quidvis vendet. Alius enim eum intrinsecus cogit, qui nomisma hoc ordinavit. In hoc genere quisque se potissimum exercere debet. *lib. 2. cap. 3. Epict.*

Arrianus: Qualis est aquæ plena patina, talis est animus. qualis fulgor in aquam incidens, talia sunt visa. cùm igitur aqua agitata fuerit, & fulgor moveri videtur, nec movetur tamen. sic ergo si quis caligaverit; non artes & virtutes confunduntur, sed spiritus ejus in quo sunt, sin is sedatus fuerit, quieta erunt & illa. *capitis tertij fine lib. 2. Epict.*

Libanius: Tale mihi tempus vitæ degendæ genus præscribit: hanc mihi fortuna indolem donat: talem vos Demosthenem finxistis. Nam quales fuerint hominum res, talem necesse quoq; est animum esse. Quemadmodum ergo eos qui stadium cursu demetiuntur, à tergo respicere oportet: sic etiam me in Macedoniam oculos referre. *Declamatione 16.*

Libanius: Socrates in mentem induxerat omnium possessionum humanarum maximè divinum esse animum, & qui hunc à vitio purum exhiberet, eum revera felicem esse. Ceterum sapientiæ studium vim habere animum à vitio purgandi; atque hoc ipsi maximum inventum esse medicamentum, cetera quibus deliciæ & autoritas acquiri poterant, alijs concessit: ad ea verò se contulit, per quæ liceret, nihil corpori indulgendo, animum omnino meliorem efficere. Quo circa cœli naturam scrutare & Solem, quid tandem sit considerare, & rationes de lunæ cursu excogitare: & unde fulgores, & quid tonitru efficiat: studium in his collocare vitavit: omnem disciplinam inanem reputans, ex qua nihil efficax in scientibus fieret. at verò ad anquirendum quid justum sit, & quem fortem censere oporteat, & quis merito sapiens vocaretur, quod maximum est bonorum, & familijs, & urbi & omnibus nationibus: ad hæc, in quam, se applicavit: atque in his perseveravit. *Declamatione vigesima nona.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ne quem autem vestrum securum faciat hoc, quòd oppressa, quòd deprehensa est tyrannis. apparatus enim iste testatur adolescentis mentem. Num latro innocentiam accipit, si quis illi gladium extorqueat? minatus aliquis mœnibus flammas, num igitur facere securitatem civitati potest si quis faces ejus extinxerit? Non habet nunc arma, non habet apparatum: sed habet animum. Nec mihi hoc satis est approbare, judices, tyrannum futurum, nisi illud quoque ante oculos vestros posuero, qualis sit futurus tyrannus. Vllius hic parcet corpori, qui patrem trucidavit? ullius hic criminis aget verecundiam, qui parricidium professus est in concione? qui gladium illum cruentum stillantemque sanguine ostendere populo non recusavit? quid ille manibus imperabit alienis, tantùm suis ausus. *Declamatione 321.*

Quintilianus: Decipiunt nos rerum falluntq; nomina, & ille qui odit, de amore miser est. Non refert animi, quid nimium velis; & inter sanitatem languoremque nihil interest, si utrumq; ferre non possis. *Declamatione 14. §. 12.*

Plinius Iunior: Corpori vaco, cujus futuris animus sustinetur. *libro 1. Epistola nona.*

Iulius Firmicus: Nihil aliud, dum in hac vitæ brevitate sumus, nobis elaborandum est, nisi ut terreni corporis labe purgata, & amputatis (si fieri potest) omnibus vitijs, vel saltem plurimis, incorruptam animi divinitatem, & nulla scelerum contagione pollutam, auctori nostro reddamus deo, ne divinæ fabricationis immemorem animum, vitiosis libidinum laqueis implicatum, tamquam projectum per præcipitia perdamus. Hoc est enim, quod per dies singulos terrenum corpus operatur, ut scilicet possit, divinum spiritum suum, & pravis cupiditatum voluptatibus occupatum, & blanda solicitatione deceptum, caducæ fragilitati suæ semper adnectere, ut demersus animus, & pessundatus, nuncquam originis suæ possit invenire principia, sed in tenebris semper, in cœnoque projectus, majestatis suæ originem, cum quibusdam dissimulationum trepidationibus erubescat. Nihil enim debemus cogitare terrenum, præsertim cum sciamus, fabricatorem nostrum Deum, ita nos divini artificij moderatione fecisse, ut recti corporis forma, ab omni humilitatis dejectione sepositа, nihil aliud primum, patefacta oculorum acie, nisi Sol & Luna, stellasque, & horum omnium pulcherrimum atque immortale domicilium, mundum scilicet videremus. Cæteros enim animantes ita natura composuit, ut ad terram demersi, & caduca quadam mundi hujus humilitate projecti, & animo & corpore, terrenis semper conversationibus inhærerent. Nos verò, magna quadam necessitatis moderatione perfecit, ut aliud sibi in nobis fragilitas corporis, aliud immortalis animi divinitas vendicaret, ut scilicet corpus, quod cum belluis videmur habere commune, animo serviens, divinitatis ejus imperio subjaceret. Considerantes igitur originis nostræ principia, & animum nostrum majestatis suæ præsidio roboratum, ita nos instituere debemus, ut animus per semetipsum numinis sui auctoritate conventus, dignum aliquid auctore suo, & cogitet semper, & faciat, ut sic institutus atque formatus, rectum & incorruptum immortalitatis iter, ad originem suam reversurus: inveniat nec errantibus gressibus, & labentibus trepidantibusque vestigijs, sempiternis erroribus ad terrenæ fragilitatis vitia resolvatur.

Intuere itaque Mavorti, decus nostrum, parentibus oculis, cœlum & pulcherrimam istam divini operis fabricam, animus tuus semper aspiciat. Tunc enim mens nostra, majestatis suæ recordatione formata, à pravis corporum illecebris liberatur, & exuta mortalitatis incommodis, ad auctorem suum festinato nititur gressu, nihilq; aliud nisi res divinas, per omnia horarum momenta, sagaci, ac pervigili semper inquisitione perquirit. Dabunt igitur nobis hæc instituta quantulacumque divinæ scientiæ notionem, & ad originis nostræ secreta perducent, divinis enim semper disputationibus occupati, & animum nostrum cœlestibus potestatibus applicantes, ac divinis eum cœrimonijs initiantes, ab omnium pravarum cupiditatum desiderijs separamur, quæ res illud magnopere perficit, ut contemptis omnibus, quæ in rebus humanis, vel mala putantur esse, vel prospera, animum nostrum naturali virtute & auctoritate compositum, incorruptum, origini suæ illibatumque reddamus. Nam cum venientia didicerimus incommoda, imminentium malorum metum, ex hoc, quod ea ventura didicimus, erecta mentis animositate contemnimus, nec denunciata malorum pericula perhorrescimus, si ad hæc excipienda animus noster se, majestatis suæ recordatione firmavit, nec felicitatis capimur commodis, aut erigimur dignitatis insignibus, cum sciverimus, totum hoc nobis decreti pronunciatione promissum. Sic possumus semper, stabili ratione compositi, nec infortuniis opprimi, nec felicitatis gaudio sublevari. *præfatione lib. 8. Matheseos.*

Iulius Firmicus: Animus qui immortalis est, si à vitiis, ac libidinibus terreni corporis fuerit separatus, ac suæ originis, & seminis constantiam retinens, vim suæ majestatis agnoverit, omnia, quæ difficilia, atque ardua putantur, facilè divinæ mentis investigatione cõsequatur. Dic mihi, quis in cœlo iter maris vidit? quis attritu lapidũ, scintillam latentis ignis excussit? quis potestates cognovit herbarũ? cui se tota natura divinitatis, & ostendit, & prodidit, nisi animo, qui ex cœlesti igne profectus, ad regimen, & gubernationem terrenæ fragilitatis, immissus est? Ipse hujus scientiæ rationem, ipse computos tradidit, ipse solis, ac lunæ, & cæterarum stellarum, quæ à nobis errantes, à Græcis vero planetæ dicuntur, cursus, regressus, stationes, societates, augumenta, ortus, occasusq; monstravit, & in fragilitate terreni corporis constitutus, brevi majestatis suæ recordatione, hæc omnia, ut traderet, non didicit, sed agnovit. *lib. 1. cap. 2. Astronom.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Acharn. v. 396.

—— *Intus'ne est Euripides?*
C. Non intus, intus est, si rectè intelligas.
D. Quomodo sit intus, & non intus? C. commodè.
Nam animus quidem foris versiculos colligens,
Non intus est; ipse intus resupinus facit
Trygœdiam.

Plautus Aulularię 2. sc. 2. v. 9.

Ain tu te valere? E. pol ego haud à pecunia per bene.
M. Pol si animus est aquus tibi, satis habes qui bene vitam colas.

Terentius

Terentius Heautontim. 1. sc. 2.

Quid narrat? CL. quid ille? se miserum esse. CH. miserum? quem minus credere est?
Quid relliqui est, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.
Atq; hæc perinde sunt, ut illius animus qui ea possidet?
Qui uti sit, ei bona: illi qui non utitur rectè, mala.

Terent. Hecyræ act. 3. sc. 3.

—— profecto sic est, ut puto
Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Idem ibid. act. 4. sc. 3.

Istuc est sapere, qui, ubi cunque opus est, animum posse flectere.

Terentius Phormion. 1. sc. 3.

Habes, optavit uxorem sine fama mala palam.
Beatus, in unum hoc desit, animus qui modestè istæc ferat.

¶ Apologi.

Æsopi Vulpes & Pardalis.

Vulpes & Pardalis de pulchritudine altercabantur. Cum verò Pardalis subinde variegatum coloribus obijceret corpus, subjecit Vulpes, Tantum ego te sum formosior, quæ corpore non sum versicolore, sed animo.

¶ Emblematum.

Hadr. Iunius Emblemate VII.

Rimaris tundendo sinus tibi pectoris altos,
Et vitam sobolis das Pelecane tuæ.
Perscrutare animum, quare in te quod latet intus:
Ingenij in lucem semina prode tui.

In Deo lætandum. Emblem. XIII.

Cynthius igniferâ contingit lampade terram,
Et tamen æthereo servat in axe locum:
Sic Animus, quanquam sit nostri corporis hospes,
Assiduò auctori debet adesse Deo.
Florent. Schonhovius.

Animus nobilitat. Emblem. LVI.

Parvus in astrigeram Scarabæus subvolat æthram,
Nec timet Armigero bella movere Iovis,
Nam quod iniqua illi robur Natura negavit,
Hoc animi supplet nobilitate sui:
Surgite degeneres, quid adhuc terrestria cordi?
Surgite, vosque animis esse putate Deos.
Spernit humum, longèque supra mortalia tendens
Se modò submittit mens generosa Deo.
Florent. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Aaron summus Sacerdos. Quum Aaron & Maria soror ejus contra Mosen obloquuti essent accensa est in eos ira Jehovæ, verbis & signo testata: quamobrem dixit Aaron ad Mosen, *Attende ad me Domine mi, ne quæso nobis imponas* (i. imponi sinas, sed deprecare illam) *peccati pœnam, quo stultè egimus & quo peccavimus*, &c. Numer. 12. vers. 11.

Anna Mater Samuelis. Quum in amaritudine animi constituta, propter sterilitatis opprobrium à Peninna objectum, ad postem templi supplicaret Jehovam, ac vehementer fleret, loqueturque cum animo suo, ita ut tantùm labra ejus moverentur, Heli Sacerdos reputans eam ebriam, quousque, inquit, ages ebriam? amove vinum tuum à te. Sed respondens Anna dixit, *Nequaquam Domine mi: mulier agra animo sum, & vinum aut potum inebriantem non bibi: sed effundo desiderium animi mei coram Iehova. Ne compare ancillam tuam cum nulla fœmina nequam: nam præ magnitudine meditationis meæ & indignationis meæ sic locuta sum hactenus.* Fausta autem illi precante Sacerdoti dixit, *Inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.* Lætior exin discedens concepit paulò pòst, & peperit filium, nomine Samuelem, eximium Dei servum. 1. *Sam. 1 cap.*

Anonymus: Dicebat rebus quatuor animum pollui: *Si per urbem ambules, nec oculos custodieris: si omnino consuetudinem aliquam cum mulieribus habeas: si nobilium hujus mundi amicitiam colueris: si congressibus carnalibus & inanibus disputationibus delecteris.* Stobæus, Serm. 2. de virtute & vitio.

¶ Monosticha Trochaica.

Animus cernit, animus audit, reliqua surda & cæca sunt.
Corpore in affecto vigere vis animi tamen potest.
Corpori prodest quoq; omne id quidquid mentem animi erigit.
Corporibus non æquè inter sese homines quam animis dissident.
Corporis majore sarcina animus ipse elidit ur.
Corporis sunt caussâ opes, animique caussa corpus est.
Corporis vires augent, animi enervant vinum ac caro.
Ex animo quid facias, an de industriâ parum interest.
Extra animũ posita, annumerãda nec bonis sunt, nec malis.
Heu! quantũ in animis est hominũ tenebrarum ac recessuũ.
Incertè errat ubi animus, præter propter vita vivitur
Lineamenta pulcriora sunt animi quam corporis.
Machina nulla movetur animus fundatus bene.
Mirè animus alitur tenebris noster ac silentio.
Non oculorum acie sed animi obtutu hominem considera.
Non voluntatis visa animi sunt nec arbitraria.
Pravus industrius ve fit quis, prout animũ ipse intenderit.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper priores cluent.
Res perinde omnes sunt, ejus ut animus est qui possidet.
Res prout mortalium sunt, ita animos item gerunt.
Sunt perinde bona omnia ut animus illius est qui ea possidet.
Tantum animis plerumq; homines quantum augescunt potentiâ.
Turpe animum habenti, ambire laudem corporis.
Turpe habenti animum captare laudes aliquas corporis.

¶ Jambica.

Admodum paucis Animus fit optimus rector sui.
Agilis minus est animus sub vasto corpore.
Alacritas animi excitet vel mortuos.
Angustus animus ijs terrena queis placent.
Animi ægritudo urgere item corpus solet.
Animi facilius vitia tollas quam regas.
Animi prius defecerint, quam corpora.
Animo moderari posse, præclarissimum.
Animo vacare nemo quam pauper potest.
Animo vir est censendus, haud corpusculo.
Animum remittere, animum quasi est amittere.
Animum supra fortunam gerere, dedecet.
Animus alitur tenebris & silentio.
Animus bonus corpus quoque reddit optimum.
Animus duorum unus Fortunam non capit.
Animus facit bonam rem quamque vel malam.
Animus fulturis sustinetur corporis.
Animus in homine res est pretiosissima.
Animus, modestè non fert, aut bona, aut mala.
Bona corporis animi ipsiusmet sunt mala.
Cœli ratio in animo; terræ est in corpore
Cui magnus animus est, ei magnum nihil.
In animo solo homo bonus, haud in corpore est.
In serviente animo nil sani aut integri est.
Insigne nil distractus animus perficit.
Majora vincla spiritus quam corporum.
Ministerio animus quid ni utatur corporis?
Nil est duorum animos coire quod vetet.
Non est animo suprema mors sed corpori.
Nunc quisque rerum, haud animi pretijs excubat.
Ornandus animus virtute ac scientiâ.
Paucissimis rector sui animus optimus.
Plerumq; vultus animi sensus indicant.
Primum animo quisque deficit, dein corpore.
Quodcunq; animus sibi imperat, quoque obtinet.
Quo plus sibi animus addit, hoc fit laxior.
Sæpe animus ingens corpore exili viget.
Se mutuò agnoscunt animorum lumina.
Tam nostra sunt quæ animo quam quæ oculis cernimus.

Annonæ.

¶ Sententiæ Patrvm, Græcorvm.

D. *Nazianzenus*: Quid ad hæc dicemus, qui frumentum emimus, & vendimus, ac temporum difficultates observamus, ut opes nobis comparemus, & in alienis calamitatibus delicias capiamus, atque, non ut Joseph Ægyptiorum facultates majoris dispensationis causa (utrumque enim norat, nimirum & rectè colligere, & rectè annonam tribuere, quemadmodum etiam, & famem prospicere, & eminus ei obsistere) sed, ut iniqui & conscelerati, popularium nostrorum opes acquiramus. Qui dicimus, Quando transibit mensis, ut vendamus: & Sabbatha, ut ærariа recludamus? Qui duplicibus mensuris & stateris justitiam corrumpimus, ac plumbeam iniquitatis mensuram in nos ipsos inclinamus. *Orat. 15.*

D. Chrysostomus: Mihi hac quidem in re placeo, teq; in ipso totius orbis theatro victorem pronuncio, atq; adeo cunctis audientibus me venditans altorem te meum declaro. Atqui nos quoties alicujus impensa educamur, erubescimus sanè, remq; adumbrantes dissimulamus. *Homilia 15. ad Roman.*

S. Isidorus Pelusiota: Inexplebilem quendam ac sævum & crudelem dardanariũ, hoc est frumenti cauponem te esse nonnulli ajunt: ut qui tẽpora observes, ac de egestatibus occasionẽ lucrandi arripias, & de calamitatibus messem colligas. Quamobrem hoc tecum reputans, alios non tam tua, quàm te, Dei, ope indigere: fac te cognatio moveat. *lib. 3. Epist. 81.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Apollonius: Frumentarijs. Terra mater est omnium. Justa enim est. At vos cùm injusti sitis, vestri am dumtaxat matrem eam effecistis, & nisi destiteritis, perficiam ut vobis in ea consistere non liceat. *Epist.* 85.

Iulianus Imp. in Misopog: Enimverò illa tua egregia est atque admirabilis sapientia, quod neque ut pisces saxatiles in urbe sint, provides: imò dudum cum quidam conquereretur, neque pisces multos, neque aves jam in foro reperiri, illudens multum resisti, cùm diceres satis esse civitati sobriæ ac moderatæ vinum & oleum, carnes verò delicatæ jam esse: pisces autem & aves requirere, supra omnes delicias esse, & quales ne procis quidem in Jthaca fuissent. Isto autem pacto carnes suillas & ovillas non cum voluptate comedi, quòd tu leguminibus vescereris, beneque Reip. consulere existimasti, & Thracibus tuis leges dare, aut Gallis stupidis, qui te nobis ilignum, acernum, neque tamen Marathonium bellatorem, sed ex dimidio Acharnensem, ingratum omnibus atque invisum aluerunt. Nonne melius fuerat forum te ambulante unguenta olere, pueros formosos præcedere, in quos cives ipsi oculos & ora converterent, & cœtus mulierum, quales apud nos, sunt quotidie?

Iulianus Imp: At ego cùm viderem populi vocem veram esse, neque forum inopiâ, sed locupletum avaritiâ premi, moderatius rei cuique pretiũ constitui, atq; id omnibus notũ feci. *circa finem Misopog.*

Idem stat. imp. post: Hanc ob caussam ego vobis eram invisus, quod non sum passus vinum, olera & fructus autumnales auro vendi, neq; frumentum à divitibus in horrea conclusum, repente illis in argentum & aurum converti. Illi enim pulchrè id extra urbem vendiderunt, & hominibus attulere famem vexatricem mortalium, ut Deus cecinit, hujus generis homines arguens: At civitas pane quidem abundabat, præterea nihil habebat. Atque id equidem jam tum, cùm illas res agerem, prospiciebam, nonnullis me parum gratum fore, verùm nihil ea res mihi curæ erat, quod in animo haberem plebi oppressæ, & exteris qui mecum venerant, tum meæ caussæ, tum magistratuum qui mecum erant, opem ferre.

¶ Romanorum.

Cicero: Cæsus est virgis Cymæus ille Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus. *Oratione pro L. Flacco.*

Seneca: Jam nec gramina aut pabula læta aquis: fame laboratur: & manus ad antiqua alimenta porrigitur: quare ilex & quercus excutitur, &c. *lib. 3. Natur. quæst. cap. 27.*

Quintilianus: Quid nobis tam naturale, quid ab ipsa providentia magis datum concessumque videri potest, quam alere homines & sustinere? Muta Herclè animalia, quæ venire ad manum & mansuescere queunt, non humanum modò, sed etiam voluptuosum est alere ac pascere. quid de homine dicam? *Declamatione 260. m.*

Plinius: Quamquam lætissimum oculis tuis esset conspectus Romanæ sobolis impleri, omnes tamen antequam te viderent adirentve recipi, incidi jussisti; ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur; crescerent de tuo qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent; tantumque omnes uni tibi quantum parentibus suis quisque deberet. Rectè, Cæsar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. nullum enim magno Principe immortalitatemque merito impendij genus dignius, quam quod erogatur in posteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia & pares pœnæ cohortantur: pauperibus educandis una ratio est bonus Princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperij, occasum reipubl. accelerat; frustraque proceres plebe neglecta, ut defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere tuetur. Facilè est, conjectare, quod perceperis gaudium cùm te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet, hæc prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta hoc maximum præstitisti, ne rogarent, Super omnia est tamen quod talis, &c. *Vide tit. libri Filiorum.*

Plinius: Jnstar ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. Hujus aliquando cura Pompejo non minus addidit gloriæ quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis Occidensque lustratus. Nec verò ille civilius quàm parens noster, auctoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut quod genitum esset usquam id apud omnes natum esse videretur. Nonne cernere datur, ut sine ullius injuria omnis usibus nostris annus exuberet? quippe non, ut ex hostico raptæ periturææque in horreis messes nequicquam quiritantibus socijs auferuntur. devehunt ipsi quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit; nec novis indictionibus pressi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus quidquid jubetur emere. inde copia, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conveniat; inde hic satietas, nec fames usquam. *cap. 29 Panegyric.*

Plinius: Quàm nunc juvat provincias omnes in fidem nostram ditionemq; venisse, postquam contingit Princeps qui terrarum fecunditatem nunc huc nunc illuc, ut tempus & necessitas posceret, transferret referretq;; qui diremptam mari gentem, ut partem aliquã populi plebisq; Romanæ aleret ac tueretur. Et cœlo quidem nunquã benignitas tanta, ut omnes simul terras uberet foveatq;. Hic omnibus pariter, si non sterilitatem, & mala sterilitatis exturbat: hic si non fecunditatem, at bona fecunditatis importat: hic æternis commeatibus Orientem Occidentemq; connectit, ut quæ ubiq; feruntur quæq; expetuntur, omnes gentes invicem capiant; & discant quanto libertate discordi, servientibus sit utilius unum esse cui serviant quippe discretis quidem bonis omnium sua cujusq; ad singulos mala; sociatis autem atq; permixtis, singulorum mala ad neminem, ad omnes omniũ bona pertinent. *cap. 32. panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: De ripa Tyberis (nam per fines meos fluvius elabitur) onusta spectu navigia, non jam sollicitus, ut antè, de fame civiũ. Ex inopia namq; publicus metus vertit in gaudia, postquam venerabilis Pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna pensavit. Quem nunc omnes ut altorem generis humani Deum diligunt. Nihil enim passus est Austris contumacibus adversus Romam licere. Ergo de mei agri specula peregrinarum navium numero transcursus, & gaudeo victum populi Rom. non fasto provinciarum, sed voto Principis regi. *lib. 3. Epist 82.*

Symmachus: Horum pleraq; mandata ad statum pertinent Patriæ; quam defectu alimentorum graviter laborantem, periculosum est inhabitare, impium & crudele deserere. *lib. 6. Epist. 18. f.*

Symmachus: Felicitas quidem vestra, æternæ urbi solemnis alimoniæ copiam pollicetur, D. Jmperator. Sed re magis quàm spe tuti esse debemus: quod facile factu est, si hanc quoq; partem clementiæ vestræ cura respexerit. Nam æstate provecta cùm ex Africanis partib⁹ minimum devehatur, non inani tangimur metu, ne res annonaria in graves cogatur angustias. Et ideò oro quæsoque perennitatis vestræ salubre præsidium, ut Judices Africanos, & Notarium cui æternitas vestra mandavit frumentarios commeatus, severiora scripta distimulent, missis in hoc negotium strenuis, qui onera consueta, dum tractabilis navigatio est, · ictui urbis exhibeant. Hoc sæculo vestro, hoc virtutibus divinis dignum est, ut securitatem Romani populi inter præcipua & prima curetis. Aderunt optatis cursibus plena navigia, & Romanos portus frequens atque onusta classis intrabit, si aspiraverint numinis vestri secunda suffragia. *lib. 10. Epist. 31.*

¶ Poetarum.

Plautus Aululariæ 2. sc. 8. v. 3.

Venio ad macellum rogito pisces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia:
Atq; eo fuerunt cariora; as non erat.

¶ Monosticha Trochaica.

A crocodillis ne rapiantur currentes bibunt canes.
Axitiosa annonam caram è vili concinnant viris.
Carceris diaria vitam prorogant, non nutriunt.
Cogitare summa nescit qui cibum indies parat,
Congiarium perenne est, annonæ adfluentia.
Cura cui victus diurni est, altius quid cogitet?
Formica unde hieme ipsa alatur ante æstate colligit.
Gaudio macellum opimum diviti, odio pauperi est.
Ingemiscit avaritia anno tam sterili quam fertili.
Limitanea urbs referta commeatu nil timet.
Lumini instilles oportet oleum, si vis vivere.
Non à Sole verum a Rege uber annus provenit.
Non queunt virere per se folia: ramum postulant.
Quo fames major, majorque messis Dardanario est.
Sive pax sit sive bellum prospici, o rex, horreis.
Victum qui præbet tu hunc habeas plane præsentem Deum.
Vincit ars artem, nec una cura nutrit quemlibet.
Vna plebi annona cura futili è republica est.

¶ Jambica.

Alere, nec misereri; ultionis est genus.
Animalibus quibus vis cura ineſt sui.
Annona cura Principi potissima est.
Annona item redit cum pace laxior.
Etiam eligas opportuna horreis loca.
Frumenti egenus, absque ferro vincitur.
Nec turpe regi inspicere coram ipsa horrea.
Sub rege justo annona nunquam est arctior.
Tractanda res sine quæstu frumentaria.
Vapor quæ ab olla manat haud alimonia est.
Vbi caritas annonæ, ibi messis divitum est.

Annuli.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad pericula facienda esse usui annulus queat.
Annulis equester ordo distat à plebecula.
Annulos dextra fatuelli, ceteri læva gerunt,
Annulos gestare plures, non solent nisi pauperes.
Annulosq; mortis causa hostam noxij
Annulus Dei figura sculptus, & Deo est sacer.
Vindicantur a rapina promptuaria annulo.

Jambica

¶ JAMEICA.

Arctum annulum qui gestat, caussa mali est sui.
In annulo, Dei figuram ne geras.
Pars major orbis destitutus annulo est.
Plerumq; opum fiunt scelera ipsis annulis.
Stultus digito medio quoq; aptat annulos.
Sub annulis claudunt venena Principes.

Anni.

¶ SENTENTIÆ.

S. *Isidorus Pelusiota:* Quandoquidem circularis est figura temporis, quippe cùm dies septies circumvoluatur in hebdomadam: hebdomada autem in mensem: menses verò in annum: rursumque in eadem signa, quæ peragravit, restituatur: hanc ob caussam alibi quidem coronam anni, alibi verò rotam generationis scriptura appellavit (circuli namque & coronæ & rotæ eadem est figura) quòd quatuor horæ, videlicet vernum tempus & æstivum & auctumnale & hybernum invicem quodammodo manus connectant, & annum circumvolvant, atque ita optimam quandam choream ducant. Adeò enim sapienter & aptè convenienterque ab optimo artifice Deo creatæ sunt quatuor illæ anni horæ, ut paulatim cujusque finis cum alterius principio inadvertenter sinéque sensu ac noxâ ullâ corporibus illatâ convertantur. Sed quò manifestius fiat id quod dico, per ipsam, quâ de agitur, rem nostra oratio gradiatur. Summam æstatem non è vestigio in summam hyemem transmittit Deus. Profectò enim si id fieret, tum verò & corpora animantium, & semina & gignentia lædi, necesse esset, quòd subitæ mutationis invasionem ferre non possent: Sed æstas quidem auctumno cedens desinit; auctumnus verò in hyemem absque omni noxâ transit, dum initio sui æstati, fine autem clementer ac paulatim hiemi conformatur. Hiems deinde veri dans locum desinit: & ver quoque paulatim ex diversis qualitatibus contemperatum in æstatem transmigrat. *lib. 4. Epist.* 1.

¶ POETARUM.

Ausonius de mensibus.

Æternos menses, & tempora quattuor anni,
Quattuor ista tibi subjecta monosticha dicent.
Martius Aprilis, Majus sunt tempora veris.
Iulius Augustus, nec non & Iunius, æstus.
Septembri, Octobri autumnus, totoque Novembri
Brumales, Ianus, Februarius, atque December.

Idem de ijsdem mensibus.

Jane nove, primo qui das tua nomina mensi,
Ianebifrons, spectans tempora bina simul.
Post, superûm cultus, vicino Februa mense.
Dat Numa cognatis manibus inferias
Martius & generis humani præsul, & anni,
Prima dabat Latijs tempora consulibus,
Æneadûm genitrix vicino nomen Aprili
Dat Venus. est Marti namque Aphrodita comes.
Maja dea, an major, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mense est auctor uterque bonus.
Iuvius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno, sive juventa dedit.
Inde Dionæo præfulgens Iulius astro,
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum à Cæsare nomen:
Ordine sic anni proximus ut generis.
Nectuntur post hos: numerumque ex ordine signant,
September Bacchi munere prælarigans:
Et qui sementis per tempora, fenore lætus,
October cupidi spem fovet agricolæ;
Cuique salo mergens sollemnia signa November
Præcipitat cœlo mox redditura suo.
Concludens numerum, genialia festa December
Finit: ut à bruma mox novus annus eat.

Ausonius.

Nonaginta dies, & quattuor, ac medium, Sol
Conficit, à tropico in tropicum dum permeat astrum.
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque, & meta diei.
Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos,
A Cancro in chelas æquata tempora noctis
Atque dij, cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Vnde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantemque dij quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenoreï festinans cornua tauri,
Scandit lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coërcens,
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum ac senis decies, & quinque diebus.

De quatuor anni tempestatibus Basilius I.

Vere sinum Tellus aperit, floresque ministrat.
Tempore solis ager messes fert pinguis opimas.
Fœcundos Autumne lacus de vitibus imples.
Vis hiemis glacie currentes alligat undas.

Asmenus II.

Frigoribus pulsis nitidum ver æthera mulcet.
Scindit agros AEstas Phœbæis ignibus ardens.
Autumno dat hiems mistum vicina teporem.
Labentes hæc durat aquas, & flumina nectit.

Vovianus III.

Ver pingit vario geminantia prata colore.
Ignea vestit agros culmis Cerealibus AEstas.
Vtibus Autumnus turgentes detrahit uvas.
Frigidus hiberna est gravidus, nive nubilus æther.

Euphorbus IV.

Vere Venus gaudet florentibus aurea sertis.
Flava Ceres AEstatis habet sua tempore regna.
Vinifero Autumno summa est tibi Bacche potestas.
Imperium sævis hiberno frigore ventis.

Julianus V.

Vere gravis fundit Tellus cum floribus herbas.
Frugiferas arris fert Æstas torrida messes.
Pomifer Autumnus tenero dat palmite fructum.
Mox humus hibernis albescit operta pruinis.

Hilasius VI.

Vere novo latis decorantur floribus arva.
Ac riget æstivis hirsutus campus aristis.
Labra per Autumnum musto spumantia fervent,
Deponunt frondes hiemali frigore silvæ.

Palladius VII.

Ver placidum vario nectit de flore corollas.
Spicea serta gerit calidissima solibus Æstas.
Temporaque Autumni cingunt tua Bacche racemi.
Tristis hiems montes nivео velamine vestit.

Asclepiadius VIII.

Ver agrum gemmis nitidum stellantibus ornat:
At fervens Æstas pinguissima frugibus arva.
Mox Autumnale redolet vindemia fœtu.
Fronde nemus male nudat Hiems, amnesque rigescunt.

Eusthenius IX.

Purpureos flores humus effert vere comanti.
Ac Cereris donis horrescunt arva per æstum.
Bacche tuo tempus fluit autumnale liquore.
Obtegitur tellus per frigora veste nivali.

Pompejanus X.

Vere tepet picto Zephyris spirantibus aer.
Decrescunt celeres æstivis ignibus amnes.
Temperies, Autumne, fluit tua nectare dulci.
Perque Hiemen lentus cœlo nivis advolat imber.

Maximianus XI.

Veris honos tepidi floret, vere omnia rident.
Arva sub æstivis undant horrentia flabris.
Vite coronatus Autumnus degravat ulmos.
Decutit ipse rigor silvis hiemalis honorem.

Vitalis XII.

Flore solum vario depingit odoriferum ver.
Falciferamque Deam falces remorantur in æstu.
Dat musto gravidas Autumnus pomifer uvas.
Sithonia glacialis Hiems nive cana senescit.

Anni Divisio.

Bis duo tempora sunt anno, menses duodeni,
Hebdomadæ decies quinque duæque simul.
Ter centum decies senos cum quinque diebus.
In se collectos quilibet annus habet.
Horæ sunt centum per septem mille per octo,
Sex per denarium si numerando probes.
Ver, æstas, autumnus, hiems, sunt quatuor anni
Tempora, quæ currus lustrat Apollo tuus.
Ver sua grana serit, fovet æstas semina, fota,
Colligit autumnus, lecta recondit hiems.

Quatuor Temporum Pictura.

Carpit blanda suis ver almum dona rosetis.
Torrida collectis exultat frugibus æstas.
Indicat autumnum redimitus palmite vertex.
Frigore pallet hiems designans alite tempus.

¶ Monosticha Trochaica.

Laudamus veteres quidem, annis utimur noſtris tamen
Omne tempus ex quo vita conſtat annus continet.
Optimo ſub principe annus ſemper eſt quoq; optimus.
Principium de fine quivis annus invenit ſibi.
Rege ſub malo, annus eſſe non poteſt unquam bonus.
Ruſticus ſolummodo annum dives eſt in proximum.
Verum annum agricola avarus pleno cenſet horreo.

¶ Jambica.

Anno malo, annus ipſe rex eſto bonus.
Annos Dei fœdos morbis inſigniunt.
Annum bonum facit poteſtas, non ador.
Annus malus non eſt bono ſub Principe.
Annus prior, ſemper præſenti anno eſt prior.
Convertitur nullo annus integer ſono.
Eſt cauſſa fructus, Annus ipſe, non Ager.
Sequentem in annum, ſemper dives ruſticus.

Antiquitatis.

¶ Sententiæ Patrvm, Philosophorum, Oratorum.

D. *Greg. Nyſſenus*: Nemo mihi ſubcrepet, quod illud etiam quod à nobis pro confeſſo habetur, rationibus & argumentis indigeat confirmari & probari. ſufficit enim ad noſtri ſermonis demonſtrationem, quod habeamus à Patribus venientem ad nos traditionem, veluti hereditatem quandam per ſucceſſionem ex Apoſtolis, per Sanctos ſequentes tranſmiſſum. *Oratione 3. contra Eunomium.*

Ariſtides Sophiſta: Nec eſt quidquam Jove antiquius, ſicut nec filij parentes, nec opera opifices poſſunt ætate præcedere, ſed ipſe primus eſt & antiquiſſimus, & omnium princeps ipſe ex ſe factus. *Hymno in Iovem.*

Cicero: Habet, ut in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas. *In Oratore.*

Idem: Quis eſt quem non moveat clariſſimis monumentis teſtata conſignataq; antiquitas? *de divinatione, libro 1.*

Idem: Affert vetuſtas omnibus in rebus longinqua obſervatione incredibilem ſcientiam. *Ibidem.*

Idem: Profecto ita eſt, ut id habendum ſit antiquiſſimum, & Deo proximum, quod ſit optimum. *libro 2. de legibus.*

Idem: Veterrima quæque, ut ea vina quæ vetuſtatem ferunt, eſſe debent ſuaviſſima. *libro de Amicitia.*

Ibidem: Maxima eſt vis vetuſtatis & conſuetudinis.

Plinius Iunior: Sum ex ijs qui mirer antiquos; non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. neque enim quaſi laſſa & effæta natura, ut nihil jam laudabile pariat, &c. initio *Epiſt. 21. lib. 6.*

Symmachus Impp. Noſter autem labor pro clementia veſtra ducit excubias. Cui enim magis commodat quòd inſtituta majorum, quòd patriæ jura & fata defendimus quàm temporum gloriæ? quæ tum eſt major cùm vobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum ſtatum qui Reip. diu profuit. Certè numerentur Principes utriuſque ſectæ, utriuſque ſententiæ: proximus eorum cæremonias Patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum; faciat diſſimulatio proximorum. Quis ita familiaris eſt barbaris ut aram Victoriæ non requirat? *lib. 10. Epiſt. 54.*

¶ Poetarum.

Phædrus principio libri 5.

Æſopi nomen ſicubi interpoſuero,
Auctoritatis eſſe ſcito gratia:
Vt quidam artifices noſtro faciunt ſæculo,
Quin pretium operibus majus inveniunt, novo,
Si marmori adſcripſerunt Praxitelen, ſuo
Detrito, Myronem argento. Fabulæ exaudiant
Adeo fugatæ. plus vetuſtas namq; favet
Invidia mordax, quàm bonis præſentibus.

Auſonius Epigram. 25.

Quidam ſuperbus opibus, & faſtu tumens,
Tantumq; verbis nobilis,
Sperſit vigentis clara ſæcli nomina,
Antiqua captans ſtemmata,
Martem Remumq;, & conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veſte contexi jubet,
Hos cælat argento gravi;
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pægmata.
Credo quod illi nec pater certus fuit,
Et mater eſt certè lupa.

¶ Emblematis.

Batillius LXIII.

Antiquitas feré fabuloſiſſima.

Quanto annoſa magis, magis eſt fucata vetuſtas,
Mixta canens veris falſa, profana ſacris;
Antiqua ut viridi premitur circundata muſco,
Præter & hoc aliud non decus arbor habet.

¶ Monosticha Trochaica.

Antiquiſſimum Deoq; proximum eſt, quod optimum.
Eſt ſcelus, qui antiquitatis veritatem in jus vocat.
Ex ingenio quis vetuſtis addat vel demat fidem.
Eidum annalium genus ſunt per vetuſta carmina.
Nemo curat quod recens eſt, laudat quiſque exotica,
Plus favet livor vetuſtis quàm bonis præſentibus.
Proximè ad Deos accedit fabuloſa Antiquitas.
Rebus in priſcis, ad unguem haud eſt quærenda veritas
Rectius ſuper omnibus providit olim antiquitas.
Sacroſancta antiquitatis uſque quaq; auctoritas.
Scripta annalium vetuſta haud differunt à fabulis.
Sic venerare priſcos, ut non poſtponas tamen novos.
Sola virtutum fidelis teſtis eſt antiquitas.
Sunt in laude antiqua, ſunt præſentia in faſtidio.
Vetera ſemper ſunt in laude, præſens in faſtidio eſt.

¶ Jambica.

Antiqua multa, at nil Deo eſt antiquius.
Antiqua ſemper antefert livor novis.
Antiqua vix niſi in pejus mutaveris.
Antiquiora non ſunt perfectiſſima.
Antiquitatem fama ſat laudat ſua.
Antiquitati impunè mentiri licet.
Antiquitati plurimum licentiæ eſt.
Antiquius quid quo eſt hoc venerabilius.
Errabat in rebus multis antiquitas.
Id optimum eſt quod eſt idem antiquiſſimum.
Invidia præfert ſemper antiquos novis.
Majora vero de vetuſtis dicimus.
Nihil Deo rerum omnium eſt antiquius.
Nil tempore eſt ipſo uſpiam vetuſtius.
Non ſemper id quod eſt vetuſtum & optimum eſt.
Pleniſſima errorum parens antiquitas.
Quæ veteres factitarunt, faciunt & novi.
Rerum minus jucundæ ſunt origines.
Veriſimum quodq; eſt idem antiquiſſimum
Vetuſta amat, præſentia odit malignitas.

Antiſtitis.

¶ Sententiæ Patris.

S. *Iſidorus Peluſiota*: Cùm adulterinus quiſpiam ac ſacerdotio indignus imperium uſurpat, tum verò imperij ornatus in inconditum quendam & inornatum ſtatum migrat. Siquidem ita natura comparatum eſt, ut ad ejus, qui præeſt, ſimilitudinem, ij, qui parent, ſeſe effingant. Quod quidem etiam in Euſebio, quemadmodum ſcripſiſti, uſu venit. Tantus enim & Sacerdotibus, qui ſub ipſius imperio ſunt, & reliquis ſubditis, vitij amor exarſit, ut qui aliunde veniunt, perennem lachrymarum materiam habeant tot tantorumque malorum ſpectaculum. *lib. 1. Epiſt. 209.*

Idem: Epiſcopatus quidem & nomen, & reſipſa, cùm divinum quiddam ſit, atque omni alio munere ac dignitate præſtantius, paucis quibuſdam convenit, hoc eſt ijs, qui paternam curam, non autem tyrannicam vitæ licentiam, hanc dignitatem eſſe exiſtimant. Quoniam autem nonnulli eam in imperium, vel potiùs, ſi liberè loquendum eſt, in tyrannidem commutarunt, illud ſcito, cùm conſpicuum iſtud imperium maximáque contentione ac dimicatione expetitum, acrem nunc, ſi aliàs unquam, ſui amorem hominum pectoribus injiciat, ſéque facilè amantibus fruendum præbeat, apud cordatos omnes viros parui haberi. Siquidem illud pœnam potiùs pendentium, quàm honorem accipientium eſſe arbitrantur. Vt plurimùm enim alijs præſunt, alijs ſerviunt: alijs imperant, alijs miniſtrant: alios malè mulctant, alijs commodant: alijs inſunt, alijs ſuccumbunt: alios metuunt, alijs odio atque acerbitati ſunt. Quocirca ne mirum tibi videatur, quòd Hierax Presbyter, vir mente præditus, hoc munus tanquam gravem quendam ac difficilem morbum defugerit. *lib. 2. Epiſt 125.*

Iſidorus Peluſiota: Qui ſacerdotij corona redimitus eſt, ſiquidem propriè loqui volumus, terrenarum rerum procurator verius eſt, quàm qui purpuram geſtat. Etenim ille animis, hic corpori-

corporibus dominatur? Quod ſi ſuæ dignitati, vel (ut rectiùs loquar, officii ac miniſterii) ignoratione laborans, animarum quidem nullam curam gerat, parietes autem & columnas duntaxat curet, luxuiq; ac deliciis ſeſe addicat, colligendiſque pecuniis ſtudeat, ſeipſum profectò, non ſacerdotium ignominiâ afficit. At ſtultorum multi, pro eo quod illud quidem divinis honoribus efferre, hunc autem accuſare debebant, totam accuſationem in illud convertunt. *libri ſecundi, Epiſt.* 200.

Idem. Non modò is, qui in ſacrum ordinem cooptatus eſt, ſed etiam quilibet vir probus (tantum enim inter ſacerdotem & quemlibet probum virum intereſſe debet, quantum inter cœlum & terram diſcriminis eſt) nihil petulans ac juvenile agere debet, verùm temporantem ubique ac probè moderatam vitæ rationem præ ſe ferre. Tu autem, ut ajunt, nec, cùm juvenis eſſes, modum in laſciviis atque libidinibus ob paupertatem tenebas, nec poſteaquam conſenuiſti, ob ætatem. Quapropter ſi ita eſt, à venerando altari teipſum arce. *lib.* 2. *Epiſt.* 205.

Idem. Si ii, qui Sacroſancta Sacerdotii dignitate redemiti ſunt, oraculum aliquod nobis recitare queant, quo illud ſanciatur, eos minimè laborare ac virtutem colere, verùm ſermone ſolo docere oportere, ſentiant ſanè ut ſentiunt. Sin autem divina oracula paſſim Antiſtites eos prædicant, qui virtutum amore flagrant: contraque eos qui ſermone ſolo alios erudire conantur, explodunt, ecquid iſti prætermiſſis iis rebus, quæ divinis legibus præſcriptæ ſunt, Sacerdotio ſolo, tanquam tyrannide, gloriantur? Etenim divina ſcita, eos potiſſimùm qui ſacerdotium nacti ſunt, in laboribus ac religioſis exercitationibus verſari jubet: quò nimirum ii qui ſubſunt, cùm eos, quibus imperare licet, laborantes perſpexerint, præ pudore ad fortitudinem ſtrenuique animi officium provocentur. Neque enim docentium oratio perinde animos acuere ſolet, ut vita & mores. At iſti, non ſecus ac ſi ipſis loquendi duntaxat munus commiſſum fuiſſet, ab actione abſtinent. Quos etiam proinde inceſſens ac proſcindens divinus Apoſtolus his verbis uſus eſt, Qui prædicas non eſſe furandum, furaris. Atque item divina ſententia apud Ezechielem (id enim eſt quod, ut tibi exponerem, poſtulaſti) Angelis iis, qui Hieroſolymam ſupplicio affecturi erant, hoc imperavit, A ſanctis meis incipite. Quod quidem etiam Apoſtolorum anteſignanus his verbis tranſtulit, Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio Dei? Conſentaneum enim eſt, ut qui honore ac dignitate ſuperiores ſunt, hi quoque, ſi peccent, gravioribus etiam ſuppliciis mulctentur. *lib.* 2. *Epiſt.* 208.

Idem. Unuſquiſque eorum, qui hanc Epiſtolam lecturi ſunt, de eo quod dicturus ſum, ut volet ſentiat. Ego verò non Sacerdotii regulam nunc informare proponens, ſed viam ad illud ferentem ſtatuens, hoc ajo, eum qui ad hoc imperium antè proſiliit, quàm Eccleſiaſticarum ſanctionum imperium ſuſtinuerit, haudquaquam ad ſubditorum utilitatem hujuſmodi provinciam perſequi: hunc autem qui in ſubditi gradu atque ordine ſeſe cum laude in iis virtutibus, quæ antiſtitem decent, exercuit, maximum ad muneris ſui adminiſtrationem bonum, hoc eſt experimentum habentem venire. Namille priuſquā ipſemet mores ſuos compoſuerit, alios componere ac moderari aggrediens, à veritate aberrat: hic autem compoſitis primùm ſuis moribus, factoque rei periculo, ad moderandam aliorum vitam aptus atque idoneus reperietur. Quandoquidem ille, antequam armis aſſueverit, imperator creari cupit: hic autem probi & clari militis officio functus, præſtantior quoque & illuſtrior erit imperator. Atque ille quidem inſtruendi in aciem exercitus expers & ignarus, tribuni militaris gradum ſibi vendicat: hic autem in ejuſmodi ſtudiis verſatus & excultus, tribunus deſignatur. *libri ſecundi, Epiſt.* 264.

Iſidorus Peluſiota: Non mediocriter in urbe celebraris, ô quónam pacto te appellem. Quicquid enim dicatur, ſi tui ratio habeatur, exiguum eſt. Nam cùm vehementer ab omnibus expetitum, & de quo tanta contentione certatur imperium, nunc, ſi unquam aliàs, ac rem ſui amorem mortalium animis injiciat, facileque ſeſe amantibus fruendum præbeat, tu tamen non illud tantùm per ſomnium minimè tibi effinxiſti, ſed ne vocatus quidem paruiſti, nec porrectum imperium arripuiſti: quòd ſcilicet exiſtimares, maximum, ac probo & honeſto viro congruens imperium eſſe, ſibi ipſi imperare poſſe, ac rationem iracundiæ ac voluptatibus præficere. Poſtea autem iſtud quoque probè ac præclarè perſpexiſti, veram libertatem in quiete, ac non in conſpicuis hujuſmodi imperiis, velut choros agitare. Ingentis enim moleſtiæ meritò judicaſti, aliis præeſſe, aliis ſervire: aliis imperare, aliis parere: alios lædere, aliis gratificari: aliis ſubjici, aliis ſuperjectum eſſe: alios pertimeſcere, aliis odio eſſe. Quamobrem hæc eorum eſſe, qui pœnas darent, non qui honorem acciperent, exiſtimans: imperium optimo jure repudiaſti, atque ad animi curam, ſtudium & operam convertiſti.

Quod ſi quidam recto rerum judicio carentes, vel, ut rectiùs loquar, mente ac ratione orbati, te accuſant, maximè quidem nec digni ſunt, ad quos ſermo habeatur, ut qui eum, qui corona dignus eſt, accuſandum putent. Quòd ſi adverſus eos velitandum eſt, hanc orationem habe: Illud fortaſſe ignorare videmini, lenitatis ac manſuetudinis dignitatem in tyrannidem tranſiiſſe. Nam ſi hoc oſtendere poteſtis, veterem paſcendi gregis rationem nunc quoque vigere, maximè quidem eum, qui ſe huic negotio imparem eſſe arbitratus eſt, ac propterea in fugam ſe dedit, à vobis laudari æquum fuerit. Si autem cùm id exequi poſſet, munus iſtud defugit, non modò crimine non ſolvatur, ſed etiam in eum animadvertatur. Sin verò res in contrarium ceſſit, ab eo pœnæ minimè expetuntor. Tùm enim ſalutis omnium cauſa mortem oppetebant: nunc autem Paſtores ovibus mortem inferunt, non corpora jugulantes (levius enim hoc malum eſſet) verùm animis offenſionem afferentes. Tùm jejuniis corpus caſtigabant: nunc autem, ut luctu ac deliciis exultent, efficiunt. Tùm bona ſua egentibus diſtribuebant: nunc autem, pauperum bona in rem ſuam vertunt. Tùm virtutem colebant, nunc virtutis cultores proſcribunt & eliminant. Tùm caſtitatem mirificis laudibus: nunc autem, ſed nihil moleſti dicere volo. Nam hæc quoque eò duntaxat dicere cupio, ut eos, qui in culpa ſunt, inſectarer. Non enim omnes accuſabo. Verùm, cùm oſtendam quantum inter vetus miniſterium ac præſentem tyrannidem interſit, quæ tandem cauſa eſt, quamobrem æqualitatis amantes coronis non redimitis ac prædicatis? *lib.* 3. *Epiſt.* 223.

Iſidorus Peluſiota: Verè urbs, ut à te dictum eſt, hominum multitudine ac divitiis ob clariſſimi illius viri preces nuper florens, ac virtutibus ornata & exculta, nunc ad eam, & corporum, & divitiarum, & ædificiorum paupertatem dejecta eſt, ut qui reliqui facti ſunt, partim è patria evolarint, partim plagis affecti in carcere diem vitæ extremum clauſerint: dum interim is, qui antiſtitis ſpectem gerit, nihil horum curat, verùm ex his quidem rebus, ex quibus nefas eſt, delicias ſibi parat, neceſſariaque pauperum alimenta in munificentias ſuas inſumit, meſſemque ex alienis calamitatibus facit, atque in tanta malorum anguſtia nec lachrymis ullis commovetur, nec manum porrigit. *lib.* 3. *Epiſt.* 270.

Requirantur plura titulo *Epiſcopi, Presbyteri, Sacerdotis, Religioſi, Pontificis, Monachi, &c.*

Apoſtaſiæ.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

MOSES *Dux Iſraelitarum*: Quàm deteſtabile & horrendum ſit ſchiſmatis in Eccleſia & apoſtaſiæ crimen, ſequentia Moſis dicta, Dei judicio mirando comprobata teſtantur. Core, Dathan, Abiram, & 250. primatii viri Iſraëlitæ congregantes ſe adverſus Moſen & adverſus Aaronem dixerunt ad eos, Plus ſatis arrogatis vobis: nam totus hic cœtus, hi omnes ſunt ſancti, & inter eos eſt Jehova: quare ergo differtis vos ſuper congregationem Jehovæ? Quo audito Moſes procidit in faciem ſuam, deinde allocutus eſt Core, & totum cœtum ejus dicendo: *Manè cùm illuxerit, planè notum faciet Iehoua eum qui ipſius eſt, & quem admouit ad ſe: nam eum quem elegerit, admouebit ad ſe. Hoc facite, ſumite vobis thuribula, Core cum toto cœtu ſuo: inditoque eis igne imponite eu thus coram Iehoua cras, eritque is quem elegerit Iehoua, ille ipſe ſanctus. Plus ſatis arrogatis vobis, filii Leui. An parua res eſt præ vobis, quod ſeparauit Deus Iſraelis vos à cœtu Iſraelis, admouendo vos ad ſe, ut exerceatis miniſterium tabernaculi Iehoua ſtantes coram hoc cœtu pro miniſterio eorum? Admouit enim te (ô Core) & omnes fratres tuos filios Leui tecum: & quæritis etiam ſacerdotium? Idcirco tu & totus cœtus tuus ij eſtis qui congregatis vos adverſus Iehouam: Aaron verò quid eſt quod murmuretis contra eum?* Quum poſtea Dathan & Abiram, à Moſe vocati, accedere ad eum recuſaſſent, Moſes ira (zelo) accenſus dixit ad Jehovam: *Ne reſpicito munus eorum: ne aſinum quidem unum ab eis uſurpaui, neque malo affeci unum ex eis.* Et die ſequenti ad populum: *Recedite nunc à tentoriis iſtorum improborum hominum, & ne attingite quicquam quod illorum ſit: ne conſumamini in pœnis eorum.* Et iterum, *hac re cognoſcetis Iehouam miſiſſe me ad faciendum omnia opera iſta, non autem ex me ueniſſe ad faciendum ea. Si ut moriuntur omnes reliqui homines morientur iſti, & animadverſione omnium reliquorum hominum animadvertetur in eos: ne Iehoua miſertus me. Sin autem aliquid noui patrabit Iehoua, & aperiens humus os ſuum abſorbebit eos cum omnibus quæ eorum ſunt, deſcendentque uiui in ſepulchrum, tunc cognoſcitote homines iſtos provocaſſe Iehouam.* Fuit ergo cùm abſolveret eloqui omnia verba hæc, ut finderetur humus quæ ſuberat illis, & aperiens terra os ſuum abſorberet eos, &c. *Numer.* 16. *cap.* ab initio ad finem.

Apoſtoli: De Apoſtatis loquens Apoſtolus ad Hebræos dicebat, fieri non poſſe, ut qui ſemel fuerint illuſtrati guſtaverintq; donum cœleſte, & participes facti fuerint ſpiritus ſancti, guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi, ſi prolabantur, ut denuò renoventur per reſipiſcentiam, ut qui rurſum crucifigant, ſibimetipſis filium Dei, & ad ignominiam exponant. *Hebræorum* 6. ℣. 4. &c. Et iis qui ultro peccaverint poſt acceptam cognitionem veritatis, non reliquam eſſe pro peccatis hoſtiam, ſed horrendam quandam expectationem judicii, & ignis fervorem qui devoraturus eſt adverſarios. *Hebræorum* 10. ℣. 16. 17. Et D. Petrus, Apoſtata depingens, *cap.* 2. *epiſt.* 2. ℣. 20. Si poſtquam inquinamenta mundi, inquit, & agnitionem Domini & Servatoris Jeſu Chriſti effugerint, his rurſum implicati ſuperantur, facta eſt ultima eorum conditio deterior prio-

re. Satius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quàm cognitâ illâ regredi à sancta doctrina ipsi tradita. Sed accidit eis quod vero proverbio dici solet: Canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. D. Joannes 1. *epist. cap. 5. v. 16.* peccatum apostatarum dicit esse, peccatum ad mortem, pro quo non sit orandum.

Justinus *Martyr*: Quum Ptolemæus Christi testis, inquit, ad Urbicum præfectum duceretur, & rogaretur ab eo, essetne Christianus an non? ipse rectè factorum conscientia fretus, ob amorem quo Christi doctrinam complectebatur, eximium divinæ religionis, quam profitebatur, mysterium liberè denuò confessus est. Deinde subjicit Justinus: *Qui negat se esse quem se profitetur esse, aut negat quia professionem ipsam improbet: aut eam confiteri recusat, quia sibi conscius sit, se vitam indignam illa professione, & abinstitutis ejus longè alienam traduxisse. Quorum neutrum in vere Christianum aliquando poterit incidere. Euseb. libr. 4. Eccles. hist. cap. 16.*

Usthazanes *Persa:* In carcerem deductum Simeonem Christi martyrem conspicatus Usthazanes senex, eunuchus, educator Saporis, regis Persarum, & in familia regia principem locum obtinens, consurgens (sedebat enim pro foribus palatii) eum honorificè salutat. At Simeones verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus vociferari cœpit: atque averso vultu ideo præteriit, quod cùm esset Christianus, paulò antè vi coactus Solem adoraverat. Ideò Usthazanes fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidam qua indutus erat, exuere, & tanquam homo in luctu constitutus, nigram circumjacere cœpit: ad portas regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicque ait: *Heu me miserum, qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem jam dudum denegavi! Nam ob hanc causam Symeones ne verbum mihi loqui dignatus, sic ore averso propere prætergressus est.* Istis auditis Sapores hominem accersit, rogat causam luctus, & ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas? Cui Usthazanes: *In hisce ædibus*, inquit, *ô Rex, nihil mihi accidit infortunii. Vtinam autem pro eo quod mihi contigit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certè fuisset toleratu multò facilius. Iam verò lugeo, quòd maneam in vita: quodque cùm dudum mori debuissem, adhuc tamen Solem videam, quem ut tibi gratificarer, non revera ex animo, sed specie solùm simulata adoraverim: adeò ut utraque de causa mortem meritus sim, tùm quòd Christi proditorem, tùm quòd veteratorem erga te meipsum ostenderim.* Quæ cùm dixisset, cœli & terræ opificem Deum cum jurejurando testatur se in posterum de ea sententia nunquam destiturum. Sapores, machinis omnibus adhibitis, quum fidem in corde Usthazanis erectam evertere non posset, ad capitis supplicium jubet eum abduci. Hoc unum autem petiit & impetravit à rege, paulò ante mortem, beneficium, ut præconis voce palam omnibus annuntiaretur, capur Usthazani amputatum esse, non quod improbitatis cujusquam in palatio ab ipso admissæ convictus esset: sed quòd esset Christianus, & Deum suum, in regis gratiam negare noluisset. Quod Christianos infirmiores & ad lapsum proclives admodum erexit. *Sozom. Eccles. hist. lib. 2. cap. 8.*

Constantius *Imperator*: Constantius apostatas tanquam Dei proditores imperatoriæ majestatis servitiæ indignos censuit. *Quomodo enim*, inquit, *fidem erga Imperatorem servare poterunt inviolatam, qui adversus Deum Optimum Maximum perfidi esse manifestò convincuntur?* Quapropter hos procul à regali suo domicilio statuit amandandos, illos verò qui veritatis testimonio digni fuere Deo comprobati, similes erga Imperatorem fore affirmans, stipatores suos, & ipsius regni custodes constituit: inquiens, id genus homines in præcipuis maximéq; necessariis amicis & familiaribus numerandos esse, multóque pluris quàm ærariæ, ingenti thesauro referta, meritò æstimandos. *Euseb. de vita Constant. libr. 1. cap. 11.*

Theodoricus *Afer*: Is habuit Diaconum quendam Orthodoxum, quem præ cæteris dilexit & fovit. Diaconus iste, hoc pacto Theodorico principi Arianicæ sectæ fautori se gratificaturum est ratus, si relicta homousiana, id est orthodoxa fide, cum Arianis consentiret. Cognito hoc Theodoricus, quem tantopere dilexerat confestim capite truncari jussit, dicendo: *Si Deo fidem non servasti, quomodo homini sinceram servabis conscientiam?* Ita miser Diaconus apostasiæ suæ præmium accepit. *Theodorus lector, in suis collectaneis, lib. 2.*

Hormisda: Persarum rex quum Hormisdam virum apprimè nobilem Christianum esse accepisset, ad se adduci & Christum pernegare jubet. At Hormisda: *Quod imperas, ô Rex, neque justum est*, inquit, *neque utile. Nam quicunque didicerit Deum omnium gubernatorem facilè contemnere, eumq; denegare: multò facilius regem, quippe cùm homo sit, mortalis naturæ particeps, facilè contemptu rus sit. Quod si quis tuum imperium pernegaverit, ô Rex, gravissimè dignus sit supplicio: quantò gravius supplicium meretur ille qui omnium rerum effectorem pernegat?* Rex ad sordidam servitutem Christi servuum deductum post aliquot dies accersit, & Nunc demum, inquit, obstinatione deposita filium fabri negato. At ille induso vili, quo jussu Regis amictus erat dilacerato, & ad regem projecto, sic eum affatur: *Si me hujus causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donum cum impietate.* Hac ejus fortitudine perspecta, Rex eum è palatio nudum exturbavit. *Theodoret. Eccles. histor, lib. 5. cap. 38.*

Muritta: Sub persecutione Vandalica, fuit quidam Elpidoforus nomine, nimium crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra confessorum Christi suppliciis grassantibus laniare. Hic enim dudum fuerat apud nos in Ecclesia Christiana baptisatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alveo fontis susceperat generatum. Post verò dum apostaret, tantæ extitit feritatis adversus Ecclesiam Dei, ut superior omnibus executor persecutionis fuerit inventus. Quid multa? Dum primò presbyteri suppliciis macerandi ordine citarentur, post archidiaconum Salutarem, artatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim secundus in officio ministrorum. Qui cùm, Elpidoforo sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquam exueretur, clam furto nescientibus cunctis, illa quibus eum suscipiens de fonte dudum rexerat linteamina bajulabat. Quibus ventilatis, simúlque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commotum esse dicitur civitatem. *Hæc sunt linteamina, Elpidofore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cum cæteris possidere, quia induisti te maledictione sicut vestimento, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei sacramentum. Quid facturus es, miser, cùm servi patris familias ad cœnam regiam congregare cæperint invitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolâ rex conspiciet nuptiali, dicetq; tibi: Amice, quomodo huc veniisti, vestem non habens nuptialem? Non video quod contuli, non nosco quod dedi. Perdidisti militia chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texi, & tendiculas crucis quas extendens aquam mundavi, & purpuræ mei sanguinis decoravi, non conspiciunt oculi mei: characterem non video Trinitatis: talis interesse non poterit epulis meis, ligate ei pedes & manus funiculis suis, qui a se ipse voluit à Christianis dudum fratribus suis. Ipse funes extendit continuatos in laqueum, quibus & semetipsum vinxit, & alios ne ad istud venirent convivium impedivit. Iuxta semitam multis scandalum posuit, quem nunc cum rubore perpetuo & dedecore sempiterno de convivio meo projeci.* Hæc & alia Muritta dicente, igne conscientiæ, ante ignem æternum, obmutescens Elpidoforus torrebatur. *Victor de persecut. Vandal. lib. 3.*

Apostolorum.

§ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Philosophi Græcis solis, neq; iis omnibus placuere, sed Platoni quidem Socrates, & Xenocrati Plato, Aristoteles Theophrasto, & Cleanthi Zeno. Qui suos solos persuaserunt assecias. Magistri autem nostri verbum non mansit in sola Judæa, sicut Philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum orbem terræ, Græcorum simul & barbarorum gentibus & vicis & totis urbibus persuadens, totas domos & seorsum unumquemque ex iis qui audierunt, & ex ipsis etiam Philosophis non paucos jam traducens ad veritatem. Et Græcam quidem philosophiam si quivis magistratus prohibuerit, ea statim perit: nostram autem doctrinam à prima usque prædicatione prohibent simul Reges & Tyranni, & singuli Duces & magistratus cum universis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus, in nos belligerantes, nosq; pro viribus exscindere conantes. Illa autem magis etiam floret: non enim emoritur ut doctrina humana, neque flaccescit ut donum imbecillum. Nullum enim Dei donum est imbecillum: manet autem ejusmodi ut prohiberi nequeat, cùm prædictum tamen sit fore, ut ea patiatur persecutionem. Deinde de Poëtica quidem dicit Plato: Res quædam levis & sacra est Poëta, nec potest versus facere priusquam fuerit Deo afflatus & mente excesserit. Democritus quoque similiter: Poëta autem quæcunque quidem scripserit cum Dei afflatu & sacro spiritu, sunt valdè pulchra. Scimus autem qualia dicunt Poëtæ. Omnipotentis autem Dei Prophetas, qui instrumenta fuere divinæ vocis, nemo obstupescet? *libri 6. Stromatum fine.*

Basilius Seleuc. O verè consilium excelsum, & sapientiam! rem peregrinam, & doctrinam novam, deque cœlo allatam politiam cùm mortales instituisset edocere, & istiusmodi doctrinæ idoneos quæreret administros; despexit urbes, populos non conscripsit, regni ministeria repudiavit, divitiarum potentiam detestatus est, exosam habuit vim Rhetorum: non Philosophorum linguas optavit, gentes percurrebat, & neque arborum apparatum, neque manuum dexteritatem delegit, neque ad cursum pedum celeritudinem. Quid verò humana præsidia recenseo? Angelorum ordines, perpetem quietem sinens agitare portus, & fluvios, & litora, & officinas ebibat, inde doctrinæ administros decretum habens mutuari, & adstans hortabatur dicens: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: Vos, inquit, venatum venio; piscatores, non reges conquiro; nautas non dynastas adhortor, desinite cum mari animæ experte certamen habere; artem feras captandi mihi in continentem vertite. Mare

quoddam

quoddam impietatis terra continet ; eo mihi trajectis retibus prædam pietatis adhamate. Venite post me vos discipuli mei , & hujus universi magistri. Artem vestram ad cœli commercia utendam mihi dare. Idololatriæ mare fusum est , nube multiplicium deorum creatura tegitur, omnia inundat impietatis abyssus, mortales dæmoniacis fluctibus immaduere, mundus sanguinis graveolentiam redolet,& mortalibus sacrificiis inquinatur : piscatores illis ego qui medicos agant, constituam : artem vestram res ipsa vocat , medicamentum creaturæ periclitanti salutare commodemus : Venite post me. *Oratione 30. pr.*

Idem: Illi autem relictis retibus secuti sunt eum. Concurrens cum Domini desiderio discipulorum cœtus secuti sunt eum ; nec enim vocationem quid imaginarium arbitrabantur , neque promissionis magnitudo inclinabat eorum spes, neque ullam talem in Dominum orationem extorquebat : Quid nos,mi homo,cum undis colluctantes irrides ; quid ridicularijs vocibus ærumnas nostras ludificaris? Victum per mare quærentes cernis , ipsaque ars, quàm despicabiles simus,prædicat,& dicit : Venite faciam vos fieri piscatores hominũ ? Edissere nobis , quibus profusis ante ora hominum divitiis, eos conciliaturi sumus? an disrupta monstrabimus retia,& populos ferarum instar adhamabimus ? qua usi lingua , quo orationis ornatu auditorem irretiemus ? an vocabulis nauticis regum animos tractabimus? in piscium non hominum piscatu artem exercuimus.

Nihil tale locuti , nihil meditati , sed re ipsa hamo verbi Christi trajecti sequebantur loquentem Dominum,& piscaturæ modum intus ipsi secum docebantur. Piscari condiscebant,quodque facturi erant,primùm opere experiebantur. Dicebat : Venite,& vocati sequebantur. O verba rebus demonstrata! Venite. Ego verbis vestris escas implicabo,ego populos & civitates vestris vocibus convertam, vos ego sagenæ meæ primitias faciam. Ipse enim in vobis per vos rem conficio. Fas mihi fuit regibus potius uti ministris, fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ administras trahere , potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere : sed tum famulantium splendor gloriam famamque meam ad se rapiat. De ejus enim existimatione, qui rem gerit , famulorum potentia occultum quiddam detrahit. Recuso divitiarum obsequium , ne si operam conferant rem tam mirandam extenuent. Vos ego comperio fidos miraculorum meorum custodes. Quibus enim nullum humanum præsidium præsens est,apud hos Dei potestas retinetur integrior.

Propterea namque miraculo est miles , cum vilibus armis ad victoriam utitur. Vult enim cum illo virtus , qui præclarè quid fecit, gloriam partiri. Comprimantur voces infidelitatis: occludatur lingua,nec sit calumniæ locus. Ne dicat impius quis regionatim & oppidatim cùm homines ultro confugere videt ad Evangelii prædicationem. Quomodo potuit Christus non persuadere ? præcones perquam ingeniosos permisit, armorum terrore sibi adjunxit animas, pecuniarum objecto fulgore oculos inescavit , terrore adsensionem sibi comparavit,copijs copias sibi subjecit. His omnibus nudati vos ab justis accusationibus nudos sycophantas refellit. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Relicto mari fias terrestris piscator , terra circumretiatur,este piscatores hominum. Quando enim piscium incursiones in se mutuo norunt homines , vestris sagenis incidant , pares cum piscibus eventus ad salutem præstolentur. Talibus verbis velut unco perfossis auribus prompti secuti sunt trahentem volentes, & longum vale retibus dixerunt, seque a mari expediverunt Salvatoris nutibus obsequentes. Sic in Jesu retia turmæ modo illapsi, & piscatus admodum insperati constituti discipuli, cùm jam cœlum Dominus repetivisset , Gratiæ retibus hominum genera piscabantur. *Ibidem.*

D. Chrysostomus: Etenim nuper orbis principatum adepti , fastu multo turgebant, in divitiis ac deliciis vitam agentes. Evangelium autem ipsum piscatores Judæi ferebant , & quidem ex Judæis, gente quam omnes oderant , atque abominabantur. Quin & crucifixum adorari jubebant,eumque in Judæa eductum. Jam & una cum ipso dogmate duram vitam agendam præscribebant magistri hominibus,quibus semper curæ fuerant deliciæ, quique rerum vitæ præsentis admiratione attoniti essent. Adde,quòd qui hæc nuntiabant,pauperes erant & privati, ignobiles, & ex parentibus ignobilibus orti. Sed tamen nihil horum sermonis Evangelici cursum impedivit: tanta erat crucifixi potentia, ut ipsum verbum quoquò versum circumageret. *Homilia 2. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Ubi obsecro, nunc sunt quos Græcia sapientes habuit,iidem barbam submittentes , exomidas amicti , magnopere intumescentes ac turgidi ? En tabernaculorum texendorum artifex non ipsam tantùm Græciam , sed & barbaram terram omnem convertit: quum qui apud illos quâ ageretur,quâ circumageretur Plato, ter in Siciliam profectus,cum verborum illorum fastu ac fumo,cum magna illa quam de eo conceperant, opinione , ne unius quidem tyranni compos evaserit , quin potiùs ab illo tam infœliciter se explicuerit , ut & ipse libertatem amitteret suam. *Homilia 2. circa medium,ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Dic enim,Si viri duodecim rei militaris ignari, non solùm inermes , sed etiam corpore debiles, impetu facto in innumerabilem & armatam militum aciem,ab illis quidem nihil mali passi essent, neq; innumerabilibus telis appetiti essent sauciati , in nudo autem corpore jacula habentes infixa, omnes stravissent, non armis utentes,sed manu ferientes ; deinde alios quidẽ interimissent, alios autem captivos abduxissent, ipsi nullis acceptis vulneribus : dicrétne aliquis esse humanum quod gestum est ? Atqui Apostolorum tropæum est illo longè admirabilius. Nam quòd imperitus, & illiteratus,& piscator,superarit tantam dicendi vehementiam;& neq; à paucitate,neq; à paupertate,neq; à periculis,neq; ab ea quæ præoccuparat consuetudine , neq; à tanta rerum quas jubebant acerbitate, neq; à quotidianis cædibus, neq; ab eorum qui decepti fuerant multitudine , neq; ab eorum qui deceperant auctoritate fuerit prohibitus : est longè admirabilius & magis præter opinionem , quàm nudum non esse sauciatum. *Homilia 3. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus : In Apostolis nulla invidia erat, sed unum spectabant,nempe Ecclesiæ ædificationem:& si minor erat qui operabatur,omni studio ei opem ferebant & confirmabãt. *Hom.14. ad Cor.1.*

Chrysostomus: Non solùm nihil impediit cursum Evangelii,Apostolorum ruditas & imperitia ; sed etiam hoc ipsum effecit,ut manifesta fieret prædicatio. *Homilia 10. ad Coloss.*

Chrysostomus : Nullus unquam Apostolis aut fornicationis , aut impudentiæ aut avaritiæ crimen objecit ; sed tantummodò seductores appellati sunt : quod solùm ad dogma refertur. *Homilia 10. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus : Utinam non defuisset,qui nobis Apostolorum historiam diligentissimè traderet,non tantùm quid scripserint, quidve loquuti sint: sed ut sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint,quando sederint, quò ierint, quid diebus singulis gesserint, & in quibus partibus vixerint, quam introierint domũ, quò navigaverint,ubinam applicuerint,atq; omnia diligenter exponeret,adeò illorum omnia eximia utilitate referta sunt. Verùm quoniam ignorant plurimi,quantum hîc lateat lucri, idcirco culpare cõtendunt. Si enim quum loca tantùm cernimus ubi sederunt,seu vincti sunt,loca,inquam inanima, illuc sæpè dirigamus animum, virtutésq; illorum conspiciamus, & expergiscimur, & promptiores evadimus : multò id profectò magis fieret , si verba illorum,& reliqua gesta audire contigisset. Certè de amico perlibenter quis interrogat, ubinam degit, quid facit, quò procedit ? non longè digniùs de communibus orbis magistris id fieri decuit? *Præfatione in Epist. ad Philemonem.*

S. Isidorus Peluſiota : Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis , sunt divino numine afflati Domini discipuli,ut qui & ex priore vitæ instituto id fuerint , & ex piscatoria in mundo operatione ad spiritualem migrarint. Quoniam enim non secùs ac fluctuum insultus , humanæ res intumescunt ac vicissim sedantur, earum inconstantiam divina oracula haud abs re maris nomine appellarunt. Qui autem hoc mare tranquillum reddiderunt,in aquis multis operationem fecisse dicti sunt. *lib. 1. Epist. 183.*

Idem. Hac ipsa,quam tu vitium esse existimas,sanctorum Domini discipulorum humilitate ab omni fastu & ostentatione aliena , literarúmq; insciti,divini Evangelii vis ac potentia majorem in modum eminet : ut quæ per ea victoriam adepta sit , per quæ alii victi sunt. *lib. 1. Epist. 268.*

Isidorus Peluſiota: Quemadmodum Apostoli,fortitudine animique magnitudine septi,divinoque auxilio instructi atq; armati , tot bellis exagitati, ex certaminum causa satis amplam consolationẽ capiebant (non.n. suæ,sed Dominicæ gloriæ causa ea patiebantur,quæ patiebãtur.) Ac proinde nec livor,q proborũ virorũ successib⁹ discruciari solet,eos læsit:eodẽ modo nos quoq; , cùm non ob improbitatẽ nostram, sed pietatis ac justitiæ causa malo aliquo afficimur, animis consternari minimè debemus. Nobis enim,etiam ante futuras coronas ad ornatum ipsa certaminum causa sufficit. *lib. 2. Epist 54.*

Isidorus Peluſiota : Qui superioribus temporibus Ecclesiæ status esset,ignorare mihi videris. Neq; enim,si id scires,de his rebus dubio atq; anxio animo fuisses. Ego verò calentibus lachrymis hoc nomine profusis , quòd cùm opum *scrinia* habeamus , ipsas tamen opes propter segnitem nostram(de me loquor) amiserimus,ad ea,quæ per literas significasti,explicanda veniam. Apostoli,cùm mortale corpus ac luto quovis imbecillius haberent , atq; exagitarentur & vexarentur, mortuos excitabant , paralyticorum solutos artus astringebant, ægrotos sanitati reddebant , dæmones profligabant , futura prædicebant , Spiritus sancti præsentiam hominibus conciliabant. An non enim Simonem ad eos his verbis utentem audisti,Date & mihi hanc potestatem,ut cuicunq; manus imposuero,accipiat Spiritum sanctũ : Quidnam est quod cum his opibus comparari possit ? Quid his præstantius & excellentius ? Equidem ipse,si quis tótius terræ Imperia, hoc est Assyriorum , Persarum, Macedonum, & Romanorũ collegerit , atq; sermonis vi & facultate unum ex omnibus effecerit, illúdq; cum his divitiis compararit, eum ut stultum ac stolidum puerũ,quique rerum naturam internoscere nequeat , condemnarim. Quòd si, quæ his majora sunt, animo perpendas , majores divitias perspicies. Domini omnium rerum contubernales mensæq; consortes exiterunt: divini colloquii honore affecti, ac doctrina naturæ captum superante ornati atq; instructi sunt : ad filiorum adoptionem Deique amicitiam pervenerunt. Etenim velut præfecti quidam erant circumregem:ac velut stellæ una cum justitiæ Sole cursum obeuntes:atque non eburneas quasdam tabellas , quæ humanum aliquod præmium & honorem parturirent , verùm ejusmodi potentiam atq; authoritatem , quámne terreni quidem reges habent , accipientes. Ipsis enim dictum est : Quæcunque ligaveritis super terram , erunt ligata & in cœlis : Et quæcunque solveritis,soluta erunt.

Quòd si ea etiam quæ in futuro æuo ipsis promissa sunt,cum animo tuo reputes,magis adhuc obstupesces. Porrò si quis futuris diffidet, à

dit, à præsentibus argumentum sumat. Nam qui & terrę & maris imperiũ obtinet, ad piscatoris sepulchrũ exoscula ndorum ossium causa se confert. An non immortales opes in fictilibus vasis conditas perspexisti? Vide jam divinam quoq; sapientiã abjectis sermonibus & exemplis temperatam. Nam si Deus dignitatis tantùm suæ rationem habuisset, ac non potiùs legentiũ utilitati consultũ voluisset, cœlestibus prpfectò ac divinis sermonibus & exemplis usus fuisset. Quoniã autem hominibus, qui infirma & imbecilli natura præditi erant, atq; humanis verbis (sic enim ea, quæ ipsorum captum excedebant, intellectu facilè consequi poterant) opus habebant, leges præscribebat: idcircò rudibus & incultis verbis cœlestes disciplinas temperavit: ut & mũlier & puer, & omnium etiam mortalium indoctissimus, ex ipsa quoq; auditione commodi aliquid perciperet. Si quidem plebejorũ ac gregalium hominũ saluti prospiciens divinus sermo, tanta ob legislatoris humanitatem & benignitatẽ perspicuitate temperatus est, ut neminem ea, quę ipsius viribus respondeat, utilitate privet. Quanquam ne eruditorum quidem commoda neglexit. Nam in tanta perspicuitate tam arcani sermones, velut thesauri quidam insident, ut sapientissimi etiam & eloquentissimi quiq; homines ad sententiarũ profunditatem æstuent, animíque vertigine afficiantur, atque etiam persæpè sapientiæ magnitudini, ut quam consequi ac percipere nequeant, credendum sibi esse ducant. *lib. 2. Epist. 5.*

Idem: Apostolorum unusquisque, ut ita dicam, regionem unam nactus, eam optimis moribus informavit. At Paulus, tanquam pennatus agricola, universum penè orbem peragravit, adque extremos usq; terræ angulos grassatus est, tùm auditores suos optimis legibus instituens, tùm iis etiam, quibus eum audire minimè contigit, divinam doctrinam inserens. Quocirca illos quidem mulieres etiam comitabantur, non ut liberos procrearent, aut unà cum ipsis vitæ consuetudinem haberent, ac paupertatis præcones alerent: hunc autem, qui ad ipsos usque terræ fines currebat, sequi nec permissæ sunt, nec potuerunt. Quid verò mirum fœminas relictas fuisse, cùm etiã Barnabas, indiuiduus alioqui comes, ad infinitum illum cursum ac laborem claudicans, primas ipsi concesserit? Siquidem quo tempore cum eo versabatur, hæc verba habebat Paulus: Nunquid habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? An solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi? Non quòd ii, qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent. Quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cœno sese volutantes deprehensi fuissent?

Idem: Non prædicationis duntaxat virtus, eximie vir, sed etiam prædicantium vita prædicationi consentiens hominũ animos alliciebat. Quisnam enim alioqui hominibus aliud loquentibus, aliud agentibus fidem adhibuisset? Nam cùm permulti, actis jam in fide radicibus, ob magistrorũ tamen vitam non modò vacillarint, verùm etiam radicitùs evulsi sint, quisnam quæso sub initium vitam cum sermonibus congruentem minimè perspiciens ad credendum adductus fuisset? idque cùm à paternis diis ac ritibus abscedere juberetur, atque opes quidem & divitias, & voluptates odio prosequi, paupertatem autem & inediam & castitatem amplecti, atque ad quotidianas mortes sese comparare. *lib. 3. Epist. 317.*

Idem: Hoc ipsum, quod tu, bone vir, putas argumentum esse, quo convincatur, præconium Evangelii non esse divinũ, ostendit ipsum omninò esse divinum & naturâ præstantius. Nam ut omittam auctoritatem Platonis, ut qui tuis auribus sit sublimior, dicẽtis: Comptam orationem philosophantibus quidem seriò indignam esse; adolescẽtibus autẽ ambitiosis & ludentibus magis convenire: dum videlicet magistrum suum (Socratem) sic introducit loquentem: Indecorum namque sit, ô viri, huic ætati meæ quâ nunc sum, ut instar adolescentis, fictâ comptáq; oratione utar, dum ad vos sistor: Homerum, quem in linguâ perpetuò habes, testem producam, dum ait: Me docui ipse; Deus verò est mihi carminis auctor

Omne genus, quo mentem animi præcellere fecit.

sive divinas mihi voces præbuit. Quòd si igitur Poeta ille, quem tu penè Deum facis, adstipulatur, vel potiùs reverâ (secundùm nominis sui significationem) obsæs accedens iis quæ à nobis modò dicta sunt, hoc non dubitavit affirmare, Eos qui res divinas annuntiant, non necessariò vel mortalium hominum discipulos, vel talium doctrinarũ peritos esse oportere: quare non credis, si per homines plebejos & rudes, cæterùm ineffabili eruditos sapientiâ, sermo de divino præconio promulgatus est? Sed, ut puto, non ampliùs fidem adhibere detrectabis. Nam ea ipsa res, quæ tibi defectus esse videbatur, jam inventa est omnibus superior atq; excellentior. *lib. 4. Epist. 30.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Sicut fons ore angusto manens magnis fluviorum laticibus ampliatur, sic fides symboli breviato sermone credulitatis latissimos dat meatus. Et sicut radix altè fixa in excelsum germen se protendit, fides sic radicata pectoris in profundo in excelsum credulitatis cacumen attollitur. Ergo de cordibus vestris expurgate perfidiæ cœnum, ut pura per vos fidei fluenta percurrant: incredulitatis frutetа in vobis radicitùs amputate, ut excrescant ad alta credulitatis vestræ robusta plantaria. *Sermone 61.*

Apotheoseos.

¶ Dialogus Luciani.

Mnesippus: Quid ais Toxari? sacrificatis Oresti, & Pyladi vos Scythæ, Deosque esse illos creditis? *Tox.* Sacrificamus. Mnesippe, sacrificamus, inquam: haud tamen esse Deos arbitrati, sed viros bonos. *Mne.* An verò mos apud vos, etiam bonis viris vita functis sacra facere perinde ac Diis? *Tox.* Non istuc modò, verùm illos festis diebus & celebritatibus honoramus. *Mne.* Quid ab illis captantes? non enim illis, mortui cùm sint, ad captandam benevolentiam sacra facitis. *Tox.* Nihil obsit fortè, si mortuos quoque benevolos habeamus. Quinetiam existimamus nos rem iis, quæ in vitâ sunt, magis conducibilem esse facturos, si præstantium virorum memoriam celebremus. Et defunctos honore prosequimur: siquidem hac ratione futurum arbitramur, ut multi apud nos illorum similes evadere cupiant.

Mne. Hæc quidem rectè judicatis. At Orestem, & Pyladem quo nomine potissimùm suspexistis, ut Diis eos æquaveritis, idque cùm vobis essent hospites, aut quod maximum est, hostes? Qui quidem, cùm ipsos naufragio dejectos, illius temporis Scythæ comprehendissent, & abducerent, ut Dianæ immolarentur: adorti carceris custodes, oppressisque excubiis, & regem trucidarunt, & assumpta sacerdote, quin ipsa quoque Diana sublata, in navi abiverunt, irrisa communi Scytharum lege. Quare si isti asmodi facinora viros istos in honore habetis: facile assecuti fueritis, ut multos illorum similes reddatis. Jamque ipsi ab hoc die usque ad prisca illa, respicite, num vobis expedierit multos Orestes ac Pylades in Scythiam appellere. Nam mihi quidem isto pacto religionis & Deorum expertes mox fore videmini. Diis reliquis eodem modò è vestra regione in alienam delatis. Postea, opinor, Deorum omnium vice, viros qui eos eductum venerint, divinitate donabitis, & qui sacrilegi in vos fuerint, iis tanquam Diis sacrificabitis. Quòd si nequaquam horum grátia, Orestem ac Pyladem colitis, sed aliud quippiam, ô Toxari, in vos beneficii contulerunt: qua gratia, quanquam olim non judicastis ipsos esse Deos, nunc contrà sacrificantes ipsis, Deos esse decrevistis: & iis qui tunc propemodum victimæ fuerant, nunc victimas offertis? Enimverò ridicula videantur ista, cumque his quæ quondam statueratis, pugnantia.

Tox. Etista, quidem, Mnesippe, generosa sunt virorum illorum facinora, quæ commemorasti: quod duo cùm essent, tam ingens ausum sint ausi, tamque procul à sua patria profecti, in Pontum navigarint, Græcis ad id usque temporis intactum, nisi solis his qui Argo in Colchidem trajecerunt exercitum: nihil expavefacti, neque fabulas quæ de illo feruntur, neque appellationem veriti, quòd in hospitium vocaretur, videlicet, opinor, quòd feræ undique gentes accolerent: deinde cùm jam capti essent, adeò strenuè se gesserint, nec sat habuerint, si tantùm incolumes evaderent: nisi & à rege contumeliam acceptam ulti, & Diana sublata abnavigassent. Quid? annon hæc admiranda, & digna quæ divino quodam honore excipiantur in omnibus qui virtutem laudant? Sed nos hæc in Oreste & Pylade non spectantes, pro Heroibus illos habemus.

Mne. Dicito jam quidnam aliud splendidum ac divinum patrarint. Nam quantum ad nauigationem, & peregrinationem attinet, multos istis diviniores ostendero negociatores: atque inter hos potissimùm Phœnices, qui non in Pontum, neq; ad Mæotidem usque, aut Bosphorum tantùm enavigant, verùm quaqua versus, Græcum ac Barbarum mare permetiuntur. Hi siquidem omnem oram, & omne littus, ut ita dixerim, quotannis scrutati, extremo tandem autumno in suam patriam revertuntur: quos ad eandem rationem pro Diis habeto, idque quanquam illorum multi fortè sunt caupones, & salsamentarii.

Tox. Audi nunc, & considerà, vir admirande, quanto nos qui barbari sumus, rectiùs vobis de bonis viris sentiamus. Siquidem in Argè & Mycenis, ne sepulchrum quidem ullum insigne videre est Orestis & Pyladis: apud nos verò & templum ostenditur simul utrique sacrum, ita ut par erat amicis, & hostiæ offeruntur, reliquúsq; omnis honos. Porrò quòd hospites erant, non Scythæ, nihil obstat quo minus viri boni judicentur. Neque enim inquirimus cujates sint viri honesti ac probi, neque invidemus, si quanquam amici non sunt, res egregias gesserunt: quin magis ea quæ patrarunt, probantes, illos ab ipsis factis nostrates ducimus. Quòd autem potissimùm stupentes in illis viris efferimus, illud est, quod hi nobis visi sunt amici inter se omnium longè optimi extitisse, atque aliis ceu legem statuisse, quemadmodum oportet amicos omnem inter se communicare fortunam: & promeruisse ut à præstantissimis Scytharum colerentur. Itaq; quæcunque alter cum altero, vel alter pro altero tulit, ea majores nostri descripta in ærea columna Orestis in templo reposuerunt, legémque tulerunt, ut ea columna suis liberis prima esset institutio & disciplina, & quæ in illa essent adscripta recordarentur. Itaque patris quisq; sui nomen citiùs oblivisceretur, quàm res gestas Orestis ac Pyladis ignoraret. Quin & in ambitu templi, quæcunque in columna notantur, eadem priscorum picturis adumbrata visuntur: Nempe Orestes unà cum amico navigans, deinde fracta inter abruptas cautes ipsorum nave comprehensus, & ad victimam adornatus. Jamque

Iphige-

Iphigenia initiat eos. Ex adverso verò in altero pariete, idem jam vinculis exutus depictus est, ac Thoantem occidens, multósque ex Scythis alios: postremò solventes, & Iphigeniam ac Deam habentes. Porrò Scythæ frustrà scapham adoriuntur jam navigantem, hærentes gubernaculis ac conscendere conantes. Deinde re nequicquam tentata, alii quidem ex iis saucii, alii verò ejus rei metu compulsi, natatu semet in solum recipiunt, ubi vel maximè liceat perspicere, quantam in conflictu cum Scythis alter in alterum benevolentiam præstiterit. Fecit enim pictor utrumque de suis hostibus securum, sed propellentem eos qui in alterum feruntur, & ante illum jaculis occurrere conantem, ac pro nihilo ducentem si intereat ipse, modò amicum servet, vel suo ipsius corpore in illum intentos ictus præripiens.

Jam verò tantam illorum benevolentiam, atq; in rebus tristibus communionem, fidem, humanitatem, veritatem, denique alterius in alterum amoris constantiam, hæc haudquaquam humana putavimus esse, verùm animi cujusdam præstantioris, quàm pro hominum vulgo: qui donec secundis ventis navigatur, amicis indignantur, nisi ex æquo participes fiant rerum lætarum: quòd si vel paululum iis reflare venti cœperint, aufugiunt solos in periculis deserentes. Enimverò & illud noveris, nihil amicitia melius arbitrantur Scythæ, nec ulla re magis gloriatur Scytha, quàm adjuvandis amicis, & communicandis rebus acerbis: quemadmodum neque probrum apud nos majus ullum, quàm amicitiæ proditorem videri. Has ob res Orestem & Pyladem veneramur, quòd præstantissimi extiterint in Scytharum virtutibus, atque in amicitia præcellentes: quod nos primum omnium admiramur. Appellationem quoque ex his illorum factis imposuimus, ut Coraci vocentur. Quod quidem nostra in lingua perinde sonat, ac si quis dicat, Dii amicitiæ præsides. *Mnesip.* Profectò, &c. *Videantur seqq. titulo Amicitia.*

¶ Monosticha Trochaica.

Appetit divinitatem veritatis appetens.
Despicit homines Deosq; qui cupit credi Deus.
Est furor Deos putare qui creantur nuptiis.
Fortium memoria honore consecratur Numinum.
In Deos regem transcribet candor & benignitas.
Nemo unquam fiet Deus suffragiis mortalium.
Quandoq; hominē sequitur, nunquā comitatur divinitas.
Quatenus hominem se esse Princeps novit, eatenus est Deus.
Qui cupit Deus videri ridet homines ac Deos.
Qui Deum laudes venatur, perdit & mortalium.
Quotquot orbi profuere a morte mox fiunt Dei.
Subruit Dei omne numen, numen esse qui adpetit.
Veri honores pro virtute deferuntur mortuis.

¶ Jambica.

Bonos beando maximè itur ad Deos.
Cœlum optimis solummodo dant posteri.
Consequitur quem, non comitatur, Divinitas.
Divinitatis gratiam reddunt posteri.
Divinitatis vine in algis vilibus?
Et multi vitam mortis titulo consecrant.
Facilius est imperium, quàm cœlum, dare.
Indignum honore thuris humanum est caput.
Lapis è sepulchro aliquando colitur pro Deo.
Qui postulat credi Deus, etiam hominem exsuit.
Stultitia Regum sibi divina vendicat.
Stultè veretur, ipse qui facit, Deos.
Vt quis Deus credatur, interit allo opus.

Appetitus.

¶ Sententiæ Theologorum.

D. Chrysostomus: Quidquid terminos à Deo statos transgreditur, id absurdarum, ac minimè legitimarum rerum appetens est. Quemadmodum enim fieri sæpè videmus, ut qui ciborum appetitionem amiserint, terram, ac lapillos comedant: quique imporenti siti correpti fuerint, ii & cœnum quoque nonunquā ad bibendum appetant: ita & petulantes ad amorem illegitimum effervescunt. *Homilia 4. ad Romanos.*

Io. Sarisberiensis: Quietus status in rebus publicis, aut privatis, nisi à fonte sapientiæ, quidquid sentiat Epicurus, provenire non potest. Hunc enim esse hortum deliciarum uberrimum, de quo quatuor virtutum flumina oriuntur, cognitissimum est. E diverso, & Epicureorum hortus fontem suum habet libidinem, qui & ipse parturit flumina, quæ irrigant universam hanc vallem lachrymarum & miseriæ, in quam ejectus est exul, qui quod libuit, & quod licuit, facere prælegit. Et quidem quasi unus rivus est amor habendi, quo ad sufficientiam rerum copia quæritur, in qua avaritia laborat præter licitum possidere vel scire, alter verò luxuriæ lenocinia diffundit, & defluit in varias voluptates, dum ad tranquillitatis & lætitiæ gaudia tendens adspirat. Tertius vires colligit, quibus tueatur naturæ libertatem, & cujusvis molestiæ propulsare possit injurias; & cùm viribus abundaverit prosilit in odibilem tyrannidis venam. Quartus ab appetitu celebritatis & reverentiæ, dum eminentiam quærit, fallaciter intumescit. Hæc sunt quatuor flumina, quæ circumeunt orbem, & de fonte perversæ voluntatis scaturiunt, qui sedem habet in imo, & originem contrahunt à luto vanitatis. Cùm autem excreverint, diversos ex se pariunt rivos, & quasi intumescentibus aquis diluvii, mundum obruunt, animantia perimunt, & sic omnia delent, ut terra videri possit in solitudinem redigenda, nisi quia paucas, id est octo, animas, resurrectionis scilicet filios, domus domini arca conservat, &c. *cap. 16. Policratici lib. 8.*

¶ Philosophorum.

Epictetus: Appetitionis eam esse pollicitationem memento, fore ut consequatur id quod appetat. Aversationis, ne in id incidat quod aversetur. Is porrò quem appetitio frustratur, infortunatus est: qui in id incidit quod aversatur, calamitosus: Itaq; si ea solum aversere quæ eorum naturæ, quæ in tua potestate sunt, repugnant; in eorum quæ averseris, nihil incides. at si morbum averseris, aut mortem, aut inopiam; calamitatem subibis. *cap. 6. Enchir.*

Simplicius: Si ergo bonum appetunt omnia, & quicquid agit, adipiscendi boni causa agit, sive id vere bonum sit, sive ipsi esse videatur, omnis actionis præcipuum esse finem boni adeptionem constat: malum vero interdum obiter incidere in actionem, cum non verum bonum desideratur, sed quod videtur esse bonum, & cui conjunctum est bonum. Nam aliquis voluptatem & opes appetens, furatur, & in mari grassatur, principaliter id quod ipsi bonum videtur appetens, & ejus adipiscendi causa agens, sed una cum illo id malum etiam quod cum eo conjunctum est, accipere cogitur. Nemo enim adulterium ob ipsum adulterium appetit, aut furtum ob ipsum furtum, aut malum aliud eo quod malum est: quia malum, quatenus malum est, non appetitur. Nam si principium & causa esset eorum quæ ab ipso oriuntur: finis etiam eorum esset & eis appetendum sicut bonum. Si vero ita se haberet, bonum esset, & non malum. Quod enim expetendum est, bonum, & quod bonum, est expetendum. Omnia igitur utilitatem appetunt, sive veram, sive imaginariam, sed eam quoque tamen ut veram. Nemo enim volens decipitur, ut mendacium pro veritate amplectatur, & simulacrum pro archetypo. Sed præstupore & admiratione apparentis boni, alias non perspicimus cohærens cum eo malum: alias quamvis perspexerimus, ipsi nos fallimus, quasi bonum majus sit, malum verò cum eo conjunctum minus. Sæpe etiam majus bonum admittimus cum minore malo: sicut sectiones & ustiones toleramus, malo quod eis inest majus bonum sanitatem judicantes, quæ per eas acquiritur. Bonum verò appeti ab omnibus, vel ex eo constat, quod ipsum malum si esset, & aliquid ageret: id suæ utilitatis causa ageret, hoc est, boni sui causa, quod idē valet, Proinde qui malum aliquid agere statuunt: quicquid agat, ob adeptionē boni & conservationē agere, ejusq; jacturā cavere dicunt. Quod si nihil appetit malum, non est principalis ejus substantia. Sed quia omnino est, & fit eo quo dictum est modo: meritò accessisse, & non naturā extitisse dicitur. *ad cap 34. Epictē.*

Simplicius: Qui in rebus in nostra potestate nō sitis, appetitionē & declinationem collocat: is & rebus desideratis sæpè frustratur, & in eas incidit quas declinat, propterea quod ea in aliorū potestate sunt. Talem autem infortunatū, calamitosum, ærumnosum, infelicem esse constat. Vide autē quàm Socratica hæc ratio sit, & ad captum auditorū accommodata, qua appetitiones nostræ ad res meliores & pulchriores traducuntur. Nam omnes, tam mali quàm boni, felicitatem in eo collocant, si & optatis suis fruantur, & ea quæ oderunt effugiāt. In eo aūt differunt, quod viri boni vera & syncera bona atq; commoda expetunt, & vera mala atq; incommoda aversantur. Nam ratio est, quæ in eis judicet, & brutæ appetitiones eorum assuefactæ sunt ut rationi pareant, jucundaq; existiment ea quæ ratio probarit. Vulgus autē hominū, quod & rationē neglectā habet, & brutas appetitiones ob continentem motum exercitatas voluptate res appetendas metitur, non utilitate & in voluptates incidit sæpè molestiis non adeo dissimiles. Ac ne voluptates quidem illæ propriè sunt: sed velut umbræ quædam voluptatum & simulachra. *cap. 6. in Epictetum.*

Approbationis.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. Chrysostomus: Est peccante multo deterior qui peccatum commendatione prosequitur. *Sermone 5. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Gravius peccatum admittit, qui de peccato admisso sese effert, gloriaturque, quàm qui simpliciter peccat. Ob quod & Corinthiis hoc ipsum vitio vertit, quum ait: Et vos inflati estis: nam si qui ob meritum suum inflatus est, illius fructum omnē amittit: quam, obsecro, pœnam non mereatur, qui ob peccatum à se admissum gloriatur? neque enim qui talis est, pœnitentia unquam compungetur. *Homilia 5. ad Romanos.*

S. Isidorus Pelusiota: Quia longè gravius, &, quod ad pœnæ rationē attinet, majus est, laudare peccantes, quā ipsum peccare, nō immeritò dictū est: Non solùm ea faciunt, sed etiā consentientibus. Nā ille quidē, qui post admissum peccatū id condemnat, poterit tandem procedente tempore seipsum recuperare atque in integrū restituere, quippe qui maximū ad pœnitentiā agendā adjumentū habeat condemnatio-

demnationem & detestationem peccati: At qui etiam laudat improbitatẽ, is auxilio quod ex pœnitentia ipsi provenire poterat, seipsum privat. Quare cùm perversæ atque corruptæ sit mentis hoc judiciũ, & animæ extremè incurabili morbo laborantis: jure ac merito is qui peccatum laudat, peccante ipso longè improbior esse judicatus est. Alter enim celerrimè; alter verò nunquam omninò à peccato refugiet, si quidem alterutra obtinebit sententia. *lib. 4. Epist. 60.*

Phalaris Epicharmo: Solus tu satis es qui nos justos putes, etiamsi nemo alius tibi hæc prædicanti fidem habeat. Unus enim mihi vir ejusmodi, pro universa est Sicilia. Nam promiscuum vulgus solitudinis arbitramur esse supplementum, à quo nos ignorari & non tam probatos atq; integros videri quã sumus, forsitan haud multũ ad rem pertinebit. Multos habes tui similes: virtutem enim hominum non copiam spectamus, cum quibus nos bonos ac honestos existimas. At verò si etiam solus esses, testibus abundaremus, neque majorem laudem desideraremus. *Epist. 98.*

¶ Romanorum.

Cicero: Quid est tam futile, quàm quidquam approbare non cognitum? *libro 4. Academicarum quæst.*

S. Salvianus: Quasi parvum piaculum esset, si malo illo tantùm inquinarentur auctores, per publicam scleris professionem fiebat etiam scelus integræ civitatis. Videbat quippe hæc universa civitas & patiebatur; videbant judices, & acquiescebant; populus videbat & adplaudebat: ac sic diffuso per totam urbem dedecoris scelerisq; consortio, etsi commune hoc omnibus non faciebat actus, commune omnibus faciebat adsensus. *libro 7. de gubernatione Dei.*

Ennodius: Qui bona studia probat, amplificat. *Dictione sexta.*

Ennodius: Necesse est universos fovere quod fuerint: nec utiliter, nisi ab emendatis, corriguntur excessus. Prodigus frontis est, qui punitorem mali credit facinorum sectatorem. *Dictione 18. m.*

¶ Monosticha Trochaica.

Futile est quid approbare seriò, non cognitum.
Omnes quod tangit, debet quoque approbari ab omnibus.
Orbis totius consensus, instar præcepti obtinet.
Pauci honestum, plures id quod expedit palam adprobant.
Plurium approbatio, meliorum utique est electio.
Pro mandato habetur in maleficiis ratihabitio.
Publica approbatione gestum, crimen omnium est.
Salva res est publica idem ubi juvenis sentit & senex.
Virtutem adprobare debent, non adhibere Cœlites.

¶ Jambica.

Aliud probare longè, aliud ignoscere est.
Probare falsa pro veris, turpissimum est.
Quod tangit omnes, approbetur omnibus.
Vult approbari vita testes qui adhibet.

Vide plura titulo Commendationis, Laudationis, Placere, Probationis.

Non convenire in omnes possunt omnia.
Non rete accipitri tenditur, neque milvio.
Puero cothurnos stultus aptat Herculis.
Qui regere celocem nequit, onerariam petit?
Quodnam cani commercium cum balneo?

Aquarum.

¶ Sententiæ Oratorum Philosophorum.

Aristides Rhetor: Ac primum quidem tenuissima putei hujus est aqua, ad aëris naturam proximè accedens: deinde quod hinc sequitur, levissima simul & tenuissima, tum dulcissima, & maximè potabilis ac perennis, & ad cujus potationem vinum non desideres. Et Homerus quidem Titaresiam Peneo dixit superfundi, quemadmodum aquæ homo præ levitate innatat: verùm hæc aqua meo judicio si infundatur alia, sursum exilit, illa tanquam vallo quodam in profundum delabente: nisi potius etiam infusam aquam videatur ista levitate sua in altum esse sublata; quæ quidem non arroganter à nobis dici, indicant pondera. Quid quod hæc aqua temporis vitium non patitur, verùm quæcunque est hausta, eodem modo atque ea quæ in puteo relinquitur, incorrupta manet & syncera. Sed & hic solus ex omnibus puteis quicunque exhauriũtur, æqualem perpetuò copiam præbet, pertuso dolio ex contraria parte respondens. Ut enim illud nunquam impletur, ita hic semper ad labrum usque plenus est. *In Æsculapii puteum.*

Trajanus Imp. Neque enim dubitandum puto quin aqua & bona & copiosa ab sexto decimo milliario perducenda sit in coloniam Sinopensem; si modò & viribus suis ipsa id assequi possit; cùm plurimùm ea res & salubritati, & amœnitati ejus collatura sit. *Epist. Plinij 92. lib. 10.*

Simplicius: Quid aqua iis qui orti sunt, ad victum & potum magis necessarium? *cap. 12. ad Epictetum.*

¶ Poetarum.

Plautus Rudente 2. sc. 4. v. 21.

Sacerdos Veneris hinc me petere jussit à vobis aquam.
T. At ego basilicus sum, quem nisi oras, guttam non feres.
Nostrum illum puteum periculo & ferramentis fodimus.
Nisi multis blanditiis, a me gutta non ferri potest.
A. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?

Ovidius 6. lib. Metam. v. 350.

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est.
Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas. ad publica munera veni.
Quæ tamen ut detis supplex peto. non ego nostros,
Abluere hoc artus, lassataq; membra parabam,
Sed relevare sitim. caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixq; est via vocis in illis.
Haustus aquæ mihi nectar erit: vitamq; fatebor
Accepisse; simul vitam dederitis in undis.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque aqua vita ulla duci non potest mortalibus.
Cur tu aquam gravare, amabo, quã hostis hosti commodat?
Dum pluit hominem ade pellat stilla tectum quæ subit.
Haud aquè est salubris unda quæ stat ac quæ profluit.
Inquinat nemo undam eleto publicam, quam ipsum scelus.
Invehunt aquas torrentes ripæ angustæ flumina.
Nemo aquæ æstimat magè usum, quam qui ea omnino caret.
Non differt sapore eodem nata quæ fonte est aqua.
Quidquid terra aquarum emittit, in se rursus accipit.
Quò puteum magè exhaurimus, hoc aqua est probatior.
Terra sit liquor, suis sit ut fluviis perennitas.
Unda stagni serpit, unda fontis it cito gradu.

¶ Jambica.

Aquæ bibuntur fonte ex ipso dulcius.
Aquæ sacræ non omnium usibus patent.
Aquam bibentes nil poetantur boni.
Aquam omnem in usus erogant o publicos.
Arcetur exul igni aquaq; patriæ.
Duos meatus uno fonte agrè impleas.
Extingui aquis mors mortium miserrima est.
Hoc major est sitis, sapor quò dulcior.
Lymphæ sititor mente lymphari solet.
Nil impedit aquam è flumine ducere publico.
Vixerit bonus poeta fonte qui levat sitim.

Aptitudinis.

¶ Monosticha Trochaica.

Auribus facilè apprehensis circumfertur amphora.
Calceus pedi est aptandus, non item pes calceo.
Difficulter ære curvo caseum mollem attrahas.
Ex arenæ parvitate funus effici nequit.
Ex superfluo se asellus commodet lyræ sonus.
Frustra ebur quis atramento candefacere postulet.
Fugit unguentum scarabæus, quærit equorum stercora.
Maximè elabora in illis ad quæ es ipse aptissimus.
Nec capiti ocrea induetur nec galea aptè tibiæ.
Nec facies nec signa possunt denotari pulvere.
Operam ludit in pertusum dolium lymphas qui ingerit.
Pro rubis oleas vites q; Thrax detruncat rusticus.
Quei se amaritudo possit vertere in dulcedinem.
Qui bovem ad ceroma mittit, perdit omne impendium.
Saxa per scopulosq; littus quærere; est vecordiæ.

¶ Jambica.

Coluber fugit cervum, leonem interficit.
Conglutinare testam plus est quàm arduum.
Currum trahit bos, non bovem currus trahit.
Deferre lanam non decet in fulloniam.
Dia le Bacchi fulmen haud armat manum.
Difficile eundem induere calcem omnibus.
Difficile facere est è spinis vindemiam.
Frustra requiras à Davo, quod Oedipi est.
Frustra rosas à spinis exspectaveris,
Funem ex arenâ nectere ullâ quis queat?
Haud parva vasto vestis quadrat corpori.
Mactatum ubi est primum pecus deglubitur.
Natura equus fieri ex asello non potest.

Arbi-

Arbitrii.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGORUM GRÆCORUM.

D. Chrysostomus: Mediator utrisque eis debet societate conjungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, utrorumq; participem fieri quorum fuerit mediator. Quod si unum quidem societate contingat, ab alio verè fuerit separatus, mediator jam dici non potest. *Homil. 7. ad Timoth. 1.*

S. Isidorus Peluseota: Putida quippe post divinam sententiam est omnis oratio. Nam etiam persæpè, duobus militibus inter se contendentibus, atq; utraq; parte jus sibi vendicante, regis calculus jurgium extinguit. *lib. 2. Epist. 85.*

S. Isidorus Peluseota: Ego amicum quidem me vestrum esse confiteor: ab utroque autem vestrum (qui nunc, haud scio qua de causa, alter ab altero hostilibus odiis dissidetis) ad ineundam belli societatem accitus minimè veniam: non quòd alterum juvare defugiam, sed ne alterutrum malo aliquo afficiam. At si, id quod oportet, feceritis, atque atrocissima pugna abjecta pacem vobis ob oculos proposueritis, veniam: non ut alterutri adversus alterum suppetias feram, sed ut ambos rursum amicitiæ nexu devinciam. *lib. 2. Epist. 248.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Pompejúmq; adeunt, tanquam justi arbitrum, & minimè avarum pecuniæ. Allegati onibus itaq; non muneribus, ut ante, niti cœpere; quoniam integer animus adversus corruptelam pecuniæ, laqueis avaritiæ non capiebatur. *lib. 1. cap. 15. de excid. Hieros.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Epictetus: Res quædam in potestate nostra sunt; quædam non sunt. In nostra potestate est, opinio, appetitio, desiderium, aversatio; & ut uno complectar verbo, quælibet nostræ actiones. Nostri arbitrii non sunt, corpus, pecunia, gloria, imperium; ad summam, ea quæ ipsi non agimus, omnia. Ac ea quidem, quæ nobis parent, libera sunt naturâ suâ, nec prohiberi ab ullo nec impediri possunt. In quæ autè jusipsi nullum habemus, ea sunt infirma, obnoxia servituti, obnoxia impedimentis, aliena. Proinde memento, si ea quæ naturâ serviunt libera putaris, & aliena pro tuis habueris, fore ut impediaris, lugeas, perturberis, Deos hominesq; incuses. Sin id solùm tuum existimaveris quod tuum est; aliena verò, ut sunt, aliena; te nemo coget unquam, nemo impediet; neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus, nemo te lædet, inimicum non habebis. Neque enim ullam calamitatem accipies. Cùm igitur tantas res appetas, sic eas susipiendas esse memento, ut sis non medi ocriter incitatus, atq; alia penitùs relinquenda, alia in præsentia omittenda censeas. Quod si & illas desideraris, & magistratus etiam atq; opes appetieris, & tuos florere volueris, fortasse ne hæc quidem assequeris, propter earum quas diximus cupiditatem: iis certè omnibus excides: per quas solas felicitas & libertas comparatur, &c. *cap. 1. 23. &c. Enchiridy.*

Dio Prusæus: Atqui nullus hominum, qui alicui arbitrium defert, hostem existimat arbitrum, si non pronunciaverit pro ipso. *Orat. 11.*

Aristides Sophista: De hoc unico totius terræ oppido, principes penè Dei, Minerva ac Neptunus inter se contenderũt, occupata velut in imperium arce. Quin & alterum non minus honoris genus vobis detulerunt, cùm iis qui tum regionem tenebant, causæ suæ judicium commiserunt, quod carissimorum arbitrium in utramque partem gratum ac suave fore existimarent. *In Panathenaico.*

¶ LATINORUM.

Cicero: Quis unquam ab arbitro, quantum petiit, tantum abstulit? *Orat. pro Roscio Comœdo.*

Seneca: Clementia, liberum arbitrium habet, non sub formula, sed ex æquo & bono judicat, *lib. 2. de Clementia, cap. ultimo.*

Seneca: Melior videtur conditio bonæ causæ, si ad judicem, quàm si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: hujus libera & nullis adstricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam: non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas aut misericordia impulit, regere. *lib. 3. de beneficiis, cap. 7.*

Symmachus: Quod si novitatis impatiens es, sume de foro arbitros, mei an tui styli venia poscenda sit. Crede calculos plures merebor, non ex æquo & bono, sed quia plures vitiis communibus favent. *lib. 3. Epist. 11.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Ranis v. 808.

Quis autem erit arbiter? Æ. difficile id erit:
Nam sapientum virorum magna est inopia.

Aristophanes Ranis v. 1443.

Amici, ego hoc sententiam
Inter eos non feram. Nam neutrius odio lubens
Memet onerem. alterum sapientem judico:
Voluptatem non parvam capio ex altero.

Plautus Rudente 4. sc. 3. v. 105.

Quanquam ad ignotum arbitrum me appellis; si adhibebit fidem,
Etsi est ignotus, notus est: si non, notus ignotissimus est.

P. Syrus Mimus.

Inter amicos judicatur quam inimicos molestius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Accusator arbiterq; esse vix potes simul.
Appellatio nulla est ab arbitri sententiâ.
Arbiter medicusq; multus civitatem ægram arguit.
Arbiter pœna est iniquus, facta cui injuria.
Arbitri locum fortuna rebus in cunctis tenet.
Causa quæ mala est requirit arbitrum, non judicem.
Eligas ne an sortiaris judicem, multum interest.
Neminem arbitrum putamus esse quàm qui sit probus.
Nemo tantum ab arbitro aufert, quantum ab arbitro petit.
Perduellium esse malim arbiter quam civium.
Sortiatur aliquis judicem an eligat, multum interest.

¶ JAMBICA.

Legem ante oculos habet judex, æquum arbiter.
Medium ferire oportet semper arbitros.
Ne sis amicos inter arbiter duos.
Plus arbitro semper licet, quam judici.
Quam vis potentum populorum arbitri Dei.
Quis arbitrum sese legi non ambiat?
Utrique parti accommodat sese arbiter.
Ubique litium arbiter fidissimus.

Arcani.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGICÆ.

D. Chrysostomus: Nos quoque eis quos fecimus amicos, hoc dicamus esse indicium nostræ erga eos amicitiæ, quod nemini priusquam ipsis dicamus arcana. *Homilia 7. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Nescit quispiam undènam existat fœtor si abscondatur quod est putridum, sed cõmuni eum imputat. *Hom. 15. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Si simus omnes amici, ne arcanis quidem est opus. Quomodo enim non habet quisquam ipse apud se ullum arcanum, neque ipse se ipsum potest celare, ita nec amicos. Cùm igitur non sint arcana, fieri non potest, ut ex ea re sit offensio & diruptio. Arcana enim non habemus propter aliud, quàm quod non omnibus fidimus. Charitatis itaque refrigeratio fecit arcana. Nam quod habes arcanum? Vis injuriam fieri proximo? aut prohibes ne sit alicujus boni particeps, & propterea eum celas? At nihil est horum, sed erubescis. Hoc est ergo signum, quod non fidis. Si sit ergo charitas, non erit detectio arcanorum, sed nec exprobratio. Quid enim, dic quæso, animæ suæ quisquam exprobraverit? Quod si etiam fiat, fit propter lucrum. *Homilia 9. ad Ephesios.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Heraclitus: Omnino te volo convenire, & cùm de aliis multis, tùm de legibus etiam pauca colloqui. Scriptis ea mandassem, nisi plurimùm ad rem pertinere judicarem, ut occulta manerent. Nihil verò ita sileturi, ut cùm unus uni loquitur, & hoc magis Heraclitus Hermodoro. Vulgus non differt à fractis urceis, quòd nihil continere possunt, sed nugando diffluere. Athenienses, qui erant indigenæ, judicarunt hominum naturam, quoniam ex terra facti multotres dissectum animum haberent. Hos instituerunt ad arcana custodienda per mysteria, ut quasi metu tacerent, non judicio, & non ampliùs animæ difficile esset, exerceri ad silentium. *Epistola ad Hermodorum.*

Xenophon: Illud scimus omnes minimè occultum esse posse quidquid homines illustrissimi agunt. *cap. 35. de vita Agesilai.*

Arrianus: Quando nobis aliquis candidè visus fuerit de suis rebus disseruisse, haud scio quomodo & ipsi excitamur ad nostra arcana narranda, idq; simplicitatis esse judicamus. Primum enim iniquum esse videtur, cùm tu res alterius audieris, non vicissim tuas etiã illi communicare. Deinde putamus, nos non simplices homines habitum iri, si nostra taceamus. Atque etiam sæpè dicere solent: Cùm ego tibi omnia mea dixerim, tu nihil tuorum dices? Ubi fit hoc? Accedit & illud, tuto nos ut illi fidere putemus, qui sua jam nobis crediderit. Occurrit enim animo: nunquam iste nostra effutiet, veritus ne quando & nos illius arcana vulgemus. Sic etiam à militibus Romæ temerarii capiuntur. Assidet tibi miles, habitu plebejo, atque ubi cœpit maledicere Cæsari: tu veluti pignore fidei ejus accepto quod ipse convitium auspicatus est: dicis & ipse quæ sentis. Deinde vinct⁹ in carcerem abduceris. Tale quiddam in universum nobis accidit. Verùm ut ille mihi tuto suam credidit, sic & ego cuilibet? At ego quidem ea quæ audivi taceo, siquidem sum taciturn⁹. Sed ille egressus, vulgat apud omnes. Deinde ubi quid factum sit cognovero: si & ipse similis illius fuero, ut eum ulciscar, effero illius etiã arcana: maculo, & maculor. Si verò tenuero, alium ab alio non lædi, sed facta esse cujusque, quæ quemque & lædant & juvent: in eo quidem mihi tempero, ne quid illi simile faciam. Nihilo minus tamen futilitas mea mihi molesta est. Ita sanè. Sed iniquum est, cùm alterius arcana audieris, non & ipsum vicissim illi tua te committere. Num te rogavi homo? Num certis cõditionibus tua protulisti, ut vicissim audires mea?

mea? Si tu nugatores & omnes obvios, amicos judicas: vis & me tui similem evadere? Quid verò si tu rectè mihi tua credidisti, tibi verò rectè credi non potuit? Vísne me temerarium esse? Perinde facis, ac si dolium haberem ego quidem solidum, tu verò perforatum: tuq; cùm tuum vinum mihi commisisses, ut in meum dolium reconderē, postea mihi succenseres, quod non & ipse meum tibi vinū commisissem. Nam tu quidem perforatum doliū habes. Qui ergo jam paria sunt? Tu apud fidelem deposuisti, apud verecundum, apud eum qui solas actiones suas noxias judicat & utiles, externarū verò nihil. Vis autem ut ego apud te deponā mea, hominem qui suā voluntatē negligit, nummos aūt consequi studet, aut magistratū aut gradū dignitatis aliquem in aula, quamvis liberi tui mactandi tibi sint, ut Medea fecit? Ubi hoc æquum est? Age, ostende mihi te fidelem, verecundū, constantem: ostende te habere decreta āmica: ostende vas tuum non perforatum esse: tum videbis me non exspectaturum, dum arcana tua mihi credas, sed rogaturum ultrò ut audias mea.

Quis enim nolit uti vase pulchro? Quis contemnit consiliarium benevolum & fidelem? Quis non libenter admittit eum, qui tanquā sarcinæ partem ita casus ipsius in se recipiat, atq; eo ipso levet, quod partem eorum capit? Rectè. At ego tibi credo, tu mihi non credis. Primum ne tu quidem mihi credis: sed futilis es, propterea quę nihil continere potes. Nam si res ita se habet mihi soli credito. Nunc autē quemcunq; videris otiosum, illi assidens dicis: Frater, neminem habeo te benevolenti orem aut cariorem, rogo ut res meas audias: idq; facis apud homines minimè notos. Ut autem mihi credas, nō dubiū est quin credas ut fideli & verecundo: non quod ego mea tibi dixerim. Sine igitur ut & ipse eadem sententia. Ostende mihi, si quis alicui sua dixerit, illum fidelem & verecundum esse. Nam si hoc ita se haberet: ego passim omnibus arcana mea cōmunicarem, si ea de causa fidelis & verecundus futurus essem. Res aūt non ita se habet, sed decretis opus est non vulgaribus. Si quem igitur videris rerum externarum studiosum, atque his voluntatem suam subjecisse eum scito infinitos habere à quibus cogatur, à quibus prohibeatur. Non opus est ei picē aut rotā admovere ut ea dicat quæ novit, sed puellæ nutus (si res ita tulerit) eum convellet, Cæsariani blanditiæ, magistratus aut hæreditatis cupiditas, alia denique id genus sexcenta. In universum igitur tenendum est arcanas orationes fidem postulare decretá-que talia. Ea verò nunc ubi invenire proclive est? Ostende mihi hominem sic affectum, ut dicat, Mihi solæ meæ res curæ sunt, quæ prohiberi nequeunt, quæ naturā sunt liberæ. Hanc naturam boni habeo, cætera verò fiant ut res tempusque tulerint: mea non refert. *cap. 13. lib. 4. Epicteti.*

Libanius: Vincendi sunt hostes, non tam illos repellendo, quàm leges corroborando: atque illam maximè, qua cautum est, ne externus nostris intersit concionibus ad dicendum. Quid ita? quia magni momenti est, ut deliberata & statuta lateant: atque idem decretum dum occultatum est, iis qui decreverunt perutile est; sed ante effecta promulgatum, inane existit: nonnulla etiam ipsis consilii auctoribus nocuerunt. *Declamatione 28.*

¶ Fabula.

De Viro qui uxori se ouum peperisse dixerat. Fab. 129.

Vir quidam experiri volens, an uxor commissa tegeret: Uxor, inquit, magnum portentum, & silentio dignum, mihi hac nocte contigit, (cum illa enim cubans hoc dicebat) quod enarrarem, si à te non efferri arbitrarer; Verùm non audeo, quia mulieres rimarū plenas, & hac illac perfluentes audio. Cui uxor, nondum me pernosti, mi vir, qui ex aliarum ingeniis me judicas. Potius mortem mihi paterer inferri, quàm aliquid contra tuam voluntatem efferrem, idque jurejurando cœpit affirmare. Tunc maritus, quasi verbis illius fidem haberet, peperi, inquit, hoc ovum (dormitum enim proficiscens ovum secum attulerat.) Sed cave si me amas, ne cui hoc dicas, Tute enim nosti, quanto dedecori mihi esset, si ex viro gallina factus dicerer. Muliere tardè admodum nox discedere visa est. Vix ergo aurora rutilante, commatrem conveniens, narrat maritum duo ova peperisse. Illa verò alteri mulieri compatrem suum tria ova enixum esse. Quid multis moror? Antequam sol occideret, per totam urbem vulgatum est, hunc hominem ad quadraginta ova peperisse.

Fabula indicat, quæ taceri volumus, nulli mulieri esse dicenda. *Laur. Abstemius.*

Ardelionum.

¶ Sententiæ.

Theophrastus: Περιεργία (quam liceat sedulitatem ineptā dicere) est dictorum factorúmque simulatio cum significatione benevolentiæ. Mores ejusmodi hominis ita sunt. Facilè surgens è medio, in se recipit, quibus præstandis par non sit: rem quæ omnium confessione justa est, pluribus verbis, in aliquo inhærens, docere instituit, nullo modo posse argui. Puerum vini amplius miscere cogit, quantum omnes qui adsunt convivæ queant ebibere. Conrendentes pugnantésque, invicem instigat. Solet etiam viam præire, quam ignoret ipse: cujus quidem exitum mox invenire nequeat: & ad ductorem exercitus accedens, rogare, ecquando sit aciem ad dimicandum instructurus: nec non quid in perendinum diem imperet; & ad patrem veniens, En, inquit, mater in cubiculo jam dormit. Ac quū vini usum ægroto medicus interdixerit, solet hic illum, quasi periculi faciendi causa, ad bibendum componere. Quod si uxor obierit, monumēto ejus & mariti & patris & matris, nomina inscribet, itemque cujas ipsa sit: tum hoc elogiū insuper adjiciet, singulari omnes probitate erant. Idem si jusjurandum adigatur, conversus ad circumstantem turbam, Ego verò, inquit, jam ante sæpiùs juravi. *Ethicis Characterib.*

¶ Poetarum.

Phædrus Fabula 36.

Est ardelionum quadam Roma natio,
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nil agens,
Sibi molesta & aliis odiosissima.

Martialis lib. 2. Epigram. 7.

Declamas bellè, causas agis, Attale, bellè,
Historias bellas: carmina bella facis.
Componis bellè mimos, epigrammata bellè.
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et bellè cantas, & saltas Attale bellè,
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil benè cùm facias, facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Argutè dictorum & responsorum.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

S. Ephraem: Qui cùm Edessæ ageret, ac cibum sibi pararet, à meretrice per fenestram patentem despectus est. Quæ cùm impudentiùs inclamaret, Benedic Abba: & indecoro cum risu interrogaret, Quid deest cibo tuo? argutè, at modestè respondit: *Tres lateres, & parum luti, ut hæc fenestra obstruatur. Sur. tom. 1. in vita.*

Abbas Anonymus: Sed inserit se etiam iste, de quo memoriæ proditum, quòd priusquam ad Abbatis munus eveheretur, demisso in terram vultu, miram humilitatem & benignitatē præ se ferret. At in demortui Abbatis locum communi suffragio constitutus, ut dignitate vultu, miram humilitatem & benignitatē præ se ferret. At in demortui Abbatis locum communi suffragio constitutus, ut dignitate, ita & animo vultúque factus elatior. Miranti autem cuidam tam subitam morum mutationem, respondit: *Quòd priùs demisso vultu incederem, erat, quòd cœnobij claves quærerem: quibus nunc invento, quin me erigo, & cervicem attollo? Greg. Rschterus axiom. Polit.*

S. Agatha: Ad fœminas digrediamur: æquè illæ cum viris in hac laude illustres. Cùm multa de superstitioso falsorum deorum cultu præclarè in medium adduxisset Christi Martyr Agatha, eámq; Quintianus Præfectus à sententia reducere conaretur, dicebat: *Sit sicut Venus dea tua, uxor tua: & tu sicut Iupiter deus tuus.* Insinuans illud Psal. Similes illis fiant, qui faciunt ea, &c. *Sur. tom. 1. in vita.*

S. Marcella Vidua: Dum eam vir consularis conjugem peteret, & illa conjugium abnuens, diceret; Si vellem nubere, maritum quærerem ætate magis florentem, non verò hæreditatem, &c. & ille inturē lusit: *Iuvenis quidem potest cito mori, & diu vivere: senex diu vivere non potest. Sur. tom. 1. in vita.*

Alphonsus Aragon. Rex: Ad alia festinat calamus. Properanti autem se objicit Alphonsus Aragonius: qui Virgiliana lectione occupatus, & quidem ubi de Didonis interitu agit, cùm terræ motus concitaretur, & rem improvisam admirarentur omnes; *An mirum*, inquit, *vobis videatur, si in morte tam celebris Reginæ, terra intremiscit?* appositè & argutè ad rei novæ turbationem leniendam. *Panormit. lib. de Gest. ejus.*

Carnifex Hornanus: Videbat hic cives Hornanos (oppidi nomen in Batavia) acriùs in eos sævire, quos ob Romanæ fidei constantiam neci adjudicatos ipse ad suppliciis destinatum locum deducebat; ac gentium more, illo rerum statu, varia quemlibet tormentorum genera, quibus rei afficiendi, suggerere: non sine acri sale, *Malum!* inquit, *haudquaquam deinceps mea opera indiget Senatus Hornanus, cujus cives tam accuratè tortorum officio perfunguntur. Ex manuscript. Martyr. Holl. P. Opmeri.*

Argutiæ.

¶ Monosticha.

Arista pungit, mucro ferri perforat.
Destruas auctoritatem si argutere crebrius.
Haud suaues sunt, temperata ni fuerint argutia.
Sine virtute argutum civem, mihi habeam pro pratica.
Strenui nimio plus prosunt populo quàm arguti & cati.

Armo-

Armorum.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGORUM.

D. Chrysostomus: Nihil juvant arma, si milites priùs non sint ordinati, neque eorum animus excitatus. Oportet enim priùs ipsos armare intrinsecus, & deinde extrinsecus. *Homil. 23. initio ad Ephesios.*

Egesippus: Præ se ferunt, maximo esse miraculo sibi, quod tam citò irretiti mendaciis, causas quas nondum cognoverant, armis persequerentur: cùm oportuerit eos priùs disceptatores esse negotiorum, quàm bellorum præliatores, & præ cæteris merita cognoscere, quàm arma sumere, & arma adversum viros sui generis, sui cultus, suæ solennitatis. *cap. 6. lib. 4. de excidio Hierosol.*

Egesippus: Quid desideratis? quid adhuc statis armati? quasi daturi leges, non accepturi. Si deditionem petitis, deponite arma jam non metuenda victoribus, sed superba victis & plena insolentiæ. Ut armati rogetis? quasi de fide nostra dubitandum vobis sit: aut adhuc virtutem lacessitis, bellum minitantes? populus exstinctus est, templum ardet, urbem tenemus; quid reliqui speratis, nisi ut vita vobis donetur. Proinde ponite arma quasi victi. *cap. 46. lib. 5. exc. Hieros.*

Synesius: Jucundus es, cùm nos arma fabricare prohibes, hostibus latè omnia tenentibus omniaque deprædantibus, atque in dies integros populum confertim jugulantibus; cùm miles nullus adsit, qui quidem compareat. Quæ cùm ita sint, tamen ne licere negabis privatis hominibus arma ferre? mori autem licere dices; si iis qui saluti suæ consulant, Respublica succenseat? *Epist. 107.*

Synesius: Hastarum, quæ in condensis ac campestribus proveniunt, deteriores sunt, quæ verò in montanis, multò potiores. *Encomio Calvitii.*

Io. Sarisberiensis: Quasi miles inutilis est, qui adversus exercitatum & instructum hostem procedit exarmatus. *libr. 7. Policratici, cap. 12.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Xenophon: Socrates ad Pistiam fabrum loricarium ingressus; quū is ipsi loricas egregiè factas ostenderet: Profectò, ait, mi Pistia, pulchrum hoc inventum est, tegere loricam eas hominis partes, quas tegi necesse est; neque tamen impedire, quò minùs quis manibus utatur. Verum, inquit, dicito mihi, mi Pistia, quamobrem nec firmiores, nec majoris pretii thoraces ac loricas faciens, quàm alii, pluris tamen eas vendis? Propterea mi Socrates, ait, quòd concinniores facio. Illud autem concinnū an mensura, vel pondere demonstrans; pluris æstimas? Nec enim thoraces omnes æquales, neque similes te puto facere, siquidē tales facis, qui congruant. Sic est, inquit. Nam absq; illo sit, nullus loricæ usus fuerit. Ergo, ait Socrates, etiam hominum corpora partim concinna sunt, partim non concinna. Maximè, inquit. Quo igitur pacto, inquit, thoracem inconcinno corpori congruentē, concinnum efficis? Sic nimirum, ait, ut & congruentem facio. Nam qui congruit, concinnus est. Videris mihi, ait Socrates, concinnitatē non per se adpellare, sed respectu ejus, qui utitur. Quemadmodum si dicas clupeum concinnū illi esse, cui congruit: itidemq; de chlamyde, rebusque cæteris, ex tuo quidem sermone existimandum videtur. Fortassis autem etiam aliud quoddam non exiguum bonum ineſt huic congruentiæ. Doce verò me, mi Socrates, ait, si quid habes. Minus, inquit, pondere suo premunt thoraces, qui congruunt, quàm qui non congruūt, licet pondus æquale habeant. Etenim qui non congruunt, vel ab humeris toti dependendo, vel aliam partem corporis aliquam vehementer premendo, gestatu difficiles ac molesti fiunt: at verò qui congruunt, quum omnis partim à claviculis, & parte scoptulis vicina, partim ab humeris, à pectore, à tergo, à ventre distributim sublevetur, prope non gestaminis, sed adpendicis esse loco videntur. Dixi. Hoc ipsum, ait, propter quod equidem opera mea maximi esse pretii duco. Nonnulli tamen thoraces varios ac deauratos lubentiùs emunt. At verò, ait Socrates, si propterea non congruentes emunt, varium mihi & inauratum malum emere videntur. Quum autem corpus eodem modo non manet, ait, sed modò curvatur, modò erigitur, quo pacto accurati thoraces congruere possunt? Nequaquam, inquit. Dicis tu congruere, ait, non accuratos, sed qui in ipso usu molesti nō sint. Id verò mi Socrates, ait, ipse dicis, & nunc quidem rectè rem accipis. *cap. 31. lib. 3. Memorabilium.*

Brutus Milesiis: Si vobis in Repub. sunt arma reposita peccatis, qui non hæc in usum proferatis. Unum enim hoc est armorum robur, uti. Sin in his parandis fabricandisque negligentiores estis, cùm si possidentes non veremini, id ignominiam afferret, quantò est ignominiosius omnino non habere? *Epist. 49.*

Milesiorum ad hæc responsio: Non arma viris, sed armis viri robur vimque addunt. Nam illa sine his, nihil operis efficiunt. At hi non solùm illa parare, sed etiam ad usum adhibere possunt. Neque igitur si desunt arma, magnopere his egent, quibus ea parandi facultas est; neque sunt utilia quamvis possidentibus, si ea tractare pro ratione nequeant. *Epist. 50.*

Aristides: Utrum in bello decertantes hi facilius & ipsi servari, & hostes fugare atq; capere possint, si firmis ac solidis utantur armis; an si gladiū habeant stanneū, thoracē ex cortice, hastā siculneā, galeāq; & scutū, quę his respondeant? Existimo. n. eum, quæ in his adhibetur, diligentiā, ut initio ex optimis & quàm optimè apparentur, etiam in prælio ad salutē pariter ac gloriā ac victoriā cōducere; atq; adeò quæcumq; ad hoc genus pertinent, magnis eorū qui iis utuntur interesse. Quod autē iisdem fractis vel ruptis, aut alio quovis modo contusis, vel etiā infirmis ac putridis domo allatis, ipsa succedant in fortunam corpora, atq; etiā fortissimi quiq; reddantur cōsilii inopes, id Homerus quoq; testatur. Apud illū. n. heroes, quib⁹ retusa cuspis, ac magis etiam quib⁹ hasta cōfracta, nolunt in prælio perseverare, sed eo relicto discedunt, validiores allaturi. *contra violatores mysteriorum.*

Dio Prusæus, de Melancoma: Ita autem vehemēter exercitabatur, & usq; adeo vincere poterat labores, ut posset duos cōtinuos dies manere expallis manib⁹, & nemo eum vidit man⁹ demittentē, aut interquiescentē, quemadmodū consueverunt. Priùs verò cogebat adversarios à certamine desistere, non solùm priùs quàm ipse cæderetur, sed etiam quàm ipse cæderet illos. Neq; .n. verberare & vulnerari fortitudinem esse putabat: sed esse hoc eorum qui labores sufferre non possent, & recedere vellent. Sufferre autem tempus, & neq; manuum gravitate vinci, neque spiramine deficere, neque æstu gravari, hoc esse generosum. Rectè sanè (inquam) sensit. Etenim in bello ignavissimi arma abjiciunt, nescientes quòd nudi magis pateant vulneribus, atque ita magis vincuntur à labore, quàm à vulneribus. *Orat. 28.*

Themistius: Quicunque exul cùm sit atq; imbecillior, armorum nihilominus præ ambitione periculum facit; hic tametsi prima frōte sese offerens terrorē hostib⁹ ac trepidationē injiciat, & nōnulli in tumultu in se invicē incurrāt, tamē fervēte cōflictu prælioq; cōmisso deprehēditur, & alienis rebus spoliatur. *Orat. 1. dicta Basilistes.*

Libanius: Si quis apud Philippum arma ferre convincatur, aut vasa quæ ad triremium præfecturam pertinent, morte plectatur. Pro rebus inanimis succenseris. Hominem verò in quem jus apprehensionis est, mittentes illuc, non erubescimus? *Declamatione 17.*

Libanius: At præfecti exercitus ira furentē & ferocientē multitudinem represserunt; subadulantes & admonentes, non ira & præcipiti motu faciendū esse, quod ratione & otio agere integrū est. *Decla. 31.*

Leo Imperator: Mandamus dignitati tuæ, ut omnem apparatum bellicum ad pedestres & equestres copias spectantem, accures, ut integra minimeq; defecta sint, sed ad omnem opportunitatem usumque bellicum parata.

2 Hoc autem partim per te ipsum, partim per Præfectos tuos tum majores, tum minores efficies, ad universi exercitus qui sub ditione tua est, armaturam & præparationem.

3 Arcus cum Corytu suis, sagittas cum cucuris, spathas acutas & samiatas. Scuta, nempe scuta majora, quæ thurei appellantur, & scuta minora peditum quæ peltæ, id est, cetræ nominantur: & scuta quędam ferro rotundo signata: hastas parvas præterea octo cubitorum. Erant autem Romanis & Macedonibus hastæ sedecim cubitorū longitudine, quas nunc usus noster nō requirit, sed singula jam pro utētis virib⁹ acrobore arma apta atq; idonea fiunt. Rhictaria zicuria bidentia, altera ex parte habentia aciem quasi spathæ, altera ex parte quasi hastæ cuspidem, cum thecis ex pellibus, & bastagia femoralia, id est, gladios magnos unam solùm aciem habentes.

4 Loricia, id est, galeæ usq; ad jugulum demissæ loris & annulis cum thecis coriaceis: & si fieri potest, omnia sint catenata: sin minus, quædam ex illis cornea aliqua materia, vel siccatis bubalorū pellib⁹ junctis superloricas vestes, clibania ferrea, vel ex alia quapiā ut dictū est materia. Cassides integras, manicas ocreas ferreas, vel ex alia quapiā materia, propter eos qui nō habent collaria catenata ferrea, tecta intus lana, foris lino: nervos & lora à cenduclis, quæ & ipsa sint galearum vice, iis qui ferrea cenducla nō habent. Fardea induat miles cum armis, solenaria cum parvis sagittis & cucuris ipsis: fundas, sello pungia magna, pyrecbola, id est, ignem jacientia, iscas, lorosacca, pedila, id est, calceos lunatos ferreos cum ipsis carphiis: rhinia, suglia, frontalia, equorum pectoralia ferrea, vel à cenduclis facta, & equorum collaria similiter.

5 Flamūla magna & flamūla parva hastarū, banda variè tincta, cucina parva, sacles magnas, secures, phalcia, bipennes, ascias, tribulas fasciis quibusdam astrictas, quæ clavis quibusdam appendantur.

6 Carros leves atq; ad omnem necessarium usum & commeatum expeditos, ad omnia nempe opera, ad molas manuarias, prionia, orygas, malleos, ptyaria, cophinas, cilicia, & si quid aliud ad fossati seu castrorum externam custodiam, & ad ambitum conservandum leviori aliqua materia confectum à duce excogitari potest.

7 Alios currus habentes sagittarios, manganica alacatia utrinq; cōversa, baliſtarios peritos quos manganarios appellant, cælatores & fabros ærarios cū officinis suis: alios currus armamenti plenos, alios currus cōmeatum ferentes, & alios prætera superfluos curr⁹ quot op⁹ est: jumenta præterea sagmaria, i. e. sarcinaria, & equos sagmarios, & alia instrumēta iis similia quæ fossatū, i. e. castra, ad usū suū requirit.

8 Ad obsidiones, manganica diversa habere oportet, & scalas ligneas contractas, & alias permultas machinationes quascunque excogitare possis.

9 Ad fluvios & lacus naviculas, id est, navigia parva, vel ex coriis confecta, vel naturæ vi quadam fabricata. Excogitabis etiam & præparabis tentas & ategias, id est, integumenta cum suo ipsorum apparatu, quibus pluviarum & æstuum vim possis depellere.

10 Rei navalis præfectum oportet naves parare, partim bellatrices, partim equorum vectrices, partim sarcinarias ad omnia arma bellica, & omnem apparatum nauticum vehendum.

11 Cùm hic apparatus omnis qui superiùs à me memoratus est, partim abs te ipso, partim ab aliis sub tuo dominatu præfectis suppeditatus & suffectus sit, arma partim ad propulsandos hostes, partim ad præliantium militum defensionem, parum ad aliarum rerum usum atque occupationem paranda sunt.

12 Maximè autem armorum bellicorum curam geres, ut splendida & acuta ad hostes perterrefaciendos conserventur. Hæc omnia diligenter præparabis, ut in promptu esse possint ad usum belli iis qui se pro virtute armant contra hostes: & nequaquam illud tempus in quo acies instrui debet, tempus præparandorum armorum facias. Hæc, & si quæ alia à nobis propter oblivionem prætermissa sunt, necessariò debes præparare: si verò aliquid præterea excogitare possis, Deo gratiæ agendæ & solertiæ tuæ sunt.

13 Ante omnia autem Dei timorem, ingenium celere, mentem honestam in omni tempore & loco, in omni re habeas, & ad omnia te ipsum paratum esse præcipimus. *cap. 5. Tacticorum.*

Idem mox: Oportet igitur armari milites à suis ipsorum præfectis, & quæ idonea sunt, & ad usum castrensem accommodata, sive hybernis sive æstivis parari, ut unusquisque tum præfectus tum miles, pro virtute ac dotibus suis æqua proportione habeant, potissimũ autem præfecti à Turmarcha incipientes usque ad Centurionem & Quartanum. Tu verò in primis, atque etiam copiæ præterea tuæ, aliquid habeatis præ cæteris eximium.

2 Habere autem eos oportet sigillatim armaturam talem: Zabas integras & talares revolutas iterum per lora & annulos cum thecis suis: habeant & cassides ferreas splendidas, quæ omninò in vertice habeant tuphia quædam parva. Arcus etiã singulorum viribus idoneos, non supra vires, sed potius infra vires utentium, corytos, id est, thecas arcuarias habentes latas, ut opportunè cùm usus fert educere è corytis arcus possint. Habeant etiam chordas sive nervos multos in pungiis suis. Cucurra sagittarum & integumentorum idonea, quæ capiant triginta sive quadraginta sagittas. In toxozoniis, id est, in zonis arcuariis, rhinia zuglia. Habeant autem contaria, id est, hastas equestres longas, in medio habentes loca quædam cum flamulis: habeant præterea spathas Romano more ab humeris illorum pendentes, & parameria, id est, gladios sibi accinctos.

3 Quicunque autem adolescentes sagittarum jaciendarum imperiti sunt, habeant contaria, id est, hastas cum scutis integris. Non inutile autem erit si chiromanica & chiropselia, id est, manicas ferreas habeant. Habeant etiam & parva tuphia in opisthelinis equorum, & flamula parva supra zabas in humeris. Quantò enim decentior in armatura sua miles est, tantò major illi alacritas, & hostibus formido vehementior aderit.

4 Si fieri potest, habeant clibania, quos thoraces vocant, eosq; illustres ac splendidos: & ποδοψέλια & περισκελίδας, quæ ocreæ nominantur, & super loricas, si quando opus illis, induant.

5 Omnes autem adolescentiores Romanos usque ad quadraginta annorum ætatem, quanquam parum vel nihil sciant sagittarum faciendarum, coges arcum & pharetram gestare: postquam enim ars sagittaria contempta spretáque esse cœpit, permultæ Romanis offensiones accedebant.

6 Habeas etiam hastas duas, ut altera deficiente, altera statim uti possis. Imperitioribus arcus imbecilliores dato, quanquam enim sagittas jacere nesciunt, tempore tamen discere conabuntur, quod inprimis conducibile est.

7 Si id commodè fieri potest, rhictaria, id est, jacula habeant duo, ut opportunè jacula in hostes conjiciant. Equitem igitur ad hunc modum armabis.

8 Equi autem, sed præfectorum potissimùm reliquorumq; lectorum virorum, pectoralia & frontalia vel ferrea, vel ex cenduclis facta habeant, vel quæ ex nervis efficiuntur, & pectora illorum & colla, si fieri possit, & ventris perparva quædam apocresmata eorum, quæ feletra sellarum dicuntur: à magnis enim sæpè periculis equos liberant, atque adeo ipsos equites. Hæc inprimis habeant illi qui cæteros in bello anteeunt.

9 Et sellæ habeant episelia hirsuta & magna. Fræna autem illorum idonea sint & fortia.

10 Ad sellas duas ferreas scalas & lorosocum & pedilum & sellopungium, ut quo tempore advocatur aliquis, sufficere sumptũ duorũ aut trium dierum possit: & tuphia ad opisthelinas quatuor, & verticalia, equi tuphium, & similiter ὑποχρυσεῖον, id est, summentum.

11 Omnino autem equitem habere oportet tzicurem ancipitem, unam aciem instar cuspidis hastæ longam & acutam in sella cum theca coriacea pendentem.

12 Vestes militum sive lineæ, sive laneæ, sive ex alia materia, latas esse oportet, ut ad equitandum non impediantur, & tegant præterea genua illorum, & magis decori fiant.

13 Oportet verò cenducla habere lata admodum, quæ habeat etiã manicia lata, ut cùm armantur illi & gestant zabas atq; arcus, si quẽ admodum sæpè fit, contingat pluviam esse aut aërem humidiorem, currum suum conservent & non impediantur, sive arcubus sive scutis uti voluerint. Sunt verò etiam cenducla in explorationibus & vigiliis pernecessaria: non apparent enim zabæ hostibus, ipsis cenducliis tectæ. Resistunt etiam impetui sagittarum.

14 Mandamus etiam ut in unoquoque contubernio & falces & secures habeant ad necessarios usus.

15 Cohortium autem præfectos sive milites qui potentiores sunt cogere oportet pueros sibi conquirere sive servos sive liberos: & diligenter in tempore rogæ & adnomii, id est, descriptionis nominum, pueri illorum & currus describantur & conquirantur, ut ne contemptis iis adolescentibus administris, ipso belli tempore ex ipsis militibus ad tuldum, id est, impedimenta conservanda cogantur separare, & pauciores fiant qui in ipso prælio dimicent.

16 Si verò quidam, quemadmodum verisimile est, non adeò locupletes sunt ut sibi sufficere pueros administros possint, necesse est quatuor aut quinque militibus tenuioribus unum aliquem administrum, qui illis operam det, tribuere.

17 Pari modo pro sagmariis, id est, sarcinis facere oportet, quorum magnus est usus propter zabas & tentas illorum.

18 Mandamus ut capita uniuscujusque bandi, id est, cohortis, unius coloris sint: & flamula uniuscujusque turmæ & uniuscujusque drungi, id est, cohortis milliariæ, unius quoque coloris sint.

19 Ut verò unaquæq; cohors suã ipsi⁹ cohortẽ, i.e. bandum, facilè agnoscat, oportet alia quædã privata signa capitib⁹ adjungere, ut ex illis tũ per turmas, tum per drungos, tum per banda cognosci possint.

20 Omnia autem Turmacharum signa tum universa esse oportet, tum manifesta, ut longo intervallo cognoscere suos possint.

21 Mandamus etiam ut currus quidam superflui adhibeantur propter bastagen, id est, vecturam, & maximè arcuum sagittarumque, ut iis qui armis iis destituuntur, inde suffici arma possint.

22 Præter bubulas zabarum thecas, habere oportet milites ex pellibus thecas quasdam expeditas, ut vel belli tempore, vel excursionũ, post opisthocurbia in lumbis equorum, & si (quod absit) contingat sæpenumero in fugam converti, * * *
& inimicis inutilia sunt. Biruttas aũt quæ rhictaria, i.e. tela dicuntur, eos habere oportet, qui rei sagittariæ imperiti sunt, atq; etiã eos, qui arcub⁹ deficiuntur. Habeant etiã scutula parva rotunda, fundibula & tzicuria prædictis formis similia, quæ etiã thecis coriaceis gestentur. Vestes peditũ omniũ sint condæ, i.e. attonsæ usq; ad genua illorũ, & si id fieri potest, superlorica habeant. Calcei illorũ fastigia antè acuminata ne habeant. Necessariũ verò est paucis quibusdã clavulis firmari calceos, quos carphia appellant: ad varios n. usus illud utile est, & inprimis ad itinera faciẽda. Et cæsaries illorũ cõdæ, i.e. attõsæ fiãt, aut etiã pmittere ut nullo modo crinẽ habeãt, fortasse nõ inutile est.

27 Et pedites quidẽ ad hunc modum apparabis & armis teges. Ad usum illorum & conservationẽ carios habebis expeditos, agiles & firmos, unicuiq; decuriæ sive contubernio unũ, & nõ plures, ut ne multi in illis occupati otientur. Habeat autẽ unusquisq; carrus molã manuariã, securim, asciam, prionim, i.e. serrã, orugas duas, malleũ, ptyaria sive vannos duos, cophinam ciliciam, phalciã, tzicuria, barducia, matzuchia, fortassis etiã (nam horũ usus militib⁹ interdũ est) tribulas parvis quibusdã fasciis ligatas, & clavo ferreo appendẽtes, ut facilè adduci possint: alios currus sagittarios qui sagittas ferãt, & manganica sive balistas quæ alacatia nominãtur, orbiculata, & manganarios, cælatores, fabros ærarios, & istis peculiarẽ aliquẽ præfectum eligere.

28 Alios carros qui uniuscujusque armamentum ferant pro numero militum, alios carros decem vel viginti, qui ferant pistum, paxemadium, id est, panem biscoctum, sagittas & arcus complures.

29 Ex equis vel jumentis sagmatariis, id est, sarcinariis, si fieri potest, in unoquoq; cõtubernio unũ, sin min⁹, duob⁹ cõtuberniis unũ, ut si occasio quævis fiat separandorũ peditũ à curribus & anticipandi loci, vehant secum 8. vel 10. dierum idoneum commeatum, donec eò currus, qui tardiùs procedere solent, postea ad eos perveniant.

30 Non inutile verò mihi videtur paucis antiquæ armaturæ formam, quod ad equites & pedites pertinet, memorare, quemadmodũ Ælian⁹ & reliqui rei militaris scriptores memoriæ prodiderũt. Apud antiquos enim equestrem aciem duabus diversis armaturis muniebant: alteram autem cataphractum, id est, loricatum appellabant, alteram autem non cataphractum, id est, non loricatum dicebant.

31 Armabant autem cataphractum equitẽ undiq; tum ipsum tum equum etiã loriciis, id est, galeis: clibaneis, id est, thoracibus: parameriis, id est, machæris vel ferreis, vel ex cornibus intextis. Equos muniebant lateralibus & frontalibus: id est, latera & capita & cervices equorum, thoracibus & galeis & alia certa materia tegebant.

32 Ex iis omnibus qui vel cataphracti vel non cataphracti sunt, alii quidem habeant contaria, id est, hastas quas nunc menaula vocãt, quæ olim antiqui lonchas nominabant, qui cataphracti manus cum hoste conserebant: alii autem eminus jaculantes, quos vocant acroboliſtas, id est, jaculatores velitares. Qui verò hastas habebant, illi certè quemadmodum dictum est, cum hostibus confligebant, cominus hastis pugnantes. Ex iis autem qui prælio confligebant, alii thureos, id est, scuta oblonga magna habebant, alii sine scutis solis hastis præliabantur, & illi quidem thureophori, id est, scutati nominabantur, hi verò hastati: nam contarium hastam appellabant.

33 Equites acroboliſtas, id est, jaculatores velitares, qui eminus ferunt & præliantur, alii rhictariis, id est, jaculis utebantur, alii arcubus: & alii ex illis eminus conjiciebant hastas, alii directè procedentes, alii circumcursando. quos hippacontistas, id est, equestres jaculatores dixerunt, alii arcubus feriebant, quos ἱππότοξότας, id est, equestres sagittarios. Quidam ex illis expeditis & velitaribus jaculis utebantur, & cùm semel atque iterum jaculati fuerint, de cætero confligunt cum hostibus, vel hastis, quas habebant relictis, vel expeditis jaculis, vel spathis suis utentes: & istos vocabant velites. Quidam ex illis secures parvas ferebant, aciem undiq; acutã, quasi dentes cùm exacuuntur

tuuntur habentes. Et equestrem aciem (quemadmodum paucis complecti potui) ad hunc modum armabant antiqui.

34 Pedestrem aciem ab antiquis sic invenimus descriptam esse. In tres enim partes copias suas dividebant, quemadmodum à nobis superius memoratum est : & primam, gravem armaturam, alteram peltastas sive cetratos, tertiam levem armaturam vocabant. Et gravis armaturæ Macedonico more ponderosissima arma fecere, quemadmodum Alexander Macedo facere solebat.

35 Etenim scutâ illis faciebant rotunda, magna, oblonga, quæ thureos appellabant, & machæras quas parameria appellabant, & loricia, id est, galeas, & clibania, id est, thoraces, & cassides, & manicellia, & chalcotuba quæ antiqui perienemidas, id est, ocreas æneas nominabant, & hastas longas. Et gravem armaturam sic armabant.

36 Levem armaturam, levissimo omnium apparatu tegebant : neque enim clibania, id est; thoraces, neque loricia, id est, galeas, neque chalcotuba, id est, ocreas æneas: neque thureos, id est, scuta magna habebant, sed eminus conjectis telis pugnabant, ut sagittas vel rhictaria, id est, jacula vel saxa projicientes alia manu, alia fundis. Vestes habebant firmas vice anteloriciorum & thoracum, & hujusmodi.

37 Peltastarum seu cetratorum agmen, quod recentiores rei militaris scriptores prætermiserunt. Arbitror enim cum levi armatura ab iis scriptoribus confusos esse. Habebant autem hi armaturam, sed leviorem aliis: habebant autem peltam, id est, scutum parvum, & hastas quæ ab antiquioribus sariſſæ dictæ sunt : saræ autem hastæ erant longæ, interdum quatuordecim cubitorum, interdum sedecim cubitorũ. Hæc erat forma armandi Macedonica. Peltastarũ armatura medium quoddam inter gravem & levem armaturam tenebat, gravior levi, & levior gravi armatura.

38 Gravi armaturæ adfuit quoque & aspis Macedonia ærata non admodum concava, id est, scutum rotundum magnum, simpliciorem habens cavitatem, mensura trium spithamarum, id est, dodrantium. Erat autem hasta non minor octo cubitis. Hasta longior eò usq; ducebatur, quò homo viribus suis expeditè eam tractare potuerat.

39 Macedonica phalanx, id est, acies, videbatur hostibus propter aciei instruendæ modum inexpugnabilis esse. Stabat enim unusquisque vir armatus ipso confligendi tempore, densata acie ad uniuscujusque stationem, cubitorum duorum locum occupans, sariſſam, id est, longam hastam manu tenens, sedecim ut quidam putant cubitorum, revera autem quatuordecim cubitorum. Ex iis, quatuor cubitorum spatium, manus in posteriorem partem occupabant, reliqui decem cubiti in anteriorem partem ante corpora protenduntur.

Petronius Arbiter: Miserere, inquit, frater. Ubi arma non sunt, liberè loquor. *Satyrico.*

Nazarius orat. in Constantinum Aug. Antoninus Imperator in toga præstans, & non iners nec futilis bello, cùm adversus Parthos armis experiretur; visis cataphractis adeò totus in metum venit, ut ultrò ad regem conciliatrices pacis literas daret, quas cùm rex immodicus animi respuisset; insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est in his armis tantam esse violentiam, ut & vincendus fideret, & superaturus timeret. *cap. 24. fine.*

¶ Latinorum.

Vegetius: Legio non tantùm militum numero, sed etiam genere ferramentorum vincere consuevit. Primum omnium instruitur jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam si per singulas centurias singulas carrobalistas habere consuevit, quibus muli ad trahendum, & singula contubernia ad armandum vel dirigendũ, hoc est, undecim homines deputantur. Nam hæ quantò majores fuerint, tantò longiùs tela jaculantur. Non solùm autem castra defendunt, verùm etiam in campo post aciem gravis armaturæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare. In una autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent. Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus duobus portantur armatis : ut si fortè hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint; castra defendi. Scaphas quoque de singulis trabibus excavatas, cum longissimis funibus, & interdum etiam ferreis cathenis, secum legio portat: quatenus contextis eisdem (sicut dicunt) monoxylis, superrectis injectisque tabulatis, flumina quæ sine pontibus vadari nequeunt, tam à peditibus, quàm ab equitatu sine periculo transeantur. Habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis. Item ad fossarum opera facienda bidentes, ligones, palos, rastra, alveos, cophinos, quibus portetur terra. Habet quoque dolabras, ascias, serras, quibus materia ac pali dedolantur atq; serrantur. Habet præterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad oppugnandas hostium civitates, testudines, musculos, arietes, vineas (ut appellant) turres etiam ambulatorias faciant. Verùm ne singula enumerando plura dicantur, universa quæ in quoquo belli genere necessaria esse creduntur, secum legio debet ubique portare, ut in quovis loco fixerit castra, armatam faciat civitatem. *lib. 2. de re militari, cap. 25.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 630.

Vidêsne? Amyniam vocas tu fœminam.
s. Meritò, ut qui projectis armis non militat.

Aristophanes Vespis v. 26.

Hei mihi! timor me incessit, ut ne quid male
Apportet hoc insomnium. s. at jam per Deos
Securus esto : nil mali hinc portenditur.
x. An non grave istud, arma cùm vir projicit?

Plautus Militis 1. sc. 1. pr.

Curate ut splendor meo sit clypeo clarior
Quàm Solis radii esse solent olim cùm sudum est :
Vi ubi usus veniat, contra conserta manu
Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.

Terentius Eunuchi 4. sc. 7.

—— mane!
Omnia priùs experiri, quàm armis sapientem decet.
Qui scis, an quæ jubeam sine vi faciat?

¶ Fabula.

De Sene juvenem poma sibi surripientem saxis dejiciente. Fab. 91.

Senex quidam juvenem sibi poma surripientem, blandis orabat verbis, ut ex arbore descenderet, nec res suas vellet auferre. Sed cùm incassum verba funderet, juvene ejus ætatem ac verba contemnente, non in verbis tantùm, inquit, verùm etiam in herbis audio esse virtutem. Herbas igitur vellere, & in illum jacere cœpit. Quod juvenis conspicatus in vehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere. Tunc senex omnia experiri cupiens, quando, inquit, verborum & herbarũ vires adversus raptorem mearum nullæ sunt, lapidibus agam, in quibus quoque dicunt esse virtutem, lapidesque, quibus gremium impleverat, in juvenem jaciens, illum descendere & abire coegit.

Hæc fabula indicat, omnia priùs sapienti tentanda, quàm ad armorum confugiatur auxilium. *Abstemius.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ægre vitatur sagitta nervo è contento volans.
Apparatus usus est nullius, si haud sit tempori.
Arduum est quem vincere armis; promptius vitiis domes.
Arma forti honesta; eadem etiam ignavo sunt tutissima.
Arma Mars non usque spirat; cordi ei sæpe est Venus.
Arma nemo movit unquam præmio ab, que sanguinis.
Arma nil ci vesq; prosunt plurimi, si absit fides.
Arma non viris, sed armis vim robur q; indunt viri.
Arma quandoque intentantur, plebem in illis ut terant.
Arma qui projecit, arma nunquam deinceps induat.
Arma qui propulsat armis gentium jure utitur.
Arma quis prior movebit, præmio absq; sanguinis?
Arma scire plus oportet, quam ipsas leges militem.
Arma sumere erga armatos, omne fas ac jus sinit.
Armigeræ comites Minervæ Terror adsunt ac Metus.
Armat hostes, seq; nudat, qui arma in prælio abjicit.
Armatura fortiori idem bonum est quod mœnia.
Conditionem armato ab hoste Roma accipere non solet.
Es vir? ergo armis cruentas cohibe sis epistolas.
Feminæ sit cura cultus, arma curæ erunt viris.
Frustra membris exarmaris, mens armata si manet.
Gentium quies sine armis minimè haberi usquam queat.
Gloriæ cupidine, arma nullius bonus vocat.
Guttur aut cor non penetres pugione plumbeo.
Hasta militis stridore vidua; non est militis.
Imperator non exaudit leges arma dum strepunt.
Imperii quandoque scutum præstat armis omnibus.
Induere arma non potes, nisi exuas vestes priùs.
Insidias armato inermem struere, cui persuadeas?
Inter arma non sermone sed virtute cernitur.
Inter insolentium arma, tuta nemini est quies.
In viros item sub armis pugnavere femina.
Iura armis atrociora, quævis arma provocant.
Iura multa sunt, sed armis jus nullum potentius.
Iusta qui negat tenenti ferrum, et dat omnia.
Lancea aurea pugnato, & expugnabis omnia.
Nemo non est aptus armis, cui suus pollex adest.
Non a legibus, sed armis nostra pendent omnia.
Non virtute agit ast periculo sine tuba qui dimicat.
Nulla ferramenta, nullas copias ferre abnuas.
Objice armatis inermes; excides victoria.
Omnia priùs experiri, quam armis sapientem decet.
Orta injuria ab eo videtur arma qui intulit prior.
Pectoris munitioni curam habe, non tergoris.
Persuadere quos nequis sermone, ferro inde impetas.
Plurimum potest in armis sana conscientia.
Præmia armorum tueri haud est, nisi armata manu.
Publico sumptu arma præbentur proletariis.
Qua de re jure agere oportet, armis ne decernito.
Qui tuba absq; pugnat, quærit interire haud vincere.
Quid futurum sit ubi ad arma ventum est, gnarum nemini.
Quod potes finire jure; iniquè ab armis postules.
Sanctior vel hosti, armatus quisquis in fidem venit.
Satius est mucrone linguæ gerere rem, quam lancea.
Terrificum dat imperitis clamorem tantùm tuba.
Vel celerrimo virorum spiculum est citacius.
Usus argenti, usus auri & est in armis fortium.
Vulnerum exors est, Sophia armis quem suis circumdedit.

¶ IAMBICA.

Ab exteris in nosmet arma vertimus.
Ad arma inexpertos ciere haud arduum est.
Ad dedecus nullum cogi armatus potest.
Arma induant sani, arma morbidi exuant.
Armorum in usu robur omne vertitur.
Bos luca damni plus suis fert quàm hostibus.
Consilia conjuncta armis, quid vis perpetrant.
Dementia est, armato nudum congredi.
Depellere odia aperta & arma queas palam.
Diversa sunt legum armorumq; tempora.
Etiam thoraces invenire est corneos.
Galeam recusat caput apertum linteo.
Haud dissident arma invicem atque literæ.
Iacula & sagittæ parvarum in tenebris nocent.
Iaculis ubi est opus, nil verba conferunt.
Inermibus nil expedit ferocia.
Injuriâ sequente, parum armis proficis.
Inter duos machara fortioris est.
Ius esse nullum armis potest potentius.
Ius est in armis: opprimit leges timor.
Multi arma sumunt non malè, at ponunt malè.
Multi benè arma sumunt, sed ponunt malè.
Nil arma prosunt, civium si abest fides.
Nullam sine armis vitam gens retur ferox.
Nullum usp iam jus armis est potentius.
Plerumque fortis pallet arma dum induit.
Præstant vicem murorum & arma militum.
Propellere armis arma, jus est gentium.
Pudore victus arma segniter capit.
Quatiantur arma, audire vocem si piget.
Qui moritur in armis, moritur, at non vincitur.
Quis inter arma liberè ausit eloqui?
Quò latius scutum est, eò est & tutius.
Quos vis ad arma concites pœna metu.
Sapientia arma vulneri nulli patent.
Se ladet armis, dexterè uti qui nequit.
Stricti ensis ira, vix tandem reprimi potest.
Stultè impetit gens dives armis pauperem.
Telum est abunde quidquid in mortem trahit.
Telum est, nocere possunt ex quo singuli.
Telum imbecillis, & surdum & mutum, viri est.
Tu pone ferrum, causa qui ferri es prior.
Ubi arma fulgent, justitia est ibi fuga.
Ubi odia sunt ablata, ibi armis nil opus.
Verbis ferè gerunt rem qui armis non valent.
Vires suis dat, terrorem hostibus tuba.
Vix arma sunt, qua sentiunt rubiginem.

Arrogantiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM, GRÆCORVM.

D. CHRYSOSTOMUS: Arrogantia contemptum ac socordiam parit. *Homilia 19. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Naturâ stultum esse nihil habet criminis; magnificè verò de se sentiendo stultum fieri, venia caret & majus affert supplicium. Tales sunt qui in sapientia superbiunt, inq; extremam incidunt arrogantiam. Nihil enim adeò stultum facit quemadmodum arrogantia, &c. Et si singula arrogantium verba in mediũ adduxero, cognosci non poterit, verbá ne sint arrogantis an stulti; ita unum est atq; idem in utroq; vitium. *mox:* Quando enim extra mensuram prudentiæ quis decidit: & timidus simul redditur ac temerarius, animo jam infirmo factus. Quemadmodum enim corpus commensurata complexione amissâ, intemperatumq; factum, quibusvis passionibus est obnoxium: Ita & animus posteaquam prudentiam humilitatemq; perdiderit, habitum quendam nactus diversum, infirmus, timidus, temerarius ac stultus redditur, seque ipsum deinceps ignorabit: qui autem seipsum ignorat, quomodo quæ supra se sunt, cognoscet? Quemadmodũ enim qui phrenesi laborat, cùm seipsum non agnoscat, neque quæ ante pedes sunt novit: & oculus cùm ipse cæcus est, omnia reliqua membra in tenebris sunt: ita & cum arrogãtia se habet. Unde & insanis, iisque qui naturâ stulti sunt, miseriores sunt arrogantes. Æquè siquidem cum his risum movent, arq; æquacum illis molestia laborant, & exorbitant quidem non aliter quàm illi: eorum tamen nemo miseretur, quemadmodum illorum. Desipiunt autem similiter ut hi, veniam tamen quemadmodum hi non merentur, sed solùm exosi sunt. Et cùm utrorumq; vita habeant, venia tamen utrorumque privantur; non solùm propter verba, sed & ipsam corporis figuram ridiculi. Quid enim, dic quæso, cervicem in altum extendis? Quid summis pedum articulis incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum capitis hei non potes vel album vel nigrum facere: &, non aliter, quàm si dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forsan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes: forsan & prodigium esse desideras. Jam verò num prodigium ac monstrum ex teipso feciſti; qui cùm homo sis, volare conaris? Imò & ab intus volas, & undiq; accensus furis. Quid te vocabo? Quomodo arrogantiã tuã dejiciam? Si cinerem te dixero & pulverẽ, & fumũ, & cœnum; vilitatem quidem dixero, nondum tamen exactè similitudinẽ eam quã volebam consecutus fuero. Nam & inflammationẽ ipsam, omnemq; simul ipsorũ vanitatẽ repræsentare volo. Quã ergo similitudinẽ reperiemus, quæ conveniat illis? Mihi videntur accensæ stupæ similes esse. Nam & illa post incendiũ tumidum quid esse, & in nescio quid præcipui immutata videtur: modicũ verò passa contactũ totum amisit; omni cinere vilior apparens. Tales sunt & illorum animi. Nam & illorũ inanẽ inflationẽ si facilis quidam contactus apprehenderit, humiliare dejicereq; poterit. Oportet enim omnino ut infirmus sit qui arrogans est. Altitudo siquidem valida non est: sed quemadmodũ aquaticæ ampullæ facilè rumpuntur, ita & illi facilè pereunt. Quod si dubitas, da mihi temerariũ quendam & arrogantẽ: & videbis illũ quovis è languido timidiorẽ factũ, idq; qualicunq; apprehensum incõmodo. Quemadmodũ. n. flamma illa, quæ in stupis aridis sursum fertur, simul atq; contacta fuerit, in cinerem vertitur: solidorũ verò lignorũ ea natura est; ut neq; facilè incẽdantur, neque cùm accensa fuerint, ardentẽ flammã facilè dimittant: ita & illi quidẽ animi, qui solidi sunt ac firmi, neque facilè incendũtur, neque facilè extinguuntur: isti verò utraque illa unico temporis momento patiuntur. Hæc itaque scientes, humilitatẽ exerceamꝰ. Nihil. n. illâ potentius: sed & petrâ est fortior, & adamante solidior: & in majorẽ nos securitatẽ collocat, quàm queant vel turres, vel urbes, vel muri: omnibusq; diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit: quemadmodum vicissim arrogantia etiam quibuslibet captu faciles reddit, ampulla quavis, ut dixi, facilius rumpitur, aranearum textura citiùs scinditur, fumo leviùs dissolvitur. Ut igitur in solida simus petra firmati, relicta arrogantia humilitatem eligamus. *Homilia 20. ad Romanos.*

Chrysostomus: Arrogantia & insolentia existit ex vili & abjecta mente, & ex animo ignavo & illiberali; modestia aũt ex magno & excelso animo. Utrumq; aũt si vultis examinemus in exemplis. Dic. n. mihi, quid Abrahamo fuit excelsius? Atqui ille erat qui dicebat, Ego sum terra & cinis. Ille erat qui dicebat, Ne sit pugna inter me & te. Sed hic qui erat adeò humilis, Persica contempsit spolia, & trophæa despexit barbarica. Hoc autem faciebat ex magna excelsi animi virtute sublimiq; & alta mente. Ille. n. est excelsus, qui est verè & germanè humilis, non qui est assentator & dissimulator. Aliud est. n. magni & excelsi animi virtus, & aliud arrogantia & insolentia. Hoc autẽ inde existit manifestũ. Si quis. n. lutum existimat esse lutũ & despicit; aliꝰ aũt lutũ admiretur tanquã aurũ & magnifaciat: quis est magni & excelsi animi? An nõ is qui lutũ nõ admiratur? Quis est aũt vilis humilisq; & abjectus? An nõ is qui ipsum admiratur & magnifacit? Ita etiã heic reputa: quòd qui terrã quidem & cinerẽ seipsum dicit, sit magnꝰ & excelsus, quanquã hoc dicat ex humilitate. Qui aũt nõ terrã & cinerẽ se existimat; sed se colit & observat, seq; magnificè jactat & gloriatur: is quidẽ erit vilis & abjectus, ut qui quæ sunt parva magnifaciat. Unde est perspicuũ, quòd ex magna mentis altitudine illud verbum effatus est ille Patriarcha, Ego aũt sum terra & cinis. Ex altitudine, nõ ex arrogantia & insolentia. Quomodo. n. in corporibꝰ aliud est ea esse bonæ habitudinis vegetaq; & succulenta, aliud aũt pituitã inflatã ac turgentia: atqui utraq; sunt carnis altæ & eminentis; sed hoc quidẽ sanæ, illud verò corruptæ: Ita etiã heic quoq; aliud est mente esse elatũ, quod est esse inflatũ & turgidũ; & aliud altũ ac excelsum, quod quidem est esse bonæ habitudinis. Et rursus est qui spiam altus staturâ corporis: alius autem cùm sit brevis, acceptis calceis fit altior. Quémnam ergò vocamus altũ & magnũ, dic mihi? Annon eum qui ex se habet altitudinẽ? ille. n. hoc habet alienũ, & iis quæ sunt parva ascensis: sic fit altus. Quod multis accidit hominibus, qui pecunia & gloria se efferunt, quod quidem non est altitudo. Est. n. altus qui nullis eorũ indiget, sed omnia despicit, & à seipso habet magnitudinem. Simus ergò humiles, ut efficiamur alti. Nã qui seipsũ humiliat, exaltabitur. Sed non est ejusmodi qui est insolens & elato animo, sed est omnium vilissimus & abjectissimus. Inflata est. n. bulla, sed non est tumor sanus. Ideo eos quoq; vocamus inflatos. Nam cujus sunt modesti spiritus ac cogitationes, ei ne magna quidem magnos faciunt spiritus, ut qui suam norit humilitatem. Qui est autem vilis & abjectus, etiã in parvis magnũ visione apprehendit. *Hom. 1. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Num etiã est hoc inflationis, pro aliis extolli, etiam si in rebus suis hoc alicui non accidat? Quomodo. n. qui ob alienas effertur & insolescit divitias, id facit ex arrogantia; ita etiã qui ob gloriã alterius. Rectè aũt appellavit inflationẽ. Quando. n. unum membrũ unum insurrexit, nihil est aliud quàm phlegmone seu inflammatio & morbus. Non. n. fit aliter aliud membrum alio altius, quàm quando fuerit œdema seu tumor. Ita etiã in corpore ecclesiæ, qui inflammatur & inflatur, is est qui morbo laborat. Tumet. n. super communẽ symmetriã. Hoc. n. est œdema seu tumor. Ita etiã fit in corpore: quando adulterinus aliquis & pravus tumor affluxerit, non autem solitum alimentum. Ita nascitur arrogantia, nos subeuntibus alienis cogitationibus. Et vide quàm propriè dixerit, Inflati estis. Nam quod est inflatum, habet tumorem spiritus, repletum humore corrupto. *Homilia 12. ad Corinthios 1.*

Idem: Est dispensatoris rectè administrare quæ sunt ei tradita, non autem sua dicere quæ sunt domini, sed contra dicere esse domini ea quæ sunt sua. Unusquisq; hæc cogitans, & qui dicendi habet facultatem, & qui pecunias possidet, nempe quòd res domini ei sint creditæ, & non sint suæ; eas non apud se teneat, neque sibi adscribat, sed Deo acceptas ferat, qui omnia donavit. *Homilia 10. ad Cor. 1.*

Chry-

Chrysostomus: Qui arrogans est, hunc & contumeliosum esse necesse est, & percussorem, & iracundum, & amarum, & tristem, omninoq; feram potius, quàm hominem. Robustus es, ac superbis? Quin inde potiùs deprimi debueras. cur enim ex re, quæ nullius ponderis est, magnos tibi spiritus sumis? Etenim & leo te audacior est, & sus robustior; ac præillis ne culex quidem es. Et latrones verò, & sacrilegi, & gladiatores, & famuli tui, fortassè verò & qui inter ipsos hebetiores sunt, te robore & viribus excellunt. Hoccine igitur laude dignum? ac non teipsum præ pudore abdis, qui ideò superbias? At pulcher es, & in ætatis vigore. Cornicum hæc gloriatio est: non es pavone pulchrior, sive nitorem, sive pennas spectes: pennis aves longè te vincunt, ipsâ comâ, ipso nitore. Atqui olor etiam valdè pulcher est, aliæque aves multæ: quibuscum si te contuleris, despicies planè te ipsum. Sæpè verò & viles pueruli, & virgines innuptæ, & famosæ mulieres, & molles homines hanc habent gloriationem. Hoccine igitur arrogantia dignum? Atenim divitiis abundas? unde? quibus rebus abundans? auro, argento, lapillis pretiosis? Hæc & latronum gloriatio est, & sectorum, & eorũ, qui metalla effodiunt. Ergo quod damnatis labor est, id tibi gloriandi causa erit? At ornatu nites? equos etiam licet cernere pulchre ornatos. Apud Persas vero camelos etiam videas mirificè comptos: inter homines autem eos omnes, qui ex scena. Non pudet te has ob res magnos spiritus sumere, in quibus tecum communicant bruta animantia, & servi, & homicidæ, & latrones, & sepulchrorum perfossores? At ædes extruis splendidas: & quanti hoc? multi graculi splendidius habitant; & magnificentiora habent domicilia. An non vides ab his ipsis, qui divitiis ita immoriuntur, ut insaniant, in agris, ac solitudine extructas domos, graculorum esse domicilia? At vocis gratia superbis? Olore & luscinia nunquam poteris canere suavius. At artium multitudine? Equid in his ape sapientius? Ecquis variegãdi artifex, ecquis pictor, ecquis architectus istius imitari opera poterit? At subtilitate vestis? Cæterum hic te araneæ vincunt. At velocitate pedum? rursus primæ brutis animantibus deferendæ, lepori, damæ: & quot jumenta velocitate pedum minimè vincuntur? At muras sedes? Verum ni hilo plus avibus? hæ enim facilius peregrinantur, ac sedes mutant; non viatico, non jumentis egent: sed ad omnia illis ala satis est. hæc navis est; hæc jumentum; hæc vehiculum, hæc ventus; & qui dquid aliud postulari queat: at acute cernis? verum non æque, atque caprea, aut aquila: at acute audis? verumtamen asinus acutius. At bene olfacis? Verum canis minimè se abs te vinci patitur: at parandi victus artificium tenes? verum formicæ cedis. At aurũ gestas? verum non item atque Indicæ formicæ. At sanitas te effert? multo melius brutis animantibus est; sive bonitatem habitus, sive parandarum rerum, quæ ad vitam faciunt, facultatem spectes: non illa paupertatem timent. Respicite enim, inquit, volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. Ergo, inquies, bruta ipsa nobis præstantiora Deus condidit. Vides quanta sit inconsiderantia? vides quam negligenter res examinentur? vides quantum illud sit quod rerum iptarum pondus examinatum nobis largitur? Ille qui præ omnibus hominibus magnos sibi spiritus sumebat; vel brutis ipsis vilior esse convictus est. *Homilia 7. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, magnam sibi vim inferant necesse est, ut conscientiam rectè factorum sese semper efferentem obtundere queant. *principio. Homil. 3. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Si virtutis amantes modestia decet (nam eæ reliquas animi dotes exornat & illustrat) peccatoribus quoque profectò summisso atque humili animo esse conducit. Quonam enim nomine sublimiter de se sentiant, qui & hîc risum atque infamiam sustinent, & illic pœnam & crutiatum expectant? Nam probi viri, ex iis quæ rectè atque cum laude gerunt, gloriandi ansam habent. Improbi autem ac sceleratí, quasnam tandem actiones habent, ob quas animis efferantur? Quidnam igitur ex iis, quæ egistis, ad deprimendam & dejiciendam arrogantiam non sufficit? Tot enim ac tanta, ut ajunt, vestra scelera sunt, ut ne qui squam quidem è vulgo ea ignoret. Adeò per totam urbem fugillantur, ac pervulgata sunt. Quod si tot flagitia perpetrantes, & superbitis, & adversus probos viros arma induitis, virtutis eorum cursum interrumpere molientes, videte quem finem malum hoc habiturum sit. Nam cùm virtute florentem atque ornatum Pharisæum (non enim eum, ut mentientem, sed ut arrogantem accusat scriptura) concepta ex rectè factis superbia detrimento affecerit, quid afferri potest, quin vobis, qui ne publicano quidem similes, verùm multis partibus eo improbiores estis, contracta ex sceleribus insolentia, & animi elatio detrimentum allatum, vósq; in extremum exitium dejectura sit? Quamobrem hujusmodi crapulam edormite: ac maximè quidem, ut ne peccetis, studete. (Sic enim via quadam progredientes eò tandem pervenietis, ut probas quoq; atq; cum virtute conjunctas actiones edatis.) Sin autem (quod non credo) in flagitiis & sceleribus ad extremum usque diem volutari constituistis, saltem ne committite, ut malum malo curetis, nimirum adversus quos minimè fas est, arma sumentes, atque adversus quos minimè convenit, insolenter vos efferentes. *lib. 2. Epist. 29.*

Idem: Nego oportere, non eos duntaxat, qui instar tui obscuris & ignobilibus parentibus nati sunt, verùm eos quoque, qui ab illustribus & splendidis ortum traxerunt, in tantam arrogantiam prorumpere, ac naturæ terminos transilire. Quamobrem, ne præter modum peccans, immodicis etiam pœnis mulcteris, arrogantiæ furorem modestiæ fræno reprimere stude: téque ad speciem probo atque honesto viro congruentem compone: illúd que cura ut, nec per oculos, nec per supercilia, nec per linguam, nec per incessum ullum hujusmodi morbi vestigium in te appareat. *lib. 2. Epist. 292.*

Idem: Vide, quæso, ne insuperabilis tua arrogantia divinam illam & mansuetissimam naturam vim suam, quæ te & hîc funditus delere, & illic acerbissimas abs te pœnas expetere potest, demonstrare cogat. *lib. 3. Epist. 357.*

Idem Pelusiota: Illud quidem dictum; Adstitit in omni viæ non bonæ, de homine peccatore dictum, est, Auxilium opémve tulit, vel patrocinium præbuit: vel advocationem præstitit. Quemadmodum enim inexpugnabilis orator, qui litigantibus adsistit, artificium suũ pro illis, qui auxilio suo indigent, experitur: Sic etiam ille improbitati patrocinium accommodare omnibus viribus non recusat. Porrò illud: Anima ejus in vitâ ipsius benedicetur; iterum de pessimo homine dictum, est hujusmodi: Benedicetur, pro eo quod est, Laudabitur, encomiis ornabitur, beatus prædicabitur. Benedictio enim, à benè dicendo deductum nomen nihil aliud quàm laudem significat. Nam quia multi, quòd judicium de rebus habeant corruptum, laudant & beatos prædicant eos, qui pro miseris potius habendi ac deflendi erant, ideò quòd divitiis floreant, & deliciis perfruantur, & infinita designent mala, non cogitantes, quod paulò pòst rationem reposcentur ac pœnas exigentur; sed in præsentem duntaxat fruitionem respicientes: eam ob rem corruptum horum hominum judicium reprehendẽs Psalmorum auctor, & quia non solùm non objurgant peccantes, neque tantùm adulantur ipsis; verùm etiam, si opus sit, ut etiam in illorum gratiam malo afficiant virtutem ipsam id faciunt: dixit, Anima ejus in vitâ suâ benedicetur. Quia verò dictum est, In vitâ: hinc datur intelligi, post mortem ergo supplicio afficietur. hoc enim id quoque indicat, quod sequitur: Ingredietur enim in generationem patrum suorum. Qui verò ingreditur, is non in nihilum redigitur, (sicut nonnullorum fert opinio) sed in loco quodam concludetur, in quo nimirum in seculum non conspiciet lucem. In tenebris namque perennibus unà cum laudatoribus suis tenebitur constrictus, pœnas facinorum suorum luiturus. *lib. 4. Epist. 161.*

Ennodius: Idem est terminum in arrogantia non tenere, quod in humilitate transcendere. Supercilij affectus, justo amplius esse subjectum. familiare est graviter hiantibus, novas invenire blanditias, & grandis coturnus, in eloquentia simulare formidinem, vel examen metuere de laude securum. *lib. 1. Epist. 15.*

Philosophorum Græcorum.

Theophrastus Ethicis Character. Arrogantia est verborum sævitia in congressionibus & vitæ quotidianæ usu. Homo arrogans ita est comparatus, ut si quis ex ipso sciscitur, Vbi est ille? respondeat, Ne sis mihi molestus. salutatus, salutare invicem negligit. cumque aliquid vendit, indicare quidem merces suas, interrogatus. Quanti? non dignatur: verum ipse potius emptorem interrogans, Quid, ait, in mea merce quod contemnas habes? Religiosis quoque hominibus, & qui ad festa solemnia diis dona mittunt, dicere solet minime gratis datũ ipsis iri, si quid divino acceperint munere. Quod si quis illum imprudens, aut expulerit, aut pepulerit, aut pede pressérit, non est exorabilis. Et cum amico dixerit collectam ab ipso petenti, nihil se largiturum, postea ipse ultro afferet, dicetque, Velle se hanc quoque pecuniam perdere. In via si ad lapidem offenderit, maledicet illi. Et ut aliquando subsistat alicujus expectandi causa: nunquam tamen diutius cuiquam præstolabitur. Idem ut cantet in conviviis, aut vice sua recitet, aut saltet, adduci non potest. Postremo diis ipsis vota facere non curat.

Arrianus: Duo hæc adimenda sunt hominibus, arrogantia & diffidentia, atq; arrogantia quidem est eorum, qui sibi nihil deesse putant: diffidentia verò eorum qui existimant se inter tot casus rebus prosperis uti non posse. Arrogantiam porrò tollit reprehensio. *cap. 14. lib. 3. Epicteti.*

Dio Prusaus: Ægyptius sacerdos asseverabat Græcos esse arrogantes, & quanquam essent indoctissimi, semet tamen existimare omnium doctissimos. Non esse autem hoc morbo difficiliorem morbum alium, neq; uni, neque multis, quam cùm quis sit indoctus seipsum existimet sapientissimum. Ejusmodi enim homines nunquam posse ab ignorantia liberari. *Oratione 11.*

¶ Apologorum.

Æsopi Monedula & Corvus. Monedula corporis magnitudine cæteris præstantior, proprium despiciens genus, ad corvos secessit, rogavitque ut cum ijs conversaretur. Illi formam & vocem avis non noscentes, verberibus ejecere, expulsa ab iis ad monedulas revertitur; quæ ob injuriam illatam indignantes, non suscepere: sicque factum est, ut utrorumque convictu privaretur.

Avienus: Aquila & Testudo.

Pennatis olim quondam testudo loquuta est,
Si quis eam volucrum destituisset humi,
Protinus è rubris conchas proferret arenis,
Queis pretium nitido cortice bacca daret,
Indignans sibimet tardo quòd sedula gressu
Nil ageret toto perficeretve die.
Aft ubi promissis aquilam fallacibus implet,
Experta est similem perfida lingua fidem.

Et malè mercatis dum quærit ſydera pennis.
Occidit infelix alitis ungue fera.
Tum quoque ſublimes quum jam moreretur in auras,
Ingemuit, ſuis hæc licuiſſe ſuis.
Nam dedit exoſa poſthac documenta quieti
Non ſine ſupremo magna labore peti.
Sic quicumque nova ſublatus laude tumeſcit,
Dat merito pœnas, dum meliora cupit.

Avienus: Taurus & Hircus.

Immenſum Taurus fugeret quum forte Leonem,
Tutaque deſertis quærere antra jöis,
Speluncam reperit quam nunc hirſutus habebat
Ciniphij ductor qui gregis eſſe ſolet.
Poſt ubi ſummiſſa meditatem irrumpere fronte
Obuius obliquo terruit ore caper,
Triſtis abit, longaque fugax de valle loquutus,
Nam timor expulſum jurgia ferre vetat,
Non te dimiſſis ſetoſum putide barbis,
Illum qui ſupereſt conſequiturque tremo.
Nam ſi diſcedat, noſces ſtultiſſime quantum
Diſcrepat à Tauri viribus hircus olens.
Dum cupis illatum tibimet par ſolvere damnum,
Abſque tuo damno hoccè cavето fore.

De Aranea & Hirundine. *Fab. 4.*

Aranea in hirundinem excandeſcens, quæ muſcas, qui ſuus eſt cibus capiebat, retia in foribus, per quas volitare ſolebat, ut eam caperet, ſuſpenderat: hirundo vero advolans, retia cum textrice per aera portabat. Tunc aranea in aere pendens, & ſe jamjam perituram intelligens, quàm juſte hæc patior dicebat, quæ minima volatilia magno labore vix capiens, credidi tam magnas aves poſſe comprehendere.

Hac admonemur fabula, ne viribus majora aggrediamur. Laur. Abſtemius.

¶ Emblematum.

Batillius XX,

Periculoſum potentiam & vires ſuas admirari.

Ipſa ſui nimia eſt, rebus ſublata ſecundis
Mens hominum, & nullum novit habere modum.
Qui modò non dubia referebat præmia palma,
Ægida protendens ſaxificumque caput,
Diriget ipſe quoque in ſaxum, dum reſpicere auſus,
Non potuit monſtri lumina ferre ſui.

Inſcitia eſt arrogans. Embl. LXXIII.

Vt ſpica vacuæ levant cacumen,
Et plenæ reprimunt, ſolumque ſpectant:
Sic homo vacuus ſcientiarum,
Et cui nihil eſt probæ monetæ
Præ ſe deſpicit eruditiores;
At contra Sapiens, ſuoque ſeſe
Explorans modulo, videbit uſque
Quàm ſit teſta ſuæ impolita mentis.
Florens Schonhovius.

Catſius Emblemate ſacro VI,

Arrogantia profectus obſtaculum.

Num penetrent morſus in ſingula vulnera quærit,
Dum nimium roſtro Martia fidit avis.
Pervia ligna forent, niſi pervia, Pice putaſſes.
Dum ruis huc illuc tempus inane volat.
Quei poterit, doctum qui ſe putat eſſe, doceri?
Quei ſapiet, qui ſe jam putat eſſe ſophum?
Semper inanis erit mens, qui ſibi plena videtur.
Doctus erat, doctus ni ſibi quiſq; foret.

¶ Monoſticha Trochaica.

Arrogans ſilentio indignatur ut convicio.
Arrogantia mentis altæ non eſt ſed vilißimæ.
Arrogantia eſt egenis creſcere aſt in ijs nequit.
Arrogantis eſt negligere de ſe quis quid ſentiat.
Arrogat ſibi uſque plura, cui parum aut nihil ſuppetit.
Auro malumus carere & gemmis quàm arrogantiâ.
Contumeliam majoris ne quidem fert arrogans.
Eſſe qui curat quod audit, vitam aget rectiſſimam.
Eſt novi plerisque honoris adſecla arrogantia.
Eſt obex profectionis omnis arrogantia.
Mentis index eſt puſillæ haud arduæ arrogantia.
Nil boni adfert, ſed quæ habemus tollit arrogantia.
Nil Deus mage adverſatur quàm faſtum arrogantiæ.
Nunquam erit re magnus ipſa, cui videri ſufficit.
Omne divinum abſq; vento putris arrogantia eſt.
Opprimenda eſt uſquequaq; putrida arrogantia.
Pœnam adhuc effugit acrem nullius arrogantiæ.
Pro modo pecuniæ omnis intumeſcit arrogans.
Solitudinis collega certus arrogantia eſt.
Vix eſt ut fortunâ abundes, egeasque arrogantiâ.

¶ Jambica.

Coinquinat bona omnia arrogantia.
Eſt mentis abjectæ index arrogantia.
Eſt negligens ſemper ſui præſumptio.
Eſt ultor omnis arrogantiæ Deus.
Expers ſenectæ, expers fatui arrogantia eſt.
Honore nullo impletur arrogantia.
Imbellius nil uſpiam arrogantia.
Inſcitia omnis mater arrogantiæ eſt.
Pœna adſecla individua eſt Arrogantiæ.
Quid pulvis intumeſcis erga pulverem?
Quid ſe nimis lutum ſupra lutum efferat?
Qui nil habet, ſemper ſibi omnia arrogat.
Quo quisq; habet minus ſibi plura arrogat.
Verbis tuis fac vita item reſpondeat.
Virtus fere omnis arroganteis efficit.

Artium.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus:* Athenis vetus lex erat, eaque meo judio præclariſſimè conſtituta, ut adoleſcentes cùm pubertatis annos attigiſſent ad artes ducerentur ad hunc modum. Cujuslibet artis inſtrumenta publicè proponebantur, atque adoleſcentes ad ea adducebantur. Quocunque autem delectari quemque contigiſſet, ad idque accurreret, hujus quoque artem edocebatur: Quod videlicet ea ut plurimum rectè ſuccedant, quæ natura duce aggredimur: ac contra ea quæ in vita natura ſuſcipiuntur, ſpem fruſtrari ſoleant. *Epiſtola 63. initio.*

D. Io. Chryſoſtomus: Sunt aliqui qui neſciunt quidem quod ſint Scripturæ, propterea à nobis nihil ſit ſanum, nihil rectum, nihil utile. Sed ſi velit quidem quiſpiam artem diſcere militarem, neceſſe eſt ut leges diſcat militares. Si quis velit diſcere ſcientiam gubernandi aut fabricandi, aut ſi quid aliud, neceſſe eſt ut diſcat quæ ſunt artis. Hic autem nihil volunt ejuſmodi; idque cùm hæc ſcientia multis opus habeat vigiliis. nam quod hoc quoque ſit ars indigens doctrina, audi Prophetam dicentem: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. *Hom. 8. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ego ſtudia ea, quorum finis vitæ humanæ nihil commodi affert, ne artes quidem eſſe ſtatuo, verùm κατασοφιστικὰς καὶ κακοτεχνίας, hoc eſt, inanes & improbas artes. Artificioſum enim hoc demum eſt, id ſibi propoſitum habere, quod hominum vitæ commodum atque utile. *lib. 3. Epiſt. 185.*

Syneſius: Nos autem pro elaborato pulcherrimo corpore ſcientiæ hujus, cum id ſine ullo labore noſtro traditum acceperimus, gratiam habemus illis qui præmonuerunt beatis viris: non tamen à Philoſophia alienum ſtudium ducimus, & expolitiones ſpecioſas modò introducere, atque arte moliri quippiam, & amplius atque elegantius aliquid perficere. Quemadmodum enim urbes cùm conduntur, ad neceſſaria tantum quæ ſunt reſpiciunt, quomodo & conſervati durare poſſint: augeſcentes autem non amplius neceſſariis illis contentæ ſunt, ſed maxima pars impendiorum jam in porticus ſpecioſas & gymnaſiorum amplitudinem transfertur, & fori ſplendorem. Ita ſcientiæ aditus conſiſtit in rebus neceſſariis, incrementum autem in excellentioribus. *Oratione de dono Aſtrolabij.*

¶ Philoſophorum Oratorum Græcorum.

Ariſtides Rhetor: Debent artes omnes duplicem habere uſum, ſic ut alter ejus ſit qui eas tractet; alter illius qui ipſis utatur. Si quis igitur opus negligat ſuum, ſubit culpā, quoniam is, qui uti vellet, non poteſt. ſin ille quidem officio ſuo diligenter ſatisfacit, alij verò deſunt; non ille culpandus eſt, ſed ij qui non utuntur. Quid igitur oportet medicum bonum facere? habere parata pharmaca, manum, ſcientiam. his autem uti quemquam jubere, non jam artis eſt; verùm ægrotus eum vel accedere debet, vel accerſere. Quod ſi medicus ægrotos oraret, vel nauta vectores, vel judex litigantes, vel Jmperator milites, vel orator auditores; adverſo flumine res procederent. Nec enim in gravibus tantum, ſed nec in mechanicis artibus uſquam uſurpatur, ut opifices eos qui ipſis indigent orent, ut ſeſe uti velint: ſed & qui vult ædificare, architectum rogat, non ab eo rogatur; & agricola fabrum accedit, ſi ligone vel ſimili re aliqua eget; ac rurſus ipſum faber, cùm frumento indiget. An verò tonſorem vidiſti unquam ad aliquem accedere, ab eoque petere, ut ſe ille vel tondendum, vel radendum, vel unguibus privandum permitteret, quoniam id ſuę artis eſſet? Quin imò quamvis purpura quis veſtiatur, aut etiam ſit quantivis præcij, ipſe ad eum cùm opus eſt accedit, vel accerſit, &c. *Oratione contra criminantes, quod non declamaret.*

Ariſtides Rhetor: Si neceſſarium fieret, ut quidquid careret arte, malum vel vile eſſet, jam aliquid effectum crederem. at nunc nemo eſt qui dubitare poſſit, quin maxima quæque & præclariſſima quæ ſunt à

sunt à Deis in homines collata, simul & sine arte sint, & arte majora. id quod adeo apud omnes tum elegantes, tum vulgares homines invaluit, ut si quid vel septem Sapientum, vel aliorum aliquis quos propter eruditionem inter primos admiramur, dixerit vel suaserit, id nemo Deis tribuat, sed viri nomen singulis adijciat: quod autem Pythiæ vates postquam extra se fuerint raptæ, dexerint id à Pythio profectum esse omnes fateantur. quam verò tunc artem norunt, quæ nihil nec servare, nec memoria tenere possint? &c. *Oratione Platonica prima pro Rhetorica.*

Idem mox: Quis nescit etiam in corporibus, nec pulchritudinem, nec magnitudinem nec gratiam artis opus esse, neque labore aliquo vel sermone comparari posse? Quin unctio quidem & cura horum ad artem videtur pertinere, integram verò constitutionem nulla possit ars consequi, quocirca ministræ locum ars, dominæ natura obtinebit: nisi si calones etiam ante milites collocabimus. at hoc indignum. Absurdum enim est, cùm parentes honoremus, & senioribus assurgamus, naturam quæ tanto prior est, parvi momenti præ arte ducere. quasi quis calceos pedibus, vestem corpori præferret. Et opes quidem, ut videtur, iis qui eas acquirunt & possident, minoris ducimus: artem verò naturâ quæ illam invenit, cujusque illa est opus meliorem dicemus? alienum enim à ratione foret ipso exemplo, si in opibus quidem ac divitiis meliorem censeremus negotiatorem, qui eas ipse comparasset & collegisset, herede quovis; in literis autem & rebus non eum qui natura præstaret, sed qui ab alio quid accepisset, præferremus; ne hoc quidem animadvertentes, non modo naturam initio artes constituisse, sed & in ipsis artibus eos qui natura valerent, excelluisse. nam artis quidem caussa similes oportebat omnes esse qui eadem didicissent, atque etiam posteriores prioribus semper deteriores, donec ad artis dissolutionem esset ventum: nec enim poterat quis ab alio accuratè percipere omnia, qui aliquid semper effugeret. naturæ autem vi & excellentia gloriam sibi viri præclarissimi pepererunt; nec quisquam vel Dædalum vel superiores præ Phidia miratur; verùm contra artes ex parvis ac vilibus initiis majores & perfectiores sunt redditæ. Quocirca nec ipsis prodesse videtur artibus, ut naturæ ars præferatur. nec enim progredi, neque eam quam nunc habent dignitatem potuissent consequi. Atque ut existimo, non artes ipsæ viros extulerunt, sed qui viribus pollebant claras reddiderunt artes, cùm in ijs quæ acceperant non permansissent: maximique artifices non quatenus artes cognoverant, maximi extitere, sed quatenus eas superarunt. unde fit ut & condiscipulorum nonnulli deteriores, quidam etiam meliores evaserint, ut Phidias, Zeuxis, Hippocrates, Demosthenes, ac si quem quis admiratur alium. nec enim quasi certos observarunt terminos, neque suam ipsorum facultatem contempserunt, nec artem sibi imperari sunt professi, verùm inspecta verborum alij, alij rerum natura, pueros præ se majores suos fecerunt videri; idque necessario & natura; quandoquidem & in rebus & in verbis, deisque & hominibus natura cernitur, non ars; atque ita se res habent, ut earum est natura, non ut ars. Quin etiam ars naturæ, non natura artis est opus, &c.

Aristides Rhetor: Et artes ipsas atque opificia natura præstantes utique primum invenerunt homines. nec enim ipsæ artes naturas condiderunt; Verùm naturæ præstantissimæ optimas invenerunt artes. quo fit ut & ordinis & facultatis ratione priores naturæ debeantur. Quod si nec hominibus prorsus artium concedimus inventionem, sed his eas Deos demonstrasse dicimus, ad præstantem nimirum erant aliquem referendæ. Jam si hoc apud omnes erit manifestum, non Deos ab hominibus, sed homines à Deis artes accepisse, atque illos præceptores, nos esse discipulos; tanto videbitur disciplinæ præstare inventio, quanto melior est homine Deus. ut enim illi invenerunt omnia, ita nos inventis utimur. *Orat. 1. Platonica de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Nihil prorsus artis habentes, non solùm res nobis pro futuras, sed & alijs nonnunquam, si Deo visum fuerit, dicere possimus: nec quicquam prohibet, quominus etiam vigilantes optima quæque sine arte cognoscere & alijs suadere possimus; si ex somnijs consilium quoque aliis damus. An verò servari sine arte, atque alios per ea quæ ignoramus servare poterimus: suadere sine arte, nec nostra fortuna, nec divina, nec, ut Demosthenes auditorum, quicquam poterimus. *Orat. priore Platonica de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Artes ex ijs qui eas sunt assecuti, non qui illis exciderunt, censentur. *circa finem orationis primæ Platonicæ, de Rhetorica.*

Aristides Sophista: Cumque alij dignitatem ex artibus sibi conciliant, ille artem quoque ipsam per se majorem reddidit, ac multis eam modis adauxit; ita ut ab ipso dignitatem quandam consecuta sit: nec secus atque alijs sufficit, si æquales suos superent, ita hic in arte tota primas tenere voluit: *in funebri oratione Alexandri.*

Idem paulo post: Solus præterea Hesiodum mendacij convincit; qui poetam invidere poëtæ dixerat. erat enim eorum qui eandem colebant artem, tanquam pater communis, nec minorem in illo omnes, quam in se quisque spem positam habebat. *in funere Alexandri.*

Arrianus: Quælibet ars firmum quiddam habet, & imperterritum suis in rebus. *cap. 13. lib. 2. Epicteti.*

Arrianus: Artem maximam ex iguo labore comparari posse speras? *cap. 20. lib. 1. ad Epictetæa.*

Arrianus: Omnis ars molestiam habet, cùm indocto & ipsius imperito traditur. Atq; ea quidem quæ arte perficiuntur, usumque cui destinata sunt, statim demonstrant, & pleraque aliquid illecebrarum & suavitatis habent. Ac ut sutor artem suam discat, a desse atque in vestigare indecorum fuit; calceus verò est utilis, neq; injucundus aspectu. Est & fabri disciplina molesta imperito; verùm opus usum artis ostendit: In musicis hoc multo rectius conspicies. Si adsis ei qui docetur; ea disciplina omnibus tibi insuavissima videbitur: ipsius verò musicæ opus suave ac jucundum auditu est hominibus imperitis. *cap. 14. lib. 2. Epicteti.*

Themistius: Etenim Plato insuper pronunciavit, fieri non posse idem ut plures simul bene artes exerceat, quemadmodum sutoriam ærarius faber, fabrilem sutor: quin illam facillime domum vitium facturam, quàm non Architectus ædificaverit, sed textores aliquot, aut vinitores coacti. Ac Tunicam illam sartricibus negotium facturam, quam mulier ordiendæ telæ ignara atque imperita texuerit. Neque vero gubernatorem una & Nautam & gubernatorem futurum, neque medicum palæstricum simul medicum, sed necesse quidem est præesse, atque imperare, illum regibus, Medicum palæstræ magistris, non tamen vel Remigem ipsum esse vel Palæstricum. *Orat. 1.*

Themistius: Revera ars omnis ad ea quæ sibi præstitura sunt molienda, ac fabricanda, ijs qui opus habeant omnibus idonea est, se ipsam vero quatenus utilis aut noxia sit explorare non potest: immo id in artibus ejusmodi vitij atque inopiæ residet, quod pleræque bonis ac malis suamet ipsæ opera subministrant. Nec gladiorum faber discernere illud potest, num sicario gladium sit venditurus, nec navium Architectus, utrum prædoni navem fabricet, quemadmodum Paridi Hormonides, nec gubernator, utrum illius in navigatione vitam conservet, quem demergere in profundum sit consultius.

Themistius: Quid esse tandem causæ dicam, quod cum homines fabros admonere non soleant, quid in lignis moliri oporteat, neque Sutores, quid in corio faciendum sit, sed neque Textoribus de lanis, nec Citharœdis de Citharæ pulsibus, aliquid præscribant; sed qui uniuscujusque artis ignari sint, permittant peritis, ut quemadmodum ipsis visum fuerit, artis suæ opera designent; cum hæc inquam ita se habeant, solos tamen Philosophos admonere omnes, ac docere aggrediantur, quæ sint ipsis dicenda, & apud quos, & quo tempore, & quo in loco dicenda? Nec ullus omnino sit, qui non se unius hujusce Artis inquisitorem idoneum, cum eorum quæ dicit, tum quæ molitur existimet? Nam à Poeta quidem non omnes carminum rationem exigunt, nec ab Oratore facultatis dicendi, neque adolescentes illos, qui hymnum in Theatro auspicati sunt, quique artificij præstantia utramque in partem excellere visi sunt ac Diis dijudicandos putatis sed Poëtæ soli & Orationũ scriptores. Sin vos aliquis in hunc ipsum locum Philosophus convocet, orationem habiturus, quam magno studio atque cura elucubraverit multasq; ob id insomnes noctes traduxerit, ac multa non paucos dies meditatus fuerit, quo boni aliquid à se reportaretis, tum non Philosophi solũ, sed & Oratores, & Grammatici, & Pædotribæ, & Milites, & Veterani; ac denique quis non orationum inquisitor ac judex est? Nec harum tantum, sed & Auditorũ ipsorum, quod Populus sit, & loci, quod Theatrum. Ita eo res recidit, ut omnibus ex disciplinis, sola hæc obuia sit omnibus, ac facilis, nulloque negotio percurratur; sive prodigiosa potius, ac monstri similis; si cum cæteri omnes quæ huic arti consentanea sunt intelligant, ij soli nesciant, qui ætatem omnem in ea collocarunt. Quanquam fortasse non rectè hoc neque merito oratione mea commemoratum est. Etenim illi ipsi, qui Philosophos erudire, atque instituere volũt, non adeò multi sunt: neque vos omnes tantopere estis occæcati: sed misera ea prorsus res est, quòd pauci illi, cùm nihilo melius quàm vulgus affecti sint, nec propius quam plebs ipsa ad doctrinã, & scientiam accedant, se ipsos tamen Philosophis Legislatores constituant, eosque pronuntient mutos esse oportere, ac quæ sciant in corde occulta, atque abdita tenere, nec efferre, aut communicare cum cæteris, velut ij, qui in thesauris pecunias accumulant. *Oratione 15.*

Philostratus: Ad ornatum attendit omnis ars, quando & ipsæ artes ornatus gratia sunt inventæ. *lib. 6. Apollonij cap. 6.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter: Erectus his sermonibus, consulere prudentiorem cæpi ætates tabularum, & quædam argumenta mihi obscura; simulque caussam præsentis desidiæ excutere, cùm pulcherrimæ artes periissent, inter quas pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset. Tum ille, Pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica instituit. priscis enim sermonibus cùm adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, suæ cuique certamen inter homines erat, ne quid profuturum sæculis diu lateret? Itaque hercule omnium herbarum succos Democritus expressit; & ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit. Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, ut astrorum cœlique motus deprehenderet: & Chrysippus ut adinventionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. Verùm ut ad plastas convertar, Lysippum statuæ unius lineamentis inhærentem inopia extinxit. & Myron, qui penè hominum animas ferarumque ære comprehenderat, non invenit heredem. At nos vino scortisque demersi, ne paratas quidem artes audemus cognoscere; sed accusatores antiquitatis vitia tantum docemus & discimus. Vbi est Dialectica? ubi Astronomia? ubi sapientiæ consultissima via? quis unquam venit in templum, & votum fecit, si ad eloquentiam perveniisset? quis si Philosophiæ fontem invenisset? ac ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt: sed statim antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit si propinquum divitem extulerit: alius si thesaurum effoderit: alius si ad trecenties sestertium salvus pervenerit. Ipse Senatus, recti bo-

niquè

nique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet, & ne quis dubitet, Jovem quoque peculio exorat. Noli ergo mirari si pictura defecit, cùm omnibus Deis hominibusque formosior videatur massa auri, quàm quidquid Apelles Phidiasve, Græculi delirantes, fecerunt. *Satyrico.*

Plinius Iunior : Vt satius facere unum aliquid insigniter, quàm plurima mediocriter; ita plurima mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. quod intuens ego, variis me studiorum generibus, nulli satis confisus, experior. Proinde cùm hoc vel illud legis, ita singulis veniam, ut non singulis dabis. An cæteris artibus excusatio in numero, literis Durior lex, in quibus difficilior effectus est? *Epistola 29. libri noni.*

¶ Poetarum Graecorum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Hæc natura facit, Iam vero perspice, quantum
Ars hominum efficiat, naturæ jura resolvens.
Sturnus enim nostras condiscit reddere voces,
Atque aliena suo garritu verba profari,
Quæ visa in speculo sturni depicta figura
Edocuit, virique ingenio præclarus & arte
Stans retro, sturnum sturnique in imagine fallens;
Dum sua furtiva modulatur carmina voce.
Nec minus humanum videas effingere corvos
Eloquium ac nostris crebro sermonibus uti.
Sic etiam in cavea pulcher canit ore recurvo
Psittacus, & voces hominum mentitur, & aures
Cantu sæpe suo nostras avis improba fallit.
Pendulus est etiam funis plerumque caballis,
Per quem, non aliter quam lato tramite terræ
Fortia membra trahunt: liquidumque per æra fertur
Vrsa, sedensque gravis, velut ad subsellia judex,
Iuris, ut apparet, rectissima pondera librat
Anteriore pede, & simulat fera bellua mentem.
Arsque hominum docuit, quod ei natura negarat.
Quinetiam hærentem spectavi sæpe leonis
Dorso hominem, sævamque feram manus una domabat;
Ille quidem aurigæ ritu tractabat habenas:
At fera pestiferum linquens asperrima flatum
Parebat, dominumque suum mulcebat amice.
Insuper horribiles ducit manus Indica barrhos,
Exiguisque puer stimulis mitescere cogit,
Sessorque intrepidus validissima membra gubernat:
Non secus ac clavo regitur latissima puppis.
Audax qui rabiem primus mollire ferinam
Tentavit, duroque jugum grave nectere collo,
Nec portentosum trepidavit ducere currum.
Ergo hominum generi vitam præferre ferinam
Non dubitas, si cum naturam inflectat earum
Vis hominum, labor assiduus, doctrinaque longa
Hi contra indociles perstent, nec flectere mentem
Ad meliora queant, quantum vis sermo propinquus
Insonet, & recti præcepta instillet in aures.

Aristophanes Vespis v. 1419.

Homo Sybarita nuper è curru excidit,
Cadensq; capite vulnus accepit grave,
Quod esset artis prorsum equestris insciens,
Dein huic amicus forte præsens inquirit,
Quam quisq; demum norit artem exerceat:
Sic tu medentis Pittali quæras opem.

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter.

Artis severæ quisquis amat effectus,
Mentemq; magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege polleat exacta:
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Cliensq; cœnas impotentium captet:
Nec perditis addictus, obruat vino
Mentis calorem, neve plausor in scena
Sedeat redemptus, Histrionia addictus.
Sed sive armigera rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenumq; domos; det primos versibus annos;
Mœoniumq; bibat felici pectore fontem:
Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, & ingentes quatiat Demosthenis arma.
Hunc Romana manus circumfluat, & modò Graja.
Exonerata sono mutet suffusa saporem:
Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri distincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore;
Grandiaq; indomiti Ciceronis verba minentur.
His animum succinge bonis, si flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Ausonius in Monosyllabis.

Æmula Dijs, natura imitatrix, omniparens ars.

¶ Apologorum.

Babrias Περὶ Λύκου καὶ Ὄνου. *Fab. 38.*

Ὀδῶσιν ἦλον εἰλοὺ ἐξ Ὄνου Λύκῳ.
Αἰτῶν δὲ μισθὸν, πλήσεται λαὸς τὸν γόητα.
Λύκῳ δὲ φησι, πῶς μάγειρος ὢν πάλαι
Ἰατρικῆς μεθῆλθον ἔργ' ἀναξίως;

Epimythion.

Πρὸς τοὺς τὴν ἰδίαν τέχνην καταλιμπάνοντας, καὶ ἑτέραν μετερχομένους ἐπὶ βλάβῃ.

De Lupo & Asino.

Ex asino clavum dentibus extraxit Lupus.
Petens vero mercedem, percutitur calcibus gena.
Lupus autem inquit, Quo coquus quum esses olim,
Medicinæ opera indigne exercui?

Affabulatio.

In eos qui propriam artem derelinquunt, & aliam aggrediuntur incommodè.

Piscator, qui simul erat & aulœdus,

Vir piscator simul & aulœdus, acceptis tibiis & retibus, in mari nihil poterat capere. Sed cùm tibiis nihil proficeret; missis iis, ad rete devenit, quo cum uteretur, ea cepit, quæ non poterat cùm tibias inflaret. *Æsopus.*

Vidua & Ovis.

Alicubi vidua mulier ovem habuit. hujus vellus sumere cupiens, imperitè tondebat, una cum vellere carnem forcipe resecans. Dolens ovis dixit: Quid me lædis? quo enim impetu defluit sanguis meus? siquidem ô Hera carnium indiges, aderit coquus, qui me continuò mactabit. Si lanæ & velleris, tonsor adsit qui rursus me tondeat & servet. *Æsopus.*

De Culice cibum & hospitium ab Ape petente. *Fab. 94.*

Culex hyberno tempore, cum & fame & frigore se periturum coniiceret, ad apium accessit alvearia, ab eis cibum & hospitium petens. Quæ si ab eis fuisset consecutus, promittebat filios earum se artem musicam edocturum. Tunc quædam apis, at ego, inquit, artem meam malo liberi mei discant, quæ eos à famis & frigoris periculo eximere poterit.

Fabula nos admonet, ut liberos nostros his artibus erudiamus, quæ eos ab inopia valeant vendicare. Abstemius.

¶ Emblematum.

Camerarius lxxxvii. Centur. 4.

Quos bruma tegebat.

Vere novo latebris serpens prorepit apertis,
Gloria sic artes ad loca summa vehit.

Ars naturam juvat. Emblem. xxiv.

Sponte suâ unigenum fert tantum Arbuscula fructum;
Ast eadem varios insitione parit;
Naturam quicunque rudem non excolit, ille
Semper idem est; cultu fit sibi dissimilis.

Florent. Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad quamcũq; quisq; est aptus artẽ, ad eam hunc impellito.
Alterâ arte tertiaque quartâque ars quæque indiget.
Architectus si haud es ullam ne domum exstruas cavès.
Ars absque instrumentis fructus haud magistro offert suo.
Ars dignationis expers, primum ægrescit, dein perit.
Artem avès pullis volandi non una exhibent die.
Artes laus alit; eorrumpit artes sed laudatio.
Artibus male imputantur artifex quorum est reus.
Artibus malis bonisque mixtus omnibus placet.
Artibus vacare binis commodè nemo queat.
Artibus vacare qui vult pluribus, nullam obtinet.
Artifex mutare quævis: materiem unam non potest.
Artifex quacumq; peccat ulla cur quæso ars luat?
Artifices amare nescit, quisquis exors artium est.
Artifices minimè mirantur qui artes non intelligunt.
Artium nulla est quæ non adspiret pulcritudini.
Barbari arteis reperere, exornavere Græculi.
Crimen artis haud est, ipse si professor deviat.
Crimina artificum probrosa artibus quis imputet?
Cui bono ille est qui repertis solus incubat bonis?
Cuilibet securus est ars portus infortunij.
Cuncta sors & cuncta Mars fert: solum in artẽ nil queunt.
Dextere vix unus artes plurimas exerceat.
Dispari quæsitum ab arte par vocari non potest.
Est natura exemplar artis; ars naturæ simia est.
Felicem artem de quâ solus constet ejus artifex!
Haud diu ars senet magistro non avaro subdita.
Id decet quem maximè unum, quod cujusque maximè est.
Imperitus est perito maximum viaticum.
Improbæ artes sunt voluptas queis ministris utitur.
Imputanda personarum probra non sunt artibus.
In natura, & arte; nulla in ceteris constantia est.
Instrumenta non movèntur ut recessit artifex.
Ipsa ne quidem Natura cuiquam absque arte sufficit.

Mate-

Mater artium omnium usus est & experientia.
Maximè artis proprium est creare quid & gignere.
Nemini ars ultrò obvenit: suo a magistro discitur.
Nemo ararius simul sit & faber lignarius.
Nemo pace nemo bellò fit sine arte nobilis.
Ni juvet natura frustra ars moliatur omnia.
Non cadit quod jactu opus est? quod cecidit, arte corrigas.
Non emuntur artes, sed tantum operæ mercenariæ.
Numinis furore adflatur omnis artis artifex.
Omnium ætatum artiumq; nobis insita semina.
Omnium artium processu provenit subtilitas.
Omnium illicò arte & usu compares scientiam.
Optimi artificis suppellex simplicissima omnium est.
Pacis artes mentem exercent, bellica manum ac pedes.
Paupers à Data ars est, Divisti pecunia.
Perdocet paupertas artes omnes, ubi quem attigit.
Perfici nulla ars quit cui fors denegat numen suum.
Pro professione quis non artis dimicet suæ?
Quælibet sine igne manca ars, quælibet scientia est.
Quæstuaria arte nil est hercle illiberalius.
Quamvis non exerceatur ars, minime tamen perit.
Qui subtegmen nere tenue, nere item uberius, potest.
Quidquid artis imperiti damnant, veri nil habet.
Quidquid in vas influit pollutum, mox corrumpitur.
Quis, si haud est necesse, tradat pauperem artem filijs?
Tam natatur in brevi stagno atque maximo in mari.
Tempore uno ars inchoari non potest & perfici.
Tollit artes omnes ipsam qui negat prudentiam.
Vincit ars naturam; ab arte quodlibet miraculum est.
Vitam ubique agit modestam cui favent artes bonæ.
Vita pauperis sine arte, vita infelicissima est.
Vnumquodque eis augetur quæis conflatur artibus.

¶ Jambica.

Ab artificibus discit artem qui sapit.
Agas asellum stagere non potes bovem.
Alumnæ honoris artes sunt bonæ boni.
Angusta vita est, contra at ars late patet.
Apicula nulla nascitur, nisi artifex.
Ars amulatrix est naturæ, non parens.
Ars artium princeps ipsa est Sapientia.
Ars auget ac firmat naturæ commoda.
Ars est tamen dux quam natura certior.
Ars interit, simul artis præmium interit.
Ars militaris artes servat cateras.
Ars minimè habenda est, quæ vita nil commodat.
Ars nascitur, non interit ars quæ latet.
Ars nata quaq; è vilibus primordijs
Ars non capitur præcepta quæ tantum est semel.
Ars nulla sese impendit singularibus.
Ars nusquam nulla est quæ alteri non serviat.
Ars omnis implet quod naturæ deficit.
Artem pudere proloqui quam factites?
Artes alit laus; destruit laudatio.
Artes bonæ, stimulo incitantur præmij.
Artes bonas fortuna nec dat, nec rapit.
Artes duas vix quispiam discat simul.
Artes ferè omnes repperernnt barbari.
Artes labore compares atque indole.
Artes lucrosas nullus est quin appetat.
Artes sorores sunt profectò sensuum.
Arti satis nemo uni vacare potest.
Auferre nullus pauperi artes quit suas.
Clavo pusillo maximam navem regas.
Commercium artes mutuum omnes repperit.
Dulcissimum ars mortalibus solatium est.
Etiam quis est absque instrumentis artifex.
Et scrutalaudat qui facit scrutariam.
Ex arte quod fit, laude non caret suâ.
Excogitatrix artium, necessitas.
Excogitator artium ignis omnium est.
Grassantur arte destituti viribus.
Haud est pusillum scire quidnam nescias.
Honor alit artes, nosque eadem omneis alunt.
In arte quisque quam potest terat diem.
Injuriè ars quod peccat artifex luat.
In omnibus non esse possunt omnia.
Longissima ars est, vita sed brevissima.
Lucam bovem regit pusillus Æthiops.
Minimè vocandum est ars quod est superfluum.
Moles mali sæpe arte omni est potentior.
Multarum egestas est repertrix artium.
Mutare materiam artifex minimè potest.
Natura nil non, vel Sors, vel Ars perficit.
Natura non est ipsa quam ars, dux certior.
Necessitas omni arte est efficacior.
Nemo artibus non unis unus sufficit.
Ne pudeat artem proloqui quam factites.
Nihil potest ars absque fortitudine.
Nihil suâ sine ratione ars efficit.
Nil auferentes arteis quis damnavit?
Non me pudet nescire quidquid nescio.
Nostrum faber fortunæ quilibet suæ est.
Nullius usus ars absque experientia est.
Priora quæque ars obruit recentior.
Plura artificia vix cum laude exerceas.
Præcepta non consummant artem; artem adjuvant
Præstantior quavis ars quovis robore.
Prudentis est novisse mensuram suam.
Quam quisque norit artem, eam ipse exerceat.
Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.
Quamcumque terra quævis artem foverit.
Quamvis docet naturæ artem necessitas.
Quavis bene usus tibia est Ismenias.
Qui multa tractat, multa perperam facit.
Quod ars nequit perfecerit necessitas.
Sæpè absque artifice materies cessat bona.
Sine veritate nulla ars est, nulla ars erit.
Tentes per artem quæ natura denegat.
Tradi haud queunt illa omnia ars quæ ipsa efficit.
Vbi sua est fortuna, ibi ars superflua est.
Vel pessima ars hominem unicum nutriverit.
Vis tollere arteis? tolle præmia artium.
Vix unus artes plures rectè exerceat.
Vt deficit merces & ipsa ars deficit.

Artium Liberalium.

Maximus Tyrius: Socrates in disputatione illa quam in Piræeo cum politicis hominibus habuit, optimæ Reipub. imaginem, non secus quam in dramate aliquo, oratione effingit. Nam & leges condit, & pueros educat, & custodes civitati imponit. Musica præterea gymnasticaque arte corpora simul animosque civium efformat. Quod ut melius fiat, magistros utriusque disciplinæ præstantissimos, tanquam totius gregis duces, præficit: quos custodes nominat. Quam quidem ejus urbem vereor ne aliquis paulo agrestior, magis in somniis quam revera constitutam dicat. Verum non alia antiquæ philosophiæ fuit ratio: quæ non multum differebat ab oraculis. Si placet, relinquamus Socratem, potiusque ab altero illo Atheniensi cive petamus, ut nobis respondeat. Nam & hunc in Creta in Dictæo Jovis antro cum Lacedæmonio Megillo & Cnossio illo Clinia differentem audio: cum Doricæ civitati, de cujus tum fundatione agebatur, leges condit, suadetque Cretensibus, ut inter reliqua, quibus ad virtutem excitantur cives, admittant quoque Musicam, ejusque modulatione vehementes animi componeret motus, ne mutila eorum ulla ex parte aut imperfecta esset virtus, quod fieret, si quo modo externum quidem bellum tolerare fortiter ac sustinere possent, doceret eos: seditioni vero internæ, qua fluctuare solet animus, nullum civibus suis præscriberet remedium. Quid ais vero, hospes Attice? Tamne tibi angusta, tam lubrica ac difficilis videtur ea quæ ad bonum deducit via, tam incerta, multisque obsessa molestiis, ut nisi quis cantillet ac minuriat, totosque dies in Geometrico pulvere lineas deducat pervenire eo nequeat? quasi aliud quid nobis sit propositum, quam ut viri boni fiamus. Cum profecto virtus, si utilitatem ejus spectes, res magna sit & ardua, si quo comparatur modum, facillima, quia in proximo aliquis semper ejus usus est, modo quis semel honesto locum dederit, turpi vero bellum induxerit.

Respondebit Atheniensis hospes: Id quod legem vocant in Rep. nisi accedat civium obsequium, frustra ferri ac rogari: nec quicquam magis requiri, quam ut sponte parere velit populus. Eum vero qui in animo nostro est populum, varium esse & insanum: qui si semel legi consenserit, locumque ei dederit, & quo jusserit sequi cœperit, tum demum præstantissimam obtinere in animo Reipubl. formam, quam philosophiam vocant homines. Quare censeo ut philosophiam hanc advocemus, quæ legislatoris instar, tumultum erroremque animi, tanquam populi alicujus componat. Quod ut possit, artium aliarum subsidium assumat: non è numero illarum, hercule, quas sedentarias aut mechanicas dicimus, quibusque in usu quotidiano utimur, sed illam primo, quæ corpus ita præparet, ut promptum animæ vehiculum validumque ad obeunda ejus imperia esse possit: quam Gymnasticam dicat. Alteram rursus quæ animi conceptiones efferat, quam Rhetoricen vocet. Tertiam quæ animos juniores & adhuc rudes nutriat educetque: quam Poëticen apellet. Quartam, quæ numerorum rationem doceat, quam Arithmeticen nominet. Quintam quæ supputandi, quam calculatoriam nuncupet. Hanc aliæ duæ, Geometria ac Musica, sequantur, sociæ philosophiæ atque arcanorum ejus conscïæ: quarum singulis illa opus suũ partitur. De quibus loco suo forte dicturi sumus. Nũc de Musica, ut instituimus, quæ omniũ animi disciplinarũ antiquissima est, quæ par videtur, dicamus. Eam nimirũ & singulis hominib. & totis conducere urbibus, quib. Deorũ munere exercitiũ ejus est concessũ.

Non de

Non de ea nunc ago, quæ tibiis aut cantiunculis, aut pedum motibus, aut sola vocis inflexione sine verbis, animum penetrat: nec aliud quam aurium voluptatem habet, cur celebretur. Hanc enim amplexâ esse videtur animi humani corruptio, dum jucunditatis sequitur speciem, & ut gratificetur sibi veram illam in spuriam illegitimamque mutasse Musicen. Hodie certe ex nostris sublata est oculis: positaque antiqua illa sinceraque sua pulchritudine, imponit nobis,

Sicut columbæ fictus haud verus nitor.

Nescimus enim solam Musicæ imaginem esse quam retinuimus, veramque illam Heliconiam Musam habere falso nos arbitramur, quæ amica Homeri, magistra Hesiodi, Orphei mater fuit. Cum neque habeamus eam, neque imbuti ea simus. Hinc illegitima usurpatio paulatim sese insinuans, nostrum cum publice tum privatim in errorem hunc pertraxit animum. Ex quo Dores qui Siciliam incolunt, simplicem illam agrestemque Musicen, qua inter greges suos pecudesque utebantur, domi reliquerunt, ac pro eo tibias Sybariticas amare, ad Jonicas saltare cœperunt. Atque ita dementiores, ut levissime dicam, aut ut verius, intemperantiores facti sunt. Antiqua Athenensium Musa nihil aliud quam chori puerorum virorumque erant, & agricolæ in populos divisi, qui adhuc à semente sua & messe sordidi, incomposita quædam & extemporanea canebant carmina. Ab his cum animus ad scenicam paulatim & theatralem artem, quæ res voluptatem prorsus habet insatiabilem, deflecteret, hoc corrumpendæ fuit Reip. principium. At vera illa harmonia, quam Musarum canit chorus, dux earum inchoat Apollo, animum in statu suo retinet, domum conservat, conservat navem, conservat exercitum. Quod si Pythagoræ, ut par est, credimus, cœlum quoque modulationem edit. Non quod ut lyra pulsetur, aut infletur ut tibia: sed quod circuitu suo divina illa Musicaque quæ in eo sunt corpora congruo aptoque, cœlestem quandam excitent harmoniam. Cujus quidem elegantiam Dij sentiunt, nos vero non item: vel quod tanta ejus sit excellentia, vel quod tanta sit nostra imbecillitas. Nec aliud occulte innuere Hesiodus voluit, cum Heliconem quendam statuit Musarum, divinosque choros, quibus præsidem sive solem facit sive Apollinem, sive quocunque nomine clarissimum illum ignem, qui in hac harmonia agit principem, appellare libuerit. At vero humana illa nostra, quæ circa animum versatur, quid aliud est quam custos ejus & magistra: quæ affectibus præest illius, ut si qui nimium se efferant & exultent, eos demulceat: si qui remissi nimium & dissoluti sint, eos excitet denuo excitetque?

Hæc est quæ facillime luctum levat, facillime iram cohibet, optime cupiditates temperat, dolores mitigat, amores solatur, adversam sublevat fortunam. Optima hæc in sacrificiis comes, in epulis convictrix, imperatrix in bello. Hæc est quæ maxime in festis reficit, Bacchanalibus saltat, in mysteriis afflat homines. Hujus præcipuum quoque opus est, modulatione sua apte Remp. temperare. Ita agrestes Bœotorum mores tibiæ studium, tibi æque aptatum Pindari carmen mitigavit. Sic Tyrtæi numeri Spartanos, Argivos Telesillæ modi, Lesbios Alcæi cantus excitarunt. Sic & Polycratem Ramiis mitiorem reddidit Anacreon, ejusque tyrannidi Smerdiæ amorem, Cleobuli comam, tibiasque Bathylli, & Jonicos immiscuit cantus. Jam antiquiora his quid attinet dicere; Celeberrimus ille Orpheus, Oagri & Calliopes ipsius dicitur fuisse filius: qui in Thraciæ monte Pangæo natus putatur. Hunc Thracum populi incolunt, quos Odrysos dicunt, homines agrestes, latrociniis addicti, inhospitales. Sola tamen cantus voluptate deliniti, Orpheum tanquam ducem secuti sunt Odrysi. Hoc erat videlicet quercus & fraxinos ducere. Feritatem enim ignobilem eorum, quos hac capi voluptate videbant, inanimi contulerunt corpori poetæ. Alius in Bœotia citharædus erat præstantissimus, cujus artem non saxa, ut fabula vult, sequebantur (quomodo enim cantu strui posset murus?) sed bellica militarique modulatione in acie Bœoticam juventutem ordinabat: atque ita inexpugnabili muro Thebas cingebat. Qualem & apud Spartiatas suos excogitavit Lycurgus, qui tibiam pro duce militari juventuti in proeliis præire voluit. Illi pone sequebantur, & tripudiantes hostem invadebant. Talis fuit & Themistoclis tibia, qua ipsas Athenas in naves deduxit: ubi ad tibiæ modos remigabant alij, alij pugnabant: utrique vincebant. Huic choro Eleusiniæ applaudebant Deæ. Hinc tot illa victoriarum monumenta: hinc Laconica Atticaque trophæa mari terraque parta, cum inscriptionibus pulcherrimis erecta fuerunt. In hoc choro Lacedæmonij vincebant, huc Leonides docebat. Quid autem pluribus opus est, aut de Musica ultra agimus? Cum optima sit pacis administra, optima belli comes: optima Reip. socia, optima puerorum nutrix. Omnium namque sensuum velocissimus auditus est, omnium celerrimæ communicat, suisque eam convenire ac consentire cogit affectionibus. Quo fit ut animi vera à Musica alieni, quiq; quamvis voluptatis pro ea amplectuntur speciem, nunquam rectæ legis fiant participes. Et tamen Musicam dicunt, voluptatem eandem, non finis respectu, sed quod circa modulorum rationem utraque versetur. Non aliter quam si quis medicina, non qua sanitatem curat, sed qua in remediorum contemplatione occupatur, artem vocare velit.

Sic & Geometriam, nobilissimam tamen philosophiæ partem, plerique hominum non aliter quam vilissimam artem, vilissimoque fine, quatenus necessarius ejus usus videtur, admittunt; ut terram metiantur, murum attollant: quicquid denique mechanicis in ea artibus confert, nulla cæterorum ratione habita, usurpant: cum tamen non iste ejus sit usus. Absit vero. Nec enim minus terra habitabitur, nisi eam accurate pauperes aliquot distinguant agricolæ. Sed hæc vilissima tantum ejus pars est. At vero sicut remedia quædam visum oculorum acuunt, ita proprium illius opus est, vim quandam eximiam ad totius universi contemplationem intellectui nostro suppeditare. Quem quidem usum ejus pauci oppido viderunt unquam. Non aliter quam si mediterraneus homo, navem forte fortuna aliquam in portu videat, miratusque hoc inventum, interiores navis partes versare incipiat, nec alium ejus usum esse arbitretur. Huic credo homini ipsa operis inventrix Minerva responderet: Videsne mare illud latum, immensum diffusumque supra terram, quod illius fines conjungit: de quibus ante hac ne fando quidem audisti, quos ne visurum quidem te sperabas. Hactenus enim unum tantum singuli cognitum habuistis locum, sicut lustrum suum reptilia. Amicitia enim, commercia, rerumque quibus singuli abundant loci inter se commutatio, vix nomine tenus nota erant. Donec hoc inventum excogitavi vobis quod vocamus navem. Hoc namque vehiculum avis instar velociter sublatum quocunque volabit. Si dubitas, rei ipsa experire. Eodem modo & de Geometria, sive Minerva, sive alia aliqua Dea hunc in modum dicat: Agedum sursum specta. Videsne illud quod capiti nostro imminet spectaculum: illud tam pulchrum, tam varium, quod terram circuit, terram circumvolvitur: quod astris undique cinctum, quod solem, lunamque gerit? Illud quid sit ignoras, etsi te scire existimas. Ego vero, mi homo, cum in continenti vixeris hactenus, eo te deducam. Vehiculum enim tibi fabricabo levissimum: cum quo te Geometriæ tradam. Quæ primum in ipso portu te circumvehet, ut paulatim itineri assuescas, nec ad subitum maris conspectum nausees, aut tempestatem metuas. Vnde postea relicto portu in purum illud perviumque totius universi te deductura est mare: donec perveneris,

—— *Matutæ ubi limina pulchræ,*
Et choreæ & domus est, surgentisq; aurea Solis
Effigies,

Et lunæ lumen, aliorumque purissimorum illorum corporum. Quamdiu vero hæc nondum vidisti, veræ beatitudinis immunis es expersque. *Dissertatione 21.* An quidquam ad virtutem conferant artes liberales.

¶ Fabula.

De Psittaco ob artem experimendi verba humana, honorato. *Fab. 171.*

Psittacus in aula regis degens, interrogabatur à cæteris avibus, quid ita in magno haberetur honore? Quibus ille, quia, inquit, experimendi humanas voces artem edoctus sum.

Fabula nos admonet, ut bonas & liberales ediscamus artes si volumus ubique clari honorabilesque haberi. Abstemius.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Pius II. Pont. Max. Quanta res sit ingenuas pectus coluisse per artes, ut canit Ovidius, clarius est, quàm ut multis confirmemus: ne tamen ab instituto nostro divertamus, quanto in pretio apud viros magnos Artes ingenuæ habitæ, paucis comprobabimus. Pio II. Pontifici tanto in honore erant artium omnium moderatrices Bonæ literæ; ut cum de illis mentio incidisset, crebriùs in hanc vocem eruperit: *Plebeis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco literæ esse deberent.* Sciebat prudentissimus Pontifex, iis ingenium molliri, & solas eripi à nullo posse. *Platin. in Vita.*

Alphonsus Arag. Rex. Queri mecum etiam Alphonsus videtur, & ne prætereatur metuere. Ad summam quippe ejus laudem facit, quantus bonarum artium exstiterit indagator, recensere. Interrogatus aliquando, librisne, an armis majorem gratiam deberet; *Ex libris*, ait, *arma, & armorum jura didici.* insinuans se libris, & quæ in iis doctrinæ, acceptum referre, quidquid haberet industriæ: ac vero verius esse illud Nasonis:

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

Panorm. lib. 4. de Gestis ejusd.

Ladislaus: Quo tempore Fredericus Jmperialibus insulis à Nicolao V. Pontifice Romæ cingebatur, Ladislaus ætate non mente puer, clamitabat sæpiùs: *Homines mihi non videntur, qui bonas literas ignorant.* Judicabat, & id rectè, tum demum homines à brutis animantibus differre, quando animum honestarum disciplinarum vomere excoluissent. *Æn. Syl. lib. 3 Com. de Gestis Alph.*

Leo X. Pont. Max. Non tantùm liberalium Artium scientiam habuisse quibusdam gloriæ & laudi datur; sed & eam tempore & loco depromisisse. Exemplo sit Leo X. Pont. verus Musarum patronus, qui seriis & gravissimis suis negotiis gaudia quandoq; & ludicra interponens, versibus ex tempore cum Camillo Querno, qui se Archipoëtam jactabat, certare poterat. Dum namque mensæ Leonis de more ad stanti, pensum persoluere duorum carminum, foret imperatum; ilicò in hoc erupit:

Archipoeta facit versus pro mille poetis.

cúmque ad secundum hæsitaret, inexspectatò Leo hoc pentametrum subjunxit:

Et pro mille alijs Archipoëta bibit.

Quernus verò dum se recolligens subiiceret:

Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernum.

Leo repentè à Virgilio mutuatus, Quernum, quòd præ nimio potu podagricus esset, illudens, concluſit:

Hoc

Hoc etiam enervat debilitatque pedes.
Lævius in Elog. & Theatrum vitæ hum.

Eobanus Heſſus Poeta. Ille etiam cum Sinapio certamen iniit, uter diſtichon plurium pedum ex tempore depromeret; Sinapio hexametron proferente, EOBANUS ita orſus:

Mille boves paſcunt, vitulorum millia mille,
Muſca ſuper vitulum quemlibet una ſedet.

&, *En victor abeo,* inquit: *nihil enim refert metricine pedes eſſent, an verò ζωπυρὸι intelligerentur. Theat. vit. hum.*

Georgius Sabinus & Stigelius Poetæ: Ad convivium vocati, ab accumbentibus ut verſibus concertarent impulſi. SABINUS ætate & dignitate prior, cœpit:

Carmina conſcribant alij dictante Lyæo,
Multa ſit in verſu cura laborque meo.

quod STIGELIUS ſcitè excipiens, ac carmen invertens, ait:

Carmina conſcribant alij dictante cerebro,
Nulla ſit in verſu cura laborque meo.

quis non utrumque vitulâ dignum judicaverit? Ibidem.

Anonymus Germanus: Addam & aliud non minùs ingenioſum quàm facetum. Orta erat contentio inter quoſdam, an equeſtre ſtudium literario cederet; an verò è converſo. Equites mira in ſuum favorem adducunt: quæ reſumens, qui fors aderat, homo literarum non expers; *Quid,* inquit, *vos ipſi agnoſcitis equeſtre ſtudium inferius ſtudio literarum ideò enim abjectis caudis equinis, quas olim equites geſtare ſoliti, pennas bobus imponitis; easque in vertice alias inglorio, tamquam trophæum à literatis poſitum, ſtatuitis.* Pennas enim, ſcribendi artificium, joco interpretabatur. *Georg. Sab. lib. 13. Metamorph.*

Artium Mechanicarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chryſoſtomus:* Paulus erat contextor tabernaculorum: nemo ergo erubeſcat ex iis qui ſunt artifices: ſed ij, qui nihil agentes aluntur, & ſunt otioſi; qui multis uruntur miniſtris, & plus quàm dici poteſt, curantur, coluntur, & obſervantur. Perpetuò enim opus facientem ali, eſt genus philoſophiæ. Eorum ſunt animæ puriores: eorum ſunt mentes robuſtiores ac firmiores. Nam qui eſt otioſus, multa magis temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil operatur, multo veterno & corpore repletus. Qui autem verſatur in operatione, nihil citò admittit ſupervacaneum; neque in factis, neque in verbis, neque in cogitationibus: tota enim anima perpetuò eſt extenſa ad vitam laboriоſam. Ne ergo eos contemnamus, qui alûtur manibus, imò verò propterea eos beemus. Quæ nam enim quæſo eſt tibi gratia; quando à patre accepta hæreditate, perpetuò nihil agis, ſed omnia illa temerè conſumis? An neſcis non omnes eandem reddituros eſſe rationem: ſed eos quidem, qui ſecuriùs & in pluribus deliciis vitam egerunt, graviorem; eos autem, qui laboribus, aut paupertate, aut aliquo alio ejuſmodi fuerunt afflicti, mitiorem? Sunt autem hæc evidentia ex Lazaro & divite. Tu autem qui ad rem nullam otio es abuſus, jure accuſaris. Pauper autem, qui cum labore & diligentia quod ſuperfuit temporis in iis quæ oportebat conſumpſit, magnas aſſequetur coronas. At tu mihi affers militiam, & quòd in eo negotio ſis occupatus allegas. Sed à ratione aliena eſt hæc excuſatio. Cornelius enim erat Centurio: perfectum autem vitæ inſtitutum nihil læſit militare cingulum. Tu autem quando vacas ſaltatoribus & mimis, & in ſcena vitam perpetuò conſumis; nequaquam affers militiæ neceſſitatem, neque metum principum & magiſtratuum. Quando autem te vocamus ad eccleſiam, tunc innumerabilia affers impedimenta. Quid autem dices in illo die; quando videris flammam, & fluvios ignis, & vincula inſolubilia, & dentes audieris ſtridentes? Quis te in illo die defendet: quando videris opificem quidem, & qui rectè vixit, omnem gloriam aſſecutum; te autem, qui nunc es indutus ſericeis veſtibus, oleſque & ſpiras unguenta, pati graviſſima? Quid tibi proderunt divitiæ & rerum omnium copia? Quid verò opifici detrimenti afferet paupertas? *Homilia 5. ad Corinthios 1.*

Baſilius Seleuc: Opificis contumelia eſt operis vituperatio. *Oratione 6. m.*

S. Iſidorus Peluſiota: Tu quidem opus omne, quod manibus elaboratur, turpe ac probroſum eſſe exiſtimas, cùm alioqui utile ſit, atq; ad tuendam vitam conducat. At Mitylenæus Pittacus, quamvis rex eſſet, piſtrinum tamen manibus ſuis extruebat, ſimúlque & actuoſe ſe exercebat, & cibum operabatur. *lib. 1. Epiſt. 470.*

D. Nazianzenus: Coroplathos illos tuos & Telchinas minimè laudo, quibus artis æmulum inſectaris. quandoquidē uſus obtinuit, ut ejuſdem artis profeſſores, ἀλλοτέχνοι, id eſt artis æmuli atque adverſarij vocentur. *Epiſtola 61.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Xenophon: Quæ artes infimæ notæ ſunt, & adpellantur ſordidæ, infames ſunt, & merito in civitatibus non magni fiunt. Etenim corpora illorum, qui vel eas exercent, vel curant, corrumpunt: dum ſedere illos cogunt, & in umbra vivere, totoſque dies in nonnullarum operis adignem eſſe. Jam ſi corpora effœminentur, etiam animi longe debiliores redduntur. Eædem illiberales artes tantas habent occupationes, ut amicis & reipublicæ dari opera non poſſit. Quo fit, ut ejuſmodi homines ne amicorum uſui videantur eſſe commodi, nec tueri patriam poſſint. Etiam nonnullis in urbibus, maxime quæ bellis occupantur, ne quidem licet cuiquam civium ſordidas haſce artes exercere. *cap. 4. lib. 5. de Oeconomia.*

Lucianus: Nuper cùm ineunte adoleſcentia in ludum literarium ire deſiiſſem, pater meus qua me arte inſtrueret, unà cum amicis diſpiciebat. Pleriſque certè videbatur, Humanitas, & labore multo, & tempore longo, & ſumptu non exiguo, fortuna denique ſplendida opus habere: noſtras autem facultates cùm tenues eſſe, tũ celere quoddam auxilium poſtulare. Quòd ſi mechanicam aliquam artem didiciſſem, fore primùm ut ſtatim ab ipſa arte neceſſaria vitæ comparare, nec amplius domi, etiam adhuc adoleſcens, paternis ſumptibus viverem: deinde ut non multò poſt patrem exhilarem, quum ſemper iuſtam mercedem referrem. Hinc ſecundæ conſultationis caput eſt propoſitum, quænam ars optima, & ad diſcendum facillima, & libero homine digna eſſet: quæque minori ſumptu egeret, quæſtúmq; continuum ſufficeret.

Proinde alio, vel ex ſententia, vel ab experientia, aliam laudante; avunculum intuens (aderat enim is quoque ſtatuarius optimus, ſculpendo & poliendo marmore inter probatiſſimos artifices habitus,) non fas eſt, inquit aliam artem, te præſente potiorem haberi. Quare hunc abduc, (me demonſtrans) & acceptum doce lapides probè expolire, & coagmentare, ut in ſtatuarium præſtantē evadat. Poteſt enim & hoc, natura ut ſcis, præditus fœlici, ac dextera. Conitiebat hoc ex ludicris illis quæ ex cera confici bam, quum dimiſſus à præceptoribus, vel boves, vel equos, vel etiam homines, rectè per Jovem ut patri videbar, abraſa cera effingebam: quorum cauſa plagas à præceptoribus accipiebam. Tunc autem his laudibus ad excitandam ingenii dexteritatem me proſequebantur: & ex illa ad fingendum propenſione, omnes ſpem bonam concipiebant, fore ut brevi artem hanc addiſcerem. Simul igitur idonea videbatur dies auſpicandæ arti, & tradebar avunculo, rem per Jovem non iniquo admodum animo ferens. *tom. 1. de Somnio.*

Videantur plura titulo *Inſtitutionis, Educationis, Puerorum.*

Aruſpicinæ.

¶ SENTENTIÆ.

I*Oban Sarisberienſis:* Etſi lateant, ſuperſunt adhuc malo ſuo aruſpices. hos pro parte in extis animalium divinare prædictum eſt. extorum quidem cenſentur nomine, omnia quæ cutis extremitate teguntur. Vnde & illos qui in humerulis arietum, vel quorumcumque oſſibus animalium vaticinantur, eis connumerandos eſſe manifeſtum eſt. *lib. 2. Policratici cap. 27.*

Arrianus: Sic nec aruſpicem per ſeſe expetimus; ſed quod ejus opera nos res futuras, & ea quæ à Diis ſignificentur, cognituros eſſe opinamur. neque enim viſcera propter ſemetipſa, ſed quia portendendi vim habeant. neque etiam corvum admiramur aut cornicem; ſed Deum, horum opera res futuras ſignificantem. Accedo igitur ad explicatorem harum rerum & vatem, ab eoque peto, ut explicet, quid viſcera portendant, &c. *lib. 1. cap. 17. Epict.*

Plautus Pœnulo 3. ſc. 5. v. 47.

Eheu! quam ego habui ariolos aruſpices,
Qui ſi quid bene promittunt, pro ſpiſſo evenit:
Id quod mali promittunt, præſentarium eſt.

Conſulatur titulus *Divinationis.*

Arcis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Artibus fidit tyrannus, ſed ſuper vacaneè.
Arx receptaculum tyranni eſt, arx timor trux civium eſt.
Arx ubi eſt armata multo milite, rex ibi eſt malus.
Civium dilectio, arx eſt Regum inexpugnabilis.
In tuo arcem habere firmam tam nocet ſæpe ac juvat.
Ni Deus cuſtodit arcem, vana ea, & cuſtodia eſt.
Nil juvant caſtella vacua dote frumentaria.
Plebs ibi ſecura non eſt, arx quibus celſa imminet.
Regi inexpugnabilis arx eſt una, amor parentium.
Regum opes in arce non ſunt, ſunt in arca civium.
Si fides deeſt nec arces, arma nec proſunt duci.
Sponte caſtella igne perdas quæ tueri non queas.
Tam malum eſt habere arcem altam, non habere quam malum eſt.
Vſq; & uſq; arces potentum dira Erinnys incolit.

¶ Jambica.

Ab arce ſulmen omne Principum venit.
Arcem ex cloaca qui facit, multum facit.
Arx hoſtibus patet præcluſa civibus.
Arx cui placet, deſpectui eſt civilitas.
Firmiſſima arx eſt civium cuſtodia.
In arce non eſt tutus odio civibus
Minimè tuetur arx odioſum civibus.
Nil arx poteſt contra infideles ſubditos.
Quas arma non arces fatigant impia?
Spirat tyrannum fabricator artium.

Aſpectus.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGORUM.

D. *Chryſoſtomus:* Non enim ſi eos quos amamus, valere audiamus, æque lætamur ac ſi videamus, maximeque ſi id præter ſpem eveniat. *Homil. 9. ad Philippenſes.*

S. Iſidorus Peluſiota: Perpende diligenter, optime vir, ac videbis eum æquitate ac juſtitia refertum eſſe. Non enim dixerit, Qui ſimpliciter ac per tranſitum aliquam viderit, eámque concupierit, ut adulter punietur (ſic enim res irrita fuiſſet, ac nulla ratione nixa comminator) verùm, Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, hoc eſt, qui ex antecedente cogitatione libidinis affectum attrahit, qui nihil aliud operis ſibi proponit, qui ſine intermiſſione inſidiatur, atque aſſiduo proſpectu affectum fovet, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Particula enim iſta, Jam, omnibus, niſi qui perexigua & habeti mente ſint, perſpicuum illud facit, hæc verba de iis dicta eſſe, qui res eas aggrediuntur, quas nullo modo conſequi poſſunt. Quid enim, ſi illa & viro copulata ſit, & pudicitiâ præſtet, & à multis cuſtodiatur, quonam pacto ab amante facilè ſubigi queat? Meritò itaque dictum eſt, Jam mœchatus eſt: quia videlicet ab actione minimè abſtinuiſſet, ſi ea in ipſius poteſtate ſita fuiſſet. Niſi enim univerſum animæ robur amori ſuccubuiſſet, haudquaquam corpori quoque perſuaſum fuiſſet, ut continenter incederet, ac libidinoſis oculis affectum ſuum paſceret: quippe cùm multi etiam, quamvis amore teneantur, eas tamen, quas amant, cernere præ pudore minimè ſuſtineant. Quòd ſi gloriæ amor oculum comprimit, atque corporeum amorem ſuperat, multo profectò magis id divinus timor efficiet.

Quòd ſi dixerit quiſpiam, Quid igitur, ſi cùm actio in ipſius poteſtate ſit, tamen abſtineat? hîc reſponderim, Magna quidem certè ac divina quædam res iſtud fuerit, ac verè virginitatis argumentum. Atque hujuſmodi vir, etſi viderit, atque obiter vulnus acceperit, haud quaquam eam aſſiduè intueri ſtudebit, verùm quàm longiſſimè ſeſe removebit, ne continuus aſpectus materiam igni ſubminiſtret. Quòd ſi intueri ſtudes, eum per hujuſmodi aſpectum affectus prodit. Jam ſi continenter etiam aſpiciens, nullo incommodo hinc ſe affici contendat, à Jobo, viro omni laude præſtantiori coarguetur, his verbis utente, Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quòd ſi eum, qui diaboli vires concidit, minorem eſſe exiſtimet, quàm ut ſecum certare poſſit, hoc ipſo quoque nomine dignus fuerit, cui fides abrogetur, cùm ait ſe etſi cernere non deſinat, nullo tamen libidinis ſenſu affici.

Atque ut etiam eum vera loqui concedamus, tamen eundem divinum miraculum perperam interpretari conſtat. Non enim dixit, Vide quidem, at ne concupiſcas. Vel, Concupiſce quidem, at cupiditatem comprime. Quòd ſi eò quoque impudentiæ prorumpat, erubeſcat is oportet qui dixit. Vivo autem non jam ego, vivit autem in me Chriſtus. Nam qui hæc omni philoſophia præſtantiora verba protulit, quique divinarum gratiarum opes tanquam in fictili ærario circumferebat, anxius & ſolicitus erat, cùm hoc bellum ſibi ob oculos proponeret, ac dicebat, Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. Cùm igitur tantus vir carnis rabiem tanquam habenis quibuſdam cohibeat, unuſquiſque, oculos à mulieribus removendo, ſecuritatem ſibi comparare ſtudeat: ne alioqui materia igni admota flammam excitet. *lib. 3. Epiſt.* 11.

Idem: Simplicitatem tuam demiror, qui Evangelici quidem oraculi explicationem mirificè probaveris: reſcribens autem his verbis uſus ſis, Quid igitur ejus, quæ conſpecta eſt, refert, ſi is qui eam conſpexit, vulneratus eſt? Oportebat enim te iſtud cogitare, illam quidem quæ modeſtè atque honeſtè incedit, nec obuios quoſque aucupatur, omni culpa carere: eam autem, quæ luxu & deliciis diffluit, ac voluptatis retia expandit, & venenum miſcuit, vel maximè in culpa eſſe: Hæc autem idcirco à me dicuntur, qui ad ſolos maſculos hoc oraculum pertinere cenſuiſti, ignorans ad mulieres quoque ſpectare. Communes enim utrique ſexui leges ſunt, iis duntaxat exceptis, quæ privatim unicuique ſexui latæ ſunt. Quocirca, ſi illæ amoris aſpectu minimè tangantur, oraculum ad eas minimè pertinet: ſi autem ipſæ quoque huic affectui obnoxiæ ſunt, eas quoque hæc lex reſpicit. Vt enim iſtud, Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. & rurſum iſtud, Beatus vir qui timet Dominum, aliáque id genus, non de viris tantummodò, ſed etiam de mulieribus dicta ſunt (quòd videlicet per animal principatum obtinens, ad id etiam quod ſubeſt, referantur:) eodem modo per aſſiduum aſpectum ad concupiſcendum non incitari, utrique ſexui legis præſcripto indictum eſt. Non enim quod nonnulli efficere conantur, ut ex hoc Scripturæ loco, Mors viro requies, ſtrenuis duntaxat & fortibus viris, ac non item aliis, qui hominum nomine appellantur, mortem requiem eſſe demonſtrent, hoc id quoque exiſtimandum eſt. Primùm enim illud etiam futile acputidum eſſe videtur. Etſi enim mors, ut quæ laboribus finem imponat, ac præmia auſpicetur, fortibus ac ſtrenuis verè requies eſt (unde etiam de muliere forti dictum eſt, Mulierem fortem quis inveniet? Ac ne quis iſtud idcirco dictum eſſe exiſtimet, quòd nulla ejuſmodi inveniri poſſit, alio loco dictum eſt, Mulier fortis corona eſt viro ſuo. ac viri vocabulum fortitudinem ſæpè ſignificat:) at hoc loco de fortibus & generoſis clariſſimo viro Job ſermo non erat, verùm abſolutè de quovis homine, calamitatibus hiſce, quarum nullum exitum videat, transfixo atque oppreſſo. Quòd ſi quis mihi diffidit ex illius loci contextu facilè id intellexerit. Hoc enim continet: Quare data eſt miſero lux? & vita his qui in amaritudine ſunt? Deſiderant mortem & ea non potiuntur, ac lætitia exultant, ſi potiantur. Mors enim viro requies. Concluſit enim Deus adverſus eum. Quod perinde eſt ac ſi diceret: Cùm ingentes omni ex parte, quæque nulla ratione vitari queant, tentationes ſæviunt (quemadmodum alio quoque loco dixit, Præſidium ſuum adverſum me ſuſtulit) tum demum grata & votis exoptanda mors eſt. Quòd ſi propterea quòd dictum ſit viro, idcirco hanc interpretationem repudient, poſſunt quidem hinc convinci, ſi ipſis oſtendatur, viri vocabulum, non modò de viro, ſed etiam de muliere dictum eſſe (ἀνδροφόνος enim, id eſt, viricida dicitur, non ſolùm qui viro, ſed etiam qui fœminæ necem attulit: ἀνδριὰς item, id eſt ſtatua, non tantùm viri, ſed etiam mulieris ſimulachrum dicitur:) verùm iis omiſſis ut non admodum validis & efficacibus, à divinis oraculis eorum ſententiam obterere conábor. Quid igitur dixerint, ſi audiant, Vir flagitioſus ingreditur vias non bonas? Quid item cùm dicetur, Vir inſipiens non intelliget? Quid denique cùm illud rurſus audierint, Similabitur viro inſipienti? Nam ſi illic vir non hominem, ſed fortem ac generoſo animo præditum ſignificat, quonam pacto hoc loco flagitioſus, & inſipiens, & ſtultus dictus eſt? Verùm his miſſis factis ad inſtitutum accedam. Quandoquidem igitur & Legis mandata, & Evangelica oracula partim peccata prohibentia, partim beatitudines deſcribentia, & viris & mulieribus in commune dicta ſunt, proinde ipſæ quoque oculos cuſtodiant, ac velut injecto fræno reprimant, ne per impudicum affectum adulterarum pœnas ſubeant. Vt enim venerei congreſſus cupiditas par in utroque eſſe detur (ſunt enim qui viri, ſunt rurſus qui mulieris acriorem ac violentiorem eſſe aſſerant) at tamen ille ſerit, hæc ſeritur: ille gignit, hæc parit: ille agricolæ, hæc terræ locum obtinet. Quocirca in his rebus in quibus nec vir mulieris, nec mulier viri officiis fungi poteſt, privatæ leges poſitæ atque conſtitutæ ſunt. Vt enim lege ſancitum eſt, Non mœchaberis, nec vir ſolùm, ſi in eo crimine deprehenſus ſit, ſed etiam fœmina ſupplicio afficitur: eodem modo hîc quoque (præſertim cùm dictum ſit, Quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt in corde ſuo) cuivis perſpicuum eſt, mulierem etiam omnem, quæ cupiditatis cauſa virum conſpexerit, adulterium jam in corde ſuo commiſiſſe. *lib. 3. Epiſt.* 12.

¶ Philosophorum Oratorum, Historicorum.

Lyſias: Itaque haud conſentaneum eſt, ex ſolo aſpectu ad aliquem ſive amandum, ſive odio proſequendum adduci; ſed opera ſpectari oportet. *cap. 5 orationis pro Mantitheo 15.*

Epictetus: Cùm facis aliquid quod faciendum eſſe ſtatuiſti, nunquam recuſes id inter agendum conſpici; tametſi futurum ſit, ut vulgus de eo ſecus judicet. nam ſi perperam facis, rem ipſam fuge: ſin rectè, quid eos vereris, qui non rectè reprehendunt? *capite 57. Enchir.*

Heliodorus: Thyamis ipſam Charicleam ne aſpicere quidem ſæpius conſtituerat, ne aſpectus inflammaret vehemens deſiderium, quod illum excruciabat; atque ita aliquid contra ea quæ communi conſenſu decreta fuerant facere cogeretur. Thyamis ergo has ob cauſſas aſpectum virginis fugiebat; tanquam poſſibile non eſſet, ut ſimul aſpicere quis, & intra temperantiæ metas continere ſe poſſet. *libro 1. AEthiopicorum.*

Heliodorus: Charielea, verò planè victa eſt & mancipata amori, magis quàm prius, cùm iterum Theagenem vidiſſet. Amantium enim aſpectus, affectus recordatio ac redintegratio eſt; & in flammamentem conſpectus, perinde atq; ignis materiæ admotus. *libro quarto AEthiopic.*

Heliodorus: Quis tam furioſè videre & appropinquare Chariclæ contenderit, ut me curſu antevertat? cui verò perinde atque mihi aſpectus illius alas addere poſſit, & eum in ſublime rapere? An neſcis quod Amorem etiam alatum faciunt pictores; agilitate illorum qui eo detinentur, quaſi ænigmate quodam ſignificantes? *lib. 4. AEthiopicorum.*

Heliodorus: Enimvero præ omnibus me angit Achemenes ad Oroondatē profectus, aut perſuaſurus illi fortaſſe, aut non omnino credibilia

dibilia dicturus. Videam ego modò Oroondaten: unas blandicias & lacrimulam unam Arſaces non ſuſtinebit. Magnam ad faciendam fidem viris vim habent ac faſcinum, muliebres & familiares aſpectus. *lib. 8. AEthiopicorum.*

Tacitus: Meſſalina tamen, quamquam res adverſæ conſilium adimerent, ire obuiam & aſpici à marito, quod ſæpè ſubſidium habuerat, haud ſegniter intendit; juſſitque ut Britannicus & Octavia in complexum patris pergerent, &c. *lib. undecimo Annalium capite 32.*

Interim Meſſalina Lucullianis inhortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla ſpe & aliquando ira: tanta inter extrema ſuperbia agebat. Ac in cædem ejus Narciſſus properaviſſet, verteret pernicies in accuſatorem. nam Claudius Imp. domum regreſſus & tempeſtivis epulis delinitus, ubi vino incaluiſſet, iri jubet nunciarique miſeræ. (hoc enim verbo uſum ferunt) dicendam ad cauſſam poſtera die adeſſet. quod ubi auditum, & langueſcere ira, & redire amor, ac ſi contarentur, propinqua nox & uxorij cubiculi memoria timebantur. prorupit Narciſſus denunciatque tribuno exequi cædem, ita Imperatorem jubere. *cap. 37.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 4. ſc. 9. ℣. 84.

Pudet prodire me ad te in conſpectum pater,
Tantum flagitium te ſcire audîvi meum.

Seneca Thebaides verſu 9 loquitur Oedipus.

Non video noxia conſcium noſtræ diem;
Sed video.

¶ Monoſticha Trochaica.

Æſtimari nos putamus toties, quoties adſpici.
Conſcientiæ haud attendit, conſulit qui adſpectui.
Contra fortuita adſpectu Rex cives refovet ſuos.
Decipit frons prima multos: rara mens ad cor venit.
Neſcio quomodo inter ſeſe animorum cernunt lumina.
Non peccant, Deo videri qui ſciunt vitam ſuam.
Quidquid cernitur per udum vero longè eſt amplius.
Spreta ſæpè, dum conſulitur adſpectui, conſcientia.
Subtraxit oculos juſſit que ſcelera, haud ſpectavit Nero.
Vix videmus ingeſtum oculis quidquid mente fugimus.

¶ Jambica.

Adſpectu ab ipſo omnis libido naſcitur.
An quis in amorem incidere adſpectu uno poteſt?
Beatus eſt qui vivere in publico poteſt.
Fortuna magna oculis pateſcit omnium.
Impunè nemo vidit, quod non debuit.
Latere multi hominem queunt, nemo Deum.
Prodeſt juventa ſæpè à ſenibus adſpici.
Quemcunque vult animus quotidiè conſpicit.
Quis audeat peccare coram Socrate?
Quis eſt qui aperto vivere auſit oſtio?
Sic cuncta age, ac te ſi quis adſpectaverit.

Videantur plura titulo. *Acceptio perſonarum, Amor Veneris, Vultus, Frons, Facies.*

Aſſentationis.

¶ SENTENTIÆ.

Philoſtratus: Qui in viros bonos convitia conijcit, invidiæ ſuſpitionem evitare non poteſt: qui autem aſſentando pravos laudat, ipſe delictorum quæ ab eis fiunt, culpam feret, pravi etiam ſi laudentur deteriores evadunt. *lib. 7. Apollonij cap. 2.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 1. ſc. 3.

Nequiter penè expetivit prima paraſitatio.

Plautus Moſtellar. 1. ſc. 3. ℣. 20.

Nolo ego te aſſentari mihi. S. *nimis tu quidem ſtulta es mulier!*
Eho! mavis vituperari falſò, quàm verò extolli?
Equidem pol vel falſo tamen laudari multo malo,
Quàm vero culpari, aut alios meam ſpeciem irridere.
P. Ego verum amo: verum volo mihi dici: mendacem odi.
S. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venuſta es?

Plautus Pſeudolo 4. ſc. 1. ℣. 34.

Vt ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo, & metuo, & magnifacio!
Ego iſtuc alijs dare condidici: mihi obtendere non potes palpum.

Terentius Eunuchi 2. ſc. 2.

Dij immortales! homini homo quid præſtat? ſtulto intelligens.
Quid intereſt: hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atq; ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona:
Video ſentum, ſqualidum, agrum, pannis annisq; obſitum.
Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? quoniam miſer, quod habui, perdidi.
Hem! quo redactus ſum! omnes noti me atq; amici deſerunt.
Hic, ego illum contempſi pra me, quid homo, inquam, ignavißime?
Itane paraſti te, ut ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?
Simul conſilium cum re amaſti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, veſtitus, qua habitudo eſt corporis?
Omnia habeo, neq; quidquam habeo. nil cum eſt, nil deſit tamen.
At ego infelix, neq; ridiculus eſſe, neq; plagas pati.
Poſſum. Quid tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quæſtus apud ſeclum prius.
Hoc novum eſt aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector; his ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul:
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis? nego. ait? aio. poſtremo imperavi egomet mihi.
Omnia aſſentari: is queſtus nunc eſt multo uberrimus.
P. A. Scitum hercle hominem! hic homines prorſum ex ſtultis inſanos facit.
G. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi advenimus,
Concurrunt læti mihi obuiam cupedinarij, coqui,
Lanij, cetarij, ſartores, piſcatores, aucupes,
Quibus & reſalva & perdita profueram, & proſum ſæpe:
Salutant, ad cænam vocant; adventum gratulantur.
Ille ubi miſer famelicus videt me eſſe in tanto honore,
Et tam facile victum quærere; ibi homo cæpit me obſecrare.
Vt ſibi liceret diſcere id de me, ſectari juſſi;
Si potis eſt, tanquam Philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis
Vocabula paraſiti itidem ut Gnathonici vocentur.
P. A. Viden otium & cibus quid faciat alienus!

Terentius Eunuchi. 3. ſc. 2

Tace tu, quem ego puto infra omnes infimos
Homines. nam qui huic animum aſſentari induxeris,
E flamma te petere cibum poſſe arbitror.

Guntherus lib. 3. ℣. 596.

—— *Non eſt ait, optime fili,*
Hæc in gente novum, nec res miranda videtur
Fraudibus occultis blandè palpare potentes,
Principibusq; ſuis argutam oſtendere vulpem.
Hoc vitium gentile tenet; ſic vivitur iſtuc.

¶ Fabula.

Phædrus Fab. 13. Vulpes & Corvus.

Qui, ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Ferè dat pœnas turpi pœnitentia.
Cùm de feneſtra Corvus raptum caſeum.
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpes, de hinc ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor,
Hac re probatur quantum ingenium valet,
Virtute & ſemper prævalet ſapientia.

Cicada & Vulpes.

Cicada procera in arbore canebat: Vulpes autem eam devorare cupiens, tale quid commenta eſt. coram ſtans, ejus admirata concentum, hortata eſt ut deſcenderet: optare ſe aiens, quantum ſit animal illud tam ſonorum intueri. illa ſuſpicans dolos, ait; ſed heus tu falleris, ſi me deſcenſuram arbitraris: ex inde enim à vulpibus caveo, ex quo in vulpino latibulo cicadæ alas intuita ſum. *AEſopus.*

Alia his ſimilia petenda è titulo *Adulationis, Paraſiti.*

Astrorum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Astra dux si nescit, ipsis sæpe copijs nocet.
Astra item mortalcis inter ambulant interdius.
Astra iter salo facientes aut solo hominem illuminant.
Astra prædicant futurum, sed quotus nostrum capit?
In fœdeam cadit ferè astradum contemplatur Thales.
Quei Deum norit cui astra nota non sunt ætheris?
Siderum ortus atq; casus noscere utriq; est & ducum.
Vtilis bello ars quoq; astra nosse vimque temporum.

¶ IAMBICA.

Chaldæus artes sæpe nescit quas docet.
Cognoscere astra plurimum prodest duci.
Non cuilibet suæ siderum peritia est.
Non est ad astra mollis è terris via.
Non mentiuntur astra, sed ipse tu tibi.
Non novit astra qui sq; nosse qui autumat.
Trahunt quidem blandè astra, non necessitant.

Astrologię.

¶ OPINIONES GRÆCORVM LATINORUMQUE.

Lvcianus: De cœlo, déque astris agit hic libellus: non de ipsis quidem astris, non de cœlo, verùm de divinatione ac veritate, quæ ab illis in hominum vitam proficiscitur. Hic autem tractatus, neque præcepta continet, neque doctrinam profitetur, quo pacto divinationem hanc assequi liceat. Sed illud queror, doctos omnes cùm in cæteris omnibus exerceant sese, suisque omnibus tradant, solam Astrologiam nec habere in pretio, nec exercere. Atqui hoc doctrinæ genus vetustum est, neque nuper ad nos pervenit: sed inventum est priscorum regum, quos Dij amabant. At hujus ætatis homines non solùm inscitia, socordiaque, verùm etiam odio laboris, diversa ab illis sentiunt. Cumque fortè inciderint in eos qui falsa prædicunt, astra culpant, & Astrologiam ipsam oderunt, quam neque sanam, neque veracem putant, sed falsam, & inanem: non rectè ut mihi quidem videtur, sentientes. Neque enim ob imperitiam fabri, ars ipsa culpatur: neque ob cantoris inscitiam, Musica ipsa est inerudita, quin illi potiùs artium sunt ignari, quarum unaquæque suapte natura scita est. Primùm igitur Æthiopes hanc rationem mortalibus tradiderunt. In causa fuit, partim ejus gentis sapientia. Nam inter cætera, reliquos homines sapientiâ superant Æthiopes: partim regionis quam incolunt opportunitas: nam perpetua cœli serenitate, & tranquillitate obducuntur, nec anni mutationes patiuntur, sed eadem temperie fruuntur. Itaque cum viderent Lunam non eodem semper vultu apparere, sed variam fieri, & in aliam subinde formam verti, visa est ea res admiratione & disquisitione digna. Deinde cùm inquisissent, repererunt hanc esse earum rerum causam, quòd Lunæ non esset lumen proprium, sed à sole mutuatum. Invenerunt etiam aliarum stellarum motus, quas errones appellamus, nam stellarum hæ solæ moventur: præterea naturam earum, ac potestatem, & effectus quos unaquæque præstat. Quinetiam nomina ipsis indiderunt, non quæ essent utcunque nomina, sed rerum signa, quemadmodum putabant. Hæc igitur in cœlo perceperunt Æthiopes: postea finitimis Ægyptijs imperfectam artem tradiderunt. Porrò Ægyptij divinandi rationem quam ab illis dimidiatam acceperant, in majus provexerunt: quippe qui mensuram etiam, ad quam unaquæque stella movetur indicarint. Ad hæc annorum, mensium, ac temporum numerum instituerint. Atque hi quidem luna, ejúsque conversione menses metiuntur: annum verò sole, ejúsque circuitu definiunt. Illi etiam his majora commenti sunt.

Nam ex universo cœlo, reliquisque stellis, inerrantibus, & fixis, neque se simul moventibus, duodecim partes effecerunt in his etiam quæ moventur, & unamquamque suis animantibus repræsentarunt, partim marinis, partim hominibus, partim feris, partim volatilibus, partim pecudibus. Vnde & sacra Ægyptiorum variè fiunt. Neque enim omnes Ægyptii ex omnibus partibus divinabant: sed alijs alij vtebantur partibus. Itaque arietem colunt, qui ad arietem spectant, piscibus non vescuntur, qui pisces annotarunt. Nec hircum occidunt, qui Capricornum noverunt: & alij alia, prout singuli venerantur. Quinetiam Taurum in cœlestis tauri honorem colunt. Nam Apis apud illos, res in primis sacra, regionem depascitur: & qui eam incolunt partem, oraculum quoque dicarunt, signum videlicet divinationis, quam à cœlesti tauro petunt. Nec multo pòst Libyes quoque artem hanc sunt aggressi: siquidem & oraculum Ammonis quod est apud illos, ad cœlum, & hujus sententiam refertur, juxta Ammonem, quem illi arietis specie fingunt. Calluerunt hæc omnia & Babylonij, atque hi quidem affirmant se primos omnium fuisse. Verùm ut existimo, multo posterius ad istos scientia pervenit. At verò Græci, nec ab Æthiopib⁹, nec ab AEgyptijs de Astrologia quicquam audiuerunt: verùm illis Orpheus Oeagro Calliopéque prognatus, primus ista memoravit, non ille quidem admodum dilucidè, neque rem in lucem produxit, sed sententiam præstigijs ac mysticis involucris obtexit. Nam concinnata lyra Orgia celebrabat, sacráque cantiones decantabat. Porrò lyra cùm septem haberet chordas, concentum mobilium stellarum repræsentabat. Hæc cõquirens, atque hæc agitans Orpheus, omnia demulcebat, omniáque vincebat. Neque enim lyram illam spectabat, neq; illi musices alterius studium erat: verùm hæc magna illa Orphei lyra. Quibus rebus Græci honorem tribuentes, locum illi in ipso cœlo designarunt, & complures stellæ Orphei lyra vocantur. Quòd siquando videris Orpheum, vel saxo expressum, vel coloribus effictum, sedet in medio canenti similis, lyram manibus tenens. Circum hunc animantium innumera multitudo, inter quæ & homo, & taurus, & leo. Cùm horum singula videris, horum quæso memineris, qualis illius sit cantus, qualis lyra, qualis taurus, qualis leo Orpheum audiant. Quòd si corũ quæ dico, causas intelligas, tũ & in cœlo horũ unũquodq; contemplator.

Fertur autem & Tiresias, genere Bœotius, divinandi gloria fuisse multum celebris. Hunc Tiresiam apud Græcos ajunt dixisse, stellarum errantium alias esse fœminas, alias mares, nec eadẽ efficere. Vnde eundem Tiresiam anciputi quoque sexu fuisse fabulantur, nunc fœminam, nunc marem. Porrò Atreo & Thyeste de paterno regno decertantibus, jam tum maximam Astrologiæ, cœlestísq; doctrinæ curam fuisse Græcis palam est. Ac publico consensu statuerunt Argivi, ut uter scientia præcelleret, is imperio potiretur. Ibi Thyestes arietem illis in cœlo demonstravit, atque hinc aureum arietem Thyestæ fuisse proditum est fabulis. Atreus verò Ile sole, déque vario illius exortu loquutus est, ostendens non eodem modo ferri solem & mundum, sed contrario inter se cursu rapi: & qui nunc videtur occasus, cùm sit occasus mundi, solis exortum esse. Hæc loquutum, Argivi regem creârunt, magnámq; doctrinæ laudem est assequutus. Equidem & de Bellerophonte similia sentio. Nec allatum illi fuisse equum admodum credo: verùm arbitror illum disciplinam hanc sectantem, sublimiáq; cogitantem, & inter astra versantem, in cœlum non equo ascendisse, sed animo. Eadem de Phryxo Athamantis filio dixerim, quem aureo ariete per aërem vectum fabulantur.

Quin & ipsum sanè Dædalum Athenien sem, etiamsi res est nova auditu, tamen haud existimo eum ab Astrologia fuisse alienum: sed & ea maximum usum esse, eandémq; perdocuisse filium. At Icarus cum juventutis calore & superbia, non facilia disquireret, sed ad ipsũ usque polum animo tolleretur, à veritate excidit, toráque arte aberravit, & in mare rerum immensæ profunditatis præceps decidit. De quo Græci secus fabulantur, qui ab ipso sinum ejus maris Icarium temerè vocant. Forsitan etiam Pasiphaë, cùm de tauro qui apparet inter astra, déque Astrologia loquentem Dædalum audivisset, in artis amorem incidit: unde factum existimant, ut illam Dædalus tauro copularit. Sunt autem qui scientiam in portiones partiti, in singulis partibus singuli elaborarint, alii quæ ad Lunam, alij quæ ad Jovem, alij quæ ad Solem pertinent congerentes, neque non cursum ac motum, vimque illorum. Atque Endymion Lunæ rationem tradidit, Phaëthon solis cursum deprehendit, non certò quidem, sed imperfectam artem moriens reliquit.

Hæc qui ignorant, Solis filium Phaëthontem putant, fabulámque de ipso haudquaquam veram narrant: adisse Solem patrem, ac postulasse ab eo ut sibi liceret lucis currum moderari: illum concessisse, & qua ratione aurigandum esset monuisse. Phaëthontem verò conscẽso curru, ob ætatem, & imperitiam, modò terræ propinquum, modò procul ab ea in sublime evectum, aurigam egisse, interim homines frigore atque æstu intolerabili confectos fuisse. Ob hæc indignatum Jovem ingenti fulminis telo percussisse Phaethontem. Quem dejectum sorores magno luctu prosequebantur, donec immutarent formas. Atq; nunc hæ sunt populi, & lachrymarum vice, quibus fratrem deplorabant, electrum destillant. Nequaquam hæc ita gesta sunt, neq; ipsum his habere fidem, neq; Soli filius fuit, neq; illi filius interiit. Sed & alia multa fabulosa Græci narrant, quibus non admodum credo. Nam qui pium sit credere AEneam fuisse Veneris filium, Minoem Jovis, Ascalaphum Martis, Autolycum Mercurij? Verum quisq; horum Diis chari fuerunt, quos nascentes, hunc Venus, illum Jupiter, alium Mars respiciebat. Etenim quicunq; in generatione præsident hominibus, ij veluti parentes, omnia sibi similia producunt, colore forma, factis, animo. At rex quidem Minos Jovis auspiciis, AEneas formosus Veneris favore est natus, fur verò Autolycus: quæ furacitas illi ex Mercurio contigit. Jam verò nec Saturnum Jupiter in vincula conjecit, nec præcipitem in Tartara dedit, neq; cætera machinatus est, quæ putant homines. Verùm Saturnus externo motu fertur procul à nobis: segnis illi motus, nec hominibus animadversu facilis: quam ob causam illum veluti vinctum stare dicunt. Cæterùm ingens aeris altitudo Tartarus appellatur.

Sed potissimùm ex Homeri poetæ Hesiodíq; carminibus liceat intelligere priscorum fabulas cum Astrologia consentire. Quum autem Jovis catenam narrat, ac Solis jacula, hæc utique dies esse dixit, déque detectione, haud aliunde quàm ex hac scientia sunt conficta,

confícta, quandoquidem Veneris & Martis concursus, Homericæ cantilenæ præbet argumentum : in aliis autem versibus utriusque effectum descripsit: Veneris, quum ait,

Tute Venus jucunda magis connubia cura:

belli verò,

Cuncta cito hæc curæ fuerint
Marti atque Minervæ.

Quæ cùm intelligerent vetereſ illi, maximè divinationibus utebantur, nec eam otiosam esse putabant, adeò ut nec urbes conderent, nec mœnia circunducerent, neque quenquam occiderent, neque ducerent uxores, priusquàm de singulis à vate responsum accepissent. Etenim nec ipsa oracula ab arte Astrologica erant aliena. Verùm apud Delphos virgo prædicendi munere fungitur, & cœlestem virginem denotat. Ac Draco sub tripode vocem edit, quoniam & inter stellas draco conspicitur. In Didymis verò est templum Apollinis, & hoc sicuti mihi videtur, à cœlestibus illis Geminis denominatur. Vsque adeò verò Divinatio visa est illis res sacra, ut Vlysses etiam: cùm errando fessus vellet certò de rebus suis cognoscere, ad inferos penetrarit, non quò videret umbras, & locum inamœnum, sed quòd cuperet cum Tiresi a colloqui. Qui simul atque ad locum pervenit, quem Circa monstrarat, foveam fodit, oves mactavit, cumque complures adessent umbræ, atque inter has matris quoque, sanguinem bibere cupientes, non prius permisit ulli, ne matri quidem, quàm Tiresias gustasset, & sibi vaticinium edere coëgisset: potuitque interim matris umbram videre sitientem.

Lacedæmoniis autem Lycurgus omnem Reipubl. administrationem ex cœlo instituit, legémque tulit ne in bellum prodirent unquam ante plenilunium. Non enim existimabant eandem esse, civitatis administrationem crescente luna, & evanescente, cùm ab ea regantur omnia. Porrò Arcades solis hæc non receperunt, nec in precio habuerunt Astrologiam, sed quæ illorum est imperitia & stultitia, ajunt se Luna esse antiquiores. Nostri majores igitur, usque adeò fuerunt Astrologiæ studiosi. Hujus verò ætatis homines, alij dicunt fieri non posse ut homines finem Artis divinandi inveniant, cùm ea neque certa sit, neque vera, neque Mars aut Iupiter nostra causa in cœlo moveatur, sed neque rerum humanarum curam ullam gerant, neque quicquam cum his commercij habeant: verùm per se motus necessitate circumagantur. Alij dicunt Astrologiam non mendacem quidem, at inutilem esse. Non enim mutari vaticinio, quæcunque decreta fatis instant. At ego sanè utrisque respondere possum, stellas in cœlo suo quidem motu volui: cæterùm obiter ejus motus effectum ad nos pervenire. An vis currentis equi, & avium, & hominum motu lapides subsilire, stipulásque moveri ventis cursu concitatis, cæterum vertigine syderum nihil aliud effici? Tum ab igni exiguo calor ad nos permanat neque nostra tamen causa quicquam ignis urit, neque illi curæ est noster æstus: ab astris autem nihil ad nos defluit? At sanè fieri non potest ut per Astrologiam ex malis bona faciamus, neque earum rerum quæ ab illis ad nos demanant, quicquam mutemus. Sed hanc utilitatem ars affert utentibus. Bona multò antè delectant eos, qui ventum præscierint. Quæ verò non imprudentibus accidunt, facilè accipiuntur. Neque enim in illos irruunt: sed quia cogitata sunt & expectata, levia, mitiáque videntur. Hæc mea est de Astrologia sententia. *tit. Astrologiæ.*

Iulius Firmicus: Et primum quidem vellem, ut profiteretur iste vehemens Mathematicorum accusator, qui artem istam tam elata oratione persequitur, Vtrum nam ceperit aliquod ipsius scientiæ experimentum, an sciscitanti ei, nemo vera responderit, an vero aspernatus audire, & sperans aures suas, istis responsionibus pollui, severus, & vehemens, & totius quodammodo divinitatis jura perturbans, argumẽtorum suorum aculeos, licentia exercitati sermonis exacuerit. Si quærenti ei vera responsa sunt, & respondentis sententiam fides secuta est veritatis, cur notat, quod admirari debuerat? cur divinam scientiam, proditoris animo, perfidus accusator impugnat?

Si verò erraticis responsionibus is qui Mathesin se scire profitebatur, non potuit implere, quæ dixerat, sed responsa ejus, mendacia promissionis immacularunt, imperitia tantum illius, temeritasque, non Mathesis ipsa pulsanda est, & fallax infamanda promissio, omni enim malo dignus est, quod per illum fiat, ut tam præclaræ artis studium, falsis responsorum mendaciis obumbret. Qui vero quærere aliquid aut audire noluit, nec judicium aurium suarum, vera responsa dentibus commodavit, veritus scilicet, ne rigidas cogitationes suas, fides veritatis infringeret, inique facit, si notandum putat, quicquid potuit, vel non potuit obtusa mentis intentione percipere: Injusti sunt enim semper (sicut novimus) judices, quid de incognitis sibi, pronunciant rebus: non habent etiam judicandi autoritatem, qui ad statuendum aliquid imperita licentia temeritatis adducuntur, neque ad effectum sententiæ, in exanimatis partis allegationibus, proferuntur.

Vnde si impugnatis, qui à prudentissimo Mathematico, & audivit aliquid, & credidit, & probavit, malicioso mentis instinctu, & pugnaci studio, notabilia contradicendi vota concepit. Si vero interroganti ei imperitus professor falsa responsa dedit, non Mathesis, sed hominis fallax, ac temeraria notetur insciti a. Qui vero, nec audire voluit, nec judicare, frustra sibi pronunciandi vendicat partes, quia ejus rei, cujus experimentum capere noluit, non est idoneus, ut possit notare substantiam. Quod vero nos in isto studio quidam, oppositæ scientiæ ejus difficultate, deterrent, libenter amplectimur. Vere enim sunt res arduæ, atque difficiles, & quas non facile possit animus, terrenis sordium laqueis impeditus, licet ipse ignea sit divinitatis immortalitate formatus, facili inquisitionis ratione percipere. Divinitas ejus, quæ sempiterna agitatione sustentatur, si in terreno corpore fuerit inclusa, jacturam quandam divinitatis suæ patitur temporalem, cum vis ejus, atque substantia conjunctione, & societate terreni corporis, & assidua dissolutione immortalitatis, hebetetur. Vnde fit, ut omnia, quæ ad investigationem divinarum artium pertineant, difficili semper vobis cognitione tradantur. *lib. 1. cap. 2. Astron.*

Iulius Firmicus: Cur inquit, omnes in Æthiopia sunt nigri? in Germania candidi? si figuras hominibus, & colores, stellarum cursus, diversa radiationis commixtione largitur? Oportebat nos quidem in ista quæstionis parte, copiosa oratione pugnare, ut astuta, & calumniosa commenta, adulti sermonis viribus vincerentur: sed coartavimus omne dicendi studium, solis veritatis viribus, ne copiosæ orationis illecebris, affluentiaque sermonis, & argumentationis licentia, captas judicantium aures, ad falsarum opinionum ineptias transferamus. Et primum quidem vellem ut is quærenti mihi respondeat, an in hoc ipso populo, in quo nunc constituti sumus, una sit omnium hominum, similisque forma, licet sit omnium una natura. Opinor, hoc eum esse dicturum, quod cives nostri omnes, dissimili sint vultus varietate formati, nec eadem sit omnium, similisque forma. Et si dubitat, quod non opinor aspiciat, cum in unum se locum, totius populi multitudo collegerit, quod in theatris, vel concionibus fieri consuevit, & oculorum suorum aciem, judiciumque, ad formam totius transferat turbæ, & ostendat mihi (si potest) duos saltem aliquos, in tantis millibus hominum, qui iisdem, ac similibus membrorum lineamentis videantur esse formati.

Prodeant simul patres, liberi, fratres: cum enim sit unico omnium necessitudo sanguine juncta, diversa tamen formarum designatione cernuntur. Nec invenitur aliquis, ita similis, ut non vultus ejus, ab alterius vultu ex aliqua parte dissentiat. Vnde constat, generis quidem nostri substantiam, & ipsam nudi, ac solius corporis formam, ex quatuor elementorum commixtione, providi numinis artificio esse formatam: Colores vero nobis, ac formas, mores etjam, & instituta, de nulla re alia nisi stellarum perenni cursus agitatione distribui. Habent enim stellæ proprium sensum, divinamque prudentiam, nam puto divinitatis animatæ conceptu, summo illi, ac rectori Deo, qui omnia perpetuæ legis dispositione composuit, ad perennis procreationis custodiendum ordinem, infatigabilibus consensionibus obsequuntur. Nec enim est aliquis homo, quem tam sacrilego desperatio temeritatis exagitet, ut in terra, ubi omnia videt esse mortalia, dicat esse prudentiam, illic vero, ubi omnia immortalitatis perpetuitates ornantur, non prudentiam esse, non rationem, aut provisionis ordinem, obstinata mentis animositate definiat.

Quis dubitat? quod per has stellas, terrenis corporibus, divinis ille animus necessitate cujusdam legis, infundatur? cui descensus, per orbem solis, tribuitur, per orbem vero Lunæ, præparatur ascensus. Mens enim illa divina, animusque cœlestis, per omne mundi corpus, in modum circuli collocatus, & nunc intrinsecus, nunc extrinsecus positus, cuncta regit, atque componit, & propria originis generatione conceptus, se ad procreanda, & conservanda omnia, ignita, ac sempiterna agitatione perpetuat, nec hoc officium aliqua fatigatione deponit, ut seipsum, atque mundum, omniaque quæ intra mundum sunt, perpetua sui, atque infatigabili mobilitate sustentet.

Ex hoc animo, hi sempiterni stellarum ignes, qui globosæ rotunditatis specie formati, circulos suos, orbesque, celeri festinatione perficiunt, majestate divinæ illius mentis animati, partem animi, ad terrena corpora transferunt, & spiritum ex illis perpetuis animi fomitibus mutuantur. Hac ratione immortalis animus in nobis caducam terreni corporis fragilitatem, confidentia suæ majestatis exornat, ut ipse autori suo, originique, ex aliqua parte respondeat. Qui diffusus per cunctos animantes, qui terrena conceptione gignuntur, facit, ut divino animati fomento, perpetua generationis propagatione vigescant. Quare nunc, cum simus cum stellis quadam cognatione conjuncti, non debemus eas sacrilegis disputationibus, propris privare potestatibus, quarum quotidianis cursibus, & formamur pariter, & creamur.

Vnde, quod tu, per nos fieri posse definis, ut homines, à cultu deorum, religionumque, profano mentis furore, revocemus, qui omnes actus nostros, divinis stellarum dicimus cursibus confici, falleris, & contrarium putas, & à vera nimium ratione dissentis. Nos enim timeri deos, nos coli facimus, nos numen eorum, majestatemque monstramus, cum omnes actus nostros, divinis eorum dicimus agitationibus gubernari. Colamus itaque deos quorum se nobis origo, stellarum perenni agitatione conjunxit, & majestatem eorum, gens humana, supplici semper veneratione suspiciat. Invocemus suppliciter deos, & religiose promissa numinibus vota reddamus, ut confirmati animi nostri divinitate, ex aliqua parte, stellarum violentis decretorum potestatibus resistamus. Hoc debere non facere, vir divinæ sapientiæ Socrates docuit. Nam cum quidem ei de moribus suis, cupiditatibusque dixisset, quas ille simili ratione collegerat. Sunt, inquit (ut dicis) agnosco, confiteor,

& vir prudentissimus, latentia corporis vitia, facili confessione detexit, sed hæc, inquit, omnia, à me, prudentiâ, ac virtutum autoritate, superata sunt, & quicquid vitij ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi conscientia divinitas temperavit. Hinc intelligi datur, stellarum quidem esse, quod patimur, & quod nos incentivis quibusdam stimulat ignibus, divinitatis vero esse animi, quod repugnamus. Nam quod ad leges pertinet, quibus peccata hominum, severa correctione plectuntur, eas recte prudentissima constituit antiquitas. Animo enim laborantia, per eas opem tulit, ut per ipsas, vis divinæ mentis, pernicioſa corporis vitia purgaret. Sed jam ei, qui ad istam nos necessitatem quæstionis adduxit, dilata responsione ea, quæ de moribus, & coloribus parabatur, cujus fundamenta, ex aliqua parte jacta sunt, ostendamus etiam leges potestati fatorum necassitatique servire, & hoc eas semper facere, quod fatorum decrevit autoritas. Quod ut probemus, longiora repetere debemus exempla.

Ecce ille juvenis, integer viribus, dives, innocens & modestus, nullo domestici facinoris exagitatus impulsu, nulla timoris trepidatione compulsus, laqueo se suspendit, & perdidit. Alterius jam palpitantis, laqueum rupit inimicus: & qui se ob dedecus vitæ, morti, propria animadversione, dederat, soluto laqueo, judicantis sententia liberatur. Quis hoc alius, nisi vis fati, necessitasque perficit? ut ministri necis, qui ad exhibendum reum fuerant destinati, oppressum malis suis hominem, & conscientiæ animadversione damnatum, & medio imminentis mortis periculo liberarent? Ille rursus, cui omnes innocentiæ testimonium perhibebant, stricto gladio, tanquam cogeretur, incubuit, & minacem mucronis aciem, cossis innocentibus condidit. Ille vir integer, sobrius, ac pudicus, cujus vitam semper sumus instituturi mirati, ecce per præcipitia projectum corpus, flebili lacerazione dispersit: Ille autem justus, vitam suam misera mendicatione sustentat. Ille vero, quem famosi sceleris maculavit infamia, felicibus sublevatur augmentis, & maximis honorum cumulatur insignibus. Ecce pirata, post infinitas innocentium neces, in cruento signu, felices suscipit filios. Ille autem innocens, & ab omni scelerum contagione semotus, ab omni felicitatis munere scelestorum hominum separatur invidia. Cui hæc tribuis? quis ita fieri permittit? cui tantum de nobis licuit? Da manus, & aliquando istis nos contentionum conflictationibus libera, ut hæc omnia, quæ fragilis, & caduca consuevit ferre mortalitas, fortuitis stellarum cerni cursibus, etjam tua confessione confirmes. Quid de honoribus malorum, ac fuga, exiliisque bonorum dicemus? Vides illum servilibus maculis infectum, sordes, ac labem generis sui, consularium fascium nobilitate protegere? Ille ingenui sanguinis ornamenta circumferens, bonorum debitis est privatus insignibus. Ille in primo ætatis gradu positus, nulla præferens ornamenta virtutis omnes honores, præcipiti celeritate continuat. Ille, jam deficientis ætatis senio confectus, & testimonio egregiæ vitæ ornatus, cursus nunc primos, in adeundis honoribus auspicatur. Quæ istum senem ratio retardavit? aut quod illi omnium honorum ornamenta, vita meritum pollicebatur. Quis illum juvenem ad tantum honorum cumulum, de quo nihil adhuc tale sperare poteramus, cursus repentinæ felicitatis impegit, nisi vis illa, quam dicimus fati, quæ stellarum agitatione perficitur, operata est, ut illum cogeret, hunc retardaret? Quid jam de damnationibus loquar malorum, peccatorum, aut criminum?

Merito dicebas paulo ante, frequenter vidimus hujuscemodi injurias, omnium consentiente judicio, innocentibus irrogatas. Prudentissimum illum Athenensium, & singularis justitiæ virum, qui vitæ, atque virtutum merito, sapientis cognomen acceperat, infamis testulæ jactus exegit. Socrates vero, cujus prudentia, testimonio divinitatis ornatur, formatis moribus hominum, & divina institutione compositis, falsis accusationibus obrutus est, & acerbæ delationis oneratus, invidia indefensus, & proditus, sæveræ animadvertentium potestati succubuit. Quoties fortuna Jmperatorem Alcibiadem, quoties exulem fecit? Quid de ista sortis varietate dicemus? Patiebatur hæc Alcibiades, ad civilem imperandi modum, Socratis divinis magisteriis institutus, & cum semper, & ubique prospere duxisset exercitum, fortunæ tamen contra se sævientis invidiam vitare non potuit. Sed illum forsitan (ut quidam volunt absit enim, ut hoc nostra oratione firmemus) pravarum cupiditatum desideria ceperant, & incautæ temeritatis fefellit improvisa vis. Vis ergo aliud proferamus exemplum? ut vel sic ad confessionis angustias coarteris?

Platonem cum illis animi virtutibus, cum illa sapientiæ doctrina, vendidit fatum, & illam divini animi disciplinam, tyrannicis crudelitatibus, ac ludibriosis Dionysij potestatibus tradidit. Si hæc non sufficiunt, ad Pythagoræ naufragia revertamur, qualis ille vir fuerit, omnibus notum est: cujus virtutem, sapientiam, prudentiamque, & divini animi commenta, & hominum, & deorum probavere judicia. Ecce ad summum cuncta perdidicit, & ne quid deesset ejus divino ingenio, peregrinis etiam magisteriis imbutus, ad omnia sapientiæ secreta penetravit. Et ut verius loquar, divini animi intentione primus, immo potius solus, in ista positus fragilitate terrena, naturam, & originem providi numinis, ac divinæ majestatis invenit, salutare enim illum (ut quidam volunt) & providum numen, per dies singulos sequebatur, cujus monitis, atque præceptis, purgatis animi sordibus ad omnia pervenit ornamenta virtutis, extorrem tamen, atque exulem, civium suorum severissima decreta fecerunt. Ipse patriam fugiens, totamque Græciam, ad aliena primum transivit imperia, Sybarim, & Crotonam exul incoluit. Sed nec ibi illum diutius fortuna detinuit: Nam nunc per Locros, nunc per Tarentum, & per omnes penè Jtaliæ oras fugitivus erravit, ecce ad ultimum flamma sæviente circumdatur, & cum illo pariter miserorum turba, incendio grassante conficitur. Quid ais? etiam nunc derogas fato! & stellarum vim, obstinata animositate contemnis? cum videas bonorum malos exitus malorum prosperos actus, & nocentium securitates: cui hæc tribuis? cujus hæc putas fieri decretis? iniqui sumus, si, cum hæc omnia nobis fatorum imperia decernant, adhuc rigidæ contradictionis animositatibus repugnamus. Jn summa tibi respondendum est, quia hoc nos facere, præsentia hortantur exempla, & ille qui nocens est, fato cogente servatur, & ille qui innocens, damnatur, fatali necessitate compulsus, severæ animadversionis sententiam pertulit.

Ad te nunc singularem virum Plotine veniemus, ut allegationes nostras, recentium exemplorum patrociniis muniamus. Quas ille philosophiæ non attigit partes? cum doctrinam ejus, vitæ sequeretur insignia? Cum id, quod docebat, non alienæ, sed propriæ virtutis ostenderetur exemplo? cujus exore, tanquam ex adyto quodam, divinæ sententiæ proferebantur. Fuit namque ille vir ad omnia virtutis ornamenta compositus, & omni divinarum dispositionum studio formatus, justus, fortis, providus, temperatus, & qui se crederet fortunæ impetus, providentiæ posse ratione superare. Primum itaque locum sibi quietæ sedis elegit, ut ab omni humanæ conversationis strepitu separatus, fortunæ se liberaret invidia, solis divinæ institutionis vocaturus insignibus, ut contra omnes fortunæ minas, integro se, & incorrupto præsidio virtutis armaret. Ista itaque, confidentia mentis erectus, etiam corporis sui curam, tuitionemque suscepit, utque nihil vacuum, ac nudum relinqueret: ubi se posset licentia fortunæ sævientis exerere, in salubri se, ac pura regionis parte constituit. Nam ad collocandam sedem, amœnum sibi Campaniæ civitatis solum elegisse narratur, ubi semper aëris quieta moderatio, cunctos incolas, salubri vegetatione, sustentat, ubi nec vis hyemis est, flagrantis nec solis accessio, sed composita temperies, ex utroque moderatur, ubi ægritudine aliqua laborantibus hominibus ingentium fontium calore, & fervescentium aquarum salutari fomento, conciliata salnitas irrigatur. Illic constitutus, honorum primum contempsit insignia, illos veros honores putans, quoscumque illi divinum prudentiæ magisterium contulisset. Nulla illum divitiarum desideria ceperant, sed has putabat esse divitias, quibus animus ornatus, autorem possit propriæ originis invenire. Ecce in quadam parte orationis suæ (sicut mihi videtur) improvidus, & incautus, & vim fatalis necessitatis aggreditur, & hominis fortunæ decreta metuentes, severa orationis objurgatione castigat, nihil potestati stellarum tribuens, nihil fatorum necessitatibus reservans, sed totum dicens in nostra esse positum potestate.

Longum est enumerare quid de rebus singulis senserit, qua se ratione, farali sorte subtraxerit, qua vim istam, hoc est, stellarum, atque fati, sententiarum argumentatione turbaverit. Sed hæc adhuc integer, incolumisque narrabat, nunquam ille ad Socratis finem, Platonisve exitum, contorsit oculos, vel mentem, utique sicuti suspicari datur, multa illorum mentibus, multa vitiis ascribens. Ecce se illi, ista confidentiæ animositate securo, tota fatorum potestas imposuit, & primum, membra ejus frigida, sanguinis corpore riguerunt, & oculorum acies, splendorem paulatim extenuati luminis perdidit. Postea per totam ejus cutem, magnis humoribus nutrita pestis, erupit, ut putre corpus, deficientibus membris, corruptí sanguinis morte tabescepret. Per omnes dies, horasque, serpente morbo, minutæ partes viscerum defluebant, & quicquid paulo ante integrum videras, statim confecti corporis exulceratio deformabat. Sic corrupta, ac dissipata facie, tota ab illo figura corporis discedebat, & in mortuo (ut ita dicamus) corpore, solus superstes retinebatur animus, ut ista gravis morbi continuatione confectus, & tormentis propriis coactus, ac veræ rationis autoritate convictus, vim fati, potestatemque sentiret, & ut confecti corporis laceratione quassatus, sententiam fortunæ pronunciantis exciperet. Quid nunc de hujus famosa dicis morte? cur eum non potuere virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, ab istis fortunæ animadversionibus liberare? Sensit itaque etiam istevim fati, & excepit finem, quem illi stellarum ignita judicia decreverant, & istius valetudinis acerbitate confectus, proprio ex emplo, non sermonis licentia, cunctos homines docuit vim, potestatemque fatorum nulla posse ratione contemni.

Scis etiam rursus, ut ad antiquiora redeamus exempla, quæ Miltiades post victoriam passus sit: quæ Themistocles sustinuerit post triumphos, post quiescentiam; erumnarum calamitatibus implicati, ab iis scilicet, quibus per illos, & libertas reddita videbatur, & patria. Quis contra illos, sævientis populi rabiem concitavit? quis conflavit invidiam? quis tam acerbum induxit odium? ut beneficiorum, & redditæ libertatis immemores, gravi furoris instinctu, & effrenatæ levitatis erroribus nocentes, ac strenuos viros,

viros, populari animadversionis acerbitate peruenterent, nisi vis, necessitásque fati, infatigabili quæ semper potestate dominatur.

Ad Romana nunc (si placet) revertamur exempla. Ecce ignavus ille vir & omni infamia, maculationeque pollutus, (Syllam dico) qui à primo vestigio pubescentis ætatis, in scurrarum gremiis, per damna venundati pudoris adolevit, toties prosperè duxit exercitum, & ut toties felix diceretur, fecerunt Romani innumerabilia Reipubl. naufragia: Respice, quoties laceratis patriæ visceribus, civili sanguine cruentatur. Ecce innumerabiles proscriptionum tabulas ponit, & cruentarum pecuniarum parricidali collatione ditatur. Sed nunc, licet sit omnia facinora ejus enumerare difficile, pauca tamen enumerabimus, ut existis, vim fatalis necessitatis agnoscas. Septem millia civium nostrorum in medio sinu urbis Romæ, Syllana animadversione ceciderunt. Mihi crede nulla vis alia, nullum peccatorum meritum, nulla deorum voluntas, sed fatorum necessitas, istam multitudinem, Syllanis manibus impegit, quod nunc putas esse judicium? quem rationis ordinem? ut ille, qui nunquam fuit memor sexus sui, qui ultra commendationem gratiæ puerilis ætatis, senex exoletus, in aliena ætate, flagitia corporis detinebat, vitiis obsessus, Romana gubernaret imperia? Nunc sciebamus in prætura à prætura petitione dejectum, cui vir gravissimus Censorinus, veris ac firmis accusationibus spoliatæ provinciæ crimen objecit, qui legatus bello Cymbrico, degeneris animi timore prostratus, Imperatorem Mariũ, & Romanum reliquit exercitum, Is, cùm tantis poluueretur infamiis, regalis postea majestatis autoritate decoratus, exercitum nostrum in dispendia nostra convertit.

Permitte mihi longiore oratione, Syllanorum scelerum replicare discrimina, omnia enim hæc ad disputationis meæ meritum conferentur, si plurimis infortuniorum generib⁹, integrè, ac verissimè fuerit fatorum necessitas explicata. Jussione Syllana, Sulpitius tribunus pl. parricidalis præcepti nefanda animadversione percussus est, quo flagitio, tyrannica, & scelerata ejus cupiditas imbuta omnia statum, sine aliqua dubitatione, genera crudelitatis exercuit, ut effrenatas animi sui cupiditates, per dies singulos civilis sanguinis profusione saciaret. Prætorio viro, minori scil. Mario, qui judicio omniũ, benemeritus de Rep. videbatur, Syllana jussione, elisa sunt priùs crura, deinde dejecta de statu corporis brachia, humerũ tenus dissoluta, ceciderunt, tertio amputata lingua, vocem reliquit in faucibus: ad postremum, omni corporis parte mutilata, oculi, qui fuerunt spectatores, & superstites, egeruntur, & in tã angusto corpore, à nefario patriæ carnifice, tot sunt inventa supplicia, & vix anima tantis vulneribus erogata est, cum hinc inde membris fluentibus, minutatim spiritus carperetur. Sed forsitan circa solos viros, talis est feritatis atrocitate grassatus. Ecce in proscriptionũ tabulis, etiã mulierum, ac matronarum nomen adscripsit, ut per omne humanũ genus cruentam gladii exerceret potestatẽ. Nec dum habet modum, quoniam nec cruenta cupiditate, nec infinita civiũ strage saciatur. Romanus ille populus, subactis omnib⁹ gentib⁹, post peragratũ orbẽ, atq; possessum extremum etiã oceani littus, servire cõpulsus est nefario Syllanæ potestatis imperio, at ille debilitatis omnium animis metu, & miserrima horroris trepidatione possessis, inter leges Portias, legésque Sempronias, cum omnium civium gemitu, etiam tertiam proscriptionis tabulam posuit. Hoc contentus malo, ne quod ætatis tempus vacuum à sceleribus reservaret Lucretium, jam privatus occidit, & deposita regia potestate, animi tamen in illo pernicioſa crudelitas perseverat.

Visne aliquid tibi, quia in Syllanis temporibus immoramur, de Lacu Servilio referã? in quo multorũ senatorũ capita, ad ostentationem immanissimi facinoris, sectis cervicib⁹ pependerunt. Reip. vulnera, inter ipsã deorũ pulvinaria constitut⁹, inter sacras etiã ceremonias positus, semper Sylla securus ac superb⁹ aspexit. Quid potest crudelius fieri? liberis & uxoribus miseras orbitates titulo publicatæ calamitatis ingessit, nihil pietati, nihil fidei, nihil fortitudini, nihil providentiæ licuit contra Syllam. Ubi nunc sunt, qui peccata nostra, humana ac divina credunt posse lege puniri? ecce Sylla nefariis cædibus pascitur, ecce tyrannico grassatur imperio, nec cupiditates ejus, potestas aliqua divinitatis impugnat. Quid sentis? quid judicas? refutas quod dicim⁹? Ostende nobis ordinem rerũ. Ubi sunt leges? ubi judicia? humano & divino sumus destituti judicio, quia omnia hæc quę diximus, Sylla cõmisit impunè. Ergo facinora ejus, cùm tantis cædibus pascerentur, nulla ultricũ dearũ flagella castigant, nec est qui dolorẽ suũ verbis ac lachrymis prodat. Defunctis per illũ etiã suprem⁹ ignis eripitur, & hoc non potuit videre justitia? Dicis peccata hominum, per dies singulos mulctari diis ultricibus? omnia hæc, sicut vides, impunè gesta sunt, & fecit de his omnib⁹ fortuna quod voluit, & quicquid singulis fata decreverant, Syllanæ feritatis animadversione cõpleta sunt. Et ut hoc scias nos vera ratione dixisse, ipsum post hæc mala, prosper sectatur eventus; perpetuæ dictaturæ cumulatur insignibus, & proprio arbitrio deponit imperia. Laceratæ Reip. artus, & cruentæ pecuniæ, jussu ejus, ad ignobiliorũ hominũ divitias conferuntur. Post hæc mala, quieta securitate fruitur, & abundãtia scelerũ saginatus, decreto amplissimi senatus, & populi, nomine prosperæ, & perpetuæ felicitatis ornatur. Ubi nunc sunt qui negant actus nostros stellarũ fortuitis cursib⁹ gubernari? Ille crudelis, perfidus, quẽ scimus per omnia crudelitatis genera grassatũ, secur⁹ omnia dignitatis ornamenta cõsequitur. Marius verò post triumphũ Jugurthæ, cæterarũq; gentiũ, quas subegit, postea quã urbẽ Romã, & externis, & domesticis periculis liberavit, post triumphales purpuras, post pictas, aureasque palmatas, ferreis stringitur vinculis cathenarũ: ecce exul in paludib⁹ Minturnarũ latitat, ecce carceris squalorib⁹ premitur. Vides ut ad crepidinẽ dirutæ Carthaginis fugitivus accedat? Quis Deus, aut exulem Mariũ, aut felicẽ fecerat Syllã? Paulus Imperator, militi Mario promittebat imperia, legatus Sylla Romanũ deserebat exercitũ, & tamẽ postea judicio fortunæ ille exul factus est, ille felix. Nimis longa oratione, vim, necessitatemque fati, stellarum etiam potestatem, Syllanæque dominationis facta crudelia, isto sermone deflevimus.

Scipio post tot triumphos, post deletã Carthaginẽ, Numantiamq; prostratã, post peragratã Græciã, Asiã, Bithyniã, Syriãq; lustratã, post Dictaturæ irreprehensibiles actus, intra privatos parietes, domesticorum insidiis, acerbo mortis cruciatu, & nefariis frangentiũ gulã manib⁹ oppressus, privata quodãmodo animadversione confectus est, Quid Regulo fides profuit? ut illum vis fati, post miserã captivitatis infamiã, inter hostiles man⁹, pervigili crudelitatis atrocitate prosterneret. Quæ vis alia, dissolutis Persarũ regib⁹, cum Romanis faucibus, captivũ tradidit Crassum? & utiq; vir strenuus fuerat, & virtutes ejus, quæ propria ostentatione lucebant, Romani protegebant exercitus. Pompeij, post quintum consulatũ, post tot, & tã insignes triumphos, ad Nili fluminis ripam, cervices invictas, & regias, & quas toties purpura triumphalis ambierat, semiviri hominis gladius, nefario genere mortis incidit. Quis manus in suã necẽ Catonis armavit? Quis impuris, & effeminatis Antonii cupiditatibus, cum lugubri, miseroque omniũ fletu, venerabilem Ciceronis tradidit sanguinem? Cæsar quos sua indulgentia, ab omni liberaverat metu, ad exitiũ postea propriæ salutis armavit. Vides, ut semper ubiq; fortuna dominetur: vides, ut varii sint hominũ, mutabilésq; semper eventus. Fortis ab ignavo superatur: bonum prostravit inferior: justo justitia non profuit: castos providentia sæpè decepit: pudicis, ac sobriis, impudicus, ac dissolut⁹, in honoris petitione prælatus est. Jacent strenui, laudantur improbi, & quicquid huic profuit, illum incauta petitione decepit. Hæc nobis omnia stellarum cursibus conferuntur, his nos fortuna varietatibus confecit. Unde tot exemplis, ac tot rationibus moniti, atq; formati, fatalis necessitatis legẽ, nõ argumentorum licentia, nec verborum copia, sed veritatis probabili, ac recto judicio comprobemus.

Sed jam huic nostræ allegationi, etiam ipsi, qui contradicebant, ex aliqua parte consentiunt, dicentes, Esse quidem quandam vim fortunæ, ac fati, quam εἱμαρμένην vocant. Sed huic necessitati, disputationis suæ licentia, quædam tribuit, quædam cõtradicit lex, necessitásq; fatorũ, ut nõ posse videatur aliquid, & posse. Hanc namq; εἱμαρμένην volunt naturæ hominũ, cæterorumq; animantium, quadam societate conjungi, ut quia sic facti, ac procreati sumus, ut certo viventes tẽpore, cõpleto vitæ cursu, ad divinum illum spiritũ, qui nos sustentat, resoluta fragilitate corporis, referamur, subjici nos censeat, ad complendum istum finẽ, fato pariter, ac sorti, ut & nos, & omnes animantes, unus, ac similis dissolutionis terminus fatalis sciti lege conficeret. Omnia verò, quæ ad cursum vitæ pertinent, in nostra voluntate esse posita, ac potestate, ut nostrum sit quod vivimus: fati verò, ac sortis, solum videatur esse, quod morimur.

Nescio, quid ista diversitas conclusionis operetur, nescio cui possit persuaderi, quod dicitur. Confiteatur si quis esse fatũ, & dicat, finẽ omniũ fatalibus necessitatibus subjacere, & cum disputationib⁹ suis, aliquid ex ista quodãmodo cõfessione præjudicet. Potestatẽ ejus, in minoribus is partib⁹ minuit, auget in majorib⁹, multã, ac potiora cõcedens, ut actus quidem nostros, in nostra dicat esse positos potestate: Finẽ verò vivendi, ad fatalis sortis licentiã revocet, & in tam inepta disputatione, licentia se argumẽtationis extollat, ut cũ fato, animadvertendi quodãmodo licentiã tribuat, & totius potestatis cõcedat imperiũ, id tamen quod minus est, ei deneget, regendi scil. hominis potestatẽ. Si enim procreatos nos fatũ producit in lucẽ & ad terrenas conversationes venientibus hominibus, vitæ januas pandit. Si ipsius est, sicut ipsi consentiunt, quicquid à nobis, completo vitæ cursu, necessitate mortis exigitur. Si initium nobis, finemq; vivendi, fatalis legis necessitas statuit, quid est aliud quod non sit in ejus positum potestate? cùm & initia vitæ, per fatũ nascentibus conferantur, & dies mortis finisq; vivendi, decretis ipsius, ac judiciis terminentur?

Ecce ille, nondum corporis deformatione completa, in maternis visceribus, præmatura festinatione præmoritur, illum completa deformatione corporis, etiã maternorum viscerum angustiis liberatũ, vitalis spiritus aura nõ vegetat. Illum, in primis vitæ incunabulis cõstitutum, inter initia vagientis infantiæ, fugientis animæ, deserit vita. Ille puerili fragilitate deceptus, occumbit. Ille jam pubescentis ætatis, etiã ad omnes vitæ actus, quos paulò ante dicebas in nostra positos potestate, integra magisterii institutione cõpositus, mortis repentino casu subtrahitur. Ille verò vivendi prolixitate, omni penè sensu carens, ac voluptate etiam vergentis ætatis, & vitio senectutis invalidus, invitus longam, ac tædiosam lucis sustinet sarcinã. Quis est, qui aut illum non natum, aut illum primo natalis die, aut illum post paululum, aut illum juvenem, aut illum senem applicat morti? Inveniat quęso quis aliquid quod sequamur, inveniat quod nos possit instruere, quod laborantibus nobis, rationem veritatis ostendat. Fatum undiq; dicturus est, & necessitatẽ mortis humanæ, quæ omnibus animantibus, quæ terrena congregatione gignuntur, vivendi tempus, propria judicii dispositione distribuit, ut longiorem vivendi substantiam, aliis deneget, aliis largiatur.

Absurdum est confitentem necessitatem fati, derogare postea fato, & periniquum est, ut ab eo in sequentibus orationis partibus videtur, quod præcedenti confessionis professione fuerat roboratum. Quidnam de mortium vario exitu dicemus? Ille cogente fato, suspẽ-

ditur laqueo: at ille gladio percutitur: ille mari, fluminibꝰq; submergitur: ille sævientibus flammis, igniq; traditus in cinerem, favillasq; convertitur: ille per præcipitia jactatur: ille cadentium tectorũ ruina comprimitur, illius animã pestiferúmve veni virus inclusit: ille paulatim tardo febrium ardore decoquitur: ille cita ardentium venarum deflagratione ferveſcens, violentia repentini caloris exæstuat: illum sævientium ferarum inconsulta laniat rabies: ille occasum patitur illæsus: illius venenati serpentis ictus, omnes venas stringit in mortem. Hinc mortium varietatem nobis fata describunt. Hæc sunt illa stellarum decreta, quæ paulò ante protulimus. Hinc illi industrium virorum miserabiles exitus, malorum, nocentiumq; felices: hinc vario cursu vita hominum, fortuna semper decernẽte, transigitur: hinc constat ortum finemque vitæ, actus etiam nostros universos, studia, cupiditatesque, & quicquid illud est, quod ad humanæ rationis conversationem pertinet, fatalis necessitatis inevitabili sententia contineri. Cedamus itaque, fide veritatis oppressi, & confiteamur, veræ rationis secuti judicia, nihil in nostra, sed totum in fatorum esse positum potestate, ut quicquid, vel facimus, vel patimur, totum hoc fortunæ nobis judicio conferatur. *lib. 1. cap. 3. Astronom.*

Iulius Firmicus: Qui requirit, cur in quibusdam regionibus corpora hominum nigro semper colore sordeſcunt? cur verò alibi puro candoris splendore præniteant? Huic, qui has requirit causas, brevi disputationis oratione respondebo, præsertim cùm ad istam partem, multorum sapientum dociles sententiæ proferantur. In omne cœlũ, cujus est rotunda formatio, quod terras, maria, cæteraque, quæ intra se sunt, omnia ignei spiritus circumfusione complectitur: quinque Zonarum ipsarũ, non una similisque substantia est, nam quædã ipsarum uniformes sunt, nec alienã habent admixtionem, quædam verò commixtæ temperationis sunt moderatione cõpositæ. Harum quæ media est, coruſci solis incensa luminibus, & sempiterni ardoris adustione torrida, ignito colore perpetui ruboris inficitur: duæ verò, quæ extremas mundi continent partes, dextris, lævísq; lateribus inhærentes, cæruleo colore signatæ, atris semper nubibꝰ inundantur, & concreta glacie, sempiternis pruinis, & duratis gelu nivibus obsidentur. Inter has duas frigidas, & illam igneam, quæ per mediam mundi ducitur partem, duæ sunt residuæ constitutæ, quas frigoris, & caloris mixta temperies, clementi moderatione formavit. Hæ sunt duæ Zonæ, quæ omne animantium genus in terræ finibus, ex illa tranquilla cõmixtionis moderatione progenerant, per quas, ad omnium, quæ gignuntur, ortus, & occasus per omne ævum obliquus signorum ordo convertitur. In quo sol & luna, quæ etiã stellæ erraticæ, quæ planetæ à Græcis vocantur, certa, ac definita semper agitatione discurrunt, ut ad harum stellarum cursum, omne animantium genus, perpetua sibi generis propagatione succedat. Istarum quinq; Zonarum vis, atq; natura, quarundam gentium homines uniformi colore progenerat; tamen ut in ipsa unitatis facie, corpora hominum, quantacunq; stellarum radiatione varientur. Quæcunq; igitur gens hominum, illi adjacet Zonæ, quæ sempiterna adustione ignibus incenditur, licet sit sub ejus Zonæ partibus collocata, quæ est composita moderatione formata, ad fingendas tamẽ colores hominum, ignem sibi ex vicinæ societatis conjunctionibus mutuatur, ut homines ad imitationem inustarum rerum, atri semper forma coloris infuscet. Quæ verò partes glacialibus adjacent Zonis, quæ viduatæ, ac desertæ solis ardoribus, perpetuis pruinarum nivibus opprimuntur, gentes illas hominum, quas in vicino posita Zona grogenerat, nitore faciunt omnes splendidi candoris ornari.

Sed & in his regionibus, quæ candidos homines procreant, & in illis rursus, quæ nigros, ad variandas hominum formas, stellarũ plurimũ potestas operatur, & unicuiq; homini, licet coloris sit una substantia, diversam tamen speciem deformationis assignat. Unde enim sese singuli propria corporis lineatione cognoscunt, unde filios, fratres, cognatos: unde cives, peregrinos, vicinos, amicos, hospites, norunt? si non singulis varios, diversosq; vultus stellarũ potestas ascribit? Consideremus itaque conciliationem generis humani, & retrahendo inveniemus quàm nefaria, quàm impia poterant illic scelera committi, si cunctorum una facies, populos illos, æqua similitudinis formatione confunderet: Ad sororem frater, deceptus similitudine, quasi maritus intraret, traheretq; alius, contracti imprudentia alienti juris uxorem: alii de filio erratici contentionis conflictatione certarent: alii nescirent qui essent illi, qui sibi paulò ante servierant: alter ingenuis natalibus natus, quasi servus ex confusa similitudine, obstinati ducentis errore traheretur, nisi uniformẽ istam colorum similitudinem, maxima vultuum dissimilitudo variaret, quæ omnia compositis stellarum mixturis, ac rationibus temperantur. Ecce illiꝰ candor, ex aliqua parte nigri coloris tenui adumbratione sordescit: illius nigram faciem, splẽdor modici candoris illuminat. Quid jam, de corporum carnibus dicam? ad quas varius color latenter irrepit? quid de oculorum acie? qui semper diversis luminibus colorantur? Ecce corpora ipsa, etiam in illis gentibus, & cæteris omnibus, nunc longa, nũc parva sunt, nunc tenui exilitate subtilia, nunc obesa crassitudine latiora. Unde manifestis rationibus comprobatur, Zonarum quidem esse, quod nigri, vel candidi sunt, stellarum verò, quad illa varietate coloris, dissimilium formarum varietatibus corporantur. De moribꝰ verò gentiũ, supervacua disputatio est, nam & Asianos plurimos videmus, imò penè omnes, sobrietatis insignia præferentes. & Græcorũ levitas, frequenter modestę gravitatis pondꝰ accipit: & effrenata Scytharum rabies, quandoq; humanitatis clemẽtia mitigatur, & in finibus Galliarum populus sapientiæ prudentia convaleſcit: Aprhorũq; subdolas mentes, honestæ fidei ornamenta condecorant: & à Punicis Hispanis jactantiæ vitia deseruntur: & Syriorum avaritiam mutavit repentina profusio: nec est inter illos acutos Siculos stultos invenire difficile: & ab Italis frequenter dominationis imperia translata sunt. *lib. 1. Astron. cap. 4 pr.*

Iulius Firmicus: De moribus hominum coloribúsq; convenit, dicentes, Si stellarum mixturis, mores hominibꝰ, coloresq; tribuuntur, & quasi quodam picturæ genere, atq; artificio, stellarum cursus, mortalium corporum lineamenta componunt, hoc est, Si Luna facit candidos, Mars rubros, Saturnus nigros: cur omnes in Æthiopia nigri: in Germania candidi: in Thracia rubri procreantur? quasi Luna & Mars in Æthiopia vim suam, viresq; non habeant: & potestatẽ suam, fingendiq; licentiam, in Germania, ac Thracia Saturni deserat stella. De moribꝰ verò illud addunt. Si Saturnus facit cautos, graves, tardos, avaros, ac tacitos: Jupiter maturos, bonos, benignos, ac modestos: Mars crudeles, perfidos, ac feroces: Sol religiosos, nobiles, ac superbos: Venus luxuriosos, venustos, & honesto gratię splendore fulgentes: Mercurius astutos, callidos, & concitati animi mobilitatibus turbulentos: Luna acutos, splendidos, elegantes, & popularis splendoris gratia prævalentes: cur quædã gentes sunt sic formatæ, ut propria sint morũ quodammodo unitate perspicuæ? Scythæ soli immani feritatis crudelitate grassantur, Itali fiunt regali semper nobilitate præfulgidi: Galli stolidi: leves Græci: Aphri subdoli: avari Syrii: acuti Siculi: luxuriosi semper Asiani, & voluptatibꝰ occupati. Hispani elata jactantiæ animositate præposteri. Ergo Scytharũ rabiẽ, nunquam mitigat Jupiter: nec Italis aliquando Sol denegabit imperia: nec levitati Græcorũ Saturni stella pondus imponit: nec Asiana lascivitas sobria Jovis moderatione corrigitur: nec Siculorũ acumen, frigido ortu aliquando Saturni obtunditur: nec Syriorũ avaritia, lascivis Veneris radiationibꝰ temperatur: nec Aphrorũ malitiosa commenta, & bilingues animos salutare Jovis sydus impediet: nec Hispanorũ jactantiã, pigrũ poterit Saturni lumen hebetare: nec Gallicã stoliditatẽ Mercurius sapientissimũ sydus exacuet. Illa verò ipsorum interea potentissimè & vehementer cõtra nos posita peroratio est, quod ajunt: Existius artis instituto, omnia, ex rebꝰ humanis virtutum officia tolli. Si temperantia, fortitudo, prudentia, justitia, stellarũ decretis, non nostris tribuuntur voluntatibus. Jam non ex virtutũ lucubratione, sed ex solis stellarũ influxibꝰ pendeam. At contra, si quis societatis, charitatisq; vinculũ ruperit, & conciliationis humanæ jura neglexerit, totúmq; se feritati, perfidiæq; tradiderit, facinꝰ suũ, & animi perversas cupiditates secutus, stellarũ judiciis ascribat. Sit iniquꝰ, sit perfidus, sit malevolus, sit irreligiosus, quia hæc vitia mala, Mercurii, cũ Marte perficit constellatio, jam non sibi, sed impellentibus stellis vitio tribuat. Cur animũ nostrũ fortitudinis studio roboramus? cur recta mente, sublimíq; cõstantia, & divinarũ virtutũ magisterio formati, in acerbis casibus constituti, mortẽ, doloresq; contemnimus? si gloriæ laudem, & potentissimæ dignitatis insignia, nec appetentibꝰ nobis Sol, Jovis bona cõjunctionis societate largitur? frustra igitur consilio, ac ratione, errantis animi vitia comprimimus, frustra luxuriosas libidinum illecebras temperamus, frustra gravitatis instinctu æquitatis modestiam, juráque conquirimus, si Mercurius, Jovis, ac Lunę bonis radiationibus temperatus, ad desideria nos & cupiditates istius virtutis inflammat.

Etiam singulos homines, hac disputationis oratione conveniunt. Frustra habes, ô bone vir, delectum bonarũ rerũ, ac malarũ fugiendi cupiditatẽ, si te sentis ad illas aliunde compulsum. Quid te honestis provisionibus, ac diligentiæ suffragiis munis: si totum hoc tibi, non scientia, sed aut Saturnus præstitit, aut Jupiter? Contemnamus igitur (si videtur) deos, & religionũ sanctas venerabilésq; cerimonias, sacrilego desperationis ardore publicemus, si sine ipsorũ numine, stellis tantũ juvantibꝰ, omnia cõsequi possumus. Quid invocas arator deos? sine cura numinis tui stellarũ tantũ influxu, genio segetis, sulcus æquatus est. Tu, qui per aperta juga, vinearũ aciẽ, distinctis componis ordinibꝰ, frustra devoves vitiũ palmites Libero tuo, religiosa cũ trepidatione cujusquã, si sine præsidio divinitatis, stellarũ cursu, aut denegãtur, aut dantur. Tu, qui promulgas leges, ac jura sancis, tolle scita, refringe tabulas, & istis nos severissimis animadversionibus libera. Illum sacrilegum Mercurius (ut Mathematici volunt) illum adulterum Venus fecit, illum ad neces hominũ Mars sydus armavit, illũ mutare tabularum fidem, illum venena miscere, illum quiescentium securas animas, etiam lethæi fluminis oblivione purgatas, Mercurius cogit nefariis carminibus excitare. Ecce ille incestis inflammatur ardoribus, illum vides puerorũ comꝑexibus inhærentẽ, causam hujus tanti mali, Marti tribuimus, aut Venus, & ille, te jubente, manu cartificis, sine causa percussus est, in illum perperã dicta sententia est, si non suo studio, sed stellarum vitiosa coactus est radiatione peccare. Non habetis magistratus justã animadvertendi substantiam, quia scitis nos adista vitia malignis stellarum semper fomitibus incitari.

Hæc, atq; alia simili oratione componunt, quærenres utrum nam stellas animantes aut inanimantes esse dicamus, ut istius quæstionis conclusione cõfusi, difficile animi nostri judiciũ, sententiámq; promamus: quicquid. n. horũ dictum fuerit, syllogismorũ aculeis in cõtrariũ vertunt, ut ad arbitriũ ipsorũ constrictꝰ, respondentium sermo consentiat. In quibus rebus, & disputationibus. ingenia quidem non eorum laudamus, propositũ verò instititútúmq; vitamus, quia nobis fidem suã astrologia, responsionũ, apotelesmatúmq; divinis, ac manifestissimis autoritatibꝰ cõprobavit. Addunt etiã quidam (ut nobis ex alia parte consentiant, & ut eblandito cõsensu, totam istã scientiã,

dubita-

dubitationis desperatione cõturbent) habere quidem doctrinã istam vim maximã, sed ad liquidum propter partiũ, minutiarúmq; brevitatẽ, ac velocissimũ syderũ cursum, cœliq; pronum rotatæ vertiginis lapsum, neminẽ pervenire posse mortaliũ, ut ista eorũ veritimili definitione sermonis, totius sciẽtię substãtia subruatur. *lib. 1. c. 1. Astro.*

Quintilianus: Casũ ne tibi pater hæc diversitas videtur in corpus unum dissentientibus solidata primordiis, ut summo vertice locatus igneus vigor cuncta levia calidi spiritus ardore suspẽderet: profundus humor ad ima diversus, unde quotidie superpositi caloris alimenta traherentur, terrenum pondus in medio quanto superne spiritu, tanta penitus inanitate subnixum librata mole consideret, ut seculorum infinita series, per assiduas temporũ vices sua lege festinet? Quid hæc fulgentium syderũ veneranda facies? quòd quædam velut innixa ac cohærentia perpetua semelq; capta sede colluceant, alia toto sparsa cœlo vagos cursus certis emetiuntur erroribus? Ista credis passim fortuitoq; dispósita? Rogo, quid melius ratio fecisset? Deus hæc, Deus fabricator operis universi, ex illa rudi primáq; caligine protractum posuit in vultum, digessit in partes. Postquam dederat universitati parem dignámq; faciẽ, spiritum desuper quo pariter animarentur, immisit. Inde est, quod quidquid nascitur, cõsociata numini proprietate signatur, & in totam ævi sui brevitatem compositum firmatúmq; sic accepit futura, quasi vitam. Hæc credo pater terrori primis fuisse mortalib⁹, mox admirationem consumpta novitate meruisse. Paulatim deinde hoc quod stupemus, animus ausus diligenter attendere, in arcana naturæ sacrum misit ingenium, & ex assiduis observationibus notísq; redeuntibus latentium ratione collecta, pervenit ad causas. Miraris fatum hominis posse prædici? Defectiones syderũ laborésq; narrantur, nuntiatur origo tempestatum, lassitudo ventorũ, quod sydus immodicos solis ardores, quod severas minetur hyemes, quid significent sparsi longiùs crines, quid ardentius solito jubar, quid excussa flamma syderib⁹: Non invenio quid possit esse certius veræ artis ingenio, quàm dicere quid futurum sit, fieri deinde quod dixerit. Quod si esse artem mathematicam probant natura, ratio, experimenta, pater quoque qui credidit consulendum, supereſt, ut ostendamus verum dixisse de futuris, quem de præteritis non possumus probare mentitum. *Declamat. 4. §. 14.*

Quintilianus: Omnes, sicut apud sacræ artis antistites satis constat, animæ proprietates, & futuras mentium corporúmq; formas, ex illorum syderum qualitate, quibus in ortu suo cuncta gignuntur, accipiunt. Aliquis vagi numinis errore perstrictus est? vitam transiget ille discursibus. Placida conceptum stella signavit? erit modesta lenitate conspicuus. Ardens nascentis horam sydus ascendit? viribus pariter moribúsq; flagrabit. Languidi, & jam vergentis in proclive mundi? hebescentibus tardior membris similis senectæ juventa pigrescit. Jam si cui principalium Deorum fulgor illuxerit, in populi consurget imperium, &c. *Declamat. 4. §. 17.*

Io. Sarisberiensis: Hanc vanitatem catholica & universalis ecclesia detestatur, & eos qui eam ulterius exercere præsumpserint, leg timis pœnis percellit. Et verò qui huic curiositati inserviunt, non magis veraces esse possunt, quàm humiles & sobrii, qui primos recubitus in cœnis appetunt, & epulantur quotidie splendidè. Postremo, plurimos eorum audivi, novi multos; sed neminem in hoc errore diutius fuisse recolo, in quo manus Domini condignam non exercuerit ultionem. *cap. 27. libri secundi Policratici.*

Cl. Mamertinus: Gemini ergo natales pias vobis mentes & imperatorias præbuere fortunas, atq; inde sanctitatis vestræ omnium successum manat exordium, quod nascentes vos ad opem generis humani bona sydera & amica viderunt: quæ vobis concordiam sempiternam, & vestrorum generum charitatẽ, & fovendæ Reipub. studia conciliant, itémq; præter victorias toto orbe terrarum partas, etiam navalia trophæa promittunt. Digna est hac quoque gloria vestra pietas, & potest eam præstare felicitas. *cap. ult. gen. Maxim.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Anonymus, & Astrologus Candidus: Candidus dum se plurima ex syderum aspectibus cognovisse jactaret, & de multis rerum eventibus admonitum diceret, quidam non illepidè; *Certè*, inquit, *miror, quòd astra cùm sciant & videant uxorem tuam non satis pudicam, te tamen de eo non commonefaciant.* Facetè eum redarguens, quòd astrorum cursus & ordinem sectans, vitæ suæ & conjugii ordinem negligeret. Quo sensu dicebat aliquando Bias, ridiculos esse Astronomos, cùm non videant pisces juxta se in litore nantes, illos qui in cœlo sunt, videre se dicant. Candidum autem hoc Epigrammate descripsit Thomas Morus, quod his subnectere non erit à proposito alienum:

Sæpè suam inspectis uxorem Candidus *astris,*
Prædicat en vates omnibus esse bonam.
Inspectis iterùm, postquam uxor adultera fugit,
Prædicit vates omnibus esse malam.
Omnibus ergo uxor quod sit tua publicat; id te
Astra licet videant omnia, nulla monent.

Anonyma Mulier: Nec aliter judicavit, exigui aliàs judicii mentísque, muliebris sexus. Nam cùm Astronomi cujusdam ancilla, dominum suum astris nimium curiosè intentum in cloacam cœno refertam incidisse advertisset, in cachinnum soluta, tantum abest, ut de extrahendo cogitaret, ut diceret: *Merito ac jure tibi evenit: qui cùm juxta pedes posita ignores, cœlestibus contemplandis animum adjeis.* Hoc ipsum Thaleti accidisse, auctor est Stobæus. Cautè ergo Alciatus in Emblematibus, adducta Icari fabula, monet:

Astrologus caveat quicquam prædicere: præceps
Nam cadet impostor dum super astra volat.
Auct. Serm. Convival.

Astronomiæ.

¶ Sententiæ.

Clemens Alexandrinus: Astronomia cum rerũ sublimiũ cognitione, de figura universi, & cœli cõversione, & astrorum motione, ad creantem virtutem propiùs adducens animã, docet nos facilè sentire tempora anniversaria, mutationẽ aëris, ortúsq; & occasus syderum. Nam ars quoq; navigandi & agricultura, referta est usu qui ex ea redundat: sicut Geometria, Architectura, & ars ædificandi. Efficit autem hæc quoque disciplina, ut anima maximè assequatur, & verum perspiciat, & falsum arguat, certásque assensiones inveniat & proportiones, adeò ut venetur simile in dissimilibus: inducitq; nos ut inveniamus longitudinem absq; latitudine, & superficiem quæ caret altitudine, & signum quod nullas habet partes, & à sensilibus nos traducit ad ea quæ percipiuntur intelligentia. *libro 6. Stromatum.*

Io. Sarisberiensis: Est Astronomiæ nobilis & gloriosa scientia, si clientelam suam intra moderationis metas cohibeat; quam si licentiori vanitate excedit, non tam philosophiæ species, quàm impietatis decipula est. Et quidem multa sunt matheſi doctrinali, & divinatoriæ matheſi communia: sed dum divinatio sobrietatis mensuram excedit, toto dissidens fine, non instruit, sed suum dedocet professorem. *lib. 2. Policratici cap. 19.*

Xenophon: Hortabatur Socrates, ut in astrorum doctrina se exercerent eo usque, donec & noctis, & mẽsis, & anni tempora cognoscere possent, tum itineris ac navigationis causa, tum excubiarum, aliarumq; rerum, quæcumque vel per noctem, vel in mense, vel in anno geruntur; ut ad ea certis indiciis uti possent, quibus illorum, quæ cõmemoravimus, tempora dignoscerent. Atque hæc ajebat discì facilè ab illis posse, qui noctu feras venantur, & à navium gubernatoribus, aliisque multis, quibus est curæ, ut hæc sciant. At verò in astronomia discenda eo progredi, donec & illa cognoscantur, quæ in eodem non sunt ambitu, & errantia vagáque sydera, & ipsorum à terra intervalla, & circuitus, eorúmq; causas inquirendo diu se macerare; id verò ne facerent, vehementer dehortabatur. Quippe nec in his quidem ullam se utilitatem videre dicebat, quanquam eorum rudis non esset; atque etiam addebat, etiam hæc absumere posse vitam hominis, & à multis ac utilibus eum arcere. Denique in universum dehortabatur, ne quis studium & operã in res cœlestes impenderet. quo scil. artificio Deus omnia moliatur. Nec. n. illa posse ab hominibus inveniri putabat, nec Diis eum rem facere gratam arbitrabatur, qui quæ illi manifesta esse noluissent, inquireret. Addebat esse periculum, ne qui rebus his sollicitè perveſtigandis occuparetur, ad insaniã nihilominus, quàm Anaxagoras, redigeretur; qui maximè fuisset elatus propterea, quod Deorum machinas enarrasset. Nimirum ille, dum ait ignem ac solem idem esse, ignorabat ab hominibus ignem cerni facilè posse, quum solem adversum intueri non possint: quodque illi, qui à sole colluſtrantur, colore reddantur nigriores, quũ id ab igne non fiat. Ignorabat etiam, quod nihil eorũ, quæ terra nascuntur, absque solis splendore possit augescere; quum omnia, quæ ab igne calefiunt, pereant. Idem quum solem esse lapidem ignitum diceret, etiã ignorabat lapidem, qui sit in igne, neque lucere, neque diu perdurare: quum sol per omne tempus splendidior rebus omnibus maneat. *cap. 34. lib. 4. Memorabilium.*

Πτολεμαίῳ.

Οἶδ' ὅτι θνατὸς ἐγώ, καὶ φάος ἐφ' ἡμέρῃ· ἀλλ' ὅταν ἄστρων
Ἰχνίων πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἑλίκας,
Οὐκ ἔτ' ἐπιψαύω γαίης ποσίν, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέϊ πίμπλαμαι ἀμβροσίης.

Sum mortalis homo, vitæ quoque perbrevis: at cùm
Astra globos quæ, polì scandere fert animus;
Tùm pedibus non calco solum: sed celsior alto
Adsto Iovi, atque alma perfruor ambrosia.

Astutiæ bonæ.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Eusebius *Vercellensis Episc.* Quemadmodum Astutia fraudis doliq; conscia, improbanda est; ita ea summopere probanda, quam prudentia & pietas comitatur. Talem exhibuit Eusebius Vercellensiũ Antistes, cùm Arianos à Dionysio Albanensi Episcopo subscriptionẽ sui dogmatis per fraudem extorsisse accepisset. Ille etenim artem arte delusit, dolúmq; fraudulentum prudenti astutiâ compensavit. Finxit autem se quoq; ejusdem opinionis cũ Dionysio. Hinc ab Arrianis subscriptionum indicem accipit, ut & ipse illi sua signatura adstipuletur. Verùm ut vidit Dionysij nomẽ inter primos; quasi ad rem novam stomachatus: *Vos*, ait, *Patrem in divinis Filio majorem dicitis, & cur juvenis ille, meus quandoq; discipulus, hic me præcedet? non id decet, aliam itaq; schedulam confice, in*

te, in qua suo ordine quivis subsignet. Dixerat: cùm Arriani hæc bona fide & ad mentem eorum ita dici autumantes, chartam lacerant, & aliam ad Eusebium deferunt à novo signandam. Quibus ille subridens, *Nec ego*, inquit, *nec filius meus Dionysius, vestris impietatibus subscribemus.* Ex quo facto concludit Ambrosius: Cùm dicat Evangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum filiis lucis, ecce hic ipsis tenebris prudentior filiis lucis inventus est. *Ambr. Serm.* 69.

Timotheus Presbyter Alex. & Meretrix. Accusatus Athanasius, quòd mulierem cõstuprasset, vocatur cum illa ad concilium Episcoporum. Cumque ab Arrianis subornata impudenter Athanasio concubitum objiceret, Timotheus presbyter Alexandrin⁹ (ita enim cum Athanasio convenerat) mulierem affatus, *Egón'*, inquit, *te compressi mulier?* Cui illa; *Tu ipse: numquid tali loco & tempore?* ita explosa meretrice, & accusatio ridicula apparuit, & Athanasij innocentia comprobata est. Quàm scitè Comicus:

Fallaciã alia aliam trudit,
Astutum fallere difficile est.

Sozomen. lib. 2. cap. 24.

Constantinus Imperator: Celebre etiam illud quod sequitur. Hic enim sub Imperii sui exordium, periculum facturus quinam è domesticis orthodoxam fidem amplecterentur, qui verò ab eadem descisceront; convocatis omnibus: *Qui*, inquit, *diis sacrificare voluerint, summo apud me honore mansuri sunt: qui verò id recusaverint, illicò aula mea abscedant.* Quibusdam itaque Catholicorum aulâ exeuntibus, aliis verò diis thura ponentibus; hos à se rejecit, illos velut domesticos suos summo honore est prosecutus. Ecquis hîc rursus in Ambrosij sententiam, quam superiori exemplo recensuimus, non descendat? *Euseb. lib. 1. cap. 11.*

Videantur plura titulo *Doli, Fallaciæ, Fraudis.*

Athei.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

ANONYMUS.: Memorabilem historiam & scitè dictum refert J. Calvin⁹, his verbis: Accidit nobis, inquit, in diversorio quodam cœnantibus, ut profanus Dei contemptor sermones nostros de spe cœlestis vitæ derideret, Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Illic repentè correptus diris torminibus cœpit vociferari, O Deus, ô De⁹! atque ut erat patulo gutture, boatu suo replebat totum cœnaculum. Ego qui in eum severè excãdueram, perrexi meo more, stomachosè denuncians ut tunc saltem sentiret non impunè Deo illudi. Unus ex convivis, homo probus ac religiosus, sed tamen facetus, hac opportunitate in alium finem usus est: *Túne* (ait) *Deum invocas? An philosophiæ tuæ oblitus es? Cur non in suo cœlo sinis Deum quiescere?* Et quoties ille tonabat, O Deus, hic alter subsannans regerebat, *Vbi nũc est illud tuum, Cœlum cœli Domino?* Actunc quidem levatus est: sed quod reliquum fuit vitæ, in suis impuris sordibus transegit. *Commentar. in Psal.* 115. ℣. 16.

Videantur plura titulo *Impietatis.*

Attentionis.

¶ SENTENTIÆ.

ZENO: Quoniam dupliciter est attendere, aliud quidem corporeis oculis intueri corporea, aliud verò intellectualis animæ virtutibus incorporea, & spiritalia conspicari, in hoc loco siquidem de oculis carnalibus dictum esse sentiamus, continuò verbi sententia arguetur absurda: quomodo .n. quis semetipsum totũ corporali oculo attendere poterit, vel comprehendere? quia primò neq; semetipsum oculis considerare, & intueri potest: neque vicina sibi, & imminentia conspicari supercilia: sed neq; in verticem capitis dirigit aciẽ suã, aut aliquo pacto propria terga conspiciet: nec aliquid omnino proprio videbit ex vultu, nõ latentia viscerũ, non occulta venarũ. Quod si ita est, impiũ videbitur dicere, impossibilia esse Spiritus sancti mandata. Superest ergo, ut ad mentis intuitũ præcepti vigor, atq; intelligentia transferatur. Attende ergo Tibi, i. e. undique teipsum circumspice: pervigiles gere ad custodiã tui oculos animæ. In medio laqueorũ ingrederis. Occultæ tibi ab inimico tenduntur insidiæ. Doli, machinæ, pedicæ ubique defossæ. Circũspice igitur omnia: & cauta intentione considera, ut effugias, sicut damula ex laqueis: & sicut avis ex retibus: nam damula nõ incurrit in laqueum pro eo, quòd divitur visum acutissimũ gerere. Unde & nominis sui etymologia servatur in Græcis. Avis verò auxilio usu pennarũ, cùm voluerit effugere dolos retis, altiora aëris itinera secat. Vide ergo tu, ne fortè deterior mutis animalib⁹ ad cautelã tuæ salutis existas: ne fortè laqueis irretitus venatio, & captura diaboli fias, captus ab eo secundùm illius voluntatẽ. Attende ergo Tibi, i. e. neque tuis, neq; his, quæ circa te sunt, sed tibi soli attende. Aliud .n. sumus nos ipsi, aliud, quæ nostra sunt: aliud, quæ circa nos sunt: nos námq; sum⁹ anima, & mens, secundùm quã ad imaginẽ ejus, q nos creavit, facti sum⁹. Nostra verò sunt corpus, & corporalis sensus. Circa nos aũt sunt mundana substantia, vivendi artes, & cætera usus instrumenta mortaliũ. Quid igitur præcepit sermo? Ne attendas, inquit, carni: neque ea, quæ carnis bona videtur, studio impensiore sectaris, i. e. sanitatẽ corporis, decorem cultum vultus, voluptatẽ carnis, atq; delicias: neque vitæ lõgioris vota suspires: nõ divitias seculi: non ambitionis gloriã: non potentiam caducæ fragilitatis mireris: & nihil omnino, quod ad præsentis vitæ ministerium pertinet, magnum æstimes ad petendum: ne dum in hac solicitudinis tuæ intentione rapiaris, illa, quæ verè magna sunt, & in quibus vera vita est, negligas. *de præcepto, Attende tibi.*

Zeno: Hic tibi sermo etiã si in rebus prosperis degas, & omnis tibi vita secunda felicitate succedat, utilis semper, & necessarius apparebit, tanquã bonus, & fidelis consiliarius cõmonitiones vitæ suggerens melioris. Si verò & adversis, & tristib⁹ urgearis, & hæc tibi in tẽpore necessitatis cõmonitio suggeratur, maximũ illico remedium, & solatiũ dabit: ut neque in prosperis arrogantius extollaris, neque in adversis mollius, & remissius resolvaris. Divitiis flores, & polles, & illustriũ proavorũ consulatibus intumescis, patriæ, parentumq; nobilitate te jactas, pulchritudine corporis erigeris, & decore, honorib⁹ extolleris, & asseclarũ fulciris officiis, tũ maximè Attende Tibi ipsi: & memento, quia mortalis es, & quia terra es, & in terrã ibis: & quia potest & ad te dici, Stulte hac nocte auferent abs te animã tuã: & quæ præparasti, cui⁹ erunt? Intuere eos, qui ante te similis potentiæ dignitatib⁹ effulserunt. Ubi sunt? Quid agunt? Ubi fasces eorũ? Ubi magistratus? Ubi diversarũ insulæ dignitatũ? Ubi denique eloquentissimi Rhetores, & vehementissimi Oratores? Ubi hi, qui crebros convent⁹ orationũ suarũ favorib⁹ celebrabant? Ubi popularis aura? Ubi largitio muneralis? Ubi exquisita equorũ præparata certamina? Ubi denique satrapæ? Ubi reges? Ubi tyranni? Nónne omnia pulvis & cinis est? Nónne omnia antiquæ fabulæ, superfluaque narratio est? Nónne in perexiguis ossibus angustæ vasculo urnæ conclusis omnis eorũ memoria continetur? Denique intuere, & inspice eorũ sepulchra, si potueris discernere, quis ibi servus: quísve sit dominus: quis pauper: quísve sit dives. Discerne ibi, si pores, plebejum à rege: virum fortem ab imbecilli: decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio: sed semp memor eris tui, si præcepti memor attenderis tibi. Qui si ignobilis es obscuro loco natus, pauper ex pauperib⁹ procreatus, non domo gaudens, nõ patria, invalidus virib⁹, quotidiano quoque indigens sumptu, vivẽs sub potentium ἡγέμασι cum tremore, ac timore subjectus, cunctísque humilitate paupertatis expositus, sicut ait ille, Pauper nõ suffert minas, nõ in his temetipsum despicias, & desperes: neque, quia nihil tibi in præsenti vita magnificum præsto est, omnem tibi abscindas, & amputes spem bonorũ, sed revoca animos tuos ad ea, quæ jam tibi bona indulgentia divina concessit: & ad ea nihilominus erige mentem tuã, quæ futura in posterũ repromisit. *serm. de præcepto Attẽde tibi.*

Zeno: Si quando te, i. e. mentem tuã iracundia exasperat, & stimulis immorantis ægritudinis intumescis, cùm rabidus dentiũ stridor, genarum pallor, tremor labiorum, cùm totus denique ferinos agis motus, si attendas tibi, i. e. recorderis præcepti, iracundiã quidẽ, velut equum indomitũ, & ferocẽ divini sermonis ictũ verberib⁹ continuò exercebis: linguã verò protinus ab insolentia refrænabis: & man⁹ neq; quaquã ad ultionẽ irritantis extendes. Si quando verò obscœnæ cõcupiscentiæ illecebrosis animã suggestionib⁹ vexant, & præcipitẽ eã in luxum libidinis rapiunt, si attendas tibi, & recorderis hujus præcepti, invenies, quia presens ista dulcedo libidinis ad finem amarissimũ vergit, & iste, qui nunc carni nostræ incubat luxus, generabit ex se pervigilem suppliciorũ vermen, perpetuæ ultionis conscientiam fodientem. Sed & calor iste desiderii carnalis, fervórque libidinis temporalis æternam gehennæ ignem, & ultricium flammarum perpetuæ promulgabit incendia. His cogitationibus mente concepris libido quidem penitus effugata discedet: admiranda verò quædam quies, & tranquillitas animæ reparabitur, velut si inverecundarum, protervarúmque tumultus, ac strepitus famularum per adventum, & præsentiam gravis, ac severæ dominæ comprimatur. *ante finem præcepti, Attende tibi,*

Avaritiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. GREG. NYSSENUS: Quomodo si in reliquam partem corruptus & putridus humor affluxerit, & in loco fuerit in flammatio; necesse est omnino ut in aliquem abscessum & corruptionem humor ille erumpat, cùm ad superficiem opus pervaserit: ita quibus pecuniæ cupiditatis morbus affluxerit, ad intemperantiam magna ex parte inclinat vitium. Propterea auri & argenti copiæ addit turpitudinem, quæ morbum qui prius invaserat, solet deinde consequi. *Homilia 4. in Ecclesiasten.*

D. Greg. Nyssenus: Quæ tanta tamq; immensa acerbitas est, quam avaritiæ tyrannis non superet ac præcedat? quæ miseram animã in servitutem redactam semper inexplebiles & insatiabiles suas cupiditates cogit explere? quæ cùm semper accipit, tum nunquam impletur, veluti multiceps quædam fera orib⁹ innumeris inexplebili ventri cibum transmittens: cùm nulla unquam lucrandi satietas existit; sed id quod semper accipitur, materies atque incitamentum plus habendi cupiditatis fit. *Orationes. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyssenus: Vulgo pleriq; ajunt, idcirco se cupiditati rem augendi indulgere, ut ditiores ex sese natos reddant. Quorum morbum proprium esse, & ex necessitate non innasci, arguit inexcusabilis ava-

is avaritia eorum qui liberis carent. Multi enim cùm nec habeant multorum labore partorum bonorum successores, nec aliquando habituros esse sperent, pro infinitis liberis multas intra se cupiditates alunt, non habentes in quos conferant hujus morbi necessitatem. *de præmaturè mortuis infantibus.*

Chrysostomus: Radix, inquit, malorum omnium est avaritia: hinc pugnæ, hinc inimicitiæ, hinc bella, hinc contentiones, cõvicia, suspiciones, contumeliæ, hinc cædes, furta, sacrilegia. Propter hanc non civitates ac regiones modò, sed & viæ ipsæ, & qui habitatur, & qui minimè habitatur orbis, tum montes, saltus, colles, unóque verbo omnia sanguinis ac cædis plena sunt. Ac ne à mari quidem malum hoc temperavit, sed & illousque insanè admodum debacchans certa cum pernicie irrepsit, piratis illud undique obsidentibus, ac novum quendam deprædationis modum cõminiscentibus. Propter hanc & naturæ leges subversæ, & cogitationis instituta sedibus suis convulsa, & substantiæ ipsius jura corrupta sunt. Pecuniarũ .n. tyrannis nõ contra vivos modò, sed & contra vita jam defunctos, tales tamq; impias armavit dextras. Ac ne morte quidem interveniente ipsis recõciliatur: quinimò sepulchris perfractis cõtra demortua corpora scelestas impurásq; manus intendunt: ne eum quidem qui à vitæ hujus molestiis exemptus jam sit, sinentes à suis ipsorũ insidiis eximi. Jam quotquot invenias sive in domo, sive in foro, sive in judiciis, sive in curiis, sive in regiis, sive ubicunq; vis indidem mala omnia pullulare videbis. Hoc enim, hoc, inquam, malum est, quod omnia tum sanguine, tum cæde cõplevit: hoc gehennæ flammã incendit: hoc perfecit, ut civitates ipsæ nihilo meliùs, imò multò deteriùs haberent, quã loca vasta ac deserta. Nam qui obsessis viis insidias nobis struunt, ab iis cavere perfacile, utpote qui non continenter nos adoriantur: qui verò mediis in urbibus illorũ exemplum imitantur, tantò sunt illis pestilentiores, quantò difficilius fuerit ab his quã illis cavere. Quod enim illi scelus clàm & obscurè audent, hi palàm ac fidentes aggrediuntur. Nam quæ leges hac de causa latæ sunt, ut illorum tollatur malitia, eas illi leges ad sui auxilium cùm pertraxerint, hujusmodi cædibus ac sceleribus civitates cõplent. An non, obsecro, cædes ac cædem etiam deterius, esuriei pauperem addicere, in carcerem conjicere, atque adeò unà cum fame, qua tu illum confeceris, & tormentis item dedere, infinitisq; verberibus cædere? quamvis .n. hæc tu non facias, tamen si causa à te fuerit, qua causa ea fiant, facinoris auctor potiùs censeri debes, quàm quibus administris facinus idem peragitur.

Etenim parricida mucrone statim impacto, ad breve tempus dolorem inurens, tormentũ ulterius non intendit. At tu sycophantiis, vexationibus, insidiis, lumen illis tenebras reddens, eò fraudis ac calamitatis illum adigens, ut millies mortẽ sibi adfore precetur: cogitato, quæso, quot mortes pro una adferas? Et quod omnium gravissimum est, rapinæ atque avaritiæ incumbis, interim non paupertate pressus, non fame te ad id impellente, sed quò equi tui frænũ, domus tectum, columnarũ capita copiosè inaurentur. Hoc ipsum verò quãtam gehennã meretur? cùm tute fratrẽ tuum, qui videlicet bonorum arcanorum tecum particeps effectus, atq; eousq; à domino honoratus est tuo, in infinitas calamitates præcipitem agis, ut lapides, ut domus tuæ pavimentum, ut animantium ratione carentium, ornatũq; hujusmodi minimè sentientium, corpora exornes? Téne tam solicitam alendi canis curã gerere, hominẽ autem, seu verius dicam Christum ipsum, propter canem & ea quæ modò diximus omnia, ad summam famẽ adigi? quid hac confusione pestilentius? quid hac iniquitate lætalius? quot tandem ignei fluvii ad hujusmodi animã depascẽdam satis esse possint? Hem qui ad Dei similitudinem expressus est, pannosus indecorúsq; jacet per tuam inhumanitatem, muli autem uxorem tuam portantes, tum aũt pelles, & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt. Ac si sedile, si scabellum conficiẽdum est, ubiq; aurum, ubiq; argentum: Christi autem membrum, & is quem propter è cœlo ad nos Deus descendit, sanguinẽmq; preciosum effudit, avaritia tua ne necessarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt, sanctorũ verò corpora vel necessario operculo carent. Ac tibi minoris sit ipse Christus, quàm famulorum grex, quàm muli, quàm lectus, quàm sedile, quàm scabellum. Omitto enim vasa his etiam viliora, quæ ipsa quænã esse possint, vobis cogitandũ relinquo. *Hom. 11. ad Rom.*

Chrysostomus: Quid ergo oportet facere ad excutiendam avaritiam? Scire quàm res sint viles & abjectæ, & quòd Plutus, ita .n. Græcè dicuntur divitiæ, sit servus fugitivus & ingratus: & qui ipsum habent injicit in mala innumerabilia. Et ejusmodi verba eis assiduè decantemus. Et quomodo medici eos qui laborant, petentes frigidam consolantur, dicentes se præbituros; non dandi autem prætextum & excusationem afferunt, & fontẽ, & vas, & tempus, & multa hujusmodi: nam si repentè à furore retraxerint, efficiũt ut ipsi sint efferati: Ita nos quoq; faciamus in avaros & pecuniæ cupidos. Cùm dixerint, volumus ditari; ne dicamus protinus, malæ sunt divitiæ: sed assentiamur, & dicamus: Nos quoque hoc volumus; sed in tempore convenienti, sed veras divitias, sed quæ habent voluptates immortales; sed quæ colliguntur, & non aliis, sæpè autem etiam inimicis: & de philosophia rationes in medium adducamus, & dicamus; Non jubemus non ditari, sed non malè ditari. Licet .n. ditari; sed absque avaritia, & cum damno aliorum plura habendi cupiditate, absque rapina & violentia, & absque eo quod ab omnibus malè audias. Et ejusmodi verbis eos priùs lenientes, nondum loquamur de gehenna. Nam qui ægrotat, non protinus talia verba tolerat.

Quamobrem ex præsentibus de his omnia verba faciamus, & dicamus: Quid vis ex avaritia & plura habendi cupiditate dite scere? Ut aliis quidem recondatur aurum & argentum, tibi autem innumerabiles increpationes & criminationes: Et ut qui fuit quidem privat⁹, mordeatur ab indigentia rerum necessariarum, ejulétque & lamentetur, & tibi innumetabiles attrahátt accusatores, & cùm advenerit vespera forum obeat, in angiportis omnes conveniens, dubiúsque & anxius; & ne nocti quidem audens confidere? Quomodo .n. jam dormierit, quem mordet venter, qui vigilat, & quem obsidet fames; cùm sæpè sit gelu, & cadant imbres. Et tu quidem ex balneo lotus recedis, mollibus vestimentis amictus, alacris & lætus, & currens ad lautam, & opiparam paratam cœnam: ille autem ubique in foro à frigore & fame assiduè vexatus, circuit incurvatus, & manus protendens, & ne sine metu quidẽ audens satiato & refecto verba proferre pro alimẽto necessario; sæpè autem etiã probris & cõtumeliis affectus recedit. Quando igitur domum redieris, & in cubili recubueris; quando in ædibus fuerit lux splendida; cùm parata fuerit mensa, lauta & cibis lautis referta: tunc recordare miseri & infelicis illius; qui non secùs atque canes circuit in angiportis, & tenebris, & luto; & sæpè illinc abit, non domum, neque in cubile, sed in torum ex fœno stratum; sicut videmus canes tota nocte latrantes.

Et tu quidem si videris parvam guttam è tecto delapsam, totam evertis domum, famulos appellans, movens omnia: ille autem, jacens in pannis, fœno & luto, omnem patitur algorem. Quænam ergo fera his rebus non fraudatur? Quisnam adeò sævus & inhumanus, ut his non mitigetur? Sed sunt nonnulli, qui eò venerunt crudelitatis, ut dicant eos digna pati. Nam cùm oporteret misereri & lachrymari, & calamitatem simul sublevare & solvere; illi verò crudeliter & inhumaniter eos accusant. Quos lubenter interrogarem: Quánam de causa digna, die, quæso, patiuntur? Quoniam ali volunt, & non famè confici? Nequaquam, inquit: sed quoniam aluntur, cùm sint otiosi. Tu autem non in otio degens indulges genio, & vacas deliciis?

Quid verò, an non sæpè operaris opus otio gravius, ut qui rapias, vim afferas, & ut plura habeas alium fraudes? melius esset, si tu quoque te huic dederes otio. Sic .n. otiari est melius, quàm ut plura habeas alium fraudare. Nunc autem alienis quoque insultas miseriis & calamitatibus, nõ solum in otio degens, neque solum exercens operationem otio graviorem, sed eos quoque accusans, qui versantur in miseriis. Eis quoque narremus aliorum calamitates, immaturas orbitates, eos qui degunt in carcere & vinculis, eos qui discerpuntur in judiciis, eos qui sibi de vita timent, inopinatas mulierum viduitates, frequentes divitum mutationes, & hoc metu eorum animum molliamus. In iis enim quæ de aliis narrantur, eis persuadebimus. Nam cùm audierit, exempli causa, filius erat illius avari & rapacis: uxor illius qui fecit multa tyrannica, post mortem conjugis mala passa est innumerabilia; iis qui injuria affecti fuerint in uxorem & filios iriuentib⁹, & cõmuni bello undique excitato contra illius domũ: etiãsi omnium máximè nullo sit sensu præditus: ipse quoque expectans fore ut eadem patiatur & de rebus suis timens ne eadem eis accidant, erit modestior. Multis autem ejusmodi narrationibus plena est omnis nostra vita: nec deerit nobis hujusmodi correctio.

Quando autem hæc dicemus: ne dicamus tanquam suadentes, neque tanquam consulentes, ne sit molesta oratio: sed tanquam narrationem, & ex alia consequentia semper venientes ad hæc dicenda, & eos assiduè injicientes in has narrationes, non concedẽtes ut alia quã hæc loquantur. Quomodo illius domus, cùm esset clara & illustris, corruerit: quomodo sit deserta; adeò ut quæcunque erant in ea, in aliorũ manus venerint. Quàm multa quotidie judicia de his facultatibus sunt constituta. Quàm multi ex illius famulis, alii quidẽ mendicantes, alii verò in carcere sunt mortui. Et hoc dicamus tanquam ejus qui excessit miserentes, & tanquam præsentia despicantes: ut & metu & misericordiâ immitem ejus animum mitigemus ac molliamus. Et quando his narrationibus eos viderimus repressos ac coërcitos, tunc de gehenna sermonem inferamus; nõ tanquam eos terrentes, sed tanquam aliorũ motu misericordia: ea dicamus: Et quid dicere oportet præsentia? neque .n. ad hoc usque sistentur nostra: sed eos qui sunt tales gravius excepit supplicium, & fluvius ignis, & vermis venenosus, & tenebræ quæ non desinent, & supplicia immortalia. Sẽ his narrationibus eos incantemus: & nos ipsos & illos corrigemus, & ab ægritudine citò liberabimus. *Homil. 11. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Avarus ne fruetur quidem iis quas habet facultatibus. Nam quod amat ne voluerit impendere: sed lubentius seipsum consciderit, & carnes projecerit, quàm aurum. Qui autem pecunias despicit, hoc interim lucratur: quòd bonis quæ habet absolutè fruitur libereque ac secure, & se illis præfert. Quid est ergo jucundius, liberène ac secure frui suis bonis, an viventem sub dominis divitiis rerum suarum nihil audere tangere? Mihi enim videtur perinde esse: ut si qui viri duas habentes uxores, & valdè eas amantes, non eis utantur similiter: sed alteri quidem liceat & tangere, & cum uxore habere consuetudinem; alteri verò ne propè quidem esse. Dicam & alterum, alterius quidem voluptatem, alterius verò indicans animæ ægritudinem. Avarus nunquam hanc sistet cupiditatem: non solùm quòd non possit quæcumque sunt aliorum accipere; sed & quòd quæcunque apprehenderit ac possederit, se nihil habere putat. Qui autem pecunias contemnit, omnia existimabit superflua: neque infinitis cupiditatibus cruciabit animam. Nihil enim est quod rationẽ supplicii æquè habeat, atque cupiditas quæ non habet quo fruatur: quod etiam maximè mentem ostendit perversam. Considera autẽ. Qui pecunias concupiscit, & permultas acquisivit: is est affectus

perinde

perinde atque si nihil habeat. Hóc ne morbo potest aliquid esse magis perplexum? Neq; hoc solum est grave, & intolerandum: sed etiã quod cùm habeat, non videtur ea habere quæ tenet; & cruciatur, tanquam non habeat. & si omnium bona acceperit, magis angitur: & si centum possidet talenta, dolet quod mille non acceperit, & si mille, quòd non decies mille acceperit, mœrore afficitur; & si decies mille, quòd non decies totidem acceperit, discerpitur: & major acquisitio fiet ei major accessio paupertatis. Nam quò plura acceperit, eò plura concupiscit.

Quo ergo plura acceperit, eò magis fit paupet. Qui enim plura cõcupiscit, pauperior est. Cùm ergo centum habuerit talenta, non est valdè mendicus: mille enim cupit. Cùm autem mille acceperit, tunc fit magis pauper: non ampliùs enim mille, ut priùs, sed decem milliũ se dicit egere. Si autem concupiscere & nõ assequi dicis esse voluptatem: valdè mihi videris ignorare naturam voluptatis. Nam quòd id non sit voluptas, sed cruciatus; ad aliud rursus deducentes examinemus. Quando sitimus, non ideò bibentes voluptate afficimur, quòd sitim sedamus? & propterea bibere est voluptas, quòd nos à magno liberat tormento; à bibendi, inquam, appetitu. Hoc est cuivis perspicuum. Si autem in hoc appetitu essemus semper mansuri: quod ad supplicii rationem attinet, nihilominus cruciaremur, quàm dives ille non misertus Lazari. Nam illi quoque hoc erat cruciatus, admodùm parvam aquæ guttam concupiscentem non assequi. Quod quidem assiduè pati mihi videntur avari; & esse sicut ille, qui rogabat ut ea frueretur, & non assequebatur. Eorum enim anima magis ardet quàm illius.

Et rectè quidam dixit, avaros esse hydropicos. Quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore, magis uruntur: ita etiam avari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autẽ est: Neq; illi, in quibus convenit locis, aquam habent; neque isti cupiditatem in quibus convenit cogitationibus. Fugiamus ergo hunc alienum & inanem morbum: fugiamus radicem malorum: fugiam⁹ quæ adest gehennam. Est enim gehenna eorum cupiditas. Explica quidem certè utriusque animã; & ejus qui despicit pecunias, & ejus qui non despicit: & videbis: quòd hic quidem similis est furentib⁹, nihil volens videre nec audire; ille autem est similis portui liberato à fluctibus; & est omnium amicus, sicut ille inimicus. Nam etsi quis acceperit, non eum afficit molestia; & si quis rursus ipsi dederit, non inflat: sed est quædam apud ipsum libertas, omnem habens securitatem: & hic quidem omnibus assentari & simulare necesse habet: ille autem nulli: Si ergo avarus est & pauper, & timidus, & simulator, & dissimulator, & metu est plenus, & cruciatu, & suppliciis; qui autem pecunias despicit, fruitur omnibus contrariis: an non est perspicuum, quod virtus est jucundior? *Homilia 14. ad Corinthios* 1.

Chrysostomus: Amas avaritiam? age, ostendam quemadmodum te ipsa odit & aversatur, quàm multos enses contra te acuit, quàm multa fodit barathra, quàm multos suspendit laqueos, quàm multa parat præcipitia; ut vel sic amorem extinguas. Undénam autem hæc licet scire? à viis, à bellis, à mari, à judiciis. Nam & mare implet sanguine, & judicium cruentat gladios sæpè injustè, eosque qui noctu & interdiu in viis insidiantur ipsa armat, & persuadet ignorare naturam, facitq; parricidas & matricida: & omnia mala infert in vitam. Et ideò Paulus eam vocat ipsorum radicem. Ipsa etiam suos amatores non sinit meliùs affici, quàm eos qui metalla operantur. Nam sicut illi in tenebris perpetuò inclusi & vincti laborant inutiliter: ita etiam isti infossi in speluncis avaritiæ & pecuniæ cupiditatis, nemine eos cogente, sua sponte supplicium attrahunt, sibi insolubilia imponentes vincula. Et qui ad metalla quidem sunt damnati, adveniente saltem vespere solvuntur à laboribus: isti aũt & die & nocte improba hæc fodiunt metalla. Et illis quidem modus est constitutus laboriosæ illius operationis: isti autem nullam sciunt mensuram; sed quò magis foderint, eò majorem appetunt afflictionem. Si autẽ illi quidem inviti, isti autem volentes: morbi mihi dicis gravitatem; quòd nec possunt quidem liberari, si ne oderunt quidem mali perpessionem. Sed sicut sus in luto, ita etiam isti in avaritiæ fœtoribus volutare lætantur: graviora patientes, quàm illi condemnati.

Nam quòd pejus cum istis agatur; audi quid illis fiat, & tunc scies quomodo isti se habeant. Dicitur ergo terra illa è qua aurum effoditur, habere quosdam hiatus & recessus in tenebricosis illis speluncis. Reus ergo ille qui ad illos labores est condemnatus, propterea accipiens lucernam & ligonem, ita ingreditur, & infert gutturnium, ut inde lucernæ instillet oleum, propterea quòd sint tenebræ, & nec interdiu quidem luceat, ut dixi antea. Deinde quando tempus infelicẽ ipsum vocat ad cibum, ipse quidem tempus ignorat; qui est aut ejus & eorũ qui sunt in vinculis custos, spelũca supernè valdè percussa, pstrepitũ & vocẽ illam, iis qui inferius operantur, significat esse finem diei. Annon horruistis hæc audientes? Videamus aũt annon his graviora patiantur avari. Nam isti quoq; graviorẽ carceris custodem habent avaritiã, & pecuniæ cupiditatẽ; eóq; graviorem, quo cum corpore animã quoque simul colligat. Sunt etiã hæ tenebræ illis magis horrendæ. Non. n. sunt sensiles: sed eas intrinsecùs parientes, quocũq; eunt eas secum cõferunt. Illis. n. extinctus est animæ oculus. Quamobrem Christus omnium maximè eos pronunciat miseros, dicẽs: Si autẽ lux quæ in te est, sunt tenebræ; tenebræ quantæ sunt? Nam illi quidem apparentẽ saltem habent lucernã: isti aũt hoc quoq; splendore sunt privati, ideo quotidiè in barathra incidũt innumerabilia.

Et qui sunt quidem ad metalla damnati, cùm nox advenerit, respirant, ut qui in eorum qui interdiu affliguntur cõmunem adnavigarint tranquillitatem, noctem inquam. Pecuniæ autẽ amantibus tunc quoque portum obstruxit avaritia: tam multa etiam noctu graviter mente agitant; utpote nemine negotium facessente, cum omni otio seipsos laniantes. Et quæ hîc quidem aguntur, sunt hujusmodi: quæ autẽ illic, quænam oratio explicaverit? Fornaces intolerabiles, fluvios igne ardentes, dentes stridentes, vincula insolubilia, vermem venenatum, tenebras lucis expertes, & quæ finem nunquam accipiunt mala. Timeamus ergo, ô dilecti, timeam⁹ fontem tam multorũ cruciatuum, furorem iniatiabilem, nostræ salutis perniciẽ. Fieri. n. non potest, ut simul pecuniam servemus & animã. Discamus quòd terra & cinis sunt pecuniæ; quòd nos hinc excedentes deserunt: imò verò etiam antequã excedamus, resiliunt; & ad futura obsunt, & ad vitam præsentem. Nam & ante gehennã & illud supplicium nos quoq; hîc in bella conjicit innumerabilia, seditionésq; & pugnas excitat. Nihil enim adeò bellum procreat atque avaritia: nihil adeò facit mendicum; seu in divitiis, seu in paupertate apparuerit.

Nascitur enim etiam in pauperũ animis gravis hic morbus: nihil enim magis eorum attexit paupertatem: & si inventus fuerit pauper avarus; is non in pecuniis, sed in fame dat pœnas. Non. n. sustinet his uti modicis: sed & ventrem fame vexat, & totum corpus nuditate & algore cruciat: & semper cernitur squalidior & sordidior iis qui sunt in vinculis: & semper deflet & lamentatur, tanquam sit omnium miserrimus, etiamsi sint innumerabiles pauperiores. Iste si etiam forũ fuerit ingressus, abit multis acceptis vibicibus. Et si in balneum, si in theatrum: plura accipiet vulnera, non solum à spectatoribus; sed etiam ab iis qui sunt in scena; & quando viderit multas meretrices auro resplendentes. Hic etiam si mare naviget: mercatores & naves plurimis mercibus oneratas cogitans, & lucra infinita; se ne vivere quidem existimabit. Et si per terram iter ingrediatur: agros, prædia suburbana, diversoria, balnea, & quæ ex iis redeunt vectigalia reputans; existimabit de cætero ne vitam quidem esse sibi vitalem. Quod si etiam domi eum incluseris; quæ è foro accepit, vulnera refricans, apud se magis affliget animum: & malorum quibus premitur unum videt solatium, nempe mortem, & hinc migrationem. Hæc patietur non solùm pauper, sed etiam dives qui in hunc morbum inciderit, & eò magis quàm pauper, quò vehementior eum premit tyrannis, & major ebrietas. Quamobrem se etiam existimabit omnibus pauperiorem: atque adeò est pauperior. Non enim ex modo facultatũ, sed ex mentis affectione judicantur divitiæ & paupertas: atque adeo ille est omnium pauperrimus, qui plura semper concupiscit, & qui nunquam potest sistere ac compescere improbam hanc cupiditatẽ. Propter hæc omnia fugiamus avaritiam & pecuniæ cupiditatẽ, quæ mendicos efficit, animas perdit gehennæ amica, hostis regni cœlorum, mater omnium simul malorum: & pecunias despiciamus, ut fruamur pecuniis, & simul cum pecuniis fruamur etiam nobis promissis. *Homil. 23. ad Corinthios* 1.

Chrysostomus: Annon umbra & somnia sunt omnia præsentia, & umbra deteriora? Etenim priusquã appareant, recedunt: & priusquã avolent, magnam exhibent perturbationem, & majorem voluptate. Et si hic innumerabiles acceptas infoderit pecunias, cùm nox præteriit, hinc nudus recedit: & meritò. Nam & qui in somnis sunt divites, cùm è cubili surrexerint, nihil habent ex iis quæ videbantur habere dormientes. Ita etiam avari, & qui plura habendi laborant cupiditate. Imò verò non ita, sed longè pejus. Nam qui in somnis quidem est dives: neque habet pecunias, quas visione apprehendebat se habere; neque aliquo alio bono ab hac visione accepto, surgit. Iste autem, pecuniis quidem est privatus, peccatis autem, quæ ex pecuniis orta sunt, repletus discedit: & cùm quæ in divitiis oriuntur mala visione apprehenderit, ea non videt de cætero in visione, sed in ipsa rerum veritate. Et fuit quidem voluptas in somnis: quod autẽ ex voluptate nascitur supplicium, non utique accidit in somnis, sed in ipsa experientia: imò verò ante illud supplicium, heic quoque extremas dat pœnas; ut qui in colligendo ateratur innumerabilibus animi ægritudinibus, solicitudinibus, accusationibus, calumniis, tumultibus & perturbationibus. *fine Homiliæ 36. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Amantium meretrices similes sunt ii quos pecuniæ tenet cupiditas: imò verò turpiùs & magis indecorè se gerunt. Nam illi quidem in uno corpore sunt occupati, & in eo suum ponũt studium & operam: Avari verò de omnium facultatibus sunt similiter soliciti & curiosi, & pauperum, & divitum: & amant res quæ non sunt, quod est maximè signum improbæ cupiditatis. Non dicunt enim: Vellem habere hujus aut illius facultates, aut hujus & illius solum: sed & montes volunt esse aurũ, & domos, & quæcunque videntur: & ad alterum procedunt mundum: & hæc patiuntur in infinitũ, neque usquam à suo desistunt desiderio. Quis verbis poterit explicare illarum fluctus cogitationum, tempestatem, caliginem? Ubi autem sunt fluctus & tanta tempestas, quænam fuerit voluptas? Nulla: sed tumultus, & dolor, & caliginosæ nebulæ, pro aquis ferentes multam animi ægritudinem. *Homil. 37. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Avaritia & plura habendi cupiditas est corruptio omnium gravissima, inducens ad idololatriam. Hunc quidem aut illum per avaritiam fraudasti & plura acquisivisti: quæ per avaritiam quidem sunt acquisita corrumpuntur, manet autem avaritia, fitque corruptio causa corruptionis. Transit quidem voluptas quã frueris, manet autem peccatum in quod non cadit corruptio & interitus, verme ejus non moriente. *Homiliæ ad Ephesios capitis 24. fine.*

Ioan. Chry-

Ioan. Chryſoſtomus: Quo pacto avarus gratus eſſe jam poſſit? Cui habiturus eſt gratiam? Profectò nemini. Omnes arbitratur inimicos, omnia quærit accipere: & ſi omnem illi ſubſtantiam tribuas, nullas refert gratias: indignatur, quòd non plus habueris, multorumque eum feceris dominum. ne ſi orbis quidem totius, te donante, potiatur, ullas tibi gratias aget: nihil enim ſe accepiſſe putat. Eſt quippe peſtis hujus inexplebilis appetitus, neque à morborum concupiſcentiâ diſſimilis eſt: talia enim ſunt ægrotorum deſideria. Deniq; is qui febris coloribus uritur, impleri nunquam poteſt, ſed ſemper in deſideriis eſt. Ebrius item nunquam mero ſatiatur, ſed ſiti ſemper anhelat: ità & qui pecuniarum inſano tenetur ſtudio, deſiderium ſuum exatiare nulla opum poterit copiâ: quanta libet illi præſtes, nullas unquam tibi habebit gratias.

Habebit autem ei tantùm, qui ſibi quanta voluerit, dederit: id autem facere poterit nemo: neque enim habet modum cupiditas ejus, eſtque immenſa habendi voluntas: nulli igitur gratias aget. Nihil æquè ingratum ut avarus, nihil ità abſque ullo gratitudinis ſenſu eſt, ut pecuniæ cupidus: orbis ille totius inimicus eſt, indignatur quòd ſint homines.

Cupit enim deſerta eſſe omnia, ut omnium ipſe potiatur ſolus, & multa ſecum talia cogitat: Utinam vi terræmotus concuſſa & everſa civitate cunctisque oppreſſis, ſolus ipſe relinquar, ut fortunas accipere omnium poſſem: utinam peſtis præter aurum abſumeret omnia, utinam terræ hiatu, aut inundatione maris perirent omnia: & alia in hunc modum innumera cogitat, nihil boni verſat animo, ſolos terræmotus, & fulmina & bella atq; peſtilentias reputat, & hujuſmodi cætera contingere cupit, atque orat.

Die age infelix, atque miſerrime, & mancipiis omnibus vilior, ſi cuncta aurum eſſent, num ſacram ideo auri evaderes famem? Nonne vel fame confectus interires? Si terræmotu agitatus orbis funditus everteretur, non ideo pernicioſa hac concupiſcentia liber evaderes. Nam niſi homo eſſet in terris, unde tibi neceſſaria vitæ ſupperterent? *2. ad Timoth. Homilia 7.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Dic mihi non quovis febricitante eſt deterior, qui pecuniæ aut corporum captus eſt deſiderio? Non his eſt impurior, qui omnia turpia probroque ac dedecore plena agit & patitur? Quid eſt enim viro turpius qui tenetur amore pecuniæ? Nam quæcumque meretrices, quæcumque ſcenicæ mulierer non recuſant facere, ea nec iſte. Imò verò eſt veriſimile illas magis quàm hunc recuſare.

Res patitur ſerviles, adulans ita ut non oporteat: audax rurſus & confidens eſt ubi non oportet: ubique inæqualis. Viris ſceleratis, & ſenibus ſæpe corruptis ac pravis, longè ipſo & pauperioribus & abjectioribus, aſſidet aſſentans, & alii bonis & virtute præditis inſultans, & maledictis ac contumeliis appetens. Vidiſti utrimque probrum dedecuſque & impudentiam. eſt humilis abjectuſque præter modum, arroganſque & inſolens. Sed domi ſtant meretrices, & hoc eſt earum crimen, quod corpus vendant pecuniis. Sed paupertas, inquit, cogit & fames, etſi maximè ne hoc quidem ſufficiat ad excuſationem, poterant enim ali operantes. Hic ſtat avarus, non domi, ſed in media civitate, non corpus, ſed animam diabolo proſtituens, ut & coeat, & ad ipſum ingrediatur, & omni ejus impleta libidine exeat, & videt tota civitas, non duo aut tres viri. Hoc autem eſt etiam proprium meretricum, quòd ejus ſunt qui dat aurum, & licet ſit ſervus, licet monachus, licet quilibet, porrigat autem mercedem, excipiunt: liberos autem, etiamſi ſint omnium nobiliſſimi, ſine pecunia non admittunt.

Hoc hic quoque iſti faciunt. Rectas quidem cogitationes, quum pecuniam non habeant, averſantur: cum ſceleratis autem & impiis coëunt propter aurum, inhoneſteque & turpiter coëunt, & perdunt animæ pulchritudinem. Nam quomodo illæ natura quidem deformes & nigræ ágreſteſque, & craſſæ, & informes, & non rectæ figuræ, & omni ex parte turpes; ita iſtorum quoque ſunt animæ, quæ ne externis quidem illitis fucis deformitatem poſſunt contegere. Nam quando extrema fuerit deformitas, quidquid excogitarint, ne poſſunt quidem diſſimulare & utcumque imitari ac referre.

Nam quòd impudentia efficiat meretrices, audi Prophetam dicentem, Impudens facta es ad omnes, tibi fuit facies meretricis. Hoc etiam dici poteſt avaris. Impudens factus es ad omnes, non ad hos & illos, ſed ad omnes. Non patrem, non filium, non uxorem, non amicum, non fratrem, non ſervum, neminem, ut ſemel dicam, reveretur qui eſt ejuſmodi. Et quid dico amicum & fratrem & patrem? Ne ipſum quidem veretur Deum, ſed omnia ei videntur eſſe fabula, & fidet à multa cupiditate ebrius & ne auribus quidem quidquam admittens eorum quæ poſſunt ei prodeſſe. *Homilia 15. Epiſtola ad Hebræos.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Quomodo ſimiliter dicitur homicida, & qui parvos pueros interemit, & qui virum: ita etiam eſt avarus, & qui in multis, & qui in paucis fraudat quempiam. *Homilia 27. Epiſt. ad Hebræos.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Nihil avaritia fœdius, nihil immundius. unde id conſtat? Ex rebus ipſis ſcilicet. quid enim illa non inquinat? manus, animam, ipſamq; denique domum, ubi rapinis ablata reconduntur. *Homil. 3. Epiſt. ad Titum.*

Iſidorus Peluſiota: Præparci atque à largitione abhorrentes animi eorumque ſupplicia ad emendationem noſtram literarum monumentis mandata ſunt: ut illorum imitationem & exemplum fugiamus, cruciatuſque haud quaquam experiamur. Quapropter, ſi opes amamus, ac de hominibus bene mereri negligimus, ex divinis literis hujuſmodi hominem diuturno igni torreri cognovimus. *lib. 1. Epiſt. 340.*

Idem: Si avaritiæ veneno, quod quidem mali omnis radix eſt, teque ſenſibus omnibus ad ſe translatis, ad idolorum cultum incitat, captus es, vocem hanc divinitus traditam ipſi reſponde, Dominum Deum meum adorabo, & ei ſoli ſerviam. Atque illa quidem abibit: tu verò recepta meliori mente id aſſequeris, ut eo, quod ſatis ſit, contentus ſis. *lib. 1. Epiſt. 434.*

Idem: Ex iis qui habendi cupiditate flagrant, atque inferendis injuriis delectantur, qui peccare ſe ſciunt, graviter ægrotant: qui autem ne peccatum quidem ſuum agnoſcunt, perditè ac deploratè. Hoc ipſum enim non ſentire morbum in quo verſantur, inſenſibilitatis incrementum eſt, atque in perfectum ſtuporem ac mortem deſinit. Quocirca hos maximè fugere convenit. Malum enim inferre miſerius eſt, quam malo affici. Nam illis de animæ ſalute periculum imminet: his autem detrimentum in pecuniis conſiſtit; nec progreditur. Quin alioqui etiam duplicem mortem non ſentiunt. Imperfecti enim ac puerilis animi documentum præbent: Quandoquidem ii quoque qui tenera admodum aut puerili ætate ſunt, ea, quæ verè horrenda & pertimeſcenda ſunt, nihil curant: imò etiam manus perſæpe in ignem injiciunt, ſimulacra autem larvas ac ſpectra conſpicientes, metu percelluntur, & contremiſcunt. His porrò non diſſimiles eſſe videntur homines pecuniæ ac rapacitatis ſtudioſi: ut qui paupertatem quidem quæ non modò nihil habet; quod metuendum ſit, verùm etiam ſecuritatis omnis ac modeſtiæ materia eſt, pertimeſcant: iniquas autem divitias plurimi ducant, quæ tamen quovis igne magis timendæ ſunt. Siquidem dominorum ſuorum, & animos, & ſpes exurunt, atque in cinerem redigunt. *lib. 2 Epiſt. 257.*

Idem: Acris atque ad omnia audax pecuniarum amor, nec ſatietatem ullam ſentiens, animam eam, quam ceperit, in extremum malorum præcipitem agit. Quocirca maximè in primordiis eum abigamus. Nam ſi ſemel vicerit, nulla poſtea ratione vinci poterit. *lib. 3. Epiſt. 24.*

Idem: Cæteræ quidem penè omnes vitioſæ affectiones, & vigorem & ſenium habent, & ſatietatem agnoſcunt, atq; ad finem omni celeritate contendunt: at horrendus pecuniarum amor, cùm nobis à natura minimè inſitus ſit, verùm externè alicunde ſeſe inſinuarit, ſenium neſcit, ſatietatem contumelia afficit, lætitiam ignorat, finem capere minimè ſuſtinet: imò verò in dies vigens, vel, ut rectius loquar, vigorem ſuum augens, fortior ſeipſo & valentior atque acrior eſſe contendit. Neque enim adverſus duntaxat affectus certamen habet, ſed etiam adverſus ſeipſum, ut qui ſeipſum vincere ſummo ſtudio adnitatur. Etenim citiùs ea, quæ percipi non poſſunt, quiſpiam perceperit, quàm ille ſatietatem capiat. Siquidem incrementum, haud ſcio quo pacto, decrementum atque jacturam eſſe exiſtimans, ignem vehementius accendit. Quem quidem nonnulli animam quoque tuam deguſtaſſe aſſerunt. Hunc igitur quamprimùm extingue. Sin ſecus, tum hic inſuavem vitam duces, tum illic acerbas pœnas pendes. *lib. 4. Epiſt. 163.*

Idem: Qui animum ad virtutem acuunt, ut qui divinæ philoſophiæ nativa ſimulacra ſint; neceſſitate compulſi commercium cum corpore habent, rebuſque neceſſariis contenti avaritiæ tumultum ac moleſtiam, ut vitii omnis fontem, odio inſectantes, innumeris malis eximuntur. Qui autem ſolum corpus hominem eſſe inconſideratè arbitrantur (quorum in numero te eſſe nonnulli affirmant; ego verò minimè adducor ut credam) inexplebili opum amore laborantes, hoc ipſo quòd nunquam eos ſatietas capit excruciantur, atque irritæ cupiditatis œſtro perciti, ſeque perpetua inopia premi exiſtimantes, ea perpetrant, quæ perpetrare nefas eſt. Quocirca ipſos oportet, cum animo ſuo illud volentes, quòd & ampliſſimus cenſus, ſi cum immoderatis appetitionibus conferatur, paupertas ſit inventur, contraque ſi, quantum naturæ ſat ſit, ſpectetur, paupertas divitiarum rationem habet, hujuſmodi inſaniæ finem conſtituere. *lib. 3. Epiſt. 217.*

Idem Peluſiota: Etſi temulentiæ eorum, qui vini & pecuniarum rabie tenentur, ſpecies diverſa eſt (altera enim à vino altera verò à pecuniis profici ſcitur) at affectus tamen ſimilis eſt. Nam utrique eodem modo à turpi & abſurda cupiditate ſubacti ſunt. Siquidem & qui vini avidus eſt, quo plures calices exhauſerit, eo plures appetit: & qui pecuniarum amore tenetur, quo plura collegerit, eo magis cupiditatis fornacem accendit. Atque hic quidem in re illi ſimilis eſt. At verò alia rurſum ratione is qui pecuniæ ſtudio flagrat, ſuperiores fert. Nam cùm alter, & ſi omni reprehenſione atque condemnatione dignus ſit, tamen rem naturæ conſentaneam perpetiatur (vinum quippe cum ferviduum & ardens ſit, ac naturalem ſiccitatem augeat, ebriis ſitim accerſit) hic contra, qua de cauſa plura ſemper appetat, dicere nequeo. Nam cùm ampliores opes conſecutus eſt, tum demum maximè in paupertate verſatur. Inexplicabili enim hic morbus eſt, atq; ænigmati ſimilis. Quamobrem ſi cùm curatur ingraveſcit, ac per excogitatum remedium atrocius redditur, materiam ejuſmodi igni præbere deſinamus, ac priſtinam vel ſubitò vel paularim ſubtrahamus: ne alioqui inextinctum effectum, & hic nos in cinerem redigat, & illic ad nunquam extinguendum ignem nos tranſmittat. *lib. 3. Epiſt. 412.*

Idem: Corporum amorem, ut qui acris quidem sit, verùm celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus & pennis depingunt: quoniam libidinem inflammat, hunc rursum ob saturitatem avolat. At pecuniarum amorem nemo unquam aut fingere, aut scribere ausus est. Cujus rei hæc fortasse causa est, quia ne amor quidem est, sed insanabilis furor. Aut hæc fortasse, quia nec fingi nec describi potest. Neque enim quinquaginta duntaxat capita habet, ut fabulosa illa hydra; per quæ ad inexplebilem ventrem cibos transmiserat, nec insaturabilis illius portenti instar afficitur, nec denique Briarei in modum centum duntaxat manibus armatus est.

Quin ne pennas quidem habet. satiari enim atque expleri nescit. Quonam itaq; modo quispiam hujusmodi monstrum effingere aut pingere queat, cum quo Scylla comparata fidem invenisset, etsi alioqui incredibilis?

Verùm quoniam oratio quovis colore expressior est, ac quavis cera ad effingendum mollior, quantum licebit, eum deliniare conabitur: non quòd id perfectè atque absolutè consequi possit, sed ut belluinam ipsius & inamœnam insaniam ijs, qui eo capti sunt, invectiva oratione proscindat. Mihi enim puero haudquaquam similis esse videtur (non enim amor, sed perspicuus furor) verùm fœminæ cuidam (nam hoc quoque amentiæ ipsius atque improbitatis indicium sit) belluina forma præditæ, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuò sibilantes ac mortiferum venenum evomentes, sexcentas item manus unguibus abundantes, quarum opera & adjumento alios lacerat, alios sagittis impetit, ab aliis pecunias extorquet, ac denique sexcenta ora.

Neque enim minatur duntaxat, aut calumnias struit: verùm etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, & pejerat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat. Quin oculos habet, non, ut naturæ consentaneum est, cernentes, aut quenquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem, verùm asperum quiddam, & acre, atque crudele & inhumanm, igneumque obtuentes. Neque enim rerum naturam perspicit, nec illud animadverterit, quòd persæpe, cùm permulta moverit, ad hostium manus pecunias transmiserit. Unde etiam innumeras, ei, qui captus est, peccatorum notas inussit.

Porrò autem aures usque adeò septas & obturatas habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes habeat. Tantum verò ab eo abest ut pennas habeat (quæ saturitatem desinant) ut ne pedes quidem ipsi vir ullus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo qui captus est, secedere potest: verùm manus in omnes immittens, ferro quovis ac plumbo gravior insidet, atque ita comparata est, ut omnia quidem accipiat, atque omnes expilet, nunquam autem expleatur, verùm eorum, quæ accipit; multitudinem fomitis atque incitamenti materiam habeat, rerumque acceptarum finem accipiendarum initium efficiat.

Ecquis igitur acerrimo hujusmodi & inexplebili furore, atque innumera peccata & maledicta & dedecora, & intemperantias ac petulantias nobis conflante, capiatur? Ecquis animum inducat, tum in hac vita tam miserè vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat, & in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hic enim eos, quos ceperit, tyranno quovis acerbiùs torquet & excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum quidem interquiescere sinens, verùm graviorem ipsis pœnam inferens, quam ii luant, qui ad metalla (quæ atrocissima pœna est) damnati sunt. Nam illis confecto opere somno ac quiete frui licet: his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoq; sæva illa & inhumana edicta proponit. Hos enim ad latrocinia mittit: illos ad cædes perpetrandas.

Ac ne debitum quidem mortuis munus veretur, quod etiam barbari ac dæmones honore prosequuntur: verum adversus etiam mortua corpora nefarias eorum, quos obstrictos tenet, manus armat, novum & sceleratum latrocinii genus excogitans.

Quamobrem omnia ipsius vitia mente volventes, nempe quod belluina forma prædita est, atque tetra & inamœna, & ignem spirans, & inexplebilis, & oculis auribusque capta, & crudelis & execranda, & Deo invisa, & implacabilis atque crudelis (neque enim cum blanditiis atque obsequiis delinitur, aliquid remittit, verum tum potius efferatur cum maximè colitur) maximè quidem nullum non lapidem moveamus, quo ab eo minimè capiamur (facilius est enim non capi, quam, cur captus sis, effugere?) si autem nos capi contigerit, omnes nervos contendentes, ac divinam opem implorantes (hac enim sublata nemo ab hujusmodi captivitate abstrahi potest.

Multis enim talis pene est hæc captivitas, ut ab ea mergere ac revocari nequeant) quæstus quidem faciendi cupiditatem comprimamus, quæ autem collecta sunt, aut confertim, aut paulatim egentibus distribuamus. Nam hæc demum sola ratio est, qua ab hujusmodi captivitate revocemur. *Libro secundo Epistola 233.*

Idem: Ne molestè feras, optime vir, me adversus avaros linguæ mucronem stringere. Rem enim apertam & simplicem dicam, nec testimonium ullum requirentem. Usque adeo enim hoc morbo, devincti tenentur, ut ne morbum quidem esse existiment. Quemadmodum enim cœlestes cives, hoc est monachi qui in montibus degunt, ne hoc quidem sciunt, quid avaritia sit: sic nec isti non tamen eodem modo, sed planè contrario atque illi.

Nam illi, quia procul à morbo absunt, morbum ignorant: isti autem ne morbum quidem hoc esse arbitrantur. Sic enim virtutem improbitas propulit, ac tyrannidem exercet, omniaque sursum ac deorsum miscet, ut nec improbitas quidem esse existimetur. *lib. 3. Epist. 234.*

S. Asterius: Avaritia est non solum pecuniæ ceterorumque bonorum cupiditate fervere & ferri, præsentiaque aliis insuper cumulare velle, sed universe loquendo, qualibet in re plus quam par est aut adest, cupere & affectare. Et à Diabolo quidem peccatum hoc manavit, qui initio cum eminentissimam Archangeli dignitatem & ordinem obtineret, tyrannidem ac rebellionem adversus divinitatem molitus est demens, ac mox in aërem terræ proximum deturbatus, malus nobis & vitæ nostræ factus est vicinus; atque adeo neque divinitatem quam captabat adeptus est, & Archangeli quo fulgebat honorem amisit: servi instar infidi, qui temerariis ausis in latronem evasit; ac canis illius in gentium fabulis, qui & carnem perdidit, & umbram prendere non potuit. Post hunc, primus hominum voluptate pellectus, veritas sumpsit dapes, summoque excidit immortalitatis bono; sicut Esau propter pulmentum jure primogenituræ.

Sed & multitudinem hanc linguarum & idiomatum immoderata quorundam cupiditas in vitam nostram introduxit, qui felicitate nimia lasciventes cum pervium sibi cœlum fore credidissent, ridendamque ejus ad ascensum turrim moliti incassum essent tum ipsi cohibiti sunt & coërciti, tum pro consensu concentuque sermonis discidium ac dissensionem invexerunt, humanæque genti molestiam ex obscurarum sono vocum interpretandique laborem reliquerunt.

Jam verò Pharao, quâ re in tantas tamque varias calamitates incidit? nonne plus habendi cupiditate, dominandique peregino populo, qui nihil ejus ad imperium pertineret? Quid Absalonem mitissimi patris ferocem audacemque filium ad parricidium adegit? nonne intempestiva successionis regiæ, & aliena invadendi diripiendique cupiditas? Judam quid è catalogo Discipulorum expunxit, exque Apostolo prædatorem fecit? nonne cùm gazophylacii infida administratio, tum pretium infame, & denariorum aliquod propudiosum auctoramentum.

Ananiæ denique & Sapphiræ tristis unde & tragicus in Actis Apostolorum exitus? nonne quia suarum furto rerum propriorumque donariorum sacrilegio sese contaminarant? *Homilia de Avaritia, non longè ab initio.*

S. Asterius: Sicut ii qui aurum in sinu visceribusque terræ scrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum cumulatim repositam inveniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, sicut arborum à stipite late sese explicant ac diffundunt radices, ad eundem modum, imagine non minus impropria auri atque avaritiæ multa video germina multosque furculos una eademque stirpe avaritia conjunctos.

Hinc video filium capiti genituris imminentem, & absq; ulla vel venerandæ caniciei vel auctoritatis patriæ reverentia longiorem senis vitam indignantem.

Cum enim copiam ipsam omnem domi largiter supperere videt, cujus dominium penes ipsum non sit, eoque potiri ipse cupit & sui quoque juris fieri, gravis illi patria auctoritas ac potestas.

Et initio quidem intra silentium sese continet, atque recondidit morbum habet; aucta dein paulatim cupiditate, & animo jam tumente, repente malum prorumpit, non aliter quam è fistulis & canalibus aquæ vis.

Tum ille misero seni prorsus intolerabilis, vivumque tantum non effert ac valentem. si equum agiliter conscendit, miratur & stupet: si largius & ut bene sanus cibum sumit, fert ægrè secumque murmurat: si famulos ad opera & ministeria mane excitat, vigilantiam bonamque valetudinem senis gemit & dolet.

Quod si aliquando cimelium alicui donaverit, au servum manumiserit, tum nullius homo pretii, ac delirus audit; tum quasi vivendi regulam ac præscriptum transgressus, alienique prodigus ac profusus, convicii atque probris omnibus proscinditur, longioris

heu,

heu, vitæ & spiritus non statim amissi reus. Tui est scelerata avaritia fructus, tuo impulsu & incentivo filius parenti inimicitias denunciat: tu comples terram latronibus & homicidis, mare piratis, urbes turbis atque tumultibus, forum ac tribunalia falsis testibus, sycophantis proditoribus, advocatis ac judicibus eò propendentibus quo tu pertraxeris.

Avaritia mater inæqualitatis, immisericors, inhumana, crudelis, per hanc vita mortalium dispar ac discors, aliique satietate nauseant, & opes superfluentes velut cibum nimium evomunt: alii fame & penuria pressi, in extremo penè discrimine versantur. hi sub tecto recumbunt auro distinctis ac variegatis domosq; incolunt parvarum instar urbium, in quibus balneæ, porticus in longum porrectæ, & plures quasi domus, omnisq; magnificentia ac splēdor: illi contra ne duo quidem tigna quibus tegantur habent: cuique perdurare sub dio non possunt, vel ad caminos balnearū confugiunt, vel si in balneatores hospitibus inimicos inciderint, pariter ac sues fimum fodientes, necessarium sibi calorem procurant. O disparem vitæ conditionem inter hominem à natura dignatione pares! quæ quidem perturbatio rerum atque diversitas aliunde quam ab avaritia profluit. Ab hac est quod alius contra decorum penè nudus, alius præter innumeras ad usum corporis vestes, parietes ipsos purpura velat. pauper nec in lignea quidem mensa confringere panem potest: cùm mollis ille & delicatus fulgore latissimæ ex argento mensæ, quam opereductili fieri curavit, mentem & oculos pascat. At quanto fuerat æquius, illo lautè quidem & opiparè epulante, cæteraque delicias ad satietatem usurpante, mensæ pretium in alimenta pauperum converti? Alius ætate fessus & ingredi invalidus aut vitio aliquo claudus, asinum necessarium vectorem non habet: alius ipsos equorum greges ob multitudinem ignorat. huic oleum ad lychnum deest: ille solis luminibus & candelabris censeri dives potest. hic quidem in solo nudo procumbit; ille vero divitiis laborans in lecto se resupinat circumquaque fulgente, argenteisque sphæris ac catenis vice funium exornato. tales nimirum inexplebilis avaritiæ effectus. absque ea esset, neque foret hac in vita mortalium inæqualitas, hoc dissidium, neque tam variis cladibus atque calamitatibus insuavis ea nobis ac lachrimabilis redderetur. *Homilia de Avaritia.*

S. Asterius: Avarus propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuq; sollicitus & cogitabundus, secum ipse loquens ac disserens, eorum more qui mente excidere & in insaniam lapsi sunt. denique cùm omnibus abundet, tanquam omnium egenus ingemiscit: præsentibus non fruitur, quæ absunt anxiè quæritat: propriis non utitur, & ad aliena oculos adjicit. Multi in istius, inquit, grege agni stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota teguntur. ac si pinguem & bene habitam ovem vicini viderit, misso proprio grege, in unam & alienam illam cupiditate fertur. atque ita quoque de bubis, equis, agris. omnium copia rerum ædes coangustat, sine usu, sine fructu: nullum enim percipere fructum voluptatis potest qui, quis insatiabilis, est; domus ejus similis conditoriis sive sepulchris, quæ sæpe plena sunt auro atque argento, cùm qui utatur existat nemo. Corpus avari non alitur: anima nihil lucratur, quia non exuberat è dextera ejus eleemosyna. Multos equidem ipse vidi qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament & æstiment. nam si forte medicus remedium eis parabile præscribit ac parvi pretii, ex apio puta, thymo, vel anetho, quæ passim obvia sunt & parvo comparantur, sine mora consilio obtemperant: si verò medicamentorum ejusmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolo vel ex unguentaria petenda cùm mente & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.

Hos tales publica communisque felicitas molestia afficit ac dolore damna contrà ac clades delectatione & gaudio. exoptant graves & intolerabiles indici pensitationes ac tributa, quo grandiore per eam occasionem fœnore pecuniam suam occupent, aventque videre miseros aliquos à fœneratoribus oppressos & constrictos, ut eorum agros, instrumenta, aut pecora vel jumenta parvo per necessitatem ære projecta acquirant. Frequenter autem Philosophorum instar circa Meteora versantium in cœlum suspiciunt, non ut sideris alicujus ortum aut planetæ domum scrutentur, sed ut aëris constitutionem considerent, & an apparentia signa largiores imbres aut siccitatem denuncient. ac si pro spe sua multis malum imminere animadverterint, aliena lætantur infelicitate. Omnia undique summo studio in horrea sua congerunt & coacervant, obsignantque singula ac duplici communiunt sera, dimetientes sine fine & supputantes. inter hæc & dum ista spe titillatur, & quasi per somnium & imaginariis opibus avarus ditatur, si nubes aut nebula crassa supervenit, exterretur ac si periculum ingens ipsi immineat. quod si minutula pluvia terram aspergit, sublachrimari incipit: si magna aquæ vis & siccitati tollendæ par ingruit, extremus eum luctus occupat, jamque non minus sollicitè, quam si filius periclitaretur remedium passim quærit modumque & rationem frumenta à tabe & vermibus diutissimè servandi. ac si jam æstuare animadvertit & calore corripi, pro medicorum instituto refrigerare studet, eoque tum excutit & expandit, tum meridie excogitat, quod circa noctem rursus amovet, ut auræ nocturnæ aspirare liberius queant. In his laboribus ac molestiis si pauper cum adit ac periclitantis aliquid frumenti rogat: nimia ejus caritate aut nihil dabit, aut parcè & semianimus dabit. *Homilia de Avaritia.*

S. Asterius: Miseratione dignus quilibet avarus, etiam ille qui delicias non abhorret, qui beatam vitam, voluptate ventris aliisque definit, eumque finem hominis præcipuum putat: multò magis & omnium quidem miserrimus, qui illiberalis atque sordidus qui cum suum defraudat genium, tum unus occupat per quæ pluribus bene pulchreque fuerit, sine ullo tam exactæ continuæque diligentiæ fructu vel fine. Quis enim ignorat propter seipsum, exceptis virtutibus, nihil fieri, sed ut aliud ex alio procedat ac sequatur? nemo certè quisquam solius caussa navigationis mari se committit: nemo propter ipsam agricolationem in labore ætatem agit, sed liquidò constat quod certò uterque scopo molestias istas subeat, alter nimirum uti fruges uberemque messem colligat; alter ut transmarinæ negotiationis divitias referat. Tu verò dic sodes, quidnam spectas, & cur sic omnia undique corradas, opesque exstruere inutiles studeas? delectat me, inquies, aspectus. atqui ratione alia morbo tuo indulge: nam alienis etiam bonis sedare desiderium hoc potes. si te capit & argenti fulgor, in officinis fabrorum argentariorum assidenti coruscantem argenti lucem contemplari licet, aut circa forum & loca rerum venalia, ubi disci lances, aquales, & omne genus expolita vasa animum oblectare, liberum hoc & gratuitum spectaculum. Quin etiam spectare eos potes qui argentum examinant pecuniamque in mensis perpetuò contrectant atque dinumerant.

Imò verò rectis potius obtemperans monitis pravum hunc appetitum exues animumque mutabis. facilis enim correctio, cùm avaritia non sit naturalis aliqua necessitas; sed impetus & voluntaria quædam affectio, quam non difficile deponere iis qui consultum sibi volunt. Mitte cogitationem in futurum ævum, quando non eris, quando pauxilla terra corpus tuum ex porrectum omnisque sensus expers habebit; & paucorum tabula palmorum reliquias tuas teget. ubi tum opes, ubi tanto collecta studio cimelia? quis bonorum abs te relictorum hæres? nec enim is omnino quem tu tibi destinas, certus erit successor. si liberi tibi superstites, forte ab avaro tuiq; simili circumscribentur, injuriâ afficientur ac flentes patriis ex ædibus expellentur.

Quod si liberorum expers, amicorum aliquem hæredem instituis, non est cur testamenti tabulis magnopere confidas, tanquam certæ & definitæ legi, tanquam rei minime controversæ, cuique contradicere nemo possit. parva res scriptum irritum facit. nonne vides ut apud tribunalia super testamentis assiduè litigetur? quot ea modis & quibus artibus per jurisperitos, advocatos, oratores, ac falsos qui ad hoc aluntur testes, perque judiciorum nundinationes oppugnentur? ex his certè quæ vivo te & vidente fiunt, conjecturam facere debes de his quæ post te futura. Si tibi divitiæ bene & innocenter partæ exemplo beati Iob, bene eis utere: si male ac per nefas quæsitæ, solve quasi captivas, suisque dominis quibus per injuriam ablatæ, vel quales ad te per venere, vel etiam cum auctario, velut Zachæus, repone. si nullas habes, noli per malas artes acquirere. alioqui enim obeuntem ac necessarium ingredientem iter, triste peccati viaticum persequetur; bonisque à te relictis alieni ignotique fruentur. *Homilia de Avaritia.*

S. Asterius: Missam facio veterem historiam, cottidianamque, vitæ experientiam interrogabo, cujusmodi fera sit avaritia, quàm egregiè quos semel prehenderit elabi sinat, ut vegeta semper & valida, numquam debilitetur ac desinat, sed cum iis quos sibi subjecerit consenescat ac perennet. Libidinosus amatorq; corporum, ubi jam longam insaniam insanivit remissionem finemque morbi tandem invenit, vel postquam senilem ipse ætatem attigit, vel cum eam quam amat exoletam videt ac floris extincti. Gulosus ventris voluptatibus aliquando renunciat, sive quando jam satietas eum cœpit, sive cum stomachus cæque partes quibus cibum concoquendi vis ac munus, imbecilliores factæ desiderium & appetentiam illam hiantem sedarunt.

Ambitiosus postquam in multis se jactavit theatris, spectari tandem velle & inanes flare glorias desinit. Verum Avaritiæ morbus ejusmodi malum est, ut vix unquam eo liberari possis, & quemadmodum hæc semper virens atque frondens hedera adsitas irrepens arbores validè circumvolvitur & adhæret, ac ne ramis quidem fatiscentibus aut arefactis recedit, nisi quis flexus istos & anguineos quasi gyros ferro secet, ita nec avari mentem, sive juvenis hic sive senex in libertatem facile vindicaris, nisi sobrio prudentique consilio, velut machera, morbum discideris. *Homilia de Avaritia.*

S. Asterius: Hinc homines naturalem erga homines charitatem exuunt: hinc ferrum acuunt acieſque instructas inter se arietant, summaque cum immanitate tanquam belluæ depugnant. Cætera deinceps quis enumerabit? muri validi & excelsi machinis conquassantur, urbes expugnantur, conjuges abducuntur, liberi in servitutem rediguntur, agri vastantur & uruntur: arboribus ipsis, tanquam injuriam intulerint, haud temperatur: cædes fit magna juvenum ac virorum. riviq; sanguinis à strage cadaverum profluunt ac volvuntur: facultates denique & fortunæ qui vincuntur, præmii loco victoribus cedunt universæ. quid deinde viduarum lamenta, pupillorum fletus, & parentes suos & libertatem amis-

sam elugentium. qui nudus terrius multarum magnarumque divitiarum possessor, tum frustum panis protensa dextra mendicat: qui servos complures habuerat textores ædesque vestibus refertas, lacero detritoque male tectus panniculo servitutem ipse servit, & aggerere aquam, equili stercus abradere, & hujusmodi fœda ministeria subire cogitur. alia sexcenta mala sunt, quæ summatim oratione complecti, impossibile: omnium autem eorum caussa ac radix plus habendi cupiditas, & iniquus alienorum bonorum amor. Hanc affectionem si quis hominum pectoribus extegerit, nihil erit quod vetet, quin & in alta pace tranquillè degamus, & omnis prorsus exulet & è vita nostra contentio, terror, atque perturbatio: quin protinus naturalem ad charitatem & amicitiam redeant omnes. *Homilia de Avaritia sub finem.*

¶ Sententiæ Patrum Latinor.

Zeno: Nec singulare, nec frivolum crimen est fratres, vel maximè Christianum, cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum miserabiliter ad ima deferri. sed quia inextinguibilis pestis incendio totus mundus exarsit, avaritia, ut putatur, crimen esse desiit: quia neminem, qui se possit arguere, derelinquit: omnes enim passim furore insatiabili turpes præcipitantur in quæstus: nec quisquam prorsus inveniri potest, qui ei saltem vel uno momento justitiæ frænos imponat. inquietâ semper exæstuat: sævit: pugnat: rapit: congregat: servat: sui tenax: appetens alieni: non suo, non alieno, non ipso orbe contenta. totum possidet: & de inopia quæritur semper. Denique ad sua nunquam pervenit vota. quantum fuerit auctor, fit tanto miserior: expers otii: expers satietatis. per fas, atque nefas artibus multis modis, ac versutiis armata bacchatur, salutis suæ, alienæque contemptrix: solum metuens, ne desit nulli, quod radat. Inde est, quòd universæ nationis mutuis cadunt per momenta vulneribus: concussæ gemunt urbes: delera rura respirare non possunt: maria plus prædonibus sæva sunt, quàm natura. observatæ gladiis vitæ humano cruore pinguescunt. testamenta hæredes incognitos ex se recitari mirantur. amica sub fallacia manus innoxias animas securè conficit ebibita veneni tempestas. sepelitur nova odii rabie ante, quam nascatur, matris jam non in utero, sed sepulchro incognitum pecus, quod legitimam nec mortem potuit sentire, nec vitam.

Rectè igitur Apostolus ait? Radix omnium malorum est avaritia hac enim matre eademq; magistra, universa quæ diximus sed & alia multa immo omnia undiq; sine pausa, quæ scaturiunt, mala nascuntur, atque concelebrantur: quæ condemnare falsò humanitas gestit: Camelum enim glutiens culicem liquat: rejicit stillas criminum, & avaritiæ, unde criminum fluenta funduntur, ebibit fontem. Huic non jura, non leges, non honor ullus obsistit: quia per hanc credit: hanc excolit: per hanc hoc sibi nomen invenit: non sanctitas, non munitio: quia nihil est tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit: non necessitudo sanguinis, non amicitia: non suo merito, sed auri, argenti, facultatumque beneficio quis aut amatur, aut odio est. Denique hæc est causse, quod fratrum pia nomina plerumque magis gladii amica videmus esse, quàm sibi: quòd parentes opulenti abolita sui nominis sanctitate, filios suos non sine utriusque dedecore patiuntur errare sui pi triviali subjectos: quod liberi parentum vitam sua damna judicantes, injecta violenter manu ipsi naturæ, invasis hæreditatibus ante tempus parentes suos compellunt vivere miseriæ, facultatibus mori. Proh nefas. Quid tibi tua tollis infelix? Quid extraneo facias, qui in te avarus es?

O detestabili detestabilius malum, invicem dum expoliant, persequuntur, fallunt, hostes probant, prædones laudant, latrones excusant: nec sui unquam venit in mentem, non esse humanæ potestatis crastinum diem, ac ne ipsum, quo res agitur: quia quod volvitur semper, in momento quid afferat, dubium est. sed oculis patentibus cæci dilatant horrea: terras angustant: jungunt saltibus saltus: & si orbem totum possideant, fines oderunt: illicitum putant habere vicinum: construunt prædia: sepulchra defodiunt: timent omen, qui non timent mortem. si sic interempti plerumque jacent canibus, alitibus, feris que donati, ubique dispersi, utrobique deperditi, semesis ossibus etiam suis carnibus nudi. Conspicite rem avaro condignam. ille ille amplum, qui habuit censum, exiguum non habet tumulum. quos propheta egregius hactenus increpat dicens, Quid profuit nobis superbia? aut quid divitiarum ambitio contulit nobis? transierunt ista omnia tanquam umbra. sed & Dominus ipse dicit, quid prodest unicuique lucrari mundum, & animæ suæ pati detrimentum?

Inunc insatiabilis homo: & in detestabilis congestionis lucra letifera etiam ipsa elementa novis artibus coge. licet radient tibi pretiosorum lapidum discoloribus formis referta penetralia, gemat terra sub pondere argenti, auro ardens tota domus pugnet sua flamma cum sole honorumque exinanitus à te gradus non inveniat, quod tibi præstet, meminisse tamen debes, quia mors non timet nec divitias, nec honores. O cæca mens hominum, quàm varie unam tamen contendit in mortem pauper, cum opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: Dives cum divitias putat se non habere, quas habet. in uno nititur avaritia: bacchatur in alio: in utroque crescit: in utroque non desinit. Veruntamen eos unō momentō exigua humus & peræquat, & satiat, quod cum tota ambitione sua non potest aurum. Hinc unus pecuniam suam tamquam hamum proponit, ut facultates ad se attrahat alienas: quam peregrinantem ferali supputatione nutrire non desinit, ut summam quærat, non quam commodatio dedit, sed quam ei pepererint armati numero dies, menses, & digiti.

At plerumque cum sua sibi industria fœnerator etiam ipse nudatur, ei cum casu aliquo fraus, inopia, fuga, mors extorserint debitorem: avaritiæ enim naturale est, ut avariorem faciat: plerumque plus tulit avaro, quàm præstat. ac sic sæpe contingit ut meritò perdat etiam sua, qui desiderat aliena. illic alius vias viantibus cludit: arcet ab herbis, arcet à sylvis: arcet ab aquis. Et quidem copiosis vacantibus plurimis negat hominibus, quod avibus, serpentibus, feris non potest denegare. mera profectò vesania est, beneficiis invidere naturæ. Alius inde rerum omnium captat annonam: aucupatur distrahendi tempus, minor in mensura, major in pretio: negat se habere, quod distrahat, ut rogetur, ut jugulet. atque utinam incorrupta species venderetur. ingemiscit præterea, si annus est sterilis, multò magis, si fertilis fuerit: illic, quia parum distrahit: hic, quia non solus. Vultis scire, quantis sit tenebris obvolutus? irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus dives.

Benè benè, cum quis quærit aurum, invenit gladium. Inter hæc nemo considerat conditionem fragilitatis humanæ: nemo hostem: nemo fiscum: nemo latronem: nemo domesticum, qui cognitione secreti est omnium pejor: nemo imminentes diei judicii flammas, per quas omnes nudi transituri sumus. Solum colitur, de quo dictum est, Idola gentium argentum, & aurum: pro quo quis aut jugulatur, aut jugulat. Vellem scire tamen, tanta ejus rabies quid voluptatis habeat: suo cultori quid præstet? Febrem non extinguit, morbos non discutit: vulneribus non medetur: dolores non tollit: mortem non repellit: nisi quod sanos occidit. nec manducatur aliquando certè nec bibitur: nec in inferno cum suo prædone descendet, solum quòd oculos infelices, inanemq; conscientiam ad hoc in maligni fulgoris cupidinem diram spe potiundi præcipitat, ne gratis homo videatur occisus. *Serm. 1 de Avaritia. p.*

Zeno: Avaritia quàm facilè arguitur ab omnibus, utinam possit tam facilè non amari: est enim artifex, ac dulce malum, & hominibus universis semper infestum. Denique non habentibus divitias habendi injicit cupiditatem: habentibus adimit satietatem. ita omnes in rabiem una tempestate præcipitat, ut ubinam sit major ignores. Est atem similis igni arida pabula depascenti: quæ nisi finiant, non finitur. Hanc mediocres fraudibus excolunt: divites in potentia: judices gratia: diserti mercenaria, ac duplici lingua: reges superbia: negotiatores astutia: inani pauperes voto: cultores Dei odio simulato: totæ autem gentes, universæque nationes gladio per orbem totum vesana bacchatur novis, ac variis artibus fervens: nunquam quieta, non die, non nocte, non bello, non pace: nunquam satur: lucrorum enormitate miserior. novum calamitatis est genus, quod tantummodo crescit: senescere ignorat. Non illam parentum pietas frangit: non dulcedo liberorum: non conjugalis affectus: non chara germanitas: non jus amicitiæ: non tener pupillus: non dura viduitas: non miseranda paupertas: non Dei contemplatio: ecce enim his omnibus, prout potest, variis artibus aut adulatur, aut nocet. si quid habuerint, tantum ut tollat. Cui autem parcat, quæ & mori momentis omnibus, etiam frivolo ac turpi lucro festinat?

Quid igitur miser homo auri, argentiq; metallo incensus vana cupiditate, vana curâ torqueris? Quid talentorum magnas struis congeries? Quid hic remansura pervigil solicitudine cassa nec tibi ipsi inde aliquid concedendo illibata custodis? Insuper de inopia quereris. qui quod habes, nescis. quicquid feceris, nihil horum tecum ad infera portabis: quod enim naturæ est, de loco ad locum transferri potest: ei autem subtrahi non potest. Deniq; aurum, argentumq; penitus quod eruitur, magnopere terræ viscera iterum celandum terræ mandatur: etenim res est, quam habere falsum est gaudium. certissimum periculum publicare. Sed nō opus est ire per singula, cum uno exemplo noscantur universa ejus mala, propheta dicente, Idola gentium argentum, & aurum. Unde apparet eum, qui diligit aurum, & argentum, non tantum deos colere, sed eorum mores & actus imitari. *Sermone altero de Avaritia. pr.*

Zeno: Deus odit avaritiam: est enim libido profunda: cupiditas cæca, tempestas insana: rapacitas sine fine: solicitudo sine requie: ad sua nunquā perveniens vota: quia satiari non novit: fidem frangit: charitatem negligit: justitiā negat: nō cognoscit affectus: jura divina contemnit, humana versutis argumentis excludit, orbē totū, si possit, ut rapiat. Vultis scire quale calamitatis sit genus? sane plus in eum, qui eam dilexerit, sævit: quam qui vicerit, habebit, vitam æternam. *Sermone 3. de Avaritia.*

Zeno: Largitus est Deus imbres uberes agris hominis avari: solem præstitit ad nutriendas segetes, multiplicandasque fruges, ut acervos divitis augeret in omnibus, moderata temperies. Igitur, quæ à Deo præbentur etiā ingratis, ista sunt: Terræ fœcunditas, aëris temperies, fructuum lætitia, bovum subsidia, & omnia, quibus anni proventus secundis successibus adimplentur. Quæ verò ab homine procedunt, qualia, quæso, sint, videamus: Angustus animus, & parum putans omne, quod nascitur, cuivis abundantiæ deesse aliquid computans: tum deinde inhumanum propositum impartiendi cuiquam causam nullam idoneam putat. Videi, beneficiis divinis dives quàm ingratus exstitit. Communis hominum naturæ non meminit: æquū non putat saltem ex superfluis suis aliquid egentibus impertiri, mandati immemor: Nusquam non esset benefacere indigenti. *de duplici tentat.*

Zeno

Zeno: Nullus est nostrum, qui non momentis omnibus elaboret, ut plus habeat, quàm habebat: quod cum nititur, avaritiæ utique partes agit: quæ est inimica justitiæ. Adeò inde est, quòd frumento paucorum horrea plena: est inanis plurimorum venter. Inde populis deteriora mensuris pretia, quàm inopia. Inde fraus, perjurium, rapinæ, lites, ac bella, quotidie mugitibus alienis quæritur lucrum: & præscriptio industria vocitatur: & appetitio rei alienæ sub prætextu propriæ defensionis, ac diligentiæ callidissimis argumentis urgetur: ut quis indefensus, aut innocens, quod habet legibus perdat: quod est omni violentia deterius: quia illud, quod vi eripitur, nonnunquam repeti potest: quod legum circumscriptionibus, non potest. Glorietur, qui volet, ista justitia: veruntamen sciat, quia miserior, qui miseriis ditatur alienis. Quisquam ne justum putet, qui utilitatem rei familiaris pietati præponit? qui hominibus fame laborantibus, ac nuditate, pascit tineas, curculiones, ac vermes? qui, quod habet infelici tenacitate non aliis tantum, sed etiam sibi ipsi subducit? Sed inquies, justum est, ut mea servem: aliena non quæram &c. *Serm. de Justitia, post med.*

Chrysologus: Miserum, quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere mendicum. Humanus ager inhumanum dominum sustinebat: & quod terra fundebat largiter, concludebat & congregabat angustè: ut esset alienorum custos, qui esse suorum noluit prorogator, ingratus Deo, sibi nequam: hostis pauperum, divitum nota, carcer naturæ. *Serm.* 104. *p.*

Chrysologus: At nunc catenæ horreorum tuorum strinxerunt fauces pauperum: vinxerunt hospitum colla, esurientium viscera contriverunt: unde pauperum te præcedunt gemitus, & sequuntur, accusant te hospitum luridi vultus: te turba impetit plangens petentium: ut addictus ac superno judice facietatem pœnarū capias, qui horreorum tuorum seras negando cæteris tibimet conclusisti. *Serm.* 104. *m.*

Chrysologus: Avaritia parentes negat, germanos dividit, separat socios, amicitiam solvit, excludit affectum, hanc qui intra se habuerit, erit nullius, suus non erit. *Sermone* 162. *fine.*

S. Valerianus: Compesce avaritiam, & non dubiè de omnibus vitiis poteris obtinere victoriam. *Homilia* 16.

S. Valerianus: Radix omnium malorum est cupiditas, & verè, si respiciamus ad singula, quibus ab initio vitam suam habendi studio conditio humana constituit, nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiat, aut parturiat, aut pascat, aut nutriat. Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum causas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Nemo ergo singulis infirmitatibus proprii doloris crimen adsignet. nam cùm omnia vitia constent nominibus suis, pendent tamen sceleribus alienis.

Videmus igitur superbiam vanitatis tumore componi, & humillimum quemque arrogantiæ contagione moveri: quem si inter æquales positum fortè respicias, alium judicas esse quàm fuerit: ita elatum verbis incedere, & tumenti aspectu adspicias ad cœlum collum portare, ac paupertatis beneficio diu clausum iter linguæ, verborum munire ponderibus: atque in tantum fastidiosi oris verba disponere, ut cùm ipse velit loqui, alium nolit audire. sed hæc quamvis sint per se gravia, constat illecebris cupiditatis animari. cessetque deniq; divitiarum pompa, & non tam facile invenies qui superbiæ laboret invidia. Ecce, armatur vicinitas frequenter ad litem. unde est, nisi quod hic fortè terminos transcendere, & cespitem juris alieni cogitat occupare.

Fit primum in hoc loco dē propietate contentio, & dum suam quisque cupiditatem verbis fovet, stimulum litis accendit. crescit postmodum de contentione causatio, atque utinam hoc solum sufficeret cupiditati. Illud gravius est, quod dum nemo vult inchoatæ calumniæ facere jacturam, pervenitur ad rixam. armantur servi, incitantur propinqui, & in alterius lucrum pectus opponitur alienum. Animatur vino furor conductus, & effusus sanguinis fit pretium possessionis.

Aperitur postmodum legibus forum, & dum ultionis locus quæritur, congeminatur homicidium. Videmus etiam sæpe acies cupiditate componi, dum aut hic vult videri ditior, aut ille erubescit esse pauperior. quibus inter se æmulantibus, periclitatur interim vicina possessione consortium, dum quærit quis primum invadat, & cogitat ut immune possideat. ita fit ut dum cupiditas quærit augmentum, patrimonium vacillet alienum. Quare non cogitant illi sententiam quæ dicit, stulte hac nocte à te requiretur anima tua: hæc quæ parasti cujus erunt? Et verè, nihil est stultius quàm quærere dubia & adquirere peritura. quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solum congregantur ut pereant? certe te moriente remanet cespes avaritiâ propagatus, relinquitur ampliata possessio: & quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura. Sed dicis: lego parentes filiis thesaurizare debere. Ex hac ipsa sententia poteris agnoscere quid profecerit pietas tua. Ecce ad alium transeunt divitiarum tuarum ornamenta, & tecum remanet pervasionis invidia: apud alium facultatum tuarum pompa resedit, & tecum pœna migravit.

Stultitiæ genus est, aliis feciſſe lucrum, & sibi parasse supplicium. Sed nec longo intervallo cœlestis sententia districtionis sua exerit potestatem. nam quodam modo per gradus ad ultionem quandam præteritorum actuum vitiorum incrementa succedunt. Denique hic parricidali animo, aut patris vitam increpat, aut matris mortem exspectat. Tueatur illum forte ab hoc crimine causa debitæ hereditatis. verum est, sed quamquam legitimus heres sit, non sine cupiditatis vitio successionis vota componit. vellet denique unicus esse, si posset. modò de patris morte cogitat, modò de fratris vita suspirat: non est hoc sine grandi scelere impietatis. nam quicumque parentivæ mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hereditate succedit: in quo loco nutriuntur cupiditatis impulsu inter coheredes odia. Nec dum funus effertur, & jam testamenti fides, juris interpretatione vacuatur. alter de subscriptione patris disputat: alter de fratris persona desperat; hic adstruit scripturam non stare testibus: ille adsignat testamentum non convenire temporibus. ita vacillat prædium in collusione causarum; & quod acquisivit avaritia parentum, perdit cupiditas filiorum.

Enumerari non potest quantis modis cupiditas sæviat. Ecce ubi testamentum profertur, statim de falsitate cogitatur. quæritur quis mutum audierit loquentem; quis mortuum heredes noverit ordinantem. nec difficile est, quod pejus est, cuiquam invenire personas aut scelere conjunctas, aut pretio comparatas. imitatur hic infelix subscriptionem manus alienæ: ita scripturam quam testator non instituit, cupiditas calamo sæpius repetente componit. Hic ad confirmandam fraudem armat perjurio falsitatem: ille alienis litibus corruptū nonunquam pectus opponit. ita sub unius cupiditatis vitio facultas & adquiritur & laceratur.

Ubi est quod dicit scriptura, Falsus testis non erit impunitus? cui hoc imputandum putamus, quod inter illos quos audimus aliquoties criminibus interfuisse, etiam innocentes in crimen vocantur. venit enim frequenter in quæstionem suspicio: & cùm apud alterum resideat furti culpa ad alium transit pervasionis invidia. ita dum augmentum facultatum quæritur, etiam bene acquisita lacerantur. sic fit ut aliquoties descendat ex cupiditate falsitas, & ex falsitate paupertas. Radix malorum cupiditas. Unde est quod videmus inter se frequenter armatas stare legiones? quid aliud est, nisi quod aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata custodit? Inde descendit, quod aliquoties de imperii potestate contenditur, & de primatus ambitione certatur. Omnia profecto in pace consisterent, si hominem imperandi cupiditas non teneret. *Homilia* 20.

Ennodius. Male est animo meo quod de facundiæ suæ dotibus mihi abundantia vestra nihil tribuit, & ita eloquentiæ opibus incubat, ut partem ex eis facere sacrilegium computetur. Turpis est equidem universarum rerum avaritia: contigit tamen, si verba deneges plus pudenda. *lib.* 7. *Epist.* 11. *pr.*

Io. Sarisberiensis: In his duobus articulis furor totius avaritiæ constat, quod immoderatius appetit aliena, aut sua tenacius servat. Et quidem immoderatius appetit, quisquis quod deest, legem necessitatis excedens, & usus exposcit. Tenentur quoque avidius quæ usui subtrahuntur. Ea quoque quæ sine usu possessoribus elabuntur, inutilia sibi esse quis dubitat? Avaritiam vel ex eo non modò fugiendam sed detestandam constat, quod à cœlestibus procul sectatores suos, à consortio divinitatis & usu cœlestis beatitudinis removet atque elongat. Omnia siquidem quo cœlestibus viciniora sunt, minus cupiunt, & congregant pauciora. Volatilia cœli neq; serunt, neque metunt, neque nent, neque congregant in horreis, nec penum construunt, sed omnem excludunt sollicitudinem crastini. E contra mures & reptilia congerunt in futurum; & generationes prohibentur esse quibus terra est in cibum, & eadem parce vivunt, timentes ne quando eis terra deficiat, in quam tamen ipse resolventur. Sentiat unusquisque quod vult, ego avarum fieri posse compotem voti non credo, nisi fortè & Epicurum famelicum & siti aridum & languentem, plenæ voluptatis jucunditate frui consentiat. siquidem uterque famelicus est: sed pernicioſius esurit avarus, qui semper indiget, ac satiari non potest, major est enim hiatus mentis quàm corporis; & nisi seipsum Deus infundat, omnino nequit impleri. *cap.* 16. *Policratici*, *lib.* 7.

Io. Sarisberiensis: Non res ipsa opinio avaritiæ vitanda. nam impossibile est, ut fidelis videatur, aut amore dignus qui avaritiæ suspicionem incurrit. *lib.* 8. *cap.* 4.

Ioh. Sarisberiensis: Ingratissimum est & odiosissimum vitium avaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ avidissima vorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

——*quid non mortalia pectora cogit*
Auri sacra fames?

Heriphile viri vitam auro distraxit, suam Philippo vendidit Græcia libertatem. Prophetæ oculos cupiditas excæcavit; & pecuniâ corruptus Apostolus Dominum invocentem crucifigendum tradidit manibus impiorum. Potest deturpari verbis, sed non satis: quia deformior est & turpior quàm ut ore humano possit exponi. Ideo autem avaritia studioſius declinanda, quia tenacius inhæret ab imagine utilitatis, & pernicioſius nocet ab ex terminio charitatis. Inde est quòd ridiculam & miserandam cum senibus contraxit familiaritatem, ut quo minus egent, avidius concupiscant, & quo rebus sunt citius carituri, eò parciùs ministrent utilitate. Nam & manus in juventute porrecta ad dandum, in senecture contrahitur; & quæ in juventute contracta est, aut nunquam aut serò in senibus dilatatur. Cùm verò eis beneficio naturæ libertas vicina immineat, seipsos vano timore miserrimæ subjiciunt servituti: siquidem indigentia naturæ, fortunam non timet. *libro octavo Policratici cap.* 15.

Lysis Pythagoricus: Ex Avaritia progignuntur rapinæ, parricidia, sacrilegia, venenorum sparsiones & quæcunque sunt his affinia. Oportet igitur primùm Sylvas in quibus hi affectus nutriũtur, igni, ferro, & omnibus instrumentis expurgare, & rationem ab his affectibus vindicare, actum demum boni aliquid misere atq; tradere Quæ didicisti quidem Hipparche summo studio, at non executus es ô præclare, postquam Siculas lautitias degustasti a quibus vinci ac superari non oportebat. *Epist. ad Hipparchum.*

Dio Prusæus: Corporum partes inflammatæ sanè non statim cedunt ad primam aspersionem, sed si quis continenter faciat, molliuntur, & melius habent: similiter ergo & illam in multorum animis inflammationem si quis mitigare queat, assiduis usus sermonibus, rem gratam feecerit. Dico verò & de avaritia, quod omnes quidem sciant eam non esse utilem, neque honestam, sed multorum malorum causam: haud tamen abstineant ab ea, neq; quisquam velit hominum æquali cum proximo contentus esse re.

Atqui segniciem & incontinentiam, universaq; breviter alia vitia, invenias quidem ipsis habentibus noxia: & jure, qui horum aliquo tenentur, admonitioni subjacent, & condemnationi: non tamen sunt invisi, neq; ut communes omnium hostes reputantur.

Avaritia verò maximum est ipsi unicuiq; malum: affligit autem & proximos. & avari nemo miseretur unquã, neq; docere dignatur, sed omnes eum designant, hostemq; existimant. Illorum autẽ quisque si vult hujus magnitudinẽ pravitatis cognoscere, cogitet quomodo ipse sit affectus erga plura appetentes, sic enim facile conjicíet, quomodo alii omnes erga ipsum possint esse affecti, si talis fuerit. Sanè Euripides, nullo poetarum gloria inferior, Iocastam inducit dicentem ad Eteoclem, admonentemque, desistat ab habendi plura quàm frater habeat cupiditate, his verbis:

Cur pessimam ô fili dearum amplecteris
Cupiditatem? Ah abstine, haud sit tuum hoc,
Æqui nihil dea illa curat, & boni,
In civitates quæ, domosque plurimas
Subiit, & exiit in malum colentibus.
Hanc deperit tu. Melius, ô fili, est sequi
Æqualitatem, amiculos quæ amiculis,
Et civitates ritè civitatibus,
Socios q3 sociis assolet connectere
Semper. Homines æqualitatem enim probant:
Semperque quod plus est, cum eo quod est minus,
Bellum gerit, quotidieque exordia
Præbet inimicitiarum. ——

Apposui autem ordine senarios. Bene dictis enim uti nosse, hominis est mente præditi. In his ergo omnia insunt, quæ solent ex avaritia evenire. & primũ quod neq; privatim neq; publice prosit: verũ e contrario, & domorum & civitatum felicitatem evertat & corrumpat. Et rursus, quod lex hominibus præcipiat æqualitatẽ colere. & præterea, quod illum cõmunem amicitiam pacemq; omnibus inter ipsos conciliet: dissidia autem, civilesq; contentiones & externa bella ex nulla alia re accidant, quã propter plura habendi cupiditatem, ex qua unusquisq; & rebus sufficientibus privatur. Et quid tandẽ magis necessariũ est, quã vivere? aut quid pluris faciunt omnes, quã vitam? Attamen & hanc perdunt, propter pecuniarum cupiditatem. Alii autẽ suas ipsorum patrias fecerunt devastari. Post hæc igitur ille poëta, non esse ait in divinis avaritiam: & ideo ea incorruptibilia & senecturis experta permanere, convenientẽ sibi unumquodq; ordinem conservantia, & noctem & diem & horas. Nam si ità non agerent, nihil illorum posse cõsistere. Quando ergo divinis avaritia inducit corruptionem, quid oportet existimare humana perpeti ab hoc morbo? Pulchre autem meminit & mensurarum & ponderum, ut rei justæ, & ad hoc inventę, ut plura quàm alter habeat, appetere debeat nemo.

Hesiodus autem dimidium dicit esse plus toto, avaritiæ (opinor) damna & detrimenta perpendens. Quis enim unquã aut rex aut dynasta, aut populus, conatus justam mensuram transgredi, & plura appetere, non omnem præsentem felicitatẽ perdidit, magnisq; & difficilibus afflictus est calamitatibus, omnibus posteris clara exempla inhumanitatis & pravitatis derelinquens? Aut quis fuit, pauciorib. volens esse contentus, jacturamq; visam facile perferre, qui non copiosiora quã alii possederit, ultro ipsi & absq; labore accedentia, plũrimumq; temporis felicitatẽ retinuerit, tutissimeq; usus sit bonis à fortuna datis? Statim igitur Jocastæ filii, nonne quando dissederũt ob plura habendi cupiditatẽ, & hic quidem solus regnare volens, alter aũt omnino quærens principatus habere partẽ, cum fratres essent, se mutuo interfecerunt, magnorũq; extiterunt causa malorũ militiæ consortibus utriq;? his quidẽ qui bellũ intulerant, confestim perditis aliis autem repellentibus paulo post victis, quòd mortuos non sinebant sepeliri?

Quin etiam propter unius viri avaritiam, qui Helenam & Menelai rapuerat opes, maximæ in Asia civitatis habitatores perierunt cum pueris & uxoribus, & unius susceptæ mulieris paucarumq; opum tantam luerunt pœnam. At Xerxes, alterius continentis dominus, postquam etiam Græciam concupiverat, & tantam classem & hominum myriades congregans adduxerat in Græciam, omnem turpiter perdidit exercitum, vixq; suum ipsius corpus fugiens salvare valuit. Et post hæc quum vastaretur regio, civitatesq; maritimæ, coactus est ferre. Quin & Polycratem ajunt, donec Sami unius tenuit imperium, felicissimũ omnium fuisse. Quum vellet autem & rebus transmarinis se immiscere, navigassetq; ad Orontem, ut pecunias acciperet, nec facilẽ mortem nactus est, sed in crucẽ actus à barbaro, periit. Hæc quidem, ut nobis sint exemplo, partim ex antiquis valde & insignibus factis, partim ex poëtarum narrationibus, aliorumq; scriptorũ attuli. Operæ pretiũ vero est, & Deum animadvertere, quomodo & ille soleat avaros punire. Lacedæmoniis enim interrogantibus, an ipsis daret Arcadiã; non solum negavit, sed & insatiabilitatem exprobravit, sic dicens:

Arcadiam petis à me, rem magnam, haud dedero unquam.

Quin etiam pœnam imposuit illis, prædicens quidem quid esset futurum: ita tamen, ut ne illi intelligerent, bellumq; inferrent Tegeatis, inq; notissimas omnibus calamitates inciderent. Atqui manifestè Arcadiã illis negans, neq; Tegeam dederat. Etenim hoc oppidum Arcadiæ & forte & maximum erat. Attamen propter avaritiã neq; aures habent permulti homines, neq; intelligunt ea quæ dicuntur. Rursum Athenienſibus interrogantibus de Sicilia insula, respondit, copulare eos debere civitati Siciliã. tumulus verò quidã ita appellabatur prope civitatem. Illi aũt ea quæ jacebant ante pedes, erantq; ante oculos, neglexerunt: ita amentes erant, propter plura habendi concupiscentiã. Itaq; Deum ipsis putabant respondisse, ut unis mœnibus cõprehenderent Athenas, & Insulam decem ferè stadiorum millibus distantẽ. Igitur eo navigantes, non solũ Siciliã non obtinuerunt, verum etiam Attica privati sunt, & suã ipsorum civitatẽ viderũt hostibus subjectã. Et talia si quis vellet recitare, palam est, satis fore ubiq; exemplorũ.

Considerandum autem est, quòd corporis fortitudinem plurimi in bonis ducant: sed puto summa prædita fortitudine, nimisq; excellentibus bona corporis habitudine, conducere, ut partem aliquã demant. Plus enim habere, quàm recta proportio requirit, pessimum arbitror. Similiter & divitiæ quandam habent utilitatem, & si quidem fuerint mediocres, non gravant possessores, sed faciliorem & (per Jovem) magis provisam reddunt vitam: sin verò excellant, plures præbent curas, & tristia pro præsumpta voluptate. Et multos pœnituit, quod ad summũ divitiarum pervenissent. Alii verò, propter idipsum minarum quoq; rerum sustinuerunt indigentiam. Age verò in nobis ipsis, si quodq; membrorum naturalium plus habere velit, potest ne fieri ut vel brevissimum tempus consistere queamus?

Verbi gratia, ut si cui plus quàm justa mensura flagitat, sanguinis nascatur, aut etiam (per Jovem) spiritus ille calidus, si interdũ in nobis augeatur præter justam & convenientem mensuram, nonne scitis magnos ex his & difficiles exoriri morbos? In harmonia verò instrumẽtorum, si quis sonorũ plus appetat intendi, nonne, per Jovem, necesse est omnem dissolvi consonantiã? Vehementer sanè equidem admiror, quid nam fecissemus, si non vitæ etiam minutissimorum temporum mensuram essemus à diis consecuti: quum nunc quasi ad perpetuam vitam procreati, alius alio plus habere contendamus.

Quemadmodum igitur si quis sciat se tantum duorum aut trium dierum (si multum effluat temporis) habiturum navigationem, deinde annuum victũ imponat, fatuus videbitur: eodem etiam modo si cui constat, quod ultra septuaginta annos non sit victurus, in annos mille victum comparet fortassis, nonne similiter esset insanus? Nonnulli enim tanta apparaverunt, ut si illis esset navigandum, statim submergeretur navis: & hoc hercle contingit plurimis.

Age, si quis ad conviviũ vocavit decem aut quindecim homines, oporteatq; eum hosce explere, is vero quingentis aut mille præparet escam, nonne prorsus mẽte captus existimabitur? Quapropter & nos, quum sciamus corporis necessitates certum habere numerum (vestimentis enim, opinor, & tecto & cibo indigemus) insani censemur. quod ita deinde contendimus, tanquam exercitui necessaria congregantes. Atq; hercle merito forte. Siquidem multi alunt apud se concupiscentiarũ exercitum. Et vestem quidem nemo corpore majorem habere vult, ut ad usum inhabilem: facultates vero prorsus necessitate majores cõcupiscunt habere omnes, ignorantes, quod hoc illo difficilius inhabiliusq; est. Videtur autẽ mihi Cræsus ille Lydus recte, quum hominum inexplebilitatem vellet redarguere, quibusdam inductis ad thesauros, tantum auri permisisse efferre, quantum quisq; carpere posset. Multosq; non solum impleviſſe sinum ferunt, sed etiã in capite ramenta extulisse, & ore, ut vix ingredi possent, valde ridiculos & intortos. Sic ergo & circa victum quosdam ingredi videas: indecorè se gerentes ob avaritiam, valdeq; ridiculè, *Orat.* 17.

Libanius: Etiam navigans ad mercaturam, si quarũdam mercium opus esset jacturam facere, tempestate cogente, vel in exigua portione: in multesima dico, puta tribus aut quatuor doliis dissipatis, adhærerem illis aut interirem. Nihil enim pereat oportet ei cui vita injuncta alioqui foret. atqui ego etiam modio è domo subrepto expallesco, & olla cõtrita animo percellor, & cum poculo id contigit, quavis re occurrente pro telo adversus ministros utor, ac nihil omnino mœrorem mihi eximit. Nam si quid jusculi, si quid salis subreptũ sit, ac si quid his vilius: nonne in damno statuendum est? an non salium etiã & ejusmodi omnium pretium pendimus? millenis autem drachmis domo mea raptis, vivere me hortaris? *Declamat.* 10.

Libanius: Uxorem certè laudo, quod ad imitationem nostram se cõponerit, jejunaq; ut plurimũ perseveraret: residuis tantũ à panibus vescens, aquam & ipsa bibens, & ancillas in eo assuescens, ægrè lavans se noviluniis: tenuia quidem texens, sed vendens potius quam adusum adhibens, resarciens detritas lacernulas: nihil indigens mensa, sed super tela lanificioq; cibum capiens. quapropter intus ipsam teneo & amo, & thesaurum nomino. *Declamat.* 37.

Simocatta: Opum aio te dispensatorem, non pecuniarum dominum esse. Talem enim sententiam contra ingenium protulit. Non enim fas est, ut alicujus boni participes sint animi scelesti. Defode igitur terrã, & aurũ custodi ac muni ô miserrime. Non n. tuæ, sed reges te depositæ sunt opes. Etenim Phrygis Mydæ vitiũ imitatus, di-

scis

scis ut fame conficiaris, quasi laqueis ita auro strangulatus. *Epist.* 19.

Simocatta: Cum lupi magnam prædam adepti sunt, satietate philosophantur quasi temperantiam quandam ab ovibus habent, ingenium ferũ ad mansuetudinem convertunt, & egregiam quandam Justitiam lupos docet saturitas. Cum ovibus una pascuntur & honorant eas donec ipsis venter respiraverit. At tu impudentiori quàm lupi ingenio præditus es, & multò effrenatius & cupidius te geris, cùm aurum abundat in thesauris tuis, non aliter quàm temulenti. Sitiunt enim cùm ad satietatem usque vino sunt impleti, & ebrietatis vim ebrietate pellunt. Nam è summa optimaq; valetudine, in contrariam incidunt, exhilarante vino temulentos & exurente. Relinq; intemperantem illam temulentiam intemperans, ne in cõtrariam inclinationem trahãris, spoliatus omnibus etiam quæ fortuna largita est. His enim pœnis ingratos castigat ac sapientes reddit. *Epist.* 52.

Quintilianus Senior: Avari parciq; qui aliquid non feciſſe ſordidè, jam etjam ſcelus exiſtimatis, non iſta ſunt ferenda nobiſcum, neque ad inferos ſervata per vitam fortuna perſequitur. Tolle uſum, quid erit pecunia? *Declam.* 260. *a.m.*

¶ Portarum.

Plautus Aulularię prologo v. 10.

Sed mihi Lucus hujus obsecrans concredit
Auri thesaurum clam omnes, in medio loco
Defodit, veneransme, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Numquam indicare id filio voluit suo:
Inopemq; optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum commonstraret filio.

Aululariæ 2. sc. 4. v. 15.

——— *Quid hic non poterat de suo*
Senex obsonari filiæ in nuptiis?
S. Vah! C. quid negotii est? S. quid negotii sit rogas?
Pumex non æque est aridus, atq; hic est senex.
Suam rem perisse, seq; eradicarier,
Quin dium atq; hominum clamat continuo fidem,
De suo tigillo fumus si quis exit foras.
Quin cùm it dormitum, follem obstringit obgulam.
C. Cur? S. nè quid animæ forte amittat dormiens.
C. Etiam' ne obturat inferiorem gurgitem,
Tum ne quid animæ forte amittat dormiens?
S. Aquam hercle plorat, cùm lavat, profundere
C. Censen' talentum magnum exorari potesse
Ab isto sene, ut det qui fiamus liberi?
S. Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit
Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat,
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
Pulmentum pridem eidem eripuit milvius:
Homo ad prætorem plorabundus devenit:
Insit ibi postulare plorans, ejulans,
Vt sibi liceret milvium vadarier.

Plautus captivis 2. sc. 2. v. 39.

Quid tu aũ? tenax ne pater ejus est? P. Imò edepol pertinax.
Quin etiã ut magis noscas Genio suo ubi quando sacrificat,
Ad rem divinam quibus est opus, Samiis vasis utitur,
Ne ipse Genius surripiat. proin aliis ut credat, vide.

Phædrus appendice Fabulæ, 79.

Abiturus illuc quo priores abierunt,
Quid mente cæca miserum torques spiritum
Tibi dico, avare gaudium heredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,
Qui tristis audis musicum Cytharæ sonum,
Quem tibiarum macerat jocunditas,
Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cælum fatigas sordido perjurio.
Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Petronius Arbiter.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & sicco concoquit ore famem.

Lucianus in Divitias.

Nobilis est animi thesaurus, nobilis ille
Postrema quisquis parte locabit opes.
Dives erit verè, qui fides inter amicos
Largiter effundit parta labore bona.
Sed genium quisquis defraudat, opesq; tenacem
Congerit in testam, quonumerare queat,
Qualis apes, frustra studio complebit avaro
Vascula, mox fuco diripiente favos.

Sulpic. Servastus Lupercus Junior.

Heu misera in nimios hominum petulantia census
Cæcus inutilium quo ruit ardor opum?
Auri dira fames & non explenda libido
Feralis precio vendat ut omne nefas.
Sic latebras Eriphyla viri patefecit, ubi aurum
Accepit turpis materiam sceleris.
Sic quondam Acrisia in gremium per claustra puellæ
Corruptore auro fluxit adulterium.
O quam mendose votum insaturabile habenda
Imbuit infami pectora nostra malo:
Quamlibet immenso dives vigil incubet auro:
Æstuat augendæ dira cupido rei.
Heu mala paupertas nunquam locupletis avari!
Dum struere immodice quod venet optat, eget.
Quis metus hic legum, quæve est reverentia veri,
Crescenti nummo si mage cura subest?
Cognatorum animas promptum est, patrumq; cruorem
Fudisse, affectus vincit avara fames.
Divitis est semper fragiles male quærere gazas,
Nulla huic in lucro cura pudoris erit.
Istud templorum damno exitioq; requirit.
Hoc cælo jubeas ut potat, unde petet.
Miserum in pulchras artes Romana juventus
Discat, & egregio sudet in eloquio:
Vt post jurisona famosa stipendia lingua,
Barbaricæ ingenio ferantur opes.
At qui sunt quos propter honestum rumpere fœdus
Audeat inlicite pallida avaritia.
Romani sermonis egens ridendaq; verba
Frangit ad horrificos turbida lingua sonos.
Sed tamen ex vultu capetitur spes grata nepotum.
Saltem istud nostri forsan honoris habent.

Prudentius contra Marcionitas.

Ille super vacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisq; inhians, contempto limite, agellis,
Ducitur innexus manicis, (Diabolo) & mille catenis
Ante triumphales currus post terga revinctus,
Nec se barbaricis addictum sentit habenis.

Prudentius Psychomachia 6.

Fertur Avaritia gremio præcincta capaci,
Quidquid edax luxus pretiosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulcra ad ludibria vasto
Ore inhians, auriq; legens fragmenta caduci,
Inter arenarum cumulos. nec sufficit amplos
Implevisse sinus; juvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, & gravidos furtis distendere fiscos,
Quos læva celante tegit, lateriq; sinistri
Velat opermento, velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisq; ungues exercet ahenos.
Cura, Fames, Metus, Anxietas, Perjuria, Pallor,
Corruptela, Dolus, Commenta, Insomnia, Sordes,
Eumenides furiæ, monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Avaritiæ nigro de lacte creata,
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito, non timet ensem
Exerere, atq; caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius exstinctum belli sub sorte cadaver
Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
Cingula, & exuvias gaudet rapuisse cruentas.
Cognatam civilis agit cognatio prædam,
Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatq; suos famis impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia. sternens centena virorum
Millia vulneribus variis. hunc lumine adempto,
Effossisq; oculis, velut in caligine noctis,
Cæcum errare sinit, perq; offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porro alium capit intuitu, fallitq; videntem
Insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisq; sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum:
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur vitare focos quibus æstuat aurum,
Quod petit, arsurus pariter speculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu. neq; enim est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus avum
Mundani involvat populi, damnetq; gehenna.

Joan. Sarisberiensis prologo policratici.

Illa tamen metuenda manus, qua tractat iniquas
Sordes, quam maculent æra colore suo,
Non quia polluitur & polluit, est fugienda,
Sed quoniam nummus toxica sæva gerit:
Toxica perpetuam paritura famemq; sitimq;,
Et miseram vitam, mortis & omne genus.
Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,
Nec nummata queunt corda vacare libris.
Non est eiusdem nummosq; libros q; probare:
Persequiturq; libros Grex Epicuretus.
Ignis avaritiæ cum fœnum carnis adurit,
Surgit & æternum construit usq; focum.

Omnia cùm posſit manus omnipotentis, avarè
Mentis egeſtatem non ſatiare poteſt.
Non ſatiare poteſt manus Omnipotentis avarum.
Dic mihi quis poterit, quod nequit illa manus?
Nonne ſatis miſer eſt, quem nec Deus ipſe beare
Sufficit? ulterius quis miſer eſſe poteſt?
Nummi pera cum libricolis nequeunt ſimul eſſe:
Ambos crede mihi, non capit una domus.
Ergo cave miſeros, nec ab his niſi triſtia ſperes:
Nam miſeri cultor quis niſi ſtultus erit?
Tam quod habet, quam quo caret, omni deſit amico.
Occuper, occumbat, res aliena tamen.
Semper abundabit, qui rebus noverit uti,
Et mens utendi neſcia, ſemper eget,
Pauca poteſt dives, ſed plurima pauper habere.
Neſcit egeſtatem dives, egenus opes.
Nullus amicus ei qui multa cupit, nec amicus
Eſt ſibi, cui nimium res aliena placet.
Si cupidus fuerit hoſtis, caveatur ut hoſtis,
Si ſit amicus, eo cautior eſſe ſtude.
Iurat credo minus: non jurat, credere noli.
Iuret non juret, hoſtis ab hoſte cave.

¶ Apologorum.

Phædrus Fabula 4. Canis cum fruſto carnis.

Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum.
Aliamq; prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit. Verum decepta aviditas,
Et quem tenebat ore dimiſit cibum,
Nec quem petebat adeo potuit attingere.

Phædrus Fab. 27. Canis & Vultur.

Hæc res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati dici locupletes ſtudent.
Humana effodiens oſſa, theſaurum Canis
Invenit, & violavit quia manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.
Itaq; aurum dum cuſtodit, oblitus cibi
Fame eſt conſumtus: quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: ô Canis, merito jaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

Phædrus Fab. 78. Vulpis & Draconis.

Vulpes cubile fodiens, dum terram eruit
Agitq; plures altius cuniculos.
Pervenit ad Draconis ſpeluncam ultimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit; Oro ut imprudentiæ
Des primum veniam, deinde, ſi pulcre vides
Quam non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quod ve tantum eſt præmium,
Vt careas ſomno & ævum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verum hoc à ſummo mihi
Iove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Dis eſt iratis natus qui eſt ſimilis tibi.

Anſer & Ruſticus. Anonymus.

Anſer erat cuidam pretioſo germine fœta,
Ovaque quæ nidis aurea ſæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura ſuperba,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum ſperans vaneſcere votum,
Non tulit exoſus in ſua lucra moras:
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Qui tam continuo munere dives erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
Et vacuum ſolitis fœtibus eſſe videt,
Ingemuit tanta deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis rettulit inde ſuis.
Sic qui cuncta Deos uno male tempore poſcunt,
Iuſtius his etiam vota diurna negant.

Aphthonius: Cum carnem rapuiſſet canis, in ripa ibat forte fluminis, cumq; videret umbram in aquis majorem duplo, quod quidem habebat, reliquit, majus verò attentans apprehendere, nec mediocris poſteà fruſti nec majoris iſtius fructum cepit.

De legato avaro tubicines decipiente. Fab. 22.

Quidam avarus pro patria legatus in aliam urbem profectus erat, cui tubicines præſto adfuerunt, ut illius aures tubarum clangore, loculos autem ſuos pecunia implerent. Quibus ille renunciari jubet, non eſſe nunc locum cantibus, ſe in ſummo luctu & mœrore conſtitutum, matrem enim ſuam obiiſſe. Tubicines autem ſpe fruſtrati, & mœſti abeunt. Amicus quidam legati audiens luctum, ad eum viſendum, conſolandumque accedit, interrogatque quamdiu mater ejus obiiſſet. Quadraginta jam anni ſunt, inquit, Tunc amicus intellecta legati ſtropha, in riſum effuſus eſt.

Hæc fabula ad avaros facit, qui omni arte ſtudent pecuniam conſervare. Abſtemius.

De viro avaro moriente. Fab 132.

Vir avarus moriens, cum tunc demum intelligeret nihil ſecum laturum, vertit ſe ad amicos & propinquos, quos præſentes cernebat, dicens: Diſcite à me, qui omne vitæ tempus ſtruendis opibus incubui, ne nimium ſtudeatis congregare divitias. Ex tot enim terræ jugeribus, & tam preciosis veſtibus, quas tanto ſudore paravi, quinque pedum foſſam, & linteamen unum, quo mortuus tegatur, poſſidebo.

Fabula indicat, ſtultum & miſerum eſſe, tantam coacervandis opibus operam impendere, quæ velimus nolimus brevi ſunt relinquenda. Laur. Abſtemius.

De capra prohibita à cane hortum intrare. Fab. 164.

Capra eſuriens hortum quendam ubi virentia viderat olera, intrare cupiebat: Sed canis moloſſus quem olitor cuſtodem appoſuerat, non permitrebat, minitans ei mortem, ſi pedem introferre tentaret. Cui capra: Quid, inquit, me eſſe prohibes, quæ tibi nulli ſunt uſui: Nulla, reſpondit canis, ratione hoc facio, ſed quia ita mihi inſitum eſt à natura.

Fabula exprimit naturam avarorum, qui multis rebus abundant, quibus neque ipſi fruuntur, neq; alios frui patiuntur. Abſtemius.

De Viro, qui theſaurum compatre conſcio abdiderat.

Fabula 169.

Vir quidam admodum dives, theſaurum in ſylva infoderat, nemine præter compatrem, cui plurimum fidebat, conſcio. Sed quum paucis poſt diebus ad eum viſendum acceſſiſſet, reperit effoſſum, atque ablatum. Suſpicatus igitur id, quod erat, à compatre ſublatum, eum conveniens, volo, inquit, compater mi, mille aureos, ubi theſaurum abdidi, adhuc infodere. Compater cupiens plura lucrari, retulit, repoſuitq; theſaurum: quem quum verus dominus paulo poſt accedens reperiſſet, ſecum domum tulit, convenienſq; compatrem, inquit, fidefrage, ne ſumas inanem laborem, ut ad theſaurum accedas, amplius enim non invenies.

Fabula indicat, quàm facile ſit virum avarum ſua pecunia deſtituere. Abſtemius.

De Avaro pomà marceſcentia comedente. Fab. 179.

Vir avarus plurima pulcherrimaque poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi & Heſperidum fuiſſe poetæ fabulantur, quæ ita parcè edebat, ut niſi corrumpi inciperent, non eſſe auderet. Hujus filius oppido liberalis, ſodales ſuos ad pomaria ſæpè ducebat, dicens: Accipite ex his quæ vultis omnia, præter marceſcentia: illa enim pater meus in ſecunda menſa ſemper ſibi jubet adferri. Huic præcepto illi libenter obtemperabant.

Fabula indicat, homine avaro nihil eſſe miſerius, qui alii cuſtodit, quæ ei Deus fruenda conceſſit. Abſtemius.

¶ Emblematis.

Minerva & Avaritia. Embl. 56.

Cauta licet ſis Diva, tamen te cautior, arctes
In caſſes, Ratio tinnula ſæpè trahit.
Florent. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Jesus *Chriſtus Dominus noſter*: Adverſus avaritiam extant ejus multa dicta: inter quæ ſunt hæc 1. Ne congerite theſauros in terra, ubi tinea & eroſio corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur. Sed congerite vobis theſauros in cœlo ubi neque eroſio corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi eſt theſaurus veſter, illic erit etiam cor veſtrum. *Matth.* 6. 19. *&c.*

2. Nullus ſervus poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſervire & divitiis. *Matth.* 6. 24.

3. Dixit diſcipulis ſuis, Videte & cavete ab avaritia: neque enim quum cuipiam bona redundant, vita ipſi conſtat ex bonis ſuis, *Luc.* 12. 15.

Salomon: In Proverbiis extant illuſtria dicta adverſus avaritiam & avaros. Vide *cap.* 8. 10. *&* 15. 27. *&* 22. 16. *&* 23. 4. *&* 29. 4. *& in Eccleſiaſt. cap.* 5. 9.

Prophetæ: Omiſſis denunciationibus quæ fiunt Dei nomine, prophetiis item & narrationibus, ſcitè dicta quæ noſtro operi conveniunt obſervet lector, *Iſaiæ, cap.* 1. 23. *&* 3. 14. *&* 5. 8. *&* 10. 2. *&* 56. 11. *Ieremiæ, cap* 6. 13. *&* 22 17. *&* 48. 7. *Ezechielis, cap.* 16. 49. *&* 22. 12. 13. 27. *Amoſi, cap.* 4. 1. *&* 5. 11. *&* 8. 4. 5. 6. 7. *Habacuci, cap.* 2. 9.

Apoſtoli: Expreſſa eorum dicta adverſus avaritiam &. avaros hæc ſunt. *D. Paulus.* Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi. *Act.* 20. 33. Scortatio, & omnis impuritas aut avaritia ne nominator quidem inter vos, ſicut decet ſanctos. Hoc noſtis nullum ſcortatorem, aut impurum (aut avarum, qui eſt idololatra, habere hæreditatem in regno Chriſti & Dei. *Epheſ.* 5. 3. 5. *&* *Coloſſ.* 3. 5. Radix omnium malorum eſt amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos transfixerunt doloribus multis. 1. *Timoth.* 6. 10. Sint veſtri mores alieni ab avaritia: eſtote contenti præſentibus: dixit enim ipſe, Non te deſeram, neque derelinquam, &c, *Heb* 13. 5.

D. Petrus: Paſcite gregem qui penes vos eſt, illius inſpectioni vacantes non coactè, ſed libenter: non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto

prompto animo. 1. *Petr.* 5. 2. Per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur, &c. 2. *Petr.* 2. 3.

D Iacobus. Si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu, dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite & saturamini: non tamen dederitis eis quæ sunt apta corpori, quæ erit utilitas? *cap.* 2. 16. Agite nunc divites, flete, ululantes super miseriis vestris superventuris. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra sicut à tineis vorata. Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est, & ærugo eorum testabitur adversus vos, & exedet carnes vestras veluti ignis: thesaurum congessistis in ultimos dies. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, à vobis intercepta, clamat: & clamores eorum qui messuerunt in aures Domini Sabaoth introierunt. In deliciis vixistis super terram, & lasciviistis: enutristis corda vestra ut in die mactationis. Condemnastis, occidistis justum: non resistit vobis. *cap.* 5. 1. 2. *&c.*

Constantinus Magnus: Nihil temere, neque inconsulto, sed consilio & providentia Dei omnia fieri dicebat: qui quidem & auri, & argenti, & æris, & reliquorum denique metallorum genus produxit, eâ quidem copiâ, quæ ad vitam satis esset. Atque illa quorum multus & varius usus existeret, affatim suppeditari mandavit: alia verò quæ ad hominum delectationem & delitias solum spectarent, sicut splendore magnifica, ita numero pauca esse voluit, quo nec parcè nimis, nec nimis largè supetere viderentur. Quod si eadem abundantia ipsarum rerum quæ ad ornatum creata sunt fuisset concessa, illi qui metallis è terra excidendis dant operam, usu illarum rerum quæ ad agriculturam, ad extruendas ædes, & ad naves fabricandas aptæ sunt (ut ferri & æris) propter nimiam superiorum rerum cupiditatem neglecto, magnum harum numerum colligere pro nihilo putarent, & ad eas comparandas quæ ad delicias & inanem divitiarum affluentiam pertinent, omni curâ & cogitatione incumberent. Quâpropter, aurum & argentum elicere, plus ferunt habere & difficultatis & laboris quàm cætera metalla omnia: ut magnitudini cupiditatis laboris magnitudo opponeretur. *Orat. ad Sanctorum cœtum, cap. 8.*

Idem: Cum corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mẽsuram hasta quam manu tenebat, humi impressisset: Omnes, inquit vitæ divitias, & totius orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc à me circumscripto agello non possidebis: si & illud fortè possideris. *Euseb. de Vita Constant. lib. 4. c.* 30.

Hilarion: Unum de fratribus ad quintum ferè à se miliarium manentem, quia comperiebat hortuli sui nimis cautum timidumque (id est avarum) custodem, & pauxillum habere numorum, ab oculis abegerat. Qui volens sibi reconciliare Hilarionem senem, frequenter veniebat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille vehementissimè delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat detulit. Quem cùm Hesychius posuisset in mensa ad vesperum, exclamavit senex, fœtorem ejus ferre non posse: simulque unde esset rogavit. Respondente autem Hesychio, quod frater quidem primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis, inquit, putorem deterrimum, & in cicere fœtere avaritiam? Objice bubus, offer brutis animalibus, videant & comedant. Quod cùm ille in præsepe posuisset, exteriri boves, & plus solito mugientes, rupris vinculis in diversa fugerunt. *Hieronymus in Vita Hilarionis.*

Severus Sulpitius: Levitis in sacerdotium assumptis nulla portio data est (inquit) quò liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus preterierim, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solùm immemores, sed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque negotiantes, quod est multò turpius, sedentes munera expectant, atq; omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. *Severus Sulpitius Sacræ historiæ libr.* 1.

Carolus Magnus: Virtutibus eximiis ornatus Carolus Magnus, imprimis fastum & avaritiam, præsertim sacerdotum, & execratus est, & curiosè cavens ne quis avarus aut ambitiosus, luxuve perditus, unquam pontificalem apicem adipisceretur. Hildegardæ petenti pro sacrificulo suo, idem proceribus aulæ rogantibus, respondit, Idoneo quamvis pauperi, jam destinavi. Imperatorem mentiri, aut falli non decet, ut Deo obtrudat servum, cujus vitam, mores, ingenium ignoret, & tantóne oneri par sit, compertum non habeat. Episcopum Moguntinum, quòd lituum aureum, gemmis distinctum instar Cæsarei sceptri usurpasset, severissima oratione coercuit: eidem avaritiam & superbiam pro concione propalam exprobavit, indignabundus & clamitans, En (ait) pastores nostros, Christi crucem professos, qui spreta cura & pascendarum ovium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemvis opulentissimum lacessunt. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum episcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & uti fit nimio mero sese onerans, somno deinde oppressus, noctu divino cultui non interfuisset, rursus sacerdotio movit: intolerabilem negligentissimumque fore judicans, qui primo die sibi non temperasset, ut sui compos Deum adiram non provocaret. Item alium lætiorem ob pontificatum impetratum, atque gestientem, & ab humo in equum absque supedaneo uno impetu subsilientem revocavit, dicens, Vales (ut video) viribus, & eques haud malus es: tuâ operâ in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo. Proinde ignobili & imbecillo ovile regendum relinque. Plura de hujus præstantissimi principis virturibus lege apud *Ioan. Aventin. Annal. Boior. lib.* 4.

Alb. Crantzius: Henricus quartus, Imperator, Romæ misit solennes oratores Annonem Archiepiscopum Coloniensem & Hermannum Bambergensem episcopum, ut inde pecunias asserent, Imperio à Romanis civibus tum constitutas. Mira rerum conversio, inquit. Tum pensitabant Romani tributa nostris Imperatoribus, nunc aurum Germaniæ non satisfacit urbi Romæ *Metropoli. lib* 5. *c.* 13.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus *Christus:* Innatum humano generi Avaritiæ malum quàm omnis improbitatis Metropolim dicebat Bion, feram pessimam Diogenes, nostro etiam operi inserimus, ut ejusdem perniciem evidentibus exemplis demonstremus. Magnoperè autem eam cavendam providè nos docuit Dei Filius: quem dum de rebus gravibus differentem, importunè quidam è turba compellaret, fratrem moneret ut secum hereditatem divideret; respondit: *Videte & cavete abomni avaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita ejus.* rerum quippe affluentia, non causatur in homine vitam, at sæpius mortem. *Luc. cap.* 12.

S Ægidius: Ille quoque insignis Avaritiæ impugnator, cum de avaris mentio incidisset, roganti, cui eos assimilari arbitraretur; *Talpæ*, respondit: *hicenim nullum thesaurum credit, nisi in terra, quam excavat & inhabitat. Ex aureis Sent. Ægidij.*

Pius 2. *Pont. Max.* Nec minus ille Avaritiæ vitium insectatus, cum enim adstantium quispiam avaros nemini prodesse dixisset; ille, *Verè nulli nisi post mortem prosunt*, adjecit. Hinc benè à SS. Patribus per porcum hieroglyphicè Avaritia designatur; qui dum vivit, eo quòd lanam non proferat, ad nihil utilis: ita etiam avarus munificentiæ lanam non producens, amicos, imò & seipsum nescit; nec illis, nisi mortuus, benefacit: ut est apud Salamon in Prov. *Ex lib. Rerum memor*

Thomas Morus: Ut ad Civilem ordinem transeamus. primus in eo Thomas Morus, qui rogatus aliquando, cui similem diceret avarum; *Cani*, respondit, *in præsepi.* Ille enim nec fœno vescitur, nec ut equus eo vescatur sinit: ita etiam avarus congestas opes servat, nec iis uti alium patitur. Idem Apophthegma hoc Epigrammate præfatus Auctor complectitur:

In præsepe canis fœno nec vescitur ipse,
Nec sinit, ut fœnum qui cupit, edat equus.
Servat Avarus opes, opibus non utitur ipse:
Atque alios uti qui cupiunt, prohibet.

Epigramm. Mori.

Idem: Rogatus, cui Avaritiam aptissimè comparares, *Igni*, respõdit: *qui quanto plus lignorum depascit, tanto ferventior fit ad plura depascenda* Avaritia namque hydropis instar, sibi indulgens crescit.

——— *multa petentibus Desunt multa.*

&: *Curta nescio quid semper abest rei.*

Thomas Staplut. in vita.

Hieron. Stridonensis: Hujus etiam non minùs celebre dictum de Avaris namque verba faciens, *Avaro*, inquiebat, *aque illa quæ habet, quàm quæ non habet, desunt.* anxiè enim suas opes requirit, quæsitis verò abstinet, & uti timet. *Fulgos. lib.* 7.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; fructu usuq; avarus omnia adplicat sibi.
Aureos folles pannosi multi ac sordidi incubant.
Cuncta avarus ut teneret, vivere optat neminem.
Cuncta vincit vitia, victor quisquis est avaritia.
Dici avarum, non pusillum est ultimum est opprobrium.
Dives avarus perit ab opibus, pauper avarus ab fame.
Est avarus qui quaque in re plus quàm adest desiderat.
Gaudio in commune avarus tristior tristissimo est.
Iam satis nil est morituris, imo nil morientibus.
Longam avaro optat senectam, optare sivis pessima.
Nemini esse amore dignus mente avarior potest.
Nemo in urbe, nemo in agris vult avarum proximum.
Nil rei mihi tam parva est, quin id pigeat perdere.
Non meretur dici avarus, sordidus qui uni est sibi.
Non vultus spectant avari sed manus rogantium.
Nulla avaro inimici, nulli amici differentia.
Nulli publicè aut privatim avarus utilis fuit.
Nullum avaro turpe lucrum est, lucrum at omne id non lucrum est.
Ob pecuniæ amorem avari ipsâ abstinent pecuniâ.
Plurimum mali est avaro, avaro nil est gaudij.
Pœna maxima est avaris absq; pœna vivere.
Porci adinstar, nullus avarus usui est nisi mortuus.
Præter aurum cuncta avaro sunt nimis contemptui,
Promptius gula ac libido vincitur quàm avaritia.
Quæstui divina avarus posthabet, malo at suo,
Quam magis bibunt tanto magesitiunt læsi à dipsade.
Quis nescit avidum vorata decipi muscâ scarum?
Quisq; jam optat, arca toto sit sua orbe maxima.
Qui validus est, avarus est atq; arrogans.
Quod habes, ne habeas. & illud quod nunc non habes, habeas malam.

Quod

Quod magnopere quæsierunt, id frui sci non queunt.
Rarus est qui corde habendi penitus curam eraserit.
Solum avaritia, ulli ne desit quod abradat, timet.
Sordide nihil patrasse, plus avaro est quam scelus
Strangulant suas opes avari in tetro carcere.
Supplicio nullo et si magno avaritiam coerceas.
Tam dedecori avaro est at q; prodigo pecunia.
Tantalus sitim famem q; nactus, Heben Hercules.
Tanto avaritia miserior fit, fuerit quantum auctior.
Vitium avari, vitium asoti, est unum idem q; omni loco.
Universa nationes gladio avaritiam excolunt.

¶ Jambica.

A morte avarus esse heres quærat suus.
Aquam avarus plorat, cum lavat, profundere.
Araneas sibi avarus servari velit.
Avaritia ad sua vota nunquam pervenit.
Avaritia animi morbus insanabilis.
Avaritia arx malitiæ vel potissima est.
Avaritia, corpus q; animum q; effeminat.
Avaritia etiam vivit inter mortuos.
Avaritia, omnes artes subvertit bonas.
Avaritia plus cruciat, quem plus diligit.
Avaritia satis ipsa pœnarum est sibi.
Avaritia senescere sola nescia est.
Avaritiæ est semper comes crudelitas.
Avaritiæ fas quid vis est, nefas nihil.
Avaritiæ, nec inopia sat, nec copia est.
Avaritiæ omnis Orbis ultro militat.
Avaritiæ semper comes superbia est.
Avaritiam accusant quidem omnes, sed colunt.
Avaritiam excusare vel latro potest.
Avaritiam mediocres fraudibus excolunt,
Avaro avarus socius esse vix potes.
Avarus animus nullo satiatur lucro.
Avarus est latro & fur, imo his pejor est.
Avarus & desiderat quod nuspiam est.
Avarus, hostis clam palam q; est omnium.
Avarus, idem cum cane in præsepio.
Avarus omnis victor est libidinis.
Avarus, ut sus, usui est cum animam exuit.
Certum pete voto finem: avarus us q; eget.
Cogit parare avaritia, frui vetat.
Cuncti arguunt avaritiam at q; amant tamen.
Etiam è rosis nummos avarus comparat.
Etiam est avarus cupide qui servat sua.
Famem novam satias avaro sufficit.
Hæredi avarus dives est, pauper sibi
Hæres avari, & pœnas ipsius luit.
Hydrops sitim nec totis tollat fontibus,
Injuriose aliena avarus appetit.
Iustitia Deum, Avaritia homines possidet.
Libenter annum in mensem avarus contrahat.
Lucro inflammatur avaritia, haud exstinguitur.
Multos avaros, pauperum nomen facit.
Negat sibi avarus quidquid cunctis abstulit.
Nil est avaro quod nocere nequeat.
Nil orbe toto avaro homine est iniquius.
Nil vile avaro, nil videtur sordidum.
Omnes avarus odit, & se maxime.
Omnes student avaritiæ, omnes gloriæ.
Opulens avaritiam excolit potentia.
Opulens avarus luctibus fit publicis.
Orbi universo avarus est fastidio.
Pauperior hoc avarus est quo ditior.
Perfacile avarus ictus fert argenteos.
Plorant avari autumnitate uberrima.
Quid est avarus? gaudium heredis sui.
Quo ditiores sunt avari hoc plus egent.
Quo plura habet quis, plura adhuc desiderat.
Scelus est avaro, aliquid fecisse haud sordide.
Tantum deest avaro homini quantum cupit.
Vbi est avaritia, est ibi & mendacium.
Vita omni avarus prospicit, nec respicit.
Vt Plutoni, sic avaro nulla res unquam est satis.

Avari,

¶ Sententiæ Theologorum.

D. *Chrysostomus:* Si eos commemoravero, qui perpetuis in vinculis vitam degunt, si vel eum qui longæ diuturnæq; ægritudini affixus adhæresci t, vel qui cum fame colluctatur, deniq; si vel alium quemvis: haud ullum sanè invenire possim tot tantaq; tolerantem supplicia, quod quantaque ij tolerant, in quorum animos pecuniæ amor invasit. Quid enim esse pestilentius queat, quàm ab omnibus passim odio haberi, quàm omnes odisse, quam semper ringi, nemini se comem, nemini suavem præbere? quàm nunquam satiari? nunquam, non sitire? famem perpetuam, & quidem ea, qua omnes assuevere, graviorem pati, cumq; ea colluctari? angoribus quotidianis affligi? nunquã sano & tranquillo esse animo? assiduè in tumultuationibus perturbationibusq; versari? Hæc enim, omnia, & his item plura avari sustinent. Etenim lucrum capturamq; aliquam dum faciunt, ut omnium etiam bona habeant, nullam inde voluptatem capiunt, plura semper appetentes, ijdem jacturam dum faciunt, ut vel obulum perdant, gravissime omnium se affligi, ac vel vitam amisisse arbitrantur. Quænam ergo oratio hisce calamitatibus repræsentandis par esse queat? Quod si quæ heic illos pati videmus, ejusmodi sunt, expendito vitæ alterius mala quæ sint futura: regni cælorum privationem, à gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram, loci angustiam, igneos fluvios, fornaces nunquam restinguendas. *Homilia 13. ad Romanos, circa finem.*

D. Chrysostomus: Sunt qui dicant, dignior sum qui deflear quam divites, ut pote qui nihil habeo. Rectè dixisti, qui nihil habes: non quoniam non habes quæ ille, sed quoniam rem ducis dignam quæ beara censeatur. Ideò dignus es qui millies lugearis. Etenim si quispiam vivens in sanitate, beatum judicet ægrotum, etiam in molli cubili jacentem: iste est illo multò miserior & infelicior, quod bonorum suorum nullum habet sensum. Quod quidem in his quoque videre licet accidere, unde etiam tota nostra vita est confusa & conturbata. Hæc enim verba perdiderunt innummerabiles, & diabolo tradiderunt, & qui fame extabescunt fecerunt miserabiliores. Nam quod qui plura appetunt, sint etiam mendicis miserabiliores, ut qui majori & acriori laborent animi ægritudine, hinc est perspicuum. Civitatem nostram invasit quondam siccitas, & extrema timebant omnes, & Deum rogabant ut hunc metum foveret: & hunc licebat videre quod dictum fuit à Mose, cœlum factum æneum, & quotidie expectari mortem omni morte graviorem. Sed cùm postea ita visum esset benigno & clementi Deo, præter spem omnem, multa atque adeò infinita ex alto cecidit pluvia & omnes jam festum diem agebant, tanquam qui ex ipsis portis mortis ascendissent, sed in tantis bonis & communi omnium lætitia, quidam ex his qui erant valdè opulenti huc & illuc circuibat mœstus & tristis, præ animi ægritudine mortuus: & multis causam rogantibus, cur in communi omnium lætitia solus doleret, ne intus quidem continere potuit hanc gravem animi perturbationem, sed à morbi punctus tyrannide causam in medium protulit, Nam cùm habeam, inquit, decies millia mensuras frumenti, nescio quid illis deinceps faciam. Huncne, dic quæso, pro his verbis beatum ducemus, pro quibus oportet eum obrui lapidibus, qui est quavis fera crudelior, qui est communis hostis?

Quid dicis, ô homo? Doles quòd non perierunt omnes, ut aurum, cogas? Non audivisti quid dicas Solomon, Qui frumenti auget pretium, est populo execrandus? Sed circuis communis inimicus bonorum orbis terræ, & hostis liberalitati domini totius mundi, & mammonæ amicus, vel potius servus. Non oportebat linguam illam amputari? non cor extingui, quod hæc verba pepererat? Vidisti quomodo aurum non sinit homines esse homines, sed feras & dæmones. Quid enim hoc divite fuerit miserabilius, qui optat quotidie esse famem, ut ei sit aurum? Ad contrarium enim ei redit animi perturbatio. Neque enim lætatur abundantiâ possessionis fructuum: sed propter hoc ipsum dolet, quod infinitâ possideat. Atqui eum qui multa possidet, lætari oportet. Iste autem propter hoc ipsum animo angitur. Vides quòd sicut dixi, non tantam ex præsentibus accipiunt voluptatem qui sunt divites, quantam animi sustinent ægritudinem ex iis, quæ nondum advenerunt. Nam qui frumenti infinita possidebat millia, magis dolebat & ingemiscebat, quàm qui esuriebat. Et qui necessarium quidem habebat alimentum, coronabatur, & exultabat, & Deo agebat gratias: qui autem tam multa possidebat, ægrè ferebat, & se periisse existimabat. Non est ergo abundantia, quæ efficit voluptatem sed mens philosophiæ dedita. Nam absque ea etiamsi quispiam omnia acceperit, tanquam omnibus privatus dolore afficietur & lamentabitur.

Nam iste quoq; de quo nunc à nobis agitur, etiamsi tanto quanto voluisset pretio vendidisset quæ habebat, rursus doluisset, quod non pluris vendidisset: & si pluris potuisset, rursus aliam quæsivisset exuperationem: & si modium uno aureo venum dedisset, heic quoque rursus animi ægritudine fuisset laceratus, quod non tanti fuisset semimodius. Si autem ab initio, non tanti fuit pretium, ne mireris. Nam & qui sunt ebrii, non ab initio incenduntur: sed cùm multo mero fuerint impleti, tunc graviorem accendunt flammam. Ergo isti quoque quò plura fuerint complexi, eò in majori sunt inopia: & qui plura lucrantur, ii magis egent. *Homilia trigesima nona ad Corinthios* 1.

S. Salvianus: Magnos videlicet abstinentiæ fructus capis, minus enim panis tu manducasti, ut auri alius plus haberet, tibi venter frugalitate decrevit, ut cuiuscunque hominis, fortasse vitiosi thesaurus cresceret. Cum ergo ad judicium Dei veneris, jure imputare ei jejunium tuum poteris, dicens; jejunavi Domine & abstinui, ac diu me ab omnium deliciarum fruge suspendi, & res hoc probat ecce enim nunc heredes mei de meo affluunt immensarum divitiarum copiis & abundant. *libr. 4. contra avaritiam.*

Philo

PHILOSOPHI.

Libanius: Ferendus esses, si me ferires, dummodo & opulentum feciſſes. gauderem te mihi ſalapittam alapamve imprimente, & per contumeliam deridente: quin omnia propter aurum mediocria tolerandaque mihi eſſent. *Declamat.* 37.

APOLOGI.

Æſopi Leo & Lepus: Leo in dormientem incidens Leporem, comeſturus erat. Inter hæc verò cervam prætereuntem videns; dimiſſo Lepore, hanc inſequutus eſt. Illa autem murmure excitatus, aufugit. Leo diu perſecutus cervam, ubi aſſequi non potuit, rediit ad Leporem. Cum autem illum quoque aufugiſſe comperiſſet, dixit; Ego merita patior, quòd dimiſſa, quàm in manibus habebam, præda, majorem prætuli ſpem.

¶ EMBLEMATUM.

Adeod. Seba. Hydropicus potans.

Injuſte partis opibus ſi fortè beatos
Putas avaros, falleris.
Epotis avidè lymphis quis poſſe beari
Hydropicos exiſtimet?

Batillius. 203.

In avaros.

Grata Midæ optanti grato prò munere factâ
Solvit ubi Bacchus muneris arbitria,
Protinus is fieri quicquid contingeret, aurum
Cernens, vix animo ſpes capit ipſe ſuas.
At modò tacta ſitim non jam, aurum fuſile factâ
Vnde levat, relevat copia nulla famem.
Rides hæc dives? mutato nomine de te
Fabula narratur, pauper in ære tuo.

Batillius. 204.

Tam deſt avaro quod habet, quàm quod non habet.

Excubat hic acer cuſtos prò limine templi
Heſperidum ſervans aurea mala draco.
Incubat hic pariter congeſto ſolus acervo,
Vtq; ſacrum parcit tangere, ſic arva opes.

Camerarius 33. Centur. 2.

Demens aliena requirit. Lupus cervarius reſpiciens, oblitus prædæ præſentis.

Incertis inhiat, certiſſima ſpernit avarus
Ceu præſente alium linx cupit ipſa cibum.

Camerarius 48. Centuria 2.

Haud aliter prodeſt.

Nec ſus, ni mactes, potent prodeſſe: nec ulli
Dum vivit, prodeſt, quicquid avarus habet.

Camerarius 49. Centur. 3.

Parvus non ſufficit amnis.

Qui nequis expleri ventrem, mentemve velartam;
Piſcivori effigiem cernito Onocratoli.

Camerarius 68. Centur. 3.

Fovet quæ non peperit.

Quæ ſunt alterius perdix illa incubat ovâ,
Quaſq; alius peperit, poſſidet alter opes.

Catſius Emblemate Ethico. 45.

Augendi modus omnis abeſt.

Cùm Crocodile, tibi præcordia vaſta repleſcit
Præda petita ſolo, præda petita mari,
Creſcis, & exiguo quamvis progreſſus abovo,
Exſuperat cubitos bis tua forma novem.
Incrementa tibi non ſiſtit anhela ſenectus;
Finis & augendi vix tibi finis erit.
Ambitioſe tibi, tibi convenit iſtud Avare:
Scilicet augendi neſcit uterq; modum.

Sus in cæno Emblem. 42.

Immundæ pecudes Sues, pigroq;
Semper implicitæ luto ac ſepultæ,
Non præſunt niſi carnibus peremptæ;
Sic queis pectora faſcinavit aurum
Æternum modo grunniunt, ſuoſq;
Acervos tenues nimis queruntur,
Donec poſt ſua fata dignioris
Hæredis foveant, alantq; luxum.

Florent. Schonhovius.

Auctoris,

¶ SENTEMTIÆ PATRUM.

D. *Nazianzenus*: Jovinianus totus in eo erat, ut interfecto Juliano exercitum ſervaret, nervosq; Romanis relinqueret. nervi enim erant, etſi rem male geſſerant, ob ducis potius temeritatem, quam ſuam ignaviam. Perſæ verò, conditionibus turpibus ſanè, Romanorumq; manu & potentia indignis, fœdus pepigerunt. quarum nomine, ſi quis abſoluto illo, hunc criminandum cenſeat meo judicio perquam iniquus eſt eorum, quæ tum accidêre æſtimator, non enim ejus qui meſſuit ſpica eſt, verum illius qui ſementem fecit: neq; ei incendium aſſignandum eſt, qui ignem exſtinguere nō potuit, ſed qui excitavit. atq; illud Herodoti de Samiorum tyranni de commodè dixerim, veſtem hanc Hiſtiæus quidem conſuit, induit autem Ariſtagoras, qui anteceſſoris rebus ſucceſſit. *Orat. 4. ſteliten-tica altera.*

D. Chryſoſtomus: Ne putemus nos excuſationem habituros, ſi quādo delictorum ſocios invenerimus: nam iſtud, ſupplicium magis augebit. Quandoquidem & ſerpens magis punitus eſt quàm mulier, quemadmodum & mulier plus quàm vir, & Iezabel majores pœnas dedit quā Achab vineæ raptor. Ipſa quippe univerſum iſtud negotiū texuerat, regiq; lapſus occaſionē dederat. Itaq; & tu quoq; ſi reliquis perditionis cauſa fueris, graviora patieris quàm qui per te ſubverſi ſunt. Neq; enim peccare tātum in ſe perditionis habet, quantū quòd reliqui ad peccandum inducuntur. Propterea dicit: Non ſolum ipſi faciunt, ſed & facientibus aſſentiuntur. Itaq; ſi quando peccantes viderimus; nō ſolum nō impellamus, ſed & extrahamus ex ipſo malitię barathro: ne & alienæ perditionis pœnas demus. *Hom. 25. ad Rom.*

REGUM ORATORUM.

Phalaris Athenienſibus: Venit ad nos Perilaus figulus veſter ô Athenienſes opera quædam apparatu prorſus induſtria ferens, propter quæ lubenter eum ſuſcepimus, & dignis muneribus tum ob artem, tum ob patriam non minimè affecimus. At ille, paulò poſt, Taurum æneum, inuſitata magnitudine fabricatus, Agrigentum attulit. Magna igitur cū voluptate fictitiū & aſſuetū humano conſortio animal recepimus. Et prorſus Tyrannicum illud ſpectaculum nobis alicuius precii & honoris eſſe videbatur. Nondum enim occultum in eo mortem neq; perniciem demōſtraverat. Poſteaquam verò aperto latere, declaravit nobis plænam omni crudelitate cædem & omni morte miſerabilius exitium: artem quidem & induſtriam ejus collaudavimus: animi verò malitiam ac pravitatem ſupplicio perſecuti ſumus: & ut privatæ ſolertiæ ſpecimen prò aliis (quia neminem ſceleratiorem opificē reperiebamus) exhiberet, par eſſe judicavimus. Ipſum igitur primum immiſimus, & quemadmodum judicaverat, ignes ad comburendum ſubjecimus. Sic nocentiſſimæ ſcientiæ, verum ſpecimen dedit, Nec enim videbamus quis eſſet ille qui puniretur neq; lamētationes ploratuſve ulli ad aures noſtras acceſſerunt: ſed intus inclamatas vociferationes, ad pūnientes, qui audire poterant æs emugit.

Cum autem vos artificis necem ęgrè ferre, nobiſq; ſuccenſere audirem, mirabar, & hactenus mihi non fit veriſimile. Si enim quod non crudeliori morte eum affecerimus id reprehenditis, ſic reſponſum vobis habeo, cur non ipſe atrociorem excogitarit. Sin contra quod qualitercunq; punitus ſit, videmini vos qui clementiā & manſuetudinem ſummè jactitatis horrēdam quandam atrocitatem omnes ad unum ſuſcepiſſe. Aut enim hoc unius viri ſit opus aut univerſæ veſtræ civitatis, oportet. Hoc autē ex ſolo veſtro in me animo cognoſcitur. Si en. jure morte multatus eſt homo, & neq; ingenio neq; natura quiſquam Athenienſiū ei ſimilis extitit, quæ tandē cauſa eſt, quamobrem nos accuſetis ſin injuria, eam hinc apertè fatemini, nihil vos Perilao meliores eſſe. Ego verò nondum concedo, injuriā in ſupplicio ineſſe, qua mihimetipſi contra jus videar feciſſe. Atqui jus à Tyranno nemo requiſivit unquam. Quicquid enim ad illius facit incolumitatem, id eſſe videtur. Sed meam ſecuritatem & imperij mei firmitudinē mecum animo præpendens in eo maximè poſitam arbitror, ſi jure punitus non eſſe videar. Sic autem perſuaſum habeo neq; veſtrum neq; aliorum Græcorum cuiquam injuſtam multam viſum iri, ſi quā aliis quiſpiam elaboravit, eam autor ipſe cogatur ſubire. Id adeò conjectura colligo tum ex cæteris omnibus, tum vel maximè per memetipſum, quod hoc eum ſupplicio puniri juſtum eſſe potiſſimum videretur. At pro vobis acerbiſſimam adverſus inſidiatores necem invenerat. Sed meam ego ſecuritatem, quatenus juris à natura profecti judex eſſem conſtitutus, relinquebam. Ad ipſam verò per ſe ſolam iuſtitiam animum referebam. Et quamquā in rem meam fore ſciebam ſi quàm plurimos ferocitatem & ſævitiam præ ſe ferre ſinerem: & ſi leniorem opinione hominum me præberem, fore ut plurium inſidiis expōnerer, atque hoc huius ſupplicio, ſublaturum omnem amicorum in me benevolentiam: itemque utiliūs eſſe propter inſidiantiū vim & injuriam, æquabiliter violentiam in puniendo adhibere. dum hæc omnia probè noviſſem, neq; laudem aliquam aucuparer, tamen iniquum eſſe judicabam, eum hominem qui tam horrendæ mortis, reliquis mortalibus machinator exitiſſet, impunè ferre. Eam ob cauſam, in quibus ille machinis igni flammāq; cæteros homines, qui nullum ei damnum dederant, enecare veller, iis dē jure à vobis, quib. hoc munus dedicarat, incluſus manci paruſq; eſt.

Sed credo aliquos veſtrūm ô Athenienſes eſſe qui hac abſurditate percepta, videlicet ſi juſtū ſit eodē exitii mortiſq; genere quo in cæterorū perniciē excogitavit, ipſum architectū & fabricatorē perire: me infinitis & innumerabilibus furiis deberi arbitretur, imo nō omniū exagitationib. meum animū ſatis eſſe, atq; ſic mihimet ipſi me pernicię & exitiū definire. Sed ſi omni odio remoto, cōſiderare cum animis veſtris volueritis, invenietis neq; libenti nos animo quicquā patraſſe, neq; ſi damnū acedimus, merito meo potiūs quàm fortuna id accidiſſe. Quanquam enim nobis à Tyrannide, quam libet atrocitatem uſurpandi, poteſtas data ſit: tamen cū ſcelere conjunctā eſſe novimus. Et cū nihil ex his quæ facta ſunt revocare poſſimus: hoc tamē quod injuſta ſceleratāq; ſint, fatemur. Utinam verò neq; parare ea nos dura neceſſitas coegiſſet, Non enim quiſquam alius præſentibus nobis,

nobis, ob lenitatem & virtutem laudari magis posse. Quis enim vestrûm Athenienses, aut aliorum mortalium, insidias sibi ponentem hostem, non omni supplicio pœnaq; afficiendum putaret. Ejusmodi cùm ego Perilaum invenerim, justo supplicio sum eum persecutus, neq; verò me latet in hoc legum à me septa transiliri. Sed illud tamè solatium habeo, quod non à voluntate sententiaque mea suscipitur, quòsi ij qui puniuntur à me prætendere non possunt. Ego quidem ô sapientissimi, indigenæq; Athenienses, in hoc vestrâ etiam consuetudinem moremq; sum imitatus. Atille, quæ nobis Tyrannis contigerunt, secutus est: proinde meritò, non quales eramus naturâ, verum quales ipse nos fecerat, ejusmodi in eum fuimus. Sed illud quoque jam sciatis, neq; me si privatus viverem. Perilai similem fore, neque illum, si regnum teneret, Phalaris: vobis autem non solum, si mo'estiam ex hujus pœna capiatis: verùm etiam nisi à similib. pœnas repetatis, probrosum ignominiosumq; esse. Communiter enim omnibus hominibus injuriam fecit, qui tale sit exitium machinatus: privatim autem quòd crudelitatis ignominiam vobis inusserit & insitam civitati modestiam perfregerit. Quamobrem omnes arbitror ejusmodi supplicium approbaturos laudaturosq; esse. Hoc enim ejusmodi civibus dignum est. Sin quis est, cui displiceat hæc lex, is sciat neque Perilao nos valdè gratum fecisse. *Epist.* 122.

¶ Oratorum.

Libanius: Si quotquot conversati sunt cum Socrate corrupti fuere, & spernere edocti sunt, quam ob rem non omnes istos nobis tradidit? cur non adversus omnes delationes intulit? non enim certè ad prava cohortantem supplicio dignum esse existimandum est: in eos autem per quos facinora patrata sunt, lenitas exercenda. Etenim in legibus de sicariis ejusmodi distinctionem adhibitam non videmus, ut is qui eædem commiserit, crimine liberetur, & autor in judicium compellatur, sed legislator homicida appellato, huic cædis auctorem adjunxit, scelestiorem eum existimans qui patravit, quàm illum qui persuasit. nunc verò is qui persuadet leges tollere, Socrates nimirum judicatur. abiis autem qui obsecuturi sunt harum eversioni, nulla ratio exigitur. *Declamatione* 9.

Libanius: Qui negotij cujusvis ansam præbet, hic opinor jure auctor fuerit eorum quæ evenerint. *Oratione Orestis super matricidio suo.*

Libanius: Non hoc cogitandum, quòd hostes istæc scelera non perfecerint, sed quod illis perficere licuerit per hunc. Maleficorum autem non tam auctores putando ii qui patrarint illâ manibus suis: quàm qui ut patrare possent, copiam dedere. *In proditorem.*

Plinius Iunior: Hæc est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu, sed planè cur dissentias explices rogo. quamvis enim cedere auctoritati tuæ debeam, rectiùs tamen arbitror in tanta re, ratione quàm auctoritate superare. *lib.* 1. *sub finem Epist.* 20.

¶ Poetarum.

Aristophanes Thesmo. v. 646.

——*Miser ego*
In quas meipsum rotasti & impuli molestias!

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 161.

Numquam edepol temere tinnit tintinabulum,
Nisi qui illud tractat, aut movet, mutum est, tacet.

Terentius prologo Andriæ.

Qui cùm hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant: quos hic noster auctores habet,
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; certo auctore dici nullares certè potest
Alteri qui ad rem improbam est dux, in reatu duplici est
Auctor exemplum bonorum; idem auctor est sequentium.
Compedes quas ipse fecit, ipsus gestiter faber.
Displicet quoq; auctori ipsi quod fit exemplo malo.
Iustè morte eaperis quam repperisti in alteros.
Magna exempla ferè regeruntur reperientium in caput,
Maximè est juxta naturam auctori habere gratiam.
Maximus malarei auctor quisque, pestis maxima est.
Puniendus non est auctor, cujus factum comprobas.
Quælibet recommendentur, haud auctoris nomine.
Qui duces sunt ceteris ad res malas, bis nocent.
Qui tueri auctore magno se potest, nota vacat.
Sæpe flammæ concitator igne & interit suo.
Supplicium atrox sæpe redit auctoris sui in caput
Vrceum figulo præferre quis prudens solet suo?

¶ Jambica.

Auctor bonorum est omnium sol omnibus.
Auctor Deus culpæ cujusq; honestior.
Auctorem in ipsum, benè retorquetur scelus.
Incerta sunt, facta ut a sine auctore omnia.
Malus, & salutis auctorem evertit suæ.
Nocet suis auctoribus perversitas.
Nullius auctor populus est rei bonus.
Plerunq; belli primus incentor perit.
Quod quis sibi ipsi intrivit, jure idem exedat.
Sæpe in magistrum scelera redierunt suâ.
Solatio caret, sibi qui malum adhocat.
Turdus, malum sibi ipse quo perit, cacat.

Auctoritatis,

¶ Monosticha Trochaica.

Contradictione crebrâ auctoritatem destruas.
Est quidem malum sequi, sed ducere est pejus malè.
Non requirit vim dolumq; tuta se est auctoritas.
Obtinere auctoritatem ac facilitatem una haud queas.
Plurimum iis auctoritatis est quibus curæ fides.
Qui cruore auctoritatem firmat, ocyus ruet.
Res adversæ auctoritatem minuunt imperantium.
Robori eloquentiæq; prævales auctoritas.
Vbi frequens contradictio ibi rara auctoritas

¶ Jambica.

Apex senectæ summus est auctoritas.
Auctoritas moram requirit temporis.
Auctoritas levatur inconstantia.
Auctoritatem facilitate destruas.
Auctoritatem immodicus destruit favor.
Auctoritatem, non auctorem respice.
Auctoritatem pessimus faciunt boni.
Auctoritatis augmen a constantia est.
Auctoritatis est locoipsa caritas.
Etiam valet sine ratione auctoritas.
Felicitatis salve ornata Auctoritas.
Locorationis sæpius est auctoritas.
Minus bene imperium regit quam auctoritas.
Rei gerundæ es acre telum auctoritas.
Sermonis ingens publici est auctoritas.
Vix conveniunt auctoritas ac charitas.

Audaciæ.

¶ Sententiæ Patrvm.

D. *Chrysostomus:* Audacia est, si quis irascitur & convitium facit nullam ob justam gravemq; causam, sed aut seipsum ulciscès, aut alio quovis modo injustè effervescens: fidentia autem & fortitudo, cum quis adversus pericula & mortem audet, amicitias & inimicitias despicit pro ijs reb. quæ Deo probantur. *Hom. 5. ad Phil.*

Egesippus: Impossibile hoc videtur, quomodo potuerit evadere, nisi notum esset in bello plurimum audaciam posse, quæ vel sola sibi murus est, deinde, aliis pone sequentibus, vile vulgus in periculis sibi ipsi magis consulendum putabat, quàm hostem persequendum. *cap. 4 lib. 5. exc. Hier.*

Egesippus: Instabant acriter Iudæi, atque hoc ipso quod in ea parte conatus irritos non habuerant, successus audaciam alebat. *cap. 20. lib. 5. de excidio Hierosol.*

¶ Emblematis.

Camerarius 44. Centur. 4.

Facti fortasse pigebit. Murena à carabo confixa quem ipsa impetit.

Non semper nimium promptis audacia felix,
Sæpius at miserum duxit in exitium

¶ Monosticha Trochaica.

A viro sapiente prorsus est aliena audacia.
Cede, non resiste, si docere vis audaciam.
Ferrum ab animo, non a ferro audaciam animus accipit.
Ipso etiam miraculo hostes obstupent audaciæ.
Maior usus est tellure, quàm mari est audaciæ.
Malim audaciam reprendi in me quàm malevolentiam.
Nemo non quasi sideratur, ad projectam audaciam.
Non potest audere multa, multa quis quin inquinet.
Omnis imperitus audax, at peritus, tardipes.
Saltem desperatione accingere in audaciam.
Tam sanctum nil est aliquando quin violet audacia.
Tuta non est erga audaces impotens audacia.
Vt minus est fraus audax, sic nec fraudulenta audacia est.

¶ Jambica.

Audacia etiam alieno crescat ex metu.
Audacia omnis exit virium modum.
Audacia omnis virium excedit modum.
Audaciæ parens ipsa Ignorantia est.
Audax facinus clamor compescit prævius.
Audax nimis, vel vanus est, vel stultior.
Aude modo, & sors & Deum fortem adjuvant.
Audentibus nil usquam inexpugnabile est.
Audeto mira, summa si vis consequi,
Etiam periculum discutias audacia.
Et major est captis pis audacia.

Facetia

Facti sæpe & impunita audacia est.
Fortis quidem, sed stulta item est audacia.
In rebus arctis plurimum est audaciæ.
In rebus inopibus præcipua est audacia.
Multum potest & singulorum audacia.
Nil non potest audacia ac prudentia.
Pavore semper tutior est audacia.
Projecta audacia, in exitu sæpius est.
Quamplurimum est egenâ in vitâ audaciæ.
Quamplurimum est in oculis audaciæ.
Sæpe una aspes salutis est audacia
Ubi est egestas est ibidem audacia.
Vires supra sua Athenis est audacia.
Vix ad senectam durat homini audacia.

Auditus.

¶ Sententiæ Patrum Græcor.

D. *Greg. Nyssenus:* Cum universa natio eum intueretur, omnib. expectantibus, ut in publicis conventibus divulgata sua eruditione, aliquem fructum diuturnorum laborum caperet, ex his partem nominis claritudinem atq; celebritatem: haud ignorans ille magnus, quibus rebus veram philosophiam à veris ac perfectis sui cultoribus publicari atq; divulgari conveniat; ne quando animus ejus aliqua ambitione vulneraretur (laus enim auditorum magnam vim habet, vigorem ac firmitudinem animi fastu quodam ac gloriæ studio inflandi atq; solvendi) idcirco silentio utitur pro documento atq, ostentatione suæ eruditionis, re ipsa in verbis ostendens reconditum in animo thesaurum, cumq; sese à turbis forensibus, & ab urbana vita penitus sejunxisset, in solitudine quadam secum solus, ac per sese cum Deo versabatur, universi mundi rerumq; mundanarum parvam curam gerens, non de regibus curiosè inquirens, non magistratus excutiens, non ex aliquo commemorante audiens, ut res quæque publica administraretur: sed ut animus virtute perfectus evaderet, sollicitus, ad hoc omni studio per totam vitam contendebat atq; enitebatur: sæculoq; omni ac rebus secularibus valedicens, alter hic nostris temporibus planè Moyses fuit, qui cum illius miraculis certaret. *Oratione de Vita Gregorii Thaumaturgi.*

D. Nazianzenus: An potius oportet velut graviorib. auribus eundem sermonem sæpius insonare; quo diuturna saltem vocis contentione, in audientium aures tandem loquamur? *Oratione 13. quæ est altera de pace.*

Isidorus Pelusiota: Non parui momenti res est acutus & sagax auditor, qui non tantùm ob admirationem orationis cursum interrupit, verum etiam ea quæ arduæ contemplationis sunt, excogitat, atque à se ipso aliquid erogare potest. Quodq; non parvi momenti sit, hinc constat, quòd Deus una cum magnis aliis & eximiis rebus, quæ se Hierosolymitanæ urbi detracturum minabatur, prudentem quoque ac sagacem auditorem adjunxit. Quod profectò non dixisset, si nihil magni ipse conferret. Eaq; de causa Parœmiastes his verbis usus est, Auris auditoris, desiderium est sapientis. Neque enim multos labores ac sudores ipsi exhibet, verùm argumenta duntaxat ac semina requirit. Siquidem ad cultum ac segetem, ingenii sagacitas sufficit. *lib. 3. Epist. 343.*

Idem: Si humani ingenii acrimonia, literarum scientiæ antefertur, quid mirum si Apostoli qui indocti atque illiterati erant, divina sapientia impleti, Dialecticos etiam & Oratores superarunt? Nam eum quidem, qui legit, interpretationem ignorare verisimile non est, cum verò qui literarum notas ignorat, eorum quæ scripta sunt mentem tenere impossibile est. Verùm persepe usu venit ut qui legit, sensum nesciat, qui autem audit, si modò majore acumine sit, & ingenij acrimoniâ præstet, eum intelligat, etamsi alioqui literarum notas minimè cognitas habeat. Nam qui ob elementorum ignorationem ea, quæ literis consignata sunt, percipere nequit, hujus sæpenumerò dum alii legunt ingenium viget. Quocirca cùm mentis acumen, scientiam superet, quid afferri potest, quin divina sapientia sermonum artificium vincat? *lib. 3. Epist. 345.*

S. Asterius: Sed & auribus suæ leges, suæ cautiones. ad sanos enim sanctosque sermones inclinare & patefacere eas oportet, ac per istos quasi tubos ad animum bona dicta transmittere. At si quis virtiorum asseela pestilensque & pernicios us homo propius accedit, ut peccati cœnum per aures infundat, vitandus ille & fugiendus non aliter quam genus illud ferarum quæ toxicum ejaculantur, *Homilia de Oeconomo iniquitatis.*

¶ Oratorum Historicorumque.

Iulianus Imp. Scriptor ille historiæ Thurius, aures dixit esse hominibus minus fideles quàm oculos. at ego in te contra sentio, magisque auribus quàm oculis credo. unquam enim ne si decies quidem te vidissem, tantum fidei oculis quantum nunc auribus tribuissem: quippe cùm ab homine minime mendaci te, cùm semper virum esse intellexerim, tum in agendo pedibus manibusque (ut ait Homerus) ita contendere, ut te ipsum superare videaris. *Epist. 22.*

Libanius: Alter ille multa possidens, longo à me intervallo distat: leve admodum, oportet esse qui hæc nuncíet, eumque docere & enarrare copiam, obscuram inde aures hauriunt tristiciam, per oculos autem velox quidam cruciatus ad cor manat. cernere porrò etiam nolentem necesse est. *Declamatione 8.*

Heliodorus: Ego non sensi, inquit, Calasiris, tum quod sim vel ob ætatem hebetiori ac languidiore auditu (senectus enim cùm aliarum partium, tum aurium præcipuè morbus est) tum fortasse eò quod narrationi animo vacarem. *lib. 5. Æthiopicor.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Nisi Isæum cognoscere concupiscis, saxeus ferreusque es. proinde si non ob alia, nosque ipsos, at certè ut hunc audias veni. Numquam ne legisti Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum, ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat, abiisse? ἀφιλόκαλοι, illiteratum, iners, ac penè etiam turpe est, non putare tanti cognitionem, qua nulla est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Dices, Habeo hic quos legam non minus disertos. Etjam: sed legendi semper occasio est, audiendi non semper, præterea multò magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. nam licet acriora sint quæ legas, altius tamen in animo sedent, quæ pronunciatio, vultus habitus, gestus etiam dicentis affigit. nisi verò falsum putamus illud Æschinis, qui cum legisset Rhodiis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, dixisse fertur: τί δὲ εἰ αὐτὸς ὑπ' ἐμοῦ ἀκηκόει τις? & erat Æschines, si Demosthenem credimus μεγαλοφωνότατος. fatebatur tamen longè melius eadem illa pronunciasse ipsum qui pepererat. *lib. 2. Epist. 2 fine.*

Nazarius: Ubique jam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat Fama velox, & ad celeritatem nuncii pennata Victoria: insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod animum languidius accedunt quæ aurium via manant, quam quæ oculis hauriuntur. *Orat. ad Constantinum Aug. cap. 32.*

Latinus Pacatus: Tu Gallia ex omnibus terris quas illa pestis insedit, haud injuriè tibi vindicas privilegium miseriarum, non auribus modò, quarum sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa victoriam Maximi interitum Gratiani. *cap. 44. Panegyrici Theodosio dicti.*

Cl. Mamertinus: Superfluum videatur quæ vosmetipsi vidistis iterare: neque enim auribus expetuntur, quæ fuerint usurpata luminibus. *cap. 30. ad Iulianum.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 3. sc. 3. v. 65.

Periit tibi sodalis. M. ne Dii sciverint. L. sic est ut loquar.
Quin ego cum peribat vidi: non ex auditu arguo.

Ausonius Epistola 16. v. 10.

Audis libenter, quod juvat.

Prudentius contra Homuncionitas.

— Concretus liquidam de sidere vocem
Non capit auditus.

¶ Emblematis.

Had. Junius Emblemate 18.

Aure concipit, parit
Mustela fœtum postea in lucem ore.
Aure dicta concipe.
Diu at recocta parcius prome ore.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum fastidiosus homini sensus aurium est.
Audiant senem juvenes, juvenem audiere quem senes.
Audiunt Epicurum multi, sed perversis auribus.
Auribus sunt delicatis est quibus sors prospera.
Cnostico cuicumq; auditor sufficit vel unicus.
Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, planè sciunt.
Soleo audire haud auscultare, quidquid ignoti imperant.
Tolerabilius est audire quam videre asperrima.
Velox sis ad audiendum, ad eloquendum tardior.

¶ Jambica.

Animusne in ipsis hospitatur auribus?
Audire ac tacere rerum est omnium arduissimum.
Audire minus periculosum est quam loqui.
Audire quis potest qui dicere haud potest.
Audita mentem de statu illico trahunt.
Audita visis laudamus libentius.
Auditione grande crimen contrahas.
Aures tuas noli committere omnibus.
Auri superbæ, quid vis contumacia est.
Fastidiosus sensus maximè aurium est.
Periculum linguæ auriumq; maximum est.
Plura auribus, pauciſsima oculis nescire est.
Saltem auscultare disce si nescis loqui.
Sapientis est audire plus, minus loqui.
Surdæ sunt aures, cum animus alias res agit.
Tibiâ cessante in aure tibiæ durat sonus.
Visus quidem est major voluptas quam aurium.

Augurii.

¶ SENTENTIÆ LATINORVM.

Iohan. Sarisberiensis: Si egrediens limen calcaveris, aut in viâ offenderis pedem contine. Si in procinctu agendorum aliquid damni pertuleris, differes inchoata, ne vel tota intentione frustreris, aut inutiliter impleatur. Expecta, dum omine meliore faustam agendis horam arripias. Omnia namque sunt aliquid. Cum processeris, abscondita futurorum aves, quas ominales vocant, tibi prænunciabunt. Quænam sint istæ fortè interrogas, quas scilicet de natura hominum informam avium Poetæ asserunt esse conversas. Quid cornix loquatur diligenter auscultа, situmq; ejus sedentis, aut volantis nullo modo contemnas. Refert etenim plurimum, à dextris sit an à sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis, loquax sit, an clamosa, an silens omnino, præcedat an sequatur, transeuntis expectet adventum, an fugiat, quove discedat non neglienter attende. Ait namque Virgiltus.

Quod nisi me quacumq; novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec gravaret ipse Menalcas.

Quamvis in eo videatur in artem offendisse, quod cornix quam vitæ servatricem asserit, rerum magnarum ignorat auspicia, nisi forte in ea præter naturam fiat ostentum, quale est quod imminente bono & optato perosi Imperatoris exitio, de rupe Tarpeia per urbem cornix Græco eloquio protulit, Bene erit. Quod augur interpretatus ita exposuit,

Nuper qua sedit Tarpei culmine cornix.
Est quia non potuit dicere, dixit Erit.

Sed ignosces viro doctissimo rusticanam simplicitatem exprimenti, aut quia pauperum vita, divitibus res videatur exigua, qui humanum genus ut paucis serviat asserunt institutum. Corvus verò, quem non minori diligentia observabis rebus majoribus auspicatur, & usquequaque cornici perjudicat. Porrò cygnus in auguriis, ales gratissima nautis, utpote quæ aquarum domestica quadam gratia familiaritatis eorundem secreta prænoverit. An nescis apud Maronem,

Bissenos lætantes aure cygnos

reducem classem Æneæ, Veneris vaticinio nunciasse? Eorum namque hilaritas non modo nautis, sed & quibusque peregrinantibes felicium eventuum gratiam spondet; nisi fortioris superetur adventu. Aquila namque sicut rex avium est, si non alarionem excipias, quæ forte aquilarum species potentissima est, regni sui majestate omniũ avium, si contra loquatur, fidem evacuat. Potuerat apud Statum præsagio volucrum Græcorum exercitus confortari. Sed fortior esse adventans per inane cohors, Amphiarao interprete, Græcorum quoq; exitium. Licet enim aquila quarundam avium viribus superetur, in prænunciatione veri nulla potentior est. Cunctis siquidem avibus excellentius volat, & ab ipsius Jovis arcano nunquam excluditur. Cumque tanto visus acumine vigere dicatur, ut ab æthere summo piſciculos in fundo maris contueatur, & in ipsum solem, quod nulli animantium licet, figat obtutum, sensuum quidem subtilitate de Jovis gratia conscientiam veritatis rerumq; mysteria mutuatur. Quis eum falsum interprètem dicat, quem consiliorum Jovis novit esse participem?

Locris adversus Crotonienses dimicãtibus, aquila dum pugnabatur super volans victoriam dicitur contulisse, cum pauci numero deleverint infinitos. Hoc tamen validiori signo scribitur roboratum, eo quod duo juvenes procerioris staturæ, elegantioris formæ, in cãdido habitu, ab utroque latere Locros præcesserint; scilicet, ut erat communis opinio, Castor & Pollux. Omnia hujusmodi cum geminantur potentiora sunt. Dum Hyero, de quo supra, prima bella iniret, aquila ex improviso resedit in clypeo progredienus, manu promptum regemque futurum significans. Ea die qua natus est Alexander duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis imperii, Europæ Asiæq; præferentes. Vultures difficultatem portant, duritiam, rapacitatem, sicut habes in origine urbis condendæ. Phœnix singularis felicitatis successus pollicetur, quale est, quod nova Roma visa phœnice, melioribus auspiciis cõdita est. Avis picta urbi Pictavorum contulit nomen, levitatem gentis, colore & voce præfigurans. Ardea rerum arduarum auspicium est. Ciconia quoniam avis concordiæ est, aut cõcordiam invenit, aut cõcordiam facit. Grus semper affert, quod expedit, unde & gruere verbum antiquum, à quo congruere, quod proficit, & ingruere contra, quod officit. Vnde illud,

Bis Gitibus ingruit imber.

Nec tamen minores contemptui habeas, cum & pica loquax, sicut ad multa, sic ad successionem hospitum te faciat cautiorem. Si avis, quę vulgò dicitur Albanellus, prætervolans viam, à sinistris feratur ad dextram, de hospitii hilaritate ne dubites: si contra, contrarium exspectabis. Aves domesticæ artificii hujus non sunt expertes, cum galli cantus spem, iter, vel opus inchoantis promoveant. Tiberio nasciturо præsignans Livia, ovum gallinæ subductum eousq; nunc suis, nunc ancillarum manibus fovit, donec gallus insigniter cristatus exclusus est, unde & augures puerum, qui nasciturus erat, dixerunt regnaturum. Bubonis, strygis, & noctuæ, semper infausta sunt omnia. Noctua tamen eo quod noctis tenebris non cæcatur, diligentis hominis vigilantiam signat; ut in portento, quo in hasta Hieronis, cum primum progrederetur ad bellum, noctua dicitur consedisse, significans eum futurum diligentissimum. Bubonem Dido dum miscerетur Æneæ, sensit infaustum. Si accipiter quippiamve generis hujus sub oculis proficiscentis, solitam rapinam exerceat, inter eundem rapacitas imminebit. Quod & joculariter innuens Naso, ait.

Odimus accipitrem quia semper vivit in armis.

Regulus quoque ipse, qui & bitriscus dicitur, vera quandoq; portendere non dedignatur. Minutæ etiam aves, adventu suo vel recessu, significant familiam nunc minui, nunc augeri. Omnium vero volatus quanto serenior, tanto laudabilior est. Unde Melampo, augur prænominatus conqueritur, stragem Græcorum conjiciens ex volatu,

Vides ut nulla serenos *Aies agat sursus.*

¶ POETARUM.

Acciusin Astyanacte.

Nil credo auguribus, qui aures verbis dividant,
Alienas, suas ut auro locupleut domos.

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius 80. Centur. 4.

Velle, monstras iter. Anguis ereptus arâ.
Tutum monstrat iter virtus. cur anxius anceps
Augurium expectas, si voluisse satest?

Videantur alia titulo *& Avium, Divinationis, Præscientiæ, Prædictionis, Ominis, Prodigij, Portenti, ostenti.*

Avium.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Nazianzenus: Adhæc greges avium tecum reputa, quamq; varia & multiplici figura sint, variisq; coloribus: qui fiat, ut alia muta sint, alia canora: quæq; horum suavissimi cantus sit ratio, & à quo hanc facultatem acceperint. Quis lyram cicadis in pectore dedit? & cantus illos atque garritus, quos cum meridiano Solis æstu ad Musicam incitantur, in arborum ramis fundunt, ac nemora sono implent, & viatorem vocibus prosequuntur? Quis cantum illũ cum cygno contexit, quo tempore pennis in auram expassis ejusmodi sibilum edit, qui carminis instar sit? Mitto enim illas vi expressas voces, & quicquid artes adversus veritatem ingenioſe comminiscũtur. Qui fit ut arrogans ille & Medicus pavo elegantiam gloriamque adeò affectet, ut quoties aliquem propius accedentem viderit, aut etiam feminis, ut ajunt, sese ostentare voluerit (nec enim pulchritudinis suæ ignarus est) confestim elata cervice, atq; alis, quæ aureũ quẽdam fulgorem referunt, ac siderum splendorem imitantur in orbem concinnatis, corporis sui pulchritudinem amasiis suis cum superbo quodam incessu, velut in theatro, spectandam proponat? Tu verò mihi naturalem quoq; animantium rationis expertiũ solertiam suspice, ratione sq;, si potes, declara. Quo modo volucres in petris & arboribus ac tectis, non minus elegantes, quàm rutos, & alendis pullis accommodatos nidos elaborant: Unde apibus & araneis tantus laboris atq; industriæ amor ut & ille favos construant, ac sexangularũ fistularum, sibiq; invicem ex adverso respondentium, adjumento contineant, & per intermediũ parietem, atq; angulos rectis lateribus alternatim innexos domicilium suum fulciant, idq; in tam caliginosis alvearibus obscurisq; figmentis: & hæ rursus per usq; adeo tenuia & subtilia stamina multipliciter intensa sinuosas telas cõtexant (& quidem ex tam exiguis initiis, ut vix ulla oculorum acie pervideri possint) quæ ipsis & pro eximio quodam domicilio sint, & venandis alimoniæ causa imbecillioribus animantibus inserviant? Ecquis Euclides hoc artificium unquam imitando expressit, de lineis pertractans nusquam extantibus, atq; in demonstrationibus anxio labore desudans? Ecquis Palamedes: (qui etiam aciei instruendę artem, ac motus & figuras, nullis aliis præceptoribus, quàm gruibus, usus didicisse fertur, cũ videlicet eas ordine ac multiplici volatus genere moveri perspexisset?) Quinam Phidiæ & Zeuxides ac Polygnoti, Parrhasij etiã & Aglaophontes, qui incredibili quadam elegantium formarũ pingendarum & sculpẽdarum peritia claruerunt? Quis Gnosius Dædali chorus ad Musicos numeros sese movens, in puellę gratiam ad omnẽ artis pulchritudinem confectus & expolitus? Quis Cretensis labyrinthus difficiles exitus & ambages habens, idemtidemq; in sese per artis industriam incurrens? Taceo formicarũ pennaria, eorumq; custodes, & alimenti aggestionem, tempori respondentẽ, ac cætera ea quę, & de earum viis ac ducibus, & eo ordine, quem in operibus servant, historiarum monumentis consignata sunt. *Oratione 34.*

Basilius Seleuc. Quæ volatu, & ingenio secant aerem aves, pullos suos recens genitos fovent, & calide accurant; proprioq; labore pastu comparato fructum fœtibus offerunt absque ullo eorum labore. At ubi eos pennis aptos viderint, inde eductos ad volatum exercent, & ipse simul auram tranantes exercitationem volandi tutã fœtibus adhuc teneris præstant, nonnunquam etiam deserunt interea volitantes, quo virtutis volandi experimentum capiant. *Sermonis 22. pr.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Avibus v. 797.

Chaos erat & nox, erebusq; niger primum tartarus latus.

Terra

Terra autem neque aer, neque cœlum, erebi autem in infinitis sinibus.
Parit primum ventosum nox nigra pennas avium,
Ex quo perfectis temporibus pullulavit amor desiderabilis,
Splendidus humero, alijs aureis similis ventosis velociter volutionibus.
Hic autem chao alato mixtus, nocturno in tartaro lato
Fecit genus nostrum, & primum reduxit in lucem.
Prius autem non erat immortalium, antequam amor commiscuit omnia.
Commixtis autem alteris, factum est cœlum, oceanusq;,
Et terra, omniumq; deorum beatorum genus incorruptibile, sic quidem sumus.
Multo antiquissimi omnium beatorum: nos autem quod sumus amoris,
Multis manifestum, volamus, & amantibus consumus
Multos autem bonos adjuratos pueros ad fines temporis.
Per potentiam, divisserunt viri amatores.
Hic quidem coturnicem dans, ille autem porphyrionē: alius autem anserem, alius autem persicum.
Omnia autem mortalibus sunt à nobis avibus maxima.
Primum quidem tempora ostendimus nos veris, hymnis, autumni.
Seminare quidē quando grus crocitans in Libyam decedit,
Et temonem tunc nauclero dicit sustendenti dormire.
Postea aūt Orestī chlænam texere, ut non frigens spolset.
Milvius iterum post hæc apparens, aliud tempus ostendit,
Quando tondere tempus ovium vellus vernū, postea hirūdo.
Quando oportet chlænam vendere, jam astivam vestem aliquam emere.
Sumus aūt vobis Ammon, Delphi, Dodona, Phœbus Apollo.
Venientes enim primum in aves sic ad omnia vertimini.
Adque mercaturam, & ad victus possessionem, & ad nuptias viri,
Avemq; putare omnia quacunq; circa divinationē dividit.
Fama vobis avis est sternutationemq; autem vocate,
Symbolum avem, vocem avem, serum autē, asinum autem.
An non manifestè nos vobis sumus vaticinator Apollo?
Si igitur nos putabitis Deos,
Poteritis uti vatibus, Musis,
Auris, horis, hyeme, æstate,
Mensurato æstis: & non aufugientes,
Sedemus super gloriati
Apud nebulas, tanquam Iupiter.
Sed præsentes dabimus vobis
Ipsis filiis, filiorum filiis,
Divitem sanitatem, bonam fortunam,
Victum, pacem, juventutem, risum, choros, convivia, lacque avium.
Quare aderit laborare vobis
A bonis,
Sic ditescetis omnes.

Aristophanis Avibus v. 111.

Felix tribus volatilium
Avium, quæ hyeme quidem
Chlænas non induuntur.
Neque rursus calor fervoris nos
Radius longe splendens calefacit,
Sed floridorum pratorum,
Foliorum in sinibus Ennæi,
Quando divina acutè canens cicada,
Caloribus meridianis à sole furens clamat.
Hyeme autem in concavis speluncis,
Nymphis montanis colludens,
Vernaq; pascimur virginalia,
Albanutrimento myrta, Gratiarúmque fructus.

Aulæ Aulicive.

¶ SENTEMTIÆ PATRUM GRÆCOR.

Io. Chrysostomus: Stat Deo sacerdos omnium offerens præcationem: tu autem rides nihil veritus. Et ille quidem tremens pro te offert preces: tu autem despicis. non horrescis, non te ipsum contrahis. Et regiam quidem ingrediens, & habitu, & aspectu, & incessu, & omnibus aliis te ornas & componis. Hic autem verè est regia, & planè hic sunt talia qualia cœlestia, & rides. *Hom. 15. Epist. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Operæ pretiū est te, cūm sacros libros evoluas, atq; in eorum, ut audio, lectione assiduè hæreas, admirandi Danielis historiam nosse: nempe quod, cùm in mediis erroris fluctibus versaretur, nullum tamen captivi hominis affectum subijt, ne ad cibos quidem communes usque, quorum perceptio eos, qui iis fruerētur, contaminabat. Ac quoniā non modò Imperii minister es, sed ipsum etiam arbitratu tuo ac libitu moderaris; in id omni studio ac diligētia incumbe, ut justitiam in morbum prolapsam, imò, ut rectius loquar, jam extremos spiritus edentem, confirmes: ut justum tribunal tibi placidum ac benignum invenias: etiamsi nunc ipsius tibi haud crebrò in mentem venit, immodicæ videlicet rerum humanarum pompæ admiratione perculso. *lib. 1. Epist. 36.*

S. Isidorus Pelusiota: Sororis suæ eodem patre genitæ amore captus, cum prohiberetur pudore, quo minus naturā adeò sibi cognatam copularet, affectum amoris cum quodam eorum, quos sibi amicos esse existimabat, communicavit. At is hunc affectum non modò non exstinxit, neque ipsum à flagitio avertit, neq; deterrendi caussā dixit: Noli novam in vitam humanam importare tragœdiarum argumenta: verum etiam viam ac rationem ipsi excogitavit, quo pacto conceptum animo nefas perpetraret. Cum igitur id fuisset jam executus, supplicium luit extremum, violatæ sororis fratre eadem matre nato injuriæ hujus auctorem per famulos nece oblatā persequente. Sic ergo turpiter simul ac miserabiliter vitam finiit Amnon. *lib. 4. Epist. 35.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Quantum secretum cubiculi sit regalis, quali reverentia, quo tempore locus habeatur, ubi ipsa principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immūdi nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur accessus, quàm munda, quàm casta, quàm fidelia ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. Quis ad ipsas palatii fores vilis, quis propinquat indignus. *Sermon. 141. pr.*

S. Valerianus: In magna domo post dominum secundus est semper gradus amicorum. soli sunt per quos apud dominum & suggerendi liber locus, & impetrandi facilis præbeatur accessus. Magna est securitatis portio in rebus asperis de domo Regis habuisse suffragiū: decrescit quodammodo invidia criminis, ubi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere. Nemo autem est, cui non opus sit potentioris, etiam in maxima securitate suffragium. *Homilia 15.*

Io. Sarisberiensis: Veteri celebratur proverbio, Quia vacuæ manus temeraria petitio est. & profectò importunus precator est, qui dandas res ad verba confidit. Utrobiq; enim scilicet apud Curiales & Medicos obtinet:

Pro solis verbis, montanis utimur herbis:
Pro caris rebus, pigmentis & speciebus.

Inter alios omnes tamen benigniores sunt, qui minimū possunt: licet ferè omnes proni sint ad nocendum, quod cuivis longè facilius est quàm prodesse. Exerceant ergo nundinas suas, loculos alienos exhauriant, farciant suos, possideant quantū Pacuvius: montib. aurum exæquent, nec ament aliquem, nec amentur ab ullo: sint admirationi ignotis, dum domesticis sint odio vel contemptui. *lib. 5. Polic. c. 9.*

Io. Sarisberiensis: Ne domi illorum justitiam credat, aut veritatem, aut pietatem, apud quos vides omnia esse venalia. Christus ipse excluſus est, etsi pulsat ad ostium, non aperitur ei, fugiunt & fugant gratiam, qui omnia ad pretium, & gratis faciunt nihil. Si preces porrigendæ sunt, si causa examinanda, si executioni mandanda sententia, si conscienda cautio, omnia nummus agit, veritas cæca est, pietas manca, dum

Quantum quisq; sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei
—— Contemere fulmina pauper
Creditur atque deos, diis ignoscentibus ipsis.

Qui corruptio moribus, & corrumpētior muneribus, apud istos beatior est. Si principum manus evaseris, grandis tibi restat via, arcta, & ardua, antequam tortores extremos effugias, sudandum est tibi. Ecce instrumenta tua conficit Cossus, si eum salutare licuerit, pro magno reputa. Si scedulam non attuleris, frustra accedes. Si autem attuleris, inutilis est, nec acquiesceret ut manus nobilis vitio membranæ degeneret. Quid multa? Suam necesse est comparari, cum nec opera, nec calamus, aut sepiolæ aut nigræ loliginis succus, tibi cōstet inemptus. Sed & ipsas syllabas, & apices, nisi eum tibi propitium feceris, sic distorquebit, tot tibi verborum ponet tendiculas, ut pro pace pro quiete litigium, amici instrumēto videatur inscribere. Si cingulum forte tibi venustius fuerit, si inciſorium aptius, si quid in minuta supellectili decentius, rebus eius connumera, nisi tibi perire velis operam, & impensam. Aut enim precibus extorquebitur, aut eas liberalitate provenies. Tandem pileū qualecumq; sit, asportabit amicus in memoriam tui. Jam à Cosso digrederis, sed tibi ignis purgatorius imminet, superest Veiento, quem multa sollicitabis instantia, & magno artificio gestus, precum, & munerum, ut te clauso labello respiciat. Tunc de singulis verbis in concilium itur, deliberationi præscribit tempus, & apices singuli ponuntur in statera. Nisi cum permulseris, occurret tibi non fideliter rei gestæ concepta series, aut stilus incultus oberit, aut à publica forma notarii vel scriniarii divertens benignitas, aut negligentia juris, & aliquis semper nodus pecunia vindice indigebit. Ut vero minimum lædat, longa expectatione torqueberis dum differt quod negari non potest. Experto crede, in manus eorum millies incidi, & ut aliquid de fabulis mutuemur, portitor immitis Charon, qui nemini pepercit unquā, istis longe clementior est. Stipe siquidem vel triente solet esse contentus. At isti asses integros sibi multiplicari jubent. Sed quid est, quod apud curiales omnia queror esse venalia, cum ea etiam quæ non sunt, rerum scilicet privationes, venalitio constet esse obnoxios? Non opus, non sermo, gratuitus est, non tacetur nisi ad pretium. Silentium namq; res venalis est. Hoc fortè à Demosthene acceperunt, qui cùm Aristodimum actorem fabularum interrogasset, quantum mercedis uti ageret accepisset, & responderetur ei talentum: at ego, inquit, Demosthenes, plus accepi ut ta-

ut tacerem. Causidicorum siquidem est lingua damnifica, nisi eam, ut dici solet, fumibus argenteis vincias. Nec unum si forte potentissimus sit, profecit illaqueare muneribus, quia in quo uniusubi conciliatur gratia, aliorum invidia concitatur. Sibi namque præreptum arbitrantur, quod aliis erogatur. Hoc autem à maximis pertransit ad minimos, qui nisi mulceantur obsequiis, & reficiantur muneribus, sibi fieri injuriam suspicantur.

Maxima quæq; domus servis est plena superbis.

& eadem cupidis plena est & avaris. Illi tamen pernicioſius nocent inter omnes Curiæ nugatores, qui sub prætextu honestatis, & libertatis, miseriæ suæ solent ineptias colorare, qui nitidiores incedunt, qui splendidius epulantur, qui propriam ad mẽsam sæpius extraneos compellunt accedere, humaniores domi, fori benigniores, affabiliores in sermone, liberiores in sententiis, in proximorum cultu munifici, & omnium virtutum imitatione præclari. Ut enim ait ethicus, totius injustitiæ nulla est capitalior, quam eorum, qui cum maximè decipiunt, id agunt, ut boni viri esse videantur. His utique virturis, licentiam facit, & unde vix oportuerat sperari veniam, gloriam asslequuntur. Possunt impunè plurima extorquere, qui parvo non possunt, imò non dignantur esse contenti. Notum quidem est, & generale proverbium, quia

Servviet æternum, qui parvo nesciet uti.

Ne tamen cum his me bellum inexorabile gerere putes, munera curiales licenter accipiant, dum non extorqueant impudenter. Pudor autem abjicitur, simul ac ad exactiones ventum est. Verbum inquit verecundum sub plici ac submissa voce dicendum, rogo, nec gratis tulit, qui cum rogaret accepit. Bis enim emit, qui rogat. Ad rei namque vel spei pretium verecundiam vendidit. Munus verò justæ reprehensionis non habet notam, quod devotio liberalitatis obtulit, non improbitas deprecantis extorsit. Ita tamen iniquorum munera non accepter, cum ingrati hominis sit, votis non fovere beneficium, & impium pro muneribus, justificare; dicente domino sit iniquum. Utiq; beneficium accipere est vendere libertatem, & dedecens est servos esse qui debent aliis imperare. Verum tamen & causæ ratio habenda est & personæ, ut nec à turpi, nec turpiter accipiatur, quod ex loco & tẽpore, & modò latius oportet inquiri. Nam plerumq, à manu, plerumq; à causa, à tempore interdum, interdum à loco, vel modo, splendent munera vel sordescunt. At improbitas curialium eousque innotuit, ut de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de odore opinionis, de sinceritate causæ, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interveniente, quis frustra confidat.

Ipse licet venias Musis comitatus Homere.
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Non modò leones & tigrides, eloquentiæ beneficio leniſſe dictus est Orpheus, sed apud ipsum Diteni vox dulcior peroravit, canémq; tricipitem exoravit causa favorabilior, ut admissam semel Eurydicem contrà morem inferorum liceret educere. Tu vero licet Orpheus sis, aut Arion, vel ille qui solo testudinis sono, saxa, ut dicitur, emollivit, nihil apud curiales efficies, nisi plumbea eorum corda aureo vel argenteo malleo vanitatis vel cupiditatis incude emollias. Inclemẽtiam Cerberi omnes abhorrent. Ego me credo vidisse ostiarios Cerbero duriores. Apud inferos tamen Cerberus unus est. Quod sunt diverticula Curialium, tot Cerberi sunt. Atrienses quoq; Cerberos sustinebis, totamq; familiam, quæ semper aut mordet, aut latrat. Omnes vero quotquot sunt, in uno medicos audierunt, dicentes: Dum dolet accipe, facturi etjam si sibi expedire crediderint, ut doleat quod sanum est. In uno tamen piissimos esse miraberis, quod querelas libenter audiunt, fovent homiliorum causas, & eousq, patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum. Nam quocunq; modò causa procedat, hoc semper agitur ut loculi impleantur, etsi avaritia nequeat satiari. Quisquis in istorum manus inciderit, si pœnitẽs invenitur, opinor hæc tormenta ei sufficere posse adveniã. Nihil enim adeò grave est, quod hic expiari non possit. Quid. n. miserius est, quã superbis assidere liminibus, præter gredientium tolerare fastum & contemptibilium calcari contemptu, perferre molestias excussorum & ab indignis quævis indigna perferre? *lib. 5. Policraticicap. 10.*

Io: Sarisberiensis: Flagellis his hominum innocentiumque terroribus, quo præclarior & potentior, eo plenior & pernicioſior curia est. Frequens etenim est, ut curia recipiat vel faciat vitioſos, apud quos invalescit audacia delinquendi, cũ ex familiaritate potentum, vitiis indulgetur. Sed de ante acta cujuscumq; frustra præsumitur, cũ inter curiales vix possit innocentia retineri. Quis est enim cui virtutem non excutiant curialium nugæ? Quis est tantus, quis tam solidus, ut corrumpi non possit? Optimus est qui resistit diutius, qui validius, qui corrumpitur minus. Nam ut sit virtus incolumis, à curialium vita divertendum est. Proinde quisquis hoc dixerit, & prudenter curiæ naturam expressit. Exeat aula, qui vult esse pius. Unde eleganter fons Salmacis infamia molliciei insignis, eidem comparatur. Ut enim in fabulis est, unde illius aspectu decora est, gustu dulcis, suavistactu, & omnium sensuum usu gratissima, sed tanta mollicie ingredientes enervat, ut viris effeminatis nobiliorem adimat sexum; nec antè quisquam egreditur quam stupeat & doleat se mutatum esse in feminam. Aut enim cedens omnino sexus in deteriorem degenerat, aut veteris dignitatis aliquo manẽte vestigio, hermaphroditum induit, qui quodam delinquentis naturæ ludibrio, sic utriusque sexus ostentat imaginem, ut neutrius retineat veritatem. Hac autem Poetici nube figmente nugarum curialiũ repræsentatur imago, quæ viros abjecta virtute emolliunt. aut virtute imagine retenta pervertunt. Qui curialium ineptias induit, & Philosophi, vel boni viri officium pollicetur, Hermaphroditus est, qui duro vultu & hispido muliebrem deturpat venustatem, & virum muliebribus polluit, & incestat. Res siquidem monstruosa est, Philosophus curialis: & dum utrumq; esse affectat, neutrum est. eo quod curia philosophiam excludit, & ineptias curiales philosophus usquequaq; non recipit. Non tamen ad omnem curiam comparatio transit, sed ad illam duntaxat, quæ insipientis distemperatur arbitrio. Qui enim sapiens est, nugas abigit, componit domum, & universa illius subjicit rationi. *fine c. 10. lib. 5. Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Militatur in curia usque ad canos: imò & illos consumit curia. Vix est ut quem curia perduxit ad canos, domum redeat vel exclusus. si migraverint, fame pereunt, quia, ut ait Sidonius, eos non tam bonus pascit, quàm panis alienus: suavior enim est, & quiddam ab alieno innatæ dulcedinis habet. Nescit uti suo, qui semper abusus est alieno. Si honesta finiuntur officia, parasiti partes non erubescit explere & minui: quævis indigna patietur antequam exeat, *lib. 7. Policratici cap. 16.*

¶ Philosophorum Atque Orat. Græc.

Diogenes: Noli nos reprehendere, quod cum nos in Macedoniam accersiveris, tibi non paruimus: non enim eò feci, ut Athenien sem salem tuæ mensæ prætulerim. Neque contentam in me ambitionem suspiceris, quarum grátia alii fortasse id facerent, ut multitudini magnanimi viderentur, quòd reges parvi facerent. Sed nobis, quam Macedonum mensa Athenien sis sal longè est familiarior. Nostri igitur dogmatis observanti à, potius quam tui contemptu, tibi non parimus. Ignosce igitur nobis. Siquidem si pecora essemus, ignosceres non parentibus. Neq; enim & regis & pecoris victus idem est. Quamobrem sine fortunate, Antipater, unum quemq; ibi vivere, ubicunq; ei licet, hoc enim præ cæteris regium est. *Epistola 5. ad Antipatrum.*

Pythagoras Hieroni Regi: Mea vita in securitate & otio posita est. Tua verò mihi nihil omnino consentaneum habet. Homo moderatus & tranquillus Sicula mensa convictuq; non eget. Omnia sufficiunt in diem Pythagoræ, quocunq; venerit. Regis autem familiaritas. grave quoddam est, molestum est parum assueto Magnum contrà, tutumque frugalitas & continentia. Neque enim in invidiam incurrit aut in insidias telaq; incidit. Quamobrem similima Dei ea vita videtur. Habitudo corporis bona, non gignitur ex rebus venereis aut ferculorum copia & lautitie: sed ex egestate, quæ ducit hominem ad virtutem. Voluptates autem variæ & immoderatæ, mentes hominum imbecilles & infirmas arguunt, maximè verò quibus tu frueris Quamobrem in ista quoque & talia præceps ruis: sed exultas, neque salutem invenire potes: quia sermo tuus à pernicie & incommoditate non abhorret. Proinde me voces ad tuam familiaritatem & convictum Pythagoram. Nec enim medici cum ægrotantibus simul in morbum incidere volunt.

Xenophon: Est decretum, ut honorati semper ad portas præstò essent, & Cyro suam operam offerrent, quamcumq; ad rem illi visum esset donec eos dimitteret. Quod quidem ita, ut tunc decretum fuit, etiam hodieq; faciunt ji, qui regis imperio in Asia parent: dum portas principum officioſe frequẽtant. Accidit autem in his quod etiam in aliis. Quum is, qui præest rerum summæ, vir aliquanto melior est, etiam sincerius puriusque legitima instituta majorum observantur: quũ deterior aliquis, segnius. Frequẽtabant igitur illi honorati cum equis & hastis Cyri portas, quando ita decretum esset à præstantissimis auctoritate viris, qui una cum ipso imperium illud everterunt.

Cæterum aliis aliarum rerum curam Cyrus mandabat, quum quidem & eos haberet, qui vectigalia reciperent, & qui sumtuum expensas facerent, & præsides operum, & faculratum custodes, & rerum ad victum necessarium procuratores. Etiam nonnullis equorum & canum curam committebat, quos existimabat effecturos hæc animalia suum ad usum accommodatissima. Ut autem illi, quos secum habere vellet, in societatem conservandæ felicitatis admittendos, longe optimi evaderent: meditandum sibi sumebat, nec aliis eam curam mandabat, sed esse munus hoc suum arbitrabatur. Norat enim, si pugnandum aliquando esset, ex illorum numero sibi & adstites & substites sumendos esse, qui maximis in periculis exerciti fuissent: indemq; præfectos cohortium tam pedestrium, quam equestrium ex iisdem constituendos esse intelligebat. Quod si copiarum prætoribus, aliis, præter se, opus esset: ex his ipsis mittendos esse sciebat. Quinetiam norat, quorundam ex his opera utendum esse, & ut urbium & totarum nationum tum custodes esset, tum satrapæ, legatiq; nonnulli mitterentur: quod quidem inter res maximi momenti ponebat, ut absq; bello impetraret id, quod cuperet. Quod si tales ij non essent, quales esse conveniret, quorum opera maxima plurimaque negotia essent conficiunda, male rebus suis prospectum fore arbitrabatur. Sin illi tales essent, quales oporteret: præclare secum actum iri ducebat. Qua in sententia quum esset, totus in hunc curam incubuit.

Existimabat sibi quoq; virtutem exercendam esse. Nec enim fieri posse putabat, ut qui talis ipse non esset, qualem esse oporteret, is alios ad præclaras & laudabiles actiones incitaret. Quæ quum apud animum expendisset, otio primum esse sibi opus statuit, siquidem efficere vellet, uti res eximias cura complecti posset. Feri quidẽ haud posse judicabat, ut proventuũ curam negligeret, quod prospiceret multa in magno imperio expendi. Rursus autẽ, quum magnã opum copiam possideret, harũ cura semper ipsum occupari, id vero avocaturum se sciebat à cura totius summæ rerũ conservãdæ. Quare cõsiderans, quo pacto & res familiaris recte administrari, & ipse frui otio posset: re militari

militaris ordinem intuebatur. Nam plerumq; decuriones curam decuriarum gerunt, ductores manipulariꝝ, decurionum: tribuni, manipulariorum ducum: decem millium præfecti, tribunorum: quo quidem ipso contingit, ut nemo sit, cujus cura non geratur; tametsi valde multæ sint hominum myriades. Quumque vult imperator exercitus opera uti, satis est, decem millium præfectis mandata dedisse. Quæ igitur horum est ratio, eadem Cyrus etiam res domesticas summatim complexus est. Quo factum, ut ipso cum paucis colloquente, domestica minimè negligerentur. Itaque deinceps ei plus erat otij, quam alij, qui vel unius domus, vel navis unius curam gereret. Sic adeo rebus suis constitutis, suos etiam docuit eadem ratione uti. Atque hoc modo tam sibi, quam suis otium paravit.

Cœpit deinde sibi sumere magisterium efficiũdi participes rerum tales, quales esse oporteret. Primum requirebat illos, quotquot aliis terram colentibus victum habere possent, si ad portas præsto non essent: quod existimaret eos, qui adessent, nihil neq; sceleris, neque rei turpis admissuros: partim quod ipsi principi adessent, partim quod intelligeret, omnes actiones suas à viris præstantissimis conspici. Qui verò non adessent, eos vel intẽperantiæ, vel injustitiæ, vel negligẽtię causa putabat. Quamobrem quum hoc primũ existimaret, etiam cogebat tales, ut adessent. Etenim aliquem illorũ, quos maxime charos habebat, bona ejus, qui portas non frequentaret, occupare jubebat, ac dicere, res ab se suas occupari. Hoc quum fieret, statim spoliati veniebãt, quasi quib. esset illata injuria. Cyro aut longo tẽpore non vacabat, ut cujusmodi homines audiret: & posteaquam audierat, diu controversiæ cognitionem differebat. Quę faciens, arbitrabatur eos se ad observandum & colendum adsuefacere: sed minus odiose, quã si pœnis irrogandis eos adesse cogeret. Hæc uni docendi ratio erat, ut adessent: alia, quod & facillima, & maxime fructuosa præsentib. imperaret: item alia, quod nihil unquam absentib. tribueret. Præcipuus verò cogendi modus erat, ut si nihil horum aliquẽ moveret, ei facultates adimeret, ac donaret alij, quem existimaret posse sibi opportune præsto esse. Hoc modo amicum utilẽ pro inutili cõsequebatur. Inquirit aũt etiam is rex, qui nunc rerũ potitur, in eos, qui quum adesse ex officio debeãt, absunt. Ad hũc sanè modũ Cyrus in absentes se gerebat.

Illos aũt qui se offerrent ac exhiberent, maximè se putabat ad præclaras & laudabiles actiones excitaturum: siquidem ipse, qui princeps eorũ esset, subjectis imperio declarare se niteretur virtute inprimis ornatũ. Videbatur enim animadvertere, meliores quidẽ effici homines etiam legib. scriptis: sed principẽ bonum arbitrabatur hominib. esse legem oculis præditam; veluti qui & ordinãdo jubere, & ordinis negligentẽ cernere, ac punire posset. Ita quum sentiret, primũ se cultus divini magis hoc tempore studiosum declarabat, quia felicior evasisset. Atq; tunc primum magi constituti sunt, qui semper cum prima luce Deos hymnis celebrarent, & cottidie sacrificarent Diis illis, quib. ipsi sacrificãdum dicerent. Ita quidẽ id tẽporis constituta nunc quoq; permanent apud eum regem, qui quovis tempore rerum potitur. Imitabantur aũt eum in hoc, primum Persę ceteri, q; ipse beatiores se fore arbitrarentur, si Deos ita colerent, ut is, qui & felicissimus esset, & imperaret. Præterea, se graviores Cyro futuros putabãt, si hæc facerẽt. Cyrus ipse religiosã suorum pietatem sibi quoq; utilem ducebat esse, quum rationem eandẽ sequeret, quã illi, qui certò judicio cũ religiosis potius, qua cum iis, qui cõmisisse aliquid impiè videntur, navigare malũt. Præterea futurum ratiocinabatur, ut si omnes illi rerum participes religiosi essent, minus aliquod impium facinus tum contra se invicem, tum contra Cyrum ipsum designare vellent: qui bene se de participum collegio promeritum esse arbitrabatur. Itidem quum declararet, id maximè se facere, si nec amicus, nec socius læderetur, & quum id antè oculos haberet, quod justum esset, futurum putabat, ut alij quoque se turpibus à lucris magis abstinerent, ac ratione justa rem facere mallent.

Etiam pudore ac verecundia putabat omnes magis impletum iri, si palam ipse declararet, ita se omnes revereri, ut nihil fœdum ac turpe nec diceret, nec perpetraret. Atq; hoc ita futurum, isto argumento colligebat. Etenim non dicam principem, sed illos etiam, quos alioqui nõ metuunt, magis reverentur homines si verecundi sint, quam si inverecundi: & mulieres, quas esse verecundas animadvertunt homines intuentes vicissim revereri magis volunt. Putabat etiam suos constantius imperio parituros, si eos qui sine recusatione parerent, in oculis omnium magis ornaret: quam alios, quorum vel maximè laboriosissimæq; virtutes exstare viderentur. Et hoc quidẽ uti sentiebat, ita etiam facere perseverabat. Præterea moderationẽ suam ostendendo efficiebat, ut hanc etiam alii magis exercerẽt. Nam quum vident homines eũ, cui maxima facultas est insolenter agendi, modestè se gerere: nolunt imbecilliores alii quidquã insolẽtius palam agere. Sic aũt verecundiam ac moderationem cernebat, ut diceret, verecundos palam turpia fugere: moderatos etiam illa, quæ occultè fiant. Cõtinentiam sic exercitatum iri à suis maximè putabat, si ipse declararet se per occasiones oblatarum voluptatum ab iis, quæ honesta & bona essent, non abstrahi: sed velle potius ante voluptatum gaudia laborem cum honestate conjunctum suscipere. Enimvero quum talis esset, perfecit, ut ad portam magna inferiorum esset modestia, præstantioribus cedentium, magnus erga se invicem amborum pudor & composita morum gravitas. Neminem ibi animadvertisses vel irascentem cum vociferatione, vel insolente cum risu gaudentem: sed eos adspiciens existimasses reabse ad honesti decoriq; normam vivere. Huiusmodi ergo quædam & faciebant, & conspiciebant, qui ad portam versabantur.

Ceterum exercitationis bellicę causa venatum eos educebat, quos in his exercendos arbitrabatur: quod venationem duceret tum bellicæ rei totius optimam exercitationem esse tum equestris longe verissimam. Nam ad insidendum equis in locis quibus libet maximè redditaptos, quod fugientes feras sequi necesse sit: & agiles efficit maxime ad quodvis opus ex equis perficiendum, propter honoris studium, & cupiditatem capiendi. Heic etiam maximè suos illos participes adsuefaciebat ad cõtinentiam, & labores, & frigora, & calores, & famem, & sitim tolerandã: Ac modo quoq; tum rex, tum qui cum rege vivunt, hæc facere non cessant. Quod igitur arbitraretur, nemini convenire imperium, qui non esset subjectis sibi melior: id de iis, quæ antehac exposuimus, nulli non patet: sicut illud etjam, quod suos in hunc modum exercendo, multo maximè tum ad continentiã, tum bellicas artes & exercitationes ipse laborando se consuefaceret. Nam venatum quidem alios educebat ubi nulla necessitas domi manere cogebat ipse vero etiam retinente domi necessitate feras venarì solebat, quæ in septis hortorum alerentur: nec vel ipse prius quàm sudasset, sumebat cœnam: nec equis prius, quam essent exerciti, pabulum objiciebat. Ad hanc venationem sceptrigeros etiam suos invitabat. Itaq; multum in omnibus præclaris actionibus & studiis ipse præstabat. multum qui cum eo versabantur, ob exercitationem illam perpetuam. Atque hujusmodi sanè exemplum ipse se præbuit. Præterea si quos alios videret maximè rerum honestarum sectatores, eos & donis, & imperiis, & sedendi loco, & omnibus honoribus ornabat. Quo factum est, ut in omnibus ingens studium excitaret, quo quisque Cyro præstantissimus videretur.

Animadvertisse verò nos in Cyro id quoq; putamus, quod non eo dumtaxat principes existimarit præstare subjectis sibi debere, ut iis meliores essent: verumetiam blanditiis quibusdam demulcendos arbitraretur. Itaq; tum sibi vestitum Medicum gestandum esse, certo judicio statuit: tum illi suo participum collegio persuasit, ut eundem inducerent. Nam si quid in alicuius corpore vitij esset, id occultare vestitus is Cyro videbatur: & illos, qui eum gestarent, quam pulcherrimos, & maximos exhibere. Habent enim ejusmodi calceos, in quibus maximè subjici clam aliquid potest, ut grandiores, quam sint, esse videantur. Hoc etiam admittebat, ut oculis pigmenta quædam sublinerentur, quo viderentur oculos habere pulchriores, quam essent: & ut fucus infricaretur, quo præditi colore meliori cernerentur, quam natura concessissent. Ad hæc eos exercuit, ut palam nec exspuerent, nec emungerent se, nec ad ullam rem spectandam se converterent, quasi nihil admirarentur. Hæc adeò universa putabat aliquid adferre momenti, ad hoc, ut subjectorum imperio suo contemtui minus expositi viderentur. Et ad hunc sane modum instruxit eos, quos beneficio suo magistratus gerere volebat: tum exercendo, tum illo ipso, quod eis cum majestate præesset.

Quos autem ad serviendũ instruebat, eos nec ad labores ullos liberales excitabat, nec habere arma sinebat: studioseq; dabat operam, ne unquã liberaliũ exercitiorũ causa vel cibo vel potu carerẽt. Permittebat enim servis, quoties equitibus feras in cãpos adigerent, ut cibũ ad venationẽ secum sumerent: ingenuorum vero nemini. Quando item faciundum erat iter, ad aquas eos perinde, ac jumenta, ducebat. Quũ prandij tempus erat, exspectabat eos, donec aliquid comedissent: ne furcilla sive fames acrior eos adfligeret. Quo fiebat, ut nõ aliter, ac optimates, etiam hi Cyrum patrem adpellarent: qui curã ipsorum gereret, ut semper sine dubio mancipia manerent. Ac totum quidẽ imperium Persicũ hoc modo firmum ut esset, ac stabile Cyrus effecit.

At sibi nihil ab iis, quos in potestatẽ redegisset, periculi futurum, ut aliquid perpeteretur, magno animi robore confidebat. Nam & imbelles eos existimabat, & nullo inter se conjunctos ordine videbat, ac præterea nemo illorum propius ad ipsum neque noctu, neque interdiu accedebat. Quos verò præstantissimos ducebat, & ab armis instructos, & magno conjunctos numero conspiciebat, ac partim sciebat equitum duces esse, partim peditum quorumq; complures animadvertebat esse animis elatis quasi qui ad imperandum essent idonei quiq; propius ad custodes ipsius Cyri accedere possent, ac pleriq; Cyrum ipsum sæpenumero convenirent, quod fieri necesse erat, siquidem opera ipsorum uti vellet: ab his igitur ne quid ei mali accideret, periculum erat, idque multis modis. Quamobrẽ dispiciens, quo pacto ab iis quoq, tutus esset: arma quidem illis adimi, & reddi ad bellũ ineptos, minimè probavit: quod esse illud & cum injuria, & cum imperij eversione conjunctum duceret. Rursus eos non admittere, ac palam declarare, quod fidem eis non haberet: id belli arbitrabatur esse initium. Itaque hoc unum istorum omnium loco judicabat & optimum esse ad securitatem suam, & honestissimum: si præstantissimos illos sibi redderet amiciores, quã inter se ipsos essent. Quo igitur modò perveniisse nobis eo videatur, ut amaretur: exponere conabimur. Primum quovis tẽpore quam poterat maximè clementiã & humanitatẽ animi declarabat, qui existimaret perinde, ac facile nõ sit, eos diligere, qui odisse videantur, neq; male erga nos adfectos benevolentia cõplecti: sic fieri non posse, ut illi, quorum semel cognitus sit amor & benevolentia, iis odio sint, qui ab ipsis diligi videantur. Igitur quam quidẽ diu facultas ei deerat cõferendi beneficia, donis opibus: tum illis prospiciendo, quos secũ haberet. tum pro eis laborãdo, & palam declarando, se prosperis ipsorum reb. lætari, adversas graviter ferre, venari amorem eorum nitebatur. Verum posteaquã hoc adeptus est, ut beneficus esse largiendis opibus posset: animadvertisse nobis videtur, primo quidem beneficium hominibus ex eadem impensa nullum esse gratius, quam si quis cibum & potum impertia-

tur. Id quum ita se habere statuisset, primum de mensa sua mādatum dedit, ut quibus ipse cibis vesceretur, iis similes sibi semper adponerentur, permultis hominibus suffecturi. Quæcunq; vero adponebātur, ea semper omnia distribuebat in amicos, quos visum esset, quo se memorem ipsorum esse ostenderet, vel benevolētiam declararet: extra cibos illos, quibus ipse atq; convivæ vescerentur. Præterea mittebat cibos iis, quorum vel in excubiis diligentiam suspiciens probaret, vel in præstandis obsequiis & cultu, vel aliis in actionibus: simul significans, non esse ignotam sibi voluntatem eorum, gratificari sibi cupientium. Eodem honore ciborum è mēsa sua donatorum domesticos suos adficiebat, si quando laudare aliquem vellet: atq; etiam cibos omnes horum domesticorum iri mensam suam adponi curabat, quod putaret hoc eis benevolentiam quamdam inditurum, sicut usuvenire pueris solet. Quod si amicos aliquos à multis coli vellet, his ipsis etiam aliquid de mensa sua mittebat. Hodieque adeo si quibus de mensa regia mitti aliqua vident, eos universi magis colunt: quod illos & honoratos esse arbitrentur, & auctoritate valere ad impetrandum aliquid, si sit opus.

Nec his solum de causis, quas indicavimus, læticiam adferunt ea, quæ à rege mittuntur: sed reabse præstant suavitate, quæ de mensa regis veniunt. Atque hoc ita esse, non est mirandum. Etenim ut aliorum quoq; artificiorum opera magnis in urbibus excellentia fiunt, sic etiam cibi regii longe præstantius elaborantur. Nam parvis in oppidis iidem spondam, januam, aratrum, mensam fabricantur: atq; sæpenumero idem etiam domum exstruit, & bene secū agi putat, si vel hoc modo consequatur aliquos, qui opus ei faciundum locent, quod ipsi alendo sufficiat. Fieri quidem certè nequit, ut qui multis artificiis occupatur, omnia recte faciat. At magnis in urbibus, quia multi singulis egent, vel unum cuiq; sufficit artificium, ut eo se alat: sæpenumero ne unum quidē totum sed calceos alius viriles, alius muliebres facit. Est ubi quis se calceis dumtaxat cōsuendis alit, quum alius tantum eos scindat. Itidem alius tantummodo tunicas scindit, alius nihil horum facit, sed eas consarcit. Quamobrē necesse est eum, qui occupatur opere minime longo etiam id quam optime cogi perficere. Hoc ipsum & in victu accidit. Nam cui unus & idem lectum sternit, mensam instruit, farinam subigit, alias alia obsonia parat: eum necesse est, mea quidem sententia, sic habere singula, uti cesserunt. Verum ubi satis est uni, quod agat coquendis carnibus elixis, assandis alij: alii piscibus elixandis, alii assandis: alii faciendis panibus, ac ne his quidem omnis generis, sed effici panis unam speciem probatā satis est: tum vero hæc in hunc modū facta necesse est, opinione mea perquam excellēter esse à singulis elaborata. Et cibis quidem ita suos demerendo, longe Cyrus omnes superabat.

Ut autem ad homines demerendos aliis etiam rebus omnib. longe præstiterit, id equidem modo sum narraturus. Nam tametsi mortales ceteros eo ipso excelleret, quòd proventus plurimos perciperet: multò tamen in hoc magis excelluit, quod unus inter omnes homines plurima largiretur. Atq; hoc ita cœptum à Cyro fuit, ac permanet etiam nunc apud illos reges multa munifice donādi consuetudo. Quemenim novimus opulentiores amicos habere, quam habeat rex Persarum? quis illo rege suos elegantius ornare vestitu videtur? cujus munera ejusmodi esse cognoscuntur, qualia sunt pleraque regis illius, armillæ, torques, equi frænis aureis insignes? Non enim apud Persas hæc habere cuiquam licet, cui rex ea non donarit. Quis alius magnitudine numerum efficere dicitur, ut fratribus ipse anteferatur, & parentibus, & liberis? Quis alius hostes suos, multorum mensium itineris intervallo distantes, sic ulcisci & plectere potuit, ut rex Persarum? Quis alius everso aliorum imperio, sic diem extremum obiit, ut à subjectis sibi pater adpellaretur præter Cyrum? At nomen illud magis ei tribui, qui beneficia confert, quam qui rapit aliena, constat.

Etiam hoc accepimus, Cyrum illos, qui & oculi & aures regis adpellantur, non alia ratione sibi conciliasse: quam munera largiendo, & honoribus ac præmiis ornando. Quippe dum eos, qui nuntiabant, quæcumq; ipsius interesset in tempore cognosci, magnis beneficiis coleret: efficiebat, ut homines permulti & auribus id captarent, & notarent oculis: quo nuntiato, regi aliquid utilitatis adferrent. Hinc multos esse regis oculos, & aures multas, existimatum fuit. Quod si quis arbitratur, unum potius esse regi oculum eximium: is rem non recte æstimat. Nam unus aliquis & cernere pauca, & audire posset: & quædam quasi negligentia ceteris esset indicta, siquidem ea de re mādata duntaxat uni darentur. Præterea quemcunq; regis oculum esse animadverterent, ab eo cavendum scirent. Verum ita se res nō habet, sed audit rex quemlibet, qui se vel audivisse, vel vidisse quippiam adfirmat, quod adtentione dignum sit. Ita multæ regis aures, multi esse oculi existimantur: & ubiq; proferre metuunt ea, quæ regi non expediant, tamquam si audiret ipsemet: & reformidant facere non conducentia regi, tamquam si præsens ipse adesset. Tantum igitur aberat, ut ad quempiam aliquis sinistram Cyri mentionem facere fuerit ausus: ut etiam ita quilibet adfectus esset, quasi omnes, quibus cum quovis tempore versaretur, & oculi regis, & aures essent. Quod verò sic in ipsum adfecti essent homines, ejus rei causam equidem ignoro, quam potiorem quis putet, nisi quia pro exiguis ipse meritis beneficia rependere magna vellet.

Ac munerum quidem amplitudine superatos ab eo fuisse alios, mirum videri non debet, quum opulentissimus esset: at verò eum, qui esset regia cū dignitate, amicos officiis studioseque colendo superasse, id sane magis prædicari meretur. Enimvero traditum est, Cyrum in nullare adeò manifesta pudoris signa dedisse, posteaquam superatus esset, atque in amicorum obsequiis & cultu. Ac dictum quoddam ejus memoratur, quo similia perhibuerit esse boni pastoris & boni regis opera. Nam pastoris esse munus, ut posteaquam jumentis felicitatem conciliasset, ita deinde illis uteretur, quæ quidem pecudum esse felicitas: itemque regem urbibus & hominibus, quos ipse beasset, uti debere. Nil mirum igitur, quum hac esset in sententia, singulari eum contentione conatum esse homines universos obsequiis & demerendo superare.

Præclarum certè documentum dedisse Crœso perhibetur, quum is futurum admoneret, ut multa largiendo pauper fieret: cui tamen liceret, uni quidem homini, plurimos auri domi suæ thesauros recōdere. Quæsivisse tum Cyrus dicitur: Et quantam pecuniæ summam habiturum me jam fuisse arbitraris, si quemadmodum tu jubes, aurū collegissem ab eo tempore, quo cum imperio sum? Ibi Crœsum indicasse magnam quandam summam, & subjecisse Cyrum: Age verò, Crœse, mitte quemdam cum hoc Hystaspa, cuicumq: fidei plurimū habes. Tu autem Hystaspa, inquit, circumito profectus ad amicos ac dicito mihi quoddam ad negotium esse opus auro: (& revera mihi eo est opus,) jube copiam pecuniæ mihi quisq; suppeditet, quantam possit: eamq; descriptam, & obsignatam litteris, Crœsi ministro ferendā tradat. Quumq; hæc, quæcumq; dixerat, etiam mandasset litteris, atque obsignasset: dedit eas Hystaspæ ad amicos ferēdas, adscribens ad omnes, etiam Hystaspam ipsum, tamquam amicū suum, exciperent. Is cū circuisset, & Crœsi minister litteras adferret, inquit, Hystaspas: Etjam mecum, rex Cyre, tibi agendum erit, ut cum divite. Nam multis tibi cum muneribus adsum, propter litteras tuas. Et Cyrus: Ergo jam hic quoq; thesaurus unus nobis est, Crœse: tu cæteros considerato, ac rationes subducito, quantæ nobis pecuniæ paratæ sint, si ad usum aliquem eis mihi sit opus. Crœsus initis rationibus, multo plures reperisse fertur, quam habiturum in thesauris fuisse Cyrum dixerat, si eas collegisset. Quod ubi patuit, dixisse Cyrus traditur: Videsne Crœse, mihi quoq; thesauros esse? Tu vero me jubes colligendo invidiæ me atq; odio exponere, ac mercenariis custodibus præfectis, fidem habere. Sed ego amicos locupletatos arbitror mihi thesauros esse, custodesque tum mei ipsius, tum bonorum nostrorum fideliores, quam si præsidiarios mercede conductos eis præficerem.

Etiam aliud quiddam tibi dicam. Ego id, Crœse, quo indito in hominum animos, Dij pariter omnes fecere pauperes, ne ipse quidem vincere possum: sed expleri pecuniis nequeo, perinde atq; ceteri. Verum hoc discrimen inter me atq; alios plurimos esse puto, quod illi pecuniæ copia potiti, superante sufficientem, partim eam defodiant, partim situ & putredine corrumpi sinant, partim numerando, metiēdo, ponderando, ventilando, custodiendo sibi negotiū faceſſant. Neque tamen interea, dum eam domi habent, plus comedunt, quā ferre possint, quod alioqui creparent: neq, plures induunt vestes, quam gestare possint, quod alioqui suffocarentur: sed opes illæ nimię nihil eis sunt aliud, quā negotiorū molestiæ. Ego & dijs inservio, & plura sēper adepto: verū ubi eas cōparavi, quas usum mihi sufficientē excedere video: his ipsis àmicorū penuriæ medeor, & homines ditādo, ac beneficiis adficiendo, benevolentiam ex eis amoremq; mihi paro: de quibus & securitatis, & gloriæ fructū capio. Ea verò neque putredine corrumpuntur, neq; nimirum excrescendo vitiantur: sed gloria quo auctior est, eo fit major, & pulchrior, & portatu levior, ac sæpenumero etiam illos, qui eam gestāt, expeditiores reddit. Atq; ut hoc quoq; scias, Crœse, non equidem eos, qui pecunias plurimas possident, & servant plurimas, felicissimos duco: quod hoc pacto qui muros custodiunt, fortunatissimi essent, quum omnia, quę sunt in urbibus, custodiant: sed qui parare quam plurimas juste potest, & plurimis honeste uti, hunc ego felicissimum arbitror, etiam opum respectu. Et hæc Cyrus uti verbis proferebat, ita etiam in oculis omniū faciebat.

Præterea quum animadvertisset hominum plerosq; dum bona valetudine continuo fruuntur, operam dare, ut à rebus necessariis instructi sint, & quæ victui rectè valentium usui sint, reponere: verum ut, posteaquam in morbum inciderint, utilia suppetant, id quia non admodum eis esse curæ cernebat: visum est ei, hac quoque in parte elaborandū esse. Itaque medicos præstantissimos ad se collegit, quod nulli parcere sumtui vellet: ac quæcumque instrumenta quis utilia esse ipsi diceret, vel medicamenta, vel cibos, vel potum, eorum nihil erat, cujus non paratum apud se copiam reconderet. Quod si aliquādo quispiam exiis æger esset, quos curari conveniret: & inspiciebat & suppeditabat omnia, quibus esset opus. Etiam medicis gratiam habebat, quum quis sanasset aliquem, sumtis iis, quæ haberet ipse recondita. Et his, atque aliis multis artibus hujusmodi Cyrus efficiebat ut apud eos primas obtineret, à quibus diligi se vellet.

Quibus autem in rebus & certamina Cyrus indicebat & proponebat præmia, quum contentiones inter suos excitare de studiis præclaris & honestis vellet; eæ res Cyro laudem adferebant, quod curæ ipsi esset, ut virtus coleretur: & præstantissimis quibusque certamina hæc, inter ipsos susceptā, tū contentiones tū altercationes injiciebāt. Præterea Cyrus quasi legem constituit, ut quidquid tandem esset dijudicari necesse, sive aliqua in lite, seu certamine, ad judices una currerent illi, quibus dijudicatione opus esset. Itaq; manifestum est adversarios utrosq; conjectando respicere solitos adjudices optimos, sibiq, amicissimos. Victus autem victoribus invidebat, & eos, qui sententiā secundum se non tulissent, odio prosequebatur. Victor contra, jure se vicisse præferebat, adeoq, nemine se gratiam debere putabat. Itidem qui primas inter amicos Cyri tenere volebant, perinde sibi invidebant atque alij solent, qui degunt in urbibus. Itaq, complures

mal e

malebant alius alium è medio sublatum potius, quàm ut invicem adjuvando commodum aliquod sibi procurarent. Et hęc quidem indicata sunt, quo pateat, quibus artibus Cyrus effecerit, ut præstantissimi quique magis ipsum amarent quam mutuo.

Jam verò narrabimus, quo pacto Cyrus primum è regia provectus sit. Nã ipsa majestas hujus provectionis una nobis videtur ex iis esse artibus, quę perfecerunt, ut imperium ipsius facilè contẽni nõ posset. Primum igitur, antequam prodiret, arcessitis tam Persis, quam aliis, qui essent cum imperio, vestes inter eos Medicas distribuit. Et amictũ sanè Medicum Persæ tunc primũ induerunt. Simul inter distribuendum dicebat, velle se provehi ad fana Diis selecta, & una cum ipsis rẽ sacram facere. Quamobrem ad portas adesse, ornati vestib. istis, prius quam sol oriatur, & sic cõsistite, quemadmodum Pheraulas Persa vobis ex me denuntiabit: quumq;, ipse præcessero, vos loco vobis indicato sequimini. Quod si cui vestrum alia quæpiam ratio videbitur elegantior, quam ea, qua modo prodimus: is illam mihi, quum redierimus, ostendat. Nam uti vobis pulcherrimum optimumque visum fuerit, ita singula constitui debent. Posteaquam in præstantissimos vestes elegantissimas distribuit, etiam alias vestes Medicas protulit. Plurimas enim parari curaverat, nullis parcens, sive purpurei seu fusci, seu punicei, seu caryccini vel sanguinei coloris vestes essent. Has autem singulos in duces dispertitus, jussit, ut eis ornarẽt amicos suos: sicut & ego, inquit, vos orno. Tum quidam ex iis, qui aderant, eum interrogans: Tu verò, ait, Cyre, quando exornaberis? Cui Cyrus respondens: An modo, inquit, non etiam ipse vobis ornari videor, dum vos orno? Nimirum si possim in vos, amicos meos, esse beneficus: quamcumque tamdem habeam vestem, in ea videbor elegans. Sic illi digressi, vestibus istis amicos arcessitos ornabant.

Cyrus verò, quod existimaret Pheraulam, hominem ceteroqui plebeum, & ingenio valere, & omnis elegantiæ atq, ordinis esse studiosum, minimeque negligentem in iis, quæ Cyro grata facere posset, & illum ipsum, qui aliquando sententiã de singulis pro dignitate ornandis oratione sua comprobaverat: hunc arcessit, & cum eo deliberat, quo pacto effecturus esset, ut ipsorum provectio spectatu benevolis pulcherrima, infestis maximè formidabilis esset. Quumq, dispicientibus ipsis eadem visa fuissent, Pheraulam diligenter operam dare jubet, ut in crastinum ita fieret provectio, quemadmodum ipsis pulchra fore paruisset. Equidẽ, ait, quod ordinem in provectione servandum attinet, omnes tibi parere jussi. Verum ut eo lubẽtius imperanti tibi obtemperent, age tunicas has pro satellitum hastatorũ ducibus sumito: atq; etiam saga ista equestria ducibus equitum dato & curruum ducibus alias hasce tunicas. Ac Pheraulas quidem has acceptas perferebat. Eum ubi duces conspexissent, ajebant: Magnus tu sanè quidam es, Pheraula, quum nobis etiam sis indicaturus, quæ facienda sint. Non profecto, inquit, Pheraulas, non id solum, uti quidem videtur: sed una sarcinas etiam portabo. Itaq; duo ista saga nunc adfero, alterum tibi, & huic alterum: quorum tu, utrum volueris, accipito. Tum deinde is, qui sagũ accipiebat, invidiæ oblivisebatur: statimq; ipsum in consilium adhibebat, utrum sumeret. Pheraulas, ubi de meliore sago consilium dedisset: Si tu indicaveris, ait, quod optionẽ tibi dederim: deinceps, ubi rursus aliquid administrabo, dissimilem administrum invenies. Atqui in hunc modum Pheraulas his distributis, ut jussus erat: statim curabat ea, quæ ad provectionem Cyri pertinerent, ut singula quam elegantissime instructa essent.

Postridie prius erant omnia liquida & integra, quàm illuxisset: & series ex utraq; viæ parte stabant, quemadmodum jam quoq; subsistunt, qua rex equitaturus est: atque inter has series nemini licet ingredi, qui non sit honoratorum in numero. Adstabant & flagelliferi quidam, cædentes eos, qui molesti esse vellent. Ac primum quidem satellites ad quater mille stabant ante portas, in quaternos explicati: ex utraq; verò portarum parte millia duo. Aderant item equites omnes, & ex equis descenderant, exsertis per candyas manibus, quemadmodum hac eas etiam tempestate exserunt, quoties ipsos rex adspicit. Stabant verò ad dextram Persæ, socii ceteri ad lævam viæ partem, eodemq; modò curvum pars utrumq; dimidia. Posteaquam regiæ fores apperirentur, primum Jovi quaterni pulcherrimi tauri ducebantur, & Diis ceteris, quibus Magi ducendos suis è ritibus indicarant. Nã Persę multo magis existimant divinis in rebus artificum opera utendum esse, quam in aliis. Secundum boves, equi ducebantur, ad sacrificium solis: post eos producebatur currus albus, cum aureo jugo, & coronatus, Jovi sacer. Pone hunc solis currus albus, itidem uti prior ille, coronatus. Post illũ currus alius tertius producebatur, cujus equi puniceis stragulis contecti erant: & post eum viri quidam sequebantur, qui magno in foco ignẽ gestabant. Post quos jam Cyrus ipse prodibat in conspectũ è portis in curru, cũ tiara recta & tunica purpurea subalbicante (alij verò semialbam gestare nõ licet) & subligaculis circum crura colore byssino tinctis, & toto purpureo candye. Habebat & circum tiarã diadema sive fasciam, idemq; insigne cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore illud retinent. Manus extra manicas tenebat. Præter ipsum curru vehebatur auriga, procerus quidem ille, sed Cyro tamẽ minor: sive hoc reipsa sic esset, sed quocumq; modo multo quidem certè grãdior visus est Cyrus. Eum ubi conspexissent, omnes adorando summisse venerati sunt: sive quia fuisset imperatũ, ut aliqui venerationis hujus initium facerent, seu quod apparatus eos stupore quodã adfecisset, seu quod procerus & pulcher Cyrus ipse visus esset. Antè id quidẽ tempus Persarum nemo Cyrum ita veneratus fuerat.

Quum autem currus Gyro proveheretur, præibant illi quater mille satellites, bis mille ad cursus utrumq; latus comitabantur, sceptrigeris adparitoribus eum in equis subsequentib. qui & ornati erãt, & gestabant tragulas, numero fere trecẽti. Præterea ducebantur equi frænis aureis insignes, qui Cyro nutriebantur, virgatis vestibus instrati, ad ducentos. Secundum hos contati bis mille, post eos primi decies mille facti equites, ubiq; per centenos ordinati, quorũ dux erat Chrysantas. Post hos alii decies mille Persici equites, eodem modo instructi, quorũ dux erat Hystaspas. Post eos itidem alii decies mille, quos Datamas ducebat. Rursum post hos alii, duce Gadata. Post eos erant equites Medici, ac post hos Armenii, post illos Hyrcani, post quos Cadusii, ac post Cadusios Sacæ. Equites à tergo currus in quaternos ordinati sequebantur, quos Artabates Persa ducebat. Quumq; jam pergeret, homines permulti extra signa sequebantur, quorũ alius aliud quiddam à Cyro petebat. Itaq; missis ad eos quibusdam ex sceptriferis, qui terni ab utroq; currus latere nunciorum perferendorum causa comitabantur, dici eis jussit: si quid aliquis ab se posceret, is præfectis inferioribus, quidcumque vellet, indicaret. Eos ajebat rem ad se delaturos. Quamobrem illi discedentes, mox ad equites se convertebant, & quem quisque potissimum adiret, deliberabant.

Cyrus autem, quos ex amicis coli maximè ab hominib. vellet, eos, misso quodam, ad se singillatim arcessebat, & his verbis compellabat: Si quis istorum, qui adsectantur, vobis aliquid indicarit: si quidem nihil dicere videbitur, non adtendite. Qui verò justa postulare visus fuerit, de hoc ad me referte, ut communi consultatione res eas expediamus. Et cæteri quidẽ vocante Cyro, totis viribus adequitantes obtemperabant, suoque studio quoddam incrementum imperio Cyri adjungebant, & se promtissimos ad parendum demonstrabant. Unus Daipharnes erat, minus culta vir indole, qui se, si minus celeriter pareret, visum iri magis ingenuum ac liberũ existimabat. Id quum animadverteret Cyrus, priusquam accederet, secumq; colloqueretur, quendam è sceptrigeris summisit ac dicere homini jussit, nihil amplius eo sibi opus esse: nec deinceps eum arcessebat. Qui autem posterior illo vocatus fuerat, equo prior advectus est: eiq; Cyrus equum donavit ex illorum numero, qui una sequebantur, & ex sceptrigeris quendam hunc deducere jussit, quo ille mandasset. Hoc vero qui cerneret, esse putabant honorificum quiddam, ac multo plures istum deinceps colebant. Quum ad delubra pervenissent, sacrum Jovi fecere, tauris integris combustis: deinde Soli, combustis huic equis integris. Hinc Telluri mactatis hostiis, id fecere, quod Magi docuerant: post iis heroibus, qui terram Syriam tenerent. Quibus peractis, quia locus amœnus erat, metam designavit ad stadiorum quinq; spatium: jussitque, ut tributim heic equos totis viribus ad cursum emitterent. Ipse cum Persis invectus vicit, quippe cui multo maxime res equestris curæ fuerat. Inter Medos Artabates victoriam adeptus est. Huic enim Cyrus equum donaverat. Inter Syros is, qui Syris præerat. Inter Armenios, Tigranes. Inter Hyrcanios, equitum præfecti filius. Inter Sacas autem privatus quidam miles equo suo cæteros equos à tergo reliquit, prope dimidio spacio curriculi.

Aque heic Cyrus interrogasse juvenem dicitur, an hunc equum commutare cum regno vellet. Illum respondisse: Nollem equidem accipere regnum, verum gratiam apud virum bonum inire non recusarem. Et Cyrus: Equidem ait, ostendere locum tibi volo, quo si vel conniventibus oculis aliquid conjicias, à viro bono non sis aberraturus. Omnino, inquit Sacas ille, ostendito eos mihi, ut posteaquam hanc glebam sustulero, in istos conjiciam. Tum Cyrus ei demonstrat, quo loco amici ipsius plurimi erant. Is vero conniventib. oculis ictu glebæ locum petit, & Pheraulam casu attingit, qui præter vehebatur. Nam is forte quiddam à Cyro imperatum renuntiabat. Quumq; ictu percussus esset, ne se quidẽ convertit, sed acturus perrexit quod imperatum erat, Sacas apertis oculis, quem adtigisset, interrogat. Neminẽ profecto, ait Cyrus, ex iis qui adsunt. At ne quidẽ, inquit adulescens ille, quemquam absentium. Imo verò, inquit Cyrus, adtigisti profecto illum, qui præter istos currus celeriter equum agitat. Qui fit igitur, ait, quod se non convertit? Nimirum furiosus quispiam est, ait Cyrus, uti quidem adpraet. His adulescens auditis, quinã is esset inspecturus, ibat: ac Pheraulam reperit, qui mentum cum barba terra & sanguine plenum haberet. Is enim percusso è narib. fluebat. Quumq; accessisset, an ictu percussus fuisset, interrogavit. Ut vides, respondit ille. Hunc ergo tibi, ait, equum dono. Cujus rei gratia? quærebat Pheraulas. Heic jam Sacas rem narrabat, ac tandem ajebat: Arbitror equidem me à viro bono non aberrasse. Et Pheraulas: Opulentiori, quam ego sum, ait, si quidem saperes, eum dedisses. sed tamen eum accipio, & Deos precor, quorum voluntate factum est, ut tu me ferires: facultatem mihi dent perficiundi, ut huius tui te muneris haud pœniteat, Et nunc quidem, ait, hoc equo meo conscenso discede: ego vero statim apud te adero. Atq; ita inter se illi permutatione utebantur. Ex Cadusiis autem Rathonices vicit. Etiam currus singulos Cyrus ad cursum emisit. Omnibus autem victoribus & boves donabat, ut eis mactatis epularẽtur, & pocula. Ipse victor bovem, victoriæ præmiũ, accepit: poculorum partẽ suam Pheraulæ donavit, quia visus esset ipsi provectionem è regia præclare ordinasse. Atq; ut ista tunc à Cyro fuit instituta provectio, ita etiam hoc tempore provectio regis adhuc in usu est: extra quam quod absunt victimæ, quoties rem sacram non facit.

Posteaquam his esset impositus finis, ad urbem redibant, & quib. ædes erant datæ, suas in ædes divertebant: quibus datæ non erant, ad ordines. Pheraulas autem arcessitum Sacam, qui equum ei donaverat, hospitio excepit: & quum alia præbuit adfatim, tum ubi cœnati essent, quæ à Cyro acceperat, impleta propinabat ei, donabatque

pocula. Sacas vero iste quum copiosam & elegantem vestem stragulam videret, copiosumq, & elegantem adparatum, & multos famulos: Dic mihi Pheraula, inquit, an etiam domi unus ex opulentis eras? Quibus opulentis ait Pheraulas. Immo prorsus ex iis, qui manibus suis victum quærunt. Etenim pater meus suis me laboribus tenuiter alens, in disciplina puerili educavit. Postequam vero adolescentulus factus sum, quia me in otio non poterat alere, rus abduxit, & opus illic facere jussit: ubi ego sane vicissim eũ, dum viveret, alui tum ipse pastinando, tum conserendo agellum perexiguũ, non improbum tamen, sed omnium justissimum. Nam quidquid seminis accepisset, id ipsum recte ac juste reddebat, ac fœnus nõ valde copiosum. Atq; etiam aliquando singulari quadam naturæ bonitate duplum reddidit ejus quod acceperat. Hoc pacto igitur equidem domi vivebam. Jam verò hæc universa, quæ vides Cyrus mihi dedit. Et Sacas ille: Felicem vero te, quum alias ob res, inquit, tum ob id ipsum quod ex paupere dives factus sis. Nam arbitror tibi propterea multo jucundiores esse divitias, quod quum peculnias vehementer expeteres, divitias adeptus sis. Et Pheraulas: Itane vero, inquit, existimas mi Saca, eo me nunc jucundius vivere, quo plura possideam? Nescis, ait, me & edere, & bibere, & dormire ne tantillo quidem nunc suavius, quam eo tempore, quo pauper eram? Hoc lucri ex istorũ copia facio, quod plura mihi custodienda sunt, plura distribuenda in alios, plurium habenda cura cum negotiorũ molestiis. Nam multi à me jam famuli cibum petunt, multi potum, multi vestem: egent medicis alii: quidam vel oves à lupis laniatas adfert, vel boves in præcipitium actos, vel morbum pecudes invasisse narrat. Quo fit, ut existimem, ait Pheraulas, plus me jam doloris ex eo percipere, quod multa possideam: quam prius, quod haberem pauca.

Profecto, inquit ille Sacas, quum salva sunt, plura cernens, longe majori voluptate, quam ego, adficeris. Et Pheraulas: Nequaquam, ait, adeo jucundum est, opus possidere: quam molestũ amittere. Verum autem dicere me intelliges. Nam illorum, qui opulenti sunt, nemo præ voluptate vigilare cogitur: at eorum qui aliquid amittunt, nemi nem videas, qui præ mœrore dormire possit. Ne quidem profecto eorum etiam quemquam, ait Sacas, qui aliquid accipiunt, præ voluptate dormitantem videas. Vera, inquit, narras. Nam si tam jucundũ esset aliquid habere, quam accipere: longe divites pauperibus beatiores essent. Enimvero necesse est eum, mi Saca, qui multa possidet, etiam multa tum in Deos, tum in amicos, tum in hospites impendere. Quisquis ergo pecuniis vehementer delectatur, eum certo scias etiam vehementer angi, quum sumtum facit. At ego non sum profecto, inquit Sacas, ex eorum numero, sed etiam felicitatem quandam hanc esse arbitror, ut qui multa possidet, multa expendat. Non tu igitur per Deos immortales, ait Pheraulas, jam statim felix admodum factus es, & me beasti? Accepta enim hæc universa possideto, & utitor iis ex animi sententia: me non aliter atque hospitem pascito: vel etiam vilius, quam hospitem. Quippe mihi sufficiet, illorum esse participem, quæcumq; tu habeas. Ludis vero, inquit Sacas. Et Pheraulas juratus ait, se ista serio dicere. Quin & alia tibi, mi Saca, præter hæc à Cyro impetrabo, ut neq; per obsequium frequentare te portas ipsius necesse sit, neq; militare: sed domi tu manebis opulentus, ego: hæc & tua, & mea caussa faciam. Quod si etiam aliquid boni vel Cyro studiose operam navando præterea consequar, vel ex militia quadam: id ad te perferam, quo plura in potestate habeas. Tantum, ait, hac tu me cura liberato. Nam si ab his rebus esse mihi otioso liceat, arbitror te & mihi, & Cyro magno usui futurum. His dictis, & pacisscebantur hæc inter se, & pactis stabant. Ac alter quidem eorum se jam felicem existimabat, quod multarum opum dominus esset: alter etiam felicissimum, quod esset procuratorem habiturus, qui otium ei suppeditaret ad agendum, quidquid animo collibuisset.

Erat autem ea Pheraulis indoles, ut sodalitiis delectaretur: nec arbitrabatur ex ullius rei cultu tantum voluptatis commodive percipi, quantum ex hominis cultu & observantia. Nam existimabat hominem inter omnes animantes optimum esse, ac gravissimum: quia videret eos, qui ab aliquo laudarentur, vicissim hos studiose laudare. operamq; dare, ut gratificantibus vicissim gratificentur: & quos benevolo esse erga se animo cognoscerent, eos vicissim benevolẽtia complecti: quos amare se perspicerent, eos odisse nequaquã posse: parentes denique multo magis obsequiis & cultu vicissim demereri velle, quam animalia cætera: sive illi superstites essent, seu mortẽ obiissent. Cæteras vero animantes universas & magis ingratas, & minus beneficii memores esse, quã homines, sentiebat. Sic igitur & Pheraulas mirifice gaudebat, quod facultatem habiturus esset, ut aliarum rerum suarum cura liberatus, amicis cæteris operam daret: itidemq; Sacas, quod multa possidens, multis fruiturus esset. Ac Sacas quidem hic Pheraulam diligebat, qui semper aliquid adferret: Pheraulas Sacam, quod accipere omnia vellet, ac tametsi plura semper ei curanda venirent, non tamen propterea plus sibi negotii exhiberet. Et hi quidem hoc pacto degebant. *cap.* 30.

At Cyrus etiam facta re sacrã, epulo victoriæ instituto, illo amicos invitavit, quos aperte constaret & auctũ eum maxime cupere, & animis ei summopere benevolis honorem habere. Cum his invitavit & Medum illum Artabazum, & Tigranem Armenium, & equitum præfectum Hyrcanium, & Gobryam. Gadatas autem sceptrigeris ejus præerat, totaq; victus ratio domestica sic erat instituta, quemadmodum Gadatas ordinaverat. Et quoties cœnabant apud Cyrum aliqui, ne sedebat quidem Gadatas, sed muneris sui curam gerebat: sin adesset nemo, & ipse cum Cyro cœnabat. Delectabatur enim Cyrus consuetudine Gadatæ qui propter hæc à Cyro multis & magnis honoribus adficiebatur, ac propterea Cyrũ etiam aba liis. Ad cœnam invitati quum venissent, non fortuito unumquemq; collocabat: sed quẽ honore maximo dignabatur, ad lævam, quod hæc insidijs obnoxia magis sit, quam dextra: secundum ab hoc ad dextram, tertium rursus ad lævam, quartum ad dextram: ac si plures etiam essent, eadẽ eos ratione collocabat. Arbitrabatur autem utile esse, quo honore singulos ornaret, planum fieri. Nam ubi existimant homines eum, qui præstet alijs, neq; præconia, neq; præmia accepturũ: liquido patet, inter eos æmulationem nullam existere. Ubi verò præstantissimi cujusq; conditio cernitur esse optima, ibi summa alacritate universi certamina se susc ipere declarant. Et Cyrus quidem hoc modo, quinam apud se maxima essent auctoritate, statim planum faciebat, exorsus à sessionis & adsistendi loco. Neq; tamen esse cuiq; perpetuum locum volebat eum, quo sedere jussus fuisset: sed lege cavit, ut præclaris facinoribus progressio fieret ad locum honorationem, ac si quis ignave nequiterq; se gereret, ad minus honorificum retrocederet. Putabat aũt sibi pudendũ Cyrus, eum hominem, qui locum in consessu principẽ obtineret, non etjã conspici plurimis ab se bonis ornatum. Atq; hæc ut Cyri tempore fuerunt, ita nunc quoq; servari animadvertimus.

Inter cœnandum, minimè, visum est Gobryæ mirũ, magna copia res singulas esse apud hominẽ multis imperãtem, sed id potius, quod Cyrus in tanta rerum magnitudine, si quid suave visus esset consecutus, id non solus absumeret: sed etjam laborem susciperet rogãdo, ut amici præsentes eo cõmuniter vescerentur. Quin etiam sæpenumerò videbat eum nonnullis amicis absentibus ea mittere, quibus forte delectatus esset. Quo fiebat, ut posteaquã ipsi cœnati essent, & omnia, permulta quidem illa, Cyrus ex mẽsa huc illuc misisset, Gobryas diceret: Existimabam ante hac equidem, Cyre, plurimum eo præstare te ceteris hominib. quod imperatóriæ disciplinæ peritissimus esses. At nunc Deos jurejurando sancte testor, videri mihi longe te clemẽtia, quã imperatoria laude præstare. Sic est profectò, ait Cyrus, & quidem clementiæ, quã artis imperatoriæ opera demonstrare, multo est gratius. Quinam istuc? ait Gobryas. Quod, inquit, hæc demonstrãdo, male mortalibus facere necesse est, illa cũ beneficio conjuncta sunt.

Deinde quum largius biberent, Cyrum Hystaspas interrogat: Nũ mihi succensurus sis, Cyre, si te interrogẽ, quod rescire cupio? Immò verò per Deos immortales, ait, è contrario succenserem, tibi, si te reticere animadverterem, de quibus interrogare velles Dic mihi quæso, inquit, an umquam arcessitus abs te non accessi? Bona verba, subjecit Cyrus. Num verò lente tibi parui? Ne id quidem. Num aliquid mihi abs te imperatum, non effectùm dedi? nihil habeo, quod querar, ait. Quidquid autem facerem. eorum omnium an aliquid est, quod umquam non satis alacriter, neq; cum voluptate facere me animadverteris? Id verò minimè omnium, ait Cyrus. Quid igitur est, per Deos immortales, Cyre, quo Chrysantas te movit, ut sede honoratiori, quã ego, collocaretur? Dicamne, inquit, Cyrus. Omnino, subjecit Hystaspas. Tu verò mihi rursum non succensebis, ubi quod verum est, audies? Immò voluptatẽ capiam, inquit, si me nulla injuria adfici sciã. Hic ergo Chrysantas primum, ait, nò expectabat, donec arcesseretur: sed rerum nostrarũ causa prius etiam, quam arcesseretur, aderat. Præterea non id solum faciebat, quod imperaretur: sed quidquid animadverteret ipse, quod effectum nobis conduceret, agebat. Quoties autem ad socios aliquid dicendum erat, quæcunq; debere dici à me decori ratione putabat, de ijs consilium mihi suum dabat: quæ verò persentisceret me quidem scire socios cupere, sed pudore præpediri, quo minus ipse exponerem: ea sic proferebat, quasi suam ipsius sententiam pronunciaret. Quid igitur vetat, quo minus in his mihi meipso potior fuerit? Præterea sibi semper ea, quæ adsunt, sufficere ait: mihi prospicere se declarat ad omnes, ecquid accedere possit amplius, quod utilitatem adferat. Denique de meis commodis plus ipse voluptatis ac lætitiæ capit. quam egomet capiam. Ad ea Hystaspas: Lætor, ita me Juno amet, inquit, me de his, te iiiterrogasse. Cur id potissimum? ait Cyrus. Nam & ipse, inquit, hæc enitar facere. Unum modo ignoro, quo pacto efficere possim, ut manifestum sit, me tuis commodis gaudere. Num manibus mihi plaudendum, an ridẽdum, vel quid agendum est? Et Artabazus: Saltandum tibi est, ait more Persico. Quæ verbá risus consequutus est.

Quum autem compotatio produceretur, Gobryam Cyrus interrogabat: Dic mihi Gobrya, modone tibi videare lubentius horum alicui filiam daturus, quàm id temporis, quo primum nobiscum congressus es? Num & mihi, subjecit Gobryas, verum licet dicere? Licet profecto, ait Cyrus. Quippe nulla interrogatio mẽdacium desiderat. Itaq; certò scias, inquit, multo me jam lubentius id facturum. Possisne mihi dicere, ait Cyrus, quamobrem? Possim verò. Dic igitur. Quia cernebam eos id temporis tum labores, tum pericula, præsentibus & æquis animis tolerare: nunc etiam res secũdas moderate ferre video. Arbitror autem, Cyre, difficilius esse reperire hominẽ, qui res secundas, quàm qui adversas recte ferat. Nam illæ in plerisq; insolentiam, hæ modestiam in omnibus excitant. Et Cyrus: Audivistine, inquit, hæc modestiam in omnibus excitant. Et Cyrus: Audivistine, inquit, hoc Gobryæ verbum Hystaspa? Audivi profecto, ait, ac si quidem ejusmodi plura dixerit, multo me magis filiæ procum habiturus est, quam si mihi multa pocula ostentet. Profecto, inquit, Gobryas, multa mihi sunt hujusmodi litteris consignata, quæ tibi ego non invidebo, si filiam meam uxorem duxeris. Pocula verò, ait, quia mihi non videris admittere, haud scio an Chrysantæ huic dare debeam, quando is tibi sedem tuam surripuit.

Enimvero, ait Cyrus, mi Hystaspa, & ceteri qui adestis, si mihi rem indi-

indicaveritis, quando quis vestrum uxorem ducere conabitur: quadam & ipse vobis operâ navaturus sim, cognoscetis. Et Gobryas. Cui vero indicâdum erit, inquit, si quis filiam nuptum dare velit? Etiam illud mihi significate, ait Cyrus, Nam hanc artê mirifice calleo. Quâ? ait Chrysantas. Cognoscendi, inquit, quod conjugium cuiq; congruat. Et Chrysantas: Dic mihi per Deos immortales, ait, cujusmodi uxorem mihi pulcherrime congruituram arbitreris. Primũ, inquit, parvam, nam & tu parvus es. Quod si grandem ducas, adsilire te necesse fuerit, catellorum more, si forte rectam osculari velis. Id vero, inquit, recte abs te providetur. Nam ne tantillum quidem ad saltandum idoneus sum. Deinde, ait, admodum tibi sima conduceret. Cur illud? Quia tu, inquit, nasum aduncum habes. Optime igitur sima nasi forma cõgruerit aduncæ. Tunc ais, inquit, bene cœnato, quemadmodum jam ego sum, incœnatâ jejunamq; congruere? Ita profecto, ait Cyrus: nam eorum, qui pleni sunt, venter aduncus est, incœnatorũ, simus. Et Chrysantas: Obsecro te, inquit, possisne dicere, cujusmodi uxor regi frigido sit commoda? Heic risum & Cyrus edidit, & alii similiter, quib. simul ridentibus Hystaspas dixit: Equidem te, Cyre, multo maxime ceu felicem ob hoc in isto regno tuo miror. Quid illud est? ait Cyrus. Quod quũ frigidus sis, ritum movere possis. Et Cyrus: Tu vero non magno redimeres, inquit, ut hæc abs te dicta essent: atq; illi renunciaretur, apud quâ esse cupis in existimatione, quod sis urbanus? Et his quidem jocis inter eos ludebatur.

Secundum illa Cyrus mundũ muliebrem Tigrani protulit, quem ut uxori daret, jussit: quod ea virili animo militiæ mariti comes fuisset. Artabazo poculum aureum Hyrcanio equum, cumaliis multis ac pulchris rebus donavit. Tuæ vero, mi Gobrya, inquit, filiæ virum dabo. Me igitur dabis, ait Hystaspas, ut etiam illa Gobryæ scripta consequar. Et Cyrus: Num tibi sunt, inquit, facultates, quæ sint puellæ fortunis dignæ? Sunt profecto, ait, & multo quidem majoribus etiã opibus. Et ubinam, inquit Cyrus has facultates habes? Heic, ait, ubi tu confedisti, qui mihi amicus es. Id vero sufficit mihi, subjecit Gobryas: statimq; porrecta dextra, Da mihi Cyre, ait. Nam equidem accipio. Et prehendam. Cyrus Hystaspæ dextram Gobryæ dedit, & is accipit. Multa deinde munera, & elegantia quidẽ, Hystaspæ dedit, quæ puellæ mitteret. Chrysantam vero, admotũ sibi, osculatus est. Et Artabazus: Profecto Cyre, inquit, non ex eodem auro mihi poculum, & Chrysantæ munus hoc dedisti. At enim, ait Cyrus, etiam tibi daturus sum. Quando? quærebat ille. Ad annũ, inquit, trigesimũ. Tu vero sic te parato, ait Hystaspas, ut me tempus illud exspectaturum, nec mortem prius obiturum, scias. Hoc modo tum illi contubernio finis est impositus. Quum autem ipsi surgerent, etiam Cyrus surrexit, & eos ad fores usq; prosequutus est.

Postridie socios, qui sponte se conjunxerant, singulos domum remisit, exceptis iis, qui apud ipsum habere domicilia vellent. His & agros, & ædes dedit: quas etiã nunc posteri eorum, qui tunc remanserẽ, possident. Sunt aũt plurimi ex Medis & Hyrcaniis. Discedentibus multa largitus, quum perfecisset, ut nihil tum præfecti, tum milites quererentur: sic eos dimisit. Hinc militib. etiam suis pecunias, quascumq; Sardibus acceperat, distribuit: ac decẽ quidem millium præfectis, & ad paritorib. suis eximia quædam, pro dignitate cujusq; largiebatur, cætera hinc inde dividebat. Data enim parte certa cuiq; decem millium præfecto cõmisit eis, ut perinde ac ipse distribuisset in eos, ita & aliis ipsi distribuerent. Ac pecuniæ quidem cæteræ sic ab eis distributæ sunt, ut præfectus quisq; in præfectos inferiores, sibi parentes, explorãdo inquireret: tandemq; sex militibus præfecti, gregariis sub se militibus exploratis, pecunias ultimas pro cujusq; merito distribuerunt. Atque hoc modo justam universi portionem consecuti sunt. Acceptis autem pecuniis hisce, tunc distributis, plerique de Cyro aiebant: Nimirum multa possidet ipse, quam tam multa cuiq; nostrum dederit: alij dicebant: Quæ sunt illa multa, quæ possidet; non is vllo modo Cyri mos est, vt rem facere velit: sed maiorem voluptatem dando, quam possidendo percipit

Hos sermones, hominumque de se sententias, quum Cyrus animaduertisset: conuocatis amicis, & omnibus illis, quos interesset arcessitis, in hanc sententiam loquutus est: Vidi equidem nonnullos, amici qui existimari vellent plura possidere, quam haberent reipsa quod hoc modo futurũ arbitrarentur, vt magis liberales viderẽtur. Verum illi vergere mihi videntur in partẽ institutjo suo contrariam. Nam eum, qui multa possidere credatur, nõ pro ratione facultatum amicis palam cõmodare: id vero mihi notam illiberalitatis irrogare videtur. Rursus alii quãtum possideant, cæteros ignorare volunt: qui & ipsi, meo judicio, male de amicis merẽtur. Nam quia facultates eorum ignorãtur, sæpe amici egentes aliquid petendo sodales hosce nõ adpellant, sed decipiuntur. Id mihi simpliciſſimi videtur hominis esse, ut ostensis facultatibus suis, pro earum ratione benignitatis laudẽ sibi parare contendat. Quãobrem & ipse monstrare vobis volo, quascumq; facultates meas videre licet: & quas videre non licet, eas oratione vobis exponã. Quæ loquutus, alias quidem opes, & multas, & insignes, eis cõmonstrabat: alias vero sic collocatas, ut conspici non possent, cõmemorabat. Tandem dixit: Hæc omnia vos nõ tam mea, quam vestra ducere convenit. Nam equidem ea colligo, non ut ipse absumã, nec ut deterendo imminuã, quod à me quidem fieri nõ posset: sed partim ut habeã, quod alicui vestrũ, quovis tempore præclarum aliquod facinus ẽdenti, largiar: partim ut si quis vestrum egere se aliqua re arbitretur, ad me veniat, & quidquid forte desiderat, accipiat. Hæc in hunc modum dicta fuere. *Cap.* 38.

Quum autem res ita Babylone constitutas existimaret, ut etiam inde abesse posset: ad iter Persicum se parabat cõvasando, idemq; cæteris imperabat. Posteaquam satis eorum habere se putaret, quibus opus sibi fore existimabat, Babylone movit. Nos autem & hæc commemoraturi sumus, quantum scilicet agmen in deponendis impedimentis, quam bono se ordine gereret, ac rursum vasa colligeret, celeriterq; suo se loco sisteret, quo necesse erat. Nam ubicumq; castra rex habet, ibi omnes illi, qui circum regem versantur, sub tentoriis tam æstate, quam hyeme, militant. Et statim quidẽ ipse Cyrus hoc instituit, ut tentoriũ ita figeretur, quo solem orientem spectaret. Deinde primum, quanto ex intervallo à tabernaculo regio abesse satellitum tentoria deberent, ordinavit. Post hos locum dextrum iis, quibus esset mandata panis conficiundi cura, adsignavit: quib. obsoniorum, sinistrum: equis item dextrum, sinistrũ jumentis cæteris. Erant sic etiam distincta cætera, ut quisq; stationem suam tum mensura, tum loco nosset. Quum vero vasa colligunt, quisq; vasa illa componit, quorum ipsi adsignatus est usus: ac rursum alii jumentis ea imponunt. Quo fit, ut simul omnes impedimentorũ vectores ad ea veniant, quibus vehendis ipsi sunt destinati. & simul quisq; suis jumentis sua imponat. Ita tempus idem, uni tabernaculo, & omnib. tollendis sufficit. Eadẽ est impedimenta deponendi ratio. Præterea singulis est imperatũ, quid facere debeant, ut omnia necessaria parẽtur opportune. Idcirco tẽpus idẽ & uni parti, & omnibus, ad ea paranda sufficit. Atq; uti suus erat locus ministris hæc necessaria curantibus sic & armati milites in metatione castrorũ locum illum habebãt, qui armaturę cuivis aptus esset, & quis esset is, norant: adeoq; universi eũ sic occupabãt, ut minime de eo ambigerent. Nimirũ arbitrabatur Cyrus, etiam in familia præclarum esse studiũ collocationis aptæ, quandoquidem hoc modo, si aliqua re quis forte indiget, planũ est, quo ire debeat, ut eam sumat: sed multo pulchrius existimabat esse, militares tribus apta collocatione distribui, quum in usu rerum bellicarum, quanto magis subitæ sunt opportunitates occasionũ, tanto plus ab iis delinquatur, qui tardius in iis se gerunt. Per illos vero, qui mature adsunt, ea fieri videbat, quæ bellicis in rebus quanti vis pretii sint. Hæc causſa fuit cur aptæ hujus collocationis perstudiosus esset.

Ac primus quidem ipse castrorum in medio se collocabat, quod is locus esset quam munitissimus. Deinde circũ se fidissimos quosq;, sicut & alias cõsueverat, habebat: atq; horum in ambitu proximi tum equites, tum curruũ ductores erãt. Etenim arbitrabatur his loco tuto esse opus, quod ita in castris agant, ut armis illis, quibus in hostẽ pugnat, expedite uti non possint: sed longo tempore ad armãdum se indigeant, si quidem utiliter efferre in aciem ea velint. Parte vero tum ipsius, tum equitum dextra & læva, cetratorum locus erat: sagittariorum tam ante, quã post ipsum, & post equites. Gravis armaturæ milites, & qui crates parmasve majores gestabant, in ambitu suorum omnium habebat instar muri: ut si necesse esset equites se prius parare, maxime statarii milites ante ipsos essent, tutumq; spatiũ eis ad armaturæ milites, sic & certati & sagittarii somnum instructi capiebãt: ut noctu si quid usus poscceret, perinde ac gravis armaturæ milites parati sunt ad feriendos eos, qui cõminus invadunt, sic & sagittarii & jaculatores pro gravis armaturæ militibus, si qui hostes accederent, prompte sagittis & jaculis suis uterentur. Præterea certa quædam signa præfecti omnes ad tabernacula habebant. *cap.* 40.

Adparitores vero, non aliter, ac in urbibus illi, qui locorum periti sunt, plurimorum domos norunt, & eorum præsertim, quas interest nosse: sic inquam & Cyri adparitores loca ducum in castris, & singulorum signa norant. Itaq; si alicujus opera Cyrus egeret, hunc illi nõ quærebant: sed quia quã maxime cõpendiaria ad unumquemq; currebant. Et quia singulæ nationes secretæ, minimeq; inter se confusæ erant, multo etiam magis parebat, sive quis ordinis observans esset, sive quod esset imperatum, non faceret. Hoc modo si cõparati essent, futurum arbitrabatur, ut si quis vel noctu vel interdiu suos adoriretur, in castra sua, tamquam in insidias, incideret. Ac peritum esse struendæ aciei non id solum esse arbitrabatur, ut quis extendere phalangem facile possit, vel densare, vel de cornu in phalangẽ redigere, vel prout hostes conspecti fuerint dextrorsum, sinistrorsum, à tergo, recte eam explicare: sed etiam posse distrahere, quum necessitas postulat, pertinere ad aciei struendæ rationem putabat: ac partem quamlibet eo loco ponere, quo plurimum sit profutura: & accelerare, quum opus est antevertere. Hæc omnia, & his similia, putabat ejus esse viri, qui struendæ aciei peritus esset, itidemq; diligentiã his omnibus adhibebat. Ac in itineribus quidem, semper adid, quod accideret, aliter atq; aliter instructis copiis pergebat: sed in metatione castrorum plerumq; illa, quam diximus, collocatione utebatur. Quum autem progrediendo Medorum in regionem perveniſſent, Cyrus ad Cyaxarem divertit. *cap.* 3. *& seqq. lib.* 8. *Cyropædiæ.*

Dio Chrysostomus Prusæus: Quid autem inquit Philippus, ô fili non regem etiam jubes habitaculum præparare, exornatum auro & ebore & electro, rebusq; preciosis? Nequaquã (dixit) ô pater, sed multo magis exuviis & armis hostium. quin & ipsa templa talibus ornatibus excolenda sunt, quemadmodum & Hector dignũ existimabat, provocans ad singulare certamen optimum quemq; Achivorum. si enim victor evasisset, dicebat, se cadaver cõmilitonibus redditurum, arma autem spoliaturum, & suspensurum in templo Apollinis longè jaculantis. Omnino enim melior hic ornatus locis sacris, quàm smaragdorum, & sardiorum, & onychorum, qualiter erat Sardanapali œcus ille curiosè ornatus, ubi pensa cum puellis faciebat. Non enim ad regem pertinent ejusmodi ambitiosi cultus: nequaquam ad regẽ: sed sunt stultæ ludicra virginis, aut petulantis muleris. Quare neq;

Athe-

Athenienſes (inquit) ſic admiror propter ſumptum & impenſam in civitatem & templa, quãtum propter majorum ipſorum facta à quibus habet civitas gladium Mardanii, & Laconum ſcuta, & eorum qui olim in Pylo capti ſunt, multo honeſtiora & meliora anathemata & cultus, quàm ſunt propylæa arcis, & Olympion, quæ pluris quàm decem millibus talentùm conſtant.

Igitur (inquit Philippus) in hac parte Homerum laudare non poſſes. Alcinoi enim regiam, hominis Græci, & inſulam, exornavit non ſolũ hortis & plantis & aquis, ut jucundiſſimè inhabitare queas, ſed etiam ſtatuis aureis. Adhuc magis etiam habitaculum Menelai, atque hoc ab expeditione reverſi. Nunquid non Perſicum quoddam & Medicum enarrat, & propemodum non inferius Semiramidis aut Darii & Xerxis regum? Ait enim:

Splendor erat, ſicut Solis, Lunæque nitentis,
Inclyti in Atridæ collucens ædibus altis,
Aurique, electrique, argentiq;, ac celephanti.

Spoliis enim Trojanis magis eas oportebat lucere, quàm talibus: juxta tuam quidem ſententiam. Et Alexander paulùm moratus: Non ego (inquit) Homerum relinquam indefenſum. fortaſſe enim ſecundum Menelai mores fecit etiam regiam, quem ait ſolum eſſe inter Achivos mollem pugnatorem. propemodum enim neq; aliorum hominum quicquam fruſtra poëta hic dicere videtur, ſed & veſtitum habitaculumque, cibumq; quotidianum, moribus hominum aſſimilat. Propterea Phæacum regiam exornavit nemoribus, & pomis ſuaviſſimis, fontibuſq; perennis aquæ. & adhuc magis habitaculum Calypſus, tanquam ſpecioſæ & perhumanæ deæ, in inſulam (ut ille ait) remotæ. nunc quidem bonis excellenter odoribus refertam eſſe dicit inſulam, & ſuaviſſimis thymiamatis, nunc autem umbroſam arboribus virentibus. In circuitu vero ſpeluncæ vitem ſpecioſam, ambientem omnia, uvis gravatã: in fronte aut m, prata tenera mixtim apiis & aliis herbis. In medio vero quatuor fontes limpidæ aquæ in omnes partes defluẽtis, ut in regione in nullam partem declivi, neq; inæquali. Omnia enim hæc ſupra modum amatoria & ſuavia, moribus (puto) deæ accõmoda. Menelai autem aulam dicit eſſe pecuniis multis & auro refertam, quemadmodum (puto) Aſianorum cujuſpiam regum. Etenim & hic erat non longè ante Tantali Pelopis filius. Unde puto & Euripidem Chorum feciſſe obſcurè ad hoc alludentem, in acceſſu regis: Menelaus autem multa mollicie inſignis conſpicitur, ortus ex ſanguine Tantalidarum. Atqui Ulyſſis habitaculum nequaquam fecit his ſimile: ſed ut cauti viri, & admunitionem inſtructi. Dicit enim ſic.

Pendent ex aliis aliÿ & ſtudioſius aula.
Mœnibus & pennis ſepta eſt, biforeſq; coharent
Egregia porta ut nemo expugnaverit unquam.

Quædam autem poëtæ dicta ſuſcipienda ſunt ut conſulentis & admonẽtis, quædam autem ut duntaxat recitantis, multa quoq; exprobrantis & deridentis. Videtur ſanè & ea quæ ad cubile & quotidiani victus rationem attinent, Homerus ſufficienter & heroica vereq; regia diſciplina tradere poſſe, & Laconica convivia Phiditiarum cœnarum ab illo didiciſſe Lycurgum, & inter leges tradidiſſe. Spartanis, quoniam etiam ajunt eum Homeri laudatorem extitiſſe, & primùm ũ Creta aut Ionia apportaſſe poeſim in Græciã. Diomedem ſanè valde durè reclinavit ſuper tergore bovis agreſtis, figens in circuitu haſtas non ornatus gratia, ſed ut paratæ ad accipiendum eſſent. Et carnib. in convivio paſcit heroas, & his bubulis, roboris videlicet, nõ voluptatis cauſa. Atq; etiam ipſum Agamemnõna, regem omnium, & ditiſſimum, bovem ſemper ait immolare, & ad hunc invitare ſemper præſtantiſſimos. Et Ajacem poſt victoriam amicè excipit dorſo bovis. Nunquam autem eos fecit guſtare piſcem, tametſi ad mare fixis tentoriis, & Helleſpontum, quem piſcoſum (ſicuti & eſt) paſſim appellat. Prorſus enim rectè id ipſum cõmemoravit Plato. Quin neq; etiam procos piſcibus accipit, tametſi vehementer libidinoſi & delicioſi eſſent, & præſertim in Ithaca cõvivio acceptos. Quod igitur haud alia ratione iſta percurrat, ipſe manifeſtè oſtendit. Qualem autem oporteat cibum eſſe, & ad quæ ordinati, ſimiliter tradit. Quem enim vult laudare *μενοεικὲα δαῖτα* dicit, qui nempe poſſit præſtare *μενὸς*, hoc eſt robur. Hæc autem dicit, docens, & admonens, quod bonos oporteat & menſæ curam gerere, quandoquidẽ cibi varii & precioſi non erat inexpertus, ita ut qui nunc circa hæc ſtupent, Perſæ & Syri & Græci, Italiq; & Jones, longe abſint à ſumptib. & deliciis, quæ ſunt apud Homerum. Quid autẽ (inquit Philippus) nonne dederat veſtitũ, quantũ fieri poteſt, pulcherrimum heroibus? Ita per Jovem (ait Alexander) ſed non muliebrem, neq; varium, ſed purpura duntaxat ornavit Agamemnonem, & Ulyſſem una læna domo allata. Neq; enim exiſtimat Homerus, quod ducẽ oporteat apparere abjectũ, aut vulgo & privatis eſſe ſimilem, verũ & ſtola & armatura majore honeſtioreq;, aliis antecellere, non ſane ut delicietur aut ludat. Proinde Carem illum, auro accurate cultum ad bellum, valde contumelioſe inceſſit, dicens.

Qui geſtans aurum, dura eſt ad bella profectus
Ceu virgo, ſtultus: nec enim illo cadere lethum
Qui vit, ſed manibus validi eſt occiſus Achillis
In fluvio: aſt aurum prudens accepit Achilles.

Deridet illius delicias ſimul & inſipientiam, quod hoſtib. ferè etiam ſuæ mortis præmia attuliſſet. *Oratione altera de regno.*

Epictetus: Cùm aliquid negotii tibi futurum eſt cum aliquo, ex proceribus præſertim: ipſe tibi proponito quid in ea re facturus fuiſſet Socrates aut Zeno, ita fiet, ut te ratio non deficiat, qua id quod objectum fuerit rectè adminiſtres. *cap. 51. Enchir.*

Simplicius. Qui ad ſemetipſos cõverturtur, & ſibi vivere voluerũt haud vere magnates accedere conſueverunt. Quare Socratis exemplum nobis proponit, & Zenonis: in quos intuentes, rationem viſuri ſimus, qua illi nobis ſint adeundi. Cogitandum igitur, quo pacto Socrates & Zeno cum talibus congreſſi eſſent, non ficte, non ſimulate; ſed pro ſuæ vitæ ratione cordatam magnitudinem animi præ ſe ferentes, ab omni deſpicientia & arrogantia puram: non humiles & abjecti ob faſtigium dignitatis, neq; ſuperbe illos contemnentes. Ejuſdem moris eſt, nec adulari iis, nec cõtumelioſe illos arguere: ſed & ob recte facta modice collaudare, & inde ducere exordium ſicut medici acerba medicamina melle ſæpe præliunt, ac tum demum eorum quę perperam fiant, nõ acerbum inſectatorem ſe præbere: ſed correctorem ſolicitum, & ægre ferentem, præclaras actiones paucis interdum delictis quaſi contaminari. Ac mea quidem ſentia Socrates, Zeno, & ſimiles, omnino demonſtrarunt, quam multa habeant, nequaquam expetenda principatus & faſtigia rerum humanarum: & unum in iis expetendum eſſe, benefaciendi facultatem: quam qui negligant, eos & mala illius rei experiri, & bono fraudari. Conſtat autem Socratis & Zenonis exemplum eſſe deligendum: ſed ſuæ cuiq; vitæ modum eſſe conſervandum, eiq; conſentanea ultro & ſponte naturæ adhibenda. Cujuſmodi enim eſt, eum qui ita vivat, ut proficiat, & adhuc Epicteti puerili inſtitutione indigeat; Socratis aut Zenonis uti ſermonibus? Quo pacto is deriſum vitabit? Nam Antigonus, qui poſt Alexãdrum in Syria regnavit, dixiſſe fertur: Nunquam ſe angi & æſtuare ſolitum, quod ſciret, niſi quando cum Zenone congrederetur. Atqui multos ille alios philoſophos adierat. *ad cap. 51. Epict.*

Arrianus: Omnino eſt neceſſe colere tyrannos. Utinam vero tyrannos ſolum, non etiam cubicularios. Quo pacto autem ſtatim homo ſit prudens, cum Cæſar eum matulæ præfecerit? nonne ſtatim dicimus, Felicio prudenter mecum eſt locutus? Velim eum remotum eſſe à ſterquilinio, ut iterum tibi demens videretur. Sutorem quemdam habuit Epaphroditus, quem quod ad nihil utilis eſſet, vendidit. Poſt ille caſu quodam à Cæſariano emtus. Cæſaris factus eſt Sutor. Vidiſſes, ut eum coluerit Epaphroditus. Quid agit Felicio, vir bonus? Amo te deinde, ſi quis noſtrum percontabatur. Quid Epaphroditus ipſe ageret? dicebatur cum Felicione quapiam de re deliberare. Nonne vendiderat eum ut inutilem? quis ergo eum ſubito prudentem fecit? hoc non eſt, aliud quiddam colere, quam ea quæ humani arbitrii ſunt. *cap. 19. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Cùm aliquem è proceribus accedis, memento alium quoq; deſuper ea videre quæ gerantur, atque oportere te illi potius placere quam iſti. *cap. 30. lib. 1. Epict.*

Lucianus: Ecquid tibi primum Amice, & quid poſtremũ ut ajunt, recenſeã, ex his quæ tum facere, tum pati cogũtur qui mercedis gratia ſeſe in alienum cõvictum tradunt, & in locupletum iſtorum amicitiam accenſentur, ſi modò ejuſmodi illorum ſervitutem convenit amicitiam appellare? Novi enim multa, atq; adeo pleraq; omnia eorum quæ ipſis accidunt, non quod per Jovem ipſe tale quid expertus ſim (Neq; enim mihi unquam incidit experiundi neceſſitas, ac nequando incidat, Dii prohibeant) ſed quod pleriq; eorum qui in hoc vitæ genus inciderunt, mihi confeſſi ſint: quorum alii in ipſis malis etiãmdum conſtituti, quæ & quanta ferrent, deplorabant: alii tanquã è carcere quodã profugi, non ſine voluptate cõmemorabant ea quæ perpeſſi fuerant. imò quantas effugiſſent ærumnas, computare juvabat. Atq, hi quidem dignioresmihi viſi ſunt, quib. fides haberetur, ut qui ejus ſacri ritus omnes (ut ita dixerim) compleviſſent, omniaq; ab initio ad finem uſq; perſpexiſſent. Non ergo perfunctorie, & oſcitãter hos audiebam veluti naufragium aliquod, & inopinatam ſalutẽ enarrantes. Cujuſmodi ſunt iſti, qui in templis deraſo capite ſimul multi decumanos fluctus, procellas, rupes, jacturas, malos fractos, gubernaculorum ruptiones narrant: in primis autẽ Dioſcuros apparẽtes (nam hi propriè ad hanc tragœdiam pertinent) aut quempiam aliſium ex machina Deum ſummis antennis inſidentem, aut clavo aſtãtem, & ad molle aliquod littus navim dirigentem, ad quod ubi appuliſſet, futurum erat ut paulatim ac lentè ſolveretur, at ipſi tutò deſcenderent, idque ope ac favore divino.

Itaq; iſti tam multa ad præſentem neceſſitatem tragicè exaggerãt, ut à pluribus ſtipem accipiant, cùm non modò calamitoſi, verùm etiã Diis chari videantur. Porrò ii dum quas rempeſtates in domib. culeruntilloſq; tertios, quintos, decimoſq; fluctus ſi fas eſt dicere referrent: utq; primum à littore ſolverint mari tranquillo, quotq; molẽſtias toto navigationis tempore ſuſtinuerint, dum vel ſitiebant, vel naufeabant, vel ſalo perfundebantur: denique ut infelici navigio incautem quampiam ſub undis latentem, aut in præruptum ſcopulum effracto miſeri ægrè enatarint, nudi, cunctarumque rerum neceſſariarum inopes. Hæc inquam cùm referrent, viſi ſunt mihi multa præ pudore ſubticere, & volentes ac ſcientes obliviſci. At ego tum illa, tum alia nonnulla ex illorum narrationib. conjectans, deprehendi quicquid ærumnarum cum iſtiuſmodi convictibus eſt conjunctum: quæ omnia, ô præclare Timocles, tibi percenſere non gravabor. Jampridem enim mihi videor animadvertiſſe, te de capeſſenda hac vitæ ratione cogitare.

Ac primùm quidem, cùm hac de re ſermo incidiſſet, mox præſentium aliquis mercenarium iſtiuſmodi vitæ genus laudare cœpit, fortunatiſſimos eos affirmans quibus cum eo quod amicos haberẽt Romanorum optimates, & ſumptuoſis in conviviis immunes epularentur, in ſplendidis ædibus verſarentur, & omnigena cum recreatione, ac voluptate in alba rheda, ſi liberet, reſupinati peregrinaren-

tur,

ut non parui esset emolumenti mercede amicitiæ, & benefactorum istorum accipere: cùm haud dubiè nec sata, nec culta, omnia istis proveniant. Hæc igitur, atque id genus alia cùm audires, animadverti ut his inhiares, & valde patulum os ad escam præbueres.

Proinde ut in posterum culpa vacem, nec expostulare queàs, quod cum te videremus tantum cum squilla deglutientem hamum, non retinuerimus, nec priusquam in guttur demergeretur revelleremus, nec præmoneremus: sed quòd postquam illecto & impacto jam trahi, & per vim te duci, videre expectasseemus, tum adstates quum nihil opis afferri possit, fleremus: hæc inquam, ne aliquando possis dicere: quæ si dicantur, meritò omnino dicatur, nec à nobis refelli queant, quo minus peccasse videamur, quòd ista non prædixerimus: audi ab initio omnia. Ac rete quidem ipsum, sagenasq; impervias, foris, nō intus ex penetrali per ocium ante contemplare. Et cùm hami uncū, & reflexam aculei aciem, & tridentis cuspides in manus assumpseris, & ad malam inflatam expertus fueris: nisi prorsus acuta, nec inevitabilia, nec vulneribus infligendis molesta, & vehementer trahentia, & inexplicabiliter retinentia videantur: nos quidē inter formidolosos, atq; idcirco famelicos adscribe: teq; ipsum ad fiduciā hortatus, piscationem hanc aggredere, si vis lari in morē totam escam hiatu deglutiens. Atq; in universum quidem forsitan tua causa omnis hic sermo instituetur: quanquam non solū pro vobis philosophis, aut his quicunq; vitæ graviusinstitutum sibi delegerunt: verùm etiā pro grammaticis, rhetoribus, & Musicis, omnibusque qui ad docendi munus cum aliis vivere, quæstumque facere proposuerunt.

Cæterùm cùm ferè communia, similiaq; sint ea quæ his omnibus accidunt: palam est philosophorum conditionem nihil eximii habere: imò eo turpius illis ista contingere, quod ii qui conducunt, nō aliis præmiis eos quā reliquos dignantur, nihiloq; magis in honore habent. Quicquid igitur narrationis series inveniet, eius culpam in eos potissimum conferre par est, qui talia faciunt, deinde in eos qui talia sustinent. Ego verò culpari non debeo, nisi veritas & libertas in dicendo reprehensionem mereatur,

Verum enimvero reliquum hominum vulgus, puta palæstricos, adulatores ineptos, & sordidi animi, abjectiq; ingenii homines, ne opere quidem preciū fuerit, ab istiusmodi convictibus dehortari, neq; illis vitio vertere æquum sit, quòd non relinquant suos conductores etiamsi plurimis contumeliis affecti ab illis fuerint. Sunt enim ad eā vitæ rationem accommodati, eaq; non indigni: præsertim cùm nihil aliud habeant, ad quod se cōvertant, & in quo se exerceant: adeò ut siquis hanc vitam illis adimat, inertes ilico, desides, inutilesque sint, quamobrem nec ipsi rem aliquam indignā patiuntur, nec illi cōtumelioſi videantur, si (quod ajunt) in matellam imminxerint. Etenim jam inde ab initio ad contumelias illas parati sese in familias conferunt: atque sola hæc ars illis suppetit, ferre & perpeti quicquid acciderit.

Cæterùm eruditorum causa, de quibus ante verba feci, meritò indignādum, & pro virili parte enitendum ut eos inde rovocatos in libertatem vindicemus. Videor autē mihi rectè facturus, si causis, ob quas ad hoc vitæ genus quidā se conferunt, excussis, eas nec urgentes nec necessarias esse demonstravero. Sic enim omnis excusatio illis præripietur, primumq; subeundæ servitutis voluntariæ argumentū. Pleriq; igitur paupertatem, & rerum necessariarum inopiam proponunt, satisq; idoneum hunc prætextum obtendisse putant, quo suum illud ad vitam hanc transfugium excusent: ac sibi sufficere credunt, si dicant venia dignum esse quod faciunt, quum rei in vita molestissimæ, nempe paupertatis effugium quærunt. Postea Theognis est in promptu, crebrumq; illud in ore. *Omnem nanq; virum paupertas enecat.* Et quotquot alia terricula abjectissimi quiq; poëtæ de paupertate protulerūt. Equidem si viderem ex hujusmodi convictu, eos verè paupertatis effugium aliquod nanciſci, non admodum anxiè cum eis de amplectenda libertate disceptarem.

Sed quandoquidem, ut egregius ille orator dixit, ægrotorum alimentis similia capiunt, qua ratione vitare possint, quo minus in hoc ipsum malè sibi consuluisse videantur, nimirū semper illis manente eodem vitæ illius argumento? Semper enim manet paupertas, semper accipiendi necessitas, nihil quod seponatur, nihil supereſt quod reservetur. Verùm quicquid datum fuerit, ut detur, ut affatim capiatur, prorsus omne insumitur, ita tamen ut ne id quidem in usus sufficiat. At bene cederet, si non commini scerentur occasiones hujusmodi, quæ paupertatem servant, eiq; duntaxat opitulātur, sed quæ illam planè tollerent. Atq; forsitan idcirco, esset in altum mare projicieda, ut dicis Theogni & præruptis de scopulis præcipitāda. At si quis semper pauper, & egenus, & mercede conductus meret, hoc ipso se arbitretur aufugisse paupertatem, nō video qui fieri possit quo minus hic ipse se fallere videatur. Rursum alii negant se paupertatem formidaturos, si modò reliquorum hominum in morem possint suo labore sibi victum suppeditare. At nunc sibi fractas esse corporis vires, seu senio, seu morbis, eoque ad eam vitam mercenariam videlicet facillimam confugere.

Age igitur, verumne dicant videamus, & num ea quæ dantur, illis ex facili suppeditant, nec multum, nec plus quam alii in consequēdo victu laborent. Nam id quidem etiam voris exprendum, ut citra laborem, nulloq; negotio paratum argentum accipias. Sed hoc pro rei dignitate dici nequit: tantum laboris, tantum doloris in his convictibus perferendū, ut hic ne valetudo quidem ad id par sit, quippe cùm quotidie sexcenta non desint negotia, quæ corpus conficiant, adq; extremam usq; defectionem delassent. Verum hæc idoneo tempore dicemus, quum reliquas etiam illorum molestias commemorabimus. In præsentia sat erat ostendere neq; eos vera dicere, qui ea de causa in servitutem addicere sese aiunt. Supereſt jam ut eam causam referamus, quæ quidem ut verissima est, ita ab illis minimè proferatur: nempe istos voluptatis gratia, multisq; atq; amplis spebus incitatos, in divitum familias inrilire, auri, atq; argenti vim admirando: Præterea quod fœlices sibi videātur ob cōvivia, reliquasq; delicias, sperentq; futurum uti mox, nemine vetante, affatim aurum bibant.

Hæ sunt quæ illos adducunt, atq; ex liberis servos faciunt: non rerum necessariarum penuria quam prætexunt, sed non necessariarū cupiditas, atq; ingentium illarum & amplarum opum admiratio. Enimvero quēadmodum miseros istos, atq; infœliees amantes, callidi quidam & veteratores amasii receptant, & fastidiosè colunt, quòd jugiter amantes, ipsis inserviant: cæterum pro amoris fructū, ne summumquidem osculum impertiunt: amorem enim facta copia dissolvi intelligunt?

Hanc igitur amoris dissolutionem arcent, & diligenter cavent, cæterum amantē spe semper retinent: metuentes ne desperatio minuat cupiditatis ardorē, amantemq; à se alienet. Proinde semper arridēt, pollicenturque, semper facturi sunt, semperq; gratificaturi, semperq; ingentium sumptuum rationem habituri: donec imprudētes ambo senuerint, atq; utriq; præterierit ætas, huic ad amandum, illi ad dandum. Itaq; nihil ipsis in omni vita præter spem est peractum. Ac sanè propter voluptatis cupiditatem omnia ferre, nō omnino fortè vitio vertendū: quin magis venia danda si quis voluptate capiatur, & hanc undequaque consectetur, ut ea potiatur: quanquam turpe forsan ac servile, si quis ob eam in jus alienum se tradat. Nam longè suavior est voluptas quæ ex libertate proficiscitur. Attamen hoc illis aliquo pacto ignoscendum si modò consequantur.

Verumenimverò ob solam voluptatis spem multas perferre molestias, ridiculum & stultū arbitror, maximè cùm videant labores esse certos manifestos & inevitabiles: porrò illud quod speratur, quod nihil aliud tandem est nisi voluptas, ne tam longo quidē tempore contigisse: preterea nec verisimile videri ut aliquandō fiat, si modo quis rem ex veritate reputet. At Ulyssis quidem socii, dulci degustata loto, reliqua negligebant, ac præsenti voluptate deliniti, honesta contemnebant, ut non prorsus in illis cum ratione pugnarit honestatis oblivio: nimirum animo voluptatis illius sensu occupato. Verūm si quis famelicus alii cuipiā loto sese ingurgitanti, nec quicquam inde impertienti, assistat, idq; solā ob spem quòd credat fore ut & ipsi degustandum, lotum aliquando porrigat: assistat inquam, recti atque honesti oblitus, Dii boni, quàm hoc ridiculum, & verberib. Homericis revera dignum: Ergo quæ istos ad divitum convictū adducunt, & quibus impulsi sese illis dedunt, ad quodcunq; libitum fuerit utēdos, hæc sunt, aut his quam simillima. Nisi siquis eos commemorandos esse judicet, qui sola gloria incitantur, ad cūsuetudinem cum illustribus & opulentis viris captandā. Sunt enim qui hoc admirandum, supraque plebem esse existiment. Nam quod ad me propriè attinet, recusarim vel cum magno Rege solummodo vivere, convictorque videri, si nullus ex eo convictu fructus ad me redeat.

Cùm igitur causa eius vitæ suscipiendæ sic illis habeat, age jam consideremus apud nosmetipsos, cujusmodi sint illis perferēda priusquam admittantur, & obtineāt, cujusmodi verò in ipsa vita jam constituti patiantur: postremò qualis fabulę catastrophe illis contingat. Neque enim illud dicere licet, hæc etsi molesta sint captu saltem esse facilia, neq; multo labore ad ea opus esse, sat esse si modò velis: quidvis postea factu fore facile. Imò necesse est ut diu sursum ac deorsum cursites, manè excitatus assiduè pro foribus obverseris, ut perdures quum protruderis, quum excluderis, quum impudens interdum atq; importunus videris, quando janitori malè syrissanti, ac nomenclatori Lybico subjiceris, quumq; nominis tui recordationē mercede redimis. Quinetiam vestitus tibi est apparādus supra tuas facultates, pro illius quem colis dignitate, deligendi colores quibus delectatur, ne discrepes, oculosq; illius offendas. Oportet etiam ut ipsum assectēris gnaviter, vel potius antecedas, atque interim à famulis protrudaris, ac veluti pompā quandam expleas. At ille per multos dies ne aspicit quidem te. Quòd si res optimè tibi aliquando cesserit, & te respexerit, & accersitum quidlibet interrogarit, tum denique tum multus sudor, multa æstuatio, intempestiva trepidatio, sannæque eorum qui adsunt ob tuam perplexitatem, ac sæpe cum sit respondendū quis esset Græcorum rex, mille naves illis fuisse dicis. Hoc autem modesti pudorem vocant, audaces timiditatē, improbi verò inscitiam. Tu igitur primam hanc divitis comitatem periculosissimā expertus, dānata tui animi magna imbecillitate discedis. Porrò ubi jam multas noctes insomnes duxeris, multosq; dies eruentos egeris, non per Jovem Helenæ, & Priami pergamorum causa, verum spe quinque obolorum: contigerit autem tibi quispiam Deus tragicus qui tibi adsit exinde restat ut exploreris num literas noris. Atque ea quidem exercitatio diviti non est injucunda, quippe qui laudātur interim, ac fœlix prædicatur.

Cæterum tibi videtur tum de anima, omniq; vita propositum esse certamē: nam id meritò te subit, futurum ut alius nemo te admittat, cum à priore rejectus fueris, visusque despicabilis. Cogeris igitur in varias curas distrahi, dum iis invides qui tibi reluctantur (finge enim & alios esse ejusdem fortunę competitores, te verò tibi videri cuncta tenuiter respondisse) dum etiam metuis, & speras, fixisque es in eius faciem oculis: dumq; peris, siquid negligat eorum quæ dicis: at gaudes siquid ridens audit, ac bona spe fultus consistis. Consentaneum

autem est multos esse qui tibi adversentur, alioſque turò loco ponere velint: quorum unuſquiſq; clanculum velut ex inſidiis in te jaculatur. Deinde cogita promiſſa barba, & cana cæſarie virum examinari nũquid bonæ rei norit, & alijs quidem scire alijs secus, videri Media interim ætas, omniſq; tua vita anteacta curioſius diſquiritur. Quod ſiquis, vel ciuis inuidia, vel vicinus leui quapiã de cauſa prouocatus te deferat, & adulterum vel pæderaſtem dicat: illud vlgo tritum, ex Jovis tabulis est testis. Et ſi omnes pariter te laudent, ſuſpecti, dubii, ac largitione redempti videbuntur. Operæ pretium igitur est ut omnia proſperè tibi cedant, nihilque prorſus adverſetur, nam hoc ſolùm pactò vincere poſſis.

Age ſanè, omnia etiam majore fortuna ſucceſſerint: ipſe enim tuã doctrinam probavit, & amicorum præcipui, & quibus ille plurimãm in rebus hujuſmodi fidem habet, non ſunt dehortati: præterea vult etiam conjux, non refragatur procurator, non œconomus. Nemo etiam tuam vitam inſimulavit dextra omnia, omniq́ue ex parte fauſta ſunt ſacra. Viciſti igitur ô beate, & coronatus es Olympia: imò potiùs Babylonẽ cepiſti, vel Sardium arcẽ occupaſti. Et habebis Amaltheæ cornu, & gallinarum lac mulgebis. Jam ſanè par est ut pro tantis laboribus quammaxima bona capias, ne coronatua ſit duntaxat frondea & merces non contemnenda præſtituatur, eaq́; commodè ad uſum nullo negotio perſolvatur, reliquus item honor vulgari major tibi deferatur: te verò à laboribus illis, à luto, à curſitationibus, à vigiliis, in ocium recipias: & quod in votis esse ſolet, porrectis pedibus dormias, ea tantum faciendo quorum cauſa primum receptus es, & cõductus. Sic quidem rem ſe habere oportebat, Timocles, neq; futurum erat ingens malum, ſubdita cervice jugum ferre, leve nimirũ & portatu facile, quodq; omnium est maximũ, auro illitum. Sed multum abeſt ut ita ſe res habeat, imo nihil horum non deſideratur: ſiquidem in mediis ipſis id genus convictibus ſexcentæ res accidunt, ingenuo viro neutiquam tolerandæ: Quæ cum ordine audieris, ipſe tecum reputato, num ea perpeti quiſquam queat, cui vel minimum cum eruditione commercium fuerit.

Exordiar autem ſi videtur, à primo convivio unde conſentaneum est te conſuetudinem illam auſpicaturum. Statim igitur ad te venit quiſpiam qui te ad cœnam accedere jubeat, famulus non in comis, quem tibi prius propitium reddere oportet, inditis in manum, ne videaris incivilis, ad minimũ quinq; drachmis. Ille verò acciſſans, apage inquit: numquid ego à te accipiam? quibus addit, Dii prohibeant: tandem flectitur, ac diſcedit, latè diducto rictu te deridens. Porrò tu ſumpta: veſte nitida, mundiſſimoq; cultu, lotus venis, ſolicitis interim ne ante alios venias: inurbanum enim illud, ſicuti poſtremũ venire grave. Proinde obſervata opportunitate media ingrederis, teq; omnino honorificè excipiunt. Tum arrepta manu, quiſpiam jubet te paulum ſupra divitẽ, inter duos fermè veteres amicos accumbere. Tuq; veluti Jovis ædem ingreſſus, nihil non admiraris, & ad omnia quæ geruntur intentus es. Nova n. & incognita tibi omnia. Interim familia te ſpectat, & præſentium quiſq; quid facias, obſervat. Neque non ea res curæ est diviti, qui aliquos ex famulis præmonuit ut explorent quomodo in pueros, uxoremq; te geras, num ſubinde ex obliquo reſpectes. At convivarum aſſeclæ quum videnti te propter imperitiam ad ea quæ fiunt ſtupefactum, deridentclanculum, conjectãtes te nunquam ante apud quempiam alium cœnaſſe, novumq; tibi esse, ut mantile apponatur. Proinde veriſimile est neceſſe esse ut præhæſitantia ſudes, ac neq; cum ſitias, potum petere audeas, ne vinoſus videare, neq; variis appoſitis opſoniis, & ordine quodam compoſitis, ſcias cui prius aut poſterius manum admoveas. Quare ad eum qui proximus accumbit reſpicias oportebit, eumque imitatus, convivii rationem addiſcas.

Cæterum varius es, animoq́; penitus perturbato, quum ſingula quæ illic geruntur, ſtupes. Et modo diuitem illum: beatum prædicas, ob aurum, & ebur, tantaſq; delicias: modo te ipſum miſeraris, qui quanuis nihil ſis, viuere te tamen putas. Nonnunquam & illud in mentem venit, fore vt admirandam vitam viuas, quippe qui ſis omnibus illis deliciis fruiturus, cunctorumq; ex æquo particeps futurus. Arbitraris enim te Bacchanalia ſemper celebraturum. Quin & adoleſentuli formoſi miniſtrantes, arridentes, elegantius in poſterum hoc vitæ genus pollicentur: ita vt Homericum illud aſſiduo in ore habeas: *Haud ſitio ſerti debet ſi Troia pubes, Armatiq; ſimul Danai*, multum laboris ſuſtineant ob tantam fœlicitatem. Ad hæc accedunt ad bibendum inuitatiunculæ. Ac poſtulato perquam ingenti ſcypho tibi aliquis præbibit, præceptorem te, aut alio quouis tandem nomine compellans. At tú recepto ſcypho, quid tibi ſit reſpondendum, præ imperitia ignoras, & ruſticus exiſtimaris. Cæterum ea propinatio multorum veterum amicorũ invidiam tibi creavit, quorum nonnullis jam ante tuo accubitu fuiſti moleſtus, quòd cum adveneris modò, iis anteponare, qui multorũ annorum ſervitutem exantlarunt. Protinus itaq; talia quædam de te inter illos dicta feruntur. Illud reliquis malis noſtris deerat, ut etiã illis qui nuper in familiã cõmigrarunt, poſthabeamur. Item, ſolis hiſce Græculis patet urbs Romana: quanquã quid est cur nobis præferantur: Num mirificam quandam utilitatem afferre videntur, quum miſera quædã verbula dicunt? Rurſus alius hæc. Annon vidiſti quantum biberit, & quã avide correpta fercula devorarit? Homo inelegans, & famelicus, qui ne per ſomniũ quidem unquã fuerit albo pane ſaturatus, multo minus ave Numidica, aut phaſiano: è quibus vix reliqua nobis oſſa fecit. Porro tertius, fatui, inquit, ante totos quinque dies, videbitis hunc pariter hîc inter nos, quritantem. Nam nunc quidem ut calcei novi ſolent, honorẽ & curam aliquam obtinet: ſed poſtquam crebrò calcatus, lutoque deformatus fuerit, ſub lectum miſerè abjicietur, cimicibus quemadmodum nos refertus. Illi igitur inter ſe talia de te multa verſant: jamq; ex ipſis aliqui ad calumniandum ſe comparant. Quare totum illud cõvivium tuũ est, & plurimi de te ſermones. Cæterum tu propter inſuetudinem, tenuis, acriſq; vini plus æquo potus, jamdudum urgente aluo male habes: attamen neq; decorũ tibi ante alios ſurgere, neq; manere tutum. At producta interim potatione, dũ ſermo alius ex alio naſcitur, dum ſpectaculo ſpectaculum accedit (omnia enim ſua tibi oſtẽtare cupit) non mediocriter diſcruciaris, cui non liceat, neq; videre quæ geruntur, neq; auſcultare ſiquis voce citharaq́; canat, magni pretii adoleſcentulus. At laudas tamen invitus: cæterum animo illud optas, ut vel terræ motu illa omnia concidant, aut incendium aliquod renuncietur, quò tandem aliquando convivium dirimatur.

Habes amice, primum illud ſuaviſſimum convivium, mihi certè nec cepa, nec ſale candido jucundius, quando, quantumq́; liberè velim edenti. Ut igitur ructus acidos, qui his accedunt, prætermittam, & nocturnum vomitum, manè vobis erit de mercede conveniendum, quantũ, & quo anni tempore tibi ſit accipiendum. Ergo præſentibus duobus, tribuſve amicis, acceſſito te, & ſedere juſſo, ſic loqui incipit. Cujuſmodi ſint res noſtræ, utq; nihil faſtus ipſis ineſt, jam vidiſti: ſed ut oſtentatione carẽt, moderatę ſunt ac populares omnes. Sic aũt animum inducas velim, ut omnia nobis fore cõmunia putes. Ridiculũ n. foret ſi cum potiſſimã mei partẽ, nimirũ animam meã, vel per Jovem liberorũ (ſi quos habeat liberos quibus eruditione ſit opus) tibi cõmittam, non aliarum itẽ rerum te mecũ ex æquo dominũ ducam.

Cæterum quando certi quippiam est præfiniendum, equide video tuæ vitæ frugalitatẽ, animumq́; paucis contentum, atq; intelligo te mercedis ſpe non adductũ, in familiam noſtram veniſſe, verum aliarum rerum gratia, putã noſtræ in te benevolentiæ, & honoris, quem apud omnes conſequeris: aliquid tamen præfiniendum. Quinetiam ipſe quid velis, dicito, habita ratione, veniorẽ nimirum mercedẽ nobis irroges, præſertim cum pecunias negligere. Ille his dictis totum ſpe te cõcuſſit, ac ſibi tractabilẽ reddidit. Tu verò qui dudum talenta, multaq́; nummorum millia, totoſq; agros & domuum multitudinem ſomniaras, quanquam hominis parcimoniam tacitus apud te intelligis, tamen ob pollicitationem tibi blandiris: atq; illud, *Communia nobis erunt omnia*, ratum verumque fore arbitraris: ignorans hujuſmodi dicta, *Summis è labris, non imò è corde profecta.* Tandem præ pudore ipſe illi jus ſtatuendi defers: verum ille facturum ſeſe negat: & aliquem ex amicis præſentibus in eo negotio medium intercedere jubet, qui ſalarii modum pronuntiet, ut neq; ipſi ſit grave, in alia magis neceſſaria ſumptus facienti, neq; acceptur tenue videatur. Atq; is ſeniculus quiſpiã à pueris cum adulatione educatus, heus tu, inquit, num inficieris, te omnium qui ſunt in urbe esse fortunatiſſimum, cui hoc primum cõtigit quod multis valdè cupientib. vix à fortuna dari poſſit: nempe ut in hujus hominis conſuetudinem admittaris, ut cõmunes penates habeas, inq, familiã in Romanorum imperio primariam recipiaris? Id enim Croeſi talenta & Midæ divitias ſuperat, ſi modo modeſtus esse noris, Equidem multos vidi celebres viros, qui voluiſſent, etſi dandum quid fuiſſet, ſolius gloriæ cauſa, cum iſto vivere, & huius familiares, atque amici videri.

Non poſſum tuam fœlicitatem ſatis prædicare, qui fauſtæ hujus fortunæ præmium etiam accipies. Ergo hoc ſufficere putẽ, niſi planè ſis nepos. Ac minimum quiddã pronuntiat, ſi præſertim cum tua ſpe comparetur. Attamen boni conſulas neceſſe est. Neq, enim jam poſſis effugere, cum intra retia tenearis. Frænum igitur ore cõpreſſo recipis, eiq; non admodum torquenti, nec acute pungẽti te præbes obſequioſum, donec illi tandem paulatim aſſueveris. Tum homines qui ſunt foris, eo nomine te admirantur, quod te conſpiciant intra cancellos verſantem, nulloq; prohibente ingredientem, & illuſtrem inter domeſticos factum. At ipſe nondum vides, quãobrem illis beatus videaris. Attamen gaudes, teq; ipſum decipis, ac ſemper meliora fore putas, nihilominus accidit ſecus quàm ſperaſti, & quemadmodum adagio dicitur, Mandrabuli in morem res procedit, quotidie, ut ita dixerim, in deterius ruens, ac retrò lubens. Unde paulatim, velut luce dubia, tum demum deſpiciens, intelligere incipis, aureas illas ſpes, nihil aliud fuiſſe quam inauratas quaſdam ampullas: labores autem esse graves, veros, inevitabiles, atq; aſſiduos. Quinã hi ſint forſan me rogabis: neq;. n. video quid in hac cõſuetudine ſit adeò moleſtum, neq; intelligo iſta quæ cõmemoras gravia, & intolerabilia.

Audi igitur vir generoſe, non inſit-ne huic rei moleſtia ſolum inquirens, ſed fœditatem, vilitatem, atque omnino ſervilitatem quam ineſſe dicam, non negligens. Principio memineris ex eo tempore nõ amplius liberum atq, ingenuum te putare, hæc enim omnia, genus, libertatem, progenitores extra limen relicturum te ſcias, quum in hujuſmodi ſervitutem temetipſum addicens, ingredieris. Siquidem libertas tibi comes ire nolet, rem tam ignobilem, humilemq́, ſubeunti. Servus itaque, etſi nomine ipſo graviter offenderis, non unius, ſed multorum neceſſariò ſervus eris: & capite obſtipo à diluculo ad veſperam, idq; vili mercede, operã navabis. Adde quod non admodum probaberis, neq; magni fies ab hero, ut qui ad ſervitium à puero nõ fueris inſtitutus, ſed ſero didiceris, & ætate multum aliena ad id eru-

diri

diri cœperis. Excruciat autem te subiens libertatis memori, facitque ut interdum relucteris. & ob id servitus tibi molestior accidat. Nisi ad libertatem tibi sufficere putas, quod non Pyrrhiæ, nec Zopyrionis filius, nec, uti Bithynicũ aliquod mancipium, à præcone vociferãte divenditus. Atqui vir optime, quum instante novilunio Pyrrhiæ & Zopyrioni cõmixtus, manum itidem ut alii famuli porrigis, capisque quodcunq; illud est tandem quod datur, hæc est venditio. Nam præcone nihil op⁹ erat ad hominẽ qui sui fuerit præco, multoq; tempore ipse sibi dominum ambiverit. Age sceleste, libenter dicam, in eum præpuè qui sese Philosophum esse dicit, si quis te pirata captum inter navigandũ, aut prædo in servitutem tradidisset, te ipsum deplorares. ut qui indignam fortunæ injuriam patereris: aut si quis manu injecta te duceret, servũ esse asserens, leges inclamares, graviter ferres atq; indignareris: & ô terra, ô Dii, magno clamore vociferareris.

Nunc verò, ipse te ob paucos obolos, id ætatis in qua, etiãsi servus natus esses, tamen tempestivũ fuisset jam ad libertatem respicere, cũ ipsa virtute ac sapientia adductum vendidisti, nihil illa reveritus quę permulta ab egregio Platone, Chrysippo, Aristotele disseruntur, quũ libertatem laudant, servitutẽ damnant. Nec pudet te cum hominibus assentatoribus, mercenariis, & scurris ex æquo æstimari, & in tanta Romanorum turba solum peregrino in pallio versari, & malè linguam Romanã pronunciare, præterea tumultuosa convivia agitare, magna hominum copia, convenarum quorundam, ac plurimorum improborum conferta. Inter quæ laudas odiose, bibisq; præter modum: deinde manè ad tintinabulũ expergefactus, discussa somni parte dulcissima, unà sursum ac deorsum circumcursas, hesterno luto tibiis etiamdum adhærẽte. Anusq; adeò lupinorũ, ac agrestiũ olerum tenuit te penuria, & frigida manantes aqua fontes defecerunt, ut per desperationẽ ad ista devenires? At palam est te, non aquæ, non lupini, sed bellariorũ & opsoniorum, ac vini fragrãtis cupiditate captũ fuisque madmodũ lupus ille piscis, tuoq; merito eveniſſe, ut avidas illas fauces hamus transfixerit. Itaq; præstò sunt hujus intẽperantiæ præmia: & perinde atq; simiæ, à trunco revinctus collo: aliis quidem risui es: tibi verò deliciis affluere videris, cui liceat affatim expleri caricis.

Cæterùm libertas, ingenuitas, cum gentilibus, & tribulib. evanida sunt omnia, nullaq; rerum istarum memoria. Ac ferendum foret, si res ista cum turpitudine solùm conjuncta esset, quod è libero servus videaris: non labores etiam accederent cum illa famulorum colluvie communes. Sed vide num quæ tibi imperantur leviora sint his quæ Dromoni aut Tibio mandantur. Nã doctrinę, cujus cupiditate simulârat te in familiam suam recepisse sese, exigua ipsi cura est. Quid. n. ut ajunt, asino cum lyra est commercii? Annon vides ut macerentur desiderio vel Homericæ sapientiæ, vel Demosthenicæ vehemẽtiæ vel Platonicæ sublimitatis? quorum ex animis si quis aurum, argentum, atque harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquum præter fastum, mollitiem, lasciuiam, luxum, ferocitatem, & imperitiam. Atque ad ista nihil prorsum opus te. Verùm quoniam promissam habes barbam, & vultu grauitatem præ te fers, atq; Græcanico pallio decenter amictus es, noruntq; omnes te Grãmaticum esse vel Rhetorem, vel Philosophũ, pulchrum ille sibi putat, ut hujusmodi quispiam suorum ante ambulonum pompæ permisceatur. Futurum enim hac re, ut Græcanicarum disciplinarum studiosus, & omnino in eruditione elegans putetur.

Itaq; vir egregie, in periculũ venis, ne non admirandas illas artes, sed barbam & pallium mercede locaveris. Proinde ut perpetuò apud illum conspiciaris oportet, nec absis unquam, sed diluculo excitatus in famulitio temet cõspiciendum præbeas, nec ordinẽ deseras. Porrò ille nõnunquã injecta tibi manu, quicquid in mentẽ inciderit, de eo tecũ nugatur, obviis ostentans, quã ne per viam quidem ingrediens, incurius sit literarũ, sed otium quod suppetit, ambulando in re hone stã collocet. At tu miser nunc cursim, nunc gradatim, scansim sæpe & descensim (nam scis hujusmodi esse urbem) tum sudas, tum anhelas.

Eo interim domi cum amico quopiã ad quem accessit, cõfabulante, cùm tibi locus desit ubi sedeas, librũ in manum sumis, quem nescius quid agas, stans legis. Postquã autem impastum, impotumq; te nox occupavit, vix intempestivè lotus circa noctem fere mediam, ad cœnã venis, non amplius pari in pretio habitus, neq; cõspiciendus iis qui adsunt. Verùm si quis recentior advenerit, tu post tergum rejiceris. Itaq; in angulum aliquem abjectissimũ retrusus, accumbis testis eorum quæ apponuntur, ossa duntaxat, si ad te usq; pervenerint, more canum circumrodens: vel durum maluæ soliũ, quo reliqua involvunt, si fastidiatur ab iis qui priori loco accumbũt, præ fame libenter accepturus.

Neq; verò deest aliud cõtumeliæ genus. Tu neq; ovum solus habes. Neq; enim cõvenit ut eadem requiras quæ hospitibus atq; ignotis ministrantur, siquidẽ hæc tua insciția est. Nec similis aliis tibi apponitur avis: verùm diviti illi pinguis & succulenta: tibi verò dimidiatus pullus, subduruſve aliquis palumbus, in manifestã cõtumeliã, & ludibriũ. Sæpe etiam, si quando desit alii, repente minister te præsente tollens ea quæ tibi erat appositа, ei apponit: illud tibi in aurem immurmurãs: tu profectò noster es. Et quum vel fœta sus media secatur, vel cervus: aut distributorẽ tibi modis omnib. propitiũ habeas oportet, aut Promethei partem feras, ossa nimirum adipe obducta. Nã quod ei qui supra te accũbit, patina sinitur astare, quoad satiatus repudiet, te contrà tã celeriter prætercurrat, quis ferat, qui modò sit ingenuus, cuiq; quantũ cervis in sit bilis? Atq; illud equidem nondũ dixi, quod reliquis suaviſſimũ ac vetustiſſiũ vinum bibẽtibus, tu solus malum quoddã & crassum bibis: semper curã ut in argẽto vel auro bibas, ne color arguat, te usq; adeo neglectũ esse convivam. Atq; utinã ex eo ad satietatẽ bibere liceret. At nunc ubi crebrò popoſceris, minister audisse dissimulat. Adde quod multa cõfertim, imò ferè omnia te diseruciant: maximè quum tibi cinædus aliquis antefertur, aut choreæ ducẽdæ præceptor, aut qui jocos Jonicos cõtexit Alexandrinus quispiã homunculus. Nam qui speres tu ut in accubitu æqueris iis qui amatoria subministrant, quique in sinu literulas gestant? Proinde in aliquo cõvivii latibulo præ pudore abstrusus, suspiras ut consentaneum est, teq; ipsum deploras tuamq; fortunã incusas: quæ tibi ne gratiarum quidem guttulam asperserit. Ac prorsus ita videris affectus, ut optes poëta fieri ut amatorias cantiones cõscribas, sin minus ab aliis conscriptas, dignè canere possis. Vides enim qua in re situm sit ut quis præferatur, ac probetur.

Quin & illud ferre queas, ut magi quoq; aũt arioli personã, si necesse sit, induas, ex horũ genere qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur: quandoquidẽ hos quoq; vides à divitib. valdè amari plurimiq; fieri. Eóq; vel unum quodlibet horum fieri percũpias, ne rejiculus & inutilis fias. Atqui tu infœlix, neq; ad ista es docilis. Quare necesse est ut te submittas, tacitusq; clam apud te plorando feras, te negligi. Etenim si te famulus aliquis susurro deferat, qui solus omnium non laudaveris heræ puerum saltantem, aut cithara canentem, ista scil. ex re non leve discrimen impender. Oportet igitur ut ranæ terrestris in morem sitiens vocifereris, atq; operam des, ut inter laudantes sis insignis & præcipuus. Quin sæpiculè, silentibus reliquis, tibi provisa quæpiam laus est proferenda: quæ multã commonstret assentationem. Nam te esurientem & sitientem unguento collini, & capite gestare coronam, aliquantulum est ridiculum. Tunc enim similis es columnæ obsoleti cadaveris. Nam ei infuso unguento, & imposità corona, bibunt ipsi, eduntque apparatas epulas.

Porrò si zelotypus fuerit herus, eique sint formosi pueri, vel uxor juvenis, & tu non omnino sis à Venere & Gratiis alienus, non est tuta pax, nec periculum contemnendum. Aures enim & oculi regis multi sunt, qui non solum vera vident, sed semper aliquid addunt, ne cõnivere videantur. Quãobrem vultu demisso, quẽadmodum in Persicis cõviviis, ubi est accumbendũ, verito nequis enuchus videat te oculos in concubinam aliquam cõjicientem: moxq; alter eunuchus, cui jamdudum arcus in manu tensus est, qui videris quę videre nefas, inter bibendum malam jaculo transfigat. Jam peracto convivio ubi paululum dormieris, sub galli cantũ expergefactus, O me miserum, inquis, ô infortunatum, cujusmodi pristinos convictus & amicos reliqui, & vitam tranquillam, somniumq; ad cupiditatem dimensum ac liberas deambulationes, in quale barathrũ memet incussi? Quorsum Dii immortales? aut quàm splendidum est hoc præmium? Non enim fieri poterat ut aliàs hisce plures cõmoditates supperetent: accedebat libertas, omniq; pro arbitrio faciendi potestas. Nunc verò, quod ajunt, leo cordula vinctus, sursum ac deorsum circumferor. Quodq; omnium est maximè deplorandum: nec efficere possum ut placeam, nec gratiã emereri queo: harum enim rerum rudis sum, ac imperitus, maximè si cum illis comparer qui hæc velut artem profitentur. Proinde injucundus sum, ac minimè conviviis aptus, quippe qui ne risum quidẽ cõcitare norim. Quinimo sæpe molestũ illi esse conspectũ meũ intelligo, ac in primis quum ipse seipso vult esse jucundior. Illi .n. tetricus videor. In summa, nullo pacto ipsi accõmodari possum. Etenim si meam gravitatem tuear, injucũdus, ac propemodum fugiendus videor. Contra si risero vultumq; quàm possum, maximè ad hilaritatem composuero, contemnit ilico, & respuit. Idq; perinde mihi videtur esse ac si quis in persona tragica Comœdiam agat. Postremò quam tandem aliam vitam vivam mihi demens, posteaquam alteri hanc vixi? Dum hæc tecum loqueris, sonuit tintinabulum, tibiq; ad eadem est redeundũ, obambulandum, standum, sed ceromate inunctis ante femorib. poplitibusq;, si modo velis par esse labori. Deinde cõvivium idem, & eadem apparatũ hora: jamq; vivendi ratio superiori cõtraria. Tum vigiliæ, sudor, defatigatio, paulatim quasi suffossis cuniculis inducũt vel tabẽ, vel pulmonis inflãmationem, aut colicum dolorem, aut egregiã illam podagram. Atramen reluctaris: ac sæpe cum tibi per valetudinem esset decumbendum, neq; hoc conceditur: nam simulari morbus putatur, ut officia defugias, Itaq; præter omnes perpetuò palles, & jam jam morituro similis es.

Et hactenus quidẽ de iis quæ in urbe sunt ferẽda. Quod si quando sit peregrinandũ (ut ne interim referã alia incõmoda) sæpe fit ut pluvio cœlo, ubi postremus veneris (nã is locus tibi sorte contigit) vehiculũ operiaris, donec nullo jam reliquo loco diverseris, prope coquũ aut heræ comptorẽ te reclinẽr, ne stipulis quidem affatim substratis. Nec me pigeat tibi referre quod Thesmopolis ille Stoicus narravit sibi accidisse, plane ridiculum illud, quod & ipsum alii cuivis accidere posse non desperaveris. Convivebat enim cũ opulenta quadã ac delicata muliere ex illustrb. illis civibus. Cum aũt aliquãdo peregrè proficiscendũ esset, id primum maximè ridiculũ sibi accidisse dixit, traditum fuisse, sibi qui philosophus esset, quendã cinædum picatis cruribus, derasa barba, propè se collocandũ: quem ut cõjicio, illa secum honoris gratia ducebat. Nomen quoq; cinædi cõmemorabat: ajebat enim Chelidonium appellari. Hoc utiq; primum cujusmodi fuit, juxta virum tetricum, & senem, canoq; mento (scis autẽ quam profundam & venerabilem barbam habuerit Thesmopolis) assidere hominem sucatõ, picturatis oculis, lubrico aspectu, fracta cervice, nõ Chelidonem per Jovem, *id est hirundinem*, sed vulturem magis, revulsis barbæ plumis. Ac nisi magnopere deprecatus fuisset, flammeum etiam in capite gestans, assedisset. Præterea autem perpetuo hoc itinere molestias innumerabiles pertulisse sese illo cantillante, garrienteq;:

demum (nisi ipse hominem coërcuisset) fortassis etiam in rheda saltante. Secundo loco tale quiddam etiam sibi mandatũ fuisse addebat. Accersito illo, mulier Thesmopoli, inquit, ita Dii tibi benefaciant, officium non exiguum poscenti præsta, nihil refragans, nec ut te sæpius rogem expectans. Cumq; hic, ut par erat, omnia facturum se promisisset: hoc, inquit, te rogo, quãdoquidem video te virum probum, diligẽtem, & amantẽ: caniculam quam nosti, Myrrhinam in vehiculum recipe, eamq; mihi serva, & cura ne quid illi desit: misera enim illa gravi est vẽtre, & partui propinqua. At isti sceleśti & immorigeri famuli, nõ dicã ejus, sed ne mei quidem ipsius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare putes te mihi non mediocre beneficium facturum, si charissimam mihi, jucundissimamq; caniculam servaris. Recepit Thesmopolis cùm illa tantopere rogaret, ac propemodum fleret. Res autẽ prorsus ridicula erat: canicula è pallio paulum infra barbam prospectans, ac subinde immeiens (etsi Thesmopolis hæc non addidit) ac gracili voce latrans (tales enim catellæ sunt in deliciis) neque non Philosophi mentum oblingens, maximè si quid pridiani juris inhæreret.

Porrò cinædus assessor ille, nunquam insulsè alios etiam qui convivio intererent dicteriis petens, postquã ad Thesmopolidem dicacitas pervenit, de Thesmopolide unũ hoc dicere possum, eum è Stoico Cynicum jam nobis esse factum. Equidem audivi caniculã etiam in Thesmopolidis pallio peperisse. Hujusmodi ludibriis imò potius contumeliis cõvictores excipiunt, mansuetos illos ad ferendas cõtumelias paulatim reddentes. Novi præterea Carcharorum oratorem, qui jussus in cõvivio declamavit, neutiquã inerudite per Jovem, sed vehementer, magnoq; cum applausu. Tum autem laudabatur interbibendum, quòd non ad aquæ mensuram, sed ad vini amphoram diceret: assumq; illud suscepisse dicebatur pro ducentarum drachmarum pretio. Hæc quidem fortasse sunt tolerabilia.

Porrò si dives ipse aut poëseos fuerit, aut historiæ scriptor, qui sua scripta recitet in convivio, tum disrumparis oportet laudando, assentando, novosq; laudandi modos excogitãdo. Sunt autem qui volunt admirabiles forma videri: quos & si nares cubitali magnitudine amplas habeant, & Adonidas, & Hyacinthos oportet vocare. Quos nisi tu laudaris, protinus in lapicidinas Dionysiacas asportaberis, tanquã qui illi tum invideas, tum insidieris. Oportet etiam ut illi sint sapiẽtes & oratores: ac quanvis soloeciśmum aliquem cõmiserint, id quod dici solet, Attica eloquentia, & Hymetti melle plena videatur oratio, atq; deinceps in legem abeat ut ita loquantur homines. Atqui ferenda fortasse faciunt viri. At verò mulieres (nam mulieribus hoc etiã studio est, ut doctos aliquos in suo convictu conductitios habeant, qui q; sese mercede assectentur) hoc quoq; unum ad reliquum cultũ pertinere putant, si dicantur eruditæ, si Philosophæ, si carmina componere Sapphicis haud inferiora, ac propterea etiam hæ cõductitios Rhetores, Grammaticos, & Philosophos secum circunducunt. Hos autem audire solent (id quod ipsum est ridiculum) quũ vel comuntur, vel capillos religant, vel in convivio: aliàs enim non vacat.

Cæterùm sæpe etiam interim dum Philosophus disserit, interveniens ancilla literas ab adultero missas porrigit. Ac præclari illi de pudicitia sermones intermittuntur, opperientes donec illa rescripserit adultero, & ad auditionem redeat. Quum autem longo post tempore Saturnalibus, aut Panathenæis instatibus, miserit tibi miseram umbellam, aut subputrem tunicam, multam magnamq; pompã celebrare oportet. Ac primus quidem, qui statim id facere destinantem subauscultarit dominum, præcurrit, priorq; monet, & accepto nõ exiguo nuncii præmio, discedit. Mane verò tredecim veniunt referentes, ut unusquisq; multa dixerit, ut submonuerit, ut sibi dato arbitrio commodiora subjecerit. Omnes itaq; donati præmio discedunt: ac non sine murmure, quòd plura non dederis. Salarium enim ipsum est duorum circiter, & quatuor obolorum: idq; si tu postules, gravis, & importunus videris. Quod ut accipias, hero ipsi blandiendum est & supplicandum: est & captandus officiis œconomus.

Estq; hic alius etiam servitutis modus. Neq; verò negligendus is quem in cõsilium adhiberi, nec amicus. Deinde quod acceperis, jamdudum debebatur vel vestiario, vel medico, vel cerdoni cuipiã. Quare intempestiva, atq; inutilia tibi sunt dona, multaq; accedit invidia, quinetiam calumnia sensim excitatur apud virum qui jam libenter admittit, siquid cõtra te dicatur: quippe qui perspiciat te jam assiduis laborib. attritum, & ad munia famulatus obeunda claudicantẽ, atq; obaudientem, & podagram tibi suborientem. Proinde posteaquam id quod erat in te florentissimũ decerpsit, ævi q; partẽ maximè frugiferam, ac præcipuum corporis vigorẽ detrivit, jamq; te lacerum pannum reddidit: tam circunspicit in quod sterquilinii ũ te deportatum abjiciat, atq; alium perferendis laborib. idoneum in tuum locum assumat. Ibi insimulatus, vel quod pusionẽ ejus tentaris, vel quòd homo senex uxoris ancillam virginem vitiaris, vel alio hujusmodi crimine impositio, noctu obvolutus, in cervicem extrusus, discedis desertus ab omnibus, & rerum omnium inops, optimã podagram unà cum senectute comite sumens. Cùm interim quę quondam sciveris, tanto tẽporis spatio dediciveris, tum ventrẽ culeo reddideris ampliorẽ, inexplebile quoddam & implacabile malũ (etenim gula ea quib. insuevit, flagitat: quæ quũ dediscit, indignatur) nemo te posthac est recepturus, ut qui jã sis exoletus, & senio cõfectis, equis similis: quorum ne pellis quidẽ perinde ac antea est usui. Quin ex hoc ipso quod ejectus es, calumnia majorẽ ad verisimilitudinẽ conficta, facit ut aut adulter, aut veneficus, aut aliud quippiã tale videaris. Nam accusator etiam tacẽs fide dignus habetur: tu verò Græculus, moribus levibus, & ad scelus omne facilis. Vos enim omnes hujusmodi esse ducũt, idq; jure optimo. Nam mihi causam advertisse videor cur ita de vobis sentiant. Etenim pleriq; qui in familias veniunt, quoniã boni aliud nihil norunt, divinationẽ ac veneficia pollicentur, amorum cõciliationes, abductiones in hostes: idq; eruditos sese affirmantes, palliis involuti, barbaque non contemnendas promittentes.

Quare eadem de omnib. meritò suspicantur: quos optimos putabant, cùm tales videant, ac in primis usitatam illis, & in cõviviis, reliquoq; convictu adulationẽ observent, quinetiam in captando lucro servilem animum. Ejectos autem eos oderunt, neq; injuria: & undiquaq; rationẽ quærunt, qua si possint, eos funditus perdant. Cogitãt enim fore ut multa illa suæ naturæ arcana, ut quibus exactè sint nota, & qui nudos illos viderint, in vulgus efferant. Illud igitur eos angit. Omnes enim sunt similes pulcherrimis istis libris: quorũ aurei umbilici, purpurea foris pellis: sed intus, vel est Thyestes liberos suos comedens, vel, Oedipus matris maritus, vel Tereus cum duabus pariter sororibus rẽ habens. Tales & ipsi sunt splendidi, & admirandi, sed qui sub purpura multam tragœdiam intus occulãt: quorum unumquemq; si evolueris, Euripidis alicujus, aut Sophoclis non parvã fabulam invenies, erunt verò foris splendida purpura, & aureus umbilicus. Harum itaque rerum sibi conscii, oderunt illos, atque insidias parant, siquis ab illis defecerit, qui eos probè cognitos depingat, qualesque sint, evulget.

Jam verò libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quandã hujus vitæ tibi depingere, quam contemplatus scire queas, num exusu tuo sit eam adire. Equidẽ magnopere cupiam, vel Apellem quẽpiam, vel Parrhasium, vel Aëtionem, vel Euphranorẽ ad tabulã hanc depingendam adhibere. Verùm quia fieri nõ potest ut à iquẽ artificem tam egregium, tamq; absolutum nanciscar, tenuem pro virili imaginẽ tibi adumbrabo. Ergo pingatur sublime ac inauratum vestibulum, neq; id humi situ in loco, verùm procul à terra, in collis fastigio, cujus aditus valdè sit acclivis & lubricus, ita ut plerumq; qui jam in vertice se fore sperarẽt lapso pede præcipitati cervicem frangant. Intus autem Opulentia sedeat, rota, sicuti videtur, aurea, formosa admodum, & amabilis. Porrò amator ubi vix tandem cõscendit, jamq; ad fores accessit, obstupescat, oculis in aurum defixis. Deinde & Spes, quæ & ipsa speciosa vultu est, & versicolorib. amicta, manu prehensum introducat, mirè jam ipso ingressu attonitum. Exinde Spes illi semper præeat: tum aliæ mulieres Fallacia, & Servitus eum excipiant. Labori tradant: hic verò miserũ illum diu exercitatum tandem Senectæ tradat jam morbidũ, & colore cõmutato. Postrema verò Contumelia, arreptũ illum ad Desperationẽ perrahat: ab eoq; tẽpore Spes avolans evanescat. Tum ille non amplius per fores aureas per quas fuerat ingressus, sed per posticũ & occultum exitũ expellatur, nudus, ventricosus, pallidus, senex: læva pudorem occultans, dextra seipsum strangulans. Occurrat aũt exeunti Pœnitudo frustra lachrymans, & miserum insuper conficiens. Atq; hic esto picturæ finis. Tu igitur optime Timocles, ipse diligenter cõsideratis singulis, expende num è re tua sit ut in hanc imaginem per aureas illas fores ingressus, per illas longè dissimiles tam turpiter excidas. Quicquid autem feceris, memineris sapientis illius, qui dixit, Deum in culpa non esse, sed eum qui delectum fecerit. *tit. de conductis mercede.*

Julianus Imp. Etenim adhuc ita vivimus, ut aulicæ simulationis nihil fere retineamus (quã quidem tu fortasse adhuc experrus fuisti, qua qui laudant, majore odio prosequuntur, quã inimicissimos) sed honesta moderataq; libertate, cum opus est, nos mutuò accusamus & reprehendimus, neq; tamen propterea minus inter nos amamus, quàm qui maximè amici sunt. *Epist.* 12.

Philostratus: Intravit regiam Apollonius à multis vocatus. in eo nãq; regi gratificari putabant, quod ipsum animadvertissent ejus adventu lętari. Ingressus regiã nihil respexit eorũ, quę cęteros ad admirationẽ vertere consueverunt, sed tanquã viator illa pertransibat cũ Damide discipulo locutus de veteribus fabulis. Tantum igitur aberat, ut regias opes, aut ejus fastum admiraretur, ut ne oculos quidem ad ea aspicienda vertere dignaretur. *lib. 1 cap.* 20.

Philostratus: Cùm ante regias fores consisteret Apollonius, videretq; homines quosdãtanquã Deos adorari; alios a. supplices venerabundosq; corã illis astare, tum ingredientiũ & egredientiũ strepirũ in gentẽ animadverteret, ad Damidẽ cõversus. Videur inquit hæc negotia balneis rectissimè posse cõparari. nã eosqui extra sunt, video intro ingredi, pperãtes: qui vero sunt intus, cũ celeritate egredi animadverto: ut hi quidẽ lavari volentib. illi a. jã lotis similes appareãr. *l. 7. c. 13.*

Philostratus: In regia Phraotis nullam ædificii pompã invenisse perhibent, non custodes, non satellites, sed velut in clarorum civium domibus paucos familiares, & qui regis alloquium expectabant tres, aut ad summum, quatuor homines: quo apparatu magis lætatus est Apollonius, quã tumidis ampullosisq; Babyloniæ pompis: Ingrediẽs verò multò magis gavisus est, quod andronas & porticus, & omnino totam aulam modestiæ frugalitatisq; plenã offendit: quod Apollonio satis fuit argumenti Indũ regem Philosophiæ deditũ esse. *lib. 2. c. 11.*

Heliodorus: Fui & matri tuæ Persinæ notus, semper enim hospitiũ & receptaculum sapientum generis, est aula regia. *lib. 4. Aethiop.*

Symmachus: Diu scribendi officium per verecundiam distuli, ne in aula positum viderer ambire, cujus morbi ita crebra est affectatio, ut diligentes existimationis viri, pro alienis vitiis erubescant. *lib. 9. Epist. 83.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua,

Cùm nullus esset aulicos qui principes
Non coleret, ac præ cæteris cubicula.

Jams

Famulos, inertes, demo opes, ad omnia,
Modisque miris artibus ad regia
Aulas nitentes semper hæreret fores,
Laceraret alios, sumeret fœdum in modum,
Abuteretur pessimè recta fide,
Seq; indecorè gereret (ut loquar brevi)
Desiderari malui quam odium mei Movere.

Martialis. lib. 9. Epigr. 8.

Nemo suos hæc est aula naturâ potentis,
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Guntherus lib. 4. v. 373.

Non tamen emissa tantorum plebe virorum
Vel Princeps vacuus, vel curia sola remansit.
Non est magnorum cum paucis vivere Regum.
Quotlibet emittat, plures tamen aula reservat,
Nec Princeps latebras, nec Sol desiderat umbras:
Abscondat solem, qui vult abscondere Regem.
Sive novi veniant, seu qui venere recedant,
Semper inexhausta celebratur curia turba:
Ut mare cum largas mundo disseminet undas,
Semper inexhausto fœcundum pullulat undis.
Ergo bonâ quamvis dimissâ parte suorum,
Magna tamen Princeps, & solo Cæsare digna
Castra movens.

Guntherus lib. 6. v. 236.

Istam quippe domum nunquam sine plebe frequenti
Omnibus è terris, & ab omni gente profecta
Invenies: ut qui linguas moresque locorum,
Et quidquid toto rarum contingit in orbe
Agnovisse velit nusquam perfectius illa.
Edidicisse queat sic plurima tunc quoque turba.
Hic aderat diversa sonis, & moribus impar.
Munera certatim mandataque læta ferebant,
Et sua regna pio gaudebant subdere Regi.
Quos placidus Princeps blandis affatibus implens,
Responsis lætos, donis dimisit onustos.

Incertus auctor

Cæsaris ad valvas sedeo, sto, nocte dieque,
Nec datur ingressus, quo mea fata loquar;
Ite deæ faciles, & nostro nomine saltem
Dicite divini Cæsaris ante pedes:
Si nequeo placidas affari Cæsaris aures,
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat, Abi.

¶ Apologi.

De Viro de morte patris piscículos scíscitante. 118.

Vir quidam doctus ad convivium cujusdam principis accitus, & in ultimo loco discumbere jussus, cum cæteris cõvivis magni pisces, sibi autem minutili apponerentur, nullum edebat: Sed singulos ori prius, deinde auribus admovens, tãquam aliquid ab eis scíscitaturus, in patinis integros & illæsos reponebat: interrogatus à magistro cõvivii, cur hoc faceret; meus, inquit, pater ante hoc biennium his regionibus naufragio periit, nec quid de ejus cadavere factũ sit, postea scire potui. Scíscitabar ego ab his piscículis, an aliquid de eo scirent. Verum hi eo tempore nondum se natos fuisse respondent. Quare majores interrogandi essent. Princeps audito tam lepido dicto, ipsi quoque majores jussit exhiberi, semperque eum postea inter præcipuos convivas habuit.

Fabula indicat, apud literarum inopes doctis viris non tam doctrinam, quam facetias & urbana dicta prodesse. Abstemius.

¶ Emblematum.

Adeodatus Seba, ad Prisçum.

Æolus Æoliâ quisnam dicatur in aula.
Claudere nunc Ventis nunc reserare fores,
Dicere, Prisce jubat: dicentem sedulus audi:
Hoc quoque ne pereas naufragus ipse mari.
Æolus hic Vera est magnorum crede, figura,
Est quibus in toto vanius orbe nihil.
Æolia aula quid est, nisi quas nos cernimus aulas
Nempe aliud rediens rursus in orbe Chaos.
Hinc Euri Corique ruunt hinc nubilus Auster.
Hinc Aquilo rigido tussus ab axe volat.
Hinc mundi pelagus vertuntque runt q; procellæ,
Rarus ut hic curat nauita tutus aquis.
Hæ sunt Æolides loca fata furentibus Austris.
Adspice disruptas Undique, Prisce rates:
Et si forte sapis cursum in contraria flecte:
Stultus, ab hac Vitam qui sibi morte petit.

Batillius 196.

Simii purpurati.

Hunc quam longè auro fulgentem, ostroque decorum
Gestare & Phrygias corpore cernis opes,
Esse virum credas, deceptus imagine falsâ:
Non vir est, vera est simia veste vir.

Camerarius 51. Centur. 4.

Ad motum Lunæ. Cancer aut ostreum.

Crescente adcresco luna, decresco minutâ,
Aulæ num melius pingitur effigies?

Catsius Emblemate Ethico 12.

Fumi venduntur in aula.

Stellio semper hians ventis nutritur & aurâ:
Colligit è liquido rore cicada cibum.
Ore trahit fumum tabaci, quem naribus efflat,
Nauta, procellosum dum mare lintre secat.
Aula vapore suis alimenta clientibus offert,
O miseros! procerum futilis umbra, favor.
Aula vale! mihi caula placet nemorumq; recessus,
Cultor ego hujus sanctæ rusticitatis ero.

Catsius Emblemate Ethico 43.

Fons Dodonæ aulæ.

Mira tuis, sæva fides, Dodonæ scalebris
Prosilit Graio lympha sacrata loco.
Hæc solet accensos extinguere fontibus ignes,
Nec minus extinctas igne ciere faces.
Regis habet genium Regi sacra lympha Deorum.
Dodonæ Procerum lumina fonte madent.
Clara tenebrosis, illustribus aula tenebras
Mutat, & alternas gaudet habere vices.

¶ Apophthegm. Christianor.

Constantinus Imperat. Heliotropium cum sole circumagi quotumq; se ille moverit, testis est Plinius. ad eundem modum Proceres aulicos ad Regis Principisve ingenium, etiam contra rectam rationem propendere, quotidiana testis est experientia. Hinc illi Principũ abusus & Reip. defectus, quòd ita quovis in suam Curiã, imò & ad aures admittat. Videbat id Constantinus Imperator, qui Principum aulas improbis hominibus refertas intuitus, *Apagite*, inquiebat, *tineæ & sorices Palatij.* Quid prudentius à prudenti Imperatore dici potuit aut debuit? *Niceph. interp. & Schol. lib. 8. Eccl. hist. cap. 14.*

Alexander Severus: Hunc, gravium scriptorũ vestigiis inhærens, Catholicorum cœtui annecto: lices plures cum inter Ethnicos referant. ut est, plura certè Christiano homine digna, sub vitæ finem & fecit & dixit. Inter alia, urbem & domũ suam hominibus non necessariis purgabat, inter quos Aulicorum plures recẽsebat. dicebat autem: *Malus pupillus est Imperator, qui ex visceribus provincialium, homines Reipub. inutiles aleret. Aelius Lampridius in Alex. Severo.*

Anonymus. Quidam Aulæ sectator assiduus, injuriarum Palatinarum patientissimus, cùm rogaretur, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset: *Injurias*, respondit, *accipiendo, & gratias agendo.* Dixit fortassis in hunc sensum aliquando Persius:

——— *Vide sis, ne majorum tibi sortè*
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Littera.

Brusson. lib. 1. cap. 5.

Fridericus Khun Germanus: Unicam autem gratiam in Principũ aulis dormire, suo dicto confirmavit iste: videbat assiduitatem & diligentiam cujusdam Cancellarii Imperatoriæ Majestatis: & subridens, *Quid*, inquit, *domine Cancellarie, tam strenuus & assiduus es reb. aulicis cõponendis? Eadem est gratia cacanti in medium cõclave, & everrenti.* notans lentas aularũ gratias; quodq; verus sit hic rithmus:

Κύρις, *qui sonuere, canunt*, κλίνουσι, *in aula.*

Philip. Camer. in Postil.

Thomas Morus Cancel. Angl. Hinc benè & doctè ille: cùm Episc. Roffensis ei statum & ordinẽ in aula gratulatus esset, *In aulâ*, ait, *invitus veni. & in eadẽ non minus malè hæreo, quam quisquam equitandi insolens hæret in cella.* Meminerat, ut erat lectionis magnæ, illius Lucani:

——— *Exeat aula,*
Qui volet esse pius. Virtus & summa potestas
Non coeunt.

Th. Stapler. in Sit. cap. 7.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; Rege, solitudo vasta est aula regia.
Admovere dexteram igni quin uraris non potes.
A Jove es procul? procul quoque eius es à fulmine.
Aula personuta semper, semper aula subdola est,
Aula serva est. liberosq; ferre nec vult, nec potest.
Aula vana est, vultq; vanos: aula verum respuit.
Aulici hoc agunt ante omnia ut ne quid Princeps sciat.
Aulici repugnare haud fas Principi in re suo.
Aulicus pro calculo est, nunc mille, nunc nil valet.
Aulicus si dona spernis, expers es calumniæ.
Aulicus vulgi favore sæpe emit sibi necem.
Auri spuma igni admove, aurũ, immitte in undã, fit lutũ.
Aut egeni est aut erronis, aut mastigiæ, aulas sequi.
Aut generum facias Agrippam oportet aut nece opprimas.
Cuncta Cæsaru fere sunt aulicis venalia.
Cuncta regibus fac, cuncta dic eis ad gratiam.
Deditius potest uti Aula servus es sacerrimus
Divitum domos plerumq; subruunt Aulæ doli.
Est mare Aula purpuratis naufragijs quod pascitur.
Et mali vendunt bonorum Principum tamen aulici.
Ex eas omni aula oportet esse si cupis pius.
Flamma admota propius urit, at remota illuminat.
Gratias agas: is finis cum dominante est omnium.
Haud adsueti difficulter Principum aulæ adsuescerint.
Heu quam multa scelera, ignaro Principe audent Aulici!
Hora quæ sus fert superbas ex alto in planum domos.
Improbas fovet spes aulæ, voce, re sed subruit.

Inter aulicos ☿is magna semper inꝟidentia est.
Inꝟidiam molestiasq; refugis? aulam ne cola.
Magnificentius nil est in aula corpore regio.
Nemo non eum colit quam Rex honorat Aulicum.
Nemo non lucro aulicorum sponte supponit manum.
Nequior quo scurra quisq; est, hoc & Aulæ est gratior.
Non certatur omni in aula probitate aut industria.
Non nisi exstincto æmulatu Aulis redit securitas.
Omnium est chaos malorum in partes scissa regia.
Paucos ☿irtus regia, plures fulgor aulæ conꝟocat.
Perpetuum malum per aulas est Regum assentatio.
Plurimum facere, ac minimum de se loqui, acceptissimũ est.
Plus adulatorum in aulâ peccat gens quam Principes.
Principem bonum, manere non sinunt talem aulicæ.
Publicè fiunt palam quæ in Aula fiunt Principum.
Purpuratorum est, inflare Regum spes inanis.
Quilibet inquietus aulam & integram turbaꝟerit.
Regiæ nomen fidele non habent unquam domus.
Regiæ ☿ia una, multa at eius diꝟerticula.
Sæpe alij succedunt aulis homines, mores non item.
Serꝟus est qui claritati dedidit se regiæ.
Si Dei cultus ab aulis exulant, nusquam ☿igent.
Simia ad truncum reꝟincta est, doctus inter aulicos.
Si potest, infamis aula nunquam obhæresca☿adis.
Spiritus magni relinquunt quos reliquit regia.
Sub persona amicitiæ aulam possidet assentatio.
Suspicax ferè omnis aula est, cogitatq; pessima.
Suspicio ac calumnia aulas quando non regum tenent?
Talis aulam intrat o qualem deinde exiret te ☿elis.

¶ Iambica.

A carnificina haud differt aula tyrannica.
Admota flamma urit, remota illuminat.
Ad regiam Aulam haud apta contumacia est.
Aliter cum amico, aliter ☿ias cum principe.
Aulam scelera intrant: exulat ☿irtus casis.
Charissimus Regi, odiosissimus Aulicis.
Digitus aliquando mille, aliquando unum notat.
Doctis aperta semper Regum januæ.
Fidem superba non habent unquam domus.
Fouere spem potentioris, aulicum est.
Hydropicorum plena in aulis omnia.
Laus aulica, odiosissima sugillatio est.
Magnatum amore, eiulatu utere, haud abutere.
Muscæ sequuntur mel: lupi cadaꝟera.
Non facit ad aulæ mores contumacia.
Non intrat unquam regium limen fides.
Philosophus, infelicis ædes, simia est.
Plenæ superbis maximæ serꝟis domus.
Prandere apud se melius quam in palatio.
Qui Regis est mos, mos item fit regia.
Quot curiales, tot tyranni ciꝟium.
Rex talis est, quale eius contubernium est.
Rex cuncta peccat, quæ peccant domestici.
Scholasticus in Aula, asinus inter Simias.
Si procul es a Ioꝟe, & procul es a fulmine.
Superba sunt potentiorum limina.
Supposita semper aulicis manus lucro est.
Tam quis diu est in pretio, quam diu usui est.
Tumidas Erinnys semper comitata est domos.
Vbi aula cunque, ibi est & assentatio.

Auri.

¶ Sententiæ patrvm græc.

D*Nazianzenus*: Nondum dico, aurum in arenis nasci, & pellucidos lapides à petris produci ac donari, quibus si quidquid in urbibus vile atq; infame est, opponere velim, vereor ne dicendi libertate haud satis commodè utar. *Orat. 25.*

D. Greg. Nyssenus: Ajunt eos qui aurum arte expurgant, si per aliquam sordidiorem materiam de industria permissam obscurata fuerit pulchritudo splendoris; per ignis fusionem colori afferri remedium: & hoc sæpe facere, & in qualibet fusione considerare, quodnam aurum post priorem insequentib. fuerit coloratius: neq; prius cessare igne materiam expurgare, quam ipsa auri species sibiipsi ferat testimonium, quod sit pura & minimè adulterina. *Homilia 4. in Cant. canticorum principio.*

D. Greg. Nyssenus: Lubenter scirem quid emolumenti redibit ad eum qui auri congregat materiam. Fingamus eam non per minam aut drachmam aut talentum venire ad eos qui sunt cupidi pecuniæ, sed eis simul repente omnia facta esse aurea, terram, arenam, montes, campos, saltus, ponamus omnia repentè in eam mutatâ fuisse materiam, quid per hæc vitæ accedit ad beatitudinem? Si illud videt in universo quod nunc cernit in exiguo, quid ex animi bonis, quiq; ex iis quorũ studio ducimur propter corpus, ex illa tanta eveniet copia? ex eo estne ulla spes, ut qui vivit tantam habens vim auri, sit sapiens, ingeniosus, cõtemplativus, scientia præditus, Deo charus, modestus, purus, impatabilis, cujuslibet quod ad vitium attrahit expers, & minimè capax? An hoc quidem minimè, sed ut sit potens corpore, & ut vitam extendat in multa sæcula, senio non confectus, & morbo minime affectus, nulliq; calamitati obnoxius, & omnia quorum studio ac desiderio in vita charius tenẽtur homines? Sed nemo adeo stolidus, neq; cõmunis naturæ ita imperitus, ut hæc existimet adesse hominibus, si in summa copia pecuniæ materia liberè omnib. profundatur. Nam nunc quoq; licet videre multos ex iis, qui ejusmodi præter cæteros abundant facultatibus, vivere corpore miserabili: quibus nisi adessent qui eos curarent, absq; iis non possent vivere.

Si ergo quæ nobis ex hypothesi proposita est in dicendo auri copia, neq; corpori, neq; animæ: ullum affert lucrum aut cõmodum: multò magis ejus modicũ arguitur esse inutile, ut prodesse posset eis qui id habent. Quid enim ex hac materia redire potest ad eum qui ipsum habet, quæ neq; in gustum, neq; in odoratum, neq; in auditum aliquid operatur, quę etia in quodvis quod resistit similiter se habet, quod ad tactum attinet. nam quod ex contractu paratur alimentum aut vestimentum, auro nemo adscribat. Qui enim auro panem aut vestem permutavit, ut vivat, dedit utile pro inutili, ut qui panem nõ aurum pro nutrimento sibi adsciverit. Qui autẽ per hujusmodi contractus hanc sibi collegit materiem, ad quãnam rem ea utitur, quod consilium existat, quæ documenta depromi possunt ad res gerendas, quænã futuri prædictio? quis ex ea adversus dolores corporis habuit solatium? Numeravit, reposuit, sigillo obsignavit, cùm ab eo peteretur negavit, & cùm ei fides non haberetur, etiã pejeravit. Hæc est beatitudo, hic est finis ejus, quod in ea ponitur studii, hic fructus: huc usq; procedit felicitas, ut materiam præbeat perjurio.

At pulchri coloris, inquit, est auri species. Num est etiam coloris pulchrioris quam ignis? num stellis est speciosior? num radiis solis splendidior? Quis est qui vetat quo minus his fruaris, ut tibi necesse sit per auri speciem oculis parare voluptatem? At ignis, inquit, extinguitur, & sol occidit, nec perennis decor est splendoris. Quid autem die quæso, tempore tenebrarũ differt, aurum à plumbo? At ex igne, inquit, vel ex stellis, fieri nobis non possunt monilia, zonæ, torques, & coronæ, & quæ sunt ejusmodi: aurum autem hoc efficit, & si quid paratur ad ornatum. Ad summum studium vanitatis deduxit auri desensio. hoc ipsum enim eis dixerim: Quidnam sibi vult, & quod est ejus studium, qui curat ut auro coma niteat, qui auribus appẽdit ornamenta, qui luxurianti torque collum circumdat, aut se in aliqua alia parte corporis aurum ferens ostendat? ubicumq; id fuerit situm in corpore, ipse ab auri splendore minime transformatur. qui enim intuetur eum qui aurũ gestat, reverà quidẽ aurum videt, perinde ac si sit propositum venale: eum autem qui id gestat, talem qualis est naturâ aspicit. etiamsi pulcrum elaboratũ & elatum sit aurum: etiamsi virides aut ignis instar candentes gẽmas in se cõtineat, nihilo magis accipit natura seosum eorũ quæ sunt adjecta: sed sive morbo aliquo laborat visus, sive aliquid deficit eorum quæ sunt secundum naturã, utpote quod vel oculus effluxerit, vel gena in cicatrice turpiter cavata fuerit, manet turpitudo in eo quod apparet, auri fulgore minimè obscurata: & si corpus dolore aliquo fuerit affectum, laboranti nihil solatii adfert auri materia.

Quod ergo neq; ad pulchritudinem, neq; ad bonam corporis habitudinem, neq; ad levandos dolores, eis qui ejus studio tenentur, affert aliquid utile, cur tãto studio quæritur: & quomodo sunt affecti ii quorum cor in hac tabescit materia, cùm in auri possessione ipsa eos arguat conscientia, quod ex ea sibi promittant magnum aliquod emolumentum? Si quis ergo eos roget, ut si in illud velint suam mutari naturam, & id fieri quod tantopere expetunt, & in tanto habent honore, petant eam mutationem, ut ex hominib. in aurum transeat eorum natura, & non sint amplius ratione & intelligentia præditi, & ad vitam utentes sensibus, sed pallidi, graves, & voce carentes, inanimiq; & insensiles, quæ est auri natura, nõ existimo id esse electuros, nec eos quidem qui contabescunt vehementi auri desiderio. Si ergo ii qui sunt sanæ mentis execrantur & abominantur habere proprietates inanimæ materiæ, quænam est eorum, ratione planè carens, in iis acquirendis insania? quorum finis est vanitas, ut & cædes propterea facere & latrocinium exercere audeant ii, qui pecuniæ insana laborant rabie? Nec hoc solum, sed etiam improbum fœnoris inventum, quod qui aliud latrocinium. &c. *Fœnoris. Homilia 4. in Ecclesiasten.*

D. Chrysostomus: O infelix pecuniarũ, nimisq; violenta dominatio: imo verius, nequitia singularis eorum qui sponte pecuniis serviunt! Nam illæ profecto non nimis habent virium, verum nos nimium dissoluti, lasciviq; sumus, nos dejecti in humum, atq; terreni, nos carnales, nos stolidi atq; insensati: illarũ enim non nimia vis est. Quid enim obsecro, possunt? Stolidæ sunt atq; insensibiles. Si diabolus nihil prævalet omnino, si impurus dæmon, qui ita nequam est, ut cuncta permisceat, omniaq; cõfundat, nihil adversus nos habet virium: quid pecuniæ ipse jam possint? Si argentum videris, stannum licet terra est. At neque fortassis hanc susципis rationem. Considera quod nos etiam quærimus, quod plurimi ex his qui possedere divitias, nihil fere emolumenti ex ipsis retulerunt. Quod innumeri qui in his gloriabantur, in cinerem pulveremq; conversi sunt, nuncque pœnas extremas expendunt, his qui testa & vitro utuntur, longe & miserabilius affecti, atque his etiam pauperiores. Et hi qui in stratis eburneis dormiunt, eis multo infeliciores, qui in stercore jacent esse comprobantur. Ac fortasse oblectat obtutus? Sunt quidem plurima,

plurima, quæ maiorem vim oblectandi in se habeant. Namq; enim & flores & lucidus aër, serenumq; cœlũ, & Solis jubar, longe amplius mulcet, gratiusq; delectat. Habet quippe argentum sæpe & rubiginẽ. Unde & plurimi nigrum ipsum esse definierunt, quod cõstat ex imaginibus vetustate nigratis. Enimvero in Sole obscurum nihil est, nihil in cælo atque syderibus, quod offendat obtutus: longe gratior in hujusmodi floribus aspectus est, quam in colore illo. Non ergo flos est qui oblectat, sed avaritia atque injustitia: hoc nempe oblectat animas hominum, non argentum illud.

Ejice hujusmodi concupiscentiam ex animo, & protinus aspicies quod pretiosum esse putabatur, ignobilius ceno. Ejusmodi perturbationẽ prorsus elimina. Nam & qui febrium ardore fatigantur etiã quum cenum viderint, illud ac si fontes purissimos appetunt. Qui vero ut congruit, sani sunt, neq; aquam quidem sæpe concupiscunt. Morbũ abs te arcere cõtende, rel; ipsas inspicias ut sese habent Atq; ut discas me ista non mendaciter prosequi, plurimos equidem ostendere possum, qui hoc fecerunt. Ejusmodi extingue ignem, & aspicies huiusmodi omnia floribus esse viliora. Bonum est aurum, verum si indigentibus erogetur: bonum, si ex ipso pauperes nutriantur: bonum, nisi eo quispiam inutiliter uti velit, nisi domi servare velit, atque humo subruere: ita enim profecto inutile est, plenumque detrimenti. Nec minus, quum manibus ac pedibus, capitibusque, quasi pro ornamento dependet.

Non ideo aurum effossum est, ut eo divinã vinciamus effigiẽ, sed ut vinctos potius absolvamus. Ad hoc auro utere vinctum solve, nõ solutum vincire contendas. Cur enim, queso, rem abjectissimã tanto honore dignam putas? Non enim quia aurum est, vinculum idcirco non est. Neq; enim materia vinculum facit, sive aurum, sive ferrum sit. Idem profecto est, quanquã & hoc illo sit pravius. Verũ quid est, quod eam rem levem existimari facit? Inanis scil. gloria. Quum scilicet gaudet infelix mulier, victam se ab omnib. cerni unde potius erubescere debuit. Nam ut hoc verũ esse cognoscas, si illi hujusmodi circumdederis vincula, atq; in solitudine ubi nullus inspector sit, manere permiseris, gravabitur vinculo, molestissimumq; putabit, atque à se quãprimum excutiet. Timeamus dilectissimi, ne verba illa terribilia audire cõtingat: Ligate ipsi manus & pedes. Quid hoc tibi infelix mulier jam conspicaris manusque & pedes vinciri permittis? Nemo ex vinculatorũ numero manus pedesq; vinxisse? Quid cervicibus quoque innumera imponis vincula? Omitto solicitudinem, quam ista secum invehunt, metum, anxietatem, rixasq; cum viro, si quando ipsis indigeã, mortẽ quam sustinent, si quid ex his perire contingit. Hæccine obsecro voluptas est? Ut alius oblectetur aspectu, tu teipsam & vinculis & curis, atque periculis, & angoribus, quotidianisque corrixationibus subjicis? *Homil. 7. ad Timoth. 1.*

S. Isidorus Peluſiota: Ob eam causam Christi amor in nobis imbecillior est, quia auri amor valentior extitit, atq; omnis potentia in erudeli hoc atq; tyrannico & in explebili amore consumitur. Nam si hunc ex nobis exturbaverimus, nimirum ille nos vehemẽtius inflãmabit, ac velut furore quodã excitabit, atq; à rebus omnib. ad vitam pertinentibus abductos in cælesti regione collocabit. *Lib. 3. Ep. 209.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Aurum naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis. Hinc est quod plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementius aggravat corda, quã corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamẽta: perq; ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suã semper repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit, obscurat sensus semper, alta mentiũ semper in terrena demergit. Aurum erogare bonum, reponere malum, contemnere validum, fugere persecurum, quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis est evasisse. Auri furor ardentius humano fervet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis: & acrius homines dissolvit in terra quam solvitur in calore flãmarum. Crudelitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum etiam captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatẽ, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium. Et quid plura? Hoc est, quod Apostolus dixit, Radix omnium malorum est avaritia. *Serm. 29 pr.*

Chrysologus. Aurum de terra legere qui norũt, ubi divitem senserint venã, ibi quidquid artis est, qdquid laboris impẽdunt. *Ser 91 pr.*

Aristides Rhetor: Ejusdem fidentiæ est columna quoq; erecta cũ istis verbis: Arithmius Pythonactis filius intestabilis & hostis esto populi Athenien sis una cum tota gente, & si quis eum occiderit, impunitum auferat, quod aurum ex Media pertulerit in Peloponnesum. *Oratione 2 Platonica pro Quatuor Viris.*

Iulianus Imp. Pindarus argenteas Musas esse vult: quasi artis illarũ claritatem & splendorem cum clarissima rerum omniũ materia conferat. Homerus ille sapiens argentum illustre, & aquã argenteam appellat, quod ipsa speciei suæ hilaritate & nitore non secus atque Solis radiis colluceat. Pulchra Sappho Lunam nominat argentea, ob eamque causam cæterorũ syderum aspectum air ab ea obscurari. Quare liceat mihi apud te argẽtum potius quam aurũ cum diis comparare. Nam quod hominibus ad usum aptius & melius sit argentum quam aurum, quodq; magis eis adsit, neque, ut aurum in terra occultetur, aut eorum oculos vitet, sed & aspectu jucundum sit, & ad vitam cõmodius, non mea, sed veterũ oratio est. Quod si nos etiam aureũ nũmum abs te missum, argento remunerari voluimus, ne pures ideò leviore te affectum esse munere, neq; ut Glauco in armorum commutatione, sic tibi in hac referenda gratia existimes accidisse: neq; enim Diomedes ipse forsitan argentea arma pro aureis dedit, quippe cum longè his utiliora illa essent, & ad retundendas instar plumbi acies aptiora. *Epist. 19.*

Simocatta: Prorsus indecore audivi te paupertatem lugere, & divitias probris afficere, quasi impares apud mortales, quod aliis impetrabile, aliis inaccessam sui possessionem præster, quasi invidentes in hoc hominibus naturam sui. Si enim Solis splendores mortalib. ex æquo, & ignis copia universis est promptissima, & fluminum fluenta, torrentum mixta ac perpetuorum, omnib. sunt acquisitu facilia, quid tandẽ ajebas aurũ ita natura exactum, & exquisitum hominib. dedit, & cõtentiosum donũ iis qui sub luna sunt dispertiit, per quod maxima damna hominib. contingunt? Ego vero vastissimum risum contra tua dogmata effundo. Ipsam enim naturæ laudem, argumentum vituperii sumpsisti, idemq; ubi accidit quod noctuæ. Nam illa vitii in videndo caussam putat claros ac lucidos Solis fulgores. Uuliter esurit aurum humana gens ô Sosipater. Hinc h. & aurus in vitã inductæ sunt, & urbes cõditæ, & conventorũ facilitas. Et si breviter atq; cõprehensim dicendum est, omni ordine ac decore careret vita terrestris, nisi aurũ homines mutuis operis indigentes fecisset. Non enim remex navigaret, non viator proficisceretur, non bovem aratorem agricolæ possiderent. Non regii imperii sceptra ferrentur. Non magistratibus etiam utilib. subditi in officio continerentur. Non dux exercitum duceret. Quod si etiam arcanam rationem vis discere, virtutis & virii habenæ sunt auro credita, & probatur animi cupiditas per ipsum, & Celtico fluvio, simile est. Etenim spuriæ virtutis & virii veritissimam habet explorationem. *Hermagoras Sopatro Epist. 10.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus, de vita sua.

Οἶνον τὶς εἶπε συμποτὴς πιώτων κρατεῖν,
Ἄλλος γυναῖκα, τὴν δ' ἄλλ' ἄλλο σοφός.
Ἐγὼ δ' ἂν εἶπον χρυσὸν, ὡς ἔχει κράτος.
Τοῦτο τὰ πάντα ῥᾳδίως πασεύεται.

Vinum asserebat quispiam omnia vincere,
At femineum alter: tertius palmam dabat
Vero: dedissem robur ast ego maximum
Auro, arbitratu cuncta quod vertit suo.

Prudent. Psychomachia 6.

Vincimur, heu segnes, nec nostra potentia prafert
Vim solitam, languet & violentia sæva nocendi.
Sueverat invictis quæ viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum nec enim tam ferrea quemquam
Formavit Natura virum, cujus rigor ara
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro
Ingenium omne necidedimus tenera, aspera, dura,
Docta, indocta simul, bruta & sapientia nec-non
Casta, incesta, meapatuerunt pectora dextra
Solum igitur rapui. quidquid styx abdit avaris
Gurgitibus, nobis ditissima tartara debent
Quos retinent populos, quod volvunt secula nostrum est.

Prudentius Martyrio Laurentii.

Aurum quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera,
Et de metallis squallidis
Panalis excudit labor.
Torrens vel amni, turbidis
Volvens arenis implicat
Quod terrulentum ac sordidum,
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipsa intercidunt.
Quid tu venenum gloria
Extollis, & magni putas?
Sua aurum, verius,
Lues est, & humanum genus.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate nuptiali 30.

Auro omnia pervia.

Nil dare sponte subit, magna accipiendo perimus,
Noster avaritiæ crimina sexus habet.
Hinc sumus imbelles, quoq; omnia tela repellat.
Protinus accepto munere victa jacet.
Argenti natat as ferrumq; per æquora Vivi,
Sola subit niveos aurea massa sinus.
Quæ nequeat penetrare chalybs, admittitur aurum:
Testu erit Danaes turris ahena mihi
Cedo chalybs: aurum de virginitate triumphat:
Hei mihi, tu fulvo quanta colore latet!
Forte pudicitiam ferro dedit una, sed auro
Innumeræ patulos exhibuere sinus.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad duces vel deorrendos magna auri efficacia est.
Aurea omnia habere dum vult rex Midas, interit fame.
Aureis soutes catenis vinciuntur Arrabes.
Auri aspectus est avaro sole vel jucundius.

Auri usum argentio, rolle, scelerum materiem omnium.
Aurum amare non potes simul & amare proximum.
Aurum & argentum in pretio est, ubi eius est cõmercium.
Aurum habenas principatus, aurum virtutu tenet.
Aurum honer, voluptas sunt caussa omnium tumultuum.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Aurum ubi est in honore, rerũ verus nusquam ibi est honor.
Aurum ubi est vernaculum, & reorum servit vinculis.
Corda possidentium aurum plus gravat quam corpora
Est potens virtus, sed aurum longè ea est potentius.
Est quidem ferrum nocens, sed aurum eo est nocentius.
Est quidem virtus potens, sed aurum ea est potentius.
Ex auro bibas cicutam, è fictili merum.
Haud rarum repertu est aurum, at margarita rarius.
Improbitatis ac virtutis index aurum est optimus.
Intertrimenti nihil est in auro, quam pretium manu.
Maxime indigent ope ferri, queis auri affluentia est.
Nocte ut ignis, sic bona inter splendor auri fulgurat.
Non beatus est qui invenit aurum, eo sed qui uritur.
Non minore aurum periclo servatur quam quaritur.
Odi ego aurum: multa multis sæpe suasit perperam.
Omnia auro ultrò patescunt, ipsaq; inferorum fores.
Omnibus Diis hominibusq; massa auri est formosior.
Plurimu est ferri potestas, aurum at illo plus valet.
Plus multi stultis ab auro nascitur quam angustia?
Propter aurum, terra & æquor classe fervet ac rotis.
Purpura argentumq; haud vitæ est usui, at tragœdia.
Quam magæstimatur aurum, tam magis virtus jacet.
Quid differt, quaso à lapillis aurum littoralibus.
Sæcla quæ aurum non habebant nuncupantur Aureæ
Saculum aureum vocatur Comimodo quod ferreum
Satius aurum in fundo habere, quam profundo immergere.
Semper aurum, semper argentum insidias orbi facit.
Splendet aurum: multa subsunt luce sub tali mala.
Splendor auri oculos exire nescit hominum flammeus.
Spuria, an vitiũ atq; virtus sit statutum aurũ ipsum indicat.
Tam periculosè habetur aurum homini, quam quaritur.
Toti erant etiam Saturni tempore homines aurei.
Turpe sit licet, pulcrum sit, auri ubi accedit nitor.
Vincit aurum, regnat aurum, aurum universis imperat.

¶ Jambica.

Adamantinas etiam auro perfringas fores.
Æra optimè servaveris liquida in pice.
Argentum & aurum, Dij nisi les mortalibus.
Argentum & aurum, omnis materia sceleris est.
Æs omne magno melius fundas frigore.
Auctoritas auri ministrá est à manu.
Auri fames nil sequitur quam præsens lucrum.
Auri venustas plus nocet quam vipera.
Auro careret si orbis, orbis haud foret.
Auro imperat ferrum, velut præstantius.
Auro magis imperium quam ferro adaugeas.
Aurum amplius cruciat adest cui largius.
Aurum erogare bonum est, malum est reponere.
Aurum est quod ultra maria ac terras olet.
Aurum haud minus viros quam ferrum vulnerat.
Aurum quid est, nisi terra defæcatior.
Aurum quod est, haud contrahit rubiginem.
Aurum tyrannis orbi clancularia est.
Debet minus naturæ aurum, quam industriæ.
Dei immortales, obsecro, aurum quid valet!
Dis carus est aurum quicunq; possidet.
Ferrum est homini nocens: aurum est nocentius.
Formidolosa est copia auri regibus.
In pectus excluſum haud fames auri cadit.
Mutire contra aurum eloquens os non valet.
Nil à luto aurum distat, usum cui negas.
Perfunde aqua aurum atque illico fiet lutum.
Quam sæpe miscet pocla sanguis aurea!
Reges repellunt auro quem ferro haud queant.
Superius aurum & mortis est formidine,
Valet quidem ferrum, auro eo ast valentius.
Victa pietate cuncti nunc aurum colunt.

Videantur uberiora titulo *Divitiarum, Opum, Pecuniæ, & Similium.*

Austeritatis.

¶ Apophthegmatum sacror.

Macedonius: Quum Theodoreti mater ægrotans, cibum morbo conveniente (quòd austerũ vitæ genus esset amplexa) reipueret, Macedonius eremita consuluit, ut cederet medicis, & illud nutrimẽtum existimaret esse medicamentum: non enim deliciarum, sed necessitatis gratia adhibetur. Nam ego, quoq; inquit, qui quadraginta annis, ut scis, hordeo solo sum usus, cum quædam mihi pridie hujus diei venisset infirmitas, jussi cum qui mecũ habitabat parũ panis mihi petere & afferre. Venit enim mihi in mentẽ quo si morerer, mortis redderem rationẽ apud justum judicem, ut fugissem certamina, & detrectassem labores servitutis, &c. *Theodor. hist. Sanct. Patrũ, Sita. 3:*

Pior: Socrates historicus de Piore monacho Ægyptio in deserto Thebaidis ex Evagrio refert, ambulando eum cibum capere consuevisse. Interrogatum autẽ, Quamobrem sic vesceretur? alias se respondisse, Nolle se cibo tanquã operis aliquid necessarii faciẽtem uti, sed malle neglectim & obiter. Alias vero, Ideo ne inter vescendum corporalis aliquid delectationis animi perciperet. *Soor. lib. 4. c. 23.*

Autumni.

¶ Sententiæ.

Simocatta: Vindemiæ jam propinquarunt & botrus musto plenus est. Muni igitur publicam viam quam optimè, & Cressam canem in auxilium adhibe. Viatoris enim manus intemperantes sunt, & ad inferendam injuriam rusticis laboribus promptissimæ. *Epistola 83.*

Petronius Arbiter.

Iam nunc ardentes Autumnus fregerat umbras,
Atq; hyemem tepidis spectabat Phœbus habenis.
Iam platanus jactare comas, jam cœperat uvas
Annumerare suas defecto palmite vitis.
Ante oculos stabat quidquid promiserat annus.

¶ Monostichon.

Est periculi plena æstas, pleniorq; Autumnitas.

Auxilii divini humanique.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Nazianzenus: Nos quibus nulla arma alia, nec muri, nec præsidia, præter spem in Deum reliqua erant, utpote omni humano subsidio prorsus destitutis ac truncatis, quem tandẽ otium aut precum auditorem aut minarum depulsorem habituri eramus quam Deum? per eum Julianus finem amentiæ suæ dignum tulit: Deo hoc soluni consueta sua patientia uti non sustinente, ubi pernicioſa futura erat benignitas, atq; & iis qui honestè & ex officio vivunt, merorẽ multum, & peccantibus contemptũ non parvum allatura: tanquã videlicet nemo esset qui res nostras inspiceret præmiaq; & pœnas cuiq; pro merito repẽderet, sed temerè & fortuito mundus ferretur & volveretur: quod prævæ mentis est valdeque periculoſe de maximis rebus sentientis. *Orat. 4 stelitentica 2.*

D. Greg. Nazianzenus: Quem quident, etsi unus quoq; venisse plurimi duco, cum vos vitę meæ semper præfecerim, hoc tamen molestum est, quod serius quam res postulaverit accedat. Quonã modo post cladem & hostilem impetum suppetiæ amicor. & commilitonum præstantissimè? quonam modo post tempestatem gubernator? post cicatricem medicina? *Oratione 6.*

D. Nazianzenus: Virgo chameuncæ pharmaco sese cõmunit, ut per sui afflictionem propitiũ sibi Deum & exorabilem sibi redderet. neq; enim Deus ulla re perinde, atque corporis ærumna conciliatur: lachrimisq; misericordia viciſſim rependi solet. *Orat.* 18.

D. Nazianzenus: Objiciunt pleriq; contemptum & neglectum, & quod nos, posteaquam opera nostra usus fueris, veluti sordidissima vasa atque instrumenta projeceris, vel tanquam adminicula ea quæ formicibus supponuntur, ac simul atq; structura firmata ac compacta est, subduci & pro nihilo haberi solent. *Epist.* 31.

D. Nazianzenus: Hunc tibi, & per te Principi cõmendamus grave admodum & acerbum esse existimantes, si cum alios ex gravissimis etiam periculis opera nostra liberemus, hunc tamen senectutis meæ baculum, ne à calumnia & iniqua vexatione liberare queamus, & quem in exteris honorem obtinemus, hunc in nostris minimè consequamur: idemq; nobis accidat, quod oculis, qui alia omnia, seipsos minimè cernunt: aut quod fontibus in imo siris, qui propinqua loca nequaquam alluentes, remota irrigant. *Epist. 47.*

D. Greg. Nyssenus: Sed quoniam accidit, ut etiam si propter senectutem extra certamina maneat equus, sæpe tamen fremitu pulsuq; ac sonitu lascivientiũ insultantiumq; ad alacritatem erectus & caput tollat & veluti in certamine versans, tũ ardorem in oculis, tum in spiritu flatuq; animos ostentet, & crebro motu pedum ungulas identidem solo illidat, cui sola alacritas ad certamina adest, facultas aũt currendi ante lapso tempore absumpta est: eodem modo nostra quoque oratio propter senectutem extra certamina manens, stadio cedens eruditione florentibus, solam tibi alacritatem & voluntatem in gratiam tuam certandi ostendit, siquidem ita floret, ut qui nunc eloquetia vigent. *de infantibus præmaturè mortuis.*

D. Chrysostomus: Nihil ita à reliquis avellit & subscindit, quemadmodum si quis se sufficere sibi ipsi putaverit. Unde & ita nos Deus cõstituit, ut alter alterius operũ indigeat. Utut enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quod si te nullius operâ indigere putaveris, omnibus factus es stultior & imbecillior. Talis enim nudum se omni auxilio reddit, & in delictis suis neq; veniam recipiet, sed & Deum arrogantia sua irritabit, & omnino multũ peccabit. Fit. n. sæpenumerò, fit, inquã, ut prudens, quod oportebat, non videat, & stultior aliquid eorũ quæ conveniunt, inveniat: id quod in Mose & socero suo factũ est, in Saule & puero suo, in Isaac & Rebecca. Ne putes ergo ideò te deprimi, quod alio indigeas. Nam hoc ipsum est, quod te exaltat magis,

quod

quod validum facit, quod splendidiorem, quod securiorem reddit. *Homilia 22. ad Rom.*

D. Io. Chrysostomus: Cùm omnes unum tantummodò ventrem expleamus, unum vitæ cursum conficiamus, & unò tantum corpore cooperiamur, nihil profectò, nec amplius diviti ex opum affluentia, nec minus pauperi & egestate futurum est. Quidigitur afferre potes, cur paupertatem formides, cur opes expetas? Metuo, inquis, ne aliorum fores adire cogar, atque alios rogare. Multos quippe assidue hoc in precibus usurpantes ac dicentes audio, Ne me eo redigi sinas, ut hominum ope atque auxilio opus habeam: & quidem hæc audiens ingentem risum edo. Puerilis siquidem est hic metus. Nullus enim dies, nulla, ut ita dicam, res est, in qua alii alijs non indigeamus. Itaque inconsiderati atque arrogantia tumentis animi hæc verba sunt, nec rerum naturam perspicuè agnoscentis. An non cernis nos omnes ea esse conditione, ut alii aliorum ope carere nequeamus? Nam & artifice miles opus habet, & artifex mercatore, & mercator agricola, & servus libero, & herus servo, & pauper divite, & dives paupere, & qui nil operis facit, eo, qui eleemosynam præbet, & qui præbet, eo, qui accipit. Etenim is, qui eleemosinam accipit, maximè necessarium, atque adeò omnium præstantissimum munus explet.

Nisi enim pauperes essent, salus nostra magna ex parte profligata & eversa esset, ut qui, ubi pecunias ferre possemus, nõ haberemus. Ex quo fit, ut pauper, qui omniũ minimè utilis esse videtur, omniũ maximè sit utilis. Quod si alterius ope indigere turpe est, nihil aliud reliquũ est, quã ut intereamus. Neq; enim fieri potest ut vivat, qui hoc timet. At, inquis, elatum supercilium ferre nequeo. Ecquid tu alium arrogantia insimulans, teipsum per hanc accusationem probro afficis? Arrogantis enim est hominis, superbi animi fastum ac tumorem ferre non posse. Ecquid verò hæc, quæ nihili æstimanda sunt, metuis? ad hæc contremiscis? ob hæc paupertatem reformidas? Nam si dives fueris, eo pluribus & vilioribus indigebis. Quo enim ad majores opes perveneris, eo magis te huic maledictò subjicies. Ita, quid optes, ac preceris, nescis, dum opes eo petis, ut nullius opem desideres: perinde ac si quis mare ingressus, ubi & nautis, & nave, & amplissimo apparatu opus est, vota faciat, ut nullius omnino hominis opera atque auxilio indigeat. Nam si animam inducis haud magnopere quoquam opus habere, paupertatem opta. Ita fiet, ut si cujusquam ope indigeas, pro panè tantum aut veste indigeas, Quod si, & pro agris, & pro ædibus, & pro pensionibus, & pro mercedibus, & pro dignitate, & pro vitæ præsidio, & pro gloria, & pro iis, qui imperium gerunt, opus utique habebis & iis qui illis subsunt, & iis qui in urbibus, & iis qui ruri degunt, & mercatoribus, & cauponibus.

Jamne perspicis, quam extremæ amentiæ hæc verba sint? Quid enim? Horrendum omnino esse censes: cujusquam hominis ope indigere? Fieri quid in universum haud potest, ut quis hæc re liberetur. Cæterum si tumultum fugere cupis (id enim licet) in tranquillum paupertatis portum confugiens, multiplicem negotiorum tumultũ amputa, ne ullo modo turpe esse statuae altero opus habere. Hoc enim ineffabili Dei sapientia ita comparatum est. Nam quia alii aliorum ope carere non possumus, hæc mutui auxilij necessitas hoc affert, ut amicitiæ vinculo inter nos adstringamur. Quod si se quisq; contentus nullius opem desiderat, immanes profectò ac truculentæ belluæ essemus. Quocirca Deus vi ac necessitate nos invicem subjecit: & tamen quotidie mutuis offensionibus inter nos collidimur. Quod si hoc frenum abscidisset, ecquis fuisset, qui proximi amicitiam prompto animo appetiisset?

Proinde nec turpe hoc esse ducamus, nec deprecemur, ac dicamus, Ne sinas nos alicujus auxilio opus habere: verum ita precemur, Ne sinas, quum in aliqua necessitate constituti sumus, preces nostras ab iis repudiari à quibus juvari possumus. Non enim aliorum ope indigere grave est: sed aliorum facultates eripere. At nunc pro hac quidẽ re nunquam preces fudimus, ac diximus, Ne me sinas alienis bonis cupiditatis oculos adjicere: penuria autem premi, illud demum est, quod nobis infaustum, ac votis omnibus aversandum esse videtur. Atqui Paulus persæpe eguit: nec tamen id dedecori, sed ornamento ducebat, eosque, quorum opera atque auxilio usus fuerat, laudibus efferebat. *Homilia 16. 2. ad Corinthios.*

D. Io. Chrysostomus: Si cui oppresso opem ferre opus sit, potentiam inimicitias vitamus atq; pericula, prodimusq; miserum: cumq; vim opitulandi à Deo acceperimus, ipsam prorsus amittimus, dum odia atq; inimicitias perferre nolumus. 2. *ad Timoth. Hom 7.*

Ennodius: Illico mihi spem vitæ detulit desperatio curatoris. nam illic prompriora sunt cœlestis bona juvaminis, ubi se subtraxerint obsequia infausta languentibus. *Eucharistico cap. 4. f.*

S. Isodorus Pelusiota: Si ea, quæ nostrarum partium sunt, sine ulla prætermissione ac cum omni studio & diligentia fiant, tum demum divini quoque auxilii momentum implorandum est. veniet enim omninò, victoriam concilians. Si autem nihil eorum, quæ officii nostri sunt, fiat, frustra ipsius auxilium imploratur. Neque enim simulationem perferet, nec ad eos accedet, qui in profundum exitii pelagus libenti animo sese projiciunt. *lib. 3 Epist. 406.*

¶ Ducum, Philosophorum, Oratorum.

Brutus Patarensibus: Damasippum apud Rhodios magistrum navium post expugnationem Rhodiorum, cum duobus caraphractis, ab Hermodoro mercatore Samo audivi, in maximo vestro portum visum esse. Quod autem eo delatus est, in eo nullum vestrum peccatum existere opinor. Sin autem ad vos delatum, è vestris oris aufugere longius permiseritis, & injuriæ & timiditatis crimine vos condemnabo. *Epist. 17.*

Patarenses Bruto: Si nobis citius quàm tibi de navium rectore nunciasset Hermodorus, non sanè clam furtimque Damasippus appulisset. Sic autem observante nemine, quoque portu soluit, & evasit. Atqui pars certè Rhodiorum captionis fuisset. Nunc autem ignorantiæ extremo fini da veniam, cujus occasionem & principium dedisti. Nec enim injuria habendum est, quòd latentem recepimus, nec in imbecillitate, quod suffugientem ignoravimus. *Epist. 18.*

Brutus Cauniis: Per legatos quidem summam vestram erga nos benevolentiam & amorem ostenditis. Res verò ipsa, nihil vos quæ convenit, diligenter procurasse, argumento est. Quare videte ne etjam nos rerum ipsarum offensa & invidia commoti, magis, quàm orationum voluptate & dulcedine ducti, hostiliter nos erga vos geramus. *Epist. 19.*

Cauniorum ad hæc responsio: Nihil mirum si cùm de societate & amicitia legatio susceptа sit, nostra merita nequaquam respondere usui redarguuntur. Illud enim hominum est studiosorum, hoc impotentium. Proinde mentis affectionem in promptitudine voluntatéque sitam potiùs destitutionem eventuum rerumque animo volucre oportet, & in amicis, habere, qui etjam quæ nostras vires superant, præstare conamur. *Epist. 20.*

Brutus Lyciis: Quotquot sunt apud vos instrumenta machinæq;, quarum usus vel in navalibus prælijs vel in murorum oppugnationibus esse potest, in Cauno trãsmittite ad Cassium collegam meum, qui Rhodium depopulatur ante trigesimum diem, ab eo quo hæ literæ nobis adferuntur; ne iis quæ à nobis sunt in illorum perniciem instructa confectáque, contra vos salutémque vestram usurpare cogamur. *Epist. 21.*

Lyciorum responsio: Celeris mandati reponsum est unum: facilè obtemperare. Quare vt tempus à te constitutum, rebus ipsis effectuque prevertamus operam dabimus: siquidem tu nostram promissionem minis tuis antevertisti. Utinam verò ne machinæ sint obvetustatem inutiles quemadmodum & Rhodiorum invenies in alios inutiles. *Epist. 22*

Lyciis Brutus: Machinæ vestræ post bellum (ut habet proverbiũ) advenerunt. Sed vos nihilominus collaudamus. Non enim id tẽpus quod præfinitũ vobis erat, neglexistis: sed Cassius antevertit. *Epi. 23.*

Lyciorum ad hæc responsio: Et tibi citius spe & expectatione vincere contingit, & nobis facilius mandato est, obsequium præstare, si modò socios post festinationem Cassii, velis recipere. *Epist. 24.*

Damæ Brutus: Armis & pecuniis opus est. Aut mitte aut nega. *Epist. 33.*

Damas Bruto: Abundantium est: mittere. Inopum verò negare. *Epist. 34.*

Brutus Cyzicenis: Arma mihi à Bithenia, usq; in Hellespontum transmittite, sive per terram ferentes, sive mari. Ipsi verò ponderis eorum levitatem experiemini. Si verò tardiùs quàm oportet ad nos pervenerint, non aliter quàm si vel prorsus interiissent vel hostibus tradita essent, injuriam à vobis accepisse putabimus. *Epist. 35.*

Cyziceni Bruto: Arma transmittere, per terram, propter insidias hostium, per mare propter tempestates, arduum est & difficile: Præsertim verò cùm tu duo maximè dissidentia conjunxeris, celeritatem & securitatem. Attamen nullum studiũ diligentiámve prætermittemus, si fortunæ eventus, rẽ impigrè faciẽtibus, adjungatur. *Epist. 36.*

Cyzicenis Brutus: Allata sunt arma, & eo tempore, quo maximè voluimus. Cùm igitur hanc operam ritè præstiteritis vobis Præconesum, una cum fodinis metallorum quæ sunt in ea rependimus. *Epist. 37.*

Cyziceni Bruto: Neque spe lucri summam in mittendo properationem adhibuimus, neque segniores ad reliqua fuissemus, etiam sine precio, saltem laudati. Attamen tanto munere ornati, plus gaudemus tuo testimonio, quàm Præconesiorum fodinis. *Epist. 38.*

Cyzicenis Brutus: Legati vestri, me accinctum & discedentem ad bellum, convenerunt: & suppliciter militiæ vacationem & auxilii petierunt, causasque infirmitatem & quod Respub. laboraret inopia, protulerunt. Justum igitur erat, cùm res tam propè imminens urgeret, etiamsi priùs non præbuissetis; tamen hoc tempore mittere. Plus enim dignitatis ipso tempore ad officium vestrum accessisset. Quoniam verò pejorem de belli eventu spem antè concepisse videmini, de vestra quidem imbecillitate quam prætenditis, lætor. Nam si vos cum mali sitis, viribus audirem pollere, contrà dolerem. Civibus autem vestris non amplius ut sociis, verum ut ministris etiam refragantibus utar. Neque falsos vos habuit, indignum esse, ut ijs belli victoriæque, si contingeret, participes fierent qui quantum in ipsis fuerat, in omnem imbecillitatem & roboris destitutionem nos conjecissent. *Epist. 39.*

Cyziceni Bruto: Nostrum erga te studium, non solùm obsequiis, quæ multa, in te constant, verum etiam tuorum munerum testificatione comprobatum, videbatur jam ratum & constans haberi. Quoniam verò non omnia tempora cum voluntate conveniunt, quid in odio & inimicitia ponendum est, si viribus aliquando caruimus? Sed contrà, ejusdem est virtutis ac magnificentiæ putandum, & cùm aliqui benè inserverunt, eos non despicere; & negligentiæ nonnunquã concedere. Tu verò nostram debilitatem tibi gaudio dicis esse: quoniam tibi non defuturum est, cujus nos indigemus. Viros autem sive socios sive ministros vis appellare. Non enim de vocabulis laborabimus, accipe. Nos verò si tuam in gerendis bellis virtutẽ & fortunam,

desperassemus, non medius fidius harum spem legationibus nos foveremus. Nunc autem de te non solùm bene precamur, sed per Deum immortalem speramus etiam, & quamvis à victoriæ præmiis ut hostes, abigemur; at lætitiæ tanquam amici non expertes erimus. *Epistola* 40.

Brutus Bithynis: Aquilam amicum meum ad vos misi, ut quinquaginta mihi turbinatas naves pararet, & longas ducentas. Totidē enim à vobis Dolobellæ datas præstitasque audio. Rectè igitur gratumque mihi feceritis. Si nauras atque remiges in has naves donec ad me pervehantur, Aquilæ dederitis, & his quatuor mensium commeatum. Nam quod ad ligna pertinet, quæ requiruntur ad navium cōfectionem ac fabricationem tum etiam harum in mare deductionem, & opifices, sat scio, nihil per incuriam negligens, eum neque Dolobellæ prætermiseritis. *Epist.* 61.

Bithynorum ad hæc responsio: Non si quid per vim & rapinas aliquid abstulit Dolobella, jamillud à nobis tu facilè potes impetrare. Cùm igitur illi centum & quinquaginta naves, quippe cùm plures non haberemus, præbere coacti simus, quomodo fieri possit, ut pares numero tibi nunc ad inopiam redacti queamus conficere, maximè verò cum remigibus, lignis, & fabricatoribus, quæ vel semel instruere, difficilè est, bis aut etiam impossibile. Commeatum enim ne Dolobellæ quidem (quoniam tametsi jussisset, tamen præstare non potuissemus) imperavit. Quare veniam nobis da si tibi denegamus, quæ illi præbere & parata dare nequivimus. *Epist.* 62.

Brutus ijsdem: Aquilas ad me literas misit quibus maximam vestram segnitiem & tarditatem in parandis instruendisque navib. reprehendit. Ego contra lenitatem in illo ac nimiam clementiam accuso qui literis mihi persuadeat, qua de vobis sine intermissione frequenteque mittit, cùm opus magis sit quàm navibus, ejus legationis ei sint adversariæ pertimescendæ. Fieri enim non potest ut sine his illæ comparentur, & ad finem opus perducatur. Vos autem libēter admonuerim, & nunc & postea ne inviti & repugnantes, sed ultrò libenteſque tum ad hæc tum ad alia similiter mihi vestram operam opémque accommodetis, & potiùs esse libēter in servire, quàm invitum. Ex præsentibus enim, de illis quoque conjectura sumi potest. *Epist.* 63.

Bythinorum ad hæc responsio: Aquilas non magis accusator negligentiæ nostræ quàm testis imbecillitatis apparet esse. Quod si igitur revera nos socordes & incurios cognovisset, non utique, cum ei liceret vim adhibere segnitiæ, tibi per literas certiorem facere cōstituisset: præsertim verò cum nos legationem nullam contra ministrum ad eum à quo missus esset, suscipere auderemus: Nunc autē Aquilas quidē fieri rem non posse nō ignorat. Tu verò dum arbitraris minādo te inopiam soluere, injustè simul & inutiliter indignaris. Neque enim spes neque metus rem efficit, sed ipsum posse & facultas. *Ep* 64.

Bythinus Brutus: Qui nobis inviti dolentesq; serviunt nō id quod submistrare renuūt, in lucro habent. Hoc enim illis optandū esset: sed gratiam, quoq; quàm o hæc eis deberemus, amittūt. Proinde naves quemadmodum jussimus parate, easq; cum remigibus & commeatu debito, mittite: aut cogemi hi nō equidem dolere & damnū ob hæc accipere: sed, quam gratiam relinquemus horū videre. *Epist.* 65.

Bithynorum ad hæc responsio: Qui vim adhibent obsequi non valentibus, nullum mandati fructum percipiunt: dulce etenim foret, non usu venire, item minis adigunt: sed id damni faciunt, quod morosi artis opinionem incurrunt. Concedent enim necessitati, quàm inopia secum trahit: etiamsi non humanitate ducti, paupertati veniam dederint. Nos igitur citius annitemur, etiam ut supra vires efficiamus, quàm ut cum possumus obsequi recusemus. Tu verò si plus à nobis vi putas exorqueri posse: persuasum habeas, te non pro negglectis ac desertis: sed pro his, quorum est aliquis usus & utilitas, gratiam nobis præstiturum. *Epist.* 66.

Brutus ijsdem: Ego naves omnes, quotquot indigebam, beneficio Macedonum & Lesbiorum & Phœnicum in mari promptas & paratas habeo. Vos igitur quoniam à tempestatibus repentinis impediti ac retardati estis, trecenta mihi talenta ad harum supplementum conferte. Nam arbitror nihil harum procellarum ac turbinum sævitia nisi quid vobis volentibus perturbatum fuerit. *Epist.* 67.

Bithynorum ad hæc responsio: Tempestas quidem navale auxiliū nostrum impedivit. Navium apparatus, omnes pecunias absumpsit & devoravit: sic ut quanquam non tibi, ac certè nobis magnis impensis ille labor constiterit. Quare cùm ab aliis subventum sit & impletum officium, veniam poscimus: moram quidem afferente fortuna, egestatem verò sumptibus. Non enim in nostra manu positum est, ut ex navibus pecuniam faciamus: quemadmodum ex pecunia naves. *Epist.* 68

Brutus ijsdem: Consilia vestra negligentiæ, ministeria tarditatis plena sunt. Quem igitur hęc finem sint habitura, cum animis vestris considerate. *Epist.* 69.

Bithynorum ad hæc responsio: Tardis quidem & timidis consultationibus securitas: obsequiis verò seris imbecillitas inest. Horum utrorumque finis est unus, venia & indulgentia. *Epist.* 70.

Dio Prusæus: Non victis neq; infaustè agentibus, sed vincentibus & fortuna secunda utentibus omnes ubiq; volunt ferre supperias. *Oratione* 11.

Aristides Rhetor. Miltiades & in se recepit omnia, & prestitit quod tu præscribebas, non debere virum fortem prudentem, modestum in aliis potius quibus vel bene vel male agentib. ipsum necesse sit cum suis errare, quam in se ipso spem habere positam. *Orat. 2. Platon.*

Quintilianus: Dum adjuvatur parens, nihil vetat ubi sit ille qui adjuvat, quia præsens cura exhibetur. *Decl. 6. §. 23. m.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Equitibus v. 11.

Sed quid lamentamur frustra? annon erat aquius
Salutem nobis quærere? non flere amplius?

Plautus Pœnulo 5. sc. 1. v. 48.

Vt ego hanc familiam interire cupio? M. adde operam, si cupis.
S. Sine pennis volare haud facile est. mea alæ pennas non habent.

Plautus Pseudoli 1. sc. 1. v. 17.

—— Fac me certum quid tibi
Sit, juvabo te, aut re, aut opera, aut consilio bono.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 77.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuq; fovit contra se ipse miserrimus.
Namq; ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

Rusticus & Avis. Avienus.

Parvula progeniem teneram mandaverat alis
Quæ stabat viridi cespite læta seges:
Rusticus hanc fragili captens decerpere culmo
Vicinam supplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula natos.
Suaserat & laribus cont. nuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet discedere mater.
Nam quid ab externis perficietur, ait?
Ille iterum charis orat mandavit amicis,
At genitrix rursum tutior inde manet.
Sed postquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram sensit adesse manum.
Nunc, ait, ô miseri, dilectaque linquite rura,
Quum spem de propriis viribus ille petit.

De Cervo & Venatore. Anonymus.

Fons nitet argento similis, sitis ardua cervum
Huc rapit, haurit aquas, dum speculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet, ramosæ gloria frontis,
Hunc premit, hunc ladit tibia macra pedum.
Ecce canes! tonat ira canum, timet ille, timenti
Fit fuga, culpatis cruris adorat opem.
Claustra subit sylvæ, cornu retinente moratur.
Cura nec eripiunt cornua longa necant.
Spernere quod prosit, & amare quod obsit, ineptum est.
Quod fugimus prodest & quod amamus obest.

De Lupo & Grue. Anonymus.

Arta lupum cruciat viagustaris esse retento
Mendicat, mendicum multa daturus opem.
Grus promissa petit, de faucibus esse revulso,
Cui lupus, en vivis munere tuta meo?
Nonne tuum potui morsu præscindere collum?
Ergo tibi munus sit tua vita meum.
Nil prodest prodesse malis: mens prava malorum
Immemor accepti, non timet esse boni.

De Cane adversus lupum asino non opitulante, quia sibi panem non dederat.

Canis molossus non modò ad lupos sed etiam ad ursos & pugnandos validus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundem autem oborta fame, asinus pratū offendens, large ventrem virentibus herbis implevit. Canis autem asinum rogabat, ut aliquantulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed canem irridens, illi ut secum herbas pasceret, consulabat. Interim lupum advenientem asinus conspicatus, canem rogabat, ut sibi esset auxilio. Cui canis: Tu mihi, inquit, consuluisti, ut adversus famem herbas pascerem, ego quoque tibi consulo, ut te adversus lupum ferratis calcibus tueatis. Hæc quum dixisset, abiens ingratum comitem, & raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.

Fabula indicat, qui indigentibus expetita non præstat auxilia, ab aliis quoq; necessitatis tempore solere destitui. Abstemius.

¶ Emblematum.

Barillius 80.

Mutuum auxilium.

Nemo adeo est factis, vel sanguine clarus avito,
Vt non alterius sentiat artis opem,
Ceu neque, ni palos intexas viribus, illæ
Tollant se, & pleno dent sibi musta lacu.

Barillius 81.

Amicitiæ necessitudines.

Vt Cereris, pariter sese ipsa retantia pressat
Bina simul fruges aspera saxa terunt.
Sic nisi junctæ alii non omnia possimus omnes.
Alterius sic res alteri a poscit opem.

Camerarius

Camerarius 32. Centuria prima.
Opis indiga.

Stratus humi absentem palmes sterilescit ob ulmum.
Indiget alterius quilibet auxilio.

Camerarius 67. Centuria 3.
Non usitata vehor.

Regulus en Aquilæ auxilio defertur in auras:
Sic quisquis docti nititur ingenio.

Camerarius 58. Centur. 3.
Egomet mihi gesto, quod usu est. Pica lauri folium ore tenens.

Ne pende ex aliis, in te tua cuncta reponë.
Id te etiam volucris, se medicata, docet.

Catsius Emblemate Ethico 32.
In caducum parietem non inclinandum.

Arcanas procerum technas & principis artes,
Iuraq; regnandi nosse putantur Apes.
Floribus hæ nitidis, violisq; recentibus hærent:
Languida si qua rosa est, incommitata jacet.
Sceptra superba labant, sunt & sua funera regnis:
Non homini tantum stat sua fixa dies.
Quid tibi cum miseris? felicia fœdera quære:
Languida, crede mihi nil rosa mellis habet.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Moses, Dux Israelitarum: Timentibus Israelitis propter numerosum & potentem Ægyptij regis exercitum, & incredulitatem suam prodentium, dixit Moses Dei servus, Ne timeatis, consistite & spectate salutem Jevohæ, quàm edet vobis hodie: nam quos videtis Ægyptios hodie, non pergetis videre eos post hac in seculum, Jehova pugnabit pro vobis, vos ergo quiescite. *Exod.* 14. 13. 14.

Idem: Murmurantibus Israelitis ad exploratorum relationem de Cenahanæis, Moses dixit, Ne expavescite neque timete ab illis: Jehova Deus vester qui anteit vos, is pugnaturus est pro vobis secundum omnia quæ exercuit erga vos contra Ægyptios antè oculos vestros, &c. *Deuteronom.* 1. 29. 30.

Elisæus Propheta: Quum rex Syriæ mississet Dothanem equos, currus, ac copias numerosas, ad capiendum Elisæum, quæ venientes noctu circumsederunt obsidione civitatem illam, & manè minister viri Dei surgens, cùm exiret, videns copias, equos & currus circa civitatem, dixit ad eum, heu Domine mi, quomodo faciemus? Huic dixit Elisæus, *Ne metuito plures sunt qui nobiscum quàm qui cum illis sunt.* Et orans Elisæus dixit, O Jehova, aperi quæso oculos ejus ut videat: & aperiens Jehova oculos pueri illius, vidit quod ecce mons ille plenus erat equis & curribus igneis circa Elisæum. *2. Reg.* 6. 16.

Philo Iudæus: Philo, quum ad Cajum pro Judæis legatione fungeretur, jam dicturus à Cajo interpellatus est, jussusque ut ab ejus conspectu procul abscederet. Nam nimio iracundiæ æstu Caius inflammatus, videbatur planè illos ipsos Judæos gravi aliqua calamitate affecturus. Philo igitur contumelia & conviciis appetitus, è concilio egreditur, atque Judæos qui illum comitabantur jubet bono animo esse: Cajum, tametsi verbo quidem illis succensebat, re tamen ipsa perfecisse, ut Deus ipsis contra ejus conatus præstò esset ad opitulandum. *Euseb. lib. 2. Eccles. hist. cap. 5.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad Deum manus levamus spes ubi humana occidit.
Adjuvat Deus facientes, nil facientes dejuvat.
Æque odio est qui non juvat quàm qui afficit injuriâ.
Ætatem unimus cubili nunquam committit suam.
Alle & asse ne videare, vel ruentem impellito.
Alterum humani est juvare, at proximus quisq; est sibi.
Alteri arduum est prodesse, nocere non est arduum.
Alteri nocere non est, ferre opem alteri, arduum est.
Altior sit ipso oportet ille qui lapsum erigit.
A potentiore vis juvari? inferiorem juva.
Auxilii advenius simulatus sæpe obsessos liberat.
Auxilio nullo relicto, cœlum obtestare ac Deos.
Auxilij spem multi ostentant, verum opem pauci ferunt.
Auxilium anceps experiri quam nullum, magè expedit.
Auxilium est civile, ad nomen Principis decurrere.
Auxilium nullum meretur quisquis auxilium negat.
Auxilium quandoq; poscit, auxilium qui non tulit.
Auxilium qui salutarè denegat misero, hunc necat.
Auxilium serum est quod rebus jam venit non integris.
Commodum sese universis qui exhibet, deest sibi.
Consilium bonum plus sæpe mille quam manus potest.
Cos nequit secare, acutum sic tamen ferrum facit.
Cos nequit secare, culter quei secet quivis facit.
Dives non est qui indiget aliquo, nec pauper qui haud indiget.
Ecquis tantus est quem non sors cogat egere etiam infimis?
Ex asini ossibus canoram fas parare fistulam est.
Exitus rei si defit, ad Deos recurritur.
Ferre opem vivis nequistis? ferte opem ergo mortuis:
Ferre opem vivo si nescis, mortuum ne deseras.
Frustra opem speres ab illo cui fuisti ante impius:
Gratia tua provectus, si potest, reddet vicem.
Gratius prodesse cunctis, quam inclitas habere opes:
Haud labore conturbatur, qui manum alter porrigit.
Maximè is Deus colendus qui statim homini subvenit.
Mus uni cubili ætatem nunquam committit suam.
Mutuo auxilio declines imminens periculum.
Navigas vento secundo: naufrago præbe manum.
Ne quidem Dii subvenire præteritis rebus queunt.
Ne quidem Divi auxiliantur eis, pericla qui appetunt.
Non micat de palea flamma ventus ipse ni juvet.
Non queunt virere per se folia, ramum postulant.
Non secat cos, sed secari quidq; quo queat facit.
Parturire luce dignum Pallade absq; mens nequit.
Pegasum frenare nulli fas ope absq; Pallados.
Plurimum Dei auxiliantur subditis injuriæ.
Plurimis prodesse velle & posse, proximum Deo est.
Quam miserrimum est ab ipsis implorare opem hostibus!
Quam minus spei superstat, tam magis juvat Deus.
Quam vis cos secare nescit, at ferrum ut seces facit.
Quantulum est ei non nocere, cui prodesse debeas?
Qui juvat socios, profectò promovet magis sua.
Qui perituro præstò non est cùm potest, eum necat.
Qui sibi deest, minus caute auxilium alterius petit.
Quis non captet conditionem expessimâ primariam?
Quisque eget multorum: certè sufficit nemo sibi:
Quisque forte sufficit sibi, ast nemo hercule omnibus.
Quisquis abscidit radicem frustra fruges quæritat.
Quisquis parietem in caducum inclinat cum ipsomet ruit.
Se tuetur ipsum qui fert proximis opem suis.
Subsidium nullum aspernandum rebus est in ultimis.
Subvenire ne quidem Dii rebus præteritis queunt.
Vtile est ac glorioſum promptam miseris ferre opem
Vua nigra haud matureſcit unquam à Lunæ lumine.

¶ Jamaica.

Ad summa per se provehi quisnam queat?
Æquè feras votis opem quam corpore.
Alios juvare non potes quin te juves.
Aliquem facilius deprimas quam item elevès
Aliquem facilius vehas quam deprimas.
Alter carere alterius haud potest ope.
A pluribus mali adjuvantur quàm boni.
Apud improbum pro auxiliis exitium invenis.
Auxilia sociis qui negat, sibi eripit.
Aut consolando, aut consilio, aut re, quem juves.
Auxilium ab omnibus, etiam ab infimis petas.
Auxilio opus Dei quoq; habebat Hercules.
Bonus juvat omnes, nemini bonus nocet.
Deo auxiliante nemini quid arduum est.
Deo juvante, res geritur prosperrimè.
Deus nimis manifestè mortales juvat.
Egent pedes capite, & pedibus eget caput.
Et nescientes sæpe nos juvat Deus.
Ex præsidio quoq; proprio periculum est.
Generatus homo est in mutuum adiutorium.
Hedera arbori: invenis sese adplicet seni.
Homines sibi præstant multa quæ aliis imputant.
In nemine uno sat præsidii ad omnia est.
Malè statur in tempestate unam ad anchoram.
Miser occupet præsidia: securus legat.
Mortalium nemo est qui non egeat Deo.
Nemo satis per sese ut emergat valet.
Nullius putat indigere se opera qui alteri negat.
Opem invocat iure eius, cui antè opem tulit.
Persæpe pauper diviti auxilium attulit.
Prodest sibi quicumq; prodest alteri.
Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Quid stas ad unam in tempestate atrâ anchoram?
Sal servat ipsum se quibusq; imponitur.
Serum nimis est auxilium rebus perditis.
Specie auxilii, hostis perpetuò vincit sibi.
Specie auxilii, sæpe socius vincit sibi.
Species novi auxilii, ipso pro auxilio valet.
Succurrere discit miseris haud expers mali.
Suum facit bonum qui alterius adiuvat.
Tam paupere eget dives quam pauper divite.

FINIS LIBRI PRIMI.

POLYAN-

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER II.

Balnei.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

CLEMENS *Alexandrinus:* Cujusmodi autem sunt eis lavacra? Domus artificiosè compactæ, perspicuæ, quæque circumferri possunt, teguntur sindone: & cathedræ aureæ, argenteæ, & vasa innumerabilia aurea & argentea: quorum hæc quidem ad propinandum, illa verò ad vescendum, alia autem ad lavandum circumferuntur. Quinetiam carbonum craticulæ. Eo enim deventum est intemperantiæ, ut cœnent & sint ebriæ dum lavantur, & argenteam suppellectilem; cum qua tanquam in pompa se venditant, arroganter in balneis proferunt, atque adeò fortasse etiam divitias, propter immodicam superbiam. Maximè autem voluntariam insolentiam, per quam viros pusilli & effœminati animi arguunt, & tanquam victos à fœminis, ostentant, & quomodocunque seipsas non posse convenire, nec sine multis vasis posse sudare, comprobant. Etenim quæ sunt pauperes, cùm pompæ non sint participes, lavacris ex æquo fruuntur.

Habent itaque sordes divitiarum, opes nimias maledictorum. Hac veluti esca irretiunt miseros, auri splendorem ore hiante admirantes. Ea enim ratione ejus quod bonum & honestum est ignaros instuporem adducentes, ut ipsas mirentur amatores callido comminiscuntur artificio, qui eis paulò post nudis insultant. Cum coram mariis suis vix se exuerint, simularum pudorem probabiliter præ se ferentes. Licet autem aliis volentibus, eas quæ domi sunt inclusæ, nudas videre in balneis. hic enim se exuere spectatoribus tanquam corporum cauponibus non erubescunt. Sed Hesiodus quidem,

Corpus fœmineo non exhilarare lavacro

suadet. Viris autem & fœminis communia aperta sunt balnea, & ex eo exuuntur ad intemperantiam (ab aspectu enim hominibus amor proficiscitur) perinde ac si sit eis pudor in lavacris obrutus. Quæ autem non usqueadeò omnem pudorem exuerunt, externos quidem excludunt: unà autem cum suis ministris lavantur, & coram servis nudæ exuuntur, & ab eis fricantur, quæ fortasse cætera pertimescit libidini, secutum salutem contactum concedentes. Qui enim nudis dominabus ad lavacrum introducuntur, student se exuere, ad cupiditatis audaciam malo more metum circumscribentes.

Ac vereres quidem athletæ virum nudum ostendere erubescentes, dum certamen peragebant accinctis subligaculis servabant verecundiam: iste autem cùm simul cum tunica pudorē exuerint, volunt quidem videri pulchræ, similiter autem malæ vel invitæ convincuntur. Etenim per ipsum corpus maximè apparet lasciva concupiscentia, quemadmodum hydropicis per cutis superficiem id humidum quod continetur. Quod autem in utroque ægrotat, ex visu cognoscitur. Oportet ergo viros generosum veritatis fœminis præbentes exemplum erubescere una cum eis exui, lubricumque ac periculosum aspectum effugere. Qui enim curiosius, inquit, respexit, jam peccavit.

Oportet ergo domi quidem parentum & famulorum pudore affici: in viis autem, eorum qui fiunt obviam: in lavacris verò, mulierum: in solitudine autem, suiipsius: ubique autem Verbi, quod est ubique, & sine ipso factum est nihil. Hac enim solùm ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum sibiipsi semper adesse existimat. *lib. 3 Pædagog. cap. 5.*

Idem Clemens: Balnei ergo quatuor sunt causæ, propter quas adipsum accedimus. Vel enim causa munditiei, vel caloris, vel sanitatis: vel postremò voluptatis. Voluptatis autem causa quæ instituitur loco, est rejicienda: impudens enim voluptas est omnino exscindenda. Sumendum est autem lavacrum, mulieribus quidem mundationis causa & sanitatis: solius autem sanitatis causa, viris. Caloris verò causa lavari est superfluum, cùm quod frigore collapsum est, possit aliter recreari. Porrò autem balnei frequentes usus vires adimunt, naturalemque roboris vehementiam relaxant, sæpe autem dissoluunt, & ut quis animo linquatur efficiunt.

Quodammodo enim corpora, non secus ac arbores, non solùm ore sed etiam iis qui sunt in toto corpore meatibus inter lavandum bibunt. Hujus autem rei est indicium, quod qui sæpe sitierint, deinde in aquas descenderint, siti remedium invenerunt. Nisi ergo ad aliquid prosit lavacrum, non oportet nos eo resoluere, Veteres ea ἀνθρωποτριφεῖα, hoc est, fullonicas hominum officinas vocarunt, quoniam citius quàm par erat pannosa corpora efficiunt, & ante tempus cogunt abstergendo consenescere, dum non secus ac in ferro, calore caro mollificatur. Hinc frigidi veluti tinctura & temperatura opus habemus. Neque verò semper est lavandum, sed sive paulò fueris inanior; vel rursus paulo repletior, respuendum est balneum: sed eo certè utendum est habita ratione ætatis, corporis & temporis anni. Non enim omnes semper, nec semper juvat, ut qui earum rerum sunt periti fatentur.

Nobis autem sufficit symmetria, quam semper ut vitæ nostræ opem ferat advocamus. Neque enim balneo adeò utendum est, ut manus alterius egeamus adminiculo: neque verò assiduè & sæpe in die lavandum est, sicut frequenter in forum ventitamus. Jam verò multos quoque habere qui perfundant, est proximos injuria afficere per delitias: & est eorum qui non intelligunt oportere esse commune eorum qui lavantur balneum. Oportet autem maximè quidem lavare animam purgante ratione, & nonnunquam etiam corpus, propter sordes quæ ei adnascuntur. Quinetiam sunt nonnunquam resolvendi labores: Væ enim vobis Scribæ & Pharisæi, dicit Dominus, quoniam similes estis sepulchris dealbatis. Sepulchrum pulchrum apparet extrinsecus: intus autem plenum est mortuis ossibus, & omni immunditia. Et rursus dicit eisdem: Væ vobis, quoniam mundatis quod est extrinsecus poculi & patinæ, intus autem plena sunt immunditia: munda primùm quod intus est poculi, ut sit etiam mundum quod est exterius.

Optimum ergo lavacrum expurgat sordes animæ, estque spirituale, de quo dicit apertè Prophetia: Abluit Dominus sordes filiorum & filiarum Israël, & mundabit sanguinem ex medio ipsorum, sanguinem iniquitatis, & cædes prophetarum. Purgationis autem modum subjunxit Dominus dicens: In spiritu judicii, & in spiritu ustionis. Quod est autem corporis carneum, vel per solam aquam abluitur, ut fit sæpe ruri, ubi non est balneum. *lib. 3 Pædagogi capite nono.*

§ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Philostratus: Demetrius orationem habuit contra eos qui balneis utebantur, quia quod seipsos molles effeminatosque reddentes, inquinarentur magis quàm mundarentur. Omnem igitur in rebus hujusmodi sumptum inanem supervacuúmque esse monstrabat. *lib. 4. Apollonii cap. 14.*

Lucianus: Artificis Hippiæ opera quæ nuper cùm admiratione vidi, referre non gravabor. Est enim argumentum commune, & nostra ætate perfrequens, balnei constructio: sed solertia, & in hoc cōmuni argumento admirabilis est industria. Locus erat non planus, sed acclivis, & arduus: quem ex utraque parte mirum in modum humilem accipiens, alteri æquavit, posito omni operi firmissimo fundamento, quo superstructi ædificii certitudinem confirmaret, factisque editissimis fastigiis, sibique ad firmitatem cohærentibus, ut totum opus roboraret.

Cæterum quæ superstructa sunt, loci magnitudini congruunt, rectæque compagi accommodatissima sunt, & lucis rationem servant. Altum est vestibulum, latos habet gradus, supinum magis est quàm arduum, ut sit facilis ascensus. Ingredientem communis domus ampla excipit, in qua pedissequi & ministri commodè versentur: ad lævam verò sunt ædiculæ ad delicias comparatæ. Hæc itaque balneo maximè sunt decora, amœni multáque luce illustrati recessus: deinde continua illis domus, longè quidem præstantior, quàm ut balneo conveniat: sed necessaria ad suscipiendos opulentiores. Post hanc sunt ædiculæ deponendis vestibus sufficientes: & media domus fastigio excelsissima, luce clarissima, tria aquæ frigidæ lavacra continens, Lacedæmonio lapide exornata. In eadem sunt marmoreæ imagines antiqui operis, altera Sanitatis, altera Æsculapii. Ingressos excipit domus sensim incalescens, calore non insuavi occurrente, oblonga, circùm orbiculata. Post hanc ad dextram, admodum clara habitatio ad suavem unctionem præbendam, ex utraque parte aditus habet Phrygio lapide decoratos, & à palæstra venientes excipit. Deinde supra hanc alia est habitatio omnium pulcherrima, & ad standum, sedendumque accommodatissima, & ad immorandum minimè noxia, & ad volutandum utilissima, & ipsa

Phrygio

Phrygio lapide ad ſummum tectum relucens. Deinceps calidus ſuſcipit tranſeuntes, Nomadio lapide coagmentatus. Porro interior habitatio elegantiſſima, & luce multa plena eſt, & inſtar purpuræ renitet: hæc tria thermarum labra exhibet.

Cæterum tibi jam loto licet viam non per eaſdem habitationes remeari, ſed celeriter ad frigidam per vaporarium leniter tepeſcens reverti. Et hæc omnia magna luce multoq; diei ſplendore intus ſplendent. Præterea altitudinis ineſt proportio, conveniunt latitudines cum longitudinibus: & ubique multa venuſtas, & elegantia efflorescit. Etenim ex præclari Pindari ſententia, Opus exordientibus, eminus fulgens apponenda facies: quæ & ipſa elegantia, & lumine ac feneſtris conſtet.

Etenim verè ſapiens Hippias frigido balneo accommodam habitationem, ad boream procedentem fecit, nec aëris meridiani expertem. Eas verò quæ multo calore indigent, Noto, Euro, & Zephyro ſubjecit. Quid ad hæc tibi palæſtras memorem, & veſtes aſſervantium communes habitationes, compendioſam non prolixam ad balneum viam habentes, tum utilitatis capiendæ, tum noxæ vitandæ gratia? Neque ſuſpicetur quiſquam me opus exiguum oratione exornandum ſuſcepiſſe. Nam in rebus communibus, nova comminiſci pulchritudinis ſpecimina, non exiguæ ſapientiæ tribuo: quale hoc opus admirabilis Hippias nobis edidit, omnes balnei præſtantis partes complectens, utilitatem, opportunitatem, claritatem proportionem, quod loco eſt accommodatum, quod tutum uſum exhibet. Præterea reliquo artificio exornatum, biviorum neceſſariorum duplicibus receſſibus, multiſque januarum egreſſibus munitum: geminiſque indiciis, uno per aquam & ſonitum, altero per ſolem horas demonſtrans. Quibus viſis, convenientem operi laudem non tribuere, non ſolùm inſipientis, ſed etiam ingrati, imò potius invidi eſſe exiſtimavi. Itaque ego pro virili cùm operi, tum opifici, & effectori, verbis gratiam rependo. Quòd ſi quando Deus copiam lavandi fecerit, ſcio me complures alios habiturum, qui communes mecum ejus laudes habebunt. *Lemmate Hippiæ.*

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Nubibus v. 1040.

Et quæſo, quonam tu animo balneas calidas reprehendis?
IV. Quia noxiæ ſunt & hominem faciunt remiſſum.
IN. Subſiſte: nam ſi tarim nunc medium te teneo prehenſum,
Vt elabi non poſſis: agè enim, dic mihi, quem virum tu
Ex illis qui lovè ſunt nati, credis fortiſſimum eſſe:
Et plurimos exantlaſſe animo indefeſſo labores?
IV. Ego ſanè neminem eſſe judico Hercule fortiorem.
IN. Et ubi tu unquam frigida vidiſti balnea Herculana?
Et quis erat Hercule fortior? IV. nimirum hæc illa ſunt, quæ
Cùm adoleſcentes quotidie in ore habeant, balnea repleta
Sunt hodie: ſed vacuæ palæſtræ.

Plautus Rudente 2. ſc. 3. v. 52.

—— Qui it lavatum
In balneas, ibi cùm ſedulò ſua veſtimenta ſervat,
Tamen ſurripiuntur quippe qui, quem eorum obſervet falſus eſt.
Fur facile quem obſervet videt. cuſtos, qui fur ſit neſcit.

Auſonius in Moſella, verſu 335.

Atria quid memorem virdantibus aſſita pratis?
Innumeriſq; ſuper nutantia tecta columnis?
Quid qua ſulphurea ſubſtructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber hauſtus operto
Voluit anhelatas tectoria per cava flammas,
Incluſum glomerans æſtu expirante vaporem?
Vidi ego defeſſos multo ſudore lavacri
Faſtidiſſe lacus, & frigora, piſcinarum,
Vt vivis fruerentur aquis: mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepuliſſe natatu.
Quod ſi Cumanis huc afforet hoſpes ab oris,
Crederet Euboicas ſimulacra exilia Baias
His donaſſe locis: tantus cultuſq; nitorq;
Allicit, & nullum parit oblectatio luxum

¶ Monoſticha Trochaica.

Impudentior profectò athletâ in balneo femina eſt.
Nil minus quam balneorum militem tepor decet.
Puberes gnati haud lavantur cum ſuis parentibus.
Quandocunq; non acceſſit febris, tutum balneum eſt.

¶ Jambica.

Commune quid cani obſecro eſt cum balneo?
Gratiſſimæ ſunt a labore balnea.
In balneo alter haud veretur alterum.
Miles iners quærendus eſt in balneis.
Remedia varius præſtant morbis balnea.

Baptiſmi.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Baptiſmus tibi & vivo, maximum ad ſecuritatem momentum afferet, (pecus enim ſignata non facilè inſidiis appetitur: quæ autem mihi mè ſignata eſt, à furibus facilè capi poteſt) & vita perfuncto commodum quoddam tanquam funebre munus futurum eſt, veſte ſplendidius, auro præſtantius, tumulo magnificentius, infructuoſis litaminibus religioſius, maturorum fructuum primitiis tempeſtivius, iiſque omnibus rebus, quas mortui mortuis largiuntur, conſuetudinem pro lege obſervantes. Omnia tibi pereant, omnia diripiantur, pecuniæ, prædia throni, ſplendores cæteraque, quæ vagæ atque incertæ hujus vitæ ſunt: tu verò ſecura & tranquilla mente diem ultimum claude, nullo ex omnibus, quæ Dei beneficio tibi ad ſalutem conceſſa ſunt, auxilio deſtitutus. At metuis ne Gratiam corrumpas, ac proinde purgationi moram producis, utpote nullam alteram jam ultra habens? Quid autem: non vereris, ne perſecutionis tempore in periculum adducaris, ac Chriſto, poſſeſſione omnium, quas habes, præſtantiſſima ſpolieris? Num igitur ob hanc cauſam à ſuſcipiendo Chriſtianiſmo refugies? Abſit non eſt ſani hominis hic metus: deſipientis eſt hæc cogitatio. O incautam, ut ita loquar, cautionè! O ingentes pravi illius verſutias! Verè ille cæligo eſt, & lucem emeritur. Cùm aperto Marte nihil perficit, inſidias obſcurè tendit: & eum pravus ſit, probum tamen conſultorem ſimulat, ut alterutro certè modo ſuperior omnino diſcedat, nec ulla ratione ipſius inſidias effugiamus. Id quod hic quoque perſpicuè molitur. Nam cùm tibi in animum inducere nequeat, ut Baptiſmum palam aperteque contemnas ac pro nihilo ducas, per fictam cautionem te eo mulctat: ut in eam fraudem quam metuis, imprudens per metum incidas, & dum times, ne Donum corrumpas, ea ipſa de cauſa ab hoc prorſus excidas. Atque ille quidem hoc ingenio eſt, nec unquam verſutiæ ſuæ finem ſtatuet, quamdiu nos ad cælum properantes videbit, unde ipſe dejectus eſt. Tu autem, o homo Dei, fac adverſarii inſidias cognitas habeas. Etenim adverſus habentem, & de rebus maximis, certamen initur. Ne hoſtem in conſilium adhibeas ne fidelis fieri ac nominari parvipendas.

Quamdiu in Catechumenorum numero es, in pietatis veſtibulo es. Intrare te oportet, atrium pertranſire, Sancta contueri, in Sancta ſanctorum proſpicere, cum Trinitate conjungi. Magna ſunt ea, ob quæ oppugnaris: magno quoque præſidio opus habes. Quocirca fidei clypeum adverſus eum objice. Timet te cum armis dimicantem: ob idque charismate te ſpoliat, ut inermem & incautum facilius opprimat. Omnes ætatum gradus attingit, omnia vitæ genera & inſtituta. Quare per omnia propulſetur. Juvenis es? contra turbulentos animi motus cum auxiliaribus copiis in acie ſta, in Dei phalange nomen profitere, adverſus Goliath ſtrenuè pugna, mille vel decies totidem hoſtes cape, ac tibi ſubjice: ita flore ætatis fruere, nec tuam juventutem marceſcere ſuſtine, ob imperfectam fidem mortuam & extinctam. Senilem ætatem agis, nec à neceſſariè præſtituto die longè abes? caniciem tuam venerare: prudentiam, quæ à te requiritur, pro ea, qua nunc teneris, infirmitate, præſta: paucis his diebus, quos reliquos habes, ſuccurre: Purgationem ſenectuti committe.

Quid in effæta ſenectute atque extremo vitæ ſpiritu juvenilis ætatis vitia pertimeſcis? An tu etiam expectas, dum mortuus abluaris, non jam miſericordiam magis, quàm tui odium movens? An voluptatum reliquias in his vitæ reliquiis expetis? Turpe eſt, cùm ætate conſenueris ac defluxeris, libidinem tamen minimè cõſenuiſſe, ſed, vel ea affici, vel eam certè opinionem propter Baptiſmi dilationem hominibus præbere. Infans tibi eſt? Ne occaſionem improbitas arripiat: ab infantia ſanctificetur, ab ipſis unguiculis Spiritui conſecretur. At propter naturæ imbecillitatem ſigillum metuis? Quam imbecillis animi mater es puſillæque fidei! Atqui Anna Samuelem, prius etiam quàm procreatus eſſet, Deo promiſit, atque in lucem editum ſtatim conſecravit, ac cum ſacerdotali ſtola educavit, nihil humani verita, ſed Deo fidem habens. Nihil tibi amuletis nec incantamentis opus eſt, cum quibus pravus ille in leviorum hominum animos ſimul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad ſe transferens. Trinitatem ipſi da magnum inquam illud & pulchrum amuletum. *Oratione trigeſima.*

D. Nazianzenus: Baptiſmus igitur ſplendor eſt animarum, vitæ in melius mutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio. Baptiſmus infirmitatis noſtræ adjumentum. Baptiſmus carnis eſt abjectio, Spiritus aſſectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppreſſio. Baptiſmus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fidei adminiculũ, mentis perfectio, cœleſtis regni clavis, vitæ commutatio, ſervitutis depulſio, vinculorum ſolutio, compoſitionis in meliorem ſtatum converſio. Quid plura commemorare attinet? Baptiſmus omnium Dei beneficiorum præclariſſimum eſt, & præſtantiſſimum. Etenim quædam Sancta ſanctorum vocantur, & Cantica canticorum, quòd ſcilicet latius pateant ac plura complectantur præcipamque dignitatem habeant: eodem modo baptiſmus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes ſanctitate ſuperet.

Quemadmodum autem Chriſtus, hujus dator, multis ac diverſis nominibus appellatur, ita ipſum quoq; donum varia nomina ſortitur: ſive id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat (fit enim ferè, ut qui rem aliquam impenſiſſimè amant, nomina quoq; ipſa libenter uſurpent) ſive quòd multiplex hujus beneficii utilitas multas quoq; appellationes nobis pepererit. Donum vocamus, gratiam, Baptiſmum,

tismum, unctionem illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellamus. Donum dicitur, quia iis qui in his prius contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Unctio, quia sacer & regius. Hujusmodi enim ea erant, quæ ungebantur. Illuminatio porrò quia splendor & claritas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio. Huic gratulantur cœli: Hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant: Hic beatitudinis illius simulachrum gerit: Hunc laudibus quidem & hymnis celebrare volumus, verùm pro rei dignitate non possumus. *Oratione* 40.

D. Nazianzenus: Ne dicas, Baptizet me Episcopus, atque is Metropolitanus, aut Hierosolymitanus (non enim locorum est Gratia, sed Spiritus) isq; etiam claro & nobili genere ortus grave enim fuerit, si in purgationis tempore inficiar atq; commaculer. Ne concionatoris aut baptizantis authoritatem inquiras. Alius judex est, ac rerum obscuratum explorator: quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quivis ad purgationem satis idoneus est, qui modò inter probatos censeatur, ac non apertè condemnatus sit, atq; ab Ecclesia alienus. Qui curatione indiges, in judices judicium ne arripe, nec eorum, à quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Est quidem alius alio præstantior, vel inferior: te autem quivis superior. Sic tecum reputa. Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus: atque ambo eandem Imperatoris imaginem in sculptam habeant, ac deinde ceram imprimant: Quid tandem hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam in cera internosce, quamlibet singulari solertia sis: Dic utrum è duobus signis aureo annulo, utrum ferreo expressum sit, quoq; modo unum idemq; signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoq; omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptismi vis est. Ac quivis tibi initiator est, qui modò eâdē fide informatus est. Ne alienum dignitate tua putes simul cum paupere baptizari, qui dives, patricius cum ignobili, herus cum eo qui hactenus tibi servus extitit. Nondum tantum te dimittes, quantū Christus, cui hodierno die baptizaris qui salutis tuæ causa servilem quoque formam accepit. *Oratione quadragesimâ.*

D. Greg. Nyssenus: Is qui lavacrum accepit regenerationis, est similis novo militi, qui nuper fuit relatus in numerum militum, nondum autē quidquam egit præclarum, aut forti milite dignum. Quomodo ergo ille zona accinctus, & chlamyde indutus, non se statim existimat virum fortem, neq; confidenter accedens ad regem, eum alloquitur tanquam familiaris, neq; petit beneficia, quæ qui laborarunt, & se strenuè gesserunt. Ita nec tu gratiam assecutus, putes fore ut vivas cùm justis, & ad illorum ducaris hæreditatē, nisi pro pietate multa adeas pericula, & cùm carne bellum geras, & simul cum illa cum diabolo, fortiter resistas omnibus jaculis malignorū spirituum. *Oratione adversus differentes baptismum.*

Chrysostomus: Quomodo docere eos qui luctantur, est pædotribæ strenui & sapiētis; victori autem coronam imponere, est etiam ejus qui non potest luctari: quanquam corona facit eum qui vicit splendidiorem. Ita etiam in baptismate, fieri quidem non potest ut absq; eo salvi simus, nihil autem magnum facit is qui baptizat, si paratum acceperit institutum & liberum animi arbitrium. *Hom 3. ad Cor.* 1.

Chrysostomus: Sicut aurum & argentum refundens purum & novum facis denuò: ita etiam Spiritus sanctus in baptismo tanquam in fornace eam refundens & peccata consumens, efficit ut quovis auro puro purius fulgeat. *Hom.* 40. *ad Corinth* 1.

D. Chrysostomus: Baptizari & demergi, deinde sursum remeare & emergere, est symbolum seu signum descensus ad inferos, & ex eo ascensus. *Homil.* 40. *ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Simul atque baptizamur, etiam supra solem anima, exsplendescit, à spiritu perpurgata. Ac non modò gloriam Dei prospicimus: sed illinc quoq; splendorem aliquem haurimus. Quemadmodum enim purum argentum ad solis radios situm ipsum quoque radios emittit: nō ob suam dumtaxat naturam, sed etiam ob solarem fulgorem: eodem modo anima defæcata, atq; argento splendidior effecta, spiritus gloria radium suscipit, ac vicissim remittit. *Hom 7 ad Corinth 2.*

Chrysostomus: In mare rubro demersi sunt Ægyptii, ascenderunt & pervaserunt Israelitæ. Si res eadem alium quidem sepelit, alium verò generat, ne mireris si ortus & interitus sit in baptismate. Nam dic mihi, solvere & conglutinare non sunt contraria? Cuivis est perspicuum. Hoc facit ignis. Nam ceram quidem dissolvit & perdit: terram autem metallicam conglutinat, & aurum facit. Ita hic quoque. Ceream statuam quamvis ignis deleverit, pro ea aurum reddit. Sumus enim planè lutei antè lavacrum, aurei autem postea. Vnde hoc constat? Audi ipsum dicentem, Primus homo è terra terrenus. Secundus homo dominus è cœlo. Ego quidem dixi quantum intersit inter lutum & aurum: inveni autem majorem differentiam cœlestis & terreni. Non tantum autem interest inter lutum & aurum, quantum inter terrena & cœlestia. Cerei eramus & lutei. Nos enim liquefecit flamma cupiditatis, multo magis quam ceram ignis & quævis nos confregit tentatio, multo magis quam luteos lapis. *Hom. 7. ad Col.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem Zosimi Presbyteri vita offensus, ut scripsisti, eos, qui ab eo baptizantur, gravissimis ac maximi momenti detrimentis mulctari existimas, rescribendum adte quàm celerrimè duxi: nimirum quòd is qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba Sacerdotis vita nullo damno afficitur, verùm ipse prorsus atque omnino (asseverationē quippe uti oportet) divinis atque omni dicendi facultate præstantioribus beneficiis fruetur. Sacerdos autem graviores vitæ suæ rationes subibit, tantusque ad ipsius pœnam atque cruciatum cumulus accedet, quantus prius in eum honor collatus est. Nam qui, ne sacerdotio quidem ornatus, probitati studuit, ut gravius in eum animadvertatur, haud dubiè promeretur.

Quæ cùm ita sint, nemo ex iis qui divino hoc sacramento, quod cœleste regnum initiatis aperit, imbuuntur & consecrantur, ut hinc ad salutis tesseram damno atq; incommodo affectus, in cura & solicitudine versetur: nec, cùm in pecatum lapsus fuerit, speciosam excusationem se Sacerdotis vitam habere existimet. Hæc autem dico, non tanquam sacerdotes omnes tales sint (Deus enim procul id avertat: quamvis enim nonnulli his vitiis laborent, at à quibusdam tamen eadem absunt. Ac rursum quamvis quibusdam virtutes desint, at non tamen omnibus desunt) verùm ut illud ostendam quòd etiamsi omnes ejusmodi essent, nihil tamen hinc ad eum, qui baptizatur, detrimenti redit. Quòd si hæc hominum dumtaxat ratiocinationes esse arbitraris, à divinis oraculis fidem tibi facere conabor. Quid enim Balaam illo impurius ac sceleſtis extitit? Et tamen ipsius inguâ Deus ad benedictiones abusus est. Quid rursum Caipha sceleratis? Et tamen vaticinatus est, & gratia linguam quidem ipsius tetigit, at non item mentem tetigit. Quòd si quid etiam, quod magis mirandum sit, intelligere cupis, per corvum, hoc est, immundam avem, cœlipetam illum Eliam pascebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitiosos quosdam Sacerdotes (neque enim omnes condemnare oportet: nec æquum est) divina & natura sublimiora beneficia tribuuntur. *lib.* 2. *Epist.* 37.

S. Isidorus: Quòd quantum in nobis fuit, periimus: quantum autem in Christo, salutem consecuti sumus, omnibus perspicuum est. Nam cùm supplicium meremur, ipse per Baptismum justitiâ nos donavit, ac cœlestibus gratiis auxit & ornavit. Quod autem nisi ea, quæ nostrarum partium sunt, præstiterimus, nihil ex hujusmodi quæstu & gratia commodi capiemus, imò gravioribus potius supplicīis afficiemur (ut quos tantum beneficium nihilo meliores reddiderit) id quoque perspicuum est. *lib. 2. Epist. 61.*

Idem: Quoniam magnificentia tua per literas ex me quęsivit, quid sit causæ, cur infantes, cum peccatis careant, baptizentur, necessariò tibi rescribendum esse putavi. Quidam igitur nimis tenuiter & jejunè ajunt, eos spurcitiem eam, quæ ob Adami trangressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego verò hoc quidem etiam fieri persuasum habeo: at non solùm (neque enim id tam magnum esset) verùm alia quoque multa, naturam nostram longè superantia, beneficia nobis concessa esse. Neque enim natura nostra id dumtaxat accepit, quòd ad peccatum de medio submovendum ac delendum requirebat: verùm etiam divinis beneficiis aucta & ornata est. Neq; enim solùm supplicio exempta est, atque improbitatem omnem exuit: sed etiam supernè regenita est (divinâ, & omnem orationis vim ac facultatem excedente regeneratione, tanquam ex machina quadam excogitata) & redempta, & sanctificata, & in adoptionis jus adducta, & justificata: & unigeniti cohæres effecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita: & in ipsius carnem censetur: & quemadmodum corpus capiti, eodem modo ipsa ei copulata est.

Quod quidem cùm divus Paulus, Christi sensuum velut promus condus, animadvertisset, nunc quidem his verbis utebatur, Et ipsum donavit super omnia caput Ecclesiæ, hoc est: præter alia omnia beneficia hoc eam munere affecit, ut Christus ipsius caput sit: nunc autem ad hunc modum loquebatur, Multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes in vita regnabunt. Non dixit, *gratiam*, sed *abundantiam gratiæ*. hinc videlicet ostendens, nos non pharmacum duntaxat, quod vulneri par sit, accepisse (quemadmodum jejuni quidam homines, ac divinam munificentiam minimè agnoscentes opinantur) verùm etiam pulchritudinem & honorem, & gloriam & dignitates, meritum nostrum multis partibus excedentes. Quæ cùm ita sint, ô amice, ne hoc existimes, Baptismum peccata tantummodo delere: verùm & adoptionem, & divinam cognationem, ac sexcenta alia, tam quæ commemoravi, quàm quæ prætermisi, bona procreare. Si quidem ille omnium rex captivam naturam non modò redemit: verùm etiam ad summum honoris gradum evexit. *lib.* 3. *Epist.* 195.

§ Poetarum.

Prudent. hymno jejunantium.

Hoc ex lacu sacro labe dempta criminum
Ibant renati non secus, quàm si rudis
Auri recocta vena pulcrum splendeat,
Miceat metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.

§ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus *Christus:* Salutiferæ curationis auxilium, quod revelantis gratiæ tempore (ut loquitur Beda in Lucam) contra peccati vulnus Baptismus præstat, hoc loco referamus, hujus operis ordo postulat. Cujus quidem dignitatem ac supremam necessitatē ejusdem primus auctor

auctor & inſtitutor CHRISTUS JESUS, paucis inſinuavit: dum Nicodemo, qui ad ſe nocte venerat, inquiſiturus, quomodo homo denuò naſci poſſet, eò quòd Chriſtus neceſſarium docuerat ad ſalutem renaſci; reſpondet: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quibus & Baptiſmi utilitatem, atque abſolutam neceſſitatem, quod omnes omino, non eam quam præcepti vocant Theologi, ſed quam medii, explicatè inſinuat. *Ioan. cap. 3.*

Idem: Quia tanta futura erat ad ſalutem ejus neceſſitas, hinc poſt reſurrectionem ad Patrem tranſiturus, cùm diſcipulos ſuos per univerſum orbem mitteret, unicum hoc mandatum dedit: *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quo dicto & Sacramenti neceſſitatem docuit, & formam eſſentialem, ac Sacramenti neceſſitare (ut habet phraſis Theologorum) neceſſariam, expreſſit. *Matth. cap. ult.*

S. Petrus Apoſt. Ille etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum cùm habita inſigni illa oratione de Chriſto, ejúſque reſurrectione, quidam de circumſtantibus dicerent: Quid facemus viri fratres? reſpondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrùm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* En geminus Baptiſmi effectus: peccatorum remiſſio, & gratiæ infuſio. *Actor. cap. 11.*

Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum: Quàm prudenter & providè iſte Jeroſolymis in patriam rediturus Philippum in ſuum currum exceperat! Et edoctus ab eo Chriſtum, dum ad rivum quendam veniſſent: *Ecce aqua*, inquit Philippo, *quis prohibet me baptizari?* Cui ille: *Si credis ex toto corde, licet.* Inſinuans adultus, ut Baptiſmi effectum conſequantur, opus eſſe vera fide. *Act. c. 8.*

S. Sylveſter: Neque hunc latuit divina illa, quam per Baptiſmum conſequimur, ritè eum ſuſcipientes, virtus. Conſtantinum namque Imperatorem ſacro fonte expiaturus, ipſum Lavacrum manu oſtendens, & Sacramenti veram ſignificationem exponens: *En hanc aquam*, inquit, *Imperator: hæc divina virtute pervivifica Trinitatis invocationem concepta, quemadmodum extrà, corpus hominis ablut; ita etiam animam intrà, à ſordibus & inquinamentis mundanis ſplendidiorem radiis ſolaribus efficit.* Quod eſſe veriſſimum in ſe optimus Princeps expertus eſt. *Nicephor. libr. 7. Hiſtor. cap. 33.*

Victor Proconſul Carthag. Tempus viréſque deficerent Divina narrantem. Civilis ordinis, & quidem utriuſque ſexus, exempla adducantur. Quid autem de Victore cive & Proconſule Carthaginenſi dicam? ille ad negandam fidem Orthodoxam à Carthaginenſi Dominatore ſolicitatus, memor ejus quod in Baptiſmo ſervare ſpoponderat, indignabundus: *Me*, ait, *omni tormentorum genere Rex diſcruciet: ſi conſentio, fruſtra Chriſti Baptiſmate initiatus ſum. Vict. lib. 3. Hiſt. Vand.*

Clodovæus Rex Franc. Hunc Clotildis uxor crebriùs, at in vanum, de Baptiſmo ſuſcipiendo, adhuc Gentilium erroribus imbutum, adhortabatur. Tandem cum Suevis & Alemannis ſigna conferens, cùm ſibi totiq; exercitui ſummum diſcrimen imminere videret, ac deorum ſuorum numen nequicquam imploraret: profuſis lachrymis, & oculis in cœlum elatis: *Ieſu Chriſte*, ait, *quem Clotildis uxor mea colit, ac Dei Filium prædicat, ad te confugio. Tu mihi ſi adfueris promptius, & ſentiam re ipſa eam virtutem, quam tibi devoti de te prædicant, me totum tibi tradam, tuumq; Baptiſmum ſuſcipiam.* Orationem & votum Deo acceptum fuiſſe & probatum, memoranda ac celebris victoria declaravit. *Hincmarus in vita S. Remigij.*

S. Dionyſia: Agite & fœminei generis prudentiam viri æmulamini. Habuit ſuas eaſq; memorabiles vetus Lex: ſed quid illæ ad noſtrã Dionyſiam? Quam nullis cruciatibus potuerunt Arriani Vandali in ſuum pertrahere errorem. At inter plagarum ictus, dum unicum filium, cui Majoricus nomen, ætatis tenellæ, pœnarum timore trepidantem cerneret, eum confortabat confirmabatque, dicens: *Memento fili, quòd in nomine SS. Trinitatis, in matre Catholica baptizati ſumus. Ne perdamus indumentum noſtræ ſalutis, ne veniens invitator veſtem non inveniat nuptialem.* Quis non hanc vocem meritò exoſculetur? quis non rem ipſam ſedulò imitetur? Monet itaque *Hymno 6. Cathemer. Prudentius:*

Cultor Dei memento,
Te fontis & lavacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te Chriſmate innovatum.

Vict. Vticenſ. lib. 3.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Damonem contemnit, unda Chriſtiana quem tegit.
Eſt baptiſma verum ſanctus advenit quo Spiritus.
Haud ullum Chriſti baptiſma eſt abſque ſancto Spiritu.
Mundat a cruore corpus unda, animamq; Spiritus.
Quem ſalutari amne merſa eripis unda Stygis.
Tinctus unda ſpiritali, jam ſuus non eſt, Dei eſt.
Vnda natum infantem purgat, unda peccatum abluit.

¶ JAMBICA.

Baptiſmus abſque Trinitate nil valet.
Baptiſmus eſt pueros adoptat qui Deo
Quam lympha ſignat Chriſtiana, vis Dei eſt.

Barbæ.

¶ SENTENTIÆ HISTORICORUM.

SUETONIUS: Adeò conſternatum ferunt Auguſtum nuncio cladis Vari contra Germanos, ut per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illuderet. *In vita ejus, cap. 23.*

Idem: Quo defunctus eſt die Germanicus Cæſar, ferunt Regulos quoſdam Barbaros, barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe. *cap. 5. vitæ Caligulæ.*

Ibidem: Unde vigeſimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio Imp. Cajus Cæſar uno atquè eodem die togam ſumpſit, barbamque poſuit, ſine ullo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum ejus. *cap. 10.*

C. Tranquillus: Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter buthyſiæ apparatum, barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam, capitolio conſecravit Imp. Nero. *In vita ejus, cap. 12.*

Dio Caſſius: Occiſo Plautiano juſſu Imp. Severi, quidam ex iis qui aderant, pilos ex mento ejus evulſos, Juliæ Severi, Plauti læque Caraccalli conjugis, quæ tum ſimul erant, attulit, antequam aliquid audiviſſent. Vos verò, inquit, veſtrum Plautianum videte, quæ res alteri fuit mœrori, alteri ſolatio. *lib. 76.*

Idem. Heliogabalus, ut ſemel mentum raſit, ob eamque cauſam dies feſtos egit, poſtea pilis ſe toto corpore nudavit, ut etiam re mulierem ageret, &c. *lib. 79. hiſtor. Rom.*

Herodianus: Macrinus animadverſa exercitus ignavia, paucis comitatus, clam fugam occupat, detonſaque barba, ne agnoſceretur, ſumpro etiam itinerario veſtimento, capiteque ſemper convelato, noctem diemque fugiens accelerabat, &c. *lib. 5. c. 7.*

Idem: Maximum & Balbinum Impp. nudos ex aula abſtrahunt, ac per omnem ignominiam cædentes irridentesque barbam & ſupercilia vellentes, per totam urbem ad caſtra deducebant, &c. *cap. 12. libri 8.*

¶ POETARUM.

Ariſtophanes Lyſiſtr. v. 805

At ſylvam denſam geris.
v. *Sic Myrmides erat;*
Horridis ater natibus, ſed
Hoſtibus paſſim timendus,
Vt fuit Thormio.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

Franciſcus Borbonius: Occurrit nunc de corporis ornatu, qui in Barba etiam conſiſtit, brevibus agamus. Cùm pro Rege Galliarum contra Carolum V. bello præeſſet Franciſcus Borbonius, juvenis adhuc & imberbis: Marchio Guaſtanus ei illudens nuntiavit, quòd nimis exigua barba veſtiret mentum, ut cum eo congrederetur. Cui Borbonius: *Non barbis pugnandum ſed enſibus. Corozetus.*

Anonymus: Haud ſecus alius quidam hoc noſtro ævo, cujus nomen de induſtria non addimus, vir alioquin non parvæ eruditionis: cùm in re ſeria ſuam mentem explicaret, reprehenſus à cavillatore ſibi aſſidente, ea de re judicaret, ubi barba excreviſſet promiſſior, reſpondit: *Hem homo barbate; non barba judicium fert, ſed mentis ſagacitas: neque barbis cauſa defenditur, ſed linguis & rationibus.*

Legati Anonymi: Ferunt Legatos quoſdam à Venetorum Senatu miſſos olim ad Henricum Franciæ Regem: qui, quòd eos parùm adultos barbarosque conſpicaretur, vix reſponſo dignatus eſt: adjiciens etiam, *Maturius hac de re judicium feretis, ubi barba veſtra maturior fuerit.* Verùm alter illorum ſe à Rege exceptos intelligens, in hunc ferè modum, ſcomma in eum retorſit:

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſet quin caper eſſe Plato?

Ex lib. Rerum memorab.

Carolus V. Imper. Quod Alexandro Macedonio attribuit Plutarchus, idipſum noſtri ſæculi, imò & fortaſſis futuri Alexandro Carolo V. adſcribunt, qui ejuſdem facta dictaque memoranda poſteritati conſecrarunt. Hic igitur dum grave illud bellum gereret cum Franciſco Rege, & jam omnibus ad prælium ineundum paratis, ab Equitatus primario ductore rogaretur, an aliud fieri imperaret? *Nihil*, inquit, *quàm ut enſes aptetis radendis Gallorum barbis.* Inſinuabat autem cominus, non eminus pugnandum: quo in genere pugnæ barbæ impedimento ſunt, ne illa hoſtis hoſtem apprehendat. *Ex vita ejuſdem.*

Civis Baſilienſis Anonymus: Percontanti, cur tam protenſam barbam enutriret, reſpondit: *Vt intuens hos meos pilos, me non mulierem, ſed virum intelligam.* Barba quippe virum ornat, monétque non niſi virilia aggrediatur. Hinc benè in *Metamorph. Ovid.*

Turpis equus niſi colla juba pendentia velent,
Pluma tegit volucres, ovibus ſua lana decori eſt,
Barba viros hirtæq; decent in corpore ſetæ,

Conr. Lycoſth. in Apoph.

¶ Monosticha Trochaica.

Barbam modestè tendas, haud radas item.
Barba si philosophum faceret, qualibet saperet capra.
Et barba crescit, & coma omnis mortuo.
Et barba regis Persici merè aurea est.
Multi Philosophos longa quos barba est putant.

Barbariei.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Herodotus: Amontis ejus perfossione Necris Rex destitit, hoc impeditus oraculo; eum id opus barbaro præmunire. Ægyptii autem barbaros omnes vocant, qui non ipsorum lingua loquuntur. *lib.* 2. *cap.* 158.

Isocrates: Cum cæteris contra quos bella gesserunt, simulac in gratiam reditum est, inimicitiarũ veterum obliviscũtur Græci. Asianis autem ne pro acceptis quidem beneficiis gratiam habent: adeò immortalem in eos iram gerunt. Sanè patres nostri capitis damnarunt multos quod Medis studere viderentur. Et in conciliis etiã hodie, antequam publicè quidquam aliud decernatur, si quis civium Persarum pacem aut amicitiam expetat, eum devotionibus obstringunt. Eumolpidæ autem in festo Initiorum, cæteris quoque Barbaris horum odio, tanquam homicidis sacra interdicunt. Naturâ porro sic eos odimus, ut nullis fabulis perinde gaudeamus, ac Trojanis ac Persicis, quibus cladem eorum cognoscere liceat. *Panegyrico.*

Dionysius Halicarnassæus: Alii Græci non pauci fixis inter barbaros sedibus, brevi omnem Græcitatem exuerunt, nec vocem nec instituta Græca retinentes; nec Deos colentes eosdem, nec juris & legum servantes æquitatem (quo maximè Græcorum natura differt à barbaris) nec cæterorum commerciorum & rituum genus ullum. *lib.* 1. *antiq. cap.* 92.

Libanius: Quis nescit barbarum fuisse Hectorem? quis porrò barbaros ignorat proximè ad belluas accedere? *Vituperio Hectoris.*

¶ Romanorum.

Cornelius Tacitus: Barbaris, quanto quisque audacia promptus, tanto magis fidus, rebúsque motis potior. *lib.* 1. *Annalium cap.* 57.

Idem: Barbaris cunctatio servilis: statim exequi, regium videtur. *lib.* 6. *Annalium cap.* 32.

Cornelius Tacitus: Barbaris impetus acres, continuatione languescunt, aut in perfidiam mutantur. *lib.* 12. *Annal. cap.* 12.

Idem: Barbaris nihil tam ignarum, quàm machinamenta & astus oppugnantium. *lib. eod. cap.* 45.

Corn. Tacitus: Barbaris fides fluxa. *lib.* 3. *Historiarum cap.* 48.

L. Annæus Florus: Cimbri Athesim flumen non ponte nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica, primum corporibus aggressi: postquam retinere amnem manibus & clypeis frustra tentaverant, ingesta obrutum sylva transiluere. *lib.* 3. *Histor. cap.* 3.

L. Annæus Florus: Sarmatæ patentibus campis nihil præter nives raráque sylvas habent. Tanta autem eis barbaries, ut pacem non intelligant. *lib.* 4. *Hist. cap.* 12. §. 1. *f.*

¶ Poetarum.

Ovidius lib. 1. Tristium. Eleg. 10.

Barbara pars læva est, avidæ substructa rapinæ:
Quam cruor & cædes bellaq; semper habent.
Cumq; sit hybernis agitatum fluctibus æquor,
Pectora sunt ipso turbidiora mari.

Ovidius lib. 5. Tristium. Eleg. 7.

Sin homines spectas, vix sunt hoc nomine digni;
Quámque lupi, sævæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges; sed cedit viribus æquum,
Victaq; pugnaci jura sub ense jacent.

Ovidius lib. 5. Tristium. Eleg. 10.

Barbarus hei ego sum, quia non intelligor ulli:
Et rident stolidi verba Latina Getæ.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Alphonsus Aragonum Rex: Attingimus Barbariem: sed quantum eam execrati viri sapientes! Certè Alphonsus Aragonum Rex, intuitus Syracusanum equitem agrestibus moribus, Barbarum eum nuncupabat. Atis Barbari nomen ægrius tulit. Cui Rex: *Ego non à genere, sed moribus Barbarum soleo definire.* Nobilem existimabat illum, quem nobilitat sua virtus. *Panorm. lib.* 1. *de Gestis ejusdem.*

Sigismundus Imperat. In Constantiensi Concilio reprehensus à Cardinale Placentino, quòd contra Grammaticorum præscripta verba quædam pronuntiasset, non minùs scitè quàm festivè, *Placentine*, ait, *si supra leges sumus, quare supra Grammaticam esse non possumus? Placentine, Placentine, quibus places placeas; mihi certè non placet. Author Serm. Convival. Chronica Germ.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ardea Græcas salutant, Barbaras naves timent.
Barbari plerique vita non habent causam suæ.
Barbaris mora est servilis: regium statim exsequi.
Barbaris mutare mores velle, plus quàm barbarum.
Plus valent sub barbaro hoste ferrea arma legibus.
Barbarûm æmulationes sunt in amore acerrimæ.
Barbarum hospitem mihi in ædes nil moror: sat litium est.
Barbarum haud ineptè dicas hominem quẽ haud intelligis.
Barbarum quod est virtutis haud intelligit modum.
Barbaros feliciores esse quàm Græcos nefas.
Barbarus rex nec Camœnas respicit nec Gratias.
Barbarus sibi ipse quisque est, qui poliri non cupit.
Barbarus virtutis ullum mente gustum non capit.
Pax soluta & languida inter temulentos barbaros.
Corporis proceritate, animum metiri barbarum est.
Cuncta honesta, cuncta justa regibus sunt barbaris.
Disce à barbaris: pudori est non habere quod bonum est.
Et Deos Græci fatentur, & fatentur Barbari.
Nusquam non barbarorum pertinax est impetus.
Quid sit æquum quidve iniquum nescit ullus barbarus.
Quilibet suâ naturâ est infidelis barbarus.
Qui vocant multum bibuntque, barbarus fortes habet.

¶ Jambica.

A belluis pauxillulum absunt barbari.
Beneficiorum sensus nullus barbaris.
Dolo valent plus quàm virtute barbari.
Ecquando non polluta barbaris fides?
Et barbaris virtutis est loco impetus.
Ex barbaris est, qui Camœnas non amat.
Facilè fidem cum sorte mutant barbari.
Græcanica est prudentia, audacia barbara est.
Haud adsequuntur, virtus quid sit, barbari.
Iræ obsequuntur non rationi barbari.
In barbaris vis una est, non est æquitas.
Moderata imperia ferre nequeunt barbari.
Nulla est fides ulli naturâ barbaro.
Pacis bona intelligere, haud jam barbari est.
Quàm barbarus est, qui pacem non intelligit!
Quis barbarus seipsum fatetur barbarum?
Scientias qui ridet, est & barbarus.
Stoliditas barbara, efficax est barbaris.
Valet impetu temeratiore barbarus.
Violare belli jura, fœdum barbaris.

Beatitudinis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Oportet ergo nos exercere ad ea cavenda quæ sunt obnoxia vitiis, fugiendo, ut ii qui verè sunt philosophi, cos cibos qui incitant ad libidinem, & eam quæ est est in cubili dissolutam remissionem & delectationem: & ita agendo, ut ea quæ in voluptate explenda fruendísque deliciis accidunt sint aliis magnum præmium, nobis autem nõ itidem. Est enim donum Dei maximum temperantia. Ipse enim dixit, Non te dimitto nec te derelinquo, ut qui te dignum judicaverim propter veram ac germanam electionem. Sic ergo nos piè ac cautè accedere conantes, excipiet benignum ac suave jugum Domini, à fide in fidem, uno auriga, per profectum, unumquenque nostrum vehente ad salutem, ut accedat is quem par est, fructus beatitudinis. Fit autem exercitatio, ex sententia Coi Hippocratis, non solùm corporis sanitas, sed etiam animæ, impigra laborum susceptio, & non nimia nutrimenti exsaturatio. Epicurus autem, in non esuriendo, nec sitiendo, nec frigendo, ponens beatitudinem, vocem illam Deo parem exclamavit, impiè dicens, se pro his vel cum Jove patre esse pugnaturum, tanquam porcorum stercoribus vescentium, & non ratione præditorum ac Philosophorum, beatam decernens victoriam. Ex iis enim qui voluptati parent, constat esse Cyrenaicos & Epicurum. Eos enim apertè dicere, finem esse jucundè vivere. Perfectum autem bonum solum esse voluptatem.

Epicurus autem doloris quoque amotionem dicit esse voluptatem: eligendum autem & expetendum esse dicit, id quod primum à seipso trahit ad seipsum, quod videlicet est omnino in motu. Dinomachus autem & Callipho dixerunt esse finem, quicquid in se est facere, consequendæ & fruendæ voluptati. Et Hieronymus Peripateticus, finem quidem esse vivere sine molestia ac perturbatione: extremum autem seu ad finem spectans bonum, esse felicitatem. Et Diodorus, qui similiter fuit ex eadem hæresi, finem esse pronunciat, citra ullam molestiam & honestè vivere. Atque Epicurus quidem & Cyrenaici, id quod est primum naturæ proprium, & conveniens, dicunt esse voluptatẽ. Voluptatis n. causa accedens, inquiunt, virtus, peperit voluptatem. Ex Calliphontis autẽ sententia, voluptatis quidem causa accessit virtus, procedente autem tempore cùm

ſuam vidiſſet pulchritudinem, effecit ut principio, hoc eſt, voluptati, eſſet honore æqualis. Ariſtotelei autem finem eſſe tradunt, vivere ex virtute. ſed nec felicitatem nec finem adeſſe cuilibet qui habeat virtutem. Sapientem enim qui vexatur, & in varios caſus præter voluntatem incidit, & ideò vult lubenter è vitâ effugere, nec eſſe beatum nec felicem. Virtute autem tempore quoque aliquo opus eſt: non enim accedit uno die: quæ etiam in perfecto conſtet: quandoquidem non eſt unquam, ut ajunt, puer beatus. perfectum autem tempus fuerit vita hominis. Compleri itaq; beatitudinem ex triplici genere bonorum. Neq; ergo pauper, nec inglorius, ſed nec valetudinarius, ſed nec ſi quis fuerit ſervus, eſt beatus ex eorum ſententia.

Rurſus autem Zeno quidem Stoicus finem eſſe putat ex virtute vivere. Cleanthes autem naturæ convenienter vivere, atque in benè ratiocinando: quod in iis quæ ſunt ſecundùm naturam eligendis ſitum eſſe ſtatuit. Et Antipater ejus familiaris, in iis quidem quæ ſunt ſecundum naturam aſſiduè & abſque ulla prolapſione deligendis, iis autem quæ ſunt præter naturam rejiciendis, poſitum eſſe exiſtimat. Et rurſus Archidemus ſic finem eſſe exponebat: in iis quæ ſunt ſecundùm naturam maxima & præcipua deligendis, non poſſe tranſilire. Præter hos autem Panætius, convenienter vivere appetitionibus quæ datæ ſunt nobis à natura. Poſtremò autem Poſidoni⁹, vivere contemplando univerſorum veritatem & ordinem, & ſe, quoad ejus fieri poteſt, ita inſtituere, ut nulla in re ducatur à parte animæ quæ caret ratione.

Quidam autem ex recentioribus Stoicis finem eſſe tradiderunt, vivere conſequenter conſtitutioni hominis. Quid tibi Ariſtonem recenſeam? is finem dicebat eſſe ἀδιαφορίαν, id eſt, indifferentiam: indifferens autem planè relinquit indifferens: aut ea quæ ab Herillo dicuntur in medium adducam? Ex ſcientia vivere ponit Herillus finem. Ex Academia recentiores volunt nonnulli finem tradere, firmam ac ſtabilem à viſis abſtinentiam. Quinetiam Lycus Peripateticus veram animæ lætitiam dicebat eſſe finem, quemadmodum Leucimus eam quæ ex honeſtis proficiſcitur. Critolaus autem qui ipſe quoque fuit Peripateticus, dicebat eſſe perfectionem vitæ rectè fluentis ſecundùm naturam, quæ completur ex tribus generibus, à majoribus permanus traditam, ſignificans perfectionem.

Neq; verò nobis his contentis quieſcendum eſt, ſed quàm maximè contendendum eſt, ut ea quoque quæ à Phyſicis de re propoſita decernuntur adducamus. Anaxagoram enim Clazomenium ajunt dixiſſe, contemplationem eſſe vitæ finem, & eam quæ ex ea procedit libertatem. Heraclitum autem Epheſium ἐυαρέσησαν. Pythagoram autem refert Heraclides Ponticus, ſcientiam perfectionis virtutum animæ, tradidiſſe eſſe beatitudinem. Quinetiam Abderitani docent eſſe finem. Democritus quidem in libro de Fine, animi tranquillitatem, quam etiam appellavit εὐεστώ, & ſæpè exclamat. Delectatio & ejus privatio ſunt eorum terminus qui ad ſummum vigorem pervenerunt. Hecatæus autem ſufficientiam. Quinetiam Apollodorus Cyzicenus animi delectationem, quemadmodum Nauſiphanes admirationem vel obſtupefactionem. Eam enim dicit à Democrito vocari ἀθαμβίην. Præter hos autem Diotimus, abſolutam omnium bonorum perfectionem, quam dicit appellari εὐεστώ, finem pronunciavit. Rurſus Antiſthenes quidem, faſtus vacuitatem.

Qui autem vocantur Annicerei ex ſucceſſione Cyrenaica, nullum totius vitæ finem terminatum ſtatuerunt: uniuſcujuſque autem actionis proprium eſſe finem, nempe eam quæ ex actione efficitur voluptatem. Hi Cyrenaici, Epicuri voluptatis terminum, hoc eſt, doloris ablationem, infirmant & abrogant: eam conſtitutionē mortui appellantes: non ſolùm enim nos gaudio affici propter voluptates, ſed etiam propter conſuetudines & honores. Epicurus autem exiſtimat, omnem effici lætitiam ex carne primo affecta. Metrodorus autem in opere quod inſcribitur, Majorem eſſe cauſam ad felicitatem eam quæ eſt ex nobis, ea quæ ex rebus oritur, Animæ, inquit, bonum quid eſt aliud, quàm firma, ſtabilis ac bona carnis conſtitutio, & ſpes fide digna quod ea ſic futura ſit?

At verò Plato Philoſophus, finem dicit eſſe duplicem. Unum quidem, id quod eſt participabile, & primum in ipſis formis, quod quidem nominat Bonum. Alterum autem id quod eſt illius particeps, & quæ ab eo proficiſcitur accipit ſimilitudinem, quod quidem eſt in hominibus qui virtutem & veram philoſophiam ſibi vendicant. Quare Cleanthes quoque in ſecundo de voluptate, dicit Socratem ubique docere, eundem eſſe virum juſtum & beatum: eumque execrari qui primus diviſit juſtā ab utili, ut qui rem fecerit impiam. Revera enim ſunt impii, qui utile à juſto quod eſt ex lege ſeparant. Ipſe autem Plato dicit beatitudinem, quæ eſt εὐδαιμονία, eſſe, benè habere dæmonem. Dici autem dæmonem, principalem animæ noſtræ partem. Beatitudinem autem, eſſe perfectiſſimum bonum & pleniſſimum. Aliquando autem vocat vitam ſibi conſentientem & convenientem, & nonnunquam id quod eſt ex virtute perfectiſſimum. Id autem ponit in ſcientia boni: & in ea quæ eſt cum Deo ſimilitudine. ſimilitudinem pronuncians eſſe juſtum & ſanctum cum prudentia. Annon ſic quidem ex noſtris, ad imaginē quidem ſtatim in ortu accepiſſe hominem, ad ſimilitudinem autem per perfectionem poſtea eſſe accepturum, intelligunt?

Jam verò docens Plato hanc ſimilitudinem viro bono futuram eſſe cum humilitate, illud utique interpretatur: Omnis qui ſeipſum humiliat, exaltabitur. Dicit itaque in Legibus: Deus quidem certè, ut vetus eſt oratio, tenens principium & medium & finem univerſorum, recta pergit, ſecundùm naturam circumiens. Eum autē ſemper conſequitur juſtitia, ultrix eorum qui à lege divina deficiunt. Vides quomodo ipſe quoq; legi divinæ inducit religionem. Subjungit itaque: Cui qui beatus quidem eſt futurus, adhærens, ſequitur humilis & moderatus. Deinde cum his ea quæ ſunt conſequentia conjunxiſſet, & timore adhibito admoniſſet, ſubjungit. Quænam eſt ergo actio Deo amica & conſentiens? Una, & quæ una ratione nititur antiqua, nempe quod ſimili quod quidem eſt moderatum, ſimile fuerit amicum: quæ ſunt autem immoderata, neq; ſibi invicem, neq; moderatis. Hac igitur ratione noſter temperans, eſt Deo amic⁹, eſt enim ſimilis: qui non eſt autem temperans, diſſimilis & diverſus. Hoc aūt vetus decretum eſſe dicens, eam quę à lege ad ipſum pervenit, doctrinam tacitè ſignificavit. Et in Theæteto, cum mala circa mortalem naturam & hunc locum neceſſariò vagari dediſſet, ſubjungit: Quare oportet tentare hinc illuc fugere quàm celerrimè. Fuga autem eſt, Dei quoad ejus fieri poteſt aſſimilatio: aſſimilatio autem, juſtum & ſanctum fieri cum prudentia. Et Speuſippus Platonis ex ſorore filio, dicit beatitudinem eſſe perfectum habitum in iis quæ ſunt ſecundùm naturam: aut habitum bonorum, quam conſtitutionē omnes quidem homines appetere: conjectare autem bonos moleſtię & conturbationis vacuitatem. Virtutes autem felicitatem effecerint.

Xenocrates verò Chalcedonenſis definit beatitudinem, propriæ virtutis poſſeſſionem, & ejus quæ ei inſervit facultatis: deinde ut in quo quidem ſit, videtur dicere animam: ut autem à quibus, virtutes: ut ex quibus tanquam partibus, bonas actiones, & honeſtos habitus, & affectiones, & motus, & habitudines: utpote quod non ſine his ſint ea quæ ſunt corporis & externa. Xenocratis enim familiaris Polemo, videtur velle beatitudinem eſſe ſufficientiam omnium bonorū, vel plurimorum & maximorum. Decernit itaque, ſine virtute quidem non futuram unquam beatitudinem, abſque bonis autem corporis & externis, virtutem eſſe ſufficientem ad beatitudinem. Et hæc quidem ſic habe. *lib. 2. Stromatum.*

D. Greg. Nyſſenus: Beatitudo ut mea quidem opinio fert, comprehenſio quædam eſt omnium earū rerū quæ nomine boni intelliguntur; à qua nihil abeſt eorū quæ pertinent ad bonorū deſideriū atq; cupiditatem. Planiùs id fiet ex comparatione contrarii, quod eſt miſeria. Miſeria igitur eſt, in acerbis actriſtibus, noſtráq; voluntate non accidentibus caſibus & calamitatibus ærumna. Affectio item eorum, quæ in ipſis fiunt, in utroq; in contrariū deducta atq; diviſa eſt. Nam beato lætari, ſibi placere & exultare licet. Miſero rebus ſibi præſentibus angi atq; dolere contingit. Porro quod verè beatum habendum ſit, ipſum divinum numen eſt. Nam quidquid id tandem eſſe ponamus; beatitudo eſt illa immortalis & incorrupta vita, ineffabile pariter & inanimadverſibile atq; inexcogitabile bonum, inenarrabilis inexplicabiliſq; pulchritudo, à ſeipſa profecta, à ſeipſa data, & gratia & ſapientia & potentia: vera lux, fons omnis bonitatis, rebus univerſis præſidens ac ſuperimpoſita poteſtas; ſola amabilis, ſemper eodem modo ſe habens, perpetua exultatio, ſempiterna lætitia; de qua ſi quis dicat omnia quæ poſſit, nihil dicet eorum quæ rei dignitas poſtulat aut requirit, &c. *Homil. 1. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyſſenus: Proprium eſt ac peculiare divinæ ac beatæ vitæ, in eodem ſemper manere, nec admittere mutationem, quæ fit ex alteratione. *Qrat. quod filius ſubjicitur patri.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quòd multa nobis obſcura ſint, atq; humano ingenio vix perveſtigari queant, perſpicuum eſt. Quòd aūt ea demum, & quidem utiliter captū noſtrū effugiant, quæ nobis ad ſalutē haudquaquā conducunt, id quoq; liquet. Conſideremus itaq; quid nobis ad beatitudinē adjumento ſit, quid ſecus: atq; ita, quæ dicūtur, exploremus. Cœlum aut ſphæræ, aut dimidiæ ſphærę ſpeciē imitari affirmare, atq; item celerrimum Solis curſum, ac Luæ incrementa & decrementa, ſyderúmq; ſitum curioſè indagare, ac præterea de terra quęrere, cylindri an coni ſpeciē teneat, mundiq; centrum ſit, ac denique & Solis & Lunæ intervalla cognita & explorata habere, quid ad benè beatéque vivendum utilitatis afferat, equidē non video. Quòd ſi quis id dicere poſſit, dicet quidem fortaſſe: verùm minimè perſuadebit. At verò juſtitiam & fortitudinē, ac prudentiā & temperantiā, & ſi quid his affine eſt, ſcire atque exequi, hoc verò, eos, qui id callēt, ad beatitudinis arcem evehit. Quocirca faciendum eſt, ut ab his, ex quibus nihil commodi nobis oritur abſtineamus: ea autem ex quibus emolumentum percipitur, amplectamur. *lib. 2. Epiſt. 273.*

S. Iſid. Peluſiota: Beatus es, ac mirificis laudibus dignus, ut qui hoc ſis, quod vocaris. Nam cùm ea, quæ collibuerit facere poſſis, rutamē ea ſola, quæ Scripturis ſanctis, ac divinis legibus & inſtitutis grata ſunt, facere non intermittis. *lib. 3. Epiſt. 114.*

Idem: Ne ſis neſcius, ô amice, beatæ vitæ materiam, turbulentorum animi motuum oppreſſionem eſſe: qua nec optabilius, nec præclarius quicquam eſſe queat. *lib. 3. Epiſt. 227.*

Idem: Dominus Chriſtus beatos prædicavit, qui propter ipſū fanda atq; nefanda omnia audiunt, dūmodo ii qui ea dicerent, mentiētes deprehenderētur. Sciendū eſt igitur, oportere eū, qui ad ſupremā beatitudinem aſpiret, utrúmq; adeſſe, ut nimirum & propter ipſum (Chriſtum) patiatur, & ut falſa confictáq; ſint quæ dicuntur. Quorū niſi utrúmque adſit, alterutrum ſolum non poterit tantum prodeſſe. Proderit quidē aliquid, ſed non tantū. Nā ſive propter ipſum patientes, vera audiverim⁹, erubeſcere nos neceſſe eſt. (alterâ. n. ex parte reportantes gloriā, ex alterâ redarguimur.) Sive non propter ipſum, & tamen falſā, patientię quidem reportabimus mercedem: attamen ſupremę beatitatis prędicationem minimè conſequemur: quâ quidem potiri potuiſſemus, ſi ambo concurriſſent. *lib. 4. Epiſt. 199.*

¶ Latinorum.

Zeno: Beatus esse non potest fratres in prima nativitate persistens: quem æstuantium delictorum fex incensa omnibus momentis exurit: qui prædorem sui secum carceris portat: qui carnificem sentit ante, quàm videat: qui nomen judicis pertimescit: qui, sicunde susurrus ingruerit, se quæri, se æstimat inveniri: cui securitatis profectus est nullus, etiam si contingat ei accusatore carere, teste conscio: cùm seipso carere nō possit: quia violentior omni tortore conscientia nūquam suum deserit peccatorem. In hoc reatu fratres usq; nunc fuistis: sed fortiter examinati estis: sed, ut indulgentiam perciperetis, pro vobis benè vigilastis, optimè estis auditi. Novum judicii genus: in quo reus si excusaverit crimen, damnatur: absolvitur, si fatetur. O magna potestas, magna peritia, magna pietas judicis nostri: à quo universi generis peccatores, ut possint beatè vivere, puniri festinant: descendit quippe gladius pius in viscera peccatoris, & uno, eodemq; ictu, incolumi corporis manente materia interficit hominem veterem: creat novum: & sacri gurgitis elemento sepelit. Et, cùm omniū aquarum natura sit talis, ut cùm in profundum homines susceperit vivos, evomat mortuos, aqua nostra suscipit mortuos: & evomit vivos: ex animalibus veros homines factos: ex hominibus in angelos transituros, si provectus ætatis eorum infantiam non mutaverit. *Sermone altero ad Neophytos.*

¶ Philosophorum Oratorumque.

Crates: Curæ sit vobis animus. Corpus tantum, quantum necessitas postulat. Externa etiam non tantum. Beatitas enim non in voluptate consistit, ad quam externorum usus pertinet. Sed virtus cum nullo externorum potest esse perfecta. *Epistola 3. ad Amicos.*

Crates: Quorum enim animus temperantia præditus est, & corpus suam valetudinem obtinet, & sufficiunt pecuniæ, cur hi non sint ter beati. *Epist. 10. ad Lysidem.*

Epictetus: Si quem eximiis honoribus affectum, aut ampla potestate præditum, aut alioqui florentem videris, vide ne quando beatum illum prædices, visorum impetum secutus. Nam si in rebus nostræ potestati subjectis vis tranquillitatis constiterit, nec invidia, nec æmulatio locum habebit: tuque ipse, non imperator, non senator, non consul esse voles, sed liber: ad eam autem rem via unica est, eorum quæ in potestate nostra non sunt, contemptio. *cap. 26. Enchiridÿ.*

Simplicius: Bonis potiri, & in nullum malum incidere, beatos facit. Bonis & utilibus rebus excidere, aut in noxias incidere, infelices. *cap. 4. in Epictetum.*

Simplicius: Ut sine molestia vivamus, nec ea quæ fiunt improbemus, aut rerum naturam se ad voluntatem nostram accommodare, aut nos ea quæ rerum natura nobis decreverit, omnia probare necesse est. Aliter enim fieri nequit, ut benè agi nobiscum arbitremur. Neque verò aut fieri potest, aut semper nobis expedit, ut rerum universitas omnibus optatis nostris respondeat. Multa enim nobis placent, quæ ipsis etiam nobis sunt inutilia: sive quod eorum naturam ignoramus, sive quod brutis affectibus interdum indulgemus. Nos igitur, si beati esse volumus, assuescere, ut iis quæ ab universitate fiunt, acquiescamus necesse est. Verùm hoc præceptum nonnullis durum, atque adeò ne fieri quidem posse videbitur, ut quisquam velit ea quæ fiunt, ita fieri ut fiunt. Quis enim sanæ mentis homo probet vel communia mala, quæ ab universo oriūtur: ut terræ motus, diluvia, incendia, pestem, famem, interitum omnis generis animantium & frugum? vel ea quæ nefariè ab hominibus in homines perpetrantur: urbium excidia, captivitates, cædes injustas, latrocinia, direptiones, libidines & tyrannicam violentiam usque ad impietatem adigentem, & ab eruditione & philosophia repellentem, omnisque virtutis & amicitiæ & mutuæ fidei, & tam scientiarum, quę vix multis ætatibus inventæ confirmataque sunt, tantam eversionem ut earum sola nomina memorentur, quàm artium multarum, quæ divinitus juvandi nostri causa datæ sunt, ut medicinæ, ut fabrilis, ut architecturæ ac similium eam depravationem, ut earum umbræ tantum & simulachra sint reliqua.

Hæc igitur & idgenus alia, quæ in nostram ætatem redundarunt, non dico videre, eorúmque particeps esse, eáque fieri, sed vel audire quis velit, nisi homo malevolus & omnis honestatis inimicus? Hujusmodi dubitationes non hominū vulgo duntaxat, sed & eruditioribus obstrepentes, dissolvendæ sunt, si & Epicteti orationi sua debebit constare auctoritas, & rerū auctoris Dei reprehensione carere gubernatio. Ubi.n. utilitatē, ibidem etiā pietatē collocam⁹: ut paulò post nos ipse docebit Epictetus. Ajo igitur, si verè mala ea sunt, quæ modò tragicis verbis dubitatrix prædicavit oratio, & talia mala, qualia nobis videntur: nec vir bonus is fuerit, qui delectetur malis: neq; eum qui hæc gubernat, non esse causam malorū, obtineri potest: aut si malorum auctor credatur, ut eum honoremus, aut amemus, aut colamus, fieri nequit, etiamsi infinitæ rationes in medium afferantur. Quodvis enim animal (ut ipse dictur⁹ est) noxias res earumq; causas fingit & aversatur, utiles verò earūq; causas cōsectatur & admiratur.

Sin hæc non esse mala quæ fiunt, ut putamus, sed bona potius, ut quæ ad magna bona conducant, eorúmq; causa fiant, demonstratum fuerit, & si quid omnino mali insit iis quæ fiunt, id nō in ipsis inesse rebus, sed in appetitionibus & affectionib⁹ nostris neq; is malus erit, qui ea quæ fiunt, ita fieri voluerit ut fiunt, neq; gubernator harū rerum videbitur malorū auctor. Ista igitur in quibus ea fiunt, quæ mala vidētur, in ortus & interitus loco constituta, partim corpora sunt, partim animæ brutæ, affixæ corporibus: nec ferè quicquā sejunctum ab iis habentes, cùm sint tantum vita corporū, & secundùm illa unáq; cum illis moventur. Rationis verò participes per se movētur, sejunctæ à corporibus, & sui juris voluntate appetituq; præditæ sunt, harum corpora motu prorsus alieno agitata, omnémq; naturā extrinsecus habentia, præcipuè quidem à cœli conversionibus oriuntur, intercidunt variásq; mutationū vices subeunt. Sin propiora & ipsam materiam spectes, à sese invicem afficiuntur. Id.n. est consequens, ea quæ nascūtur & pereūt, ab æternis cōstitui: & ab iis quæ per sese movētur, ea quæ ciētur aliunde: & ab iis quæ cōtinēt, ea quæ cōtinētur.

Estq; hic ordo, hoc jus universi, ut hæc illa consequantur, cùm in sese nō habeant principiū motionis, aut delectus: nec appetitio si eorum sita sit potestate: neq; discrimē dignitatis eorū libera voluntate oriatur, sed è suis causis pendeat: sicut nec umbræ corporū, suo arbitratu hoc aut illo modo convertuntur aut afficiuntur, sed causarum suarum statū sequūtur, semper eadem præditæ dignitate. Ac ne ipsis quidem quæ mutantur corporib⁹, sive cōpositis sive simplicib⁹, malum est illa mutatio: primum quod eorū natura est talis, nec fieri potest ut aliter se habeant. Etenim nec rationis capacib⁹ animis malum esset ignorantia, & brutis appetitionib⁹ vita cōsentanea, nisi ita nati essent ut & verū cognoscerent, & brutis appetitionibus imperarent, supráq; illas velut eminerent. Deinde quod composita rebus contrariis constant, & inter sese pugnantib⁹ quæ in alienis collocatæ locis per morbos sibi mutuo sunt infestæ atq; injuriæ: alias igitur quæ in ipsis corrumpuntur excernentia, confirmantur: alias ad interitū tendentia, ipsa quidem à labore & ærumnā & redundantia contrariorū, quæ eis ineſt, liberantur, & singula quæ in eis insunt simplicia, suis totis restituuntur, ut quasi repubescant, & ab innata eis ex contrariis imbecillitate recreentur. Eorum.n. quodlibet agens aliquid in contrarium, utiq; vicissim aliquid etiā ab eo patitur. Cùm verò simplicia, contrariarum mutatione qualitatū in se mutuo convertuntur: id fiunt denuò, quod ante fuerūt. Nam aqua in aerē mutatur, unde pri⁹ facta erat: & aër in ignē, unde fuerat ortus. Neq; in his scil. quicquā est mali, etiamsi indē vel diluvia, vel conflagrationes, vel aliæ vehementiores mutationes efficiantur, ob elementorū universi æquationem: sive etiā pestilētiæ aut terræmot⁹ cōpositā corpora diremerint.

Quod si hæc etiam conducunt ob infinitam ejus quod ortum habet revolutionem, eo quod unius interitus ortus est alterius, qui fieri potest, ut partis interitus sit malum, si toti cōducit? Nam in singulis etiam cernitur animantibus ipsa natura contemnere partem propter totum, cùm fluxiones à partibus communibus corde, ventre, hepate & cerebro, in extremos pedes relegat, & manus, & ad cutem per tubera, lichenes, & ejus generis alia depellit, & abscessus perniciosos in membris facit ob incolumitatē totius. Atq; etiā ars medica naturæ in hoc imitatrix, apostemata putrefacit, secat, urit, & intendit atq; amputat partes totius ergo conservandi. Neq; quisquam tamen est, qui male ista fieri arguat.

Itaq; si per se sola essent corpora, nec eorū quæ his accidunt quicquam ad humanos animos pertineret: nihil profectò in eorū mutationibus inesse mali crederetur. Sed quia etiā animæ corporibus insunt: omnis ex eo querela nascitur. Quarum tamen brutæ cum corporibus cohærent, eísq; vitam impertiunt, atque in illis & cum illis suam & naturam & vim & efficaciam habent. Rationis verò participes, & naturā sejunctæ, ac planè separabiles à corporibus, tum per se moventur, tum liberam voluntatē habent, & appetitiones atq; affectus suo arbitratu moderantur, ut supra ostensum est. Brutis autem contra, (siquidem ne vestigium quidem proprii sui motus, nec internam appetitionem, aut qualemcunq; motionem habent, sed planè corporum vita sunt) perspicuum est, suam quoq; naturam unà cum corporibus fato attributam, & dignitatem pro earum ratione & cum illis assignatam, quæ unà cum eorum motionibus afficiatur, habere, ut antea de umbra est dictum.

Quod si stirpium vitæ magis convenit, quæ eo radices deorsum egerunt, ac sensu carent & motu, cum appetitione & concitatione animi conjuncto, quæ res brutis etiam contigerunt: pecudum animæ, inter animas stirpium corporibus inhærentium, & eas quæ secundùm naturam absolutæ ac per se mobiles sunt mediæ, aliquod vestigium habent appetitionis & concitationis, intrinsecus in ipsis excitatæ, quæ alias pro natura sui geneſis moveatur, ut cum leo moderatam in suo genere habet iram, alias effervescat aut deficiat. Itaque dignitatem quoque imparem, & vitam dissimilimam habent à fato attributam: quam sic obtinent, ut aliunde moveatur. Debent enim ea quæ inter aliqua interjecta sunt, cum utriusque extremis quandam habere affinitatem.

Cæterum particeps rationis animus per se mobilis, & appetitionis atq; affectionis suæ planè domin⁹, ea euā est dignitate quam à libera voluntate consequitur: corpore autem utitur, & affectus habet, qui ad ipsum referantur. Is, cùm naturæ congruenter vivens, pro instrumento utitur corpore, sejunctus ab eo, & supra id eminens: tùm noxæ corporis impediunt animi actiones quæ per corpus fiunt, nullis tamen ipsum animum afficiunt malis. Nam dolorem in pede manere, divinus Socrates asserebat. Si verò majore quàm par est necessitudine cum corpore contracta, vel non jam ut instrumentum, sed ut sui partem, ac potius ut semetipsum amplexatus: tum cum eo & per id affectibus agitatus & obbrutescens, & iracundiæ atque cupiditatis appetitiones, suas esse ratus, illisque inserviens, rationē sque subjiciens quibus illa desideria expleantur: & prorsus corrumpitur, & morbis animi laborat, egétque medicina qua illis liberetur.

Solent

Solent autem contraria curari contrariis. Debet igitur animus appetitu voluptatis & suavitatis, atque amore corporum, opum, honorum, potentiæ, similiumque rerum vitiatus earundem rerũ frustratione & puniri & sanari, in primis verò corporis doloribus, quod est animo propinquius, cujusque cruciatus magis sentiuntur. Cùm enim animus & Deum & seipsum deseruerit, seque totum corpori & rebus externis dediderit, eaque seipsum esse putarit, & suum bonum in illis quæsierit, eaque ratione depravatus ægrotarit: quonam alio modo ista aspernaretur & ad seipsum & Deum converteretur, & in his bonum suum quæreret, nisi præter noxam ista etiã molesta experiretur. Nam quia propter voluptatem ad ea vergit, spe in eis & cum illa potiũdi: dum illa voluptate fruitur, affixus illis deliquescit. Nullus enim clavus est, qui ita fortiter affigat & agglutinet animos, ut voluptas, & illecebræ voluptatis. Bonus igitur ille medicus, ea quibus inhiat animus cum molestiis offerendo, eadem ut aversetur facit: quemadmodum nutrices infantes ablactaturæ, aliqua re amara papillas inungunt. Animi ergo initio duobus propositis malis, dolori corporis, mortem & discessum à corpore anteponunt: nunquã id facturi vigente & florente corpore, unaque consuescunt odisse & aversari voluptatem, quæ hîc percipitur majoris doloris formidine inde excitandi: sicut & pueri primum à rebus noxiis metu retrahuntur, atque aliquis noxio quopiam cibo aut potione impense gaudens, sæpè doloribus inde affectus, magnæ molestiæ fuga & metu ab iis abstinet.

Etenim quis rebus jucundis sine molestia perfruens, quamvis noxiis, ex animo ab iis abhorreat? Atque ista voluptatum timore doloris majoris abstinentia, permutatio quædam potius est affectus, quàm liberatio. Nam suavitate quæ inest in vacuitate à molestiis, fructum suavitatis permutamus, & affectus alium sibi affectum adjungit. Expedit autem hoc initio nobis, ob pueriles & stultos affectus nostros, ut ea suspecta habeamus & invila, quibus vehementer afficimur: posteaque naturam eorum considerantes, ea præterquam quod noxia sint, multò etiam plus habere molesti quàm jucundi, & in nos ipsos descendentes, & bonum in nobis situm esse deprehendentes: non autem in corpore, aut rebus externis, atque similitudinem nostri quandam cum Deo sentientes, eamque honorantes: jam non metu, sed scientia & virtute vitam naturæ consentaneam amplectamur. Nam & pueri quæ prius declinabant & prosequebantur metu, post aucta prudentia ultro faciunt.

Et hunc scopum propositum habet curator noster Deus & rationis particeps animus, neq; adhærescat corpori & rebus externis, neque his metu, sed judicio abstineat: tanquam bono & malo nostro in appetitione & declinatione sitis. Etad hunc finem providentiæ medicina contendit, ut reducat animum ad amplectendam vitam naturæ consentaneam: quemadmodum etiam optimus quisque medicus sectionibus & ustionibus naturalem habitum corporibus restituit, ut naturalibus actionibus fungantur: estq; improbitatis medicina pœna: & eum usum habent mala, ut habentur quæ nobis eveniunt. Ut autem medicis succensemus, ustiones & sectiones & molesta remedia adhibentibus: sic homines væcordes & puerili sententia, hæc molestè ferunt. Et qui hujusmodi casibus & seipsum & alios observarit, atque affectiones animorum animadverterit: is facilè nimirum intelliget, molesta ista velut ansam præbere animo corporis & rerum externarum, aut (ut Epicteti nostri more loquamur) eorum quæ in nostra potestate sita non sunt, contemptionem. Ut autẽ corporum medicina duplex est, & ejus una pars ægrota corpora curat & per contraria corrigit: altera victus ratione & exercitationibus sanitatem tuetur, confirmat, auget: quædamque exercitationes sunt valdè laboriosæ, nec nisi viris fortibus & constantibus tolerabiles: Sic & animorum auxiliator, non ægrotantes tantùm vitæ difficultatibus curat, sed & sanos exercet, ac saniores & fortiores facit, eorumq; virtutem ad imitationem aliorum illustriorem reddit. Nam etiam sanos hominum animos, ut & valentia corpora, indigere exercitationibus, in promptu est. Motio enim confirmat, ignavia verò labefacit, ut inquit Hippocrates. Cur? Quia ea quæ suam perfectionem semper obtinent, & naturæ suæ convenientes actiones: easdem paratas semper atque in promptu habent. Quæ verò nihil agunt, exercitatione egent ad imitationem perpetuæ motionis: ne per ignaviam actionis oblita & velut emortua, cum tempus necessitasque postularit, suo munere desint. Quod enim alias actuosum, alias otiosum est, idque ob imbecillitatem, actione confirmandum est.

Omnis autem exercitatio iisdem rebus perficitur, per quas principalis actio ad quam exercemur. Nam exercitatio ad luctam, jugi luctatione fit: ad cæstum, crebro dimicando & verberibus assuescendo. Sic etiam ad bellum exercebere si colluſor hostem imitetur: quoq; ii qui unà tyrocinium faciunt majores robustioresque fuerint, eo magis exercitatio metam suam attinget. Itaque si quis ad id etiam exerceatur, ut voluptatem contemnat: eum rebus jucundis tractandis ad earum contemptum assuescere necesse erit. Si ad ferendum molestiam, opus est ut molestiarum sit particeps. Si ad timorem, ut in rebus timendis conjiciatur. Si ad cruciatus, ut nobilium Lacedæmone adolescentum flagellationis certamen æmuletur, & omnes eas exercitationes doloris plenas, quæ ad id certamen referuntur: aut Salustium qui nostra ætate, in vivum carbonem femori impositum sufflando periculum faciebat, quam diu ardorem illum tolerare posset. Nam exercitationes à principalibus actionibus ipso genere non differunt, sed paulo majore facilitate & desinendi, cum nobis visum fuerit facultate.

Quoniam igitur qui humanos animos nascendi causa demittit Deus, vires etiam eis addidit, quibus instructi absque noxa uti rebus terrenis tam allicientibus quàm terrentibus, eásq; superare possent: eas vires exercens idem Deus, ne per ignaviam laxiores & remissiores fierent, néve usum earum tempore postulante cessarent, certamina multa proponit animis. Neque Hercules aut Theseus aut Diogenes aut Socrates in tales viros evasissent, nec humanæ virtutis magnitudo quousque progredi posset eluxisset, nisi & illos cum bestiis immanioribus & scelleratis hominibus commisisset, & hos summa victus tenuitate ad vitam naturæ consentaneam compulisset. Illud quoq; attentus non est obscurum, eos qui res adversas generose pertulerint, fortiores evadere in posterum. Si enim rerum maximè formidabilium horrorem assuefactio ludum & jocum facit, ut in ejusmodi certamen nonnulli ob exiguam stipem ultro descendant: quo pacto fieri potest, quin rerum leviorum exercitatio efficiat, ut ea cõtemnantur, quæ inexercitatis permolesta videantur? Quæ igitur difficultates & ærumnæ habentur, hæ quia sive ut curationes ægrotantium, sive ut valentium exercitationes animis adhibentur, malæ eis esse non possunt. Alioqui eodem modo & medicamenta & gymnasia corporibus gravia, mala diceremus. Cùm autem pro dignitate tum naturæ tum voluntatis fiant: mala non erunt. Quod enim pro dignitate fit, justum est: quod justum, bonum.

Ac ne corporibus quidem suapte naturâ sensus expertibus, malum est secari aut uri. Nam compositio, in sua simplicia resolutio non est malum. Quodsi corporum medicinam exercentem, utentem, intendentem, membra resecantem, & planè sævos carnifices imitantẽ, malum non dicimus, sed bonum: si medicis cùm gratiam habemus, tùm mercedem numeramus: cur in medicina Dei non acquiescimus? Neque enim iracunde, nec vindictæ cupiditate, nec præter meritum, neque nocendi causa quicquam horum facit Deus: sed instar medici & curatoris & parentis, & ad maximam utilitatem nostram, & (quo uno verbo rem complecti totam licet) pro sua divina bonitate. Multiformis autem est Dei medicina. ut qui alios morbis, inopia, ignominia: alios pestilentia. fame, terræmotu, inundatione, naufragio, bello: alios pœnis humanitus inflictis, medicetur. Neque verò mala hæc sunt, sed bona: siquidem medicari bonum est. Si quis autem est qui hæc dicenda esse bona haud censeat, quod non præcipuè sint expetenda: qualia ea quæ propriè bona sunt, esse oportet: non statim ea mala vocet, sed ad verum bonum acquirendum necessaria, quam ad rem ea necessariò requirimus, & propter illa amplectimur. Nam & sectiones & ustiones medicas, & id genus alia nemo præcipuè spectat: sed desiderio sanitatis illa admittimus, quam per ea consequi necesse habemus.

Ac rectè illa necessaria vocarunt sapientes: quæ omnia necesse est adhiberi, si bono potiri studeamus: quæ quidem & ipsa bona sunt, siquidem ad bonum conducunt, partim ad valetudinem corporis, partim ad animi sanitatem, inferiora tamen principalibus bonis: cum quibus ea vulgo conferentes, mala existimant, malè utiq; sentientes· siquidem per hæc consequi ea quæ bona sunt, est necesse. Si igitur propositæ dubitationes profligatæ sunt, & ea quæ fiunt omnia, pro dignitate partim naturæ, partim voluntatis fiunt, & quidem utilitatis causa fiunt à Deo: dubio procul quivis cordatus homo & volet ea fieri quæ fiunt (nisi in videat iis quibus jus suum tribuitur, aut medicina adhibetur) & talem medicum colet, venerabitur, synceréq; diliget, & benè mereri statuet. Ac eas quæ objiciuntur hominibus difficultates, quasdam esse medicinas: & eam medicationem eorum qui hac egent, & corporibus & animis prodesse, quivis, ut opinor, concesserit. Ipsam verò seu animi seu corporis ægrotationem, & medicationis tam molestæ & dolorificæ necessitatem: quis bonũ, & non malum: atq; ejus auctorem, mali auctorem non existimet? An verò iterandum eadem ista mihi? corporis morbum nec ipsi corpori esse malum, cùm & tali natura sit præditum, & ad compositi spectet dissolutionem, & restitutionem simplicium suis totis, eorumq; discessum & liberationem ab habitatione alieno in loco & pugna contrariorũ: nec animo, siquidem eam medicationem illius esse demonstratũ est, & multifariam evidenter apparet. Quod si morbus uni corpori esset noxius, ejúsq; interitus: sed animo utentis eum, & compagi universi, & quæ in eo sunt elementorum & irrequietæ generationis circulo per hoc infinitum progredienti, eo quod unius interitus ortus est alterius, expedire constaret: optimus ille administrator ejus quod corrumpi solet naturam, & partis deteriorisque interitum, ob præstantius & totum & perpetuam generationis seriem contempserit. At morbidi animi ortus, neque ipsi prodest neque universitati quicquam confert. Ejus igitur auctor, mali alicujus est autor: & qui eum depravari & ægrotare vult, malus fuerit? Sic eadem manere dubitatio videbitur. Quæ ergo morbi & malitiæ causa sit animo, ex iis quæ prius de rebus nostri & alieni juris dicta sunt, recordemur: animi bonum in eo situm esse, ut secundùm naturam appetat & declinet, malum in eo quod sit contra naturam. Appetitionem autem & declinationem in nobis sitas esse, demonstratum arbitror. Quare ipsi nobis & virtutis causa & vitii sumus. Unde fit, ut & boni laudentur, ut qui bonum ipsum suapte vi sunt consecuti, unde virtus ipsa nomen habere videtur: & reprehenduntur improbi, ut qui non tales esse possent, & ex socordia improbi evaserint. Nam si hæc extrinsecus insererẽtur: voluntas bona aut mala esse desineret, in ejúsque locum casus & necessitas succederet. Deus igitur ne hic quidem ullius auctor mali reperiretur.

Quid verò, si nec ipsius morbo animi, quod vitium dicitur, omnino malum est, sed & ipsum habet aliquid ad humanæ virtutis constitutionem necessarium? Ut enim sanitas horum corporum, sanitas non esset, nisi natura eorum magis etiam ferret ut ægrotarent, sed esset habitudo quædam perennis, nec morbis opponeretur ejusmodi cœlicolarum est: sic etiam humanorũ virtutes animorum, modestia, justitia, prudentia, & omnis ille reliquus earũ cœtus nõ exstaret, nisi animorum ea natura esset, ut depravari possent. Alioqui virtutibus præditi essent angelicis, ac potius divinis, non humanis: quæ quidem tales sunt, ut etiam ad vitium detorqueantur. Si igitur bonæ sunt humanæ virtutes, & valetudo prospera corporis, nec prima tantum & inaspectabilia bona promanare à fonte boni oportebat, sed & media & ultima: eorum quoq; bonorũ quæ depravarentur, depravationem exsistere necesse erat. Neque. n. essentiam principalem habent, sed iis quæ erant, accessionis vice adjuncta fuerunt. Consideranda hoc loco est divinæ bonitatis excellentia, quæ & corporis interitũ, quod umbræ instar, ut dixi, unà cum causarum motu necessario circumagitur, bonum effecerit: tum ipsis ægris caducisque corporibus, ratione conjunctionis cum integris elementis & renovationis: tum animis, quorum instrumenta sunt corpora, qui per eum sanentur: tum quod universo illi genito, ad infinitam, ut dictum est, distributionem serviant: & seipsum ab animi vitio, quod solum utcumque vitium videretur, liberavit. Primum quod id ut ad bonum necessarium, & non ut malum concessione quadam rebus adjunctum sit. Deinde quod hoc ipsum voluntatem animi sequi omnino jusserit, nec unquam in rerum naturam penetrare, nisi ille vellet.

Quamobrem non voluntaria, ut quæ mala non sint, tam à Deo quàm à legibus ignoscuntur, & malum quodammodo non inest animo voluntarium. Neque enim animus unquam malum tanquã malum amplectitur, sed ut bona quædam, alias pecuniam, alias voluptatem corporis, aut potentiam aut honorem appetit: noxam verò his adjunctam aut planè non videt, aut negligit, cupiditate adamantarum rerum subactus. Sic undecunq; ejectum est è rerum natura perfectè malum. Ac facilius concedi posset, esse id quod nullo modo sit, quàm perfectum & arbitrarium aliquod humani animi malum extitisse. Si quis verò Deum mali auctorem existimet, ut animi conditorem cujus animi fructratio & lapsus malum sit: siquidem per se mobilis & libera natura animorum malum est, mali dicere auctorem necesse est hujus conditorem. Sin bonum est, & multò iis quæ in mundo sunt bonum majus & honorabilius: qui mali auctor esse queat is, bonum qui condiderit? Cùm igitur id quod naturæ congruit, & optabile & expetendum sit: quis mortalium (qui quidem humanam virtutem intellexerit) stirps aut quodlibet brutum animal quàm homo esse malit? Quamvis enim & stirpes & brutas animantes bona esse dicamus, certo tamen boni ordine, & inferiora bonis cæteris condita, & ad certos usus à Deo sunt destinata. Jam si illudetiam in nobis situm est, ut vel boni vel mali simus, ejusque rei potestas nostra est, neque quicquam est quod nostram vel voluntatem vel declinationem ulla ex parte vel cogere vel prohibere possit: hæc natura & vis libertatis (meo quidem judicio) præclara est, & magnifica, & principalis, atque illius auctor bonus & potens.

Sin ipse animus per sese aberrarit, cùm ne aberraret penes ipsum esset: quis æquius aberrationis illius auctor dicatur, quàm ipse animus, qui principium & causa est tam boni quàm aversionis à bono, quique à se ipso principium aversionis? Nam ea causa quæ initio eum fecit, non simpliciter talem fecit qui averteretur: eum qui, si ipse vellet, minimè averti posset. Si ergo voluntas est ipsius animi motus internus, ipse sibi causa erit aversionis. Ac observa Dei solertiam. Nam cùm in medio eorum quæ semper sursum semperque deorsum sunt, quædam existere media, quæ alias supernis, alias infernis assimilarentur, & extrema cum universi perfectione devincirent, nutus verò & propensio ad inferiora suborta vim habet eam quæ averti à recto queat: tantam mediis hisce vim impertiit, ut quoad ipsa vellent, inconcussa manerent, & ipse unndecunque nullius auctor mali convinceretur. *cap. 13. ad Epict.*

Iulianus Cæsar: Socratem scio neque fortunatum fuisse, nec beatos ac felices eos pronunciasse, qui agri plurimùm possiderent, quiq; plurimis nationibus imperarent, partim Græcis, partim & majori ex parte Barbaris, qui Athonem montem perfodere possent; qui cùm maria trajicere vellent, ratibus inter se continentes committerent; qui nationes debellarent, insulas caperent, ac retibus comprehenderent, qui thuris talenta mille in sacrificiis adolerent. Neque igitur unquã ille Xerxem laudabat, neque Persarum, aut Lydorum ullum, aut Macedonum Regem: sed neque Græcorum Duces, paucis duntaxat exceptis, quos virtute delectari, & fortitudinem cum temperantia colere, ac prudentiam cum justitia cognosceret. Quoscunque porro solertes, & callidos, ac ducendi exercitus peritos, aut elegantes, ac multitudini graros animadverteret, qui virtutis exiguas partes obtinerent, ne illos quidem usquequaque commendabat. Quod quidem illius judicium sapientum virorum multitudo comprobat; qui sic virtutis studiosi sunt, ut hæc terrena & admirabilia partim exigui momenti ac pretii, partim nullius esse profiteantur. *Oratione 3. ad Constantinum Imp.*

Libanius: Non qui mediocriter peccat, sed qui nullo vitio vincitur, beatus jure prædicatur. *Declamatione 25.*

Symmachus: Verum est, nequire hominem cuncta pariter voto amica sortiri. Quanto luculentius natalem mihi diem si affuissetis, egissem! *lib. 6. Epist. 67. pr.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Ranis. v. 1517.

Homo est beatus ille, qui
Benè animum politum habet:
Datur enim multis discere.

Ausonius verbis Solonis.

Dixisse quod Cræso tyranno existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet.
Græcè conactum: ὄφρα τέλος μακρὸν βίου.
Spectare vitæ jubeo cunctos terminum.
Proinde miseros, aut beatos dicere
E vita; quod sint semper ancipiti statu.
Id adeò sic est. si queam paucis loquar.
Rex an tyrannus Lydiæ Cræsus, fuit
His in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat,
Is me evocavit. Venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege possint Lydij.
Rogat, beatum prodam, si quem noverim.
Telana dico civem non ignobilem.
Pro patria pugnans iste vitam objecerat.
Despexit alium quarit: invenit Aglaum:
Fines qui agelli proprii nunquam excesserat.
At ille ridens, Quo dem me ponis loco,
Beatus orbe toto qui solus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ prius:
Tum judicandum, si manet felicitas.
Dictum moleste Cræsus accepit. at ego
Relinquo regem. bellum ille in Persas parat.
Profectus. victus. vinctus. regi deditus.
At ille captus, funeris ipse instar sui,
Quin flamma totum se per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æstu globos:
At pane sero Cræsus ingenti sono,
O vere vates, inquit, ô Solon, Solon,
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, extingui jubet
Gyrum per omnem & destrui ardentem pyram.
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem. Cræsus ad regem illico
Deductus lectam per ministrorum manum
Interrogatus, quem Solonem diceret:
Et quam ciendi causam haberet nominis,
Seriem per omnem cuncta regi edisserit.
Miseratur ille: simúl fortunæ videns,
Laudat Solonem: Cræsum in amicis habet.
Vinctum á pedicis aureis secum jubet,
Reliquum quod esset vitæ, totum degeret.
Ego duorum regum testimonio
Laudatus, & probatus ambobus fui.
Quod á uni dictum est quisque sibi dictum putet.

¶ Emblematis.

Had. Junius. Emblemate XX.

Libat rauca rosas cicada hianteis,
Clausas præterit usui futuras.
Præsenti fruitur, suo beatus;
Et fatis melioribus parat se.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque livore esse non quit ullibi beatitas.
Ad beatam vitam virtus ipsa per sese est satis.
Cura ubi est dolor á, ibi esse non potest beatitas.
Et beatitatem in melle caricis á quærimus.
In Dei, ac legum timore vitæ inest beatitas.
Inter infima atque summa delitet beatitas.
In vita beata summi nullus est mali timor.
Læde neminem, juva omnes: vera ea est beatitas.
Nemini beatitudo perpes est mortalium.
Nil opus beatitate est, ubi præsens sapientia est.
Non voluptate, ast honesto incingitur beatitas.
Nulla sortis aut naturæ in munere est beatitas.
Omnium stutum bonorum perficit beatitas.
Quod vulgo est beatitudo, vera est infelicitas.
Vel per ignes est grassandum iter beatitudinis.
Vita ea est beata quæ mihi ex mea sententia est.

¶ Jambica.

Apud Deos solos mera est beatitas.
Beata vita ipsa est animi tranquillitas.
Beata vita non adscendit in rotam.
Beatitatem nemini confert locus.
Beatitati cura semper adsecla est.

Beati-

Beatitudo nulla absque Innocentia est.
Beatitudo summa summo est in Deo.
Non pendet à die ultimo beatitas.
Nulli absque curis obtigit beatitas.
Nulla absque Virtute usquam est beatitas.
Summum bonum Voces beatitudinem.
Simul esse nescit dissidium, ac beatitas.
Tyrannus haud aufert beatitudinem.

Beati.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Admodum est beatus, expers Vita cui molestiæ.
Beatus ni unum hoc desit, animus qui modestè is thec ferat.
Bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo.
Crux sibi nihilq; plus est, qui beatus invidet.
Cùm Dei Volunt beati reddimur multis Vijs.
Dicito Vitam beatam fata cum peracta sunt.
Ditior quidem est hic illo; non tamen beatior.
Est beatus, gaudium omne cui suum ex se nascitur.
Est beatus non qui peccat pauca, Verùm qui nihil.
Est miser tamen, beatus sit licet, Vir improbus.
Esse non potest beatus, cui paterna haud sunt domi.
Hoc magis fors est timenda quo quis est beatior.
Ipsemet Deus male audit ob beatos improbos.
Maximè beati sunt qui sunt id ipsum quod Volunt.
Maximè omnium est, beatus qui Videtur nemini.
Maximè putes beatos, sunt qui id ipsum quod Volunt.
Nemo ad extimum beatus terminum Vitæ fuit.
Nemo nos reddet beatos nisi nos ipsi reddimus.
Non opes reddunt beatum quem sed innocentia.
Nullus ex omni beatus parte agit mortalium.
O beatum cui in re nulla nullus est injurius!
O beatum, cui usque Vita fluxit æquali modo!
O beatum, cum modo cui est Voluptas, cui dolor!
O beatum quem latenti rus suum tegit lare!
Omnibus dedit beatis esse, si Velint, Deus.
Qui beatus est, oportet ut atur bonis suis.
Qui minimi omnium Videntur, sunt beati maximè.
Quis nam eos putet beatos, queis honores fert malus?
Quis putet beatum honores qui à mala accipit manu!
Quo quis est magis beatus, insolescat hoc minus.
Rebus in malis beatus esse non potest malus.
Sat beatus est, malorum nil cui in diem accidit.
Sunt beati non qui peccant clam, sed qui peccant nihil.
Ter beatus est cui sana sunt mens, corpusque, atque opes.
Vita non potest beata ea esse in qua quid est mali.

¶ JAMBICA.

Ah! parte ab omni nil beatum sol Videt.
Beare nutus quemlibet Regis potest.
Beata Vita utique Virtutis præmium est.
Beatus ante funus dici non potes.
Beatus esse parte ab omni quis potest?
Beatus esse sine Virtute non potes.
Beatus est, Fortuna cui nihil nocet.
Beatus est morem beatis qui gerit.
Beatus est, qui non cupit, quæ non habet.
Beatus est qui agit suæ ex sententia.
Beatus ille est, omnia, qui quæ Vult habet.
Beatus ille est, qui nil Vult nisi quod habet.
Dici beatus ante obitum nemo potest.
Dici beatus nemo dum Vivit potest.
Et te beatum, si modò es sanus neges?
Fugacius nil est beatitudine.
Hoc calamitosior est, quis quò est beatior.
Innititur nulli beatus quam sibi.
Omnes beati & omne quod Volunt habent.
Nemo beatus ante obitum dici potest.
Nequit beatus esse cui quidquam deest.
Non est beatus cui quis terror imminet.
Non est beatus, esse qui se non putat.
Non est beatus qui scit recta; est, qui facit.
Non pendet a die ultimo beatitas.
Non sunt beati, quorum opes alios latent.
Non sunt beati quorum opes cunctos latent.
Quis exules putat beatos? quis reos?
Tanto beatior es quanto collectior.
Vitam beatam sola Virtus expleat.
Vere beatus non potest reddi miser.
Verè est beatus, qui beatus est sibi.

Belli externi & Civilis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Julianus adversus Persas expeditionem suscipit, præcipiti temeritate potius, quàm virium firmitate fretus, ac ne illud quidem perspiciens vir sapientissimus, fiduciam & audaciam, licet nominis ratione inter se vicinæ sint, potentia tamen & facultate plurimum inter se distinctas esse. Etenim in iis rebus, quas audacter aggredi convenit magnum, & præfidentem animum gerere, magnanimitatis est, quemadmodum contra languere ac periculum detrectare, timiditatis & ignaviæ. At ubi plus periculi imminet, tum verò obviam procedere, seque in discrimen obtrudere, non autem reprimere ac retinere, temeritati ducendum est? quemadmodum è contrario cedere, cautioni & prudentiæ. Nec eodem loco ac numero ponenda sunt, ea quæ adsunt, tueri atque conservare, & eorum, quæ non habeas, aliquid adipisci. Illius enim præcipua & primaria ratio cordatis viris habenda est: hoc verò, siquidem tuto facileque liceat, amplectendum: sin autem in contrarium cedat, contemnendum. Qui verò, ut aliquid eorum, quæ spe concepit, assequatur, fortunarum omnium suarum periculo dimidat, in magna stultitia versatur. Ac mihi malo pugili non dissimilis esse videtur, artem suam, priusquam gradum rectè fixerit, perferenti: aut gubernatori, soluta nave sua, nec ad navigandum idonea, navem hostilem deprimenti, aut certè deprimere conanti. Quorum ille nihil, ut mihi quidem videtur, reputans, inconsulte ea, quæ statuerat, aggreditur, rebus Romanis adhuc exulceratis, maleque, præsertim ob excitatam persecutionem, affectis, alienam regionem cogitans, ac Salmoneum quendam, è corio tonantem nobis referens, Trojanosque illos & Hadrianos sibi ob oculos proponens, quorum non minus cautio & prudentia, quàm animi magnitudo admirationi esse solebat. At ei, nec Cari illius in mentem veniebat, nec Valeriani, qui impetus inconsulti pœnas dederunt (ne quemadmodum ait Tragicus, fortunas exprobrem) in Persarum finibus in medio felicitatis cursu oppressi. *Oratione quarta, sit elitentica in Iulianum altera.*

D. Nazianzenus: Extremæ miseriæ est, non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti atque confidere. *Oratione decima tertia.*

D. Chrysostomus: Hac in vita quæcumque bona habemus, ea non absque bello habemus: atque ut dives, ut princeps, ut rex fuerit quis, is si minus cum altero, certè secum ipse persæpè dissidet; nec parvum in animi sui cogitationibus bellum sentit. *Hom. 5. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Cùm omne bellum pernicio sum, tum in primis intestinum. hoc porrò bellum, vel intestino tanto est pernicio sius, quanto majora nobis sunt vitæ ejus quàm vivimus, seu potius cognationis ipsius ac fraternitatis jura. *Homil. 8. ad Romanos.*

Chrysostomus: An non videtis, in exercitibus id usuvenire, ut milites pacis tempore armis positis, nudi & inermes, alteri ad alteros commeent? verùm ubi armis sese illi muniunt, ubi & custodiæ, & præsidia, & insomnes noctes, ubi & assidui item ignes incenduntur, jam non pax factum ejusmodi, sed bellum. *Homilia 8. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Est tempus belli, & tu ea tractas quæ sunt eorum qui ducunt choros? Non vides vultus eorum qui bellum gerunt, quàm sint tristes, quàm contracti; supercilium, quàm sit terribile & plenum horrore? Vides oculum severum, cor excitatum, vibrans & exiliens, mentem contractam, trementem, solicitam & anxiam. Multam modestiam, aptamque ac decoram moderationem non dico: ut nullum verbum dicant turpe, sed neque loquantur omninò; multum inter se silentium eorum, qui in castris instructam habēt aciem. Nam si ij qui bellum gerunt adversus hostes sensiles, & à verbis nihil læduntur, tanto utuntur silentio: tu qui & in verbis bellum habes, & majorē belli partē, hanc partē tibi finis esse nudam? *Hom. 17. ad Ephes.*

D. Chrysostomus: Nescitis quod in pace sed ad bellum oportet exercere? Non videtis hos milites, qui etiam nullo urgēte bello, & vel in summa pace, abstersis armis, cum magistris, qui struere aciem & ordines collocare eos docent, in patentes & laros campos quotidie exeuntes, rem militarem exercent accuratissime? Quis hoc facit militū spiritualium? Nullus. Propterea in bellis molles sumus & ignavi, & ab omnibus facile capimur & expugnamur. Quam hebetis autem & obtusi est ingenij, existimare præsens tempus non esse belli, quum clamat Paulus, Omnes autem qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur. & dicat Christus, In mundo afflictionem habebitis. & rursus stetis succincti lumbos vestros in veritate. Quid nos armas, dic quæso quum non sit bellum? Cur nobis temere negotia exhibes? Loricis induis milites, quum quiescere liceat & recreari? Sed dixerit. Maxime quidem, etsi non esset bellum, oporteret de bello curam gerere & solicitudinem. Nam qui in pace de prælio est solicitus, erit terribilis in tempore prælij. Qui autem est rei bellicæ imperitus, etiam in pace magis conturbabitur. Quamobrem? Quoniam flebit pro iis quæ habet: & tristitia afficietur quod pro iis non possit pugnare. Timidi enim & imperiti & pugnæ ignari sunt bona & possessiones omnium fortium & qui sciunt bellare. *Hom. 3. ad Thessal.*

D. Chrysostomus: Tria sunt bellorum genera graviora. Vnum quidem commune, hoc quum exercitus nostri adversus Barbaros pu-

gnant. Secundum, quum etiam pacis tempore nos invicem oppugnamus. Tertium, quum unusquisque adversum se bella seditionesque concitat: hoc quippe omnium acerbissimum bellum est: nam profecto bellum quod excitatur à Barbaris, nihil fere nos lædere potest. Nam etsi hostes nos perimant, ac jugulent, nullum tamen ad animas periculum migrat, neq; salutem illam sempiternam violare possunt: nec secundum illud belli genus, si velimus, quippiam nobis nocere poterit: quantumlibet enim alij contra nos pugnent, ipsi tamen esse pacifici possumus. Audi denique quid propheta dicat: Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. & rursus: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, ac deinceps impugnabant me gratis. Porrò tertium illud belli genus absque periculo vix effugere possumus. Vbi enim corpus adversus animam dissidens, seditiones, turbasque commovet, molestasque concupiscentias excitat, & voluptates corporum armat iræ atque invidiæ, non possumus, nisi hoc solvatur bellum, promissis perfrui bonis: verum necesse est, eum qui hujusmodi seditionem comprimere negligit, & cadere & excipere vulnera, quæ mortem illam sempiternam pariunt. Magna igitur nobis cura, ingentique solicitudine quotidie opus est, ut hujusmodi nobis bellum minime excitetur: aut si forte excitatum fuerit, non permaneat, sed prematur protinus, atque sedetur. Nam quænam, oro, utilitas est, si pacato orbe, magnaque quiete ubique terrarum obtinente, tu adversus teipsum excitare bella non desinas? Huic igitur intimæ ac penitus insitæ paci omnino studendum est: eam si habuerimus, nihil nos extrinsecus lædere aut violare poterit. Confert autem non parum ad eam conquerendam etiam communis omnium pax. *Homilia 7. ad Timoth. 1.*

Basilius Seleuc. Acies ab hominibus in homines ordinata, & armis jaculisque confligens, grave quiddam, ac sævum est: naturæ enim voluntate improbra in seipsam insaniens à semet eandem sibi perniciem molitur. Attamen pugnæ æquitatis colore defendi volũt. Aut enim nonnulli prius injuriam perpessi contra injuriosos arbitram injuriarum dimicationem vocant; aut gloriæ cupiditare, & tropæorum desiderio contra se manus armant, ac trucidationem fortitudinis specimen appellant. Cùm verò nonnulli omisso secum pugnante exercitu in mundi molitorem linguas pro manibus armant. Dei punientis animadversionem in belli causam trahentes, quæ oratio veniam impetret? aut quo justo æternæ punitionis prætextu talia committantur? *Oratione 24.*

S. Isidorus Pelusiota: Bello grassante, non modò eum, qui simul sagittas mittit, sed etiam eum, qui quamvis ab hostium partibus stare videatur, tamen sagittas contrà minimè mittit, in amicorum numero quodammodo habere oportet. Quocirca etiam divinum oraculum clamat, Qui non est contra vos, pro vobis est. *lib. 3. Epist. 3.*

S. Isidorus Pelusiota: Ad sacrum bellum cum carnis vitiis gerendum nos conferamus oportet: sic tamen, ut non in nobis ipsis fiduciam collocemus, verùm divino subsidio victoriam permittamus. Si enim ad hunc modum progrediamur, ut omnem quidem apparatum & prælium, & labores ac vigilias suscipiamus, in divina autem ope atque auxilio fiduciam nostram positam habeamus, victoriam facilè consequemur, ac præclara adversus ea trophæa erigemus, unà cum iis victoriis, quas paulatim ac serie quidam obtinebimus, bonas quoque spes adaugentes. *lib. 2. Epist. 242.*

Synesius: Per bellum satis otij nobis non conceditur, quo & ad illum scribamus. Quin autem justi simus fortasse nihil prohibet. Absit ut tantum armis unquam liceat. *Epistola 61.*

Synesius: In hoc ultimo bello ipsæ etiam mulieres ad expeditionem profectæ sunt. Vidi, inquam, sæpenumero gladio accinctam mulierem, atque unâ infantem suum lactantem. Quis securum adeò bellum non fortunatum putet? Pudet me & mihi ipsi, & tempori, & Reipub. timuisse. *Catastasi Pentapolit.*

¶ Latinorvm.

Orosius: Bella quid aliud dicenda sunt, nisi vergentia in alterutrum mala? mala autem hujusmodi quæ tunc erant, sicut & nunc sunt, in quantum sunt, sine dubio aut manifesta peccata sunt, aut occultæ punitiones peccatorum. *lib. 1. adversus Paganos cap. 1.*

Salvianus: Ideò Deus infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet scilicet, nõ vires valere, sed caussã. *li. 7. de gubernatione Dei.*

Idem paulo post: Quid est quod Deus maximas reipubl. opes, & locupletissimos Romani nominis populos in jus potissimum ignavissimorum hostium dedit? quid, nisi ut cognoscceremus, meritorum hoc fuisse non virium; utque hoc nobis in confusionem caderet ac pœnam, quod ignavissimis traderemur; & vel sic plagam cœlestis manus agnosceremus. sic ne opus cœlestis dexteræ virtuti adscribatur humanæ, dux Sisara, quem Hebræus timebat exercitus à muliere prostratus est: & Abimelech civitatum expugnatorem feminea manus perculit: & ferratæ Assyriorum acies vidua opitulante cecidere. & ne de solis feminis tantum loquar, Benadab regem Syriæ, cui præterinnumera populi sui milia, & triginta duo reges exercitusq; ejusdem numeri serviebant, nonne ideo à paucis principum pedissequis Dominus vinci voluit, ut qui esset auctor talis victoriæ noscceretur. Contra Madianitas quoq; , qui locustarum instar cuncta compleverant, Gedeon jubetur pugnare cum paucis; non quia plures in exercitu no haberet, sed ne multitudo sibi possit aliquid de victoria usurpare. Audiant hoc omnes improbi, audiant præsumptuosi, audiant præpotentes, audiant cuncti spem suam in homine ponentes. Siquando nobis prosperi aliquid præter spem nostram & meritũ Deus tribuit alius adscribit hoc fortunæ, alius eventui, alius ordinationi ducum, alius consilio, alius magistro, alius patrocinio; nullus Deo. Et miramur si nobis cœlestis manus aliqua non præstet, cui quidquid præstiterit derogamus? quid enim aliud facimus cùm bona quæ præstat nos vel eventibus casuum, vel virtutibus ducum, vel quibuscumque aliis rebus frivolis deputamus? hoc enim modò & terris nos oportet gratias agere, quod fruges annuas metimus; & vineis quod vindemiamus, & mari quod pisces capimus; & silvis quod ligna cædimus; & ovibus quod veste tegimur; & pecudibus ceteris quod carne saturamur. nam quæ ratio est, ut ei pro munerib. aliis grati esse velimus, cui maximorum beneficiorum gratiam derogamus? aut quis contentus est homo nostræ conditionis, ut ei quis acceptum quippiam referat, cui de denis suis detraxerit summa? Ita & nos, licet Deo in nullo dignè gratias agamus, parum tamen erat, si pro his tantummodo grati esse vellemus quæ ad usum vivẽdi dedit. cur hanc gratiam tollimus, quod nos in angustiis juvat, & in periculis liberat, & in medio barbararum gentium suos jugi protectione conservat? At non ita Gothi, non ita Vandali, qui & in discrimine positi opem à Deo postulant, & prosperitatis suæ munus divinis nominibus appellant, &c. *libro septimo de gubernatione Dei.*

Ennodius: Præliis temperantiam nullus annectit. Statuta sunt dimicantium, quidquid non licet tunc licere. Hostẽ suum qui non lęsit, adjuvat. Paulatim adversarius à regni sui mole succeditur, cuius imperij radices viribus amputantur. *Vitæ Epiphanij cap. 48.*

Ennodius: post secundos bellici certaminis eventus, inter triumphos & laureas vires habere non potest lex ad resistendum recitata victoribus. Quid gladiis per affectionem mortis egimus, si erit quod post prælia formidemus? Jacet ante oculos meos quicquid hactenus minabatur exanimum: & postquam fusa est inimica congressio, nescio quid nobis afferunt defunctorum Principũ decreta terroris. Nescit probatæ qualitatem virtutis expendere, qui de chartarum fræno superbit armatis. Acquiescant istis inertia corda repagulis: ego quicquid mihi licentiam tollebat, ense dispersi. Illud tantùm potest nobis quisque negare, quod nolumus. Illum contentus sum habere terminũ, ad cujus me transgressionẽ desideria nõ vocarunt. Mihi quicquid prævaluero habere lex tribuit. Otium & toga denegantes aliquid ferant: mihi totum natura peperit, quicquid in procinctu cõstitutus extorsero. Sola nobis scripta jura sunt, nil timere. *principio Dictionis 22.*

Ennodius: Jn videt sibi ipse victoriam, qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non prius causas, quam aliud expendit. dat vires jaculis innocentia, & mucronem acuunt ex æquo vententia vota bellandi. percutiendi impetum plus justum dolorem scimus dedisse, quam brachia. Jnde paucorum telis multitudo non substitit. *præf. adversf. Synodum scrib. f.*

Egesippus: Scaurusq; prædandi cupidine, quod potius reor, quam proferendi imperij gratia, summam regni Arabiæ Petram invadere volens, difficultate quidem locorum impeditus, irrumpere nequivit; plura tamen vel propinqua urbi, vel longè posita devastavit. *lib. 1. cap. 18. de excidio Hieros.*

Egesippus: Quod igitur remedium, cùm & humanæ opes non suffragerentur, nec divina opituletur gratia? alterum horum aliquos invitare solet ad bellum: vobis utrumq; deest. Quid ergo supereſt, nisi manifestum excidium? quod si non declinatis dum cavere licet, nihil aliud nisi vos ipsi vestram patriam concremabitis, templumque exuretis, conjuges quique & liberos dabitis neci, quibus auctores eritis supremæ amissionis. Cùm malorum omnium incrementum inconsolabile sit, nostræ culpæ adscribere debent, quæ sustinemus. *cap. 9. lib. 2. excidij Hierosolymitani.*

Egesippus: Si tenent vindices, prodant: si non tenent quid accusant, & vanis insimulant suspicionibus quas ipsi sibi composuerint? non desinunt arguere quod non possunt probare, sed quia accusare nõ audent, dissipare per vulgus desiderant; & ideo ad bellum prosiliunt ne in judicium vocentur. in bello enim concentus furoris est, in pace veritatis examinatio. *capite septimo libri 4. de bello Iudaico.*

Egesippus: Anno primo delati imperij Vespasiano, bellis asperis Judæa & seditionibus domesticis lacerabatur; nec per hiemem inducias malorum egerat, quando solent bellorum requiescere sæva. *cap. 1. lib. 5. excidij Hieros.*

Egesippus: David etiam vicit bello civili, quod refugiebat, illatum, non inferebat. nil enim bello civili fœdius, nisi solus qui potuit inferre. *cap. 16. lib. 5.*

Egesippus: O varia atq; incerta bellorum alea, quæ sicut jactu quodam, ita casu quodam potius quam virtute plerunq; inopinatis ludit eventibus, sufficiens novos exitus. namq, & hic jactus sunt, non tesserarum quidem, sed sagittarum telorumq, plurium, lapidum quoque, quibus sæpè victor sternitur alieno vulnere, & cùm aliena spolia rapit, ipse despoliatur. *cap. 30. libri quinti de excidij Hierosol.*

¶ Philosophorum Oratorum, Græcorum.

Heraclitus: Ferrum verò aratris & agriculturæ magis idoneum instrumentum, ad obeundas cædes & inferendam mortem paratum est. Jnjuriam facitis Deo, Minervæ bellicosæ, & Marti, quem Enyalium dicunt, Phalangibus autem oppositis homines contra homines, mutuas cædes optatis, eósq, qui se non homicidio polluunt, quasi fugitivos ex acie punitis, & quasi fortissimos viros eos, qui plurimùm sanguinis effundunt, honore afficitis. Leones verò non in se invicem armantur neq, gladium equi capiunt, neq, thoracatum aquilam contra

aquilam

aquilam videas. Nullum habent pugnandi instrumentum: sed singulis partes sunt pro armis, aliis rostra, aliis alæ, aliis celeritas, aliis magnitudo, aliis paruitas, nonnullis crassitas, quibusdam natatio, multis etiam spiritus. Nullus ensis animalibus brutis gaudio est, quæ id spectant, ut suæ naturæ legem conservent. At non itidem homines: & hoc magis transgrediuntur, quòd præstantiores cùm sint, tam sunt in eo leves, & inconstantes.

Finis bellorum aliquis vobis optandus est, siquidem isto me modo à severitate quodammodo revocaritis. Non autem illis internis crudelior aut fœdior est, depopulatio direptióque civitatis, vexatio senectutis, uxorum abductio, & liberorum ex ulnis abstractio, Thalamorum pollutio, virginum scortatiò, adolescentum turpissimus abusus, liberorum hominum in vincula conjectus, templorum. Diis sacrorum destructio, monumentorum heroibus ædificatorum effossio, pæanes rerum nefariarum, & gratulatoria diis pro injuriis sacrificia. De his extra risum in pace orationibus verbisq; pugnatis, in bello ferro decernitis. Rapitis jus & æquitatem gladiis. Hermodorus ob scriptas leges expellitur. Heraclitus ob impietatem. Civitates ab omni justitia ac probitate derelictæ sunt. Solitudines ad inferendam injuriam. Turbæ mœnia posuerunt hominum signa, quæ à scelere violentiam vestram continerent ædes circũdatæ sunt omnibus. Alia sunt improbitatis mœnia. Interiores hostes, at cives. Exteriores hostes, at peregrini. Omnes inimici. Nulli amici. Possum-ne ridere cùm tot hostes videam? Alienas divitias pro vestris habetis. Alienas conjuges vestras putatis. Liberis servitutis jugum imponitis. Viventia devoratis. Leges violatis. Scelera legibus confirmatis. Omnibus vim affectis, quæ non omnino vestræ consentire justitiæ videtis. Leges injurias coarguunt. Si enim hæ non essent, impunè, versaremini. Nunc aliquantum reprimitur impetus vester, & metu supplicij ab omni scelere prohibetur. *Epistola ad Hermodorum.*

Phalaris Hieronymo: Quæsiuisti, quibus rebus opponere me & Leontinos in regionem impressionem facientes, quam mihi prorsus devastant, superare possim. Atque de eo, quod justiorem caussam habeam, & non inferam sed depellam à me bellum, nihil scribam. Horum enim apud vos nullus est respectus. Quod verò, etiamsi dissimuletis, tamen scire vos necesse est, id exponam maximo armorum instructu, viris bellicosis & fortibus, pecuniis, navibus & equis, quorum omnium indigentes destituriq; illi pugnant adversus hostem, qui tum horum fortunæ dives est & abundans. *Epistola 112.*

Phalaris Nicarcho: Non inferre mihi bellum Camarinenses, sed à me bello provocari cogis. At illi virorum sapientum facientes officium atq; hoc probè scientes & rem antè verba perpendentes, & ante rẽ, citius adhuc eventũ, multo jam tẽpore conciones factionésq; repellunt. Tu verò non erubescis durior & pernicioſior illis de suggestu & orationibus esse quàm mihi, in cujus detrimentum omnia machinaris & refers. *Epistola 114.*

Phalaris Camarinensibus: Cùm & ad Gellenses & ad Leontinos misissem, ad vos etiam mittendum cẽsui, ut in incumbentibus rebus me juvaretis, non quod aut armis, aut equis indigeam neq; viris, quibus vacuam dicitis urbem esse, sed argento. Nam Leontini repente nobis quinque talenta miserunt, Gellenses verò decem se daturos promiserunt. Vos autem neque tardiores Leontinis, neque illiberaliores Gellensibus fore spero. *Epistola* 118.

Xenophon: Verum & experientia mea, & benevolentia erga me vestra, & hostium vecordia faciunt, ut confidam bonam hanc spem me non fruſtraturam. Tantum fidentibus animis proficiscamur, quando longissime à nobis abest, ut aliena per injuriam adpetere videamur. Hostes enim jam adventant, ac primi nos injuriis lacessunt: amici vero nos ad opem ferendam arcessunt. Quid ergo vel justius est, quam vim propulsare? vel honestius, quam subvenire amicis? Quin ea vos etiam de causa non paulo fidentiores esse arbitror, quod expeditionẽ hanc minime neglectare divina paro. Nam me, quocumplerumque versamini, non modo res magnas, sed etiam parvas adgredientem, initium à cultu divino facere novistis. *cap. 35. lib. 1 Cyropædiæ.*

Xenophon: In bello captationem conditionis potioris, Cyrus existimabat & salutarem, & justam, & plenam prosperitatis esse. *libri sexti Cyropædiæ capite decimo.*

Xenophon: Igitur Agesilaus regnum juvenis adhuc consequutus est. Quumq; recens imperio potitus esset, nuntiatum fuit, Persarum regem magnas tum navales, tum terrestres copias adversus Græcos cogere. Qua de re quum Lacedæmonij ac socij deliberarent, pollicitus est Agesilaus se, si quinquaginta Spartanos sibi concederent, cum ter mille tironibus, & sex millium agmine de sociis coacto: trajecturum in Asiam, operamq; daturum, ut vel pacem faceret, vel si quidem gerere bellum barbarus mallet, ei tantum exhiberet negotij, ne adversus Græcos arma sumere posset. Confestim hoc ejus desiderium vehementer nonnulli suspiciebant, quod quum rex Persicus ante id temporis in Græciam trajecisset, ipse adversus illum vice versa traiicere vellet; potiusq; putaret in eum pergendum, quam illius adgredientis impetum sustinendum; ac regis facultates potius, quam Græcorum, hoc bello absumendas. Longe autem pulcherrimum esse judicabatur, quod nõ de Græcia, sed Asia certamẽ institueret. *c. 3. Vitæ Agesilai.*

Xenophon: Ergo qui de bello gerendo adversus illos, quos oppugnari necesse est, deliberat; eum civitatis & adversariorum vires habere cognitas oportet, ut si majores sint civitatis, bellum suadeat: sin eæ minores sint quam hostium, auctor suis sit, ut cautè agant. Rectè dicis, ait. Ergo nobis primum indicato, subjecit Socrates, quæ hujus civitatis tum pedestres tum navales sint copiæ; deinde, quæ adversariorum. Ego vero, inquit, non possim hoc tibi profecto de memoria promptum exponere. At si quid conscriptum habes profer, ait. Nam lubens hoc audiero. At ne conscriptum quidem hoc umquam est à me, inquit. Ergo, subjecit Socrates, etiam deliberationẽ de bello nonnihil initio suspendemus. Nam ob rei magnitudinem fortasse nondum explorari quidquam habes, presertim quum nuper adeo præesse reipublicæ ceperis. *lib 3. cap.* 18. *Memorabilium.*

Xenophon: Vides civitates, quotquot, ignorantes vires suas bellum adversus potentiores suscipiunt, partim prorsus everti, partim ex liberis in servitutem redigi. *libro 4. Memorabilium capite decimo.*

Æschines: Vestram ignaviam accusant, qui non velitis imperium Græciæ tenere: & ad comparandum belli principatum adhortantur perinde, ac si ejus vobis potestas esset. vos autem & ad pigritiam animos dedisse & posse quoq; Græcis imperare potius existimari vultis quàm & in pristina animorũ alacritate permanere, & imperium non affectare. Nam post mortuum Alexandrũ audio quosdam ad novarũ rerũ motus vos oratione incitare. Ego verò ea quæ sunt emolumento Reip. futura suadere vellẽ. Non enim per Jovẽ alióſq; deos me fugit quàm sit præclarũ, Barbaris arma semper inferre, Græcos verò in libertatẽ vindicare, & hoc à majoribꝰ nostris factitatũ video, Vos autem voluntate sententiáq; satis, ad honestissima paratos, verũ ad efficiendi facultatẽ bonã fortunã desiderare: proinde vobis in memoriam revocandũ putavi scribere me quidẽ Athenienſibꝰ, nõ autẽ iis Athenienſibus quibꝰ Themistocles Rempubl. gessit. verũ iis, qui tametsi animo nõ sunt illis deteriores: tamẽ opportunitates ad gerenda bella similes nõ habẽt. Nã largiantur nobis trecẽtas triremes, qui cõvenientia Græcis scripta decretáq; promulgant, largiantur triginta millia talẽtorũ argenti, auríq; puri tria millia, largiantur virorũ florentiũ ætate, juvenũq; qui sint in armis exercitati parẽ copiã & nõ ulterius cõsulant. Sciemus enim ipſi, quid faciendũ sit, cũ potestatẽ exequendi, quæ decrevimus, erimus adepti. Neq; declamãdo laudãdóq; majores nostros & regionẽ perdant operã qꝫ in ipsa Dij nati sint. Siquidẽ auditis ex ipſis, quid in Cheronẽsi prælio servarit urbẽ Athenienſiũ: quòd videlicet Mars cũ Neptuno de fluctibus maris in Areopago concertarit. Sed utrũ viribꝰ ita valeamus ut cũ Antipatro vel quovis alio Macedonũ rege bellũ gerere possimus, id verò nobis est cõsiderandũ quod si satis est viriũ bonis avibus statim arma capiamus & ad libertatẽ Græcorũ asserendã proficiscamur. Sin autem his neglectis oblectabimur vanis adulationibus, sanè præter quàm quod ipſi nobis calamitatum autores videbimur extitisse (quod unum afflictis omnem consolationem erupit) etiam damnum feremus.

Verum civitatis & viri prudentis officiũ est, præsentiũ tẽporũ habita ratione, de rebus in mediũ ꝓpositis deliberationẽ instituere. At ex pristino robore ad eas res in quib, jã versetur, cõficiendas spẽ adferre, & olim sumis aliquando viribꝰ multũ potuisse: perinde est ac si quis, cũ persæpe victoriã in Olympiacis antea sit adeptus postea senio cõfectus nomen edet & scriptos adversarios commemoratione roboris, quod aliquãdo fuit nõ quod jã est ad certamen provocet. Operæ precium est autẽ unà nobiscũ examinare hæc quæ ab illis in cõcionibꝰ audio jactari, tanquã nova & inaudita, & ad eas res quas instituũt perficiendũ utilia, cũ dicunt vobis cõcordiã intercedere, quasi verò non id probe vos sciatis eã in omni Rep. sive bellũ paretur, sive tranquillitas quæratur, maximã vim possidere. Nobis autẽ illud est inspiciendum, sitne ad bellũ cõsentiendũ, Cõsentiendũ enim in bellis est: at non temerè quamvis ob caussam: sed tũ demũ, cũ volẽtibus bellũ suscipere, & sensibus cõgruere, quod omnes noverint vires quoq; sufficientes accedũt, & copiæ in promptu sunt. Donec verò bella mollientes neq; nos exercitu sumus instructi neque illi rationes pecuniæ cõparandæ demonstrant. Sed Minervã pro bello spõdentẽ offerunt, nihil eos agere putabimus. Illũ, ut dignus erat furibundus nebulo meritò repulistis. His verò sufficit, si tantũ sibi nõ malũ accersant aliquod dũ inusitatas orationes dicunt, & propemodũ nihil rerũ nobis reliquũ faciunt, imò etiã hos qui quæ justa sunt præstant invidia prosequuntur, donec Thebanorum more Remp. gerant & agrorũ populationẽ urbis verò eversionẽ importent. Non enim quoniam adverso loco res sunt, ideo ne quà fiant deteriores, non est providendum. S. *P. Q. Athen.*

Apollonius Sardianis: Filius Alyacæ civitatem suam nullaratione, nulloque cõsilio potuit servare, quãvis & rex esset & Crœsus. Vos autẽ nescio quo freti Leone, bellum inexpiabile suscepistis pueri, juvenes imbelles universi, senes deliri: sed & virgines & mulieres. Furiis aliquis civitatem sacram devotámq; potiùs quàm Cereri existimarat. Nam illa dea benigna humanáque est. vobis autem quæ tandem illa bilis venit. *Epist.* 82.

Dio Brusæus: Quibus auditis, Trojani indignati sunt, & Priamus, & præ omnib. maxime Hector: quod quum eam Alexander legitime accepisset à patre, Helenaq; illi vellet cohabitare, illi auderent tã impudentẽ proferre sermonẽ, dixeruntque sese cognoscere, quod occasionẽ belli quærerent. si quidẽ bellum nõ incœpturos, licet essent superiores: repulsuros vero, si qui inferre conarentur. Et propterea sustinuerunt Trojani belli injurias multum tẽporis: multaq; passi sunt, nõ quanta Homerus dicit. At licet terra illorum vastaretur, multique morerẽtur homines: sustinuerunt tamen, quod sciebant Achivos iniquè agere, & Alexandrum nihil feciſſe absurdi. Si secus esset, quis illorum sustinuisset vel fratrum, aut parẽtum, aut aliorum talem civiũ perditionẽ? Omnino enim quum civitas esset in periculo, ne propter illius iniquitatem vastaretur, licebat illis Helenã tradita semet salvos cõservare. At illi etiã postea (ut ajunt) mortuo Alexandro eã retinuerunt, & Deiphobo cõjunxerunt, tanquã maximum bonum habentes in civi-

in civitate,metuentesq; ne ipsos relinqueret. Et quidem si prius remansit ob Alexandri amorem,quo ultra noluit manere: nisi etiam dicunt,quod amaverit Deiphobum? Verisimile enim est,quod poterit persuadere Trojanis,ut se redderēt, quum illi alioqui prompti ad hoc essent. Quod si metuebat Achivos,compositiones prius reperire oportuerat: quippe illi sane libenter discessissent à bello, plurimis & optimis interfectis. Porrò non erat verum quòd fertur de raptu, neq; belli causam præbuerunt Trojani: unde bonam habebant spem,se fore superiores. homines enim si accipiunt injuriam, perseverant in defensione sui usque ad extrema. *Oratione 11.*

Aristides Rhetor: Jam in bellicis certaminibus ac periculis officio suo functi sunt,cùm non pro dimidia,nec etiam pro minore parte rerum curam gesserint,verùm omnes paribus animis pro viribus contenderint,quasi pro communi patria atque præmiis decertarent, nec alijs periculum,aliis imperium,si victoria contingeret,esset propositum. Vnde fiebat,ut fides inter cives & concordia vigeret,ac si quando aliqua incidisset dissensio, non difficulter in gratiam redirent: sin erat viribus opus,nemo cum illis erat conferendus,qui pleniorem quovis periculo victoriam referrent. *fine Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Quod si vobis aliqui sunt imitandi, laudantur Argivi,qui in bello quod inter nos ac Lacedæmonios est gestum,per quietem juventute,regionis apparatu, & omni floruerunt copia, donec ad res gerendas aggressi, pristinam amiserunt felicitatem, ac tum populi principatus est abolitus, tũ alia subsecuta sunt mala. nã è bellis omnia nascuntur,rerum publicarum eversiones,contentiones,clades omnis generis nec opinatæ;quas nos, si quiquam alij, satis experti cùm simus,merito nobis caveamus. *Oratione Leuctrica quinta.*

Aristides Rhetor: Ac primum quidem Themistocles bella Græcorum inter ipsas & seditiones controversiasque sedavit, & ut unum contra barbaros bellum,seque invicem pro amicis & cognatis haberent,effecit. deinde cives quotquot exulabant reduci jussit,& inter eos quosdam ex inimicis suis! eadem usus tam in rebus Græcis, quàm in civilibus sententia: nempe ut omni omissa pusillanimitate,commune bonum spectarent. *Oratione 2. Platonicã.*

Iulianus Cæsar: Cùm hactenus pax militum labores minueret, & eos qui publica obirent munera sublevaret, bellum autẽ pecunias & annonã,& impensas admodum ingentes exigeret,præq; iis omnibus robur ac fortitudinem militum,& armorum usum atq; experientiã, nec eorum tamẽ ferè quicquã suppeteret, hæc ipse per temet excogitasti,ac constituisti. Et quidẽ ætatẽ illã,quæ ad militiã sorte cõscripta fuerat laborum exercitatione cõfirmasti,tum equestres copias hostilium similes cõflasti,pediti laboris assiduitatẽ imposuisti. Atque hæc nõ verbis tantũ,atq, imperio præstans, sed meditans atq, exercens ipse,& quod agendũ foret factis ipsis & exẽplo demõstrans, bellorum illos subinde artifices reddidisti: pecuniarum verò cõparandarũ eam rationẽ iniisti,nõ ut augeres tributa,vel descriptas pensitatiões(quod olim ab Athenien sibus factũ est)duplo,vel eò etiã amplius, majores indiceres,sed antiquis contentus,ac jã receptis: nisi fortè ad breve aliquod tẽpus gravioris aliquando sumptus abeundæ functiones erant, milites ad ea rerũ omnium copiam perduxisti, ut neq, satietate insolentes esse,aut inopia quidpiam peccare cogerentur. Nam illum armorum atq; equorum apparatum,illam fluviatilium scapharum, atque machinarum,aliorumque hujus generis copiam silentio prætermitto. *Paneg. 1. in Constantium Aug.*

Iulianus Cæsar: Pax militum labores minuit,& eos qui publica obeunt munia sublevat. bellũ autẽ pecunias & annonam, & impensas admodum ingentes exigit, præque iis omnibus robur ac fortitudinem militum,& armorum usum atq; experientiam. *Panegyr. 1.*

Iulianus: At ego hoc *potiss.* præsertim,quod & bellum jure suscepit, & susceptum fortiter ac prudenter administravit,& postremò cùm ex animi sententia bellum omne cessisset,in victoria se temperatè,ut Principe dignum erat,gesserit. Placetne igitur vobis, ut in Judiciis fieri solet,horum à me modo testes citari? Itaq, vel pueros ipsos intelligere arbitror,nullum hactenus bellum extitisse, neque à Græcis contra Trojanos,neq, à Macedonibus adversus Persas susceptum,quę omnium justissima fuisse videntur,quod tam gravibus sit,ac necessariis de caussis conflatum. Neq, enim veterum injuriarum ulciscendarum gratia,aut contra liberos,ac posteros ejus unde eæ profectæ fuerant gestum est, sed in eum ipsum, qui Jmperium eripuerat,ac per vim ad se transtulerat. Agamemnon vero profectus erat.

Vlciscí properans Helenæ gemitusque fugamque;

& ut mulierem unam vindicaret, adversus Trojanos expeditionem susceptt. At quæ Jmperatori nostro illatæ injuriæ fuerant,recẽtes adhuc erant. Jmperiũ porrò usurpaverat nõ Darij aut Priami instar nobilis quispiã,qui vel ob virtutẽ délatũ,vel hæreditario jure commissum sibi ac traditũ regnũ obtineret. Sed asper atq; impudẽs Barbarus, ex eorũ numero,qui paulo ante captivi fuerant. Ac quę gesserit ille,& quemadmodũ ad Jmperium pervenerit exponere, neq; jucundũ mihi,neq; opportunũ videtur. Quã porrò jure illud susceptũ sit,auditũ à nobis antea est. Quod autẽ ad experientiã,& fortitudinẽ attinet,satis ea esse indicia possunt,quæ paulò ante protulimus. Quanquã facta ipsa verbis fide digniora sunt. Verùm quæ post victoriam cõtigerint, utq; gladio deinceps usus nõ fuerit, tametsi in criminũ suspicionem venisset aliquis, aut paulo majorẽ cũ Tyranno familiaritatẽ habuisset;aut demũ si quis ei gratificans ad pacẽ conciliandã Caduceũ ferre voluisset,atq; Jmperatori cõvitiatus esset,ut inquam temeritatis suæ pœnas nullas dederit,quòd aliunde minime improbus esset;hoc vero per amicitiæ præsidem Jovem patienter auditore. At cujusmodi demum convicium est! quàm revera mordax! quamq; eo magis animus quàm corpus ferro penetratur! Quamobrẽ etiam Vlyssem ipsum adeo concitavit,ut dictis factisq; quoad posset injuriã persequeretur. Propterea tsi profugus ille,atq; hospes esset, cum eo à quo hospitio receptus fuerat,jurgatus est: tametsi non ignoraret, quemadmodum

stolidusque, & fatilis ille est;
Aedibus exceptus qui cum hospite jurgia miscet.

& Alexandrum Philippi filium,& Achilem Thetidis,& alios nonnullos nec viles,nec degeneres homines comovit. Soli verò Socrati,aut paucis admodũ prætereà ejus imitatoribus verè fortunatis ac beatis contigit,ut extremã(ut ita dicã)tunicã ambitionis exuerent. Pertinax enim cũ primis est,& ambitiosus ille affectus animi;ac generosis mẽtibus propterea acrius inesse videtur,quòd convicio magis,utpote re sibi maxime contraria,moveantur. Ideoq; eos,qui ea cõtra se jaciunt vehementius oderunt,quàm qui ferrũ intentant,ac vitæ suæ insidias moliuntur. Ac demũ ipsos sibi nõ natura,sed lege inimicos atq; hostes putant. Quoniã cũlaudes atq; honores diligant,nõ modò hæc illi detrahunt,sed etiã falsas sibi calumnias imponunt. Hac una in animi affectione & Herculẽ ipsum,& alios quosdam impotentes fuisse memorant. Ego verò neque iis,quæ de illis dicuntur,fidem adhibeo,& Jmperatorem nostrum vidi,cùm is convicio fortiter resisteret. Quod faciens mea sententia nihilo dererius est, quàm Trojam expugnare, vel ingentem exercitum in fugam compellere. *Paneg.3. in Constantium Imp.*

Iulianus in Cæs: Parthos priusquam ab his injuria affectus essem, armis violandos non existimavi: ut verò injuriam intulerunt, non me ætas ingravescens etiam tum legibus mihi militiæ vacationem concedentibus,ab iis invadendis revocavit. *loquitur Trajanus.*

Libanius: Ante susceptum bellum,integrum est,in illud omnino non incidere. atq; utiliore consilio præsens incomodum evitare. At simul atq; ad manus ventum est;ipsa sese mala in immensum propagant: ac finem denique certantibus,non moderatæ conditiones, sed victoria imponit. *Declamatione Menelai.*

Libanius: Non in belligerando prorsus celebritatis gloria consistit: Verùm bellorum prætextus,aut honestos ipsos esse videri, aut minimè tales faciunt. *Vlysses ad Trojanos.*

Libanius: Omnibus hominibus pax quidem præclara res est: bellum autem infelix,& illa sanè retinenda est: hoc vero fugiendum. quippe cũ illa quidẽ urbes emendet & instauret, hoc autẽ subvertere soleat: ideoq; illã & præsentẽ cõservare æquũ est,& absentẽ quærere, ut aliquãdo adsit. bellũ verò etiã dũ urget,solvere: & dũ imineat providere ne excitetur. Quare cũ omnes homines hoc de pace & bello judiciũ merito statuant;vobis multo magis quàm cæteris ratio habenda est: eoq; magis,quod omnib⁹ bonis florentẽ urbẽ incolitis: atque hæc ubiq; gentiũ,fama pervagata est, felicissimũ hominũ esse Priamum,& ipsum & subditos beatos. At enim quibuscũq; hominibus res bene & pulcre se non habent, eos minimè absurdũ est prõptos ad bellum accedere. aut enim si vicerint, alienorũ bonorũ domini evaderent: aut,si victi fuerint,haud in maximis mulctarentur. At vobis qui proximè ad beatitatem acceditis,multo opus est consilio an bellum paci sit anteferendũ: imò ne de eo quidem deliberare par est iis qui ita se habent. Nisi si fortè,per Jovẽ,cõsultatione opus esse dicent ad discendum,utrum bonorum quæ adsunt fruitio melior sit, quam eorum privatio. Agendum,Trojani,quæ bona vobis adsint,expendamus eaque cum acerbis illis malis componamus.

Nec verò æquum est veteri atque aversari orationis invectivæ acerbitatẽ. Cur enim earum rerum auscultationẽ fastidiretis,quas in vobis situm est ne patiamini? Nunquid ergo par aut simile est extra periculorum aleam in jucunditate degere,aut cum armis in sanguine versari? & bona spe sustentari de genere suo: aut diẽ præsentẽ,postremum semper existimare: & socios accire,quorum alij,non statim ab initio venient: alij qui inviti accesserint,sponte ignaviter se gerent, cedentq; in ipso rerum discrimine. Illud autẽ cõparat aut assimile,bonã famã aut odium ab accolis cõsequi? Nonne scitis nunc quidẽ omnes vobis vestrisq; negotiis cõprecari meliora? si verò bellum inciderit, primi molesta ac tristia percipient, nobis circum navigantibus & deprædantibus quod occurrit: cum urbes alias mœnibus deturbatis circumcidemus: alias funditus excindemus,neq; mare, neq; terrã continentẽ in confinio vestro malorum expertẽ sinemus. Qui autem talia propter vos sufferent,pro deorum fidẽ, est ne ubi vobis benevoli beneq; sint animati? Quid porrò vetat quo minus vobis imprecentur, cùm eorum corpora ad servitutem & mortem per vos distrahentur? nunquid igitur priusquam nos repuleritis, vicinarum urbium incolis hostibus utemini? *Oratione Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Duo sunt quæ omnes homines ad bella incitare solent: aut quod prævideant impetum in ipsos venturum: aut quod periculorum caussa sit admirabilis. At nunc quidam lucrum persequentes, modò honores ac dignitates venantes, idoneum belli prætextum sub esse arbitrantur. *Vlyssis oratione ad Trojanos.*

Libanius: Bellum natura semper ejusmodi est, eos qui ipso utuntur præ copia rerum; etiamsi aberrent,non funditus evertit. quibus verò omnes quæ adsunt facultates concutiuntur, & ab una spe consistunt omnia & pessundantur; his semel adversitate prorsus afflictis una etiam gravissimæ noxæ plenum arguitur: & quomodo iterum ipsum conservẽt,locũ non tribuit,cunctis penitus profligatis. *Decl 31.*

Libanius: Existimatis,ajebam,magni momenti esse Deorum benevolentiam? Annuerunt omnes. Vtrum ergo hanc verisimile est cum iis manere qui injustè armis regionem vastant; an cum iis qui

irruentes propellunt? perſpicuum eſt,inquiebant,benevolos eis eſſe Deos,qui bellum juſtè inferunt. Iterum viſi ſunt dicto audientes, eod. quo prius geſtu conformati. *Declamat. 31.*

Libanius: Neque verò exiguum illud eſt quòd ſalus noſtra ſine turpi fama cõparata eſt:illi verò duplex probrum referunt,injuſtitiæ, quòd invaſerint eos de quibus nihil conqueri poterant:&effœminatæ naturæ,quòd auſi non fuerint inſidias, quas parabant,ad effectum perducere. etenim qui in alias exercitum infeſtum ducunt, ſi priusquam ad manus venerint,revertantur,majorẽ cõſequuntur infamiã: quemadmodum is qui vicinum ad concertationẽ provocavit, ſi pœnitentia ductus,ante certamen provocationẽ ſolvat.tales enim videntur,quòd nullam ſperarent à ſe ſalutem, contentionis ſtudium depoſuiſſe;non quòd quietem colerent: unde deſpectũ & odium ſibi ipſis conciliant,quippe cum propoſitum eorum odio ſit,& contemnuntur ipſi;quia cœptum eorum finem non eſt aſſequutum. Equidem etiam mulierculas hoſtium acerbè ipſis exprobraturas arbitror, & dicturas inter ſe colloquendo: Quales nobis milites educat civitas? redierunt tot numero ab uno fugati: redierunt armati ut ab oratore fugitivi. haud quaquam nos, quas imbelles & molles vocant,id perpeſſæ fuiſſemus. hæc illorum uxores identidem inter ſe obloqui conicio: & nulla obtrectandi ſatietate affici. *Declamatione 31.*

Libanius: Pro quibus nam patres pugnamus,& viri in periculà irruimus? quia nimirum liberi & conjuges in maximo apud nos precio ſunt. Ac ſi quis in cariſſima rerum in ſolenter ſe geſſerit,arma cõfeſtim arripimus. Pro quibus nam & urbes habemus,& leges ſtatuimus,& arma ferimus,& conſilia conciliamus,&ad ſuggeſtum clamamus. Tynides autem affectantes,& arces circumſpicientes,non eadem de cauſſa & odimus & punimus:& quantumvis dirum aliquid fuerit, tenue imo nihil,præ tyrannide exiſtimamus? *Decl. trigeſima quinta.*

Libanius: Omnino difficile non eſt ducibus exercitus,& tribunis militum,aurum ſuppeditantem, atque alia ſe confecturum pollicitum,arma capere perſuadere. *Declamatione 42.*

Simplicius: Omnium bellorum pecunia cauſſa eſt, quam ob victum & cultum corporis adſciſcere cogimur. *cap. 2. ad Epictetum.*

Heliodorus: Cùm quæ ſit novarum rerum auctor ſemper tumultus belli, tunc maximè miraculum introducebat inuſitatum,navales copias in mediterranea loca. *libro 9. Æthiopicorum.*

Onoſander: Principia ipſa belli prudentiſſimè conſtitui oportere cenſeo;ita ut æquitatis ratione ſuadente ſuſcepta eſſe manifeſtò appareat.tunc enim exercitui,contra hoſtes,ſocius bellorum Deus,propitiuſque adſiſtet; ipſique adeo milites erunt adeundis periculis promptiores. Poſtquam enim perſpexerint, ſe injuriam non inferre,verùm illatam propulſare,nullius impietatis conſcij,abſolutã cum virtute,excelſóque animo,militiæ ſeſe ultrò dabunt. Ideóque,quotquot arbitrantur divinum numen iis non ſuccenſere, qui bellum injuſtè movent,vel ſolâ iſtâ perſuaſione, etſi nihil ab hoſtibus ſcævum ſævumque obtigerit, metu ſolliciti pavent ſemper, ac formidant. Quamobrem ſi quædam obtinere,aut negare voluerit Jmperator,ea priùs per allocutiones & legatos clarigare debet: ut niſi æquis illi poſtulationibus annuant, tandem utilitate cogente, non datâ operâ, bellum indixiſſe videatur. Divinam quoq; fidem teſtetur,bellum ſe temerè non gerere,nec quia damnoſam præliorum aleam parui pendat;neque etiam ut militariter laſciviendo,quacunque tandem ratione poſſit,hoſtes affligat.

Præterea&iſtud valdè animadvertendum,non ſolùm domibus aut muris exſtruendis,ſolidiſſima poni debere fundamenta, ne ſi imbecillitatis vitio labare ac ruere contigerit, tota quoque ſubſtructionis moles repentè concidat: Sed bellorum etiam initia validiſſimè ſtatuenda & ſtabilienda eſſe; atque ſic,quaſi jam bene fundatâ ſecuritate,inſtruendas educendáſq; copias. Scilicet malè conſtituta hujuſmodi negotia,gravi certaminis onere incumbente,illicò fatiſcunt & deficiunt. Vt autem optimus gubernator, è portu priuſquam ſolvat,navem omnibus armamentis exſtruere ſolet: ſic etiam providus Jmperator,quæcunque uſui ſibi fore putabit,præparet; ſeſéq; tum,ac cetera,fortunæ permittat. Pudendum porrò ac periculoſum eſt,temerè ac turbidè bellicos excitaſſe tumultus, & veluti mare terrámq; prœliis miſcere voluiſſe,deinde turpiter inceptis deſiſtere, prorámq; obvertere. Etenim unuſquiſque ſupinam hujuſmodi amentiam deridet, imbellemque audaciam ludos facit:Hoſtes etiam, quicunq, illi ſint, oderunt eos merito,qui injuriam inferre,nec noluerunt quidem, ſed nec potuerunt. *capite quarto Strategici.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Fortiorem me faciet melior conſcientia: fortiorem me faciet & cauſſa pugnæ.ille pro præmio pugnaturus eſt, quod jam bis accepit: ego pugnaturus ſum pro fratribus, pro pietate, &c. *Declamatione 271.*

Quintilianus Senior: Jam igitur ex hoc apparet profecto vobis nunquam majore animo, nunquam concitatiore ſpiritu fuiſſe pugnandum. non enim nobis cum hoſte Græciæ aliquo res eſt, ubi quamquam victi,leges tamen ſimiles, linguamque certè eandem pateremur: ſed cum homine barbaro,cum homine crudeli,cum homine infeſto. *Declamatione 339. a. f.*

Quintilianus: Nihil eſt tam capax malignitatum ſermonumque quam bellum. *Declamatione 11. §. 7. f.*

Incertus Panegyriſtes Conſtantino Aug: Hæc omnia, Jmperator, cùm cogitares,ſcires,videres,ne te paterna gravitas,nec tua natura temerarium eſſe pateretur,dic quæſo,quid in conſilio niſi divinum numen habuiſti? An illa te ratio ducebat (ſua enim cuique prudentia Deus eſt)quod in tam diſpari contentione,non poterat melior cauſſa non ſuperare,&innumerabiles licet copias pro ſe obiiceret,pro te tamen juſtitia pugnaret. *capite quarto.*

Idemque mox: In tam diverſa cauſarum ratione divino conſilio, Jmperator,hoc eſt tuo,nõ multitudinẽ ſed partiũ merita numeraſti.

Nazarius orat. in Conſtantium Aug: Jam certè quieſcere virtuti integrum non eſt: nam bellum animo gerere armis abſtruentem, non concordiæ ratio eſt, ſed ignava diſſenſio. *capite decimo.*

Cl. Mamertinus: Sic illa quondam Romanæ potentiæ diu æmula & inimica Carthago à P. Scipione devicta eſt,cum is trajecto in Africam exercitu,Hannibalem ab Jtaliæ vaſtatione revocavit? Audieras hoc Jmperator? an ipſe per te divina tua mente perſpexeras, ita demũ hoſtes funditus poſſe ſubverti,ſi in propriis ſedibus vincerentur, nec prædã modò,quàm cepiſſent,amitterent,ſed ipſi cõjuges & liberos & parentes ſuos,& chariſſima omnia capta mærerent. *c. 8. pan. in Max.*

Latinus Pacatus: Quamvis igitur, Jmp. hoſte tali abutereris,nec tam ad prælium conſerendum quàm ad ſupplicium de nefario capite ſumendum venires, conſiliis tamen tantis tantisque rationibus bellũ adminiſtrabas,ut cum Perſe aliquo decertaturus, aut Pyrrho, aut cum ipſo illo Annibale videreris.nam primum fidem regum quibus limes Orientis ambitur,data atque accepta dextera firmas,quò toris ſecurus agitares,ſi nihil ſollicitum & ſuſpectandum domi reliquiſſes. Tum copias tuas trifariam dividis, ut & hoſtis audaciam multiplicato terrore percelleres,& fugam circumfuſus ambires. Poſtremò populis barbarorum ultroneam tibi operam ferre voventibus, commilitonũ munus indulges,ut& limiti manũ ſuſpecta decederet,& militi auxiliator accederet,&c. *cap. trigeſimo ſecundo Panegyrici Theodoſio dicti.*

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Lyſiſtr. v. 502.

P. Quaſpe,quid vepetẽtes,noſtrã ferreo obſeve clauditis urbẽ?
L. Servemus ut argentum,nec propterea mala bella geratis.
P Quid? an argentum cauſſa eſt belli? L. quin omnia cetera turbat.
Piſander enim prætoreſq;,ut quò furarentur haberent,
Turbas ſemper movere aliquas.

Jbidem, verſu 601.

Non mirum eſt ſi laudatur Pax & perficiatur ab iſtis
Quas nulla ſolet pars tangere belli. LVS. Quin ô ter ſcelerate
Mage quam duplex ferimus bellã,nam partus edere acerbos
Solita,natos mittim⁹ armagerẽtes. PR. parce hæc memorare,
LVS. Et cùm potius lætari opus eſſet,& ætati dare ludum.
Ob militiam ſola ſumus in lecto: ſed mittite noſtra,
Pro virginibus quæ veteraſcũt in thalamo,hoc maceror unũ.
PR. Quid? nonne viros ſenium attingit? LVS.
Sanè equidem non eadem hæc ſunt.
Nam vir procus,& ſicanus erit,teneram tamen ille puellã
Nuptum accipiet:brevis ætas mulieribus,qua ni potiantur,
Non ſit qui ducere curet.ſed amat ſedem & vaticinatur,
Ni fortè qui poteſt arrigere.

Ariſtophanes Acharnenſ. v. 525.

Juvenes profecti Megaram, cottabis adhuc
Madidi, Simatham meretricem furtim auferunt:
Poſt Megarenſes juſto dolore perciti
Viciſtim Aſpaſiæ ſcorta eripuerunt duo.
Hinc belli initium erupit Græcis omnibus,
Trium cauſa meretricum: hinc ira Olympius
Pericles tonabat, fulgurabat, Græciam
Omnem miſcebat: leges inſuper dabat:
Scriptas perinde, ut carmina convivalia:
Quod Megarenſes, neque in terra, neque in foro,
Neque in mari, neque continente oporteat
Manere. Hinc Megarenſes paulatim acti fame,
Lacedæmonios rogaverunt, decretum ut hoc
Subverteretur, quod propter meretriculas
Latum fuerat: at nos nolebamus, diu
Multumque arantes, audire. Hinc belli furor,
Hinc armorum ſtrepitus.

Petronius Arbiter.

Mitis turba Deũm terras exoſa furentes
Deſerit, atq; hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias,ni vi eos pulſata lacertos
Abſcondit galea victum caput, atq; relicto
Orbe fugax, Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it ſincera Fides, & crine ſoluto
Iuſtitia, ac mœrens lacera Concordia palla.
At contra, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit.
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibusq; armata Megæra,
Letumq;, Inſidiæq; & lurida Mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis
Sanguineum latè tollit caput, oraq; mille.
Vulneribus confoſſa cruenta caſſide velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis, atq; flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataq; ſidera pondus
Quæſivere ſuum.

Petronius

Petronius Arbiter de cauſſis belli civilis.

Orbem jam totum victor Romanus habebat
Qua mare, qua terra, qua ſydus currit utrumque,
Nec ſatiatus erat. gravidis freta pulſa carinis
Iam peragrabantur ſi quis ſinus abditus ultra,
Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat: fatisque in triſtia bella paratis
Quærebantur opes non vulgo nota placebant
Gaudia: non uſu plebeis trita voluptas.
Aſſyria concham laudabat miles in unda.
Quæſitus tellure nitor certa verat oſtro.
Hinc Numidæ cruſtas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus ſua deſpolia verat arva.
Ecce alia clades, & læſa vulnera pacis
Quæritur in ſilvis Mauri fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne deſit bellua dente
Ad mortes precioſa ſuas, premit advena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Vt bibat humanum populo plaudente cruorem,
Heu pudet effari, perituraque prodere fata.
Perſarum ritu male pubeſcentibus annis
Surripuere viros; exſectaque viſcera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis alvi
Circumſcripta mora properantes differat annos,
Quærit ſe natura, nec invenit, omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtu,
Quaque virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea menſa; greges ſervorum, oſtrumque retinens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ ſenſum turbant. hoſtile ac mobile lignum
Turba ſepulta mero circumvenit: omniaque orbis
Præmia, correptis miles vagus extruit armis
Ingentoſa gula eſt. Siculo ſcarus æquore merſus
Ad menſam vivus perducitur, inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cenas,
Vt renovent per damna famem jam Phaſidos undæ
Orbata eſt avibus: mutoque in littore tantum
Sola deſertis adſtrirant frondibus aura.
Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites
Ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum:
Eſt favor in precio, ſenibus quoque libera virtus
Exciderat, ſparſuque opibus converſa poteſtas.
Ipſaque majeſtas auro corrupta jacebat.
Pellitur à populo victus Cato: triſtior ille eſt
Qui vicit, faſcesque pudet rapuiſſe Catoni.
Namque hoc dedecus eſt populi, morumque ruina.
Non homo pulſus erat; ſed in uno victa poteſtas
Romanumque decus. quare tam perdita Roma
Ipſa ſui merces erat, & ſine vindice præda.
Præterea, gemino deprenſam gurgite prædam,
Fœnoris illuvies, uſusque exederat æris.
Nulla eſt certa domus, nullum ſine pignore corpus:
Sed veluti tales tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miſeris, detritaque commoda luxa
Vulneribus reparantur. inops audacia tuta eſt.
Hoc merſam ceno Romam, ſomnoque jacentem
Quæ poterant artes ſana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?

Prudent. Pſycomach. 4.

Anne pudicitiæ gelidum jecur utile bello eſt?
An tenerum pietatis opus ſudatur in armis?

Guntherus lib. 6. v. 463.

—— Extremos Rheni percurrere fines
Accelerat, pacemq; locis & jura reformat
Gentibus; hanc cunctis gaudens præponere curis,
Ne qua parte ſui nutantia regna relinquat
Rector, ad Italicos moturus ſigna labores.

Guntherus lib. 6. v. 494.

Ne qua tamen puram culpæ contagia cauſſam
In fuſcare queat, ſanctos adſciſcere patres,
Et juſtæ cauſſas exponere maluit iræ.
Qui poſtquam ſtimulos jamdudum bella volenti
Adjecere novos, juſtumq; piumq; fatentes,
Nomine quod regni geritur ſub principe bellum;
Protinus accenſa ſtimulis gravioribus ira
Fervet.

Guntherus lib. 7. v. 340.

Nec mihi res agitur, nec certos ſponte labores
Aggredior: belli cauſſas, tramq; coactus
Accipio, juſtoſq; movet vindicta dolores.

Guntherus lib. 7. v. 378.

Nunc iiſdem cauſſis ultrices acriter iras
In tumidos Latij depromite nominis hoſtes,
Atq; illud noſtro detergite dedecus ævo:
Ne noſtras impune minas ſprevisſe feratur
Vrbs Ligurum, quas Roma timet. nec jura, nec ulla
Hoc prohibent leges. quoties injuria regnum
Vexat, & Imperij ſubito pax hoſte laborat,
Principis edicto juſtiſſima bella gerantur.

Guntherus lib. 8. v. 1.

Has inter laudes, & fortia facta virorum,
Illam præcipuè curam Fridericus agebat,
Vt ſine jactura grandi, ſine clade ſuorum
Conficeret cæptos optato fine labores.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 30. Ranæ de Taurorum prælijs.

Humiles laborant, ubi potentes diſſident.
Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Eſt ratio ſeparata, ait ac diverſum genus.
Expulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

Babrias Λέων καὶ Τοξότης. *Fab.* 46.

Μαχὴν λέων συνῆπτεν ἀνδρὶ τοξότῃ
Βέλεσι τυπεὶς δὲ, φησὶν εἶπε τοιάδε.
Εἰδὴ περιμπὰς ἐυπορεῖ τοῖς ὀιστοῖς,
Τὶς αὐτὸς εἴη συσταδὸν ἁρμηρόφ.

Επιμύθιον.

Γνωσιμαχεῖν ἐν πείρᾳ διδασκόμεθα.

Leo & Jaculator.

Pugnam Leo iniit cum homine jaculatore.
Telo autem ictus, feris dixit iſta
Si præcurſores plures habet tales,
Quis fuerit cominus congreſſurus.

Ad Fabulatio.

Reſipiſcere poſt cæptum bellum & vires noſſe noſtras ab experientia diſcimus.

¶ Emblematum.

Batillius XXIV.

Belli & rixarum faces.

Sunt qui odijs verſare domos, rixaſque ſerendo
Concordes ſoleant pellere in arma viros;
Prædam ipſi interea ſibi rerum in turbine quærant,
Rem faciant tanto commodiusque ſuam.
Qualis ut oppoſitas acies committat Enyo,
Injicit accenſas inter utramque faces,
Sanguineumve manu quatit horrida diva flagellum,
Tartareâ in pugnas exſtimulatve tubâ.

Batillius CCXV.

Jam non tumidis velis Aquilone ſecundo.

Acta modo tumidis velis Aquilone ſecundo
Qua placidas rerum tuta ſecabat aquas,
Præfixo Navis regali concita roſtro,
Tutelaque Deos lilia picta gerens,
Adverſis jam nunc bellorum impellitur Auſtris,
Iam propè jam adverſis obruiturque Notis,
Dum Regni pace incluſos quos ipſa vehebat
Exſolvens ventos, hos ciet ipſa ſibi:
Qualiter Aeolijs fertur vexatus Vlyſſes
Tadiaque infecti longa tuliſſe maris,
Poſtquam illis ſocij dempſere ligamina, clauſum
Vtribus auri ingens pondus ineſſe rati.

Camerarius XXVI. Centur. 3.

Nec ſperno, nec metuò. Cymus juxta Aquilam poſitus.

Nec pugnam occipias, ſed te oppugnantibus offer,
Sic hoſtis poteris victor abire tui.

Bello civili felices vultures. Embl. IV.

In ſua victrici dum ſævit viſcera ferro
Patria, & innocuo terra cruore rubet;
Vultur adeſt ſubitò, defuncta cadavera paſcens,
Quodque alijs damno eſt, hinc ſibi lucra petit:
Graſſari quò tuta queat ad munia opeſque
Civica depoſcit prælia ſeditio.

Florent. Schonhovius.

Civilis diſcordia. Emblem. LXIX.

Præda duos inter fuit olim ſplendida Sturnos,
Hanc erat auxilio nactus uterque ſuo,
Dividere hanc tentant, ortur diſcordia præceps,
Quæ ſocios trahit ad bella gerenda animos;
Milvius hæc ſpectans trepidantibus advolat alis,
Cumque ſuâ prædâ victor utrumque rapit:
Scilicet eſt hoſti facilis victoria, quandò
Diſcordes populi civica bella movent.

Florent. Schonhovius.

¶ Apoph-

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus: Belli commodum perniciemque aggredimur, neque enim semper suo fructu caret Militia, cum moderatione & legitima auctoritate suscepta, sine quibus tamen non attingenda. Quod Redemptor mundi Christus brevi compendio insinuavit, quando ad montem Oliveti, à Judæis apprehensum, Simon Petrus educto gladio vindicare de vi illata nitebatur; ajebat enim: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Qui nimirum sine legitima potestate eum acceperint, sed propria auctoritate, ac quasi à seipsis: neque ad conservandam justitiam, sed in vindictam: exigit enim justitiæ ratio, ut tales similiter gladio pereant; juxta præceptum Dei, *Genes. cap. 9. Matth. c. 26.*

Rudolphus Imp. Austriacus: Civiles attingimus, & quid illi ex Bello commodi retulerint. Ad gloriam quippe consequendam non parum facere Armorum decus, exemplo est Rudolphus Jmp. Austriacus: qui dum victum à se Bohemiæ Regem excepturus, fidemque ab eo accepturus esset, monitus se regio cultu trabeaque adornaret, eò quòd Bohemus se splendida veste foret exhibiturus; renidens, *Al sit*, inquit, *Rex Bohemia toties meam gryseam togam explosit; nunc illa ipsummet explodet.* & ad suos conversus; *Vos*, inquit, *arma & equos expedite, accinctique & instructi, ut ad pugnam state. Decus Teutonicorum armorum, non vestium, advenis istis ostendite hoc me vobisq; dignum.* Refert I. Lipsius Monit. *Polit. lib. 2. cap. 17.*

Antonius à Prato Cancel. Senserat identidem iste, belli incommodo suum etiam adesse commodum. Nam Francisco 1. Gallis imperante, quidam Mediolanum funditus diruendum suadebant. ad quod Cancellarius; *Minimè verò rectè illud*, inquit: *quin potius ut vitiosi humores è corpore pharmaco pelluntur, ita bello Mediolanensi Gallia ab improborum face purgabitur.* Ægid. Corroz.

Anonymus: Cùm autem pacatis tranquillisque temporibus maximè à domesticis turbetur Ecclesia, non ita malè sensisse dicendus est is, cui frequens in ore: *Bellum Turcicum pax est Ecclesiæ.* Insinuabat plerosque Principes, præsertim Germaniæ, nisi eo occuparentur, in Ecclesiam insurrecturos. *Gregor. Richt. in Axiom. sacris.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ioab: David ab Hammonitis injuria in legatos suos & belli apparatu provocatus, adversus eos eorumque auxiliares copias mittit Joabum, qui ad fortiter pugnandum fratrem suum Abisaium accendens, *Si Syri*, ait, *robustiores fuerint me, tum esto mihi auxilio: quòd si Hammonitæ robustiores fuerint te: vicissim ibo, ut auxilio sim tibi. Confirmare, imò confirmemus nos pro populo nostro & pro civitatibus Dei nostri: Iehova autem faciet quod bonum videbitur in oculis suis.* Fugerunt autem Syri & Hammonitæ à facie utriusque ducis. *2. Sam. 10. 12.*

Ezechias Rex: Munita adversus Sancheribum Hierosolyma, imposuit præfectos militares populo, congregatisque eis ad se in plateam portæ civitatis, loquutus est quæ erant eis cordi, dicendo, Confirmamini, & fortes estote, ne timetote, neque consternamini metu regis Assyriæ, & metu totius multitudinis, quæ est cum eo: nam nobiscum major est quàm cum eo. Cum eo est brachium carneum: nobiscum verò Jehova Deus noster ad auxiliandum nobis, & adgerendum bella nostra. Sic innixi sunt populus verbis Ezechiæ regis Jehudæ. 2. *Chronic 32. 7. 8.*

Isaac Monachus: Ferunt Jsaacum monachum ubi vidit Valentem, Arianæ sectæ addictum, cum exercitu egredi, contenta voce ei dixisse, *Quò proficisceris, ô Imperator*, qui auxilio Dei, quem contra bellum gesseris, prorsus destitutus es? Nam, quoniam tu multorum linguas ad blasphemias adversus eum loquendas acuisti, & pios laudibus illum celebrantes Ecclesiis exturbasti, idcirco ille Barbaros adversum te concitavit. Desine igitur tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam facilè reportabis. Quòd si omnibus his neglectis bellum susci pias, rerum eventu experiere, quàm durum sit contra stimulos calcitrare. Nam neque ipse reverteris, & exercitum præterea amittes. Cui admodum iratus Jmperator: Revertar, inquit, & te interficiam, falsæque prædictionis pœnas abste repetam. Tum ille, minas neutiquam veritus, clara voce: *Eneca*, inquit, *si quid falsime dixisse deprehenderis.* Paulò pòst Valens amisso exercitu à Gothis interfectus est. *Theodoret. Eccles. hist. lib. 4. cap. 30.*

Theodoretus: Dicebat ipsos rerum eventus nos docere bellum plus commodi quam pacem Christianis afferre. *Nam hæc nos molles, morosos & timidos reddit: illud autem animos acuit, & res præsentis vitæ tanquam fluxas contemnere facit. Theodoret. eccles. hist. lib. 5. cap. 38.*

Theologi Veteres: De bello hæc sunt quædam illorum scitè dicta.

Augustinus: Noli existimare neminē Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat sanctus ille Centurio, qui Domino dixit, Non sum dignus ut intres sub tectum meum. *Epist. ad Bonifacium.* Vide eundem contra Manichæos, & 23. quæst. 1. Can. Quid culpatur, & tract. 19. De verbis Domini, & tract. de diversis Ecclesiæ observationibus, & contra quinque hæreses.

Cassiodorus: Res bellorum bene disponuntur, cùm in pace tractantur. Id est, non capiendum in harena consilium: nec bella ad oculum gerenda sunt. Munitio tunc efficitur prævalida, si diuturna fuerit cogitatione laborata. *libro 1. epistola 16.*

Tunc solùm utile est ad arma concurrere, cùm locum apud hostem justitia invenire non potest. *lib. 3. epist. 1.*

Justitiam minùs diligunt qui frequenter bella tractant. *lib. 5. epist. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Abjice infelicia arma, non minus ira quàm metu.
Absque armis finire bellum, sana quæque mens vovet.
Absque bellis stare mundi machina haud queat diu.
Ad bellum, rapina, novarum vel rerum studium, illicit.
A Deo belli undiquaque sunt vicissitudines.
A Deo omnis est Erynnis, grata non tamen Deo est.
Adjutorem habet Deum cui caussa belli justior.
Administranda auspicato certè res est bellica.
Administrari auspicato res oportet bellicas.
Ad pugnam fera coguntur: perdere hominem homini libet.
AEacidis sua bellipotentia, haud sapienti potentia est.
Arbores ne cadito hostis; nemini certe nocent.
Arduum est esse innocentem bellicis tumultibus.
Arduum mage est finire quam excitare incendia.
Arduum non est ad bella concitare pessimos.
Aut propter fidem, aut salutem justius bellum geras.
Bella multi quæsierunt gloriæ ob merum decus.
Bellandi novas rationes invenit bellum novum.
Bella periculosa vix est sine periculo explices.
Bella quæ mole ingruunt una, haud una peste ingruunt.
Bella quantum, heu, privatim publiceque Vrbi nocent!
Bella sæpius geruntur avidius quàm felicius.
Bellica excusationem respuunt caussariam.
Bellica in re, multa virtus, plus potest occasio.
Bellicæ laudi innutritus, pacem amare vix potest.
Bellica in re singulorum curam gerere non vacat.
Bellicosi si exterus deest, quæritant hostem domi.
Belli furta dedecus nullum, imò gloriam amplam habent.
Belli honesti titulus, multis caussâ pro justâ valet.
Belli initia ut provenere fama item est in cætera.
Belli summa de momentis fermè minimis pendula est.
Bello exerceare, pace si libet diu frui.
Bello jam cæpto abstinere intutum est, certè inglorium.
Bello jam denuntiato, fas jusq; uti fraudibus.
Bello inutiles fiunt qui se implicant muliebribus.
Bello vincunt non qui evertunt urbes, sed juste regunt.
Bellum honestius geras contra Regem quam perfugas.
Bellum opes fovet q; & auget, ast egestas dissipat.
Bellum publicum fere fit è privata amentiâ.
Bellum ubi est, ibi periclis obsita agri cultio est.
Bellum ubi est ibi repente vastitas rerum omnium est.
Bellum sanguinis circa cor index est certissimus.
Bis alibi forsan peccare, bello in ullo non licet.
Casibus non opinatis maximè in bello est locus.
Caussa cui belli est iniqua, fortis esse vix potest.
Caussa cui bona est, bello q; vincit; armis si valet.
Caussa justa si bellandum est, vincimus cùm vincimur.
Cives bello inimicis, cives pace amicis dant malum,
Cogita deliberaq; rem prius quàm bellica.
Commodissimum oppidum sit quod sedem bello eligis.
Consules bello occupatos avocari non placet.
Curetes bello Ætoliq; pereunt ob caput suis.
Debelles inopiâ, habentem nil nisi quod raptu occupat.
Difficillimum innocentem rebus esse in bellicis.
Disce bellam in pace si vis deinde bello vincere.
Dum miser pacem optat, in bellum è metu belli incidit.
Eccubi feritas leonum mutuò in se sævit?
Errat, in bello secundos qui usq; sperat exitus.
Excitatos à puero ignes vix viri centum opprimant.
Ex diversitate morum bella crebrè pullulant.
Exitu felice bellum est caussa justa cui favet.
Falcem emas vannum q; bella cùm vigent teruncio.
Felix qui moriens bello, omnia absumpta secum conspicit.
Feminæ haud bellum sequantur, sed patrem, sed liberos.
Feminæ tractate lanam; cura belli erit viris.
Ferme orbis perit, de regno pugna ubi est inter bonos.
Ferrum & as sunt instrumenta belli, non domus sacræ.
Ferrũ & arma plures perdunt, quàm Natura atq; Atropos.
Filii vel cæde, belli disciplinam sancias.
Flamma bellum est, excitatum ut est semel latè furit.
Fortius pro libertate bellum est, quàm pro gloria.
Fortuita cuncta, belli tempore sunt prodigia.
Furta belli, gloriosa sunt magis quàm infamia.
Glorioſius repellas bellum, quam haud admiseris.

Haud cruentius bellum ullum est, quàm libertas quod gerit.
Haud loco bellum est tenere uno; usque serpit latius.
Haud parum manuum pedumque celeritas bello facit.
Haud vacat bellis peregre, qui premitur domesticis.
Heu gravem sortem, veneno ferrum iniquum ubi additur.
Ignavos facilè est à bello deterrere non viros.
Ignavorum uno subictu bella Regum transigas.
Immanis fera est quæ mordet plus fames quam ipsa exigit.
Impetu magno inchoantur bella, sed mox corruit.
Impetum bellique subita sapè & abnuit locus.
Impetus belli obligantur vinculo patientiæ.
Impios bello adgredienti deesse socius haud queat.
Improbè in bello relinquas pacis contubernium.
Improbitates bella multorum obtegunt mortalium.
In bello mori decorum est pro parente & patria.
In bellum prorumpit inter ortaepulas contentio.
Inchoant & bella segnes: strenuissimi gerunt.
Inchoant & bellum inertes; strenuissimi patrant.
Inchoes bellum tuo, ast alieno tempore hostibus.
In malè auspicato bello permanere pessimum est.
Innocens juxta ac nocens ubi ingruit bellum cadit.
Iunior præito ad bella; pacis ad res vir senex.
Iura item natura bellum mutat in contrarium.
Iustius bellum esse non quit, quàm Deus quod imperat.
Latrocinia atque raptus, apta bello fit manus.
Liberis gerenda bella tradere atrocissimum est.
Literis verbisque bellum quod fit, haud durat diu.
Maxima fas subire bella, præmijs pro maximis.
Maximè in bello haud opinis casibus datur locus.
Maximè in rebus dominatur fors fortuna bellicis.
Mortuorum in bello alantor conjuges ac liberi.
Multa bella evanuerunt per moram, valida impetu.
Multa multis bella ob unam perpetrantur gloriam.
Multa perperam patrata jus excusat bellicum.
Munia ad belli vocatur cùm necesse est servulus.
Neminem non usque vexant bella vicinalia.
Nemo unquam avem vidit gustari à vulture.
Ne quidem feritas Leonum ipsa inter sese dimicat.
Nil adæque fructuosum est fraudibus bello ac dolis.
Nil adæquè noxium est in bello quàm ignorantia.
Nocte torquentur diuq; qui bellum indicunt sibi.
Non de Helena Troes pugnarunt, sed de Helenes imagine.
Non nisi aut fame, aut timore, ad pugnam coguntur fera.
Non potest domi sedere bellum cum hoste qui gerit.
Non sapit nimis gens armis occupata perpetim.
Non tam bellicâ in re prodest virtus, quam velocitas.
Non tam justa res est, bellum inferre, quam repellere.
Nullus è bello sceleſtus ad suos revertitur.
Ob victum modò obq; amictum bella homines sani movent.
Omnia experiri verbis, quàm armis sapientem decet.
Omne bellum duratura caussa pacis sumitur.
Omne bellum est justum, contra Pravitatem quod geris.
Omne bellum facilè initur; difficulter desinit.
Omne tempus anni non est bellicis idoneum.
Omnibus, notis ignotis bellum indicit gloria.
Optimum est in bello, verùm legibus belli, mori.
Otium quandoque à bellis præbet pestilentia.
Pace filij humant parentes, bello humant natos patres.
Pax bellum ve auctoritate constituantur publica.
Pleraq; in tenore belli monstrat usus ac metus.
Plura moribus vincuntur in bello, quàm viribus;
Plurimum fortuna belli, plus potest prudentia.
Plurimum valet bello omni recta conscientia.
Præparanto sese bello quiq; pacis tempore.
Promptius domos majores quàm minores occupes.
Promptius gladium vaginâ extraxeris quàm immiseris.
Promptius mali ad bellum consentiant, quàm ad concordiâ.
Proque honore libertatis vel famulas armes manus.
Pro salute jam securis certandum de gloria.
Pro socijs speciosius quis bella quàm pro se gerat.
Punienda ignavia est in bello, haud infelicitas.
Qualibet movendo bello occasio avaris sufficit.
Quamlibet bellum ingens flagret vel momento temporis.
Qui diu est amici in agro miles, haud amicè agit.
Qui repellit bella, multum, plus sed is qui arcet, facit.
Qui sapit, sed haud tempore eodem multis bellis detinet.
Qui se jactat ante bellum, rem non præstat arduam.
Quis suum non mulcet hostem si quit infortunio!
Quod fors in pace aut natura est, ira id in bello Dei est.
Rex cui in pace obloquuntur subditi, bello interit.
Robur haud est in lacertis ullius contra Deum.
Sapè adversus innocentes caussa belli quæritur.
Sapè alienis dum confidis viribus, recipis tuas.
Sæpius bellum excitatur ex pace ac victoria.
Sæpius fortuna belli commutatur cum loco.
Sæpius spem vel terrorem, vana generat fabula.
Sanitatem crede ubi est pax: omne bellum morbus est.
Sat citò bellum geris, si idem geris securiter.
Spes periculosè in socijs ponitur victoria.
Suave bellum est non expertis: res tremenda at alteris.
Submovent fortes bello hostem; delides pecunia.
Sustinere bella non est absque vi pecunia.
Tardius bellum peritus annuit, tyro statim.
Tempori inservire oportet pace, nec bello minus.
Turpe eum est jam provocari, bellum ante ultrò qui intulit.
Turpis est Mars lentus: audax expedit bellum manus.
Vera sat superque merces prælianti gloria est.
Vim pecuniæ requirit omne bellum maximam.
Vincitur quandoq; bello, prælio qui vincitur
Virtutes virosque indici, libertati proximum est.
Vt cladem urbibus bellum fert, sic decus fert mortibus.

¶ Jamaica.

Accinctus esto, bella obire qui cupis.
Ad arma inexpertos ciere haud arduum est.
Amore captus victor & capta sua est.
Ante rationem est in bello necessitas.
Auferre solam bella doctrinam haud queunt.
Aut pro salute est omne bellum, aut pro fide.
Aut vince bello, aut meliorum imperium feras.
Bellantibus juste Deûm incubat favor.
Bellare egestas neminem sinit duo.
Bella prius consilio, deinde viribus.
Bellat malè una cui spei tantum anchora est.
Belli auctor ipse sæpe primus interit.
Belli esse justos tempore haud quidquam vetat.
Belli ferè est hera absoluta occasio.
Belli ferè est indictio imaginaria.
Belli incentivum Principis est ignavia.
Belli rationem, mutat & necessitas.
Belli sacramentum atrox, est immanitas.
Bello capi, rerum omnium miserrimum.
Bello exitus secundum jus fas dant Dei.
Bello, innocens ac noxius, juxta cadit.
Bellum acrius de pace ficta nascitur.
Bellum aquitati post habere amentia est.
Bellum atque castra odium non dissimulant bene.
Bellum capax malignitatum est omnium.
Bellum cave felix, miser bellum rape.
Bellum ferè creant innuptæ nuptiæ.
Bellum geras non in tuo, sed hostico.
Bellum geras potius consilio quàm manu.
Bellum inchoant inertes, fortes finiunt.
Bellum illicò ferocia ingenia efferat.
Bellum illico orta suscitat dissensio.
Bellum inquieto nascitur è victoriâ.
Bellum, loco remedij est, infelicibus.
Bellum magister omnis est injuria.
Bellum manus poscit; non multa nomina.
Bellum modo dimensi nullo pascitur.
Bellum movere aliud est, aliud vincere.
Bellum nefas est sumere Saturnalibus.
Bellum novas res usque atque usque parturit.
Bellum omne honestum turpi paci præferas.
Bellum omne quidquàm morbus est reipublicæ?
Bellum omnia aufert prater virtutes viri.
Bellum omne vis conficere? captiva ducem.
Bellum omnium rerum parens certissimus.
Bellum paret pacem pati qui non potest.
Bellum pium felicis est quoque exitus.
Bellum pium pace impia præstantius.
Bellum prius consilio quam viris geras.
Bellum prius pares oportet, quàm geras.
Bellumque gentes aperit nunquam cognitas.
Bellum requirit consilium ac pecuniam.
Bellum ruinâ multos involvit suâ.
Bellum se alit ipsum, ubi geritur in terrâ hostică.
Bellum utile illis res quibus non optima.
Bruma appares bellum omne, vere sed geras.
Cacus fere est eventus bellicæ rei.
Cave sapius bellum inferas ijsdem hostibus.
Caussa pusillæ bella maxima excitant.
Citraque bellum diffidentes terreas.
Cæptis honestis major est audacia.
Conficere bellum vetitus, bellum conficit.
Consilio quàm vi tutius bellum geras.
Consilium bello plura quàm vis perficit.
Correctionem errata belli non ferunt.
Cujuslibet belli nervus, pecunia est.
Damnosa sunt in bello ingenia fervida.
Dat prima multos bello eademq; aufert dies.
De præmijs stultè ante bellum cogites.
Denuncies prius bellum, de hinc feras.
De principatu bellum, utrimque noxium est.
Difficile cœptum sedari bellum potest.
Est annus aptus bello decimus septimus.

Et caussæ

Et cauſſa belli, virium æmulatio eſt.
Etiam ſuus reſpectus in bellis Deùm eſt.
Exterminatâ ſilvâ, proditur Lupus.
Felicius bellatur hoſtili in ſolo.
Flamma eſt volucris omne bellum; transvolat.
Florentis ævi virtus vi ſtat bellica.
Formido inanis plurimum in bello poteſt.
Fortuna belli aliquando alia eſt alio loco.
Fortuna, belli artes etiam victos docet.
Fortuna belli fortium omnis in manu eſt.
Fortuna belli ſemper anciputi in loco eſt.
Fortuna bello ac pace quidlibet poteſt.
Fortuna ubique, at plurimum in bello valet.
Haud adminiſtret facile qui rem bellicam.
Haud ſæpe promptum in bello eligere tempora.
Heu quam licet multum in re belli caſibus!
Iam nata bella difficulter deſtruas.
Impendia belli plura ſunt quàm præmia.
In bellicis rebus, prima eſt occaſio.
Inferre bellum ſatius eſt quam oſtendere.
Integra opus virtuti ætate bellica.
Inventa ut eſt, ſubacta item Britannia eſt.
Ius omne belli, jure conſtat gentium.
Juſtum omne bellum ijs, quibus eſt neceſſarium.
Leges ſilent piæ inter arma & buccinas.
Licet impares ſint, gladius exæquat duos.
Male auſpicatus bella, non melius gerit.
Manſueta & ipſa ſunt niſi irrites fera.
Mars nobili gaudere ſuevit ſanguine.
Meum, tuumque, cauſſa bellorum omnium eſt.
Multum ſolet licere in bello caſibus.
Murus ſibi ſola in bello eſt audacia.
Mutatur & fortuna belli cum loco.
Nec bella rex prudens timet nec provocat.
Neceſſitate probus bellat, ſponte improbus.
Nec extimeſcas bella rex nec provoces.
Nil eſt timendum dimicanti pro Deo.
Non aggredi bellum præſtat, quàm prodere.
Non vincitur facile in bello innocentia.
Non uſquo bello prævalet pars æquior.
Nullum eſt paris inter generis bellum belluas.
Nunquam carent oritura bella vatibus.
Nunquam ſapiens duo bella ſuſcipit ſimul.
Omnem moram belli abnuit occaſio.
Paci probroſæ infelix bellum præferas.
Partes tuentur æquiores Numina.
Peccare vix his cui licet rebellica.
Perſæpe bellum pacis nomine obtegas.
Perſæpe bellum ſola fama conficit.
Perſæpe vana, in bello, pro veris valent.
Plerumque belli primus incentor cadit.
Plus cauſſa belli pollet, quam potentia.
Præ pace bellum non niſi amens eligit.
Pro fœderatis, jure bellum ſumitur.
Pro matribus, pro liberis, bellum inclutum eſt.
Pugna absq; tuba, furoris eſt, non prælij.
Quæ juſta bella, ſunt eadem & felicia.
Quam plurimum in bello valet prudentia.
Quas arma non arces fatigant impia?
Qui jura belli tranſit, hoſtis fit Deo.
Quin ſimus in bello juſti, nihil vetat.
Quiſq; hominum ea patet qua petitur maximè.
Rariſſimè bella exeunt feliciter.
Rarò exitus bello is eſt qui præſumitur.
Res difficillima in bello, innocentia.
Sedarè bellum concitatum quis poteſt?
Solviſſe bellum ſæpe plus quam vincere eſt.
Spargi nequit bellum ut calor jam deſiit.
Stant bella famæ: qui recedit, is fugit.
Stultè bellatur animis, abſque viribus.
Stultè opulens bellum adverſus pauperem gerit.
Sunt fœta multis bella acerbitatibus.
Transfugia bellis crebra ſunt ſervilibus.
Vel mancipium arma ſubita moveat barbarum.
Vigente bello nemini jus dicitur.
Violenta quoſq; mors conſumit optimos.
Vires minus, quàm mores, in bello valent.
Veri locum in bellis opinio obtinet.
Vix bella eodem animo gerit quis quo accipit.

Belli Civilis.

¶ SENTENTIÆ THEOLOGORVM.

D. *Nazianzenus:* Civile & domeſticum diſſidium, externo quidem bello multò odioſius eſt, magisq; metuendum, non ſecus ac proprias carnes morſibus appetere horribilius eſt quã alienas. *Oratione 3. ſt. elitentica prima in Iuli anum.*

Egeſippus: Evaſit tamen Alexander, & fugiens de prælio, Hieroſolymit anæ urbis receptacula petit, inviſus ſuis, quoniam recruduerant odia ærumnæ ejus occaſione, quia tantæ potentiæ metu premebantur. Nec ſilentio tegebatur animorum diſcordia, aut verbis tantummodo exercebatur, prælio non uno, ſed plurimis decertatum; quibus extincta ferè 50. Judæorũ millia, quos Alexander interemit, ſuis, quam hoſtibus pernitioſior, & majore victor detrimento, quoniam regni ſui vires vincendo attriverat. Vnde nec ipſe quidem jam ſuis victoriis delectabatur, averſusque à prælio, arte tractabat ſibi ſubditos, ut jam non armis premeret, ſed verbis urgeret, ac ſolis ſermonibus offenſionum genera diſſolveret. Nihil tamen proficiebat ad colligendam ſibi gratiam, quoniam victis facinora præponderabant, atque ipſa repentina converſio ad pœnitentiam morumque inæqualitas ſæva paſſis ſuſpecta habebatur. *lib. 1. cap. 9. exc. Hieroſol.*

Egeſippus: Referebat miſerum eſſe bello civili vincere; quanto miſerius vinci, ut videaris hoſtis tuorum. victori patria manet, victo perit; aut ſi manet, ad ſceleris invidiam manebit, ut videamur civibus bellum intuliſſe pro tyranno: qui enim vincitur, non jam civis eſt, ſed tyrannus. Quid conſerimus noxias manus? ſemel ſatis ſit ſceleri ulciſſe, ut pudeat cui vicerimus, &c. *libro quarto capite vigeſimo nono excidij Hieroſolymitani.*

¶ PHILOSOPHORUM.

Xenophon: Quiſnam alium imperatorem vidit, qui vel urbem capere nollet, ſi eam ſe vaſtaturum putaret, vel pro calamitate duceret in bello, quod cum Græcis gereretur, victoria potiri? Ageſilaus quidem certe, quum nuntium accepiſſet, in pugna Corinthia Lacedæmonios octo dumtaxat, hoſtium vero propemodum innumeros periiſſe, nulla lætitiæ ſignificatione data: Heu Græciam, inquit noſtram. Hi ſane, qui nunc interemti ſunt, vivi barbaros omnes prœlio vincere potuiſſent. Idem, quum exſules Corinthii dicerent urbem deditionem facturam, ac machinas oſtenderent, quibus mœnia ſe capturos ſperabant omnes: copias tamen admovere noluit, quod diceret, Græci nominis urbes minime vaſtandas eſſe, ſed caſtigandas. Quod ſi delinquentes, ait, è medio noſtrum tollere volemus, cavendum eſt, ne quo barbaros ſuperemus, non habeamus. *cap. 39. Vitæ ejus.*

¶ POETARUM.

P. Syrus Mimus.

Civilis belli oblivio, defenſio eſt.

¶ FABULA.

Serpens, Felis & Mures.

Serpens & muſtela in ædibus certabant. inquilini mures ab utrisque nondum conſumpti & devorati, ubi decertantes eos animadvertere, cavis exiere ſuis. Illi verò mures intuiti, dimiſſis hoſtilibus animis & prælijs in eoſdem converſi ſunt. *Æſopus*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abſque cura externa habentur bellis in civilibus.
Abſque curâ externa habentur, cùm laboratur domi.
Ad bellum civile vix eſt artes qui adferat bonas.
Auxilium deforme nullum eſt arma per civilia.
Bella civium commendes maximè ſilentio.
Belli civilis defenſio optima eſt oblivio.
Bellum optat civile, egeſtas militum ac licentia.
Bellum ubi eſt civile, ferro fortior pecunia eſt.
Civico nil bello; niſi qui inferre potuit, fœdius.
Civium bello trabalis nervus eſt pecunia.
Civium optimè tuetur bella, qui obliviſcitur.
Contra patriam pro amico ſumere arma, ingens ſcelus.
Ecquis bella per civilia adductius dux imperat?
E nimia felicitate civium orſus hic furor.
Et bello valet civili ſingulorum audacia.
Extero vacui metu, arma in noſmet ipſos vertimus.
Exuit civem, imò hominem arma qui cupit civilia.
Facto opus mage quàm conſulto eſt bellis in civilibus.
Iam licet Nots quieſcant, at tumet fractum mare.
Impiè bellum omne geritur, in quo vinci eſt optimum.
In domeſtica nil eſſe clam poteſt diſcordia.
In diſcordia civili tuta feſtinatio eſt.
Interit civile bellum, ſi ingruat bellum exterum.
Inter ſe bellare ſuetos, jungit communis metus.
Iure non fit, vindicatur quod civili ſanguine.
Literis mandanda non ſunt dira bella civium.
Nequidem niſi in diverſa genera ſeviunt bellua.
Ne quidem ſuo cum genere bella ducunt beſtiæ.
Nil grave æquè eſt, intereſſe quam malis civilibus.
Omnium extremum malorum eſt civium victoria.
Pace victor vix contentus bellis eſt civilibus.
Pejus eſt civile bellum principatu injurio.
Plus licet bello civili militibus quam ipſi duci.
Plus quàm feſtinata belli ſunt civilis præmia.
Quale bellum, in quo execrandum victor admittit nefas!
Quis non civium inſepultorum aliquot millia exhorreat?

¶ IAMBICA.

Bellare qui vult cauſſas è facili invenit.
Belli exteri mors, ñatalis domeſtici eſt.
Bellis bene uti fas quoque eſt civilibus.

Bellis grave est venire inter civilibus.
Bello nihil civili perniciosius.
Bello abstinendum certè jus ob sanguinis.
Bellum domesticum omne pejus extero.
Bellum omne acerbum ; sed fratrum acerbissimum.
Civile bellum amentium ultimum est scelus.
Civile bellum etiam excitarunt nuptiæ.
Civile bellum semper aufert nobilem.
Civile bellum vivit à victoria.
Civile bellum, vix in pace desinit.
Civilis expleri haud queat victoria.
Civilis omnis funesta est victoria.
Defensio civilis belli, oblivio est.
Extraneus si deest, domi hostis quæritur.
Hostis timendus præ exterò domesticus.
Id bellum cupitis, in quo vinci est optimum?
Inter venire grave est furori civium.
Miserrimum est bello civili vincere.
Pugna omnis contra patriam, pugna impia est.
Ratione belli nil fit in civilibus.
Serpentium morsus serpentes non petit.

Belli Navalis.

¶ SENTENTIÆ HISTORICORVM GRÆCORVM.

Leo Imperator: Restat jam ut de navali prælio verba faciamus. Nihil autem de iis in antiquis rei militaris scriptoribus traditum invenimus: quæ verò sparsim diffusa legimus, & mediocri usu ipsi cognovimus, quæque præfecti nostri partim aliis inferentes, partim ab aliis accipientes, nobis explicarunt, & quæ occasionem aliquam afferre possunt ad rem bene dromonibus, id est, triremibus gerendam, ea paucis explicabo.

2 Primum autem (nam ad te nunc Navarche verba facienda sunt) rei navalis peritia ac instructione pollere te oportet, & aeris, ventorum flatus prænoscere, per stellarum apparentium motum & astrorum signa. Tempestivitatum etiam mutationem perfectè cognoscas, ut si perfectus iis in rebus fueris, tutus & securus ab omnibus maris tempestatibus conserveris.

3 Dromones, id est, Triremes fabricandæ sunt ad navale prælium idoneæ, adversum hostium instructam classem. Itaq; perspecto classis illorum apparatu & universa constitutione, tuam classem omnino sic parabis, ut ad pugnandum cum illis aptissima sit.

4 Triremium confectio neque admodum crassa sit, ut ne tardæ sint ad cursum: neq; ad nimiam exilitatem attenuatæ, ne infirma ac fragilis facilè adversarum navium impetu elidatur: sed mediocrem habeat confectionem, ut incitatus celerque ad cursum sit, & firmus ac stabilis ad hostes repellendos.

5 Ad triremis confectionem omnia parata habeant, eaq; in promptu & dupla ut αὐχένες remos, scalmos, funes, caria, & transtra illorum, ceratia & catartia, & quæcunque alia nautica ars ad usum requirit. habeant præterea ligna concava, asseres, stuppam, picem, picem liquidam, omniaq; instrumenta navalia & ad fabricandas naves spectantia, unus aliquis vector, ut ascias, terebrũ, serrã, atq; alia ejus generis.

6 In prora siphonem ære obtectum de more habeas ad ignem in hostes ejaculandum, & celsè supra siphonem pseudo patium ex asseribus confectum & asseribus circumtectum, in quo viri ad bellandum instructi sint, qui adversum hostes ex prora pugnent, vel in hostilem navem tela aut alia ad vastandos hostes spectantia iniiciant.

7 Sed & lignea castra, quæ in medio catartij sunt, maximis in triremibus asseribus exædificantur, è quibus milites in mediam hostilem navem coniicient vel lapides molares, vel grave ferrum, ut malas cuspidatas, quibus vel navem confringent, vel subjectos in nave cõtundent, vel alia in illos profundent, aut hostium navem incendent, aut hostes ipsos in nave interficient. Vnaquæque autem triremis oblonga sit & moderata, duos habens ordines remorum, alium superiorem, alium inferiorem.

8 Ordo unusquisque habet ad minimum juga viginti quinque, in quibus remiges considebunt, unus ad dextram, alter ad sinistram, qui tum armati milites tum remiges sunt superiores atq; inferiores viri centum. præter hos triremis Centurio, & qui flamũlum tenet, & duo gubernatores colli triremis, quos πρωτοκαράβους vocant, & si quis alius administer centurionis est. Ex iis remigibus qui in puppi sunt, extremi duo sint alter siphonator, alter qui anchoram in mare jaciat. Sit & proreta, in summa parte proræ sedens armatus: & navarchi, id est, centurionis grabatus in puppe sit, qui simul separatum à cæteris norat centurionem esse, simul prælii tempore illum à conjectis hostium telis defendat. Quorum loco singula perlustrans, ad omnem usum adduci triremem jubebit.

9 Aliæ triremes iis majores fiant, ducentos viros aut plures vel minores pro opportunitate locorum temporumque capientes: è quibus quinquaginta in inferiore remorũ ordine locabuntur, centum quinquaginta superius stantes, omnes adversum hostes armati pugnabũt.

10 Triremes minores fabricabis ad cursum celerrimas, unum remorum ordinem habentes, quas Galeas vocant, agiles & expeditas quibus ad excubias aliasque celeres causas vteris.

11 Alias præterea naves onerarias & equiferas parabis, quas impedimentorum loco habebis, quæ apparatum universum militarem gestabunt, ut ne iis rebus triremes aliæ graventur, bellique potissimum tempore. Vbi autem commeatu aut armis aut alia materia opus est, inde ad usum suum depromant.

12 Triremium singularum, militumq; qui in illis vehentur numerum definire facilè non est: temporum enim ipsorum opportunitas ad copias hostium expugnandas, tum triremum numerum, tũ militum etiam, omnesque res præterea ad bellum necessarias, indicabit.

13 Naves onerarias & equestres omnia idonea in se habere oportebit, neq; res solùm ad navigandum necessarias, sed etiam arcus, sagittas, jacula, & si quid præterea propter res circumstantes ad bellicũ usum pertinet. Afferantur etiam armorum genera permulta, ut defectis sæpe militibus, arma inde suppeditentur. Mangana etiam habeant, reliquaq; ejus generis arma, ne militibus horum defectu offensiones magnæ fiant. Præter milites autem & superiores remiges, quicunque cum centurione sunt, reliquiq; à primo ad extremum, omnes armati sint, & scuta, hastas longiores, arcus, sagittas permultas, spathas, jacula, galeas, thoraces: si non a tergo, ante se saltem habeant cassides, brachialia, anterioraq; corporis omnia in ipsa dimicatione & concertatione manuum. Qui autem galeas aut thoraces non habent, omnia hæc ex nervis confecta cum duplicibus cenduclis gestent: & hi à tergo cæterorum locati, arcubus utantur, & lapides maniplates, quos cochlaces vocant, in triremibus habeant, quos in hostes coniiciant, ac pro armis utantur: lapides enim arma sunt bona & certa.

14 Neq; verò sic lapides coniiciant, ut omne virium robur in illis consumant, & de cætero otiosè consistant, ne hostes scuta addentantes & impetum horum excipientes, omnes facilè lapides absumant: iis finitis & conjectoribus lapidum fatigatis, conferti exurgentes spathis & longis hastis se defendere conentur, & robustiores hoc confertо impetu existimati, & fatigatos milites adorti, facilè milites fundant atque expugnent: ita enim solent barbari facere.

15 Saraceni impetum belli primo excipiunt: ubi hostes jam fatigatos armisq; defectos aut sagittis aut lapidibus aut aliis hujusmodi viderint, tum insultant & perterrefaciunt hostes, & cominus confertis manibus, spathis hastisq; longioribus fortiter ac impetuosè invadunt.

16 Itaque hujusmodi cavenda sunt, ac provisione opportuna efficiendum est, ut hostes potius damnosa accipiant, quàm exercitus noster ullum damnum accipiat. Robur enim militum & numerus telorum coniiciendorum dimetiendus est, & ab initio ad finem usq; belli hostium constitutio diligenter perspicienda, atque adeo pugna instituenda est.

17 Ad hæc imperator providebis, ut res necessarias commeatumq; milites habeant, ut ne iis rebus defecti, vel seditionem faciant, vel nostra in regione municipes & subjectos sub imperium nostrum vexent, & injuriis tyrannideq; opprimant, inedia necessitateq; compulsi. Atque si fieri potest, hostilem celeriter populaberis terram, & omnem illis commeatum inde suppeditabis: præfectisq; mandabis, ut nullum sub dominatu tuo militem injuria afficiat, vel ullum munus ab illo capiat, ne ea quidem quæ consueta munera nominantur. De tua autem dignitate quid dicendum est, qui ne de donis accipiendis cogitare quidem debes? neque donum aliquod ab iis qui sub te subjecti sunt, sive ditioribus sive tenuioribus ulla ratione capere.

18 Milites strenuos robustosque & alacres in summa triremis parte potissimum constitue, qui confertis manibus cum hostibus dimicent. Sin quos ex militibus ignaviores esse deprehenderis, eos in inferiorem ordinem remorum depelle. & si quam plagam superiores milites acceperint, eorum loca inferioribus nautis supplebis.

19 Vniuscujusq; milites tui habitus, affectus, reliquusque mentis vigor cognoscendus est, quemadmodum venatores canis uniuscuisque naturam cognitam habentes, ad omnem opportunitatem illis utuntur.

20 Ita igitur institues omnia, quemadmodum ad propositam militiam idonea esse videbuntur, triremes & milites, arma & commeatum, reliquumque omnem apparatum: quem quasi tuldum in tuto collocabis, ubi prælium speraveris futurum. Quòd si necesse fuerit ut equos aliquos habeas, in navibus equiferis cum equitibus aliquot pones, omniaque ad bellum præparans idoneè iter facias.

21 Et priusquam ad classem procedas, precibus ac piis votis se mutuò milites Deo commendent, & bonum prosperumque iter adversum hostes precentur. Deinde universam plebem simul & præfectos seorsim adhortaberis, ut officia sua sedulò industrieque faciant: & omnes quantum fieri potest animabis, & vento secundo flante solves.

22 Temerè ac fortuitò triremes ne procedant, sed tribus aut quinque triremibus præfectum unum deliges, quem Comitem appellabis, qui omnium sub se triremium dux futurus est, & diligenter facileque omnia instruet, quæ ad hastas triremesque pertinent.

23 Præfecti qui sub te sunt abs te mandata accipient, reliquisque qui sub eorum potestate sunt tradent. Atque hæc de regia classe. Reliquarum copiarum triremibus drungarij, id est, tribuni & turmarchæ præficientur, qui & ipsi imperatori subjecti erunt, & illius imperatis obtemperabunt.

24 Neque sanè ignoro, ad similitudinem regiæ classis, reliquorum auxiliorum præfecti drũgarii antiquis temporibus vocabantur, & qui sub illorum dominatu fuerunt, Comites centurionesque olim voca-

vocabantur. Sed nunc drungariorum singulorum dignitas ad nomen imperatorium pervenit, & sic nunc cùm appellatur, in acies imperatorias dividitur.

25 Nautas ipsos & triremes exercebis interdum sigillatim unumquenq; interdum junctæ complures, ut se mutuò invadant, & gladiis scutisq; utantur: integrasq; triremes quasi ad aciem instructam adhibebis, interdum inter se mutuò illigatas, interdum solutas, & diversis modis in se mutuò irruentes. Interdum longis hastis naves hostium depellant, ut ne propè accedentes naves committantur, & ingentia ex eo pericula consequantur. Omnibusq; modis exerceantur, quemadmodum dignitas tua judicaverit hostes cum illis dimicare velle, ut ad strepitus, clamores, reliquosq; motus bellicos assuefiant, neque confestim perturbentur, aut inscitè & præter opinionē in hæc incurrant.

26 Sic igitur exercitati instructiq; in acie procedentes navigent: tantum à se mutuò in cursu distent, ut ne se mutuò impediant tum in cursu maritimo, tum in tempestatibus ingravescentibus & ventorum flatibus. Aciei instructæ & exercitatæ in morem prodeant, & in appulsibus ad terram ordinatè classem instruant, & ad stationē aliquam se applicantes, sine ulla confusione ad littus, ad portum, ad locum portuosū veniant, ut si aliqua tēpestas in salo oriatur, minus adflictentur.

27 Venti flatús ex signis astrorum prænoscendus tibi est, & locus ad quem applicabis eligendus: & nisi aliqua gravis urgeat necessitas, sine aliquo secundo vento aut tranquillitate & tuta ipe salutis, in perturbatam aliquam navigationem nè te conficias, sed significationes astrorum quas nautæ observarunt, reliquaque quæ ad hanc rem idonea sunt observabis, atque ità iter tuum institues.

28 In castris ponendis, si ad tuam ipsius appelles terram, nullumq; timorem hostium habes, ordinatè ibi requiescant milites, neque die aut nocte indigenarum quenquam lædant, aut injuriam ullam inferant, aut fruges diripiant, aut agros populentur.

29 Si prope hostilem terram fueris, aut hostes prope adfuturos metuis, excubias eminus habere oportet tum mari tum terra, & vigilantem esse, & ordine instructum, paratumq; ad dimicandum: multæ enim sunt hostium insidiæ: & si terra te invenerint procedentem, vim afferent tibi, si quam possint, & naves incendent: vel per mare noctu aut interdiu irruptionem in te facient. quòd si imparatus ab illis paratis inveniare, facilè ab illis opprimēre: sin paratus fueris, irrita atque inanis omnis illorum irruptio erit.

30 Quoniam verò horum satis jam mentionem feci, agè de cæteris, quemadmodum irruptiones atque aciem instructam in dimicatione parabis, paucis explicabo, sicut in terrestribus copiis instruendis antea feceramus.

31 Quando igitur belli tempus imminere tibi videtur, non congregatis militibus per acies & cohortes; legantur illis militares multæ, quæ à nobis antea, cùm de terrestribus copiis agebamus, commemoratæ sunt: verbisq; illos idoneis cohortaberis ad pericula suscipiēda, ut partim supplicitorum timore, partim tua cohortatione atq; incitatione strenui fortesq; fiant, & in ipso dimicationis discrimine cominus alacriter manus conserant.

32 Incursionibus aliisq; molitionibus imperatoris adoriendi potius hostes sunt, quàm universa navali classe, vel aliqua ejus ingenti quasi turma, nisi aliqua gravis necessitas ad hoc impulerit: neque enim aperiam in dimicationem teipsum conicias. Multa enim fortunæ momenta sunt, & casus belli nec opinati.

33 Propterea sedulò abs te cavendum est, ne ad publicam aciem instruendam, quemadmodum dixi, inciteris. Navibus enim inter se vinctis, per difficilis & inevitabilis quædam præliandi necessitas imponitur, neq; quid maximè ex usu tuo sit, poteris efficere. Ista igitur cavenda sunt, nisi si fidas tum multitudini triremium, tum armaturæ, tū fortitudini tum alacritati militum, ut hostibus superior sis.

34 Neque enim navium multitudo aut magnitudo bella conficit, nisi milites habeant strenuos, fortes, & ad hostes invadendos alacres: aut, quod maximum, nisi divinum præsidium benevolentiamq; habeant, tum puritate, tum integritate vitæ conciliatam: & erga municipes hostes justitiam colas: nihil impium aut turpe in captivos illorum patres, aut inhumanus sis, eumq; qui nullam tibi injuriam intulit ne lædas, qui injuria te affecerit eum cū Dei benevolentia repellas.

35 Si omnino prælii tempus id exigat, variè & diverse triremes instrues pro temporum locorumq; ratione. Itaq; si confidis te esse superiorem hostibus, quemadmodum prædixi, atq, adeo eum illis confligere, quasi in spem capiendorum hostium veniens, ne in tua ipsius terra prælium committas, in qua sperant milites, juxta vetus proverbium, si tantum pastas defigant servari, sed prope hostilem terram potius, ut hostes salutem sperantes, sua in terra fugam dimicationi anteponant. Miles enim in formidinem aliquam ipso tempore prælii incidēs, & fugâ se salutē quæsiturū putans, facilè arma abiicit, nihilq; fugæ præponit: pauci enim sunt, sive Romanos sive Barbaros spectes, qui mortē fugæ ingloriæ atq; inhonestæ, tēpore prælii anteponunt.

36 Ante belli diem deliberatio quædam cum præfectis capienda est, quidnam faciendum sit, & quod communi sententia videtur esse optimum, illud constituas, & præfectis triremium mandabis, ut ad imperata facienda prompti sint. Quòd si contraria aliqua sententia ex hostium incursione intervenerit, tum omnes in tuam triremem intueantur, & parati sint ex eo signum aliquod capere, quid facto opus sit: quo signo ostenso, omnes ad illud explendum quod signo ostenditur se parent.

37 Præ cæteris omnibus, triremem habeas eximiam, & delectos in ea milites, magnitudine, strenuitate, crassitudine aliis anteeuntem, atque adeo universæ aciei caput: tibi talem triremem facias, qualem πεμφυλον nominant.

38 Similiter reliqui sub te præfecti quicunq; sub se triremes habent, viros ex illis optimos eligant, & in suis secum triremibus habeant, ut & illi cæteris præstent. Isti omnes ac reliqui præterea in tuam intueantur triremem, & ab ea belli tempore regantur, nisi quid aliud interea cadat, quod alia via ad conficiendum egeat.

39 Signum aliquod in tua triremi, sive bandum, sive flammulum, sive aliud quippiam celso aliquo in loco sit, ut tu eo significare possis, quid facto opus sit: ac cæteri hoc à te propositum negotium suscipiant, sive confligendum in bello sit, sive à bello discedendum, sive in circuitionem hostium evolvendum, sive ad afflictæ partis præsidium accurrendum, sive cursum tardare, sive ad celeritatem incitare; sive insidiæ faciendæ, sive ex insidiis adoriendi sint, sive quæ alia signa è triremi tua proficiscuntur, omnia ea intuentes in tuā triremē expleant.

40 Neque enim eo tempore vel voce vel buccina præcipere possis quæ facto opus sunt: quia magnus tumultus, marisq; fragor, cæteriq; strepitus & triremium concursus atque commissio, & quod maximum, clamor hominum præliantium, illa ut exaudiantur impediet.

41 Signum autem monstrabitur, si directum stet, vel ad dextram aut lævam inclinetur, aut perpetuò agitetur, aut elevetur, aut deprimatur, aut omninò deliabatur, aut commutetur, aut caput vertexque ejus, ut diversum videatur, vel figuris vel coloribus, ut olim fieri solebat, immutetur. Nam belli tempore confligendi signum habebant, quod φοινικιδα appellabant. erat autem camelaucion, hasta longiore elevatum, rubro colore, atque alia quædam hujusmodi. Sed tuus fortassis sua ipsius manu hæc signa demonstrabuntur.

42 Ita tibi sit consuetudo horum signorum exercitata, ut omnes sub te præfecti, quicunque triremibus præfecti sunt, certam horum signorum notionem habeant, tum quā de causa fiat unumquodque & quādo quomodoq; intelligāt, ut istis rebꝰ bene exercitati, usus ipsius tēpore parati sint ad cognoscenda & agēda ea quæ istis præcipiuntur.

43 Triremium instructionem conflictationis tempore, si quidem tanta adsit necessitas ut necessariò manus conserendæ sint, aut si victoriam te comparaturum speraveris, quemadmodum loco & temporiri idoneam ad hostium apparatum instructionem judicaveris, ita instrues. Neq; enim hoc loco dici potest, quid futurū, aut usu vēturū sit.

44 Interdum enim lunabis classem, id est, ad semicirculi formam instrues, alis triremibus hinc atque illinc quasi cornibus aut manibus collocatis: & in summa fronte potissimum strenui atque alacres constituantur. In ipsius semicirculi ambitu quasi caput dignitas tua consistat, ut omnia perlustres, instruas & administres, & sicubi præsidio opus est, eò præsidia mittas ad sublevandos eos idonea. Hæc lunata forma ad hostes circumcludendos potissimum valet.

45 Interdū frontē classis directam instrue, sut ubi usus ferat in hostiū proras irruat, & siphonibꝰ ignē ejicientibꝰ naves illorū incēdat.

46 Interdum in diversas tribuantur acies duas aut tres, pro numero triremium quæ in classe tua sunt: cumque una cum hostibus dimicaverit, altera in hostes jam junctos sive ad latus sive a tergo irruat: ita fiet ut hæc subsidia ad defendendam primam aciem missa, ab hostibus sustineri nequeant.

47 Interdum insidiæ apparentur. Cùm enim vagantur hostes, & in nostros, quos paucos esse vident, invadunt, subitò hæ intervenientes insidiæ & hostium classem perturbantes, omne robur illorum debilitabunt. Interdum verò expeditis & celeribus triremibus confligentibus, & fugam postea simulantibus, & hostibus ad insequendum omnibus remis navigantibus, & prementibus penè semper, sed nunquam intervertentibus eos quos insequuntur, aliæ tum triremes recentes & minimè antea exercitatæ, eos tum nec opinatò adoriantur, atque adeo illos capiant: vel si quis instructiores fortioresque hostiū naves prætermittat, debiliores & imparatiores capiat. Interdum cominus & consertis manibus cum hoste confligens usquedum obscura nox est, alias à labore vacuas & recentes triremes strenuas ac robustas immittes, quæ illorum in prælio ferocitatem omnem comprimant, atq; adeò victoriam de illis reportes: hoc potissimum fiet, ubi hostes multitudine atque apparatu navium longè superaveris.

48 Interdum fugam simulans cum triremibus celeribus atq; incitatis, ad persequendas naves tuas hostes quodam modo provocabis, puppe tua ad illos conversa. Illi autem ad insequendum concitati, facilè aciem instructam dissolvent: itaque tu in illos conversus, ad hunc modum in illos dispersos dissipatosque irrues, & plures quàm illi triremes cùm habeas, duas aut tres ad unamquanque illorum triremem separans, de hostibus nullo negocio victoriam reportabis.

49 Navale prælium cum hostibus faciendum est, vel ubi contigerit illos naufragium facere, vel quando tempestate aliqua conturbati elanguerunt. vel noctu incendendæ illorum naves sunt: vel quando in continentem terram hostes discesserunt, vel quemadmodum opportunitas rerum se offert, irruptionem facere oportet.

50 Nam cū magna varietas humanæ mentis sit, haud facilè est futuros rerū eventus vel præscire aliquē, vel prædicere. Itaq; fieri non potest ut contra omnes classiū apparationes aliquid in præsenti tractatione explicetur, sed ad divinam providentiā hæc referenda sunt, precādusq; Deus est, ut hujusmodi tēporibꝰ incidentibus, & deliberēt. & cogitent, & efficiant quæ utilissima ac opportunissima sunt.

51 Multæ molitiones tùm ab antiquioribus tùm à recentioribus rei militaris peritis, tum contra naves tum contra naut as ipsos excogitatæ sunt: cujus generis sunt, ignis cum tonitru & fumo ignito per siphones emissus & incendens naves.

52 Sagittarij in puppibus & proris & lateribus duobus ſagittas parvas jaciant, quas muſculos vocant.

53 Feras venenatas alij in ollas incluſas geſtabant, & in hoſtium naves iniiciebant, ut ſerpentes, nepas, ſcorpios, & hujus generis mortifera animantia, quæ ſi tangantur, mordent, & veneno ſuo hoſtes interficiunt.

54 Ollas calce viva plenas alii iniiciunt, quibus confractis, calcis vivæ pulvis diſſipatus ſuffocat & ſtrangulat hoſtes, & magno ad præliandum impedimento eſt.

55 Tribuli, id eſt, murices ferreæ in hoſtium navem conjectæ non parum vexant illos, & ad dimicationem ingrediendam magnopere impediunt.

56 Nos autem in primis jubemus, ut ignis parati plenæ ollæ in hoſtium naves eiiciantur, quibus confractis naves illorum ſtatim incendentur.

57 Vtantur & ſiphonibus manu conjectis, quæ milites poſt ærea ſcuta teneant, atque hæc χειροσίφωνα nominantur: hæc enim parato igne referta, hoſtium in faciem coniicient.

58 Tribuli majores ferreæ aut clavi in ſpæris ligneis infixi, & ſtuppa aliaq; materia adjuncta incenſi, & in hoſtes conjecti, & in multas variasque navium partes decidentes, naves triremesque incēdent! Sed & ad hæc extinguenda ſi milites pedibus uſi fuerint, atque in iis occupati permulti læſi pedibus erunt, & ipſum prælii impetum debiliorem facient, & non parvum hoſtibus erit impedimentum.

59 Quibuſdam etiam geraniis, id eſt, gruibus, aut aliis hujuſmodi inſtrumētis ad ſublevanda onera idoneis, quæ orbiculatè ac ſcitè verſantur, aut picē liquidam ignitam, aut alium apparatū, aut materiam aliam in hoſtiles naves tuis triremibus adjunctas, & mangano aliquo in illos vibrato.

60 Vniverſam hoſtium claſſem evertes, ſi latus claſſis tuæ hoſtiū lateri adjunxeris, & hoſtibus unam in partem, ut ſolent, ad conſerendas manus concurrentibus, & triremibus illorum in noſtras triremes innixis, invadat eos alia triremis ad latus puppis hoſtilis, & impulſus vehementi illam conquaſſet. Triremis autem noſtra tum ſeipſam ſolvens paululum retrocedat, ut ne ullo ſtabilimento hoſtium triremi ſit, & hoſtilem triremem alia omnibus viribus deprimat, atque adeo ipſis cum viris integram navem evertet. Providendum autem eſt, ut ne vinculum omnino æquale fiat, ſed ad hoſtilis navis puppim nuda aliquantum latera relaxet, quibus irruens triremis hoſtium navem uſque dum deprimatur invadet. Ad hæc præterea excogitemus, ut ab inferiore remorum ordine, remigibus per foramina haſtas longas emittentibus, hoſtes interficere poſſint, quod in primis neceſſarium eſſe videtur.

61 Sed & aliud hoc magis neceſſarium eſt, ſi quis operas idoneas habeat, per inferiores triremis remorum ordines efficere, ut hoſtium navis aqua compleatur.

62 Sunt & alia quædam bellica conſilia ab antiquioribus in navali prælio excogitata, & plura etiam quæ excogitari poſſunt, quæ in præſentia propter longitudinem minimè perſcribenda ſunt: quędam verò etiam commemorare hoc loco inutile eſt, ne hoſtibus divulgentur, & illis adverſus nos hoſtes utantur. Nam hæ molitiones bellicæ ſi ſemel uſurpatæ fuerint, facilè aliquid contra eas ſuſcipi & excogitari ab hoſtibus poteſt. Quocirca unumquodq; inventum uſquedum geritur, occultandum & ſecretò tenendum eſt.

63 In aliis libris quæ de conſiliis factisque imperatoriis ſcribuntur, permulta quis hujuſmodi atque iis etiam plura inveniet: neque enim fieri poteſt, ut de omnibus rebus quæ cadere in bello poſſunt verba faciamus, quæ ipſo genere immenſa infinitaque ſunt.

64 Ad ſummam autem ſint triremes inſtructæ viris fortibus ac ſtrenuis, qui cominus conſertis manibus pugnare poſſunt, & qui alacri incitataque mente ſint, & omnes in partes exercitati. Armis autem talibus exerceantur, qualibus quivis terreſtri in prælio miles armatur, ijque potiſſimum qui in ſuperiore remorum ordine conſiſtunt.

65 Pro hoſtium viribus numeroque navium tuam claſſem imperator inſtrues, ut ne minorem numerum navium nos hoſtium claſſe habeamus, ſed æqualem potius, ut cum hoſtibus claſſe juncta pugnemus, aut majorem etiam, ſi fieri poteſt. Nam ſi utrique fortiter ac ſtrenuè dimicent, qui plures fuerint prævaleant neceſſe eſt.

66 Si hoſtes videris naves omnibus refertas ac ingentes copias habere, exæquabis tu tuas triremes, eodemque numero complebis. Eliges autem ex omnibus optimos quoſque, & ex illis ſatis magnas copias triremibus perfectis ac fortibus conficies, ut duarum triremium milites in unam triremem conferas: vel ex omnibus, ut dixi, optimos eliges, & ducenti milites vel eo plures una in triremi erunt, ut multitudine, viribus, alacritate, hoſtium claſſem ſuperes, & victoriam ab illis Deo propitio reportes.

67 Minores inſtruendæ triremes ſunt, & vulgatis triremibus expeditiores, ut ſe inſequentes hoſtes capere poſſint: ſin ab hoſtibus invadantur, non capiantur tamen. Iſtasque ad opportunitatem temporis conſervent, ut poſſint vel hoſtibus malum inferre, vel providere ut nullum malum ab hoſtibus accipiant. Parvas magnasque triremes pro hoſtium ratione, contra quos pugnas apparabis. Neque enim Saracenorum & Boſphoriorum Scytharum eadem eſt claſſis apparatio: Saraceni enim Cumbariis utuntur majoribus, & ad curſum tardioribus: Scythæ autem Acatiis utuntur minoribus, expediioribus, & celeribus. Nam per fluvios quoſdam in Euxinum pontum prolabuntur, neq; majoribus hac de cauſa uti poterunt. Atq; hæc à nobis de acie inſtruenda dicantur. Vbi verò diſcedere è prælio cogitas, claſſem tuam lunabis, atq; ita diſcedes: hujuſmodi enim forma, quemadmodum antiquiores quidam tradiderunt, tum ad progreſſiones, tum ad diſceſſiones permultum valet.

68 Bello jam confecto, omnia belli ſpolia ex æquo & bono militibus tuis diſtribues, & prandia epulasq;, & multa convivia apparabis, & eos qui ſe in bello ſtrenuè geſſerūt, honoribꝰ præmiisq; muneraberis: qui aliquid milite indignū geſſerit, ſupplicio ac pœna coerceatur.

69 Multitudo triremium ignavos viros continentium nullius momenti eſt, ne ſi adverſus paucos quidem ac ſtrenuos dimicandum ſit. Neq; enim multitudine virorum aut paucitate bellum cernitur, ſed alacritate & ſtrenuitate milites veri demonſtrantur. Quid enim mali non inferent pauci lupi permagno gregi ovium?

70 Itaque res hoſtium diligenter abſte perluſtrandæ ſunt, & pro illorum ratione triremium apparatum, militum armaturam, multitudinem illorum & magnitudinem, reliquaque omnia idoneè adverſus omnes præparabis.

71 Habeas in promptu paruas triremes & craſſas, non ad bellum armatas, ſed ad excubias & coīneatum ac reliquum uſum bellicum: & unius remorum ordinis naves, quas Galeas vocant, easq; armis inſtructas ad omnem belli eventū. Tu verò ipſe in omnibus induſtrius ſtrenuusq; ſis, & acer ſedatusq; in omnibus rebus aggrediendis atque inſtruendis, ut Deo complacitus probatusq; fias imperator, & utrinq; laborum reportes dignam mercedem, à Deo quidem imortalem, quia ejus ſortē religionemq; propugnas, à nobis verò munera honoresq; idoneos, vocationem tuam nullo modo fruſtrans, ſed re & verbo verus imperator ſis atque habearis. Et hæc de navali prælio pro brevitatis ratione ſatis dicta ſint. *cap. 19. rei militaris.*

Vegetius: Præcepto majeſtatis tuæ, Jmperator invicte, terreſtris prælij rationibus abſolutis, navalis belli reſidua (ut opinor) eſt portio: de cujus artibus ideo pauciora dicenda ſunt: quia jamdudum pacato mari, cum barbaris nationibus agitur terreſtre certamen. Romanus autem populus pro decore & utilitate magnitudinis ſuæ, non propter neceſſitatem tumultus alicujus claſſem parabat ex tempore: ſed ne quando neceſſitatē ſuſtineret, ſemper habuit præparatam. Nemo enim bello laceſſere, aut facere audet injuriā ei regno vel populo, quē expeditū & promtū ad reſiſtendū vindicandūq; cognoſcit. Apud Miſenum ergo & Ravennam ſingulæ legiones cū claſſibus ſtabant, ne longius à tutela urbis abſcederent: & cū ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Miſenatiū claſſis, Galliam, Hiſpanias, Mauritaniā, Aphricam, Ægyptū, Sardiniam, atq; Siciliam habebat in proximo. Claſſis autē Ravennatium, Epiron, Macedoniam, Achaiam, Propontidē, Pontum, Orientē, Cretā, Cyprū petere directa navigatione cōſueverat: quia in reb. bellicis celeritas amplius ſolet prodeſſe quā virtus. *l. 4. de remilitari c. 31.*

Nomina judicum, qui præerant claſſibus.

Liburnis autem, quæ in Campania ſtabant, præfectus claſſis Miſenatiū præerat. Eæ verò, quæ Jonio in mari locatæ fuerant, ad præfectum claſſis Ravennatium pertinebant: ſub quibus erant deni tribuni per cohortes ſingulas conſtituti. Singulæ autem Liburnæ ſingulos navarchos, id eſt, quaſi navicularios habebāt, qui exceptis ceteris nautarū officiis, gubernatoribus atq; remigibus, & militibus exercendis, quotidianam curam & jugem exhibebant induſtriam. *Cap. 32.*

Vnde appellentur Liburnæ.

Diverſæ autem provinciæ quibuſdam temporibus mari plurimū potuerunt, & ideo diverſa eis genera naviū fuerunt. Sed Auguſto dimicante Actiaco prælio, cùm Liburnorum auxiliis præcipuè victus fuiſſet Antonius, experimento tanti certaminis patuit, eſſe Liburnorū naves ceteris aptiores. Ergo ſimilitudine & nomine uſurpato, ad earundē inſtar claſſem Romani principes texuerunt. Liburnia nanque Dalmatiæ pars eſt, Iadertinæ ſubjacens civitati, cujus exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ. *cap. 33.*

Qua diligentia fabricentur Liburnæ.

Sed cùm in domibus ſtruendis arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tanto magis in fabricandis navibꝰ diligenter cuncta quærenda ſunt, quāto majus periculū eſt, navē vitioſam eſſe quā domum. Ex cypreſſo ergo & pinu domeſtica, ſive ſilveſtri larice, & abjete præcipuè Liburna cōtexitur, utilius æreis clavis, quā ferreis cōfigēda. Q̄libet enim gravior aliqāto videatur expēſa, tamē, quia amplioꝰ durat, lucrū ꝓbatur afferre. Nā ferreos clavos tēpore & humore celeriter rubigo cōſumit, ærei aūt etiā in fluctibus propriā ſubſtantiā ſervant. *cap. 34.*

Qua obſervatione ſit cædenda materies.

Obſervandum præcipuè, ut à quintadecima luna uſque ad vigeſimam tertiam arbores præcidantur, ex quibus Liburnæ texendæ ſunt. His enim tantū octo diebus cæſa materies imunis ſervatur à carie: reliquis autē diebus præciſa, etiam eodem anno interna vermium labe exeſa in pulverē vertitur: quod præter omnium architectoꝝ doctrinam quotidianus uſus edocuit, & contemplatione ipſius religionis agnoſcimus, quā pro æternitate his tantū diebus placuit celebrari. *c. 35.*

Quo menſe cædenda ſint trabes.

Cæduntur autem trabes utiliter poſt ſolſtitium æſtivum, id eſt, per menſes, Juliū, Auguſtū, & per autūnale æquinoctiū, id eſt, uſq; ad kalēdas Januarias. His namq; menſibus areſcēte humore ſicciora, & ideo fortiora ſunt ligna. Illud etiā cavendū, ne cōtinuò ut dejectæ fuerint trabes, ſecentur, vel ſtatim, ut ſectæ fuerint, mittantur in navē: Siquidē & adhuc ſolidæ arbores, & jam diviſæ per tabulas duplices, ad majorē ſiccitatē mereantur inducias. Nam quæ virides cōpinguntur, cùm nativum humorem exudaverint, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil eſt periculoſius navigantibus. *cap. 36.*

De modo

De modo Liburnarum.

Quod ad magnitudinem pertinet, minimè Liburnæ remorum habent singulos ordines, paulò majores binos, idoneæ mensuræ ternos vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus. Nec hoc cuiquam enorme videatur, cùm in Actiaco prælio longè majora referantur concurrisse navigia, ut senorum etiam vel ultrà ordinum fuerint. Scaphæ tamen majoribus Liburnis exploratoriæ sociantur, quæ vicenos propè remiges in singulis partibus habeant, quas Britanni pictas vocant. Per has & superventus fieri, & cõmeatus adversariorum navium aliquando intercipi assolet, & speculandi studio adventus earum vel consilium deprehendi. Ne tamen exploratoriæ naves candore prodantur, colore Veneto (qui marinis est fluctibus similis) vela tinguntur & funes: cera etiam, qua ungere solent naves, inficitur. Nautæ quoque vel milites Venetam vestem induunt, ut non solùm per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes. *cap. 37.*

Nomina Ventorum & numerus.

Quicunq; exercitum armatis classibus vehit, turbinum signa debet antè prænoscere. Procellis namq; & fluctibus Liburnæ graviùs quàm vi hostium sæpè perierũt. In qua parte naturalis philosophiæ tota est adhibenda solertia, qua ventorum, tempestatumque cœlesti ratione natura colligitur. Et pro acerbitate pelagi, sicut providos cautela tutatur, ita negligentes extinguit incuria. Igitur ventorum numerum atq; vocabula ars navigandi primùm debet inspicere. Veteres autem juxta positionem cardinum, tantũ quatuor ventos principales à singulis cœli partibus stare credebant, sed experimento posterior ætas duodecim comprehendit. Horum vocabula ad submovendam dubitationem, non solùm Græca, sed etiam Latina protulimus, ita ut ventis principalibus declaratis, eos qui ipsis dextra lævaq; juncti sunt, indicemus. A verno itaque solstitio, id est, ab orientali cardine, sumimus exordium, ex quo ventus oritur ἀπηλιώτης, id est, subsolanus. Huic à dextra jungitur καικίας. A sinistra εὖρος, sive vulturnus. Meridianum autem cardinem possidet νότος, id est, auster. Huic à dextra jungitur λευκονότος, id est, albus notus. A sinistra λιβονότος, id est, corus. Occidentalem verò cardinẽ tenet ζέφυρος. Huic à dextra jungitur λίψ, sive Aphricus. A sinistra ἀπαρκτίας, sive Favonius. Septentrionalem verò cardinem sortitus est Aparctias sive septentrio, cui adhæret à dextra παραικίας, sive Circius. A sinistra βορέας, id est, Aquilo. Hi sæpè singuli, interdum duo, magnis autem tempestatibus etiam tres pariter flare consueverunt. Horum impetu maria, quæ sua sponte tranquilla sunt & quieta, undis æstuantibus sæviunt. Horum flatu pro natura temporum vel locorum ex procellis serenitas redditur, & rursus in procellas serena mutantur. Nam secundo spiramine optatos classis invenit portus, adverso stare vel regredi, aut discrimen sustinere compellitur. Et ideò difficilè naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inspexit. *cap. 38.*

Quibus mensibus tutius navigetur.

Sequitur mensium dierumque tractatus. Neq; enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur navigantes, sed quidam menses aptissimi, quidam dubii, reliqui classibus intractabiles sunt lege naturæ. Phænitæ decursu, id est, post ortum Plejadum à die sexto kalendarum Juniarum, usque acturi ortum, id est, in diem 18. kalendarum Octobrium, secura navigatio creditur, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Post hoc tempus usq; in tertium Idus Novembris incerta navigatio est, & discrimini propior: propterea quia post Idus Septembris oritur Arcturus vehementissimum sydus. Et octavo kalendas Octobris æquinoctialis evenit acerba tempestas. Circa nonas verò Octobris Hœdi pluviales, quinto Idus ejusdem Taurus. A Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur tertio Iduũ Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria claudũtur. Nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbri vel nivibus geminata sævitia non solum classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat. Post natalem verò (ut ita dicã) navigationis, qui solenni certamine, publicóque spectaculo multarum celebratur, plurimorũ sydera, ipsiúsque temporis ratione, usque in Idus Majas periculosè maria tentantur: non quod negotiatorum cesset industria, sed quia major adhibenda est cautela, quando exercitus navigat cum liburnis, quàm cùm privatorum mercium festinat audacia. *cap 39.*

Quemadmodum tempestatum observanda sint signa.

Præterea aliquorum ortus occasusque syderum tempestates vehementissimas commovent, in quibus licèt certi dies auctorum attestatione signentur, tamen quia diversis casibus aliquando mutantur, & quod confitendum est, cœlestes causas humana conditio ad plenum nosse prohibetur: ideò nauticæ observationis curam trifariam dividunt. Aut enim circa diem statum, aut ante, vel posteatẽ pestates fieri compertum est. Unde præcedentes παραχείμασιν, nascentes die solenni ἐπιχείμασιν, subsequentes μεταχείμασιν, Græco vocabulo nuncupaverunt. Sed omnia enumerare nominatim longum est, cùm auctores plurimi, non solùm mensium, sed etiam dierum rationem diligenter expresserint, transitusque syderum, quos planetas vocant, quum præscripto cursu dierum arbitrio creatoris suscipiunt signa vel deserunt, frequẽter assolent serena turbare. Interluniorum autem dies tempestatibus plenos, & navigantibus quàm maximè metuendos, non solùm peritiæ ratio, sed etiam vulgi usus intelligit. *cap. 40.*

De prognosticis, quibus noscitur serenitas & turbatio aeris.

Multis quoque signis & de tranquillo procellæ, & de tempestatibus serena produntur, quæ velut in speculo lunæ orbis ostendit. Rubicundus enim color ventos, cœruleus indicat pluvias. Ex utroque commixtus, nimbos & furentes procellas. Lætus orbis ac lucidus serenitatem navigiis repromittit, quam gestat in vultu: præcipuè si quarto ortu neque obtusis cornibus rutila, neque infuso fuerit humore fuscata. Sol quoque exoriens vel diem condens, interest utrũ æqualibus gaudeat radiis, an objecta nube varietur, utrum solido splendore fulgidus, an ventis urgentibus igneus, néve pallidus vel pluvia sit impendente maculosus. Aër verò & mare ipsum nubiúmque magnitudo vel species solicitos instruit nautas. Aliquanta ab avibus, aliquanta à piscibus significantur, quæ Virgilius in Georgicis divino penè comprehendit ingenio, & Varro in libris navalibus diligenter excoluit. Hæc gubernatores se scire profitentur, sed eatenus quatenus eos imperitiæ usus instruit, quam altior doctrina firmavit. *cap. 41.*

De æstuariis, hoc est, de rheumate.

Elementum pelagi tertia pars mundi est, quod præter ventorum flatum suo quoque spiramine motuq; vegetatur. Nam certis horis, diebus pariter ac noctibus æstu quodam (quod rheuma vocant) ultrò citróque procurrit, & more torrentium fluminum nunc exundat in terras, nunc refluit in altitudinem suam. Hæc reciprocantis meatus ambiguitas, cursum navium secunda adjuvat, retardat adversa: quæ dimicaturo magna sunt cautione vitanda. Neque enim auxilio remorum rheumatis impetus vincitur, cui interdum cedit & ventus. Et quoniam in diversis regionibus diverso lunæ crescentis minuentisque statu, certis horis ista variantur, ideò prælium navale gesturus, consuetudinem pelagi vel loci, ante congressum debet agnoscere. *cap. 42.*

De locorum notitia, sive de remigibus.

Nauticorum gubernatorumque solertia est, loca in quibus navigatur, portúsq; cognoscere, ut infesta prominentibus vel latentibus scopulis vadosa ac sicca vitentur. Tantò enim securitas major est, quantò mare altius fuerit. In navarchis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur: propterea quia naturalis pugna tranquillo committitur mari, liburnarumque moles non ventorum flatibus, sed remorum pulsu adversarios percutit rostris, eorumque rursum impetus vitat. In quo opere lacerti remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam præstat. *cap. 43.*

De telu tormentisq; navalibus.

Multa quidem armorum genera prælium terrestre desiderat, sed navale certamen non solùm plures armorum species, verùm etiam machinas, & tormenta flagitat, tanquam in muris dimicetur & turribus. Quid enim crudelius congressione navali, ubi & aquis homines perimuntur & flammis? Præcipua ergo esse debet tegminum cura, ut cataphracti vel loricati, galeati etiam & ocreis muniti sint milites. De onere námq; armorum nemo potest conqueri, qui stans pugnat in navibus. Scuta quoq; validiora propter ictus lapidum, & ampliora sumuntur propter falces, & harpagones aliáq; navalia genera telorum. Sagittis, missilibus, fundis, fustibalis, plumbatis, onagris, balistis, scorpionibus, jacula invicem dirigũtur & saxa: & (quod est gravius) qui de virtute præsumunt admotis liburnis, injectis põtibus in adversariorum transeunt naves, ibiq; gladiis manu ad manum (ut dicitur) comminus dimicant. In majoribus etiam liburnis propugnacula turresq; constituunt, ut tanquam de muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos. Oleo incendiario, stuppa, sulphure, bitumine obvolutæ & ardentes sagittæ per balistas in hosticarum navium alveos infiguntur, inunctáq; cera & pice & resina tabulas tot fomentis ignium repentè succendunt. Alii ferro interimuntur & saxo, alii ardere cogunturin fluctibus: inter tanta tamen mortium genera, qui acerbissimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora. *cap. 44.*

Quemadmodum navali bello collocentur insidiæ.

Ad instar autem terrestris prælii superventus fiunt ignorantibus nauticis, vel circa opportunas insularum angustias collocantur insidiæ. Idq; agitur, ut imparati facilius deleantur, si longo remigio fatigati sunt hostium nautæ, si vento urgentur adverso, si prorostris est rheuma, si nihil suspicantes dormiunt inimici, si statio quam tenent exitum non habet, si dimicandi optata venit occasio, fortunæ beneficiis jungendæ sunt manus, & ex opportunitate prælium conserendum. Quod si cautela hostium, evitatis insidiis, publico Marte confligat, tunc liburnarum instruendæ sunt acies, non directæ ut in campo, sed incurvæ ad similitudinem lunæ, ita ut productis cornibus acies media sinuetur: ut si adversarii perrumpere tentaverint, ipsa ordinatione circundati deprimantur. In cornibus autem præcipuum robur & liburnarum collocetur & militum. *cap. 45.*

Quid fiat cùm aperto Marte bellum navale committitur.

Præterea utile est, ut alto & libero mari tua semper classis utatur, inimicorum verò pellatur ad littus: quia pugnandi impetum perdunt, qui detruduntur in terras. In hujusmodi certamine tria armorum genera solent plurimùm ad victoriam prodesse, asseres, falces, bipennes. Asser dicitur, cùm trabes subtilis ac longa, ad similitudinem antennæ pendet in malo, utroque capite ferrato. Hunc sive à dextra sive à sinistra parte adversariorum sejunxerint naves pro vi-

ce arietis vi impellunt, qui bellatores hostium sive nautas sine dubio prosternit ac perimit, ipsamque navem sæpiùs perforat. Falx autem dicitur acutissimum ferrũ, curvatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditũ, collatorios funes, quibus antenna suspenditur, repentè præcidit, collapsisque velis liburnam pigriorem & inutilem reddit. Bipennis est securis habens ex utraque parte latissimũ & acutissimum ferrum. Per has in medio ardore pugnandi peritissimi nautæ vel milites cum minoribus scaphulis secretò incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula. Quo facto, statim capitur tanquam inermis & debilis navis. Quid enim salutis superest ei, qui amiserit clavum? De lusoriis, queis in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto, quia artis ampliùs in his frequentior usus invenit, quàm vetus doctrina monstraverit. *lib. 4. de re militari cap. 46.*

¶ Monosticha Trochaica.

Classis expedita vincit, vincitur classis gravis.
Nemo non graviora pelago damna quàm bello abstulit.
Plus nocet procella classi sæpè quàm vis hostium.
Sæpiùs classem profligat moles, quàm adversarius.
Tempestate plura perdas, quàm ullo reparesprælio.

¶ Jambica.

Etiam manu navem comprehendas ferrea.
Graviora pelago damna, quam bello feras.

Beneficii.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Dnazianzenus: Quisquis navigat, naufragio propinquus est, eóq; magis, quò audaciùs navigat: & quisquis corpus gerit, corporis malis propinquus est, eóq; magis, quò erectior incedit, nec eos, qui ante se jacent, intuetur. Dum secundo vento navigas, ei qui naufragium facit, manum porrige: dum sanus es & locuples, afflicto fer opem. Ne expectes, dum quantum malum sit inhumanitas, in teipso discas, quantúmque bonum viscera egentibus aperire. Ne experiri velis Deum adversus eos, qui cervicem attollunt, ac pauperes prætereunt, manum extendentem. In alienis calamitatibus hæc disce: egenti parvum aliquid tribue. Neque enim parvum est ei, qui omnibus rebus caret, imò ne ipsi quidem Deo, si viribus par sit. Summi muneris loco animi promptitudinem dona: si nihil habes, illachryma. Magnum calamitoso remedium est miseratio ex animo collata: ac verè & syncerè condolere, calamitatem magna ex parte levat. Homo apud te jumento vilior non est, ô homo, quod cùm in foveam incidit, aut aberravit, erigere, ac reducere tibi Lex præscribit. *Oratione 16.*

Nazianzenus: Una est beneficentia, quæ moram non admittit. Sanè gratia promptitudine & celeritate conduplicatur. Nam quod mœsto animo defertur, ingratum est miniméque præclarum. *Orat. 16. sub finem.*

D. Nazianzenus: Olera si à viro Ozizalense petierimus, quorum apud vos summa copia, apud nos verò magna inopia est, nec mirum fuerit, nec à consuetudine alienum. *Epistola 12.*

D. Nazianzenus: Exigua quoque munera pauperibus magna sunt. *Epist. 12.*

D. Greg. Nyssenus: Homo hominem videt egentem pane, non habentem alimenta vitæ necessaria, neque tamen illi prompto alacríq; animo subvenit, & salutem præbet: sed eum despicit, & tanquã virentem plantam aquarum penuriâ sinit arescere; præsertim cùm maximè inundet ipse ac circumfluat copiis, ut ex sua abundantia facilè multorum inopiam recreare possit. Quemadmodum. n. ex uno fonte profluens aqua multas camporum longè latéq; protensas planicies fœcundas & uberes reddit: sic unius domus opulentia multitudinem pauperum ex egestatis angustiis eripere potest & sustentare; modò ne parcus & avarus animus, velut prolapsus lapis, venas & rivulos è benignitate, tanquam è fonte publicè defluentes avertat & intercipiat. *Orat. de pauperibus amandis.*

D. Greg. Nyssenus: Qui ad beneficium conferendum est impotens, est extra eorum numerum, cui gratiæ pro dato beneficio aguntur. *contra Eunom. orat. 11.*

D. Chrysostomus: Ob hoc Deus jussit ut tu pecunias alteri dares, ut tu eas haberes. Quamdiu enim solus eas retines, ne ipse quidem tenes; cùm autem & alteri das, túmet ipse eas capis. *Homil. 7 ad Rom.*

D. Chrysostomus: Neque enim semel sic donatum beneficium, ut exspectatum ac futurum illicere multos solet. *Homil. 14. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Potest quis & in paupertate magni, & in divitiis pusilli animi esse. Propterea & in dando simplicitatem, & in misericordia hilaritatem, & in præsidentia diligentiam requirit. Neque enim Deus pecuniis tantúmmodò, sed & verbis, & rebus, & corpore, & aliis omnibus vult nos juvare egenos. *Homil. 21. ad Rom.*

D. Chrysostomus: Quomodo ergo doctores & magistri, etiam si multos habeant discipulos, artem suam unicuiq; impertiunt: ita etiã tu acquire multos à te beneficio affectos, & dicant omnes: Hunc aut illum liberavit à paupertate, & istum à periculis: & ille periisset, nisi post Dei gratiam tuam opem sensisset & patrocinium: & quòd illum à morbo curaveris: alium à calumnia liberaveris: alium, cùm esset peregrinus, hospitio exceperis: alium, cùm esset nudus, vestieris. Innumerabilibus divitiis & multis thesauris meliora verba, omnes multò magis ad se convertunt, quàm aureæ vestes, & equi, & mancipia, Nam illi quidè efficiunt, ut videatur molestus & gravis: & odio habeatur, tanquam communis inimicus: hæc autem tanquã cõmunem patrẽ prædicant, & de omnibus benè meritũ: & quod est omniũ maximum, Dei benevolentia semper tuas sequitur actiones. Dicat ergo ille: Meam filiam collocavit in matrimonium: alius, Effecit ut meus filius in virorum numerum referretur: & alius, Me in calamitate sublevavit: & alius, Liberavit à periculis. Hæc verba sunt coronis aureis meliora, habere in civitate innumerabiles præcones suæ benignitatis. Hæ voces sunt voces præconum, qui magistratus præcedunt, longè suaviores & jucundiores; vocant servatorem, benefactorem, patronum; quæ Dei sunt nomina: non autem appellari avarum, superbum & insolentem, insatiabilem tenacémque, sordidum, & illiberalem. Ne rogo ullum horum verborum appetamus, sed cõtraria. Si enim hæc dicta in terris reddunt tam præclarũ & illustrem: cùm ea scripta fuerint in cœlis, & in die futuro Deus ea proclamaverit, cogita quantam assequeris claritatem, & quantum splendorem. *Homil. 10. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Mos est & eos amare qui beneficio afficiuntur, & qui beneficio sunt affecti esse conjunctiores & benevolentiores iis qui beneficio afficiunt. *Homil. 32. ad Corinth. 1.*

Idem: Si cùm beneficium aliquod ab hominibus accepimus, atq; id celebramus, promptiores eos ad benè de nobis merendum reddimus: multò magis Dei beneficia prædicantes, ad majorem benevolentiam ipsum attrahemus. Et si cùm beneficium aliquod ab hominibus consecuti sumus, ad gratias nobis cum agendas alios etiam excitamus: multò profectò magis nobis curandum est; ut multos, qui gratias pro nobis agant, ad Deum adhibeamus. Cúmque nullus, qui tantam ad Deum fiduciam obtinebat, hoc faciat: quantò magis hoc à nobis fieri necesse est? Quocirca sanctos viros etiam atque etiam obtecremus, ut pro nobis gratias agant: atque etiam ipsi pro nobis hoc invicem faciamus. Istud præsertim Sacerdotum munus est, utpote bonum omnium præstantissimum. Accedentes enim primùm pro universa terrarum orbe communibusque commodis gratias agimus. Nam etsi communia Dei beneficia sunt: tamen tu quoque in communi salutem es consecutus. Eóque nomine, tùm pro privata tua communem gratiarum actionem debes: tùm pro communi privatam Deo laudem abs te offerri æquum fuerit. Etenim Solem non tibi uni accendit, sed etiam communiter omnibus: & tamen in parte totum habes. Nam quamvis ob communem omnium utilitatẽ tanta magnitudine procreatus sit: tamen tu quoque solus tantum vides, quantum universi mortales videre queant. Ex quo efficitur, ut tantam gratiarum actionem debeas, quantam universi. Ac te & pro communibus beneficiis gratias agere par est, & pro aliorum virtute. Multis enim etiam propter alios beneficiis afficimur. Etenim si vel decem soli justi viri in Sodomis inventi fuissent: non in eas, quas pertulerunt, calamitates, incidissent. Quamobrem pro aliorum quoque apud Deum libertate ac fiducia gratias agamus. Siquidem prisca quoque lex hæc est, atque antiquitùs in Ecclesia instituta. *Homil. 2. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Majus facit lucrum, qui beneficium dat, quàm qui accipit. *Homil. 9. ad Philippenses.*

Idem: Qui benefaciunt, si videant eum qui accipit, non valdè affici, sed despicere ea quę dantur, negligentes fiunt. Tunc enim libenter dant, cùm putant se gratum accipienti facere, eúmque recreare. *Homil. 15. ad Philipp.*

Idem: Multa nobis bona facit Deus, etiam invitis; multa, atque adeò plura nescientibus. Nam quando contraria precamur, ipse autem facit contraria, est perspicuum quod facit etiam nescientibus. *Homil. 10. ad Coloss.*

D. Ioan. Chrysostomus: Nihil fermè ita nobis utile est, ut meminisse jugiter beneficiorum Dei, sive quæ communiter omnibus, sive quæ seorsim singulis tribuit. Si enim cùm ex amico beneficium aliquod sumimus, sive cùm verbum aliquod gratum placidúmque audimus, in amorem exardescimus; quantò magis cùm viderimus, quibus periculis implicati fuerimus, ex quibus omnibus nos eruit Deus, promptiores ad obedientiam erimus? *ad Totum Homilia 1.*

Idem: Sibi ipsi profectò largitur, cùm commune atque idem ædificet opus; ut etiam si non rogeris alia te necessitas urgeat præstare quod posceris. Si enim Evangelio utilis est. Cùm tu Evangelii minister sis, non rogari sed rogare debet. *Homil. 1. Epist. ad Philemon.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum fontium gurgites cùm hauriuntur, uberiùs scaturiunt, altiùsque quàm priùs exiliunt: ac mammillæ cùm suguntur, non antè deficiunt quàm infans ad solidiorem cibum admittendum adoleverit: eodem modo divitiæ, cùm hauriuntur, decrementum minimè patiuntur: nec beneficentiæ mammilla eos, qui Christi causa pueros se præbent, nutriens exhauritur, aut penuriam & egestatem perpetitur, quoadusque ad veram perfectionem eos transmiserit. *lib. 1. Epist. 466.*

Synesius: Vellem equidem iis quibuscum mihi vivendum est aliqua in re accommodare, benéq; de iis quacunq; possem ratione mereri, cùm unoquóque privatim tùm publicè universa civitate, ut & videre & videri ab iis libenter possem, ejusdem, ut ita dicam, vitæ navigationis sociis. Quare si quain re Martyrio, quam pro illo scripsi Epistola adjumento fuerit, scito te mihi in eo viro gratificaturum, quæ

qui mecum assiduè versetur, quíque, per scientias ac disciplinas juro, meas tuásque delirias, sæpè dum nostra consuetudine delectatur, bonam noctis partem insumit. *Epistol.* 90.

Synesius: Non solùm de universis civibus, verùm etiam de singulis benè meresi convenit. *Epist.* 119.

¶ Latinorum.

Egesippus: Si mihi bestiarum immanitas, si atrocium ferarum inesset furor, tamen tantis beneficiis tuis mansuescere potui. *lib.* 1. *cap.* 44. *excid. Hieros.*

S. Valerianus: Quamvis parva, ex voto offerentis magna fiunt munera. consumunt verò auctorem suum beneficia quæ constiterint extorta. sic denique semper plangit quod erogavit, qui convivium invitus instituit. *Homil.* 3. *de via arcta.*

Ennodius: Apud amantes & honore pollentes beneficiorum affectus in promptu est: nec illa preces, cui præstandi mos est, tarditate depreciat. *lib.* 3. *Epist.* 23. *pr.*

Ennodius: Quod posteritati tribuitur beneficium, non putatur debitum. *lib.* 4. *Epist.* 4. *pr.*

Ennodius: Scio conscientiam religiosam grande æstimare compendium, si præstandi nascatur occasio; his maximè quos devotos extitisse meminimus. *lib.* 6. *Epist.* 33. *pr.*

Idem: Quoties votiva res repentè contigerit, pretium de ipsa temporis brevitate sortitur. Cœlestis enim ut crescat beneficii genius, subitum facit esse quod tribuit; ne devenustet sperantium prolixitas misericordiam largitoris. Quis enim affectum desiderii repentè suspiens non avidius impetrata veneretur? *lib.* 6. *Epist.* 38. *pr.*

Ennodius: Quidquid dignis collatum fuerit, dum in usu est, ornat auctorem. *lib.* 8. *Epist.* 1. *a. m.*

Idem: Quid possit vera fides intelligat, qui tunc adipiscitur beneficia, quando desinit supplicare. *lib.* 9. *Epist.* 10. *pr.*

Idem: Non habet testimonium defensoris, qui repugnanti impendit oris obsequium. Perdit quam esse putat beneficii gratiam, qui aliquid præstat invito: quia non est munus nisi quod velis accipere. *Apolog. pro Synodo.*

Io. Saruberiensis: Sicut jacula quæ prævidentur minus feriunt, & quæ omnino non præcaventur magis lædunt; ita & in beneficiis, quod ex promissione conceptum est, minus accipitur, & quod ex insperato provenit, gratius acceptatur. *cap.* 11. *lib.* 3. *Policratici.*

¶ Principum, Philosophorum, Oratorum Græcorum.

Phalaris Teucro: Tauromenitis, prædam quam à captivis extorsi, restitui curabo, & hoc beneficium non mihi, sed Stesichoro adscribes. Nam ille ad benemerendum de suis vivit spirátque, qui, hanc à me petivit. Omnia verò benefacta in hos ab illo profecta, mortua sunt ei, quippe in ingratos homines collocata. *Epist.* 15.

Phalaris Amphinomo: Non dare me beneficium existimo, cùm bonos honestósque viros muneribus orno: sed potius ab ipsis accipere judico. Quamobrem peto, ne me beneficium ante præstitisse, sed majora tibi debere, quoniam quæ misimus, admittere non dedignatus es, censeas. Vale. *Epist.* 17.

Xenophon: Jam de peculatu qui possit Agesilaum aliquis insimulare merito, qui beneficia sibi debita patriæ fruenda concesserit? Itidem quod, quum benemereri vel de urbe aliqua, vel amicis, pecunias largiendo volebat ab aliis eas accipiendo juvare poterat; annon ingens hoc est argumentum continentiæ ipsius in pecunia non adpetenda? Nam si venderet beneficia, vel spe mercedis beneficus esset: nemo se quidquam debere statuisset. Nimirum qui gratis beneficiũ acceperunt, illi perlubenter auctori beneficii semet obsequẽtes præbent; partim quod adfecti sint beneficio, partim quod esse digni crediti sint, qui beneficii depositum custodiant. *cap.* 30. *Vitæ ejus.*

Xenophon: Interea, dum vos audio, quid jus & æquum sit, ambigentes; homines efficio justiores. Quî hoc, vir optime? ait Socrates. Dum pecuniam largior. Et surgens Antisthenes, admodum acriter eum confutaturus interrogabat: Homines verò, Callia, utrum tibi videntur in animis, an in crumena justitiam habere? In animis, inquit. Et tu quum in crumenam argentum largiris, animos justiores facis? Maximè. Quo pacto? Quod quum sciant habere se, unde necessaria parare sibi emendo possint, male facere suo cum periculo nolint. Num tibi reddunt, quod acceperunt? Non profecto. Quid autem pro pecunia? num gratias? Ne id quidem certè, inquit. Imò nonnulli etiam magis hostiliter adfecti erga me sunt, quam id temporis, quum necdum quidquam accepissent. Mira quidem, ait Antisthenes, simul eum intuendo quasi coarguens, posse te illos reddere justos erga cæteros, non autem erga teipsum. Et cur hoc mirum est? ait Callias. An non & fabros, & structores ædium complures cernis, qui aliis quidem multis domos ædificant, sibi ædificare non possunt, sed mercede conductas incolunt? Sine te coargui, professor sapientiæ. Profectò, inquit Socrates, patiatur sanè. Nam & vates feruntur certè aliis futurum quod sit, denuntiare: sibi verò quod immineat, non prospicere. *cap.* 11. *conviv.*

Xenophon: Memini Socratem etiam cum Diodoro familiari suo in hanc sententiam disseruisse. Dic mihi, mi Diodore, ait, si quis famulorum tuorum aufugiat, dásne operam, ut eum retrahas? Imò etiam profectò alios hortor, inquit, ut denuntient, cessura quædam recuperanti præmia. Quid autem? si quis servorum adversa valetudine laboret, an non curam ejus habes, ac medicos arcessis ne moriatur? Admodum verò, inquit. Jam si quis familiarium tuorum, ait, qui longè pluris sit tibi, quàm quisquam servorum, in periculo sit pereundi ex inopia: non æquum esse ducis, ejus te curam habere, ut evadat incolumis? Atqui non ignoras Hermogenem minimè ingratum esse, quem quidem puderet adjutum abs te non vicissim rebus tuis commodare. Habere autem ministrum quendam non invitum, & benevolum, & constantem, & ad agenda imperata idoneum, imò non solùm ad imperata facienda promptum, sed qui etiã per se usui possit esse tùm in providendo, tùm in præcipiendis consiliis: equidem longè præstare arbitror, quàm ut multos aliquis servos habeat. Jubent autem rei familiaris administratores boni tunc emere quum magni quidpiam pretii licet exiguo comparare. Boni verò amici hoc rerum statu vilissimo pretio parari possunt. Rectè mones, mi Socrates, inquit Diodorus: jube veniat ad me Hermogenes. Id verò, subjecit Socrates, equidem minimè fecero. Etenim neque tibi honestius esse duco, te potius illum arcessere, quàm convenire: neque magis ex illius esse re, quàm tua, hæc ita fieri. Hoc modo factum, ut ad Hermogenem Diodorus accederet, neque magna pecunia erogata, compararet amicum talem; cui cordi esset, ut quid vel proferendo, vel agendo commodare Diodori rebus, eumque posset exhilarare, dispiceret. *cap.* 28. *lib.* 2. *Memorabilium.*

Aristoteles: Multi philosophi beneficiis divinum honorem tribuerunt. Nam si vera fateri volumus beneficiorũ collatione & gratiarum relatione vita mortalium continetur, sic ut alii dent, alii accipiant, alii rursus rependant. Proinde rectum & justum est, omnibus miseris & oppressis misericordiam præstare. Nam miseratio placidi & mitis animi signum est, ut morositas & asperitas imperiti. Turpe est enim & indignum virtutem in miseriis derelictam pati. Quam ob causam etiam laudo discipulum, nostrum Theophrastum, qui dicit in beneficium non cadere pœnitentiam: & fructum egregium adferre, laudationem eorum de quibus benemeriti sumus. Quare convenit, ut sapientes homines id in multos conferant, puténtque citra laudem, lucrum quoddam hoc ipsis futurum, in rerum commutationibus; & si non omnes at unum aliquem saltem, pro beneficiis gratiam relaturum. Quamobrem enitere, ut promptus sis in præstãdis officiis, & iram animi refrenes. Illud enim regium est & mansuetum. Hoc verò barbarum & odiosum. Cæterùm, ut tibi videbitur, facias, & utile consilium ne negligas. *Epistol.* 3. *ad Philippum Regem.*

Aristoteles: Qui reges plurimùm sapientia pollent, & amplitudine sidera contingunt, benemereri student, neque tantum ad præsens tempus consilia factaque sua accommodant, sed cùm inconstantiam fortunæ videant, in utrumque usum beneficia deponunt, cùm in secundis suis rebus, in honore sint & precio. (Honor enim proprium quiddam est virtutis) tùm ut in cladibus auxilium habeant paratũ. Nam & calamitates honoribus necessaria præferunt. Certissima enim amoris & benevolentiæ probatio, tempus fortunæ. Quoniam non verba, sed facta recta desiderat. Nam benevolorum aspectus, quemadmodum in mari periclitanti terra apparet. Omnis enim ut videtur in derelicto cadens fortuna, scopus verissimus est positus his, qui vel oppugnare, vel injuriam inferre, vel calumniari volunt. Solus verò bonorum splendor, fortunæ flexibilitatem non abnegat, sed omne ferens moderatè, quicquid accidit ex his quæ secundùm Platonem meliora sunt, optimè constitutum animum gerit. Quamobrem rerum celeritatem metue, & casuum circulum in animo habe sortémque vitæ benè perpende. Multa enim casus adfert vitæ, & inclinationes pro suo arbitrio facit. Ignorantibus pœnitendi locum concede. Benevolis promptè benefacito. Hæc enim si feceris, & non semel tantùm, sed per universam vitam, semper observaris, tutissimum & sine periculo tenebis imperii palatium. *Epistol.* 4. *ad Philippum.*

Euripides: Et hoc memoriæ mandes Archelae præstantissime, cæteris in rebus nihil præter infinitos labores & curas innumeras Deum tibi præstitisse. Solum verò & unicum hoc bonum, ut benè mereri possis de quibus animo tuo collibitum sit, & velis; velle autem de dignis oportet: & cætera quidem in illius potestate sita esse, si velit auferre. Unum verò ne si velit quidem auferre posse, beneficia multis præstita. Quamobrem ita tibi persuadeas velim, nullam majorem homini, qui sit aliquando in imperio versatus, pœnitudinem aut dolorem accidere, quàm si permittente Deo, neminem sibi beneficiis obstrinxerit, volenti verò benemereri, Deus concedere constiterit. At nunquam in illum locum tu adduceris neque dolebit, tempus ab beneficiis remissum vacuum jam evanuisse, & Deum adesse destitisse, sed & præstò erit omni tempore & ponè astabit digno, inque rectum usum sua munera convertenti. Sed certè etiamsi spirare cesset omnino jam civitates & gentes, atq; privati plurimi, tuam potentiam experti sunt, non cum damno, & quasi partem tuæ fœlicitatis possident. Et labores quidem si tu è regno excideres, cessarent atque periculorum curarúmque molestia finem acciperet. Conscientia verò beneficiorum, cum iis qui acceperunt, tum etiam tibi qui præbuisti, omni tempore permanet, non sanè contemnenda vel possessio vel fruitio, sed quæ etiam in calamitatibus voluptatem possit & oblectationem præstare. Hæc ut semper facias neque defatigeris, hortor, quemadmodum neque defatigaberis, neq; est hujus ulla satietas. Cæterùm mansuetè, constanter, & justè in imperio præsenti te geras. Nam hoc ipsum non alii homini, neq; si quis jam morte mulctandus te jubente liberaretur, illi magis quàm tibi gaudium adferret te ejusmodi ingenio præditum esse. *Epist. ad regem Archelaũ.*

Chion:

Chion: Scito igitur Platonem eos magni facere, qui vel unicum diem cum Socrate versati sunt. Maximam ab illo ineunt gratiam ii qui quotiescunq; possunt eum conveniunt. Idcircò sedulò studuimus ne amicitia Platonis nobis deesset. Sed inter eos annumerandus qui dicunt, se beneficio affici, quoties alicui possunt benefacere: Statui quoq; non minorem esse felicitatem, alios bonos efficere, quàm bonum esse. *Matridi.*

Lysias: Qui tantum prodesse potuit, tantum obfuit, is meritò est omnibus odio. *cap. 3. fine Orationis* 30. *in Philonem.*

Apollonius Diotimo: Errasti, qui mihi putas opus esse aliqua vel tua opera atque auxilio cum quo mihi nulla fuit unquam familiaritas, vel alicujus alterius, similis, atq; similiter. Verùm, cum tui emolumenti causa sumptus erunt faciendi, is qui in quem infinita mea officia constant, non erit absque sumptu. Solum enim hoc modo meam consuetudinem & morem imitabitur atque exprimet. Quod autem hoc animo sim in omnes meos cives (omitto enim dicere cūctos homines) ab aliis civibus est cognoscere, qui quotiescunq; rogarent, à me beneficium acceperunt, neque flagitati sunt unquam gratiam aut redditionem ullam. *Epist.* 56.

Iulianus Imp. Syloson (ait ille) ad Darium venit, ac pallium ei commemoravit, & petiit pro eo Samum: postea Darius magnopere sibi placebat, putans se magna pro parvis retulisse: Syloson tamen triste beneficium accepit. Confer nunc nostra cum illis. Primùm quidem una in re nos multò melius: quandoquidem non expectavimus, dum ab altero admoneremur: sed in tanto tempore amicitiā erga te perpetuam sanctámq; servavimus, deinde cùm primùm nobis oblata est à Deo facultas, non inter secundos, sed inter primos te amicos appellavi. *Epist.* 30.

Basilius Imp. Non te lateant mores cujusque eorum, qui à te munera postulabunt, aut honores ac dignitates ambibunt: cúmq; satis exploratos & perspectos habueris, benefac duntaxat bonis: ab eis enim perpetuam recipies benevolentiam, quæ nullo unquam tempore vacillatura sit. Beneficium enim apud virum bonum collocatum, thesaurus est nullis raptoribus obnoxius, qui multiplicem collatori refert gratiam: qui autem improbo benefacit, serpentem in sinu alit, isque aliquanti sper ipsius calore fovetur, sed oblata occasione, venenato morsu benefactorem suum remunerat. Sicut enim canes alienis etiam cibum offerentibus oblatrant: ita homines perversi perinde eos qui benè de ipsis merentur offendunt, atque eos qui malè. Bonos ergo beneficiis tibi devinciens, te ipsum quodammodo multiplicem habebis, nempe vitam unam, multis circum oculis multisq; vigilantibus amicis custoditam. *cap.* 22.

Idem: Regulam tibi sapientem, licet ab usu consulentium fortassis alienam, fili, suggeram, à paterno tamen amore & charitate profectam. Eos approba, fili, potius qui à te munera postulabunt, quàm qui ambitiose sua tibi dona obtrudent: illos enim obæratos tibi cōstitues, qui tibi à Deo bona precabuntur, & ipsum etiam inde tibi debitorem interdum facies, qui benefactorum remunerationē persolvet, quasi obligatus: istis autem contrà ipse debitor obligaberis, & quasi benefactores reverentia quadam illiberali prosequeris. Velis ergo potiùs omnes homines obligare tibi benemeritis, ipse autē nemini obligari, nisi uni & soli Deo. Hoc enim profectò magis congruum est generoso & magnifico imperatori. Proba igitur potiùs eos qui petent à te, & eis dona: qui autem offerent tibi, magis reproba: is enim hoc unum quasi signum propositum est, ut à te majora munera auferant: illis autèm omne studium erit, ut gratiam tibi referant, humanitùs quidem, si habent unde solvant: si non habent, divinitùs, multiplicem à Deo tibi precibus impetrantes. *cap.* 57.

¶ Romanorum.

Quintilianus senior: Beneficium dedit, vitam donavit. Magnum beneficium est, lucem dare. Ideo sunt parentes charissimi: & illi vitam dant non sentientibus. Quid, quòd beneficium dedit, cùm accepisset injuriam? Jam non tantùm vitam donavit tibi, sed etiam ultionem suam: nec tantùm non exegit supplicium, sed etiam concessit matrimonium. Quid his vis adjiciam? exorata est. Solent dolere raptæ, & contineri non possunt, nec à patribus. Dedit ergo beneficiū. Quid si etiam contra patris voluntatem te servavit? illum offendit, ut tibi parceret: & quàm graviter? etiam abdicata est? Cùm tibi beneficium dat, ipsa accipit injuriam. Donavit tibi etiam testamentum patris. Accepisti ergo beneficium, non retulisti gratiam. Quid si fecisti etiam injuriam. *pro rapta repudiata.*

Quintilianus senior: Ego porro etiamsi confiterer plurimùm eum Reipublicæ nostræ morte sua præstitisse; non tamen inter beneficia ducerem injuriæ finem. *Declamatione* 329. *m.*

Idem: Accepi beneficium, ne illud quidem inficiabor, non reddidi. Non tamen continuò sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum pensaverit, alioqui nemo est qui non in calumniæ genus possit incidere. Nam ut hujusmodi omittam tempora, statim certè ut accepit beneficium, accusari potest: nondum enim reddidit. Quòd si non continuò ingratus est, quia paria non fecit: supereſt ut illa nobis intuenda sint, an omnia præstari iis qui beneficium dederint, oporteat: an id de quo cognoscitis, præstari oportuerit: ac postremò, an potuerit. Nòn omnia esse præstanda etiam parentibus dico: alioqui nihil est periculosius acceptis beneficiis, si in omnem nos alligant servitutem. Nam etiam scelerum, si ita videatur his qui nos meritis obligavere, afferunt necessitatem. Quapropter illa in confesso erunt, neque facturum aliquid adversus Rempublicam ex voluntate ejus à quo beneficium acceperit, eum qui acceperit: neque impium erga parentes necessitate tali futurum, neq; inhonestum, neque ea quæ fieri non poterunt, præstiturum. *Declamatione* 333. *m.*

Quintilianus: Iniquissima magnorum conditio meritorum est, si quicquid non fuerit adjectum, de prioribus perit; & pessimo exemplo, gratiam præteritis auferunt reliqua cessantia. *Declamatione* 5. §. 10.

Idem: Non fortunam tibi debeo, sed affectum; non exitum, sed voluntatem, &c. *Ibidem* §. 11.

Quintilianus: Ita natura comparatum est, ne sit ullus justior dolor, quàm beneficii sui perdidisse rationem; nihilque gravius afficiat conscientiam bonorum, quam quotiescunque nulla merita ceciderunt. *Declamat.* 15. *pr.*

Idem: Dii rapidè pereuntium beneficiorum semper ultores. *Declamatione* 15. §. 18. *p.*

Plinius junior. Præterea meminimus, quanto majore animo honestatis fructus in conscientia quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria non appeti: nec si casu aliquo nō sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum est. Ii verò qui benefacta sua verbis adornant, non idcirco prædicare quia fecerint, sed ut prædicarent feciſſe creduntur. Sic, quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim cùm rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quod non sileas ipse culpatur. *lib.* 1. *Epist.* 8.

Plinius junior: Hæc beneficia mea tueri nullo modo melius, quàm ut augeam, possum; præsertim cùm ipse Voconius tam gratè interpretetur, ut dum priora accipit, posteriora mereatur. *libro* 2. *Epist.* 23.

Idem: Præterea cùm recordarer quanta pro iisdem Beticis priore advocatione etiam pericula subiissem, conservandum veteris officii meritum novo videbatur. Est enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpè obligatis si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est. *lib.* 3. *Epist.* 4. *med.*

Plinius junior: Memineris commendari tibi à me non arbores & terram agelli, quanquam hæc quoque, sed munusculum meum, quod esse quàm fructuosissimum, non illius modò interest qui accepit, quàm mea qui dedi. *Epist.* 3. *lib.* 6.

Idem: Vereor ne sit immodicum pro omnibus pariter invocare indulgentiam ruam: qua debeo tantò modestius uti, quantò plenio rem experior. *lib.* 10, *Epist.* 105.

Plinius: Omnium quidem beneficiorum quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis quàm ad similes redundat: præcipuè tamen ex horum consulatu non ad partem aliquam Senatus, sed ad totum Senatum tanta lætitia pervenit, ut eundem honorem omnes sibi & dedisse & accepisse videantur. *cap.* 62. *Panegyric. ad Trajanum.*

Idem: Nondum biennium compleramus in officio laboriosissimo, cùm tu nobis consularum obtulisti, ut ad summum honorem gloria celeritatis accederet. Tantum inter te & illos Principes interest, qui beneficiis suis commendationem ex difficultate captabant, gratioréque accipientibus honores arbitrabantur, si prius illos desperatio & tædium, & similis repulsæ mora, in notam quandam pudorémque vertissent. *cap.* 91. *Paneg. ad Trajanum.*

Eumenius gratiarum actione Constantino Aug. Cùm omnes homines coram non indigentes juvare, boni sit Principis; tùm præcipuè benemeritis & graviter affectis, subvenire sapientis est. *capite secundo.*

Eumenius: Dicet aliquis, Vetera ista sunt. Et quidem hòc sanctiora quò vetera. Bonis enim meritis cum ætate dignitas & pondus accedit. Atque ut magno natu parentes magis magisque indies veneramur & colimus; fratrum verò æqualitas, & liberorum soboles, blandiore licet, leviore tamen animos tangit affectu: ita beneficia antiqua graviora sunt, quamvis præsentia videantur. *initio cap.* 4. *grat. Const. Aug.*

Eumenius: Sponte nos ad numinis tui aditum vocas, sponte affari, sponte quod opus desideraremus interrogare dignatus es. Hæc sunt, Imperator, vera beneficia, quæ non precibus efflagitata, sed ex voluntate tua bonitate adipiscendi voluptatem dederunt. Neq; enim parvi negotii est Imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare, sub tantæ majestatis affatu perfricare frontem, vultum componere, confirmare animum, verba concipere, trepidantem dicere, aptè desinere, expectare responsum. Has omnes difficultates, Imperator, verecundiæ nostræ remisisti. Non solùm ultrò percunctando quid remedii poscéremus, sed etiam tibi ipsi suggerendo quæ nos tacebamus, dum nos jacentes ad pedes tuos attollis affatu. Vidimus misericordiam tuam humentibus oculis eminentem. Ibant per hæc ora lachrymæ, nobis salutares, tibi gloriosæ: & nos invicem jam dolore discusso flebamus gaudio. Nam sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber uberat; ita lachrymæ tuæ pectora nostra irrigabant: ut quamvis nefas esset te flente lætari, vinceret tamen gratulatio religionem, cùm lachrymæ illæ pietatis essent indices non doloris. *cap.* 9. *grat. act. Constantino.*

Cl. Mamertinus: Nullum hinc jam mecum volo referre secretū: omnia pectoris arcana vacuabo. suspendisses benevolentiam tuam, & tuæ isti in me liberalitati contra mores tuos artificii aliquid addidisses,

didisses, forsitan rogassem. Parvi autem Imperator, putas esse beneficii quod rogandi mihi periculum remisisti ? periculum, inquam, si præstare dubitásses, si in posterum distulisses, quid inde me fieret post repulsam. In levissimis quoque beneficiis petitis nec impetratis, amicitia dissolvitur : namque is quo amicitia continetur amor, apud utrumque polluitur. Alter amari se quia non præstitit, non putat ; alter odio se esse quia non obtinuit, arbitratur. Nec sanè mihi gratuitò consul factus viderer si honorem precibus emissem. Miserum enim & laboriosum subiissem meliore ævi parte transacta tyrocinium rogandi. Neq; enim existimo molesti9 esse pecuniam quàm preces fundere. Denique omnes in emendo videmus repensandi fiducia magno erectóque animo aurum argentumque depromere: eos verò qui preces allegant, humiles atque demissos vix cunctabunda atque titubantia verba proferre ; neque solùm orationem inclinare, sed totis corporibus in genua submitti. Prorsus, ut ex animi sententia loquar, maximo vendit beneficium qui preces accipit. *cap. 18. Orationis ad Iulianum Aug.*

Nazarius Oratione in Constantinum Aug. O præpotens Roma, quam tu unquam gratiam pro tantis his laboribus referes? nisi quod indulgentissimus Princeps, tanquam hoc ipsum tibi debeat ; eò chariorem habet, quò majorē labore servavit. *fine capitis 26.*

Symmachus : Gaudeo me tibi pluris esse quàm cæteros : quando ita animatus es, ut sponte in rem meam consulas, nec opperiaris petitiones, sed solam voluntatis meæ famam sequaris. *libr. 1. Epistola 16. pr.*

Symmachus : Voluntaria beneficia tua petitione prævenio ; ut quæ sponte tribuis ego videar impetrare , & bonum naturæ tuæ in gratiam meam transeat. *libr. 2. Epist. 41. pr.*

Idem: Et hujus rei gratia, & præterea munerum cæterorum, quantas possum maximas gratias ago : licet in his quæ studiose fratribus pro magnitudine animi tui tribuis, beneficium te non putes præstare, sed sumere. *lib. 2. Epist. 77. f.*

Symmachus : Quoties parentum beneficiis obligamur, necesse est ad hæredes nexum debiti pervenire. *lib. 2. Epist. 91.*

Idem : Studio dandi beneficii excogitasti causam petendi. Sed dedisse te ex hoc gratiam satis constat: quia plus accipit, de quo sibi aliquid alterius amor vendicat. *lib. 3. Epist. 25.*

Symmachus : In remunerandis beneficiis jejuna est verborum vicissitudo. *libr. 5. Epist. 47. m.*

Idem : Suscipe oro, benefaciendi provinciam, quæ hominum merita Deo adplicat, clarioresq; fructus ex hujus commodo cape. Mihi enim videntur beneficia plus conferre præstanti. *lib. 7. Epist. 46. f.*

Symmachus : Quid tibi pro tanta in me meósque cura dignum rependam ? Officia tua reverâ æquare non possum: spondeo tamen, nunquam me cultu mentis & affectione cessurum. Nec ambigo etiã te pro benefactis solam boni animi mercedem exspectare. Sed in hac contestatione gratiæ morari me longiùs pudor tuus non sinit: deberi enim judicas amicitiæ nostræ quicquid ego credo præstari. *lib. 7. Epist. 52.*

Idem : Cultum amicitiæ libenter exerceo. Videbo enim mihi à te talionem curæ parilis non negari. Magnus autem diligentiæ incentor est amor tuus. Quare beneficii loco exprobrare non possum, quod ex debito defero. Ipse enim tibi auctor es officiorum meorum, quæ scribendi assiduitate sollicitas. *lib. 7. Epist. 98.*

Symmachus : Honesta beneficia apud memores non pereunt. *Epist. 13. f. Auctuarij.*

Ausonius : Ego quidem, quod ad honores meos attinet, & vota saturavi: tu tamen Imperator optime, tu piissime ; tu, quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessavit, tu, inquam, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subitò es, nec opinus ingenio, adhuc aliquid, quod hoc nomine mihi præstetur, invenies. Sic amicus Deo es, ut à te jam impetratum sit, quod optatur ab aliquo : & quod nondum optamus adipiscimur ; & rursum aliquis adjiciet, aut sermone liberè, aut cogitatione liberiùs. *Paneg. ad Gratianum.*

Ausonius : Solvere te ais, quod debebas, & adhuc debere quod solveris. ô mentis aureæ dictum bracteatum ! ô de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam ! Quisquam ne tam parcus est in ostentatione beneficii ? quisquam pondus gratiæ suæ vim profiteatur alieni ? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, precium mavult vocare quàm donum ? *Panegyrico ad Gratianum Imperatorem.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua.

Τὸν μὲν γὰρ ἐυ παθόντα μεμνῆσθαι πρέπει,
Ωὐ δ' ἐυ πεπονθότ' ἐυ ποιοῦντα δ' ἐδαμῶς.
Benefactanempe quisquis accepit, libens
Meminisse debet, qui dedit non ast item.

Aristophanes Pluto v. 832.

——*Ego cùm à patre*
Mihi relictam olim, accepissem substantiam,
Satis amplam : amicos in re dubia opis indigos,
Meis fortunis juvi liberaliter :
Ratus hoc in vita mihi fore apprime utile.
CA. *Annon tua citò defecit pecunia?*
IV. *Planissimè.* CA. *annon tu inde factus es miser?*
IV. *Videlicet. Nam ego spem firmam conceperam,*
Eos, quos mihi demeruissem beneficiis,
Si quando mala fors ferret, ut indigerem ego
Ipse, mihi amicos fore longè certissimos.
At illi, sicubi occurrebant in via,
Protinus in aliam deflectebant: ut suo
Aspectu ne quidem dignarentur inopem.

Lucianus, In gratias.

Munificus grata recitò, quo dulcior adsit
Gratia : nam longa mox perit illa mora.

Plautus Aulularia 2. sc. 5. v. 11.

——*Stultum & sine gratia est*
Tibi rectè facere, quando quod facis perit.

Plautus Epidici 1. sc. 2. v. 33.

Herclè miserũ est, ingratũ esse homini id quod facias benè.
Ego quod benefeci, malefeci, quia amor mutavit locum.

Plautus Epidici 5. sc. 2. v. 53.

Sed ut acerbum est, pro benefactis cum mali messem metas!

Plautus Persa. 4. sc. 5. pr.

Edepol dedisti, virgo, operam allaudabilem,
Probam, & sapientem, & sobriam. v. si quid bonis
Boni fit, esse idem & grave, & gratum solet.

Plautus Persa. 4. sc. 7. v. 8.

——*Credidi gratum fore*
Beneficium meum apud te. D. *Imò equidem gratiam*
Tibi, Toxile, habeo. nam sensi te sedulò
Mihi dare bonam operam.

Idem Persa. 5. sc. 1. v. 10.

Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Plautus Pœnulo. 3. sc. 3. v. 20.

Malo benefacere tantundem est periculum,
Quantum bono malefacere. L. *quei vero?* A. *scies.*
Malo si quid benefacias, id beneficium interit.
Bono si quid malefacias, ætatem expetit.

Plautus Rudente. 4. sc. 3. v. 2.

——*At pol ego te adjuvabo. nam bonis quod*
Bene fit, haud perit.

Plautus Trinummo. 2. sc. 2. v. 64.

Edepol Deũm virtute dicam, pater, & majorum, & tua,
Multa bona bene parta habemus. bene si amico feceris,
Ne pigeat feciss̃e ; potius pudeat si non feceris.
P. *De magnu divitiis si quid demas, plus fit, an minus?*
L. *Minus pater. sed civi immunifico scis quid cantari solet?*
Quod habes, ne habeas ; & illud quod nunc non habes, habeas malum:
Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.
P. *Scio equidem istud ita solere fieri. verùm gnate mi,*
Is est immunis, cui nihil est, quei munus fungatur suum.
L. *Deũm virtute habemus, & quei nosmet utamur pater,*
Et aliis quei comitati simus benevolentibus.

Q. Ennius de Scipione Africano.

Hic est ille situs, cui civis nemo neque hostis,
Quivit pro factis reddere operæ pretium.

Terentius Phorm. 3. sc. 3.

——*Itáne hunc patiemur Getam*
Fieri miserum, qui me dudum valde adjuverit comite?
Quin, cùm opus est, beneficiũ rursum ei experimur reddere.
G. *Scio equidem hoc esse æquum.*

Phædrus fine libri 4.

Brevitatis nostræ præmium ut reddas, peto
Quod es pollicitus ; exhibe vocis fidem:
Nam vita morti propior est cotidie :
Et hoc minus veniet ad me muneris
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cæpero.
Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua
Cum jam desierit esse beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existima,
Proclivis ultro cùm sit misericordia.
Sæpe impetravit veniam confessus reus,
Quanto innocenti justius debet dari?

Martialis lib. 5. Epigr. 49.

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor usuram pariter sortemq; negabit:
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus exstructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis,
Quas dederis solas semper habebis opes.

Martia-

Martialis lib.5. Epigr.53.

Crede mihi, quamvis ingentia Poſtume dona,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Martialis lib.6.Epigr.20.

Mutuate centum ſeſtertia, Phœbe, rogavi:
Cùm mihi dixiſſes, Exigis ergo nihil.
Inquiris, dubitas, cunctaris, meq; diebus
Teq; decem crucias. Iam rogo, Phœbe, nega.

Martialis 6. Epigr. 30.

Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſem,
Cùm dixti mihi; ſume, tolle, dono t
Deberem tibi, Pate, producentis.
At nunc cùm dederis diu moratus;
Poſt ſeptem puta vel novem kalendas:
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex ſeſtertia, Pate, perdidiſti.

Chilo apud Auſonium.

Tu bene ſi quid facias, non meminiſſe fas eſt.
Qua benefacta accipias, perpetuò memento.

¶ Fabulae.

Aſinus & Lupus.

Aſinus calcato palo claudus factus, conſpectum Lupum ſic adorſus eſt: Præ cruciatu, ô Lupe, demorior, oportétq; ut tibi eſca, vel vulturibus, vel corvis fiam. Gratiam itaque unicam à te poſtulo illam, ut prius palum de pede evellas meo, ne cum dolore moriar. Lupus palum mordicus apprehendens evulſit. Aſinus dolore liberatus, inhiãtem lupum calcitrans effugit, quaſſatis ei naribus, fronte, dentibúsque. Lupus verò, Hei mihi exclamat, merita patior, qui veterinarii muneri defungi voluerim. *Æſopus.*

Aſinus.

Aſinus quærebat medicum, infixa in calce ſpina. Detrectantibus verò plurimis, ſolus lupus mederi aggreſſus eſt, ac ſpina dentibus extracta ſanat. Hic autem altero pede qui non affectus erat, medentem percuſſit. *Æſopus.*

Lupus.

Lupo infixum hærebat os, quærebátque medicum. Univerſis verò & ſingulis ab ejus medicatione fugientibus, ſola ex reliquis conſtituto pactóque præmio, ſe ſubventuram promiſit grus: ac impoſito capite, lupum à dolore liberavit, pro quo cùm peteret mercedem medicinæ; ſufficientem lupus habere dixit, quod caput incolume reportaſſet. *Æſopus.*

Phædrus fab. 22. Muſtela & Homo.

Muſtela ab Homine prenſa, cùm inſtantem necem
Effugere vellet; quæſo, inquit, parce mihi
Quæ tibi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille: facerem, ſi cauſa mea,
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras ut fruaris reliquiis,
Quæ ſunt roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam letho dedit.
Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum privata ferv̈it utilitas ſibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

Ruſticus qui theſaurum invenerat. *Avienus:*

Ruſticus impreſſo molitus vomere terram,
Theſaurum ſulcis proſiluiſſe videt.
Mox indigna animo propetante reliquit aratra
Semina compellens ad meliora boves.
Continuo ſupplex telluri conſtruit aras
Quæ ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc fortuna noxis gaudentem provida rebus
Admonet indignam ſe quoq; thure dolens:
Nunc inventa meis non profers munera templis,
At q; alios magis participare Deos:
Sed quum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Me primam lachrymis ſollicitabis inops.
Non me ridenti, ſed triſti cernere vultu
Fas erit, & vacua ſint tibi vota tua.
Vnius accepto peccat grave quiſq; talento
Si quod ab hoc ſumpſit, imputat hoc alij.

De Ruſtico & Muſtela. *Anonymus.*

Præda viri prædo murum muſtela precatur:
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoſte domus, quod abeſt à ſorde fatetur
Eſſe meum, pro me te rogat, ergo fave.
Servitio me redde tuo, mihi redde laborì
Præmia; pro dono ſit mea vita mihi.
Ille refert, operis debetur gratia menti,
Non operi; gratum mens bona reddit opus.
Nemo licet proſit, niſi vult prodeſſe, meretur.
Non prodeſſe poteſt hoſtis, obeſſe volens.
Cùm mihi prodeſſes, mihi non prodeſſe volebat;
Hoſtibus ipſa meis, & meus hoſtis eras.

Non mihi monſtra necans, ſed eras tibi provida ſoli;
Sic panem poteras rodere ſola meum.
Pane meo pinguis, mihi da pinguedinis uſum,
Damnis penſo necem; digna perire peri.
Nil decorat factum niſi facti ſola voluntas,
Non operis fructum, ſed volo mentis opus.

De Leone & Mure. *Anonymus:*

Frigida ſopito blanditur ſylva leoni,
Curſitat hic murum ludere prompta cohors.
Preſſus mure leo murem rapit; ille precatur,
Ille procem librat, ſubjacet ira preci.
Hæc tamen ante movet animo: quid mure peremptæ
Laudis emes? ſummum vincere parva pudet.
Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
Dedecus, & muri cœperit eſſe decus?
Si vincat ſummus minimum, ſic vincere vinci eſt.
Vincere poſſe decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus eſt, ſi laus ſi vincere; laus hæc
Et decus hoc, minimo fiet ab hoſte minus.
De pretio victi pendet victoria: victor
Tantus erit, victi gloria quanta fuit.
Mus abit, & grates reddit ſi reddere poſſit
Spondet opem ſolus; fit mora parva dies.
Nam leo rete ſubit, nec prodeſt viribus uti,
Sed prodeſt querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit: cernit loca, vincula rodit,
Hac ope penſat opem: ſic leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
Cui leo dans veniam ſe dedit ipſe ſibi.
Tu qui ſumma potes, ne deſpice parva potentem,
Nam prodeſſe ſolet, ſi quis obeſſe nequit.

De Ruſtico & Colubro. *Anonymus.*

Dum nive candet humus, glacies dum ſovit aquarum
Curſus, in colubrum turbida ſævit hyems.
Hunc videt, hunc reficit hominis clementia; ventum
Temperat huic tecto; temperat igne gelu.
Ver redit, imber abit, æſtas cum ſole tepeſcit.
Sic importunus ſit magis atque magis.
Ore ſerit virus coluber, ſic toxicat ædem
Hoſpes ait colubro, non rediturus abi.
Non exit coluber, non vult exire, ſed hæret,
Amplectens q; virum ſibila dira movet.
Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu pœnam, pro pietate dolos.

De Mure liberante Milvum. Fab.70.

Mus conſpicatus milvum laqueo aucupis implicitum, miſertus eſt avi, quamvis ſibi inimicæ, abroſisque dente vinculis, evolandi viam fecit. Milvus tanti immemor beneficii, ubi ſe ſolutum vidit, murem nil tale ſuſpicantem corripiens, unguibus & roſtro laceravit.

Fabula indicat, malignos viros hujuſmodi gratias ſuis benefactoribus ſolere rependere. *Abſtemius.*

De Serpente ſaxo oppreſſo. Fab.136.

Serpens ingenti oppreſſus ſaxo, rogavit virum illac iter habentem, ut á ſe onus amoliretur, pollicitus ingentem ſe illi theſaurum, ſi hoc faceret, daturum. Quod quum vir mitis feciſſet, non modò promiſſa non ſolvebat, ſed hominem morte dignum eſſe dicebat. Dum ita contenderent, accidit, ut ſimius illac tranſiret, qui judex & & arbiter electus, non poſſum, inquit, inter vos tantas componere lites, niſi videro prius quo pacto ſerpens ſub ſaxo ſtabat. Quum ergo vir ſerpenti ſaxum impoſuiſſet, inquit ſimius, ingratum animal ſub ſaxo relinquendum cenſeo.

Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos eſſe beneficio. *Laur. Abſtemius.*

De Agricola icto ab ape. Fab.163.

Agricola ictus ab ape, admirabatur, ut ſex eodem ore ſuccus tam ſuavis, & ſtimulus tanti doloris exiret. Reſpondit apes: Quò beneficentior ſum, eò majori odio proſequor mihi inferentes injuriam.

Fabula indicat, quò magis homines benefici ſunt, eò minus injurias tolerare. *Abſtemius.*

Babrias. Περὶ Ὄφεως καὶ Γεωργοῦ. Fab.42.

Ἐξαλπές τις Γεωργὸς ἐν κόλπῳ ὄφιν
Ὠρᾳ κρύους, ἐπεὶ δὲ θέρμης ἠδύνετο
Ἔπληξε τὸν θάλψαντα, κἀκείνῳ τύχῃ.
Ἐπιμύθιον.
Οὕτω καὶ τοὺς ποιοῦντας εὐεργέτας.

De Serpente & Agricola.

Agricola quidam in ſinu fovit ſerpentem
Frigoribus: ubi autem calorem ſenſit,
Percuſſit eum qui fovit, atque occidit ſtatim.

Affabulatio.

Sic mali tractant benefactores.

¶ Emble-

¶ Emblematum.

Batilius. CLII.

Qui sibi occasionem malorum præstant.

Vt se aquila inspexit pennas referente sagittâ
Ictam, & in exitium spicula facta suum.
Hei mihi, quæ propriis, inquit, mea funera pennis
Cerno, mihi ipsa mei noxia causa mali.

Camerarius LXV. Centur. 2.

Nullo flectitur obsequio.

Præda lupi fit capra, suo quem lacte cibarat:
Sic cedunt homini quæ benefacta malo.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Juda *filius Iacobi Patriarchæ:* Quum filii Jacobi fratrem suum in cisternam injecissent, & sederent ad comedendum cibum, viderũt transeuntes Ismaëlitas, quorum cameli aromatibus onusti pergebant in Ægyptũ. Tunc dixit Juda ad fratres suos: Quod erit lucrum cùm interfecerimus fratrem nostrum, & occultaverimus sanguinem ejus? Agite, vendamus eum Ismaëlitis istis, & manus nostra ne sit in eum, quia frater noster, caro nostra est. Cui auscultaverunt fratres ejus. *Genes. 37. 26. 27.*

Booz. & Ruth: Humanissimis verbis Booz Rutham spicilegium facientem in agro Bethlehemitico excipit, dicens: Ne abito filia mea ad legendum in agrum alterum, neque etiam discedito ex agro meo, sed hic hæreto cum puellis meis. Oculi tui intenti sunto in agrum illum quem metent, ut sequaris eas: annon præcepi pueris istis ne attingant te? cùm autem sities, ito ad ista vasa & bibito ex eo quod hauserint pueri isti. Ruth procidens in faciem suam incurvavit se in terram, dicens ad eum: Quare inveni gratiam in oculis tuis, ut agnoscas me, cùm sim alienigena? Sed respondens Booz, dixit ei: Planè indicatum est mihi quid egisti cum socru tua, post mortem viri tui, ut deseruisti patrem tuum & matrem tuam, & solum natale tuum, & venisti ad populum quem non cognoveras ante. Rependet Jehova opus tuum, & erit merces tua perfecta à Jehova Deo Israëlis, quòd sub alas ejus venisti ut te obtegeres. Ruth autem dixit: invenio gratiam in oculis tuis Domine mi, quòd consolatus es me, & quòd locutus es quæ sunt cordi ancillæ tuæ: at ego non futura ut una ancillarum tuarum. Multis bonis deinde affecta est à Boozo, qui tandem ex ea in conjugem ducta suscepit filium Obedum, qui fuit avus Davidis regis, ex quo natus est Christus servator noster, teste S. Matthæo. *Vide Ruth cap. 2. 3. 4.*

Israëlitæ: Quum Jonathan filius Saulis cessante & inscio patre atque exercitu, divino spiritu & signo incitatus, cum solo armigero hostes Philisthæos invasisset ac fudisset, Saul deinde cum exercitu fusos persequens intempestivo interdicto plenam victoriam impedivit, & filium ut interdicti violatorem, sorte detectum, ad mortem petivit. Sed dixerunt Israëlitæ ad Saulem: *An Ionathan moreretur, qui comparavit salutem hanc maximam in Israële? absit. ut vivit Iehova, an cadere debet ullus è capillis capitis ejus, quandoquidem Deo duce operatus est hoc hodie?* Sic redemerunt Jonathanem ut non moreretur. 1. *Sam. 14. 46.*

David: Ebiathar filius Achimeleci, quum Davidi renuntiasset Saulem occidisse Sacerdotes Jehovæ, dixit David Ebiathari: Sciebã Doëgum Idumæum omnino indicaturum esse Sauli: ego in causa fui, cur sæviretur in omnes personas familiæ patris tui. Mane mecum: ne time: nam qui quærit vitam meam, quærit vitam tuam: sed in custodia tu es apud me. 1. *Sam. 22. v. 22. 23.*

Idem: Fœderis sui cum Jonathane filio Saulis icti nõ immemor, domesticum exemplum gratitudinis, pietatis & fidei in Mephibosethum Jonathanis filium edit, cui ad se vocato dixit: *Ne timeto: nam omnino exercituras sum erga te benignitatem propter Ionathanem patrem tuum, & restituam tibi totum agrum Saulis patris tui: tu verò sumpturus es cibum in mensa mea semper.* Id confestim abundè præstitum est à Davide. 2. *Sam. 9. 11.*

Atticus: Ad miseri cordiam atq; largitionem tam proclivis fuit, ut non modò iis qui in parœciis ejus erant egenis providendum duceret, sed etiam vicinis Constantinopoli Ecclesiis pecuniam multam ad pauperum consolationem suppeditaret. Inter quas Nicena recensetur, cujus presbytero Calliopio trecentos aureos unà cum hujusmodi literis misit. Decies mille in urbe vestra egenos piorum commiseratione indigere cognovi. Decies mille dum dico, multitudinem ipsam non certum pauperum numerum ostendo. Quandoquidem verò certum pecuniæ numerum ei acceptum fero, qui perliberali manu ritè eam dispensantibus donat, & nonnulli indigent, explorandorum eorum gratia qui habent quidem, sed illis non dant, acceptis à me trecentis aureis istis, ut voles, eos expende. Voles autem eis maximè qui mendicare erubescunt, non illis qui in vita ventrem ad nundinationem proponunt. Quum igitur pecuniam distribues, religionis hac in parte rationem non habebis: hoc unum spectans, ut indigentes alas, neque eos præferas qui moribus nostris vivunt. *Niceph. eccl. hist. lib. 14. cap. 24.*

¶ Thologi Veteres.

Clemens Alexandrinus: Facilè posset Deus neminem facere pauperem: sed ita beneficentiæ ansam adimeret, nec amplius vellet aliquis condolere. Nunc verò alii aliorum gratia vel divites, vel egeni sunt, ut locus & materia beneficentiæ suppetat.

Irenæus: Ubi aliquis potest benefacere proximis, nec facit, alienus à charitate Domini censendus est. *Epist. ad Victorem.*

Nazianzenus: Nudum si videris, vestito, honorans immortale tuum indumentum quod est Christus. Nam quotquot in Christo baptizati sumus, Christum induimus.

Benefici estote & liberales, non ex superfluis rebus, sed etiam usui vestro commodis. Quippe Deum magis delectat ipsa largitio, quàm ejus copia vel magnitudo.

Dum navigas secundis ventis, manum porrige naufrago: & dum bene habitus ac dives es, malè affectum juvato.

Homo nihil tam Dei habet quàm benefacere: quamvis hic in magnis rebus, ille in parvis benefaciat, uterque nimirum pro sua facultate.

Chrysostomus: Benefaciendo Deum imitari te puta.

Benefici simùs erga illos qui non sentiunt se beneficiis affici, ne nos vicissim aut laudantes, aut aliter remunerantes, mercedem nobis imminuant. Nam cùm nihil ab hominibus acceperimus, tunc majora accipiemus à Deo.

Non benefacit qui benefacit, sed beneficium ipse accipit potiùs quàm dat. Majora enim accipit quàm largitur: quoniam Deo mutuum dat, non hominibus auget opes, non minuit. Minuit autem si nihil demat, si nihil largiatur.

Gregorius Nyssenus: Qui bonum sibi in voluntate tantùm proposuit, impeditur autem imbecillitate quò minus re ipsa aliquid largiatur, nihil inferior est animi sui habitu eo qui re ipsa propositum suum declaravit.

Nilus: Qui beneficium ad animum pertinens tibi præstat, veluti ministrum Dei post Deum honora.

Photius Patriarcha: Qui largiuntur indignis ea quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda: nam & ipsi jacturam faciunt, & in bonos contumelioси sunt, & malos roborant, materia vitiorum suppeditata.

Philo: Plus tibi diligendi sunt, Imperator, qui suppliciter petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quàm qui tibi munera offerre student: his enim debes remunerationem, illi verò debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis húmanitatis tuæ & benignitatis institutum.

Vide Antonium & Maximum, *serm. 67. & 77. de beneficentia in pauperes.* Item apophthegmata sequentia, *de Charitate, Eleemosyna, de Liberalitate, Mansuetudine, Misericordia, Pauperibus, &c.* Porrò innumera occurrunt apud veteres Theologos, non modò Græcos, sed & Latinos, de his virtutibus scitè dicta, quemadmodum ex eorum rebus gestis colligere facilè est, præstantissimos illos Dei servos operibus ostendisse, quod dictis & scriptis tum sibi, tum aliis piis toties inculcarunt.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque auro bene item mereri de mortalibus potes.
Abs quovis homine cùm est opus, beneficiũ accipere gaudeas
Adjuvari nos oportet beneficio, non decipi.
Æquè malis benefacere oportet, quàm bonis.
Aliter beneficium solvitur, aliter creditum.
Aliud beneficium est, aliud fœneratio est.
Auctor est sibi malorum qui facit bene improbo.
Benefacti statim memoria; malefacti nunquam interit.
Bis ter acceptum est, libenti mente quod statim datur.
Cernitur animo beneficium; non potest tangi manu.
Computet beneficium meruisse se, qui præstitit.
Constant beneficia uno animo, uno animo injuria.
Contra seipsum misericors est qui colubram fovet sinu.
Contra seipse misericors est qui vult prodesse improbis.
De malo si bene mereris id beneficium interit.
Fac bene in re tristi amico: sic benè & fiet tibi.
Fac statim si quid benefacere vis, nec differ in diem.
Gratiæ ac beneficia vitam continent mortalium.
Gratius juvare te omneis quàm incubare unum omnibus.
Gratius venit quod ultro, quàm manu plena datur.
Grato homini semper beneficium volup est, ingrato semel.
Hæret altè animo beneficium, verùm injuria altius.
Haud ulli gratum beneficium est, quod quibuslibet datur.
Haud ullum stultiùs beneficiũ est, quã quod sub oculos venit.
Id demum juvat, si quẽ benefacere æquum est, benè is facit.
Improbo quid das? abire impunè ab illo jam haud potes.
Improbus beneficium scit sumere; nescit reddere.
In quem multa quis congesit, hunc videt lubentius.
Mansuefit cibo canis; beneficio invidum efferas.
Maximè beneficia hærent, quæ miserias sublevant.
Maximo beneficium vendit, qui quis accipit preces.
Mentis altioris, aurum non recipere quàm dare.
Non tam honesta est ultionis quàm beneficii occasio.
Nullo beneficio ingenium viceris malum.
Nullum beneficium duco esse id, quod cui facias non placet.
Ob bonos potius malis fac benè, quam ob malos noceas bonis.
Perdidit beneficium, qui perdidisse credidit.
Plurimis prodesse velle & posse proximum Deo est.

Plus apud bonos benefacta possunt, facta quem malè.
Plus valeant benefacta priora, quã maleficiũ ullum recens.
Præter expectationem quod capis, gratè capis.
Pro maleficio quis beneficium velit summum reddere?
Prompta semper est mora, nescia beneficentia.
Promptior semper nocendi, commodandi quàm via est.
Promptius exsolvas injuriam quam beneficii vicem.
Quædam honestè etsi accipiantur, at haud honestè istẽ petas.
Quæ præstas bona, illa ut unquam ne caduca sint face.
Quæ videntur, haud æterna sunt sed temporalia.
Quem beneficio amicum adjungis, præsens absens idem erit.
Qui beneficium libenter accipit, jam reddidit.
Qui bono fecit bene uni, mille alios sibi obligat.
Qui de nobis bene merentur, utique sunt viri boni.
Qui malis facit benè, idem pascit alienos canes.
Quis velit beneficium summum pro maleficio reddere?
Quod facis libenter, facere semper ut possis vide.
Rectè ibi facere, ubi quod facias perit, stultum & sine gratia est.
Sapè quis beneficium præstat sese accipere qui putat.
Tantundem damni est malo benefacere quam bono malè.
Tantundem malo est periclum benefacere, ac bono malè.
Vltimum beneficium delet & priorem injuriam.

¶ Jambica.

Accipere plus potuisse, injuria loco est.
Auferre iniquum est, si qua sunt rectè data.
Ætate & usu, beneficium fit debitum.
Benefac amicis; hostibus nefac malè.
Benefac bonis, fieri si quaris multiplex.
Benefaciendo sese homo jungit Deo.
Benefacta male locata, malefacta arbitrer.
Benefacta benefactis alius pertegito, ne perpluant.
Beneficia accipere se putant cùm dant boni.
Beneficia lata eousque, exsolvi dum queunt.
Beneficia magna, odium referunt pro gratiã.
Beneficia modica, injurias vocant mali.
Beneficia multa frontem habent asperrimam.
Beneficia nemo perdit, nisi qui computat.
Beneficia nulla ipsam naturam verterint.
Beneficia qui probis dat: non dat, accipit.
Beneficia reddas citius, as quam mutuum.
Beneficia tribuit homini, haud eripit Deus.
Beneficii pars judicium vel optima est.
Beneficiis abullo vinci haud regium est.
Beneficiis gratum vel minimis obliges.
Beneficio erubescit accepto invidus.
Beneficiorum sempiterna gratia est.
Beneficium eodem animo debetur quo datur.
Beneficium exors omne pœnitentiæ.
Beneficium frequenter præstat qui petit.
Beneficium haud est sceleris abstinentia.
Beneficium malorum gratum nemini est.
Beneficium nisi a volente non datur.
Beneficium non est invito quod datur.
Beneficium omne superbia destruit.
Beneficium persæpe confert qui exigit.
Beneficium ratione, non morbo, datur.
Beneficium quandoque qui dat accipit.
Beneficium ubi perit, perit quoque gratia.
Beneficus alteri omnia præstat, nil sibi.
Beneficus in nos non est, qui scelere abstinet.
Debet sibi quisque a negligente quod capit.
Demum id juvat, si quem æquum est benefacere, is facit.
Durat beneficium amisso eo etiam quod datur.
Est stirpium hercle causa semen qui dedit.
Etiam beneficiis mitigantur belluæ.
Etiam suis beneficia servi dant heris.
Flecti emerendo vel jecur horridum potest.
Frontis beneficos etiam infirmitas facit.
Gratum beneficium est cujus auctor perplacet.
Gratum est beneficium amicum auctorem quod habet.
Iuvare voto fas eum, quem re nequis.
Libens dato beneficia, invitus accipe.
Minus valet potentia beneficentiã.
Multos facit beneficos spes compendii.
Necessitas ubi non est, beneficentia est.
Nemo imputari patitur sibi vulgaria.
Nil regium mage est quam beneficentiã.
Nimium interest benefactum in quo ponas loco.
Nisi a volente nunquam beneficium datur.
Nocet sibi, prodesse qui vult improbis.
Non est benefactum, sceleris abstinentia.
Nullum est beneficium abstinere injuriã.
Non est beneficium quod fortunam respicit.
Non est beneficium quod recusans accipit.
Non est beneficium quod reluctanti ingeris.
Non est beneficium quod sue ostendit lucro.
Non est locus beneficio ubi est necessitas.
Non transeunt beneficia in formam crediti.
Non tam merita altè descendunt quàm injuriæ.
Par est referre pro beneficio gratiam.
Perdenda sunt multa, ut semel ponas benè.
Præstantius nil exstat beneficentiã.
Quantum adjicis moræ, tantum auferes gratiæ.
Reddat libenter qui libenter accipit.
Redhibere rem raptam, beneficium nego.
Regis character una beneficentia est.
Servare potuit: occidere an possim rogas?
Se ladit ipsum, improbo qui facit benè.
Solutio beneficii, ei confessio est.
Spectat beneficium commoda ejus cui datur.
Spinæ inter ipsas quicquid seritur profocant.
Transformat hostem in civem beneficentia.
Vbicunque homo est, ibi & beneficio est locus.
Vbi mora est, ibi nulla beneficentia est.

Beneficii Ecclesiastici.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Clemens IIII. Pont. Quâ moderatione ac circumspectione in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione usi sint plerique, paucis videndum: ut exemplum præbeamus iis, qui illa contra primævam eorundem institutionem, hac ætate, non sine gravi scandalo, & bonorum injuria, in quoscunque tandem conferunt; affectu humano supra rectam rationis regulam dominante. Vix dici potest, quantum in hoc genere splendoris assecutus sit Clemens Quartus. Instabant apud eum consanguinei, ut nepoti qui tria beneficia obtinuerat etiam alterum adjiceret. At ille, tantum ut insulsæ petitioni acquiesceret; quin statim bina ei eripuit, & meritis de iisdem providit; clarè in hanc vocem erumpens: *Non est dignus Petri successor, qui plus cognationi quàm pietati largitur.* Rarum, & cui nescias an par exemplum. *In Vita.*

Calixtus III. Pont. Ejusdem hic dignitatis & meritis. Pluralitatem beneficiorum aspernatus, priusquam ad sacrum Pontificatus culmen attigisset, unico duntaxat contentus, benè illi & piè deserviebat. Rogatus autem, cur, cùm posset plura accipere, recusaret? *Quia*, inquit, *unicam eam q3 virginem in uxorem peto. Ex lib. Rer. Memorab.*

Adrianus VI. Pont. De prioribus Italia, de isto Belgium se extollet. Ex infimo quippe gradu per solam virtutem in id evectus supra quod ascendi non potest, rarissimè, & non nisi difficulter cognatos propinquósque ad beneficia promovebat. Non quidem, quòd si idonei essent, eis non faveret; sed quia (ut dicebat) *ædificare Sion ex sanguinibus nolebat*, docens, sacris in rebus necessitudines sanguinis & naturæ non esse spectandas. *Onuphrius Panuinus in Vita ejusdem.*

Ludovicus XII. Franc. Rex: Neque hunc latebat sui temporis abusus ex beneficiis indignè collatis exurgens. Unde, ut erat ingenio facero, cùm intellexisset indoctos, & ob id inidoneos, ad Ecclesiasticas Præfecturas evectos; ita cavillabatur: *Quam est potior conditio asinorum, quàm eorum! Quippe equi cursu desatigantur, ut asinis Præfecturas Ecclesiasticas & Præbendas deferant.* Meritò indignè ferens, vix ullo habito delectu, quandoque tam leviter de Ecclesiasticis dignitatibus sine ullo fructu disponi. Hinc laudanda, (& utinam ubivis locorum in praxi obtineret!) illa Trid. Synodi constitutio, Sess. 22. cap. 4. qua irrita decernitur omnis provisio, facta ei, qui habilitates ad eam requisitas integrè non habuerit. *P. Æmil. in Vita.*

Benevolentiæ.

¶ Sententiæ.

D. Jo. Chrysostomus: Multa benevolentia & magnorum & parvorum similiter curam gerit, & novit omnes, & neminem despicit; sed in unumquemque eandem gerit curam, & parem in omnes honorem. *Homil. 10. Epist. ad Hebræos.*

Nicocles Rex civibus suis: Vestram erga nos benevolentiam, factis magis quàm verbis declarate. *apud Isocratem.*

Isocrates: Multò præclarius benevolentiam civitatum capere, quàm mœnia. Hoc enim non modò invidiosum est; sed & quidquid sit ejus generis, exercitibus plerunque adscribitur: Si autem familiaritates contrahere potueris, & hominum benevolentiam colligere, sapientiam tuam mirabuntur omnes. *Epistola altera ad Philippum Maced. regem.*

Isocrates: Corporis custodiam tutissimam esse puta, tùm in virtute amicorum, tùm in benevolentia civium, tùm in tua prudentia esse collocatam. *Oratione ad Nicoclem.*

Iulianus Cæsar : Cùm te tantis negotiis committeres, nullum omninò fuit quod non ex animi sententia confeceris, benevolentiâ subditorum fretus, quam Principibus tutissimum esse existimo propugnaculum. Eam porro jubendo atque imperando, quasi pensitationes ac tributa comparare sibi, à ratione penitùs alienum est. Superest igitur, quemadmodum instituisti, bene de omnibus mereri, ac divinam inter homines naturam imitari ; ut & in ira moderatus ac clemens sis, & pœnarum difficillimas quasque & acerbissimas detrahas : adhæc afflictis & calamitate aliqua affectis inimicis tuis æquabilem te ac benignum præbeas. *ad Constantium. Paneg.* 1.

Iulianus Cæsar : Illa Principis in me benevolentiam sinceram ac stabilem magno labore conservavit : quo quidem nullum unquam humanorum bonorum majus ac præstantius existimavi, nec quidquid auri, argentique sub terra, aut in ea est in lucem hactenus ac solem erutum ; cum hac una re conferendum existimo, nec quidquid erui postmodum potest, tametsi maximi quique montes simul cum saxis ipsis, & arboribus in eam naturam transeant : sed nec summum Imperium, neque aliam ullam rem tanti æstimo. Etenim ex illa quamplurima mihi bona, ac spe etiam majora contigerunt, cùm haud adeò multis mihi opus esset, nec me tali spe atque expectatione lactarem. At sincera benevolentia cum auro commutari non potest, nec ab homine ullo pretio comparari, sed divina quadam, ac meliori bonorum virorum sorte quæritur, quæ ultrò iisdem aspiret, ac faveat. *Orat. 2. ad Eusebiam Imp.*

¶ Poetarum.

Plautus Trinummo. 2. sc. 4. v. 36.

——— *Quid agit filius?*
2. Bene vult tibi. 1. *edepol mutuum mecum facit.*
3. Nequam illud verbum est, bene vult, nisi qui benefacit.
Ego quoque volo esse liber ; nequiquam volo.
Hic postulat frugi esse ; nugas postulet.

P. Syrus Mimus.

Benevolus animus, maxima est cognatio.

¶ Monosticha Trochaica.

Benevolentia intempestiva ab odio quidnam discrepat?
Benevolentiæ permagna est, imbecilla est, vis, metus.
Benevolentiam quamcunq; consuetudine augeas.
Haud mediocre ad res gerendas telum benevolentia est.
Semper illi occurrit quod det, cui bene velle haud deficit.

¶ Jambica.

Etiam benevolis ipsi assentantur cæues.
Etiam facit bene, si potest, qui vult bene.
Nequam illud verbum est, bene vult, nisi qui benefacit.
Qui vult bene, is profectò non facit bene.
Vis benevolus esse cunctis? ferto eorum injurias.
Vir bonus prodest amicis non palam sed clam quoque.
Vix potest dici benignus qui roganti subvenit.

¶ Jambica.

Apud benignum haud usui est pararius.
Aut consolando, aut consilio, aut re quem juves,
Dando incitatur haud ruit benignitas.
Benignior ferè est probus quàm justior.
Benignitate redderis rex par Deo.
Benignitate tollitur benignitas.
Benignitatis culpa, nil honestius.
Benignitatis quæstus est donatio.
Benigno inimicus nullus est nec æmulus.
Cave benignus esse perversis velis.
Cultu patroni servatur benignitas.
Etiam suus benignitatis est modus.
Ingenia sæva mitigat benignitas.
Ingrata fiunt, quæ benignè fecimus.
Lassare dando se nequit benignitas.
Modum tenere non solet benignitas.
Mortem sibi interdum invenit benignitas.
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Pares Deis homines facit benignitas.
Popularis omnis bonitas est vel maximè.
Probo improboq; necessaria est benignitas.
Propensa ad misericordiam est benignis.
Rigidat malos, non emollit benignitas.

Benignitatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Benigno quisque quod vult impetrat nutu unico.
Amplius benignitatis, justitiæ pomario.
Anteit preces benignus ; sordidus dat post preces.
Antequam rogetur, ultro rem ingerit benignitas.
Campus justitiæ amplus, at benignitatis amplior.
Consulit sibi ipse quisquis est benignus indigis.
Est malignus non benignus pollicito ingerens moras.
Gloriam effert ad cœlestem quemlibet benignitas.
Impetres benignitate gratiæ ac famæ decus.
In benignitate vera certè habentur omnia.
Lædere aut Deum aut seipsum summa sunt duo mala.
Neminem premit benignus, sponte quos vis subleväat.
Non habet benignus hostem, quin amicus omnium est.
Non modo semper parata, & obvia est benignitas.
Non moratur dum rogetur, ultrò dat benignitas.
Omnibus benignus est amicus, hostis nemini.
Omnibus benignus esto, sed maximè propinquis.
Pauperes benigniores penè sunt quam divites.
Pauperes plures benigni sunt fere quam divites.
Plus faciunt manu clementes qui sunt quam pecuniâ.
Post preces qui dat, benignus nomine est, re fœnerat.
Quæ facultates profundit, improba est benignitas.
Qui benignus est, amicis cingitur veris simis.
Quolibet loco optimè audit ulipes benignitas.
Quò magis dat, hôc alacris est magis benignitas.
Sæpe pauper est benignus sæpe dives sordidus.
Si major benignitas est, quam facultas, noxia est.
Spectat ejus cui præstatur commodum benignitas.
Sub specie benignitatis stulta facilitas & placet.
Tristior benignitas senum est quam adolescentiæ.
Vir bonus prodest amicis non palam sed clam quoque.
Vix potest dici benignus qui roganti subvenit.

¶ Jambica.

Apud benignum haud usui est pararius.
Aut consolando, aut consilio, aut re quem juves,
Dando incitatur haud ruit benignitas.
Benignior ferè est probus quàm justior.
Benignitate redderis rex par Deo.
Benignitate tollitur benignitas.
Benignitatis culpa, nil honestius.
Benignitatis quæstus est donatio.
Benigno inimicus nullus est nec æmulus.
Cave benignus esse perversis velis.
Cultu patroni servatur benignitas.
Etiam suus benignitatis est modus.
Ingenia sæva mitigat benignitas.
Ingrata fiunt, quæ benignè fecimus.
Lassare dando se nequit benignitas.
Modum tenere non solet benignitas.
Mortem sibi interdum invenit benignitas.
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Pares Deis homines facit benignitas.
Popularis omnis bonitas est vel maximè.
Probo improboq; necessaria est benignitas.
Propensa ad misericordiam est benignis.
Rigidat malos, non emollit benignitas.

Bibliothecæ.

¶ Sententiæ.

S. Isidorus Pelusiota : Frumentum quispiam, quod ex agricultura collegerat, compressit : & quia id egentibus civibus minimè dono dederat, lapidibus obrutus, atque igne consumptus periit. Quòd si ille frugibus suis conclusis, tanquam publica comprimens, de medio sublatus est, tu cùm nihil proprium, quod ad literarum studia attineat, possideas, verùm multos eruditorum virorum libros emercatus, nec utilitatis hujusce particeps ipse sis, neque eam iis, qui ipsius desiderio tenentur impertias, quo non malo mulctaberis, tùm hîc accusatus, tùm à Deo pœna & cruciatu affectus, ut qui inutilem & infrugiferum thesaurum tibi compararis ? *libr.* 1. *Epist.* 399.

Themistius : Neque hoc ipsum ei satis est : verum illud, proh Deum immortalem ! quàm admirabile, quàm prodigii simile (Auditores) quod sapientum, ac præclarorum Heroum animos ad hujus emolumenti Urbis revocat, atq; ex ipsis sepulchris in lucem reducit. Nunquid Magicis id artibus, ac furori tribuendum putatis ? Atqui nullum aliud nostri amatoris opus, aut præclarius, aut Deo jucundius est. Clariùs quid velim explicabo ; ut & vos, quæ à me dicuntur intelligatis, ac turbari animo, & fluctuare desinatis. Igitur animam ego sapientis hominis illius sapientiam esse arbitror, ac mentem, atque sermonem, sepulchra verò ejusmodi animarum libros, ac scripta, in quibus tanquam in monumentis reconditæ eorum reliquiæ servãtur. Hæc ergo monimenta diuturna jam incuria in Mnemosynes thesauro instar ædificiorum collapsa, cùm nihil jam propius esset, quàm ut interirent funditùs, ac profligarentur, unâquo commissas sibi animas perderent, excitare illa, ac restaurare imperat, eique operi Curatorem præficit, cui sumptus omnes, ac impendia subministrat. Cæterùm ea nobis opera non fabri ærarii, non Architecti, non Lapidarii, sed profectæ à Cadmo, & Palamede artis opifices perficiunt, qui ea facultate præditi sunt, ut mentem ex vetere, ac ruinoso tabernaculo in recens, ac nuper fabricatum transferant. Itaque paulò post publicè nobis & sapientissimus Plato renascetur, & Aristoteles, & Pæanieus Orator, & Theodori, atque Olori filius. Sed horum quidem virorum & si in publico posita simulachra periclitarentur, privata tamen apud singulos etiam citrà legem ullam, diligenter custodiri, atque ab interitu vindicari solent, satisque ad eos conservandos eximia illorum virtus est. Quicunque verò comites illorum, & assecłæ sunt, quorum opera sibi ad perpetuitatem minimè sufficiunt, hos omnes ex mortalibus immortales reddere Imperatoris providentia contendit. Quare plurimos jam Homeri interpretes, ac, ut ita dicam, ædituos, plurimos item Hesiodi cultores, sed & Chrysippum ipsum, ac Zenonem, & Cleanthem, atque integros ex Lyceo, & Academia choros, & ut uno verbo dicam, innumerabile ex veteri sapientia Scriptorum agmen, non trita illa, aut in medio posita, sed rara, atque recondita, quod quidem superioribus temporibus penè extinctum, atque intermortuum fuerat, defossum in tenebris tanquam ex inferis revocat, atque ad lucem excitat, ac ejusmodi nobis, & his præstantiora Musarum simulachra constituit. Num igitur ignorare potestis quantò vobis ornatus ille splendidior, magnificentiorque sit quàm aut Theatri, aut transparentis illius Circi præcinctiones, atque ambitus ? Quódque illustriores ob id merito videamini, quàm ob eos portus, qui intra portas extructi sunt, per quos mare media in fora confluit, atque immittitur. Hæc

enim, opinor, omnia infima plebs, ac forensis factio, & incondita operariorum turba cùm spectacula verò ipsa, tùm acroamata inutilia sunt. Solum illud ornamentum meliores spectatores suos facit, quoque attentius id quispiam consideraverit, atque interius penetraverit, eò spectaculi hujus ex intuitu felicior discedit. Et hactenus quidem in hac civitate solo ex aspectu pulchritudinis fructum homines capiebant, propterea omnia undique in illam bona invecherentur, nihil præter terram, sabulum, ac quisquilias aveheretur. Jam verò exportare, ac mercari à nobis aliquid licet, non mehercule aurum, aut ligna, vel purpuram, quasi ex fodinis, aut monte, vel officina tinctoria, sed nec vini dolia, aut legumina, aut bellaria: hæc enim omnia ab deterioribus petere admodum meliores, opinor, solent. Et Emporio illo verò, quod Imperator modò nobis excitat, Virtus ac Prudentia loco mercium exportantur. Et ad eum mercatum convenient non institores, aut nautæ, aut sentina illa popularis: sed selecti quique, atque eruditionis cupidissimi, ac totius Græciæ flos, quorum merces doctrinæ erunt, atque disciplinæ. Num igitur meritò Musæ eas ob causas cum Imperatore nostro in expeditionem proficisci videntur? Num eidem insignes quasdam largiri victorias, in quibus nihil sibi Mars vindicare possit? Age verò, etiam eum cujus id consilio factum est indicabo. Neque enim prætermitti silentio ab eruditorum orationibus debet, qui tantæ, tamque multiplici eruditioni propemodum pereunti succurrerit: sed novi instituti nomine commendandus est, quod non eo contentus fuerit, quo cæteri restauratores: nec satis sibi esse illud existimavit, quod aut annonæ laxitatem, aut balnearum ardorem præberet: sed eò usque providentiæ illius consilium progressum est, ut & Sapientiæ publicas nobis opes, ac Thesauros constitueret, *Oratione* 13.

§ Poetarum.

Ausonius Epigram. 43.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum, & Grammaticum te, Philomuse, putas?
Hoc genere, & chordas, & plectra, & barbita conde:
Mercator hodie, cras citharœdus eris.

Biothanati, i. seipsum occidentis.

§ Sententiæ Patrum.

D. Chrysostomus: Etenim & ipsum videre, & ipsum audire, & ipsum loqui, & ipsum ingredi, & quæ sunt ejusmodi, corporis actiones sunt. Ac si eas mortificemus, tantum aberit ut vivamus, ut & homicidii rei pœnas daturi simus. Quasnam igitur actiones mortificare nos vult? nempe eas, quæ ad malitiam moventur, eas quæ ad vitiositatem pergunt: quas ne aliter quidem mortificare licet, quàm per spiritum. Illas enim aliàs interficere, se ipsum est perimere. Quod fas minimè fuerit. *Homilia 14. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Si adhuc prædicas hanc vitam esse malam, ne crimineris eos qui sibi ipsis consciscunt necem. Ut enim qui se subducit malis, non criminationem meretur, sed coronam; ita qui violenta morte, seu laqueo, seu aliis vitam abrumpit, hunc haudquaquam æquum fuerit in crimen vocare, juxta vestram sententiam. Nunc verò Deus illos acriùs punit quàm homicidas, & nos omnes eos detestamur. Nam si alios occidere fas non est, multò magis nefas est seipsum occidere. *cap. 1. ad Galatas.*

Egesippus: loquitur Josephus dux: Et quis velit esse tantæ mortis superstes? Quis eligat fieri hæres doloris? Quis animam suam nolit ex ipso corpore mortis, si liceat, absolvi? sed non licet solvere, nisi ei qui ligaverit. Naturæ vinculo conjuncta est anima corpori. Quis autor naturæ nisi omnipotens Deus? Quis hoc animæ & corporis nostri Deo placitum contubernium interrumpere ac dissociare audeat? Si quis imposita manibus suis præcepto herili vincula, sine arbitrio domini sui detrahat, nonne is gravi pulsasse injuria suum dominum condemnabitur. Dei possessio sumus, Deo servitium debemus, quasi servi expectemus imperia, quasi vincti reservemus vincula, quasi fideles bonum depositum custodiamus. Non recusemus vitæ istius munus quod dedit nobis, non refugiamus donum cœleste. Si hominis data rejicias, contumeliosus es: quantò magis debemus, quod à Deo nostro accepimus? Ab ipso itaque accepimus, quod sumus, ipsius quoque debet esse, ut quamdiu velit, simus. Utrumque enim ingrati est, & citiùs discedere quàm velit, & diutiùs vivere quàm voluit ipse, qui vitam donavit. Nunquid ante festinavit exire Abraham. Nunquid ante ascendit Abarim Moses quàm diceretur ei, ascende in montem Abarim? Sed dictum est ascende, & ascendit, & mortuus est, quasi bonus servulus. Expectavit Domini præceptum. Ipse Job qui dixit: Pereat dies illa in qua natus sum: tamen vulneribus & doloribus positus, vitæ hujus vincula non disrumpebat, sed ut liberaretur rogabat, dicens: Ut quid datum est in amaritudine lumen, vita autem in doloribus animæ? Laudabaritaque mortem, cùm diceret: Mors vero requies: tamen non præripiebat, sed postulabat, ut scriptum est: Concutior omnibus membris? & quia sum impius, quare non sum mortuus? Cur de ventre matris non in sepulchrum decidi? Aut nunquid breve tempus vitæ meæ? Dimitte me requiescere paululum. Alius quoque sanctus dicit: Educ de custodia animam meam. Petit evadere: petit ex hoc corpore quasi de quodam liberari carcere: nullus tamen sanctorum necem sibi ipsi usurpat, nullus præripit. Si lucrum est mori: furtum est usurpare ante expectatum: Si bonum est vivere, sacrilegium est repudiare antequam reposcatur. Sed glorioſum putatis in bello mori: Nec ego abnuo bonum esse pro patria, bonum pro civibus in bello mori. Sed belli lege affero jugulum, si hostis petat: si mucronem demergant Romani, quibus de nobis Deus victoriam dedit, quibus propter peccata nostra nos adjudicavit. Nec mihi blandior, quod parcendum spondeant. Utinam fallant. Vel hoc lucrum feram, quod me sic timuerunt ut fallerent, vel hanc ultionem referam, quia franguntfidem. Malo illorum latrocinio perire quàm meo. Latrocinium meum est, si mihi ipse intulero manum: si hostes, beneficium. Ergo illud cùm beneficium dare possent interimendo, servandum putaverunt, quod in potestate habebant: ut captum occiderent latrocinati sunt. Sed pollicemini mihi manus vestræ ministerium, revera percussor nobis defuit, at nostro scelere pereamus. Nolo meo, nolo vestro scelere perire, quod plus est quàm meo nolo mutuo. Hoc est enim unumquemque nostrum sibi manus inferre, vicariæ necis mercedem solvere: ut jam non solùm pro suo quisque, sed etiam pro alterius sanguine scelus debeat. Verum Regis Saul exemplum promitur, ejus certè, qui adversus voluntatem divinam Rex postulatus est, & offensam meruit Dei, Unde etiam cùm viveret, successorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia, & tamen voluit mori, quia jam non poterat vivere. Voluit tamen ipse ut eum socius occideret: sed ille scelus putavit, recusavit ministerium. Non igitur usus consilio, sed destitutus ministerio fecit, ut ipse gladium in se converteret. Si timens fecit, ne sibi illuderetur, quid laudas quod timoris est? Si non timuit, cur primo aliud elegit? Ego nec illudentes Romanos timeo, nec mentientes. Saul tantùm se solus peremit, non Jonathas, non quisquam alius in nostris scripturis. Quid mirum, si potuit se perimere, qui potuit etiam filium occidere? Aaron inter vivos ac mortuos stetit, & hoc virtutis est, non temeritatis. Non enim mortem sibi intulit, sed mortem non timuit. Qui eam corpore suo repulit, & serpenti in omni obstaculo. Non ego quidem Aaron, sed tamen non degener ab eo, effero manus, feriant ut volunt. Si possum eorum manus timere, dignus sum, qui manibus peream meis. Si parcunt illi adversario, cur ego non parcam mihi? Si quæritis cur parcere velint; & in hoste virtutem mirantur. Tanta est enim virtutis gratia, ut frequenter etiam hostem delectet. Nostis enim ipsi, quanta intulerim exitia Romanis, quo modo victores omnium gentium, Jotapatæ ignobilis urbis diuturna obsidione, ab Hierosolymitanæ urbis excidio averterim. Brevi damno totius belli aleam lusi. Dicerunt cæteri meo periculo pacem optare. Fortassis ad hoc reservamur, ut non deterreantur cæteri, sed provocentur. Sed suave asseritis mori pro libertate. Quis negat & illud? tamen dulce vivere pro libertate. Nam qui amicitiam offert, libertatem promittit. Quod si servitutem inferat, tunc erit certè opportunior moriendi voluntas, si oportuerit mori. Nunc autem vitam offerunt, nolunt occidere. Timidus autem est & qui non vult mori, quando oportet, & qui vult, quando non oportet. Quis enim ignorat fœminei timiditatis esse, & muliebris fortitudinis, ne moriare mori velle? Denique pavidæ mulieres, ubi aliquod imminere sibi periculum cognoverint, solent se præcipitio dare. Angusti enim animi molem formidinis & metum mortis sustinere nequeunt. Vir autem patiens, qui præsentia non timet, & futura cogitat, nescit trepidare, ubi non est timor. Denique scriptum est, quia animæ effœminatorum esurient, quæ cibum utique virtutis non habentes esuriunt: ideóque ad mortem ante tempus festinant. Neque enim repletus cibo gratiæ spiritalis, sibi ipsi manus irrogat: cùm scriptum sit: Quia os imprudentis morteminvocat. Et iterum dicit Scriptura: & qui non curat seipsum in operibus suis, frater est sua opera dissipantis, & ejus, qui seipsum exterminat. Condemnatur ergo qui seipsum percusserit. Quid enim tam contra legem naturæ? Quid etiam tam contra naturam omnium? Quibuslibet feris licet atque agrestibus, insitum est se amare. Naturæ enim lex valida est velle vivere, nec sibi mortem ascisscere. Denique ferro in se armari, omnia genera animantium, nec si velint, possunt. Informem lethi laqueum homines invenerint; feræ nesciunt. Sed morsus ferarum arma sunt, dentes eorum gladii. Quando tamen quisquam audivit, quod sibi aliqua fera proprio morsu membrum ademerit? adversum alios faucium suarum armis utuntur, adversum se oculis. Nobis quoque quid tam dulce quàm vita? Quid tam inimicum quàm mors? Denique qui vitam protexerit, patronus est: qui mortem oppetere tentaverit, insidiator est. Quid ergo in aliis execramur, si nos appetamus, ipsi nobis volumus inferre, quod ab aliis pro pœna exigimus, hoc ipsi nobis irrogamus pro gratia: & gubernatorem, si commissam sibi navem saxo illidat, persequimur: nos commissum nobis nostri corporis gubernaculum ferro extinguimus, & voluntario naufragio addicimus? Sed objicitis mihi mortem maturam, cùm in potestatem hostium fuero deductus. Quid ergo lucrifaciam, si quod ab hoste meruo, hoc ipse mihi inferam? cùm possit accidere, ut quod suadetis mihi facere, non faciat inimicus. Hujusmodi istud est, ac si videns gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratia declinandæ navem fluctibus immergat.

An quia

An quia graviora supplicia exacturus est adversariis, ideo prævenendum putatis? vel quia strenuum arbitramini ut in nos ipsi ferro utamur? Sed id imbecillitatis suffugium est, non virtutis trophæum, captare lucrum suppliciorum. In hoc igitur inhæremus, quod nec insignia habeat fortitudinis, nec profectum utilitatis. Quid autem attexam violari depositi religionem? Deus omnipotens thesaurum nobis optimum dedit, atque inclusum in hoc vase fictili, & consignatum commisit nobis custodiendum, quo ad ipsi placeat reposcere. Nonne in utroque crimen est, vel rejicere depositum non reposcenti, qui dederit: vel reposcenti negare? Si hominis depositum violare pœna infamiæ est, quantò magis violare depositum Dei? Depositum Dei anima est in hoc corpore, anima quæ mortis istius capax non fit. Non enim ullo mortis vinculo astringitur atque alligatur, sed videtur mortem operari, cùm solvitur corpore, atque de commisso sibi contubernio sejungitur. Cur igitur ante repetitum depositum mortem irrogamus, & animam quasi inutilem nobis remittimus, atque è domo nostra excludimus, & corpus sine decore & gratia in terram resolvimus? cur exeundi hinc præceptum non expectamus? Miles tesseram expectat, servus imperium. Si quis horum sine præcepto exierit: alter desertor, alter fugitivus est. Qui hominem fugit, pœnæ est obnoxius, quamvis improbum fugerit dominum: nos optimum omnium fugientes, possumus non astringi impietatis flagitio? Num etiam illud præterit nostram opinionem, quod apposuit Deus angelum in circuitu timentium eum? Est ergo qui prohibeat, nisi præceptum acceperit? Si nullum præceptum, nullum viaticum? Et quomodo perveniemus sine viatico? Quis nos recipiet in illum purum & secretum locum? Quis nos admittet ad illa sanctarum animarum consortia? Adam latebat, quia præceptum Dei prævaricatus est: exclusus est de paradyso, quia non servavit mandatum. Dicitur ei qui fugerit, quasi ei, cujus apud Deum non est præsentia. Nónne & mihi dicetur, ubi es? qui præter præceptum venisti, quem ego naturalibus vinculis non relaxavi? Tollite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium & dolor. Hæc non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus: Namque alii insepultos projici jubent eos, qui in se ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terræ sepulchro. Alii dexteram manum abscindunt defunctis, ut separetur à membris sui corporis, quæ adversus corpus suum vesano militavit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt, aut proditores, vel percussores parentum, qui verùm patrem non agnoverunt, nec sese cognoscunt. Ideò aut penitùs sepeliri prohibentur, aut non toti sepeliuntur. Animas quoque eorum non paradysus recipit, sed inferorum tenebræ, sævâque supplicia. Hæc mihi reputanti, quanquam omnia erepta sint, sola tamen terrori ac formidini sunt: nec mihi ipsi inferam, quæ nec hostis poterit inferre: & illa paradysi eripiam, quæ Romanus adhuc non potuit eripere. Certè accelerare potuit, non poterit auferre, quæ sola impatienter desidero. Non enim vitæ hujus ulla me cupiditas tenet, in qua nec apud cives, nec apud hostes cepi, quod delectaret. Isti mihi pacem negarunt, illi patriam eripuerunt. Inter tot mala, quid potest suavitatis in hac vita superasse? Tu modò omnipotens Pater, qui naturæ autor atque arbiter es, honestum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum: redde animam meam secretis suis. Extinctus sit populus, ereptum jus, libertas infracta: non prævaricabor tamen legem tuam, ut moriar injussus. Expecto, ut jubeas, expecto, ut volentem liberes. Multos habes tui imperii executores, à te expecto imperium, ab executore ministerium. Bonum est mori: sed moriar ut Hebræus, non ut latro, non ut carnifex, non ut hostis. Victus sim licet bello, manebo tamen, quod natus sum, ut Abrahæ patris hæreditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, ut ipse meus percussor sim. Offerre me hosti percutiendum sine pietatis possum dispendio: manus meas mihi, ut in hostem, convertere sine scelere non possum. An verò metus est, ne non liceat nobis secundum legem vivere? Revera nunc magna libertas est, quibus non licet secundùm legem mori. *Libro tertio cap. 17. excidij Hierosolym.*

Egesippus: Utinam quidem olim defuncti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset, priusquam sanctam urbem dirutam hostium manibus intueremur, templúmque hoc à majoribus nostris sacratum Deo, tam impiè flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus jacere interfectos. Emendemus ergo, quod his supervivimus malis, ut videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumvallavit hostis omne munimentum, nil superest nisi aut nos, aut conjuges nostræ. Jam sibi filios nostros in auctione constituunt, certántque inter se, quis cujus abducat uxorem: utrum pro dignitatum meritis personárumve ordinibus distribuendæ sint, an sortitus subire cogendæ miserabiles. Nobis quoque parantur prodigia, pœnarum tormenta exquisitissima, non solùm ardentes flammæ aut diversæ neces victricis ictu securis: duro quidem post vincula, post carcerem, post jugum supplicio, sed tolerabiliore viris, si ludibrio vacet, sed etiam avulsi artus viventibus, & præcipuæ truncatæ manus. Nec immeritò, quia defuerunt suo muneri, cum possent sibi subvenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diversis jam celebratur arenis urbium: vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu miserabile, ut reservemur aut bestiis, aut fratribus præliaturi. Quid ergo moramur? jam non est liberum nobis, quod metuimus, evadere. Si liberos interficere nolumus per misericordiam, aut nosmetipsos per virtutem, necesse erit, ut per germanos, aut propinquos nostros interficiamur per flagitium: hoc suadet affectus, illud victores exigunt. Si nolumus exequi ministerium pietatis, cogemur subire pompæ parricidalis ludibrium. Adoriamur ergo, quod prosit liberis conjugibúsque nostris: Si infirmiores sumus, auferamus eos cruciatibus futuris: si fortiores vincamus compassiones parentum, affectus necessitudinum: & in hoc vincamus hostem, cui prædam tollimus: Hoc virtus exigit, hoc suadet pudor. Non timere mortem virtus est. Etenim ad mortem omnes nascimur, & ad mortem generamus liberos, quorum mors naturæ assignatur, captivitas probro datur. Ergo quos non potuimus periculo eripere, eripiamus ludibrio, miseremini igitur patres liberorũ, mariti conjugum, omnes parvulorum, misereamur, quod est præcipuum nostri, dum est miserandi potestas: ut de nostro misereamur, ne ad dedecus videamur & nati, & reservati. Quis enim possit perpeti patres ante ora filiorum, filios in conspectu parentum interfici? Trahi canitie fessos senes, vel ad necem, vel quod pejus est, ad servitutem, mulieres sparsis crinibus duci sub conspectu conjugum, & violenter ad opprobrium trahi? Audire vocem parvuli vagientis vocantis patrem, ut auxilio sit petenti, cùm jam fruſtrà audias revinctos manus, & captivæ cervicis jugo subditus? Ergo dum adhuc liberæ manus sunt, dum ferrum stringimus, aggrediamur opus, quod victor hostis miretur. Mulieres nostræ supremum conjugalis munus dilectionis, quasi dotale recipiant patrimonium. Has illis claves refundimus novi sanguinis testimonio, ut sint nostræ hæredes libertatis. Hoc ipsæ hortantur, certè merentur, quæ volunt: cogendæ, quæ refugiunt: nec parvuli ferrum pavebunt, quod per ætatem nesciunt, quod suscipere à parentibus piis debent, ut verè fiant & liberi. Nobis quoque quid erit præstantius? Si exuramus prius castellum, frumenta tamen reservemus, ne putent nos fame potius coactos, quàm studio virtutis invitatos, mutuæ necis arripuisse ministerium. Donemus illas scas refertas sanguine, & si eas flammæ exusserint, nidor ipse frugum incensarum indicio erit periisse obsidentibus, quod obsessis abundaverit. Post hæc unusquisque sue offerat se vulneri, & moriturus patriam tegat, supremóque amplexu obeat. Fiat nobis patria libertatis sepulchrum, quæ fuit dignitatis domicilium: hic tumulus funera nostra decet, ut septo virtutis tegamur. Tali accensi oratione, cæteri gladios strictos tenebant, oscula dabant conjugibus, amplexu suscipiebant liberos, illachrymantes & simul festinantes, ut hostis præveniretur. Hæc vobis (inquiunt) amoris pignora damus supremæ præmia necessitatis, & compresso viriliter affectu omnes se mollitie exuerunt & passionem recluserunt, cædem implebant: impavidæ mulieres se offerebant vulneri pro conservatione pudicitiæ, mentemque suorum induerant virorum. Cæsis itaque necessitudinibus, pignoribus quoque, delegere strenuos qui supplementa cædis exequerentur. Ita fusi omnes, nongenti sexaginta cum parvulis ac mulieribus. *cap. 53. lib. 5. de excidio Hierosolymitano.*

Io. Sarisberiensis: Catò in eo erravit, quòd auctoritate propria vitæ munus abjecit: quod non modò fidelium institutis; sed constitutionibus gentium, & sapientissimorum edictis constat esse prohibitum. Veteris quidem philosophiæ principes Pythagoras & Plotinus prohibitionis hujus non tam autores sunt, quàm præcones, omnino illicitum esse dicentes, quempiam militiæ servientem, à præsidio & commissa sibi statione discedere, citra ducis vel principis jussionem. Planè eleganti exemplo usi sunt, eò quòd militia est vita hominis super terram. Quid si contra jubeant oracula vatum, vel responsa Pythonis? Procul dubio minimè audiendi sunt, quia cum periculo innocentiæ, nemo cuiquam debet fidem. *libr. 2. Policratici cap. 27.*

Io. Sarisberiensis: Glorientur gentes in fortitudine sua, auctores earum dicant, unusquisque quod sentit, dum Heroum suorum titulos prædicant, dum magnorum virorum fortitudinem præconantur. Bibat illis autoribus Cato venenum, Vultejus dextras & mentes sociorum armet ad voluntariam mortem. Per mammillas ad cor venenum aspidum insanabile Cleopatra trajiciat. Lucretia alienam impudicitiam sanguinis sui effusione condemnet. Ego evenire posse non arbitror, ut cujuscunque difficultatis articulo, liceat propria autoritate homini, sibi mortem inferre, nec etiam ubi castitas periclitatur. Licet hunc casum videatur excipere doctor ille doctorum, cui in sacrario literarum vix aliquem audeo comparare. Hæc mors omnino desperatorum est, & eorum, qui licet corpore vivant, jam mentis morte præmortui, animo vivere desierunt. Utique non vivorum, sed jam mortuorum mors est. *lib. 2. cap. 27. de nugis Curialium.*

Io. Sarisberiensis: Diogenes Cynicus, cùm ob febrim in itinere nactam ad Olympicum ludum porrò pergere inquireret, per noctem elisò gutture, non tam mori se ait, quàm febrem morte excludere. Deceptus opinione virorum fortium, & exemplo in extremæ difficultatis articulo, ne aliunde inferretur, mortem ultroneam credidit appetendam. Præjudicata siquidem opinio sapientioribus persuaserat in commune, ut mortem provocare mallent, quàm turpe aliquid sustinere. Fecit hoc Cato, fecerunt & alii, qui ferrum aut cicutam, aliúdve toxicum præoccupantes, omnem & solam, ut putabant, turpitudinis effugiebant notam. Veritatis enim ignorantia eis patrocinari videtur. Sed cassa est & supina, quæ certa postponit incertis, & quidquid habetur optimum, ex causa inani abjicit & expellit: neque in eo fortitudinis nomen assequitur, quod se præ

cæteris fraudulenta opinio consequi gloriatur. Utique fraudulenter & vanè; quia ut ait ille:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam:
Fortius ille facit, qui miser esse potest.

Nemo eorum qui mortem provocant excusabilis est. Excusabiliores sunt qui imminentem abhorrent. Quis enim cognovit consilium Domini, & an possit mortem impendentem quacunque ratione effugere? Sandrococlus à rege Alexandro interfici jussus, salutem celeritate pedum quæsivit, & deinde ad regium ascendit fastigium. Andronicus quoque damnatus ad bestias, cùm leoni objectus esset, illæsus evasit. De lacu leonum exivit Daniel: & pueri de camino ignis evasere sine noxa: & apud omnes gentes ex gratiâ, præter opinionem ab imminentibus malis liberati sunt plurimi. Unde nullus eorum qui manus injecerunt sibi, satis excusatus est mihi; licet magnis præconiis Ecclesiastica historia aliquos efferat, provocantes mortem, quia temporariam vitam apud se, quàm pudicitiam periclitari malebant. At eos sic excusant & infirmitas carnis, & ignorantia juris, & incendium charitatis, & forte mandatum familiare Dei; ut sic in simplicitate sua salventur, ac nequaquam ad consequentiam transeat quod simpliciter præsumpserunt. Quis enim locus est fortitudini, si sic tædeat animam vitæ suæ, ut quasi patientia victa, & præcisa semita meritorum, quod præcipitur, aut nequeat, aut negligat sustinere? Apud Sapientes sic vita contemnitur, quod turpitudinis pretium etiam ætas altera sordet; sic diligitur, ut dum innocenter teneri potest, nullius difficultatis imminente articulo propellatur. Sic ergo servanda est vita, ut sit contemptui; sic contemnenda est, ut proficiat saluti. Sed quis est, qui hodie contemnat animam, cùm nullus, aut rarus sit, qui toto mentis hiatu pecuniam non concupiscat. *cap.* 17. *Policratici libr.* 5.

¶ Philosophorum. Oratorúmque Græcorum.

Arrianus: Si qui adolescentes dicant, Epictete, nos corpusculi hujus vincula tolerare diutiùs non possumus, ut simus cibum potúmque dando, & quietem præbendo, eóque repurgando occupati, & propter ipsum, aliis atque aliis nos accommodemus. Nónne hæc indifferentia sunt, & nihil ad nos attinent? Nónne mors mala non est? Nónne cogitatione Deos attingimus, atque inde venimus? Sine nos illuc redire, unde venimus. Sine tandem liberari nos compedibus his, quibus constricti & onerati sumus. Hîc latrones & fures & judicia sunt, & quos tyrannos vocant, qui sibi potestatis aliquid in nos assumunt propter corpusculum hoc, ejúsque possessiones. Sine ostendamus eis, nihil habere eos potestatis. Mihi verò dicendum erat: Homines, Deum expectate, cùm ille significarit, & vobis muneris istius vacationem dederit, tunc ad eum revertimus. Nunc verò æquo animo tuemini stationem istam, vobis ab eo attributam. Exiguum profectò tempus est habitationis hujus, & sic affectis minimè grave. Nam quis jam tyrannus, qui fures, quæ judicia terrorem incutient iis qui corpus ejúsque possessiones ita nihili faciunt? Manere: ne inconsideratè discedite. Hoc modo præceptori tractandi erant adolescentes ingenioси. Nunc verò quid fit? mortuus est præceptor: mortui estis & vos. Cùm hodie pasti fueritis, sedetis plorantes, quidnam crás sitis esuri? Mancipium si habueris, habebis: si non habueris, excedes è vita. Aperta est janua. Quid luges? Ubi jam locus est lachrymis? quæ jam est assentationis occasio? Quidnam alter alteri invidebit? Quamobrem locupletes admirabitur aut in potestate constitutos? præsertim si & robusti sint & iracundi. Quid enim nobis facient? quæ facere poterunt. Ea quæ curæ nobis sunt eis non permittemus. in ea enim nihil possunt. Quis igitur jam imperabit homini sic affecto? *lib.* 1. *cap.* 9.

Arrianus: Respondebo, ridiculos esse vos, qui quidem censeatis, si me vester Imperator aliqua in statione collocasset, eam mihi servandam & tuendam esse, & mille potiùs mortes oppetendas quàm eam deserendam. Cùm autem Deus quendam mihi locum vitæque degendæ rationem attribuerit: eam esse mihi relinquendam? hoc demum est hominem esse Deorum cognatum? Ac nos non secus ac si ventres, aut intestina, aut pudenda essemus, sic de nobis ipsis cogitamus: quippe qui & metuamus, & cupiamus; & iis quorum opera hæc consequi possimus, adulemur, eosdémque formidemus. *sub finem cap.* 9. *lib.* 1. *Com. in Epictetum.*

Libanius: Et in quo, inquit ille, adeo infelixes, ut ob id etiam mori velis? quas facultates amisisti? quæ pars corporis tibi est mutilata? qua tanta tamque gravi calamitate afflictus, vitam ipsam toleras? ô curas hominum inanes & superfluas! Ne mori quidem integrum est, nisi quàmplurimis rationibus productis hac in civitate! Gravis & acerba mihi vita est: ex hac migrare cupio. Quid est quod de me sollicitus sis, mihíque invideas? *Mox*: Quocirca mihi non vivere satius esset, quàm in perpetuo mœrore contabescere: & migrare ex hac vita utilius foret, quàm ad gemendum & suspirandum superstes esse. Alia sanè aliis, Judices, gravia censentur: huic pecuniarum jactura; illi filiorum: alii fuga à patria; alteri corporis morbus: mihi prolixa oratio. Quid ergo mirum est, si cùm hoc quo maximè angor ferre non possim, mori cupiam? *Declamatione* 6.

Libanius: Decrevi certè si minus obtinuero venenum, tristitiâ uti, vice toxici: hoc duntaxat discrimen est, quod virus quidem citam & hodiernam mortem exhibet, ejúsque gratiam celerrimè largitur. Tristitiam verò corpus exantlare oportet paulatim extenuantem, atque infelicitatem producentem. Ut igitur quisq; vestrûm, si mori necesse fuerit, mallet velocissimè animam agere, quàm perdiù cruciatibus excarnificatus, tandem aliquando perite. Sic ipse quoq; interitum per cicutam comparatum, illi ante pono qui ex mœrore contingeret. *Argumento Declamationis octavæ.*

Libanius: Corpus tibi mutilatum est, ut te ipso uti planè non valeas? huc te conferens morere: mors hac ratione nititur. Morbus liberorum multitudinem abstulit, & in orbitatem incidisti? rursus mori cupienti, adversari supervacaneum est. At si quis dives est, cùm nihil ex tuis surripuerit, quomodo prudentis esset ob id mortem expetere. *Declamatione* 8.

Idem: Lex utilissima exstat, qua nunc adjutrice huc ad vos veni. Quisquis es, inquit, cui vita gravis est morere. Malis immergeris? hauri cicutam. Ærumnis opprimeris? abi & obi. Recipiet miser calamitates suas: impertiatur ei magistratus medicamentum; & morte solvatur mœror. *ibidem.*

Libanius: Verùm percunctatur rursus, quem filium perdiderim: quis ex intimis amicis mihi perierit: qua parte corporis mutilatus sim: quæ me calamitas è vita expellat; quis mortis sit prærext⁹. *Dec.* 9.

Idem: Ostende, ait ille, mutilatum corpus, aut te morbo quodam qui potentior sit medicina, correptum; aut liberos interemptos, aut omnes facultates amissas. Hæccine verò putas me sola, optime, suadere ut mortem adamem, aliaque omnia esse hominibus intolerabilia? ignorásne quod ex his ipsis, hoc quidem ille tolerat; aliud autē alius? rursus quod alteri grave est, hoc alteri leve existit. Verbi gratia: Hic liberis amissis ad cicutam accedit; cùm nihil tale fecerit ob corporis ærumnas: alter liberis orbatus vivere constituerat, sed corpore à morbis vexato, cicutam sibi tempestivam esse judicavit. Alia aliis magna sunt æstimata. Quare si in ejusmodi mulctentur, vivere non sustinent. Id quisque molestissimum censet, cùm malè succedit in iis, in quibus maximum studium adhibuit. Athleta coronæ repulsam passus, mori optaret: Imperator, si captivi ipsum effugerint: orator si & optima dixerit, & finem non sit adsecutus. *Declamat.* 10.

Libanius: Concedite mihi ut morte solvar iis qui me angunt doloribus. Olim sanè ridebam, cùm audirem quempiam mori velle, & præripere id festinare, quod omninò repositum manet: ob eámque rem ad senatum accedere, & gratiam postulare, ut hoc juxta leges fieret: atque hanc rem insaniam censebam, si cùm vivere integrum sit, emori quis mallet, & quod facinorosis ad pœnam definitum est, hoc accipere in lucro deputaret. Sic igitur olim ea de re opinatur: nunc autem cum agnovi (quod utinam nunquam novissem) quòd hæc mortis conditio omni studio prosequenda est: eíque occurrere necesse, eámque sumere fortunatum est: & fortunam mihi adversam non fero: nam si vivere non licet quomodo libet, sola mortis sors mihi relinquitur. Sexcentæ porrò sunt infortuniorum viæ, quibus quis præoptet perire. *Declamatione* 11.

Libanius: Jam qui spiam qui amasij sui despectum ferre non poterat, dedignatus est vivere: jam aliquis agricola, incensa segete; itemque dux quidam exercitus victoria fortunæ iniquitate non reportata; alius liberis amissis; alius fortunis; alium morbus quoque insanabilis eò impulit. *Declamatione* 12.

Idem: Iis qui incurabili morbo laborant ad legem perfugium est; & iis qui liberorum aut facultatum jacturam fecerunt; aut aliquid hujusmodi sunt perpessi. *Declamatione* 13.

Idem: Est etiam vita morte acerbior, & mors vitâ jucundior, tùm cùm infamiæ solutionem interitus adfert. Quot semetipsos interfecerunt tyrannide vexati, ne amplius legibus sublatis viverent? Quot seipsos præcipites egerunt hostibus iugruentibus, ne capti addicerentur servituti? *Declamatione* 27.

Libanius: Videtisne Judices infortuniis mactati ad tædia vitæ aguntur? hi certè quàm terribilis res sit mors, non ignorant: sunt enim ex eorum numero qui sæpè pro salute preces fuderunt: nihilominus mori cupiunt; atque eum qui ipsis adversatur, inimicum: ensem verò tradentem & trajicientem, beneficum arbitrantur. Nam qui precantium quidlibet cupiditatibus favet, amicus est. Equidem nunc præ dolore certè ad absurdas res apperendas feror: verùm iis qui hîc auxiliantur sempiternam habebo gratiam. At si quæ posthac ob munus reprehensio contingat, meum istud sit qui accipere volui, non eorum qui dederunt: qui munus efflagitantis libidini potiùs inservierunt, quàm damnum spectaverunt. *Declamatione* 41.

Heliodorus: Divinitùs igitur immissum malum non ferens, non expello me quidem è vita, iis qui de rebus divinis differentes, id facere nefas esse docent, obtemperans; verùm abii in exilium. *libro Æthiop. secundo.*

¶ Romanorum.

Quintilianus senior: At cur eadem nocte se suspendit? Utrum hoc re incredibile videtur, an persona, an tempore? Miratur alquis Olynthium potuisse hoc Athenis. Illud. n. est tempus doloris. Sæpè ad retinendam vitā prosunt ipsa pericula. Redit metus posteaquā desinit instare hostis: tunc cogitatio fortunæ, tunc vacat dicere; est qui me sepeliat. Ipsa hercle officia admonere illū potuere fortunæ prioris. Patuit quidē domus, sed nō sua: excepere servuli, sed alieni. Forsitan & ille cogitaverit, semper alieno munere vivendū est. *Declam.* 192.

Idem: Credibile non est quempiam perire mortis metu: quid enim timuit ulterius? *Declamat.* 276. *a. f.*

Idem: Adversus mala & injurias fortunæ, & gravem plerisq; vitā, unū natura remediū invenerat, mortē. Nec quisquā potest tā crudelis legūlator fuisse, qui hominē innocentē vitâ puniret: cùm & hoc ipsum sit calamitatis gen⁹, mori velle. Necessaria tamē vestra cognitio est, ut nō qa istud liberū esse innocētib⁹ nō oporter, sed quia multi sunt

si sunt qui sic cõscientiã emittũt : & ideo adjectũ est damnũ sepulturæ, ne se putẽt pœnas effugisse. Jdeo ego hãc vitã olim invisam tã diu tuli, donec filio meus sanaretur, ne viderer aliqua cõsciẽtia mori velle. Morivolo, nihil me cõmisisse manifestum est. Et jam satis rationẽ videor reddidisse : mori volo senex. habet suos vita terminos. Dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt, quotam quamque partem habeo viventis. *Declamatione 335. pr.*

Quintilianus Senior : Nullam tam in humanam quisquam crediderit esse legem, ut hominem innocentem & invitum detineat in luce. Sed ita scripta lex est, ut pœnam mortis constituat, Insepultus abjiciatur is, qui non approbaverit causas. Irascitur ergo lex ei, qui non approbatis Senatui causis perierit : quæ profectò non hæc existimavit, quemquam mori velle sine causa. Sed cùm duplex genus causarum sit, alterum ex injuria fortunæ, alterum ex mala conscientia, hoc ipsum voluit approbari Senatui, causas non esse deformes. Graves enim esse manifestum est, cùm homo mori velit. ita Senatui non de hoc cognoscendum est, hæ graves causæ mortis, an non graves enim imputat ille qui mori vult. hoc satis est. Sed de eo cognoscitur, turpes sint causæ, an ex injuria (ut dixi) fortunæ profici scantur. Aliquis metu judicij mori vult? dignus est qui insepultus abiiciatur. Aliquis conscientia turpis alicujus flagitij admissi, priusquam prodatur mori vult? dignus est qui insepultus abiiciatur. Adversus hunc scripta lex est : hac cavetur de hoc. *Declamatione 337.*

Quintilianus Senior : Quid minus rationis habet, quàm ut is mori velit, qui habet propter quod vivat? Stricto tamen gladio in secreto deprehendi. Jam mihi narras moras. ipsum illud secretum quærere, & putare interesse ubi pereat, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista nisi subitò : nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente causa) spiritum ratione deposuit. Et stricto tamen gladio, & in secreto, quid facientem vidisti ? optantem jam jugulo mucronem? jam incumbentem ? jam penè admotam usque ad sanguinem manum ? nihil horum. Flentem, inquit, mirabar. Minus fuisse periculum crederem, si fleret antequam stringere gladium cœpisset. *Declamatione 344.*

Quintilianus Senior : Mori volui. quæris quare? quia natus sum ad miserias hominum, jncendia, naufragia, bella, felices qui suo arbitrio moriuntur. Scipio inquit, Bene habet. puto quia ultra pugnaturus non erat. Cato num & ille peccavit? idem feci quod Cato. Ad quietem hoc iter est, & dulcis quædam ad securitatem via. *Declamatione 377. p. m.*

Quintilianus : Bonæ conscientiæ lenta mors est ; nec præcipiti, per suprema trepidatione festinant, quos hoc solum, quod sui miserentur, occidit, &c. *Declamatione 17.*

Quintilianus : Tu sic filium tuum clusisti, tanquam nocentes ad inferos revocari soleant animæ, quæ inter languentium familiam & tristes penatium morbos vagæ errantesque magica vanitate captantur. Laqueóne vitam damnatus eliserat? noxium per sua viscera exegerat ferrum? an ex conscientia venena præsumserat? nec recipiebat se nisi carmine inclusus ? Quando domum tuam funereus & squallidus, quando te terruit? crudelissime omnium pater, de filio malam umbram fecisti. *Declamatione 10. §. 17.*

Quintilianus : Nihil æquè impetu constat, quàm mori velle : nec quicquam res humanæ impatientius habent pereuntis affectu. Hunc si retinere velles, sufficit ut moreris : & rationem quoque homini mortis eripiet, si quis abstulerit ardorem. Frangit animum quisquis intervenit, abducit, avocat quisquis alloquitur. Ambiuntur cuncta moriendi spatia pro vita. Jdeo nos me hercle crediderim ejusmodi exitum eligere secretum. Minimum est quod confundat hominem infirmitate morientem, & exiguis caussis opus est ut displiceat obitus quem misero suasit integritas. Quid si interveniat aliquis qui gaudeat? qui vindicare se putet ? si testes adhibeat oculos, quibus invidendum sit? Statim mehercle arrogans vita simulabitur, statim contumax dolor cum deprehensa morte dissentiet. *Declamatione 17. §. 20 pr.*

Idem : Adjice nunc quod & dixisti, bibe. Si mehercle saucium palpitantemque jussisses adigere ferrum, premerem clusis vulneribus animam : si stringere aptatos ad colla nexus, conaret abrupto desilire laqueo : si non injiceres manum ad præcipitia properanti, flecterem in plana cursum. Meritò prorsus anima secretum solitudinemque captaveras. Jntervenit pater, actum est, peritille susceptæ mortis ardor, & utròque nos resolvit affectu. Mori non debeo si vetuerit, non potero si jusserit. *Ibidem §. 21.*

Quintilianus : Jnnocenti facilius est mori, si rogetur ut vivat. *Declamatione 17. §. 22. f.*

Plinius Junior : Est luctuosissimum genus mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. nam utcunque in illis qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est. in iis verò quos accersita mors aufert, hoc insanabilis dolor est, quod creduntur potuisse diu vivere. *lib. 1. Epist. 12.*

Plinius Junior : Titus Aristo nuper me paucosque mecum quos maximè diligit, advocavit, rogavitque ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut si esset insuperabilis, sponte exiret è vita ; si tantum difficilis & longa, resisteret maneretque. dandum enim precibus uxoris, dãdum filiæ lachrimis. dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modò non essent inanes, voluntariâ morte desereret. Jd ego arduum in primis & præcipua laude dignum puto. nam impetu quodam & instinctu procurrere ad mortem, commune sum multis : deliberare verò & causas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitæ mortis ve consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi. Et medici quidem secunda nobis pollicentur superest ut promissis Deus annuat. *lib. 1. Epist. 22. sub finem.*

Latinus Pacatus : Quid faciam inter arma & odia medicus? à tergo premor hostibus, à fronte criminibus. si morerer, evaseram. sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius : labitur ferrũ, tremit dextra, mens fatiscit. O quam difficile est miseris etiam perire ? Ergo ut clausæ cassibus feræ, quæ sito diu exitu desperataq; consistunt, & præ timore non fugiunt ; ita ille ipso quo cogitabatur metu alligatus, in oppidũ se Aquileiense præcipitat, nõ ut vitã resistẽdo defẽderet, sed ne pœnã frustrãdo differret. *c. 38. Pan. Theodos. Aug. dicti.*

Latinus Pacatus : Magno quidẽ, fateor, pectoribus humanis, atq; adeò maximo lux amori, interitus horrori est ; sed quatenus aut ista optari potest, aut illa vitari. At si ultima supra caput steterit hora, & venerit dies nunquã reversurus, ac se cõfessa mors fuerit ; non timentur extrema cũ certa sunt. hinc reorũ usq; ad damnationẽ metus ; postea attonitus stupor, & ex desperatione securitas, & ad locũ supplicij voluntaria, carnifice nõ trahẽte properatio. ut de his taceã, qui cũ Fatis fortius paciscentes incertũ exitũ certo occupaverunt ; ut nihil de servis loquar, qui verbera vitavere stipendio, & motus heriles usque ad præcipitia fugerunt, quis unquã ultra ipẽ timuit ? quis idcirco semet occidere noluit, ut occideretur? nisi verò vel levior manus aliena quã propria, vel fœdior mors privata quã publica, vel longior pœna ferro incũbere, & corpore vulnus onerare, & recipere inveritũ statim totũ, quàm supplicĩũ dividere, poplitẽ flectere, cervicẽ extendere, plagam expectare fortasse non unam. Et tamen quando ille secũ ferro transigendũ putabat ; nõ potius ignem, laminas, crucem, culleũ, & quidquid merebatur timebat? nunquam profecto tam bene de sceleribus suis sensit, ut mortẽ potuerit sperare qua periit. Si igitur nec præsumere veniam reus, nec sperare fugam clausus, nec mortem potuit timere moriturus, & certò extremorum levior videri debuit voluntarius quam coactus, honestior privatus quam publicus, postremò brevior occupatus quam expectatus interitus ; num cui dubiũ est, in eo quod non habuit rationem, inesse fortunam ? illa tyranni consilia cæcavit, illa & animum ejus obtudit & gladium. illa expeditam in vulnus manum perculsit & tenuit, &c. *cap. 42. Panegyr. Theodosio Aug. dicti.*

¶ Poetarum.

Plautus Rudente 1. sc. 4. pr.

Quid mihi melius est, quid magis in rem est, quam corpore
Vitam secludam
Ita male vivo ; atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.
Nunc dein vitæ haud parco. perdidi spem qua me oblectabã.

Plautus Rudente 3. sc. 3. v. 23.

Nisi quid re præsidium apparas, Trachalio, acta hæc res est :
Certum est mori, quam hunc pati grassari leonem in me.
Sed muliebri animo sum tamen, misera ubi venit in mentem.
Mihi mortis : metus membra occupat edepol.

Martialis lib. 2. Epigr. 80.

Hostem cùm fugeret se Fannius ipse peremit.
Hic rogo non furor est, ne moriare mori ?

¶ Monosticha Trochaica.

Maximum scelus necare se Deumque lædere.
Nemo fortis sese occidit unquam, at ignavissimus.
Non est fortis interimere seipsum ; est ignavissimi.
Carnificis manu perire tam grave haud est quam suâ.
Fert dolorem, mortem expectat, non facit, vir strenuus.
Heu quot alto amore mortis terminum quærunt mali!
Interest virtutem magni an vitam parvi quis putet.
Plurima via, si vita pœnitet, ad mortem patent.
Plus sceleri est obstrictus qui se, quam qui occidit alterum.
Quid rei sponte adventuræ ad te ipsa adferre vim attinet?
Sæpè est officium sapientis à vitâ desciscere.
Sæpè tadio laboris, vita ignavis tadium est.
Tadio vitæ properare ad Orci iter, stultissimum est.
Tam mali exempli prohibere mortem heri, quam infligere.
Turpiter confugit ad mortem, ipsam mortem qui fugit.
Vbi non es qui fueras, non est velis cur vivere.

¶ Jambica.

Ad mortem adigas hominem, terrore carceris.
Appetere mortem, forti ignaviæ ultimum est.
Crudelis est, qui misero dissuadet mori.
Cuique jus vitæ ac necis penes sua est.
Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
In luce nulla lex invitum detinet.
In se ipse sævit ; hoc habet proprium ; furor.
Mori volenti, nunquam deesse mors potest.
Mortem sibi ipsi inferre, res nefaria est.
Multi oppetunt mortem ipsam ne mortem oppetant.
Nulli potest negari mors mortalium.
Persæpè currit ad necem infelicitas.
Prohibere ratio nulla perturum potest.
Quanam sibi ipsi unquam necem fera intulit ?
Sal tem arborem dignam eligas suspendio.

Sua manu accersita mors gravissima.
Timidus sibi optat mortem, conscit fortior.
Vbiq; mors est: mille ad hanc patent viæ.
Vbi quis mori constituit, & debet mori.
Vixit quoad voluit solus, qui maluit mori.

Blanditiarum.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Theophrastus: Blanditia si quis eam definire velit, est congressio parum honestas voluptatis illecebras habens. Blandus verò is est, qui procul aliquem salutare, & virum appellare præstantissimum, fortunamque ejus admirari soleat, & utráque manu prehendens, non dimittat: sed aliquantisper comitatus, quærens quando sit illum visurus, vix tandem domum revertatur simul ejus laudes prædicans. Idem captus arbiter, non ei tantum cui adest, sed adversæ etiam parti, ut communis utriusque amicus habeatur, gratificari studebit. Peregrinis in urbe divertentibus, justiorem esse dicet ipsorum quam civium orationem. Ad cœnam vocatus, convivii dominum ut liberos suos arcessat rogabit: atque illis ingredientibus negabit ficum ficui tam esse similem, quam illi sint parentibus: deinde eos ad se vocabit osculatusque, sibi assidere jubebit: & cum aliis jocans, En utrem, inquiet, En securim: alios in sinum recumbere dormientes, quam visonere gravetur, sinet. Comam sæpius solet tondere: dentes nitidos habere: vestes quæ usui adhuc esse possint, mutare: unguento uti. In foro autem quando versatur, in ea maxime parte illius conspicitur ubi sunt argentariorum mensæ: gymnasia illa frequentat, in quibus se impuberes exercent: in theatro & spectaculis iuxta ipsos prætores sedet. Idem in foro sibi quidem nihil, sed amicis qui Byzantii sunt mittenda munera emitat: nec non Laconicas canes quas Cyzicum: & mel Hymettium quod Rhodum mittat: atque hæc se facere suis civibus narrat. Præterea solet idem, simiam domi alere, satyrum habere, & columbas Siculas, & è cornu dorcadis talos, & Thyriacas ampullas ex iis quæ formâ sunt rotunda: item Lacedæmone advectum baculum, nec non aulæum ubi sint Persæ intexti. Habet etiam idem areolam pulvere palæstrico respersam, & sphæristerium: atque has ædium suarum partes solet ille obvio cuique vel è philosophorum grege, vel sophistarum, vel eorum qui se armis, aut musico cantu exercent, commodare, ut ibi artis suæ periculum faciant: quod quidem dum illi faciunt, ipse de aliquo è spectatoribus alij dicit, Eccum tibi cujus est hæc palæstra. *Charact. Ethicis.*

Dio Cassius: Jmp. Didius res agere cœpit homine libero indignas, blandiri Senatui, & potentissimis quibusque, multa eis promittere & largiri, arridere obviis, frequentare theatra, multa convivia agere: postremò nihil prætermittere quod ad nos demerendos deleniendosque spectaret. sed nemo nostrum ei fidebat, eratque suspecta omnibus immoderata ejus assentatio. nam quod extra modum fit, licet aliqua cum gratificatione conjunctum putetur, tamen prudentibus fraude carere non videtur. *libro 73.*

Philostratus: Cùmque rex suppliciter se petere diceret ut cum se ad regiam proficisceretur, Apollonium q; invaderet illiberalius. Rex, inquit Ap. ubi humilius quàm se deceat de iis quæ postulat loquitur, insidias clanculum machinatur. *lib. 3. cap. 10.*

¶ ROMANORUM.

Cicero: Sed præter comitatem opus est magnopere blanditiâ, quæ etiamsi vitiosa est ac turpis in cetera vita; tamen in petitione candidato est necessaria. tunc enim cùm deteriorem aliquem assentando facit, improba est: cùm amicioremnon tam vituperanda. petitori verò necessaria est, cujus & frons, & vultus, & sermo, ad eorum quoscunque convenerit, sensum & voluntatem commutandus est. *cap. 11. de petitione consulatus.*

Symmachus: Longum de his loqui cautio veritas est, ne blanditiæ longiores corrumpant veri dignitatem. *lib. 1. Epist. 22. f.*

Symmachus: Sed ne prolixo testimonio suspicionem blanditoris incurram, quæso dijudices examine pensiore. *lib. 1. Epist. 37. f.*

¶ POETARUM.

Plautus Aulularia 2. sc. 2. v. 19.

Nemini credo, qui largè blandus est dives pauperi:
Vbi manum injecit benignè, ibi onerat aliquam ramiam.

Plautus Bacchid. 1. sc. 1. v. 16.

Viscus merus vestra est blanditia.

Plautus Bacchid. 4. sc. 9. v. 38.

—— *Vlyssem predicant*
Cognitum ab Helena esse, proditumque Hecuba. sed ut olim ille se
Blandicijs exemit, & persuasit, se ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi senem.

Plautus Casinæ 3. sc. 3. v. 21.

Vitium tibi istuc maximum est: blanda es parum.
CL. Non matronarum est officium, sed meretricium.
Viris alienis, cui vir, subblandirier.

P. Syrus Mimographus.

Habet suum venenum blanda oratio.

¶ APOLOGORUM.

Phædrus fab. 19. Canis parturiens.

Habent insidias hominis blanditiæ mali,
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
Canis parturiens, cum rogasset alteram,
Vt fœtum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit, dein reposcenti locum,
Preces admovit; tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile cœpit: Illa, si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

Babrias. Ὄφις καὶ Αἰλουρος. Fab. 45.

Καινὴν ὄφιν εἶδεν Αἰλουρος νόσῳ.
Πρὸς ἣν ἔφησε, πῶς ἔχεις τὰ τῆς νόσου;
Τρέμουσα δ' εἶπεν, εἰ παρέλθῃς μακρόθεν.
Ζωὴν ὑπάλλω δρακόντων ὑπερτέρων.

Epimythion.

Φυλάσσεσθ πολεμίων ὑποκρίσιν.

Gallina & Felis.

Laborantem Gallinam vidit Felis morbo
Ad quam dixit, quomodo habes a morbo?
Tremens dixit, si præterieris longius
Vitam assequar cervorum vita longiorem.

Adfabulatio.

Cavendum ab inimicorum simulatione.

De duabus Caniculis. *Anonymus.*

De partu querulam, verborum nectare plenam
Pro cane mota canis, suscipit ade canem.
Hæc abit, illa manet, hæc cursitat, illa quiescit,
Huic tamen a partu solvitur ipsa quies.
Illa redit, reddique sibi sua jura precatur.
Observat hæc autem, nec minus aure domum.
Plus prece posse minas putat. hæc plus bella duobus
Noscit posse minas, plus prece bella minus.
Cum dolor hanc armet, plus matrem filius armat,
Cedit sola gregi: justaque causa perit.
Non satis est tutum mellitis credere verbis:
Ex hoc melle solet pestis amara sequi.

¶ EMBLEMATUM.

Camerarius LXIII. Centur. 4.

Mortem dabit ipsa voluptas.

Dulcisono mulcent Sirenes æthera cantu:
Tu fuge, ne pereas, callida monstra maris.

Camerarius LXXXV. Centur. 4.

Mentem ne læderet auris.

Carminis insidias serpens magici exit apertis
Auribus: illecebras sic fuge, tutus eris.

Catsius Emblemate nuptiali XXV.

Habet venenum blanda oratio.

Si te fortè nepos aliquis, non dignus amari
Ambiat, a casta sit procul ille domo.
Nec veniat, quam vis mens est tibi ludere tantum:
Sæpè vel in lusu capta puella perit.
Ingenij dum quidquid habet depromit amator,
Miscet & alterno mollia verba sono,
Amplexuq; dato luctantia basia carpit,
Basia virgineis insidiosa choris,
Corda subit sensim non intellecta Dione,
Perq; sinum tacitis passibus errat Amor.
Dum canit inque vicem sua carmina fistula reddit,
Non expectatis casibus hæret avis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Blandiare scorpio ut vis, te tamen morsu impetet.
Blandicijs velare falsis odia plusquam regium est.
Blandior sermo venenum est aut adeo viscus merus.
Blandos usq; atq; usq; amicos, certos hosteis ducito.
Bruta qua vis blandiendo perdomes non verbere.
Cùm malus blanditur, telo tum utitur nocentissimo.
Dulce de labris loquentes corde vivunt noxio.
Esse blandam nō matronarum officium, at meretricium est.
Haud ferri queat nimis cui blandiris femina.
Humilibus odium velare blanditijs minime probi est.
Illecebris consequare quod virtute non potes.
Illecebris obtinebis, quod virtute non queas.
Iugiter qui blandiuntur cassa sunt fere fide.
Malim habere inimicum iratum quàm loquentē blandius.
Mellea mucrone vocis quemlibet Siren necat.
Nemini credo, qui largè est blandus dives pauperi.
Non temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.

Ossibus

Ossibus scatent nefandis insula Sire donum.
Pocla amara tincta melle quisq; sumit promptius.
Pejor Orco est qui ore niella promit, corde fel premit.
Sermo blandior penetrat animam, mordet durior.

¶ Jambica.

Corrumpitur blanditijs veri dignitas.
Cum blandus est malus nocere vult duplo.
Etiam blanditiæ cum reijciuntur placent.
Habent insidias hominis blanditiæ mali.
Maximè ad mulierum ingenium est blanda vox viri efficax.
Novos amicos verba blanda condecent.
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Qui melle ferrum stringit oblitum, & necat.
Quo blandior quis hoc mordet vehementius.
Semper sua virijs blandimenta serviunt.
Sermone blando & mentem adulteres bonam.
Venena dantur, melle sed circumlita.

Blasphemiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

D. *Chrysostomus*: Non quomodo non esset absurdum, quòd cùm cœli gloriam Dei enarrent, tu cujus gratia cœli facti sunt, talia facis unde blasphemetur propter te qui fecit te Deus? atque ideo non solum is qui Deum blasphemiat, sed & tu ipse supplicio redderis obnoxius. neque enim cœli Deum per vocem aliquam emissam laudant, sed per eos quos aspectu suo ad laudandum Deum promovent; & tamen ipsi narrare gloriam Dei dicuntur, sic & qui vitam exhibent suspiciendam, etiamsi taceant, Deum tamen glorificant, dum propter eos alii ipsum glorificant. non enim tantum admirandus, & suspiciendus est per cœlum, quantum per vitam puram. *Homilia 18. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Si nos filium habentes (quanquam quid filio nobiscum conjunctius?) si filium inquam habentes, atq; illius caussa blasphemiis appetiti, ipsum repudiamus, aversamur, nec nostrum dici volumus; quanto magis Deus servos quos ingratos viderit, & à quibus se blasphemiis & contumeliis affici cognoverit, aversabitur atque odio prosequetur? *Homilia 6. ad Philippenses.*

Salvianus: Nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi caussam gentibus dare. quicunque enim sine blasphemia aliorum graviter erraverit, sibi tantum affert damnationem: qui alios blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem, & necesse erit ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum. nec solum hoc, sed quicunque peccator ita peccat, ut alios tamen peccato suo blasphemare non faciat, peccatum suum ipsi obest tantummodò quod peccaverit: sacrosanctum autem Dei nomen sacrilega blasphemantium maledictione non lædit. qui verò blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum, hujus supra criminis humani esse mensuram; quia per convicia plurimorum inæstimabilem Deo facit injuriam. Hoc autem malum peculiariter tantum Christianorum est, qui bona dicunt & mala faciunt, qui Deum verbis confitentur, & factis negant. Magis autem damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat; & reatus impii est, pium nomen. *lib. 4. de gubernatione Dei.*

¶ Emblematum.

Seba. Homo cœlum versus spuens.

Cernis ut hic cœlum, fœdo qui conspuit ore,
Non cœlum, imò suos conspuit ipse sinus?
Et tu cœlorum Domini contemptor, in illum
Non quot verba jacis, tot tibi probra vomis?
Camerarius LXXIV. Centur. 3.
Impura quid audes? Coturnix Lunæ obstrepera.
Impietas cœlum probris superosq; lacessens,
Nulla dabit superis, maxima damna sibi.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus Christus: Irreligiosa se modò offert convitiorum jaculatrix Blasphemia: quam diis Gentium invisam docent historiæ: quid ni etiam vero Deo ingrata & abominabilis? Scripturarum seriem percurramus, ubi non ea repressa & punita? Quin Dominus Jesus sæpiùs, ac præsertim calumniantibus Pharisæis, Hic non eijcit dæmones, sed in Beelzebub principe dæmoniorum: postquam eos falsitatis convicisset, subjecit. *Ideò*, scilicet ut intelligatis quantũ peccetis, *dico vobis: omne peccatum*, videlicet aliud, *& blasphemia remittetur hominibus*, id est, facilè potest remitti per pœnitentiam: *Spiritus autẽ blasphemia non*, id est, difficulter, *remittetur*. Blasphemiam Spiritus vocans eam, quæ contra manifestam Dei operationem committitur. Hinc addit: Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, &c. id est, qui manifesta Spiritus sancti opera dæmoni attribuit, &c. *Matth. c. 12. Marc. 3. Luc. 12.*

Latro Bonus: Suspenso utrimque cum Christo Latrone, cùm populus spectans Christo illuderet; unus de his qui pendebant latronibus, ejus etiam dignitati per blasphemiam derogabat, dicens: *Si tu es Christus, sa lvum fac teipsum, & nos.* quem alter increpans, respondit: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* insinuans Blasphemiam, initio sapientiæ quod est timor Domini, adversari. *Luc. cap. 23.*

Clericus Anonymus: Repressum per illos; at ab his impiè non impunè tamen usurpatum Blasphemiæ portentum. Clericus quidam multa per vim prætendebat, cúmque instante prælio, Missæ sacrificio interesset, ac fortè illud Evangelium occurrisset, in quo de humilitate differens Dominus concludit: Omnis qui se exaltat humiliabitur, &c. ad circumstantes, ut erat ambitiosus; *Falsa*, ait, *est hæc sententia. Nam si ego me adversarijs meis humiliter inclinassem; non tot hodie possessionum ac clientum copias haberem.* Vah impurum tympanotribam, quem secundæ res nimium supra se extulerant. *Petrus Damian. Epist. 14. ad Desid. Abbat. cap. 6.*

Sacerdos Anonymus: Æquè, at alio in genere impius ille. Aurelium obsidentibus Gothis, Anianus ejusdem Episcopus una cum clero Sanctorum Litanias per urbis muros decantabat: videns id Sacerdos è captivis unus (quem ne captivitatis jugum ab oris procacit ate coercebat) cùm in acie urbi vicina versaretur, vocem intendes; *Cassa spe*, clamat, *ducens Aniane si verbis abigis adversarios posse credis: eadem precationes validis urbibus nihil profuerunt.* Audiunt Sancti, & illicò blasphemum vita spoliant. *Greg. Turonens. lib. 2 hist. cap. 7. Sidonius lib. 8. Epist. penult.*

Iulianus Imp. Apostata: Venio nunc ad Julianum Apostatam, cujus insignes blasphemias horret animus meminisse. Ex Christiano factus Christi persecutor, ex Rege tyrannus. cùm suscepto adversus Persas bello, in ipso prælio divinitus (ut putatur) jethale vulnus inter costas lance â acciperet, sanguine è vulnere in manum recepto, eóque in cœlum ejaculato, in hæc verba impiè erupit: *Expleveram tuam Galilæe* (ita enim Christum per contemptum appellabat) *fateor, vicisti.* & ita infelicem animam non diu pòst exhalavit. *Sozomenus, Ruffinus, Eutropius, Fulgos.*

Fredericus II. Imp. Quanta & illius intemperies in vita & lingua fuerit, non inquiret curiosiùs, qui considerabit vulgare illud, quod frequens ei in ore. dicebat enim: *Tres fuere insignes impostores, qui humanum genus seduxerunt, Moyses, Christus, Mahumetes.* non veritus sentire, quod (ut auctor est Arnob. lib. 1. contra Gent.) olim nonnemo improbus: Christum magum fuisse, & ex Ægyptiorum adytis, potentium Angelorum nomina habuisse. *Refert I. Lipsius Mon. Polit. lib. 1. cap 4.*

Alphonsus X. Hispaniæ Rex: Mitior quidem hujus, sed parum melior vox aut sensus. Solitus Providentiam identidem culpare, parum sapienter ac providè, *Si principio mundi*, ajebat, *Deo adfuissem, multa meliùs ordinatiúsque condita fuissent.* Misselle, quò linguâ & mente abis? at notabile, & hunc regno & priorem imperio privatos, in publico odio & infamia obiisse. *Ibidem.*

Anonymi: Relatu non indignum, quod Bononiæ adscribunt probati Scriptores. Cùm in convivio gallus mira arte assatus dissecaretur, unus convivarum, *D. Petro*, inquiebat, *hunc gallum redintegrare impossibile foret.* alius autem, *Quin necspe Christus id posset*, subjungebat. Ad has voces, res mira! gallus prosilit, & collisis alis jusculum quo erat perfusus in discumbentium ora diffudit. Blasphemi verò leprâ hereditariâ puniti. *Vincent. lib. 25. cap. 64. Spec. exempl. recens editum.*

Boni, Bonorum, Bonitatis.

¶ SENTEMTIÆ PATRUM GRÆCORVM.

Clemens Alexandrinus: Porro solum esse bonum id quod est honestum, novit barbara philosophia, & virtutem sufficere ad felicitatem, cum dixit: Ecce dedi ante oculos tuos bonum & malum, vitam & mortem, elige vitam. Nàm quod bonum est vitam appellat, & honestum ejus electionem: malum autem electionem contrarii. Boni autem & vitæ unus est finis, esse pium ac religiosum. Hæc est enim vita tua & dierum longitudo, id diligere quod pertinet ad veritatem. Illa autem manifestiora sunt. Servator enim cũ Deum diligere jussisset & proximum, dicit ab his duobus mandatis totam legem pendere & prophetas. Hæc dogmata vulgo jactant Stoici, & ante eos in Phædro precans Socrates: O Pan & dij alij, date mihi ut intus sim pulcher & honestus. In Theæteto autem aperte dicit: Qui enim pulchrè dicit & honestè, is pulcher est, bonusque & honestus. Et in Protagora fatetur Protagoræ familiaribus, se cum convenisse qui esset pulchrior Alcibiade: si quidem est pulcherrimum id quod est sapientissimum. Dicebat enim virtutem esse animæ pulchritudinem, contra autem, vitium animæ turpitudinem. Atque Antipater quidem Stoicus tribus quos scripsit libris, quod ex sententia Platonis, solum honestum est bo-

est bonum, probat etiam, quod ex ejus sententia sit sufficiens virtus ad beatitudinem: & complura alia adducit dogmata, quæ conveniunt cum Stoicis. *libro Stromatum quinto.*

D. Greg. Nyssenus: Ecquod autem erit judicium viri boni? Illud nimirum mea quidem sententia, ut quod non ad unam tantum aliquam rem utilem, neque quod alio tempore commodum, alio incommodum, neque quod ita cuipiam prosit, ut alii obsit, sed quod & per se ac propria natura sua, & omnibus, & semper bonum sit, id sine ulla dubitatione verum bonum esse judicemus. Quod enim nec omnibus, nec semper, nec per se sine ulla externa alterius adjunctione bonum est, propriè boni naturam non habet. Quamobrem multi minus considerate res explorantes, in elementis mundi bonum falso esse sunt suspicati. Si quis enim diligenter consideret, nullum eorum nec per se, nec semper, nec omnibus bonum inveniet. Nam quod in unoquoque eorum utile est, contrarium aliquid admistum habet. Vt aqua salutaris quidem est animantibus in ipsa degentibus, pernicios a autem mediterraneis, si demergantur. Aer contra in ipso natus a viventibus prodest, aquatilibus autem in eo expositis exitum affert. Sic etiam ignis aliquem nobis usum præbet, sed longè plura invehit detrimenta. Quid? quòd ne ipse quidem Sol utentibus, ubique aut semper, aut in omnibus prodest: quippe qui & nimio nonnunquam ardore vehementer noceat, &, quæ sibi objecta sunt, immoderatius exsiccet, & morborum persæpè causa sit, & lippientibus, atque oculis imbecillioribus officiat, & ex humidorum corruptione damna molestiamque viventibus importet. Proinde, quemadmodum diximus, id solum ex omnibus bonum oportet existimare, quod semper & omnibus æquè exhibet naturam boni, nec pro ratione eorum, quæ extrinsecus obiiciuntur, immutatur. Nam quæ ex prava quadam opinione videntur hominibus bona, ut quæ ad corpus, ad res externas, ad robur, ad pulchritudinem, ad splendorem, ad opes, ad potentiam & gloriam pertinent, & alia ejusdem generis, cùm per se perspicua sint, silentio prætereunda censeo, ne tot rebus ex se claris enumerandis frustra laborem insumam. Quis enim ignorat, quam celeriter formæ dignitas defloreseat? quàm brevi corporis robur extinguatur? quàm facilè principatus dominum mutent? quam caducus & fragilis sit gloriæ splendor? quàm stultum ac vanum hominum in cumulanda pecunia studium, qui ob inanem quandam raramque speciem, in tam abjectis rebus bonum esse positum arbitrentur? His ita constitutis, considerandum videtur, an præsens hæc vita, quam in carne degimus, talis sit, ut ei nota boni conveniat, an contrà. Quod enim de ipsa disputando reperietur, considerantium animos erudiet, quomodo in eorum discessu, qui ex illa migrant, affici oporteat. Est igitur nostri corporis vita, repletio atque exinanitio, quæ quidem dupliciter fiunt, tum per cibum & potum, tum per aeris attractionem & emissionem. Sic enim natura comparatum est, ut sine his in carne vivere nequeamus. Nam tunc hominem vita deserit, quando horum contrariorum successio naturam non movet. Talis enim actio cessat universa, cumque singulæ cadaveris partes in cognata sibi elementa recedant ac dissolvantur, natura deinceps conquiescit, suas cuique elemento cognatas ac similes partes restituens, terræ, quod terrenum est; quòd aereum, aeri; aquæ, quod ex aqua constat; & igni, quod illius est proprium. Etenim cùm illa corporis moles, quæ per vim ex diversis generibus coacta concretaque erat, nonamplius consistat, sed omnes illius partes ad suas quæque sedes reversæ sint, natura, quæ ex illa constabat, violentamque diversorum generum conjunctionem continebat, finem habet. Si quis autem post illa, quæ dicta sunt, huic generi vitæ somnum & vigiliam adjunxerit, à veritate non aberrabit. Nam his quoque natura laborat, assiduèque in contraria distrahitur, dum vel somno solvitur, vel vigilia rursum confirmatur. Hac enim vicissitudine ad exinaniendum, replendumque disponitur. Quamobrem si vitæ nostræ proprium illud est, ut à repletione, exinanitio pendeat, nõ alienum erit, ut boni notam & judicium cum his quæ istius vitæ propria sunt, conferamus, dispiciamusq; utrum ipsa sint verum bonum, an aliud quippiam, ab illis diversum. Quòd autem ipsa per se repletio boni naturæ non quadret, omnibus vel ex actione illi contraria perspicuum fit, exinanitionẽ dico, quàm æquè bonam arbitrantur. Nam boni ratio ac definitio talis est, ut duobus inter se contrariis nequeat convenire, sed si uni quadret ut bono, ab altero tanquam malo prorsus abhorreat. Hic autem in utroq; natura suam utilitatem habet. Quare boni definitionem nec repletio suscipit, nec exinanitio. Quocirca aliud quiddam, quàm ipsum bonum, est ipsa repletio; cum nec ubique, nec semper, nec in omnibus omne genus ipsius à cunctis expetendum judicetur. Non solum enim noxiis cibis expleri perniciosum est, sed etiam in bonis & convenientibus mediocritatis usum transilire, plerumque periculum & damnum affert. Quod si cum corpus repletum est, levariq; desiderat, alio adhuc oneretur cibo, tum vero contracto malorum cumulo in morbos incidit desperatos & insanabiles. Itaque nec semper, nec planè bonum est repletio, sed ad aliquid, & aliquando usui est, & in quantitate, qualitateque consistit ejus utilitas. Eodem pacto & contrariam huic exinationem reperies periculosam iis qui à moderato ejus usu recesserint, non inutilem tamen, si prudenter adhibeatur, & eatenus fiat, quatenus ratio quantitatis, & qualitatis, & temporis postulabit. Constat igitur ex iis, quæ dicta sunt, cum boni nota non congruere vitam istam, quam vivimus: ex quo sequitur, discessum ab ea, non esse sejunctionem ab ullo bono. Nam id, quod vere, & propriè, & primo bonum dicimus, nec repletio est, nec inanitio, quas aliquando, & ad aliquid, & in quibusdam tantum utiles demonstravimus, quibus verè boni nota non convenit. Quamobrem cùm verè bonum, ita contrarium sit, ut nullum inter ea medium detur; consentaneum est eos, qui à non vero discedunt bono, ad verum illud bonum accedere, quod semper, & omnibus, & omnino sit bonum, nec pro tempore, aut aliqua ex parte, aut in quibusdam, aut propter aliquid, sed semper, in eisdem, & eodem modo sese habeat. Ad hoc igitur anima humana à vita corporea proficiscitur, & à præsenti diversum vitæ statum assequitur: quem nos, qui cum carne conjuncti sumus, planè intueri non possumus, ex comparatione tamen istius vitæ, conjectura quædam illius fieri potest. Neque enim erit concreta aliqua corporis crassitudo, nec ulla contrariorum concurrens æqualitas elementorum, quorum æqualis ac mutua pugna constitutionem nostram, valetudinemque conservat. Nam si eorum aliquod vel redundet vel deficiat, natura perturbatur, ac morbis afficitur. Illa autem vita nec inedia laborat, nec cruditate, nec frigore, caloreve aut alias a eris injurias sentit, & illic agitur, ubi ab omnibus istis laboribus necessariis liberi erimus. Neque enim aut agro colendo, aut navigando defatigabimur: non mercaturâ, non ullo quæstu coinquinabimur: sed ab ædificandi, texendi, omnique sordidarum artium miseria vacui, tranquillam, ut Paulus ait, ac quietam agemus vitam: non terrâ, non mari pugnabimus: non equitatu, non peditatu manus conseremus: in apparatibus bellicis non occupabimur, non exigemus tributa: non fossâ, non muro nos muniemus: sed ab omnibus ejusmodi laboribus & molestiis remotissimi, nec habebimus ullum ipsi negotium, nec exhibebimus alteri. Illic enim nec servitus, nec dominatus, nec paupertas, nec divitiæ, nec generis splendor, aut obscuritas, nec privatorum humilitas, nec dignitas magistratuum, nec ulla talis fortunæ conditionis, & ordinis differentia locum habet. Etenim omnium ejusmodi rerum necessitatem excludit illa vita, quæ materiæ expers nulla re eget, in qua naturam animi non ex sicco, humidoque constare, sed ex divinæ naturæ cognitione, & hujusce spiritus aerii loco, vere illo sanctoque spiritu frui non ambigimus. Quæ quidem bona non immutantur ad similitudinem eorum, quæ sunt in hac vita, dum ea vel assequimur, vel amittimus, dum inicimus, vel eicimus: sed nunquam explent, nunquam satiant. Animi namque deliciæ non sunt graves, nec fruentium desiderio ullam unquam afferunt satietatem. Ideoque beata est illa vita, atque immortalis, quippe quæ sensuum libidine non fallitur in bonis dijudicandis. Quid igitur est in ipsa re mali, quamobrem amicorum & familiarium obitu doleamus? nisi qui dolendum existimat, quòd ad vitam perturbationum ac miseriarum expertem proficiscuntur, in qua plagarum dolores nõ metuunt, non ignis minas, non ferri vulnera, non terræ motus, aut naufragii, aut servitutis calamitates, non immanium ferarum impetus, non venenatos ac pestiferos serpentium aculeos morsusque reformidant. In qua nemo inflatur superbiâ, nemo humilitate deprimitur, nemo affertur audaciâ, nemo timore concutitur, nemo nec iracundiâ æstuans & insaniens excandescit, nec superantis impetum sustinere non valens metu contremiscit. In qua nulla sollicitudo est, quales sint Regum mores, à quonam ferantur leges, quibusve magistratus committantur, quæ decreta fiant, quæ quotannis imponantur tributa, aut ne immoderata imbrium multitudo fata deprimat, grandove laborum susceptorum spem auferat, aut siccitate, quæ nata sunt, exarescant. Aliorum item malorum quæ hîc sunt, apud eos nullus est timor. Neque enim aut orbitatis tristitiâ, aut viduitatis molestia perturbantur. Illic ex tam multis morborum generibus, quibus corpora nostra vexantur, nullus adest. Illic nec felicibus invidetur, nec despiciuntur calamitosi. Omnes hæ denique, & id genus aliæ miseriæ absunt ab illa vita quam longissimè. Contra verò juris & legum æquabilitas cum summa libertate & pace in eo animorum populo versatur. cùm illud quisque habeat, quòd cujusque voluntas exoptat. Quòd si quis inopiam consilii, ac stultitiam suam pro bono malum amplexus sit, nullam ejus rei mors culpam sustineat, cùm liberum cuiq; fuerit, quod vellet eligere. Cur igitur mœrent, qui abeunte is lamentationibus prosequuntur: certè nisi ab omni perturbatione liberi essent, qui una cum corpore voluptatem & dolorem exuerunt, æquius illi superstites miserarentur, cùm non aliter affecti sint, quàm ij, qui in carcere conclusi vivunt. Mutua enim res asperas perpetiendi, in tenebrisque vivendi consuetudine devincti, deceptiq; molesta & in jucunda non putant, quæ perferunt. Itaque si qui eiiciantur è carcere eorum vicem fortasse reliqui dolent, ignorantia splendoris illius, ad quam veniunt, qui ab eorum tenebris discedunt. Etenim si quæ sub die spectacula cernuntur, cognovissent, si pulchritudinem ætheris, si cœli sublimitatem, si nitorem syderum, stellarum choréas, solis ambitum, lunæque cursum: si eorum, quæ terra gignit, tam varia pulchráque genera, si jucundum maris aspectum, cum nullis ventorum flatibus turbatur, sed leniter crispatur, & tanquã pulchrè depictum splendet: si pulchra tum privata tum publica ædificia, quibus magnificæ ac splendidæ civitates exornantur: hæc, inquam, & his similia si cognovissent, qui in carcere continentur, non dolerent vicem eorum, qui priores è custodia dimissi sunt, tanquam à bono aliquo discessissent: contra potius, qui egressi essent, miseriam infelicium incluforum vitam commiserarentur. Eodem modo qui istius vitæ carcere liberati sunt, si fieri potest, ut dolendo lachrymandoque suam erga calamitosos misericordiam ostendant, videntur mihi lamentationibus & lachrymis commiserari conditionem illorum, qui in istius vitæ molestiis, ac doloribus detinentur, quòd res illas pulcherrimas, & à materia remotissimas,

quæ supra

quæ supra mundum hunc sunt, non conspiciant, nempe Thronos, Principatus, Dominationes, Angelorum exercitus, pioramque cœtus, ac supremam illam civitatem, celeberrimumque supra cœlum conventum illorum, qui in ea descripti sunt. Nam illa, quæ his omnibus præstat, pulchritudo, quam ab iis, qui mundo sunt corde, perspici asseruit qui non mentitur, major est, quam ulla spe conjecturave concipi valeat. *Oratione qua docet, non esse dolendum ob eorum obitum qui in fide ob dormierunt.*

D. Greg. Nyssenus: Bonorum quorum studio tenentur homines, alia quidem verè sunt talia qualia nominantur; alia autem falsam habent appellationem. quæ enim sunt ejusmodi, ut non se ad tempus fruenda præbeant, neque cùm alicui pulcra videantur, alijs sunt inutilia, sed semper & per omnia, & in omnibus sunt bona quibus fuerint, ea verè sunt bona, semper similiter & eodem modo sese habentia, & non admittentia mali commixtionem; quæ quidem iis qui rem accuratè examinant, in sola divina & æterna considerantur natura. Alia autem omnia quæ sensui sunt pulcra ac bona, pulcra verò videntur per errorem opinionis, neque sunt neque consistunt naturâ; sed cùm sint fluxæ & transeuntis naturæ, per errorem quendam & inanem existimationem, vera esse censentur ineruditis. *Homilia 8. in Ecclesiasticen.*

D. Greg. Nyssenus: Difficile est, ne dicam fieri omnino haud posse, ut homo natus bono aliquo fruatur, cui nihil sit admixtum mali. Propterea mihi quoque cùm dulcia gustarem, simul & eorum aliquid est mixtum, quæ sensum amarore afficiunt? ob quæ post suavem rerum lætarum perceptionem, mœstus ac tristis domum revertebar. *Epistola ad Eustathiam & Ambrosiam.*

D. Greg. Nyssenus: Vbi vitio nullus est locus, nullus est boni finis. *Homilia quinta in canticum Canticorum.*

D. Greg. Nyssenus: Bonum atque honestum eam vim ex sui natura habet, ut quidquid in illud intueatur, id ad se quodāmodo attrahat. *De anima & resurrectione.*

D. Nazianzenus de Herone: Luxum & delicias, atque opes & potentiam magis aspernatur, quàm aliàs ij solent, qui his rebus excellunt. Ac delicias quidem, ut primam ærumnam, & afflictionem, opes autem ut extremam paupertatem, potentiam verò ut summam imbecillitatem despicit, atque amolitur. Neque enim quidquam boni nomen obtinere posse statuebat, quod dominos suos haudquaquam meliores, immo etiam persæpè deteriores efficeret, nec constanter cum his, à quibus possidetur, maneret. *Oratione 23.*

D. Nazianzenus: Bonum quod à natura proficiscitur, laudem non meretur: quod autem à libera voluntate animique instituto fluit, id demum laude dignum existimandum est. Quæ igni gratia est quod urit? urere enim à natura habet. Quæ aquæ quod deorsum fertur? hoc enim à summo rerum opifice omnium habet. Quæ nivi gratia habenda, quod frigida sit? aut soli quod luceat? lucebit enim etiam invitus. *Oratione 31.*

D. Nazianzenus: Bonitati nequaquam satis erat sua ipsius contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, ut plura essent quæ beneficio afficerentur! id enim summæ bonitatis erat. *Oratione trigesima octava, iterumq; quadragesima secunda.*

D. Chrysostomus: Bonum non feciſſe, hoc est feciſſe malum. Nam dic mihi, si quem habeas famulum, qui neque furetur, neque sit contumeliosus, neque contradicat, sed & ab ebrietate abstineat, & ab aliis omnibus; perpetuò autem sedeat otiosus, & nihil faciat ex iis quæ famulus debet adimplere domino: non eum cædes flagris, non torquebis? Atqui nihil mali fecit. Hoc ipsum ergo est malum. Deducamus autem orationem etiam ad reliquam vitam. Sit aliquis agricola, qui nostris facultatibus nihil mali afferat, neque insidietur, neque furetur; solùm autem vinctis manibus domi sedeat, neque seminans neque sulcum proscindens, neque boves jungens, neque vitam colēs, neque aliquod aliud opus faciens in terra colenda: an non eum castigabimus. Atqui nullam fecit injuriam, neque habemus crimen cujus eum arguamus. Sed in hoc ipso fecit injuriam. Nam communi ratione facit injuriam, ut qui suum munus non conferat. Quid verò si unusquisque ex opificibus & artificibus nemini noceat ex iis qui sunt alterius, sed etiam ex iis qui sunt ejusdem artis; solùm autem sit otiosus: an non sic nobis tota vita perit & interit? Vis etiam orationem extendamus in corpore? Manus ergo caput non feriat, neque linguam excindat, neque oculum effodiat, neque aliquid aliud tale malum faciat; solùm maneat otiosa, & suum munus toti corpori non impleat: an non præstat eam excindi, quàm circumferre otiosam, & toti corpori perniciem afferentem? Quid verò si os manum non exedat, neque corpus mordeat; quæ sunt autem ab ipso facienda omnia prætermittat: non est satius ipsum esse obstructum? Si ergo & in famulis, & in opificibus, & in toto corpore magna est injuria; non solùm aliquid mali feciſſe, sed etiam in bonis defeciſſe: multò magis hoc fuerit in corpore Christi. *Homilia 16. ad Ephesios.*

S. Isidorus Peluſiota: Amplissimum, & tibi ipsi, & mihi beneficium dederis, si te ipso melior fias, atque ad ipsum virtutis fastigium ascendas, à fluxis & fragilibus bonis, imò de bonis quidem, ad vera & stabilia bona transiens. *lib. 2. Epist. 68.*

S. Isidorus Peluſiota: Deus bonum per naturam habet, non voluntatis expertem, sed ea præditam, nec violentam & coactam, sed spontaneam. Nos autem per exercitationem & profectum illud assumimus. Nec verò sic ipsum habemus, ut nobis eripi nequeat, quemadmodum divina natura: verùm ita, ut ab eo excidamus, si inertis otij ac desidiæ amor insultsos in nobis choros agat. *lib. 3. Epistola 93.*

S. *Isidorus Peluſiota*: Bonæ sunt opes ei, qui probè his uti, eásque administrare potest. Bona item paupertas, ei qui forti ac strenuo animo eam perferre novit. Bona gloria, ei qui ad laborantium & oppressorum subsidium atque defensionem ea utitur. Bona item ignominia ei, qui philosophari in animum induxit. Bonum imperium ei, qui, ut æquum est, imperat, nec quicquam ex imperio ad inferiores injuria afficiendos assumit. Bonum denique robur ei, qui ad imbecilliorum opem atque auxilium illud impendit. Quamobrem ne res ipsas, quæ & virtutis & vitii instrumenta esse queunt, sed animi nostri institutum, quod ob incredibilem quandam segnitiem etiam armorum pulchritudinem & elegantiam contumelia afficit, incusemus. *lib. 3. Epist. 173.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Qui adversa non sensit, prospera servare nescit. Bona quam sint bona, scire, nisi malorum cognitione non possumus. *Sermone 131. ante finem.*

¶ Philosophorum. Oratorum Græcorum.

Xenophon: Num & de bono, Euthydeme, sic quærendum erit? Quomodo? ait. Num idem tibi videtur omnibus esse utile? Non. Quid? An quod utile est alii, non tibi videtur esse nonnumquam alteri noxium? Omnino, ait. Num quid aliud potes dicere bonum esse, quam quod sit utile? Non possum, inquit. Ergo quod est utile, bonum est illi, cui utile fuerit? Ita videtur. An verò quod pulchrum est, aliter adpellare possimus, quam uti dicimus aut pulchrum corpus, aut vas, aut aliud quiddam, quod scis esse ad omnia pulchrum? Non aliter profecto, inquit. Ergo ad quod utile quidque fuerit, ad id cuique pulchrum est eo uti? Omnino, ait. Num autem quævis res ad aliud quiddam pulchra est, quam cujus usui singula pulchre adplicantur? Ad nihil aliud, ait. Ergo quod est utile, pulchrum est, ad quod utile fuerit? Ita mihi videtur, inquit. An vero fortitudinem, mi Euthydeme, inter pulchra esse censes? Immo eam esse pulcherrimam arbitror. *cap. 31. lib. 4. Memorabilium.*

Xenophon: Qui scilicet tolerantia laborum præstat aliis, ubi res ita postulat: & fortitudine, ubi agendum est fortiter: & judicio, quum consilio quid suscipiendum est: is mihi quidem videtur optimo jure vir omnino bonus esse putandus. *cap. 48. Vitæ Agesilai.*

Maximus Tyrius: Homerus sub persona Nestoris alibi cum Telemacho disserit, ubi hæc de eo,

——*non ego namque*
Te reor inertis natum aut adolescere Divis.

Idem ille bonos viros omnes, dios vocat: quia, ut opinor, bonum illud non arti debebant, sed à Jove erant consecuti. Quin & suspicor eum versus illos, quos alibi de Demodoco scripsit, de sua ipsius arte scripsisse, Demodoco vero applicuisse tantum. Habent illi hoc modo:

Dilexit quem Musa, dedit que malumque bonumque,
Namque dedit dulces erepto lumine cantus.

Ego illi de carmine quidem concedo, de calamitate aliter sentio: quæ indignum Musis donum est: Nec Demodoco credo qui hæc de se dicit:

Sponte mea didici, tribuerunt numina vocem.

Quomodo quæso, vates optime, sponte tua didicisti, qui à Deo hanc canendi artem accepisse te fateris: qui soli præceptores errare non possunt. Respondere posset Demodocus, quod divites, qui ex hæreditate opes suas consecuti sunt, responderent homini quem rei quærendæ intentum viderent: spontaneas se opes possidere, nulla aut arte congestas aut labore.

Quid vero an & Hesiodum putabimus, cum in Bœotia circa Heliconem pasceret, Musisque occurreret, quæ hoc illi exprobrant, accepto ab iis lauri ramo statim cecinisse, statim ex pastore poëtam evasisse: sicut vulgo eos ajunt, quos Corybantiare dicimus, sibi tibiam audiant, è priore mentis statu devolvi, divinoque subito furore corripi? Apage. Nihil aliud, ut arbitror, indicare Hesiodus voluit, quam naturæ beneficio eam se artem consecutum esse, cujus tamen fontem originemque ad Musas referre voluit. Plane, ut si quis ferrariam sine præceptore consecutus, Vulcano artem asscriberet, quam suamet opera didicisset. Quid autem Cretes? Nonne eos æquum est credere, cum pulchris à Minoe instructi essent legibus, virtutemque admirarentur viri, præceptorem ei dedisse Jovem? Qui antrum in Jda sua fuisse volunt eidem sacrum, quod singulis novem annis Minos accederet: ubi opera usus Jovis, civilem hausierit prudentiam. Hoc ajunt Cretenses.

Fuit & Athenis quidam patria Eleusinius, cui Melesagoræ nomen: hic, ut Athenienses referunt, sine arte ulla, divinitus à Nymphis inspiratus, sapiens fuit & vates. Alius Athenas venit Cretensis, nomine Epimenides: qui nullum quoque artis suæ præceptorem afferre poterat. Et tamen tanta illi divinarum rerum erat scientia, ut Athenienſium Rempublicam à peste simul seditionibusque quibus conflictabatur, sacrorum expiatione vindicaverit. Hanc tamen

scientiam

scientiam didicisse se negabat, nec aliunde quam à somno somnioque longissimo hausisse se illa dicebat.

Fuit & in Proconneso philosophus quidam, cui Aristeæ nomen erat: cujus sapientiæ primo omnes derogabant, quod nullum ejus præceptorem proferret. Huic ut occurreret, tale adhibuit remedium: Animam dixit suam relicto corpore recta cœlum petiisse, unde totam Græcorum Barbarorumque terram, omnes circumiisset insulas, fluvios & montes: finem autem hujus circuitionis suæ in Hyperboreis finibus fuisse. Hinc seritus omnes, omnium rerump. observasse mores: terrarum omnium ingenia, mutationes aëris, alluviones maris, fluviorum ostia. Quin & cœlum ipsum multo facilius quam inferiora lustrasse. Et tamen plus fidei hoc ipso Aristeas consecutus est, quam Xenagoras aut Xenophanes ille, aut si quis alius rem ut habebat proposuit. Nec enim satis peregrinationem illam animæ, aut oculos ejus quibus lustrat omnia, intelligebant homines. Sed revera peregrinandum ei existimabant qui de singulis rebus prout se habent, loqui vellet.

Vis igitur relicto Aristea cum Melesagora, & Epimenide, relictis poetarum fabulis & ænigmatis, ad philosophos, qui à Lyceo & Academiæ amœnitate nomen habent, animum convertamus. Siquidem hi nec fabulas, nec rerum verborumque obscuritatem, neque vanitatem amant, sed sermone populari, sensu aperto, res solent proponere. Ac primo quidem principem eorum ita compellabimus. Equidem scientiam, ô Socrates, rebus à te omnibus præferri, sæpe asseverantem te audimus: cum præsertim alios ex juventute aliis delegas præceptoribus, veluti cum suades Calliæ ut Milesiæ Aspasiæ filium suum tradat erudiendum, marem fœminæ. Quin & tu tantus natu discipinam ejus frequentes. Nec magistra ea tibi sufficit, sed à Diotima Amatoriam, à Conno Musicen, ab Eveno poeticen, ab Jschomacho agriculturam, à Theodoro discis Geometriam. Et hæc quidem sive serio à te sive dissimulandæ, ut soles, scientiæ dicantur, prout quis accipere ea velit, sane laudo. Contra ubi tua cum Phædro aut Charmide aut Theæteto aut Alcibiade colloquia audio; non omnia judicare possum te institutioni tribuere: sed antiquiorem esse hominibus magistram, ipsam naturam, arbitratum esse. Et hoc nimirum esse quod alibi in sermonibus tuis satis obiter innuere videris, cum divinitus mandatum tibi ais, ut cum Alcibiade versetis. Et alibi, Phædrum vocas divinum caput: & alibi de Jsocrate quamvis adolescente admodum vaticinaris.

Quid sibi ista volunt, ô noster Socrates? Quod si vis, à te quidem abeo, atque ad ipsum, qui hæc tibi tribuit autorem illum ex Academia amicum transibo tuum. Hunc ut nobis de hac quæstione, an nimirum viri divinitus fiant boni, sententiam suam exponat, vehementer rogabo. Boni, inquam viri, non aliud: nec enim poetæ dico, ne Hesiodum proferas: nec vates, ne Melesagoram dicas: nec expiatores, ne Epimeniden mihi narres. Sed pro artis, qua singuli excellunt nomine, virtutem illis adde: qua homines in opere suo præstantissimi evadunt. Vt recte familiæ præsint, honeste in Repub. versentur. Hæc, inquam, scire velim utrum sine arte cuiquam divinitus contingat. An & te relinquam: meliusque ipsa sibi respondebit ratio, tanquam vir viro, libere & audacter? Hoc nimirum modo.

Quid hęc quæris, hominum miserrime, qui sentire videris, id quod in humanis præcipuum est bonis, ab humana quidem arte facillime provenire, divino vero munere difficillime? Et tamen omnia hæc simul, artem divinandi, mysticam scientiam, poeticen, expiationes, oracula, non tanti esse quanti sit sola virtus, ipse fateberis. Cum nihilominus illa divino afflatu insinuare sese humanis putes animis, quod verò his rarius est, virtutem dico, artis esse humanæ. Præclare, si Diis placet, de Deo judicas, quem in parvi momenti rebus munificum in præstantissimis facis parcissimum. Vt omittam, si omnia illa perficiantur à Deo, necesse esse, ut & ea quæ sunt meliora. Nec enim quemadmodum ferrariæ magister artis, lignarium non efficit, & nec quemadmodum gubernandi agricola, gubernator, medicinæ ignarus est, aliusque aliam artem aut tenet aut ignorat, ita una arte circumscribitur Deus. Sed si quid ab illo veniat animi nostri respectu, ars est perfecta, si cum divina conferatur scientia, pars est totius.

Vide autem ne Deus tibi, si in potestate ista habet & distribuit, multo prius virtutem, dare & possit & velit. Id autem vide hoc modo. Numen divinum non dubito quin perfectum, sibi sufficiens, potentissimum statuas: ut si partem demas aliquam, necesse sit ut corruat totum. Si enim perfectum non est, nec sibi sufficiens erit, si non sufficiens sibi, nec perfectum. Quod si nec sufficiens sibi nec perfectum, quomodo potens? Si autem & sufficiens sibi & perfectum est, & potens; qua perfectum est, vult bonum, qua sufficiens sibi, habet bonum, qua potens, præstare potest bonum. Si autem & velit & habeat & possit, quid ni daret? Qui enim habet nec dat, non vult: qui vult nec habet, non potest. Qui vero & habet & vult, cur non possit? Siquidem ergo bona habet, perfecta habet. Perfectissimum autem est virtus. Dat ergo quod habet. Vt non sit existimandum aliud, quam quod proficiscitur, bonum hominibus contingere: cum revera nullum sit bonum, quod non ab eo originem suam trahat. At quomodo, dicet aliquis, virtus à Deo proficiscitur?

Humanum omne genus duplicem ab initio sortitur naturam: aut enim virtuti aut improbitati magis idoneum nascitur. Harum altera reprimi, altera gaudet conservari. Naturæ enim improbæ probus si contingat rector, qualis lex aut consuetudo est, semper vicinam partem mali efficit immunem: beatusque est hactenus, non ut in bono excellat, sed ut minus habeat mali. At vero quæ naturam meliorem sortitæ sunt animæ, in medio virtutis summæ summæque improbitatis constitutæ, auxilio subsidioq; Dei opus habent, qui ad alteram illam meliorem partem ducat eas ac impellat. Nam ut facile in deteriorem labantur semitam, ab innata sibi infirmitate habent, quæ probis quoque animabus voluptatum cupidinumque abblanditur illecebris, secumque in easdem flagitiorum vias abripit. Et hoc est cur illud ex Jove audias:

Eheu quam falsis accusant numina dictis!
Asscribunt superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna crearint.

De bonis vero nihil tale ex ipso audies hominibus: nunquam probitatis illorum causam esse se negat, nunquam eam aliis asscribit. Sed omnino contra.

Ast ego divini non oblivisear Vlyssis,
Namque olli præsens animus, victorque periculi,
Qua fors dura vocat, quem callas diligit ipsa.

Quis ergo Vlyssem divinitus bonum virum esse neget, cujus Jupiter meminit, quem Minerva diligit, Mercurius ducit, amat Calypso, servat Leucothoe. Quod si bonus fuit, sicut revera fuit, quia,

Multorumque hominum mores lustravit, & urbes;

Quis Deum neget hæc ipsa ei objecisse exercitia, quibus & virbonus dici meruit, & reipsa fuit? Hæc est causa quare illi adversarios objecerit tam multos: inter Barbaros, Trojanos, inter Græcos, duces primarios, Palamedem cum Ajace, domi petulantes robustosque juvenes, Cyclopum ferissimum, Thracum inhospitales maxime, veneficarum primam, belluam plurimis capitibus metuendam. Vt omittam mare perpetuum, tempestates asperas, crebra naufragia. Quod errare, quod mendicare, panesque frustra petere pannosum coegerit: luctari, calcibus cædi, in vino contumelias mille pati. Quæ omnia benevolentiæ ergo objecit illi Deus. Non iratus Neptunus.

—— chari quod lumina nati
Abstulerat.

Non Solboum suorum causa offensus. Absit ut vel Neptunus ferum barbarumque tanti fecerit filium, aut Soli fuerit vel tam abjecta boum cura vel penuria. Solius hæc mandata erant Jovis. Nonne enim is quoque est, qui filium suum Herculem, ne in otio luctuque torpesceret, è mediis eduxit voluptatibus? Quas Eurystheo permittere maluit: Herculi contra apros, leones, principes, tyrannos, latrones, vias longissimas, desertas terras, invios denique objecit fluvios. Nisi forte arbitreris, Jovem una è nocte tres efficere potuisse, quem vero ea nocte genuit, vitæ laboribus præstare immunè haud potuisse? Atqui noluit: nec enim fas est aliud velle Jovi, quam quod est honestum. Sic ergo & Hercules & Bacchus & Vlysses boni sunt. Sed ne longius à via te abducam, ipsumne Socratem arte potius bonum evasisse putas quam divinitus? Artem ejus si respicis, lapicidæ fuit filius, nec aliam ei hæreditariam reliquit pater. At divino electus suffragio arti renunciavit, virtutem amplexus est. *titulo*: *Analiquis divinitus bonus fiat.*

Maximus Tyrius: Ego ne Homerum quidem audio, cum Glaucum illum Lycium accusat, quod aurea arma cum æreis Diomedis commutarit: & quæ centum aureorum erant, pro iis quæ novem tantum erant, donaverit. Mercatori hanc querelam relinquamus, qui hoc non immerito faciat:

Scilicet intentus quæstu, navisque magister.

qui mercibus præfectus sit & avaro lucro. Quod longe abesse à poeta debet, qui magistram sibi Calliopen fuisse vult, quæ neque turpia laudare, nec pulchra vituperare debet. Decuit sane Glaucum, siquidem patrem Hippolochum, avum Bellerophontem, proavum Sisyphum, abavum Æolum, viros omnes præstantissimos habuit, cum homini occurreret, qui in bello quidem hostis, amicus autem antiquo hospitalitatis jure esset, cumque eo de integro fœdus inire, veteremque illam majorum suorum revocare familiaritatem vellet, occasione non precio permutationem æstimare amorum: neque aurum & æs anxie inter se componere, ut illi qui ex Lemno vinum sibi comparant.

Quorum pars illud ferro mercatur & ære,
Tergoribus pars taurinis, ipsisque juvencis.

Intra usum enim quotidianum consistit compensatio, majusque minori in iis quæ precio differunt opponitur. Nemo enim est qui non vel obductis oculis scire possit, talentum multo plus valere quam minas decem, sicut precio suo obolum excedit drachma. Et qui terram possident agricolæ, secundum Herodotum, eam passibus metiuntur, qui vero his laxius incolunt, funibus agunt, quemadmodum Ægyptij. Et in possessione pecudum opulentior Polyphemo est Dardanus,

Cuius equi ter mille paludem pascere circum.

Si quis vero usu neglecto inter se contendat bonum, inveniet, ni fallor, illum & tempore & lege & diversa voluptate, & consuetudine, & fortuna, perpetuo mutari, suumque accipere precium: hoc vero stabile esse, firmum, immotum, æquilibre, commune, individuum, copiosum, nullius egenum. Vt nec augeri possit, nec defectum admittat. Quicquid enim augetur accessione augetur. At si bonum bono accedat, cave accessione hoc bonum magis bonum esse existimes: nam & prius erat bonum. Quod si non est bonum quod accedit, mirari lubet, si bonum aliquid majus futurum putas accessione mali.

Nam

Nam & quod deficit qua deficit deficere dicitur. At ſi boni defectu bonum deficit, non eſt bonum cum deficit. Sin alterius defectu non ipſius boni, non nocet bono hic defectus. Quid? an ne hic quidem intelligis quod dico? Eſtne aliquid quod ſanitatem vocas corporis? Et quidni eſſet? Eſtne aliquid quod morbum? De utroque igitur reſponde. Nonne corporis apte diſpoſiti conſtitutionem certam, cum optima temperie contraria inter ſe conſentiunt, ſanitatem dicis? Vt ſi aqua & ignis, terra & aer, rurſuſque utrunque cum utroque, omniaque cum omnibus conveniant. Ad idcirco varia res aut diverſa, ac non ſimplex potius & definita, videtur ſanitas? Quia ſimulac compoſitionem ei aptam tribuis, ſtabilitatem ejus fateris. Nihil enim, bene compoſitum, ab altero tranſit ad alterum, imo contra certos ſuos atque accuratos habet terminos. Contra morbus, quid aliud quam diſſolutio perturbatioque eſt fœderis illius in corpore? Quoties iterum inter ſe contendunt ſingula, & quæ prius apte compoſita erant, bellum gerunt ac tumultuantur: ab iiſque jactatur, diſcerpitur, concutitur, donec intereat corpus. Tunc ergo uniforme ſimplexque exiſtimas hoc bellum? Ne res parvi precij eſſet medicina.

Nunc diverſitas illa varietaſque belli illius in corpore, quem morbum dicimus, artem produxit variam: quæ & inſtrumenta requirit varia, & remedia diverſa, diverſamque cibi ac victus rationem continet. Ad Muſicam ſi venias, apta compoſitio & hic unica eſt, quæ nunquam aut melior eſt aut deterior ſeipſa. Contraria vero, multiplex aut potius omnigena ac diviſa. Eodem modo chorus qui conſentit voce, unus eſt. Si diſſentit; ſcinditur, diffunditur, ſeparatur: fit multitudo denique. Eodem modo & triremis, quæ ad tibiæ modos à remigibus impellitur, diverſas manus pari ſtudio conjungit remigandi. quod ſi tibiam tollis, opus illorum diſſolvis. Ita & currus ab auriga communi curſu unoque impetu equorum impellitur: tolle aurigam, diſſipabitur currus. Nec aliter una ſub teſſera diſponitur exercitus. Tolle teſſeram, ſolves exercitum: multoſque ex eo homines efficies, qui in fugam ibunt. Quod ergo bonum eſt corporum? ſanitas. Quod malum? Morbus. Una eſt ſanitas, multi ſunt morbi. Quid in Muſica bonum eſt? harmonia. Vnum aliquid eſt harmonia, multiplex vocum diſcordia. In triremi unum aliquid eſt vox tibiæ, multiplex inobedientia. In curru unum aliquid eſt auriga ars, multiplex imperitia. Quod in acie eſt bonum? teſſaræ obſervatio, quæ ſimplex eſt, ſicut multiplex confuſio. In hoc uno ſimplicique nec exceſſum nec defectum video. Stabilis natura illius eſt, nunquam è loco ſuo vel in hanc vel in illam abit partem. Contra ſi in multitudinis numerū incidero, jā dividere naturas poſſū ſingulorū.

Sicut in magna via, terminus unus eſt, multa intervalla. Si Babylonem petas, propinquior Armenio eſt Aſſyrius, rurſus Armenius quam alius: Lydus quam Jon, Jon quam inſulanus. Nemo tamen adhuc Babylonem uſque pervenit, non Armenius, non Lydus, non Jon denique aut inſulanus. Si Eleuſina, proxima Peloponneſus, deinde Megara, deinde Iſthmus. Quod ſi nondum initiatus es, quanvis Megara uſque perveneris, donec in templo ſis, nihilo magis quam Peloponneſij initiatus eris. Cogita eodem modo vitam hanc longam quandam viam eſſe, quæ Babylonem aut Eleuſina deducit: terminum hujus, vel regiam aliquam, vel templum, vel initiationem eſſe. Plenam viatorum eſſe hanc viam, quorum alij currunt, alij ſe mutuo impellunt, alij laborant, quieſcunt alij, alij jacent, alij è via deflectunt, oberrant alij. Deviæ enim fallaceſque viæ occurrunt plurimæ. Quarum aliæ per rupes altiſſimoſque hiatus, ad Sirenas: aliæ ad Lotophagos, aliæ ad Cimmerios deducunt.

Una tamen eſt anguſta, acclivis atque aſpera, eaque trita pauciſſimis, quæ ad ipſam itineris deducit metam: quam ægrè, nec ſine maximis moleſtiis, multóque ſudore diligentes quædam abſolvere conantur animæ: quod & loci flagrent cupidine, iiſque initiari geſtiant ſacris, quorum jam ante animo quaſi divinant præſtantiam. Ad quæ ſimul ac pervenerint, & labore ſuo defunguntur, & ſtudio. Quia nulla initiatio ſanctior, nullus præ illo locus viſu dignus eſt. Quod autem iis qui nondum initiati ſunt eſt Eleuſin, id hominibus eſt ipſum bonum. Initiare agedum, locum conſcende, bona ejus amplectere: neque majus unquam aliud optabis.

Quod ſi boni nomen illis quæ bona non ſunt tribuas: qualis aut corporis ſanitas, aut forma, aut auri argentique ornamenta ſunt, aut decus majorum, aut honor civilis, & ejuſmodi quæ voluptatis potius quam boni nuncupanda ſunt nomine; eliminas myſteria, Deum ipſum offendis. Talia ſunt quorum particeps vis eſſe bona, qualia Alcibiadis myſteria: cum ebrius facem geſtat, in epulis ſacerdotem agit, per ludum jocumque res ſacras exprimit. Bonum bono non magis eſt myſticum, quam pulchrum pulchro pulchrius. Nam ſi demas aliquid, non erit bonum aut pulchrum, quod nondum plenè bonum eſt. Nonne cœlum hoc, quod capiti noſtro immicat, & quæ in eo ſunt ſydera vides? nonne & hunc qui ſub cœlo eſt ætherem, & qui ſub æthere eſt aërem, & quod ſub aere eſt, mare aſpicis? Divide hæc omnia. Pars hæc univerſi illa eſt, quam terram dicimus, quæ diffuſa eſt ac multi formis; arbores producit, animalia nutrit. Eam ſi cum mari conferas, mari minor eſt, ſicut mare aere, aer æthere, æther cœlo. Eatenus procedit partium ordo, ſemperque eſt quod vincit & quod vincitur. Vbi eo eſt perventum, nec magnitudo amplius nec pulchritudo procedit. Quid enim aut cœlo dari poteſt pulchrius, aut ſyderibus illuſtrius, aut ſole magis vegetum, aut lunâ magis almum, aut choro illo reliquo magis eleganter diſpoſitum, aut magis quam Dij venerabile?

Et tamen ſicut bona diſtinguunt, ita Diis quoque ipſis honores dividunt, & quaſi lance expendunt homines. Quis hic? Jupiter. Imperet. Quis hic? Saturnus. Vinciatur. Ferrariam exerceat Vulcanus, nunciet Mercurius, Minerva texat. Ignorant, ut arbitror, Diis omnibus legem unam, unam vitam, mores eoſdem eſſe; non diverſos, neque pugnantes. Imperant omnes, ejuſdem ætatis ſunt omnes, ſaluti noſtræ ſtudent omnes: eadem omnes dignitate, eadem autoritate in æternum vivunt. Quorum una natura, multa ſunt nomina. Nos vero ab eo quod præſtare ſolent hominibus ſubſidio; diverſa ſingulis eorum, quæ eſt noſtra ignorantia, imponimus nomina. Aliter alius Deorum appellatur. Non ſecus quam maris partes ſingulæ, alia Ægæum, Jonicum alia, alia Myrtoum, Cretæum alia dicuntur, cum tamen unicum ſit mare, ejuſdem generis, naturæ ejuſdem, partibus ſuis commiſtum.

Eodem modo bonum quoque, quod unum ſibique ſimile & æquale eſt undique, pro ingenii imbecillitate noſtri atque ipſius boni ignorantia, in opiniones varias diſtraximus. Dives eſt Callias. Felix his bonis. Pulchrior eſt Callia Alcibiades. Felix & ille. Vtrum eorum centum aureis, utrum novem æſtimabis? Utrum eligemus? utrum optabimus? Phœnicius Ægyptiuſque Calliæ, Eleus contra & Bœotius Alcibiadis optabit bonum. Nobilis Pauſanias: at plus gloriæ conſequebatur Eurybiades. Conferamus nobilitatem cum gloria. Vter vincet? utri palmam dabimus? Socrates pauper, Socrates deformis, Socrates inglorius vixit, Socrates nec genere excelluit nec honore. Quomodo enim non deformis, ſine honore, nobilitate, gloriâ, opibuſque viveret: qui & lapicidæ fuit filius, & ſimus, & ventrioſus: qui deluſus in comœdiis, in carcerem conjectus eſt: qui eodem quo Timagoras extinctus eſt loco? O magnam bonorum penuriam! nec enim dicere audeo malorum copiam. Quid his opponemus? quid dicemus? Certet cum illis copia bonorum Socrates. Nonne vides eum divitiis à Callia, corpore ab Alcibiade, honore à Pericle, gloria ſuperari à Nicia: in theatro Ariſtophani, in judicio cedere Melito. Fruſtra ergo Apollo illi palmam detulit, fruſtra ei victoriam conceſſit, *Diſſertatione vigeſima tertia*, Bonum bono majus non eſſe.

Maximus Tyrius: At enim vero quandoquidem Homerum accuſas, qui prius Glauci permutationem accuſaverat, utrum & tibi pro Homero, an Homero potius pro Glauco reſpondendum erit? Hoc potius agendum, me hercules. Reliquis enim omnibus mihi præferendus ille eſt, nedum tuo judicio. Quare ita Glaucus dicat. Si quidem Homere bonum bono minus eſſet, aut minus majore, merito à te accuſaretur Jupiter, qui mentem alienaſſet meam. At in auri enimvero argentique permutatione, cave aut Jovem nimium aut me accuſes: quia neque plus habuit, qui aurum accepit, neque minus, cui æs traditum eſt. Verum cum utroque præclarè dictum eſt: ſiquidem materiæ illa inæqualitas æqualitate propoſiti, quo alter dedit alteri, compenſata eſt. Et Glaucus quidem abeat nobis: veniatque illo ſapientior Vlyſſes, ut ſuum de bonorum poſſeſſione judicium exponat nobis. Hic enim, niſi fallor, eſt, qui hilaritatem cantumque in Alcinoi domo miratur, qui cum Nauſicaë optat nuptias poſſe unanimes contrahere, qui immortalitatem Calypſus prædicat. Eum ego exiſtimo, ſi ad alium veniſſet aliquem, cujus non in cantu aut epulis, nec in conjugali copula, ſed majoribus longe bonis poſita fuiſſet felicitas; etiam de his quæ dicenda erant, dicturum fuiſſe.

Cum autem inter reliqua pulchritudinem adduxeris, quam exiſtimas uno tantum eodemque gradu id ipſum eſſe, video requiri, ut & de hoc breviter reſpondeam tibi. Videris enim mihi, ſi eodem cum Trojano illo paſtore loco fuiſſes, miſſuſque à Jove ad te veniſſet Mercurius, qui judicio tuo tres illas Divas ſtatuiſſet, ut pro formæ excellentia deferres præmium; Venerem admiratus ſicut ille, Junonem Minervamque, tanquam deformes, damnaturus fuiſſe. Quippe ſi unum in pulchritudine ſit pulchrum, vincatq; una ex tribus reliquas, neceſſe eſt eas quæ vincuntur turpes eſſe. Cave hoc modo agas, judex optime. Quin potius abſtine à calumniis, ſenſimque potius à ſummo ad infimum deſcende. Ne Homerum denuo impingam tibi, qui nimirum albas Junoni ulnas, roſeos Auroræ cubitos, cæſios Minervæ oculos, pedes Tethidi argenteos, Hebæ pulchra tribuit calcanea. Quibus omnibus niſi parum reverenter de Diis loqui velis atque impiè, pulchritudinem ſuam relinques, licet in parte ſit tantum. Audis eundem deſcribere agreſtem Nympharum chorum, quæ in montibus Diana duce ludunt.

Illa caput frontemque ipſam ſupereminet omnes.

Et mox addit:

Pulchræ omnes: quam & ſis ſit pulchrior omnibus illa.

An Homerum ridebis, qui Dianæ formam præferat Nympharum? Audiſne quomodo & de Menelai forma loquatur? Ubi videlicet ex vulnere ejus ſanguis per femur deſtillat, cujus pulchritudinem cum arte confert mulieris, quæ purpureo colore in habenis equi ebur inficit.

Sic Menelaë tibi femora erubuere cruore.

Et tamen pulchras illi tibias, pulchras etiam inferiores pedis partes fuiſſe ibidem addit. Contra cum Agamemnonis comendat formam, minime opus habet à Lydia Caricaque imagine, aut muliere Barbara, quæ purpura imbuit ebur, comparationem deſumere: ſed cum Jove caput ejus oculoſque confert. Ex quo ſequitur, pulchriorem fuiſſe Agamemnonem. Alterius enim in capite oculiſque, alterius in femoribus malleoliſque pulchritudo conſiſtit. Cujus autem in potioribus partibus pulchritudo eſt, is pulchrior: cujus contra in minus

præcipuis, pulcher minus, nondum tamen est deformis. Quid in exercitu Græcorum, an non primas pulchritudinis sibi partes Achilles, secundas Nireus vendicat? Atqui te judice, Nireus, quod Achille minus pulcher esset, non fuisset pulchrior Thersite. Et ne de sola pulchritudine nunc tecum agam, ad Achillis fortitudinem Ajax non accedit, neque Diomedes ad Ajacis, nec ad Diomedis Sthenelus, nec ad Stheneli Menestheus. Et tamen nemo causa Stheneli fortem negat esse Menestheum, aut Diomedis Sthenelum, aut Ajacis Diomedem, aut Achillis Ajacem.

Est enim & hic certus virtutis progressus, quæ in medio positas non transilit quantitates, sed pedetentim à præcipuis ad inferiores descendit. Verumenimvero, ut à corpore jam abeamus, in quo robur ac pulchritudo considerantur. Si Andromachen contendas cum Penelope, nonne casta utraque, utraque viri amantissima videbitur? Et tamen Penelopen præpones: non ut barbaræ Græcam, sed quod excellentiæ virtutis id quod plus est, existimes deberi. Agamemnon consilio Nestoris utitur, num ut prudentis imprudens? Nec enim arbitror te de communi Græcorum rege, quem Jove genitum, quem pastorem populorum, poeta vocat, tam sinistre sentire posse & loqui. Et tamē prudens cū esset, prudentioris consilio Nestoris opus habuit.

Videor autem nihilo magis quod volo persuasurus esse, si virtutes inter se similes similiter contendam, quam si prout quæque magis vel minus adest alicui, ita majorem aut minorem respectu alterius dicam esse: quandoquidem sanitatem rem esse vis simplicem. Qua quid minus simplex dici possit, non video. Cum ad sanitatis præsertim constitutionem multo plures corporis ratio differentias admittat, quam animæ. Ita ut plane contrà se habeat. Nam qui supremum in sanitate sibi proponit terminum, rem fugitivam sequitur: & quam nec Asclepius aut Chiron sine negotio consecuturi sunt. Qui verò inæqualitatem in arte considerat, eoque quod consequi potuit contentus est, & æquius de arte sentit, nec de summo desperat termino. Eodem modo de bonis judica.

Cum enim tria sint quæ ad eam de qua agitur quæstionem solvendam faciunt, quorum primum ad veritatem, secūdum ad id quod fieri potest, tertium ad utilitatem rei intuendam spectet, singula eorum videamus. Ita tamen ut inverso ordine primum de utilitate agamus. Interea respectu ejus quod fieri potest, id quod quæritur, & veritatis, in dubio maneat. Id autem est, Bonumne bono sit majus. Utilitatem ergo ejus primo videamus. Multa enim quæ neque vera sunt, neque fieri possunt, si credantur tantum, utilitatem adferunt. Et nonne Socrates cum virtutem tam arctè restringit, ut essentiam illius eo solo quod optimum est circumscribat, vulgi spem omnem à petenda virtute excludit, & tanquam longo itinere intercipit? Contra qui gradus quosdam statuit, qui in medio viæ diverticula quædam relinquit & recessus, medij itineris spe viatorem pertrahit longissimè: quo cum pervenerit, hac felicitate eum demulcet, non secus quam si ultimum attigisset terminum. Ad quem si postea pervenire eum contingat, tum demum tanquam inter bonos optimum, pronunciat victorem. Cum vice versa altera opinio illa, athletam primarium inter timidos coronet, robustissimum inter imbelles: & ut verbo absolvam, nec adversarios in certamine dat fortissimis, nec virtutes in similibus explorat. Et hoc quidem de utilitate. Ad potentiam veniamus. Aurum præstantissimum deterius aurum distinguit, non plumbum. Et ab argento argentum, æs ab ære probatur. Breviter quicquid confertur, ejusdem substantiæ sit necesse est, dignitatis alterius. Quod si bona cum malis componas, fieri quomodo poterit, ut non bonum minimum eo loco tibi esse videatur, quo est maximum? Nam ut noctu lumen quod ab igne accenditur, magnæ illius quæ circum circa est caliginis causa majus videtur esse, quam quod interdiu ardet: idemque si cum sole tanquam majore adversario velis contendere, obscurum propemodum est & nullum.

Ita si cum malo bonum conferatur, quanvis sit minimum, optimum nihilominus præstantissimumque videbitur. Vt in densa caligine scintilla parva, ut in nocte multa lumen parvum. Quod si illud cum simili concurrere & certare permittas, tunc revera quod præstantissimum est discernes. Aliter enim si agis, ordinem confundis & perturbas. Nonne & lunam vides, quæ noctis & diei sydus commune est, satis splendidam, si sol accedat, hebescere? Non mirum ergo si interdiu sol vincit splendore suo, qui inter cœlestia corpora præstantissimus est potentissimusque: noctu vero lunâ omnium obscurissima. Ita & bonum, si in nocte, in tenebris, in caligine malorum collocaveris, eminebit quanvis sit obscurum. Si inter bona, necesse est eminere illud quod est clarissimum. A potentia ad veritatem transeo. Aliudne hanc vitam esse putas quam transitum quendam, ex anima, corpore, fortunaque simul temperatum? Quæ omnia si aptè interse jungantur, singulaque ad summum suarum virium gradum perveniant, totum id simul felicitas nuncupatur. Ita ut anima imperet pro duce, pareat corpus pro milite, adjuvet fortuna, tanquam arma. Ex quibus omnibus victoria consequitur.

Quod si fortunam tollas, arma demes militi, sin militem, exauthorabis ducem. Et tamen pluris est miles quam arma, pluris dux quam miles. Si vero alterutrum facis, ut vel reliquis neglectis solum ducem colas, quomodo fortunâ dux utetur? At si omnia hæc admittis eodemque loco habes, quomodo duce utetur fortuna? Imperet animus, militet corpus, auxilium ferat fortuna. Cuncta probo, cuncta admitto: dum ne eodem loco habeas omnia. Quid, nonne navigationem vides marinam, in qua gubernator, sicut anima in corpore imperat, navis ut corpus animæ paret, venti in navem ut in virtutes fortuna impetum faciunt? Quod si tempestas oriatur, dum gubernator, adhuc superstes est, & navis, sive ea rectè feratur, sive exitium minitetur, spes adhuc salutis est in arte. At si à gubernatore incipias, eumque tollas, nihilo prodest navis quamvis sit superstes, nihil ventus, quanvis sit secundus. Propterea in mari, in navi & navigatione, præcipuum est gubernator, post hunc navis, post navem, subsidium externum. In hoc vitæ cursu præcipuum est anima, post animam corpus, post corpus ipsa fortuna. Bona autem præcipuarum partium pluris sunt quam reliquarum. Ego nec æqualitatem fero in sensibus. Cæcus Homerus erat, & tamen Calliopen audiebat. Surdus erat Atys, & tamen solem videbat. Converte calamitatem utriusque. Audiat Atys, & ne videat: videat Homerus & ne audiat: Atyi frustra canet Calliope, magistram illam suam servabit Homerus. Ego nec in Diis æqualitatem fero. Homero enim assentior cum ait,

—— cuncta
In tria divisit, nec quisquam immunis honore est.

Non æqualis est, nec enim æquale est imperium. Sicut nec æqualis est divisio, cœli cum mari, aut maris cum inferis. Et tamen eodem modo Pluto & Neptunus & Jupiter & Dii sunt, & Saturni filii. Sicut Lysander Spartanus quidem est, at Agesilaus Heraclides. Ego & respectu virtutis genus generi præfero. Nam si equorum domitor, nobilitatem in equis amat,

—— Troi quos Iupiter olim
Præstantes dederat, precium Ganymedis adempti.

Et venator nobilitatem amat in catulis: quanto magis qui homines amat, hominum educationi intentus est, in eorum genus inquiret? Non sicut Xerxis filius est Xerxes: ignavum enim hoc genus est. Nec sicut Crœsus Alyattis: imbelle enim hoc genus est. Nec sicut Hippias Pisistrati: hoc enim improbum est. At si Leoniden, si Agesilaum dicas, virtutem agnosco. Herculem cogito, nobilitatem approbo. Vtinam Athenis Aristidis, utinam Socratis genus esset: non minus hos quam Heraclidas, non minus quam Persidas honoratem, non minus quam patricios. Nam si fluvios laudas, qui ex puris labuntur fontibus, si plantas quarum postquam stipites exaruerunt, manent adhuc semina: nobilitatem in hominibus non laudabis, quæ ex virtute tanquam puro fonte orta, generositatem retinet suam. Et hactenus quidem virum te judico: hactenus fide digna loqueris. Quod si de opibus ex te quæram, quid de iis sentias, quo loco ponas, in quo ordine? Loquere audacter quod animo judicas. Dic quid eas esse existimes. Malum? cur ergo sequeris? Bonum? cur ergo eas fugis?

Iuratô lingua, mentem injuratam gero.

Quare neutrum esse dicas, nec bonum nec malum: sed inter utrunque medio in loco cum indifferentibus ponas. Vide ne transgrediaris ultra, ne limites transilias. Nam si mutato nomine bonum quidem non voces, sed productum nomen quidem mutabis, honorem tamen concedes. *Dissertatione vigesima quarta*, Bonum bona majus esse.

Simplicius: Neque verò externa ista, quæ vel in bonis vel in malis habentur, omnino talia sunt, sed interdum utraque rationem contrariam habent. quapropter ineruditi adolescentes pædagogos, ut à quibus malè tractentur, oderunt: eos verò à quibus ad voluptates invitantur diligunt. *ad cap.* 10. *Epict.*

Simplicius: Cordatis judicibus videri bonum, firmum certè argumentum est bonitatis. *ad finem cap.* 30. *in Epict.*

Simplicius: Deus facultate potentissima præditus, & omnis facultatis auctor, voluntate etiam optima, bona omnia, malum vero nihil esse voluit. Quatenus fieri posset. Cum autem par sit ejus & potentia & voluntas: omnia bona facit, quatenus unum quodque bonitatem ipsius capere potest. Humanus vero animus facultate summa esse præditus non potest, multis etiam Deo posterioribus potentia inferior. Sed voluntatem accepit à Deo liberam, cujus ea natura esset, ut bene cuperet omnibus, modo ipsa id decrevisset. Merito igitur ista ratione potissimum sit Deo similis, cū ex ista voluntate agit: & quamvis omnia bona reddere ut Deus nequeat, ea tamen bona reddit quæ potest: & quantum in ipso est, omnia bona reddit, non autem quæcumque vult. Tum enim voluntas verè voluntas est, & perfecta voluntas, cum ei facultas omnis ejus qui vult, navat operam. Eorum enim quæ in nobis sita sunt, domini sumus. Cum autem benè velle omnibus, in nobis situm sit: cupit bonus homo omnibus hominibus benefacere, nec eis tantum, sed & brutis animantibus & stirpibus, ejusque voluntas usque ad inanima porrigitur. Verum non potest, ut vult, benè mereri de omnibus, quod voluntas quidem in nobis sita est, ista vero facultas non item, cum aliarum plurium causarum adjumenta desideret, earumque præstantiorum nobis. Quare nostrum bonum in voluntate est, quod idem in nobis quoque situm est. *ad cap.* 32. *Epict.*

Simplicius: Vehementer in eo laborat, ut bonum, ob id ipsum quod bonum sit, amplectamur, non autem propter popularem opinionem. Nam qui propter hanc aliquid expetit: in ea ipsa bonum collocat, non in illo. Quamobrem si quis rectè perspexit, a iquid non esse faciendum: ipsa res eo fugienda est, quia non bona. Sin aliquid bono consilio fecit: recusare non debet propter eos, qui factum id perperam reprehendunt, quo minus palam id agat. Fit enim, ut verò bono (id enim est, quod rectè bonum judicatur) non bonum, sed malum, ut est mendacium, præferatur. Talis enim est vulgi non recta de eo quod fit opinio. Præterea fit, ut quod recta ratio bonum judicavit, malum putetur & fugiatur. Quod enim fugiendum, malum. Fit & illud ut qui à seipso & à rebus discedit, ad vulgi opiniones deferatur, atque ibi bonum & malum quærat, itemque verum & mendacium. *ad cap.* 57. *Epictet.*

Alcinous:

Alcinous: Deinceps quæ Platoni de moribus placuerunt, perstringamus breviter. Illud quidem quod honore maximo dignum putatur, & supremum est bonum, nec facile inveniri, nec postquam inveneris in omnes vulgari debere putavit: quare cum paucis admodum, maximeque sibi familiaribus, & quos judicio ad hoc elegerat, contemplationem ipsius summi communicavit boni. Nostrum tamen bonum, si quis diligenter ejus libros examinaverit, in ipsa primi boni posuisse reperiet scientia. Quod quidem, & Deum & primam mentem recte quis appellaverit. Omnia enim quæ ab hominibus bona dicuntur, hactenus dici bona voluit, quatenus aliquid ab illo primo & honorato trahant bono: quemadmodum & dulcia omnia atque calida, participatione quadam primi dulcis & calidi, hanc habent appellationem. Ex iis verò quæ in nobis sunt, mentem solam atque rationem ipsius boni quandam consequi similitudinem. Quāobrem bonum nostrum, pulchrum, venerandum, divinum, amandum, aptè constitutum, ac postremò beatitudo apud illum vocatur. Eorum autem quæ vulgò dicuntur bona, cujusmodi sanitas est, formáque, & robur, necnon divitiæ atque dignitates, nullum prorsus esse bonum, nisi cum virtutis usu fuerit conjunctum. Separata enim hæc ab ipsa virtute, materiæ tantum instar esse: atque iis qui male utuntur, mala tantum. Sed & nonnunquam hæc ipsa mortalia Plato nominat bona. Beatitudinem verò haudquaquam in humanis bonis sed in divinis sitam esse ac immortalibus putavit bonis. Jdeoque ingentibus quibusdam admirandisque bonis verorum philosophorum animos refertos esse prædicat, postque corporis mortalis interitum, divinis adhiberi epulis, veritatisque campum cum Diis unà circumlustrare. Quandoquidem tum cum viverent quoque, cognoscere eam summa animi contentione conati essent, & præ cæteris omnibus tanquam rem preciosissimam coluissent. Cujus munere mētem suam tanquam amissum aliquem aut extinctum illustrassent atque excitassent oculum: quod multis conservationem ejus oculis præponerent corporalibus, quod eo ad omnem ejus quod ratione præditum est pertingere ac pervenire possint naturam. Jnsipientes enim homines iis esse similes, qui vitam omnem in subterranea quadam spelunca transegerint, ubi fulgidum solis lumen nunquam inspexerint, sed exiguas & inanes umbras eorum quæ apud nos in terra sunt corporum: quas dum viderent, vera se corpora videre putaverint. Vt enim hos si quando è tenebris in lucem serenam emerserint, consentaneum est omnia quæ ante viderint, ac seipsos multo magis, tanquam omnino deceptos, contempturos esse: sic & eos qui ex hujus vitæ tenebris ad ea quæ revera divina sunt & pulchra emergunt, credibile est quæ quondam maximi fecerant, aspernaturos esse, eamque contemplationem vehementius amaturos. Quibus etiam consentaneum est dicere, id solum quod honestum est, esse bonum: & virtutem ad felicitatem sufficere. Bonum præterea & pulchrum in cognitione primi consistere, integris ostendit voluminibus.

De iis autem quæ participatione bona sunt, in primo de legibus libro, hoc modo: Bonorum duo sunt genera, humanum videlicet atque divinum: & quæ sequuntur. Si quid autem separatum primique illius expers sit essentiæ, hoc ab incipientibus appellari bonum, majus possidenti malum esse in Euthymedo ait. Quod verò virtutes per seipsas eligendas existimet, ex eo consequitur, quòd solum honestum bonum esse censet: idque cum multis in dialogis, tum maximè passim in iis quos de Republica scripsit, demonstratur. Quapropter hominem qui eam de qua diximus consecutus sit scientiam, felicissimū beatissimumque existimat. Non tamen honorum causa, qui ejusmodi sequuntur virum; neque alicujus alterius præmij gratia: sed licet ab universis ignoretur hominibus, eaque etiam quæ vulgò mala putantur, infamiæ, exilia, & mors, illi eveniant, nihilominus beatum fore. Contra hominum sine hac scientia, licet cuncta quæ vulgus bona prædicat possideat, divitias dico, regna, sanitatem, robur & formā, nihilo magis beatum esse. Quibus omnibus consentientem finem induxit, Dei ipsius, quoad humanum genus esse assequi id potest, similem fieri. Variè autem hoc exponit. Interdum quippe similitudinem Dei dicit, prudentem, justum, sanctumque esse, quemadmodum in Theæteto. Quare adnitendum esse, ut hinc ad illa quam citissimè fugiamus. Fugam verò esse, similitudinem Dei: quatenus id fieri potest. similitudinem autem in prudentia, justitia, sanctitate. Nonnunquam etiam in sola justitia. quemadmodum ultimo de Repub. libro. Neque enim à Deo unquam deseritur, quamdiu conatur justus evadere, ipsāque virtutis actione, quantum quidem licet homini, Deo similem evadere. In Phædone verò, Dei similitudinem per temperantiam justitiamque acquiri, sic asserit. Nónne beati feliceque sunt & in optimum hinc locum migraturi, qui popularem civilemque virtutem, quam temperantiam & justitiam vocant, exercuerunt? Rursus interdum vitæ finem esse statuit, Dei similem fieri: interdum sequi Deum: ut cum inquit: Deus profectò ut antiquus sermo testatur, cum principium, medium, finemque rerum omnium contineat, &c. Non nunquam utrunque conjungit, ut cum inquit: Animam Deum sequentem atque illi similem factam, &c. Etenim utilitatis principium bonum ipsum est, hoc autem ex Deo dicitur.

Consentiens ergo principio finis erit, Deo similem effici; Dei scilicet cœlestis, vel potius, supercœlestis, qui virtutem quidem non habet, est tamen virtute præstantior. Quamobrem rectè qui spiam dixerit, κακοδαιμονίαν, id est miseriam, dæmonis perversitatem esse: εὐδαιμονίαν verò, id est beatitudinem, bonum dæmonis habitum. Tandem verò ad ipsam Dei similitudinem accedemus, primum si convenientem ac aptam nacti fuerimus naturam, tum si mores & educatio & sensus, cum lege congruentes accedant: postremò, quod præcipuum est, rationem, disciplinam, ac contemplandi à sapientibus traditam adhibeamus consuetudinem. Ut hac ratione ab humanis ut plurimum recedamus rebus, semperque in eorum quæ intelliguntur tantum contemplatione versemur. Præparationes autem & quasi purgationes ejus qui in nobis est dæmonis, si majoribus initiari volumus disciplinis, per Musicam, Arithmeticam, Astronomiam ac Geometriam fiet optimè. Habita etiam corporis per Gymnasticam ratione: qua promtius ad opera tum pacis tum belli reddatur. *Libri de doctrina Platonis cap.* 27.

Iulianus Imp. Ajunt Protēum illum Ægyptium se in varias formas commutasse, quasi veritum ne imprudens hominibus requirentibus sapientem se esse demonstraret. Ego verò si quidem sapiens sint reipsa Proteus, & is qui multas res cognoscerat (sicut vult Homerus) de scientia eum laudo, de ingenio non laudo: non enim viri boni & liberalis, sed impostoris improbi officio fungebatur, cùm eo se occultaret, ne hominibus prodesset; At te, vir clarissime, quis non jure admiretur, tum quòd Proteo sapientiæ laude non cedis, tum multò magis quòd virtutem, summamque rerum optimarum scientiam nemini invides, sed instar nitidi Solis tuos illustres radios in omnes emittis, non modò præsentes docendo, sed etiam absentes, quoad licet, scriptis tuis ornando. In quo sanè Orpheum illum nobilem superas. Ille siquidem musicam suam in belluis demulcendis consumebat: tu tanquam ad salutem humani generis in hoc mundo collocatus, omnibus locis Æsculapij manum imitaris, voceque ista facunda & salutari omnes orbis partes perlustras. Quocirca mihi videtur Homerus, si revivisceret, multò justiùs illud de te usurpare posse.

Vnus adhuc vivus lato versatur in orbe.

Nam ignis ille antiquæ formæ nobis tanquam scintilla quædam sacra veræ atque uberis doctrinæ à te uno fovetur atq; alitur. *Epist.* 35.

¶ Romanorum.

Quintilianus: Juvenis conceptus splendidis parentibus, cùm solum tam speciosæ fortunæ crederem fructum, posse prodesse, & contra varios mortalium casus quasi portum benignitatis aperire, concupivi quandam humanitatis civicam. Periturum hominem, sive ille naufragio ejectus, sive spoliatus incendio, sive exutus latrocinio erat, naturæ patriæq; restitui. *Declamatione* 9. §. 20.

Idem statim: Hæc me magis decet impensa, quàm vestis, quàm argentum quam ubi laus emitur. Vbi enim pecunia melius poni potest quam ubi fœnus bonitatis extenditur? Magna conscientia est, felicitatem meruisse. Ignotus sanè sit & alienus quid fuerit antè, non quæro, post hæc erit amicus: Et hercle quò quisque plus potest, quoque latius patet ad fortunæ incursus, hoc magis cogitare debet atque respicere, quantum in nos fortunæ regnum sit, quam instabili sede humana consistant. Non me aurata laquearia, nec radiantes marmore columnæ, nec graves crustæ fecerint immemorem fragilitatis. Multa sæpe & locupletibus accidunt sæpè in imum summa decidunt. Ego vidi pauperem auxilia diviti ferentem. Sed sanè superbius æstimet miserias longa felicitas, & alienum casum facilè despiciat securus sui. Ego quoties auxilia calamitatis petere aliquem video, non possum non moveri fortuna mea. Succurrit mihi continuò tempus illud, quo ipse clementiam optabam. Ignosce pater, si penitus animo meo hic insedit affectus: amare misericordiam miser cœpi.

Petronius Arbiter: Apes ideo pungunt, quia ubicunque dulce est ibi & acidum invenies. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Minor vis bonis quam malis inest. *lib.* 4. *Epist.* 7. *medio.*

Plinius: Non magis definitè distinctéque designat qui Trajanum, quam qui Optimum appellat, ut olim frugalitate Pisones, sapientia Lælij, pietate Metelli monstrabantur. quæ simul omnia uno isto nomine continentur; nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cujusque laude præstantior. *cap.* 88. *Panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Bonus Nerva, Trajanus strenuus, Pius innocens, Marcus plenis officij temporibus adjuti sunt; quæ tunc mores alios nesciebant. Heic in laude est natura Principis; Ibi priscæ munus ætatis. *lib.* 1. *Epist.* 7. *m.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita sua.

Ῥᾴων κακὸς γὰρ ἢ καλὸς μετρεῖσθαι.
Malum facilius quam bonum transfunditur.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua.

Οὕτως ἀσύλλογιστον ἡ πονηρία,
Οὐ γὰρ τὸ χρηστὸν κἀκ τοιοῦτ' ἤμερον,
Τί δ' οὐ θράσειεν ἄλλο τῶν πάντων ποτέ;
Est bruta certe pravitas, excors, hebes.
Mollire nam quem nequiit benignitas,
Quid molliorem reddere hunc unquam queat?

D. Greg. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

Perspicuum certè est cunctis, quod pulvis ut aurum
Excedit numero, sic justos turba malorum
Exsuperat: nec enim similis calcatur utrisq;
Semita. namque malis prona est atque undique fusa:

Difficilis contra justis, salebrosa, molesta.
Quo fit ut egregios homines manus impia multum
Exsuperet.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 58. de virtute humana.

Optimus hic autem est, qui plures inter iniquos,
Pauca gerit sceleris simulachra, Deiq; potenti.
Auxilio nixus conVexa ad sidera tendit,
Virtutisq; ardet studio, Vitiumq; profanum.
Pellit & insequitur, Violenti ut fluminis unda
Vndam aliam impuram extrudens abigensq; retrorsum;
Aut etiam abscondens, si sese admisceat illa,
Limpiditate sua fluxum majore lutosum.
Compositi hac Virtus: quod supra est, cœlicolarum.

Plautus Mercatore 1. sc. 2. V. 31.

At ego te maledicentiorem quàm te noVi neminem.
CH. Sin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo.
AC. Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ adVenit.
CH. Dic mihi an boni quid usquam est, quo quisquam uti
possiet,
Sine malo omni, aut ne laborem capiat, cùm illo uti Voles?
AC. Nescio ego istæc; philosophari nunquam didici, neq; scio.
Ego bonum, malum quo accedit mihi dari haud desidero.

Plautus Pseudoli prologo.

Studete hodie mihi, bonam scenam affero.
Nam bona bonis ferri reor æquum maximè;
Vt mala malis; ut qui mali sunt, habeant mala:
Qui boni bona, bonos quod oderint mali,
Sunt mali, malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet, Vos q; ideò istis boni quandoquidem
Semper odistis malos, & lege & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.

Plautus Triuummo 2. sc. 2. V. 107.

Ecce autem in benignitate hoc repperi negotium.

Martialis lib. 5. Epig. 25.

Semper in humanos habet officiosus amicos.

Terentius prologo Eunuchi.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere,
In his Poeta hic nomen profitetur suum.

¶ EMBLEMATIC.

Camerarius XLII. Centur. 4.

Hac noceo, hac nutrio. Pastinaca.

Noxia tela quidem mea sunt, innoxia cuncta
Sed reliqua; & sanum dat caro nostra cibum.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

Ludovicus Bavarus: De verò BONO acturis præsentem se exhibet LUDOVICUS BAVARUS: qui inquirenti, quænam bonorum nomine intelligenda censeret, ait; *Sola bona, quæ honesta.* Ita ante eum in Paradoxis Cicero. Heu quàm multi ab hoc scopo declinant, quibus in ore & corde:

—— *Quærenda pecunia primum,*
Virtus post nummos. ——

Anonymus: At difficilis inter homines veri BONI cognitio, unde rogatus vir prudens & disertus, cur homo faciliùs ad aliarum rerum quàm veri BONI cognitionem deveniret; *Defectu*, inquiebat, *recti judicij. Velut enim apud Plutarchum, Scytha juraVit, se malle audire hinnientem equum, quàm canentem cytharœdum, ita pauci in est Veri* BONI *sensus.* quod venustè admodum & doctè suo ævo etiam expressit Juven. Sat. 10. cùm ait:

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera Bona, atque illis multùm diVersa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat Votique peracti?

Ioan. Cuspin.

Præsidis Aquileæ, juveni moribus & forma corporis insigni, non tamen Religione orthodoxa imbuto; ita eum affatur: *Pater, maritus moribus non natalibus eligendus: illo enim, non parentibus ejus utimur.* quod pulchrè expressit Poëta:

Aliena laudat, qui genus laudat suum:
At sua laudat, mores qui probat suos.

Theat. vit. hum.

Alphonsus Magnanimus Arag. Rex XVII. FORTUNÆ BONA, exteriore specie delectabilia, in se tamen fucata & mundanam fragilitatem præ se ferentia, attingimus: & te, inclyte ALPHONSE, eadem despicientem, qui rogatus, quémnam felicem diceres; *Eum*, inquis, *qui, cùm hæc bona fucata sibi maximè arriserint, eadem deseruit.* Legerat quandoque illud Senecæ in Agamemnone:

—— *Quicquid in altum*
Fortuna tulit; ruitura leVat.
Modicis rebus longius æVum est.

Lucius Marinæus Siculus, lib. 11, de Rebus Arrag.

Carolus V. Imp. Jam ætate maturus, ac bello fractus, in Cœnobium regularium D. Hieronymi secesserat, ad quem visendum cùm venisset Franciscus Borgia, ac post triduum recessum pararet, ducentos aureos ab eo dono accepit qui & dixit: *Exiguum id munus testor: sed jam bonis exutus, privatam personam gero. cujus si statum consideres, numquam à me majus beneficium accepisse cognosces.* Ribadin. in vita Borgiæ lib. 2. cap. 12.

Boni.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AMplies bonum, malumq; contrahas quam maximè.
Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud desidero.
Id bonum cures senecta quod facit florentius.
Id bonum demum est, male uti nemo in orbe quo queat.
Id bonum non est quis uti quo potest benè ac male.
In bonis ducenda Virtus sola; sola nam bonum est.
In bonum malum omne transit, & bonum omne fit malum.
Nec dari nec eripi pote homini quidquid optimum est.
Maximè id nostrum bonum est quod est futuri alicui bono.
Nunquam non Deus bona offert sed nos non attendimus.
Possidentem quod meliorem non facit, minimè bonum.
Proximum quod sit bono, quodq; a malo longè id Volo.
Proximum Velis bono, quodque a malo longissimè.
Qui bonum colit propter se, nunquam deseret bonum.
Qui bonum nunquam didicere, quei bonum ipsum intelligant.
Qui bonum suum olim ferre potuit, perferret malum.
Quidquid est boni à natura; id parte ab omni & optimi.
Quis bonum id queat Vocare, quod potest Verti in malum?
Quod bonum est, est gloriosum, gloriosum haud est bonum.
Quod bonum est lubens amori, ei ja exhibe, haud formidini.
Quod bonum est præstate amori sponte, non formidini.
Quod malum esse passim quærimur, ei studemus ceu bono.
Quod petit quis ante cuncta, credit id summum bonum.
Sede ubique una moratur bonitas ac popularitas.
Segnius bonum suum omnes sentiunt quàm quod malum est.
Vix bona inVenis si quæris; sponte sed mala irruunt.
Vnicè bonum est id, uti nemo quo potest malè.
Vnum ama bonum, in quo sunt bona omnia, atque sufficis.

¶ JAMBICA.

Aroma ubi fragrat fœtere nil potest.
Bona herclè non sunt ulla, quæ desunt Deo.
Bona Vera tantum sunt sita in Virtutibus.
Bonum bono, malum usque proximum malo est.
Bonum minimè est inordinatum aut turbidum.
Bonum omne Vel Deus ipse est, aut est ex Deo.
Bonum omne, magnum est: Magnum contra non bonum est.
Bonum putant esse aliqui id, quod est utile.
Bonum sine malo in Vitâ hac esse non potest.
Bonum suum metitur esca bestia.
Cuicunque duplex additum bono malum est.
Cui quidquam abest, summum esse non potest bonum.
Deus bonorum exemplar unicum omnium est.
Et tollitur bonum, malum si tollitur.
Facimus malum ex nobis; bonum ex solo Deo.
Id optimum est quod est & antiquissimum.
Haud optimum est semper putandum quod malum est.
Hoc optimum est semper quod est turissimum.
Id optimum est in quoque, cui ipse nascitur.
Id optimum est laudes habet quod omnium.
Id optimum est, quod est idem rectissimum.
In prosperis bonorum ignoratur sapor.
Magni boni fit sæpe caussa, quod malum est.
Naturam habet constantem quicquid est bonum.
Nego bonum illud esse, habenti quod nocet.
Nemo bonum sanat malo, at malum bono.

Boni viri.

Clemens Alexandrinus: Raram avem in terris producimus in medium, VIRUM BONUM: de quo rogatus aliquando CLEMENS ALEXANDRINUS, quid sentiret; *Eũ*, inquiebat, *hoc nomine appellari posse existimo, qui Pauciſſima desiderat.* Sèper enim inops quicunque cupit. *Theat. Vitæ humanæ.*

Petrus Aldobrandinus Car. Hic sciscitanti, quodnam in terris potissimum referant mortales ex virtute præmiũ; *Vt Viri fiant*, inquit, Præclara vox! vir enim à virtute, & est & dicitur. *Henric. Farnes. in Apoph. de Principe.*

Idem: Frequentiùs dicebat: *Bonis Viris leges scriptæ non sunt, quia ultrò quod honestum est sequuntur.* quia. *Oderunt peccare boni Virtutis amore.* Ibid.

Eugenia Philippi Filia. Huic sola ea cura, ut viro bono desponsaretur. Cùm itaque eam pater in conjugem tradere destinasset filio

Nihil facit quin valde sit bonum Deus.
Nil in bonis præter virtutem ducito.
Nimium boni illi adest, cui nil adest mali.
Non est statim malum quod est minus bonum.
Non ideo quid bonum est, quoniam non est malum.
Nunquam coeunt simul in unum bonum ac malum.
Nunquam coire cum bono malum potest.
O Iupiter, serva obsecro hæc nobis bona.
Quæ mala putantur heic, sunt in cælo bona.
Quicquid bonum est, naturæ habet constantiam.
Quod est bonum, hoc habere quivis non potest.
Quod non bonum est, non est ideo illicò malum.
Rebus bonis frui libet prolixius.
Rerum omnium Deus bonarum regula est.
Res multiplex malum est, res est simplex bonum.
Sapè in bonum convertitur malum grave.
Sapor bonorum nullus est in prosperis.
Semper boni maliq; conjugatio est.
Sensus boni cujusque ad impares venit.
Summum bonum est juxta naturam vivere.
Summum bonum est mens sana, sano in corpore.
Summum bonum est quod supra se gradum haud habet.
Summum bonum haud est quod potest decrescere.
Summum bonum mage corpus, quam animum respicit:
Summum bonum, quid aliud ipse quàm Deus?
Summus Deus summi boni est plenissimus.
Tu persevera: nota res mala optima est.
Uni bono mala annexa sunt à Dijs duo.

Bonorum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AD legem bonum esse, valde est angusta innocentia.
Ah, bonus rei usum ullius cur consociat cum malo?
Arduum est quidē bonum esse verum idem est pulcherrimū.
Divitis boniq; nulla visa adhuc est copula.
E bono malus frequens fit; raro at è malo bonus
E solo repente flumen mergit ut juvet bonos.
Esse non potest bono ulla cum malis affinitas.
Est bonus putandus vitia qui redimit virtutibus.
Fronte amicum, fronte inimicum vir bonus prompte gerit.
Illico fiunt boni, sese esse qui credunt malos.
In suum trahit colorem quidquid evenit bonus.
Me bonum esse, quàm beatum nimio dici malo.
Multa non peccat bonus; sin, regere se à quovis sinit.
Neminem bonus vir odit; diligit porrò optimum.
Nemini nocet bonus vir; contrà prodest omnibus.
Non modò boni colendi sunt vivi sed mortui.
Non potest bonus vocari, qui sua caussu est bonus.
Non probi tantum admirantur, sed quoq; improbi bonos.
Non tantum bono otij est ut de malis dicat malè.
Nulli nocet; prodest quibus potest bonus.
Optimè olet rosa cū jam floret, optimè olet cùm marcida est.
Optimis est proximus, qui jam probatos diligit.
Optimum illum existimato qui minus fovet malum.
Optimū nusquam invenire est: pro optimo est minus malus.
Optimum quemque inter nos diurnare haud sinunt Dei.
Optimus nemo orbe toto est; pro optimo est minimè malus.
Optimus sanè est de quo tacent mali haud tacent boni.
Pluribus bonis honores, pluribus carent opes.
Pro bono verò est habendus se esse qui credit malum.
Qui bono est iniquus, idem tunc iniquus est Deo.
Qui bonus tantum sibi uni est, universis est malus.
Qui facit bene hunc & æquum verba consequi bona.
Qui patrum consulta servat juraque, is vir est bonus.
Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.
Quo quis est melior vir, hoc magè illi obtemperant Dei.
Si bonus vis esse, primùm credito esse te malum.
Sive floret sive marcet, optimi odoris est rosa.
Tam malum est malo prodesse, quam nocere bono malum est.
Tempore ac loco omni bonitas optimum est viaticum.
Vir bonus, bonum commune est sorte dum utitur bona.
Vir bonus feret ferenda, nec rebellabit Deo.
Vir bonus nil ore promit, corde quam quod parturit.
Vir bonus peccare pejus mille mortibus fugit.
Vir bonus prodest amicis non palam sed clam quoq;.
Vir bonus quis est? qui leges servat & mores patrum.
Vir bonus sero videtur, vir bonus non fit citò.

¶ JAMBICA.

Abundè eis boni est quibus nil est mali.
Accidere nil bono viro potest mali.
Accidere nil mali viro potest bono.
Bona omnia in cultu animi vir ponit bonus.
Bonis ferè male est, malis ferè est benè.
Bonis malè est ubique cum benè est malis.
Bonitatis est pars magna, fieri velle bonum.
Bono viro largitur & bonum Deus.
Bono viro largitur & Deus bona.
Bonum esse ad legem, angusta est innocentia.
Bonus bono prodest, nocet malus malo.
Bonus esse non potest, imitatur qui malum.
Bonus vir omnis certa præda fit malis.
Carum bono omni naturâ sua est bonum.
Constat bonus solo animo, non & corpore,
Deus bonum virum in delicijs non habet.
Difficile est esse bonum, sed & pulcherrimum est.
Difficile valde fieri aliquem virum bonum.
Discenda virtus: nemo fit casu bonus.
Ergo optimos profectò sunt Dei optimi.
Etiam boni sequuntur per metum malos.
Etiam bonus mediocribus virtijs caret.
Etiam erubescunt pro alienis vitijs boni.
In corpore haud est, in solo homo animo est bonus.
Magis arduum est præstare alios quam se bonum.
Miser potest dici, esse non potest bonus.
Multi mali uno haud corriguntur à bono.
Multum nocet bonis si desit unitas.
Natura non patitur noceant bona ut bonis.
Natura non fert, ut bonis lædant bona.
Nemo Titornum aliquem è Conone finxerit.
Necessitate qui est bonus, non est bonus.
Nocet bonum esse, sceptra cùm fert pravitas.
Non est adhuc bonus, in bonum qui fingitur.
Non est bonitas, meliorem esse ipsis pessimis.
Non est bonus, qui non acerbus est malis.
Nunquam improbam rem vir bonus patraverit.
Nunquam indolem mutat suam in malis bonus.
Pauci naturâ, plures sunt studio boni.
Plures metu boni sunt quàm innocentiâ.
Pœna metus malum abstinet; bonum pudor.
Qui non sibi, cui nam futurus est bonus?
Qui quod bonum est facit, magistratum haud timet.
Quod astra in tenebris, hoc inter malos boni.
Quod maximè proprium est cuique, & optimum est.
Refert bonus sis, an velis videri.
Sapor bonorum nullus est in prosperis.
Sibi ministrat, imperatque idem bonus.
Si quispiam est bonus, quasi malus spernitur.
Tantum à Deo differt bonus vir tempore.
Thraseam potest Nero necare, haud lædere.
Terrore quam virtute plures sunt boni.
Verè arduum est, verè fieri virum bonum.
Viri boni est, benè agere cum periculo.
Virtus facit bonum quem, non facit gradus.

Breviloquij, Brevitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

DNAZIANZENUS: Laconicè loqui non est, ut putas, paucas syllabas scribere, sed de pluribus rebus paucas. Atque hac ratione ego & maximè breviloquum Homerum esse pronuncio, & prolixum. Antimachum. Quei tandem istud? nimirum rebus, non autem literis longitudinem æstimans. *Epistola tertia.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Vera brevitas cum perspicuitate conjuncta, non in argumentorum prætermissione, sed in earum rerum, quæ ad institutam materiam nihil opis conferūt, rejectione sita est. Vt enim ea, quæ ab orationis argumento aliena sunt, ponere supervacaneum est: ita etiam eorum, quæ ad ipsius confirmationem aliquid momenti afferunt, nihil omittere necesse est. Quocirca ne tu quoque, si in pugnacem, atque in argutatricem orationem incidas, prolixitatem accuses: verùm illud cogita non aliter eam, id quod quærebatur, perspicuè declarare potuisse, nisi longo verborum ambitu uteretur. Nam si affirmandum duntaxat & pronunciandum sit, brevis sanè atque compendiosa sit oratio. Si autem probandum & demonstrandum, tum verò, ut in longum quidem extendatur, omnē autem redundantiam atque earundem rerum repetitionem fugiat, necesse sit. *lib. 3. Epist 57.*

¶ LATINORUM.

Orosius: Brevitas atq; obscuritas, imò, ut est semper obscura brevitas, etsi cognoscendi imaginem præfert, aufert tamen intelligendi vigorem. *præfatione lib. 3. adversus Paganos.*

¶ HISTORICORUM ET ORATORUM.

Halicarnassæus: Studuit ut paucissimis verbis quamplurimas res comprehenderet, multasque in unum sententias cogeret; ac tum maximè auditorem, cùm exspectat adhuc aliquid relinquerit. quo factū est ut brevitas obscuritatem pepererit. *c. 28. de judicio hist. Thucyd.*

Ausonius: Alia est ista materia, & suo parata secreto; cùm placuerit signanter, & breviter omnia quæ novimus judicare nec persequi: ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt, ali-

quanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. *Panegyrico ad Gratianum Imper.*

Ausonius: Suetonij tres libros de Regibus in epitomen redegisti, tanta elegantia, solus ut mihi videaris assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. *Epistola 18.*

¶ Poetarum.

Phædrus Fab. 86.

Adhuc supersunt multa quæ possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas:
Sed temperata suaves sunt argutiæ,
Immodica offendunt. quare vir sanctissimè
Particulo chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certè brevitatem adproba.
Quæ commendari tanto debet justius,
Quanto poetæ sunt molesti validius.

Ausonius Epistola 25. v. 33.

Quis prohibet Salve, atq; vale, brevitate parata.
Scribere, felicesq; notas mandare libellis?
Non ego longinquos ut texat pagina versus
Postulo, multiplicisq; oneres sermone tabellas.
Vna fuit tantùm, quæ respondere Lacones,
Litera, & irato regi placuere negantes.
Est etenim comis brevitas. sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert: cùm multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solùm
Est respondebat, vel Non. ô certa loquendi.
Regula! nam brevius nihil est nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata refutant.
Nemo silens placuit: multi brevitate loquendi.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Papias S. *Ioan. Evang. discip.* Quàm verùm sit illud Ausonij.

Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi;

in præsenti dicendum. Papias D. Joannis Evangelistæ discipulus, videbat multùm sermonis procacitate & copia Dei veritatem lacerari, & ad populum conversus; *Non*, inquit, *multa dicentibus sed pauca & vera tradentibus auscultandũ.* Euseb. hist. Eccles. l. 3. c. 19.

Pambo Abbas: Præclarus hac in re vir. Theophilo namque Episcopo se aliquando adeunti, & spiritualem refectionem postulanti; *Si*, inquiebat, *taciturnitate mea & verborum raritate non reficeris, neque sermonibus meis reficieris.* Hist. Tripart. lib. 8. cap. 1.

S. Antonius Eremita: Non minor hic Eremi quàm Breviloquij cultor exstitit. Reversus quippe ad discipulos, cùm multa de Paulo Eremita intricatè diceret, eò quòd eidem Athanasij pallium laturus, reditum pararet; discipulis multa inquirentibus, solum hoc responsum præbuit: *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Brevis vox, si literas & syllabas spectes; si sensum mentemque dicentis, perampla. *Hieron. in vita Pauli primi Erem.*

Anonymus: Jureconsulto pluribus verbis rem exiguam perambages deducente, ait non illepidè quidam illud Pythagoræ; *Haud est artis multis pauca, sed paucis multa dicere: si enim prius ex arte reputetur, quis eo in genere superabit hirundines aut picas?* Hinc benè monet in arte Poëticâ Horat.

Quicquid præcipies, esto brevis: ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Ex lib. Rer. memorab.

Ferdinandus Imp. & Miles: Fideli relatu ad me pervenit, Ferdinando Cæsare orbis habenas moderante, quendam, quòd multis annis ejus obsequio se devovisset, ac vitam non semel ancipiti periculo exposuisset, solutionem efflagitasse. Insinuatur Imperatori, adesse veteranum militem qui se præstoletur. at ille, In aliud, magisq; opportunum tempus redeat oportet, inquit. Miles, quid ageret? instat, vociferatur: *Ecquid*, inquit, *tantumne itineris frustra confecero? tribus tantùm verbis omne exequemur negotium: neq; res magna est, Imperatorem tribus dumtaxat verbis præbere aures.* Defertur iteratò ad Ferdinandum: qui importunitate hominis victus, Veniat, inquit, ea lege, ut non plura quàm terna verba depromat. paret alter, & ad Imperatorem ingressus, cùm rogaretur, quid peteret, ita effatur: *Solutionem vel dimissionem.* cui Ferdinandus replicando, *Non dimissionem*, ait *sed solutionem.* Incerti auct.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad virum loqui disertum plurima erubescimus.
Heu, quam multa sapiens verbis exprimit brevissimis.
Longa non sunt, quæ nihil est quod quis possit demere.
Pauca ea eloquare paucis, si tacere non potes.
Plus brevitas odio est intricata, quam teres prolixitas.
Postulanda verbis strictis res necessaria est.

¶ Jambica.

Breviora semper eligit, cùm fas, Laco.
Dixit benè abundè quirei fecit satis.
Fastidium audientiæ prolixitas.
Minimum loquaris cum alijs, tecum plurimum.
Non multa sapiens inter stultos fabitur.
Perspicua quæ sunt esse longa non decet.
Prolixa non est perturbatio oratio.
Prolixus esse malim quàm nimis brevis.
Prudentis animus verba pauca funditat.
Sermo senilis ut gravis sic est brevis.
Vnum sapienti verbum dictum sufficit.

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER III.

Cadaveris.

¶ Sententiæ historicorum Oratorumque.

Diodorus Siculus: Consternate acies utrinq; ob amissos duces, titubare. Lacedæmonij tamen ad extremum victores trophæum statuerunt. Athenienses verò receptis per inducias cadaveribus, terræq; mandatis, domum renavigaverunt. *libro 12. Bibliothecæ cap. 74.*

Diodorus Siculus: Athenienses victis ad collem Eubœensibus & conductitijs, cadavera in potestate habebant. Contra Bœoti, quod acie Lacedæmonios vicissent, cæsosq; in arbitrio suo haberent, victoriam sibi tribuere. Et ad tempus, neutra pars de tollendis ad sepulturam cadaveribus, legationem misit, ne primas hosti concedere viderentur. Primi tamen Spartani suos ad sepulturam misso caduceatore repoposcerunt. & tum suos utrique humarunt. *lib. 15. bibliothecæ cap. 87.*

Livius: Militem Pœnum natura & moribus immitem ferumq;, insuper dux ipse Hannibal efferavit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue, faciendis. &, quod proloqui etiam piget, vesci humanis corporibus docendo. *loquitur Varro lib. 23 cap. 5.*

Justinus: In eo prælio Archidamus dux Lacedæmoniorum vulneratur qui cùm cædi suos jam ut victo videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poposcit. hoc enim est signum apud Græcos victoriæ tradiræ. Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dederunt. *libro 6. c. 8.*

Florus: Hoc à prælio profugi, cùm se Mundæ recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, ex congestis cadaveribus aggere effectus est, quæ pilis jaculisque confixa inter se tenebantur: fœdum etiam inter barbaros. *libro 4. cap. 2.*

Tacitus: Cadavera suorum, etiam in dubijs prælijs referunt Germani. *cap. 6. Germaniæ.*

Tacitus: Cadavera clarorum virorum in Germania, certis lignis cremantur. Strues rogi nec vestibus, nec odoribus cumulatur: sua cuique arma, quorundam igni & equus adijcitur. *cap. 27. Germaniæ.*

Idem: Judæi cadavera condunt more Ægyptio, non cremant. *lib. 5. Hist. 2 cap. 5.*

Quintilianus: Pœnis nostris jam ne fames quidem satis est. Hoc non omnes feræ faciunt: & quãvis sensu careant muta animalia, pleraq; tamẽ innocentibus cibis vescuntur, uti quæq; consueverũt. Inter homines etiã si alienis mẽbris imprimunt dentẽ, mutuo tamẽ laniatu abstinent: nec est ulla super terras adeo rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Non quibus divina providentia mitiores cibos concessit, quibus sociare populos, mutuo gaudere comitatu, sidera oculis animisq; cernere datũ est: visa non ante nos fecimus, nigros fame dẽtes pallidis cadaveribus impressimus, & inter horrorem ac famem restrictis labris morsus abrupimus. *Declamatione 12. §. 39.*

Quintilianus: Tormenta quidam piratarum tulerunt, felices quibus obtigit innocentia. mors certè finis est, nec sævitia ultra fata procedit. aut etiamsi quis adeo hominem exsuit, ut ibi pœnam quærat, ubi sensus doloris non inveniat, nempe tamẽ cadavera feris obijciet. Circumdati sunt quidam flammis; Ipsa tamen pœna habuit sepulturam. *Declamatione 12 §.*

Videantur plura titulo *Cladis, Famis, Sepultura, Mortis, Hominis.*

Cæcitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

Basilius Seleuc. Cùm ipsis esset oculi demortui, aures necessariò oculorum vicem corpori subserviebant, & vicinus sensus usum minimè suum commodabat. Singularum quidem partium corporis noxa communi molesta est : oculorum verò privatio vitam facit minimè vitalem. Nam si pedes affecti fuerint, corpori cursus adimitur, oculi interim suo adspectu dolorem levant ; & si morbo impediantur, amicos oculus exorat ad subsidium trahens ; & si aures virtute sua destituantur, hic oculus nutibus necessitatem solabatur : exstincto verò oculo sensuum colligatio universa commoritur, inertia corpus impeditur, pedes cursum negant oculum ducem reposcentes, manus artes excutiunt simul cum oculo occæcatæ, auris præsentem, si tacet, nequit indicare, lingua vincitur nosse non valens, cui loquatur, huic sol astris frustra stipatus præluceat, Luna tædis illustrans noctem, hunc à caligine liberare non valet, non purpurascens undisque ridens mare, non tellus pratis & floribus germinans, vermisque coronata gratiis jucunditatem affert ullam : sed est contrectatio quædam vita sic condemnata, vita nocte una commensa, mundus invisibilis, artificii mundani pulchritudo ipsi incognita. Quod enim sol in mundo, hoc oculus in corpore. *Oratione 36. med.*

Ennodius: Sunt feminæ, quæ quamvis exterioris hominis lumina perdidissent, mentium splendore radiabunt. Quicquid enim corporibus de prosperitate subducitur, ad frugem crescit animarum. *lib. 8. Epist. 5. p.*

¶ ORATORVM GRÆCORUM.

Libanius : Multa & magna eos qui oculorum luce sunt privati, circumveniunt infortunia : sed hoc certè longè maximum est, quod ipsi dum quippiam agunt, latere neminem possint ; omnes autem ipsis impunè insidientur. Quomodo igitur cædem aggressus essem, dum vererer, ne quis cerneret, & hanc maximè quæ una dormiebat, caverem. Quei verò illum ipsum agnovissem, quem interimere statuissem, qui perpetuò manu ducebar? *Declam. 44.*

Libanius : Non igitur mihi usquequaque misera cæcitas fuit : non fuit prorsus inutilis nobis calamitas : adfert etiam aliquod persæpè lucrum, ingens infortunium. Ergo prosperitatem recens habui adversitate. Non spectaculum illud horribilissimum vidi. Nõ casum tam inhumanum aspexi. Atque utinam aurium quoque vis simul adempta fuisset ; & utroque sensu mutilatus essem ! At enim sic nec visu, neque etiam auditu ærumnam percepissem. Nunc verò aspectu in lucro reputato, auribus cladem cognovi. Nam qualis, ô Sol, dramatis facinus nobis renunciarunt? quàm truculentæ cædis specimẽ? Parens ille infelicissimus, in qua dormiens conformatione fuit ; eadem etiam mortuus jacebat : ictu quidem hominis interfectus ; proprio verò undequaque sanguine & tabo circumfusus. Hæc autẽ quavis bellua impurior cæde patrata prope cadaver quiescebat. Et gladi⁹ ille infelix magis horrendum effecerat spectaculum : notus quippe erat, quod filii esset : quòd verò flagitium eo ausum fuisset, terribiliorem cladem demonstrabat. Hæc cùm docerem & enarrarem, quomodo me putatis affectum ? qui verò etiam hoc in animo habens ense trucidare decrevissem, ut contra me quoque plaga inferretur. *Declamatione 44.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus senior : Lex scripta est, ut is qui excæcaverit, aut talionem patiatur, aut ducis opera fungatur. Ejus igitur illa fuit cogitatio : meruit quidẽ qui eruit oculos, ut ipse perdat : si tamen habuerit misericordem, si inciderit in eum qui aliquatenus iræ suæ rationem possit, gratiam referat ; præstet oculos qui eruerit, & in vicem erutorum luminum ipse succedat. *Declamatione 297.*

Quintilianus : Amittitur cum oculis cogitationum omnium temeritas. *Declam. 1. pr.*

Quintilianus : Cæcitatis miseræ solatium est, habere rem videntium. *Declamat. 1. §. 2.*

Quintilianus : Temeritas omnis animorum, calamitate corporum frangitur, & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. Ad solum se alligant destituta mœrorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timidus, non concepit nefas ad quod ducibus oculis pervenitur. Cogitat semper errare & offendere, cogitat eundi redeundique difficultatem. Magna innocentiæ necessitas est, neminem facilius posse deprehendi. Semper se custodiunt miseri, ne esse miserabiles desinant : & quisquis amisit oculos, laborat ne meritò perdiderit. Quid aliud cæcitas discit, quàm rogare, blandiri? Odium omne adjuvant oculi, & hunc in pectoribus humanis furorem lumina accendunt : nec levis animis accedit insania, quoties quem execreris aspicias. Cæcus miserior est quàm ut invisus sit ; timidior est quàm ut oderit. Præterea nocentibus liberis frequentissimas ad parricidium causas suggessit illud, quod videbant : viriis enim nostris per oculos via est. Aliis tradidit in parentum sanguinem luxuria ferrum, luxuria videntium crimen. Aliis meretriculæ amor immodica poscentis ; amor cui renunciant oculi. Cæcus infelix patrem occidit? deinde cui manum porriget securior? cujus humeris levior incumbet? quis contumelias servorum castigabit severius? quis calamitatem tam obnoxiam majore reverentia proteget ? Inter felices alius est ordo votorum : cæcus filius optat superstitem parentem. *Declamatione prima, §. 5.*

Quintilianus : Cæcitatis beneficium est, cùm illi secretum datur. *Declamatione 1. §. 16. p. & mox* : Secretum quod cæcitati præstatur, ideo præstatur, ut minus oculi desiderentur.

Idem : Cæcus in parricidio, non debet suspectus fieri, sed deprehendi. *Declam. 2. §. 1.*

Quintilianus : Facinus est, Judices, si cæcos habere non credimus, nisi necessitatis innocentiam. Prima est infirmitas cæcitatis, ut nolit. Fallitur quisquis hanc calamitatem non animorum putat esse sed corporum. Totius hominis debilitas est, oculos perdidisse. Et si diligenter actus intuearis humanos, ministeria luminum sumus. Cæcus non irascitur, non odit, non concupiscit : & cùm corpora nostra vigorem de luminibus accipiant, pereunt cum suis vitia causis. *Declam. 2. §. 7.*

Idem : Debet videri, mulier heres maritum, an patrem cæcus exhæredatus occiderit. Habeant sanè hanc nefariæ cupiditatis festinationem, quos vitiorum ardor, quos quotidie luxuria præcipitat. Quo cæco hæreditatem vel innocentem? Oculi sunt, oculi, per quos paupertatem ferre non possumus. Oculi tota nostra luxuria. Hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt. Facilius impleas animi satietatem. Quo, per fidem, divitias juveni, apud quem omnium rerum diversitas periit? Circumdes licet hanc debilitatem fulgore, divitiis : cæco tamen tunc magis cuncta decent cùm contigerunt : nec invenias debilitatem cui magis cum paupertate conveniat. *Declam. 2. §. 8.*

Quintilianus : Facillimum est cæci decipere secretum. *Declamatione 2. §. 10.*

Idem : Homo expositus ad omnem occasionem, ad omne ludibrium, quem tactus, quem proxima quæque decipiunt. §. 11.

Quintilianus : Ambulantis cæci nec manus cessant : præmittuntur, explorant, & adesse se nunciant. Illa per quæ complexus veniunt, non sunt in potestate cæci, quibus toto se fateatur strepitu. Quidquid occurrit, nequaquam potest evitare cæcitas nisi offensa. Ut ambulare, ut ingredi nocte possimus, dies facit. *Declamatione 2. §. 15.*

Quintilianus : Quod, per fidem, majus subitæ confusionis argumentum est, quàm quod cæcus exiluit & stetit? Gravius necesse est expaveſcant, quibus de solitudine sua non renunciant oculi ; & quorum conclusus animus non exit invisus, non habet unde timori suo par sit. *Declam. 2. §. 20.*

Idem : Si mala sua ideo non sentit quia non videt, & hoc boni cæcitas habet ; eruat aliquis oculos meos. Sed tenebræ corporis affectibus non obstant. *Declam. 6. §. 8.*

Plinius junior : Catullus Messalinus luminibus orbatus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat : non verebatur, non erubescebat, non miserabatur. Sæpius à Domitiano, non secus ac tela, quæ & ipsa cæca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. *lib. 4. Epist. 22. ante finem.*

Quintilianus : Quando omne tormentum corporis abest, dolorque membrorum, qui totam cogitationem in se rapit, feliciter cessat : supereſt ut cruciet nimium otium, & assidua quies, res si non sint necessitate jucundæ. Nam visus damnum sarciunt reliquæ voluptates, odor, gustus, tactus, auditus : quibus tametsi deesse summam fatendum est, non est tamen maximæ calamitatis loco numeranda parum plena felicitas. Domus certè propria, lectusque genialis, conventus propinquorum, sermo amicorum, ipsa (quod rarò contingit) honesta calamitas, & in quacunque fortuna beata libertas, tot voluptates obruere possunt unum dolorem. Nam lucis desiderium, si malis meis compares, etiam delicatum est. Non enim aliquid rerum natura genitura est spectaculo nostro novum, ac non quicquid speciosissimum pulcherrimumque visuri sumus, vidimus. Nempe cotidie nox oritur, & æquam temporum portione involvit obscuritas, & ex parte sui ipsa quodammodo cæca natura est. Cui alienis oculisuti licet, audire, imperare, cujus ministeriis officia non desunt (non ei defuerunt, nisi se erigit, & fortunæ suæ rationem reddit) miser non est, præsertim in tam bona cæcitatis conscientia, animi vitio miser est. Non debet dolere quippiam qui potest gloriari. Quanquam cujuslibet & quacunque causa hunc incursum passæ, levius est tamen malum feminæ. Non enim navigatis, non legationem obitis, non frequenti peregrinatione variatis aspectus : non militaris vos, non forensis ratio deducit. Alioqui semper estis intra domum, uno plurimum in loco, levibus officiis affixæ. *Declamatione 6. §. 18.*

¶ POETARUM.

Ennodius Epigr. 112. de cæco luxurioso.

Quis putet ex oculis flammas coalescere turpes?
Nil videt, & rectum servat iter scelerum.

Aristophanes Pluti v. 15.

—— herus meus vestigia
Cæci hominis à tergo subsequitur videns :

Longèque fœcus facit, quàm facere eum decet.
Nam qui videmus, altos cæcos ducimus.
Ovidius lib. 5. Triſtium. Eleg. 6.
Geditur & cæcis, & quos prætexta verendos,
Virgaq; cum verbis imperioſa facit.

¶ Emblematis.

Camerarius XCIV. Centur. 2.

Atris obſcura tenebris.

Heu mortale genus ceu talpæ, lumine captum,
Cœleſti donec reſtituatur ope.

¶ Apophthegmatum Chriſtianorum.

Pygmenius Presb. Romanus: Quàm grata nonnullis, ex ſe alioquin formidabilis, & perpetuæ noctis imaginem referens Cæcitas; monent illi ipſi, ex ordine proſequamur. Principatum inter eos obtineat Pygmenius: qui nihil æquius in vita tulit, quàm ſe luminibus privatum, ne Eccleſiæ hoſtes vel invitus deberet intueri. Quare Juliano Apoſtatæ factus obvius, qui ironicῶs dicebat, Gratias diis ago Pygmeni, quòd te videam; conſtanter reſpondit: *Et ego gratias ago Deo meo, quòd te non videam.* Tanto animo cæcitatem tulit, quanto tyrannum deſpexit. *Beda in Martyr. Sabell. lib. 5. Euſeb. & alij.*

Inarius Chalced. Epiſc. Conſimilem expertus fortunam, non diſſimilem etiam conſtantiam exhibuit. Nam cùm ei crebriùs inſonaret præfatus Apoſtata, Galilæum ſuum (ita Chriſtum familiari voce per contemptum vocabat) pro viſu recipiendo, quem ei ſenium & vigiliæ ademerant, deprecaretur: animosè in eum debacchatus; *Gratias*, ajebat, *ago Deo, qui mihi viſum ademit, ne te hominem tam impium aliquando vel invitus videre cogerer.* *Fulgoſ. lib. 6. cap. 2. ex hiſt. Eccleſ.*

Antonius Eremita: Intellexerat & hic Didymum ægriùs ferre oculorum & luminis orbitatem. Quare ad eum properans; *Nihil*, inquit, *ô Didyme, te offendat, quòd carnalibus oculis tibi orbatus videris: deſunt quidem tibi oculi animales; ſed lætare, quòd eos habeas, quibus Deum videas.* Parum eſſe reputans oculis corporis privari, modò mentis lumen in nobis retineamus. *Hiſt. Eccleſ. Euſeb. & Tripart.*

Idem: Iteratò Didymum affatus, rogabat, utrum ſe oculis captum doleret; eoque ſubticente, urgebat reſponſum, ac tandem mœrorem fateretur, compellit. Quo confitente, rurſus Antonius: *Miror virum prudentem ejus rei dolere damno, quam formicæ & culices habent; & non lætari illius poſſeſſione, quam Sancti ſoli & Apoſtoli meruerunt.* Inſinuans, oculos mentis potiores corporeis luminibus. *Socrat. lib. 4. Hiſt. c. 10.*

Petrus Abbas Clarævall.: Hic quoque oculorum lumine orbatus, dicebat: *Quàm gaudeo, me è duobus inimicis, alterius moleſtia liberatum.* *Marull. lib. 5. cap. 4. Sabell. lib. 3. cap. 6.*

Theotimus Anonymus: Ad alios tranſeo, qui magnum & præclarum illud oculorum donum, exiguæ voluptatis pretio, imprudenter non minus quàm impiè cõmutarunt. Quis hoc loco B. Ambroſium ſileat; qui de Theotimo quodam refert, quòd cùm graviter ex oculis laboraret, eique à medicis coëundi cum uxore interdiceretur facultas, niſi oculis omnino privari mallet; libidinis impatiens, ac parére recuſans, cùm in ipſo æſtu ſe jam oculis orbari ſentiret, clamarit: *Vale amicum lumen.* Quàm benè ille, & meritò cum Ethnico illo Rege exclamaret: Hei quantum bonum brevis voluptatis cauſa perdidi! *Amb. ſup. Luc. cap. 4.*

Potor Anonymus: Ejuſdem farinæ iſte, oculorum lippitudine afflictus, medicum vitiato lumini medelam flagitat. Ille, Facilis ea erit, inquit, modò fomitem & mali hujus cauſam tollas, potationem. Ad quod ira penè ſuccenſus noſter Bacchicola: *Quid*, inquit, *potationem? non fecero, ut quoad vivo, delicias meas oculis poſtponam.* Ergo, ſubinfert medicus, omni lumine privandus. *Eſto*, ait potor; *malo certè cum jucunditate oculos perdere, quàm cum dolore eos vermibus eſcam conſervare.* *Auct. Serm. convival.*

¶ Monoſticha Trochaica.

Ah! ſcelus quale, excæcare virginis pulchræ genas.
Argumentum cæcitatis eſt ductores quærere.
Corporum mala eſt, ſed pejor cæcitas eſt mentium.
Eminus vident ſenes qui cominus cæcutiunt.
Imperant cæcis videntes, non cæci videntibus.
Indiget ductore cæcus, nedum ut dux ſit alteri.
Lucis expertem agere per ſe pœna vel graviſſima eſt.
Nil proclivius, ſecretum quàm excæcati fallere
Paſſim aves parum videntem convolant ad noctuam.
Si quid cæci agunt latere neminem tamen queunt.
Strenuiſſimos quoque auri cæcat inclutum jubar.
Tun' videns Dei occæcati inhæreas veſtigiis?
Vt comitatior puero uno quis ſit, adfert cæcitas.

¶ Jambica.

Amantis anima utroque cæca lumine eſt.
Amata res viduat amantem lumine.
Cæco beneficium eſt, ſecretum illi cùm datur.
Cæcus mero vix ſenſerit lucem die.
Eſt cæca item, ceu luctus, iracundia.
Eſt cæcitas pars magna & innocentiæ.
Excæcat auri fulgor ipſos Lynceos.
Heu maximum omnium malorum cæcitas!
Injurioſa eſt nil videnti claritas.
In literis cæcus videbat Claudius.
Malo ſuo lippus jubar ſolis videt.
Nihil magis cæcum hiſpida imprudentia.
Nihil vidit cæcus præterquam dormiens.
Obnoxia omni cæcitas injuriæ eſt.
Plerisque cæca mens adeſt mortalibus.
Recta ingredi miſella neſcit cæcitas.
Sis in tuis Lynx, Talpa ſis ad cætera.
Viſu carentem magna pars vers latet.
Vnoculus inter cæcos regnum poſſidet.

Cædis.

¶ Sententiæ Patrum.

D. Greg. Nyſſenus: Dividitur cædes, differentia voluntariæ & involuntariæ. Et eſt cædes quidem voluntaria, quæ præmeditatè ſuſcepta eſt ab eo qui ſe ad hoc comparaverat, qui hoc facinus perpetraret. Deinde illud quoque in voluntariis æſtimatum eſt, quando quis in congreſſu verberans & verberatus, manu plagam mortiferam intulerit. Qui enim ira ſemel victus eſt, & animi appetitioni cedit, nihil eorum quæ malum poſſent amputare, ei in mentem venit. Quare & illic quoque qui ex concertatione profectus eſt cædis eventus, in factum voluntarium, non in caſum confertur. Involuntariæ autem habentur manifeſta indicia, quando quis alicui alteri rei ſtudium applicans, caſu graviſſimum aliquod malum patraverit. *Epiſtola ad Letojum.*

D. Nazianzenus: Si eum qui animo tantùm & voluntate, non autem re ipſa, cædem perpetravit, cædis damnandum putas, ſit ſanè is quoque apud te pro baptizato, qui baptiſmum citra baptiſmi ſuſceptionem expetivit: ſin autem illud non admittis, quónam pacto hoc admittas, haud ſanè perſpicio. *Orat. 40.*

Iſidorus Peluſiota: Si cædes illæ quidem quæ aliter committuntur, non ſunt puræ atq; innocentes; à bellis autem ſcelus abeſt, quam ob rem, inquis, Moſes eos qui ex bello revertebantur extra caſtra purgandos relegavit? Ajo igitur: Quamvis legitimæ eſſe videantur hoſtium in bellis cædes, & columnæ victorum eriguntur, præclara ipſorum facinora prædicantes: tamen ſi accuratæ ac ſupremæ cognationis quæ inter homines eſt, ratio habeatur, ne has quidem planè innoxias eſſe. Quam ob cauſam ipſis præcepit, ut purgationibus & aſperſionibus uterentur. *lib. 4. Epiſt. 200.*

Syneſius: Cui hanc epiſtolam commiſi, negotii gerendi cauſa proficiſcitur, quod narrare mihi ne fas eſt. Quemadmodũ verò virtutem jam inde à teneris colat, & dictu fas eſt & veriſſimum. Igitur tu eum, perinde ac virum probum honorabis; quam verò accuſationem ſuſcepit, proprium fatum expleat: nunquam enim quantumvis juſtam necem attigeris. *Epiſt. 68.*

Ennodius: Non cum viri fortis laude perimitur, qui unde venit neſcit occaſus. *Paneg. Theod. cap. 9. pr.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Non te pudet, per Dicen ipſam, tam abſurda detuliſſe de viro patre; &, ut arbitror, & ſcitis omnes, moribus moderatiore, & ſpiritu & iracundia humanius quàm iſti ſe habente, & non ferarum agreſtium more inſiliente? & quid loquor de meis, quos ego & connubio conjunxi, & alui, & inſtitui? ſed quem è civibus ejuſdem urbis: ſed quem ex incolis vicini oppidi: ſed quem è remotioribus ſolum omnino hominem putas interficere voluiſſe abſque jure aut legibus? Verùm cur non dimiſſis Naturæ ipſius alumnis, quos etiam invitus quis miſeraretur; homo videlicet homines; à vilioribus ſermonem inſtituo? vides hortulanos iſtos in agris? neque hi unquam à ſtirpium ordine ramum avellunt; tantum abeſt, ut arborem totam temerè exſcindant, niſi prius ſterilitatem ejus damnaverint. Et non idem judicium circa hæc ſola adhibent: ſed ne herbam quidem ullam ex horto vel viliſſimam nulla ſubjecta cauſa avellerent. Ubinam verò tibi accuſatione digni, qui eos interimunt, quos lex permittit? Quòd ſi actionem cædis inſtituendam adverſus me cenſuiſti, cur non etiam in Judices? quoniam per ipſos non pauci legitimè occiſi ſunt? enſis eo loci, & prorſus unum atq; idem opus eſt, & manus ex æquo armata eſt: & eorum qui perierunt modum non diſſimilem videre licet: adulteri & malefici etiam apud illos. Hoc profectò ſcelus etiam nunc viget ex domo mea, ex eodem genere meo: ô Dii tutelares, & tale piaculum vos domi perfectum cernere ſuſtinuiſtis: fortean etiam apud ſedem veſtram meditatum. Quòd ſi omnia apud utrumque extant, & digni qui occumberent erant: nimirum apud neutrum maligne quidquam commiſſum

commissum esse constat. occidi certè, sed non sponsum. trucidavi, sed non filiam. corripui gladium; sed in iis in quibus lex permittit. dextram armavi; verùm unde etiam legislator carnificem armat. adulterum interfeci, eiq; adulteram adjunxi: & quòd meritò interemerim, quò minus cædes facta videatur, efficit, non facit quò minus cædes aliud quiddam sit, sed quid justè concertaverim. *Declamat.* 35.

Libanius: Si tanta improbitas ex civitate expellenda fuit, benè à me factum qui utrumque occidi. Imò & hac ratione ii qui procubuere, à nobis beneficium acceperunt. Quid enim fœdius quis dicere habeat, quàm turpiter & cum dedecore vitam degere? Jam verò si illi generosa mente fuissent, & modestam ex pœnitentia cogitationem induissent; nónne ipsi sibi ipsis hoc, quod nos, jamdudum facere prævertissent? Quod ne malè audirent vitam cum morte cõmutarunt? olim quidam contumelia in corpore accepta, vi fortasse hostili, deinde ab alia quavis necessitate, post contumeliam ipsi manus sibi violentas inferentes cadunt; & quòd animo sapiant & contineant se, confirmant, tametsi fortuna corpus violenter coëgerit. Nam quid miserius est quàm adulterum esse? quid item mulieri temperanti non levius & tolerabilius est, quàm viri lectum maculare? *Declam.* 35.

Idem: Si cædere vel profligare, vel aliud quippiam eorum quod vetitum est legatis facere, vobis veniat in mentem aggredi, non tam eos qui perpessi fuerint, quàm vosmetipsos mulcta affectos iri. Nam qui injustè occisus est, à nemine unquam improbus est judicatus; quin hoc passus fuerit, quod paulò post sua sponte subiisset: verùm iis qui injustè occiderunt, & apud Deos & apud homines ratio reddenda est; & injustitiæ labes ad omne genus promanat. *Ulyssis oratione ad Trojanos.*

¶ Romanorum.

Quintilianus senior: Imprudentis cædis damnari, genus absolutionis est. *Declamationis* 248. *fine.*

Idem: Nulla tanta esse potuit prudentia majorum (quanquam fuit summa) ut ad omne genus nequitiæ occurrat. Ideoque per universum, & per genera singula conscripta sunt jura. Cædes videtur significare sanguinem & ferrum: si quis alio genere homo fuerit occisus, ad illam legem reverremur: si inciderit in latrinas, aut in aquas præcipitatus, si in aliquam immensam altitudinem dejectus fuerit, eadem lege vindicabitur, qua ille qui ferro percussus sit. *Declamat.* 350.

Quintilianus: In cæde nemo utitur ferro nisi alieno. *Declamatione* 1. *pr.*

Quintilianus: Mavult in cæde alieno uti quàm suo gladio, quisquis illum relicturus est. *Declam.* 1. §. 2.

Quintilianus: Quisquis ferrum præparat sceleri, sic illud habet, ut possit suum negare. *Declam.* 1. §. 7.

Idem: Mehercule si percussor intrasset, qui videret, qui lumen præ se tulisset, non tamen tam feliciter librasset ictum; quem etiamsi nullæ fallent tenebræ, metus & conscientia, magni sceleris testes, incertum fecissent. Rarò contingit semel ferire carnifici, quamvis componat cervicem, & exercitata manus, homicidium novissimè velut quoddam genus artis exerceat. Sic ergo libravit manum cæcus, ut ipsam protinus feriret animam. *Declam.* 1. §. 9.

Quintilianus: Gladius cruentatus, novissima probatio debet esse, non sola. *Declam.* 2. §. 4.

Quintilianus: Quod uno ictu occisus est senex, ad te suspicio magis respicit. Tu præparare corpus illud ad ictum potes, dum videris amplecti. Tu blanda manu prætentare pectus, ubi assiduo visceris pulsu non quiescat anima, ubi statim mors sit, ubi de spiritu sanguinis ictum explorare ante & cognoscere liceat. Potest & uno ictu mulier occidere. *Declam.* 1. §. 14. *f.*

Idem: Hominis qui ferro occiditur tumultuatur exitus, & similis est repugnanti. Quid quod necesse est, nulla mors inquietior sit, quàm quæ statim tota est. Nam quod dormiens occisus est, non est quod sic existimetis, tanquam per illam quietem transierit in mortem: sit aliquid necesse est inter soporem mortemque medium; nec potest jungi tanta diversitas, cùm sit somnus ipse pars vitæ. Non multùm interest, quietem nostram ratio vitæ rumpat, an mortis. Hominem qui dormiens occiditur, ipsa mors excitat. Sanè non habuerit supremam vocem; habet utique palpitationes, habet motus, & quicquid totus lectulus sciat. *Declam.* 2. §. 17. *m.*

Quintilianus: Felicius prorsus est palam occidisse quem timeas. *Declam.* 4. §. 20. *f.*

Quintilianus: Quis est credibilior in cæde pauperis, quàm dives inimicus? Aut de quo facilius constare posset scelere, quod causam non habet, nisi de sola ultione? *Declamatione septima*, §. *nono, princ.*

Quintilianus: Plus est quod affirmo, Filium in conspectu patris occidere sic operæ pretium est, si illud ipse facias. Perdidit plurimam de sceleribus voluptatem qui mandat; & minus gratiæ rebus ex nuncio venit. Occidet alius te jubente; sed vulneribus illis non fruentur oculi: sed plus est ut singultibus abeuntis animæ, ut cruore satieris, ut collapsum palpitantemque videas, ut patre vidente. *Declam.* 7. §. 11. *pr.*

Cælibatus.

¶ Sententia.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 84.

Nam mihi, Deum virtute dicam, propter divitias meas,
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere.
Sed nolo mihi oblatratricem in ædes intromittere.
P. *Cur non vis? nam procreare liberos lepidissimum est onus.*
PE. *Hercle verò: verùm liberum esse, id multò est lepidius.*
Nam bona uxor, si ea quidem deducta est usquam gentium,
Vbi eam possim invenire? verùm eámne ego ducam domũ,
Quæ mihi nunquam hoc dicat, Eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicæq; hybernæ bonæ,
Ne algeas hac hyeme. hoc nuquã verbum ex uxore audias.
Verùm priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet.
Dicat, Da mi vir kalendis meam quod matrem juverit:
Da qui farciat condiatq;: da quod dem Quinquatribus,
Precatrici, conjectrici, ariolæ, atque aruspici.
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit.
Tum patricam clementer non potest quin munerem.
Iam pridem quia nihil abstulerit, succenset ceraria.
Tum obstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi:
Quid? nutrici non missurus quidquam, quæ vernas alit?
Hæc atque hujus similia alia damna multa mulierum,
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus simi les sermones serat.
P. *Dii tibi sunt propitii hercle! nam si istam semel amiseris*
Libertatem, haud facile te in eundem restitues locum.

Eadem scena, vers. 108.

At illa laus est magna, in genere & in divitiis maximis,
Liberos hominem educare, generi monumentum, & sibi.
P. *Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis?*
Nunc benè vivo & fortunatè, atque ut volo, atq; animo ut libet.
Mea bona mea morte cognatis dicam: inter eos partiam.
Illi apud me edũt; mecurãt, visunt, quid agã, ecquid velim:
Priusquam lucet, adsunt, rogitant noctu an somnũ cœperim.
Eos pro liberis habeo quin mihi mittunt munera:
Sacrificant? dant in de partem mihi majorem quam sibi.
Abducunt ad exta me ad se, ad prandium, ad cœnã vocant.
Ille miserrimum si retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis: ego mecum mussito,
Bona mea inhiant, certatim dona mittunt & munera.
PA. *Nimis bona ratione, nimisumque aperta, tu multũ vides.*
Et tibi sunt gemini & trigemini, sitne bene habent filij.
P. *Pol si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis.*
Censerem emori, cecidisset ne ebrius, aut de equo uspiam,
Metuerem ne ibi defregisset crura aut cervices sibi:
Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque talione cælebs in maritatas ruit.
Cælibi lis nulla: rixa fervet inter conjuges.
Conjuges rixantur, expers litis ædes cælibum est.
Non habenti uxorem, magna danda haud est potentia.
Pluris unus fit maritus, quam viginti cælibes.
Publicæ rei minus bene consulunt illiberes.
Rixa vexat conjugatos: cælibes non litigant.
Quando habeo multos cognatos, quid opus est mihi liberis?

¶ Jambica.

Cælebs honores si gerit, gerit malè.
Cælebs oportet is sit qui non litigat.
Et cælibatu orbem universum destruas.
Honore dignum cælibem quis æstimat?
Miserior est cui moritur uxor cælibe.
Mortem libens cælebs obit pro patriâ.
Quidquamne lecto libero jucundius?
Ritu ferino degit uxore carens.
Videre gestis cælitem? ecce cælibem.

Videantur plura titulo, *Orborum, Hæredipetarum, Conjugii, Matrimonii, Virginitatis, Castitatis.*

Cœli.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Greg. Nyssenus: Quemadmodum cœlum intuentes, & quodammodo per visoria instrumenta pulchritudinem quæ in sublimi est, attingentes, esse quidem quod apparet

apparet non ambigimus; quid autem sit interrogati definire oratione non possumus: sed solùm circularem ambitum universi contemplantes admiramur. Atque planetarum concordem & concinnũ motum in contrarium: circulúmque quendam, qui Zodiacus dicitur, in obliquum polo insculptum, in quo motionem eorum quæ in contrarium volvuntur, observant harum rerum docti & sapientes. Luminarium autem differentias secundùm magnitudines, & ipsorum proprietates ortusque & occasus, secundùm circularem anni circuitum in iisdem semper temporibus factas sine errore illo & evagatione, coitúsque errantium, & sub cursus subeuntium & defectus supereminentum, & terræ obumbrationes, & revolutiones deficientium, multiformémque Lunæ mutationem, solísque in medio polorum motum, ut propria luce plenus est, suísque radiis in circulo coronatus omnia sua illustrante potestate complectens, interdum etiã ipse deficit, lunari corpore, ut ajunt occurrante & obumbrante. Atq; ut pro voluntate ordinantis semper suum cursum conficiens, circuit & obambulat per sibi constitutum progressum & ordinatum locũ, quatuor anni diversa tempora in seipsis convolvens: hæc suspicientes quæ apparent, esse quidem per ea quæ cernimus non dubitamus, sed rationum essentiam cujúsque eorum quæ sunt, tantum abest, ut intelligamus, quantum si neque principium sensu quod apparuit cognovissemus: sic & mundi factorem quòd certè sit novimus, essentiæ autem rationem sive definitionem nos ignorare non negamus. *Oratione 12. contra Eunomium.*

D. Chrysostomus: Tu porrò ut magistratum adipiscaris, furtorum tibi occasionem daturum (neque enim id genus commodum lucrũ ipse appellaverim) facultates extrudis, atque adeo ære alieno contracto, si necesse est, & uxorem quoque unà cum liberis pignori opponere non vereris; proposito autem cœlorum regno, principatu successorem non habente, vel Deo ipso jubente, non ut partem anguli terræ, sed totum ipsum cœlum capias, cunctaris ac tergiversaris, & ad pecunias ore hiante stas; nihil cogitans, si cœli hujus partes eæ quas ad nos conversas vides, tanta sunt tùm pulchritudine, tùm delectatione, quales tandem esse possint superiores illæ partes, quales item cœli cœlum esse debeat? *Homilia 14. ad Romanos.*

Idem: Neque fieri potest, ut si pigri simus & ignavi, regnum cœlorum consequamur; neque si in deliciis agamus, mollésque simus & effœminati. Præclarè enim nobiscum agetur, si corpus affligentes & castigantes, & innumerabiles sufferentes ærumnas, difficultates & labores, possimus bona illa consequi. Annon videtis, quantum inter cœlum & terram intermedium sit spatium: & quantum bellum immineat, & quàm sit homo propensus ad vitium, & quomodo nos circumstet vitium, & quã multi in medio sint laquei? Cur tam multas ergo curas attrahimus extra naturalia? & nobis plura exhibemus negotia, & majora imponimus onera? Non sufficit ventris, & vestiũ, & domus curam gerere? Non sufficit solicitudo de iis quæ sunt necessaria? Quanquam etiam ab iis nos abduxit Christus, dicens: Ne sitis solliciti animæ vestræ, quid comedatis, neque corpori vestro, quid induamini. Si autem de alimento necessario, & indumento nõ oportet esse sollicitos, neque de die sequenti: qui tam multam attrahunt sarraginem ac congeriem, & seipsos obruunt, quando poterũt emergere? Non audivisti Paulum dicentem: Nemo militans Deo implicatur hujus vitæ negotiis. Nos autem & deliciis vacamus, & ventri indulgemus, & inebriamur: & pro rebus quidem externis affligimur, in rebus autem cœlestibus molles sumus & effœminati. An nescitis quòd supra hominem est promissio? Non licet humi ingredienti cœli fastigium ascendere. Nos autem studemus vivere secundùm hominem, sed & brutis evadimus deteriores. *Homil. 42. ad Corinthios 1.*

D. Io. Chrysostomus: Violenti rapiunt cœlum. Violentia enim & rapina opus. Neque enim in promptu atq; in manu est regnum cœlorum. Raptor ejusmodi semper sobrius vigilque perdurat, & in cura cogitationibusque versatur, ut rapere opportunè possit. Nónne aspicitis, ut qui in bello rapere aliquid cupit, noctem totam pervigil duret in armis? Si igitur qui sæcularia rapiunt, noctem in armis ac vigiliis ducunt, quanto studio egemus nos qui molimur spiritualia, quæ sunt dignissima rapere. At contra, quibus cœlestia consequi propositum est, etiam die media dormimus ac stertimus, semperque nudi & inermes sumus. Qui enim peccatis inversatur, inermis & nudus est: sicuti qui justitiam fovet, armatus. Non eleemosynis munimur, non nobis accensas lampades præparamus, non undique tegimur armis: non iter quò illuc pergatur addiscimus: non sobrii vigilantésque persistimus, atque ideo nihil rapere possumus. *2. ad Timoth. fine homiliæ ultimæ.*

S. Isidorus Peluſiota: Cœlestis illa sedes, illa inquam bonis omnibus perfusa, molestiisque omnibus in via, illa mœroris expers, & lætitiæ omnis parens, illa linguam & aures, ac mentem excedens, iis videlicet, qui præsens vitæ certamen legitimè confecerint, præparata acerbitatum hujusce vitæ ne sensum quidem habere patitur. Eáque de causa ipsorum antesignanus clamabat: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam cùm certaminis arbiter præmiorum, quæ rependit, magnitudine labores longo intervallo superet, tantámque voluptatem immittat, quantam eos, qui hæreditate cœlesti fruuntur, habere par est, minimè mirum videri debet, si mundi molestias ipsi nullo loco ac numero ponant.

Themistius: Is esse verissimus sermo, & ab antiqua manasse Philosophia videtur, quo ita dicitur: Statis temporibus alias divinas quasdam & æternas vires ad hominum utilitatem è cœlo delapsas in terris degere (quæ non obductæ tenebris, ut ait Hesiodus, sed corporibus nostrorum similibus circumfusæ sunt, & inferiorem naturæ suæ dignitate vitæ rationem subeant, ut societati nostræ cõmunioniq; se accommodent) alias vecordes & importunas descendere, Cocyti & Furiarum alumnas, & ab iisdem prognatas ad miserorum mortalium fraudem atque perniciem: quæ lamentis ac suspiriis delectantur, nunquam luctu satiantur, lachrymis saginantur: quibus id muneris commissum est, ut pro terræ motibus pro pestilentia, pro aquarum inundatione, terram accidant, quoties fertilior esse, atque abundare cœperit. *Oratione 9.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 69. fine, ad fictos Monachos.

Τὰς παχέας σάρκας καὶ γαστέρα οὐκαν ἔχουσιν
Ἡ λιπαρὴ χαρτὶν εἴσοδος & ὑδάτων.
Præpingues nimium carnes ventremq; tumentem,
Haud capit æthereæ janua parva domus.

¶ Emblematum.

Camerarius XL. Centur. 1.

Sperare nefas.

Quercus & palma sponte fructum ferentes.

Aurea in hoc frustra speramus sæcula mundo,
Alterius sæcli qua dabit ille Pater.

Catsius Emblemate sacro XXXIX.

Pervia virtuti, sed vilibus invia.

Est similis nostro, quem texit araneus orbis,
Plurimaq; humanæ conditionis habet.
Hoc nocturna culex, obscenaq; musca pependit,
Vtraque ridendo compede nexa pedes.
Posteritas crabro acris equi, virtutis avita
Conscius, incursu debile solvit opus.
Carpite iter cœli, quibus est cœlestis origo:
Hæc plaga nil præter vilia monstra tenet.

¶ Monosticha Trochaica.

Cœlitum mens mixta castris despicit terræ globum.
Ecquis oculus, auris ecquæ gaudia excepit poli?
Intueri cœlum adacta præmetu sues tacent.
Mors eis horrenda non est queis placent cœlestia.
Omne id autumes cœleste quod resistit tempori.
Sol minor non est sereno conditus sub nubibus.
Venit è cœlo omne, terra cujus exemplo caret.
Vt Deis cœlum, terræq; sunt datæ mortalibus.

¶ Jambica.

Cœleste regnum per terrenum proficit.
Cœlo Des haud descendunt ut quemquam juvent.
Cœlo receptus propter virtutem Hercules.
Erectus est homo, inhiet ut cœlestia.
Mortale cœlo non potest jungi genus.
Non obsolescit ullus in cœlis apex.
Quandoque cœlum ceu liber plicabitur.
Terrena sordent intento cœlestibus.
Vetat mori mors, ac pios cœlo beat.

Calamitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Dnazianzenus: Nonnunquam afflictio quoque ipsa commodum est ad salutem pharmacum. *Oratione 12. quæ est prima de pace.*

D. Nazianzenus: Profectò facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quàm secundam conservare. Quippe cùm nos etiam, qui cùm bello premeremur ex persecutionibus robur comparavimus, atque in unum collecti sumus; iidem posteaquam collecti sumus, diffluximus ac dilapsi sumus. *Orat. 14.*

Idem: Quocirca fratres, oculos in cœlum erectos habeamus, in omni tempore atque omni rerum eventu bonam spem præferamus, neq; vel in prosperis rebus timorẽ, vel in adversis spem abjiciamus. Memores simus, tùm tempestatis in tranquillitate, tùm gubernatoris in tempestate: nec in afflictionib⁹ fraudamur animis ac debilitemur, atq; improbos servos imitemur, qui confitentur quidem Domino cùm benefacit eis, verùm eidem corripienti nequaquam pari studio & voluntate adjunguntur; cùm tamen interdum accidat, ut dolor sanitate, & admonitio remissione atq; indulgentia, & visitatio neglectu, & castigatio veniâ melior sit & præstabilior. Atque ut rem in pauca conferam, sic nos instituam⁹, ut nec propter calamitates cõcidamus, nec propter saturitatem insolentia efferamur. *Oratione 17.*

Idem: Est quædam in fabulis arbor, quæ cùm cæditur, viret, & adversus ferrũ certat, ac, si de re nova novo more loquendũ est, morte vivit, & sectione pullulat, atq; cùm abscinditur, crescit. Habetis fabulã, jure suo quidvis liberè confingentẽ. Mihi verò hujusmodi quiddam planè esse vir philosoph⁹ videtur. Floret. n. inter cruciat⁹, ac vitæ molestias virtutis segetẽ existimat, atq; in adversis gestit & gloriatur: sic ni-

sic nimirum se comparans, ut nec ob dextra justitiæ arma efferatur, nec ob sinistra inflectatur, sed in diversis rebus idem semper sui que similis permaneat atque adeò probatior, tanquam aurum in fornace, reperiatur. *Oratione* 28.

D. Nazianzenus : Ea ex re multa mihi mala partim jam contigerunt, partim expectantur : nam qui jam aliquid passus est, idem etiam de futuro quodammodo diffidit ; etiamsi ratio aliud quiddam persuadeat, meliora suggerens. *Oratione 19. in funere patris.*

Idem : A Deo precibus pete, ut se propitium nobis ac placidum præbeat. Ita duorum alterum continget, ut vel has acerbitates omninò fugiamus, vel certè feramus. Lenitatis porrò rationem habet calamitatis imminutio. *Epistola 56. fine.*

D. Chrysostomus : Ne committamus, ut in tentationibus animo dejiciamur. Nemo enim deliciis studens, & dormiens, ac languens, cum Christo societatem habet ; nemo eorũ, qui molliter ac remissè vivunt : verùm is demùm illi vicinus est, qui in calamitate ac tentatione versatur, atque arctum viæ iter tenet. Nam ipse quoq; hac via incessit. Eamque ob causam dicebat : Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Proinde ne animo discrucieris, cùm calamitate premeris ; animadvertens cui communices, & quónam modo per tentationes scelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud grave atque acerbum est, quàm in Dei offensionẽ incurrere. Hoc sublato ; non afflictio, non insidiæ, non aliud quicquam prudentẽ animã molestiâ afficere queat. Quin potiùs, quemadmodum si exiguam scintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris : eodem modo, molestia omnis, quamlibet ingens, si in animum benè sibi conscium inciderit, confestim perit & evanescit. *Homilia 1. ad Corinthios 2.*

Idem : Maximè quoniam vexabantur fideles, magna tunc vigebat charitas : quomodo ? nam qui longè inter se distabant ; sibi tamen vicissim conjuncti erant : & qui procul aberant, perinde ac propè essent, inter se salutabãt ; & singuli erga singulos veluti erga sua membra afficiebantur : æquè pauper erga divitem, ac dives erga pauperẽ ; neque ulla agnoscebatur prudẽtia, quod omnes æquè in odio essent, atque ejicerentur : iisdemque de causis. Quemadmodum enim, si ex diversis civitatibus captivi quidam profecti in eandem veniant civitatem, valdè se invicem complectuntur, communi illos consociante calamitate : ita etiam tunc societate incommodorum & asperitatũ eos conjungente, magnã sibi mutuo charitatem præstabant. Ærumna enim, & tribulatio, vinculũ quoddã firmissimũ est, charitatis accretio, compunctionis & pietatis occasio. *Homilia 15. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus : Hoc maximè est providentiæ, quòd arcanæ sint nobis rationes & ineffabiles. Revera enim existimasset quispiã hominem esse causam universitatis, nisi hoc nostrã compressisset mentem & intelligentiam. At hic inquit, & ille est pauper : & malum est paupertas. Quid verò morb⁹ ? Quid cæcitas ? Nihil hæc sunt, ô homo ! Unum solum malum est, peccare : & hoc solum debemus examinare. Sed eorũ quæ verè sunt mala causas scrutari mittentes, alia curiosè inquirim⁹. Cur nemo nostrũ unquã examinat cur peccavit ? sitne in mea potestate peccare, an non ? Et quid opus est magna verborũ uti circuitione ? rem in me ipso quærã. Nunquid aliquando vici animũ ? Num aliquando vici iram, aut propter pudorẽ, aut propter humanũ metũ ? Deinde postquã hoc fieri invenero, inveniã esse in mea potestate peccare. Nemo hæc examinat, nemo de his curiosè inquirit : sed inconsideratè, ut est apud Jobũ, homo natat in verbis. Quid est. n. tibi curæ, an hic sit cæcus, & ille pauper ? Non te jussit Deus hoc considerare, sed quidnã tu agas. Nam si tu dubitas, mundóne præsit aliqua potestas, es omniũ amẽtissim⁹. Si aũt hoc habes persuasum, quid dubitas quòd Deo placere oporteat ? Gratias, inquit, semper agẽtes Deo pro omnib⁹. Dic mihi rogo, vade ad officinã medici, & videbis, quãdo fuerit inventus aliquis habens vuln⁹, eum dolere & urere. De te autẽ nõ dico : sed abi ad officinã fabri, nec ibi inquiris rationẽ. Atqui nihil scis eorũ quæ fiunt, & multa tibi videntur esse dubia : ut quando lignũ tornat, quando transformat & in aliã mutat figurã. Vel potiús te ad aliã artẽ duco faciliorẽ : & illic caligabis, ut in pictura : num tibi ineõsideratè videtur facere quæ facit ? Sunt lineæ, & earũ circũductiones : sed si imposuerit colores, tunc tibi videtur ars pulchra : & ne sic quidẽ poteris exactè discere. Quid aũt dico de fabris, de pictoribus & cõservis ? Apis quomodo facit favos, dic rogo ? & tunc dices de Deo. Formicarũ disce operationẽ, araneæ, & hirundinis : & tunc dices de Deo. Hæc mihi dicas, sed non potes. *Homilia 19. ad Ephesios.*

S. Isidor. Peluſiota : Libertas ea loquendi, quâ justi viri pro justitia sua usi sunt, vir admirande, non à fastu atq; arrogantia, sed à necessitate nata est. Hæc enim, ne justè incõmodis affici viderentur, hujusmodi voces ab iis expressit. Neq; enim quisquã ipsorũ, dum à calamitatib⁹ immunis fuit, in ejusmodi voces erupit ; verùm alius terrã, alius cinerẽ, alius vermem se appellavit. Ac in gravissimis tentationibus derelicti, ne ob improbas & scelleratas actiones calamitatibus premi viderentur vitam suam exponere necesse habuerunt. Nã cùm metuerent, ne sinistrã apud stolidos homines, ob ea quæ perpetiebãtur, existimationẽ, colligerent, imò etiam, tanquam ob scelus perpetientes, probris atque convitiis incesserentur, ad hæc, ut dixi, verba venire coacti sunt. Etenim qui mentis ac prudentiæ expertes sunt, ab iis calamitatibus, quæ in hac vita occurrunt, vitæ quoq; criminandę occasionẽ trahere cõsueverunt. Quo scil. in egregiũ illum ac virtute præstantẽ virũ dicebant, Lenioribus, quàm pro peccatorũ tuorum merito, flagris affectus es. Eodemq; modo sanctũ Paulum grassatorẽ quendam & facinorosum hominẽ esse Barbari illi putabant, qui viperam de ipsius manu pendentem conspexerant. Unde etiam his verbis utebantur : Prorsus homicida est homo hic, quem ereptum è mari ultio non sinit vivere. Quin Semei quoque, ille inquam petulanti lingua præditus, Psalmistam, cùm à filio vexaretur, homicidã appellabat, ob ipsius nimirũ calamitatem, ad improbam hanc de ipso sententiam ferendam adductus. Quæ cùm ita sint, noli tu quoq; committere, ut eos omnes, qui in calamitatibus versantur, condemnes : verùm ita existima, nonnullos etiam esse, qui adipiscendarum coronarum causa perpetiantur. Quòd si admiratione afficeris atque addubitas, hanc sententiam tibi è cœlo feremus. Quidnam igitur ad discipulos suos ait ille, qui rerum omniũ imperium obtinet ? In mundo pressuram habebitis. Atq; ad Job etiã dictum est : An putas me altam ob causam oraculum edidisse, quàm ut justus appareas ? Verè. n. quẽ Deus amat, castigat : & corripit omnem filium quem recipit. Neq; id sanè absurdum videri debet. Nam etiam Regum amici ipsi sunt, qui in bellis maximè periclitantur & vulneribꝰ afficiuntur, & peregrinationes suscipiunt. Eaq; præsertim sunt, quæ fiduciã ipsis & authoritatẽ apud Regem conciliant, atque ut jam cum eo, qui superiorẽ dignitatis locũ obtinet, tanquam cum eo, qui ejusdẽ gradus sit versentur, efficit. Ea quippe quæ corpore gerunt vulnera, amicitiæ pignora habẽt. Quòd si dixeris, Quid igitur est, quòd quidam ob eam causam animis offenduntur ac dejiciuntur ? hoc responderim, id ab eorum amentia proficisci, non ab ipsius rei natura. Neque enim hîc est laborum præmium : verùm hic quidem certamina, postea autem præmia. Quamobrem in certaminum tempore requiẽ, animique oblectamentũ minimè quærant, nec tempora confundant. At imbecillior ego sum, fortasse dixeris. Verùm tibi quoque prospexit Deus, atque & in improbos multos hic animadvertit, & nonnullis item probis viris vicem rependit. Quare si tibi justi, qui in calamitate sunt, offensionẽ afferunt, face re ii confirment, qui quiete atq; honore fruuntur. Ac rursum si te improbi illi, quibꝰ omnia secunda sunt, dejiciũt, erigãt te illi, qui in pœna & cruciatu versãtur. *lib. 1. Ep. 179.*

S. Isidor. Peluſiota : Quòd omni oratione præstantiorẽ, nec finem unquam habituram voluptatẽ, labores ac certamina proferat, quódq; ærumnæ nihil sunt, si cum ejus gloriæ, quam virtus parit, magnitudine comparentur, non te fugit. Quónam igitur pacto, cùm hæc tibi cõperta & explorata sunt, illud à me tibi exponi voluisti, in mundo pressuram habebitis ? perspicuum enim est, certaminum ac laborum studium hanc vitam esse : coronarum autem & præmiorum, futuram. *lib. 2. Epist. 24.*

Idem : Quando Babyloniorum rex supra humanæ naturæ modulum, & sensisse, & locutum fuisse, & egisse compertus est, ab hominũ cœtu & honore submotus est, communemque cum bestiis mensam ac domum habuit. Posteaquam autem eam, quam conveniebat, de Deo sententiam tenuit, tunc etiam gloriam suam recepit. Quippe calamitatis terminus erat præstantioris agnitio. *lib. 3 Epist. 332.*

Idem : Quanquam Evangelicæ narrationis sermo ita depingit Lazarum, ut qui ad extremam pervenerit miseriam : tamen ea calamitas ipsi felicitatis fundamentum extitit maximum ac verissimũ. Nisi enim ad tantam delatus esset miseriam, nunquam ad tantum gloriæ culmen ascendisset. Quid enim quæso glorioſius esse potest, (ut nunc omittam alterius vitæ præmia) quàm in Evangeliis celebrari, & Deum laudatorem, & Abrahamum accepisse patronum ? *lib. 4. Epist. 121.*

¶ Latinorum.

Salvianus : In civitatibus Gallicanis scio omnes ferè præcelsiores viros calamitatibus suis factos fuisse pejores. Vidi ipse Treveros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos atq; vastatos, minus tamen eversos fuisse quàm morib⁹. Quamvis. n. depopulatis jam ac nudatis, aliquid supererat de substantia, nihil de disciplina : adeo graviores in semet hostes externis hostibus erant, ut licet jam à barbaris eversi essent, à se tamen magis everterentur. Lugubre est referre quæ vidimus : Senes, honoratos, decrepitos, imminente jam excidio civitatis, gulæ ac lasciviæ servientes. Quis hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel unquam à Christianis ? Jacebant in conviviis obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis, obliti nominis sui. Principes civitatis cibo conferti, vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quàm sensus sui : imò quia prope jugiter tales, nihil magis quàm sensus sui. Sed cùm hæc ita essent, plus multò est quod dicturus sum : finem perditioni huic nec civitatum excidia fecere. Denique expugnata est quater Trever. Sufficere utique debuerat emendationi prima captivitas, ut instauratio peccatorum non instauraſſet excidium. Sed quid plura ? Assiduitas illic calamitatum augmentum criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monstrum, ut fabulæ ferunt, quod multiplicabat occisio, ita etiam iis ipsis quibus coërcebantur scelera plagis crescebant ; ut putares pœnam ipsorum criminum matrem esse vitiorum. Quid plura ? ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplicatione perventum est, ut facilius esset urbem illam sine habitatore, quàm ullum penè habitatorem esse sine crimine. Quid in alia non longè, sed propè ejusdem magnificentiæ civitate ; Nonne eadem & rerum ruinâ pariter & morum ? præter cætera cùm avaritia & ebrietate omnia concidissent, ad hoc postremò rabida vini aviditate perventum est, ut principes urbis ipsius ne tunc quidem de conviviis surgerent, cùm jam hostis urbem intraret : adeo etiã Deus ipsis evi-

denter

denter,ut credo,manifestare voluit cur perirent,cùm per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent cùm perirēt. Vidi illic res lachrymabiles, nihil scilicet differre pueros & senes. Una erat scurrilitas,una levitas. Simul omnia luxus,potationes,perditiones,cuncta omnes pariter agebant. Ludebant,ebriebantur,enecabantur; lasciviebant in conviviis vetuli honorati, ad vivendum prope jam imbecilles, ad vinum prævalidissimi : infirmi ad ambulandum,robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi,ad saltandum expediti. Et miramur post omnia ista,si ruinam suarum rerum passi sunt,qui tanto ante mentibus corruerant? nemo urbem illam in excidio suo tantum perisse credat. Prius perierant quàm perirent, &c. *libro sexto de gubernatione Dei.*

Ennodius : Quisquis lamentationis transacta relegit, lachrymarum tempora videtur optare. Nemo creditur non odisse, quorum relatione non læditur. Qui siccam faciem de filiorum funeribus referens servat,certo teste crudelitatis arguitur. *Apolog. pro Synodo.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Aristides Rhetor : Multa etiam præter morem suum facilè loquitur quis in calamitate,præcipuè insperatâ,constitutus. *Oratione de Smyrna ad Impp. Romanos. ipso fine.*

Aristides Rhetor : Sicut index aurum probat,sic viros fortes examinant calamitates. *Oratione Rhodiaca.*

Idem : Non possunt ii qui difficili sunt animo facilè res suas gerere. *Oratione de Concordia ad civitates Asiaticas.*

Aristides Sophista : Athenarum urbs sola cum omnium fortuna perpetuò contendit, omniúmque clades in melius conata est convertere, vetúsque dictum immutavit : ostendit enim se amicos infelices nequaquam fugere,cùm permultos etiam à quibus antea dissidebat, post acceptas clades in amicitiam receperit, nec quos felices admiserat, infelices factos dimiserit, quasi fortunæ humanitatem accommodaret,sed infortuniis ad beneficiorum occasionem sit usa; de suo plerisque impertiens, quæ prius nunquam vel speraverant. *Oratione Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Ruinosa facilè percelluntur. *Oratione Leuctrica.*

Aristides Rhetor : Quibus hominibus maximè favit Deus, iis plerunque non omnia feliciter permisit succedere. *Oratione de pace priore.*

Arrianus: Molestè (inquit) fero,me esse miserabilem. Estne id tuum opus,an eorum qui te miserātur? Estne penes te id compescere? Dic mihi? Si eis ostendero me non dignū esse miseratione. Num verò nunc ita tecum agitur,ut te miserari non sit opus,an nondum? Puto ita nunc mecum agi. At isti non ob ea me miserantur,propter quæ id fieri oportebat,videlicet ob delicta : sed propter vitam privatam,propter paupertatem,morbos,orbitatem,& id genus alia. Num igitur ita paratus es,ut populo persuadeas, nihil horum esse malum: sed posse fieri ut & pauper,& sine magistratu,& honorum expers, sit beatus? aut te divitem & principem ostendere? Nam horum quidē posteriora sunt arrogantis,frigidi,& nullius pretii hominis. An ista simulatio,vide quibus rebus constet. Servuli conducendi erunt, argentea vascula nonnulla habenda,eaq; apertè sæpè ostendanda: dandaq; opera,si fieri potest, ut eadem cùm sint, non eadem esse videantur. Est & splendidis vestibus opus, cæteraq; pompa, & præ te ferendum,ab illustribus istis honorem tibi haberi. Danda item opera, ut apud eos cœnites,aut saltem cœnitare videaris. Corpus etiam malis quibusdam artibus excolendum est,ut formosior & robustior videaris quàm es. Hæc tibi machinanda sunt,si alteram viam avertendæ commiserationis ingredi statuisti. Prior verò illa & irrita est,& longa,si id omnibus mortalibus persuadere instituas, quod ne Jupiter ipse quidem potuit,quæ bona quæ mala sint. Nunquid istud tibi datum est? Illud unum tibi datū est,ut tibi ipsi persuadeas. Quod cùm ipse tibi nondum persuaseris, cæteris persuadere conaris? Quis autē tanto tempore tecum est,quanto tu ipse? Quis eam vim persuadendi apud te habet. quam tu ipse? Quis tibi benevolentior & conjunctior est te ipso? Qui fit ergo,ut nondum tibi persuaseris? Sursum deorsum cursitas: hinc est cui studes,quod discis,ut sis expers doloris,expers perturbationis, non humilis & liber. An verò non audivisti, unam esse viam quæ huc ducat: missa facere externa, iisq; cedere & ea aliena esse confiteri? Ut autem alius sit aut aliter de te sentiat,cujus generis est? Rerum externarum. Ergo nihil ad te? Nihil. Cùm ergo id adhuc te mordeat & turbet,putásne tibi persuasum esse,quæ bona quæ mala sint? Non vis igitur omissis cæteris, ipse tuus esse & discipulus & magister? Viderint alii an sibi prósit, repugnare naturæ, & ab ejus præscripto descíscere : mihi verò nemo propior est me ipso. *cap.6. lib.4. Epict.*

Arrianus: Quis fuisset Hercules,si dixisset:ne magnus leo in cōspectum mihi veniat,aut magnus aper,aut homines immanes? Quid verò tu cūras? Si magnus aper prodierit, majus certamen obibis. Si mali homines,terrarum orbem malis liberabis. Si ergo sic mortuus fuero? Morieris vir præstans,re bene gesta. Nam cùm omnino moriendum sit, necesse est te aliquid agentem deprehendi : sive agros colas,sive fodias,sive mercatorē agas, sive consulatū geras, sive cruditate labores aut alvi profluvio. Qua ergo actione occupatus vis à morte deprehendi? Equidem quod ad me attinet, opere aliquo humano occupatus:cujusmodi est beneficētia,publica utilitas,magnanimitas. Si verò tantis in rebus deprehendi non possum, illud certè prohiberi nequit,illud conceditur,ut me ipsum emendem,ut expoliam facultatem utentē visis, ut perturbationū vacuitati studeam : ut affectionibus eatenus indulgeam,quatenus par est:si adeo felix fuero,ut tertiū etiam locum attingam de securitate judiciorū. Si me his occuparum me mors occupaverit,satis mihi erit ad Deum posse manibus extentis dicere : Quas facultates à te accepi, ad intelligendam gubernationem tuam, tibique obtemperandum, eas non neglexi : non dedecori tibi fui,quantum in me fuit. Ecce quomodo usus sum sensibus? Quomodo anticipationibus? Num te unquam incusavi? Num quid eorum quæ evenerunt ægrè tuli, aut aliter fieri volui? Num affectiones violavi? Quia me genuisti,gratiam tibi habeo: iis rebus quas dedisti mihi,usus sum quoad voluisti,hoc mihi satis est, recipe eas,& ubicunq; volueris collocato. Tua enim fuerūt omnia, tu mihi ea dedisti. Non satis est sic affectum exire? Quæ vita præstātior & honestior est,quàm sic affecta? Quæ mors felicior? Ut autem hæc fiant,neque parva accipere,neque parvis frustrari licet. Non potes & consulatum gerere velle, & hæc consequi : non dare operam parandis agris,& his: curare servulos,& hæc. Si quid alienum expetiveris,tua perierint. Hæc rei natura est: nihil gratis datur. Et quid miri est? Si consulatum expetis,vigilandum tibi est, circumcurrendum,manus deosculandæ,ad alienas fores computrescendum, multa dicenda, multa faciendailliberalia, munera mittenda multis, nonnullis strenulæ quotidianæ. Et quis eventus est? Duodecim fasciculi virgarum : ter quatérve pro tribunali sedere : Circenses ludos exhibere,epulum publicè præbere. Demonstret mihi aliquis,quid præter hæc sit? Ergo pro vacuitate perturbationum, pro constantia: pro eo ut dormiens dormias, vigilans vigiles, nihil timeas, nulla re angaris : nihil impendere vis, nihil laboris capessere? Te his rebus occupato,si quid perierit,si malè collocatum fuerit, si alter consecutus fuerit, quæ te consequi oportebat: statim eo cruciabere? Non conferes quid quo commutaveris? Quantulum quanto? An gratis accipere ista studes? Qui autem potes? Alterum opus cum altero commune nihil habet. Non potes & externa probè curata habere & mentem tuam. Sin illa vis: hoc omittito. Alioqui neque hoc, neq; illa habebis,animo utrisque distracto. Si hæc vis,illa omittenda erunt. Effundetur oleum? peribunt vascula? At ego tranquillius ero. Incendium orietur me absente, peribunt libri? Sed ego ex naturæ præscripto visis utar. At non habebo quod edam? Si adeo miser sum : mors portus est, mors portus est omnium : hoc confugium est. Quapropter nihil in vita grave est : cùm liber eris, neque te molestia fumus afficit. *cap.10. lib. 4. Epict.*

Libanius : Si feliciter agentes, iniquè agere censentur, & nonnulli homines ita stultè pravéque affecti sunt; necesse est ærumnam tacitè ferre. Neque enim præclarius mecum ageretur posteaquam dixerim. Quod si seorsim flagitia, itemque seorsim infortunia sepositafuerint; & facinorosos odimus, infortunatos autem miserari consuevimus, arbitror me cum Deis dicturū. *initio Declam.38.*

Idem: Nihil novi mihi est pati aliquid triste sævumque : sed si quod crimen accedit calamitati, hoc certè mente sana prædītis non est ferendum. *ibidem.*

Libanius : Gravis sanè mihi est ærumna cæcitas, mi pater: verum tamen aliquid gloriæ adjunctum habet. Nam occasionem revolvens animo,levius calamitatem fero. Hæc enim monumentum atque indicium est benevolentiæ ac singularis in te inque matrem affectus. Te sanè patrem conservavi undiquaque igni comprehensum, cui prius auxiliari justius mihi videbatur : Utrisque enim simul volens succurrere, cernebam id à me fieri non posse. Pro matre tamen eandem alacritatem indicavi ; sed ut ærumnosam servarem non obtinui, incendio potentiùs grassante ; ideoq; oculis orbatus sum,pertinaciùs cum illo dimicans. *Declam. 44.*

Æneas Sophista : Mali malè pereant, quicunq; tandem sunt,qui tanto malo nostram domum affecerunt. Quantum enim dolorem perceperim verbis, ita me dii ament, non possim exprimere. Sed mihi serò tandem aliqua consolatio oblata est, cujus vos participes facere æquum esse duxi, non ex omni parte inutilem esse calamitatem. Nunc enim liquidiùs cognoscetis aurum & argentum ac splēdidas vestes,quæ summa contentione vulgò expetuntur, infirmam esse rem & minimè constantem, neq; revera in possidentis potestate,siquidem qui vult, diripere ac distrahere potest. Doctrinas verò & sapientiam, quæ ab imperitis deridetur ac contemnitur, stabile esse bonum & fixum atq; inconsumptum, ac in universum superbius ac præstantius, quàm ut latronibus eripi possit. In hoc magis incumbite, neq; ampliùs ad custodiam vobis opus erit, aut mœniis, aut armis,aut custodum acie. *Epist. 5.*

Idem : Ademit epistolæ meæ voluptatē,dolor ex latrocinio, quod non minorem attulit mihi perturbationē, quàm si ego ipse damnū accepissem. Neq; est credibile. Nam si amicorum bona sunt cōmunia, communis etiam horum scilicet est ereptio. Sed quid hæc doleo,qui sum planè omni lucro superior, & damni moderatè patiens. Hinc nobis solatium. An verò rectè sentiam, abs te cupio discere. *Epist.6.*

Hierocles : Adversitatum medelam solus invenerit, qui ea ferre moderatè didicerit. Id autem Philosophia una præstiterit, quæ rerum omnium naturas & actiones, quæ naturas ipsas consequuntur,exactè noverit : quarum series atque ordo ipsa est universorum administratio; à qua divina infortunia necesse est distribui; nec esse aliud mercedem cuiq; tributam,quàm sortem,de qua nunc sermo est,quæ à Dei providētia,mundaniq; ordinis præstātia,atq; hominū volun-

voluntate dependeat. Neque enim si non esset providentia, ordo ille in mundo existeret, quod fatum possit aliquis appellare. nec si ista deessent, ulla esset multa, ullumque adversus scelerato judicium, Imò nec bonorum præmium, nec commendatio. At vero, providentia atque ordine existentibus, omnes oportebat, qui jam nascuntur eadem bona sortiri; si nihil à seipsis ad inæqualitatem contulissent. Sed liquet imparem eorum sortem existere. Apparet igitur obstare voluntatis nostræ inæqualitatem, quæ providentiæ judicio subjecta est, quò minus ipsis fiat æqua distributio, cum pro meriti ratione sortem cadere necesse sit. Cæterum ne nos conturbet, quod in brutis quoque animantibus, in plantis, in his etiam, quæ vitâ destituuntur, eandem, quàm in hominibus inæqualitatem cernimus. Non enim propterea res nostræ providentiâ non reguntur, si in illis ista casu contingant: vel si in eisdem etiam pœna & judicium, virtutisque & vitii insit consideratio, cum exactè adeo fiant quæ ad nos attinent. Primùm enim ita se habent, quæ animâ carent, uti communis materia plantis, brutisq; ipsis, atque hominibus. Sunt præterea animalia nonnulla in alimentum data cæteris, atque hominibus. quo fit, ut eadem inter se faciant, non quod ad eorum meritum advertant, quæ patiuntur, sed ut suam ipsa vel famem placent; vel morbum curen: utque omnino quod sibi deest, undecunque facere liceat, consequantur. quo fit, ut cæteris animalibus inde nascatur infelicitatis occasio, quod ea, si quibus indigemus, uti sese offerunt, in usum nostrum convertimus: felicitatis autem causa, quam habere videntur, nostra sit erga ipsa animi propensio, atque affectio. *cap. 17. Carm. Pythag.*

Hierocles: Calamitates invexerunt, nostra simul iniquitas, & judicium divinum, cuius est in scelerato animadvertere. sed tolluntur eædem percommode virtute nostra, atque providentiæ lege, quæ eos malis liberet, qui sponte sua quod bonum est amplectuntur. *fine cap. 17. Carm. Pythag.*

Heliodorus: Initio mihi bono genere nata esse videtur. ejus rei conjecturam facio, cùm ex his opibus quæ circà ipsam repertæ sunt, tùm quod neutiquam calamitatibus fracta est, sed inde usq; ab initio animos contra fortunam attollit. *lib. Æthiopicorum primo.*

Heliodorus: Quamdiu tandem stupidis haud dissimiles, muti & ignavi sedebitis? tanquam unà cum adversâ fortuna mens vobis etiam erepta sit. *lib. 4. Æthiopic.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ecquid justa causa mortis est orbitas? & orbitas non simplex, nec tantum geminata, verum etiam in unũ tempus collata. Afferant aliquid fortasse solatii mala divisa. & sicut onera facilius subeas si partiaris: ita hoc graves casus allevare solet. Si non ingruant, ac semel veniant. *Declam. 337. med.*

Quintilianus: Est quædam ultima calamitatum rabies, & novissimè in furorem vota ipsa vertuntur. *Decl. 6. §. 4. pr.*

Quintilianus: Facinus est, quemquam calamitatum suarum invidiam pati. *Declam. 11. §. 1. pr.*

Quintilianus: Nihil est crudelius calamitate quam gaudia reducunt. Quoties redierit ille lætus vobis in supplicia mea dies, lugubres mihi ferte vestes, renovate servuli planctus, parate solatia propinqui. Nulli liberi impatientius desiderantur, quàm qui propter patrem videntur occisi. *Declamat. 11. § 12. f.*

Quintilianus: Habet aliquod solatium quisquis in amore miser est. Levior est calamitas, cui blanditur aliquid de voluptate lætitia. *Declam. 14. §. 4.*

Calpurnius Flaccus: Nullum impatientius malum est, quàm invidia cum calamitate. *Controversia undecima.*

¶ Poetarum.

D. Gregor. Nazianzenus de vita sua:

Vt juvenis obiit, tum canum vis maxima
In mortui nummos rabida, & censum ruit.
Lacerant amici cuncta, servi, extranei.
Quis enim cadente ligna non quercu rapit?

Aristophanes Thesmophor. v. 202.

Ne nunc speres tuum malum nos subituros
Esse, etenim insaniremus.
Sed ipse quod tuum est, familiariter fera.
Calamitates enim non gemitibus
Ferre justum est, sed passionibus.

Plautus Rudente 1. sc. 3. pr.

Nimio hominum fortuna misera memorantur,
Quam reapse experiundo iis datur acerbum.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 21. Leo Senex.

Quicunq; amisit dignitatem pristinam,
Ignavus est etiam jocus in calamitate.
Defectus annis & desertus viribus.
Leo, cum jaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineus ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam:
Infestus Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus: Asinus ut vidit feram
Impune laedi, calcibus frontem exterit.
At ille expirans: Fortes indignè tuli
Mihi insultare, te natura dedecus
Quod ferre certè cogor, bis videar mori.

De Trabe boum pigritiam increpante. Fabul. 24.

Trabs quæ curru vehebatur, boves ut lentulos increpabat, dicens: currire pigri, onus enim leve portatis. Cui boves, irrides nos, respõderunt, ignara quæ te pœna maneat: onus hoc nos citò deponemus, tuum autem tu quoad rumparis, sustinere cogeris. Indoluit trabs, nec amplius boves conviciis lacessere ausa est.

Hæc fabula quemlibet monet, ne aliorum insultet calamitatibus, cùm ipse possit maioribus subjacere. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Adversarius si desit, desit & victoria.
Ærumnosus sæpe indigna loquitur moribus suis. (Sperv.
Arduum æque haud frangi ærumnis, quàm haud tumere pro-
Ars jacet tua Tiphy, si non fluctus insit æquori.
Calamitas quemcunq; excusat, nulla culpa ignavia est.
Casibus cave insultare quos pati ipse adhuc potes.
Casibus noli insultare quos potes ipse olim pati.
Crebra tristia in bonos sunt, crebra læta apud malos.
Est dementia sibi ipsi facere fortunam mulam.
Et suus carbunculo ignis in putri durat luto.
Formam auri potes mutare, materiam sed non potes.
Fortunatorum, à ruinâ, laudat gazas invidus.
In loco est tuto, ultrà exire cuius non queunt mala.
In luto qui est, effert unum si pedem, infert alterum.
In malâ memor fortunæ est quisq;, nemo in re bonâ.
In malis dum alios videmus, nostra se mens contrahit.
In malis qui est, ignoratq; ea ipsa, hoc unum habet bonum.
In malis spectare causam, non fortunam convenit.
In malo majore casus obliviscimur levis.
Mactati malis supremis ultrò currunt ad necem.
Militia est, non pœna, humani corporis pati mala.
Monstruosa res est, unquam cui nihil mali accidit.
Multi homines sibi malam rem jumento arcessunt suo.
Naufragi qui aquis feruntur obvium quod vis tenent.
Negligunt sacra ac profana, summa sunt quibus mala.
Ne qui dem licuit mori extra vincula ipsi Socrati.
Non bonum est ferant si cuncta aqua volunt mortalibus.
Non ideo invisus Deo es, si vita sors incommoda est.
Non licet sese experiri nil cui accidit mali.
Obteras probum, resurget latior statim, ut crocus.
Par Deo dignum est, vir fortis fortí colluctans mala.
Perfacile in malis alienis verba honesta proferas.
Purioris flamma gemma vel manet turpi in luto
Quæstus est tuus palam sine scium est infortunium.
Quam magis pugnas sequaces hoc magis nodos liga.
Quàm multi ex malis alienis commoda comparant sua!
Quidquid agit mortale vel fert, venit ex alto, genus
Qui sibi bene haud apprecatur, quid queritur sortem aspe-
Quilibet privata semper tollit in majus mala. (ram&
Quis semel nolit moriri quàm mala usq; perpeti.
Quod finis melior subsequitur, id puta malum breve.
Rarum mortali est, abire è vitâ experti omnis mali.
Res viros adversa sicut ignis aurum comprobat.
Roborat carnes sal, animam roborat tentatio.
Roborat calamitas justum, athletum exercitatio.
Sæpe naufragus latrones ipso in littore invenit.
Sermone auget calamitatem, ubi quis quopiam indiget.
Servat & jubar pyropus in luto igneum sui.
Spiritus magnos fuge, illos sume quos casus dedit.
Stulta rei in mala querela est eius, qui bonum haud vovet.
Tam bene haud queas secunda ferre, dura uti subis.
Templa Divûm fulmen icit, præterit q; noxios.
Tolle Vlyssi calamitates, & famam una illi auferes.
Triste tam nil, unde prudens non ferat quid commodi.
Tristibus frangi haud virorum est cui Gradivus est parens.
Vis malorum etiam experiri cuncta cogit belluas.
Vt sonet vesica, oportet rumpas illam, non seces.
Vva oliva q; ad usum humanum, ni premantur non valent.

¶ Jambica.

Animæ calamitas corpus est primaria.
Animo benè habenti, calamitas quavis levis.
Athleta nudus certat expeditius.
Aurum probatur igne, vir bonus malo.
Cecidere multa aut altius resurgerent.
Etiam calamitas calamitatis solatium est.
Etiam in malis sapiens velut decet sapit.
Ferè anteit calamitatem imprudentia.
Fulget minus virtus vexata, haud est minor.
Gradus futuri est unius finis mali.
Haud par vacalamitosis pœna, vivere est.
In calamitate, animi molles mortalium.
In vinculis Miltiades obiit publicis.
Magnis animi evertuntur calamitatibus.
Major minor ve calamitas fit tempore.
Mala vetera cum malis recrudescunt novis.
Nil est vetustas quod non ipsa leniat.
Nil ratio & usus audet in summis malis

Non est minor virtus in cruce, fulgit minus.
Nulla est calamitas ferre quam quæ non queat.
Quascunque tempus reddit omnes leves.
Quo chorda plus tensa est lyræ, plus musica est.
Quos adversa non mutant in veneris paucissimos.
Refert magè unde decidas quàm quo cadis.
Satius mori quàm calamitosè vivere.
Servat suam ferrum naturam in ignibus.
Sub nube sol non est minor, fulget minus.
Vera parens calamitas est sapientiæ.
Vestes quoque vinctas diutius, ruga conficit.

Callidè Dictorum.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIAN.

INNOCENTIUS VII, *Pont. Max.* Non acumen solùm dicendi suam habet venerem: sed magis si in eo aliquod calliditatis, non malitiosæ tamen, specimen cõcurrerit. probat dicto factoq; INNOCENTIUS VII. Hujus enim mandato, cùm Andreas Mantineas pictor egregius Sacellum in Palatio Vaticano adornasset, Sacerdotiũ aliquod sive munus, Latino vocabulo Beneficium, filio suo per Pontificem dandum frustrà sperabat. Jubente itaque eo septem vitia capitalia pingere, de industria fecit ut vacaret locus in quo ingratitudinem exprimeret. Interrogatus autem à Pontifice, cùm septem tantũ vitia sint, cur octavum addiderit, Tum, inquiebat, quòd locus vacaret, tùm quod nullum vitium ingratitudine magis invisum. At INNOCENTius re intellecta: *Recte tu sanè*, ait: *ut quoniam ex hoc latere octo vitia apparent, quam vis septem tantùm sint, ita è regione, septem illis virtutibus, extra ordinem adiunge Patientiam. Bern. Scardeonus, lib. 3. Hist. Pat.*

Episcopus Anonymus: Meritò priori adjiciendus. Burgundi nobiles dum opiparo instructo convivio loci Antistitem advocassent, virum doctum & facetum; ut fit inter sermocinandum, quidam mirari se dixerunt, suum Episcopum parum si annos spectent maturum, tantam calvitiem gerere, pilosq; ante determinatam à natura ætatem decidere. cumq; ejus rei diversum motivum causamque diversi proponerent, quin & medicinæ peritos consulendos dicerent, *Minimè*, inquit ille. *medicorum consilio mihi opus: non enim naturæ defectum incusi, sed vos ipsos, qui me depilatis* Callidè insinuabat suos nobiles admodum in id intendere, ut Ecclesiasticorum Prælatorum possessiones eruminuant, & quilibet pilum aliquem suo capiti exaliena cæsarie reportet. *Auct. Serm convival.*

Sigismundi Imp. Assecla: Civiles nunc producimus, & inter eos primum virum nobilem è familia Sigismundi. Ille etenim, cùm Sigismundo fluentum equo trajiciente, fortè equum in mediis aquis urinam reddere conspicaretur, facetè & callidè, *Quam hic equus persimilis*, ait, *est domino suo*? Ejus autem rei causam requirenti Cæsari, eadem qua prius libertate, *Hic enim equus*, inquit, *huius fluminis abundantiam sua urina augere amplius enititur: ita etiam tua Majestas erga eos se exhibet liberalem, quibus est omnium rerum ubertas.* Callidè licet jucundè insinuabat, Imperatorem debere esse erga quosvis beneficum, qui benè de se meriti. *Matth. Castrit. de Hero. virt.*

Franc. Sfortia. Facetè ille; hic graviter. Cùm enim insidiis armisque Pauli Vrsini exterritus profugisset vrbe Roma, & in Algido castra metatus esset, missus ad eum S. Angeli Cardinalis legatus; qui inter alia, *An*, inquiebat, SFORTIA *Vrsum timebis, cum sis sub columna tutissimus*? cui ille extemplo: *An non tibi pater insanus videbor, si dum frustra à surdo marmore opem imploro, bellua ingens, dente ac unguibus ferox, & humano sæpè gressu incedens, mihi minimè sit formidanda?* Non illepidè remota Columniorum auxilia designans, & Pauli Ursini ingenium depingens. *P. Iovius.*

Anonymus: Interfuerat orationi admodum insulsæ, & nullius veneris, cumque eum de re feliciter acta Orator exsultans rogaret, Numquid benè mea oratione misericordiam movi? *Magnam, imò maximam*, respondebat, *neminem namq; fuisse existimo tam durũ, cui oratio tua admodum miseranda non sit visa. Auct. Serm. convi.*

Hyrus Dux Militis: Adjungit se cæteris HYRUS Caroli VII. Franc. Regis auspiciis adversus Britannos Dux. Hic enim, dum Rex cunctaretur ut melius voluptati operam daret, urget, exercitui de necessariis provideatur. cumque eadem à Rege exspectaret, voluptatum apparatus, ludos & puellas ei exhibuit, petiitque quid de illis sentiret; Cui HYRUS: *Nunquam alium Regem, qui lætius sua perderet, me vidisse.* Cujus dicti aculeo tactus Carolus, resipuit. *Fulgos. lib. 6. cap. 2.*

Hispanus Anonymus: In aliena causa iste, hic in propria. postulabat ab Alphonso Castulonensi rege Præfecturam Toletanam. Quem cùm Rex prima fronte rejiceret, quod junior esset: indignabundus, *Et tu*, ait, *Princeps, cùm adhuc lacte te infantem nutrix aleret, jam Rex eras: & quam multi magnis officiis perfuncti, qui pueri tecum luserè. Me ergo, quod tecum nunquam luserim, ætate ingenioque parum valere existimas?* Movit Alphonsum ea libertas, votúque compotem eum fecit. *Fulgos. libro sexto, capite secundo.*

Calumniæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Improbi malignique, ex eo quod alios calumniis incessunt, vitiis suis opem ferre moliuntur. *Oratione 20. in D. Basilium.*

D. Nazianzenus: Improborum linguis occurrendum est, quæ simplicissimis quibusque celerrimè calumniam struunt. *Epistola vigesima prima.*

D. Nazianzenus: Pancratio hic est scopus, ut per quoddam militiæ genus immunitatem à negotiis accipiat. quandoquidem ne genus quidem ullum vitæ est, ab improborum injuria liberum, quemadmodum ipse quoq; nosti. *Sine Epistola 51.*

Isidorus Peluſiota: Maidrem in modum miror, qui fiat, ut tu, nec cuiusquam exemplo impulsus ac pertractus, nec quenquam qui te imitetur, habiturus (avertat enim Deus ne quis in tantam voraginem ruat: utinamque etiam ipse ex pestifera hac tumulentia emergas) Sacerdotes eos qui virtutibus ornati atque instructi sunt, ac spiritualibus donis ac rectè factis abundant, vituperes, eorumque fugillationem actionum tuarum excusationem habere te existimes. At non ita est, vir optime, non inquam ita est. Quin potius & hominibus ridendum atque condemnandum te propinas: & à Deo permultas pœnas sustinebis, quòd & vitium amplexus sis, & virtutem contempseris, & ipsius alumnos maledictis prosciderit, & Sacerdotio per summam petulantiam contumeliæ notam inusseris: adeò ut plurimi homines, ne dicam omnes, à te offensi, in salutis symbolis detrimentum acceperint. Ut igitur ab omnibus his malis eximaris (id enim opto) fac te ipsum noscas. *lib. 2. Epist. 38.*

Idem: Quo tempore Ægyptia illa, libidinosa inquam illa mulier, quæ ut persuasu facilis, ita etiam ad persuadendum miram vim habebat (ut plurimum enim eiusmodi ingenio esse videtur mulier) insano pudicissimi iuvenis Josephi amore deflagravit, cùmque eum nullis sermonibus ad stuprum inducere posset, ad vim ei inferendam se convertit, atque ille, strenui cuiusdam athletæ instar, exuta veste (arreptam enim eam tenebat illa, libidine temulenta) indumentis quidem nudus, verùm ab adulterio purus excedens pudicitiæ coronam adeptus est: tum verò mœrens sedebat, revera quia, quod cupiebat, minimè assecuta fuerat: falsa autem specie, ob fictam castitatem. Cùm itaque maritus venisset, aut quod accusari metueret, aut quod Josephum vlcisci vellet, acerbissimè irascitur, ac cupiditatem omnem, mœrorem, metum, contumeliam, & iracundiam admiscens, animo voluebat, quonam pacto de eo supplicium sumeret. Et quidem eius criminis quo ipsa accusari debebat, eum insimulat. Maritus autem ne facta quidem ipsi pro se dicendi potestate, in carcerem eum conjicit. At vero incorruptus ille oculus pudicitiæ legislator & arbiter ad regium thronum ipsum evexit. Quocirca nos quoque nec calumniam, nec obtrectationem, nec aliud quicquam eorũ quæ gravia & acerba esse videntur, grave esse existimemus: verùm peccatum solum. Atque ita omnino aut in hac, aut in altera vita preciosissimas coronas consequemur. *lib. 2. Epist. 263.*

Synesius: Atque eiusmodi cùm sit, difficillimis negotiis implicatur, ob id maximè quod probus, & honestus est. Nam ut quisque cãdidus ac benè moratus est, ita à malignis & perditis in lucro deputatur: atq; ex altera parte ingens malis proventus, atq; compendium oritur. Igitur delator nescio quis mercedem ab ipso exprimere volens ubi nihil promovet, litem illi intendit, sed cum nihilo magis hac ratione quicquam posset alienæ rei pellicere, cùm à nobis iura ac leges essent, aliò se convertit; & litem in accusationem commutat, crimen reo ipso antiquius intentans. Ergo ante vadimonium sese sistit; Neque enim desperato calumniatori ullo modo credendum est, neq; paterna & avita bona turpi cum dedecore perdenda sunt. At hoc amicis opus habet synceris, minimè fucatis, prudentibus, cuiusmodi es tu. *Epist. 130.*

¶ ITALORUM.

Zeno: Quotiescunq; in hoc perverso seculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidiæ, & diversis calumniarum generibus factosæ emerserint causæ, quid homo pestilens excogitet, vel quid diabolus machinetur, non metuat iustus: quia cum illo est Deus. Inde Susanna illustris Hebræa veræ decus pudicitiæ docuit feminas suæ castitatis exemplo. Stabat Susanna in iudicio perditorum falsorum testium oppressa mendaciis, conscientiæ tamen bonis contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, quàm dicata Deo pro castitate fortiter moritura: & quam judicantium sententia prava dejecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat. Sufficit ergo pudicitiæ conscientiæ: testis est Deus. *Sermone 9. de Susanna.*

Egesippus: Composuerunt primò alia quibus fidem Aristobulus non detulit, & obtrectationem mollivit charitatis gratia, invidiæ tribuens delationis amaritudinem. ideo falsa veris admiscuere, ut ex his quæ speciem veri assumserant, renitentem circumvenirent. *lib. 1. cap. 4.*

Egesippus: Et quia apud Herodẽ impunè tam gravia simulabãtur à delatoribus, q criminũ se vindicẽ profitebatur, & negligebat calũnias; nõ deerãt qui eiusmodi insidias machinarẽtur, quas acceptores fore patri crederẽt. Nã & epistola prolata est, quasi ad castelli præpo-

situm

situm à filiis data, ut occiso rege confugiendi sibi potestatem faceret, donec se armis adversum se insectantes munirent, cæterisq; subsidiis defensionem pararent. Excruciatur castelli præfectus, & nihil fatetur. nihilominus tamen haud ullius affectati sceleris indiciis extantibus, quasi rei Alexander & Aristobulus dantur custodiæ. Euricles quinquaginta donatus talentis auctor salutis ac vitę habetur. *lib. 1. cap. 41. excid. Hier.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Lysias: In ea fui antehac opinione, Senatores, ut existimarem licere volenti, & otium sectanti sine litibus & molestiis vitam agere: nunc autem ita inopinato in controversias & Calumnias iniquas incidi, ut putem etiam nondum natis, si fieri possit, futuros rerum casus esse timendos: cùm discrimina esse æqualia, tam iis qui nihil commiserunt, quam qui in multis deliquerunt. *Initio Orationis de sacra Oliva trunco.*

Lysias: Nunc autem insidiatores nonnulli non minus conflant periculum illis qui nihil in vita delinquunt, quàm qui plurimorum scelerum sunt auctores. *mox:* Sciunt quod si mendacii arguantur, pejori se loco quam nunc sunt esse non posse, sin vobis imposuerint, præsentium malorum fineminvenient. Atque huius quidem conditionis homines, neque in accusationibus, neque in testimoniis fidos existimare oportet, qui magni lucri spe de aliis verba faciunt: sed eos potius, qui ut Reip. opitulentur, gravibus se periculis exponunt. *Oratione pro Callia.*

Lysias: Et cujus vita inimicorum ac sycophantarum libidini est exposita, nonne ille in vita ipsa caret vita? *cap. 9. in Andocidem.*

Lysias: Ni scirem accusatores meos quovis modo id moliri, ut mihi incommodent, magnas ipsi pro accusatione hac agerem gratias. Arbitror enim eos, qui iniquè alios Calumniantur, maximorum ipsis commodorum esse auctores, dum ad reddendam vitæ rationem ipsos cogunt. *Initio Orationis decimæ quintæ Mantitheo.*

Lysias: Audio ipse, & vestrum multis id constare puto, omnium maximè intolerabilem & iniquam esse Calumniam: quod tum maximè quispiam animadvertat & dicat, cùm eadem de causa multi in discrimen vocantur. plerumq; enim fit, ut postremo in judicium adducti serventur, quod bile jam sedata eos audiatis, & adversa argumenta jam lubentes admittatis. Recordamini igitur quod Nicophemus & Aristophanes indicta causa interierint, priusquam à quoquam peccasse convicti essent. nemo siquidem eos vidit, postquam comprehensi sunt, neque corpora ipsorum sepulturæ sunt tradita: sed adeo gravi calamitate sunt oppressi, ut præter alia mala, sepultura quoque privarentur. *capit. 2. Orationis 18. pro Aristophanis bonis.*

Lysias: Rogo autem vos, Judices, ne eodem sitis animo, quo sycophantæ; quorum est, etiam eos, qui nihil delinquerunt, in jus vocare: (hinc enim plurimum ipsis accedit lucri) cùm vestrum sit, eos, qui nihil peccarunt, ex æquo Reipublicæ participes facere: quod ea ratione plurimos in constituta Republica socios sitis habituri. Et peto, Judices, si nullius me incommodi auctorem fuisse declaravero, sed in Rempublicam beneficia tam mea opera, quàm opibus contulisse, ut ea mihi à vobis tribuantur, quæ non solum benè meritos, sed etiam eos qui malè meriti non sunt, impetrare convenit. *cap. 1. Orationis 24. de popularis status eversione.*

Arrianus: Quid verò Antisthenes ait? an id unquam audivisti? Regium est, Cyre, cum rectè facias, malè audire. *capit. 6. libr. 4. Epicteti.*

Lucianus: Mala res est ignorantia, & multorum malorum hominibus causa, quæ non solum rebus humanis veluti caliginem quandam offundit; sed etiam veritatem obscurat, & privati cuiusque vitæ umbram obducit. Quo fit ut perinde atque qui in tenebris errant; imo haud aliter quam cæci, jam illuc impingamus temerè: aliud cum nihil sit opus, prætereamus: nec quod propinquum & ante pedes est situm videamus: quod verò est remotum, proculque dissitum, ut molestum formidemus. Denique in singulis quæ agimus nunquam non labimur. Quocirca istud jam innumera tragœdiarum scribendarum argumenta præbuit, Labdacidarum, & Pelopidarum fata, idque genus alia. Nam malorum quæ in scenam ascendunt, pars ferè maximà, ab ignorantia seu tragico Deo comperias orta. Hoc dico alia etiam respiciens: in primis verò ad falsas Calumnias quibus familiares & amici petuntur: à quibus jam, & subversæ sunt familiæ, & civitates funditus perditæ: patrum in liberos, fratrum in germanos, liberorum in parentes, amantium in amatos furor est excitatus. Præterea dissolutæ sunt amicitiæ multæ, & turbatæ familiæ ob speciem Calumniarum. Ut igitur quàm minimum in eas incidamus: qualisnam sit Calumnia, unde originem traliat, quantum ferè efficiat, hac oratione, velut in tabella depingam.

Porro quam eius imaginem subjiciam, Apelli Ephesio acceptam fero: quum is apud Ptolemæum regem, conjurationis quæ Tyri authori Theodota facta est, insimulatus esset. Quanquam neque Tyrum viderat unquam, neque Theodoram noverat, nisi quantum fama accepit, eum Ptolemæi perfectum Phœnicem administrare: Antiphitus tamen eiusdem artis professor, gratiæ quam apud regem obtinebat invidentia, artisque æmulatione permotus, illum apud Ptolemæum accusavit, ut qui factionis esset particeps, & visus fuisset in Phœnicia cum Theodota convivari, & in auriculam inter convivandum secretò colloqui. Denique declaravit Tyrum defeciisse, captamque fuisse Pelusium Apellis consilio. Tum Ptolemæus, ut qui præter cætera non esset admodum prudens, sed in tyrannica assentatione educatus, adeò excanduit, miraque ista calumnia conturbatus est, ut conjecturis quæ causæ fidem aut facerent, aut minuerent, neglectis, nimirum calumniatorem eandem artem profiteri, & pictorem fortuna esse minorem, quàm ut proditionem hujusmodi moliri potuisset: idque cùm beneficiis & honoribus ab ipso plus cæteris pictoribus auctus fuisset: neque omnino percontatus an Tyrum Appelles navigasset, illico placuit ad iram concitari. Tum clamore regiam implevit, ingratum, insidiatorem, conjuratum clamans. Ac nisi ex comprehensis conjuratis quispam, indignatus Antiphili impudentiam, & infœlicem Apellem misertus, affirmasset illum factionis nequaquam fuisse participem, fuisset capite truncatus, atque ipse nullius criminis reus, Tyriorum malorum pœnas luisset. Proinde fertur Ptolemæus ira sententiam mutasse, ut centum talentis Apellem donarit: & ei Antiphilum in servitutem addixerit.

Apelles autem periculi memor, tali est imagine calumniam ultus. Ad dextram sedet quispiam prælongis auribus insignis, propemodum quales Midæ fuerunt, manum procul accedenti Calumniæ prætendens. Eum circumstant duæ mulieres, Ignorantia, ni fallor, & Suspicio. Altera parte accedit Calumnia, mulier summopere formosa, fervida & irritata, veluti rabiem & iram præ se ferens, facem ardentem lævâ tenens, dextrâ trahens adolescentem capillis prehensum, manus ad cœlum tendentem, Deosque testantem. Anteit vir pallidus deformis, acutùm intuens. eisque similis qui longo morbo contabuerunt: quem facilè conjicias Livorem esse. Quin & aliæ duæ mulieres comitantur, hortantes, componentes, & ornantes Calumniam: quarum altera, sicuti mihi significavit imaginis interpres Insidiæ, altera Fallacia erat. Quædam à tergo sequebatur lugubri habitu, pulla, laceraque veste: atque hæc Pœnitentia dicebatur: quæ versa in tergum facie, cum lachrymis & pudore veritatem accedentem obtuebatur. Hac igitur imagine Apelles, periculum in quo fuerat versatus, expressit.

Age verò & nos si videtur, Ephesij pictoris exemplo, recenseamus Calumniæ rationes, quum prius ipsam definitione describserimus. Nam hæc Iconis erit effingendæ ratio. Calumnia igitur est, delatio quæ fit absente & nescio reo, cuique fides habetur audita una parte, nec delato ad refellendum admisso. Hujusmodi est orationis hujus argumentum. Et cum, sicuti in Comœdiis, tres sint personæ, delator, delatus, & is ad quem fit delatio: singulorum partes consideremus, quid à quoque fieri sit consentaneum. Primum quidem, si videtur, primarum partium actorem, Calumniæ nimirum authorem in medium producamus. Is utique quàm minimè sit vir bonus, ignorat nemo. Neque enim quisquam vir bonus, propinquo malorum est author. Nam bonorum est virorum, eo quòd amicis benefaciunt, non eo quòd inimicos criminantur, odiumque illis creant, ascita benevolentiæ opinione, bene audire. Unde injustum, sceleratum, impium, & familiaribus damnosum esse Calumniatorem facile cognoscas. Quis enim non confiteatur æqualitatem, in omni re, & ut non melior sit alterius sors, esse justitiæ: ut inæqualitatem, & plus habendi cupiditatem injustitiæ? Qui verò clam absentes insectatur, quî non sit pluris avidus, quippe qui auditorem totum sibi asserit, & aures ejus præoccupat, & obstruit, ac jam Calumniis refertas, facit responsuro prorsus inviasæ? Quæ sanè extrema est injuria, vel optimorum legumlatorum judicio, Solonis & Draconis, qui jurejurando Senatum Athenienſem astrinxere, ut pari benignitate, gratiaque tam reum quam actorem judex audiat, usquedum proposita rei defensione, ipsius causa melior, aut deterior altera videatur. Scelestum enim & iniquum fore judicium putarunt quod ferretur, antea quàm cum accusatione comparata esset defensio. Ad hæc, ipsos Deos indignari dixerimus, si accusatori liberè quæ vult dicendi copiam fecerimus: at obturatis defensori auribus, aut missitanti ore, eum priore oratione subacti condemnaverimus. Itaque à justo, æquo, & judicum jurejurando columniam abhorrere dicas.

Jam sicui dubiæ fidei legum conditores videntur, quorum decreta commonent, justitia, non studio partium judicare, optimum poëtam citandum censeo qui præclaram sententiam, imò potius hac de re legem tulit: quum dixit, *Ne litem dirimas quin primùm audiveris ambos.* Nimirum & hic intelligebat, nullam ex multis quæ apud homines vigent, deteriorem & iniquiorum inveniri posse injuriam, quàm indicta causa reum damnare. Quod omni ex parte calumniator molitur: qui quem accusat, audientis iræ indefensum subjicit, & accusatione clancularia defensionem intervertit. Quivis enim hujusmodi farinæ homo formidolosus nihil palam loqui audet: sed perinde atque qui in insidiis latent, alicunde ex abdito jaculatur, ut non sit qui resistere, adversaque manu contendere possit: at ignaro & inscio unde bellum inferatur, sit pereundum. Quod maximo est judicio, calumniatores nihil sani dicere. Nam qui veræ accusationis sibi est conscius, hic utique palam arguit, corrigit, & judicio se sistit cum adversario: ut nemo qui hostem apertâ acie vincere posset, insidiis & dolo uti vellet.

Cæterum id genus homines in regum aulis potissimum videas versantes, & principum ac optimatum amicitia splendentes: ubi

scilicet invidia crebra, innumeræ suspiciones, multæque assentandi & calumniandi occasiones. Nam ubi maiores spes sese semper ostentant, hîc & invidiæ sæviores, odia periculosiora, æmulationes callidiores vigent. Omnes se invicem acribus oculis intuentur, & quemadmodum qui singulari certamine contendunt, diligenter observant num aliquam corporis partem nudam & malè munitam conspiciant. Et cùm quisque velit primas obtinere, proximum summovet, & amolitur, & priorem si possit, convellit, & supplantat. Hic si quis est vir frugi, prorsus ilico subvertitur, & avellitur, denique ignominiosè expellitur. Verùm qui assentandi est peritior, & ad hujusmodi nequitiam habilior, probatur, denique superat. Quibus verùm Homeri carmen comprobatur. *Victorem & victum Mavors communis ademit.* Quocirca cùm de rebus non exiguis instituatur certamen, alii in alios varias nocendi vias comminiscuntur: quarum compendiosissima & periculosissima Calumniæ via: cujus principium ducitur ab invidia inter spem metumque fluctuante: sed quæ miserabiles, tragicos, & multis calamitatib. refertos exitus affert.

Nec certè facilè, simplex-ve est hoc quadruplatoris studium, ut fortè alicui videatur: sed arte multiplici, solertia non mediocri, & accurata diligentia opus habet. Non enim tam gravem noxam infligeret Calumnia, nisi in speciem vero simulia narraret: neque rerum omnium validissimam veritatem opprimeret, nisi appositis ad inducendum, & persuadendum argumentis, aliisque sexcentis artibus instructa auditores deciperet. Porrò calumniâ plerunque petitur potissimum qui in honore est: ob quem posterioribus est invidiosus: quò fit ut omnium telis affectetur, ceu obex, objectúmque ipsis impedimentum. Seque primum fore quisque putat, quum sublimem illum expugnarit, & amicitiâ excusserit. Quale quidam in gymnicis ludis accidit cursoribus: ubi strenuus cursor, fractis ilico carceribus, solùm primas affectans, animúmque ad metam adjiciens, idque pedum velocitate spem victoriæ habens, vicino non incommodat, neque aliorum certatorum res curat. Contrà ignavus ille, & imbellis adversarius, desperata celeritate, animum ad fraudem convertit. Atque hoc solùm in universum spectat, quomodo currentem objecta remora, vel impedimento, reprimere possit: quæ ni succedant, nunquam queat vincere. Haud aliter in ambiendis magnatum amicitiis accidit: apud quos qui prominet, statim insidiis involuitur, & incautus ab æmulis captus discerpitur. Hi deinde diligi, & amici videri incipiunt, eo quòd aliis incommodarint.

Jam quod Calumniæ fidem faciat, non temerè excogitant: sed in coloris delectu tori occupantur, metuentes ne quid absoni, aut alieni attexant. Sic plerunque eius quem deferunt rationes in deterius interpretando probabiles reddunt accusationes. Medicum venefícii: locupletem affectatæ tyrannidis, tyrannum proditionis insimulant. Interdum auditoris affectus, sua calumniis discrimina suppetirat, ad cuius mores hi maligni homines sese accommodantes, scopum attingunt. Nam si zelotypum ipsum esse perspexerint: annuit, inquiunt, ille uxori tuæ inter epulas: eamque intuitus suspiravit: uxor vicissim suave quiddam, & amatorium: alia item quę ad suspicionem adulterii faciunt. Sin poëticæ studiosus, illa arte sibi placeat. Per Jovem tua carmina Philoxenus irrisit, insectatus est, hiulca & lege soluta dixit. Apud religiosum, & pium, impietatis, & flagitii accusatur amicus, quasi numen rejiciat, & providentiam rejiciat. Tum auditor ceu œstro in aurem immisso, excandescit, ut est consentaneum, & re nondum accuratè cognita, amicum aversatur. Talia ferè sunt quæ ab impuris istis confinguntur & dicuntur, cùm ea non intuentis animum ad iram maximè posse provocare. Et qua parte quisque præstat, cognoscentes, illa ipsum telis jaculisque petunt: ne auditor subita conturbatus ira, aliquod verò cognoscendo collocet otium: deinde ei qui se purgare velit, non attendat, inopinato crimine, tanquam verò præoccupatus.

Etenim ea Calumniæ species est efficacissima, quæ cum auditoris cupiditate conflictatur: quando etiam apud Ptolemæum cognomento Dionysium, qui spiam olim Demetrium, Platonicum accusavit, quòd in Bacchanalibus aquam biberet, solúsque omnium mulierbribus non fuisset indutus. Ac nisi mane vocatus vinum bibisset omnium in conspectu, & sumpta veste Tarentina, cymbala pulsasset, & saltasset, planè periisset, quod regis moribus non delectaretur, sed Ptolomæi deliciis infensus esset, & adversarius.

Apud Alaxandrum gravissimi criminis reus fiebat, qui colere & adorare nollet Hephæstionem. Nam posteaquam is è vivis excessit, amore victus Alexander, ad reliquam funeris magnificentiam additum voluit, ut mortuus inter Deos Hephæstion haberetur. Continuò civitates ei templa condiderunt, delubra dedicarunt, aras, victimas, & festa novo huic Deo consecrarunt. Eratque nomen Hephæstionis jusiurandum omnium religiosissium. Si quis autem vel risisset ad ea quæ fiebant, vel non omni studio colere visus esset, culpa capitalis erat. Assentatores autem perspecta hac juvenili Alexandri cupiditate, ei ignem & fomitem addere cœperunt, somnia narrantes Hephæstionis, apparitiones quasdam, & medelas ei attribuentes, ejusque oracula prædicantes: denique assessori, malorumque depulsori Deo sacra fecerunt. Alexander autem hæc jucundè audiebat, tandem etiam ut veris fidem habebat, & gloriabatur quòd non modò Dei filius esset, sed Deos etiam creare posset. Quot igitur Alexandri amicos putamus illam Hephæstionis divinitatem tum malè habuisse, quum accusarentur, quòd communem omnium Deum non colerent: ideoque expellerentur, & regis benevolentiâ excíderent? Tunc temporis Agathocles Samius apud Alexandrum centurio in honore erat, parum abfuit quin cum leone committeretur, accusatus, quòd sepulchrum Hephæstionis præteriens illachrymasset. Verùm illi opem tulisse fertur Perdicas, Deos omnes, ipsumque Hephæstiona juratus, Deum in venatione sibi clarè visum, mandasse ut Alexandro diceret, Agathocli esse parcendum, qui non ut mortuum lachrymasset, & quod vanam Hephæstionis divinitatem crederet, sed quod pristinæ familiaritatis meminisset. Si igitur affecto Alexandro, locus assentationi, & Calumniæ appetissimis fuit.

Nam quemadmodum hostes urbem oppugnaturi, non altam, non præcipitem, non munitam, mœnium partem invadunt: sed quàm non custoditam, debilem, humilè-ve norunt, in eam totis viribus impetum faciunt, ut qua facillimè ingredi, & rerum potiri queant. Ita calumniatores, quod in auditoris animo languidum, fragilè, & accessu facilè viderint, illud adoriuntur, eoque suas machinas adducunt: deniquè nemine obsistente, hostilemque impetum sentiente, expugnant: deinde intra muros, cuncta igni ferroque devastant, jugulant, expellunt: qualia verisimile est fieri animo capto, & municipato.

Artes sunt ipsis adversus absentem, fallacia, mendacium, perjurium, obiectatio, impudentia, aliæque sexcentæ astutiæ: quarum omnium maximè est assentatio, Calumniæ cognata, imò soror. Nemo enim tam generoso est animo, & adamantino muro septus, qui adulationis calumniis non succumbat: idque cùm Calumnia suffodiat, & fundamenta subtrahat. Atque hæc quidem sunt quæ foris adveniunt. Intus autem multæ proditiones adjuvant, manus porrigunt, portas aperiunt, omnibusque modis expugnationi auditoris unà incumbunt.

Ac primum quidem hæ sunt, rerum novarum studium, ac præsentium fastidium, quod hominis ingenio à natura est insitum: deinde verò quod ad rerum incredibilium auditionem sequitur. Nescio enim quo pacto gaudemus omnes clanculum, quum plenas suspicione delationes audimus. Quibusdam enim comperi aures calumniis ita suaviter titillari, ac si pennis confricentur. Proinde quum talibus adjuti sociis irruerint, vi utique capiunt: nec ægrè paratur victoria, ubi nemo repugnat, nec vim propulsat: sed qui audit, ultrò seipsum dedit: qui verò accusatur, insidiarum est ignarus. Nam haud aliter qui deferuntur, atque qui captis urbibus pereunt, dormientes trucidantur. Et quod est omnium maximè miserabile, hic rerum actarum nescius, amicum hilari vultu adit, ut nullius mali sibi conscius, & consueta dicit facitque, insidiis omni fariam miser obsessus. Tum ille, si homo ingenuus est, & liber, ac confidens, iram ilico rumpit, animumque effundit: denique prævisâ defensione, agnoscit se adversus amicum abs re fuisse exacerbatum. Sin autem ignaviore est, & abjectiore animo, admittit quidem, summisque labiis arridet: verùm odit, & clam dentibus frendet: ac ut inquit poëta, iram in animo molitur.

Quo utique homine nihil putem injustius, nihil servilius, qui admorso labro bilem intus alit, odiumque intra se conceptum auget, dum aliud in mente occulit, aliud in ore habet, & plenam affectibus tragœdiam in se commovet. Tuncque potissimum hoc faciunt, quum simile facit delator qui delati olim amicus videtur fuisse. Tunc enim ne vocem quidem delati, tantum abest ut defensionem audire velint: tantum fidei Calumniæ facit, præcepta illa de vereri ipsorum amicitia opinio: cum non reputent inter amicissimos clam aliis non rarò multas simultatum causas intercedere: interdum etiam eum, quorum ipse reus est, socium insimulare, dum sic antevertendo, Calumniam nituntur evitare: denique neminem audere inimico calumnias instruere. Nam ei accusationi non habetur fides, cujus manifesta est causa. Verùm eos qui videntur amici, potissimum aggrediuntur, optantes suam erga auditores benevolentiam indicare, quod in ipsorum commoda, neque familiarissimis parcant. Quidam autem sunt, quibus tametsi postea comperitur falsum apud se crimen amicis fuisse impositum, tamen cum id credidisse pudeat, neque admittere quicquam, neque illum intueri audent, ac si injuria sint affecti, quia nihil ab illis delictum agnoverunt. Proinde multis malis referta est hominum vita, eo quòd tam facilè, nullaque facta disquisitione calumniis fides habetur. Nam ait Antia, *Prætervelim pereas, perimas nisi Bellerophontem, Qui tenerum in vita voluit violare pudorem:* quanquam ipsa prior solicitarat, & neglecta fuerat. Ac parum abfuit, quin adolescens in congressu cum Chimæra perierit, castitatis dans pœnas, & pudoris erga hospitem, insidiis à lasciva muliere petitus. Quiddam etiam simile Phædra de privigno obloquuta, fecit ut Hippolytus à patre devoveretur, etsi nihil, ô Dii, nihil nefarii perpetrasset.

At dicet aliquis. Quandoque fide dignus est calumniator, qui aliàs justus & prudens videtur esse, eique præbenda auris, ut qui tale nihil perpetrarit. Estne aliquis justior Aristide? attamen ille in Themistoclem conspiravit, animosque populi concitavit, gloriæ popularis, ut ajunt, æmulatione titillatus. Alias vir bonus Aristides: sed homo cùm esset, irasci poterat, & alios amabat, alios oderat. Si verum quoque est, quod de Palamede ferunt, quidam Græcorum sapientissimus, aliisque in rebus optimus, invidia flagrans insidias parasse fertur cognato, amico, & ad idem periculum profecto: adeo naturæ hominum familiare est hoc errore labi. Porrò, quorsum attinebat & Socratem

recensere

recenſere, impietatis & inſidiarum apud Athenienſes inſimulatum? Quid Themiſtoclem, aut Miltiadem tot partis victoriis, ſuſpicione proditionis notatos? Sunt enim exempla innumera, & vulgo jam pleraque non ignota.

Quid igitur faciet vir prudens, quum de virtute, aut veritate ambigitur? Sanè quod Homerus in Sirenum fabula docet, quum jubet ut perniciòſas haſce ſermonum voluptates prætereat, obturet aures, nec eas paſſim aperiat affectu præoccupatis: ſed ſedulo janitore adhibito, ratione nimirum quæ delationes expendat: dignas quidem recipiat & admittat: malas verò excludat, & depellat. Ridiculum enim fuerit ædium janitores conſtituere, aures verò mentemque aperta ſinere. Quum igitur quiſpiam talia quæpiam tibi dixerit: rem ipſam apud te perpendas, nec delatoris ætatem, nec mores, nec in dicendo ſolertiam ſpectes. Nam quo quis eſt diſertior, eo accuratiore diſquiſitione indiget. Ergo alterius judicio, imò potius accuſatoris odio non eſt credendum: at veri examen ſibi ſervandum, tum calumniatori invidiam tribuendo, tum utriuſque mentis argumentum patefaciendo. Et ſic alterum odiſſe, alterum amplecti licet, quem probaveris. Sed priuſquam hoc factum ſit, prima calumnia commoveri, hercle quàm juvenilis, abjectique animi eſt, & à juſtitia ſemotiſſimi. At verò horum omnium cauſa, una eſt ignorantia, tenebræque illæ quibus cujuſque mores obvoluuntur. Nam ſi Deorum quiſpiam animos noſtros retegeret, in barathrum aufugeret, locum non inveniens Calumnia, utpote rebus à veritate illuſtratis. *Libello, De non temere credendo calumniæ.*

Libanius: Scelerata gens, judices quadruplatorum in urbibus alitur, contra leges latas, contra æquos & moderatos homines, adverſus judices juratos. Nam innoxios & inſontes dilaniant, leges dum id faciunt evertunt: eos deniq; qui juramento adſtricto ſedent cum ii qui in reatu ſunt maximis in rebus plectunt: nam hi moriuntur: illi cum diris & execratione vivunt, & ad liberos noxam tranſmittunt. Igitur ut hoſtes publicè armis reprimimus: ita certè etiã calumniatorum impudentiam & vim ab iis qui ſemper jus dicunt coërceri novimus: propter quos non violare jura æquè periculoſum eſt, atque nequam eſſe: & perinde ſententiis exagitatur, qui æquiſſimus, & qui flagitioſiſſimus eſt: ac proborum plures quàm vitioſorum intereunt. At enim hi eum ſceleribus quid dicturi ſint meditantur: illos quia fides anteactæ vitæ adhibetur, imparatos tradunt exercitatis in dicendo: quibus vos, judices, ſtudium iſtud inane efficite, & ſubtilitatem imbellem, & impudentiam infructuoſam: hi ſiquidem nunc relictis aliis artibus, per quas civium optimi vitam degunt, prætoriis utuntur linguas pro gladiis acuentes. Largitus eſt quidam timore territus, Optimus, æquus, laude dignus, ajunt. non dignatus eſt largiri qui nullam injuriam fecit, Pravus, Tyrannicus, in omnibus injurius fuit. ergo eorum judicant quiſque credat illicò unum è reis futurum, & ſuam de aliis ſententiam, iis qui poſt ipſum jus dicent, ad exemplum relinquat, inſtruatque ne his belluis ſe adjungat, qui vobis ſuadent eum quem nuper laudabatis, & ſummæ rerum præficiebatis, populo tradere. *Declam. 28.*

Libanius: Aliquid frater meus commiſit, & paululum à priore ſtatu deflexit. Hac arrepta anſa homo quidam qui ſe patri benevolentem prædicabat, profectus ad eum & ingemiſcens, quaſi ſerio cõdoleret, accuſat abſentem juvenem; parva magni faciens & verbis extollens; ſe noſtris malis erubeſcere prædicans; agreſtem & trucem eum reddidit, qui talis non erat: & ſtatim infenſus filio extitit. huic autem liberum non fuit, neque juxta conſiſtere, neque verbum apud ipſum proferre, nec audire quidquam eorum quæ diceret, neque ex eadem menſa cibum capere, ac multa ſanè patri habenda eſt gratia quod non ab illo jam tempore ad abdicandum appulerit animum, uſque adeo lividus ille vir ad iram inſtigare non ceſſabat: quin accingebat etiam ad me pergere: primum ad amuſſim exigendo: nondum verò calumnia exagitatus, ego humi proſtratus patrem rogavi ne improbum adeò filium exiſtimaret; neve calumniantium malignitati potius fidem haberet, quàm veritati. Equidem ipſe, inquam, qui perpetuus illi comes adfui, & omnia perſpexi, eum quidem reprehendo: tantæ verò malitiæ conſcius non ſum. ſimul etiam petebam ut calumniatores in medium prodirent, atque ei rei argumenta dicerent. neque ex obſcuris locis ferirent. *Declamatione quadrageſima.*

Philoſtratus: Ad calumniandum comparare ſe, & muliebre, & inſcitum eſſe exiſtimo. *lib. 6. Apollonii cap. 4.*

Philoſtratus: Amo loquendi modeſtiam, amant & Jndi, eamq; veluti linguæ pediſſequam ſimul & ducem colo: & quæ mihi factu poſſibilia ſunt, cum amore ac laude eorum conor acquirere: id autem ad quos attingere non poſſum, intactum à vituperatione relinquo. *lib. 6. Apollonii cap 6.*

Philoſtratus: Quoniam probabiliter dicere vobis viſus eſt Euphrates, cùm mores calumniaretur, animadvertite quo pacto vos antea ſit calumniatus. Mihi enim is non parum periclitare videtur, quẽ alius quiſpiam ſit calumnia affecturus. nam odio utique habebitur, cùm tamen nihil injuſtè fecerit. Verumtamen neque illi periculorum videntur expertes qui calumniatores videntur auſcultaſſe. Primum enim falſiloquentiæ amatores eſſe deprehenduntur, eamq; non minoris æſtimare quam veritatem. Deinde levitatis credulitatiſque ſectatores putabuntur, quæ in adoleſcentibus quoque turpes habentur. Invidi præterea videbuntur auditionis injuſtæ magiſtram invidiam facientes, cùm ſint ipſi calumniis digniores, qui de aliis allatas veras putaverant. Hominum enim natura ad ea facienda quæ credit promptior eſt. Non igitur tyrannidem exerceat vir audiendis calumniis promptus, neque popularem gubernationem gerat, tyrannis enim & populi gubernatio ſub ipſo erunt: neque judicet quidquam de nullo cùm cognoſcat: neque navem regat, ſeditio enim in navi excitabitur: neque exercitui præſit, nam præclarè agetur cum adverſario: neque philoſophetur, qui ita diſpoſitus eſt., non enim verè de rebus opinabitur. Vobis igitur Euphrates abſtulit eſſe ſapientes. quos enim inanibus mendaciis ſeduxit, quo pacto ſeipſos ſapientia dignos putabunt, à qua abſiſtunt, non verò ſimilia perſuaſi. *lib. 6. Apollonii cap. 7.*

Philoſtratus: Propter ſceleſtiſſimos viros, urbes funditus pereunt: inſulæ exulibus replentur, continens doloribus abundat, & exercitus formidine, Senatus autem ſuſpicionibus nunquam caret. *libr. 8. Apollonii cap. cap. 2.*

Philoſtratus: Cùm omnia apud te calumnientur detractatores, omnibus te, Imperator, calumniabilem reddunt. *lib. 8. Apollonii ca. 3. fine.*

Etenim ſi aliis unquam apud te malè locutus eſſem, credibile eſſet, me tibi apud alios quoque detractare. Expecta me brevi, omniaq; ad rationes revocabimus ut tu cognoſcas, quàm rectè me tibi amicũ iudicaris. Ego verò tui reipſa experimentem capiam. Calumniatores enim nos quidẽ conciliabunt, ſeipſos verò ſtrangulabunt. In ſumma ſuſtineas me parumper, itemq; ad argumenta certa deducamus: ut tu quidem cognoſcas quàm dignè iudicaveris me amicum: ego verò reipſa de te experimentum accipiam. Nam omnes propemodum qui criminantur, committunt, & ſeipſos enecant. *Ex typo Epiſtolico.*

Prorſus verò cùm ejus utaris amicitia, quem omnibus infeſtum & inimicum eſſe noviſti, ne illud quidem cogitas qui convitium alii dicat apud te, eundem apud alios tibi dicturum. Illum igitur accuſo, quòd ejuſmodi facere non vereatur, te verò, quod cùm habeas opinionem ſapientiæ, diſcrimen inter amicos habere non poſſis. *Ex typo Epiſtolico.*

Baſilius Imp. Præbere aures auditioni vanę noli, & calumniatores in ſinu tuo ne fove, & improbis ne temere crede: illi enim ſæpenumero viros bonos propter improbitatis ſuſpicionẽ afflixerunt, ij verò propriæ improbitatis iras evomentis ſanguinis reum te conſtituent, aut ſuſpectum reddent, quaſi improborum conſuetudine gaudeas: quibuſcum enim conſueſcere familiariter lætaris, & quibus fidem adhibere ſoles, eorum mores tu quoque habere non immeritò judicaberis. *cap. 55.*

Baſilius Imp. Omnia audi, & de omnibus diſce: ſed ex iis quæ audies, quędam rejice: quędam admitte, nempe ea quæ tibi aut uſui aut honori eſſe queunt, & tuis ſubjectis obeſſe nequeunt: rejice autem ea quæ & ſubjectos lædunt & tibi nihil proſunt. Lingua enim improba ac fraudulenta, ſi potentem adjutorem nanciſcantur qui ei reſpondeat & ſibi & ſectatoribus ſuis multum detrimenti advehit. Os verò ſyncerum quod nihil niſi verum loquitur: & dominum ſuum & eos qui illum audiunt juvat plurimum. Malis ergo ne gaude, bonos, aſſume: pacem inter ſubjectos ale, nõ eos inter ſe committe. ubi enim lites ſunt & pugnæ, procul abeſt Deus: ubi verò pax & charitas & concordia, pacificis ſe præſentem exhibet, & adoptionis in filios Dei copiam eis facit. *cap. 61.*

Baſilius Imp. Lectiſſimã eſſe regni tui coronam ſtatuito, innocentiam & bonam conſcientiam, qua te magis meliuſq; exornabis, quàm ſexcentis aliis ornamentis. Divitiæ, infida quædam res, & quæ facilè dilabitur. Gloria tranſit. Robur corporis flacceſcit: voluptates diffluunt: ſola innocentia & boni mores in multas ætates protenduntur, & memoriam nominis æternam tranſmittunt ad poſteros, quibus virtutem tuam æmulandam, quaſi pharmacum adverſus malæ omnia relinques, eosque & laudatores & imitatores tuæ adminiſtrationis efficies. *cap. 62.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Actum eſt de rebus humanis, ſi de criminibus noſtris tantumdem mendaciis licet: nec ullus innocens huc uſque felix eſt, ut diligentiæ fingentium par ſit. Quemquamne mortalium in rẽ quam finxerit, quam cõpoſuerit invenire aliquid quod poteſt probationem vocare, & facinus explicare facilitate verborum? Magis odetis mendacium, cùm ſimile verò eſt. Quoties manifeſtum eſt aliquem periiſſe ſine cauſa, calumniantibus iraſci debeas, ut poſſis illis ignoſcere qui crediderunt. *Declam. 11. §. 6.*

Quintilianus: Lex quæ calumniatorem idem pati jubet, ejus pœnam exigit quod fecit, non quod facere voluit. *Declamatione. 11. §. 8. 2.*

Symmachus: Amor in te meus ex ſummis opibus annititur, ut in dies ſingulos bonorum cultus tibi accedat: tãtum abeſt ut ſinam veteres tibi amicos ſimulationum improbitate decerpi. Inter quos vir clariſſimus Scipio virtutum tuarum me quoque teſte laudator, ſpoliatum ſe amore tuo per æmulos ingemiſcit. Sed mihi veriſimile nõ videtur, ſtabilitatem animi tui rumoribus falſis poſſe mutari, cum bene conſcius vitæ, nihil in ſe maledicis licere ſermonibus debeat æſtimare. Quare hortor & deprecor deſpuas ſi qua ſunt inculcata mẽdacia, atque hunc honorem meritis tuis vendices, ut qualis ipſe es, talem te ab omnibus intelligas judicari. Nemo in te transferat odii ſui ſemina. Jam dudum enim genus eſt artis ad alendas vires diſcordiæ ſuæ, ſollicitare metum potiorum. Non ibo longius, quum impetrationem ſpondeat ſapientia morum tuorum, quam puto eatenus reſponſuram litteris meis: ut non tam ignoviſſe te Scipioni, quàm nihil credidiſſe aſſeras. *lib. 7. Epiſt. 128.*

¶ Poetarum.

Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 12.

Homines qui gestant quiq; auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus,
Nam istæc quæ tibi renunciantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitan ea tibi dicta sunt mendacia.

Terentius Phorm. actu 2. sc. 1.

Quot me censes homines jam deverberasse usq; ad necem
Hospites? tum cives? quo magis novi, tanto sæpius.
Cedo dum, en unquam injuriarum audisti mi scriptam dicam?
GE. Quid istuc? PH. quia non rete accipitri tenditur neq; milvo,
Qui male faciunt nobis: illis qui nil faciunt tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Alius aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest.
Mihi sciunt nihil esse: dices, ducent damnatum domum,
Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea sententia;
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

¶ Apologorum.

Phædrus Fabula 1. Lupus & Agnus.

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus.
Longeq; inferior Agnus. tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii causam intulit.
Quur, inquit, turbulentam mihi feci sti aquam
Istam bibenti? laniger contra timens:
Qui possum quæso facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula.
Qui ficta causis innocentes opprimunt.

Phædrus Fab. 17. Ovis, Canis, Lupus.

Solent mendaces luere pœnas maleficii.
Calumniator ab ove cum peteret Canis
Quem commendasse panem sese contenderet,
Lupus citatus testis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio,
Quod non debebat solvit. post paucos dies
Ovis jacentem in fovea conspexit Lupum:
Hac, inquit, merces fraudis a Superis datur.

Phædrus Fab. 35. Aquilæ, Felis, Apri.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nancta, in media pepererat:
Sus nemoris cultrix fatum ad imam posuerat.
Tam fortuitum feles contubernium
Fraude & scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan & miseræ mihi.
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat:
Terrore effuso & perturbatis sensibus,
Direpit ad cubile setosa suis;
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquilæ est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoq; timere post quam compleverit locum,
Dolosa toto condidit sese cavo.
Inde evagata noctu suspenso pede.
Ubi esca se replevit & prolem suam,
Pavorem simulans prospicitto o die.
Ruinam metuens Aquilaramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis.
Felisq; catulis largam præbuerunt dapem.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate 8.

Hic radio lethifero tacta, velut sidere, Pastinaca,
Exuitur celsa pirus deciduam luxuriem comarum:
Haud aliter vipereo vanilocuus dente calumniator
Attalicas vertere opes, conditionemq; potest superbam.

Batillius 92.

Calumnia.

Quæ formam cultumq; Deæ sed cultibus ardens
Irarum rabiem fronte oculisq; gerit,
Aclavá accensas, stimulisq; agitata furoris
Vna odii præfert insidiasq; faces,
Arreptis dextrâ puerum raptatq; capillis,
Quigeminas supplex tendit ad astra manus.
Hæc Helena intus erit, famam lacerare bonorum
Quæ solet, insontes criminibus q; premit.

Batillius 93.

Calumniis probos non obrui.

Spargæ in aquas suber, sub aquarum gurgite merge,
Demergi poterit non tamen illud aquis:
Probrorum nullis sic immersabilis undis
Se probra extollit vir probus ipsa super.

Camerarius 94. Centuria 4.

Transfundit pasta venenum.

Vipereum exsugit vespartum turba venenum,
Tu fuge, ne noceant hausta venena tibi.

¶ Apophthegm. Christianorum.

Jesus *Christus:* Ad Calumniam pergimus: quæ uti cùm injuria prolata, vitiosa est; ita sæpius justæ castigationi permixta, reprehensione caret. Quo modo ea non semel usus adversus Pharisæorum improbitatem Salvator: & quidem venientibus ab Jerosolymis Scribis & Pharisæis, & rogantibus. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lavant manus, &c. gravissimum in eos crimen retorquet, dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* id est, melius observatis ea, quæ vos, præcipitis, quam quæ à Deo profecta. *Matth. cap. 15.*

Idem: Accedentibus Sadducæis, & signum de cœlo postulantibus, respondit non sine indignatione: *Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Ibid. cap. 16. Marc. 8. Luc. 12.*

Agapetus Rom. Episcop. At quia longum foret persequi quoties idem Dominus ejaculatas in se calumnias retorserit, offert se mihi Christo in hoc genere proximus Agapetus. Qui à Theodato Gothorum per Italiam rege Constantinopolim Justinianum placaturus missus, cùm eum Eutychianæ hæresis labe infectum deprehendisset, magno eoq; libero animo dicebat: *Ad Justinianum Christianissimũ Imperatorem venisse me arbitrabar: sed quantum intueor, ad Diocletianum veni.* Justa, licet calumniosa reprehensio, nec minori idcirco laude digna. *Hist. Eccles.*

Antiocheni: Nec malè illi contendentes frequentiùs cum Apostata Juliano, multa in eum jactabant: cumque rerum omnium pretia imminuisset, ac barbam prolixiorem aleret; *Tondeatur,* clamitabant, *ejus barba, ut ad funes conficiendos prosit.* Et quoniam superstitionis suæ causa, taurum idolis immolare assueverat, tauri imaginem in solido suo formari præcepit: quam videntes Antiocheni, rursus eum proscindentes, jactitabant: *Iste taurus everret mundum. Hist. Tripart.*

S. Theophilus: Impius iste aliquando, at postmodum juxta sui nominis etymon, Sanctorum catalogo adscriptus; cùm Dorotheam virginem judicis Prætorium egredientem, Deo gratias agere, quòd ad Paradisum hinc evocaretur, audivisset: in eam hoc modo (erat quippe Sapritii Præsidis adversus Christianos causidicus) calumniabatur: *Eia tu, quæ dicis te sponsam Christi, mitte ad me de Paradiso sponsi tui mala & rosas.* quod eam fecisse, & suum calumniatorem in martyrii societatẽ traxisse, subsecutus eventus docuit. *Sur. tom. 1. in vita.*

Dux Saxoniæ Fridericus: Claudam hoc agmen inclyto Friderici Ducis inclyti exemplo. Ille, (quod utinam in omnibus nostri sæculi Principibus foret) aures calumniantibus obturare solitus: &, si qui fortè ex ea hominum fæce molestiores essent, *Accipiam* inquiebat, *delationes vestras, si coram præsentibus in faciem dicturos spondeatis, quæ de absentibus defertis.* Assentiuntur namque aliquando delatoribus Principes, re non explorata, in præjudicium innocentis. *Peucerus in Lect. Chron. An. 1572.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

S. Iohannes Baptista: Sciscitantibus militibus quid facere eos oporteret, respondit, Neminem concutite, neque calumniamini, & contenti estote stipendiis vestris. *Luc. 3. 14.*

Basilius Magnus: Dicebat non verba ipsa dolorem nobis afferre, sed nostra ergà eos qui nobis convitiant superbia & contemptus, & cujusque opinio sive imaginatio. *Item.* Solent (inquit) quodammodo magnis principibus hujusmodi obsequiorum artifices adhærere: ut quoniam proprio bono carent quo innotescant, ex alienis malis se ipsi commendent. *Item.* Tribus simul damno is est calumniator. Nam & illi quem traducit injurius est, & audientibus eum, & ipse sibi. *Anton. & Maxim. Serm. De Vituperatione & Calumnia.*

Chrysostomus: Quemadmodum (inquiebat) benedicentia & laudatio principium est amicitiæ: sic maledicentia & calumnia inimicitiæ, odio, & infinitis malis initium & ansam præbet. *Item:* Fieri non potest, ut qui virtute excellunt, apud omnes benè audiant. *Item* Si illi qui inanes & leves excipiunt narrationes, veniam non impetrabunt: qui criminantur & conviciantur, quam habituri sunt defensionem? *Item.* Non dolendum est si malè audiamus, sed si jure malè audiamus. *Item.* Plerique vitiorum suorum reperiuntur patroni, alienorum accusatores. *Eodem. serm. de calumnia.*

Maximi:

Maximi. Calumniatori (ait) aures ne præbeas, ne duplex peccatū cum illo committas tum teipsum pernicioso affectui assuefaciens, rum illum adversus proximum nugari non impediens. *Eod. serm.*

Theodoretus: Nominis, mutationem ad alicuius, famam lædendam momentum habere plane minimum dicebat. Nam neque Socrati, si Critias nominatus fuisset, neque Pythagoræ, si Phalaris, labes vlla ex nominum mutatione aspersa fuisset infamiæ: neq; Nereus, Thersites vocatus pulchritudinem sibi datam à Natura amisisset. *Theodoret. eccl. hist. lib. 3. cap 18.*

Socrates historicus: Dicebat, homines obscuros abjectosque qui nihil ex se habent quo nomen suum illustrare possint, ex virorum ipsis longe præstantiorum vituperatione, se nobilitare velle. *Socra. hist. Eccl. lib. 6. cap. 12.*

Isocasius. Leonis Magni anno imperii decimo, Isocasius quæstor Antiochenus, per calumniam delatus est, quasi qui alienus à religione Christiana Ethnicismum coleret. Imperator totius rei cognitionem Posæo Constantinopoleos præfecto demandat. Is collegæ quondam suo manibus post tergum revinctis, habituque lugubri ad tribunal adducto, sarcasmo insultans dixit, Videsne, Isocasi, quo habitu adstes? Video, inquit, neque miror: homo enim in calamitatem incidi humanam. Tu vero ira mihi jus dicito, sicut me collega solebas dicere. Tandem re cognita absolutus est Isocasius, magno cum circunstantis coronæ gaudio. *Grynæus in Habacuc. pag. 104 ex Zonara.*

Nicetas Choniates: Adversus calumniæ & improbitatis vim venenatam differens, graviter dicebat, Improvisa admodum & inevitabilis res est improbitas. Suntque quantum licet ii æmuli observandi, qui ingeniis sunt illiberalibus & morib. occultis præditi, linguaq; pollent ab animo dissentiente: ac custodia muniendum est os, nec sinenda lingua temere extra dentium septum & labiorum munitionem evagari, quibus à natura, quasi duplici vallo est inclusa. Et *paulo infra.* Draconem quidem aut leonem qui videt aut audit in montibus, statim declinat: lachrymis & precibus etiam latro mitigatur: ad virum verò aliis insidiantem, qui aliud lingua promptum aliud pectore clausum habet, cavendum, magna sapientia opus est & numinis auxilio. Hæc dicta sunt in Camateri Logothetæ, nebulonis aulici, insidias in Theodorum Styppiotem, jussu Imperatoris excæcatum, ipsomet Niceta referente, *lib. 3. Annalium de reb. gestis à Manuele Comneno.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad mendacium per veram viam struit calumnia.
Ab! nocentior veneno quolibet calumnia.
Aucupi utilissima est res possidere noctuam.
Barbaris servire præstat, quam calumniantibus.
Cuncta honesta, cuncta inhonesta vendit at Calumnia.
Diluas magis vi à act à, quam verbis calumniam,
Ex egestate ac livore nascitur calumnia.
Ex latebris anguliq; tela jacit calumnia.
Fert agerrime sibi litem inferri calumnia.
Heu malum quantum privatim ac publicè calumnia est!
Heu quæ non calumniator, lucri agit caussa sui!
Impetum calumniarum eludere innocentia est.
Improbum elevat probumque deprimit calumnia,
Innocentiæ resistas cuilibet calumniæ.
Instar vulpis est dolosa temque iners calumnia.
Iudicio calumniosa scriptio vim haud obtinet.
Iura nil valent naturæ ubi valet calumnia.
Ne quidem calumnia expers ipsamet Modestia est.
Nil Deo execrabile æquè ac lingua quæ quem clam ferit.
Nil magè urbi perniciosum est una quam Calumnia.
Nil probat calumniator, criminatur omnia.
Non adit calumnia ullum à quâ rejecta semel male est.
Nunquam deerit, dum sit cui persuadeat, calumnia.
Omne vinculum naturæ solvitur calumniâ
Optimis calumniator imminet, non pessimis.
Præsidum ministra acerba avaritia calumnia est,
Principum peccata minima subjacent Calumniæ.
Quæritat vultur cadaver, transit hortos floreos,
Quicinam Amor moretur una sede cum calumnia?
Quis non clam palamve dixit proximo calumnias?
Rege sub bono nocere non solet calumnia.
Semimas est ac cinædus alteri clam qui nocet.
Simplicissimis molesta maximè calumnia est.
Stultus est, improbiorve, qui aurem habet calumniæ.
Veritas tandem tenebras dispulit Calumniæ.

¶ Jambica.

Acuta sica? acutior calumnia est.
Acutior quovis gladio calumnia est,
Calumnia index, accusatio frequens.
Calumnia omnis mater impudentiæ est.
Calumniari non potest qui haud invidet.
Calumnias malorum iniquè ne feras.
Calumniæ resincere est probissimi.
Calumniator cuncta in deterius refert.
Calumniator fure quovis tetrior
Calumniator neminem insessit palam.
Calumniator publica pestis rei est.
Calumniatorem omnis urbis vel unum habet.
Corroboratur & mora calumnia.
Et lita veneno tela sunt calumniæ.
Etiam adpetit non cognitos Calumnia.
In omnibus quam plurimum calumniæ est.
Neglóriæ quidem parcit calumnia.
Nisi adfictus pœna, irritas calumniam.
Nocentiusne quippiam calumnia est?
Nunquam cicatrix interit calumniæ.
Obnoxia est Calumniæ innocentia.
Opposita virtus est obex calumniæ.
Pestis bonorum maxima est calumnia.
Quod eminet solum opprimit calumnia.
Rebus nocet calumniator publicis.
Sub rege avaro plurima est calumnia.
Tandem & suos tyrannus affligit canes.
Tribus simul calumniator officit.
Velocius nil uspiam calumnia.

Candoris.

¶ Apophthegmatum sacror.

Aldefonsus & Almenon. Sancio Castellæ & Navarræ rege, dum sororum regno inhiat, per insidias cæso, Aldefonsum ejus fratrem, apud Almenonem Maurum Toleti exulantem, Castellani & Navarrenses regem dixerant, quem propter ingenii acumen & animi robur Mauri suspectum habebant. Dubitantibus amicis utrum Almenoni rem detegeret, necne, veritis ne ad iniqua pacta adigeretur, Aldefonsus confidens in Domino respondit: *Almenon honorifice me recepit, & necessaria liberaliter ministravit, & ut filium me tractavit: quomodo eum celare potero ea quæ Dominus mihi fecit?* Itaque ei quicquid per nuntios acceperat revelavit. etsi sic Almenon hæc omnia jam resciverat, & omnium viarum transitus diligentissimè observari curaverat, ut si se inscio abiret, caperetur. Proinde, *Gratias* (inquit) *ago Deo altissimo, qui me ab infamia liberare, & te à periculo voluit custodire. Si enim me insscio aufugisses, servitutem aut mortem nullatenus evasisses. Nunc autem vade, & accipe regnum tuum, & de meo accipe aurum, argentum, equos, & arma, quibus possis tuorum animos conciliare.* Juramentum insuper de Toletano regno non invadendo & sibi & filio suo primogenito idem præstare coegit. *Roderic. Toleta. lib. 6. rer. Hispan. cap. 20.*

¶ Emblematis.

Camerarius 60. Centuria 1.

Invicta maneo. Roraria semper madida.
Syrius ut flagret, viret ac perfulsa liquore est.
Candida sic durent pectora firma fidei.

¶ Monosticha Trochaica.

A mali suspicione candor omnis est procul.
Candidatorum est ubiq; turba, candor nuspiam est.
Candor est hoc res in ævo prorsus intermortua.
Invicem hostes sunt professi candor ac Detractio.
Nemine ipso vix superstes candor: omnis jam perit,
Non potest uno morari candor & Dolus loco.
Penè res est hoc in ævo candor intermortua.
Plura credit quam necesse est liberæ auris candidus.
Sensa cordis ore promit veriore candidus.

¶ Jambica.

Candoris hostis macra diffidentia est.
In fronte candor corgerit passim obvii.
Nil suspicatur uspiam candor mali.
Vix suspicatur de malo candor male.

Canis.

¶ Monosticha Trochaica.

A mortalibus migravit ad canes fidelitas.
Dormies utramq; in aurem pro grege si excubat canis.
Dum nimis celerat catellos parturit cæcos canis.

¶ Jambica.

Acre animal canis est, utique catenarius.
Bello atque pace semper sunt boni canes.
Contra latrones pro domino pugnat canis.
Dormito pastor dum senior vigilat canis.
Est loco amici vel fidissimi canis.
Fidelius nil homini in orbe quam canis.
Heroesque tandem devorant sui canes.
Minus Deo æquus est homo, homini quam canis.

Cantus.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆC.

Isidorus Pelusiota: Importunas in ecclesiis loquacitates Domini Apostoli in ecclesiis comprimere studentes, modestiæque atque gravitatis magistros sese nobis præbentes, ut mulieres in ipsis canerent, sapienti consilio permiserunt. Verum vt omnia diuina documenta in contrarium versa sunt, hoc quoq; quamplurimis in dissolutionem ac peccati occasionem cessit. Siquidem ex diuinis hymnis non ingenti cumpunctione afficiuntur: verum cantus suauitate ad irritandas & extimulandas libidines abutentes, nihilo eam scenicis cantilenis præstantiorem esse existimant. Operæpretium est igitur, si, quod Deo, gratum est, quærere, atque id, quod ex vtilitate, publica est, facere volumus, iis, vt Christo cauponum, instar ad quæstum abutentibus, & diuinam gratiam, in exitii mercedem conuertentibus, ne deinceps in ecclesia canant, atque in ciuitate maneant, interdicere. *lib. 1. Epist. 90.*

S. Isidorus Pelusiota: Laudate eum, in tympano, & choro, & organo & chordis, ait Psalmista: non æri tinnienti, & instrumentis ad mulcendos acdeliniendos animos accomodatis diuinos cantus committens, verum, nos admonēs, vt ex carne, nostra tympanum, afficiamus: sic nempe vt nullum præposteri affectus motum habeat, verum, terrenis, membris mortua, & extincta sit. per chorum autem, concordem Ecclesiæ concentum postulat. Per chordas item, sensus nostros, intelligit, quorum opera linguæ plectrum pulsatur. Denique organum, quiuis nostrum est, cum Deo mores suos ac vitam, probat, atque hominum commodis aptus est. *lib. 1. Epist 364.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Si Musicæ illius, de qua Scriptura loquitur, explanationem quæris, ad hunc modum, intellige. Laudate Dominum in sono tubæ: hoc est in memoria resurrectionis quæ tuba fiet, ut Scriptura testatur. Laudate eum in Psalterio & Cithara: hoc est in lingua nostra & ore, à Spiritu sancto tanquam plectro quodam percussis. Laudate eum in tympano & Choro: id est, in carne & animo, à quo tanquam chori, preces ad Deum transeunt. Laudate eum in chordis & organo: hoc est, in corde atq; internis visceribus & nervis, quæ quidem organum appellavit. Laudate eum in cymbalis jubilationis: hoc est, in labiis, quorum adminiculo concinna & modulata Psalmodiæ carmina contexuntur. *lib. 1. Epist. 457.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Omnes qui arduas operum sublevant, & solantur angustias, probant ad solatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam. Hinc nautæ cantu superant marina discrimina, hinc immensa pondera adducunt levamine canticorum, hinc viantes colles arduos facit transcendere vox sonora, hinc præliatores ipsos præcedere cantus subire concitat amara bellorum. Ac ne multis, omne quod duti est operis, quod laboris, dulcis vincit & efficit cantilena. *Sermone 10 pr.*

Chrysologus: Et cantilena à continuo labore relaxat animos. *Sermone 115 pr.*

¶ ORATORVM GRÆCORUM.

Dio Prusæus: Et tibia quidem canentem matutino tempore audivi neminem ego hactenus in civitate: hic autem præclarus cantus primo mane exercetur. *Orat. 33.*

Libanius: Major est in canticis voluptas, quæ virili ac muliebri voce temperata sunt. *fine orationis Patrocli ad Achillem.*

Symmachus: Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata oblatis lucis autamnibus componis, fallitur doctis cogitationibus sensus doloris. *lib. 3. Epist. 13.*

¶ POETARUM.

Guntherus lib. 1. Ligurini v. 43.

Imo etiam mos est, ut plus cantare laborent,
Qui grauius cantant. & balbi plura loquuntur.
Sic ego, quem celebres optant laudare poetæ,
Nec digne laudare valent, temerarius ausis
Præcipiti tenuiq; paro celebrare Camœna.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Brysæus Præses Parisiens. Cantandi peritiam & usum, non admodum utilem & decentem Principibus viris, suo dicto explicavit BRYSÆUS Conc. Parisiens. Præses. qui cùm à Rege Anglorum ad Ludovicum XI. Franc. Regem Oratores mitterentur, & ille quo munere eos donaret (meditabatur enim munus aliquod exigui pretii) inquiret; respondit: *Turba cantorum tibi est, quorum melodijs parum oblectaris, eos tamen magnis impensis aliis: quos, quia facilè carebis, Oratoribus universos dandos censes.* Gaguinus in vita Ludovici.

Alphonsus Aragonum Rex: Quid vero ARAGONIUM ALPHONSUM memorem? Obstrepebant (ut in Principum aulis) tibicines. & variis clangoribus ejus aures obtundebant: ille arrepto, quod fortè ad manum, Ciceronis volumine, clara voce intonare cœpit: *Apagite Musici, apagite. adest qui mecum dulciora misceat,*
Princeps Romani Tullius eloquij.

Panorm. & Æn. Syl. de Dict. & Fact. ejusd.

Anonymus: Alius mentis iste. Filium quem unicum ex conjuge suscitaverat, bonarum artium disciplinis cum instituisset; Musicæ artem & cantandi peritiam tandem addiscere eum imperavit. dicebat enim: *Per hæc* (Cantum videlicet & Musicam) *ingentum mollitur: nihilq; post exantlatos labores homini gratius evenire potest.* Quam scitè & benè Horat. in Arte Poët.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet. ——

Auct. Rer. memorab.

Captivitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Chrysostomus: Captivus quidem non fuit, captivis tamen multò graviora passus est: non solum abalienatus à patria & domo, sed & cum fame continua, morte, innumerisque aliis decertans. nam istud captivo solum grave, quod à domesticis abalienatus pro libero sæpenumero fit servus. *Homil. 31. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Captivitatis nomen duplicem significatum habet, nempe & vi captum esse, atq; ita expugnatum, ut jam nulla resurgendi facultas sit. *Homil. 21. Cor. 2.*

D Chrysostomus: Tanquam captivus agebatur ac ferebatur, & ad malè patiendum sic erat omnibus propositus: imò verò illis pejus. nam illos quidem postquam ceperunt milites, non secus atque propriar. opum curam habent, valde colunt atque observant. *Homilia 11. ad Colos.*

D. Io. Chrysostomus: Captivum te ille accepit? vitæ tuæ dominus est: ipse dispensat ut vult. 2. *ad Timoth. Homil. 8.*

Synesius: Prô audaciam, illam, qua freti velut retibus vniuersam prouinciam amplexi sunt! Nullus iis accessu, mons arduus, nullum satis munitum castellum fuit, Regionem omnem peruagati, omnē perscrutati sunt, ætatemque omnem in seruitutem redegerunt, Olim ex Historicorum numero ita scribētem nescio quem audio, FÆMINAS ET PUERULOS EXCIDIORUM AC SUBVERSIONUM ARGUMENTO RELINQUEBANT. Sed longè aliud Pentapoli contigit. Quæ enim Ausuriano possessio commodior muliercula & infantulo? ut & illæ ipsis pariant, & ii simulatque adoleverint unâ ad militiam ducantur. Sunt enim erga nutritios potius quàm parentes animo propensi. O miseram illam quam propagamus coloniam! Captiva Juventus agitur quæ hostium, exercitus augeat. Veniet hostilis aliquando contra patriam populus. Eum agrum populabit atque exscindet adolescens, quem cum Juvenis esset una cum patre coluerat. Nunc in via est: nunc abducitur: nunc in vinculis adhuc Pentapolitana Juventus est. Nec est ullus qui iis opem ferat, aut ferre possit. *Catastasi Pentapolitana.*

Synesius: Mulieres in servitutem abegerunt: maribus enim nequaquam parcitur, tametsi antea vivos capere puerulos solerent. sed nunc opinor minores se numero esse intelligunt, quā ut prædæ plurimos custodes imponere & iis quæ relicta fuerint, à bello vindicandis, si quis irrumpat, sufficere possit. *Epist. 125.*

¶ LATINORUM.

Salvianus: Cujus sors pejor fuerit incertum est, illi quidem erāt extrinsecus carne, sed isti intus mente captivi: & ex duobus lethalibus malis, levius, ut reor, est captivitatem corporis Christianum, quàm animæ sustinere. An credimus forte, quod captivus animo populus ille non fuerit, qui lætus tunc in suorum captivitatibus fuit? captivus corde & sensu non erat, qui inter suorum supplicia ridebat? qui jugulari se in suorum jugulis non intelligebat, qui mori se in suorum mortibus non putabat? *Libro sexto de gubernatione Dei.*

Salvianus: Quid est aliqua redimere? opinor pretium rerum quæ redimuntur dare. *lib. 1. contra avaritiam.*

Egesippus: Fit concursus ad Josephi advenientis spectaculum, Romanis fere omnibus confluentibus: alii videre dejectum desiderabant, quem paulo ante in amplissimo honore positum, summæ rei præesse intuebantur: alii certabant capto illudere: alii vices rerum humanarum tam varias atque flexiles mirabantur, plerique consultius ingemiscebant, qui in alienis casibus sibi posse eadem accidere putabant. Titus Imp. præ cæteris movebatur, ingenita animi mansuetudine: illum dudum bellatorem superbum subitò potestati addictum hostium, alieni motus sortem operiri, vitæ naufragum, exulem spei, incertum salutis. tantum valere monumenta in præliis, ut brevi casu dispares sui reddant; cum aut potentes dejiciuntur, aut afflicti levantur. Itaque pars melior eorum scilicet qui honore potiebantur, mitiora consilia dabant, maxima tamen portio salutis apud patrem Josepho Titus fuit. *capitis 18. fine, lib. 3. de excidio Hierosolymitano.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATOR. HISTORICOR. GRÆCORUM.

Xenophon: Quum existimaret, contemtum hostium robur quodam in animis ad pugnandum excitare: præconibus edixit Agesilaus ut capti à prædonibus barbari nudi venderentur. Itaque milites

res, qui albos quidem eos esse cernerent, quod se numquam exuere solerent: sed pingues, nullisque laboribus exercitos, quod vehiculis semper uterentur: bellum hoc non aliud fore putabant, atq; si prœlio cum fœminis decernendum esset. *cap.* 11. *Vitæ ejus.*

Xenophon: Quum Agesilaus intelligeret, regionem vastatam & ad solitudinem redactam, non posse diu militum copias sustinere, quum cultus ager, & qui seritur, victum perennem suppeditet: curam adhibebat, ut non vi tantum adversarios subigeret, sed etiam lenitate suas ad partes traduceret. Militibus quoque sæpenumero denuntiabat, ut captivos non tamquam reos injuriarum plecterent: sed velut homines, servarent. Sæpe, quoties mutabat castra, si animadverteret parvos à mercatoribus relictos esse pueros, quos sane multi vēdebant, quod existimarent eos se vehere ac nutrire non posse: curabat, ut hi quoque simul aliquò deportarentur. Si qui captivi ob senectutem relinquerentur, impetrabat, ut horum etiam haberetur cura, ne vel à canibus, vel lupis discerperentur. Quo fiebat, ut non tantum illi, qui hæc audiebant, sed etiam ipsi captivi, benevolo essent in eum animo. *cap. 8. Vitæ ejus.*

Phalaris Eueno: Cum primo captivum tuum filium morte mulctare statuissem, quod in nautas meos injuriosus fuisset: animum postea mutavi, vitamque illi donavi. Malo enim per illius vitam tibi mœrorem luctumque inferre, quàm per occidionem mortuo. Vale. *Epist.* 7.

Brutus Myrensibus: Xantii capti subactique misericordiam nostram supplices imploraverunt. Verùm erat indignum, ut qui spe belliq; consortes fuissent, ii detrimentum & calamitatem effugerent, & qui victoriæ fructum affectassent, simili ad dolorem infortunio atq; frustratione uterentur. Qua de caussa, dignam his perniciē supplicium q; irrogavimus, aliisq; denunciamus, nisi confestim nos admiserint & receperint, nulli clementiorem nostram sententiam fore quam in illorum calamitate & clade fuerit. *Epist.* 43.

Myrensium ad hæc responsio: Xanthii quidem indigni erant, qui salutem non impetrarent, quam forsitan, si penes illos victoria stetisset, adversariis & hostibus tribuissent. Quemadmodum enim vincendi spes æqualiter utramq; partem ad ineundum bellum instigat: sic etiam victoriam miseriæ & ærumnæ, communiter misericordiā ex ipsa humanitate, provocant & eliciunt. Et apud reliquos favoris & benevolentiæ conciliatricem ipsam benignitatem esse scito. Nam truculentiæ minæq; etiam in domesticis & privatis rebus odium pariunt. In caussa est desperatio, quæ nascitur ex metu. Spes verò dissidentes etiam animis ad concordiam firmamque amicitiam lenitate quadam revocat & adducit. *Epist.* 44.

Libanius: Demosthenes hic talis ac tantus, nunc in Macedoniam abducetur, perinde ac si Athenæ solo adæquatæ essent? nam quid aliud amplius patria capta perpessus fuisset? *Declamatione* 17.

Libanius: Achilles sepulchro etiam Patrocli alienos Græcis honores excogitavit loco pecudum captivos jugulans ad rogum. Atqui quis nescit captum hostem non jam pro adversario habendum? cum ipsa victoria mutet nomen ejus, & appellari faciat pro hoste supplicem. *Vituperio Achillis.*

Onosander: Instante certaminis tempore, cùm propter dubium prœliorum discrimen metu conturbatus est exercitus, si impetu ante facto captivi aliqui adducti, aut insidiis, aut velitatione intercepti qui à castris fortasse defecerant, si animo ac virtute generosi, & corporum præstantia insignes sint, Imperator, eos aut è vestigio interfici jubeat, aut vinctos, iis quibus hæc mandata cura erit, diligenter adservandos tradat, ne à mulris conspiciantur. Si vero imbelles, aut demisso abjecto animo sint prius in suum tabernaculum adductos, minaci & torvo vultu exanimatos, & quasi subacta mente debellatos, ante militum suorum oculos constituat lachrymantes orantesque, simul ipse per concionem demonstret, quam ignavi sint & humiles, quamq; nullius pretii: esse cum hujusmodi viris dimicādum, qui mortem adeo reformident ac deprecentur, ut cujusq; genua amplectantur, & ad pedes supplices advolvantur. Sic enim roborabitur exercitus quasi jam prænoverit, quinam hostium in pugna vultus atque animi futuri sint. Nam quæ quis nunquam vidit, majora esse sperat, quàm revera ipsa sint, & mali timore spei suæ mensuram ad nescio quid etiam difficilius applicat: Sic etiam quæ reformidari solent, si paulò antè prævideantur, iis sustinendis animus quasi adsuescit, & tandem minora ac leviora existimat. *cap. 14. §. 1. de optimo Duce.*

Onosander: Non tamen in omnibus bellis quorumlibet hostium possessiones, vexari ac diripi, sinat: sed aliquando, quidem patiatur, aliquando vero, prohibeat. Hostium autem captorum corpora, prædæ militum non relinquat. Illa enim ipse, si pecuniis ad magnos publicosque sumtus indigeat, æquis diuendere pretiis poterit. Omnia quoq; quæ vel abigi, vel auferri poterunt, vt ad sese conuehantur, curet. Dignoscat etiam pro temporum ratione, an omnia, an partem, an omnino nihil retinere debeat. Nec enim æquum est eum, publicis opibus rebusque bellicis satis amplis tantulam militibus utilitatem invidere: præsertim cum ex devictorum opibus locorumve ubertate lautiores præberi possint commoditates.

Durante adhuc bello, captivos adversus quos maximè bellum susceptum est, ne interficiat, etsi aliter sociis & commilitonibus videatur, ac potissimum si inter hostes illi generosi sint & illustres. Cogitet incertos esse ac mutabiles fortunæ casus: divinum quoq; numen ferocibus sæpe succensere. Ex illis autem, aut captos suorum aliquos qui præcipuè desiderabuntur, aut urbem opidumve aliquod, æquâ ultro citroq; commutatione redimat: aut si his adsentiri hostes nolint, tunc jure ferocem illorum contumaciam ferociter ac sævitèr contundat. Rebus deniq; bene ac feliciter gestis, superatisq; periculis convivia, epulæ, & feriæ militibus concedantur: ut suavem bellō confecto victoriam esse intuentes, viam rursus ad eam, ardua quæq; fortiter tolerando, sibi faciant. *cap.* 35.

Heliodorus: Istud silentio occultandum etiam apud Cnemonem. tametsi enim rationibus nostris favet & Græcus est: tamen captivus in præsentia & victori, si ita res ferat, plus gratificaturus. nam neque amicitiæ tempus, neq; jus cognationis, satis certum pignus nobis illius erga nos fidei exhibet. *lib. 1. Æthiopicorum.*

Heliodorus: Hoc nomine in adversa fortuna felices sumus quod in manus vestras Deus aliquis nos adduxit, & quod iis qui mentem metuebant, de conjugio deliberandi facultas est data: quod neutiquam recusare volo. nam cum captivam victoris thalamo dignam judicari, omnem superet felicitatem, tum Deis dicatam antistitis filio cohabitare, omnino singulari providentia divina vacare non videtur. *Æthiopicorum lib. 1.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Longe felicissimum in bellis est vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro caussa mori. est tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certè redire, si vincere non detur, effugere. Potest enim credi qui hoc fecit, ad secundam se aciem servasse, & victum adversis animum reposuisse. Ille verò qui se inter virtutem hosti dedit, qui abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit? *Declamat.* 339. *ferè extremo:*

¶ Poetarum.

Plautus. captiv. 1. sc. 2. v. 7.

Liber captiuus æquis ferè conſimilis eſt:
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt, nunquam poſtilla poſſis prendere.
Lor. omnes profectò liberi libentius
Sumus quam ſeruimus.

Plautus Captivis 2. sc. 1. v. 14.

At fugam fingitis: ſentio quod rem agitis.
C. Nos fugiamus? quo fugiamus? L. in patriam. C. apage! haud nos id deceat
Fugitiuos imitari. L. imò edepol. ſi erit occaſio, non dehortor.

Plautus captivis 2. sc. 2. v. 7.

An verò non juſta cauſſa eſt, ut uos ſeruem ſedulò,
Quos tam grandi ſum mercatus præſenti pecunia?
PH. Neq; pol. tibi nos, quia nos ſeruas, æquum eſt vitio vertere:
Neq; te nobis, ſi abeamus hinc ſi fiat occaſio.

Plautus captivis 2. sc. 2. v. 48.

——Volui ſedulo
Meam nobilitatem occultare, & genus, & diuitias meas,
Itegio, quando patriam & libertatem perdidi.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Acacius: Quum exercitus Romanus, Azazena regione vastata, supra septem millia Persarum cæpisset, eosque nullo modo Persæ redimere vellent, atq; illi fame afflicti paulatim interirent, eaq; res non parum molestiæ regi afferret: Acacius, Amidensis episcopus, ea cognita, non ita prætermittendam censui, sed clero suo coacto: *Deus* (inquit) *noster, filioli, neq; diſcii indiget, neq; pocula curat. Egeſtate enim minimè obnoxius, non edit, neque bibit. Quum igitur multa ſint Eccleſiæ donaria, aurea quidem plurima, multa etiam argentea, quæ benignitate & liberalitate eorum qui ſe ad eam contulerunt, paraſti, utendum iis cenſeo ad Perſas captiuos redimendos, & famelicos alendos.* Hæc & similia loquutus, statim divina illa donaria conflavit, atq; ex eis æstimationem militibus quæ visa eis fuerat persolvit, & captivos recepit. Deinde alimentis eos abunde refectos, viatico etiam prosecutus ad Persicum regem misit. *Niceph. eccl. hist. lib.* 14. *cap.* 22.

¶ Monosticha Trochaica.

A captiuitate ſe Dux uindicet ſua manu.
Captam æſtimato, quanquam tantum uno teneas pede.
Captiuos redimere ab hoſte magnanimi uere eſt opus.
Captus eſt, ſed non & victus eſt à Pœnis Regulus.
Captus hoſtis, non jam eſt hoſtis: nomen geſtat ſupplicis.
Claude animal ferum, uirtutis illicò obliuiſcitur.
Clauſa ubi plagis tenetur, pugnat, in caſſum fera.
Colla ladit non jugum, illud qui impotenter concutit.
Compedum tritor pugnare non poteſt, ſpectat fugam.
Et ſuus captiuitatis belluis ſenſus ſubeſt.
Fortis à captiuitate ſe ſua eximit manu.
In prædam haud uertuntur capti præliis ciuilibus.
Intereſt nil num catenam crure an collo geſtites.
Miles eſſe non meretur qui ſubiit uincula.
Militem quemcunq; quauis uirat captiuitas.
Pernicioſius à uoluptate, ipſo ab hoſte quam capi.
Plurimum præmij in captiui, plus in corpore.

Prote um

Protetum capias vigilantem an dormientem haud interest.
Qui manus dedit catenis præbere dein nequit.
Quidnam agas? nisi ut te captum redimas quam minimo queas.
Qui jugum collo recepit, ducat id quoque, haud trahat
Quis manu à captivitate non sua se vindicet?
Sapius captivus ipsis imperat victoribus.
Vendere utile est captivos sed donare honestius.
Vi dolove evaseris captivitatem, haud interest.
Vincit & suos voluptas, vinculis sed floreis.
Vincla qui semel recepit, ejuravit balneum.
Vincla si statim reo indis, militum iræ subtrahas.
Vivit in sui captivus servatoris gloriam.
Vritur jugo reluctans, nec tamen sese expedit,
Vt jugum semel subisti, ne quate illud, sed fer as.

¶ Jambica.

Captis gravius est servitium quam deditis.
Captivus an quis vulnerum norit decus?
Capto caput fratri abstulit Trophonius.
Cepit ferum victorem capta Græcia.
Etiam jubet natura captis parcere.
Et parcere ensis scit pij captis Ducis.
Impunè præstat lædi, quam dedi alteri.
Ictum receptum qui quatit, collum uritur.
Ladit minus jugum si ducis quam quatis.
Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
Liber captivus, avis feræ consimilis est.
Ob formam amatur capta vel victoribus.
Oratione plus capi est quàm prælio.
Qui capere non vult alium, vix potest capi.
Quæ sæpe captis vita quam precaria est?
Quando hostis à captivis accepit modum?
Serò recusat ferre, qui subijt, jugum.
Servit magis qui captus est quam deditus.
Servos pares dominis facit captivitas.
Si captus es, minimo redimas te quam queas.
Signis ineptus miles est captus semel.
Suspectum habe qui habet captivos leniùs.
Vetulus quidem capitur, sed tardè simius.
Vt captus est piscis, rete illicò attrahas.

Carceris.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Chrysostomus:* Nonne videtis istos qui in carcere vitam degunt, si quem familiarium suorum viderint, exsurgere, ac præ voluptate exilire? *Homil. 2. ante med. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Carceris custos ex uno statim signo & accurrit & baptizatus est. quam verò ejusmodi muneris administratio magna cum improbitate conjuncta esse soleat, non ignoratis. *argumento ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Verisimile est Epaphroditum cum Romam perveniisset, Paulum in magno graviq; periculo reperisse; ut qui adire illum vellent, ipsi quoq; minimè tutò id possent facere, sed suo periculo accederent. quod evenire maximè consuevit magna commota tempestate, atque ubi regum ira majorem in modum effervescit. Etenim cum quis, quod in regis offensionem incurrerit in carcerem detruditur, actæq; custodiæ traditur, tunc vel famuli ipsi aditu prohibentur. *Hom. 9. ad Philipp.*

D. Io. Chrysostomus: Nostis ut hi quibus carceris custodia permissa est, ad supremam atrocitatem atq; immanitatem sese exercere sint soliti, atq; fructum, ex aliena calamitate percipiunt: & quos alii afflictos miserantur & nutriunt, ab eis isti lucra exigunt plurimis lachrimis digna, feris profecto omnibus immaniores: qui unde carceri addictos minimè misereri debuerant, lucra inde sectantur. Iidem tamen non sic similiter omnibus vinculatis utuntur. nam eos qui calumniæ caussa vel levis cujusq; facinoris vincti sunt, fortasse misericordius tractant: eos verò qui turpissimis immanissimisq; sceleribus obnoxii, detenti illic fuerint, innumeris quotidie plagis laniant. *Homil. 4. Epist. ad Titum.*

D. Io. Chrysostomus: Nemo non ex iis qui liberaliter sunt educati, hic in carcerem conjectus, fœtorem solum, & jacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis, quavis morte dicit esse gravius. *Homilia 1. Epist. ad Hebræos.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græc.

Philostratus: Si innocentes estis, quæro à vobis, quid pro rebus non veristanti gemitus sibi velint? quanto enim vobis propinquissimos magis acclamatis, tantò vos oportet esse robustiores. membra namq; hujus patientiæ sunt hæc. Aut enim hic definiri, & in carcere vivere molestum existimatis aut principium eorum quæ vos passuros arbitramini, aut hanc pœnam gravem putatis, etiamsi nihil ultra patiamini. Verum ego qui rerum humanarum naturam agnosco, rationem vos docebo medicorum cibariis dissimilem. nam & corpori vires addit, & mori non sinet.

Nos homines in carcere sumus omni tempore, quod nos vitam appellamus, ipsa enim anima corruptibili corpori alligata, multa quidem profert, omnibus autem servit, quæcunq; in homines cadunt. Et qui primi domos invenerunt, non animadvertisse videntur quod alio carcere se ipsos circumdarunt. nam quicunque regias habitant, ut in eis tutò degere possint, hos magis vinctos esse censemus, quam eos qui ab eisdem vinciuntur. Cumque urbes & earum mœnia in memoriam redigo, videntur hæ mihi communes carceres esse, in quibus clausi detineantur mercatores, oratores, spectatores pomparum ductores.

Quin etiam Scythas, qui in curribus vitam degunt, nihil minus quam nos inclusos arbitror. Hister enim & Thormodoon & Tanais ipsos circumsistunt, flumina haud quaquam facilia transitu, nisi glacie concreta consistant; & supercarros domos ædificant in quibus delitescentes feruntur. Et nisi puerilis valde ratio videatur, dicunt Oceanum quasi quoddam vinculum terræ circumjectum esse.

Accedite poëtæ (vestra sunt. neque sum dicturus) atque his mœrentibus decantate, Saturnum quoque Jovis consilio fuisse ligatum, Martem etiam Deorum omnium bellicosissimum in cœlo quidem à Vulcano, in terra verò ab Alcidis vinctum fuisse. Quod si præterea cogitabimus, quam multi sapientes ac beati, aut ab insolentibus populis in carcerem detrusi fuerint, aut à crudelibus tyrannis contumeliis affecti, sic ista perferemus, ut nihil iis inferiores videantur, qui hæc non sunt perpessi. His verbis adeo immutavit eos qui erant in carcere, ut eorum plerique cibum caperent, & lachrimas dimitterent, sperarentque præsente Apollonio nihil mali perpeti se posse. *lib. 7. cap 12.*

Arrianus: Conjice eum in custodiam. Quam? eam ubi nunc est: invitus enim est. Ubi autem aliquis invitus est, is ei locus est custodia. Ea ratione Socrates in custodia non fuit: ultrò enim fuit. *cap. 12. lib. 1. Epict.*

Arrianus: Homo, hilarem te in custodiam ire decet, festinantem, antevertentem lictores. *cap. 24. lib. 3. Epict.*

¶ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti, robur Tullianum pospiciunt: & quoties jacentes ferrati postis stridor exoritat, examinantur, alienum supplicium expectando suum discunt. Sonant verbera, cibus recusantibus spurca manu carnificis ingeritur. Sedet janitor inexorabili pectore, qui matre flente siccos teneat oculos: illuvies corpus exasperat: manum cathenæ premunt. *Controversia 4.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque judicum decreto haud irrogantur carceres.
Ad superna Christianos astra carcer promovet.
Carcer haud est, sed sacellum, Miltiades in quo perit.
Carcer medià urbe, decorat urbem haud polluit.
Carceris nullum umbra cogit debeat fieri ut malus.
Curia est haud carcer, in quo pro patre clausus est Cimon.
Malnit mori, quam exire contra leges Socrates.
Nec studendi incarcerato tollitur solatium.
Nil Athenis æquè honestum carcere quo Cimon jacet.
Non potest carcer videri, in quo videtur Socrates.
Vinculorum pœna passim pessimis contemptui est.
Iure prendi qui potest, in vincla etiam duci potest.

¶ Jambica.

Atrociusne quid custode carceris?
Carcer reo cuicunque pro custodia.
Centum catenis illigantur divites.
Est delicatis morte carcer durior.
Etiam bonos fas repperire in carcere.
Malignitas premenda plebis carcere.
Primus corona est martyrum carcer gradus.

Carminis Famosi.

¶ Sententiæ Principum Historicorumque.

P. *Halaris Pelopidæ:* Neq; ego, quæ tu petis, ad Stesichorum scribere auderem neque ille sat scio, faceret, ut aliquem jam vita defunctum carmine deformaret, etiamsi nos scriberemus. Satis autem est mihi, hoc ab illo beneficium accepisse, quod de Nicoclis uxore poësin confecit, Sin à nobis aliquid vis rogare, quod non in alterius, sed in mea voluntate positum sit, manda. *Epist. 65.*

Iulianus Cæsar: Anacreon poëta multa fecit carmina gravia & lepida, quoniam ei Musæ ludendi facultatem obtulere. At Alcæo & Archilocho Pario non dedit Deus musas ad amœnitatem voluptatemq; convertere. Nam cum varias injurias & molestias perpeti cogerentur, ad id musis suis utebantur: ita leviora reddebant quæcumque

que Deus ipsis dederat, sua erga adversarios maledicentia. At mihi lex vetat (sicut & cæteris, opinor, omnibus) nominatim eos accusare, qui nulla injuria affecti, tamen inimici sponte esse volunt. *in vita Æsopog.*

Idem paulo post: Carmen autem meum soluta oratione factum est, multaq; & gravia maledicta continet, non in alios meherculè, quod alioqui lex prohibet, sed in ipsum poëtam atq; auctorem. Etenim scribere in seipsum laudationes aut vituperationes nulla lex vetat. Me verò si maximè vellem laudare, non possem: at vituperare infinitis modis potero.

Petronius Arbiter: Contubernalis mea mihi fastum facit, itaq; si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem. *Satyrico.*

Cremutius Cordus: Carmina in se probrosa, & tulere, & reliquere Divus Julius, Divus Augustus; haud facile dixerim moderatione magis quam sapientia. Nam quæ spreta exolescunt, si irascaris, agnita videantur. *apud Tacitum 4. Annal. cap 34.*

C. Tacitus: Carmina probrosa in Patres & sacerdotes composita Vejentoni iis libris quibus dederat nomen Codicillorum. *lib. 14. Annal. cap. 50.*

Idem: Trebonius in carcere, ob carmina illic in Principem factitata, strangulatus est. *lib. 6. Annal. cap. 39.*

C. Suetonius: Acerbè loquentibus, satis habuit Julius Cæsar, pro concione denunciare, ne perseverarent. Auliq; Cæcinæ criminosissimo libro, & Pitholai carminibus maledicentissimis, laceratam existimationem suam civili animo tulit. *in Vita ejus cap 75.*

Idem: Sparsos de se in curia famoso libellos D. Augustus, nec expavit, nec magna cura redarguit, ne requisitis quidem auctoribus. id modo censuit, cognoscendum posthac de eis qui libellos aut carmina ad infamiam cujusquam suo alienove nomine edant. *in Vita ejus cap. 55.*

Suetonius: Tiberius Imp. adversus convitia maloq; rumores, & famosos de se ac suis carmina firmus ac patiens, subinde jactabat, in civitate libera, linguam mentemq; liberas esse debere. Et quondam Senatu cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitante: Non tantum, inquit, otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis. Omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur. *in Vita ejus cap. 28.*

Idem: Mirum & vel præcipuè notabile inter hæc fuit, nihil Neronem patientius quàm maledicta & convitia hominum tulisse: neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminib. lacessissent, extitisse, &c. *in Vita ejus cap. 39.*

Idem: Scripta famosa vulgoq; edita quibus primores viri ac fœminæ notabantur, abolevit Imp. Domitianus, non sine auctorum ignominia. *in Vita ejus cap. 8.*

Carnis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Chrysostomus: Carnem quidem animâ inferiorem atq; imbecilliorem esse fatemur, non tamen illi adversantem, aut cum ea depugnantem, malamve: sed eandem sic, animæ esse subditam, ut Citharistæ citharam, ut gubernatori navem: quæ quidem adversaria non sunt agentibus utentibusq;, sed vel maximè cõvenientia: haud tamen honore cum artifice adæquata. Quemadmodum igitur quisquis affirmat, nec in ipsa cithara, nec in ipsa navi artem residere, sed in gubernatore, atq; in citharœdo, is instrumenta ipsa minimè calumniatur, sed declarat quantum interfit artem inter & artificem: ita & Paulus cùm ait, non habitat in carne mea bonum, ipsum sane corpus non suggillavit, sed animæ excellentiam declaravit. Ea enim est, cui gubernationis atq; cantus negotium totum concreditum est. *Homil. 13. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Illi servi qui te liberavit. Neque enim si cum haberes filiam, & eam prostitutam mercede locasses lenoni, & fecisses ut fornicaretur, deinde filius regis præsens eam & à servitute liberasset, & sibi matrimonio conjunxisset: esset amplius in tua potestate, eam ducere in prostibulum. Semel enim eam volens dedisti: Res nostra ita habet. Carnem nostram mercede locavimus diabolo, sævo lenoni. Videns Christus eam eripuit & liberavit à tetra illa & acerba tyrannide. Non est ergo amplius sui juris, sed ejus qui liberavit. Si velis ea uti tanquam sponsa regis, nemo est qui prohibeat: sin ad priora duxeris, eadem patieris, quæ par est eos, qui contumelia affecerint. Quamobrem ea potius est exornanda, quam contumelia & probro afficienda. Non enim habes potestatem carnis in malis desideriis, sed in iis solis quæ Deus jusserit. Considera ergo à quanto probro ac dedecore Deus eam liberaverit. Quavis enim meretrice turpius antea prostabat nostra natura. Latrocinia enim, & cædes, iniquaque, ac nefaria quævis cogitatio ad eam accedens, concumbebat cum anima, modica viliq; mercede, nempe præsenti voluptate. Commista enim anima cum malis cogitationibus & actionibus, hanc solam accipiebat mercedem. Sed hæc quidem antea fieri grave quidem erat, sed non adeò grave. Post cœlum autem, post regnum, postquam reverenda perceperis mysteria, rursus inquinari, quamnam habebit veniam? *Homil 18. ad Corinth. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Carnis vocabulum, bifariam in Scriptura, usurpatur. Quandoque enim de natura intelligitur: quandoque autem de affectu, ac labe. Prioris significationis, exemplum hoc est; Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere: Posteriori: Caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt. Quo circa is, qui labem & corruptelam, atque affectum coercere studet, carnis igniculos & incitamenta debilitat, Deoq; etiamnum corporis vinculis constrictus, placet, atq; cum corpore, tanquam à corporea mole secretus, regni ipsius hæreditatem consequitur. *lib. 2. Epist. 177.*

Isidorus Pelusiota: Spirituales, vir sapiens, vocat Paulus, eos qui spirituali dono gratiæ ornati sunt, quiq; non tantùm supra naturam se elevarunt, sed etiam rationum & ratiocinationum consequentiam transcenderunt. Quorum ex numero erat & ipse Paulus, & illi ad quos scribebat: Non estis in carne, sed in spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Animales verò appellat, de quibus scriptum est: Animalis spiritum non habentes: eos qui ratiocinationibus, & Syllogismis & Disputationibus potius innituntur, & ex his se inventuros arbitrantur id quod justum sit & utile: quales sunt sapientes apud Græcos. Carnales denique eos, qui affectibus carnis se vinci patiuntur, ab eo, quod plurimum in ipsis pollet, denominationem eorum sumens: Quales sunt omnes scelerati, & impuri, & qui circa libidines & coitus insaniunt. Quanquam enim Spiritualis etiam homo corpus habet & animam, & Animalis corpus habet, & Carnalis animâ non destituitur: tamen ab eo quod potissimum est, quisque appellatur. Quemadmodum enim corpus, tametsi aliorum quoq; elementorum particeps sit, ideo tamen terrenum dicitur, quòd maximam partem ex terrâ constet: sic illis quoq; ex eo quod potentius est, nomen obtinuit. *lib. 4. Epist. 127.*

¶ Romanorum.

Zeno: Hæc duo invicem adversantur sibi. Hinc caro tota deliciis fluens, variis templorum redimita muneribus, opes multimodas ac profundas promittit, ostentat, objicit, donat, specie proponit suam, faciemque in quas ei libuerit figuras speculo conciliante semper incertam quotidie peregrinis coloribus mutat: gulæ labore culta, lavacro nitida, unguentis oblita, vestitu varia, monilibus tota distincta, conviviorum celebritate jucunda, vino madida, gemmis seu floribus redimita, oculorum jocorumq; festivitate lasciva, avaritia cæca, libidine percita, delicatè tumentis ac reflabilis tori plumeo sepulcro superba: jactat se ludibunda per nemora fontes prata, Bajas, civitates ac rura: universis voluptatibus septa in cupidinem sui utrumq; sexum, omnes animas, omnes ætates isto carmine invitans: Exiguũ, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis: & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam, qui non fuerimus: & non est reversio finis nostræ: quoniam consignata est, & nemo revertitur, & infra: Venite ergo, fruamur bonis, quæ sunt: & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. coronemus nos rosis ante, quam marcescant. nullum pratum sit, quod non transeat luxuria nostra. ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc sors. Illinc spiritus, quasi quidam dux peritissimus, horum omnium præcidit fugam, in armis expeditissime standum, vigilandum diligenter, undiq; castra muniendo, defensanda regalia fortiter, ac tenaciter signa: æstus, frigus, famem, sitim, universaque discrimina æquanimiter perferenda: mundum abdicatione calcandum, mortemq; ipsam, perennis cui beatitudo succedat, præmium victoriæ magis esse, quàm mortem. *Sermone de Spiritu & carne. Inedi.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. Virg.

Nec tibi sit nimio carnis natura pavori,
Tanquam illam nequeas ulla ratione domare:
Non etenim timor hic divina manat ab arce,
Qui mentes hominum tam compede nectit.
Nec rursus carni plus æquo frena relaxa,
Ne te securum abripiat, sternatq; repente.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Macarius: Is fuit Abbas Alexandrinus, qui carnis affectib. quum aliquoties paulò imp. obius urgeri se sentiret, saccum sabulo repletum vix homini portabile onus per eremum incedens humeris bajulavit. Theosebio forte obviam factus, &, Quid agerer, interrogatus, *Vexatorem meum vexo*, respondit. *Marullus, lib. 3. cap. 10.*

Dorotheus: Quidam Dorotheum Monachum conveniens, quæsivit cur corpus suum nimia abstinentia enecaret? cui ille respondit, Quoniam meum corpus me enecare contendit. *Niceph. Eccl. hist. lib. 11. cap. 35.*

¶ Monosticha Trochaica.

Angeli est in ipsa carne præter carnem vivere.
Bestiarum est efferarum se vorare mutuò.
Carnem amas? apage! bonam animam post Deum ipsum dilige.
Et vinum vili generosum continere poculo est.
Humanas edere carnes plus quam barbarum est.
Noli amare carnem; amanda post Deum ipsum anima est bona.

Omnia

Omnia, heu. in carnis usum mille quæruntur dolis.
Quam magis caro curatur tam mage spiritus macet.
Sæpe eburnea ex vagina culter exit plumbeus.
Sæpe spartea e vagina culter exit aureus.

¶ Jambica.

Etiam bibuntur vina de plumbo aurea.
Illicita poscit, licita ubi accepit caro.
Natura duplex moritur, & mortem domat.
Vagina gladium nec bonum aut malum facit.

Castellorum seu Arcium.

¶ Sententiæ patrvm græc.

D. *Nazianzenus* : Qui firmam quandam arcem expugnare in animum induxerunt, si eam accessu alioqui captuque difficilem esse perspexerunt, ad artem se conferunt, atq; arcis præfecto pecuniis aut fraude ad suas partes pertracto, ita jam nullo negotio & labore, arcem quoq; ipsam in ditionem redigunt. *Orat. 21.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græc.

Xenophon: Postridie Cyrus sumto secum Tigrane, ac Medorum equitum præstantissimis, deque suis etiam amicis, quoscunq; commodum ei visum esset, regionem obequitans contemplabatur: vt quo loco castellum muniendum esset, consideraret. Quumq; ad iugum quoddã venisset, Tigranem interrogat quinam illi montes essent, vnde Chaldæi decurrentes, prædas agerent. Quos Tigranes quũ ei monstrasset, rursum interrogat: an ij montes tunc deserti essent? Minimè verò, inquit: semper enim speculatores suos habent, qui ceteris significant, quidquid viderint; At quid faciunt, ait, quum aliquid senserint? Ad vertices, inquit, defensionis causa; pro suis quisque viribus, adcurrunt. *cap. 10. lib. 3. Cyropædiæ.*

Idem: Cyrus quum milites omnes conuenissent, vt prandierent, edixit. Pransi quum essent, animaduerso locum esse munitũ: & aquis irriguum, vbi speculæ Chaldæorum erant: statim ibi castellum cœpit. Simul Tigrani mandat, ad patrem mitteret, eumque statim adesse iuberet, & omnes fabros ac lapicidas, quotquot haberet, secum adducere. *cap. 12 lib. 3. Cyrop.*

Xenophon: Circa vesperam ad locum Gobryæ perueniunt, & munitionem supra modum firmam vident, & in mœnibus parata omnia quibus egregiè locus propugnaretur. Quin etiam multos boues, & permultas pecudes subter munitiones adductas cernebant. Gobryas autem misso ad Cyrum quodam, dici iussit, vt Cyrus circumuectus dispiceret, vbinam accessus esset facillimus: atque etiam fidos quosdam homines intrò ad se mitteret, qui renuntiarent ei, quæ intus viderent. Itaq; Cyrus re ipsa videre volens, num alicubi castellum capi posset, an Gobryas mendax esse deprehenderetur: vndique obequitabat & omnia munitiora videbat esse, quam vt accedi posset. Illi vero quos Cyrus ad Gobryam miserat, renuntiant Cyro: tantam intus bonorum esse copiam, quanta in hominum ætatem, de suo quidem iudicio, suffectura iis, qui essent in castello, videretur. *cap. 5. lib. 5. Cyropædia.*

Iulianus Cæsar: Verum nullum aduersus hominis virtutem & prudentiam posse natura ipsa videtur libidinosis ac timidis munimentũ constituere: quæ quidem prudentiæ cum fortitudini pari consensu imminenti cedere, atq; subjici cogit omnia: ac jam olim artes excogitavit, quibus eorum quæ hactenus fieri non posse videbantur, planam viam atque expeditam habuimus, ac singulis in rebus gerendis quod plerisq; non posse perfici videtur, ab homine prudente ad exitum finemque perducitur. *Paneg. 1.*

Themistius: Novit opinor Imperator, servari à se posse Barbaros, naturam mutari non posse: ideoq; omnem iis perfidiæ opportunitatem præcidit. Hæc enim causa est, cur Castella partim nova exstruxerit, partim disiecta ac subversa restituerit, partim quod deerat adjunxerit: sive altitudini, sicut humiliora essent: sive crassitudini, qua parte id erat necessarium, tum aquæ copiam ubicumque ejus inopia magnum incommodum afferebat. Addidit & horrea in omnibus locis, & vicini maris Portus, & militem conscriptum, & præsidia, quæ non inanibus nominibus numerum mentiantur. Præterea armorum, ac telorum vim, & machinas, atque omnia summo cum studio, ac diligentia probata. Nam hactenus ob præsidiorum injuriam bellum, ac pacem in suo utique arbitrio sita esse hostes crediderant, cum milites non modo sine armis, sed magna ex parte sine tunicis, & animis non minus quam corporibus imbelles, & abjectos animadverterent: Præfectos vero, & Cẽturiones mercatores potius esse, ac mancipiorum institores: quibus hoc unum negotium incumberet, ut quamplurima emerent, & distraherent quam plurima: Præsidiariorum porro numerum imminui, quo eorum qui deerant stipẽdium privatum illi ad lucrum interverterent: Castella vero ipsa collapsa, ac tam viris quam armis destituta. Quæ cum Barbari cernerent, non absurdè ita de se sentiebant, superiores se in excursionibus futuros. Quare si bellum adhuc profiteri vereãtur, licere tamen furtim omni cum impunitate latrocinari. Itaque per omnem ripam non jam singuli, non bini dumtaxat, sed manipulatim, ac turmatim oberrabant, latrones scilicet nõ milites, furta sua spolia nominantes. Non ita verò hoc tempore, sed à superiori regione, quasi adamantinus quidem murus ad mare usque perductus videatur: tanta Castellorum, armorum, militumq; munitione firmata omnis, atque obvallata Provincia est? *Oratione 10.*

¶ Romanorum.

Eumenius: Neq; enim jam Rheni gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Hinc per intervalla disposita, magis ornant limitem castella, quam protegunt. *cap. 11. Paneg. Constantino Aug. dicti.*

Eumenius: Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat: cùm tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, & ornatum limitis facias, quam ad facultatem quoties velis in hosticum transeundi, quippe cùm totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles imminear, &c. *cap. 13. Panegyrici Constantino Augusto dicti.*

¶ Poetarum.

Ausonius in Monosyllabis.

Et disciplinis conferta est, & vitijs urbs.
Vrbibus in tutis munitior urbibus est arx.

Castigationis.

¶ Sententiæ patrum græc.

C. *Lemens Alexandrinus:* Quomodo ergo inquiunt, si Dominus homines diligit, & bonus est, itascitur, & punit? Necesse est ergo de iis quàm fieri poterit brevissimè disserere: est enim hæc tractatio aliqua ex parte conducibilis, ad rectam puerorum eductionem necessarii auxilii locum tenens. Multæ enim animi affectiones curantur supplicio, & præceptorum acerbiorum jussu, atque etiam per doctrinam nonnullarum speculationum. Est autem reprehensio veluti quædam chirurgia affectionum animæ. Abscessus autem, veritatis affectiones, quas sectione dividentem oportet coarguere. Medicamentorum autem potioni aut applicationi est similis probri insimulatio, quæ resolvit affectiones quæ jam occalluerunt, impudicæque & libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusq; ac superbiæ carnes quæ excreverunt, exæquat, sanum ac verum hominem reparans ac restituens. Jam vero admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ, quæ ea quæ sunt sumenda consulit, & quæ non sunt, prohibet. Hæc autem omnia tendunt ad salutem & sanitatem æternam. Quinetiam dux exercitus, cùm in eos qui maleficium admiserunt, & mulctis pecuniariis, & pœnis quæ cum vinculis & extrema ignominia ad corpus usque pervadunt, animadvertit, & nonnullos etiam nonnunquam morte punit; finem habet id quod bonum est, ut qui ejus imperio parent duces admoneantur. Ita etiam magnus ille Imperator universorum dux Verbum, eos qui prætet suam legem effrænationi impetu efferuntur, & aurigæ non parent, ut à servitute & errore, & ab adversarii captivitate liberentur, ut animi perturbationes coërceant admoneris, ad sacram reipublicę concordiam eos pacificè deducit. Quemadmodum ergo orationi suasoriæ adjunctum est genus exhortatorium & cõsolatorium, ita etiam laudatorio vituperatorium & ex probratorium. Est autem hoc genus ars quædam reprehensoria. Benevolentiæ autem, non odii signum est, reprehendere. Ambo enim probrum objiciunt, & amicus & inimicus: sed inimicus quidem irridens, amicus autem bene volens.

Non ergo propter odium Dominus homines maledictis incessit, quos cum propter nostra ipsorum scelera licuisset perdere, ipse pro nobis passus est. Pædagogus enim, ut qui sit bonus, admodum artificiosè vel per maledictum ad vituperandum irrepit, maledicto tanquam flagello mentis socordiam excitans. Rursus autem eosdem vicissim conatur adhortari. Quos enim laus non movit, eos incitat vituperatio: & quos tanquam mortuos vituperatio non excitat ad salutem, eos ad veritatem expergefacit maledictum. Flagella enim & maledicta in omni tempore sapientiæ. Qui testam conglutinat, & stultum docet, ad sensum, inquit, terram ducit, & eum qui est desperatus acuit ad prudentiam. Proprerea apertè subjunxit: Excitans dormientem è profundo somno, qui est ex aliis maxime morti similis. Porrò autem ipse de seipso apertissimè exponit, multiplicem multisque modis utilem culturam allegorice significans, quando dixit: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Deinde rursus subjunxit: Omnis palmes in me non ferens fructum, tollit ipsum, & quicquid fructum fert expurgat, ut amplius fructus ferat. Sylvescit enim vitis nisi putetur: ita etiam homo. Luxuriantes autem ad natasque propagines, Verbum, qui est gladius, expurgas, cogens appetitiones ne fructum ferre desiderent. Eorum autem qui peccant increpatio habet scopum salutem, Verbo se concinnè applicante propriis unjuscujusq; moribus, & alicubi quidem vehementi ac intenso, alicubi autem laxo ac remisso.

Apertissimè itaque per Mosen dictum est: Bono estote animo, ut

vos

vos tenet accessit Deus, ut sit timor ejus in vobis, ut non peccetis. Hinc pulchrè quoque Plato cum didicisset: Omnibus enim, inquit, revera benè fit qui dant pœnas: juvantur enim dum eis punitis melior evadit anima. Si qui autem corriguntur, iis à justo bene fit, & ex sententia Platonis in confesso est bonum esse quod justum est: ipse timor prodest, & ut hominibus bono esset inventus est: quoniam spiritus timens Dominum vivet. Spes enim est in eum qui ipsos salvos facit. Hic ipse autem, Verbum inquam, qui pœnas imponit, est judex. De quo dicit etiam Esaias: Dominus tradidit ipsum peccatorum scilicet correctorem & directorem: & ideo solus hic potest peccata remittere, noster à Patre universorum constitutus Pædagogus, qui solus ab obedientia potest discernere inobedientiam. Qui autem minatur, aperte ostendit se nihil mali velle facere, neque ea quæ minatur exequi, sed incusso timore impetum ad peccata reprimit, & suam in homines benevolentiam ostendit, adhuc differens, & ostendens qualia sunt passuri si peccatores permaneant. Non autem sicut serpens statim infixus mordet. Bonus est ergo Deus. Atque ipse quidem Dominus sermone antè factum sæpe utitur. Sagittæ, inquit, meæ conficient ipsos, consumpti fame & morsu avium, & nervorum incervicem convulsio immedicabilis. Dentes beluarum immittam in ipsos cum ira serpentium super terram. Foris filiis eos orbabit gladius, & ex promptuariis metus. Non enim Deus irascitur, ut nonnullis visum est, sed per suam in homines benevolentiam à plurimis quidem abstinere hortatus est, omnia autem quæ sunt agenda indicavit. Bona autem est hæc ars, terrere ne peccemus. Timor enim Domini peccata extrudit. Qui est autem sine timore, non poterit justificari, inquit Scriptura. Deus autem non ex ira irrogat supplicium, sed quod justum est considerat, nempe quod propter nos non expediat prætermitti quod justum.

Unusquisque autem nostrum supplicium eligit, cum sponte peccat. culpa est autem ejus qui eligit: in Deum autem culpa conferri nequit. Si autem injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Nunquid est Deus injustus qui inferat iram? Absit. Dicit itaq; minans: Acuam gladium meum, & apprehendet judicium manus mea, & ipse retribuam jus inimicis, & iis qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus comedet carnes à sanguine vulneratorum. Hic ergo apertum est, quod qui non sunt inimici veritati, neque Verbum oderunt, suam ipsorum salutem odio non habuerint, inimicitiarum autem pœnas effugerint. Corona itaque sapientiæ, inquit Sapientia, timor Domini. Apertissime autem per Amos propheram, sui consilii rationem Verbum significavit: Everti vos, dicens, sicut Deus evertit Sodomam & Gomorram, & fuistis sicut torris extractus ab igne, & ne sic quidem ad me conversi estis, dicit Dominus. Videte quomodo Deus propter suam bonitatem requirit pœnitentiam: & in ipsa minarum intentione tacitè ostendit suam in homines benevolentiam. Avertam, inquit, faciem meam ab ipsis, & ostendam quid erit ipsis. Ubi enim Domini facies respicit, illic est pax & exultatio. Ubi autem faciem avertit, ingreditur vitium. Non vult ergo mala intueri: bonus enim est: sed cum ipse oculos avertis, sua sponte propter humanam infidelitatem ortum habet vitium. Vide ergo, inquit Paulus, bonitatem & severitatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, hoc est, fide in Christum. Eum autē qui bonus est, quatenus bonus est, sequitur odium vitii. Et ideo fatebor quidem eum castigare infideles. Castigatio enim est bono & utilitati ejus qui castigatur: est enim ejus qui resistit correctio: castigari autem non vult. Est autem ultio, retributio mali quod immittitur ad utilitatem eius quod ulciscitur. Ulcisci autem non desideraverit, qui pro iis qui nobis faciunt injuriam nos orare docuit. *lib. 1. Pædagog. cap. 8.*

D. Greg. Nyssenus: Difficilis tractatu est docendi ratio institutioque virtutis, ac variam requirit administrationis dispensationem, quæ se moribus offerentium accommodat. Est quispiam obediens, & ad instituendum animo facilis? huic lenis ac mitis congruit sermo. alius durus & indocilis? verberibus eget. Quid igitur faciemus, cùm virgæ non conceduntur? eumne nulla cura, nulla providentia dignabimur? Non ita sanè, sed eum verbis ad aliam accommodam rei subjectæ formam concinnè traducemus, ac sicut obsonia condimentorum exiguo additamento ad contrarias qualitates permutantur, ex acri in dulce, ex dulci in acre conversa: ita & noster sermo figurarum adjectione ad varios usus transformatur, ut quod cujusque educationi congruit, intelligatur. *de Castigatione.*

D. Nazianzenus: Quod si nunc saltem sententiam mutent, & ad meliorem mentem traducantur, atque ingenti errori temulentiæ finem imponentes, veritatem consectentur, forte ex ipsa quoque calamitate nonnihil fructus ad eos redierit: quandoquidem ipsa castigatio iis qui malo aliquo afficiuntur, commodo sæpe & utilitati est. Sin autem in eadem sententia manserint, atque idolorum cultum ad huc amplexentur, ac ne calamitate quidem ipsa, quæ vel stolidos erudire solet, meliores fiant, quis his invenietur satis dignus luctus. *Oration. 4. steliteutica altera.*

Chrysostomus: Quemadmodum qui perpetuò mitigat in medicando remissum hominem facit: ita semper asperis uti sermonibus, magis exacerbat hominem, id eoq; bonum est ubiq; moderatis uti. *cap. 4. ad Galat.*

S. Isidorus Pelusiota: Si Babylonio Regi, qui tot crimina perpetrarat & naturæ, terminos excesserat, stultaque cogitatione parem se Deo esse sibi finxerat, calamitatis terminus fuit summi numinis agnitio (posteaquàm enim naturam suam agnovit, atque incomparabilem cælestis Regis præcellentiam confessus est, imperium suum recuperavit) quonam pacto temerè nobis, ac non utilitatis cujusdam causa, exlstimes supplicia inferri? *lib. 2. Epist 294.*

¶ Latini.

Ennodius: Breviorem quidem admonitionem debueram: quàm prolixam non parva vestri consideratio, & diu in vobis jurgiis exercitata frons protulit. Usus est multa peccantem, stricta allocutione non corrigi: & effusionem plurimi, quam in delictis habuerunt, in monitoris sermonibus hanc requirunt. *Apolog. pro Synodo.*

¶ Philosophi.

Epictetus: Si quem cùm vehementia & minis invadis, memento tibi dicere, te mansuetum esse. Ita cum nihil ferociter egeris, nullius facti te pœnitebit, neque unquam accusaberis. *apud Stobæum.*

Simocatta: Gymnastæ quidem duri sunt Pædotribæ pueris qui non persuadentur: sapientiæ verò doctores. Cum enim prudentiæ ac legum pueri nondum sunt capaces, minis refrenamus horum libidinem. Pueros enim verbis magis quàm flagris terremus. Ego verò tuam impudentiam admiror. Non enim supplicia judiciorum tibi metum incutiunt, neq; orationem adhortatoriam revereris. Pueris stultiorem in senectute mentem possides. Eas igitur si libet ad Barathrum. Quem enim neque verba, neque verbera ad sapiendum revocare possunt, hunc persuadere ut malitiam remittat nimis operosum est; & difficilius quàm Augiæ fimum ac sordes expurgare, aut cyatho totum mare Atlanticum exhaurire? *Epistola 64.*

¶ Emblematis.

Camerarius 46. Centuria 4i

Non nisi contusus.

Duras asellus amat fustes, & verbera. numquid
Sic piger attrahitur verbere ad officium?

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus *Christus:* Quantum boni justa Castigatio correptioque secum adferat, substitutis clarissimorum virorum imaginibus prosequemur. Primus hujus aciei ductor ipsa Veritas Christus: qui, sanata ipso Sabbato muliere, quæ duodeviginti annis infirmata fuerat, ob id reprehensus ab Archisynagogo & Pharisæis, *Hypocritæ*, ajebat, *unusquisque vestrum non soluit bovem aut asinum a præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati?* additque Evangelista: Cùm hoc diceret, erubescebant omnes. Optima illa & vera Apophthegmatis natura. *Luc. cap. 13.* & simile habes *Matth. cap. 12 & Marc. 3.*

S. Franciscus: Sui Domini ac Magistri egregius imitator. Petenti cuidam ad Ordinem à se institutum recipi, cùm dixisset pauperibus sua distribueret, si pauperum consortio jungi vellet, & is parum memor monitorum, in amicos omnia sua transtulisset, redeunti ad se, dixit verus pauperum Patriarcha, dura eum feriens increpatione: *Vade viam tuam frater musca: nondum existi de domo & cognatione tua: à carne incepisti, & rimosum spirituali fabricæ fundamentum collocasti.* Indignum enim pauperum societate eum reputabat, qui pauperes defraudasset. *Sur. tom. 5. in vita.*

Paulus Pontifex: Hic quoque, cùm Judæum quendam, qui quæstus gratia variis in locis Baptismum susceperat, baptizare vellet: & subitò è baptisterio aqua evanuisset, dixit: *O homo, aut veteratoris partes agis, aut Baptismum ignorans suscepisti. Socr. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 17.*

Eduardus Angliæ Rex, & Philippus Valesius Rex Franc. Illa exempla inter sacros. quis nunc carpet unum aut alterum ex Civili ordine inseri? Cùm regalibus Angliæ insignibus (videlicet Leopardis) etiam Franciæ Lilia coaptasset Eduardus, & ob id à Philippo Francorum Rege redargueretur, quatuor hos versus, barbariei illius ætatis indices, ad eum remisit:

Rex sum regnorum binâ ratione duorum:
Anglorum regno sum Rex ego jure paterno,
Matris jure quidem Francorum nuncupor idem.
Hinc est armorum variatio facta meorum.

quibus Philippus illicò alios hos ejusdem valoris & ponderis replicavit.

Prædo regnorum qui diceris esse duorum,
Francorum regno privaberis atque paterno.
Matris ubiq; proles ius semper non habet ullum.
Succedunt mares huic regno, non mulieres.
Hinc est armorum variatio stulta tuorum.

Corozetus.

Ludovicus XI. Subtilis hic & industrius, cùm fortè ad eum venisset quidam ex Ducibus, lætum expeditionis ante Cameracum factæ nuntium deferens, qui & ponderosum torquem (quem ex reliquis spoliorum Ecclesiæ Cameracensis conflatum Rex suspicabatur) circum collum gestabat, & alius eum manu contingere niteretur, clamabat Rex: *Cave, ne te sacrilego commacules, est enim res sacra.* Subtiliter taxans suum Ducem, quòd etiam rebus sacratis manus commaculasset. *Corozetus.*

Suaguineus Lucretij cujusdam filius. En quanti mali scintilla, neglecta castigatio. Narrat Boetius de Sanguineo illo, quod,

cùm nimium in castigando corripiendoque remissum se gessisset pater, ille ob delicta laqueo adjudicatus, patri extremum vale daturus, nasum dentibus præsciderit, dicens: *Si me à teneris corripuisses, huc non devenissem.* Verè ille & benè.

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. Boët. de Disciplina Scholar.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; teste castigato, laudato sub testibus.
Castigandus maximè amicus res fluunt dum prosperè.
Castigandus minimè amicus rebus est improsperis.
Castigare amicum, amici perfectissimi nota est.
Castigare etiam videtur, quisquis vitâ dissidet.
Castigatio valet cui mixta est obsecratio.
Castigatio valet parum absq; mansuetudine.
Corrigit quamplurimos unius castigatio.
Dissipas asino corium, uno si semper feris loco.
Grata quisq; audire mavult, nemo poscit utile.
Haud amicus est, amicum castigare qui fugit.
Luca bos loco flagelli caditur bipennibus.
Non emendat sed pejorat castigatio improbos.
Tutor etsi verbis asper sit, tamen reipsa est pater.
Verba dura consulentis, sed tamen salubria.

¶ Jambica.

Blandissimè quem quis vita exemplo arguat.
Convitiatur improbis vivens benè.
Convitium aliud, aliud castigatio est.
Ducas amicum errores qui prodit tuos.
Ducenda fossa est, qua fluvio diffiditur.
Et multa curat vitia castigatio.
Multis fuit saluti castigatio.
Semper boni fit causa castigatio.
Sit rara & opportuna castigatio,
Solvit pudorem dura castigatio.

Castigationis modestæ.

¶ Apophtegmata Christiana.

Jesus *Christus:* Quemadmodum verbum bonum (ut est in Proverbio) multiplicat amicos, ita & modesta castigatio. Testis erit Dominus noster, qui Nicodemo, quem secum disserentem audiverat, percontanti. Quomodo homo iterum nasci posset? non quidem de re incredulo, sed de modo dubitanti; modestè respondit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* q. d. Tu legem quam doces, ignoras? Redarguit ergo eum, quod de modo hujus regenerationis tanquam dubius inquireret, qui tamen eum ex lege, ut doctor, scire deberet. *Ioann. cap. 3.*

Idem: Ætate adhuc tenellus, repertus à parentibus in templo, cùm Legis peritis disserens, dicentibusq; illi, Fili, quid feci sti nobis sic? magna animi modestia, *Quid est,* inquit, *quod me quærebatis? nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Luc. c. 2.*

Benjamin Diaconus: Cùm in carcerem missus ab Idigerde Persarum Rege fidem negare juberetur; eam jussionem corripiens, *Quo* inquit, *ô Rex, honore dignus, qui suum relinquens regnum, invadere nititur alienum?* dicente autem illo, *Mortis supplicio* sapientissimus Diaconus respondit: *Quid ergo non justè patiatur homo, qui Mundi creatorem deserens, virum conservorum suorum deificare voluerit, & illi debitum cultum, alteri exhibuerit? Theodor. hist. Tripart. cap 33.*

Castigationis Duræ, & Severæ.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. *Basilius:* Duriùs quidem ille, non tamen extra omnes modestiæ terminos. Cùm enim eum Valentis Imperatoris coquus primarius, Demosthenes nomine, audacter reprehendisset, sermonem barbarissimo inficiens; subridens ajebat: *Hem! vidimus Demosthenem sine literis.* Illo verò stomachando progrediente, *Tuum est,* subdebat Basilius, *solerter inspicere, quomodo fercula condiantur: nostrum, quâ ratione sacra mysteria tractentur. Theod. lib. 4. cap. 17.*

Pambo Abbas: Non minus hic sapienter ac severè illo altero. Nam cùm ad eum B. Nelania vasa argentea recentarum librarum detulisset, rogans ut rerum suarum esset particeps; dixit: Deus tibi mercedem rependat. cumque illa benedictionem exspectaret. Domine, inquit, ut scias quantum sit, sunt 300. libræ argenti, cumque is ne ad hoc quidem annueret, randem silentii claustrum abrumpens, *Eu,* inquit, *à te attulisti filia, non est quod sciam quantitatem ponderis. Qui enim montes & sylvas appendit statera multò magis novit quantitatem tui argenti. Si autem mihi hæc dares, rectè pondus diceres: si Deo qui ne obolos duos despexit, tace.* Severè castigagabat promicantes in bono illo opere inanis gloriæ stimulos. *Pallad. in vita.*

S. Anastasia Martyr: Emicuit quoque nobilis hæc Severitas in fœmineis pectoribus. Anastasia namque à Pontifice idolorum rogata interpretationem sermonis cujusdam à se prolati: *Tu,* ajebat, *non es, qui hoc discas. Nemo enim qui sapit, commiscuit unguentum vasi putri.* Meminerat illius Sponsi sui, non oportere margaritas effundi ante porcos. *Sur. tom. 6. in vita.*

Castigationis Liberæ.

¶ Apophthegm. Christianor.

Jesus Christus: Frequens liberæ castigationis apud eum usus: quod vel tunc potissimum comprobavit, cùm jam manibus traditus nocentium, crebriùs in eos insultaret, diceretque: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Matth. cap. 26.*

S. Paulus Apostolus: Non minori libertate Vas electionis Paulus: productus enim in Concilium, cùm Princeps Sacerdotum Ananias os ejus percuti jussisset, insurgens, *Percutiet te Deus, Paries dealbate,* inquit, *& tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti.* Verè animosa & constantiæ index reprehensio. *Act. cap 25.*

S. Remigius: Dum Clodovæum cum tribus Cathecumenorum millibus ad Baptisterium procedentem, & inter candidatos magnificè apparentem, altos & Christianæ humilitati dissentaneos præ se ferentem spiritus intueretur Antistes Remigius, *Mitis,* inquit, *depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti,* hoc est, inanibus deorum simulachris exustis, deinceps Deum verum in basilicis quas igne priùs vastabas, agnosce & venerare. Gravis & efficax castigatio, non sine fructu prolata. *Hincmarus in vita. & Greg. Turon.*

S. Ioannes Chrysostomus: Et hic personam cujusvis respicere nescius, dum statuam Eudoxiæ Augustæ, quæ non procul ab Ecclesia sua erecta, loco deturbare vellet; inique ferens Augusta, adversùm eum Synodum convocare parat, quod ille suspicatus, notissimam illam in Ecclesia protulit Homiliam, cui exordium: *Rursùs Herodias insanit, rursusq; turbatur: denuò saltat, denuò caput Ioannis in disco concupiscit accipere. Socrates Tripart. hist. lib. 10 c 15.*

S. Eleutherius: Illum etiam dum mœultis blanditiis aggrederetur tyrannus, ut à constantia mentem repelleret, probra hæc ab eodem remunerationis loco accepit: *O lupe Arabice, qui Christi ovibus insidiaris: nunquam mihi persuadebis, ut ab hac pia constantia desistam. Metaphr. Lippom. tom. 2.*

Plura petenda è titulo de *Afflictione, Adversitate, Amicitia, Calamitate, Correptione, Reprehensione.*

Castitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

B. *Clemens Alexandrinus:* Ajunt athletas quoque non paucos abstinere à venere, propter exercitationem corporis continentes: quemadmodum Crotoniatem Astylum, & Chrisonē Imeræum. Quinetiam Amœbeus citharœdus, cum recenter uxorem duxisset, à sponsa abstinuit: & Cyrenæus Aristoteles amantem Laidem solus despexit. Cùm meretrici itaque jurasset se eam esse in patriam abducturum, si ei adversus decertantes adversarios in aliquibus opem tulisset, postquam id perfecit, lepide à se scriptum jusjurandum exequens, ejus quam simillimam Cyrenæ statuit imaginem, ut scribit Ister in libro de Proprietate certaminum. Quare nec castitatis est bonum & ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum. *lib. 3. Stromatum.*

S. Isidorus Peluſiota: Multi qui impuri ac libidinosi fuerant, ad castitatis studium sese contulerunt. neque verò de ipsis dici potest, temperamentum esse mutatum. quidam enim adhuc adolescentes & libidinosi, in ipso vigore ætatis ad continentiam redierunt, non mutato simul temperamento, sed voluntatis proposito meliore id operante. *lib 4. Epist. 125.*

Isidorus Peluſiota: Melior est is qui propter hominum gloriâ colit castitatem & temperantiam, eo qui ne quidem propter hanc temperans & castus est. Alter enim homines saltem, alter verò neq; homines neq; Deum est reveritus. *lib 4. Epist. 41. f.*

¶ Principum Oratorumque Græcor.

Iulianus Cæsar: Inter hæc omnia cùm talis esses, & initio fuisses, ab omni te voluptate, cui vel minimum probrum inesset, purum re atque

atque integrum servâsti. Ac solum te arbitror omium post hominũ memoriam Imperatorum, ac prope dixerim omnium etiam, pauciſſimis duntaxat exceptis, mortalium, non viris ſolum temperantiæ, ſed & mulieribus exemplum dediſſe, quemadmodum conſuetudine tum viris utendum foret. Quæ enim leges illis prohibent, quibus curæ eſt ut legitimi filii ſuſcipiantur, eadem illa apud te ratio ipſa cupiditatibus interdicit. *paneg. 1. de Conſtantio Aug.*

Iulianus Imp. Ecquid illud ferendum putet? Dormis ferè ſingulas noctes ſolus, neque quidquam eſt, quod immitem ac ferum iſtũ animum poſſit lenire: intercluſiſti penitus omnem aditum ſuavitati, & quod malorum caput eſt, tali vita te oblectas, atque illud jam perfeciſti, ut deteſtabilis omnibus voluptas eſſe videatur. *in Miſopog.*

Philoſtratus: Quid cauſæ eſt, inquit Apollonius, cur tu nihil propter ætatem adhuc mali potens operari, perinde ac nos infelices in carcere detineris? Imò etiam moriar, inquit ille: Temperantiam namque leges noſtræ morte plectunt. Non noſtræ ſolum, inquit Apoll. ſed etiam quæ quondam apud Theſeum fuere. Hippolytum enim temperantiæ cauſa pater interemit. *lib. 7. cap. 17.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Non eſtis exhortandi mihi ad tuendam caſtitatem, civitati ante omnia neceſſariam. Matrimoniis etiamſi ego tacuerim, ſcitis contineri civitatem, his populos, his liberos & ſucceſſionem patrimoniorum, & gradum hereditatum, his ſecuritatem domeſticam. Quomodo enim peregrinabimur, quomodo ad colendos diſcedemus agros? quæ nobis ſecuritas dabitur ſuſcipientibus legationes publicas, euntibus in militiam cùm frequenter bella ſint. *Declamat. 249. fine.*

¶ Poetarum.

Bias apud Auſonium.

Quæ caſta? de qua mentiri fama vereatur.

P. Syrus Mimographus.

Caſta ad virum matrona parendo imperat.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ioſeph patriarcha: Aputipharis conjuge domina ſua de turpiſſimo ſcelere patrando ſolicitatus, conſtanterque & caſto prorſus animo ac ore renuens, dixit ad eam, *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt quod non ſit in mea poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo hoc malum facerem, & peccarem in dominũ meum!* Poſtea quum illa pallio ejus apprehenſo, diceret caſto juveni, dormi mecum, ille relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras. *Geneſ. 39. 8.*

D. Paulus Apoſtolus: Caſtitatem piis omnibus diligenter commendat Apoſtolus, ut pote virtutem cum Dei ſancta natura convenientem, & filiorum Dei digniſſimam. Vide 1. *Corinth. 7. 34. & 2. Corinth. 7. 1. & Gal. 5. 23. & 1. Theſſ. 5. 23. 1. Tim. 2. 9 & 1. Tim. 5. 22. Tit. 2. 2. 4. 5.*

Anonyma: Alexandrina virgo, ſextumdecimum ætatis annum vix ingreſſa, ardentiſſimaſq; adoleſcẽtis in ſe flammas verita, tumulo ſe veteri ſponte incluſit, in quo duodecim annos conſtanter vixit, cibo capto in dies, neceſſariiſq; aliis per rimulam ſumptis. Interrogataq; ſæpius ab iis qui eſcam ad eam adferrent, cur hoc cœpiſſet conſilii, curve hic tam diu immoraretur? Vereor, inquit, virgineum pudorem amittere adoleſcentis ardore nimio. Nec prius inde amoveri voluit, quàm adoleſcentem fato functum eſſe certiſſimè intellexit. *Egnat. lib. 4 cap. 5 & Fulgoſ. 4. c. 5.*

Anonyma: Quidam ex Bohemiæ proceribus honeſtiſſimam matronem Stephani Comitis Schlikii uxorem, cùm is jã duodecim annos abfuiſſet, & fama ferret eum eſſe mortuum, ambiebat. Huius petitioni illa reſpondit. Tam brevi temporis ſpatio mariti mei Stephani nomen mihi excidere non potuit: ideoq; ad ſecundas nuptias animus meus nequaquam inclinat. Plena fidei conjugalis & caſtitatis mulier breve tẽpus vocavit duodecim annorum ſpatium. Rarum tẽperantiæ & uxoriæ caſtitatis exemplum. *D. Andreas Hondorffius in Theatro hiſtorico.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

Jesus *Chriſtus:* Unde te, virorum pariter ac fœminarum decus, & præcipuum firmamentum, invocem? Tu illa es, quæ ſub jugo rationi, impetum fœdæ libidinis refrænas, per edomitas vitiorum furias (Auguſtini verba refero) munda & honeſta totius corporis habitudo. Adés igitur & cognoſce, quàm præclarè de te ſentiant omnes boni. Et quidem illibatæ pudicitiæ fons Christus Jesus, multis ad ſe concurrentibus, cum multa præclarè in parabolis diviſſet, mirũ in modum hanc virtutum omnium altricem commendavit, ubi ait: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manib. veſtris.* Ecquando enim lumbos præcingimus? niſi (ut exponit Greg. Ho. 13. in Evang,) dum carnis luxuriã per continentiã coarctamus. *Luc. 12.*

S. Petrus Apoſtolus: Quid autem de Petro dicemus, qui huius virtutis amore conjugem repudiavit? Hinc pro ſe aliiſque confidenter loquitur: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* quibus verbis ſe uxori quoque renuntiaſſe, vel ex eo conſtabit, quod Christus ilicò hoc reſponſum ſubnectat: Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, &c. Quin Ethnicus Poëta Tibullus in Epiſtolis inquit;

Vos quoq; abeſſe procul jubeo, diſcedat ab aris
Cui tulit heſternâ gaudia nocte Venus.

S. Iulianus Antiochenus Martyr: Hoc etiam in eo mirabile, quod nuptiis cum Baſiliſſa virgine celebratis, ſuſceperit perpetuæ caſtitatis votum; quo factum, ut brumæ tempore, roſarum ac liliorum fragrantiam in cubili ſenſerit: ſtupeſcentique puellæ ac roganti; *Quis hic odor?* ille, *Virginalis munditiæ*, reſpondit, cujus quidem ſuavitate capta, à virginitatis ſervandæ propoſito nunquam receſſit. *Sur. tom. 1. Marul. lib. 4. c. 7.*

S. Vando Abbas: Non minor caſti propoſiti conſtantia Abbatis Vandonis fuit. Pipini enim nepos: à Dagoberto regni ſucceſſore ducere uxorem compulſus: neque tamen ut caſtitatem violaret, potuit compelli. Nuptam itaq; hoc modo alloquitur: *Quaſo; Deo potius, quàm Mundo ſerviamus.* itaque matrimonio nondum conſummato, uterq; monaſticam vitam amplectitur; & dum in Spiritu ſeminant, de ſpiritu vitam æternam metunt. *M. Marulus ibid.*

Thomas Schyttorici Mon. Abbas: Et ipſe non ſibi, ſed parentibus obſecutus, conjugii jugum tulit. cæterum quinquennium conjugii emenſus, de continentia ſervanda deinceps cogitat. quod cùm uxori fruſtra ſuadere etiam nititur, tandem ait: *Ego te ô mulier abſtrahere à morte non poſſum, nec tu me ſeparabis a Chriſto. Melius eſt mihi cum homine, quam cum Deo habere divortium.* Verè inſignis animi index vox. *Caſſianus Collog. 21. cap. 9.*

S. Ægidius: Deus bone! quantus caſtitatis ſectator cultorq; Ægidius? cui in ore aliquando: *Quid nos Deo magis commendat, eique charos reddit, niſi illa mentis caſtitas, quæ ſenſus omnes cuſtodit.* cumque in laudanda caſtitate progrederetur, quidam matrimoniali vinculo conſtrictus, Ego, inquit, uxore mea contentus, aliis fœminis abſtineo. Cui Ægidius: *Putas non poſſe hominem ex proprio vino inebriari? Sur. in vita, tom. 2.*

S. Bernardus: Inſignis etiam Pudicitiæ cuſtos hic exſtitit. cùm enim tertio ad eum intempeſta nocte veniſſet forma ejuſdem capta impudica mulier, ut ad flagitium eum pelliceret, manu ac voce, Fures, inclamat, & latrones. Arguunt primo manè ſocii, quod ſomniando immoderatius clamaſſet, Latrones. quibus, *Verè*, inquit ille, *& extra jocum ſomniumq; latrones aderant: nam mulier quædam pretioſiſſimum pudicitiæ meæ theſaurum ablatura, tertio venit. Auct. vitæ ipſius lib. 1. cap. 3. Sur. tom. 1.*

Thomas II. Eborac. Epiſcopus: Dignus quoque memoria ſæculorum iſte. Cui ægrotanti dum medici ſolum fœminæ uſum morbo remedium adferre poſſe judicarent, eaſque adhiberet urgerent incunctanter, cùm illi, tum conſanguinei; & jam fœminam decentis formæ adduxiſſent, noluit eam contingere, inquiens: *Propter ſalutem carnis tandem moritura, immortale Pudicitiæ decus non amittam.* Præclarè de illo dici poteſt, quod de Michaële Verino poſteritati conſecratum reperimus:

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo;
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

Polyd. lib. 1, cap. 3.

S. Iphigenia Virgo: Sed ut fœminis quoque ſuas hic partes demus, res ipſa poſtulat: ne, ſi iis contenti tantum erimus quæ jam diximus, ipſæ dedignentur ſequi ſexum alienum. Adducamus huc igitur ſponſas Chriſti, & inter eas primam ſtatuamus poſt Virginem matrem, (cujus pudicitiam laudaſſe, detraxiſſe foret,) Iphigeniam Ægippi Æthiopum Regis filiam. Hæc Matthæi Apoſtoli prædicatione, vera fide illuminata, Virgininitatem vovit: & aliis quæ eam voverant, præerat ſedula gubernatrix. ſed quid? paterni regni ſucceſſorem Hirtacum in maritum accipiat, ab eodem impellitur. quo ſpreto, *Æterni*, ait, *Regis ſponſa ſum, nec mihi eo relicto alteri nubere fas.* neque minis, neque inſtantibus iam flammarum periculis, à ſententia amoveri potuit. *Abdias in vita Matthæi.*

S. Lucia Virgo: Et hæc Pudicitiam vitâ habuit chariorem. Juveni enim jungi noluit, ut jungeretur Chriſto, & ad idololatriam cõpulſa, manſit immota in fide rupes. Quare minitanti Paſchaſio, Ego te faciam ad lupanar trahi, ut cùm fueris ſcortata, fugiat à te Spiritus ſanctus: *Nunquam*, inquiebat, *inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis: ſi namque me in vitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Sur. tom. 6. in vita.*

S. Agnes Virgo & Martyr: Neque tu, fidiſſima Pudicitiæ tutela Agnes, ſilebere, quæ, dum te deperiret Præfecti tuæ urbis filius, nondum pubertatis annos egreſſa, eum animosè deſpexiſti; dicens: *Recede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: jam ab alio amatore præventa ſum, qui annulo fidei ſuæ ſubarravit me.* O ſenectutem infantilis mentis! ô juvenilis animi canitiem! *Sur. tom. 6. in vita.*

S. Euphraxia Virgo: Et hanc etiam Antigoni filiam, quia Romano patricii generis juveni à parentibus ante pacta, quàm Religioni ſe daret, fuerat, cùm eidem nubere per Theodoſii Imp. literas cogeretur, reſpondiſſe tradunt: *Sponſum habeo in cœlis, non in terra: & certum mihi extrema omnia perpeti, quàm fallere fidem illi datam.* Quid prius miremur, neſcio: an ſenilem teneræ ætatis in reſpondendo ſapientiam, an verò puellaris animi in propoſito conſtantiam? *In vitis PP. Sur. tom. 2.*

Gunzonis Ducis Filia: Neque hanc pudere debeat, ſi primis illis jungatur: cuius virginitatis flos etiam ſuum odorem per univerſam Galliam diffudit. Ut enim erat Arbonæ Ducis filia, à Segeberto Galliarum Rege in conjugem petita, at quid ſponſa Chriſti? *Æterno Regi deſponſata ſum*, ait. Cui & nunc merito in cœleſti illo ſolio juncta, quæ dum hic viveret, pluris fecit Caſtitatis quàm Franciæ regnum. *In vita S. Galli lib. 1. cap. 21. Sur. tom. 5.*

Virgo Anonyma: Sentiebat item illa, ubi diverſus ſexus eſt,

diversarum cogitationum pugnas incidere necessarium: cùm namque Beatus Martinus eam invisere cogitaret, aditu negato, dixit: *Pater sancte ora pro me, quia à viro nunquam sum visitata.* Rarum etiam Pudicitiæ exemplum. *Hieronym. Epistola ad Oceanum.*

Elizabeth Vidua: Est etiam viduis sua castitas, unde & eas honorare præcepit Apostolus, quę verè viduæ sunt. Talis indubiè erat ELIZABETHA Lantgravio tradita: quæ, mortuo cõiuge, dum ab Episcopo Bambergensi ad Nuptias incitaretur, respondit: *Si id conerus, fixum mihi truncatis naribus, vel lacerata facie me ita deformare, ut qui me ducere velit, futurus sit nemo.* Itaque oblatam fortunæ felicitatem respuit, sola castitate gaudens. *Conrad. Concion.*

Mulier Aquileensis: Satis de illis, quæ Deo suam castitatem voto obstrinxêre, hoc loco dictum: neque enim is animus omnia persequi, ad alias transeo: quæ licet alterius ordinis, ejusdem tamen propositi & mentis. Jactet suam Lucretiam Roma, habet etiam suam Aquilea quam proferat. cujus virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus sortitus est. Hæc enim ut erat ingenua, à Barbaro hoste capta, ad stuprum rapiebatur. Quid ageret? ad preces convertitur, & vix tandem impetrat, ut in superiorem domus partem sibi liber aditus fiat. quo facto, ea parte occupata quæ flumini imminebat, ad Hunnum conversa, *Vis me*, ait, *potiri? me sequere.* & ex alto præcipitem se in flumen dedit: magis de corporis, quàm salute animæ provida. *Sabell. lib. 5.*

Gualdrata Puella: Hanc ad calcem adjicimus. quæ cum esset formâ & corporis habitu admodum decoro, ab Othone IV. qui tum Florentiæ, ut se deosculandi copiam faceret, expetita. at illa: *Nullius meherculè, quàm ejus quem maritum habitura sum, suavium accipiam.* Placuit, & meritò, ea vox Principi, ac quæ illam protulerat, Gridoni Germano, viro armis inclito, in matrimonium data est, usque adeò Deo & hominibus grata castitas. *Bapt. Fulgos. libr. sexto, capit. 1.*

¶ Monosticha Trochaica.

Æqua lex est castitatis quà viris qua fœminis.
Ardua est via castitatis, magna sed sunt præmia.
Casta dici non meretur, casta dici quæ cupit.
Casta ea est de qua veretur fama mentiri vaga.
Casta famæ pauca donat: cuncta conscientiæ.
Casta honestam potius mortem, vitam quam turpem eligit.
Casta non est canticorum cui placet lascivia.
Casta non est quæ placere vult juventutis gregi.
Casta non est, quæ se amictus venditat lascivia.
Casta non est quæ sine auro se minus comptam putat.
Casta non est quæ videri casta item omnibus cupit.
Casta non est cogitare quæ potest non seria.
Castitatem mens tuetur atque conscientia.
Castitas minimè inquinatur fœditate fornicis.
Castitatis valde infida custos est necessitas.
Castus est libidinari qui haud cupit tunc cum potest.
Est honoranda in sene, haud & admiranda, castitas
Nuptialem casta sexum non habet conjunctio.
Quamq; gemmam castitatis comparas dispendio.
Rara castitas virorum est, feminarum rariòr.
Respuit voluptatem omnem quod castum quod integrum
Tristiora supplicio omni sunt castis ludibria. (est.

¶ Jambica.

Adulterata mente casto jam excidit.
Castam voluntas continet, non vis, metus.
Est casta de qua fama mentiri timet.
Est castitatis maximus rector pudor.
Etiam juvant castas forma præconia.
Etiam loci abolet castitas infamiam.
Et morte casta fugiunt turpitudinem.
Pauci simul casti sunt atq; amabiles.
Per castitatem redderis par Angelis.
Quæ vult videri casta, casta esse an potest?
Quis cor se habere castum gloriabitur?
Tam mente oport & casta sit quàm corpore.

Videantur alia titulo, *Formæ, Pudicitiæ, Virginitatis, Libidinis, Scortationis, Temperantiæ, Matrimonij, Vxoris, Dotis.*

Castrorum in quo agit exercitus.

¶ Sententiæ Patrum

D. *Chrysostomus:* An nescitis quod castra vivo quidem imperatore & rege etiamsi sint imbecilla consistunt; sin autem illi excesserunt, etiamsi sint valida diffluunt & dissolvuntur? *Hom. 5. ad Corinth. 1.*

¶ Ducum Philosophorum Oratorumque.

Xenophon: Et Assyrii quidem cum iis, quos secum habebant, quùm jam exercitus propius ad se invicem accessissent, fossa se cingebant: quod barbari reges hodieque faciunt. Nam castra quum metantur facillimè se fossa, ob ingentem hominum multitudinem circumdant. Norunt enim, copias equestres noctu esse tumultuosas, & usum habere difficilem, præsertim si de barbaris coactæ sint. Etenim hi equos habent ad præsepia compeditos. Itaque si quis eos invadat, operosum est noctu equos solvere, frenare operosum, operosum insternere, operosum induere loricas: atq; ubi jam equos conscenderint, fieri prorsus nequit, ut equites per castra vehantur. His omnibus de causis quum alii barbari, tum illi munitionibus se circumdant. Simul etiam existimant, si locis sint munitis, habere se potestatem prœlii, quum volunt, non committendi.

Dum hæc agerent, adpropinquare sibi cœperunt. Quumque jam accedendo alteri ab alteris ad parasangæ intervallum abessent, Assyrii hoc, quem indicavimus, modo metebantur castra, loco quidem fossa munito, sed oculis exposito: Cyrus autem sic sua locabat, quantum sanè poterat, ut minimè conspicerentur, etiam à fronte vicis & tumulis objectis. Nam existimabat in bellis omnia, si subito conspiciantur. adversariis esse formidabiliora. Et illa quidem nocte, quemadmodum par erat, utrique constitutis excubiis, quieti se dederunt. Postridie Assyrius, & Crœsus, duceśque ceteri, copias intra munitiones quiescere iusserunt: Cyrus & Cyaxares instructis suis, tamquam pugnaturi, si hostes accederent, exspectabant. Quum autem jam pareret, hostes extra munitiones illo quidem die non prodituros, neque conserturos manum, Cyaxares arcessito Cyro, & omnibus, quos adesse oporteret, in hanc sententiam loquutus est: Equidem, viri, nobis existimo sic, uti nunc instructi sumus, ad horum munitiones accedendum esse, ac declarandum nos pugnandi cupidos. Etenim hoc modo illis contra non prodeuntibus, nostri eos longe audentius invasuri sunt, & hostes audacia nostra perspecta, magis sibi metuent. Hæc illius sententia fuit.

Verum Cyrus: Ne per Deum immortalem, mi Cyaxares, ita faciamus, inquit. Nam si modo, de tui consilii sententia, prodierimus in hostium conspectum: nimirum, nec in hoc tempore nos accedentes ullo cum metu spectabunt adversarii, qui esse in tuto se sciant, ut accidere quid ipsis adversi nequeat: & deinde, quum nulla re gesta recedemus, rursus in spectis copiis nostris, easdem ut suis impares numero, contemnent: crastinoque die multo firmioribus animis prodibunt. Nunc quum adesse nos sciant, neque tamen videant: crede mihi, non contemtui habent: sed quid hoc sibi velit, sollicitè cogitant: atque etiam, sat scio, colloqui de nobis non desinunt. Sed ubi prodierint ipsi, tum vero & conspiciendos eis nos exhibere debebimus, & manum cum eis conserere, deprehensis illic ubi jamdudum cupiebamus. Hæc quum Cyrus dixisset, tam Cyaxares, quam alij adsensi sunt. Itaque tunc cœnati, constitutis excubiis, & ignibus antè has excitatis quieti se dederunt. *capite vigesimo secundo, lib. 3. Cyropædiæ.*

Brutus Trallianis: Si quod in vestra regione Dolobellam ponere castra patimini, nihil in eo putatis injuriarum inferre mihi, non rectè sentitis: sin à quibus hostes etiam abstraximus, consuetudinem & amicitiam vobis permissuros arbitramini, rursus errare mihi videmini. Quare aut à vestris eum finibus repellite, aut nullam injuriam à nobis accepisse quibus ereptum & ademptum Dolobellam nos tenere potiùs, quàm vobis permittere voluerimus. *Epist. 61.*

Trallianorum ad hæc responsio: Et in nostra terra Dolobella castra metatur, & omnis qui post hunc vel vi egerit, non facilè sat scias illam perviam capramque aget. Non enim si ducem Romanorum pro jure societatis, non à nostris finibus prohibemus, idcirco statim ejus hostibus & adversariis eam præmium belli & mercedem promulgamus. Verùm quicunque nobis inviris per vim invadere conabitur, opere reque planum faciemus, non secus quàm concedentibus nobis Dolobellam castra metari. *Epist. 52.*

Brutus Trallianus: Et antea vobis per literas significavi peccare vos, qui Dolobellam in vestris oris castra metari permittatis: & nũc scitote si quasi de propria possessione illi cederitis, neque si à vobis vindicati fueritis, de quibus illi ut alieni cessistis, ea nobis ut propria concessum iri. Sin illi tanquam amico potestatem in vestra regione castra metandi facitis cùm fortunã simul experiri cum illo ceperitis, neque nobis invitos inimicos & hostes fore. *Epist. 53.*

Trallianorum ad hæc responsio: De Dolobella certiorẽ antea quoque fecimus. Et jam scias, neque illum in sua regione castra locare. nostra est enim: Neq; si quis à tuis hanc eripiat, nos passuros, ut nobis invitis teneat, quoniam quæ sunt à nobis permissa, violaret. Sin videmur belli communionem societatemque cum illo suscepisse, satius est injuriam autoribus reluctari, quàm homine socio rejecto repulsosque volentes Romanis hostes videri. *Epist. 54.*

Onosander: Imperator, si in hostili solo castra ponat, statim vallo fossaque cingat, licet ibi ad breve tempus considere voluerit. Hæc enim castrensis ratio nunquam pœnitenda. semperque tuta adversus repentinas & improvisas irruptiones. Collocet etiam custodias ac speculatores, quasi propè adsint hostes, etsi longius abesse putet. Si verò

verò illis minimè prementibus castra diutius habiturus sit, aut si regionis vastandæ causâ commoretur, aut etjam commodiorem circumspectet occasionem, eligat minimè humida aut morbosa loca. Impurus enim illic & fœtidus aër morbos ac pestes progignit, validam multorum valetudinem lædit, multis vitam quoque aufert, adeoque & numero & viribus minuitur exercitus. *capite Strategici octavo.*

Idem statim: Nec parum utilitatis ac salubritatis eveniet, si non semper eodem in loco maneat castrorum metatio. nisi milite eâ tempestate sub pellibus & tentoriis hibernent. Naturales enim ac necessariæ alui dejectiones, unum semper in locum congestæ, graves ac fœtidos exspirant halitus, tandemque ambientem ac circumfusum aërem tætro odore corrumpunt. Cohortes in hiberna missas, ad bellicas exercitationes traducat Imperator, nec sinat eas ociari vel desidere. Nam ocio quidem corporis vires molliscunt & languent; desidiâ verò, animi veluti evirantur, socordesque & ignavi fiunt. nempe blandimenta voluptatum, adsiduo abusu, ferociissima quæque pectora eneruant & absumunt. Cavendum igitur ne diutius viriles animi à consuetis cessent laboribus. Nam si ab longo otio ad militaria munera revocentur, non prodeunt lubentes, nec diu perseverant, sed repentè timore consternati trepidant, priusquàm periculorum dubia tentaverint; simulac verò tentaverunt, abscedunt; atque ita in illis, nec sperant, nec resistunt. *cap. 9.*

Idem Onosander: Si noctu insciis hostibus castra movenda sunt, vel ut commodiora loca occupentur, vel ut incommoda effugiantur, vel ne copiæ confligere nolentes cogantur, multis accensis ignibus cessim recedendum erit. Sic enim adhuc consistere exercitum hostes existimabunt. At si per noctem obscura castra moverentur, fugæ illis suspicio aliqua esset, atque aut insidias facerent, aut infestâ manu persequerentur. *cap. 10. Strategici.*

Onosander: Imperator castrorum quoque hostilium positionem peritè prospiciat. Neque si in plano circularem esse viderit, statim ex collecto & coarctato valli ambitu, minorem hostium numerum esse sibi persuadeat. Quilibet enim circulus, minorem oculis exhibet speciem, quàm animo ex verâ proportione & mensurâ soliditatis percipiatur. Atque hoc ambitu comprehensa latitudo, plures capit quàm oculis designari videndo queat. Neque etiam si valli latera in longitudinem diffusa, in partibus quibusdam angusta, aut obliqua, aut multangula conspexerit, ideo permultos hostes esse putet. Nam huiusmodi castrorum figura ingens apparet, nec tamen plures continet milites, quàm quæ orbiculariter circunscripta est. Item vallum in montibus collibusque siquis adspiciat, nisi undique densum ac unitum cohæreat, majus quidem esse judicabit quàm revera in planicie esset, attamen pauciores adhuc quàm ipse putat complectitur. Multæ enim intus partes hominibus vacuæ & nudæ relinquuntur, & vix est; ut illic voragines, aut in hospitales & inaccessæ asperitates non sint. atque ut vallo cingantur milites, accommodatè ad locorum rationem illud protendi necesse est. In castrorum igitur viribus examinantis, & loci & figuræ ratio consideranda, neque in arctum coactæ copiæ omnino contemnendæ, neque in longitudinem effusæ nimis pertimiscendæ.

His artibus instructus Imperator expeditionē opportunè parabit in eum quem supra dixi modum, occasione ita suadente non statim procedat, etsi prodeant provocentq; hostes in certamen, sed metum quodammodo simulet. Nam illi sæpe res istas oculis tantum, non etjam peritiâ militari despicientes, contemtis hostium copiis, ut exiguis & levibus, supinà negligentia incauti atque incomposiri è suis castris exeunt, quasi præ timore impetum adversarii facere non audeant; aut etiam vallum obsidione premunt, nec putant multos inde erupturos, eaque incogitantiâ negligētiores in periculis fiunt. Tum verò, arrepta occasione, jubeat ut per plurima castrorum quasi ostiola, servato ordine, milites excurrant, rerumq; bene gerendarum opportunitatem fortiter pugnando amplectantur. Quisquis autem exercitum ita ducere noverit, etsi his etiam artibus oppugnetur, sapienter omnia geret, & providè cavebit: nempe à quibus didicit quę adversus alios struenda sunt, ab iisdem etiam, quonam modo fraudes ac doli evitari possint, docebitur. Et quisquis alteri parare novit pericula, idem quoque parata facilè deteget effugietque. *capit. 10. §. 9. Strategici.*

Leo Imperator: Aplicta igitur sive fossata (nam aplictum propriè fossatum totius exercitus est) validè quantum potes munies. Si in locis spatiosis laxisque commodè castra ponere potueris, ita facias: sin minus non negligenter, sedulò & firmiter & densè castra pones. Illa autem loca in primis fugies, quæ aliquod propè celsius ac eminentius habent, ne illud inimici noctu & confertim anticipantes, multa mala vobis ex eo loco inferant.

2 Quando hostili in terra castra ponis, circunda tuos trapho, id est, fossa, quanquam ad unum diem ibi solum permansurus es: secura enim hujusmodi castra sunt, & adversus omnes nec opinatas & subitas hostium incursiones tuta. Custodias etiam adhibebis, quasi hostes propè adsint, quanquam longè eos abesse noveris.

3 Ubi diuturna castra uno aliquo in loco positurus es, non hostium incursionem timens, sed illorum regionem populaturus, loca eliges non condensa, cœnosa, paludosa, aut stangnis abundantia: hujusmodi enim halitum emittunt in salubrem, & odores graves ad gignendum morbos idoneos: multas enim ægritudines & ardentes pestes inferunt, & sæpe exercitum graviter vexant, sæpe etiam universum delent, ut non parvus ex eo & debilis, sed etiam consumptus & nullus fiat.

4 Utile & salutare exercitui est, in eodem loco diu non consistere, nisi si hyberna faciant: atque eatum ad civitatis formam muniant. Nam excretiones fæculentæ corporum in eisdem semper locis factę, depravatos halitus expirant, & omnem aëris salubritatem in insalubritatem transferunt.

5 Hybernis in omnibus, quemadmodum suprà admonuimus, copias tuas ad contentiones bellicas & militares labores exerce, ut iis assuefacti, ocium ac desidiam, pestem ac labem exercitus, devitent.

6 Neque verò castrorum salubrium solùm suscipienda cura est, cùm securus ab hostibus es, sed etiam ut omnium rerum necessarium affluentiam habeant, idque potissimum in expedito, id est, eo tempore quo omnes milites in unum conveniunt, ubi diutius commorandum est.

7 Providebis etiam mercatoribus, ne illi injuriosius tractati, rerum necessariarum invectionem prætermittant. Sin aliquis metus hostium impendeat, muniantur castra vel fossis, vel palis, vel integris fossis, vel tribulis, id est, muricibus, vel ædificiis sive ex ligno, sive ex lapide, aut alia quavis materia confectis, quemadmodum excogitare poteris.

8 Speculatores foris collocandi sunt, & currus omnes ad vallum faciendum congregabis. Vallabis autem castra pro copiarum ratione, vel laxius vel densius, ex ligneis integris, aut ex cæsis arboribus.

9 Tuta & munita castra semper esse oportet, nisi in nostra regione vel exercitationis causa, vel alterius alicujus necessitatis gratia castra moventur.

10 Procurabis etiam, ne vicinæ regiones quæ sub nostro imperio sunt, aliquod damnum accipiant, in primis autem ut agriculæ sine offensione conserventur. Duæ enim hæ artes maximè utiles esse videntur ad reipublicæ constitutionem & conservationem: Agricultura, quæ colat & nutriat milites: militia, quæ defendit & propugnat agricolas. reliquæ verò artes istis inferiores esse videntur, atque ideo necesse est ista providere, & illorum curam non abjicere, ut milites justè ab illis nutriti strenuè se gerant, & agricolæ honestè tractati bonis votis illos prosequantur.

11 Hostibus imminentibus & expectato jam bello, si anticipatis hostibus castra feceris, duorum aut trium dierum pabulum, sive fœnum, sive paleam, sive hordeum, prō jumentis tuis præ manu habeas, quem admodum tibi in capite de Itinere exercitus explicavi. Sin illinc ad alia castra transire volueris, unius saltem diei commeatum eò tecum paleam aut fœnum feras, & in castris reponas, ne fortè pueri administri vi ab hostibus detineantur, & eo die prohibeantur vel pabulum colligere, vel jumenta ad pastum ducere.

12 Si admodum propè hostes fuerint, non absurdum erit singulos milites inter eundem pabulum colligere, quia castris jam positis, si multi ex hostibus equites fuerint, pueri administri exitu, & fœni pabulique sectione prohibebuntur.

13 Par est in casus adversos sæpe intueri, & quæ inde perturbationes oriri possunt considerare, atque ea prudentia anticipare, ne postea te horum pœniteat: maximèque de commeatu & pabulo militum & jumentorum laborabis, & castra munita pones idoneis in locis, ubi si quando res id exigat, vel aqua fluvii, aut locus arduus, aut alia firma munitio, defendere fossatum temporibus necessariis possit.

14 Difficultas temporis si quæ pedestri aciei contingat, carris & plaustris eorum castra circumcirca quasi vallo defendes, sive pedestri aciei sive equestri sive permistæ contingat: & circum exædificabis pro loci ratione, quemadmodum à me suprà est dictum: & exterius fossam duces ad latitudinem quinque pedum aut sex, & altitudinem autem septem aut octo pedum, & aggerem fossæ interius conjicies, & extra hanc fossam tribulos & foveas parvas palis infixis facies, quæ ab exercitu universo cognoscendæ sunt, ne illorum ignoratione lædantur.

15 Ambitus fossati sive castrorum quatuor portas majores & publicas habeat, portulas autem parvas præterea complures. Juxta unamquanque portam, id est, egressum, præfectus aliquis castra ponat ad ejus custodiam. Interitus autem juxta ipsos carros levium, id est, jaculatorum & sagittariorum simplices tentas sive tentoria ponas, & à curribus trecentorum aut quadringentorum pedum intervallo distantes, tumque reliquæ ita constituantur tentæ, id est, tentoria, ut dum hostes sagittas jaciunt, minus in medio collocatæ tentæ feriantur, sed opportuno in loco sagittæ cadant.

16 In medio castrorum platea strata sit ad crucis formam transversa, quadraginta aut quinquaginta pedum latitudine, & hinc atque illinc tentas & castra, serie quadam & ordine compituum à se distantia ponantur. Unusquisque autem turmæ præfectus in medio suorum castra habeat.

17 Tu verò Imperator, una aliqua ex parte, & non in media platea castra habeas, ne aliorum itinera & transitum impedias, tuque ipse à transeuntibus perturbere. Equites, si opportunitas id ferat, in mediis castris, & non in extremis constitues.

18 Aptissimos quosque comites cum suis cohortibus ad portas

fossati collocabis, ut post vespertinas missas nemo audeat præter exercitus voluntatem nisi dato signo ingredi, aut è fossato egredi.

19 Nocturnæ equitum excubiæ intus tutò fiant. Unusquisque turmacha suum mandatorem ad imperatoris cohortem amandet; ut ibi permaneat. Similiter drungarii, id est, tribuni & comites ad turmacharum castra suos mittat, ut per eos celeriter cognoscant quæ agenda sint.

20 Habeas tecum, ô Imperator, buccinatores tum majorum buccinarum tum minorum, & consueta buccina vesperi sonante, desinant laboribus, & ubi cœnaverint, τριοδίγιον, id est, ter sanctum hymnum canant.

21 Quosdam etiam singulares viros fideles constitues ut excubias perlustrent, & omnibus præcipiant silentium, ut ne nomine quisquam socium appellare audeat: multa enim ex silentio bona proficiscuntur. Persæpe enim ad hunc modum hostium speculatores deprehensi in exercitu atque adeò capti sunt, quemadmodum contrà ex clamore & tumultu multa sæpe mala existunt.

22 Prohibeas etiam horreseis & maximè nocturnas, & si quid aliud ludicrum est, quæ non solùm indecoras & tumultuosas ordinis perturbationes faciunt, sed etiam labores inutiles præbent.

23 Si exercitum à castris ad alia castra transferre cupis, idque clam hostes facere, vel locum aliquem firmum hostibus præripere studes, aut loca quædam fugis proprer offensiones quæ ab hostibus oriri possunt, & in necessitatem præliandi venire nolueris, ignes multos facito, & discede: hostes enim hos ignes si cernant, arbitrabuntur te in castris esse, sicque quod cupis efficies.

24 Hoc Nicephorum copiarum nostratum imperatorem, quando in Syriam ingenti cum exercitu à nobis missus est, feciisse novimus. Nam cum magnam prædam in media hostili terra fecisset, hostibus permultis adversus eum congregatis, quos Apulpher Eunuchus Saracenorum & barbaricarum copiarum imperator coegerat, tamen ad hunc modum populata hostili terra, captivos suos reliquamque prædam integram abduxit.

25 Adversum Bulgarorum expeditionem tale aliquid ab eodem excogitatum est, quod nequaquam oblivioni mandandum est, simul enim ad vecturam expeditum, & ad custodiam necessarium fuisse advertebatur. Radios duos, quæ canonia vocant, æquales, trium dodrantium aut paulò amplius longitudine, ad formam Λ, id est, lambda literæ iungebat: alterum autem radium sive canonion quinque aut sex dodrantium longitudine, menauli, id est, jaculi instar ad bipes illud adjungens, tripes facit, firmatis inter se in jungendo pedibus. In summo autem illo quasi menaulo cuspis quædam magna & ampla injecta est tripo deeminens duos dodrantes aut paulò amplius. Itaque ligneos istos tribulos sive murices quando volebat contrahens, & quando volebat iterum coniungens, ad munitionem simul & arma in necessariis temporibus habebat, si quando hostium equites in castra nostra irruptionem atque impressionem facere moliebantur, qui hoc quasi vallo impedirentur, sæpè & vulnerabantur invadentes, cùm facile tolli, gestari & defigi possit. Sæpe autem quando fossa non ducebatur, hæc tamen arma ad incolumitatem parata semper habebat.

26 Quando autem securè & sine timore castra moves, mandata pridie vesperi mandatori danda sunt, rursumque post lucem diei quo castra moventur, buccinam ter significare hoc oportet, omnesque ordine atque instructa acie procedant, ac primò graves, deinde currus. & si quid aliud ad militarem usum vehi oportet.

27 Tribulorum, id est, muricum usus in castris per necessarius est. Si enim vel saxosus locus fuerit, vel fodere non potuerint, vel tempore destituantur, eundem in castris ponendis usum tribuli idoneè collocati afferunt quem & fossa ipsa apportat.

28 Diversos situs & formas fossatorum antiqui tradiderunt in castris ponendis: laudabilis autem quadrata atque oblonga est, tum quia ordinata, tum quia necessaria est.

29 Ad splendorem & pompam exercitus venditandam, magis valent obliqua & ad altitudinem spectantia castra, majoremque numerum castrorum, quàm plana & æqualia loca, præ se ferunt. Si igitur aliqua pompa opus sit, obliqua ac declivia loca eligantur, tumque potissimum cùm commeatum idoneum habent ad omnes necessarios usus.

30 Inæqualia, ut diximus, loca eligantur ad castra ponenda: neque longo tempore uno in loco permaneant, nisi propter cœli tenuitatem & puritatem, & propter necessarium commeatum, aut aliqua quæpiam necessitas detineat.

31 Alui naturæque onera nequaquam intra castrorum ambitum deponenda sunt, sed foris, propter odoris gravitatem, si diutius uno in loco commorandum sit.

32 Necessariis temporibus brevem aut exiguum rivulum intra ambitum castrorum recipies, ea parte qua permeabilis est exercitui.

33 Sin magnus atque asper fluvius fuerit, ad latus castrorum jungatur, ut pro vallo castris sit.

34 Mediocri fluvio præterlabente, superiorem partem versus equi aquarum ducendi non sunt, ne aqua pedibus turbata cœnosa ac lutulenta fiat, sed ad inferiorem partem adducendi sunt.

35 Si exiguus fuerit fluvius, vasis educant aquam, neque equos in fluvium admittant, propter aquæ turbulentiam.

36 Propè collem aliquem, quem hostes conscendere possent, castra ne ponas, ne fortè occupato eo loco, hostes sagittis te opprimant.

37 Si propè hostes non adfuerint, sed longi itineris viam abfuerint, castra propter fluvium ne ponas, equitum in primis, ne jumenta copiosæ aquationi assuefacta, alio tempore defecta potu, quando sustinere sitim debent, non possint.

38 Pedites intra castrorum ambitum cum equitibus requiescere non oportet, si hostes longè abfuerint, sed extrà & separatim prope castra, ut neque nimiis angustiis premantur, neque à speculatoribus facilè numerentur. Sed paucos ante dies quàm hostes accedant, explorandum est quantum spacii capiant, & quemadmodum intra vallum castra ponant, si quando opus fuerit ut cum equitibus simul castra habeant.

39 Sin hostes immineant, pervidendum est ne cùm eodem in ambitu castra ponant, confusè equites cum peditibus, sed separatim ac distinctè consideant.

40 Belli tempore firmis in locis castra ponas, & cura tibi commeatus rerumque necessariarum suscipienda est, ut tum homines tum jumenta paucorum dierum commeatum, propter ancipitem belli eventum, habeant. Maximè autem prospiciendum est, ut in primis aquam obtineas, & hostibus defendas, qua illi interdum egebunt.

41 Si campus est in quo conflictatio belli futura est, à tergo vel fluvium vel lacum habeas, aut aliquam firmam munitionem.

42 Fossatum, id est, castrorum ambitum munitum facias, & satis multos ibi instructos milites relinquas, ut ne si hostium dux castris tuis insidietur, eos qui in castris sunt omnes interficiat. Currus autem tui aciem sequantur.

43 Si fortis fuerit locus atque inæqualis, caragum, id est, vecturam, reliquaque impedimenta atque apparatum in fossato cum paucis quibusdam viris curulibus ad illorum custodiam relinques. Acies autem instructa idoneo in loco prope fossatum collocetur.

44 Si loca difficultate atque asperitate munita, & hostes maxima ex parte equites fuerint, ad defensionem & propugnationem vecturæ ac impedimentorum ipsa loci natura satis erit. Si enim currus talibus in locis sequerentur, utiles instructæ aciei non essent, sed perturbatiores esse reperirentur.

45 Observabis etiam boves diligenter, ut aciem sicubi sequantur, ubi opus est consistere possint, ne tumultu inimicorum & sagittarum jaculorumque conjectione exagitati, eam impediant & perturbent. Sed vel pedicas vel vincula iniicies, ne sagittis aliqui vulnerati pedites perturbent. Itaque ne prope quidem pedites in acie admoveantur.

46 Si alicui loco ab hostibus oppugnato succurrendum est, anticipandus aliquis locus cum celeritate est sed ut currus tardius procedentes impedimento illi maturantibus nullo sint, relinquendi cum reliquis impedimentis in aliquo loco munito sunt. Capiendi pedites, capiendusque illorum commeatus est, si id usus exigat, & vehendus cum illis, vel sagmariis, id est, sarcinis, vel equis ad hoc paratis. Capiendi etiam tribuli, id est, murices sunt, sicque cum exercitu discedant.

47 Tum enim si tempus aliquod ad castra ponenda fuerit, fossa opportunè ducta, & tribulis ordine positis, vel ædificatione aliqua intus adhibita, vel vallo ex lignis confecto, æque firmam munitionem fossatum habebit, ac si carago munitum fuisset. Caragum autem appellamus currus, qui ad munitionem fossati adhibentur.

49 Sin ita accidat, ut plures equites, pauciores pedites sint, decretumque fuerit omnia impedimenta in fossato ut permanerent, nullo modo pedites universi intra fossatum se contineant, sed quidam intus fossatum custodiant, quidam foris ante portas & fossas castrorum instructi stent, ut si contingat equitum fugam fieri, pedites domi illorum copias recipiant, & securitatem aliquam illis afferant, vel ut adversus hostes iterum se vertant, vel ordinatè in castra discedant, neque in ingressu portarum periclitentur aut adfligantur.

50 Præfectis tuis hoc omnino præcipiendum est, ut de hybernis procurandis nonnihil laborent, quorúque & quibus equis aut armis milites sui egeant, per turmarchas tibi significetur, ut idoneo tempore & tu hæc præparas, & milites recipiant. Maxime autem rei sagittariæ & diligentissime providebis, ut qui domi immunes à militia fuerint, arcus & arma sagittaria parent. Hæc enim una res contempta, sicuti suprà diximus, permagnas universo exercitui Romano offensiones attulit. *capit.* II. *rei tacticæ.*

§ Romanorum.

De munitione castrorum.

Vegetius: Castrorum quoque munitionem debet tyro condiscere: nihil enim, neque tam salutare, neque tam necessarium invenitur in bello: quippe si recte constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesque peragunt etiam si hostis obsideat, quasi muratam civitatem videantur secum ubique portare. Sed hujus rei scientia prorsus intercidit: nemo enim jam diu ductis fossis, præfixisque sudibus castra constituit. Sic diurno vel nocturno superventu equitum barbarorum, multos exercitus scimus frequenter afflictos. Non solum autem confidentes sine castris ista patiuntur, sed cùm in acie

casu aliquo cœperint cedere, munimenta castrorum, quo se recipiant, non habent, & more animalium multi cadunt. Nec prius moriendi finis fit, quàm hostibus voluntas defuerit persequendi. *capite 21. libri primi De re militari.*

In quibus locis constituenda sint castra.

Castra autem præsertim hoste vicino, tuto semper facienda sunt loco: ubi & lignorum & pabuli & aquæ supperat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritas eligetur. Cavendum etiam ne mons sit vicinus altior, qui ab adversariis captus, possit officere. Considerandum erjam, ne torrentibus inundari consueverit campus, & hoc casu vim patiatur exercitus. Pro numero autem militum vel impedimentorum munienda sunt castra, ne maior multitudo constipetur in parvis, neve paucitas in latioribus ultrà quàm oportet cogatur extendi. *cap. 22.*

Quali specie delineanda sint castra.

Interdum autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qualitas aut necessitas postulaverit, castra facienda sunt. Porta autem, quæ appellatur prætoria, aut Orientem spectare debet, aut illum locum qui ad hostem respicit: aut si iter agitur, illam partem debet attendere, ad quam est profecturus exercitus, intra quam primæ centuriæ, hoc est, cohortes, papiliones tendunt, & dracones, & signa constituunt. Decumana autem porta, quæ appellatur post prætoriam est, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam. *cap. 23.*

Quo genere muniendæ sint castra.

Castrorum autem diversa triplexque munitio est. Nam si nimia necessitas non premit, cespites circumciduntur è terra, & ex illis velut murus instruitur, altus tribus pedibus supra terram, ita ut ante sit fossa, de quà levati sint cespites: deinde tumultuaria fossa fit lata pedes novem, & alta pedes septem. Sed ubi vis acrior imminet hostium, tunc legitima fossa ambitum convenit munire castrorum, ita ut 12. pedes lata sit, & alia sub linea (sicut appellant) pedes novem. Supra autem sæpibus hinc inde factis, quæ de fossa egesta fuerit terra congeritur, & crescit in altum quatuor pedes. Sic fit ut sit alia tredecim pedes, duodecim lata: supra quam sudes de lignis fortissimis, quas milites portare consueverunt, præfiguntur. Ad quod opus ligones, rastra, qualos, aliaque utensilium genera habere convenit semper in promptu. *cap. 24.*

Quemadmodum muniendæ sint castra, cùm hostis immineat.

Sed facilè est absentibus hostibus castra munire, verum si adversarius incumbat, tunc omnes equites, & media pars peditum, ad propulsandum hostium impetum ordinantur in acie, reliqui post ipsos ductis fossis muniunt castra: & per præconem indicatur, quæ centuria prima, quæ secunda, quæ tertia donec opus omne compleverit. Post hoc à centurionibus fossa inspicitur, ac mensuratur, & vindicatur in eos, qui negligentius fuerint operati. Ad hunc ergo usum instituendus est tyro, ut cùm necessitas postulaverit, sine perturbatione & celeriter & cautè possit castra munire. *capite vigesimoquinto.*

Vegetius: Non enim belli tempore ad statiua vel ad mansionem civitas murata semper occurrit, & incautum est plenumque discriminis, exercitum passim sine aliqua munitione considere: cum militibus ad capiendum cibum occupatis, aut munera facienda dispersis, facilè nectantur insidiæ. Postremò noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio, occasionem superventibus præstat. In metandis castris non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, ut alter eo nō possit melior inveniri: ne utilior prætermissus à nobis, & ab adversariis occupatus, apportet incommodum. Cavendum quoque, ne per æstatem aut morbosa in proximo, aut salubris aqua sit longius: Hyeme, ne pabulatio desit, aut lignorum copia: ne subitis tempestatibus campus, in quo manendum est, soleat inundari: ne sit in abruptis ac deviis, & circumsedentibus adversariis difficilis præstetur egressus: ne ex superioribus locis, missa ab hostibus in eum tela perveniant. Quibus cautè studioseque provisis, pro necessitate loci vel quadrata, vel rotunda, vel trigona, vel oblonga castra constitues. Nec utilitati præjudicat forma. Tamen pulchriora creduntur, quibus ultra latitudinis spacium tertia pars longitudinis additur. Ita autem ab agri mensoribus podismum mensuræ colligi oportet: ut ad quantitatem concludatur exercitus. Nam propugnatores angusta constipant, & ultrà quàm convenit latiora diffundunt. Tribus autem modis diffiniunt castra muniri posse. Primum in unius noctis transitum, & itineris, occupatione leviore cum sublati cespites circundantur, & aggerem faciunt, supra quem valli, hoc est, sudes vel tribuli lignei per ordinem digeruntur. Cespes autem circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram: fit altus semis pedem, latus pedem, longus pedem semis. Quòd si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris, cespes non possit abscindi, tunc opere tumultuario fossa perducitur, lata pedes quinque, alta tres: cuius intrinsecus agger excrescit, ut sine metu securus requiescat exercitus. Stativa autem castra æstate vel hyeme, hoste vicino, majore cura ac labore firmantur. Nam singulæ centuriæ, dividentibus campi doctoribus & principibus, accipiunt pedaturas, & scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis, cincti gladio, fossam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus: vel, si major adversariorum vis imetuitur, pedibus decem & septem (imparem enim numerum observari moris est) tum sepibus ductis vel interpositis stipitibus ramisque arborum, ne terra facilè dilabatur, agger erigitur. Super quem ad similitudinem muri, & pinnæ, & propugnacula componuntur. Opus hoc centuriones decempedis metiuntur, ne minus foderit, aut erraverit alicuius ignavia. Id etiam tribuni circumeunt, nec antè discedunt, qui strenui sunt, quàm fuerint universa perfecta. Ne tamen aliquis superventus laborantibus fiat, omnes equites & pars peditum quæ non operatur, privilegio dignitatis ante fossam in procinctu armata consistit, ut ingruentes repellat inimicos. Prima igitur signa locis suis intra castra ponuntur, quia nihil est venerabilius eorum majestate militibus. Deinde Duci prætorium, ejusque comitibus præparatur, ac tribunis tabernacula collocantur, quibus per contubernales deputatos ad munia, aqua, lignum, & pabula ministrantur. Tunc pro gradu legionibus & auxiliis, equitibus, & peditibus, loca in quibus papiliones tendant, deputantur in castris: ac de singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites qui excubitum noctibus faciunt, eliguntur. Et quia impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur. Et finitis horis à cornicine revocantur. Idoneos tamen tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuncient. Nunc militiæ factus est gradus, & circitores. Sciendum tamen est, equites extra vallum nocturnas excubias facere debere. Per diem autem castris positis, alii mane, alii post meridiem propter fatigationem hominum equorumque angarias faciunt. Inter præcipua convenit ducem providere sive in castris, sive in civitate consistat, ut animalium pascua, subvectio frumenti, ceterarumque specierum, aquatio, lignatio, pabulatio, secura ab hostium reddatur incursu. Quod aliter non potest evenire, nisi per loca idonea, qua nostrorum ambulat commeatus, præsidia disponantur, sive illæ civitates sint, sive castella murata. Quod si non reperitur antiqua munitio, oportunis locis circundata maioribus fossis tumultuaria castella firmantur. Nam à castris diminuto vocabulo sunt nuncupata castella. Intra quæ in angariis aliquanti pedites, equitesque degentes tutum iter commeantibus præstant. Difficile enim hostis ad ea loca audet accedere, in quibus & à fronte & à tergo novit adversarios commorari. *lib. 3. cap. 8. rei militaris.*

Quæ facienda sint pro castris, si satis fiducia in præsentibus copiis non habeamus.

Frontinus: Titius Quintius Cos. cùm Volsci castra ejus aggressuri forent, cohortem tantummodo in statione detinuit, reliquum exercitum ad quiescendum dimisit, eneatoribus præcepit, ut vallum insidentes equis circumirent, concinerentque. Qua facie & simulatione cum & propulsasset, & detinuisset per totam noctem hostes, ad lucis exortum fessos vigilia, repentè facta eruptione, facilè superavit.

Quintus Sertorius in Hispania hostium equitatui maximè impar, qui usque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes aperuit, & antè eas aciem direxit: cum demum turmales secundum consuetudinem redire vellent, pronunciavit comperisse insidias se ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent à signis neve laxarent agmen. Quod cum solvere ex disciplina fecisset, exceptus fortè veris insidiis, quia prædixerat, interritos milites habuit.

Chares dux Athenienſium, cum expectaret auxilia, & veretur, ne interea contemptu præsentis paucitatis hostes castra eius oppugnarent, complures ex iis, quos habebat, per adversam partem nocte missos, jussit quà præcipuè conspicui forent hostibus, redire in castra, & accedentium novarum virium speciem præbere: atque ita simulatis auxiliis tutatus est donec instrueretur expectatis.

Iphicrates Athenienſis, cum campestribus locis castra haberet, explorassetq; Thraces ex collibus, per quos unus erat descensus, nocte ad diripienda castra venturos clam duxit exercitum, & in utroque viæ latere, per quam transituri erant Thraces, distributum collocavit: hostemque decurrentem in castra, in quibus multi ignes per paucorum curam instituti, speciem manentis ibi multitudinis servabant, à lateribus adortus oppressit. *libri secundi, cap. 12. stratagematum.*

Quintilianus: Meretrices ab exercitu summoventur: intrare castra feminis non licet. *Declamat. 3. §. 11. pr.*

¶ Poetarum.

Guntherus lib. 7. v. 545.

Prima viris alta tentoria cingere fossa
Cura fuit, densare sudes, & ducere vallum,
Castrorum munire sinus: ne clausa latenti
Turba dolo, vel Marte palam fremebunda diurno
Erumpat, subitoq; viros, & castra furore
Turbet, & incautos inopina clade lacessat.
Nam neq; tormentis, neq; rapto mœnia bello
Posse capi populosa putant, meliusq; videtur
Expectare famen. (Vi namq; hæc cuncta parenti

Expugnare solet) vel si confisus ad arma.
Prosiliens pugnam ferus ultro conserat hostis.
Fortunam tentare manu, facilesq; triumphos.

¶ Monosticha Trochaica.

Equo è castris urbem, ut castra è qua vis urbe feceris.
Ante castra, non in castris, luculentum ignem exeites.
Castra casta sunto, castris absit impudentia.
Castra justa portus ad casum omnem sunt exercitus.
Castra qui subinde mutat sano militeutitur.
Castra saltem retineantur, spes velut novissima.
Castra sint munita belli, sint & pacis tempore.
Castra vallo, castra fossa tempore omni cingito.
Cui valetudo aut senecta adversa, castris exeat.
Fluminis vi differuntur castra quæ in plano sita.
Militi suis in castris plus decus quàm proprium.
Morbida æstas est si castra sunt locis palustribus.
Sunt loco fossa atq; valli succisa antea arbores.

¶ Jambica.

Aliquando servat castra, castra qui fugit.
Castris abesto luxus ac protervia.
Decimationi & subjacet fortissimus.
Interra amici castra munias tamen.
Intrare castra feminis ubi licet.
Mutare castra per salubre militi est.
Romana castra unius usq; sunt modi.
Statiua longa corpori insalubria.
Subire castra feminis summum nefas.

Casus.

¶ Sententiæ Philosophorum.

S *Implicius:* Evidens argumentum est, cùm levitatis peculiarium tum constantiæ communium notionum, quod idem homo eundem casum aliter si ipsi acciderit, gravius scilicet & imprudentius fert: aliter, si alteri eum accidisse viderit. tum enim tranquillius eum & verius intuetur, magisque cum cæteris hominibus consentit, quibus tale nihil accidit, quique non ex affectu, sed ratione judicant. Et hoc rei vilis, confracti poculi, exemplo declarat. Nam cum alterius puer poculum confregerit, in promptu nobis est cæterisque sine affectu judicantibus, ut dicamus, Ita fieri solere, ut puer aliquando lapsus allidat vitreum poculum, aut ut id delapsum atque allisum confringatur. Cùm vero nostrum confractum fuerit, indignamur, quasi novi aliquid nobis accidisset. *ad cap. 33. Epict.*

Synesius: Muliebre sanè ac puerile est, ea amore prosequi, in quibus consiliorum nostrorum finibus obstare casus aliquis ac disturbare possit. Ego verò sacrum illud caput Herculianum, sursum aspicere vellem, totumque in rerum contemplatione, ac mortalium omnium atque caducorum principiis considerandis esse defixum. *Epistola* 139.

Heliodorus: Numen tales successus nobis conciliat in quibus plus inest adversæ fortunæ, quàm qui extrinsecus apparet felicitatis. Quod cùm ita sit, prudentium tamen est, etiam parum prosperos casus, quatenus fieri potest, convertere in melius. *lib. 7. Æthiop.*

¶ Poetarum.

Plautus Captivis prolog. v. 44.

Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam,
Et suum herum faciet libertatis compotem,
Eodemq; pacto fratrem servabit suum,
Reducemq; faciet liberum in patriam ad patrem.
Imprudens, itidem ut sæpe jam in multis locis.
Plus insciens quis fecit, quàm sciens boni.

Terentius Hecyræ 5. sc. 4. fine.

——— *Equidem plus hodie boni*
Feci imprudens, quàm sciens ante hunc diem unquam.

Terentius Phorm. 5. sc. 1.

Dij vostram fidem! quàm sæpe fortè temerè
Eveniunt, quæ non audeas optare? offendi adveniens
Quicum volebam, atq; ut volebam collocatam filiam.
Quod nos ambo opere maximo dabamus operam ut fieret,
Sine nostra cura maximâ sua cura hæc sola fecit.

P. Syrus Mimographus.

Quem sæpe transit, aliquando invenit.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad casum nequit referri, sæpius quod accidit.
Casibus subjecta virtus esse dubiis non potest.
Mens ubi sensusq; non est, casibus quid vis licet.
Multa poculum ac labrum inter accidunt quæ non putes.
Non quo casu utare: quo animo quid facis, ad rem pertinet.
Oblata casu, vertas in sapientiam.
Quod dedit casus majore cursu quam venit fugit.
Sæpe debitum virtuti casus exitum dedit.
Sæpe forte temerè eveniunt quæ non optare audeas.
Sæpe quis nodo induit se sponte, quem omni vi fugit.

¶ Jambica.

Aliquis superstes carnifici fuit suo.
Carina portu fracta sæpe est in suo.
Casum feres, si alienos cogitas, tuum.
Casus minus læti formant prudentiam.
Casus restitit sæpe cœptis fortium.
Corinthium æs non arte, casu nobile est.
Experte casus sæpe, parce casibus.
Haud computatur casus adventitius.
Meliora quæ dat casus, quam animus quæ adpetet.
Quod ars nequit quandoq; casus perficit.
Ridere casum nullius sævit probus.
Sub casibus sunt regna multis maxima.
Tolerare casus fortiter decet virum.
Vbi animus errat, optimum est casum sequi.

Requirantur plura è titulo Fortunæ.

Caussæ.

Sententiæ.

D. *Ioan. Chrysostomus:* De cetero, quærit caussam: quod maximè omnium satisfacit animis hominum: nempe omnino caussam scire: & magis facit fidem, quando didicerimus causam & rationem per quam fit. *Homilia 13. Epist. ad Hebræos.*

Lysias: Non hic tantum manifestarius dicitur qui clava aut gladio percussum stravit. nam ex tua oratione, nempe illos viros interfeciſſe videbitur, quos tu prodidisti. neque enim quispiam eos aut occidit aut jugulavit, sed tua delatione ad mortem sunt compulsi. qui itaque causa ipsis fuit mortis, hic est manifestarius. at quis alius causa præter te, qui detulisti? qua igitur ratione non es manifestarius homicida? *cap. 22. Orationis contra Agoratum.*

Quintilianus Senior: Is causa mortis argui debet, qui mortem intulit. cùm verò quis sua manu perierit, non debet hoc reus tantum feciſſe, ut quis mori velit, sed ut necesse habeat. *Sermone. Declamationis 292.*

Quintilianus: Multum mehercule vos fallit opinio, judices, si ullam causam ita evidentem deferri posse in forum putatis, cui nulla ne mendacii quidem velamenta contingat. Opinione sua defendatur, & quæ res minimè coargui potest, utitur se teste. *Declamatione 12. §. 29.*

¶ Monosticha Trochaica.

Arduum est alibi vixisse, alibiq; causam dicere.
Attulit profectò mortem, causa mortis qui fuit.
Causa cui bona est, belloque vincit. armis si valet.
Causa cui bona est ubiq; commilitium habet Dei.
Causa justa si bellantium est, vincimus cum vincimur.
Causa item bona haud secundo terminatur exitu.
Causa item mala haud sinistro terminatur exitu.
Causa majorem pavorem semper inducit latens.
Causa non æstimanda semper à successibus.
Causa non factum quamcunq; rem bonam aut malam facit.
Causa plantarum putatur præbuit qui semina. (cit.
Causa quæ bona est requirit judicem, non arbitrum.
Causa victi injusta semper, semper victoris bona est.
Causa victi ubiq; iniqua, causa victrix optima est.
Causa victorum æqua semper, victi at improbissima est.
Causis incertis reperire difficile est remedia.
Est crudelis causa pœna cui sua est, at non modus.
Et lupi fictis de causis innocentem ovem opprimunt.
Ne minimum quidem maleficium absq; causa admittitur.
Ne quidem aure dictionem causæ proditor perit.
Ne quidem digitum absq; causa vir sapiens ullum movet.
Nil agendum est, cujus causam reddere haud justam queas.
Non cuicunq; perpetrandi est causa, fecit & scelus.
Propositum eventus malignum sæpe fortitur bonos.
Sæpe causis rerum honestis pestiferi sunt exitus.
Una causa sæpe effectus protulit contrarios.

¶ Jambica.

Ad causam honestam verbulum unum sufficit.
Bona causa verbis pluribus non indiget.
Causa bona brevis sit est oratio.
Causa bona pugna exitu nunquam mala est.

Caussæ

Cauſa bonæ ſemper bona eſt oratio.
Cauſæ bonorum, ſæpe ſub malis latent.
Cauſa noverca fortuna & juſtiſſimæ eſt.
Cauſam bonam corrumpas, agendo malè.
Cauſam bonam, ſatis tuetur veritas.
Cauſam facit pejorem confidentia.
Cauſam qui agit Deorum, rem facilem facit.
Cauſâ ſua tantummodo cuncta agit malus.
Cauſam tuetur ecquis infelicium?
Eſt cauſa mortis, quod naturam interficit.
Favor Dei pro cauſa ubiq; ſtat bona.
Felicitatis cauſa nulli redditur.
Injuriam & jus, cauſa prodit cognita.
Inſemine eſt cauſa arborum atq; ſtirpium.
Iuſtæ ipſemet cauſa Deus commilito eſt.
Minimus, bonâ in cauſâ, etiam vincit maximum.
Nanus gigantem vincat, cauſa ſub proba.
Non cauſa belli quæritur, ſed exitus.
Occidere cauſa indictâ hominem tyrannicum eſt.
Opum cupido cauſa malorum eſt omnium.
Sæpe oprimunt fictæ cauſæ innocentiam.
Sævitia cauſam ſæpe corrupit ſuam.
Si cauſa non eſt, nec factum ipſum eſt improbum.
Spectanda cauſa, non fortuna eſt, in malis.
Sunt ipſa rerum cauſa ſemina omnium.
Vel verba cauſæ, tria ſuffecerint bonæ.
Vi non bene agitur, cauſâ ubi poteſt agi.
Vi non bene agitur cauſa, ubi lege agi poteſt.
Vtinam ſuperarent facta cauſas omnia!

Petenda plura è titulo *Homicidii, Prætextus, Relatus, Litis, &c.*

Cauſidici.

¶ SENTENTIÆ.

Symmachus: Felix: ubi urbani fori diſſenſiones, utpote mitis ingenii exhorruit, modeſtiori cauſidicinæ dare nomen affectat. *lib 5. Epiſt. 75.*

Iulius Firmicus: Patrocinia tractantes, tenuerunt nos cauſarum conflictationes, & caninæ (ut ita dicam) contentionis jurgioſa certamina: ex quo ſtudio, nihil mihi aliud per ſingulos dies, niſi periculorum cumulus, & grave onus invidiæ conferebatur. ſemper enim factioſis hominibus, & quos impotentiæ delectabat improbitas, vel qui avaræ cupiditatis inſtinctu, alienis opibus inhærebant, ſeu qui miſeris hominibus, ex judiciorum metu, terribiles videbantur, erecta conſtantia reſiſtere confidebant. Hinc mihi malignus livor invidiæ, & improborum hominum odium procellæ periculum, pravis cupiditatibus parabat. Deſerui itaq; nec ſtudium, ne imperatorum, ac debitorum hominum, convaleſcente conſenſu, pro alienis utilitatibus excubans, maximis me inſidiis, & maximorum periculorum diſcriminibus implicarem, quibus ſemper & ſine intermiſſione contra me ſævientibus; & acerba odiorum continuatione certantibus, nulla alia ratione reſtitutionis, quàm liberali animo, contemptis forenſibus lucris, laborantibus hominibus, ac varia rerum diverſitate ſollicitis, purum ac fidele patrocinium defenſionis exhibui. *præfatione libri 4. Aſtronom.*

Ad texenda cætera ex titulo *Advocati, Patrocinii, Rabulæ.*

Cautionis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Conſtitutus in periclo proſpicit tantum ſibi.
Hocce tempus, præcavere mihi me, haud te ulciſci ſinit.
Illuc eſt ſapere, ut hos inſtruxit? ipſus ſibi cavit loco.
Is poterit cavere rectè, jura qui & leges tenet.
Lubricum cave, frequenter ſic quoq; in ſicco cades.
Malo ego nos proſpicere, quam hunc ulciſci acceptâ injuriâ.
Mens victoris aſſueta cautionis neſcia eſt.
Nemini quid quiſq; vitet in diem ſatis liquet.
Non reputatur in peccatum quod caveri non poteſt.
Pejus eſt cavere ſemper mortem, obire quam ſemel.
Perſpinoſa loca ambulantes, ſuſpenſos gerant pedes.
Præcaviſſe juſtius quam exſpectaviſſe injurias.
Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cum etiam cavet.
Qui nimis nimiſq; penſat omnia, haud quidquam expedit.
Quiſque quid vitet nunquam homini cautum in horas eſt ſatis.
Raro quiſpiam ſatis ſua erga cautus eſt bona.
Rebus elatus ſecundis, ſortem adverſam cogita.
Rectè tunc ſciam manuiſſe, ſi tu rectè caveris.
Si ultùm eſt, haud ſibi cavere, & aliis conſilium dare.
Tecur ulciſcare, tempus præcavere ubi te tibi eſt.
Vix dolos eſt ad cavendos perſpicax, validus manu.

¶ JAMBICA.

Avidus ſecundis, non eſt cautus triſtibus.
Bovem caveto fœnum in cornu qui gerit.
Cautè futuris ſemper proſpicit metus.
Decipulo eodem capta nunquam bis fera eſt.
De re futurâ, callidus nemo eſt ſatis.
Dum ſanus es morborum ne oblivi ſcere.
Egon' ut cavere nequeam cui prædicitur?
Haud cauta ſat contra ſortem eſt mortalitas.
Haud unquam eundem nauta impingit ad vadum.
Id quod potes cavere, ſtultè admiſeris.
Impingere uni bis petra imprudentia eſt.
In eundem avis numquam laqueum bis decidit.
Nihil timendum video; ſed timeo tamen.
Nunquam bis iiſdem ales deprehenſa eſt caſſibus.
Prius cavere quam pudere eſt æquius.
Quidquid poteſt fieri, ut futurum cogites.
Quod ſit die ullo, omni poteſt fieri die.
Quod quiſque vitet, nunquam homini cautum eſt ſatis.
Quod quis poteſt cavere, ſtultum admittere eſt.
Rapidus fluvius eſt hic, non hac temere tranſiri poteſt.
Raro ſua erga cautus eſt quis ſat bona.
Serum eſt cavendi tempus in medijs malis.
Sortem poteſt cavere, ferre qui poteſt.
Vitæ ac ſaluti conſulendum cuilibet.
Vitare Charybdim cupiens in Scyllam incidit.

Celebritatis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Baſilius Seleut: Juſtorum facinora plus etiam poſt mortem ſplendoris obtinent, pluſq; roboris. *Oratione 18. pr.*

Lyſias. Fieri non poteſt ut inſignis aut probitas, aut improbitas auctorem ſuum ſinat eſſe obſcurum. *cap. 2. contra Andocid.*

Lucianus: Utinam verò & alias Herodoti virtutes imitari poſſem, non dico omnes quibus fuit præditus: major enim voto res hæc foret: verùm ex omnibus unam, videlicet aut orationum elegantiã, aut earundem compoſitionem, aut propriam & naturalem Jonicæ linguæ dictionem, aut ſententiarum præſtantiam, aut quæcunque cum infinita, tum pulchra confertim habet, imitationis ſpem excedentia. Verùm quæ pro libris à ſe conſcriptis fecit, utque multifariam Græcis brevi innotuit, ego & tu, & quivis alius faciè imitaremur. Nam domo ex Caria recta in Græciam navi profectus, apud ſe diſpiciebat quo pacto quam celerrimè, minimoq; negocio inclareſceret, & celebraretur ipſe, ipſiuſq; ſcripta. Sed enim terras obeundo, nunc Athenienſibus, nunc Corinthiis ea legere, vel Argivis, vel Lacedæmoniis viciſſim operoſum, & longum eſſe ducebat: & moram in hoc fore nõ exiguam proſpiciebat. Quare ſtatuebat negocium contrahere, non ita particulatim ac paulatim notitiam congregando, & colligendo.

Ideoq; diligenter obſervabat, an Græcos unà congregatos alicubi omnes deprehendere poſſet. Itaq; cum Olympia magna celebrarentur, Herodotus, illiam ejus quod expetebat obtinendi occaſionem obveniſſe ſibi ratus, obſervata celebritatis frequentia, cùm jam undiquaq; optimates conveniſſent, in ædis ſacrarium ingreſſus eſt ubi nõ ſpectatorem, ſed certatorem Olympiorum ipſe ſe exhibebat, hiſtorias à ſe conſcriptas canendo, & præſentes demulcendo, ita ut libros ejus novem Muſarum nominibus nuncuparint. Proinde jam erat illis multò notior, quàm Olympiorum victores. Nec quiſquam erat cui nomen Herodoti eſſet inauditum: cùm alii in Olympia audiviſſent, alii ex iis qui ex celebritate venerant, accepiſſent. Ac ſi ubi tantùm appareret, digito monſtrabatur: hic ille eſt Herodotus, qui Perſicas pugnas Jonicè conſcripſit, qui victorias noſtras celebravit. Hoc ille commodi ex ſuis hiſtoriis reportavit, quod in uno conventu ab omni populo commune ſuffragium accepit, nec ab uno præcone per Jovem, ſed in omni urbe, unde panegyriſtarum quiſque erat promulgatus.

Quod poſtea cùm animadvertiſſent, hanc eſſe viam compendioſam ad cognitionem parandam, Hippias illius gentis ſophiſta & Prodicus Ceus, & Anaximenes Chius, & Polus Agrigentinus, aliiq; complures, orationes habebant ſemper ad publicum totius Græciæ conventum, unde brevi innoteſcebant. Ecquid tibi priſcos illos ſophiſtas, hiſtoricos & oratores recenſeo, quandoquidem poſtremo hoc tempore dicunt pictorem Aëtionem Roxanes & Alexandri depictas nuptias in Olympiam tuliſſe, ac imaginem ſpectandam oſtentaſſe, adeò ut Proxenides, quem tunc certaminum judicem Græci conſtituerant, artis præſtantia delectatus, Aëtionem ſibi generum aſciverit? Sed cuæret aliquis quid adeò miri picturæ illius ineſſet, ut Græcorum judex ideo Aëtioni peregrino filiam nuptum collocarit. Eſt imago in Italia, quam equidem vidi, adeò ut quidnam ſit illud tibi dicere poſſim. Thalamus eſt elegantiſſimus, & nuptialis lectus, ubi ſedens Roxane, & adſtantem Alexandrum reverita, quod maximè virginem decet, in terram intuetur. Cupidines quoque ridentes, quorum alter à tergo ſtans, à capite flammeum aufert, & ſponſo

Roxanes

Roxanen commonstrat: alter verò servilitèr admodum sandalia pedibus detrahit, ut jam decumbat. Alius etiam Cupido Alexandrum amiculo arreptum magna admodum vi ad Roxanem trahit. Tum rex ipse coronam puellæ porrigit. Sponsæ verò assessor, & dux Hephæstion astat, facem ardentem tenens, formoso valdè juveni innixus: hunc hymenæum esse putò: nomen enim non est inscriptum. Ex altera verò tabulæ parte, alii Cupidines in armis Alexandri ludunt, quorum duo ejus hastam ferunt, similes baiulis illis, qui arabis onere gravantur. Duo verò quendam super clypeo jacentem, quasi regem ipsum, arreptis clypei ansis trahunt. Porrò unus in thoracem supinè iacētem ingressus insidianti est similis, ut ipsos quum trahendo ad se pervenissent, perterrefaciat. Neque verò hæc sunt ludicra, neque supervacaneam operam in his Aetio collocavit: sed Alexandri studium in res bellicas indicant, eumque simul & Roxanen acnasse, & armorum immemorem non fuisse. Verumenimvero hæc imago nuptiale quiddam præ se ferebat ut quæ Proxenidæ filiæ nuptias Actioni conciliaret, qui uxore ducta abiit, ac præter Alexandri nuptiarum propositum, ab auspice rege veras nuptias, mercedem expressæ nuptiarum imaginis accepit. Herodotus quidem (nam ad ipsum redeo) Olympiorum celebritatem idoneam ducebar, ad fidem Græcis faciendam admiratione dignum esse scriptorem, qui quemadmodum ille, res Græcanicas memoriæ tradidit. Sed quod ad me attinet, etiam per Jovem Philium quæso ne insanire me suspicemini, eumque rebus illius meas comparare. Propitius sit mihi vir ille. Verum idem quod illi, accidisse mihi dico. Quum enim primùm in Macedoniam sum profectus, apud me discipiebam, quid in hoc negocio mihi gerendum. Jamque omnibus innotescendi amore tenebar, atque etiam quàm plurimis Macedonibus mea scripta ostendendi. Sed obambulando, cum quaq; urbe commercium habere eo anni tempore non facilè videbatur. Sed si observato hoc cōventu vestro venirem & ederem orationem, commodè sic, quę in votis erant, evētum sortura censebam. Vos itaque convenistis ex singulis civitatib. quiq; præstantissimi, neq; non lectissima omnium Macedonū summa conventum vestrum excipit civitas optima, non ut Pisa loco angusto, tentoriis, tuguriis, & æstu. Præterea penegyrin agitant, non vilis plebecula, magis cupida spectandi athletas, vulgus Herodoti negligens: sed rhetorum, historicorum & sophistarum omnium celeberrimi: adeò ut jam parū mihi deesse videatur, quin mea actio perinde ut Olympiorum celebris sit habenda. Sed si vos Polydamanti vel Glauco, vel Miloni me contendantis, homo audax admodum videbor. Sin verò longè illorum remota memoria, per se solum exutum videatis, fortè nequaquam verberibus dignus censebor: quòd tanto in stadio mihi utique suffecerit. *titulo Herodoti.*

Lucianus: Harmonides tibicen Timotheum magistrum olim his verbis interrogavit. Dic mihi Timothee, quomodo arte mea clarus evadam, & quid faciam unde me Græci omnes norint? Nam alia quidem tuo beneficio jam didici tibiam accuratè componere, tenuem canorum sonum in lingulam inspirare, & appositè digitos crebrò tollendo & ponendo applicare, & ad numeros progredi, modosque ad chorum consonos facere, & Harmoniæ cujusque proprietates observare. Phrygiæ impetum divinum, Lydiæ furorem, Doricæ gravitatem, Jonicæ iucunditatem. Hæc inquam omnia ex te didici. Sed maxima illa quorum gratia artem ludendi tibia expetivi, nescio quomodo inde mihi obvenire queant, celebris apud multos opinio, & in cœtibus claritudo, ut digito monstret, & ubicunque visus fuero, protinus omnes in me convertantur, & nomen dicant. Hic ille est Harmonides tibicen præstantissimus. Quemadmodum quando, cum primùm domo è Bœotia venisses, Pandionidi tibicinem egisti: cumque in Ajace furente, eum vicissēs equi tuo cognominem cantum modulabatur, nemo erat, qui nomen tuum, Timotheum Thebanum ignoraret. Imò etiam nunc ubicunque visus fueris, ad te concurrunt omnes, ut ad noctuam aviculæ. Hæc sunt quorum gratia tibicen evadere optavi, & pro quibus magnum illum laborem exhausi. Quandoquidem tibia canere, per se citra famæ accessionem non expetiverim, si ignoto mihi obtingat, non si Marsyas, aut Olympus non sentiens evasurus sim. Siquidem incelebris, & ignotæ Musicæ nullum est emolumentum. At tu, inquit, doce me etiam hæc quomodo mihi me ipso, & arte sit utendum. Ac tibi duplici nomine gratiam habebo, cùm propter tibiæ cantum quem callebo, tum quod maximum est, propter gloriam quam ex eo obtinebo.

Cui sic respondet Timotheus. Rem non exiguam, ut probè scis Harmonides, laudem, & gloriam amas, qua sis insignis, & à vulgo cognoscaris. Sed hoc, si in cœtus prodeundo ut specimen artis edas, tibi parare velles, longum foret, neque sic te nossent omnes. Etenim ubi gentium, aut theatrum, aut stadium ita magnum inveneretur, in quo Græcis omnibus tibia modulareris? Ut autem illis innotescas & voti tui compos fias, hoc consilium tibi dabo. Tu quidem in theatris tibia nonnunquam lude, sed vulgus parum tibi sit curæ. Hæc via quæ ad gloriam ducit est compendiaria & facillima: si collectis Græciæ optimatibus, eorumq; paucis, quicunque primores sunt, & citra controversiam admirandi, spectatæ utriuq; fidei, si inquam his tuæ modulationis specimē exhibeas, & hi te laudent, puta te tām brevi tempore Græcis omnibus iam innotuisse. Et vide qua ratione rem hanc tibi construo. Nam si iis quos norunt, & mirantur omnes, te præclarum tibicinem esse cognoscent, quid vulgo tibi opus, qui meliores rerum iudices omnino sequetur? Siquidem popularis ista multitudo, quæ magna ex parte mechanicis opificibus constat, fere semper ea quæ sunt optima ignorat. Quemcunque autem proceres laudaverint, eum nō temerè laudatum credunt. Itaq; & ipsi laudabunt. Quippe in ipsis quoque certaminibus multi sunt spectatores, qui aliquando applaudunt. & explodunt: at septem aut quinq;, aut quot libet judicium ferunt. Hæc quidem Harmonides non præstitit. Etenim inter tibias ut fertur, cum primum incertamen descendisset ambitiosius spiritum intendens, in ipsa tibia expiravit, & in scena non coronatus obiit, cùm idem & primum & postremum in Bacchanalibus tibia eeciniſſet.

Hoc Timothei consilium, non tibicinibus, non Harmonidæ tātum dari mihi videtur, verum omnibus qui gloriam appetunt, & publicum ingenii specimen edentes, vulgi laudem reposcunt. Proinde ego quum similia de rebus meis animo versabam. & quærebam qua ratione quamprimum innotescerem omnibus, Timothei cōsilium secutus, cōsiderabam quis civium esset præstantissimus, & cui fidem cæteri adhiberent, quiq; pro omnibus sufficeret. Tu igitur nobis revera talis videri debebas, quoniam virtutis omnis caput es, ut ajunt, gnomon & rectà regula rerum huiusmodi. Quod si mea scripta tibi commonstrarem, eaque laudares, fieret ut agnoscerentur, & continuò spei compos essem, in vno calculo cunctos assecutus. An non si aliquem tibi præferrem, errare meritò existimares? Itaq; juxta proverbium, in uno viro aleam jaciemus. Ac revera, perinde fuerit ac si omnium gentium hominibus meos libros ostēdam. Etenim liquet quod & seorsim singulos, & collectim universos ingenii præstantia antecellis.

Sanè Lacedæmoniorum reges, cùm reliqui unum quisque calculum ferrent, ipsi soli, uterque duos ferebant. At tu ephororum, præterea senum, denique omnium calculos in eruditione æquas, eoque magis quod album semper & salutiferum fers. Quo fit ut in præsentia cōfidam, cùm alioqui ob magnitudinem ausi meritò metuerem. Quinetiam illud animum addit per Jovem, quod meæ res alienæ tibi non censeantur: cùm ex ea urbe sim oriundus, quam primum quidē privatis, deinde etiam publicis beneficiis tota cū gente cohonestasti. Quare si fortè nunc in peius vergant calculi in sententiis ferendis, & pauciores sint qui meliores: tu adjecto Minervæ suffragio, ex te ipse quod deerit suppleto, tibiq; proprium supplementum censeatur. Neque enim id mihi sufficit, si multi ante sunt admirati, si clarus ego jā sum, si meæ orationes ab auditoribus laudantur. Illa omnia ut est in proverbio, somnia sunt evanida, & verborum umbræ. Cæterum ipsa veritas nunc ostenderur. Hic lucubrationum mearum exactus est terminus. Non amplius est dubium, nec quisquam ambiget, quin id omnium optimum iuxta disciplinas existimari oporteat, quod tibi visum fuerit. Sed eum bona verba dicere par est, qui in tantum certamen descendit. Utinam certè pretio digni censeamur ô Dii, ac eam quæ nobis ab aliis eventura est, laudem confirmetis, ut in posterum fidenti animo in publicum prodeamus. Quippe omne stadium minùs reformidandum est ei, quia magna Olympia devicerit. *titulo Harmonidis,*

¶ Latinorum.

Plinius Iunior: Quàm multum interest, quid à quoq; fiat? eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur. Navigabam, &c. Id factum ne mihi quidem, qui municeps, nisi proximè auditum est, non quia minus illo clarissimo Arriæ facto, sed quia minor ipsa. *fine Epist. 24. libri sexti.*

¶ Emblematum.

Batillius 127.

Clara ex factis fama.

Fulmen Alexandro qui sic appinxit Apelles,
Hoc tabulâ voluit, credo, monere suâ,
Scilicet ut totas percurrunt lumine terras
Cum sonitu dextrâ fulmina missa Iovis.
Bellica sic virtus, operosaq; gloria rerum
Protinus & latè splendida fama sonat.

Camerarius 62. Centuria 4.

Quo fata trahunt.

Quid non fata queant? & Glaucus, fabula non est,
Ex humili est factus conditione Deus.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; rumore esse nulla claritudo ingens potest.
Adjuvat persæpe natus claritudinem patris.
Cara cui virtus, celebri usq; usq; grassatur via.
Famæ alienæ claritudo pabulum invidentiæ est.
Illustrissimus fieri vis? tollito illustrissimum.
In foro viros illustres quarites ac curia.
Innotescere omnibus vis? innotesce maximis?
Mollium at q; inexpertorum vita sub silentio est.
Morte nil ab ipsa, vitæ differunt silentia.
Neminem latent celebres quos palam esse vult Deus.
Nomine usq; atq; usq; clarum, quod paras laboribus.
Nemo in orbe fit celebris absq; afflatu Numinis.
Non amat noctis tenebras occupatus inclutis.
Non viros clarat potestas, sed potestatem viri.
Nullos sic Erinnys urit ac quos orbis percolit.
Sub tyranno nemo clarus morte fungitur suâ.
Vita clara solis omni lumine est fulgentior.
Vita nil passorum inerti conditur silentio.
Vix potest citò esse clarus, gloria auctor qui sua est.

Jambi.

¶ Jambica.

Avarus eſſe idemq; clarus non potes.
Claros foris domeſtica labes deſtruit.
Fortuna rebus dat famam & famam eripit.
Inſigne nomen Regibus formidini eſt.
Laudem merentur clara geſta perpetem.
Summum bonum haud eſt glorioſa claritas.
Vni viro placere, non eſt claritas.
Vita cupido claritatem deſtruit.

Reliqua huc attexenda, latent titulo *Claritatis* & *Famæ*, & *Apotheoſeos*.

Celeritatis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Xenophon: Magnam regionis partem Armeniis propter bellum deſertam & incultam eſſe. Ac tum quidem reverſi ad exercitum, quum cœnaſſent, quieti ſe dederunt. Poſtridie Tigranes ipſe paratis rebus ſuis aderat, atque interim equitum ei quatuor millia cogebantur, cum decies mille ſagittariis, totidemq; cetratis. Cyrus, dum eæ copiæ cogerentur, mactatis hoſtiis, quum ſacra perlitata cerneret: Perſicorum ducum Medorumque concilio advocato, præſentibus univerſis hæc verba fecit. Hi montes, amici, quos adſpicimus, Chaldæorum ſunt, eos ſi occupaverimus, & caſtellum in vertice noſtrum fuerit: neceſſe eſt utrique tam Armenii, quam Chaldæi erga nos in officio maneant. Et ſacris quidem pulchrè litatum, humanam vero contentionem ad hæc perficiunda nihil adeo juvare poterit, atque celeritas. Nam ſi montes prius, quam hoſtes ſe colligant, adſcenderimus: vel omnino verticem ſine ullo prœlio capiemus, vel cum paucis & imbellibus adverſariis res nobis erit. Itaque nullus facilior, magiſque periculi expers fuerit labor, quam ſi jam in accelerando tolerantes erimus. Ite igitur ad arma, & vos quidem Medi ad ſiniſtrum latus incedite: vos autem Armenii parte dimidia dextrum tenete, cum dimidia reliqua duces nobis itineris eſtote: vos equites à tergo ſequimini, ut nos cohortemini, ſurſumque protrudatis: neque permittite, ut aliquis remiſſius ſe gerat. Hæc quum Cyrus dixiſſet, in manipulos ſive ſeries rectas inſtructum exercitum anteibat. Chaldæi poſtquam ſurſum tendi cum impetu animadverterunt, mox ſuis ſigna dant, & mutuis clamoribus ſe convocando, colliguntur. Cyrus autem ſuos excitans: Hi quidem ait ſignum dant nobis, ô Perſæ, ut properemus. Nam ſi in adſcendendo hos ante verterimus, nihil hoſtium conatus efficere poterunt. *cap.* 11. *lib.* 3. *Cyroped.*

Libanius: Hi quibus celeritas curæ eſt, difficilius eſt invenire quid prætermittendum ſit, potius, quàm quid dicendum. *Proloquio Declamationis trigeſimæ octavæ.*

¶ Romanorum.

Eumenius: Statim itaque Gallias tuas, Cæſar, veniendo feciſti. ſiquidem illa celeritas qua omnes ortus atque adventus tui nuntios prævertiſti, cepit oppreſſam Geſſorigiacenſibus muris pertinacem, &c. *cap* 6. *Conſtantio.*

Eumenius: Et hæc quidem nobis ad ſummam gratulationem ſufficere potuiſſent, etiamſi remediorum noſtrorum ſpem diſtuliſſet, & quibus nos opibus levaturus eſſes, dubium reliquiſſes: ſed tam prompta eſt in te natura bonitatis, ut quod pia mente conceperis ſtatim voce declararis. Sic ingenui largique fontes ut ubique poſſint ire feſtinant: ſic celeriter in terras cœlo miſſa perveniunt: ſic denique divina illa mens quæ totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitavit, illico facit. In quo tamen, Imperat. ſi conſilium amici callidioris admitteres, eſſet quod fortaſſe reprehenderetur, nimium te ſcilicet facilè ea quæ ſis tributurus aperire & ſive ullo artificio citò promere quæ ſperari diu debeant. neſcis, Imper. tua commendare beneficia præſtandi celeritate occupas tempus optandi. Sed enim indulgentiæ celeritate viciſti Imper. ipſa elementa quibus animamur & vivimus. Diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus incogniti locuturam differunt vocem: diu fruges hiems cohibet, ver elicit, æſtas flore ſolidat, calor ematurat. tu nobis vitam pariter totam dediſti: tu fructus meritorum tuorum ſtatim nos metere, & in conditis referre juſſiſti, &c. *capit. decimogratiar. actor. Conſtantio.*

Cl. Mamertinus: Divinus quidam impetus fuit quo repente in eundem locum ab utroque ſolis adverſo fine veniſtis. ipſos quos præmiſeratis nuncios reliquiſtis, ipſam quæ vos conata eſt prævenire, famam prævertiſtis: ut abſque pauciſſimis qui vobis comites hærere potuerunt, ceteri homines fortaſſe crediderint (ita dignum eſt majeſtate veſtra) diurna vobis & nocturna curricula utraque mundi lumina commodaſſe. Sed verum loquamur: veſtra vobis pietas volucres dedit curſus. etenim cùm nihil ſit animo velocius, vos quorum igneæ immortaleſque mentes minimè ſentiunt corporis moras pervecti eſtis ad nos mutui deſiderii celeritate. *cap. 8. genethl. Maximiani.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 3. ſc. 3. v. 14.

Iam hic ero, cùm illic cenſebis eſſe me.

Plautus Aſmariæ 2. ſc. 2. v. 27.

Approperabo, ne poſt tempus prædæ præſidium parem.

P. Syrus Mimus.

Etiam celeritas in deſiderio mora.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate 32.

Quid ſcamno reſes, obtendis teſtudinem & alas?
Humum hinc premis veſtigio, calce hinc cælum appetis?
Temperiem cunctis adhibe, remoram inijce: ſi ſis
Celer nimis, velocitate tempera moram.

Camerarius 45. Centur. 1.

Cito nata cito pereunt. Cucurbita Pinum complexa.

Quid certat tardæ citò nata cucurbita pino?
Interitu celeri, quæ cito nata, cadunt.

Camerarius 35. Centur. 3.

Pro re nata. Aquila inſiſtens teſtudini.

Et tardus nimis, & præceps nimis eſſe caveto,
Ille ſapit medium qui inter utrumq; tenet.

¶ Monoſticha Trochaica.

Adverſus velocitatem omne inter vallum ſat breve eſt
Clarior quo fulſit ignis, citius hoc exſtinguitur.
Eſſe non poteſt celebre quod celeriter naſcitur.
Fructus eſſe idem diurnus ac præcox ullus nequit.
Non ferunt ætatem, adepta quæ ſtatim ſunt exitum.
Tam metus quam alacritatis eſt levis pernicitas.
Tempore eſt opus ut ingens perfiat negotium.
Vix habent maturitatem queis ſtatim finis ſui eſt.

¶ Jambica.

Aliud celeritas, aliud eſt maturitas.
In celeritate maximum ferè eſt bonum.
Natura magnum nil voluit fieri citò.
Quidquid petit ſtatim celeritas obtinet.
Sat ſit celeriter, quidquid ſit ſatis bene.
Tempus requirunt longius res ardua.
Tuto ſimul citòq; nil fieri poteſt.

Alia petenda è titulo *Feſtinationis, Velocitatis, Moræ, Tarditatis, Occaſionis.*

Cenſuræ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

Nazianzenus ad D. Baſilium: At tu quid cenſes, ô ſermonum meorum & agitationum judex? Si hæc ſat commodè & copioſè, atque ut cupiditate tua dignum erat, dicta ſunt, hoc calculo tuo confirma, & accipiemus. nam profectò Dei calculus, tuus calculus eſt. *Orat* 19. *in funere patris.*

Syneſius: Filios ego libros ſuſtuli, alios quidem ex auguſtiori philoſophia, atq; ejus contubernali Poetica, alios verò ex publicè proſtituta Rhetorica: Sed hoc facilè quiſpiam norit, uno omnes ex patre eſſe editos nunc ad ſeria, nunc ad voluptatem declinante: Atque hoc ſanè præſens opus cuius ſit partis ex ipſo argumento declarabit: A me verò uſqueadeò adamatum eſt ut libentiſſimè ipſum in philoſophiam aſciturus atque inter legitimos adoptaturus fuerim. Sed hoc conceſſuras ſe negant, vel Reip. leges. Sunt enim nobilitatis propugnatrices acerrimæ: id verò lucro deputo quidquid clam illi indulſero: Ac plurimum ſeriæ in illud partis contuli. Itaq; ſi tibi ita videbitur Græcis librum hunc cõmunicato, ſin damnatus fuerit, ad eum qui miſit redeat. Simias enim ferunt, poſtquam pepererint, in fœtibus ſuis tanquam ſimulachris obtuſtus defigere, pulchritudinem demirantes. Adeò natura ejus quod pepererit amans eſt: Aliorũ porrò invicem vident id quod ſunt, ſimiarum eſſe partus. Quamobrem aliis permittẽda in ſobolem inquiſitio eſt. favor enim eorum pendis ſuffragiis efficaciſſimus eſt. Ob id Lyſippus Appellem ad tabellas admittebat, & Appelles Lyſippum. *Epiſt. prima.*

Ennodius: Nunquam convenienti tempore cenſor adſciſcitur, qui ad deciſum penè negotium convocatur. *Apolog pro Synod.*

¶ Philoſophorum Oratorumque.

Simplicius: Vetat auctor ne de hominibus verba faciamus ſive vituperando, ſive laudando, ſive comparando, illum hoc eſſe honeſtiorem aut deteriorem in his aliisve rebus. nam & ſtudia & odia tam in his quàm in illis concitantur, cùm verba de eis fiunt, & peculiaris affectus eos comitatur qui ſibi cenſuram de hominibus ſumunt, ut deſpicientia, & ſuperbia. nam qui vitas hominum judicat, ſic judiciũ fert, quaſi illis eſſet ſuperior. *ad cap. 41. Epict.*

Valerius Maximus: Cenſura vacis eſt magiſtra atq; cuſtos. nã ut opes populi Rom. in tantam amplitudinem Imperatorum virtutibus excreſcerunt,

excesserunt, ita probitas & continentia censorio supercilio examinata est. opus effectu par bellicis laudibus. quid enim prodest, foris esse strenuum, si domi male vivitur. expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus, nisi foro & curiæ officium ac verecundia sua constiterit, parvarum rerum æquatus cœlo cumulus, sedem stabilem non habebit. *cap. 9 lib 2. ubi plurima recensentur censuræ severioris exempla.*

Plinius Iunior: A simplicitate tua peto, ut quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. *lib. 4. Epist. 14. fine.*

Plinius Iunior: Librum tuum legi, & quam diligentissimè potui, annotavi quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. nam & ego verum dicere assuevi, & tu libenter audire. neque enim ulli patientius reprehenduntur, quam qui maximè laudari metuntur. *Epist. 20. lib. 7.*

Plinius Iunior: Quia ita vis sumam personam magistri, exeramq; in librum tuum jus quod dedisti, eo liberius, quod nihil ex meis interim missurus sum tibi, in quo te ulciscaris. *lib. 8. Epist. 7.*

Plinius Iunior: Est mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum judicio examinare, inprimis tuo. Proinde si quando, nunc intende libro quem cum hac epistola accipies: quia vereor ne ipse, ut tristis, parum intenderim, &c. *Epistola 19. libri. 8.*

Plinius Iunior: Incipio ex hoc genere studiorum, non solum oblectationem verum etiam gloriam petere, post judicium tuum, viri gravissimi, eruditissimi, ac superistæ verissimi. Nunc me totum actus modicè, sed tamen distringit: quo finito aliquid eorundem Camænarum istum benignissimum sinum mittam. tu passerculis & columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas, si tamen & sibi & tibi placebunt: si tantum sibi, continendo caveo nidove curabis. *Epist. 25. lib. 9.*

Plinius Iunior: Ego verò Rufum laudo, non quia tui, ut ita facerem, petisti, sed quia ille est dignissimus. legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adjecit. judicavi tamen. neque enim soli judicant qui malignè legunt. *Epist. 38. lib. 9.*

Symmachus: Censorum notio fuit spectare opera quæ locassent. *lib. 1. Epist. 6. pr.*

Ausonius: De opusculo, ut jubes faciam. exquisitius universa limabo: & quamvis per te manus summa contigerit, cælum superfluæ expolitionis adhibebo, magis ut tibi paream, quàm ut perfectis aliquid adjiciam. *Epist. 21.*

¶ Poetarum.

Martialis lib. 1. Epigr. 5.

Innocuos censura potest permittere lusus.
Lascivia est nobis pagina? vita proba est.

Ausonius Epistola 26. v. 8.

Dulcia multimodis quædam subamara querelis
Anxia censuræ miscuerat pietas.
Sed mihi mitte patris plus quam censoris acerbum
Sedit, & è blandis aspera penso animo.

Ausonius præfatione Ludi Sapientum.

Æquanimus fiam te judice, sive legenda,
Sive tegenda putes carmina quæ dedimus.
Nam primùm est meruisse tuum, Pacate, favorem:
Proxima defensi cura pudoris erit.
Possum ego censuram lectoris ferre severi,
Et possum modica laude placere mihi.
Novit equus plausæ sonitum cervicis amare,
Novit & intrepidus verbera lenta pati.
Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum:
Palmas, non culpas esse putabo meas.
Et correcta magis quàm condemnata vocabo,
Apponet docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: sin minus, ut taceam.

Claudianus in Alethium quæstorem.

Nulla meos traxit petulans audacia sensus,
Liberior justo nec mihi lingua fuit.
Versiculos fateor non cauta voce notavi,
Heu miser, ignorans quam grave crimen erat.
Orpheos alii libros impunè lacessunt,
Nec tua securum te Maro fama vehit.
Ipse parens vatum princeps Heliconis Homerus
Iudicis excepit tela severa notæ.
Sed non Virgilius, sed non accusat Homerus:
Neuter enim quæstor pauper uterq; fuit.
En movet plausus, & pallidus omnia laudo,
Et claro repeto tergà quaterq; sophos.
Intendat placidus tandem flatuq; remittat,
Et tuto recitet quodlibet ore: placet.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad delicta nostra talpæ, ad aliena serpentes sumus.
Alterum non carpet unquam, censor est qui acer sui.
Cernimus festucam alienam nostram haud cernimus trabem.
Cernimus magè in altero quam nobis si delinquitur.
Ceteris nec hilum, nobis omnia ultrò ignoscimus.
Cuilibet suæ videntur pergraves injuriæ
Eccunam datum videre in tergo quod est manticæ?
Et tibi esto aliquando judex, qui sic alios judicat.
Exprimit personam alienam quisq; oblitus met sui.
Ex supervacuo tragædos Ilio ortus advoces.
Haud debet placere in se ipso, in altero quod displicet.
Heu me misèrum, qui tuum animum ex animo spectavi.
Impera alteri, imperare ut alterum velles tibi.
Improbi ipsi quod merentur, sentiunt hoc de cunctis suis.
Improbi ipsi quod merentur hoc de cunctis sentiunt.
Improbi ipsi quod merentur sentiunt de quolibet.
Ingenio ex suo metitur nostrum quisq; cæteros.
In quibus tibi ipse indulges, alteri q; indulgeas.
In se amant homines in alios non ferunt superbiam.
In se recusare acerbum est, quod quis ab alio postulat.
In suo nimis malignus quisq; judex est foro.
In te alium qualem esse velles, te alteri talem exhibe.
Ipsum se intueri oportet, qui alterum incusat probri.
Iudices nobis benigni, ceteris sumus truces.
Nemini culpæ videntur pestilentes propriæ.
Nemo virtutes alienas, vitia quisque inquirimus
Omnia ignoscunt sibi ipsi qui alteri ignoscunt nihil.
Optimè vives cavendo quæ notas in altero.
Papulas alienas observat, ipse ulceribus obsitus.
Pexa duplex cuiq; aliena est ante, nostra sed retrò.
Pera nostra à tergo, aliena pectori quam proxima est.
Proximi delicta in fascem dum legis, facis tua.
Quæ non fertis ipsi iniquum est velle aliis præscribere.
Quæ sentimus ipsi reliquos sentire eadem credimus.
Qualem optas tibi Deum, ipse talem te præsta tuis.
Quei poscat rationem alienæ vitæ, qui nequit suæ?
Qui minimè vitiis tenetur, in esse ea aliis non putat.
Quilibet gravissimum omne id esse quod patitur putat.
Quisnam in altero reprendat ipse quod commiserit?
Quisq; calculum de aliorum moribus fert è suis.
Quisq; censor est alieni, nemo sed censor sui est.
Quisq; censor est severus alteri, haud item sibi.
Quod tibi fieri ipse nolis, alteri ne feceris.
Quod tibi turpe est fecisse, jubere alios turpissimum est.
Rege major est, censuram jure regum qui arripit.
Respice ad tua sic aliorum errata nunquam noveris.
Rides alter alterius dementiam, nemo suam.
Semper in partem hanc & istam est hominum existimatio.
Sicut alterum, à Deo ipso quisq; judicabitur.
Si vis rectè judicare, amorem ei a exuas tui.
Talis alteri esto, qualem velles alterum tibi.
Talis alteri ne sis, vis qualem esse in te neminem.
Vnicui q; suum videtur maximum omnium malum.
Vt quisq; est, item omnes esse censet homines cæteros.

¶ Jambica.

Alienum animum, ex animo spectat probus suo.
Alijs scelus objicimus, quod ipsi admittimus.
Aliis severi sunt sibi indulgentissimi.
Censura nunquam nostra nobis fallitur.
Cernunt aliorum vitia multi, non sua
Examines te ipsum magis quàm proximos.
Ex ingenio mores boni alienos probant.
Imponito nulli, ipse ferre quod nequis.
Inquire semper in te, nunquam in alterum.
Mali ex ingenio mores alienos probant.
Minimè suis parcent, qui non parcunt sibi.
Morum suorum odi remissos iudices.
Nos judicamus, judicantes alterum.
Nemo videt quod mantica in tergo suæ est.
Nemo unde laborat ipse absolvit alterum.
Non facilè vir condemnat improbum probus.
Omnes cinædos esse censes, tu quia es?
Peram haud videmus terga nobis quæ occupat.
Perennis est censura, vita Principis.
Quæ carpimus in aliis, ea ipsi admittimus.
Quæ ipsi nequimus, in alio erubescimus.
Quis ipse sis vide antequam alios corrigas.
Quod ipse patitur quisque putat gravissimum.
Quod quisque patitur, id putat gravissimum.
Quod vis fieri tibi, hoc & facias alteri.
Sævissima inquisitio, in præterita est.
Sibi modum, quàm aliis dare est augustius.
Te corrigas prius, alterum quàm corrigas.
Tergo videtur anteeunti mantica.
Tuo ex ingenio mores alienos probas.
Vitiis aliorum attendimus, haud virtutibus.

Certami-

Certaminis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

D. GREG. NYSSENUS: In gymnicis certaminibus illorum est stadium, qui viribus corporis in illis valent; cæteri verò decertantium fiunt spectatores. *In ordinationem suam.*

D. Greg. Nyssenus: Qui in stultitiæ certaminibus præmia proponunt, tuba liberalitatem suam significantes, omnibus in palæstra decertantibus, pecuniæ largitionem pollicentur & denunciant. *Orat. de pauperibus amandis.*

Idem: Legitimè certanti, laborum exantlatorum hic terminus est, ut vel adversarius laboribus defessus fractúsque & languidus sponte ei qui superarit herbam porrigat, & cedat victoria: vel ut secundùm athleticam legem ter prostratus in terram ruat; per quæ victori præsidum judicio, clara præconis denunciatione, ob adeptam coronam illustris accedit gloria. *Orationis 2. initio contra Eunomium.*

D. Greg. Nyssenus: Quorum præmium idem est, horum nimirum etiam certamina paria sunt. *Orat. 8. de Beatitudinibus.*

Idem: Postquam animi alacritate quadam, fiducia atque libertate per illam visionem repletus est, quemadmodum athleta quidam sufficientes apud pædotribam vires atque peritiam ad certamina adeptus, præsenti animo atque fiduciæ pleno in stadio se exuit & expedit, & cum adversariis decertat: eodem modo etiam ille cùm sicuti oleo corpus unguentes athletæ vires confirmare solent, tùm sui excitatione, tùm auxilio gratiæ, quæ sibi apparuerat, animum satis confirmasset, ita demum ad certamina aggreditur. Neque enim aliter atque labores & certamina vocari oportet omne tempus vitæ, quod administrando sacerdotio transegit: in quo per fidem omneis adversarii copias fregit atque devicit. *Oratione de Vita D. Gregorij Thaumaturgi.*

D. Nazianzenus: Et quidem præter ea, quæ legibus statuta sunt, luctari, vel aliud quoddam certaminis genus obire non licet; aut alioqui omnium clamoribus exagitabitur, ignominiáque afficietur, ac victoriæ jacturam faciet, qui perperam luctatus fuerit, aut aliud quodvis certaminis genus non rectè obierit, nec juxta constitutas certaminis regulas, quantumvis alioqui fortis sit artisque peritissimus. Pro Christo autem, non ut Christo gratum est, quispiam pugnabit, ac deinde gratum paci faciet, pro ea, non ut licet, bellum gerens? *Orat. 1. de fuga in Pontum.*

Idem: Neque hominis erat, vel religionis suæ causæ, vel ipsis etiã sermonibus confidentis, sermones nostros comprimere: perinde ac si quis athletarum omnium fortissimus sibi videatur, ac publico præconio omnibus præferri postulet, qui edixerit, ne fortium ac strenuorum virorum ullus certamen ineat, atque in arenam descendat. Id quod timiditatis potius, quàm fortitudinis argumentum est. Coronæ quippe adversus pugnantes, nõ autem supra sedentes comparantur: & adversus eos, qui robur omne suum ad certamen adhibent, non qui magna virium parte truncati sunt. Quod si omnino signa conferre, manúsq; conserere veritus es, hoc ipso te victum esse declarasti, mihíque etiam sine ulla dimicatione palmam adipisci licuit, dum tantopere abs te dimicatum est, ne dimicationem subires. *Oratione tertia: Stelliteutica prima.*

D. Nazianzenus: Quanto Cyprianum pietate & gloria reliquis præstare intelligebat Decius Imp. tanto quoque clariorem & illustriorem sibi victoriam fore perspiciebat, si eum devicisset. *Oratione* 18.

Idem: Imperitioribus athletis usuvenit, ut profusis in vana miniméque necessaria colluctatione viribus, in seriis postea certaminibus, quibus victoria comparatur, ac præconis voce cuipiam corona tribuitur, inferiores reperiantur. *Oratione 20. in funere D. Basilij.*

Chrysostomus: Adhuc mihi vita in certamine versatur: adhuc à metu longè absum: adhuc à brabiis disto: adhuc curro, adhuc sequor. & non dixit curro, sed sequor; ac meritò. Nam qui apud Græcos dicitur διώκων, id est, qui sectatur, nostis quantam contentionem insectando adhibeat; neminem intuetur; omnes quicumque cursum illius irrumpunt, magno impetu propellit; & mentem, & oculos, & vires, & animam, & corpus contrahit, solum brabium spectans, præterea nihil. *Homil. 12. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Vides eos qui currunt, quàm ex lege vivant? quàm nihil eorum quæ vires enervant attingant? quàm quotidie certent in palæstra sub magistro & lege? hoc fac imiteris; ac potius majorem prome impetum. Longè enim potior est palmã; & multi sunt, qui impediunt: ex lege vive: multa enim sunt, quæ robur dissolvunt: bonum crus fac pedi tuo: non enim naturæ est, sed voluntatis; levem hanc reddamus, ne celeritati pedum reliquum pondus officiat. Doce pedes esse cautos: solum enim multis locis est lubricũ, ac si cadas, multa perdidisti: attamen, & si ceciderit, exurge: licet enim & hoc pacto vincere. Nunquam lubricis rebus te committas, & non cades: super solidas ac stabiles curre. Sursum caput habeas, sursum oculos: id & currentibus magistri præcipiunt. Ita consolidantur vires. Sin deorsum versum nutabis, concides, ac fatisces. Sursum specta, ubi palma est: hinc palmæ aspectus auget studium voluntatis: spes adimit laborum & molestiarum sensum. Longinquitas facit, ut brabium appareat exiguum. Quodnam illud est? non ramus palmæ: sed quid? regnum cœlorum, requies sempiterna, gloria cum Christo, hæreditas, fraternitas, innumerabilia bona, quæ verbis exponi non possunt.

Ibidem mox: Non videtis heic etiam ex athletis & aurigis, quos maximo afficiunt honore, non deorsum in stadio coronari? sed sursum eos vocans Rex illic coronat. Ita etiam & tu, hinc in cœlum specta, ubi capies palmam. *Hom. 12. ad Philipp.*

Chrysostomus: In mundanis certaminibus nemo sine tribulatione coronam accipit, nisi & laboribus & ciborum abstinentia, & tota victus ratione, & vigiliis, & sexcentis aliis incommodis se munierit, multo magis circa pietatem. *Hom. 15. ad Philipp.*

Chrysostomus: In exterioribus certaminibus, ei qui coronarum amore, & quidem vehementi non capitur, fas est conviviis se ac temulentiæ dedere: sic denique timidi ignavique pugiles faciunt. Porro qui coronari votis omnibus cupiunt, nullis cedunt ictibus, & libentissimè tolerant omnia: spe enim futurorum aluntur atque excitantur. *Hom. 17. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Qui in certamine est, consumptus atque exhaustus, postquam audierit finem certaminis, parum respirat; ut qui sciat illius quidem finem, initium autem quietis. *Homil. 1. Epist. ad Hebræos.*

Idem: Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. Nullus fortis athleta in certamine quærit lavacra, & mensam repletam cibis & vino. Hoc non est athletæ, sed viri mollis & effeminati. Nam athleta pugnat cum pulvere, oleo, calore radii, cum multo sudore, afflictione & angustia certaminis. Hoc est tempus pugnandi. Ergo & vulnera accipiendi, & sanguinem effundendi, & dolendi. *Hom. 5. in Epist. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Qui currit, nullum videt ex omnibus, etiamsi ingrediatur per prata, etiamsi per loca arida & aspera, qui currit, non aspicit ad spectatores, sed ad præmiũ; etiamsi sint divites, etiamsi pauperes; etiamsi quis irrideat, etiamsi laudet, etiamsi contumelia afficiat, etiamsi lapidibus appetat, etiamsi domũ diripiat, etiamsi viderit filios, etiamsi uxorẽ, etiamsi quodlibet, in hoc solum est ut currat, ut præmiũ accipiat. Qui currit, nusquã stat. Nam si vel parũ segnis fuerit & desès, totũ perdet. Qui currit, nõ solum nihil aufert ante finem, sed etiã tunc maximè cursum intendit. Hoc eis dico, qui ajunt. In juventute nos exercuimus, in juventute jejunavim⁹; consenuim⁹. Imò nunc maximè oportebat pietatẽ intendere. Ne mihi enumeres olim à te rectè gesta: nunc te præbe juvenẽ florentemq; & vegetum. Nam maximè quidem qui corporalem hunc currit cursum, postquã eum apprehendit canities, nõ potest æquè currere. Nam quidquid est certaminis, est in corpore. Tu aũt quãnã de causa cursus minuis? anima enim hîc opus est, anima excitata & erecta: anima aũt roboratur in senectute. tunc maximè viget, tunc exultat, &c. *Hom. 7. Ep. ad Hebr.*

Idem: Multi ex vobis sæpe spectarunt Olympia, nec solùm spectarunt, sed etiã corũ qui decertabant fuerunt fautores & admiratores, & alter quidẽ hujus, alter verò illius. Scitis ergo quod certaminũ illos dies & noctes tota nocte præco nihil aliud cogitat, de nullo alio est sollicit⁹, quã ne egressus is qui certat se indecorè gerat. Nã illi qui assident tubicini, suadent ne loquatur quidẽ alicui, ne spiritũ consumens sit ridiculus. Si igitur qui corã hominibus est certaturus tantã curã gerit: multò magis nobis cõveniet assiduè esse sollicitos & cogitare, quib⁹ tota vita est certamẽ. Tota ergo nox sit nobis perpetuæ vigiliæ, & solliciti sumus ne è die egressi simus ridiculi, & utinã tantùm ridiculi. Nunc aũt sedet ad dexterã Patris Agonotheta, diligẽter audiens ne quid loquamur quod dissonet, & ne quid quod modo nõ conveniat. Non est. n. solùm judex rerũ, sed etiã verborũ. Totam noctem pervigilemus, ô dilecti. Habem⁹ nos quoq; fautores si velim⁹. Unicuiq; nostrũ assidet Angelus. Nos aũt tota nocte stertim⁹. Multi aũt etiã multa faciunt flagitiosa: alii quidẽ euntes ad ipsa prostibula, alii aũt suas ædes prostibula faciẽtes, quòd illuc ducãt meretrices. Non sunt. n. solliciti ut rectè certẽt. Alii sunt ebrii & perperã loquũtur: alii tumultuantur, alii totã nocte malè pervigilant, iis etiam qui dormiunt pejus dolos nectẽtes. Alii numerant usuras: alii curis cruciantur, & omnia magis faciunt quàm quæ conveniunt certamini. Quamobrem rogo, ut missis omnibus unum solum spectemus, ut præmium accipiamus, corona simus redimiti, & omnia agamus per quæ bona promissa possimus assequi. *Hom. 15. Epist. ad Hebræos.*

Idem: Dic mihi, rogo, in Olympicis certaminibus non stat præco magna & alta voce clamans & dicens: Nunquid aliquis eum accusat: sitne servus, aut fur, aut malis moribus? Atqui illa certamina nõ sunt animi, nec morũ, nec mentis, sed corporis. Si ergo ubi est exercitatio corporum, instituti & voluntatis magna fit inquisitio, multò magis hîc, ubi tota est animi decertatio. Stat ergo nunc quoque qui est apud nos præco, nõ unumquemq; capite tenens & adducẽs, sed omnes simul interno capite detinens, nõ alios ipsis adhibet accusatores, sed ipsos sibi ipsis. Non. n. dicit: Num quis cum accusat? Sed quid? Num quis seipsum accusat? Nam quando dicit, Sancta sanctis, hoc dicit, Si quis nõ est sanct⁹, nõ accedat. Non solùm, inquit, à peccatis pur⁹, sed etiã sanctus. Sanctum. n. non facit solũ liberatio à peccatis, sed etiam præsentia spiritus, & bonorũ operũ copiæ. *Hom. 17. Ep. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Ex iis certaminibus quæ abs te obeuntur, vir eximie, hoc persuasum habe, res præsentes velut stadium quoddam, quod in aspectũ minimè cadat, proponi: in quo nobis non cum sensilibus feris sed cũ perturbationib⁹, quæ animo & ratione intelligũ-

tur,certamen est. Quæ quidem si robur illud,quo præditi sumus,superent:non corpori duntaxat periculum creant, verùm animæ ipsi mortem accersunt: sin autem superentur,atque in fugam se convertant, ingentes coronas ac prædicationes consequemur. Et quidem hîc quoque persæpè: pòst autem,omninò. Quandoquidem futuro ævo præmia concredita sunt, quemadmodum huic stadia & arenæ. *libri* 1. *Epist.* 4.

S. Isidorus Pelusiota: Etsi nobis adversus carnem & sanguinem colluctatio non est,at ab his tamen qui adversus carnem & sanguinẽ luctantur,palæstræ leges edocendæ sunt. Quemadmodum igitur illi non modò exutis vestibus (certandi enim principium est vestes deponere) verùm etiam detonsa coma,corporéque oleo delibuto (ut nec crinibus prehendantur; ac per oleum lubricas adversarii manus reddant, ita demum in certamen progrediuntur: ad eundem nos quoque modum, si coronam referre cupimus, exuto veteri homine unà cum ipsius actionibus, præcisisque in eleemosynas insumptis rebus externis, omni cura nudi,ac vestitu carentes, ad virtutis stadiũ ascendamus,ut Olympicum de anima certamen obeamus. Quòd si nihil horum facientes, certare nobis videamur, atque hoc nomine gloriemur, primùm quidem hic quoque à prudentibus viris ridebimur: postea autem illic etiam certò comperiemus, nos à nobis ipsis delusos ac circumscriptos fuisse: cùm videlicet,non modò coronæ expertes erimus, verùm etiam ad luendas pœnas abducemur. *lib.* 2. *Epist.* 161.

Idem: Lædendo vincere, satanicarum legum est. Ac proinde in Olympicis illis certaminibus, quæ in ipsius honorem celebrantur, sic honorem consequuntur, qui decertant. At in Christi palæstra contraria coronarum lex èst. Sic enim lege sancitum est, ut qui percutitur,non qui percutit coronâ donetur: ut non ob victoriam duntaxat,sed etiam ob victoriæ modum majus miraculum existat. Nam cùm ea, quæ apud homines victoriam conciliant, hoc afferre constat,ut quispiam superetur,tùm demum divina virtus, tùm cœleste stadium, tùm Angelorum theatrum meritò esse creditur. *libri* 2. *Epist.*169.

S. Isidor. Pelusiota: Audio te certaminis quidem specie unum,revera autem omnes æquales tuos superasse. Nam qui humilitatis ac modestiæ nomine aliis prælatus, te inferior esse compertus est, hic scilicet omnes à te superatos esse demonstravit. *libri* 2. *Epist.*268.

Idem: In externis certaminibus alius est pugil, alius præco, qui laude ac prædicatione victores effert. At in divinis ita lege comparatum est, ut qui victoriam adeptus est, præconis quoque munere fungatur. Quamobrem nè quidam ex iis qui in Doctorum throno collocati sunt illud existiment, se, ut qui certamen aliis instituant, idcirco extra certamina esse,nec aliud nihil à se requiri arbitrentur, quàm ut eos,qui vicerint,laudibus afficiant: verùm si se compararent,ut cùm ipsi gravitatis atque omnis virtutis athletæ, atq; etiam victores existant, simul etiam eorum, qui victoriam assecuti sunt, laudes prædicent. Quòd si alterum duntaxat ex his sibi inesse oportere existimantes, sibi ipsis imposturam faciunt,cùm ab omnibus ut ignavi & imbelles cavillis incessentur, ac nihili pendentur, tum etiam à Paulo coarguentur,his verbis utens: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. Quod autem ait, hunc sensum habet. Non inter certaminis arbitros duntaxat, aut inter præcones me ipsum accensui, nec hujusmodi nominibus glorior: verùm cùm me in vitæ meæ ratione atque instituto victoriâ dignum præbuerim,ac præbere cupiam, hoc imperio fungor, illudque laboro, ut ne ea,quæ à pugilibus postulantur,dedecorem: non ob eum honorem quo auctus esse videor, in segnitiem ac languorem vergens, sed per labores hoc planum faciens,me haud absre honore affectum fuisse. Atque acceptũ beneficium & incolume conservo, dum me ipsum non voluptatibus animique remissionibus,sed laboribus trado. *lib.* 3. *Epist.*265.

Idem: Quoniam hæc res athletam robustiorem & artificiorem declarat,quando adversariorum licet constrictus apprehensionibus, tamen eos spoliatos ad ipsum fossatum superavit: Idcircò etiã Christus pugnam adversus Dæmones per crucem susceptt, ut videlicet tantò illustrioribus trophæis de ipsis erectis triumpharet. Atq; hoc ipsum est, quod discere cupiebas: Expolians principatus & potestates ostentavit palam,triumphans de illis in semetipso. Re enim verâ triumphati sunt Dæmones,ab athletâ, manus pedesque clavis transfixo,superati. Re verâ traductus est Diabolus, carne unâ in cruce pendente superatus,eíque manus dans & concedens palmam. *lib.* 4. *Epist.*108.

Idem: Quæris,cur Paulus,relictis illis splendidis atque augustis, quę de Christo annunciabat,scripserit Corinthiis: Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Arbitror itaque,quia ipsa quoqué illa, quæ probris plena videntur, maximo & robore & honore scatent, idcircò eum ista dixisse,tantũ non edita voce proclamantem: Vinctum athletam ecce in medium produco, ut posteaquam Olympia vicerit, clariori cum præconio ornem: Vilissimam & contumeliâ plenam armaturam duci militię circumdo, ut tantò magis gemat, qui morbo multitudinis Deorum laborat,ubi tam vilibus armis se victum senserit. *lib.* 4. *Epist.* 150.

S. Isid. Pelusiota: Illud,Septies cadet justus,non simpliciter atque absolutè dictum est; sed ideo, quia qui legitimè certat, necessariò etiam athleticè cadit. Hoc autem non omnino atque indistinctè efficit, ut quis succumbat & victoriam adversario tradat, sed contrà sæpè victoriam parit. Multi namq; postquam ceciderant,eorum vires, qui stare videbantur,enervârunt, totum ipsorum corpus pedo supplantatum humi prosternentes, atque ita ereptam eis victoriam in se transferentes. Ideoque non solùm dixit, Justum cadere, sed addidit,ipsum etiam resurgere, nimirum ut coronam à victore reportatam simul indicaret. Quòd si etiam ubi cecidit homo,celeriter resipiscit atque ad insanam mentem redit, hunc optimum esse noveris. *lib.* 4. *Epist.* 158.

Idem: Ex illis,quæ sectare, certaminibus, vir admirande,persuasum tibi esto, Præsentem hanc vitam nobis propositam esse tanquã stadium quoddam, in quo nobis colluctandum sit cum affectibus & perturbationibus animi, quæ sunt bestiæ quædam non sensibiles, sed intelligibiles: quæ quidem si robur, quod in nobis est, subjecerint sibi, non tamen quoad corpus sistunt periculum, sed & ipsi animæ mortem adferunt. Sin autem vincantur, aut fugam arripuerint, tùm verò & coronas & præconia magna consequemur,etiam in hac vita persæpè; post hæc autem in altera vita omnino: quandoquidem ita ordinatum est, ut futuræ vitæ commissa sint præmia, sicut huic præsenti fossata. *lib.* 4. *Epist.* 195.

Synesius: Nunc verò ille ipse Dio novum ei impetum adjecit, ac cum patrono, ac defensore rursum invadit. Atqui ne Hercules quidem ipse,quod ajunt, contra duos, qui nec Molionidas subitò ex insidiis aggressos sustinere potuit, & cum hydra concertans solus quidem cum ea, quamdiu sola fuit, per aliquod tempus congressus est: at cùm ejus subsidium cancer advenisset, omnino, nisi Joalum sibi socium adjunxisset, præ labore concidisset. Mihi verò cùm nullus ex fratre nepos adsit Joalus, ejusmodi tamen quidpiam à Dione contigisse videtur. *Oratione de Calvitie.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Dimicaturo cum bestiis,& gravissimorum certaminum discrimina subituro, pronuntiantur ante brabeja, præmia,coronæ. *sermone 44. pr.*

Idem: Quanta in mundo positis post certamen palma est,si in solitudine constitutis,sine luctamine coronæ debentur. *sermone centesima septima.*

¶ Philosophorum. Oratorúmque Græcorum.

Xenophon: Quis neget hoc animo generoso convenire, quod suis hominibus privatis curru victis nihilo se clariorem fieri: at Agesilaus si patriam haberet amicissimam, amicos plurimos optimosque per universum terrarum orbem comparasset, patriam & sodales beneficiis,adversarios ulciscendo superasset; reâbse pulcherrimis ac magnificentissimis in certaminibus victorem se futurum, adeoque clarissimum nomen non solùm superstitem, sed etiam à morte consecuturum? *cap.* 47. *Vitæ ejus.*

Halicarnassæus: Honestum itaque peregrinis studiosè in spectaculis versari; honestius verò ipsis unà concertare. Illis quidem temporanea voluptas est; his verò immortalis quæritur gloria. Et his quidem bene subito ominantur, & digito monstrant, unico certamine atque victoria, non unius urbis civem factum, sed totius prope universi. Singuli enim præsentes fortitudinis nomine, benevolentia complexi veluti civem sibique vicinum adoptant. Hoc nimirum est quod Homerus dixit:

Suspiciunt, Numen tota velut urbe fagetur.

Neque id modò, quin & post conventum omnes vel solum aspicientes observant. Et hæc quidem in certaminibus. Post certamina verò per omnem vitam fructum victoriæ capiunt, vitæ societatem absque invidia habentes. A funere verò durat è statuis atque imaginibus memoria, & in acta relata rei gestæ gloria, non monumentis modò conservata, sed & titulis,carminibusque per omnem ætatem conscripta. *cap.* 4. *præceptorum athleticorum.*

Idem: Quoniam verò personæ diversæ sunt (Alii enim gloriâ clari,alii vero inglorii: & illi quidem multas adepti sunt coronas, hi verò nunc primum) conabimur singulos in propriis cujusque rebus adhortari. His quidem, qui multas acceperunt coronas, pulchrum est, atque honestum si pudeat alios etiam plures adipisci. Augescit enim coronis gloria. At qui pauciores coronas sunt consecuti, hortandi ne his contenti sint; quin etiam sic invalescant magis,quod & verè & gratuitò certamen repetant,& alios excipiant. De nuper verò incipientibus illud, Principium dimidium esse totius. Et victis quidem, honestum esse certamen redintegrare, ut non tam animo vel corpore quàm fortuna superati esse videantur. Deinde hos quidem excitare oportet honesto,alios turpi. Et eos qui multos antea vicerint turpe est vinci ab iis, qui nunquam antea vicerunt: aliis contra gloriosum. Neque fidem excedit victos tandem etiam vicisse,& singulari corona aliorum gloriam præcepisse. *cap.* 6.

Halicarnassæus: Difficiliores sunt animi quàm corporum concertationes. Corporis quidem certaminum clara est victoria, oculisque spectatur, qui sensus evidentior est. Adhæc brabeuta ab illo est constitutus omni major invidia. Judicium verò non de uno sed de pluribus fit, neque tam oculis judicant quàm mente, cui multa repugnent ignorantia nimirum,gloriæ cupiditas,invidia. *cap.* 1. *præceptorum athlet.*

Aristides Rhetor: Quin si videtur,ad exempla tua denuo respice. Nam nec aurigas bonos ubique ex ordine vincere reperies,neque id polliceri: nec equos ipsos quasi certis legibꝰ currere, sed neq; Miltiadis neq; Cimonis equos, licet optimi videbãtur, in omnibꝰ certaminibꝰ vicisse,nec per totam vitam palmam obtinuisse: nec etiam gubernatores præstantissimos semper atque omnes à morte servare, verùm

verùm sæpè aliquem turbine ac tempestate victum fuisse, & fortunam arte potiorem expertum esse, cunctosq; in universum Neptuno concedere, atque ità in tabulis scribi, Nave servatâ, hoc vel illud factum iri. At navem servatum iri, nemo adhuc in se recepit. Atque huc respexit Homerus, cùm dixit:

Mars est communis, necuitq; necare parantem.

Norat enim naturæ humanæ imbecillitatem: atque hujus dicti idoneum ex re sùppetit exemplùm.

Nam Græcorum quidem fortissimum fecit Achillem, idq; longè: ex barbaris autem ignaviss imum Paridem, quemadmodum & Hector ei sæpiùs ignaviam objicit, quamvis fratri, & ignavum Paridem cognominat. Veruntamen Achilles cùm reliquum Trojanorum exercitum intra muros coëgit, tùm Hectorem ante portas nullo negotio peremit. At Paris rursùm, seu ignavus Paris, qui tanto fuerat Hectore inferior, Achillem ipsum ad easdem portas occidisse canitur. Quapropter ab utroque extremo, tùm fortitudine, tùm ignavia, carmen hoc comprobatur.

Atqui non Martem tantùm, sed & Mercurium puto meritò communem vocari posse, ac siquidem hoc etiam indicat aut complectitur Proverbium, hujus etiam accedet testimonium: sin aliò spectat, nos quidem id adjungamus: hac quoque ratione Deum cognomen hoc moveri, siquidem est Athleticus. Nam & coronaria certamina simili modo, ni fallor, quo bellica, se habent: nec quisquam, quantam vult, victoriam obtinet, neque sibi eam polliceri potest. Id autem etiamnum spectaculum declarat Olympicum, in quo plerumq; multa eveniunt insperata: quale est etiam id, quod ajunt Polydamanti contigisse. Is enim cùm currus incitatos sisteret, à pusillo quodam adversario ludis Olympicis superatus est.

Neque tamen totus illo fuit inferior Polydamas, neque ob hanc rem omni gloria privari debet. Quemadmodum autem athletis, ita nec Poëtis præstantioribus semper defertur victoria: verùm & heic Pindaricum illud locum habet. Verissimè enim cecinit ille:

In curru autem fortuna, non robur, vincit.

Sophocles apud Athenienses à Philocle vincebatur, cùm Oedipum daret (proh Jupiter ac dii) quam nec Æschylus potuisset reprehendere. Num ergo Philocli cedet Sophocles? Imò ne præferri quidem satis honestè potest. Jam cùm alia multa possunt adferri, tùm Homerus quid in certamine in honorem Patrocli instituto accidisse dicit. Nónne præstantissimæ primum equæ Thessalicæ,

Quas avium ritu celeres Eumelus agebat,

postremæ tùm fuerunt, ac de curru cecidit Eumelus, quod ei nunquam accideràt, ut qui in eo manere soleret, & equis tanquam avibus veheretur: quod nemo facere poterat alius. Itaque & conspicatus eum Achilles, misertus dixit:

Optimus extremo vir equas agit ordine fortes.

Atqui absurdum erat hæc ita deinceps conjungere, atque eundem optimum & extremum dicere. Veruntamen ita res, inquit, humanæ ferunt. Hoc enim videntur mihi verba velle, eundem esse & optimũ & extremum: quod olim Orontem Persam de digito dixisse ferùnt, eundem situ alio nunc decem millia, nunc unũ duntaxat ostendere. Quare ad Platonis exemplum mihi videtur certè Eumelus in cæteris spectare, cùm non victoriâ tantùm privatus est, sed

Et cubitos atque est nares lacerat us & ora,

ab equis optimis, & à quibus nunquam fuerat dejectus, verùm eas, quocunq; vellet, ducens. inter omnes admirationi fuerat. Ajax verò Græcorum in cursu præstantissimus, quique multos fugientes caperet, de quo pronunciatum est illud:

Nullus & similis fugientes calce premebat,
Fata virũ utcunque metum Trojana tulissent.

Simile & ipse in cursu expertus est, cùm nudus & hostibus carens tùm victoriam amisit, tùm fimo insuper oppletus fuit.

——— *Læsit namq; Minerva,*

inquit Poëta: eandémque etiam Eumelum de curru dejecisse. quid ita? Fortunam videtur mihi per Minervã significare, quæ res humanas pro arbitrio mutet, ut nõ ubiq; studiosissimi quiq; præmiis potiantur. Jam alter Ajax, Telamonis F. magnus ille Græcorum obiex, quique Græcis erat pro muro, nec ipse tantùm, sed & ejus clypeus: is igitur ut in disco se gesserit, minus fortassis attinebit referre, quanquam qui solebat hastam quatere,

Clavis compactam, decies binos geminosque
Æquantem cubitos.

cáq; Trojanos à navibus absterrere: facilè nimirũ discum versare, ac Polypoetem cũ reliquis pro pueris habere potuisset, prout æquũ erat. Verùm demus hoc alterius facultatis fuisse: at in lucta quomodo se gessit? & ut hoc quoque minus sit relatu dignum, tamen armis indutus, quo quidem habitu maximus, pulcherrimus, fortissimus, ac robustissimus erat, magnum Græcis negotium facessit, & ut omittam cætera, plus ipsi, quàm Diomedi timuerunt. Ita se heic etiã gessit. Atqui cùm recenserentur olim Græci, sic proclamaret præco:

Optimus esse virum longè Telamonius Ajax.

Nec hoc tantùm, vel semel dixisse contentus fuit, verùm ubiq; quasi data opera prædicat hoc atque testatur:

Ajax, qui cunctos superabat corpore Achivos,
Formaque excepto præstantis corpore Achillis. &,
Ajax, quis specie & factis præstabat ubique. &,
Cesserit haud cuiquam magnus Telamonius Ajax.

Atq; alia similia: quasi animos nostros præoccuparet, ne quid nos in hoc certamine turbaret, néve, si cui cederet, hoc eum viliorem haberemus, aut alio Græcorum quoquam, præter Achillem, deteriorem. Quid quod etiam frater ejus, Teucer sagittarius, fortunæ appendicẽ consecutus est, cùm funem quidem contigit, columbam verò alteri, similiter deteriori, capiendã reliquit? At nec omnia, quę se deinceps sic habẽt, nonne sunt pro oraculis de rebꝰ humanis prolatis habẽda?

Aristides Rhetor: Pindaricum illud multi laudant: [*Oportet autem quidlibet agendo, hostem deprimere.*] Hostem autem dicit adversarium. Quin & in pugilatu, & gymnicis certaminibus atque etiã equestribus videmus eos, qui de victoria contendunt, non ad voluntatem adversariorum se componere, sed quæ sibi sint utilia, tùm dicere, tùm facere, donec lex nulla prohibuerit. Itaq; ut maximè fuerint injucundi quibùsdam sermones, & vel orationes, vel vitam ejus reprehenderint: antiqua id lex jussit, nec à me lata, sed vetusta prorsus. *Oratione 3. Platonica.*

Apollonius Hellanodicis & Eleis: Petitis à me, ut ad certamen Olympiorum præstò sim, & eam ob causam legatos misistis. Ego verò venirem equidem ad corporum spectaculum & luctam, nisi insignius certamen virtutis mihi relinquendum esset. *Epist. 24.*

Philostratus: Elienses cùm Olympicorum certaminum tempus appropinquaret, athletas suos dies triginta in ipsa Elide jubebant exerceri. Dein in unum congregatos, Delphicus ad ludos Pythios, Corinthius ad Isthmios sic affabantur: Ite in certamen, ô cives, & viri estote vincere potentes. Cùm verò Elienses ad Olympia venissent, ad eosdem certaturos his verbis utebantur: Si jam sufficienter elaboraftis, ut in Olympiis certare possitis, nec ignavè quippiam aut humiliter peregistis, audenter stadium intrate. Qui vero non ita paratus est, quocunque vult, abeat. *lib. 5. Apollonii, cap. 15.*

Iulianus Imp. Oportebat quidem tanè juxta Delphicum oraculũ nos ipsos nosse, neq; tanti viri auribus obstrepere: quem vel aspiciẽtem respicere, difficile est, nedum concentum omnis sapientiæ moventi velle par referre. Nam & Pani dulce carmen canenti quilibet concesserit, quamvis sit Aristæus: & Apolline ad citharam canente unusquisq; tacet, quamvis Orphei musicam teneat. Quod enim minus est, hoc ipso quòd est minus, cedere debet majori, si modò vult & sua ipsius bona, & aliena meliora cognoscere. Quisquis autem cum divina musica humanam vult componere, nunquam Marsyæ Phrygis casum didicit, neq; nominis ejusdem fluvium, qui tibicinis insani supplicio manat: imò neq; Thamytæ Thracis mortem audivit, qui infeliciter cum Musis de cantu certavit. Quid enim Sirenas memorem? quarum eæ quæ cantu vicerunt, alam in fronte adhuc gestant. Verùm enimverò illi stultæ audaciæ pœnas satis magnas nũc etiam posteritati persolvunt: nos autem sicut antè dixi, oportebat sanè nostris finibus contentos esse, & tua musica satiatos quiescere, ut qui Apollinis oracula è sacris adytis cum silentio excipiunt. Verùm quando tu nobis ad canendum præis, & tanquam Mercurii virga nos moves atque excitas dormientes, ecce ipsi quoque, sicut qui Baccho thyasum pulsanti cum choreis & tripudiatione occurrunt, sic ad plectrum tuum respondemus: perinde ut qui præsultorem ad numeri provocationem sequuntur. *Epist. 42.*

Heliodorus: Relictis carceribus cursus conficiebatur propemodũ oculorum comprehensionem effugiens. Ibi ne quieta quidem manere amplius Virgo potuit: sed commovebatur illius gradus, & pedes præ exultatione saliebant, tanquam animo unà cum Thiagene sublato, & illum in cursu adjuvanti. Etiam spectatorum quivis pendebat ab eventus expectatione, & sollicitudinis plenus erat. Ego verò etiam magis, qui jam apud me constitueram, ut illius non secus ac filii curam susciperem. Nihil mirum est, infit Cnemon, quòd videntes & præsentes solliciti sunt. Nam & ego nunc Theageni metuo, & à te peto, ut eò citius, si victor est renunciatus, exponas. *lib. 4. Aethiopicũ.*

¶ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Interdum præstat ad gloriam, non certare quàm vincere. *Controversia 25.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Ranis. v. 1023.

Excandesco equidem ob talẽ congressũ, & mea viscera bile
Fervent, quod oportet me cũ isto contendere. nam metuo, ne
Dicat me pendere animi; quasi dubitem de munere palmæ.

Ovidius lib. 13. Metamorph. v. 16.

Præmia magna peti fateor; sed demit honorem
Æmulus Ajaci. non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulysses.
Ipse tulit pretium jam nunc certaminis hujus;
Quod cùm victus erit, mecum certasse feretur.

Nonnus lib. 19. Dionysiacorum.

Νήπιε τίς σε δίδαξεν ἀρειοτέροισιν ἐρίζειν;
Stulte quis te docuit cum melioribus contendere?

Terentius Adelph. act. 2. sc. 2.

——— *Quid istũd Sannio est, quod te audio*
Cum hero nescio quid concertasse? SA. *nunquã vidi iniquius*
Concertationem comparatã, quam ego hodie inter nos fuit.
Ego vapulando, ille verberando, usq; ambo defessi sumus.
SV. *Tua culpa.* SA. *Quid agerem?* SV. *adolescenti morigestum*
oportuit
SA. *Qui potui melius? quin hodie usque os præbui.*

Terentius Adelph. 4. sc. 2.

—— Non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modò puerum tantillum in manibus gestavi meis
Laudo, Ctesipho! patrissas. abi! virum te judico.
Fortiter. sì perquam, quia miserā mulierē & me servulum,
Qui referire non audebam vicit. hui! perfortiter.

Terentius act. 1. sc. 5. Phormionis.

Senex adest. vide quid agas. prima coitio est acerrima,
Si eam sustinueris, post illa jam ut lubet ludas licet.

Martialis 1. Epig. 23.

Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

Idem lib. Epig.

In tauros Libyci fremunt Leones;
Non sunt papilionibus molesti.

Ausonius Epig. 91.

Doctus Hylas cestu, Phegeus catus arte palæstra,
Clarus Olympiacis & Lycus in stadiis,
An possent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ consuluere Iovem.
Sed Deus, ut sapiens; Dabitur victoria vobis,
Indubitata quidem, si cavetis ait,
Ne quis Hylam cestu, ne quis certamine lucta
Phegea, ne cursu te Lyce pratereat.

¶ Apologorum.

Leo & Rusticus.

Leo rustici caulam subiit, qui cùm comprehendere eum vellet, caulæ fores occlusit. Ille egredi nequiens, primò quidem ovium gregem disperdidit: deinde ad armenta conversus est. Rusticus autem de se sollicitus, fores aperuit. Egresso leone, flentem & tristem intuita uxor virum: quin tu merita passus es, ait, quid enim eum inclusisti, quem & longius oportuit te fugere. *Æsopus.*

Taurus & Hircus.

Leonem fugiens Taurus, speluncam subiit: Eum verò cornibus detrudebat hircus. At ille, non te, ait, sed leonem timeo, qui si præterierit, intelliges quod sit tauri & hirci robur. *Æsopus.*

De Musca & Calvo. *Anonymus.*

Musca premit calvum; muscam vult ladere calvus:
Vt muscam feriat, se ferit; illa redit.
Calvus ait, te Parca jubet vicina necari,
Si ferior rides, si feriare cades.
Sospes ero decies ictus, semel icta peribis.
Est mea prompta mihi gratia, surda tibi.
Iure potest lædi lædens, ut ladat; in illum
Vnde brevis cœpit lasio, magna redit.

De Bove & Rana. *Anonymus.*

Æquari vult rana bovi, tumet ergò; tumentè
Natus ait, cessa præ bove tot a nihil.
Rana dolet, meliusq; tumet; premit ille tumentem:
Vincere non poteris, victa crepare potes.
Tertius iratam vexat tumor. illa tumoris
Copia findit eam; gutture rupta patent.
Cum majore minor contendere desinat, & se
Consulat, & vires temperet ipse suas.

¶ Emblematum.

Batillius XXV.

Bellorum eventus utriusque partis malo.

Dum paribus luteæ concurrunt viribus ollæ,
In varias partes utraque quassa perit.
Hunc finem inveniunt belli persæpe Monarchæ,
Cum victo victor sorte caditque pari.

Camerarius XXXIII. Centuria prima.

Vim ex vi.

Damna dat atque facit vis vi collisa potentum:
Ramorum attritu ut flamma resultat edax.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque pulvere ac sudore vincunt cui favent Dei.
Absque feris simul ac tyrannis trunca virtus Herculi est.
Adversus stimulum ut calces, quanam insscitia est?
An spectacula ulla terrent trophea Olympica?
Ante certamen donari palma sueta nemini.
A certamine se abstinere facilius est, quam abducere.
Certat ob virtutem honestus, pravus ob pecuniam.
Cum potentiore certans fert malum & convitia.
De virtute decernendi do potestatem omnibus.
Est egena laudis omnis virtus citra pulverem.
Est prior pugil, luctator alter, cursor tertius.
Est supercilium ingens nolle cedere celsioribus.
Imperfecta cuncta garrit corvus contra avem Iovis.
Gratia ambitusq; victor, eruber victoriæ.
Haud ignavis adclamamus, sed jam metæ proximus.
Impium est certamen, æquum ubi exulat ubi bonum.
In certamine interfectus purgat adversarium.
Luctanulla est usurpandæ quam qua bello idonea.
Maximum est malum inferiores si certant potentibus.
Nemini fas est sibi ipsi legere quem velit locum.
Ne pares tibi priusquam viceris præconium.
Nemo post Olympia ullum victa carmen timet.
Nil mirum est labi certantē, sed non absonum est surgere.
Nolito pugnare Divis quamvis vel fortissimus.
Non certare, gloriosum aliquando magè est, quàm vincere.
Non omnes cingit corona præco ad ludos quos citat.
Non potes pugnare lychnis Solis adversus jubar.
Non timet certamen ullum victa cui Olympia.
Non equus victor coronas, ejus at rector meret.
Non timet stadium ullum, Olympo qui semel victor fuit.
Optimus quandoque circi extremus in certamine est.
Prælium cum Diis inire plus est quàm furentium.
Per stadium ad metam currentes sæpe respicere assolent.
Proterit tandem malum omne vir bonus, Deo auspice.
Pugna ubi est de amore, gaudet is magis qui vincitur.
Quam magis metæ es propinquius, hoc eas alacrius.
Quei duobus pugnet, impar unico esse qui nequit?
Quis petat coronam ubi jam tempus est certaminis?
Quovis in certamine parti vulgus pejori favet.
Regem honestius armis vincas quàm tua munificentia.
Si tibi machæra, & nobis vervina est domi.
Tela cælo intorque, si vis pectus incidant tuum.
Vir bonus necesse sit qui vult certare Olympicis.

¶ Jambica.

Absque elidentis nil perit periculo.
Certamen aufer, ne quidem virtus erit.
Certamen ipsum tolle, haud adversarium.
Certare noli in eos imitari quos nequis.
Certare præses non potes certantium.
Collisa testa testa, mutuò ruunt.
Contendere unum pluribus perarduum est.
Contra Deos pugnare, non mortalium est.
Contra Deum pugnare est, sed non vincere.
Contra manus valdè anceps pugna tergorum est.
Contra stimulum nemo nisi stultus calcitrat.
Cum Deis ne belligeres, quibus sat esse non queas.
Eludunt flexu, qui parum cursu valent.
Impunè nemo contra stimulum calcitrat.
Infert sibi plagam qui adamanta verberat.
Inire cum Diis prælia, est furentium.
Intuta cum primatibus contentio est.
Luctatio nulla est sine adversario.
Luctatio omnis constat adversario.
Majorem honestè vix præcurrerit minor.
Nemo coronatur sine adversario.
Nemo obtinet coronam absque adversario.
Noli capro occursare calve; altè ferit.
Nulla est asellos præterire gloria.
Nulli, nisi larvæ, colluctantur mortuis.
Nunquam sagitta in lapidem durum figitur.
Præstantior pejorem semper exsuit.
Pugna Euryto malè cessit cum melioribus.
Pugnare noli cum malis: miserrimi est.
Portenta magna telis magnis straveris.
Pugnare noli cum potentioribus.
Pugnare noli cum te fortioribus.
Pugnare velle pluribus, dementia est.
Pugnis stimulos si cædis, manibus plus dolet.
Qui mingit adversus Solem, immingit sibi.
Res parva magnum sæpè certamen creat.
Se vulnerat, contra stimulum qui calcitrat.
Si servus es, sacro abstine certamine.
Turpissimum certare cum domesticis.
Vinci nequit quod in certamen non venit.
Vir magnus, in certamen parvum non venit.
Virtus sine ullo marcet adversario.
Virtus suo marcet sine adversario.
Vt culicem bos Luca, muscas sic testudo negligit.

Charitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Charitas fuerit consensio eorū, quæ sunt in ratione & vita & moribus: aut ut paucis dicā, vitæ societas, vel amicitiæ & benevolentiæ extensio, cū recta ratione ad usum amicorū ac familiariū, qui ἑταῖροι vocantur (dicitur autem ἑταῖρος quasi ἕτερος ἐγώ, id est, alter ego) qua etiā eos fratres appellam⁹, qui sunt eodē verbo regenerati. Adhæret aūt charitati & hospitalitas, quæ est artificiū amicitiæ circa usum hospitū. Hospites autem sunt, quorum sunt externa quæ sunt mundana. Mundanos enim eos qui in terram sperant, & concupiscentias carnales intelligimus:

gimus: Nolite conformari, inquit Apostolus, huic seculo, sed transformemini renovatione mentis, ad hoc ut vos probetis quæ sit voluntas Dei bona, benè placens, & perfecta. Versabitur ergo hospitalitas in eo quod est utile hospitibus. Hospites autem sunt qui etiam dicuntur ἐπίξενοι. ἐπίξενοι autem sunt amici. Amici autem sunt fratres. Fratres amice, inquit Homerus, & humanitas, quæ est amicus usus hominum, & bona affectio, quæ est quoddam amicitiæ artificium circa amicorum vel necessariorum dilectiones, comitantur charitatem. Si autem revera homo qui est in nobis, est spiritalis, humanitas est fraternitas iis, qui sunt ejusdem spiritus participes. Affectio autem rursus est conservatio benevolentiæ vel dilectionis. Dilectio autem est perfecta & absoluta demonstratio: & diligi, quod est ἀγαπᾶσθαι, est placere moribus duciq́ue & abduci. In idem autem ducuntur, per consensionem quæ est scientia communium bonorum. Consensio enim, quæ ὁμογνωμοσύνη, est consensus animorum. Et non ficta, inquit, charitas sit nobis, &c.

Hæc est charitas, diligere Deum & proximum: ea extollit in altitudinem quæ non potest explicari. Charitas operit multitudinem peccatorum: charitas omnia sustinet, in omnibus est patiens: charitas nos Deo conglutinat, omnia facit in concordia. In charitate consummati sunt omnes electi Dei: absque charitate nihil est gratum Deo: ejus perfectionis non est, inquit, explicatio. Quis est idoneus ut in ipsa inveniatur, nisi quos ipse Deus dignos esse censuerit? Jam verò Apostolus Paulus: Si corpus meum, inquit, tradidero, charitatem autem non habeam, sum æs resonans, & cymbalum tinniens. Si non ex affectione electa, inquit, per charitatem cognitione præditam, tulero testimonium, propter metum autem forte, eam quæ expectatur mercedem, labra moyens ad testimonium, fuero confessus Dominum, sum homo communis, Dominum resonans, non cognoscens. Est enim & populus qui diligit labiis: est autem alius qui tradit corpus ut comburatur. Etsi distribuero omnes facultates meas ad alēdos pauperes, inquit, nō ex ratione cōmunicationis quæ proficiscitur à charitate, sed ratione remunerationis, quæ vel ab ipso qui beneficio afficitur, vel á Domino qui promisit, expectatur: & si habeā omnē fidē, ut montes transferā, & vitia quæ tenebras offundunt abjiciam, non fuero autem fidelis Domino propter charitatem, nihil sum, ut qui conferat cum eo qui ex cognitione in vulgus fert testimonium, nihil reputer egregium.

Omnes autem generationes ab Adam in hodiernum usque diem præterierunt: sed qui per Dei gratiam consummati sunt in charitate, habent locum piorum, qui manifestabuntur in visitatione regni Christi. Charitas non sinit peccare. Quòd si etiam invitus in aliquem talem casum inciderit per suggestiones adversarii, David imitatus psallet: Confitebor Domino, & placebit ipsi super vitulum novellum cornua producentem & ungulas. Videant pauperes & lætentur. Dicit enim: Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde Domino vota tua, & invoca me in die afflictionis tuæ, & liberabo te, & glorificabis me. Sacrificium enim Deo spiritus contritus. Charitas ergo etiam Deus dicitur cùm sit bonus: cujus charitas proximo malum non operatur, neque injuriam faciens, nec referens: omnibus autem, ut semel dicam, benefaciens, ad Dei imaginem. Plenitudo ergo legis est charitas: sicut Christus, hoc est, præsentia Domini qui nos diligit, & quæ est nostra ex Christo doctrina charitatis, & vitæ institutio. Charitas ergo perficit non mœchandi præceptum, & præceptum uxorem proximi non concupiscendi, quod prius metu fuerat prohibitum. Idem ergo factum refert, an factum sit per metum, an perfectum per charitatem, & an per fidem, an etiam ex cognitione exerceatur. Meritò ergo convenienter eorum differentiæ, ei quidem qui est præditus cognitione, parata sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Ei autem qui nudè & solummodo credidit, concedit suo testimonio centum partibus plura, quàm ea essent quæ reliquit. Quam promissionem contingit cadere in hominum intelligentiam. *Isbro Stromatum 4.*

D. Nazianzenus: Si ei qui plus amavit, plus debetur, quánam mensura charitatem eam metiar, qua vos mihi charitas mea, tanquam ære alieno devinxit? *Oratione 2.*

D. Nazianzenus: Charitas constringit, nec bonum, quod in nobis est, dissipari ac diffluere sinit, quamvis alioqui fluxæ fragilisque naturæ simus: atque è tribus unum, aut, cùm est, manet, aut cùm mota & convulsa est, in integrum restituitur, aut cùm abscessit, revertitur; non secus ac plantæ, quæ manibus per vim in diversum tractæ, simulatque dimittuntur, statim ad sese, primámque suam naturam recurrunt, idque sibi proprium esse ostendunt, ut invitæ quidem inflectantur, non invitæ autem erigantur. Quanquam enim in proclivi sit vitium, ingensque ad malum cursus pareat, atque undæ in præceps celerrimè labenti simile sit, aut etiam festucæ cuipiam, quæ ad scintillam & ventum facili momento succenditur, flammaque effecta, unà demum cum suo fœtu extinguitur (flamma quippe materiæ fœtus est, ac materiam ipsam, non aliter atque improbos homines improbitas, absumit, tandémque cum suo alimento evanescit) si quis tamen ad boni alicujus habitum pervenerit, eoque penitùs imbutus fuerit, huic jam in vitium labi difficilius erit, quàm ab initio bonum fieri. Quandoquidem bonum omne, tempore ac ratione confirmatum, naturæ vim obtinet: velut hæc quoque animis nostris infixa charitas, cum qua veram charitatem colimus, & quam charitate complexi sumus, totiúsque vitæ præsidem & moderatricem nobis statuimus. *Orationis 13. initio.*

D. Nazianzenus: Fit nescio quo pacto, ut non minus inter eos qui studii cujusquam atque instituti nomine inter se cōjuncti, quàm qui affinitatis ac consanguinitatis vinculo inter se devincti sunt, amor coalescat. *Orat.* 18.

D. Greg. Nyssenus: Quemadmodum enim is, qui humanæ naturæ particeps est, omnes humanæ naturæ proprietates habet: ita etiam is qui perfectam charitatem in sese confecerit & assequutus est, omneis, quæcunque unà cum hac spectantur & comprehenduntur, bonorum formas cum primario principalique bono tenet. Sive enim fides est quæ servat, sive per spem servamur, sive per patientiam gratiā expectamus, charitas omnia credit, & omnia sperat, & omnia suffert, ut inquit Apostolus. Atque reliqua omnia (ne singulatim omnia enumerando tempus teramus) charitatis radicis germen & surculus existunt quæcumque ratione virtutis expetuntur: adeò ut qui hanc habeat, nullo alio bono careat. *In laudem fratris Basilij.*

D. Chrysostomus: Est charitas non nuda verba, non salutationes simpliciter præstitæ, sed præsidium ac patrocinium, operibúsque ipsis conjuncta voluntaris demonstratio. Verbi gratia: Si quem paupertatis vinculis solvis, si quibus morbo afflictis opitularis, si quem à periculis in quibus versatur asseris, si quibus afflictione & necessitate oppressis ades, si fletum tuum cum alterius fletu, si gaudium cum gaudio conjungis. *medio homilia 7. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Subdit: Honore alius alium præcedentes. Hac quippe ratione & nascitur dilectio, & nata perdurat. Nihil enim ita facit amicos, ut studium illud vincendi proximum honorādo. Non autem dilectio solùm hinc nascitur, sed & major honor. Nam ex dilectione quidem omnia bona oriuntur, ipsa verò dilectio ex honoris exhibitione, quemadmodum & honorandi studium vicissim ex dilectione. *Homil. 21. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Dilectionem si habueris, neque pecuniarum senties sumptum, neque corporis laborem, neque molestiam verborum, neque ministerii sudorem, sed omnia generosè feres, sive corpore, sive pecuniis, sive sermone, seu quovis alio proximo succurrendum sit. *Homilia 21. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Si plus sciveris quàm proximus; ipsum diligens, non extolleris, sed ipsum quoque ad hoc deducis. *Homilia 19. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Quomodo si vestes quidem sint aureæ & calcei, aliquo etiam alio indumento opus habemus, ut discamus regem: sed si purpuram viderimus & diadema, nullum aliud quærimus videre regni signum: ita quando charitatis est impositum diadema, id sufficit ad ostendendum perfectum Christi discipulum, non solum nobis, sed etiam infidelibus. *Hom. 32. ad Corinth. 1.*

Idem: Charitas non quærit quæ sua sunt. Nam eum qui diligitur omnia esse existimat: & tunc probrum ac dedecus esse reputat, quādo illum à probro & dedecore non potest liberare. Quòd si per suū probrum ac dedecus liceat prodesse ei qui diligitur, ne probrū quidem ac dedecus eam rem sibi existimat. Ille enim de cætero est ipse. Hoc enim est amicitia: eum qui diligit, & eum qui diligitur nō amplius esse duos divisos, sed unum esse hominem, quod quidem non ex alio fit, quàm ex charitate. Ne quæras ergo quod tuum est, ut invenias tuum. Nam qui quod suum est quærit, non inveniet quod suum est. Quamobrem Paulus quoq; dicebat: Nemo quærat quod suum est, sed quod proximi est unusquisque. *Hom. 33. ad Cor. 1.*

Chrysostomus: Nescit charitas quid sit probrum ac dedecus. Propterea etiam gloriatur ob ea, ob quæ alius præ pudore se abscondit. Pudor. n. est nescire amare; non amantem periculū adire, & omnia sustinere pro iis qui diliguntur. Omnia aūt cùm dico, ne existimes me dicere ea quæ sunt noxia: ut si quis, se juveni opē ferrè ut potiatur amica, si quis roget, ut efficiat aliquid noxium. Nam qui est ejusmodi, non amat. Ille enim est solus amans, qui quærit quæ sunt utilia amicis. Quòd si quis non tenetur id quod est bonum & honestum, est omnibus inimicis hostilior. *ibidem.*

Idem: Hoc charitatis est mirabile; alia quidem bona mala habent adjuncta: ut qui pauper est, quòd suas abdicarit facultates, propterea sæpè intumescit. Qui est dicendi facultate præditus, laborat vesana gloriæ cupiditate. Humilis propter hoc ipsum, in sua insolescit & superbit cōscientia. Charitas ab omni ejusmodi pernicie est libera. Nā adversus eū qui diligitur nemo unquā fuerit elatus. Nec mihi posueris unū diligentē, sed omnes similiter, & tūc ejus videbis virtutē. Vel potius si vis pone unū qui diligitur, & unū qui diligit, diligit aūt ut par est diligere. Is terrā tanquā cœlū habitabit, ubiq; & semper fruens trāquillitate, & innumerabiles sibi cōtexens coronas. Nā qui est ejusmodi, is & ab odio, & ab ira, & invidia, & arrogātia, & vana gloria, & à mala cupiditate, & ab omni pravo ac nefario amore, & ab omni mala ægritudine suā purā cōservabit animā. Quomodo. n. nemo sibi mali quid fecerit, ita neq; proximis. Cùm autem talis sit, etiā cum ipso stabit Gabriele ingrediens in terra. Et qui habet quidem charitatem, est ejusmodi. *Homil 32. ad Corinth. 1.*

Idem: Si charitas ubiq; esset affatim, quā multa bona existerent? neq; .n. opus esset legibus, neq; judiciis, neq; pœnis, neq; suppliciis ac tormētis, neq; ullo alio ejusmodi. Nā si omnes diligerent & diligerentur, nullus cuiquam faceret injuriam: sed cædes, & pugnæ, & bella, & seditiones, & rapinæ, & propter nimiam habendi cupiditatem circumscriptiones, & omnia mala procul abessent; & ad nomen usq; ignoratum esset vitium. *Homilia 32. ad Cor. 1.*

Idem: Etiam extrema perpessa propter dilectum, ne turpitudinem quidem ac dedecus rem existimet. Rursus non dixit; Probrum ac dedecus reputat, forti autem ac generoso animo probrum fert &

dedecus; sed probri ac dedecoris ne sensum quidem accipit. Nam si avari ac pecuniæ cupidi probrosissima quæque ferentes propter illam cauponationem; non solùm non erubescunt, sed etiam exultant: multò magis is qui laudabilem hanc habet charitatem, ut sint in tuto qui diliguntur, nihil vitabit & recusabit. *Homilia 33. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Charitas magna est magistra, aptaque & idonea ad abducendum ab errore, & adducendum ad philosophiam, & ad efficiendum homines ex lapidibus. Et si vis ejus vim intelligere; adduc ad me virum timidum, & qui vel solo terreatur strepitu, & ipsas umbras pertimescat, sitque ircundus & asper, & si potius fera quàm homo, salaxq; & libidinosus, & qui omni laboret vitio; & trade eum in manus charitatis, & eum adduc in hoc gymnasium: & videbis illum timidum & ignavum fieri fortem, magnique & excelsi animi, facileque quidvis audere. Et quod est admirabile, hæc non fiunt mutata ejus natura, sed in ipsa timida anima suam vim ostendit charitas: & perinde fit atque si quis ensem plumbeum, non effectum ferreum, sed manentem in eadem plumbi natura, quæ sunt ferri operari fecerit. *Homilia 33. ad Corinth.* 1.

Chrysostomus: Sectamini charitatem. Opus est enim persecutione & vehementi ad illam cursu: adeò à nobis avolat, & tam multa sunt quæ nostrum ad illam cursum supplantant. Quamobrem nobis semper opus est magna vehementia, ut eam comprehendamus. *Homil. 34. ad Corinth.* 1.

Chrysostomus: Dei charitas cœlo terram conjunxit; Dei charitas dominum fecit servum; Dei charitas fecit ut traderetur dilectus pro inimicis, filius pro iis qui oderant, dominus pro servis, Deus pro hominibus, liber pro famulis. Et nec ad id usque constitit, sed nos vocavit ad majora: nec enim solùm nos liberavit à prioribus malis, sed etiam multò majora se daturum est pollicitus. *fine homiliæ nonæ ad Ephesios.*

D. Chrysostomus Hic quidem multa sunt quæ charitatem relaxant ac dissolvunt; pecuniæ negotia, corporum affectiones, animæ ægritudines: illic autem in cœlo nihil eorum. *Homilia 34. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Charitati nihil æquè est contrarium atque peccatum: nec dico solùm charitati in Deum, sed etiam charitati in proximum. Quomodo ergo latrones, inquit, degunt in pace. Quando, dic mihi degunt? Non quando latronum moribus utuntur. Si enim in iis ipsis quibus dividunt, non servent leges justitiæ, & unicuiq; quod justum est tribuant, invenies illos quoque esse in bellis & pugnis. Quamobrem nec in malis quidem licet pacem invenire. Ubiq; autem eam licet invenire, cum justitia & virtute. Atqui rivales & æmuli in pace vivunt? Minimè. Sed quémnam vis dicam? Avarus nunquā erit in pace cum avaro. Nam si non essent inter eos justi & æqui, & qui afficiuntur injuriâ: dissipatum ac dispersum esset eorum genus. Quomodo duabus bestiis valdè furientibus, nisi aliquid intercedat medium, quod possit ab eis consumi; se exedunt. Ita etiam esset inter avaros & malos. Quamobrem fieri non potest ut sit pax, nisi fuerit actio ex virtute. Nam dic quæso; sit aliquis adulter, quomodo erit alicui amicus? Construamus civitatem avarorum, & qui pares sunt in honore, & nemo accipiat injuriam, sed omnes injuriam inferant. At pax est adulterorum. Sed non invenies, nec duos quidem concordes & consentientes. Quamobrem non est rursus alia hujus causa, quàm quòd refrixerit charitas. Quòd autem refrixerit charitas, causa est, quòd abundarit iniquitas. Hoc enim ducit ad sui amorem, & dividit, & corpus scindit, emollitque & divellit. Ubi autē est virtus, facit contrarium. Nam qui est virtute præditus, & pecuniis superior, etiamsi innumerabiles degunt in paupertate, potuerit esse pacificus. Avari autem, etsi sint duo tantùm, nunquam possunt esse in pace. Quamobrem si virtute simus præditi, non peribit charitas. Virtus enim est ex charitate, & charitas ex virtute. Quomodo? Dicam. Qui est præditus virtute, non præfert pecuniam amicitiæ: non est memor injuriæ acceptæ: proximum nec injuriâ afficit, nec contumeliâ: omnia fert forti & generoso animo. Ex his constat charitas. Rursus qui diligit, hæc omnia suscipit. Sic ea sunt hujusmodi, ut alterum alterum constituat. Et ex hoc ostenditur, quòd charitas sit ex virtute. *Homilia 9. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Charitatem quærit à nobis Paulus, non quamlibet, sed quæ nos conglutinet & efficiat ut alter in alterum ita se habeamus, ut divelli non possimus, & quæ tantam & tam exactam præbet unionem, quanta est membrorum cum membris. Hæc enim est quæ magna operatur bona. Propterea dicit unum corpus & consensu, & quod aliorum bonis non feriamur, & quod simul lætemur, &c. *Homil. 11. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Velle plus habere quàm proximum, in iis quæ ad hanc vitam pertinent, non aliundè ortum est, quàm ex eo quod refrixit charitas. Velle plus habere non aliunde oritur quàm ex arrogantia, & odio hominum & contemptu. *Homil. 18. ad Ephesios.*

Idem: Qui ardenter amat, eum quem amat ita sibi respondere vult, ut nullo in amoris gradu consistere patiatur. Nullus enim est hujus boni modus, idcircoque Paulus semper deberi vult: Nemini, inquit, quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Modus & mensura charitatis est nusquam consistere. *Homil. 2. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Non hoc solo ostenditur charitas, quod sua nunciat, sed etiam quod de illorū statu cupit cognoscere. Hoc animæ est valdè curantis & satagentis, & in perpetua quadam sollicitudine versantis. *Homil. 9. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Nihil æquè validum, ut vinculum spiritus. Qui enim propterea quod sit beneficio affectus, evasit amicus, si non hoc fiat perpetuò, erit inimicus. Qui ex consuetudine quum esset indivulsus, interrupta rursus consuetudine extinxit amicitiam. Mulier rursus, si fuerit lis ac dissensio, dimittit maritum, & solvit desiderium. Filius, si diu viventem viderit patrem, ægrè fert. In spiritu autem, ex his nihil est., nullo enim horum solvitur. quoniam ne ex his quidem constat. Neque tempus, neque vitæ longitudo, neque malè esse affectum, non ira, non contumelia, neque quidquam aliud invadit, neque eam potest dissolvere. *Homil. 1. ad Colossenses.*

Idem: Dissolvuntur omnia bona nisi fiant cum charitate. Ipsa omnia illa constringit. Quodcunq; bonum dixeris, si ea absit, nihil est, sed diffluit, & quomodo in navi, etiamsi magna sint instrumenta, & non sint quæ eam succingant tabulata, nihil prodest: & in domo si non sint contignationes, & in corpore, etiamsi magna sint ossa, non sint autem ligamenta, nihil juvat. Cujusmodicunque enim quispiam bona habeat opera & rectè facta, evanescunt omnia nisi sit charitas. *Homil. 8. ad Coloss.*

Chrysostomus: Vide autem charitatem: non hunc quidem diligebant, illum verò minimè: sed erat æqualis ab omnibus: hoc enim tacitè innuit dicendo, uniuscujusque vestrum in invicem, quod ea sit in æquilibrio veluti unius corporis. Nam nunc quoq; invenimus esse apud multos charitatem & dilectionem, sed hanc charitate & dilectionem esse causam dissensionis. Nam quando bini aut terni fuerimus conjuncti, & duo quidem aut tres aut quatuor valdè inter se fuerint colligati, à cæteris autem seipsos abstrahentes, eò quod ad illos possint confugere, & illis in omnibus confidere, hoc est dissensio, non dilectio. Nam, dic mihi, si oculus quum habet totius corporis curam, in manum conferret, & se ab aliis membris avertens, illi soli attendat, nunquid perdit universum? Meritò. Ita nos quoque, si charitatem, quæ extendi debet in totam Dei ecclesiam, in unum & alterū contrahamus, & nos ipsos & illos & universos perdimus. Hæc enim nō sunt charitatis, sed dissidii, scissuræ & avulsæ rupturæ. Nam etiamsi à toto homine avulsam accepero partem, ipsa quidem scissura sibi est unita, & est continens & conglutinata, cæterùm sic quoq; est scissura, quoniam reliquo non est unita corpori. Quid enim prodest quod hunc aut illum valdè diligis? Humana est charitas & dilectio. Si autem non est humana, sed propter Deum diligis, omnes dilige. Deus enim sic jussit etiam inimicos diligere. Si autem jussit diligere inimicos, quantò magis eos qui te nulla affecerunt molestiâ? At diligo, inquis: sed nō ita. imò verò ne diligis quidem. Nam quando accusas, quando invides, quando insidiaris, quomodo diligis? At hoc, inquis, non facio: sed quando malè audiente fratre maledicentis os non obstruis, & iis quæ dicuntur credis, & ea non comprimis, cujusnam amicitiæ est hoc indicium. *Homilia 2. ad Thessalonicenses 1.*

D. Chrysostomus: Cùm ego aliquando cuidam narrarem & dicerem, quod charitas reddit nulli affines reprehensioni, nec sinit quæ cum proximo intercedit amicitia, subire aliquod delictum, & alia omnia recenserē & verbis persequerer, quidam ex familiaribus meis respondens & se ingerens dixit: Quid verò scortatio? An non licet & amare & scortari? Et hoc quidem fit ex amicitia. Atq; avaritia quidem & adulterium & invidia & insidiæ & quæ sunt hujusmodi, possunt reprimere & impedire à propinquorum dilectione. Scortatio autem, inquit, quomodo? Ego verò dixi, quòd hoc quoq; potest reprimere & impedire charitas. Nam si quis amat mulierem quæ scortatur, ab aliis viris eam tentabit abducere, non ipse quoque peccato accedere. Quamobrem est ejus qui valdè odit scortantem, cum ea scortari: ejus autem qui valdè diligit, est eam abducere ab illa abominanda actione. Nec est, nec est ullum peccatum, quod non tanquā ignis consumit vis charitatis & dilectionis. Facilius enim resistit vile sarmentū magno ignis rogo, quàm natura peccati potestati charitatis. Hanc ergo plantemus in nostris animis, ut stemus cum omnibus sanctis. Illi enim omnes placuerunt & accepti fuerunt ex dilectione proximi. *Homil. 4. ad Thessal.* 1.

Chrysostomus: Sicut loricam nihil facilè dissecuerit, sed est validus & firmus murus pectori, ita etiam tu fidem & charitatem adige animæ, & nullum ex ignitis telis diaboli poterit infigi. Ubi enim armis charitatis protecta & munita fuerit vis animæ, omnia temerè ac frustra struunt & parant qui insidiantur. Neq; enim malitia, nec inimicitiæ, nec invidia, non assentatio, non hypocrisis, ac simulatio ejusmodi animam poterit attingere. *Homilia nona ad Thessalonicenses* 1.

D. Chrysostomus: Multa sunt quæ avertunt à charitate, & multæ semitæ quæ inde declinant. Primùm quidem semita mammonæ, tanquam impudentes quasdam manus in nostram immittens animam, & mordicus apprehensos vel invitos inde vellit & trahit. Deinde inanis gloria, & sæpè etiam afflictiones, & tentationes avertūt. Propterea tanquam quodam spiritu, Dei ope opus habemus, ut nobis velum tanquam ab aliquo vehementi spiritu transmittatur ad Dei charitatem. Ne mihi enim dixeris, diligo ipsum etiam plusquā me ipsum. Hæc sunt verba, ostende factis. Si ipsum diligis plusquam teipsum, dilige plusquam pecuniam: & tunc te credo ipsum diligere plusquam teipsum. Qui autem pecunias non despicis propter Deū, quomodo teipsum despicies? Quid autem dico pecunias? Qui avaritiam & plura habendi cupiditatem non despicis, quod etiam absque Dei jussis oporteret facere, quomodo teipsum despicies? *Homil. 5. ad Thessal. 2.*

Chrysosto-

Chryſoſtomus: Ex virtute, abjectioneque formidinis, charitas provenit. nihil enim ferè ita charitatem ſolvere conſuevit, ut formido, & proditionis opinio. *Homilia* 1. *ad Timoth.* 2.

D. Io. Chryſoſtomus: Dum à proximi dilectione frigeſcimus, ad hoc ſenſim pertingim⁹, ut divinæ etiã dilectionis in nobis fervor extinguatur. Neq; enim fieri poteſt, ut qui amare neſcit, quicquã illuſtre cõcipiat animo, viriliq; mente ſit præditus: quippe bonorum omniũ amicitia aptiſſimũ inſtrumentũ eſt. In hoc, inquit, pendent lex & prophetæ. Sicut enim ignis ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit: ita & charitatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit atque perrumpit, quæ divinam ſegetem demoliuntur, emundatque humum ſuſcipiendis atque fovendis altè ſeminibus. Vbi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala: non eſt ibi avaritia, malorum radix, nulla ibi elatio eſt. Quid enim adverſus amicum ſe quiſpiam extollat? Nihil itaque ſic humilem facit ut charitas, per quam ſervorum miniſteria amicis impendere non erubeſcimus, imò & gratias illis pro hujuſmodi ſervitute referimus: per hanc pecunias largè profundimus, corporibusque ipſis poſtremò non parcimus, perquàm enim ſæpè pro amico periculis ſe quis que expoſuit. Nulla denique invidia, nullum crimen locum habet, ubi fuerit vera & germana dilectio: non modo enim amicis non detrahimus, verum & ſi qui detrahere velint, eis ſilentium imponimus. Omnia in charitate ſunt levia, ſuavia, mitia: litis aut contentionis nullum ibi veſtigium cernitur, pacisque plena ſunt omnia. Plenitudo enim legis eſt charitas. cuncta nempe ſcelera, quæ pacem perturbant: ut ſunt avaritia, rapina, invidia, accuſatio, arrogantia, perjurium, mendacium, ubi charitas fuerit, ſolvuntur: perjurat enim quiſque ut rapiat. Quis autem eum quem diligit, diripere queat? cui contra ſua quoque largitur libens, gratiasque illi magis, quàm ſi ab eo accipiat, refert? Noſtis iſta profectò quicunque amicos habetis, non ſolo nomine, neque ſimplici appellatione: ſed ſi quis ita dilexerit, ſicut diligere oportet. *Homilia* 7. *Epoſtola* 2. *ad Timotheum.*

D. Ioan. Chryſoſtomus: Alter alterum diligamus; & nullo altero indigebimus ad nos rectè gerendos ex virtute; ſed erunt nobis omnia facilia abſque ſudoribus; multo ſtudio & diligentia rectè regemus omnia. *Homilia* 3. *Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Nihil apud Deum tanto in pretio eſt, quàm charitas: ob quam & homo factus eſt, & ad mortem uſque obediens. Eaque de cauſſa diſcipuli quoque illi, qui primi ab eo vocati ſunt, duo fratres extiterunt. Ex quo ſtatim per ipſa initia ſapientiſſimus ſalvator illud indicavit, ſe diſcipulos omnes ſuos fraterno amore copulari velle. Quæ cùm ita ſint, nihil charitati anteponendum ducamus: quæ quidem omnia inter ſe devincit, atque in utili concordia conſervat. *libro* 1. *Epiſt.* 10.

S. Iſidorus Peluſiota: Communis ille omnium hoſtis, utpote tyrannidis morbo laborans, humanum genus naturalibus illis, quibus præditum erat, bonis exutum ſpoliavit, & vivendi ratione virtuti cõtrariâ inſtructum induit, cum ad eam rem vires humanas nactus eſſet obſequentes. Non enim per ſeipſum habuiſſet tantum roboris, niſi ab ignaviâ eorum quos decepit magnopere fuiſſet corroboratus. Verùm quia oportebat humanitate atque clementiâ opificis noſtri iterum induere arma virtutis, Deus verbum in terras venit, nobiſq; charitatem, quaſi quandam angelicam ſtolam contexuit, in quâ univerſam virtutis armaturam fabricavit. Nam virtutum omnium præclara facinora, quæ in ſpecie ſolent enumerari, una generalis virtus complexa eſt, cujus nomen eſt Charitas ſive Dilectio. *lib. 4 Epiſt.* 15.

S. Iſidorus Peluſiota: Hanc ob cauſſam, optime virũm, captu faciles ſumus, & ſubactu, quòd in nos invicem armemur, communi hoſte utentes imperatore. Cum enim oporteat conjunctis viribus contra ipſum gerere bellum, nos vice verſâ cumipſo in nos invicem armamur, ipſo principe militiæ utentes, qui nihil niſi utriuſque partis perniciem ſitit. Sed querelis uti facile, & cujuſvis fuerit: At dicere, quo pacto deſinere poſſimus invicem belligerari, hoc demum eſt conſiliarij. Dico igitur, id inde accidere, quòd & divitias & gloriam & alias hujus vitæ res, quæ inſtar herbæ tabeſcunt, magno in pretio habeamus. Nam ſi illas nihili & viles, quales etiam ſunt, reputare nos ipſos doceremus, non utique ſuper illis implacabiles inimicitias & non denuntiata bella nobis invicem indiceremus; ſed pacem charitatemque amplecteremur, per quam omne bellum & pugna atque diſſidium tolleretur. *lib. 4. Epiſt.* 70.

¶ Latinorum.

S. *Salvianus*: Omnes ſe ferè barbari qui modò ſunt ejuſdem gentis & regis mutuò amant. Omnes penè Romani ſe mutuò perſequuntur. Quis enim civis non invidet civi? quis plenam vicino exhibet charitatem. Omnes à ſe, etſi loco non abſunt, affectu abſunt: etſi habitatione junguntur, mente diſiuncti ſunt. Atque utinam hoc, licet peſſimum malum, cives tantum atque vicini! illud eſt gravius quod nec propinqui quidem propinquitatis jura conſervant. quis enim ſe proximis ſuis proximum reddit? quis ſolvit charitati quod ſe agnoſcit debere vel nomini? quis hoc eſt animo quod vocatur? quis tam propinquus corde quam ſanguine? in quo non luridus malevolentiæ zelus ardet? cujus non ſenſum livor invaſit, cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? quis non bonum alterius malum ſuum credit? cui ita ſufficit felicitas ſua, ut etiam alium vélit eſſe felicem? Novum & inæſtimabile nunc in plurimis malum eſt: parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix. *libro 5. de gubernatione dei.*

S. Salvianus: Charitas mutua facit, ut licet vos non utrique forſan ſuccenſeatis, uno tamen ex nobis reo, alter ſine triſtitia reatus eſſe non poſſit. *Epiſtola quarta.*

Zeno: Nonne videmus omne animantium genus congregatione, concordia teſtari charitatem? atque ita omnis motus quaſi uno ſenſu magiſtra dilectione converti: ut quivis intelligat, hoc fieri non poſſe ſine naturalis amicitiæ diſciplina? Quid autem pro ſe in neceſſitatibus gerant, omnibus nota porcorum quotidiana propemodum tam jocundi certaminis exempla declarant: quia aliquis eorum cum fortè de numero audacis lupi rabie rotatus in præſens periculum cœperit infeſtationibus tyrannicis duci, omnes repente concelerant: laboranti ſubveniunt: penè armis ipſis inimici certatim ſe crebro ſubiiciunt: ingenti fragore confundunt: exertisque mucronibus ſordidis, velut teſtudine quadam reſiſtunt: vincuntque facilius charitate, quod ſigillatim nuda vix poſſunt ſuperare virtute. Elementa quoque ipſa fratres ſatis diverſa, ſatisque repugnantia olim deprehendiſſet interitus, niſi ea invicem mutuis, æqualibusque temperantiæ dotata muneribus, perennis connubii fideli propagine benigna charitas illigaſſet. Nihil eſt prorſus, quod ſine hac gratum, ſine hac pacificum, ſine hac fidele, ſine hac ſecurum, ſine hac glorioſum, ſine hac Deo junctum, ſine hac poſſit eſſe perfectum. *Sermone de Spe Fide & Char.*

Zeno: Charitas eſt ita rebus univerſis prædita, ut ſit omnium jure ipſo regina. Triumphet licet, quibus vult virtutibus, fides, ac ſpes, multá & magna proponat, tamen ſine hac ut æque non proderunt. fides primò omnium ſi ſeipſam non amet, ſpes ſi non amctur. Adde, quòd fides ſibi ſoli prodeſt: charitas omnibus. Adde, quòd fides non gratis pugnat: charitas autem etiam ingratis conferre conſuevit. Adde, quòd fides non tranſit in alium: charitas, parum eſt dicere, tranſit in alium, quæ tranſit in populum. Adde, quòd fides paucorum eſt; charitas omnium. Adde, quòd ſpes, ac fides tempus habent: charitas autem finem non habent. momentis omnibus creſcit: quantoque ab ea diligentibus invicem creditur, tanto invicem plus debetur. Non quemquam pro perſona diligit, adulari quia neſcit. Non pro honore, quia ambitioſa non eſt. Non pro ſexu, quoniam illi unus eſt ambo. Non pro tempore, quia varia non eſt. Non æmulatur, quia invidia quid ſit, ignorat. Non inflatur, quia humilitatem colit. Non malum cogitat, quia ſimplex eſt. Non iraſcitur, quia etiam injurias libenter amplectitur. Non fallit, quia fidem ipſa cuſtodit. Non ulla re indiget, quia ei præter quod eſt, nihil eſt neceſſarium. Hæc rura, urbes, ac populos compoſita paceque conſervat. Hæc circa regum latera ſecuros gladios facit. Hæc bella premit: lites tollit: jura evacuat: fora compeſcit: odia eradicat: iras extinguit. Hæc mare penetrat: urbem circuit: commercia nationibus neceſſaria ſubminiſtrat. Potentiam fratres cito ejus edicam. Quicquid locis natura negaverit, charitas reddit. Hæc conjugalis affectus duos homines ſacramento venerabili unam cogit in carnem. Hæc humanitati præſtat eſſe, quod naſcitur. Hujus eſt munus, quòd chara uxor: quòd generoſi liberi: quod veré ſunt patres. Hujus eſt munus, quòd alij, ut nos, aut pluſquam nos, proximi, vel amici ſunt nobis. Hujus eſt munus, quòd diligimus ſervos, ut filios: ac nos illi colunt libenter, ut dominos. Hujus eſt munus, ut, non dicam notos, aut amicos, ſed ſæpè etiam eos, quos nunquam vidimus, diligamus. Hujus eſt munus, quòd antiquorum aut virtutes ex libris, aut ex virtutibus libros agnoſcimus. *de ſpe Fide & Charitate.*

Zeno: O charitas, quàm pia, & quàm opulenta ô quàm potens. nihil habet, qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare valuiſti. Tu cum breviatum pauliſper à majeſtatis ſuæ immenſitate, peregrinari feciſti. Tu virginali carceri novem menſibus religaſti. Tu Hevam in Mariam redintegraſti. Tu Adam in Chriſtũ renovaſti. Tu ſacram crucem in ſalutem perdito jam mundo providiſti. Tu mortem Deum mori docendo vacuiſti. Tuum eſt, quòd cum occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus iraſcitur de duobus. Tu populi cœleſtis animam tenes, cum ornas pacem: fidem cuſtodis: amplecteris innocentiam: veritatem colis: patientiam diligis: ſpem repræſentas. Tu diverſos homines moribus, ætatibus, ditione, ex unâ natura unum ſpiritum, unum efficis corpus. Tu martyres glorioſos à confeſſione Chriſtiani nominis nullis tormentis, nulla novitate mortis, nullis præmiis, nullis amicitiis, nullis affectibus omni ſane tortore pietatis mordacitate pejoribus ſeparari permittis. Tu, ut nudum veſtias, nuda eſſe contenta es. Tibi fames ſaginatio eſt. Si panem tuum inops eſuriens manducaverit, tuus cenſus eſt, totum in miſericordiam habere, quod habes. Tu ſola rogari non noſti. Tu oppreſſos vel cum diſpendio tui incunctanter eripis in qualibet anguſtia conſtitutos. Tu cæcorum oculus. Tu pes claudorum. Tu ſcutum fideliſſimum viduarum. Tu melior pupillorum plus, quàm uterque parens. Tibi oculos nunquam ſiccos eſſe aut miſericordia permittit, aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, ut inter eos, charosq; tibi quid diſtet, nemo diſcernat. Tu, inquam, cœleſtia humanis, humana cœleſtibus jungis arcana. Tu divina cuſtodis. Tu in parte imperas. Tu in filio obtemperas. Tu in Spiritu ſancto exultas. Tu cum in tribus una ſis, nullo pacto divideris: nulla humanæ curioſitatis calumnia commoveris. A paterno fonte in filio tota refunderis: & tamen tota ubi refunderis, nec recedis. Rectè Deus diceris: quia trinitatis potentiam ſola convertis. *Ibidem ante finem.*

Chryſologus: Sed dicet aliquis, ergo charitas nunquam perit, nunquam violatur? Plane nunquam quia charitas ſi eſt, permanet: ſi non permanet, non eſt. Sicut ſterilis arbor quæ vernali tempore cum tota candeſcit in flore, fructum non dat illa, ſed fallit ita iſta charitas quæ putatur, & nõ eſt occaſionũ concuſſa fluctibus, evaneſcit: ac ſi ledit ſollicitos, & decipiet incautos. Sed ad cœpta redeam⁹. Magiſter, dic fratri meo, ut dividat mecũ hæreditatẽ. *Serm.* 162.

Ennodius: Nescit experiri quid possit, quem charitas stimulis suis exagitat. *lib.* 1. *Epist.* 8. *m.*

Ennodius: Nunquam se metitur quem stimulat charitatis imperium. *lib.* 3. *Epist.* 17. *m.*

Ennodius: Charitatem nesciunt pia corda deserere: religiosam diligentiam mens generosa custodit. *lib.* 3. *Epist.* 26.

Ennodius: Sola est quæ majorem à Deo retributionem meretur affectio, cùm nullis hominum dotibus provocata concreditur. *lib.* 3. *Epist.* 28. *f.*

Ennodius: Nihil est equidem quod non à veritate in altum ambitioso tollatur eloquio. sed ego ad diligentiam circa vos patior meam sermonis infantiam. Nunquam par fuit lingua charitati: semper subiacuit oris officium bonæ conscientiæ. *lib.* 3. *Epist.* 34.

Ennodius: Novi firmam in affectione conscientiam, inter quævis pondera & adversa districtam, debita sua gratiæ non negare. *libro* 4. *Epist.* 6. *f.*

Ennodius: Nunquam in amore vires interrogo. Facessat ab ingeniis liberalibus, ut credas fascem esse intolerabilem, quem aulicus imponit. *lib.* 4. *Epist.* 23. *m.*

Ennodius: Amor non acquiescit pudori, nec charitatis impatientia verecundiæ lege tenetur. *lib.* 4. *Epist.* 33. *pr.*

Ennodius: Vix aliquibus acquiescit obstaculis mens amantis. fervet ad redhibenda gratiæ stipendia potius cùm vetatur. *lib.* 6. *Epistola* 26. *pr.*

Ennodius: O si suppeteret sermonis abundantia ad ea quæ cupit animus exponenda, aut ad illa, ad quæ lingua sufficit, non pudor eriperet! Parvus amor est, qui oris testimonio sufficienter aperitur. Confessio est repidæ charitatis quoties in ea non cedit eloquium. *lib.* 7. *Epist.* 8. *a. f.*

Ennodius: Perfecta charitas corporalis absentiæ damna non patitur, nec animorum serena conjunctio itinerum sequestratione multatur: quorum animæ Christo in charitate sociante conveniunt, nulla possunt separari interjectione terrarum. Hac ego spe vel securitate, de conscientia vestra securus, amantem mei alloquor, tanquam in amplexibus constitutum. *lib.* 7. *Epist.* 7.

Ennodius: Lex desideriis scripta vix creditur. Jmpariens rigidioris præcepti diligentia, non jugiter dignum facit reprehensione quod libera est. Redditur sæpè amabilior de reatu, cùm per effrœnationem sortitur genium plus placendi. nam delictum suum quodam ipsius præsumptionis melle commendat. *lib.* 7. *Epist.* 25. *pr.*

Ennodius: Testimonium dat solidæ affectioni, qui eam inter impedimenta oblivione non obruit. *lib.* 8. *Epist.* 7 *pr.*

S. Valerianus: Vultis scire quod sit illud malum quod gratiam fraternæ dilectionis excludit? odia, rixæ, simultates, lites, æmulationes; quæ omnem cursum vitæ præsentis infamant. hoc ergo malo absolutus est qui charitati servit; nec habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum. Quid in vita hóminis est, bonum nisi pax, sub qua omnia quæ sunt honesta proficiunt ac religiosa nutriuntur. Quid est jucundius quam ut omnes gentes uni Deo in pace serviant, atque in unius laudem omniũ populorum vota conveniant? Vitemus ergo semper odia odiorumque causas, cesset, inquam, invidia, quæ ad omnem litem animos humanæ mentis accendit. nemo in comparatione, personæ alterius natales infamet, & non est quem insolentia sui oris accuset. cavendum ante omnia, ne quid per concertationem simultatis accrescat. solet enim insanabilis inimicitia ex contẽtione descendere. in quo loco patientia opus est, cui non sine fructu propriæ salutis obsequeris. nam sicut illum qui injuriam fratri infert, gravis peccati manet culpa; ita te maximè protegit virtutis corona, si accepta injuria non iraseeris. ille enim dilectionis plenus affectus est, si obliteratis contumeliis infirmitatibus miserearis alienis. *Homilia* 12.

¶ Philosophorum.

Simplicius: Chara sunt ob naturalem conjunctionem, etsi nullum præbeant usum, liberi, uxor, cognati, cives. *cap.* 7. *ad Epictetum.*

Symmachus: Nulla charitas ita plena est, ut augmentum non capiat. *lib.* 7. *Epist.* 63.

¶ Apologi.

Simia & Nati. *Avienus.*

Fama est quòd geminum profundens simia natum
Dividit in varias pignora nata vices.
Namque unum caro genitrix educit amore,
Alterius que odijs exsaturata tumet.
Cœperit ut fœtam gravior terrere tumultus,
Dissimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus vel pectore gestat amico,
Contemptum dorso sucipiente levat.
Sed quum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte relinquit onus.
Alter ab hirsuto circumdans brachia collo
Hæret & invita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris
Servatus, vetulis unicus heres avis.
Sic multos neglecta iuvant: atque ordine verso
Spes humiles rursus in meliora refert.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate sacro 111,
Delicta operit charitas.

Gaudia pertentant tacitum tibi, Simia, pectus,
Dum gremio catuli membra pudenda fovES.
Arcet ab amplexu non te sine crimibus aluus:
Non sima ante oculos crimina naru habes.
Displicet in multis; placet hac mihi Simia parte.
Ah! niger est, si quis pandere crimen amat.
Livida lingua sile. Vitium tegit ille sodalis,
Imbuit athereus si cui pectus Amor.

Charitatis erga Deum & proximos.

¶ Apophthegmatum sacror.

Abraham Patriarchæ: Abraham Angelos humana forma iter facientes ad se invitans & convivio excipiens, audit promissionem de nascituro Jsaaco in gratiam Saræ repetitam, item consilium Dei de Sodomæ & aliarum vrbium eversione, ad divinæ gratiæ erga eum testificationem, & posterorum utilitatem. Abraham autem intercedens pro illis, & eximia quadam charitate erga Deum & proximos impulsus dicebat, An etiam perdes justum cum improbo? Fortassis sunt quinquaginta justi in ea civitate, &c. *Vide cap.* 18. *Genes.*

Ioseph Patriarcha: Joseph præsenti fratrum suorum & humili oratione Judæ permotus, lachrymans, se fratribus (à quibus crudeliter exceptus olim & venditus fuerat) patefacit, eósque sceleris in se recordatione consternatos, proposita divina providentia erigit, dicens, Ego sum Joseph frater vester quem vendidistis deducendum in Ægyptum: sed nunc ne vos dolore crucietis, neque displiceat in oculis vestris, quòd vendidistis me, nam victus causa misit me Deus ante vos. *Genes.* 45 4. 5.

Moses Dux Israelitarum: Deus ob impia Jsraelitarum murmura graviter exacerbatus, de istis ingratis ad internecionem affligendis deliberabat: dixit verò Moses, Atqui, ô Jehova audirent Ægyptii, è quorum medio fecisti virtute tua ut ascenderet hic populus, ac dicerent cum habitatore istius terræ, Propterea quòd non poterat Jehova introducere populum hunc in terram illam, quam juramento promiserat eis, ideo jugulavit eos in hoc deserto. Nunc igitur magnificetur quæso virtus Domini, quemadmodum pronuntiasti (Exod, 34. 6.) dicendo Jehova est longanimis & multus benignitate, condonans iniquitatem & defectionem, qui prorsus non absoluit sontem, visitans iniquitatem patrum in filios, nepotes & abnepotes: Condona quæso iniquitatem populi hujus pro magnitudine bonitatis tuæ, & prout condonasti populo huic ab Ægypto huc usque. Cui dixit Jehova, Condono secundum verbum tuum, &c. *Numer.* 14. *Vers.* 13. &c.

David: Quum pestis in Jsraelem à Deo propter peccatum Davidis immissa grassaretur, & intra triduum septuaginta mille homines excisi essent, David de populi conservatione admodum sollicitus, cõversúsque ad Deum dixit, *Ecce ego peccavi, & iniquè feci: hi autem, hæ oves quid fecerunt? sit quaso manus tua contra me, & contra domum patris mei.* 2. Samuel. 24. 17.

Salomon: De Charitate & ejus partibus differit variis locis. Et primum quidem dicit Charitatẽ *operire peccata*, Proverb. 10, 12. & 17. 9. *Inimicos esse diligendos*, Proverb. 24. 17. 18. & 25. 21. 22. *non citò contendendum cum quoquam*, Proverb. 25. 8. 9. 10. maximum *fructum Charitatis esse amicitiam*, quæ maximè hominis est propria. Prov. 27. 19. 9. *Amicum non esse mutandum*, Proverb. 27. 10. *immò colendum*, Proverb. 11. 17. & 18. 24. & 27. *Non fallendum*, Proverb. 26. 18. 19. & 27. 14. *Eo non abutendum*, Proverb. 27. 17. *Esse perpetuum*, Proverb. 17. 17. Huic virturi *Assentationem* contrariam esse, & *perniciosam*, Proverb. 24 24. 25, 26. & 29. 5. & 19. 6. & 20. 19. *Odiosam*, Prov. 28. 23. *Fallacem*, Proverb. 26. 28. *Rejectam*, Prov. 25. 23. *Detestandam*, Proverb. 25. 26. & 26. 4. 5. Eccles. 7. 5.

Hobed Propheta, & Primores Ephraim: In bello ab Jsraelitis adversus Achazum Jehudæ regem gesto, quum captivos ducerent Jsraelitæ è cognatis suis Judæis ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, ac etiam prædam multam dirpuissent ex eis, deducérentque ista spolia in Samariam: ibi existens propheta Jehovæ, Hobed nomine, prodiit ante exercitum illum qui veniebat in Samariam, ac dixit eis, Ecce propter iram Jehovæ Dei majorum vestrorum æstuantem contra Jehudæos tradidit eos in manum vestram: ita ut interficetis ex eis cum indignatione: usque ad cœlos pertingit istud. Et nunc filios Jehudæ & Hierosolymitæ cogitatis subiicere ut sint servi & ancillæ vobis? an non penes vos, vos inquam, sunt duntaxat reatus contra Jehovam Deum vestrum? Quare nunc auscultate mihi, & restituite hanc captivorum multitudinem quam abduciis captivam à fratribus vestris: nam æstus iræ Jehovæ exundaret in vos. Tunc surgentes homines è primoribus Ephraimitarum adversus venientes ab illa militia, dixerunt eis, Non estis adducturi hanc captivorum multitudinem

titudinem huc: quia in reatum graviſſimum cederet nobis quod vos dicitis, ſupperaddendo peccatis noſtris & reatui noſtro: quia magnus reatus incumbit nobis, & æſtus iræ contra Iſraelem. Ita dereliquit expeditus quiſque multitudinem illam captivam & prædam ſuam ante iſtos primores, & totam congregationem. Tunc ſurgentes homines quidam, qui expreſſi fuerant nominatim, deprehenderunt multitudinem illam captivam, & omnes nudos eorum induerunt ex ipſa præda: cúmque induiſſent & calceaſſent, cibúmque & potum dediſſent, atque unxiſſent eos, deduxerunt aſinis quemque labantem eorum, ad duxeruntque eos Jerichuntem in civitatem palmarum juxta fratres eorum: deinde reverſi ſunt in Samariam. 2. *Chronic.* 28. 8. 9. 10. *&c.*

Chriſtus & Apoſtoli: Innumeræ ſunt Chriſti & Apoſtolorum de Chriſtiana Charitate ſententiæ & præceptiones, quas tum ex Evangeliſtarum, tum ex Apoſtolicarum epiſtolarum lectione colligere facile eſt. Locos indicaſſe hic ſufficiet. Vide igitur Matth. 5. 42. & 19. 22. & 22. 39. & Luc. 11. 42. & Joann. 13. 34. & 15. 12. 27. & Act. 20. 37. &c. & Rom. 12. 9. 10. & Rom. 13. 8. & 1. Corinth. 13. 1. & 14. 1. & 16. 14. & Galat. 5. 6. 13. 14. 22. & 6. 2. & Epheſ. 3. 17. & 4. 2. 15. 32. & 5. 2. & Philipp. 1. 9. & 2. 2. & Coloſſ. 2. 2. & 3. 13. 14. & 1. Theſſal. 3. 12. & 4. 9. & 5. 8. & 1. Timoth. 1. 5. & 2. 15. & 4. 12. & 6. 11. & 2. Timoth. 1. 13. & 2. 22. & 3. 10. & Hebr. 6. 10. Item Jacobum. cap. 1. 27. & Petrum, 1. epiſt. cap. 2. 17. & 4. 8. & totam 1. epiſt. catholicam Joannis, præſertim à cap. 2. ad 5.

Anonymus: Frater quidam, librum Evangelij, quem ſolum habebat, vendidit, pecuniámque ad pauperes ſuſtentandos contulit, dictū memoria digniſſimum ſimul elocutus: Eum ipſum librum vendidi, qui dicit, Vende quæ habes, & da pauperibus. *Socrat. hiſt. eccleſ. lib. 4. cap. 18.*

Paulus Martyr: Paulus Martyr Gazenſis, cùm à lictore jamjam capite truncandus eſſet, paululum temporis ſibi concedi poſtulavit. Quo impetrato, primùm clara & canora voce à Deo expoſcit, ut Chriſtiani tribules ſui ejus gratia reconciliarentur, & ut quàm citiſſimè illis daretur libertas, ſupplex obteſtatur. Deinde pro Judæis, ut ad Deū per Chriſtum ſe totos transferrent, orat: deinceps paulum in oratione progreſſus, eadem pro Samaritanis efflagitat: tum ut omnes gentiles qui in errore & cæca Dei ignoratione verſabantur, ad divinam cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent, deprecatur. Neque univerſam multitudinem quæ undique circumſiſtebat, omnino tanquam neglectam & precatione ſua deſtitutam reliquit: poſt quos univerſos (ô immenſam & ineffabilem animi lenitatem & tolerantiam,) etiam pro judice qui illum morti addixerat, próque imperatoribus pro carnifice item, qui mox eſſet caput ejus amputaturus, eo ipſo carnifice & omnibus qui aderant audientibus, Dei omnipotentis numen imploravit, ne illis hoc facinus in ipſum admiſſum peccati loco numeraret. *Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 18.*

Acacius: Cum Romani milites illos Perſas quos in depopulanda Azazena captivos cœperant, nullo modo regi Perſarum reddere in animum inducerent: & captivi, qui erant numero circiter ſeptem milia, fame propemodum abſumti eſſent, Acacius, Amidæ Epiſcopus, hanc militum miſeriam minimè neglexit: ſed convocatis ſuis clericis, ſic eos allocutus eſt: Deus noſter neque lancibus, neque poculis eget: nam nec comedit nec bibit, quippe qui his rebus minimè opus habeat. Quare cùm Eccleſia multa monumenta aurea argenteáque ex propenſa fidelium in eam benignitate poſſideat: conſentaneum eſt, hiſce rebus milites captivos & è cuſtodia liberare, & fame prope enectos reficere, ſuſtentaréque. Vbi hæc aliáque id genus oratione percurrerat, monumenta Eccleſiæ conflanda curavit, vendidit, pretiáque partim & militibus pro captivis redimendis dedit, partim ad eorum famem ſublevandam impendit: poſtremo viatico illis ſuppeditato, ad ſuum ipſorum regem remiſit. *Socrat. hiſt. Eccleſ. lib. 7. capite 2.*

Ioannes Alexandrinus Patriarcha: Joannes Alexandrinus Patriarcha (qui pauperes Dominos ſuos appellabat) ex hac vita migrās, gratias Deo egit, quòd morienti ſibi nihil deeſſet præter unum nūmum, quem ſtatim indigenti dari præcepit. Annuum quippe illi Patriachatus vectigal, annuæ in egenos eleemoſynæ erant, nihil ſibi reſervanti præter Chriſtum. Neque enim quicquam aliud ſuum eſſe ajebat: aſſerens, ideo ſacerdotibus neque poſſeſſionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam, quoniam pars & hæreditas, & poſſeſſio eorū eſſet Dominus. Quam pauci ſunt autem in Eccleſia, qui illud cogitent! *Marullus lib. 1. cap. 8. Egnat. lib. 4. cap. 4.*

Theodora & Miles: Charitate inter ſe contenderunt apud Antiochiam Theodora virgo & quidam miles. Illa ob Chriſti confeſſionem ab infidelibus in proſtibulum truditur: miles ignotus eam primus adiens perſuadet ut mutatis ſecum indumentis, virili habitu evadens, virginitatem intactam conſerver. Cúmque ipſe cum muliebri veſte deprehenſus pro virgine ad ſupplicium traheretur, non ſuſtinuit illa, ut cujus ope pudicitiam tutata fuerat, necis cauſa fieret: ſed palam proclamat, *Se eſſe ei pœnæ addictam, non ipſum.* E contra ille, *Se judicis ſententiâ damnatum, non illam.* Dū certarunt uterque, alterum ſua morte redimere cupientes. At verò quoniam Chriſtum confitentibus mori vivere erat, Deo ita deſponente, ambo ſimul capitis obtruncatione glorioſum martyrium peregerunt: ne eos tyranni gladius ſepararet, quos junxerat amor Chriſti. *Marullus lib. 3. cap. 2.*

Marcianus: Avitus & Marcianus, præſtantiſſimi anachoretæ, quum aliqua die ſimul conveniſſent, menſa frugaliter admodum parata, Marcianus dixit Avito: Adeſdum amice, & hujus menſæ ſimul particeps ſimus. Ille verò, Neſcio, inquit, me unquam cibum ſumpſiſſe ante veſperam: ſæpè autem duos & tres dies ſimul maneo jejunus. Mea ergo, inquit Marcianus, cauſa hodie conſuetudo mutetur. Nam cùm ſim corpore imbecillo non poſſum expectare veſperam. Quum autem nihil promoviſſet, ingemuiſſe fertur & dixiſſe, At ego animo angor & valdè crucior, quod tantos labores exantlaris, ut virū ſatagentem & philoſophum videres, ſpe autem falſus, cauponem inveneris profuſe & delicatè viventem. Tunc moleſtia affectus Avitus, quum dixiſſet ſe malle veſci carnibus, quàm hæc audire, ſubjecit Marcianus, Nos quoque, amice, eandem quum tu vitam perſequimur, eandémque amplectimur vivendi rationem, ac quieti labores præferimus, & jejunium magis expetimus quàm cibum, eúmque nocte adventante capimus, ſed ſcimus Charitatem eſſe jejunio præſtantiorem. Charitatis enim opus à lege divina præcipitur. Jejunium autem eſt poteſtatis noſtræ & arbitrij. Oportet autem exiſtimare divinas leges eſſe noſtris longè præſtantiores. *Theodoret. hiſt. Sanct. Patrum.*

Sylvanus: Sylvanus Abbas in deſerto Scythi, jejunij die unà cum Zacharia diſcipulo iter faciens, ad quoddam monaſterium divertit, & humaniter acceptus manducavit. Cùm diſceſſiſſent, diſcipulum in viæ bibentem reprehendit, quòd eo potu jejunium ante tempus ſolviſſet. Et cùm ille ambos jam ſoluiſſe jejunium diceret, cùm in monaſterio comediſſent: Minimè, inquit, nam illud non jejunij ſolutio, ſed charitatis communicatio fuit. Exiſtimavit Sylvanus abſque jejunij detrimento poſſe aliquid præguſtari in ſodalitio exterorum: id eſt, cum aut ipſe alios hoſpitio ſuſciperet, aut ab aliis ſuſciperetur. Quem morem apud Ægypti monachos celebrem fuiſſe, auctor eſt Caſſianus: ita tamen ut illam præguſtationem diſtrictiore poſtea jejunio compenſarent. Vſque adeo neque charitatem dimittere, neque abſtinentiæ quicquam derogare volebant. *Marull lib. 4 cap. 1.*

Spiridion: Ferunt viros quoſdam maleficos ad ovile Spiridionis epiſcopi noctu veniſſe, atque oves furari aggreſſos, de repentè vinculis conſtrictos fuiſſe, etiam ſi nemo eos colligaſſet. Vt autem dies illuxit veniſſe eò Spiridionem, illos vinctos offendiſſe, ſoluiſſe vinculis quæ certè oculis cerni non poterant. Increpaſſe, quòd cùm rogando potuiſſent rem cupitam aſſequi, clam tamen furripere maluiſſent, & noctu ſibi ipſis tantum moleſtiarum facceſſere. Attamen eorum miſertum, & ut ſe ad melius vitæ genus transferrent, hortatum, dixiſſe: Abite, hūncque arietem accipite. Nam cùm totam noctem vigilando vos afflictaveritis, non eſt ſanè conſentaneum, ut de veſtris ſuſceptis laboribus conquerentes, à meo ovili diſcedatis. *Soz. om. eccleſ. hiſtor. lib. 1. cap. 11.*

Duo Fratres: Sæviente Vandalorum perſecutione, germani duo fratres juramento ſe ipſos conſtrinxerant, ſe quodvis tormentorum genus, atque adeo mortem ipſam perpeti velle, potius quàm fidem in Chriſtum abiicere aut abnegare. Mox cùm in ſtipite tortorio nervis diſtenti per totum diem penderent, magni ponderis ſaxo pedibus alligato: alter fratrum doloribus tantùm non ſuccumbens, liberari ſe, ut & ſpiritum fermè amiſſum recolligeret, & breve deliberandi ſpatium ſibi ſumeret, petiit. Tunc alter & ipſe nervis toto corpore diſtentus. *Quid* (inquit) *frater agis? Aliud certè juramentum, quo Redemptori noſtro Chriſto obſtricti ſumus, a nobis requirit. Ipſemet ego coram tribunali ſummi Judicis te accuſaturus ſum. Perceptione corporis & ſanguinis Chriſti, nos ipſos quaſi jurejurando devinximus, quòd omnia ſupplicíorum genera, ipſam quoque mortem crudeliſſimam unà pro Chriſti gloria ſubire prompti & parati eſſe velimus.* His verbis alter confirmatus, tortoribus alacri animo inſultans, protinus exclamat: *Omnia agite, huc in nos tela convertite, ſupplicia ſupplicijs, tormenta tormentis cumulate: nihilominus fratris mei firmo animo conſtantiam ſecuturus ſum.* Ibi verò carnifices exacerbati, candentibus ferri laminis membra eorum exuſſerunt, unciſque dilacerarunt, & quidem fœdè adeo, ut ipſi tortores horrore concuſſi oculos averterent, dicentes, Profectò his univerſus adhærebit populus, nec facilè aliquis ad noſtram convertetur religionem. *Victor. lib. 3. de perſecut. Vandal.*

¶ Thologi Veteres. Graeci.

Scité dicta quædam de Charitate erga Deum & proximos, dicta à veteribus Theologis Græcis, ex Antonij Sermone de Charitate collecta, ſequuntur.

Baſilius: Ratam facite Charitatem, qua remota nullum mandatum perfici poſſe Dominus ipſe affirmat Deus non omnium Deus eſt, ſed illorum quos ei charitas conciliaverit. Charitatis duo ſunt peculiaria: alterum triſtari & angi diſpendiis ejus qui diligitur: alterum gaudere ſucceſſu ejus, & pro eo certare. Quis modus eſt dilectionis erga Deum? Hic eſt, ut animæ ſemper nitatur etiam ſupra vires ſuas ad voluntatem Dei, & juxta ſcopum ac deſiderium gloriæ ipſius agat.

Chryſoſtomus: Nihil tam firmum eſt ad charitatem quàm mutua affectio. Non ſatis eſt animi affectio, niſi & reipſa declaretur: opus enim affectionis argumentum & probatio eſt. Omnium virtutum opifex eſt charitas, cujus natura ſatietatem neſcit, ſed dum ſemper fruitur dilectis magis magiſque inflammatur. Et hoc inſinuans alumnus charitatis Paulus dicebat, Nemini quicquam debeatis præter mutuū amorem. Hoc enim debitum ſemper quidem expenditur, nunquàm verò perſoluitur. In hoc genere debere, bonum eſt & laudabile. Nam circa pecunias eos laudamus, qui nihil debent: circa dilectionem verò eos qui nunquam non debent beatos judicamus.

Clemens. Amare inimicos non jubet malum amari, neque impietatem, aut adulterium, aut furtum, ſed furem & adulterum, non quia peccet, & illa turpi actione hominis nomen contaminet: ſed quia homo

homo sit & Dei opus. Peccatum actio est, non substantia, ideóque ne opus quidem Dei est.

LATINI.

Addamus & quædam ex Latinis Theologis excerpta.

Augustinus: Proximus, quem diligere jubemur, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, nō negotiandi, sed nascendi lege communis. *Ad Martianum.* Quia radix omnium malorum est avaritia, & radix omnium bonorum est charitas, simul ambæ esse non possunt. Nisi una penitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa conatur aliquis incidere ramos, si radicem non contendit evellere. *Homil.* 8.

Sola Charitas est, quæ vincit omnia, & sine qua nihil valent omnia, quæ ubicunque fuerit, trahit ad se omnia. Scientia si sola sit, inflat. Quia verò charitas ædificat, scientia non permittit pios inflari. *Lib. de doctrina Christiana.* Charitas alios parturit cùm aliquis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, cum aliis se erigit, aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. *lib. de catechizandis rudibus.* Si potes dare da, si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Charitas non de sacculo erogatur. *In Psal.* 103. Dives & pauper duo sunt sibi contraria, & sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si se invicem portarent: & nemo laboraret, si se jambo juvarent. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem, Pauperis est orare, & divitis erogare: & Dei est pro parvis magna præstare. *De Verbis Domini, Serm.* 11.

Hieronymus: Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorū preces non exaudiri. *Epist. ad Nepotianū.*

Ambrosius: Hoc est occidere hominem, vitæ suæ subsidia ei denegare. Cave ne inter loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *In Psalm.* 118.

Gregorius: Duo sunt præcepta Charitatis, Dei videlicet amor, & proximi. Per amorem Dei gignitur amor proximi: & per amorem proximi Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profectò diligere proximum nescit. Et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius charitatem colligamus. *Moral. lib. 7.* Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quæ benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. *In pastorali.*

D. Bernardus: Bernardus, monachorum pater, abstinentiæ præcipuus magister, cum aliquando venientibus hospitibus extra ordinem cœnasset, idque discipuli crimini darent: Non ego, inquit, sed charitas edit bibitque. *Æneas Sylvius lib. 2. Commentar. in Ant. Panorm.*

Liberatus, & Uxor ejus. Liberatus, disciplina medicus, à liberis omnibúsque fortunis auulsus, in exilium, quòd Christum abnegare nollet, unà cum conjuge, quæ & ipsa Christi miles erat strenua, actus est: quam calamitatem forti sustinentes animo seipsos mutuis consolationibus ex verbo Dei erexerunt. Et mulieris admiranda fuit generositas. Ea enim maritum ob desertos liberos in luctu & squalore versantem, his verbis confirmabat: *Quæso anima ne an liberorum tibi jactura potior est? Ecce & ipsi plorantes clamant. Christus, quem ipsi quoque servatorem & redemptorem agnoscunt, eos tutabitur.* Victor de persecut. Vandal. lib. 3.

Otto Magnus: Quum undique bella domestica in Ottonem Magnum, Jmperatorem, commoverentur tanta, ut videretur Europa in caput optimi principis conjurasse: Henricus quoque frater, cognomento Rixosus, spe regni accensus, seditiosa adversus eum arma expedivit. Verùm aliquot præliis victus, quum se victum videret, assumptis aliquot episcopis, de improviso ad Jmperatoris fratris sui genua procedit, supplexque ab eo veniam petiit. Episcopi quoque pro virili quisque sua pro eo intercedunt. Jmperator primum quasi attonitus aliquantisper tacuit. Tandem in hæc verba erupit. Qua in re, frater, à me offensus, animo adeo exasperato funestum prorsus adversus me bellum concitasti? Jmplacabilis fuit hactenus furor tuus, nec ullum veniæ, quam sæpè ultro tibi obtuli, locum dedit. Propter quam contumaciam tuam licet nulla sis venia dignus, attamen non quid tua mereantur facta, sed quid fratrem & regem deceat spectabo, depositisque inimicitiis te ut fratrem amplectar. His dictis, fratrem sublevatum osculatur, eúmque in arcem Ingelheimensem custodiendum aliquandiu transmisit. Mox sopitis omnibus simultatibus aliquot Lotharingiæ civitatibus præficit: deinde post mortem Bertholdi Bavariæ ducis, ex matris intercessione, ei Bavariæ ducatum attribuit, omniáque fraterni amoris officia sedulò cum ipso coluit. *D. Andreas Hondorffius, in theatro histor. ex Crantzij Saxonia, libr. 3, cap.* 17.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

Jesus Christus: Sanctorum exemplis dictisque nunc investigandum, quo animi adfectu proximus (sub quo omnem hominem comprehendimus; omnium enim unus est pater Deus) prosequendus à nobis sit. Et quidem roganti se DOMINUS, Magister quod est mandatum magnum in lege? respondit: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *& proximum sicut teipsum.* Tunc utique proximum sicut teipsum diligis, si quod tibi non vis fieri (ut explicat Scriptura) nec illi feceris. *Matth. cap. 22. Marc.* 12.

S. Paulus Apostolus: At subit aliud non minùs illustre charitatis exemplar, Gentium doctor: qui anathema voluit esse pro fratribus. cùm autem multa coram Agrippa Rege de sua conversione ac mortuorum resurrectione in medium adduxisset, & is diceret, In modico suades me Christianum fieri; subjecit: *Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantùm te sed & omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis his vinculis.* Act. cap. 26.

S. Ioann. Evangelista: Amicum quoque erga omnes se ostendit JOANNES EVANGELISTA, qui cùm Ephesi moraretur plenus dierum, ita ut vix inter manus discipulorum ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud proferebat, quàm, *Filioli, diligite alterutrum.* at cùm discipuli tædio affecti, quòd eadem semper audirent, rogarent, Magister, quare hoc semper loqueris; dignam JOANNE sententiam respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.* Hieronymus in Commen. Epist. ad Galatas: & Breviar. Rom.

S. Ioannes Chrysostomus: Jlle amicum suum Basilium per industriam ad Episcopatum induxerat, eo quòd se in judicio periclitantem magnis periculis liberasset, aliis autem hoc factum improbantibus; *Ego*, inquit, *aliter amare non didici.* Conjecturam enim sumebat CHRYSOSTOMUS, eum non secùs Christi oves amaturum, quàm amicum dilexerat. *Chrysost. lib. 2. de Sacerd.*

S. *Gregor. Nazianzenus*: Cùm omnia ei ex animi voto succederent, & ob id plurium in se invidiam concitaret, jamque in ejus locum alius substitueretur Episcopus: ipse, quid fieret sentiens, *Absit*, inquiebat, *ut mei causa simultas aliqua in Dei sacerdotibus oriatur. si propter me est tempestas; tollite, & mittite in mare, & desinet a nobis quassatio.* En virum sanctissimum, etiam paratum quævis perpeti, ut cū proximo pace concordiāq; conservet. *In Vita ejusd.*

S. Dominicus: Hic quoque mirus charitatis cultor, hanc frequenter usurpabat vocem: *Plus in charitatis codice didici, quàm in universa Scriptura.* Nec malè; quia plenitudo legis, est dilectio. *In Vita ejusdem.*

S. Martinus: Egregium item charitatis fraternæ exemplaris fuit. Moriturus enim, dum quererentur discipuli, quòd se sine solatio relinqueret, ad preces conversus; *Domine*, inquit, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua.* O virum ineffabilem! nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit! *Sulpit. in Vita.*

B. Ignatius Lojola: Nec minùs ille hoc in genere illustris. Cùm enim Lutetiæ quidam nefario pellicis amore teneretur, cumque omni via & modo ab eadem avellere nequicquam tentaret; tandem opido egressus, in lacum, itineri, per quod alter ad turpes suas delicias iturus erat, conterminum, se cervice tenus immergit, venientem exspectat, præsentemque è longinquo ita compellat: *Perge miser ad fœdissimas tuas voluptates: impedientem tuo capiti ruinam non vides? hic ego me tui causa tamdiu macerabo, donec justissimum Dei furorem in te paratum avertam.* Perculsus homo tam insigni charitatis exemplo, stat, pedem refert, & mentem. *Ribad. in Vita.*

B. Franciscus Xaverius: Vt vitæ genere cum priori, ita & in charitatis hujus vinculo par. Amicis namque ne in Chinam pergeret ob præsens periculum dissuadentibus; *Non aliud*, respondit, *mihi in votis, quam vel morte mea Chinarum salutem repræsentare.* Sciebat certè spei metum cedere, ubi majora periculis proposita sunt præmia *Hor. Turscll. lib. 3. cap.* 15. *in Vita ejusdem.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absque charitate, vita nulla adest jucunditas.
Aptissima est vitæ ad quietem charitas.
Charitas anima est volucris, cunctaque orbis circuit.
Charitas delicta cuncta pennis operit aureis.
Charitas fraternitatis vinculum insolubile est.
Charitas tam plena nulla, quin queat fieri auctior.
Charitas tam magna non est Livor in quam nil queat.
Charitate amoris ignis, ignis iræ odio tumet.
Charitati raritas sermonum infert dispendium.
Charitatis pars magna, erga pauperes miseratio.
Cingitur terrore frustra charitas quem non tegit
Cuncta credit, cuncta sperat, cuncta patitur charitas.
Damna non patitur perfecta charitas absentiæ.
Frustra se terrore vallat, quam non sepsit charitas.
Haud loco ullo separatur charitatis copula.
Ingrati simulacrum muta repræsentat charitas.
Muta charitas ingrati propemodum obtinet vices.
Nil tam hostile charitati mentis quam superbia.
Non facit malum, dicit ve, cogitat ve charitas.
Non quantum velis tibi est sumendum, at quantum debeas.
Nulla charitas tam plena est, quæ non possit crescere.
Peccatorum oblivione charitatem contines.
Plus amicis quam sibi ipsi dia fidit charitas.
Quod locis negat Natura, hoc reddit Charitas illis.
Quod natura non potest, id emolitur charitas.
Repræsentat non amantis speciem muta charitas.
Semper plorat præ dolore gaudio ve Charitas.
Tanta nulla charitas est, quam non invidia opprimat.
Verbis nudis proferenda non est, sed re charitas.

¶ JAMBICA.

A pœnitentia arctior fit charitas.
Est omnium mater bonorum Charitas.
Est omnium princeps virtutum charitas.
Est omnium virtutum mater charitas.

Et charit-

Et charitas caput bonorum est omnium.
Et charitas inter feras sacra est feras.
Haud charitate major est necessitas.
Haud charitate vinculum est potentius.
Infirma vincla charitatis in metu.
Inordinata plurimorum est charitas.
Invidia quid sit una nescit Charitas.
Nil charitate honestius, nil fortius.
Non experitur quisnam possit charitas.
Nullis aquis extingui charitas potest.
Nullis potest extingui ab undis charitas.
Pia corda nunquam charitatem deserunt.
Salve omnium mater bonorum charitas.
Thesaurus omnium bonorum charitas.
Vbi charitas, ibi lex superbiacanea est.
Vnum efficit è mille hominibus charitas.
Vt charitas desit, vigere odium incipit.

Christi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Atque Deus quidem cum demonstrari nequeat, non efficit scientiam: filius autem est & sapientia, & scientia, & veritas, & quæcunque cum his ullam habent cognationem. Quinetiam habet demonstrationem, & vim ratiocinandi. Omnes autem spiritus potestates, cum simul una res factæ fuerint, ad idem conferunt, nempe ad filium. Est autem infinitus unaquaque suarum potestatum notione. Quanquam non fit vere unum, ut unum neque multa ut partes filius, sed ut omnia unum, unde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in unum circumvoluuntur & uniuntur. Et ideo Verbum dictum est Alpha & Ω, cujus solius finis fit principiũ, & rursus desinit in id quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens & dimensionem. Quamobrem in ipsum & per ipsum credere, est unicum fieri, scilicet in ipso indivulsè unitum: non credere autem, est dubitare, spacióque ac intervallo disiungi & dividi. *libro Stromatum quarto.*

D. Nazianzenus: Assumpsit quod deterius est, ut det quod est præstantius; mendicus factus est, ut nos illius mendicitate ditemur; servi formam suscepit, ut nos in libertatem asseramur. descendit ut evehamur; tentatus ut vincamus; contemptus est ut nos gloria afficiat; mortuus est ut salutem afferat; ascendit, ut eos qui in peccati lapsu jacebant ad seipsum trahat. *Oratione 41.*

D. Greg. Nyssenus: Sicut fieri non potest, ut qui sit in luce videat tenebras, ita non potest fieri, ut qui in Christo habet oculum, ad aliquid vanum eum defigat. *Homilia 5. in Ecclesiasticum.*

D. Chrysostomus: Per multa exempla Christus nos unit. Ipse est caput, nos autem córpus. Inter caput & corpus non potest unum esse interstitium. Ipse est fundamentum, nos ædificium: ipse est vitis, nos palmites: ipse est sponsus, nos sponsa: ipse est pastor, nos oves: ille est via, nos qui ingredimur. Nos rursus templum sumus, ipse est qui inhabitat. Ipse est primogenitus, nos fratres: ipse est, hæres, nos cohæredes: ipse est vita, nos viventes: ipse est resurrectio, nos resurgentes: Ipse est lux, nos qui illuminamur: Hæc omnia indicant unitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parum abscesserit multum etiam procedens abscedet. Corpus enim si ab ense accepit disiunctionem, interibit: & ædificium si vel parum dehiscat, dissolvetur: & palmes si à radice parum fuerit abscissus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum non est parum, imò verò est ferè totum. *Homilia 8. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum peccatum si vicerit, ipsum est quod vivit in homine, animum ad quæ vult pertrahens; ita si illo mortuo, quæ Christo sunt placita, fiant, nec humana deinceps est hujusmodi vita; ipso videlicet Christo vivente in nobis, hoc est agente ac dominante. *cap. 2. ad Galatas.*

Basilius Seleuc: Et navis gubernatorem, mundi gubernator imitatur, qui in editiore navis loco considens simul eum navigante velum adducit, ac rursus pro fluctuum impulsu gubernaculum transfert, & modo huc, modo illuc manu agens clavum eundem utrinque navis cursum moderatur: sic universi dominator tectam in anima fidem nudare volens quandoque dona contrahit, quandoque ad ægri concurrit auxilium & nunc quidem sanguinis fluxum simulat sustinere se, nunc ægritudinem pharmaco præsanat: ut dum varie animos excutit, fidem latitantem per miracula evulget; quo miraculorum animadversor Judæus fidei gentilium discipulus, etsi minimè velit, evadat. *Oratione 19. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Magnum revera pietatis sacramentum est, quemadmodum etiam sacrorum antistes Paulus scripto prodidit: non quòd omnino incognitum sit, sed quòd à nemine comprehendi queat. Omnem quippe, & sermonis & mentis vim excedit. Nam si puerulus matrimonij fructus est, quonam pacto virgo matrimonii fructum edidit? Quonam pacto id quod interitui obnoxium est, cum eo quod interitum nescit, copulatum est? Quonam pacto in eo quod circumscriptum est, id quod à circumscriptione alienum est, intelligatur, sic inquam ut nec divina & labis omnis expers natura decrementi quicquam patiatur, & quod mortale est, modo quodam, qui nullis verbis exprimi potest, omnemque interpretationis vim superat, honorem accipiat? Quonam pacto, qui passus est, salutem attulit: qui mortem oppetiit, exercitavit: qui contumeliis affectus est, summo honore condecoravit: qui cruci affixus est, ab execratione eripuit: vel, ut rectiùs loquar, peccatũ ac mortẽ in crucẽ sustulit. *l. 2. Ep. 192.*

Idem: Divinissimus Patris terminus ac sermo, si, ut illi ajunt, tempore posterior est, sempiternus non est: si autem sempiternus, ut ipsi dicimus, haudquaquam tempore posterior. Nihil enim divinæ naturæ tam proprium ac peculiare est, nec quod expressiùs eam notet & insigniat, quàm æternitas. Ac quidem splendoris vocabulum æternitatem indicat. character autem substantiæ, substantiam: Verbum item impassibilitatem, quódque ab omni corporea mole secretus sit: Filius denique, proprietatem & consubstantialitatem. Ex unoquoque enim quod commodum & utile est, corrogantes, quod reliquum est, nec divinæ naturæ convenit, valere jubemus. Etenim in rebus procreatis his duabus vocibus, antè, &, post, sit sanè locus. At in veneranda, summéque regia Trinitate, primum, ac secundum, locum non habet. Divinum quippe numen & numero & tẽpore sublimius est. *l. 3. Ep. 18.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Eum quidem qui sit Deus, humiliatoquutum esse, & dispensationis ac submissionis fuit opus, & utile, & nullatenus impollutam ejus dignitatem lædens aut imminuens: Eum verò qui sit (nudus) homo, divina quædam & naturæ humanæ terminos excedentia jactare, extremæ est audaciæ. Nam regi quidem licet moderatè loqui & moderatè sentire (sepositâ paulisper regiâ suâ majestate:) Militi autem vel etiam principi militiæ nefas est regales emittere voces. Si igitur Deus fuit, (sicut certè fuit) homo factus, etiã humilia in ipso locum habent: Si verò (nudus) homo fuit (ut Arriani falsò perhibent,) sublimia illa locum non habent. *lib. 4. Epist. 166.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Quemadmodum Gentiles & Judæos, & si qui sunt, qui eorum dogmata consectentur, impios & vecordes esse statuo, quòd Prophetas nihil de Salvatore locutos esse pronuncient: eodem modo eos, qui universum vetus Testamentum ad ipsum transferre conantur, culpa minimè carere: ut qui in ea pugna, quam adversum nos ineunt, adversarios adjuvent. Nam dum quæ de ipso non sunt dicta, ad ipsũ velut obtorto naso trahere ab ipsis cõvincũtur, eorum etiam in his, quæ verè ac diserte verbis de eo dicta sunt, suspicionem pariunt. Atqui non ita facere convenit: verùm ea quidem, quæ ad eum apertè spectant, dicere, quæ autem de aliis rebus, ea de his rebus, de quibus dicta sunt, dicta esse sinere. Nam hæc demũ veritatis ac demonstrationis regula est. Qui autem ea, quæ ad eum minimè attinent, proferunt, hoc efficiunt, ut ea etiam, quæ ipsi conveniunt, evertantur. *lib. 3. Epist. 339.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Si sanctus Daniel, Angelum conspicatus, atque ex conspecti pulchritudine admiratione perculsus, in terram pronus cecidit, spectaculi videlicet novitate attonitus: quamnam tandem excusationem habituri sunt, qui Patri & Filio arbitros ac sequestros se præbere audent, naturámque omnem sermonis facultatem superantem sermonibus superare aggrediuntur. *lib. 3. Epist 386.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus: sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vivorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultum. *Sermone 19. f.*

Chrysologus: Qui confessus est patrem, confitetur & filium, quia sine filio pater dici non potest: & quia Deo augeri, Deo addinil potest: semper fuit filius, quia fuit semper & pater: nescit inchoari filius, quia deficere pater nescit: nec crescit genitus, ubi genitor non senescit: æterna, & coæterna patris, & filij substantia non gradibus humanis, sed divinis est æstimanda virtutibus. *Sermone 58 m.*

Chrysologus: Fragilitas humana concipitur, & concipit: parturitur, & parturit: generatur, & generat: accipit initium, & dat finem: mortem suscipit, & refundit: & reservat in sobole quicquid suæ conditionis est, & naturæ Deus vero pater non genuit in tempore, quia tempus ignorat: non dedit initium, qui initium nescit: non transfudit finem, qui non habet finem: sed sic genuit ex se filium, ut totum quod in se erat, esset: & maneret in filio. Honor geniti, generantis honor est: perfectio geniti, generantis forma est: minoratio geniti revelat ad generantis injuriam. Sed hæc audiens, hæretice non dicas quomodo ista sint: dixisti Deum: credidisti patrem: omnipotentẽ, confessus es: si dubitas, mentitus es: credo si dicis, quomodo non credis, sed discuris? putas impossibile, omnipotentiam quam confessus es sustulisti: sed nos qui patrem, & filium, & Spiritum sanctum unius majestatis & gloriæ confitemur, fidem dominici corporis jam loquamur. *Sermone 60. ante medium.*

Chrysologus: Illud cor cœlum est, in quo vivit & regnat Christus: illud pectus sepulchrum est, in quo Christus adhuc habetur mortuus ac sepultus. *Sermone 75. m.*

¶ POETARUM.

B. Clemens Alexandrinus.

Frænum pullorum indocilium,
Penna volucrum non errantium,

Verus

Verus clavus infantium,
Pastor agnorum regalium.
Tuos simplices
Pueros congrega,
Ad sanctè laudandum,
Syncerè canendum
Ore innoxio
Christum puerorum ducem.
Rex sanctorum,
Verbum, qui domas omnia,
Patris altissimi,
Sapientiæ rector,
Laborum sustentaculum,
Ævo gaudens,
Humani generis
Servator Iesu,
Pastor, arator,
Clavus, frænum,
Penna cœlestis
Sanctissimi gregis.
Piscator hominum,
Qui salui fiunt.
Pelagi vitij
Pisces casti
Vnda ex infestâ
Dulci vita inescans.
Sis dux ovium
Rationalium pastor.
Sancte, sis dux,
Rex puerorum intactorum.
Vestigia Christi,
Vita cælestis,
Verbum perenne,
Ævum infinitum,
Lux æterna,
Fons misericordiæ,
Operatrix virtutis,
Honesta vita,
Deum laudantium Christi Iesu.
Lac cæleste
Dulcibus uberibus
Nympha Gratiarum,
Sapientiæ tuæ expressum.
Infamuli
Ore tenero
Enutriti;
Mamma rationalis
Roscido spiritu
Impleti,
Laudes simplices,
Hymnos veraces,
Regi Christo,
Mercedes sanctas
Vitæ doctrinæ,
Canamus simul.
Canamus simpliciter
Puerum valentem,
Chorus pacis,
Christo geniti,
Populus modestus.
Psallamus simul Deum pacis.

¶ Synesius Hymno Quinto.

Canamus Filium sponsæ,
Sponsæ non nuptæ
Hominum mortali connubio.
Ineffabile Patris consilium:
Serum Christi partum
Venerandus Virginis partus
Hominis edidit formam,
Qui inter mortales deductor
Venit lucis fontis.
Hæc ineffabilis propago
Seculorum novit radicem.
Tu lux es prima,
Vnâ micans radius cum Patre,
Qui perruptis hylæ tenebris,
In animis fulges sanctis.
Tu mundi conditor,
Fulgentium orbium & siderum,
Centrorum terræ stabilitor:
Tu hominum servator.
Tibi sol equitat,
Diei perennis fons:
Tibi taurina fronte luna
Noctis tenebras pellit.
Tibi nascuntur fructus,
Tibi pascuntur greges.
Ex tuo ineffabili fonte
Vivificum emittens splendorem,
Alis mundorum oras.
Ex tuo emicuit sinu
Et lux, & intellectus, & anima.
Tuæ miserere filiæ
Artubus inclusæ mortalibus,
Fatique terrestri mensura.
Morborum serua ex vitio
Illæsum artuum robur.
Annue verbis suadelam,
Annue factis gloriam,
Pristina ut clara sit fama
Cyrenæ & Spartæ.
Molestijs & nullis pressa animæ
Placidam trahat vitam,
Almam, gemina lumina
In tuam intendens lucem,
Vt ex hyla purgatus.
Oblitum reditus iter properem,
Fugitans terræ labores
Vt miscear cum animæ fonte.
Talem impollutam vitam
Tuo annuas vati.
Quum tibi pangens carmina,
Tuam celebrans radicem,
Excelsam Patris gloriam,
Et socium ejusdem solij Spiritum,
Medium inter radicem & germen,
Et Patris canens vim,
In tuis laudibus recreem
Inclytum fœtum animæ.
Salve ô Filij fons,
Salve ô Patris forma,
Salve ô Filij sedes,
Salve ô Patris imago,
Salve ô Filij potentia,
Salve ô Patris pulchritudo,
Salve ô purissime Spiritus,
Centrum Filij & Patris,
Hunc mihi mittas cum Patre
Rigantem animæ alas,
Vt perficiat divina munera:

¶ Synesius Hymno Sexto.

Vnà cum fonte sancto per se fœcundo
Ineffabiles unitates supra,
Deum immortalis Dei clarissimum Filium,
Solum ex Patre Filium prognatum
Coronabo odoratis floribus carminum.
Quem consilij paterni ineffabilis partus
Ex abdito ostendit Filium sinu,
Qui (partus) Patris abditos in lucem edidit fructus,
Et illustrare visus est defixas in terram animas,
In fonte verò permanent quanquam profusi,
Sapientia mentis Patris, pulchritudinis splendor:
Tibi parto Pater annuit ut parias,
Tu abditum es Patris semen:
Te enim originem Pater dedit mundis,
Vt deduceres corporibus formas ex intellectualibus.
Tu cœli sapientem orbem circumagis,
Et siderum greges semper pascis.
Tu angelici, ô rex, ordinis.
Tu dæmonum phalangis imperium obtines:
Tu & naturam mortalem regis,
Individuum circa terram spiritum dividis,
Et cum fonte, quod datum est, rursus conjungis,
Mortales mortis liberans necessitate.
Adsis propitius ad tuarum coronas laudum,
Vitæ vati tribuens tranquillitatem,
Euripi æstum sistito vagum,
Sedans sævas tempestates hylæ:
Animæ & artuum arceto morbos:
Cupiditatum perditum sopito impetum.
Opum, & paupertatis propulsa incommoda,
Factis clarissimam famam dato,
Inter gentes bonam pande famam:
Suadela blandiloque redimito (me) honore,
Vt mens decerpat otium quieta,
Neque terrenis ingemam curis,
Sed ex tuis rivis excelsis
Partubus sapientiæ mentem rigem.

¶ Synesius Hymno Septimo.

Primus modos inveni
Tui causa, beate, immortalis,
Nate clarissime Virginis,
Iesu Solymitane,
Nuper aptatis numeris

Deos

Quos resonent citharæ fides.
Tu verò propitius esto, ô rex,
Et accipe musicam
Ex sanctis carminibus.
Canamus immortalem
Deum Filium Dei ingentem,
Seculorum conditoris Patris
Mundi opificem Filium:
Ex Deo & homine junctam naturam,
Sapientiam immensam;
Cælitibus Deum,
Inferis mortuum.
Effusus fuisti quum in terram
Mortali ex utero,
Magorum sapiens ars
Ex stellæ ortu
Obstupuit, dubia
Quis (esset) qui nasceretur infans,
Quis, qui includeretur Deus,
Deus, an mortuus, an rex.
Eja munera ferte,
Myrrhæ libamina,
Aurique donaria,
Thurisque vapores suaves.
Deus es, thus accipe:
Aurum regi fero:
Myrrha monumento congruet.
Et terram lustrasti,
Et maritimos fluctus,
Et damonum vias,
Liquidos campos aeris,
Et infernas latebras,
Mortuis subsidium
Deus ad inferos missus.
Sed propitius esto, ô rex,
Et accipe musicam
Ex sanctis carminibus.

¶ Synesius Hymno Octavo.

Ad Dorios numeros lyræ
Ebori alligatarum fidium
Tollam argutam vocem
Tui causa, beate immortalis
Nate clarissime Virginis.
Tu autem mihi vitam serva
Malorum omnium expertem, ô rex,
Molestijs inaccessum (eam) reddens
Noctesque diesque.
Illustra mentem jubare,
Intellectuali ex fonte:
Robur integrum artubus,
Et gloriam factis
Iuventutis da meæ,
Latúmque asser ævum
Ad senectam extremam,
Valdè honoratam augens
Prudentiam cum bona valetudine.
Fratrem conserva,
Quem mihi nuper, ô immortalis,
Iam infernas portas
Pratergredientem pede,
Ad superos revocasti,
Curasque & luctus,
Meas lachrymas, & animi.
Restinxisti ardentem flammam.
Vitaque restituisti mortuum,
Propter (me) tuum ô Pater, supplicem.
Sororémque & par
Liberorum serva,
Totámque tranquillam domum
Tua manu protegas.
Et mihi ejusdem, ô rex,
Consortem thori jugalis
A morbis noxisque liberam,
Charissimam, unanimem,
Furtivi ignaram
Congressus uxorem serva:
Sanctúmque colat jus connubij,
Impollutum, purum,
Non legitimis inaccessum amoribus.
Animam vero solutam
Terrena vitæ vinculis
Eximito malis
Et tristi noxa.
Et cum prorum ordinibus
Carmina offerre da
In laudem tui Patris,
Tuaque potentia, ô beate.
Iterum canam hymnos,
Iterum tibi carmina canam,
Fortasse & citharam
Iterum integram temperabo.

¶ Synesius Hymno Nono.

Majorem in modum expetende clarissime
Te ô beato nate Virginis
Cano Solymitanæ,
Qui dolosum laqueum,
Terrenum ingentibus anguem
Patris expulisti hortis:
Descendisti usque ad terram,
Advena inter mortales,
Et descendisti sub tartara.
Animarum ubi plurima
Mors tenebat agmina.
Horruit te senex tunc
Orcus antiquus,
Et voracissimus canis
Recessit a limine.
Tu verò quum solvisses catenis
Animarum sanctos cœtus,
Comitatu integerrimo
Laudes ferebas Patri.
Redeuntem te, ô rex,
Aeria immensa
Horruit turba damonum:
Expavit autem purissimarum
Cœtus immortalis stellarum.
Æther autem ridens,
Sapiens harmoniæ pater,
Ex septem fidium lyra
Temperavit musicam
Triumphale in carmen.
Rursit lucifer.
Nuntius diei,
Et aureus hesperus,
Cytherejum sidus.
Ipsa quidem cornutum lumen
Replens ex fluxu ignis,
Præibat Luna,
Pastor nocturnorum deorum:
Late verò lucentem comam
Titan expandit
Ineffabile sub vestigium.
Agnovit autem natum Dei,
Mentem quæ est optima opifex,
Proprij ignis originem.
Tu vero alas agitans
Cærulei cæli
Scandisti super dorsum,
(In) sphæriique constitisti
Intellectualibus purissimis:
Bonorum ubi fons,
Silentio suppressum cælum,
Ubi neque immensum,
Indefessúmque tempus
Terra orta trahens,
Neque morbi impudentes
Fœcunda hylæ.
Sed ipsum senij expers
Ævum antiquum,
Quod juvenis est simul & senex,
Perpetuæ mansionis
Dispensator est dijs.

¶ Synesius Hymno Decimo.

Memento Christe,
Fili Dei
Altè regnantis,
Servi tui,
Qui misera sorte est peccator;
Qui scripsit hæc.
Et mihi præbe
Expiationem scelerum
Cordi insitorum,
Quæ mihi sunt innata
Animo sordido.
Da verò ut aspiciam
Servator Iesu
Divinum splendorem
Tuum, ad quem quum apparuero,
Canam carmina
Animarum medico,
Medico corporum,
Patri simul excelso,
Spiritui que sancto.

D. Nazianzenus Carm. 45. de parabolis Evangg.

O utinam Christi magis ac magis urar amore,
Seu lætos rerum successus, seu qui acerbi
Miseris. est etenim quicquid manus illa supernè
Humano generi mittit, faustumq; bonumque.

Prudentius ad incensum cerei Paschalis.

Quamvis innumero fulgere regiam
Lunarique polum lapade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit Petram.
Nostris igniculis unde genus venit,
Pinguis quos olei rore madentibus,
Lychnis aut facibus pascimus aridis.

Prudent. adversus phantasmaticos.

Christus nostra caro est: mihi solvitur, & mihi surgit.
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.
Cùm moritur Christus, cùm flebiliter tumultatur
Me video: è tumulo cùm jam remeabilis astat
Cerno Deum.

Prudentius contra Judæos.

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.
O nomen prædulce mihi, dux, & decus, & spes,
Præsidiumq; meum! requies ô certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulcra species, sincera voluptas.

¶ Emblematis.

Adeod. Seba. Circulus.

Principium in tereti quaris quicunque figurâ:
Principium inventes hic ubi finis erit.
Sic Christum vero quisquis revereris amore,
Qua vitam hora tibi finiet, incipiet.

Idem. Homo ad mensam edens & bibens.

Quicquid edis, quidcunque bibis, moriatur oportet,
Vt inde vita suppetat:
Et nos à Christi quod vitam morte petamus,
Philosophe rides impie?

Adeodatus Seba. Vellus aureum.

Aurea, mendaci vates non unicus ore,
Vellera Phryxea commemoravit ovis.
Aureus es verè, Christe, agnus, divite gestans
Has verè veras vellere solus opes.

Seba. Cœlum tonans simul & pluens.

Ceu rutilis idem qui dissilit ignibus æther,
Fœcundas gravido pectore fundit aquas:
Vita fide sic Christus erit tibi vera receptus,
Spretus at hic idem mors tibi Christus erit.

Camerarius XII. Cantur. I.

Rara juvant

Robore ab annoso viscum sanare caducos
Quod valet, est Christi vis a figura Dei.

Camerarius XLIX. Centuria I.

Non inferiora secutus. Heliotropium.

Solis ut hunc florem radiantia lumina vertunt,
Dirige sic mentem Christe benigne meam.

Camerarius LXX. Centur. I.

Dum respicis erigor. Lotos sole viso se pandens.

O Sol justitiæ, sine te non fluctibus atris
Curarum potero tollere Christe caput.

Camerarius LXXII. Centur. I.

Semper ad Ortum.

Christe tuos vultus semper venerabor adoratus,
Vt Clytie ad solem gemina pulchra rotat.

Camerarius XVII. Centur. 4.

Ad Sydera vultus. Vranoscopus piscis, cui oculi supra caput.

Sursum oculos, ô Mens, vani oblivisce mundi;
Te manet in cœlis non peritura domus.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus: Nunc ad salutis nostræ Auctorem confugimus: qui si huic etiam operi, ad cujus honorem id aggressi sumus, benignus adspiret: illæsa (ut ajunt) rate in portum incolumes deveniemus. Et quis non merito honore eum prosequatur, cujus opera omnia ineffabilia, humani ingenij captum longè excedunt? Immeritò ergo Principes Sacerdotum & Scribæ, audientes pueros in templo clamantes Hosanna filio David, indignati: & jure per Christum repressi, qui rogantibus, Audis quid isti dicunt? *Vtique*, inquit; *numquam legistis, quia ex ore infantium perfeciti laudem?* Matt. cap. 21.

Idem: Dum in ingressu Jerusalem acclamaret populus, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini; ac quidam Pharisæorum dicerent, Magister, increpa Discipulos tuos: ait: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* insinuans gloriam & potentiam suam prædicandam ab irrationalibus creaturis, si rationales conticuerint. *Luc. cap. 19.*

S. *Petrus Apost:* Mirum, quantum hic sui magistri desiderio flagrarit. post cujus in cœlum ascensum, ubertim lachrymas effudisse memoriæ proditum. rogatus autem, cur tantùm lachrymaretur; respondit: *Desiderio Domini.* qua etiam de causa Gentium Doctor Paulus, cupiebat dissolui & esse cum Christo. *Ex vita ejusdem.*

S. *Theodorus Martyr*: Et ut alios tacitus prætream, quid de Theodoro Martyre dicam? cui dum tormenta ob oculos poneret Publius, rogaretque, Mavisne esse cum tuo Christo, an verò nobiscum? inquit: *Cum Christo meo, & sum, & fui, & ero: ideoq; non time meo tormenta tua.* Considerabat certè cum Apostolo, non esse condignas passiones hujus temporis, ad futuram gloriam in nobis revelandam. *Sur. tom. 6. in vita.*

P. Borgia Soc. Iesu: Meritò prioribus annumerandus: ut qui oblitus (ut habet Psalmista) populi sui, & domus paternæ, in optaret hanc vocem crebriùs; *Pereat ille amor, ut vivat in me, quem quæro, Christi.* Nónne & illi vivere Christus dicendus est fuisse, & mori lucrum? *In vita lib. 4. cap. 6.*

Carolus V. Erat hic animi magnitudine par, at pietate superior, & melior magno illo Julio. Cùm enim Saxonum & aliorum ingentes ac numerosas copias exigua manu fudisset, ad summum Pontificem de rei eventu scribens, *Veni*, inquiebat, *& vidi, sed Christus vicit.* non sibi, ut Cæsar ille olim; at victoriæ largitori, ejus quoque laudem adscribens. *Sur. in Hist.*

Idem: Neque hîc prætereundum quod sequitur. ut enim erat vitæ sanctimonia in nobili illo genere clarissimus, in eodem prælio quod cum Saxonibus commisit, observavit imaginem Christi in cruce affixi, plumbea glande ab impio milite recenter trajectam. Stetit, & ingemuit; atque elata voce ad Deum clamavit: *Domine si vis injuriam hanc ulcisci, potes: ecce autem me vindicem tuum paratum vides.* Certè audivit, & juvit: prout subsecuta mox hostium dissipatio declaravit. *Iust. Lipsi. Mon. Polit. lib. 1. cap. 2.*

¶ Monosticha Trochaica.

Abnegatione Christi, non noces Deo at tibi.
Absque Christo nulla lux est, nulla cuipiam salus.
Auspicio ductuque Christi cæli aperti sunt pijs.
Auri amor, amore Christi cui non est valentior?
Christus est signum caventi, non cavents scandalum est.
Contumax amore Christi fit pius doloribus.
Iesus Christus imparatis quæ loquantur suggerit.
Majus est habere in ipso corde Christum quam in domo.
Melius est habere Christum in corde quam penatibus.
Nemo quid facit pro Christo, sed vana pro gloria.
Nos ne Christo procreati Mammonæ dicabimur?
Nuptiæ non sunt beatæ Christus queis non interest.
Noli animam despicere pro qua Christus ipse mortuus.

¶ Jambica.

Generosa Christi secta nobilitat viros.
Mors una Christi vita nostrorum omnium est.
Superare mortem morte summa gloria est.

Christi potentiæ & Nominis.

¶ Apophtheg. Christianorum.

Iesus Christus: Quis dabit mihi nunc pennas sicut columbæ, ut ad augustum hoc Christi nomen volem, & non cum Icaro per nimium ejus splendorem in præceps agar? Quid enim Gentium simulachra (etiam Deo ita permittente) operata, si cum iis conferas, quæ hujus nominis potentia freti viri sancti admiranda præstitêre? cùm ipsa Veritas dicat dilectis suis: *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo? petite, & accipietis.* neque id dilectis solùm; sed & improbis concessum, in nomine suo eiicere dæmones, & alia supra hominē efficere. Vnde super his miratus Ioannes, Magister, inquit, vidimus quēdā in nomine tuo eiicere dæmonia, qui nō sequitur nos: & prohibuimus eū. Jesus autem ait: *Nolite prohibere eum. Nemo enim est qui faciet virtutem*, id est miraculum, *in nomine meo, & possit citò male loqui de me.* (qua fronte enim malediceret illi nomini, quod in se experitur esse tam efficax?) *Qui enim non est adversum nos, pro nobis est.* Admiranda nominis Christi virtus: quæ etiam in alienis, & à se aversis pectoribus, suæ claritatis radios diffudit. *Marc. cap. 9.*

SS. *Petrus & Ioannes:* Hoc ipsum contestati hujus nominis amantissimi, Petrus & Joannes, introeuntibus namque in templum, dum Cæcus quidam ad portam quæ Speciosa dicebatur, de more eleemosynam à transeuntibus petens procumberet, & ab his etiam

etiam stipem flagitaret, eamque, respicere jussus in eos, jam certò exspectaret; PETRUS de meliori eleemosyna cogitans, *Argentum*, inquiebat, *& aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Act. cap. 3.

Alexander Episcopus: Insignis quoque hujus nominis cultor extitit iste. Qui videns novas indies sectas pullulare, cùm auctoritate Constantini coactum esset Philosophorum concilium, qui cũ Christianis de fidei veritate conferrent: ille paranti dicere Philosopho, *Tibi*, inquit, *in nomine Christi silentium impero*. manet ille ad hanc vocem elinguis: & quod ore non poterat, victus manum dat ALEXANDRO. reliqui viso miraculo conversi, ac si Dominum audivissent dicentem; *Si mihi non creditis, operibus ipsis credite. Euseb. in Vita Constant.*

S. Martinus Turon. Episc: Juliano Cæsare donativa parante, quæ in milites, quò in prælium jam imminens alacriores descenderent, erogaret; missionem MARTINUS postulat, dicens: *Christi nunc miles sum, pugnare mihi nefas.* motus ad iram Tyrannus, eum pugnæ instantis metu militiam jam detrectare objecit. at MARTINUS, quasi illato sibi terrore constantior; *Si hoc*, ait, *ignavia adscribitur, non fidei; ego die crastino solo signi Crucis clypeo protectus, hostium cuneos in nomine Domini Jesu Christi penetrabo securus.* quod & effecit. *Sur. tom. 6. in Vita.*

S. Theodorus Martyr: Neque huic vana in Christum fides, & inefficax desiderium. Custodiæ enim traditus, cùm inedia consumeretur, ita ut unicam panis unciam cum pauxillo aquæ per diem acciperet, fidelis Christi athleta haud solito debilior, etiam oblatum cibum recusabat, dicebat autem: *Me alit Dominus meus, & Rex Jesus Christus.* Et quis umquam vidit justum derelictum, aut semen ejus quærens panem? *Sur. tom 6. in Vita.*

S. *Paulinus*: Non erit hîc prætereundus PAULINUS: qui Apostoli Pauli discipulus, cùm eum persequerentur impij homines, magistri sui imitatus vestigia, suos his verbis hortabatur: *Ubicunque Christus adest, nobis etiam aranea murus fiet. at cùm Christus abest, etiam murus fiet aranea.* quod revera & ad literam in quodam Martyre impletum, testatur ex vita ejusdem, Breviarium Romanum. *Eusebius in Chronico.*

Anonymus: Concludam cum Cassiano: qui apud Alexandriam Senem fuisse commemorat, Christiana fide imbutum, quem cùm variis maledictis impeterent Infideles, ac tandem quærerent: Quid miraculi umquam fecit Christus tuus? Christiano dignam vocè respondit: *Hoc ipsũ, ut ijs quas infertis non movear injurijs.* Cassianus.

Christum Sequentium.

¶ APOPHTHEGMATVM CHRISTIANOR.

S. IGNATIUS: Quantares sit Christum habere vitæ suæ exemplar, & ad illud suos mores efformare, vel ex illo ejusdem testimonio evidens sit, ubi ait: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. cujus rei fiducia incensus IGNATIUS, vix conceptum intra pectoris medullas ignem continere valens, ad bestias Romæ damnatus, *Nũc* inquiebat, *incipio discipulus esse Christi: nihil de ijs quæ videntur desiderans, ut Jesum Christũ inveniam.* Verè & piè Bernardus: Nil canitur suavi⁹, auditur nil jucũdius, nil cogitatur dulcius, quàm Jesus Dei filius, *Euseb. lib 3. hist. Eccles. cap. 30.*

S. *Malachias Episc. Hiberniæ*: Hic à nefario quodã Principe per dolum è templo vocabatur, firmandæ (ut prætexebat) pacis causa. cũque ne ad eum descenderet totus clerus suaderet, ille pacis cupidus, *Sinite, ait, me imitari magistrum meum, sine causa sum Christianus, si Christum non sequor.* Verè pectoribus nostris inserenda vox. quibus nomen dumtaxat Christianum in pretio, non vita. *Sur. tom. 6. in Vita.*

Nivardus frater D. Bernardi: Summa laude & admiratione dignus. cui puero adhuc, cùm fratres, inter quos magnus ille Bernardus, ad Religionem pergentes in foro cum æqualibus ludenti dicerent: Nivarde frater, nunc te solum manet totius summa patrimonij: nos omnibus cedentes, Christum sequimur: ille, *Cœlum vos ergo possidebitis, ego terram? absit.* nihilque moratus puerilem animum in virilem commutans, fratres sequitur, & cum illis Christum. *In Vita Bern. lib. 1. cap. 3.*

Thomas Morus: An non dignus ille, qui prioribus jungatur? Cùm, ut erat summa pietate & religione, supplicationes diebus rogationum fieri consuetas pedes comitaretur: monitus à suis, equum cõscenderet, dixit: *Nolo Dominum meum peditem eques subsequi.* Dicebat autem id propter crucifixi imaginem, in qua Christum venerabatur. *Tho. Staplet. in Vita.*

Christum confitentium.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

S. ROMANUS MILES: Magna eos præmia manent, qui Christum hîc coram hominibus confitentur, nec eum annuntiare tam re quam verbo erubescunt. tales enim ipsemet coram Patre suo confessurum se explicatis verbis promisit. quod intelligens (ut sexcentos alios omittam) ROMANUS MILES, qui postquam plumbatis flagrisque diu tortus, etiam ipsa latera mucronibus rescinderentur; dixisse fertur ad impiissimum Tyrannum: *Gratias ago, quòd ampliores mihi oris patefacias meatus, quibus Christum prædicem tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.* Dictum merè & verè Romanum. *Sur. in Vita.*

S. *Dionysius M.* Ille etiam meritò Romano adjungendus, qui Romæ à Diocletiano comprehensus, dum lætus ad supplicij locum duceretur, solùm hoc toto itinere ingeminabat: *Etsi millies occidi possem, tamen Dominum meum Jesum palam confiteri non cessarem.* Pet. de Natalibus.

S. *Evelpistus:* Et hic cum Sodalibus prætorio Rustici Præfecti sistitur. quo rogante, Tu quisnam es, cujusve religionis? nil cunctatus, *Servus quidem Cæsaris*, inquit, *sed à Christo libertate donatus: ejusque beneficio, illius spei, cujus & isti quos hic vides, particeps factus. Sur. tom. 2. Lippelloo ibid. Metaphrast.*

Christi Adventus.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Vnus est seductor, qui ab initio quidem Evam, nunc autem alios quoque jam homines ad mortem adducit: unus & idem est nobis adjutor & opitulator Dominus, à principio quidem propheticè præsignificans, nunc autem jam etiam apertè ad salutem ad hortans Fugiamus ergo, præcepto parentes Apostolico, principem potestatis aeris: spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, & ad Servatorem Dominum accuramus, qui & nunc & semper adhortatur ad salutem, per prodigia & signa, in Ægypto, in deserto, & per rubum, & per eam, quæ humanitatis gratia Hebræos ancillæ instar sequebatur, nubem. Atque hoc quidem metu adhortabatur eos qui erant duro corde. Iam verò etiam per Mosem omnibus sapientiæ numeris absolutum, & veri amatorem Esaiam, & omnem chorum propheticum, magis ex ratione, ad rationem, sive ad hoc Verbum convertit eos qui habent aures: & alicubi quidem maledictis incessit, alicubi verò etiam minatur: & nonnullos quidem deflet homines, nonnullis verò canit: quemadmodum bonus medicus corporum ægrotantium, alia quidem cataplasmatis obducens, alia vero levigans, alia autem ex hauriens, alia autem ferro quoque dividens, alia autem urens, & nonnunquam etiam secans, si qua ratione fieri possit, ut per partem vel membrum possit homo sanari. Multiplices quidem habet Servator voces & modos ad salutem hominum: minans admonet, maledicens convertit, deflens miseretur, psallens admonet, per rubum loquitur: quoniam illi signis egebant & prodigiis: sed & igne terret homines, ex columna flammam accendens, quod est simul gratiæ & timoris indicium: si obedieris, lucem, si non obedieris, ignem. Quonam autem & columna & rubo caro est pretiosior, Prophetæ post illa loquuntur. Ipse est Dominus loquens in Esaia, ipse in Helia, ipse in ore Prophetarum. Quod si tu non credis Prophetis, fabulam autem esse existimas & viros, & ignem, ipse tibi loquetur Dominus, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est omnia habere æqualia cum Deo: seipsum autem exinaniit misericors Dominus, hominem servare cupiens: & ipsa jam tibi Verbum evidenter loquitur, ægre ferens incredulitatem. Ego certè loquor, Dei Verbum factus homo, ut tu quoque discas ab homine, qua nam tandem ratione homo efficiatur Deus. An non ergo absurdum, ô amici, Deum quidem semper nos adhortari ad virtutem, nos autem recusare auxilium, & differre salutem? *Protreptico ad Græcos.*

Clemens Alexandrinus: Sola ergo est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes sapientiæ, quicumque ad veritatem tanquam ad scopum feruntur. Venientis certè ad homines Domini qui nos erat docturus, innumerabiles fuere significatores, annunciatores, præparatores, præcursores ab alto ex mundi constitutione, per opera, per verba præsignificantes, prædicentes esse venturum, & quomodo, & quando, & quæ nam signa essent futura signa. Eminus certè lex præmeditatur & prophetia. Deinde præcursor ostendit præsentem, post quem prædicatores docentes adventus virtutem significant. *lib. 6. Stromatum.*

Chrysostomus: Quemadmodum ægroti, quamdiu quidem febribus agitantur, & succorum vitiositate laborant: neque exsurgere, neque suis muneribus fungi, neque agere quicquam possunt, quod si quis eos à morbo liberet, & ad sanitatem adducat: nec tamen adhuc quicquam agant: jam id ex propria socordia fit, ita sane & in nobis. Vexabat enim nos morbus gravis, ac febris vehemens: decumbebamusque non in lecto, sed in ipsamet vitiositate, perinde atque in stercore: in improbitate volutabamur, scatentes ulceribus, fœtorem spirantes, squalidi, incurvi, umbra potius, quam homines.

Circumstabant nos improbi dæmones, princeps mundi hujus ridens, insultans. Venit Dei unigenitus emisit radios præsentiæ suæ; & caliginem confestim depulit. Venit ad nos ipse rex, qui erat in throno paterno, thronum relinquens paternum (quando autem reliquisse dico, ne id significare rursus putes, mutationem, ac transitum; cœlum enim, terramque ipse implet; sed ob œconomiam id dico) venit ad hostem, qui ipsum odio prosequebatur adversabatur. neq; ut ad eum oculos converteret, adduci poterat, blasphæmus quotidie appetebat. Vidit in stercore jacentem, à vermibus exulceratum, à febri & fame oppressum, nullo non morbi genere laborantem. Nam & febris vexabat (hoc enim est improba cupiditas;) & inflammationes urgebant (hoc enim arrogantia;) & quadam insatiabilis fames occupabat (hoc enim avaritia;) & sanies undique (hoc enim scortatio;) & cæcitas oculorum (hoc enim idololatria;) & surditas, & stupor (hoc enim erat lapides & ligna adorare, & cum illis colloqui) & multa deformitas: (hoc enim vitiositas;) triste nimirū quiddam, & morbus gravissimus. Vidit absurdius quam insanientes soleant loquentes, & lignum & lapidem Deum vocantes. Vidit in tanta vitiositate; nec tamen abominatus est, non amarior factus, non aversatus est, non odio prosequutus. Dominus enim erat; & opus suum non oderat. Deindè quid facit? Optimi medici more parat pretiosa pharmaca, eaque primus gustat. Virtutem enim ipse primus obivit; ac deinceps nobis tradidit.

Ac primum pharmacum, quasi antidotum quoddam, lavacrum dedit. Ita omnem evomuimus vitiositatem. Ita omnia simul in fugam se dederunt; inflammatio cessit; febris extincta est; & sanies exicata. Omnia enim & quæ ab avaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per spiritum evanuerunt: aperti sunt oculi; apertæ aures, aptam vocem loquuta est lingua: vires acquisivit anima: acquisivit corpus pulchritudinem, & florem hujusmodi, qualē par est habere pulchritudinem Dei filium ex spiritus gratia procreatum, qualem par est habere gloriam filium nuper Regi natum & in purpura eductum. Hei mei, quantam nobis donavit nobilitatem! nos vero erga eum, qui adeò nos amavit, ingrati esse perseveramus: peperit nos, nutrivit, beneficiis affecit: quid rursus fugimus ab eo, qui tanta tribuit beneficia? Ergo qui hæc omnia fecit, robur etiam dat: non enim dum morbus nos occupabat, ferendo oneri eramus, nisi ipse vires nobis dedisset, & peccata remisisset. Irritum fecimus donum: dedit nobis divitias, eas dilapidavimus, omnia comedimus, atque exorbuimus: dedit nobis vires, eas consumpsimus: dedit nobis gratiam, ipsam extinximus, quo modo? consumpsimus nulla in re quæ nobis prodesset, atque utilitatē afferret. Hæc nos perdiderunt, atque illud præterea, quod omniū gravissimū est, quod in aliena degentes terra, & comedentes siliquas, nō tamen dicimus, redibimus ad patrē, & dicemus, peccavimus in cœlum & in te: idque, quū patrem adeò amantē, nostrique reditus valdè cupidū habeamus. Dumodo ad ipsum redeamus, dumodo à vitiositate discedamus, neque ut de præteritis nos objurget, adduci potest. Satis enim apud illū excusationis est, rediisse. Ecquid dico, ut objurget, adduci non potest? non solum ipse non objurgat, verūetiam si alius objurget, silentium imponit, etiā si ille, qui objurgat, apprimè sibi acceptus sit. Redeamus: quousque recedimus? sentiamus dedecus, sentiamus vilitatem. Vitiositas nos porcos facit, vitiositas famem affert animæ. Recuperemus nos ipsos, & resipiscamus: eóque incumbamus, ut in pristinam restituamur nobilitatem, ut assequamur futura bona. *Homilia* 11. *ad Philippenses.*

S. Isidorus Pelusiota: Facilia & prona per divinum adventum certamina reddita sunt, ut pugnantes victoriam adipiscamur, non autem ut gratiæ magnitudine ad ignaviæ occasionem abutamur. *l.* 2. *Ep.* 103.

¶ Latinorum.

Zeno: Christus mundum latenter intravit, ne sibi sapiens diabolus videretur. Qui consilio hominem deceperat, consilio vincitur: ut quomodo homo in paradiso non cognoverat diabolum, sic & diabolus in seculo non facile cognosceret Christum. *de adventu Christi.*

Chrysologus: Creator rerum, orbis dominus, posteaquam se propter nos nostra angustavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ esse civis, parentes habere cœpit parentum omnium ipse parens: ut invitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus disperserat, fecerat jus potestatis extorres. *Sermone* 50.

Chrysologus: Quid est magis tremendum, quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cœlo? quod societatem carnis intrat ipse, aut quod vos facit consortium divinitatis intrare? quod mortem sumit ipse, aut quod vos resumit ex morte? quod ipse an vestram nascitur servitutem, aut quod vos sibi gignit in liberos? quod suscipit paupertatem vestram, aut quod vos sibi facit hæredes, sui unici cohæredes? Est utique terribilius, quod terra transfertur in cœlum: homo deitate mutatur: servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis metuendum sit, tamen quia causa non docentem respicit: sed jubentem, accedamus filioli quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio: Deum patrem viscera sentiant, vox personet, loquātur lingua, spiritus clamat, & totum quod est in nobis, respondeat gratiæ: non timori: quia qui judicē mutavit in patrē amari voluit, nō timeri. *Ser.* 97. *pr.*

Chrysologus: Deus parum esse credidit, si affectum suum erga nos præstando prosperatantum, & non etiam adversa sustinendo monstraret. Post omnia mundum suum pauper ingreditur: jacet incunabulis ut homo: vagitu suo implorat, inquirit, exigit quam tibi præstitit ipse pietatem. Parens omnium usus est te parente: subjectus tibi extitit, cui omnis subjacet altitudo: timuit, quem timenda metuunt: fugit, ad quem cuncta confugiunt: cœlorum arbiter est hospes in domibus peccatorum: pane pascitur, qui pascet omnes: & quid plura? παιτεχρώτως tenetur sæculorum: sistitur terræ fundator, judicatur humanæ largitor veniæ, discutitur cordis scrutator, punitur vitæ dator & redditor: cunctorum resurrectio sepelitur, ut tarda mens hominis, & intelligentia satis pigra, vel morte in se Dei probaret affectum, quæ prædictis & innumeris Dei beneficiis, Dei erga se non intellexerat, non senserat charitatem. *Sermone* 69. *m.*

¶ Poetarum.

Prudentius contra Judæos.

Adÿt adventum Domini, quem solis ibere
Vesper habet roseus, & quem novus excipit ortus.
Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox evangelica. Hircanas quoq; fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie jam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopejus Hebrus.
Mansuevere Getæ, feritasq; cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exangula pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.
Novit & Atlantis pridem plaga fervida Mauri
Dedere crinitos ad Christi altaria reges.
Ex quo mortalem præstrinxit spiritus alvum,
Spiritus ille Dei, Deus & se corpore matris
Indust, atq; hominem de virginitate creavit,
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra:
Non tripodas cortina regit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanatidicus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona vapores.
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ:
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon.
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructaq; templa
Imperio cecidisse Ducum. jam purpura supplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi:
Vexillumq; crucis summus dominator adorat.

Christi Incarnatio.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est. Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino modo, quia absque viri opera; humano, quia juxta pariendi consuetudinē, formatum esse dixerit, æquè atheus est. Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est: hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga. Si quis duos Filios, alterum ex Deo & patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Si quis divinitatem in eo, velut in propheta, per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam copulatam fuisse, atque copulari dixerit, à præstantiori afflatu vacuus sit, imò contrario impleatur. Si quis crucifixum non adoret, anathema sit, atque in eorum qui Christum interemerunt numerum adscribatur. Si quis eum ex operibus perfectum fuisse, aut post baptismum, vel resurrectionem à mortuis, in filium adoptatum dixerit, anathema sit. Si quis sanctam carnem nunc depositam esse, nudamq; ac corpore vacuam divinitatem esse, non autem cum assumpta parte & esse, & venturam esse dixerit, præsentiæ illius gloriam ne cernat. Si quis carnem à cœlo descendisse, non autem hinc atque à nobis esse dixerit, anathema sit. *Oratione quinquagesima.*

D. Greg. Nyssenus: Quomodo ignis substantiæ est proprium sursum: neque in flamma quicquam est admirandum quod sit naturaliter: Sed si eam instar gravium corporum videat deorsum tendere, ejus rei ducitur admiratione, nempe quonam modo ignis esse ignis perseveret, & in modo motus excedat naturā, tendens deorsum: Ita etjam divinam & supereminentem potentiam, neque cœlorum magnitudo, neque luminarium splendor, neque universi ornatus, neque rerum naturalium perpetua administratio tantum ostendit, quantum quod se demiserit ad imbecillitatem nostræ naturæ: nempe quomodo cum excelsum extiterit, in humili & abjecto id cernitur, nec discendit altitudo: quomodo humanitas connexa divinæ naturæ, & hoc fit, & est illud. *cap.* 24. *orationis catecheticæ.*

D. Greg. Nyssenus: Quod naturā neque corruptioni, neque mutationi est obnoxium, eodem modo semper se habet, neque cum humili natura variatur, quando ratione dispensationis in ea versatur: evenitque sicut in Sole, qui radium suum caligini subiiciens, lumen radii sui non obscurat, sed ipsius vi atque efficacia tenebras in lucem transmutat: ad eundem modum quando verum Lumen in tenebris nostris refulsit, nequaquam obscuratum ipsum est à tenebris, sed sua ipsius vi caliginem illustravit. Cùm igitur in tenebris humanum genus versaretur, sicut scriptum est, Non agnoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: is qui tenebrosam naturam illustravit, per universam compagem nostram deitatis radio transmisso (per animum dico & corpus) universum genus humanum proprio sibi lumine participavit, dum illud sibi copulavit atque conjunxit: effecitque ut illud

ut illud esset quod est ipse: atque ut corrupta deitas non est, habitans in obnoxio corruptioni corpore: sic nec ullius mutationis variationem sustinuit, quando mutabilitatem animi nostri sanavit, quippe & in arte medica qui corporibus medicinam facit, cum affectum corpus tangit, nequaquam ipse ægritudinem contrahit, sed ægrotum ad sanitatem perducit. Nemo tamen propterea, perperam acceptis Evangelii verbis, existimet, naturam nostram in Domino progressu, quodam ex consequentia paullatim esse immutatam & divinorem effectam. quod enim dicitur, progressum faciebat in statura, sapientia & gratia: ideo commemoratur à Scriptura, ut demonstretur, vere in massa nostra Dominum fuisse generatum, ne quis locus eorum relinquatur errori, quorum scitum est, pro vera Dei apparitione, speciem dũtaxat quandam esse gestam, quæ figuram assumpserit humanæ formæ. propterea non erubescit Scriptura omnia de eo narrare quæ sunt naturæ nostræ propria: esum, potum, somnum, lassitudinem, cibi sumptionem, progressum, corporeæ staturæ, incrementum: omnia denique per quæ naturæ nostræ character exprimitur, excepta propensione ad peccatum. *Epistola ad Eustachium Ambrosiam & Basilissam.*

Chrysostomus: Eum quidem qui Deus sit, hominem fieri, magna humiliatio est; quamque nulla oratio consequi narrando queat. *Homilia 7. ad Philipp.*

Chrysostomus: Ea quæ quotidie fiunt, & subjecta sunt manibus etjam millies quæsita nemo unquam potuit invenire. Quomodo ergo de illa ineffabili & inexplicabili generatione, dic quæso, curiose inquirunt? An non est defessa mens auditorum? An non est in mille conversa vertigines? An non planè hæret & stupet? Et tamen ne sic quidem castigantur. Quum de uvis & ficubus ne possint quidem dicere, de Deo curiose investigant. Nam dic mihi quomodo acinus ille resolvitur in folia, & stipites? Quomodo in eo antea non erant nec cernebantur? At non est, inquit, hoc acinus, sed totum est terræ. Et quomodo absque eo ipsa ex se nihil fert? Sed ne desipiamus, nec grani quidem est quod fit, sed ejus qui est Dominus & terræ & seminũ. propterea & absque his & cum his fecit ut hæc gignerentur, partim quidem suam ostendens potentiam, quando dicebat, Producat terra herbam fœni; partim autem cum eo quod suam ostendit potentiam, nos quoque erudiens ut simus laboriosi & lubenter operemur. *Homilia 7. ad Thessalonic.*

Basilius Seleuc: Incarnatio morte valentior, dæmonibus fortior, idololatriæ everriculum, parens libertatis, arx immortalitatis, servitii depulsio, gratiarum distributio, regni stola, cœlestis conversatio, successionem nullam sperans. *Oratione 34.*

Basilius Seleuc: Tandem sapiant, qui despiciunt, & à Judaica abscedant insania, qui adserunt impossibile absque viri societate mulierem eniti? Vtrum enim illis minùs recipi possit videtur è muliere progigni, an è terra fingi? Virginem uterum ferre, an terram animari, videre, fari, audire, quodcunque visum fuerit, facere? Limum Deus olim cepit, & hominem finxit: limum recepit ea virgine (carnem, quæ ex ea, loquor) & pro sua prudentia sibi affingens homo factus est. Quomodo qui primum credunt, secundo obloquuntur. Ac in eo quidem Dei contestantur omnipotentiam, in hoc verò nihil ei dant sycophantæ potestatis. Ipse enim est, qui & illud arte elaboravit, & hoc innovavit. Quamobrem Deo nihil impossibile pronuntietur: nam ubi opus molitur, impossibile Deus demolitur. At neque cordatis veritatis arbitris quidquam in humana natura fœdum est. Totum enim corpus nostrum instar instrumenti nihil suopte motu novit agere; sed nostris voluntatibus subservit: quandoquidem per ipsum anima velut musicus aut virtutis concentum efficit, aut improbitatis tumultum ciet. Nemo igitur humanum corpus turpe existimet, aut velut à Deo alienum calumnietur: neque enim fictio probrosa est, sed actio damnatoria: non enim peccant oculi, non manus, non partium aliarum ulla; sed qui malè manu, oculo, aliisq; mẽbris utitur. *Orat. 39. m.*

Basilius Seleuc: Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demonstratur, quod & patibili celatus sit corpore, & quod divinitatis impatibilitatem ostendat. Si enim solis hujus, cum fordentia fœtentiaque loca contingit, nullius inquinamenti contagione puritas inficitur: quomodo non magis sol justitiæ inditam affulgens virginem, & ea per sanctum corpus delibans impatibilis in ipso perstitit, ut Deo dignum est? *Oratione 39. m.*

Basilius Seleuc: Tunc vidit creatura, quod antè viderit nunquam, filium genitricis esse patrem, infantem ætate matrem superare, infantem æternitate antiquiorem. Nec enim fuit nudus homo, qui genitus; sed Deus Verbum ex virgine incarnatum, carne eadem mecum natura sibi circumjecta, ut simili simile salvaret. Nam si alterius naturæ quàm ego, corpus habuisset, si meæ carnis particeps non fuisset, mihi vitam non esset elargitus: nisi meam mendicasset naturam, ego regno Dei opulentus non essem. Processit igitur Emmanuel in mundum vetus opus suum, puer quidem recens apparens, sed ante æternitatem Deus: in præsepi reclinatus, & diversorio exclusus, cum æterna habitacula præparasset: in spelæo abjectus, & stella manifestus: à magis muneribus exceptus, & pretium pro peccatis exsolvens: à Simeone in ulnis gestatus, & divinæ potestatis ambitu cuncta complectens: à pastoribus infans visus, & ab Angelorum exercitu pro Deo agnitus, qui ejus in cœlo gloriam, in terra pacem, inter homines bonam voluntatem concinnebant. *Oratione 39. circa finem.*

S. Isidorus Pelusiota: Esaias, vir summa perspicacia præditus, carbonem ex altari forcipe tulit, Domini nostri incarnationem clarissimè perspiciens. Per carbonem enim, quem cernebat, divina essentia significabatur. Per forcipem autem, ea peccati expers caro, quam ex nobis sumptam sibi copulavit. Contigit autem Esaiæ labia, ipsiúsque peccata purgavit, atq; universæ videlicet humanæ naturæ. Nam verbi cũ humana natura conjunctio, quæ nullis verbis explicari potest, modo divinitati consentaneo universi mundi peccata sustulit. *l. 1. Ep. 42.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum angularis quidam lapis duorum parietum vinculum esse invenitur, ad arctissimam ac firmissimam conjunctionẽ ros inter se devinciens: eodem modo Domini nostri incarnatio duobus orbis populis inter se copulatis, atque in unum corpus atque unum spiritum compactis, in caput anguli effecta est, firmam ac minimè nutantem conjunctionem interpositu suo custodiens. *lib. 1. Epist. 447.*

S. Isidorus Pelusiota: Sacræ litteræ temporis expertem & æternam atq; immediatam, omniq; & oratione & mente superiorẽ Christi à Patre progressionem vocant generationẽ, non ut perpessionem aliquam adumbrent, sed ut essentiæ, ut sic loquar, identitatem statuant. Nam quæ gignuntur, reverà eandẽ cum gignentibus essentiam habent. Sed ne recentius aut posterius quid fortè cogitetur, In principio, inquiũt, erat verbũ. Deinde etiam ejusdẽ ad patrẽ habitudinẽ prædicant, cũ ajunt: Et verbum erat apud Deũ. Posthæc & dignitatẽ: Et Deus erat verbũ. Quarè ex appellatione Filij eandẽ essentiã: ex verbo generationẽ perpessionis expertẽ; ex eo porrò quod fuerit in principio, eandẽ æternitatẽ; deniq; ex eo, quod fuerit apud Deũ, dignitatẽ atq; excellentiã ipsi discentes: Ex unoquoq; autẽ nomine removentes incõveniens & indecorũ illud, quod inde se fortè in animos nostros insinuat atq; ingerit, verbi gratiã, à Filij nomine, id quod est recentius sive posterius; à Verbi appellatione id quod nullam habet subsistentiam, Deum æternum, consubstantialem, absq; perpessione & extra tempus ex patre progressum agnoscamus & adoremus. *lib. 4. Epist. 141.*

¶ Italorum.

Zeno: Hic est Deus noster, qui dignitate interim sepositа, non tamen potestate amore hominis sui, cujus formam fuerat subiturus, & creaturam, ut angelus, homo, puer, sponsus, gigas, crucifixus, sepultus, primogenitus à mortuis diceretur. Hic est, inquam, qui in omnibus omnia est: quoniam per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nec vos moveat fratres secularis, ac verè puerilis inconsideratorũ hominũ disputatio: qui ideo justũ patiuntur errorẽ, quia Christũ non ex Deo considerant hominẽ factum, sed ex homine. Cæterũ si spiritaliter saperent, in ipso, quod infirmissimum putant, hoc potissimũ prædicarent. Etenim verè perfectus Deus non esset, si esset aliquid, quod esse volens, esse non posset. Denique vultis scire compendio veritatem? Factus est, quod non erat: nec tamen desiit esse, ante quod fuerat. *Sermone 1. de nativitate Christi.*

Zeno: O magnum sacrmentum Maria virgo incorrupta concepit: post conceptũ virgo peperit: post partũ virgo permansit. Ita Christus in hominẽ se fecit nasci, quemadmodũ homo non potest nasci. Totũ deniq; sua luce resplendens corpus sine umbra gestabat: humilis carne, sed excelsus omnipotentiæ majestate. Qui sanè ideo carnem est dignatus induere, ut nemo se posset per carnem, cum judicij dies venerit, excusare. *Sermonis 2. fine de nativitate Christi.*

Chrysologus: Medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cùm infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatẽ. Christus ergo, si in suis mansisset virtutibus, cõmune cũ hominibus nihil haberet, & nisi implesset carnis ordinẽ, carnis in illo esset otiosa susceptio. Venit igitur susципere infirmitates nostras, & suas nobis cõferre virtutes; humana quærere, præstare divina; accipere injurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates. *Ser 50. pr.*

¶ Poetarum.

Prudentius hymno ante cibum.

Ecce ruit nova progenies,
Æthere proditus alter homo,
Non luteus, velut ille prius;
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeique carens vitijs.
Fit caro vivida sermo patris,
Numine quem rutilante gravis
Non thalamo, neque jure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atq; hominis
Digladiabile dissidium.
Quod modo cornua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namq; Deum merita,
Omnia virgo venena domat,
Tractibus anguis inexplicitis.
Verus inermis piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Qua feritas modò non trepidat,
Territa de grege candidulo?
Impavidus lupus inter oves
Tristis obambulat, & rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce Leonibus imperitat:
Exagitansq; truces aquilas,
Per vaga nubila, perq; notos
Sydere lapsa columba fugat.

Prudentius in Homunci onitas.

Intactam thalami virtus divina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat.
Incomperta ortus novitas, jubet ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus, innuba virgo
Nubit spiritui, vitium nec sentit amoris:
Pubertas signata manet, gravis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.
Iam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater.

Prudentius contra Homuncionitas.

Ipse gerit quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor quod peperit. corpus loquor, atq; animæ vim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore.
Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est:
Et totum redimit quem sumpserat, omne reducens
Quidquid homo est; istud tumulis, est illud abysso.

Christi Nativitas.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. Greg. Nyssenus: Oblivionem primæ contra nos sententiæ pronuntiatæ dies hic induxit: imò verò abolitionem, non oblivionem. Delevit enim & quasi erasit omnem penitus memoriam contra nos factæ condemnationis. Tunc in doloribus partus edebatur: nunc absque parturitionis cruciatibus nativitas existit. Tunc ex carne carnes nati sumus: nunc quod natum est, spiritus est ex spiritu. Tunc filij hominum, nunc filij Dei nati sumus. Tunc in terram de cœlis relegati sumus: nunc is qui cœlestis est, etiam nos cœlestes fecit. Tunc per peccatum mors regnabat: nunc invicem justitia per vitam recipit imperium. Tunc unus morti locum introeundi dedit: per unum etiam nunc contra vita introducitur. Tunc per mortem vita excidimus: nunc à vita mors deletur. Tunc præ pudore sub ficu occultati fuimus: nunc per gloriam ligno vitæ appropinquamus. Tunc propter inobedientiam ex paradiso expulsi sumus: nunc per fidem in paradisum admittimur. Rursus fructus vitæ ad delicias nobis propositus est ad arbitrium. Rursus fons paradisi quadripartitò diductus per Evangelicos amneis universam Ecclesiæ faciem irrigat, adeò ut etiam sulci animarum nostrarum inebrientur, quos is qui sementem sermonis facit, oratio doctrinæ proscidit, ac multiplicentur germina fructusque virtutis. *Oratione 4. de Christi resurrectione.*

D. Greg. Nyssenus: O rem admirandam! Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quamdiu aliqua est virgo, non est mater. nam ut est facta mater, virginitatem non habet. Hic autem utrunque nomen in idem concurrit. eadem enim & mater & virgo est: nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim ut qui in vitam humanam introibat, ut homines integros incorruptosque servaret, ab incorrupta sibi deserviente integritate initium duceret. nam hominum consuetudo, expertem connubii incorruptam appellat. *In diem natalem Salvatoris.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum si quis vilem ac circumforaneam mulierem in rerum venalium foro vapulantem intuitus, se illius esse filium profiteretur, revera regis filius cùm esset, atque hac ratione illam è manibus eorum, à quibus malè haberetur, eriperet: ita & ipse fecit, fassus se esse hominis filium, patrocinium auxiliumque illi afferens, ac peccatum damnans. non ergo ausus est posteà illam verberare: seu potiùs illam quidem verberavit mortis plaga. Inde effectum est, ut non ipsa caro verberata, sed ipsum peccatum verberans damnatum sit, ac perierit: id quod omnium est maximè admirandum. nisi enim in carne victoria parta fuisset, non tam mirandum foret, quando & lex hoc efficiebat. mirum autem id est, quòd unà cum carne trophæum erectum est: & quæ millies à peccato dejecta fuerat, hæc eadem splendidam contra illud victoriam tulit. *Homilia 17. ad Romanos.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud mulieris semen, quod Deus inimicum & infestum serpenti esse jubet, Dominus noster Jesus est. Nam ipse, mulieris semen, solus ex ea ortus est: sic nempe, ut nec viri semen intercesserit, nec castitati quicquam decesserit. *lib. 1. Epist. 126.*

¶ LATINORUM.

Orosius: Eo tempore, id est, eo anno quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar Augustus composuit natus est Christus, cujus adventu pax ista famulata est; in cujus ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinêre, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Eodemque tempore hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se hominum appellari non passus est; imò non ausus, quo verus dominus totius generis humani inter homines natus est. Sanè cum Augusto spectante ludos, pronunciatum esset in mimo: O dominum æquum ac bonum! universique, quasi de ipso dictum esset, exultantes approbássent; statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit: & insequenti die gravissimo corripuit edicto; dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est. *libro sexto cap. 22. adversus Paganos.*

Zeno: Secundum quòd Deus suos promiserat per prophetas, filium suum salvatorem generi humano se esse missurum commodum tempore maturo, divinitatis interim dignitate deposita, non tamen potestate, cœlo egressus metatura prædicta sacrario templi virginalis hospes & pudicus illabitur: ibidem quemque, qualis velit esse, disponit. immò, quod jam olim desponserat complendum, latenter assumit: namque requiescit libens florentissimo in domicilio castitatis: & in visceribus sacræ virginis comparat sibi corpus suo judicio nasciturus. In hominem coaptatus in tegumento carnis includitur Deus: humanamque vitam mutuatur de tempore, qui præstat temporibus æternitatem. Mira res, concipit Maria de ipso, quem parit, tumet uterus majestate, non semine: capitque virgo, quem mundus, mundique non caput magnitudo. Inter a promovent suum membra factorem: & opus sui figura vestit artificem. Parturit Maria non dolore, sed gaudio. nascitur sine patre filius, non totus matris: sibi debens, quòd conceptus est, donans matri, quòd natus. quæ principaliter stupet talem sibi filium provenisse, qui ex se natus non crederetur, nisi quia sicut fuit virgo incorrupta post conceptum, permaneret talis quoque post partum.

O nova ratio. Amore imaginis suæ coactus in infantem, vagit Deus: patiturq; se pannis alligari: qui toti⁹ mūdi debita venerat soluturus. In stabili præsepe deponitur populorum pastorem, pabulumque se esse contestans. Subiicit se gradibus ætatis, cujus æternitas in se non admittit ætatem. Totum contra conscientiam suam, ut homo infirmus patitur: ut homini mortis lege consumpto immortalitas tribuatur. Hæc est enim potestas Dei, ut salvo, quod est, possit esse, quod non est. Hic est Deus noster æterni Dei coæternus filius. Hic & homo, & Deus: quia inter patrem, hominesque astitit medius probans infirmitatibus carnem, & virtutibus majestatem. Hic sol noster: sol verus: qui clarissimos ignes mundi germanos astrorum, candentiumque polorum claritatis suæ de plenitudine accendit. Hic, qui semel occidit, & ortus est rursum, nunquam repeturus occasum. Hic, inquam, quem duodecim radiorum, id est Apostolorum duodecim corona circumdat: quem per ambitum totius orbis non muta quatuor animalia, sed salutiferis prædicationibus quatuor circumferunt Evangelia. Cujus quam vim habeat amictus, & currus, his verbis propheta testatur. Deus sicut ignis veniet: & sicut procella currus ejus retribuere in ira vindictam. *Sermone 3. de nativitate Christi.*

Chrysologus: Ad thalamum sponsæ nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittitur. Intra thalamum verò ipsum virginem Deus capit solam: susceptitur sola virginitas illibata. Vnde ô homo his admonitus exemplis, æstima quis sis, quantum sis, qualis sis, & tunc demum cogita, utrum possis Dominicæ nativitatis penetrare secretum, utrum merearis ad illius pectoris cubiculum pervenire: ubi tota superni regis, tota divinitatis requiescit majestas: utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temerarius discussor attendere: utrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum genitricis audax, & curiosus arbiter intueri: conspectibus tuis absconditum sæculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis angelis invisibile sacramentum: & ita cœlesti fabricæ præsidere, ut deprehendas liquido tu quomodo Deus penetrale clausæ carnis intraverit: quemadmodum sacri corporis in illo venerabili utero præter virginis conscientiam liniamenta pinxerit: quomodo præter concipientis sensum mansura sæculis ossa solidaverit: qualiter præter hominis ordinem, hominis veram produxerit formam: quēadmodum præter carnis solicitudinem totam carnis assumpserit veritatem: qua ratione præter naturam nostræ carnis integram susceperit qualitatem: & si ad hæc tibi liber non perpatuerit accessus, jam Deus ex carne nunc assumere non potuit, quod in principio assumpsit ex limo? Imo quia totum Deo est possibile, & tibine ad minima quidem operum Dei possibile est pervenire, conceptum virginis noli discudere, sed crede: Deum voluisse nasci pie senti, quia facis injuriam si requiris, magnum dominicæ nativitatis sacramentum fide percipe, quia ne minima quidē operū Dei assequi poteris sine fide. *Ser. 41. pr.*

Chrysologus: Hodie dominicæ nativitatis lætitiam debemus iterare: quando concipit virgo, virgo parit, manet virgo: non est consuetudo, sed signum: non est ratio, sed virtus: auctor est, non natura: nō est commune, sed solum: divinum est, non humanum. Cesset ergo inanis philosophiæ labor, nasci Christum non fuit necessitas, sed potestas: fuit honor, injuria non fuit: sacramentum pietatis fuit, deitatis non fuit detrimentum: fuit reparatio salutis humanæ, imminutio substantiæ non fuit hoc divinæ. Qui non nascendo ex intacto limo fecit hominem, nascendo ipse hominem de corpore fecit intacto: manus quæ in nostrum plasma latum dignanter assumpsit, ad reparationem nostrum dignanter assumpsit & carnem. Ergo quòd creator in creatura sua, quòd Deus invenitur in carne, creaturæ honor est, non est creatoris injuria. Sed hoc contumeliam credit, qui credit lutum precio sius esse quàm carnem. Fortasse pœniter de luti injuria in honorem carnis, in hominis gloriam se mutatum? Homo quare tibi tam vilis es, qui tam precio sus es Deo? Quare sic honoratus à Deo, te ipsum taliter inhonoras? Quare quæris unde factus sis, & ad quid factus sis non requiris? Nonne tota ista quā vides tibi facta est mundi domus? Tibi infusa lux circūfusas removet tenebras, tibi est temperata nox, tibi dimensus est dies, tibi cœlum, solis, lunæ, stellarū vario fulgore radiatū est: tibi terra florib⁹, nemoribus, fructibus est depicta: tibi creata est in aëre, in cāpis, in aqua speciosa continens

mirabilis

mirabilis animantium multitudo, ne gaudium novi sæculi tristis solitudo confunderet. Hinc est, quòd fecit te esse de terra, ut esses tu dominus terrenorum: & esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis: nec tamen te terrenum terrestribus sic æquavit, ut non etiam cœlestibus animatum te cœlitus exequaret: & ut esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum jumentis, dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi corpus de terra, ut in te nexa cœli, terræque concordia servaretur.

Adhuc tamen quid adjiciat ad honorem tuum tuus creator excogitat: in te imaginem suam ponit, ut terris invisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret: & in terrenis dedit tibi vices suas, ut non frauderetur domini vicario mundi tam larga possessio. Et si ista ita sunt, quare modo putatur injuria, quando Deus quod per se fecit in te, in se clementer excepit, & in homine se verè videri voluit, in quo antè imaginariò voluit se videri, deditque ut proprietas esset ipse, qui antè ut similitudo esset acceperat? concepit virgo, virgo peperit, non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quicquid est humani pudoris excusat. Aut quæ ibi verecundiæ læsio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium, ubi est interpres angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater? Nemo ergo judicet humano modo quod divino geritur sacramento, nemo mysterium cœleste discutiat ratione terrena, nemo ex usu tractet novitatis arcanum, nemo quod singulare est metiatur exemplo, nemo contumeliam de pietate componat, nemo periculum subeat de salute. *sermonis 48. principio.*

Chrysologus: Ubi spiritus generat, virgo parturit, totum divinum geritur, nil humanum: nec ullus infirmitati locus est, ubi virtus est sociata virtuti: soporatus est Adam, ut de viro virgo sumeretur: nunc stupuit virgo, ut vir reparatetur ex virgine. Quid sibi de tanto, de tali partu natura poterit vendicare, ubi dum videt novari ordinem suum, tota sua conspicit jura mutari, venisse in suam sobolem suum sentit & miratur auctorem? Videatur hoc perfidis vile, magnum est credentibus sacramentum. *serm. 57. m.*

Idem: Concipies & paries filium. Non dixit tibi, non dixit tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur filius Dei. Virgo te gratia matrem præstitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quâ non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseveravere virtutes. Virgo si tibi salva sunt omnia, quid dedisti? Si virgo, quomodo mater? Si sponsa, genitrix quomodo? Ille quo tibi aucta sunt omnia, nil minuit virgo. Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucẽ mundo dedit. Monita ergo per angelũ virgo ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox ut genueris invoca salvatorem: quia virginitas non sibi parit filium, sed parit pignus auctoris, & integritas suum gestat dominum, non alumnum: dicente angelo, Et vocabis nomen ejus JESUM. *serm. 142. ante med.*

Chrysologus: Debetur quidem vobis natalitius sermo, sed ineffabile nativitatis dominicæ sacramentum credere magis cõvenit, quã referre. Virgo peperit. Quod natura non habet, & usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus? Deniq; Evangelista conceptũ virginis, virginis partum sicut humano sermone pandit, ita divino claudit arcano: & hoc facit, ut homo quod credere jussus est, discutere non præsumat. Quis attingit arcanum Dei? partum virginis? rerum causas? sæculorum negotium? commercium divinitatis & carnis? hominem Deumque unum Deum? *principio sermonis 143.*

Chrysologus: Sed loquamur ad eos qui partum virginis, qui magnum pietatis sacramentũ, qui reparationẽ salutis humanæ referũt ad divinitatis injuriã. Venit ad virginẽ Deus, hoc est, ad opus suum opifex, creator ad creaturam suã. Quando ad opificis honorẽ operis restauratio non redundat? Quando honor nõ deputatur ad gloriam, si factor facturã suã reparet? Ne amittat quis opus suum, nonne cùm veterascit, renovat? & cùm cadit, erigit? & cùm destruitur, in melius non reformat? Ergò quod in partu virginis agitur: non est creatoris injuria, sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominẽ, quis arguit cur refecit? & quod ex limo formasse dignè creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum? Quid precio sius, caro aut limus? Ergò reparationis nostræ quanto precio sior materia, tanto major est gloria. Aut quando Deus non in utero plasmator est hominis.

Idem: Ipse hominem mulieris resumpsit ex utero, qui virginem viri formavit ex corpore, ac perinde homo quæ tibi videntur nova, Deo habentur antiqua. Sed dicis, Quæ nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quæ? Ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando, quia quæ facta fuerat ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotium nativitatis, quod nasci compulit Christum: ut naturæ curam nativitas daret auctoris, & naturæ cautio esset vivificatio filiorum. *sub finem sermonis 143.*

¶ POETARUM.

Prudent. Natali Christi.

Sentísne Virgo nobilis
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet!
Ex qua novellum seculum
Procedit, & lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit:
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis fluctibus.
Ipsasq; arenas Syrtium
Fragrasse nardo & nectare.
Te cuncta nascentem puer
Sensere dura & barbara,
Victusq; saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Iam mella de scopulis fluunt,
Iam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite,
Iam sunt myricis balsama.
O sancta præsepis tua,
Aeterne rex, cunbula,
Populisq; per seclum sacra,
Mutis & ipsis credita!
Adorat hac brutum pecus,
Indocta turba scilicet;
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.
Sed cùm fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, & quadrupes
Sapiatq; quod brutum fuit.
Negat Patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum:
Credas venenis & ebriam,
Furiisve lymphatam rapi.
Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quidquam tibi
Mentis resedit integræ
Ducem tuorum Principum.

Prudentius hymno omnis horæ.

Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Indust, ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat quam lex profundo noxialis tartaro.
O beatus ortus ille, Virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem, fœta Sancto Spiritu,
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cœli, psallat omnis Angelus,
Quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei:
Nulla linguarum filescat vox & omnis consonet.

Prudent. in Homuncionitas.

Estne Deus cujus cunas veneratus Eous
Lancibus auratis regalia fercula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus rapidoque simillimus Austro
Nuncius, Auroræ populos atque ultima Bactra
Attigit, illuxisse diem luctantibus horis,
Qua tener innupto penderet ab ubere Christus?
Vidimus hunc, ajunt, puerum per sydera ferri
Et super antiquos Signorum ardescere tractus.
Diriguit trepidans Chaldeo in vertice pernox
Astrologus; cessisse Anguem, cessisse Leonem,
Contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum,
Cornibus infractis domitum mugire Juvencum,
Sydus & Hircinum laceris marcescere villis.
Labitur hinc pulsus puer Hydrius, inde Sagitta.
Palantes Geminos fuga separat: improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quique alii horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere novum, rota lucida Solis
Hæret, & excidium sentit jam jamque futurum;
Seque die medio velandam tegmine glauco,
Splendoremque poli periturum nocte diurna,
Orbe repentinis caput obnubente tenebras.
Hunc ego non cumulem myrrhaque & thuris & auri
Muneribus? scio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non veneror, qui cœlo visus humique
Inventus rex atque Deus? moderatur utrumque
Naturæ specimen, tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum jubet ire sepultos.
Cœlum habitat, terris intervenit; abdita rumpit
Tartara. Vera fides, Deus est qui totus ubique est.

Christi Crux & Passio.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Chrysostomus: Homo argentum quidem solvit, atque ob id in proprium suum servum vehemens usurpat dominium: Christus verò & mortem. & quem tanto pretio redemit, in quem sibi dominium tanto studio negotioque acquisivit, hujus salutem nihili faciet. *Homilia 25. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Quando dixero, fuit crucifixus; Græcus seu Ethnicus dicit: Et quomodo est hoc rationi consentaneum? sibi crucifixo opem non tulit, & qui tentabatur tempore crucis. Et quomodo postea resurrexit, & aliis opem tulit? nam si poterat, oportebat ante mortem. Nam hoc quoq; dicebant Judæi. Qui autem sibi opem non tulit, quomodo tulit aliis? Nō est, inquit, rationi consentaneū. Est. n. crux supra rationem, & virtutis ineffabilis. Nam qui in malis fuit, malis fuisse superiorem, & cum eis commissa pugna vicisse, est infinitæ potentiæ. Quomodo. n. in tribus pueris, fuit admirabilius ingressos conculcasse flammam, quàm non ingressos esse fornacē: & in Jona multò erat majus à belua nihil esse passum, cùm in eam incidisset, quàm omnino non incidisse in cetum: Ita etiam in Christo fuit admirabilius, mortuum perfregisse mortem, quàm non esse mortuū. Ne dicas ergo, Cur sibi opem non tulit in cruce? Nam cùm ipsa morte volebat pugnam committere. Non descendit de cruce, non quòd non posset, sed quòd noluerit. Nam quem mortis tyrannis non detinuit, quomodo potuissent detinere clavi crucis? sed hæc sunt nobis nota, infidelibus autem non ita. Propterea dicebat: Verbum crucis pereuntibus quidem est stultitia: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. *Homilia 4. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Si servi dum tantùm laudantur ab heris, hisque ejusdem naturæ, vehementer sibi placent: an non gloriandum est, cùm ille Dominus, qui verus est Deus, non erubescit pro nobis crucem subire? *cap. 6. ad Galatas.*

Idē: Est ipsa magna profectò, atq; inenarrabilis charitas: litavit semetipsū pro inimicis, pro his qui se oderant, pro aversis à se. Id quod neque pro amicis, neque pro filiis, neque pro fratribus faceret quispiam, hoc fecit pro servis dominus, atq; pro hujusmodi Deus. Deus enim pro hominibus, pro mortalibus immortalis, pro temporalibus sempiternus, pro inimicis denique Dei filius. Nam si illi antea conversationis merito ac virtute placuissent, minus mirabilis charitas illa videri potuisset. Et certè ad illam ipsam nulla humana dilectio posset accedere. Quid enim in hominibus ejusdem substantiæ non fit, ut pro se invicem moriantur, tunc profectò magno excessu bonitatis factum est: & tamen nos, quum tanta ceperimus summæ illius charitatis indicia, tanta benevolentia potiti simus, torpescimus, atque negligimus, neque amamus Christum. Ipse pro nobis semetipsum offerre dignatus est, nos illum necessario indigentem cibo miseri aspernamur, infirmumque ac nudum nec visitare dignamur: quanta hæc ira plectenda sunt? Quibus cruciatibus, quibus incendiis obnoxia sunt? Nempe enim si nihil aliud ille pro nobis egisset, vel hoc ipsum solum, quod humanas passiones sibi assumere voluit, ac dicere dignatus est, Esurio ac sitio: omnes profectò ad se vehementer amandum provocare sufficeret. *Homil. 7. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Denique si Marcionem & Manetem, & Valentinum, & cæteros, qui impias hæreses pernicioseque dogmata ecclesiæ Dei invexerunt, consideres humanis rationibus divina metitos: ita demum divinæ incarnationis, dispensationisque mysterium erubuisse comperies. Et certè illa in se nihil habet quod erubescendum sit, verùm potius ob quod gloriandum. Nam ut de cruce Christi loquar, quid est, quæso, quod illius clementiam commendare excellētius possit? Nempe enim neque cœlum, neque mare, neque terram, neque rerum omnium creatio, neque aliud omninò aliquid, ita ut crux illa venerabilis, divinæ bonitatis magnitudinē prædicat. Quocirca Paulus quoque in ipsa gloriatur, dicens: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Sed enim animales quique, & adeo nihil amplius quàm hominibus tribuunt, decidunt & erubescunt. Idcirco jam dudum admonet discipulum, ac per illum omnes: Noli, inquiens, erubescere quòd crucifixum prædicas: hoc enim testimonium est, mors scilicet Christi. Nam ista quidem si per se cogitentur, mors, carceres, vincula, cōfusione ac probro digna sunt: cæterùm si quis apposita causa, discussoque mysterio singula decenter edoceat, plenissima gloriæ, divinæque honestatis causa cognoscet. Mors enim illa pereuntem servavit orbem, mors illa cœlestibus terrena conjunxit, mors illa diaboli profligavit tyrannidem, hominesque angelos ac filios Dei fecit. Mors illa mortalitatis nostræ naturam ad solium cœleste ac regale provexit. Vincula ista solverunt plurimos, & ad fidei gratiam converterunt. *Homilia 2. ad Timoth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem execrationis illius, qua terra post mandatum à nobis violatum maledicta est, seges spina erat: Dominus autem, ut omnem in se ipso morbum curaret, advenit; idcirco spinea corona ut victor, redimitus est: quemadmodum scilicet clari ac celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum aut instrumentum, cujus ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant. Confidite, inquit: ego vici mundum. Nam qui in humana natura fuit, nec tamen in humanis vitiis fuit, veterem generi nostro pulchritudinem reddidit, ac maledicti & execrationis robur in ipsa natura delevit. *lib. 1. Epist. 95.*

Isidorus Pelusiota: Dei passio non dicitur: verùm Christi passio. Extitit enim videlicet, incarnato Deo, per assumptam carnem supplicium perpessō. Nuda enim divinitas non modò pati non potuisset, sed nec teneri, nec cerni: nisi hominum naturæ pro sua benignitate ac misericordia cōpulata fuisset. *lib. 1. Epist. 124.*

Idem: Si nec generosam athletam, qui in arenam descendit, ac pulvere respergitur, & cæditur, deflere convenit (siquidem labores ipsius in coronis desinunt) nec fortis & præclari militis, qui ad bellum exit, vulneráque accepturus est, vicem luctu & lamentis prosequi par est (victor enim ac palmarius redibit, ac statuas & præconia consequetur) verùm illos demùm lugere oportet, qui ad latrocinia & cædes currunt, maximè quidem cùm secelerate aliquid perpetrant: deinde autem cùm supplicio afficiuntur, quidnam tibi in mentem venit ut ex me sciscitareris, quid causæ fuerit, quamobrem Christus mulieres lugentes, cùm ipse ad crucem ut victor triumphans abibat, non modò non collaudavit, sed etiam objurgavit? Perspicuum enim illud est, commiserationem, ei quidem qui invitus patitur, solatium: ei autem, qui ultrò ac sponte, contumeliam afferre. Siquidem ei qui non invito animo patitur, commiseratio pro contumelia est. Quandoquidem igitur ipse sponte ad patiendum se conferebat, ut & mortem extingueret, & diaboli nervos infringeret: eum autem qui laudibus & plausu dignus erat, illæ fletu & lachrymis prosequebantur, propterea, ut quidem nōnulli existimant, ipsis malum imprecatus est, revera autem calamitates ipsis eventuras prænunciavit. Neq; enim illum lugere fas est, qui peccatum fudit & profligavit, atque ad opprimendam quoque ac de medio tollendam mortem, vinculisque constringendum diabolum properat: verùm eos, qui ab omnibus superati atque correpti sunt. *libri 2. Epist. 285.*

Idem: Unde constat, inquis, Christum ultrò & suâ sponte ad mortem venisse? Maximè quidem ex eo, quòd mortuos dominicâ auctoritate & potentiâ excitavit. Nam qui mortuis vitam largitus est, is, profectò non invitus ad passionem suam abductus est. Quòd si etiā divinâ potentiâ uti noluit, at certè licebat ei, si voluisset, defensione utendo effugere. Habebat enim Pilatum quoque sibi ejus conatus socium, & dicentem, nunc quidem: Non invenio in ipso ullam culpam morte dignam: nunc verò: innocens sum ab hoc sanguine. Quòd si nec defensione innocentiæ uti voluit, at provocare exemplo Pauli licebat. Erant enim sub Romanis Judæi. Nam cùm Augustus Romanorum Imperator omnes in suam redegisset potestatem, inter quos ipsi quoque erant, jussit census agendi causâ describi omnem terrarum orbem, priusquam Salvator secundùm carnem nasceretur: Et erat apud ipsos Romanorum præses Pilatus, qui res administrabat, & appellantes Romam mittebat, eosq; adversus vim tutos præstabat; ut & Festus post eum, sive navis tribunus militū, Paulum & servavit ex synodo Judæorum, quæ nihil nisi cædem spirabat, & Romam ad Cæsarem remisit. Sed nihil istorum fecit Christus. Nam neque potentiâ suâ, neque defensione, neque appellatione usus est, ut liquidò ostenderet, se huc propterea venisse, ut mortem morte afficeret. *lib. 4. Epist. 128.*

§ LATINORUM.

Salvianus: Quantum ad rationem humanam attinet, injustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis servis filium bonum occidisset. Utique hoc magis inæstimabilis pietas, & hoc mirabilis magis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo justitiæ suæ non potest: ut, quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè injustitiæ speciem magnitudo justitiæ habeatur. Nam si vix ullus pro summa justitia mortem suscipiat, probavit Christus quantum præstiterit, pro nostra iniquitate moriendo. Majoris enim precii est beneficium quod præstatur indignis. Si enim sanctis & benè meritis præstitisset, non videbatur quæ non debuerat præstitisse, sed quæ debuerat reddidisse. Quo fit, ut etiamsi mortem pro eo suscipiamus, debitum tamen non exsolvamus. Sed tamen quia majus referre non possumus, totum reddere videmur, si totum quod possumus reddere curamus, hoc est amorem. *lib. 4. de gubernatione Dei.*

Chrysologus: Quando medicus languentium aut quærit, aut respicit voluntates, cùm semper contraria desideret & requirat infirmus? hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amara pocula ingerit, & apponit invitis, ut curam sani sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes. Et si homo injurias despicit, maledicta contemnit, & sauciatis morbo sponte vitam conferat & salutem: quantò magis Christus medicus bonitate divina morbis saucios peccatorum, & phreneſi criminum laborantes, ad salutem etiam invitos attrahit, & nolentes? *sermone 50. m.*

Egesippus: Victus Petrus fratrum fletibus, promisit se urbem egressurum. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere;

ere; & adorans eum dixit: Domine quò vadis? respondit ei: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione; quòd in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate, &c. *cap. 2. lib. 3. de excidio Hierosolym.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

S. Eleazarus Comes: Recolimus modò illud quod in omni pressura & afflictione securitatis portum præbet, Passionem Christi; quam ultrò pro nobis subiit, ut ex filiis iræ nos suæ gloriæ redderet comparticipes. Eleazari Comitis miram in omni adversitate patientiam mirata uxor, cùm quæreret quomodo toties offensus nullum offensionis signum daret; hoc ab eo responsum accepit: *Noveris me sentire aliquando indignantis animi motionem: sed ilicò ad cogitandam Christi passionem mentem verto, quæ sanè, longè eam superat, quam hic sustinemus.* Veram mentis tranquillitatem docebat, jugem Dominicæ passionis memoriam. Et ut dicit Greg. in Epist. Nihil adeò grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad mentem revocetur. *Sur. in Vita, tom. 5. cap. 23.*

Idem: Dum ad eum diutiùs absentem irrequieta quemdam è domesticis mitteret uxor, qui de rerum omnium & salutis potissimùm successu inquireret, responsum hoc dari mandavit: *Sanus corpore sum & sospes. Si autem videre me desideras, quære in latere corporis Christi: illic habito; ibi me invenies, frustrà alibi quæsitura. ibid. cap. 30.*

Zacharias Episcopus Hieros: Quo autem corporis habitu passionis Dominicæ mysteria & instrumenta pertractanda sint, docuit in Heraclio Imp. Zacharia. Heraclius námque, dum Crucem, in qua Dominus suspensus, humeris ferret, ut in monte Calvariæ loco sibi proprio collocaret; in urbis Hierosolymitanæ portis, quasi fixus sterit & immotus, obstupuit. At Zacharias, *Vide*, ait, *ô Imperator, ne isto triumphali ornatu* (erat enim auro gemmísq; decorus) *parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem in ferenda cruce imitére.* Tùm dimisso eo cultu, & plebejo assúmpto, reliquum viæ perfecit. *Paul. Diac. lib. 18.*

S. Elisabeth Regis Hung. filia: Miremur hic, & rimemur puerilis animi prudentiam, verè non annorum numero, sed pietatis officio computandam. Vix annos expleverat pubertatis, & nunquam ad templum procedebat, quin coronam capite amoveret: ac tamdiu inglorium verticem ostendebat, quoad ritu sacrorum completo, domum regrederetur. percontantíque hujus rei causam matri Sophiæ, & id temerè fieri dicenti, respondebat: *Absit à me tanta impietas, ut ibi caput meum turrito micantis coronæ fastu superbiat, ubi caput Salvatoris mei spinis coronatum compungitur.* Ita divina charitas in casta puellaris animi præcordia, Dominicæ passionis contemplatione, veluti mucrone quodam vulnus agere cœpit. *Sur. tom. 6. in Vita.*

Thomas Morus: Meritò hîc etiam celebrandus Morus. qui, cùm ad supplicii locum pergeret, & ad calicem bibendum properaret, transeunti mulier vinum obtulit. quod recusans, *Christus*, ait, *in passione non vino, sed felle potatus est.* Ita pium, & jam jam hinc emigraturum spiritum, passionis Dominicæ meditatio perculit. *Th. Staplet. in Vita. cap. 20.*

Christi Resurrectio.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Isidorus Pelusiota: Trium Domini in sepulchro transactorum dierum hæc est explanatio. Scriptum est: Quemadmodum Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: Ita etiam filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: Is igitur, qui se Jonæ typum expressurum receperat, cùm eum exactè nosset (quippe qui etiam Jonæ adesset, cùm in profundum præceps ageretur, atque è profundo ejiceretur) eum quoque haud dubie explevit, tanto nimirum temporis spatio, in sepulchro commoratus, quanto Jonas in ceti ventre. Quòd si alteram adhuc hujus loci explicationem quæris, habeto. Sexta hora parasceves in crucem actus est Dominus. Ab hac hora ad nonam usque tenebræ extiterunt. Hoctu noctem intellige. Rursus à nona lux. Hoc rursus pro die habe. Nox rursum parasceves. Tum dies sabbathi. Nox sabbathi Dominici diluculum: juxta Evangelistam dicentem, Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi. Quòd si tertiam ex me intelligere postulas, ea est hujusmodi: In die parasceves Dominus Spiritum tradidit. En una dies Sabbathum totum in sepulchro exegit. Postea ejus noctem. Lucescente Dominica è sepulchro surrexit. Id quoque dies est. Siquidem à parte, ut nosti, totum intelligitur. Sic autem nos quoque eorum, qui mortem obeunt, memoriam celebrare consuevimus. Quacunque enim diei hora quispiam vitam cum morte commutárit, postero duntaxat die interjecto, altero pòst die tertianum ipsius diem agimus. Habes, ni fallor, propositæ quæstionis solutionem. Quòd si perfectos tres dies ac noctes quærunt qui malè pugnant, illud respondeo, quòd rex quoque, si admissa eorum, qui in metallis ac vinculis sunt, deprecatione ac supplicatione, hoc ipsis pollicitus fuisset, se post tertium diem eos missos facturum, ac præstitutum diem antevertens eos liberasset, per hanc celeritatem verum magis dixisset. Ad eundem itaque modum Dominus, citiùs quàm promiserat, resurgens, ab omnibus meritò adorabitur. *lib. 1. Epist. 114.*

Isidorus Pelusiota: Eorum stoliditatem magnopere, atque ad stuporem usque miror, qui quam ob causam Christus ante tres dies resurrexerit, percunctantur. Nam si eum quoque omninò non resurrexisse asserunt, ecquid temporis minutias jejunè ac morosè urgent? Si autem eum quidem ad vitam rediisse, verùm citiùs quàm promiserat, ex hoc ipso quod ad vitam rediit, illud quoque unà demonstratum esse existiment, ipsum omninò verè locutum esse. Nam cùm id, quod impossibile & erat, & videbatur (siquidem imbecillitatem hominum spectes) præstiterit, profectò in ea re, quæ potestatem minimè excedebat, haudquaquam elanguisset, tametsi etiã tardè resurrexisse, imbecillitatis, confestim autem, maximæ potentiæ argumentum existat.

Ac quidem ipsos, tùm ex eo quod infinitum Gentilitium deorum catalogum deleverit ac de medio sustulerit, tùm quòd omnia idolorum phana subverterit, & impuras ac sacrilegas aras, quæ humano cruore tingebantur, extinxerit, atque diaboli quidem nervos ac robur infregerit, dæmones autem in fugam converterit, ac præterea truculentas & immanes nationes mitigárit. Judæos autem in maximas calamitates conjecerit, eos denique, qui fidem amplexi sunt, supra cœlum evexerit, divinam ipsius invictámque potentiam adorare oportebat, non autem de aliquot horis altercari. Neq; enim quæ maxima, omnique sermone præstantiora sunt ab exiguis rebus everti queant.

Cæterùm quoniam ingens veritatis copia & amplitudo est, ad ipsam quoque rem accedere conabor. Ac primùm velitationis cujusdam cautà ad eos hæc dicentur: Si debitorem aliquem, qui se creditori suo post tres dies debitam pecuniam persoluturum promisisset, ante præstitutum dissolvisse conspexerimus, utrum tandem eum, ut mentientem condemnabimus, an potiùs, ut promissi fidem magis explentem admiratione prosequemur? Equidem ipse hoc posterius existimo, atque omninò vos quoque. Quidnam igitur absurdi est, si Christus item, cùm se tertia die resurrecturum dixisset citiùs tamen à morte ad vitam rediit, tùm ut suam potentiam conspicuam redderet, tùm ut custodes examinaret, ac Judæorum ora comprimeret? Etenim quòd maturiùs resurrexisset, à crimine ac reprehensione alienum erit: at si seriùs revixisset, suspicionis plena res hæc extitisset. Oportebat quippe assidentibus ac custodientibus satellitibus resurrectionem fieri. Nam si exactis diebus ac remotis custodibus extitisset, suspicionem res habitura erat. Quòd si non resurrexit, quónam pacto in ipsius nomine Apostoli tanta signa ediderunt? Quónam autem pacto digni, quibus fides haberetur, testes non essent, qui per sexcenta pericula & mortis genera resurrectionis veritatem confirmarunt, testimoniúmque suum, non atramento, sed cruore consignarunt?

Quòd si ad exactam & accuratam hujus quæstionis explanationem descendendum est, illud dixerim: Tertio die resurrecturum se dixit. Habes parasceven, habes sabbathum, usque ad Solis occubitum. Ac post Sabbathum resurrexit, attacto quidem utroq; die, medio autem expleto atque confecto. In tribus enim diebus resurrecturum se dixit, non autem post tres dies. Solvite namque templum hoc, inquit, & in tribus diebus excitabo illud. Atque item Propheta vaticinans, his verbis utebatur: Tunc mors lugebit, fortiore morte devicta. Sanabit nos post duos dies: in tertio resurgemus, ac vivemus in eo. Quòd si tres dies ac noctes nobis objiciant, illud dixerim, quod hoc ipso quod eas attigerit, id quod pollicitus fuerat, impleverit. Unus enim dies quatuor & viginti horarum spatium appellaretur: atque sive in prima, sive in postrema harum quispiam in lucem prodeat, aut è vita discedat, hic ipsi dies computatur. Verbi gratia: Si Sole ad occasum vergente quispiam nascatur, sit autem dies illa prima mensis, hæc ipsi ascribetur. Si autem, cùm jam occiderit, alter procreetur secunda. Quî fit igitur, ut cùm unica duntaxat, imò fortasse ne unica quidem hora intercesserit, ille prima, hic secunda die in lucem fuisse editus dicatur? Nimirum quia id cunctis perspicuum & manifestum est, quòd ob attactum solum, ille quidem præteritum, hic autem insequentem diem, qui viginti quatuor horarum curriculo conficitur, explevit. Quapropter cùm exacta quoque temporum consideratio hoc clamet, quid frustrà se ipsos contundunt, qui veritatem à veritate aberrasse affirmant. *lib. 2. Epist. 212.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Memoriâ repeto me sapientem quendam Græcum, quíque apud multos maximam eloquentiæ gloriam obtineret, mecum differentem de rebus fidei, paucis verbis ira refutasse, ut mutire non auderet. Nam cùm ipse proferret Christi passionem & crucem, inque risum super his effusum solveretur, ego ei modestè ac mansuetè respondi in hæc verba: Unde autem demonstrare potes Christum esse crucifixum? Omnibus verò, qui hæc audiebant, admiratione perculsis, & cogitantibus, quídnam intendens conficere, hoc dixissem: respondit ille, quasi qui victoriam absque labore jam reportaturus esset: In Evangeliis scriptum est. Cui è vestigio

regessi:

regessi: At in iisdem hoc quoque quòd resurrexerit, & in cœlos redierit, scriptum habetur. Si ergo credis Evangeliis, tam hoc quàm illud affirmantibus fidem habeto. Sin minus, rem facis absurdissimam, dum alterum quidem amplecteris, alterum verò repudias. Numquid enim ad contumelias ac probra patulas & acutissimas habetis aures; ad splendida autem illa atque divina obturatas? Maximéque, cùm commentitii tui Dii à crucifixo superati manus jam dederint. Si igitur crucifixus est, certum est etiam ad cœlos eundem ascendisse. Sin autem splendida illa, (quæ de Christo ibidem commemorantur,) excludis, noli inde etiam probrosa proferre. Alterum enim ab altero dependet, & divelli nequit. His itaque dictis tantus exortus est applausus, ut & ego & ipse erubesceremus: Ego quidem, quòd suprà quàm dignus essem laudarer; Ipse autem, quòd suismet verbis constrictus teneretur. Hoc tibi facto indicio, arbitror satis responsum esse perspicuè ad ea, quæ à tua prudentia ad me fuerant perscripta. *lib. 4. Epist. 31.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Si divinum est, quòd ex virgine nascitur Christus, quantum divinius est à mortuis quòd resurgit. *Sermone 74. pr.*

Idem: Discipuli quòd credunt tardiùs, non est perfidiæ, sed amoris: scrutantes enim taliter fidem non abnegant, sed requirunt: & dum intendunt altius, verum esse quod intuentur, exoptant. Fratres discipulos adista tardos, stupidos ad tanta, non perfidiæ timor, sed causæ præstitit magnitudo, visa non videre, nescire scita, credita non incredulitas facit, sed miraculum singulare. Fratres, ad virtutes natura est nimis infans, quę nisi per Deum creverit, capere natura non valet perfecta sentire. *fine sermonis 81.*

Christi Ascensio.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

S. ISIDORUS PELUSIOTA: Christus, vir optime, hanc ob causam se in paterna gloria venturum promisit, ut hæreticorum ora obstrueret, eorúmque furorem & rabiem extingueret. Non enim dixit: in eadem gloria, qua Pater (ne hinc rursus diversitatis cujuspiam alicui suspicio injiceretur) sed, ut rem accuratiùs exprimeret. In eadem illa venturum se esse affirmavit. Ex quo illud necessariò sequitur, ut unam & eandem hanc esse existimemus. Quorum porrò una & eadem gloria est, multò sanè magis una etiam & eadem essentia. Quod si quis mihi diffidit, perpendat id quod dicturus sum. Nam si, ubi eadem essentia non est, gloriæ discrimen reperitur (alia enim Solis gloria est, alia Lunæ, alia stellarum: stella enim à stella differt in claritate) quonam tandem pacto ea essentiæ ratione inter se dissidere queant, quorum una & eadem gloria est? *lib. 3. Epist. 166.*

Chrysologus: Ascendit in cœlos, non se ut referret in cœlum, qui semper mansit in cœlo, sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit, & subtraxit inferna. Intellige unde, ubi homo per Deum sis levatus, ut esses in cœlestibus stabilis, qui eras lubricus, ac semper mutabundus in terra. *sermone 57. ante finem.*

Christi Virtus.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

CÆcus *illuminatus*: Postquam variis responsionibus Pharisæos exagitasset, qui iniquè animo ferebant eum sanatum esse à Christo, convitiati sunt ei, dicentes: Tu discipulus ejus esto, nos autem Mosis discipuli sumus: nos scimus Deum esse loquutum Mosi: hic autem unde sit nescimus. Respondit autem ille & dixit eis: Enimverò in hoc mirum quiddam est, quòd vos nesciatis unde sit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus autem, quòd Deus peccatores non audiat: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exequitur, hunc audit. Ab omni ævo non est auditum aliquem aperuisse oculos ejus qui cæcus natus fuerit. Nisi esset hic à Deo, non posset quicquam facere. *Ioann. 9. v. 28. 30. &c.*

Vincentius martyr: Quod de ipso fonte virtutis (id est, de Spiritu Dei,) hauriantur aquæ præsidii in tormentis, ostendunt & illi tres pueri in fornacis æstuantis incendio positi, quibus ipsa flamma refriguit, & præcipuè inclytus ille martyr Vincentius, qui cùm graviter torqueretur, nō solùm tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur his verbis: Insurge (inquit) & toto malignitatis spiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques. Possent multa de hoc fonte virtutis dici, quæ prætereo: quia de fonte virtutis bibere potiùs quàm describere desidero. *D. Bernhardus in parvis sermonibus, Serm. 66.*

Christianismi.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Græci ac Judæi hoc adversus nos adducunt, dicentes: Non oportere credere, propter dissensionem hæresum: retardatur enim ac differtur veritas, dum alii alia constituunt dogmata. Quibus respondemus, quòd & apud vos Judæos, & apud eos qui inter Græcos fuêre in maxima existimatione Philosophos, fuere plurimæ hæreses: neque tamen ideò dubitandum esse dicitis, quin sit philosophandum, aut Judaicæ hærendum disciplinæ, propter eam quæ est inter se vestrarum dissensionem sectarum. Præterea autem fore ut in veritate seminentur hæreses, ut in frumento zizania, propheticè dictum est à Domino: & fieri non potest, ut non fiat id quod prædictum est esse futurum. Hujus autem causa est, quòd quicquid est pulchrum sequitur reprehensio. Num ergo si quis pacta conventa non observaverit, & transgressus fuerit eam quæ fit apud nos confessionem; propter eum qui non stetit suæ professioni, abstinebimus nos quoque à veritatate? Sed ut oportet virum probum minimè esse mendacem, & nihil infirmare eorum quæ est pollicitus, etiamsi aliqui alii pacta conventa transiliant: ita nos quoque nullo modo convenit transilire regulam ecclesiasticam. Maximeque eam quæ fit de rebus maximis professionem, nos quidem observamus, illi verò transiliunt. Est ergo credendum iis qui firmiter adhærent veritati.

Jam verò nobis largè hac defensione licet uti iisque respondere, quòd medici quoque quorum convenienter suis sectis diversæ sunt sententiæ, ex æquo re ipsa curant. Num ergo qui ipsam ægrotans & qui ut curetur opus habet, non admittit medicum, propter eas quæ sunt in medicina hæreses? Ita quoque qui anima ægrotat, & est plenus simulachrorum vanitate, sanitati sanè & ad Deum conversioni nunquam hæreses prætexat. Certè propter probatos, inquit, sunt hæreses: probatos autem dicit, vel eos qui venientes ad fidem, majori electione accedunt ad doctrinam Dominicam, tanquam probos argentarios qui nummum Domini adulterinum discernunt ex falsa impressione: aut eos qui in ipsa fide jam probi evaserunt, & in vita & cognitione. Propterea ergo majori cura opus est & providentia, ut examinetur quo modo sit exactè & perfectè vivendum, & quænam sit vera pietas & rectus Dei cultus.

Clarum est enim quòd cùm veritas sit ardua & difficilis, propterea certæ fuerunt quæstiones, ex quibus quæ nimio sui amore laborant, & ambitiosæ sunt & gloriæ cupidæ, nascuntur hæreses eorum, qui non didicerunt quidem, neque verè acceperunt, sed sibi cognitionis sumpsere persuasionem. Est ergo nobis majori studio & cura perserutanda, ea quæ verè est veritas, quæ sola circa eum qui verè est Deus versatur. Laborem autem consequitur dulcis inventio & memoria. Est ergo labor inveniendi subeundus propter hæreses, sed non est omninò deficiendum. Neque enim si appositus sit fructus, unus quidem verus & maturus, alius verò factus ex cera quàm maximè similis, propter similitudinem est abstinendum ab utroque. Simul autem discernendum est comprehendente contemplatione, & principali consideratione, verùm ab eo quod apparet. Et quemadmodum si una quidem sit via regia, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliquæ verò ad fluvium rapidè fluentem, aut ad mare profundum, non dubitaverit quispiam viam ingredi propter dissensionem, sed utetur via regia & trita & sejuncta à periculo: ita cùm alii alia dicant, de veritate non est discedendum, sed exactiùs & diligentiùs est inquirenda ejus exactissima & accuratissima cognitio. Nam cum oleribus hortensibus unà etiam nascuntur herbæ. Num propterea abstinent agricolæ à cultura hortorum? Cùm ergo habeamus à natura multa quæ nos incitant, & dant occasionem ad ea quæ dicuntur examinanda, etiam veritatis invenire consequentiam debemus. Quocirca meritò etiam condemnamur, non assentientes iis quibus oportet parere, non discernentes id quod repugnat, & indecorum, & præter naturam est, & falsum, à vero & consentaneo, & decoro, & eo quod est secundùm naturam. Quibus quidem est utendum, ut quæ incitent & sint occasio agnoscendæ ejus quæ verè est veritatis. Græcis ergo est inanis hic prætextus: volentibus enim licebit invenire veritatem. *Libro Stromatum septimo.*

D. Nazianzenus: An hæc Ethnica ad nostram religionem & doctrinam accedunt, apud quos lex & norma amicitiæ quisque ipse est, atque eadem proximis velle quæ & sibi ipsis: crimen autem, non modò malum extitisse, sed etiam à malo parum abfuisse, nimirum cupiditate quoque ipsa penè ut actione, pœnam luente: apud quos tantum pudicitiæ studium est, ut oculus quoque frænetur ac reprimatur, & manus sanguinaria & mortifera ita longè arcetur, ut ira etiam ipsa coërceatur: perjurium autem adeò atrox & nefarium censetur, ut jusjurandum quoque ipsum nobis solis interdictum sit? Jam verò pecuniæ, multis ne unquam quidem ullæ fuerunt, multi rursum hoc uno nomine multa libenter habuerunt, ut multa contemnerent, extremam inopiam instar omnium opum colentes. Ventre porrò, tanquam acerbo quodam & detestabili domino, malorúmque

lorúmque omnium parente, ad crassum vulgus abjecto, non sanè magnum fuerit hoc de ipsis dicere, quòd eam sibi vim adhibeant, ut penè carnis quoque omnis expertes esse videantur, nimirum id, quod mortale est, per id, quod immortale, absumentes. Ac virtutis ipsis hæc una lex est, ne levissimis quidem vitiis, atque ab omnibus neglectis, succumbere. Nihil enim præclarius ac præstantius, quàm quòd, aliis scelerum fines juxta leges vindicantibus, nos principia quoque ipsa plectimus, ac velut malum quoddam, quodque vix sisti ac reprimi queat, profluvium multò antè cohibemus. *Oratione tertia, quæ est in Iulianum Stelitèutica altera.*

D. Nazianzenus: Ille, ante etiam quàm ad nostram caulam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis asciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet à communi corpore vita removet; sic contra multi exterorum ad nos spectant, quicunque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cùm rem ipsam teneant. Quo in numero meus quoque pater erat, ramus quidem ille alienus, cæterùm vita & moribus ad nos propendens. *Orat. 19. in funere patris.*

D. Gregor. Nyssenus: An nihil in hoc periculi est ei qui hoc nomen prætendit, si ejus vita talis non sit? Ex similitudinibus perspicuum fiet quod quærimus. Ponatur aliquis esse, qui artem pingendi profiteatur, atque huic imperari à magistratu, ut iis qui procul habitant, regis imaginem sculpat. Si igitur turpem aliquam ac deformem speciem in tabula sculptam imaginem regis indecoram eam formam nominaverit, an non verisimile est indignaturam esse potestatem, quòd pulchritudo principalis propter malam illam picturam vituperetur inter ignotos? Qualis enim in imagine species ostenditur, talem etiam formam principalem existimari necesse est. Quocirca si definitio Christianismum Dei imitationem esse dicit, qualem vitam, quam juxta imitationem Dei traduci creditum est, inter nos viderit is, qui nondum mysterii rationem acceperit, tale nostrum quoque numen esse existimabit. Itaque siquidem omnis boni exempla, viderit, bonum credet esse numen, quod veneramur: sin autem aliquis affectibus obnoxius, ac bestiarum similis fuerit, atque alias in alios identidem affectus transformetur, multásque ferarum formas, morum atque ingenii immanitate induat & repræsentet (feras enim planè videre licet naturæ nostræ depravatæ vitiis informari:) deinde Christianum is se nominet, nemine ignorãte, quod ejus nominis professio imitationem Dei polliceatur: per vitam suam efficiet, ut quod à nobis creditur esse numen, vituperatur ac reprehendatur inter infideles. *Oratione de professione Christiana.*

Chrysostomus: Et quis, inquies, quæ utilia, quæque voluntas Dei sit, non agnoscit? Qui præsentibus rebus afficiuntur, qui divitias beatas existimant, qui paupertatem vilipendunt, qui potentatus sectantur, qui ad externam gloriam anhelant, qui seipsos magnificiunt, si quando splendidas domos ædificaverint, sepulchra preciosa comparaverint, mancipiorum greges habuerint, multámque eunuchorum copiam circumtulerint. Illi scilicet ignorant, & quæ sibi utilia, & quæ Dei sit voluntas. Sunt autem utraque ista unum quiddam. Nam quæ utilia nobis sunt, illa vult Deus: & quæ Deus vult, illa demùm & utilia nobis sunt. Quæ sunt ergo quæ Deus vult? Ut in paupertate vivamus, in humilitate, in contemptu gloriæ: in temperantia, non in deliciis: in tribulatione, non in quiete: in luctu, non in cachinno ac risu, inque aliis quæ singulis decrevit. Sed multi sunt qui ista tanquam malum omen aversantur: tantùm abest ut putent esse & utilia, & Dei voluntatem. Atque ob eam rationem nunquam probè poterunt ad eos, qui virtutis gratiâ obeundi sunt, labores accedere. Illi enim, qui ne sustinent quidem unquam in virtutem attendere, quidnam sit, sed pro illa malitiam admirantes, pro casta conjuge meretricem sibi ipsis includunt: quo pacto à præsenti sæculo abstinere poterunt? Propterea ante omnia rerum firmum & rectum oportet nobis esse judicium, ut etiam si virtutem non exerceamus, laudemus tamen: & si malitiam non fugiamus, improbemus saltem, calculosque interea servemus incorruptos. Nam si ita viam hanc procedendo teneremus, possemus ipsa quoque opera aliquando apprehendere. *Homilia vigesima ad Romanos.*

Chrysostomus: Non solùm Dominus liberavit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum quempiam scabiosum, & peste ac morbo senioque & paupertate ac fame confectum & perditum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, & genis quidem splendorem valdè emittentem, & micantium oculorum ejaculationibus fulgorem occultantem; deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, & postea eum purpura induerit, & diadema imposuerit, & omni ornatu ornârit: ita nostram instruxit & ornavit animam, pulchrámque fecit, desiderabilem & amabilem. Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam, Archangeli, omnes sancti: Ita nos etiam fecit gratiosissimos, & sibi desiderabiles. Concupiscet enim, inquit, Rex tuam pulchritudinem. Vide enim quàm noxia antea loquentes, quanta plena gratia nunc loquamur. Non ampliùs admiramur divitias: non ampliùs quæ hîc sunt, sed cœlestia, & quæ sunt in cœlis. Non puerum illum dicimus esse scitum & gratiosum, qui cum elegantia & decore corporis, multam etiam in verbis habet gratiam? Tales sunt fideles. *Homilia 1. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Quemadmodum hi qui in bello regia signa circumferunt, ut moris est, magnis laboribus indigent & viribus, maximáque peritia, uti ne id hostibus prodant: ita & qui Christi nomen portant, non in bello solùm, verùm etiam in pace summis viribus indigent, ne id maledicis linguis exponant, sed id strenuè ferant, vexillo crucis armati. Ingenti enim profectò opus est robore, ut quis dignè portet Christi nomen. Nam qui indignum aliquid vel dixerit, vel fecerit, aut etiam cogitaverit, Christi nomen non legitimè portat, neque habet in semetipso Christum. Porrò qui id congruè portat, is profectò triumphat, non in foro, sed in cœlis, omnesque illi adstant Angeli circumdantes illum, atq; admirantes. *Homil. 3. ad Timoth. 1.*

S. Isidorus Peluſiota: Apud Christianos solos, qui quidem verè hoc cognomento digni sunt, (neque enim quisquam à vulgi stoliditate atque improbitate religionem æstimet) connectuntur ea, quæ plurimùm inter se disiuncta sunt. Animi enim magnitudo ab omni arrogantia & contumacia libera, atque in sedatis & compositis moribus solertiam retinens mansuetudine temperatur. Etenim superbiæ nihil secum ferens, verùm lenitate ac morum facilitate condita (quod dictu mirum est) humilis & abjecti animi affectum devitat: hactenus videlicet modestiam præstans, quòd adversus proximos minimè se efferat: ac rursum eatenus magnitudinis animi specimen edens, quòd nec terroribus, nec periculis succumbat, atq; etiam adulatione ac servili demissione superiorem se præbeat. Non enim servilis animi hominem & adulatorem modestum esse statuit, nec rursum contumacem & arrogantem, magnanimum: verùm utriusque bona aucupans, vitia devitat: quò nimirum vitia virtutibus propinqua fugiens, ipsam virtutem purè ac syncerè adipiscatur. *lib. 2. Epist. 241.*

S. Isidorus Peluſiota: Quemadmodum Philosophum non efficit pallium & baculus, sed libertas loquendi & vita proba atque honesta: ita & Christianum non facit habitus & oratio, sed vita & mores rectæ rationi consentientes. *lib. 4. Epist. 34.*

S. Asterius: Quid eos qui Christo nomen dederant ac mysteriorum participes erant ad cultum Dæmonum pertraxit? nónne plura possidendi cupiditas, & alienas fortunas occupandi? nónne promissorum spe magistratuum ac præfecturarum regiæque munificentiæ & largitionis ab impiis facta, Dei cultum religionemque quasi vestem repentino mutarunt? quid opus vetustis? Cùm enim Imperator ille qui Christi personam per simulationem diu gestaverat, repentè eam deponens, totamque reducto sipario scenam denudans, & ipse dæmoniis impudenter sacrificavit, & alios variis eo præmiis invitavit; quantus ab Ecclesia ad altaria factus est concursus? quàm multi per honorum escam & illecebras unà cum ipso transgressionis hamum devorarunt? qui nunc quidem tanquam Christi propter pauxillum argenti proditores, expuncti Christianorum albo, stigmatiæ civitates oberrant, &c. *Homilia de Avaritia.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Sicut servi hominum divitum aut procuratores, quibus vel supellectiles copiosæ, vel cellaria opulenta creduntur, fideles absque dubio dici non queunt, si res sibi traditas devoraverint: sic profectò etiam Christiani homines infideles sunt, si bona sibi à Deo assignata corruperint, hoc est, legem primùm, deinde Prophetas, tertiò Evangelium, quartò Apostolicas lectiones, postremò generationis novæ munus. *lib. 3. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Vita & peccatis sumus deteriores barbaris: lege autem Catholica sine comparatione meliores. Quòd lex bona est, nostrum non est: quòd malè vivimus, nostrum est; & nihil utique nobis prodest quòd lex est bona, si vita nostra & conversatio non est bona. Imò hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, & mali cultores sumus. Quin potiùs nec cultores: neque enim colit qui rem sanctam non sancte colit: ac per hoc accusatrix nostri est lex ipsa quam colimus. Remota ergo legis prærogativa, quæ nos aut nihil omnino adjuvat, aut etiam justa animadversione condemnat, vitam barbarorum atque nostrorum studia, mores, vitia comparemus. Injusti sunt barbari? & nos hoc sumus. Avari sunt barbari? & nos hoc sumus. Infideles? & nos. Cupidi? & nos. Impudici? & nos. Omnium denique improbitatum atque impunitatum pleni sunt barbari? & nos hoc sumus. Sed responderi fortè possit: si pares vitiositate barbaris sumus, cur non sumus etiam viribus pares? Cùm enim similis sit improbitas atque idem reatus, aut tam fortes deberemus esse nos quàm sunt illi; aut certè tam invalidi quàm nos sumus, illi esse deberent: Verum est, ac per hoc superest, ut nocentiores sint qui infirmiores. Quippe etsi eadem agant barbari quæ nos, nos tamen majore offensione peccamus. Possunt nostra & barbarorum vitia esse paria; sed in his tamen vitiis necesse est peccata nostra esse graviora, &c. *libro quarto de gubernatione Dei.*

Salvianus: O miseriam lachrymabilem ac luctuosam! quàm dissimilis est nunc à seipso populus Christianus, id est, ab eo qui quondam fuit. Tunc B. Petrus Ananiam & Sapphiram quia mentiti erant morte multavit. B. quoque Paulus de Ecclesia malum nunc expulit, ne contactu suo plures inquinaret. Nunc nos etiam

pari

pari utriusq; sortis numero contenti sumus, hoc est, utidem sit malorum numerus qui bonorum. Et quid contenti? Exultare nos potiùs ac tripudiare gaudio conveniret, si parilitas ista nobis contingeret. Ecce in quid redacti sumus, post illam Christiani populi puritatem qua omnes quondam immaculati erant, ut beatam fore Ecclesiam judicemus, si vel tantum in se boni habeat quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc esse plangimus criminosam. Et quæ tandem rogo spes emendationis in nobis est, qui non errore opinionis ad malum ducimur, sed studio malæ voluntatis adnitimur, ut semper pejores esse videamur. Et ideò pejores sumus barbaris. Illos legis ignorantia excusat, nos scientia accusat. Illi per impatientiam veritatis, quia quæ sunt bona nesciunt, mala pro bonis diligunt. Nos cùm scientiam veritatis habeamus, quæ sint bona novimus, & hoc multis modis, &c. *libro 6. de gubernatione Dei.*

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate Sacro XLVIII.

Omnia spiritui pervia.

Vt semel impertit chalybi sua munera Magnes,
Cum magnete suo se movet usque chalybs.
Haud objecta moram faciunt, huic ligna metallo,
Ne sese lapidis vertat ad ora sui.
Cùm semel est imbuta Deo gens cœlitus acta,
Inque sua Christi symbola mente gerit,
Se licet opponat vasto cacodæmon hiatu,
Se sacrata, Deo corda movente, movent.

De Christo, De Christianis, & de Christianismo.

¶ Apophtegmata sacra.

Testimonia *Mosis, Prophetarum, Apostolorum, & Apostolicorum virorum de Christi natura utraque, persona, officio triplici, redemptione, gloria & præsentia efficaci, quum innumera sint, & ad locorum Theologicorum seu dogmatum, de Christianæ religionis articulis (non ad scite dicta tantùm quæ animi institutionem circa vitia & virtutes respiciunt) spectare videantur, consultò prætermisimus.*

Lemec *Patriarcha*: Lemec centum & octoginta duos annos natus, genuit filium, quem vocavit Noachum, dicens: *Hic recreabit nos ab opere nostro, & à labore manuum nostrarum: propterea quod maledixit Iehova terræ. Genes. 5. v. 28. 29.* quasi dicat, in hoc quiesceret vel cessabit ira Dei, qua delebitur genus humanum. Vidit Lemec prophetico Spiritu, non interituram esse hanc suam sobolem in diluvio, sed per hunc infantem conservandum esse humani generis seminarium: hunc fore patrem mundi secundi: per hunc pertexendam esse lineam usque ad Messiam. Vidit item, quòd Noachi curriculo repræsentandus esset Christus, in quo Deus acquiesceret, qui maledictionem, voce Legis & justitiæ Dei prolatam, à nobis depellit, & condit arcam Ecclesiæ, in qua vecti, à diluvio inundantis iræ Dei servamur, & ad vitam æternam perducimur. Fuit autem Noachus mundi alter parens: & Christus ab Esaia nominatur Pater æternitatis sive futuri sæculi. *Abr. Bucholcerus in Chronologia.* Tradit hanc expositionem *Epiphanius, lib. 1. Tom. 2.*

Cyrus *Episcopus*: De Christi nativitate ad gregem missum verba faciens, inquit: Viri amici, nativitatem Dei & Servatoris nostri Jesu Christi silentio colamus, quoniam auditu etiam solo in virgine sancta conceptum est Dei Verbum. Ei gloria sit in sæcula. *Nicoeph. eccles. hist. lib. 14. cap. 46.*

Theodosius: Quum belli duces Theodosio Imperatori, post cladem acceptam dicerent, nimis paucos subsidiarios ad prælium de integro ineundum superesse, hortarentúrque ut bellum aliquandiu intermitteret, quo ineunte vere, exercitu collecto, hostes multitudine devincerent: Imperator eorum consilio repudiato, Non committendum est, inquit, ut salutaris Crux tantæ arguatur imbecillitatis, Herculisque statuæ tantum virtutis nostro testimonio tribuatur. Quippe ut Crux nostrum exercitum, ita illa hostium antecedit. *Theodoret eccles. hist. lib. 5. cap. 24.*

Theotecnus: Marinus, miles Romanus, quum Christianam religionem constanter professus esset, jussus est judice intra trium horarum spatium deliberare, an in sententia permanere vellet. Hunc è judicio egressum Theoteenus, qui illic (Cæsareæ) erat Episcopus, ad se colloquendi causa invitat: & prehensa manu recta deducit in templum. Quem cùm interius ad ipsum sanctuarium collocavisset, læva paululum in alteram partem dimota, gladium quo cingebatur osten-

dit: simulque divinorum Evangeliorum librum adferens, ex adverso proponit: præcipitque, ut ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. Ubi verò absque cunctatione porrecta manu dextra sacrum librum accepit, Theotecnus sic illum affatur: *Tene & adhæresce Deo. Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequêre. Abi in pace.* Illum stantem inde redeuntem præco pro tribunali advocat. Jam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum erat completum. Sistit se pro tribunali: qui cùm majorem jam, quàm antea, fidei ardorem ac studium, declarasset, actutum inde, ut erat ad mortem rectà abductus, martyrio excessit è vita. *Euseb. lib. 7. Eccles. hist. cap. 14.*

Anonymus: Christianos non morte perire, sed immortales esse, tùm animarum, tùm corporum novissimo die excitandorum respectu, ex divini verbi testimoniis & exemplis, & ex totius Ecclesiæ suffragiis & consensu abundè constat. Porrò quum cuidam ex veteribus patribus nuncius venisset de parentis sui morte, ille ad nunciantem conversus: *Desine*, inquit, *impiè loqui: Pater meus immortalis est. Niceph. eccles. hist. lib. 11. cap. 43.*

Socrates Historicus: Christianorum characterem proponens, dicebat: Christianismi professores, à cæde, pugnis, & id genus aliis, alienos esse debere. *Hist. Eccl. lib. 7. cap. 15.*

Matthias Apostolus: Eum de Christianismi nota & charactere docentem ajunt dixisse: expugnandam quidem esse carnem, aliter eâ quàm ipsa fert utendum: neque ei quicquam ad voluptatem per fidem & cognitionem alendam atque augendam. *Niceph. eccl. hist. lib. 3. cap. 15.*

Dionysius Alexandrinus: Æmilianus imperii præfectus, quum Dionysium Alexandriæ Episcopum ad abnegandam Christi fidem urgeret, episcopus nulla circuitione usus respondit: Deo magis quã hominibus esse obtemperandum: se illum qui solus Deus est, & nullum alium venerari: neque sententiam velle mutare, neque aliquando desistere esse Christianum. *Euseb. lib. 7. eccl. hist. cap. 10.*

Menas martyr: Ægyptius Menas, abjecta militari zona in deserta loca aliquandiu sub Diocletiani persecutione se abdidit, jejuniis, vigiliis & Scripturarum diligenti meditationi vacans. Inde egressus ad Cotyensium urbem, cùm spectaculum quoddam ex more publicum celebraretur, clara voce è sublimi Christianum se esse proclamans, ad Pyrrhum præsidem ductus est. Ab eo de sua fide interrogatus, Convenire dixit Deum confiteri, quoniam lux sit, & tenebræ in eo non sint. Hoc enim Paulum docere, dicentem: Corde quidem credi ad justitiam, ore verò confessionem fieri ad salutem. Atrocibus affectus suppliciis in ore habebat illud: Nihil est quod mea quidem sententia conferri possit cum regno cœlorum: neque enim totus mundus potest æqua lance expensus, uni comparari animæ. Et quis nos separabit à charitate, quæ est in Christo Jesu? afflictio, an angustia? Et, habeo persuasum à Domino meo & rege, non timendum mihi esse eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed illum qui potest corpus & animam perdere in gehenna. Sententia pronunciata, ut gladio percuteretur, ad locum supplicii deductus dixit: Ago tibi gratias, Domine Deus, quòd me dignatus sis conspici socium (testem) preciosæ tuæ mortis, & non dederis devorandum feris agrestibus, sed effeceris perpetuò puram in te servare fidem. *Simeon Metaphraste, tom. 5.*

Albanus: Receperat Albanus in Britannia hospitio clericum quendam, persecutionem Diocletiani & Maximiani fugientem, nõdum conversus. Contemplatus autem clerici pietatem, eandem cum eo religionem profiteri cœpit. Exploratores veniunt ad Albani ædes. Ille indutus hospitis sui habitu, pro eo se offert, & ad judicem ducitur, qui tùm Dæmonum sacrificiis intentus erat. Quærit, Cujus sit familiæ? Respondet Albanus: *Quid ad te judex, cujus sim generis? Christianus sum, Christianorum officiis vaco.* Rursus judex: Quî vocetur? Respondet is: Albanum se vocari à parentibus, & Deũ verum ac vivum omnium conditorem adorare se & colere. Jubet igitur eum judex sacrificare idolis. Ad quod ille: *Sacrificia vestra sunt Dæmonum sacrificia, nec cuiquam opitulari possunt: immo quicunque quo tu jubes modo sacrificaverit, æternos cruciatus apud inferos pro mercede recipiet.* His verbis irritatus judex, Albanum loris cædi à tortoribus jubet. Post, quum videret Albanum ferre verbera cum gaudio, en se percutiendum pronunciat. *Beda libro 1. eccl. hist. gentis Anglorum, cap 7.*

Ingo: Ingo Regulus Venedorum (qui ad fontes Savi & Dravi habitant, Carinthii hodie dicti) multos ex suis Satrapis hac ratione fecit Christianos, anno salutis DCCXC. Convivium lautè instruxit, & vilem plebeculam simul cum equestris ordinis proceribus invitavit, atque præ foribus nobiles recumbere jussit, pane duntaxat cibario & caruncula rancula pavit, vinúmque fictilibus propinavit austerum. Sed agricolas suæ mensæ adhibitos, cœna lauta pavit, & vinum poculis aureis, argenteis, & gemmatis proposuit. Cùm nobiles id indignè ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur, respondit: Ideo rusticos ad mensam meam adhibui, quia sacro lavacro abluti sunt: vos verò foris reliqui, quod sordibus ethnicis squallentes, hircúmque impietatis olentes, nauseam mihi facitis. Castigati ea re nobiles, brevi tempore, sub Vergilio & Annone Juvavensibus episcopis, Christi fidem acceperunt. *Io. Aventinus, libro tertio Annalium Bavariæ, & Æneas Sylvius capite vigesimo Europæ.*

Vessel-

Veſſelus: Veſſelum Gansfortium Friſium, virum doctiſſimum, ægrotantem, quum quidam doctus amicus inviſeret, utq; valeret interrogaret, reſpondit ſe pro ſua ætate & morbi moleſtia utcunq; valere: ſed unum admodum ſibi moleſtum eſſe, quòd variis cogitationibus & argumentationibus circumactus, de varietate Chriſtianæ religionis ſubdubitare inciperet. Obſtupeſcebat, ille ac horrari cœpit, ut omnes cogitationes ſuas in Chriſtum Servatorem unicum rejiceret. Sed quum hujuſmodi admonitionem ei moleſtiorem eſſe ſenſiſſet, triſtis tum abiit. At poſt unam vel alteram horam redeuntem ad ſe Veſſelus cùm vidiſſet, alacri animo, & quantum valetudo ſinebat, exultans dixit, Grasias ago Deo, omnes illæ vanæ diſputationes abierunt, & nihil ſcio niſi Ieſum, & hunc crucifixum. In hac confeſſione animam Deo reddidit anno 1490. Groningæ Friſiorum. *Gerardus Noviomagus in ejus Vita.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

S. Diaconus: Te te, mundi vinculum & firmamentum, Christiana Religio, pennato vomere ingredimur: & quantum tui ſtudium cùm obſervandæ, tum amplificandæ fuerit, paucis dicendum ſuſcipimus, ſi enim omnia quæ in Sanctorũ glorioſa morte de te dicta ſunt recenſere voluero, nullum ſcribendi finem inveniam. Ex multis igitur S. Diaconum adducimus, qui de genere, domo, patria, fide percontanti tyranno, in mediis tormentis nihil aliud reſpondit, quàm, *Chriſtianus ſum. hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina. aliud nihil ſum.* quomodo etiam hic omnia reputavit ut ſtercora, ſolùm ut Chriſtum lucrifaceret. *Euſeb. Hiſto. Eccleſ. lib. 5. cap. 1.*

S. Nicephorus Martyr. Conſimilis fortitudinis hic. cùm Sapritiũ presbyterũ, ob ſupplicii quod jam jã imminebat horrorẽ, à fidei conſtantia deficientem videret, in lachrymas ſolutus, ut perſiſteret rogavit. quo renuente: *Ego igitur*, ait, *pro ipſo feriar: Chriſtianus ſum.* & lubens cervicem tyranni gladio ſubmiſit. *Sur. tom. 1. in Vita.*

Pacianus Epiſcopus: Præclarum etiam iſte ſuę fidei teſtimonium reddidit, dum ad Sempronianum ſcribens ita loquitur: *Catholicum iſtud nomen, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat: nec hæreticos ſumit auctores. Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus cognomen. illud me nuncupat, hoc oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.* Collig. ex Epiſt. prima.

S Chriſtophorus Martyr. Curſum ſiſtere volenti, non minori virtutis quàm corporis ſui mole obſiſtit Christophorus. Ille namque accepto à Sami Præfecto colapho, *Repercuſſiſſem*, inquit, *niſi Chriſtianus fuiſſem.* Re & nomine ſe Chriſtianum teſtatus, utpote cui proprium, pati. *Sur. tom. 4.*

Sergius II. Pont. Max. Illius ſe lateri comitem adjungit Sergius, qui Lotharii Imperatoris filio de patris mandato Italiam populanti ac Romam cogitanti, ad Portas argenteas obviam procedens, eum his verbis aggreditur: *Si pacato magis, quàm hoſtilis animo ad nos veniſti, ſiq; ad Chriſtiani nominis utilitatem magis reſpicis, quàm ad ſæviendi voluptatem; meo juſſu ingredere: ſin aliter armatus es, fores ne tetigeris: nam ſuper caput enſem habes ſcelerum omnium ultorem.* Vide quàm perfecta Chriſtianæ religionis charitas omnem expellat timorem. *Platina in Vita.*

Pius II. Pontifex. Hunc Sergio velut in officio, ita & in hac laude ſucceſſorem annectimus, qui *omnem ſectam humana auctoritate firmatam ratione carere* aſſerebat, dicebat autem; *Chriſtiana religio, etiamſi miraculis non eſſet confirmata, honeſtate ſua recipi debuiſſet.* Plat.

Iovinianus Imper. Ad alios feſtino, qui in Civili ordine ſua laude & gloria hic carere non debent, aut poſſunt: cùm, ſi nos ſubticuerimus, ipſamet per ſe facta dictaq; loquantur. Quis enim non meritò Jovinianum celebret? qui dum Imperii habenas ſuſcipere invitus cogeretur, eam conditionem electoribus propoſuit: *Nolim Imperij adminiſtrationem accipere, niſi omnes quibus impero, Chriſtiani eſſe velint.* O memorandam boni Principis vocem! *Theod. lib. 4. cap. 7.*

Ladislaus Hungariæ Rex: Vultis & aliud non minùs illuſtre? Ladislaus Rex, ubi Hungaros, qui ex devaſtata Tranſilvania magnam prædam avexerant, prælio fuſos conſpicaretur, ſuumq; militem acriter in eos ſævire; *Parcite*, clamabat, *milites, parcite humano ſanguini ſat cruoris hoſtilis effuſum. fugientem capite multitudinem, ut ſi forſan Orthodoxam fidem amplectantur, Dei populum multiplicemus.* Digna Chriſtiano Principe oratio. *Bonfinius lib. 4. Decad. 2.*

Norvegiæ Incolæ. Hac gente nulla ante Chriſtum agnitũ in tuenda ſuperſtitione pertinacior: poſt ſuſceptum verò, nulla conſtantior. ferunt enim olim quavis ex cauſa eos peregrinatos, cùm autem primùm reduces terram ſuam attigiſſent, pronos cadere in terram, & facto Crucis ſigno, eam exoſculari ſolitos, & exclamare: *O terra Chriſtiana ante omnes.* uſq; adeò ſui generis cultum præ cæteris extollebant. *Cranz. lib. Norvegiæ cap. 11.*

Japonij Incolæ Anonymi: Hos etiam longè à nobis remotos terrarum ſpatio, nunc verò Chriſto propinquos, annumerare præſentib. viſum: qui interrogati, quid de Chriſtiana fide ſentirent, hoc reſpondebant: *Nemo noſtra quidem ſententia, rationis particeps, qui non auditis Chriſtianæ diſciplinæ decretis protinus aſſentiatur, ac pareat.* Ita de illis *Maffeius lib. 1. Epiſt. ex Epiſt. Xaverij.*

S. Ludovicus Pius Franc. Rex. Neq; id ſatis viſum quibuſdam, ut Chriſtiani dicerentur: quin & ſummo apud eoſdem in pretio Chriſtianorum erat, & ſalus. quorum utrumq; alii minùs piè aſpernati. Priorem aciem ducat Ludovicus, qui ob inſignia & præclara geſta Pius dictus. ille enim dum in Syria cum exercitu ageret, rogabatur, nobilem quemdam Saracenum, qui Sultanum interfecerat, militari balteo donaret. at ille: *Abſit a me, ut vel proſervanda vita, vel morte declinanda, a Chriſtiana religione alienum balteo donem.* Sentiebat ſolis Chriſtianis illud honoris competere. *Gaufred. de Belloloco, in Vita ejuſdem.*

Carolus V. Imp. Ætate, at non facti gloria poſterior, noſtri ſæculi Cæſar Carolus, qui cùm in Africa conſtitutus, adverteret præliũ, quod ocyùs committendum, non ex animi voto ſucceſſurum, receptui canerent, imperavit: adijciens nobilem illam vocem; *Malim unum Chriſtianum ſervare, quam mille Mauros, Turcas, Pœnoſve interimere.* O clementiam! o manſuetudinem! o religionem! *Zenocarus in Vita, lib. 3.*

Iulianus Apoſtata. Ille jam dictis ut ætate, ita & impietate prior; non in Chriſtum modò, ſed & membra ipſius. ita ut neq; Chriſtianos ad ſe venire permitteret, neq; eorum legationem niſi invitus ſuſciperet. Moventibus bellum Perſis legationem mittebant. Nisibini, auxiliares copias poſtulantes: quos omnium Chriſtianorum nomine impio hoc reſponſo compellans: *Nec me ullum*, inquit, *ſubſidium laturum, nec pollutæ civitatis legationem ſuſcepturum ſcitote: niſi prius vos mecum in Paganiſmum deſcendiſſe intellexero.* Impiorum animus tum tranquillus, cùm plures in ſui ſceleris conſortium trahit. *Sozom. lib. 6. Hiſt. Eccleſ cap. 4.*

Idem: Ad quævis ſcelera pronus, ipſos Paganos in Chriſticolas armabat, animabatq; qui oppreſſionem illam aliquamdiu ſuſtinentes, cùm ingraveſceret indies, ad eum recurrunt: atis, ut erat, alter ſui ſæculi Nero. Quid expectatis? ſolatium aliquod, aut lenimen? *Veſtrum* aiebat, *eſt, ut patientes mala ſuſtineatis, hoc etenim præceptum eſt veſtri Chriſti.* Ita impius Imperator, impiè in Chriſti doctrinam blaſphemus, eius quoque cultores illudebat, ipſo Herode deterior. *Ibid. cap. 19.*

Idem: Eccleſiaſticorum bona diripi & in fiſcum inferri præcipiebat, Religionem prætexens. dicebat aũt: *Hac ratione eos magis expeditos reddo ad regnum cœlorum. Beati namq; inter eos ſunt pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Pompon. Lætus in vita eius, *G. Richt. in axiom. Eccl. cap. 80*

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; charitate nomen ferre Chriſti non potes.
Caritate deſtitutus Chriſtianus nil valet.
Chriſtianus Chriſtiani nil habet ſi eſt impius.
Chriſtum Æmuletur oportet Chriſtianus omnia.
Contumeliam repenſa amore, Chriſtum qui colis.
Dignitas eccleſiaſtica Chriſtianum non facit.
Plus malis rebus triumphant Chriſtiani quam bonis.
Purpuriſſus & ceruſa Chriſtianam dedecent.
Si fides deeſt Chriſtiano, nomine haud dignus ſuo eſt.
Tota Chriſtiana nil eſt vita quàm precatio.
Tota vita Chriſtiani eſt in malo, aut metu mali.

¶ Jambica.

Cœlos ſupra, ipſa Chriſtiani patria.
Eſt Chriſtiani vita peregrinatio.
In ſpe poſita Chriſtiani gloria eſt.
Vivit Deo uſq; Chriſtianus, non ſibi.

Cibi.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

B. *Clemens Alexandrinus:* Atq; alii quidem homines vivunt ut comedant, quòd certè etiam rationis expertibus evenit animantibus, quibus nihil aliud quàm venter vita eſt: nobis autẽ pædagogus præcipit comeſſe ut vivamus. neque enim noſtrum nutritio munus eſt, neque inſtitutum ſcopuſvè noſter voluptas: ſed ea nutritio eſt propter noſtram hìc manſionem, quam ad incorruptionem ratio inſtituit: & ideo ſecernitur ac ſeligitur alimentum. Eſt autem ipſum ſimplex, & non nimio ſtudio comparanda nimiſvè curioſa, ſed ſimplicibus & minimè curioſis pueris apta & appoſita veritas, utpote quod ad vivendum, non ad lautitias delitiaſq; aptum ſit. Ipſum autem vivere, ex duobus, ſanitate ſcilicet & viribus, conſtituitur, quibus maximè convenit alimenti facilitas, ut quod & ad digeſtionem & corporis levitatem ſit utile: ex quibus incrementum, ſanitas, & juſtæ vires: non autem injuſtæ, lubricæ & miſeræ, quales ſunt quæ Athletis ex illa ſua edendi neceſſitate obveniũt. Sunt itaq; multiplices qualitates reſpuendæ, quæ varia detrimenta pariunt, malas corporum habitudines, ſtomachorum ſubverſiones, cùm corruptus & conſtupratus ſit guſtus, miſera & infauſta quadam condiendi arte, & inani in faciendis bellariis, artificio. Audent enim appellare nutritionem, ſtudium delitiarum, quod in noxias voluptates delabitur. Antiphanes autem Delius medicus vel unam hanc dixit eſſe morborum cauſam, ciborum varietatem: cùm qui veritatẽ ægre ferũt, multiplici neſcio qua vana gloria frugalem & moderatum victum abju-

tent, & transmarinas escas anxiè perquirant. Ac mihi quidem morbi eorum misereri lubet: ipsos autem non pudet suas decantare delitias, cum enim in freto sunt Siculo, murænas anxio & sollicito animo perquirunt,& Mæandri anguillas, & qui in Melo sunt hœdos, & qui in Sciatho mugiles, Pelori conchas, & Abydena ostrea nec mænas quæ sunt in Lipara prætermittunt, nec bolum Mantinicum, nec betas quæ sunt apud Ascræos, & pectines exquirunt Methymnæos,& lingulacas Atticas,& turdos Daphnios, & caricas Chelidonias, propter quas in Græciam cum quinquies mille millibus infelix Persa profectus est: Phasidis aves præterea coëmunt, attagenas Ægyptias, Medicum pavonem. Hæc condimentis immutantes, ii qui sunt gulæ dediti, obsoniis inhiant, quæcunque tellus, & profunda Ponti immensaq; alit latitudo aëris, ingluviei ea suæ comparantes. Videntur revera hi insatiabiles, & soliciti ac anxii ciborum indagatores, ad delitias ac voluptates suas mundum irretire, sibilantibus sartaginibus undique circumstrepentes, & circa cochlear & mortarium totam vitam suam consumentes, edaces atque adeo omnivori homines, materiam ignis instar apprehendentes. Quin etiam facilem & parabilem cibum, nempe panem effœminant, id quod in frumento nutrit maxime excribrantes, ut quod est alimenti necessarium, sit probrum voluptatis.

Apud homines autem nullum habet terminum delicata ingluvies. In liba enim placentas & bellaria provecta est, merendarum & cœnæ multas excogitans appendices, omnes ejus consectata species. At mihi quidem videtur homo qui est ejusmodi, nihil esse aliud quam bucca aut maxilla. Ne desideres autem, inquit Scriptura, cibos divitum: ii enim vitæ non veræ & turpi conjuncti sunt. Illi enim dant operam obsoniis quæ simus paulo post excipit: nobis autem cibum cœlestem venantibus necesse est ventri qui est sub cœlo imperare, & multo magis iis quæ ei amica & grata sunt: Quæ Deus abolebit, inquit Apostolus, voraces gulæ cupiditates jure execrans. Escæ enim ventri, ex quibus hæc carnalis, & quæ interitum affert, vita dependet, quam audent nonnulli Agapen vocare, effrænata lingua utentes, nempe quædam prandiola nidorem & jus redolentia, pulchrum ac salutare Verbi opus, sacram Agapen, ollis nescio quibus,& liquido jure dedecorantes: potuque delitiis& fumo illud nomen maledicto persequentes: falluntur existimatione, ut qui Dei promissum prandiolis se posse emere expectaverint. Quæ enim lætitiæ causa fiunt congregationes, ipsi quoque recensentes, & cœnulas, & prandia, & epulas, hunc cœtum jure vocaverimus, rationem sequentes. Has autem epulas ἀγάπας, id est, charitates, non vocavit Dominus. Dicit itaque alicubi quidem: Quando fueris invitatus ad nuptias, ne primo loco accumbas, sed quando vocatus fueris, accumbe in ultimo loco. alicubi autem: Quando feceris prandium aut cœnam. Et rursus: Sed quando feceris epulum, voca mendicos, propter quod cœna maximè facienda est. Et præterea: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

Sed sentio undenam effluxerit speciosa cœnarum appellatio: nempe ex gutturibus. Insaniæ merendarum frequentator, ait Comicus. Revera enim multis multa sunt cœnæ gratia: nondum enim didicerunt Deum parasse suo opificio, homini inquam, cibum & potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur. Nam nec corporibus quidem natura insitum est, ut ex multiplici ciborum varietate juventur. Contrà enim omnino qui escis utuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores, & generosiores: ut famuli Dominis, & agricolæ possessoribus: & non solùm fortiores, sed etiam prudentiores, ut Philosophi divitibus. Neq; enim mentem nutrimentis obruerunt, neque ipsam voluptatibus deceperunt. Agape autem revera est cœleste nutrimentum, rationale epulum: omnia sustinet, omnia suffert, omnia sperat, charitas nunquam excidit. Beatus qui comedit prandium in regno Dei. Casus est autem omnium gravissimus, si quæ charitas non potest excidere, supernè è cœlis ad juscula humi abijciatur. Et tu me eam existimas putare cœnam quæ aboletur? Si facultates inquit, meas distribuero, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ab universa hac charitate dependet Lex & verbum, si Dominum Deum tuum & proximum dilexeris. In cœlis autem est hoc cœleste convivium, quod à bona sessione εὐωχία græcè dicitur. Terrestre autem, cœna dictum est, ut ex Scriptura ostensum est. & fit quidem cœna propter charitatem: sed non est cœna charitas, verùm socialis benevolentiæ, & quæ sua lubenter impertit, indicium. Ne quod ergo nostrum bonum est, maledictis lacessatur. Non est enim regnum Dei esca & potus, dicit Apostolus, ut fluxum & momentaneum prandium intelligatur: sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. De hoc qui prandio comederit, is eorum quæ sunt, optimum, nempe regnum Dei possidebit, sanctum charitatis conventum hic meditatus, nempe cœlestem ecclesiam. Charitas ergo res est pura & Deo digna: officium verò eius est communicatio. Cura autem disciplinæ est charitas, quam dicit Sapientia: Charitas vero observatio legum eius. Hæ autē lætitiæ habent quoddam charitatis incitamentum ex nutrimento publico, quod ad æternam assuefacit oblectationem. Charitas ergo cœna non est: epulum autem à charitate pendeat. Discant enim, inquit, filii tui quos dilexisti Domine, quòd non generationes fructuum nutriant hominem, sed verbum tuum eos qui tibi credunt conservat. Non enim in pane vivet justus: sed sit nobis cœna tenuis & expedita, apta ad vigilias, non permixta diversis qualitatibus, & quæ à pædagogi disciplina minimè sit aliena.

Bona enim nutrix ad societatem & communicationem est charitas, quæ copiosum habet viaticum, nempe sufficientiam, quæ quidem dimenso justa quantitate alimento præfecta, salubriter corpus administrans, etiam proximis ex eo aliquid distribuit. Victus autem qui sufficientiam excedit ac obruit, homini multum officit: animam certe segnem & inertem reddit, corpus verò valetudinarium, & quod in morbos facilè prolabitur, efficiens. Quin etiam voluptates quæ in dijudicandis condimentis anxiæ sunt & difficiles, probra & maledicta inurunt: utpote liguritionem, ingluviem, edacitatem, voracitatem, insatiabilitatem, & hujusmodi alia. Muscæ quoque aptissimè vocantur, & adulatores, & gladiatores, & immane genus parasitorum: ventris voluptate hi quidem rationem, illi verò amicitiam, alii autem vitam ipsam vendentes, super ventrem serpentes, beluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisque beluæ. Et qui eos prodigos, quod Græce est ἀσώτους, appellarunt, bene mihi videntur eorum finem significasse: ut qui eos ἀσώστους, hoc est, à salute alienos, per elisionem elementi σ, intellexerint. An non enim sunt ejusmodi qui in ollis versantur, multiplicibusq; exquisitorum condimentorum varietatibus, humilis & abjecti animi, terræ planè filii, qui victum in dies persequuntur perinde ac non victuri? Eos miseros pronunciat per Esaiam sanctus spiritus, cùm nomen Agapes sensim nescio quomodo ab eis sustulisset, quoniam non erat epulum rationi consentaneum: Ipsi autem fecerunt lætitiã, occidentes vitulos, & oves sacrificantes, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim morimur. Et quod ejusmodi delicias peccatum existimet, subjungit: Et non dimittetur hoc vestrum peccatum, donec mortui fueritis. Non dicens peccati remissionem mortem insensilem, sed retributionem peccati, quæ quidem mors est, à salute sejungens. Ne læteris autem propter execrandas delitias, dicit Sapientia.

Hic autem de idolothytis quoque, hoc est, de iis quæ indolis immolantur, mentio facienda est, quonam modo præcipiat ab iis esse abstinendum. Illa mihi videntur execranda & abominanda, quorum sanguinem supervolant *animæ ex Erebo, nunc lumine cassæ.* Nolo enim vos fieri participes dæmoniorum, dicit Apostolus. Eorum enim qui servantur, & eorum qui pereunt, separata sunt nutrimenta. Ab his ergo abstinendum est, non quòd pertimescamus, (non est enim in eis aliqua potentia) sed quòd propter nostram conscientiam, quæ sancta est, & propter dæmonum odium, quibus illa sunt dedicata, aversemur: & præterea, propter eorum qui multa procliviter discernunt, ac verentur imbecillitatem, quibus infirma polluitur conscientia: Cibus enim nos non commendabit Deo: neque quæ intrant coinquinant hominem, sed quæ ex ore, inquit, exeunt. Usus enim naturalis nutrimenti est indifferens: Neq; enim si comedamus, inquit, plus habemus: nec si non comedamus, deficimus. Sed non est consentaneum ut sint mensæ dæmoniorum participes, qui divino ac spirituali nutrimento digni sumus habiti. An non habemus potestatem comedendi & bibendi, dicit Apostolus, & mulieres circumducendi? sed voluptatibus, scilicet, imperantes, arcemus cupiditates. Videte ergo ne hæc nostra potestas offensionem afferat imbecillis. Non oportet ergo nos veluti prodigè & perfusè viventes, quemadmodum est in Evangelio similitudo filii divitis, abuti donis patris, sed eis uti. Ut qui ipsis constanter imperemus: ut in cibos enim regnum & dominatum obtineamus, non ut eis serviamus, ordinati fuimus.

Res est ergo præclara & maximè expetenda sublatis ad veritatem oculis, divino illi qui in alto est, adhærere cibo, & illa quæ revera est, & satietatem non adfert, implere semet contemplatione. Hinc enim charitatem oportere nos suscipere ostendit cibus Christi. Est autem valdè à ratione alienum & inutile,& nequaquam humanum, pecudum more saginatum, morti nutriri, deorsum in terram respicientes, & è terra semper in mensas procumbentes, lautam ac delicatam vitam persequentes, id quod bonum est, hic utique in vita quæ mox non est futura infodientes, soli cibi devorationi blandientes, propter quam in maiori pretio sint coqui quàm agricolæ. Non enim ferculorum apparatum tollimus, sed consuetudinis prolapsionem, tanquam calamitatem, suspectam habemus. Quocirca vitandus est luxus, pauca quædam & quæ sunt necessaria sumentibus: & si quis nos invitat infidelium, & accedere statuamus (bonum est enim cum insolentibus hominibus non versari) quicquid apponitur jubet nos comedere, nihil interrogantes propter conscientiam. Similiter autem jussit nos ea quæ sunt in macello citra ullum scrupulum ullamve curiosam indagationem emere. Non est ergo omnino à variis cibis abstinendum, sed in eis non est studium ponendum. Ea autem quæ apponuntur, sumenda sunt, ut decet Christianum, eum quidem qui nos invitavit honorantes, innoxia & quæ satietatem non afferat sermonis & congressionis societate: sumptuosas quæ inferuntur dapes indifferentes esse existimantes, obsonia despicientes, ut quæ paulo post non sint futura. Qui comedit, eum qui non comedit non spernat. Qui autem non comedit, eum qui comedit non judicet. Paulum autem progressus, præcepti quoque causam exponit: Qui comedit, inquiens, Domino comedit, & Deo agit gratias: & qui non comedit, Domino non comedit, & Deo agit gratias: ut sit justum nutrimentum gratiarum actio. Porrò autem qui semper agit gratias, is in voluptatibus non versatur. Quòd si etiam propter virtutem convivas aliquot invitemus, eò magis à lautis & delicatis his cibis abstinendum est, evidens virtutis exemplar

nos

nos ipsos exhibentes, sicut ipsi Christum exemplar habuimus. Si quid enim ejusmodi ciborum fratrem offendit, non comedam, inquit, in æternum, ne fratrem meum offendam. Exigua continentia hominem lucrifacio. An non habemus potestatem comedendi & bibendi? Et veritatem cognovimus, inquit, quòd nihil sit simulachrum in mundo, sed solus revera & unus noster Deus, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus. Sed tua, inquit, cognitione perit frater imbecillis, propter quem Christus mortuus est. Qui autem imbecillium fratrum conscientiam verberant, in Christum peccant. Hæc quidem certè ratione Apostolus de nobis cautionem adhibens: cœnas discernit: non commisceri jubens, si quis frater inveniatur qui dicitur esse fornicator, vel adulter, vel idololatra, vel eo nec comedere quidem, sermonem, obsonium, quod illinc procedit metuens inquinamentum, quemadmodum etiam mensas dæmoniorum.

Bonum ergo esse nec carnem comedere, nec vinum bibere, & ipse fatetur, & Pythagorici: hoc enim est potius feratum: & quæ ex eis ascendit exhalatio, cùm sit crassior & turbidior, offundit animæ tenebras. Quod si quis ea quoque sumat, non peccat, modò ea moderatè ac temperatè sumat, non eis nimium deditus, neque ab eis dependens, neque obsonia devorans ac deglutiens. Ei etenim vox insusurrabit, dicens: Ne cibi gratia dissolue opus Dei. Est enim insipientis, ea quæ publicis epulis apponuntur, valdè mirari ac stupere, postquam quæ ex verbo percipiuntur delitias senseris: multò est autem insipientius, visum servire ferculis, adeò ut eorum, ut ita dicam, intemperantia una cum eis circumferatur à ministris. Quomodo autem non est inutile è sedibus surgere, propemodum faciem in ollas injicientes, è sedibus tanquam è nido prospicientes, ut, quod vulgò dicitur, vaporem errantem excipiant per respirationem? Quomodo autem non est à ratione alienum, manus condimentis immiscere, vel perpetuò ad obsonium extendere, non gustantium ritu, sed rapientium, ut immoderatè & indecorè se impleant. Videre enim est, eos qui sunt ejusmodi, suibus vel canibus propter voracitatem assimilari, potius quàm hominibus: qui adeò festinant ut saturentur, ut ambæ maxillæ simul inflentur, elatis vasis quæ sunt in facie: quin etiam sudor præterea diffundatur, dum propter insatiabilitatem arctè comprimuntur, & propter intemperantiam anhelant, festinatione indecora, & ab honesta consuetudine aliena, intruso in ventrem nutrimento, tanquam ad viaticum, non ad digestionem edulia reponant.

Atque cùm semper malum sit transire modum, tum in nutrimentis maximè reprobatur. Ingluvies itaque: quæ Græcè ὀψοφαγία dicitur, nihil est aliud quàm in obsonii usu modi transgressio. Dicitur etiam λαιμαργία, quæ quidem est circa guttur insania: & γαστριμαργία, quæ est in alimento intemperantia, & ut ipsum nomen indicat, in ventrem insania. Insanus enim Græcè μαργὸς dicitur. Eos itaque qui in epulis malè se gerebant, Apostolus increpans, dicit: Unusquisque enim propriam cœnam præoccupat in comedendo: & alius quidem esurit, alius verò est ebrius. An non domos habetis ad comedendum & bibendum? aut Dei ecclesiam contemnitis, & pudore afficitis eos qui non habent? Apud eos autem qui habent, qui insatiabiles sunt, qui citra ullum pudorem comedunt, seipsos dedecore afficiunt. Ambo autem malè faciunt, hi quidem qui eos qui non habebant gravarunt: illi verò qui suam intemperantiam apud eos qui habent aperuerunt. Necessariò ergo adversus eos qui pudorem exuerunt & insatiabiles, quibus nihil sufficit, cœnis immoderatius utentes, secundò rursus Apostolus in vocem erupit indignantem: Quamobrem fratres mei, convenientes ad comedendum, alter alterum expectate. Si quis autem esurit, domi comedat, ne in judicium conveniatis.

Ab omni ergo servili & illiberali actione & intemperantia abstinendum est, quæ apponuntur honestè tangendo, tum manum, & lectum, & barbam servando impollutam, faciei decorem immobilem, & non se huc & illuc versantem, custodiendo, nec inter comedendum se indecorè gerendo, sed manum quidem ordinatè certis intervallis adhibitis porrigendo. Est etiam cavendum ne inter comedendum loquaris. Fit enim vox indecora, & non satis expressa ac significans, ut quæ plenis maxillis in angustum coërcetur: & lingua quæ nutrimento premitur, à naturali operatione præpedita, obscuram & oppressam quasi edit vocem. Sed nec simul edere & bibere convenit. Est enim maximæ intemperantiæ tempora confundere, quorum usus non simul conveniunt. Et sive comeditis, inquit, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite, veram frugalitatem ac tenuitatem tanquam scopum proponentes. quamquam mihi Dominus quoq; videtur significasse, cùm panes benedixit & assos pisces, cum quib. suos discipulos convivio excepit, cibi non nimis exquisiti pulchrum exemplar inducens. Ille itaq; piscis quem (cùm jussisset Dominus) Petrus cepit, ipse quoq; facile, divinitus donatum, frugaleq; ac moderatum alimentum signficat. Per eos autem qui ex aqua ascendunt ad escam justitiæ, monet auferre luxuriam, & avaritiam, tanquam piscis numisma, ut separet vanam gloriam, & dato statere publicanis, redditis Cæsari quæ sunt Cæsaris, Deo servet quæ Dei sunt. Etsi etiam omnium mihi licet esse particeps, non omnia tamen expediunt: citò enim adducuntur ut ea faciant quæ non licet, qui faciunt omnia quæ licet.

Quemadmodum autem non advenit justitia per avaritiam & pluta habendi cupiditatem, neque temperantia per intemperantiam: ita nec victus Christiani ratio lauditiis paratur & delitiis. A cibis enim titillantibus & ad venerem incitantibus, procul est mensa veritatis. Etsi enim maximè propter homines omnia facta sunt, non tamen omnibus uti bonum est, sed neque semper: nam tempus, occasio, modus, & respectus rei alicujus non parvum ei qui instituitur momentum afferunt ad id quod sibi est utile. Atque hoc quidem aptum est, & magnam vim habet ad abolendam vitam quæ est ventri dedita, ad quam quidem divitiæ incitant, non eæ quæ acutè vident, sed nimiæ quæ circa gulæ insaniam excutiunt copiæ. Nemo autem ad res necessarias pauper est, neque homo unquam despicitur. Qui enim & pennata & natatilia, & ut semel dicam, à ratione aliena nutrit animantia, unus est Deus, eis autem nihil deest, etsi nullam de victu curam gerant. Nos autem eis sumus eò præstantiores, quod & Domini: & Deo eò familiariores quo & temperantiores. Facti autem sumus nõ ut comedamus & bibamus, sed facti sumus ut essemus ad Dei agnitionem: Justus enim, inquit, comedens, impletur animo: ventres autem impiorũ egeni, ut qui nunquam cessaturas cupedias appetant.

Magnificentia autem non ad solum usum, sed etiam ad socialem communicationem apta est: quocirca ii cibi cavendi sunt, qui non esurientes nos cogunt comedere, appetitiones nostras veluti quibusdam præstigiis fallentes. An non est enim etiam in moderata frugalitate multiplex ciborum varietas? bulbi, olivæ, quædam olera, lac, caseus, fructus, & quæcunque absque jure coquuntur: & si assa carne vel elixa opus fuerit, ea est quoq; impertienda. Habetis hic aliquid quod edi possit? dixit Dominus discipulis post resurrectionem. Illi vero, ut qui frugalitatem exercere ab eo didicerant, ei assi piscis partem dederunt. Et cum coram eis comedisset, dixit eis, inquit Lucas, quæcunq; dixit. Ad hæc autem ne bellariorum quidem, nempe favorum, expertes esse oportet eos qui rationi convenienter cœnãt. Et cibis enim ii sunt aptissimi, quibus exsé uti licet absq; igne, quoniam sunt paratiores: secundi autem, qui sunt frugaliores ac viliores, ut ante diximus. Iis autem qui ad luxum mensarum propensi sunt, & suos sibi morbos enutriunt, præest demon helluo maximus, quem ego non verebor appellare Ventridæmonem, dæmonum omnium pessimum & pernicioßissimum. Is autem est revera similis ei qui dicitur ventriloquus. Melius est autem esse felicem, quam habere cohabitantem dæmonem. In usu autem virtutis esse censetur felicitas Matthæus itaq; Apostolus seminibus, baccis & oleribus absq; carnibus utebatur. Ioannes autem continentiam ulterius extendens, locustas & mel agreste comedebat. Porro autem Petrus quoque abstinebat à suibus. Sed ei persuasit quæ in eum cecidit ecstasis, ut in actibus Apostolorum scriptum est: Et videt cœlum apertum, & vas quoddam quatuor initiis alligatum, super terram, omnes quadrupedes, & serpentes terræ, & volucres cœli in ipso. Et vox ad ipsum facta est: Surge, & occide, & comede. Petrus autem dixit: Nequaquam Domine, quoniam omne commune & immundum tunquam comedi. Et vox rursus ad eum secundò facta est: Quæ Deus mundavit ne communia dixeris. Ergo nobis quoq; usus est indifferens: Non enim quæ intrant in os coinquinant hominem, sed in intemperantia inanis exercitatio. Deus enim qui finxit hominem, Omnia vobis, inquit, erunt in cibum. Olera autem cum charitate meliora, quam vitulus cum fraude. Hoc nobis rectè in memoriam revocat id quod ante dictum est, quod non sunt olera charitas, sed sumendæ sunt cum charitate cœnæ, in quibus bona quidem est media constitutio, in omnibus quidem, sed vel maximè in apparatu convivii. Nam sunt extrema quidem periculosa: media autem bona sunt: medium est autem, quicquid non eget rebus necessariis. Quæ sunt enim secundum naturam appetitiones, circumscribuntur sufficientia.

Porrò autem Judæis per legem summo consilio annunciatur frugalitas. Innumerabilium quippe rerum usum per Mosen abstulit pedagogus, causas illas adjungens, occultas quidem, quæ erant spirituales, apertas autem, quæ carnales, quibus etiam crediderunt: iis quidẽ, quod ungulam non habeant bifidam: illis verò, quod cibum non ruminent: aliis verò, quod ex aquatilibus sola squamas non habeant, adeò ut eis omnino pauca restarent apta ad alimentum. Quæ autem permisit tangere, ex iis rursus prohibuit morticinia, & quæ simulachris immolata, & quæ suffocata fuerant. nam ne hæc quidem licet tractare. Quoniam enim fieri non potest, ut qui dulcibus utitur, ab eis suscipiendis abstineat, ei contrariam vitæ rationem opposuit, donec qui ex more proficiscitur ad voluptatem ac delectationem impetum dissoluerit. Hominibus autem sæpenumero quidem damnum & molestiam procreavit voluptas: graves autem affectiones, & oblivionem, & insipientiam, in anima parit nimia alimenti copia. Jam verò dicunt etã puerorum corpora rectè crescere in longitudinem, si desit nutrimentum: neq; enim prohibetur qui se ad augmentum cõfert spiritus, cùm commodam respirationis viam multũ nutrimentum obsepiat. Unde luxuriosam delitiisq; affluentem vitam ille qui veritatem philosophorum ita sectatus est Plato, ut Hebraicæ veritatis excitarit scintillam. Mihi autem eo, inquit, cum veniissem, quæ illic beata vita dicitur, Italicis & Syracusanis mensis plena, nullo modo placuit: Bis die saturum vivere, & noctu nunquam solum dormire, & quæcunq; studia hanc vitam consequuntur. Ex his enim nullus homo ex iis qui sunt sub cœlo potest esse prudens, qui hæc à juventute exercet, nec sic admirabilis natura superabitur. Neq; enim Plato de Davide non audierat, qui in sua civitate in medio tabernaculo sanctam arctam collocans indulta omnibus qui eius ditioni parebant lætitia, coram Domino distribuit omnibus Israelis copiis, à viro usque ad mulierem, unicuiq; tortam panis, & subcineritium panem, & lagenũ ex sartagine. Hoc est sufficiens nutrimentum & Israeliticum: gẽtile autem quod est, supervacaneum. Qui autem eo utitur,

nunquam ut sit sapiens laboraverit, ut qui mentem in ventre infoderit, admodum similis pisci qui Græce ὄνος, hoc est, asinus dicitur: quem quidem dicit Aristoteles solum ex aliis animalibus habere cor in ventre. Hunc Epicharmus Comicus vocat ἐγκεφαλόγαστρον, id est, qui à communi ventris consuetudine discedit. Tales sunt ij homines qui in ventrem crediderunt. Quorum Deus venter est, & gloria in ignominia ipsorum, qui ea quæ sunt terrena cogitant. eis non bona prædixit Apostolus, dicens, quorum finis est interitus. *lib. 2. Pædagog. cap. 1.*

D. Nazianzenus: Nec perfectus ac solidus cibus iis conducit qui tenera adhuc sunt ætate, lacteq; opus habent. *Orat. 38.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam Hebræi, cùm quadraginta annorum spatio mannâ alerentur (quod si humanam rationem spectes, ad robur corporibus afferendum parum idoneum erat) in eadem fortitudine ac robore perstabant, ac fortasse majorem etiam vim consequebantur (non enim alimonia, sed divinum decretum animas & corpora conservabat) idcirco, id quod tibi exponi quæsisti, Legislator dixit. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quod etiam Christus, diabolicam machinam propulsans, opposuit: atque hac ratione tentatoris vires concussit ac peregit. *lib. 3. Epist. 342.*

¶ Philosophorum Historicorumque Græcorum.

Xenophon: Nam Persicus rex quosdã habet qui terram universam circumeunt, & quo rex potu jucunde uti possit, investigant: innumeri homines, quo cum voluptate vescatur, excogitant: ut dormiat, dici non potest, quam multa moliantur. Agesilaus vero, quod patiens laboris esset. quidquid oblatum forte fuisset, cum voluptate comedebat: ut suaviter somno frueretur, quivis ei locus idoneus erat. Atque hæc se facere non modo gaudebat, sed etiam exsultabat lætitiâ, quoties ad animum accideret, se quidem versari mediis in voluptatibus: illum vero barbarum videret, siquidem absq; dolore vellet vivere, necesse habere, ut ab extremis terræ finibus ea comportaret, de quibus voluptatem capturus esset. Augebat ei læticiam & illa, quod se quidem sciret absq; animi ægritudine posse Deum dispositione uti: illũ vero videret æstus & frigora fugere, ac propter imbecillitatem animi non fortium virorum, sed debilissimarum bestiarum vitam imitari. *cap 46. vitæ ejus.*

Xenophon: Quum alius diceret, insuaviter se comedere: ut illi mederetur Socrates, bonum se remedium ad hoc docere velle dicebat. Illo interrogante, qualenam id esset: si comedere cessaveris, inquit. Et quidem si desieris, ait, etiam suavius, vilioríque cum adparatu, & valetudini convenientius vives. *cap. 36. lib 3. Memorabilium.*

Xenophon: Ajebat Socrates verbum εὐωχεῖσθαι Athenienſium lingua edendi significationem habere. Additam vero esse vocem εὖ, ut ea comedantur, quæcumque nec animum, nec corpus lædant, nec inventu difficilia sint. Itaque verbum etiam hoc εὐωχεῖσθαι victu decenter utentibus tribuebat. *cap. 39. lib. 3. Memorabilium.*

Heliodorus: Nunc tempus est ventrem curemus. ad hoc respiciens Homerus, & quod ipso omnia minora ducantur, præ[illegible] pernicio- sum appellavit. Sed primum à nobis, pro Ægyr sapientum disciplina, libetur Deis immortalibus. neq[illegible] uidquam adducetur ut hoc violem, nec unquam tan[illegible], ut memoriam & observantiam Numinis ex ani[illegible] &c. *lib. 2. Æthiopic.*

Heliodorus: Paulo post Eunuchi aderant, r[illegible] icæ mẽsæ, quæ omnem sumptum & molliciem superaba[illegible]a suppellectili afferentes. Et cùm dixissent, quod his Domin[illegible] oris causa excipit hospites, & apposuissent juvenibus, continuc[illegible] scedebant. *lib. 7. Æthiopicarum rerum.*

¶ Poetarum.

Prudentius hymno ante cibum.

Absit enim procul illa fames
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum:
Nos oleris coma, nos siliquæ
Fœtæ Legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Vbere de gemino lactices,
Perq; coagula densa liquor
In solidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi cecropia
Nectare sudat olente favus.
Hæc opifex apis aerio
Rore liquat tenuiq; thymo,
Nexilis insecta connubij.
Hinc quoq; pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt.
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosq; jacit cumulos.

Prudens hymno post cibum.

Pastis piscibus, ciboq; sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem linguæ Deo patri rependat.

Martialis lib. 7. Epig. 24.

Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti:
Nec grata est facies cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato fatuasq; mariscas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

Martialis lib. 9. Epigr. 27.

Appetitur posito silis olus alpe.

Martialis lib. 9. Epigr. 83.

—— cenæ fercula nostræ
Malim convivis quam placuisse cocis.

Martialis lib. 9. Epig. 102.

Multum credo mihi refert, à fonte bibatur
Qui fluit, an pigro qui stupet unda lacu.

Ausonius in Monosyllabis.

Olim communis pecori cibus atq; hominis glans.
At q; equidem campis quam spicea suppeteret frux,
Mox ador, atq; adoris de polline pulcificum far.
Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cùm dilueretur aqua puls.

Ausonius Epistola 7. v. 40.

Iunctibus limicolis musculus ostreis
Primo composuit ferculapandio,
Gratus delicijs nobilium cibus,
Et sumptu modicus pauperibus foris.
Non hoc naufrago quæritur æquore,
Vt crescat pretium grande periculis:
Sed primore vado, post refugum mare,
Algosa legitur littore concolor.

¶ Apophthegm. Christianorum.

Jesus *Christus:* Scribis & Pharisæis ex eo quærentibus, quare tui discipuli transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus cùm panem manducant. Ille, convocatis ad se turbis, *Audite* dixit: *& intelligite. Non quod in os intrat coinquinat hominem.* & paulò post: *Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* significans, nullum cibum esse ex se immundum, aut coinquinare eum comedentem, cùm nihil cibi cor hominis (à cujus pollutione homo coram Deo pollutus reputatur) ingrediatur, & quidquid in eo immundi per secessum ejiciatur. *Matth. cap. 15.*

Prior Monachus: Hic ambulando vel aliud semper agendo, cibum sumere solitus. rogatus autem cur eo modo comederet? *Nolo,* inquit, *velut necessitate uti cibo: sed tamquam extraneum aliquid agere.* Cur ita? percontanti, *Ne,* respondit, *dum comedo, anima voluptatem sentiat corporalem. Socr. lib. 8 Trip. hist. cap. 1.*

F. Bernardinus Palomus: Narrandum etiam quod huic subjicitur. Adscribunt Bernardino Palomo, homini supra modum faceto, inter cetera illud: *Cibi sumptio, ad loquendum & bibendum commodiùs, instituta est: at si apud magnates id fiat, prius dedecus, posterius infame æstimatur. Floresta.*

Laurentius Medices: Cùm fatali lecto decumbenti cibi adferrentur, & eos porrigens rogaret, Quàm sapiunt cibi illi? respondit, *Vt solent morienti.* quasi dicat, nihil in humanis reliqui solatii, aut dulcedinis illi, qui se videt moriturum. *Ang. Politianus in Epist.*

¶ Monosticha Trochaica.

Abstine à potu haud sitientem qui ad bibendum suscitat.
Admodum mellita, quæ haud mellita sunt bellaria.
Carne nil levius suilla, spissiusq; bubula.
Carnium dulcissimæ sunt, carnium quæ nil habent.
Condimenta multa sunt, sed ignis omnium optimum est.
Cui bono est habere elixa publicè venalia?
Frixa alunt, magis sed assa, jurulenta maximè.
Ius nigrum iis sapit se Eurota qui lavere flumine.
Ius quidem est apponi pernam frigidam postridie.
Melle quod vinoq; constat, omnium est suavissimum.
Mellitissima sunt quæ mellis nil habent tragemata.
Plus edas, minus bibas hyeme, id tamen meracius.
Post cibum ac potum laboris omnis est oblivio.
Potionibus mactamur percoqua ut ut cibus.
Præstat uti nutrimento multiplici quàm simplice.
Præstat uti nutrimento simplice quàm multiplici.
Pro cibo artes sunt honestæ veriore illustribus.
Promptius quis potioni quàm cibo ipsi indulserit.
Pulmentario quæ egent sunt improba pulmentaria.
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
Quis mortalium potest, rogo, offula absq; vivere?
Quo cibus valentior quisq; hoc minus dein concoquat.
Salsamenta, carne absente quivis consulas bona.
Suave tam nil est quod absq; mulceat gustum sale.
Suavitas cibi solet quæri omnibus, non copia.
Tam morsendi quam vivendi exstat via tecum cibus.
Vt bibant edant q;, multi se arbitrantur vivere.
Vterus optimum & verissimum omnium solarium est.

¶ Jambica.

Æstate beta, beta item brumâ bona est.
Alimenta tanquam medicamenta sumito.

Alimenta

Alimenta varia sanitatem destruunt.
Caro illa qua non est caro, dulcissima est.
Cribro farinæ robur omne esse mines.
Cùm comparas tibi oleum, & compares salem.
Embamma aceti nomine comprehenditur.
Est igne nullum condimentum suavius.
Etiam relinque aliquid supervenientibus.
Id omne quo vescuntur homines est penus.
Iuventa multum, non multum senium, vorat.
Ladunt minus bellaria sumpta pro cibo.
Mantissa sæpe melior ipso obsonio est.
Natura nullum docuit esus carnium.
Ne frange panem, cultro scindi qui potest.
Nemo insipienter ventri fabas denegat.
Nihil juvat corona bibentem floreâ.
Obsoniis quoq; ipsis sal obsonium est.
Obsonium è mari petas justissimum.
Obsonium homini sanguis est, feris cibus.
Obsonium sal omnium antiquissimum est.
Oleribus una antistat brassica omnibus.
Piscis profectò solus est obsonium.
Potius die bis quàm semel capias cibum.
Quis non queat sese abstinere piscibus?
Verissimum alimentum artes atq; litteræ.
Vestigium ollæ in cinere ne relinquito.

Videantur alia titulo *Alimenti*, *Convivii*, *Abstinentiæ*, *Frugalitatis*, *Crapulæ*, *Gulæ*, *Voluptatis*, *Iejunii*, *Luxuriæ*.

Circumspectionis.

¶ SENTENTIÆ PHILOSOPHORUM. GRÆCORUM.

Epictetus: Singulis in rebus, quæ vel delectant, vel usui serviunt, vel diliguntur, memento considerare cujusmodi sint, exorsus à minutissimis si ollam diligis, te ollam diligere. nam ea confracta non perturbaberis: si filiolum aut uxorem, hominem à te diligi. nam eo mortuo perturbaberis. Opus aliquod adgressurus, ipse tibi subiicito cuiusmodi sit illud opus si lavatum abieris, ea tibi proponito quæ fiunt in balneo, alios perfundi, alios loco pelli, alios convicia facere, alios furari. sic turius rem aggredieris, & si quid impedimento lavationis tuæ fuerit, in promptu erit. *cap. 8. & 9. Ench.*

Arrianus: Cujuscunque rei antecedentibus & consequentibus consideratis, sic eam aggreditor. Alioqui cupide quidem eam aggredieris: quippe qui nihil eorum quæ sequuntur consideraris. postea vero cum aliquæ molestiæ ac difficultates intercesserint, turpiter desistes. Cupio vincere Olympia. Considerato antecedentia: & sic, si è re tua fuerit, rem aggreditor. Est tibi accurato ordine opus: edendum necessario, bellariis abstinendum, exercendum corpus vel invito: idque hora præfinita, in æstu, in frigore, non bibenda frigida: aliquando ne vinum quidem, denique lanistæ tanquam medico te tradas oportebit. Deinde in certamine saniari corpus contingit, manum lædi, distorqueri lumbos, multum pulveris deglutiri, flagris cædi, & cum his omnibus interdum vinci. His rebus consideratis, si placet certamen inito. Sin minus, vide ut puerorum more acturus sis, qui nunc pugiles ludunt, nunc gladiatores, nunc tuba canunt, nunc tragœdias agunt, cum ista viderint, admiratique fuerint. Sic & tu nunc pugil eris, nunc gladiator, mox philosophus, postea orator, toto autem animo nihil: sed ut simius quidquid videris imitaberis, subinde aliud ex alio tibi placebit. Usitata vero displicebunt. Neque enim considerare quicquam aggressus es, neque rem totam explorasti, aut examinasti: sed temere & frigida cupiditate impulsus. Sic quidam viso philosopho, auditoque alio qui dicat, Vt Euphrates disserit? quis ita dicere, ut ille potest. Volunt & ipsi philosophari. Homo, considera prius quæ res sit. Deinde naturam quoque tuam, quid ferre possit. Si luctator esse vis vide humeros tuos, fœmora, lumbos. Alius enim ad alia natus est. Putas ne te, si ista agas, posse philosophari? Putasne te posse eodem modo edere, eodem modo bibere, æque irasci, æque indignaris vigilandum est, laborandum, vincendæ sunt quædam cupiditates, à cognatis discedendum: oportet à puero contemni, ab obviis derideri: omnibus in rebus deteriori conditione esse, in magistratu in honore, in judicio. His consideratis, si lubet, accedito: si his rebus redimere cupis animi tranquillitatem, libertatem, constantiam. Alioqui noli accedere: ne ut pueri, nunc philosophus sis, postea publicanus, mox orator, denique procurator Cæsaris. Hæc non consentiunt. Unum te hominem esse oportet, eumq; vel bonum, vel malum. Aut excolenda tibi ratio est, aut res externæ. Laborem vel internis, vel externis rebus impendito: hoc est, tuendus est tibi vel philosophi status, vel hominis indocti. *cap. 15. libr. Epict.*

¶ POETARUM.

Plautus Captivis 2. sc. 2.

Ubi sunt isti quos ante ædes jussi huc produci foras?
P. Edepol tibi ne in quæstione essemus, cautum intelligo:
Ita vinclis custodiisq; circummuniti sumus.
H. Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cùm etiam cavet.
Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.

¶ APOLOGORUM.

Æsopi Hircus & Vulpes. Hircus æstivo tempore impensè sitiens, in præcipitium descendit profundum, ut biberet. Post potum verò satur ascendere cùm non posset, pœnitebat eum, auxiliatoremque quærebat: quem Vulpes animadvertens, dixisse fertur: O imprudens, si mentis tantum habuisses, quantum barba pilorum, nequaquam prius descendisses, quam de reditu prævidisses.

De Pica cuculum pro accipitre fugiente. Fab. 156.

Pica inter arborum frondes delitescentem cuculum cõspicata, accipitrem esse suspicata est: Quare concitata fugiebat. Quod nonnullæ aliæ aves, quæ propò aderant, intuitæ, picam irridebant, quod pro accipitre cuculum fugeret: quibus illa: malo, inquit, à vobis irrideri, quàm ab amicis fleri.

Fabula indicat, melius esse, inimicis ridendi, quàm amicis flendi præbere materiem. Laur. Abstemius.

¶ EMBLEMATUM.

Batillius 61.

Cuctandum sapienti.

Suspenso ut cochleæ figunt vestigia gressu
Tutamque explorant cornibus ante viam:
Sic casus omnes Sapiens expendit, & omni
Quæsitâ ante mora sedulus esse solet.

Camerarius 90. Centur. 1.

Vigilate timentes. Anguis in herba.

Passim fraus cæcis latet insidiosa tenebris:
Ne capiare cave, & sobrius advigila.

Camerarius 58 Centur. 2.

Una salus ambobus erit. Simi vulpes, catulos in se recipiens in periculo.

O tutos satis hos cives, populumq; beatum,
Queis velut in patrio fas habitare sinu.

Camerarius 68. Centuriæ 2.

Effugia perdunt. Rubicapra in vertice montis obsessa à canibus.

Actus sæpe vocet: qui cavit ne caperetur,
Hoc ipso captum commemini citius.

Camerarius 55. Centuriæ 2.

Fide & diffide. Vulpes aurem glaciei apponens.

Omnibus esto salutaris tibi cautio rebus,
Ni prius explores, aggrediare cave.

Camerarius 56. Centuriæ 2.

Intrepida securitas.

Prudens insidias q; fugit fraudesq; malorum:
Sic vulpes, uterum dum gerit, haud capitur.

Camerarius 73. Centuriæ 2.

Vigilandum.

Luminibus dormit patulis lepus. Advigilandum est;
Insidiis quoniam cingimur innumeris.

Camerarius 7. Centuriæ 4.

Metuenda procella.

Contrahe vela, licet ludant Delphines in alto,
Nam tunc tempestas non procul esse solet.

Catsius Emblemate ethico 21.

Non omnibus omnia.

Pascitur ille cibo, depascitur iste veneno,
In q; pari causa quod gemat, alter habet.
Res eadem quare jubet hunc ac torqueat illum
Quæritis? in causa est læva vel apta manus.
Apta manus festos & tristia vertit in usus:
Ipsa vel avertit gaudia læva manus.
Artis opus vita est: non omnibus omnia quadrant.
Quod nocet huic, illi commoda sæpe tulit.

Providè: Emblemat. 52.

Ingredior lentè, & prætensis cornibus omne
Exploro, Sapiens providet id quod agit.
Flor. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Aspicit quamcunq; lucem providus tanquam ultimam.
Circumspectus esto, ut anguis, ut columba, candidus.
Circumspice. anguis sæpe in herba delitet.
Cogita non quidquid suevit, sed quidquid fieri potest.
Fortis ad præmeditata quisq; venit, non paver.
Nemini malo atq; damno cessit exploratio.
Nemo facta, nemo dicta sat suamet circumspicit.
Non potest cuiquam nimium esse cauta circumspectio.
Nulli eris malo tyro, omnia ante si præsumpseris. (nu.
Perspicax fraudem ad cavendum, vix idem est validus ma-
Prædomes meditando casum quemlibet antequam excipis.
Quamlibet fraudem antevertit gnava circumspectio.
Sint licet venti ferentes, cuncta sorti haud credito.
Tela sortis, ceu ventura cuncta, semper prospice.
Vel media in tranquillitate naufragium prudens timet.
Vix adversa præscit rebus incubus felicibus.

¶ Jambica.

Aurâ secundâ maximè adversam time.
Cœlo sereno tempestati prospici.
Durat, futura cogitans felicitas.
Et fallitur qui cuncta clam circumspicit.
In morione nulla circumspectio est.
Minùs prævisa pestis, pestis grandior.
Nonnunquam & ipsa peccat circumspectio.
Prævisa tela, si nocent, minùs nocent.
Quo cautior, hoc & melior circumspectio est.
Rarò tenetur fraude circumspectio.
Serenitate tempestatem prospice.
Sors lætâ, quàm adversâ, inconsideratior.
Timore nil reperias circumspectius.
Vt stomachus est, vel prosunt, vel nocent cibi.

Plura eruas à titulo, *Prudentiæ, Providentiæ, Consilij, Deliberationis, Timiditatis, Improvisi, Præmeditationis. Vigiliæ.*

Civilitatis.

¶ Sententiæ Græcorum.

Socrates: Civilis esse studet & gravis: quorum hoc principatum dedit, illud congressibus est aptum, sed hoc est rerum omnium difficillimum. nam eos qui gravitatem affectant plerumque frigere: qui verò urbani esse student, eos humiles & abjectos videri comperies. *Ad Nicoclem.*

¶ Romanorum.

C. Suetonius: Augustus Imper, domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronunciatum est in mimo: O dominum æquum & bonum! & universi quasi de ipso dictum, exultantes comprobassent, & statim manu vultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimo increpuit edicto, dominumq; se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio, vel joco, passus est. &c. *Videatur Vitæ ejusdem cap. 53. & seqq.*

C. Suetonius: Tiberius Imp. à quodam appellatus Dominus, denunciavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Alium dicentem, sacras ejus occupationes, & rursum alium, Auctore eo Senatum se adiisse, verba mutare & pro auctore, suasorem; pro sacris, laboriosas dicere coegit, &c. *Videatur Vitæ ejusdem cap. 27.*

C. Suetonius: Claudius Imp. in semet augendo parcus ac civilis, prænomine Imperatoris abstinuit, nimios honores recusavit: sponsalia filiæ natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione transegit. Neminem, &c. *Videatur Vitæ ejus cap. 12.*

C. Suetonius: Galba Imper. ceteris in rebus statim ab initio principatus, usque ad exitum civilis & clemens, &c. *Videatur Vita ejus caput 12.*

C. Suetonius: Titus Imper. ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis admissa plebe lavit, *cap. 8. Vitæ ejus, ubi plura huius notæ.*

Corn. Tacitus: Postquam Romę Germanicæ valetudo percrebuit, dolor, ira, & erumpebant questus: Vera prorsus de Druso seniores locutos, displicere regnantibus civilia filiorum ingenia, &c. *lib. 2. Annalium cap. 82.*

Plinius Iunior: Dixit causam Cl. Aristius princeps Ephesiorum, homo munificus & innoxiæ popularitatis: inde invidia, & ab dissimillimis dissimilis delator immissus. itaque absolutus vindicatusque est. *Epist. 31. lib. 6.*

¶ Poetarum.

Terentius Hecyræ 5. sc. 4.

Antequam adeò tuam venustatem obtines,
Vt voluptati, obitus, sermo, adventus tuus quocunq; adveneris
Semper siet. B.A. at tu ecastor morem antiquum atq; ingenium obtines,
Vt unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior.

Terentius Andr. 1. sc. 1. de Pamphilo.

Sic vita erat: facilè omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat, cumq; una, his sese dedere,
Eorum obsequi studiis, adversus nemini,
Nunquam præponens se alijs: ita facillimè
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.

Ovidius in obitu Drusi Cæsaris.

Quid si non habitu sic se gessisset in omni,
Vt sua non essent invidiosa bona?

¶ Monosticha Trochaica.

Ad tyrannidem elevavit plurimos civilitas.
Desinit civilis esse consecutus omnia.
Nil regi perit, civili si litet modestiæ.
Plurimos parare amicos est potens civilitas.
Principes civilitatis pauculi faciunt fidem.
Principi est civile vulgi se miscere ludicris.
Vix civiliter sorte uti possit impotentia.

¶ Jambica.

Civile paucis est cor, os quàm plurimis.
Civilis ore, talis haud est pectore.
Civilitas regum mera est hypocrisis.
Civilitatis præmium est regno auctius.
Civilitates jactitat princeps recens.
In candidatis plurima est civilitas.
In rege difficillima est civilitas.
Nunquam nimis civilis esse quis potest.
Suavissimum omnium obsoniorum sanitas.

Civitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus:* Vos magnæ urbis cives, qui primi statim post primam estis, aut ne id quidem ei conceditis, ita vos gerite ut primi, non improbitate sed virtute, non morum dissolutione ac mollitie, sed optimis legibus sitis. Turpe enim fuerit, si hæc urbs ita aliis urbibus præstet, ut tamen voluptatibus cedat; aut ceterâ quidem gravis & moderata sit, verum circa ludos circenses & spectacula, & cursus, & venationes, adeò insaniat, ut hæc pro vita & serio quodam instituto habeat, atque urbs inter urbes principatum tenens, ludentium urbs sit, quam aliis quoque virtutum omnium exempla præbere, multo æquius erat & congruentius. *fine Orationis 27.*

D. Greg. Nyssenus: Hominum virtutis studiosorum, & qui mores ex rationis præscripto formant vita continetur bonis legibus & præceptis, in quibus legislator duo spectavit: alterum ut mala vetet; alterum ut ad honestas actiones singulos incitet non enim fieri potest ut quis in societate civili vitam temperanter componat, nisi totis viribus vitium fugiat, virtutemque maximo studio prosequatur. *contra usurarios.*

Chrysostomus: Effecit etiam Deus ut alter alterius invicem egeremus, ut sic nos quoque conjungeret, quoniam amicitias maximè facit usus & indigentia. Propterea nec omnia ubique gigni permisit, ut inde etiam cogeret commiscerí. Cum autem effecisset ut alter alterius egeremus, commistionem rursus effecit facilem. Nam nisi hoc esset, res ad aliam rediret molestiam & difficultatem. Si enim medico egentem, aut fabro, aut aliquo alio opifice, longè oporteret peregrè proficisci, periret universum. Propterea & urbes constituxit, & omnes simul coegit. Ut autem etiam quæ procul sunt remota facilè nobis suppeterent: in medio positum mare extendit, & ventorum dedit celeritatem, hinc faciles efficiens peregrinationes. *Homil. 34. ad Corinthios 1.*

¶ Oratorum Philosophorum Historicorumque Græcorum.

Lysias: Es'ne jampridem urbis incola? Sum. Civitatis'ne legibus obtemperaturus hic moraris, an pro tuo arbitrio omnia facturus? Obtemperaturus. Aliud ne præter mortem exspectas, si quid in leges commiseris, quæ mortis pœnam habet adjunctam? Equidem nihil. *Orat. 21. contra frument.*

Xenophon: Tum Pericles: Equidem miror mi Socrates, inquit, quo pacto civitas hæc pejorem ad statum prolapsa sit. Arbitror, inquit Socrates, perinde ac alii quoque nonnulli desides facti ob res egregiè supra virtutem ceterorum gestas, non amplius adversariis pares sunt: sic & Athenienses, quum longe præstarent aliis, seipsos neglexisse, ac propterea evasisse peiores. Quid igitur faciendum jam esset, ut virtutem pristinam recuperarent? Et Socrates: Id verò nemini occultum esse arbitror. Nimirum si cognitis majorum suorum institutis, eis nihilominus essent dediti, atque illi fuerunt, non essent eis deteriores. Sin autem, saltem eos imitando, qui nunc primas tenent, & eorundem institutis inhærendo, siquidem id pari facerent industria, nihilo peiores illis essent: sin majori, etiam meliores. Dicis, ait, longe civitatem nostram abesse à virtute. Nam quando tamdem Athenienses ita, ut Lacedæmonii, vel natu grandiores reverebuntur, quum ab ipsis patribus orsi contemnere seniores incipiant? vel corporis exercitiis utentur, quum non solum ipsi bonam corporis constitutionem parui faciant, verum etiam illos irrideant, qui curam ejus habent? Quando magistratibus obtemperabunt, qui exsultant etiam propterea, quod magistratus contemnant? Quando concordes erunt, qui pro studio juvandi se invicem, injuriis sese adficiunt, & magis invident sibi, quam hominibus ceteris? Qui omnium maximè tum in privatis, tum publicis congressibus inter se dissident, lites invicem sibi plurimas movent, maluntque sic alter ab altero lucri aliquid extorquere, quam mutuo sibi prodesse? Qui communibus rebus perinde utuntur ac alienis, deque iis rixantur, & maximam ex potentia, quàm in hujusmodi rebus consequuntur, voluptatem

ptatem capiunt? De quibus sane magna inscitia & vitiositas in republica oritur, magnæque inimicitiæ, ac odia mutua inter cives excitantur. Quas ob res equidem vehementer metuere non desino, ne quod respublica detrimentum capiat majus, quam quod tolerare possit.

Nequaquam, mi Pericles, existimaveris Athenienses adeò incurabili perversitate laborare, subjecit Socrates. An non vides, quam compositè se nauticis in rebus gerant, quam compositè gymnicis in certaminibus præfectis obœdiant, quam nullis inferiores sint in subserviendo magistris in choris? Est hoc certè mirum, ait, quod quum tales sint, præfectorum tamen obtemperent imperio: quum interim gravis armaturæ pedites, & equites, qui virtute civibus ceteris præstare videntur, longe omnium sint inobedientissimi. Et Socrates: At verò is, qui est in Areopago senatus, mi Pericles, an non ex probatis hominibus constat? Omnino, inquit. An igitur nosti alios, ait, qui vel magis legitime, vel gravius, vel æquius causas in judiciis cognoscant, aliaque cuncta gerant? Nihil habeo, respondit, de iis quod querar. Non igitur animum despondere debemus, quasi Athenienses compositè se gerere nequeant. Atqui, subjecit Pericles, in remilitari, ubi maxime temperantem, compositum, obœdientem esse convenit, nihil horum curant. Fortassis, ait Socrates, in his præsunt eis homines maximè imperiti. An non vides, neminem citharœdorum, & eorum, qui suam in choris operam locant, & saltatorum, & pugilum, & pancratiastarum conari, ut imperet, si quidem imperitus sit: sed omnes, quotquot his præsunt, posse commonstrare, à quibus ea didicerint, quibus sunt præpositi, quum interim maxima imperatorum pars temere munus hoc capessant? Te quibus certè nequaquam talem esse arbitror, sed potius dicere non minus posse, quo tempore imperatoriam, quam quo luctandi artem discere occeperis. Multa etiam te imperatoria consilia de patre accepta tenere memoria puto, multa undecumque congessisse, unde disci abs te poterat aliquid, quod ad imperatoriam artem conferret. Præterea te arbitror valde sollicitum esse, ne ipsus nescias, ignorare te aliquid eorum, quæ ad munus imperatoris pertinent, ac si quid eiusmodi nescire te animadvertis, id te à peritis existimo inquirere, neque muneribus, neq; beneficiis parcentem, ut ab eis discas, quæ nescis, & egregios adjutores habeas. *cap.* 14. *lib.* 2. *Memorabilium.*

Apollonius Cæsariensium optimatibus: Primùm ad omnia deorum ope mortales indigent & in omnibus. Deinde civitatem. Secundò enim loco post deos colendæ sunt civitates. Et civitatis commoda præponenda sunt ab omni sapienti. Sin verò non civitas tantum sit: sed etiam maxima Palæstinæ, atque excellentissima in illis locis, magnitudine, legibus, studiis. & maiorum in rebus bellicis virtute, præterea moribus in pace: quemadmodum vestra civitas, maximè quidem ex omnibus mihi cæteris admiranda est, colenda, idemque omni recta ratione prædito. Hoc igitur ex communi sensu conficitur, etiam comparatione vulgi anteferenda sit. Quod si civitas hæc, unum aliquem virum cùm ipsa sit civitas, eúmque peregrinum & magno locorum intervallo disiunctum afficit honore, quid vel hic homo satis dignum ad compensandum adferre possit vel vos invicem rectè deceat? Hoc forsitan solum si quis sit pius & religiosus naturæ quadam dote, ut precetur civitati bona, votiq; compos fiat. Quod ego quoque de vobis fecero: siquidem magnam voluptatem capio ex Græcorum humanitate quæ publicis etiam literis privatam unius cuiusque virtutem declarat. Apollonidem verò filium Aphodisii, adolescentem indole firmissima, dignaque vestro nomine, conabor utilem vobis civem reddere, favente fortuna. *Epistola.* 11.

Apollonius Sardianis: Virtutis quidem palma vobis nulla est. Cujus enim virtutis. Malitiæ verò si primas fertis, omnes eodem modo fertis. Quinam hoc de Sardianis loquentur? Qui sunt Sardis. Nemo enim tam est amicus ibi cuiquam, ut ob benevolentiam & amorem neget turpitudinem, aut ignominiam occultet. *Epist.* 38.

Eisdem: Ignominiosa sunt etiam nomina legionum vestrarum Coddari, Xyrisitauri. Hæc liberis primùm imponite, & efficite bonis avibus, ut his digni evadant. *Epist.* 39.

Eisdem: Coddari & Xyrisitauri. Filias autem vestras & uxores, quo nomine tandem vocatis. Nam ad easdem logiones etiam illæ pertinent, & superant audacia. *Epist.* 40.

Eisdem: Ne servos quidem vobis bene velle verisimile est. Primò quia servi. Deinde quia plurimi sunt ex contrariis legionibus. Nam illi quoque ab eodem vobiscum genere sunt. *Epist.* 41.

Apollonius judicibus Romanorum: Sunt aliqui vestrum, qui magnam curam diligentiamque ad portus, ædificia, circuitus, & deambulacra procuranda afferunt: puerorum verò qui sunt in urbibus adolescentum atq; mulierum neq; vos neq; leges rationem habent. Alioquin pulchrum esset & jucundum obedire. *Epist.* 62.

Apollonius Trallianis: Permulti ex compluribus locis, alii ob alias causas, tam juvenes quàm senes ad me accedunt. Naturam igitur uniuscujusque diligenter considero moresque summa cum prudentia observo. Item singulorum erga suam civitatem animos justos aut contrarios. In hunc usque diem non possim vobis Trallianis anteferre, Lydos, non Achivos, non Jonas: sed ne veteris quidem Græciæ Thurios, Crotonas, Tarantinos, aut alios quospiam, qui sunt mihi ex beatis Italis reliquíve. Quid igitur sit in causa, quamobrem vos quidem probem, non autem habitationem familiamq; meam in ejusmodi hominibus collocem, quamquam sim è vobis oriundus in alium locum dicendum reservabo. Nunc autem solùm videtur tempus dari laudandi vos, eosque qui vobis præsunt, ut multò præstantiores virtute & verbis, quàm qui cæteris imperant, immò iis quoque quorum seculo nati sunt. *Epist.* 76.

Apollonius Satis: Athenienſium cistis posteri; quemadmodum in Timæo Plato inquit. Illi verò communem vestram deam Athenam quidem apud vos, apud ipsos verò Minervam appellatam, exterminant ex Attica, neque permanent Græci. Quo autem pacto nō permaneant ego declarabo. Senex & sapiens nemo est Athenis. Non enim omnis mulier cuilibet nata est, quia nulla nemini. Adulator ad portas est. Ante portas Sycophanta, Leno quoque ante longa mœnia, Parasitus ante Munychiam & Peiræum. dea verò, ne Sunii quidem obtinet *Epist.* 77.

Dio Prusæus: Age verò, etiam erga prætorem quomodo res vestræ habeant, cogitate. Antea quidem suspicio tamen sisberat, quod non admodum jucunde essetis affecti, attamen & ille remp. grate vobis gessit, & vos illis nihilque palam emersérat. Nuper autem exacerbati, videbamini succubuisse. Dicite, quid nam & ille compulsus sit, scripseritque irâ commotus, feceritque quod non etiam antea? Dicite hercle. At per Jovem, propter ipsam civitatem, & mutua inter vos negocia, vobis præest ut oportet: non ut antea, cum seorsim sua curabat plebs, & seperatim senatus: atque ut huc utique sui juris sunt seniores, sua videlicet quique commoda considerantes: quemadmodum si inter navigantes privatim sibi nauræ sua quererent commoda, privatim quoque gubernator, privatim etiam nauclerus. *Oratione* 24.

Dio Prusæus: Et primum quidem quid sit illud ipsum de quo sermo habendus, liquidò cognoscendum est, & quale sit. Multi enim homines ipsum nomen sciunt & eloquuntur cujusque rei, rem autē ipsam ignorant. Eruditi verò studium adhibent, ut & vim cognoscant ejus de quo dicunt, veluti, hominem vocant ἄνθρωπον omnes qui Græcè loquuntur: si quem autem ex illis interroges, quid sit homo ἄνθρωπος, aut qualis res, aut qua in re ab aliis differat, dicere non poterit: sed duntaxat hominem ostendere vel hunc vel alium, quēadmodum barbari solent. Peritus autem interroganti, Quid est homo? respondet, esse ánimal rationis particeps, & mortale. Hæc enim definitio uni homini congruit. & alii nulli. Sic igitur & civitatem ajunt esse, hominum multitudinem eodem loci habitantium, à legibus gubernatam. Jam igitur palam est, quod hæc appellatio nulli civitati conveniat desipienti, & absque legibus agenti. Quare etiam de Nino, poeta Phocylides non locutus est, ut de civitate: siquidem desipit illa. Quemadmodum enim neque homo ille est, qui sit rationis expers: ita neque civitas illa fuerit, quæ legibus non gubernatur. Legibus autem gubernari non poterit unquam, quæ insipiēs & immodesta est.

Fortassis igitur quærat aliquis, quum principes & præfecti sint prudentes & sapientes, reliqua autem plebs gubernetur juxta horum sententiam legitimè & modestè, an talem appellare conveniat modestam & legitimam & revera civitatem, à gubernatoribus: quemadmodum chorum fortasse diceremus musicum, in quo coryphæus musicus esset: aliique sequerentur, nihilique extra concentum canerent, aut certe modica, idque obscure? Bona enim ex universis bonis civitatem, neque quisquam antea vidit factam inter mortales, neq; unquam futuram in posterum cogitare dignum est: præter eā, quam dii beati in cœlo habitant, quæ nunquam immobilis neque ociosa est, sed vehemens, & incedens ducibus primatibusque diis, absque contentione, cladeque. Neque enim Deos contendere, neq; cladem accipere fas est, neque alterum ab altero, utpote amicis, neq; ab aliis fortioribus, sed facere absque impedimento sua opera, cum omni amicitia, interque omnes semper communi, manifestissimus eunibus quibusque sua via, non errantibus, frustra fatuum errorem, sed felicem choream tripudiantibus cum mente, summaque prudentia: reliqua autem multitudine à communi cursu uno ducta consilio, & cœli totius impetu. Unam siquidem hanc purè beatam esse remp. sive civitatem appellare convenit, Deorum inter ipsos communionem. Si verò omne quod ratione utitur, quis componat, connumeratis cum diis hominibus hi ut pueri cum viris dici poterunt civitatis esse participes, naturâ ciues, non sapiendo faciendoque ea quæ civium sunt, neque legis communione, quum eam non intelligant.

Quamvis autem aliæ ubique omnes civitates ferè peccent, malæque sint, si respicias ad divinæ & beatæ legis, rectæque gubernationis summam rectitudinem: attamen exempla nos in præsentia non destituent, ejus quæ se moderatè gerat, ad penitus corruptam: ut si omnibus ægrotantibus, eum qui facillimè agat, ei comparemus qui pessimè sit affectus. *Oratione* 26.

Dio Prusæus: Et per Jovem, dignum ne est, ut præsenti statui fidatis & juxta rei veritatem? Putatis ergo vos unanimiter conspirasse? Domum enim ego, & navim, & alia, sic puto approbari, non loco considerato, neque tecto, neque quod mare non accipiat, sed in universam quomodo fabricata sit & compacta, si nihil hiet, si nihil carioſum sit. *Oratione* 34.

Dio Prusæus: Age per Deos, ob quam rem maximè admirari, magnificamque & beatam putare dignum est civitatem omnium maximam atq; potentissimam? An ob legum virtutem, & civium humanitatem, atque temperantiam magistratuum? an hæc sunt parva, nullíusque precii, & facilia quibusvis? An ob hominum multitudinem, rerumque venalium abundantiam, atque sumptuosa ædificia, oportet eam felicem prædicare, atq; ob Syrorum Babyloniorumq;

texturas, & quòd domos auro stipent, omniaque illorum plena sint argenti atque electri, eborisque, quales Homerus esse dixit Alcinoi atque Menelai regias, plus dicens quàm vel veritas vel potentia ferat ferè: quodque ita tota civitas sit exornata, atque hercle ob picturas statuasque, quorum nihil profuit habentibus prius? sed à quibus illa sunt exornata, hos videas servos & humiles, paupereque? Nam si ulla foret, æris utilitas bene temperati, aut craterarum, aut altarium, aut acerrarum scientissimè factarum, Corinthiorum utique civitas felix fuisset, multumque habitata fuisset temporis, saluans suos habitatores, civesque. Rursus si vel lapidum boni coloris, & variorum, aut Tejorum, vel Carystiorum, atque quorundam Ægyptiorum Phrygumque, apud quos varii etiam montes sunt, audioque columnas antiquissimas ejusdem esse saxi: attamen nemine sunt meliores, neque feliciores antiquissimis illis atque miseris.

Si verò prodesset possidere aurum, nihil prohibuisset Æthiopas supra nos habitantes beatissimos videri, ubi aurum abjectius est quàm apud nos plumbum: feruntque sceleratos crassis vinciri compedibus, nihil tamen minus sunt vincti atque pravi & iniqui. Beatos autem dicere opulentos, multasque possidentes pecunias, in cæteris autem nihil à planè perversis differentes, perinde est, ac si quis illic vinctos prodire videns admiraretur, atque felicissimum omnium judicaret maximas habentem compedes. Si verò admirabilis res est, & totis viribus expetenda, Indi longè omnium sunt fortunatissimi, optimeque apud quos elephantorum ossa projecta jacent, nemoque ad ea accedit, quemadmodum hic boum atque asinorum ossa. Dicuntque frequenter muris inædificari elephantorum calvarias, cum ipsis dentibus. Quid autem opus est de Celtis dicere? Ubi ajunt flumen quoddam deferre electrum, multumque ubique jacere in ripis ejectum scaturigine, quemadmodum calculi apud nos in littoribus? Et antea quidem illo ludebant pueri, hucque atque illuc jactabant: nunc autem & illi colligunt, idque custodiunt, à nobis videlicet eruditi, quod ad felicitatem pertineat. Nunquid animadvertitis, quod hi omnes (dico autem Celtas, & Indos, atque Iberos, ac Arabes, Babylonioque) tributa à vobis accipiunt, non pro regione, neque pro pecoribus, sed pro cupiditate vestra atque dementia? Non enim, si qui armis facti superiores, cogunt victos sibi argentum dependere, id solum dicitur tributum: neque hominum est admodum felicium, neque fortium, tributa præstare aliis: si autem quidam, nemine invadente militibus, neque cogente, ob fatuitatem & delicias, argentum, quod plurimi æstimant præ omnibus, sponte mittunt per magna viæ atque maris intervalla, iis qui nostras in terras facilè venire non possunt, nonne planè pejus est, turpiusque factum? Atque hoc magis, quod illi parvos infirmosque lapillos, atque hercle etiam bestiarum ossa dantes accipiunt argentum & aurum, pro utilibus inutilia permutantes.

Maximè autem quosdam frequenter admiror, quòd Medi, quondam Syrorum accepris opibus gavisi sint, Persæ deinde Medorum, Macedones postea Persarum acceperint: tuncque putarint sese felices esse factos, meliusque vivere, quando obtinuerant miserorum infaustorumque divitias. Hæc ego verò, haud alioqui nugas agens, dixi: sed quod huiusmodi rerum pro quibus cuncta agunt, atque ob quæ vulgus admiratur possessores, nulla sit utilitas, sed universa ne drachma quidem una digna. Neque si paradisum in Susis in habitent, quæ erat (ut ajunt) tota suspensa. *Oratione 79.*

Aristides Sophista: Si socij censentur fidelissimi & utilissimi, qui hostem eundem atque amicum habent, non possunt ii qui seipsos pro hostibus ducunt, salutis compotes fieri. quomodo enim externa ope utantur qui sua nequeunt? id autem ex nomine quoq; licet conjicere, quandoquidem hic unicus civitatum morbus vocatur. Quod si corporis ægritudinum, quæ partem infestant aliquam, tantam gerimus curam, ut aboleantur confestim, absurdè faciemus nisi eorum quæ publicè civitates perdunt, non incrementum maximum, sed remedium celerrimum quæramus: cumque ea quæ nobis invitis accidunt ut famem, pestem, similia, à Deis averruncari petamus, quæ pejora sunt & bono consilio sanari possunt quam primum curemus. utrum verò concordiam ne precari quidem vos dicetis? quid ergo boni vobis oretis aliud, &c. *ad Rhodios de concordia.*

Aristides Sophista: Si corporis morbi gravissimi judicantur, & maxima cura indigent, qui ad interiora pertinent: urbis nimirum hoc erit extremum infortunium quo intus corrumpitur. nisi forte hostes intra mœnia progressos formidabimus, cives inter se media in urbe pugnantes, securitati publicæ consulere arbitramur. *eadem Oratione ad Rhodios.*

Aristides Sophista: Fertur nec ædes bene tectas, nec murorum lapides bene compactos, neque angiportus ac navalia, sed viros qui statum præsentem ferre possint, civitatem constituere. *sub finem orationis Rhodiacæ.*

Aristides: Atqui primus Pericles introduxit stipendia. Ego verò non probo, sed civitatum multas esse video quasi appendices, quibus necessario sit, quasi in corpore, concedendum. Nam & corpora ajunt tam pulcherrima quam turpissima ex iisdem esse rebus composita: quatenus autem de singulis plus vel minus fuerint adepta, hactenus meliora vel deteriora censeri. Similiter etiam civitates, quamvis optime videantur constitutæ, naturam tamen humanam necessario sequuntur. Nam & in hoc universo, quod ita est rerum omnium bonarum particeps, ut ei nihil deesse videatur, multa, quæ displiceant, reperias: nec tamen ideo universum ipsum accusas, aut ejus autorem. nec alium aliquando meliorem opificem extiturum credis: sed à natura sinis attrahi, nec tibi negocium facessis. Quid ergo mirum si quid Athenis etiam tale fuit, quemadmodum & alibi fortasse, quod concesserint præfecti, quo simul & vulgi inopiæ mederentur, ex qua non minima oriuntur delicta, quæ sic videbantur posse tolli, & caverent, ne quid etiam pejus efficerent, si eos omnino coercerēt. Quid enim non expectandum fuerat à tot hominibus ac tam acribus, quique tantas opes haberent, nisi quis partem cum iis aliquam communicasset: nonne fore, ut omnia conarentur sumere? Jam sicut in privatis ædibus quisque vult rebus paratis frui, sic & civitatem æquum est facere, præsertim quæ imperium habeat: in quo non tamis, qui detrahit omnia, præstat fortasse, quam qui modi rationem habet. Alioqui cur vel tributum sumerent, vel res gererent, si id nullam ipsis opem laturum foret? Quocirca cum hæc dicis, non stipendium, sed imperium accusas. Ac necessarium quidem esse in civitate stipendium, nec aliter posse vel gravissimum quemque, quin sumtus faciat & benignitatem exerceat, non est quod multis probem testibus. *Oratione 2. Platonica.*

Aristides: At quem, Plato, reddidit peiorem Miltiades civem vel hospitem, servum vel liberum, virum vel feminam? aut cui ex omnibus probro fuit ac damno cum illo habitum commercium? Quin manifeste tibi respondebo, quem reddiderit meliorem Miltiades: nec eos per viros aut mulieres recensebo, ut solem in parvarum rerum inquisitione fieri: verum, si dicere permittis, omnes ille reddidit Athenienses meliores, ac totam emendavit civitatem, prout civitas, populusque dicitur, & ut in universum loquamur. Nec enim accurate & ad eandem mensuram, neque tanquam Geryonis, similia esse omnium capita credideris, verum etiam deteriores aliquot relinque.

Non etenim similes belli sit cernere cunctos.

Itaque nec in civitate omnes eodem sunt animo, non magis quam corpora sunt similia. Sed quemadmodum inter duces ipsos alii sunt aliis præstantiores, sic nec populus ita queat sibi per omnia similis existere, quin alios necesse sit melius, alios deterius in ipsorum ducum observatione se gerere. Quapropter etiam sub Militia depone alios plurimum ex illius facultate percepisse, alios mediocriter, atque in hoc vicissitudinem colloca. nam & in populo quispiam aures habet surdiores. Quid quod ne Sol quidem omnes potest calefacere, atque aliquis meridie serena sub accessionem febris aliquando riguit. Ex hac mediocritate & vi naturæ si rem considerabis, Miltiadem quoque toti civitati profuisse deprehendes sin viritim de optimis inquires, nec equos Thessalicos omnes bonos reperies, nec canes Laconicas, cum tamen generi nomen servetur. Similiter & Athenienses examina, totamque eorum Remp. considera, & quomodo communiter eo tempore se gesserint, prout aliquam Remp. bene constitutam dicimus. Nec verò talis queat existere civitas, in qua nemo nec graviter nec leviter peccet. quanquam ex vestra schola quidem ita possint argumentari, si qua civitas bene constituta sit, ejus omnes incolas, tam viros quam mulieres, necessario bene institutos esse: si bene institutos, bene compositos, si bene compositos, modestos: si modestos, etiam prudentes: si prudentes sint omnes, neminem posse peccare: nec, donec bene sit constituta civitas, quemquam ullo modo peccare posse. Verum nec hoc, arbitror, fieri potest, nec, si id non fiat, nullam dixeris bene constitutam Remp. videri: sed communem Reip. statum examinans, & alias cum aliis civitates comparans, alia, si sapis, ad leges & mores refers. quædam autem naturali concedis necessitati. Quo quidem modo si Athenienses quoque considerabis, nec singillatim, ut legis latores, expendes, majus etiam ac mirabilius additamentum proferam. Miltiadem non civitatem modo, sed & Græciam totam cum civitate meliorem reddidisse: ac sicut tu, quem civem vel hospitem, quæris: sic ego tum cives tum alios Græcos eum effecisse meliores ajo. Nam cum singulis ad optima quæque dux esset, peiorem neminem, meliores omnes, quantum in se erat, reddebat. *Orat. 2. Platonica.*

Aristides Rhetor: Omnino quælibet Reipubl. commoda semper in nostro ipsorum lucro posuimus. maximum verò commodum in proventum bonorum virorum consistit, in puorum numero nos quoque quondam recensebamur, verum tu id non permittis. *Oratione 2. Platonica pro Quatuor viris.*

Aristides Rhetor: Ne unus quidem homo facilè potest semper culpa vacare, aut potius non potest: quid civitatem tantam posse censeamus. *Oratione 2. Platonica pro Quatuor viris.*

Aristides Rhetor: Ac reges quidem optimè res humanas administrant, cum se universi dominis, Deis reddunt similes: civitates autem si ad Principum sententiam accedant proximè, reguntur optimè. *circa finem Orat. de concordia ad civit. Asiaticas.*

Aristides Rhetor: Soli ex omnibus hæc tria Athenienses lege sanxistis, ut qui pro patria obiissent, cùm ipsi quotannis publicè laudarentur, tum eorum liberi usque ad pubertatem publicè alerentur, postea domum paternam quisque cum integra armatura remittendi: denique debiles cives publicè nutrirentur, quæ quidem ratione convenientes tam potentiæ quàm imbecillitati honores tribuistis. *sub finem orationis Panathenaicæ.*

Aristides Rhetor: Quamvis pulcher etiam sit iste ædificiorum ornatus, & apud plebem mirè gratiosus, illud tamen perfectum jam & divinum quoddam donum conspicitur, cum ornatus uterque tam animi quam ædificiorum, concivit. nam ut hæc laudamus, cùm in iis singula pro proportione sua dimensa sunt: ita hon. sta vita hæc est censenda, cùm in omnibus harmonia & ordo viguerint. hic est verè

domesticus

domesticus urbium ornatus: hic & singulos privatim & rempublic. conservat, hunc nihil opus est nec opum sumptu, nec temporis jactura, nec famulorum opera, nec machinarum extructione comparare, nisi ut seipsum quisque ad ea quæcunque potiora fuerint, sequenda inducat. *Oratione paneg Cyzicena.*

Halicarnassæus: Panegyrico majorum virtutes commemorans, eos qui à dominatu Barbarorum Græciam liberarint, non egregios tantum bellatores fuisse dicit, sed animis & moribus etiam generosis præditos, gloriæ cupidos & modestos: qui quidem Rempublicam diligentius curarent, quam privatam, aliena minus concupiscerent quam ea quæ fieri non possent, felicitatem non in opulentia, sed in honesta fama sitam esse judicarent: existimantes, se liberis magnas divitias & non invidiosas relicturos, si honorem eis popularem reliquissent: honestam porro mortem ingloriæ vitæ præferendam ducerent, non in eo elaborantes, ut præclaras & accuratas leges haberent, sed ut ea esset in quoridianæ vitæ consuetudine civium moderatio, quæ à patris institutis nequaquam recederet, tam honestè & civiliter invicem affecti, ut inter sese quasi per factiones certarent, quinam melius de Republica mereri possent, non qui oppressis adversariis, ipsi reliquis imperarent, eademque utentes animi propensione erga Græciam quoque officiis civitates adjungerent, & persuasione beneficiorum potius, quàm armorum coactione in fide retinerent: ita veraces, ut eorum simplex Oratione minus in dubium vocaretur, quam nunc jurisjurandi religio: itaque constantes, ut pacta & fœdera ultrò servarent diligentius, quam si constricti necessitate tenerentur: non alia in imbecilliores decernentes, quam in se à potentioribus statui vellent, & sic persuasum haberent, se privatim quidem suas tenere civitates, sed in Græcia, tamquam communi patria, habitare. *cap. 8. judicio de Isocrate.*

Halicarnassæus: Civis verus est, non is modo qui tabulis inscribitur, sed is etiam multo magis qui optimè sit erga civitatem animatus, studiosusque in primis earum rerum quæ in civitate bona habentur. *cap. 4. præceptorum athleticorum.*

Simplicius: Est autem & civium quoque cognatio. nam si communis mater est civitas & patrem simul ac matrem repræsentat: ea ratione quasi fratres quosdam esse cives, constat. Est & illud in prõptu, inter omnes germanos cives (de inquilinis enim non liquor) etsi longinquam cognationem, tamen quandam intercedere, quanquã cognatio ejusdem originis, necessitudo satis ampla est. Magna enim est ingeniorum similitudo, non in iisdem modo civitatibus, sed etiam nationibus iisdem. Cives igitur sic tractandi sunt, ut cognati: dandaque opera, ne qua re necessaria egeant: & disciplina eorum pro virili curanda, ut is quoque fructus ex eis capiatur, ut & apud bonos viros habites, nec in victu & cultu corporis tuendi causa quicquam desideres, & in periculis auxilio non destituaris. Pupillis quidem & viduis parentis loco esse debes. Potest enim alius pecunia, alius pro auctoritate magistratus, alius per amicos, alius bono consilio, alius opera corporis, alius denique (ut cætera deficiant omnia) animi saltem propensione, & æque prope dolendo civi suo subvenire. Civis autem, si etiam vicinus fuerit, aliquando arctiore devincitur necessitudinis vinculo. Ut enim urbem eandem, & familiam eandem, nõ temere neque fortuito consequimur: sic etiam eundem urbis locum communi quadam ratione sortimur. Major igitur benevolentia & familiaritas vicino debetur quam civi: quæque de cive dicta sunt, uberius & cumulatius in vicino observantur, eique & communicantur & accepta referuntur quæ possunt omnia. Rebus eorum secundis gratulandum, adversis ingemiscendum, ægrotantes tanquam domestici curandi: & in omnibus aliorum congressibus declarandum te vicino in re nulla justa defuturum, pro virili adjurando. Denique turpe habendum & erubescendum est, vicinum ei in re ab aliis adjutum fuisse, qua adjuvari à nobis potuisset. *ad 37. cap. Epict.*

Arrianus: Consideraqui sis? primum homo, hoc est, is qui nihil habet præstantius libera voluntate, cæteraque omnia huic subjecta, cum ipsa nemini vel serviat vel pareat. Proinde considerato, à quib. hac ratione separaris. Separaris à beluis: separaris ab ovibus Prætera mundi civis es, & pars eius neque ex iis qui ministerio, sed quæ imperio sunt destinatæ. Divinam enim administrationem intelligis, ordinemque rerum consideras. Quæ igitur est civis professio? Ne quid privatim utile ducat: de nulla re tanquam emancipatus deliberet: sed ita ut manus aut pes, si ratione uterentur, & naturalem ordinem intelligerent. nunquam concitarentur aliter, nec desiderarent quicquam nisi ratione habita universi.

Quamobrem rectè dicunt philosophi: Si præsciret vir bonus rerum futurarum eventum, eum ultrò & ægrotationibus & morti & mutilationibus operam navaturum: quippe qui animadverteret, à constitutione universitatis hoc sibi attributum. Potius est autem & parte totum, & civitas cive. Nunc cùm non præsciamus quid futurum sit: ea esse amplectenda, quæ sint electioni magis accommodata. Nam ad eamquoque rem nos esse natos. Deinde memento, tu esse filium, cuius professio sit existimare, patria bona omnia sua esse: omnibus in rebus dicto ei esse audientem, nunquam eum apud quẽquam vituperare: neque vel dicere vel facere quicquam, quod ei incommoder. Atque etiam cedere illi in omnibus & dare locum, pro virili adjuvantem.

Post hæc memento, te etiam fratrem esse, & huic quoque personæ deberi submissionem. obsequium. collaudationẽ: nunquam adversus eum quicquam tibi vendicandum, quod in potestate tua non est: sed ea libenter missa facienda, ut in iis quæ tui arbitrii sunt, melliore sis conditione. Vide quæso, cuiusmodi sit (verbi causa) locus lactucæ aut fellæ ipsum te parare æquanimitatem? Quantum id est lucrum? Deinde si vrbis alicujus senator es, te senatorem esse: si adolescens, adolescentem: si senex, senem: si pater, patrem. Semper enim quælibet ejusmodi nomina, si considerentur, suum cuique munus describent. Sin digressus, fratrem tuum vituperaveris: dicam tibi, nunquid oblitus es qui sis? Quod nomen tibi sit? Quod si faber ferrarius esses, ac malleo perperam utereris, fabri ferrarii oblitus esses. At si fratris oblitus es, & fratris loco factus hostis: nunquid in ea re te nullam feciſſe versuram putas? Quod si pro homine animali, miti & sociabili, belua factus es permitiosa, insidiatrix, mordax: nihilne amisisti? Enimvero pecuniola est amittenda, ut jacturam facias.

Nullius ergo alterius rei interitus perdit hominem? Quod si Grãmaticam amiseris, aut Musicam, in damno eam jacturam reputas. At si verecundiam, si modestiam, si mansuetudinem amiseris, eamne rem nihil esse putas? Verum illa quidem externa quapiam de causa, & non voluntaria pereunt: hæc autem, nostra culpa. Illa ne habere nec amittere turpe est: hæc & omnia habere & perdere, tum probrosum est, tum calamitosum. Quid amittit is, qui cinædi flagitia patitur? virum. Qui autem illa agit, cum alia sane multa, tum nihilominus & ipse virum. Quid perdit adulter? Verecundum, continentem, modestum, civem, vicinum. Quid perdit iratus? Aliquid aliud. Quid is qui timet? Aliquid aliud. Nemo sine jactura & damno malus est. Si ergo nunc jacturam in pecuniola queris, omnes hi noxæ sunt expertes, nullum fecere damnum: ac fieri potest, ut fructum etiam & voluptatem inde capiant, cum ex horum facinorum aliquo pecunia eis accesserit. Vide porro si ad pecuniam omnia refert, ne eum quidem qui nasum amittit, facere damnum. Imo, inquit, corpore est mutilato. Qui autem olfactum ipsum amisit, nihilne perdit? Animi ergo vis nulla est, qua & parta juvetur aliquis, & amissa lædatur? Quam tandem ais? Nihilne habemus naturâ verecundum? Habemus. Id qui amittit, non jacturam facit? Non privatur aliqua re? Non amittit aliquid suarum rerum? Non habemus naturâ fidele aliquid? Non pium & charum naturâ? Non juvandi propensionem naturalem? Non alius alium tolerandi naturalem facultatem? Quisquis igitur in horum aliquo se damno affici patitur, isne indamnis & jacturæ expers erit? Quid ergo? Non ei noceam qui mihi nocuit.

Primum vide quid sit noxa? Et eorum quæ à philosophis audivisti, memento. Nam si bonum, atque item malum in libera voluntate positum est, vide ne ejusmodi sit quod dicis. Quid ergo? Si ille ipse sibi nocuit, injuria mihi facta: ego ipse mihi non noceam, injuria aliqua relata? Cur non tale quiddam nobis observatur? At si corpori aliquid, aut rei familiari decesserit, illic damnum. Ubi autem voluntati, nullumne ibi damnum? Neque enim caput ei dolet qui fefellit, aut injuriam intulit: non oculum, non coxas, non agrũ amittit. Nos vero nihil volumus nisi hæc. Voluntatem autem utrum verecundam & fidelem habituri simus, an impudentem & perfidam, ne minimum quidem nostrâ interest, exceptis scholasticis disputatiunculis. In disputatiunculis ergo subsistimus, ultra quas ne digitum quidem proficimus. *cap. 10. lib. 2 Epict.*

Philostratus: Neminem esse arbitror, qui glorioſius esse putet civitates depopulari quàm condere. Itaque patriæ suæ liberatorem & virum bonum ab omnibus judicari, multò præstantius esse, quàm patriæ servitutem afferre, nullus dubitat. *lib 3. Apollonij cap. 6.*

Philostratus: Cùm videret Jonas bonarum artium studiis deditos, summaque industria iis incumbentes, oratione eosdem cohortatus, promptiores ad prosequenda studia reddidit, jubens magis erga seipsos, quam erga urbis ornatum, prudentiam exercere. Etsi enim urbs omnium quæ sub sole reperiuntur, pulcherrima sit Smyrna, & pelago alluatur, & zephyri fontes possideat, præstantius tamen est illam studiosis viris coronatam esse, quam porticibus & picturis & auri copia majore quàm ea quæ suppetit. Ædificia namque eodem in loco semper manent, nec alibi usquam quam ubi exstructa fuerint, videri possint: boni autem viri ubique videntur, ubique loquuntur, & civitatem ex qua orti sunt magnam & præclaram esse ubique demonstrant, quocunque terrarum peragrare potuerint. Dicebat quoque pulchras urbes bonis civibus carentes, Jovis Olympij simulacro à Phidia composito simulari. immobile ubicumque artifici placuit permanet: viri autem ubique terrarum peragrantes, ab Homerico Jove nihil differunt, qui sub variis formis ab Homero inducitur, multò admirabilior eo, qui ex ebore fabricatus est. hunc enim in terra tantum apparere, illum verò quamcumque cœli partem percurrentem mente & imaginatione comprehendi. Præterea quo pacto civitas tutissima permanere possit, unà cum Smyrnæis philosophatus est, cùm illos inter se dissidentes & consiliis discrepantes conspexisset: dicebat enim urbem rectè habitandam, dissentientis cuiusdam indigere concordiæ. quæ cùm sibi ipsi repugnans sententia videretur, Album inquit, & nigrum unum & idem fieri nunquam possunt, neque amarum dulci rectè commiscetur: concordia verò quandoque dissentiens, salutem civitatibus affert.

Quod autem dico, tale quid est. Seditio, quæ ad gladios mutuasque plagas cives deducit, à civitatibus penitus est exterminanda. civitas enim pace puerorum alumna, & legibus, & viris indiget, à quibus & verba & actiones prodeunt. Mutua autem civium æmulatio pro communi civitatis bono, seu alius alio melius sententiam dicat, aut magistratum rectius gerat, aut præclarius legatione fungatur, aut etiam splendidiora construat ædificia, aut in aliquo ejusmodi excellat, talis inquam contentio aut æmulatio civitati plurimum cõfert,

licet

licet inter se cives pro communi bono faciat dissidere. Neque verò sum nescius huiusmodi studia pro salute civitatis. Lacedæmoniis quondam inutilia visa esse, quippe qui bellicis duntaxat operib. incumbentes, in ea re tantummodo laborabant, idq; solum in precio habebant. Mihi verò optimum esse videtur, ut quisq; quod scit atq; efficere potest id agat. nam si quis in gubernando populo mirabilis evadet, alius verò sapientia valebit, alius in commune adquiret, alius bonus, mitis & benignus existimabitur: è contrario alius severus, & erroribus veniam non tribuens, alius in omnibus ignoscens reputabitur, optimè arbitror sese civitas habebit; stabiliuique consistit. *lib. 4. Apollonii capit. 2.*

Libanius: Civitas nihil aliud est, quàm corpora incolorum. nam mœnia & exstructionis fundamenta, & naves & equi, & arma & tela, usui sunt per cives. Quidquid enim commemoraveris, abs q; iis quæ uti possint, inane fuerit. Itaq; oportet ad salutem civium, accersere vota armorum. Videte enim obsecro! Instat navigatio, educendæ sunt Legiones, mittenda legatio, dandum responsum, deferenda nomina eorum qui debent aliquid publicè, in judicium adducēdi sontes, scribenda decreta, ferendæ leges. hæc scilicet universa humana opera sunt. Quod autem maximum: multitudo hominum terrori est hostibus, paucitas verò planè contemnitur *Prog. contra Homic.*

Libanius: Unum extitisse nequam in urbe rectè & honestè se habente, nihil mirum arbitramur, quando ipsos etiam Græcos in civitatibus administratis legibus rectis facilè quempiam invenias, qui vitam suam cōmuni conformationi repugnantē constituerit: ideoq; etiam lege punitur. sed non hęc urbium, opinor, crimina sunt, verum delicta ejus qui patravit. *Vlyssis Orat. ad Trajanos.*

Libanius: Qui non præstaret urbem paucos & numerabiles exhibere cives, quam multitudinem flagitiosam habere? nam si unius improbitas publicas efficit miserias, quid facere ipsam par est, cùm in plures diffundetur? *Declam. 25.*

Libanius: Duobus his potissimum civitatem conservate, tum armorum robore, tum Legum conditarum observantia. *Declamationis 28 fine.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Non potes tutus esse in ea civitate, in qua timeris. *Declam. 288. fine.*

Plinius Iunior: Cupio patriam nostram omnibus quidem rebus augeri, maximè tamē civium numero: id enim oppidis firmissimum ornamentum. *lib. 7. Epist. 32.*

Eumenius: Video hanc fortunatissimam civitatem, ita cunctis mœnibus resurgentem, ut se quodammodo gaudeat olim corruisse, auctior tuis facta beneficiis. Video circum maximum, æmulum credo Romano, video basilicas & forum opera regia, sedemq; justitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus & cœlo digna & vicina promittant: quæ certè omnia sunt præsentiæ tuæ munera. quæcumque enim loca frequentissimè tuum numen illustrat, in his omnia & hominibus & mœnibus, & munerib. augentur: nec magis Jovi Junoniq; recubantibus, novos flores terra submisit, quam circa tua, Constantine, vestigia, urbes, & templa consurgunt. ideoq; hoc votis meis sufficit, ut patriam meam videas ducente pietate, quia statim erit restitura si videris. *cap. 22. Panegyrici Const. Aug. dicto.*

Cl. Mamertinus. Universas urbes ope Imperatoris refotas enumerare perlōgum est scire satis est cunctas Macedoniæ, Illyrici, Peloponesi civitates unis aut binis epistolis maximi Imp. repentina induisse novatis mœnibus juventutem: aquas omnibus locis scatere, quę paulo ante arida & siti anhelantia visebantur, ea nunc perlui, inundari, madere, fora, deambulacra, gymnasia lætis & gaudentibus populis frequentari, dies festos & celebrari veteres, & novos in honorē principis consecrari. Si quis mortalium in aliquam cœlestem speculam nube sublatus, paulò antè vidisset mœsta omnia, semiruta oppida, desolata mœnia, ab indigenis solitudinem, exulum turbam, is si nunc in illud editum reponatur, ac despiciat cuncta lætantia, agros consitos, urbes frequentes, aquas oppidis influentes, magnifico cultu non pravatas ædes sed publica recta surgentia, dites pro terrarum ingeniis messibus segetes, vincentes agricolarum vota vindemias, arduos colles profundasq; valles, & lata camporum balatu, hinnitu, mugitibus personā, profectò mirabitur tam brevi cuncta mutata, desilietè nubibus, & viciniam cœli cupidè derelinquet, ut tuis, Imp. terris fruatur. *cap. 10. Orat. ad Iulianum Aug.*

Nazarius: Amici tam tuam, Imperator, non minus trepidè quam amabiliter petiit natio post Romanā magnitudinē in terris secunda. Nulla in terris gens est tam ferox, quæ te non metuat aut diligat. Omnia foris placida, domi prospera. Annonæ ubertate, fructuū copia exornatæ mirandū in modum, ac propè de integro conditę civitates. Novæ leges regendis moribus, & frangendis vitiis constitutæ. Veterū calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudor tutus, munita conjugia. Securæ facultates ambitione sui gaudent, nec aliquis habēdi quam plurimū metus: sed in tanta bonorum affluentia magna verecundia non habendi. hic deniq; status rerum est, ut obtinendæ potius felicitatis votum geramus, quam augēdæ cupiditatis. *sub fin. cap 28. Orat. in Const. Aug.*

Nazarius: Populi verò Romani vis illa & magnitudo venerabilis ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrenis exultat, nō abjecta languidè jacet, sed sic assiduis divini principis monitis tēperata est, ut cùm ad nutum ejus flexibilis & tenera ducatur, morigeram se non terrori ejus prębeat, sed benignitati. placidam quippe rerū quietem, & profundum urbi otium, gentes perdomita condiderunt, *medio cap. 35. Orat. in Const. Aug.*

¶ Portarum.

Phocylides.

Parva, inq; scopulo posita civitas, qua se
Gerit modestè, melior est Nino longè,
Si desipiat, & immodestius degat.

Aristophanes Ranis v. 1463.

Catulum Leonis alere in urbe non decet,
Sed maximè ipsum ne Leonem nutrias:
Sin alueris aliquem, obsecunda moribus.

Plautus Mercatore 5. sc. 1. v. 7.

Ego mihi alios deos penates persequar, alium larem,
Aliam urbem, aliam civitatem, ab Atticis abhorreo.
Nam ubi mores deteriores increbescunt indies,
Vbiq; amici qui infideles sint nequeas pernoscere,
Vbiq; eripiatur, animo tuo quod placeat maximè,
Ibi quidem si regnum detur, non est cupida civitas.

Plautus Persæ 4. sc. 4.

Satin' Athena tibi visa fortunata atq; opiparè?
VIR. Vrbis speciem vidi, hominum mores perspexi parum.
SA. Quid id quod vidisti, ut munitum muro tibi visum est oppidum?
VIR. Si incolæ & ne sunt morati pulchrè munitum arbitrer,
Perfidia, & peculatus ex urbe, & avaritia si exulant,
Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum perjurium. TO. euge! VIR octava indiligentia,
Nona injuria, decimum quod pessimum aggressu scelus.
Hæc nisi unde aberunt, centuplex murus, rebus servandis parum est.

Terentius Adelph. 3. sc. 4.

Vah! homo amicus nobis jam inde a puero. Dij boni!
Na illius modi jam magna vobis civium
Penuria est. antiqua homo virtute ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publicè.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video? vah! vivere etiam nunc lubet.

Guntherus libr. 3. v. 315.

Ille Petri solidam cupiens convellere petram,
Vt caput infirmum per cetera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, toramq; nefarius urbem,
Inficit, impuri corruptam semine verbi.

Guntherus libr. 5. v. 111.

Audiit, & doluit, tumida, feritate latrones,
Non cives, Verona, suos, transire paranti
Insidias posuisse tibi, quis dicere cives.
Audeat, in proprium molitos impia regem?
Qui violat civem, concivis desinit esse.
Qui violat regem, quis posset dicere civem?

Guntherus lib. 6. v. 574.

—— Capiti totius corporis ango
Condolet, uniusq; dolor, transfertur ad omnes.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; æqualitate libera haud videtur civitas.
Absq; rectore nulla non est relinquenda civitas.
Ad peccata connivebo civium rebus malis.
An ne hoc quidem ego adspicar, quod jus publicum est?
Centuplex murus servandis civibus malis parum est.
Cives reges pro bono omnes audiunt, omnes vident.
Civibus profecto invisa regia superbia.
Civis es si dignitatum urbis es capax tua.
Civis interfectus armis exuitor non vestibus.
Civis nullus est laudandus, nisi sit è republica.
Civitas beata ea, unus praco cui facit satis.
Civitas bona audit leges, improba audit rhetoras.
Civitas datur Romana, ut sit virtuti præmium.
Civitas domibus muris q; non constat, constat viris.
Civitas libidinosa mare malorum est omnium.
Civitas matrix colono sapius paret suo.
Civitas quota quaq; sortes pertulit dextrè suas?
Civitas salva esse nescit in qua agit discordia.
Civitas sapientum a doctis fingitur non noscitur.
Civitates instaurare promptius quam condere est.
Civitati facta ad omnes respicit injuria.
Civitati liberæ res planè Rex contraria est.
Civitatis sunt æterna & ipsa æterna gaudia.
Civium ecquis haud secundis invidet civis suis?
Civium magis salutem respicit rex quam suam.
Civium penuria magna est. virtute antiqua ac fide.
Civium primo sub ortu tolle controversias.
Civium suorum æruminis plus dolet rex quam suis.
Crebra Regum civibus minimè usui est mutatio.
Ecqua civitas perennet aquis absq; legibus.
Ex parente atq; imperante, quæq; constat civitas.
Fiat absq; acerbitate civium dissensio.
Fortitudo civitates servat & concordia.
Haud cito mali quid ortum est publicè è civi proba.
Ignis aurum, civitates pax q; bellum q; arguit.

Imperij

Imperii una firmitas civium benevolentia.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere.
Languidus molliſq; civis fit, muro circumdatus.
Magna civitas foris hoſte ſi caret, domi invenit.
Maxima eſt corona quæ ultrò cive ſervato datur.
Membra multa cùm nobis ſint, nulla eis contentio eſt.
Meta ſumma apexq; laudum, civitatis eſt ſalus.
Nec ſimul cum peſſimis ſis, ſed nec abſq; peſſimis.
Non ſic nos externa turbant, turbant ut domeſtica.
Nulla eſt in qua nemo peccat inveniunda civitas.
Nullus eſt in urbe civis publice quin conſulat.
Patriæ abſq; charitate civis eſſe non potes.
Pauci libertatem, magna pars dominos juſtos volunt.
Pharmaci loco tyrannus civibus malis.
Prægravat timorem clades ſcire qui refugit ſuas.
Qui à republica defecit jura civis non tenet.
Quomodo jura civis habeat, qui hominis liberi haud habet?
Vnius modo fert præconis vocem felix civitas.
Vrbi ſe qui addicit uni, excludit aliis omnibus.

¶ Jambica.

Civilis utiq; virtus prior eſt bellica.
Civis boni eſt pro patria ultrò occumbere.
Civis bonus fieri abſq; juſtitia haud queat.
Civis bonus ſibi ſuiſq; proſpicit.
Deeſſe communi ſaluti civis eſt nigerrimi.
Eſt civitatis pars tamen vir unicus.
Gerit imperium Rex non ſibi, ſed civibus.
Haud unquam inutilis opera civis eſt boni.
In hominibus non ædibus poſita civitas.
Inutilis nunquam opera civis eſt boni.
Is civis eſt obire honores qui poteſt.
Lupanar eſt, ſine caſtitate, civitas.
Nil civitati Legibus præſtantius.
Non tam imperio, quam exemplo civibus eſt opus.
Nulla inventur quæ non peccet civitas.
Penuria eſt bonorum ſemper civium.
Quo grandior morboſiorq; eſt civitas.
Quod corpori oculus civibus vir eſt bonus.
Sapiens ubiq; civis eſt quo acceſſerit.
Se deſerit civem bonum qui deſerit.
Servare cives, maximum eſt patriæ Patri.
Servare cives, maximum regis decus.
Si civis es, ne exerce cauponariam.
Sunt civitati maximum bonum boni.
Verere amicos, legibus obtempera.

Cladis.

¶ Sententiæ Patrum.

Geſippus: Quo magis Iudæorum res inclinabatur, eo amplius in bellum incendebantur. ubi finis eſſe debuerat, inde exordium malorum capeſſabatur. nam ſapientibus adverſi exitus rerum, ad cavendum magis documento ſunt, ne rurſus eadem accidant quæ jam malè ceſſerunt. imprudentibus autem incentivum miſeriarum. debuerat ergo Hieroſolymitanis cauſa ſobrietatis eſſe ſociorum periculum: ſed quia noluerunt intelligere ut bene agerent, in exitium vertit. *ſine cap. 21. lib. 2. excidij Hieroſol.*

Egeſippus: Quando victoria ulla ſine ſanguine eſt? habent prælia ſuos eventus. etſi ſpectata virtus præminere ſoleat in bello, ſolet tamen aliquid licere caſibus. ſed prudentis eſt in adverſis lapſum corrigere, proſperis moderationem tenere. contra autem rudis cujuſdam ineruditiq; ingenii, ſecundos ſemper ſucceſſus præſumere, quaſi non adverſus viros certamen ſit: infirmi autem, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cùm exiguis momentis ſubito inclinentur omniaq; in bello geruntur. itaq; ille præſtantiſſimus qui inter adverſa ſobriis colluctatur caſibus & ſupplantant ſuperiorem, ac reparare & corrigere proprias quærit prolapſiones. at verò incurſior, ſuis ſæpè motibus cadit, & dum irruit incautus, impetu ſuo fuſus procumbit. quod ſi hoc ſæpe accidit, ubi nuda virtus; quanto magis in bello, ubi diverſi generis cenſerta decernunt agmina, nec unum magis conſilium, nec conſors ſententia eſt. Locus adverſus, in quo in anguſto decernendi conditio, plurimis adverſum paucos, cùm & ipſa multitudo ſibi oneri ſit, & pauci in pluribus minus fruſtrentur. Sed hæc ad momentum ſæpe obrepunt quæ non ex virtute veniunt, ſed caſu accidũt. Unde nihil eſt, angere quod vos debeat commilitones: quia non per infirmitatem aliquam manus veſtræ, neque per fortitudinem Judæorum verſæ res, ſed difficultas locorum nobis ad victoriam impedimento fuit, illis ad differendum moræ: neque quidquam eſt quod argui poſſit, niſi inconſultus impetus atque inconditus, &c. Reparate ergo animos, & de virtutibus veſtris non ſolum ad conſolationem, ſed etiam ad vindictam præſumite: me certè habebitis prævium pugnæ. eſtote parati armis, animis, pericula vos fortiora fecerint non timidiores. facile eſt injuriam ſolvere ſi virtus ſe recognoſcat. *loquitur Veſpaſianus Imperat. libro quarto, capit. ſecundo.*

¶ Oratorum Hiſtoricorum qui Græcorum.

Xenophon: Caduſius autem, extremi cuſtos agminis, quia perſequendi non fuerat particeps, ac vellet etiã ipſe facinus illuſtre quoddam edere: neq; communicata re cum Cyro, neque ad eum delata, in regionem verſus Babylonem ſitam excurrit. Diſperſis vero ipſius equitibus, rex Aſſyrius ab urbi ſua, quo confugerat, ſuperveniens: cum inſtructis egregie copiis occurrit. Quumque ſolos eſſe hos Caduſios percepiſſet, impetum in eos facit, & tum Caduſiorum principem interficit, tum multos alios. Quin & complures Caduſiorum equos capit, quamq; forte prædam illi tunc agebant, aufert. Atq; hoc modo Aſſyrius Caduſios eo uſq; perſequutus, quo tutum eſſe putabat, revertit. Caduſii verò primi ad caſtra circa veſperam ſalvi pervenerunt.

Cyrus, ubi rem ſic, uti geſta fuerat, cognovit: & obviam Caduſiis prodiit, & quem vulneratum videret, eum recipiens, ad Gadatam mittebat, ut curaretur. Ceteros in eadem tabernacula diſtribuebat, ſtudioſeque cum aliis & ipſe dabat operam, ut eis neceſſaria ſuppeterent, adiumtis in partem curationis hujus nonnullis de Perſarum æqualibus. nam in hujuſmodi rebus viri boni libenter operas ſuas cõjungunt. Adeo verò moleſtum hoc ſibi accidiſſe declarabat, ut quũ jam cœnarent alii, nimirum opportuno cœnæ tempore, Cyrus cum adparitoribus ac medicis neminem ſua quidem ſponte neglectum relinqueret: ſed vel ipſemet inſpectoris munere fungeretur, vel ipſe ſi hoc perficere non poſſet, palam mitteret, qui curam eorum gererent. Ac tum quidem ita ſe quieti dederunt.

Ubi primum autem illuxiſſet, ſignificari præconum opera juſſit, ut reliquorum quidem principes, Caduſii vero univerſi convenirent, & huiuſmodi quædam in medium adtulit: Humanum eſt quod nobis accidit ſocii. Nam eos, qui homines ſint, errare: mirum videri, mea quidem ſententia, non debet. Merito autem ex eo, quod contigit, boni alicujus fructus ad nos redit: nimirum ut diſcamus, imbecilliores copias, quam hoſtium copiæ ſint, ab exercitu toto nũquam avellendas eſſe. Neque hoc à me dicitur, ait, non debere aliquem etiam minori cum agmine illuc proficiſci, quo ſit opus, quam illud fuerit, cum quo Caduſius modo exiit: ſed ſi quis re cum illo cõmunicata egrediatur, qui ſatis virium ad opem ferendam habeat, fieri quidem poſſe ut decipiatur: at illud etiam poſſe fieri, ut per eos, qui remanent, hoſtes deceptos avertat ab iis, qui ſunt egreſſi. Quin & alia negocia quis hoſti faceſſere poteſt, eoque modo amicos in turo collocare. Atq; ita fiet, ut ne quidem is, qui diſceſſerit, abſit: ſed ab exercitus robore pendeat. Qui vero diſcedit, neque communicat prius quo iturus ſit: illi nihil admodum diverſi accidit ab eo, ſi ſolus aliquis expeditionem ſuſcipere velit. Sedenim hujus facinoris cauſa volente Deo, non longo tandem ex intervallo in hoſtem vindicabimus: ſed ubi primum pranſi fueritis, eo vos equidem ducam, ubi res eſt geſta, ſimulq; mortuos ſepeliemus, ſimul hoſtibus, ſi Deus volet, oſtendemus: illic alios longe ipſis eſſe potiores, ubi ſe ſuperiores evaſiſſe cenſent: atque etiam efficiemus, ut ne locum quidem illum lubenter intueantur, quo loco ſocios noſtros interemerunt. *cap. 32 & 33. lib. 5. Cyropædiæ.*

Halicarnaſſæus: Quod è ſummo in minimum deſcendit, facillime ex tenui in nihil devenit, & omnino exſtinguitur. *cap. 3. de Oratoribus antiquis.*

Dio Pruſæus: An non hæc ſunt ſomniorum ſimilia planè, atq; incredibilium mendaciorum? Qualia enim ſomnia in mortuorum loculis ſunt depicta, tales vident homines viſiones: nunc quidem ſibi videntur mori & ſpoliari, rurſus autem reſurgere, & nudi pugnare: interdum ſe quempiam putant perſequi, & cum diis colloqui, & ſemetipſos interficere, nullo præſente malo: atque ſic, ſi res ferat, aliquando putreſcere, & ambulare ſuper mare. ut rectè quis Homeri poeſim ſomnium quoddam dicere poſſit, & hoc anceps atq; obſcurum. Eſt autem operæ precium, & hoc cum cæteris confeſſis conſiderare. Confitentur enim, omnes Achivos ex Aſia ſoluiſſe, quum jam eſſet hyems, & propterea magnam claſſis partem periiſſe circa Eubœam, præterea neq; omnes eundem curſum tenuiſſe, ſe ſeditionem incidiſſe exercitui & Atridis: & hos quidem Agamemnoni, illos autem Menelao adhæſiſſe: alios autem proprio arbitrio abiiſſe, quorum & Homerus in Odyſſeia meminit. Atqui ſi res illis ceſſerunt proſperè, veriſimile eſt fuiſſe concordes, & regi maxime obediſſe, & Menelaum non in diſcordiam veniſſe cum fratre ſtatim ab accepto beneficio. Victis autem, rebuſque eorum afflictis, omnia illa neceſſe eſt contigiſſe. Præterea perterritos atque fugientes, veriſimile eſt ex ſolo hoſtili quam celerrime abire. Victores autem, etiam cum periculo manere, & denique rerum dominos ad ſua redeuntes, magnamq; captivorum pecuniarumq; habentes multitudinem, expectare tutiſſimam tempeſtatem, utpote terræ illius dominos, magnaq; omnium rerum fruentes abundantia: & non, exactis decem annis, tandem propemodum diſperire.

Quin & calamitates quam reduces domi apprehenderunt, maximè rem manifeſtant, illorumque imbecillitatem. Non enim omnia ſolent inſidiari victoribus & fortunatis: ſed hi ſunt admirationi, & timori. Infelices autem, contemnunt & externi & neceſſarii. Apparet autem, Agamemnon deſpectus fuiſſe ab uxore propter acceptam cladem, atque Aegiſthus illi inſidias parans, facile obtinuit: atque Argivi res occuparunt, Aegiſthumque conſtituerunt regem. Nunquam

quam illa, tanta cum gloria potentiaque redeuntem occidisset Agamemnonem, dominatorem Asiæ. Diomedes vero domo pulsus est, nemine belli gloria inferior. Et Neoptolemus, sive à Græcis, sive ab aliis aliquibus at non multò post cum omnibus aliis, pulsus est ex Peloponneso, defecitque Pelopidarum genus propter illam calamitatem: & Heraclidæ, quum antea essent modicarum virium, & ignobiles, eo descendunt cum Doriensibus. Cæterum Vlysses sponte cunctatus est redire partim quod res haberet suspectas. atque ideo ad Penelopes matrimonium & opum direptionem se vertit Cephalenorum juventus, nemine amicorum Ulyssis ferente suppetias, neque Nestore adeo propinquo. Omnes enim erant humiles, & abjectè se gerebant, quicunque consortes fuerant militiæ. Contrarium autem evenire oportebat, quàm omnibus apparere timidos qui vicissent, & neminē adversus eos quicquam conari. Menelaus autē omnino non rediit in Peloponnesum, sed remansit in Ægypto. *Oratione 11.*

Iulianus Cæsar: Cùm nihil procederet, se cum exercitu recepit, magna parte præinopia rerum amissa, nec non & pluribus circa aggerum munitionem atque obsidionem consumptis. Quibus de causis plerosque Satrapas interfecit: hunc quod parum firmos aggeres extruxisset, adeo ut fluminis vi, atq; impetu convulsi ac disiecti forent: illum verò quod ad muros ignavius se gessisset: alium denique alia occasione ac criminibus objectis è medio sustulit. Nam Asiaticis illis Barbaris familiare admodum & usitatum est, ut calamitatum suarum causas in sibi subditos derivent. Quod tum faciens ille discessit, atque ex illo tempore sine ullis jurejurandis aut pactis pacem nobiscum conservat, ac domi sese continet, optimè secum actum existimans, si non contra se Imperator expeditionem suscipiat, illius audaciæ & temeritatis à se pœnas exigat. *Paneg. 2. in Const. Imp.*

Iulianus: Cæsar: Ex illo tempore confirmatis animis audaciores esse cœperant, cum hactenus tyrannicę res superiores esse viderētur: quod secundo aliquantum eventu cum Imperatoris exploratoribus bellatum fuisset. Quæ res & illum præ gaudio vecordem ac stolidum reddidit, & iis qui prudens Imperatoris consilium assequi non poterant, non nihil perturbationis attulit. Ipse verò constans, atq; interritus remansit, velut peritus aliquis navis gubernator, cum post minaces nubium fremitus, erumpente procella, profunda pelagi littoraq; Deo impellente quatiuntur. Tum enim imperitos homines ingens ac vehemens terror invadit. At ille concepta ex eo spe serenitatis ac tranquillitatis gaudere, atq; esse hilarior incipit. Ajunt enim Neptuni cùm terram concurit commotos fluctus compescere. Enimverò homines imprudentes plerumque fortuna decipit, ac cùm exiguis in rebus fluere ex voto negotia permiserit, in majoribus subita calamitate dejicit. Prudentibus porrò, cum in minoribus consternati non nihil fuerint, majoribus in rebus animum ac fiduciam suppeditat. Hoc cùm Lacedæmonii ad Pylas essent experti, minimè animo ceciderunt, neque Medorum irruptione perterriti sunt: tametsi trecentos è Spartiatis cum ipso Rege ad Græciæ aditus, atque angustias perdidissent. Hoc rursum Romani cùm pertulissent, multò deinceps ampliora feliciter perfecerunt. Quod cum Imperator noster animo suo cogitaret, ac perspiceret, sua eum opinio non fefellit. *Paneg. 3. in Constantium Imp.*

Libanius: Quin etiam clades acerbæ irritare solent domesticos, infensosque reddere. Ita aliis quidem solum est certamen adversus hostes externos. Duci obsesso verò & adversus extraneos & adversus domesticos quibus pro appendice accedit infamia. *Oratione Vlyssis Helenam repetentis.*

Libanius: Bellum sine corporum periculo solutum est, sine pecuniarum impensa. nec jam alterius obsidionis timor nobis infestus est. nam in clade quæ armis fit, homines sæpè instigantur, victoriam etiam ad se aliquando perventuram existimantes. quando verò ipsimet animum despontentes recedunt, constanter quiescere solent. *initio Declamationis 31.*

Heliodorus: Fidum te quidem probas regi tuo: sed quod imprudens fueris, an non ipse fateberis, qui tot myriadibus temerariè te opponere ausus sis? Respondit: Non erat fortasse imprudens in conjicienda regia voluntate, qua illa majoribus pœnis afficit timidos & ignavos in bello, quàm præmiis fortes ac strenuos. Statui igitur occurrere sponte ipse perito, & aut aliquid magnum & præter opinionem edere: sicuti sæpe multas occasiones bellum ad rem benè gerendam subministrat: aut servatus saltem, si hoc accidisset, locus excusationi relinquere, tanquam nulla re ex iis quę in mea potestate fuissent à me prætermissa. Talia cum audiisset Hystaspes, collaudat eum, & Syenem misit, datis mandatis, ut summam diligentiam in illo curando medici adhiberent. *Lib. 9 Æthiopic.*

Onosander: Si superato fugatoq; exercitu sospitum animos solari ac reficere voluerit, occasionem observet, detrimentis & cladibus acceptis sarciendis opportunam. sæpenumero enim re bene gestâ incautiores ac remissiores fiunt milites, & adversarios, quamvis in proximo sint, despiciendo circa res suas negligentes ac nimis securi esse solent. Unde fit ut res secundæ interdum magis quàm adversæ noceant. Qui enim aliquando succubuit, pericula in quæ jam incidit alias cavere didicit: at qui nullam adhuc calamitatem pertulit, non bene res custodire prosperas edoctus est, nec si superior evadat, tantam adhibebit prudentiam, pericula cavere negligens, quantam adhibuerat, ut hostes incautos & segnes opprimeret. Itaque tempestivus metus, prudens securitas est: nimius vero contemtus, temeritas insidiis facilè excipienda. *cap. 37. Strategici.*

¶ Romanorum.

Iulius Cæsar; Hortatus est, ne ea quæ accidissent graviter ferrent, neve his rebus terrerentur, multisque secundis præliis unum adversum, & ut mediocre, opponerent. habendam fortunæ gratiam, quod Italia sine aliquo vulnere cœpissent, quod &c. Si non omnia caderent secunda, fortuna esse industriâ sublevandam. quod esset acceptum detrimentum, cujusvis potius quam suæ culpæ debere tribui. locum securum ad dimicandum dedisse, potitum se hostium castris, expulisse pugnantes: sed sive ipsorum perturbatio, sive error aliquis, sive etiam fortuna, partam jam præsentemq; victoriam interpellasset, dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum virtute sarciretur. quod si esset factum & detrimentum in bonum verteret, ut ad Gergoviam accidisset. *lib. 3. belli civilis, cap. 73.*

Vellejus Paterculus: Ita se mores habent, ut publica quisq; ruina malit occidere, quam sua proteri, & idem passurus minus conspici. *lib. 2. cap. 91. sub finem.*

Quid fieri debeat, si vel pars, vel totus fugerit exercitus.

Vegetius: Sciendum vero est, si pars exercitus vicerit, & pars fugerit, minimè desperandum, cùm in ejusmodi necessitate, ducis constantia totam sibi possit vendicare victoriam. Innumerabilibus hoc accidit bellis, & pro superioribus sunt habiti, qui minimè desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem adversa non frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, & quod ipsi dicunt, colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Hac fiducia perterrebit inimicos, & suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit. Quod si aliquo casu omnis in acie fundatur exercitus, perniciosæ cladis tamen multis fortunis reparationis non defuit, & medicina quærenda est. Dux ergo providus sub ea cautela publico debet Marte confligere, ut si quid pro varietate, bellorū, vel conditionis humanæ secus acciderit, absq; gravi detrimento liberet victos. Nam si vicini fuerint colles, si post terga munitio, si ceteris abscendentibus fortissimi quiq; restiterint, se suosq; servabunt. Frequenter iam fusa acies, dispersos ac passim sequentes reparatis viribus interemit. Nam nunquam exultantibus majus solet esse discrimen, quam cū subito ferocia in formidinem commutatur. Sed quocunq; eventu colligendi sunt superstites, bello erigendi adhortationibus congruis, & armorum instauratione refovendi. Tunc novi delectus, nova quæruntur auxilia: & (quod amplius prodest) captatis occasionibus in ipsos victores per occultas insidias impetus faciendus est, ac sic audacia reparanda. Nec oportunitas defit, cum pro felicitare superbius & incautius mentes efferantur humanæ. Si quis hunc casum ultimum putat, cogitet eventus omnium prœliorum, inter initia cōtra illos magis fuisse, quib. victoria debebatur. *c. 25. l. 3. de remilitari.*

Si res durius cesserit, de adversis emendandis.

Frontinus: Titus Didius in Hispania, cum acerrimo prœlio conflixisset, quod nox diremerat, magno numero utrinq; cæso, cōplura suorum corpora atra nocte sepelienda curavit. Hispani postero die ad simile officium progressi, quia plures ex ipsorū numero, quàm ex Romanis cęsos repererant, victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Imperatoris descenderunt.

T. Martius eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cum in propinquo bina castra Pœnorū paucis millibus passuū distarent, cohortatus milites, proxima castra intempesta nocte adortus est: & cum hostem victoriæ fiducia incompositū aggressus, ne nuncios quidem cladis reliquisset, brevissimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundē castra invasit. Ita bis simili usus eventu deletis ubiq; Pœnis, amissas populo Rom. Hispanias restituit. *lib. 2. c. 10.*

De dubiorum animis in fide retinendis.

Idem: P. Valerius Epidauri, timēs oppidanorum perfidiam, quia partium præsidii habebat, gymnicos ludos procul ab urbe apparavit. Quo cū omnis ferè multitudo spectandi causa exisset, clausit portas, nec in eas antea admisit Epidaurios, quā obsides à princib. acciperet.

Cn. Pompeius, cùm suspectos haberet Catinenses, & vereretur, ne præsidium non reciperent, petiit ab eis, ut ægros interim apud se reficī paterēntur: fortissimis deinde, habitu languentium missis, civitatem occupavit continuitque.

Alexander, devicta perdomitaq; Thracia petens Asiam, veritus ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum, præfectosque, & omnes, quibus videbatur inesse cura detractæ libertatis, secum velut honoris causa traxit: ignobilibus autem relictis, plebeios præfecit: consecutus uti principes beneficiis ejus obstricti, nihil novare vellent: plebs vero ne posset quidem spoliata principibus.

Antipater conspecto priore Neciorum exercitu (qui audita morte Alexandri ad infestandum imperium eius confluxerant) dissimulans se scire qua mente venissent, gratias his egit, quod ad auxilium ferendum Alexandro adversus Lacedæmonios convenissent? adjecitq; id se regi scripturū. Ceterum ipsos, quia sibi opera eorum in præsentia nō esset necessaria, abirēt domos, hortatus est: & hac asseveratione periculum, quod ex novitate rerum imminebat, discussit.

Scipio Aphricanus in Hispania, cū inter captivas eximiæ formæ virgo alias, & nobilis, ad eū perducta esset, omniumq; oculos in se cōverteret, sūma custodia habitā, spōso nomine Luceio reddidit: insuperq; aurū, quod parentes eius redēpturi captivā domū Scipioni attulerāt, eidem sponso pro nuptiali munere dedit: qua multiplici magnificentia universa gens victa imperio populi Romani accessit.

Alexandrum quoq; Macedonē traditū est, eximiæ pulchritudinis virgini captivæ, cùm finitimæ gentis principi fuisset despōsata, summa abstinentia ita peperciſſe, ut illā ne aspexerit quidē. Quamox ad sponsum remissa, universæ gentis, per hoc beneficium, animos conciliavit sibi.

Impera-

Imperator Cæsar Augustus Germanicus, eò bello, quo victis hostibus cognomen Germanici meruit, cùm in finibus Ubiorum castella poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ vallo comprehendebat, pretium solvi jussit, atq; ea justitiæ fama omnium fidem astrinxit. *lib. 2. cap. 11. Stratagem.*

¶ Monosticha Trochaica.

A clade exprobranda non sunt militi infortunia.
Adflictum statum solatur lenitudo Principum.
Bella victi, naufragi æquor rursus acrius petunt.
Causa cladium orbo toro plurium, fiducia est.
Clade instruare aliena impunius, quam tuâ.
Cladibus duces in amplis ipsi item ferè cadunt.
Cui Deus cladem medi tatur, mentem ei primùm eripit.
Cui malum commune parcit, majus incumbit malum.
Dissimulatione stultâ occultes cladis nuncios.
Elisas virtute, bello dedecus datum, nova.
Fama primùm, deinde ex acie profugi cladem nunciant.
Fit frequenter causa cladis, grandi tas exercitus.
Infelicior nemo est quam clade felix publica.
Mortuo barbam leoni vellat & fugax lepus.
Nemo perditæ exsequi in re quæsit; omnes imperant.
Prægravat metum ultrò clades scire qui refugit suas.
Pro multis perire, quàm cum multis, est honestius.
Propatre est, quicunque belli te ruinis eripit.
Prospera ut jam exaruere, maximè officio est locus.
Publica interire malim clade, quàm domestica.
Publica mors ruina quisque mavult quam suæ.
Publica obteri ruina quisque malit quam suæ.
Publica velare clade quisque amat vulnus suum.
Publicis malis operire vulnera quisque amat sua.
Qui suas clades recusat scire, prægravat metum.
Quisque habet suam fortunam publicis in cladibus.
Restituas constantiarem, afflixerat quam incuria.
Sapè causas dat futuræ virtutis clades prior.
Sapè cladem sarcinarum vadas negligentia.
Sapè publicâ punitur clade paucorum scelus.
Sublevant rari jacentes: quisque quin magis premit.
Tam malum est cladem elevare, quàm ampliare ipsam malum est.
Vicus & vilis claratur cladis excellentia.
Vita avarus est pereunte quisquis orbe haud vult mori.

¶ Jambica.

Cadente quercu, ligna quis non corripit.
Clades amaris nunquam est absque moribus.
Clades caret solatio temeraria.
Clades suas duplat, nimis qui detegit.
Clades suas qui scire refugit, adgravat.
Cladi propinqua est virium fiducia.
Cladis facilè fias aliena accessio.
Cladis ferè fons publica est securitas.
Et bella victus petit, & mare naufragus.
Iacente quercu, ligna quis non colligit?
Labat fides sub Marte prospero minus.
Optare cladem summum publicam nefas.
Quas opes florentum diffisus tuis.
Ruente quercu ligna quis non colligit.
Sub clade cladem alienam nostram plangere est.
Vix invenire est fidos regum cladibus.
Vt corporis mala item tegas exercitus.

Videantur plura titulo *Claritudinis, Pugnæ, Prælii, Victoria, &c.*

Clamoris.

¶ Sententiæ Patrum.

D. Chrysostomus: Nunquam clames, & nunquam irascaris. Ecce modum iræ vacuitatis. Quomodo enim fieri non potest, ut qui non clamat irascatur: Ita fieri non potest, ut qui clamat non irascatur. Ne mihi enim dixeris iracundum gravíq; ira percitum, acceptæq; injuriæ memorem, & qui est ipsa per se amarulentia & bilis. Nos loquimur de arreptione affectionis. Ad hoc itaque non parum confert erudiisse animam, ut nunquam clamet & vociferetur. Iræ pennas amputas, si auferas clamorem: cordis tumorem comprimis. Quomodo enim fieri non potest, ut luctetur qui manus non contra quempiam sustulerit: Ita fieri non potest, ut qui non clamat pedes conferat. Liga manus pugilis, & jube pugnare: sed non poterit. sic neque ira. Clamor autem etiam eam quæ non est excitat: & maximè tunc citò capitur genus mulierum, quæ quando irascuntur ancillis, totam domum implent suo clamore. Sæpè autem si domus ædificata sit in angiportu; omnes qui adsunt, audiunt eam clamantem, & ancillam ejulantem. Quidnam fuerit turpius & magis indecorum, quàm audire fletus & ejulatus? Quid verò illic factum? Et omnes statim prospicientes; Hæc aut illa, inquiunt, ancillam suam verberat. Quidnam hoc fuerit impudentius? Quid verò, non oportet verberare? Non hoc dico. Oportet enim. Sed nec assiduè, nec supra modum, nec pro sibi factis injuriis: quod semper dico, si in ministerio aliquid fuerit delictum. Sed si illius animam quæ lædit, pro hac causa verberes: laudabunt omnes, & nemo reprehendet. Sed si pro tuis, damnabunt omnes sævitiam & crudelitatem. Et, quod est omnium turpissimum, sunt adeò feræ & truces, ut adeò flagris cædant, ut ne ipso quidem die extinguantur vibices. Nudatis enim puellis, & marito ad hoc vocato, ad lecticas sæpè alligant. Hei mihi, non tibi eo tempore venit in mentem memoria gehennæ? sed nudas puellulam, & ostendis marito, & non vereris ne te condemnet, & eum magis irritas, & minaris te eam vincturam: cùm miseram & infelicem priùs innumerabilibus maledictis appetieris; Thessalam, fugitivam, prostitutam eam appellans. Ira enim ne ori quidem suo sinit parcere; sed unum spectat quomodo eam ulciscatur, etiamsi se ipsam probro afficiat. Et post hæc omnia tanquam tyrannus quispiam præsidet, & vocat pueros: & cùm stolidum maritum illic stiterit, eo tanquam lictore utitur. Hæc ne fieri oporteret in ædibus Christianorum? At est, inquit, pravum genus, audaxque & impudens, & quod non potest corrigi. Ego quoq; id scio. Sed licet aliter componere ac corrigere; metu, minis, verbis: quæ illam magis possunt mordere, & te liberare à dedecore. Locuta es verba turpia, cùm sis ingenua: & non magis illam, quàm te ipsam dedecoras? Deinde si oporteat venire ad balneum; sunt vibices in ejus nudo tergo, & crudelitatis circumfers indicia. At est, inquit, servorum genus intolerandum, si facta sit eis remissio. Ego quoque id scio. Sed aliter, ut dixi, eos converte; non solùm flagris & metu, sed etiam blanditiis & beneficiis. Tua est soror, si sit fidelis. Cogita quòd tu sis domina, & illa tibi ministret. Si sit ebriosa, aufer occasionem ebrietatis. *Homilia 15. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Omnem tollamus amaritudinem & malitiam, ne tristitia afficiamus Spiritum sanctum. Auferamus radicitùs amaritudinem, eam abscindamus. Nihil boni oriri poterit ex amara anima neque sani. Sunt omnia calamitates, omnia lachrymæ, omnia lamentationes, luctus & ejulatus. Non videtis quomodo aversemur bestias quæ clamant? utpote leonem, ursum; sed non ovem. Non est enim illic clamor, sed vox quædam blanda & mitis. Porrò autem ex instrumentis quoque musicis, quæcunque quidem clamant, sunt ad sonum jucundiora: utpote tympana & tubæ: quæ autem non ita sonitum edunt, sed molliunt, ea sunt jucunda; tibia, & cithara, & fistulæ. Sic nostram quoq; constituamus & componamus animam, ut non clamet: & ita poterimus etiam superare iram, & ea amputata ipsi primi fruemur tranquillitate, & ad tranquillum portum navigabimus. *fine Homiliæ 15. ad Ephesios.*

Quintilianus: Prima sunt evigilantium præsidia clamores. *Declamat. 2. §. 18.*

¶ Poetarum.

Martialis lib. 3. Epigr. 46.

Esse pudor vetuit fortia verba mihi.

Requirantur plura titulo *Iræ, Indignationis, Pugnæ, Prælii.*

Claritatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Eccui ignotus est Arethusiorum furor? qui cùm priùs atq; ignobiles essent, ab eo tempore perquàm etiam noti ac celebres fuêre. Nec enim præclara duntaxat actio celebritatem hominibus parit; sed etiam improbitas, pravorum hominum gloriam superans. Virgines enim nudatas primùm, deinde dissectas partim ipsimet dentibus dilaniarunt, partim frustillatim comminutas objicere porcis. *Orat. 3. Steliteutica 1. in Julianum.*

S. Isidorus Pelusiota: Si in iis rebus, quæ ad hanc vitam pertinent, clarus atque illustris videri cupis, consultores alios quære. Ego enim id quoq; dissuaserim. Pericula quoque non modò inutilia & infructuosa, verùm etiam periculosa atque in mortem desinentia parturiunt. Si autem in iis, quæ ad Dei cultum spectant, ultrò quoque ipse ac non accersitus, ad consilium dandum venissem, ne dicam vocatus. Quare si tibi splendorem assequi cordi sit, nostræq; sententiæ pareas, da operam ut homines te hæc facientem cernant, per quæ ad sanctorum virrutem aspires. Rerum enim hujus vitæ parvam ipsi curam gerebant: earum autem, quæ discessum ex hac vita sequuntur, permagnam. Atque hunc scopum ob oculos sibi proponentes, ad eum actiones omnes suas dirigebant. *Libri tertii, Epist. 276.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Si illud tibi studio est, vir optime, ut quæ abs te cum virtute geruntur, magna esse videantur, ne sublimiter ac magnificè de te sentias, actum ampliora ea reddes. Ne te fecisse existimes:

ftimes: actum majorem ſplendorem conſequeris. Nam ſi peccator, id ſe, quod eſt, eſſe judicans, juſtus efficitur (quemadmodum Publicano contigit) quid tandem afferri poteſt, quin juſtus peccatorem ſe eſſe exiſtimans, majorem hinc venerationem gloriámque ſibi comparet. Si candida peccati agnitio coronam peccatori attulit (non enim per animi ſummiſſionem, ſed veritate ductus, hoc dicebat) quid cauſæ eſt, quamobrem humilitas juſto ſexcentas coronas non nectat? *lib. 3. Epiſt. 309.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam pœna, quæ peccantibus irrogabatur verbo, (ut illa quæ Ananiæ & Sapphiræ, illa item quæ excæcato mago,) peccantes quidem affligebat; eos autem, qui pœnas infligebant, conſpicuos atque illuſtres & formidabiles efficiebat: idcirco dicit, Nolumus ex veſtra malitia & afflictione illuſtres ac celebres fieri, ſed libenter obſcuri, quantum ad hoc quidem attinet, latere, dum vos clari probatique ſitis. Nam qui ſuæ virtutis ſplendorem ex eorum qui ſuppliciis afficiuntur calamitate exiſtere cupiunt, illi mihi non patres eſſe neque doctores habendi videntur, ſed potiùs peſtiferi quidam homines & hoſtes atque tyranni. *lib. 4. Epiſt. 7.*

¶ Oratorum ac Hiſtoricorum Græcorum.

Libanius: Majores Hectoris non inveniat qui ſquam illuſtres, ob ea quæ alios facere claros ſolent; ob certamina, inquam, & prælia, & bella, & trophęa, & auxilium amicis ſociiſque datum, & luctum hoſtibus illatum, & propagatos imperii fines. *Vituperio Hectoris.*

Pauſanias: Plerunque ita comparatum eſt, ut quæ ante loca obſcura fuerunt & ignota, ex aliquo hominum caſu & fortunæ momento, fama celebrentur. Nam & Caphareum Eubœæ promontorium, Græcorum ab Ilio cum Agamemnone redeuntium naufragium nobilitavit. Ac Pſyttalia quidem, puſilla ante Salaminem inſula, non aliunde nota eſt, quàm quòd in eo loco Perſæ propè deleti ſunt. Pari itaque ratione, Lacedæmoniorum ad Sphacteriam clades, celebre ad poſteros loco nomen dedit. *ſine libri quarti Meſſeniac.*

¶ Romanorum.

Livius: Primò ad caſtrum Altum (locus eſt inſigis cæde magni Hannibalis) caſtra Romani habuerunt. *lib. 24. cap. 41.*

Florus: Quartum, id eſt penè ultimum vulnus imperii, Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus: ſed magnitudine cladis emerſit, & quadraginta millium cæde parta nobilitas. *lib. 2. cap. 6.*

Idem: Syrus quidam, nomine Eunus; magnitudo cladium facit ut meminerimus, &c. *lib. 3. cap. 19.*

Tacitus: Captum in tranſitu caſtellum inſigne fama, quod poſtremò inter Darium atque Alexandrum prælio, Perſarum illic opes conciderant. *lib. 12. Annal. cap. 13.*

Curtius: Obſidio certè non tam claritudine urbis nobilitata eſt, quàm geminato periculo regis. *libr. 4. de Vita Alexandri, capite quadrageſimo ſexto.*

Idem poſtea: Jam pervenerat Darius Arbella vicum: nobilem ſua clade facturus. *cap. 59.*

Idem: Ubicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis eſſe me credam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis. Aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longè ſubmoverat. *lib. 9. Verbis Alexandri, cap. 32. extremo.*

Invenies cætera titulo *Celebritatis, Famæ, Nominis, Exiſtimationis.*

Clementiæ.

¶ Sententiæ Patrum.

S. Iſidorus Peluſiota: Multi quidem victores, eos quos virtute atq; animi magnitudine adepti erant, humanitate conſervarunt: & quos invitos in ſervitutem redegerant, eoſdem lubentes tenuerunt. Etenim fortitudo ad id, quod non habeas comparandum, magnam vim habet: clementia autem & facilitas, ad id, quod quæſitum eſt, tuendum atque conſervandum majorem vim obtinet. At contra ii qui lenis atque manſueti victoris diſcipulos, ac cœleſtis regis milites ſe eſſe profitentur, eos, quos primi ſatellites per lenitatem ſponte ceperunt, per faſtum & arrogantiam invitos ſubmovent. Nam quos illi lubentibus animis imperio ſuo ac ditioni ſubjecerunt: hos etiam repugnantes, per tyrannidem ſuam expellunt: Siquidem ut perditores & carnifices, non autem ut paſtores, eos, quibus præſunt, tractant. Quid igitur facto opus eſt, inquis? Nihil aliud, quàm ut virtutem colentes divinum tribunal expectemus. *lib. 3. Epiſt. 370.*

Eunodius: David prædicabilem parcendi magis inimico animus reddidit, quàm intentio vindicandi. Sic perfecti ſæculorum reges & domini, ſupplicantibus indulgere cœleſti arte didicerunt. Supernæ namque dominationis inſtar poſſidet, qui imperium ſuum pietate ſublimat, &c. *Vitæ Epiph. cap. 19.*

Io. Sarisberienſis: Erat Imp. Trajanus naturâ clemens in omnes, auſterus in paucos, quibus parcere nefas eſſet; adeò, ut totius imperii ſui curriculo, unus damnatus ſit ſenatorum nobiliúmve urbis, licet inveniantur plurimi in ipſum graviter deliquiſſe. Hic autem à ſenatu damnatus eſt, ignorante Trajano. Dicebat enim inſanum eſſe, qui oculos ſi habebat lippientes, eos malit effodere, quàm curare, Ajebat etiam, ungues ſi acriores fuerint, reſecandos eſſe, non avellendos. Si enim citharœdus, aliique fidicines, multa diligentia procurant, quomodo oberrantis chordæ compeſcant vitium, & eandem aliis unanimem reddant, faciantque dulciſſimam diſſidentium conſonantiam, chordis non ruptis, ſed renſis proportionaliter vel remiſſis: quanta ſollicitudine oportet principem moderari, nunc rigore juſtitiæ, nunc remiſſione clementiæ, ut ſubditos faciat quaſi unanimes eſſe in domo, & quaſi diſcordantium in miniſterio pacis & charitatis operibus, unam faciat perfectam, & maximam harmoniam? Hoc autem certum eſt, quia tutius eſt chordas remitti intenſius, quàm protendi. Remiſſarum namque intenſio artificis peritia convaleſcit, & debitam ſoni reddit gratiam; ſed quæ ſemel rupta eſt, nullo artificio reparatur. Profectò ſi ſonus exigitur, quem non habent, fruſtrà tenduntur, & ſæpè citiùs venitur ad nullum, quàm ad eum, qui nimis exigitur. Ait Ethicus:

Eſt piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Qui á, dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Alterum namque juſtitiæ, alterum pietatis eſt, quæ adeò principi neceſſariæ ſunt, ut qui ſque ſine illis, non modo principatum, ſed quemlibet magiſtratum vendicat fruſtra, ſe ipſum irrideat, ſed & aliorum in ſe provocet riſum, contemptum, & odium. Miſericordia, inquit, & veritas non te deſerant, circumda eas gutturi tuo, & ſcribe eas in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. Gratia namque debetur miſericordiæ, juſtitiæ diſciplina. Utique gratia & amor ſubjectorum, quam divina perducit gratia, optimum inſtrumentum eſt omnium gerendorum. Sed & amor ſine diſciplina non proficit, quia ceſſante juſtitiæ ſtimulo, populus ſe in illicita reſolvit. *lib. 4. Policratici, cap. 8.*

¶ Principum Philoſophorumque Græcorum.

Phalaris Megarenſibus exprobratoria: Non ingratitudinem veſtram accuſo, qui multis beneficiis affecti, contra me cum Aſtygitonibus de finibus diſceptantem, falſum teſtimonium dixeritis. Sed me ipſum inertiæ condemno, qui ſæpiùs ab iiſdem læſus, non ſapiam. Vobis enim nunquam benemeritorum in mentem venit. Ego verò quaſi nunquam oblitos, benefactis amplifico. *Epiſt. 2.*

Iulianus in Cæſ. Trajanus reliquos omnes clementia ſuperare exiſtimatus eſt: quare præcipuè Dei delectare videbantur.

Themiſtius: Nec minus ego virgam tuam pulchram, atque auream dixerim quàm Mercurii illa ab Homero dicatur. Neq; enim à ſomno, ſed à morte revocat: hæc ipſa munimentum eſt ferro omni ſolidius, hæc imperium tuum multò magis cuſtodiet, quàm incendia illa, venarumque inciſiones, aut ſecures, quas crudeliſſimi olim Romanorum tyranni, cum ſubditis admoverent, eorum non repreſſerunt odia, ſed acerbiora fecerunt. Non ita majores authoresque ſanguinis tui, qui quidem pudore potiùs ac benevolentia, quàm metu continendos eſſe ſubditos putârunt. Eſt autem benevolentia timore validius, atque expugnabilius præſidium. Nam benevolentiam vincere atque evertere, quod quidem ſciamus, nunquam timor potuit; benevolentia, vires opesque quàmplurimas ſuperavit. Argumento eſt quod qui ex Imperatoribus manſuetudinis opinione claruerunt, niſi fortè negligentes admodum atque effuſi fuerint, ſi qua in illos ſuborta conſpiratio eſt, nullo negotio eſt priuſquàm exardeſceret reſtincta. Crudelibus contra ac truculentis iſtis, qui convictos deprehenſosque perpetuò necârunt, nunquam qui eos auderent aggredi, defuerunt. Quàm eſt verò ridiculus ille Tyrannorum ſecuritatis magiſter, qui eminentes ſegetum ſpicas virga demerebat, neque enim tot unquam demerere poteſt, quin aliquæ ſemper ex his quæ integræ nec decurtatæ maneant, grandiores ſuperſint. Etenim illud in Tyrannorum metu infeliciſſimum evenit, quòd cùm ſibi ſui ſuſpectos omnes è medio tollant, eò tamen pervenire nequeant, neminem ut ampliùs ſuſpectum habeant. Venit & mihi in mentem tuæ illius hortationis (Imperator) qua judices, cùm illos in judicium mitteres, adhortatus es: Tum ad eum qui ante omnia ſalutis Principum rationem habendam eſſe dixerat, Imò ſanè dixiſti, famæ potiùs atque exiſtimationis. Neque enim vitæ longitudo Principi, ſed excellentia quædam virtutis perſequēda eſt. Alioqui Dionyſius ac Tyberius in dominatu conſenuerat: verùm iſtorum ſenectus, nihil aliud quàm prolixior quædam infamia fuit. Qui autem ita ſentit, ac pluris famam quàm ſalutem exiſtimat, quid aliud quàm malevolentiores eos eſſe ſtatuit, qui ſibi ad ſplendorem & gloriam impedimento ſunt, quàm qui corpori ſuo ac vitæ inſidias ſtruunt? Quare non jam ego tibi Platonis, nec mehercule Ariſtotelis ſententias occinam, nec aliud me præceptum, aut cohortationem adferam: ſed cujus tu ipſe author ſententiæ fuiſti, hanc unam abs te intelligi ſatis ſuperque erit, atque illud in omni actione conſiderare, plúſne inſit honeſtatis, quàm commodi, an ſyncera ac perturbationis expers ratio ad agendum progrediatur, num affectu aliquo aut commotione animus, offuſcetur. Difficillima enim animi illa perturbatio eſt, quæ in ampliſſima poteſtate rationem antevertit. Ob id meritò Perſæ Cyrum Patrem, Cambyſem Dominum, Darium Cauponem nominabant. Facit vero Patrem civium juſtitia, iracundia dominum, cauponem avaritia, Sola autem divina

divina est Patris appellatio, (nam hominum parentem etiam Jovem Poëtæ nominant) ex duabus reliquis illa ferarum, hæc mancipiorum est propria. Atque ut inter apum examina, rex unus sponte nascens atque à nullo edoctus provenit, quem circum ultro, ac cum gaudio examen omne prostrepit, ac conglobatur : sic etiam inter homines ejusmodi interdum oritur, rarius tamen ille ac longiori temporis intervallo, cùm ambo illa conveniunt ac consequuntur, animi scilicet pulchritudo, cum decore corporis atque forma. Atque is demùm procul dubio magnus ille Princeps est, cujus non claudicans aut manca, sed integra est atque absoluta pulchritudo. *Oratione quinta.*

Basilius Imperator : Omnis corporis umbra est semper comes : ita semper hominem peccatum consequitur : natura enim humana valdè ad labendum est proclivis, & ad cadendum prona. Esto igitur errantibus lenis : & justitiæ admisce humanitatem. Nam si officii tui est ab errantibus exigere rationem, ipse Deum habes censorem, qui à te quoque peccatorum tuorum rationem reposcet. Proinde per unumquemque diem ita tibi ipse denuncia : Ut aliis peccata remiseris, ita à Deo remissum iri tibi spera. Cùm ergo tibi præjudicium ipse facias, remitte debentibus debita, ut & tibi remittentur tua. Quæ enim conservis tuis feceris, eadem à communi domino recipies, & quo judicio alios judicaveris, eodem & ipse judicaberis. *Cap. 50.*

Heliodorus : Ad extremum manus tendentes ad hostes qui in munitionibus stabant, & theatrum illorum calamitates faciebant, miserabili gestu quid sibi vellent indicabant : nunc quidem ab anteriore parte manus protendentes in speciem supplicum, nunc verò post terga ad vincula recipienda circumducentes ad servitutis confessionem. Hydaspes agnoscebat illos salutem petere, & paratus erat eam ipsis dare. Indicit enim quodammodo, & imperat præstantibus viris clementiam subjectus hostis. *lib. 9. Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Quod erat consentaneum clementiæ tuæ, experiebaris remedia molliora, ut quod leniri quàm resecari malles, mitior medicina sanaret. *cap. 9.*

Incertus Panegyristes Constantino Aug. Ut & clementiæ & vindictæ tuæ satisfaceres, quorum sanguini peperceras, arma fregisti, ne quis incumberet dolori. Vita enim hominum diu parta, semper servanda est si liceat. Ferrum inventu facile, usu mutabile. Ideò quæ erant reparabilia conflasti : quod redivivum non erat servasti. *capite decimo tertio.*

¶ Poetarum.

Guntherus lib. 2. v. 476.

Tum verò ut justam sese collegit in iram
Regia nobilitas, & tandem sæva coactus
Venit in arma furor, non jam servare laborat
Ingratos, veniamve ultra spernentibus offert :
Jam toties revocasse pudet, monituq; salubri
Invitasse reos ad dulcia fœdera cives.
Vt leo qui dudum placido mansuevérat usu,
Exuerat q; feros longo jam tempore mores,
Si quis cum jaculis, vel nudo cominus ense
Præditus, irritet generosi pectoris iram,
Dissimulat, reprimitq; diu, spernitque minori
Tingere cade genas, & vili sanguine pasci :
At si perstiterit damnatus, & improbus hostis,
Addideritque minas, tunc se stimulante flagello
Incitat, ac miserum violento pectoris ictu
Involat, & laceros frangit crudeliter artus.
Sic suppressa diu generosi Principis ira
Exarsit, raputq; novum mens alta furorem.

¶ Emblematis.

Batillius CXIX.

Clementia Principis.

Fulmen onus lecto jacet hic. Clementia summi
Summa probè hinc Regis significanda venit ;
Qui nequit esse ferox, & cui sua fulmina cessant
Sæpius, invitâ torquet & illa manu.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Saul *Rex Israëlis :* Debellatis Ammonitis, dixit populus ad Samuelem, Quis est qui dicebat, Saul non regnabit super nos? Date hujusmodi homines, ut morti trademus eos. Sed dixit Saul, *Non tradetur morti quisquam die hoc, quandoquidem hodie effecit Jehova salutem in Israële.* 1. *Sam.* 11. v. 13.

David : Post mortem Absalomi David rex cum subditis clementer agens misit ad Sadocum & Ebiatharum sacerdotes qui dicerent : *Alloquimini seniores Iehudæ, dicendo : Quare estis postremi ad reducendum regem domum suam : cùm sermo totius Israëlis pervenerit ad regem de reducendo domum suam? fratres mei estis, os meum & caro mea estis : quare ergo postremi estis ad reducendum regẽ? Hamasæ quoque dicite : Annon os meum & caro mea es? ita faciat mihi Deus, & ita pergat, si non princeps militiæ futurus es coram me omnibus loco Ioabi.* Sic inflexis istorum omnium animis, accersiverunt Davidem, ut regnaret sicut antea. 1. *Sam.* 19. v. 22. *&c.*

Salomon : Quum nunciaretur ei dicendo, Ecce, Adonias timet regem Salomonẽ, ideò prehendit cornua altaris, dicendo : Juret mihi rex Salomon, se non affecturum morte servuum suum gladio. Dixit Salomon : *Si futurus est strenuus, non cadet ullus è capillis ejus in terram : sed si malum deprehendetur in eo, utique morietur.* Educto deinde ex altari Adonia, dixit, abi domum tuam, 1. *Regum* 1. 52. Etsi Salomon poterat de fratre sumere supplicium, tamen non properat ad pœnam, sed adhuc sperat eum fidelem fore. Est enim lenitas sperans emendationem necessaria virtus in gubernatione. Tandem verò cùm Adonias naturæ inquietæ specimen ostendit, Salomon eum interfici jubet.

Idem : Adonia justo supplicio mortis affecto, Ebiathari sacerdoti edixit Salomon : *Hanathothas abi ad agrum tuum, nam reus mortis es : attamen hoc die non afficiam te morte, quia portasti arcam Domini Iehovæ coram Davide patre meo : & quia afflixisti te in omnibus quibus est afflictus pater meus.* Sic ejecit Salomon Ebiatharem, &c. 1. *Regum* 2. 26.

Elisæus propheta : Quum equites, currus & exercitus Syrorum cæcitate percussi à Deo, & ab Elisæo deducti, Samariam ingressi essent, dicente Elisæo, ô Jehova aperi oculos istorum ut videant, & apertis oculis se captivos regis Israëlitarum esse viderent, quæsivit rex ab Elisæo, Percutiámne, pater mi? Respondit autem Elisæus : *Nepercutito : an quos captivos abduceres gladio tuo & arcu tuo eos percuteres? propone panem & aquam illis, ut comedant & bibant, deinde abeant ad Dominum suum.* Itaque apparuit eis apparatum magnum : qui cùm comedissent & bibissent, ac dimisisset eos, abierunt ad Dominum suum : neque perrexerunt deinceps turmæ Syrorum invadere terram Israëlis. 2. *Reg.* 6. 22. 23.

Basilius : Nulla de virtutibus sic solet Sapientiam parere, ut clementia. Juvenis clemens multa sustinet. Cani (seu gloria) senum clementia. Quasi fundamentum quoddam est ad perfectionem verecundia cum metu.

Constantinus Imperator : Quosdam Episcopos sua sponte acerbè incitatos, toleranter & moderate tulit Constantinus Imperator, placido & mansueto sermone hortatus, ut modestè se gerere, ac neutiquam seditionem concitare studerent. Ex quibus alii ejus adhortationes cum reverentia amplexati, discesserunt : alios, quorum animi ad modestiam videbantur propè insanabiles, Deo curandos permisit, ac nihil omninò contra quenquam mente concepit acerbitatis. Inde, ut est verisimile, seditiosi in Africa cò audaciæ fortè prorumperunt, ut facinora nefaria dæmonis instinctu molirentur, quo Imperatoris animum contra eos commoverent. Verùm Constantinus ea quæ gesta erant pro ridiculis putavit : inquiens se perditi dæmonis impulsionem facilè intellexisse. Nam facinora illa non modestorũ & sobriorum hominum esse, sed eorum qui vel mente penitùs excidissent, vel essent Satanæ œstro perciti : quos commiserari oportere potiùs, quàm supplicio afficere asseruit. Ut enim (inquit) summæ clementiæ est eorum vicem dolere : sic hominibus mente captis pœnas infligere, extremæ dementiæ est & insciti æ. *Euseb. de Vita Constant. lib. 1. cap. 38.*

Leo Imperator : Ex morbo decessit, anno imperii decimo octavo, Leone juniore successore relicto : princeps cùm aliis virtutibus ornatus, tùm clementia imprimis. Solebat enim dicere : Quemadmodum Sol, quibus affulserit, iis calorem suum impertiri solet : ita etiam ab Imperatore clementiam eis tribuendam, quos aspexerit. *Zonaras, tomo 3.*

Anastasius Imperator : Asiaticus Libanesiæ in Phœnicia procurator, postquam in Orientis partes pervenit, multosq; mortales Severiani & Cosmæ pravum dogma defendere, & civitates suas fortiter illos tueri reperit, ad Anastasium Imperatorem retulit, sine sanguine fuso viros eos thronis suis expelli non posse. Et Asiatico Anastasius rescripsit, nihil se, etiam si magnum & eximium quicquam sit, procedere & obtinere velle, si vel gutta sanguinis effundenda sit. *Zonaras.*

Spiridion : Spiridion, Trimethuntis in Cypro episcopus, ab omni superbia alienus, pavit oves. Media nocte nocte fures stabula aggressi, dum furripere pecudes student, invisibili vi apud stabula vincti sunt. Cùm diluxisset, accessit ad gregem, illosq; videns vinctos, solvit fures, multùmq; hortatus, ut justis laboribus, & non per injuriã, victum quærerent, arietéq; donatos dimisit festivo dicto addito : Ne frustra (inquit) vigilasse videamini. *Suidas, ex Socratis historia, lib. 1. cap. 8.*

Gregorius Nazianzenus : Adolescens quidam ab Arianis subornatus Gregorium Nazianzenum interficere tentans, quum arcana Christi potentia ita fuisset repressus, ut tantum scelus ipsemet detestaretur, & ad pedes Nazianzeni tandem provolutus cum lachrymis veniam postularet, respondit Nazianzenus : Propitius tibi Christus sit, ô charissime : tibiq; ipse agnoscat, qui me quoq; servavit. Hoc solùm ad facinoris excusationem & purgationem à te peto, ut hæresin execreris, meusq; fias, atq; ad Deum accedas, ipsiq; sinceram & voluntariam servitutem servias. *Gregorius Presbyter in Vita Greg. Nazianzeni.*

Theodosius Patriarcha : Theodosius patriarcha Constantinopolitanus, qui paucis ante diebus sede sua ab Alexio Comneno, defuncto Manuele Imperatore, regnum occupaturo, dejectus erat, oblitus injuriam & mutatæ fortunæ misertus non parvam Alexii in carcerem conjecti curam gessit, eúmque suo colloquio levavit, hortansut

moderatè cum custodibus, à quibus prohibebatur, subinde irruentibus, & immotis oculis adstare cogentibus, ageret, neq; arrogantius quàm fortuna loqueretur. *Nicetas Choniates in Alexio.*

Alphonsus Rex: Quum Stephanus eques Neapolitanus poculo amatorio insanisset, tenerétq; oppida & nonnulla regia officia Alphonso Aragonum rege tradita, fuerunt qui ab Alphonso illa bona postularent: absurdum esse dicentes, à demente hujusmodi bona possideri. Quibus rex respondit: Sibi inhumanissimum videri, iis se substantiam auferre, quibus sors mentem & cerebrum abstulisset. Ita dementes aulici & hiantes corvi delusi sunt. *Ant. Panorm. lib. 4. de dictis & factis Alphonsi.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus Christus: Ingredimur Clementiæ Mansuetudinisq; fines: cujus nomen cùm ex ipso Numine petitum sit, obviam quoq; & paratam habet commendationem. Ante omnia autem ipsum totius mansuetudinis fontem referam Christum Dominum: cujus humanissima facta ut fileam, unicum tamen sermonem ejus rei indicem recensebo. Mansuetissimus agnus ad victimam currit, maledicitur & irridetur: seq; in exemplum nobis præbens; *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde; & invenietis requiē animabus vestris.* Veram nempe requiem, in cœlo, & in terra: dicente Propheta; Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Matth. cap. 11.*

Constantius Imp. Qui cùm raptorem cujusdam virginis in exilium relegasset, & indignarentur parentes non esse morte mùltatum; *Hactenus*, respondit, *incusent jura clementiæ: sed Imperatorem, mitissimi animi legibus, præstare cæteris decet. Auct. Serm. convi. Item in vita ejusdem.*

Carolus Magnus: Admirandam hic inter nostros gloriam & gratiam hac quoq; virtute collegit. Ut enim Pipinum filium transeā, cui tertiò, quòd in se conjuraverat, clementer ignovit; ad filiam veniam. Erat Eginhartus in aula Carolo ab epistolis; vir, ut illo ævo, doctus & prudens. At quid non facit cæcus amor? in filiam domini sui exarsit, & ipsa in eam vicissim. Quid facerent? restinguunt (ut solent amantes) furtiva sui copia, & congressu: qui aliquamdiu latuit, donec hyemante quadam nocte, cùm in secretiore cubiculo Eginhartus fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam nivem cecidisse. hæret, & timet ne à vestigiis deprehendatur vir in gynæceo fuisse. Consilio & astu subvenit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus tulit. Ecce ô sortem miseram! æquam tamen. Videt id fortè ex superiore domus parte auram captans Carolus, dissimmulat, donec pleno die Principum conventus. Hic rem narrat, rogátque (at nomina suppressit) qua pœna famulus qui sic in dominum, & filia quæ in patrem peccasset, digni? cui illi, Mortis. Tum utrumque vocat, & coram se sistit. En, inquit, hi sunt qui peccaverunt. Tu Eginharte, tu filia, quî hoc ausi estis. (nec negandi erat locus; patrem, ac dominum, inspectorem, accusatorem, judicem, & vindicem habebant.) Quid meruistis? Mortem, inquiunt illi. at Carolus: *Tamen mitem tu Patrem, tu Dominum videte. Ignoscimus lege hac quam dicam. Eginharte, hanc tuam latricem uxorem duces: concordes estote, & mutuum deinceps inter vos ferte.* Dixerat. illi à summo metu in gaudium inexspectatum translati, grates agunt, & gratulationes futuri connubii accipiunt. *Just. Lips. Monit. polit. lib. 2. cap. 12. num. 12.*

Cazimirus Dux Sendomirtensium: Nec nimis severum est quod addam. Cazimirus, qui postea Polonorum rex, dum tempus aliquando falleret per lusum aleæ cum domestico suo Joan. Conario equite, & alternaret (uti in illis fit) Fortuna: cùm multa nox esset, placuit uno jactu de tota summa decidere. Is felix Cazimiro fuit: qui pecuniam ad se attraxit. Indignatus eques, & sorti suæ iratus, per calorem Principem invadit, (capitale erat) & beneficio noctis evadit. primo manè Cazimiro sistitur puniendus. Expectatis hîc vindictam, licet æquam? Nequaquam. at re benè considerata, Princeps, *Amici*, inquit, *iste minus quàm ego, peccavit. imò quidquid peccatum est, meum est. Calor mentem & manum ei movit. At ego cur causam præbui? & oblitus conditionis meæ, quasi cum pari lusi? Imò tu Joannes, non veniam à me solùm, sed & gratiam accipe. utili me castigatione docuisti, ne quid imposterum Principe indignum committam.* Ita dixit fecitque. En clementiam, patientiam, prudentiam. *Ibidem.*

Ludovicus XII. Gallia Rex: At in isto etiam spectabilis hæc virtus fuit, cùm enim in Regem esset evectus, accessit magna cum fiducia è domesticis unus, postulans bona civis cujusdam Aurelianensis, qui (tristi illo tempore, quo inter Ludovicum & Carolum octavum gravis illa simultas, & dissidium) ex acerrimis Ludovici hostibus fuerat. Rex animo planè regio, *Tu verò aliud à me pete*, inquit, *& meritis tuis gratia erit: De isto omitte: nam Rex Galliæ* (verba ejus sunt) *non ulciscitur injurias ducis Aurelianensis.* Dux enim anteà cum hoc titulo fuerat: significabat ergò, dignitatem se, atque cum ea etiam affectus mutasse. Refert *Just. Lips. suprà.*

Rex Mumoniæ in Hybernia: Tempora confundimus, at in re eâdem. Orta aliquando gravi inter Mumoniæ regem, & fratrem simultate, factum, ut à fratre Rex regno pelleretur. Pulsus ad Malachiam Episcopum fugit, à quo regio honore excipitur, ac simul ab eo instigatur, regnum quo per injuriam pulsus erat, per vim reciperet. Cui ille: *Nequaquam id fecero*, ait; *nolo enim pro terreno meo honore humanum sanguinem effundere, qui contra me de terra clamet ad Dominum.* Docuit ex necessitate parandam virtutem. *Coll. ex Surio tom. in vita S. Malachiæ.*

Alphonsus Arag. Rex: Te autem Alphonse silerem? qui hîc parem vix ullum, at superiorem certè neminem habuisti. Obsidebat Cajetam pertinaciter rebellem, constabat obsessos inopiâ commeatuum premi: quod ipsimet fassi, inutilem turbam emittebant. Agitatum in consilio eam repellere in urbem, dedendam enim mox hac ratione. At noluit rex eorum misertus. Quare cùm ea potitus non esset, quidam objicere ausi, Nisi illos emisisses, jam urbe potitus esses. Ille fortiter & constanter: *At mihi*, ajebat, *pluris tot hominum incolumitas est, quàm centum Cajetæ.* Tamen nec ea defuit. Nam cives tam insigni virtute moniti, ultrò se ei tradunt. Meminerat clementissimus Princeps illius Senecæ, quòd

——— Quisquis est placidè potens
Dominusq; vitæ servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit: longa permensus diu
Felicis ævi spatia vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca.

Just. Lips. loco cit. Panorm. lib. 1. de Gestis ejusdem.

Carolus V. Imp. Et te unicum Mansuetudinis præsidium Carole Cæsar in extremo hoc agmine colloco. Illi enim nihil gravius ingratiusque, quàm aliquem capitis damnatum intelligere. Quare cùm in Anglia nobilissimum quemdam juvenem sententia Volsæi, qui judiciis præerat, damnatum audivisset, pulchrè ludens: *Indignum*, ajebat, *à cane lanii tam pulchram damam devorari.* Nam ille qui tot annis lanienam in Anglia exercuerat, lanii filius erat. Pulchrè Ovidius ad Cotim:

Convenient hominum est hominem servare voluptas:
Et melior nulla quæritur arte favor.

Chyt. in Orat. de Carolo V. Imp.

¶ Monosticha Trochaica.

Cessat inter innocentes lenitas clementiæ.
Compares clementiæ fidem, ut diffidentiam.
Corpora haud modo, armis animos exit clementia.
Dignius viro nil magno quàm sit ut placabilis.
Est vetusta pœna, longè sed prior clementia est.
Et locus quoque inter arma est suus clementiæ.
Facilitate nihil homini herclè melius, neque clementia.
Ficta quævis, vera Regum nullibi clementia.
Imperantibus decora maximè clementia.
In magno imperio ægrè famam retineas clementiæ.
Innocens colit; nocens est qui invocat clementiam.
Iudicis periclitanti & obviam it clementia.
Liberalitas quandoque etiam additur clementiæ.
Maxima causa in regem amoris civium, clementia est.
Maximè decet clementiam, queis clementia haud opus.
Multa ferrum: plurima longè conficit clementia
Nec promiscuam habere oportet nec raram clementiam.
Nemo ibi peccare quærit lata ubi clementia est.
Proximè Deo propinquat qui utitur clementia.
Sæpè adhuc viret Iovi ali adusta quercus fulmine.
Vitioni præferenda regibus clementia.

¶ Jambica.

A bestiis nos separat clementia.
Clementia omnes, sed magis reges, decet.
Clementia una homines facit pares Deis.
Crudelitas lassa, haud equidem clementia est.
Effusa amores pellit clementia.
Etiam colunt qui haud indigent clementiam.
Haud crimini ulli debita est clementia.
Magnum timoris remedium, clementia est.
Multum potest sævitia, plus clementia.
Minus imperabis armis quàm clementia.
Nullam impetret qui sustulit clementiam.
Nunquam Deo fons deficit clementiæ.
Præ cæteris regem decet clementia.
Quam præstas, frustra item speres clementiam.
Quò quisque major, hoc mage est placabilis.
Regi decora maximè clementia est.
Regi decorum maximè clementia.
Supervacua est, nisi post crimen, clementia.
Virtutum prima Regis est clementia.

Clerici.

¶ SENTENTIA PATRIS LATINI.

S. SALVIANUS: Nunc diversissimè & impiissimè, nullis omnino à suis minus relinquitur, quàm quibus ob Dei reverentiã plus debetur: nullos pietas minus respicit, quàm quos religio commendat. Deniq; si qui à parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati: indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerunt consecratione; ac per hoc una tantum re parentibus viles, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus penè apud homines vilior est quàm Deus; cujus utiq; fit despectione, ut eos præcipuè filios parentes spernant qui ad Deum cœperint pertinere; non sine præclara consilii sui ratione. Quid opus est, inquiunt, filiis jam religiosis æqua hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quàm ut, quia cœperunt religiosi esse, mendicent: non quidem quòd eos hæc res mendicitate oppressura sit, quod terrenis facultatibus abdicantur, cœlum spe possidentes, citò etiam re possessuros, regente illos Deo suo ac protegente, qui eos immortali spe æternorum etiam sufficientia temporalium muneratur: sed tamen quantum ad inhumanitatem parentum egent, à quibus sic relicti sunt ut egerent. Certè etiamsi qui non penitùs domo eliminantur, & quibus non omninò extorribus, quasi aqua & igni interdicitur (cùm aut tenues, aut certè usufructuarii relinquuntur) tantò tamen inferiores fratribus relinquuntur, ut etsi paupertate non egeant, comparatione nihilominus egere videãtur. At quid eis opus æqua portione? ut religionis fungantur officio, ut religiosorum rebus religio diterur, ut donent, ut largiantur, ut illis habentibus cuncti habeant non habentes. Imò tanta est eorum fides atque perfectio, ut habeant citò non habituri: beatius utique postquam habuerint non habentes. Cur eis quæso, inhumanissimi parentes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? permittite hoc religioni ipsi, cui filios tradidistis: rectiùs pauperes à se fiunt. Si tantùm eos inopes esse cupitis, concedite id ipsorum devotioni; liceat eis, quæsumus, ut velint pauperes fieri. Eligere inopiam debent, non sustinere. Postremò, etiamsi sustineant, devotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos veluti à natura expellitis, & quasi è jure sanguinis abdicatis? Et eos egò esse pauperes volo, sed ut habeat tamen præmium suum ipsa paupertas, ac præclara demutatione eligant inopiam ex copia; ut ex inopiæ electione copiam consequantur, &c. *lib. 4. contra avaritiam.*

S. Salvianus: Misericordia ac largitio, virtus apud eos quasi virtutum omnium initiatrix est. Pleriq; enim eorum hæc habent quasi exordia & incunabula conversionis suæ, ut priusquam limen sanctæ professionis introeant, de propriis sibi facultatibus nil relinquant. Secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia quàm sequantur. Divitias enim onerum atque impedimentorum loco esse ducunt, &c. *lib. 4. contra avaritiam.*

Alia his affinia sumenda ex tit. *Sacerdotis, Presbyteri, Monachi, Consecrationis, Devotionis, Religionis, Professionis.*

Coactionis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

LIBANIUS: Etenim non conduceret vobis invitum ad negotia vocantibus, & præter voluntatem dicere cogentibus. Nam quisque pessimus est in quibus cogitur. *Declamatione* 16.

Libanius: Cùm dicis molestum esse invitum domum recuperare, & nihil à supplicio differre; scito multa eorum quæ contra voluntatem fierent, profuisse coactis. Cernis pueros qui utique inviti ad scholas trahuntur? hi certè institutoribus imprecantur, atque in gratiis meliores facti, postea necessitatem adhibitam laudant. *Declamatione* 20.

Idem: Qui ea quæ nollent dare coacti sunt; postquam juris arbitriique sui facti sunt, eorum quæ inviti concesserunt, palmam reposcunt ab iis quibus dederant; & iis qui acceperant, nisi reddant, bellum gerunt. *Declam.* 42.

¶ ROMANORUM.

Quintilianus senior: Non objicere debes mihi, in quod coactus sum. Illa quæ fuerunt in mea potestate si deprehendisti, ostende. *Declamationis 333. fine.*

¶ POETARUM.

Terentius Andriæ 4. sc. 1.

Scio. Coactus tua voluntate es.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cura publici bonis imponitur nolentibus.
Durum id omne est, imperatur quod minus volentibus.
Inscientia aut vi factum, nil voluntatis tenet.
Nec nota est nec laude dignus qui quod invitè facit.
Nemo id sponte agit doloris cui plus est quam gaudii.
Nemo sustinet rogare, posse cogere quod putat.
Nil tam est facile quin difficile sit quod invitus facis.
Non est beneficium quod reluctanti ingeris.
Non nos obligat coactus aliquid qui fecit boni.
Postulat natura duci sponte, non cogi malo.
Qua confertur homini invito verè ingrata gratia est.
Quod dolet nec sponte factum est fieri invite dicitur.
Quod necessitas extorsit, omnis exsors gratiæ est.
Tutius volentibus quis, quàm coactis imperat.

¶ JAMBICA.

Ab homine cogi non potest ullo Deus.
Aliquid libenter qui facit, citò facit.
Beneficium haud dedit qui invitus profuit.
Beneficium non est recusans quod capit.
Bonum coactus qui facit, manet malus.
Coacta non durant: durant spontanea.
Corpus potest cogi, cogi animus non potest.
Dici nequit velle is, metu qui cogitur.
Diuturna sunt quæ fiunt a volentibus.
Durissimum omne quod imperas nolentibus.
Durissimum omne quod invitis imperas.
Est pessimus quisque ad quæcunque cogitur.
Expressa per vim, lege fiunt irrita.
Haud est nocens quicumque non sponte est nocens.
Haud ulla pœna, est pœna, nisi invito accidat.
Homini molestum est omne quidquid cogitur.
In quod coactus quis est, nemini obsice.
Minimi laboris est volentem cogere.
Miseri exitu perit, qui invitus interit.
Molestum id omne quod quis invitus facit.
Nemo benè agit invitus, etiamsi bonum est.
Nil gloriosum fieri ab invito potest.
Non est malus qui sponte non fuit malus.
Perversim metumq; gesta, inique sint rata.
Quidquid coactum est parvo durat tempore.
Qui servat invitum, id facit quod qui necat.
Quod sponte fit durat, coacta diffluunt.
Res facilis, fit difficilis, si invitus facis.
Sæpe est bona necessum cui esse ingratis.
Sceleris coacti culpa ad auctores redit.
Si quis coacte agit male, haud ideo est malus.
Ullane pœna vocis expressa fuit?

Videatur titulo *Auxilii, Imperii, Iussus, Servi, Voluntatis, Libertatis, Iuris, Inviti.*

Cœmiterii.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANORUM.

ELIAS ABBAS: Cœmiteria, quæ mortuorum domicilia, suntque quasi publica quædam gymnasia, in quibus vera Philosophia, Mundi videlicet contemptus, docetur, alacri animo accedamus cum Elia Abbate. Ille enim cùm sæpiùs ad ferales has scholas suos remitteret, & illi quidnam emolumenti ex eo accessit consequerentur, inquirerent; dicebat: *Quale in domo figuli retulit Ieremias Propheta.* Iste námque eò à Domino missus, cùm vidisset vas super rotam, ejúsque confractionem & novam restaurationem, didicit dependentiam necessariam populi à divina bonitate. Ita & nos, intuentes Sepulchreta, vitæ nostræ & mortis memoriam recolimus, quodque gloria hominis stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenitur. Ac ut benè cecinit Poëta:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Eremita Anonymus: Rogatus, quomodo ad hanc publicã scholam accedendum esset, respondit; *Quo olim ad ludum Pythagoræ.* Ad eum enim primùm accedentibus quinquennale imperabatur silentium, ut silentio meliùs tandem loqui discerent. Ita in hac mortalium palæstra, silentio & tacita inspectione opus; cùm ad prudentiùs loquendum, tùm ad rectiùs judicandum, & meliùs vivendum. *Ex Stimulis virtut.*

Puer Anonymus:

Comploratæ jacent mœstis ubi corpora bustis,
Garrula sol vebant vocibus ora senes.
Certabant q; jocis: ad quos puer ore protervus,
Sunt, *ait*, ad vestras gaudia quanta domos.
Confectos ætate senes, lethoque propinquos,
Ipsorúmque notans, esse sepulchra, domos.
Ex Epigramm. Sabini.

Cogitationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

CHRYSOSTOMUS: Vides hoc Paulum agere, ut omnem pravam cogitationem ex animis nostris eiiciat. ex cogitationibus enim pravæ quoque actiones existunt. *Homilia 14. ad Philipp.*

S. Isidorus Peluſiota: Vnde est, inquis, quòd malè cogitationes è corde exeunt, & coinquinant hominem? Nimirum quia dormiunt agricolæ, qui excubias agere debebant, atque exorientem boni seminis fructum tueri & conservare. Nam si ingluvie ac veterno custodiam nostram prodidissemus, divina videlicet imagine contaminata, hoc est præclaro semine adulterato, zizaniorum sator, quà ad nos irreperet, non invenisset, nec zizania igne digna in nobis effecisset. *lib. 1. Epist. 194.*

Zeno: Faciles sumus ad cogitationum delicta nos homines: propter quod, & qui finxit singillatim corda nostra sciens, quòd non parum delictorum in his motibus, admittitur, qui fuerint ex proposito mentis, voluntatisque concepti, ante omnia nobis puritatem, & munditiam cordis injungit, ac præcipit: in qua enim proclivius vergimus ad peccatum, hanc nobis partem majore cautela, diligentiaque communit: sicut enim infirmiora quæque corporum membra peritior, ac bene providus medicus ante, quam ipse morbus immineat, studio præcurente, & diligentia cujusdam procurationis antevenit, ita & communis omnium provisor, & animarum medicus Deus, hoc quòd maximè in nobis ad culpam lubricum providebat, circundare tutioribus septis studet, & circumvallare cautioribus munimentis: nam hi actus, qui ministerio corporis adimplentur, opus habent & tempore, & opportunitate, & labore, & adjutoriis, cæterisq; hujusce modi instrumentis: verò motus, & cogitationis lapsus absq; tempore consumantur: sine labore complentur. omne tempus habent opportunum. Intuere namque mihi ambitiosum quempiam, & ingenti supercilio honestatis elatum imaginem quandam sobrietatis habitu exteriore gestantem, in mediis quoque virorum laudabilium, & sapientium residentem. Hic subitò cogitatione mentis percurrit, & evolat ad loca peccati: maligna desideria mente concipit: colloquia quoque intra se inhonesta finxit, & turpia: & totus in occulta mentis suæ officina universam sibimet libidinis imaginem deformavit, gestusque descripsit. Hic ignotum quidem omnibus peccatum, & sine ullo teste commisit: sed arguetur, ac revelabitur sine dubio per adventum ejus, qui referat occulta tenebrarum, & manifestat consilia cordium. *de præcepto Attende tibi.*

¶ POETARUM.

P. Syrus Mimus:

Et deest, & superat miseris cogitatio.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

Anonymus: Querebatur apud Abbatem frater quidam se pravis subinde cogitationibus plurimùm turbari. Eum Abbas secum sub dium eductum, jubet, ut sinu aperto ventos capiat. Respondet frater, hoc sibi neutiquam esse possibile. Ad quem Abbas: Hoc si nequis, nec cogitationes ita coërcere poteris, quo minus tibi incidant. Sed hoc tui est muneris, ut ardenti spiritu & magno animo eis resistas. *In Vitis Patrum.*

THEOLOGI VETERES.

Basilius: Summa felicitas in puritate cordis consistit: quia radix est omnium corporis actionum cordis consilium. Puro corde autem is est qui, seipse non convincit præceptorum Dei rejectione. *Item*: Non est pietas in rebus parvis, nec philosophia in vultus demissione, sed in animi firmitate & cogitationis puritate, & vera ad res honestas propensione.

Clemens: Non facinorum abstinentia fidelem justificat, sed cogitationum castitas, & pura synceritas.

Anonymus: Cor temperans cogitationum portus est. *Item*, Non extirpatrix perturbationum est, sed adversatrix ratio.

Philo: Domus Dei cogitatio sapientis, ac hujus propriè vocatur Deus, qui universorum est, (ut inquit Propheta) quòd Deus tanquam in regia in ea ambulet.

Chryſoſtomus: Quum turpe aliquid cogitas, complures adesse existimato, ac te ipse reveretor. Illud solùm non evitari potest internum & in nobis ipsis situm judicium.

Greg. Nyſſenus: Malum esse in ipsa solùm voluntate positum est: sæpéque satis est ad vitii perfectionem cogitatio. *Vide Anton. ſerm. de cogitationibus & de corde pravo.* Item *Apophthegmata de Conſcientia.*

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

S. Baſilius: Qui non ignorans, quantum pia consideratio ab impietatis studio mentem avocaret, cùm rogaretur: Quis frequenter irascitur? quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? hoc unum ad singula respondebat: *Qui non semper cogitat Deum suarum actionum inſpectorem esse. Hæc enim una recordatio si esset aſsidua, contra omnia vitia medelam præbet.* Refert *Th. Stapl. in Promp. aſtiv. pag. 404.*

Fr. Ægidius Comes S. Franc. At quoniam facilem in homine aditum parat fœda cogitatio, dicebat aliquando Fr. Ægidius, *Cùm ejuſmodi cogitatio accedit, eam abige: dicesq; Iam alius hoſpes meum domicilium occupavit.* Benè Ambros. Si non penitùs libidinem nostro excutimus animo, tollimus eam magis nobiscũ, quàm post nos relinquimus. *Ibidem Dom. 2. poſt Pentec.*

S. Eliſabetha: Quæ etiam fœminis in hac contemplandi laude acciderunt, referam. Pannonum regis filiam referunt ita supra se sublatam, cœlestibus rebus animum intendisse, ut Jesum se in nubibus videre palàm testaretur, sibique dicere: Ego tecum sum. Unde & illa cunctis audientibus respondebat: *Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum.* Magnum divinæ liberalitatis beneficium, ut homo Deum alloquatur: majus, ut alloquentem audiat: maximum, ut unà cum illo sit. *Conrad. Concion. de S. Elizabeth.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cogitata item prorum ſummus exaudit Deus.
Cogitationem aquare neſcit elocutio.
Cogitatio honeſta mentem purat, turpis inquinat.
Cogitatio quòd alta non reperit fors obtulit.
De tyranno nemo dicit, cogitat ſolùm male.
Innocens optat, moderatus ſpectat, cogitat pius.
Malus ubi ſcelus alienum loquitur, cogitat & ſuum.
Perdium nullum non tempus cogitationibus.
Quod nequit corpus præſtabit alta cogitatio.
Sanctitatem adfert ſanctorum ſola cogitatio.
Secreto ſuo ſatiatur ſæva cogitatio.

¶ JAMBICA.

Cuncta eloqui gaudet vir probus quæ cogitat.
Etiam Deo hominum nota cogitatio eſt.
Incogitantes fors, non conſilium regit.
Male cogitare vix queat gens ruſtica.
Ne quid loquaris, id prius quàm cogites.
Nil cogites quod eloqui non audeas.
Qui cogitat ſcelus facit ve, idem Deo eſt.
Quis quæſo noſtrùm ſe mortalem cogitat?
Rebus ſecundis, cogita adverſa, ut feras.
Viro erudito cogitare, vivere eſt.

Cognationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

DNAZIANZENUS: Propinquos aliqua re fraudare, vel conviciis incessere, vel accusare, vel quoquo modo lædere minimè pium esse censemus; imò scelus illud quod in hominum genere conjunctissimos perpetratur, omnium maximum esse judicamus. *Oratione 11. in funere ſororis.*

D. Chryſoſtomus: Ita comparatum est, ut habeamus genuinam & naturalem quandam inter nos necessitudinem, quam & feræ quoq; bestiæ inter se observant. Unumquodque enim animal, ait ille, sui simile amat, & homo item proximum suum. *Homil. 5. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Si quis propinquos genere atque affinitate conjunctos aspernetur, quo pacto erit in alieno clemens? nónne vanitati, judicio omnium erit obnoxius, si alienos beneficiis fovens, propinquos summa humanitate despiciat? Quid item si illos de fide instruat, hos in errore jacere permittat, quibus benefacere jure suo facilius & commodius possit, quantæ istud immanitatis erit? *Homilia 14. ad Timoth. 1.*

Idem: Deus idcirco vincula propinquitatis instituit, ut multiplex esset occasio nos mutuò diligendi, beneficiisque confovendi. *Ibidem.*

S. Iſidorus Peluſiota: Corporum cognatio cum morum propinquitate nullo modo comparanda est. Quamobrẽ si te clarissimi Episcopi Hermogenis patruelem vocem, nihil tibi gratificer. Si aũt syncerum discipulum, neutrius causa pudore afficiar. Si enim & tu præstantissimi viri vestigiis hæsisse videberis, & ille eũ, qui ipsum imitatus sit, egregium ac præstantem virum reddidisse. *lib. 2. Epiſt. 250.*

Idem: Foratsis quia Christus fratres suos appellavit eos qui voluntatẽ paternã faciunt, & hoc pacto demonstravit, carnalem cognationẽ parvi esse momenti (dico, si absit cognatio secundùm spiritũ,) idcircò etiã Apostolus dixit: Etsi cognovimus Christum secundùm carnẽ, at nunc nõ amplius novimus: Quasi diceret, quanquã nos, qui ex Judæis credidimus Christo, soliti sumꝰ antea carnali propinquitate, quâ cũ ipso conjuncti sumꝰ, gloriari, jam tamen nõ amplius eâ nos efferimus, sed potius illa propinquitate, quæ nos ipsi similes effecit, quâ per virtutẽ fruimur. Quã etiã ob causam dixit: Imitatores mei estote, sicut & ego sum Christi. Quasi diceret, Imitatione magis glorior Christi, quàm carnali cognatione. *lib. 4. Epiſt. 46.*

Syneſius: Si ulla apud magnificentiam vestram Theodori urget memoria, Quî aũt non urgeat? gratificare mortui illius propinquis in consobrinũ illius observantiã. Nam & de optimo viro benè eris meritus, & magnæ Alexandriæ Consilium tibi hoc beneficio devinxeris, qui frequentes hominem ad me deduxerunt, meisq; ut eum literis juvarem postularunt. Igitur literas dare mei officii erat, ut autẽ adjumenti aliquid adferant, à vobis istud expectatur. *Epiſtola 21.*

¶ LATI-

¶ Latinorum.

Egesippus: Ac primum in ipsum Antigonum fratrem ferus animus exasperatur,& de amore in odia convertitur,ut eum ante omnes necaret,quem solum sibi consortem imperij pollicebatur: adeo apud improbos affectus vilis, ut citò pravis suggestionibus extorqueatur. *lib.* 1. *cap.* 2. *de exc. Hier.*

Egesippus: Cùm Judei finitima quæque popularentur,venerunt Scythopolim,atque illic inhabitantes Judæos tentare adorsi, adversarios experti sunt quos sibi fidos arbitrabantur: quoniam more ingenij humani præponderatur apud eos salutis cura necessitudini. *cap.* 17. *lib.* 2. *excidij Hieros.*

Ennodius: Est ista rerum humanarum ratio,ut pro magna cognatione par studium semper existat. *lib.* 4. *Epist.* 12.*m.*

Ennodius: Non clauda fides opinionis antiquæ, quæ perhibet, quòd propinquitas generis non defraudetur longinquitate regionis. Manent familiarum suis jura cardinibus; nec quæ sunt divisa habitaculis,dissociantur animabus. percurrit ætherius vigor, ubicumque carnis cognatione producitur; & illa cœlestis portio unius patriæ non continetur angustiis. *lib.* 9. *Epist.* 17. *pr.*

¶ Oratorum.

Aristides Rhetor: Sciebant se non ad accipienda sed ad conferenda beneficia natos esse,& eis qui Græciam tuerentur, mercedem persolvere,non ab aliis accipere debere; nec utilitatem gratia suos amare, non magis quam parentes aut liberos, sed etiam suis impensis conservare; quemadmodum eos qui erga aliquem ut suos affecti sunt,facere sit æquum. *Oratione Panathenaica.*

Quintilianus: Publica est omnium mortalium,quippe sub uno parente naturæ,cognatio. *Declamatione* 9. *S.* 19. *pr.*

Cl. Mamertinus: Ambo nunc estis largissimi, ambo fortissimi atque ab hac ipsa vestri similitudine magis magisque concordes (quod omni consanguinitate certius est) virtutibus fratres. *cap.* 9. *paneg. in Maximianum.*

Symmachus: Quid supereſt,nisi ut gratuler nobis animos esse cognatos? nam quæ te scire velle præsumpsi, prius quàm quæreres indicavi. *lib.* 2. *Epist.* 5.

Symmachus: Si amicitiæ semper ratio deposcit ut mutua negocia alternis juvemus officiis quanto impensior utilitatibus propinquorum cura debetur, quorum nobis bona & adversa communia sunt? Quid quòd sæpè bonitas causæ cohortatur,ut quod generi,tribuamus promptius æquitati? *lib.* 2. *Epist.* 66.

¶ Poetarum.

Terentius act. 2. sc. 2. Phormionis.

P H. Quia egens relicta est misera,ignoratur parens;
Negligitur ipsa. vide Avaritia quid facit. mox:
D E. Neque ego illum noram,neque mihi cognatus fuit
Quisquam isto nomine. P H. itane? non te horum pudet,
At si talentùm rem reliquisset decem,
D E. Dij tibi male faciant. P H. Primus esses memoriter
Progeniem vestram usq; ab avo atq; atavo proferens.

¶ Monosticha Trochaica.

A cognatione morum firma fit concordia.
Affectus pietatis etiam tuta quæ sunt pertimet.
Charitatis nexus omnis arctior quàm sanguinis.
Consanguineûm virorum pervicax contentio est.
Dispulsæ pecudes sequuntur sanguinis gregem sui.
Forniculam inter atq; homullum maxima est cognatio.
In mala cognato amico sorte quid præstantius:
Magna sanguinis, sed major mentis est cognatio.
Multò nexus charitatis arctior est quam sanguinis.
Ne quidem propinquitatis jura servant proximi.
Non una atque eadem est animorum & corporum cognatio.
Nos amorem sanguinis nullum esse Divis ducimus.
Nulla bellua est gentiles sæva quæ sit in suas.
Nullus agnatus miserorum est prosperorum cuilibet.
Pro cliente, vel cognatos adfinesque negligas.
Proximo esse non potes, quin commodo sis & tibi.
Publico male ante habentur vincla sanguinis bono.
Qualis urbi erit, qui non est in genus probus suum?
Qui crudelis est sibi ipsi, haud alteri pepercerit.
Qui sibi non parcit, alij parserit multò minus.
Qui suis non est propinquus, extero quei sit bonus?
Quis suo præferre possit sanguine extero satum.
Quis tu es? quis mihi es? meacur tibi, heus? sum ego proximus mihi.
Rara pectoris boni orisque aurei cognatio est.
Sanguinem qui perditum it suum; a Deo dein perditur.
Sanguinis supra omne pignus, mentis est cognatio.
Vix simultates bona fide exuit cognatio.

¶ Jambica.

Adgnatus esse qui vis vult felicium.
Civile jus haud jura dirimit sanguinis.
Cognatio omnium inter se est mortalium.
Cognatione homo tenetur Numinum.
Cognationi præferenda patria.
Cognationis nulla dissolutio est.
Cognatum egentis admodum ægrè invideris.
Cuique sanguis indiscretus est suus.
Consentiunt unius qui sunt seminis.
Esto omnibus bonus, propinquis sed magis.
Etiam est, suum qui sanguinem pessum dabit.
Immanitas nec origini parcit suæ.
Inter bonum malumque nec cognatio est.
Natura nos cognatos invicem edidit
Nemo sibi vult anteiri à proximis.
Nihil in propinquos temerè constitui decet.
Nulla improbis est cum Deo cognatio.
Quem vis propinquum posthabe justo ac pio.
Quia egens relicta est misera, ignoratur parens.
Qui negligit suos, alienos negliget.
Qui non amat suos, alienos non amat.
Quis corde tam propinquus atq; sanguine est?
Servare fas propinquos, perdere at nefas.
Suis alienus carior fit ceteris.
Suspecta laus est quæ ore cognati venit.
Unum esse corpus, maxima est propinquitas.

Cognitionis sui.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Nosce teipsum, multa indicat: & quod sis mortalis,& quod homo natus es, & quod si fiat collatio aliorum quæ sunt in vita præstantissima & excellentissima,nullam esse tui putes habendam rationem, si dicas te gloria insignem vel divitem: vel contra,quod cum sis dives & gloria insignis,non de solis commodis quibus alios superas, te jactare oporteat,& ad quid natus sis, inquit,cognosce, & cujus sis imago,& quænam sit tua essentia,& quod opificium,& quænam cum Deo conjunctio & affinitas,& quæ sunt his similia. *libro Stromatum quinto.*

Clemens Alexandrinus: Dicitur alioqui duplex etiam cognitio: una quidem communiter, quæ est in omnibus hominibus: similiter intelligentia & apprehensio,quæ ex cognitione singulorum quæ subjecta sunt, publice elucet. quam non solùm habent potestates quæ sunt ratione præditæ,sed etiam quæ eâ carent: quam ego nunquam nominaverim cognitionem, ut cui sit à natura ingeneratum ut cognoscat per sensus. Quæ autem excellenter & præcipuè nominatur cognitio, ex mente & ratione formam accipit & characterem, per quam solæ potestates rationis participes fiunt cognitiones, quæ iis quæ apprehenduntur intelligentia, per nudam animæ operationem purè ac syncerè applicantur. Bonus est vir,inquit David,qui miseretur eorum qui errore pereunt,& commodat impertiendo verbum veritatis,non temerè & ut contigit, sed si pensabit sermones suos in judicio,profunda supputatione ac ratiocinatione: is dispersit, dedit pauperibus. *lib.* 6. *Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Est ergo,ut videtur, disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima,seipsum nosse: si quis enim seipsum norit,Deum cognoscit. Quòd si Deum cognoscet,ei assimilabitur, non aurum gestans, nec talarem vestem ferens, sed benefaciens, & quàm pauciſsimis fieri poterit indigens. Solus autem Deus nulla re omnino indiget,& maximè quidem gaudet, quando videt mentes nostras ornatu mundas: deinde & eo,qui casta corporis veste, nempe temperantia,indutus est. Cùm sit itaque anima triplex genere: intelligentia,quæ ratiocinandi facultas appellatur,internus homo est,qui huic homini qui videtur,imperat: eum ipsum autem alioqui Deus agit. Illa pars quam iræ tribuunt,quæ est fera & immanis,haud ita procul à furore habitat. In varias autem formas se mutans tertia est cupiditas,quæ plusquam Proteus marinus dæmon varius,nunc hanc, nunc illam,nunc aliam figuram suscipit, & ad libidines,stupra, & adulteria allicit. *lib.* 3. *Pædagogi cap.* 1.

D. Greg. Nyssenus: Tutissima nos conservandi ratio est,seipsum non ignorare,neque aliquid aliud quàm quod in se est videntem,existimare seipsum aspicere: quod quidem iis accidit qui seipsos non considerantes,vires,pulchritudinem,gloriam, potentiam, aut aliquas alias facultates, aut fastum, aut corporis molem ac magnitudinem, aut formæ elegantiam,aut aliquid aliud in seipsis videntes,se tales esse existimant. propterea sunt sui non tuti custodes, per habitudinem ad alienum,proprium negligentes incustoditum. quemadmodum enim custodierit qui spiam id quod nescit. Eorum ergo quæ sunt in nobis bonorum custodiendorum est tutissima ratio, seipsum non ignorare,exactèque & accuratè se scire unumquemque quid sit,& seipsum discernere ab iis quæ sunt circa se, ne imprudens alienum pro seipso custodiat. Qui enim aspicit ad vitam quæ agitur in hoc mundo,& quæ hic sunt,pretiosa existimat digna quæ custodientur,nescit discernere propria ab alieno: nihil enim est nostrum eorum quæ transeunt. quomodo enim dominatum obtinueris in id quod transit & fluit? Cùm ergo ea quæ intelligentia percipitur, & est materiæ expers natura,stabilis sit,& semper similiter, & eodem modo se habeat;

beat; tranſeat autem materia per fluxum quendam & motum ſemper mutata, neceſſe eſt, ut qui ab eo quod ſtat, ſeparatur, omnino circumferatur cum eo quod eſt inſtabile: & qui perſequitur id quod tranſit, & relinquit id quod eſt ſtabile, utroq; fruſtratur, ut qui alterum quidē dimittat, alterum verò non poſſit retinere. *Hom. 2. in Cant. Canticor.*

D. Greg. Nyſſenus: Seipſum ignorare eſt principium & conſequentia neſciendi aliquid eorum quæ oportet. quomodo enim aliquid aliud diſcet, qui ſeipſum ignorat? *Homilia in Cant. Canticorū.*

D. Greg. Nyſſenus: Idcirco noſmetipſos non miſeramur, quia ſenſu malorum caremus: quale quiddam furore correptis accidit; quorum inſuperabile malum etiam ſenſum eorum, quæ patiuntur, inſuper ademit. Si quis igitur ſeipſum agnoverit, qualis & prius fuerit, & qualis in præſenti ſit, is nunquam deſinet miſerari. *Oratione 5. de beatitudinibus.*

¶ Latinorum.

Zeno: Nihil eſt ante omnia homini Deum timenti tam neceſſarium atque conveniens, quàm ut ſeipſum norit. Etenim genus inſaniæ eſt, eum rationem ſecreti naturæ diſquirere, qui vitæ ſuæ non poſſit reddere. non enim ullo pacto poteſt humanis opinationibus ſubſtantia naturæ comprehendi; quam nemo novit niſi ipſe ſolus qui fecit. *Sermone 2. de Geneſi pr.*

Io. Sarisberienſis: Oraculum Apollinis eſt, & deſcendiſſe de cœlo creditur, γνῶθι σαυτὸν, id eſt ſcito te ipſum. hæc etenim contemplatio quadripartitum parit fructum utilitatem ſui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei. An non eſt arbor bona, quæ tantam fructuum dulcedinem affert, tantam affert utilitatem? Certè non ſuperbit, qui parvus eſt in oculis ſuis. Dum quiſquis quæ adſunt vel abſunt, experibilium numerum cogitat, quis de ſua paupertate non erubeſcit? Si quis non appetenda ſui recenſeat, ei jugis materia modeſti doloris, & humilitatis occurrit. Quocunq; ſe vertat, in ſeipſo deiicitur, qui petit à domino confortari, dicens, Humiliatus ſum usquequaque vivifica me ſecundum eloquium tuum. Itemque, Ego, inquit, in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. *lib. 3. Policr. cap. 2.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Xenophon: Tum Socrates: Dic mihi mi Euthydeme, ait, Delphoſne profectus aliquando es? Immo bis, inquit. An animadverti ſti ad templum alicubi ſcriptum eſſe, Noſce teipſum: Sane, inquit. Vtrum igitur id ita ſcriptum nihili feciſti, an advertiſti animum, ac temet conſiderare conatus es, qui ſis? Minime factum hoc à me profecto, inquit. Nam prorſus id me putabam jam ſcire. Nec enim facile aliquid aliud ſcirem, ſi ne meipſum quidem noſſem. Vtrum verò tibi videtur is ſemet noſſe, qui nomen tantum ſuum novit, an qui equos ementium more, non prius equum ſe noſſe putantium, quem noſſe volunt, quam inſpexerint, utrum ſit tractabilis, necne; utrum robuſtus, an debilis; utrum celer, an tardus, itemque in ceteris, quæ vel equo cōveniunt, vel non conveniunt, quomodo adfectus ſit; ita & ipſe conſiderans ſemet, qualis ſit ad uſum humanum, vires ſuas novit? Sane mihi videtur is, ait, qui vires ſuas non noverit, ſeipſum non noſſe. An vero non perſpicuum eſt, inquit, ex eo, quod ſe noverint, maxima homines bona percipere; quum à ſeipſis aberrando, mala plurima ſentiant? Nam qui ſeipſos norunt, quæ ſibi commoda ſint, ſciunt, & quæ vel poſſint, vel nequeant, dignoſcunt: præterea iis agēdis, quæ ſciunt, comparant ſibi neceſſaria, felicesque ſunt: ab aliis autem abſtinendo, quæ neſciunt, non delinquunt, & quo minus infelices ſint, vitant. Itaque ceteros quoque mortales quum explorare poſſint, etiam ex aliorum uſu bona ſibi comparant; & à malis ſibi cavent. Quotquot vero per ignorantiam falluntur in æſtimatione virium ſuarum, illi ad homines ceteros resque humanas alias eodem modo adfecti ſunt; nec quibus opus ſibi ſit, norunt; nec quid agant, nec quibus utatur: ſed ab omnibus his aberrantes, ut bonis fruſtrantur, ſic in mala incidunt. Præterea qui, quum ſciant, quid faciant, actionum ſuarum finem cōſequuntur; iij magnam & gloriam & honorem adipiſcuntur, utuntur que illis perlubenter alij, qui ſimiles eis ſunt; & qui fruſtrantur inſtituto ſuo, cupiunt hos ſibi conſiliis ſubvenire, ſibique præeſſe, ac ſpem ſuam in eis collocant, & propter hæc omnia maxime ipſos diligunt. Qui vero neſciunt, quæ agunt, & eligunt malè, poſtea quam inſtituto ſuo fruſtrantur, non ea dumtaxat ratione damno quodam ac pœna multantur, ſed etiam inglorij & ridiculi fiunt, & ſpreti, dedecoreque notati vivunt. Vides etiam civitates, quotquot ignorantes vires ſuas bellum adverſus potentiores ſuſcipiunt, partim prorſus everti, partim ex liberis in ſervitutem redigi.

Tum Euthydemus; Velim ſcias, inquit, mi Socrates, verbum hoc, Noſce teipſum, prorſus magni mihi æſtimandum videri. Verum unde cognoſcendi ſui ſit faciundum initium, an exponere mihi velis, id equidē oculis in te defixis exſpecto. Noſti tu omnino, inquit Socrates, qualia ſint tum quæ bona, tum quæ mala ſunt. Novi profecto ait. Vel ipſis enim mancipiis vilior eſſem, ſi hæc ignorarem. Age vero, mihi quoque illa exponito. Id quidem difficile non eſt, inquit Euthydemus. Primò, ipſum rectè valere, bonum eſſe arbitror: morbo autem laborare, malum. Deinde quæ horum utriuſque cauſſæ ſunt, potus, cibi, ſtudia, ſi qua rectam ad valetudinem pertinent, bona ſunt: quæ vero ad ægrotationem, mala. Ergo, inquit Socrates, tum rectè valere, tum ægrotare, quum quidem boni alicujus cauſſa ſunt, bona fuerint ſcilicet: quum verò mali, mala. At quando, ait Euthydemus, rectè quidem valere mali alicujus cauſſa eſſe poſſit, ægrotare vero boni? Tum profecto, inquit, quum ij, qui vel militiæ turpi, vel navigationi damnoſæ, vel aliis pleriſque talibus intereſſe roboris integri cauſſa potuere, pereunt: alii vero, qui propter imbecillitatem abſunt, incolumes evadunt. Vere dicis. Sed vides, inquit, etiam nonnullos ob robur utilibus intereſſe, quum alii propter imbecillitatem abſint. Ergo hęc, ait, quum nonnumquam ex uſu ſint, nonnumquam noceant; non magis bona, quam mala ſunt. Non profecto adparet, ait, ſecundum hanc quidem rationem.

Sed tamen ſapientia, mi Socrates, haud dubiè bonum eſt. Nam quale tamdem negotium non melius efficiat, ſi quis ſapiens ſit, quam ſi rudis? Quid vero? ſubjecit Socrates, non audiſti Dædalum à Minoe propter ſapientiam captum, ſervitutem ſervire coactum fuiſſe, tum patria, tum libertate orbatum: quumque aufugere cum filio conaretur, filium amiſiſſe, ac ne ipſum quidem ſaluum elabi potuiſſe; ſed ad barbaros delatum, rurſus ibidem ſerviiſſe? Dicuntur illa ſane, inquit. At Palamedis calamitates non audiſti? Hunc enim prædicant omnes ob ſapientiam, Vlyſſis invidia, periiſſe. Id etiam fertur, ait. Quot item alios exiſtimas, inquit, ob ſapientiam abreptos ad regem Perſicum eſſe, atque iſtic ſervire?

Videtur mi Socrates, ait, felicitas bonum eſſe, de quo minime dubitari poſſit. Niſi quis, inquit, mi Euthydeme, de dubiis eam bonis componat. Quid autem, ſubjecit ille, dubium eſſe poſſit inter illa, quę ad felicitatē pertinent? Nihil, inquit, modo non addamus ei pulchritudinem formæ, vel robur, vel opes, vel gloriam, vel quid aliud ejuſmodi. At vero ait, hæc addemus ei profecto. Nam qui poſſit abſque his beatus aliquis eſſe? Addemus illa ſane, reſpondit Socrates, ob quæ multa, ea quæ gravia hominibus accidunt. Multi enim violantur ob venuſtatem formæ ab iis, qui erga elegantes amore incitantur: multi propter robur ſuum majora quædam adgreſſi opera, non exiguas in calamitates incidunt: multi propter opes emolliti deliciis, acinſidiis petiti, pereunt: multi ob gloriam potentiamque in republica, magna ſunt mala perpeſſi. Enimvero, ait Euthydemus, ſi nec felicitatem ipſam laudans, rectè dico: fateor me ne id quidem, quod precibus petendum à Diis ſit, noſſe.

Fortaſſe tu hæc, ſubjecit Socrates, ne cōſideraſti quidem propterea, quod omnino ſcire te illa crederes. Quia vero te paras, ut civitati, quæ dominationi populari ſubjecta eſt, præſis: haud dubiè quid imperiū populare ſit, noſti. Omnino, ait. Ergo ne putas ſcire te, quid populi ſit dominatus, ſi neſcias, quid populus ſit? Minime, inquit. Et quid putas eſſe populum? Equidem hoc nomine cives pauperes accipio. Et pauperes igitur noſti? Cur non? Ergo etiam noſti divites? Nihilominus, quam pauperes. Quales autem pauperes, & quales appellas divites? Pauperes, inquit, arbitror eſſe, quibus non ſuppetit ſumptus, quem facere neceſſe eſt: at quibus etiam plus, quam ſatis ſit, ſuppetit; eos adpello divites. Ergone umquam animadverti ſti, nonnullis qui admodum pauca poſſident, non ſolum ea ipſa ſufficere, ſed alia quoque de his adquirere: quum aliis etiam admodum multa non ſufficiant? Ita eſt profecto, ait Euthydemus. Nam rectè me mones. Etenim quoſdam tyrannos quoque novi, qui ob inopiam perinde, ac maxime egeni, aliis injuriam inferre coguntur. Ergo ſi hæc, inquit Socrates, ita ſe habent, tyrannos ad populum: alios, qui pauca poſſident, ſi quidem rei familiaris adminiſtrandæ periti fuerint, inter opulentos referemus. Etiam id fateri me, ait Euthydemus, ſtupiditas mea cogit: adeoq; jam cogito, optimumne fuerit, me ſilere. Nam ſimpliciter metuo, ne nihil ſciam. Itaq; vehemente cum animi dolore diſceſſit, quum quidem & contemneret ſeipſum, & reabſe mancipium eſſe crederet. Ac multi quidem hoc modo habiti à Socrate, non amplius eum conveniebant, quos etiam ſtolidiores eſſe putabat: verum Euthydemus non alia ſe ratione hominem frugi poſſe fieri arbitrabatur, quam ſi cum Socrate frequentiſſimè verſaretur: neque amplius ab ipſo poterat abeſſe, niſi quid rei neceſſariæ impediret. *Libro 4. Memorab. Socratis.*

Xenophon: Quum his liberum calamitatibus premeret, iterum mitto, Deumque interrogo: quid à me fieri oporteret, ut id, quod eſſet vitæ reliquum, exigere quam feliciſſimè poſſem. Reſpondit ille mihi.

Tranſibis, modo ſi noſcas te Cræſe, beatus.

Hoc oraculo audito, gaviſus ſum. Arbitrabar enim, Deum felicitatem mihi tribuere, qui rem facillimam imperaret. Nam alios partim cognoſci poſſe, partim non poſſe: quis vero ſit ipſemet, quemlibet hominem ſcire putabam. Omnique adeo deinceps tempore, quamdiu quietem colui, nihil erat poſt mortem filii, quamobrem caſus fortuitos culparem. Verum poſtea, quam ab Aſſyrio ſum perſuaſus, ut expeditionem adverſus vos ſuſciperem; omnis generis adij pericula, nec illo tamen accepto malo conſervatus ſum. Ac ne de his quidem Apollinem incuſo. Nam ubi me ad pugnandum adverſus vos idoneū non eſſe animadverti: tuto, Dei ope, tum ipſe, tum mei mecum, evaſimus. Sed rurſum nunc deliciis opulentiæ præſentis diffluens, & ob eorum preces, qui me rogabant, ut eis præeſſem: & ob illa munera, quæ mihi donabant: & illorum hominum opera, qui mihi adſentando futurum dicebant, ut omnes mihi parerent, & omnium ego mortalium maximus evaderem, modo imperium accipere vellem: his inquam verbis inflatus, ubi reges omnes undique belli me præſidem legerunt, accepi munus imperatorium, quaſi eſſem is, qui maximus evadere poſſem: meipſum certè ignorans, qui bello adverſus te gerendo parem me tibi arbitrarer, primum à Diis orto, deinde à regibus genito, atque etiam à puero ad virtutem exercitato. At ex majoribus meis eum, qui primus regno potitus eſt, audio ſimul & regnum & libertatem eſſe conſequutum. Hæc ergo quum ignoraverim, merito pœnam fero. Nunc autem, mi Cyre, quum meipſum norim,

an adhuc

in adhuc veracem Apollinem exiſtimas, qui beatum me fore dixit, ſi mei ipſum noſſem? Ac te quidem propterea interrogo, quod optimè conjecturam mihi de hoc facturus in præſentia videris. Potes enim id facere. Tum Cyrus ait: Da verò tu mihi de hoc conſilium, Crœſe. Nam equidem apud animum repetens felicitatem ſuam priſtinam, miſericordia tangor erga te, conjugemq; tibi tuam habere permitto, quam habes: & filias, (audio enim eſſe tibi quaſdam) & amicos, & famulos, & menſam, quali hactenus eſtis uſi. Pugnas autem & bella tibi adimo. Ergo, ait Crœſus, nihil tu profectò amplius deliberes, quid mihi de mea felicitate reſpondeas. Etenim ipſe jam tibi dico, ſi hæc, quæ nunc ais, feceris: fore, ut quam alij vitam beatiſſimam ducunt, etiam me adſentiente, hanc modo conſequutus agam. Tum Cyrus ſubjecit: Et quis beatæ iſtius vitæ compos eſt? Vxor mea, mi Cyre, ait. Nam ea mecum bonorum omnium, & vitæ mollis ac delicatæ, & gaudiorum particeps fuit: curarum verò, quo pacto hæc contingerent, & belli, & pugnæ nihil mecum ei commune fuit. Ac tu quoq; me talem efficere velle videris, qualem ego illam, quam omnium hominũ maxime diligebam. Quo fit, ut Apollini etiam munera debere mihi videar, quibus grati erga ipſum animi ſignificationẽ edam. His Crœſi verbis auditis Cyrus, in eo tranquillitatem animi eſt admiratus. Ac deinceps ille, quocunq; Cyrus proficiſceretur, una ducebatur: ſive adeo propterea, quod eum ſibi utilem eſſe crederet, ſeu quòd ita tutius arbitraretur. Ac tum quidem hoc modo quieti ſe dederunt. *cap. 16. & 17. lib. 7. Cyropadiæ.*

Hierocles: Naturæ noſtræ ignoratione nullum non malorum genus in nos irrumpit: ita, ſi nos ipſi norimus, eaq; reſiciamus quæ naturam rationis participẽ dedecent; ipſam officiorum nequaquã fallacem obſervationẽ ubiq; reperiri poſſe; in quo ſingularũ virtutũ menſura poſita eſt. Si enim ad naturã noſtram, tanquam ad regulam, attẽdamus, id ipſum quod decet in omnibus, vitã ex rectæ rationis inſtituto, noſtræq; naturæ congruenter, agentes, inveniemus. Quicquid namq; eſt, quod animũ meliorẽ efficit, id revera virtus eſt, & philoſophiæ lex. Quæ autẽ ad humanam ſolum ſpeciem, atq; venuſtatem ſpectant; ſerviles quædam aſſutiæ ſunt, & virtutũ umbræ, quæ laudẽ apud vulgus venantur, nihilq; curant aliud, quàm ut probitatis famã cõſequantur. Ex recta porrò rerũ conſideratione ſequitur neceſſariò, utin his, quæ mortalibus ſine ordine videntur cõtingere, non ſine ratione nos geramus: ſed excuſſis diligenter eorũ cauſſis ipſa feramus fortiter: nec eos, à quibus noſtri cura geritur, eprehendamus; qui pro dignitate ſingulis, quæ decet, tribuentes, nõ pariõ omnes, quorũ progreſſus eſſent inæquales, affecerint. Qui enim, cũ providentiã mundõ regatur: cũ ſit etiã animus natura quidẽ ſua corruptioni nequaquam obnoxiõ; ſed voluntate ad virtutẽ, aut vitiũ feratur; eos liceat æqua nõ æquis, qui pro meriti ratione legis cuſtodes ſunt, reddere: nõ autẽ cõvenientẽ cuiq; fortunã tribuere, quã in lucẽ etiã homo prodiens ſortiri dicitur? Si ergo fabula nõ eſt, exiſtere providentiã, quæ quod decet ſingulis retribuat; animũq; noſtrũ manere iñortalẽ: perſpicuum ſanè eſt, eorũ cauſſas, quæ dolorẽ pariunt ab eo qui regit, ad nos eſſe trãsferendas: Cũ enim in nobis ipſis tatę inæqualitatis haberi cauſſas deprehendimõ; primũ quidẽ judicij rectitudine ab eorũ nos, quæ dolorẽ pariunt, gravitate ſublevamõ: ſacris deinde artibõ admotis, ipſum etiã animũ ſuaſionũ rectitudine ad meliora provocãtes, omnino moleſtiis nos eripimõ, atque liberamõ. Cũ autẽ qui malè afficitur, nec ad cauſſas advertit; nec ex cõtingentis rei ſimilitudine futuras conjicit: ſeipſum plane in omni re ſine ratione habere aſſueſcit: quod hoc loco prohiberi videmõ. Eſt enim eũ neceſſe, qui veras cauſſas nequaquã ſcrutatur, in naturã ſuperiorẽ culpã trãsferre: nullãq; omnino vel eſſe dicere; vel res noſtras ab illa malè adminiſtrari. At verò quæ ſunt ejuſmodi opiniones, non vitæ ſolùm ante actæ mala amplificãt; ſed animum etiã ad graviora ſcelera excitãt, eumq; arbitrij cultu eo ipſo privant, quod præſentium malorum cauſſas ignorare faciunt. *cap. 14. Carm. Pythag.*

Ariſtides Rhetor: Equidem arbitror eum qui plus quam res ferant, ſibi tribuat, aut etiam in vulgus uratur ſimulatione, ad id, vel verbis, vel factis obſtupe faciendum, nihil ſapere, eumque eſſe arrogantem, præſtigatorem, & ſi quo ſit alio vocandus nomine: qui autem viribus ſuis perſpectis, pro iis ac dignitate ſua de ſe ſentiat, neque amplius quærat quidquam; eum libertatis aſſequi metam. Ac veluti in divitiis, qui majorem quam pro re, faſtum præfert, & oberrans temerè inſoleſcit, atque id ſtudio habet, ut alios decipiat, eum ſuperbum aſcivum, ac protervum dicimus: qui verò objectius quam pro facultatibus ſe gerit, & ultrò ſe contrahit, ac fortunas ſuas negare mallet quam profiteri, non tam inter liberos habetur, quàm ſordidus tenax lucrique cupidus vocatur: ſic etiam in literis arbitror, atque in omnibus ferè negociis ſe res habet, ut pro dignitate ſit de ſingulis ſentiendum. Atque hic, meo judicio, ſimplicis animi vir eſt, non multiplicis qui plus ac minus tribuere ſibi poteſt, ac tam ſua quam aliena tum laudat ſi placet, tum vituperat ſi merentur, nec uſquam veritati quidquam præponit. Tam hoc animadverte. nondum enim tu fortaſſe mecum verſatus es. alioquin quantum in meis deſiderem, cognoſceres. nam quæ induco & muto, quid me de iis ſentire credis? ſed hoc ajo, nihil eſſe magis iniquum, quam ut ubique quivis æquè de ſe ſentiat. Quin etiam divinum dictum. Noſce te ipſum, hoc mihi videtur diſertè jubere. Non inquit ſimpliciter, nihil te eſſe dicas; verùm nec plus, nec minus quàm ſit opus. Atque hanc eſſe prioris dicti ſententiam, confirmat poſterius: quandoquidem illud, Ne quid nimis, huc ni fallor tendit. Dignitatem igitur & Apollo ceu vates ac poëta, & utroque modò veritatis interpres coli jubet, & tu, ſi ſapies, neque cum Deis contendes, ubique conſiderabis, ac ne contemnere videaris, cùm reliqua ſuppetant, curabis; verùm ea ubique perpenſa, ſecundum ſtatum & dignitatem cujuſque noſtrum facies judicium. Eadem enim alios decent, alios non item. Velut cùm Therſites ait:

Quemcumq; ipſe feram conſtrictum, aut alter Achivus;

ridiculus ſit opinor. tu conſtrictum? ſi non te alius ex Achivis ipſis, non ſufficiet: non vidis te contra tergum tuum garrire. At cùm Achilles ita narrat,

Quatuor oppida ter cepi navalibus armis,
Terrenis unum atq; decem circum ubera Troja:
Theſauros quibus è cunctis multosq; bonosq;
Eripui, atq; omnes Atrida munera feci.

nemo Græcorum indignatur. cur? quia congruunt facta verbis; & quæ dixit, vera ſunt omnia. Quocirca Vlyſſes idem illum Therſiten verberabat, huic ſupplicabat. *Oratione de paraphthegmate.*

Philoſtratus: Rogavit Apollonius Indorum ſapientes, an ſeipſos noſcent, putans eos, ut apud Græcos habetur, difficile æſtimare ſeipſum noſcere. Jarchas verba ejus in aliam ſententiam detorquens: Nos, inquit, omnia novimus, quia primos novimus nos; nec quiſquam noſtrorum ad hanc accedit philoſophiam, niſi antea ſe cognoverit. *libro 3. cap. 6.*

¶ Poetarum.

Nazianzenus Carmine 62.

Γνῶθι σαυτὸν, ἄριστε, πόθεν κεμὶ ὅς πε τύχῃς
Ρεῖα κεν ὧδε τύχης κάλλεος ἀρχέτυπα.
Te noſcas, & quæ tibi ſit cæleſtis origo:
Sic facilis venies ad decus archetypum.

Plautus Pſeudolo. 4. ſc. 2. v. 15.

Ec quem in angiportu hoc hominem tu novisti, te rogo?
B. Egomet me S. Pauci iſtuc faciunt homines quod tu prædicas.
Nam in foro vix decimus quisque eſt, qui ipſus ſeſe noverit.

Plautus Trinummo. 4. ſc. 2. v. 59

Novistin hominem? S. ridiculè rogitas, quo cum una cibum capere ſoleo.

Verſu. 109.

——natu me edepol arbitrare belluam,
Qui quidem non noſſe poſsim, qui cum ætatem exegerim.

Auſonius Edyllio 2. v. 20.

Quamquam difficile eſt ſe noſcere. γνῶθι σαυτὸν
Quam propere legimus, tam citò negligimus.

Auſonius, ore Chilonis.

Commendo noſtrum γνῶθι σαυτὸν noſcere.
Quod in columna jam tenetur Delphica.
Labor moleſtus iſte, fructus eſt optimi.
Quid ferre poſsis, quid dehonestare.
Noctu diuq; quæ geras, quæ gesseris,
Aduſq; puncti tenuis inſtar quærere.
Officia cuncta; pudor, honos, conſtantia,
In hoc; & illa ſpreta nobis gloria.

¶ Apologorum.

Babrias Περὶ Αετῦ τε καὶ Κολοιῦ. Fab. 25.

Ἀετὸν καταπτὰς Αετὸς καθαρπάσας,
Ἰδὼν Κολοιὸς, ὠν κεμνῷ πεπάτηκε πόδι.
Ὀν εἶλε ποιμὴν. πῶς δ' ἰφώνει τὸν π.
Ἐμοὶ Κολοιος, Αἰβὲς δ' αὐτῷ πέλει,
Επιμύθιον.
Οτι δ' δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς κρείττονας.

De Aquila & Cornicula.

Agnum devolans Aquila quum rapuiſſet,
Idque vidiſſet Monedula, in ariete facit eadem,
Quam paſtor cepit. puer autem clamabat tale quid:
Mihi monedula, Aquila autem ſibi eſt.

Affabulatio.

Quod non oportet imitari præſtantiores.

Avienus: Aſinus pelle Leonis indutus.

Metiri ſe quemque decet, proprijſque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre ſibi
Ne detracta gravem faciant miracula riſum
Cœperit in ſolitis quum remanere malis.
Exuvias Aſinus Gatuli fortè leonis
Repperit, & ſpolijs induit ora novis,
Aptavitque ſuis incongrua tegmina membris,
Et miſerum tanto preſsit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo circumſtetit horror,
Pigraque præſumptus venit in oſſa vigor,
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat pavidos per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magna poſtquam deprendit ab aure,
Correptum vinclis, verberibuſque domat.
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo,
Increpat his miſerum vocibus ille pecus:
Forſitan ignotos mutato tegmine fallis,
At mihi ſeu quondam ſemper aſellus eris.

¶ Emble-

¶ Emblematum.

Camerarius XVI. Centur. 2.

Nil ultra vires. Camelus oneri succubus.

Ne nimium imprudens teneris impone lacertis,
Et fortem sternunt pondera iniqua virum.

Nosce teipsum. Emblem. 1.

Ne meritum praclustre tuum, Dignissima mundo
Pars Homo, servili conditione premas;
In te tota patet cœlorum atque orbis imago,
Hinc decus, hinc dotes noscere disce tuas.
Florens Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Arsenius Abbas: Sui Cognitionem, quam veram Philosophiam dicebat Demonax, rem difficillimam Thales, tractandam per exempla suscipimus. Primum sit Arsenii, magni illius Abbatis, quem dum videret quispiam cum Ægyptio viro agresti multa disserentem de cogitationibus, & non sine admiratione multa inquirentem; indignabatur, virum tantum, & tam celebrem, hominem idiotam de gravissimis rebus consulere: sed Arsenius, *Non quidem negaverim mediocriter me eruditum: hujus tamen rustici illiteratam insectiam me nondum fateor didicisse.* Sur. tom. 4. ex Palladio & Metaphr.

Idem: Ejusdem etiam percelebre illud, quod commemorat Dorotheus. solitum enim eum frequenter dicere asserit, *Arseni, ad quid veniisti?* nihil magis reputans ad sui cognitionem assequendam facere, quàm sæpiùs meditari, ad quid huc venerimus. *Doroth. doct.* 10.

Constantius Monachus: Hunc Arsenio socium damus. nam cùm ad videndum eum quidam è longinquâ regione Anconam venisset, eumque quod statura pusillus esset despexisset, irrisorem suum oculo excepit, &c. *Quantum gaudeo,* inquit, *quòd tandem nactus sum hominem, a quo jure parui pendendus existimor. Servũ enim me scio, & ut habitu, ita ad quodvis bonum opus pusillum, ac prorsus inutilem.* Longè aliter hic sentiebat, quàm publica hominum lex:

Quà nemo in sese tentat descendere, nemo.
Sed procedenti spectatur mantica tergo.

Greg. lib. 1. Dial. cap. 5.

Franciscus Borgia: Ille item dignus qui inter priores locum habeat. Occurrenti namque Dynastæ Hispaniæ, ejusque vicem querenti, quòd inops veste attrita ambularet, seque & valetudinem negligeret, respondit: *In me fore recipso, ut mihi caveam. Iter enim facturus, prodromos binos præmitto tamquam exploratores, qui hospitiũ mensamque adornent.* Interrogantique Dynastæ, Equósnam illos? *Mei,* replicabat, *cognitionem, & pœnarum apud Inferos quas merui, contemplationem* Lib. 4. vit. ejusd. cap. 1.

Religiosus Anonymus: Iste quoque interrogatus à confratre, Cur ego assiduè judico fratres, eosque carpo? respondit; *Quia necdum teipsum cognovisti. Nam seipsum qui novit fratrum vitia non aspicit.* sed potiùs considerat.

—— num sibi quid vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.

Anonymus Franciscanus: Cùm esset hic Ecclesiastes summus, rogabatur, cur non eam energiam haberent sermones ejus, quam Bernardini religiosi viri, quem ipse tamen eloquio superabat; *Ego,* inquit, *comparari possum carboni calido, sed non ignito: cui si alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus similis carboni ardenti, inflammatus divino spiritu: cui si applicentur alij, ignem concipient.* In vita S. Bern. apud Sur. tom. 7.

¶ Monosticha Trochaica.

Alterum novisse pulchrum est; semet ipsum pulchrius.
Arduum invenire quenquam qui probè se noverit.
Caussa cuncta pravitatis est sui ignoratio.
Convenit Deum timenti semet ipse ut noverit.
Crimen haud est improbitatem nosse, at illi assuescere.
Cùm cognoveris vitam, sine curâ vitam ttem exigas.
Difficillimum est cui vis semet ipsum noscere.
Ex sui cognitione ipsa nascitur felicitas.
Ex sui ignorantia omne nascitur infortunium.
Hominem noveris dum vivit; quæsieas ubi est mortuus.
Imponi bovem sibi urget ferre qui nequit capram.
In foro vix decimus quisque est, qui ipsius sese noverit.
Malum inutiliter cavetur cognitum nisi sit satis.
Maximè notus sibi est, qui se nec esse existimat.
Maximè se novit esse qui nihil quidquam putat.
Maximè se novit omnium, esse qui nil se putat.
Non potest se nosse, vires ille qui nescit suas.
Nosce te ipsum, nec nimis te deprimens aut elevans.
Nosce te, sed sic, ut nec nimis minusque sentias.
Nosse ubi se quisque cœpit, vivit avum suavius.
Notus malum quò quodq; est, hoc tolerabile maximum est.
Noveris hominem dum vivit, quiescas est ubi mortuus.
Nulla major regis virtus, nosse quam probe suos.
Optimè geret res omnes ipse se qui noverit.
Pars probitatis est meliora nosse, implere si nequis.
Qualis es, talem quoque esse tu ipsemet existimes.
Qui se nescit, cuncta curat anxiè magè quàm sua.
Quisq; novit alterum; at se vix homo millesimus
Qui se novit haud vexatur perturbationibus.
Qui sibi est ignotus, uti semet ipso quei queat?
Qui Deum se scire credit, Solem in undis inspicit.
Quo malo perdare si scis, est levamen in malis
Rex sciat mores suorum tam bonos quam non bonos.
Rex sciat quidem omnia; at non exequatur omnia
Si Deum vis nosse, oportet ipsum te noscas prius.
Totam agit vitam beatè, nosse seipsum qui potest.
Transit ad stultos tenetur qui sui ignorantiæ.

¶ Jambica.

Agnosce qui sis: vince mundum & sæculum.
Cœleste pectus cuncta scit, falli nequit.
Cognoscere seipsum, est temperanter vivere.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Est cognitionis finis, adquiescere
Et cordis auris, cordis vocem intelligit.
Ipsum id quodes, te semper esse cogita.
Iucundius nil nosse quam bona omnia.
Meminisse quemque originis decet suæ.
Nihil ages nimis si teipsum noveris.
Nil magè difficile est, ipsum quam se noscere.
Noli tibi plus de te tu quam alijs credere.
Novisse se ipsum, culmen est sapientiæ.
Novisse se, primus gradus sapientia est.
Novit profecto cuncta qui notus sibi est.
Proclive non est nosse seipsum cuilibet.
Quem noverit qui ignotus ipsemet sibi est.
Qui se novit Deumq;, novit omnia.
Qui non sibi est notus, sese uti non potest.
Quis omnium naturam habet notam suam?
Rarò antecedit cognitionem affectio.
Te nosce ipsum: nesciunt id plurimi.
Vbi noveris quid homo sit, vives dulcius.

Plura habebis, titulo, *Arrogantiæ, Superbiæ, Sortis, Discendi, Præceptoris.*

Coitus.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Homines venereis rebus non uterentur, nec darent operam liberis, sed nec dormiturí essent, si essent immortales, nullius egeni, & expertes senii. *Protreptico ad Græcos.*

Clemens Alexandrinus: Sed nec eum qui ex conjugali surgit cubili, similiter ut olim, tingi nunc quoque jubet divina per Dominum providentia: non enim necessario à liberorum abducit procreatione, qui credentes per unum baptismum, ad consuetudinem omni ex parte perfectam abluit Dominus, qui etiam multa Mosis baptismata per unum comprehendit baptismum. Olim itaque lex, per carnalem generationem, nostram prædicens regenerationem, propter generantem seminis facultatem adhibebat baptismum, non abhorrens hominis generationem. Quod enim apparet homo generatus hoc potest seminis dejectio. Non sunt ergo multi coitus genitales, sed matricis susceptio profitetur generationem, in naturæ officina semine formato in fœtum. *lib. 3. Stromatum.*

D. Chrysostomus: Nequaquam permittit coitus ut duo sint, sed ambos unum facit. *Homilia* 18. *ad Corinthios* 1.

S. Isidorus Pelusiota: Quod ex parentum intemperie proles quoq; intemperiem contrahat, rationi consentaneum & perspicuum est: quòd autem ex intemperantia, incertum quidem, sed verisimile est. Nam quòd ex iis, qui adversa valetudine laborant, atque ægritudine aliqua occupati sunt, imbecilles filij nascuntur, rationi dissentaneum non est: quòd autem ex sanis quidem, verùm intemperantiæ deditis, verisimile quidem est, non tamen perspicuum. Vnde etiam, ut opinor, propheta Ezechiel simul cum aliis peccatis illud etiam collocavit, quòd peccator ad mulierem menstruo profluvio laborantem accesserit. Quanquam enim potissimùm hoc idcirco dixit, ut honestatem naturæ custodiret, & quia ipsi, dum in purgatione versatur, negotium exhiberi, absurdissimum facinus esse diceret, tamen etiam hoc eâ ratione dixit, ut ne filiis quoque suis fœdorum morborum causa existerent. Siquidem virile semen cum impuro fœminæ sanguine commixtum corpora variis morborum generibus obnoxia procreat. Etenim parentum intemperantiam & libidinem quodammodo exprimunt. Quamobrem, inquit, si probi filiorum vestrorum temperamenti, & sanitatis cura vos tangit, nec vultis ut ex Dominicâ Ecclesiâ sejungantur, cavete, atque congressus fœminei tempus agnoscite, ne alioqui filij quoq; intemperantiæ atque impudicitiæ vestræ notas circunferant. *lib. 3. Epist.* 411.

S. Isidorus Pelusiota: Quamquam venerabile est conjugiũ, & legitimum cubile: tamen non semper & passim sine dilectu in concubitum

cubitum insiliendum est; sed sunt tempora quædam, quibus temporibus oporteat à coitu abstinere, & concedendum naturæ, donec sit pura, & apta fiat ad liberorum procreationem. Atque hoc quidem Lex ita sancivit. Gratia autem (Evangelii) etiam studio castitatis, & propter continuas preces id fieri consuluit: Per Paulum quidem dicens: Vt vacetis orationi: Per Petrum verò; Oportere enim dixit viros quasi infirmiori vasculo muliebri impartiri honorē. *l. 4. Ep. 119.*

¶ POETARUM.

Nazianzenus Carm. 3. præc. ad Virgg.

Vt semel est dulci turtur viduata marito,
Extinctum gemit assiduè, luctuque requirit.
O vere sapiens volucris? Mortalibus autem
Quanto Virginitas tandem præstare putanda est?
Garrula quinetiam cornix orbata marito
Tristis agit vitam, cunctosque exhorret amores.
Nec vero multis circum connubia pisces
Finibus excedunt legum, temereque feruntur
In Venerem: vitam sed magna ex parte pudicam
Traducunt, thalamoisque & jura uxoria curant.
Namque etiam in magno legus viget æquore regnum.
Sunt quibus est uno partu contenta libido:
Sunt qui dumtaxat sub verni temporis horam
Fœmineo coitu gaudent, natura modumque
Imposuit Veneri, & rabidos frenavit amores.
Omnibus ac rursus coeundi tempora certa,
Aerijs, quaque in terra versantur, & alto.
Namque animal nullum fines excedit amoris,
Sed tempestiva stimulata libidine cuncta
In Venerem exorto turgentia vere feruntur.
Ac quadam mixtim coeunt discrimine nullo.
Cætera legitimo coitu definit amorem
Turba, suis rabidos sedans uxoribus ignes.
Sunt etiam quibus est unum satis edere fœtum.

Collegæ.

¶ MONOSTICHON TROCHAICVM.

INter collegas rarior concordia est.

¶ JAMBICA.

Collega collega invidet successibus.
Collega fratris pene amandus est loco.
Collega non favet collega, imò invidet.
Consortes ejusdem honoris nunquam amant se mutuò.
Crescere invicem collega se haud ferunt vel tantulo.
In magistratu omnia audet cui collega est obsequens.
In præcipio collega sæpè collega est canis.
Invicem invident collegare super domestica.
Nulla major quam collegas inter invidentia est.
Optimè geritur collegis publica res concordibus.
Qui magistratu collegam dejecit, anno eo interit.
Quisq; commodo collega, quisq; gloria officit.
Vt fratrum, sic collegarum rara valde gratia est.

Collegij.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

COnjurationis ortus multus à collegijs.
Crapulæ vacant veneriq;, non sacris collegia.
Luce, inutile omne, noctu, pestilens collegium est.
Nequitiæ scholam putato quodlibet collegium.
Pace inutile omne, bello noxium est, collegium.
Spiritus, augent feroces civibus collegia.
Vis in urbe factiones? constituas collegia.
Vix est ut non seditiones nutriant collegia.

¶ JAMBICA.

Collegiorum noxia est frequentia.
Discordiarum fomites collegia.
Dissensio est in urbe ubi est collegium.
Invisa quavis regibus collegia
In urbe ne sit consilium nisi publicum.
Nutricula sunt schismatum collegia.
Vel nulla sint, vel pauca sint collegia.

Colloquiorum.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

S. PERMENAS PRESBYTER. Corrumpunt bonos mores COLLOQUIA prava, habet vulgatum illud. & verè ita esse, suo dicto confirmavit PERMENAS vir sanctissimus, qui cum Polycronio Episcopo Babylone martyrium subiit. Comprehensus namque à Decio, cùm is multa Polycronium rogaret, & ille nihil responsi redderet, quæsivit Jmperator, num mutus effectus esset quod PERMENAS excipiens; *Non est*, ait, *mutus Episcopus, sed tacet, ne impiorum colloquijs inquinetur. Marul. lib. 5.*

S. Ludovicus Episc. Tolos. Paris virtutis & animi hic: qui vana hominum colloquia velut cane & angue pejora fugiebat. Dicebat autem, quod & verè sentiebat: *Grata mihi piorum & bonorum familiaritas: quia ab his eruditio & pietas, non secùs ac ab aromatibus odor. In vita ejusdem manuscr Lovan. in Biblioth. FF. Minorum.*

S. *Godofredus Episc. Ambian.* Nec minùs illustris iste, apud quem ea invaluerat consuetudo, comites itineris vel antecedere, vel remotiùs eos subsequi; accedere autem neminem. Rogatus autem cur id ageret; *Ne*, inquiebat, *otiosis sermonibus detur occasio.* suo exemplo contestatus, Deo dicatū, sacris contemplationibus, non inanibus sermonibus intentū semper animū habere oportere. *Sur. tom. 6. in vita.*

Coloniæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AD coloniam feroces mitte, vel bello obtere.
Civium dissensiones dissipes colonijs.
In coloniam feroces mitte, vel bello obtere.
Per colonias divisa face plebis, urbs valet.
Quot quaq; urbs habet colonos, tot habet quoq; obsides.
Terminos pulchrè tuentur contra hostem colonia.
Turbulentum specie honoris mittito in colonias.

¶ JAMBICA.

Civium dissensiones dissipes colonijs.
Colonia, ingens nostris propugnaculum est.
Colonia omnis servias, non imperet.
Fines tuos mire munit colonia.
Nil audet hostis obsitus colonijs.
Et transmarinus rem augeas collegijs.
Vt servituris sedes est colonia.

Comæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

SYNESIUS: Ait Dio Prusæus: (ut moris habeo) salutatis comam accurabam: molliusculè enim mihi tum corpus habebat, hæc autem diu neglecta fuerat, & convoluta, contortaque ferè omnis erat, ut sunt lanæ illæ, quæ in ovibus proximæ cruribus dependent. Quanquam & nostra quoque squalidior, utpote ex pilis implexa tenuioribus. Erat igitur & visu ipso horrida cæsaries, & inculta, dissolutuque contumax, quam cum distingueres, undequaque aut avulsam, aut distentam cerneres. Quamobrem comæ studiosos homines impensius tum laudabam, qui cultus, atque elegantiæ amore, comæ, quam magni faciunt, curam habent præcipuam, calamumque perpetuò, quo eam dum vacat, vellicent, in crine gerunt. Ac, quod in ea re molestius est humi cum jacent terram ipsam verentur attingere, & ab ea ut absit plurimum ligno aliquo caput suffulciunt, majoremq; nitidæ comæ habendæ quam suaviter dormiendi curam habent. Illa enim pulchritudinem ac terrorem addit, somnus quantumvis suavis inertes, ac improvidos reddit. Nec certè ea res Lacedæmoniis neglectui fuisse videtur, quorum trecenti olim cum venissent ante grave illud ac formidandum certamen, quo Soli ex Græcis Persarum regis impetum propulsaturi erant, comam adornantes sedebant. Sed & ab Homero multū ei curæ, studiíque tribuitur. Nam si quas ob pulchritudinem laudat, oculorum ratio meminit, nec in eo præcipuum esse putat laudandæ pulchritudinis argumētum. Neminem igitur Heroū ex oculis commendat, uno excepto Agamemnone, idque cum & reliquum ejus corpus laudaret, & non græcos tantum omnes nigris ac volubilibus oculis conspiciendos appellat, sed ipsum quoque Agamemnonem, id quod commune erat Græcis omnibus. Comam autem in singulis laude afficit, in Achille imprimis.

Flavaque coma prensavit Achillem.

Deinde Menelaum à coma flavum nuncupans. De Hectoris verò cæsarie mentionem facit.

—— & cerula passim
Cæsaries raptata. ——

Euphorbo deinceps Trojanorum formosissimo occumbente, nihil præter comam aliud deploratur.

Sanguine sparsa coma est, Charitúmque simillimus ille
Crinis, & intorti argentoque auroque capilli.

Vlyssem quoque à Minerva formosum factum cùm describit

—— Cærulei (inquit) *pendent de vertice crines*, & rursus de eodem, *—— crispamque in vertice fudit*
Cæsariem, & gratos hyacinthi flore capillos.

Quid quod & capillorū honos ab eodem Homero viris quàm mulieribus magis cōvenire censetur? Sanè fœminarū speciē cūm prædicat,

Comæ

Comæ haud ita sæpè mentionem facit. Jam enim Deabus ipsis aliud laudum genus accommodat, aureámque Venerem, rotundis atque amplis oculis conspicuam Junonem, Talis argenteis insignem Theidem appellat. Jovis vero ex Cæsarie præcipua apud eum laus:

Cæsaries magni subito est concussa tonantis.

Hactenus Dio.

Cæterum ut neque omnino malus vates sum, vel ipsum sciebam ex hac oratione Thrasymachum pudore suffusum iri: quod mihi ex eo non accidit, quod ilico ipsa sum plane oratione victus. Nunc illud mihi occurrit, Dionem incredibili quidem dicendi facultate præditum esse, nihil tamen habere de quo dicat, & præ ipsa nihilominus facultatis copia ad dicendum incitari; quandoquidem multò magis admirandus videri potuit, si vim ille suam ad id quod contrarium est laudandum, Calvitium scilicet nostrum, transtulisset: Nam qui in adeo jejuna inopiq; materia copiosus est, quid ab eo factum iri putandum est, si in eam inciderit quæ tantam eloquendi ubertatem possit capere? Jam verò cum ei & coma esset, & dicendi ars, in laudanda coma artem quam habebat expertus est; Quàm verò callidè seipsum in hoc opere insinuavit? Nec enim alius est is cujus in hac oratione meminit, comæ studiosus, qui calamo comam venustat, quam ille ipse quocumq; demum calamo hanc orationem scripserit. Ego vero cum & calvus sim, & dicendi non imperitus, materies & multò sit ipsa materie præstantior, quam ego Dione sim deterior: cur non contra accingor, meique & argumenti ipsius periculum facio, si fortè in crinitos homines vicissim probrum istud retorquere possim? Dicemus, sanè, neque tamen concitatum quid, vibratúmque præfabimur, cujusmodi potissimùm exordiis certatoriæ, & contentiosæ orationes, non secus ac rostris triremes ab oratoribus muniuntur, neque præcentivo ullo utemur, quod à Dione nostro factum est, qui canorum, suavémq; carminis auspicatum ante orationem suam, quasi ante citharœdi cum modum præludij instar emodulatus est.

Diluculo surgens, diísque (ut moris habeo) salutatis comam accurabam. Molliuscule enim mihi tum corpus habebat. Hæc autem diu neglecta fuerat. Ac deinceps ita progressus, ex incuriæ eventibus sensim ad curationis comæ laudes dilabitur. Ita enim nobiscum agere solent periti illi orationis artifices, ut nunc demulceant, nunc terrorem, ac stuporem incutiant. Ego autem res quidem ipsas percipere, animóque dijudicare haud deterius altero possim: Oratoriam tamen nequaquam profiteor, sed duas potissimum artes in vivendi ratione pro me semper habui. Arboribus enim colendis, alendísque ad acerrimas quasque feras consectandas canibus operam omnem adhibui, digitique hi nostri scaphiis, ac venabulis potius quam calamo attriti sunt, nisi pro scriptorio fortè calamo Jaculi nostri arundinem velis usurpare, cui tractandæ omnino eos intabuisse mirum non est. Haud hercle unquam paternæ rusticitati pudori futurus sum: neque contortis atque incitatis oratiunculis proœmij ac præludij loco usus videbor, sed quod & optimum duco, & rusticorum moribus magis esse consentaneum nuda ipsa sensuum animi signa in medium adducens, solis rebus contendam. Liceat modo linguæ tenorem à disputatione ad rei propositæ animadversionem, considerationémque convertere, à Dorio (ut ajunt) ad Phrygium.

Atqui spiritus vigore mihi opus est, qui argumentationibus, & ratiocinationibus sufficiat, quæ mihi (ut auguror) uberrimè cor meum suppeditabit. Nostra igitur oratione definietur, *Homini calvo nequaquam esse pudendum.* Quid si enim glabro sit capite, villosa tamen hirsutáque animi prudentia, qualis Æacides à Poëta celebratur? At is crines admodum contempsit, quos & mortuo amico profusè spargebat. Vita siquidem carent ij, & viventibus vitæ expertes adnascuntur. Quam ob causam inter bruta animantia quæ à ratione alieniora sunt, per totum corpus pilis vestiuntur. Hominis autem quia vita sincerior est, nuda est oneris cognati pars maxima, qui ne arrogantius insolesceret, si nulla ei esset cum caducis ac interituris rebus societas, aliquot sui partibus pilos habet. Quò fit ut qui vel in his paucis partibus pilis caret, hic si cum altero homine comparetur, tantundem eo sit, quanto homo belluis præstantior. Sed ut animantium omniũ sagacissimum juxtà & nudissimum homo est, ita oves cæterorum omnium stolidissimas esse nemo est qui diffiteatur; hoc autem ipsum animal est, quod non distinctos, discretósque pilos, sed convoluta densitate collectos emittit. Ita cô ferme jam res rediit, ut capillitium istud omne cum prudentia, sapientiáque pugnare videatur; nec enim in quoquam simul esse queunt. Quod siquid dicendum est, quod Venatoribus ex usu sit, quibuscum nobis amicitia est, & illorum artis quoque peritissimi sunt canes ij, qui auribus, & ventre glabri sunt, villosi contrà attoniti omnes, temerarij, ac venatione interdicti meliores sunt. Cùm verò sapiens Plato in bigis illis, quarum auriga est anima, alterum equorum, quem improbum vocat, surdum, atque auribus hirsutum faciat, quàm honorificè demum de capillis existimat? Sed vel tacente Platone necesse est surdum eum esse, qui qua audimus parte villosus sit, uti & cæcum, qui ea sit parte villosus, qua cernimus. Atque si cui hoc cõtingeret, prodigiosum haberetur. Nonnullis verò palpebræ duplici pullulant pilorum serie, ídque inter extrema mala esse creditur, si in oculos hi tanquam peregrini invaserint, ad quos prohibendos artem omnem, ac vim adhibemus, ne oculum nobis effodiant. Nam quæ vilissima sunt cum pretiosissimis sociari natura non patitur: pretiosissimæ autem animalis partes sunt ipsa sensuum domicilia, quibus inter cæteras corporis partes maximè animal est. Primus enim his anima vires suas, ac facultates impertitur, cúmque primaria, ac dignissima sit videndi faculras, ea quoq; omniũ pilis maximè vacua est.

Rursus itaque ut in uno homine pilis vacant eæ partes imprimis, quæ sunt nobilissimæ: Ita in genere hominum optimi quique eo modo affecti sint necesse est, quod à nobis paulo anteà confirmatum est, neque tantopere à brutis animantibus, quantum à pilorum hirsutie totum ipsum hominum genus abhorret. Quocirca cùm cæteris animantibus sanctitate, ac dignitate homines, & cæteris hominibus ij longè antecellant, quibus pilorum jactura divina quadam felicíq; sorte contigit, sequitur Caluum eorum esse quæ in terris sunt, omniũ divinissimum. Licet eas intueri quas in Musco habemus, depictas clarorum virorum imagines, Diogenes inquam illos, & Socrates, aliósque ab hominum memoria sapientes; Caluorum Theatrum, conventúmque esse dixeris. Nec est quod hoc loco mihi ullum negotiũ facessat Apollonius, nec alius quisquam præstigiatorum ejusmodi, ac in magica vanitate callidissimorum, qui cum ipsi comati non sint, ejusmodi tamen ut appareant, vulgi oculos fascinare possunt. Sed nec ulla fortè impostorum ejusmodi peritia est, sed portentorum potius artifex, non ars quidem illa, sed facultas. Ita enim à Legislatoribus sapientiæ, peritiæque honos semper habitus est, ab ijsdémque veneficis atque incantatoribus puniendis carnifices alebantur. Quantumvis igitur Comatus fuerit Apollonius, magni interesse non potest: Quanquam mihi cum homine amicitia est, eúmque plurimũ optem ex hoc esse numero. Prope enim est, ut ex his quæ dicta sunt hactenus, apta sit orationis conversio, si quis sapiens sit, eum itidem & caluum esse oportere; qui non caluus sit, eum neque esse sapientẽ. Atque eodem modo in diis, ac dæmonibus se res habet, neque id ignorat qui Bacchi sacrorum ceremoniis interfuerit. Ex eo igitur cõventu, atque cœtu qui hirsuti, ac hispidi sunt, pilis partim nativis, partim adscititiis vestiuntur. Nec enim Nebride ipsa quicquam est Bacchi sacris familiarius, aliique vel à Piceis capillamenta mutuò accipiunt. Hos autem omnes succussari, ac gestire videas, & indecorè saltare, utpote, opinor, temulentiâ correptos, quæcunque demum in sacris temulentia est. Verum illi ad naturæ inertiam redacti, ac resoluti videntur. Silenus vero cathedram illic suam, ac pellem habet, & Bacchi pædagogus est. Oportebat enim, ut opinor, eum qui quidè caluus esset, sapere, atque inter tot fanaticos & furiosos esse temperatum. Neque vero leve tum aliquid esse suspicere, cæteris omnibus dæmonibus ipsum ab Jove esse prælatum, ut puerulo suo adesset, ac castigaret. Et enim nonnunquam illum mero indulgere opus est, & naturæ gestientis illecebra furere, ac eo insaniam progredi, ut cum Bacchantibus tripudia, ac choreas exerceat. Sed furorem moratur Silenus, ne imprudens in alteram partem fiat propensior, Patríque sese demum minus tractabilem præbeat.

Verum quamprimum hinc traducenda est oratio, si prius evidentissimo ista nobis argumento fuerint, ibi demum menti, ac prudentiæ locum esse, unde effluxerint pili, ibique pilos esse, unde prudentia effluxit. Quam præsertim ob causam Sophronisci filius ille Socrates, de se alioqui moderatè sentiens, ac in propriis dotibus prædicandis omnium parcissimus, temperare sibi minimè potuit, quin de sua cum Sileno similitudine gloriaretur. Nimirum in eo nihil non eorum quæ vellet comprehendebat, cum in capite mentis ac prudentiæ domicilium statuisset. Sed cùm alia multa consulto à Socrate dicta factáque, tùm hoc potissimum stolidos, ac ineptos homines latebat, plurimum sibi Socratem ex hac cum Sileno collatione gloriæ, ac splendoris conciliare. Iam illud, Puerulis quidem ea in ætate florere comam, qua nondum sapiunt, eademque senio appetente caducam excidere, nec eam operire ætatem, quæ mentem, ac sapientiam dubio procul in animum inducit animalis, quid aliud quam pilorum naturam penuriæ rationis coarguit? At est aliquis qui etiamnum cum senectute comam habeat, nempe & senex quoque aliquis desipit, *Nec consummatam hominis perfectionem assequi cujusuis est hominis.* Ita ergo naturâ comparatum est, ut sese duo hæc mutuò non patiantur, coma & prudentia, sed alterum uti tenebræ lucis, ita alterius præsentia evanescat, cujus rei causam investigantibus arcana, ac minus evulganda ratio est. Nos vero ex iis, quantum ad institutum nostrum satis erit selectis nonnullis, quæ minimè profana aut prodenda fuerint, sanctè religioséque occultare conabimur.

Primæ quæque res simplices sunt, Natura autem ad inferiora demissa varietatem induit. Materia porro rerum omnium extrema est, proindeque & cumprimis varia, neque, si divinum quid recipiat, statim ipsum quantum est recipere potest: priusque imaginibus quibusdam, sive seminibus receptis, eadem fovet, ac complectitur, totáque in illis occupatur. Igitur aut ea forte apprehensa conservatura est, aut propter necessarium utriusque dissidium primo statim in congressu quod ei divinum inest prævalebit, penitúsque conficiet priusquam elaborata, ac perfecta fuerit imago. Sed & utrunque ab ipsa præstari potest: Nec enim ut videntur, ista sibi invicem repugnant; Quoniam autem de hisce nunc sermo nobis non est, sed alterius causa hæc proposita sunt, ex rebus ipsis palam faciendum est; in his quidem quæ imperfectiora atque inchoata duntaxat sunt naturam ipsam, materiamque plurimum habere virium, confirmatis vero, ac valentioribus cedere. Quæ terræ mandantur semina, nonne divina ea credendũ est, quamvis infima, constare ratione? Finis itaq; eorum fruges sunt, ad quas priusquam perveniatur, ipsam naturæ ostentationem ornatúmque contuere. Radix primum, tum culmus, tunica, aristæ, glumæ, præterquas aliæ itidem glumæ, fruges verò nondùm explicata, sed in interiori conceptu delitescens, cujus adventu ista omnia materiæ ludicra dilapsa decidunt. Venustate enim ac decore non indiget, quod perfectum est, perfecta vero ea demum fruges est, quæ in sese aliam

continet

tinet ſeminis rationem. Quorum in memoriam in Eleuſide Cereris ſacra celebrantur, quæ Anacalypteria quaſi Revelatitia appellãtur. Quocirca cum mens cæterorum quæ ſuperne mittuntur, ſeminũ diviniſſimum ſit, & in ipſum caput introducatur, cui materiæ concreta mens pro fructu eſt, quemadmodum frumentum ex ratione illa ſeminis tanquam fructus educitur: in eo natura ſolito munere fungitur. Namque mirabili varietate caput exornat, capillorumque quaſi ariſtarum, aut folliculorum, aut mehercule florum inſtar, quos in ſtirpibus baccas producit, pulchritudine reddit venuſtius. At neque arboribus fructus priuſquam de floruerint, neque capiti mens animique prudentia inſidet, antequam perfectione m adeptum, inutilia, ac ſupervacua quæque temporis diuturnitate quodam quaſi ventilabro, excuſſerit, ac naturæ quodammodo nugantis ejectamenta repurgaverit, adeóque evidens hoc eſſe poteſt conjiciendæ in fructu maturitatis argumentum. Quodcumque tu accuratè depilatum caput animad verteris, ſic habeto, illud & prudentiæ domicilium, & divinitatis eſſe templum. Haud temerè igitur ſacra quædam poſſint in retecti capitis honorem quaſi revelatitia celebrari. Quæ profanorum quid m hominum cauſa ita nuncupentur, à ſapientibus tamen mentis, potius intelligentiæq; introductoria indicentur. Ac qui noviſſimè in caluorum numerum relatus fuerit, hic recens ſacris admiſſus ac Theophaniis, hoc eſt quæ in deorum apparitione celebrantur myſteriis initiatus habendus eſt. Sed ut tritici grana quædam, aut punica mala, nucéſve carie contracta in putaminibus, atque involucris corrupta putreſcunt, Ita improba quædam capita divinæ ſortis expertia mortuarum partium redundante copia ambiuntur.

Jam vero Ægyptios ego ſacerdotes ac numinis cultores vel ab iis, quæ in genis naſcuntur ciliis abhorrere animadverti, qui erant illi quidem viſu ridiculi, ſed prudens tamen ejus faciendi conſilium iis non defuit, ut callidis hominibus Ægyptiiſque par eſt. Quæ enim natura cõſtant æterna, quorumq; natura vita ipſa eſt, nefas eſt quicquam eis eſſe cum partibus mortuis conſortii. Itaque ſi omnes novacula manuque deraſi hominum, pii ac religioſi cenſendi ſunt; qui natura caluus eſt, ipſius naturæ ſponte cum Deo affinitate cõjunctus eſt. Ac neſcio an eo modo divinum quoque numen affectum ſit. (Quanquam eorum, quæ à me dicentur, cauſſa propitium tum eſſe velim, omnino pia animi religione pronunciabitur.) Quicquid igitur divini numinis arcanum, ac reconditum eſt, quid eſt quod à quoquam curioſè inquiratur, cùm nulli poſſit eſſe manifeſtum Quodcumque autem ex eo oculis ſubiicitur, præter exactos globos ſphæraſque nihil aliud videas, Solem, nimirum, Lunam, fixa omnia, errabundaque ſidera, quæ etſi alia ſunt aliis majora minoráve, at eadem planè omnia figura conſtant. Jam quid ſphæra, aut caluius eſſe poteſt, aut divinius? Celebris nonnullorum ſermone ſententia eſt, *Animam, quoad ejus fieri poteſt. Deum imitari*, Tertium illum Deum intelligo, qui mundi eſt animus, quique ab eodem & parente autoreque ſui, & mundi hujus corporei opifice in univerſum introductus eſt: Quem idcirco perfectum, ad totum univerſumque univerſis ex corporibus ac ſeminibus formavit, eique figura omnium conceſſa maxime capax. Eſt autem ex his figuris, quæ æquali ambitu ac circuitu comprehenduntur, major illa ſemper, quæ pluribus angulis conſtat, multangulas autem omnes circularis inter planas magnitudine excedit, ut & earum, quæ profunditate conſtant, omnium eſt ſphæra capaciſſima, Quod ijnorunt qui Geometriam, ac ſolidorum artem aſſecuti ſunt. Quare ſicut totâ integráque anima totum ipſum univerſum, quod ſphæricæ formæ eſt, animatur, ita quæ à totâ illâ animâ effluxere partes ſingulæ, quod cuivis animæ natura inſitum eſt, gubernare corpora, mundorumque eſt animæ deſiderant, quæ diviſionis illis cauſſa fuit. Ita factum, ut naturæ particularibus ſphæris opus eſſet, hincque ſuperne quidem ſidera, inferne vero capita formata ſunt, animarum habitacula, & in majore mundo minores.

Mundum enim animal eſſe oportuit, ex animalibus coagmentatum; Ac ſtolidioribus quidem animis parum intereſt, an comarum caput ſubierint, quod ad exacta figuræ circularis imitatione remotius eſt: ſapientibus autem pro cujuſque merito, ac dignitate, aliis ſidus, aliis calvitium obtigit. Quamvis enim inferiorum natura ſynceram ac exactam in rebus elaborandis perfectionem aſſequi non poſſit, at ſuperior extremaque corporis facies, quæ cœlum verſus erigitur, mundus quin ſit figuræ imitatione fetre non poteſt. Ex his ergo omnibus calvitium manifeſtò cœlum quoddam eſſe conſtat; Ita ut quæcumque in ſphæram præconia congeſſerit quiſpiam, iiſdẽ ipſis quoque calvitium neceſſe ſit commendari. Proinde & Homerus ſcribendo, & Phidias fingendo, ſi lubeat, Dioni laudandæ Comæ argumenta ſuppeditent, altamque & promiſſam Jovi Comam, ac denſiſſimam affingant, qua ſimul placuerit, cœlum ipſum concutere poſſit. Nam cujuſmodi ſit qui in cœlo apparet Juppiter, nemo eſt qui ignoret; quòd ſi alius uſpiam eſſe poteſt Juppiter, corpus quidem habeat, nec ne haud exploratum mihi eſt; Eſto tamen, id cujuſquam opinioni concedatur, omnino aut prior is erit, aut eo qui apparet poſterior: Erit igitur exemplaris illius effigies atque imago, utut autem ſe habeat, ejuſmodi eſſe debebit, qualis eſt qui ab omnibus cernitur, quãtum naturæ ſtatus in eo ſimilitudinis eſſe patietur.

Enimvero poëtica effictrix; ars, cæteraq; imitatrices, veritatis quidem curam minimam habere, popularés autem potius eſſe videntur, omniaque ab illis ad opinionem magis quam ad veritatem fieri accõmodatè. Sumo vero apud imperitos Coma in pretio eſt, omnéque id quod exterius adjacet vulgi opinione celebratur, Agri, Vehicula, domus, domuũq; frequentia, & cætera id genus, quæ cũ poſſidentis natura conjuncta non ſunt, ſed ab ea capillorum inſtar aliena. A Deo ſiquidem & mente, providentiaque longius ſeceſſerunt, eorumq; loco naturæ, & fortunæ arbitrio reguntur, quorũ hoc alienius. Itaq; à ſtultis, & vecordibus aliqua creditur in naturæ fortunæve muneribus eſſe felicitas: hinc qui ad populi aurã aut ſcribit aliquid aut loquitur, eũ neceſſe eſt ipſa quoq; opinione eſſe popularem, ut ex iis, quæ ei placita ſunt plæraq; cõminiſci aut ſermocinari poſſit. Et quidẽ cum imperiti atq; inſcii ſint, propoſiti nihilomin⁹ tenaces ſunt, & in tuendis ijs quæ præſumpſerunt, quãvis abſurdis mirũ in modũ pertinaces. Vnde ſi quis ſecus aliquid faxit, quã patrii ritus atq, inſtituta ferant, cicutã protinus bibet. Quas verò pœnas daturum fuiſſe Græcis Homerum putandum eſt, ſi de Jove rei ipſius veritatẽ aperuiſſet, neq, ejuſmodi portenta confinxiſſet, quæ puerulis terriculo eſſe ſolent.

Ægyptiorum ſanè prudens ea in re inſtitutum eſt, apud quos qui ex Prophetico genere ſunt, ſordidis atq, illiberalibus operariis deorum ſimulacra fingere haudquaquã permittunt, ne quid tale contra leges, juráq, moliantur, ſed roſtris quidem accipitrũ, Ibidumq; quæ in tẽpli veſtibulis inſculpuntur, populũ ludentes, ipſi in ſacros receſſus & interiores latebras recepti quicquid effecerint oculis eripiunt, comeſſationúmq;, ac ſaltationũ genere omni capſulas quaſdam venerantur quibus clauduntur hi globi, quos ſi populus iderit ſuccẽſeat, & ut faciles nimiũ, parabileſq, deridеat, portentis enim opus habet. Quidni verò, plebs cum ſit? Propterea Ibidum roſtra ſimulacris omnibus impoſita ſunt. Vnus porrò ab iis minimè occultatur, ſed in propatulo habetur Æſculapius, quem quidem piſtillo caluiorem videas, huic tamen in Epidauro Coma eſt, Græci quippe in indaganda veritate ſegnes & incurioſi ſunt, id quod eorum generi ab Hiſtorico jure eſt exprobratum. AEgyptii vero quotidiano ejus & aſpectu fruuntur, & alloquio, non unus duntaxat, aut alter, cujus in ædibus verſetur, neq, ut ipſi viſum, aut quoties fuerit. Sed id præterea multorum ad me fama detulit, AEgyptios pelliciendorum deorum artificium atq, illecebras quaſdam tenere, quibus quando libuerit, barbaris aliquot vocibus inſuſurratis, deos omnes eliciant, quicumq; attractionibus quibuſdam deduci naturæ ſuæ conditione poſſint. Ab iis ergo non à Græcis verior, ac ſyncerior eſt ſumenda numinis effigies.

Quanquam id ſatis quidem eſſe poſſit, quod eſt à nobis paulò ante dictum, Solem, Sideraq; ſi obſervemus, nihil eſſe, quod præterea curioſius inveſtigare oporteat. Sed ſi eſſe aliquod videtur crinitum ſidus, ipſis certe nullum eſt. Etenim aſtrorum locus corpus illud eſt, quod in orbem agitur, in quo nihil unquam innovari poteſt. Lunæ autem ſubjecta regio ipſumq; generationis quoddam confinium faces ejuſmodi, ac fomites edit, falſa ſideris appellatione, pui cum deinceps, ſeriatímq; ſubjecti ſint aliis corporibus, cum ipſis una rapiuntur: quia vero ejuſdem naturæ non ſunt, vaga & immoderata agratione fluctuant. Jam ab Aræ cœleſtis ſigno, quod ad æquinoctialem raperetur inventum eſt, unde rurſum in Borealem polum tranſverſum agatur, niſi prius fuerit detractum. Horum aliqua oblonga ſpecie porrigi, & hodie quidem, ſi contigerit, zodiaci magnitudinem ad æquare videas, tertia die vix trientem, decima verò aut triceſimâ, præclare faciens perit paulatim evaneſcens, nec ullibi amplius cernitur. Hæc à me ſidera appellari nefas eſſe puto, quo ſi tu nomine donanda contenderis, id ſaltem conſtabit, tantum eſſe comæ malum, ut vel in aſtrorum genus exitium inferre poſſit. Adde quod malum, dum apparent, omen habent, & à prodigiorum interpretibus & varibus in religionem trahuntur. Publicas verò maximè calamitates, gẽtes in ſervitutem redigendas, urbes ſolo æquandas, reges obtruncandos, nihil exiguum aut mediocre, gravia denique omnia, acerbiſſimáq; portendunt.

Haud ſcilum ignotum nobis perit ab Iove ſidus,
Quantum fama hominum conſtat. ——

Quod ergo periit ſidus eſſe non poteſt, omniáque ſphærica beata immortaliaque corpora ſunt.

Mihi utique meiſque felicitas hæc adſit, quę me diis ipſis ſimilem poſſit efficere. Non enim alios quam qui ita affecti ſunt diis ſimiles eſſe credendum eſt, neque ullum eſſe divini, aut Deo æquiparandi nomine digniorem cæteriſque divini ſplendoris appellationibus. Neque verò id ita ſe habere cum par ſit, ſecus accidit. Caluos enim manifeſtè audias, blanda quadam nominis diminutione Lunulas vocitari. Et parum omnino abfuit quin ea prorſus à me prætermitteretur quæ huic propoſito maximè congrua eſt, Lunam intelligo Lunæq; facies, quibus cum caluorum genus ejuſdem eſt & nominis. & figuræ: Illa enim mihi ſanè cariſſima corniculata primùm, tùm dimidiata, atque æqua portione diviſa, rurſus dimidiato orbe major, demúmque ſinuata in orbem, plenáq; apparet. Quanquam qui jam ſummam fœlicitatem, adepti ſunt, & capite quaſi plenilunium referunt, fas ſit Soles etiam appellari. Nec enim diverſa identidem facie apparent, ſed toro integróque orbe eorum exadverſo; quæ in cœlo ſunt ſiderum collucent: Cujuſmodi ſanè dicteriis, & cavillationibus proci Vlyſſem inceſſebant, Iuvenes cincinnati, luxúmque ac deliciis diffluentes, ſtatímque peſſimè pluſcentum ab uno undequaque caluo interficiendi: qui cum antea faces accendiſſet, lucémque manu factam excitaſſet, muſſum facere munus iſtud hortantur, cùm ipſius caput toris ædibus lumine colluſtrandis, poſſit ſufficere. Arqui hoc ipſum planè divinum eſt, quod non ſimile jam diis, ſed prorſus cognatũ eſt, lucem & habere, & præbere aliis. fulgoris porro iſtius cauſa eſt lævor, qui nihil eſt aliud quam omnimoda capillorũ penuria. Simul enimà deterioribus recedit aliquis, & ad meliora progreditur. cujuſmodi ei quod vitę præditũ eſt, cũ mortuo diximus eſſe diſſidiũ

Vita autem luſtrénque & quæ ejus generis ſunt, ex bonorum ſerie,& ſunt & eſſe creduntur: Vnde ſi Calvitio lumen affine eſt,tenebras exiſtimandum eſt cum Coma eſſe conſentaneas. Quod non modo rationem præ ſe fert aliquam,ſed prorſus etiam neceſſarium eſt.

Verum probabili forte aliqua, blandáque ratione facienda eſt oratio, ne nimis id accuratâ ſemper demonſtrandi neceſſitate extorqueatur. Comam igitur nativam quandam,ac congenitam quaſi umbellam eſſe perinde omnes ut ſentiunt ita profitentur,& poetarum elegantiſſimus Archilochus eam, ſed in meretricio tamen corpore, commendans,hunc in modum loquitur,

—— Huic ipſi quidem
Humeros obumbrat, tergaque incumbens coma.

Vmbra verò præter tenebras nihil aliud eſt, utrovis enim nomine lucis abſentia ſignificatur. Ac ſi quis rem penitius exploret, percontetúrque,non difficile intelliget noctem ipſam,ſerra ſolaribus radiis obducta,umbrarum eſſe maximam. Quin & interdiu opaciores ac condenſiores ſaltus,lucem ideo non admittunt, quod nimium umbroſi ac comoſi ſunt. Atque hæc quidem propterea eo modo accidũt, quod divina res lumen eſt,ſplendidiſſimúque deorum qui in Æthere ſunt conſecrata.

Si verò in bonis habenda valetudo eſt, ut eſt certè bonorum omnium optimum, ejus ego deſiderio crinitos quamplurimos animadverti ad novaculam dropacémque confugientes,ut una & calui eſſent,& à morbis indemnes,ſalvóſque ſeſe conſervarent. Quod ſi & ocularis ægritudo,& mucus,& aurium gravedo,cæteraque capitis incommoda cum hoc onere excutiuntur, magnum iſtud ſane fuerit: multò verò majus ſi pedibus præterea,viſceribúſque remedio ſit. Atqui illi ipſi qui his partibus laborant,circulos quoſdam à medicis appellatos tolerare coguntur, quibus principium,medium, finiſquẽ Dropax eſt,quo ferro quolibet accuratius depilantur: Eſt enim id rationis quam conſentaneum ex árduo ac eminenti capitis loco,tanquam arce quadam,reliquo corpori valetudinis morbíque quaſi rudentes eſſe ſuſpenſos Non igitur æqualis eſt aut par nobis cum cæteris valetudinis conditio,ſed, quod Dei bona venia dictum ſit, longè præſtabilior. Quod ipſa Æſculapii ſimulachra ſatis innuunt, & quidem Ægyptio more capillis denudata hæc enim ad communem admonitionem,& præceptionem omnium quæ in medicina ſunt ſaluberrimam pertinent,ei homini qui ſanitatem expetit, Medicinæ artis repertorem,& præſidem imitandum;ac tantum non dicere videntur.

Inſolatum enim cranium,ac omnibus cœli tempeſtatibus expoſitum haud mirum eſt ſi in ferri duritiẽ ab oſſis natura tranſeat, quod ita temperatum morbis omnibus acceſſu difficillimum eſt futurum; non ſecus,atque haſtarum,quæ in condenſis,& campeſtribus proveniunt deteriores ſunt, quæ in montanis,multò potiores. Cujus rationem ſi ab Homero fueris ſciſciratus,dicentem audies ad ventum illas nutritas,perflatáſque atque agitatas eſſe. Nemo ſiquidem à ſapientiſſimo Chirone temerè putet Pelei haſtam non ex vicinis Tempe,non ex finitimo aliquo monte,aut depreſſa convalle,ubi politæ,oblongæque arbores proveniunt exciſam fuiſſe ſed Pelio ex vertice, in quo ventorum incurſibus pertundebatur, proindéque ex ligno erat probatiori, quod tradita per manus ſucceſſione univerſo generi perduravit. Eadem eſt utriuſque hirſuti nimirum,glabríque capitis ratio. Illud enim in condenſo ſitum eſt,in umbraculis enim degit,hoc montanum,ventíſque omnibus perflabile, ob ídque validum hoc,ac ſolidum,tenerum illud,ac imbecillum eſt. Cujus rei periculum facere poteſt,ſi quis ad Arabiæ Ægyptique confinium pergat,ubi inter Cambyſis & Pſammitichi exercitus commiſſum olim prælium eſt. Hi enim mutuo confligentes,ac temporis illius certamen totius belli decretorium eſſe utrique arbitrati,vix tandem dirimi potuerunt: Strage autem maxima facta,& validiore numeroſioréque,quàm ut mortuorum cadavera tollere,aut ſepelire poſſent: aliud quidem nullum tantæ cædis ſuperſtites cæſis officium præſtitere, ſed promiſcuè paſſímque ſtratos ut in acie quiſque procubuerat à ſe invicem diſcrevere:& nunc etiamnum duo cernuntur oſſium acerui, Ægyptiorum alter,alter Medorum,dignáque prorſus admiratione Herodoto viſa eſt (nam eò acceſſiſſe videtur optimus vir videndorum capitum ſtudio) illorum quidem capitum tenuitas,atque fragilitas;hæc enim ſi velis ferire,(inquit)vel ſolo calculo perforare poſſis: horum vero compactio, atq; ſoliditas: repulſu enim renixúque firmitatem ac duritiem præ ſe ferebant:Ita ut neque majori aliquo,ac pugillari ſaxo offendi, illidive poſſent,clavaque ad id opus futurum ſit. Hujus autem experimenti,cui nos teſtem adſcivimus, cauſam eſſe ferunt, his quidem quod pilea geſtent,illis verò quod Soli expoſiti degant.

Quod ſi cui difficile videatur peregrino itinere ſuſcepto tot nationes peragrare, neque mortui fas ſit caput lapide ferire, ac Herodoto finem non adhibeas, nempe mihi quoque & aliis permultis in urbe ſervi ſunt genere Scythæ,promiſſa Scythico more cæſarie, quibus ſi quis vel colaphum ingeſſerit,enecaverit. Eum vero hominem qui in Theatro diurno jucundiſſimóque ſpectacula plebem detinet ſingulis Calendis ſpectare licet ei,qui primus ſubſellia ad ſpectandum occupaverit:Is non natura quidem ſed artificio calvus eſt,eadem die adtonſtrinas ſæpius ſeſe conferens,prodítque coram populo, ut capitis robur,ac firmitatem oſtentet,cui nihil terribile eſt eorum quæ videntur terribilia. Quippe cum feruente pice conflictatur,& cum edocto ariete coniſcat,qui eminus concinna quadam agitatione, & capitis micatione fertur. Megarenſium quoq; figlina valido huic capiti illiſa deficiunt;ſcinditur, contunditur,nihilq; non eorum fit,quæ horrorem ſpectantibus incutiunt,cum eodem capite accuratius quam Attico calceo preſſiliat. illum ego hominem cum ſpectarem,meipſum ob ſecundam illam ſortem,beatum prædicabam. Etenim hęc quoque omnia præſtare poſſem,ſed ille me audacia ſuperior eſt, vel potius ille quidem ut id audeat,inopia compellitur:mihi vero hujuſce rei periculo,neq; opus eſt,neq; unquam opus ſit.

Verum aliud nobis occurrit,quã maximum commodum nec ullo eorum,quæ hactenus dicta ſunt,deterius. Nam ſi(ut Pindarus ait)voti compotem eſſe contigerit, & domeſticæ res ad vitã degendam ſatis eſſe poſſint,in opportuno aliquo ad ſpectandum loco ſedebimus corũ quæ exhibentur,auſcultatores & ſpectatores. Quod ſi in civitatem ſumptus faciendi ſint,aut largitiones à populo flagitentur magnificæ ex facultatibus noſtris erogabimus. Sin fortuna reflaverit, victúſque ac familiaris res defecerit, quod viris præclaris, ac eximiis haud unquam evenit, eos ſaltem fames malorum ſummum non invadit, quibꝰ præſtigiatoribus,ac circulatoribus eſſe licet,ac pudore paululum ſummoto artem ſpectaculo dignam è re nata in Orcheſtrâ exhibere, ac præſtare poſſunt.

Quare qui ex Dionis ſententia viros,quàm Fœminas magis decere Comam arbitratur,hic non rebus ipſis,& manifeſtæ veritati plurimum adverſatur. Nam quod qui poſſident,imbecilliores redduntur, id ipſum in cenſu ponere validorum, ac vires habentium poteſt ulli eſſe rationi conſentaneum? Natura profecto ac legibus iſta diſcreta ſunt;Legibus quidem,quando neq; mares omnes decet Coma, neq; ubi vis,neq; eoſdem perpetuò. Lacedæmonii enim poſt Thyream, Argivi ante Thyream comam aluere:Infinitæ propè nationes neq; hodierna die,neq; antea unquam:fœminarum generi,& omni, & ubivis honeſta fuit ſemper capillitii cura: nec uſquam inventa eſt, aut inveniri poteſt,quæ novaculæ caput ſubmiſerit, præterquam in gravi,ac inauſpicato eventu, ſi ullum unquam ejuſmodi tempus tulit,mihi certè neq; auditum,neq; viſum unquam. Quinetiam cum lege natura conſentit,nullam enim ex hominũ memoria accepimus mulierẽ fuiſſe caluam,neq; eſt quod id reticulo tegi potuiſſe dicas: Comediæ enim & ea oculis penetrare poſſunt. Sin cuiquã pili effluxerint,hoc ex morbo potius factum eſt,potuitq; vel minima cura priſtinum naturæ ſtatum recuperare. Virorum contra,eorum ſaltẽ qui hoc nomine digni fuerunt,haud facilè ullum nominaveris, qui non ad eã naturæ conditionẽ pervenerit:penes enim hoc ipſum naturæ finis eſſe videtur,licet non omnes eum aſſequantur. Sed ut Agricolæ, cum ex integrarum,ac bene ſe habentium ſtirpium naturali propenſione exploratum habeant,natura omnes ita eſſe comparatas,ut in rectum aſſurgant,quæcumq; per ſe attolli nequeunt,ridicis,ac pedamẽtis ſuffulciunt,ita quandoquidẽ omnes quorum natura optime conſtituta eſt,eſſe eadẽ mecum conditione conſtat, qui ſecus habuerint, novacula emendandi ſunt,ut naturæ ſuccurratur.

Lacedæmoniorum porro haud incongruum fuerit feciſſe mentionẽ,qui ante pugnam illam ad Thermopylas cõmiſſam comam adornarunt,quẽ ideo graviſſimam appellavit,quod ante eam Lacedæmonii comas pecterent, quorum nemo præ infauſto illo omine ſuperſtes fuit. Ideò dico,non quod in memoriam revocem quę à me antea dicta ſunt,pilos, vel in viventibus mortuas eſſe partes,ſed ut eaſdem inſuper in mortuis incrementum capere ſignificem. Hujus enim ab Ægyptiis ſacerdotibus in omnes fama percrebruit,& ad cutẽ raſus aliquis cùm obiiſſet, ſequente anno prolixa comâ barbáq; inventus eſt. Cæterum eos in oratione duntaxat inſeruit,qui glorioſiſſimo ex Græcis omnibus facto extincti ſunt,alios conſultò prærermiſit, qui maximas nobiliſſimaſq; victorias reportarunt,& à Barbaris eorum quæ in illos,ac reliquam omnem Græciam commiſerant, pœnas repetierunt;Macedonas,inquam,Græcoſq;,qui cum Alexandro profecti ſunt,quorum ſoli defuere Lacedæmonii: Hi ante certamen,quod in Arbelis geſtum eſt,multò quam Lacedæmoniorum illud gravius, experientia edocti,pilos ſummo militibus eſſe detrimento, publicitús raſi,Deo fortunaq;,& virtute auſpice, de ſumma rerum dimicarunt.

Ejuſmodi autem damnandorum pilorum fuit occaſio, ut author eſt Ptolemæus,Lagi filius,qui cum rebus geſtis interfuiſſet,rei veritatem non ignoravit,& quia rex dum hæc ſcriberet,fuit,nequaquam mentitus eſt. Macedo quidam ſummiſſa mirum in modum cæſari,altáq; ac denſiſſima barba Perſam adoritur;hic quanquam in tanto diſcrimine conſtitutus,ſeſe colligens,ſcuto,haſtaq; abjecta, quaſi haud idonea eſſent adverſus Macedonem arma,obuiam proſilit,cominuſq; hoſte inra ipſius arma occupato,barba comaq; prehendens,militem crinibus,piſcis inſtar,attractum citrà pugnam proſternit,proſtratũq; educto acinace confodit. Vidit hoc alius Perſa ſtatímq; alius, & aliꝰ, omnéſq; ſubinde clypeis abjectis, alium alius crinitorum ejuſmodi interceptum patentibus campis inſecuti ſunt: Ibat enim per totũ agmen Perſarũ quaſi teſſera quædam, homines illos crinibus arreptos facilè expugnari:Soli igitur(ut veriſimile eſt)quotquot in Alexandri acie calui erant,in ordine permanſerunt. Dum hæc geruntur Rex in ſumma conſilii inopia conſtitutus eſt cum nudis cedendum ſibi eſſet,cui vel armati reſiſtere non poſſent. Iamjamq; futurum erat, ut pudendo belli coitu oppreſſus Alexander in Ciliciam pedem referret, ſeſeque ridiculum Græcis omnibus præberet, inſana capillorum affectatione ſuperatus: Verum ut erat in fatis, Heraclitis Achæmenidas imperii ſceptra dedituros,claſſico receptui cani jubet longiúſq, abducto exercitu,ac opportunè poſitis caſtris tonſores immittit: Atque hi quidẽ munerib⁹ à Rege pellecti paſſim Macedonas omnes novaculâ deraſerũt. Dario verò, Perſiſque deinceps pro voto

res non

res non succesſit: ſublata enim deprehendendi anſa, cum multo ſuperioribus iniquo certamine congrediebantur.

Quamobrem coma ipſa neque terribiles ut ſint, neque ut videantur facit, niſi infantium forte ſpectra, terriculáque eſſe velint, præſertim cum milites videamus, quo tempore hoſtes terrendi ſunt, galeam induere. Galea autem hoc ipſum quod præ ſe nomine fert ænea calvaria eſt. Quod verò equinis ſetis ornentur, hi quidem, quibus galeã imponere capiti contigit, figuram ejus non ignorant. Docendi ſunt autem quibus iſtud ignotum eſt, pone in verſum diſpoſitis inter pileum, & galeam ſetis adornari. Quandoquidem curuam, devexamque ſuperficiem ne Vulcanus quidem villorum tenacem poſſit efficere, hunc autem in modum compoſita accuratè nobis calvitium refert, ideóque omnium, quibus milites induuntur formidoloſiſſimum eſt. Achilles ſanè Trojanos animum recepiſſe ait, non quod ſuſpenſum quaſi comæ muſcarium videant: nuſquam. Sed quidnam, quæſo, ait?

Nec enim galeæ frons cernitur ipſis
Cominus ardentis.

Fulgor enim illius lævórque idem & Calvitium, & terriculum eſt.

Achilles autem etſi comam habuerit (id enim ab eodem eſt proditum,) at juvenis illo tempore fuit, quo & in iracundiam erat procliviór, cum ætas ipſa nondum eſſe pateretur corpore, animoque perfectum: Et quidem adoleſcentibus æquum eſt caput ipſum erumpentibus pilis, & cordis incitatione feruere. Sed ut Achillis cauſa nemo eſt, cui animi furor probetur, ſic nec in clariſſimorum virorum corpore eſt Coma laudabilis. Eundem tamen utpote Thetidis filium, præclara ad omnẽ animi virtutẽ indole fuiſſe fatendum eſt. Meúmq; id eſt de Achille judicium, ſi is ſoſpes fuiſſet, calvitii ſapientiæque haud expertem futurum, ut qui vel juvenili ætate Muſicæ eſſet quadantenus, Medicinæque peritus, adeóque peroſos haberet capillos, ut pro primitiis avulſos ſacris buſtis conſecraret: præſertim cum eadem de Socrate dixerit Ariſtoxenus, natura illum ad iracundiam fuiſſe incitatiori, quæ ſimul eum invaſiſſet, indecorè atque imporenter ſeſe geſſiſſe. At nondum eo tempore caluus erat Socrates, quintum & viceſimum annum agens, cum Athenas (ut refert Plato) Parmenides & Zeno ad Panathenæorum ſpectacula veniſſent. Si quis autem poſtmodum de Socrate, tanquam homine aſpero, aut comæ ſtudioſo verba feciſſet, multo, ut opinor, ab iis riſu fuiſſet exceptus, qui eum norant, quando is omnium qui unquam extiterunt Philoſophorum calviſſimus fuit, ac manſuetiſſimus.

Non eſt igitur, quod heroem comæ inſimules, nam quo tu tempore de eo loqueris, adoleſcentulus erat, paulo antè nondum ex Ephebis egreſſus, nec ullam poteris afferre conjecturam, quaquidem fretus Achillis comam cenſeas ad ſenecturem uſque fuiſſe perduraturã. Nam non fuiſſe perduraturam quamplurimis adducor ut credam, cũ Patris atque Avi, quorum olim imagines vidi, tum ipſius cum diis cognationis: Satis enim ſupérque antea de deorum forma diſputatum eſt. Quæ cum ita ſint, Cur demum tanquam ex inſperato oblatum lucrum arripiens, crebro id in ore habes.

Flaváque Comá prenſávit Achillem?

Denique cur fragmentum duntaxat carminis, non totum ipſum verſum in medium adduxiſti? Quod quiaà te factum non eſt, mihi ut iſtud facerem tute neceſſitatem impoſuiſti:

Pone ſtetit, flaváque Comá prenſávit Achillem.

Euge Dio; quando non ſuperfluæ ſunt à te detractæ ſyllabæ, ſed ejuſmodi ut in iis ei, quod aſſeris omnino contrarium habeatur: hinc ego auguror velin ea ætate caluum Achillem fuiſſe. Pone (inquit) Dea veniens coma eum arripuit. Atqui & me certè aliquis, & ipſum quoque Socratem, & Græcorum omnium ſenio confectiſſimum poſtica capitis parte prenſaverit. Illic enim naturæ mortalis indicia relinquuntur, neque aut hominum, aut dæmonum, ſed divinæ planè conditionis, naturæque eſt, nihil omnino habere cum mortali genere ſocietatis.

Pone ſtetit, flaváque coma prenſávit Achillem.

Vt comam deprehenderet, pone ſtetit, quaſi ex anteriori parte nulla eſſet deprehenſio.

Atq; ut uno verbo dicam, nullum in Dionis oratione bonum eſt, quo pilorum natura commendetur, cujuſmodi ſi quod in ea re foret, facile Dio inveſtigaſſet, levéq; id alioqui dicendo feciſſet illuſtrius, utpote qui nunc Lacedæmonios quidem è longinquo deducta occaſione inſinuaverit, nihil certè ad rem facientes quantum alteri quoque conſtare poteſt; ab Homero autem quaſi ſacra anchora dependens, ad extremum uſque libellum tenaciter adhæreat. Perperam tamen uſque adeo oratorum more in oratione verſatur, ut aut ex verſu, tanquam ex lege, corradat nonnihil, aut verſuum nuſquam extantium, tanquam germanorum partem aliquam in teſtimonium vocet. Nam de Hectore palam falſa dicit, vel potius Homero, quæ de Hectore dicuntur, falſò affingit, ac fortaſſis de Homero ſimul, atque Hectore mentitur. hunc enim memoriæ proditum eſt, quod ad tonſuram pertinet, fuiſſe cum temperantiſſimis viris comparandum: quod is authoritate ſua comprobat, qui de Heroum geſtis omnium ſcripſit veriſſime, ut qui horum quidem in acie ſocius, illorum hoſtis fuerit, qui de Hectore hæc & ipſa teſtatur. Sed &, ſi Ilium aliquando profectus es, ſtatim Ilienſis quilibet introductum ad Hectoris templum deducit, ubi Hectoris ſimulachrum obuium eſt, quod qui viderint iiſdem occurrit dicendum, in ea effictum eſſe ſpecie, in qua olim fratri adſcititiam pulchritudinem exprobravit, comæ videlicet cultum.

Præterea quæ Homero de Hectore ſcripta affingit

—— & cærula paſſim
Caſaries raptata.

mihi oſtendat aliquis quónam in loco Homericæ Rhapſodiæ inveniatur. Quod neque opinor ab Jone, concinnatore Rhapſodóque oſtendi poteſt. Eſt ne verò credibile ab Homero comæ ſtudio eum commendari, quem in eodem opere alteri ejuſmodi elegantiæ, ac ornatui nimis addicto convitiantem introduxit? Perinde id futurum erat ac ſi Andocidem Phileas ſacrilegii reum appellaſſet, quaſi non ipſe ex Palladio, in arce Gorgonis verticem ſurripuiſſet, ejuſdem rationis ſunt, quæ de hoc Heroe traduntur: etſi verò flavo capite dicatur fuiſſe Menelaus, non ideo tamen comatum eſſe neceſſe eſt, quantum ex his verbis colligitur. Sed neque laus iſta capillitii eſt, potiúſque quale fuerit ſignificatur. Nec quicquid ab Homero nominatur, id ex genere laudabilium eſt.

Dioni tamen quò uberior ſit dicendi materies, idem eſſe videtur capillorum cum mentione, cõmendatio: qui ita ſtrenuè rem aggreſſus eſt, ut aliena quædam operi poëtico adjungeret, germana, propriáque ſepararet. Itaque uti dicendo perſuadeat, comam viros, quam mulieres magis decere, Deabus (inquit) Homerus aliud potius laudum genus accommodat, rotundis atque amplis oculis conſpicuam Junonem, talis argenteis inſignem Thetidem appellans, Jovis verò ex Cæſarie præcipua laus. Mutilus enim ei fortaſſis codex fuit quamplurimis iiſque pulcherrimis verſibus detruncatis; Quales hi ſunt

Phebo quem pulchris peperit Latona capillis.

&, *Quem tu pulchricomæ in gremio depone Minervæ.*

De Junone inſuper Jovem ut ſopiret inſidias moliente loquens, cum alia multa formæ lenocinia adhibuiſſe deam ait (cum & Cæſto opus ei futurum eſſet, cujus præter cæteras vis hæc potiſſima, mentem iis qui ea præditi ſunt, poſſe ſubripere. Tum una igitur & unguento deliburam facit, & crinem (inquit)

Pexa manu, rutilos intorquet Dia capillos
Pulchros, ambroſios.

Quod & præconiorum multitudine dignum; ut eſt certè dignum, quoniam Jovis in laudem cedit oratio.

Multa hoc loco dici poſſunt à Dione neglecta, vel potius quæ cum ille probe noſſet, quaſi neſciret, diſſimulavit: Mihi verò & hæc perſpecta ſunt, & falſum nihil à me ad propoſitum dictum eſt; neque ullum inter eos qui in cœlo degunt comatum eſſe conceſſerim: Eadem marium, atque fœminarum ratio eſt. Etenim Juppiter non eſt Veneris ſtella, quod ad Sphæricam ſuperficiem attinet, perfectior. Ita verò etiam de Jove dictum eſt, quem velut coronidem orationi ſuæ impoſuit Dio. Nimirum quæ de Diis ab Homero tradita ſunt, ex opinione multa hominum, pauca ex rei veritate dicta. Ac unum eorum, quæ ex opinione dicuntur, eſt agitata Jovis cæſaries, cœlumq; ipſum unà concutiens: id quod vulgo & ſtatuariis indulſit. Quamobrem Jove & Lacedæmoniis remotis nulla jam Dionis orationi reliqua pars eſt. Quæ quemlibet ſuppetant, nihil tamen, ut mox dicebamus, de natura capillorum dixit, quæ per ſeſe excogitaſſet, aut ex illis ipſis arceſſiviſſet: non quid tandem ij ſunt, aut cujuſmodi aperuit; non iis aut bonum eſſe qui habeant, aut malum eſſe qui careant comprobavit. Noſtra autem hæc oratio in ipſas rerum naturas inquirens, calvitiũ quidem divinam eſſe rem, Diiſque ipſis cognatam eſſe reperit, naturæque finem, ac Dei illius quo ſapimus templum, ſigillatim infinita alia corporis animíque bona percenſens, quomodo ſe habeant, & cujus rei gratia. Nec quicquam abſque luculenta, & illuſtri ratione propoſitum eſt. Capillis verò contraria ineſſe omnia deprehenſum eſt, orationis inopiam, animalia, ac quicquid aliud contrariæ Deo ſortis eſt. Deprehenſum item eſt ariſtas eas quaſdam animalia eſſe, & integumenta velut frugum, naturæ ludicra, ſive materiæ imperfectę, ac rudis eruptiones.

Sed jam è re noſtra futurum arbitror, ſi homines ejuſmodi ſecundum genus ipſum, ac ſtudia diſtinguamus, quos & hæc noſtra, & alterius commendavit oratio. Igitur à comæ ſtudioſis adulteri ſunt. Homerus enim puellarum deceptorem comæ nitidioris amantem facit; quaſi ad mulierum corruptelam coma exornaretur: & adulter is ipſe eſt, adulterorúmque omnium facile princeps, in quem probroſum iſtud convitium jactatur. Vnum verò genus hominum maximè ſuſpectum eſt, intráque muros omnium ejuſdem generis infeſtiſſimum. Nam pro quibus nos ne vim patiantur facta expeditione periclitamur, naris, inquam, & uxoribus, eaſdem, ſi caſus tulerit, adoleſcens aliquis elegantioris cultus quocumq; libuerit terrâ marique raptus facile abduxerit, aut ni terra marique, at angulo aliquo tenebríſve potietur. Atqui bello capta uxore eadem in conjuge charitas perſeverare poteſt; ab adultera autem omnis eſt primùm è virorum animis ſublata benevolentia: adeò ut non dimidiata viris ſit uxorum jactura, meritóque legibus in eos armentur carnifices, Olitores vero Attici, Raphanos ſerant, quibus ſimul deprehenſus eſt aliquis, in eum animadvertunt. Vna hæc itaque eſt hominum natio, qua infinitæ ſubverſæ ſunt familiæ, nonnullæque itidem civitates, eadémque adulterij occaſio continentes duas collatis inter ſe ſignis commiſit, & Græcos ad expugnanda Priami ſceptra concitavit.

Eſt autem altera multo quam illa deterior, qua Alexandrum nobis adulterij nomine fecit infamem, unde Cliſthenæ, & Timarchi primũ celebres, cæteriq;, quibus vænalis argento ſui corporis ſpecies aut niſi argento, alia tamen aliqua re, vel ſi nulla prorſus, at execrandæ ſaltem libidinis gratia, unoq; verbo effœminati omnes fucato comæ nitore gaudent: Ac palam quidem ij qui in lupunari proſtant: Quanquam hi ſe ſe victores putent, quaſi hoc maximè modo mulie-

bre genus imitari possint. Qui autem clam nequissimus est, palam tamen vel ipsum facinus ejuraverit, nec alio Cotyttonis sese sacrorum participem, ac sodalem esse indicio demonstrat; si hoc solum deprehendatur, capillos ab eo magni fieri, ut delibutos habere velit, & in cincinnos intorqueat, hoc statim obuium dictu cuivis est, hominem eum Chiorum deæ, ac Jthyphallorum Orgia celebrasse. Enimvero Pherecydes veste faciem obumbrans, de cute (ajebat) manifestum est, digitóque morbum indicabat, Nos verò adolescentem pathicorum modo, muliebria appetentem capillis significamus. Quod si sapiens dictum Proverbium est. Quidni enim sapiens sit, cùm de iis ita sentiat Aristoteles vetustioris philosophiæ in maximis horum ruinis intercidentis, reliquias esse, & monumenta ob brevitatem ac scitam elegantiam servata? Proverbium igitur hoc est, sententiáq;, cujus dignitas ab ejusdem ipsius est, unde emanavit, vetustate philosophiæ, adeo ut gravi ex ea trucique sit aspectu. Multo siquidem veteres nobis in veritate indaganda solertiores. Quódnam ergo istud proverbium est?

——— *Nullus comatus, qui non.* ———

Tu porro ad trimetri sonum extremum carminis accommoda. Neque enim ego gravem istam rem, noménve unquam pronunciavero. Rectè sanè, quando tu ipse accommodasti. Ecquid igitur tibi videtur? Papæ! O miram veritatem! Oraculum proculdubio est.

Porrò hujus veritas per se quidem jam tum manifesta est: at quam multos habet testes, tam eos qui nunc utuntur, quam qui olim usi sunt. Quod enim immortalia facit proverbia illud ipsum est, *Vsu eorum qui hac usurpant assiduus*, quos in memoriam revocantres ipsæ, Nam quæ quotidianis eventibus observantur, in testimonium adducunt, ipsíque exemplis testimonio sunt. Verum quamvis ista sese hoc modo habeant, nihilominus Dio Comæ patrocinium admirabili quadam oratione edidit. Quid ergo Platone id evincente opus est, cum Rhetorice fucandi, lenociniique aptandi ars ab eo oratore sit effecta? Non tu vero cre dideris capillorum tinctrices multò amabiliores, ac gratiores comas reddituras, homine lingua Græco in Theatro rem ejusmodi commendante? Magnas vero (ut opinor) gratias pro hac oratione habituri sunt, qui in Cybeles sacris versantur, clumbes, fractíque homines, & quisquis iniquis oculis vicini uxorē intuetur, quorum uniuscujusque caput, quasi unguento, ita oratione perfudit: Magni enim fieri oportet, quod publicè laudatur ac honore afficitur: præsertim si is nominis gloriam insignem habeat, qui laudandum id susceperit: Nobis itaque ille in civitate perditissimorum hominum numerum auctiorem redditurus est, Caluitium autem quæ tandem illis altera ex parte opponit hominum genera? Quinam à nobis adulterorum loco viri laudati sunt? Ii nempe ex quibus in deorū templis sacerdotes, Antistites, ædituíq; fiunt, in literariis ludis præceptores ac pædagogi, in militari acie, si integræ sint, rectéq; se habeant res, Jmperatores, atq; ordinū ductores: Vbiq; vero qui sagacitate, ac prudētia cæteri antecellere à plebe existimātur.

Ego vero cantorem eum arbitror, cui Clytemnestræ ab Agamemnone cura commissa est, ex nostro fuisse genere, Comato enim haud unquam mulierem ex infami familia concredidisset. Præterea magnum sermoni nostro confirmando à pictoribus indicium præbetur, si ad Archetypum atque exemplar non pingant, sed ab aliquo ijsdem permittatur, ut formam studio, ac moribus excogitent uniuscujúsq; consentaneam. Nam si quis mœchum, aut Cinædum in Tabella pingendum locaverit, crinitum aliquem ac cincinnatum accipiens, habet quod præceperat: Sin philosophum, aut Sacerdotem locaveris, calvus in tabella stabit, authoritatis ac gravitatis aliquid præ se ferēs. Ejusmodi enim est numi hujus insigne. Quamobrem de philosophis, sacerdotibus, temperantibúsque omnibus bene sum hac oratione meritus, in qua & religiosè quæ ad deos attinent tractantur, & hominibus oprimo consilio subvenitur. Quod si publicata apud vulgus gloriam ac splendorem adepta fuerit, ita ut comæ studiosi pudore affecti ad temperatiorem modestiorémque tonsuram seipsos traducāt, eosque beatos prædicent, quibus neque tonsore opus est; mihi quidem gratiæ pro his nullæ debentur, sed materiæ id acceptum ferendū est, per quam is etiam, qui ad dicendum ineptissimus est, cum eloquētissimo homine collatus non contemnendus visus est. Sin nemini hac oratione persuadeo, merito id mihi aliquis vitio vertet, qui vel materiæ ubertate fretus, nudæ Dionis eloquentiæ gratiæque resistere non potuerim. Vtinam verò hæc in plurimorum utilitatem nobis assumpta in manus fuerit oratio. *De Laude calvitij.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Philostratus: Neque Menandri Polemon elegans adolescentulus rasit, sed iratus adversus captivum amasiam hoc ausus est, quam ne ipse quidem rasisse se moderatè tulit. Lachrymatur itaque prostratus, & pœnitudo eum cædis capillorum incessit. Ephæbo autem pepercit etiam drama. Tu verò nescio, quid passus, tuo ipsius capiti ô homicida, bellum intulisti. Quid opus erat gladiis adversus crines? Quid verò spontaneis ac multis vulneribus? Qualem ætatem excidisti? Ne poëtæ quidem te instituere potuerunt qui Euphorbos & Menelaos introducunt comatos, & universum Achivorum excercitum? Et si quis eis pulcher ex fluviis, comas gestat. Quemadmodum enim aurum anathema & argentum, sic etiam crines comati. Barbari armis, Græci galeis, oculi palpebris, naves velis, terra montibus, montes saltibus, mare insulis, tauri cornibus, fluvij tempibus, urbes mœniis. Formidabilior etiam Leo hirsutus, & equus jubis fretus, & gallus pugnacior barba præditus. Venerantur etiam sapientes ex astris cometas, & sacerdotes comis ornatos, & ex diis alium aliter Neptunum, nigriconium, Apollinem intonsum, Pana Hirsutum, Isin soluta coma, Bacchum cum multis crinibus etiam hedera comatum. Venus autem ne tum quidem rasit, cùm esset in luctu ac squalore. *Epistola 26.*

Philostratus: Laudo te qui tempus eludas technis, & lanuginem reseces. Quod enim natura discessit, id arte manet. Iucundissima verò est eorum quæ amissa sunt, recuperatio. Itaq; meum consilium audi ac sequere. Capite comam nutri, & capillorum tibi cura sit, alij cum maxillis sensim conveniant. Et hanc tuam lanuginem, paruo negotio, cùm quis vult, auferet, alii verò considant in humeris, quemadmodum Homerus ait Eubæos comam in posterioribus partibus alere. Nam caput florens multò iucundius est planta Minervæ, siquidem ne hanc quidem arcem nudam videri convenit, neque inornatam. Lanugines verò tibi sint nudæ, neq; quisquam huic lumini officiat, neque nubes, neque caligo. Quemadmodum enim nequaquam jucundum aspectum præbent oculi clausi, sic neque lanugo in formoso comata. Sive igitur medicamentis, sive cultellis exilibus, sive summis digitis, sive purgationibus & herbis, sive alia quapiam machinatione, effice ut tibi pulchritudo sit diuturnior. Sic enim imitaberis eos expertes senectutis. *Epistola 60.*

Dio Prusæus: Videte enim quò res tandem progrediantur. Barbarum primùm inventa est tonsura; & videbatur moderatum esse, ne valde promitterentur, neque nimium, sed leniter corrigeretur natura. Talis ergo à multis habitus est homo dexter. Deinde radebant usque ad genas. Neque hoc fortè intolerandum; attamen Comicus & hunc jussit igni tradere, super sedecim ficulnis fasciculis. Verumtamen facies habebant formosas, & pueriles præter ætatem. Mox ab hac lanugine liberati, processerunt ad crura & pectus, ut etiam in aliis partibus pueris similes essemus. Deinde usque ad brachia, deinde usque ad pudenda transierunt, ut pubes etiam videretur superflua. Cavillis ergo incessitur, derideturque naturæ artificium apud sapientes juvenesq; tanquam priscum quoddam, & oppidò stultum & inutile, quod corpori superflua præbuerit. Quid enim nobis opus erat unguibus? Quid pilis? Quin etiam ne manibus quidem & pedibus fortasse. Pudenda solum nobis debuerat facere, & uentres, & cibum proponere, aliaq; quibus frui possemus, Quapropter nos ipsi resecamus, & barbam & pubem auferimus, quæ virorum sunt propria. Si verò alia possemus à mulieribus accipere, tum videlicet omnino essemus felices: non, ut nunc, inopes, sed integri quidam, & secundùm naturam semiviri. *Orationis 33. fine.*

Dio Prusæus: Comam autem nutrire, non oportet prorsus credere virtutis esse indicium. Multi enim jam homines, Dei alicujus gratia comam nutriunt: & rustici in vicis, qui philosophiæ ne nomen quidē unquam audierunt, atq; hercle plurimi barbarorum, partim uelamenti causa, partim se decere existimantes. Horum nemo invidiosus est, neque ridiculus. Fortassis enim id recte faciunt, quoniam & lepores videtis valde alioqui imbecilles, propter pilorum servatos densidatem; & volucribus imbecillissimis aliæ sufficiunt ad arcendū ventum & aquam, quare illis à natura datæ sunt. Nos autem comam quidem auferrimus, quemadmodum pastores solent equabus, quas asinis voluerint admovere; & barbam abradimus, super capita verò teximus sisyras & pileos, & hujusmodi alia consuimus. Gallos autem gallinaceos videmus nullo horum indigere, quo homines, neq; sisyris neq; pileis. Verum qualis nam fieri possit pileus, vel Arcadicus vel Laconicus, qui melius capiti quadret, quàm sua coma? Et quid opus est (dicat aliquis) coma, quum tot sint velamina? Nihil sanè divitibus, illis enim neque manibus neque pedibus opus est. *Oratione 35.*

Heliodorus: Vt diem summo vidit desiderio, primum præcidit ex comæ prolixitate tantùm, quantum ad comparandam speciem prædonibus convenientem apud bubulcos aluerat; ne illum obvii quiq; averterentur aut suspectum haberent. Bubulci enim latrones cùm alia faciunt ut formidabiliores appareant, tum etiam comam ad fastū promittunt, & quatunt super humeros sparsam: non ignorantes quod coma eos qui amori operam dant acceptiores, prædones autem terribiliores efficiat. Cū igitur præcidisset Cnemon tantū comæ quantū cōptiori alere cōvenit minus prædone, &c. *libro Æthiopicon secūdo.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cura major est salutis crispulis quàm gloriæ.
Qui coma gaudent virtutes non sunt, vix sunt fœminæ.
Sexum alium crinita, tonsa non decet alium coma.
Tinge te, teque unge si ante tempus vis canescere.

¶ Jambica.

Cani ante tempus, indices prudentiæ.
Comatus omnis fœmina est corruptior.
Non pugnat in bello comatus; pectitur.
Reperta nullo calvo seclo fœmina est.

Comitatis.

¶ MONOSTICHA.

Comitate haud frangitur fastigium, vix flectitur.
Magna comitas contemptum, odium magnus timor creat.
Nil comitate morum elcusticum magis.
Nil mage est animos quod inesset omnium, quàm comitas.

Comitio-

Comitiorum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. NAZIANZENUS: Pij viri simulque tranquillitati suæ consulentis est, functionem sacram vitiis metiri, ut scilicet, tanquam in cibis, eam admittamus, cui pares esse possumus, eam autem quæ vires nostras superat repudiemus. Sic enim fore, ut & corporis sanitas, & animæ tranquillitas constet, si in utrisque mediocritas teneatur. *Oratione octaua.*

Idem: Animus erat si solitudine frui non poteram, me certè ita continere, ut sublimes sedes ijs, qui cupiditate earum ducerentur concederem; ipse verò tanti sperinter pueros ac discipulos censerer, quoad dulci doctrina salsam amaramque doctrinam eluissem. *Orationis nonæ principio.*

D. Nazianzenus: Si sententiæ nostræ assensum fuerit, eligentis Basilium, spiritualiter adsum & adero. Sin aliud quidpiam potius quam istud placeat, & per sodalitia ac cognationes hujusmodi res expendantur, ac promiscua turba judicij sinceritatem rursum convulserit, & distraxerit; seorsum sanè id quod placet facite: nos autem intra nosmetipsos colligemur. *fine Epistolæ 22.*

D. Nazianzenus: Alij quidem alios eligent atque in medium proponent, nimirum pro suis quisque moribus aut commodis, quem admodum in hujusmodi rebus accidere consuevit. Nos neminem, nec enim fas est, Basilio præferre possumus. ecquem enim ex omnibus quos novimus, vel vita probatiorem, vel sermone ac doctrina valentiorem, magisque ad virtutis elegantiam undique perpolitum reperiemus? At est infirmus. non æthletam sed doctorem creabitis. *Epist. 23.*

S. Isidorus Pelusiota: Multarum rerum amor in animis oritur: at voluntatem non comitatur, ut cùm ejusmodi est, ad quem pervenire quispiam nequeat. Neque enim regnum, quisquis vult, consequitur: nec opes, nec conjugium quale vult. Quamobrem si Zosimus, ut scribis, impudenter se ipsum, ac per vim, in Dei mysteria immittere conatur, diligenter cura ut intelligat, Dei templum leprosis tamdiu clausum esse, quoad contractum ex morbo vitium abstersérit. *lib. 1. Epist. 28.*

¶ ORATORUM ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Neque est quod mirari, dives, aut indignari velis, in comitiis plus sæpè pauperes posse: non omnia possunt opes vestræ, neque in cunctis quæ humanam continent vitam, domina pecunia est. Latius possidebitis, & numerosiores familias vestras ignorabitis: magnam partem civitatis occupabunt domus vestræ: ingens pondus argenti perstringet oculos. Sed hæc intra privatum valent: cùm in publicum veneris & in campum, spectabitur innocentiæ fides. Forsitan gratiæ quoque non parum nobis affert ipsa tenuitas: ubi tabellam pauperes ferunt, tum subit tacita quemque cogitatio superbiæ vestræ: tum omnium quas singulis facitis, injuriarum. Attamen in cæteris (petentes magistratus dico atque provincias) possitis Tribus emere. dispersa pecunia parare gratiam. Vbi verò de sacerdotio quæritur, & judicium religio agit: illam populus spectat, illam intuetur quæ semper futura sit virgo, quæ à cultu templorum, à sacris non recessura. *Declamatione 252. a. f.*

Quintilianus Senior: Nemo est tam arrogans sui æstimator, ut accessurus ad comitia, & periculum sortiturus humanitatis, non malit sine adversario esse. Hæc de incertis judiciis dicerem. quid si ad securitates & indignationes accedit metus? &c. *Declam. 252. m.*

Calpurnius Flaccus: Vbi vir fortis & orator consulatum petunt, infit orator: Quam plus ad vestra judicia cujusque, proficiunt merita privata quàm publica? postremo, quod maximè voluntatem plebis offendit, rogare non nosti. orare & exorare nostrum, qui hinc etjam nomen accepimus. *Controuersia 45.*

Plinius Iunior: Supersunt senes ex quibus audire soleo hunc ordinem comitiorum. Citato nomine candidati, silentium summum. dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat, vel eum sub quo militaverat, vel eum cui quæstor fuerat, vel utrumque, si poterat. addebat quosdam ex suffragatoribus: illi graviter & paucis loquebantur, plus hoc quàm preces proderat. nonnunquam candidatus, aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. audiebat Senatus gravitate censoria. ita, sæpius digni quàm gratiosi prævalebant. quæ nunc immodico favore corrupta; ad tacita suffragia, quasi ad remedium, decurrerunt. quod interim planè remedium fuit: erat enim novum & subitum. sed vereor ne procedente tempore ipso ex remedio vitia nascantur. est enim periculum ne tacitis suffragiis impudentia obrepat. nam quotocuique eadem honestatis cura secretò quæ palam? multi famam conscientiam pauci verentur. *lib. 4. Epist. 20. medio.*

Plinius Iunior: Si quando, nunc præcipuè cuperem esse te Romæ, & sis rogo. opus est mihi, voti, laboris, sollicitudinis socio. Petit honores Julius Naso, petit cùm multis, cum bonis; quos ut glorioſum, sic est difficile superare. Pendeo ergo, & exerceor spe, atq; afficior metu, & me Consulare esse, non sentio. Meretur hanc curam longa mei charitate, est mihi cum illo non sanè paterna amicitia; neque enim potuit esse per meam ætatem. solebat tamen vix dum adolescentulo mihi pater ejus cum magna laude monstrari, vir alioqui clarus & gravis, & qui prodesse filio memoria sui debeat. Sed multi nunc in Senatu, quibus ignotus ille, multi quibus notus, sed non nisi viventes reverentur. quo magis huic, omissa gloria patris, in qua magnum ornamentum, gratia infirma, ipsi enitendum & laborandum est, &c. ergo venias & suffragio meo tuum jungas. permultum interest mea, te ostentare & mecum circumire. ea est auctoritas tua, ut putem me efficacius tecum etiam meos amicos rogaturum. suscepi candidatum, & suscepisse me notum est. ego ambio, ego periclitor. in summa, si datur Nasoni quod petit, illius honor, si negatur, mea repulsa est. *Ep. 6 l. 6.*

Plinius Iunior: Commendas mihi Iulium Nasonem candidatũ. Nasonem mihi? quid si me ipsum? fero tamen & ignosco. eundem enim commendassem tibi, si te Roma morante ipse abfuissem. Habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria putat. tutamen censeo alios roges. ego precum tuarum minister, adjutor, particeps ero. *Epistola 9. libri sexti.*

Plinius: Res multis agitata sermonibus, proximis Comitiis honestissimas voces Senatui expressit: Candidati ne conviventur; ne mittant munera: ne pecunias deponant. ex quibus duo priora tam apertè quam immodicè fiebant. hoc tertium quanquam occultaretur, pro comperto habebatur. Homulus deinde vigilanter usus hoc consensu Senatus, sententiæ loco postulavit; ut Consules desiderium universorum notum Principi facerent, peterentq;, sicut aliis vitiis, huic quoq; providentia sua occurreret. Occurrit. sumptus candidatorum fœdos illos & infames ambitus lege restrinxit. eosdem patrimonij tertiam partem conferre jussit in ea quæ solo continentur: deforme arbitratꝰ (ut erat) honorem petituros, Vrbem Italiamq; non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo, quasi peregrinantes habere? concursant ergo candidati certatim: quidquid venale audiunt emptitant, ut sint quoque plura venalia efficiunt. *Epistola 19. libri sexti.*

C L. Mamertinus: Quis ignorat tum quoq; cùm honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? ediscenda omnium nomina: tributim homines atque etiam singuli salutandi: prehensandæ obviorum manus: omnibus arridendum: non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda; multaque alia propter honorem agenda, quæ alias virum honore dignum facere non deceret. unde illud Crassi celebre dictum cùm peteret Consulatum, & forte cum Scævola socero per vias urbis incederet, nec præsente gravissimo & severissimo viro blandiri populo, palpare obvios, & artes petitorias auderet exercere; Quæso, inquit, Muti, paulisper abscedas; nec me comitatu tuo honestari putes: impedis honorem meum: te spectante ineptus esse non possum. At ego verò nullius favorem turpi assentatione promerui, nihil feci ineptum; nihil egi quod spectare Mutium nollem. non modo nullũ popularium deprecatus sum, sed ne te quidem ipsum, Jmp. quẽ orare præclarum, cui preces adhibere plenissimum dignitatis est, verbo saltem adij. sponte in familiam meam divinum istud à te munus infusum est. Fatebor autem tibi, & tutò apud te animi operta reserabo: nunquam in capita civium potestatem, nunquam provincias concupivi; sed quia juvanda etiam à me videbatur pro virili portione respublica, cum ad magistratum vocarer, propter opinionem desidiæ, non refugi. negotium publicum neque ambitor appetii, neque per timiditatem aut ignaviam recusavi; sed à teneris annis ad hanc usq; caniciem Consulatus amore flagravi. Secundum etiam tibi confessionis gradum debeo: cùm in aliorum Principum esset potestate respubl. diu inanem cupiditatem sine spei solatiis fovi. unde enim mihi aspirandi ad hoc nomen esset amentia, opum vacuo, & ignaro ambiundi? nam primum cùm Cæsar esses, marcentem jam cupiditatis meæ flammam bonæ spei flatibus excitasti. cùm verò te Auguste, mirificum innocentiæ ac virtutum spectatorem viderem, tunc mecum dixi, Mamertine non frustra huc usq; vixisti. habes idoneum fidei ac industriæ judicem. memento in magno res tuas esse discrimine: scietur non meruisse te Consulatum, si tibi eum non detulerit hic. Jmperator. *capite 17. Orationis ad Iulianum Aug.*

C L. Mamertinus: An verò si centuriatis comitiis Consul creatus essem, glorioſius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer? minime. si quidem etiam illis priscis temporibus multorum ambitu fuit campus infamis. nota divisorum flagitia, notæ lucellorum præstigiæ, tum operarum ad vim & seditionem manus emptæ. Nec sanè potest in confusa imperitorum multitudine quidquam esse perpensum. nam cùm boni rari sint, improborum vulgus immensum, in Campo autem numerus & turba præpolleat; sine dubio intelligitur eum suffragiis populi magistratum capere, quem plures, id est, quem pejores probarunt. Vnde factum est ut majores nostri viderent Vatinios designatos & repulsos Catones. Sed hæc vetusta dent recordari, quemadmodum paullò ante honor petitus sit. Vix pauci extiterunt quorum virtutibus deferretur; cùm quidem ipsis illis tarda industriæ ac probitatis merces veniret. ceteri verò perdidissimũ quemq; ex aulicis frequentabant; uti qui spiã per artes turpissimas Jmperatori acceptissimus videbatur, eum assiduis obsequiis, donisque captabant.

nec viros quidem, sed mulierculas exambibant, nec fœminas tantum, sed spadones quoque. ita præclara illa veterum nomina sordidissimum quemque ex cohorte Jmperatoria & improbissimum adulabant. Hi cùm in provincias immissi erant, quà sacra qua profana rapiebant, iter sibi ad Consulatum pecunia munientes. itaque nullum jam erat bonarum artium studium. militiæ labor à nobilissimo quoque pro sordido & illiberali reiiciebatur. Juris civilis scientia, quæ Manlios, Scævolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, libertorum artificium dicebatur. Oratoriam dicendi facultatem, multi laboris & minimi usus negotium, nostri proceres respuerant, dum homines noluisse videri volunt, quod assequi nequiverunt. Et verò tantum laboris vigiliarumque suscipere, ad adipiscendum id cujus usus agendæ vitæ ornamenta non adjuvaret, dementia ducebatur. itaque omne studium pecuniæ coacervandæ. tanto enim vir quisque melior, quanto pecuniosior habebatur. Jam serviendi miseranda patientia, assentandi mira calliditas. Ministrorum aulæ quotidie limina ferebantur. ad fores eorum qui regiis cupiditatibus serviebant canos patriciæ gentis viros cerneres ab hujusmodi dedecore, non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius injuriæ deterreri. demissi jacentesque vix capita supra eorum quos precabantur genua tollebant. ad postremum honores non judicio aut benevolentia superborum, sed misericordia merebantur. At nunc quisquis provincias, tribunatus, præfecturas, consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas ac nefas quærat, ac libertatem suam salutator vilis imminuat: quanto fuerit paratior servituti, tanto honore indignior judicabitur. Tum aliud quoddam hominũ genus est in amicitia Principis nostri, rude (ut urbanis istis videtur) parum come, subrusticum. Blandimentis adulantium repugnat, pecuniæ verò alienæ, tanquam rei noxiæ, factum reformidat, maximas opes in reipubl. salute & gloriosa Jmp. sui laude constituit. Jam ipse ingenti divinaque providẽtia adversus omnes assentatorum illecebras captionesq; munitus est. quippe ei à fucatis adulantium venenis quod periculum est, qui aures etiam veris laudibus gravatus impertiat? Sed multò multòque nunc facilior est ratio honorum petendorum. Quisquis, inquam, capere magistratum voles, auri atq; argenti negligens esto; nullas ostiatim potentium fores obito, nullius pedes, nullius genua complectitor: adhibeto tantum gratuitas & paratu facillimas comites, justitiam, fortitudinem, temperantiam atq; prudentiam, ultrò ad te maximus Imp. accedat, & ut capessas rempubl. flagitat. otioso tibi & alia curanti, provinciæ, præfecturæ, fasces, sella curulis, atq; insignia omnia magistratuum deferentur. quid enim sibi veræ vir perfectæq; virtutis non cõstanter de honore promittat, cùm me propter tantillum innocentiæ meritum uno in anno ter videat honoratum? &c. *cap. 20. & 21. Orationis ad Iulianum Aug.*

Ausonius: Consul ego, Jmperator Auguste, munere tuo; non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos: qui non prensaverim manus, nec cum salutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim: qui tribus, non circumivi, centurias in adulavi, vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, Senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus. Jure meo, Auguste, affirmare possum, incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diversa umquam virtute venere venturique sunt: suus enim cuique animus, suũ meritum, sibique mens conscia est. Iure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri à ceteris esse secretum. Sunt quos votorum cruciat inanitas; non optavi: quos exercet ambitus; non petivi: qui assiduitate exprimunt; non coegi: qui offeruntur occasione, non adfini: quos juvat opulentia; obstat temporum disciplina: non emi, nec præstare possum continentiam jactare; non habui. unum præstare tentavi, & hoc ipsum quasi meum vendicare non possum; in tua enim positum est opinione, si merui. Feciſti autem & facies alios quoq; Consules piissime Gratiane, sed non & pari causſa viros gloriæ militaris; habent enim locum, ut semper laboris, ita dignitatis plerunque consortiũ virtutis quã honoris antiquiore collegio. viros nobilitatis antiquæ: dantur enim multa nominibus; & est Roma pro merito. viros fide inclitos, & officiis probatos: quorum me etsi non secerno numero, tamen quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. Quartum hunc gratum novi beneficii, tu Auguste, constituis, deferre tibi ipsi, quo alter ornetur, bona animi tui ad alienam referre præstantiam, eruditionemque naturæ, quam Deo, & patri, & tibi debes, ad alterius gratiam rectius torquere, quàm verius. *Paneg. ad Gratianum Imp.*

Commeatus proviandæ.

¶ SENTENTIA PHILOSOPHI.

XENOPHON: Ego sic arbitror, non desidis vitæ ratione præstare subditis debere principem: sed alacri studio rebus eorum prospiciendo, ac laboribus tolerandis. Verum mi fili, ait Cambyses, sunt quædam, in quibus non adversus homines certamen est, sed cum ipsis rebus, quas idoneè superare, per est difficile. Ne longe abeamus, scis brevi finem habiturum imperium tuum, si commeatu exercitus careat. Atqui hæc ait Cyrus, exhibiturum se nostris, pater, hinc proficiscentibus Cyaxares dicit, quotquot illi fuerint. Siccine igitur, inquit, iter ingrederis, fili, Cyaxaris opibus hisce fretus? Vero respondit Cyrus. Quid autem? subjecit ille, nostine quantæ opes ejus sint? Minime profecto, inquit Cyrus. Et his tamen ignotis & incertis fretus es? quod autem tibi multis erit opus, atque etiã modo magnos sumptus alios faciendos esse, non intelligis? Intelligo, inquit Cyrus. Quod si ergo vel sumptus eum destituat, vel etiam sciens fallat, quomodo comparatæ tibi res exercitus erunt? nimirum non bene.

Tu vero, mi pater, subjecit Cyrus, si quam parandæ copiæ rationẽ perspicis, quæ à me sit expectanda, eam mihi, dum adhuc in regione pacata sumus exponito. Quæris fili ex me, ait, ecqua possit abs te proficisci copiæ parandæ ratio? At quem probabilius est ejus parandæ modum invenire posse, quam illum, cui vires sunt? Tu vero cum iis pedestribus copiis hinc discedis, cum quibus, sat scio, longe majores alias non commutares. Equitatus autem Medici, qui præstantissimus est, auxilia tecum habebis. Quam ergo nationem finitimam putas haud obsecuturam vobis, & gratificandi studio, & damni metu? Quæ quidem tibi communiter una cum Cyaxare consideranda veniunt, ne unquam vos aliquid rerum necessariarum deficiat. Quin etiam usus & consuetudinis causa redituum excogitari copia debet. Hoc vero maxime omnium mihi memineris, nõ exspectandum esse, ut rerum necessariarum copiam tunc pares, quum ipsa te necessitas urgebit: sed quum maxime rebus omnibus abundabis, tunc ante inopiam accessionis rationem aliquam reperies. Nam & facilius consequeris ab illis, à quibus petes, quum nequaquam egere videberis, & tui milites in quo te culpent, non habebunt. Quæ res efficiet, ut & alii magis te reverituri sint, & obsequentiores in rerum necessariarum copia milites sis habiturus, si quando exercitus opera vel juvare aliquos vel lædere volueris: atq: adeo scire debes, magis ad persuadendum idonea te usurum oratione, quum maxime demonstrare poteris, tibi & ad juvandum, & ad lædendum satis virium esse.

Et Cyrus: Quum aliis de causis inquit, præclare mihi hæc omnia, mi pater, disserere videris: tum etiã, quod quę modo milites accepturi sunt, eorum nomine mihi nemo gratiam sit habiturus: quippe qui norint, quibus conditionibus Cyaxares eos ad belli societatem arcessat. Quidquid autem præter illa promissa quis accipiet, id vero & honoris loco sunt ducturi & consentaneum est, eos maxmam id largiẽdi gratiam habituros. Iam si copias quis habeat, quarum opera vel beneficia in amicos conferens, vicissim ab eis ipse commodum aliquod capere possit: vel conari queat, ut hostibus, si quos habet, ereptũ aliquid sui juris efficiat: hunc deinde negligentiam esse in acquirendo, an minus turpe putas, atque si is, cui & fundi sint, & ad eos colendos servi, nihilominus solum incultum nulli esse, usui sinat? Itaque sic de me sentias velim, ait, numquam me in rebus militi necessariis communi solertia quærendis & conficiendis, nec in sociorum regione, nec in hostico negligentem futurum. *cap. 39. lib. 1. Cyropædiæ.*

¶ PORTARUM.

Ausonius Edyllio 3. V. 27.

Conduntur fructus geminum mihi semper in annum.
Cur non longa penus, huic quoq; prompta fames.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Adversus famem atque frigus belligerare quis queat?
Commeatu destitutus absq; ferro vincitur.
Commeatus detineri credit vulgus, dum timet.
Commeatus etsi abundet, parce eo Dux utere.
Continere militem haud est absque commeatibus.
Frumento absq; stipendioque miles haberi non potest.
Miles absque commeatu præda mox sit hostium.
Miles absque frumento ac stipendio haberi non potest.
Militem quei continebis absque commeatibus?
Militi hoste pro gemello sunt fames juxta ac hiems
Pabulum assignare certum bellica res haud potes.
Qui sapit penum ante condit quam belli vis ingruat.
Solitudines debellant militem nuda fame.
Tam fame sitique fatiscunt milites, quam pralijs.
Terra commeatus, amnis commeatus subvehat.
Vincitur sine hoste miles commeatus cui deest.
Vincitur terra marique commeatu quem abstines.
Vtere ô Dux commeatu semper, haud abutere.

¶ JAMBICA.

Et militi fames vice pestilentia est.
Fames domando militi una sat valet.
Fames Hyemsque militi hostes sunt duo.

Commendationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORŨM.

S. JSIDORUS PELUSIOTA: Hesychij, viri singulari erga Deum pietate præditi, negotio coronidem imponas velim: ut & tu nominis celebritatem adipiscaris: & ego ingenti voluptate afficiar: & ipse rursum tua omnia prædicet. Est enim is vir, qui gratias agere norit. *lib. 2. Epist. 18.*

Synesius:

Synesius: Hunc quibus potestis obsequiis fovete: quoniam is ab universo mihi consilio commendatus est; velimque equidem boni ei causa alicujus esse. Sed illud tamen nescio quibusnam aliis potiùs quàm vobis, & nos curæ esse & quæ à nobis suscepta fuerint conveniat. *Epist.* 19.

Synesius: Divinum illum tuum animum ob id ipsum ad nos missum arbitror, ut commune esset hominum bonum, gratiamque iis haberet qui justa postulantes commendarent, quòd consentaneam naturæ tuæ materiam suppeditent. Neque enim propterea quod cognatus meus est Herodes: sed quòd jus atque æquum postulat, idcirco tibi adolescentem commendo, qui cum clarissimis majoribus natus sit, agrosque paternos Senatui vectigales jure hæreditario acceperit, posteaquam dux factus est, eadem quæ recens in Senatum adscripti tributa exigitur, duas ut pensitationes solvat, unam quidem bonorum, aliam verò magistratus, quem gessit, nomine. *Epistola* 38.

Synesius: Ecquem verò, ecquem admirationi esse par est, apud tui similes? Eum nempe qui & frugi homo sit, & concinnus, & disciplinæ socius, & divino cultui deditus: & ut uno verbo dicam, qui Gerontii sit similis. Habes igitur cum literis hominem, quo cum usus fueris non malum me laudatorem dixeris *Epist.* 81.

Idem: Non quod liberorum meorum cognatus est præclarus Gerontius, idcirco adolescentem tuæ amicitiæ commendatum volo: quamquam & hoc ita sese habet, sed quod aurei Chrysæ moribus conveniens est si quid frigidum dicere me, & Gorgiæ non dissimile oportet. Verùm cæteris istud omnibus longè verius dixerim te intra genus omne virtutis esse constitutum eumque qui ad te hasce literas defert, tua esse familiaritate dignissimum. *Epistola* 82.

Synesius: Epistolæ prolixitas alienum esse eum à quo perferatur, arguit. Præclarus autem Gerontius novit quidem quæ ego omnia: nisi verò ab omni mendacio esset alienus, plura etiam quàm quæ scirem dixisset, pro eo quòd me amat, & linguam habet ad intimos animi sensus aperiendos idoneam, quem si tu libenter videris, videris sanè quemadmodum videri abs te cupio. *Epist.* 83.

Idem: Accipe cum animata, etiam animæ expertem epistolam, eum egregio Gerontio quas ad te scripsi literas, quæ legi cuidam potiùs quàm salutandi tui necessitati sunt concessæ, quod enim cum assidua tui recordatione vivimus, infinitis literis multò id clarius juvenis iste narraverit. *Epist.* 84.

Synesius: Literas ad sacrum tuum, mihique imprimis optatum caput, præclaro Gerontio commisi, quibus primi illi ad te aditus occasio præbeatur. Tum enim fortassis illum mei gratia honorabis: postquam verò periculum feceris, etiam alium ejus gratia. *Epistola* 85.

Idem: Nova hæc in usu Epistolarum à me inita ratio est. Neque enim eo scripsi, ut eum amicitiæ tuæ commendarem, qui tibi hasce literas daret, sed ut beneficii ac gratiæ tibi eum loco darem, non mediocre tibi lucrum magnóque; Diogeni deliciis tuis futurum. Nec tu mihi succenseas, si non vos Theotimo, sed Theotimum vobis lucro futurum sentio, atque dico. Sed hoc nimirum ita se habet, si & vir ille omnium qui nunc vivunt, Poëtarum divinissimus est. *Epistola* 98.

§ Latinorum.

S. *Salvianus:* Commendavi hunc aliis, commendavi bis; licet non æquè aliis ut vobis. Primum quia commendari satis vobis eum qui est meus, ita ut ipsum me, non necesse est: deinde quia cùm me portionem vestri existimetis, necesse est eum, qui mei portio est, vestri quoque aliquatenus portionem esse ducatis. Postremò quòd commendatio ipsa sicut diversi generis, ita & excellentioris est charitatis. Aliis commendavi hunc corpore, vobis spiritu: aliis in emolumenta præsentium, vobis in spem futurorum: aliis ob brevia ac terrena, vobis ob sempiterna ac divina. & rectè, ut quia carnalia vobis minus quàm spiritualia bona suppetunt, illa ego magis à vobis peterem quibus magis abundatis. *Epist.* 1.

Ennodius: Paucis asserendus est, quem & notitia senior, & opinionis bonæ lingua commendat. Non indiget prolixitate sermonum, qui suis apud magnitudinem vestram dotibus adjuvatur. *lib.* 3. *Epist.* 21. *p.*

Ennodius: Solet epistolaris concinnatio, quando favore rapitur, judicia non amare, & copiosius facere beneficium, dum attollit immeritos. Ille enim debet ampliùs asserenti, qui quod moribus non exigit, gratia scriptoris suffragante consequitur: quia nullis adjutus conscientiæ dotibus, jure ad allegantem reportat, si quid adipiscitur. Aliud est, in eo qui commendatur, tanquam nobile germē, ita peregrinantia bona verbis inserere; aliud innata vulgare: quemadmodum si rusticum pecus Tyria confirmes purpura sponte vestiri; & virus generosum, quod vellus aheno inebriante non sorbuit, dicas rura diffundere. Tingunt alii linguæ murice, quæ nullus adregalem usum fucus exibuit, & discreti maris ignota cochleis lana solam lucem bibit eloquii, redditur dignum principalibus indumentis, quicquid in vili munere relatorum verba coloraverint. *lib* 4. *Epist.* 9. *pr.*

Idem: Commendat magnis viris justitiam, oblivionem videtur æquitatis opponere. *lib.* 5. *Epist.* 25. *f.*

Ennodius: Precum prolixitate utitur de imperatore diffidens. Argumentum est nihil merentis diu rogare. Facessat à moribus tuis, ut perdas beneficiorum genium, dum longa supplicatione producitur de effectu celeri sublimandus. *lib.* 5. *Epist.* 11. *f.*

Ennodius: Quasi solem facibus adjuvet, & mare exiguo humore locupletet, ita superfluis laborat impendiis, qui per se placitura commendat. Sed stultum est perire occasionem beneficii, quando auxilium fortis implorat. Opum largius supra copias ditatus est, si credit subsidium, quod pauper obtulerit. Regale munus fit, cui insigne pretium præstat accipiens. *lib.* 9. *Epist.* 3. *pr.*

Ennodius: Interest non tacere quod gestias Parum suscipit oneris, qui quod scit amore dignum esse commendat. Feritatis maculam non evitat, qui non festinat asserere, quod meritis esse novit placiturum. *Dictione* 8.

§ Philosophorum. Oratorúmque Græcorum.

Plato: Mitto tibi ex Pythagoreis, & ex divisionibus, & virum præterea, cujus operâ, quemadmodum tùm nobis visum est, & tu, & Archytas (si ipse ad te venit) uti possitis. Ei nomen est, Helicon: patria Cyzicus, Euxodi discipulus, cujus omni doctrina diligenter est institutus: & usus ei intercessit cum quodam Socratis discipulorum & Polyxeno Brysonis sodali: quodque præterea rarum est, comis est affabilis, neque malitiosus videtur: sed levis potiùs & candidus esse judicaretur. Cautè autem & timidè loquor, quippe de homine sententiam exponens non de perdito animali, sed quòd mutari corrigique facilè possit, nisi in quibusdam, iisque perpaucis. Præterea id veritus ac diffidens considerabam cum illo colloquens, ac de civibus ipsius percontabar, neque quisquam mihi quicquam de eo mali retulit. Considerans autem tu quoque, & cautionem adhibeto. *Epist.* 13.

Diogenes: Rogârunt me Megarenses adolescentuli, ut tibi Menodotum philosophum commendarem: ridiculam sanè commendationem. Nam quòd homo sit, ipsa hominis effigie: quòd philosophus, vita & moribus cognosces. Qui enim bonus est, per seipsum commendatur. *Epist.* 18. *ad Apollexidem.*

Dionysius Sophista: Virum æquum & ipsa facie testimonium præ se ferentem, lectorem Ulpianum, tua celsitudo beneficiis prosequatur, & propter vos quidem, ut rectè ritéque præeuntes propter me, ut existimantem posse me id quod peto à vobis impetrare. *Epistola* 20.

Idem: Qui scripsit epistolam, ego sum, amicus vester, qui perfert, amicus meus. Efficiatur verò per me etiam tuus. Et hinc etiam, cujusmodi sim, intellige, qui amicos amicis commendem. Quamobrem autem veniat, & quemadmodum ea conficienda sint, causas ipse recensebit. Alterius autem vos ei adjutores este, & plurimùm amantes & satis prudentes. *Epist.* 26.

Procopius Sophista: Bonis viris sufficiunt ad amicitiæ contractionem mores. Sed quoniam necesse est ut aliqua detur occasio, qua primùm ad sermones veniendum est, deinde facto periculo admirari convenit, hujus rei gratia erudito Theoni Epistolam tradidi. Primùm enim ob hanc eum benevolè & libenter videbis. Postea verò supervacaneas ducens literas, ipsius causa hominem miraberis. *Epist.* 2.

Procopius Sophista: En tibi, iterum tempus quod requirat erga egenos opem & auxilium. Qui verò occasionem iterum dedit, iterum ego sum. Itaque sat scio dupliciter gratias ages, & quòd benè merendi viam adeptus sis, & quod idem tibi per me contigerit. Etenim revera tu majus gaudium capis beneficium collocando, quàm accipiendo cæteri, & eum qui occasionem dederit, benefactorem etiam audeas appellare. Itaque ut magis daturus quàm accepturus beneficium ita glorior. *Epist.* 10.

Idem: Si res amicorum vult communes esse vetus proverbium, & mihi amicus est, summa præditus sapientia, & eruditione Petrus, tuus etiam meritò censeatur. An verò jure hunc diligam, sæpè probabit experientia. Quod si videbis, hactenus mores testabitur. Is vestræ quadam in re opis indigens, & magni faciens se id à vobis impetrare, me ad hanc epistolam scribendam impulit, arbitratus me tantum apud vos posse, ut meritò nunquam à vobis repulsam ferre debeam. At si veram existimat, tu ampliùs sententiam jus confirma. Sin falsa, sic etiam ei tuam operam accommodabis, ne apud alios mutuam inter nos amicitiam fingere saltem declaremur. Habet autem justitiam quoq; ipsam pro se facientem, quæ tibi quamvis nemine petente grata & amica est. Cùm verò possis injuriam repellere, negligentem in eo esse, idem habet momentum ut si tu ipse facias, quod à tuo animo abhorret. Omnino autem assentieris, aut meis literis, aut præsentiæ morem gerens. Una sola re molestum fore scias, si virtutem cunctando tardiorem aut hebetiorem declaraveris. *Epist.* 14.

Procopius Sophista: Multa sunt propter quæ huic qui Epistolam adfert, benevolentiam præstare debeas. Genus mecum conjungens. Conjugium generis necessitudinē stabiliens. & quod maximum est nostræ literæ. Neq; hic sermo à superbia quadam & insolentia proficiscitur, sed potiùs confidentis est, mea quanquam exigua sua natura, tamē maximum apud te pondus habere. Indiget autē justæ linguæ & verborum facundiæ, quæ obtrectationē & falsam calumniā restinguere possit. Non igitur dubito te spe mea fore superiorem. Semper enim contendis, & anniteris, ut præstes majora, quàm de te

quis sperarit. Quod restat tuum erit ut aut meam spem opere vincas, aut saltem hac non minorem re eventum ostendas. *Epist. 22.*

Procopius : Qui vobis epistolam tradit, unus est ex meis discipulis, quamvis non longo tempore. Attamen satis arbitratur ad vestrũ excitandum erga se studium & officium, si vel nudum meum nomẽ inscribatur. An verò rectè senserit, magistram expectat experientiã. Itaq; vestrarum partium est operam dare, cùm ne illum opinio fallat, tùm ut ego non pudore afficiar, qui tantum pondus apud vos existimor habere. *Epist. 56.*

Idem : Eum qui hasce tibi literas reddit, hominem & apud nos probatum & ob fidẽ qua est omnibus charum, rectè facies, si hospitis dignatus fueris, & mei & ipsius causa, tùm etiam tui. Non pœnitebit te voluntatis, si vel arcanum sermonẽ vel factum ei commiseris. Sed tu quoq; præconiis apud alios virtutem ejus efferes, cùm expertus fueris quantum in omni re negotioq; efficere possit. *Ex typo Epistolari.*

Arrianus: Rectè Diogenes ad eum, qui commendatitias ab eo literas petebat : Te quidem, inquit, esse hominem, cùm primum viderit, agnoscet. An verò bonus aut malus sis, siquidẽ peritus est bonos & malos discernendi, cognoscet. Sin imperitus, non cognoscet, etiamsi sexcenties scripsero. Nam perinde est, ac si drachma se commendari alicui vellet, ut exploraretur. Si is argenti agnoscendi peritus est, tu teipsum commendabis. Oportebat igitur nos habere in vita quoq; tale aliquid, quale in moneta, ut dicere possem, quemadmodum argentarius dicit, affer quamvis drachmam, eam ego discernam: Eodem modo quamvis affer ratiocinationẽ, eam ego dijudicabo quæ resolvi, quæ non resolvi possit. Quamobrem? Quia scio resolvere ratiocinationes: habeo facultatem, qua instructum eum esse oportet, qui ratiocinationum peritum dijudicare debeat. In vita autem quid ago? Eundem nunc bonum dico nunc malum. Quid causæ est? Contrarium: ratiocinationum inscitia atq; imperitia. *cap. 3. lib. 2. Epict.*

¶ Romanorum.

Plinius junior: Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, supraq; ista quàm res patitur sustulisse : at ego fide mea spondeo futurum, ut omnia longè ampliora quàm à me prædicantur, invenias. Diligo quidem adolescentem ardentissimè, sicut meretur. Sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. *lib. 1. Epist. 14. fine.*

Idem: Minus miraberis me tam instanter petiisse, ut in amicum meum conferres tribunatũ, cum scieris quis ille qualisque. Possum autẽ jam tibi & nomẽ indicare & describere ipsum, postquam polliceris. Est Cornelius Minutianus, ornamentum regionis meæ, seu dignitate, seu moribus. natus splendidè, abundat facultatibus, amat studia ut pauperes solent, idem rectissimus judex, fortissimus advocatus, fidelissimus amicus. Accepisse te beneficium credes, cùm propius inspexeris hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis, (nihil volo elatius de modestissimo viro dicere.) *Epistol. 22. libri septimi.*

Symmachus: Qui sua fiducia deseruntur, epistolas meas in usum commendationis accipiunt. Id nunc aliter est. Nam fratri meo Potito hac conditione literas dedi, ut eas ipse commendet. *libri 1. Epistola 13.*

Symmachus : Petronius C. V. accitu tuo iter adornans, in rem suam fore existimavit, si meo testimonio niteretur. Huic ego nihil per me accessurum putavi : & tamen deesse nolui ; sciens judicio erga illum tuo nihil adjici posse si scriberem ; decessurum tamen aliquid meo officio si tacerem. *lib. 1. Epist. 14. m.*

Symmachus : Amicorum desideriis operam non negamus, dum justa credimus quæ petuntur. *lib. 1. Epist. 66.*

Idem : Quando eam Dii potestatem tibi dederunt, ut amicis ac necessariis meis usui esse possis ; confido Romano optimo viro in tuo præsidio paratam bonæ spei copiam. Duabus enim commendationibus, quarum tibi antiqua cura est, adjuvatur : mei testimonii prærogativa ; & sui meriti conscientia. *lib. 1. Epist. 67.*

Symmachus : Amicorum orata curare bonæ frugis officium est, præcipuè si non refragetur æquitas postulato. *lib. 1. Epist. 71.*

Idem : Vitalianum clarissimum virum mei potiùs officii gratia quàm in adjumentum suum credo literas popposcisse. Nam cùm ipsi ad promerendum tuum amorem, nihil ultra possit accedere ; id tantum videtur egisse, ut mihi ex hoc munere conciliatio tui uberior proveniret. *lib. 1. Epist. 75.*

Symmachus: Sanctum Zenonem commendare non debeo, quem scio ad clientelam tuam & amicitias pertinere. Sed in eo tanta morum probitas est, ut laudes silere non possim. Itaq; virũ bonis omnibus merito suæ sedulitatis acceptum, quæso etiam me precante propensius fovere digneris ; præstaturus & tuæ famæ quæ debet omniũ ore celebrari, & interventui meo, ut has literas sibi profuisse subintelligat. *lib. 1. Epist. 87.*

Idem: Laudentur incogniti, ut eorum merita in occulto sita testimonii splendor irradiat. Mihi impræsentiarum supersedendum est hujusmodi scriptione, ne incœpti frustra sim si Palladium spectatum bonis omnibus, facundiæ atque eruditionis astipuler. Dehinc cauto opus est, ne impar tanto viro prædicatio, neq; eum cui defertur æquiparet, & meam operam devenustet. *lib. 1. Epist. 88.*

Symmachus : Si quando mihi apud amicum testimonii dictio est, cohibeo operam plus loquendi. Nam quid religio agit ubi desideratur oratio? Fero igitur ad te nudum de familiari meo Pontiano, sed fidele judicium: quem nisi amore nostro dignum probassem, minimè tibi traderem. Mens ejus in aperto est, vita spectat ad laudẽ. Scis certè nunquam me faciliorem favoris esse quàm veri. Horum omnium fidem confirmabis cùm in illo plura reppereris. *libri 1. Epist. 93.*

Symmachus: Tuæ quidem virtutis est, omnes Palatinis stipendiis enitescunt juvare præsidio. Sed specialis à me viro optimo Romano cura debetur amicitiæ gratia, quæ inter nos longa adolevit ætate. Quare si quid testimonio meo tribuis, nolo dubites dignum esse quem diligas, & quem maximis officiis muneres. Certè si examen de eo habere digneris ; pronunciabis meis literis defuisse, quæ in illius meritis invenies redundare. *lib. 1. Epist. 98. pr.*

Idem: Posse aliquid amitiis æstimor. Hinc spes oritur quæ Theophilo V. C. tuam opem de meo sermone promittit. Quid igitur ejus commodo velimus, in aperto est. Effice oro te, ut amicum fiducia mei non videatur esse frustrata. *lib. 1. Epist. 100.*

Idem : Alexander vir ornatissimus sortitus provinciam Præsidialem, putat honori suo incrementa præstari, si tuo amore potiatur. Quare desiderii sui me adscivit interpretem ; sciens apud te tantum loci esse literis meis, ut hæc commendatio maximi testimonii instar habeatur. *lib. 1. Epist. 101.*

Symmachus: Taceat prodiga laudis vetustas, quæ Apellem, Zeuxim & id genus similes, ut quemq; ætas tulit, voluminum honore dignata est. Mihi erga Luculli prædicationem sermo parcior, fides major est. Quid enim juvat indulgere verbis cùm rem liceat experiri? Sit igitur de hoc tua existimatio qui bonarum artium spectator semper fuisti. Ego Lucillum modestiæ meræ atque honestatis adstipulor. Videtur ne tibi dignus esse quem diligas, cujus gravitas sponsore me nititur, ars & eruditio teipsum judicem non veretur? *lib. 2. Epist. 2.*

Idem: Agnoscis & domi cognitum bonitate generis, & foris ætate militiæ, pro quo mihi apud te loqui longum non est necesse. Commendatio enim præstari debet incognitis. *libri 2. Epistola 9. f.*

Symmachus : Pro optimis viris quisquis intervenit, non magis illorum videtur juvare commodum quàm suum commendare judicium. Quare in eo quod fratris mei Maximi desideria literis prosequor, non tam illi usui quàm mihi laudi est. Est enim vita & eruditione liberalium disciplinarum pariter insignis, neq; ulli præstantium philosophorum secundus, ac propterea tua familiaritate dignissimus. *lib. 2. Epist. 29.*

Idem : Horus Philosophus, vita atq; eruditione præcipuus, jamdiu mihi charus & amicus est ; & inter prima numerat dona fortunæ, si optimis quibusq; jungatur. Studens igitur ad effectum desiderium ejus adducere, quæso te, ut & meriti ipsius gratia, & in honorẽ commendationis meæ, inter familiarum tuorum præcipuos atque honorabiles censeatur. *lib. 2. Epist 39.*

Symmachus : Et habitus & crinis indicio Serapamnon literarum peritiam pollicetur: cujus si se meminisset exsortem, nunquam philosophis congruentẽ sumpsisset ornatum. Sed de hoc vestra existimatio sit qui talium rerum profitemini notionẽ. Mihi religio fuit non negare verba poscenti. Facies itaq; rem morum tuorum, si ope atq; humanitate fortunam peregrinantis adjuveris. *libri secundi, Epist. 61.*

Idem : Astipulationem præclara merita non requirunt. Siquidẽ virtus sua luce conspicua aversatur auxilium commendationis alienæ. Ergò cùm dominum & fratrẽ meum Licinium celebrẽ fecerit ad normam veteris disciplinæ gubernata Resp. quid potest ei dignitatis adjicere privata laudatio? Hac igitur præmissa parte, optimæ in amicos fidei ac diligentiæ virum præcelso animo tuo opto sociare : non quòd judicium tuum serum atq; difficile sit ad colligenda ingenia, & explorandas voluntates bonorum : sed ne brevis inter vos usus, & festinata discessio neget justum tempus examini. *libri 2. Epist. 65.*

Symmachus : Humanitatis interest commendationem deferre poscentibus. In Zenobio autẽ talis officii causa propensior est cùm sit familiaris meus, atq; adeò illi debeatur potiùs quàm præstetur affectio. Huic patrocinium tui cupio provenire. Nam primum est, ut meo suffragio diligat : secundum erit, ut sua honestate complaceat. *lib. 2. Epist. 70.*

Idem : Multis à me conciliationem literariam popposcerunt ; sed quorundam meritis, aliorum precibus parem gratiam dedi. *libr. 2. Epist. 82.*

Symmachus : Superforanei laboris est commendare conspicuos, ut si in Sole positis facem præferas, & accensu luminum claritudinẽ diei gestias adjuvare. Idcirco in præsentiarum nihis moratus testis officium, salutationi tuæ styli operam dedicavi. *libri tertii, Epistola 48.*

Idem : Ago quidem studio tuo uberes gratias, quòd mihi familiaritatem probatissimi cujusq; concilias. Sed frater meus Hyperecius, jamdudum institutione Romanus est. Cur igitur mihi bona nostra commendas? Cedo alios usu incognitos, emendatione consimiles ; si tamen raritas virtutum admiserit, ut unum aut alterum æquè edecumatæ honestatis invenias. Illos ego amicos beneficio tuo acquisitos putabo quos nescio. Istam mihi reddidisti potiùs quàm dedisti. *lib. 3. Epist. 52.*

Symmachus : Si nosse dignaris quanta sit in domino Flaviano pectoris mei portio ; amicitiã adventantis amplectêre, ut duos obliges. Ambo

ge. Ambo idem ſumus. Nam hoc dici à me patitur ille qui melior eſt. Plura ſcriberem, ſi aut diu velles rogari, aut tanti viri merita commendationem deſiderarent. Ergo ſat eſt quòd accepiſti voti mei indicia. Ambitu & labore non eſt opus, quum ex natura veniat, ut à te moribus tuis proximus diligatur. *libri tertii, Epiſtola* 66.

Symmachus : Duo mihi grata proveniunt, quoties à me literæ poſtulantur: & quod te honore ſalutationis impertio, & quòd operam commendationis præſto poſcentibus. *lib. 3. Epiſt.* 76. *pr.*

Idem : Amor tuus in Domitium notus & validus ademit mihi commendandi ejus laborem: pro quo hoc tantum dixiſſe ſuffecerit, mihi quoque eundem priſca familiaritate conjungi. Quæ res illi incrementum patrocinii tui, ut ſpero, præſtabit. Probabiliorem quippe eum tibi faciet communis ſimilitudo judicii. *libri* 3. *Epiſtola* 76.

Symmachus : Nec quidem prioribus literis meis viciſſitudinem reddidiſti. Sed mei officii fuit ſcripta geminare, ne tam fida occaſione fraudarer. Maximè cùm amicus communis Auxentius acceſſurum ſibi aliquid gratiæ ex meis literis judicaret. Quem tibi propterea commendare non debeo, quia illi apud te potius quàm apud alios teſtis eſſe conſueſti. *lib. 3. Epiſt.* 77.

Idem : Longo orationis ambitu commendentur incogniti. Severiani autem V. C. merita, annoſæ militiæ probata documentis, elaboratum teſtimonium non requirunt. *lib. 3. Epiſt.* 87.

Symmachus : Commendarem tibi Flavianum filium meum, ni te volente eſſet accitus. Nihil igitur tuo beneficio derogabo. Satis eſt juveni meo ad argumentum grati circa te animi, quòd de literis parentis non requirit auxilium. Puto tamen convenire pietati, ut me quoque ejus nomine tibi fatear obligatum. Ex quo fiet ut plura in eum congeras ſtudii tui munera, pro quo tibi non unus obnoxius eſt. *lib.* 3. *Epiſt.* 89.

Idem : Probitate & honore pollentibus viris, nihil addit aliena oratio. Sua enim luce conſpicui precariis teſtimoniis non juvantur. Qualis ergo quantusque ſit dominus & frater meus, in aperto eſt. Meritò ejus laudibus noſtrum cedit ingenium. Hoc unum tamen prætereundum non puto, ſummam mihi cum illo eſſe officiorum familiarium ſocietatem: quæ res etiam tibi minora merita plerumque commendat. Unde arbitror ex abundanti promptam fore in eum præclaræ tuæ mentis affectionem, quam illi & decus proprium, & meæ amicitiæ prærogativa conciliat. *libri tertii, Epiſtola* 91.

Symmachus : Abundat Flavianus filius meus ad promerendam conciliationem bonorum ſuis paternisque ſuffragiis. Sed intereſt amoris quem verè pignori meo debeo; ne dum meritis illius nihil deeſſe contemplor, officium parentis omittam. Facio igitur quod redundet, & cumulum impono perfectis. Sed hoc ad conjungendum Flaviano meo præſtantiæ tuæ animum multùm credo valiturum. Quja mihi pro beneficio intelligis imputandum, quod illi ſolo judicio detuliſſes. *lib.* 4. *Epiſt.* 2.

Idem : Meriti proprii conſcius, ſuſpiciones gratiæ fugit Rufinus; & in examen tuum veniens, non vult ſui commendationem teſti magis debere quàm judici. *lib. 4. Epiſt. 3. f.*

Idem : Commendationem non deſiderat qui ad agendas gratias pergit. Et ideo Flavianus filius meus fretus culminis tui beneficio, levat iſtiuſmodi labore curam parentis. *libri quarti, Epiſtola 5. p.*

Symmachus : Gaudentius amicus meus in gremium patrocinii tui confugit, vir omnibus rebus amari dignus. Genus ei ſenatorium eſt, mens & modeſtia origine ſua ac ſtirpe nobilior. Si foco gratiæ infectum teſtimonium meum non putas, ſuſcipe diligendum. Longa obſequiorum ejus inſpectio faciet, ut me judices minora dixiſſe. *lib. 4. Epiſt. 38.*

Idem : Ama Flavianum dominum & filium meum, quantum me velle interpretaris: & ſi fieri poteſt, certamen mecum de amore ejus ingredere. Gaudebo ſi viceris. Sed hoc mihi tunc probetur, quum & ipſe te colere ſupra menſuram diligentiæ meæ cœperit. Nam ſi amicitia de mutuis conſtat officiis, facile erit ut ex illius animo tuum metiar. *lib. 4. Epiſt.* 39.

Idem : Si conſideres quanta ſit innocentium raritas, amabis Deſiderium filium meum, in paucorum electione numerandum. De quo non falli judicium meum ſtatues, cùm in examen tuum venerit. Interim quæſo, ut illi per me amicitiæ tuæ ſacrarium recludatur, & præſtes aurem benignam cauſarum ſuarum juſta narranti. Si quid in eum benè conſulueris; abſolvetur fides mea, quæ apud illum ſpem beneficentiæ tuæ in ſe recepit. *libri quarti, Epiſtola* 40.

Symmachus : Spectatæ frugis viros apud te debeo commendare: quia præcipuum munus eſt, ut tuis amicitiis inſerantur. Suſcipe igitur, quæſo te, ortu & moribus facilè ſummates, eosque in primore congreſſu penetrali familiaritate dignare. *libri quarti, Epiſtola* 46.

Idem : Literas nonnullis humanitate præſtamus. Has autem Baſſo juſto amore detulimus. Petitio ab æquitate non diſcrepat: quin potiùs juris auxiliis munitur. *lib. 4. Epiſt. 48. pr.*

Idem : Credo tanti apud te literas meas eſſe momenti, ut effectum ſperare fas fuerit, etiamſi ardua poſtularem. *libri quarti, Epiſtola* 53.

Idem : Facio quod ſuadet humanitas, ut amicitiæ tuæ viros bonæ frugis adjungam. Horum munus eſt felix, honorabilis gradu atque exercitatione militiæ. Cui ſi quid amoris impenderis, ad meam gratiam pertinebit. *lib. 4. Epiſt.* 74.

Symmachus : Bene cognitis ac probatis commendatio prompta debetur, ut ad noticiam bonorum ſub honeſta adſtipulatione perveniant. Theodulus ſinceræ nobilitatis adoleſcens multorum gratiæ viget, quibus placere laudabile eſt. Sed fortunæ difficultatem, quæ curſum vitæ ejus exaſperat, adminiculo tuo ſperat poſſe removeri. Quæſo igitur votis ejus benignus arrideas: ne aut meum teſtimonium pro nihilo habitum judicetur, aut ſpebus illius inanis exitus illudat. *lib. 5. Epiſt.* 48.

Idem: Omnes qui tuo aditu cupiunt ſublevari, non caſſam, quantum arbitror, capeſſunt viam ineundæ gratiæ, cùm me adſtipulatore nituntur. Horum unus vir probabilis Turaſius familiaris meus, qui indictæ ſibi litis injuriam fortunæ imputat: gratiam verò boni reditus de tuo potiſſimùm ſperat auxilio. Tuere igitur æqua poſcentem, & humanitatis tuæ latiùs extende famam; quæ incrementis maximis cumulabitur, ſi Turaſio per te ſecunda ſucceſſerint. *libr. 5. Epiſt.* 60.

Symmachus: V. C. Principius, genere & probitate conſpicuus, commendationem non requirit alienam, cùm tui quoq; in ſe amoris atque judicii teſtimonio glorietur. Cujus bona latiùs explicarem, niſi eſſet operæ redundantis cunctis nota replicare. Hoc unum adjeciſſe ſufficiet, quicquid illi honorificentiæ tribueris, ad omnes bonos qui eum diligunt, pervenire. *lib. 6 Epiſt.* 31.

Idem: Sapricius vir ornatus ac mihi familiaris, diligentiam ſanctæ unanimitatis tuæ ſine adſtipulatore meruiſſet. Sed quia primi aditus ſermo commendat incognitos, facilitatem ſibi promerendæ familiaritatis tuæ per me optavit aperiri. Dignum eſt igitur ut cupidiſſimum tui obvio amore ſuſcipias, & amicitiam poſtulatam non in longi uſus tentamenta procraſtines, ſed ſtatim parili voluntate deſiderio adventantis occurras. *lib. 6. Epiſt. 24.*

Idem : Zenodorus filius meus nondum te conſuetudine propiore cognovit, ſed fama conciliante jam ſuſcepit. Nam cùm properè Lucanos ac Brutios petat honore cogente, nihilominus in conſpectum tuum flexo itinere geſtit excurrere. Hunc in amicitiam tuam tanquam myſtagogus induco, atque in me recipio dignum eſſe quē diligas. Si quid igitur parentis teſtimonio tribuis, adultam mox apud te religionem primus aditus adventantis inveniat; eámq; continuò experiatur facilitatem tui pectoris quam ſcit nunquam delatam eſſe novitati. *lib. 6. Epiſt. 25.*

Symmachus: Salutationis honorificentiam prolocutus, Getulici Agentis in rebus exſequor poſtulatum, qui à te juſtum favorem per me optat adipiſci. Humanitatis tuæ eſt amplecti probabilem voluntatem, numerùmque eorum qui te jure ſuſpiciunt adjectione novi cultoris augere. *lib. 7. Epiſt. 34.*

Idem : Nec abſiſtere literis poſſum proficiſcente ad vos domino & filio meo Flaviano, quē proſequi hoc viatico debeo, nec aliquid adjungere, quia tua erga eum diligentia non recipit augmentum. Volo igitur noveris non eſſe faſtidii quòd quàm minimum de eo ſcribimus, ſed ſecuritatis de tua mente præſumptæ. Talis jugiter in eum eſſe dignare qualem te vetus amicitia pollicetur: cui adjicit tui honoris gradus, ut quæ pro eo velle debes, poſſe non neges. *libri 7. Epiſt. 47.*

Idem : Habeant fortaſſis aliæ commendationes meæ interpretationem benignitatis: iſta judicii eſt. Trado enim ſancto pectori tuo fratrem meum Severum Epiſcopum omnium ſectarum atteſtatione laudabilem: de quo plura me dicere, & deſperatio æquandi meriti, & ipſius pudor non ſinit. Præterea teſtis non laudatoris partes recepi; tibi reſervans morum ejus inſpectionem. Quam cùm penitùs expenderis, reperies me ceſſiſſe potiùs ejus laudibus, quàm per negligentiam defuiſſe. *lib. 7. Epiſt. 51.*

Symmachus: Primam mihi ſcribendi cauſam religio fecit, ut amicitia noſtra literis excolatur. Secundam ſuggeſſit humanitas, ut viro optimo Thalaſſo familiari meo tua concilietur affectio. Supereſt ut & mihi ſermonis tui viciſſitudo reſpondeat, & commendato ex ſententia procedat optatum. *lib. 7. Epiſt. 83.*

Idem: Etſi mei circa te propoſiti ratio poposcit ut ſcriberem: viro tamen ornatiſſimo Euſebio adſtipulatio mea deeſſe non debuit: quem probè de optimis viris emeritum quæſo tua benignitas muneretur. Nam laudabilis quiſque hanc ſolam mercedem pudoris atque honeſtatis exoptat, ut ad intimam familiaritatem bonorum tuíque ſimilium pura conciliatione perveniat. *libri ſeptimi, Epiſtola* 84.

Idem: Omnis commendatio amicis teſtimonium tribuit, ſuffragium præſtat incognitis. Proceſſus igitur vir ornatiſſimus filius meus, non eſt in ea parte numerandus cui ex beneficio ſcripta præſtantur; ſed potiùs in ea cui viciſſitudo ex amore perſolvitur. Puto jam liquere tibi quæ circa illum familiariter tenenda ſit forma judicii, quem ſine favore commendo. Dignum eſt enim ut quantum apud me meriti collocavit, tantum apud te benignitatis inveniat. *lib. 7. Epiſt* 85.

Symmachus : Sancto Euſebio arbitror pro ſumma commendationis ſufficere, quòd eum mihi profiteor approbatum: & ideò verbis pluribus elaborare non debeo ut ei tuam conciliem voluntatē. Præſumptum quippe teneo, his qui mihi fida obſequia detulerunt. favorem tuum minimè defuturum. *lib. 7. Epiſt.* 100.

Idem : Fratrem meum Severum multo ſermone proſequerer, ſi

novo aditu amicitiam tuam peteret, aut prædicationi ingenium ejus conveniret. Parco igitur copiæ, tuoque cedo judicio: ut justitiæ diligentiæ tuæ potiùs voluntati quàm meis literis applicetur. *libri 7. Epist. 111.*

Symmachus: Cùm tibi omnium meorum cura præcipua sit, præsumo filio meo Arcentio spectabili viro, quem mihi jungit affinitas, intimam familiaritatem tuam posse reserari; quam meritò illi & vitæ decus & familiæ antiquitas conciliat. His propriis ejus bonis etiam meæ preces in augmentum commendationis accedunt: ut planè dubitare non possim, cumulatiùs ei & meum testimonum & tuum judicium profuturum. *lib. 7. Epist. 112.*

Symmachus: Probo homines, ad clientelam tuam pertinere cupientes. Nam quædam scintilla sapientiæ est virtutum luminibus applicari. Et ideo amici mei Zenodori laudabilem voluntatem commendatione non differo, eundemque in domus tuæ sacrarium tanquam mystagogus induco. Fac quæso, ut & meo studio & ipsius voto impetratio prompta respondeat. *lib. 9. Epist. 9.*

Idem: Assertatores diligo literarum: non quòd mihi cum talibus studiis ulla cognatio sit; sed quia professio bonarum artium quasi pulchritudo in alieno etiam corpore locata delectat. Meritò Valentinianum congressu mihi primore compertum, paginis prosequi officium duxi: ut ei apud te primam januam meus sermo reseraret, sua vita atque eruditio conciliaret amicitiam pleniorem. *libri 9. Epist. 30.*

Idem: Quisquis à nobis in commendationem sui literas petit, præstat gratiam quam accipit. Antiquior est enim mihi amicitiæ cultus quàm illis præsidii impetratio. Repende igitur huius promptè operæ mercedem scripta reddenti, & pro mediocritate fortunæ hominem munerare. In tuo jure est, me etiam mutui officii honore digneris. Neque enim verborum fœnus exerceo ut te de solutione conveniam. Grave nimis esset ad leges debiti te redigi, qui me officiis voluntariis sæpè superasti. *libro nono, Epistola quadragesima tertia.*

Symmachus: Bonorum virorum curam tibi esse non ambigo. Mores enim tuos necesse est similium virtutum conjunctione gaudere. Si quid igitur mihi tribuis, quæso te, amplectere amicitias, domini & filii mei Flaviani: quem non solùm parentis, verùm etiam testis fidelitate commendo. Reperies in eo mentem dignam amore tuo & meliore fortuna. *lib. 9. Epist. 44.*

Idem: Moris mei est benè cognitis approbatisque ferre suffragium; nec personas hominum, sed vitæ merita cogitare. Cùm igitur Asellus domesticus noster in urbanis castris militiæ stipendia sine offensione confecerit; quæso, ut admissus in clientelam tuam, & meum patrocinium sibi profuisse, & tuum accessisse lætetur. *lib. 9. Epist. 54.*

Symmachus: Omnibus qui occasionem scriptionis impertiunt commendationis, quandam rependo mercedem. Nunc optimo viro Petrucio factum volo, quem scio hanc epistolam non tam sui commendatione quàm mei officii gratia postulasse: cujus operam versa vice numerandam arbitror. Poposcit literas ut tibi probaretur impensiùs. Ego contrà ideò scripsisse me fateor, ut acceptior redderer. *lib. 9. Epist. 57.*

Idem: Ea quæ pro mutua amicitia dignaris injungere, libenter exsequenda suscipio, quotiens desiderant operam meam quos commendatione prosequeris. Sed si quid aut negligentiùs aut seriùs sortitur effectum; eorum dissimulationi quos commonendi cura deserit, oportet ascribi. Cæterùm tam justa & honesta sunt quæ ipse plerumque delegas, ut mihi vel ultrò appetenda sit exsecutio probabilium literarum. *lib. 9. Epist. 75. m.*

Idem: Quamvis spontaneam juvandis hominibus meis adhibeas voluntatem; hortamentum tamen petitionis adjicio, ut officia quæ sponte tribuis, cumules provocatus. *lib. 9. Epist. 94.*

§ Poetarum.

Martialis lib. 3. Epigr. 5.

——— *alios commendet epistola. peccat*
Qui commendandum se putat esse suis.

§ Monosticha Trochaica.

Alter commenda amicum si ipsi amicus es parum.
Commendatio juvat quam plurimos mortalium.
Commendatio orta vulgi, principum ex injuria est.
Commendat ipsum semet, est quisquis probus.
Turpe commendaris cuiquam gratiosum cuilibet.

§ Jambica.

Peccat suis se commendandum quisputat.
Quandoque fictis commendamus literis.
Re commendetur, non auctoris nomine.

Commodi.

§ Monosticha Trochaica.

Commoda ex quo multa, & ejus ferre item aquum incommoda.
Commoda usquequaque magnis magna cladibus patent.
Commodi privati causa, iniquè prodas publicum.
Commodum est quod plus habet usus facile quàm molestia.
Commodum malus fert ex re nulla, bonus ex omnibus.
Commodus qui non sibi ipsi, commodus nec alteri est.
Nemo qui sapit suismet obstat ipse commodis.
Non debet quis ex alieno haurire incommodo lucrum.
Sapè incommoda ipsa pro his sunt maximè quibus accidũt.
Semper commoda ad privata quemque Natura incitat.

§ Jambica.

Cum scelere juncta nil moramur commoda.
Et commodus sibi est, alii qui commodo est.
Et detrimentum sæpè vertere in bonum est.
Et mente iniquâ aliorum ferimus commoda.
Haud commodum quidquam est, quod non est cum modo.
In commodo plus usus quàm molestiæ est.
Incommodum fer, ut feras & commoda.
Nullum suo absque commodo est incommodum.
Quandoque quis prodesse qui cupit nocet.
Vita omnis expers nemini est incommodi.

Communitatis.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: At ego ita simplici & philosophico animo præditus sum, ut unum idemque cœlum omnibus commune esse existimem, communem item Solis, & Lunæ conversionem, communem syderum situm & ordinem, communem diei & noctis æquabilitatem, & utilitatem, communes anni partium vicissitudines, & pluvias, & fructus, vimque aëris vitalem, flumina insuper, hoc est, communes & perennes divitias, æquè omnibus fluere, unam præterea eandemque terram, & parentis, & sepulchri rationem habere, ex qua sumpti sumus, & ad quam revertemur, nulla jam re alios superantes: &, ut majora proferam, communem rationem, Legem, Prophetas, ipsos Christi cruciatus per quos omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atq; à serpente in fraudem inducti, & per peccatum morte affecti, ac per cœlestem Adamum saluti restituti, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus. *Oratione 25. adversus Arrianos.*

D. Chrysostomus: Dum pestis, dum fames, dum bellum ingruit, privatim singuli, & communiter universi puniuntur. *Homilia 3. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Anima tua non est, & quomodo tuæ sunt pecuniæ? Quomodo ergo quæ non sunt tua consumis in iis in quibus non oportet? Nescis nos propterea esse accusandos, quòd eis malè usi sumus? Quoniam autem non sunt nostra, sed domini, oportebat ea impendere in conservos. Accusatus quidem certè fuit ille dives, quòd hoc non fecisset; & qui non nutrierunt dominum. Ne dicas ergo: Ego de meis consumo, meis fruor, & ex iis voluptate me expleo. Non ex tuis, sed ex alienis. Alienis autem dico, quoniam tu vis. Nam Deus vult esse tua, quæ pro fratribus tibi sunt tradita. Fiunt autem tua, quæ sunt aliena; si in alios insumpseris: sin autem in te ipsum profusè insumpseris; quæ tua sunt, fiunt aliena. Tua enim sunt etiam conservorum communia; sicut sol est communis, & aër, & terra, & alia omnia. Quemadmodum in corpore, est & totius corporis, & uniuscujusque membri ministerium; quando autem fuerit unius soliusmembri, etiam propriam perdit operationem: Ita etiam in pecuniis accidit. Et ut quod dico fiat apertius. Nutrimentum corporis quod est commune, datum membris, si ad unum venerit membrum, de cætero fit alienum. Nam cùm non potuerit concoqui & nutriri, ab illo quoque factum est alienum. Sin autem factum fuerit commune, & illius & omnium est proprium. Ita etiam in pecuniis, si tu solus eis fruaris, tu quoque perdideris: neque enim mercedem accipies. Sin autem cum aliis possederis: Hinc magis erunt tuæ, & tunc ex eis capies utilitatem. Non vides quòd & manus ministrat & os comminuit, & venter capit. Num dicit venter, Quoniam accepi, debeo totum detinere? Neque tu ergo hoc dicas in pecuniis. Ejus enim qui accipit est impertiri. Quomodo ergo ventris est vitium cibos detinere, & non distribuere; nam toti corpori affert exitium: ita etiam divitum est vitium, id quod habent apud se detinere. hoc enim & seipsos perdit & alios. Oculus

rursus totam accipit lucem, sed non ideò ipsam detinet solus, sed totum omninò corpus illuminat. Non enim ea est ejus natura, ut apud se detineat, donec fuerit oculus. Nares rursus bonos sentiunt odores, sed non eos solæ detinent, sed ad cerebrum transmittunt, & stomachum collocant in boni odoris perceptione, & per se totum hominem recreant. Pedes soli ingrediuntur, sed non se solum transferunt, sed etiam totum corpus transmovent. Ita tu quoque ne quod tibi traditum fuerit solus detine. Omninò enim tibi ante alios afferes exitium. Non in membris autem solùm videris hoc fieri. Etenim faber ferrarius si neminem vellet suâ arte impertiri; & seipsum, & alias everteret artes. Sutor similiter, agricola, pistor, & unusquisque ex iis qui vitæ necessaria exercent studia, si nullum alium velit arte sua impertiri; non solùm alios, sed se quoque cum aliis perdit. Et quid dico divites? Nam & pauperes, si vestro, qui plura quàm alii habere vultis, & divites estis, vitio uti vellent, vos maximè læderent, & citò vos facerent pauperes; imò perderent, si iis qui opus habent nollent sua impertiri: utpote agricola suam manuum operationem, nauta suam navigandi peritiam, miles suam in bellis virtutem. Quamobrem si nihil aliud, hoc quidem reveremini, & benevolum illorum animum imitemini. Neminem tuis impertiris divitiis: ergo nec tu quidquam ab alio acceperis. Si autem hoc fuerit, evertentur omnia. Semper enim dare & accipere est initium multorum bonorum; in seminibus, in discipulis, in artibus. Nam si quis voluerit artem apud se retinere; & se, & totam evertit vitam. Et agricola si domi in fossa servet semina, gravissimam efficiet famem: Ita etiam dives si hoc fecerit in pecuniis; ante pauperes se ipsum perimet, sævam gehennæ flammam in caput suum extruens. *Homilia* 10. *ad Corinthios* 1.

D. Chrysostomus: Si contigerit alicui ignem in domo esse accensum; deinde aliqui ex iis qui propè habitant, quod suum est spectantes, non concertant adversus pericula, sed seipsos includentes domi manent, timentes ne ingrediens aliquis ex iis quæ sunt intùs aliquid surripiat: quantum subibunt supplicium? Intrans enim ignis, illorum res omnes comburet: & quoniam id quod est proximo utile non viderunt, perdunt etiam quod sibi est utile. Deus enim volens omnes inter se colligare, rebus eam imposuit necessitatem; ut in eo quod est proximo conducibile, alligatum sit quoque quod alteri: & sic consistit totus mundus. Propterea in navi quoque, si orta tempestate gubernator, dimisso eo quod confert multis, solùm quærat quod sibi conferat: & se & illos citò demerget. Porrò autem ars quoque quælibet, si id solum spectet quod sibi sit conducibile; vita nunquam constiterit: neque ars, quæ hoc quærit. Propterea agricola non tantum frumenti seminat, quantum sibi sufficiat; nam jam pridem & se, & alios perdidisset: sed quærit quod confert multis. Et miles non dimicat in acie adversus pericula, ut se conservet, sed etiam ut civitates in tuto collocet. Et mercator non tantum solum importat, quantum sibi soli sufficerit, sed quantum multis etiam aliis. Si quis autem dicat, quòd unusquisque hæc facit, spectans non quod meum est, sed quod suum: nam omnia hæc agit; & pecuniam, & gloriam, & ut in tuto sit, sibi comparans: quamobrem quærēs id quod est mihi conducibile, quærit etiam id quod sibi. Ego quoque hoc dico, & id jam pridem volebam audire, & pro eo omnia verba feci, ut ostenderem, quod proximus quærit id quod sibi confert, quando quod tibi confert, spectaverint. Nam aliter non ferrent homines quæ sunt proximi quærere, nisi fuerint ad hanc redacti necessitatem. Propterea Deus sic hæc conjunxit: neq; sinit priùs venire ad commodum proprium, & quod est nobis utile; nisi ingressi fuerimus per ea quæ aliis conferunt. Atque hoc quidem est humanum sic ire ad id quod est proximo conducibile. Oportet autem non ex eo persuaderi, sed ex iis quæ Deo videntur. Neque enim salvus esse potest, qui hoc non habet: sed etsi summam exerceas philosophiam, cæterorum autem qui pereunt nullam curam geras; apud Deum nullam habebis fiduciam. Unde hoc constat? Ex iis quæ pronunciavit beatus Paulus: Si enim omnes meas facultates distribuerem in cibos pauperum, & si corpus meum tradidero urendum, charitatem autem non habeam: nihil mihi prodest, inquit. Vides quantum à nobis requirit Paulus? Atqui qui bona sua pauperibus distribuit, non quærit quod est suum, sed quod proximi. Sed hoc solum non sufficit. Nam ingenuè & syncerè hoc vult fieri, & cum magna commiseratione. Nam propterea hoc quoque lege sanxit Deus, ut deducat ad vinculum pacis. *Homilia* 25. *ad Corinthios* 1.

Chrysostomus: Hæc est regula perfectissimi Christianismi; hoc est decretum exactissimum & accuratissimum; hoc est summum fastigium, ea quærere quæ in commune conferunt. *Homilia* 25. *ad Corinthios* 1.

Idem statim post: Nihil rectè & ex virtute gestum potest esse magnum, quando non etiam lucrum transmiserit ad alios. Ergo quamvis maneas à cibo abstinens, & humi dormias, & cinerē comedas, & perpetuò lamenteris, nulli autem alteri prosis, nihil magnum facies.

Chrysostomus: At nunc pro ebrietate, lascivia, atque deliciis cuncta molimur, omnia agimus, dumque his fruamur, & communem, commune vinum, sumptumque patimur habere communem: ut autem eleemosynam faciamus, in commune ista conferre detrectamus. *Homilia* 1. *ad Timoth.* 2.

Synesius: At illi perinde ac supra vulgus hominum positi, artes alius alias ad notitiam futurorum seligentes, exercere contendunt; somnia ipsa negligunt, tanquam in propatulo posita, quorum ex æquo imperiti, ac sapientes participes sunt. Quid si igitur ob id maximè sapientiam ea res habet, quod de communi plus cæteris assequitur? Siquidem & reliqua bona, multóque magis, quæ inter ea præcipua sunt, omnibus in commune maximè proponuntur. Nihil enim sole in rebus aspectabilibus, aut divinius, aut communius est. *Libro de Insomniis.*

¶ Oratorum Græcorum.

Philostratus: Cùm passer vidisset grana ab incurioso puerulo frumenti sparsa in angiportu, id indicavit aliis passerculis, qui eò devolârunt. Unde Apollonius: Videtis, inquit, quo pacto aviculæ mutuam de se curam habent, quantumque communi gaudeant societate: nos autem homines eam colere dedignamur: & quod majus est, si quem boni quidquam cæteris impertientem viderimus, eum prodigum aut ambitiosum, aut aliquid ejusmodi arbitramur: qui verò ab ipso nutriuntur, parasitos aut adulatores appellamus. Quod si bona aliis communicandi facultas adimatur, quid aliud supereſt, nisi ut se quisque domi occludens, veluti aves quas pinguefaciendi causa in tenebris pascimus, usque ad ventris disruptionem pinguescat. *lib. 4. cap. 2.*

Philostratus: Quicunq; alteri consulit eligere sapientiam quam ipsemet eligit, in hoc accusari non potest, quod aliis ea persuadeat quæ ipse non credit. Quicunque autem bonâ à fortuna concessa excipiens, solus illis utitur, ipsis bonis injuriam affert; quod ipsis aufert, ut à pluribus percepta videantur jucundiora. *libr. 6. Apollonii, cap. 8. fine.*

¶ Romanorum.

Plinius junior: Publicis servis paucos milites addidi ad observandas custodias. Video tamen id ipsum utrisque negligentiæ causa fit, dum communem culpam hi in illos, illi in hos regerere posse confidunt. *lib. 10. Epist. 30. fine.*

Trajanus Augustus Plinio: Inprimis sicut scribis verendum est, ne si permisceantur servis publicis milites, mutua inter se fiducia negligentiores sint. *Epistola ejusdem libri decimi trigesima prima.*

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. Privata prætereo, quia vix sufficit oratio facta publicitùs explicare: quanquam cùm ex singulis sit coagmentata Respublica, & quidquid in eam confertur id omne proportione permanat; & vicissim necesse est quod sigillatim omnes adipiscuntur, in commune Reipublicæ redundare. *fine capitis 33.*

Cl. Mamertinus: Vobis Rhenus & Ister & Nilus, & cum gemino Tigris Euphrate, & uterque qualem accipit & reddit Oceanus, & quidquid est inter ista terrarum & fluminum & littorum, tam facili sunt vobis, Imperatores, æquanimitate communia, quam sibi gaudent esse communem oculi diem. Ita duplices vobis divinæ potentiæ fructus pietas vestra largitur; & suo uterque fruitur, & consortis imperio. *cap. 6. genethl. Maximiani.*

Petronius Arbiter: Quid autem non commune est quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata syderibus etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potiùs quàm præmium erit? Imò verò nolo habere bona, nisi quibus populus inviderit. *Satyrico.*

¶ Poetarum.

Aristophanes. Concion. v. 585.

Communicare oportere omnes dicam omnium participantes.
Et ex ipso vivere, & non hunc quidem ditescere, illum autem miserum esse.
Neque agricolare hunc quidem multam, huic autem esse neque sepeliri.
Neque mancipiis hunc quidem uti multis, illum autem sequentem.
Sed unam faciam communem omnibus vitam, & hanc æquam.
BLE. *Quomodo igitur erit communis omnibus?* PR. *Comedes stercus prior mihi.*
BLE. *Hæc stercora communicabimus?* PRA. *per Iovem, sed prævenisti me interrumpens,*
Hæc enim volebam ego dicere, terram primum faciam
Communem omnium, & argentum, & alia quæcunque sunt unicuique.
Postea ab his communibus existentibus, nos pascemus vos
Gubernantes, & parcentes, & opinionem attendentes.
BLE. *Quomodo igitur qui non possidet terram nostram, argentum autem*
Et Daricos latentes divitias? PR. *Hoc in medium deponet,*
Et nō deponens mentietur. BLE. *Et possedit enim propter hoc?*
PR. *Sed nil utile erit omnino ipsi* BLE. *secundum quid?*
PR. *Nullus neque in paupertate faciet, omnia enim habebūt omnes,*
Panes, partes, placentas, vestes, vinum, coronas, cicera.
Quare quod lucrum, non deponere? tu. n. excogitans ostende.

BLE. *Non*

BLE. *Non & nunc hi magis furantur, quibus hæc adsunt?*
Prius ô amice, quando his legibus utebamur prioribus
Nunc autem, erit enim vita ex communi, quod lucrum, non deponere?
BLE. *Si adolescentulum videns cupiet, & volet hunc subagitare,*
Habebit horum facilium dare? eorũ ex cõmuni participabit
Simul dormiens? PR. *sed licebit dotem ipsi simul dormire.*
Et has enim communes faciam viris condormire,
Et filios facere voleti. BLE. *Quomodo igitur si omnes iverint*
In pulcherrimam ipsarum, & quarent contendere?
PR. *Turpiores & curviores apud pulchriores sedebunt,*
Et postea si hanc desiderabit, turpem primùm subagitabit.
BLE. *Et quomodo nos senes, si turpibus conjungemur,*
Non relinquet testiculum prius ante illuc, ubi dicis abire?
PRA. *Non pugnabunt circa hoc non simul dormire.*
BLE. *Et tibi tale erit.*
PR. *Hoc quidem nostrum sententiam aliquam habet. praconsultatum est enim quomodo*
Nullius sit foramen vacuum. BLE. *illud autem virorũ quid faciet,*
Fugient enim turpes, in autem pulchros ibunt.
PR. *Sed servabunt turpiores, pulchriores abeuntes*
A Cœna, & servabunt in publicis
Turpiores: & non licebit apud hos pulchros dormire
Multeribus antequam turpibus & parvis gratificabuntur.
BLE. *Lysicratis igitur nunc nasus, aqualia pulchris sapiet.*
PR. *Per Apollinem, & publica sententia & ridiculum,*
Pulchriorum erit multum sigillum habentium,
Quando calceamento dicet, prior da locum. & postea serva,
Quando jam ego operatus tradam tibi secundare.
BLE. *Quomodo igitur sic viventium nostrum ipsius filios unusquisque*
Erit potens dignoscere? PR. *Quid opus est? patres omnes*
Seniores ipsorum esse temporibus putabunt.
BLE. *Non strangulabunt benè & utiliter ordinatim omnem senem*
Per ignorantiam: quoniam & nunc cognoscentes patrem existentem
Strangulant. quid certè quando ignorans sit, quomodo non tunc & cacabunt?
PR. *Sed astans non committet, tunc autem ipsis non me nil*
Alienorum qui verberabit: nunc autẽ si percussum audiet,
Non ipsum illũ verberabit, timens facientib⁹ hoc pugnabit.
BLE. *Hæc quidem alia dicis nil rude, si autem adveniens Epicure,*
Vel Leucolophus advum me vocabit, hoc jam grave audire.
PR. *Multò quidem gravius hac re est.* BLE. *Qua?*
PR. *Si te osculabitur Aristyllus, dicens ipsius patrem esse.*
BLE. *Lugebo & flebo.* PR. *Tu autem oles calamintham.*
Sed hic quidem prius natus est ante sententias factas esse,
Quare non timor, ne te osculetur. BLE. *Grave passus sum,*
Terram autem quis est culturus? PR. *Servi. tibi autem cura erit,*
Quando fuerit decem cubitorum elementum pingue tre ad cœnam.
BLE. *Circa autem vestes quæ inventio erit? etenim hoc est interrogare.*
PR. *Hæ quidem existentes vobis, primùm erunt, has autem reliquas nos texemus.*
BLE. *Vnum adhuc quæro, quomodo si qui debet apud dominos pœnam alicui,*
Vnde possidebit hanc? non enim communium est justum.
PR. *Sed neq; pœnæ primum erunt.* BLE. *Hoc quot consumet?*
PR. *Et ego hanc opinionem posui. cuius. n. miser gratia erunt?*
BLE. *Mu torũ gratia per Apollinẽ primum aũt unⁱ⁹ gratia.*
Si quis debens negat. PR. *Vnde igitur mutua vit mutuans,*
In communi omnibus existentibus. BLE. *Fur est manifestus.*
PR. *Per Cererem benè doces.* BLE. *Hoc igitur dicatur mihi,*
Verberationes fures unde possidebunt. postquam
Convivantes injuriã afficiunt, hoc enim te puto dubitare.
PR. *A placenta quam comedit. hanc. n. quando quis aufert,*
Non injuriã afficitur malè sic ventre punitus.
BLE. *Neq; rursus fur nullus erit.* PR. *Quomodo enim furabor meum ipsius?*
BLE. *Neq; spoliabunt igitur noctib⁹.* PR. *Non si domi dormires*
Neque si foras sicut prius, victus enim omnibus erit.
Si autem spoliabit, ipsẽ dabit: qua enim ipsi res pugnare?
Alterum enim iens ex communi melius portabit illo.
BLE. *Neq; talis ludent igitur homines.* PR. *Circa quid enim hoc faciet?*
BLE. *Modum autem vivendi quem facies?* PR. *Communem omnibus nam civitatem*
Vnã habitatione dico facere simul, rumpens in unũ omnia,
Vt coëant inter se. BLE. *Cœnam autem ubi parabis?*
PR. *Fora judicialia & porticus, diversoria omnia faciam.*
BLE. *Sedes autẽ quæ tibi utilis erit?* PR. *Crateras deponam,*
Et hydrias, & cantare erit pueris
Fortes in bello, & si quis timidus fuerit,
Vt nõ cœnent verecundia ducti. BL *per Apollinẽ generosum,*
Sorte autem judicia ubi vertes? PR. *in forum deponam,*
Et postea apud congruum sorte eligam omnes, quousque
Sciens sortitus abeat, gaudens in qua litera cœnet,
Et præco illos ex beta in porticum sequi
Regalem cœnantes. hac theta in apud ipsam,
Hos autem ex cappa, in porticum ire farinam vendentem,
Vt inclinent. BL. *Per Iovem, sed ut illic cœnent, cuis litera*
Non extracta sit secundũ quã cœnet, hos minantur omnes.
PR. *Sed non est hoc apud nos,*
Omnibus enim opulenta omnia præbebimus,
Vt ebriatus ipsã corona
Omnis abit tadam capiens.
Hæ autem mulieres per bivia
Cadentes, his a cœna
Hæc dicent, veni ad nos
Huc, puella est pulchra.
Apud me autem altera dicet aliqua dosu-
Per extabulato & pulcherrima,
Et albißima, prius tamen
Oportet & dormire hac apud me:
Hos autem per decentes sequentes,
Et adolescentulis turpiores
Talia dicent. quò curris hic.
Omninò neque facies veniens?
His enim simis & turpibus
Decretum est prioribus subagitare.
Vos autem interim folia capientes bi fruchifora ficus
In vestibulis tingi.
Age nunc, dic mihi, hæc placent vobis? BL. *Valdè.*

Petronius Arbiter.

Omnia quæ miseras possunt finire querelas,
In promptu voluit candidus esse Deus.
Vile onus, & duris hærentia mora rubetis,
Pugnantis stomachi composuere famem.
Flumine vicino stultus sitit; & riget Euro,
Cùm calidus tepido consonat igne rogus.
Lex armata sedet circum fera limina nuptæ:
Nil metuit licito fusa puella toro.
Quod satiare potest, dives natura ministrat:
Quod docet infrenis gloria, fine carer.

Prudentius lib. poster. contra Symmachum.

Non nego communem cunctis animantibus usum
Aeris, astrorum, pelagi, telluris & imbris.
Imò etiam injustus pariter justusq; sub uno
Axe habitant; unas capit impius ac pius auras;
Castus & incestus, meretrix & nupta: nec alter
Ore sacerdotis quam mirmillonis anhelat
Spiritus, aërio vitam qui temperat hausţu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente, sed æquè
Furis & innocui fœcundi rura coloni.
Gurgitis æstivi sic pura fluenta viator,
Vt latro fessus adit. sic piratis mare servit
Vt mercatori, nec fluctus sequius hosti
Obsequitur, quam cùm dominæ fert transtra carina.
Ergo capax utriusque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet discernere dispar
Viventum meritum, quos tantum pascere jussa est.
Servit enim mundus non judicat. hoc sibi summus
Naturæ dominus præscripta in tempora servat.
Nunc adsunt homini data munera legibus ijsdem
Quèis concessa semel fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare findit, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica promptaq; cunctis,
Dum servant elementa suum servantia cursum.
Sic probus atque reus capitalis criminis ijsdem
Syderibus, facilisq; poli bonitate fruuntur.
Virere commune est, sed non commune mereri.
Vnà omnes gradiuntur humo, cœlum omnibus unum est,
Vnus & Oceanus nostrum qui continet orbem.
Addo aliud: nostros potant animalia fontes.
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris.
Sordida sus nostro amne natat, nostra intrat & ipsos
Aura canes, animatq; levi fera corpora flatu.
Non facit ergo pares in religione tenenda
Aëris & cœli communio. corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidiva q; semina servat.
Nec vitio intentum restrictum deficit, aut se
Subtrahit indignis, nec fœda aut turpia vitat.
Haud aliter Solis radius cùm luminat omnes
Diffusos splendore locos, fecit aurea tecta,
Sed ferit & nigro sordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara, sed intrat
Carceris & ripas, & tetra foramina clausi
Stercoris, & spurcam redolenti fornice cellam.

¶ Fabu-

¶ Fabulae.

Lupus & Asinus.

Lupus cæterorum Luporum dux, omnibus legem imposuit, statuens, ut eorum unusquisque, quidquid venatus fuisset, in medium deferret, cæterisque divideret. Id audiens Asinus juba concussa, subridensque dixit: Pulchrè quidem dixisti, ô Luporum Princeps. Sed quomodo eam quam heri venatus es prædam; clam latibulo intulisti in cibum tibi futuram? eam adfer cæteris dividendam. Ille obstupescens leges abrogavit. *Æsopus.*

De ventre & cæteris membris. *Anonymus.*

Incusant avidi pes & manus, ocia ventris:
Omnia solus habes lucra, labore carens.
Nos labor edomuit, te fovit inertia, sorbes
Omnia, quæ nostri cura laboris emit.
Discepati famis acre jugum, vel disce laboris
Credere, teq; mei cura laboris alat.
Sic ventri servire negant, se venter inanem
Comperit, orat opem, nil dat avara manus.
Ille preces iterat, iterum fugit illa precantem,
In stomachi fundo torpet, obitq; calor.
Victa fame natura fugit, vis arida fauces
Obserat, & solitum non sinit ire cibum.
Vnde epulas data sera manus, sed corporis ægri
Perdita non reparans machina, tota perit.
Nemo sibi satis est, eget omnis amicus amico;
Si non vis aliis parcere, parce tibi.

Babrias Λέων καὶ Κερδὼ καὶ Γέρανος. Fab. 54.

Ἀγέλω Γεράνῳ μέρος ἔλεξε καὶ Κερδοῖ Λέων.
Πρώτῳ σὲ μοῖραν, εἶπεν, ὡς νομεὺς ἔχω.
Τῷ δ' εὐτέρᾳ σε, φησὶ, ὡς ἄναξ φέρω
Τελευτῇ δ' ὃς ἀρπάσειεν ἔργῳ μανθάνοις.
Ἐπιμύθιον.
Ἀνίσοις κοινωνίαν φυλάττεσθαι.

Leo, Vulpes & Grus.

Prædam Grui partiebatur & Vulpi Leo.
Primam verò partem, dixit, ut partitor habeo.
Secundam autem, ait, ut Rex aufero.
Tertiam si quis attigerit, reipsa discat.
Adfabulatio.
Inæqualium communionem vitare.

¶ Monosticha Trochaica.

Alleviat nostrum dolorem, qui suum communicat.
Congredere in commune; si non, quisque consulat sibi.
Cum de publico transactum est de privatis consulas.
Ferre sortem, quam patiuntur omnes, nemo denegat.
Gaudii quosque ac doloris copulat communio.
Gesta consilio communi, amantur & communiter.
Imbecillitas in unum animantium cogit genus.
In periculo communi quisque consulit sibi.
Nemo fortunam recusat ferre, cuncti quam ferunt.
Nemo non patientius communia fert incommoda.
Omnibus communis est possessio pecuniæ.
Publicarum opum secura semper est possessio.
Quæ mutant heros, tua haud sunt, sed communia omnibus.
Quid non est commune fecit quod Natura publicum?
Quid non est commune quod Natura fecit optimum?
Quis non æquo animo communes natura arumnas ferat.
Quod tangit omnes, jure & omnes cemprobent.
Sæculo aureo communis usus omnium fuit.
Sæpius è malo communi nata benevolentia est.
Singulis malè distrahantur, omnibus communia.
Singulis si creditur malè; omnibus benè creditur.
Vbi maledictum fit commune, desinit esse probri loco.
Vnius haud luitur cruore fracta publicè fides.

¶ Jambica.

Avaritia esse crimen desit: omnium est.
Bona publica eccur distrahantur singulis.
Commune fertur levius infortunium.
Commune ibi esse non potest ubi proprium est.
Commune naufragium, omnibus solatium.
Commune navis communis periculum est.
Commune vitium iniquè objicias singulis.
Communia multa, at est spes communissima.
Communia inter sese amicorum omnia.
Communio nulla esse cum improbis potest.
Communis utilitas, sit utilitas tua.
Communiter ferenda sunt communia.
Crumena item communis inter improbos.
Jure omnibus patet, omnibus quod nascitur.
Mors omnium rerum vel communissima est.
Peccata queinam vindices communia?
Pestisque fit communis unius scelus.
Præfert bonus domesticis communia.
Quod optimum naturâ est, est & omnium.
Quod singulis amittitur, omnibus perit.
Semper parit discordiam communio.
Servanda justa ubi vis est communio.
Sic omnia habet sapiens, ut sint & omnium.
Vbi proprium, nulla est ibi communio.
Victoria amici & nostra met victoria est.

Comœdiæ.

¶ Sententiæ Philosophorum.

Aristides *Rhetor*: Audent affirmare quidam, utilem esse istam in theatro maledicendi licentiam; quòd ita & qui malè vixerint redarguantur, & reliqui maledictorum metu modestius se gerant. Ego verò magni admodum facerem ebrietatem, si quemquam erudire posset, necesset hoc factu difficillimum, ut ebrii ad temperantiam alios inducerent, & antequam cessassent ipsi, reliquis de virtute præciperent. Quis enim nescit primùm à vulgo hoc doceri non posse, non magis quàm leges condi aut sententias ferri? An verò Corinthum non quivis navigabit, vita tota quomodo degenda sit, omnes intelligent, & istis præerunt omnes gubernaculis, huc & illuc juventutem, prout ipsis videbitur deducentes? cumque athletarum delectus habeamus, ut si quis eorum sit imperitus, is cùm pœnas dederit ignominiosè discedat; cur quæso rerum gravissimarum duces & magistros ex taberna qualibet levissimos quosque tàm ineptè diligemus, & ita nos geremus, ut ipsi quoq; magistris indigere videamur? Si porrò janitoribus non quibúsvis, sed fidissimis utimur, ne quid in ædibus faciamus detrimenti, liberósne obsecro & uxores, omniaque supplemẽta, & ut uno dicam verbo, florem civitatis cuilibet ultro regendum trademus, quosque sobrios contempsimus, iis ebriis credemus? *Mox:* Præterea si isti duntaxat improbos perstringendo, à reliquis abstinerent, possent fortasse excusari: at nunc initium rei satis honestum est, exitus verò turpissimus. Multi enim ab ipsis cùm nihil minus mereantur malè audiunt: alii contra quorum nequitia publicè patet, publica tamen contumelia carent. Quid ita? nisi quia non isti præceptorum, nec moderatorum, nec aliòs corrigere conantium officio funguntur (nam sese priùs ipsi correxissent) sed, vel amore vel odio ducti, sive pecuniam quam ab aliquo petierunt non obtinuerint, sive aliquem sectantes eo potiti non sunt, ita demum & aliis convitiantur, & de aliis ob contrarias causas tacent, itaque suam turpitudinem omnibus notam reddunt. Atque cùm hoc æquissimum sit, ut ii qui alicujus delicti sibi conscii sunt, istam redimere maledicentiam studeant: alii qui sese ipsi & vita bene acta nituntur, fortiter contemnãt; contra nunc evenit, ut impudici turpesque homines convitiis immunes evadant, traducãtur autem ii quos minimè oportebat. Quod si fingamus utrosque promiscuè malè audire, (neque enim fieri potest quin etiam probi hoc patiantur interdum) jam ii qui de bona fama parum solliciti sunt, & libidinibus toti vacant, non modò non plectentur, verùm etiam, quasi in lucro, gaudebunt se omnibus palam fieri: qui verò tractantur indignè, debitis virtuti præmiis admodum fraudabuntur. Itaque tantum abest, ut juventutis emendandæ gratia comediæ sint agendæ, ut potiùs vel hac sola de causa, quo liceat juventuti securè virtutem colere, sint abolendæ. Etenim improbos etiam alia ratione punire possumus; probos verò cur tali afficiamus injuriâ, & quibus ne litis quidem formulam decebat intendere, eos impunè sinamus cujúsvis contumeliis divexari? Huc porrò si illud accedat, quod etiam boni ferè malunt pecuniæ quàm famæ jacturam facere, idque eò magis quò sunt naturâ verecundiores; manifesta prorsus erit Comediæ importunitas, ejúsque abolendæ necessitas. Siquidem probi vel nihil dantes malè audiunt, vel ne malè audiãt, mulctabuntur, & pecuniâ maledicentiam rediment: sin infamiam non curant, nihil capient incommodi. *Post pauca:* Ubi verò tanta conspicitur & in verbis nequitia, & in canticis impudicitia, & in gestibus turpitudo, vitiáque horum tanta, quanta nulla posset exprimere Comœdia, quid erit quod nos delectet. Utrum hæc ut honesta patiemini? nihil est turpius. An ut utilia visu vel auditu? corruptelæ signa sunt. Simulatque enim assueverit aliquis tam vir quàm mulier malè audire, & pessima ferre convitia, mox remittit animum, & nequitiam quamvis antea ignotam tum discit. *Oratione de non agendis Comœdiis.*

Aristides Rhetor: Video orationem produci, nec facilè quemquam post tales narrationes gratiosè deinceps vel dicere vel auscultari posse: velut cùm post actorem aliquem qui placuit, alius in scenam prodit. *Oratione Panathenaica.*

Aristides Orator: In alia quidem re non esset fortasse magni momenti Comicum testimonium: at in eloquentiæ judicio, ut illos quasi viles contemnam, nunquam tam superbus ero. *Oratione secunda Platonica.*

Halicarnaſſæus : Comœdia ipſa, ludicra & jocoſa præ ſe ferens, ſeria tractat. *Capite duodecimo de figuratæ locutionis tractatu priore.*

Plura huc pertinentia eruas ex titulo *Hiſtrionis, Mimi, Scenæ, Theatri, Scurrilitatis.*

Comparationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. GREG. NYSSENUS : Ex comparatione cum eo quod adverſatur, accuratior eſt contemplatio eorum, quorum tenemur ſtudio. *Homilia 5. in Eccleſiaſten.*

D. Chryſoſtomus : Comparationes de rebus cognatis fieri conſueverunt. *Homilia 7. ad Corinthios 1.*

Idem : Vides Paulum comparationem facere? propter eminentiam, inquit, non quod alterum alienum ſit. Nam quod eminet & excellit, rem quæ ejuſdem ſit generis excellit. Unde igitur per comparationem, præſtantiam alterius conſtituit, inde alterius etiam cognationem & ſimilitudinem cognitionis demonſtrat. *Homil. 11. ad Philippenſes.*

S. Iſidorus Peluſiota : Majus & minus in iis, quæ eandem ſubſtantiam habent, quæritur ac perpenditur. Verbi gratia: Homo homine major eſt, & bos bove, & equus equo. Ac denique comparationis regula iis rebus convenit, quæ ejuſdem generis ſunt. Quocirca ſi is, qui ea, quæ ad Deum pertinent, nimis audacter inquirit ac perſcrutatur, majorémq; Filio Patrem eſſe contendit, comparationem tanquam eandem ſubſtantiam habentium admittit, de majori breviter ipſi reſpondebimus. Nam quæ ſubſtantiæ ratione diſcrepant, inter ſe comparari nequeunt. Neque enim homo bove major dicitur, nec equus camelo, nec aſinus piſce. *lib. 1. Epiſt. 422.*

Idem : Vidéris ignorare, quod in illis quæ ejuſdem ſunt generis, non in iis quæ ſunt diverſi, comparationis nota locum habeat, non in contrarium ordinem velut expellens ea quarum inſtituitur comparatio; ſed vel deteriorem vel præſtantiorem indicans conditionē. Nam ut in vitiis & lapſibus aliud quidem eſt malum, aliud verò pejus, aliud denique peſſimum (nam malum quidem eſt furtum; pejor verò ſcortatio; peſſimum autem adulterium) ſic etiam in virtutibus & rectè factis, aliud bonum eſt, aliud melius, aliud optimū. Verbi gratia: Bonum quidem eſt conjugium; ſed præſtantior eſt continentia; præſtantiſſima verò atque optima virginitas. Illud igitur, quod optimo eſt inferius, non in contrariam extruditur ſeriem, ſed manet in eadem ſerie, tametſi inferiore. Nemo enim qui ſanæ mentis ſit, fornicationem cum virginitate contulerit, ſed potiùs continentiam & honorabile conjugium. Scriptura quoque furti & adulterii comparationem inſtituens, ait: Non mirum, ſi capiatur aliquis qui furatur. Furatur enim, ut impleat animam eſurientem. At mœchus propter inopiam mentis perditionem animæ ſuæ acquirit. Non enim eo ſenſu hoc dixit, quaſi veniam daret furi, eumque omninò abſolveret ab omni crimine, ſed cum adulterio, quod peſſimum eſt ſcelus, furtum comparans, levius hoc atque tolerabilius eſſe pronunciavit, maximéque, quando à paupertate generatur. *lib. 4. Epiſt. 115.*

S. Iſidorus Peluſiota : Babylonios, qui tunc temporis ſupercilia extulerant ſuper victoriis & rebus bello feliciter geſtis, & trophæis à ſe rectis ſuperbiebant, & prædictione ſe jactabant, divinum numen obſtupefecit, cùm pueros captivos non ſapientiores ipſis in cōparatione, (in illis enim rebus, quæ ſunt ejuſdem naturæ, comparatio valet) ſed ſapientiſſimos declaravit. *lib. 4. Epiſt. 167.*

¶ ORATORUM HISTORICORUMQUE GRÆCORUM.

Phalaris Licino : Non rectè apud Leontinos me quaſi præſens eſſem & reſpondere poſſem, ita interrogaſti, quis eſſem, & à quibus oriundus & cujas. Ego enim ſicuti me ſcio Phalarum eſſe Leodamantis filium, Aſtypalæenſem genere, patria fugatum, Tyrannum Agrigentinorum, multarum rerum peritum, conſtantem uſque in hodiernum diem; ſic te novi ſcortatorem puerorum, laſcivum inter juvenes, adulterum fœminarum, legum violatorem, in voluptatibus intemperantem, in pace ſegnem, in bello fugitivum, qui mihi & concionum, & quorum te nunc redarguo, pœnas dependes, niſi citiùs condemneris: tunc ſaltem, cùm Leontini te in meam poteſtatem tradent bellum nobiſcum componere volentes. *Epiſtola quarta.*

Ariſtides Rhetor : Videor mihi contra quam ſolent Æoles poëtæ facturus. Cùm enim ſoleant illi, quando aliquid ex rebus ſui temporis elevare volunt, id cum rebus antiquis quæ magnæ fuerint & illuſtres, comparare, quod ita maximè rem declarari poſſe exiſtiment: ego cùm aliter nequeam veſtram explicare præſtantiam, cum parvis rebus antiquis res veſtras componam: quandoquidem vos maxima quæque deinceps minima reddidiſtis. *ſub initium Encomij Romæ.*

Halicarnaſſæus : Nihil in ſeipſo conſideratum per ſe ſufficit, vel liquidè perſpici poteſt. *cap. 40. de Vi dicendi Demoſthenis.*

Halicarnaſſæus : Multa quæ per ſe pulchra ac ſuſpicienda videntur, aliis melioribus comparata, minora opinione apparent. Sic etiam aurum auro comparatum melius vel deterius deprehenditur: tùm etiam omne aliud opus manu effectum: denique omnia ea quorum finis eſt illuſtratio & evidentia. *cap. 4. ad Cn. Pompejum de Platone.*

Libanius : Scitis omnes certè quæ vilia ſunt in bonis & parva, majorum comparatione examinata, ſplendidiora oſtendi; ideóque omnes homines ad res eximias contendunt, dum quæ adſunt, cum illis componendo illuſtrare volunt. Nimirum quivis diceret virum moribus compoſitis, & temperantem, & turpes abominantem, quaſi Divorum aliquem inter homines verſari: neque illos dedecorans, niſi majore pietate coleret; ac viro probo, ejus cum Deis ſimilitudine facta, ornatum ſupplens congruum. *Oratione Oreſtis ſuper matricidio.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus ſenior : Quædam comparatio minuit. per ſe crudele fuit perire fratrem, ſed comparatum patri tolerabile. *Declamatione 375. f.*

Plinius : Et alioqui nihil non parùm gratè ſine comparatione laudatur. *cap. 53. Panegyrici ad Trajanum.*

Plinius : Accidit quidem ut corpora quamlibet ardua & excelſa procerioribus admota decreſcant; item ut altiſſimæ civium dignitates collatione faſtigii tui quaſi deprimantur, quantoque propius ad magnitudinem tuam aſcenderint, tantò etiam à ſua deſcendiſſe videantur: illos tamen tu quanquam non potuiſti tibi æquare cùm velles, adeò in edito collocaſti, ut tantum ſuper cæteros quantum infra te cernerentur. *cap. 61. Panegyrici ad Trajanum.*

Auſonius : Sed ego nolo benevolentiam tuam aliorum collatione præcellere. Abundant in te ea bonitatis & virtutis exempla, quæ ſequi cupiat ventura poſteritas: & ſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas. Neceſſe eſt tamen aliquid comparari, ut poſſit intelligi, bona noſtra quo præſtent. *Panegyr. ad Gratianum.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abſque comparatione quis beatus? quis miſer?
Comparatione lumen fit tenebrarum clarius.
Deprimit tollitve comparatio magnitudinem.
Nemini placet cicatrix niſi collata vulneri.
Nulla eſt quam in generis ejuſdem rebus comparatio.
Pulchrioribus minora pulchra ſunt, ſi compares.
Quis miſer felixve ſi non comparatur alteri?
Vos collatione pejus aureo eſt argenteum.

¶ JAMBICA.

Abſente corvus eminebit gracculo.
Abſente Sole item jubar ſuum eſt.
Alia minuit, alia auget comparatio.
Dijudicanda purpura eſt ad purpuram.
In flumine ingens navis, parvula in mari eſt.
In Sole cerni ſydera ipſa deſinunt.
Laus nulla ibi eſt, ubi nulla comparatio.
Nimis ſe amat, qui nemini ſe comparat.
Nimium ſibi tribuit, qui ſe nulli comparat.
Pulchellus eſt abſente corvus gracculo.
Qui parva magnis comparat, magna atterit.

Compaſsionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. JO. CHRYSOSTOMUS: Ut is qui ſe ab alienis cladibus minimè avertit, ne in ſuis quidem aliquid unquam patiatur adverſi: ita & qui alienæ triſtitiæ conſors fieri renuit, in ſuis caſibus acriùs afficietur: ac ſicut in corpore, putreſcente pede, manus ni compatiatur, expurgetq; vulnus, & imponat medicamentum, ac diluat ſaniem, hoc ipſum in ſuis patiatur malis: & quæ miniſtrare alteri noluit, quum eſſet morbo libera, morbo ipſa quoque erit obnoxia: quippe ſerpens inde malum ad ipſam quoque perveniet, jamque non de officio ac miniſterio, ſed de cura & evaſione periculi ſerit illi ratio: ita ſanè & hîc, qui condolere aliis negligit, ipſe dolebit. *2. ad Timoth. Homilia 7.*

S. Iſidorus Peluſiota : Eorum, qui duriore fortuna conflictantur, quiſque miſericordia & commiſeratione dignus eſt, cùm calamitates ſuas deplorat. Sin autem ad alios calumniandos ipſiſque obtrectandum ſe convertat, miſerationem quoque, quam res adverſæ atque calamitoſæ aliis excitabant, ut ipſe noſti, amittit. Neque enim jam miſericordia, verùm odio dignus eſſe judicatur, dum ad face-

ſenda

ſenda aliis negotia calamitate abutitur. Quoniam igitur curioſitatis, moleſtiam aliis libenter exhibentis, ſemina exorientia evellenda ſunt priuſquam pullulent, nec vi ulla comprimi poſſint; atque ei ipſi qui laceſſivit, periculum creent (nam qui calumniis premitur, probitatis ac morum elegantiæ nomine, cunctorum ore celebratur) eum, quem calamitas temulentia afficit, velim accerſas, ipſique, ut à claro ac celebri viro abſtineat, perſuadeas. *libri ſecundi Epiſt. 35.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ad miſerationem propenſam, ô amice, animam habere oportet. Nam qui ejuſmodi fontem habet, nullum boni genus eſt, quod non ex eo ſcaturiat. Sive enim pecunias habeat, eas profundet: ſive aliquem in calamitatibus videat, lamentabitur: ſive in quempiam, cui injuria inferatur, incidat, manum porriget. Denique nihil eorum, quæ ad ipſum attinent, prætermittet. *libr. 2. Epiſt. 130.*

Idem: Videris (ô quónam te nomine dignè appellem!) ne communes quidem notiones ſequi. Nam quod per literas quæſiviſti, quámnam ob cauſam Chriſtus mulieres eas, quæ ipſius vicem dolebant non modò non collaudarit, ſed etiam inſectatus ſit, maximo argumento eſt communes notiones apud te minimè conſervari. Hujuſmodi enim commiſeratio, contumelia illi erat, qui ejuſmodi paſſione non movebatur, qui autem ſponte ac voluntario animo pugnant, beati prædicantur. Non enim ea quæ fiunt, verùm eorum, qui perpetiuntur, animi perpenſi & explorati, aut hoc aut illud pertrahunt. Nam quòd & prædones & martyres iiſdem pœnis afficiantur, nec ab uno eodémq; principio manat, nec ad unum & eundemque finem tendit. *libri ſecundi, Epiſtola centeſima ſexageſima ſexta.*

S. Iſidorus Peluſiota: In publicis & graviſſimis malis commiſerationi locus non eſt. Omnes enim privatas calamitates deplorantes, non tantum otii habent, ut ipſis alienas miſerias luctu ac lamentis proſequi vacet. *lib. 3. Epiſt. 38.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam per literas quæſiviſti, quam ob cauſam Chriſtus ad crucem proficiſcens aut abductus, mulieres, quę ipſum lugebant, objurgârit: (ajebas enim, tametſi ignorantiam quandam in ſe illa res habuerit, tamen certè benevolentiæ ſingularis ſignum fuiſſe) reſpondeo: Quia non invito atque nolenti ipſi paſſio contingebat, ideò injuriam quandam ipſi inferre videbatur, quòd vicem ejus dolebant. Nam ejus dolere vicem, cui id quod patitur non præter contráve voluntatem evenit, non eſt res illi jucunda neque accepta. *lib. 4. Epiſt. 97.*

Idem: Neque luctatorem generoſum, qui in certamen deſcendit, & pulvere aſpergitur, & percutitur, deflere lachrymisque proſequi decet: Labores enim ipſi in coronas deſinunt: neque ſtrenuum aliquem militem ad bellum proficiſcentem, ubi & vulnera & mactationes perpetietur, lamentis afficere convenit. Redibit enim victor glorioſus, & columnis & præconiis potietur. Sed illos potiùs lachrymis proſequi dignum eſt, qui ad latrocinia cædesque patrandas currunt, maximè quidem tunc cùm maleficium exercuerint; deinde verò etiam tunc quando ſupplicio afficiuntur. Quomodo igitur diſcere quæſiviſti, quam ob cauſam Chriſtus, quo tempore ad crucem victoris & triumphatoris inſtar proficiſcebatur, lamentantes mulieres non modò non amplexus fuerit, verùm etiam reprehenderit? Conſtat enim, ſi quis vicem doleat patientis, id ei quidem qui invitus patitur, ſolatio eſſe; ei verò qui ſua ſponte, injuriam adferre. Injuria enim eſt illi condolentia ac miſeratio, cui non præter aut contra voluntatem evenit quod patitur. Quoniam igitur & ipſe volens ad paſſionem veniebat, & mortem extincturus, & diabolum enervaturus; illæ verò deflebant ipſum, qui laudari potiùs & plauſu excipi merebatur: eam ob rem etiam, ut quorundam fert opinio, diris ipſas defigebat; ut autem veritas habet præſignificabat ea quæ ipſis eventura eſſent mala. Nam lachrymis eum proſequi fas non eſt, qui de peccato trophæum ſtatuebat, & præterquam quod ad mortem morte mulctandam feſtinabat, & ad vinciendum diabolum, ad eos quoque, qui ab his omnibus captivi tenebantur, liberandos ſe conferebat. *libri quarti, Epiſtola centeſima octuageſima.*

Aſterius: Is quem alterius inopia atque ægritudo commiſeratione non tangit, fera ſanè eſt rationis expers, perperam humanam indutus formam, ipſamque naturam prava voluntate fallens, ac denique feris ipſis atque belluis immanior. Si quidem ſues jugulata ſue ſenſu quodam doloris afficiuntur, & circa fuſum recens ſanguinem triſte murmur edunt. Circumſtant tauri cædem boves, miſerabili dolorem mugitu deſignantes. Quin gruum quoque greges, cùm una fortè gregalium in caſſes incidit, captam circumvolitant, & lamentabili quodam aërem clangore complent, comitem ſuam & gregalem requirentes. Et hominem ratione præditum animal, manſuetum, & ad Dei ſimilitudinem, virtutis ac bonitatis capax, proximorum acerbi caſus graveſque calamitates tam parum afficient ac movebunt? *Homilia de Lazaro.*

Heliodorus: Generoſæ indolis & vultus commiſeratio, etiam barbaricum genus ſubire ſolet. *lib. 8. Æthiopic.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum:

Laus tua ſum, rurſumq; tuum, pater optime, probrum.
At decet (& nemo eſt hominum qui neſciat iſtud)
Vt virtute graves adamare, ita moribus ægris
Suppoſita fulcire manu. nam pharmaca demum
His adhibere ſolent medici, queis corpora morbo
Fracta jacent, non qui ſani recteq; valentes.
Nec volucrem quiſquam vernanti in fronde ſedentem,
Aut quæ præpetibus liquidum ferit æthera pennis,
Mœret, ſed nido præceps quæ corruit alto:
Vnguibus accipitris vel qua transfixa cruentis,
Ingemit, & triſtes emittit pectore queſtus.
Tum tibi laus dabitur, tuaque in me gratia ſeſe
Prodet, ſi vitiis atrotua viſcera pandas.
Nam mihi ſpandas vera probitatis amanti,
Hoc facis, ô genitor, quod jura paterna requirunt.
Namque probi externis etiam nec ſanguine junctis
Eſſe ſolent blandi ac faciles, nec gratia ſummi
Numinis hac in re poſita eſt, ut rite colentem
Munera juſtitiæ nexu ſibi copulet arcto,
Sed magis ut facilem ſe det placidumque colenti,
Hunc que ſolo manibus trahat in ſublime jacentem.
Non etenim inſontes propter Deus occidit, ad nos
Cum venit, junxitque mea ſua numina carni:
Sed propter ſontes, & quos damnoſa parentis
Culpa Adami lecto dederat Stygiæque paludi.
Non audis, minor ut natu genitore relicto
Filius in longè poſitas abſceſſerit oras,
In luxumque opibus patriis ac ſcorta profuſis
Dira fames miſeri vacuos diſtorſerit artus?
At ſimul ut patrias humilis remeavit ad ædes.
Ac genua infelix ſupplex pater illico pronus
In veniam natum manibus complectitur arctis,
Et fundit lachrymas, epulumque inſtaurat opimum.
Ac bonus opilio, ſimul ac pecus una vagatur,
A grege deſerto mox illam quærit ovili
Quam ſi per montes, nemorumque per avia longe
Palantem inveniat ſublatam pectore lato
Fert humeris reliquiſque ovibus ſuperaddere gaudet.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

—— Duo ſunt tamen aſpera noſtra
Quos mala permoveant; ut ſcilicet hac ratione
Triſtia vel fugiant adverſa nubila ſortis,
Vel certè in duris (ſi quid fortaſſe procellæ
Intulerit damon) habeant ſolatia rebus.
Quiſquis enim juvat afflictos, ſibi conſulit ipſi.

¶ Apophthegmatum Chriſtianorum.

Jesus Chriſtus: Multa alio in loco à nobis dicta, quæ ad hunc aptè deduci poſſent. Pauca tamen in præſenti addemus, ne Compaſſionis limites neglexiſſe videamur. Hujus autem illuſtre exemplum eſt Dominus Jesus, cujus tota vita quid aliud quàm continuata quædam compaſſio, & humanæ infirmitatis condolentia? videbat (ut graviora ſeponam) turbam copioſam ſe ſequentem triduùm, ſine cibo: & convocatis diſcipulis, *Miſereor*, ajebat, *turbæ,: quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim eorum de longè venerant. Matth. cap. 15. Marc. 8.*

Alphonſus Aragonum Rex: Neque Alphonſus inter Principes hac laude caruit. Cùm enim Stephanus Neapolitanus, ſumpto nepenthe, cerebro nonnihil læſus eſſet, teneretque oppida quædam regia, fuerunt qui Regem ad ea ipſa repetendum incitarent: quibus ille; *Inhumanum videtur iis etiam ſubſtantiam auferre, quibus ſors cerebrum & mentem abſtulit.* Præclarè inſinuans, haud eſſe miſeriam miſeriæ ſuperaddendam. *Æneas Sylvius libr. 4. de Dictis Alphonſi.*

Anonymus: Refert de quodam, cujus nomen ſilet, B. Auguſtinus: quòd cùm in puteum altum incidiſſet, ejuſque ſortem quiſpiam miſeratus, diceret; Quomodo huc miſer decidiſti? ille facetè reſponderit: *Quid rogas, aut refert quomodo inciderim? age, ut me educas.* Ita quoſdam videas proximi neceſſitatibus ſublevandis parum attentos, inquirere potiùs quomodo eas habuerint, quàm rationem præbere ſubſidii vel medelæ.

Videatur & *Cognitio ſui, Miſericordia, Venia, Clementia.*

Comptus muliebris.

¶ Sententia Theologi.

D. Nazianzenus: Cavete, ô mulieres, ne caput veſtrum nothis & adulterinis crinibus, tanquam turribus quibuſdammuniatis, mollia colla è ſcopulis delicatè oſtentantes:

neu Dei formas fœdis coloribus inungatis, sic ut jam non facies, sed larvas gestetis. Neque enim mulieri nudum caput viro conspiciendum præbere fas est, dum vel coma auro stringitur, vel certè omnino soluta, humerisq; hinc atque illinc pendens, mollibusque ventis agitata, Mænadis cujusdam instar, subsultat. Nec verò cristam illi, galeis similem, supernè ferre licet, proculque conspicuam speculam viris collucentem, cæsariem nimirum tenuissimo lino pellucidam, simulque occultam ac perspicuam, quaque parte velo minimè obtegitur, flavum quiddam coruscantem: ita ut manus opus & labor appareat: tùm videlicet, cùm formæ magistram oculorum sensu carentem, hoc est, imaginem vitæ expertem sibi constituens, pulchritudinis exemplum illinc petit. Quin potiùs, ô mulieres, si naturæ beneficio formæ elegantia vobis concessa est, pigmentis eam ne occultate: verùm puram eam solis maritis vestris conservate, nec procaces & impudicos oculos aliis quibusquam injicite. Oculos quippe cor nefariè sequi solet. Sin autem pulchritudo vobis à natura negata est, secundam deformitatem fugite. Sic enim pulchritudinem eam voco, quæ manibus atque arte comparatur: pulchritudinem, inquam, eam, quæ à terra producitur, atque à trivialibus mulierculis, & quidem paucis obolis emi potest. Pulchritudinem, inquam, quæ absersa in terram fluit, nec ad risum consistere potest, simulatque effusior lætitia genas totas solverit: quæ etiam lachrymarum rivulis proditur, & humido timore, guttisque exiguis adeò labefactatur atque deletur, ut gena, quæ priùs gratissimo quodam nitore prædita erat, eadem repentè non sine magno hominum risu bicolor, sub atra, marmorea, nigra, minióque tincta appareat. Non ergo te pudet pulchritudinem, quæ tam facilè prodi atque obliterari potest, retinere? Atqui hæc non statuis vivis motúque præditis conveniunt: ob idque turpe & flagitiosum tibi est, portatilem formam multisque modis delebilem habere. Sic alterum corpus Dei est, alterum manus: illud vetus, hoc novum ac recens. Dicas pratum quoddam esse, duplices flores, jucundos nimirum, vicissimque ingratos & in amænos ferès, aut vestem quandam bicolorem, pluribus zonis tractam. Quocirca pictum ac fucatum corpus vel fuge, vel conserva: nec turpe atque obscœnum tibi formæ adjumentum adsciscе. Quid enim alioqui agis, quàm quòd Penelopes instar telam noctu solvis, interdiu texis, interneque Hecubam, externè Helenam refers? Enimverò si qua arte hoc consequi potes, ut fucum maritus minimè persentiat, non tamen ferendum est, te formam divinam mortali forma obducere atque occultare. Verendum enim est, ne Deus iratus te hujusmodi verbis alloquatur. Dic age, ô aliena mulier, ecquis tandem & undénam est tuus fictor & procreator? Non te depinxi, canis: sed imaginem mei finxi. Qui fit igitur ut pro chara imagine idolum habeam? Verùm huic morbo aliquid sane concedamus. Sin autem efficere non potes, quin homines te, velut tabulam quandam pictorum, formam formæ superjectam habere facilè perspiciant, hisce pigmentis nihil aliud, mihi crede, consequeris, quàm ut forma illa, quam tu ingenii viribus vivam depingis, apertissimam tibi apud homines contumeliæ notam inurat. Venustas hæc Adonidis hortus est, citò marcescens, Polypi color, literæ in arena conscriptæ. An tu cùm graculi formam habeas, non times, ne detractis tibi alienis pennis, risum tandem moveas? Non postremam deformitatem curas, cùm pulchritudo tua unà cum ætatis flore extincta fuerit? An verò elegantiam hanc tibi constantem ac perpetuam fore existimas? Brevi perspicies quantus ex aliena atque adulterina pulchritudine mœror existat. Nam si veræ sunt, quæ audio, hoc commodi fucus habet, quòd posteaquam senilis ætas formam priùs florentem rugis contraxerit, tùm demum, cùm jam fucus ac pigmenta membris adhiberi desierunt, carnis reliquias velut igni adustas relinquit. Tùmque, sed nimis serò, anus illas fraudem suam impostúramque deplorare, cùm id quod supersit, carnis densissimis rugis simiam propulerit. Talis commentitia corporis venustas est. At nunc, ô præstantissima mulier, formæ speculum, utpriùs solebas, statue. Vix equidem verum speculum esse credo: Tu certè priusquam ei faciem admoveas, ne unum quidem ex iis oculos habere optabis, qui te antea superbis greissibus huc illúcque procedentem laudibus in cœlum ferebant, oculósque in te defixos habebant. Jam quàm ridiculum est, quòd fucum tuúm viris minimè subolere cupis, cùm tamen viros formæ tuæ mystas asciveris. Viri etenim pharmaca hæc, quibus gaudes, contriverunt, domorum prædones insaniæque ipsi suæ fabri & architecti. Hæc artificia non pudicitiæ sunt, sed lasciviæ ac libidinis. Quicquid enim in virorum gratiam comminiscеris, corporis libidinem prodit. Ferunt insolentem pavonem, cum curvato collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore suo ad Venerem invitare. Eodem modo admodum mirabor, si tu aliam ob causam formam pingas, quàm ut nitidorum aut salacium virorum oculos ad te convertas. Etenim si mariti amore flagras, ut ille tui, jam inde ex quo te florentem puellam matrimonio sibi sociavit: id gratissimum habet. Sin autem aliis oculis placere studes, hoc jam maritus execratur. Membrorum elegantiam domi occultare præstat, quàm commentitiam & adulterinam pulchritudinem nefariè proferre. Marito sufficit nativa tua pulchritudo: si autem ea pluribus viris, non secus ac rete avium gregibus prostat, quid inde accidet? Delectabit te ille, qui tua forma delectatur: aspectúmque aspectui rependens. Mox risus mutuúmque colloquium, idque furtivum primò, deinde liberum atque intrepidum: Cave porrò loquax lingua, ne quæ deinceps sequuntur, eloquaris. Cæterùm hoc verò dicam, nihil ex omnibus iis, quæ mulieres cum juvenibus joco dicunt, vel faciunt, aculeo caret. Omnia enim inter se cohærent, non aliter ac ferrum à magnete tractum, alia multa deinceps ducit. Atqui utinam stolidi viri, mulierum loco, cerussa & fuco, & quidem abundè, renderent. Qui tantam turpitudinem contubernalem ob oculos habentes, tantas sibi ipsis nebulas offuderunt, ut vitio suo delectentur. Et cùm alias fuco nitentes sannis ac dicteriis incessant, ipsi tamen in propria labe atque obscœnitate porci sint. Atque etiam fortasse in tenebrosas haras decidерent, feriparis Circes unctionibus incluси: quippe qui hujusmodi fucos adeò non aversantur, ut etiam tanquam aridam materiam flammis injiciant, quam extrahere utique satius esset, quàm inferre. Etenim de uxorum ornatu inter se contendunt, quáque amentia præditi sunt, in ea re quisque superior esse gestit. Plerumque etiam tenues homines abjectæque fortunæ, ut uxorum suarum libidinem vehementius excitent, labores multos suscipiunt. Quid porro tam stultum atque absurdum quàm hosti gladium, quo tibi necem afferat, porrigere, aut torrenti facilem ad segetes tuas aditum aperire? Pandoram ajunt, cùm ignis à Prometheo furtim sublatus esset, vindicandi hujus sceleris causa mortalibus advenisse, pro bono videlicet atque utili igne, ignem alium malum ac pestiferum. Quoque ardentius hominum animos inflammaret, omni eam pulchritudinis genere diis instructam & exornatam fuisse. Ita, cùm suum quisque illecebræ ac fraudis genus in unum contulisset, tùm verò confertam & cumulatam, impostúram hominibus invectam esse, versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, pernicioسum oblectamentum, facem perpetuò ardentem. Non quidem fabulis fidem adhibere: sed si tamen ità jubes, etiam atque etiam vide, ne tu varia illa Pandora existas. Pandoræ quippe filiæ sunt procaces omnes mulierculæ, perfrictæque frontis. Attu Christi imago, da operam, ut pudicitiâ prudentiâque clareas. *Elegia in fœminas ambitiosas se excolentes.*

Plura hucpertinentia invenies titulo *Fuci*, *Ornatus*, *Speculi*, *Vestitus*, *Fœminæ*, *Pulchritudinis*, *Formæ*.

Conatus.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AD Trojam venêre Achivi classe tentando sua.
Cum Mercurio capit consilium, postq; sentinat satis.
Cuncta cogit experiri vis malorum etiam feras.
Experire: cuncta præstat quæ incipit bene impiger.
Haud sapere est, id velle te, quod non potest contingere.
Inchoandum promptum effectu, aut certè quod non arduum est.
Indecorum est attrectare, quæ obtinere non queas.
Multa sunt quæ scire frustra sudat humanus labor.
Rebus in bonis conatus in laude; in casu exitus.
Sapè præclaros conatus sortis anteit scævitas.
Sapè qui collineant & sapè contingunt scopum.
Stultus est qui tentat id quod obtineri non potest.
Viribus majora si audes, dedecus præstò ac malum est.

¶ JAMBICA.

Agas asellum si agere non potes bovem.
Cœptis honestis major est audacia.
Conatur animus magnus paria ac perditus.
Curnam sequaris, assequi quod non queas?
Difficile quod vis, antequam tentes, opus.
Extrema primo nemo tentavit loco.
Id agere quemque, facere quod scit, optimum est.
Implere quod non possis, stultum est adgredi.
Hæc non succesit? alia aggrediamur viâ.
Minimè aggrediunda ea sunt quæ efficere non potes.
Multum movet Callipedes; at quid promovet?
Nihil conatur unquam, cuncta qui timet.
Nihil sequendum homini adsequi quod non queat.
Nulli sequendum est adsequi quod non queat.
Operi manum adde, & inde Divos invoca.
Quandoque cacus ad scopum collineat.
Quicunque summo adspirat, vel medium obtinet.
Qui nihil agunt fortuna eis non fert opem.
Quò pauciora tractas, erras rarius.
Scopum ferire nisi jaculatus sis, nequis.
Sunt efficienda pro opibus nostra mœnia.
Tentanda non sunt, quæ non possunt effici.
Tentare noli id obtinere quod nequis.

Conci-

Concionatoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. NAZIANZENUS: Jam ipsam verbi distributionem, divini, inquam, verbi, & excelsi distributionem, si quis est alius, qui præsidenti animo suscipiat, aut cujusvis ingenii esse censeat, hunc ego solertiæ nomine admiror, ne dicam stultitiæ. Mihi quidem res minimè vulgaris, parvique spiritus esse videtur, verbi, perinde ac tritici, mensuram cuique tempestivè dare, & dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare. *Orat. 1. de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Quemadmodum igitur, si quis variam quandam & multiplicem belluam, ex multis belluis, magnis juxta parvisque, ferisque ac mitibus, conflatam eicurare & ducere aggrediatur, huic in natura adeò præpostera & prodigiosa gubernanda maximus procul dubio labor subeundus sit, maximaque dimicatio, quippe cùm nec vocibus iisdem, nec alimentis, nec manuum blanditiis, ac sibilis, nec reliquis denique institutionis modis, belluæ omnes delectentur, sed aliæ aliis, pro sua quæque natura & consuetudine, vel gaudeant, vel offendantur: ut qui ejusmodi belluæ curam susceperit, eum varia omninò & multiplici scientia ornatum instructumque esse oporteat, & eam, quæ cuique apta sit, rationem adhibere, siquidem belluam cum laude ducere atque conservare cupit: eodem modo cùm commune hoc Ecclesiæ corpus instar compositæ cujusdam & inæqualis belluæ, ex pluribus variisque moribus & rationibus constitutum sit, summopere quoq; necesse est Antistitem simul & simplicem esse, quantum ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, rectitudinem, & rursum quàm maximè varium ac multiplicem, quantum ad id attinet, ut uniuscujusque animam sibi adjungat, apteque & appositè omnes alloquatur. Quidam enim lactis alimonia opus habent, hoc est, simplicioribus & elementalibus doctrinis, nimirum qui puerili animi habitudine sunt, recensque, ut sic dicam, compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt, quem si quis ipsis præter vires admoverit, ejus pondere oppressi fortasse atq; obruti (animo ad id, quod transmissum est, attrahendum sibique accommodandum haud satis virium habente, quemadmodum nec corpore in cibis materia constantibus) pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alii, quod sensus ad verum à falso internoscendum ac secernendum exercitatos habeant, ac proinde sapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, sublimioriq; & firmiori cibo indigeant, si quis lac illis propinet, oleribusque, hoc est, infirmiorum cibo, eos allat, molesto animo id laturi sint: ac meritò, sanè, utpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod sermo divinus affert, eum, qui pulchrè alitur, in virum perficiens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. Et ad hæc quis idoneus? Non enim plerisque similes sumus, qui veritatis doctrinã adulterant, ac vinum aquæ miscent, hoc est, doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari, humique serpente, & evanida, frustraque & temerè fluente (ut ipsi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid elucrentur) aliasque alio modo cum iis, qui ad ipsos accedunt, verba faciunt, omnibusque assentatur, ventriloqui sanè quidam & vaniloqui, voluptatibus suis servientes, verbis è terra prolatis & in terram pessum euntibus; ut maximam apud vulgus gloriam & nominis celebritatem consequantur, maximis seipsos damnis afficientes, aut etiam omninò perdentes, atque innoxium simpliciorũ animarum cruorem effundentes, de manibus nostris aliquando requirendum. Quin potiùs illud scimꝰ, melius esse aliis, qui artis peritia præstent, salutis nostræ habenas concedere, quàm imperitos aliorum aurigas esse, atque aurem potiùs æquam submittere, quàm imperitam linguam movere. *Oratione* 1.

D. Nazianzenus: Qui docet in modestia doceat. Prophetæ enim duo aut tres loquantur, idq; vicissim, atq; unus interpretetur. Quòd si alii revelatum fuerit, primus loco ipsi cedat. & qui discit, in obedientia: & qui tribuit, in hilaritate: & qui ministrat, in alacritate. Ne linguę munere, quod omnium promptissimum & paratissimum est, omnes fungamur: ne omnes Apostoli simus, ne omnes prophetæ, ne omnes interpretes. Quanquam enim amplum & præclarum est de Deo verba facere: præclarius tamen est seipsum Deo purgare. Neque enim in malignam animam sapientia intrabit. Atque ad justitiam seminare, & vitæ fructum metere jubemur, ut scientiæ lumine perfundamur. Ac Paulus ipse nos per Domini amorem à Domino cognosci vult, per cognitionem autem doceri: atque hanc ad cognitionem viam meliorem esse censet, quàm opinionem eam, quæ inflat. Magnum & præclarum est docere: at discere periculo vacat. Quid pastoris munus tibi arrogas, cùm ovis sis? Quid caput efficeris, cùm pes sis? Quid exercitum ducere aggrederis, in militum ordinem ascriptus? Quid magna quidem illa, sed incerta ac periculosa maris lucra consectaris, cùm terram sine periculo colere liceat, etiamsi minore cum quæstu? Si vir secundùm Christum es, & sensus exercitatos habes, ac splendido scientiæ lumine præditus es, Dei sapientiam loquere, quæ apud perfectos prædicatur, & quæ in mysterio abscondita est: idque ita demum, si commodum tempus nactus fueris, eamque fidei tuæ commissam habueris. Quid enim à teipso habes, quod Dei munere non acceperis? Sin autem ætate adhuc tenera es, atque humili & abjecto animo, viribusque infirmioribus, quàm ut ad sublimiora progredi possis, Corinthios imitare, satis habe lacte imbui. Quid solidiorem cibum expetis, quem membra præ imbecillitate conficere, atque in alimentum vertere nequeant? Loquere sanè, si quid silentio melius & excellentius habes (neque enim te fugit laudi duci, si quis ordinem labiis adhibeat:) at ubi silere præstat quàm loqui, silentium complectere. Atque alia dicere ames, alia audire, alia laudibus vehere, alia, non tamen acerbè, ablegare ac rejicere. *Oratione* 26.

D. Nazianzenus: Trigesimum ætatis annum Christus baptizatur; & tu ante lanuginem senes doces, aut docere te posse credis, neque ab ætate, neque à moribus fortasse auctoritatem habens. At Daniel heic profertur, ac nonnulli alii in juvenili ætate judices, atque in lingua exempla versantur. Quisquis enim inique agit, ad sui defensionem promptus & paratus est. At pro Ecclesiæ lege nequaquam censendum est quod rarò accidit: quandoquidem nec hirundo una, ver efficit, nec geometram una linea, nec denique nautam una navigatio. *Orat.* 39.

D. Greg. Nyssenus: Qui huic Ecclessæ præsident, atq; adeò omnes qui severæ pietatis & ejus vivendi rationis, quæ ex virtute est, magistros profitentur, illis admodum similes sunt qui Grammaticam docent, & prima tradunt elementa literarum. Quemadmodum hi pueros è parentum manibus susceptos adhuc infantes & balbutientes, non protinus abditis disciplinarum præceptionibus onerant, sed primò literarum formas insculpunt in ceris, eorumque nomina declarant, & ipsorum manus per ingressos illos literarum ductus agunt & exercent; mox eos ad syllabarum cognitionem provehunt, atque ita deinceps ad verborum expressionem perducunt: Sic Ecclesiæ duces, initiò documenta quædam instar elementorum, auditoribus proponunt; deinde gradatim ea, quæ perfectiora magis recondita sunt, patefaciunt. *Orat. de pauperibus amandis.*

D. Chrysostomus: Reddemus rationem pro vestris animabus, sed quando deliquerimus, quando non rogaverimus, quando non fuerimus protestati. Post hæc autem mundus sum à sanguine omnium, & animam meam liberabit Dominus. *fine Homiliæ* 11. *ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Doctorem oportet instituere & dirigere animos discipulorum, non solùm consulendo & docendo, sed & terrendo, & Deo tradendo. Nam quoniam quæ ab hominibus dicuntur tanquam à conservis, non sufficiunt ad tangendum animam, necesse est reliquum Domino tradere. *Homiliæ* 12. *initio ad Ephesios.*

Idem: Docete pueros esse pios & religiosos, & omninò sequuntur omnia. Nunc autem ascendens qui spiam in theatrum, & vadens ad balneum, secum trahit omnes pueros: in Ecclesiam autem non itidem, neque cogit eos adesse & audire. *Homilia* 22. *ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Ergo neque nos magnos spiritus sumamus, quum sanctis aliquid præbemus: neq; hac re nos illis beneficium putemus dare. A nobis enim id debetur, nec quicquam illis donamus. Nam quemadmodum iis, qui in exercitu sunt, ac bellum gerunt, ab iis, qui domi in pace vivunt debentur cibaria, & quicquid illis necessarium est in sumptum (illi enim pro his in acie stant) ita hac in causa. Quis enim Paulum, nisi docendi munus oblivisset, conjecisset in carcerem? quamobrẽ ministrare sanctis oportet. Quî enim non absurdum sit, ei, qui terreno Imperatori militat, omnia suppeditare, & vestimenta & cibaria non solum quantum necessitas postulat, sed etiam plusquam satis est; ei verò, qui militat cœlesti Imperatori, atque in acie stat adversus hostes longè graviores (quoniam non est colluctatio nobis, inquit, adversus sanguinem, & carnem) neque necessaria etiam suppeditare? cujus hoc iniquitatis est? quantum hoc ingrati animi vitium, & minuti, atque angusti? Cæterùm quantum video, plus apud nos hominum metus potest, quàm gehennæ, & futurorum suppliciorum. Propterea sanè omnia contra quàm deceat, se habent: ut civilia quidem negotia singulo quoque die diligentissimè administrentur; neque illa unquã omitti videas, spiritualium verò nulla nobis ratio habeatur. Ita, quæ necessitate nobis imposita, ac tormentis propositis, omninoque tanquam à servis & invitis exiguntur; magna præstantur cum alacritate: quæ verò à libentibus, atque ut à libetis; omnia omittuntur. Non hæc in omnes dico, sed in eos, qui hujusmodi sumptus facere recusant. An non poterat Deus necessitatem faciendi imponere? at non vult: nobis enim magis consulit, quàm iis, qui aluntur. Ideò non vult istæc nos ex necessitate facere, quoniam nulla nos maneret merces. Ac tamen multi eorum, qui hic sunt, Judæis sunt inferiores, ac viliores. Cogita, quot erant, quæ à Judæis dabantur; decimæ, primitiæ; rursus decimæ, & rursus aliæ decimæ, & rursus aliæ decimætertię, & siclum: nec quisquam erat, qui diceret, sacerdotes multa devorare. Quantò illi plura accipiunt, tantò etiam tibi amplior merces: non dicebant, multa sumunt; ventri indulgent: quæ nunc quosdam dicentes audio? Atque isti quidem, qui domos ædificant, atque agros emunt; nihil putant se habere: quòd si sacerdos quispiam paulò splendidiore veste indutus fuerit, aut necessario alimento non egeat, aut famulum ideo habeat, ne ipse cogatur à decoro discedere; statim hoc illi divitias nominant. Verè divitiis abundamus, idque isti vel inviti fatentur: nos enim, etiam si pauca habeamus; abundamus divitiis: illi verò etiam si omnia colligant, sibique comparent; inopia laborant. Quousque dementes erimus? Non satis vobis videtur ad supplicium vobis comparandum, quod nullum opus editis, nisi damnum præterea illud vobis contrahatis, quod de aliis detrahendo fit? Etenim

si tu etiam esses, qui ea quæ habet, sacerdoti dedisses; tamen eo ipso mercedem perdidisses; quod ea in crimen vocares, quæ tu ipse dedisses: omninoque, si tu dedisti, quid criminaris? Atque antea quidem pauperem illum fuisse testaris; dum ita inquis, quæ habet, ego dedi. Quid ergo criminaris? dandum minimè fuerat; si eras in crimen vocaturus. At quum alter dedit; ista dicis. Gravius sanè delictum; quum tu minimè dederis, alterius benefacta criminari. Quantam illos mercedem manere putas; qui ista hæc æquo animo audiunt? Dei enim causa hæc patiuntur. Quid ita? Poterant, si voluissent, caupones fieri; tametsi nihil illis à majoribus relictum esset. Nam & hæc multos impudenter dicentes audio; si quando nos ita dicimus; hic, vel ille pauper est. Poterat, inquiunt, si voluisset, ad divitias pervenire: deinde contumelias addunt; pater istius, avus, abavus tales fuerunt; hic verò nunc tali veste indutus est. Sed quid? dic mihi: nudum ne illum circumire oportuit? Ergo ista quidem tu subtiliter atque exiliter ad calculos revocas: sed vide, ne contra te ipsum hæc dicas; atq; audi illam Christi admonitionem, Nolite judicare, & non judicabimini. Poterat igitur, si voluisset, cauponariam ac mercaturam exercere; omninoque non egisset, sed noluit. Quid igitur, inquis, hic rem quærit? dic mihi, num sericis induitur vestibus? num sectatorum multitudinē per forum incedens circumducit? num equo vehitur? num ædes extruit, habens ubi habitet? si hæc facit; ego etiam reprehendo, neque illi parco, sed sacerdotio indignum esse affirmo. Nam quomodo monere alios poterit, ne rebus istis inutilibus vacent; qui seipsum monere non potest? Sin autē rebus tantū ad vitam necessariis non eget; hoc ipso crimē injustitiæ in ipsum intendis. At ipsum circumire oportebat & poscere? Nec quicquam te, ô discipule, puderet? ac si carnalis pater id faciat; dedecus magnū putes; sin spiritualis eò descendere cogatur, non erubescas, neq; tē in tenebras abdendum putes? dedecus, enim, inquit, filiorum pater sine honore. Quid ergo pereundum illi fame fuerat? verum neque hoc pii hominis est, neq; enim probatur Deo. *Homilia 9. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: At nunc ingens ubique tumultus, maximus clamor, colloquutio plurima atque confusa, neque usquā alibi tantum loqui mulieres, neq; in foro, neq; in balneis, quantū intra ecclesiam videas, quasi ob hoc ipsum eò conveniant, ut quę velint, licitè loqui possint, ita inutilibus fabulis occupatę sunt omnes: idcirco permixta sunt omnia, ordóq; confusus est. Neq; intelligunt miseræ, non se aliter utile quippiam discere posse, nisi quietē agant. Nam quum sermo doctoris incassum effunditur, nec est qui his quę dicuntur, intendat: quid inde lucri pervenire possit? Adeo autē, inquit, oportet illam studere silentio, ne non modo de secularibus rebus, verùm ne de spiritualibus quidem loquendum sibi in ecclesia noverit. Hic nempe ornatus, hic verecundiæ cultus, eam longè dignius ornare, quàm pretiosa vestis consuevit. Si se ita composuerit, atque ad hanc direxerit normam, poterit etiam magna cum facilitate vota Deo ac preces exolvere. *Homil. 9. ad Timotheum 1.*

Idem: Omniū maximè jubet honorari præsules Apostolus: quàm verò id justè? Cùm enim alius non vigilet, neq; curis maceretur, sed passim securus, & quietus in quotidianis fabulis, & consessibus sit: hic autem concidatur solicitudine, & meditationi perpetuò insistat, idq; maximè si exterioris disciplinæ sit rudis: quis non videat, quanto sit cæteris honore præferendus? quippe qui seipsum tot laboribus & ærumnis exposuit. Est enim linguis innumeris propositus ad lacerandum, alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriā, alius compositionem in jus trahit, magnaque illi constantia adista toleranda opus est. Multum enim omninò ad ecclesiæ ædificationē confert, si præsules doctrinæ gratiâ polleant: quæ nisi adsit, plurima ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. *Homil. 15. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Neq; verò cùm sermonem laudaverim, qui fastu tumidus, externæ peritiæ jactantiā sequitur: sed qui virtutis, ac succi habeat plurimum, qui sensibus gravis sit, & sapientiâ plenus. Non ergo apparatu illi opus est, ac pompa dicendi: sed intelligentia ac viribus, ad id quod sentit eloquendum idoneis. *Homil. 15. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Corripiendo potiùs quàm percutiendo, aut inferendo contumelias omnia agere oportet. Quid enim obsecro, injuriâ opus est? Gehennæ comminatione terrere oportet, atq; hujusmodi emendare terroribus. Nam cui infertur contumelia, audacior atque impudentior fit, & eum qui se ita affecerit, ut contemnat magis inducitur. Nihil ferè ita contemptum facit, sicut contumelia & injuria: neq; enim hujusmodi contumeliosum sinit esse venerabilem, & eam quam decet à subditis reverentiam assequi. Magna igitur cum religione loquantur, omnisque illorum sermo divina sapientia conditus, peccantes terrere debet memoria futuri supremiq; judicii. *Homilia 2. Epist. ad Titum.*

Idem: Medicus est animarum doctor. Porro medicus minimè percutit: verū & si fortè se æger percusserit, corrigit, emendat, curat.

D. Io. Chrysostomus: Assiduè eadem audire, iis etiam qui sciunt est utile. Nam cùm id quod scimus, quod audierimus, rursus compungimur. Scimus quòd res bona sit humilitas, & quòd Christus sæpè de ea sit locutus. Sed quando & ipsa verba audierimus, & quæ de iis sunt contemplationes, magis afficimur, etiamsi millies audiverimus. Quamobrem est opportunum, ut nos quoque nunc vobis dicamus. *Homil. 9. ad Hebræos.*

S. Isidorus Peluseota: Ne magnopere mireris, vir admirande, quòd quanquam grave atque acerbum sit nonnullos eorum, quibus magisterii thronus commissus est, tale esse, tamen id minimè grave esse videatur: illud verò longè gravissimum ac nulla venia dignum videatur, si quispiam liberam ullam vocem mittat. Quoniam virtutis vestigia in paucis reperiuntur: improbitas autem apud multos insulsè atque inconditè choreas agit: idcirco illi metuentes ne quis existat, qui ea quæ ab ipsis perpetrātur, reprehendat, cùm alia omnia bona, tùm maximè loquendi libertatem amoliri conantur: ut deinceps liberè ac sine ullo metu peccent. *lib. 2. Epist. 237.*

¶ Oratorum Græcorum.

Themistius: Nobis producendæ in lucem ejusmodi sunt orationes, itaq; assefaciendæ, ut & multitudinē tolerare possint, & tumultū & strepitum, & considentis populi clamorem vocemque perferre. Planè enim si benè mereri de singulis possunt, de pluribus unà etiā poterunt. Siquidem ciborum fortasse similes non sunt, qui cùm uni vel alteri sufficere possint, pluriū tamen convivarū famem explere nequeāt: sed radiorū potiº magni illius Dei, q infinitos oculos nihilo sequius quā duos suo splendore collustrat. *Orat. 3. de Amicitia.*

Libanius: Ignominiâ infectis non licet concionem habere. Quis autē magis infamis, quàm condemnatus, & iis qui postularunt deditus. Servis nullum jus est civitatis, atqui Philippi servus sum. Quī ergo magis infamem quàm Pittalacus & Macedoni domino munere concessum par est audere concionari. Vos ne reos quidem debendi publico dicere sinitis; quin ipsos vinculis astrictos tacere juberis, & traducitis. Ego certè traductus ac dedecoratus sum, non tantùm vestris decretis, sed etiam opinione quæ apud omnes est, qui & me & Athenienſium populum norunt, &c. *Declamatione 16.*

¶ Poetarum.

Plautus Rudente 4. sc. 7. v. 23.

Spectavi ego pridem comicos ad istum modum,
Sapienter dicta dicere, atque ipsis plaudier,
Cùm illos sapientes mores monstrabant populo:
Sed cùm inde suam quisque ibant diversi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi jusserant.

Videantur alia titulo *Ecclesiastæ, Episcopi, Theologi, Prædicationis, &c.*

Concilii.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Greg. Nazianzenus: Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lętum & faustum vidi; nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem & incremētum habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates (ac ne me quæso gravem & molestum existimes hæc scribentem) ne ullis quidem verbis explicari queant: citiusq; aliquis improbitatē arcessetur, dum aliis judicem se præbet, quàm ut aliorū improbitatem comprimat. Propterea memet ipse collegi, animæq; securitatem in sola quiete ac solitudine mihi positam judicavi. *Epist. 55.*

S. Isidorus Peluseota Theodosio Imperatori: Si tu tantum temporis tibi sumas, ut iis quæ Ephesi decernenda sunt, intersis, non dubito, quin ea ita se habitura sint, ut à nemine reprehendi queant. Sin autem turbulentis odiis calculos permiseris, quisnam à cavillis ac dicteriis concilium vindicabit? Huic autem malo remedium attuleris, si ministros tuos à dogmatum præscriptione removeas, (ut qui magno hiatu ab eo distincti & dirempti sunt, ut simul & Imperatori, & Deo inservire studeant) ne alioqui imperio quoq; motum ac jactationem afferant, perfidiæ suæ machinas ad Ecclesiæ petram effringentes. Nam ea firmo loco defixa est, eamq; causam habet, ut ipsi ne inferi quidem portæ dominentur: quemadmodum is, qui eam constabilivit, pollicitus est. *lib. 1. Epist. 311.*

S. Isidorus Peluseota: Quandoquidem ex hominibus, ut scripsisti, alii nec quidem esse Deum perhibent, qui omnes impietate superarunt: alii verò esse quidem, sed nullâ providentiâ uti: alii providentiâ sanè præditum esse, sed cœlestium duntaxat rerum: alii autem terrenarum quidem etiam rerum procurationē habere, non tamen omnium, sed tantùm regum & principum: alii omnium quidem rerum (nam etiam ad formicas usq; providentiam ipsius pertinere) at Trinitatem consubstantialem non volunt adorare: Et alii quidem omnia cæco ac temerario casu ferri, alii verò omnia fato fieri contendunt: & alii quidem per Moysen solum Deum legem tulisse arbitrantur; alii verò adversariam potestatem: & alii quidem ex Deo natum Verbū non venisse in carnem; alii verò venisse quidem, sed tantùm specie tenus & spectri instar: Et alii quidem confusionem & mixturam atq; abolitionem naturarum tradiderunt: alii verò, ipsum in homine fuisse: Et alii quidem patre minorem; alii verò creaturam esse definiverunt: Et alii quidem divinum spiritum non Deum confitentur; alii verò ministratorium & sanctificum appellant. Non oportet eorum, qui morbo laborant, sequi suffragia; sed ex judicio sanorum hominum demonstrationes mutuari: & sanctæ Synodo, quæ Nicææ habita fuit, adhærere, neq; addentes ei quidquam, neq; detrahentes. Illa enim divinitùs inspirata, veritatem dogmatum tradidit. *lib. 4. Epist. 99.*

¶ Apoph-

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Constantinus Imperator: Exhortans episcopos orthodoxos, ut decretis Synodi Nicenæ obsequerentur, inter cætera dicit, *Quicquid in Sanctis* (id est, ritè coactis , & ad præscriptum verbi Dei ordinatis, nihilq; contra Ecclesiarum pacem, disciplinam & piarum conscientiarum ædificationem statuentibus) *episcoporum conciliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui.* Eurcb. de vita Constantini, lib. 3. cap. 18.

Paphnutius: Injustum insanumque judicium à sexaginta episcopis Tyri congregatis adversus Athanasium , multi qui ibi adfuere episcoporum deprehenderunt, & Paphnutium confessorem, tum præsentem, dicunt, apprehensa Maximi Hierosolymitanæ ecclesiæ antistitis manu consurrexisse , atque utrique minus convenire arbitratũ esse, qui confessores extitissent , oculoque propter sermonem veritatis effossos, & articulorum junctura mutilatas circunferrent, ut commune quicquam cum pravis improbisque hominibus haberent, & adversus veræ pietatis propugnatores sententiam ferrent. *Niceph. eccl. hist. lib. 8. cap. 49.*

Episcopi Orthodoxi: Quum hæretici quidam Episcopi in Ariminensi Synodo Arij, pestiferum dogma subdolè restituere vellent . & Consubstantialis vocem ac rem significatam , quantum in ipsis erat, abolere, episcopi Orthodoxi consurgentes dixerunt : Nos minimè huc propterea convenimus, quòd essemus fide destituti (nam eam integram servamus, quam ab initio accepimus) sed ut, si quid novi quisquam de ea moliretur, ei obsisteremus. Quod si igitur ista, quæ per lecta sunt, non ad res novandas omnino spectent : vos jam errori Ariano, eo modo quo vetus Ecclesiæ Canon alios errores tanquam blasphemiâ refertos rejecit, anathema denuntiate. Quod hæretici facere dum recusarent, verborum strophis obtecti, Orthodoxi fidem concilij Nceni deintegro ratam fecêre, irriseréque fidei formulam ab hæreticis conceptam. *Socrat. hist. Eccles. lib. 2. cap. 29.*

Greg. Nazianzenus: Ego, inquit, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam : quoniam nullius Concilij finem lætum & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs quàm accessionem & incrementum habuerit. Pertinaces enim contentiones & dominandi cupiditates ne ullis quidẽ verbis explicari queant : citiúsque aliquis improbitatem arcesitur, dum aliis judicem se præbet, quàm ut aliorum improbitatem comprimat. Propterea memet ipse collegi, animæque securitatem in sola quiete ac solitudine mihi positam judicavi. *Epist 55 ad Procopium. & orat. 51.* ad finem, loquens de cœtu Apollinaristarum, quem vanitatis concilium appellat, addit , Quòd si quis propter quædam commoda, aut propter humanum metum, aut propter absurdas quasdam simultates, aut propter pastoris & gubernatoris inopiam, aut quia peregrinis & insuitatis rebus gaudet , atque ad res novas moliendas promptus & paratus, nos, quidem ut nullius pretij homines aspernatur, ad istos autem (hæreticos) accurrit, ac pulchrum Ecclesiæ corpus dividit, ipse judicium portabit, quisquis tandem fuerit , atque apud Deum in judicii die causam dicet.

Orthodoxi Episcopi: Quum peterent à Valentiniano imperatore ut Synodum indiceret, respondit ille , Mihi negociis occupato, & reipublicæ curis distento, res ejusmodi inquirere facilè non est. Vos autem quibus hæc procuratio mandata est, quocunque vultis loco conventum agite, & de rebus omnibus piè deliberate. *Niceph. eccles. hist. lib. 11. cap. 3.*

Vide Apophth. *de Ministris & pastoribus, & de disciplina Ecclesiæ.*

Concordiæ.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

D. Nazianzenus : Optima est res concordia, optima res animorum consensu inter se civitates, & populos, & familias, & singulos homines jungi, legem videlicet ordinemque naturæ sequentes, quæ omnia distinxit simul atque constrinxit, ac totam hanc rerum molem mundum unum ex pluribus rebus effecit. Quibus autem exemplis hoc Ethnici docebunt? An Deorum bella narrantes, & desidia, & rebelliones, malorumque multitudinem: quæ privatim ipsi publicèque, partim aliis inferunt , partim ab aliis perpetiuntur, quibus omnes fere historiæ & poëmata plena sunt? Citius profecto ex pacatis bellaces , & ex sapientibus excordes ac dementes quàm contra ex audacibus & stolidis moderatos atque prudentes hujusmodi exemplis reddiderint. Etenim quos, &c. *Videatur titulo. Exempli: Orat. 3 stelliteutica prima circa finem.*

D. Nazianzenus: Melior est contentio pietatis caussa susceptæ, quàm vitiosa concordia. *Oratione duodecima.*

Paullò post: Nihil eos, qui syncero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina; quemadmodum contra nihil ad dissidium ita promptum ac paratum est , ut diversa in hac re animorum sententia. Hic enim, etiam qui aliis in rebus æquissimus & facillimus est, ferventissimus existit, ac mansuetus vere pugnax efficitur, cùm se per lenitatem Dei jacturam facere, imò, ut rectius loquar, per prolapsionem suam , Deum, qui nos, & pro divitiis habet, & divites reddit, damno afficere conspicit.

Eadem adhuc oratione: Omnes ii , qui pacis bonum amplectuntur, eique contrariam discordiam & seditionem infensè oderunt, ad Deum & divinas mentes accedunt : contra, qui iis sunt moribus, ut pugnis gaudeant, ac novitate famã captent, atq; ignominia sua glorientur, adversæ partis sunt. Nam ille quoque, tum multiplici specie, tum vitiosis permotionib⁹, & secum ipse pugnat, &, ut ab initio homicida, bonique odio percitus, hoc ipsum in aliis operatur, ut commune Ecclesię corpus in occulto sagittet, sub seditionis caligine sese occultans : (quemadmodũ, ni fallor, ad unumquẽq; nostrã captiosè ut plurimũ ac subdolè accedit) aç velut locum sibi ipsi furtim aperiens, ut totus , non secus ac strenuus quispiam exercitus per disjectam muri partem aut hostilem aciem irrumpat. Atque hoc unum est, & quidem tale, ut nos ad benevolentiæ concordiæqe studiũ necessariò adducere debeat, nimirum Dei ac superiorũ imitatio : in quæ sola animæ, ad Dei imaginem creatæ, intueri tutum est, ut per propensionem ad ea, quantum ipsi assequi datur; atq; eorum imitationem, nobilitatẽ ipsa suam sartam tectámq; tueatur. Alterũ est, ut divinæ voci obtemperantes, in cœlum sursum, & in terram deorsum aspiciamus, atq; conditarum rerũ leges animadvertamus: quemadmodum videlicet cœlũ, & terra, & mare, ac deniq; universus hic mundus, magnũ, inquam, hoc & celebre Dei elementum, quo etiam Deus declaratur, tacitáque voce prædicatur , quam diu secũ pacatus & tranquillus est, seque naturæ suæ finibus continet, nec quicquam adversus alterum insurgit, atque ex iis benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice Verbo rerũ universitas constricta est, excedit: mundus verè est, ut appellatur, & incomparabilis pulchritudo, nec aliquid unquã opus, quod quidem materia constet, illustrius aut magnificentius excogitari potest. At si mulatque pacatus & quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit. Quid enim? Cum cœlum rato ordine, aeri lucem, terræ pluvias impertit, nonne tibi benevolentiæ legibus teneri videtur. Nonne aer & terra, cum cunctis animantibus partim cibos, partim ducẽdi spiritus facultatem largiuntur, parentum erga filios amorem imitari? Nonne anni partes, cùm placidè inter se miscentur, sensimque sibi invicem cedunt, & ad hominum, non solùm visum & commoditatem, sed etiam voluptatem, utriusque extremi asperitatem mediocritate mitigant, pace gubernari? Nam quid de die ac nocte dicam, quæ æquas inter se partes, ac moderatam conversionem nacta nos partim ad opera excitant, partim lassos recreant & reficiunt? Quid de Sole & Luna, siderumque, ordine lucentium seseque subducentium, multitudne & pulchritudine? Quid de terra & mari, quæ leniter inter se juncta, benignéque sese mutuis muneribus afficientia, liberaliter hominem alunt, eique prolixè & copiosè, quæ habent, suppeditant? Quid de amnibus, per montes & campos fluentib, nec, nisi quatenus id expedit, redundantibus, ne se ad operiendam terram convertentibus? Quid de elementorum permixtione ac temperatione, mẽbrorumque proportione & concinnitate? Quid de animantium alimonia, & ortu, distinctaque habitatione? Quid quòd alia imperant, alia imperio tenentur: quædam nobis subjecta sunt, quædam libera? Quæ cùm ita se habeant, ac secundum primas concordiæ, sive confluxionis & conspirationis causas regantur & gubernentur, quid tandẽ aliud existimandum est , quàm quòd ea amicitiam concordiamque proclament, suoque exemplo mortalibus animorum consensum quasi lata lege indicant? At cum materia secum ipsa dissidet, nec cohiberi potest, (dissolutionem scilicet per seditionem meditans) aut Deus ad metu percellendos, vel etiam punièdos peccatores aliquid hujusce concinnitatis luxaverit, nimirum vel exundante mari, vel terra dehiscente, vel novis & inusitatis imbribus cadentibus , vel obducto nubibus Sole, vel quadam anni parte modum excedente, vel effundentibus se ignibus , tum verò in hac rerum perturbatione & confusione orbi universo terror iniicitur, quantumq; in pace boni insit, & ipsa seditione perspicitur.

D. Nazianzenus: Trinitati nihil æquè proprium est, ac naturæ unitas & concordia; ab Angelis autem & divinis virtutibus perceptũ, quæ & cum Deo & secum quietæ ac pacatæ sunt; progressum verò ad res omnes creatas (quarum ornamentum in concordia situ est) apud nos deniq; versatum; quoad animum quidem per mutuum virtutum comitatum ac societatem; quoad corpus autem per membrorum atq; elementorum inter se concinnitatem ac proportionẽ, quarum altera pulchritudo, altera sanitas & est, & appellatur. *Orat. decimaquarta.*

D. Nazianzenus: Etiam quosdam dissidere, quàm inter se consentire præstat quis enim nisi mentis expers , in malum initas conspirationes comprobarit? *Oratione decima quarta.*

Chrysostomus: Vides ut Apostolus ubique pudorem incutiat per corpus. Ne fallat, inquit, oculus pedem, neq; pes oculum. Vt, si sit fossa profunda, & super terram positis arundinibus & terra opertis , in superficie præbeat oculis opinionem terræ solidæ : an non utetur pede; ut sciat num sit inferius vacuum, an remittatur & resistat , num non fallat pes, sed quod est renuncier? Quid verò, si serpentem viderit oculus, aut feram; num fallit pedem, non statim renunciat? ille autem cùm ab eo didicerit, non amplius pergit. Quid autem quando neq; oculus, neq; pes invenerit quomodo discernat, sed idtotum sit odoratus; ut utrũ sit venenũ letale an nõ: os nõ fallit odoratus. Quare? nã se ipsum quoq; perdit, si fallat: sed dicit, ꝙ sibi occurrit. Quid verò lingua, fallitne stomachũ? Nõ cũ amarũ quidẽ viderit, rejicit; sin autem dulce, trãsmittit? Vide ministrorũ, & servitutis remunerationẽ: vide curã & providẽtiã ex veritate ortã; idq; alacri & prõpto, ut ita dicã, animo. Ita nos quoq; ne mentiamur, nec fallamus, si sumꝰ alter alteriꝰ mẽbra. Hoc est indiciũ amicitiæ; cõtrariũ aũt, inimicitiarũ. Quid verò, inquit, si insidietur? Quod verũ est, disce. Nam si insidietur, nõ est mẽbrũ. *Hom. 14. ad Ephesios.*

¶ Latinorum.

Oroſius: Sapientiſſimi omnium Athenienſes, etiam ſuis malis ſatis docti, concordia minimas res creſcere, diſcordia maxima labi: cunctaque vel bona, vel etiam mala, quæ foris geruntur, internis eſſe radicata & emiſſa principiis, domi abſterſere odia, & foris bella preſſerunt. *lib. 2. contra Paganos cap. 17. fine.*

Chryſologus: Frequenter fieri videmus, ubi regnum, vel fratrum tabulæ depinguntur, ut inter utroſque unanimitatis declarentur inſignia, artifex pictor fœmineo habitu poſt tergum utriuſque concordiam ſtatuit, quæ brachiis ſuis utrumque complectens indicet: quòd hi qui videntur corporibus ſeparati, ſententiis & voluntate conveniant. *Sermone 149. ante med:*

Ennodius: Duo videbamur intuentibus; cùm unus unus per concordiam fieret ex duobus. *Vita Epiphanij cap. 12. m.* Scimus, ſancte Pater, ſcimus, & profunda conſideratione perſpeximus, juvenem iſtum non oportere pro ætatis immaturitate cenſeri, nec debere gravis conſilii hominibus teneros pro quadam obicè annos afferri. Virnamque cana morum integritate probabilis geminata laude dignus eſt, ſi illi ad venerabile mentis imperium puerile corpus obtemperet.

¶ Oratorum Græcorum.

Dio Chryſoſtomus Pruſaus: Et quid autem tandem eſt, ſuper quo conſilium ſum daturus, cur id nominare cunctor? Nomen quidem rei non injucundum eſt, ô viri Nicomedienſes, neque in domibus, neque in cognationibus, neque in amicitiis, neque in civitatibus, neque in gentibus. De concordia enim dicturus adſum, Nomen quidem honeſtum, & res honeſta. Si verò ſtatim addam, quibus cum concordiam vos inire velim, metuo ne concordia quidem per ſe honeſta videatur: concordiam autem inire cum iis hominibus, quibus cum ego vos oportere cenſeo, impoſſibile exiſtimetis. Hoc enim eſt, quòd vos hucuſque in inimicitias inter vos coniicit, neque amicitiam fieri permittit, quòd abſque ratione perſuaſi eſtis, fieri non poſſe ut civitates inter ſe conſentiant. Ne tumultuemini adverſus narrantem quæſo, ſed ſuſtinete. Ajo vos, ô viri Nicomedienſes, concordiam habere oportere cum Nicenſibus. Auſcultate verò, & ne iraſcamini antè, quàm cauſas dixero. Neque enim ægrotans medico iraſcitur, mandanti medicinam: ſed auſcultat illum, injucundè quidem dicentem, quòd ipſum ſecari aut uri oporteat: obedit autem nihilominus, de ſalute enim periculum eſt. Atqui cur hoc dixi. Meum enim pharmacum, quod civitatibus adfero, jucundiſſimum eſt, & ſine quo nemo qui ſapiat, vivere velit. Volo autem dividere orationem, & primùm de ipſa concordia in univerſum dicere, qualis & res ſit, & quorum cauſa: deinde e regione ſeditionem & inimicitias componere contra amicitiam. Conſequens enim erit, quum concordia omnibus hominibus utilis eſſe demonſtrata fuerit, demonſtrare, etiam hanc harum civitatum concordiam, & maximè vobis neceſſariam eſſe, & utiliſſimam. Non deſiſtam autem, ſi facta ſit, quo pacto permanere queat oſtendere. nam hoc multis video moleſtum eſſe. Supplico autem diis omnibus, & veſtris & illorum, ſi hæc ego nunc dico, motus benevolentia erga vos ſolos, nullamque mihi propriam gloriam venor, aut commodum, ex veſtra reconciliatione: & antè omnia, ſi utilia civitati futura ſunt, ut mihi orationem hoc negocio dignam præſtent: vos autem faciam, ut mihi obtemperetis, utiliaque velitis.

Concordiam igitur omnes quidem ſemper laudaverunt, & verbis & ſcriptis: cumque ejus encomiis conſentiunt & poemata, commentariaque philoſophorum: & quicunque hiſtorias conſcripſerunt, in ipſorum geſtorum exemplis oſtenderunt, eam humanorum bonorũ eſſe maximum. Et quum multi ſophiſtæ auſi ſint incredibiles dicere ſermones, haud tamen adeò fuerunt vecordes, ut hoc unum in publicum proferrent, quòd concordia honeſta res non eſſet, neque ſalutaris. Et qui eam in præſentia laudibus celebrare volunt, ſemperque id facere, iis copioſa ſermonum materia non deeſt. Nam & ſemper & plurima & optima de ea licet dicere. Sive enim unde gignatur, quis curioſius velit inquirere, neceſſe eſt ut ipſius exordium ad divinorũ negociorum maxima reducat. Ipſa enim & amicitia eſt, & reconciliatio, & cognatio, & hæc omnia comprehendit. Et rerum elementa quid aliud ſunt, quam concordia quædam. Hæc eſt, per quam cætera maxima ſervantur: & contrarium, quod omnia pereunt. Si quidem non mortale eſſet humanum genus, neque præterea multa quæ nos corrumpunt, nulla prorſus eſſet inter homines ſeditio, quemadmodum neque inter deos eſt. hoc uno non aſſequimur divinam felicitatem, eorumque incorruptibilem durationem.

Hoc autem inde eſt, quòd non omnes concordiæ ſenſum percipimus: ſed ſunt qui & contrariam huic amentſeditionem, cujus partes & officia ſunt bella & pugnæ: & hæc inter populos verſantur & gentes, quemadmodum in corporibus morbi. Nam licet & ſanitatem ſciamus humanorum bonorum eſſe maximum: nihilominus tamen ei frequenter contra nos ipſos inſidias ſtruimus, hi quidem voluptatibus obedientes, illi autem labores ad ſanitatem conducibiles fugientes, moderatamque victus rationem. Si autem non hoc maximis malis ineſſet auxilium, continuò nempe inde ſequens voluptas, omnino nihil poſſent nocere: nunc autem ipſis natura dedit, ut decipere poſſint, & oblectare eos, quos injura afficiunt. Et propter quod quis maximè illis invideat, illud eſt, quòd omnia honeſta contriſtãt homines, rametſi ſciant qualia ſint. Nam ſi quis interroget unum quempiam, aut multos ſimul de nominibus ipſis, quanam in parte talia conſtituantur, bella, ſeditiones & morbi, & his ſimilia: nemo non, nihil etiam præmeditatus, reſponderet, hæc in malis conſtituta eſſe. atque ita res habet, legibusque ſancitum eſt, & vocantur mala. Contraria autem his, pax & concordia atque ſanitas, nemo dixerit bona non eſſe, atque dici. Quum autem adeò manifeſta ſit bonorum & malorum pugna, tamen ſunt quidam, immò multi, qui malis conteſſis gaudeamus.

Et de navi ſanè omnes qui navigant, ſciunt, quòd una illius ſalus eſt, ut nautæ conſentiant, obediantque gubernatori. Orta autem in ea ſeditione, atq; inobedientia, quis non intelligat, in maximo eam eſſe diſcrimine? quia ſecundi frequenter venti in contrarium navi eveniunt, à portubusque repellunt, licet propinquis: tamen aliquando nautæ ob inſipientiam ſeditionem movẽt, & hoc eos perdit, ſcientes interitus cauſam. Et quamquam domorum ſanus ſit in dominorum concordia, obedientiaque ſervorum: multas tamen domos dominorum perdidit ſeditio, ſervorumque infidelitas. Nam currui quæ reliqua eſt ſalus, ſi equi ſimul nolint currere? Poſtquam enim cœperint diſſidentes diſtrahere alius alio, planè neceſſe eſt aurigam magno in periculo verſari. Nuptiæ autem bonæ quid aliud ſunt, quam concordia viri cum uxore: & malæ nuptiæ quid aliud ſunt, quam horum diſcordia. Et liberorum quæ eſt parentibus utilitas, quando ob inſipientiam adverſus illos cœperint movere ſeditionem. Germanitas autem quid aliud eſt, quam fratrum concordia: & amicitia quid aliud, quàm amicorum concordia.

Et hæc omnia non ſolum bona ſunt & honeſta, verùm etiam jucundiſſima: his autẽ contraria non mala ſolum, ſed & injucunda: attamen hæc nonnunquam pro jucundiſſimis bonis eligimus. Bella ſanè jam quidam pro pace receperunt, quum pro magnis rebus diſſiderent: non quia pugnare melius eſſet, aut ſuavius, aut juſtius, quàm pacem agere: ſed hi quidem pro regno, illi autem pro libertate, alii verò ut terram poſſiderent, nullam habentes: alii autem, ut maris dominium acquirerent: & tantis tamen propoſitis in medio præmiis, per multi bellum depoſuerunt ut malum, neque pro maximis etiam rebus eligendum. Bellum autem gerere abſque præmiis propoſitis, atque pugnare, quid aliud quàm perfecta eſt inſania, atque per hanc malorum deſiderium? Beſtias igitur propter hoc nos homines præcipuè odimus, quòd nobis bellum adverſus eas irreconciliabile ſemper ſit. Multi autem, & noſtrum quidam, etiam hominibus ut feris beſtiis utuntur, gaudentque commiſſa contra ſuum genus pugna. Et ne divina quidem ſentimus ſignã, quæ nos docent etiã laude propoſita, concordes eſſe. Etenim caduceatores à diis milli dicuntur. Atque ideò apud nos pax à caduceatoribus annunciatur: bella autem ferè pleraque non denunciata geruntur. Et nudi legatione funguntur ad armatos pro pace, neque illorum quenquam injuria licet affieere, ut qui deorum ſint miniſtri, quicumq; amicitiæ nuncii ſunt. Et quũ exercitus congreſſi fuerint ad prælium, ſi repentè deorum prodigia appareant, aut terræ fiat concuſſio, averturtur ſtatim homines, atque diſcedunt alteri ab alteris, tanquam diis prohibentibus in pugnam congredi. Belli autem ſignum divinitùs dari, nullum eſt deprehenſum. Et quæcunque hominibus jucundiſſima ſunt, atque felicitatis ſigna, ea omnia facimus poſtquam facta eſt pax: ſertis ornamur, ſacrificamus, diesq; feſtos agimus.

Contraria verò omnia fiunt in bellis, quemadmodum in luctibus: concludimur intra portas, metuimusq; omnia, immò & de nobis ipſis deſperamus: tuncq; mulieres pro maritis plorant, & gnati pro patribus, ut in maximis calamitatibus. Quando ſanè peſtilentia aut terræmotus accidit, deos accuſamus, ut qui præbeant hominibus malorum cauſas: eosque dicimus non eſſe æquos, neq; hominum amantes, etiã ſi maximè nos peccantes jurè meritoq; caſtigent. Tanto in odio ſunt mala, quæ divinitus accidunt. Bellum autem quod non minus perdit quàm terræmotus, ipſi eligimus, autoresq; horum homines nõ accuſamus quicquam, quemadmodum deos illorum gratia: verùm hoſce populi amantes eſſe putamus, eosque dicentes libentiſſimè audimus, conſulentibusq; obtemperamus, omnesque illis pro malis exhibemus non retributiones (retributiones enim ex paribus illis malis fierent) nec beneficia & honores & laudes: ut oppidò eſſent ſtolidi, ſi illis parcerent, qui gratiam etiam habent pro inflictis malis.

Primùm igitur, viri Nicomedienſes, ſeditionis cauſas videamus. Nam ſi tantæ ſunt ut dignum ſit bellum gerere, neque id breve, quale in armis geſtum eſt, & conſolationem habuit diſcrepationis velocitas, ſed longum & perpetuum, ut id relinquatur gnatis & nepotib⁹, nullaque reconciliationis reſtet ſpes: certemus ſanè, ſeditionemque cieamus, & alteri alteris negocia exhibeamus, quæcunque exhibere poſſunt qui valdè ſunt offenſi, ut plura nequeamus. Sin verò præcipuè nullum eſt hujus mali propoſitum præmium, quæ autem videntur eſſe, & parua ſunt, & vilia: & ne privatos quidem de illis ſeditionem movere dignum eſt, nedum tantas civitates: ne patiamur quæſo ſimile quid pueris inſipientibus, qui pudore pleni, ne videantur fruſtra ſuccenſuiſſe patribus matribusve, nolunt facile reconciliari. Pro terra quidem non pugnamus, pro mari autem ne contendunt quidem vobiſcum Nicenſes: ſe libenter, ut ne ullam pugnæ præbeant cauſam, vobis concedunt Quinetiam neque prò reditibus certamus, ſed utriuſque ſufficiunt propria: & ſunt hæc definita & diſcreta, ſicut & alia omnia, tanquam in pace atque amicitia. Et fructuum ſunt retributiones, nuptiarumque conjunctiones, atque ex his multæ jam affinitates factæ ſunt, & hoſpitia mutua habemus, privatasque amicitias. Deos quoque eoſdem colitis, diesque feſtos complures ſimiliter agitis. Quinetiam neque pro conſuetudinibus ulla vobis pugna eſt.

Quum

Quum autem hæc omnia nullam vobis inimicitiarum causam præbeant, sed è diverso amicitiæ concordiæq;, pugnamus. Et si quis jam adveniens vos interroget, quidnam vobis injuriæ faciunt Nicenses? nihil dicere habebitis. Et rursum si illos roget, Quidnam Nicomedenses vobis injuriæ faciunt? neque illi dicere habebunt, ne unam quidem causam. Sed præmium est in medio positum, pro quo dissidetis. Quod autem hoc est? Quæ nominatu & confessu digna essent, quæque pro se certantibus veniam impetrare possent, horum unum quod oporteat, ne dici quidem potest, neque confiteri, quòd rectè habeat. Talia sunt, ita parva, ita quoque vulgaria, pro quibus stulti quidem fortasse contenderent, nemo autem qui sapiat. Qui enim vos exhortantur ad seditionem, & quas ob causas, non meum est fortasse redarguere: sed qui ea gaudent, hoc solum loquuntur, Pro primis partibus decertamus. Hosce ego vicissim interrogabo, pro quibus primis partibus? & utrum opere & re traditis, an de nomine solum vobis pugna est?

Et antea quoque olim audio hoc ipsum Græcæ seditionis fuisse causam, bellumque gessisse pro primis partibus Athenienses & Lacedæmonios. At neque illis profuit seditio & bellum: sed inter se decertantes de primis partibus, perdiderunt se utrique. Et vos omnes illa scitis, & ego fortasse paulo post de illis dicam. Quid verò hoc, tanquam illi simile, prætexentes dicunt? Athenienses pro tributis insularium bellabant, & ut domi omnes omnium causas judicarent, adversus se mutuò decertabant: & breviter, de regno illæ bellum gerebant civitates. Nos autem, si accipiamus primas, traditas nobis à Nicensibus absque pugna verum tributa accepturi sumus, quæ nunc illi accipiunt? an civitates, ad illorum convenire solitas judicia, huc vocabimus? an mittemus illis prætores? an coria illis à Bithynis minus præbebimus? Aut quid tandem erit, quidque inde nos plus consequemur? Ego sanè pro omnibus quæ aguntur, non puto homines frustra sudare, neque temerè, sed semper esse certamen pro re aliqua. Qui enim bellum gerit, aut pro libertate certat, aliis eum servituti subjicere volentibus: aut de principatu, alios in servitutem volens redigere. Qui autem mare navigat, haud aliam victoriam disponit, periclitatur enim aut vitæ gratia, aut negociationis. Ne verò omnia simpliciter adferam exempla, omnia nos homines facimus propter bonum finem: fugimusque contrarias actiones, propter malum finem. Porrò absque causa rem serio agere, aut labore, hoc est quod stultis duntaxat convenit. Si enim terrò studeat appellari rex, qui sit plebejus, atque hoc optime sciat ipse apud se, contrarium ille quam putat nanciscetur: quippe erit derisui, nomine utens falso absque re. Idem evenict & in aliis omnibus. Et si quis tibicen videri velit, tibia canere nesciens, & musicus, nihil de musica sciens, & citharista, ne tangere quidem doctè lyram volens: tales quidem nihil prohibet, quo minus mente capti videantur. Nos autem putamus, sicubi nos inscribamus primos, primas habituros partes? Quales, viri Nicomedenses, primas partes? Etenim vos iterum atque tertiùm persunctabor, quarum quæ est utilitas? quarum quod est officium? Ex quibus an ditiores reddemur? an majores? an potentiores?

Inanis studium gloriæ, etiam in plebeiis fatuum existimatum est: eosque maximè deridemus & respuimus, & denique illorum nos miseret, quod nesciant qua in re gloria falsa à vera differat. Et nemo ex eruditis ita erga eam affectus est, ut rem fatuam concupiscat. Et civitatibus aliquis audet dicere publicè convenire, quæ ne plebeiis quidem, ingenuis & eruditis. In universum autem, si quis vos roget, viri Nicomedenses, utrum voltis primi esse revera, an solum vocari, & non esse: confitebimini utique, vos velle primos esse potius, quàm frustra vocari. Neque enim nominarerum vim obtinent. Quæcunque autem vere talia sunt, sic etiam necessario nominantur. Tentate igitur primas habere inter civitates, primùm quidem ut illarum curam geratis: hoc enim tanquam primariæ civitatis, vestrum peculiare est officium: deinde ut vos exhibeatis omnibus æquos & moderatos, neque ullain re plura appetatis, neque vim inferatis. Hæc enim necessario inimicitias conciliant, & dissidia. Natura quidem ita comparatum est, ut minores de majoribus suspicentur, ut qui in omnibus plura sint appetituri: quando verò hoc facto comprobatur, tum sanè justiores fiunt inimicitiæ irritatæ.

Facultas autem vobis est, civitatibus benefaciendi & amplior & major, quàm illis. Et primùm & maxime propter mare, ex quo omnia etiamnum exportantur. Oportet autem civitatem ipsam publice gratificari, non quosdam privatim. Nunc aut vicini partim susurantur ipsi, partim verò singula flagitant; & vos quidem flagitantibus contra dicitis nunquam. hoc ipsum tamen molestum est, quod flagitandi illis incumbit necessitas. Si verò horum omnium participes esse permittatis populis, singulis diebus quod usus exigit, flagitantibus: quomodo par non sit, vos majores apud eos fore, quum beneficia à vobis percipiant: Et simul magnam facietis concordiam, quæ ad omnes est perventura. Conemini autem & præsidibus reverentiam exhibere semper: hoc planum facientes, non sufficere uobis, quod bene soli gubernemini, sed quod curam geratis totius Bithynici generis. Neque minus ægrè ferte illatas aliis injurias, quam vobis ipsis: & si qui confugerint ad vos auxilio indigentes, promptè suppeditate. Hæc & his similia primas vobis partes tradent veras: non illa de nominibus adversus Nicenses pugna. Vellem autem & illos eadem facere: & facient, si reconciliemini. Et major vestra fiet potentia, si fueritis conjuncti. Nam civitatibus in concordiam pariter redactis, omnium vos habebitis imperium, & præsidibus major inerit erga vos reverentia & metus, si vos velint injuria afficere. Vt autem nunc res habet, aliæ quidem civitates propter vestram seditionem sunt elatæ. Videmini enim illarum opera indigere, & vere indigetis ob mutuum inter vos certamen: & accidit vobis, quale accidere solet, quando illustres similiter duo viri in republica gerenda dissentiunt. Necessario enim omnes colunt: atque eos præcipuè, quorum auxilio opus habent Itaque dum vos de primis partibus pugnatis, periculum est ne iliæ apud eos sint, qui à vobis coluntur. Neque enim fieri potest, ut non habere videantur illi, à quibus vos cupitis recipere. Præterea civitates necesse erit suum ipsarum ordinem recipere: &, quemadmodum par est & æquum, & ille vestra opera indigebunt, non vos illarum. At non propterea velim vos cum illis tyrannicè agere, sed mansuetè & moderatè, sicut expositi paulo antea, ne molestæ fiant vestræ primæ illæ partes, sed & primæ partes sint, & amentur.

Quomodo autem res præsidum habeant, quid vobis scientibus opus est dicto. An enim non sentitis tyrannidem, quam seditio vestra vestris principibus suppeditat? Statim enim quum præses gentem vult afficere injuria, novit se, quæcunque fecerit, pœnas non daturū. Aut enim Nicensium societati adhæret, eosque quantum possunt habet adjutores: aut Nicomedienses eligens, à vobis conservatur & amat quidem neutros, videtur autem alteros amare: injuria autem afficit omnes. Facta autem injuria, per eos solos conservatur, qui se ab eo amari putant. Damnarunt autem vos dementiæ publicè, vobisque utuntur quemadmodum pueris, quibus sæpè pro maximis minima porriguntur: quique propter rerum maximarum ignorationem, propterque erga minima voluptatem, re gaudent nihili; ita & vobis pro justitia, proque eo ut non spolient civitates, neque sua hominibus auferant, proque eo ut non sint contumeliosi in vos, proque eo ut ne debacchentur, porrigunt nomina: & si dixerint vos primos, aut scripserint, deinde in posterum periculo sunt exempti, vobis ut postremis abutentes. Talia enim, de quibus gloriamini, apud omnes quidem rectè perpendentibus rem, conspiciuntur: præcipuè verò apud Romanos risum movent; & vocantur adhuc contumeliosius Græcanica delicta. Si quidem delicta, viri Nicomedienses, verè sunt, sed non Græcanica: nisi fortè juxta illud ea quis Græcanica dicat, quatenus illi pro gloria olim certaverunt & Athenienses & Lacedæmonij. Res autem illorum, ut jam etiam antea dixi, non inani tantum gloria nitebantur, sed pro verò principatu illis certamen erat: nisi quid existimatis vos pro primis in comitatu locis honestè certare, sicuti in mysterio quodam ludentes pro re aliena.

Si autem vobis Metropolis nomen sit peculiare, primarum verò, partium commune, quid per hoc minores efficimini? Ego enim ausim dicere, quòd tametsi ab omnibus nominibus desistatis, à nulla tamen re desciveritis. Aut quid putatis propter hoc mare recessurum à vobis: aut terram vestram fore minorem? aut reditus contractiores. Jam nuper spectacula recepistis, imò tantum non singulis diebus spectatis & tragœdos, & alios qui videntur quidem voluptatis & delectationis gratia in scenas prodire: eos autem qui intelligunt quæ aguntur, juvant: num igitur quis illic vobis verè videtur esse rex, aut tyrannus. Atqui ita vocantur, & Menelai & Agamemnones: & non nomina tantum deorum habent, sed etiam personas, & vestes, multaque præcipiunt, ut illi: acta autem fabula, abeunt, nihilque sunt. Nominari aliquis vult primus; esto. Primas aliquis vult obtinere partes, etiam si alius nominet primus. Esto. Neque enim nomina rebus fidem adferunt, sed res nominibus. Præterea & illud expendite, quod ex concordia est futurum. Nunc quidem utrique vestros tantum viros habetis: facta autem reconciliatione, utrique utrorumque habebitis & publicas erogationes (oportet enim & hasce civitati duplicatas arbitrari) atque ministeria. Est aliquis apud vos orando eloquens, is & illis proderit. Locuples aliquis apud eos est, suppeditabit sumptus & apud vos. In universum autem, nemo neque si dignus sit primas tenere in civitate, propterea apud vos magnifiet, quod non verba ad illos faciat: neque apud illos, quod non ad vos: neque si malus sit, pœnasque dare dignus fuerit inventus, suppliciū poterit effugere, discedens hinc illuc, atque inde huc. Vt autem res habent in præsentia, quemadmodum mutuas inter vos civitates struitis insidias: ita licet iis qui alteri fecerunt injuriam, ad alteram confugere. Cæterum facta concordia, necesse erit ut boni & æqui sint viri, aut ex tota Bithynia discedant.

Valde vobis placetis ob magnam vulgi multitudinem: plures eritis Sufficientem habere videmini? majorem quàm quæ sufficiat, habebitis. Breviter, omnia commixta, & fructus & pecuniæ, & virorum dignitates, & potentiæ, apud utrosque duplicabuntur. Neque, propter quam omnia homines faciunt, voluptas omni sermone major, aberit. Auferri enim & excindi ea quæ dolores pariunt, & invidiam & contentionem, & quæ ex his oriri solet, seditionem, mutuasque insidias, insultationesque proximorum malorum, & ægritudines ex aliorum bonis: & contraria pro his subire in civitates, bonorū communionem, concordiam, & propter hæc utraque gaudium, nónne hæc omnia publico diei festo similia videntur? Expendite autem hoc modo. Si quis deorum vobis (viri Nicomedienses) optionem daret, si velletis, ut non solum vestram haberetis civitatem, sed & Nicensium, nónne incredibile quidem ob magnitudinem vobis videretur bonum? effunderetis autem omnes preces, ut id consequeremini? Atqui hoc incredibile visum, nunc fieri licet, ut & Nicæa vestra sit; & quæ apud vos sunt, sint illorum.

An non fratres admiramur, qui ad omnia communem habitant domum, quique; præcipua ob tenacitatem non diviserunt: & illorum

divitiæ

divi ix magis etiam sunt admirationi majores, eo quòd non sunt divisæ, n que dimidia rerum omnium pars cuique est attributa, sed universa substantia utrorumque esse videtur: præterea omnes illos aspiciunt ut bonos, & æquos, & revera germanos: in civitatibus autem talis facta germanitas, nonne & majus bonum erit, & honestius, opulentiusque? Hanc autem fieri æquum est & propter progenitores, qui communes sunt civitatibus utrisque: & propter deos, quorum & apud illos & apud vos similes sunt honores. Hoc enim est, propter quod maximè quis doleat: quòd quum omnia habeamus communia, & progenitores, deosque, & consuetudines, festosque dies, multi quoque privatas cognationes & amicitias, tanquam Græci adversus barbaros pugnemus; aut, quod vestris factis similius est, tanquam homines adversus feras. Non vos tandem mutuò aspicietis? Non alteri alteros audietis? Non sibi inter se civitates dexteras porrigent, vobis auspicantibus? Non omnia quæ apud utrosq; bona sunt, possidebitis reconciliati? Non illis utemini volentes? Vnam liceret & Ephesiorum populum nobis fieri germanum. Utinam & Smyrnæorum ædificia comunia nobis fierẽt. Hæc aũt omnia & tanta bona unius nominis gratia pereũt. heu quale commodum, heu qualis voluptas.

Cæterum, quod civitatibus profutura sit reconciliatio facta, quodque hactenus vobis non profuerit seditio & bona ex concordia oritura, malaq; ex inimicitiis provenientia, mediocriter à me, dicta sunt. Supereſt, ut dicam hæc etiam mansura esse, si reconciliemini. Iam enim quidam sunt, qui de hoc metuant: quorum ego iustum metum approbo, si quidem hoc dicunt, ipsi ex animo concordiam desiderantes, atq; metuentes ne dissolvatur: & non è diverso hujus gratia, ut ea omnino non fiat, hoc pretendunt. Maximum igitur vobis & fidelissimum. quòd concordia mansura sit, pignus esto, quod ea utilis est, Nã si demonstrata vobis oratione solum quod sint utilia, vobis jam persuasa videntur: quomodo non conveniret, persuasionem ex factis ipsis fore firmiorem? Præterea etiam in bona spe sum, & propter consuetudinem haud facile vos à concordia recessuros. Seditio enim tanto tempore, propter consuetudinem duntaxat apud vos duravit, tantum existens malum: quomodo non verisimile esset, reconciliationes, quæ & jucundæ sunt, & justiores, propter consuetudinem longissimum tempus duraturas? Cavere autem parva oportebit, & in primis homines nullius autoritatis, si quando vos calumniis velint committere. Ne audiatis eos, proprium quoddam venantes commodum, volentesq; sibi rursus vestra ex dissensione gaudium præberi. Denique per parva nolite eos irritare. Porrò deos ipsos verisimile est, plus quam omnes, eam curam gerere, ut concordia fiat. Puto enim & hoc ipsum principium ab illis introductum: neque aliunde mihi venisse in mentem, ut auderem tanta de re inter vos dicere, qua de nemo antea neq; juvenis neque senex dixit. Est autem dignum, rursum eos precari. Igitur in principio eos precatus sum, ut vos mihi præberent obsequentes: quoniam autem hoc jam facere videmini, supereſt ut precer eos, perpetuò ea conservent, quæ honestè à vobis fuerint decreta. *Oratione trigesima octava.*

Dio Prusæus: Gaudeo equidem, à vobis honore affectus: sicuti par est gaudere hominem modestum, qui honore affectus sit à bona & præstanti civitate, qualis vestra est, quæ & juxta fortitudinem magnitudinemque nulla inferior est, quæcunque ubique gentium habentur celebres. Præstat etiam generis ingenuitate & multitudinis cohabitatione clarissimarum familiarum: non aliunde aliis convenientibus, & vilibus & paucis, sed Græcis præcipuis, & Macedonibus. Et quod maximum est, Heroas Deosque habet conditores. Decet autem eos qui à diis sint huc deducti, pax & concordia, amicitiaque inter se. Turpe enim si non vehementer felices fuerint, & deorum amantes, præstiterintque aliis rebus secundis, qui verum suum genus volunt ostendere, & non mendacem inanemque sermonem. Dij enim conditores & cognati, generisque principes, nihil ita suos habere volunt, neque regionis pulchritudinem, neque fructuum copiam, neque hominum multitudinem, ut modestiam & virtutem, stabilemque rempublicam; & bonorum quidem civium honorem, malorum autem ignominiam. Vt ego sanè nunc læter, vos videns unum habere cultũ, unamque emittere vocem, eademque velle. Quod enim spectaculum pulchrius civitate consentiente? quæ auditio gravior? Quæ civitas melius consultat, quam quæ simul consultat? Quæ facilius agit quã quæ simul agit? Quæ minus frustratur, quam quæ eadem consulit? Quibus jucundior sunt bona, quam concordibus? Quibus tristia sunt leviora, quam comiter ferentibus? Quibus rarius accidunt dura, quam mutuò servantibus? Quæ civitas civibus est amabilior? Quæ honorabilior hospitibus? quæ commodior amicis? quæ inimicis formidolosior? A quibus laus videtur credibilior? à quibus vituperium verius? Quinam apud eos qui rerum potiuntur, majorem nanciscuntur reverentiam? quinam apud imperantes magis parem obtinent honorem? Quos magis imperantes reverentur? quosnam ita diligunt benigni principes? Quosnam minus contemnunt pravi homines?

Nonne enim constat, quod concordibus non solum imperium gerentes, sed etiam Dij attendant? At verò seditionem moventes, neque semetipsos audiunt. Neque enim dissonantes choros facilè quis exaudit quid dicant, neque discordantes civitates. Quæ ædificia, quanta regio, quanta hominum multitudo fortiorem facit populum, quàm mutua concordia? Quot enim sunt cives in consentiente civitate, tot oculi illius vident commodum, tot aures audiunt, tot linguæ admonent, tot cogitationes cogitant: nihilque tam præclarum est, quàm si quis deorũ ita magnæ & populosæ civitati unam animam fecit. Vti è regione nihil neque pecuniarum neque hominum multitudo, neq; alia potentia utiliratem adferre dissidentibus potest: sed in contrariũ hæc omnia, magisque ad detrimentum sunt & quo plura adfuerint, ad tanto majus & difficilius: Quemadmodum (opinor) & res habet in corporibus. Sano enim utilis est magnitudo, carniumque copia: ægroto autem & malè affecto, periculosissimus est talis habitus, & acutissimum periculum adducit. Similiter autem & navis, quæ si cum concordia gubernatoris & nautarum naviget, & ipsa salvatur, salvatque pariter vectores: sin minus, quanto plura fuerint vela, tanto vehementiorem tempestatem, perturbationemque majorem accidere necesse est. Idipsum etiam fit circa currum, si quidem auriga recte imperare sciat, & equi consentiant, dictoque sint audientes, spes est in certamine talem currum victorem evadere, in bello autem salvari. Præsente autem seditione, turbationeque tanto majus periculum est, quanto equi sunt fortiores atque velociores. Simili ferè modo & cõcordi civitati omnia talia utilia sunt, abundantia pecuniarum, atque hominum multitudo, & honores, & gloria, & potentia: sin non concordet, invtilia & gravia. Vt si eodem loci versentur multæ feræ, aut pecora, uno incluſa septo, atque se mutuò cornibus invadant & conculcent, insultentque. Porrò si sanus essem, non desisterem ab oratione nondum sufficienter exposita, juxta meam ipsius potentiam: nunc vos autem fortasse aliis intenti magis estis: ut ego multo sim inferior, quàm certaminis postulet magnitudo. Reliquum est ergo, ut brevissimum atque expeditissimum dicamus sermonem, qui est ad Deos. Hi enim, etiam si qui parva utantur voce, eorum tamen norunt cogitationes. Fortassis enim & hoc valde benevolentis est: sicut benigni patres, quæ possunt, filios admonent: in quibus autem non pareant, Deos pro illis rogant. Rogo igitur & ego Dionysium, autorem hujus civitatis, & Herculem conditorem, & Jovem civilem, & Minervam, & Venerem, & Amicitiam, Concordiamque, & Nemesin, aliosque Deos, ut ab hac die huic civitati desiderium sui iniiciant, & amorem, unamque sententiam, utque eadem velit atque sentiat: seditionem autem & litem & contentionem ejiciant, ut inter felicissimas optimasque civitates in posterum numeretur. *Oratione 39.*

Halicarnassæus: Concordia omnibus hominibus est bonorum dux: ab ea omnibus maxima commoda proveniunt, incredibiles utilitates proficiscuntur, & potissimè matrimonio conjunctis. Unde Homerus: Nullum majus bonum, quam dum vir & uxor concordes & idem sentientes ædes habitent. Quanto ob eam rem inimici dolore, quanta amici voluptate afficiuntur? *cap. 3. præceptorum de epithalamijs.*

Aristides Sophista: Illud cogitate, de alia re quavis in utramque partem disputari posse: verùm de concordia neminem unquam contendisse, quum hoc esset maximum civitatibus bonum: cumque de ipsis rebuspublicis & earum institutis singuli suam sequantur sententiam; illud omnes uno ore confitentur, nihil esse cuivis reipubl. generi magis contrarium quam seditionem, nec quod rerum statum potius corrumpat. *Oratione de concordia, ad Rhodios.*

Aristides: Non est quod putetis aliter domum unam, aliter Vrbẽ integram rectè habitari, verùm si singularum ædium una salus est concordia, hoc in urbibus magis evenire. Etenim si una sit discors domus, facilis est sanatio; sin urbs difficilis: & unis quidem ædibus melius vel pejus se habentibus, parum interest omnium. qui autem publicè non sunt affecti, iis etiam ædes propriè melius jure se habent. *Oratione ad Rhodios de concordia.*

Aristides Sophista: Concordia sola confirmat anni tempora, sola cuncta consignat: actum agros culturis ornat, & partim possessionum fructus donat, partim aliorum possessionem, tum in urbibus omnia pro voto succedant facit; per quam nuptiæ contingunt tempestivæ, & cum quibus quis velit contractæ, liberorum educationes, & in patriis moribus institutiones, uxorum securitas, contractuum fides, hospitum susceptiones, Deorum cultus, supplicationes, chori, animi delectationes, cautiones & concilia quæ Deorum antiquissima cogit Themis: per quam pauperes vitæ commoditatem, divites bonorum fructum, senes curam senectutis, juvenes disciplinam vitæ consequuntur, ac deniq; quod dicitur, omnia fiunt communia. sicut hocà quo conservamur Solislumen. Est verò rationi valde dissentaneum, cùm eos maximè laudemus magistratus qui plurimum nos re creant, vel spectaculis excogitandis, vel pecunia distribuenda, vel urbe exornanda; si tanta bona sponte fugiamus, quasi non nosmetipsi, sed alios læderemus. Debetis itaque non secus, ac si pictor aliquis utriusque vobis imaginem concordiæ ac discordiæ, aut etiam poëta quis descripsisset, alteram esse decoram, continuam, boni coloris, gratiosam, secum per omnia consentientem, è cœlo revera ad homines delatam: alteram visu maximè formidabilem, capite supino, labris lividis, oculis distortis, inflatam, recentibus perfusam semper lacrimis, manibus rapacibus, gladio in pectus inclinato, exilibus & obliquis pedibus undique circumposita veluti reti, caligine tenebrosa, per quam pleraque in sepulchris, non in templis visantur. debetis igitur harum alterutram vicissim aspicientes, & otioſè utrius præstet commercium explorantes, ita demum optionem instituere. *Oratione de concordia, ad Rhodios.*

Aristides Rhetor: Vidisti deinde templorum ornamenta & septa, natura pariter & arte exornata, & ornatum universum instar monilis connexum: & quod erat maximum Vrbis signum, concordia per omnia transiẽtem, ac musicam, quæ totum corpus unum esse quiddam ostenderet; quasi ea (quod de Thebanorum muris tradunt fabulæ) ad lyram primò atque citharam fuisset exstructa. *Gratulatione Smyrnæ coram Imp. Commodo.*

¶ Roman-

¶ Romanorum.

Nazarius Orat. in Constantinum Aug: Profectò nulla vi possunt coire, quæ naturali divortio dissident; nec ulla tam fidelis est copia quæ in diversum tendentia nexu suo teneat. *capite decimo.*

Idem eodem capite: Perpendisti omnes concordiæ commoditates; illam esse fundamentum ac radicem otij, Bonorum civilium seminarium, quietis publicæ segetem, & almam pacis nutricem.

¶ Poetarum.

Prudentius Psychomachia 7.

Publica sed requies privatis rure forõq;
Constat amicitijs. scissura domestica turbat
Rem populi, titubatq; foris quod dissidet intus.
Ergo cavete viri, ne sit sententia discors
Sensibus in vestris; ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odijs. quia fissa voluntas
Confundit varijs arcana biformia fibris.
Quod sapimus, conjungat amor: quod vivimus, uno
Conspiret studio. nil dissociabile firmum est.

¶ Apologi.

De Accipitribus inter se inimicis, quos columbæ pacaverant. *Fab. 96.*

Accipitres invicem inimici, quotidie decertabant, suisque odiis occupati, alias aves minimè infestabant. Columbæ eorum vicem dolentes, eos missis legatis, composuere. Sed illi, ubi inter se amici effecti sunt, cæteras aves imbecilliores & maximè columbas vexare, & occidere non desinebant. Tunc secum columbæ: quàm utilior accipitrum discordia, quàm concordia nobis erat?

Hæc monet fabula, malorum inter se civium odia alenda potius, quam extinguenda, ut dum inter se digladiantur, viros bonos quieto vivere permittant. Absemius.

¶ Emblematis.

Batillius CLXXXVIII.
Concordia insuperabilis.

Singula quæ minimo infringas hastilia nisu;
Non toto inflectas robore nexa simul.
Robore tam firmo stat firma potentia concors;
Tam facilè infringi dissociata, potest.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Abrahamus Patriarcha: Quum Abrahamo & nepoti ejus Loto tot essent greges, armenta & tentoria, ut eos ferre terra non posset ut simul habitarent, esset que contentio inter eorum pecuarios, dixit Abraham ad Lotum, Ne quæso sit contentio inter me & inter te, aut inter pastores meos inter pastores tuos: nam viri fratres sumus. Nónne universa hæc terra tibi exposita est? separa te quæso à me: si sinistram versus discesseris: tum dexteram petam: sin autem dexteram versus, sinistram petam. *Genes. 13. 5. 6. 7. 8. 9.*

Marcus & Marcellinus: Romæ sub Diocletiano passi, gaudentes ad supplicium ibant: & quoniam fratres germani erant, stipitibus infixi Psalmum illum alternis decantarunt, Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Cúmque non modò ferrent, sed etiam irriderent tormenta, erubuit Diocletianus contemtui se haberi ab iis quos torqueret, & ambos lanceis confodi jussit, atque interimi. *Sabellic. lib 5. cap. 4.*

Iovianus Imperator: Quum episcopi quidam libellum illi obtulissent, postulantes, ut quidam alii ab Ecclesia eiicerentur, ipsíque in eorum sufficerentur loca, Jmperator accepto eorum libello, ipsos absque responso dimisit, hæc verba duntaxat loquutus, *Ego contentionem odio prosequor: eos qui concordia dediti sunt complector amore venerorque.* Quæ cùm ad aures aliorum pervenirent, ferociam illorum qui contendendi studio flagrabant, permulsere. Quum postea Acaciani ad eum epistolam misissent adversus Anomianos, Iovianus qui apud animum suum proposuerat blanditiis & persuasionibus dissentientium lites dirimere, respondit, *se nemini quidem, qualemcumque fidem amplexanti, molestiam exhibiturum: sed eos præter cæteros benevolentia & honore prosecuturum, qui Ecclesia ad concordiam adducenda authores se ostenderent.* Hæc ab eo ad hunc modum gesta esse, Themistius philosophus commemorat. *Socrat. hist. eccles. lib 3. cap. 21.*

D. Hieronymus: Intercessit quædam inter Augustinum juvenem, & Hieronymum senectute jam lassum dissensio, ea occasione, quòd in Commentariis suis in epist. ad Galat. Hieronymus scripserat, pro ratione temporis, Apostolos simulatione usos. Id ita Augustinus acceperat, quasi sensisset Hieronymus, admittendam esse in literis divinis interdum mendacii suspicionem. Pugnat igitur vehementius contra eum, cum quod de simulatione Hieronymus affirmaverat, ipse ad mendacium concedendum in scripturis sacris cum nonnulla violentia detorqueret. Respondit autem Hieronymus acerbius. Postea uterque alterum ad amorem mutuum & concordiam exhortatus est. Facessant (inquit Hieronymus) istius modi querimoniæ, sit inter nos pura germanitas & deinceps non quæstionum, sed charitatis ad nos scripta mittamus. Item, superest ut diligas diligentem te, & in scripturarum campo juvenis senem non provoces. Nos nostra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus nunc te currente, & longa spacia transmeante, nobis debetur otium, &c. Ita etiam per epistolas tum suas, tum aliorũ Hieronymum placuit Augustinus. *Vide tertium proœmium Hieronymi in epist. ad Galatas, & epistolas utriusque, tomo 2. Operum Augustini.*

Greg. Nazianzenus: Gregorius Nazianzenus relicta Constantinopoli in Cappadociam perrecturus, antequam discederet, in aulam profectus, his verbis Theodosium imperatorem affatus est. Tibi quidem, ô Jmperator, pro tuis erga Ecclesiam meritis retribuat Christus in die retributionis. Beneficium autem quod nunc à te peto, potentissime Princeps, dare ne graveris. Non pro pecuniis tibi ium supplex: non preciosa altarium tegumenta concupisco: non cognatis dignitates ambio: sed ut laboribus liberer, obsecro. Cesset etiam invidia: pacem colant episcopi: tu maximè in eam rem adnitere: sacerdotum bellum comprime, qui Barbarorum audaciam compescuisti: maxima imperii tui trophæa una re exorna, nimirum episcoporum concordia. Hoc ego donum à te peto: hoc beneficium ultimum porrige. *Gregorius Presbyter in vita Gregorij Nazianzeni.*

Chrysostomus: Quum à factione quorundam malevolorum Chrysostomus in exilium pelleretur, episcopos & sacerdotes ad eum convenientes consolatoria exhortatione erexit. Ex illis quidam verò sermonem ejus excipiens: At, inquit, si in episcopatu permanserimus, necessitas nobis ut cum Ecclesia tibi adversante communicemus, & condemnationi tuæ subscribamus, incumbet. Tum respondit Chrysostomus: Vt quidem cum adversariis me is communicetis concedendum vobis esse duco: ut autem abrogationi meæ calculum vestrum adiiciatis non permitto. Nullius enim rei, cur condemnatione dignus sim, mihi conscius sum. *Niceph. eccles. hist. lib. 13. cap. 20.*

Greg. Nazianzenus: Episcopos qui Constantinopoli convenerant, Gregorius, Basilij frater, oravit ut cum jam de concordia in Ecclesiis constituenda convenissent, ea quæ concordiam mutuam spectant, unius hominis injuriæ præferre vellent. Nam ego, inquit, multis curis liberatus, ad tranquillitatem quæ mihi pergrata est, me recipiam: & vos itidem post longum illud & grave bellum (propter hæresin Arij) pace optatissima fruemini. Valdè enim absurdum esset, ut jam è telis hostium erepti, mutuò alius alium ferire, & nostras ipsorum vires conterere aggrederemur: quandoquidem eo pacto hostibus non parum daremus lætitiæ. Quare virum conquirere præstabilem & sapientem, qui provinciam tam plenam curarum tum capessere, tum probè administrare possit, eumque episcopum designate. *Theodor. eccles. hist. lib. 5. cap. 8.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

D. Ludovicus Rex Francorum: Persequamur etiam læto & hilari stilo, egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum. Clarus in eo fuit Ludovicus Gall. Rex, Divorum numero adscriptus: qui nõ domesticos modò, sed & exteros Principes, inter quos dissidium, ad concordiam revocare satagebat. Quod cùm improbarent nonnulli, eos graviter redarguens, *Quid*, inquit, *si externi me vidente & simulante, armis dissideant: numquid per summam malitiam Regem Francorum id tolerare existimabunt; & in me regnumque aliquam perniciem machinabuntur? Præterea periculũ, ne iram Dei in me provocem, qui summo favore prosequitur eum, qui dissentientes conciliare nititur.* memor sermonis quem in loco campestri Dominus coram suis habuit: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Ionuil. in vita ejus cap: 89.*

Petrus Aldobrandinus Card: Quàm autem vera sit illa Sallustij sententia; Concordia res parvæ crescunt; asseruit suo dicto Petrus Aldobrandinus: cui in ore aliquando; *Civium felicitas non solùm ex concordia nascitur, sed ea etiam quasi quodam pabulo nutritur. Henricus Farnesius in Apophth. de Principe.*

Idem: Dixisse sæpenumerò commemoratur; *Duo sunt Concordiæ vincula: beneficium & gratia: quorum alterum benevolentiam connectit accipientium; alterum largientium amorem & studium stabili charitate confirmat.* Ibidem.

Constantinus Magnus: Meritò in hunc Illustrium numerum referendus. Cui cùm in Nicæna Synodo varij supplicantium libelli, quibus mutuæ querimoniæ exprimebantur, traderentur; omnibus ad concordiam excitatis, universos dilacerabat, dicens: *Mei muneris non est talibus in causis judicem agere, aut proferre sententiam.* Sozom. *lib. 1. cap. 16.*

Alphonsus Rex Arag: Verus Concordiæ patronus persæpè dicebat: *Si Romanorum temporibus vixissem, etiam templum Iovi Postorio construxissem.* Rogantiq; causam, *Vt ita*, inquiebat, *de rebus actum iri, in eo primùm convenirent, & contentionem omnem deponerent.* Significabat autem nihil Reipub. perniciosius, quàm si cũ Patribus plebs contentiones misceat. *Panorm. lib 3. de Gestis ejusdem.*

Comes Palatinus: Rogatus quod esset potissimum Concordiæ vinculum; *Religionis*, ajebat, *similitudo, & de divinis cultibus consensio.* Peucerus.

¶ Monosticha Trochaica.

A voluntatum unitate lumen est concordiæ.
Circuli multi catenam junctis inter se vinciunt.
Culmen ac basis bonorum est omnium concordia.
Difficilius funiculus triplex rumpitur.

Es supra gemmas & aurum planipes concordia!
Fulgida est bonorum ultra aurum, ultra gemmas concordia.
Gratia & beneficium arctâ vinclâ sunt concordiæ.
Imbecillitas humana, tuta stat concordiâ.
In potestate eminenti nuspiam concordia est.
Lectulus fere est communis tectulo uno qui manet.
Major inter pauciores quam plures concordia.
Maximum concordia est bonum ut malum discordia est.
Multiplex fias vel unus vinculo concordiæ.
Nil omnino virtus est sublatâ hominum concordiâ.
Non potest concordia esse morum ubi est discordia.
Non potest regi urbs domus ve si deest concordia.
Nulla res tam parva quæ non crescat à concordia.
Nullo adhuc loco male insons audijt concordia.
Nullo adhuc loco male unquam audijt concordia.
Omnium causa est bonorum, Principum concordia.
Parva auget concordia; magna dissipat discordia.
Patrimonij empta damnis firmior concordia est.
Peccatoribus q3 in unum convenire pessimum est.
Quamlibet grande, haud sentitur, si ferant omnes onus.
Qui concordiæ sint fructus, ipsæ vel docent Apes.
Quis probet concordiæ ullum interpretem nummarium?
Spirat orbis universus mutuam concordiam.
Vnus etsi sis, per ipsam multiplex concordiam es.

¶ Jambica.

Aliàs bona est, aliàs mala est concordia.
A lite semper dulcior concordia est.
Concordia non firma fiunt fortia.
Concordia utique præferenda omnis lucro est.
Difficilior est inter plures concordia.
Divesque parvis rebus est concordia.
Fit vir vel unus multiplex concordia.
Haud facile imperia custodiunt concordiam.
Humana vita unâ constat concordiâ.
Instar odiorum, habeas tacitam concordiam.
Nihil sine unitate in orbe nascitur.
Post jurgium omnis dulcior concordia est.
Quidquid bonum est, cognatum item est concordiæ.
Raro simul potentia & concordia est.
Regit domos, urbes regit concordia.
Rerum omnium nil pulchrius Concordiâ.
Robustiusne quidpiam est concordiâ?
Sortitur effectum omne quod duo volunt.
Vbi exulat lex, exulat concordia.
Virtus nihil est, sublatâ hominum concordiâ.
Vnus potest nil: plurimum possunt duo.

Concubinæ.

¶ SENTENTIÆ POETARVM.

Plautus Mostellar. 1. sc. 3. v. 31.

Et Castor erras quæ quidem illum expectas unum, atq3 illi
Morem præcipue sic geras, atq3 alios asperneris.
Matronæ, non meretricium est, unum inservire amantem.
P. Nolo ego se mihi mule, Scapha, præcipere. S. stulta es planè, quæ
Illum tibi æternum potes fore amicum & benevolentem.
Moneo ego te: te deseret ille ætate & satietate.
P. Non spero. S. Insperata accidunt magè sæpe quâ quæ speres.
Postremò, si dictu nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis nosce: rẽ vides; qua sim, & quæ fui ante.
Nihilo ego quàm tu nunc amata sum, atq2 uni modò gessi morem,
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deseruit q3 me. tibi idem futurum credo.
P. Solam illi me soli censeo esse oportere obsequentem,
Solam ille me soli sibi suo cùm liberavit.
Nunquâ ego illi possum gratiã referre, ut meritus est de me.
S. At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc hæc ætatula est, in senecta malè querere.

Plautus Mercatore 2. sc. 5. v. 38.

Inter nos conjuravimus, ego cum illo, & ille mecum,
Ego cum viro, & ille cum muliere, nisi cum illo, aut ille mecum
Neuter stupri caussa caput limaret.

Plautus Pseudolo 1. sc. 1. v. 92.

Profectò nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atq2 abducitur.

Terentius Heautont. 2. sc. 3.

Ædepol Antiphila mea laudo te, & fortunatam judico
Id cùm studuisti, isti mores formæ ut consimiles forent.
Mini meq3 (ita me Dij ament) miror sit e sibi quisq3 expedit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio tua.
Et cùm egomet mecum in animo vitam tuam, considero.
Adeoq3 vestrarum omnium, vulgus quæ ab sese segregant:
Et vos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est.
Nam vobis expedit esse bonus: nos, quibuscum res est, non sinunt.
Quippe forma impulsi nostra nos amatores colunt:
Hac ubi immutata est, illi suum animum aliò conferunt.
Nisi prospectum est interea aliqui nobis, deserta vivimus.
Vobis cum uno simul ubi ætatem agere decretum est viro,
Cujus mos maximè est consimilis vestrum. hi se ad vos applicant.
Hoc beneficio utriq3 ab utrisque vero devincimini,
Vt nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
AN. Nescio alias: me scio quidem semper fecisse sedulò,
Vt ex illius commodo meum compararem commodum.

Concupiscentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Exponens illud gnosticus: Ego autem dico, qui aspexit mulierem ad concupiscentiam, jam mœchatus est, non censebat nudam judicare cupiditatem, sed si per cupiditatem, quod ex ea fit opus procedens ultra cupiditatem, in ipsa peragatur. Aut enim in somnis simul visione utitur, aut etiam corpore. Atque qui historias quidem conscripsere, justi Bocchoridis tale referunt judicium. Adolescens captus amore meretricis, persuadet certa quadam mercede constituta, ut postridie puella ad eum veniat: cùm autem eum in somnis prævenisset cupiditas, præter spem expleta libidine, puellam quam amabat ad se venientem, ut cõstitutum fuerat, arcet aditu. Illa autem cum id quod evenerat didicisset, exigebat mercedem, dicens se ea ratione amatoris expleße cupiditatem. Venerunt ergo ad judicem. Is jusso adolescente crumenam in qua erat merces, in sole extendere, jussit meretricem umbram apprehendere: lepide imperans, ut simulachrum mercedis redderet pro simulachro complexus. Atque somniat quidem aliquis visioni assentiente anima. Vere autem somniat, qui aspicit ad concupiscentiam, non solum ut ille dicebat gnosticus, si simulatque viderit, cum muliere consuetudinem animo comprehendat, hoc enim jam est cupiditatis opus ut cupiditatis: sed si corporis respexerit pulchritudinem, ait verbum, & ei ex libidine ac cupiditate caro pulchra visa fuerit, cum carnaliter & propenso animo ad peccandum viderit, propterea quod eam sit admiratus, condemnatur. *Libro* 10. *Stromatum.*

D. Chrysostomus: Ita scilicet Christum indutus es, si carnis curam ad concupiscentias non feceris. Neque enim voluptatem habet res ista: ipsæ quippe concupiscentiæ alias rursus graviores pariunt. Atque ita nunquam illarum satietatem capies, sed magnum tibi ipsi tormentum comparabis. Quemadmodum enim qui continuus in hoc est ut sitiat, etiamsi innumeros fontes ad manum habeat, nihil tamen inde juvatur; eò quòd morbum hunc insatiabilem extinguere nequeat: ita habet & qui perpetuò in concupiscentiis vivit. Si verò necessarium usum servaveris, nunquam hanc febrim patieris sed omnia illa, & ebrietates & lasciviæ simul abibunt. Tantum itaque comede, quantum ad tollendam famem faciet: ita induere, ut nihil quæras quàm tegumentum. Non est vestibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas. Nam & molliorem inde facies, & bonam ipsius valetudinem corrumpes; dum nimia illam mollicie dissolvis. Vt itaque illam loco boni vehiculi spiritus habeas, ut gubernator securus navigij clavos teneas, ut miles arma bellica facilè tractes: fac omnia ista instituas, ut optima sint & accommoda. Non enim qui multa habet, sed qui modicis eget, in expugnabilis est. Ille quippe, etiam si nihil patiatur injuriæ, timet tamen: iste verò etiam cùm lædituꝛ, meliùs tamen habet, majoreque animi jucunditate est, quàm quibus nihil incommodatum est. Ne quæramus igitur, ut nemo sit qui calumniam inferat; sed ut nocere non possit, etiamsi quàm maximè velit. Istud verò nequaquam aliunde erit, quàm si necessariũ rerum usum tantummodò sequamur, nihil ultrà concupiscentes. Ita videlicet & heic deliciari poterimus, & futura bona comparabimus. *Homilia 24. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Vidit fortasse quispiam impudicis oculis mulierem, nec id aut mulier quæ conspecta est, aut ij qui unà gradiebantur, senserunt; verùm oculum illum pervigilem minimè fugit. Nam ille, priùs etiam quàm peccatum admissum esset, impudicam animam, & internum furorem, & cogitationes intempestate ac procella subinde sese convoluentes perspexit. Neque enim testibus & conjecturis ille opus habet, cui omnia explorata sunt. Quocirca ne oculos ad conservos tuos convertas. Nam etiamsi homo laudat; nihil tamen hoc prodest, cùm Deus non approbat nec si condemnet homo; quicquam hinc detrimenti redit, cùm Deus non condemnat. Quò magis tibi providendum est, ne hac quoque ratione judicem ad iracundiam concites: dum conservorum quidem magnam rationem habes; ipsa autem indignante, nec metu nec tremore afficeris. Quare laudem eam, quę ab hominibus proficiscitur, contemnamus. Quousque tandem viles & abjecti erimus? Quousq;, Deo ad cœlum nos attollente, ipsi humi serpere contendemus? *Homilia 5. ad Corinthios 2.*

¶ Ita-

¶ Itali.

Io. Sarisberiensis: Ad concupiscentiæ fornacem succendendum conveniunt adulatores, & relatores, delatores & detractores, invidi, ambitiosi, elati, factiosi & superstitiosi, flagitiosi, omniumque officiorum prævaricatores: quos quia ubique terrarum sunt, facilius est invenire quam dinumerare. adversus hujusmodi est omnis lex; in hos omnia jura conjurant, & in eosdem, quasi in publicæ salutis hostes, quandoque omnis armabitur creatura. *lib. 3. cap. 3.*

¶ Oratoris.

Dio Prusæus: Dicitur enim olim aliquando fuisse quoddam bestiarum genus sævum & agreste, plurimùm & maxime proveniens in desertis Libyæ. Hæc enim regio etiamnum videtur omnifarias ferre animalium naturas, reptilium & aliarum bestiarum. Ac inter easdem esse & hoc genus, compositam habens corporis formam propemodum ex vehementer discrepantibus, omnino absurdam. Errare autem ipsum usque ad mare in Syrtim ferunt, cibi gratia. Venari enim & alias bestias, & Leones & pardales, sicut illi cervos & asinos agrestes, oves que: maximè autem lætari hominum captura, quorum gratia & loca habitata adire usque ad Syrtim. Est autem Syrtis, sinus maris plurimùm in regionem incurrens, atque trium dierum navigatione illo (ajunt) absque impedimento navigatur. Ingressis autem, jam non patere egressum. Brevia enim & bimares loci, & vincula longa, in longitudinem usque magnam pertinentia, omnino difficile & inuium efficiunt pelagus. Neque enim alueus maris in illis locis purus est, sed locus concavus & arenosus intrò suscipit pelagus, nihil habens solidum. Vnde, puto, magni cerui & aggeres arenarum in illo fiunt, quemadmodum in regione hac contingit à ventorum flatibus illic autem magis à fluctuationibus. Sunt autem & omnia ferè incircuitu ejusmodi deserta nempe, & arenarum acervi. At enim naufragos à mari ascendentes, & si quos Libycorum ex necessitate discurrere aut errare contigerit, illæ bestiæ rapiunt, subito apparentes.

Natura autem corporis ipsarum & forma talis est, facies est muliebris, & qualis speciosissimæ mulieris esse potest; mamillæ autem & pectora & colla pulcherrima, qualia nulla virgo mortalis habere possit, neque adultæ nymphæ, neque fingens neque pingens quis quam possit exprimere. Cutis nitor clarissimus est, & hilaritas ex oculis & desiderium animis incidit, simulac eas quis aspexerit. Reliquum aut corpus durum, & infractum squamis: & omne quod deorsum vergit, serpens est. Extremum autem caput serpentis, valde impudens. Ipsæ autem bestiæ non dicuntur nasci alatæ, quemadmodum Sphinges: neque colloqui posse, ut illæ, neq; aliam emittere vocem: sed sibilare tantum, ut dracones, acutissimè. Esse autem omnium pedestrium velocissimas, ut nemo ferè eas queat effugere: & alia quidem animalia robore vincere, hominem autem deceptione, ostendentes pectora & mamillas simulque aspicientes. Incantare, autem, & vehementem eas coitus iniicere desiderium. & nonnullos accedere ad eas tanquam ad mulieres: illas autem subsistere quietè, & sæpè in terram oculos deiicere, imitantes mulierem honestam. Propinquum autem jam factũ corripere. Habere enim & bestiales manus, quas abscondant interea. Serpens igitur confestim mordens, occidit veneno: cadaver autem devorant simul & serpens & altera bestia.

Hic igitur apologus, non sanè pueri causa confictus, ut minus sit temerarius & immodestus: sed majorum gratia, & perfectionem insipientiam habentium, à nobis huc adductus, forsan sufficienter demonstrare poterit, quale nam sit concupiscentiarum genus, quòd nempe ratione careant, sintq; bestiales. Deinde voluptatem quandam ostendentes, adducentesque fatuos deceptione & præstigiis, miserrimè atque luctuosissimè disperdant. Hinc timendum est, ante oculos hæc habentibus nobis (quemadmodũ faciunt nutrices, quando pueri extra legitimum tempus cibum, aut ludum, aut aliud quid appetunt) quando cibum, aut pecunias, aut rem veneream, aut gloriam, aut etiã aliquam voluptatem amamus, ne quando accedentes ad astutas illas, corripiamur ab illis ad interitum, perditionemque omnium turpissimam.

Etenim reliquam fabulæ partem, huc adaptare non grave est homini loquaci, & plus ocii quã oportet agenti. Apponunt enim, quòd rex quidam Libyæ conatus sit exterminare genus bestias, ægrè ferens populi perditionem. Etenim jam multas illic habitare cæpisse, & saltum supra Syrtim apprehendisse, dẽsum & immitem. Collecto igitur magno exercitu (eas enim non potuisse latere propter serpentum tractus, odoremq; inde gravem erumpentem) saltuiq; undiq; circumdato ignem injeciss̃e, relictasq; illic ita periisse una cum catulis. Quo facto, Libyes fugisse velocissime à regione illa, neq; noctu neque interdiu sumpta requie: donec se multum promovisse existimantes, exonerati quieverunt propter fluvium quendam. Bestiæ autem quæcunq; abfuerant in venatu, simulac cirò senserunt lustra sua perdita, persecutæ sunt exercitum usque ad fluvium: & partim quidem somno oppressos, alios autem defessos à labore perdiderunt usque ad unum. Et tunc ita illi Regi conatum fuisse irritum, in hujus generis perditione.

Novissimè autem Herculem, omnes terras repurgantem à bestiis & tyrannis, etiam illuc perveniss̃e, locumque illum combussisse: elapsasque ex igne, partim clava percussas inter feciss̃e, quæcunque videlicet pariter incedebant: aufugientes autem, sagittis. Fabula igitur forsan obscure loquitur, dicens quòd inter vulgares homines, si quis conatus est suum repurgare animum, quemadmodum inuium plenumque aliquem sævis bestiis locum, expellens perdensque concupiscentias deinde sperans se liberatum, atque effugisse, non strenuo usus cursu, paulo post à relictis cupiditatibus perditur, corrumpiturq; Herculem autem Jovis & Alcmenæ filium, rem aggressum, suumque reddidisse animum purum atque mansuetum. Et hoc ipsum indicare velle, terræ mansuefactionem. Vultis nunc modicum quiddam & ex juniorum sermonibus pro auctario fabulæ addamus? Ita enim omnino illi eam credunt & arbitrantur esse veram, ut tandem aliquando dicant, hoc genus apparuisse Græcis ad Hammonis templum euntibus, deumq; consulturis, cum magnis copiis equitum & sagittariorũ conductis. Visum enim illis esse, super quendam arenarum cumulũ sedisse mulierem, supernè renonem indutam, ut Libyssæ solent. Ostendisse autem pectus & mamillas, collumque infregisse, & post assumpta ex quodam vico meretrice quadam, sic iviss̃e ad turbam. Duos verò adolescentes forma illius stupefactos: adisse eam: & alterũ quidem præveniss̃e. Bestiam autem eum apprehensum traxisse in arenæ locum cauum, & comedisse. Porrò alium adolescentem cunctantem spectasse, & exclamasse, atque ita succurrisse reliquam multitudinem. Bestiam autem impetum feciss̃e in adolescentem, prætenso serpente: eóque occiso, recessisse cum sibilo. Cadaver autem inventum esse, jam marcidum atque putrescens: Libyesque viæ ductores non permisisse tangi cadaver; quasi omnes inde forent perituri. *Oratione quinta.*

¶ Apologi.

Puer & Fur. *Avienus.*

Flens puer extremam putei consedit ad oram,
Vana super cassis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lachrymis postquam fur vidit obortis,
Quanam tristitiæ sit modo causa rogat.
Illi sibi abrupti fingens discrimina funis,
Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora, sollicitam traxit manus improba mentem:
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo
Sentibus immersus delituisse datur.
Sed post fallacis suscepta pericula voti.
Tristior amissa veste resedit humi.
Dicitur his soler vocem rupisse querelis,
Et gemitu summos sollicitasse Deos.
Perdita, quisquis erit, posthac bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natet urna vadis.
Nemo nimis cupidè sic res desideret ullas,
Ne plus cum cupiat, perdat & id, quod habet.

Aphthonius: Taurum intuitus camelus cornua concupivit accipere. quare cum ad Jovem venisset, ab eo petiit cornua ille verò ægrè ferens avaritiam, aures etiam auferre jussit Mercurium: unde tum minores eas habet camelus, quam pro ratione reliqui corporis.

Qui plura desiderat etiam ea quæ habet, amittit.

Babrias: Περὶ ὄρνιθος ὠὸν χρυσοῦν πτεράσης, καὶ φιλαργύρου.

Επκτε χρυσοῦν ὠὸν ὄρνις εἰσάπαξ
Καὶ ἰς πλανηθεὶς χρυσεργὸς τὴν φέρνα,
Εκτεινε πύτλον, χρυσὸν ὡς λαβεῖν θέλων.
Ελπὶς δὲ μεῖζον δῶρον ὠλέκει τύχης.

Επιμύθιον.

Περὶς τοὺς ἐλπίδι κέρδους εἰς ζημίαν ὑπὸ μικροψυχίας ἐμπίπλοντας.

De Gallina aureum ovum pariente & avaro.

Ovum aureum Gallina semel peperit.
Quidamque avarus deceptus animo,
Eam occidit aurum accepturus.
Sed spes perdidit majus fortuna donum.

¶ Affabulatio.

In eos qui spe lucri in damnum ex pusillanimitate incidunt.

Videantur plura titulo *Cupiditatis, Libidinis.*

Confessionis Fidei.

¶ Arophthegmatum Christianor.

Iesus Christus, *& Puer Lunatici in Evangelio.* Post peccatorum confessionem, eam quæ fidei est, convenienter subdimus, sine qua prior illa nihili facienda; magni verò, si conjunctam eam habeat, æstimanda. Lunatici pater, (cujus meminit Evangelium) rogatus à Domino, *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* continuò exclamans, motus commiseratione erga filium, cum lachrymis protestabatur: *Credo Domine: adjuva incredulitatem meam.* Et ita, ut habet Aug. Conc. 7 in Ps. 118. incredulitatem suam adhuc inhærentem, invitò confitebatur: nequetamen fidem diffitebatur. & hinc filio sanitatem impetravit. *Mar. capite 9.*

S. *Petrus & Ioannes.*

Vide Prædicatio verbi Dei.

Benjamin Diaconus.

Vide Castigatio modesta.

S. Tiburtius Martyr : Sed & hunc meritò celebraverim. Qui à Fabiano Præfecto compulsus, prunis ante se positis thura Diis ponere, aut eadem discalceatis plantis caleare ; facto crucis signaculo, super eas ingreditur, dicens : *Depone infidelitatem Fabiane; disce solum Deum quem confitemur dominari creaturis. Tu tantum præsta in nomine tui Iovis ; & si potest, faciat te non sentire dolorem. Sur. tom.* 1. *in vita S. Sebastiani.*

Clericus Anonymus : Longum foret enarrare quàm fortiter viri sancti hac Confessionis virtute usi. quare pluribus aliis, alium in locum relegatis, quid de CLERICO quodam commemoret Gregor. Turon. videamus. Ab Arrianis custodiæ traditus, cùm Personarum trinitatem in naturæ divinæ unitate multis rationibus adstrueret ; nec minis, nec muneribus, sententiam mutaret, induci poterat : tandem in equuleum sublatus, dum rogaretur, Quid credis? nihil aliud respondebat, quàm, *Credo in Deum Patrem, & in Iesum Christum, Filium ejus unigenitum, atque in Spiritum sanctum, ex utroque procedentem. Greg. Turon. de Glor. Mart. lib.* 1. *cap.* 82.

Achemenides : Inuitant me etiam, & excitant quæ sequuntur. ACHEMENIDEM referam, qui à Tarane Persarum rege, quòd fidei semina in Perside sparsisset accusatus ; *Universitatis*, ajebat, *Deum nequaquam abjuro, ut tibi amicitia jungar. Majus crimen, divinam, quàm regiam lædere majestatem. Niceph. lib.* 14. *Hist. cap.* 20.

Idem : Illic honoris & amicitiæ regiæ, hìc munerum contemptor. Sumptuosis namque vestimentis à præfato Tarane donatus, postquam id factum sensit, ut ita lentis beneficiis à proposito dimoveretur; excandescens, concissas eas à se rejecit, dixitque: *Si ejus gratia me Religionem longè optimam mutaturum putas, en munus tuum, una cum impietate, habe.* Ibidem.

Canutus Anglorum Rex : Addamus & hunc, cui præclarum hujus rei testimonium præbent Annales. Cùm à corvis aulicis (Assentatores appello) circumuentus, omnia ad nutum ejus vultumque converti jactitarent : ille, iis inspectantibus, sedem regiam in maris litore poni curat. cui insidens, *Tu mare*, inquit, *ditionis meæ es, & terra in qua sedeo, est mea : tibi impero, ne in terram meam ascendas :* (jam enim erat maris accessus) *nec membra domini tui madore perfundas.* Dixerat. Servat suum fluxum mare, & immenso imbre domini sui sinum perfundit. Tum ille: *En, quàm ego omnibus imperito? Quin sciant omnes qui terram incolunt, vanam & falsam esse regum potentiam; atque unum eo nomine dignum, qui verè imperium inhibet cælo, terræ, mari.* ac diademate Cruci imposito, deinceps pietatis & modestiæ cultor exstitit. Ita.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis.

Saxo Grammat.

Vide Apophth. de CHRISTI CONFESSIONE, & NOMINE. *Item de* IDOLORUM VANITATE, *&c.*

Confessionis peccatorum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. NAZIANZENUS: Magna vitij medicina est confessio, & peccati fuga. *Oratione decima quinta, de plaga grandinis.*

D. Greg. Nyssenus : Quis in vanis tam otio abundans, ut aperta, clara, & indubitata rationibus redarguat? Neque enim si quis sui ipsius cædis scelus indicaverit, accusatoribus labor relinquitur, certis ut demonstrationibus, eadem ad probationem adducant, eamque factam esse convincant. *Oratione* 9. *contra Eunomium.*

D. Chrysostomus : Quod solum, inquit, esset tristis, remisi peccata. Nos autem ne hoc quidem ipsum facimus : & ideo Deum maximè adiram provocamus. Qui enim per parva factus fuit propitius, quando nec ea, fuerit assecutus, jure succenset, & extremum de nobis sumit supplicium : est enim hoc summi contemptus. Quis unquam mœrore fuit affectus propter peccatum? Quis ingemuit? Quis pectus pulsavit? Quis de eo fuit solicitus? Ego quidem arbitror neminem. Sed innumerabiles quidem dies lugent homines pro famulis mortuis, pro detrimento pecuniæ: animam autem quotidie perdentes, de eo ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum placare, cùm te ne peccasse quidem noris? Certè, inquit, peccavi. Certè, lingua quidem dicis. Dic mihi mente, & cum verbo ingemisce, ut sis perpetuò læto & alacri animo. Nam si doleremus propter peccata, si ingemisceremus propter delicta ; nihil nos aliud dolere affecisset, hoc mœrore expellente omnem animi ægritudinem. Quamobrē aliud quoque lucraremur cum confessione, nempè quòd non immergeremur in molestiis vitæ præsentis, neque intumesceremus secundis ac præclaris: & ea ratione Deum rursus magis placabimus, sicut iis quæ nūc facimus irritamus. Nam dic mihi, si habeas aliquem famulum ; ille autem multa passus à conservis nullius quidem rei alterius habeat rationem, solùm autem curet ne dominum provocet ad iram : an non ex hoc solo suffeci & ad tuam iram sedandam? quid autem si eorum quidem quæ in te deliquit nullam gerat curam, curet autem ea quæ deliquit in conservos; an non ei majus inferes supplicium? Ita etiam facit Deus. Quando ejus quidem iram neglexerimus, eam infert vehementiorem: quando autem eam curamus, mitiorem. imò verò ne postea quidem infert. Vult nos ipsos à nobis exigere pœnas peccatorum ipse autē de cætero à nobis non amplius exigit. Propterea enim nobis minatur supplicium, ut metu tollat contemptum. Quando autem ex solis minis pertinuerimus, non sinit ut ejus reipsa faciamus periculum. *Homilia* 8. *ad Corinthios* 1.

S. *Isidorus Pelusiota :* Commodè quidem atque opportunè, ea, quæ scripsisti, abs te adversus eos dicerentur, qui tibi contumeliā intulerunt, nisi ipsi sese peccasse confiterentur. Confitentibus autem ipsis, intempestiva jam harum rerum memoria est : quippe quæ jam temporis ope atque auxilio destituta sit. *lib.* 3. *Epist.* 232.

¶ LATINORUM.

Egesippus : Ego tuum furorem armavi, ego hæc universa, deliramento quodam senectutis initia impressi. agnosco dementis ætatis imprudentiam. confessione levemus pudorem, quoniam negando peccatum exuere non possumus. *capite* 22. *libri quinti de excidio Hierosolymitano.*

Chrysologus : Est nobis dura, & deflenda conditio: peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confusio cognata peccatis. malum enim facere pudor non est confiteri : timemus dicere, quod committere non timemus. *Sermone* 34. *pr.*

Ennodius : Numquid argumentis opus est, ubi factum suum propria voce veritas testatur? *fine Dictionis* 23.

Ennodius : Nemo de se confesso, justè credere possit crimen alienum. *lib.* 1. *Epist.* 4. *a. m.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Libanius : Nemo eorum qui peccarunt culpam agnoscit. quin potius modis omnibus verum pervertunt; pariter agentes, ut tum ex scelere plus commodi ferant : tum ex infitiatione probi frugique habeantur. *Declamatione Menelai.*

Libanius : Agamemnon Nestoris obsignavit sententiam, suamq; in te petulantiam in senatu criminatus, non id tantum existimavit ad patrocinium sufficere: idq; cum sciret contumelia vexatos mediocre sæpius remedium censuisse, ejus qui peccavit confessionem: tum potissimum, cùm angustior dignitate fuerit. omnium autem dignitatū maxima est imperatoria. Ettamen non satis fuit Agamemnoni hoc solum pacto te honorare: se tuas prætèrea januas legatione frequentavit, concessis septem urbibus uberrimæ felicitatis, item oblata filia, cum dote maxima. *Orat Patrocli ad Achillē de reconciliatione.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior : Ne ipsos quidem accusatores negaturos esse confido, ipsius voce, ipsius lingua esse dictum, Ego te, pater, occidi. & non semel dictum, ne casus videretur. At enim confessio habenda nō est, nisi quæ à sano proficiscitur. Non video cur ad hanc interpretationem deducatur vis istius verbi, quod lege comprehensum est. Ego enim confessionem existimo, qualemcunque contra se pronuntiationem: nec me scrutari lex jubet, qua quis causa confessus sit. Immo ea natura est omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur. Furore impulsus est : alius ebrietate, alius errore, alius dolore, quidam quæstione. Nemo contra se dicit, nisi aliquo cogente. Quod enim genus confessionis exigitis? ut aliquis securus, quieta mente, nullo adigente dicat, Ego patrem occidi. Atque ipsum verbū videtur habere vim coactæ veritatis. quid ergo aliud intueri debes, quàm vocem? Si semel hoc audissem, lextamen me jam appellaret : sæpius dixit : in eadem voce perseveravit. Viderimus an in aliis partibus demens fuerit. Hic tanquam sanus perseveravit. De confesso ergo sumpsi supplicium : atque ad me non pertinet, an is qui confessus est, nocens fuerit. Fingite enim esse aliquem, qui aliquo modo confessus sit, hunc à magistratu occisum : postea apparuisse aliquo casu falsum fuisse quod dixisset : num agi cum magistratu potest. Lex quæ confessum puniri jubet, sententiā ipsi reliquit. *Dec.* 3 4 *pr.*

Calpurnius Flaccus : Confessio voluntaria suspecta est. confessionem sceleris appellas, vocem doloris. Misericordiæ judicum maximum munus est, servare nolentem. *Controversia* 41.

Plinius Iunior : Valerius Licinianus, confessus est quidem incestum; sed incertum utrum quia verum erat; an quia graviora metuebat si negasset fremebat enim Domitianus, æstuabatq; ingenti invidia destitutus, &c. Arripit ergo Licinianū, quod in agris suis occultasset Corneliæ libertam. ille ab iis quibus erat curæ, præmonetur, si comitium & virgas pati nollet, ad confessionem fugeret quasi ad veniam. fecit. locutus est pro absente Sepecio; atque, ex advocato air, nuncius factus sum: recessit Licinianus. Gratū hoc Domitiano, adeo quidem ut gaudio proderetur, diceretque, Absolvit nos Licinianus : adjecit etiam, non esse verecundiæ ejus instandum: permisitq; si qua posset, ex rebus suis raperet, antequam bona publicarentur; exilium-que molle, veluti præmium, dedit. *lib.* 4. *Epist.* 11.

Symmachus : Dignum est, ut hæc ipsa apud te culpæ confessio prosit ad veniæ facilitatem. *lib.* 3 *Epist.* 11.

¶ POETARUM.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 5 de calam. suis.

Ἡ πάχα καὶ κρύψειν ἁμαρτίδα μῦθος ἄνανδος.
Crimina namq; tegit, tacita qui voce fatetur.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Χρῄζων δὴ παθέεσσιν ἀκέστορος, ἢ κακὰ κεύθης.
Οὔ ποτε σηπεδόνα φεύξεαι ἀγναλέω.
Cum medicum poscant tua vulnera, si tegis illa,
Pestiferam saniem nil prohibere queat.

¶ APOPH-

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iithro : Lætatus super omnibus illis beneficiis quibus affecerat Jehova Jsraelem nuper eductum ex Ægypto, dixit ad Mosem generum suum, Nunc agnosco magnum esse Jehovam præ omnibus : nam ea ipsa re qua superbiunt, superior illis est. *Exod. 18. 11.*

Aaron : Quum Maria & Aaron oblocuti essent contra Mosen, & Maria fuisset percussa à Domino, Aaron culpam deprecatus, confessionem edidit, dicens Mosi, Attende ad me Domine mi, ne quæso imponas nobis peccati pœnam, quo stultè egimus, & quo peccavimus. *Numer. 12. 11.*

Israelitæ : Propter murmura adversus Deum & Mosen, immisit Jehova in Jsraeliticum populum serpentes adurentes qui morderent populum, qui veniens ad Mosem dixerunt, Peccavimus quòd locuti sumus contra Jehovam & contra te : ora Jehovam ut amoveat à nobis hos serpentes, &c. *Numer.* 21. 7. Vide alias confessiones Jsraelitarum, Judicorum 2. 4. & 10. 15. 16. & 1. Samuel. 7. 6. & 12. 19. & 2. Chronic. 12. 6. Privatas item confessiones *filiorum Iacobi*, Genes. 42. 21. & *Saulis*, 1. Samuel. 15. 24. & 26. 21. & *Davidis* 2. Samuel. 12. 13. & 1. Chronic. 21. 8. 17. & *Ionæ*, 1. Jon. 12. & *Publicani*, Luc. 18. 13. & *Zachei*, Luc. 19. 8. & *Latronis*, Luc. 23. 41. & *Iudeorum*, Actorum, 2. 32. & *Pauli*, 1. Corinth. 15. 9. & 1. Timoth 13. 15.

Iob : Ab amicis exagitatus, infirmitatem suam, justitiam verò & potentiam Dei confitetur ac reverenter agnoscit, dicens, Qui justus esset mortalis, comparatus cum Deo forti. Si volet litigare cum eo, non poterit respondere ei ad unum ex mille. Est sapiens animo, & fortis viribus : quis obdurans animum adversus eum prosperitate utitur ? *Iob.* 9. 2. 3. 4.

D. Petrus Apostolus : Quum Jesus Christus Dominus noster quæsivisset à discipulis suis, Quem me dicitis esse, respondens Petrus dixit, Tu es Christus filius ille Dei viventis. *Matth.* 16. 15. 16. Alia vice, cum multi discipuli pedem retulissent, nec amplius cum Christo versarentur, dixit duodecim illis, Num & vos vultis abire ? At respondens Simon Petrus dixit ei, Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & novimus te esse Christum illum Filium Dei viventis. *Ioann.* 6. 67. 68. 69.

Martha soror Mariæ : Jesus ad Lazarum mortuum excitandum accedens, quum Marthæ dixisset Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : & quisquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum : credis hoc ? ait illi, Etiam Domine, Ego credo te esse Christum filium Dei, qui in mundum venturus erat. *Ioann.* 11. 24. 25. 26. 27.

Eunuchus Æthiops : Quum cuperet à Philippo baptizari, dixit Philippus, si credis ex toto corde, licet : respondens ille, dixit, Credo Filium Dei esse Jesum Christum. *Actor.* 8. 37.

Chrysostomus : De Confessione ad Deum hæc dicit, 1. Dum tempus nos sinit præveniamus Dei faciem confessione, ut mitem & placidum ipsum tunc videamus, & minaces illos Angelos effugiamus. 2. Non tam noxium est certando vulnerari, quam vulnus inflictum negligere & desperare. Ne desperes igitur, nec à precibus desistas : sed peccator cùm sis, accede, ut glorifices Dominum tuum, & occasionem ei præbeas declarandi nativam benignitatem suam in scelerum tuorum remissione. Nam si dubites accedere, bonitatem ejus impedivisti, & benignitatem quantum in te est prohibuisti. 3. Peccatum si confiteare minues : secus, augebis.

4. Peccata tua dicito, ut deleas illa : si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua. Non dico ut confitearis servo tuo qui exprobret : dicito Deo qui curat ea. Peccata tua super stratum confitere, ut ibi sua mala quotidie conscientia tua recognoscat. 5. Neque necessarium est præsentibus testibus confiteri : cogitatione tua fiat delictorum exquisitio : sine teste sit hoc judicium : solus Deus te confitentem videat. 6. Non te in conservorum tuorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo : repete coram Deo conscientiam tuam & explica. Ostende Domino præstantissimo medico tua vulnera, & pete ab eo medicamentum. Ostende ei qui nihil exprobrat, sed humanissime curat.

7. Certè, ne homini dixeris, ne tibi opprobret, neque enim conservo est confitendum, qui in publicum proferat : sed Domino (qui tui curam gerit, & qui humanus est, & medicus) ostende vulnera. Postea Deum ita loquentem inducit, Non coge te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. mihi soli dic peccatum privatum, ut sanem ulcus. *Hæc Chrisostomus apud Anton. Serm. de pœnitent. & confess. homil. 2. in Psalm. 50. Serm de Pœnit. & confess. homil. de incomprehensibili natura Dei. homil. de Lazaro.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus : Confessionis, quæ animarum salus, vitiorum dissipatrix, oppugnatrix dæmonum ab Augustino non immeritò appellatur, utilitatem ac ineffabilem necessitatem prosequamur, quam uti Dominus ac Salvator noster Sacramentorum novæ Legis auctor instituit : ita etiam pluribus locis commendavit. & Petro siquidem, post insignem illam confessionem : *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis : & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quid enim per claves, nisi scientia discernendi inter lepram & lepram insinuatur ? Quid per ligare & solvere, nisi sententiæ, post causæ cognitionem, prolatio ? Hoc ipsum & alio loco verbisque post resurrectionem, in discipulos insufflans, dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta sunt. Matth. capite* 16. *& Ioan.* 20.

S. *Antonius :* Eamdem confessionis necessitatem, atque utilitatem, confirmavit iste. *Magnam enim esse*, dicebat, *ad virtutem viam ; si singuli vel observarent quod gererent, vel universas mentis cogitationes fratribus referrent.* Videbat certè ægrè peccatum committi, quod alijs debet manifestari, & quasi cum pudore proferri. *Athan. in vita ejusd.*

D. Ludovicus Franc. R. Et hic in id unum incumbebat potissimùm, ut filium natu maximum, hac Confessionis virtute imbuerer. Cui etiam moriturus, inter cetera salutis monita dicebat : *Elige tibi Confessorem, & idoneum, & probum : qui sapienter quid agere, quid fugere debeas, edoceat.* O nimis disparem hujus Principis à nostri ævi plerisque Magnatibus animum ! *Ionuil. in vit.*

Claudius Viexemontius.

Vide Jocose dicta.

Christophorus arcis Diensis Praefectus.

Require Apoph. de Salute eius& cura.

¶ Monosticha Trochaica.

Non meretur ille pœnam qui merere se putat.
Qui peccasse se fatetur supplicij satis luit.
Qui se victum confitetur, victus animo & corpore est.
Sapius confert saluti noxia confessio.
Sanitatis indicium est sua confiteri vitia.

¶ Jambica.

Confessio suspectior spontanea est.
Malefacere non pudet, faterier pudet.
Medicina vitij eximia est, confessio.
Meruisse mortem, confiteri pudet.
Non est, nisi qua sit à sano confessio.
Probationem res confessa respuunt.
Sapè impetravit veniam confessus reus.

Videantur plura titulo, *Veniæ, Supplicij, Pœnitentiæ, Contritionis, Obstinati.*

Confidentiæ.

¶ Sententiæ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 207.

Mulier es ; audacter juras. A. quæ non deliquit, decet.
Audacem esse, confidenter pro se & proterve loqui.

Plautus captivis 3. sc. 5. v. 7.

At ut confidenter mihi contra astitit !
Decet innocentem servum atque innoxium.
Confidentem esse, suum apud herum potissimum.

¶ Emblematum.

Batilius. xviii.

Quibus rebus confidimus, iis maximè evertimur.

Dum Milo jam senior vesano pectore vires
Concipit integras, Herculeasque pares,
Et manibus robur diducere fissile tentat,
Ecce manus captas inde referre nequit ;
Sicque miser sortem destens fluidosque lacertos,
Pendet inhumanis præda futura lupis.
Quid non mortales audax fiducia cogit ?
Et tandem cui non exitiosa venit ?

Camerarius lv. Centur 4.

Simul ante retróque.

Ne tibi confidas nimium, ne cepta ferantur
Mox tua, retrogradus cancer ut ire solet.

¶ Monosticha Trochaica.

Confidentius nil illo, qui ipsa quæ vides negat.
Nihil hoc confidentius, qui quæ vides ea pernegat.
Quam cauta est formido tam est in cauta confidentia.
Sapius facit pejorem causam confidentia.
Transit omne crimen qui vult confidentem fallere.

¶ Jamb ica.

Confidit imperitus, doctus pratimet.
Incauta semper nimia confidentia est.
Nemo opprimitur celerius, quam qui nil timet.
Nimia exitu infelice confidentia est.
Obnoxia est dolo audax confidentia.
Quam sape portu fracta navis in suo est.
Vidi ego Dijs fretos sape multos decipi.

Conjecturæ.

¶ SENTENTIÆ.

SIsidorus Pelusiota, *de Iosepho*: Sed neque calumniis gravatus accusavit, neque in custodiam conjectus imperio sibi in illos qui inibi concluſi detinebantur commisso, superbivit, & alios conculcavit; sed potius, quantum in se erat, ipsorum onus mæroris allevavit, procul dubio, quòd ipse injustè eò conjectus esset, ex suis eventis conjecturam faciens etiam de ipsorum casibus. Solent enim plerique omnes mortales ex suis rebus atque eventis, de aliis quoq; sententiam ferre: inq; primis id fecit ipse, qui ubique præclara virtutis specimina dedit, & tanquam aurum in igne exploratus probatusque fuit, suæque æquitatis animi indicia satis manifesta præbuit. *lib. 4. Epist. 79.*

Aristides Rhetor: Omnes qui conjecturis utuntur, ratione utique utentes coniiciunt: neque enim sine ratione quisquam potest coniicere; cùm ratio potius conjecturam efficiat. itaque qui ad ea quæ longe cernuntur collimant, ij natura duce, ni fallor, collimant, & hac utuntur ratione, ac veluti scopo. quamobrem qui aberrant, ij prorsus non collimant, verùm omnino contra faciunt: nam collimare est rem attingere, itaque non qui collimat, aberrat, sed qui aberravit, non collimavit: & merito: nemo enim dum ratione utitur errat, verum errat, simul ac rationem omisit, hinc prudentissimi & maxime rationis compotes optime coniiciunt. *Oratione 1. Platonica.*

¶ Apologi.

Æsopi Leo & Taurus: Leo grandiori insidiatus Tauro, devorare voluit: ideo ovem demortuam aiens, ad epulum invitavit, accumbentem eum expugnaturus, ille accedens, vidensque lebetes & verricula plura, ovem autem nequaquam, tacitus discessit. Accusanti Leoni caussamque sciscitanti, quid gravius passus, præter rationem discederet? respondit, non frustra id facio: apparatum enim video, non ad ovem sed ad Taurum.

Videantur plura titulo *Opinionis, Suspicionis, Interpretationis.*

Conjugii.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORVM.

Adam Protoplastus: Quum formavisset Jehova Deus è terra omnes bestias agri & omnia volatilia cœli, & adduxisset ad Adamum ut videret quod nomen cuique inderet, indidissétque Adam nomina omnibus iumentis & volatilibus cœli, & omnibus bestiis agri, Adamo non invenit auxilium accommodum. Quapropter injecit soporem altum in Adamum, ita ut obdormierit, & desumpta una è costis ejus, incluſit carnem pro illa. Costam autem illam, quam desumpserat Jehova Deus ex Adamo, extruxit Deus in mulierem quam adduxit ad Adamum. Tunc dixit Adam, *Hac vice hæc est os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hæc vocabitur Vira eo quod ex Viro desumpta est. Idcirco relinquet Vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit Vxori suæ, eruntque in carnem unam.* Genes. 2. 19. 20. 21. &c.

Abrahamus Patriarcha: Abrahamus factus senex edixit servo suo primario, Pone nunc manum tuam sub femore meo: ut jurejurando obstringam te per Jehovam Deum cœli, Deúmque terræ, te non acceptarum uxorem filio meo ex filiabus Cenahanæi populi, inter quem habito. Sed te ad regionem meam & ad cognationem meam profecturum, & accepturum uxorem filio meo Isaaco. Dicenti autem ad eum servo illi, Fortassis nolet mulier illa sequi te tum insons eris ab adjuratione mea hac: modo filium meum ne reducas illuc. Ponens itaque servus ille manum sub femore Abrahami Domini sui, juravit ei super hac re. *Genes. 24. 1. 2. 3.* &c.

Salomon: De Conjugio loquens id honorifico nomine insignit, vocans *Pactum Dei, Proverb. 2. 17.*

Secanias: Esras de affinitate Israelitarum cum exteris certior factus, luget, jejunat, & Deum sedulò pro omnibus publicè deprecatur. Postquam autem totus populus cum eo fleret permulto fletu, locutus Secanias filius Jechielis è posteris Helami dixit Esræ, *Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, quòd consociavimus domo uxores alienigenas è populis terræ: sed nunc est spes Israeli super hoc.* Nunc ergo pangamus fœdus cum Deo nostro, ejiciendo omnes uxores & natos ex eis, ex consilio Domini & eorum qui trepidant ad præceptum Dei nostri. Denique secundum legem efficitor. Soluta sunt deinde illicita hæc conjugia. Esras enim dixit ad Israelitas qui ea in re peccaverant, *Vos prævaricati estis, quòd consociastis domo uxores alienigenas, superaddentes reatui Israelis. Nunc ergo edite confessionem Iehova Deo majorum vestrorum, facientes voluntatem ejus, & separate vos à populis istius terræ, & ab uxoribus alienigenis.* Cui respondentes tota illa congregatio, dixerunt voce magna, Secundum verbum tuum, sic nostrum est facere. *Vide Esra cap.* 10.

Nehemias: Videns Judæos consociasse sibi fœminas alienigenas, & filios eorum non loqui Judaicè, sed lingua Pelischtæorum, Ammonitarum, &c. contendit cum eis, maledicens eis, percutiens aliquos (magistratum enim gerebat tunc, constitutus urbi præfectus) & jurejurando obstrinxit eos per Deum, dicens, Dira imprecamini vobis, si dederitis filias vestras filiis illorum, aut si assumpseritis filias vestris aut vobis de filiabus illorum. An non cum istis peccavit Salomon rex Israelis, quamvis in gentibus multis non fuerit rex par ei, & dilectus Deo suo esset, adeo ut constituerit eum Deus regem super totum Israelem? etiam ipsum ad peccandum induxerunt fœminæ alienigenæ. Et vobis an auscultabimus, faciendo totum malum maximum istud: Prævaricando contra Deum nostrum, ut habitatione consocietis fœminas alienigenas? *Nehem. 13. 25.* &c.

Christus & Paulus Apostolus: Dominus noster dignitatem conjugij à Deo iustituti adversus Phariſæorum corruptelas asserens, dicit, Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una, *Matth. 19 5.*

Apostolus: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori maritus debitum reddat, similiter autem & uxor marito: uxor sui corporis potestatem non habet, sed maritus. Similiter autem & maritus sui corporis potestatem non habet, sed uxor. 1. *Corinth. 7. 2. 4.* Perstringit impostores Satanæ ministros, qui à conjugio pios arcent, 1. *Timoth. 4. 3.* Honorabile est conjugium inter omnes. Fornicatores autem & adulteros judicabit Deus. *Heb. 13. 4.*

Paphnutius: Quibusdam Episcopis Niceæ congregatis cùm visum esset legem introducere, quæ juberet, ut episcopi, presbyteri, diaconi & subdiaconi, cum uxoribus quas ante duxissent quàm essent sacris initiati, neutiquam dormirent, Paphnutius confessor in medio consessus surgens illi legi contradixit nuptiásque honorabiles, & consuetudinem virorum cum suis uxoribus continentiam vocavit. Postremò concilium hortatus est, ut talem legem minimè promulgaret. Nam rem esse ad ferendum difficilem: & fortassè causam illorum uxoribus fore, ut non satis castè vitam traducerent. Ac veterem Ecclesiæ traditionem esse, ut qui cœlibes gradum sacerdotalem consecuti fuissent, postea minimè uxores ducerent: qui autem post nuptias ad eum ordinem vocati essent, hi ab uxoribus quas habebant, minimè separarentur. Atque ista quidem, licet conjugij expers, suasit Paphnutius. Cujus sententiam approbavit concilium, & de hac re nullam legem tulit: sed eam in cujusque arbitrio, non in necessitate poni voluit. *Sozom. eccles. hist. lib. 1. cap. 22. Vide Socratem, hist. eccles. lib. 1. cap. 8.*

Synesius: Omnibus (inquit) prædico, testatúmque esse volo, me propter presbyteri seu episcopi munus uxorem meam minimè deserere velle, neque cum illa veluti mœchum clandestinam consuetudinem habiturum. Alterum enim minimè pium, alterum minimè legitimum est. *Niceph. eccles. hist. lib. 14. cap. 55.*

Gregorius Turonensis: Gregorius Turonensis mulierem quandam nomine Bertegundam monachismum amplexam marito reddidit. Ea persuasa ab Ingeltrudi matre, cum marito ad monasterium, quod mater instituerat, perveniens, maritum redire ad liberos jusserat, dicens: Non videbit regnum Dei conjugio copulatus: Gregorius verò re cognita, monasterium accessit, & legit Nicenum Canonem: *Si quis reliquerit virum & thorum, in quo bene vixit, spreverit* (dicens, Quia non sit ei portio in illa cœlestis regni gloria, qui fuerit conjugio copulatus) *anathema sit.* & hoc modo persuasit Bertegundæ, ut ad maritum rediret. *Gregor. Turonens. hist. lib. 9. cap. 3. 4.* Potuit etiam legere Canones Apostolorum Petri & Pauli, 1. *Pet. 3. 1.* & 1. *Timoth. 4. 1.* & *Hebr. 13. 4.* &c.

Pius secundus, Pontifex: Dicere solebat *uxores Sacerdotibus majori ratione posse restitui, quàm ademta fuissent.* Intelligebat enim sublatis uxoribus, minimè actum esse, ut non sacerdotum permulti in ea inciderent mala propter quæ uxores fuerant ademtæ, sed longè quoque ab eis quotidie deterius agi. *Fulgosius lib. 7. cap. 2.*

Anonyma: Mediolanensis matrona, quum maritum suum, Marfidium nomine, tenerrimè diligeret, & amator quidam rem ab ea turpem contenderet, idque per vitam & salutem Marfidij: Atqui Marfidius, inquit illa, mallet mori centies, quàm id semelà me committi. Quòd verò per salutem illius à me requiris, ab ipso idem petito. *Lud. Vives. lib. 2. de fœmina Christiana.*

Io. Colesus Anglus: Is, vir doctissimus & innocentissimus, dicere solebat, se nusquam reperire minus corruptos mores quàm inter conjugatos: quòd hos & affectus natura, & liberorum cura ac res familiaris, veluti cancellis quibusdam ita distringeret, ut non possit in omne genus flagitij prolabi. Proinde etiam curæ colegij, quod Londini maximis sumptibus puero Jesu sacrum extruit, non sacerdotes, non episcopos, sed cives aliquot conjugatos præfecit. *Erasmus Roterodamus in ejus vita.*

Ioannis Britanniæ Ducis filius: Is cùm pater in matrimonium tradere destinasset Isabellæ Scotorũ Regis filiæ, rogat, qualis futura sibi uxor esset. Cui pater: Prudẽs est admodũ & decẽti corporis forma: quæ, ut nostri sanguinis generisq; fiat particeps, digna est: verũ omni eloquendi venere caret. *Talẽ*, inquit filius, *optavi semper. nam satis multũ prudentiæ mulieri inesse existimo verùm si norit dignoscere inter*

inter thoracem & indusium mariti sui. quasi dicat: Quæ novit se moribus mariti accommodare, & malos dissimulare, bonos imitari. *Corozetus de Dict. Fact. memor.*

Thomas Morus: Hic duas uxores successivè habuit, & utramq; admodum parvæ staturæ. Rogatus, cur tam exiguas duceret; illud Democriti respondit: *Quia ex duobus malis, minus putavi eligendum. Tho. Staplet. in vita ejusd. cap. 13.*

EUGENIA PHILIPPI FILIA.

Vide VIR BONUS.

Vide etiam plura in Apophth. de MATRIMONIO, MARITO, & VXORE.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemate XXX.

Iugo repanda colla servilis effere.
Exuere molliter paras taure irrita.
Serò recusat, qui capessit, jugum
Connubiumque, munera & civilia.

Batillius. CLXXII.
Conjugalis amor.

Palmarum hinc illinc pontis ceu fornice ducto
Amnem intermedium fœmina masque tegunt,
Vltro dum oppositos mas inde, hinc fœmina ramos
Curvantes sibi se consociare petunt,
Ire & in amplexus, exoptatosque hymæneos,
Quà frondosi oculi sunt in amore duces.
Mirus amor: miris mira, & mirus amoris
Sensus: miri oculi, miri in amore duces.
Iam mihi non aliæ firment connubia flammæ,
Præferat his omen non aliunde puer.
Pronuba jam castos palma una accendat odores,
Cedat & ipsa suas spinea tæda faces.

Batillius CLXXIII.
Conjugium.

Frena pati discunt, agitante Cupidine currus,
Iuncti uno pariter fœmina virque jugo.
Queis studium atque eadem cura est, idem ardor amoris.
Comparis exæquat munia quisque sui.

Camerarius LXXVI. Centuriæ 2.
Pendet ab illa.

Cum lunâ Caniceps visum perdita, capitq;
Sunt & conjugibus mutua fata bonis.

Camerarius LVII. Centuriæ 3.
Concordes vivite. Cornices.

Iuncta pudicitia si sit concordia, sancto
Conjugio haud quicquam dignius orbis habet.

Camerarius LX. Centur. 3.
Sit sine labe fides.

Conjugij servant socialia jura columbæ,
Et grata est superis sancta in amore fides.

Camerarius LXIII. Centur. 3.
Conjunctio fida.

Castæ persistunt æterno in amore columbæ,
Quo sint humani regula conjugij.

Camerarius XXI. Centuriæ 4.
Animus non omnibus idem.

Isti intrare volunt, ast hi perrumpere nassam,
Multi & cum Scombris desipiunt pariter.

Camerarius XXXIII. Centur. 4.
Contentus conjuge sola.

Conjuge contentus laudatur Cantharus una,
Masculus & totum fœmina conjugium.

Camerarius LXXXIX. Centuria 4.
Amphisbæna, capite uno amputato.
Nec Mors, nec justa relicta.

Parte mei supera, pars est mihi dempta, vel ergo
Cum cara præstat conjuge posse mori.

Jac. Catsius Amatorio Emblemate IV.
Quod non noris, non ames.

Vix dederat terris ignem, sua furta Prometheus,
Pan furit, & flammis oscula ferre parat.
Quantus, ait, nitor hic (nondum cognoverat ignem)
Et ruit, & læsas vix trahit inde manus.
Stulte puer blandis qui lumine captus ocelli
Nil, nisi quanta dabis basia, corde moves.
Dum quid ames videas, properatas differ amores:
Heu! scelerata Venus, cùm celerata venit.

Catsius Emblemate Ethico XXII.
Corpora communia, non nummi.

Per latices, Neptune, tuus diffunditur amnis,
Cui remanet totus qui fuit ante color.
Mixta nec unda mari, mare nec miscetur in undis
Fluminis, & proprius piscis utriq; manet.
Heus ubi sancta fides? ubi dulcia fœdera lecti?
Vtraq; sepositas arcta reservat opes.
Corpora sunt nobis communia lege jugali:
Cùm mihi te dederis, cur tua Phylli, negas?

Catsius Emblemate nuptiali II.
Infectum petitur, piget peracti.

Nassa tori vinclis, & squamea turba juventæ,
Si memini, prisci assimilata fuit.
Libera vimineos gens certat inire recessus;
Capta parat toto corpore nixa fugam.
Conjugium votis nova virginis expetit ætas,
Inque thorum pueri prima libidoruit.
Vix tamen illa viri gremio calet, ille puellæ,
Cùm piget, & vacuos optat uterq; lares.

Catsius Emblemate nuptiali XXXVI.
Cascus Cascam.

Nube gravi, mea Phylli viro cui mascula virtus.
Mente Dionæos expulit ante jocos.
Nube viro, cui dia Themis, cui ridet Apollo:
Ille tibi vitæ per vada pandet iter.
Nam si forte rudi, rudis ipsa, jugere marito,
Qui thalami subeat munia neuter erit.
Iunge duas utcunque voles sine lumine tædas,
Semper erit picea nocte sepulta domus.

Catsius Emblemate nuptiali XXXVII.
Id curat quod pondus habet.

Tu ne sophum torvaque aliquem de stirpe Catonis
In tenera cupias virginis ire sinus?
Tu ne virum que luce forum quem nocte libelli
Sollicitant, thalamo posse vacare putas.
Dum volet ille suis defendere jura clientis,
Iura tori nullus qui tueatur erit?
Ingenium magnetis habet Toga, ponderarerum
Attrahit, & faciles nescit amare jocos.
Iura tori, non jura fori mihi discat amator:
Non ego solliciti tangor amore viri.
Hunc volo qui facilis, qui nil nisi basia doctus;
Hunc volo cui nostro nil sit amore prius.

Catsius Emblemate nuptiali XXXIX.
Stultos dolor urget amantes.

Dum Cephalus nimio rutila facis ardet amore,
Luminaque in caro lumine fixa tenet;
Non piscatores, humilis non rostra carina,
Non acui cultros in sua damna videt.
Dum Domina frontem, dum sideris instar ocellos
Respicit insano captus amore puer;
Aut humeros barbamq; sui miratur amantis,
Aut levibus gaudet stulta puella jocis,
Omne latet vitium, nihil ulteriora morantur;
Solaque si liceat, basia ferre, satest.
Cùm Venus in sanos tentigine jungit amantes,
Separat infaustum sæva Megara torum.

Catsius Emblemate nuptiali XLI.
Malè juncta fatiscunt.

Si quatui tibi cura, sene in nube, puella;
Ne jaceas viduo frigida nupta toro.
Si qua tibi veniet, veniet tibi postuma proles;
Cui que negat cari mors genitoris opem.
Aut, si forte patri numerosior extitit heres,
Garrula quod de te fama loquatur habet.
Labitur interea teneri tibi flosculus ævi,
Dumque gemis, vitæ pars melioris abit.
Cur hedera animosam complexibus implicat ulmum?
Va misera! perit hæc cùm magis illa viret.
Illa quidem ramos abit ambitiosa per omnes.
Arbor at, heu! siccis stat miseranda comis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Apagesis, quantum negocij muliere est in unicâ!
Civitatibus se immiscent conjugum bona ac mala.
Conjugem pauciſſimi, omnes eligunt pecuniam.
Conjugem qui quærit, quærit firmamentum familiæ.
Conjuges cui plurimæ sunt, omnes sunt vilissimæ.
Conjugis mores futuræ præferas pecunijs.
Conjugis probrum, marito summam demit gloriæ.
Conjugum delicta demum discimus post nuptias.
Conjugum divina vita est, nolle queis & velle idem est.
Constitit plerisque magno habuisse conjuges Deas.
Dedecus subit postremum conjugem qui verberat.
Efferatior fera omni conjugi uxor est mala.

Eſſe quid poteſt jugali copula venuſtius?
Et Deus quoq; inter ingens numen eſt connubium.
Et marito dignitatis plurimum eſt à conjuge.
Fœminæ viriq; amores flagrantiſſimi omnium.
Index intimi eſt amoris conjugum accuſatio.
Invicem ſeſe anteponunt mutuo amantes conjuges.
Ius maritis eſt conjugem ut facere ipſe cogat quæ imperat.
Majus haud bonum eſt in orbe conjugum concordia.
More ſit ſuam mori conjugem quiſq; ut velit.
Mutuo pudore quod vis indiget connubium.
Nactus adem, aratoremq; conjugem quaras tibi.
Nil honeſtius quàm amari mutuo ſe conjuges.
Nocte non una creari quibat ingens Hercules.
Par pari jugator conjux: quidquid impar diſſidet.
Pellicem novæ maritæ non ferunt, ſtatim necant.
Proſperis dubijsque rebus; conjux ſumitur comes.
Quo de virginitate cunque dilexit conjux locum.
Semper obſervanda conjux ſit licet caſtiſſima.
Sortis omnis ſocietatem nubendo conjux init.
Sub jugo bos atque aſellus uno aratra ne trahant.
Vt membrorum vitia ferimus, ſic feras & conjugis.
Vt menſa ſocia atque lecti ſit tibi, duc conjugem.
Uxoris vitium aut tollendum eſt aut ferendum conjugi.

¶ Jambica.

Accedat & dignum patellæ operculum.
Acerbius nil uſquam eſt pugnâ conjugum.
Amor perennis conjugis caſta manet.
Amor pudica ſempiternus conjugis.
Bene conjugatur Mars Veneri, Marti Venus.
Conjux amatur fermè contra liberos.
Conjunx oculis malè ducitur, benè auribus.
Cui ducta conjux, usque & usque naufragat.
Et menſtruorum immunda conjux tempore eſt.
In deterius mulier viro uſque conſulat.
In ſervitutem pauperem ad ditem datur.
Magè animæ amanda copula eſt quam corporis.
Male audit ob delicta conjux comparis.
Non lucet usq; conjugum flamma; at calet.
Omne ſocrus animo oderunt uno nurus.
Opibus mariti conjugum ſuperbiunt.
Pecuniam plures ducunt quam conjugem.
Qui conjugem quærit bonam, bonam invenit.
Sollicita nupta eſt conjugi ut placeat ſuo.
Tranſit fere in mores maritus conjugis.
Vince obſequendo, conjux, immitem virum.
Vir naſcitur ſua ſolummodo conjugi.
Vitium aut ferendum aut eſt tollendum conjugis.
Vulganda fama, non & forma conjugis.

Coniurationis.

¶ Monosticha trochaica.

Absque proditore nulla longa conjuratio eſt.
Pluribus conſtet neceſſe eſt juſta conjuratio.
Plurium plerumq; ſeipſam prodit conſpiratio.
Proditionis maturatur conjuratio metu.
Vox in conjuratione prima difficillima.

¶ Jambica.

Aliud amicitia, aliud conjuratio eſt.
Proximis timeto rex, non exteris:
Conſilia ſpernit lenta conſpiratio.
Et proximorum eſt in ducem atrox factio eſt.
In principem ferè coit cognatio.
Spernit moram quamcumq; conſpiratio.

Conſcientiæ.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Clemens Alexandrinus: Omnis autem qui in certamine contendit, eſt continens in omnibus. Sed Domini eſt terra & plenitudo ejus. Propter conſcientiam ergo abſtinendum eſt ab iis, à quibus eſt abſtinendum: conſcientiam autem dico, non ſuam, eſt enim cognitione prædita, ſed alterius, ne male ædificetur per ignorationem, imitando id quod non cognoſcit, & pro magni & excelſi animi viro fiat contemptor. Cur enim mea libertas judicatur ab alia conſcientia? Si ego cum gratia participo, cur maledictis appetor pro eo pro quo gratias ago? Omnia ergo quæ facitis, in gloriam Dei facite, quæ ſcilicet à regula fidei permiſſum eſt facere. Corde quidem creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. *lib. Stromatum quarto.*

D. Chryſoſtomus: Nihil ſic nos ad bonorum ſpem comparat quam bona conſcientia. itaque illorum nullus qui vitam rectè atque ſanctè exegerunt de futuris diffidit. quemadmodum & pleroſque invenias ex eorum numero qui vita negligenter acta, malæ conſcientiæ ſtimulis fodiuntur, qui in animum inducunt ſuum, nullum eſſe nec judicium, nec retributionem. *Homilia 9. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Virtutem voluptatemque vel ante exitum cujuſq; ſuum expendamus; ita fiet, ut percipiamus vitium quidem magno dolore, virtutem autem magna adeò voluptate conſtare. Quid enim, quæſo, magis triſte, quid minùs lætum eſſe queat, vitæ malè actæ conſcientia? Quid rurſus minùs mœſtum, magis ſuave ſpe bona? Certè nihil ſic animos noſtros ferire, nihil ſic premere conſuevit, ut mala expectatio: rurſus nihil ſic illos ſuſtentare, erigere, ac veluti volatiles reddere, ut conſcientia bona. Atque hoc ſanè ab iis rebus, quæ in noſtrum hominum uſum cadunt, pernoſcere licet. Nam qui carcere clauſi tenentur, ſententiam contra ſe expectantes, ij ut deliciis infinitis ac voluptatibus interim perfruantur, majori ſanè cum animi mœſtitia victitant, quàm inopes ij, qui per urbium angiportus cùm mendicent, nullius tamen ſceleris ſibi conſcij ſunt? ſupplicij enim expectatio illos non ſinit præſentium voluptatum ſenſum capere. Et quid hèic de cuſtodiis loquor? cùm videamus ipſos etiam cerdones diurno nocturnoque labore vitam ſibi vel ægrè comparantes, longè meliore eſſe conditione, iis qui liberi ac divites cùm ſint, ſceleris tamen alicujus conſcientia ſolicitantur. Quamobrem gladiatores miſeros ducimus, ut eos etiam videas in cauponis ac popinis vino ſe obruere, voluptati operam dare, ventri deſervire, eoſdemque omnium infœliciſſimos hoc nomine dictitamus quòd voluptate illa multò uberior ſit ejus à quem expectant, exitus calamitas. Quæ ſi tamen illis vita ſuavis eſſe videtur: in mentem vobis veniat ſermonis ejus, quem ego aſſiduè apud vos uſurpare ſoleo: nihil mirum eſſe, ſi minùs fugiant vitioſitatis amaritudinem, mœſtitiamque in vitioſitate. Ecce enim, res eò uſque inamabilis, amabilis iis eſſe videtur, qui illam pertractant, ſed non propterea tamen illos beatos eſſe affirmamus. Verùm vel hoc ipſo infœlices pronunciamus, quòd neſciant ipſi, quibus quãtisque in malis verſentur miſeri. Jam quid de ſcortatoribus dicas? qui modicam ob voluptatem tantam ſervitutis turpitudinem, tantam pecuniarum ſuſtinent ſumptum, tum verò terrorem aſſiduum, breviter vitam Cain vivunt, ſeu verius dicam, illa etiam vita multò duriorem: hinc præſentia pertimeſcentes, illinc futura formidantes, & amicos, & inimicos, & conſcios, & minimè conſcios ſuſpectos habentes: à qua quidem ſolicitudine atque anxietate ne ſomnum quidem dum capiunt, eximuntur: ſomnia diverſis timoribus plena identidẽ illis alternante ac renovante conſcientia, ſicque illos territante. At non eadem eſt hominis caſtè temperateque viventis conditio, ut quĩ ociosa in libertate, libero in ocio vitam tranſigit. Opponito igitur parvæ illi voluptati magnos terrorum hujuſmodi fluctus, tum autem brevi continentiæ laborem, vitæ perpetuò duraturæ tranquillitatem: ac tum demum intelliges hanc illa eſſe longè ſuaviorem. Atque ut hinc exemplum deſumamus, qui rapere & alienis rebus manus iniicere inſtituit: huic, obſecro, nonne infiniti neceſſario labores ſunt perferendi, circumcurſanti, adulanti ſervos, liberos, ædituos territanti, miniſtanti, impudenter agenti, vigilanti, trementi, anxio, ſuſpecta habenti omnia? At non talis quidem eſt, cui pecuniæ contemptui ſunt, quin hic è diverſo magna fruitur voluptate, liber idem, atque rerum omnium ſecurus vitam agens. *Homilia 12. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Etſi te accuſaverint omnes; tu verò te ipſum non condemnaveris, neque ipſa conſcientia reprehenderit, beatus es itaq; ne modicum & exile tibi videatur iſtud propriæ conſcientiæ forum. *Homilia 26. ad Romanos.*

Chryſoſtomus Qui peccavit, etiamſi ad alium dirigas orationẽ, pũgitur excitata conſcientia & ipſũ flagellante. *Hom. 18. initio ad Cor.*

Chryſoſtomus: Quamvis innumeris calamitatibus afficiamur, atq; undiq; impetamur; nobis tamen ad conſolationẽ, nec ad conſolationẽ tantùm, ſed etiam ad coronam ſufficit conſcientia: quæ pura eſt, nobisq; hoc teſtificatur; nos non ſceleris ullius cauſa, ſed ob Dei voluntatem, ob virtutem, ob philoſophiam, ob multorum ſalutem hæc pati. Ac prior quidem illa conſolatio à Deo manabat: hæc autem ab ipſis, atq; à vitæ puritate colligebatur. *Homilia 3. ad Corinthios 2.*

Chryſoſtomus: Maxima virtus eſt, omnia Deo adſcribere, nihil ſuũ eſſe ducere, nihil ſuæ gloriæ cauſa facere, ſed ad Dei voluntatem perpetuò intentam oculorum aciem habere. Hic enim eſt, qui vitæ actæ rationes exacturus eſt. Nunc verò rei ordo inverſus eſt: atq; illũ quidem, qui pro tribunali ſeſſurus, ac rationes repetiturus eſt, non valdè metuimus; eos autem qui nobiſcum ſtabunt, ac judicium ſubituri ſunt, expaveſcimus. *Homilia 5. ad Corinthios 2.*

Chryſoſtomus: Ergo & in hoc ſeculo jam præſtantiſſima nutrimur ſpe. Nam is qui nihil ſibi mali conſcius eſt, plurimisq; virtutibus ornatus incedit, & hicjam lætus exultat, ac ſpei ſuæ fructibus paſcitur. Sicut è contra malus quiſq; ac reprobus, non in futuro tantum, verũ & in præſenti ſeculo cruciatur, dum metu perpetuo agitatur: & neminem aſpicere fidenter audet, dum tremit jugiter, pallet atq; anxius eſt. An vero nõ hujuſmodi ſunt etiam cupidi quiq;, ac fures, qui his quæ habent, fidere nequaquam poſſunt. Adulteri item atque homicidæ, nonne moleſtiſſimam vivunt vitam, qui Solem ipſum abſque metu atq; ſuſpicione non hauriunt? Hæccine igitur vita dicenda eſt? Minimè verò, ſed acerbiſſima mors. *Hom. 12. ad Timoth. 1.*

D. Chryſoſto-

Chryſoſtomus: Quamlibet quis ad vitiorum profunda corruerit, animi judicium nunquam corrumpitur, atque inviolabile perſtat. nullúsq; eſt qui dum malum operatur, bonum id eſſe putet, ſed occaſiones fugit & omnia facit. Cæterùm ille etiamſi verbis crimen fortaſſis diluat, conſcientiam tamen ipſe ſuam effugere nequaquam poterit. Nam hîc quidem & oratio arguta, & callida, & inconſtantia Principum, & aſſentatorum greges jus fortè obnubere queant: intrà conſcientiam verò nihil horum admitti poteſt. Non adulatores adſunt, non pecuniæ quæ judicia corrumpunt. Inſitum quippe nobis eſt à Deo naturale judicium. Id verò cùm à Deo collatum ſit, nihil ejuſmodi patitur, ſed ipſi quoque ſomni inquieti, & tetræ rerum imagines, & jugiter animum cædens mali memoria, quietem intercipit noſtram. *2. ad Timoth. Homil. 5.*

S. Iſidorus Peluſiota: Sin pallium, ut quorundam ſanctorum virorum ſupellectilem ſervaturus es, me quidem in ſummam mei diffidentiam conjicies, ut qui teſtimonio conſcientiæ meæ convincar. *lib. 1. Epiſt. 216.*

Idem: Parentibus lepris inſectorum, quod conſcii ſibi ſint, eam rem eſſe notam ſuæ, cui volentes indulgere, libi finis & luxuriæ, intolerabilem efficit cruciatum, dum vident extra caſtra ipſos conſiſtere coactos. *lib 4. Epiſt. 117. fine.*

¶ Theologorum Latinorum.

Salvianus: Plurimi nobiles, aut qui tales videri volunt ſuperbè & aſpernanter accipient, quod dixi, minus flagitioſos ſervos quàm dominos. Sed cùm hoc ego non de omnibus, ſed de his qui tales ſunt prædicaverim, nullus iraſci omninò debet, qui nequaquam ſe talem eſſe cognoſcit; ne hoc ipſo quod iraſcitur, de cœtu ipſorum eſſe videatur. *lib. 4. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Quis divitum, præter paucos, non cunctis criminibus infectus eſt? & quòd paucos excipio, utinam plures atque omnes excipi liceret. Salus erat omnium, innocentia plurimorum. Neque ego nunc de ullo dico, niſi de eo tantùm, qui in ſe id quod dico eſſe cognoſcit. Si enim extra conſcientiam ſuam ſunt quæcunque dico, nequaquam ad injuriam ejus ſpectant cuncta quæ dico. Si autem in ſe eſſe novit quæ loquor, non à mea ſibi hoc lingua dici æſtimet, ſed à conſcientia ſua. *lib. 4. de gubernatione Dei.*

Zeno: Lex hominis conſcientiam alloqui tantum poteſt, videre autem non poteſt. Fides conſcientiam medullitùs mundat, ne quid reatui, vel intrinſecus debeat. Qui enim conſcientiam ſuam non timet, is eſt qui Deum non timet. *ſermone de fide.*

Chryſologus: Ruit, deſtruitur, ſtare non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus. *ſermon 75. f.*

Ennodius: Non metuas preſſuram, qua gravantur inſtructi. Magis laudis habet jacens peritia, quàm culmina ruſticantum. Erigit doctos conſcientia ſua; & ſi quando incertis temporum flatibus opponuntur, ſuſtinent mala; quæ ſæculis magè ſunt adſcribenda quàm meritis. *Dictione 9. §. 2. f.*

Io. Saresberienſis: Nihil eſt quod imminentibus ſignis, ita totum concutiat hominem, ſicut mens ſibi conſcia iniquitatis, & quæ ſcelerum ſuorum pœnam, ad ſingula timet expoſci. Unde Ethicus:

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

E contra, Juſtus confidit ut Leo. Et illud: Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit. *cap. ultimo libri 1. Policratici.*

Io. Saresberienſis: Quamvis vitioſus, præpedicute malitia amicus eſſe non poſſit, & ſi non venerabilis, verendus tamen erit, qui conſcientia ſecretorum, conſcio terrorem poteſt incutere. *cap. 12. lib. 2. Policratici.*

¶ Philoſophorum Oratorúmque Græcorum.

Diogenes: Aſſeris, ut audio, nihil mirum quòd duplex pallium & peram ferimus: ego autem neutrum horum admiratione dignum planè confiteor, ſed bonum utrumque, cùm ſponte proficiſcitur. Siquidem non corpus duntaxat hac victus tenuitate uti oportet, ſed etiam unà animam. Neque multa promittenda ſunt, facienda autem quibus contenti ſumus. Sed vitæ verba conſentanea oſtendere, & quæ audeo facere, ea & teſtari decet. Fortaſſe Athenienſem populum aut Corinthiorum, iniquos teſtes me dicere ſuſpicaberis. meam dico animam, quam mea peccata latere minimè poſſunt. *Epiſt. 15. ad Antipatrum.*

Lyſias: Et quid tandem ipſum feciſſe putatis, in quibus nullum habuit ſibi conſcium, ſed ſolus omnia in manibus habuit: qui, in iis quæ aliorum auxilio geſſit, quæq; non difficulter reſciri & cognoſci poterant, mentiri non dubitavit, & nepotes ſuos viginti quatuor minis fraudare. *cap. 9. Orationis 33. contra Diogitonem.*

Epictetus: Si quando acciderit, ut foras prominceas, & alicui placere cupias, te de ſtatione tua dejectum eſſe ſcito. Quare in omnibus rebus illud tibi ſatis ſit, te eſſe philoſophum. Sin alicui etiam videri philoſophus cupis; tibi videre: id q; tibi ſatis eſto. *cap. 30 Enchiridij.*

Simplicius: Eo ſemper contentus eſto, quòd ſis philoſophus, hoc eſt, vir bonus. Sin eo non contentus, etiam elucere bonum tuum cupis (nam vera bona & pulchra celari nequeunt) quo magis credere poſſis te eſſe bonũ, ſi tua bonitas conſpiciatur: tum quoque, inquit, aciem tuam non in res externas & populum intendito, qui talium rerum judex eſſe nequit, ſed tibi ipſi te videri eſt ſatis. Cùm enim jam philoſopheris (cum eo enim ſermo habetur) ſimul & tuum inſtitutum tenebis, ad teipſum converſus, ſimúlq; teipſum tui ipſius judicem habebis populo potiorem. *ad cap. 30. Epict.*

Hierocles: Judicem adhibuit hominii æquiſſimum ſimul & commodiſſimum, conſcientiam nimirum recta, atq; rationem atq; etiã ſeipſum, cujus omniũ maximè pudere oportet. Quis enim ita alius alium, atq; ſe quiſq; commonefacere valeat? Quod enim ſui juris eſt, ſi naturæ libertate uratur, aliorum conſilia facilè reſpuit; cùm illis parére non ſtatuit. At non poteſt non audire ſe neceſſario quæ intus eſt ratiocinandi vis. Iſtam Deus eſſe voluit quæ noſtri curam gereret; iſtam ducem atque magiſtram: iſtam etiam nunc judicem diurnorum operum ratio efficit, & factũm ab ipſo judicium amplectitur, ut ipſa ſuum calculum adjiciat, quidnam in ſe vel laude vel reprehenſione dignum judicet. *cap. 40. Carm. Pythag.*

Philoſtratus: Ego virum ſapientem cenſeo, nihil privatim ſui cauſa facturum, neq; arbitraturum quidquam ita occultè fieri poſſe, ut ipſe ſaltem ſibi non adſit: & ſive Apollinis Pythii præceptum id fuerit, ſive ſapientis hominis cujuſdam ſeipſum probè cognoſcentis, & ob hoc ſententiam hanc de omnibus in communi proferentis, ſive alio quocunq; modo ſe res habeat, mihi ſapientis eſſe videtur ſe ipſum noſſe, & ſui ipſius mentem habere præſidem; neq; terrefieri ab iis quæ pleriq; timent, neq; rurſus audere quidquam aggredi eorum quæ cæteri abſq; rubore ullo verecundiaq; attentant. Qui enim tyrannis inſerviunt, ſibi etiam amiciſſimos prodere conantur, timẽtes ea quæ verè timenda non ſunt; quæ verò timere oporteret, non metuentes. Talia verò uti fiant, non concedit ſapientia; quæ, præter Pythium epigramma, Euripidis quoq; ſententia laudat; putantis cõſcientiã eſſe quæ homines puniat, cùm ſe malè operatos fuiſſe recogitant. Eadem. n. Furiarum pœnas appoſuit Oreſti, quando adverſus matrẽ inſaniit. Mens. n. agendarũ rerũ domina eſt; conſcientia verò quæ menti videntur. Quapropter ſi mens opera bona eligit facienda, conſcientia virum mittit ad omnia ſacra, per omnes vicos, per omnia Deorum templa, ad omnes hominum ſpecies; & plaudens canensq; ipſum ubiq; laudat; dormienti quoq; eidem aſſiſtens, præclarum chorum & ſomniorum domo illi circumponit. Sin ad aliqua delicta ſeditioſa mens prolabitur, non ſinit conſcientia talem hominẽ rectis oculis quemquã aſpicere; nec expeditè verba proferre; à ſacris quoque ac precibus votisque eundem arcet, neque manus ad ſimulachra Deorum attollere ſinit, & attollentem increpat ac rejicit, ſicuti leges contra rebelles fieri jubent; ab omni etiam hominum cœtu eundem exterminat, & dormientes terrefacit, & quæcunq; per diem fecerint, ea tanquam imagines audire aut dicere arbitrantur; & ea omnia ſimilia ſomniis vanáque conſcientia effieit. Debiles autem viſiones & phantaſticos terrores probabiles & verè timendos oſtendit. Hoc itaque pacto conſcientia me redarguet, ſive ad eos qui me agnoſcũt, ſive ad eos qui non cognoſcunt acceſſerim. *libr. 7. cap. 7. de Vitâ Apollonij.*

Heliodorus: Quamvis ſufficit fortaſſe nullius ſceleris ſibi conſcium, benevolentia numinis confidere; tamen honeſtum eſt, idipſum de ſe hominibus cum quibus verſaris, perſuadere, tranquillè vitam hanc quæ ad tempus tantum durat, tranſigere. *lib. 7. Æthiop.*

Heliodorus: Tu verò rex, fac hoc immundum quidem ſacrificii, verumtamen propter inveteratam conſuetudinem atq; Æthiopum inſtitutis confirmatam, inexcuſabile; ita tamen ut tibi expiatione poſtea ſit opus futurum. *lib. 10. Æthiop.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Omnibus, Judices, quibus ad ſcelerum conatus adjuvatur deteriorum quotidie fœcunda mortalitas, non hanc ſolam potentiam natura conceſſit, in quam malis mentibus & nocentium ducuntur ingeniis, ſed illis uſus ex animo eſt, totúmque quod faciunt, de conſcientia poſſidentis accipiunt. Quid enim ſi latronem gladio tantùm probes? Sic munimus & ſomnos. Excute peregrinantium ſinus, hærent tela ſolicitis. Non vetant iſta leges parare, pro piacere: nec inſtrumenta prohibent, ſed æſtimant uſus. *Decl. 17. §. 13 p.*

Quintilianus ſenior: Primum ſceleratis naturale eſt, alienam conſcientiam fugere; deindè ſi quærant, adjutores quærere. Quod autem adjutorium in puella eſſe potuit. *Declam 381. f.*

Petronius Arbiter: Dii Deæque! quàm malè eſt extra legem viventibus. quidquid meruerunt ſemper expectant.

Quintilianus: O triſtis recordatio! o tormentis omnibus conſcientia gravior! *Declam. 12. §. 38.*

Latinus Pacatus: Habet vires, habet neſcio quos internos mentis ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt. *cap. 43. Panegyrici Theodoſio Auguſto dicti.*

¶ Poetarum.

Plautus Moſtellar. 3. ſc. 1. v. 13.

—— *Heu quàm timeo miſer!*
Nihil eſt miſerius, quam animus hominis conſcius,
Sicut me habet.

Plautus Truculento 4. ſc. 3. v. 78.

Sed nimium pol opportunè eccè abs ſeſe egreditur foras.
Nã illa ſtimulum longum habet, quæ uſque illinc corpus git meum.

Phædrus præfat. lib. 3. Fabul.

Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Hunc excuſatum me velim nihilominus.

Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verùm ipſam vitam & mores hominum oſtendere.

Auſonius.

Quanam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

¶ Apologi.

De Judæo & Pincerna. *Anonymus.*

Fert Iudæus opes, ſed onus fert pectore majus,
Intus adurit eum cura, laborq; foris.
Ergo metu damni, ſibi munere regis amorem
Firmat, ut accepto produce tutus eat.
Regius hunc Pincerna regit, cor cujus adurit
Auri dira fames, qui parat enſe nefas.
Sylva patet, ſubeunt: Iudæus in ore ſequentis
Cor notat. ipſe ſequar, inquit, at ille negat.
Et gladium nudans nemo ſciet, inquit, obito:
Ille refert, ſcelus hoc iſta loquetur avis.
Proſilit à dumo Perdix: hanc judice ſignat.
Alter ait, ſcelus hoc iſta loquetur avis.
Et rapit enſe caput, & opes metit, & ſcrobe funus
Celat; agit celeres annus in orbe rotas.
Perdices domini cœnæ Pincerna miniſtrat,
Ridet, & à riſu vix vacat ipſe ſuo.
Rex audire cupit, hic differt dicere cauſam.
Fit locus, ambo ſedent: hic movet, ille refert.
Rex dolet, & læto mentitur gaudia vultu,
Regis concilium conſiliumq; ſedet.
Pincernam crucis eſſe reum ſententia prodit,
Crux punit meritum jure favente cruci.
Vt perimas quemquam, nullum tibi ſuadeat aurum:
Nam decus & vitam mœſta rapina rapit.

¶ Emblematum.

Batillius CCXIV.

Non eſt gravius ſupplicium, quàm mens ſibi malè conſcia.

Huic tún' invideas, hunc tu credás ne beatum,
Regum epulas inter purpureosq; toros,
Quem cervice ſuper pendens laquearibus enſis
Perpetuò terret ſollicitatq; metu.
Tot curarum æſtus, cui mens malè conſcia, ſecum,
Tot mala, tot mortes, inſidiasq; gerit.
Non juvat ora cibus, non mulcent pectora ſomni,
Et miſero ſemper cauſa timoris adeſt.

Camerarius I. XXXI. Centur. 2.

Malo mori, quàm fœdari.

Muſtela candida, luto circumdata.

Omnibus antiſtat recti mens conſcia rebus:
Hoc benè emi vita tu quoque crede decus.

Camerarius XXII. Centur. 4.

Hæret ubique.

Hirudinum grex affixus Salmoni.

Non adeò Salmonem exſugit turpis hirudo,
Conficit ac ſontes conſcia mens ſcelerum.

Catſius Emblemate Ethico XLVIII.

Amota movetur.

Vt tactus magnete fuit (licet aſſis utrumque
Separet) in gyrum flectitur uſque chalybs.
Nec Deus eſt, fateor, nec habet mens conſcia numen,
Huic tamen ætherea portio mentis ineſt.
Hanc aliquis cæcas pro tempore condat in umbras,
Qui penitùs poſſit tollere nullus erit,
Pectora noſtra chalybs, divina potentia magnes:
Stare loco neſcit mens agitata Deo.

Bona Conſcientia. Emblem. XLIX.

Alcedo medio quieta ponto
Ova parturit, incubansque pullos
Excludit teneros, fovetque, donec
Niſus inſolitus ſciant volandi:
Queis mens integra, criminisque pura eſt,
Exſultant medios vel inter hoſtes,
Ex ſeſe quia gaudium perenne
Habent, atque animi vigentis arce,
Ad quam non datur hoſtibus venire.

Floren. Schonhovius.

Conſcientiæ bonæ.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

David: Saulè profundo ſomno excitatus, agnoſcénsque vocem Davidis, qui ei clementer pepercerat, dixit: An vox tua hæc eſt, fili mi David: cui reſpondit, *Vox mea eſt, Domine mi rex. Quamobrem perſequitur Dominus ſervum ſuum? quid enim feci? & quid mali eſt in manu mea? Nunc ergo audiat quæſo Dominus meus rex verba ſervi ſui. Si Iehova incitavit te contra me, oduretur munus: ſin autem homines, maledicti ſint coram Iehova, quia expellunt me hodie, ne cooptatus hæream poſſeſſioni Iehovæ, dicentes: Abi, cole Deos alienos. At nunc, ne cadat ſanguis meus in terram procul à conſpectu Iehovæ: nam procedit rex Iſraëlis ad quærendum pulicem unum, ac ſi perſequeretur perdicem in montibus.* Quum autem Saul culpam agnoſceret & deprecaretur, David ſubjecit: *Iehova reddet unicuique ſecundùm juſtitiam ſuam & fidem ſuam: quandoquidem tradiderat te Iehova hodie mihi in manum: ſed nolui immittere manum meam in unctum Iehovæ. Et ideo ecce, quemadmodum vita tua magni fuit in oculis meis: ita magni erit vita mea in oculis Iehovæ, & eripiet me ab omni angustia.* Tùm dixit Saul ad Davidem, Benedictus es, fili mi David, etiam porrò facito, nam etiam omninò prævalebis. Sic abeunte Davide itinere ſuo, Saul reverſus eſt in locum ſuum. 1. *Sam.* 26. v. 17. 18. &c. Vide apophth. *de Innocentiæ defenſione.* Item, 1. *Sam.* 24.

David & Hamaſa: Cùm venirent præſtantiores duces è filiis Benjaminis & Jehudæ ad Davidem, egreſſus eſt David obviam eis, & locutus dixit eis: *Si pacis animo venitis ad me ut juvetis me, erit mihi vobiſcum animus adunatus: ſed ſi ad tradendum me hoſtibus meis, cùm non ſit injuria in manibus meis, reſpiciat Deus majorum noſtrorum, & reprehendat.* Tunc ſpiritus induit Hamaſajum primarium horum ducum, ut diceret: *Tibi David, & comitibus tuis, fili Iſai, ſit pax: pax tibi & pax adjuvantibus te: adjuvat enim te Deus tuus.* Sic ſuſcepit eos David, & conſtituit eos inter primores turmarios. 1. *Chron.* 12. v. 17. 18.

Salomon: Conſcientia bona non eſt in omnibus, inquit, *Prov.* 21. 8. eſt laudabilis, *Prov.* 12. 8. tuta, *Prov.* 2. 7. 8. & 10. 9. & 11. 3. 5. 6. & 12. 28. ejus fructus, *Prov.* 13. 2. & 20. 7. & 28. 18. & 12. 2. Res rara, *Prov.* 20. 6.

Paulinus: De Clericis Romanis ad Severum, Romæ (inquit) pauci etiam in ipſo clero, à quo ſolo videmur ſcandalizari, morſu invidiæ commoventur. Sed Domino gratias, qui & mihi miſerrimo peccatori ſuo dedit dicere, Quoniam oderunt me gratis. Quod tamen ad me pertinet, cum ipſis quoque qui oderunt pacem meam mente pacificus ſum. Horum tamen ipſorum qui nos odiſſe, & à conſortio ſanctitatis ſuæ ſegregare dicuntur, vix ad nos tenuis fama perlabitur, & ab auribus noſtris ſpinarum ſæpè munitis, & aura frigida, velut importunum vacui culicis murmur excluditur. Hæc Paulinus. *Beatus Rhenanus in vita Tertulliani.*

Innocentius Epiſcopus Rom. Joannem Chryſoſtomum malevolorum invidia & calumniis exagitatum conſolans, inter cætera dicebat: *Vide ne adverſariorum injuria plus poſſit quàm bona conſcientia, dum in ſpecum illa luctatur.* Item: *Eſt profectò res ſtabilis & firma bona conſcientia in malis quæ injuſtè accidunt omnibus, quæ niſi quis patientiâ vincat, indicium de ſe malæ ſuſpicionis præbet. Omnia namque ſuſtinere debet, qui Deo primùm, deinde ſuæ quoque confidit conſcientiæ.* Et paulò poſt: *Conſoletur igitur charitatem tuam conſcientia tua, quæ in tribulationibus ſolatium virtutis obtinet. Inſpiciente namque ipſo Domino Chriſto, portus pacis, pura conſtabit conſcientia.* Hæc Epiſcopus Romanus, cujus ſucceſſores ſequentibus ſeculis pro conſolatoriis deſolatoria ſcripta dicta & geſta reliquerunt. Vide *Nicephor. eccleſ. hiſtor. libr.* 13. *cap.* 32.

¶ Apophthegmatum Chriſtianorum.

S. Tiburtius Martyr: Bona conſcientia, quæ velut ſuave nepenthes, omnem vitæ mœrorem ac ſolicitudinem repellit, & juge convivium in Proverbiis nuncupat Salomon, paucis illuſtranda. Veniat in medium Tiburtius: qui dum Fabiani tyranni juſſione, ociùs Chriſti fidem negare variis tormentis propoſitis compelleretur, immota & inconcuſſa mente, in generoſam hanc vocem erumpens: *Decerne*, reſpondit, *quod lubet. Omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura eſt nobis conſcientia.* Sentiebat autem cum Apoſtolo, gloriam noſtram eſſe, conſcientiæ propriæ teſtimonium. *Sur. tom.* 1. *in vit. S. Sebaſt.*

S. Hilarion: Quin & de S. Hilarione teſtatur B. Hieronymus: quòd, cùm jam morti proximus, & modicus calor in corpore tepe-ret, nec quidquam vivi hominis, præter ſenſum, ſupereſſet, apertis oculis loqueretur: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſervivisti Chriſto, & mortem times?* Verè libenter ille moritur: & venientem (ut Chriſtianè loquitur Seneca) nemo hilaris mortem excipit, niſi qui ad illam ſe diu compoſuerit. puta, cui conſcientia mentem explet dulcedine & pace. *Hieron. in vita.*

Lupus Senonum Epiſc. Quis autem de Lupo Senonum Epiſcopo non malè opinetur, qui eum præceſſoris ſui filiam tenerrimè diligere conſpexiſſet? tamen ipſe ſe taxari intelligens, eam in publico eſt amplexatus, dicens: *Non offendunt obloquentium verba, quem propria non inquinat conſcientia.* Quæ res illo ævo fortaſſis tolerata: hoc verò, non ſine gravi ſcandalo tentanda. *Marul. lib 5.*

Anonymus: Illuſtre & illius reſponſum, cujus nomen ſilentii ſigillo obſeratum. Rogatus enim, quid nos potiſſimùm delectare ſoleat; *Conſcientia*, ajebat, *pura, & ſpes bona.* Vnde non ſine cauſa dictum à Sapiente: Læti cordis os floreſcit. *Anton. Serm. de puro corde.*

Sebaſtianus Londinenſis Ludimag. Noſtri ævi eſt, quod addam. Exhibuerat Sebaſtianus Scholæ Londinenſis Rector, inſpectante Elizabetha Angliæ regina, Comœdiam miro cum plauſu: & mercedem petere juſſus quam vellet; *Conſcientia*, ajebat, *libertate donari velim, quò Catholicam vitam impunè vivere valeam.* Veram quippe libertatem cum Periandro exiſtimabat, Rectam conſcientiam. Benè & doctè Ovid. in Faſtis.

Conſcia mens ut cuique ſua eſt; ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

Raſtell.

Conſcientiæ malæ.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORVM.

RUBEN, *& alii filii Iacobi Patriarchæ:* Quum deſcendiſſent in Ægyptum frumenti emendi cauſa, à Joſepho fratre, quem ante multos annos vendiderant, & tunc Aegypti præfecto agniti ac variis colloquiis exagitati, tandem coacti, ut Benjaminum minorem natu fratrem, patris dilectiſſimum, adducerent, dixerunt alter ad alterum: Profectò rei ſumus, fratris noſtri cauſa, qui videbamus anguſtiam animæ ejus cùm deprecaretur nos, nec tamen exaudivimus: ideircò aggreſſa eſt nos anguſtia hæc: & Ruben reſpondit eis, dicendo: Nónne alloquebar vos dicendo, Ne peccetis in iſtum adoleſcentem? ſed non auſcultaſtis: ideo etiam ſanguis ejus ecce repoſcitur. *Geneſ. 42. v. 21. 22.*

Idem: Videntes fratres Joſephi mortuum eſſe Jacobum patrem ſuum, dicebant: Fortaſſis interfecto odio nos proſequitur Joſeph, & omninò rependet nobis totũ illud malum quod intulimus ei. Ideóque amandarunt aliquos ad Joſephum, qui dicerent: Pater tuus præcepit ante mortem ſuam, dicendo: Ita dicetis Joſepho, Obſecro, condona nunc defectionem fratrum tuorum & peccatum eorum, quod malũ intulerunt tibi: nunc inquã, condona quæſo defectionẽ ſervorũ Dei patris tui. Sed flebat Joſeph cùm illi alloquerentur ſe. Deinde adeuntes etiam fratres ejus prociderunt ante faciem ejus, ac dixerunt: Ecce nos tibi in ſervos. Dixit verò ad eos Joſeph: Ne timeatis, &c. *Geneſ. 50. v. 15. &c.*

CHRISTUS: Quum Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam ad Chriſtum adduxiſſent, & quid de ea ſtatuendum eſſet, quærerent, iſtis hypocritis (qui pluſquam ſeveri aliorum cenſores ſuis vitiis indulgebant) eum impudenter urgentibus, reſpondit: Qui veſtrûm immunis eſt à peccato, primus in eam jaciat lapidem. Auditis enim his, arguente ipſos conſcientia, ſingulatim alius poſt alium exibant, initio facto à ſenioribus uſque ad ultimos. *Ioann. 8. v. 7. 9.*

D. Ioannes Apoſtolus: Si nos condemnet (inquit) cor noſtrum, potentior eſt Deus corde noſtro, & novit omnia. 1. *Ioan 3. 20.* Metus non eſt in charitate: expleta charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit, non eſt perfectus in charitate. 1. *Ioann. 4. v. 18.*

Greg. Nyſſenus: Nulla res, ait, æquè homines reddit impudentes atque mala conſcientia. *Anton. ſerm. de mala conſcientia.*

Philo: Perpetuæ, inquit, recordationes & imaginationes affectuũ, claras ſpecies imprimentes, mentem lædunt, & cedentem ſæpè illam intervertunt. In iſtis igitur rebus ſalutaris eſt fuga: recordari autem & in ore habere, ac in animo volutare, id verò vincit, & violenter mentem in ſervitutem redigit. *Item:* Peccanti virtutis ignoratione venia parata eſſe debet: at qui de induſtria injuriam facit, excuſationem non habet, quippe qui prius judicio conſcientiæ damnatus ſit. *Item:* Interno ac domeſtico judicio quilibet inſipiens damnatur. *Eodem ſermone.*

Chryſoſtomus: De Conſcientia tùm bona tùm mala ſcitè dicta multa protulit. Inter quæ hæc occurrunt. Animi tranquillitatem & lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quicquam rerum humanarum adferre conſuevit, præterquàm rectè factum ſolum ſpirituale, ac conſcientia bona: quam certè qui puram habet, ut pannoſus ſit, ut cum fame luctetur, tamen tranquillior, beatiorque eſt iis, qui inter delicias magnopere degunt. Quemadmodum & qui ſibi malè conſcius eſt, ut omnium bona poſſideat, omnium eſt miſerrimus. Quapropter Paulus in aſſidua fame ac nuditate victitans, tùm autem & quotidie cæſus flagris, gaudebat, ac deliciabatur ſupra eos omnes qui tùm regnabant. Achàb autem, rex quum eſſet, ac deliciis ſumptuoſis perfrueretur, commiſſo peccato gemebat, animum deſpondens eratque illius facies dejecta & poſt & ante peccatum. *Homilia 1. in Epiſt. ad Romanos.*

Piorum perſecutores ob hoc ipſum miſeri ſunt, quòd ſuæ improbitatis ſenſu carent. Quòd ſi aliorum condemnationem nihil morantur, aut certè fieri non poteſt, ut ſuæ conſcientiæ judicium effugiant, quod nec vitiari nec corrumpi poteſt, nec ullo terrori cedit, nec blanditiis aut pecuniarum largitione labefactatur, nec temporis longa quitate obſcuratur. *Profert deinde exempla Rubenis & Iudæ, deinde addit*: Ea namque peccati natura eſt, ut priùs quàm omninò perpetratum ſit, hominem remulentia afficiat, poſteaquam autem expletum ac perfectum eſt, tunc ea voluptas ſeſe proripiat & extinguatur, ac ſolus deinceps jam ſtet accuſator, conſcientia nimirum, carnificis locum obtinente ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis graviùs ipſi incumbente. *Epiſt. 7 ad Olympiadem.*

Qui benè ſibi conſcius eſt, fiducialiter & magnanimiter agit: quemadmodum ſi quis infuſo oleo addat lumen lucernæ, ſic & ille conſideratione operum bonorum ſuorum ſemetipſum confortat, & fidei ſuæ addit audaciam. Qui autem ſibi malè conſcius eſt, ſemper puſillanimus ac timidus eſt. Et quemadmodum ſubducto oleo minuitur lumen lucernæ, ſic & ille conſideratione malorum ſuorum operum ſemetipſum confundit, & infidelitatis ſuæ adhuc diffidentiam addit. *In Matth. homil. 52. ex 52 cap.*

D. Auguſtinus: Nullæ, inquit, pœnæ graviores ſunt quàm malæ conſcientiæ, in qua quum non habetur Deus conſolatio non invenitur: & ideò invocandus eſt liberator, ut quem tribulatio exercuit ad confeſſionem, confeſſio perducat ad veniam. *In ſententiis decerptis.*

Si non autem ſolùm percutit verecundia criminantis, verùm etiã mordet conſcientia criminis, quid mihi prodeſt ſi me continuis laudibus totus mundus attollat? Nec malam conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitiantis opprobrium. *Lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 7.*

Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe. *In Pſal. 31.*

Nolunt intrare domos ſuas qui malas habent uxores, ſed ad forum exeuntes gaudent: quum verò intraturi ſunt in domum ſuam, contriſtantur. Intraturi ſunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad everſiones, quia non eſt domus compoſita ubi inter virum & uxorem pax nulla eſt: & melius illi eſt foris circumire. At quanto illis miſeriores ſunt, qui ad conſcientiam ſuam redire nolunt: ne ibi litibus peccatorum evertantur? Ergò ut poſſis libens redire ad cor tuum, munda illud: Beati enim mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *In Pſal. 34.*

Quiſquis malus eſt, malè ſecum eſt. Torqueatur neceſſe eſt: ſibi ipſi tormentum eſt. Ipſe enim eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua, fugit ab inimico quò potuerit: à ſe quò fugiet. *In Pſalmum 36.*

Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt maior tribulatio quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanumque ſit intus hominis quod conſcientia vocatur, ubicunque alibi paſſus fuerit tribulationes, illic confugiet ac ibi inveniet Deũ. Si autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo? Quò confugiet cùm cœperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & ſequitur tribulatio. A cubiculo jam quò fugiat non habet niſi interius ad cubile ſuum. Porrò ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, non illuc poteſt confugere. Pellitur enim inde, & cùm inde pellitur, à ſeipſo pellitur. Et ecce ſi hoſtem ſuum invenit quò confugerat, nempe ſeipſum, quò fugiturus eſt? Quocunque fugerit ſe, talem trahit poſt ſe: & quocunque talem traxerit ſe, cruciat ſe. *In Pſalmum quadrageſimum quintum.*

Sicut magna eſt pœna impiorum conſcientia, ſic magnum gaudium piorum ipſa conſcientia. *In Pſalmum quinquageſimum tertium.*

Quiſquis in corde premitur mala conſcientia, ſimilis ei eſt qui obſtillicidium exit de domo ſua, aut propter fumum non poteſt in ea habitare. Sic qui non habet quietum cor, habitare in eo libenter non poteſt. Tales foras exeunt à ſeipſis animi intentione, & de his quæ foris ſunt circa corpus delectantur, quietem in nugis, in ſpectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris volueruntſibi bene eſſe? Quia non eſt illis intus bene, unde gaudeant in conſcientia ſua. *In Pſal. 100.*

Gregorius Magnus: Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt, inquit, major afflictio, quàm conſcientia delictorum. Cùm enim exteriùs patitur homo, ad Deum confugit. Quod ſi malæ conſcientiæ tribulationem perferens, in arcano cordis Deum non invenit, quoniam fortè receſſit ab hoſpitio cordis pro abundantia iniquitatis, quid facturus eſt homo? ubi conſolationem inveniet? ubi requiem perquiret? &c. *In explanatione Pſalmi centeſimi quadrageſimi tertii.*

Io. Lud. Vives: Conſcientia benefactorum magnum in vita munimentum eſt, inquit, & in morte ſolatium, nec illa quæ bene actæ

vitæ

vitæ teſtis eſt, hominem miſerum eſſe unquam ſinit: ſicut nec ſceleruм arbitra felicem. *In 3. declamatione.*

Conſcientiæ malæ ſignum eſt, refugere cœtus & libera judicia: nec exiſtimare ſe tutum fore, ſi de meliore rerum ſtatu conſultatur. Idcirco multi ſignum malæ conſcientiæ interpretantur, etiam ubi culpa nulla ſubeſt, ſi in diſquiſitionem prodire non audeat. *Epiſt. ad Adrianum 6. de indicendo concilio.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iudas Iſchariotes: At nunquam ſecurus eſt reus animus: mala enim mens propriis conſcientiæ ſtimulis agitatur: quibus etiam Regius vates ſauciatus, clamabat; Peccatum meum contra me eſt ſemper. Eadem lue infectus Judas proditor, videns Jeſum Judæorum ſententiâ damnatum, aliquo tactus dolore, peccati conſcientia ſtimulante, referens triginta argenteos, jam ad deſperationem ductus; *Peccavi*, inquiebat, *tradens ſanguinem juſtum.* Cui illi reſpondentes, dicunt: Quid ad nos? tu videris. Inſinuabant cujuſque teſtimonium eſſe propriam conſcientiam: & quæ ex ea & ab ea procedunt. Ac quemlibet noſtrum

Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Matth. cap. 26.

Volſæus Epiſcopus: Fuerat hic inter primos Henrico VIII. Angliæ Regi auctor, quòd Catharinam Aragoniam repudiaret. At ut impiorum conſilia rarò ſtabilem ſortiuntur finem; non diu pòſt, dum velut reus læſæ majeſtatis Londinum ſupplicio afficiendus perduceretur; furiis conſcientiæ inquinatæ agitatus: *Vtinam*, ingemebat quaſi deſperabundus, *nihilo magis divinæ majeſtatis læſæ reus fuiſſem! Nunc autem, cùm nihil prius habuerim, quam ea relicta, Regi inſervire; & in Deum peccavi, & in Regem.* Haud malè in Epigrammate ſuo Pictorius:

Iſtud habet damni vitium inter cætera: quòd mens
Palpitat aſſiduo flagitioſa metu.

N. Sander. de Schiſm. Anglic. lib. 1.

¶ Monosticha Trochaica.

Adſonum haud tremit tonitrus nullius mens conſcia.
Anteit cunctos timores conſcientiæ timor.
Arca plena quid prodeſt ſi inanis conſcientia eſt?
Callidè improbus nil animi curat conſcientiam.
Carcer eſt ſuus cuique multiplex liberrimo.
Carnifex ſibi ipſi ubique prava conſcientia eſt.
Conſcientia in mala quam plurimum impudentiæ eſt.
Conſcientia ipſa numen eſt patent cui omnia.
Conſcientia unicuique eſt, ut curam noſtri gerat.
Conſcientia una vincit mille teſtium fidem.
Conſcientia cicatrix pejor omni vulnere eſt.
Conſcientiæ ſi pondus tollis, omnia, heu, jacent.
Conſcientiæ tribunal ferre quis poteſt ſuæ?
Conſcientiam eſt alienam fallere, haud item ſuam.
Conſcium eſſe poſſis, non item conſcientiam.
Conſcium timere non vis? conſcientiam time.
Conſcius licet ſit audax ſit tamen timidiſſimus.
Conſpici bona, at latere conſcientia amat mala.
Conſpici vult excutiq; recta conſcientia.
Cuncta ſic agas, latere poſſe neminem ut putes.
Crede ſpectari orbe ab omni quæ facis te conſcio.
Dulcis altrix eſt ſenectæ pura conſcientia.
Erubeſcit cùm laudatur ſana conſcientia.
Eſt domeſticum tribunal cuique conſcientia.
Ferre quis poteſt tribunal conſcientiæ ſuæ?
Ferre quis queat majoris ſceleris conſcientiam?
Haud poteſt eripere Livor laudis conſcientiam.
Haud ſeverius tribunal ullum conſcientiâ eſt.
Igne tollas nullo humani generis conſcientiam.
Improbi famæ laborant, conſcientiæ probi.
Impudentius pol nil eſt conſcientiâ malâ.
In ſe conſcius refert quod dictum eſt abſque nomine.
Liber is ſat eſt quem non accuſat conſcientia.
Negligentius ferrum bona ſervat conſcientia.
Negligit calumniam omnem recta conſcientia.
Nemini bene eſt nocenti, nemini male eſt probo.
Nil in orbe cum bonâ uſquam compares conſcientiâ.
Non fallis tuam etſi alienam fallis conſcientiam.
Non poteſt latere factum turpe: conſcius tibi es.
Non poteſt peccare, cui pro lege conſcientia eſt.
Non ſolet peccare cui pro lege conſcientia eſt.
Nullus eſt pejor timore conſcientiæ timor.
Ore in ipſo deprehendas conſcientiæ notas.
Patitur uſque & uſque manes inquinata mens ſuos.
Pœnam mali nemo timet quàm conſcius.
Præmii loco cujuſque conſcientia eſt bona.
Pro ſuo metum aut ſpem facto concipit mens conſcia.
Quid prodeſt carere conſcio, habenti conſcientiam?
Quiſque de ſuâ, haud de alienâ, dicat conſcientiâ.
Quis ſua poteſt tribunal ferre conſcientia?
Quod meretur, uſque & uſque conſcientia expavet.
Sapius delicti linguam adſtringit conſcientia.
Si venerabilis non eſt, ſaltem eſt verendus conſcius.
Stare non poteſt ſua quem deſtituit conſtientia.
Suſtinet frontem imbecillam magna conſcientia.
Suſtinetur & frons mollis magna conſcientiâ.
Violant homines ea quæ præſtare neſciunt.
Virtutis ratio atque fructus ſola in conſcientia eſt.
Vix fidem ſilentium q; in multis ſperes conſciis.
Vulnus ecquod vulnere ipſo pejus conſcientia?
Vt queas latere cunctos, te latere non potes.

¶ Jambica.

Alium potes latere, teipſe non potes.
Bona conſcientia nullius oculos fugit.
Cui paupera arca, dives conſcientia eſt.
Da multa famæ, at plura conſcientiæ.
Doloſa nihil palam audet conſcientia.
Etiam notas os præbet conſcientiæ.
Etiam profædere, noxa conſcientiæ eſt.
Expalluiſſe conſcientiæ nota eſt.
Facti bonis ſatis ipſa conſcientia eſt.
Famæ reclamat ſæpè conſcientia.
Haud eripi nobis poteſt conſcientia.
Ibi tuta vita eſt, ſalva ubi conſcientia eſt.
In ſe reponit cuncta conſcientia.
Iucundius bonâ ecquid conſcientiâ.
Latere, criminoſæ conſcientiæ eſt.
Liberrimè loquitur bona conſcientia.
Malum omne, quod fit contra conſcientiam.
Multum refrenat nobis conſcientia.
Nemo nocens abſolvitur ſe judice.
Nihil eſt miſerius quam animus hominis conſcius.
Nil dicta vulgi curat conſcientia.
Nimius pavor vel conſcientiam arguat.
Nullum eſt bonum ante conſcientiæ bonum.
Officium oris ſubjacet bonæ uſque conſcientiæ.
O gravior omni tormento conſcientia!
Pauciſſimi uni conſcientiæ ſtudent.
Pondus grave ipſius eſt conſcientiæ.
Pro lege quiſque habeto conſcientiam.
Propræmio quocunque conſcientia eſt.
Pro ſuo metum aut ſpem facto concipit mens conſcia.
Quæ lex queat punire conſcientiam.
Scelerati alienam fugiunt conſcientiam.
Sentire de ſe quemque pro meritis decet.
Si non venerabilis, eſt verendus conſcius.
Summum bonum bona ipſa conſcientia eſt.
Turbam advocat quieta conſcientia.
Vacare culpa maximum ſolatium eſt.
Vacare noxa, murus hic aheneus.
Vacat timore honeſta conſcientia.
Vix quiſquam aperto poſſet vivere oſtio.
Vlcus moleſtum, impura conſcientia eſt.

Conſenſus.

¶ Monosticha Trochaica.

Acta publico conſenſu crimen fiunt omnium.
Arduum eſt opponere ſeſe plurium ſententiis.
Decolorant hos delicta aliena quibus conſentiunt.
Et ſilentium & ruborem pro conſenſu ducito.
Fortis eſto in hoſtem, in civem aſſenſione cernito.
Imperator civium impar omnium conſenſui eſt.
Nec cum proximis ſecum vivere congruit vir improbus.
Ne fratres quidem invenire eſt unum idemq; qui velint.
Non modò improbus ab aliis, verùm etiã a ſeipſo diſcrepat.
Omnibus placere debet, ad cunctos quod pertinet.
Pervicacis eſt animi, unum pluribus reſiſtere.
Plus delinquit, qui conſentit, quam ipſe qui facit malum.
Qui malo conſentit æquè eſt reus ut ipſe qui facit.
Sunt mali æquè qui malo conſentiunt ac qui patrant.
Vnus ſe communi iniquè oppoſuerit conſenſui.

Jambica.

Conſenſui bellare noli publico.
Cuncta impetrat autoritas conſentiens.
Pugnare ſecum non grave eſt; leviſſimi eſt.
Quid vis debetur publico conſenſui.
Quiſnam repugnet omnium ſuffragiis?
Vis ac metus contrarium eſt conſenſui.
Vix fraus ibi eſt, ubi ſua eſt conſenſio.

Con-

Consilii, Consiliariique.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Consilium autem est quæstio, quomodo in præsentibus rebus rectè transegerimus. Εὐβουλία autem, id est, bona consultatio, est prudentia in consiliis. *Libro 2. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Fide dignus est divinus pædagogus, tribus rebus pulcherrimis ornatus, scientia, benevolentia, dicendi libertate. Scientia quidem, quoniam est paterna sapientia. Omnis enim sapientia est à Domino, & cum eo est in ævum. Dicendi autem fiducia, quoniam Deus est & opifex. Omnia enim per seipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Benevolentia autem, quoniam solus pro nobis seipsum hostiam tradidit. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ovibus suis, atque adeo eam posuit. Benevolentia autem nihil est aliud, quàm voluntas boni proximi sui propter illum. *lib. 1. Padagogi, capitis 11. fine.*

D. Nazianzenus: Quæ Persarum myriades, qui sagittarii, qui fundibularii, quis ferreus exercitus, atque undiquaq; à vulneribus tutus, quæ tormenta diruendis muris admota, ea efficere potuissent, quæ manus una & tempus unum, & nefarium consilium perfecit. *Orat. 3. Steliteutica 1.*

Idem: Dei judicium cordatis hominibus pluris faciendum, magísque curandum est, quàm omnium aliorum in unum coactorum. An tu duos quidem homines, quorum alter acutior & sagacior, alter imperitior & hebetior esset, de eodem negotio in consilium adhibens, haud rectamente præditus esse videreris, si relicto prudentis consilio judicium imperiti sequereris (neque enim Roboam ex eo venum consiliis paruit.) Cùm autem Deus & homines inter se expendantur, judicia hominum potiora duces, quàm Dei? Nequaquam certè id facies, si me audias, rectéque sentias. *Orat. 27.*

D. Nazianzenus: Miserum est cùm nundinæ effluxerint, tùm demum negotiationem quærere. Miserum est cùm manna præterierit, tùm demum cibum appetere. Miserum est serum consilium capere, ac tùm damni sensu affici, cùm nulla jam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus. *Orat. 40.*

Idem: Sum quidem pastor exiguus, atque inter postremos Spiritus ministros. at gratia nequaquam angusta est nec locis circumscripta. Quocirca parvisquoque liberè loquendi potestas concedatur; præsertim de communibus maximisque rebus orationem habentibus, & cum tanta canitie consultantibus, quæ aliquid fortè prudentius & solertius habet, quàm plerique à vulgo. *Epist. 22.*

Idem: Nisi æger essem, nihil priùs habuissem, quàm ad te excurrere, ac de propositis rebus in consilium adhibere verum amicum & prudentem, & sublimi pietate præditum. *Epist 65.*

D. Greg. Nyssenus: Consilium per se non multam ad persuadendum vim habet, neque qui ad res aliquas utiles & salutares adhortatur, facilè quempiam simplici verborum ratione flectit; nisi illud unum ante graviter & amplè exornaverit, ad quod auditorem ipsum impellere studet. *Initio orationis de Virginitate.*

Chrysostomus: Mose nihil fuit humilius: qui cùm tantum duceret populum regémque & exercitum Ægyptiorum tanquam muscas mari obruisset, & tam multa fecisset in Ægypto, & tam multa in mari rubro & deserto, & tam pulchrum assecutus esset testimoniũ; perinde erat affectus atque unus ex plebe: erátque socero gener humilior, & quod ei dedit accepit consilium: & neq; ægrè tulit, neque tale quid dixit: Post tot & tanta rectè & præclarè à me gesta venis mihi consilium daturus? quod quidem multis accidit, qui, si quis vel optimum dederit consilium, despiciunt propter personæ humilitatem. Sed non sic ille, imò verò per humilitatem omnia rectè agebat. *Homilia 1. ad Corinth. 1.*

Idem: Qui est consiliarius non est servus. *Homilia 26. ad Cor. 1.*

D. Chrysostomus: Adde etiam quod quæ consulebat erat mulier, vehemens oratrix ad præstringendos oculos eorum qui non attendunt. Multi certè etiam extra calamitatem positi, à solo mulierum consilio sunt dejecti. *Homil. 28. ad Corinth. 1.*

Idem: Non dominamur vestræ fidei, nec domini more hæc imperamus. Doctrinæ verbi præfecti sumus: non est nobis mandatus magistratus, nec data auctoritas. Consiliariorum admonentium locum tenemus. Consiliarius dicit quæ à se procedunt, non necessitatem afferens auditori; sed in ejus potestate dimittit ut facienda eligat quæ dicta sunt. Culpæ tùm demum est affinis si non dixerit quæ ei sunt commissa. *Homil. 11. ad Ephesios.*

S. Isidorus Peluſiota: Audio te, iis, qui optima consilia tibi subministrant, valere jussis, atque omnibus pudoris vinculis effractis, ad infame ac detestandum vitium præcipitẽ rapi. Ac velim quidem id minimè verũ esse. Sin autẽ ita est, da operam, ut priusquam te hujusmodi temulẽtia prorsus oppresserit, ex ea emergas: ne alioqui, & hîc probrum atq; infamiam, & illic pœnam subeas. *lib. 2. Epist 59.*

Idem: Illi quidem, quibus iracundia magis imperat, plerunq; difficilem exitũ sortiuntur: Qui verò prudentia quidem gubernantur, corpora autẽ habent pro instrumentis prudentiæ, hi rerum pulcherrimarum gloriæ non sunt expertes. Atque hoc est quod dixit Proverbiorum scriptor, cum consilio agere. Nam imprudenter agere atque incircumspectè, periculosum est. *lib. 4. Epist 38.*

¶ Romanorum.

Orosius: Ob infirmissimam humanæ mentis mutabilitatẽ quod in afflictis rebus consuluitur, in prosperis non servatur. *lib. 2. adversus Paganos, cap 17. fine.*

Io. Sarisberiensis: Magna parte regni mutilatur Roboam, quia hæserat consiliis juvenum, contemnens vias & præcepta prudentiæ. Impossibile enim est, ut salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientum. Væ terræ, cujus rex puer, & cujus consiliarii mane comedunt. *lib. 5. Policratici, cap. 5.*

Io. Sarisberiensis: Qui diligenter omnia investigat, & cognitis rebus, quæ sunt agenda exequitur, procul dubio sapiens est, & aptissimus consiliis Principum. Ubi tanta morũ gravitas innotuerit, ætatẽ corporis frustra quisq; causatur. Hic est. n. senex, quem præeligendũ consiliis, sapientiæ monita docent. Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Beatus planè qui hanc apprehendit ætatem, ut de innocentia vitæ, conscientiæ suæ testimonio gaudeat. Sed dicis fortè; Quis est hic, & laudabimus eum? Utiq; nõ cum arbitror expectandum dandum consiliis, qui peccatum non fecerit, sed quem peccare non juvat, qui peccatũ oderit, virtute gaudeat, & eam magno desiderio concupiscat; hominem scil. bonæ voluntatis. Sed nec istud ad unguẽ resecandum est, sed benigniori Minervæ; qui non simpliciter, sed aliorũ collatione innocens videatur: Quis. n. gloriabitur se usquequaq; castũ habere cor, cùm & astra munda non sint in cõpectu illius, qui in Angelis suis reperit pravitatem? Iniqui ergo arcendi sunt, superbi, & avari, & omnis hujusmodi pestis hominum. Nihil enim perniciosius est iniquo divitis consiliario. Providendum itaq; potestati ne consiliarii ejus indigeant, ne aliena immoderatius concupiscant. *lib. 5. Policratici cap. 9.*

¶ Philosophorum. Oratorúmque Græcorum.

Isocrates Philippo salutem: Quanquàm apud nos minimè rarum est literas in Macedoniam mittere, non tantùm cùm bellum adversus vos existit, verùm etiã cùm pax intercedit: tamen de Diodoro ad te scribere in animum induxi. Nam, cùm æquum esse censeo, ut magni ab omnibus fiant, quicumq; mea familiaritate sunt usi digniq; habiti, tùm præsertim nunc magni faciendum judico, non tam propter benevolentiam, qua nobis fuit conjunctus, quàm ob reliquam ipsius probitatẽ. Quare cuperem inprimis, eum per nos tibi cõmendatum esse: verùm quoniam ex aliis conversationibus tibi cognitus est, restat, ut solùm ei testimoniũ tribuam & pristinã apud te notitiã illi cõfirmem. Nam cùm plurimos nationum omniũ viros sub mea disciplina habuerim, eorúmq; nonnulli magnam laudem consecuti sint, cæteri fere omnes partim arte dicendi, partim in capiendis consiliis gerendísque rebus evaserunt præstabiles: partim in vita sapientes & gratiosi: cæterùm ad reliquos usus & munia, naturã prorsus inepti. Huic Diodoto verò tam habilem idoneámq; indolem natura dedit, ut in omnibus recensitis esset perfectissimus. Et hæc affirmare quidem nõ auderẽ, nisi & ipse periculum ejus fecissem, & te sumpturum confiderẽ: partim ex ejus colloquiis & conversatione, partim ex aliorum quib⁹ ipsum experientia naturi fuerit, approbatione, quorum nemo est, qui nisi prorsus invidia captus sit: non fateatur enim & in dicendo & in consultando cum summis viris comparandũ, atq; justissimum, sapientissimũ & pecuniarũ abstinentissimũ esse, itémq; familiarem jucundissimũ suavissimúmque, & in loquendo magnã libertatẽ adhibere; non illicitã tamen aut contumacem, sed eam quæ signum est evidentissimum benevolentiæ inter amicos, quã principes, qui dignũ imperio animum possident, & utilem amplectuntur, quorum verò mentes propter imbecillitatem fortunis potentiæque non respondent illi eam aversantur & oderunt, quasi ad aliquid contra voluntatem, faciendum vi compellentem.

Etenim non vident eos, qui maximé de utilitate, quid audent cõtradicere, plenissimã facultatem ipsis ad ea quæ volunt, perficienda, suppeditare: perspicuum. n. est per eos, qui ad voluptatẽ & gratiã loquuntur, non dico regna quæ multa necessaria pericula trahunt: sed ne Respublicas quidẽ quæ firmare securitatis præsidio sunt plerunq; munitæ, constitui rectè posse. Eos verò qui de reb⁹ utilissimis liberè sententiã dicunt, necesse est, sæpenumero salutẽ adferre, & in clarissimis amplissimísq; negotiis nõ corrumpi aut perverti. Quare justum est, ut apud omnes Monarchas plus possint hi, qui veritatem ingenuè profitentur, quã qui omnia quidem ad gratiã; nihil verò quod operæ pretiũ sit dicunt. Sed videm⁹ apud nonnullos ipsorum in minori pretio fuisse. Quod etiam Diodoto malè cecidit apud aliquos Asiæ principes, quorum rationes cùm plurimum juvissẽt, non solùm cõsilio, verùm etiam re & vitæ periculo, quoniam liberè, quæ censuisset illis profutura suaserat, etiam domesticis honoribus & omni ferè reliqua spe ab ipsis est spoliatus. Et majus pondus habuerunt vilissimorum hominum assentationes quàm hujus bene merita.

Quare cùm ad vos adire vellet, persæpè metu est prohibitus, non quòd omnes existimaret similes, qui in iisdẽ dignitatib⁹ essent constituti, sed propter calamitatẽ ab illis acceptã: nõ fuit ad benè de vobis sperandũ admodũ alacris & promptus. Atq; mea quidẽ sententia, planè fecit idem, quod aliqui ex navigantib⁹, qui si primũ impediti sint procellis & turbinibus, nõ facilè magna fiducia mare rursus ingrediuntur, tametsi sciant fœlicẽ sæpè lætámq; navigationẽ incidere posse. Verùm cùm tu justitiæ & æquitatis rationẽ apprimè soleas habere,

habere,credo pulchrè cum eo tibi contentũ iri: partim cùm intueor tuam humanitatẽ in exteris nationib⁹ celebrem pervagatãmq;, partim eum nobis minimè obscurum aut ignotum esse arbitror, quàm sit jucundum, consultúmque fidelium simul & utilium hominum sibi amicitias benè merendo conciliare, & in eos potissimùm beneficia conferre,quorum nomine,multi etiam alii gratiã vobis sint habituri. Nam omnes boni, quos honestorum virorũ consortio rectè frui intelligunt, eos tantùm laudibus vehere & colere solent, quantum si ipsi eum familiaritatis fructum perciperent. At enim ipsum Diodotum perfecturum esse non dubitò, ut sui curam amoremque tibi summopere cõmendet. Adhortatus etiã sum illius filium, ut se vestris rationib⁹ adjungeret, ac vobis tanquã discipulum ad faciendos longiores progressus traderet. Ille verò,cùm hæc dicerem,cupere se quidem vestram amicitiã ostendit: verùm ejusdem erga illam sese animũ gerere,quem erga coronarios ludos Hos.n. superare quidem in votis esse, sed ad certamen ipsum descendere nequaquã audere,quod dignum coronis robur in se non inveniret:item honores & dignitates apud vos consequi optare quidem,at adepturum se non sperare. Nam & sua inertia,& vestro splendore deterreri: præterea sui corporis exilitatem non idoneam: sed in causa esse quamobrem se à multis negotiis impediri putaret. Hic igitur,quod libitum fuerit,& è re sua fore existimaverit,id faciet. Tu sive nobiscum erit, sive quietem & otiũ in his locis quæret, operã dabis, ut cùm alia quibus indiget, tùm ex omnib⁹ maximè securitatẽ & huic & hujus parenti præstes. Sic enim tibi persuadeas velim,hunc tibi quasi pignus tùm nostræ senectutis committi, quæ magni ponderis, summæq; existimationis apud te non injuria esse debet: si meum studium benevolentiamque erga nos perpetuam considerare voles.

Phalaris Clistheni: Non idcirco scribendum ad te putavi, quòd illam vulgarẽ hominũ consuetudinẽ, cùm in sermonib⁹ & consiliis parũ fœlices,fortunato tamen rerũ successũ eventúq; utuntur,sequi in animo haberẽ, ut ipse pars calamitatis,te quod mihi optima consulenti morẽ in eo non gesseris, quod præter opinionẽ evenit,reprehenderẽ & objurgarẽ. Nihil.n.ejusmodi mihi videntur aliud facere, quàm eos qui ceciderunt, cũ magna sui consilii prudentiæq; laude, accusare,quòd nõ providerint, quid utile futurũ esset, neq; prædicẽtib⁹ fidem habuerint: sed quemadmodũ cùm præsentirẽ sic de te futurum,ne usuveniret familiarissimè cavi,sic cùm jam passus sis indigna, meipsum simul errasse simulq; affligi judico. Prædicebã enim, ne contingerent. Jam verò cùm contigerint nõ magis cõsilio quàm fortuna & casu,simul infortunatus sum, & fortunã nihil reprehẽdo. Verùm ne sint hæc diuturna, quanta possum diligentia & studio,laboro. Sed hæc ex matre tua meliùs cognosces. Tu verò infœlix,qui cùm è patriis larib⁹ excidisses, tamẽ nõ voluisti apud nos,tanquã benevolentissimos à fuga requiescere ac respirare. Quod si alia causa impulsus feceris,nobis injuriã facere videris. Sin ut ne tibi exprobrarent,timuisti eos qui præmonuerãt:nec tamen persuaserãt, penè etiã quòd ita sapias,delector. Si enim priùs dicta tibi pudorem afferunt, non facilè in eisdem erratum tuum aliquod extabit. *Epistola* 110.

Plato: Veni Syracusas à te vocatus & à Dione: quũ esset ipse Dio magnæ apud te dignitatis, mihi jampridẽ hospes, ætate verò media atq; perfecta: quib⁹ omninò vel mediocriter prudens opus esse ad res hujusmodi gerendas quales tuæ erant,existimarit. Tu verò eras admodũ juvenis:& omniũ quorũ oportebat te peritiã habere ignarus, mihi quoq; valdè ignotus. Post hæc,sive quis homo,sive Deus,sive fortuna quædã tecũ Dionẽ pepulit,tu solus relictus es. An igitur cõmunionẽ mihi aliquã tecũ rerũ civiliũ tunc relictã putas:cùm viderem prudentẽ quidẽ consultorẽ abste pulsum: te aũt imprudentẽ cũ multis flagitiosis ita fuisse relictũ,ut nõ imperares,licet imperare arbitrareris,sed hujusmodi hominib⁹ revera servires? Tunc ergo quid oportebat me facere? Annon id quod faciebã? Abstinere videl. omni gubernatione,ne invidia malevolorũ in calumnias vocarer. Et illud omninò conari,ut vos invicem dissidentes,& longè divisos in pristinam amicitiam gratiamque reducerem. Tu mihi testis esse potes quanto conatu hoc à me negotium susceptum fuerit, neq; unquam desertum. *Epist.* 3. *ad Dionysium.*

Plato:Euphreo suasi quemadmodum ad me scripsisti:ut in rerum tuarũ administratione pseveraret. Est aũt meũ tibi quoq; & de aliis reb⁹, hospitale & sacrũ (ut appellatur) consiliũ dare: & quemadmodũ Euphreo uti debeas. Profectò vir ille ad multa utilis esse potest. Maximè ad id cujus tu plurimũ indiges ob ætatẽ: præsertim cùm haud multi reperiantur, qui de his reb⁹ consiliũ juvenib⁹ cõmodè afferre possint. Est.n. vox quædã uniuscujusq; civilis gubernationis: velut animaliũ quorundã. Nam aliã popularis,aliã paucorũ,aliã unius gubernatio vocem emittit. Has intelligere multi profitentur: sed longè absunt ab intelligendo præter admodũ paucos. Quæ igitur gubernatio propriã vocẽ erga deos & erga homines emittit: consentaneásq; voci actiones reddit, ea viret semper atq; servatur. quòd si vocẽ alterius imitatur,interitũ recipit. Ad hęc Euphreus tibi perutilis esse poterit:quãvis & ad alia fortis sit. Rationes.n. monarchiæ, id est,principatus uni⁹, nõ minus quã eos qui apud te sunt,eũ inventurum esse spero. Ad hæc igitur illo fretus,utilitatem ex eo percipies. & referes ipsi tu deinde quàm plurimam. *Epist 5. ad Perdiccam regem.*

Lucianus: Verumtamen quid facerem? persistendum enim est in iis quę semel cœperis, quandoquidem mutare consilium Epimethei opus,non Promethei est. *tom. 1. tit. Prometheus es in verbis.*

Arrianus: Cùm ad Priscum Helvidium Vespasianus misisset, ne in Senatũ veniret: Potes te,inquit,est, ne me Senatorẽ esse patiaris. quamdiu aũt me loco nõ moveris;est in curiã mihi veniendum. Age:at ingressus taceto,inquit. Ne mergã,& tacebo. At est mihi rogandum. Et dicendum mihi, quod rectũ esse putaro. Verum si dixeris,occidam te. Quando ergo tibi dixi me immortalem esse? tu tuum facies:ego meum. Tuum est occidere;meũ,mori nõ trementẽ. Quid ergo promovit Priscus,cùm unus esset? Quid verò promovet in veste purpura? quid enim aliud, nisi quod & in sese eminet, ut purpura; & cæteris exemplum honestum præbet? Aliter autem tali statu rerum, Cæsare interdicente Senatu, respondisset,se gratiam ei habere,quòd sibi parceret. Talem ne in Senatum quidem venire vetuisset; cùm sciret eum,aut tanquam fictilem statuam assessurum; aut si loqueretur, ea dicturum quæ Cæsarem velle sciret, ac plura etiam accumulaturum. *lib. 1. cap. 2. Comment. in Epict.*

Hierocles: Consilium adhibe priusquam res geratur; ne absurda fiant. Hominis nempe miseri est, ea facere & loqui quæ stulta sunt. Consilii prudentia & virtutes parit, & perficit,& continet, parens simul earum,& nutrix,& custos. Cùm enim tranquillè quam vitæ rationem inire debeamus, agitamus; tùm eligitur virtutum præstantia. Cùm enim fortiter omnia virtutis nomine certamina obire consilium statuit, atque jam virtuti comparandæ assevit,in calamitatum etiam perturbationibus mentem retinet incontaminatam; nec iis, quæ foris tumultuantur,ulla ratione adducitur, ut mutato instituto aliam existere felicem vitã existimet, præter eam, quam per se optimam judicavit. Quo fit,ut recti consilii opera tria reperiantur. Primum,vitæ optimæ delectus: alterãm cultus illius, quam delegimus: tertium constans eorum observatio,quæ rectè instituta sunt. Est verò horum quidem primum,ratio illa, quæ opus anteit, à qua manãt actionum principia. Medium verò, quæ cum opere existens,singula,quæ fiunt, principiis primis accommodat. Ultimum autem,quæ in opere res ipsas examinat,& judicat an rectè factæ sint. Elucet verò in omnibus consilii boni præstantia, quæ virtutes modò pariat: modò nutriat; & tertiò tueatur. Unde fit,ut in eo nobis & principiũ, & medium,& finis etiam bonorum sita sint; nosq; unum & malis liberet,& virtutibus augeat,atq; cumulet. Quia enim natura nostra rationis est particeps, atq; ideo deliberationis capax: cùm propria voluntate ad consilia vel prava,vel recta ducitur; tùm quidem quæ secundùm vitã est,vim servat ipsius: corrumpit autem, quantum potest,quæ id eligit, quòd non decet.

Est verò sempiternæ rei lues malitia; hujusq; parens consilii pravitas; quam evitare adhortatur versus,ne fiant,quæ stulta sint. Sunt autem stulta,quæ misera,& mala. Ea enim dicere & facere,quæ mente carent,miseri hominis est,id est,infelicis,proprium. Sin autẽ ante opus consulueris, nec ipse dices quicquam, nec facies, quod stultum sit: quibus necesse est eos molestia affici, qui temeritatis culpæ sunt affines. Arguit enim electionis futilitatem pœnitentia; cùm experientia damnum indicat: non aliter quàm ejusdem soliditatem consilii probitas; cùm in rebus ipsis utilitatem ostendit: utilitatem,inquam, non corpoream, non externam; sed nostram ipsorum, quibus ante opus consulere præcipitur,atque ea perficere, quæ molestiã nobis (qui animus sumus) non pariant. Quid enim prosit perjuriis, cædibus, aut aliis ejusmodi maleficiis, divitias parare, externisque opibus abundare:iis autem bonis egere,quæ animo conferunt? Nec ad id vel advertere,atque ita malum augere vehementius; vel si admissorum conscientia in eorum sensum pertrahatur, animo distorqueri,& pœnas inferorum metuere, solamque in eo medicinam invenire, quòd effugium nullum sit; unde malum malo curare ipsi promptum est; dum animi interitu sceleri suo abblanditur, dignũque se judicat, cujus nihil post mortem supersit, ut judicii pœnas effugiat? non enim vult qui malus est,esse sibi animam immortalem; ne scelerum ultionem patiatur. Itaque judicem, qui apud inferos est, prævertens,morte se ipse condemnat; tanquam ne sceleratum quidem animum subsistere deceat. At iste quidem, tanquam consilii inopiã ad militiam delatus, sententiam adversum se tulit non malè intemperantiæ suæ respondentem. Sed inferorum judices tanquam ad veritatis normam judicia revocantes, non statuent debere animũ minimè existere; sed sceleratum non esse; & dabunt operam, ut redundatur ipsius malitia, adhibitis ad naturæ salutem castigationib⁹, medicorum more, qui maligna hulcera sectionibus atq; ustionibus curant. Pœnas deinde scelerum exigent,pœnitudine animi nequitiã delere satagentes; non ipsam ejus substantiam de rerum natura tollere; sed perturbationum potiùs, quibus corrumpebatur, purgatione,in pristinum statum revocare. Est enim periculum ne esse desinat hominis animus,cùm ad id,quod est præter naturam,divertitur. Cùm autem ad id, quod est secundùm naturam revocatur; ad suam ipse naturam reducitur, purámque illam existendi rationem rursus assumit,quam cupiditatum mixtione corruperat. Itaq; maximè quidem conari oportet,ne quid peccetur. Sin autem peccatum est,ad justitiam statim,tanquam ad scelerum medicinam,confugere; ut pravum consilium præstantioris ope corrigamus. Cùm enim probitate excidimus, quam habebamus; eam rursum justæ pœnitudinis auxilio adipiscimur; cui divinam correctionem admittimus.

Est verò sapientiæ principium pœnitentia ipsa, stultorumq; sermonum, atque operum fuga, primáque ad vitam, cujus pœnitere non queat,instructio. Non enim molestiis ille obnoxius est, quæ temerè accidunt,qui rectè consilium init,priusquã geratur aliquid: nec se rerum principia, atq; occasiones dare ignorat, quarũ finẽ atq; exitum reformidat: sed semper ei adstipulatur quod adest, eorum fortuitos eventus, quæ solent aliter contingere, rationibus expendens.

dens. Quo fit ut nec eorum expectatione, quæ bona nuncupantur, quod verè bonum sit, contemnat, nec metu etiam contrariorum, mali quicquam admittat: sed mente semper ad divinas leges intenta, suâ ipse vitam ex earum instituto dirigat. Ut autem scias miseri esse hominis ea dicere, & facere, quæ stulta sunt: Medeam in tragœdia intuere, ut vicem suam lugeat, quæ ingenti amore correpta, cùm suos inconsultè prodidisset, seipsam homini peregrino tradidit. postea verò, cum ab ipso negligeretur, indignaque pati se existimaret: ex ea persuasione, in has voces prorumpit.

Feriat caput hoc cæleste mihi
Fulgetur ——

Pergit deinde ad nefaria opera, primum ea stultè exoptans infecta esse, quæ fierent: tum furenter malis mala curare tentans. Quod si placet Homericum Agamemnonem intueri, audies & ipsum, cùm dat pœnas iræ vehementis, ejulantem, & clamantem: Turbor, mihi nec jam cor sedet intus. Ardorem deinde oculorum, qui pridem iracundiæ proclivitate accendebatur immutatis rebus ipsis, lachrymarum imbre restinxit. Ejusmodi enim omnis vita est stultorum hominum propter contrarias affectiones aliis atq; aliis mutationibus obnoxia: in prosperis quidem rebus odiosa, in adversis verò miserabilis, in spe autem præceps, in metu verò, dejecta. Omnino denique, qui caret consilii boni & recti subsidio, mutat simul & mentem cum fortuna. Ne ergo hujusce generis dramatis repleamur, dum ea dicimus & facimus quæ stulta sunt, recta ipsi ratione, tanquam duce, in omnibus utamur, & Socratis illud imitemur, quo se dicebat nulli suorum posse assentiri, nisi rationi, quæ recta monere visa esset.

Sunt verò nostra, non autem nos, omnia illa, quæ ad rationis ministerium data sunt, ira, cupiditas, sensus corpus ipsum, quod instrumenti vice facultatibus istis in usum conceditur: quarum nulli decet credere, ut ait, nisi rectæ rationi, id est parti illi rationi præditæ, quæ secundum naturam se habeat. Potest enim & illa perspicere quæ dicere & facere conveniat. Est verò idem rationi parere, atq; Deo. Natura enim quæ rationis est particeps, cum splendorem suum, suamq; lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, quæ divina lex statuit: nec discrepat à Dei sententia animus, qui secundum Deum se habeat, sed divinitati atq; splendori intentus ea facit, quæ facit. At non ita qui contra se habet, quippe qui Deum non agnoscat & in tenebris temerè, proutq; fortè contigit, pervagetur, mente scilicet, atque Deo, tanquam sola bonorum regula, destitutus. Tam multa adeò, & varia existunt consilii recti commoda. *cap. 27. Carm. Pythag.*

Hieroc'es: Est tum consilii tempus idoneum cùm res sunt adhuc integræ. Unde Pythagoras: Ea porro facito quæ tibi non noceant, & considera priusquam facias. Solent verò quæ sunt ejusmodi, nobis augeri eorum familiaritate, quibuscum vivimus. corporis præterea moderatione, cum quo sumus copulati: & facultatibus etiam ipsis, quæ auxilii caussa repertæ, ideò χρήματα nuncupati solitę sunt, quòd corporis usui subserviant. Significat ergo huic esse diligenter cavendum, qui divinorum bonorum cupiditate ducitur, ne eò adducatur, ut quicquam ipse faciat quod in suam utilitatem non cedat: nec corpori indulgeat aliquid, ex quo postea dolorem percipiat: nihil denique amplectatur, quod à sapientiæ studio animum avocet, cujusque ipsum paulo post pœniteat. *cap.* 39.

Dio Prusæus: Veri simile quidem est, (ô viri Rhodii) multos vestrum existimasse, me huc ut proprii cujusdam negotii causa vos convenirem, advenisse. Itaque quum senseritis me quiddam vestrarum rerum communium corrigere, indignabimini fortasse, quod neque civis, neque à vobis accersitus consulere velim, præsertim de eorum nullo de quibus deliberaturi convenistis. Ego verò si vobis audientibus, nihil quod oporteat, aut de aliquo non admodum necessario dicere videbor, merito sane utrunque me vocari aio oportere, pariter & stolidum & curiosum. Sin verò quantum fieri potest & maxima de re, atque ea valde viciose dispositа, ut publicè civitas propterea male audiat, & vos omnes cæteris in rebus bonam habentes famam, per hoc unum rumorem non convenientem habeatis: jure mihi gratiam habere debetis, & existimare me vobis benevolum esse. Manifestum est enim quod qui vos non vehementer diligat, non erit unquam de aliis vestris rebus sollicitus, quæ vel turpitudinem vobis, aut detrimentum adferunt.

Proinde absurdum, quod si quis vobis, aut hospes, aut inquilinus, ultrò donet argentum, accipitis, neque eum putatis curiosum, quod nulla vobis necessitudine junctus, neq; vobis petentibus largius est: consulentem vero quid utile, difficilius audieritis, qui neq; vocatus sit, neq; civis. Atqui pecuniis quidem neque vos fortasse in præsentia indigetis: & sexcentos invenire licet, quibus magis profuerit auferre eas quam adjicere. bono autem consilio nemo est qui non indigeat omni tempore, & ad omnem vitam, ne is quidem qui felicissimè degere videtur. Si igitur de propositis dicerem, non tantam ex me caperetis utilitatem. verisimile enim esset, per vos ipsos eo semel quod sit facto opus considerato, me supervacuum facere sermonem: quia vero illud, de quo neque principaliter quæritis, quorandem pacto se habeat, ostensurus sum turpissime fieri, qui fieret, ut non rem omnino vobis utilem facerem, si quidem veritatem dicere videbor? Existimo autem ego omnibus convenire hominibus ut amplectantur eos qui benevolentia moti quicquam dicunt, urque hujusmodi neminem censeant molestum: maxime autem vobis, viri Rhodii. Palam siquidem est, quod hujus gratia coeatis consultaturi quotidie: & non sicut alii, difficulter & ex longo intervallo, & pauci quidam ex ingenuis habitis, ut vobis sit ocium de omnibus audiendi, nihilque indiscussum relinquatis. *Orat. 31.*

Dio Prusæus: Age igitur, quantum tacetis, & sustinetis primum quidem illud, nisi antè liquide nostis demonstrabo, quod animo indigeatis in prudentia, resq; vestræ ejusmodi sint, quæ consilio opus habeant, multaq; providentia. Deinde quod nemo vos facile possit quid in iis fieri oporteat, admonere, partim quidem propter ignorantiam, quid conducat: partim autem quod aut vos aut alios metuant, & sua ipsorum nonnulli magis fortasse cõsiderant. Præterea, quæ mea sit de iis sententia, & quibus nam à vobis factis circa res præsentes, & quo pacto in universum præsidentes civitati, in omnem reliquum deinde tempus conducere putem. *Orat. 34.*

Dio Prusæus: Quamobrem vobis tandem videtur Homerus hosce de Nestore fecisse versus, Agamemnonem atq; Achillem docente, eisq; dante consilium, ne inter se dissiderent:

Quippe viri ego cum longe melioribus olim
Versatus sum, quam vos estis: nec tamen illi
Consilium spreverе meum. Tales ego nondum
Namque viros vidi, nec sum visurus opinor,
Qualem Pirithoum, regemque Dryanta popelli,
Caneaque, Exadiumque, ac dîis similem Polyphemum, &
Theseа, quem genuit similem immortalibus Ægeus:
Robore præstabant cunctis id temporis illi.
Robore præstabant, & cum præstantibus acri
Robore pugnabant Centauris, atq; sub umbras
Horribili tandem miserunt Marte peremptos.
Hic tum conversabar ego, accersitus ab ipsa
Vsq; Pylo, terra è longinqua. namque vocarant
Ipsi, pugnabantq; meu pro parte, quibus cum
Haud pugnet quisquam nunc hoc qui tempore vivunt:
Consilia audiverе tamen nostra, atq; libenter
Nostris cesserunt verbis. at cedite & ipsi:
Quandoquidem melius longe est, concedere semper.

An non arrogantem fecit Nestorem, de Pirithoo atq; Dryante dicentem, deq; aliis quod fuerint admirabiles natura, multoq; illis meliores: ipsius tamen indiguerint consilio, veneritq; accersitus in Thessaliam ex Pylo, quum rogasset apud ipsos ut esset, atq; dissereret? Quippe dicens, quod fortissimi erant hominum, quasi magni alicui sallis videtur perhibere testimonium, quod ipsius consilium audiverint, sermonibus paruerint. An hoc malum est, uti ferè dicimus, quod omnibus rectè dicentibus, nemo unquam obtemperat audientium: atq; idem est non obtemperare, quòd non audire?

Age verò & alia consideremus, rectè sint dicta, an per arrogantiam. Certum est igitur, quòd fatui omnes contemptui habent homines obscuros, nihilq; illis attendunt, etiamsi optima dent consilia. Quos autem viderint honoratos à vulgo, aut à summis magnatibus, illis non dedignantur obtemperare. Unius certe huius gratia Nestor semetipsum commendat quod multis & potentibus antea potuerit persuadere: & quod illi, juxta ipsorum intuitum, stupiditatemque, si non parerent, suum consilium forent repudiaturi: non ideo quod non de maximis etiam rebus consilium dare posset. Quemadmodum igitur, si se vituperatus, dicensque, quod nunquam quisquam ipsum ulla de re consuluisset hortari potuisset Agamemnonem atq; Achillem, ut sermonibus obtemperarent, non utique cunctatus esset semet vituperare: ita si suam ipsius laudem eò profecturam putavit, merito se laudavit. An non enim stulti hominis est, si erubescat semetipsum laudare, quum maxime sit profuturus? Quemadmodum opinor eregione quoq; stulti esset gravitatem præ se ferre, & multa de se dicere, quum periculum aut detrimentum sit. Sicut igitur, quando medicus aliquem secare volens aut urere, aut alicui præbere bibendum amarum pharmacum, hominem sciens esse timidum & fatuũ, aliorum facit mentionem à se servatorum, ut persuasus sustineat curationem, & nemo dicit hoc eum per arrogantiam dicere: ita mihi videtur, ne Nestor quidem crimen merito incurrere arrogantiæ.

Una igitur hæc erat utilitas illorum sermonũ. Altera verò, quod sciebat Agamemnonem atq; Achillem, non aliter delinquere, quàm per superbiam. Homines autem tunc maxime ferè existimabat contumeliosos & superbos esse, quando alios contemnerent, multoque se existimarent esse inferiores, elati propter gloriam aut potentiam: aut certè Agamemnonem atque Achillem propterea elatos esse noverat, & dissidere, ob jactantiam videlicet utrunque. Hic enim putabat, ut Pelei & Thetidis filius, atque longè cæteris antecellens pugnando, sibi convenire, nemini prorsus obtemperare, neque se meliorem quenquam existimare. Agamemnoni verò superbiæ causa erat regni potentia, & omnium Græcorum monarchia. Quum igitur ex his eos cerneret corruptos, atque inter se non posse esse concordes, sed animo tumidos, ut postea ait Achilles,

Aſt ira mihi cor tumet, illius memor ut sum:

volebat eos humiliare, aque fastu detrahere, si posset: quemadmodum qui tumentia pungunt, aut stringunt. Propterea virorum meminit celebrium, potentiumque, atque etiam (ut opinor) prioris seculi, sciens neminem illorum existimationem imminuere posse. Siquidem non illorum fecit arbitrii, quam haberent de viris sententiam: sed ipse pronunciavit apertè, quod multò fuissent meliores quàm illi, si forte possent fastus aliquid atque insaniæ remittere.

Nunquid temere vobis videtur Homerus hos attribuisse Nestori

sermones, quem ait hominum esse eloquentissimum sermonumque illius vim assimilat mellis naturæ quòd sanis quidem jucundissimum & dulcissimum est, ægrotantibus vero & fabricitantibus (ut ajunt) molestissimum: eiusq; naturæ est, ut hulcerosa & affecta purget mordeatque? Etenim & Nestoris sermo aliis suavis visus est Achilli atque Agamemnoni, ægrotantibus corruptisque ab ira. Quare illius non auscultarunt consilio. Proinde ne hoc quidem frustra, dixit Homerus, neq; fortuito, quemadmodum putant quidam. An videmus vobis pueri, quibus os depascitur & hulceribus est corruptum, non indignari atque clamare, si gustent mel? Cæterum de his hactenus.

Illud autem animadversione dignum ex prædictis, si quis cum hominibus colloquens, narret illis, quòd & antea collocutus sit cum aliis multo melioribus, vel populis vel regibus, vel tyrannis: neque non auditus sit, sed habuerit obedientes & obtemperantes: an æquum sit, ut arrogans videatur: quasi propterea illorum meminerit sermonum, ut sit admirationi, & videatur beatus: an potius, ut obedientes habeat auditores, imitans Nestoris doctrinam? Quippe absurdum est, si Socrates quidem habitos in Lyceio sermones, modicũ digressus recitavit in Academia: habitosq; in Academia, rursus in Lyceium veniens non gravatus est disserere: & tantum jam tempus est, ex quo tot docent tragœdias comœdiasq;: nos autem absurde videamur facere, postquam sermones vultis aliquos audire, si habitos apud imperatorẽ nunc recitemus: quasi nihil referat scire, utrum fructuosi sint & utiles, atq; vobis aliisq; omnibus hominibus idonei, an viles atque inutiles. Bene enim scitis, habitos vero apud reges, publicis esse votis aut execrationibus similes. Unde ego Persam neq; in aliis prudentem fuisse arbitror, neq; in eo quòd vulgares homines in omnes emiserit terras, quos regis appellavit aures, illisque omnia auscultare commiserit: quum oportuisset custodire regis aures, multo magis quàm auream platanum, ne quid odiosum atq; damnosum audirent. *Oratione 58.*

Aristides: Est contentiosorum, ni fallor, pejora velle decreta conservare; prudentum vero & civitatem amantium, ad res sese accommodare neq; enim plebiscita res bellicas corrigunt, verum pro rerũ bellicarum ratione facienda de illis plebiscita sunt. Atq; illi quidem nihil dicunt aliud, nisi quia initio fuimus excitati, nunc quoq; porro peccandum esse, ac malum malo sanandum, &c. *Oratione Sicula posteriore.*

Aristides Rhetor: Quando consultatione possumus superiores evadere, quid opus est pericula suscipere? deinde prælio vincere, vulgaribus etiam hominibus contingit: prudentia & sapientia superare, tantum est eorum qui consilio valent. *Orat. in Regem.*

Julianus Cæsar: Consulendi vim, eorum omnium quæ in agendo bona atque utilia sint, optima quæq; commisci atq; excogitare, credimus. *panegyr. 1. ad Const. Aug.*

Libanius: Quæcunque consilia humanum ingenium superant, hæc committenda sunt Deis. *Orestis oratione contra matrem.*

Libanius: Homerus Patroclum lenem nobis exhibet, & ad misericordiam propensum: mellitum enim eum nominat. Achillem verò asperum, fastuosum & excandescentem in versibus memorat. Quare oportuit, ubi benignitate opus fuit clementem, ejus qui minimè talis erat consiliarium esse. Hinc fit ut Patroclus Achilli adsistat lacrimans. *præloquio orationis Patrocli ad Achillem.*

Libanius: Date mihi igitur hoc ambo, ut generosa vestra acta audiam, mutuis dotibus & subsidiis inter vos communicatis. Nam robur consilii expers, & sagacitas viribus carens, parvi momenti & efficacitatis sunt: cùm autem simul convenere, plurimum pollent. *Oratione Patrocli ad Achillem.*

Libanius: Neq; ii qui non condolent ægrotanti, sanare possunt id quod dolent, cujus nulla ipsis cura est, neque morbi sui medelam ægrotans acutè videt. Solus ergo consiliarius certus est, cuius neque ingens animi æstus rationem obtundit, neque lex amicitiæ segnem esse finit. Equidem is ego sum. *Oratione Patrocli ad Achillem.*

Libanius: Quamvis robur res sit in bello præstantissima, tamen consilium bonum plus sæpe pollet quam manus. *Oratione Ulyssis ad Troianos.*

Libanius: In omnibus quidem Homeri sententiis reperire est intelligentiam rationemque consentaneam & præsens lucrum, si quis parere velit, mihi tamen alias vincere, & longo quidem spacio, illa videtur quam de consiliariis pronunciavit, non esse eis totum noctis tempus somno tribuendum. Ipsum etiam certè Homerum si quis interrogasset, non aliud responsurum fuisse puto, quam alias omnes longè esse hac inferiores. Quo argumento? Non Nestor illam, non Ulysses, non ille aliquis Græcorum, sed Deorum summus qui proferat introducitur. neq ille certè, nisi intelligeret præstantissimam esse, omnium Deorum præstantissimo eam accommodasset. Animadverte igitur, quàm utrinque prævideri quod utile esset, & in homine, & in re, non enim prorsus dormiendum non esse dixit, sed non semper dormiendum itaque somni pars principem conservat, vigiliarum principatum, propter hæc partitur noctem in quietem & consilium, sine quo celeriter cùm ipse, tum ii quibus ad prospiciendum præfectus est perierint, præsertim si forte bellum gerat & multis præsit. Sed consideremus quomodo. Sunt legiones ducibus, sunt sæpe & navales copiæ: sunt sagittarii, funditores, levis armatura, denique omne genus hominum ad bella idoneum, horum ipsi omnium cura gerenda: de quibus si rectè fuerit, in hæc illa ut conservetur, sin aliter, in meliùs ut correcta commutentur. Atque eum dux, quẽ viderit in arte exerceri sua, collaudabit: eum qui noluerit se præbere militem strenuum, increpabit: atq; illi præmia, huic pœnam constituet: item alium ad sanitatem mentis revocabit, alium reddet meliorem. Idem & spiciet nautas, gubernatoris arma, vectigalia, occasiones, opportunitatem temporis, quæ exercitui momentum aliquid belli adferat. hic vestigare hostium consilia debet, atque hoc tamen agere, ne sua illi reclicant. Si faciendum prælium equestre erit, hoc videbit: si navale, hoc quæret. utrum machinæ amovendæ, an hostes prodition circumveniendi ipsum inter hostes seditionem excitare, inter suos resecare oporter. Ille navibus afflictis medebitur, velocissimas ad rem gerendam emittet, novas ædificabit. Rem divinam Deus faciet: utetur divinis. Nemo comprehendere numero queat, quam multa negotia proposita sint regibus horum singulis, & consultis & factis est opus, inconsulto enim ad res gerendas aggredi sæpe nocet, persequentibus ea nobis quæ fugere debuissemus. sed consulere tantum, neque agere quidquam nihil prodest. nam deliberatio omnis expers actionis afferre boni nihil potest. quare, ut dixi, animobus opus: eritq; jam actionum tempus dies, consiliorũ verò nox, sin illum somno dederimus, & in hanc amborum propria contulerimus, erit tempus brevius quàm usus requirit. accidetq; horum alterum, vel ut ad rem accedamus antequam optimum esse intellexerimus: vel si optimum esse intellectum sit, in usu rerum impediamur. Ad hanc necessitatẽ reges adducit tum subditorum tum negotiorũ multitudo: quæ cùm absunt, obdormiscere concessum est. Id ex eo cognosci potest, quod ne detrimento quidem unquam plebejum aliquem somnus affecit, parva enim sunt quæ tenet, ædiculæ nempe humiles, res vel quatuor familiares, & denarii non multi: fuitq; satis ei spatium diurnum, tam ad consulendum quàm agendum. quid totum illud dico? una brevis pars illius hæc ambo capit. ac si quis huic illùd subjiciat, non dormiendum: hoc suppetet, non multis se præfectum rebus, iis certè quibus usu venit, ut penes ipsos sit inultorũ administratio, maximum damnũ allaturus sit somnus si non fugiatur. Non tu enim cernis gubernatorem (quem non erraturus videtur qui navis regem dixerit) residentem noctu ad clavum, oculis ad sidera erectis, nequaquam contendentem de quiete cum nautis: qui cum accelerantes jaceant otiosissimè alii quidẽ fusi per transtra, alii in carina, haud ille invidet eis hoc otiũ, sed has ipsis sua vigilantia delicias conciliat. Non perpulit oborta nox Hectorem ut quiesceret, sed maximas in illa res gerere voluit, itaque & coëgit quos oportuit, & pollicitis ad explorationem idoneos excitavit. neq; finem mihi quisquam, sed hoc potius consideret, quenam ratio consilii fuerit. nam illius fortuna domina est, hoc à nobis ipsis petere solemus. At Agamemnon ille, si somno censeret esse serviendum, quis princeps suscitaret ad conveniendum? quomodo Diomedes adjuncto Ulysse exploraret hostium res? Hoc etiam pacto Trojam Græci subegerunt. hæc occasio urbem Priami tradidit Achivis, cum Trojani ebrietatẽ oppressi, ipsi vero somno inferiores non essent. Quid vero prisca afferre opus? aut cui ignotum vulgi sermone tritum proverbium? noctu urgenda cõsilia quo a sensu sapiens Sophocles Noctem dixit vocabulo de mente ducto? num quidne ideo, quod tum mentis vis in hominibus maximè exerceatur? Hunc spectas, excutiat somnum rex, sciatque non posse fieri simul ut otio indulgeatur, ac multis ut imperatur. *in progymnasmatis.*

Libanius: O fili, dum dives eris, & vir esse civibus tuis visus fueris, & cognoscere quæ facto opus fuerit, & quæ par dicere quando cui quid suaseris. sin te impensas facere non adverteris, penuria tuã prudentiam lædet, & ne optima quidem enuncians, illum unquam morem gerentem habebis. Est enim hoc hominibus cõmune, ut locupletibus animum attendant. nam eo quod possunt quæ volunt, & quod præstantissimum est, videre aliis posse videntur. *Declam. 10.*

Libanius: Sæpenumero natura etiam juvenibus dicendi quæ utilia sunt facultatem suggerit, & prudentius quàm tempus ferat disserere concedit. non enim ætatis munus & officium est, sed animi potius qui rerum vim judicare sciat. *præfatione declamationis 24.*

Libanius: Quanam de causa populus arcet à cõcione & suggestu juventutem, ætate autem provectis, liberè & securè loqui concessit? nonne perspicuum est, quod hos quidem sapere existimet, & ob experientiam, quod conducibile est in urbem inducere, illos autem exterrare putet, quia ætas nondum instructa est ad videndum quid in rem sit, & negotia dijudicanda. *Declamat. 24.*

Libanius: Quid ais? urgente ærumna consiliarium procrastinare jubes. igitur etiam Thebanis persuasum esse oportuit, ut bellum differrent. *Declamatione 24.*

Libanius: Eum qui laudat prædationem, non videmus ab alienis conjugiis abstinere: verum hunc quidem dissecantẽ connubia: hunc verò muros effodientem, & plane in ejusmodi, acta dictis esse consequẽtia si quis verò ab his ad quę alios impellere vult quã longissimè recedit dictorũ cõsilium factorum exemplo destruxit: dum eo quòd infirmius est incitat, eo quod potentius existit avertit. Verbi gratia, si quis ad pecunias populo largiendas hortatus, ipse suis parcat, largitionem prohibuit, iis quæ de suis cõstituit, si quis in prælio cum hostibus manus conserere jubens, super his exhortationibus aciẽ & stationem deserit, omnes timidos reddidit, cùm factis potius terruerit, quàm verbis firmaverit. Atq; omnino in ejusmodi rebus, cõsiliarius fidem facit qui primus actiones quas aliis suscipiendas consuluit, aggreditur. Si ergo Socrates peierare & furari, & vi opprimere, atq; alia quæ Anytus objicit, doceret; cùm sibi contraria suasisset, Deos venerari,

rari,pecunias contemnere,moderatum esse,temperantem,æquum & probum: ludere verbis videretur, cùm talis non comprobaretur factis:& honesta revera censere,non ea quæ dictitabat, sed ea quæ vita confirmare visus est :ita ut neglectis sermonibus, illa potius præstaret. *Declamat. 29. apologia Socratis.*

Libanius : Quis nescius est multos eorum qui magnas facultates possident, in concionibus consilii inopes mutuos considere: multos autem egenos quæ profutura sunt dicere:rursus verò utrinq; sententiis prolatis,tum ab iis quibus amplæ opes suppetunt,tum ab iis quibus argenti parum est:illi quidem non rectè sentire visi sunt:hi autē optime consulere. Quapropter rectè opinatur Socrates,dum virtutē dicendi eruditorū,non opulentorū esse censet.& tamen Athenienſiū certè dites sunt multi,pleriq; verò sunt inopes. itaq; juxta Socratem multos vestrū benedicere constat:at juxta Theognidē pleraq; populi pars ignobilis est. Jam utet melior,ô Dii,cōsiliarius & urbi & privatis, qui pecuniarum aviditate insanit, & suadet honestos existimare eos qui pro opib.& labores,& pericula,& audacia facinora,& mortem subeunt:vel si quis ad prudentiā potius quàm ad opulentiā cohortatur, hoc igitur à vobis& urbis morib.edocebatur Socrates,& aut vobiscum errabat,aut vobiscum crimine purgatus est. *Declam. 29.*

Libanius : Quotquot à monente suasi sunt, dum eundem ab aliis dedecoratum vident,non amplius hujusmodi virum consiliariū esse censent,qualem ante ignominiam illatam existimabant. *Decl. 31.*

Libanius : Si nunc cum omne cōfecerim negotiū, præter meritū tibi premium postulare videor,quanā dignus remuneratione videre, si præclarum facinus cōmuni suffragio populi factum esset? At enim is qui opere pretium aliquod facere cogitat, nec tamen an bene consultum sit, confidit donec alii annuerint, non sibi boni consilii laudem comparat,sed iis potius quibus fidem habuit, ut de sententia rei de qua agebatur disceptarent. *Declamat. 31.*

Libanius: Verū nihil hic habent isti quod dicāt,qui nihilo levius quàm fortuna,in nos insultant ac sæviunt:tum quia sentētia,populo non cōmunicata quod in mente habui perfeci , hoc delatione & lite mulctant. Equidē si probe nossem populū de reb. meis aliud quid cō silii daturū , præter id q̄ mihi ipsi justum existimatū fuerat, forsitan cē suissem in judicū potestate sententiarū suffragia cōstituenda esse: atq; ex illorum arbitrio cum liberis qui deliquerant agendū esse: sed quoniā eadem quæ ego decreturi erant, ac nihil præterea, non mihi jure hac tua cōsultatione insuper opus fuit. Nam in quib. perspectū non est quidnam agendum sit; hæc ut cum populo communicentur expedit: ut hic ubi quod factu opus erat manifestum est,nonne etiam supervacaneum fuit concionem adhiberi. *Declamat. 35.*

Libanius: Ad hæc te reipublicę regimen,infortunate redegit:huc te miseriæ adduxit,quòd fortunam nō agnoscere, à decretis illis generosis à te propositis divū istud malum exortū est: à legibus conducentibus,à populari loquendi libertate. præclarumne sententiā optimam enuntiare,& suadere quæ expedirēt & vetare quo minus fierēt: quæ non decebat? præclarum,verū lubricum justum cū patria laborē exantlare,& de libertate sollicitū esse,& aliqd fraudis machinantē locupletē coarguere? justū,atqui non tutū. Legibus cōfidebas ad subsidiū: deinde nesciebas sępenumero leges à pecuniis vinci? nō audieras poētas canentes opulentiæ vires,& ut res mortalium quo lubet agat?

Philostratus: De iis quorū causa rex ad nos venis,noctu disputabimus id.n.tempus ad capienda cōsilia est accōmodatius. *lı.3. Apol.c.8.*

Philostratus: Intromisso ad vespasianum Apollonio,infit,Dion & Euphrates familiares tui jamdudum ad fores expectant, rerum tuarū curatores procul dubio diligentes. illos igitur vocari jube , ut etiam cōmunibus sermonibus interſint,cùm sint viri sapientes. Tunc Imperator:Ego inquit sapientib.viris fores patere semper volo, tibi aūt non fores modo,sed pectus etiam meum apertum esse. *lib. 5.cap 11.*

Basilius Imp. Lauda ex familiaribus non eos qui tua omnia & facta& dicta probabunt,sed potius eos qui peccata interdum tua reprehendent:eos enim ego & amantiores & sapientiores esse judico. semper.n.veritas mendacio preferēda est. Et quos sapere & tibi benè velle intelligis,eis libertatē ingenuè tibi loquēdi cōcedes:ita habebis quibuscū de rebus,quas ignoras,optimū consiliū capere possis:& ad hūc modū si te cōparaveris,cognosces nō eis qui artificiosè adulantur,sed iis qui cum benevolentia syncera serviunt tibi,adhærēdum esse:horum enim utilitate,& illorum pernicie explorata,ab istis cavendum, illis autem acquiescendum esse judicabis. *Cap. 48.*

1. *Leo Impe.* Omnem actionem cōsilium antecedat: inconsulta enim rerum tractatio haud satis tuta est. Nam quanquam interdum quis glorietur se,quasi simul & deliberaverit & res suas gesserit, res multas prosperè atque ex tempore gessisse, tamen perrarò aliquid tale usu venire fortunatè solet.

2. Propterea in primis præcipimus tibi,ut ante omnes res suscipiēdas,maximè aūt bellicas,consilium cum iis præfectis capias, qui tibi ad hoc idonei videbuntur : cuius generis turmarchæ reliquiq; sunt. Ubi verò firmitatē aliquam habere cōsilium videbitur , rē ipsam de qua deliberasti omni studio ac diligētia cōtendas ad exitum perducere,nisi si (quod perſæpe solet accidere)aliquid interim adversum& contrarium consilio contingat. Consilium autem quidnam tandem sit,& quemadmodum consilium turò expedire possis,explanabo.

3. Consilium est deliberatio quædam de re agēda vel non agenda. Si res agenda non sit, statim sistendum tibi est:sin agēda non sit, statim sistendum tibi est: sin agenda sit, modum agendi vel quomodo, tempus vel quando,ubi vel locum,quid vel rem agendam, quem vel personam qui hoc susceptūrus & ad exitum perducturus est , propter quid vel causam cuius gratia res suscipitur considerare oportet.

4. Qui deliberaturus secum est , ante omnia suam ipsius mentē ab omnibus perturbationibus liberam habeat,maximè autem ab amore vel odio atque omni alia perturbatione , quæ rei de qua deliberatur damnosa esse potest.

5. Deinde non solū quid facile sit eligito, & in hoc incumbito sed etiam omnia quę usu venire possunt,animo propicio:fortassis enim post rem incœptam aliquid se tibi quod in primis conducibile est, offeret, quod antea prætermisisti.

6. Quod si tecum ipse nō solum capere consiliū,verumetiā alios assumere volueris , teipsum tamē perinde ab omni perturbatione vacuū præbe,ac si solus deliberares. Consultores a.adhibe experientes rerū, providos, spicaces,ærumnarum ac prosperitatis tuę socios,ad excogitādum solertes;fideles,qui neq; tibi ad gratiā obtemperabunt,neq; illi qui rei susceptor existit,neq; sibi mutuò,sed qui quod cogitāt dicunt,qui simplici animo & incorrupto sunt,nullumq; ex iis reb. lucrum quærunt, sed eo ipso tempore quid maximè utile sit explorant.

7. Sunt enim q̄ cum lucrum aliquod aut cōpendium,aut ad se, aut eos quos charos habent arq; diligunt , pertinere posse vident, totam judicationem rei eò transferunt : & quia pertinaces sunt, universum consilium ab utilitate communi,ad id quod ipsi volunt deducunt.

8. In reb. occultis &abditis fideles adhibe tibi & tēperantes viros& taciturnos,& qui in sua & nō aliorū potestate sunt,cū secretæ res istæ, ut secretiores fiant, minimè ad cognoscēdum multitudine indigent.

9. Delibera tardè , nisi aliqua necessitas celeritatem requirit: vbi consulueris,si nullum impedimentum sit, maturè facito.

10. Tempus & locum,quemadmodum prædictum est,rei idoneum elige. Sed de ea referas non ad teipsum solùm, sed etiā ad omnes qui tecum consilii participes fuerant , & quid facto opus sit cum multis delibera : quæ verò agere volueris, cum paucis communica , & ubi optimum ex omnibus consilium ceperis , apud te solum tene, ne adversariis hoc indicetur,& insidiis illorum appetare.

11. Res ipsæ diversas& plurimas sæpe afferunt sentētias.fortassis autem quævis res circumstans omni ex parte manifesta fiet, si singulæ consultorum sententiæ inter deliberandum in unum conferantur.

12. Omnes autem debent huc spectare & convenire,ad salvam atq; illæsam multitudinem conservandam,& ad curam provisionemque eius qui eos convocavit suscipiendam.

13. Finis cōsilii sit tibi,ut cognoscas in rebus gerendis ubi& quādo agendum vel non agendum sit,& qua de causa quicque agendum.

14. In deliberatione tua.& in omnib. sentētiis quæ in deliberationē veniunt,adesse hæc duo oportet,Posse illud fieri,atq; utile esse:hæc enim duo si non adsint,infirmum consilium esse & temerariū statim deprehenditur,& quasi ante oculos illius vitium cernitur.

15. Si.n.inutile sit de quo deliberas,nō modò non cōmodaberis,verū etiā lædēris.Si verò nō possunt de quib. deliberatū est perfici, inanis hæc consideratio ad temerariū exitum,quid fieri nullo modo aut via potest necessariò pertinet. In primis a. vitare oportet eas offensiones quę in prōptu sunt:vulgus.n. hominū solet rerū futurarū cogitationib. seipsos oblectare,offensiones a. circūstantes,providere nō solent.

16. Utilissima a.est in omnes partes animi quasi excubatio,& eorū quæ ulla ratione fieri possunt in cōsiderandis reb. pertractatio: ita n. fiet ut neq; teipsum nimis cæcę temeritati exponas,nec rursus nimia rerum cupiditate illectus,in manifestū aliquod discrimen incidas.

17. Rursus timor absq; ulla audacia à vitio nō abest: & qui quosvis temerarios casus formidat,temerè sępe adversus seipsum multa facit, & quæ ex usu suo sunt negligit, & ab utilibus rebus suscipiendis abhorret. *cap. 4. Tacticorum.*

¶ Romanorum.

Petronius Arbiter : Non multum oportet consilio credere qui à suam habet fortuna rationem. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Sed hoc plurib. visum est. numerantur enim sententiæ,non ponderātur: nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale quàm æqualitas ipsa.nam cùm sit impar prudentia,par omnium jus est. *lib.1. Epist.12.*

Plinius Iunior: Quāvis & amici quos præsentes habebā.& sermones hominū factum meum cōprobasse videantur, magni tamen æstimo scire quid sentias tu. nā cuius integra re cōsiliū exquirere optassem,hujus peracta judiciū nosse mirè concupisco. *lib.3 Epist.4. prin.*

Plinius Iunior. Tales ubiq; sermones,qui tamen alterutrā in partem ex eventu prævalebunt. Est enim iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia,prout male aut prosperè cedunt,ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerumq; eadem facta. modò diligentiæ, modò vanitatis, modò libertatis, modò furoris nomen accipiunt. *fine Epist. ultima lib. 5.*

Plinus Iun. Senatus ipse mirificus. nam illi quoq;qui prius negarant. Vareno quæ petebat,eadem danda, postquam data erant, cēsuerunt. Singulos enim integra re dissentire fas esse:peracta,quod pluribus placuisset,cunctis tuendum. *Epist. 13. lib. 6.*

Plinius Iun: Jam quassatis circumjacentibus tectis,quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus & certus ruinæ metus. tum demum excedere oppido visum. Sequitur vulgus attonitum,quodq; in pavore simile est prudentiæ,alienum cōsilium suo præfert,ingentiq; agmine abeuntes præmit & impellit. *lib. 6 Epist. 20.*

Incertus Panegyristes Constant. Aug: Quis nam te Deus quæ tam præsens hortata est majestas,ut omnib. fere tuis Comitibus& Ducib, non solum facilè mussantibus, sed etiam apertè timentib contra cōsilia hominum,contra aruspicum monita,ipse per temet liberan-

dæ urbis tempus veniſſe ſentires. Habes profectò aliquod cum illa divina mente, Conſtantine, ſecretum quæ delegata noſtri Deis minoribus cura, in ſe tibi dignatur oſtendere alioquin, fortiſſime Imperator, ſic quoq; cùm viceris, redde rationem. *cap.* 2.

Symachus: Jamprimum conſilio locus nullus eſt. Dehinc præſens ſtatus non ſapientiam, ſed fortunam requirit. Cura igitur ut valeas, & quicquid humana ope majus eſt, Diis permitte curandum. *lib. 2. Epiſt.* 7.

Symmachus: Argue ut vis rerum conſilia poſt exitum, & mihi vitio verte quòd contemptum ſui Præfectura conqueſta eſt. Facilè accuſatur deſertus auxilio: atq; ideo in me recipere malo erroris confeſſionem ne aut amicos negligentiæ, aut adverſarios aſperitatis inceſſam. Fuerit fortunæ non conſcientiæ meæ, ut victus videre, qui necdum cœperam litigare, &c. *lib. 2. Epiſt.* 28.

Symmachus: Faſtigium leniſſimus & anguſtiſſimus Princeps cœptis genitoris impoſuit, cui ad vicem gratię te ac tui ſimiles opto monitores. Nam ſummis imperii moderatoribus pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſæculi. Eſt quidem Rectori noſtro divini fontis ingenium, & omnium virtutum prompta natura. Sed ut imagine uti liceat, optimos gubernatores haud mediocriter etiam remigum manus juvat. Te verò famæ eius amicitiorem cùm fides militiæ, tum neceſſitudinis affectio reddit. Hinc eſt quòd illi promerendi undiq; amoris vias invenis, & majoribus occupatum mones privata fata reſpicere. Humani caſus in fugam verſi ſunt, nihilq; in Senatu mœſtum reſedit. Aliis tributus, aliis integratus eſt honor. Uni familiæ debetur quicquid ſinguli ſumus. *lib.* 4. *Epiſt.* 7 *m.*

Symmachus: Ejuſdem præterea rationis ſalubritate, vetus dicendarum ſententiarum forma reparata eſt: ne ſummum cuiq; decernẽdi locum, non ratio munerum ſed bonorum fortuna præſtaret: atq; id aſſenſio cæterorum vel invita ſequeretur, quod ante omnes felicior cenſuiſſet. Credim s igitur his remotis, ad regnum ſuum rediiſſe virtutes. *lib* 10. *Epiſt* 21.

Auſonius: Conſilium meum ad Deum retuli, an plenius cum Senatu, cum equeſtri ordine, cum plebe Rom. cum exercitu tuo, & provinciis omnibus deliberaſſes? conſilium ad Deum retuli, non, ut credo, novum ſumeres, ſed ut ſanctius fieret quod volebas. *Panegyrico ad Trajanum.*

De occultandis conſiliis.

Frontinus: Marcus Porcius Cato, devictas à ſe Hiſpaniæ civitates exiſtimabat in tempore rebellaturas, fiducia murorum: ſcripſit itaq; ſingulis, ut diruerent munimenta, minatus bellum, niſi confeſtim obtemperaſſent: epiſtolaſque univerſis civitatibus eodem die reddi juſſit: unaque urbium ſibi ſoli credidi imperatum. Contumac s conſpiratio potuit facere, ſi omnibus idem denunciari notum fuiſſet.

Hamilcar dux Pœnorum, ut in Siciliam inopinatus appelleret claſſem, non pronunciavit quò proficiſceretur, ſed tabellas, in quibus ſcriptum erat, quam partem peti vellet, univerſis gubernatoribus dedit ſignatas, præcepitque, ne quis legeret, niſi vi tempeſtatis à curſu prætoriæ navis abductus eſſet.

C. Lælius ad Syphacem profectus legatus, quoſdam ex tribunis & centurionibus, per ſpeciem ſervitutis ac miniſterii exploratores ſecum duxit, ex quibus, L. Statorium, quia ſæpius in eiſdem caſtris fuerat, quidam ex hoſtibus videbantur agnoſcere, occultandæ conditionis eius cauſa, baculo ut ſervum caſtigavit.

Tarquinius Superbus parer principes Gabiorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commiſſum, nihil nuncio reſpondit, qui ad eum à filio erat miſſus: tamen virga, eminentia papaverum capita, cùm forte in horto ambularet, decuſſit. Nuncius ſine reſponſione reverſus, renunciavit adoleſcenti Tarquinio, quid agentem patrem vidiſſet: ille intellexit idem eſſe eminentibus faciendum.

C. Cæſar qui ſuſpectam habebat Ægyptiorum fidem, per ſpeciem ſecuritatis, inſpectionæ urbis, atq; operum, ac ſimul licentioribus cõviviis deditus, videri voluit captum ſeſe gratia locorum, & ad mores Alexandrinos vitamq; deficere, atq; inter eam diſſimulationem præparatis ſubſidiis, occupavit Ægyptum.

Ventidius Parthico bello adverſus Pacorum regem, non ignarus Pharneum quendam, natione Cyreſten, ex his, qui ſocii videbantur, omnia quæ apud ipſos agebantur, nunciare Parthis, perfidiam Barbari ad utilitates ſuas convertit. Nam quę maximè fieri cupiebat, ea vereri ſe ne acciderent: quæ timebat, ea ut evenirent optare ſe ſimulabat. Solicitus itaq;, ne Parthi antè tranſirent Euphraten, quàm ſibi ſupervenirent legiones, quas in Capadocia trans Taurum habebat, ſtudioſè cum proditore egit, ut ſolenni perfidia Parthis ſuaderet, per zeugma trajicerent exercitum, quà & breviſſimum iter eſt, & omiſſo alveo Euphrates decurrit. Namq; ſi illac venirent, aſſeverabat ſe opportunitate collium uſurum ad eludendos ſagittarios. Omnia autem vereri, ſi ſe in patentes campos projeciſſent. Inducti hac affirmatione Barbari, inferiore itinere, per circuitum adduxerunt exercitum: dumq; fuſiores ripas, & ob hoc operoſiores pontes jungunt inſtrumentaq;, moliuntur, 40. amplius dies impenderunt, quo ſpacio Ventidius ad contrahendas uſus eſt copias: eiſq; triduo antequã Parthus adveniret receptis, acie commiſſa, vicit Parthos, & interfecit.

Mithridates circumvallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, hujus conſilii obſcurandi cauſa, latius & uſq; ad applicitas hoſti valles, pabulatus, colloquia quoq; cum pluribus, avertendæ ſuſpicionis cauſa, in poſterum conſtituit. Ignes etiam frequentiores per tota caſtra fieri juſſit. Secunda deinde vigilia præter ipſa caſtra hoſtium, agmen eduxit.

Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus, cum Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret majore bellum molitione inituros, ſi adventum tanti ducis præſenſiſſent, profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum. Sub quibus inopinato bello affuſus, contuſa immanium ferocia nationum, provinciis conſuluit.

Cl. Nero, cum cuperet Haſdrubalem, copiaſq; eius antequam Hannibali fratri jungerentur occidere, iccircoq; feſtinaret, ſe Livio Salinatori collegæ ſuo, cui bellum mandatum fuerat, (parum fidens viribus, quæ ſub ipſo erant) adjungere, neq; tamen diſceſſum ſuum ab Hannibale, cui oppoſitus erat, ſentiri vellet, decem millia fortiſſimorum militum delegit, præcepitq; legatis, quos relinquebat, ut eædem ſtationes & vigiliæ æquè agerentur, totidem ignes arderent, eademq; facies caſtrorum ſervaretur, ne quid Hannibal ſuſpicatus, auderet adverſus paucitatẽ relictorum. Cum deinde in Umbria, occultatis itineribus, collegæ ſe junxiſſet, vetuit caſtra ampliari, ne quod ſignum adventus ſui daret Pœno, detracturo pugnam, ſi Conſulum junctas vires intellexiſſet. Igitur inſcium duplicatis aggreſſus copiis ſuperavit, & velocius omni nuncio, rediit ad Hannibalem. Ita ex duobus callidiſſimis ducibus Pœnorum, eodem conſilio alterum celavit, alterum oppreſſit.

Themiſtocles Athenarum dux exhortans ſuos ad ſuſcitandos feſtinanter muros, quos juſſu Lacedæmoniorum dejecerant, legatis Lacedæmone miſſis, qui interpellarẽt, reſpondit venturum ſe ad diluendam hanc exiſtimationem, & pervenit Lacedæmonem: ibi ſimulato morbo aliquantum temporis extraxit, & poſtquam intellexit ſuſpectam eſſe tergiverſationem ſuam, contendit, falſum ad eos rumorem perlatũ, & rogavit, ut mitterent aliquos ex principibus, quib. crederẽt de munitione Athenarum. Suis deinde clàm ſcripſit, ut eos, qui veniſſent, retinerent, donec refectis operibus, confiterentur Lacedæmoniis, munitas eſſe Athenas, nec aliter principes eorum redire poſſe, quàm ſi ipſe remiſſus foret: quod facilè præſtiterunt Lacedæmonii, ne unius interitum multorum morte penſarent.

L. Furius exercitu producto in locum iniquum, cum conſtituiſſet occultare ſolicitudinem ſuam, ne reliqui trepidarent paulatim ſe inflectens, tanquam circuitu majore hoſtem aggreſſurus, converſo agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum, incolumem reduxit.

Metellus Pius, in Hiſpania interrogatus, quid poſtera die facturus eſſet, Tunicam meam, ſi id eloqui poſſet (inquit) comburerem.

M. Licinius Craſſus, percontanti, quo tempore caſtra moturus eſſet, reſpondit, Vereris, ne tubam non exaudias? *lib.* 1. *Stratagematum cap.* 1.

De variis conſiliis.

Frontinus: Cæſar dicebat, idem eſſe ſibi conſilium adverſus hoſtem, quòd pleriſque medicis contra vitia corporum, fame potius quàm ferro ſuperandi.

Domitius Corbulo dolabra, id eſt, operibus hoſtem vincendum eſſe dicebat.

L. Paulus Imperatorem ſenem moribus dicebat eſſe oportere, ſignificans moderatiora ſequenda conſilia.

Scipio Africanus fertur dixiſſe, cum eum parum quidam pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem peperit.

C. Marius Teutono provocanti eum & poſtulanti ut prodiret, reſpondit, ſi cupidus mortis eſſet, laqueo eum vitam poſſe finire: cumque demonſtraret ei gladiatorem contemtæ ſtaturæ & propè exactæ ætatis, objecit ei, dixitque, ſi eum ſuperaſſet, cum victore congreſſurum.

Q. Sertorius experimento didicerat, ſe imparem univerſo Romanorum exercitui, quod ut barbaros quoque inconſultè pugnam depoſcentes doceret, addictis in conſpectum duobus equis, eorum prævalido alteri, alteri admodum exili, duos admovit juvenes ſimiliter effectos, robuſtum & gracilem: robuſtiori imperavit equi exilis univerſam caudam abrumpere, gracili autem valentioris per ſingulos pilos vellere: cumque gracili ſucceſſiſſet, quod imperatum erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur, Jam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum oſtendi milites: inſuperabiles ſunt univerſas aggredienti, eos lacerabit & carpet qui per partes attentaverit.

Valerius Levinus Coſ. cum intra caſtra ſua exploratorem hoſtiũ deprehendiſſet, magnamq; copiarum ſuarum fiduciam haberet, circunduci eum juſſit: terrendiq; hoſtis cauſa, exercitus ſuos viſendos ſpeculatoribus eorum, quoties voluiſſent, patere.

Cælius Primipilaris, qui in Germania poſt Varianam cladem obſeſſis noſtris pro duce fuit, veritus, ne barbari ligna, quæ congeſta erant, vallo admoverent, & caſtra eius incenderent, ſimulata lignorum inopia, miſſis undique, qui ea furarentur, effecit, ut Germani univerſos truncos amolirentur.

Cn. Scipio bello navali amphoras pice & teda plenas, in hoſtium claſſem jaculatus eſt, quarũ jactus & pondere foret noxius ut diffundendo, quæ continuerant alimentum præſtarent incendio.

Hannibal regi Antiocho monſtravit, ut in hoſtium claſſem vaſcula jacularetur viperis plena, quarum metu perterriti milites à dimicatione & nauticis miniſteriis impedirentur.

Idem fecit jam cedente claſſe ſua Pruſias.

Marcus

Marcus Porcius, impetu in classem hostium cùm transiluisset, deturbatis ex ea Pœnis, eorumq; armis, & insignibus inter suos distributis, multas naves hostium, quos sociali habitu fefellerat, mersit.

Athenienses, cùm subinde à Lacedæmoniis infestarentur, diebus festis, quos sacros Minervæ extra urbem celebrabant, omnem quidē colentium imitationem expresserunt, armis tantum veste celatis: peracto ritu suo, non statim Athenas reversi, sed protinus inde raptim acto Lacedæmonem versus agmine, eo tempore, quo minimè timebantur, agrum hostium, quibus subinde prædæ fuerant, ultrò depopulati sunt.

Cassius onerarias naves, non magni ad alia usus, accensas, opportuno vento in classem hostium misit, & incendio eam consumsit.

M. Livius fuso Hasdrubale, hortantibus eum quibusdam, ut hostem ad internecionem persequeretur, respondit: Aliqui & supersint, qui de victoria nostra hostibus nuncient.

Scipio Aphricanus dicere solitus est, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam.

Pericles Athenienſis affirmavit incolumes futuros hostes, si deponerent ferrum: ejusque obsecutos conditionibus, universos qui in singulis ferreas fibulas habuissent, interfici jussit.

Hasdrubal subigendorum Numidarum causa ingressus fines earum, resistere parantibus affirmavit, ad capiendos se venisse elephantos, quibus ferax est Numidia: ut hoc permitterent: poscentibus securitatem promisit, & ex ea persuasione avocatos adortus sub leges redegit.

Alcetas Lacedæmonius, ut Thebanorum commeatum facilius ex inopinato aggrederetur, in occulto paratis navibus, tanquam unam omnino haberet triremem, vicibus in ea remigem exercebat: quodam deinde tempore omnes naves in Thebanos transnavigantes immisit, & commeatibus eorum potitus est.

Ptolomæus adversus Perdiccam exercitu prævalentem ipse invalidus, omne pecudum genus, religatis ad tergum quæ traherent carpentis, agendum per paucos curavit equites, ipse prægressus cum copiis, quas habebat, effecit, ut pulvis, quem pecora excitaverant, speciem magni sequentis exercitus moveret, cujus expectatione territum vicit hostem.

Myrodines Athenienſis adversus Thebanos equitatu prævalentes pugnaturus, in campis suos edocuit, manentibus esse spem aliquam salutis, cedentibus autem pernicioſissimum: qua ratione confirmatis militibus, victoriam consecutus est.

L. Pinarius in Sicilia præsidio Hennæ præpositus, claves portarum, quas penes se habebat, reposcentibus magistratibus Hennensium, quòd suspectos eos tanquam transitionem ad Pœnum pararent habebat, petiit unius noctis ad deliberationem spacium: indicataq; militibus fraude Græcorum, cùm præcepisset, ut parati posterâ die signum expectarent, prima luce assistentibus militibus redditurum se claves dixit, si idem omnes Hennenses censuissent: ob eam causam universa multitudine convocata in theatrum, & idem flagitante, manifesta deficiendi voluntate, signo militibus dato universos Hennenses cecidit.

Iphicrates dux Athenienſium, classem suam hostili habitu instruxit, & ad eos, quos suspectos habebat invectus, cum effuso studio exciperetur, deprehensa eorum perfidia, oppidum diripuit.

Tigracus, cùm edixisset futurum, ut ex Volonum numero, fortibus libertatem daret, ignavos crucibus affigeret, & quatuor millia ex his, quia segnius pugnaverant metu pœnæ in quendam munitum collem coissent, misit qui eis dicerent, totum sibi exercitum Volonum vicisse videri, quòd hostes fugissent: & sic eos, & sua fide, & ipsorum metu exolutos recepit.

Hannibal post prœlium, quo ingentem cladem ad Transimenum Romani acceperunt, cum sex millia hostium, interposita pactione, in potestatem suam redegisset, socios Latini nominis, benignè in civitates suas dimisit, dictitans se Italiæ liberandæ causa bellum gerere, eorumq; opera aliquot populos in deditionem accepit.

Mago cum Locri obsiderentur à Crispino, classis nostræ præfecto, diffudit ad Romana castra rumorem, Hannibalem cæso Marcello ad liberandos obsidione Locros venire: clàm deinde equites emissos, jussit à montibus, qui in conspectu erant, se ostendere: quo facto effecit, ut Crispinus Hannibalem adesse ratus, conscenderet naves, ac fugeret.

Scipio Æmilianus ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantum, sed centuriis sagittarios & funditores interposuit.

Pelopidas Thebanus, cùm à Thessalis in fugam versus, flumen in quo tumultuarium fecerat pontem liberasset, ne sequentibus hostibus idem transitus maneret, novissimo agmini præcepit, incenderent pontem.

Romani, cùm Campanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Nevius Centurio in exercitu Fulvii Flacci Procos. excogitavit, ut delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, & mediocris staturæ erant parmulis non amplis, & galericulis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armare, eosque adjunctos equitibus, juberet usque ad mœnia provehi: deinde ibi positis nostris equitibus incipere inter hostium equitatum prœliari: quo facto, vehementer & ipsi Campani afflicti sunt, & maximè equi eorum, quibus turbatis prona nostris victoria fuit.

P. Scipio in Lydia, cum die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochi videret, nec homines tantum aut equos deficere, verum arcus quoq; madentibus nervis inhabiles factos, exhortatus est fratrem, ut postero, quamvis religioso die, committeretur prœlium: quem sententiam secuta victoria est.

Catonem vastantem Hispaniam, legati Ilergetum, qui sociorum populus erat, adierunt, oraverunt; auxilia: ille ne aut abnegato adjutorio socios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret, tertiam partem militū cibaria parare, & naves ascendere jussit, dato præcepto, ut causati ventos, retro redirent. præcedens interim adventātis auxilii rumor, ut Ilergetū excitavit animos, ita hostium consilia discussit.

C. Cæsar, cùm in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus, eaq; armorum scientia milites conficeret, ora oculosq; eorum gladiis peti jussit, & sic adversam faciem cædere coëgit.

Vaccei, cùm à Sempronio Graccho collatis signis urgerentur, universas copias cinxere plaustris, quæ impleverant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronium quoq;, tanquam adversus fœminas, audentius ad obsidendos hostes consurgentem, hi qui in plaustris erant aggressi, fugaverunt.

Eumenes Sardianus ex successoribus Alexandri, in castello quodā clausus, quo exercere equos non poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi, prioribus allevatis, cùm naturalem assistendi appetunt consuetudinem, ad sudorem undique ctura jactarent.

M. Cato, pollicentibus Barbaris duces itinerum, & insuper præsidium, si magna summa eis promitteretur, non dubitavit polliceri: quia aut victoribus ex spoliis hostilibus poterat dare, aut interfectis exolvebatur promissio.

Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium nobilem claræ operæ equitem, vocari ad se jussit: eiq; excusavit, quòd invidia commilitonum, virtutes illius ad id tempus ignorasset. Tum donato ei equo, pecuniā insuper largitus, obtinuit, ut quem ex conscientia trepidum accersierat, lætum dimitteret, & ex dubio in reliquum non minus fidentem, quàm fortem haberet equitem.

Philippus, cùm audisset Pythiam quendam bonum pugnatorem, alienatum sibi, quòd tres filias inops vix aleret, nec à rege adjuvaretur, monentibus quibusdam uti eum caveret. Quid si, inquit, partem ægram corporis haberem, abscinderem potius, quàm curarem? deinde familiariter secreto elicitum Pythiam, accepta difficultate necessitatum domesticarum, pecunia instruxit: ac meliorem fidelioremq; habuit, quàm habuerat, antequam offenderet.

T. Quintus Crispinus, post infaustam adversus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat, cum comperisset potitum annulo interfecti Hannibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimisit, ne crederent epistolis, si quæ Marcelli annulo obsignatæ perferrentur: monitione consecutus, ut Salapia, & aliæ urbes frustrà Hannibalis dolis tentarentur.

Post Cannensem cladem, perculsis ita Romanorum animis, ut pars magna reliquiarum nobilissimis autoribus deserendæ Italiæ iniret consilium, Publius Scipio adolescens admodum, impetu facto, in eo ipso, in quo talia agitabantur cœtu, pronunciavit, manu se sua interfecturum, nisi qui jurasset, non esse sibi mentem destituendæ Reipublicæ: cumque ipse se primus religione tali obligasset, stricto gladio mortem uni ex proximis minatus, nisi acciperet sacramentum: illum metu, ceteros etiam exemplo coegit ad jurandum.

Volscorum castra cum propè à virgultis silvaq; posita essent, Camillus ea omnia, quæ conceptum ignem, usq; in vallum perferre poterant, incendit, & sic adversarios exuit castris.

Publius Crassus bello sociali eodem modo propè cum copiis omnibus interceptus est.

Quintus Metellus in Hispania castra moturus, cum in agmine milites continerent se intra castra, Hermocrates detentos eos, postero die habilioribus jam suis tradidit, bellumq; confecit.

Milciades, cum ingentem Persarum multitudinem apud Marathonem fudisset, Athenienses circa gratulationem morantes, compulit, ut festinarent ad opem urbi ferendam, quam classis Persarum petebat: cumq; præcurrisset implesseteq; mœnia armatis, Persæ rati ingentem esse numerum Athenienſium, & alio milite apud Marathonem pugnatum, alium pro muris suis opponi, circumactis extemplo navibus Asiam repetierunt.

Pisistratus Athenienſis, cum excepisset Megarensium classem, qua illi ad Eleusin noctu applicuerant, ut operatas Cereris sacro fœminas Athenienſium raperent: magnaq; ædita cæde eorum ultus esset suos, eadem quæ ceperat navigia Athenienſi milite complevit, quibusdam matronis habitu captivarum in conspectu locatis: qua facie decepti Megarenses, tanquam suis & cum successu renavigantibus effusi obvii, inermesque, rursus oppressi sunt.

Conon dux Athenienſium, victa classe Persarum apud insulam Cypron, milites suos captivis armis induit, & iisdem barbarorum navibus ad hostem navigavit in Pamphiliam apud flumen Eurymedonta. Persæ, quia & navigia & habitum superstantium agnoscerent, nihil caverunt: subito itaq; oppressi, eodem die, & navali & pedestri prœlio victi sunt. *cap. 7. lib. 4. Stratagematum.*

¶ Poetarum Græcorum.

D. Nazianzenus Carm. 56. ad Olympiadem.

Δαίμων πολλάκι τέρμα φέρει συμφράσμασι βουλῆ
Sæpe fit ut non sit prudentibus exitus idem
Consiliis. Verùm male certant optima cœpta.

Aristophanes Concion. v. 570.

—— *Communiter in bonis fortunis*
Venit lingua prudentia, civilem
Populum illustrans multis bonis fortunis vita,
Declarare quod potest tempus.

Aristophanes Equitibus. v. 107.

O boni Geni, tuum est consilium hoc, non meum

Aristophanes Nubibus v. 1027.

Age tu qui habes sonos magnificos, nunc aliquid
Novi afferas. nam bene se dedit tuus antagonista.
Sed consiliis acutis tibi opus est adversus ipsum:
Siquidem virum vis vincere, neq; obnoxius esse risui.

Aristophanes Ranis. v. 688.

Æquum est, ut sacer chorus Reipublicæ bene consulat,
Et quæ utilia sunt dicat.

Lucianus In prudentiam.

Sit mora consiliis. Nam si moderamine tractes,
Prosunt: ut stultè præcipitata nocent.

Oppianus lib. 5. αλιευτ. v. 94.

Neq; roboris, neque formæ est utilitas
Tanta quanta animi. Vis autem stolida est inanis.
Quin etiam admodum elatum extruxit, & servavit
Exiguus homo valens consilio. quando & cetus
Vastus membris parvum præmittit piscem.

¶ Latinorum.

Plautus Bachid. 1. sc. 1. v. 6.

Quid in concilio consuluistis? B. bene. P. pol haud meretricium est.

Plautus Bachid. 4. sc. 9. v. 114.

Nihil ego tibi consilij hodie quidquam dabo,
Neq; ego haud committam, ut si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia.
Verum, ut ego, opinor, si ego in istac siem loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.

Plautus Epidici 2. sc. 2. v. 72.

—— *Si æquum siet*
Me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum
Quod laudetis, ut ego opinor, uterq;. P. ergo ubi est Epidice?
E. Atq; ad eam rem cõducibile. A. quid istuc dubitas dicere?
E. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere
Qui plus sapitis. A. eia verò, age dic. E. at deridebitis,
A. Non edepol faciemus. E. Imo si placebit, utitor
Consilium si non placebit reperitote rectius.
Mihi istic nec seritur, nec metitur, nisi ea qua tu vis volo.
P. Gratiam habeo fac participes nos tua sapientiæ.

Plautus Milite 3. sc. 1. pr.

Cohibete intra limen etiam vos parumper Pleusides
Sinite me prius prospectare ne uspiam insidiæ sient,
Concilio, quod habere volumus, nam opus est nunc tuto loco,
Vnde inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus.
Nam bene consultum, inconsultum est, si inimicis sit usui.
Neq; potest quin si id inimicis usui est, obsit mihi.
Nam bonum consilium tibi surripitur sapissimè,
Si minus cum curabunt catalogo loquendi lectum id est.
Quippe si resciverint inimici consilium tuum,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam, & constringunt manus:
Atq; eadem quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.
Sed speculabor, ne quis aut hinc à læva, aut à dextera
Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 98.

Tute homo alteri sapienter potis es consulere, & tibi:

Plautus Milite 3. sc. 3. v. 12.

At nemo solus sapit, nam ego multos sæpe vidi
Regionem fugere consilij prius, quam repertam haberent.

Plautus Mostellar. 5. sc. 1. v. 54.

Surgendum huc est, consulere quid dam quod tecum volo.
T. Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.

Terentius Andriæ 3. sc. 4.

—— *vide*
Nunquam quivi ego istuc intelligere. vah cõsilium callidũ!

Terentius Andriæ 4. sc. 2.

Eho! dic mihi si omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent, quod nisi hoc consilium darent?
D. Deceptus sum, at non defatigatus. C H. scio.
D. Hac non succesit, alia aggrediemur via
Nisi id putas, quia primo succesit parum,
Non posse jam ad salutem converti hoc malum.

Terentius Heautont. 2. sc. 2.

Tu es judex: ne quid accusandus sis vide.
S. Ridiculum est, istuc me admonere Clitipho:
Quasi istic minor mea res agatur quam tua.
Hic si quid nobis fortè adversi contigerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.
Quapropter neutiquam hac res neglecta est mihi.

Terentius Heautontim. 3. sc. 1.

—— *Dij vestram fidem!*
Itan' comparatam esse naturam hominum omnium,
Alena melius ut videant & judicent
Quam sua? an eò fit, quia in re nostra aut gaudio
Summa prepediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi nunc quanto plus sapit quàm ego met mihi?

Ausonius de Nepotiano Grammatico.

Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.

Ausonius de Attilio Grammatico.

Commode, late, benigne, absteme, tam bene dandi
Semper consilium quam taciturne datis.

Idem de Antilocho Heroe.

Consiliis belloq; bonus, qua copula rara est:
Carus & Atridis, carus & Æacidis.

Ausonius de Hectore.

Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troia sepulta est.
Conduntur pariter, qui pertere simul.

Guntherus lib. 1. v. 490.

—— *Non insscius olim*
Ipse sui, quantumq; oneris comitetur honorem,
Cæperat ex obtu clari sentire parentis,
Sed nunc se solito graviori pondere sentit
Vrgeri, multumque sibi crevisse laboris.
Vt cùm post multos, indefessosque labores
Alcides fesso succedere jussus Atlanti,
Cum tot sideribus magnum miratus Olympum
Ferret, & insolito sudaret pondere pressus.
Ergo viros, famosa quibus prudentia nomen,
Longaq; multarum dedit experientia rerum,
Sapius arcanis solitos interfore rebus
Adsciscens, magno secreta negocia regni.
Pertractans studio, de cunctis rebus agendis
Consulit: & pulchrum, justumve, vel utile quid sit,
Quid deceat, quid non studiosa mente requirit.

Guntherus lib. 8. v. 140.

Nec timeo, socij, fateor, ne regis amore
Falsa movere puter. dudum benè cognita vobis
Nostra fides certis potuit notescere signis.
Nam quod nil propria pretextu suadeo causse,
Nec favor, aut odium, quæ publica commoda sæpe
Impediunt, sed certa fides, & pura voluntas,
Hæc suadere jubent. scrutator pectoris alti
Scit Deus, & proprij mihi mens bene conscia voti.
Omnia discutiens animo, nihil esse salutis
Censeo, placatâ nisi primum Cæsaris iræ.

¶ Apologorum.

Æsopi Lupus & Capra. Lupus Capram in prærupto pascentem antro intuitus, cum ea potiri non posset, ut descenderet monebat, ne inopina delaberetur, aiens sibi pratum melius esse, & gramine maxime floridum. Cui illa respondit, me non ad pastum vocas, sed tu ipse cibo indiges.

Æsopi, Asinus & Capra Asinum unà & Capram, nutriebat quidã: Capra verò escam asino invidens abundantẽ, suggessit ei, ut immẽse plecteretur, modò molens, modò onera ferens: consuluitq; ut comitiali simulato morbo, in foveam decidens, frueretur requie. Fide habita capræ delapsus asinus, contritus est. Herus evocatum medicum ut asino opitularetur, rogavit: illé capræ pulmonem infundere jussit eoque pacto sanatum iri asinum. Illi mactata capra asinum sanavere.

Phædrus Fab. 9. Passer ad leporem consiliator.

Sibi non cavere, & alii consilium dare,
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab Aquila fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer: ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est, quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit,
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querella fata deplorus tua.

Phædrus Fab. 20. Canes famelici.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoq; mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt Canes:
Id ut comesse exstractum possent facilius,
Aquam cœpere bibere: sed ruptis prius
Ibi persare, quam quod petierant, contingerent.

Phædrus Fab. 25. Canes & Crocodilus.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodillis ne rapiantur, traditum est.
Igitur cùm currens bibere cœpisset canis,
Sic Crocodillus: quamlibet lambe otio,
Accede, potu leniter, & noli dolos,

Inquit

Inquit Severi, at illos facerem mehercule
Non esse scirem carnis te cupidum meæ.

De Capra, Ove, & Lupo. Anonymus.

Cum grege barbato dum ludit junior agnus,
Tendit in hunc menti dissona verba Lupus,
Cur olidam mundæ sequeris plus matre capellam?
Lac tibi præberet dulcius ipsa parens.
Est prope, festina, matrem pete, munera matris
Lac bibe, nam servat ubera plena tibi.
Agnus ad hæc, pia capra mihi lac dulce ministrat,
Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, sed domino prodest me vivere, vivo
Vt metat à tergo vellera multa meo.
Ergo mihi præstat nutriri lacte caprino,
Quam lac matris habens, mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes securam ducere vitam,
Pauperius nihil est, quam malus usus opum.
Nil melius sano monitu, nil peius iniquo,
Consilium sequitur certa ruina malum.

Leo & Capella. Avienus.

Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
Comminus esuriens quum Leo ferret iter.
Et prior, heus, inquit, præruptis ardua saxis,
Linque, nec hirsutis pascua quære jugis.
Sed cytisi croceum prata virentia florem,
Et glaucas salices & thyma grata pete.
Illa gemens, desiste, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare dolis.
Vera licet moneas, majora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam quam vis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet.
Ne citius blandis cuiusquam credito dictis
Sed si sint fidei, respice quid moneant.

¶ Emblematum.

Batillius 112.

Optimi Regum consiliarii, Mortui.

Ante alios fidis Reges confidite chartis,
Queis restat solis integra fides:
Queis & libertas fandi quæ dicere mussant
Aut alii vobis dissimulare solent,
Quæ non illecebris sese, non artibus ullis
Corrumpi, nullis muneribusq; sinant:
Quæ nil mentiri, non linguâ fallere norint,
Non vobis ullo vera timore tegant.

Batillius 148.

Consilium consultori pessimum.

Vt Regem Siculo tauri fabricator aheni
Rettulit ingenio præmia digna suo,
Perdere quoq; alios Regi monstrabat in are,
Auditus gemere esse, & bovis ore queri,
Consilii dignos primus sic auctor in quo
Qui fuerit, fructus sapius ipse ferat.

Camerarius 46. Centur. 3.

Mox verno tempore prodit. Psittacus Indicus, aut Cuculus.

Dum mala sævit hyems, latita, mox veris amica
Profer maturum tempore consilium.

Taurus Perilli. Emblem. 38.

Consilium auctori prævum nocet: Hoc benè quondam
Monstrasti exemplo sæve Perille tuo.

Floren. Schonhovius.

Catsius Emblemate Ethico 28.

Quò nos numen agit.

Perpetuo varians mens est inimica quieti:
Sint procul ingyrum quos levis aura rapit!
At nunquam varians meus est inimica saluti:
Ah valeant, quibus est pectore nata silex.
Mutandum est cùm fata jubent. quid stulte lacessit
Astra? giganteus quo tibi fastus abit?
Quo te cumq; polus vocat, hac mortalis, eundem est,
Vertere consilium, nec levis esse, potes.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Abraham Patriarcha: Orta contentione inter pecuarios Abrahami & Lothi, Patriarcha non modò sibi, sed præcipuè nepoti suo benè esse cupiens, sapiens proposuit illi consilium: postquam enim ad concordiam graviter esset hortatus, subjecit, Separate quæso à me: si sinistram versus discesseris, tum dexteram petam: sin autem dexteram versus, petam sinistram. Quum non possent habitare simul commodè, Abraham sibi & Loto hac separatione prudenter consuluit. Lot autem fertiliorem sed à pessimis incolis cultam regionem eligens, tandem se in maximum conjecit periculum, ex quo Dei potentiâ clementer ereptus est *Vide Genes 13 cap. & seq.*

Loth: Quum edixissent Angeli Loto ut quamprimum se suosque Sodomâ subduceret, egressus domo sua Lot allocutus est generos suos qui brevi erant ducturi filias suas, dicens, Surgite, egredimini de loco hoc: mox enim Jehova perditurus est hanc civitatem. At tempestivum & divinum illud consilium ab istis irrisum est. *Genes. 19. vers. 14.*

Rebecca: Auditis verbis minacibus Esaui filii nati majoris, mittens vocavit Jacobum filium suum minorem, dixitq; ad eum, Ecce Esau frater tuus se mox consolaturus esset de te, occidendo te. Nunc itaque fili mi, ausculta voci meæ, & surgens fugâ te eripe ad Labanem fratrem meum Charanem: ut maneas cum eo dies pauciſſimos, usquedum avertatur æstuans ira fratris tui: & quū oblitus fuerit ejus quod feciſti ipsi, postea mittens recipiam te inde: quare orbarer etiam utroque vestrum die uno? *Genes. 27. 44. &c.*

Ruben & Iuda: Filij Jacobi patriarchæ quum de occidendo fratre suo Joſepho inirent consilium, dixit ad eos Ruben, Ne effundite sanguinem, injicite eum in cisternam istam, quæ est in hoc deserto, sed manum ne immittite in eum: ut eriperet eum è manu illorum eumque reduceret ad patrem suum. Quo facto, illis (absente Rubene) comedentibus, occurrerunt Ismaelitæ descendentes in Ægyptum. Tunc dixit Juda ad fratres suos, Quod erit lucrum, cùm interfecerimus fratrem nostrum, & occultaverimus sanguinem ejus? Agite, vēdamus eum Ismaelitis istis, & manus nostra ne sit in eum: quia frater noſter, caro noſtra est. *Genes. 37. 22. &c.*

Ioseph Patriacha: Expositis Ægyptii regis somniis, dixit Joſeph ad eundem, Nunc provideat Pharao de viro prudente & sapiente, quem constituat super terram Ægypti: deinde præficiat præfectos huic terræ (ut accipiat quintam proventuum terræ Ægypti septem illis annis saturitatis) qui colligant omne esculentum istorum annorum bonorum, &c. *Genes. 41. 33. &c.*

Idem: Quum Patrem Jacobum & patris familiam in Ægyptum adduci curasset, dixit Joſeph ad fratres suos, Cùm vocaverit vos rex, & dixerit, quæ sunt opera vestra? dicite, homines pecuarii fuerunt servi tui ab adoleſcentia noſtra, tum nos, tum majores noſtri: ut habitetis in terra Goschenis, quia abominationi est Ægypto omnis pastor gregis. *Genes. 46. 34.*

Iithro, Socer Mosis: Prævidens generum suum publico oneri gravissimo ferendo diutius tandem fore imparem, dixit ad eum, Non est bona hæc res, qualem tu facis. Omnino decides cùm tu, tum populus hic qui est tecum: nam gravis est hæc res supra te, non poteris eam præstare solus. Itaque attende voci meæ, consulam tibi, & erit Deus tecum. Esto tu populo erga Deum ipsum, ut tu referas eorum res ad Deum ipsum. Et commonefaciens eos de statutis ac legibus ejus, notam facias eis viam ipsam per quam ambulaturi sunt, id est, opus ipsum quod sunt facturi. Tu autem provideto ex toto hoc populo de viris strenuis, &c. *Exod. 18. 17. &c.* Dato prudenti hoc & salutari pro Republic. consilio, Iithro domum se recepit.

Ioab: Quum malo consilio & mera curiositate impulsus David juberet populum Israeliticum numerari, dixit ei Joab, *Adijciat Iehova Deus tuus ad populum, quotquot sunt, centuplum, idq; oculis Domini mei regis videntibus: Dominus autem meus rex quare delectaretur re hac? cur esset ad dandum reatum Israel?* Tamen prævaluit verbum regis, &c. 1. *Chron. 2. 3.*

Nathan, Propheta: Davide præ senio rigente, Adonias filius natu maximus conspirabat ut regnum paternum occuparet, quod cùm intelligeret Nathan, accessit ad Bathiebam, Salomonis matrem, dicens, Age daturus jam sum tibi consilium, quo libera viam tuam & filii tui. Abi, & ingressa ad regem Davidem dicito ei, Nonne tu, Domine mi rex, jurasti ancillæ tuæ, dicens, Salomon filius tuus regnaturus est post me, & ipse sessurus est super solium meum? cur ergo regnat Adonias? Ecce te adhuc loquente ibo cum rege, ego quoque ingrediar post te, & confirmabo verba tua. 1. *Reg. 1. 12. &c.*

Consiliarii Roboami: Israelitis petentibus onerum publicorum sublevationem, iniit Roboamus consilium cum senioribus qui steterant ante Salomonem, dum esset in vivis, dicendo, quomodo vos consilium inire tis ad respondendum populo huic aliquid? Qui dixerunt, Si fueris facilis populo huic gratificando eis, & allocutus fueris eos verbis bonis: utique erunt tibi servi omnibus diebus. Sed reliquit consilium seniorum, &c. 1. *Reg. 12, 7. & 2. Chron. 10. 7.*

Ieremias Propheta: Postquam renunciasset regi Sedeciæ Dei mādatum de urbis & ipsius regis deditione, objicienti illi quod sollicitè timeret ne à Judæis transfugis traderetur deridendus à Chaldæis, dixit Jeremias, Non sunt tradituri: ausculta quæso voci Jehovæ quam ego eloquor tibi, ut bene sit tibi, & vivat anima tua, &c. *Ierem. cap. 38. 20.*

Daniel Propheta: Explicato Nebucadnezaris somnio, deinde dixit, Quapropter ô rex, (cui dira à Deo prædicebantur) consilium meum placeat tibi, & peccata tua justitia abrumpe, & iniquitates tuas gratia erga afflictos: si forte erit prorogatio tranquillitati tuæ. *Dan. cap. 4. 27.*

Paulus Apostolus: Quum in naufragio nautæ studerent fugere è navi, dixit Paulus Centurioni & militibus, Nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis. & postea omnibus qui in navi erant, Horror vos ut sumatis cibum, hoc enim ad salutem vestram spectat, &c. *Act. cap. 27. 31. 34.*

Salomon Rex: De consilii boni utilitate & usu variis locis disserit. Via stulti (inquit) recta videtur in oculis ipsius: at qui auscultat consilio sapiens est. *Prov. 12. 14.* Merâ superbiâ vi redit jurgium: at penes consultos est sapientia. *Prov. 13. 10.* Irritæ fiunt cogitationes, cùm deest consilium: at in amplitudine consiliariorum assurgit cogitatio. *Prov. 15. 22.* Ausculta consilio, & accipe eruditionem: ut sa-

pias tandem. *Prov.* 19. 20. Consiliis prudentibus geres tibi bellum, & salutem comparabis amplitudine consiliariorum. *Prov.* 24. 6.

D. Augustinus: Nolite (inquit) tantum eos putare pauperes qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, illum vide: forte tu in eo dives es in quo alius pauper est, & habes unde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus est quàm si pecuniam accõmodares. Consilio indiget: tu plenus es consilio. In consilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis, das consilium, & præstiti eleemosynam. *In Psal.* 125.

Sic operari Deus suis assuevit, ut ubi deficit humanum consilium, illic intercedat divinum adjutorium. *Serm.* 90, *de tempore.*

D. Ambrosius: Pecunia, inquit, facilè consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur, pecunia minuitur, & cito deficit. Consilium autem collatum, quò in plures diffunditur, eò redundantius manat, & in suum fontem recurrit. *Lib.* 3. *de Offic. c.* 15.

Gregorius Magnus: Ibi sunt quærenda & postulanda (inquit) cõsilia, ubi spiritualis scientiæ gratia coruscat. *Item.* Ab irreligiosis religionis consilium, aut sapientiæ à stultis petere, non est consilium accipere, sed præcipitare. *Expos. in* 1. *Reg. cap.* 14. Dei sacerdotes toties sumus, quoties fratribus bona consilia ministramus. *In eiusd. libri cap.* 15 Summis in rebus citum non oportet esse consilium, *Epistolarum lib.* 2. *cap.* 6.

Chrysostomus: Actionem omnem, inquit, consilium præcedat. *Item.* Melior est consulta temeritas celeritate temeraria. *Item.* Consilium, vitæ lucerna, ubique præeat. In singulis rebus quid eas antecedat, quid sequatur, animadverte: & sic eas aggredere. *Item.* Si millies sapientes simus, & ea quæ fieri oportet conspectemus, homines tamen sumus, & consultore indigemus. Solus enim Deus citra indigentiam est, solusque consultore eget: quamobrem & de solo ipso dicitur, Quis cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ei fuit? Homines verò, & si millies simus sapientes, millies redarguimur, & naturæ nostræ imbecillitas se prodit. Non enim possunt omnia in hominibus esse: quippe non immortalis est homo ex mortali genitus. Quemadmodum jubar fulgens à solis lumine caligo superveniens occultat: ita sæpenumero intellectum quoque nostrum veluti in meridie splendentem, & luce sua conspicuum, stultitia superveniens obscurat: & vir sapiens quod facto opus est non dispicit, alius autem multo inferior acutius rem deprehendit: atque hoc ita fit, ne vel sapiens superbiat, vel obscurus & vilis homo miserum se reputet. *Anto. Serm de Consilio, &c.*

Antonius Abbas: Eulogius presbyter Alexandrinus, leprosum quendam domi susceptum per annos quindecim humanissimè aluerat. Sed cùm ab eo, cui (contemto contagiosi morbi periculo) suis ipse manibus ministrabat, contumeliis afficeretur, Antonium abbatem consuluit, utrum illum dimittere deberet. Ille verò utrique dixit, modicum adhuc sustinerent, donec alter pietatis & patientiæ stadium emetiretur, alter ingratitudinis vitium emendaret, ne graviorem animi quàm corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies quadraginta supervixit, leprosus die tertio post obiit. *Marullus, lib.* 5. *c.* 2.

Anonymus: Quum capto Ioanne 1. Francorum rege, Regi Anglo cordi esset aut vastas solitudines Franciam facere, aut in potestatem redigere, & usto agro Parisiensi Carnutum fines popularetur, Dux Gloucestriæ ausus est eum hortari, ut bello Francico finem imponeret. *Nudum*, inquit, *solum vastumq; relinquere Francis potes: ipsi Franci cæsis patribus succrescentes sobolescentesque, ac jam efferati, & malorum assuetudine indomiti, te in rebus nullo exitu gerendis omni vita tenebunt.* Et sors authoritatem ducis juvit, &c. *P. Æmilius, de rebus gestis Francorum, lib.* 9.

Anonymus: Jacobus IV. rex Scotorum, præcoce & juvenili stoliditate & torpore, licet & divinitus (uti putabatur) & à suis proceribus admoneretur, seipsum atque potiorem partem nobilitatis Scoticæ perdidit. Dum verò ad exercitum proficiscitur, & Limnuchi vespertinas in æde sacra conciones audit, senex quidam ingreditur, capillo in rufum flavescente, ac in humeros promisso, fronte in calviciem glabra capite nudo, veste longiuscula cyanei coloris amictus ac linteo cinctus: cæterum aspectu venerabilis. Is regem quærens per turbam obstantium penetrat. Ubi ad eum accessit, rustica quadam simplicitate, super solium, in quo sedebat rex, innixus: *Rex*, inquit, *ego ad te summissus, ut te admoneam ne quo instituisti progrediaris: quam admonitionem si neglexeris, non erit è re tua, nec eorum qui te comitabuntur. Præterea præmonere sum jussus, ne mulierum familiaritate, consuetudine, aut consilio utaris: secus verò si facies, & damno & ignominiæ tibi res erit.* Hæc locutus turbæ se inimiscuit, nec, quum precibus finiris rex eum requireret, usquam comparuit. Quod eo magis mirum visum est, quod eorum qui propius adstiterant, atque eum observarant, avidi multa ex eo sciscitandi, nemo ejus discessum senserat. Hæc *Ge. Buchananus*, sicut ex oculatis testibus cognovit, *historiæ suæ de rebus Scoticis, lib.* 13. *inseruit.* At rex quum ista monita, nec non & suorum procerum, dissuadentium prælium cum Anglis, consilia salutaria contemneret, & amori nobilis fœminæ captivæ omissa re militari nimis indulgeret, otioso que exercitui in agro sterili commeatus deficeret, & ideo extenuarentur ejus copiæ: paulò memorabili prælio ad Fluidonem victus, & una cum sua nobilitate fere universa, cæsus est.

¶ Apophthegm. Christianorum.

Carolus VIII. Franc. Rex: Ante illum Carolus VIII. Rex Christianissimus, monitus à Legato Aquitaniæ, ne Anglorum consilio auxilioque uteretur, sibi satis esse virium bello suscitando: ad quemdam ex adstantibus conversus, *Vides*, inquit, *sollicitantem eum, ut bellum moveam, quod ex usu Galliæ futurum dicit. an & tibi idem visum?* quo dissentiente, Rex, *Sum*, inquit, *Galliæ studiosior, quam hic orator existimat. Cùm enim unus modo sit in Gallia Rex, vellem eam à senis Regibus gubernari.* Prudentis est omnia prius experiri consilio, quàm armis. *Phil Comin. lib.* 4. *de Reb. Gallia.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; consilio nec ipse mittit fulmen Iupiter.
Ad consilia non vocatus, jure quonam accesseris.
Arduum omne consequare consiliis prudentium.
Aures surdæ sunt ignavis ad consilia fortia.
Consilia ex rumore nata sequitur pœnitentia.
Consilia omnia firmiora sunt de divinis locis.
Consilia usq; cauta malis, quam ex eventu prospera.
Consilij expers, navis instar est Typhi carens suo.
Consilij non fraudulenti, nulla est obligatio.
Consilij veri libertas non caret periculo.
Consiliis magna in novellis fama plurimum valet.
Consiliis rationum egenis, nec Deus se accommodat.
Consiliis ratio quibus non est sua haud adest Deus.
Consiliis victi, plerunq; ad imperii jus transeunt.
Consilio in malo optima habentur quorum tempus præterit.
Consilium acre minus tutandæ, quam cautum potentiæ est.
Consilium bonum est amici, consilium bonum est senis.
Consilium bonum frequenter mille vincit dexteras.
Consilium bonum parens, nutrix, tutor virtutum est.
Consilium cuicumq; præsto est, deesse auxilium non potest.
Consilium dimittere cum re, non nisi ignavissimi est.
Consilium fors subministrat sæpe quod ratio haud potest.
Consilium haud facilè expeditur in malis ingentibus.
Consilium impatiens morarum est quod probandum ab exitu.
Consilium malum mutare haud turpe, turpe sed sequi est.
Consilium nullum esse credas est ubi trepidatio.
Consilium optimum impedire res queat minimissima.
Consilium optimum putato quod refertur ad Deum.
Consilium fidele reges sæpe morte munerant.
Consilium salubre spernit sorti damnatus suæ.
Consilium senis ne temne: nam mora sapientia est.
Consilium sine armis, arma sine consilio quod queant?
De futuris consilium haurit præterita ex re providus.
Destituit Deus consilia ratio queis abest sua.
Facile cùm valemus recta consilia ægrotis damus.
Gallus in re cuncta haud regitur consilio sed impetu.
Impetu scelus valescit, consilium bonum morâ.
In gravi tribulatione consilii non est locus.
Iuxta audit consilium prudens, atq; iners, vulgi metus.
Multa naturâ impedita prudens consilium expedit.
Nec consilia nec responsa negligenda fœminæ.
Ne minimum quidem absq; sano consilio virtus gerit.
Nil sine consilio moveri ratione & numero potest.
Non circumspicit consilia honesta, at tuta perditus.
Non est in malis consiliis spes quæ animum hominis erigat.
Nullus est, qui non ubiq; consilio indigeat bono.
Omnium non est consultis facta item conjungere.
Optime deliberamus, dum nescimus fingere.
Prava sæpè prospera sunt consilia, bona improspera.
Quod fieri haud potest nec utile est, consilium id improbum est.
Quod laudabitur ubi peractum est consilium non fert morã.
Sæpe Sors consilium bellum prævenit deterrima.
Sermo barbarus non est cuius consilia sunt bona.
Stulta consilia Atticorum Pallas in melius refert.
Stultus insciti usq; est qui consilia culpit at Deum.
Tardioris consilij sunt exitus maturrimi.
Terror obstructas aperiet consiliis mentes ducis.
Tutior consiliis cautis, quam acribus, potentia est.
Vna plus fortuna pollet consiliis mortalium.
Vnicum consilium rectum mille sternit milites.

¶ Jambica.

Bonus Deus cùm sit, bene nobis consulit.
Consilia fermè succedunt audacia.
Consilia magna non tegit vultus benè.
Consilia magna, pessimè vultus tegit.
Consilia non mage hominum sunt, quàm temporum.
Consilia nunquam in certo sunt perterritis.
Consilia perscrutari Divorum arduum est.
Consilia produnt magna nolentem quoq;.
Consulta rectè haud semper sunt lati exitus.
Consilia rerum, ne arguas post exitum.
Consilia turpia, honestave, eventus facit.
Consilium impedit voluptas, rationi adversaria.
Consilium in atra nocte candidum latet.
Consulta plus nocent, quàm prosunt, mollia.

Cursus

Cursusq; consiliisq; haud idem est exitus.
Est Epimethei, non Promethei, consilii mutatio.
Deus scelesta hominum consilia detegit.
Labore currit irrito expers consilii.
Lætos parit consilium prudens exitus.
Malum consilium, consultori pessimum est.
Morâ valescit consilium, impetu scelus.
Mutare cum re consilium, nil turpe habet.
Nihil sine sano virtus consilio gerit.
Nil est sapiente consilio securius.
Nil sine Deo consilium humanum prosperat.
Non omne quod vult consilium hominis obtinet.
Nullum consilium initur sine prudentiâ.
Nunquam dedit fidele consilium timor.
Nunquam sui consilii pœnitet Deum.
Pars consilii vel maxima est in tempore.
Parvi arma sunt foris, nisi consilium est domi.
Pavoris ac consilii, rara copula est.
Pericla ubi prævéniunt, frustra consulas.
Plerumq; lætus consilii est boni exitus.
Plus præsidii est in consilio, quam in viribus.
Prius saluti, quàm vindictæ consulas.
Profectò res est consilium verè sacra.
Res sancta verè consilium, res aurea est.
Timor quidquid mixtum est, consilio caret.
Tutum facit consilium festinatio.
Verbis bonis teguntur consilia improba.
Virtus ubi est, ibi esse consilium scias.
Viri optimi consilium item crede optimum.
Vis consilii expers mole mox ruit suâ.
Vis multa, sed consilium plura præficit.

Vide & Consultatio.

Consilarii bellici.

¶ SENTENTIÆ HISTORICORUM GRÆCORUM.

Lucianus: Cum incidissem, inquit, in Macedonicos regiæ domus commentarios, eáque res me summopere delectasset, non levi negotio librum comparavi, quem domi nunc habere memini. Continet autem cùm cæteras res Antipatro domi gestas: tum de Demosthene ea quæ mihi videris non oscitanter audivisse. Ego verò, inquam, tibi pro bono nuntio gratiam jam refero. Et reliquos versus audiam: nec te dimittam donec promissum præstiteris. Cæterùm splendida Homeri natalitia, mihi dedisti, talia Demosthenis quoque daturus videris. Itaque lectis reliquis libri versibus, tantisper commorati, dum debitam laudem poëmati tribuissem, ivimus ad ædes Therſagoræ, ubi vix tandem librum reperit: quo tunc accepto, discessi: & perlecto statui nihil immutare, sed ad verbũ vobis recitare. Non enim minor honos habetur Æsculapio, quum Alisodemi Trœzenii, & Sophoclis versus ei decantantur, si desit novũ poëma sacrificantibus. Et Baccho nova poemata faciendi, nempe comœdias, vel tragœdias, mos desiit: & quæ ab aliis sunt composita iis qui nunc ea tempestivè in medium afferunt, non minorem gratiam merentur, ut Deum honorasse videantur. Itaque hic liber (Est autem nostrarum partium, commentarius: libri verò narratio) refert Antipatro significatum esse, Archiam adesse. Archias autem, si quis juniorum hoc ignorat, exules comprehendere jussus erat. Literis quoque mandatum acceperat, ut nulla vi adhibita Demostheni persuaderet, ut ex Calauria ad Antipatrum veniret. Porrò Antipater in tantam spem erectus anxiè expectabat Demosthenis adventum. Quare cùm audivisset Archiam ex Calauria venire, repentè ut se habebat, intrò vocari jussit. Postquam ingressus est, reliqua liber ipse dicet. Salve Antipater. Quidni salvus sim, si Demosthenem adduxisti? Adduxi ut potui: nam ex Demosthenis reliquiis Hydriam affero. Magna de spe me dejecisti Archia. Quid enim mihi cum urna & ossibus, Demosthenem non habenti? Non fuit possibile rex, vivum in potestatem hostium redigere: non in Bœotia, vel à me hîc accepto auro. Nos verò citius Byzantii mœnia machinis, quàm Demosthenem auro expugnaremus. Ego ô Parmenio, inquit, siquis Atheniensis in reip. consiliis pluris me facit quàm patriam, huic pecunias, amicitiam non item offerre. Si quis autem propter patriam mihi inimicus est, hunc ut arcem, mœnia, portus, & fossam oppugno. Admiror autem virtutem, & beatam esse dico urbem, cui cívis hujusmodi obtigit. At proditores, quum eorum opera non amplius indigeo, perdere cupio. Illum autem incorruptum civẽ apud nos hîc habere malim, quàm Illyricum, & Triballicum equitatum, totumq; mercenariorum exercitum. Nec armorum vi, facultatem persuadendi, & judicii gravitatem ullatenus postpono. Hæc ad Parmenionem: & ad me similia quoque verba fecit. Ego enim de iis qui cum Diopithe Athenis missi fuerant, solicitus eram. Ille verè profusè ridens dixit. Tu verò nobis ab Athenienſi duce, aut milite métuis. Triremes, Pyræus, & portus mihi nugæ sunt. Quid facerent homines in Bacchanalibus, conviviis & choris vitam consumentes? Si unus Demosthenes Athenis non fuisset, facilius potiti essemus urbi, quàm Thebis & Thessalia, dolo, vi, opprimentes & corrumpentes. Verùm unus ille vigilat in omnes intentus occassiones, & nostros observat impetus, nostrisque consiliis resistit. Nunquam fallere, neque insidiando, neque agendo, neque consulendo possumus. Hic uno verbo, tanquam propugnaculum obstat, quominus omnia primo impetu capiamus.

Nam quantum in ipso fuit, non Amphipoli, non Olyntho, non Phocensibus, non Pylo, non Cherroneso, non ora Hellesponti potiri potuimus. Ille invitos, tanquam mandragorâ sopitos cives excitat, & neglectis iis quæ ad voluptatem faciunt, loquendi libertate illorum secat uritque ignaviam: à theatris ad castra pecuniarum transfert proventus: conscribit classem quæ penè perierat confusione legum trierarchici ordinis. Et civitatis dignitatem tempore jam projectam ad drachmam & triobolum, excitat jamdudum fractos animos ad majorum imitationem revocans, & rerum ad Marathonem, & Salaminem gestarum: atque author est ut Græcos sibi societate & fœdere conjungant. Hunc non licet fallere, non decipere, nec magis pretio corrumpere, quàm Aristidem illum rex Persarum corrupit. Hic igitur Antipater, magis est formidandus, quam triremes omnes, quàm universa classis.

Quod enim apud veteres Athenienses Themistocles, & Pericles fuerunt, id nunc est istis Demosthenes, prudentia par Themistocli, animi magnitudine Pericli. Itaque redegit in ipsorum potestatem, Eubœam, Megara, oram Hellesponti, Bœotiam. Et rectè faciunt Athenienses quòd Charetem, Diopithem, & Proxenum, & similes quosdam præficiunt exercitui, Demosthenem verò domi retinent ad suggestum. Quod si hic in potestate haberet arma, naves, exercitus, & rei gerendæ occasiones, & pecuniam, vererer ne de Macedoniâ jam periclitaremur. Nunc enim decretis tantum pugnans, nos undique adoritur, occupat, conficit pecuniam, colligit copias. Sed cur non comprehendistis vivum? Comprehendimus. Num igitur in via est extinctus? Non: sed ubi erat, in Calauria. Forsan hoc accidit negligentia vestra, quia non bene tractastis hominem? Imò non fuit in potestate nostra. Quid ais? ænigmata dicis Archia: vivum cepistis, nec habetis? Non mandasti initio ne quis ei vim afferret? quãquam nihil profuturum erat, etsi vim intulissemus. Hoc enim curæ nobis fuit. Non accidit igitur vestra negligentia. Sed vos ipsi fortasse interfecistis eum. Ipsum non interfecimus: sed non obtemperanti vim afferre coacti sumus. Quid autem tibi prodesset, ô rex, si vivus venisset? Quid aliud illo fecisses, quàm occidisses? Dii meliora Archia: videris mihi non intellexisse, neque quis sit Demosthenes, neque quid sentiam. Sed putas perinde esse Demosthenem invenire, & hos quærere qui malè perierunt, Himeræum Phalereum, Marathonium Aristonicum, & Pyræensem Eucratem, qui nihil differunt à vehementibus aquarum fluxibus, abjecti animi homines, qui occasionem opportunorum tumultuum, inclarescunt, & ad levem spem motus insolescunt: verum brevi, vespertinorum instar flatuum intremiscunt. Præterea perfidum Hyperidem, alienum ab amicitia vulgi assentatorem, qui turpe non duxit, quo vulgi gratiam iniret, instruere calumniam Demosthenj, neq; ad hæc se præbere ministrum, quorum eos statim pœnituit, quibus erat gratificatus.

Nam non multò post hanc calumniam, contigit ei reditus reditu Alcibiadis clarior. Istum autem nihil puduit lingua incessere homines quondam amicissimos, quam conveniebat ei propter ingratitudinem præcidere. Quid? non oderas Demosthenem maximè omnium hostium? Non, siquidem rationem habeo morum & fidei ejus, & amo ubique integritatem & constantiam. Nam honestæ res, honestæ etiam apud hostes censentur, & virtus ubique in pretio est. Neque sum Xerxe deterior, qui Bulim & Sperchim Lacedæmonios admiratus, eos cùm posset, non occidit. Ego verò, siquem ex omnibus, Demosthenem, tum quia bis cum ipso Athenis, etsi non multo cum otio, congressus sum, tum quia ex aliis audivi, etiam ob administrandi rationem maximè sum admiratus: non, ut putaverit aliquis, ob eloquentiam etsi cùm hoc collatus Python nihil esset, luduſque Attici oratores, comparati cum hujus actione, vigore, dictionum compositione, sententiarum luminibus, densis argumentis, conciliandis, & impellendis animis. Itaque pœnituit nos, quum Græcos Athenas convocassemus, ut Athenienses objurgaremus. Pythoni, Pythonisque promissis fidem adhibuisse: postquam in Demosthenis argumenta incidimus, cujus vis in dicendo erat insuperabilis: quam in secundo laudis ordine colloco instrumenti vice habitam.

Sed Demosthenem ipsum magis suspexi, ob consilium & prudentiam, qui in omnibus fortunæ periculosissimis tempestatibus animum immotum servabat, nec rebus adversis unquam cedebat. Ac memini Philippum perinde ac me de illo sentire, cui cum rex Athenarum urbe quædam afferretur concio, in qua ille in Philippum invectus erat, & Parmenio stomacharetur, & Demostheni convitiaretur, Demosthenes, inquit, dignus est qui liberè loquatur. Nam huic uni omnium Græcorum oratorum nihil fertur expensum in meis rationibus, quanquam ei me credere mallem, quam navalibus scribis: quorum unicuique meis in rationibus perscriptum est aurum, ligna, reditus, pecudes, agri. Hic verò longas classes mittit, comparat exercitus: obsistit. Talia & tunc, & sæpè mihi de viro illo dicebat Philippus, unũ hoc in fortunę suæ bonis ponẽs, quod Demosthenes non esset imperator: cujus orationes velut arietes, aut catapultæ ex

Athenis

Athenis emissæ, ejus consilia perturbarent & subverterent. Nam de pugna ad Chæroneam, nec post victoriam desiit prædicare, quantum ipsi periculum hic vir creasset.

Nisi enim præter spem, ob ducum inscitiam, & aciem malè instructam, & insperatam fortunam, quæ multa sæpe nobis confecit, vicissimus, uno die non modò regnum, sed & vitam meam in discrimen adduxerat: conjunxerat potentissimas urbes, coëgerat omnes vires Græciæ, Athenienses, Thebanos, Bœotios, Corinthios, Eubœenses, Megarenses: effeceratque ut simul omnes civitates periculum subirent: & mihi transitum in Atticam intercluserat. Hujusmodi sermones continuos de Demosthene habebat. Et dicentibus, ei populum Atheniensem magnum esse antagonistam: respondebat se unum habere antagonistam Demosthenem. Athenienses autem sine Demosthene, Ænianenses esse & Thessalos. Et quando legatos ad urbem mittebat, siquos alios Athenienses, facilè vincebat ipse: sed Demosthene præsente, frustra, inquit, se legatos mittere.

Non enim potest erigi trophæum contra Demosthenis eloquentiam. Sic Philippus dicebat, Itaque ego qui quidem longè inferior sum Philippo, si cepissem talem virum num velut bovem ad cædem abducerem? an verò potius in consilium de toto regno Græciæ constituendo adhiberem? Nam initio natura ei bene affectus fui, propter res eius gestas: ac magis propter Aristotelis testimonium, qui solebat eum sæpe ad Alexandrum, & ad nos ducere. Et cum tot essent qui ad eum venire consueverant, neminem sic admirabatur propter magnitudinem ingenii, temperantiam, gravitatè, celeritatem, loquendi libertatem, & tolerantiam. Vos autem, inquit, cogitatis de illo, ceu Eubulo, Phrynone, & Philocrate, & illum donis corrumpere conamini, qui universum patrimonium in Athenienses privatim & publicè contulit. Et quia nihil proficitis pecunia, vos eum territuros putatis, qui jampridem constituit pro incerta patriæ fortuna mortem oppetere. Et siquid in vobis reprehendit, ægrè fertis. At ille ne populum quidem Athenienſium metuit. Latet vos, inquit, eum amore patriæ remp. administrare, atque hanc administrationem, tanquam philosophiæ scholam sibi proposuisse.

Talia, ô Archia, ejus consuetudine consequi peroptabam, scilicet rebus præsentibus audire dicentem sententiam, & remotis qui me circunstant adulatoribus, ingenuam liberę mentis orationem accipere, & consilii veritatis studiosi particeps esse. Ac mihi sanè videtur hoc nomine reprehendendus esse, quod vitam suam in discrimen adduxit, pro tam ingratis civibus, cùm posset alios invenire amicos fideliores & constantiores. Alia quidem, ô rex, fortè consequutus esses: sed hæc frustra dixisses, ita furebat amore patriæ. Sic est, Archia: quid enim dicerem? sed quomodo mortuus est? Videris ô rex, miraturus amplius. Enim nos qui spectavimus, non minus obstupuimus rem fide majorem, quàm qui videbant. Videtur enim jam olim apud se constituisse de postremo vitæ die: quod intelligi potest ex apparatu. Nam intus sedebat in templo: ac frustra superioribus diebus cum eo collocuti eramus. Quales fuerunt vestri sermones? Multa humanissima proponebam: promittebam ei veniam abs te: non quod eam expectarem, cùm nescirem tuam mentem. Sed arbitrabar te huic vehementer iratum esse: atque hæc tantum conducere putabam ad persuadendũ. Quomodo accepit vestram orationem? ac nihil me celes. Nam vellem coram audivisse: sed tu nihil omittas. Magna res est tanti viri mores sub exitum vitæ nosse: utrum se mollem & ignavum præstiterit, an constantiam animi retinuerit. Nihil formidavit ille. Quomodo? Suaviter enim risit: ac lusit in priorem vitam meam: ineptum dixit esse me tuorum mendaciorum histrionem. Itaque promissis non credens, animam profudit. Non, si reliqua audias, non solum non credidisse videbitur. Sed siquidem, ô rex, dicere jubes, dixit nihil indignum aut novum esse Macedonibus ita capere Demosthenem, ut Amphipolim, Olynthum, Oropum. Talia multa dixit. Adhibuimus enim scriptores qui ejus dicta exciperent. Ego equidem, inquit ô Archia, tormentorum, mortisve metu in conspectum Antipatri venire nolim. Sed si vera hæc sunt quæ dicitis, longè magis cavere debeo, ne mens mea corrumpatur ab Antipatro, ne-ve meum in Græca acie ordinem deseram, factus ad Macedonas transfuga. Si enim vivere mihi honestum, Piræus præbeat, & triremis quam instruxi, & murus & fossa meo sumptu facta, & tribus Pandionis, cuius causa ego expensas ultro suppeditavi, & Solon & Draco: & libertas suggestus, liber populus, decreta militaria, leges classium, majorum virtutes, & trophæa, & civium, qui me sæpe coronarunt, benevolentia, & Græcorum qui hactenus à me sunt conservati, potentia.

Quod si vita mihi debeat alterius misericordia contingere, humile illud est, at tolerabile quidem, si mihi contingat à civibus meis, quorum redemi captivos, aut à patribus, quorum collocavi filias, aut quos dandis contributionibus juvi. At si me nec insularum imperium, nec mare servet, ab hoc Neptuno peto ut me servet, ab hac ara, sacrisque legibus. Sin autem Neptunus non potest defendere immunitatem templi, nec pudet eum prodere Demosthenem Archiæ, moriar, nec mihi Antipater pro Deo colendus erit. Liceret mihi amiciores habere Macedones quàm Athenienses, & frui fœlicitate vestra, si Callimedonti Pytheæ, Demadi me adjungere vellem. Liceret animum vel serio mutare, nisi verecundia Codri, & filiarum Erechthei me prohiberet. Nolui igitur transfugam fortunam sequi. Honestum enim effugium mors est, quæ turpitudinis periculo vacat. Et nunc Archia, quantum in me est, Athenas non dedecorabo, ultrò accepta servitute, & abjecta libertate in qua mori est honestissimum. Verùm convenit tibi tragœdias commemorare: nonne graviter dictum est: At illa jam moriens tamen, Decenter ut caderet, cavebat sedulò. Hoc cùm fecerit puella, an honestæ morti, vitam turpem præferet Demosthenes, Xenocratis & Platonis disputationum de animæ immortalitate oblitus? Quædam etiam acerbius dicebat, in eos invectus qui calamitatem exprobrant. Sed quid opus est, ut ego ea nunc referam? Cùm ad extremum partim precarer, partim minas adhiberem, & blanditiis terrores miscerem. Ego, inquit ille, persuaderi mihi paterer, si Archias essem. Sed quia sum Demosthenes, ignosce mihi ô infœlix, ad ignaviam non nato.

Hîc cum vi ipsum abducere statuerem, idque ipse sentiret, cœpit me irridere, & Deum aspiciens ait, Archias putat tantum arma, triremes, mœnia & castra, vires esse & perfuga vitæ: meum verò apparatum contemnit, quem expugnare, neque Illyrici, neque Triballi, neque Macedones possint. Firmior enim est quàm murus ille ligneus, quem olim nobis Apollo respondit inexpugnabilem esse. Nam ut prudentia me in administratione Reip. securum præstitit, ita me adversus Macedonas securum reddet. Nunquam curavi Euctemonem, aut Aristogitonem, aut Pytheam, & Callimedontem: neq; tunc Philippum, neque nunc Archiam. Cùm hæc dixisset, ne mihi manum afferas, inquit, non enim profanabo templum, quantum in me est: sed salutato Deo sponte sequar. Atque hoc sperabam, quum ille manum ori admoveret: nec illum aliud agere quàm Deum adorare suspicabar. Sed quid tandem illud fuit? Postea ex ancilla per tormenta cognovimus, diu eum habuisse paratum venenum, ut morte libertatem redimeret. Neq; extra templi limen pervenerat, quum me conspicatus, age ducas, ait, hoc cadaver ad Antipatrum: Demosthenem autem non duces: non per illos. Et videbatur mihi per illos juraturus, qui in Marathone occubuerunt: sed valedicens, avolavit. Hunc ego finem Rex, affero expugnati Demosthenis. Demosthenis scilicet, Archia. Papæ invictum animum, & beatum! Quam generosum est ipsius facinus: civilis autem prudentia, in manu retinere pignus libertatis. Sed decessit victurus in beatorum insulis, heroum, quam dicunt vitam: aut in cœlum perventurus, ut Deus factus, comes sit Jovis liberatoris. Corpus verò nos Athenas remittemus, futurum honestius ornamentum patriæ, quàm illi qui in Marathone occubuerunt. *Encomio Demosthenis.*

Onosander: Seligat etiam sibi adsessores, qui consiliorum omnium participes fiant, quiq; secum unà sententias suas communicent, sive illos ejus rei gratia in suo comitatu habuerit, sive ex præfectis ipsis illustrissimos quosque adsidere sibi jusserit. Nam cogitata quidem, diligenter putanda tractandaque sunt, solus autem proprias opiniones non rectè statuit aut confirmat. Sententia enim absq; adstipulatore solitaria, molimine proprio facilè labitur ac deerrat. quæ verò consultorum cautionibus comprobatur, tuto ipsa constituitur. Sed neque adeo incertus, aut inops consilii sit, ut ipsi sibi incredulus usquequaque diffidat, nec tam pervicaciter arrogans, ut ab nemine meliora promi posse existimet. Nam necessarium est, aut eum, qui ceterorum omnium consiliis fidem semper habet, suis nunquam, multa sæpè inutilia peragere, aut, qui neminem unum, præter se, audit, sæpenumero multa quoque peccare. *cap.* 3. *Strategici.*

Onosander: Sive noctu, sive interdiu Dux progredi velit, opidum scilicet, vel urbem, vel arcem, vel viarum transitus occupaturus, vel aliud quidquam facturus, quod nisi celeriter, insciisq; hostibus fiat, inritum ac vanum fore providebit, nemini ante patefaciat, quo, aut cuius rei causa copias ducat. Nisi tamen ducibus quibusdam indicandum esse existimet. Sed cum primum iis locis appropinquare seviderit, rerumque gerendarum occasio imminebit, tum quod agendũ erit hortetur ac demonstret, ut celeriter illud breviq; temporis momento perficiatur. nam simulac ordinum ductores audiverint, ceteri deinceps rescire poterunt. Demens autem ac vanus ille est, qui priusquam necesse sit, negociorum arcana cum multitudine communicat. Nam tum præcipuè temporis scelerati quidam ad hostes malitiosè transeunt, quod ab illis, proditionis gratia, honores & præmia se adepturos sperant. Nec fieri potest quin bellum, & servis, & liberis, multas hinc illinc transfugiendi præbeat occasiones. *cap.* 9. *§.* 10. *Strategici.*

Consolationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Nazianzenus: Renuit consolari anima mea. Quid ait? non admittis cohortationem? negas tibi solatii spem ullam reliquam esse? nihil ne tibi medebitur? non sermo, non amicus, non propinquus, non monitor, non doloris socium se præbens, non res suas adversas exponens, non vetera commemorans, non præsentia cum illis comparans, atq; ostendens quam multi homines etiam ex atrocioribus malis evaserint? Siccine projecta sunt, interierunt, concisa sunt omnia? siccine spes omnes periit, nec quicquam aliud supereſt, quam ut jacentes & supini finem exspectemus? *Oratione* 17.

D. Na-

D. Nazianzenus: Iobi amici in ea opinione versabantur, ut non virtutis explorandæ, sed vindicandi sceleris causa hanc ei plagam inflictam esse existimarent. Imò nec calamitatem ei exprobrare verebantur, idque eo tempore, cùm, etiamsi peccati pœnam lueret, ejus tamen angorem consolatoria oratione fallere aut mitigare conveniebat. *Oratione* 21.

D. Chrysostomus: Istud quidem per se quoque grave est, atque ad consternandum animum magnam vim habens, nempe tentationes subire: atcùm deest qui consoletur, sarcinamque una sufferre queat, tum demum ingravescit tempestas. *Homil. 5. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Quæ cognata sunt, magnam ad consolandum vim habere solent. *Hom. 9. ad Corinthios. 2.*

Chrysostomus: Et nunc dixi priusquam fiat, ut quum factum fuerit credatis. Magna enim, magna res est, verè ad horum consolationem, audire quæ facta sunt à magistris. Quomodo enim ægrotans, si à medico audiverit quod hoc fiat & illud, non valde conturbatur. Sin autem ex inopinato aliquid evenerit, utpote quod & ille fuerit dubius ac perplexus, & morbus artem superet, tristitia afficitur & conturbatur: ita hic quoque. *Hom. 3 ad Thessalonic.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum periti medici in morborum initiis remedia haud temerè adhibent (propterea quod defluxionis impetus oblata medicamenta debilitat, ac velut in aquam cõvertit) verum aliquantisper expectant, dum morbus de acrimonia nonnihil remittat, ac tum denique ad medendum se conferunt: eodem modo nec vigente mœrore, eum, qui præ ipsius magnitudine velut temulentiâ quadam laborat, objurgare convenit (nam alioqui sermonem, nõ secus ac collyrium, inutilem imprudentes reddemus) verùm, posteaquam ad breve tempus mœroris socios nos præbuerimus, atque hujusmodi affectum nonnihil sedari siverimus, ita demum ad curationem proficisci. Quæ quidem etiam nobis causa fuit, cur ad te curandum serius accesserimus. Quamobrem erige te, queso, amice, ex immodica hac mœstitia illud cum animo tuo reputans, te nec solum, nec primum in hanc calamitatem incidisse: verùm cõmunem hunc casum esse, nosq; jam jamq; eandem viam ingressuros, ut rerum in hac vita gestarum rationes reddamus. *lib. 3. Epist. 219.*

S. Isidorus Pelusiota: Per commiserationem ac mansuetudinem, vir sapientissime, calamitates eorum, qui in tentationes inciderunt, lenire adnitere, atque ipsos levi ac suavi sermone ad hilaritatem trahe, mœroris que radices evelle. Nam si hoc exte intelligant (quod si justæ invectæ sunt, delictorum levationem efficiunt, sin autem, cùm nil sceleris admisisset, oboriri permissæ sunt, coronas conciliabunt) non modò conceptum animo mœrorem profligabunt, verum etiam lætitia perfundentur. *lib. 3. Epist. 330.*

¶ Theologorum latinorum.

S Salvianus: Infelicissimum consolationis genus est de miseriis hominum peccatorum capere solatia. *lib. 2. contra Avaritiam.*

Ennodius: Contra amicitiarum religionem & consanguinitatis vincula, secretum conscientiæ præscit hostilis, si cum possis dupliciter defunctum flere, non facias: id est, si oculorum ministerio nequaquam jungas oris officium. ubi dum lumina stimulis acta doloris illacrimant, feriata sunt verba plangentis. *lib. 2 Epist 1.*

Ennodius: Intelligo quod nunquam ad flentem flens bene veniat consolator. *Vita Epiphanii fine.*

Ennodius: Qui oblatis remediis non obediunt, meritò nihil consolationis tempore, quo premuntur, habuerunt. *fine Dictionis 6.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Diræ sunt calamitates quæ consolante destituuntur. aliqua enim ex parte oportet ab his, ut sic dicam, spiritum deprimi etiam valde tumentem. *Declamatione 24.*

Libanius: Si mihi liberi mortui essent, non deesset consolatio, ex pari aliorum calamitate: aliaque exorta lætitia, levaretur hic dolor. *Declamatione 6.*

Philostratus: Absurdum videtur, inquit, Damis: inter viros mœstos carceri inclusos ambulare. Imò verò retulit Apollonius, hi maximè colloquentibus & consolatoribus indigent, si meministi carminum Homeri, qui dicit Helenam Ægyptia medicamenta in cratere miscuisse, ut animæ dolores dilueret. quod ego nihil aliud significare puto, quàm Helenam cùm sermones Ægyptios didicisset, eos mœstis hominibus narrare solitam esse, eosque in cratere ponere, id est sermones pariter & vinum pro levanda ægritudine solitam adhibere. *lib. 7. cap 11.*

Cùm ad me de iis casibus in quos ab ingrata fortuna conjectus es, allatum esset, incredibilem animo dolorem cepi, neque magis ad te quàm ad me calamitatem istam judicavi pertinere.

Eum itaque diem in contemplatione totius humanæ vitæ consumpsi. Cùm autem apud animum meum cogitarem omnibus ejusmodi natura parari quæ nec tempus nec ætatem constituram haberet qua sit aliquod damnum subeundum, sed in certa via cum quadam importunitate sese obviam præberet, quoniam ipse coram facere non possem, per literas adhortari te & consolari statui. Velim igitur, quàm levissimè possis, infortunium feras, & quam in alienis malis consolationem adhibuisti, ea nunc in tuis utaris. Scis enim mœrorem, quem tempus plærumque mitigare solet, facilius ratione sedari posse. *ex typo Epistolari.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Ioseph Patriarcha: Dixit ad fratres suos, Accedite quæso ad me, ego sum Joseph frater vester quem vendidistis deducendũ in Ægyptum. Sed nunc ne vos dolore crucietis, neque displiceat in oculis vestris, quod vendidistis me adducendum huc: nam victus causa misit me Deus ante vos. Jam enim biennium fames est in terra: supersunt autem adhuc quinque anni, quibus non erit aratio aut messis. Misit, inquam, me Deus ante vos, ut efficiat vos superstites in hac terra, & ut in vita conservet vos liberatione maxima, &c. *Genes.* 45. v. 4. 5. 6. 7. *&c.*

Idem: Post mortem Iacobi patris, quum fratres ejus adhuc sibi timerent, & ad eum accedentes supplici gestu & sermone dixissent, Ecce nos tibi in servos, dixit eis, Ne timeatis: nam an loco Dei sum ego? Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret sicut est die hoc, conservando in vita populum multum. Nunc itaque ne timeatis, ego sustentabo vos & parvulos vestros: ita consolatus est eos, & locutus quæ erant eis cordi. *Genes.* 50. 19. 20. 21.

Ionathan: Surgens Ionathan filius Saulis, adivit Davidem, & confirmavit manum ejus in Deo. (id est Consolatus est eum, divinarum promissionum commemoratione, hominem quasi dejectum erigẽdo) Dixit enim ei, Ne timeto, quia non est inventura te manus Saulis patris mei: sed tu regnaturus es super Israelem, & ego futurus sum secundus à te: quinetiam Saul pater meus novit ita fore. Pepigerunt que ambo fœdus, &c. *Samuel. 23. 16 17.*

Helisæus Propheta: Ministro suo, ob Syrorum visas copias expavefacto, dixit, Ne metuas: plures enim sunt qui nobiscum quàm qui cum illis sunt. Precibus autem propheta obtinuit à Deo, ut aperiis servuli illius oculis viderent equos & currus igneos circa Elisæum. 2. *Reg.* 6. 17.

Nehemias, & alij: Israelitarum conventui, post reditum è Babylone, & instaurata Hierosolyma, quum verbum Dei proponeretur, consternato populo, dixerunt Nehemias, Esras, & Levitæ, *Hic dies sanctus est iehovæ Deo vestro, ne lugete, neque flete* (flebant enim totus populus cùm audirent verba Legis) *sed abite, comedite pinguia, & bibite dulcia, ac mittite portiones cuicurque nihil est paratum. Nam sanctus est hic dies Domino nostro, & ne dolore afficiamini: sed gaudium iehovæ sit robori vobis* Cùm itaque Levitæ repressissent totum populum, dicendo, *Silete, quia hic dies sanctus est, & ne dolore afficiamini:* abierunt totum populus ad comedendum, & c. *Nehem.* 8. 10. *&c.*

Jesus *Christus Dominus noster:* Sæpissimè dulcissimis verbis Apostolos suos & alios perterritos solatus est.

1. Quum pavor Simonem Petrum occupasset, & omnes qui cum eo erant super captura piscium quam comprehenderant, ait ad Simonem Jesus, Ne metue: ab hoc tempore homines vivos capies. *Luca* 5. 10.

2. Flentibus præfecto Synagogæ & domesticis propter mortem puellæ, ac plangentibus eam, dixit Jesus, Ne flete, puella non est mortua, sed dormit. *Luc. 8. 52.*

3. Eo ambulante super mare, putaverunt discipuli spectrum esse, & exclamaverunt (omnes enim videbant eum. & turbati sunt) sed statim loquutus est cum eis, & eis dixit, Confidite, Ego sum, ne timete. *Marc.* 6. 50.

4. Suos adversus afflictiones confirmans *Matth. 10. & Luc. 10. cap.* Dicit eis, Vobis amicis meis dico, Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, & postea non habent quod amplius faciant, &c. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt: ne igitur timete, multis passerculis præstatis.

Vide præterea alias consolationes, *Matth. 14. 27 & 17. 7. Luc 7. 13. & 21. 28. & 23. 43. & 24. 36. Ioan.* 6. 20. & ejusdem *cap.* 14. 15. 16. eximiis & suavissimis consolationibus referta.

D. Paulus Apostolus: Diabolus meditans ingenti offendiculo Ecclesiam turbare, D. Paulo Apostolo suppeditat insignẽ confirmandi Evangelii, & pios auditores consolandi occasionem. Quum enim Eutychus adolescens diutius concionantem Apostolum sedens in fenestra audiret, opprimente eum somno profundo decidit è tertia cõtignatione deorsum, & sublatus est mortuus. Paulus autem quum descendisset ruit in eum, & complexus, dixit, Ne tumultuamini, anima enim eius in ipso est. Paulò post adductus est puer vivus, & discipuli recreati sunt non mediocriter. *Act 20. 10. 12.*

Centurioni, naucleris, iisque qui in navi vehebantur, naufragium timentibus, Paulus dixit, estote bono animo: jactura enim nulla erit cujusquam ex vobis, sed tantum navis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, & quem colo: dicens, Ne metue, Paule, oportet te Cæsari sisti. & ecce condonavit tibi Deus omnes qui tecum navigant. Propterea bono animo estote viri: credo enim Deo ita fore quemadmodum loquutus est mihi. *Et infra.* Vos hortor ut sumatis cibum, hoc enim ad salutem vestram spectat: nullius enim vestrum capillus ex capite cadet. *Act. 27. 22. 23. 24. 34.*

Sicut (inquit) abundant perpessiones Christi in nobis: ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. 2. *Corinth.* 1. 5. vide 2. *Corinth.* 7. 6. *Rom.* 15. 4 1. *Thes* 4. 18. *&* 5. 11.

D. Hieronymus. Bonus est Deus, inquit, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plangò quod accidit: sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius: durum quidem, sed tolerabile: quia sustulit ille qui dederat. Si cæcus fuero, amici lectio me consolabitur. Si auditum quoque surdæ aures negaverint, vacabo à vitiis: nihil aliud, nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor

languor, & nuditas: extremam expectabo horam, & breve putabo malum quod finis melior subsequatur. Sanus sum, gratias refero creatori. Langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem: quando enim infirmior, tunc fortis sum, & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Cur autem durum sit quod quandoque patiendum est? Cur dolemus quenquam mortuum? An ad hoc nati sumus, ut maneamus æterni? Abraham, Moses, Esaias, Petrus, Jacobus, Ioannes, Paulus electionis vas, & super omnia filius Dei moritur; & nos indignamur aliquem exire de corpore, qui ad hoc forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus? Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Nos quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemur. Quia quandiu hic moramur, peregrinamur à Domino, &c. *Epist. ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ.*

Forsitan diabolus, antiquæ fraudis memor, famem Christiano suadere tentabit. Sed jam illi responsum est, Non in solo pane vivit homo. Opes forsitan gloriamque proponat sed dicetur illi, Qui cupiunt divites fieri, incidunt in muscipulam & tentationes. *Item*, Mihi gloriatio omnis in Christo est. Fessa membra jejuniis, morbo gravante concutiet: sed Apostoli repercurietur eloquio, Quando infirmior, tunc fortior sum: & Virtus in infirmitate perficitur. Minabitur mortem: sed audiet, cupio dissolui, & esse cum Christo. Ignita jacula vibrabit, sed excipientur scuto fidei. Impugnabit Satan: sed tutabitur Christus. *Epist. ad Rufinum.*

D. Augustinus: Seculum istiud, inquit, desertum est horribile & timendum: tamen Deus misertus est nostri, & fecit nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum: & fecit nobis consolationem in deserto, mittendo ad nos prædicatores verbi sui: & dedit nobis aquam in deserto, implens spiritu sancto prædicatores suos, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam. Et ecce habemus hic omnia, sed non sunt de deserto. Igitur si quas in mundi deserto potes habere consolationes, vel sociorum, vel viæ, vel aquæ, ne tribuas deserto, sed illi qui te visitare dignatus est in deserto. *In Psalm 62.*

Unde gloriabatur Paulus dicens, Gloriamur in tribulationibus, si egestatem pateretur? Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat. Quid autem facit malus homo cùm cœperit tribulari? Foris nihil habet: ablata sunt omnia: in conscientia nullum solatium est, nō est quo exeat, quia dura sunt: nō est quo intret, qui mala sunt. *In Ps.* 36.

Consolatio non est nisi miserorum, consolatio non est nisi gemētium & lugentium. Gemimus in spe, consolamur in re. Cùm transierit spes de gemitu gaudium veniet æternum, ubi non opus erit consolatione, quia nulla miseria sauciabimur. *In Psalm.* 125.

D. Ambrosius: Multas, inquit, nobis perturbationes in hac vita esse subeundas. Scriptura divina frequentibus demonstrat locis: multa quippe suppetere consolationes, quibus animus capax vigoris & recti conscius absorbere debeat quæ præsentium incommodorum sunt, & spectare quæ habeant perpetem jucunditatem. Præponderant enim cōsolationes perturbationibus, quia & præsentium sedationem afferūt, & spem futurorum. Unde & Apostolus Paulus. Indignæ sunt, inquit, passiones huius temporis ad superventuram gloriam. Indigne utique ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis. *Lib de interpellatione Iob cap.* 1.

Unum solatii genus est in ærumna & in amaritudine constitutis culpa vacare: ut ea quæ perpetiuntur adversa non pro dilecti precio sustinere videantur. *Eod. lib cap* 4.

Consolatio mitis esse debet, non aspera, quæ magis dolorē leniat, fervorem mitiget, quàm commotionem excitet. Certè ipsius corporis medicina id nos doceat, quæ ferventibus mollora medicamenta consuevit adhibere, quibus dolorem allevet. Ideoque foventur primò vulnera, post secantur, ne offendat ipsa durities, & incisio vulnus exasperet. Quanto magis cavere nos convenit, ut cùm venerimus ad consolandum, non facilè non perfunctorie loquamur? *In Psalm* 37.

Basilius Magnus: Eum, inquit, quem consolari cupis, prius parùm perqueri sinas. Deinde dolore paulum per lachrymas ejulatumque sedato, tunc leniter & humaniter castigabis: ad patientiam & animi tranquillitatem sensim revocabis. Nam & equorum domitores, equos iræ nonnihil audientes non statim habenis compescunt, aut calcaribus impellunt: sic enim sessores exagitare & excutere discunt: sed eis obtemperando ab initio, ac minimè resistendo, postquam iram & impetum paulatim consumptum deficere viderint, tunc arte quadam obtemperantes & ad omnia dociles reddunt, &c. *Serm. de gratijs Deo agendis.*

Gr. Nyssenus: Beati sunt, inquit, qui nunc lugent: quoniam nimirum ipsi in infinita secula solatio fruentur. Solatium autem ex consuetudine, usu atque communicatione paracleti, id est, advocati & consolatoris existit. Consolationis enim gratia peculiare Spiritus sancti opus est. *Lib. de Beatitudinibus:*

G. Nazianzenus: Christianum Philosophum describens, *Oratione* 28. consolationes eximias ijs omnibus proponit in afflictionibus, quarum summa hæc est. Christianus homo, ignobili & obscuro genere ortus quantum ad statuam & lutum attinet (si quid magni inter lutum & lutum interest) spiritualem nobilitatem illius loco afferret, reliquas autem nobilitates quæ vel seruntur, vel principū diplomatibus comparantur, ut viles & adulterinas, nulloq; in pretio habendas, procul submovebit. Deformis est, quantum ad id quod in aspectum cadit. At ea parte formosus & elegans, quæ oculorum aciem fugit. Morbo laborat? Pugnabit. Quod si victus fuerit, vincet: hoc scilicet assecutus, ut jam non amplius pugnet. Pauper est? Pro divitiis Deum habebit: divites irridebit, ut qui, licet facultates suas quotidie augeant, semper tamē pauperes sint, quia pluribus indigent: bibuntque, ut majori siti inflammentur. Fame vexatur? cùm avibus alitur, quibus victus sationis & arationis expers est. Siti angitur? Fontes ei & flumina potum suppetitabunt, & quidem potum non inebriantē, nec demensum. Algebit? Idem quoque Paulo accidit: est & quoddā cavernæ indumentum. Maledictis lacerabitur? Vincet maledicta, nō regerendo. Persecutionem patietur? Sustinebit. Blasphemabitur? Obtecrabit. Calumnijs premetur? Orabit. Percutietur in dexteram maxillam? præbebit & alteram, tertiam etiam (si haberet) objecturus, quo magis ad lenitatem percussorem erudiat, opere docens quæ sermone non potest. Probris impetetur? Et Christus quoque: afflictionis societate cruciabitur. Quamvis etiam Samaritanus vocetur, quamvis hoc ei objiciatur quod Dæmonis intemperiis agitetur, cum Deo omnia suscipiet. Multa adhuc, quamvis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, clavi, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumeliæ. Superiora enim Deum habere oportet, eo nomine in contemptum venientem, quod plures cruciatus ferat. Omnia prius cedent, quàm ut manus det philosophus Christianus.

D. Gregorius Magnus: Magna, inquit, consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res quas perdidimus non habuisse. *Expos. in Iob. lib. 2. cap. 17.* Magna cōsolatio tribulationis est, si cùm adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. Nec frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc, quod ex munere sublevat, occurrit. *Ead. exp. lib. 3 cap 7.* Ordo consolationis est, ut quum volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. *Ibid. cap.* 8. Quisq; perpendere sollicite debet, ne luctus tempore verba increpationis inferat. Si enim sunt quædam quæ increpari jure debeant, in afflictione postponenda sunt, ne consolator increpando dolorem augeat, quem lenire proposuerat. *Item*, Consolamur pravos in flagello constitutos, cùm de exteriore percussione interiorem in eis convalescere salutem conamur: eosq; inter flagella roboramus, cùm doloris eorum vim verbis mitibus lenimus. *Ead. expos. lib 13. c. 2. & 3.* Indecens est illis tædio afflictionis adfici quos credendum est ad veram vitam moriendo pervenisse. Habent forsitan illi justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc seculo ad melius esse transitum non cōfidunt. Nos autem qui novimus, qui hoc credimus, & docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus: ne quod apud alios tener pietatis speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est: contra hoc quod quisque prædicat torqueri mœstitia. *Epist. lib 7. epist.* 111. *ad Aregium.* Si vos frui bonis in terra viventium quæritis, mala hominum in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe est vita præsens: & qui suspirat ad patriam, ei tormētum est peregrinationis locus, etiam si blandus esse videatur. Vobis autem qui patriam quæritis inter suspiria quæ habetis, etiam audio gemitus humanæ oppressionis exurgere. Quod mira omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut dum veritas per amorem vocat, mundus præsens à seipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit repellat: tantoque facilius ab amore hujus seculi mens exeat, quanto impellitur dum vocatur *Lib. 9. Epistol 70 ad Aurelium ex Francia.* Quia plus de animæ vestræ salute, quàm de terrenarum rerum utilitate debetis esse solliciti, hortamur, ut mens onerē tribulationis oppressa, contra Deum non murmuret, ne post amissionem rerum ejus etiam animæ sequantur dispendia. *lib. 11. epist* 23. *ad Paschalem & Consolantiam.*

D. Bernardus: Consideret Christianus, inquit, nullam sibi invenire requiem in seipso, sed omnia plena miseriæ & desolationis. Cōsideret non esse bonum in carne sua, sed in seculo nequam nihil nisi vanitatem & afflictionem spiritus contineri. Consideret, inquam, ne intus, nec subtus, nec circa se sibi occurrere consolationem: ut vel tandem aliquando discat quærendam sursum, & desursum esse spectandam. *Serm. de conversione ad Cler. cap.* 19. Verba consolationis Dei sunt, ablatio culpæ, restitutio gratiæ, evasio exilii, cōsecutio regni, consortium divinitatis, adeptio æternitatis. *In sententijs.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

Jesus *Christus:* Rationem in consolando valere plurimùm, auctor est Cicero: ideoq; Christiana solatia, quia in ratione fundata, solida sunt & efficacia. Quis enim tales eas fuisse negabit, quas Dominus noster pluries benignè est elargitus? ut autem Cananæam, Magdalenam, & alios innumerabiles transeam, cùm discipulis & Apostolis suum ex hoc mundo ad Patrem transitum insinuasset, ut mœstis medelam consolationis adferret: *Si*, inquit, *abiero, mittam Paracletum ad vos.* & infra: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Docet autem rebus afflictis nihil divino solatio efficacius. *Ioan. cap* 16.

S. Paulus Apostolus: Ille etiam veræ consolationis dulcedine perfusus, volens eam participare iis, qui secum in navi erant gravi periculo exposiri, ajebat: *Adstitit mihi hac nocte Angelus Dei, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Act. cap* 27

S. Lydwina: Certet etiam cum hoc Lydwina patria Batava: quæ tanto consolationum recreabatur cumulo, ut earum pondere sco-

primendam diceret, nisi aliquando etiam à Domino humiliaretur. *Bona*, inquiebat, *est consolatio, quam non tumor inflat: sed timor consolidat. In vita ejus apud Ioan. Brugman.*

S. Sabina: Ejusdem & sexus & fortitudinis illa. cui cùm nefarii homines minarentur, ni Diis sacrificaret, in prostibulum conjicien-dam: præsenti se recreans solatio, *Sancto*, inquiebat, *Deo id curæ erit. Sur. tom. 1. in vita Pionii.*

Princeps Saracenus Anonymus: Hujus autem egregium & memorabile dictum, ad calcem, licet extra præscriptum virorum ordinem, adjicimus. Hic quandoque ad captivos in Ægypto Franciæ proceres accessit, rogans, utrùm & illi in Deum crederent ex Virgine natum, cruci affixum, mortuum, &c. quibus affirmantibus, *Mactè igitur animo*, inquit, *parum adhuc id erit, tantillum pro eo sustinuisse, qui pro vobis ad mortem usq; decertavit. Qui si tantæ fuit potestatis, quòd seipsum è sepulchro suscitavit, brevi vobis speranda ex his calamitatibus liberatio.* Seriam veramque consolationem fuisse, probavit secuta libertas. *Ionuil. in vita D. Ludovici, c. 42.*

Thomas Morus: Hujus admirandam omnium rerum virtutem multa loquuntur. Quid illustrius, quàm quòd carceri mancipatus, nullum dolori locum daret? & qui ad se excitandum accurrerent, ipse novo quasi solamine recrearet? *Mundus*, ajebat, *carcer est, ex quo ad causam dicendam suis singuli diebus evocantur. Quod autem meus carcer aliorum Principum carcere sit minor, beneficii loco habeo: cùm è malis minimum sit eligendum. N. Sanderus de Schism. Anglic. lib, 1.*

Conspirationis.

¶ SENTENTIÆ.

Phalaris Stesichoro: Audio te maximo in metu versari simul nostram potentiam consideratione, simul verò conscientia conatuum adversus me susceptorum. Miror autem te nunc primum metuere cepisse & non tum potiùs statim, cùm hæc contrà me intenderes, & ad abrogandum iniquũ imperiũ, ut tute prædicabas, Himerensibus auxilio esse velles: animo agitabas, posse hæc fortè quæ tu dicis Himerensibus accidere. Si igitur parvi pendebas mortẽ quemadmodum oportebat sapientiæ studiosum, quid nunc vecors æstuas, cùm liceat, quæ tũ expectans nihilominus audacia ferebaris, ea jam accedentem intrepido fortiq; animo perpeti. Sin ut es meticulosus, dependendam tibi apud nos pœnã, pertimescebas, quid ò petulantissime tum vociferabare, tantumq; tibi hostem parabas, nunc sceleratũ nunc protervũ appellando, & tuorum carminum verba pro cõcione recitando. Quid verò cũ Musicus esses & poëta, teipsum in contrariũ tuis studiis, vitæ munus & conditionẽ conjiciebas, cũ domi desidens otium agere posses, & nõ turbulentioribus implicari negotiis quàm poëtas decet. Quoniam verò pro poëta concionator & popularis haberi voluisti, subeunda tibi sunt quæ dico non poëtis, neque eruditis hominibus, sed concionatoribus plus æquò ad audaciam projectis evenire, postquam in hostium manus devenerunt. *Epist.* 109.

Phalaris Stesichoro, qui carmen scripserat in tyrannos: Ne te sollicitum habeat, quòd Eubulis & Ariphantes accusationem apud nos contra te instituerunt. Nec tibi dolorem hoc tantũ afferat, si insidiarũ in nos instructarũ causam, in te tuaq; pulcherrima scripta ac carmina deriuare sunt conati. In quantũ enim discrimen periculumq; Himeræ venerimus, non te clam est. Verùm cũ nihil indignum aut exitiosum nobis acciderit, lętitiæ plus quàm mœroris illorũ accusatio tibi debet afferre, tum ob vim atq; robur poëmatum quæ tibi Musæ inspirant tum ob incolumitatẽ & salutem nostram, si modò tibi cordi fuimus. Carminum enim vehementiam fortiorẽ illis addidisti, quàm ut Lyra regi Phalarimq; majorem effecisti, quàm ut à Tyrannicidis interfici posset. Nos verò in extremo periculo constituti, & in Tyrannũ impetum fecimus, & in societate perstitimus neq; tu quamvis morti eramus propositi: immò ne si perissemus quidem, nobis accusandus esse videreris. Nam etiamsi conatus injustus atque sceleros-us fuum exitiũ habuisset: tamen huius exitii Stesichorus nobis nõ erat architectus atq; autor. Tu enim fortè in carminibus celesti quodam splendore & ornatu, Tyrannum quidem de medio tollere laudasti: (neq; si quis hanc orationẽ approbet, repugnamus:)at nõ Phalarim. Hoc est enim hominem nõ Tyrannũ occidere. Non enim ut tu probè nouisti, nunc primũ periculum in adeundo vitę discrimine facio, neq; Dropidas, neq; quisquam alius vir fortis & bonus (sed ne noster salvator quidem ipse Iupiter in templo permansit.) Inter Eubulum & Ariphantem injuriosos duos homines ego solus justus fui: me Tyrannũ liberavit, Conon verò contaminatus fœdissimis stupris & Theagoras, qui nobis mortẽ erat machinatus & Antimedes & Pericles, & quotquot horũ similes extiterũt, justissima ultionis lege, sunt à me interfecti, quos nisi tantã potestatẽ tenerẽ, ut ulcisci possem, vitam meã animamq; profunderem. Appellent me homicidã, impiũ, pollutũ, Tyrannum multis & infandis sceleribus conspurcatum, & si quid his gravius possunt proferre, ne pareant. Cùm enim me laudẽt, arbitrẽtur se mihi infamiam calumniamq; apud probos pessimi nebulones imponere, quorũ alii sunt à nobis cõbusti, & in Taurũ inclusi, alii in crucẽ acti, ubi cõspici à ceteris possent, & monere ne quid cõtra nos molirentur: aliorũ verò facies exustæ arefactæq; sunt, alii mutilati & laqueis strangulari, & aliis defecta capita. Alii cùm primi injuriam intulissent, acerbissimã mortẽ judicio sortiti sunt. Propter quos fateor me Tyrannũ esse factum, neq; me contra sceleratos affectasse Tyrannidem inficias eo, neq; desistam à crudelitate atq; inhumanitate. Erga iustos verò & bonos ejusmodi jam imperium exerceo, cujusmodi cùm hoc imperium nondum essem adeptus. Ne putes igitur Stesichore: contra me tibi carmẽ, ullum suggeri aut inspirari, cùm in Tyrannũ inveheris. Deas aũt libenter suscipe, neq; nostri causa quicquã quòd in mentẽ venerit: respuas aut averseris. Sic enim tibi persuasum habe, neminem Phalaridi vitam erepturum esse contra proprium fatum, quod à primis annis nobis est definitum & constitutum: etiamsi vatum & poetarum carmina sileant atq; conticescãt. Unde veniens ipsum necessario, cum libitũ fuerit, quasi debitũ nobis eodẽ modo expectabim⁹, & suscipiemus. Eubulo verò totiq; cõjurationi ejus, quoniã repugnante hoc me sunt adorti, premia reddidimus, nõ quæ à legib. constituuntur, hominib. vanã gloriã ex Tyranni cæde aucupãtibus, sed quæ à Tyrãno, qui plus potest, quã leges. Detrusi n. in Himerensiũ Therobotum usq; ad pectora, post multa suppliciorũ alia genera, in eo tormẽto, noctẽ absumpserunt. Tu verò quam diutissimè prosperè agas. Vale. Et ne quid ejusmodi tibi patiũdum sit, non sanè optaverimus tibi. Id enim à tua justitia tibi datum esse diceres: verùm ne Phalari simile quid unquam sit necessariò faciendum. Musæ tibi curæ sint, labores celeberrimi. Ad nos verò etiã mitte poëmata, quæ præsentibus curis nostris medeantur. *Epist. 147.*

Constantiæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Isidorus Peluſiota: Cùm inferi portæ, quæ quidem sunt omnia ignea diaboli tela adversus rectam atq; ab omni reprehensionis labe alienam fidem prævalere nequeãt, cumq; periculum, & nuditas, & mors à Christo nos sejungere minimè possint, quidnã est, vir eximie, quod exiguos impetus Christi causa in te factos ægro atq; impatienti animo feres? Firmo igitur ac stabili gradu consiste: atq; & tentationes eæ, quæ jam coortæ sunt, extinguentur, & quæ tibi cõparantur, antequã eas experiaris, evanescent. Mentis enim ac sententiæ firmitas & constantia, vim machinarum irritam reddet. *lib 1. Ep. 373.*

Basilius Imperator: Esse sibi perpetuò consentientem, hominis est gravis & cordati, quẽadmodum pugnare secum & dictis & factis, hominis est levis omnique reprehensione digni: nec longe abest à notatione degeneris animi nullíusq; judicii. quæ ergo metitaberis aut dicere aut facere, cave ne incõsideratè proferas, ne uspiam minus tibi cõstare deprehẽdaris: radix enim & origo eius mali, est incõsulta temeritas: Si autem consulto omnia & dixeris & feceris, radicem illã sapienter præcideris, & nunquam à te dissidere cõperieris. *cap. 31.*

¶ LATINORUM.

Frontinus: Cn. Pompeius minantibus direpturos pecuniam militibus, quæ in triumpho ferretur. Servilio & Glaucia cohortantibus, ut divideret eam, ne seditio fieret, affirmavit non triumphaturum se, sed potius moriturum, quàm licentię militum succumberet: castigatisq; oratione gravi laureatos fasces objecit, ut ab illorum inciperens direption , eàque invidia redegit eos ad modestiam.

C. Cæsar seditione in tumultu civilium armorum, ac tum maximè tumentibus animis legionem totam exauctoravit ducibus seditionis securi percussis: mox eos, quos exauctoraverat, ignominiam deprecantes restituit, & optimos milites habuit.

Posthumius consularis cohortatus suos, cùm interrogatus esset à militibus, quid imperaret, dixit, ut se imitarentur: & arrepto signo hostes primus invasit, quem secuti, victoriam adepti sunt.

L. Marcellus, cùm in manus Gallorum imprudens incidisset, circunspiciendæ regionis, qua evaderet, causa, equum in orbem flexit: deinde cùm omnia esse infesta vidisset, precatus Deos in medios hostes irrupit, quib. inopinata audacia perculsis, ducẽ quoq; eorũ trucidavit, atq; ubi spes salutis vix superfuerat, inde optima rerulit spolia.

L. Paulus amisso ad Cannas exercitu, offerente equum Lentulo, quo fugeret, superesse cladi, (quanquam non per ipsum contractæ) noluit, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, persedit, donec ab hostibus oppressus confoderetur.

Varro collega ejus vel majore cõstantia post eandẽ cladẽ vixit, gratiæq; ei à senatu & populo actæ sunt, quod non desperasset de republ. Non autem vitæ cupiditate, sed Reipublicæ amore se superfuisse reliquo ætatis suæ tempore, approbavit. Nam & barbam capillumque submisit, & postea nunquam recubans cibum cepit, honoribusque cum ei deferrentur à populo, renũnciavit, dicens fœlicioribus magistratibus Reipublicæ opus esse.

Sempronius Tuditanus, & C. Octavius Tribunus militũ omnibus fusis ad Cannas, cum in minoribus castris circunsederẽtur, suaserunt cõmilitonibus, ut stringerẽt gladios, ut per hostiũ præsidia erũperent secum, id sibi esse animi, etjã si nemini ad erumpendum audacia fuisset. de cunctantibus duodecim omnino equitibus vel peditibus, qui comitari sustinuerant repertis, incolumes Canusium peruenerunt.

C. Fonteius Crassus in Hispania, cum tribus millibus hominum prædatum profectus, locoq; in quo circumventus ab Hasdrubale ad primos tantum ordines relato consilio, incipiente nocte, (quo tempore minimè expectabatur) per stationẽ hostium erupit.

P. Decius Tribunus militum, bello Samnitico, Cornelio consule iniquis locis deprehenso ab hostibus suasit, ut ad occupandum collẽ, qui in propinq; erat, modicã manum mitteret, seq; ducẽ his, qui mittebãtur obtulit: avocatus in diversa hostis emisit consulem: Decium autem cinxit obsiditq;: illas quoq; angustias, nocte eruptione facta, cum eluctatus esset Decius, incolumis cum militibus cõsuli accessit.

Idem fecit sub Attilio Calatino cõsule, is, cujus variè traditur nomen: Alii Laberiũ, nonnulli Q. Cædicium, plurimi Calpurniũ Flammam vocitatum scripserunt. Hic cum demissum in eã vallem videret exercitũ, cuius latera omnia superiora hostis insederat, depoposcit, & accepit à cõsule trecẽtos milites, quos hortatus, ut virtute sua exercitũ servarent, in mediam vallẽ decurrit: ad opprimendos eos undiq; descendit hostes, longoq; & aspero prœlio retentus, occasionẽ consuli ad extrahendum exercitum dedit.

C. Cæsar adversus Germanos & regẽ Ariovistũ pugnaturus, confusis eorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis usurum: quo assecutus est, ut & decumani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio concitarentur, & ceteri pudore, ne penes alios gloria virtutis esset.

Lacedæmonius quidam nobilis, Philippo denunciante multis se prohibiturum, nisi civitas sibi traderetur, Num, inquit, & pro patria mori nos prohibebit?

Leonidas Lacedæmonius, cũ dicerentur Persæ sagittarum multitudine nubes esse facturi, fertur dixisse, melius in umbra propugnabimus.

Cælius prætor urbanus, cùm ei jus dicenti picus in capite insedisset, & aruspices respondissent, dimissa aue, hostium victoriam fore: necata, populum Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturum, auem occidit, qua occisa, nostro exercitu vincente, ipse cũ quatuordecim Cæliis ex eadem familia in prœlio est occisus: hunc quidem non Cælium, sed Lælium fuisse, & Lælios non Cælios periisse credunt.

P. Decius primo pater, postea filius, in magistratu se pro Republica devoverunt, admissisque in hostem equis, adepti victoriam patriæ contulerunt.

P. Crassus, cùm bellum adversus Aristonicum in Asia gerens, inter Æliam & Myrinam in hostium copias incidisset, vivusque abduceretur, execratus in consule Romano captivitatem, virga qua ad equum erat usus, Thraci (à quo tenebatur) oculum eruit, atque ab eo per dolorem concitato transverberatus, dedecus servitutis, ut voluerat, effugit.

M. Cato Censorii filius, in acie decidente equo prolapsus, cùm se recollegisset, animadvertisset que gladium excidisse vagina, veritus ignominiam rediit in hostem: ex eoque aliquot vulneribus recuperato gladio, demum reversus est ad suos.

Petilini à Pœnis obsessi, parentes & liberos propter inopiam ejecerunt, ipsis coriis madefactis, & igne siccatis, foliisque arborum & omni genere animalium vitam trahentes vndecim menses, obsidionem toleraverunt

Hispani cum Fabrescense omnia eadem passi sunt, nec oppidum Herculeio tradiderunt.

Casilini obsidente Hannibale tantam inopiam perpessi sunt, ut centum denariis murem vænisse, proditum memoriæ sit, eiusque venditorem fame periisse, emtorem autem vixisse: fidem tamen servare Romanis perseveraverunt.

Cyzicum cùm oppugnaret Mithridates, captivos ejus urbis produxit, ostenditq; obsessis arbitratus futurum, ut miseratione suorum compelleret ad deditionem oppidanos: at illi cohortati ad patiẽdum fortiter mortẽ captivos, servare Romanis fidem perseveraverunt.

Æginenses, cùm à Viatotis liberi & conjuges cæderẽtur, præoptaverunt spectare supplicia pignorũ suorum, quà à Romanis deficere.

Numantini, ne se dederent, fame mori præfixis foribus domuum suarum maluerunt. *lib. 4. cap. 5. Stratagem.*

§ Apophthegmatum Sacrorum.

Mattatias: Appropinquantibus diebus Mattatiæ, ut moreretur, dixit filiis suis, Nunc firmata est superbia, & castigatio, & tempus ac æstus indignationis. Jam verò filii, æmulatores estote legis, & exponite animas pro fœdere majorum vestrorum. Mementote patrum nostrorum, quæ opera fecerint suis temporibus, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Adscriptis deinde Patriarcharum, & aliorum heroum nominibus & præcipuis gestis, subjicit. Sic igitur cogitate in generationem quamque, quicunque spem habent in illo, eos non infirmatum iri. Et à sermonibus viri peccatoris ne timeatis, quia gloria ejus in stercora & in vermes abitura est, &c. 1. *Macab. 2. 49. 50. 51. &c.*

Sanctus, Martyr: Diaconus quidam Ecclesiæ Viennensis, nomine Sanctus, tanta animi celsitate & constantia carnificibus eum horrendis tormentis à Christiana fide avertere conantibus restitit, ut ne nomen quidem, vel suum, vel gentis, vel civitatis unde fuit, neque utrum servus, an liber, illis vellet dicere: sed ad omnia rogata ita Latino sermone responderet, *Christianus sum*: istudque pro nomine, pro civitate, pro genere, & denique pro re quaque iterum ac sæpius eloqueretur: aliam autem vocem gentiles ab eo elicere audireque non poterant. *Euseb. lib. 5. hist. eccles. cap 1.*

Theodorus, martyr: Immanes cruciatus minantibus carnificibus, nisi fidem Christi abiuraret, in hanc præclarissimam vocem erupit: Pro fidei Christianæ confessione qui vulnerat, incidat, & qui verberat, laceret: & qui crematat, flammam adjiciat: & qui his verbis offenditur, linguam eximat. *Nyss. in vita Theodor.*

Macedonius, Theodulus & Tatianus: Martyres Christi, quum Amachii tyranni jussu craticulis essent impositi, dixerunt, Si cupiditate duceris, Amachie, carnes assas degustandi, verte nos in altera latera, ne in ipso gustu tibi semiassi videamur. *Socrat. Eccl. histor. libr. 3. cap. 13.*

Laurentius: Is natione Hispanus, Sixti Romani episcopi diaconus, secundo Decii consulatu. Valeriano urbis præfecto procurante, impositus craticulæ, & in ea assatus est. Ante supplicium invicta animi constantia religionem Christianam asseruit, ethnica superstitione validis machinis eversa. In ipso autem supplicio, veluti setpsum superans, & cruciatuum, tyranni & mortis victor ac triumphator, ut cecinit A. Prudentius poeta Christianus,

Postquam vapor diutinus
Decoris exustum latus,
Vltro è catasta tudicem.
Compellat affatu brevi:
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter:
Et fac periculum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora,
Et experimentum cape
Sit crudum an assum suavius.

Vide Prudentium, lib. περὶ στεφάνων, i. *de Coronis, hymno 2.*

Romanus Antiochenus martyr: Vir genere nobili, pœnas varias & cruciatus horrendos singulari constantia & animo excelso pertulit, excruciante ipsum Asclepiade præfecto. Postquam autem omnia tormenta superasset, atque veram religionem, falsa explosa, prolixè confirmasset, dixit tyranno, ut Prudentius eodem libro refert, hymno 10.

At noster iste sanguis ex vestra fluit
Crudelitate, vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora:
Si vos sinatis, incruenti vincimus:
At si cruenti puniamur, vincimus.
Sed iam silebo, finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Iam non licebit improbè, ut licuit modò,
Torquere nostra vel secare viscera:
Cedas necesse est victus, & jam desinas.

Vincentius, Martyr: Vincentius Cæsar augustanus martyr, stirpe nobilis, incredibiliter plurimis & novis tormentis excruciatur à Deciano prætore Diocletiani temporibus. Illustria dicta, quæ invictam testantur ejus constantiam retulit Prudentius poeta. Ante cruciatus horrendos ad certamen provocat carnifices, multis argumentis eversa ethnicorum idolomania, & confirmato Christianismo. Quum tandem lubens iret ad craticulæ ardentis supplicium, increpato prius tyranno, qui eum igni adjudicaverat,

Quem tu, maligne mysticis
Minitaris ignem literis,
Flagrabis ipse hoc iustius,

Ait, & gradu citato ad ignis grabatum festinans,

Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito,
Ceu iam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.

Ambustus, sed sublatus inde fortior truditur in antrum & fragmentis testarum acutarum pro lectulo utitur. Ubi præsentia Christi confirmatus, placidè Spiritum servatori suo reddidit. *Prudentius lib. de coronis, hymno 5.*

Pusices, Martyr: Quum martyres permulti in Persia ad extremũ supplicium ducerentur, Pusices, præfectus omnium regis artificum, ibi forte stans, Ananiam presbyterum, cui iam cædes parabatur, cõtremiscentem intuitus, Pauli sper, inquit, ô Senex, oculos occludito, & bono animo esto: nam statim lumen Dei videbis. Pusices cõprehensus & Christianismum constanter coram Rege professus, exquisito mortis genere è medio sublatus est. *Sozomen. eccl. hist. li. 2. c. 10.*

Gordius: Civis Cæsariensis Gordius, centurio, abjecto militari baltheo, exilium sibi ultro elegit, & indesertum secessit, in quo per annos aliquot vitam egit solitariam & religiosam. Egressus inde die quadam, qua in urbe Martis festa celebrabantur, cùm populus in theatrum venisset, in eminentiorem locum conscendit, & ingenti voce exclamavit illud Prophetæ, Ecce inventus sum ab iis qui me non quærunt, his qui me non interrogabant palam apparui. Quibus verbis significabat, se ad certamẽ ultro venisse. Agnoscitur Gordius, & silentio per præconem imperato, ad præsidem ducitur. Interrogatus, quis esset? Reversus sum, inquit, ut palam ostenderem me edicta tua omnino nihil curare, sed Jesum Christum spem meam præsidiumque profiteri. Cumq; acceperim te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo voto idoneum sumpsi. Præses jubet expediri flagella, rotas, equuleum, & omne tormentorum genus excogitari. Gordius oculos ad cœlum elevans, illud Psalm. accinit, Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et, Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tormenta deinde ultro in se provocat: & (si quæ moræ intercedebant) increpat. His cùm se nihil efficere, præses videret, promittit se magna ei. Christum neget, daturum: locũ inter milites illustrem, opes ac quicquid tandem capiat. Ille præsidis insaniam ridens, penes ipsum esse negat collationẽ alicuius boni, quod æternis sedibus dignum sit. Ergo damnatus, extra urbem concremandus educitur. Adsunt qui Gordium amplexantur, & ut suæ parcat juventuti flentes exhortantur. His respondet, nolite flere super me, sed super inimicos Dei, qui in Christianos continuò grassantur. Eos flete, qui ignem nobis parant, sibimet

ret gehennæ incendia in die iræ thesaurizantes. Ego pro nomine Domini mille mortes, si necesse sit, adire paratus sum. Adsunt rursus alii, qui ut Christum ore saltem neget, corde retineat, suadent. Quibus ille, Lingua (inquit) quam Christi beneficio retineo, adduci non potest ut auctorem suum neget. Corde credimus ad justitiam, ore ad salutem confitemur. Ergo vultu alacri in ignis supplicium volens se immisit. *Basilius, Serm. de Gordio martyre.*

Christiani Africani, & Mulier Christiana: Hunericus exilium episcopis, presbyteris, & ejus ordinis plurimis, & aliis quoq; ad quinquies mille ferè decreverat. Erat in eo numero Felix Alberitan⁹ episcopus, munere isto ad annos, quadraginta quatuor functus. Is quod paralysi esset tactus, nec sentiebat, nec loquebatur quicquam. Pro eo apud regios reliqui deprecabantur, sineret rex Felicem jamjam moriturum Carthagine, tanti sper dum animam efflaret, eo quod in exilium difficulter abduci posset. Quibus tyrannus magno cum stomacho respondit: Quod si adeò viq; morbo debilitatus est, ut jumento insidere non queat, alligatus funi à bobus trahatur, quò præcepi. In eo exulum cœtu, & puerorum grex, quos genitrices comitabantur, aliæ quidem gratulantes, quod martyres peperissent: aliæ gemebundæ, quod suos misere perituros intueri cogerentur: immensisq; doloribus victæ, cupiebant eos rebaptizationis lavacro à confessione revocare, atque hoc modo ex præsenti afflictione eripere. Verũ cujus virtus maxime in infirmitate est potens, is tantum addidit robur tam fragilibus testulis, ut nullo maternorum affectuum conatu infringi possent. Anus quædã ex intervallo sequebatur reliquam multitudinem, properantibus passibus, quantum pro ætate poterat, manu ducens puerulum: cum inter ambulandum subinde ad alacritatẽ blanditiis adhortabatur: *Age*, inquit, *propera puer, vides quanto studio festinet universus sanctorum exercitus ad percipiendas gloriæ coronas: acceleremus & nos, ut illis conjungamur.* Et cùm interpellaretur à quibusdam, Quid ita perditè festinaret cũ parvulo, & qua ratione tãtum itineris superasset? respondit, *Benè precemini, & orate pro me & isto meo nepotulo. Mulier sum peccatrix, filia olim Zarianæ civitatis episcopi, & cum isto ad exiliũ una quoq; pergo, ne ille solus relictus hosti vitæ & veritatis prædæ sit & à vera via abductus in exitium præcipitetur.* Congregata autẽ universa multitudo in urbibus Siccense & Larense, Mauris ad eremum deducenda traditur. Verùm ex nobilitate quidam Comites advenientes, multis blandis sermonibus à fidei integritate illos retrahere conabantur. Illi verò ingenti vociferatione uno consensu suam ediderunt confessionẽ, clamantes *Christiani sumus, universa Ecclesia consensum amplectentes, Deum unum & trinũ, & Trinitatẽ unum Deũ inviolabiliter confitemur.* Eo facto, jam graviori custodia includuntur quidem, sed tamen speciosiore: nec denegabatur ingrediundi facultas fratribus, qui consolationibus ipsorum animos erigere, aut etiam sacra iis administrare vellent. Verũ id eis non diu concessum est. Nã eam ob rem custodes fustibus cæsi sunt, & ne cuiquam ad eos pateret accessus interdictum. Imò in angustiorem locum, qui tantæ multitudinis nõ erat bene capax, alius super alium ceu locustæ, sive verius, ut frumenti grana in cumulos coacervata coartati sunt, ut ne secedẽdi quidem ad naturæ opera esset locus, sed egestiones urgente necessitate tam urinæ quàm sordium, illo ipso loco subtus se faciendæ essent. Ubi cũ aliquandiu morarentur, eò usq; stercora cumulata sunt, ut in totum spatium exundarent. At ubi hoc Mauris visum fuit, ad deserti præscriptũ locum pergere jubẽtur. Egressi ergo ex illo squallido loco, & ora, & capita, & vestimẽta stercoribus oblita trahebant: interim tamen quali præclarè cum ipsis ageretur, hilares Deo hymnum inter eundum decãtabant, *Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus.* Illis sic in squallore incedentibus, aderat Cyprianus Vinzibirensis Ecclesiæ episcopus, qui divini verbi consolationibus ipsos confirmabat. Sed & plurimæ passim turbæ undiquaq; è regionibus confluebant ad eos visendos, atq; magna acclamatione suam potius quàm ipsorum exulum conditionem deplorabant, cupientes itineris eorũ esse comites. In peregrinatione autem cum indies lõgas progressiones facerent ii, quibus deducendi negotium commissum erat, imbecillior ætas parvulorum & senum defatigabatur, quos acutis hastiliũ cuspidibus impellebant ad procedendum: unde magis magisq; delassati, penitus deficiebant, adeo ut jam impedimẽto essent. Quare Mauri eos qui progredi non valebant, pedibus ligatis trahebant per loca aspera & dura, qui hoc modo saxorũ illisionibus attriti, funium constrictionibus violẽtis evecti, inter trahentiũ manus expirabant. Erat autẽ ipsorum numerus non exiguus, ut ex tumulis erat conjicere, qui sparsim toto illius itineris tractu, ceu talparum cumuli, cernebantur. Reliqui habiliores, ad designatum solitudinis locum pervenere, ubi pasti aliquandiu sunt hordeo, jumentorũ ritu, quod tamen ipsis paulò post etiam denegatum est. *Victor. hist. de persec. Vand. lib. 2.*

Victorianus: Is Carthaginis proconsul, ad Arianissimum per Hunericum regem Vandalorum sollicitatus missis ad se tale dedit cum fiducia magna responsum: Securus de Deo, & Christo Domino meo, dico qui regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum, si consensero, frustra sum in ecclesia Catholica baptisatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, & aliã quę verè est non speraremus æternam, non ita feci ssem nec voluissem ad modicum arq; temporaliter gloriari, & ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit credito i. Ad quod tyrannus excitatus quantorum temporum & quantis pœnis eum afflixerit, humanus sermo nõ poterit explicare. Qui triumphans in Domino, feliciterq; cõsumans, martyrii coronam accepit. *Victor. hist. de persecut. Vandal. lib. 3.*

Puer Anonymus Carthaginensis, Liberatus, ejusdemq; uxor & filij: In Carthagine filius cujusdam nobilis annorum circiter septem, jussu Cyrilæ, episcopi hæretici, à parentibus separatus est. Matre sine verecundia matronali solutis crinibus post raptores tota urbe currẽte, infantulus ut poterat, vociferabatur, Christianus sum, Christianus sum. Cui & os obturantes, insontem infantiam in suum gurgitem demerserunt. Ira de filiis venerabilis medici Liberati, factum esse probatur. Nam cùm jussu regis, cum uxore & liberis ad exilium mitti juberetur, cogitavit impietas Arriana à parentibus filios parvulos seperare, quo posset per pietatis affectum etiam virturem prosternere genitorum. Disiunguntur tenera pignora filiorum. Liberatus cùm vellet lachrymas emittere, autoritate uxoria increpatur, & in ipso meatu exitus sui illico lachrymæ siccaverunt. Ait enim ei cõjunx: Num propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? Cõputà eos non fuisse natos. Nã & ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vides eos clamantes & dicentes, Christiani sumus? Sed hæc mulier quid in conspectu Iudicum egerit, tacendum non est: Nam cùm ipsa & maritus, licet seorsum, carceris custodia tenerentur, ita ut se penitus non viderent, mandatur mulieri, dicitur què illi, Solve jam duritiem tuam. Ecce virtuus paruit imperio regis, & nosster factus est. Illa respondens dixit, Videam illum, & faciam ego quod voluerit Deus. Educta igitur de carcere, invenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunalibus connexũ: & verum æstimans, quod sparserant inimici, injecta manu apprehendens oram vestimentorum ejus gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum, dicens, Perdite, & reprobe, gratiæ Dei & misericordiæ ejus indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cui maritus respõdit, Quid pateris, mulier? quid tibi videtur? aut quid forte de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Christianus permaneo, nec amittere potero aliquando quod teneo. Tunc hæretici, mendacii sui convicti & derecti, fallacia suam colorare minime potuerunt. *Victor, de persecut. Vand lib. 3.*

Dionysia Africana: Sub persecutione Vandalica, generosa matrona, Dionysia Africana, habitu mundoq; matronali spoliata, flagrisq; excruciata, non solùm intrepide crudelitatis administros reprehendit, dicens, Ministri diaboli, ea quæ ad contumeliam facitis, laudi mihi sunt: sed etiam unici, nobilissimi, & adhuc tenera ætate filii Majorici, cruciatuum spectatrix, ei dixit: Memento, fili, nos in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizatos: ne igitur perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens invitator vestem non inveniat nuptialem. Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur. *Victor, de persecutione Vandalica lib. 3.*

Anonyma: Præfectus Edessæ, cùm Imperatoris Valentis, Ariani, jussu ad templum festinaret armata manu ut orthodoxos in eo congregatos trucidaret, mulier quædam inops cum filio suo manu secum attracto, eo accurrens, turmam stipatorum media perrumpit. Quam rem præfectus graviter & indignè ferens, mulierem ad se adduci jubet, eamq; sic compellat: ô infelix mulier, quò tam temerè properas? tum illa quò alii, inquit, etiam properant. Et ille, annon (inquit) audivisti, præfectum omnes quos ibi repererit interfecturum? audivi equidem, inquit, & propterea propero, ut ibi ipsa reperiar. Quæ cũ præfectus audivisset, inde de reliquorum ad eum locum concursantium confidentia conjecturam fecit, &c. *Socrat. eccl. hist. li. 4 c. 14.*

Anonymæ: In urbe Gaza quædam corpore mulier, animi autem magnitudine planè vir, cùm stupri minas ferre non posset, & tale verbum esset contra tyrannum locuta, nempe gubernacula reipublicæ judicibus admodum crudelibus, ab eo esse commissa: primum verberibus cæditur, deinde sublimis in ligno erecto suspensa, acerbos laterum cruciatus perfert. Ubi autem qui ad eam rem erant designati ex judicis mandato acria acerbaq; cruciamenta illi incuterent, alia mulier corporis forma ut videbatur admodum sordida, vultu quidẽ abjecta, sed animo revera robusta, cùm pati non posset ut tam crudeliter cum illa ageretur, è media turba, sublata voce judicem his verbis compellavit: Quo usq; tam acerbè sororem meam torques? Iudex iracundia magis exæstuans, statim illam comprehendi & rapi in medium jubet. Quam quidem liberè venerandum Servatoris nomen profitentem, primùm verbis ad immolandum sollicitavit. Verum quum resisteret, ad altare vi trahitur. Illa tum suæ indoli germanæ & convenientia obiens, & nihil de priore animi alacritate remittens, pede intrepido & fidenti in aram ruit, in eamque insultat calcibus, & quæ in ea erat una cũ lignorũ strue penitus evertit. Iudex ambas flãmarum incendio absumendas addixt. *Euf. lib. 8 hist. Eccl c. 18.*

Eulalia. Eulalia virgo, patria Emeritana, regione Lusitana, martyr Barcinonensis, annos nata 24. ut Prudentius: vel, ut alii, tredecim, à Deciano prætore, imperante Maximiano, primùm vngulis laniatur, deinde flammis crematur. Tormenta vicit cõstantia plus quã virili. Multa scitè dicta ejus refert *Prudentius lib. de Coronis, hymno 3.* Quum enim illa audiret Christianos torqueri ex ędibus paternis, ubi latebat ab urbe procul clam se proripit, & itinere longo per avia noctu absoluto, manè tribunal Deciani adit,

Vociferans, Rogo, quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq; negare Deum?
Quæritis, ô miseranda manus,

Christicolúm genus? en ego sum.
Dæmonicis inimica sacris,
Idola protero subpedibus,
Pectore & ore Deum fateor.

Prætorem deinde & carnificum turbam lacessens ait,

Ergo age, tortor, adure, seca,
Dic, ide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est.
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.

Promissa autem & blanda Deciani verba quum neglexisset, duo carnifices pectus ei dilacerant, & latus usque ad ossa secant ungulis. Illa autem numerans notas dicebat,

Scriberis ecce mihi, Domine.
Quàm iuvat hos apices legere,
Qui tuà, CHRISTE, trophæa notant!
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis elicits.

Ultimo supplicio dein, igne scilicet, tyranni jussu affecta est. Ibi

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.

Eleusius & alij: Constantius Cæsar quum episcopis orthodoxis quibusdam exilium minaretur, Eleusius, Silvanus, & alii nonnulli responderunt, In tua potestate situm est de nobis supplicium sumere: sed pietatem sectari vel impietatem, penes nos ipsos est, & propterea sanctorum patrum doctrinam nunquam prodemus. *Theodoret. eccles. hist. lib. 2. cap. 27.*

Eusebius Samosatenus: Constantius Cæsar, cùm Arianorum impulsu ad Eusebium Samosatenum misisset, ut decretum de Meletii, orthodoxi episcipi, electione ab Eusebio aliorum episcoporum jussu asservatum repeteret, Eusebius, Non possum, inquit, commune decretum apud me depositum reddere, nisi omnes qui meæ fidei illud commiserunt, in unum conveniant. Quo responso accepto, Cõstantius nuntium mittit denuò, additq; literis se mandasse, ut nisi redderet decretum, dextera manus Eusebii amputaretur. Resignatis literis, intelligens supplicium quod Imperator ei minatus fuerat, non dexteram modò, sed lævam etiam extendit, jubetque nuntium utramque abscindere. Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianæ improbitatis tam clarum indicium dat. Imperator intellecta ejus animi magnitudine & constantia, tum eum plurimum admiratus est, & postea, laudibus efferre non destitit. *Theodoret. lib. 2. eccl. hist. cap. 32.*

Liberius: Eusebius eunuchus à Constantio Imperatore Ariano Romam cum literis & muneribus missus, Liberium episcopum primùm mitibus verbis hortatus est, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Arianis communionem iniret: deinde oblatis donis rogare cœpit, ut hanc Cõstantio veniam daret. Liberius facere se posse negavit, ut eum damnaret, qui à duob. Conciliis insons judicatus, & à Romana Ecclesia cum pace dimissus fuisset. Quòd si Constantius scripta pro Athanasio deleri vellet, etiam quæ adversus eũ essent obrueret, ac rursus Ecclesiæ conventus longe à Palario haberetur, in quo neque Imperator, neq; Comes, neq; Judex minabundus assisteret, sed sola Apostolorum institutio servaretur: ac fide ex Niceni Concilii sententia constituta Ariani ejicerentur, neq; enim locum in cõventu Ecclesiæ hæreticis patere, neq; fas esse priùs de criminibus alicujus, quàm de fide & religione tractari. Eunuchus minis multis editis, cum muneribus abiit, eaq; in S. Petri basilica consecravit. Liberius ædituum graviter, quòd impedimentum non attulisset, increpuit, atque in basilicam profectus dona illa, tanquam execranda projecit. Hac libertate offensus Imperator eum in Berœam Thraciæ relegavit. *Sigonius lib. 6. hist de Occident. imperio.* De eo sic *Theodoretus lib. 2. cap. 16.* Liberius à Constantio in Synodo Mediolanense nec precibus nec minis adduci potuit, ut Arianorum dogmati subscriberet. Cùm igitur perseverantem in sententia, Imperator jussit relegari Berœam in Thracia, abeuntique misit solidos quingentos in sumptus. Liberius illi qui attulerat, *Abi*, inquit, *& redde Imperatori. His enim opus est militibus ipsius.* Regina misit totidem quos & ipsos jussit referri ad Imperatorem: *His enim opus ille habet*, inquiens, *Si opus his non habet, det Auxentio & Epicteto, quib. opus est.* Detulit alios ei Eusebius eunuchus. Cui Liberius, *Devastatis ecclesiis orbis terrarum, nunc mihi eleemosynam offers, ut condemnato? Quin tu abi, & Christianus priùs efficere.*

Marcus Episcop. In persecutione sub Iuliano adversus Christianos excitata Marcus Arethusius episcopus ab impiis crudeliter excarnificatus, ut delubrum idolorum à se dirutum instauraret, constanter recusavit: & post immania supplicia suspensus in sublimi, & stylis cõfossus, à vespis & apibus ambesus, non modo nullam dedit doloris significationem: verum etiam impios lepide irrisit, dicens eos abjectos esse & humi repere, se autem erectum & in sublimi positum. Ad extremum, isti exiguam pecuniæ portionem petiere. Quibus ille, Perinde, inquit, impium est obolum in impium opus impendere, atque summam pecuniæ universam. Proinde sic tandem evicti eum dimittunt, cùm ejus admirati fortitudinem & constantiam: tùm immutata sententia, ad rationem vitæ penitus contrariam traducti: siquidem ex ejus ore veram pietatem postea didicerunt. *Theodoret. Eccl. hist. lib. 3 cap. 6*

Basilius Magnus: Cum præses Antiochus Basilio propter orthodoxæ fidei professionem excidium minaretur: Utinam, inquit, hoc mihi verè accidat, ut pro veritate ex his corporis vinculis eripiar. Ubi iterum atq; iterum repetiuisset præses ut rem secum accuratè consideraret, fertur dixisse Basilium: Ego quidem hodie & cras idem sum: atq; utinam tu non mutes sententiam. *Socrat. hist. eccl. lib. 4. c. 25.*

Idem: Præfectus quidam Valentis cum ad Basilium Magnum accessisset, ut Arianismi professionem ei persuaderet, institueretq; in summa colloquium politicum, Pueris, inquit, Basilius, hæc quidem oratio convenit: siquidem illi ac sui similes ejusmodi verba avidè arripiunt: at qui sunt in sacris literis educati, ne unam quidem syllabam divinorum dogmatum prodi sinunt: sed pro istorum defensione, si opus sit, nullũ non mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad Imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate junctam magni æstimo, sed si ea careat, pernicioſam esse dico. Præfectus subjecit eum amentem esse. Tum Basilius, Me hanc amentiam semper opto habere. Postea egredi jussus, & quid sibi agendum esset, secum deliberare, posteroq; die suam declarare sententiam juberetur, respondit: Ego quidem certè idem qui jam sum cras ad te redibo: tu verò ne mutes sententiam, sed minis utaris velim. *Theodor. lib. 4 c. 12.*

Idem: Præfectus quidam Valentis Cæsaris quum Basilio mortem minaretur: Basilius, Ego quidem, inquit, & hodie & idem futurus sum. Utinam verò tu teipsum non mutasses. Creaturã enim quum sim, creaturam adorare, deumq; esse profiteri, in animũ non inducã meum Sed neq; religioni vestræ me aggregari sustinebo. Tametsi enim vos clarissimi, & non minima orbis pars esse existimamini, me tamen minime decet hominibus gratificari, & propterea fidem in Deum parui pendere: quam ego proditurus non sum, etiã si mihi bonorum publicationem, & exilii, & aliud quid quam gravium ærumnarũ, mortemq; adeo ipsam mineris. Nihil enim rerum talium mœrorem mihi afferre potest. Quod si facultates meas expetis, pannos hosce, & cicilia, atq; libros paucos, qui in niusæo meo sunt, si hos inquam adamasti, recipe. Sin ut exilii causa solum vertam mavis, paratus ad id sum. Exul verò quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus pererro, & ad regionẽ aliam vehementer aspiro? Corpus porrò hoc, vel post primam plagam, sensus omnino expers, & cruciatibus superius prorsus futurum est. *Niceph. eccl. hist. lib. 11. c. 18.*

D. Ambrosius: Auxentius Mediolani episcopus ob Arianismum dignitate exutus fuerat à cõcilio Rom. eiq; Ambrosius populari suffragio suffectus an. 369. Tredecim post annis Auxentius Mercurini nomine sibi indito, Justinæ Augustæ Valentiniani 2. uxoris accitu in urbem rediit, pro recuperãda ecclesia quam amiserat. Valentinianus, Ambrosium per tribunũ vocavit, & coram se in consistorio adesse præcepit, ut cum Auxentio de fide disputaret, se præsente, & iis judicibus, quod uterq; legisset: eo nimirum consilio, ut Ambrosio Ecclesia egresso, Auxentiũ restitueret. Quare animadversa, Ambrosius eo adire noluit, ne Ecclesiam Arrianus reciperet, verum non convenire respondit, *ut de fide coram judice laico, & quidem adhuc catechumeno, extra ecclesiã ageretur.* Quo voce Valentinianus permotus, ipsum palam basilica Portiana, quæ extra urbem erat, cedere, & quò vellet, abire mandavit. Ambrosius verò à clero populoq; magna animorum alacritate defensus, *se urbe exiturum, aut ecclesia, quæ Dei esset, cessurum negavit.* Hinc Valentinianus ira fervidus armatos milites ad basilicam occupandam immisit. Verum populo illam custodiente, atq; Ambrosium protegẽte, nihil profecit: tumultus tamen magni periculi, & fœdioris exempli fuit. Dũ Ambrosius in his angustiis versabatur, epistolam ad Valentinianũ ex basilica misit, in qua factum consilium q; suum probare contendit: *Pater tuus* (inter cætera inquit) *Virum maturioris ætatis dicebat: Non est meũ judicare episcopos. Tua nunc dicit clementia. Ego debeo iudicare, Et ille baptizatus in Christo inhabilẽ se ponderi tanti putabat esse judicii: clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta servantur, arrogat de fide iudicii, cum fides sacramenta non norit. Veniã planè, si qui sunt, ad ecclesiã: audiant cum populo, nõ ut quisquã iudex resideat, sed unusquisq; de suo affectu habeat examẽ, eligat quẽ sequatur. Agitur de istius ecclesiæ sacerdote: si audierit illũ populus & putaverit melius disputare, sequatur fidẽ eius, nõ invidebo.* Post paucos dies Valentinianus, rursus à matre percitus, insanire, ac nova æstuare expellendi Ambrosii libidine cœpit. Itaq; comitibus consistorianis missis, mandavit, ut basilicam novam, quæ erat in urbe, sibi traderet. Cui respõdit Ambrosius, *templũ Dei a sacerdote tradi nõ posse.* Comites & tribuni Ambrosiũ adeunt, ac basilicam properè sibi tradi poscunt, Imperatorẽ jure suo uti dicentes, quod in potestate ejus omnia forent: Quibus respondit Ambrosius, *Si Imperator à me peret, quod meũ est, id est, fundũ meum, argentũ meum, non recusabo: quanquã omnia, quæ mea sunt, pauperũ sunt: Verũ quæ Dei sunt, Imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimoniũ affectatis, invadite: si corpus, accurrite. Vultis in vincula ducere? Vultis ad necẽ: ludus est: nõ ego me vallabo stipatione populorũ, nec altaria tenebo, vitã deprecans, sed pro altaribus victimã me præbebo.* Valentinianus tandẽ constãtia hominis permotus, milites basilicã relinquere jussit, & mulctas exactas negotiatoribus reddi. Qua re populus exultavit. (erat aũt is dies, quo se pro nobis Christus in cruce tradidit, atq; in ecclesia pœnitentia relaxatur) ac milites accedentes ad altaria, osculis pacis insigne significarunt. Valentinianus tamen iram posuisse non est visus: siquidem cùm Comites eum obsecrarent, ut prodiret ad ecclesiam, idq; se rogatu militũ facere dicerent, respondit: *Si vobis mandarit Ambrosius, vinctum me tradetis.* Quam vocẽ qui audiverũt, omnes cohorruerunt. Quinetiã Calligonus præpositus cubiculi Ambrosiũ sic appellavit. Tu me vivo, Valẽtinianũ contẽnis? ego

tibi

sibi caput abscindam. Cui Ambrosius: *Deus permittat tibi, ut impleas, quod conaris: ego enim patiar, quod episcopi: tu facies, quod spadones.* Hæc de se ipso memoriæ commendavit Ambrosius. *Sigonius lib. 9. Imp. Occid.*

Puerulus Anonymus & Mater eius. Narrat Prudentius poeta Christianus, libro περιστεφανον, seu de coronis, puerulum non adhuc septennem Romani martyris nobilissimi rogatu coram Asclepiade præfecto Dei unius essentiã & Christi Deitatem, explosa deastrorum ethnicorum multitudine, constantet asseruisse. Matre accersita jussit tyrannus carnificibus ut pusionem sublime tollerẽt, manu pulsarent nates, mox & remota veste virgis verberarent. Cunctis flentibus ad tam immane spectaculum, mater imperterrito vultu & serena fronte, amore Christi contumax doloribus stetit. Parvus se sitire exclamat, mater autem eum increpans, dicit Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum: calicem infantium Bethleemicorum esse exhauriendum. Isaaci parvuli obedientiam & septem puerorum ex Macabæorum historia constantiam commemorat. Puerulus virili animo virgas strepentes & dolores vulnerum ridet, tortoribus & tyranno insultat victor. In rabiem actus Asclepiades puerulum capite multari jubet. Mater natum gerebat amplexu & sinu. Puerum poposcit carnifex, mater dat, nec immorata est fletibus, tantùm osculo impresso ei vale dixit. Et dum amputat cerviculam carnifex, mater psallere docta ex Davidis psalmo 116. canebat,

Preciosa sancti mors, sub aspectu Dei:
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens, explicabat pallium,
Manusq; tendebat sub ictu & sanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum.

Hæc Prudentius, hymno 10. libri de Coronis.

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Petrus Apostolus: Sequitur Religiosa et Pia Christianorum Constantia, quæ in Sanctis utriusq; sexus emicuit. Nulla certè re, nostra hæc Religio magis abundat, magis se commendat, & adfirmat. Pauca itaque in historiis sparsa collegimus, & in iis petram Ecclesiæ Petrum: qui velut cæterorum caput & ductor, Christo de passione multa dicente, cùm audivisset omnes in eo scandalizandos, *Etsi*, ait, *omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Qui etiam cùm Christus respondisset, Quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem dederit, ter me es negaturus: amplius loquebatur: *Etsi oportuerit me commori tibi, non te negabo.* Quod licet ex præsumtione dictum fuisse videatur, habet tamen aliquid religiosæ Constantiæ admixtum: utpotè cùm illa assertio non nisi ex vehementi in Dominum adfectu processerit. *Matt. cap. 26. Luc. 22.*

Pacomius Abbas: Quid de illo dicam? cui id unum curæ semper fuisse commemorant, juniores ad piam hanc & religiosam Constantiam adhortari. Ita enim dicebat: *Frustrà ad salutis bravium currimus, nisi curramus sic ut comprehendamus. Frustrà cum hoste confligimus, nisi certemus ut vincamus. Marul. lib. 5. cap. 8. Metaphras. & alij.*

Theodorus Monachus: Hic Pacomii discipulus, professionis suæ initio, multùm à matre solicitatus, ad sæculum rediret, numquam assensum præbuit. cum autẽ litteras ab Antistite loci attulisset, quib. libera ei fieret recedendi facultas, Christum præferens, regredi noluit: *Ne*, inquiens, *scandalizantem oculum à me projectum, iterato requirere videar.* & ita esse maluit Dei filius, qui matris esse recusavit. *Marul. lib. 5. cap. 8. in Vitis P.P.*

Eremita Anonymus: Refert Cassianus Eremi Cultorem usq; adeò vitæ solitariæ flagrasse desiderio, ut dum fasciculum litterarum à patria accepisset, ne aperire quidem illum dignatus sit, sed in ignem conjecerit, hoc dicto: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini: nec me ulteriùs, ad ea quæ fugi, revocare tentetis. Cassian. Monast. instit. lib. 5. cap. 32.*

Didacus Andradius: Non immeritò illum celebramus, quem etiã hæc virtus exulit. Erat enim P. Ignatio subcenturiatus: cumq; pugionibus confossus in pelagus præcipitaretur, socios ad pugnam spiritualem cohortatus, *Pugnemus*, aiebat, *socij fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus.* Quid hic priùs mirabimur, an admirabilem nivei pectoris constantiam, an verò religiosam illam in Dominum suum Christum fiduciam? *In Vita F. Borgiæ lib. 3. cap. 10.*

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate 51.

Bipennis hinc, fax inde vivum ignem vomens,
Nexum adamante suo decussat annulum probè.
Fortis animus, constansq; victor omnium,
Despuit intrepidus pericula & sævas cruces.

Batillius. Adamas. 28.

Quem nulla pericula terrent.

Adversa usque licet regem fortuna lacessat,
Usque licet sævas intonet illa minas,
Obnoxius contra non cedere, sustinet ille,
Cladibus obdurans fortior usque suis:
Ac sese ipse suâ involvens virtute, recente
Invictus vires sufficit ipse sibi:
Qualis non adamas ullo contunditur ictu,
Vique suâ ferri duritiem superat.

Macte istâ virtute Iovis certissima proles,
Infragilem quem tot dura pericla premunt,
Quem non diva socrus, quem non Sthenelius hostis,
Non qua circumstant vincere monstra valent.
Macte istâ virtute Iovis verissima proles,
Qui fuso semper victor ab hoste redis:
Sic supra ipse tuos exurge reperge labores,
Sint clavâ & semper fortia facta tua.

Camerarius 56. Centur. 3.

Mersus ut emergam. Mergus.

Non raro mediis vir fortis mergitur undis
Adversa sortis, nec tamen obruitur.

Camerarius 88. Centuriæ 3.

Semper in axe. Avicula in caveæ axe semper manens.

Hic licet usq; orbis celerem voluatur in orbem,
In se immota tamen mens generosa manet.

¶ Monosticha Trochaica.

Altior radice quercus est quàm uti cedat Noto.
A scopo duro sagitta resilit, mollem perforat.
Futile infirmumq; ad unum respuit constantia.
In malis nullus labasce, te sed infer fortius.
Nil magis sorti adversatur alma quàm constantia.
Omne futile infirmumq; dispuit constantia.
Quo magis constans vetatur pergit hoc mens altius.
Rebus humanis inesse qua queat constantia?

¶ Jambica.

Bene judicati usq; est tenax constantia.
Constantia ulla haud est ubi perturbatio est.
Habere semper vultum eundem, est Socratis.
Haud dejici potest loco constantia.
Incuria labem eluas constantia.
Magnum Deoq; proximum, non concuti.
Nunquam suæ est rebus falsis constantia.
Qui respicit, minimè assecla est constantiæ.
Semper bonorum æqualis est constantia.
Timere apertè non solet constantia.

Consuetudinis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. Nazianzenus: Deus pædagogi cujusdã & medici more patrios Iudæorum ritus partim subtrahit, partim concessit, nonnihil eorum videlicet voluptati indulgens, quemadmodum medici ægrotantibus ut medicamentum, suavioribus rebus arte temperatum & edulcatum, admittant. neq; enim facilè est ab iis quæ longo usu & diuturno tempore, in honore ac pretio fuerant, transilire ad alia. *Oratione 37.*

D. Nazianzenus: Ut instauraret lapsum hominis Deus, asperiore medicina improbata (ut quæ non modò fidem non factura, sed propter cõtractum temporis diuturnitate tumorem, forte etiam morbũ exulceratura esset) levi ac facili medicamenti genere, ipsius resipiscentia procuraretur. neq; enim plantam incurvam subitam inflexionem, manuq; erigentis violentiam ferre: sic enim potius fore, ut lædatur atq; infringatur, quàm ut erigatur: neque equum præferocem ac jam ætate aliquantò provectiorem, freni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam & adulabunda manu permulceatur. *Orat. 42.*

D. Greg. Nyssenus: Non arbitramur æquum esse, ut cõsuetudo quæ apud ipsos obtinet, pro lege ac norma rectæ rationis & orationis habeatur. nam si cõsuetudo res valida est, ad rectitudinẽ rationis ac sermonis probandã, prorsus etiam nobis licebit cõtra prætendere cõsuetudinẽ quę apud nos invaluit. sin aũt hanc illi præscribũt & rejiciũt, ne nos quidem illos omnino sequi oportet. *Orat. de S. Trinitate.*

D. Greg. Nyssenus: Magna consuetudinis vis, & rebus etiam difficilioribus solet voluptatem quandam aspergere. Quamobrem ne quis amplius mandatum esse laboriosum objiciet, sed potius omnes utile ac fructuosum illud rectè obeuntibus fateantur. & quoniam apparet lucri magnitudo, labor omnis alacriter suscipiatur. *Orat. 2. de pauperibus amandis.*

D. Greg. Nyssenus: Multi homines non judicant ipsi quemadmodũ se habeant res naturæ, sed eorũ qui vixerunt intuentes consuetudinẽ, aberrant à sano rerum judicio, non prudẽtem aliquam ratiocinationem sed rationis expertem consuetudinem boni & honesti constituentes judicem: unde seipsos prohibent ad imperia & magistratus, honoresque & splendores qui sunt in hoc mundo, & magnificiunt mundanam potentiam & magnitudinem, cùm sit incertum quo sit unumquodq; eorum rediturum post hanc vitam, non enim de futuris satis tuto fidejubet consuetudo, cujus finis sæpenumero invenitur grex hædorum non ovium. *Hom. 2. in cant. Canticorum.*

Gr. Nyssen. In omni re difficilis est, qua expugnetur cõsuetudo: quoniã cùm multã ad attrahẽdũ in se animũ, afficrẽdumq; vim obtineat, tũ in eo valet, ut aliquã honesti opinionẽ afferat: nã si qs ex cõsuetudine, usuq; habitũ, & aliquã animi affectionẽ sibi cõparavit, nihil vel ipsa natura sic fugiendũ est: qũ si in cõsuetudinẽ abierit, nõ omni studio dignũ expetendũq; videatur. Atq; hujus sentẽtiæ testis est hominũ vita, in qua cũ infinitę existãt nationes, non omnes tamẽ uno, eodẽq;

ſtudio ducuntur, ſed apud diverſas, ex earum cuiusq; conſuetudine, quæ ſtudium aliqua re, & cupiditatem gignit, res in honore, atque pretio ſunt: neq; apud diverſas ſolum rationes ejusmodi horum ſtudiorum variam commutationem cernere licet, ut apud quaſdam gentes in pretio illa ſint, apud alias improbentur, ſed in eadem natione, eademq; civitate, & familia hanc, quæ è ſingulorum conſuetudine naſcitur, diſſimilitudinem planè cognoſcere poſſumus. Eodemq; modo ſæpe gemelli fratres diverſis vitæ ſtudiis ex uſu conſuetudineque affecti ſunt. neque hoc ſanè mirabile eſt: quoniam ſinguli homines non ſæpe idem de una eademq; re ſentiunt, ſed ita, ut quisque eſt conſuetudine affectus. Et ne, quæ à reipſa valde remota ſunt, cõmemoremus, multos nos quidem amatores cognovimus, qui ab ineunte prope ætate ſe omnis temperantiæ maximè ſtudioſos oſtenderunt: impuræ verò vitæ initium quoddam fecerunt, quod juſtum ac permiſſum videtur eſſe voluptatum conſortium: poſtea verò quàm hoc ſemel experti ſunt, omnẽ, appetitionis vim cùm ad hæc ipſa cõverterint, & à rebus divinis ad humiles, caducaſq; mentem, & cupiditatem traduxerint, ita valde ſibi patentem ad animi affectiones aditũ aperuerunt, ut cœleſtia petere omnino deſierint, peneq; illarũ ardore aſſuefacti ſint, cũ omnis eò confluat appetitio. *cap. 9. de Virgin.*

D. Chryſoſtomus: In Græcis gentibus magna erat tyrannis conſuetudinis. Etenim ſi cùm ſoli decem anni, nedum tantum tempus, & ſi cùm pauci homines, nedũ univerſus orbis terræ, præoccupati eſſent à conſuetudine, iſti acceſſiſſent: ſic quoq; difficilis fuiſſet trãſmutatio. Nunc autem & ſophiſtæ, & oratores, & patres, & avi, & proavi, & multi eiusmodi multis retrò ſeculis errore erant præoccupati: & terra, & mare, & montes, & ſylvæ, & omnia barbarorũ genera, & cuncti Græcorum populi, & ſapientes & indocti, principes, & qui eorũ parebant imperio, & mulieres, & viri, & juvenes, & ſenes, & domini, & agricolæ, & opifices, & qui urbes, & qui pagos habitabant omnes. & veriſimile erat dicere Catechumenos, nempe inſtituendos qui audiebant ſonum eorum quæ ipſi dicebant. Quidnam eſt hoc? Omnes qui terram habitant, ſunt decepti? & ſophiſtæ, & oratores, & philoſophi, & ſcriptores, & qui nunc ſunt, & qui fuerunt antea, & Pythagoras, & Plato, & Imperatores, & Conſules, & Reges, & urbiũ qui fuerunt ab initio cives & habitatores, & Barbari, & Græci? & duodecim piſcatores, & tabernaculorum contextores, & publicani illis omnib. fuerunt ſapientiores, & ideò omnes vicerant. Et quis hæc tuliſſet? ſed tamen nõ hæc dixerunt, nec cogitarunt, ſed ſuſtinuerunt. Et diſcas, quãta ſit vis conſuetudinis: ea ſæpè vicit juſſa Dei. Et quid dico juſſa? Ipſa quidẽ certè Dei vicit beneficia. Judæi enim manna habentes, quærebant allia: & fruentes libertate, meminerant ſervitutis: & aſſiduè quærebant Ægyptum, propter conſuetudinem: adeò tyrannica res eſt conſuetudo. Si vis autem etiam ex externis ipſam diſcere: dicitur Plato, etiamſi rectè ſciret res deorum eſſe errorem, ad celebrandos tamẽ eorum dies feſtos, & ad alia omnia ſe demiſiſſe, ut qui non poſſet repugnare conſuetudini, & revera hoc à magiſtro didiciſſet. Nam cùm ipſe veniſſet in ſuſpicionem de ejuſmodi novitate: tantum abeſt ut efficeret, quod voluit, ut etiam vitam amiſerit, idq; cùm ſe apologetica defendiſſet oratione. Quam multos autem nunc quoque videmus homines detinere in impietate ab anticipata opinione: & nihil quidem poſſe dicere rationi conſentaneum, cùm accuſantur quod ſequantur errorem gentium, pro prætextu autem proferre patres, avos, & proavos. Propterea quidam etiam ex externis conſuetudinem vocarunt aliam naturam. Quando autem etiam in dogmatibus fuerit conſuetudo, ea efficitur firmior & ſtabilior. Facilius enim omnia mutaverit quiſpiam, quàm quæ pertinent ad religionem. Porrò autem cùm conſuetudine quoq; pudore affici ſatis erat ad impediendũ, & in extrema ſenectute videri dediſcere etiam à minus intelligentibus. Et quid miraris ſi hæc in anima accidunt, cùm etiam in corpore magnam vim habeat conſuetudo? In Apoſtolis autẽ & aliud validius erat his impedimentum: quod non ſolum ſic antiquã mutarent conſuetudinem, ſed etiam cum periculis facerent transmutationem. Non ſolum enim trahebant à conſuetudine in conſuetudinem: ſed à conſuetudine ab omni metu libera, ducebant ad res quæ minabantur pericula. Oportebat enim eum qui credebat ſtatim publicari, expelli, à patria exulare, extrema mala perpeti, ab omnibus odio haberi, communem eſſe hoſtem & ſuis & alienis. Quamobrem etiamſi vocarent à novitate ad conſuetudinẽ, ſic quoq; res eſſet difficilis. Cùm autẽ à conſuetudine vocarent ad novitatẽ, & hæc adeſſent mala, cogita quantum eſſet impedimentũ. Porrò autẽ rurſus iis quoque quæ dicta ſunt non levius aliud ipſis proponebatur, difficilẽ reddens transmutationem. Nam cùm cõſuetudine & periculis hæc quoque præcepta erant graviora: ea vero, à quibus abducebant, facilia. A ſtupris enim ac fornicatione vocabant ad temperantiã, à vitæ amore ad mortem, ab ebrietate ad ſobrietatem, à riſu ad lachrimas & cõpunctionem, ab avaritia & pura habẽdi cupiditate ad paupertatem & ſuarum facultatũ abdicationẽ, à ſecuritate & metus privatione ad pericula: & per omnia extremam exigebant vitæ perfectionem. Turpitudo enim, inquit, & ſtultiloquium, & ſcurrilitas non exeat ex ore veſtro. Et hæc dicebant iis, qui nihil aliud ſciebant quã inebriari, & ventri indulgere: iis, qui dies feſtos celebrabãt, non ex aliis cõſtantes quã ex turpitudine, & riſu, & univerſa planè comœdia. quamobrẽ quæ dicebãtur non ſolũ erant gravia, quod eſſent philoſophica, ſed quod & dicerẽtur hominibus, qui erãt educti in omni licẽtia, & turpitudine & ſtultiloquio, & riſu, & ludis ac comeſſationib. *Hom. 7. ad Cor. 1.*

D Chryſoſtomus: Magna quoq; vis eſt præoccupatę opinionis. Sciis enim apud homines nihil eſſe æque validum, atq; tyrannidem veteris conſuetudinis. Quamobrem ſi non fuiſſent duodecim ſolum neque adeò viles abjectique & tales, ſed etiam alius orbis terræ, & ei reſpondentem ſecum inſtructam habuiſſent multitudinem, aut etjam longè plures: ſic quoque fuiſſet quod fiebat difficilè. Nam illis quidem opem ferebat conſuetudo, his autem adverſabatur novitas. Nihil enim adeò conturbat animum, etiamſi id fiat ob aliquid utilius innovare & peregrinum ac externum aliquid facere, & maximè quando hoc factum fuerit de Dei cultu, religioneq; & opinione. *Homilia 7. ad Corinth. 1.*

D. Io. Chryſoſtomus: Multum in bonis & in malis valet conſuetudinis vis. plerique conſuetudinem fecerunt ſeipſos aſſiduè ſignandi: neque admoneri opus eſt, ſed animo quoque alibi occupato, ipſa cõſuetudine veluti quodam animato magiſtro impellente, manus ſpõte formant ad ſalutaris impreſſionem ſigni. Aſſuefecerunt ſe quidam non jurare. nunquam illi nec ſponte nec inviti hoc facient. Aſſueſcamus nos quoque eleemoſynis dandis, & id citò peragemus. 2. *ad Timoth. Homil. 6.*

¶ Latinorum.

Ennodius: In domina Barbara ſic in naturam tranſiit honeſtatis diligentia, ut ſi vel mentiri velit, non poſſit, errorem. *præn. didaſcal. circa finem.*

Ennodius: Feminam diuturnitate non didicit Achilles, & viri fortis animum mollis conſuetudo ſervavit. *Dictione 25. pr.*

Io. Sarisberienſis: Vidi pueros tam diu balbutientium vitia imitari, ut poſtmodum nec cùm vellent rectè loqui potuerint. uſus enim, ut ait quidam, ægrè dediſcitur, & conſuetudo alteri naturæ aſſiſtit, quàm licet Expellas furca tamen uſq; recurret. Unde & Ethicus providè quidem & utiliter: Optimam, inquit, conſuetudinem ab ineunte ætate elige: eam tibi jucundam uſus efficiet. *lib. 3. Pol. cap. 8.*

¶ Oratorum Philosophorumque Græcorum.

Lyſias: Sed aures veſtræ jam ad huius crimina occalluerunt, quod frequenter jam ea audiveritis & videritis, ut quæ gravia ſunt, vobis talia non videantur. *cap. 16. contra Andocionem.*

Arrianus: Magna vis eſt conſuetudinis veteratæ. *cap. 12. libr. 3. Epicteti.*

Simplicius: Nonnulli certe, quamvis appetitiones ſuas moleſtè ferant, eaſque cieri nollent, tamen ab habitu ac conſuetudine impelluntur ad res à ſeſe deſideratas, ab iiſque alieno motu pertrahuntur, planè quaſi in ipſis ſitum non ſit facere aliter. *ad cap. 1. Epict.*

Dio Pruſæus: Eſt conſuetudo, ſententia utentium aliquid communiter. Eſt & lex non ſcripta vel gentis, vel civitatis, & jus voluntarium, & tale quod omnibus placeat. Nullius autem hominis invitum, ſed vitæ atque temporis. Aliæ quidem leges ſemel approbatæ robur acceperunt, conſuetudo autem ipſa ſemper probatur. Et nulla lex ab omnibus facilè judicatur, plurium enim opinionibus rata fit: conſuetudo autem fieri non poteſt niſi ab omnibus approbata. Atque illa minans cogenſque rata manet: à conſuetudinibus autem perſuaſi, & honeſta atque utilia judicamus eadem. Quare mihi videtur lex ſcripta haud abſurde aſſimilari poſſe potentiæ tyrannidis (metu enim quæque & cum imperio conficit) conſuetudo autem regni potius humanitati. Sponte enim idem omnes & abſque neceſſitate cenſent. Et leges quidem multas ab iis qui tulerunt abrogatas eſſe novimus tanquam malas, conſuetudinem autem haud facilè quis oſtenderit abrogatam. Quin etiam planè facilius eſt, quamcunque velis tollere legem, quàm conſuetudinem. Illas enim ſi deleveris ſemel, in una die tolluntur: conſuetudo verò civitatis, niſi in valde longo tempore ſolvi non poteſt. Et illæ quidem in tabulis aut columnis cuſtodiuntur, hæ autem ſingulæ in noſtris animis. Tutior autem, meliorque talis cuſtodia. Quinetiam ſcripta lex auſtera eſt & immitis, conſuetudine verò nihil ſuavius. Deinde leges ex aliis ſciſcitamur, conſuetudines autem omnes novimus. Et illarum quædem non clarè ſunt ſcriptæ, & ſubvertuntur ſæpius à rhetorum potentia: conſuetudinum autem nihil eſt ambiguum, neque tortuoſum, neque eas ſuperare poteſt oratio. Tum illarum ſemper facienda eſt mentio, ſi iis velimus immanere: conſuetudinum verò non poſſumus, etiam ſi velimus, obliviſci, ſed huiuſmodi ſunt naturæ, ut ſeſe ſemper revocent in memoriam.

In ſumma autem, leges quis dicat ſervorum conſtituere rempublicam: conſuetudines vero contra liberorum. Illæ enim corporibus infligunt ſupplicia, violata autem conſuetudine mulcta eſſe ſolet pudor. Itaque illæ malorum, hæc autem bonorum lex eſt. Nam ſi omnes eſſent boni, palam eſt ſcriptis legibus nihil opus eſſe. Et reges quidem ſunt ſuprà leges, multaque præter eas faciunt, conſuetudines autem ipſi quoque ſequuntur. Tum ſcriptarum legum nulla in bellis valet: conſuetudines autem ſervantur apud omnes, etiamſi ad extremas inimicitias progrediantur. Quippe ne mortui prohibeantur ſepeliri, nuſquam ſcriptum eſt: nam alioqui circa hoc victores ſuccumbentium parerent mandatis: ſed conſuetudo eſt, quæ defunctos facit ea humanitate potiri. Similibus quod à præconibus manus abſtinent, atque iis ſolis magna ſecuritas eſt quovis ambulent. Denique ex his qui legem tranſgrediuntur, nemo quempiam oſtenderit opinor manifeſtè à diis punitum: Lacedæmonii autem poſtquàm tranſgreſſi ſunt conſuetudinem circa caduceatores, qui à rege venerant eoſque occiderunt, ab ipſo Deo puniti ſunt. *Oratione 76.*

Iulianus: Nunc non eſt integrum amplius, ſi quid eſt inſitum moribus

ribus lene aut asperum, id subitò evellere. Consuetudo veteri proverbio, altera natura est, cui repugnare laboriosum consuetudinem verò triginta annorum spatio meditatam, deponere perdifficile est, præsertim tanta cum difficultate inductam. *in Misopog.*

Libanius: Injucundum quod in consuetudinem abiit, levius est eo quod actutum fit. Cùm puer adhuc essem, diteſcentes noveram. A pueris egressus, quæ prius noveram, conspexi: vir factus, nihil novi perspexi. Institutus fueram molestum illud perferre progressu temporis. cernitisne fluviis ab antiquo violentis aculentes, qui ripas prætereuntes vastant arva, agricolarum labores convellentes? his pro solatio satis est, quòd calamitas retrò à superiori ævo procedat: & quod assueta sint passi, admonitio ad sustinendum proposita est. sed quando lenis & modicus fluvius, & qui nunquam antea exundarat, superato cursu constituto, obruit & mergit terram quam non antea vitiaverat, rei novitas perturbationem habet: Nam impetus & ictus insolentia mentem eorum qui perpessi sunt, concutit. Grave est natura tyranno parere: Hanc tamen molestiam pergravem, quod moderationem civitatibus facit? Quando quis à progenitoribus ad se delata potestate usus imperat & dominatur. Etenim eam olim vixisse sub dominatu, & quod is qui imperat tyrannorum nepos & successor videatur, de subditorum indignatione aliquid detrahit. Verùm quoties qui vilis minister fuit, & nullus omnino, inglorius ex ingloriis, sublatis legibus, meliores se trudit, hoc demum omnem dolorem & excandescentiam poscit, & quisquis appetens est libertatis, idem etiam interitus. Tale certè quiddam est in divitum negotio. Aliquis domum bene instructam accepit? non hoc mihi intolerabile foret. locupletatus est aliquis supra vulgus, idque repente? quis tolerabit? estne igitur aliud quiddam majus, quod ad moriendum inducat. *Declamatione* 8.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Mihi & gratiora sunt bona quod perseverant, & leviora incommoda, quod assuevi. *fine Epist. 2. lib. 6.*

Plinius Iunior: Præcesserat per multos dies tremor terræ, minus formidolosus, quia Campaniæ solitus. *Epist 20. lib 6.*

Symmachus: Præstate, oro vos, ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito Divi constantis factum diu non stetit. Omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. *lib. 10. Epist. 54.*

¶ Poetarum.

Plautus Mercat. 5. sc. 4. v. 40.

Missas jam ego istas artes faciam. D. & quidem ego dehinc jam. L. nihil.
Consuetudine rursus te animus huc inducet.

¶ Apologorum.

Æsopi Leo & Vulpes. Leo æstivo tempore in antro quodam quiescebat. Mure autem per mediam decurrente jubam terrefactus, surrexit & torvè intuitus est. Vulpi autem adridenti dixit, Murem non timeo, sed malam viam & consuetudinem præscindo.

Æsopi Dives & Coriarius: Dives coriarium prope habitans, neque fœtorem ferre valens, discederet instabat. Procrastinans ille dixit paulò post discessurum se, continuò verò manente, contigit alteri, jam assuefactum malo odore non molestari.

De opilione, qui inter canes lupum aluerat. Fab. 124.

Opilio reperiens catulum lupi, domum tulit, eumque inter canes ovium custodes aluit, qui ubi adolevit, oves occidere, canesq; ut unà secum comederent, edocere: Quod opilio animadvertens, lupum quidem occidit, canes tamen ut ab ovium cæde temperarent, non poterat prohibere. Tunc pastor secum: Merito plector, ut qui lupum canibus immiscui, qui eos oves occidere docuit.

Fabula indicat, bonorum mores, malorum consuetudine corrumpi. L. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius 37.

Adeo in teneris assuescere multum est.

& stando vitulum longâ assuetudine fecit,
Vt taurum posset postmodo ferre, Milo.
Discite puer magnis paulatim assuescere rebus,
Molliri & nervos non patiare tuos,
Sed tolera & duro sub fasce enitere contra.
Porro te nullum debilitabit onus.

Batillius 39.

Gravissimum imperium consuetudinis.

Assuetus cavea, caveam sic diligit ales,
Vt non, quum possit, liber abire velit,
Servitium vitæ longe assuetudinis usu
Naturam in multis ingeniumq; novat.

Camerarius 81. Centura 1.

Dulcescit amarum.

Pelle carent Ponti pecudes absynthia pastæ:
Ferre mala assuetus, non malè ferre solet.

¶ Apophthegm. Christianorum.

S. Bernardus & Anonymus: Consuetudo, quæ quasi secunda, & (ut cum Augustino loquar) affabricata natura dicitur, paucis perstringenda. eam enim vincere, dura est pugna, vicisse, maxima victoria. Certè D. Bernardus, cùm in Franciæ finibus agens, nobilem offendisset in tantum luxuriæ vitio deditum, ut quolibet die eodem se inquinaret, eum severa oratione, at nihil proficiente admonuit. Qui dum se abstinere nullo modo posse assereret, *Quæso*, inquiebat Bernardus, *saltem aliquales cum Deo inducias facito, ut minùs ad triduum.* Annuit ille: & ecce triduo expleto, *Nunc in honorem Deiparæ*, inquit vir sanctus, *tantumdem præsta.* paret: tum tertiò Bernardus, *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum.* & ille rursus eas pacisciturr: donec sponte Bernardo se insinuans, diceret: *Nolim amplius diurnas, sed perennes cum Deo inire inducias.* Tantum prodest inveteratam peccandi libidinem contraria assuefactione sensim eradicare. *In Vita D. Bernardi, & 7. part. spec. Spirit. cap. de consuetud.*

S. *Ioannes Chrysostomus.* Quanta verò innatæ jam consuetudinis vis sit & usus, suo dicto asseruisse Ecclesiæ Doctorem Chrysostomum, auctores sunt Ant. & Max. Serm. de consuetud. dicebat autem: *Nihil tam firmum est in rebus humanis, quam veteris consuetudinis tyrannis.* Hinc verè Ethnici alteram naturam dixere consuetudinem, ejusque imperium gravissimum, nam ut rectè Juven.

—— Laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali. ——

Ludovicus Palatinus Comes: Præclarus ille vir, jure inter præclaros Civilis ordinis, à nobis solus recensebitur. Cùm enim quidnam eligendum optandumq; altercarentur nonnulli: interrupto sermone, *Eligenda est*, ait, *optima vitæ ratio, quam consuetudo reddet suavissimam.* Meminerat illius Stagiritæ: Multa quæ natura sua non sunt delectabilia, cùm fuerint assuetudine superata, tandem fiunt delectabilia. *Tim. Berck. in Orat. Fun. Ludovici.*

¶ Monosticha Trochaica.

Consuetudo civitatis, numquam in eodem stat diu.
Consuetudo, necessitasq;, lexque patrant omnia.
Crede, etiam nulla ratione reddita, maioribus.
Difficile est abducere aciem oculorum à consuetudine.
Deficit ubi lex utare pro lege assuetudine.
Difficulter corrigantur jura consuetudinis
Improbum est nova te sola exstinguere consuetudinem.
Eruas mores vetustos largitate munerum.
Intermissa consuetudo corpus corq; incommodat.
Iuris est, est legis instar, consuetudo longior.
Naturam minus veremur, quam ipsam consuetudinem.
Nil miserum, quod in naturam versum consuetudine est.
Nulla legum melior est, interpres consuetudine.
Nunquam eodem consuetudo constitit diu gradu.
Pertinace vel naturam vincere assuetudine est.
Quid factum optime sit quæras, non quid usitatius.
Restitit longæ absq; noxa nemo consuetudini.
Sæculis sancita multis impiatè deseras.
Temporis vis longioris magna consuetudini.
Vincitur Natura & ipsa jugi consuetudine.
Vita consuetudine, ingenium ut sit declarat maximè.

¶ Jambica.

Ægerrimè à corio canem roso abstrahas.
Ægre reprehendas quod sinis consuescere.
Consueta jam prius minus gravant mala.
Cuncta exolescunt longâ consuetudine.
Difficile valde est vincere consuetudinem.
Difficilis est mutatio consuetudinis.
Est dura pugna vincere consuetudinem.
Et consuetudini antehabenda veritas.
Etiam desidia perdas consuetudinem.
Fermè in naturam consuetudo vertitur.
Immota non movenda consuetudines.
Ingens mala est tyrannis consuetudinis.
Iucundius nil homini consuetudine.
Lex scripta cedit moribus perennibus.
Magnum laborem, consuetudo haud percipit.
Natura consuetudo est adventitia.
Non ante suetis quodlibet grave est onus.
Parvissimum quoque insueto onus grave est.
Perdunt suam vim cuncta consuetudine.
Perdura pugna est vincere consuetudinem.
Pro lege quavis consuetudo patria est.
Pro lege recte utare consuetudine.
Quem vis laborem consuetudo degravat.
Regina rerum consuetudo est omnium.
Si deficit lex, utere consuetudine.
Vetus assuetudo transit in jus sanguinis.
Vita suavis à natura haud est, sed consuetudine.

Consultationis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Ioh. Chrysostomus: Si quispiam parum utilem sententiam dixerit, surgat alter ac loquatur. Quod si, quamvis inferior sit, aliquid tamen, quod ex usu sit, dicat, sententiam illius com-

comproba: nec eum quamlibet vilem & abjectum asperneris. Neq; enim quisquam horum tam à proximo suo distat, quam socer ille à genero Mose. Qui tamen sermonem ipsius minime fastidivit: verum & consilium excepit, eique paruit, atque adeo litteris quoque mandavit: nec ejusmodi rem historiæ prodere dubitavit: nempe ut permultorum hominum fastum dejiceret. Ob idq; hæc tanquam in columna insculpta posteris reliquit, quod multis hanc historiam utilitati fore perspectum haberet. Quo magis nobis providendum est, ne eos, qui optima cõsilia porrigunt, etiamsi in sacerdotũ numero minimè sint, sed abjectæ sortis, contemnamus: quæque ipsi censuerimus, ea prorsus valere atq; obtinere velimus: verum ut ea demum, quæ utilia visa fuerint, omnium calculis comprobentur. Plerique enim cæcutientium, multa clarius perspexerunt, quam qui acutè cernebant, propterea quod cõtentionem maiorem ac studium adhibuissent. Nec vero his vocibus utaris. Ecquid me ad consilium vocas, si verbis meis non obtemperas? Non enim consultoris sed tyranni hæ accusationes sunt. Nam qui consultorem se profitetur, hoc solum in arbitrio suo habet, ut, quid censeat, dicat: quod si sententia alia conducibilior appareat, quam ea, quæ ab eo dicta est, hanc si sequi recusset, non jam consultorem, ut jam dixi, sed tyrannum agit. ne igitur adhunc modum faciamus: verum animum ab omni fastu atque arrogantia eximentes, id spectemus, non ut ea solum, quæ ipsi decreverimus, stent ac rata sint, sed ut ea sententia, quę potior conducibiliorq; fuerit, valeat, etiamsi à nobis minime allata sit. Neq; enim parum lucri hinc colligemus, etiamsi id, si, quæ in rem sint haud reperiamus, dum tamen quæ ab aliis utilius animadversa fuerint, amplectamur. Nam & ingentem à Deo mercedem accipiemus, & maximam inde gloriam consequemur. Ut enim is, qui utilem sententiam dixit, ingenii & sapientiæ, ita nos, qui eam comprobavimus, complexiq; sumus, prudentiæ candoriſq; laudem feremus. Adhunc modum & domus, & civitates, adhunc modum Ecclesia gubernata, magnis incrementis augebitur. *sub finem Homil. 18. ad Corinth. 2.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Ideo vobiscum consilium conferendum putavi, ne aut prudentiorum sobrietas præripiatur insolentiorum audacia, aut qui rectè sapere nesciunt, nostro saltem admoniti sermone cognoscant acquiescendum esse consultoribus. Silentium igitur deferendum censeo, ut & nos quæ conducere vobis arbitramur aperiamus, & vestrum nemo perturbetur, si aliqua præter suam voluntatem audiat. nemo enim poterit æstimare quale sit quod dicitur, nisi audierit prius, cujus ipse futurus arbiter sit, probet aut respuat. frustra conturbat, ne audiat, licet enim & post consultationem unicuique sentire quod sentit: & si discesserit, placet etiam monitus servare inconsultæ voluntatis sententiam. Sed dicet aliquis: cur frustra audiri velim, si non acquiescant qui audiunt? Quja si nolint acquiescere cùm audierint, portio mihi concionis, non omnis populus periclitabitur: sin audire nolint, universo populo eripiatur audiendi profectus. itaque apud eos oriatur mihi sermo, qui audire voluerint, si ex parte aliqua mihi silentium non differatur. intercipierur enim sermo omnis, & quasi totus decidet, si concionalis fragoris & inquieti strepitus examinetur impedimento. *cap. 9. lib. 2. Hiero.*

Egesippus: Atille providus vir, qui nõ id quod ex re vulgi accommodum existimaret, sed quod altiore consilio rei summæ conducere, arbitraretur, referre, &c. *cap 11. lib. 4. excidij Hieros.*

Egesippus: Consultandum certè prius de belli eventu, & sic præliandum. Sin pericula prævenerint, frustra consules, ubi consilium placuerit, rectè incipies. *sub finem cap. 29. lib. 4. de excidio Hierosolymitano.*

¶ Oratorum Philosophorum Græc.

Phalaris Polystrato: Tum cæteris amicis omnibus scripsi, ut velociter Agrigentum advolent, tum à te peto, ut ante Olympia præsto sis. Est enim mihi in animo, maximè faventium meis rationibus amicorum concilium habere, atque ita necessariam curam obire, & de rebus periculosis ac arduis consilium capere. Nec verò quicquam faciam, quod aut sceleratum aut illis molestum esse possit. Contentus enim meis ero: sed idcirco mihi sic visum est, ut persuasus vestris consiliis, si quidem manserit in eo statu regnum, in quo nunc est, sæpius vos complectar. Sin ceciderit, & sic in fatis fuerit, hac postrema appellatione sumpta, cum religione quadam meæ erga vos benevolentię memoriam conservetis. Quamobrem venite, sine cunctatione moraq; & pristinum animorum favorem erga Phalaridem declarate, qui vobis potissimum cognitus & exploratus est. *Epistola 39.*

Xenophon: Quidigitur? inquit Hyrcanius, an ubi Caduſii, Sacæq; venerint, & cives mei, hunc etiam vocabimus, ut omnes, ad quos res pertinet, in commune consulamus, quo pacto maxima cum utilitate nostra castello fruamur? Placuit hoc Cyro. *cap. 22. lib 5. Cyropædia.*

Xenophon: Quemadmodum vero, quum pugnandum est, is, qui plurimos capit, fortissimus existimatur: ita qui plurimos nostram in sententiam adducit, quum consilium ineundum est, is jure tam dicendi, quam agendi peritissimus haberi debet. Neque tamen in hoc vos exercueritis, ut orationem nobis ostẽteris, qua usuri ad quemq; sitis: sed ita eos parate, ut se persuasos à quolibet vestrum, factis declarent. *cap ult. lib. 5. Cyropæd.*

Aristides Rhetor: Si difficultas oblata, probrum & reprehensionem consultori conciliat, ea tibi non minor quam nobis accidit: sin ipsum per se considerandum est consilium, nec tuum culpari jure potest, nec etiam eadem de caussa nostrum. *Orat. 2. Platonica pro Quatuor Viris.*

Aristides Sophista: Ego verò nec consiliarium nec consultores id arbitror spectare debere, ut ille quæ alius nemo, hi quæ nunquam prius audiant, sed ea quæ communiter sunt profutura, tum dicere, tum sequi, nam nec in corporis periculo studet id quisque ut aliquid audiat novi, verùm hic est optimus medicus qui sanos potest homines reddere, neq; si iisdem rebus quibus ante, sanetur vestrum quisquam, hoc ægrè ferat. *Orat. ad Rhodios de concordia.*

Aristides Rhetor: At ego & cum primum de rebus Siculis disceptabatis, bono putabam vobis opus esse consilio, & nunc etiam meliore: si quidem eodem die de accessione imperii & de nostra deliberamus salute. Neq; verò, quales libentissimè sitis audituri sermones, ignoro, verum ita se res habent, ut ne volenti quidem liceat usum negligere præstat enim vos, si sit opus suadendo ac docendo offendere, quam vos vobiscum concurrentes omittere. Jam cum hanc habeam sententiam & apparatum, libertatem à vobis dicendi postulo, etenim si mox post auditionem aliquid vobis præter animi sententiam faciendum esset, merito vobis caveretis: cùm verò positis, utrum accipere velitis, deliberare, non debetis optionem fugere, verùm inter se utroq; comparato, quod potius videbitur, eligere. Præterea si pro verborum voluptate res gerere, miserum putatur, nolite hoc modo concionem habere, sin res non sermonum naturam sequuntur, sed illæ consequuntur exitum, tales habiti primum de iis dicuntur sermones, eos qui ex benevolentia proficiscuntur excipite, nec futurum eventum pro parva diei parte prodite. cum enim ne in ipsis quidem rebus soleant sapientes majora minoribus commutare, verborum certè temperaria delectatio, non est cum postera securitate totius negotii comparanda. *Orat. Sicula posteriore.*

Aristides Rhetor: Multum ad persuadendum interest, Smyrnæi, si illis qui audiunt est jucunda oratio. quia autem ad monendum accedunt, eorum non modò consiliis pleriq; non facile utuntur, sed eos ne dicere quidem omnino patiuntur. Verumtamen quę res ipsæ nos ad sui studium per sese hortantur, in iis est supervacua consultoris opera. cum sit ita natura comparatum, ut quæcunq; sint ei consentanea, sequamur libentes. quæ autem nos oportet verbis edoctos vel sequi vel fugere, in iis consultori locus est. quare qui consilium audire non vult, is omnem consultationem, quantum est in se, tollit, &c. *initio Orat. de non agendis comœdiis.*

Dio Prusæus: Non simpliciter Philosophi de hisce inquirunt, sed quando & cum quibus & adversus quos, & quibus contingentibus, aut non contigentibus unum quodque horum sit faciendum. Differunt autem in hoc, quod rhetores in hæc aut illa suam dirigunt cõsiderationem: veluti, an utile sit bellum gerere Athenienses contra Peloponnesios, aut succurrere Corcyræis contra Corinthios: aut Philippo, belli societatem capessere cum Thebanis adversus Phocenses, aut Alexandro transire in Asiam. In his enim omnibus consiliis maxime incidit & hoc ut quæratur, an justum sit bellum adversus eos gerere, qui nulla ante affecerũt injuria, an acciderit maleficium ab his quibus cum cogitant bellare, & quantũ tandem sit illud quod accidit. Philosophi verò longè negotia vident, ab exordio examinantes qualia nam sint. Multò enim satius, in consilium iviſſe de omnibus à multo tempore, resq; dispexisse, ut quum cujusque rei venerit opportunitas, possint scientia uti, & alios admonere: & non de subito arreptos quodammodo perturbari, & dicere ex tempore de quibus nihil sciant. Rhetores enim quum necesse est considerare de re quapiam, nihil plus aliis scientes, neque antea re perpensa, pariter & ipsi deliberant modo quodam, & consulunt aliis. Philosophi autem de actionibus antea sciunt, atque olim consultarunt de rebus. Itaque si quis eos advocarit ad consulendum civitatibus, aut gentib. aut regibus, melius habebunt & tutius res demonstrare, non id quod illis subitò incidat, neque modò hæc, modò contraria dicent, vel ob iram, vel contentionem, aut pecuniis percussi: & sicut in trutina (ut rhetorum ipsorum, opinor, quispiam dixit) illuc declinantes semper, ubi plus datur. Hoc autem dico, non vituperans Rhetoricam, neque rhetores bonos sed malos, remq; duntaxat simulantes. *Oratione. 22.*

Dio Prusæus: Jam diu sedens, vosq; audiens, quando multas horas immorati estis apud quendam rempublicam administrantem, consultantes de negotiis quibusdam: considero apud memetipsum, & inquiro, quid nam hoc sit, de quo dicitis vos consultare, aut quid ipsa sit consultatio? Non mihi videtur quispiam de his quæ novit consultare, sed jam scire. Quid verò? An quæ nescit, neque didicit, de iis consultat, tanquam divinans & inquirens cognoscere quæ nescit? Non videtur mihi neque ita consultatio procedere, de iis, quorum nullam habet scientiam. Nunquid ergo tale quid est consultatio, ut sit de iis quæ partim sciantur, partim ignorentur, taliaq; sint quibus de consultant homines? Ut verò magis sermonem intelligamus, per quandam similitudinem demonstrabimus rem. Ponamus enim, vos nosse Charicleum & Charizenum, ubi autem habitent ignorare, sed conjectare de illorum domiciliis. An igitur hoc est consultare, ut ea quæ adhuc nescimus, ex his quæ scimus, conjiciamus, quemadmodum par impar ludentes? Sciunt enim illi, quòd qui eos provocant, in manibus habeant pecuniam: sed non quod tantam, sed interdum forte fortuna dicunt, & ita tandem vincentes discedunt. An igitur consultatio tale quid est, ut sciamus quidem

quid-

quidpiam, alia autem quæ faciunda sint conjiciamus, atq; interdum casu rem tangamus, nulla cum scientia?

Age verò videamus, qualiter res se habeat. Ea quæ sunt, & facta, sunt, & subsistunt. Quæ verò non sunt, nec sunt, nec facta sunt, neque subsistunt. Non oportet autem de iis quæ jam sunt, consultare. Quid enim & consultabimus de illis? An ut non fiant quæ facta sunt? Non potest fieri qui facta sint. An ut non sint, quæ sunt? Quomodo poterimus facere, ut non sint ita ut sunt. At ut non subsistant? Omne quod est, substantiam habet. Sed de existentibus quid quis consultet? De quibus ergo consultamus? Num de futuris, ut sermo ostendit? Porrò futura neque sunt, neque facta sunt, neque subsistunt. De iis igitur quæ non sunt, quis potest consultare, & de his quæ non subsistunt? Quod enim nondum est, prorsus non est. De eo verò quod non est, nemo potest consultare. Nemo ergo potest consultare de futuris. Consilium enim propter aliquid habetur: futurum autem non est: non ergo consultatio de futuris esse potest. Quid igitur? Rudis musices, & indoctus harmoniæ & cantus consonantiæque, & horum ordinis & motus, num bene poterit consultare de musica, & operibus, musicis? Nequaquam. Quid verò? Inexpertus geometriæ, si de corpore & longitudine & latitudine & crassitudine consultet, num bene consultabit? Neque hic. Quid verò? Qui navem gubernare non didicit, num de navis gubernatione & operibus nauclerì consultans, sufficienter consultare poterit? Neque hic.

Ergo, quisquis non sufficienter ulla de re eruditus est, neque scit, ille neque de ea consultare idoneus est. Oportet ergo maximam adhibere curam, ut prudentiam atque eruditionem adipiscamur, quo nobis proclive sit de omnibus rebus consultare: scireque quid ex quoque consilio boni liceat expectare, neque in his falli, sed quemadmodum musici & geometræ, & nauclerì de propriis operibus verè considerant, & omnes aliqua in re callidi, callidi etiam sunt ad eam intelligendam: ita & nos de propriis idonei simus consultare, & dicere. Absurdum enim est, par impar ludentes, intelligentiam ostendere, præsertim conjectantes solum, non videntes, id de quo pronunciant: eos verò qui de negotiis consultant, neque intelligentiam, neque scientiam, neque experientiam ostendere, quum præsertim negotia nonnunquam maxima sint, de concordia & amicitia familiarum & civitatum, & de pace & bello, deque deducendis coloniis, & jure coloniarum, deque liberis, & de conjugibus. *Oratione 26.*

Dio Prusæus: Non me præterit (ô viri Tarsenses) legibus receptum esse & apud vos & apud alios, ut cives accedant & consulant, non quilibet, sed noti & locupletes, insuper & qui bene publica munera obierunt. Neque enim fortasse rationi consentaneum est, quum locupletum substantiæ sitis participes, non illorum etiam frui consilio, qualecunque tandem sit. Atqui quum citharœdos audire vultis, aut tibicines, aut spectare athletas, non vocatis divites, neque cives, sed eos qui ea & sciant & possint: atque hoc non vos soli, sed omnes hujusmodi faciunt. Porrò ne illud quidem latet, quod tali habitu utentes, à multis more quodam Cynici appellentur: quosque non solum à se nihil differre putant, neque idoneos ad consulendum de rebus, verum etiam ne sobrios quidem esse prorsus, sed homines insanos quosdam & miseros. Ad mordendum autem cavillis, adque deridendum nonnulli hosce habent. & sæpe nec silere illis permittunt, nedum eos dicentes perferant. Præterea ajunt vos in præsenti nimis esse irritatos contra philosophos, eosque devovisse, non quidem omnes, sed vestros. Et sane caute admodum & moderate à vobis factum est, quòd non communiter omnes maledictis devovistis, quum soli hi qui hic sunt, peccassent. Illud autem fortasse ignoratis, quòd si quos devovistis, non philosophos devoveritis. Neque enim ullus iniquorum & pravorum philosophus est, tametsi sit (quod aiunt) statua nudior. Qui ergo nocuerunt patriæ, adversusque cives fecerunt coitionem, procul mihi ab hoc videntur nomine abesse. At verò admiramini fortasse, quid tandem ego sperans, mihique quærens, huc advenerim, & tali habitu, talique tempore. Veræ enim hoc insaniæ signum videri queat. Hoc autem scire debetis, quòd non hujus gratia, ut mihi à vobis aliquid petam, sed vestræ utilitatis causa hoc conatus sim. Si igitur me non sustinueritis, manifestum est, quod non me, sed vos ipsos damno afficietis. Proinde neque etiam vos decet, ut unum me ex his puteris, qui revera mente capti sint, atque ideo non audiendum. Ne existimetis enim, aquilas quidem & vultures antea significare hominibus quid oporteat facere, illorumque consilium haberi fidele, eo quod ultro & divinitus dari videatur: virum autem ita advenientem, nullaque ex parte ad vos pertinentem, non divino venire consilio, & ad dicendum, adque consulendum. Quanquam auguria conjecturis indigent: quæ autem à me dicentur, audientibus vobis licebit intelligere, & considerare num manifestè quid adferam utile. *Orationis 34. initio.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Audisti consilii mei motus: supereſt alterutra ex parte judicium tuum, in quo mihi æquè jucunda erit simplicitas dissentientis, quam comprobantis auctoritas. *fine Epistolæ 4. lib. 3.*

Plinius Iunior: Omnia ego semper ad Corellium retuli, quem prudentissimum ætatis nostræ sapientissimumque cognovi: in hoc tamen contentus consilio meo fui: veritus ne vetaret, erat enim cunctantior cautiorque, sed non sustinui inducere in animum quo minus illi eodem die facturum me indicarem: quod an facerem non deliberabam, expertus usu, de eo quod destinaveris, non esse consulendos, quibus consultis obsequi debeas, &c. *libri noni Epistola 13.*

¶ Monosticha Trochaica.

Abstine à nocivis ac rem quamque consulto gere.
Admonent quandoq; ignavi, sed specie prudentium.
Aliud est favere consilio, aliud est manus dare.
Antecedat omnem oportet rem ampla consultatio.
Arbitrium offerentis est si quando consilium detur.
Avidius properare noli, sed magis consultus.
Cogitandi spatium non est temporis angustia.
Cogitent diu negotia agere magna qui volunt.
Consilia adferuntur post res spatiis è distantibus.
Consilia usq; cauta malis, quam ex eventu prospera
Consiliario imputavit quis delicta Principis?
Consiliarius optimus est qui nec fallit nec fallitur,
Consilij duo sunt hostes ira & festinatio.
Consilij suasorq; & auctor idem fidus creditur.
Consilio in bono antecedunt optimos deterrimi.
Consilium à nigra petatur nocte: lux parum sapit.
Consilium dant omnes, pauci sed sumunt periculum.
Consilium datum ab omnibus est, pauci sumpsere periculum.
Consilium malum redundat consulentis in caput.
Consule ante rem, ne stulte quid loquare vel patres.
Consulentem sperne nullum servo cor item tuo est.
Consulendi rectiora præstat usum Adversitas.
Consulendi tempus aptum rebus adhuc est integris.
Consulentibus promendum semper est quod optimum,
Consulit bene is cui usus, charitas, os liberum est.
Consulitando agendi non sunt consumenda tempora.
Consultatio est de iis quæ aquè partem in utramque accedunt.
Consulit frustra, periclivis ubi quem prævenit.
Consulit sibi ipse, qui quis consulit bene alteri.
Consultum bene, inconsultum est, si inimicis fit usui.
Cuiq; fas sentire postquam consultavit quod velit.
Cum fide suadet, periculum consilio qui addit suum.
Cum Iove consultare de re publica longè optimum est.
Dant aliis consilium, sibi qui nequeunt auxiliarier.
De futura non præsente de re consultatio est.
Defuturi sunt qui suadent, si suasisse periculum est.
De futuro, ceu de facta jam re nemo consulat.
Est stultum sibi haud cavere, & aliis consilium dare.
Flagitium est, aliis consilium te dare, nec dare idem tibi.
Fortunatus, cui de integro consulendi copia?
Homines aliquando bene suadent; semper Dij.
In gravi tribulatione consilio vix est locus.
Inquinat vel optimam auctor turpior sententiam.
Is sapit bonum undiquaque consilium qui quæritat.
Mille dextras antecedit una consultatio.
Multi semper plus meliusq; cuncta, quam unus pervident.
Ne deliberes facinora, sed patres audacia.
Nil refert suadere, si haud sint qui sequantur, optima.
Non fide es meliore quam vis suaseris prudentius.
Non mala est quæ ad mensa habetur sacra consultatio.
Non qui consulit prudenter, consulit & feliciter.
Non statim fidei est melioris, qui suasit prudentius.
Nullius se egere credit consilio superbia.
Offendit quidem qui suadet: sed tamen non vult malè.
Omnium audi, sed prudentum adhæreas sententiæ.
Optima est quæ festa initur nocte consultatio.
Optima est quæ pocula inter ducta consultatio est.
Optimè consultes de pace & bello in convivio.
Optimus consultor haud se cogitat, sed publicum.
Pendet ex vultu audientis cum timet qui consulit.
Persuadet facile is periculum consilio qui addit suum.
Primus id feras & ipse, quod ferendum suaseras.
Pro bona haud valet bonam fert quam malus sententiam.
Promptius juveri suadere ægroq; quam sano ac sani.
Publice deliberato de periclis publicis.
Quæ consuluntur neminem cogunt tamen.
Qui bene consulit privatim, consulet benè publice.
Qui sibi male, ille pejus utiq; consulet alteri.
Quisque hebetior in suo est alieno quam negotio.
Quod dies est allatura, consilio ante fac feras.
Rem geras præsente luce, noctibus consulito.
Regibus fidele qui dat consilium, vix dat sibi.
Rite consultata semper prospero exitu fluunt.
Sæpe peccat, semet uno consultore qui utitur.
Sæpe quis suadet sibi, qui fingit suadere alteri.
Seu vales seu non vales, ita in commune consulas.
Sit Deus deliberationis usque duxter tuæ.
Tam nialum est consulere cunctos, quam consulere neminē.

Tardus

Tardus esto in consulendo, in exsequendis præceler.
Tuta consilia, haud honesta, vir miser, circumspice.
Vix est ut felix adhibeat consilio modestiam.
Vix in longius consultat qui fruitur præsentibus.
Vitatur stulto qui se ipse consiliario utitur.

¶ Jambica.

Ad consulendum ætas senecta perviget.
Adversa adimunt res consilij prudentiam.
Aliter secundâ, aliter adversâ consulas.
An ubi senes sunt, ibi consilium claudeat?
A paupere consilio abest auctoritas.
A servo etiam prudente consilium accipe.
Ausculta ei, eja, auriculæ cui sunt quattuor.
Bis terque rebus consultes de maximis.
Consilia ab hoste qui capit, vult decipi.
Consilia adulatorum ubique pessima.
Consilia amicis Regum constant maximo.
Consilia cupias pro reproque tempore.
Consilia obi paucissimis præsentibus
Consilia publica haud cadunt in feminam
Consilia tuta præferenda fortibus.
Consiliariorum est tempus omnium optimus.
Consilium alienum, prudens præfert & suo.
Consilium etiam sequare vel vilissimi.
Consilium in atra nocte candidum latet.
Consilium in ipso ineptum omne est negotio.
Consulta noctis exsequare jam die.
Consultor homini tempus utilissimum.
Dare Principi consilium factu est arduum.
De rebus est futuris consultatio.
Frustra est, salubre consilium sero exsequi.
Incepta prava, noxæ consultoribus.
Ira, ac cupido, consultores pessimi.
Iuxta metum nullus consiliis est locus.
Minerva semper proxima adsidet Iovi.
Nec ira rectè nec juventus consulit.
Ne consulas suavissimum, sed optimum.
Nemo capite unquam consilium stolidum luit.
Nemo sapit solus; alios fac consulas.
Noctu urgeas consilia, luce promove.
Nulla in tumore consiliorum est sanitas.
Nulli invident qui consulunt respublicæ.
Nunquam Deos primi consilij pœnitet.
Omne imbecillum est quod adolescens consulit
Quandoque juvens consilium præstat senis.
Qui consilium effert optimum illi obtemperes.
Quicunque rectè consulat, consul cluat.
Qui consulit sibi, turbidè sibi consulit.
Quod consilium quis reperit, ducit & optimum.
Regibus suadere nullus audet consulentibus.
Res maxima est: deliberandum censeo.
Si consulantur vera, dicent optimi.
Spectare idem semper decet, non dicere.
Videre non potest vir unus omnia.
Vix consilio valet manus cui strenua est.
Vtilius aperi consilium, non gratius.
Vtique cavet sibi, alteri quisquis cavet.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Antonius: Quidam monachi perfectam nescio quam vivendi rationem simulantes, à labore manuum abhorrebant, precibus & contemplationibus intenti. Horum nonnulli quum ad Antonium & eius fratres in solitudine manuum sedulo labore vitam suam sustentantes accessissent, post salutationes & alloquia, sudorem fugientes ad horas aliquot secesserunt, preculis suis intenti. Prandii hora accedente Antonius cum aliis cooperariis cibo sumpto vires corporis recreavit. Contemplantes interim accedunt, quibus Antonius, Non vestrum (inquit) est edere, qui non vultis laborare, sed precatiunculis & mentis excursib. addictos convenit epulis pasci spiritualibus. Ita delusos hypocritas à se amandavit. *Ex vitis Patrum.*

Thomas Aquinas: D. Thomas Aquinas Parisiis cum Philippo, aut (ut Campanus ait) cum Ludovico Gallorum rege cœnans, animo alienatus, cum ne oculis quidem conniveret, tandem percussâ manu mensa, exclamavit, Adversus Manichæos concluſum est. Quod factum cùm rex admiraretur, Thomas cum rubore respondit, argumentum sibi in mentem venisse, quo Manichæorum dogma penitus everteret. *Fulgosus lib. 8. cap. 7.*

Contemptus.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Nazianzenus:* Nihil rursus propius erat, quàm ut orationis aculeum in vos amicos meos, quando mihi semel vis allata esset, stringerem, simul amore linguam acuente, qui quidem ad accusandum acerrimus copiosissimusq; est, cùm ob mœrorem ex inopinato contemptu susceptum in zelotypiam exarserit. Si quis vestrum amoris æstro percitus, se neglectum sensit, is nimirum vim hujus affectus intelligit, ac proinde nobis hoc passis, atq; in hanc amentiam ferè prolapsis, ignoscet. *Orat. 2.*

D. Nazianzenus: Si qui pauperem despicit, eum à quo factus est, ad iram concitat, non dubium est, quin opificem honore afficiat, qui ipsius opus complectitur. *Orat. 16.*

D. Nazianzenus: Quomodo exiguæ nobis ac viles res tuæ sunt, ô divinum ac sacrum caput? quodnam hoc effugit verbum deutalia septa? aut quomodo hoc dicere ausus es? ut ipse quoq; audacter aliquid dicam: Quomodo vel animus id proposuit, vel atramentum scripsit, vel charta excepit? ô studia, & Athenæ, & virtutes, & literarii sudores! Me enim literis tuis penè tragicum facis. Utrum nos an te ipsum ignoras? tu, inquam, orbis lumen, magna vox & tuba, doctrinæ palatium. Tuave Gregorio parva sint? Quid igitur aliud quispiam admiretur eorum quæ in terra sunt, nisi te Gregorius? Unum ver inter animi partes, unus Sol inter sidera, unum cœlum omnia cõplexu suo coërcens, una vox tua de omnibus triumphans, si modò satis meus sum, qui de hujusmodi rebus judicium feram, nec mihi amor impostura facit, quod non puto. Quod si nobis succenses, quod te minus quam tua virtus meretur suspicimus, omnibus quoque mortalibus succenseas, neq; enim quisquam satis digne te laudavit, aut laudaturus est præter te, si quidem fieri posset per sermonum legem ut quis laudes suas ipse prædicaret. Quod si contemptum tui nobis objicis, quin prius insaniam? *Epist. 10.*

Chrysostomus: Quomodo ab arrogantia remotumq; oportet esse Christianum, ita etiam ab assentatione & ab illiberali animi elatione. Neque enim si quispiam dicit: Pecunias nihil esse existimo, sed præsentia omnia sunt mihi umbra, & somnium, & ludibria puerorum: arrogantiæ eum accusabimus. Nam Salomonem quoq; sic insimulabimus arrogantiæ, qui de iis philosophatur & dicit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, sed absit ut nomine arrogantiæ appellemus philosophiam. Non est ergo arrogantia hæc despicere, sed animi magnitudo. Atqui videmus & reges, & principes, & eos qui magistratus gerunt, ea tenere, & amplecti: Sed mendicus philosophans, sæpe ea despicit: & non propterea dicemus eum esse arrogantem, sed magni & excelsi animi: sicut nec eum, qui ea valde tenet & amplectitur, humilem & modestum, sed imbecillum, pusilliq; & abjecti animi, & illiberalem. Etenim si quis filius ea quidem quæ ad patrem pertinent despiceret, quæ sunt autem servorum admiraretur: nõ tanquam humilem eum laudaremus, sed tanquam illiberalem & servilem vituperaremus: admiraremur autem eum qui illa despicit, & paterna magni æstimat. Est enim arrogantiæ, existimare se esse conservis meliorem, sed eam quæ verè est de rebus ferre sententiam, non est arrogantiæ, sed philosophiæ. *Homilia. 11. ad Corinthios. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Eos, qui in tenui ac vili habitu ad te accedunt, ne contemne: verum fac patientiâ admireris, ac de eorum mutatione misericordiâ commovearis: illud tecum reputans, multos, regio genere ortos, in mercenariorum classem redactos fuisse. Quod si & obscuri sint, & obscuris parentibus editi, ne sic quidem tamen ab iis oculos remove: verùm quibus in reb. potes, manum ipsis porrige: illud cum animo tuo considerans, generis etiam ignobilitatem (ut ex hominum opinione loquar) minimè voluntariam esse, ac proinde nec reprehendendam. Nam quæ à moribus ortum trahit, ea demum impura & execranda est. Arq; ut eos improbis quoq; moribus esse demus, fac tamen tum propter humanitatem, tum ob Dei præceptum, qui non modò cuivis petenti dare jubet, sed etiã, id quod datum est, sibi necessarium ipsi abs te cibũ obtineant. *lib. 3. Ep. 140.*

¶ Poetarum

Chilo apud Ausonium.

Nolo minor me timeat, despiciut q; major

¶ Fabula.

Babriæ Περὶ Λέοντος καθευδόντος καὶ Μυός.

Λέοντος ἐπανύποντος, αὐχένος μέσον
Διέδραμε Μῦς, ὃ δ' αὖτις σωτῆρος.
Γελᾷ δ' Ἀλωπηξ καὶ Λέων ἀπεκρίθη.
Οὐ μὴν πτοεῦμαι, τῷ ὀδὸν αὐατρέπω.

Επιμύθιον.

Οπ ὀδεῖ καὶ μυκρῶν περιφρήσιν ἀπερρίφεις.

De leone dormiente, & Mure.

Leone dormiente per mediam cervicem
Percurrit Mus. Is autem surrexit illico:
Ridet Vulpes, ac Leo respondit,
Non timeo, sed interrumpo iter.

Affabulatio.

Quòd non oporteat, ne parvum quidem contemptum negligere.

Phædrus Fab. 12. Cervus ad fontem.

Laudatis utiliora, quæ tempseris
Sæpe invenies, hæc erit narratio.
Ad fontem cervus cum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa, mirans, laudat cornua,

Crurum-

Crurumq; nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & cursu levi
Canes elusit: silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari cœpit morsibus sævis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Vt illa mihi profuerint quæ despexeram,
Et qua laudaram, quantum luctus habuerint.

De Sacerdote & Pyris. Fab. 46.

Sacerdos quidam gulosus extra patriam ad nuptias proficiscens, ad quas fuerat invitatus, reperit in itinere pyrorum acervum, quorum ne unum quidem attigit, quamvis magna affectus fame, quin potius ea ludibrio habens, lotio conspersit. Indignabatur enim hujusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accedebat epulas. Sed cum in itinere torrentem quendam ita imbribus auctum offendisset, ut sine vitæ periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Revertens autem jejunus, tanta est oppressus fame, ut nisi pyra illa, quæ urina conspersserat, comessset, cum aliud non inveniret, extingueretur.

Hæc fabula monet, nihil esse contemnendum, cum nihil sit tam vile & abjectum, quod aliquando usui esse non possit. Laur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Alios plus nimis admirere potius quam contemseris.
A quo quisq; fert molestè sperni, gaudet suspici.
Ceteros qui despicit se despicit vel maximè.
Contemptus sui atque alieni, & heu, orbe toto jam imperat.
Cuncta quis nauci æstimare, cuncta habere non potest.
Difficile animum ad contemptum animæ perducere.
Fructuosior actio est, sed contemplatio altior.
Maximè vel semetipsum, cæteros qui despicit
Nemo ab aliis contemnitur, nisi se prius contempserit.
Nemo despicit privatim quod in honore publicè est.
Nemo habere cuncta, cuncta sed potest contemnere.
Nemo non minor illo est à quo se contemptum judicat.
Nemo vilet alteri, antequam ipse viluit sibi
Non hilum Typhœa tela filios movent Deum.
Plus æquo quem colere præstat, quam plus æquo spernere.
Qui ipsius se contemnit, in eo est indoles industria.
Res quibus minus secundæ contemnuntur à suis.
Sæpe opus laudamus, ejus artifex qui temnitur.
Sæpe sunt laudatis utiliora quæ contempseris.
Sæpe verbo quis recusat, quod mente ambit maximè
Vilis est qui nec sibi ipsi est utilis nec alteri.
Vtiliora sunt laudatis sæpe quæ contempseras.
Vulgus alitum satelles fulminis flocci facit.
Vulpis est: Matura nondum est, legere acerbam non libet.

¶ Jambica.

Acerrima est contemptus accusatio.
Contemne mortem, & magnam habebis gloriam.
Contemnere omnes, culmen arrogantiæ est.
Contemsit omnes ille, qui mortem prius.
Deos magis contemnere quàm homines impium est.
Est noxium æquè contemni, quàm suspici.
Et noxium æque est despici quàm suspici.
Humilem antecedat, nec tamen temnat potens.
Ibi frequens injuria ubi est contemptio.
In bellicis tuto nihil contemnitur.
Invidia longè contemtu est violentior.
Labore parvo parta res contemnitur.
Minus periculi est in contemptu quàm metu.
Nemo potest mirarier quæ despicit.
Quæ facere nequeunt homines, verbis elevant
Quæ facere non potes, ea verbis ne eleves.
Quocumque in hoste spernitur tutò nihil.
Persæpe sub contemtu delitet metus.
Solet a despectis par referri gratia.

Contentionis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Chrysostomus:* Fieri non potest, ut qui contra perversæ sententiæ homines pugnat, aliquid lucretur unquam. Cæterum si quando damnum aliquod ex nostra taciturnitate metuimus, quasi propter infirmitatem defectumq; rationis metuentibus nobis adversus eos subire conflictum, tunc necessariò retundenda illorum improbitas est. *Homil. 12. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Quid tibi cum genere belluinis moribus prædito? Quid tibi cum barbara natione? Quid te cum ignobilibus cõmisces? Quid cum Cappadocibus colliderís? Quid Gigantii congigantes adversus te ipsum armas? Quid eos, qui bibendo plurimum possunt, extimulas? Quid rabie percitos canes, quorum pestiferi morsus sunt, exasperas? Quid maledicas linguas exacuis? Quid tuam ipsius existimationem commaculas, cum illis te conferens, quibus nec ut mancipiis quisquam mente præditus uti velit? *lib 1. Ep. 351.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidẽ exiguæ causæ ingentia bella persæpe accendunt, dehortor te, ne contentionum igniculos iniicias. Nam cum pugnæ excitantur, omnia bona ex eorum qui inter se dissident, animis radicitus evellunt. *lib 3. Epist. 404.*

S. Isidorus Pelusiota: Amici illi, de quibus ad me scripsisti, nec consilio, nec cohortatione opus habent. Videntur enim contentioni huic, qua de præclarissimis rebus inter se certant, nunquam finem imposituri; verùm ad extremum usque (ut qui cœlestium præmiorum desiderio vehementer æstuent) de victoria solicitudinem habituri.

¶ Oratorum Philosophorum Græcorum.

Epictetus apud Stobæum: Ubi sobrietas abest, inanis & irritus est contentionis labor. Cicadæ canoræ sunt, cochleæ siccæ: ac hæ quidem humectatione, illæ apricatione gaudent: alteras ut testis emergant, nos provocat: alteras Solis ardor excitat, quo fervẽte cantillant. Quare si homo elegans & urbanus esse voles, cum animus in conviviis irroratus vino fuerit, tum noli committere, ut prominens inquinetur. Sed cum in conciliis oratione inflammatus fuerit: tum respondere jube, & justitiæ canere oracula.

Arrianus: Vir bonus & sapiens nec ipse cum quoquam pugnare, nec alium, quantum in ipso est, pugnare sinit. Hujus quoque rei nobis exemplum in Socrate propositum est, ut & aliarum: qui non ipse tantum ubique pugnam effugit, sed ne alios quidem pugnare passus est. Vide ut apud Xenophontem in convivio pugnas omnes composuerit? ut Thrasimachum, ut Polum, ut Callidem, ut uxorem toleraverit: ut filium, à quo arguebatur, argutantem. Illud enim memoriæ infixum habebat, neminem alterius menti dominari. Nihil igitur voluit, nisi quod suum esset. *lib. 4. cap. 5.*

Libanius: In more positum est, ut qui contentionem inter duos ortam conspiciunt, ad eum qui modestè ac temperatè se gerit, propendeant. *Oratione Patrocli ad Achillem supra reconciliatione cum Agamemnone.*

Libanius: Nefas est illi qui omnia gratia & honore dignus ob virtutem & benignitatem existit, ulla in re contradicere. *Declamatione 16.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cum contentioso sola non tutum ire per loca est.
Cum potentiore quævis ardua est contentio.
Cuncta divina atq; humana permiscet Contentio.
Limen auratum atra Erinnys, non casas humiles tenet.
Mentis æquæ cuncta malit ferre quàm contendere.
Non potest verum erui ipsum inulta ubi contentio est.
Pulcra conjugum est amorem ob mutuum contentio.
Pulcra lis est, anteire caritate compares.
Qua manente charitate fit, sacra est contentio.
Qui contentionum ignorat caussas, jurgia non habet.
Vt potentia elangueścit, cessat & contentio.

¶ Jambica.

Amor sui contentionis est parens.
Contentio famam auget non credentium.
Contentione ipsa decoris accendimur.
Contentionis etiam oportet sit modus.
Contentionum mater es Superbia.
Damnosa nimia urbi omnis est contentio.
Etiam est suus contentionibus modus.
In amore semper flammea est contentio.
Inter potentes plurima est contentio
Propter Meum ac Tuum omnis est contentio.
Rarò admodum est contentio inter dispares.

Videantur plura titulo, Certaminis, Litigii, Pugnæ.

Continentiæ.

¶ Sententiæ.

C *Lemens Alexandrinus:* Quemadmodum autem melius est sanum esse, quam ægrotantem disserere de sanitate: ita lucem esse, quam loqui de luce: & quæ est ex veritate continentia, ea quæ docetur à Philosophis. Non enim ubi est lux, illic tenebræ. Ubi autem sola insidet cupiditas, etiamsi quiescat ab ea quæ per corpus fit operatione, at memoria quidem certe cum eo quod non est præsens congreditur. In summa autem & generaliter nobis procedat oratio de matrimonio, nutrimento & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate, velimus autem ea sola quæ sunt necessaria. Non sumus enim filii cupiditatis, sed voluntatis: & eum qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam, ut ne suam quidem

quidem concupiscat uxorem, quam debet deligere, honesta & moderata voluntate operam dans liberis. Non enim carnis curam gerere ad concupiscentias didicimus: honeste autem tanquam in die Christo,& dominica lucida vitę institutione ac cõversatione ambulantes, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & & impudicitiis, non in litibus & contentionibus. Verum enimvero non oportet considerare continentiam in uno solum genere, nempe in rebus venereis, sed etiam in quibuscunque aliis quæ luxuriosa concupiscit anima, non contenta n cessariis, sed sollicita de delitiis. Continentia est pecuniam despicere, voluptatem, possessionem spectaculum magno & excelso animo contemnere, os continere ratione quæ sunt mala vincere. Jam vero angeli quoque quidam cum fuissent incontinentes, victi cupiditate,huc è cœlo descenderunt. *libro Stromatum tertio.*

Xenophon: Quod si etiam continentia res quædam bona & præclara est homini,di spiciamus,an aliquid Socrates proficeret,in hane sentẽtiam de ea differens. Si bello nobis indicto, viri, aliquem vellemus eligere, per quem nos maxime salutem consequi, atque hostes in potestatem nostram redigi cuperemus: num aliquem legeremus, qui & à gula, & à vino, & à rebus venereis, & à labore, & à somno vinci se pateretur? Et quinam statuere possemus, ejusmodi hominem vel saluti nostræ consulere, vel victoria de hostibus potiri posse? Itidem vitæ fine nobis imminente, committere vellemus alicui vel liberos mares erudiendos, vel filias virgines custodiendas, vel servandam pecuniam, num hominem intemperantem dignum esse putaremus, hujus hæc fidei crederemus? Et servo intemperanti num vel pecora, vel penum, vel ut operis præesset, committeremus? Num ministrum, & obsonatorem ejusmodi, vel gratis accipere vellemus? Enimvero si ne servum quidem intemperantem accepturi simus, qui non operæ pretium sit cavere, ne quis ipse talis fiat? Etenim non ita, quemadmodum auari homines, qui dum aliis pecunias auferunt, seipsos videntur collocupletare, sic & intemperans aliis quidem nocet, sibi vero ipsi prodest; sed ut alios detrimento adficit, ita seipsum multo magis lædit: si quidem longe pernicios issimum est, non modo domum suam destruere, sed etiam corpus & animum. Cæterum in consuetudine familiari quis ejusmodi homine delectetur, quem & de obsonio, & de vino maiorem sciat voluptatem capere, quam ex amicis: magisque scorta diligere, quam socios? Nonne quemvis hominem, qui norit, temperantiam virtutis esse fundamentum, hanc primum in animo suo parare decet? Quis enim absque hac vel recte boni aliquid discat, vel exercitatione consequatur? Quis voluptatibus serviens non turpiter tum corpore, tum animo adfectus sit? Equidem ita profecto statuo, homini libero optandum esse, ut hujusmodi servum non consequatur: atq; illi, qui voluptatibus ejusmodi servit, deos esse obsecrandos, ut dominos bonos nãciscatur. Nam hoc modo tantum vir talis salvus esse possit. Hæc quum ita diceret, longe se temperantiorem ipsa re, quam oratione, demonstrabat. Quippe non solum iis voluptatibus superior erat, quæ corpore percipiuntur: sed etiam ea, quæ ex opibus. Existimabat enim illum, qui abs quovis pecuniam acciperet, dominum sibi constituere, ac servitutem servire quavis alia turpiorem. *cap. 25. lib. 1. Memorabilium.*

¶ Exempla.

Continentiæ militaris:

Frontinus: Marcum Catonem vino eodem,quo remiges contentum esse traditur.

Fabricius, cùm Cyneas legatus Epirotarum grande pondus auri dono ei daret, non accepto eo, dixit, malle se habentibus id imperare, quàm habere.

Attilius Regulus, cùm summis rebus præfuisset,adeò pauper fuit, ut se, conjugem, liberosque tolleraret agello, qui colebatur per unum villicum,cuius audita morte: scripsit senatui de successore, destitutis rebus obitu servi necessariam esse præsentiam suam.

Cn. Scipio, post res prosperè gestas in Hispania, in summa paupertate decessit, nec ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publicè dotavit senatus.

Idem præstiterunt Athenienses filiis Aristidis, post amplissimarum rerum administrationem, in maxima paupertate defuncti.

Epaminundas dux Thebanorum tantæ abstinentiæ fuit, ut in supellectili eius, præter aherium & veru unicum nihil inveniretur.

Hannibal surgere de nocte solitus,ante noctem non requiescebat, crepusculo demum ad cœnam vacabat: neq; amplius, quàm duobus lectis discumbebatur apud eum.

Idem, cùm sub Hasdrubale Imperatore militaret, plerumq; super nudam humum sagulo tectus, somnos capiebat.

Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane vesci solitum.

Idem & de Alexandro Macedone dicitur.

Massinissam, nonagesimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernàculum stantem, vel ambulantem capere solitum cibos legimus.

C. Curius, cùm victis ab eo Sabinis, ex Senatusconsulto ampliaretur ei modus agri, quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit: malum civem dicens, cui non esset id, quod cæteris satis.

Universi quoq; exercitus notabilis sæpe fuit continentia,sicuti eius,qui sub M. Scauro meruit: namq; memoriæ tradidit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam.

Auspiciis Imperatoris Cæs. Domitiani Augusti, Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas,quæ ad Civilem descíverat,cùm adveniente exercitu Cæsaris populationem timeret, quod contra expectationem inviolata, nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta millia armatorum tradidit ei.

L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solum, sed etiam provinciam tabulis statuisq; exornavit, adeo nihil ex tantis manubiis in suum convertit, ut filiam ejus inopem senatus ex publico dotaverit. *lib. 4. Stratag. cap. 3.*

¶ Monosticha.

Concordia haud ulla extra continentiam est.
Consummatio virtutum continentia omnium est.
Imperat cælo soloque dia continentia.
Non pauper est: est dives continentia.
Rara in servo incontinentia est per indigentiam.
Sapientium divitiæ continentia.
Vir pascitur fidelis continentiâ.

Contrarii,

¶ Monosticha Trochaica.

Constat orbis universus rebus è contrariis.
Imbre pulvis, siccitate fit lutum, ipsa in Narnia.
Iura item naturæ bellum mutat in contrarium.
Sol calidus q; frigidus q; est, ex quo constant omnia.

¶ Jambica.

Constatq; rerum æternitas contrariis.
Contrariis constat rerum alma æternitas.
Contrariorum utriq; habitus sunt contrarij.
Haud transeundum est illico ad contraria.
Sal confici absque dulci aqua nullum potest.

Contributionis,

¶ Sententiæ.

Brutus Pergamenensibus: Audio vos Dolabellæ pecunias dedisse, quas si sponte libenterque dedistis, confitemini mihi factam injuriam esse. Sin inviti, declarate mihi libentibus animis dando. *Epist. 1.*

Pergamenenses Bruto: Pecunias Dolabellæ, florentes adhuc opibus, coacti sumus præbere. Tu verò petis à nobis ut volentes demus,cùm id quod maximè volumus ob egestatem & penuriam præstare non liceat. *Epist. 2.*

Brutus Pergamenensibus: Quod pecunias nobis eo tempore, in quod imperavimus non misistis, nihil hinc aliud reportatis, quàm quod inviti nolentesq; nobis eas restituere videamini. Sic duplex vobis ipsis damnum adfertis, tum quod eosdem sumptus & impensas sustinetis. Tanto enim cum majori detrimento dabitis, quantò invitius, tum quod ea gratia, quæ vobis ab accipientibus esset habita, vosmetipsos privastis. Non enim eos promptorum & obedientium subditorum libertate frui convenit, qui non nisi coacti nobis has concessissent. *Epist. 3.*

Pergamenenses Bruto: Si facilis nobis comparandæ pecuniæ ratio & expedita fuisset non commisissemus, ut tarditate moraq; nostra gratiam perderemus. Quid enim juverit eos, qui tametsi negant sedulò, compellendi cogendiq; sunt, si cum dilatione & procrastinatione, duplex incommodum sibi adjungãt: sic ut simul impensa præstare ea gratiaq; amittenda sit: sed festinationem, ab affluentia pendere sciro. protractionem autem, ex studio diligentiaq; pauperiem superare conanti. Non autem est æquum, eorum infœlicitatem, qui supra vires etiam præstiterunt, minoris esse, quam eorum celeritatem, qui nisi pecunia abundassent, nunquam ab iis maturata persolutio fuisset. *Epist. 4.*

Brutus Pergamenensibus: Pecunias vestras attulerunt legati, quod ad inopiam quam prætenditis, æquo copiosiores: quod verò ad usum cuius gratia poscimus, exiguas. Videte igitur ne plus possitis, quàm simularis, minusq; quàm in viribus vestris fuerit, volueritis. *Ep. 5.*

Pergamenenses Bruto: Misimus ad te pecunias, quamvis ad tuum usum pertenues: at certè nostra promissione majores. Deprecati sumus enim, ut pauciores quàm vellemus possidentes. Confecimus autem, ut plus quàm vires nostræ paterentur, operæ & laboris adhibentes. *Epist. 6.*

Brutus Bithynis: Nemini videatur intolerandum, quod magnam pecuniam impetramus, cum plurimis opus habeamus. Pro his enim nos rempsam reponimus. sin vobis exactionum multitudo molesta & gravis est, meminisse debetis, quot labores præter datas pecunias exhauriendi vobis sint. Manifestum enim est omnibus quovis apparante multò plus eum laborare, qui rebus apparatis utitur: præsertim

verò

verò cum unusquisq; vestrum sui duntaxat ipsius curam gerat, nobis verò prò omnibus curandum providendumq; sit. *Epist.* 59.

Bithynorum: Non quantum tibi nunc opus est, tantum nobis etiam præbere supperit. Facile verò judices quanto labore nobis constent, quæ tanto negotio tu vix impendis & erogas. Verùm pro aliis cum molestia contribuere, damnosum apparet. At aliorum apparatibus uti cum utilitate, faciliùs est. Si tibi pro multis curam molestiasq; perferendas affirmas, à pluribus etiam erat exigendum. Non enim fieri potest, ut nos qui de solis nobis solliciti sumus, pro omnibus ac universis tributa conferamus. *Epist.* 60.

Cætera haurire est è titulo Exactionis, Tributi, Vectigalis, Publicani, &c.

Contritionis.

¶ SENTENTIA.

D. *Io. Chrysostomi*: Si assiduè cogitemus ea quæ peccavimus, nihil ex rebus externis nos poterit extollere: non divitiæ, non potentia, non principatus & imperium, non honor. Sed & si in ipso Regis curru sederimus, acerbè ingemiscemus. Nam etiã beatus David erat Rex, & dicebat, Lavabo per singulas noctes lectum meũ. Nec ex purpura & ex diademate fuit læsus, nec superbia elatus. Sciebat enim se esse hominem: & quoniam erat contritus corde, lamentabatur. Quid enim sunt res humanæ? Cinis & pulvis, & tanquã pulvis ante faciem venti, fumus & umbra, & folium quod circumfertur, & flos, & somnium & narratio, & fabula, ventus, & aer mollis temere diffluens, penna non consistens, fluentum prætercurrens, & quę sunt quàm hæc magis nihili. Quid enim, dic quæso, magnum existimas? Quamnam putas magnam esse dignitatem? Consulis? Nam hac dignitate nullam existimat vulgus esse majorem. Eo ergo qui in tanto fuit splendore, qui fuit in magna habitus admiratione, is qui non est Consul nihil habet minus. Et hic & ille est in eadem dignitate. Similiter utrique sunt paulo post. Quando fuit? Quanto tempore dic mihi? Duorum dierum? Hoc etiam fit in somnis. Sed est, inquit, somnium. Et quid tum? Quod enim fit interdiu non somnium? Dic mihi, Cur non hæc magis dicimus somnium? Quomodo enim somnia, quum dies accesserit, nihil esse convincuntur: tantundem enim temporis & nox & dies accipiunt, & totũ tempus ex æquo dividunt. Quomodo ergo iis quæ noctu facta sunt non lætatur quisquã interdiu: ita nec fieri potest ut noctu fruatur iis quæ interdiu facta sunt. Fuisti consul: & ego noctu. Sed ego noctu, & tu interdiu. Quid tum? Ne sic quidem plus habes, quàm ego. Nisi fortè hunc vel illum dici Consulem, & quæ ex verbis existit habere voluptatem, plus habere efficit: ut exempli causa, id enim dicã apertius. Si dixero, hic vel ille est Consul, & donavero hoc nomen, non simul dictũ est & abiit? Ita res quoq;. Simul apparuit Consul, & non est amplius. Ponamus aũt annum, & duos annos, & tres, & quatuor. Ubi sunt decem qui fuerunt Consules? Nusquam. *Homil.* 10. *Epistola ad Hebræos.*

Videantur plura titulo, Peccati, Delicti, Pœnitentiæ, Confessionis, Conversionis.

Contumaciæ.

¶ TROCHAICA.

Contumaciam potentia auget ac licentia.
Contumax equus domatur, non item confoditur.
Contumax si corrigatur usui est vel maximè.
Est domanda haud extirpanda stulta contumacia.
In malum indurata frangas promptius quàm corrigas.
Nec sibi utilis nec alteri hirta contumacia est.
Rebus elato secundis contumacius nihil.
Solitudini sodalis usque contumacia est.
Tranquillissimis patientiam extorquet contumacia.

Contumeliæ,

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆC.

D. *Nazianzenus:* Magnus vobis est Antisthenes, quod à petulanti quodam atque audaci homine toto ore contusus atque comminutus, in fronte duntaxat, quasi in statua, percussoris nomen inscripsit: fortasse ut acerbius accusaret. *Orat.* 3.

D. *Chrysostomus:* Contumelia à domesticis accepta, ea sanè miserabilior est illa quam externi inferunt. *Homil.* 4. *ad Romanos.*

D. *Chrysostomus:* Quando contumelia quem affeceris, tum affectus ipse es contumelia. Et hoc ex parte multi sciunt, ut quando dicunt inter se, Hinc discedamus ne te ipsum afficias contumelia. Quamobrem? quoniam multum est inter te & illum. nam quantiscumq; affeceris contumeliis, ille gloriam existimat. Hoc in omnibus cogitemus, & contumeliis evadimus superiores. *Homilia* 25. *Epist. ad Hebræos.*

S. *Isidorus Peluseota:* Quamvis inopinata prosperitas insolentem, ut scribis, Zosimum reddiderit, (solent enim homines, quibus præter omnem expectationem prosperitas quædam accidit, in insolentiam ac petulantiam labi:) at tu tamen patientem ac philosophicum animum præsta. Sic enim & ipsum ulcisci poteris (nihil quippe contumeliosos homines tam excruciat, quàm eorum, quibus contumelia infertur, patientia) & optimum apud omnes calculum feres, & ea, quæ de te commemorantur, falsa esse demonstrabis. Nam qui indignatur & excandescit, hoc ipso veras esse contumelias ostendit. Qui autem eas irridet, ac pro nihilo ducit, perspicuum argumentum præbet, se nullius sceleris sibi conscium esse. *Lib.* 2. *Epist.* 296.

Idem: Accipe à quibusdam viris, quibus hostili odio mendacium est, veritas autem in lingua habitat, te, cum tibi à Zosimo contumeliæ inferuntur, tum quidem patientiam adhibere, pòst autem ipsum traducere, atq; eo nomine criminari quòd cũ ipse servus sit, atq; à servis genus duxerit, eos tamen, qui pietate ac nobilitate insignes & ornati sunt, convitiis afficiat. Deinde etiam ea commemorare, quæ de hujusmodi hominibus à priscis viris dicta sunt, nimirum intolerabilem esse servum prosperis rerum successibus utentem: & immeritam felicitatem væcordibus ac stolidis malè sentiendi occasionem præbere. Ac vehementer miror, quî fiat, ut cum furoris rogus in altum attollitur, irani imperio teneas: cùm autem sopiri videtur, ipse supereris. Nam quòd initiò irascatur, qui patientiam præstare non admodum studuit, haud mirum atque absurdum est. At post sopitum, aut etiam extinctum incendium, fornacem sibi ipsi accendere, præposterum sanè atque inconcinnum fuerit. Quòd si eorum, quæ ille dixerit, recordatio ignem excitat, hæc patientia ea quam præstitisti, magis te oblectet, atque in tranquillitate conservet. Non enim quid illum audire, sed quid te loqui deceat cum animo tuo reputare debes. Quocirca noli committere, ut, dum cum eo rixaris, ubi ipse contumeliæ notam inuras, ac dum ipsius vitam traducis, lingua tua contaminetur: verùm ad extremum usq; philosophare. Hoc enim tibi infinitam gloriam pariet. *Lib.* 2. *Epist.* 297.

S. *Isidorus Peluseota:* Primùm quidem non omnes contumeliæ propter Christum inferuntur, sed aliquando etiam propter nosmetipsos vel iniquè agentes vel quid aliud facientes. Interdum verò propter Christum quidem inferuntur probra, sed tamen vera sunt, non conficta. Duo igitur (conjunctim) requirit supremus beatitatis & gloriæ terminus, nempe ut & falsæ sint contumeliæ, & propter ipsum fiant. Sin verò alterutrum horum desit, alterum non abolebitur sanè, neq; otiosum erit: (absurdum enim hoc sit) verumtamen ad supremam beatitudinem non pertinget. Nam si quidem propter Christum cõvicia patimur, sed vera tamen sunt probra, merces resecatur: Sin autem non Christi quidem caussa, sed tamen falsa sunt quæ nobis objiciuntur, rursum non erit suprema merces. Alterutrum enim (si sit solum) habebit mercedem, non tamen tantam, quanta foret, si utrumq; conjungeretur. Dum autem ait: Mea causa de se non humilia proponit sentienda, neque omninò mediocria, & creaturæ habentia dignitatem. Res enim despectui habenda est, talibus omnibus non ipsum Deum proponere tanquam scopum, sed propter ipsos talia facere, quasi qui per maxima certamina extremaque pericula studio digni sint. *Lib.* 4. *Epist.* 93.

Item: Licet, ô admirande vir, aliis contumeliam inferentibus non tamen affici injuriâ, & lædentibus injustè, non lædi. Quòd si ænigma hoc tibi videtur, illicò id ibi solvere conabor. Nam qui philosophatur, (hoc est in rerum divinarum meditatione versatur,) & ab inimicis illatas contumelias atque injurias moderatè ac mansuetè ferr, is neque illis contumeliam facientibus, patitur, neque injuriam inferentibus ullam accipit. Sed si verum dicendum est, illi sunt qui injuriam & contumeliam patiuntur, qui & ab hominibus condemnantur, & sermonibus differuntur. At qui & contumeliâ & injuriâ altior est, is & hîc ab omnibus mortalibus coronabitur encomiis, quòd non modò hostem, sed & animos iramque suam superaverit: & in alterâ vitâ à Deo maxima obtinebit præmia.

Quòd si dixeris, Injuriarum tolerantiam multo constare sudore & labore, nec ipse inficias iverim: sed illud dixerim: Maximos labores parere coronas. Si verò etiam exemplo quodam facili ad comparandum lenire vis animi tumorem atque æstum, illud cogita, quod cum scelerata ac nefaria illa manus, sacrum illum Christi vultum alapâ percussisset, ipse verba protulit præstantiora sublimioraque quàm quisquam meditando assequi possit: Si quidem malè sum loquutus, testificare de malo. Sin autem benè, quare me percutis? Atque hoc carmine superdicto ne cesses animæ medicinam facere. *Lib.* 4. *Epist.* 196.

¶ LATINORUM.

Ennodius: Auctorem reperunt tela, quæ indocilis adversus alterum manus emiserit. Quis putet contumeliam, quæ solam conscientiam destinantis affligit? *Lib.* 2. *Epist.* 12. *m.*

¶ Oratorum Philoſophorumque Græcorum.

Lyſias: Exiſtimo vos accurate dignoſcere oportere, cui hominum generi concedatur eſſe contumelioſo, cui nequaquam. Neque enim pauperibus & inopia preſſis convenit contumelioſe agere, ſed iis, qui ampliores, quàm uſus requirit, facultates poſſident: non corpore debilibus, ſed qui virium ſuarum robori maxime confidunt: Non ætate jam provectis, ſed juvenibus & juvenili animo obſecundantibus. Divites ſiquidem pecuniis mulctarum pericula redimunt, pauperes autem præ inopia, qua premuntur, ſibi moderari coguntur. Sicut & juniores quidem venia digni habentur à ſenioribus, at alii ſi delinquant, ab utriſque culpantur. Eadem ratione qui viribus valent, facile adducuntur, ut proterve petulanterq; ſe gerant nulla ipſi injuria affecti, adverſus quoſcumq; velint: Debiliores autem neque ſi injuriam accipiant, ulciſci, neque ſi injuriam facere velint, evadere eorum manus poſſunt, quos læſerunt. *cap. 6. Orat. 23. ad delationem &c.*

Simplicius: Si res externas deſpexerimus, eaq; de cauſa viles & inopes permanſerimus, multas potentiorum injurias perferemus, cum & nullis muniti præſidiis ſimus, & eis adulari recuſemus. Nam & conviciantur & verberant, & variis nos contumeliis afficiunt, & quæ habemus eripiunt, & relegant, interdum deniq; nos occidunt. Ipſe vero adhæc reſpondet: nihil eſſe in iſtis grave, quod alioqui omnibus gravia viderentur: ſed opinionem quæ ea gravia faciat, eſſe gravem. Quare non iſtos, cum talia faciant, contumelia nos afficere: ſed quæ in nobis ſit opinionem, qua nos affici contumelia putemus, eam eſſe quæ contumelia nos afficiat. Opinionem autem & exiſtimationem de ea, noſtrum opus eſſe. Nos igitur à nobis ipſis affici contumelia. Neque vero gravem rem eſſe, aut indignatione dignam contumeliam, inde conſtat. Aut enim verum eſt crimen, aut falſum. Si verum: cur moleſte ferimus veritatem? cur facere non piget, audire piget? Sin falſum: ille qui mentitur: læditur. Quid igitur agendum? Ne tibi aſſenſionem extorqueat viſum contumeliæ, ut vocifereris, & lamenteris, te in malo eſſe exiſtimans: ſed ſpatium ipſe tibi præbeat rei conſiderandæ, cujuſnam modi ſit. Nam ſi temporis aliquid & moræ impetraris, repentinum objectum te nō commovebit, ſed ſimul interim tranquillus eris: ſimul ſpatium habebis principia doctrinæ promendi, & diſtinguendi, utrum ille caſus in noſtra poteſtate ſit, an non? Quod ſi in noſtra poteſtate non eſſe eum inveneris: adjunges, neque bonum neque malum noſtrum eſſe: & pences te eſſe eo pro bono uti, & fructum inde capere, magno animo eum deſpiciendo. Ne autem aſſentiare, plurimum tibi conferet tacendi conſuetudo: ſi quid tale acciderit, donec æſtum animi deferbuiſſe intellexeris. & canem tuum internum latrare deſiiſſe. Fertur enim & Socrates, ſi quando commotus eſſet vehementius, prorſus tacuiſſe. *ad cap. 28. Epict.*

¶ Romanorum.

Nazarius: O quam acres habes dolorum aculeos contumelia quam imponit inferior! *Oratione in Conſtantinum Aug. capitis 12. principio.*

¶ Poetarum.

Plautus Aſinariæ 2. ſc. 4. v. 82.

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur:
Tam ego ſum homo quam tu.

Plautus Curcul. 4. ſc. 1. v. 16.

—— Reperiuntur malevoli ſupra Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipſi ſat habent, quod ipſis poſſit verè dicier.

Plautus Pſeudolo 4. ſc. 6. v. 77.

Contumeliam ſi dices, audies.

Terentius Eunuchi 3. ſc. 2.

—— non te dignum, Charea,
Feciſti. nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.

¶ Apophthegm. Christianorum.

Fredericus III. Imp. Sicuti nec ob calorem Ægyptum, neq; Scythiam ob frigora, fulmen ſentire ferunt: ita è converſo, nec ſumma potentia, neque extrema fortunæ humilitas, à Contumelia hominem tutum reddit. quod eleganti dicto, felix aliàs in ejuſmodi, illuſtravit Imperator Fredericus. Ille etenim Romam profecturus, cùm vidiſſet Coſmæ Medices opes maximas, dixiſſe fertur: *O quæ convitia contumeliaſq; perpeſſus, antequam hoc modo locupletatus eſt.* Innuens, eos qui ex humili emergunt, multorum odiis exponi: dum ea inſita ſit mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis intueri. *Æn. Syl. de Dict. Alph.*

Aquitanus Anonymus: Percontanti Carolo VII. Franc. Regi, qua tandem ratione fidem ſibi tot præclaris rebus perſpectam falleret: *Non tuo,* aiebat, *Here regno, non orbis imperio adduci poſſem, non omnium theſauris: contumelia tamen, & ſtomachoſa injuria poſſim.* Quod verè eſt contra illud vulgatum: Cadentem in virum bonum, non hærere contumeliam. *Æmil. in Vit. Lud. 12. Gall. reg.*

¶ Monosticha Trochaica.

Acrius inferiorū urunt animum contumeliæ.
Alteri facias, tibi non dicatur contumelia?
Auctoris vitium haud patientis, ipſa contumelia.
Calamitoſi ad contumeliam omnia accipiunt magis.
Ceu parentis, eſt ferenda Regis contumelia.
Contumelia atque luxus regna cuncta conterunt.
Contumeliâ à vetuſtâ ludibrium ſpheres novum.
Contumeliâ bonum facile ingenium ſuccenditur.
Contumeliæ acerbiores Regibus quam injuriæ.
Contumeliæ ara Athenis eſt Impudentia.
Contumelia in colonos noſtros facta, ad nos redit.
Contumelia notatur, alteri illam qui ingerit.
Contumeliam qui amore penſat, hoſtem non habet.
Contumeliam qui fert non eſt miſer, ſed qui facit.
Contumeliam reponet illico qui æque tulit.
Contumeliam ſi dices, contumeliam audies.
Contumelioſa regno cuncta ſunt, quæ libera.
Cuncta animus ferat generoſus præter contumeliam.
Difficillime pudentes contumeliam ferunt.
Fortis eſt etiam in præſentem contumelias loqui.
Haud ferat ludibrium animus contumeliæ inſolens.
Maximum eſt quasvis pati æqua mente contumelias.
Non gravat quæ teſte nullo infertur contumelia.
Non poteſt generoſus animus contumeliam pati.
Non qui patitur contumeliam eſt miſer ſed qui facit.
Patior facilè injuriam, ſi vacua contumelia eſt.
Perferat ment quæq; honeſta præter contumeliam.
Quæ miniſtro infertur, violat dominum contumelia.
Quæ populo inſpectante infertur, ſumma contumelia eſt.
Quam domeſticus quis infert ſumma contumelia eſt.
Tu alteri facias, tibi non dicatur contumelia?

¶ Jambica.

Contraria eſt honori contumeliâ.
Domeſticorum ſpurca contumelia eſt.
Et militi pro pœna contumelia eſt.
Gravior amici contumelia quam exteri.
Irritet etiam oſiculam contumelia.
Non abſque contemptu ulla contumelia eſt.
Nullam improbus probo infert contumeliam.
Quos vis amores ſolvas contumeliâ.
Seſe afficit, qui afficitur, contumeliâ.
Vindicta lege nulli contumeliæ eſt.

Videantur plura titulo, Vis, Injuriæ, Convitii, Malevolentiæ, Maledicentiæ.

Converſationis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Nazianzenus:* Illud oſtendit Hero, nec pietatem in exiguis rebus, nec ſapientiam in vultus triſtitia, verùm in animi firmitate ac mentis puritate, ſynceraque ad bonum propenſione conſiſtere: nihil referre, quo habitu ſimus, & cum quibus conſuetudinem habeamus, modò nos ita comparemus, ut ſive ſoli ſimus, mentem à ſenſibus contrahamus ſive cum aliis verſemur, in communi hominum cœtu tanquam in ſecreto vivamus, atq; inter eos, qui minimè philoſophantur, philoſophiæ ſtudia colamus: & quemadmodum arca illa Noë, quæ in diluvio vim diluvii evaſit, atque ingens illud Moſis ſpectaculum, hoc eſt ille montis rubus, quem ignis urens non perurebat, eodem modo nos quoque, nec ex vulgi contagione detrimentum ullum contrahamus (quemadmodum nec adamas ab iis, à quibus percutitur) & pro virili noſtra curemus, ut alii per nos meliores efficiantur. *Orat. 23.*

Chryſoſtomus: Adverſus noſtra membra non tanta nobis opus eſt cautione, quanta adverſus extraneos. non ſunt enim paria, eſſe inter inimicos & hoſtes, & inter amicos. *Initio Homiliæ 11. ad Coloſſ.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Nequaquam improbos nos facere deberet improbitas aliena: quia quemlibet hominum magis ſibi præſtare convenit, ut ſit bonus, quàm alteri ut ſit malus: & plus id laborandum eſt, ut placeamus Deo per honeſtatem, quàm ut hominibus per impuritatem: ac perinde etiamſi inter impudicos quis barbaros vivat, magis tamen pudicitiam ſequi debet quæ ſibi expedit, quam impudicitiam quæ impuris hoſpitibus placet. *libro ſeptimo de gubernatione Dei.*

Egeſippus: Giſcalá adhuc ſola de partibus Galilææ in ſe hoſtem non converterat, quoniam incolarum ejus quietiora ingenia, utpote plebs agreſtis, contenta ſuis fructibus, nihil belli conferebant, ſed multorum coalitu, qui latrocinio vitam exercerent ſuam, etiam mitiorum ſtudia pravis moribus corrumpebantur. *cap. 4. lib. 4. excidij Hieroſolym.*

Chryſologus: Stercora contingunt, ſed non inquinant ſolem. medicum cum tangit vulnera, putredo non polluit. Judicem quamvis tangat reus, non poteſt maculare cùm ſupplicat, &c. *Serm. 94. p.*

Ennodius:

Ennodius: Conversatio, non anni, aut ado escentiam aperit, aut senectam. *Vitæ Epiphanij cap.* 14. *in.*

¶ Philosophorum Oratorumque.

Crates: Non rus bonos reddit, neq; urbs malos, sed bonorum & malorum commercia. Quare si vis tibi bonos & non malos evadere liberos, mitte non in agrum, sed ad philosophi domum, quò & ipsi commeantes, honestatem didicimus. Constat enim exercitatione virtus, neque ultrò se in animos hominum ingerit, quemadmodum malitia. *Epist.* 12. *ad Origenem.*

Sapientibus qui versantur in Museo.

Apollonius: Veni Argum, in Phocidem, Locridem, Sicyonem & Megaros, atq; cum priori tempore differere solitus essem, ibi destiti finemq; feci. Quod igitur si quis caussam rogaverit, ego Musis aut vobis responsum dedero? Barbarus factus sum, non equidem diuturnus, absens à Græcia: sed diuturnus in Græcia præsens. *Epist.* 34.

Aristides Rhetor: Quod si non omnes ordine docuit, nec omnes sibi similes reddidit, sed ipsius voluntatem ac facultatem quidam evaserunt: quid hoc miremur, aut reprehendamus? Nam nec Socrates tunctos, qui cum ipso versabantur, instituit: verum & Critiam Calæschri & Alcibiadem Cliniæ F. accusant, quod cum pessima quæq; civitati suaserint, tum reliquam vitam nullius minus quam ex Socratis doctrina transegerint. Num ergo Socrates injustus, aut propter illorum improbitatem fuit improbus? Equidem non puto. verum illi erant injusti, cum se Socrati dissimiles exhibebant, nec eius monitis parebant. Etenim si obtemperando peccarunt, Socrates: si non obtemperando, ipsi in culpa fuerunt. Jam tu, cum ipsos negas Pericli paruisse, eo vis Periclem reprehendere. *Orat.* 2. *Platonica.*

Iulianus Cæsar: Virorum bonorum copiam ac consuetudinem si cum auri quolibet pondere comparetur, lancem ipsam depressuram existimo: neque prudentem judicem in ponderando momento, vel minimum dubitare esse passuram. *Orat* 2. *ad Eusebiam Imperatric.*

Philostratus: Respiciens barbarus in eum qui proximus astabat, Apollonium, hunc, inquit opportuno Deorum munere huc ad nos ductum apparet: Bonus enim cum bono conversatus, meliorem modestioremque, & propterea nobis jucundiorem regem efficiet. videtur enim non parum ab aliis hominibus differre. *lib.* 1. *cap.* 19.

Plinius Iunior: Interim amaSentium Augurinum, & temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. vivit enim cum Spurinna, vivit cum Antonino, quorum alteri affinis, utrique contubernalis est. Possis ex hoc facere conjecturam quàm sit emendatus adolescens, qui à gravissimis senibus sic amatur est enim verissimum — γνώσκων ὅτι τοιοῦτος ἔσιν ἕκαστος οἵοπερ ἥδεται ξυνών. *lib.* 4. *Epist.* 27.

¶ Apologi.

Æsopi Fabula Ciconiæ: Agricolæ damnum tulerunt grues, absumtis quæ severat ille seminibus, in earum numero ciconia quoq; erat, in eodem quidem consortio, sed quæ damnum non attulerat. Obviam tamen damno iturus rusticus, positis laqueis, unà cum gruibus ciconiam cepit, ac pœnam ab ea sumsit, eorum ergo quorum non erat conscia.

Babrias Περὶ Παιδὸς καὶ Σκορπίου. Fab. 12.

Ὡς ἀκρίδας θηρεύε, παὶς τις Σκορπίῳ
Πρῆϊς χεῖρας, ὃς ὃ μὴ ψαύσης, ἔφη.
Ὡς εἶχε μὲ ψαύσειας, οὐ κἂν πάλαι θεόν,
Καὶ τὰς ἀληθεῖς σκιερώσεις ἀκρίδας.

Επιμυθιον.

Οτι δεῖ κακοῖς αὐθαιρέτοις μὴ συμμίγνυσθαι.

De Puero & Scorpio.

Quum locustas cepisset puer quidam, Scorpioni porrigebat manus. Is autem, Ne attigeris, ait: nam si me tetigeris, suspirando ex sinu veras quoq; locustas abijcies.

Affabulatio.

Cum malis hominibus conversari non oportere.

¶ Emblematis.

Camerarius 32. Centur. 4.

Gustare nefas. Melanurus piscis.

In vita quisquis niger est, hunc discere cavere,
Nausea Pythagoræ ceu Melanurus erat.

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Petrus Apostolus: Qui cum sapientibus graditur, inquit Prov. cap. 13. Salomon, sapiens erit. Unde Petrus, cùm multi discipulorum Jesu retrò abirent, & non jam cum eo ambularent, rogatus à Domino, Numquid & vos vultis abire? aliorum nomine respondebat: *Domine quò ibimus? verba vitæ æternæ habes & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* declarans suo dicto extra Christi consortium nusquam fidelibus tutum esse refugium. *Ioan cap* 6.

Arsenius Abbas: Hic etiam omnium omnino conversationem commerciumque fugiebat. Rogatus autem, cur ita solus viveret, cùm multis ipse prodesse posset, tum sermone, tum vitæ exemplo: *Non possum,* inquiebat, *dividere me Deo & hominibus, ut utrisque complaceam. Sur. in vita eius, tom.* 1.

S. Hubertus: Aliter ille, cùm aliquantlo martyrii desiderio flagraret, ac meminisset necis B. Lamberti, sui quondam collegæ, inter pias lachrymarum exuberationes conquerebatur, *O infelicem me, cui tanta peccatorum congeries, ut viri tanti martyrium subeuntis consortio indignus sim* Ita animirum se imperfectionis arguebat, ut quò esset perfectior, eò magis sibimet videretur exiguus. *Surius tom.* 6. *in vita.*

S Laurentius Martyr: Meritò inter alios celebrandus Laurentius, qui Sixtum Episcopum ad martyrii palmam properantem conspicatus, hac voce in publico aggreditur. *Quò progrederis sine filio pater, quò Sacerdos sine Diacono properas? vide an idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem? & mihi jam tui sanguinis consortium negas?* Ardebat videlicet illi in morte conjungi, cui dum viveret, sæpius per ministerium & animi unionem fuerat conjunctus. *In vita eius d. apud Sur & Sulpit.*

Innocent VI. Pont Ille, ut cæteris adjiciatur, domi habere noluit nisi viros probatos, idemq; facerent Cardinales, monuit. dicebat autem: *Nostra & omnium Ecclesiasticorum vita, cæteris exemplo esse debet ad imitationem Salvatoris nostri, cuius tota vita ad humani generis imitationem respiciebat* Platina in vita.

¶ Monosticha Trochaica.

Æstimamur de sodale ignoti nostris moribus.
Claudicare discuni, vel claudo adsueveris.
Comitatus aperit frontem hominis, mentem tegit.
Conversatio bonorum de malo facit bonum.
Fermentumq; item farina vim suam communicat.
Nil nisi sordidum, è servili contubernio trahas.
Pestilentius malorum contubernio nihil.
Si quis fuscus vestiatur veste albâ, fit nigrior.
Talis est rex, qualis hic & ille cui se se applicat.
Tempus ac conjectus omnem mollitat vel belluam.
Vive cum minore, tecum ut velles vivere maximum.

¶ Jambica.

Ad lippientis intuitum, quoque lippas.
Consortio redderis improbi improbus.
Cor facile adhæret qua frequentat omnibus.
Dijudicamur quisque à conversantibus.
Hominis feræ mansuescunt contubernio.
Inimica multorum homini conversatio est.
Mores bonos congressus corrumpunt mali.
Mores bonos convictus inquinat malus.
Mores ferè sumas à conversantibus.
Mores trahuntur cuiq; à conversantibus.
Nemo libenter conversatur tristibus.
Subclaudicant, cum claudo queis consortium.
Sumuntur & mores à conversantibus.
Vis nosse regem? familiares noscito.

Videantur alia titulo Societatis, Consuetudinis, Familiaritatis.

Conversionis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Nazianzenus: Equidem eos admodum ignavi atque abjecti animi esse existimo, qui rerum minus laudabilium commemoratione Martyri contumeliam inferri arbitrantur. Hac enim ratione nec magnus ipse Paulus laudem mereatur, & Matthæus in sceleratissimorum hominum numero habendus fuerit, ac noster etiam Cyprianus: quippe cùm & ille pristinarum suarum persecutionem, & commutationis zeli mentionem faciat, ut videlicet ex utriusque collatione Dei beneficentiam magis concelebret: & alter in discipulorum enumeratione Publicani cognomentum sibi ipsi, perinde atque aliud quoddam nobilitatis insigne & ornamentum adjungat: ac denique hic superioris vitæ turpitudinem longa oratione proscindat, ut ipsam quoque scelerum confessionem Deo muneris loco offerat, ac multis eorum, qui ab improba & flagitiosa vivendi ratione animum revocant, ad melius sperandum via existat. *Oratione.* 18

Idem de eodem Cypriano: Non minus ob vitæ mutationem quam ob virtutem admirandus. neq; enim tam amplum ac præclarum est, boni formam ac simulacrum conservasse, quàm mutata vitæ ratione, animum ad pietatis studium contulisse. Illud enim consuetudinis est: hoc probi & prudentis consilii. illud frequens ac vulgare, hoc rari omnino exempli. *Orat.* 18.

D. Chrysostomus: Nullius rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quamobrem etiamsi divitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficis quale is qui convertit animam. Qui enim pretiosum educit ex vili is, inquit, erit tanquam os meum. Nam magnum quidem est bonum misereri egenorum: sed nihil est tale, quale liberare ab errore. Qui enim hoc facit, fit sicut Petrus & Paulus. licet enim illorum suscipere prædicationem, non ut periculum adeamus sicut illi, famemq; & pestem sustineamus; præsens enim tempus est pacis: sed ut ostendamus

ſtudium, quod exiſtit ex alacritate animi. licet enim domi ſedentibus eam exercere piſcationem. Si quis habeat amicum, & cognatum & familiarem: hæc faciat, hæc dicat: & erit ſicut Petrus & Paulus. & quid dico Petrus & Paulus? erit os Chriſti. Qui enim pretioſum eduxit à vili, erit, inquit, tanquam os meum: & ſi non perſuaſeris hodie, cras perſuadebis: & ſi nunquam perſuaſeris, ne integram & perfectam habebis mercedem: & ſi non perſuaſeris omnibus, paucis ex multis perſuadere poteris. Nam Apoſtoli quoq; non omnibus perſuaſerunt hominibus qui erant: locuti ſunt tamen cum omnibus, & quæ propter omnes debetur, habent mercedem. Non enim ex exitu eorum quæ rectè fiunt, ſed ex mente eorum qui rectè faciunt, ſolet Deus coronas definire: & ſi duos immiſeris obolos, accipit. & quod fecit in vidua, hoc etiam faciet in docentibus. Ne ergo, quoniam orbem terrarum non potes ſervare, etiam paucos deſpice: neq; propter magnorum deſiderium, te à parvis ſubtrahas. Et ſi non poſſis centum, decem curam geras: & ſi non poſſis decem, ne quinque quidem deſpicias: & ſi quinq; non poſſis, unum noli deſpicari: & ſi ne unam quidem poſſis, noli deſpondere animum, neq; quæ potes præſtare prohibere. Non vides, quòd etiam in contractibus non ſolùm ex auro, ſed etiam ex argento exercent mercaturam qui in iis verſantur. Nam ſi ne parva quidem deſpiciamus, magna etiam apprehendemus. Sin autem parva deſpexerimus, ne illa quidem facilè accipiemus. Sic fit unuſquiſque dives, & parva & magna colligens. *Homilia 3. ad Corinthios 1.*

D. Chryſoſtomus: Laborantibus & deliquium animi patientibus etiam ſalubres cibi ſunt inſuaves, amiciq; & neceſſarii moleſti & graves: ſæpè autem ne cognoſcuntur quidem, & videntur afferre moleſtiam. Ita etiam ſolet evenire iis, qui perdunt animas. ignorant enim quæ ferunt ad ſalutem: & eos qui ipſorum curam gerunt, putant ſibi eſſe moleſtos. Hoc autem fit non propter rei naturam, ſed propter illorum morbum: & quòd faciunt qui ſunt emotæ mentis, infenſi iis qui eos curant, contumelii ſq; & maledictis eos appetentes. Hoc enim faciunt infideles. Sed quomodo in illis, qui afficiuntur contumeliis, tunc maximè eorum miſerentur & lacrymantur, ut qui incenſæ ægritudinis hoc extremum ducant indicium, quando ignorant amiciſſimos: ita nos etiam faciamus in Græcis, nempè ethnicis, & magis quàm mulieres propter eos ejulemus, quòd communem ignorant ſalutem. Non enim oportet maritum adeò amare uxorem, ut nos, omnes homines, & attrahere ad ſalutem, ſeu ſit Græcus, ſeu quivis alius. Eos ergo deſleamus, quòd verbum crucis eis ſit ſtultitia, cùm ipſum ſit ſapientia & virtus. Nam verbum crucis pereuntibus, inquit, eſt ſtultitia. Nam quoniam erat veriſimile, cùm crux ſubſannaretur à Græcis, illos ei quæ apud ipſos erat ſapientiæ reſiſtere, & cum ea depugnare turbatos iis quæ dicuntur à Græcis: eos conſolans dicit Paulus: Ne exiſtimetis eſſe alienum & mirandum, rem hanc habere naturam, ut ab iis qui pereunt non cognoſcatur ejus virtus. Sunt enim emotæ mentis, & deſipiunt: & ideò maledictis inſectantur & ægrè ferunt medicamenta ſalutaria. *Homil. 4. ad Corinth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Nemo laboret impiorum morbo. impius enim cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Quamobrem non multitudo peccatorum effecit deſperationem, ſed mens impii. Et ſi ergo omne vitium pervaſeris, dic apud te: Deus eſt benignus & clemens, & noſtram deſiderat ſalutem. Nam ſi ſint peccata veſtra ut coccinum, tanquam nivem, inquit, dealbabo, & traducam in cõtrarium habitum. Ne ergo animum deſpondeamus. Non eſt enim adeò grave cecidiſſe, ut jacere cùm cecideris: neq; tam malum eſt eſſe vulneratum, quàm vulneratum nolle curari. Quis enim gloriabitur, ſe cor habere caſtum, aut audebit dicere, ſe eſſe mundum à peccatis: Hæc dico, non ut vos faciam ſocordiores, ſed ut prohibeam ne incidatis in deſperationem. *Homil. 8. ad Corint'.* 1.

D. Chryſoſtomus: Medicus valens exſcindere putredinem, non eò ſpectat, ut mundas conſervet manus, ſed ut illum liberet à putredine, & is qui humilem vult excelſum reddere, ipſe prius ſit humilis. Et qui ſtudium ponit, ut occidat inſidiatorem, ſe quoq; cum illo cruentat. & hoc eum facit clariorem. Nam ſi à bello reverſum militem viderit quiſpiã, ſanie & ſanguine & cerebro reſperſum & pollutum: nõ ideò odio habebit, neq; averſabitur, ſed magis etiã admirabitur. Ita nos quoq; faciamus: cùm viderimus quempiam, poſtquam mactarit cupiditatem, cruẽtum revertentem; eum magis admiremur, ſimuſq; ſocii ac participes ejus pugnæ & victoriæ. *Hom 37. ad Corinth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Homines ſenſu minus præditos quã lapides, repente deduxiſſe ad dignitatẽ angelorum, ſolũmodo per nuda verba, & fidem ſolã, abſq; omni operatione, re vera eſt gloria & divitiæ myſterii Ut ſi quis canem fame & ſcabie perditum, turpem & deformem & qui ne moveri quidẽ poſſet, ſed jaceret, repente & hominẽ fecerit, & in ſede regia oſtenderit. Lapides adorabant & terram, & didicerunt quod e cœlo & Sole ſint meliores, & univerſus mundus eis ſerviat. Erant captivi, & in vinculis diaboli: repente fuerunt ſupra caput eius, eiq; imperabant, & eum flagellabant. Quum dæmonũ eſſent captivi & ſervi, facti ſunt corpus domini Angelorũ & Archangelorum. Qui ne quid eſſet quidem Deus ſciebant, mox in eodem cum Deo throno cõſederunt. Vis videre innumerabiles aſcenſiones ſupra quas exilierunt? Oportebat primum diſcere quod lapides non ſunt dii. Secundo à, quòd non ſolũ non ſunt dii, ſed etiam minores hominibus. Tertio autẽ, quod & brutis. Quarto quod & plantis. Quinto quod extrema ſimul collegerunt. Quod non ſolũ lapides, ſed nec terra, nec animãtia, neq; plantæ, nec homo. Aut rurſus cõtra, quod non lapides, non animalia, non plantæ, non elementa, non homo, nõ Angeli, non Archangeli, non aliqua alia ex ſupernis illis poteſtatib. debet coli ab humana natura. Tamquã ex profundo aliquo haurientes diſcere oportebat, quod qui eſt omniũ dominus, is eſt Deus: quod eum ſolum oportet colere, quod res pulchra & bona ſit admiranda vitæ inſtitutio: quod mors præſens non ſit mors: quod vita non vita: quod corpus reſurgit, ꝙ id fiat ejuſmodi ut non corrũpatur nec in id cadat interitus, quod aſcendãt in Cælos: quod aſſequatur immortalitatẽ: quod ſtet cum Angelis: quod tranſeat. Sed hunc qui illic erat in imo, quum hæc omnia ſuperaſſet ac tranſiliiſſet; ſuperius collocavit in throno, eo qui erat infra lapides, effecto ſuperiore Angelis & Archangelis & thronis & dominationibus. Revera hæc ſunt divitiæ gloriæ hujus miſterii in gentibus. *Homil. 5. ad Coloſſenſes.*

Io. Chryſoſt: Quemadmodum ſcabioſæ oves ſi cõfricentur cæteris, etiam quæ ſanæ ſunt, morbo tentantur: ita & homines inquã ſi ſimplicioribus quibuſq; converſantur, veneno eos ſuæ malignitatis inficiunt. *Homil. 17. ad Timoth. 1.*

¶ Apophthegmatum Sacror.

Protogenes: Dicebat errantium converſionem ad Chriſtum eſſe precibus aliiſq; ſolitariis exercitiis longè magis neceſſariam. *Nicephor. eccleſ. hiſt. lib. 11. cap. 23.*

Obvia plurà erunt titulo, Emendationis, Correctionis, Pœnitentiæ.

Convitii.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Greg. Nyſſenus: Dedecus eſt viro prudenti, non ſane convitiantem audire, ſed ad ea quæ dicuntur convitia retorquere. *Orat. 4. contra Eunomium.*

D. Chryſoſtomus: Adverſus fratres ſagittas dirigimus. quaſnam, inquis, ſagittas? eas, inquam quæ à lingua atq; ore exeunt. neq; enim ipſa ſolum jacula ac tela, ſed & verba quoque telis ipſis multo lethaliora vulnera inferunt. *Homil. 8. ad Romanos.*

D. Chryſoſt: Vince in bono malum: quandoquidem & iſtud vincere eſt. Pugnans enim tum potiſſimũ vincit: non quando ſuum ipſius corpus pugnæ exponit, ut plagas excipiat: ſed quãdo ſeipſum eruens, efficit ut omnem ſuam potentiam adverſarius in aëra fruſtrà & inaniter effundat. Sic enim nec ipſe plagas excipit, & omnes adverſarii vires diſſolvit: id quod & in convitiis fit. Nam quando viciſſim cõvitia regeris: vinceris non ab homine, ſed quod turpius eſt, ab illibero illo iræ affectu permotus exuperaris. *Si* verò tacueris: & vincis & trophæum figis, & innumeros acquiris qui te coronent, quiq; conviciũ ipſum mendacii condemnent. Qui enim contradicit, ut qui convicii morſum ſenſerit, contra luctari videtur. Morſum verò ſentiens, ſuſpicionem de ſe præbet, dictorum ſe conſcium eſſe. Si verò deriſeris: riſu ſtatim ſententiam & judicium, quod qui audierant, contra te laturi erant, exolviſti. Et ſi volueris apertum dictorum argumentum accipere, ipſum tuum inimicum interroga, quando magis doleas: an cùm prorſus accenſus viciſſim conviciaris, an cùm conviciantem derides. Atq; poſtremum magis audies. Neque enim tantùm juvat convitiis non impeti, quantum mordet, quòd te ad iram permovere & accendere nequit. Non vides ira percitorum ingenium: quomodo plagarum ſuarum non adeò multam rationem habentes, magno impetu irruant, proximiq; vulnera pejus quàm ſoleant agreſtes ſues quærant, & ad hoc unum reſpiciant, inque eo magis ſint quàm ut quid patiantur obſervent. Quando ergo eum qui hujuſmodi eſt, ea potiſſimùm re privas, quam ipſe potiſſimum concupiſcit: omni jam illum propoſito evacuaſti, ſpoliaſti, contemptibilemq; puerum magis quàm virum oſtendiſti. Et tu quidem interea philoſophi calculum adeptus es, illum verò malæ beſtiæ diffamia & opinione induiſti. Illud & cum verberamur, faciamus: & quando reverberare voluerimus, non reverberemus. Sed letalem plagam infligere velles. Obverte illi & alteram maxillam: & hoc ipſo innumeris ipſum vulneribus confeciſti. Faciliùs quippe qui ſe lapidarent ferret, quàm eos qui patientiam tuam plaudentes admirantur. Ante illos etiam conſcientia ipſum condemnabit, & maximas ab eo pœnas exiget: ac veluti extrema paſſus, ſic pudore offuſus abſcedet. Si verò & gloriam apud multos quæris, eandem quoq; hac via magis acquires. Nam & aliàs quidem compaſſionem quandam erga eos, qui malè adficiuntur, habemus. Quando verò viderimus eos non ſolùm non reverberare, ſed & ſeipſos improborum injuriæ patientes exponere: non tantùm miſeremur, ſed & admiramur. *Homil. 22. ad Romanos.*

Iſidorus Peluſiota: Si verbis vulneratus es, atq; in impotentem iracundiam erupiſti, quonã pacto Dominicæ vineæ operarius effici potes? erenim eum, qui cùm in unã maxillam feritur, alteram quoq; adjungere poteſt, hunc eſſe ſtatuit, qui diei pondus & æſtum fert, ut qui omnem dominici mandati operationem expleverit. Quare ſi te magnarum illarum mercedum cupiditas tenet, ad minores labores animum minimè dejicias, verum ad majores amplexandos te exerce: ut qui alioqui denarium minimè percepturus ſis, niſi te labores plenè cumularéque ſubiiſſe conſtet. *Lib. 1. Epiſt. 98.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quid cum injuria afficere ſtudes, quem potius charum habere debebas, ut qui tibi, quæ de te omnium exiſtimatio ac ſententia eſſet, aperuerit? Simultates enim ac diſſidia homines acutos ac ſolerti ingenio præditos perſæpe correxerunt, dum

ut quæ

ut quæ ab iis contumeliosè perpetrata fuerant, sanarẽtur, effecerunt. Quocirca si contumeliæ ducis ea quæ audiisti, cura ut per probas actiones teipsum ab omni contumelia purum atque immunem custodias. Nam si opera emendaveris, maledicta quoq; & convitia de medio tollentur. *lib. 1. Epist. 480.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Etsi Eusebius, quemadmodum ad me scripsisti, fœdus cum vitio feriens, virtuti bellum infert, atq; celeriter ex calumnia ad struendas insidias adducitur, prompteq; suspicionibus parum consentaneis fidem adhibet: ac præterea in his quidem, qui deliquerunt, supplicio afficiendis acerbum & inexorabilem, in iis autem, qui aliquid ex virtute gerunt, remunerandis pigerrimum se præbet: minimè tamen æquum est ipsum à te suggillari, qui eadem, quæ ipse, ut rumor est, ne dicam graviora, perpetras. Aut enim ab hujusmodi flagitiis abstine: aut eos, qui ea committunt, ne suggilla. Quanquam fortasse hoc ipsi meritò accidit, quòd cùm te, cùm talis ales, diaconum creaverit, ac proinde vim numinis ultricem minimè fugerit. Nam qui Ecclesiasticis sanctionibus occlusum os, contrà quàm oportebat, aperuit, adversus seipsum, ut apparet, aperuit: & qui se effrænatam linguam adversus probos instruere arbitrabatur, eam adversus seipsum armavit. *lib. 3. Epist. 290.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud in te minimè probo, quòd Zosimum specie tenus presbyterum, urbis piaculum, Ecclesiæ labem, libertatis probrum, eorumque, qui cum ipso consuetudinem habent, pestem & perniciem, ac deniq; nullo non fœdissimo nomine appelles. Et si enim ipse talis est, at linguam tamen tuam, quæ veritatis organum est, hujusmodi sermonibus contaminari minimè convenit. Quamobrem tibi ipsi contumeliam inferre desine. Quamvis enim vera sint, quæ abs te dicuntur, nec quisquam est, qui te mendacii insimulare queat: tamen, cùm vir probus ac moderatus sis, multisq; virtutibus floreas, patientiæ quoq; ornamento gestire te atque gloriari æquum fuerit. *lib. 3 Epist 231.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Falsò objectum probrum non ultrà aures progreditur: Neque enim attingit audientis mentem. *lib. 4. Epistol. 49.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Nec bonorum facem meritorum maledicentis credendum est extingui posse conflatu. quomodo & si dente tangatur invidi splendor vitæ, umbram venenatæ oblocutionis excludit. Auctorem repetunt tenebræ, quæ ad involvendum jubar aptantur: nitorem siderum nox infusa non obruit: ad genium claritatis proficit eum obscuritate conflictus: lunaris globi ministerium die recedente plus rutilat, & placet suo lumine, dum fugat alienum. Sub externum jus non mittitur, qui lucem facere auctor assumit. *præcepto de Cellulanis. pr.*

Ennodius: Exercentur quidem sanctæ animæ sermonibus æmulorum, & ad gloriæ augmenta deputant, quicquid contra earum meritum accusator ingesserit: sicut Doctor gentium clamat, homines oblocutionibus exerceri. Ut solent arbores, quæ ad terræ penetralia validis radicibus pervenerunt, despicere flabra ventorum, & certamina procellarum stabilitate propria animante contemnere: sic illi repudiantes superstitiosi quæ impacta fuerit caligo figmenti, per sudum radios bonæ conversationis ostendunt. Nam dum quis illorum objectis, conscientia teste, congreditur, ad triumphi spem interna æstimatione percurrit.

¶ Oratorum Philosophorum Græcorum.

Lysias: Et quidem audio, Judices, ipsum eo declinaturum, ut dicat, hæc se protulisse iratum. Sed vos recordamini, quod Legislator nullius iræ caussa ignoscendũ censuerit, sed mulctandũ, qui convitia dixerit, nisi vera esse demonstret. *cap. 9. orat. 1. in. Theomnest.*

Epictetus: Memento, non eum qui convitietur, aut verberet, auctorem esse contumeliæ, sed opinionem de eis tanquam contumeliosis conceptam. Cùm igitur te qui spiam irritarit, opinione tua te irritatum scito. quare in primis operam dato, ne visa tibi assensum extorqueant, nam si semel tempus & moram impetrarit, facilius ipse tibi imperabis. *cap. 27. Enchiridij.*

Simplicius: Ad convicium propulsandum parientia præsto erit, neq; enim laborem, neq; afflictionem suapte natura convitium iis qui id audiunt infert, sed decretum quod in nobis est sive vanum, sive iracundum. Illud quidem tantum facit ut improbet convitiatorem. Ne igitur ex affectu nostro improbatio illa fiat: cognoscenda quidem est convitiatoris improbitas (aut enim falso cõvitiatur, aut ob simultatem aliquam) ipsum vero convitium ferendum, cum nihil nobis noceat. Quid vero si convitiatoris improbitas vel hac de causa, quod is ipse læditur, ferenda est, qui voluntatem suam, hoc est, qui seipsum contaminarit? E convitio autem etiam fructus aliquis est capiendus, isq; haud dubius, si falsum id fuerit. Atque adeo etiam si verum fuerit, quod malum aliquod nostrum retegit, aut nobis ignotum, aut ut notum sit, ejusmodi tamẽ, quod latere alios putemus. magnam enim hoc vim habet ad tirones eruditionis cohibendos, qui nondum propter solum bonum, sed & ex ambitione sordidiores affectus moderantur. *ad cap. 15. Epict.*

Simplicius: Contumelia & convitium tolerabilia ista habent, interdum quidem, quod ea de rebus nostris cognoscimus, quæ prius ignorabamus, semper verò, quod nostra patientia provocatur. *ad cap. 65. Epict.*

Arrianus: Audire convitia quid ipsum per se est? Asta lapidi eique convitiare. quid proficies? si quis ergo ut lapis audierit, quam è suis maledictis capiet utilitatem convitiator? sin convitiator ejus cui maledicit imbecillitatem, tanquam scalas, prehẽderit, tunc aliquid proficiet. hæc meditabatur Socrates, eaq; de caussa eodem semper vultu fuit, nos autem quævis potius exercere meditariq; volumus, quàm qua ratione omnis impedimenti immunes ac liberi simus. *cap. 25. lib. 1. Epict. subfinem.*

Julianus Imp. in Misop. Mihi credite, qui dicunt, sermones cum audientibus communicant, qui verò libenter audit, cùm minore periculo pari voluptate fruatur atq; is qui dicit, in eadem caussa est.

Libanius: Natura omnes facile convitiari ordiuntur, & convitiendi finem facere nesciunt, nedum ut facile obtrectandi satietas afficiat mulieres. *Declamat. 31.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Ranis. v. 871.

Tu verò Æschyle, ne iracundè sed leniter
Refelle objecta, non enim bonos decet
Poetas, ceu pistorum uxores, invicem
Convitiari tu velut ilex clamitas,
Quæ igni crepitat.

Plautus Amphitr. 1. sc. 1. v. 247.

Hic homo sanus non est. So. quod mihi prædicas vitium, id tibi est.

Terentius prologo Eunuchi.

Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimabit esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior.

¶ Apologorum.

Phœdrus Fabula 50.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Cui super obscœna dicta & petulans jurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.
En ait, hoc unum est cur laborem validius,
Integri: alii testes quia desunt mihi.
Sed quid fortuna stulte delictum arguis?
Id demum est homini turpe quod meruit patẽ.

De Musca & Formica. Anonymus.

Musca movens lites formicam voce fatigat,
Se titulis ornat turpiter ipsa suis.
Torpes mersa cavis, levitas mihi quæritur alis.
Dat tibi fossa domum, nobilis aula mihi.
Delicias sunt grana tuæ, me regia nutrit
Mensa, bibis sæcem, sed bibo dulce merum.
Quod bibis a limo sugis: mihi suggerit aurum,
Quod bibo; saxa premis, regia terga premo.
Sede, cibis, potu, thalamo, cum regibus utor,
Regina teneris oscula figo genis.
Non minus urente mittit formica sagittas,
Et sua non modicum spicula fellis habent.
Ludo mersa cavis, nescit tua penna quietem,
Sunt mihi pauca satis, sunt tibi multa parum.
Me lætam videt esse cavus, te regia tristem.
Plus mihi grana placent, quam tibi regis opes.
Venatur mihi sarra labor, tibi fercula furtum,
Hæc mihi pax mellit, roxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu fœdas omnia tactu,
Cum nulli noceam, omnibus una noces.
Est mea parcendi speculum, tua vita nocendi.
Sunt mea quæ carpo, non nisi rapta voras.
Ut comedas vivis, comedo ne vivere cessem,
Me nihil infestat, te fugat omnis homo.
Unde petis vitam, rapitur tibi vita, palato
Dulcia vina bibens fel necis acre bibis.
Si negat ala tibi ventoso victa flabello,
Aut nece vinciris, aut semivivus jaces.
Si pores æstivo dono durare favoris,
Cætera si parcant, non tibi parcit hyems.
Dulcia pro dulci, pro turpi turpia reddi
Verba solent, odium lingua fidemq; parit.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba. Canis lunam allatrans.

Luna velut toto collustrans lumine terras,
Frustra allatrantes despicit alta canes:
Sic quisquis Christum allatrat, Christive ministros,
Index stultitiæ spernitur usque suæ.

Batillius 94.

Convitium in magnos conviciatori pessimum.

In magnos congesta viros maledicta, proteri
Auctoris capiti sæpius esse solent.
Sæpius ut muro durave a cautе retorta
In jaculatorem noxia tela cadunt.

Camerarius 18. Centur. 1.

Ne moveas.

Ad tua cur taceam dicteria fœda requiris?
Non anagyria ego, spurce, movere volo.

Camerarius 61. Centuriæ 2.

Despicit alta canes. Luna.

Irrita vaniloquæ quid curas spicula linguæ?
Latrantem curatne alta Diana canem?

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Petrus Alexandrinus: Convitium, inquit, qualecunque sit illud, est tolerabile, præsertim his in quorum animis Christi prudentia & doctrina divina habitat. *Theodoret. eccl hist. lib 4. cap. 20.*

Gr. Nazianzenus: Hujusmodi quiddam (inquit) mecum commentor. Si falsa objicit convitiator, non me magis quàm eum qui loquitur attingit, etiam si me nominatim convitiis petat. Si vera, meipsum potius quàm eum qui loquitur accusabo, (à me enim illi sermonis materia subministratur, non autem illius sermo causa est cur talis sim:) ac vocibus præteritis, ut quæ nihil sint, mei ipsius ero, hoc unum ex illa improbitate commodi capiens, ut cautiùs vitam instituam. *Orat. 14.*

Basilius Magnus: Si mihi credis, inquit, probra contumeliasq; minimè curabis. Obscurum te & inglorium quia vocavit, nulliusque æstimationis, terram te ac cinerem esse dicas. Nec tu melior es patre nostro Abrahamo, qui se eadem vocavit. Ignarum, pauperem, ignobilem nominavit? Tu vermem te dicas, & è stercore genus ducere, verba Davidis memorans, quibus etiam Mosis decus adde. Ille ab Aarone & Maria verbis appetitus probrosis, non ad Deum adversus illos interpellavit, sed pro eis oravit. Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus? beatorúmne hominum & Deo acceptorum, an eorum qui spiritu maligno sunt referti? Quando enim verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes inclines. Da tempus cogitationibus, ad optimam eligendi partem opportunum. Nam è duobus alterum proculdubio cõsequeris, aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes, vel certè, si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim adversario durius esse potest, quàm te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Porrò, quale nomen uterq; vestrum assequatur, videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundus & durus, tu longanimis & mitis. Hunc quandoq; pœnitebit horum quæ loquitur, te nunquam benefacti aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Huic contumeliæ regnum cœlorum clausit, quòd contumelioso regnum Dei non consequentur: tibi taciturnitas idem aperuit, &c. *Serm. de ira.*

D. Augustinus: Tot viri, inquit, tot mulieres, clerici, pueri, tot & tam delicatæ puellæ flammas, ignes & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum convitia dicimus tolerare non posse. Quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur, si possumus etiam usque ad mortem illorum nostras injurias vindicamus. Unde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus Sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquievimus. *Serm. 60. de tempore.*

D. Ambrosius: Quando, inquit, aliquis nobis conviciatur & ad jurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim qui nos provocat, qui injuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat, &c. *Lib 1. Offic. cap 5.* & sequenti cap. Quid opus est moveri cùm audis cõvitia? Cur non imitemur dicentem, Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis? An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit David? Imò & fecit. Nam cùm ei convitiaretur Semei, tacebat David: & quamvis septus armatis non retorquebat convitium; non ultionem quærebat, eousq; ut dicente sibi Serviæ filio quod vindicare in eum vellet, non permiserit. Ibat ergo tanquam mutus & humiliatus, ibat tacens: nec movebatur, cùm vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Nõ ergo movebatur convitiis qui abundabat bonorum operum conscientia. Itaq; is qui citò injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaq; qui contemnit injuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit torquetur.

Convitiorum Æquo animo perpessorum.

¶ Apophthegm. Christianor.

Fredericus III. Imperator. Hujusce rei exempla suppeditant S. Literæ, & SS. vitæ. utpotè quibus nihil magis in voto, quàm pro nomine Jesu contumelias convitiaq; perpeti. Sed neq; Civile agmen suis hîc caret. Antesignanum agat proximè nominatus Fredericus: qui, dum multa in eum maledicta jactassent homines improbi, ad Proceres conversus, *An nescitis*, inquit, *Principes quasi signum ad sagittas expositos? turres enim præaltas fulgura ferunt, humilia tecta prætereunt.* Appositè Seneca in Epist. Malis displicere laudari est, nec ullam auctoritatem habet, ubi qui damnatus est, damnat. *Æn. Syl. lib. 1. com. De reb. Alphon.*

Alphonsus Rex Arag. Proximos illi honores occupet Alphonsus, audierat namq; quosdam de se bene meritos, linguam à convitiis non temperare: *Regum*, inquiebat, quod olim Alexander, *est, non solùm benè facere: sed mala etiam patienter audire. Panor. lib. 1. De eius gest.*

Ludovicus XII. Gal. Rex. Nec minor illo Ludovicus, qui Carolo octavo superstite adhuc, multis & gravibus lacessitus contumeliis, eo vita functo, cùm in regni hereditatẽ successisset, & calumniatores sibi fuga consulerent, absentes suaptè sponte revocavit, dicens: *Privati personam exui. Rex quippe constitutus, hæcce convitia neque curo, neque ulciscor. Annal. Franc.*

Convitiorum in auctorem retortorum,

¶ Apophthegm. Christianor.

Jesus Christus: Veluti in maledicendo promptissimi sunt nonnulli, ita non minùs ingenioси alii, ut maledicta in auctoris sui caput retorqueant, mira aliquando cum elegantiâ & lepore. Calumniabantur Jesum Pharisæi, quòd in Beelzebub dæmoniorum principe ejiceret dæmonia, at ille: *Filij vestri in quo ejiciunt:* & paulò *ipsi judices vestri erũt. Omne regnũ in se divisum desolabitur,* &c.

Vitellius Cornetanus Card. Nuntiaverat illi Alphonsus, se Marte judice eum arma indecenter tractantem, eò inopiæ redacturum, ut tamquam infimi ordinis sacrificulus, missarum solẽnia etiam denario peracturus sit. cui ipse, *Non abnuo*, ait, *conditionem, ut magnæ Regis Sacellanus efficiar.* Regis nuntium quod serium videbatur, eludens. *Iovius lib. 1. Elog.*

Richardus Vitus: Admodum facetè ille: non minùs ingeniosè hic. Disputabat enim cum homine nefario Anglocalviniста, potentiore ad bibendum quàm disserendum, de clavibus Ecclesiæ. cumq; sibi eas datas constanter ille & pertinaciter assereret: *Credo*, respondit Vitus, *tibi perinde ac Petro eas esse datas: verùm hoc discrimine, quòd huic regni cælestis, tibi verò cereviſiariæ cellæ. hoc enim rubicundum tui nasi promontorium indicat. Ex Martyr. Angl.*

Thomas Biracus: Neq; inferiores hoc in titulo alii. Convocarat aliquando Patriarcha Hierosolymitanus ad certã causam discutiendam plures advocatos. cumq; unum ex illis acriùs castigasset, Thomas Biracus, præ cæteris liberiùs in eum erupit: cui Patriarcha, Ut video, ait, malum caput habes. At ille ut erat promptus, *Verè*, inquit, *& benè: nam si bonum caput haberem, meliori loco res nostræ essent.* Te igitur culpas? infert Patriarcha. *Non me*, respondit Thomas, *sed caput incuso.* ipsum scilicet Patriarcham, qui reliquis præerat, incusabat. *Pogg. Florent.*

Sfortia Cotignola: Ei quoq; dum à Sergiano magno Senescháico ad exprobrandam generis novitatem ligonis fabula objectaretur, *In hac*, inquit, *ut video stirpis origine convenimus, cũ Adamus mortalium primus terram foderit: sed ego certè quod jure diffiteri non potes, illo meo ligone multò evasi nobilior, quã tu tuo pene & penna.* Quo scommate lepidè hominem transfixit. cùm in eo tanta cum invidia dignitatem, stupro quæsitam, & patrem eius ad Prætoris tribunal ignobilem scribam, adulteratoque testamento falsi damnatum, scitissimè notasset. *Paul. Iovius in Vit. Iac. Mutij, cap. 84.*

Hospes Illyricus & Vandalus.
Ebrius occlusas pulsabat Vandalus *ædes,*
In quibus Illyrici *sanguinis hospes erat.*
Impatiensque moræ, cùm nigrâ bile tumeret,
Hospite confestim non reserante domum:
Ecce quid Illyricum, *clamabat*, & inter asellum
Quo pecus est nullum turpius, esse rear?
Ille refert contrà: Dubius quid talia quæris?
Anne vides quòd sint inter utrumque fores?
Ex relatis Auctori.

Queraldus Legatus Reg. Arrag. Ad Africæ Regem missus Legatus, nobili cœna apud eum excipitur. Advocantur etiam procerum nonnulli, quibus Rex mandat, clàm ossa derosa colligant, & ad Queraldi pedes projiciant. Postquã epulis exempta fames, mensæq; remotę, apparet ossium cumulus. tum quispiã à Rege subornatus, Quid hîc, inquit, ossium est? profectò lupus hîc cœnavit, non homo. Cui Queraldus Regem intuitus, *Mihine*, inquit, *ô Rex cum lupis fuit negotium? Luporum enim carnem & ossa simul arrodere: quod tui isti cõmessatores fecêre. ego ut homo, carnem sumpsi, ossa in humum jeci, in canum pastum & oblectamentum. Pontanus.*

Hispanus Anonymus: Sisterem, nisi faceta Hispani cujusdam & libera responsio, quam Franc. Syvertius F. inter alia mihi suggessit, retardaret. Solimanno Mahumetano solenne erat, in loco quo aluum solitus exonerare, depictas conservare Christianorum Principum effigies. Itaq; necessitate naturæ compulsus, dum eò se confert, Hispanum, quem inter cæteros ministros forte alebat, ad se vocat. Et ostensa Philippi II. Regis imagine, Eo, inquit, honore apud me est tuus Princeps. Cui Hispanus (mirare quòd tam liber apud Tyrannum) *Credo*, ait, *non sine causa M. T. hunc ibi loco consecrare. Illius enim vel solùm in imagine repræsentati aspectus, in tantum tua viscera commoveat, ut sine medicorum ope, naturæ se sua sponte quasi deficiens resolvat, & quidquid ei superabundat, ejiciat.*

Scurra

Scurra & Tortor: Vnum adhuc hujus farinæ à Georg. Sabino carmine descriptum, ad extremum adscribam:

Vsurpare ioco Pastoris verba Menalcæ,
Omnibus & solitus dicere SCURRA *fuit:*
Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas:
Ipsius hæc semper verba iocantis erant.
Aſt ubi iam capitis meruisset crimine pœnam,
Multa quod intulerat probra nefanda bonis:
Cumq; foret laqueo tam suspendendus, eodem
Bucolico ludens carmine TORTOR, *ait:*
Efficiam posthac ne quemquam voce lacessas,
Fracturus torto iam tibi fune gulam.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

A convitiis ad cædem transitus valde est brevis.
Ad laqueos jam convolarunt plures ob convitia.
Desitimus quoq; depudere continuis convitiis.
Dura vox plerisq; quovis vulnere est molestior.
Impium est jam morte functos prosequi convicio.
Improbis convitiari vis potenter? sis probus.
In caput convitiantis dicta iniqua recidunt.
Inverecundi animi ingenium probra ingesta haud æstimat.
Nemo ei convitiatur qui pro tervus nemini est.
Nemo non disertus ipse est in suum convitium.
Promptius nil est quam in omnes invehi convitiis.
Publico in loco sacrove barbarum convitium est.
Quando falsa sunt convitia, ira non habet locum.
Qui bene vivit, improbo ingens ingerit convitium.
Qui convitio haud movetur, nec movetur laudibus.
Qui facit convitium non qui aure recipit est miser.
Turpius nil est retorto in auctorem convicio.
Vis manus tenere puras? abstine convitiis.
Veritate destituti lancinant convitiis.

§ IAMBICA.

Agnoscit is qui iracitur convitium.
Amica valde hominum lingua est convitium.
Assueta flagris flagra non curat cutis.
Convitia agnoscit, quicunq; iracitur.
Convitia convitiantis in caput cadunt.
Convitiantes dic bene, aut saltem tace.
Convitiari facile cuivis femina est.
Convitiari non viri est, sed femina.
Convitiis agare in iracundiam.
Convitium aliud, aliud castigatio est.
Convicium haud est respondere garrulo.
Ferre æquo animo convitia, res suavissima est.
Infortunatos dedecent convitia.
Iustis malorum non nocent convitia.
Multum bono confert mali convitium.
Nemo bona convitiatur mortuo.
Pravi silentio obliteres convitia.
Quem quæso verbum vulneravit durius?
Quis gratias unquam egit ob convitia?
Valde impium est convitiari mortuis.

Convivii.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: A convivio rationali absit comessatio & lascivia juvenilis: quinetiam inanes vigiliæ, quæ de petulãtia & turpibus conviciis & maledictis sibi placent. Est enim hæc comessatio tibia inebrians, extemporalis amatorii pontis impotentiæ catena. Amor autem & ebrietas, & quæ ratione carent affectiones, à nostro choro procul amandentur. Una autem cum petulãtia in comessatione versatur cantilena: in potu verò vigiliæ ebrietatem accersunt, & excitant libidinem, quę sunt rebus turpibus faciendis dedita audacia. Sin autem in tibiis, & psalteriis, choris & saltationibus, & plausibus Ægyptiorum, & dissolutis ejusmodi ociis studiose versentur, immodesti, insolentes, valdeque à bona disciplina alieni evaserint, vt pote quos cymbala & tympana circunsonent, & fraudis instrumenta circunstrepant. Revera enim, ut mihi videtur, ejusmodi convivium est ebrietatis theatrum. Cum enim tenebrarum opera exuerimus, induere arma lucis vult Apostolus, ut in die decore ambulantes, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitiis versantes. Fistula itaque tribuatur pastoribus: tibia autem superstitiosis hominibus, qui ad cultum idolorum contendunt. Revera enim hæc instrumenta sunt à sobrio convivio amandanda, quæ magis bestiis quam hominibus conveniunt, & iis hominibus qui à ratione sunt alieniores. Cervas enim fistulis demulceri accepimus, & in laqueos inter venandum cantu duci à venatoribus. Equis autem coeuntibus, veluti quidam hymenæus, tibia carmen canitur: id autem ab incitandis equis Musici appellarunt ἐπιμύθιον.

Omne autem turpe spectaculum, omnemq; turpem auditionem &, ut semel dicam, turpem omnem sensum intemperantiæ, quæ quidem est vera sensus privatio, maxime oportet nos exscindere, quæ in oculis & in auribus titillat & effœminat, voluptatem caventes: fractorum enim cantuũ, & flebilium Caricæ Musæ modorum varia veneficia, intemperanti & pravo musicæ artificio mores corrumpunt, ad huius comessationis perturbationem trahentes. Divinum autem ministerium separans psallit spiritus: Laudatæ eum in sono tubæ. In sono enim tubæ suscitabit mortuos. Laudate eum in psalterio, quoniam lingua est psalterium Domini. Et in cithara laudate eum. Per citharam os intelligatur, quod spiritu tanquam plectro pulsatur. In tympano & choro laudate eum. Dicit Ecclesiam quæ resurrectionem carnis meditari solet in pelle resonante. In chordis & organo laudate eum. Organum dicit corpus nostrum, & chordas ejus nervos, per quos numerose & concinne intenditur, & spiritu pulsatum, voces edit humanas. Laudate eum in cymbalis jubilationis. Oris cymbalum dicit linguam, quæ pulsatis labris resonat. Et ideò humanæ naturæ acclamavit: Omnis spiritus laudet Dominum: quoniam omnis spiritus quem fecit, curam gessit. Vere enim pacineum instrumentum homo est. Alia autem si quis curiosius inquirat, inveniet instrumenta bellica ad cupiditates inflammantia, vel amores incendentia, vel animum iramq; irritantia. In bellis itaque suis tuba utuntur Hetrusci, fistula Arcades, Siculi autem instrumentis quæ appellant πηκτίδας, Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptii, & Arabes cymbalo. Uno ergo instrumento, verbo solo pacifico nos utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri psalterio, & tuba & tympano, & tibia, quibus mos erat iis qui in bello se exercebant, Deique metum contempserunt, & simul congregatis concionibus in choris uti, ut per ejusmodi modos solutus ac dejectus excitaretur animus.

Duplex autem sit nostra in potu benevolentiæ ergo invitatio, ex lege. Si enim diliges Dominum Deum tuum, deinde proximum tuum, prior quidem, quæ est in Deum benevola invitatio, fiat per gratiarum actionem & psalmodiam: secunda autem, quæ est in proximum, per honestam vitæ consuetudinem. Verbum enim Domini inhabitet in vobis copiose, dicit Apostolus. Hoc autem verbum se accommodat & reddit conforme temporibus, personis, locis, atque adeo nunc quoque in convivio versatur. Rursus enim subjungit Apostolus: In omni sapientia docentes, & admonentes vos ipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia canentes in corde vestro Deo. Et rursus: Quicquid feceritis vel in sermone vel in opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo & Patri ejus. Hæc est gratiosa ac jucunda nostra compessatio. Et si ad lyram vel citharam canere & psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio. Hebræum justum regem imitaberis, qui Deo est gratus & acceptus: Exultate justi in Domino, rectos decet laudatio (dicit prophetia) Confitemini Domino in cithara, in psalterio decachordo ei psallite. Cantate ei canticum novum. Nunquid autem decachordum psalterium Verbum Jesum significat, qui manifestatur elemento decadis? Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum, laudare nos convenit factorem universorum: ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum ejus creaturarum efficimur participes. Est enim psalmus numerosa & modesta laudatio. Canticum spirituale psalmum dixit Apostolus. Postremo autem antequam nos somnus invadat, pium & sanctum est Deo gratias agere, ut qui ejus benignitatem & gratiam fuerimus consecuti, ita ut cum divino quodam afflatu nos ad somnum conferamus: & confiteri ei, inquit, in canticis labiorum, quod in eius jussu fiat quicquid ei visum est, & ad eius salutare nihil est neque mancum neque diminutum.

Cæterum apud Græcos quoque veteres, in conviviis ad compotandum comparatis, & rorantibus poculis, ad Hebraicorum psalmorum similitudinem, canticum quod appellabatur σκόλιον, canebatur communiter omnibus voce simul pæana clamantibus, & nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus. Qui autem erant ex eis musicæ paulò peritiores, etiam ad lyram canebant. Verum amatoria quidem procul absint cantica. Sint autem cantica, Dei laudes: Laudent, inquit, nomen ejus in choro, in tympano, & psalterio psallant ei. Et quis est chorus qui psallit? Ipse tibi narrabit spiritus: Laudatio ejus in ecclesia sanctorum. Exultent propter regem ipsorum. Et rursus subjungit: Quoniam beneplacitum est Domino in populo suo. Sunt enim admittendæ modestæ & pudicæ harmoniæ, contra à forti & nervosa nostra cogitatione vere molles & enerves harmoniæ amandandæ quam longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio, ad delicatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves, & quæ ad temperantiam pertinent modulationes ebrietati ac proterviæ nuncium remittunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino proterviæ, floribusque redimitæ & meretriciæ musicæ, sunt relinquendæ. *lib. 2. Pædagogi cap. 4.*

Clemens Alexandrinus: Absit quoq; à nobis, ut irrideamus quẽquam à quo primum incipit contumelia, 'ex quibus lites, pugnæ & inimicitiæ erumpunt. Diximus autem contumeliam esse ebrietatis ministram. Non ex solis autem factis, sed etiam ex verbis homo judicatur. In convivio autem, inquit, ne argueris proximum, & ei opprobrii sermonem ne dixeris. Si enim vel maxime cum sanctis conversari præcipitur, sanctum irridere peccatum est. Ex ore enim insipientium, inquit, Scriptura, baculus contumeliæ: baculum dicens, fundamentum contumeliæ, cui innititur & super quam requiescit

quiescit contumelia. Unde admiror Apostolum, qui hic quoque suadet, neque scurrilia, neque quæ nihil ad rem pertinent, verba effundere. Si enim propter charitatem convenitur ad convivia: convivii autem finis est, in eos qui una sunt benevolentia: charitatem autem consequuntur cibus & potus: quomodo non est ut ratio postulat conversandum, & nec propter charitatem dubitandum: Si enim convenimus, ut quæ inter nos est benevolentia augeamus, quomodo inimicitias irridendo provocamus? Satius autem est tacere quam contradicere, peccatum peccato addendo. Beatus revera vir ille est, qui non est lapsus in ore suo, vel non compunctus est in molestia peccati: vel ductus pœnitentia propter ea quæ locutus peccavit: vel ideo quod locutus neminem molestia affecerit.

In summa ergo adolescentes & adolescentulæ ab ejusmodi conviviis omnino abstineant, ne labantur in quibus minimè decet. Inusitatæ enim auditiones, & indecora spectacula, dum in eis adhuc fides fluctuat, mentem eorum eventilant: ætatis autem instabilitas eas adjuvat, ut ad cupiditates ferantur præcipites. Quinetiam nonnunquam aliis causæ sunt offensionum, dum florem ætatis, qui est maximè lubricus & periculosus, ostentant. Recte enim videtur præcipere Sapientia. Cum muliere quæ viro subjecta est ne omnino sedeas, & ne super cubitum cum ea accubueris: hoc est, ne cum ea frequentius cœnes, neque cum ea comedas. Et ideo subjungit: Neque cum ea in vino congrediaris, nequando inclinet cor tuum in ipsam, & sanguine tuo labetur ad interitum. Lubrica enim res est, quæ est in vino libertas, quæ potest defloreſcere. Viro autem subjectam nominavit, quod majus sit periculum ei qui vitæ societatis vinculum conatur dissolvere. quod si aliqua necessitas evenerit quæ eas jubeat accedere, illæ quidem exterius amictu pulchre tegantur, intus autem pudore. Quæcunque autem non sunt viro subjectæ, iis est extremum probrum interesse convivio virorum, idque vinolentorum. Qui in tabernaculum autem oculos fixerint, immobiles, innixi cubitis adsint solis auribus. Quod si etiam sederint, ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur alteri superponant, nec manum mento sustentent. Illiberale enim est & indecorum, seipsum non ferre, idq; datur vitio adolescenti. Sæpe autem moveri, habitumque & figuram mutare, signum est levitatis.

Jam vero modesti est & honesti, & in cibo & in potu quod minus est eligere, idque tardius & non proclivius, tam in principio quam etiam in intervallis. Quinetiam priorem desinere, & ab affectione se alienum ostendere: Comede, inquit, ut homo, quæ apponuntur: cessa autem primus disciplinæ gratia. Et si in medio plurium sederis, ne ante ipsos manum porrigas. Non debemus ergo unquam prosilire ab ingluvie parati: sed nec quamvis cupientes non nisi aliquanto post porrigere oportet, longa mora intemperantia farentes. Sed neque interim videri tanquam feras cibo hærere, eumque avide arripere, Porro autem nec obsonii multum ingerendum est: neque enim ut obsonium devoret, sed ut frumento vescatur homini innatum est. Ante multos autem surgere, & convivio excedere, est valde modesti hominis. Cum est, inquit, tempus surgendi, ne sis postremus, & revertere in domum tuam. Quin etiam dicebant duodecim, cum evocassent discipulorum multitudinem: Non est bonum nos relicto verbo Dei, ministrare mensis. Quod si hoc diligenter caverunt, multo magis vitabant ingluviem. Hi autem ipsi Apostoli scribentes fratribus qui erant in Antiochia, Syria & Cilicia: visum est, dixerunt, Spiritui sancto & nobis, nullum vobis maius onus imponere, præterquam necessitatem abstinendi ab immolatis & sanguine, & suffocatis & fornicatione, à quibus si vobis caveatis, recte facietis.

Oportet autem in vino petulantiam non secus fugere quam cicutam, ambo enim ad mortem attrahunt. Oportet vero & profusum risum arcere, immodicas lachrymas: sæpe enim temulenti cum maximum cachinnum sustulerint, deinde rursus nescio qua persuasi vini insolentia, descendunt ad lachrymas. A ratione enim alienum est, & esse effœminatum & esse petulantem. Senes autem adolescentes tanquam filios respicientes, rarissime quidem, sed aliquando tamen cum eis luserint, salsum aliquod dictum in eos torquentes, quod eos decorum doceat. Nihilominus cum taciturno & verecundo facete & urbane licet hoc modo agere: Meus autem filius (eum qui tacet intelligo) non cessat loqui. Adolescentis enim verecundiam auget talis ludificatio, lepide ostendens bona quæ in eo insunt, per falsum insimulationem malorum quæ ei non insunt. Est enim hæc quædam magistri docentis inventio, per id quod non adest, id quod adest confirmans. Certe tale quid etiam facere proponit sibi, qui eum qui aquam bibit, & est sobrius ac temperans, temulentum dicit esse & petulantem. Quod si sint etiam nonnulli qui alios lubenter irrideant, nobis quidem tacendum est, & verba superflua sunt tanquam plena pocula à nobis transmittenda. Lubricus enim & periculosus est ejusmodi ludus. Os autem temerarii appropinquat contritioni. Non suscipies autem inanem auditionem: neque una cum injusto sedebis ut sis falsus testis, neque in calumniis, neque in maledictis, sed neque in improbitate.

Atque ego quidem mihi videor modestorum voci posse modum imponere, quibus permittitur, vt is qui cum alio differit loquatur. Silentium enim est virtus mulierum: à periculo autem remotum adolescentum munus est: probata autem iam ætate bona est oratio. Senior loquere in convivio, te enim decet: sed citra impedimentum loquere, & in perfecta scientia. Adolescens, tibi quoq; permittit Sapientia, loquere, si te opus sit, vix cum bis interrogatus fueris. Sermonem autem tuum paucis in summam redige. Uterque autem qui differit, vocem suam metiatur justa proportione & commoderatione. Elatus enim clamor pronunciationis, est res insanissima: cum proximis autem ita loqui ut non audiaris, eius est qui nullo est sensu præditus, neque enim audient: & est hoc quidem pusilli & abjecti animi indicium, illud vero arrogantiæ. Absit etiam vehemens contentio pro inani verborum victoria: nobis enim finis est esse à tumultu & perturbatione alienos, & hoc sibi vult illud: Pax tibi. Priusquam autem audieris, ne verbum responde.

Jam vero vox quoque fracta & enervata est effœminati: modesti autem est in voce moderatio, à magnitudine simul & prolixitate celeritateq; & multitudine arcentis suam orationem. Neque enim prolixo est unquam sermone utendum, neq; multum loquendum, nec nugandum: sed neque volubiliter & præcipitanter colloquendum est. Ipsi enim voci (ut ita dicam) ius aliquod tribuendum est, importunisq; vociferatoribus & exclamatoribus ora sunt obstruenda. Ea enim de causa Thersitem plagis castigavit moderatus Ulysses.

Immodicis verbis turbabat nam omnia solus.
Plurima mente sua temere is confusa tenebat,
Sed nihil ut decuit.

Terribilis enim in interitu suo vir linguosus. Nugatorum itaque, non secus ac veterum calceorum, alia quidem vitio detrita sunt: sola autem lingua reliqua est ad damnum. Ea de causa quæ sunt vitæ utilissima præcipit Sapientia: Ne nugeris in multitudine seniorum. Quinetiam nugas nostras radicitus exscindens, à Deo incipiens, & ut moderate nos geramus constituens, dicit: Sermonem ne iteraveris in oratione tua.

Poppysmata autem & sibili, & digitis expressi soni, quibus accersuntur famuli, cum sint defectus rationis indicia, ratione præditis hominibus vitandi sunt. Frequenter etiam spuere, & violentius excreare, & etiam emungere in convivio, vitandum est. Convivarum enim habenda est utiq; ratio, ne præ nausea talem aversentur turpitudinem, quæ arguit intemperantiam. Non enim sicut bobus & asinis ibidem est præsepe & sterquilinium: multi enim eodem tempore se emungunt, spuunt & cœnant. Sternutatio autem si cui evenerit, sicut etiam ructus, non oportebit sono proximos ciere, quod pessimæ est institutionis testimonium: sed ructus quidem cum expirato aere transmittendus, ore decenter composito, nec instar personarum tragicarum diducto & hiante. Sternutationis autem qui conturbat strepitus, respiratione leniter repressa ac retenta auferendus est. Hac enim ratione, quam honestissime fieri poterit, conglobatæ spiritus minæ intus sunt extinguendæ, providendo ut ira transeat, ut etiam cæteros celare conetur, si vi expressus aer aliquod secum excrementum eduxerit. Arrogantiæ autem & insolentiæ signum est, ipsis velle sonis aliquid addere, non autem detrahere.

Jam vero qui dentes scalpunt, & ulcera cruentant, tum sibiipsis molesti sunt, tum invisi proximis. Porro autem aurium quoque fricationes, & sternutamentorum irritationes, sunt suilli pruritus & conflagrationes, quæ intemperantem meditantur fornicationem. Fugiendæ quoque sunt turpitudines quæ sub aspectum cadunt, & turpes qui de eis fiunt sermones. Sit autem gravis quoque aspectus, collique conversio ac motus honestus & decorus, & manuum quoque in loquendo gestus. In summa enim, quies, pax, & tranquillitas, est Christiani propria. *lib. 2. Pædagogi. cap. 7.*

D. Greg. Nyssenus: Permittite mihi pauperum consuetudinem imitari. nam & illi solent, cùm aliquis eos opipara mensa fuerit dignatus, remoto pudore, de epulis sibi appositis, etiam in posterum diem cibos providere. Proinde ego quoque ex hesterna magnificentia, exiguis quibusdam depromptis reliquiis, illinc pro viribus meis conficiam orationem. *de Deitate filij & Spiritus sancti.*

D. Chrysostomus: Pauperes admoneo, non solum divites, & maximè eos qui symposia socialia celebrant. neque enim istud verè deliciari est, neque quiescere, sed magis pœna ac supplicio adfici. Deliciæ quippe sunt, non turpiter quid loqui, sed, quod honestum, pro naturæ captu satiari, non dirumpi. Si verò voluptatem istud esse putaveris, ostende mihi voluptatem illam vesperi: sed utique non poteris. Atqui nondum quid inde damni sequatur commemoro, sed de voluptate interea disputo, quæ facilè adeò marcescit. Nam simul atque dissolutum est convivium, omnis etiam lætitia confestim avolavit. Quod si & ebrietatem dixero, & capitis ex vinolentia gravamen, atque alios innumeros morbos, mentisq; captivitatem: quid, quæso, ad ista dices? Numquid ideo quod pauperes sumus, turpiter etiam agere debemus? Hæc autem dicens, non prohibeo conventus quosvis, neque convivia quæ in communi fiunt: sed ne præter decorem quid agatur, delicias volens verè deliciis esse, non pœnam, non supplicium, non ebrietatem, neque immodestam comessationem. Discant Græci Christianos maximè esse, qui deliciari sciant, ordinéque & cum decoro deliciari. Exultate, inquit, domino cum tremore. *Homilia 24. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Si in hominibus salis & mensæ cõmunio est & occasio & signum amicitiæ, est probabile idipsum quoque usu venire in dœmonibus. *Homilia 24. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Mensæ fuisse socios, efficit ut latrones sint unanimes cum adversariis. *Homilia 20. ad Ephesios.*

D Chrysostomus: Qui amicos invitat, nihil magnum facit: hîc enim accepit mercedem suam. Qui autem invitat mutilum & pauperem, habet Deum debitorem. Ne ergo ægrè feramus, quando heic non acceperimus: sed quando heic acceperimus, illic nõ accipiemus.

Similiter

Similiter si homo reddiderit, Deus non reddit: si is non reddet, tunc reddet Deus. Ne ergo illos quæramus beneficio afficere, qui possunt nobis reddere, neque hac spe eis benefaciamus: frigida est hæc cogitatio. Si amicum invitaveris, ad vesperam usque est gratia. Propterea eorum quæ solvuntur, citiùs quam temporis consumitur amicitia. Pauperem autem & mancum si invitaveris, nunquam peribit gratia. Eum enim qui semper meminit, & nunquam oblivisci tur, ipsum habes debitorem. Quam pusilli autem & mollis, dic quæso, est animi, non posse considere cum pauperibus? Quid autem dicis? Est immundus & sordidus: lava eum & duc ad tuam mensam. At sordida habet vestimenta: muta, & da mundam vestem. Non vides quantum sit lucrum? Christus per ipsum accedit, & tu eum nihili facis? Regem ad mensam invitans, pro his times? Ponantur duæ mensæ: & altera quidem his repleatur, & habeat cæcos, debiles, & claudos, manibus & tibiis mutilatos, nudis pedibus & absq; calceis, una tunica indutos caq; detrita. Altera autem habeat potentes, exercituum ductores, toparchas, magnos principes, pretiosis indutos vestibus, subtilibusq; telis lineis, zonisq; cinctos aureis. Rursus heic in mensa pauperum nec sit argentum, nec vini multum, sed quod satis sit, & possit exhilarare: pocula autem & vasa reliquæ confecta sint ex vitro solo. Illic autem in mensa divitum vasa quidem omnia sint ex argento & auro: & ne unus quidē ferat exhedram, sed duo adolescentes vix eam moveant: & ordine sitæ sint amphoræ longè melius quàm argentum, nempè auro splendentes: sint autem exhedræ molli stragula veste undique stratæ. Rursus heic quidem sint multi ministri eorum qui accūbunt, non minus ornati vestib. & splendidè amicti & anaxarydas, seu quas non minus ornati vestib. & splendidè amicti & anaxarydas, seu quas braccas vocant laxas habentes, visu quidem pulchri, in ipso autem flore ætatis luxuriantes, & bene curatā cute, & bonæ habitudinis: illic autem sint duo soli ministri, omnem hunc fastum conculcantes. Et sint quidem illis sibi lauti & opipari, his autem quantum sit ad satiandum appetitum & se recreandum. Satisne dixi, exactèq; & accuratè structè sunt ambæ mensæ? Deestne aliquid? ego quidem non opinor. Nam & invitatos recensui, exposuiq; quàm preciosa & magnifica essent vasa, stragula, & cibaria. Age ergo videamus ubinam accumbemus. Nam ego quidem vado ad mensam cæcorum & claudorum: plures autem ex vobis eligent hanc mensam ductorum exercitus, quæ est splendida & hilaris. Videamus ergo utra sit majori recitus, quæ est splendida & hilaris. Videamus ergo utra sit majori rectitudine, & inquirāmus. Nam in illic quipleta voluptate: nondum enim futura inquirāmus. Nam in illic quidem hæc mea est superior. Quare? Quoniam hæc quidem Christum habet occumbentem, illa autem homines, hæc dominū, illa servos. Sed de his nondum agitur. Sed videamus utra majorem habeat voluptatem in præsentia. Et in hoc quidem major est hæc voluptas. Nā cum rege accumbere, majorem affert voluptatem, quàm cum servis: Sed hoc quoq; persequamur, & rem ipsam per se examinemus.

Ego itaq;, & qui mecum hanc vitam elegerunt, cum magna libertate, & animi tranquillitate & delectatione, & dicemus, & audiemus omnia. Vos autem trementes & formidantes, & eos qui accumbunt reverentes, ne manum quidem audebitis extendere tanquam in pædagogi lutum literarium ingressi, non ad prandium, tanquam sævos dominos horrescentes. Sed non sic illi. At magna, inquit, res est honor. Atqui ego quidem in majori sum honore. Nam vestra major est vilitas & abjectio, quum etiam ejusdem mensæ participes, proferatis verba servorum. Etenim tunc maxime apparet servus quū accubuerit cum domino. Nam ille quidem est ubi ei esse non conveniebat, & familiaritate non tantum habens honestamentum quantā delectationem. tunc enim valdè humilis redditur & abjectus. Servum enim per se videris esse splendidum, & per se splendidum esse pauperem, non quando ambulat cum divite. Humile enim quando fuerit prope sublime, tunc apparet humile: & additio humile reddit humilius, non altius. Ita vos quoq; humiliores reddit & abjectiores cum illis accumbere, sed non nos. In duobus quidem illos superamus, nēpe in libertate & honore, cum quibus nihil potest conferri quod attinet ad voluptatem. Nam ego quidem malim solum panem sumere cum libertate, quam innumerabiles cibos cum servitute. Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. Nam quod illi dixerint necesse est ut qui adsunt laudent, vel offendant, se gerentes tanquam parasitos, imo vero illis peius. Nam eis quidem, etsi cum probro & ignominia contumelia afficiantur, non deest tamen libertas loquendi. Vobis autem ne hoc quidem adest. Sed ejusmodi quidem est vilitas & dejectio. extimescitis enim & trepidatis: nullus autem habetur honor. Ergo illa quidem omni voluptate est privata, hæc autem plena est omni animi delectatione. Sed & ipsarum escarum naturam examinemus.

Nam illic quidem necesse est, etiam si nolit, multo vino disrumpi. Hic autem licet non comedere, nec bibere, si nolit. Quamobrem illic quidem quæ ex ciborum qualitate existit voluptatem, & præcedens adimit dedecus, & quæ ex satietate ac repletione oritur molestia. Non minus enim quam fames, corrumpit nobis & dolore afficit corpora repletio & saturitas: imo verò gravius & quemcunq; mihi dare volueris, eum facilius disrumpo repletione quam fame. revera enim illa hæc est tolerabilior. quoniam famem quidem vel viginti dies qui spiam tulerit: repletionem autem ne duos quidem. Et cum fame quidem assiduè luctantes qui ruri degunt, sani sunt, nec egent medicis. Hanc autem repletionem, inquam, non tulerunt nisi perpetuo accersant medicos: imo verò illorum quoq, auxilium sæpè arguit huius tyrannis. Ergo & quod attinet quidem ad voluptatē, hæc primas habet partes. Nam si honor quidem est jucundior quam probro & contumelia affici; & potestatem habere quam esse subjectum: & considere quam tremere & timere: & frui iis quæ sufficiunt, quam supra modum immergi in fluctus deliciarum: hęc mensa illa est melior, & quod attinet ad voluptatem. Quinetiam quod ad sumptū attinet, hæc quoq; est melior. Nam illa quidem multum consumit, hęc vero nequaquam. Sed quid? num iis soluni qui accubant jucundior est hæc mensa, an & jam ei qui invitat majorem affert quam illa voluptatem? Hoc enim est quod à vobis magis quæritur. Qui ergo illos quidem invitat, multis ante diebus præparat: & necesse est ut habet negotia, curas, & solicitudines: ut qui neque noctes dormiat, neque interdiu quiescat, sed apud se multa confingat, loquens cum coquis, cum obsonatoribus, cum mensæ structoribus. Deinde quum dies advenerit, videris ipsum magis timentem quam eos qui sunt pugnis decertaturi, ne quid fiat præter rationem, ne invidiæ fascino feriatur, ne inde accipiat multos accusatores. Hic aūt est liber ab omni cura & negotio, mensa ipse per se parans, & nō multis ante diebus de eo sollicitus. Et postea hic quidem statim amisit gratiam: ille autem habet Deum debitorē, & bona spe alitur, singulis diebus ex illa mensa convivans. Nam cibi quidem consumuntur: gratia autem non consumitur. sed quotidie magis lætatur & exultat, quam qui multo vino se ingurgitaverint. Nihil enim animam æque nutrit atq; bona spes, & bona expectare. Sed videamus ea quę postea sequuntur. Illic quidem sunt tibiæ, & citharæ, & fistulæ. Hic aūt nullus dissonans modus. Sed quid? Hymni; psalmodiæ. Illic quidem hymnis celebrantur dæmones. Hic autem Deus omnium dominus. Vides quidē quantæ si hęc gratiæ, in illam aūt quantum cadat ingrati animi vitium stuporq; & sensus egestas. Dic enim mihi, te Deus aluit suis bonis, & quē oporteret Deo gratias agere quum sis nutritus, tu introducis dæmones. Nam quæ canuntur fidibus, non sunt aliud quam dæmonem cantica. & quum te oporteret dicere, benedictus es domine, quod me nutristi ex bonis tuis: tanquam infamis quidam canis, ne meministi quidem sed introducis dæmones: imò vero etiam canes, tam qui acceperunt, quam qui non acceperunt, blandiuntur domesticis. Tu autē non hoc facis. Canis etiam non accipiens blanditur domino. Tu autem etiam quum acceperis, adversus eum latras. Rursus canis, etiam si alienus ei benefaciat, ne sic quidem desinit ei esse inimicus, neq; allicitur ad amicitiam. Tu etiam mala innumerabilia patiens à dæmonibus, etiā ad prandia eos introducis. Quamobrem es duplo cane deterior. Recte autē in memoriam revocavi canes apud eos qui tunc solū agunt gratias, quum affecti fuerint beneficio. Revereamini rogo canes, qui etiam fame laborantes adulantur dominis. Tu autē, si audieris quod dæmon curavit quempiam, statim dimittis dominum, oratione minus prædite quam canes. At meretrices dum aspiciuntur, voluptatem exhibent. Quam voluptatem? Quamnam autem non infamiam & ignominiam? Lupanas & prostibulum facta est tua domus, furorque & œstrum: nec te pudet ea vocare voluptatē. Atq; si liceat quidem omni uti voluptate, majus est probrum ac dedecus, & quæ ex ea accipitur molestia. Lupanar facis domum tuam, ut quæ tanquam sues in Cœno volutetur. Si autem non ulterius progrediatur quam ut appareat, ecce rursus major est dolor. Aspectus enim non est voluptas, quando non fuerit usus, sed majus desiderium, & flamma vehementior. Sed vis scire finem? Illi quidem à mensa surgentes sunt insanis similes & furore percitis, audaces, iracundi etiam mancipiis ridiculi. Et famuli quidem discedunt sobrii: isti verò ebrii. O dedecus! Illic autem nihil ejusmodi, sed domum recedunt quum mensam conclu serint gratiarum actione, læti dormientes, læti expergescentes, ab omni probro ac dedecore liberi, & nulli affines accusationi. Si vis autē videre eos etiam qui sunt invitati, videbis hos quidem intus esse tales, quales hi extrinsecus, nēpe cæcos, mutilos, claudos. & qualia sunt horum corpora, tales sunt illorum animæ, aqua intercute laborantes & inflammatione: ejusmodi enim res est insolentia & arrogantia. Nam post delicias fit mutilatio. res enim ejusmodi est repletio & ebrietas, claudos reddens & debiles. Et videbis hos quoq; tales habere animas qualia isti corpora, splendidas, ornatas. Nam qui vivunt cum gratiarum actione, qui nihil amplius requirunt quam sufficientiam, qui sic philosophantur, in perpetua sunt lætitia. Videamus autem & hic & illic finem. Illic quidem est voluptas intemperans, risus effusus, ebrietas, scurrilitas, verborum obscœnitas. Nam quoniam eos pudet loqui turpia, hoc fit per meretrices. Hic autem est humanitas, benignitas, & mansuetudo. Atque ei quidem qui illos invitat adest, cum armans inanis gloria. Et autem qui hic, humanitas, benignitas & mansuetudo. Nam illam quidem mensam constituit humanitas ac benignitas. Hanc autem inanis gloria & crudelitas, & injustitia & avaritia. Et illa quidem desinit in ea quæ dixi, in arrogantiam, in mentis emotionem, in insaniam. tale enim est germen vanæ gloriæ. Hæc autem in gratiarum actionem, & Dei gloriam.

Porrò autem huic quoque maior est laus quæ datur ab hominibus. Nam illi quidem invident: hunc autem omnes habent tanquam communem patrem, etiam qui non sunt affecti beneficio. Quomodo usuvenit iis qui sunt affecti injuria, ut simul cum iis doleant ii qui non sunt injuria affecti, & fiunt omnes communes inimici? Ita etiam usuvenit in iis qui sunt affecti beneficio, etiam qui non sunt affecti laudant sicut qui sunt affecti, & in admiratione habent eum qui affecit. Et illic quidem multa est invidia. Hic autem multa geritur cura, & bene precantur homines. Et hic quidem res ita se habent. Illic autem quum Christus advenerit, hic quidem stabit cum magna fiducia, & audiet præsente toto orbe terrarum, Esurientem me vidisti, & enutristi: nudum, & in-

& induisti : hospitem, & hospitio excepisti. & quæ sunt hujusmodi. Ille autem contra audiet, Serve male & ignave. Et rursus, Væ qui molliter deliciantur in cubilibus suis, & qui dormiunt in lectis eburneis, qui bibunt vinum defecatum, & primariis unguentis delibuti, tanquam fugientia. *Homilia 2. ad Colossenses.*

S. Isidorus Pelusiota: Eò voracitatis te processisse quidam ajunt, ut victus tui reliquiæ alterius mensæ obsonia sint : idq; cùm epulas comessationibus distribuas. Quo quidem nomine calentes lacrymas emittere mihi in mentem venit: quòd cùm obliquè ad Deum gradiaris, atq; ipsius legibus adversarium te præbeas, ipsum quoque in obliqua ira ad te gradientem habiturus sis. *lib. 1. Epist. 165.*

S. Isidorus Pelusiota: Comessatio, vir amice, est tibiæ cantus cum largiore vino ad voluptatem & libidinem extimulans, ac conviviũ in fœdum & obscœnum theatrum mutans, atque per cymbala quædam & instrumenta ad fraudem accommodata convivas mulcens ac deliniens. Quam eos, qui ipsa utuntur, à cœlesti regno exclusurã esse, literis sacris proditum est, quemadmodum ipse nosti. *lib. 1. Epist. 456.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Hos bellandi successus domestica seditio interpolavit, & orta de conviviis usque ad bellum contentio processit : familiari peste hujusmodi Iudæorum viris, ut de epulari ludo se in arma excitent. ac nisi peregrina auxilia Regi præstò fuissent, seditio prævaluerat, &c. *lib. 1. cap. 9. de excid. Hieros.*

Chrysologus : Rex supernus illum qui cum indigna veste in majestatis ejus ausus est intrare convivium, ligari, præcipitari, detrudi in tenebras jussit exteriores : quia deformitas invitati ad invitantis redundat injuriam. *Sermone 23.*

Io. Sarisberiensis : Cùm liberalitatis effectus nunc à loco, nunc à tempore, nunc à quantitate, nunc à personis, nunc ab usu, & assiduitate exercendi, laudetur : illa præcipuè commendabilis creditur, quæ in alimentis & his, quibus natura indiget, aut vita civilis ornatur, clarius elucescit. Ergo qui omnes admittit ad mensam exactissimæ liberalitatis est. Plane quidem, eoque liberalior, quo plures admittit. Sed hoc calculo pauciissimi colliguntur. Proximus est, qui etsi non omnes admittat, eos quos introducit sic cibat, sic potat, sic in triclinijs fulcit, & locat discumbentes in sedilibus, ut nihil vel excogitari lautius possit. Multiplicantur fercula, cibi alii aliis farciuntur, condiuntur hæc illis, & in injuriam naturæ innatum relinquere, & alienum coguntur afferre saporem. Conficiuntur & salsamenta. Garo nihil vilius est, nisi complurium polliceatur effectus, & indicia specierum. Egregium tamen est in hujusmodi quod mimis, & histrionibus, & rumigerulis placet. Hæc enim non ad veritatem, sed ad opinionem omnia fiunt. Coquorum solicitudo fervet arte multiplici, eliciuntur jura, quid quo die geri oporteat, & quotidianis ministrari conviviis domesticus dictator nocte dieq; deliberat. Undecunque conquirit irritamenta gulæ, & unde palati vires exciter hebetati, nihil arbitraris expeditum, nisi cum intemperantiæ fuerit satisfactum. Sunt & qui poculis fercula subruant, & quasi Homerici autoritate decreti incentivum ingenii, & fomitem virtutis, & quendam hilaritatis fontem opinantur, si se omnino mero siceravе proluerint. Phæacum ergo more consurgunt, & qui in exhauriendis poculis perditior est, potior judicatur. Dici solet, quia aleator quanto in arte doctior, tanto nequior, & planè qui bibacior est, alios malitia & iniquitate transcendit. Immolavit Israël apostatans à salutari suo filios & filias suas dæmoniis, & isti dum ingurgitatione vini aut siceræ spiritum deprimunt, & extinguunt scintillulam rationis, se totos immunditiæ prostituunt, & bacchantium spiritui devovent, quidnam possunt familiarius immolare?

Cæterum sunt qui ista contemnant. Quoniam hæc vulgarium, & (ut ita dicam) plebeiorum conviviorum videtur esse professio. Siquidem alia prophetica, alia civilia, alia dicuntur esse plebeia. In his laudi plerumque ducitur, si sic tua prodigas semel, ut trimenstruo toto esuriens conviva impudens, mensas circumeas alienas. Hoc quidem sæpe prodigalitatis, interdum & avaritiæ nota est. Nam ut dici solet, avarus cum incipit, modum excedit. Poteris videre quamplurimos, qui fere anno toto parsimoniæ student, & ad purgandam avaritiæ labem, epulones convocant & parasitos, & collegium nugatorum, qui alienæ nidore culinæ capiuntur, & quos magis honorare voluerint, majoribus oneratos minoribus poculis ingurgitant & distendunt, & donec rabidam orexin excutiant, aliquid amicitiæ, aut festivitati credunt esse subtractum. At hoc ab omni urbanitate adeo procul est, ut barbarici vitiis familiarius sit, quam vitæ civili. Siquidem conviviorum civilium ratio media est, ut etiam sobrietatem exhilaret, & in satietate opulentia crapulam vitet. Nam & abundantiam cibi & potus habet, & quasi copiæ cornu dispensans omnia sic parcit ut effundat, sic effundit ut parcat, & quam habet penes se rationem, non negligit quidem, sed ût ait Portunianus, fides rationem non ostentat impensæ. Nihil enim molestius est, quam si triclinii præsul in convivio sedere videatur ad calculum. Unde non satis mihi videntur esse civiles quidam de liberalitate inepta gloriantes qui singulis noctibus cum servis suis calculum ponunt, & quod effuderunt usu vel abusu diurno, quasi nocturnis lachrymis deflent. Suboriuntur lites, accedunt minæ, arguuntur aut furti aut insipientiæ servi, & quasi re malè administrata, ejiciuntur & torquentur, interdum quoque quod effundere jussi sunt, refundere compelluntur : & conscii turbantur omnes, dum dominus pecuniam quæ evasit, suspiriis & dolore prosequitur. Sæpe etiam evenit, ut qui ad requisita naturæ ingressus est, ibidem quo verecundia fugit humanum aspectum, cum ministris exactissimam sumptuum habent rationem. Recte quidem, quia nullus locus tractandis sordibus eis magis videtur accommodus. Sane non quod sordidum dixerim, si diligens paterfamilias id agit, ut ei ratio constet impensæ : si tamen hoc gradus aut dignitas personæ non adimit. Sed in eo vitam terere, & toto mente versari, & sic quidem ut alius sit & alius videatur, nequaquam arbitror à sordibus alienum.

Et quidem conviviorum civilium teste Portuniano regula est, ut his plurimum pro more condegentium liceat sobrietate hilari non soluta. Nam conviventibus sic morem geri oportet, ut licentia lætior nequaquam in turpitudinem luxuriæ prorumpat. Illa siquidem quasi omnium gentium hostis teterrima & acerbissima vitanda est. Diogenes tyrannos & subversores urbium, bellaque vel hostilia vel civilia non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus & epularum deliciis asserit excitare. Rectius quidem bellorum hostilium, vel civilium matrem & altricem luxuriam, quæ non in sola gula placanda consistit, posuisset, sed totum intellexit in parte, dum illam quæ in cibo, & potu, & venere, & cultu splendido constet, ad gulæ speciem coarctavit. Nam in his præcipue luxuria eminet, & pernicioſius nocet quorum meditatio, & juge exercitium est, ut epulentur quotidie. Hæc enim intemperantia bonos mores subvertit, & totius hominis saluti præjudicat, & nisi coerceatur, prorsus humani corporis fabricam solvit.

Autor est Hippocrates, crassa & obesa corpora cum crescendi modum impleverint, necessariam esse sanguinis demptionem, ut habeant in quæ rursus crescere possint. Alioquin plenitudinis distentæ satietas in paralysin, & pessima genera morborum erumpit. Impossibile est enim in uno statu corporum permanere naturam, sed motu suo crescere vel decrescere necesse est : & nisi crescendi capax sit animal, omnino subsistere nequit. Ferunt & Galenum semper decimæ diei abstinentiam loco efficacissimæ & saluberrimæ medicinalis curæ indixisse, nec facile posse, nisi corruptioris naturæ fuerit, morbis gravioribus subjacere, qui decima quaque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissima diæta transigit vitam. Sunt adhuc qui sextam feriam in jejuno sine cibo transigant, vel eo utantur minimo : quod quidem religioni & incolumitati, sicut expertè loquuntur, certissime servit.

Refert Pompeius Trogus quod teterrimus Siciliæ Tyrannus Dionysius dum gulæ & edacitati deditus erat, oculorum lumen amiserit : Nihil enim est quod certiorem aut citiorem inducat caliginem jugi ingluviæ : quia; ut ait Portunianus, edacitas cibos terit, sed oculos vorat. Galenus, autore Hieronymo, & doctissimus interpres Hippocratis dicit in exhortatione medicinæ, athletas quorum vita & ars sagina est, vec vivere posse, nec diu esse sanos, animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus & ructu cogitare, & ventris ingluvie. Legimus etiam quosdam morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos convaluisse. Caruerant enim solicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam.

Sperne Voluptates : nocet empta dolore Voluptas.

Et cum in amœnissimo agro in morsum voluptuosorum hominum se crassum pinguemque describeret, lusit his versibus:

Me pinguem & nitidum bene curata cute Vises,
Cum ridere Voles Epicuri de grege porcum.

Sed & ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter & exæstuans, & huc illucque se vertens, in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans. Quale illud jejunium, aut qualis refectio post jejunium, cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixioris inediæ famem quærere, tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam jejunium appellandum est, quam crapula, ac fœtens & molesta digestio. hæc quidem Hieronymus. Et licet jejunii faciat mentionem, etiam religione deducta, frugalitatis maximas & saluberrimas commendat utilitates.

Hoc autem eleganter & verè ait Portunianus, neminem civiliter convivari, nisi qui in cibo sibi & potu frugalitatis & modestiæ præscribit formam. Immoderatio cibi & potus, dispensatricem omnium officiorum temperantiam abigit. Ea impellente fit homo ad audiendum tardus, velox ad loquendum, & velox ad iram: Fit ad libidinem pronus, & ad quævis flagitia præceps. Qui modestiam deserit, ad plebeiam convivandi consuetudinem facile prolabitur à civili. Innuit hoc Maro Homericæ perfunctionis fidelissimus imitator, qui dum à rege Phæacum Vlyxem exceptum recolit, Æneam naufragum in convivium Didonis introducit, & Phæacum & Afrorum luxuriam, in convivio eleganter expressit:

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ,
Crateres magnos statuunt, & Vina coronant.

Fit stre-

Fit ſtrepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroq; poposcit,
Implevitq; mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo ſoluti: tum facta ſilentia tectis,
Iupiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisq; diem Troiaq; profectis,
Eſſe velis, noſtroſq; hujus meminiſſe minores.
Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona luno.
Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in menſa laticum libavit honorem,
Primaq; libato ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Poſt alij proceres. cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignis;
Arcturum, Pleiadaſq;, Hyadas, geminoſq; triones.
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni, vel qua tardis mora noctibus obſtet.
Ingeminant plauſu Tyrii, Troeſq; ſequuntur.
Nec non & vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido, longumq; bibebat amorem.

Videſne delicati inſtitutæ convivii proceſſum & exitum? Superflua quidem proceſſiſſe, & luxum epularum gravem fuiſſe indicat, quod præmiſit:

Poſtquam prima quies epulis.

Qui alibi parcioris menſæ ſobrietatem notans, & quæ ſolis neceſſariis gaudet, ait:

Poſtquam exempta fames epulis.

Verùm quia cibus homines tacitos efficit, potus loquaces, ſtrepitum & cætera luxus inſignia, quæ de licentia bibendi proveniunt, prudenter adjunxit. in ipſa quoque agapetarum conſuetudine planum eſt invenire ſuperſtitionem, qua numinis ſolicitatur gratia, & quaſi religioſis precibus innitatur, qui luxu & immunditia piis mentibus inimica procul abigitur. Siquidem aut Deus ſobrius non eſt, aut ei ebrietates diſplicent. Sine menſura bibitur ad menſuram, & is cæteris prævalet, qui aut gula aut dolo ſtravit; aut vicit compotatores.

In ſenies illic qui Neſtoris ebibat annos.
Quem ſit per calices facta Sibylla ſuos.

Potus quidem animum à curis redimit, ſolvit mentem, conceptam lætitiam diſſimulare non poteſt. Prorumpit in cantica, & ab eis ad libidinem vergit. Cithara crinibus Iopas, non ſtultiſſima vel bucolica perſonat amatorum, ſed ea quæ civilis conventus venuſtatem deceant, & philoſophici majeſtatem. Utinam in Chriſtianis legibus remorarentur illa, quæ in luxurioſo Didonis convivio crinitus & incompoſitus Iopas perſonuit. Utinam bucolica vel ſtulticinia amatorum conquieſcant in domo ſapientis, & in ea auditu omnium reſonent, quæ aut proſint, aut ſine turpitudine & corruptione demulceant. Et quidem eleganter innuit in cantico citharœdi poëta doctiſſimus veterum gravitatem. Qui in cœtu civili admittebant, niſi quod naturæ aut morum inſtructione polleret. Plauſum convivii varius ſermo proſequitur, eoque Veneris munia procurante mens ebria longum, inſolubilem, & peſtiferum bibit amorem, quem diffinivit Philoſophus eſſe concupiſcentiam coëundi. *Libri octavi, nugarum Curialium capite ſexto.*

Ioann: Sarisberienſis: Portunianus magnæ libertatis laudibus effert, quod cum multæ leges de cœnis & ſumptibus ferrentur ad populum, caſtigatiſſime illius vigor diu obtinuit, quæ nil obſcœnum habet, quæ nil probat occultum. Præcepit enim ut patentibus januis pranſitaretur, & cœnitaretur, ut ſic oculis civium teſtibus factis, luxuriæ modus fieret. Hoc autem ideo tuto probat Portunianus, quia apud populum caſtigatum, & poſterioris reſpectu aureum, laudi erat frugalitas, & paupertas non poterat eſſe contemptui vel rubori. Nec verecundum erat ut ad cœnam alienam quiſpiam invitatus impudenter irrueret. Supervenire enim fabulis non evocatos, haud equidem turpe exiſtimatur. Verum ſponte irruere in convivium aliis præparatum, nec Homero ſine nota, vel in fratre memoratum eſt. Cæterum leges illæ valuipatæ, ſeu valuifragæ, licet Portuniani judicio optimæ fuerint, obſtinatione tamen luxuriæ & vitiorum invicta concordia, nullo abroganre irritæ factę ſunt. Antonius etſi nulli ſumptuariæ legi paruerit, legem tamen de cohibendis ſumptibus tulit. *Libri octavi, capite ſeptimo, Policratic.*

Ioann Sarisberienſis: C. Cæſar pace urbi reformata, refert Portunianus, ſumptuariæ legis inſiſtens veſtigio, domum civilem potius, quam imperatoriam in menſa prima tribus ſolennibus pulmentis, ſive ferculis, ſtatuit eſſe contentam, dum tamen bellaria parenthetica pro neceſſitate aut dignitate perſonarum, aut exercenda liberalitate, aut ſolennitate, diei, primis menſis licuerit immiſcere. Solennia quidem pulmenta ſunt, quæ in omnes pertranſeunt, & à Græcis Catholica, hoc eſt, univerſalia nominantur. Parenthetica vero, quæ ex cauſa neceſſitatis aut urbanitatis, in præceptam aliqua ratione veniunt partem, ſic dicta, eo quod ſolennibus, id eſt, univerſalibus particulariter ſoleant interponi. Nec enim pulmenta in olere aut legumine duntaxat conſtare certum eſt, tum ex multis, tum ex eo quod Patriarcha Iſaac de venatione filii ſui ſibi pulmentum fieri imperavit. Significant autem bellaria omne genus menſæ ſecundæ, quoniam ibi ſolent apponi quæ pulchriora ſunt & delicatiora.

Utitur autem hoc nomine M. Varro: Bellaria, inquit, ea maximè mellita ſunt, quæ mellita ſunt. Quod forte eo referri poteſt, quod utenti gratiora ſunt ea, quæ neceſſitas appetit, quam quæ irritatio gulæ invenit. Sed forte puſilli videtur animi, qui ad hunc modum primæ menſæ luxuriam cohibet, aut qui facit in talibus legis ſumptuariæ mentionem, nec tamen Cæſare maior eſt, aut magnificentior quiſpiam eorum, qui morum rerumque jactura exercent gulam. Luxuriæ obſequuntur, ſerviunt vanitati, & nequitiam aut negligentiam ſuam nituntur liberalitatis imagine conſolari. *Libri octavi nugarum Curialium cap. 7.*

Ioann. Sarisberienſis: Quicquid in olla ferveat, aut in culina paretur, aut congeſtum ſit in promptuario, aut in menſa reſplendeat, inſipidum eſt & inſulſum, ſi non hilaris vultus indicio, ſaporem ingerat charitatis. nam & Jupiter, ut in fabulis eſt, pauperis hoſpitii acceptavit convivium, & magnas reputavit delicias, quod devota Philemonis anguſtia miniſtravit. Et quidem de illo dictum eſt, ſed apud omnes obtinet.

—— Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners pauperq; voluntas.

Eſt ergo civiliter convivari, hilari vultu, larga manu, diligenti officio, amœnare convivium & quod in uſum ſuppetit, habita ratione perſonarum, loci & temporis, ſingulis diſpenſare, non quidem ex triſtitia vel ex neceſſitate, cùm hilarem datorem & Deus diligat. In uſus iſtorum, licet & Catio.

Ponere ſigna novis præceptis, qualia vincunt
Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona.

Porrò convivia philoſophica, omnino caſtigata & ſuis regulis limitata ſunt, ut qui verſantur in his poſſint nulla cibi & potus impediente moleſtia, ſuis officiis inſervire, ſobria enim ſunt & omni luxuria caſtigata, non impediunt Socratem ne poſitivam juſtitiam exequatur, à naturali inquiſitione Platonem non revocant, memoriam rerum geſtarum non excutiunt Critiæ. Timæus non prohibetur cauſas rerum omnium aperire, nec aliquis à quocunque virtutis officio retardatur.

Hęic neque triſtitiam, neque vultum nubilem contingit in bonis ducere, neque craſſum illud magnopere admirari, quem ſemel ait Lucillius riſiſſe in vita. adſunt utique voluptates, ſed quæ laſcivia carent. adeſt gravitas, ſed quæ lætitiam non excludat. Habent autem & hæc convivia ſuas ſumptuarias vel cibarias leges, non tamen ut rebus, ſed ut perſonis parcant. res enim quatenus utilitas aut honeſtas expoſcit, effundere non veretur: ſiquidem in eis nihil ſapienti earum eſt præter uſum.

Poſt pauca: Stoicorũ vileſcat auctoritas, excludantur Peripatetici, dum vel Epicurus voluptatis aſſertor audiatur. Teſtantur enim multi quod ille omnes libros ſuos replet oleribus, & pomis, & vilibus cibis, dicens eis eſſe vivendum, quia carnes & exquiſitæ epulæ ingenti cura & miſeria præparentur, majoremque pœnam habeant in quærendo, quàm voluptatem in aburendo. corpora autem noſtra cibo tantum & potu indigere: ubi aqua & panis ſit, & cætera his ſimilia, ibi naturæ ſatisfactum: quidquid ſupra fuerit, non ad vitæ neceſſitatem ſpectare, ſed ad vitium voluptatis. bibere & comedere non delitiarum ardorem, ſed ſitim famemque reſtinguere.

Qui carnibus veſcuntur, indigere etiam his quæ non ſunt carnium. qui autem ſimplici victu utuntur, eos carnes non requirere. Sapientiæ quoque operam dare non poſſumus ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget. citò expletur naturæ neceſſitas: frigus & fames ſimplici veſtitu & cibo expelli poteſt. Hæc Epicurus, licet à turpi ſequacium grege traxerit infamiæ notam. *lib. 8. cap. 8. Polier.*

¶ Philosophorum Oratorum Græcorvm.

Xenophon: Quum autem cœnaret Aſtyages, adhibita filia & Cyro, quod puero cœnam illam gratiſſimam eſſe vellet, ut domeſtica minus deſideraret: tum patinas ei, tum condimenta ciboſque varios admovit. Ibi Cyrum dixiſſe ferunt: Quantum tibi, mi ave, negotiorum eſt in cœna, ſiquidem ad omnes iſtas patellas manus extendere neceſſe eſt, & cibos hoſce tam varios deguſtare. Tum Aſtyages: Quid? inquit, an non hæc tibi cœna multo videtur melior eſſe Perſica? Ad quæ Cyrus: Nequaquam ave, reſpondit. nam via multo ſimplicior apud nos & rectior eſt ad ſatietatem, quam apud vos. Etenim ad eam panis & caro nos deducunt, cum vos eodem, quo nos tendentes, multaſque per ambages ſurſum deorſum vagantes, vix eo tandem perveniatis, quo dudum delati nos eramus. Verum,

rum, mi fili, ait Astyages, molestæ nobis obvagationes istæ non sunt, quod si hæc tu quoque gustes, quam suavia sint, licet cognoscas. At vero, inquit Cyrus, video te ipsum, aut cibos hos aversari. Quumque interrogaret Astyages: Unde, fili, conjecturam ducens hoc ais? Quodte, inquit, Si panem adtigeris, nullam ad rem manum extergere video. Sin horum aliquid adtrectaris, statim mappis purgas manum, quasi perquam molestè feras, plenam iis fuisse. Et Astyages: Si quidem ita fili censes, ait, saltem carnibus vescere, quo juvenis domum redeas. Hæc dum diceret, multas ei tam ferinas, quam mansuetorum animalium carnes adferri jussisse perhibetur.

Cyrus autem, cum ea carnium copiam videret: Dasne mihi, ave, carnes has universas ait, ut eis uti pro arbitrio meo possim? Equidem, inquit ille, profecto has tibi do, fili. Ibi Cyrum ajunt de carnibus acceptis inter ávi plerosque ministros familiares distribuisse, quum verba quædam singulis adjiceret: Hoc tibi, qui sedulo me doces equitare. Tibi hoc, qui trágula me donaris. Id enim, quod dem, nunc habeo. Tibi vero, quod avo diligenter inservis. Tibi quod matrem meam honorifice colis. Huiusmodi faciebat, ut fertur, donec carnes omnes, quas acceperat, distribuisset. Et Astyages: Nihilne Sacæ das, inquit, pincernæ: qui apud me in honore maximo est? Sacas autem hic & pulcher erat, & honorario munere fungebatur, adducendi eos ad Astyagem, quibus illo convento esset opus: & alios arcendi, quos minus opportunum putaret adduci.

Tum Cyrus ut expers adhuc verecundiæ puer procacius interrogat: Quamobrem, ave, tantum huic honorem habes? Astyages per iocum: An non vides ait, quam belle, quam decenti gestu pocillatoris munus obeat? Horum enim regum pincernæ pocula scite ministrant, & delicate infundunt, ac tribus digitis pateram quasi vehendo sic tradunt & offerunt? ut hausturo poculum commodissime capiendum porrigant. Cyrus autem: Iubeto, inquit, mi ave, Sacam mihi quoque poculum tradere, quo belle infuso tibi potu te mihi conciliem, si possim. Itaque dari poculum Cyro quum jussisset, acceptum ille pari eluit industria, qua Sacam uti viderat. Atq; hoc modo vultu ad seriam quandam & honestam speciem composito, sic oblatam avo pateram porrexit, ut largum matris pariter & Astyagis risum concitaret. Ipsum etiam Cyrum cum risu ad avum exiliisse proditum est, & inter osculandum dixisse: Periisti Saca, honore te isto dejiciam. Nam & aliis rebus magis industrius te pocillator ero, & vinum ipsum non ebibam. Quippe qui regibus à poculis sunt, quum pateram porrigunt cyatho, haustum ex ea vinum & in manum sinistram infusum absorbent, ut si venena infundant, nihil hoc eis prosit.

Post illa per jocum Astyages: Quamobrem inquit, aliis in rebus scite Sacam imitans, vinum non absorbuisti? Quia profecto metuebam, ait, ne mista in cratere venena essent. Nam cum tu cæna die natalia tuo amicos exciperes plane deprehendi, venena hunc vobis infudisse. At ille: Quonam hoc pacto fili animadvertisti? Quod videbam profecto, inquit, & animis vos & corporibus titubare, primùm enim, quæ nos pueros facere non sinitis, ipsi faciebatis. Omnes enim simul vociferabamini, cum vosmet mutuo prorsus non intelligeretis. Quin & ridicule admodum canebatis, ac quamvis canēte quopiam non auscultaretis, jurabatis tamen optime hominum canere. Præterea cum quisq; vestrum robur suum prædicaret, ut primum saltaturi adsurgebatis, tantum aberat, ut saltare possetis ad numerum, ut etiam erecti stare nequiretis, penitus autem obliti eratis, & tu te regem esse, & illi te suum esse principem. Ac eo tempore primum equidem animadverti æqualem dicendi potestatem id esse, quod tunc à vobis fieret. Quippe nunquam tacebatis. An verò tuus pater, fili, subjecit Astyages, cum bibit, non inebriatur? Non profecto, inquit, Cyrus, quomodo igitur se gerit? Sitire desinit, nec ei quidquam præterea mali accidit. Non enim, ut equidem arbitror, mi ave, Sacas ei à poculis est. *Libri primi, Cyropædiæ capit.* 12. *& seqq.*

Dio Prusæus: Homines sese declarant, qualem quisque animum habeat in publicis mercatibus, nō minus quàm in compotationibus, nisi quòd magis varia sunt quæ in mercatibus accidunt, & plus requirunt temporis. Ergo ad compotationes quidam veniunt bibendi gratia, & nihil aliud faciunt: quemadmodum sitientes viatores, si quando venerint ad fontem aliquem, corpore inclinati toto bibunt. Cæterum hi quidem impleti, sitique restincta, tacitè recedunt, néque clamantes neque dicentes quicquam absurdi. Illi autem multa & gravia interdum & dicunt, & faciunt. Non enim similiter recipiunt indigentes se Nymphæ & Dionysus. verum, utpote bis natus Dionysus, & sub fulmine & tonitru, ut poetæ dicunt, indoctius utentes planè igne replet & revera eorum multos attonitos facit. Hi quidem propemodum insanientes, multa quoque faciunt, qualia Homerus ait Centaurum ebrium in ædibus Pirithoi mala fecisse. At alii natura loquaces, quasi auditores acceperint quosdam ex compotoribus, insensatos & longos digerunt sermones. Alii verò canunt & dissonant, musices vehementer ignari: & propemodum magis sunt molesti, quam qui pugnant, & convicia jactant. Porrò alij austeri & modesti esse volentes, occidunt alios mœsticia, neque bibere neque confabulari cum aliis sustinentes. Qui aut fuerit vir mansuetus, & moribus satis commodis præditus, is & aliorum facile perfert morositatem: & ipse, quantum fieri potest, indoctum chorum ad convenientes modos instaurat consonātia & cantu, & familiares compotationibus sermones infert, dexteritateq; & persuasione conciliat præsentes, ut concinnius & amicius inter se conversentur. *Oratione* 27.

Epictetus: Convivia externa & popularia devita. sed si quando tulerit occasio, animadversio excitetur, ne fortè in vulgarem consuetudinem prolabaris. Scito enim si sodalis pollutus fuerit, eum etiam quem is attigerit, necessario polluī, etsi purus ipse fuerit. *capit.* 45. *Enchiridij.*

Epictetus: Cùm conviva es alicujus, memento eorum quæ apposita sunt precium, quod ad corpus attinet considerandumesse: sed & eam quæ convivatori debetur, reverentiam esse conservandum. *cap.* 38. *Enchir.*

Simplicius: In conviva majorem eligere partem, corpori quidem utile est, & conducibile, & eximium: ad servandam autem communitatem in convivio, nihil valet: nam dirimit communitatem. quare cum aliis edēns, non solum appetitum tuum in iis quæ apposita sunt, considera, ut ex iis delectum agas, sed & eam communitatem respice, quæ irreprehensa tuenda est. *ad cap.* 58. *Epict.*

Epictetus: Curato, ut non ea tantum quæ ventri ingesseris, te laudent, sed & animi hilaritas. nam illa quidem in stercus redacta, torrentis instar affluunt: hæc verò etiam separato animo, perpetuo incolumis manet. In conviviis meditare quemadmodum duo hæc, corpus & animum tractes. quidquid corpori dederis statim effunditur: quod animo, perpetuò servabitur. *apud Stobæum.*

Epictetus: Noli mista iræ luxuria frui. Luxuria enim intra corpus recepta, non multo post perit: ira vero diutissime permanet. Quamobrem vide, ne ira impulsus, convivas lautè simul & contumeliosè tractes, sed ut eos potius placabilitate & frugalitate exhilares. Apum enim muneribus cibos quidem & potiones delinire, dono vero deorum oratione vitia tanquam aculeo acerbe insectari, turpe est. In ferculis curæ tibi sit, ne ministri locupletiores sint iis quibus ministratur. Absurdum enim est, multos homines paucis servire lectulis. Æqualitas servanda in conviviis. Optimum sane fuerit, tum apparandis rebus necessariis manum admovere, tum in convivio ministris impertiri de iis quæ adsunt. Quod si per tempus præstari commode nequiverit: memento tibi otioso ministrare negotiosos, edenti esurientes, bibenti sitientes, loquenti tacentes, exhilarato mœstos. Sic nec ipse inflammatus quicquam inepri in te admittes, neque in alium abs te irritatum committes. Contentio aliena conviviis. *apud Stobæum.*

Simplicius: In conviviis suo quisque arbitratu vel abstinet appositis vel fruitur. *ad cap.* 24. *Epict.*

Simplicius: Non potest fieri, ut à convivatore tribuantur eadem non colenti, quæ colentibus ipsum tribuantur. Cultura vero est, frequentare fores ejus, assectari in foro, omnia ejus & dicta & facta laudare. Ut igitur tu, qui, ut philosophus ista non facias, eadem consequare, quæ qui faciunt, non modo fieri non potest: sed iniquitatis etiam est, & inexplebilis avaritiæ, non dantem ea quibus ille cænam vendit, velle eam accipere. Iniquum enim est, aliena concupiscere. Deinde te cænæ illius expertem, non esse deteriore conditione eo qui cænet: evidenter lactucæ docet exemplo. Nam cum ille cænam habeat, tu habes aliquid cæna præstantius, libertatem tuam, non laudandi eum quem nolis, non perferendi ea quæ in ejus vestibulo feruntur. Si vero & hæc & cænam habere vis: & iniquus es, & insatiabilis, & talis cum sis minus. Neque enim erit quo sis in comparatione melior. *circa finem cap.* 32. *Epict.*

Simplicius: Eruditorum convivia, fercula quidem & pocula cæteraſque suavitates compotationum non præcipuè spectant, sed revera sunt sermonum communicationes & disputationes, ut indicant Platonis, Xenophontis, Plutarchi, & aliorum convivia. vulgariæ verò quæ ad voluptatem referuntur, & corporum oblectationes, pastioni brutarum mutarumque pecudum non fere sunt dissimilia. unde rectè dictum, inter mensam absque sermonibus & præsepe, nihil interesse. Decet igitur virum bonum plebeia convivia suo instituto non congruentia recusare; si vero iis interfit seu festo aliquo postulante, seu patre cogente, aut etiam obsequii causa, aliave graviore, excitetur animadversio, & vigilet animus, seque intra semetipsum contineat, ne se ipso relicto & popularibus cupiditatibus æstuans, ad populi quasi tribum defeiat, & unà cum vulgo brutis appetitionibus inquinetur. nam qui inquinator cupiditates sequitur quamvis antea purus contaminatur, quia scilicet commiscetur impuro. *ad cap.* 45. *Epict.*

Arrianus: Alii sunt subausteri, & è stomacho laborant. ajunt: Ego non possum apud illum cænare, ut eum feram quotidie commemorantem, quemadmodum in Mysia bellum gesserit. narravi tibi frater, quomodo tumulum superarim? rursus incipit obsideri. Alius ait, se potius cænare velle, & auditurum quasvis illius nugas. *capit.* 25, *lib.* 1. *Epict.*

Maximus Tyrius: Refert Homerus Ulyssem, cum navem non haberet, ratem sibi extemporaneam qua navigaret, confecisse: quæ cum vi subito exortæ tempestatis dissiparetur, accepisse à Leucothoe vittam, qua innixus navigare cœpit, donec tandem Phæacum terram appulit. Ubi regis filiam invenit, à qua precibus suis hoc impetravit, ut ab ea in urbem deduceretur, Alcinoum regem sibi propicium haberet, contubernio ab eo juxta ac Phæacum primates exciperetur. Tandemq; orationem ad regem habet, cujus hoc fere est initiū. Equidē res pulcherrima est, rex Alcinoe, præstantē, qualis hic est, au-

est,audire citharœdum. Quid enim sperari in vitâ possit beatius,quâ summam populi hilaritatem,longumq; domi spectare convivorum ordinem,quos omnes cantus delectat: quam mensam probe instructam,plenos vini calices? Mihi ita libeat interrogare Vlyssem: Equidem scire ex te velim,vir sapientissime,quid voluptatem voces? mensámne carnibus ciboque plenam,plenum calicem, magnam vini copiam, & ne quid desit,citharœdum,qui eodem quo ille modo.

Et Laertiada magni & certamen Achillis.

aut equum concavum canat, quo in urbem deferuntur Græcorum principes,quam vino sepultam,invadunt.

Hoccine præcunctis adeo tibi dulce videtur?

Næ tu,sapientissime Laertiade,laudibus miris voluptatem commendas nobis plane trivialem, qualemque Barbarus aliquis qui recens Babylone rediret,commendaret,ubi sumptuosas epulas,vini copiam, & vulgares ejusmodi cantiunculas mirari didicisset. Tu inquam,qui aliis in locis,ut narrare soles, Loti suavitatem, cantum Sirenum potuisti contemnere. Quare cave ne aliud innuere Homerus velit,quam quod prima fronte indicare ipsi versus videntur.

Et mihi quidem videtur,qui mensas omni ciborum genere refertas,qui calices vini plenos,qui inter has omnes voluptates, convivas etiam inducit,qui suavissimo cantu delectentur, honestiorem aliquâ nobis voluptatem proponere voluisse: quam imitari debet vir sapiēs, ut voluptates à minus honestis partibus ad magis decora transferat: à ventre ad aures videlicet. Nisi fortasse ne hoc quidem sufficere arbitreris,ut temere aliquis & sine modo,tibiarum fistularumq; cantu,ut apud poetam est,hominūq; strepitu aures detineat, sed hic ars requiratur aliqua,quæ certa quadam harmoniæ ratione id agat. Verum enimvero cujusmodi ea futura est? Nec enim negare possum,quin & ipse suāma cū voluptate audiam hæc omnia, sive tibiā inflet, sive lyrā pulset aliquis,aut si quod aliud musicum instrumentū suavi modulatione homines oblectet. Vereor tamen ne hæc modulatio voluptatē quidē aliquā ab ipsa arte mutuetur: quia tamen sine significatione ulla,sine verbis est & vocibus,nihil dignū animæ delectatione adferat. Si quis enim eam quæ ex sola modulatione cōstat voluptatem, cum altera illa quæ ex oratione verbisq; hauritur,velit conferre: hāc cibo, illā odori similē videbit. Quorū illi quidē validissime nutriunt,odor vero & qua odor est, res est vilissima,& ad nutriendū nihil cōfert,aut parum. At vero ita aures nostræ oblectandæ sunt,ut simul pascantur: quod fiet si una odorem harmoniæ cibumq; verborū illis largiamur.

Cum ergo nulla re alia quam sermone præstantes convivas oblectari posse sit certū, restat ut quo sermonū genere excipiendi sint, id quoq; sciamus. Sunt enim nonnulli qui judiciorū lites,arteśq; fori cōtentiosas & velitationes imitantur,qui injusta fulciunt,inhonesta adornant,vera adulterant: nihil deniq; sanū aut sincerū adferūt,nihil ex naturæ præscripto loquūtur. Plane ut mancipiorū māgones solēt, qui si genuina corpora, sub puro sole liberoque nutrita aere acceperint,in umbra educant ea & depilant: donec totā illis formā eripiant, quā à natura,quæ omni arte est præstantior,acceperunt. Plane idē agunt forenses illi rabulæ. Hæc vero & ejusmodi, præterquā quod incepta sint admodū & molesta,indigna sunt quibus oblectetur animus.

Itaq; nec Æneanum laudare possum spectacula, quibus in conviis,alii agendo,alii spectando,oblectare se solent. Duo viri,ad tibiæ modos pugnæ simulachra cient. Alter eorum agricolam imitatur,& arat: alter prædonem,& armatus est. Habet & agricola in promptu arma sua,qui simul ac prædo appropinquare incipit, relicto aratro suo arma in manum sumit,cum prædone concurrit: ibi faciem alterius ferit alter; hic vulnerat,ille vulneratur,hic sternit,ille cadit. Minime dignum convivio spectaculū. Cui ego longe antiquam Persarum legem prætulerim,qua libertatem suam consecuti sunt. Deliberare in conviviis Persæ,sicut in concionibus Athenienses,solebant. Cum enim per legem inebriari nefas esset,modicus vini usus,non aliter quā oleum igni infusum, animos eorum excitabat, ut nec ardorem eorū penitus restringueret; nec ultra tamen,quā necesse esset,accenderet.

Oratores vero nostri, cum nulla apud nos lex nimiam illam verborum reprimat licentiā,quovis temulento homine liberius in concionibus insaniunt. Sed Persas jam Athenienses relinquamus,rursus ad nostra redeamus.

Sermonibus ergo pascendi sunt honesti animi, non forensibus tamen. Quibus ergo? Qui ad superiorū cogitationē temporū eos revocent,resq; jam olim gestas spectandas proponant. Nihil est jucundi, quā in historia versari, quā sine labore ullo passim divagari, omnes simul locos intueri: omnibus bellis sine periculo interesse,infinitum temporis spatium contrahere,infinitas res gestas simul cognoscere: quæ ab Assyriis,quæ ab Ægyptiis, quæ à Persis, quæ à Medis,quæ à Græcis facta sunt. Bello nunc terrestri,nunc marino,nunc concionis mediæ videri interesse consiliis. Cum Themistocle in mari,cū Leonide in terra pugnare,cū Agesilao traicere, cū Xenophonte incolumen redire: amare cum Panthea,venari cū Cyro,regnare cū Cyaxari.

Quod si sapiens ea de causa Vlysses dicitur,quod vafer esset,&

Multorumque hominum mores lustrasset & urbes,
Dum sibi dum sociis reditum parsterque salutem
Apparat;

multo sapientior est, qui extra periculum, historiæ lectione sese explet. Charybdin videbit,sed sine naufragio. Sirenas audiet,sed sine vinculis. Cū Cyclope aget,sed miti & pacato. Et si eo nomine felix fuisse Perseus judicatur,q̄ passim alarū vagaretur beneficio, totā terræ naturā,omnia intueretur loca multo & levior certe & sublimior, his Persei alis habēda est historia,quę passim animū circūfert nostrū, nec nudas ei simplicesq; res ostendit. Sed & hominū & fluviorum origines. Quale est illud: *Cræsus Lydus erat genere,Alyattis filius,rex vero populorum,qui &c.* Et,

A Iove enam primum deduxit Dardanus ortum. Et urbis. *Epidamnus urbs est,ad dextram sita,Ionium sinum petentibus cui finitimi sunt Taulantij gens Barbara.*

Vrbs Ephyre posita est Argi anterioribus oris. Sed & fluvij. *Qui à meridianis partibus Septentrionem versus fluens, in pontum sese exonerat,quem Euxinum vocant.* Et.

Quem Xanthum Dij dicunt homines que Scamandrum.

Sola harum rerum narratio est, quæ genus mortale, cui nihil æquè caducum est, nihil quod pereat,quod deficiat citius,memoriæ beneficio æternitati æquat: quod virtutes ejus conservat,immortali gloria actiones ejus compensat.

Hoc est cur Leonides non à Lacedæmoniis illius ævi tantum celebretur,nec tantum ab Athenienśibus,quos ætas illa tulit, Themistocles laudetur. Manet etiā nunc Periclis imperiū,manet justitia Aristidis. Critias adhuc pœnas luit,Alcibiades adhuc in exitium abit. Et ut verbo absolvā,narratio historica & eos qui primo legūt,mirifica voluptate oblectat,& eos qui jā legerūt jucūdissima cogitatione reficit. Quæ igitur è sermone ullo peti voluptas possit, magis grata animo?

Certè quāvis difficile sit multis præclarisq; se opponere historicis, dicēdū tamē est. Equidē licet pulcherrima sit,& quā maximè ad poetarū jucūditatē, ô historici, orationis vestrę accedat cōpositio, alia est tamē quā quæ à vobis peti possit,animi honesti voluptas. Quid enim præteritorū malorū juvat recordatio, nisi prius quo pacto vitāda ea sint cognoscas? Aut quid cōmodi Athenienses ex Attica,aut ex Ionica Halicarnasēses hauserūt historia? Quæ felicitas ex historia Chiis accessit? Si enim honesta posset ab improbis distinguere, aut prætermittere, hęc illa describere,nō minus fortasse rerū gestarū animū juvaret imitatio, quā oculos juvat imitatio pictoris. Nūc, promiscue in historiā infarciūtur omnia,major pars in deteriorib⁹ moratur,vincūt turpia. Vbiq; ferre in historia rapaces, tyrannos, injustos hostes,temere partas felicitates,facinora scelesta, talamitates indignas, tragicos casus invenies. Quorum imitatio periculosa,memoria damnosa, æterna est miseria.

Ego ut plenā voluptatē cōsequar, sanis pasci volo sermonib⁹,sanū requiro cibū,quali Socrates,aut Plato,aut Xenophō,aut Æschines in curāda valetudine sūt usi. Lubidine,metu,mœrore,invidia,variisq; aliis ac diversis anima humana torquetur affectib⁹. Vides cōtētionē durā,cōtētionē implacabilē. Tale bellū mihi describe,Medicū vero relinq;. Talē mihi morbū narra,pestē vero prætermitte. Quē hujus belli ducē quærā,quē morbi hujus inveniā medicū? Hippocratē corporib⁹ relinq;,marinis præliis Themistoclē. Dic aliquē animi medicū,dic aliquē ducē. Si inter homines nō invenias, inter Deos quære.

Ne tamē vel de agro tuo q̄ vastat⁹ sit, vel de mari, q̄ à piratis infestetur,aut obsideatur urbs ab hostib⁹,aut plurimi morbo intereāt,instituę querelā. Pusilla hæc sūt,caduca hæc sūt. Vastari enim seges tua poterit,quāvis Peloponēsij abstinēāt: à piratis infestabitur mare,quāvis in mari classē nō habeāt Athenienses,mœnia tua si Philippus non evertit,evertet certe tempus,interibunt homines, quamvis pestis remittat. *At virtus hominis nunquam reparabilis ullo est.*

De hac Deos consule,quoties invadi, spoliari, oppugnari animam videbis,aut à morbo tentari. Hic oraculo Deorum,hic responso opus habes: hic Deum precare. Audias precor Apollo & Jupiter,aut si quis præterea Deus es,qui morbos animi curare soles,

Si quando hau duno templum tibi munere cinxi,
Pinguiaque in medijs adoleō viscera flammis.

Citius has preces,quā Chrysæ Apollo audiet. Nec enim petes ut pestē immittat, ut sagittas lethales emittat, ut canes,ut aves,ut homines exstinguat. Quæ minime illo Deo,quē musicæ,quē sapiētiæ,quē divinationi præesse voluerūt,digna sūt. Homer⁹ aut⁹,qui hoc illi tribuit, nihil aliud in animo habuit,quā solares radios,qui quavis sagitta velociores per aerē ferūtur,quavis purissima corporis cōstitutione simpliciores sūt. Mihi vero vel Homer⁹ vel Hesiodus,vel si quis alius poeta divinus est,Deū canat,qui mederi possit morbis animi. Hęc Apollinę digna sūt,hæc digna sūt Iove. *Dissertatione 12. Omnis sermonū vo luptate in convivio,majorē esse eam,quæ ex Philosophia percipitur.*

Lucianus: Primò quidē audi quę dicā de carnib. quāquā per cœlū, hæc de Iove nūc dicere me pudet,eum adeò rixosū ac querulū esse,ut quoniā minutulū os in sua portione invenit,me tāto nūc tēpore pro Deo habitū palo affigēdū huc misit,immemor sanè auxilii à me accepti,nec perpēdēs cuj⁹ sit momēti caput hujus indignationis. Nemo enim nō videt puerilē esse hāc excādescētiā & indignationē,q̄a majorē partē nō accepit. Verū hujusmodi cōvivaliū fraudiū,ut puto,meminisse nō est æquū: quin siquid inter epulādū,delicti est cōmissū,q̄ joco ducere,ibiq; irā in cōvivio relinquere cōvenit. Absit autē ut quisq̄ odiū in crastinū recōdat,ac veteris injurię recordetur,& pridiani facti meminerit,q̄ neq; Deū neq; regē decet in primis. Quare si è cōviviis dēpseris festivitates istas,fraudē,dicteria,sales,irrisionē, nihil supest præter temulētiā,sacietatē,silētiū,morosas & injucūdas actiones,quæ cōvivio nullatenus cōveniūt. Ideóq; Iovē facti postridie nō recordaturū putabā: nec tantū ob rē tantillā stomachaturū,śeq; gravissimā injuriā accepisse existimaturū, si cū carnes distribuerem, ludere voluerim,experiendo numin delectu partium,præstantiorem dignoscerer. *titulo Prometheī.*

Libanius: Novi quantis animis eorum qui vocarunt insideant iræ, cū invitatus aliquis à cœtu defecit; scio quanto animi æstu succēsere soliti sint: tamē etsi necessitatē aut casū aliquē obiiciant qui vocati

sunt, Hoc vero jam omnium est infelicissimum, nam quibus par esset consolationem adferre, ob id à quo aberrarunt, hi ipsi arrogantiæ rei pergaguntur; licet jurejurando asseverent, licet illachrymentur sistentes coram invitatoribus, non infortunati, sed improbi magis ab illis habentur. Existimant enim eos defectores, qui non venerunt ad condictum, iracundo in se fuisse animo, & consulto compositoque injuriam feciſſe, ut ne veniam quidem dent, ei præsertim quem artificem sciunt esse, & affectam mensarum. Quid tandem vocator meus causæ esse arbitraretur cur abfuerim? casumne an occupationem? atq; probe noverat me hoc unum agere, totum in hoc esse. An rerum domesticarum curam, cui ne domus quidem est? quid ergo? liberos aut uxorem vi apud se retinuisse? sed me cœlibem esse, ac vix soli sufficere exploratum habuit. profectò quanto prætextus erit apertior, tanto ocyus intempestive delicias agentem aversabitur. tùm quòd satis virium haberem ad iter pedibus conficiendum: tum quòd agilitate, ubi de cœna agitur, iis ante eam omnibus qui in certaminibus contendunt, denique, ut aliud nihil foret, quod cum ipse pedes terra viam suscipere possem, alienos pedes mutuatus fuerim: cujus tametsi ægri malèque affecti ad omnia pedes essent, eos certè ad convivia aligeris similes effici oportuisset. Quare eum repudiaturum commenta nostra arbitror. *Declamatione 7.*

Heliodorus: In littore plena erant omnia recens cæsorum hominum, partim prorsus extinctorum, partim summortuorum partibus corporum adhuc palpitantium, & nuper esse finitum bellum declarantium. Ceterùm non fuerant justi prælij notæ ac indicia, quæ apparebant, sed mixtæ infelicis & infausti convivii, ac ejusmodi finem sortiti miserabiles reliquiæ. Mensæ nimirum dapibus refectæ, quarum aliæ humi in manibus cæde straturum jacebant, cùm armorum loco quibusdam in pugna, ut ex improviso ortò bello, fuissent: aliæ eos qui se absconderant, ut opinabantur, occultabant. Præterea pateræ eversæ, & ex manibus quædam effluentes, partim eorum qui biberant, partim eorum qui pro telis usi illis fuerant. Subitum enim malum, novum usum offerebat, & jaculorum loco poculis uti docebat. Iacebant verò hic securi vulneratus, ille cochlea ictus, quæ indidem exlittore suppeditarat: aliis ligno confractis membris; non nemo re aduſtus, alii alio modo, plurimi autem jaculis arcu emissis confixi. deniq; multiplicem speciem parvo in spacio numen exhibuerat, vinum sanguine imbuens, & convivio bellum adjungens, cædes potionibus, libationes mactationibus promiscuè miscens, & tale theatrum prædonibus Ægyptiis instruens. *lib. 1. Æthiopicorum.*

Helsodorus: Ceterùm ubi calices circumagi oportuit, propinabat quidem Theagenes cuique vel invitus, benevolentiæ ergo. *libro Æthiopicor tertio.*

Heliodorus: Mihi videris numinis vim & naturam optimè intelligere, qui Mercurium juxta Bacchum colloces, & sermonum oblectationem potationi misceas. *libro quinto Æthiopic.*

Philostratus: Discubuerunt Indi, velut in cœnaculo; nullum tamen regi præcipuum locum assignantes, quod apud Græcos Romanosque maximi æstimatur: sed ut cuique in mentem venit, accubuere. *lib. 3. Apollonij cap. 8.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Non indignus sum aliquando huic diviti visus, qui amicus vocarer: ad cujus mensæ quoq; societatem abundans & locuples accederet; & existimaret fore hoc quoq; inter causas amicitiæ, si cœnulam diviti pauper feciſſet, non illam beatam, nec qualem hic potest, non instructam ministeriis (unde enim nobis?) sed ubi & aliquid etiam supra vires facultatum mearum, in excipiendo eo ausus sum. *Declamatione 301. a. m.*

Idem: Invitavi ad cænam: quæ hic circumscriptio est? pauper divitem. venisti: ago gratias. habuisti honorem, & illud humile limen intrasti: at adisti mensam, ad quam cùm venire cœpimus, Deos invocamus. Alioqui jus in me humanitatis est nostra frugalitas, quæ vobis utique velut refectionem quandam & quietem præbet. Inter vestras quoque epulas non semper illa ponuntur peregrinis petita litoribus & sylvis: aliquando hæc vilia quæ rure mittuntur, adhibetis, quæ emere nos pauperes possumus: Cœnasti tamen hilaris, ut vis videri etiam liberalius bibisti. Quare tamen invitavi? quoniam promerenda nobis est vestra potentia. Si qui me detulisset reum, defenderes: si quam injuriam timerem, rogarem te per jus mensæ communis. *Ibidem sub medium.*

Quintilianus Senior: Venenum fratri dicor dedisse in cæna mea. O dij immortales! erat quidem honestius illa defensione patrocinari causæ meæ. Venenum aliquis inter lares suos, inter sacra mensæ, coronatis pariter, quos colebamus, Diis immortalibus venenum aliquis hilaris hilari dedit? Non hoc ipsum obstitit conatibus meis, quòd non credebatur? venenum aliquis circumstante familia, præsentibus ministeriis daret, fœdaturus continuò cadavere illud convivium suum? Ut sevèra nobis antiquitas tradidit, infestos animos placavere mensæ: & homines qui inter se armis atque exercitibus conflixerant, turi tamen jacuere media cœnæ fide. *Declam. 321.*

Plinius Iunior: Cœnavi apud quendam, ut sibi videbatur, lautum & diligentem: ut mihi, sordidum simul & sumptuosum. nam sibi & paucis opima quædam; ceteris vilia & minuta ponebat. vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi; & aliud sibi & nobis, aliud minoribus amicis, aliud suis nostrisq; libertis. Animadvertit qui mihi proximus recumbebat, & an probarem interrogavit. negavi. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono. ad cœnam enim non ad notam invito; cunctisq; rebus exæquo, quos mensa & thoro æquavi. Etiamne libertos? Etiam. convicto es enim tunc, non libertos puto. Et ille, magno tibi constat. minimè. Quei fieri potest? quia scilicet liberti non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod mei liberti. Et hercule, si gulæ temperes, non est onerosum, quo utaris ipse communicare cum pluribus. illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda, si sumptibus parcas, quibus aliquantò rectius tua continentia quàm aliena contumelia consulas. Quorsum hæc? ne tibi optimæ indolis juveni, quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid acciderit, sub exemplo præmonere quid debeas fugere. Igitur memento nihil magis esse vitandum quam istam luxuriæ & sordium novam societatem: quæ cùm sit turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. 2. *Epist. 6.*

Plinius Iunior: Accepi tuas literas, quibus quereris tædio, tibi, fuisse quamvis lautissimam cœnam, quia scurræ, cinædi, moriones mensis inerrabant. Vis tu remittere aliquid ex rugis? equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero. Cur ergo non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum festivumq; delectat, si quid molle à cinædo, petulans à scurra, stultum à morione profertur. non rationem sed stomachum tibi narro. Atq; adeo quam multos putas esse, quos æquè ea quibus ego & tu capimur & ducimur, partim ut inepta, partim ut molestissima offendant? quam multi cùm lector aut lyristes aut comœdus inductus est, calceos poscunt, aut non minore cum tædio recubant, quàm tu ista (sic enim appellas) prodigia perpessus es? Demus igitur alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus. *libri noni epistola decima septima.*

Plinius: Num autem seriis tantùm partes dierum in oculis nostris cætuq; consumis? non remissionibus tuis eadem frequentia, eademq; illa socialitas interest? non tibi semper in medio cibus, semperque mensa communis? non ex convictu nostro mutua voluptas? non provocas reddisq; sermones? non ipsum tempus epularum tuarum cùm frugalitas contrahat, extendit humanitas? non enim ante medium diem distentus solitaria cœna spectator annotatorque convivis tuis immines, nec jejunis & inanibus plenus ipse & ructans, non tam apponis quam obiicis cibos quos dedigneris attingere, ægreq; perpessus superbam illam convictus simulationem, rursus te ad clandestinam ganeam occultumq; luxum refers. Ergo non aurum nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarũ sed suavitatem tuam jucunditatemq; miramur, quibus nulla satietas adest; quando sincera omnia, & vera, & ornata gravitate. neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia mensis Principis oberrat, sed benigna invitatio, & liberales ioci, & studiorum honor. *cap. 49. Panegyrici ad Trajanum.*

Symmachus: Libuit indulgere genio, postquam parvulum nostrum periculo exemptum spes optata respexit. *lib. 2. Epist. 47.*

Symmachus: Omnes ad nos natalicij convivij copias transtulistis. Sed unum defuit quo minus ad nostrum animum redundaret plena festivitas, quòd non vobiscum potiùs cuncta sumpsimus: quorum contuitus atque convictus commendare nonnunquam solet parca convivia. *lib. 6. Epist. 81.*

¶ Poetarum.

Plautus Pseudolo 5. sc. 2 V. 31.

—— Quin vocas spectatores simul?
P. Hercle me isti
Haud solent vocare; neque ergo ego istos.

Plautus Pseudolo 3. sc. 2. V. 90.

Sed utrum amicus hodie, an inimicis tuis
Daturus cænam? B pol ego amicis scilicet.
C. Quin tu illos inimicos potius quam amicos vocas?
Num ego ita convivium cœnam conditam dabo.
Hodie, atque ita suaviter ea condiam,
Vt quisque quidque conditum gustaverit,
Ipsus sibi faciam ut digitos prærodat suos.

Plautus Trinummo 2. sc. 4 V. 75.

Verecundari neminem apud mensam decet.
Nam ibi de divinis atq; humanis cernitur.

Terentius Adelph. 5. sc. 1.

In ipsa turba, atq; in peccato maximo,
Quod vix sedatum satis est; potastis, scelus,

Martialis lib. 3. Epist. 9. 12.

Vnguentum fateor bonum dedisti
Convivis here, sed nihil sedisti.
Res salsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle.
Hic verè mihi mortuus videtur.

Ausonius in Ephemeride.

Quinque advocavi: lex enim convivium.
Cum rege justum. si super, convitium est.

¶ Apologi.

De Claudo primum accubitum occupante. *Fab. 168.*

Claudus quidam ad nuptias invitatus, in primo discubuit loco. Sed magister convivii cum inde detrahens, in vltimo collocavit, dicens: Sedes nulla datur, præter quàm sexta trochæo: alludens ad hunc pedem, cui duæ syllabæ dispares sunt, ut illi pedes erant: & qui in ultima metri heroici locatur sede, ut ille ima convivii parte dignus erat.

Fabula indicat, primos accubitus non occupandos, ne irrideamur inde detracti. Abstemius.

¶ Apoph-

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus: Convivium omne tribus constare oportere, ex Menippa Varronis colligitur: Lectis viris, lecto joco, lecto tempore, quale fuisse illud quod subjungimus, quis audeat inficiari? Dei namque Filius, cùm Matthæum Publicanum ad Apostolatus apicem evexisset, ejus domum ingressus, cum eodem, & pluribus aliis publicanis ac peccatoribus, quibus extremum vale, amicorũ more, Matthæus dabat, discubuit. Pharisæi verò indignati, Quare, dicunt ad Christi discipulos, cum publicanis & peccatoribus mãducat Magister vester? quorum accusationem audiens Jesus, ait: *Non est opus valentibus Medicu, sed malè habentibus.* insinuans, quòd reficiendo nos corporaliter, etiam possimus accumbenti proximo nostro cibos suppeditare spirituales: & ea esse tum demùm lectissima convivia, in quibus non tam curæ est corpus pascere, quàm proximi infirmitates, quę tum vel maximè se produnt, dirigere & sustentare. *Matth. cap. 9.*

D. Ludovicus Francorum Rex: Viros pios & religiosos ad mensam adhibebat, cumq; duos ex illis in aurem colloquentes advertisset, graviter eos objurgavit; *Malè*, inquiens, *facitis domini mei clam colloquendo: clara voce siquid dicendum, exponite: ne quisquam vos malè de se loqui suspicetur.* Significabat autem, non nisi urbana in conviviis communicanda: seria & gravia, in aliud tempus & locum differenda. *Ionuil. in ejus vita, cap. 94.*

S. Hugo Episc. Lincolnienſis: Ille Regum & Magnatum convivia despiciebat, cumq; venissent aliquando a Rege missi, qui adventum ejus jam diu Regem præstolari nuntiarent; *Satiùs*, ajebat, *est terrenum Regem absque me prandere, quam æterni Regis mandatum ab humilitate mea negligi.* Erat autem singulari sollicitudine erga sepulturam mortuorum. *Sur. tom. 6. in vita.*

Petrus Aldobrandinus Card. Apernabatur hic splendidos & regales apparatus, præsertim in conviviis. Vnde cùm Romæ plurimi sollum in id intenderent, ut adventantes heroes majori splendore & gloria exciperẽt, interrogatus à quodã Principe, cujus mẽsã maximè laudaret; *Masinissa Regis*, inquit, *potiùs* (ille enim semel interdiu vesci solitus, idq; sine pulmẽto) *quã Cleopatræ*, quæ, uno ferculo Antonio præparato, centies festertium absumpsit. *Hen. Far. in Apophth. de Princ.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque vulnere haud reditur prandio à Centaurico.
Admodum fert ægrè dives negligi cœnas suas.
Allici cibo cujusquam bene volentiam haud decet.
Apparatum sumptuosum non requirit charitas.
Cœnat optimè ambulando quisquis obsonat famem.
Cùm libet prandeto dives, cùm licet prandeto inops.
Dedecet conviviorum eliminare jurgia.
Difficile est mediocritati dare operam in convivijs.
Difficulter persuadetur nemo ut cœnet lautius.
Est leonis est lupi exsors comparis convivium.
Et suas, poculainter, partes invenit sapientia.
Excipit quivis convivas, sunt parata ubi omnia.
Haud decet verba egredi ulla portulam convivij.
In convivijs decori ratio vel potissima est.
In convivio tacere posse, non est omnium.
Invitantis est habere, haud invitati gratias.
Is placet conviva qui non absque pane fit satur.
Maximeque disquiramus seria inter pocula.
Mensa munda, mensa comis, splendida est jucundior.
Minime amicus est nobiscum qui nunquam edit aut bibit.
Nec mutum esse nec loquacem convivam probum decet.
Non facit convivio aquo justior verbositas.
Pectoris ferè secreta panditur convivijs.
Perplacet symposiarcha siccus atq; sobrius.
Per salem Geniumque jurant, mensa plena queis placet.
Primum adesse parum civile est, ultimum adesse superbulũ.
Quod canicula in balneo, hoc Philosophus in convivio est.
Quod necesse est ingeras ventri, haud etiam omne quod potes.
Sapè per vinum exoriuntur dissidia in convivijs.
Sobria ac pudica passim sunt bonis convivia.
Vasculorum pulchritudo appositos commendat cibos.
Victus esto mundus, omnisque inde luxus exulet.
Viscératio absque amico, vita leonis ac lupi est.
Vt meri dulcedo, verba sic hilarant convivium.

¶ Jambica.

A nemine unquam impunè laditur coquus.
Apud Regem jucunda est cœna qualibet.
Boni bonorum ultro petunt convivia.
Cœna æstimare magno honorem haud regium est.
Cœna optima est, in quam choraules non venit.
Cœna ulla non placet mihi quæ bilem movet.
Convivij augent gaudium vox cum lyrâ.
Convivium septem; novem convitium.
Cordis sapore, haud & palati tollitur.
Cubilis, haud convivij silentium est.
Famen incitat, non sistit cœna splendida.
Haud exeat sermo ullus è triclinio.
Melius de epulis convivæ censent, quàm coquus.
Nec primus ad cœnam venit, nec ultimus.
Non est scelus potare re gesta bene.
Quin jam vel ipsa officia sunt convivia.
Rex Persa mensa participat canes suã.
Semper saknum mensæ medio splendeat.
Silentium molestum est inter pocula.
Tractanda læta haud tristia in convivijs.
Valde indecens est crebrior sputatio.
Valde indecorum est crebrius se emungere.

Corporis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Chrysostomus: Multa sunt quæ carni debemus. nam illam educare, fovere, reficere, curare laborantem, induere, & infinita alia illi suppeditare debemus. *Hom. 14. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Sed nisi mortale, inquit, corpus accepissem, nõ peccassem. Quid verò, dic quæso, illéne habens mortale corpus peccavit? Nequaquã. Non enim si fuisset mortale, pro supplicio postea mortẽ sustinuisset. Quòd autẽ neq; mortale corpus sit impedimẽto ad virtutẽ, sed & castiget, & plurimũ cõferat: hinc est perspicuũ. Nam si expectatio imortalitatis soluũmodò sic Adamũ extulit: si revera fuisset imortalis, quò nõ processisset amentiæ & insolentiæ? Et nunc quidẽ si peccaris, potes peccata solvere; cùm corpus sit humile, & demissum, & dissolvatur: hæ enim cogitationes sufficiunt ad castigandum & deducendum ad moderationem. Sin autem peccasses in imortali, ita abiliora & durabiliora futura essent peccata. Causa ergo peccati non est mortalitas, ne ipsam accuses; sed mala ex libero arbitrio profecta electio, quæ est radix malorũ. Cur enim Abelem nulla injuria afficit corpus? Cur nihil profuit dæmonibus, quòd essent incorporei? Vis scire quòd corpus effectũ mortale non solùm non læsit, sed etiam juvit? Audi quantum ex eo lucreris, si sis sobrius. Te retrahit & avertit a vitio, mœroribus, doloribus, & laboribus, & aliis hujusmodi. At te adducit, inquit, ad scortationem, nõ corpus, sed incõtinentia. Nam hæc quidẽ quæ dixi sunt omninò corporis. Quamobrẽ fieri nõ potest, ut homo, qui in hanc vitã venerit, non ægrotet, & doleat, & angatur animo: fieri autẽ potest, ut nõ scortetur. Quamobrẽ si essent naturæ corporis ea quæ sunt vitii, ea essent universe. Sunt enim ejusmodi quæ sunt naturalia. Scortari autẽ nõ est ejusmodi. Sed hinc quidem est dolere: scortari autẽ est ex electione liberi arbitrii. Ne accuses ergo corpus. Ne tuum honorem auferat diabolus, quẽ tibi dedit Deus. Nam si velimus, optimum frenum erit corpus; animi insultus reprimens, insolentiam cõvellens, arrogantiam prohibens, in maximis & optimis rebus gerẽdis nobis inserviens. Ne mihi enim dixeris eos, qui furiũt. Nam multos etiam videmus equos ferri per præcipitia, auriga deturbato simul cũ freno: sed frenũ nõ accusamus. Non enim illud divulsũ hoc effecit: sed auriga qui nõ retinuit, omnia perdidit. Ita, hæc quoq; reputa. Si videris juvenẽ in orbitate degentẽ, & mala facientem innumerabilia: ne culpam conferas in corpus, sed in aurigã qui trahitur, nempè in rationẽ. Quomodo enim habenæ non exhibent negotium aurigæ, sed omniũ causa est auriga, qui nõ rectè eas tenet: quamobrẽ & pœnas ab eo exigũt, ut quæ cũ eo cõfligãt, & cũ attrahant, & cogant esse participẽ sui infortunij. Ita heic quoq;. Nã ego quidẽ, inquit, os equi loris regebã, quãdiu tu tenebas: postquã autẽ ejecisti, exigo à te pœnas tui cõtẽptũ, tecũq; cõfligo, & attrahor, ne id amplius mihi accidat. Nemo ergo culpã cõferat in habenas, sed in se & mẽtẽ corruptã. Etenim in nobis est auriga ratio; corpus autẽ habenæ, quę equos ducũt ad aurigã. Atq, si eæ quidẽ rectè fuerint affectæ, nihil tibi grave accidet: sin aũt eas dimiseris, abolevisti & perdidisti omnia. Simus ergo modesti & tẽperãtes, & corpus ne accusemus, sed malã mentẽ. Est enim hoc opus diaboli, efficere ut stulti magis omnia accusẽt, nẽpè & corpus, & Deũ, & proximũ, quã mẽtẽ corruptã: ne si causã invenerint, liberẽtur à radice malorũ. Sed vos cum cognoscatis insidias, in eum iram convertite: & cùm aurigam vehiculo præfeceritis, mentis oculum ad Deum convertite. *fine Homiliæ 17. ad Corinthios 1.*

D. Chrys: Nihil est in nobis ignobile & inhonestũ: est enim Dei opus. Quid enim partib. genitalibus in nobis videtur esse inhonestius? Sed tamẽ majorẽ honorẽ assequũtur: & qui sunt valdè pauperes, etiãsi reliquũ corpus habeãt nudũ, nõ sustinuerint illa mẽbra nuda ostẽdere. Atqui nõ est his ordo inhonestorũ & infamiũ, sed magis oporteret despici, quã alia. Etenim servus qui domi est infamia & ignominia affectus, nõ solũ nõ magis curatur & fovetur, sed nec iisdẽ dignus cẽsetur. Quare si hoc quoq, esset inhonestũ & infame: nõ solũ nõ oporteret id majora cõsequi, sed nec eadẽ. Nũc aũt majore honore fruitur: id quoq; operata Dei sapiẽtia. Nã illis quidẽ in natura dedit, ut nõ egerent: his aũt quoniã in natura nõ dedit, ut præberemus coegit. Sed nõ propterea sunt inhonesta & ignominiosa. Nã animalia quoq; natura habẽt insitũ, ut nullius rei sint indiga: & neq; vestimẽtis opus habent, neq; calceis, neq; tecto eorũ plurima. Sed nõ ideò est eis nostrũ corpus inhonestus nec ignobilius, quoniã his omnibus indiget. Etenim si quis quã accuratè & exactè examinaverit, ipsa etiã natura sunt & honesta & necessaria. Quòd quidẽ ipse quoq; tacitè innuit: ut qui nõ ex nostro studio ac diligẽtia, neq; ex eo quod majorẽ assequuntur honorem, sed ex ipsa rerũ natura eis suum tulerit suffragium. Et ideò quando dicit quidem infirma, & inhonesta, ac ignobilia: dicit, Quæ videntur. Quando autem necessaria: non utique addit, Quæ videntur, sed ipse pronunciat: dicens esse necessaria, & merito. Sunt enim utilia & ad liberorum procreationem, & generis nostri successionem. Quamobrem Romanorum quoq; legislatores, eos qui hæc membra excidunt, & eunuchos faciunt, puniunt; ut qui communi generi inte-

ritum afferant,& ipsi insultent naturæ. Sed pereant impudici & libidinosi, qui Dei opera vocant in invidiam,& faciunt ut malè audiant. Quomodo enim multi vinum execrantur,propter eos qui inebriantur;& sexum mulierum,propter eas quæ adulterantur.ita etiam membra hæc turpia esse duxerunt, propter eos qui non ut decent,eis utuntur.Sed non oportebat.Non enim reinaturæ attributũ est peccatũ,sed nascitur ex libero arbitrio ejus qui delictũ admittit. *Hom.31.ad Cor.1.*

Chrysostomus: Si dicis,multa esse membra eaque differentia:disce quod id ipsum quidem est mirabile , & corporis eximium, quando multa & diversa unum fecerint. si autem non essent multa,non esset adeo admirabile & superans opinionem,quod unum esset corpus: vel potius ne esset quidem corpus. *Homilia 30.ad Corinth.1.*

D. Chrysostomus : Ne ergo quoniam corpus est minus anima,id vitupera. Nam nec ego patior vituperari animam,quoniam nihil valet absq; spiritu. Si autem aliquid sit dicendum , majorem reprehensionẽ meretur anima.Nam corpus nihil mali fecerit absq; anima:sed anima multa absq; corpore. Etenim dum illud tabescit & non exultat,hæc multa mala facit:sicut illi præstigiatores,magi,invidi, venefici,corpus attenuant & macerant.Alioqui autem nec deliciæ sunt ex necessitate corporis,sed ex eo quòd non attendat anima.Alimentum enim est ex necessitate corporis,non deliciæ.Si velim frænum vehemens & asperum immittere,equum reprimam ac frænabo. Corpus autem animum non potest cohibere in ejus malis. Cur ergo eam vocat prudentiam carnis ? Quoniam tota est carnis. Quando enim ipsa dominatum obtinuerit tunc peccat , quando mentem ademerit & animæ imperium.In hoc ergo consistit virtus corporis, quòd cedat animæ.Nam per se nec est bona,neq; mala. Quid enim per se fecerit corpus ? Quamobrem conjunctione bonum est corpus propter subjectionem.Nam nec bonum est nec malum, ad hoc autem & illud aptum,ad utraq; est propensum. Corpus concupiscit,sed non scortationem,nec adulterium,verùm coitum. Corpus concupiscit,non delicias,sed nutrimentum ; nõ ebrietatem,sed potum.Nam quòd ebrietas non sit concupiscentia corporis,vide quomodo : non amplius retinueris quando modum excesseris , & corporis terminos moveris. Nempe alia omnia sunt animæ,quando deiicitur ad carnalia,quando crassa evadit.Nam etsi bonum sit corpus,est tamen longè minus anima;sicut plumbum auro , sed tamen plumbo etiam opus est quod onglutinet.Ita etiam animæ opus est corpore : quomodo puer ingenuus opus habet pædagogo. *Homilia 5. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Nos solemus in unitis,& quæ multam habent consequentiã,dicere,est unum corpus. Ita etiam nos in unione accipimus unũ corpus uno capite.Si est autẽ unum caput & unũ corpus, constat corpus ex membris honestis & non honestis. Ceterùm neq; in visissimum insurgit id quod est majus,neq; hoc illi invidet.Atqui non eundẽ usum nec eandem functionem omnia afferunt,sed convenienter rationi necessitatis, & quia facta sunt omnia necessariò & ad diversos usus,omnia sunt honore paria. Sũt autem alia quidem præstantissima,& quæ maximè dominatum obtinent,alia verò minus.ut caput est totius corporis præstantissimum& magis dominatum obtinens,ut quod in se habeat omnes sensus,& animæ principatũ, neque absq; capite vivi potest. Pedibus autem amputatis multi vixerunt lõgò tempore. Est itaq; id illis non solùm situ præstantius,sed etiam operatione & ordine.Quare verò hoc dico? Sunt in Ecclesia multi, sunt & qui sunt in altum erecti ut caput, considerantes & speculantes cœlestia,sicut oculi in capite,multũ distantes à terra,& qui cũ ea nihil habent comune. Alii autem tenent locũ pedum,terrã calcantes,sed pedũ sanorum.Non enim pedibus datur vitio , quòd terram calcent, sed quò ad malũ currant.Nam pedes,inquit,eorũ currunt ad malum. Neq; ergo,inquit,oculi extollantur,& superbè se gerant adversus pedes:neq; pedes oculis invideant , alioqui unicuiq; sua propria tollitur pulchritudo,& suus perfectus impeditur usus & sua functio.& qui insidiatur proximo, sibi primũ parat insidias. Nam & si pedes nolint portare caput eò quò est egredi necessariũ,sibi quoq; interitũ afferũt propter immobilitatem & pigritiam : & si caput nullam velit pedum curam gerere,ipsum primum lædit. At illa quidem alterum in alterum non insurgere est consentaneum. Sic enim ordinatum est naturaliter. *Homilia 10. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus : Tunc in eo statu in quo convenit erit corpus, quando optimum principem qui ei imperet fuerit assecutus.fine *Homiliæ 13. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus: Caro concupiscit adversus spiritum.Carnem hic appellat cogitationem terrestrem,socordem & incogitantem. Hæc enim non corporis est accusatio,sed animæ negligentis crimen : siquidem hujus instrumentũ est caro. Instrumentum autem nullus adversatur oditve,sed eum potiùs qui organum malè tractat.Neq; enim ferrum,sed homicidam & odimus & punimus.Atqui dixerit aliquis, hoc ipsum est accusare corpus , animi peccata carnis appellare vocabulo. Ego verò fateor quidem carnem animâ inferiorem esse,sed hanc quoq; pulchrã esse. Non enim quod pulchro inferius est,statim malũ est,sed ipsum quoq; bonũ.Malũ autem nõ est minus bono, sed contrarium.At tu si demonstrare potes malitiã à corpore proficisci,accusa carnem.Quòd si ex appellatione conaris struere calumniã, tempus tibi est,ut simul accuses & animã:quandoquidem&animalis homo dicitur,qui veritate privatus est. Et spiritus malitiæ dicuntur dæmonum multitudo.Rursus carnis vocabulo scriptura solet appellare mysteria totamq; ecclesiã,dicens eã Christi esse corpus. Quòd si vis etiam officia cernere quæ per carnem præstantur,hinc considera. Imaginare sensus extinctos esse, & videbis animam omni cognitione destitutã,neq; quicquã eorum quæ nunc novit nosse. Etenim si potentia Dei dum ex opificio mundi per res conditas intelligitur,cõspiciatur,quomodo videre poterimus absq; oculis?Quod si & fides ex auditu est, quomodo sine auribus audiemus? Prædicare verò & circũcursare,linguæ pedumq; cõstat adminiculo.Quomodo enim,inquit, prædicabunt,nisi mittantur? Et scribendi munus peragitur manibus. Vides ut innumerabilium causa bonorum est carnis ministerium ? Ceterùm cùm dicit , Caro concupiscit adversus spiritum, de duplici loquitur cognitione,quatum altera alteri adversatur,videlicet virtutis & malitiæ,non anima & corpus.Nam si hæc sibi invicem adversarentur,se ipsa tollerent;non aliter quàm ignem aqua,tenebræ lucem. Sin corporis curã agit anima,multaq; solicitudine illi prospicit , innumeraq; patitur,ne deserat illud,cùm vi abrumpitur obsistit ; ac vicissim corpus animæ subservit,multarumq; rerum ipsi cognitionem adfert,& ad illius operationem compositum est:quei possunt hæc esse contraria,& inter sese pugnantia ? Nam ego non solùm non contraria,verùm etiam magnoperè concordia , seque vicissim ruentia conspicor ex ipsis factis. *cap. 5. ad Galatas.*

D. Chrysostomus : Sicut fictile vas nihil est aliud quàm coctum lutũ ; ita & corpus nostrũ nihil aliud est quã lutum animæ calore solidatũ.hujusmodi deniq; si sepius decidat,defluit atq; conteritur.Quid autẽ ossa,quæ adeo valida sunt & arida,à testa figuli differunt ? quid à luto carnes?noñe eque ex humore materiẽ trahunt? *2.ad Tim. Hom 6.*

D. Io. Chrysostomus : Si quidem sola anima virtutis opus exequi posset,corporis cura minimè necessaria videretur. quod si ejus cura plurimum confert , nonne est extremæ dementiæ illud omnino negligere. *ad Titum Epistola Homil. 1.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Epictetus: Tardi ingenij signum est in rebus corporis immorari: velut exerceri diu , edere diu , potare diu , cacare diu,coire diu. nam hæc quidem facienda sunt obiter : cura autem omnis ad animum est transferenda. *cap. 63. Enchir.*

Epictetus : Mederi animo est magis necessarium,quam corpori. Nam mors improbæ vitę præstat.Pyrrhon dicebat,nihil inter vitã & mortẽ interesse.Sed rogatus à quodã,Cur ergo ipse non moreretur ? Ob istuc ipsum,inquit,quod nihil interest. Mira quædã res est Natura,& ut ait Xenophon,vitæ amans. Corpus enim omniũ molestissimũ & sordidissimũ diligimus & curamus.Quod si quinq; tantũ dieb. vicini corpus curandũ esset:eã ferre molestiã nõ possemus.Quam esset grave,mane,cũ surrexisset , alienos fricare dentes : & illas purgare corporis partes,quæ ad naturæ necessitatẽ datæ sunt? Omnino mirũ quiddã est,eam nos rẽ diligere,cui toties singulis diebus inservimus. Impleo saccũ hunc,deinde exonero. Quid hoc molestius? Sed Deo me parere oportet : eaq; de causa nõ recuso manere in vita,& miserũ hoc corpusculũ lavare,pascere,tegere. Cũ verò junior essẽ,etiã aliud quiddã mihi imperabat,eoq; nihilo minus id ferebam. Cur igitur repugnatis,cũ Natura corpus,quod dederat,vobis aufert?Amo id,ajunt. Ergo id quod modo dicebã istum ipsum amorẽ Natura vobis dedit. eadẽ vero ait:Amitte ipsum jam,neq; sis.amplius occupatus. Si adolescens mortẽ obit,accusat Deos,quasi ante diem fato obreptus. Si senex curis & negotiis implicatur, quæritur se tũ esse occupatum,cum requiescẽdũ esset,& nihilominus ingruente morte vivere vult:accersit medicũ;orat ne ulli labori & diligentiæ parcat.Mirabiles profecto homines,qui neq; vivere velint,neq; mori.Lõgiori vitæ&deteriori, brevior&melior omnibus utiq; modis est præferẽda *apud Stobæũ.*

Simplicius : Corpus firmum à primo sui ortu semen,& sanam coagmentationem flagitat:flagitat & bonum victum,& exercitationes, salubriaq; loca,salubrem,aërem & aquas bonas:quæ si omnia suppetant,fortius id ad cujusvis muneris functionem efficere licebit. Neque verò quidquam horum nostri arbitrij est,ut ea omnino vel consequamur omnia vel propulsemus. *ad cap.2. Epict.*

Simplicius : Quemadmodum ingenioſi homines in summis, perfectis & exquisitis naturæ suæ rebus elaborant & iñorantur : ita stupidi & hebetes in imperfectis, extremis , generalibus & vulgo tritis versantur.Itaq; si homo,cujus ab animo rationis compote natura pẽdet,qui corpore ut instrumento utitur , omissis naturalibus animi actionibus corpori iñoretur : hebetis id ingenii signũ est,ut & hujus rei causa est obtusior acies animi.Quis enim artifex alicujus pretii in curandis instrumentis terit tempus , arte quæ his usura est neglecta ? Neq; vero obtusi tantũ ingenii signũ est,occupari circa corpus : sed iñodici etiam ejus amoris. Quibus enim gaudemus atq; afficimur, ijs iñoramur. Est igitur,inquit,occupatio corporis,accessio quædã judicanda:præcipua vero cura ei impẽdẽda,quod corpore utitur.Hæc enim justa est nostri adversus illud officij distributio *ad c. 63. Epict.*

Simplicius : Qui vitam rationis capacem agit,corpore utitur ut instrumento ; ac debet ejus vitæ perfectioni, suam appetitionem & declinationem accommodare. *ad cap. 73. Epict.*

Arrianus : Quod si Epicurus dicat,in corpore bonum esse oportere ; rursus longum fit ac necessum est audire quod præcipuum sit in nobis? quæ natura nostra? quæ vis & forma sit? nam si cochleæ bonum , in testa esse positum probabile non est,num hominis in ea esse bonum probabile est? *cap. 20. lib. 1.*

Quintilianus: Tenues rerũ imagines solẽt cogitationibus accipere corpus,cũ vanæ absenti animo cogitationes fingũtur. *Decl.10.§.4.*

¶ Emblematum.

Batillius. LXXV.

Corpus terrenum,animæ cœlestis.

Vt rota dum steterit , multo pars maxima terrã
Ejus abest , terram pars brevior que premit ;
Sic terræ corpus pars nostri vilior hæret ,
Pars animus melior se super astra levat. Batil-

Batillius. LXXVI.
Corpus mortale, homo tamen, id est, animus tormenti & mortis expers.

Quam fortis hæc animo sapiens clamabat in hostem
Senserat in pilâ quum sua membra teri,
Tunde hominis follem, cruciatus quoslibet adde,
Non nisi jus illi corporis hujus habent.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Dorotheus: Monachus quidam, nomine Dorotheus, quum corpus suum acerbè admodum maceraret, interrogatus, cur ita corpus suum conficeret? Quia illud, inquit, me conficit. *Sozom. eccles. hist. lib. 6. cap. 29.*

Benjamin: Monachus Benjamin, dono miraculorum præditus, quum morbo permultos menses gravissimo premeretur, accedentes fratres orabat, ut pro anima sua Deo preces funderent, de corpore se nihil laborare: Quandoquidem, inquit, cùm rectè valeret, nihil me iuvit: & cùm jam affligitur, nihil lædit. *Sozom. eccles. histor. lib. 6. cap. 29.*

¶ Monosticha Trochaia.

Absq; nervis ambulare posse homines medici negant.
Alget pes minus duram qui calcat, quam teneram nervem.
Alternans frigus calorque non conducit corpori.
A Venere aque Baccho frustra corporis robur petas.
Augescunt lentè, citò sed extinguuntur corpora.
Corpora qua citò calescunt, eadem frigescunt citò.
Corpori fas indulgere, et servire sed nefas.
Corpori indulgere noli, ex quo dolere dein queas.
Corpori quantum addis, tantum detrahis solertiæ.
Corpori quod addis, omne detrahis solertiæ.
Corpori servire jus, sed factum ubi jam est animo satis.
Corporis curare oportet partem agram, haud abscindere.
Corporis manus totius dicas propugnaculum.
Est eis volup fricari psora quos sua obsidet.
Fronte perturbere oportet perturbatus pectore.
Instar arcis, in supremo vertice Urbis, est caput.
Membra corporis sunt sarcina ijs ut qui non queunt.
Multarum artium magistram hominis natura dedit manum.
Nemo dignus est DEO cui corpus est carum nimis.
Non modo os ac lingua currus sunt sermonis, ast manus.
Omnium non est in corpore vivere absque corpore.
Ossa si turbantur haud est membrorum ulla firmitas.
Sanguinem pudor diffundit, contrahit vero timor.
Si corpus regas tibi ullam ne pariat molestiam.
Tolle homini manus, salum salumque nemini utile est.
Vasa non sunt sanguinis sed spiritus, arteria.
Vena sunt quasi canales irrigando corpori.
Usus servire oportet corporis, non luxui.

¶ Jambica.

Ægerrimè cui capitis auferas cutem.
Contra feras homini arma tuta sunt manus.
Corpus quadratum corporum est habilissimum.
Corpus quid est quàm dolium haud explebile?
Corpus reliquum, corrupto corde, inutile est.
Dextram sibi qui aufert sinistrâ perfurit.
Et vile honestum est, corpus cui carum nimis.
Heu quod suimet nemo est dominus corporis.
Homo sui non est mancipium corporis.
Lapit cor cura, arumna corpus conficit.
Magnus labor subitusque corpus conficit.
Medulla non à semine est sed sanguine.
Modus adolescendi humani corporis septem pedes.
Nemo pius habitu corporis censet suos.
Nihil supervacaneum est in corpore.
Omitte corpus, rem sepulchri ac funeris.
Orbi quod est Sol, oculus hoc & corpori est.
Plus sanguinis vena est, minusque spiritus.
Plus spiritus arteria est quàm sanguinis.
Purges caput: nam sensuum palatium est.
Quadam simul prosunt nocentque corpori.
Quæ tenuiora, & saniora corpora.
Spectare noli quemquam e trunco corporis.
Vix perseverant charitates corporum.

Correctionis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Greg. Nazianzenus: Qui quidem (Constantius Imp.) etsi quid nobis molestiæ exhibuit, non nostri contemptu id fecit, necut nos contumelia afficeret, aut quod aliis quibusdam potius quàm nobis commodare cuperet; sed ut omnes in unum coiremus, animorumque consensione jungeremur, neq; per schismata inter nos dirempti ac dissecti essemus. *Oratione 3. steliteutica 1. in Iulianum.*

D. Chrysostomus: Quemadmodum usu venire videmus iis, qui morbo laborant, ut cùm morbus nõ ingravescit, tum sanitatis initiũ fiat: sic & in ipsa vitiositate ulteriùs ne processeris, & tibi malitia finem habuerit, qui si id duos dies feceris, terti ò faciliùs abstinueris, ac si post dies tres decem addideris, fiet, ut viginti deinceps addas, ac deinceps centum, tùm autem vitam totam. quanto enim magis progressus fueris, eò magis facilem viam offendes. ad postremum in ipso constitutus fastigio, bonorum multorum fructum simul decerpes. *Homilia 10. ad Romanos.*

Chrysostomus: Ex maledicentia quidem nascitur odium & apud homines & apud Deum, & hoc non est tibi curæ. Ex eo autem quod das seorsum consilio, & ex ejusmodi reprehensionibus; & apud homines, & apud Deum erit tibi amicitia. Quòd si etiam ipse te oderit, propterea Deus manet te magis diligens. Imò verò nec sic oderit, ut quando odio habebat maledicentem. Sed tunc quidem tanquam inimicum & hostem aversabitur: nunc autem existimabit te quovis patre magis reverendum. Quòd si etiam apertè animo ægrè ferat, seorsum apud se magnas tibi habebit gratias. Hæc ergo cogitantes, curam geramus nostrorum membrorum: neq; linguam alter in alterum acuamus: neq; verba loquamur, quæ demergant & obruant; proximi bonam famam subvertentes, & non secus atq; in bello & pugna sauciantes & sauciati. Quid enim jam prodest jejunium aut vigilia; quãdo ebria fuerit lingua, & caninis carnibus immundiorem mensam comedit? ut quæ sanguivora effecta sit, & cœnum effundat, & cloacæ canalem os faciat; imò verò eo longè impurius & magis abominandum. Nam quod illinc quidem procedit, corpº polluit: quod hinc autem, sæpe suffocat animam. Hæc dico, non eorum qui malè audiunt temerè curam gerens; nam illi quoque digni sunt coronis, cùm quæ dicuntur ferunt fortiter: sed vestrum qui dicitis. *Hom. 44. ad Cor. 1.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Sicut optimi ac peritissimi medici dissimillibus morbis curas dispares præstant, atq; aliis per dulcia medicamina aliis per amara succurrunt, & quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri sectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem; & tamen diversissimis licet curis eadem salus quæritur: Ita etiam Deus, si quando nos plagis austerioribus coërcet, quasi cauteriis & sectionibus curat: quando autem rebus prosperis refovet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. per diversam enim medicaminum opem, ad unam nos vult perducere sanitatem, &c. *libro sextõ de gubernatione Dei.*

Salvianus: Atq; utinam pœna ipsa prodesset! illud gravius ac luctuosius multo, quod post pœnam nulla correctio est. Curare nos vult castigationibus suis Dominus, sed curam remedia non sequuntur. Quid hoc mali est? jumenta ac pecudes sectione curantur; & putrefacta mulorum, asinorum, porcorum viscera, cùm adusta cauteriis fuerint, munus medicæ adustionis agnoscunt, statimq; ubi aut crema ta aut desecta fuerit vitiatorum corporum labes, in locum demortuæ carnis viva succedit. Nos & urimur & secamur, sed nec ferri desectione, nec cauteriorum adustione sanamur; imo quod gravius, curæ ipsa deteriores sumus: & ideo non frustra nobis obvenit, quod pecudibus & jumentis solet quæ irremediabiles morbos ferunt. nam in omnibus partibus mundi quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occisione finimur. *initio libri septimi de gubernatione Dei.*

¶ Philosophorum Oratorumque.

Arrianus: Si quis olim tibi hæc de me dixisset, esse aliquem qui me adulterare cogeret, & talem vestem ferre, & unguentis delibutum reddi: nonne accurrisses & hominem qui me sic abuteretur, jugulasses? Nunc ergo non vis tibi ipsi opem ferre? Quanto autem facilius est illud auxilium? Non est occidendus quisquam, non vinciendus, non afficiendus contumelia, non in forum prodeundum: sed tecum ipso colloquendum, qui maxime obtemperabit, apud quem nemo plus auctoritate valet, & gratia. Ac primum quidem ea quæ facis improba, ubi improbatis, de te ipso ne despera: neque id usu tibi veniat quod ignavis hominibus, qui semel remissa industria, omnino frenum laxant pravis cupiditatibus, & velut à torrente abripiuntur. Observa potius pædotribarum consuetudinem. Prostratus est puer? Surge, inquit, denuo luctare, donec vires tuæ auctæ confirmataque fuerint. Ad eundem modum & tu facito: scitote nihil esse animo humano tractabilius, Velle oportet, factum est, correctum est: ut è contrario, si oscitarit periit. Intrinsecus enim est & interitus & adjumentum. Quid vero ex eo mihi boni est? Quod nam isto majus bonum quæris, si ex impudenti verecundus fias, è petulanti modestus, ex infideli fidelis, è luxurioso temperans? Si qua alia his majora quæris, fac quæ facis: ne deorum quidem quisquam te servare potest. *cap. 9. lib. 4. Epicteti.*

Latinus Pacatus: Sic est: exasperat homines imperata correctio. blandissime jubetur exemplo. *cap. 14. Orationis ad Theodosium Augustum.*

Videantur plura titulo *Correptionis & Reprehensionis.*

Correptionis.

¶ SENTENTIÆ APOPHTHEGMATUM SACRORUM.

SALOMON: Correctio commendatur, Proverb. 22. 17. Eccles. 7. 7. 8. *Qui odit eam, peribit*, Proverb. 15. 10. & 19. 16. & 27. 5. 6. & 15. 12. 14. 32. & 23. 9. *Vtilis est*, etsi dura sæpe videtur, Proverb 13. 18. & 15. 31. & 19. 20. & 20. 30. *boni audiunt eam*, Proverb. 9. 9. & 10. 8. & 12. 1. 15. & 17. 10. & 25. 12. & 29. 1. *mali eam spernunt*, Proverb. 10. 5. 12. 14. & 29 9. *est illis inutilis*, Proverb. 9. 7. 8. & 19. 25. & 21. 11. *quæ maximè audienda*, Proverb. 19. 27. & 23. 23.

Idem: Herodes tetrarcha prehensum Joannem vinxerat, & conjecerat in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei Joannes, Non licet tibi eam habere. *Matth.* 14. 3. 6.

Iesus Christus Dominus noster: Errores, hypocrisin, impietatem & superstitiones Pharisæorum, Sadducæorum, Scribarum passim apud Evangelistas corrigit, acerbe reprehendit & damnat. Quæ correctiones cùm innumero ferè sint numero, theologiæ studiosis facilè occurrent.

D. Petrus Apostolus: Dixit ad Ananiam, Cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris in Spiritum sanctum, & interverteres ex pretio istius prædij? Nónne si servasses, manebat tibi, & venundatum erat in tua potestate? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Actor. 5. 3. &c. Eadem autem animi à Spiritu sancto impulso vehementia Sapphiram Ananiæ uxorem objurgavit Petrus, tantáque fuit istius correptionis efficacia ut maritus & uxor corruerint & animam efflaverint ad pedes Apostolorum. *Actor. 5. cap.*

Idem: Simon quidam Samarites videns per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecunias, dicens, Date etiam mihi istam potestatem, ut cuicunque imposuero manus, recipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ei, Argentum tuum tecum pereat, qui donum Dei existimaris pecuniis acquiri. Non est tibi pars neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu. Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur cogitatio cordis tui. Video enim te in felle amarissimo & nexu injustitiæ positum. *Actor. 8. 18. &c.*

D. Paulus Apostolus: Quum ei magus quidam obsisteret quærens avertere proconsulem Sergium Paulum à fide, intentis in magum oculis, repletus Spiritu sancto dixit: O plene omni dolo & omni maledicentia, fili diaboli, hostis omnis justitiæ, non cessabis invertere vias Domini rectas? Nunc igitur ecce manus Domini adversum te: erísque cæcus non videns solem ad tempus. Illico verò incidit in eum caligo ac tenebræ, & circumiens quærebat qui ipsum manu duceret. *Actor. 13. 10. 11.*

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

S. Ioannes Baptista: Ingrediamur pelagus CORREPTIONIS FRATERNÆ, quæ innata vitia, aut consuetudine vitiosa nobis insita, rectæ rationis fræno coërcet. Liberalem admodum hoc in beneficio Christum Dominum existitisse, documento sunt Sacræ litteræ. In quibus etiam de ejusdem PRÆCURSORE memoriæ proditum: quòd cùm videret multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, sciens eos simulato magis quàm sincero animo id agere, *Progenies*, inquiebat, *viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Seria correptione, quid faciendum esset, amicè designabat. *Matth. cap. 3.*

Cæcus Evangelicus: Inter cetera notatu digna in hoc CÆCO, unum illud est, quòd calumniantibus Pharisæis tam animosè, at verè responderit. & quidem dicentibus se Moysis discipulos, ac Christum nescire unde sit; *In hoc*, ajebat, *mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Pulchra & efficaci argumentatione, stolidas Pharisæorum calumnias corripit & refutat. *Ioan. cap. 9.*

Latro Pœnitens: Quis non miretur etiam in LATRONE, cui dolores omni ex parte obrepserant, hoc correptionis beneficium non potuisse occultari? Videbat & audiebat commilitonem suum & supplicij socium, in Christum blasphemias jaculantem: & non sustinens, increpabat eum, dicens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* & culpam in se agnoscens, ac Domini innocentiam intrepidè confitens, subiiciebat: *Nos quidem juste: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Luc. cap. 13.*

S. Ioannes Episcopus: Nolebat umquam corripi alienos mores aut vitia. Itaq; domesticos objurgabat graviùs, quòd raptorem quẽdam morte dignum judicassent. Dicebat autem: *Et quis scitis, si ille jam peccare destitit, cùm vos non cesseritis?* Iure ista vir sanctus. cùm nemo sciat num amore an odio dignus. *M. Marulus lib. 5.*

Orentus Abbas montis Sina: Æternam quoq; memoriam meretur apud posteros iste. Dominica quadam die Ecclesiam ingressus est inverso sago, ita ut de foris torus villosus appareret. Conspicantur hoc religiosi, & Abbatem erroris monent, ac duriusculè redarguũt, quod ita comparuisset coram exteris. Quibus ille: *Vos evertistis sina, & nemo quidquam vobis dicit. at ego, quòd sagum inverterim, dicitis: Quare convertis sagum tuum? Ite, corrigite quod evertistis, ego quoque corrigam quod everti. Prat. Spirit. cap. 126.*

¶ EMBLEMATUM.

Batillius LXXXV.

Plus nocet amicus blandus quàm prodest.

Dum renuit medicus servire fideliter ægro,
Ignes & ferrum qui tolerare neget,
Crudam hic exhalat prope jam sub vulnere vitam,
Quæ prius adfuerat, spesque salutis abit.
Sic prodest nobis dum se mentitur amicum,
Blandis qui verbis crimina nostra levat.

Catsius Emblemate Ethico XXV.

Peccans peccata corrigit.

Cos acuit tritas, obtusior ipsa, secures,
Et redit à scabro splendidus axe chalybs.
Si quis in alterius sua crimina pectore sensit
Hei mihi! quam savas exerit ille manus?
Dum vitijs agitur, convitia spargit in omnes
Zoilus, & crimen quod petit, intus habet.
Claude dein tua vota: foris quid cernis acutum?
Crede mihi, sibimet qui sapit, ille sapit.

Corruptionis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æquori Alpheus miscetur nec trahit salsuginem.
Aureæ corruptioni cuncta sunt obnoxia.
Aurem Antiphile monile pretulit vitæ viri.
Civium primis corruptis obtinebis omnia.
Cordi inest corruptelarum causa, non in re illice.
E viris quidem fiunt Galli; haud item è Gallis viri.
Haud unum dominum sortitur venalis pecunia.
Heu quam auro multa pudicitiam auctorantur fœminæ!
Indoles sibi bona constat etiam in Bacchanalibus.
Ingenia absoluta nil est quod queat corrumpere.
Maximos corruptor unus destruas exercitus.
Ne tibi putes fideles quos donis corruperis.
Non Philippus, sed Philippi aurum urbes cepit Græcia.
Nulla laus ibi integrum esse, nulla ubi corruptio est.
Nulla naturam mutarit optimam pecunia.
Nulla vis necessitas ve finget è bonis malos.
Ob pecuniam dirimere jus amicitiæ impium est.
Pejor ex saltatione est factus Hercules.
Perfidum irritare quaris serio? gazam objice.
Pro corrupto etiam perit quem nequieras corrumpere.
Publicam rem nemo vendit, quin & ipse veniat.
Quod nequit vis ferrea, auri perficit corruptio.
Radius Solis in cœno non inquinatur aut luto.
Sol licet lustret cloacas purus ac putus manet.

¶ JAMBICA.

Ad opprimendum amicum emi nefariam.
Argenteo qui fodit sarculo impetrat.
Auro fores perfringere est adamantinas.
Cœnum lutumque nuspiam Solem inquinant.
Corruperis stagnum facilius quam mare:
Corruptor auro quidlibet perfecerit.
Corruptor unus mille vincit dexteras.
Et judicem corrumpit eloquentia.
Generis sui corruptor, quod non audeat?
Legum salus corrumpitur à custodibus.
Multos corumpat unus improbus probos.
Nullus locus virum corruperit bonum.
Nunquam bonus corrumpit aut corrumpitur.
Origo mortis unica est corruptio.
Perversa mens pusillimo corrumpitur.
Regem bonum corruperit comes malus.
Reges corruptor jam quoque ipsos occupat.
Sapientis est inter malos non infici.
Vasi inquinato quidquid indis, nausea est.

Creationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. CHRYSOSTOMUS: Deus ab initio innumerabilia est machinatus ut charitatẽ nobis insereret. nã & nobis unũ dedit caput, nẽpè Adamũ. Cur enim non nascimur omnes ex terra? Cur non perfecti, sicut ille? Ut & partus, & filiorũ educationes, & aliũ ex alio inter nos nasci, nos inter nos collegarẽt. Propterea neq; mulierẽ fecit

fecit è terra. Nã quoniã nõ suffecisset ad nos incitandos ad concordiã, quòd similiter essemus ejusdem essentiæ, nisi etiã eundem haberemꝰ primum parentem: hoc quoque effecit. Nam si nunc solis disjunctis locis, nos à nobis inter nos existimamus alienos; si nostrum genus duo haberet principia, multò magis hoc fieret. Propter ea tanquam duo quidam, vide quomodo rursus eos conglutinat, & in unũ cogit per matrimonium. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Non dixit autem mulier, sed homo: quoniam in illo majus est desiderium. Nam propterea hoc quoque majus fecit: ut id quod excellit inflectat tyrannide hujus amoris, & subjiciat ei quod est imbecillius. Quoniam autem induci oportuit matrimonium, cum ex quo orta est fecit maritum mulieri. Deus enim omnia postponit charitati. Nam cùm etiamsi hæc sic fuerint; primus tamen ita rim sic insaniit, & tantam pugnam & invidiam ei insevit diabolus: quid non fecisset, si non ex eadem radice germinassent? *Homilia 34. ad Corinthios* 1.

Basilius Seleuciensis: Deus cùm res creatas in morem scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus adscensum ad se exstruxit. *Sermone primo.*

Idem: Uti pictores dealbatum ante parietem colorum floribus conserunt: Ita creator ad ornatum mundi properat, luce primùm mundi parietes dealbat. *Orat.* 1. *m.*

Basilius Seleuc. Quemadmodum qui regum adspiciunt imagines, quæ à colorum splendore fulgorem projiciunt; purpuram, quæ marino colluescit flore; diadema, quod luminibus lapillorum fulgurat, & ambit verticem; dexteram, quæ mundi orbem globi specie digitis portare creditur; spectaculo illi quidem percelluntur admiratione exemplo correpti, & pulchritudinem sibi repræsentant exemplaris, quod oculis non vident, sed effloreſcentium colorum adminiculo: sic & eos, qui hominem in media rerum universitate tanquam animatum fictoris signum ambitiosè detornatum intuentur, mirari quidem existimo signi recenter efficti dignitatem; sed creatoris magis obstupescere dexteritate, qui cum omni sapientia, parique benevolentia variæ artis opus fabrefecerit. *Orat.* 2. *pr.*

Idem ibidem: Vidit hominem non egentem utero, non carnem in matrice sculptam, non in naturæ officina luteum embryonem, neque loci angustia naturaliter obsessum, non accretionem uteri tumore designantem, non exspectantem, dum per radios manibus agiles partus edatur, non tempus manantem, quo de ventris carcere captivus exsolvatur, neque post partionem reticulis fasciarum reformatum, non probroso per terram incessu dedecoratum, non ad ætatis imperfectæ gradus admissum cum labore: sed vidit hominem immortali manu editum, pro matrice Creatoris manu usum, & Dei digito ex tempore perfectum absolutumque simulachrum: vidit simul fictum, simul regem fictum. Nam præsit, inquit, piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis terræ. In creaturæ manu creaturam ponit, natura conservum gratiæ beneficio dominum creat, mare subjicit, continenti servitutem imponit, aerem donis adscribit, eorum denique homo fit possessor, quorum non fuerat conditor. Extremus ille quidem fabricatione, verùm dignitate primus emicuit. Sic porro divinæ bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora.

Basilius Seleuc. Cur igitur, inque, post Adamum mulier, & non cum Adamo efformatur? cur non æquævum utriusque opificium? At in aliis omnibus sufficit vox una ad naturas repræsentandas, & ad sexum dimetiendum, quando unà conformabantur masculus, & fœmina: Adam verò solus fœmina destitutus est. Et formandi ratio nem dispescit conditionis ordo, neque verò ex solo corpora excitantur, neutra quoque terram inscribunt matrem. Verùm hic perfectè absolutus erat, cùm illa nec dum orta. Quare in Adami conspectu vult illam Deus fingere, & fictricis artis suæ spectatricem desiderat propriam imaginem. Nondum enim Deum Adamus quicquam fabricantem viderat. Creavit Deus cœlum & terram: sed Adamus non viderat creantem, qui cœli molitione serius ipse fuit perfectus. Porrexit ambitum firmamenti, luminosas faces accendit, animantium greges è solo fruticari fecit: verùm hæc prius fuerunt, quàm ab Adamo spectarentur; ipse, cùm fierent, nullo sensu facientem percepit. Quando igitur autorem condisceret, qui facientem non vidit? quomodo creatorem cognosceret, qui creantem nõ spectavit? Ea propter ipsius ante oculos fœminam exstruxit, & similis naturæ spectatorem facit; ut in illa, quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus ex visis discat invisa. *Sermonis* 2. *m.*

Basilius Seleuc. Si tibi, ô dilecte, in admirationem veniunt creaturæ, adora creatorem: si gaudes creatis, creatori ne dedecus afferas; cave etiam, ne conditoris gloria res conditæ circumfluant. Namque dignam creatore reverentiam non admittit creatura: tantum honorem, ut pestem capitalem perhorrescit: adorare nata est, non didicit adorari. Et alibi quoque: Dominus Deus tuus, Deus unus est. Hæc vox idololatriam eradicitùs convellit, datque à multivaga servitute vindictas in libertatem, ad varios dæmonum cultus projectam animam erigit. Nam quæ tam minuta res creata, quæ non sit ab hominibus pro Deo culta? qui vel adreptilia, & jumenta Dei cultum dejecêre, & natura rationis expers apud rationis compotes fiat in venerationem. Quæ miseria, immane quantum apud Ægyptios invaluit. Neque enim à continente duntaxat, sed ab aquis quoque Deos mutuati sunt, & apud eos Omnia Deus. Hanc & apud Hebræos ægritudinem sese illatebrantem Moyses animadvertens, malum removens clamabat: Dominus Deus tuus, Deus unus est. *Orat.* 9. *m.*

De mundi creatione egregia multa reperiuntur in Aristide Sophista. *Hymno in Iovem.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Tuba divinæ vocis chaos divisit, collegit orbem, mundavit elementa, distinxit mundum, suspendit cœlum, fundavit terram, mare vinxit, mersit inferos, dedit ordinum vices, jussit rerum continuam servitutem, ac ne vacuus horreret orbis, aptavit habitatores, habitacula sic discrevit, in cœlo posuit angelos solo spiritu viventes, in terra constituit vitas varias terrenorum: in aere dedit animas aligeras pervolare, in aquis tam pusilla, quàm magna fecit ut viveret animantium multitudo, ac miro modo sic ex disjunctis partibus junxit compagem mundi, ut nec commixtio discreta confunderet, nec discretio rerum inscinderet unitatem. Hinc est, quod diei ac noctis copula sic divisa est, ut ex quiete labor, requies ex labore constaret. Hinc Sol & Luna vicissim mundi circumeunt metas, ut Sol germinata luce amplificet charitatem diei: & Luna lumine suppari ex toto cæca noctis tempora non relinquat. Hinc stellæ suo cursu varios mutant ortus, ut noctibus & signent tempora, & viantibus dent ducatum. Hinc tempora eundo veniunt, esse incipiunt dum desistunt. Hinc semina nascuntur, crescunt, adolescunt, juvenescunt, senescunt, decidunt, moriuntur, & iterum vitalibus sepulta sulcis, resoluta putredine, salutari ex morte in vitam suam redeunt: de corruptione propria suscitantur in forma. *serm.* 103. *pr.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

—— Omnes ab origine fluximut una,
Et rex, & regi qui vectigalia pendit,
Dives, inops, aliis quibus insidet, & qui
Vergit humi florenti q; annis fractusque senecta,
Omnes ejusdem soboles patris, omnibus idem
Spiritus, ad regem cuncti properamus eundem.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Salomon: De creatione loquens, summam totius Physices proponit, Proverb. 30. 4. *De rerum omnium causa efficiente* Deo disserit, Prov. 8. 17 28. & c. 22. 2. *De fide creationis*, primò, nempe gloria Dei, & secundò, qui est hominis usus, Prov. 16 4. Eccles. 3. 12. 14. *Quomodo Deus omnia condidit*, nempe sapienter, Proverb. 3 20. Eccles. 3. 14. *Qualia condiderit*, nempe pulchra & bona, Eccles. 3. 11. *Enumeratio quædam creaturarum, earumque consideratio & utilitas*, Proverb. 30. 19 20. & 30. 24. 31. Eccl. 1. 4. 5. 6. 7. & 11. 7.

Basilius Magnus: Deus (inquit) fecit mundum: ut bonus, utilem: ut sapiens, pulcherrimum: ut potens, maximum. Si hæc didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum cognoscemus, conditorem adorabimus, Domino serviemus, Patrem glorificabimus, nutricium diligemus, benefactorem reverebimur, autorem præsentis & futuræ vitæ colere nunquam desinemus. *In Hexametro.*

D. Augustinus: Interrogavi (ait) molem mundi, die mihi, Es-ne tu Deus meus? Et respondit voce forti: Non sum Deus tuus, sed per ipsum ego sum: quem quæris in me, ipse fecit te & me, & eum quære supra te & supra me. *In Soliloquiis.*

Leo Episcopus Romanus: Ultra omnem modum, inquit, distant à sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à dominatore subjecta: quæ etsi mirandam habeant pulchritudinem, adorandam tamen non habent Deitatem. Illa ergo virtus, illa sapientia, illa majestas colenda est, quæ universitatem mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit formas atque mensuras, terrenam cœlestemque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, luna & sydera sint commoda utentibus, sint speciosa cernentibus: sed ita ut de illis gratiæ referantur autori, & adoretur Deus qui condidit, non creatura quæ servit. *In homil.*

Creditoris.

¶ Monosticha Trochaica.

Actvs omnis qui dominium transfert, alienatio est.
Ad mensem diemque Musæ debita haud solvunt sua.
Alteri qui credit sæpè de sorte in dubium venit.
Creditor cùm dat Deo par, cùm reposcit par lupo est.
Creditor pignus dimittit qui permittit vendere.
Creditori convitiari, debitoris pessimi est.
Creditum si quis jam reddit, magna habenda est gratia.
Cum minus nequeas quod majus est cur vis credam tibi?
Debet is natura, oportet quem dare jure gentium.
Debitorem urit pudore qui diffamat credita.
Luculentam grata aqua sunt illico impetrant fidem.
Nemini id potest deberi, turpe quod est reddere.
Non idem est ab alio quid petere, atque ipsum alicui quid.
Non nerunt homines, quo jus nihili est faciunda gratia.

Non satisfacis, pro vetere si vinum reddis novum.
Non sic debitoris cura est creditor, quam debitor.
Plurimum tibi credas, nec cuipiam credas satis.
Sape etiam in dubium de sorte creditor venit miser.
Seu malus sit, seu bonus sit solvito illi creditum.
Vecte non egent seraque pauperi quæ credimus.

¶ Jambica.

Est pro solutione acceptilatio.
Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quidquam credere.
Nil filio, parente vivo, creditur.
Plus exigitur ab eo cui plus creditur.
Quis creditori consulenti creduat?
Quis pauperi unquam credidit pecuniam?
Sibi reponit, debitum ultrò qui exsuit.

Credulitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Admodum credula est levitas. *Oratione quarta: Stelisteutica adversus Julianum Imperatorem altera.*

D. Nazianzenus: Et animi mei affectum vobis persuasum reddo: & de vestro erga me animo affirmo & assevero. Nec id sanè mirum videri debet. Quorum enim communis est spiritus, horũ affectus quoq; communis: quibus aũt idem affect⁹ est, iidem etiã ad credendum æquè propensi sunt. Nam quod in seipso aliquis minimè sensit, is nec alteri id de se affirmanti unquam crediderit: qui autem ita aliquando se affectum sensit, & profectò ad assentiendum faciliorem se præbebit, utpote invisibilis affectionis invisibilis testis, formæque alienæ proprium speculum. *Orat.* 27.

D. Chrysostomus: Sed unde processit eorum incredulitas? ex molli & ignava anima. bibebant & comedebant, & propterea non credebant. Nam quæ vult quispiam, ea & putat, ea & expectat: qui autem contradicit, sunt nugæ. *Homil.* 2. *ad Coloss.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Facilè crediderunt quod exoptabant. *sub finem capitis ultimi libro tertio de Hierosolymitano excidio.*

Chrysologus: Cautelæ est, tardè de Deo humilia credere, de Deo tardiùs contumeliosa sentire. *Sermone* 90. *m.*

Ennodius: Graves hiatus patitur alienæ gratiæ commissa credulitas. quanquam omne crimen transeat, qui vult decipere confidentem. *lib.* 1. *Epist.* 1. *m.*

¶ Oratorum.

Philostratus: Est lucrum aliquod, neque omnibus auditis fidem adhibere, nec omnia rursus tanquam impossibilia aspernari. *lib.* 3. *Apoll. c.* 14.

Heliodorus: Jurejurando ex parte assentiens, & suavitatem eorum quæ promissa erant libens recipiens, acquiescebat. Quæ enim expetit animus, libenter credit. *libro* 8. *Æthiopicorum.*

Quintilianus senior: Quid ergo, inquit, tormentis confessus est? Dura est conditio interrogationis hujus, cùm id quæritur, quod si respondeas, non creditur. Vis enim accusator voce mea stari? vis credere jud. quicquid respondero? Das etiam mihi fingendi libertatem. Propter hoc ipsum perdam necesse est fidem, quòd mihi dicere licet quicquid voluero. *Declamat.* 328.

Quintilianus: Non potest, inquit, fieri parricidium. Vis mirer, pater, si non creditur futurum; quod etiam cùm factum est, vix creditur? *Declamat.* 4. §. 19. *m.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita sua.

Τοῦ γὰρ πᾶς χείρως πάντα πιστεύειν θέλειν,
Χεῖρον, τῶ πᾶσιν ἀπατεύεσθαι ἐξίσης.
Τὸ γὰρ μὴ εἰδέναι κακόν ἐστιν, τὸ δὲ θρασύ.
Nam cuncta prompte credere, est minus malum,
Quàm si quis æquè deneget cunctis fidem.
Levitatis illud; efferi hoc est pectoris.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Viro fideli credulum magis nihil,
Qui se libenter ad pios confert viros,
Aut esse tales quos putat (vitium probum!)
Nom facilè quisque quod cupit credit quoque.

Plautus Asinariæ 2. sc. 4. v. 46.

Si domi est Demenetum volebam. LE. *negat esse intus.*
Verùm istuc argentum tamen mihi si vis denumerare,
Repromittam istoc tibi nomine solutam rem futuram.
M. *Sic potius, ut Demeneto tibi hero præsente reddam.*
LE. *Herus istunc novit, atque herum hic.* M. *Hero huic præsente reddam.*
LE. *Da modò meo periculo: rem salvam ego exhibebo.*
Nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
Succenseat, cui omnium summam rerum ipsus semper credit.
LE. *Non magni pendo. ne duit, si non vult: sic sine adstet.*
LI. *Da, inquam. vah! formido miser, ne hic me tibi arbitretur*
Suasisse sibi ne crederes. da quæso ac ne formida.
Salvum herclè erit. M. *credam fore, dum quidem ipse in manu habebo.*
Peregrinus ego sum: Sauream non novi. LI. *at nosce sanè.*
M. *Sit, non sit, non adepol scio. si is est, eum esse oportet.*
Ego certè me incerto scio hoc daturum nemini homini.

Plautus Asin. 2. sc. 4. v. 84.

Præfiscine hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit
Merito meo; neque me Athenis est alter hodie quisquam
Cui credi rectè æquè putent. M. *fortassis: sed tamen me*
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini, non homo, cùm qualis sit non novit.
LE. *Iam nunc secunda mihi facis. scibam huic te capitulo hodie*
Facturum satis pro injuria. quanquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.
M. *Fortassè.* LE. *etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator*
Dives, absente hero solus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, & mihi credidit; neque deceptus sum eo.
M. *Fortassè.* LE. *atque etiam tu quoque ipse si esses percunctatus*
Me ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers. M. *haud negassem.*

Petronius Arbiter.

Nequaquam rectè faciet qui citò credit.

¶ Fabularum.

Phædrus fabula 49.

Periculosum est credere & non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia noverca creditum est.
Cassandra quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum prius
Quàm stulta prave judicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate elevem,
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.
Maritus quidam cùm diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto suo
Sperante heredem se fecisse proximum,
Qui dum de puero multa mentitus foret
Et plura de flagitiis castæ mulieris,
Adjecit, id quod sentiebat maximè
Dolsturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus,
Incensus ille falso uxoris crimine
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subitò januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens
In quo dormire mater natum jusserat.
Ætatem adultam servans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concursant familiæ.
Iræ furentis impetum non sustinens
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut sensit tonsum, gladio pectus transfigit,
Nihil respiciens dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, simul aspexit filium
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil somno senserat;
Repræsentavit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna insontem deprimit suspicio
Quòd bona possideat: stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis fœminæ,
A Divo Augusto tunc petiere judices
Ut adjuvaret jurisjurandi fides
Quod ipsos error implicuisset criminis:
Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit:
Luat, inquit, pœnas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul & privatam viro,
Miserandam potiùs quàm damnandam existime.
Quod si damnanda perscrutatus crimina

Postea

Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset a radicibus,
Non vertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim.
Quandoquidem & illi peccant quos minimè putes,
Et qui non peccant impugnantur fraudibus.
Hoc ammonere simplices etiam potest,
Opiniones alterius ne quis ponderet.
Ambitio namque dissidens mortalium,
Aut gratia subscribit aut odio suo.
Erit ille notus quem per te cognoveris.
Hæc exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

Juvenci & Leo. *Avienus.*

Quatuor immensis quondam per prata juvencis
Fertur amicitia tanta fuisse fides,
Vt simul emissos nullus divelleret error,
Rursus & è pastu turba rediret ovans.
Hos quoque collatis inter se cornibus, ingens
Dicitur in sylvis pertimuisse Leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et conjuratos horret adire boves.
Sed quamvis audax, factisque immanior esset,
Tantorum solus viribus impar erat.
Protinus aggreditur pravis insistere verbis
Collisum cupiens dissociare pecus.
Sed postquam dictis tauros disjunxit acerbis,
Invasit miserum, diripuitque gregem.
Tum quidam ex ipsis, vitam servare quietam
Qui cupit, ex nostra discere morte potest:
Ne've cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deserat ante fidem.

Rustica & Lupus. *Avienus:*

Rustica deflenti parvo jurgabat olim
Ni taceat, rapido quod foret esca lupo.
Credulus hanc vocem Lupus audiit, & manet ipsas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimia dat membra quieti,
Spem quoque raptoris sustulit inde fames.
Hunc ubi sylvarum repetentem lustra suarum
Jejunum conjux sensit adesse lupa:
Cur, inquit, nullam defers de more rapinam,
Languida consumptis sed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miserum vacua delituisse fuga.
Nam quæ præda rogo, quæ spes contingere posset,
Jurgia nutricis quum mihi verba darent?
Hæc sibi dicta putet, seque hac sciat arte notari:
Fœmineam quisquis credidit esse fidem.

De Lupo & Sue pariente. *Anonymus.*

Vult Lupus ut pariat maturum sucula fœtum:
Seque novi curam spondet habere gregis.
Sus ait, hæc cura careas, mihi nolo ministres;
Horrent obsequium viscera nostra tuum.
I procul: ut tuto liceat mihi fundere fœtu,
I procul: & pietas hæc erit apta mihi.
Pro natis natura jubet timuisse parentem,
Fine dato verbis, hic abit, illa parit.
Tempore non omni, non omnibus, omnia credes.
Qui miser non credit, creditur esse miser.

¶ Monosticha Trochaica.

Credulos magnidicis verbis fallere haud est arduum.
Credulum esse oportet Regis de salute cùm times.
Credulus nimis frequenter fallit atque fallitur.
Creduntur magis quæ de aliis quam de nobis dicimus.
Ecquis Æthiopas priusquam cerneret esse credidit?
In manu est tibi quod credas: quod dicam in manu mihi est.
Ludibrium oculorum auris, quæ etiam proveris credita.
Nemo quidquam facilè credat, quo dolendum credito.
Pertinacis atque stulti est perspicuis non credere.
Plurimi ferro incubuêre quod credulitas strinxerat.
Plurimum tibi credas, nec cuipiam credas satis.
Præsta amico, non credenda quam vis differat fidem.
Pulchra res profana in aure non suam invenit fidem.
Quisque quod libet loquatur: haud necesse credere est.
Sæpè tam periculosum credere est, quàm decipi.

Jambica.

Ad crimina aurem tardam habe, ad laudem citam.
Æquè vitium est cunctis quàm nulli credere.
Cassandra quia non creditum, ruit Ilium.
Credit libenter animus illa quæ expetit.
Credunt ferè libenter homines quod volunt.
Fidem haud meretur vilis inconstantia.
Hippolytus obiit, quia noverca creditum est.
Homines libenter id quod volumus credimus.
Melius sibi quisque credit de re maxima.
Nec mulieri, nec gremio oportet credere.
Nequaquam rectè faciet, qui credit citò.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim.
Nolis tibi, plus de te quàm aliis credere.
Periculosum est credere, & non credere.
Qui credulus est, idem est & incautissimus.
Qui credulus, simul est & incautissimus.
Quod esse verum cupimus facilè credimus.
Quod nolumus valdè illibenter credimus.
Sceleris fides gravissimi, vix fit fides.
Statim fidem cuicunque habet verbo innocens.
Tam credere omnia vitium est quam nil credere.

Criminis.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque lege, absque actione crimina extant plurima.
Crimina ipsemet propagat qui cruce illa haud afficit.
Criminis nemo exors, exors nemo est infortunii.
Criminis plerunque causa delegatur mortuis.
Criminis piget prioris, & novum rursum struis?
Criminosus esse felix non potes diu: mox rues.
Lumini totius vitæ tenue crimen officit.
Melior est defensione criminum confessio.
Mortis expers nemo, nemo labe criminis caret.
Multi animo magis quàm vultu audita accipiunt crimina.
Non egent probatione crimina à se quæ patent.
Parcius peccant, operta quorum adhuc sunt crimina.
Per calumnias plerumque concinnantur crimina.
Regium minimè est habere aurem apertam ad crimina.
Sæpè pejus est abnuere crimen, quàm id agnoscere.
Sæpè unius crimen omni noxium Respublica est.
Tenue crimen puritati totius vitæ nocet.

¶ Jambica.

Adæquat omnes crimen, quos & inquinat.
A morte mos est terminari crimina.
A morte, Regum proferuntur crimina.
Cui hæret unum crimen, hærent omnia.
Etiam cavenda falsa criminatio.
Et terminantur cuncta morte crimina.
Facilius in defunctum falsa fingere est.
Haud tollere ipso crimen est cum corpore.
Mutata vita antiqua purgat crimina.
Non prodere ipso fronte crimen, arduum.
Perpetua nulla criminum est felicitas.
Quandoque crimen proditur silentio.
Quò grandior persona, hoc crimen grandius.
Vbi crimen est ibi illico quoque est metus.

Crudelitatis.

¶ Sententiæ.

Egesippus: Gadaram funditùs evertit, repertisque non pepercit, sed omnes necari jussit, nulla ætatis contemplatione, nulla infirmitatis misericordia, quod non tam jure belli, quàm Cæstianæ pugnæ dolore exequebatur, denique non urbem solùm, sed & vicos municipiaque exuri jussit. Nec injusta erat commotio; quia post tantam insolentiam, emendandi erroris facultatem dederat, nec obtemperatum. *cap. 8. libri tertii de excidio Hierosolymitano.*

Phalaris Polydeuci: Qui propter occisos judicio, bellum contra me parant ô Polydeuces, eos quoniam audiverunt, & quamobrem id faciant, certas rationes habent, ultores esse confitendum est. At tu calumnians me apud Syracusios, ultoris quidem nomen ut grave jactitas, caussas verò quod maximè fieri conveniebat, quamobrem hanc pœnam luerint ut scelerati nunquam adjicere voluisti. Oportebat enim ô assentator populi Polydeuces, mortem quidem commemorare, caussam verò etiam ostendere, ut hac ostensa magis affectus auditorum in eos contra quos agis incitares. Sin autem caussas veremini ob oculos ponere, quibus de crimen intenditur, quó-

nam

nam jure ſitis ob eas bellum geſturi ego ſanè non intelligo. *Epiſtola* 124.

Quintilianus: Sola ſcilicet calamitatibus noſtris adhuc defuit culpa; ut cùm fævitia nimiæ quoque felicitatis turpis ſit, procedat inauditum antea monſtrum, miſera crudelis. *Declamatione ſexta §. 8. pr.*

¶ Fabula.

De Leone inveterato. *Anonymus:*

Irretit miſerum gravitas annoſa leonem,
Inglaciat corpus, corque ſenile gelu.
Inſtat aper; penſat veteri pro vulnere vulnus,
Frontis eum telo taurus utroque fodit.
Savit aſellus iners, & frontem calce ſigillat,
Hæc ſolo gemitu vindicat acta leo.
Omnia quæ vici, me vincunt omnia: dormit
Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi, multisq; pepercî,
Qui mihi non pereunt, propietate nocent.
Hunc timeat caſum, qui ſe non fulcit amico,
Nec dare vult fælix, quàm miſer optat opem.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Ludovicus XII. Gall. Rex: Nihil tam atrocis ſupplicii ac cruciatus excogitari potuit, quo non digni judicati fuere Chriſtiani olim, ſub immaniſſimis Tyrannis: & noſtro ævo Catholici in Anglia, ſub Henrico VIII. ejuſque hærede Elizabetha. Quare de iis hoc loco taceamus, ſuadet eorumdem, quòd breves eſſe volumus, copia. Ad aliorum dicta pergimus, & facta: quorum quidem crudelitatem in ſuos amplexi, quidam eandem deſpectui habuêre. Certè Ludovicus XII. cùm aliquando de tyrannide ſermo incideret, dixiſſe fertur: *Credite, Plebs & ruſtici Tyrannorum ſunt paſcua; Tyranni autem damonum.* Præclara veritati & conformis vox. Malè enim imperando (ut habet Publ. Syrus) ſummum imperium amittitur. *Annal. Franciæ.*

Conradus Rex Neapol. Non dicto ſolùm, ſed & facto, longè alterius mentis Conradus Neapolitanus. Ille enim expugnatâ Neapoli circa annum 1253. ejuſdem muros ædeſque regias demolitus eſt, ac templum ingreſſus, cùm vidiſſet in eo equum miræ vetuſtatis effrenem, ilicò ei frenum addidit, utque eam quam animo conceperat ſervitutem & crudelitatem declararet, eidem hoc diſtichon ſubſcribi imperavit:

Hactenus effrenis, domini nunc flector habenis:
Rex domat hunc æquus Parthenopenſis equum.

Corozetus de Dictis memor.

Proſper Columna: Ab illo etiam profecta quandoque hæc vox, cùm jam Mediolanum in prædam ſuo militi dediſſet: *Mediolanum eſt inſtar oloris, cujus plumas ſi extraxeris, pulchrior apparebit. Ibidem.*

Fredegundis Galliæ Regina: Tranſgredimur ad alium ſexum, & cum eo ad Fredegundem, alteram ſui ævi Cleopatram. Hæc enim repulſis per vim & dolum duabus Franciæ reginis, tandem etiam in conjugem Chilpericum machinatur malum. Dum enim coram illo flagitium ſuum, quod cum Landrico genere nobili viro patrabat indies, miro caſu confeſſa eſſet, isque de vindicta cogitaret, prævenit: & Landrico ad ſe vocato, *Perimus*, ait, *uterque incauta mea voce.* ac rem ordine narrat, additque: *Quid ſtupes? virum oſtende, patiendum quippe, aut patrandum eſt ſcelus.* Quâ voce incitatus Landricus, Chilpericum ſerâ nocte à venatione redeuntem confecit: rumore ſparſo, ab externis inſidiis perpetratum ſcelus. An non meritò de illa etiam dixiſſet Ovid. quod de alio quodam?

Sævior es triſti Buſiride, ſævior illo,
Qui falſum lento torruit igne bovem:
Quique bovem Siculo fertur donaſſe Tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.

I. Lipſ. Mon. Pol. lib. 2. cap. 2. num. 6.

¶ Monosticha Trochaica.

Aſſecla eſt crudelitatis ſera pœnitentia.
Civibus crudelitate dirior ſuperbia eſt.
Conſequitur crudelitatem ſera pœnitentia.
In poteſtate eminenti dira res crudelitas.

¶ Jambica.

Adeſſe debet certè epulis crudelitas.
Aliquando plus ſævitia quàm bonitas juvat.
Crudelis eſt, miſero qui diſſuadet mori.
Crudelis eſt, quicunque gaudet ſanguine.
Crudelitas grandi adſita eſt potentia.
Crudelitate bonis gravior Superbia eſt.
Crudelitate ignaviam Reges tegunt.
Crudelitate quid negotioſius?
Crudelitati & adſecla arrogantia eſt.
Crudelitatis odium crudeles facit.
Crudelius timere mortem, quàm mori.
Excogitat pœnas novas crudelitas.
Ferina rabies eſt gaudere ſanguine.
Minimè decens crudelitas convivio eſt.
Moleſta res eſt omnibus crudelitas.
Natura hominum eſt inimica res crudelitas.
Prius in viros fremit leo quam in fœminas.
Quò grandior crudelitas hoc tutior.
Res deſtruit non adſtruit crudelitas.

Crucis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Quod hoc etiam mirabilius clariusque fuit; lux in cœlo ſtetit, crucem in orbem deſcribens, ac nomen illud & figura, quæ in terra prius impiis contemptui fuerat, in cœlo nunc omnibus ex æquo oſtenditur, Deoque victoriæ adverſus impios obtentæ trophæum efficitur. Ad hæc verò qui profundas barbas geſtant, ac ſcitum & venuſtum pallium trahunt? ubi tu hunc circulum in tua matheſi habes? *Oratione quarta.*

Paulò poſt: Proferant nunc quoque veſtes ſuas, qui hujus miraculi ſpectatores & conſcii extiterunt, illas, inquam crucis notis tunc inuſtas & conſignatas. Simul enim ac quiſpiam, ſive noſtrorum, ſive exterorum hæc narrabat, aut narrantes audiebat, ſtatim hoc miraculum, vel in ſemetipſo, vel in vicino ſuo perſpiciebat, ſtellatus nimirum ipſe notisque diſtinctus, vel illum talem in veſtimentis intuens, omnem textorii artificii elegantiam ac ſumma cura elaboratam picturam varietate ſuperantem. Quæ res ſpectantium animos tanto ſtupore affecit, ut omnes fermè, quaſi ex ſigno uno, atque una voce, Chriſtianorum Deum invocarent, eumque multis laudibus precibusque placare ſtuderent: multi etiam non in longius rem extrahentes, ſed eodem ipſo tempore, quo hæc acciderunt, ad ſacerdotes noſtros properantes, adhibitis multis precibus in Eccleſiam admiſſi, ac ſublimioribus myſteriis imbuti ſint, ſacro Baptiſmate purificati, atque utilitatem ex timore conſecuti. *Oratione 4. Steliteutica ſecunda.*

D. Chryſoſtomus: Conſuevit Chriſtus paſſiones nomine crucis appellare; ut quum inquit: Niſi quis tollat crucem ſuam, & ſequatur me, id eſt, niſi quis rectè ſe comparaverit ad mortem. Iſti verò degeneres, vitæ & corporis amantes, profectò crucis ſunt inimici: & quiſquis deliciarum, mundanæque tranquillitatis amator eſt; inimicus eſt crucis; in qua Paulus gloriatur; quam complectitur; cui nititur inſeri; quod illa verba indicant, Ego crucifixus ſum mundo, & mundus mihi: Nunc verò inquit, nunc autem & flens dico. Cur? quoniam malum creverat: quoniam tales qui ſunt, hi lachrymis digni ſunt. Verè lachrymis digni ſunt, qui in deliciis degunt, & indumentum quidem, id eſt, corpus, pinguefaciunt; futuri verò, quod ipſos manet, ſupplicii nullam rationem habent. Eſto: delicatè vivis; eſto: vino mades; hodie, cras, decem annos, & viginti, & triginta, & quinquaginta, & centum, quod quidem nefas eſt: Verum, ſi vis, demus ita eſſe: quodnam extremum, quæ utilitas? nulla. Talem igitur vitam vivere, nonnne lachrymis & lamentis dignum eſt? Adduxit nos Deus in hoc ſtadium, ut coronet? & nos abimus nullo præclaro edito facinore? Flet igitur Paulus, quibus de rebus alii rident, ſeque oblectant: tanto alienarum calamitatum ſenſu tangitur: adeò omnes homines curat. *Homilia decima tertia ad Philippenſes.*

S. Iſidorus Peluſiota: Celeberrimam Chriſti crucem meritò liceat appellare non ſolùm terræ, ſed & cœli fulcrum & fulgorem. Nam creaturam omnem ſuſtentavit, ſupramundanis quidem gaudium, terreſtribus autem libertatem concilians, & diſſidentia invicem ſibi connectens. *libri quarti Epiſt. 32.*

¶ Poetæ.

Prudentis hymno ante ſomnum.

Cultor Dei, memento,
Te ſontis & lavacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te chriſmate innotatum.
Fac cum vocante ſomno
Caſtum petis cubile
Frontem locumq; cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen:
Fugiunt crucem tenebræ;
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

Procul ô procul ergo tantum
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Præstigiator astu.
O tortuose serpens,
Qui mille per Meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda;
Discede. Christus hic est.
Hic Christus est; liquesce.
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Salomon: Crux est Dei correctio, Proverb. 3. 11. 12. & 17. 5. *cui imponitur*, Prov. 29. 31. *Malos premit*, Prov. 13. 21. & 16. 6. 7. & 25. 19. & 26. 3. Eccles. 8. 5. *Mali sub ea non proficiunt*, Prov. 27. 22. *Forti animo ferenda est*, Prov. 24. 10. *sub ea gementes sunt consolandi*, Proverb. 24. 11. 12. & 25. 20. Eccles. 7. 9.

Jesus Christus *Dominus noster*: Scriba quidam ad eum accedens, dixit, Magister, sequar te, quocunque abieris. At Jesus, Vulpes, inquit, habent lustra, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth.* 8. §. 19. 20. Veri discipuli Christi ad quasvis ærumnas se comparent.

Idem: Quum indicasset discipulis suis, oportere se abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & primariis sacerdotibus & scribis: & occidi, & tertio die suscitari, prehensum eum cœpit Petrus objurgare, dicens: Propitius tibi esto Domine: nequaquam erit tibi hoc. At ille conversus, dixit Petro: Abscede à me Satana, offendiculo es mihi: nam non sapis quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum. Tunc dixit discipulis suis: Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & tollat crucem suam ac sequatur me. Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam mea causa, inveniet eam. Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur? aut quam dabit quisquam compensationem animæ suæ? *Matth.* 16. 21. 22. 23. *&c.*

D. Paulus & Barnabas: Confirmabant animos discipulorum, hortantes ut permanerent in fide, & dicentes oportere per multas oppressiones nos ingredi in regnum Dei. *Actor.* 14. 22. De crucis piorum necessitate, utilitate multiplici, gaudio & gloria, multa illustria dicta extant in scriptis Apostolicis, quorum præcipua hîc annotabimus.

D. Paulus: Scribens ad pios *Philippenses*, *cap.* 1. 29. Vobis datum est (inquit) in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo affligi. *Rom.* 5. 3. Gloriamur in oppressionibus, scientes quòd oppressio patientiam efficiat, &c. 2. *Corinth.* 4. 8. In omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non prorsus hæremus: persequutionem patimur, sed in ea non deserimur: dejicimur, at non perimus: quolibet mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jesu in corpore nostro manifesta fiat. Semper enim nos qui vivimus morti tradimur propter Jesum, ut etiam vita Jesu manifesta fiat in carne nostra mortali. 2. *Timoth.* 2. 11. Fidus est hic sermo. Nam si cum eo mortui sumus, cum eo etiã vivemus: si patientes fuerimus, etiam cum eo regnabimus. *Hebr.* 10. §. 34. De vinculis meis mecum doluistis, & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio excepistis, ut qui sciretis vos habere apud vos potiorem substantiam in cœlis & quæ permaneat. *Hebr.* 12 6. Quem diligit Dominus castigat, & flagellat quemcunque filium recipit. Si castigationem sustinetis, Deus vobis offert ut filiis. Quis enim est filius, quem non castiget pater? Deus castigat nos ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius. Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit eis qui per eam fuerint exercitati.

D. Iacobus: *Epist. cathol. cap.* 1. 12. Beatus vir qui tolerat tentationem: quoniam quum probatus fuerit compertus, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus iis à quibus diligitur. Et *cap.* 5. 10. Sumite pro exemplari vexationis & patientiæ Prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatos pronuncianus eos, qui adversa tolerant. Tolerantiam Jobi audistis, & finem Domini vidistis. Nam abundat intima misericordia Dominus, & est miserator.

D. Petrus: Epist 1. *Cathol. cap.* 1. 6. Paululum nunc (si opus est) in variis tentationibus tristitia estis affecti: ut exploratio fidei vestræ multò pretiosior exploratione auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur vobis esse laudi & gloriæ, & honori, quum patefiet Jesus Christus. Et *cap.* 2. 19. Hoc cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias injustè afflictus. Nam ad hoc etiam vocati estis, quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius. Et *cap.* 3. 14. Si quid perpetiamini propter justitiam, beati estis. Melius est ut benè agentes, si ita velit voluntas Dei, malis afficiamini, quàm malè agentes. Et *cap.* 4. 14. In eo quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete: ut & quum patefiet ejus gloria, gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis: quoniam & ille gloriæ, & ille Dei Spiritus super vos requiescit, &c.

Apostolici Viri: Apostolicorum virorum de cruce Ecclesiæ innumera penè dicta extant. Nos pauca quædam exhibemus, ut lectorem ad fontes ipsos alliciamus.

Ignatius: De eximio illo Christi in proxima post tempora Apostolorum Ecclesia martyre Irenæus refert quæ sequuntur: Quidam (inquit) ex nostris, cùm propter testimonium quod Deo perhibuerat esset ad bestias condemnatus, sic locutus est: Dei frumentum sum, & bestiarum dentibus molor, ut purus & sincerus panis reperiar. *Iren. lib.* 5. *adversus hæres.* Ipsemet Ignatius autem, teste Eusebio, epistola ad Romanam Ecclesiam de seipso dicit: Ex Syria Romam versus iter instituens, terra marique, noctu & interdiu cum bestiis confligo, decem Leopardis arctè colligatus, hoc est satellitibus, qui ad me asservandum apponuntur. Qui sanè multis à me beneficiis affecti, multò fiunt deteriores sævioresque. Eorum injuriis quibus me afflictant, indies magis magisque erudior. Verùm ne ob id quidem justificatus sum. Optarem jam bestiis illis frui, quæ ad me dilaniandum paratæ sunt. Mihi est in votis, eas brevi reperire: quas planè blandè compellabo, ut me carptim & absque mora devorent, neque à me dentes abstineant, ut à quibusdam, quos, metu perculsæ, non ausæ sunt attingere. Quòd si illæ recusent me adoriri, ego ipse eas instigabo. Date vos mihi veniam. Quid mihi sit profuturum, equidem non ignoro. Jam incipio Christi discipulus esse: faxsit à me rerum omnium oculis subjectarum, sive eorum aciem fugientium admiratio, ut Jesum Christum assequar. Ignis, crux, bestiarum conflictationes, ossium distractiones, concisiones membrorum, totius corporis tanquam molitæ farinæ attritiones, omnia denique supplicium genera à Diabolo excogitata in me coacerventur, ut Jesum Christum duntaxat adipiscar. *Eusebius eccles. histor. libro* 3. *cap.* 30.

Moyses, Maximus, & cæteri confessores: Scripserat Cyprianus gratulatoriam epistolam ad Moysem, Maximum, & cæteros confessores, propter eorum in orthodoxæ fidei professione sub cruce constantiam. Illi autem respondentes, de piorum cruce illustria dicta proferunt, quæ sequuntur. Quid glorioßius, quidve felicius ulli hominum potuit ex divina dignatione contingere, quàm inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quàm inter sævientia secularis potestatis varia & exquisita tormenta, etiam extorto & excruciato & excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quàm relicto mundo cœlum petisse? quàm desertis hominibus inter Angelos stare? quàm impedimentis omnibus secularibus ruptis in conspectu Dei jam se liberum sistere? quàm cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quàm collegam passionis cum Christo in Christi nomine factũ fuisse? quàm immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quàm humanis & sacrilegis legibus contra fidem non obedisse? quàm veritatem voce publica contestatum fuisse? quàm ipsam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem subegisse? quàm per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quàm omnibus sævitiæ tormentis excarnificatum & extortum, ipsis tormentis tormenta superasse? quàm omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quàm sanguinem suum profluentem non horruisse? quàm supplicia sua post fidem amare cœpisse? quàm detrimentum vitæ suæ putare non exisse? Ad hoc enim prælium quasi quadam tuba Evangelii sui nos excitat Dominus dicendo: Qui plus diligit patrem aut matrem quàm me, non est me dignus, & qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, &c. Hæc & hujusmodi cum in Evangelio collata perlegimus, & quasi faces quasdam ad inflammandam fidem, dominicis vocibus, suppositas nobis sentiamus, hostes veritatis jam non tantùm nõ perhorrescimus, sed provocamus: & inimicos Dei jam hoc ipsõ, quod non cessimus, vicimus: & nefarias contra veritatem leges subegimus, etsi nondum nostrum sanguinem fudimus, sed fudisse parati sumus. *Epist.* 12. *lib.* 5.

D. Cyprianus: De cruce piorum innumera ferè, scitè dicta ejus & scitu digna extant. *Ex* unica *ad Thibaritanos* epistola, hæc collegimus. Gravior nunc & ferocior (inquit) pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcircò se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. *Paulò post*: Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. Neque enim sic militiæ nomen dedimus, ut pacem tantummodò cogitare, & detrectare ac recusare militiam debeamus, quando in ipsa militia primus ambulaverit Dominus, humilitatis, tolerantiæ & passionis magister, ut quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. *Item*: Si mortem possemus evadere, meritò mortem timeremus. Porrò autem cùm mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis: nec vereamur occidi, quos constet, quando occidimur, coronari. *Item*: Solus non est, cui Christus in fuga comes est. Solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est. *Item*: Hoc est robur virtutis & fidei, credere & scire quòd Deus à morte præsente liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortiùs fides possit. *Et infrà*: Nónne qui justi occiduntur propter justitiam, mori nos quoque docuerunt? Quàm gravis causa est hominis Christiani, servum pati nolle, cùm prior passus sit Dominus: & pro peccatis nostris nos pati nolle, cùm peccatum suum

proprium

proprium non habens passus sit ille pro nobis? Filius Dei passus est, ut nos filios Dei faceret: & filius hominis pati non vult, ut esse filius Dei perseveret! Si odio seculi laboramus, odium seculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus, graviora expertus est mundi factor & Dominus, qui & admonet, dicens: Si seculum vos odit, mementote, quia me priorem vobis odit, &c. *Ioann.* 15. *Item:* Ad agonem secularem exercentur homines & parantur, & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo, & Imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus: & super eos, quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens certaminis nostri spectaculo perfruatur. Præliantes nos & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præsente Deo congredi, & Christo judice coronari?

Basilius Magnus: Se miserum & calamitosum dicere solebat, quòd martyrum pro veritate certamina imitari non posset. *Nyssen. in vita Basilii*: Mirus amor crucis fuit in Christianis veteribus, & plures jugum istud Domini adeò ardentibus votis expetiverunt, ut martyrum constantiam & mortem aliis omnibus Christianorum privilegiis longè anteponerent.

Gregor. Nazianzenus: Omnibus, inquit, horis animique agitationibus nosmetipsos Deo exhibemus, ut omnia pro verbo excipiamus, per passiones passionem imitemur, per sanguinem sanguinem (Christi) honoremus, crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tametsi valdè acerbi. Præstat cum Christo, & pro Christo pati, quàm cum aliis in deliciis versari. Si Simon Cyrenæus sis, crucem tolle, ac sequere. *Orat. 42. in Pascha.*

D. Ambrosius: Quanto & quàm ardenti crucis desiderio flagraverit, testantur sublimia ejus dicta, quæ *epist.* 32. & 33. extant, ex quibus sequentia decerpsimus.

1. Scio is, inquit (Orthodoxos alloquens) quòd Imperatoribus soleam deferre, non cedere: suppliciis me libenter offerre, nec metuere.

2. Scio, fratres, vulnera hæc quæ pro Christo excipimus, non esse vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. Sinite quæso esse certamen, spectatores vos esse decet. Non metuit arma, non Barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur.

3. Scio, quòd quicquid passus fuero, pro Christo patiar. Et legi, quòd eos timere non debeam, qui possunt carnem occidere: & audivi dicentem: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

4. Petrus Româ noctu egressus, videns sibi in portu Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine quò vadis? Respondit Christus, Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum: itaque sponte remeavit, & interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.

5. Adversarii dixerunt: Exi de civitate, & vade quò vis. Expectabam, fateor magnum aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt. Sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit.

6. Respondi ego quod Sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est ut animam mihi quàm fidem auferat.

7. Incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi servuli non timere. Non timentibus nunquam est gravis terror.

8. Convenior à comitibus & tribunis ut basilicæ fieret natura traditio, dicentibus Imperatorem jure suo uti, eò quòd in potestate ejus essent omnia. Respondi: Si à me peteret, quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt, essent pauperibus: verùm ea quæ divina, imperatoriæ potestati non esse subjecta. Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego vallabo me circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor.

9. Quid præsentius dici potuit à Christianis viris quàm id quod hodie in vobis Spiritus Sanctus est locutus? (*Refert verba populi Orthodoxi ad Imperatoris Valentiniani mandatum de relinquenda Arianis basilica sacra*) Rogamus Auguste, non pugnamus. Hoc Christianos decet, ut & tranquillitas pacis optetur, & fidei veritatisque constantia, nec mortis revocetur periculo. Est enim præsul dominus, qui salvos faciet sperantes in se.

10. *Notario Imperatoris, qui eum territare putabat, & tyrannum appellabat, dixit*: Si constantia mea tyrannis tibi videtur, habeo arma, sed in Christi nomine: habeo offerendi mei corporis potestatem. Quid moraris ferire, si tyrannum putas? Tyrannis sacerdotis, infirmitas est. Cùm infirmior, inquit Apostolus, tunc potens sum. Nunquam Sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpè sunt passi.

11. *Addit postremò:* Speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est, Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi, Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod Spadones.

12. Utinam Dominus avertat adversarios ab Ecclesiâ, & in me omnia sua tela convertant, meo sanguine, sitim suam expleant.

D. Hilarius: Dictum illud Davidis, *Psalm.* 119. *Iniqui persecuti sunt me*, explanans, ait: Justum qui persequitur, necesse est ut iniquè persequatur, quia iniquitas injustæ operationis effectus est. Sciebat & Apostolus hanc persecutionum iniquitatem, cùm diceret: Omnes volentes religiosè vivere in Christo, persecutionem patientur. Multæ enim tribulationes justorum sunt. Nunc Sataanas insectatur, nunc ministeria ejus impugnant, nunc falsorum fratrum simulatio ad nocendum arte fraudulentæ insectationis irrepit. Sed Propheta qui veritatem esse mandata Dei meminerat, injustæ iniquitatis persecutionem fideli animo sustinet. Et quia persecutionem scit esse fidei documentum, non orat eam à se removeri, sed adjuvari se in ea postulat, & opem atque auxilium misericordiæ Dei precatur, Evangelici hujus præcepti non ignarus: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.

Chrysostomus: Nihil est, inquit, homini anima sua conjunctius: & tamen nisi hanc etiam oderis, non ea quæ diligenti, sed ea quæ odio habenti tibi retribuentur. Nec simpliciter Christus odisse animam jubet, sed adeò ut ad bellum, ad pugnas, ad cædem, ad sanguinem prodas. Nam qui non portat crucem suam & venit post me, inquit, non potest meus esse discipulus. Ita non ad mortem simpliciter paratos esse jubet, sed ad mortem etiam violentam: nec ad violentam solùm, verùm etiam ad maximè omnium probrosam. *Homilia* 35. *in Matth. cap.* 10.

Idem: Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarium fuerit, usque ad mortem, potiùs quàm relinquere Christum. Ille, etsi ejus beneficio evadit, tamen, quantum ad propositum suum, quotidie crucifigitur. Ideò etsi nihil tale fuerit passus, mercedem tamen accipiet. *Homilia* 25. *in decimum cap. Matth.*

D. Augustinus: Christus dicebat, inquit Augustinus, non opus est sanis medicus, sed ægrotantibus. Sani præcepta contempsimus, & experimento sensimus, in quantam perniciem nostram præceptum illud contempserimus. Ægrotare jam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus, sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est. Non contempsit saucium contemptus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit ne langueret. Tanquam diceret: Certè experimento sensisti verum me dixisse, quando dixi, Noli tangere hoc. Sanare ergo tandem & revivisce. Ecce porto infirmitatem tuam. Bibe amarum calicem: tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, non laboriosa, contempta sunt. Cœpisti laborare, sanari non potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum. Bibe (inquit) bibe ut vivas. Et ne responderet ei languidus, Non possum, non fero, non bibo, prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audivit cùm dæmones expelleret, Dæmonem habet, & quòd in Beelzebub ejicit dæmonia. Unde & ipse consolaretur ægros, ait, si patremfamilias Beelzebub vocaverùt, quantò magis domesticos ejus? Si dolores amari sunt, legatus & flagellatus & crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis. Non enim frustrà commendans ejus obedientiam Apostolus, addidit dicens: Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, priùs honoravit crucem in hoc seculo. *Sermone decimo octavo in Matthæum.*

Theodorus Antiochenus: Theodorus adolescens Antiochenus, propter Psalmorum cantum à Juliani præfecto crudeliter exceptus, à Ruffino Ecclesiasticæ historiæ Scriptore interrogatus, an non cum verberibus cæsus tormentisque afflictatus esset, maximum sensisset dolorem, respondit, non multùm acerbitatis & tormenti sibi accidisse, quendamque ei adstitisse adolescentulum, & sudorem qui ex ea conflictatione exoriebatur, absterssisse, animum confirmasse, ipsumque tempus quo cruciabatur, voluptati potiùs quàm angori fuisse. *Socrat. hist. Eccles. lib. 3. cap.* 16.

Phil. Melancthon: Vult Deus τὰ παθήματα nobis esse μαθήματα, ut id in patientiæ gymnasio verissimum esse experiamur, quod Philippi Melancthonis apophthegma testatur, Schola Crucis, Schola Lucis. *Io. Iacobus Grynæus, præfat. in theses Theologicas de mysticis factis.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus Christus: Statuamus nunc præstantissimum ac tersnobile Redemptoris nostri trophæum Crucem, quæ Judæis quidem scandalum, & Gentibus stultitia; iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Videamus quanta animi alacritate ad eam aspirarint viri sancti. Et Dominus quidem Jesus, qui salutem humani generis (ut canit Ecclesia) in ea constituit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; longa illa altercatione cum Nicodemo de nocte habita, exponens & significans qua morte esset moriturus: *Sicut*, inquiebat, *Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Clarè insinuans, æneum serpentem à

Moysi

Moyse in deserto erectum, cujus adspectu sanabantur omnes qui ab ignitis serpentibus læsi, Crucis suæ imaginem adumbrasse. *Ioann. cap. 3.*

Idem: Cùm Imperator Nero in Petri Apostoli necem conspirasset, plures ei, cùm Roma abscederet, persuadebant. Id eo cogitante, & jam proximè imminens martyrium fugiente, ecce visibili specie conspiciendum se præbet Dominus JESUS. Agnoscit eum Petrus, &, Quò vadis Domine? at ille, *Vado Romam iterùm crucifigi.* Intellexit Petrus sibi insinuari, quòd Romæ eum vincula & carceres, ac tandem Crucis opprobrium maneret. *Egesipp. lib. 3. cap. 2.*

S. *Petrus Apostolus:* Quare ea Domini voce accensus, cùm mortis crucisq; sententiam Neronis imperio accepisset, & jam diu Christo cruci configi desideraret, judicem compellabat, nec eo modo quo Dominus ejus crucì affigeretur: sed ut is capite, ita ille inversis vestigiis attolleretur. Dicebat enim: *Verè non me dignum judico, eo modo in crucem extendi, quo Dei Filius in ea extensus & passus fuit. Ibidem.*

S. Andreas Apostolus: Neque hic minùs fuo fratre illustris, in Crucis gloria suo sanguine promovendâ. Dicenti etenim sibi Præfecto Ægææ, Nisi me obtemperanter exaudieris, crucis supplicium quod tu mysterium nuncupas, in temetipso experière; *Ego*, respondet, *si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem. Ego Crucis Christi servus sum, & Crucis trophæum optandum mihi potiùs quam timendum. Sur. tom. 6. in vita.*

Idem: Crucis patibulo adjudicatus, dum ad locum venisset ubi paratam eam conspicabatur; divini amoris zelo tactus, & Crucis gloria ineffabili accensus, in hæc verba prorupit: *Salve Crux. Securus & gaudens venio ad te: ita tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te: ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Ibidem.*

S. Theophilus: Ille quoque crucis desiderio inflammatus, cùm à tortore in equuleum sublatus esset, inclamare cœpit: *Ecce jam Christianus sum, quia in Cruce suspensus.* Subsannientibus autem plerisque eorum qui adstabant, *Gratias ago tibi Christe*, inquit, *quia in signo tuo levari me permisisti. Sur. tom. 1. in vita S. Dorotheæ.*

Lambertus Consul Harlemen. An non dignus iste, qui cum prioribus signa conferat? A tumultuantibus civibus quòd Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defenderet, in vincula conjectus, tandem patibulo adjudicatus est. Quod cùm è longinquo intueretur. *Quid*, inquit, *extimescimus Lignum? Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major servus domino suo? P. Opmerus in Martyrol. Hollan. manu-scripto.*

Constantinus M. Imp. Quem priores illi erga Crucis trophæum honorem, eumdem, aut certè non absimilem, signo ejusdem exhibuerunt alii. Et quidem Magnus ille Constantinus, cùm Dei auxilium expertus esset, statim salutiferum hoc trophæum suæ imagini adhibuit. Idque ex ære fusum, Romæ celebri admodum loco erigi mandavit, atque hæc Latini sermonis verba inscribi: *Hoc salutari signo, vero fortitudinis indice, Vrbem vestram è tyranni jugo ereptam, in libertatem vindicavit: Senatumq; & pop. Rom. in pristinum splendorem restituit.* Verè ille etiam aberat gloriari, nisi in cruce Domini nostri. *Euseb. libr. 9. Damasc. oratione tertia de Imag.*

Liberius II. Rom. Imp. Non impar Constantino iste, sed alio in laudis genere. Dum enim (uti fit) palatium suum obambularet, advertit tabulam marmoream Crucis signo notatam, inter alios pavimenti lapides constratam. Hæret, reique indignatione commotus, *Indignum*, ajebat, *Crucis signum pedibus conculcari, quod hominum frontibus oporteret inscribi.* Eamque illicò levari imperat. *Paul. Diac. hist. Longobar. lib. 3. cap. 6.*

Theodosius M. Imp. Veluti natalium munerisque Imperatorii splendore, ita & hac virtutis laude, cum primis illis certat perillustris Theodosius. Signa namque cum Eugenio tyranno conferre paranti, cùm Ordinum ductores prælium differendum suaderent, eò quòd hostilium copiarum numero superari se dicerent: religiosissimus Imp. *Absit*, inquiebat, *id agamus. Exercitui meo Crux præit: illius copias Hercules ducit.* ac Cruce fretus, in hostem irruens, palmam reportavit. ratus non esse metuendum Herculem, ubi Crucis armatura adesset. *Nicephorus libro duodecimo, capite trigesimo nono.*

Carolus V. Imp. Neque ab his degeneravit nostro ævo Carolus V. Imp. Austriacus, qui in Tunetana expeditione de Polemarcho sollicitus, cùm idoneum reperiret neminem, vexillum Christi in cruce pendentis imaginem habens, in altum sustulit: *Et hic*, inquit, *Dux noster erit: Rex regum, Dominus Deus exercituum.* O egregium Principem! & si quis alius, verè Heroum Divorumque agmini, omnium calculo, associandum. *Ægidius Corozetus & alii in vita.*

Anonymus: Ille etiam rogatus, in quo potissimam Ecclesiæ gloriam eminere arbitraretur; *In Cruce*, respondit: *quia inter ipsa lucet ærumnas decus. Strigel. part. 3. loc pag. 66.*

¶ EMBLEMATUM.

Seba. Faber ferrum limaterens, & Rusticus messem flagellans.

Quod duro lima est ferro, messique flagellum,
Auro quod ignis est rudi:
Hoc tibi si sapias, crux est, licet aspera; quisquis
Cœlum Deo petis duce.

Camerarius LXXXIV. Centur. I.

Tribulatio ditat.

Si tritura absit, paleis sunt abdita grana:
Nos crux mundanis separat a paleis.

Camerarius XCIV Centur. I.

Nullis præsentior æther.

Tripolium, cùi semen figura crucis.

En crucibus fœcunda inter Scyllam atque Charybdim,
Herba viret, gentis nonne ea fata piæ?

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Corpori comes sit umbra: crux piis sit assecla.
Cuncta in orbe subleva atque & continet cornu crucis.
Gaudio occultat dolorem crux, dolore gaudium.
Non terit homini cervicem crux Dei, mage elevat.
Prosperis adversa levat crux, doloresque gaudiis.
Quilibet crucem suam effert ad pœnam cùm ducitur.
Sicut umbra corpori, usque sic comes crux est piis.
Sumptuosa mensa mentis, non levat crucem, gravat.

¶ JAMBICA.

Ancuiquam est usus homini, sese ut cruciet?
Iugum Dei mage elevat quam deprimit.
Majora quum cruciant, patis non est moras.
Quot vitia sunt hominis tot sunt animæ cruces.
Summam putabant, jus summum, veteres crucem.

Culpæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arbitrantur commeruisse culpam ubi timidum sentiunt.
Assignanda non est uni culpa quæ omnium fuit.
Criminosior culpa est, ubi status est honestior.
Culpæ alienæ dissimulator est, cui culpa propria est.
Culpæ societate culpam declinare, haud est probi.
Culpa lata comparatur & dolo in re criminum.
Culpa paucorum communi juri iniquè derogat.
Culpa paucorum haud decorè puniatur publicè.
Culpa paucorum imputari non potest toti ordini.
Culpa paucorum nocere non potest toti ordini.
Culpa paucorum redundat ad pudorem publici.
Culpam confiteri, tabula post naufragium est altera.
Lata culpa est id nescire quivis quod intelligit.
Liberantur multi pœnâ, sed culpâ paucissimi.
Non potest ei imputari culpa, cui mens non sua est.
Noxia una virtutum omnem diruit valentiam.
Particeps culpæ est prohibere cùm potest qui negligit.
Pertinaciter tueri culpam culpa est altera.
Quod salutis sit ferendæ gratia, extra noxiam est.
Sæpè amor quod non meretur culpæ noxia obtinet.
Turpe admittere in senectâ culpam castigabilem.

¶ JAMBICA.

Alius in alium culpam confert, in malis.
Culpâ caret, qui scit, prohibere sed nequit.
Culpâ facimus nostrâ, expediat esse ut malos.
Culpæ fuga ducit in vitium, arte si caret.
Culpa inde abest ipsum unde consilium abfuit.
Culpa inde abest, mens consiliumque unde abfuit.
Culpâ suâ qui miser est, & turpissimus est.
Cur omnium fit culpa, paucarum scelus?
Etiam timent culpam ubi non est mentes bonæ.
Et lata culpa comparabilis dolo est.
Non semper hominum culpa, culpa & temporum est.
Quæ nostra culpa est, culpam impingimus Deo.
Quò secretior culpa est, hòc major est audacia.
Tuta est latetq; nulli culpa cognita.
Vacare culpâ, maximum solatium est.

Cunctationis.

¶ SENTENTIA.

EGESIPPUS: Sed si quis derogari aliquid gloriæ nostræ asserit, cognoscat præponderare sæpè remedium cum silentio, quàm prælium cum periculo. Denique noster Maximus cunctando magis fregit Annibalem quàm præliando. Etsi Scipiones subegerint Africam, tamen communis bellorum cum multis victoria:

ctoria : Maximo ſoli datum, quod cunctando reſtituerit Rempubl. Plus itaque eſt ſervaſſe Romanum imperium quàm propagaſſe. Æquemus tamen merita virtutum : non minora utique in ipſo bello ſapientiæ commenta ſunt, quàm inſignia fortitudinis. Pereant ergò ſuis armis : nihil laudis diminuitur, & plurimum victoriæ noſtræ adjungitur. *cap.* 11. *lib.* 4. *excid. Hieroſ.*

Videantur plura titulo *Prælii, Pugnæ, Ducis, Imperatoris, Moræ, Tarditatis, Procraſtinationis, Dilationis, Celeritatis.*

Cupiditatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS : Quemadmodum enim exhalationes, quæ & è terra & ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & nimboſam vertiginem : ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis ſpectra animæ repræſentantes, & ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores qui oriuntur ex cupiditate & perpetuitate voluptatum, condenſante vitiorum vertigines. Aurum è terra non tollitur gleba, ſed cocta percolatur : deinde cùm munda fuerit, aurum vocatur, ut quæ ſit terra mundata. *libro* 2. *Stromatum.*

D. Nazianzenus : Non infiteor omnem me cupiditatem ex eo tempore abjeciſſe, quo ad Chriſti ordines me contuli, neq; ex omnibus rebus, quæ aliis jucundæ atque expetendæ videri ſolent, ulla teneri : non opibus quæ humi reptant, ac ſurſum deorſumque volvuntur, non ventris voluptatibus, non ſaturitate petulantiæ matre, non veſte molli & diffluente, non gemmarum ſplendore & gratia, non auditu præſtigias offundente, non olfactu animum effœminante, non vulgi ac theatri applauſu in furorem agente, quem iis jampridem qui ejus rei deſiderio afficiuntur, haud gravatim relinquimus ; non denique ex omnibus quæ ex primo illo guſtu qui nobis interitum attulit, originem traxêre : quin potius magna eos in ſtoliditate verſari exiſtimo, qui ab hujuſmodi rebus ſe vinciunt, fluxisque ac fugacibus, quaſi certis & ſtabilibus, totos ſe adjiciunt. *Orat.* 18. *in laudem martyris Cypriani.*

D. Greg. Nyſſenus : Quemadmodum circa ſenſibilem hunc victum affecti ſumus, cùm non eadem omnes appetunt, ſed ſæpè pro generibus eſculentorum, ſumentium dividitur appetitus ; atq; alius quidem dulcibus delectatur, alius verò acria pariter & calefacientia appetit, alius item ſalſis, alius adſtringentibus gaudet. Sæpè autem accidit, ut non ex uſu & commodo appetitus cibi in unoquoque exiſtat. (Nam ſi quis pro temperamenti quadam proprietate ad aliquod vitium propenſus eſt, is æqualium & convenientium propria quadam vi ciborum morbum nutrit : ſed ſi ea quæ proſint appetere ceperit, nutrimento bonam ei valetudinem conſervante, prorſus in ſanitate vivet) Eodem modo in animæ quoque alimento accidit, ut non omnium cupiditates ad eandem rem propendeant & inclinent. Nam alii quidem gloriam aut divitias, aut aliquem mundanum appetunt ſplendorem ; aliis circa menſam occupatus eſt appetitus ; alij invidiam tanquam venenoſum aliquem cibum cupidè ſumunt. Sunt item nonnulli, qui appetunt id quod naturâ bonum & honeſtum eſt. Naturâ autem bonum ſemper & omnibus hoc eſt, quod non alterius cujuſquam rei cauſa ſumendum, ſed ipſum propter ſe expetendum eſt, quod ſemper eodem modo ſe habet, & nunquam ſatietate frangitur & hebetatur. *Oratione quarta de Beatitudinibus.*

D. Greg. Nyſſenus : Dolium perforatum eſt occupatio circa voluptates : quo ſemper ſedulò infundentes, irritum & inexplicabilem quendam infinitumque laborem oſtentant, qui his rebus ſtudent, ſemper quidem aliquid in fundum cupiditatis infundentes, ac quicquid ad voluptatem facit, ſuperinjicientes ; ad ſatietatem verò cupiditatem non deducentes. Quis animadvertit ad avaritiæ terminum perventum eſſe per id, quod acceſſerit avaris id quod quærebant ? quis honoris inſana cupidine captus, ambitionis finem fecit, aſſecutus ea quæ expetebat ? Jam verò quis voluptatem explevit acroamatibus ſpectaculisve, aut inanis & furioſis ventris ſtudiis, aut iis rebus ſectandis, quæ ventrem plenum conſequi ſolent : quid ſibi ex eo, quod his rebus frui atque potiri licuit, ſupereſſe deprehendit. An non omnis voluptatis ſpecies, quæ corpore percipitur, ſimul atque appropinquavit, prætervolat ? ne breviſſimum quidem tempus apud eum qui illam attigerint, manens. *Orat.* 4. *de Beatitudinibus.*

D. Chryſoſtomus : In virtute quæ antecedunt, laborioſa quidem ſunt : quæ inſequuntur ſuavia : ut hac demum ratione ille labos levetur, molliatur, leniatur. In vitioſitate autem ſecus, poſt voluptatem dolores atque ſupplicia, ita ut hinc prorſus ſi qua ineſt voluptas pereat. Nam quemadmodum fit, ut qui lauream expectat, is labores eos, in quibus verſatur, nullo modo ſentiat : ſic qui voluptate peracta ſupplicia ſibi parata intelligit, fieri non poteſt, ut juſtâ lætitiâ perfruatur, timore omnia conturbante, ſeu, ut veriùs loquamur, ſi quis diligentia adhibita examinet, vel ante eam pœnam quæ voluptatem conſequitur, magnos item dolores in ipſa vitii perpetratione ineſſe comperiet : ac ſi placet, eorum qui alienarum rerum rapina diteſcunt ; vel qui quavis ratione divites evadunt, timoribus, periculis, terroribus, ſollicitudinibus, curis, reliquisq; id genus anguſtiis omiſſis, demus aliquem eſſe qui facilè, nulloque negotio diteſcat, quique de facultatum ſuarum cuſtodia animi ſecurus vivat, quod reperire quidem haudquaquam licet, ſed tamen vel ipſo ſermone ille nobis exiſtat : quânam igitur voluptate hic perfruetur : quòd opibus multis abundet ? ſed ſcilicet ea res non patitur delectatione illum capi. Nam tantiſper dum aliarum rerum, & earum majorum, cupiditate tenetur, intenditur cruciatus : ſtante enim appetitione, tum denique voluptas percipitur. Nam & ſiti cùm laboramus, tùm ipſi nos recreamus, cùm quantum volumus, tantundem bibimus : quamdiu autem ſitimus, ut omnes etiam fontes exantlemus, majus nobis tormentum exiſtit. Eadem ratione ſi res mundanas fueris aſſecutus, nec tamen cupiditati tuæ modum impoſueris : certè quò plura guſtaveris, hoc tibi majus ſupplicium adſciſcis. Abſit ergo ut exiſtimes voluptatem tibi eò adfore, quòd multis opibus abundes, ſed eò potiùs, quòd majorum divitiarum ambitione non traharis. Nam ſi diteſcendi deſiderio tenebere, nunquam non cruciabere. Hic enim amor finem nullum habet, ac quò plus ſis viæ progreſſus, eò remotior à fine fueris. *Homilia* 12. *ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus : Neque animi ægritudinem paupertas, neq; voluptatem pariunt divitiæ : ſed & hoc & illud nobis ſolet indere cogitatio. Conſidera autem ab infimis incipiens. Qui emit ſtercora, dolet & triſtitia afficitur : quòd non ſit liber ab hoc miſero, & quod probroſum eſſe videtur, ſtudio. Sed ſi ipſum eo liberaveris, & effeceris, ut ſecurè abundet rebus neceſſariis ; rurſus dolebit, quòd non plura poſſideat, quàm opus ſit : & ſi plura dederis, volet ea eſſe duplo majora. Rurſus etiam propterea non minori afficietur dolore quàm priùs. Et ſi duplo & triplo plura ei dederis : rurſus animo angetur, quòd non gerat Rempublicam. Et ſi hoc ei præbeas ; ſeipſum ducet eſſe miſerum, quòd non primas partes teneat in Republica : hunc autem honorem aſſecutus, quòd non imperium obtineat. Quando autem imperium obtinuerit, quòd non totius gentis. Quando autem etiam totius gentis, quòd non multarum gentium. Quando autem multarum gentium, quòd non omnium. Quando factus fuerit legatus aut præfectus : rurſus dolore afficietur, quod non ſit rex. Et ſi ſit rex, quòd non ſolus. Et ſi ſolus, quòd non etiam barbarorum, quòd non etiam totius orbis terræ. Cur non etiam alterius mundi ? Et ſic procedens cogitatio non ſinit eum unquam lætari. Vidiſti quemadmodum etiamſi ex vili & abjecto regem feceris, non tollis animi ægritudinem ; niſi correxeris cogitationem, quæ laborat avaritia & plura habendi amore. Age, tibi etiam oſtendam contrarium ; quòd etiamſi à ſupremis ad infima deduxeris eum qui eſt prudentia præditus, non injicies in animo ægritudinem & triſtitiam. Et ſi vis eaſdem deſcendamus ſcalas ; & præfectum, è ſede verbis dejectum, privata illa dignitate. Ipſe enim nihil ſi velit, hæc eſſe cogitat. Neque enim reputabit ea, quæ ſunt ei ablata ; ſed ea quæ tunc habet, nempe gloriâ quam habet ex eo quem geſſit magiſtratu. Sin autem eam quoque ei abſtuleris : animo reputabit privatos, & qui ad eum magiſtratum nunquam aſcenderunt, & ad conſolationem ei ſufficient divitiæ. Sin autem ab iis quoque rurſus eum expuleris, conſiderabit eos qui mediocria poſſident. Si autem etiam abſtuleris mediocria, & eum ſolo neceſſario impertieris alimento : poterit animo cogitare eos qui ne id quidem poſſident, ſed cùm jugi fame conflictantur, & in carcere habitant. Quod ſi etiam illum duxeris in carcerem : animo verſans eos qui morbis laborant incurabilibus, videbit ſe multò habere meliùs. Et quomodo emptor ille ſtercoris, ne rex quidem factus fruetur animi tranquillitate : ita hic quoque ne ſi fuerit quidem in vinculis, unquam dolebit. Neque igitur divitiæ voluptatis, neque paupertas eſt cauſa animi ægritudinis, ſed mens noſtra ; & quòd animi noſtri oculi minimè ſunt puri, & neque uſquam firmi ſint & ſtabiles, ſed volent ad infinitum. Et quomodo ſalubria quidem corpora, etiamſi ſolo pane alantur, benè affecta ſunt & luxuriant ; morbida autem, etiamſi lauta & varia fruantur menſa, eò ſunt imbecilliora : Ita etiam ſolet evenire in anima. Qui puſilli quidem & abjecti ſunt animi, ne in diademate quidem & honoribus qui verbis non poſſunt explicari, poſſunt bono & tranquillo eſſe animo : Philoſophi autem & in vinculis, & in catena, & in paupertate pura fruuntur voluptate. Hæc ergo cogitantes, aſpiciamus ſemper ad deteriores. Nam eſt quidem etiam alia conſolatio ; ſed philoſophica, & quæ multorum aliorum ſuperat craſſitudinem. Quænam ea eſt ? Quòd nihil ſunt divitiæ, nihil paupertas, nihil ignominia, nihil honor : ſed in brevi tempore, & in verbis ſolùm inter ſe diſtant. Cum hac autem, alia quoq; eſt hac major ; nempe futura & bona & mala cogitare ; ea quæ verè ſunt mala, & quæ verè bona ; & ab illis accipere conſolationem. *Homilia* 38. *ad Corinthios* 1.

Chryſoſtomus : Etſi cupiditatis magna vis atque tyrannis eſt ; tamen ſi Dei timore animum obſeptum habeas, ipſius furorem infringes. *Homil.* 13. *ad Corinth* 2.

Idem : Erudiamus animum ut deinceps non majora concupiſcat, quod eſt amplius non appetat. In cœleſtibus verò nunquam habeat terminum, ejus quod eſt amplius deſiderium, ſed plus ſemper unusquiſq; appetat. In terra verò ad uſum & ſufficientiam conſiſtat unusquiſque, & nihil quærat amplius. *Homil.* 10. *ad Theſſal.*

Chryſoſtomus : Sicut cùm quis recto itinere gradiens, ſi in aliud aliquid intendat animum, pergit quidem, ſed ſæpè dum neſcit, urbem illam pertranſit ad quam properabat, pedesque fruſtra ſui miniſterium præbent : ita fermè fit etiam in cupiditate ; non ſinit nos

iter adspicere, oculos in se attrahens & sensim subducens. *Homil.* 17. *ad Timoth.* 1.

Isidorus Pelusiota: Nudus fugiet in illa die, ait Propheta. Quibus quidem in verbis, si eum sensum spectes, qui prima fronte se offert, ea, quæ in Domini passione contigerunt, prospicit, eumque, qui nudus profugit, significat, hoc est, qui sindone coopertus ad nudum, carnificum Domini sævitiam, relicta ipsis sindone, effugit. Si autem abditum & abstrusum sensum consideres, eum designat, qui tenuis, & à supervacanearum rerum studio & cupiditate alienus, ac sarcinarum corporis expers est, nec quicquam habet, quod ei, quo minus hinc ascendat, impedimento sit: verùm levis & expeditus à rerum mortalium fæce abscedit, atque ad eam vitam, quæ ab interitu remota est, quasi additis alis evolat. *lib.* 1. *Epist.* 35.

Idem: Mercedem ignoras, ut qui ad futura cæcutias. Porrò non in futuro duntaxat judicio ac tribunali, verùm etiam in hac vita meritas pœnas pendunt, qui invidia laborant. Hujus rei tibi fidem faciat Jezabel illa uxor Achab, quæ insana quadam vineæ Naboth cupiditate exarsit: ac propterea, & nunc canibus præda fuit, & post igni sempiterno servatur. *lib.* 1. *Epist.* 237.

Idem: Neque enim cupiditas, divini metus freno carens facilè cohiberur: verùm, quemadmodum equus freni impatiens, aut ut magis proprié loquar, pestis instar, per omnem ætatem serpit, atque omnes cujusvis sexus ac dignitatis inficit & labefactat. *lib.* 2. *Ep.* 17.

¶ Latinorum.

Orosius: Improba dominandi Lacedæmoniorum cupiditas, quantis populis, qualibus urbibus, quibus provinciis, cujusmodi odiorum motus, quantas causas certaminum suscitarit, quis vel numero, vel ordine, vel ratione disponat? Cum ipsi quoque non plus afflicti bellis quàm bellorum confusione referantur. Siquidem tracto per aliquot ætates hoc continuo bello, Athenienses, Arcades, Bœotii, Thebani, postremo Græcia, Asia, Persis, atque Ægyptus cum Libya, insulisque maximis, navales simul pedestrésque conflictus indiscretis egere discursibus. Referre cæsa hominum millia non possem, etiamsi belli memorarem. *lib.* 3. *adversus Paganos cap.* 2.

S. Valerianus: Cupiditas animum ad omne genus falsitatis incendit; cujus studium est inter cætera, rixas serere, lites movere, odia comparare. *Homil.* 15. *fer. extremo.*

S. Valerianus: Ecce cupiditas oculorum nostrorum portas jugiter pulsat, & corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde invitat aspectus. *Homil.* 17.

Idem: Nemo appetat alienum, & non est qui inimicitiarum laboret invidia. Nemo impetat consortium, & nullum est de persuasione certamen. Sit unusquisque contentus propria, & nulla est de occupata possessione caussatio. Contemne aurum, & paratum evanescit homicidium: nec paricidalia odia seruntur si cupiditatis oculus castigetur. Non est in quo hæres erubescat, si quis ad mediocritatem portionis suæ contentus accedat. Non sit qui pecuniæ augmentum quærat, & neminem culpa proditionis accusat. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempestate naufragium: & cùm agelli tui otiosus secreta custodis, alienum periculum securus aspicies. Vitare ista per singulos gradus fortè difficile est, & laboriosum multis simul hostibus per diversos errores occurrere. Quærendum ergo compendium belli, & auctor litis requirendus, ut cum illo nobis sit pugna à quo processit injuria. Non enim dubie legiones armis instructas poteris vincere, si tyrannum potueris obtinere. Totam autem causam belli finivit qui auctorem pugnæ superavit. Instruamus ergo virtutum acies adversus parata scelerum legiones: sed ante omnia adversus ipsam, quæ caput belli est, hoc est, cupiditatem pugnemus. ita non difficilis erit de illa quam diximus vitiorum labe victoria, matre captiva. *Homil.* 20 *extremo.*

Chrysologus: Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebejo censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus. Paratis sibi invidet qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit. *Sermone* 25.

Ennodius: Acrius affligunt oblata cùm pereunt. Potior sitis est, quam undarum gustus exaggerat. Non urunt memoriam prima fronte negata beneficia. Quis ferat ingestam oculis æquo animo se perdidisse dulcedinem? *lib.* 5. *Epist.* 26. *pr.*

Ennodius: Tunc liquidò patuit per occursus multiplices, nihil obstare cupientibus: planari ardua, solidari scissa, pendentia non timeri. *Vita Antonii cap.* 10. *pr.*

Io. Sarisberiensis: Pauci homines satietatis sibi aliquos præscripserunt terminos. Necesse est semper deesse aliquid curtæ rei, & ipse hiatus desiderii aliquid ulterius jugiter affectantis, imperfectionis signum est. Signum dico? defectum potius dixerim conscientiæ manifestum. Quodam igitur modo, eoque glorioso, perfectus est qui prævidet unde valeat satiari: quod etsi neminem vel admodum paucos gentilium assecutos credam, huic tamen nonnullos institisse proposito certum habeo: cùm & Ethicus dicat,

—— *Certum voto pete finem.*

quo in infinitum animi humani conatus protenditur, & in id sine quo omninò nequeat apprehendi. *lib.* 7. *Policratici cap.* 23.

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Arrianus: Ego novi quendam, qui plorans & Epaphroditi genua amplexus, se in ærumnis esse diceret, quod sibi nihil nisi millies quingenties esset reliquum. Quid ergo Epaphroditus? desertne hominem ut vos? imò cum admiratione: O te miserum, inquit, quare tacuisti? quo pacto toleraſti? *circa finem cap.* 26, *libr.* 1. *Epicteti.*

Arrianus: Tibi omnia videntur parva quæ habes: mihi mea omnia magna. Inexplebilis est tua cupiditas: mea expleta est. Pueris manum in vas angusti oris inserentibus ficus mistas nucibus eximentibus: accidit ut manum plenam extrahere non possint, deinde plorant. Omitte paucas ex iis, & extrahes. Tu quoque omitte appetitum: noli multa desiderare, & benè tecum agetur. *capit.* 9. *libr.* 3. *Epist.*

Idem: Cùm alium videris magistratu præditum: oppone illud, te non requirere magistratum. Cùm alium divitem, vide quid loco divitiarum habeas. Nam si nihil pro illis habes, miser es. Si id habes ut divitiis non egeas: scito te plus habere, & longè majoris pretii rem. Alius uxorem formosam habet: tu vero id, ne formosam uxorem concupiscas. Num parva hæc tibi videntur? Quanti verò id isti ipsi magistratus divites æstimarent, cum formosorum consuetudine utuntur, ut possent divitias, magistratus & ipsas mulieres, quas amant, quibusque potiuntur, contemnere? Ignoras qualis sit sitis febricitantis? Nihil simile habet siti sani hominis. Hic cùm bibit, acquiescit: ille parumper delectatus, nauseat, aquam in bilem convertit, vomit, ringitur, sitit vehementius. Tale quiddam est durante cupiditate gerere magistratum, durante cupiditate dormire cum formosa uxore: adjuncta est æmulatio, metus amissionis, turpia verba, turpes cogitationes, facta indecora. Et quid, inquit, amitto? Homo fuisti verecundus: nunc non es, nihilne amisisti? Loco Chrysippi & Zenonis Aristidem legis, & Evenum: nihilne amisisti? pro Socrate & Diogene miraris eum qui plurimas corrumpere & decipere verbis potest. Pulcher esse vis, ac teipsum fingis, cùm non sis: & vestem splendidam ostentare cupis, ut mulierculæ tũ oculos in te convertas: & sicubi pastillos nactus fueris, beatum te judicas. Prius autem quicquam tale ne cogitabas quidem. Ubi est honesta oratio? vir gravi auctoritate? generosa cogitatio? proinde dormiebas ut vir, prodibas ut vir, ut vir vestem virilem ferebas, verba faciebas digna viro: & nunc mihi dicis, te nihil amisisse. Iráne nihil aliud amittunt homines, nisi nummulos? verecundia verò non amittitur? aut talium rerum jactura nihil nocet? *cap* 9. *libr.* 4. *Epicteti.*

Libanius: Si veniam tribuamus iis, qui libidine mala perpetrant: iis etiam condonabimus, qui ob egestatem pecuniarum scelera committunt, multorumque ac magnorum scelerum pœnæ expungentur; murorum effossionis, monumentorum, templorum, & ab iis qui montes occupárunt deprædandi causa, & ab iis qui per mare grassantur, audiemus hæc dum in judicio sistent: Paupertatis herus eram, nihil habebam, destitutus eram, indigebam. Attamen potius dicendum fuerat: Multis modis vitam sustentare licuit, ut aliis inopibus innumeris. Quin fame prius moriendum fuit, quàm ejusmodi scelera patranda. *Declamat.* 23.

Libanius: Non facile est, incidere in hominem qui non vicietur Fortunæ; aut qui non illam injustam, seipsum verò infortunatum vocet. Is autem eam iniquam appellat, & se miserum esse putat, qui pulcher est, quòd non etiam magnus sit: qui autem magnus, quòd non etiam formosus. Qui hæc duo obtinuerit, queritur quod non etiam fortis: & cui hæc tria adsunt, quòd non etiam sit velox, Deum accusat. Verùm ne tunc quidem cùm omnia corporis bona ipsi adessent, contentus esset: neque super his gratiam Fortunæ haberet. At non sum orator, dicet apud se, neque medicam artem scio: neque differendo valeo: neque cithara novi ludere: neque ducere exercitus. Quocirca dum præterit quæ sunt apud se, ea quæ non adsunt numerando, non existimat se fortuna frui: licet injuram inferat, non accipiat. Atque in his quidem minus debaccharetur in Fortunam: verùm in ipsa de pecuniis atque honoribus cogitatione, hui, quàm vehemens est incursio! ac nihil querulo convitiosam linguam compesceret. Siquidem qui unum colit agrum, conqueretur, quòd duos non colat: qui verò duos, quòd non tres: rursus qui tres, quòd non quatuor: item qui decem, quòd nõ viginti: qui itidem viginti, quia non bis totidẽ: qui denique bis tot, quòd nõ sæpius totidẽ. Cæterùm nullus numerus nec cupiditatẽ, nec querimonias cõpescit. Idem etiã illis usuvenit, quoties venit in mentẽ aliquid esse amplius iis facultatibus quas possident. Iccircò idem ipsis parvum & magnum est: ac magnum quidem, priúsquam accesserit: sed cùm jam in manibus est, parvum. Quippe auri talenta mille parvum est, præ duobus millibus: rursus duo millia, propter dena totidem. Adeo nihil quicquã est omnino, quod ad laudandum Fortunam inducere posset. Cujusmodi tandem est magistratuum dignitas? præfectus aliquis imperat civitati: infortunio mactatur, quia genti non dominatur. Qui regioni præsidet, miser est, quia pluribus nõ præficitur: qui in plures imperiũ habet, dolet quòd non sit præses provinciæ: qui à nullo secundus est, nisi ab eo qui sceptrũ tenet, infelix quidam apud se censetur. Quin etiam magnus ille præfectus infortunatus habetur, nisi consulari habitu, sella curuli considens spectetur. Accedit etiam hoc: hic inimirum omnia persuadere, & quò visum est regem impellere percupiẽs, si minus id assequi possit, grave ac dirũ quiddã est, eique infesta videtur Fortuna, & nihil planè è suis donis largita. O quàm clementissima, auditores, hæc Dea est? & utique fortasse ridet eorum vecordiã, qui nihil magni se ab ipsa accepisse dicunt. Quippe nõ indignata statim quod dederat eripit, ut quanta ipsis adessent doceat: isti au-

tem haudquaquam perceperant. Videntur autem mihi & Cyrus & Darius & Xerxes, cùm expeditionē in eam regionem ducerent, quā nondū occupabant, id feciſſe, quòd de fortuna quererentur, eò quòd non his etiam locis dominarentur. At ſi hic Perſa Græciæ dominus extitiſſet, totam etiā terram à fortuna popoſciſſet, aut ei malè dixiſſet, quaſi non bene in ipsū affecta fuiſſet. Jam verò tametſi in omnibus quis fortuna potius ſit, ingemens conſidet; quòd homini cuiq; neceſſe ſit mori: & cœlum beatū prædicat, ac ſolem, quòd ſemper futurus ſit, & nullo unquā tempore finem habiturus. Adeo res inſatiabilis eſt homo, atque ingrata. Quapropter etiam Hector honoratus, quibus par erat & ducem exercitus & eum quem poſt patrem regnaturum omnes opinarentur: Apollinis ac Minervæ honores obtinere exoptat, tanquàm his etiam certè apud Trojanos dignus fuiſſet. Ergo minoribus quàm oportere ducebat, honoribus affectus, infeliciter agere arbitrabatur. Quando igitur, mi homo, fortunā laudabis? ſiquidem Deus non eris: atqui hoc volueris: & ſiquidem aras & victimas non aſſequeris, idq; cùm adhuc homo ſis, cætera exigua tibi eſſe videbuntur? fuit olim vir avarus in Ægypto: hic amicos ſibi comparabat, quibus liberi non erant: ut iis ipſe filii loco eſſet, factus ex capite cenſo locuples; hæreditatem mortuorū adiens, iis patribus ſuccenſebat, qui adhuc in vivis eſſent. Cùm verò alius vir quidam eodem laborans morbo, eum beatū ob fortunam prædicaret, ob quam ingens quædam è multis opulentia collecta fuerat. Nondum quæſo, inquit, me beatū nuncupes, antequàm iſti obierint. Cùm de iis loqueretur, quorū patrimoniis inhiabat, tale profectò quiddam etiam duci uſu venerit, cùm in prælio quidem vicerit fortuna favente, ſed eam ſibi opem tuliſſe negaret; propterea quòd non etiam urbem hoſtium expugnaſſet. Nunquid verò, bone vir, nolente fortuna legiones fuſæ, & catervæ fugatæ, & internecione deletæ fuiſſent: an etiam ſpolia ferre & cadavera tollere conceſſum eſſet? Novi etiam ego mercatores, qui cùm ad multos portus appuliſſent, ad alios verò pervenire nequiviſſent, non ſecunda fortuna navigaſſe dicerent, quia non illos quoque portus attigiſſent. Atqui optime, multum mare ſecundis vētis percurriſſe, ac per multas mercaturas rem ampliorem feciſſe, nonne fortunatum eſt? Et quid de iis cenſeretur, qui ſimul in altum evecti & in profundum demerſi eſſent? cujuſmodi multa repentè exortis ventis fiunt. Enimverò ſi hoc miſerandum eſt, is qui maria trajecerit, ac perſæpè applicuerit, ſæpè etiam è portu ſolverit, atque ſarcinarum venditione crumenam adauxerit, quomodo non fortuna comite ad mercaturam profectus fuiſſe videbitur? quoniam igitur adverſus fortunā mentiuntur, tum nihil ſatis ſuperque ipſis eſt ex iisdem munerib⁹, tùm triſtitiæ ac mœrores, macies & tabes eos ſubeūt. Verùm, mi homo, Deam venerare, tanquā felix, quòd & animo valeas, & corpus integrum atque incolume tibi ſit, & conjux caſta, & liberi modeſtiā colant, & à parentibus parta maneant, amicis denique certis perfruaris. Et heus tu, qui victum manibus tibi comparas, magnum id eſſe puta, quòd manuum utaris opera: tu quoque cauſarum patrone, quòd ſermonū liber tibi ſit uſus, tametſi nullus aliud munus magiſtratúmve conferat. Tu etiam qui civitatibus imperas, hac ſorte contentus eſto, tametſi aliam præfecturam nemo det. Et tu, doctor, quòd immunitate potiaris, & quicumque medicis non indigēs, lotus, epulaturus incedit, vacuus à metu, quem calumniator infert: hic certè etiam inter eos qui jure fortunam laudarent exiſteret. *Diſſertatione, de explebili cupiditate.*

Heliodorus: Approbabat & Thyamis, partim volens, partim invitus. Nam præ cupiditate qua incendebatur erga Charicleam, etiam illam horam qua hæc gerebantur, infinitum eſſe tempus dilationis ducebat. *libro Æthiopicorum primo.*

¶ Romanorum.

Quintilianus ſenior: Si ego non habui rationem dandi veneni fratri, videbo an hic habuerit. Hæres eſt, hoc per ſe potēs eſt. Omnia quæcumq; toto orbe terrarū cōmittuntur ſcelera, circumſpicite, judices, pleraq; ex cupiditate naſcuntur. Hæc latrones facit, hæc piratas, hæc intra muros etiam, atq; intra domos noſtras, & templa, ſicas percuſſorū acuit. Inde nata ſunt venena, ut mihi videatur rerum natura omnibus in hominem collatis bonis, unum metum oppoſuiſſe. Tolle pecuniam, bella ſuſtuleris: ſuſtuleris ſeditiones. Hanc ergo cauſam habuiſti. Et aliud eſt, aliis pecunia: ſi de cupiditate ſola loquendum mihi foret, dicerem, Hæreditatem concupiſti, id ſolum habiturus quod ſcelere adquiſiſſes. Quid enim jam te metiri incipis, & longam domus noſtræ patientiam calcas? Ecquid ſcis, quid paulò antè fueris? nunc te circumfluens pecunia, nunc iſta mancipia, & quicquid quæſiſti ſcelere, ditabunt? *Declam. 321. med.*

Plinius junior: Omnium rerum cupido langueſcit, cùm facilis occaſio eſt. *libri 8. Epiſt. 20.*

Symmachus: Ferunt Socratem ſi quando excidit cupitis aut deſtinatis, id ſibi utile quod evenerat æſtimaſſe. Nam meriti ſui ſecurus interpres, ea conjectabat eſſe meliora quæ caſus dabat quàm quæ animus adpetebat. Sequor ſapientis exemplum, & bonam partem traho, quòd Saxonum numerus morte contractus, intra ſummam decretam populi voluptatibus ſtetit, ne noſtræ Editioni ſi quid redundaſſet abſcederet. *lib. 2. Epiſt. 46. pr.*

¶ Poetarum.

Plautus Aſinariæ 1. ſc. 1. v. 71.

Cupis id, quod cupere te nequiquam intelligo.

Plautus Captivis 2. ſc. 1. v. 32.

Ero ut me voles eſſe, ſpero.

T. *Nam tu nunc vides pro tuo caro capite,*
Carum offerre me meum caput vilitati.
P. *Scio.* T. *at ſcire memento, quando id quod voles habebis.*
Nam ferè maxima pars, morem hunc homines habent; quod ſibi volunt
Dum id impetrāt, boni ſunt: ſed id ubi jam penes ſeſe habēt,
Ex bonis peſſimi & fraudulentiſſimi
Sunt.

Terent. Adelph. 4. ſc. 5.

Obſecro num ludis tu nunc me? M. *ego te? quā ob rē?* Æ. *neſcio,*
Niſi quia tā miſerè hoc eſſe cupio verum, ego vereor magis.

Terent. Heautont. 4. ſc. 1.

Quid cum illis agas, qui neq; jus neq; bonū atq; aquū ſciūnt?
Melius, pejus, proſit, obſit, nil vident, niſi quod lubet.

Terent. Phorm. 5. ſc. 4.

Quàm ſcitum eſt, ejuſmodi parare in animo cupiditates,
Quas cùm res adverſa ſient, paulò mederi poſſis.

Catullus Nuptiis Pelei, v. 139.

At non hæc quondam blanda promiſſa dediſtis
Voce mihi, non hoc miseram ſperare jubebas;
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aerii diſcerpunt irrita venti.
Tum jam nulla viro juranti fœmina credat;
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles.
Qui, dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

¶ Apologorum.

Phædrus, Fab. 57. Pavo ad Junonem.

Pavo ad Junonis venit, indignè ferens
Cantus Luſcini quòd ſibi non tribuerit:
Illum eſſe cunctis avibus admirabilem,
Se deridéri ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia, dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine,
Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſq; plumis gemmeam caudam explicas.
Quòmi, inquit, mutam ſpeciem ſi vincor ſono?
Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omnes quæ propriis ſunt contenta vocibus.
Noli adfectare quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

Babrias. Περὶ κυνὸς καὶ εἰδώλου αὐτοῦ ἐν τῷ ὕδατι. Fab. 30.

Φέρων πόλλμου πλησίον κύων κρέας,
Κύψας ἐαυτὸν, ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει.
Καινὸν δ' ἔλοιπον καὶ κακῶς λαβεῖν κρέας.
Ἀπισρεῖτο καὶ δ' ἔπαξ ἐπρᾴτει.

Ἐπιμύθιον.

Ὁπόσοι πλεονεκτῶν μᾶλλον ζημιῶνται.

De Cane & imagine ipſius in aqua.

Canis propter flumen carnem ferens,
Quum ſe acclinaſſet, aliam in aqua vidit:
Hiſcens autem ut inferiorem aliam carnem caperet,
Privatus & ea eſt cujus compos erat.

Aſſabulatio.

Quòd cupidus magis damno afficitur.

De Vulture à canibus capto, ob prædam non dimiſſam. Fab. 145.

Vultures duo cadaver depaſcentes, duo ingentia fruſta abſciderāt, quæ unguibus per aëra deferre decreverant, quum ſubitò canibus adventantibus, alter eorum dimiſſa ſua parte cadaveris, ejulans ſtatim è canum conſpectu procul abiit: Alter prædæ intentus, dum partem ſuam dimittere cunctatur, à canibus captus eſt: qui dum ſe jam moriturum videret: heu, inquit, me miſerum & infelicem, qui parvæ voluptatis cauſa tot vitæ voluptates amittam!

Fabula indicat, nimiam acquirendi cupiditatem ſæpenumero avaris attuliſſe perniciem. *Abſtemius.*

¶ Emblematum.

Batillius CCV.

Cupiditatis fames.

Vt ſemel accenſa eſt, non ulla alimenta recuſat,
Hoc magè quo major copia flamma vorax,
Tanto majus opes animi irritamen avari,
Qui quo plus habet, plus & habere ſitit.

Camerarius XXXV. Centur. 3.

Parta tenens non parta ſequor.

Accipiter perdicem tenens, adhuc alias perſequens.

Multa licet fido ſapiens in pectore condat,
Plura avido tamen uſque appetet ingenio.

Catſius Emblemate Ethico XXXVIII.

Ad nova ſemper hians.

Jejuno dominus Cerealia fruſta moloſſo
Objicit: hic avido devorat ore cibum.

Et ſa-

Et ſtat hians, aliamq; oculos intendit in offam,
Semper & acceptis uberiora petit.
Mos molitur idem. nam ſi cui numine dextro
Eveniant nummi, prædia, cenſus, agri,
Omnia conduntur, petitur nova præda. futuræ
Sic deſiderio prodiga vita perit.
Catſius Emblemate amatorio XXXVIII.
Res immoderata Cupido eſt.
Prima quidem fuerat Dominam tibi cura videndi,
Altera, mox lateri jungere poſſe latus.
Iſtud & illud habes; ſed & hoc: tibi lenis amica
Blanditias molles aptaq; verba dedit.
Oſcula nunc poſcis. det & oſcula; nonne petetur
Mox illibata virginitatis honos?
Et vorat, & properans nuit in nova fruſtra Moloſſus:
Quodque petat, cupidus ſemper amator habet.

¶ Monosticha Trochaica.

Abſque dextera, abſque telo vincit, aurum cui domi eſt.
Æ depol Cupido cùm puſillus ſis, nimis multum vales.
Arbore Adam unâ appetita, & univerſis excidit.
Ceterius veniunt moleſta, quàm illa quæ cupide petas.
Cupiditas ex homine: cupido ex ſtulto nunquam tollitur.
Cupiditati inſtar totius vitæ una eſt diecula.
Cupiditati nil ſatis eſt, naturæ etiam ſatis eſt parum.
Cupiditatibus anima una pluribus vix ſufficit.
Cupiditatum haud aſſequendarum acrius rabit furor.
Ex alieni cupiditate, cunctum oritur animi malum.
Incipit jam plus habere poſſe, qui plus ſat habet.
In vitâ minimum malum experitur qui minimum cupit.
Multi alii fines tulerunt, nemo conſtituit ſibi.
Ne Deus quidem ullam humanam explevit cupidinem.
Nemo habere cuncta, cuncta ſed poteſt contemnere.
Nemo rex ſui eſt: ſervimus omnes aviditatibus.
Nil non concipit, parit, nutritque cupiditas mali.
Nondum adhuc ſtatutus ullus terminus cupidini.
Non ecquid habeamus, verùm ecquid petamus cernimus.
Nunquam hominem cupido, nunquã cura habendi deſerit.
Pax placere cupiditati nulla adhuc potuit malæ.
Plura qui cupit, minimè oblectabitur præſentibus.
Quiſque ſolvit cupiditates clam prius, dein palam.
Quoties concupita dantur, migrat cura in gaudium.
Sapè ſunt meliora quæ timemus quàm cupiſcimus.
Semper quod deſideret vaſta invenit cupiditas.
Stultus eſt, qui cupida cupiens, eadem cupienter cupit.

¶ Jambica.

Acceſſionem fluminum haud ſentit mare.
Aures dum avet tamelus, cornua perdidit.
Cupidinem auges non minuis, ſi indulſeris.
Cupidinis nutricula obſequentia eſt.
Cupiditas omnis ſemper a fine incipit.
Cupido expleri non poteſt amentium.
Cupido ibi eſt, ubi eſſe ſatietas haud poteſt.
Cupido languet, cùm facilis occaſio eſt.
Cupido quaque fruitione accenditur.
Cupidus quoque concupiſcit quod non eſt opus.
Eò ampliora quis cupit, quò plura habet.
Etiam cupido ſe odit in fructu ſuo.
Heu quàm cupido acerba vitæ eſt carnifex!
Majora cupere ex magnis, mos mortalium eſt.
Minimè bona eſt res, multa concupiſcere.
Multa appetuntur, peſſimo appetentium.
Nullo tenentur termino cupidines.
Nullus cupido animam philoſopham vulnerat.
Nullus ſtatuit unquam metam cupidini.
Peccare non vis? cupiditatem à te amove.
Quantum capis fac hauriat: nimis cupis.
Quid ſit ſat illis ipſa Roma cui parum eſt?
Quid ſufficit illi cui Deus non ſufficit?
Qui multa avet pauper: dives qui nil avet.
Quis vis cupit ſortem optimam, rarus capit.
Quod quiſque avet, quoq; ilicet fingit ſibi.
Quò plura habes, cupis acrius quæ non habes.
Quò plus lucratur plus cupiditas indiget.
Res appetas quarum haud pertæ poſſeſſio.
Scelerum omnium, cupiditas unica eſt parens.
Sordent prima, cùm majora quæq; homini ſpes objicit.
Vni ſibi eſt cupido nata, haud alteri.

Curæ.

¶ Sententiæ.

Plinius Secundus: Nihil eſt, quod non arte curaque, ſi non poteſt vinci, mitigetur. *libri octavi Epiſtola quarta.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 5. de calam. ſuis.

— ὁὺς δ' τι κἀνδ ελμίεμνα
— Cura homini crux ac lethale venenum eſt.
Plautus Trinummo 1. ſc. 2. v. 79.
Quid tu adoleſcentem, quem eſſe corruptum vides,
Qui tua mandatus eſt fidei ac fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,
Si qui probiorem facere poſſis, non uti
In eandem tute accederes infamiam,
Malumq; ut ejus cum tuo miſceas malo.
Plautus Trinummo 5. ſc. 2. v. 40.
Atque adepol ſunt res, quas propter tibi tamen ſuccenſui.
C. *Quid ego feci?* CH. *Meum corrumpi quia perpeſſus filium.*
C. *Si id mea voluntate factum eſt, eſt quod mihi ſuccenſeat.*

¶ Emblematis.

Barillius CCXIII.
Curarum tormenta.
Aſſiduas Tityus diræ Titanidos iræ
Fœcundo pœnis viſcere paſcit aves.
At num ille hic nobis fuerit, cui cura medullas
Implacida intus edat perpetuusq; dolor?

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Jesus Christus *Dominus noſter*, dicebat diſcipulis ſuis: Videte, & cavete ab immodica acquirendi cupiditate. Nec enim cujuſquam vita ex iis quæ ipſi ſupperunt, in eo ſita eſt, ut redundet. Ne ſolliciti eſtote de anima veſtra, quid eſuri ſitis: neque de corpore, qua re ſitis induendi, &c. *Luc.* 12. 15. 22. *&c.* Vide *Matth.* 6. 25. *&c.* & *Apophthegm. de Sollicitudine.*

Iſdigerdes: Arcadius Imperator moriens, Theodoſii filii ſui, admodum adoleſcentuli curam Iſdigerdi Perſarum regi teſtamento commiſit: quare cognita & minimè neglecta, præclaro quodam delecto tutore & pædagogo Romam miſſo, literas ad Senatum Romanum miſit Iſdigerdes: &, Quum (inquit) Arcadius Imperator veſter me filii ſui curatorem inſtituerit, qui officio meo fungatur virum eò miſi. Ne quis igitur puero inſidias ſtruere audeat: ne bellum ipſe implacabile adverſus Romanos moveat. Hac cura pervigili Theodoſio imperium tutum remanſit. *Niceph. eccleſ. hiſt. lib. 14. cap. 1.*

Phil. Melanchthon: Joachimus Camerarius quum aliquando Philippum Melanchthonem perturbatum vidiſſet, & hortaretur ut illas curas deponeret & rejiceret (ſecundùm præceptum Davidis) in Deũ æternum: At ille, Si (inquit) nihil curarem, nunquam implorarem Deum. Cùm autem curas finiat religioſa pietas precibus, nimirum expers eſſe earum penitùs illa nequit. Et curis igitur ad preces impellor, & precibus curas depello. *Ioachim. Camerarius, in vita Philippi Melancth. pag.* 113. Vide *Apoph. de Sollicitudine.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad toros fano tumentes cura pallida haud venit.
Cui minuta curæ non ſunt, & majora negliget.
Cura canos, cura rugas ante tempus ſuppetit.
Cura tanta cuique, quanta & ejus eſt pecunia.
Cura vix tranſiſſe credit quod timet cùm tranſiit.
Curioſiùs alsena inquirimus quàm propria.
Nemo non curam gerit canum anxiorem quàm ſui.
Non honor, non gaza, curas aut mentis placat metus.
Optimum eſt differre curas, ſi diſcutere non potes.
Parca eis quies, ſunt curis corda queis fragrantia.
Plurium intereſſe curis abſque cura quis queat?
Quis cruci jam jam affigendus digiti curat ulcera?
Quiſque maximè illud curat, maximè quod diligit.
Qui ſuam haud curat, alienas curat omni re ope.
Sic ei ſuccedit ut rem quiſpiam accurat ſuam.
Sollicita haud queant mutare curæ fati ſtamina.
Sunt optimiora cuncta cura queis impenditur.
Tolle curam, ſtirpitusq; tota virtus tollitur.
Vt ſuam rem quiſque accurat, ſic ei mox provenit.

¶ Jambica.

Calcem ferè curæ fatigat Gloria.
Cordata cura quaslibet res expedit.
Cura animal omne in amorem convertit ſui.
Curæ vacari non poteſt & gaudio.
Curæ leves loquuntur; ingentes ſtupent.
Curæ magis ſecretæ mentem lancinant.
Curas edaces liberi flos diſſipat.
Curas guberna amariores ſenſibus.
Curis medicinam tempus omnibus facit.
Eſt curare recti ſimplex, pravi multiplex.
Lapit cor cura, ærumna corpus confici.
Nil ſic perinde animam velut cura exedit.
Permitte fato curas ingentes impares.
Secreta cura quos lacerat, urit magis.
Vbi cura magna, magna ibi mox gloria eſt.

Videantur plura tit. *Aegritudinis, Sollicitudinis, Diligentiæ, Attentionis, Induſtriæ, Ingenii.*

Curiæ.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

LVDOVICUS XII. *Gall. R.* Lutetiæ Parisiorum obambulans, obvios quosdam sibi habuit è Senatu, velocissimo gressu ad Curiam properantes. &, *An non*, inquit ad proceres, *hi ad nundinas videntur proficisci*? Imitatus Stratoclem & Dioclem, qui se mutuò ad messem auream invitabant, Curiam nundinas appellabat. *P. Æmil. in vita.*

Anonymus: Viderat & ille frequentiùs, quemdam è familiaribus ad Curiam discurrentem, & obvio, Quò, inquit, tam festinus? Ad Curiam, respondit ille. Cui alter: Imprudenter agis, an ignoras vulgatum illud:

Curia dat curas, non sit tibi Curia curæ?
Curarum ergo expers esse vis? à Curia abstine.

Monebat Plutarchus, ad aulas accedendum velut ad ignem: neque propiùs, ne uraris: neque remotiùs, ne affligaris. *Gregor. Richterus in axiom. Polit.*

Aulici Anonymi: Quàm verò curialium & aulicorum vita periculis plena, ob voluptatum copiam, & effusam libertatis ac omnium penè flagitiorum libidinem, docuère Aulici duo, quorum memoriam in Confessionibus suis facit B. Augustinus. Quos dicere solitos testatur, *In palatio quid non fragile, plenumq; periculis? & per quot pericula devenitur ad majus periculum!* Jure igitur miraculi loco habet Hieron. *Epist. ad Salvinam*: Nedibrium adolescentem nobilem, in media aula nutritum, contubernalem Augustorũ, quorum mensæ ministrat orbis (verba ejus sunt) terræ & maria serviunt, inter omnium rerum abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuisse, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret. *Augustin. lib. 7. Confess. cap. 6.* & refert *Guil. Baldasenus lib. 1. cap. 13. in Stimulis virtutum Adolescentiæ.*

Vide *Aula. Aulica vita.*

Curiositatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

DCHRYSOSTOMUS: Cum aliis malis nescio quomodo humanam naturam subit morbus supervacaneæ indagationis & importunæ curiositatis. Quem Christus quoque castigavit, dicens; Non judicetis, ut non judicemini. Quod quidem nullam habet voluptatem, ut cætera peccata; sed solùm pœnam & supplicium. Etenim cùm ipsi simus repleri malis innumerabilibus, & trabes feramus in oculis; peccatorum vicini, quæ à festuca nihil differunt, exacti sumus examinatores. Sicut etiam accidit Corinthi: Viros enim pios & Deo charos comicè ludificabantur & ejiciebant propter imperitiam; eos autem qui erant pleni malis innumerabilibus, magni æstimabant propter eloquentiam. Deinde præsidentes tanquam judices temerè tales ferebant sententias: Iste est magni pretii: hic est illo præstantior: & iste est illo inferior: & ille est hoc melior. Et mittentes sua mala lugere, erant aliorum judices: & hac ratione rursus gravia committebant bella. *principio homiliæ* 11. *ad Corinthios* 1.

Chrysostomus: Non cessabis ergò, ô homo, quærere supervacanea? sunt enim revera supervacanea. Non cessabis curiosè scrutari? Nihil est hac ignoratione & imperitia sapientius: in qua qui profitentur quidem se nihil scire, sunt omnium sapientissimi. Qui autem curiosè scrutantur, sunt omnium amentissimi. Quare profiteri se scire, nõ est semper sapientiæ, sed est etiam alicubi stultitiæ. Nam dic mihi, si ex duobus hominibus alter profiteretur, se mensurum aerem qui à terra pervadit ad cœlum, extensis funibus; alter autem irridens diceret se nescire: quem quæso ridebimus? eúmne qui dicit se scire, an eum qui ignorat? Est perspicuum, quòd eum qui dicit se scire. Qui ergò ignorat est sapientior eo, qui professus est se scire. Quid rursus, si quispiam profiteretur se scire quot ciathos habeat mare, alius autem se ignorare; non rursus ignoratio est sapientior cognitione? Maximè. Quare? Quandoquidem illa quoque ignoratio est intensa. Nam qui dicit quidem se nescire, scit partem aliquam. Quámnam? Quòd homini sit incomprehensibile. Non est enim hoc parvum. Qui autem se dicit scire; Ille maximè nescit quòd se dicit scire: & propter hoc ipsum est ridiculus. Hei mihi, quàm multis erudimur intempestivam refrenare curiositatem, & supervacaneam indagationem; nec sustinemus: sed vitam aliorum curiosè indagamus; utpotè cur hic cæcus, ille verò pauper. Hac igitur ratione in alias etiam nugas incidemus: cur hæc sit fœmina, & non omnes viri, cur asinus, cur bos, cur canis, cur lupus, cur lapis, cur ligna; & ad infinitam prolixitatem decidet oratio. Propterea Deus nobis constituit terminos cognitionis, & jecit in natura. Contemplare autem mihi multã curiositatem: quòd qui videntes tantam à terra ad cœlum altitudinem, minimè afficimur nec moremur; quando alta turri conscensa voluerimus deorsum aspicere, si parum nos inclinaverimus, gravis nos invadit vertigo & tenebræ. Dic mihi hujus rei causam: sed non inveneris: cur majorem vim habet oculus, & detinetur ab iis, quæ sunt remotiora. Et id simiiter videris in auditu. Non potuerit enim quispiam tantum clamare, ut impleat aërem, quantum poterit comprehendere oculus; neque audire ex tanto intervallo. Cur non omnia membra sunt honore paria? Cur non unum acceperunt usum, nec locum? Paulus quoque hoc est scrutatus, Imò verò non est scrutatus, erat enim sapiens: sed cùm in hunc locum incidisset, dicit; Unumquodque, inquit, eorum posuit, sicut voluit. Voluntati ejus solùm universum commisit. Gratias agamus pro omnibus. Propterea, inquit, gratias agite pro omnibus. Hoc est, grati famuli, hoc sapientis, hoc intelligentis: illud loquacis, otiosi, & curiosi. Non vides inter famulos, quòd qui sunt quidem abjecti & plane despuendi, nihiliq; & inutiles, sunt loquaces & nugatores, & curiosè inquirunt res dominorum, quas illi volunt celare; sapientes autem benevolique, structi & intelligentes, unum solùm spectant, ut suum ministerium impleant. Qui multum loquitur, nihil operatur: sicut qui multum operatur, nihil loquitur intempestivum. *Homil. 19. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Nihil, ut videtur, est æquè curiosum, & ad ea quæ sunt obscura & occulta edisccnda cupidum, atque humana natura. Hoc autem ei solet accidere, quando habet mentem minus accuratã & nondum absolutam. Pueri enim simpliciores non cessant obtundere educatores & parentes crebritate quæstionum, in quibus nihil est aliud, quàm quando hoc est, & quando illud. Hoc autem accidit, & ex eo quod vivant in deliciis, & ex eo quod nihil habeant quod agant. *Homil 9. ad Thessalonicenses.*

Chrysostomus: Qui sua non curat, aliena curabit omninò: sicuti cui sua curæ sunt, alienorum nulla ratio subest, cura nulla alterius obstrepit. *Homil. 15 ad Timoth. 1.*

Idem statim: Nihil minus convenit fœminæ, quàm aliorum facta curiosè disquirere: neque mulieri solùm, sed etiam viro: quippe impudentiæ singularis potissimum id argumentum est.

S. Isidorus Peluseota: Quid tu, cùm teipsum ignores, ô homo, quæ supra te sunt, quæris? Quid autem dico teipsum? Unum eorum quæ in manibus sunt, mihi expone: Actum ea quæ supra te sunt, curiosiùs inquirentem, haud accusabo. Ignis ille à quo artes scaturiunt, non modò à ferro & ære, ac lapidibus, sed etiam ab aquis & lignis naturæ vi exilit. Hoc ergo miraculum mihi expone: lignóne insitus est? quin igitur illud absumit? At non insitus est, quónam igitur modo ex eo creatur? Cùm igitur ignis, sine quò nihil penè quod alicujus pretii sit, homines machinantur (nam & frigori succurrit, & tenebras propulsat, & ad omnem artem ac scientiam adjumento est) nemo explicare queat; quónam pacto in lignis quidem delitescit, nec tamen ea absumit: cùm autem foras prosilierit, materias eas, ex quibus procreatus est, absumit: desine quæso ea perscrutari, quæ nec comprehendi possunt, nec si possent, magnum aliquod momentũ ad virtutem afferre possent. Quid enim ad virtutem allaturũ est, si quis solis cursum, & lunæ orbem, & stellarũ situ, & terræ figuram ac spatiũ inquirendũ susciptat, aliaq; omnia, quæ homines suo judicio sapientes & eruditi, curiosè indagantes, à veritate quidem & vera sapientia exciderunt, in nugis autem & sermonum ineptiis consumpserunt. *lib. 2. Epist. 100.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Facile est unicuique nostrum curiosiùs aliena perquirere, quàm propria & domestica procurare. Desine igitur mala aliena discutere; desine aliorum actibus tua perstrepere & concelebrare convivia: desine poculis tuis aliena probra miscere, & inter epulas ac fercula tua, alterius vitę innocentiã lacerare. *de præcept. Attende tibi.*

Idem: Curiositas rem efficit, non peritum. *Serm. 2. de æterna filii Dei generatione.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORÜMQUE GRÆCORUM.

Theophrastus: Famigeratio est factorum dictorumque ad arbitriũ ipsius fingentis confictio. Famigerator autem is est qui obvius amico factus, statim mutato vultu ac renidens, interroget, Vnde tu, & quid ais? &, Habésne super hoc novi quicquam? & pergens interrogare, Nihílne, inquit, novi dicitur? atqui fausta sanè sunt & læta, quæ vulgo narrantur: tum autem priusquam ille respondeat, Quid ais, inquit, nihil audivisti? Ergo ego te sicut video, rerum novarũ nunciis ceu dapibus opiparis pascam. Ac statim est illi aut miles aliquis, aut Astei tibicinis puer, aut manceps Lyco qui ex ipso prælio sit reversus, à quo se dicat audiisse: auctores siquidem ille tales eorũ quæ dictitat profert, quos nemo queat arguere. Refert autem accepisse se ab illis, Polysperchontẽ cum rege hostes prælio fudisse, & superasse: Cassandrumq; vivum in hostium potestatem venisse. Quod si quis ei dicat, Tu aũt hæc credis? Imò inquiet: rem. n. clarissima omniũ voce tota urbe ferri: rumorẽ crescere: omnes congruere: eadẽ. n. de prælio ab omnib⁹ narrari: magnũ nimirũ ea pugna fartum esse factum. Idq; se ex eorũ etiã vultu, qui rem gerunt publicã, colligere: quem viderit ipsis penitùs immutatũ. Addit deinde se inaudiisse quendam qui ex Macedonia advenerit, quiq; omnib⁹ quæ gesta sunt interfuerit, quintũ jam diẽ ab illis domi occultari. Atq; ubi hæc cõmemoravit, miserationes adjicit: at scin quomodo? admodũ sanè ad fidẽ dictis astruendã accõmodate. O infelicẽ, inquiẽs, Cassandrũ! ô virũ ærũnosum! En Fortuna quid possit, at fuit certè Cassander præpotẽs. Tu verò, ait, tacit⁹ hoc tecũ habeto: ipse aũt ad civiũ unumquẽq; accurrit, ut ei omnia narret. Equidẽ mirari soleo quid sibi homines hoc gen⁹ falsis rumoribus fingendis spargendisque velint, quæres, ut taceam mendacii turpitudinem, non item arò ipsis incommoda evenire. Factum enim sæpè, ut dum isti in balneis concursus facerent, vestes

interea

interea suas furto amitterent: alij dum in porticu aut pedestri aut navali prælio vincunt, quod vadimonium non stitissent, graviter multati sunt. Quibusdam etiam, dum urbes verbis suis fortiter caperent cœna interea loci periit. Enimvero misera est istorum vita & conditio: nam quæ porticus est, quæ officina, quæ fori pars, in qua dies non traducant integros, magno cum audientium quos falsis suis narrationibus obtundunt, tædio? *Ethicis Character.*

Themistius: Maledicos aut curiosos nimiumque in quærendo diligentes ne Philosophorum quidem famulos esse permittemus: sed imprimis Platonicum illud addiscere eos, ac scire cogemus. Neq; enim si quid male in civitate gestũ sit, hoc est, si quæpiam à majorib. sive paterno, sive materno ex genere in ullos derivata sit infamia, nosse illum convenit, sc è contrario magis hoc ei ignotũ esse debet, quã quod vulgo dicere solent, quot in mari sint aquæ congij, Sapiens enim erat Æsopus ille fabulorum scriptor, qui unumquemq; hominum manticas duas, alteram antè, ponè alteram gestare dixit, utramq; malorum plenam, sed anteriorem quidem alienorum, posteriorem ejus qui gerit propriorũ. Propterea homines suapte mala non vident, aliena verò perspicacissime contuentur. Ego autẽ inverti mihi manticas velim, uti mea dumtaxat videam, aliena cernere nullo modo possim. Nihil est enim (ut ajunt) jucundius, quã nòsse omnia. At ego bona dixerim: cujusmodi autem ea sunt, quæ Cocus ille Comicus dicit, nec ei quidem qui suscipabatur nosse expediebat. Verum conviva se necabat condimentorum adulteratione. Sed non in eo præcipuum inerat Carionis scelus, quod pessima & absurda illius ars esset, sed quod homunci esset nequam, atq; in domos non operæ gratia irreperet, sed effutiendi, atq; insusurrandi, detrahendiq; causa, ac ut ea efferret, non quæ verberonem cocum dicere verisimile est, qui merito vel in corbe suspendi, si ita contingeret, ob egregiam illam sciendi cupiditatẽ debuerit, verũ arcana familiæ, nec ea solũ quæ audierat, sed ingens ad ea additamentũ, & malorum quædam velut extructio fiebat. Sed (ô ne quam, & vecors Cario) audisti certum hominẽ thure Diis sacrificasse; thure igitur fecisse dicito, hoc enim solũ audisti, nõ autẽ quod nigerrimos tauros, & arietes castratos mactaverit. Tu verò etiam idola, ac simulacra percenses, quæ ab eo excitata sunt, cum Platonẽ incantaret: Deinde si boni quidpiã audieris, tectus es, & Areapagita taciturnior; sin malum aliquod arripueris, Iliadem ex eo, & Odysseam facis, quorũ multa neq; audi veris; neq; furtim sublegeris, sed peperis tutemet, ac cõrexueris. Et ei quidẽ qui tibi istud dixerit, irasceris, miserũ illũ, ac Diis invisum appellans, & diffidere te simulas, & indignaris, & rei atrocitatẽ conquereris. Interim tamen incredibilia illa, & atrocia, & iracundia digna effers, & vehementer exaggeras, iisq; tantũ non sutores, ac balneatores cõples, Quod autẽ ad infelicẽ illũ, & diis invisum attinet, cui admodũ succenses, & in quẽ omnino fremis, si quispiam attinet, cui admodũ succenses, & in quẽ omnino fremis, si quispiam roget, & nomen illius enixè abs te postulet, minus quam Priami matrem in lucẽ edideris, quod, opinor, idẽ ipse fabularũ invẽtor, & actor sit, sed quod in persona tua certamẽ susc ipere non audeas, ad personas nomine carentes cõfugis, ut in tragœdiis fieri solet, cũ nomina poetę nõ inveniunt. Adhæc sæpe numero integrã attollens machinã Deos, & Dæmonas in fabulã introducis Nunquid enim ejusmodi per Jovẽ est illa de insomnis calumnia? Atq;, ut videtur, mẽbrorũ solutor, domitorq; omniũ ille somn⁹ cæteros quidẽ maleficos sopitos tenet; Detractori verò nequitiæ, ac pravitatis occasionem præbet. Quod si bonum aliquod somnium, ac felicis ominis ei ante oculos oblatum sit, vanum ac leve utique erit, & per Eburneas portas missum: maledicis dumtaxat, atque invidia plenis somniis Corneæ patent. Vel potius somnia neque veniunt ulla, neque volunt: sed illi eo trahunt, & extorquent. Adeoque manè detractorem aliquem mœstum, ac vultu contracto dicentem audies, se nocte, superiore à dæmonibus infestatum, quod cum isto ambulaverit, cum scelerato, & execrabili homine epularus sit, qui hæc & illa perpetraverit. Ac periculum est ne in universam civitatem mali aliquid ex eo homine redundet. Qui ejusmodi sit, num vobis perverum unquam visum, aut somnium posse videtur, improbis illis, ac sinistri in moribus depositis, dextram in partem transferri, ut vero concentu orationis susc epto, Deorum hominũque vitam aliquando celebret? Qualia apud Homerum Achilles canebat, cum se è prælio suo duxisset: vel qualia Homerus ipse potius? Scitis enim quemadmodum Homerus omnia collaudet, quæcumque nominat, neque vel vilissima quæque præclaro testimonio defraudet: verum & Pueri apud eum formosi dicantur, & flagella omnia splendida; atque etiam arborem quadam in Delo insula consitam mirificè prædicet: ut ne subulcus quidem ille egregius sua in versibus prædicatione careat, sed persuadere nobis conetur, subulcum illum porcorum, hominum aliquando ducem extitisse. Vnum dumtaxat Thersitem convitiis affecit, quod (ut arbitror) illa ipsæ convitiator ac contumeliosus esset, multaq; inhonesta verba nosset, neque moderate iis, ac decentur uteretur. *Oratione prima.*

¶ Poetarum.

Plautus Captivis 3. sc. 4. ℣. 99.

Meam rem non cures si rectè facias: num ego curo tuam?

Plautus Rudente 1. sc. 2. ℣. 91.

Si tu de illarum cœnaturus vesperes es,
Illũ curandum censeo, Sceparnio:
Si apud me esurus es, mihi dari operam vale.
S. Bonum aquumque oras.

Plautus Sticho 2. sc. 1. ℣. 44.

Sed curiosi sunt hic quam plures mali.
Alienas res qui curant studio maximo.
Quibus ipsis nulla est res quam procurent sua.
Is quando quem auctionem facturum sciunt;
Adeunt, perquirunt quid sit causæ illicò;
Alienum as cogat, an pararit prandium,
Vxorin. sit reddenda dos divortio?

Plautus Sticho 2. sc. 2. ℣. 47.

Vnde is? quid fers? quid festinas?
D. Tua quod nihil refert, ne
Cures.

Ausonius Edyll. 2. ubi pater ejus loquitur.

Non occursator, non garrulus, obvia cernens:
Vultus & velis condita, non adij.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iesus Christus Dominus noster: Quum Apostoli convenissent, interrogarunt eum, dicentes, Domine, num hoc tempore restitues regnum Israeli? Dixit autem ad illos, Non est vestrum nosse tempora sive opportunitates, quas Pater in sua ipsius autoritate posuit. *Act.* 1. 6. 7. Docet Christus curiosè non esse investiganda quæ Deus non patefecit.

Greg. Nazianzenus: Nihil, inquit, hominibus adeo suave & jucundum est, ut de rebus alienis sermonem habere, idque præsertim, si vel benevolentia quadam vel odio trahantur, à quibus veritas plerumque surripi solet. *Orat.* 1. Excessum vito, inquit, & inexplebilem cupiditatem coerceo: malimque, si mihi utrumque fugere, ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse quàm nimis curiosus: ac nimis timidus quàm nimis audax & temerarius. *Oratione 26.*

D. Ambrosius: Non tibi (inquit) licet scire, ô homo, alta sapientiæ: ideo tibi scriptum est, Noli altum sapere, sed time. Quid curiosè quæris investigare quod tibi non expedit scire, nec cognoscere datur? Jmperatoris terreni non licet tibi scire consilia, & vis scire divina? Non licet tibi curiosius investigare quæ in terris geruntur, & curiosius requiris quid supra cœlum agatur? *Lib. 1. de interpellatione Sancti Iobi, cap. 9.*

Eucherius Episc Lugdunensis: Quidam, inquit, ore, sacrilego de Deo disputare nituntur, dicentes, Quare fecit Deus cœlum & terram? Quid faciebat Deus antequam cœlum & terram faceret? Cur nova voluntas in Deo ut conderet mundum exorta est? Sed respondendum est illis, Nova voluntas in Deo exorta non est: quia etsi in re mundus non erat, in æterna tamen voluntate semper erat, &c. *Commen. in Genesin.*

Augustinus: Dicitur, inquit, curiosis, Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur sunt æterna. *Lib. de vera religione, cap. 3.*

Sunt qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta majestas, semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissiméque perquirant. Vnde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. *Lib. 1. de morib. eccles. Cathol. cap. 21.*

Ociosi & scrupulosi sunt paratiores ad interrogandum quàm capaciores ad intelligendum. *Lib. 15. de Civit. Dei, cap. 1.* Omnis anima indocta curiosa est, *Lib. de agone Christ. cap. 4.*

Inter curiosum & studiosum id interest, quod curiosus ea requirit quæ ad se nihil attinent: studiosus contra, ea quæ ad se attinent requirit. *Lib. de utilitate credendi ad Honora. contra Manichæos, cap. 9.*

Chrysostomus: Non audivisti, inquit, Christum dicentem, In mundo afflictionem habebis? Quid ergo quæris quietem? Et cur, inquis, Deus ita decrevit: Ne inquire, ne sis nimium curiosus. Neque enim dicit figmentum figulo, Cur me sic fecisti? Hæc dico, non quòd non possim rationem dicere, sed volens te ab hac nimis curiosa investigatione ad salutis tuæ curam traducere. Cur ergo sic jussit? Humano generi parcens. Labores enim hîc ubi brevis est vita attribuit, coronas autem in futurum reservavit, ubi senii expers est ævum, & nunquam finiendum. *Homil. in Psal. 7.*

Divina mysteria naturali ratione perscrutari caveamus, neq; rerum humanarum necessitate illa agi existimemus, sed pietate summa omnia intelligamus, & scripturis fidem adhibeamus. Curiosus namque, & nimium rerum divinarum perscrutator nihil proficit, nihil invenit præter ultimum supplicium. *Homilia 23. in 3. cap. Ioannis.*

Ubi fides est, nulla quæstionis necessitas est. Ubi nihil oportet curiosè perquirere, quid opus est quæstione? Quæstio nempè fidem tollit. Qui enim quærit nondum invenit. Qui quærit, credere difficile potest. Fides animum cogitationémque facit conquiescere. Sed inquies, Quomodo igitur Christus: Quærite, inquit, & invenietis: &, Scrutamini scripturas? Quum ait, Quærite, postulationes intelligi vult, vehemẽnsque desiderium. Porrò quod ait, Scrutamini scripturam, hoc est, ut illarum per omnia diligentiam exactissimam discerent. Scrutari namque jussit, non ut semper quæramus, sed ut inquirere desinamus. *Commentar. in 1. ad Timoth. cap. 1. Homilia prima.*

Venturinus Bergomensis: Venturinus Bergomensis, cùm suis concionibus

cionibus supra 30. peregrinorũ millia Bergomo Romam perduxisset, clã ijs discedẽs, cũ Mantuã pervenisset, æmuli quidã ut sanctitatis opinionẽ ignorantię macula aspergerent, coram principe, convocatis eò Iurecoss. & philosophis, quæstionẽ ei ex improviso talẽ proposuere explicãdam An Diabolus in primo suæ creationis instanti peccasset? Neq; verò ille aculeo problematis veluti compunctus, abjecit animum: Eremita quidam, inquit, cùm in sacris legisset, Melchisedecum sacerdotem sine patre & matre fuisse, eundem verò uti hominem parentes habuisse, lectione primùm commentariorum, mox etiam precibus ad Deum dubij hujus solutionem nequicquam flagitavit. Accessit ad eum senior quidam, & anxietate viri perspecta, An verò nos, ait, propter Christum parentes & omnia reliquimus, ut inanibus & frivolis quæstionibus nos exerceamus? an tantùm nobis à virtutis & pietatis exercitio otij supereſt, ut anilia & ludicra problemata persequamur? Et vos quoq; (subjecit Venturinus, adstantes conspiciens) qui non in disputando, sed in agẽdo religionis sinceritatem positam nostis, omissa inani quæstione, in quonam instanti diabolus peccarit, id potius cavete, ne quando illum per ambitionem & invidiam peccasse constat, illius imitatores sitis. Ita elusum est profanum illud otiosorum hominum quæsitum. *Leander Albert. lib. 5. de Viris illustr. &c.*

Ludovicus XII. Gall. Rex: Cùm honori regio curiosè detrahere Julius Pontifex diceretur, non tantum otij superfuisse ajebat rex divo Petro, ut res Claudij Cæsaris, aut Domitij Neronis, quæ ad se nihil attinebant, curaret. *Arnold. Ferronus, de reb. gest. Franc. lib. 3.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus: Curiosum neminem dicebat Plautus, qui non sit malevolus. Hinc rogatus Euclides, quam rem Dij potissimùm detestarentur, respondit, Curiositatem. Certè Dominus & Redemptor noster, cùm accessissent ad eum Judæi, & quidem ex illis Principes sacerdotum & Seniores, qui multa curiosiùs inquirebant, quâ potestate omnia sua faceret; & indignos eos quibus directum daretur responsum testatus, *Interrogabo*, ait *& ego vos unum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in quâ potestate hoc faciam. Baptismus Ioannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?* dicentibus illis, Nescimus: *Nec ego*, inquit ipse, *dico vobis, in qua potestate hæc facio.* pulchrè reciproca hac interrogatione, eorum quæstionem eludens. *Matth. cap. 21.*

S. *Augustinus*: Inquirenti curiosiùs Afro, quid ante mundi creationem faceret Deus; respondit: *Curiosis parabat infernum.* profanam audaciam gravi dicto compescens. Idem Apophthegma carmine redditum, adscribo ex Epigrammat. *Georg. Sabini:*

Dum Libycis Christum pater Augustinus *in oris*
Asserit, aperagit munus in æde suum:
Et miranda refert populo primordia mundi,
Esse docens verbo cuncta creata Dei:
Impius assurgit, verbisque procacibus Afer,
Ergo opifex rerum quid faciebat? ait,
Et quibus intentus fallebat tempora curis,
Mundus adhuc nondum cùm fabricatus erat?
Præsulad hæc Libycus, Fabricabat Tartara, *dixit,*
His, quos scrutari talia mente juvat.

Stsinnius Novatian. Episc: Ille bis quolibet die in balneo lavari solitus: percontanti verò, cur cùm esset Episcopus, bis in die ablueretur; *Quia*, inquit, *teporis excludor angustijs, ne tertio laver. Suidas.*

Antiochenus Anonymus: Quid autem, ut & civilia recenseamus, iste? Rogabat eum Libanius Sophista Apostatæ Juliani fautor, quid nunc Fabri filius (Christum per contumeliam intelligens) ageret. At is, ut erat vir bonus & disertus, *Non otiatur*, dicebat, *ô Sophista, quem tu hoc nomine appellas: parat enim Iuliano tuo loculum. Tripart. hist. lib. 6. cap. 44.*

Rudolphus Imp. Aust: Non minùs ingeniosè, facetè tamen, & in re ludicra, hic. Tabe propè confectus, festinabundus, Confessore suo comitatus Spiram, quæ Ducum Cæsarumq; olim sedes, nunc tumulus, maturabat. causam verò rogatus; *Quia*, inquiebat, *ad sepuchrum mihi properandum, ut alios reges conveniam. Cuspinianus.*

Fredericus Dux. Aust. Nimirum curiosus rerum indagator, sæpè mutato habitu solus inter agrestes versabatur, cum quibus mercede diurna, & arans, & alia quævis faciens, tam de seipso quàm purpuratis suis colloqui consuêverat. Interrogatus autem, cur id faceret; *Neque enim*, ait, *alio modo de me verum audire possum. Æn. Syl. lib. 3. Comm. in Panorm.*

Ioan. Funccius: Quàm sit autem deforme & turbulentum vitium curiositas, quàm πολυπραγμοσύνην vocant Græci, docuit Ioan. Funccius. qui Regiomonti capite truncandus, hoc distichon pronuntiasse dicitur:

Disce meo exemplo, mandato munere fungi:
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Abr. Buchole. in Indice Chronolog.

Chabanus Comes. At Chabanus Comes præ ceteris omitti non debet. Dum enim copias Ludovici XI. Franc. regis circa Lutetiam duceret, missus à Ludovico Joannes Ballua Episc. Eboicensis, ut eas perlustraret. Quo facto, Chabanus paulò pòst Regem compellat, &, *Oro*, ait, *M. T. me Eboicas proficisci permittat.* Inquirenti autem causam Regi, *Ut*, inquit, *de sacerdotibus sacrandis puniendisq; scrutinium faciam.* Insinuare volebat, cuilibet sua in arte & munere adhibendam fidem. *Rob. Gaguin. in vita Ludovici XI.*

¶ Emblematis.

Camerarius xxxviii. Centur. 3.

Altiora ne quæsiveris. Pelecani nidus in scrobe humili.

Noli alium sapere, aut aliena inquirere, ne mox
Culpa det ex alto te tua præcipitem.

¶ Monosticha Trochaica.

Astra dum Thales tuetur in foveam ante pedes cadit.
Curiosa enuclearі ab occupatis non queunt.
Curiosa ne sit si qua permodesta fœmina est.
Curiosam explere mentem si potes; cuncta expleas.
Curiositas abesto! & sancta est ignorantia.
Curiositas gemella est invidentia soror.
Curiositate quavis qualibet præstat quies.
Curiositatis fructus rarò quis concoxerit.
Curiositatis natam quaris? maledicentia est.
Curiositatis non nisi est siniſtrum præmium.
Curiosus est qui alieno ponit in choro pedem.
Curiosus non comœdos, sed Tragœdos inspicit.
Esse curiosiores consuevere qui timent.
Innocentem te lex esse, curiosum non jubet.
In re publicâ haud tuâ esse curiosus cur velis?
Linguæ aures que curiosæ contrahunt noxam parem.
Multa scire velle, nil est quàm anceps curiositas.
Nec supra mortalitatem sapere mortalem decet.
Negligit sua curiosus; quæ non sunt sua erusit.
Nemo quod ante pedes est spectat: cœli scrutantur plagas.
Quæ ante pedes sunt nemo spectat: cœli scrutamur plagas.
Quærit in malefacta aliorum vir malus, bonus in sua.
Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persæ quid gerant?
Qui nimis solem intuentur, in meram noctem incidunt.
Qui pelagi ignorant profunda, scrutantur cœli extima.
Quo sapit quis altius, hoc & desipit profundius.
Turpius nil quam esse alicui curiosulum in malis.
Usui mage est inimicis curiosus quàm sibi.

¶ Jambica.

Aliena omittit qui sollicitus est sui.
Curareres incertas haud sapientiæ est.
Explere mentes curiosas nil valet.
Huic mandes si quid rectè curatum velis.
Ignavia deterior curiositas.
In rem tuam quæ sint, ea factas velim.
Multos facit perire curiositas.
Nil curiositate in orbe amentius.
Qui curiosus est, idem est & malevolus.
Quin tu tuam rem curas potius, quam Seleuci principis.
Quivis fidem homini curioso derogat.
Sacris abesto lenta curiositas.

Custodiæ.

¶ Sententiæ.

Basilius Imperator: Nulla regij corporis melior est custodia, quàm subditorum benevolentia, Deo juvante: cùm ita sunt omnes ab eò beneficiis affecti, ut nullius ab eo tyranni quidquam sibi metuat. Sed quemadmodum imperium oportet ab insidiis inimicorum servare sartum rectum: ita & à perturbationum incursionibus inoffensum: utrumque enim insidiarum nomine continetur, & ab utroque magnum impendet periculum. Sed corporibus structæ ab inimicis insidiæ, mortis temporariæ discrimen afferunt: adversus autem animos à perturbationibus comparatæ, pœnam secum attrahunt, etiam post mortem, immortalem.

Plautus Trinummo 1 sc. 2. v. 132.

Ate suri vit magis & inhiavit acrius
Lupus: observavit dum dormitaret canis.
Gregem universum voluit tecum avertere.
C. Fecisset edepol, ni hæc præsensisset canis.

De Fele quæ Murem & Caseum comedit. *Fab. 116.*

Vir quidam magnum ac pulcherrimum in capsa caseum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio ergo amici felem illuc clausit, quæ occiso mure totum caseum comedit.

Fabula indicat, eos non adhibendos custodes, qui non minus quam hostes nobis nocere possunt. Abstemius.

De Viro sepem destruente, ut inutilem. *Fab. 189.*

Vir quidam sepi, qua vinea ejus concluſa erat, ut sterili convitiabatur, eamq; ut nullius emolumenti exci sam exusserat. Tunc vinea aperta, & pecoribus & hominibus facta pervia, à cunctis depopulata est. Dominus vineæ hoc conspicatus, seipsum stultitiæ accusabat, quod sepem uvæ suæ custodem tam imprudenter amovisset.

Fabula indicat, qui res servant, non minus facere, quam eis cesi videantur, quàm qui eas suo labore congregarunt. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Arcem aliquis pecuniam ve servet, at non fœminam.
Ceu tuare, utare amicis; parce & illi, ceu tuæ.
Creditum tibi aurum, enixè serva; verba sed magis.
Cura major sit tuendi quam propagandi tua.
Custos urbis optima est Patrum in plebem indulgentia.

Diligentia

Diligentia rem servesquamque & parsimonia.
Diligentius servandâ, quæ ubi deficiant nescias.
Ecquis est qui curiosè rem malam custodiat?
Ecquis est qui nos custodit, si Dominus nos deserit?
Fœmina magis suas res quam viri custodiunt.
Fœminis credenda non est Massici custodia.
Fert ovem lupus refertque passim, vile quam haud tegit.
Multa ubi observanda, multos esse ibi canes bonum.
Munimento non egere, munimentum maximum est.
Nemo rem servare, finem cujus ignorat, potest.
Nil refert, lupusne perdat, ipsius an custos oves.
Non minus grave est servare virtutem quam quærere.
Non potest quis quæ ipsa sese vendicat tutarier.
Non pote servus quæ ipsa sese vendicat tutarier.
Optima urbis custos, Patrum est in plebem indulgentia.
Præda fit niso columba, qua columbas deserit.
Qui sua arctius tuetur is aliena haud appetit.
Qui suam rem ipsus malè egit, vix bene consulet tua.
Quis canem fugitivam agninis alligavit lactibus?
Rebus in custodiendis acer est comes metus.
Vipera committere agnos, aut oves noli lupo.
Ut sua pecus caulam exit, præda fit lupo obvio.

¶ Jambica.

Custodiæ magister optimus, timor.
Custodibus minimè Orbis custos indiget.
Custos malus diuturnitatis est metus.
Custos pudoris imbecillus est timor.
Dei omnium custodes sunt vel maximi.
Diuturnitatis est malus custos timor.
Diuturnitatis est malus custos metus.
Labore parta custodimus arctius.
Ovem lupo qui credit, ultrò perdidit.
Quæras opes facilius, quàm custodias.
Semper bonos observant, ut notent, malos.
Servare nemo me melius potest mea.
Servare rem mage arduum est quàm perdere.
Stultè alliges agninis lactibus canem.

Videantur plura titulo *Satellitum*, Carceris, &c.

FINIS LIBRI TERTII.

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER IV.

Dæmonum.

¶ Sententiæ Philosophorvm Oratorumque Græcorum.

Maximus Tyrius: Miraris Deum quendam adfuisse Socrati, amicum & futuri præscium, comitem vitæ individuum, mentisq; illius hospitem: homini, qui & corpore purissimus, & animo optimus, & vivendi ratione perfectissimus, & in dicendo esset suavissimus: qui pie cum Deo, sancte cum hominibus versabatur. Cur hoc, inquam, miraris, nec miraris vulgarem mulierculam Delphicam Pythone, aut virum Thesprotum Dodonæ, aut in Ammonis templo Libycum, aut Jonicum Clari, aut Lycium Xanthi, aut in Apollinis Jsmenij æde Bœotum, alioſq; multos quotidie cum Deo egisse: nec in rebus tantum suis quid aut fugiendum aut sequendum esset, admonitos fuisse, sed & aliis, qua publice qua privatim oracula reddidisse? An quia fatidica illa antistes tripodi insidet, divinoq; afflata spiritu responsa edit? Aut quia vates ille Jonicus aqua è fontibus hausta, futura discit? Aut quia Humicubæ illi, (ut eos Homerus vocat) Siccipides, quercum colunt, eaſuſq; instinctu, ut Thesproti tradunt, & discunt futura, & aliis dicunt? Sed & in Trophonij antro (nam & hic circa urbem Lebadiam locus vaticinijs est destinatus, ab Heroe dictus Trophonio) qui consulere Deum vult, puniceo indutus talari amictu, libaque in manibus gestans, per angustum supinus ingreditur ostiolum. Vbi nonnulla post quam vidit partim, partim audivit, erepit iterum, novusque interpres ea quæ didicit ipse, aliis commemorat. Dicitur & in Jtalia circa magnam Græciam, non procul à lacu quem Aornon vocant, antrum esse fatidicum, cui homines præsunt, qui ab animarum evocatione, quod ibi fit, nomen habent. Huc qui oraculi causa venisset, precibus conceptis, cæsa victima, libaminibusque rite effusis, cujuscumque vellet, sive majorum sive amicorum suorum, umbram ciebat. Quo facto prodibat tenuis anima, nec visu facilis nec cognitu, quæ tamen & voce prædita esset, & divinandi perita. Hoc oraculum novisse mihi Homerus videtur, suumque eo deduxisse Vlyssem: quamvis poetica licentia locum illi extra Oceanum nostrum assignarit. Quod si hæc vera sunt, sicut sunt revera, cum præsertim quædam illorum sicut tum fuerant adhuc serventur, in reliquis autem manifesta cultus illius religioniſque, supersint vestigia: illud tamen admiratione dignum est, neminem ut inepta hæc aut absurda rejecisse unquam, aut in dubium vocasse eorum potentiam: sola enim temporis præscriptione persuasus quivis oraculum petiturus intrat, quæ ab aliis audivit credit, postquam credidit, consulit, postquam consuluit veneratur. Si vero homo, qui & indole sit generosissima, & institutione apte temperata, veræque semper addictus sapientiæ, nec fortunæ destitutus subsidio, hoc à Deo immortali sit consecutus, ut divinus hujus de quo agimus Dei, consortio haberetur, mirumne videbitur aut fide indignum, & hunc, quantum sibi satis esset, divinare potuisse? Non ut Athenienſibus de malis Græciæ deliberantibus oracula redderet, aut Lacedæmoniis de expeditione consulentibus, aut si quis in Olympicis ludis aut in judicio certaturus de victoria quæreret, aut avarus de divitiis, aliisque ejusmodi parvæ rei negotiis: pro quibus quotidie Deos obtundunt homines. Non quod hæc fortasse ignoraverit Deus Socratis, siquidem futurarum non ignarus esset rerum. Nam & medicus, & faber, & coriarius, & in reliquis eodem modo facultatibus scientiisque, is optimus habetur, qui sibi sufficit & aliis. Sed hoc præ reliquis è Dei hujus colloquio, quem contemplabatur mente, consecutus erat Socrates, ut primo vitam suam honeste, ranti comes numinis, institueret: aliis deinde, quoties necessitas ferret, sine invidia sese exhiberet. Esto, dicet aliquis, hæc ita se habere concedo, Socratemque qua virtute erat indoliſque præstantia prædit us, ad consortium Dei admissum fuisse non nego. Quis autem fuerit hic Deus scire velim. Si quidem prius, amice, respondeas utrum esse in natura credas hujusmodi Deos, quos Dæmonas dicimus, sicut Deos esse credis, sicut homines, sicut belluas, an vero contra. Ridiculum enim sit, quod Socratis fuerit dæmonium scire velle, cum de genere toto adhuc dubites. Id enim tale est, ac si aliquis, qui semper in insula vixisset, nec unquam equum vidisset ullum, regem Macedonum inter reliqua sua habere jumentum quoddam audiret cui Bucephalo nomen esset, idque regem tantum sessorem pati, ab aliis conscendi non posse, atque is ibi quid rei esset Bucephalus scire vellet continuo. Quid enim? an non hic protenus hærere alterum cogeret, quia exemplum non inveniret idoneum, quo huic, qui in universum equum vidisset nullum, quid Bucephalus esset, respondere posset? Quid ergo, qui de Socratis dubitant dæmonio, nunquamne Homerum legerunt, ubi eadem cum illo ait? Ac primum de Achille, qui in militari concione eo simultatis procedit cum Agamemnone, ut stricto ei gladio ictum intentet: donec à dæmonio cohibetur: quod Homerus ibi Minervam appellavit. Illa enim irato illi adstitit.

Et,

At ergo flavos Pelidæ dîva capillos
Arripuit. ——

Eandem hanc rursus Minervam vocat, ubi de Diomede,

Eripuit densam circum tibi lumina nubem,
Vt pura in luce aspicias homines q; Deos q;.

Rursus Telemacho cum regem seniorem aditurus, verecundaretur, & quid dicturus acturusve esset, subdubitaret, socius respondet,

Telemache ipsa tibi tua mens nonnulla loquenti,
Quædam etiam damon tibi suggeret,

Posteaque causam cur hoc speret de dæmone, adjungit,

—— *non ego nanque*
Te reor invitis natum aut adolescere Divis.

Et de alio,

Indidit hanc illi mentem pulcherrima Juno,

Et de alio,

Tydida

—— Tydida Diomedis flava Minerva,
Virtutem atque animos afflaverat.

Et de alio,

Atque agiles artus olli dat, crura, manusq;.

Videsne quam multi fuerint, qui dæmonij alicujus usi sint consortio? Vis igitur relicto Socrate, ex Homero quæramus; Quid hæc tandem sibi volunt poëtarum præstantissime? Siquidem ille de quo loquimur dæmon Socratis simplex erat, privatus, popularis: qui cum aut fluvium transire cogitat Socrates, revocare eum solet, aut cum Alcibiadem amare instituit, differre suadet, aut cum defensionem parat, non permittit, aut cum moni statuit, non repugnat. At vero Homericus non uni adest, neque uno in negotio, neque unus, neque in parvi momenti rebus. Sed varius, sed sæpè diversa nomina, diversam formam, diversas etiam assumit voces. Velim jam scire, an aliquid admittas horum, putesque aut Minervam esse aliquid, aut Junonem; aut Apollinem, aut Contentionem, vel si quis præterea sit dæmon Homericus. Nec hoc à me quæri nunc existimes: utrum talem esse arbitreris Minervam, qualis à Phidia expressa est, nulla parte Homerica inferior? Virginem dico pulchram, cæsiis oculis, proceram, ægide præcinctam, cum galea, & hasta, & clypeo. Aut Junonem, qualem eam Polycletus Argivis exhibuit? Albis ulnis, cubitis eburneis, pulchris oculis, varia veste, forma regia, aureoque innixam throno. Aut Apollinem, quasi à pictoribus statuariisque pingitur? Adolescentulum qui è chlamyde nudum latus ostendit, cum arcu & sagittis, pedibusque paululum currentis in modum diductis. Non hoc quæro: nec enim tam humiliter de te sentio, ut putem te veritatem ipsam eruere, & quod occulte in fabula dicitur, in perspicuum mutare sensum non posse. Sed an revera, hæc nomina arbitreris, & hæc corpora, divinas quasdam designare potestates, quæ beatis animabus, sive in somnis, sive vigilantibus assistant. Quod si nullum esse credas, erit tibi continuo & cum Homero pugnandum, & oracula tollenda, & Deorum responsis fides detrahenda, & reiicienda somnia, & relinquendus Socrates. Sin his nec fidem demis, neque fieri posse negas, tantumque de Socrate dubitas, vicissim ex te quæram, utrum ex duobus malis concedere: aut Socratem divino indignum fuisse numine, aut quod in aliis fieri potest hic non posse? Atqui si fieri posse concedes, etiam hic concedes: neque Socratem indignum fuisse unquam probabis. Si igitur & fieri res ipsa possit, neque indignus sit Socrates, reliquum est ut non amplius peculiariter de Socrate, sed in genere qualis sit dæmonum natura despicias. Quod & paulo post fiet à nobis. Nunc adte redi, conceptamque illam penitus opinionem excute, ut tibi hæc sint velut sacra quædam sequentis dissertationis primordia. Deos nimirum virtutem vitiumque hominibus non aliter quam in stadio athletis tribuisse. Hoc quidem, ut flagitiosæ mentis indolisque mercedem: illam probæ contra erectæque præmium. Hi sunt quibus divina assistit natura, quorum vitam promovet, quos manu sua protegit, & defendit. Alios namque ominibus, alios auguriis, hos insomniis, hos monitis, hos sacrificiis conservat. Fieri enim non potest, ut humana mens, quæ est ejus imbecillitas, præsertim cum secunda hac vita, densissima in caligine, multoque & assiduo præsentium malorum in tumultu versetur ac strepitu, à quibus perturbari eam necesse est, rationis vi omnia assequatur. Quis enim tam aut expeditus aut providus viator, ut non inter eundum vel in cæcam foveam, aut occultum palum, aut præcipitium incidat aliquod, aut scrobem? Aut quis tam peritus providusque gubernator, ut mare sine fluctibus aut procellis, sine ventorum impetu, sine ulla perturbatione aeris possit transmittere? Quis tam in arte sua versatus medicus, qui non interdum occulto aliquo insperatoque perturbari possit morbo? si præsertim plures, aliunde que aliunde accedat, qui omnes disciplinæ evertat regulas. Aut quis vir tam bonus, qui inoffenso pede nulloque lapsu vitam percurrere (cum præsertim non minus difficultatis habeat quam corpus ægrum, navigatio incerta, via plurimis in locis suffossa) ut non in his & gubernatore, & medico, & manuductore opus habeat Deo? Præclara res est, fateor, per se virtus, paratuque facillima, & in actionibus humanis efficacissima, verum in materie improba, incerta, plurimæ ambiguitatis plenissima versatur, quam Fortunam dicunt homines, re cæca, minimeque sibi æquali. Hæc cum virtute congreditur, virtuti resistit, cum virtute pugnat, sæpiusque illam ex adverso interveniens perturbat. Non aliter quàm cum nebulæ in aere radios solares occupant, ejusque nobis lumen eripiunt; manet quidem sol non minus quam ante fuit pulcher, nobis tamen non apparet. Eodem modo virtutem intercipit fortunæ interventus. Nec enim propterea minus per se pulchra est virtus, sed tanquam cæca nebula, caligine obducitur obstruiturque Ac tum potissimum adjutorem Deum socium que certaminis ac defensorem requirit. Jam certum est, eodem in loco manere Deum, dum cœlum regit, omniaque in eo ordinat ac disponit. Ergo immortales quasdam habet potentias, quas secundos immortales vocant, in medio terræ cœlique constitutas. Hi minus potentes sunt quam Dij, magis quam homines, Deorum ministri, hominum præsides, Diis proximi, hominum curatores diligentissimi. Maximo namque intervallo mortale ab immortali, & aspectu rerum cœlestium, & consuetudine discluderetur, nisi eorum quos dæmonas dicimus, interveniret natura, quæ vinculi instar, ea quam utraque habet cognatione, non aliter quam in harmonia quadam, imbecillitatem humanam cum pulchritudine conjungeret divina. Non aliter arbitror, quam Barbaros videmus ignoratione linguæ à Græcis separatos esse: cui rei subveniunt interpretes, qui utrinque verba accepta utrisque deferunt, atque eo modo consuetudine eos conjungunt miscentque inter se, & commerciis. Ita ij quos dixere dæmonas, inter Deos sunt hominesque. Hi sunt qui mortalibus sese offerunt, mortales affantur: qui media in natura hominum versantur, abundeque quicquid humanum desiderat genus, solent præstare. Magnus eorum est numerus.

Ter sunt mille etenim per terra uberrima regna,
Gens immortalis, famuli Iovis.

Horum alij morbis medentur, alij in rebus ambiguis consilium dant, alij occulta nunciant, alij in exercendis auxilio sunt artibus; alij itinerum sunt comites. Rursus alij urbani, alij sunt rustici: alij sunt marini, alij sunt terrestres. Alius rursus aliud corpus habitat. Hic Socratem, ille Platonem, ille Pythagoram. Xenonem ille, ille Diogenem. Hic terribilis, ille hominum amantissimus, hic civilis, ille militaris. Quot denique hominum sunt ingenia: tot & dæmonum sunt genera.

Namq; Dei similes peregrinis sæpe colonis,
Quolibet induti percurrunt corpore terras.

At vero si animam mihi ostenderis impiam, scias illum neque incolam, neque vitæ tuæ habere præsidem.

¶ Iterum Quis Sit Deus Socratis.

Agedum quæramus ex hoc Deo (mire enim amat homines, soletque per eorum respondere corpora, sicut per tibias Ismenias) Quæramus autem cum Homerico Vlysse hoc modo.

—— An Deus es, mortali an semine natus?

Et,

Nam si forte Deus magno qui vivit Olympo,

Nihil responso opus est: naturam tuam novimus.

Sin mage mortalis, quos terra amplectitur alma,

Utrum talis es, ut eisdem quibus nos affectionibus sis obnoxius: voce eadem utaris, sicut nos nascaris & intereas. An vero terrena omni major substantia, terram solummodo incolas. Cave, ex carne, ossibusque, & sanguine dæmonum naturam (jubent enim pro se ut respondeam) aut alio quovis, quod distrahi, dissolvi, liquescere possit, aut diffluere, constare existimes. Ex quo igitur? Ant omnia necessitatem naturæ eorum hoc pacto videamus. Pugnat inter se primo impatibile & patibile, immortale & mortale: cum rationali irrationale, cum insensibili sensibile, cum inanimo animatum. Iam omne quod est animatum, ex duobus illis est conflatum. Aut enim impatibile est & immortale, aut patibile & immortale, aut patibile & mortale, aut irrationale & sensibile, aut impatibile & animatum. Atque his quidem gradibus à præstantissimis ad infima paulatim pervenit natura, ordine neque descendit. Quod si quid ex his omnibus tollas, jam naturam mutilas. Sicut in vocum harmonia fieri videmus, ubi ut extremæ inter se conveniant efficit media Cum enim ea quæ inter acutissimum est gravissimumque tonum differentia, mediis innitatur vocibus, fit ut apte idoneeque, & ut ars postulat, tam quod ad auditum, quam quod ad motum qui à manu est artificis, procedat illa mutatio. Quod in harmonia fit perfectissima, in natura quoque fieri existima. Quare singula constitue hoc modo. Deum immortalem esse & impatibilem, dæmonem immortalem esse sed patibilem, hominem mortalem esse & patibilem, bestiam irrationalem sed sensu præditam, plantam animatam esse & patibilem. Et reliqua quidem nunc prætermittemus: nec aliud quam dæmonum considerabimus naturam, quam medium quid inter Deum hominesque esse diximus. Ac primum an sublata ea, utrinque possint consistere extrema An igitur Deum immortalem dicemus esse sed patibilem? Minime: verum immortale quid, & quod à passione sit remotum. Jam quid de homine? mortale quid, nec passioni obnoxium? Ne hoc quidem: sed mortale & tamen patibile. Vbi igitur relinquemus illud quod immortale diximus & patibile? Necesse est enim ex utroque constitui substantiam, quæ ut homine superiorita inferior sit Deo. si extrema convenire inter se velis. Inter duo enim quæ natura separata sunt, omnis quæ inter utrumque est, separabitur communio, nisi communis aliquis utrumque jungat terminus. Exempli gratia. Ignem dicimus calidum & siccum esse. Pugnat calidum cum frigido, humidum cum sicco. Fieri ergo non potest ut in aquam convertatur ignis, & in ignem aqua. Nec enim frigidum in calidum, nec siccum convertetur in humidum. Hanc pugnam ita conciliare conata est natura, ut pro sequestro illis daret aerem, qui accepto ab igne calido, ab aqua humido, conjunxit ea inter se & sociavit. Fitque mutatio & transitus ab igne in aërem, ipso calido, ab aere in aquam ipso humido. Rursus calidum quid humidumque, aer, frigidum & siccum est terra. Pugnat cum humiditate siccitas, cum caliditate frigiditas. Nunquam ergo nec in terram aer conversus esset, nisi & illis natura humidum dedisset, quod utriusque litem dirimit utrumq; conjungit: dum humiditatem ab aere, frigiditatem accepit à terra. Iam ut summatim omnia tibi breviter proponam. Cum singulà horũ ex contrariis constent facultatibus, quarũ semper alterã si demas partem, addasque alteri, partim alterum separas ab altero, partim alterum cum altero conjungis: hoc modo quæ pugnabant inter se, nec conjungi poterant, communicant tamen & miscentur.

ignis

ignis aeri caliditate sua, aer aquæ humiditate sua, aqua terræ frigiditate sua, terra igni, siccitate sua. Sic in eo de quo agimus, Deus cum dæmone commune habet, quod sit immortalis, dæmon cum homine, quod patibilis, homo cum bellua, quod sensibilis, bestia cum planta, quod sit animata. Si vis, & corporis nostri dispositionem anteuere, videbis ne hic statim transilire naturam, verum medio quodam esse opus, quo temperiem absolvat corporum. Capillus namque & unguis osse mollior, nervo tenuior, sanguine siccior, carne est asperior. Et ut breviter dicam, quicquid apte compositum ordinatumque est, medium requirit. Voces, colores, succi, corpora, rythmi, figuræ, affectiones, sermonesque. Esto. Si ex his quæ diximus constat & immortalem esse Deum & impatibilem, hominem, & mortalem & patibilem; sequitur quod inter duo hæc interjectum est, aut impatibile & mortale, aut immortale esse & patibile. Quorum alterum fieri non potest (nec enim convenire queat aut congruere mortale & impatibile) restat ergo dæmonum naturam & patibilem esse & immortalem: ut alterum cum homine, alterum cum Deo habeat commune, cum hoc quod est immortalis, cum illis autem, quod sit passionibus obnoxia. Restat, ut quo pacto sit patibile genus dæmonum & tamen immortale, ostendamus. Ac primum de immortalitate ejus. Quodcunque corrumpitur, aut dissolvitur, aut liquescit, aut scinditur, aut frangitur, aut mutatur & convertitur. Aut dissolvitur, ut lutum ab aqua, aut frangitur, ut ab aratro terra, aut liquescit, ut à sole cera, aut scinditur, ut planta à ferro, aut mutatur convertiturque ut aqua in aerem, aer in ignem. Requiritur ergo ad naturam dæmonis, si immortalis sit, ut nec dissolvi, nec dissipari, nec converti aut mutari, nec frangi possit aut scindi. Si enim horum aliquid subeat quid obstabit, quo minus immortalis esse desinat? Quomodo autem mori possit, cum anima quæ corpus semel exuit, sit dæmon? Quod si anima corpus, quod natura sua corrumpitur, à corruptione tutum præstat, quam diu simul vivunt, absit ut corrumpi possit ipsa. In utriusque autem societate continetur corpus, continet anima. Quod si aliud animam continet non se ipsa, quid hoc erit, aut quis animam excogitabit animæ? Quoties enim alterum ita continetur ab altero ut simul conservetur, necesse est hanc, ut ita dicam, desinere continentiam, cum ad illud perventum est, quod aliud continet, à se vero ipso continetur. Quod nisi fiat, ubi ratiocinatio tandem desinet, quæ in infinitum procedet? Propone tibi, exempli gratia, navem, quæ mediis quidem in fluctibus versetur: sic tamen ut plurimis rudentibus petræ cuidam sit astricta, quorum alter alteri annexus, in petra ipsa, quæ firma est & immobilis, affixus desinit. Eo modo corpus quod medio in æstu maris fluctibusque deprehensum jactatur assidue impelliturque, continet anima, anima in tutum recipit sistitque. Simul vero ac nervi hi spirituque & reliqua quæ tanquam retinacula sunt, quibus tam diu animæ adhæsit corpus, deficere incipiunt, perit illud mergiturque: illa contra sua sponte enatat, se ipsa continet, firmaque manet. Talis anima tum demum Dæmon vocari incipit, res videlicet cœlestis, in hanc coloniam è terra transcripta: ut si quis è Barbaris ad Græcos, aut ex urbe quæ sine legibus suis ex præscripto tyranni vivit, assiduisque agitatur factionibus, in aliam quæ æquis legibus, justo rege, tranquilla pace fruitur, transferatur. Haud longe mihi abire ab Homerica imagine hæc res videtur. Qui Vulcanum fingit aureo in clypeo duas sculpsisse urbes. In quarum altera sunt,

—— convivia, festus & Hymen.

Et tripudia, & cantus, tædarumque magna copia. In altera vero, bella, contentiones, rapinæ, pugnæ, ululatus luctusque audiuntur & gemitus. Hoc inter terram interest ac cœlum. Ibi enim longa ac profunda pax est, cantuque ac divinis choreis plena sunt omnia. Hic vario dissonoque strepitu, infinitis negotiis dissentionibusque omnia miscentur. Cum ergo ex his locis eo se contulerit anima, corpusque suum exuerit, ac terræ corrumpendum reliquerit, eodem tempore ac lege dæmon fit ex homine, purisque oculis spectacula intuetur sua: nulla corporis obducta caligine, nulla figurarum diversitate turbata, nulla aeris densitate intercluſa, sed ita ut ipsum pulchrum oculis intueatur suis, plenoque perfruatur gaudio. Hic de vita præterita cum cogitat, vicem dolet suam: cum de præsenti, gaudet & gratulatur sibi. Deplorat & cognatas animas, quæ adhuc in terris volvuntur: velletque, quo est erga homines amore, versari cum illis labantesque fulcire. Munus hoc illis interea à Deo impositum est, ut cuicunque hominum generi, cuicunque fortunæ, animo atque arti assistant. Hac lege, ut bonis auxilium ferant: qui injuria afficiuntur, ab ea vindicent, qui inferunt, puniant. Ita tamen ut non omnis dæmon agat omnia, sed & ibi singulis singula distincta sint ministeria, aliud alij. Et hoc est cur dœmonum genus patibile dicamus esse: quo quidem uno, Deo concedit. Id enim cui singuli, cum adhuc in terris versarentur, maxime addicti fuerunt, ne hic quidem plane omittunt. Etiam nunc medicinam exercet Asclepius, robur Hercules: bacchatur Bacchus, divinat Amphilochus, navigant Castores, judicat Minos, Achilles armatur. Et Achilles quidem insulam circa mare Ponticum contra Istrum incolit: templum ibi Achillis & aræ sunt. Nec facile quisquam eo, nisi re prius divina facta, accesserit. Ea rite peracta, insulam conscendit. Viderunt sæpenumero nautæ juvenem flava insignem coma, aureisque armis, tripudium saltantem militare. Alij ipsum quidem non viderunt, sed cantantem tantum ad arma audiverunt. Alij rursus, & viderunt & audiverunt simul. Factum est ut & insciis aliquis in insula obdormierit, quem Achilles excitavit, in tentorium deduxit, epulo excepit. Vinum Patroclus fundebat, citharam pulsabat Achilles. Etiam Therin adfuisse ajebat, aliosque Deos. Hector vero, prout Ilienses tradunt, terram incolit suam: qui sæpenumero per campum saltare armisque fulgurare visus est. Ego, quod ad me, nec Achillem vidi nec Hectorem: vidi autem in summa navis parte Castores, stellas scilicet lucidas, quæ navem in tempestate dirigebant. Vidi & Asclepium, sed non in somnis: vidi & Herculem, sed vigilans. *dissertatione 26. & 27.*

Philostratus: Quis à dæmonibus liberum non putet hominem de cultu religioneque Deorum philosophantem? *lib. 4. Apollonij cap. 6.*

Alcinous: Sunt & alii dæmones quos intelligentes Deos nuncupare possis, in elementis singulis, partim quidem visibiles, partim autem visus aciem fugientes; in æthere atque igni, aereque & aqua: ne pars ulla mundi expers animæ animantisve humana natura præstantioris relinqueretur. His autem terrena, & quæ sub luna sunt, subijciuntur omnia. Etenim Deus mundi totius deorumque & dæmonum est opifex: atque id quidem universum voluntatis divinæ munere non dissolvitur. Reliquis autem ejus præsunt filii, qui ad imperium illius & exemplum dirigunt quæcunque faciunt. A quibus sortes, visus nocturni, somnia, atque oracula, quicquid denique ad divinationem referunt homines, arte tractatur. Terra verò omnium in medio circa axem qui universum traiicit, constringitur: diei noctisque custos, ac deorum qui in cœlo sunt post ipsam quidem mundi totius animam antiquissima, quæ alimenta nobis subministrat plurima: circa quam cœlum volvitur, astrumque ipsa quoddam est. Manet autem loco suo propter æquilibrium, in medio eorum posita à quibus continetur. In errantium autem inerrantiumque sphæram exterius distinctus est æther. Quibus aer succedit. In medio autem cum humore suo terra. *capite 15. De doctrina Platonica.*

¶ Monosticha Trochaia.

Cerbero favente Orcum intras: exeuntes devorat.
Dæmoni peculiare virus invidentia est.
Dæmon ut noceat blanditur, corripit ut prosit Deus.
Pestis est furore pejor Dæmon in novissimo.

¶ Jambica.

Cavere oportet non timere Dæmones.
Magis cavendi quàm timendi Dæmones.
Mendacijs Dæmon favet, vero Deus.
Ruina sanctorum Diabolo gaudium est.
Se fronte aperta nunquam produnt Dæmones.

Damnationis.

¶ Sententiæ Romanorum.

Quintilianus Senior: Hoc præmium quo abolitionem petam, accusatori silentium indicam, leges tollam, primum turpe est: damnaberis tuo judicio in perpetuum. quanto gravius est à se damnari. tamen alij possunt dicere, gratia victi sumus. *Declamatione 371. a. f.*

Quintilianus Senior: Judicia judiciis rescindi non possunt. Sera post damnationem innocentiæ defensio est. *Declamatione 371. a. f.*

Symmachus: Quæso igitur, ne in contumeliam judicii vestri, & juri & innocentiæ fraus paretur. Quando enim absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt? Quis unquam sententiam numinis vestri inauditus excepit? Quando comminatio ad hæredes usque porrecta est. *lib. 10. Epist. 47. m. ad Theodosium & Arcadium Impp.*

Egesippus: Nemo tamen quasi factum horruit, & quasi commotus pronunciavit. scenæ enim species erat, non judicij disciplina, condemnare absentes, condemnare sine teste, sine judice, solo naturæ privilegio, quod ad salutem magis quàm ad periculum derivari soleret, loquitur de Herode & filiis ejus. *lib. 1. cap. 41. excidij Hierosolymitani.*

¶ Poetarum.

P. Syrus Mimus.

Damnari est objurgare, cùm auxilio est opus.

Idem.

Damnati linguam vocem habet, vim non habet.

Idem.

Se damnat Iudex, innocentem qui opprimit.

Idem.

Iudex damnatur cùm nocens absolvitur.

¶ Mono-

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Damnatorum vestiuntur divites pœnis domus.
Ecquis cum damnati sorte sua pericula misceat?
Neminem damnare jus fas causâ utrinque incognitâ.
Non inauditus periit, qui palam fuit malus.
Post damnationem haud ulla deprecandi occasio est.
Quem vident damnare regem cuncti damnant judices.
Sera post damnationem gloria innocentiæ est.
Socratem Critias tacere jussit, haud jussit loqui.
Sub tyranno homines damnantur antequam fiant rei.
Vnus innocens damnatus, omnium periculum est.

¶ JAMBICA.

A semetipso damnari gravissimum.
Hominem interimere minime damnatum nefas.
Pecuniosum haud damnes quamvis sit nocens.
Quod intus operantur mali, damnant foris.
Sæpè innocens damnatur, quia Deo est nocens.
Secreta nunquam damnato desunt reo.
Temeritas est damnare quem quod nesciat.

Alia requiras titulo *Accusationis, Iudicis, Rei, Supplicij, Pœnæ.*

Damni.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

LYSIAS: In Bacchanalia, Judices (neque enim absurdum mihi videtur hujus meminisse) agnum sedecim drachmis emptum annotavit; quarum octo drachmas pueris expensas retulit: quæ res nos non parum commovit. Ita enim interdum contingit, ut in maximis damnis, parva vehementer moveant injuria affectos: quæ nimis evidentem iniquorum improbitatem demonstrant. *cap. 6. orationis* 33.

Epictetus: Numquam te quidquam perdidisse dicito, sed reddisse. filiolus obiit? redditus est. prædium est ereptum? an non id quoque est redditum? At improbus est qui eripuit. Quid id tua refert, per quem is qui dederat, abs te repetierit? sed quamdiu concesserit, tanquam alienum, id curato, ut cauponam viator. *cap. 15. Enchir.*

Libanius: Ubique detrimentum est amarum, tametsi in minimis contingat. quapropter ne dicat, se rem meam deteriorem non fecisse; sed si ampliorem facere, cùm integrum esset, non noluerit ostendat. *Declamatione* 37.

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Damnum datum est, cùm quis non habet quod ante possederat. *Declamatione* 384.

Quintilianus: Quæritur, an damnum sit perdere, quod lucrum est habere. *Declamatione* 13. *§.* 9. *f.* Non est damnum id perdidisse, quod si habere voluero, emendum est? *§.* 12.

Quintilianus: Ultro apes, inquit, ad mortem venerunt. Ita planè. Alioqui tu venenum floribus dederas. Impudentiæne, judices, ejus assignem, si hoc mihi apud vos obtinuerit, an stultitiæ, si speravit? Si venenum homini dedisset, diceret ipsum labiis admovisse pocula. Si percussorem posuisset in saltu, ipsum in insidias ultro venisse clamaret. Si telum abjectasset in tenebris, illatum sua culpa contenderet. Ego, judices, quid dico? Duo esse sola quæ omni in crimine spectanda sint, animum, & eventum. Quis animus divitis fuit, cùm venenum sparsit? Ut apes perirent. Quis eventus? Perierunt. In summa, judices, quis dubitet quin damnum ei sit imputandum, sine quo non accidisset. *Declamatione* 13. *§.* 15.

¶ POETARUM.

Plautus Trinummo 4. sc. 3. v. 17.

——— *Quid ego quod perijt petam?*
Nisi etiam laborem ad damnum apponam apothecam insuper?
Quin tu, quod periit, perisse ducis?

Terentius Adelph. 2. sc. 2.

——— *Vnum hoc habeo. vide si satis placet;*
Potius quàm venias in periculum Sannio,
Servesne, an perdas totum; dividuum face.

P. Syrus Mimus.

Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

Martialis. 1. Epig. 76.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Idem lib. 8. Epigr. 9.

Solvere dodrantem nuper tibi Quinte volebat
Lippus Hylas. luscus vult dare dimidium.
Accipe quam primum; brevis est occasio lucri.
Si fuerit cacus nil tibi solvet Hylas.

Ausonius de Domitiano, & patre ejus ac fratre.

Hactenus ediderat dominos gens Flavia justos.
Cur duo quæ dederunt tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum.
Sunt brevia: æternum, quæ nocuere dolent.

¶ APOLOG.

Babrias. Περὶ Δορκάδ☉ τῶν ποδῶν λεπτότητα μεμφομένης. Fab. 17.

Πηγὰς ἐρῶσα Δορκὰς αὐτῆς τοι θέαν,
Λεπτὰς πόδας μωμεῖτο, χαίρει δ' εἰς κέρᾳ.
Λέων δ' ἐπεὶ δίωκε, τύτας ἠγάπα,
Κέρᾳ καθυβρίζουσα, θήρας ὡς πάγιον.

Επιμύθιον.

Οπ πολλάκις τὸ ὠφελοῦν, ἐξ ὧν δοκεῖ βλάπτειν.

De Caprea reprehendente pedum tenuitatem.

In fontibus suam imaginem videns Caprea,
Tenueis carpebat pedes, sed gaudebat cornibus.
Quum vero Leo persequutus est ipsam, eos amabat,
Cornua reprehendens, ut prædæ laqueum.

Affabulatio.

Quòd plerumque quis iuvatur ex quibus videtur lædi.

Babrias. Περὶ βατράχων καὶ ἡλίου. Fab. 20.

Γαμοις ἔχαιρον Βάτραχοι τοῦ ἡλίου.
Καί τις θεὸς αὐτὸς εἶπεν, ὦ δειλὸν γένος.
Εἰ γὰρ μόνας τρέμοι μὲν αὐγὰς ἡλίου,
Τις, εἰγε τεκνώσει, τόδ' ὃν βασάσει:

Επιμύθιον.

Περὶς τὸς ἐπὶ ἰδίᾳ βλάβῃ ἀγνωσίας χαίροντας.

De Ranis & Sole.

Ob nuptias Solis lætabantur Ranæ,
Quædamque ad eas ait, O miserum genus,
Nam si solos radios Solis timemus,
Si genuerit filios, quis eum feret?

Affabulatio.

Adversus eos qui suo damno præ ignorantia gaudent.

De paupere flente ruinam domus, ubi thesaurum invenit. *Fab. 110.*

Vir quidam pauper nihil habebat, præter domum ruinam minantem, tibicinibusque suffultam, quam ab agro rediens quum ruentem offendisset, nec haberet unde eam reficeret, vehementer angebatur, magnoque ejulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit urnulam æneam, quæ multos jam annos in pariete obstructa latuerat, inter rudera & saxa jacentem, quam cum sustulisset, apertamque aureis plenam invenisset, ejulatu & clamore compressis vehementi gaudio affectus est.

Fabula indicat, sæpenumero id nobis utile esse, quod damnosum putabamus. Abstemius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Æquum est ferre incommoda ejus, multa ex quo tibi commoda.
Æquum est ut qui damnâ sensit etiam participet lucrum.
Alteri damnum dare absque supplicij metu optimum est.
Alteri nequam nocere dum appetit, nocet sibi.
Alteri nocere caussa commodi haud licet sui.
Cor quibus sapit patere damna alijs nolunt sua.
Damna non sentire, non est hominis; non ferre, haud viri est.
Damnum ipsum dedisse videtur, damni caussam qui dedit.
Desidia alterius dolus ve nocere haud debet alteri.
Dij vetent, ut pejor unquam se noceat melioribus.
Effugium reperire quis non quærit alterius malo?
Esse non debet damnosum factum unius ceteris.
Est parum nocere nulli; si non prodes pluribus.
Fors resarciendi damna mille præstruit vias.
Læditur semel sapiens ab ijsdem, stultus sæpius.
Nebula quod soli, hoc virtuti sunt damna atque injuriæ.
Nemini licet profectò, nemini nocet Deus.
Nemini non ad nocendum cuipiam sat virium est.
Nemini non ad nocendum sufficiunt vires suæ.
Nemo non contra experimenta pertinax tristissima est.
Nemo vir sapiens perennat in damno spontaneo.
Ne quidem bruta ipsa scierunt ultrò admittere noxia.
Non nocet nobis Deus; ipse quilibet nocet sibi.
Parcere illi cui nocere poteras, magna gloria est.

Perdere

Perdere hoc modo talentum satius est, quam illo minam.
Possidentis perpusilla, damnum minimum maximum est.
Quantulum est es haud nocere cui prodesse debeas?
Quantulum est es non nocere, cui prodesse debeas?
Quilibet malum procurat consilio sibi suo.
Quid sit utile ante damnum cognitum est paucissimis.
Sarcias virtute, casu quod datum est, incommodum.
Socratem necare judex, at nocere ei nequit.
Sunt damnosa multa, at animi vitium damnosissimum.
Turpior jactura non est quam ipsa negligentia.
Unguium absque lasione à subere vix robur ferax.

¶ Jambica.

Accidere ntl mali viro potest bono.
Aliquando per virtutem res confringitur.
Bona segnius sua homines quam mala sentiunt.
Caussa est mali tui haud Deus, sed tu tibi.
Contra inferentem damna, justa est ultio.
Cudit malum sibi ipse cudit qui alteri.
Cum laditur putatur ladere fortior.
Damnosus & sibi est, damnosus alteri.
Damnum ejus esse debet cujus præmium est.
Damnum haud videtur, quod sentis culpâ tuâ.
Damnum instituisse, gloriæ ducunt divites.
Dignus malo est, quem fortuitorum pudet.
Etiam serendum est post segetem minimè bonam.
Etiam serendum post segetem agricola malam.
Facilius alicui incommodes, quam commodes.
Gratis nocere immanitatis barbaræ est.
Jactura amici major est pecunia.
Jactura magna ibi est ubi magna sunt opes.
Jactura non movet, sed negligentia.
In paucitate jactura omnu gravior est.
Inter turpes jacturas, est munus malum.
Ladi melior vir à pejore non potest.
Laduntur omnes a se, nemo ab altero.
Legale damnum deputemus præmijs.
Magnæ jactura Opes nimia faciunt locum.
Malum alteri quicunq; dat, malum accipit.
Malum alteri struens, malum & struit sibi.
Malum suum est cuique summi ponderis.
Nemo tibi nocere quam ipsemet potest.
Nihil à Deo proficiscitur quod sit nocens.
Nobis nocet, nostris amicis qui nocet.
Nocere juri injuria ulla non potest.
Nocere posse non magnum est; quivis potest.
Non sic sapit lucrum homini, quo damnum dolet.
Nulli ad nocendum virum non est satis.
Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
Nullum malum sentire, res suavissima est.
Obesse nobis nec volunt Dei, nec queunt.
Prater hominis est naturam, ladere alterum.
Quidquid solet nocere, docere idem solet.
Qui neminem læsit, timebit neminem.
Qui non sapit, nisi post malum, serò sapit.
Quod est lucrum tenere, damnum est perdere.
Se ladit ipsum, qui alium quærit ladere.
Semper magis jacturam sentit paucitas.
Sentire damnum egestas nulla ullum potest.
Stuporis est ab eodem ladi sapius.
Suo sibimet indicio sorex interit.
Vir damna ferre leniter prudens solet.
Vir melior a pejore ladi non queat.
Vix damna fiunt absque pœnitentia.

Petantur alia titulo *Debiti, Emptionis, Venditionis, Lucri.*

Dardanariorum.

¶ Sententiæ Græcorum.

Chrysostomus: Benignitatis & humanitatis nusquam est ratio. Vbique autem amor plura habendi multis educit frumentum & vinum: & ille quidem citius, hic verò vendit tardiùs, neuter autem ob curam quam gerit: sed ille quidem, ut plura accipiat; hic autem, ne pauciora, mutato fructu. Nam quoniam plures legis Dei magnam non habentes rationem, omnia tenent intus inclusa: aliter eos Deus adducens ad benignitatem & humanitatem, ut vel ex necessitate aliquid boni faciant, majoris damni iniicit metum, non sinens in multum tempus durare fructus terræ; ut vel ex eorum interitu damnum timentes, ea etjam inviti addant egentibus, quæ domi infossa malè servant. Verùm enimverò sunt quidam post hæc adeò inexplebiles, ut ne hinc quidem castigentur. Multi quidem certè etiam integra dolia exinanierunt, & ne cyathum quidem dederunt, nec pecuniæ pauxillum egentibus; acetum autem ex vino factum totum humi jecerunt, & dolia sua simul cum vino corruperunt. Alij autem rursus, cum ne ossa quidem esurientem impertierint, integras frumenti capsas in fluvium projecerunt: & quoniam Deum non audierunt, jubentem dare egenis; jubente curgulione, vel inviti quicquid erat intùs effuderunt ad exilium & extremum interitum; multum quidem risum multas autem execrationes in suum caput simul cum damno attrahentes. Et quæ heic quidem fiunt, sunt ejusmodi: quæ autem illis, quænam explicarit oratio? Sicut enim isti exesum & à curgulione inutile redditum frumentum, in fluvios jaciunt: eos qui hæc fecerunt, propter hoc ipsum factos inutiles, projicit Deus in fluvium ignis. Sicut enim frumentum curgulio & vermis, ita istorum animas exedit crudelitas & inhumanitas. *Homilia 39. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Hoc est cauponari, cùm quis vinum adulterat, cùm quis pecunia id vendit quod gratis dare debebat. *Homilia 5. ad Corinthios 2.*

¶ Oratorum Græcorum.

Lysias: Tunc plurimum lucri faciunt, cùm incommodi Reipublicæ nuntio allato, frumentum carè vendere possunt. Adeo vero gratæ oculis horum vestræ calamitates, ut nonnullas primi omnium audiant, alias ipsi confingant: Aut naves in Ponto periisse, aut inter navigandum à Lacedæmoniis esse captas, aut emporia esse clausa, aut fœdera violanda. Et eo inimicitiarum proveeti sunt, ut uno & eodem cum hostibus tempore vobis insidientur. In maxima enim penuria frumenti rapiunt hi & recusant vendere; ne de pretio contendamus; sed quantocumque frumento comparato contenti ab ipsis recedamus: adeo ut etiam pacis tempore ab his diripiamur. Verum & olim de horum versutia & malignitate ita civitas statuit, ut aliis rebus venalibus omnibus ædiles ut custodes præficeretis. Ob hanc vero solam artem veteratoriam, frumenti inspectatores seorsim constituere tis. Nec raro accidit, ut in hos inspectores liceat ervos, gravissimè animadverteretis; ideo quod illorum nequitiam cohibere non potuerint. *cap. 4. orationis 21. contra frumentarios.*

Philostratus: Scripsit Apollonius hujusmodi objurgationem contra incensores annonæ: Terra communis omnium mater est, propterea quod justa est: vos autem injusti estis, qui vestri duntaxat matrem eam esse voluistis. Quod nisi ab ejusmodi incæpto destiteritis, diutius in ea vos permanere non sinam. *lib. 1. cap. 12.*

Julianus Imp. Tu verò cauponibus iraseeris, neque pateris eos annonam populo & exteris, quanti volunt, vendere. Et illi quidem de agrorum possessoribus queruntur, hi verò tibi infensi sunt, propterea quod eos justos esse cogis: Magistratus autem, quod ex utroque civitatis incommodo, sicut opinor, lucrum facerent, gaudebant antea duplicem fructum capientes, & ut agri possessores, & ut caupones: nunc utrisque spoliati commodis meritò successent. *in Misopog.*

Videantur alia titulo *Annona Famis, Frumentationis, Faneris, Usura.*

Debiti.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Dnazianzenus: Si debitorem nactus sis, ad pedes tuos sese abiicientem, syngraphamomnem, tam justam, quàm injustam, concerpe. Decem illa talentorum millia, quæ tibi Christus remisit, in memoriam revoca. Noli te acerbum minoris debiti exactorem præbere, & quidem conservis: cum tibi à Domino major summa condonata sit: ne humanitatis quoque illius, quam tibi in exemplum propositam haudquaquam imitatus es, pœnæ à te expetantur. *Oratione 40.*

Synesius: Dimittenda Deus esse debita dicit. porrò hic quidem pecuniam mutuam, ille verò pœnas dependere debet. Igitur qui repetere ab eo pœnas contempserit, Deo fuerit obsecutus. *Epistola 28.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Hoc liberè ac constanter affirmo, neminem esse omnium Sanctorum qui non in multis sit Deo debitor, ac per hoc eum, quæcunq; Domino suo dederit, non tam donare quàm solvere. Ac primùm, benevolentia ac dono Dei natus, altus, educatus es; rebus ad vitam necessariis communitus, etiam non necessariis locupletatus; plus ad usum tibi Dominus tuus tribuit, quàm modus usuum postulavit; extendit denique supra spes tuas munera sua, quodque maximum ac rarissimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. Addo quod idem postea etiam passione salvavit; quod propter te terram ac lutum, imò exiguam terræ ac luti partem rerum universarum Dominus è cœlo venit, terras adiit, ex carne pariter & in carne præcessit, humiliatus usque ad humani exordij pudorem, & pannorum illuviem, & præsepii vilitatem, tolerans indignas se vitæ istius passiones, edendi, bibendi, somni vigiliarum ægras vicissitudines, ipsam denique; hominum circa se conversantium fœtidam commorationē,

populos peccatorum sordentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admissu reos, turpium exactuum nidorem exhalantes; & ideo cœlestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris jubar; quia caligantes peccatis oculos, splendor divini luminis obruebat. Nec solum hoc: adde protervias superbientis populi contradictiones, adde convicia, maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, judicium cruentum, irrisiones populi, sputa, verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus. Dominum universorum, pendentem in patibulo humani generis salutem, Deum terrenæ conditionis lege morientem. quæ cùm ita sint, quicunque ille aut sanctus es, aut sanctum te esse credis, dic quæso numquid solvi hæc solâ possunt etiamsi nulla alia debeantur? quidquid libet homo pro Deo perferat, solvi omnino non potest, quod Deus pro homine perpessus est: quia etiamsi passio ipsa non differat genere pœnarum, multum tamen distet necesse est diversitas patientum. *lib. 2. contra Avarit.*

Egesippus: Incensæ ædes Agrippæ & Beronices, direptum omne instrumentum regium ignis circumferebatur; ut etiam chirographa debitorum quæ recondita in tabulariis erant publicis exurerentur: quo fœneratoribus suis inopes insolentius insurgerent, omni nexu sese absolutos arbitrati. *capite decimo libri secundi de excidio Hierosolymitano.*

Chrysologus: Callidi debitoris est & inverecundi, sæpè pacta non solvere, & patientissimum creditorem longa & artifici cavillatione protelare. *Sermone 5. pr.*

Chrysologus: Verecundi debitoris est mox promissa dissolvere: nec creditoris animum aut deludere moris, aut longa expectatione suspendere. *Sermone 36 p.*

Chrysologus: Semper debere anxium est fratres: semper triste fœneris vinculis alligari: sed me, quem vobis mea sæpè fecit promissio debitorem, satis sibi de talis debiti natura & obligatione blanditur, qui dat, non accipit qui promittit: & qui dando debet, tibi magis ipsum facit obnoxium creditorem: atque ubi qui credidit debet, & qui debet credidit, ibi necessitudinis, in necessitatis probatur esse contractus: & in tali fœnore animæ non oneris, sed honoris præduleis currit usura. *Sermone 88. pr.*

Chrysologus: Inverecundi debitoris est, aut differre credita, aut promissa denegare: honesti, sine mora & mox utraque dissolvere. *Sermone 123. pr.*

Ennodius: Modum transit atrocitas, quæ vel in debitis exigendis non principe loco vires interrogat. *Dictione 21. § 8. m.*

Io. Saresberiensis: Vtique nihil miserius est, quàm in alieno fulgore gloriari: & eo constat esse inopem debitorem, qui solutionem celebrare non potest, nisi novi gratia creditoris. *cap. 19. Policratici lib. 7.*

¶ Oratorum Græcorum.

Phalaris Antimacho: Si habens non persoluas æs alienum, ultrò malus es. Sin autem non habens, injustè quidem agis: attramen quod ab inuito fit, apud homines rem animo considerantibus veniam meretur. Veniam verò scito cunctationem in accipiendo, non perpetuam pecuniam esse. *Epistola 27.*

Dionysius Sophista: Da mihi promissa aut potiùs redde. Dico autem redde, non juxta promissionum legem & consuetudinem, sed quòd nos colere & observare, quasi debitum à teipso reperis. Et de quibus jam petii, scribe exactè, quoniam æstas mittit, aut propter nos bonum animum gerere, aut ad nos etiam venire. *Epistola 12.*

Simocatta: Cùm mutuò sumis gaudes, at cùm exigeris doles: & incidens in creditores, metu territaris, in horribiles & immanes aliquas bestias te incidere putans, & circumspicis trivia & ad porticus oculos conijcis, ut creditores fugias ac vites, quemadmodum qui navigant in vehementissimis procellis, portum assequi cupiunt. Sed & malo malum cumulas. Ab aliis enim mutuum sumis & aliis debitum persolvis, simile quiddam faciens his, qui mortis formidine sem tipsos præcipites dant. Inspice æris alieni contractionem. Multiplex hominibus malum est, & fabulosam Hydram spontaneis pullulationibus & difficultate superat. Et in insomniis æs alienum perhorresce. Sic etiam liberè solares radios intuebere, & aerem supra terram admodum suaviter respirabis. *Gorgias Aristida Epist. 16.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Patrimonij in alium transituri ea ratio est, ut primum credito satisfiat. *Declamatione 273. m.*

Quintilianus Senior: Addictus donec solverit pecuniam, serviat. Non est nostræ mediocritatis, non officij ea quæ prudentissimi majores constituerint, tentare defendere. Verumtamen si intueri velitis, quid æquius constitui potest, aut quo alio custodiri patrimonia vestra, fortunæ sustineri possunt? an verò pecuniam aliquis accepturus, per omnia vitia exhauriet, ut non alligetur ad aliquam solvendi necessitatem? Dura vincla alicui videntur, dura conditio servitutis? reddat quod accepit. Istic non servitus constituta est, sed illud quod justissimum est, reddendæ pecuniæ causa. *Declamatione 311.*

Eumenius: Reliqua debita remissurus, quantum deberemus interrogasti. quæ interrogatio, manifesta promissio fuit. nam cùm is qui omnia potest, quid sibi debeatur interrogat, non curiosè percunctatur ut sciat, sed liberaliter cupit audire quantum remittat. *cap. 10. gratiarum act. Constantino Augusto.*

Eumenius: Quanto est durius extorqueri quod proprium fuerit, quàm non acquirere quod fuerit alienum, tanto dulcior est remissa solvendi necessitas, quam lucrandi optata commoditas. *cap. 14. Constantino gratiarum act.*

Symmachus: Gratiam tamen religionis tuæ fortuna non minuit. quin imò ea in acceptum summa referenda est, quæ ab offerente processit. *lib. 5. Epist. 56.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 238.

Agor, feror, & mea bona miser oppignero.
S. At obaratus cùm esses, te ipsum quomodo.
Ignorasti? S. T. morbus equestris me perdidit.
In devorando vehemens.

Mox versu 436.

Nunc ergò utantur me, uti libitum est.
Ego meum hoc corpus præbebo,
Ad percutiendum, esuriendum,
Sitiendum, squalescendum, etiam
Algendum & pellem excoriandum:
Dummodò debita sic effugiam.
Neque me commoveat, si me homines
Dicant audacem, linguacem,
Petulantem, præcipitem, impurum,
Nugarum confabricatorem,
Fictorem verborum, rabulam,
Crepitaculum & astutam vulpem,
Veteratorem, malitiosum,
Simulatorem, jactabundum,
Lubricum item, centonem, atque hominem
Spurcum & fœdum,
Versutum, difficilem, frivolum.
Hu si me criminibus lacerent
Occursantes: faciant, ut lubet:
Et si voluerint, per Cererem,
Ex me chordam
Isti apponunto magistrio.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. fine.

Nunc pergam ad forum, atq; experiar opibus, omni copia,
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemq; amicum videro.
Dignos, indignos adire atq; expediri certum est mihi.
Nam si mutuas non potero, certum est, sumam fœnore.

Plautus Curcul. 3. sc. 1. v. 1.

Beatus videor; subduxi rationculam,
Quantum æris mihi sit, quantumq; alieni siet.
Dives sum, si non reddo eis quibus debeo:
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni mest.

Plautus Mostellar. 4. sc. 3. v. 27.

Minas tibi octoginta argenti debeo.
S. Non mihi quidem hercle. verùm si debes, cedo.
Fides servanda est, ne ire infitias postules.

Plautus Persa. 4. sc. 2. v. 7.

Vt & ego hodie fui benignus, ut ego multis credidi!
Nec satis a quoquam homine accepi, ita prorsum credebam omnibus,
Nec metui quibus credidi hodie, ne quis in jure mihi abjurasset.
Bonus volo jam ex hoc die esse.

Terentius Phormionis 1. sc. 2.

Lectum est. conveniet numerus quantum debui.
G. Amote, & non neglexisse habeo gratiam.
D. Præsertim ut nunc sunt mores: adeò eò res redit,
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Terentius Phorm. 4. sc. 5.

Hoc temerè nunquam amittam ego à me quin mihi testes adhibeam
Cùm dem, & quamobrem dem, commemorabo. G. ut cautus est ubi nil opust.

¶ Monosticha Trochaica.

Alterius periculosè te obligabis debito.
Aurum auro expendetur, argentum argento exaquabitur.
Creditorem cùm veneratur, execratur debitor.
Creditori convitiari, debitoris pessimi est.
Debet invitus repentè qui nimis reddit data.
Debitor malo sponsore haud expedit rem; dat malam.
Debitor quoq; est in multis vel sanctissimus Deo.
Debitor suas usuras cogitat nocte ac die.
Est verecundum, debere; haud reddere verecundius.
Fœnerat Deo quicunque æs pauperi credit suum.
Ictu atque æris alieni, certa miseria est comes.
Multi se stolidè frustrantur, cũ alios frustrari æstimant.
Nec tu me quidẽ unquam subiges redditum ut reddã tibi.

Nemini

Nemini debetur illud turpe quod est reddere.
Neq; tu verbis solves unquam, quod re mihi malefeceris.
Nil facit præclari, amoris qui rependit debitum.
Omnibus fatale morti persolvendum debitum.
Qui petit quod redditurus est, dolo facit malo.
Sæpè creditor damnatur debitoribus suis.
Tempore & loco omne redde, tempore & loco datum.
Vocem audire se Danistæ ubique credit debitor.

¶ Jambica.

Aliquid remittas, an solvas, multum interest.
Auctoritatem perdit omnem debitor.
Bona nomina, haud appellando, facias mala.
Contra officium est non reddere quod acceperis.
Debere ei cui nolis, tormentum grave est.
Debere nulli quidquam ingratus se autumat.
Dives sum, si non reddo eis quibus debeo.
Et debito omni est adsitum mendacium.
Fraus utique est quod debetur nolle reddere.
Hoc reddere quod acceperis, jus gentium est.
Ingrata vita est, cujus accepta pudet.
Is creditur solvendo, qui defenditur.
Ius gentium est, quod accepisti reddere.
Nemo salutem animo æquo alicui debet suam.
Nemo sibi vult solvi quæ non commodat.
Nil debeo illi, nesciens qui profuit.
Non est suo sine creditore debitor.
Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.
Ob debitum nec-rectè corpus nectitur.
Pecunia etiam exacta io male credita.
Quod non jubet repeti lex, repeti lex vetat.
Remitte debitum doloris sanguini.
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Vix est ut haud idem mendax sit debitor.

Deceptionis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

D. Nazianzenus: Vt aliis fucum faciamus, nobis quidem ipsis nunquam poterimus. ac profectò adversus seipsum ludere, admodum periculosum & stolidum est. *Oratione quadrageſima.*

D. Greg. Nyſſenus: Proprium est eorum qui decipiunt, ad aliud convertere spem eorum quibus struuntur insidiæ; & aliud efficere, quàm quod fuit speratum. *Orationis catechetica cap. 36.*

D. Chryſoſtomus: Ne nomina quidem eorum audire volumus qui decipiunt. *Homilia 5. ad Corinthios* 1.

¶ Philosophorum.

Arrianus: Videtis ut in numismate, cùm pertinere ad nos videatur, & artem invenerimus; & quot rebus argentarius ad ejus exploration em utatur, ut visu, tactu, olfactu, auditu denique, projecto denario, sonitum observet; neque unico sonitu contentus, præ crebra contentione fit quodammodo musicus. Sic ubi nostra interesse putamus, utrum decipiamur an non decipiamur, ibi magnam adhibemus intentionem, ad ea judicanda quæ nos decipere possunt. In misera autem ratione stertentes & dormitantes visum quodvis admittimus; nam jactura non animadvertitur. Cùm igitur scire cupis, quàm sis in bonis quidem & malis remissus, in rebus autem indifferentibus incitatus, considera qua ratione sis affectus erga cæcitatem, erga impostu ram: tum cognosces multum abesse, ut in rebus bonis & malis ita sis affectus quemadmodum oportet. At magna opus est præparatione, multoque labore & disciplina. Quid ergo? artem maximam exiguo labore comparari posse speras? *c. 20. lib. 1. Epicteti.*

Libanius: Ergo impiè fecère qui judicarunt? minimè per Jovem: sed decepti fuerunt, neque verò sub eandem rationem cadunt, sponte jus prodere, aut deceptum. Illud ejus est qui gratificatur malitiæ; hoc eorum qui vera depravant, artificij est. nemo autem eum qui perpessus est, potius quam auctorem reprehenderit. *Declamatione* 33.

¶ Poetarum.

Nonnus lib. VIII. Dionysiacorum.

Circa Amnesi aquam occurrit Iunoni Deceptio.
Non enim semper manebat apud Iovis falsum tumulum,
Oblectata Cretensibus, cùm essent mendaces.
Circa latera vero ipsi Cydonias fluebat mitra.
In qua varia omnia mortalium oblectamenta reponuntur.
In his erat furtum artificiosum, inerat consociatio.
Inerant doli multiformes. inerat verò & ipsum.
Concurrens cum aerijs fallax juramentum ventis.

Plautus Bacchid. 5. sc. 1. pr.

Quicunq; ubi sunt, qui fuerunt, quiq; futuri sunt posthac,
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè anteeo stultitia & moribus indoctis.
Perij pudet! hoccine ætatis ludum bis factum esse indignè?

Ibidem versu 13.

Hoc hoc est quod peracescit; hoc est demum quod percutior.
Me hoc ætatis ludificari? Imo edepol sic ludos factum
Cano capite, atq; alba barba? sic miserum me auro esse emunctum?

Plautus Captivis 4. sc. 2. pr.

Quantò in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior est in animo.
Ad illum modum sublitum os esse
Hodie mihi? neque id perspicere quivi?
Quod cùm scribitur, per urbem irridebor.
Cùm extemplò ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic est ille senex doctus, cui verba data sunt.

¶ Emblematis.

Bathllius. CXLVI.
Fraus virtute perit. Symbolum Henrici III.

Ausa modò insidijs vulpes tentare leonem
Infesto jam mune præda sub hoste jacet.
Magnanimos Reges fraus nulla impune fatigat,
Virtute inferior moxque subacta, perit.

Iac. Catsius Emblemate Ethico. XXXIV.
Parva patitur, ut magnis potiatur.

Fit globus, inq; globi medio caput abdit Echinus,
Et vafer in parvum contrahit ora specum.
Tegmina mus spinosa, peti senescius, ambit,
Et vagus impunem fertq; refertq; gradum.
At cæcas ineat latebras, & non sua lustra;
Tum demum in prædam promptus echinus erit.
Vt fallat tunc, cùm pretium putat esse laboris,
Præstruit in parvis fraus sibi magna fidem.

Adsit viribus astus. Emblem. XVI.

Quid sibi vult rabido Vulpes conjuncta Leoni?
Scilicet ut Vires adjuvet usque Dolus.
Florentinus Schonhovius.

¶ Monosticha Trochaica.

Arduum non est amicum, inimicum fallere arduum est.
Arduum non est dare homini verba, sed Deo arduum est.
Decipienti me semel, malè Divi; at bis, faxint bene.
Decipit frons prima multos: rara mens ad cor venit.
Est quidem falli malum, sed pejus multò fallere.
Est quidem turpe ore, verùm turpius re fallere est.
Fallendi ijs abest voluntas, queis abest studium lucri.
Fallere fas est diffidentes; credulos plus quam nefas.
Falli sæpè ac sæpè oportet, esse qui cupit probus.
Fas suo bono est amicum; fallere fas hostem malo.
Instar aucupis superbos decipit bonus Deus.
Involvit sub specie legis crimen circumscriptio.
Iure qui usus est communi, deceptus dici nequit.
Lauda palam, decipere incautum si cupis.
Maximè amici ipsos per amicos decipiendi copia est.
Multi docuerunt fallere, falli dum timent.
Nemo omnes decepit, omnes decepère neminem.
Non potes captare piscem si cibo hamum haud obtegis.
Non tam volup est vindicari, quàm falli miserum fuit.
Pauci sunt qui profiterier se deceptos audeant.
Principum nemo est deceptus, nisi qui decepit prius.
Promptius circumvenire est plurimos quam hominem unicum.
Promptius quis semet ipsum quam alterum deceperit.
Sunt agrestiores quàm ut vel decipiantur Thessali.

¶ Jambica.

Alius alium; ipsum nemo se deceperit.
Decipere amicum turpius quam decipi.
Decipere multo est turpius, quam decipi.
Decipere, pro divi moribus, prudentia est.
Decipere Vlyssem non facile ulli fœmina est.
Est turpe ab hoste, ab amico miserum est decipi.
Facillimum est rerum omnium, se fallere.
Fallaris ipse potius, quàm fallas tuos.
Homines docuerunt fallere, dum falli timent.
Homines quidem sermone fallas, non Deum.
Homo imperitus facilè falli non potest.
Inimicitia facillima est deceptui.
Malo hercle vestro tam versuti vivitis.
Mors, innocentes sola deceptos facit.
Natura nari verba emuncta vix dabit.
Nec decipit, nec decipi vir vult probus.
Nemo Deum unquam homo fefellit improbus.
Nil est facilius ipsum quàm se fallere.

Nunquam caret mendacijs deceptio.
Persæpe fallunt quos putas fidissimos.
Procliuius nil est, quam seipsum fallere.
Scias oportet multa, queis fallas Deum.
Se fallere ipsum posse res facillima est.
Se fallere ipsum res profectò pessima est.
Si decipi te non vis, crede nemini.
Vulpem nunquam secundò in casses attrahas.

Videatur titulus *Astutiæ, Fraudis, Doli, Fallaciæ, Simulationis ac Dissimulationis, Insidiarum.*

Decori.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

ISIDORUS PELUSIOTA: Vir singulari sapientia prædite, qui honestum ac decorum minimè aut prodit, is nunquam à divino auxilio deseratur. *libri tertij Epistola centesima sexagesima octava.*

Ennodius: Ejus primordia quamvis infabricato sermone commendem, imperiis amoris excusor. Sub jugum mittimur, dilectionis necessitate constricti. & dum caris prospicimus, quid nos deceat non videmus. *Dictione 9. §. 2.*

¶ ORATORUM HISTORICORUMQUE GRÆCORUM.

Aristides Rhetor: Nec ingenuam mulierem eadem, quæ meretricem, decent: ac multo minus eadem viros quæ fœminas. *Oratione contra prodistores mysteriorum.*

Aristides Rhetor: Decorum in eo consistit, ut quanta & qualia singulis rebus conveniant, observetur. *mox:* Quis melius aut sincerius cum hominibus versetur, quam qui potest qualia quantaque opus est, & ad quos, verba facere? vel quomodo sine hac facultate possit quis tam cum multis, quàm cum paucis recte colloqui, vel cum fratribus versari tum junioribus tum senioribus, cum pareatibus, amicis, peritis, ignorantibus, hostibus, sociis, divitibus, pauperibus, & quotcunque licet aliis modis hominum genera dividere? Etenim qui decorum in dicendo considerat ubique, & occasionem novit, atque ista potest, prout scit, absolvere; hic solus iis quæ dixi potest omnibus uti, & admonendo perficere, & accusando fidem facere; ac potior est ubique eo qui his destituitur. Iam qui quid dicendum sit novit, is etiam quid sit tacendum intelligit, ac quando vel dicendum sit quam tacendum. quemadmodum nec qui navigandi tempus novit, quiescendi ignorat. qui porrò dictionis ac silentij scit opportunitatem, in neutro secundum artem peccabit. *Oratione prima Platonica de Rhetorica.*

Halicarnassæus: Omnibus formis opus est, ut adsit Decorum, & si quod opus hac in parte erraverit, si non in omnibus, certè in præstantissima re erraverit. Decorum est, quod rebus & personis subjectis convenit. *cap 68. de collocat. verborum.*

Idem: Virtutum omnium maxima, & quasi princeps, est Decorum. *cap. 17.*

¶ ROMANORUM.

C Tacitus: Decorum non est, attrectare quod non obtinetur, vel retentum, ignominiam & infamiam virorum poscit illustrium. *libro 3. Annalium cap. 52.*

Idem: Decorum minimè censuit Tiberius Jmperator, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. *libro primo Annalium cap. 12.*

Idem: Decora non sunt eadem omnibus, respondit Arruntius, rogatus producere vitam. *lib. 6. Annalium cap. 48.*

¶ APOLOGI.

De Adolescente in funere matris canente. *Fab. 61.*

Vir quidam defunctam uxorem, quæ ad sepulchrum efferebatur, lachrymis & fletibus prosequebatur. Filius verò ejus canebat, qui cum à patre increparetur, ut amens & insanus, qui in matris funere cantaret, cùm unà secum mœstus esse, & flere deberet, inquit: pater mi, si sacerdotes ut canerent, conduxisti, cur mihi irascéris gratis concinenti? Cui pater: Non tuum, inquit, & sacerdotum est idem officium.

Fabula indicat, non omnia omnibus esse decora. Abstemius.

¶ EMBLEMATIS.

Omnia convenienter juri, legi, & paci agenda.
Divinæ Themidis sacrum hoc caput esse, columna
Quadrata infixum, cætera picta docent,
Quam circum innumerum ternas hic ludere Nymphas
Cernis, & ad certos membra movere modos,
Concordes Divæ socias, sociâque coronâ.
Officium solitas semper obire suum.
Nempe hic agendarum finis rerum omnium inhæret,
Nil usquam ut fiat ni quod ubique decet.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Haud videnda haud audienda, quæ minus aliquem decent.
Maximè quod est cujusq; quemq; maximè decet.
Multa virtus est, Decorum sed velut dux prævalet.
Non alter quidvam mereatur, sed quid te deceat face.
Non benè utitur decoro carior dilectio.
Non quid quisq; dicat, sed quid cuiq; dicendum vide.
Omnibus spectanda rebus apprimè decentia est.
Prima virtutum decorum est: absq; eo omnis mutila est.
Quemque maximè decet, quod cujusque maximè est suum.
Qui facit contra decorum, Tartari oblivisci tur.
Quod decet utique est honestum, quodque honestum est, id decet.
Vox tyrannica est, licet mihi: haud decet, vox regia est.

¶ JAMBICA.

Aliud decorum privatim, aliud publicè.
Eadem decora non sunt omnia omnibus.
Etiam decorum luctum obtinet suum.
Fortuna quidquid miseris præcipit, decet.
Non omne, ceu juventam, sic sensum decet.
Non quid faciant alij, sed te deceat, vide.
Nullum est decorum ubi imperat necessitas.
Omne est decorum quod suo fit tempore.
Puerum decent, virum haud decent crepundia.
Quis non salutem ipsi decorò præferat.
Situs decor rerum omnium in concordia est.
Solum decere te puta quod est bonum.
Vbi de salute agitur, decoro haud est locus.

Decreti.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

ARRIANUS: Quidam putant quidquid à se decretum fuerit, in eo pertinaciter esse perseverandum. Verum decretum in primis rectũ esse oportet. Volo enim nervos esse in corpore, sed ut in sano corpore, ut in decertanti corpore. Sed si furiosi te habere nervos ostentes, de iisque glorieris: dicam tibi, homo quære tibi medicum. Nam isti nervi non sunt, sed enervatio, licet alio quodammodo. Tale quiddam eorum quoque animis accidit, qui disputationes has obiter ac perperam audiunt, quemadmodum sodalium meorum quidam nulla de causa inedia necem sibi conscisceré statuit. Ego rem cognovi, cum is jam tertium diem abstinentiam illam urgeret, & aggressus interrogavi, quid ei accidisset? Decrevi, inquit. Sed tamẽ quid, inquam, eò te impulit? nam si recte decrevisti, assidemus tibi, adjutores futuri, ut è vita excedas. Sin perperam statuisti, muta consilium. Decretis insistendum est. Quid agis homo? Non omnibus sed rectis. Nam si in mentem tibi venit, modo noctem esse: si tibi videbitur, ne muta sententiam, sed in ea persevera: & dic, decretis esse insistendum. Quid agis homo? Non omnibus. Non à principio vis ordiri, & jacere fundamentũ, decretum considerãdo, rectumne sit an pravum? ac tum demum in eo exædificare firmitatem istam & constantiam? Quod si fundamentum putre acruinosum jeceris: quo plura & firmiora imposueris, eo citius ædificium corruet. Citra omnem causam è medio nobis tollis hominem amicum & familiarem, civitatis ejusdem tam magnæ quam parvæ. & cum cædem facias, hominemque nullius injuriæ reum perdas: ais in decretis perseverandum esse? Quod si tibi forte in mentem veniisset, me esse occidendum: num in sententia permanendum tibi esset? Ac ille quidem vix à sententia depulsus est: eorum autem qui nunc sunt, nonnullis aliud persuaderi nõ potest. Itaque mihi videor nunc scire id quod prius ignorabam, quæ vis sit pervulgati illi⁹ dicti, Stultũ neq; mutari, neq; rũpi posse. Absit, ut stultus mihi cõtingat amicus: nihil est æque intractabile. Decrevi: Etiã furentes. Sed quo constantius decernũt ea quæ non sunt, eo majore veratri copia eis opus est. Non ea facere vis quæ sunt ægrotantis, & accersere medicum? Ægroto domine: auxiliare mihi, considera quid mihi sit agendum: meum est parere tibi. Sic hic quoque. Quid mihi faciendum sit ignoro: sed adsum cognoscendi causa. Non, sed aliis de rebus mihi dicito. Nam hoc decrevi. De quibus aliis? Quid enim majus aut ma ore studio dignum est, quam tibi persuaderi, non satis esse te decrevisse, ac à proposito non recedere? Hi sunt furiosorum nervi, non hominis sani. Emori volo, si me istud coegeris. Quamobrem homo? Quid accidit? Decrevi. Salvus sum, quod non decrevisti me occidere: Argentum non accipio. Quamobrem. Decrevi. Scisne quibus nervis nunc uteris ad non accipiendum, iisdem nihil prohibere quo minus aliquando temere inclines ad accipiendum: & rursus dicas, te decrevisse? Vt enim in ægroto corpore & fluxionibus obnoxio, humor alias in hanc, alias in illam fertur partem: sic animus imbecillis, quo quidem inclinet incertum est, cum autem ad inclinationem atque impetum illum etiam nervi accesserint: tum malum e jusmodi fit, cui nec auxilium ferri, nec adhiberi medicina queat. *lib. 2. cap. 14. Epictet.*

Aristide

Aristides Rhetor: Omnibus est apertissimum, non debere rescindi decreta, neq; puerorum istar & tenere aliquid appetere, & facile relinquere. nam cùm etiam Megarensibus istis ac Bœotiis, & quicumque parvas vel magnas incolunt urbes, constitutum est decreta persequi, & omnium controversiarum finem in suffragiis ponere, tum vobis Athenien sibus omnium convenit maximè. quanto enim Græcis estis prudentiores, ac tum per vos optima inire consilia, tum de aliis judicare potestis optimè, tanto vos major pudor, si quid ab antiqua sententia discesseritis, necessario manet. alterutrum enim fiet, ut vel in primo consilio peccasse, vel nunc errare videamini. atqui nec hoc licet dicere, paucos hac de re fuisse habitos sermones, aut parva dici unius parte rem totam fuisse transactam, &c. *Oratione priore Sicula.*

Deditionis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

XENOPHON: Græci maris adcolæ, multis muneribus datis, id consecuti sunt; ut intra mœnia barbaros admittere necesse non haberent, sed tributum tamen penderent, & militatum irent, quo Cyrus jussisset. Phrygiæ vero rex seperabat quasi loca munita tueri, nec imperata facere videret, itaq; se facturum denuntiabat. Sed postquam constituti sub ipsius imperio præfecti, ab eo defecerunt, & solus est relictus: tamdem in manus Hystaspæ venit, caussa Cyri judicio permissa. Hystaspas relictis in arcibus firmis Persarum præsidiis discessit, assecum præter suos, Phryges complures tum equites, tum cetratos duxit. Cyrus autem Aduno mandata dederat, ut postea quam se cum Hystaspa conjunxisset, Phryges eos, qui partes suas amplexi fuissent, armatos adduceret: qui vero bellum gerere contra Cyrum studuissent illis & equos adimerent, & arma, omnemque cum fundis sequi juberet. Hæc illi rursus exsequebantur. *cap. 4. lib. 7. Cyropædiæ.*

Xenophon: Ducebat etiam secum Lydos, quibus esse curæ cerneret elegantiam armorum, & equorum, & cursuum: & quos enitri videret, ut omnia facerent, quibus ipsi gratificaturos se putabant: & ducebat hos secum armatos: quos autem cerneret quadam cum molestia se comitari, eorum equos Persis, qui primi cum eo militatum profecti fuerant, tradidit: & arma exussit, ac ipsos fundis instructos sequi coegit. Omnesque adeo inermes, qui ejus in potestatem venerant, ad usum fundarum exercere se coegit: quod hoc a morum genus maxime servile duceret. Est enim, ubi funditores, si copiis aliis adsint, minimum quantum utilitatis adferunt: ipsi vero seorsum, ne quidem omnes, admodum paucos iis cum armis, quibus comminus pugnatur, congressos sustinuerint. *cap. 25. lib. 7. Cyropædiæ.*

Brutus Lycijs: Xanthij cùm nostrum beneficium contempsissent, sepulchrum luxuriæ & stoliditatis patriam effecerunt. Patarenses verò, cùm semetipsos in nostram fidem contulissent, nihilo deteriùs omnia quæ pertinent ad libertatem, tuentur & conservant. In vobis igitur positum est, ut vel judicium Patarensium, vel Xanthiorum calamitatem eligatis. *Epist. 25.*

Lyciorum ad hæc responsio: Xanthiorum calamitas nobis dolori est, quam pro sua vecordia patiuntur, eò quòd ne pœnitere quidem eos potuerit. Patarensium verò prudentia & felicitas, voluptati est, quod rem sibi utilem & commodam fecerint. Nos verò non ea sumus amentia, ut cùm in amicis numerari, fœlicitérque agere detur, illorum qui inimicitiarum pœnas dederunt, institutum sequi malimus. *Epist. 26.*

Onosander: Si quæ civitates Imperatori sese dediderint, comiter ac civiliter regendæ sunt. Sic enim & aliæ forsassis ad deditionem adducentur; sperantésque se hujusmodi humanitatis fore participes, in ejusdem ditionem allicientur. Qui verò cùm primùm urbe asiquâ potitus est sese illi acerbum ac molestum exhibet, aut civium facultates diripiendo, aut cives ipsos interficiendo pulsandóve aliorum quoque civitatum animos ita abalienat, ut & bellum perdifficile, & victoriæ spem desperandam præparent. Postquam enim perspexerint nullum veniæ relictum esse locum, apud eum, in cujus ditionem aliæ venerunt, omnia prius sustinebunt, facient, ac patientur, quàm in ejus potestatem redigantur; nihilque magis generosas mentes erigit, quàm malorum impendentium metus, & similis alienæ miseriæ perferendæ calamitas. Sempérque malorum post deditionem exspectatio, obstinatum ac pugnacem in periculis animum efficere solet. At cum desperatis periculosum & arduum certamen est. Cùm enim nulla illis rerum meliorum spes, etsi hostibus cesserint, affulgeat, multis antea cladibus inflictis, extrema tandem malunt subire pericula. Unde adversus hujusmodi Duces vesanos ac ferocientes, diuturnæ esse solent obsidiones; imò sæpe infectæ & inritæ, nec parum interea damnosæ ac fallaces. *cap. 37. Strategici.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dedere hosti se suosque est se suosque perdere.
Deditus absque conditione, tutus haud est amice.
Deditus divina perdit atque humana quælibet.
Deditos necare sævum est, utique factos supplices.
Impunè potius ladaris, quam dedaris aliter.
Nemo ferè absq; pacto se hosti dedidit.

¶ IAMBICA.

Captis gravius servitium lenius deditis.
Cum deditis hostis facit quidquid libet.
Fortuna pejor hostis est, quam dediti.
Hostilem ultrò inferatur deditis
Qui dedidit se sponte, vere dedidit.

Defensionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

BASILIUS SELEUC: Quid necesse fuit eorum ora verbis obstruere, cùm rebus ipsis id rursum erat? quod gravius est, & plus pudoris adferre potuit. *Oratione 41. a. m.*

D. Greg. Nyssenus: Si igitur neque ei dictum est, neque ab aliis audivit, neq; ex scriptis nostris, tanquam obsignatis tabellis potest convincere, tacere puto oportere eum qui defensionem instituerit. nam adversus crimen quod nulla probatione subsistit, præclara sane defensio est, omnino silere. *Oratione 4 contra Eunomium.*

Ennodius: Enervata defensio est, quæ nudi honoris uitur nihil valitura testimonio. *Dictione 14 pr.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Epictetus: Romanæ mulieres Platonis de Republica libros in manibus habent, quod communes oportere mulieres esse censet. Verba enim viri illius amplectuntur, non sensum. Is quippe non contrahere matrimonium, & unum unius uti consuetudine jubet, & postea communes vult esse mulieres: sed talibus nuptiis repudiatis, aliud conjugij genus instituit. Omnino enim homines delectis suis parare defensiones gaudent, cum philosophia neget vel digitum temere esse extendendum. *Apud Stobæum.*

Simplicius: Epictetus inquit, Si quis nunciarit quendam tibi maledicere; ne refuta quæ dicta sunt, sed responde; eum nescisse cetera tua vitia: nam alioqui non illa solum fuisse dicturum. Quod ipsum ad iracundiam reprimendam pertinere videtur. Nam hujusmodi nuntiis commovetur animus & ambitio, vanaque gloria coarguitur, quæ & ipsæ sunt iracundiæ commotiones. Cur vero defensionem vetat? Cur & aliorum criminum se reum fateri jubet? An non immoderata videri debet ista moderatio? aut potius, & hæc auctoris instituto est consentanea, quo a rebus externis abstrahitur animus, & ad semetipsum revocatur, ut sibi non aliis vivat? Qui verò se defendit, sua conscientia non contentus, & judicio scientis omnia Dei: hunc satis apparet hominibus placere velle. Quamobrem si illis falso etiam persuaserit, se non peccare: acquieverit, quasi nihil peccans, contentus iis hoc, quos sibi judices delegit, persuasisse. Sin cæteros aspernatus, incorruptus ipse sui judex exstiterit: peccatum ejus ipsius testimonio convincitur. Jam verò sese accusare, ut & aliis peccaris constrictum: id vero est ipsas gloriæ cupiditatis radices excidere. Vehemens enim is affectus est & ipsi inhærens animo atque assixus, & à se ipso evelli solitus. Putamus enim nos non appetere gloriam, cum eam hoc affectu appetamus: nec animadvertimus turpem esse morbum animi, ob res bonas velle florere gloria. Nec enim considerabamus eo affectu inquinari bonum, nec bonum manere posse, aut in primis expetendum, si non per sese id, sed ob consequentem gloriolam amplectamur. Nam bono etiam nostro finis gloriola proponitur, ad quam consequendam necessario fortassis adhibetur, si ita ceciderit, justitia. Hic tamen ad alios affectus reprimendos est utilis. Multos enim & vehementes affectus gloriæ cupiditate superamus, & ejus causa gravissimos labores capimus, acerbis suppliciis nihilo interdum leviores. Quare etiam extrema tunica reliquorum affectuum dicitur gloriæ cupiditas, propterea quod alios sæpe exsuens, ipsa magis animo adhæreat. Revera autem nec illis affectibus liberat gloriæ cupiditas: sed eorum actiones, quo minus in apertum erumpant, tantum coercet. Qui enim propter eam re ipsa non scortantur: à fœdis cogitationibus tamen nunquam sunt otiosi. Ita fit, ut neque cæteros affectus reprimat, & ipsa magis augeatur ob repressam aliorum affectuum actionem. Videtur igitur adolescenti quidem esse utilis institutio, ad ejus ætatis affectus coercendos. Sin progressu ætatis remanserit, magna est ejus pernities. Neque enim ad sese converti patitur animum externæ gloriolæ inhiantem neque bonum quicquam præcipue experti unquam: sed ob consequentem gloriam: hoc est, nunquam bonum ut bonum amplecti. Jam quid aliud risu dignum hisce moribus accidit? Nam cum omnino contemnamus & despuamus vulgus hominum, nec cujus esse pretij judicemus: tamen quasi magni viri sint, ab eorum opinione tanquam à filo pendemus. Cum autem hujusmodi sit gloriæ cupiditas, nihil eam æque exstirpare potest, ac animi moderatio, suorumque malorum confessio. Cavendum tamen ne id quoque vanitate quadam faciamus. Nam siquidem ex animo fiat, ne spes quidem ulla gloriæ relinquitur. Quod si necessitas nobis imponi posset, ne virtutes nostræ ulli mortalium innotescerent, vitia verò universis: excisa jam esset gloriæ cupiditas quam sperare desissemus, nec quicquam per ostentationem faceremus. *ad cap. 48.*

Maximus Tyrius : Indignum facinus si reliquas artes omnes à vulgi tribunali sua vindicet scientia : nec gubernator cum in suo versatur munere , navemque ex opinione dirigit propria , imperitorum cuiquam cogatur rationem reddere , nec æquo ferat animo medicus , si ea quæ præscribit quæque aut prodesse morbo aut ad victus conferre rationem existimat , scrutetur atque anxie exploret æger ; nec figuli denique vel coriarii , aut si quis etiam ignobiliore in arte versetur , alium judicem noverit quam ipsam artem : Socratem vero , qui ne ab ipso quidem Apolline ignorantiæ accusari potuit ; Deo qui & arenæ numerum perspectum habuit , & maris magnitudinem conjicere potuit , tamen hodie Calumniis peti , & quasi in judicium de integro vocari. Adeo quidem ut infestior ei indies sit posteritas : nec plus illi pareant hi sycophantæ , quam Anytus fecit aut Melitus , vel judices illius ævi Athenienses. Idem tamen si pictor esset aut statuarius , qualis vel Zeuxis vel Polycletus aut Phidias , ipsa opera cum admiratione quadam absolveret concepta de arte ejus opinio. Ea enim tantum abest ut accusent , ut ne examinare quidem ausint cum intuentur homines : sed ultro tanquam de opere quod communi probetur judicio , laudem illi deferunt. Si quis vero sit , qui non ut pictor aliquis , aut statuarius , arte manuaria excellat , verum enimvero suam sibi vitam ratione , labore , assuetudine , frugalitate , temperantia, continentiaque , reliquis denique omnibus virtutibus, ad exactissimam vivendi normam direxit , hunc nec gloriam consequi certam , nec indubitatum præconium , nec consensum inter se judicum , sed alium de eo aliter censere , mihi quidem indignissimum videtur. Tale est de quo hic acturi sumus. Hunc Socratem nostrum reum fecit Melitus , judici stitit Anytus , accusavit Lyco, damnarunt Athenienses , vinxerunt undecimviri , interfecit tortor. Ille tamen & Melitum qui intendit , & Anytum qui detulit litem , & Lyconem qui proposuit , audacter contempsit. Sed & decretum Athenienſium decreto suo & mulctam mulcta eluſit. Ille & undecimviris cum vinciretur , corpus (minus enim unius quam plurimorum potuit) præbuit : animam vero neutiquam. quæ sola omnibus erat Athenienſibus superior. Ille nec tortori indignari potuit , nec venenum difficulter admisit : cumque ab invito damnaretur populo , ipse non invitus decessit. Quod quidem ex eo patet , quod cum mulctare redimere item potuerit , aut clam effugere , mortem prætulit. Populo vero invito id factum esse , vel ex eo , quod factum damnarunt postea. Quo quid evenire judicibus potest stultius ? Vin igitur ulterius videamus , rectene id à Socrate factum sit , an secus ? Quid si igitur ad nos veniret aliquis qui narraret , Athenis fuisse hominem , ætate provectum , professione philosophum, fortuna pauperem , indole eximium, eloquentia magnum , mentis acumine majorem , vigilem , sobrium ; qui nec quicquam temere egisset , nec verbum ullum effutisset : eundem postquam diu inter homines vixisset , nec ullus esset in tota Græcia indolis homo eximiæ , quem non in admirationem rapuisset sui , sicut & è Diisipsum Apollinem , tamen cum invidia paulatim & indignatione , eoque quo pleraque mortalium gens laborat honestatis odio multi in eum insurgerent; ex theatro Aristophanes, è sophistis Anytus, è sycophantis Melitus, ex oratoribus Lyco, quorum hic in comœdia tangebat hominem , ille litem intendebat, tertius nomen deferebat , quartus accusabat , reliqui omnes judicabant : hic ita se gessit , ut primo in Aristophanem invehetur, mediaque in Athenienſium urbe ipsis Dionysiis , ebriis adhuc judicibus , comicis contra convicliis hominem prosciderat. Illinc in judicium se contulit ubi verbis cum adversariis velitatus est, prolixaque oratione causam suam ea egit arte , quæ non difficulter à calumniis judicum averteret animos. Nam & ad captandam curiæ benevolentiam exordia direxit , & ad fidem faciendam narrationes , signis vero argumentisque , & similibus rationibus , quod vellet demonstravit. Testes etiam opulentissimos , quorum res fidesque spectata esset judicibus in medium adduxit : tum supplicliis, precibus, obsecrationibusque orationem concluſit , neque non lachrymulam, sicubi esset opus effudit. Xanthippen postremo ejulantem adduxit , quæ infantes judicibus vagientes ostenderet. Quibus omnibus cum animos coronæ tractaret , miserti absolverunt hominem ac demiserunt. Præclarum hercules victorem ! Recta videlicet illhinc in Lyceum aut Academiam reliquosque philosophorum hortos læto hilarique se contulisset vultu : non secus quam qui ex hyberna tempestate redeunt superstites. Quomodo autem ferre hunc viri reditum , philosophia potuisset ? Non magis quam athletam sine sudore , sine pulvere , sine ictibus aut vulnere è stadio cum corona redeuntem , nec ullum pulchræ virtutis præ se vestigium ferentem , unguento tantum delibutum, palæstræ præfectus. Quare iis autem Athenienſibus causam probare suam conatus esset Socrates ? Tanquam judicibus ? at injusti erant. Tanquam prudentibus ? at dementes erant. Tanquam viris bonis ? at improbi erant. Tanquam benevolis ? at succensebant Socrati. Tanquam similibus ? at dissimillimi erant. Tanquam melioribus ? at deteriores erant. Tanquam deterioribus? at quando unquam deteriori causam suam probare conatus est melior ? Quid autem pro se attulisset ? Philosophum se negasset ? Mentitus esset. Philosophum se confessus esset ? Hoc ipsum erat cur succenserent. Sed ponamus nihil horum ab eo dicendum fuisse , sed diluendum solummodo crimen. Falsum esse nempe quod aut juventutem corrumperet, aut Deos novos induceret. At quis imperito artis ea persuadeat, quæ sine arte ea cognosci non possunt? Unde enim ea Athenienſibus peritia , ut quæ sit corruptela juventutis, quæ virtus, possint assequi ? Quis sit Deus , quo pacto colendus. Nec enim hæc curant mille illi judices quos faba creavit : nihil de his Solon scripsit, nihil de his venerandæ illæ Diaconis præcepere leges. Sed in jus vocare, deferre, accusare , rationem facti exposcere, juramentum calumniæ exigere aut præstare , aliaque ejusmodi, hæc sunt de quibus curia , quam ibi Heliæam dicunt, pronunciat. Non aliter quam in puerorum turba , qui de talis suis inter se velitantur : quos alij injuste auferunt, alij injuste amittunt. Veritas autem & virtus, vitæque probitas alios judices , alias leges , alios postulat patronos. Quorum judicio vicit Socrates, coronam accepit, laudem meruit. Quis vero non rideret & senem & philosophum, qui talis cum pueris luderet ? Aut quis unquam medicus febricitanti persuaſit , famem sitimque conducere ? Aut intemperanti malam esse voluptatem? Aut quæstui intento , non in bonis esse quod petit ? Id si posse fieri demus, etiam Socratem facile Athenienſibus persuadere potuisse , virtutis cultum corruptelam non esse juvenum , concedam : nec qui vere Deum noverit , circa Deos peccare. Nam aut hæc juxta sciverunt cum Socrate , aut Socrates scivit, illi ignorarunt. Quod si sciverunt , quid oratione opus fuit, cum scirent ? Sin ignorarunt , non defensione illis opus fuit, sed scientia. Alias enim defensiones , testes , probationes, argumenta , certæ conjecturæ , quæstiones , pluraque ejusmodi , ut de quo dubitatur in judicio appareat , confirmare solent. VIRTUS vero probitasque unum habet quo se tueatur ; SUI REVERENTIAM. Quæ cum eo tempore Athenis nulla esset , quid oratione opus fuit Socrati ? Vt se morti , si Dis placet , subduceret. Atqui si præcipue vitanda viro bono mors sit , aliud spectandum fuit Socrati. Non ut judicibus causam oratione probaret suam : verum ut nec Melitum offenderet , nec Anytum taxaret , nec Athenienſium vitiis bellum indiceret : nec ut tanquam communis vitiorum censor , durus & inexorabilis , qui nihil humile , nihil blandum , nihil servile aut demissum insusurraret cuiquam , totam circuiret urbem : hominumque cujuscunque generis fortunas, artes , instituta ac lubidines examinaret libere. Quod si miles sæpe aliquis mortem in bello contempsit. gubernator in mari ; nec quisquam qui in munere versatur aliquo plus optat quam ut in eo stans, ut ajunt, & cum laude moriatur : soline pulchrum erit philosopho , ordinem in terra , classem in mari deserere, vitæque conservandæ causa virtutem non aliter quam in bello clypeum abjicere ? Hoc factum ejus quis laudasset judex ? Quis autem ferre potuisset stantem in senatu Socratem , humilem , dejectum , vitæque suæ spes ab aliis emendicantem ? Neque enim alius defensionis fuisset habitus. Nisi quis putet humile nihil, nihil summissum aut abjectum ab eo dicendum fuisse : sed liberum, sed philosophia dignum. Hæc non defensio fuisset sed iræ irritatio, sed flabellum. Quomodo enim defensionem ejusmodi æquo animo tulisset improbus senatus , popularis , nimia corruptus licentia ? qui vix nomen libertatis norat amplius, & diuturnæ adulationi penitus insuerat ? Non magis quam ebrii homines virum ferrent in cõvivio sobrium pocula auferre sibi , tibicinam abducere , coronam eripere, ebrietatis denique causas præcidere. Tacuit igitur tum Socrates, ubi loqui honeste non poterat. Hac ratione virtutem servavit sibi integram, iram compressit : fœdamque illis labem inussit , quorum judicio damnatus prius quam auditus est. Quam autem necessaria apud judices hos fuerit defensio, vel hinc apparet. Annos septuaginta habebat Socrates , cum interea nec à philosophia nec à virtute feciſſet divortium: vitæ stadium sine offensione ulla sine vitio decurrerat: victus ejus purus, consuetudo proba: neminem compellabat cui non prodesset, nemini se jungebat quem non meliorẽ redderet. Hæc omnia nec à judicum sententia, nec à vinculis nec à morte eũ vindicarunt: aquæ vero hydria, breve orationis spatiũ datura, absolvisset Socratem? Sed nec poterat hoc Socrates, nec si potuisset, voluisset tamẽ. Id vero Jupiter, & quicquid usquam estis Deorũ, avertite. Hoc enim tale est, ut si quis in castris sycophanta Leonidẽ illũ Spartiatam adiisset, suasisset q; ut paulum recederet, neq; primũ Xerxis sustineret impetum. Ille nihil audivisset credo, sed ibidem cum virtute sua & armis terram mordere, quã superstes, regi barbaro monstrare tergũ, maluisset. Quid aliud futura erat Socratis defensio, quam tergum obvertere, animo deficere, quam timor speciosus ? Mansit igitur, impetum excepit, strenue rem gessit. Existimarunt interim damnatum à se Athenienses Socratem. sicut victum à se Xerxes Leonidem. Atqui Hercule, cecidit Leonides, victus autem est Xerxes. Mortuus est Socrates, damnati autẽ fuerunt Athenienses. Iudex eorũ Deus fuit & veritas. Accusatio vero quã Athenienſibus intendit Socrates, hæc est : Peccãt Athenienses, cũ quos putat Socrates Deos, ipsi negant , novosq; adeo inducunt. Socrates enim Iovẽ Olympium vocat, Athenienses Periclem. Socrates credit Apollini, Athenienses cõtra judicium ejus calculum ferunt. Peccat & populus cum juventutẽ corrũpit. Hic est, qui Alcibiadem pervertit, qui Hipponicum, qui Critiam, alioſq; infinitos. O accusationem veram! ô judicium æquum! ô sententiam acerbam ! Impietatẽ populi in Jovem Opt. Max. pestis, & illatum à Peloponnesiis bellum excepit. Corruptelam juventutis Decelia, & illa in Sicilia Hellespontoque calamitas. Ita judicat Deus, ita condemnat.

Dissertatione 39. An rectè fecerit Socrates, quod non responderet.

¶ ROMANO-

¶ Romanorum.

Quintilianus: Nescit tacere deprehensorum scelerum trepidatio; & statim respondet illa cum suo sibi scelere parata defensio. Tacere facilius est deceptis quàm deprehensis. *Declam.* 2. §. 12.

Plinius junior: Recepta cognitio est: egit uterque pro se; egit autem carptim & κατὰ κεφάλαια; quo genere veritas statim ostenditur. *Epist.* 22. *libri sexti.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 208.

Mulier es, audacter juras. A. *quæ non deliquit, decèt*
Audacem esse, confidenter pro se & protervè loqui.
AM. *Satis audacter!* A. *ut pudicam decet.*

¶ Emblematis.

Camerarius LXXII. Centur. 4. Emblem.

Virtute non vi.

Rana cum arundinis fusto, secura ab hydro.

Insensum justa est omnis defensio in hostem,
Sæpè tamen potius viribus ingenium est.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iephte: Ephraimitis adversus Jepthen tumultuantibus, quòd eis non vocatis bellum Ammoniticum confecisset, & excidium ei minitantibus, respondit Jepthe, In gravi controversia eram ego, & populus meus contra Ammonitas, quos tradidit Jehova in manum meam, & quare ascenditis hoc tempore ad pugnandum me? Illis autem in seditione perseverantib⁹. Jepthe bellum intulit, unde Ephraimitarum cruenta admodum strages edita. *Iudic. cap.* 12.

Iudæi: Quum audissent mille ex suis fratribus die Sabbathi ab Ethnicis fuisse trucidatos, dixerunt alii aliis: Si omnes sic fecerimus, ac non pugnabimus contra gentes istas pro vita nostra & statutis nostris, jam celerrimè nos profligabunt è terra. Idq; consilium inierunt die illo dicentes: Quisquis homo fuerit qui veniet contra nos in prælium die Sabbathi, pugnabimus contra eum, ne moriamur omnes quemadmodum mortui sunt fratres nostri in suis latebris. 1. *Maccab.* 2. 40 41.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad sui defensionem promptius est quivis malus.
Alterum nequit tueri, se tueri qui nequit.
Confidenter, quæ non deliquit, decet pro se loqui.
Defensor propriæ salutis peccare in nullo potest.
Iudice haud docet, ast reprehendit vincti hominis defensio.
Iudicem haud docet, sed taxat, vincti hominis defensio.
Magè inimicis adversamur, quam nostros defendimus.
Nemo peccat, in parato quin sit ei defensio.
Non habet causam loquendi, cui nihil credi potest.
Non nisi imbecillioris præstatur defensio.
Non superflua, etiam invisa est vincti hominis defensio.
Pertinaciter tueri culpam, culpa est altera.
Publicè interest habere defensores plurimos.
Quod nefas patratur hora, mille vix defenderis.
Sæpè pro defensione est criminum confessio.
Sera post damnationem judicis, defensio est.
Tam volup miseris defendi, quam innocentibus mori est.

¶ Jambica.

Citius scelus patrare quàm defendere est.
Culpam minuit pudor, cumulat defensio.
Culpam suam tueri, culpa est altera.
Damnatus es: superflua est defensio.
Defendere improbum haud potest nisi improbus.
Defendit omne quod cogit necessitas.
Defensio audit melius quam oppugnatio.
Facile innocenti suppetit defensio.
In crimine est id omne quod defenditur.
Non se suosque mulier quit defendere.
Pacem magis volemus, quàm defendimus.
Pro dignitate fas & jus de se loqui.
Quia nostra amamus vitia, etiam defendimus.
Vox constituto sera decretâ venit.

Deformitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus: Pulcher est philosophus? Id aget, ut animæ pulchritudo corporis pulchritudini ex adverso refulgeat. Inoffensus flos præteriit? In seipsum vergit, ac ne spectari quidem se novit. Deformis est quantum ad id quod in aspectum cadit? At ea parte formosus & elegans, quæ oculorum aciem fugit; rosæ non absimilis, quæ in bacca nec florida, nec odore grata, florida tamen ipsa est, suavissimumque odorem efflat. Speciosus forma præ filiis hominum, ne spatium quidem id, quod externum est, aspiciendi concedit, animirum spectatorem ad internum hominem convertens. Proba valetudine est? *Oratione* 28.

D. Chrysostomus: Ne averseris uxorem propter deformitatem. Audi scripturam dicentem: Parva in volucribus apis, & initium dulcedinum est fructus ejus. Dei est figmentum. Non illam contumelia afficis, sed eum qui ipsam fecit. Quid agat mulier, & tu illam laudabis propter formæ elegantiam. Impudicarum est & laus, & illud odium, & ipsa dilectio. Quære animæ pulchritudinem, & imitare sponsum ecclesiæ. Externa pulchritudo plena est multæ arrogantiæ & insolentiæ, & injicit in zelotypiam, & sæpè te facit suspicari rem absurdam & turpem. At habet voluptatem usque ad primum & secundum mensem, aut plurimum usque annum. Deinde non amplius, sed à consuetudine marcescit miraculum. Quæ verò propter pulchritudinem mala advenerunt, remanent; fastus, arrogantia, & contemptus. In ea autem quæ non est ejusmodi, nihil tale. Sed meritò amor incipiens valdè permanet: quoniam est pulchritudinis animæ, non corporis. Dic mihi quid est cœlo melius & præstantius? Quid melius & præstantius astris? Quodcumque dixeris corpus, non est adeò album. Quoscunque dixeris oculos, non sunt ita læti & hilares. His autem creatis etiam Angeli sunt admirati: & nos quoque nunc miramur. Sed non sicut ab initio. Talis enim res est consuetudo. Non similiter stupefacit: multò magis in muliere. Sin autem morbus supervenerit, tota statim evalat. Quæram⁹ à muliere benevolentiam, modestiam, moderationem, lenitatem & benignitatem. Hæc sunt signa & notæ, quibus cognoscitur pulchritudo. Non quæramus autem corporis elegantiam ac venustatem, nec eam vituperemus propter ea quæ non habet in potestate; imò verò nec omninò vituperemus. Audacium enim id est & temerariorum. Neque fastidiamus, neque ægrè feramus. An non videtis, quàm multi, qui cum formosis mulieribus habitarent, miserabiliter è vivis excesserunt? Quàm multi autem cum non formosis cum multa voluptate ad extremam usque senectutem pervenerunt. *Homilia* 20. *ad Ephesios.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Arrianus: Sunt & qui dicunt nullum esse discrimen pulchritudinis & turpitudinis. Itáne aspectus Thersitis æquè atque Achillis, & alterius mulieris non minus quàm Helenæ movet? Et hæc stulta & rustica sunt, & eorum hominum, qui quæ cujusque rei natura sit ignorant; ac timent, ne si quis discrimen intellexerit, statim victus assentiatur, &c. *cap.* 23. *lib.* 2. *Epict.*

Libanius: Jam verò talis fuit Philippus corpore, ut quis eo viso augurari potuisset de vitiis animi: siquidem claudicabat oculo effosso, multis artubus mutilatus. *Vituperio Philippi.*

¶ Poetarum.

Ovidius lib. 4. de Ponto Eleg. 13.

Et mea Musa potest proprio deprensa colore,
Insignis vitiis forsitan esse suis.
Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quàm pulchra Nireus conspiciendus erat.

¶ Fabularum.

De Arboribus pulchris, & deformi. Fab. 12.

Arbores complures in eodem creverant loco proceræ, rectæ, enodesque, præter unam humilem, parvam, nodosamque, quam ut deformem, pusillamque cæteræ ludibrio habere solitæ erant. Ædificaturus domum loci dominus, jubet omnes excidi, præter eam, quæ brevitate & deformitate sua ædificium indecorum redditura videbatur. Cæteris excisis, deformis hæc secum dicebat: De te non amplius querar natura, quòd me turpem genueris, cùm formosis tam magna videam imminere discrimina.

Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos esse deformes, cùm multis formositas sæpè nocuerit. *Abstemius.*

¶ Monosticha Trohhaica.

Corporis deformis anima sæpius pulcherrima est.
Corporis deformitatem quam animi ipsius malevelis.
Corporis min⁹ offensaculo est, quam ipsa animi deformitas.
Feminam turpem aut decoram non facies sed mens facit.
Fœda admota pulchris pulchra reddunt vel pulcherrima.
Multa sunt privatis, plura at Principi deformia.
Nulla tam est deformis dignam quin amore se putet.
Omne amabile est quod pulchrum est: turpe nō amabile est.
Peccat in naturam & artem picta turpis pulchrior.
Pulchra tam nulla est, adhuc quin sit deformis simia.
Pulchrior, simplex malum; uxor turpior, malum est duplex.
Sæpè forma sub verenda mens subest deformior.
Si qua conjunx mente pulchra est, turpis esse non potest.
Turpes sunt nolente Phœbo seminati liberi.
Turpis es? deformitatem doctrina auro contegas.
Turpis es? virtutis ostro turpitudinem tegas.
Vtitur parcè auro pulchra; turpibus nunquam est satis.

JAMBICA.

Deforme corpus fit pulchrum facundiâ.
Deformis esse malim, quam pulcher malus.
Deformis esse nemo vult prolis parens.
Deformis uxor fit duplex vir o malum.
Deformis uxor nulla conjugi est suo.
Et turpi facie multos cognovi optimos.
Faciem invenustam moribus vincas bonis.
Haud deest animus, corruptor deest, deformibus.
Minimè officit animo corporis deformitas.

Petantur huc alia è titulo *Aequitatis, Convenientiæ, Honestatis, Officii, Personæ, Pulchritudinis, Formæ.*

Degenerationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

DNAZIANZENUS: Nec mirum vobis aut incredibile videri debet, si Cæsarius tales parentes nactus, talibus se laudibus dignum præbuit; sed illud potiùs, si neglectis domesticis & propinquis exemplis, alios sibi spectandos proposuisset. *Oratione decima in laudem fratris.*

Ennodius: Vix paucos contigit degenerare nobiliter; cùm familiæ tuæ debeas actus generis nobiliter custodire. *Panegyr. Theod. cap. 5. f.*

¶ PHILOSOPHORUM.

Phalaris Lysicli: Non equidem miror, quomodò accidit Lysicles, ut neque patris, neque filii tui quicquam simile habeas. Nec enim aut Lysicratis es filius, aut Neoptolemi parens. Hæc autē ajunt & matrem & uxorem tuam apud multos Siculos assirere & confirmare, obq; eam causam magnam laudem adipisci. Nam & hoc unū numeratur in iis, quæ sunt admiratione digna, tùm apud omnes, tùm vel maximè apud gnaros & scientes veritatem ingenuè fateri. *Epistola* 123.

Libanius: Hoc ipsum in Achille deterrimum est, quod proposita paterna virtute, ad vitia hic delatus fuit, neque imitari voluit honestatis quæ habebat exempla. Nam majoribus humilibus procreato venia danda, si minus fortè laudi studuerit. Is verò qui à majoribus suis degeneraverit, defendi non potest: sed eo majore dignus odio est, quo illorum moribus dissimilior fuerit. *Vituperatione Achillis.*

¶ EMBLEMATUM.

In degeneres. Emblemate XX.

Aspice latrinas, nitido quas lumine Titan
Lustrat, & in tenebris non latuisse sinit:
Talis est; quisquis, nullâ laudabilis arte,
Patriciâ tantum nobilitate tumet.
Florent. Schonhovius.

Initium melius fine. Emblem. LIV.

Distento petulans lac quod dedit ubere Capra,
Calcibus invertens mulctra refundit humi:
Sunt similes Capræ, qui turpi crimine vitæ
Postmodò denigrant quæ benè cœpta prius.
Florent. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dedecoras avos, eorum si virtutes negligis.
Degenerem equum, nec calcare excitat verbera.
Degener profectò non est qui sibi fecit genus.
Degener vix invenitur bestiarum in ordine.
Ne pecus quidem æmulatur, patre qui pejor suo est.
Pejor es animante bruto degener parentium.
Qui patrem æquat imò vincit, degener dici nequit.

¶ JAMBICA.

Ales Iovis nunquam columbas protulit.
Animæ sepulchrum degeneris corpus puta.
Laudent parentes filii illaudabiles.
Non surgit è leone cervus degener.
Patri rebellis invenitur degener.

Videantur plura titulo *Liberorum, Parentum, Nobilitatis.*

Delatoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

SYNESIUS: Laceratur à delatoribus Maximini filius. Per unum itaque hominem, unamque rem quæso te da operam ut nequissimis iisce belluis liberemur. Hoc enim ipsum, quod iis, qui periculum primi fecerint prosperè successerit, plerosque ut similes esse velint, hortabitur. *Epist.* 118.

Egesippus: At filii compositi, sese insimulationibus peti pluribus deplorantes, orare simul & polliceri operibus ipsis, in reliquum propriæ fidem defensioni daturos: tantummodò factum pater expectaret, ne temerè auditis crederet: non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus suppeditaret. *cap. 40. lib. 1. de excid. Hieros.*

Ennodius: Scit Imperatoris nostri cœlo infusa dispensatio obviam manum famosis in fallendum ingeniis exhibere. Labore apud eum non opus est, quem fortita est olim nuda veritas defensorem. Cessent impii commentitia apud illum simplicitate fraudem mentiri. Quidquid se adversus justitiam moverit, mox tenetur. Nihil apud prædictum turius innocentia est. Legatione valida utitur qui æquitati res congruentes insinuat. Quæ gravis est plerunq; Principibus impugnatio, minus fidelium blanditiis non legatur. *Apolog. pro Synodo.*

¶ ORATORUM HISTORICORUMQUE.

Aristides Sophista: Humanitas quæ possit esse major aut clarior hac, qua cives omnes metu contractos & subjugatos, quod delatores quidem Urbes omnes circumirent, subauscultantes quid quisque loqueretur, ita ut nihil jam liberè nec sentire nec dicere quisquam posset, sublata justa loquendi libertate, singulisque umbram suam timentibus, ab hoc timore liberavit, libertate perfecta omnibus in solidum restituta. *Laudatione M. Aurelii Antonini Philosophi.*

Suetonius: Domitianus Imp. fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit; ferebaturque vox ejus: Princeps qui delatores non castigat irritat. *capitis ejusdem vitæ noni fine.*

Plinius junior: Bene fecit Regulus, quod est mortuus: melius si antea. Nunc enim sanè poterat sine malo publico vivere, sub eo Principe, sub quo nocere non poterat. *Epist. 2. lib. 6.*

Plinius: Vidimus delatorum agmen inductum theatro, quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia. Advertisti oculos, atque ut ante castris, ita postea pacem foro reddidisti. Excidisti intestinum malum, & provida severitate cavisti, ne fundata legibus civitas, eversa legibus videretur. Quos quidem non in præsens tantum, sed in æternum repressisti, mille pœnarum indagine inclusos. *cap. 34. Panegyrici ad Trajanum.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Pluto v. 901.

Proh Deum & hominum fidem! dolore differor:
Quòd vir bonus, & patriæ amans, hæc mala sustinuerim.
IV. *Tu vir bonus & patriæ amans?* SY. *ut nullus alius.*
IV. *Quæso hoc respondè mihi, quod te rogo.* SY. *quid rogas?*
IV. *Esne agricola?* SY. *an ita insanire me putas?*
IV. *Sed mercator?* SY. *eum assimulo si res postulat.*
IV. *Quid ergo? num artem aliquam tenes?* SY. *non per Iovem.*
IV. *Vnde autem & quomodo victitas, qui nihil agis?*
SY. *Reipubl. capesso negotia, & omnium*
Rerum privatarum satago. IV. *tu! qua arte?* SY. *Sic*
Lubet. IV *at si nihil ad te attinent, & tu interim*
Odiosus fias omnibus, trifurcifer,
Qua fronte te virum bonum esse prædicas?
SY. *An non decet me benè mereri de mea*
Republica, tu fatue, promeis viribus?
IV. *Quasi verò aliena curare, neglectis suis,*
Bene sit mereri de sua Republica.
SY. *Imò est, latis opem præstare legibus:*
Et si quis peccet, non impunè perpeti.
IV. *At ipsa civitas idoneos sibi*
Constituit judices. SY. *esto: quis autem reos*
Deferet? IV. *is cui lubet.* SY. *at qui is delator sum ego,*
Ac proin omnia Reipublicæ negotia
In me incidunt. IV *tum, per Iovem, sibi noxium,*
Et perquam sceleratum hæc urbs nacta est præsidem.
Sed tu non malis, sine turbis, in otio
Tranquillè vivere? SY. *ocyula hæc vita est, ita*
Vivere, ut absque exercitio ætatem transigas.
IV. *Non tu mutabis hunc animum?* SY. *non si dares*
Mihi Plutum ipsum, adeoque Batti sirpium.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Blandimenta delatorum ceu pestes animæ fuge.
Credulo nimis delator nullus unquam defuit.
Hei quàm formidandus est sub rege delator malus.
Heu quàm multos falsa morti tradidit delatio!
Nemini fidem delatorum abrogat Princeps malus.
Nil Deo execrabile æquè ac lingua qua quem clam ferit.
Nullum ita est promptum atque acutum, Lingua ut ipsa spiculum.
Plus nocent ferro ac veneno, tela linguæ fellea.
Promptius ferro ac veneno lingua hominem necat mala.

Regi

Regi sub malo delator, multis est protestibus.
Regium non est habere aures delatoribus.
Sicâ acutâ longè lingua viris improbi est acutior.

¶ JAMBICA.

Aures qui habet delatori, aures non habet.
Delator audita, aucta in pejus disserit.
Delator omni jure pestilentior.
Delator unus felix, plures suscitat.
Et vera falsis admiscet delator.
Lingua plaga una nusquam est sanabilis.
Lingua venenum, heu, omnium atrocissimum est.
Illusne servo credet, qui defert herum?

Delectationis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

CLEMENS ALEXANDRINUS: Et cùm similiter dixisset Archilochus,

Ἀλλ' ἄλλως ἄλλα καρδίη ἰαίνεται,
Cor alius alio semper oblectat suum.

Convenienter illi Homerico:

Ἄλλῳ γὰρ ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις,
De factis aliis alius nam gaudia sumit;

dicit Euripides in Oeneo:

Ἀλλ' ἄλλῳ ἄλλοις μᾶλλον ἥδεται τρόποις.
Namque alius aliis plus tenetur moribus.

Stromatum lib. 6.

Simplicius: Delectantur alii aliis, nonnulli tragœdiis & comœdiis: nonnulli pugilum certaminibus, aut ludis Circensibus, rebúsve similibus: alii saltatoribus, præstigiatoribus, mimis, ridiculis: alii spectaculis jucundis: hisque vel naturalibus, ut qui pavonum & avicularum elegantiam, pratarúmve viriditatem, aut nemorum amœnitatem admirantur: vel artificiosis, ut qui picturis, statuis, ædificiis, aut aliarum artium pulchritudine obstupescunt. Sunt & qui aurium dediti volptatibus, pulchris vocibus & Musicorum instrumentorum sonis capiantur: & verò majorem ii voluptatem capiunt, qui historiis & fabulosis narrationibus (id quod à puero nobis insitum est) deliniri solent. *ad cap.* 7. *Epicteti.*

¶ ROMANORUM.

Calpurnius Flaccus: Non delectat qui tenetur invitus. *Controversia duodecima.*

Deliberationis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

S. ISIDORUS PELUSIOTA: Oportet eum qui purâ animi defæcataque tranquillitate frui velit, primùm habitâ deliberatione, sic deinde proficisci ad dicendum & agendũ. Nam quia sic est comparatum, ut dicta factáve non facilè revocari queant: obtemperandum est proverbiorum scriptori, dicenti: Cum consilio omnia age: si quis nolit pœnitentiâ semetipsum noctu atque interdiu velut flagello cædere, & hanc admonitionem oportet ipsis rerum argumentis exprimere. *lib.* 4 *Epist.* 39.

Synesius: Sed pluribus unum obsistere pervicacis animi est, senioribus præsertim juniorem, iisque qui ætatem suam in sacerdotio contriverant, eum qui nondum ante hunc annum eam rem attigisset: cessi itaque deprecantibus. *Epist.* 72.

Lysias: Oportet igitur, Judices, rerum præteritarum eventus & exempla intuendo, de futuris deliberare &c. *cap.* 9. *Orationis* 24. *de populari statu.*

Lysias: Considerare etiam oportet, Judices, quæ ipsorum Triginta tyrannorum temporibus acciderunt, ut ex inimicorum delictis vestra emendetis consilia. *cap.* 8 *Orationis* 24. *de statu pop.*

Simplicius: Etsi quidam de rerum natura oracula consuluerunt: tamen hi & rari fuêre, nec ex principibus philosophorum, sed ii qui certo credere ac persuasum aliquid habere, quàm scientia rem comprehendere maluerunt: cùm probabile sit, velle Deum ut anima per se mobilis, per se etiam verum cernat. Atque adeò Epictetus quoque & Socrates illa sciscitari videntur, quæ anima per se cognoscere potest. Eum certè non probant, qui roget, an periculi societas pro patria aut amico sit coëunda. Recta enim ratio præscribit, discrimen illud non esse recusandum. Quamvis igitur difficilia quædam prædicta fuerint: nihilominus defendendi sunt. Quorsum igitur attinet de iis interrogare, de quibus constat quid sit agendum? Illud etiam patet, Apollinem iis qui rogarunt, an supplex dedendus esset, graviter succensuisse. Quæ enim recta ratio fieri jubet: ea facienda sunt absque interrogatione, licet cum molestiis atque periculis corporum & fortunarum conjuncta, cùm & hæc ad nos referantur: idem etiam Apollinis auctoritate confirmat, qui eum qui amico cùm interficeretur opem non tulisset, fano ejecerit. Nam duo Delphos perituri, in latrones inciderunt, à quibus cùm alter interficeretur, alter aut fuga elapsus, aut alioqui non opitulatus, ad oraculum venit, eoque ejecit Apollo, his verbis!

Cede meis adytis cædis reus, intereuntem
Qui socium non juveris, et si proximus esses.

Quanquam autem constat eum, quamvis voluisset, utique amicum periculo mortis non erepturum fuisse: tamen periculi societas non fuit deserenda, sed ferendum auxilium, licet unà pereundum fuisset. Ob eam igitur voluntatem Deus eum pollutum judicavit, ut qui ex nimio corporis amore amicum deseruisset, sicut in alio voluntatem probavit, quamvis adverso eventu. Cùm enim iterùm duo quidam in latrones incidissent, alter conjecto in latrones jaculo, eo frustratus amicum percussit & interemit. Profectus igitur ad oraculum, ædem, ut cæde amici pollutus, ingredi non fuit ausus. Deus autem hos versus edidit:

Te cruor haud maculat: nunc purior atque fuisti.
Est occisus enim tibi, dum defendis, amicus.

Si igitur cæde amici non modò non pollutus est, sed purior etiam factus quàm fuerat, ob bonam voluntatem: rectè facta non in casu atque eventu, sed in consilio & voluntate posita esse constat. *ad cap.* 39. *Epicteti.*

Aristides Rhetor: Nonne igitur vobis pejus quàm nobis consulitis, si quæ nos bello victos, quod absit, manent, ea vos in eligendis belli sociis consequimini, ac prius quàm de victoribus constabit, servietis? Nam nos quidem duas res lucramur, tempus quo decertamus; deinde quod non videmur ultrò nobis ipsi pessima quæque conscivisse. Fortunæ enim eventa facilè tolerant sapientes: qui verò sibi ipsis ultrò pessima quæque conciliant, eo nihil queat magis esse pudendum: siquidem justè id fiat, an injustè, nihil refert. *Oratione de societate altera.*

Idem: Debent ut qui orant, maxima quæque à Deo & jucundissima petere; ita qui deliberationem instituunt tutissima quæque eligere; nisi post, vel hi sese, vel illi Deum velint accusare. *Oratione Siculâ posteriore.*

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Tum in deliberando persona censentium pondus sententiis facit. Quando resistitur potiori, quando ceditur pari? *lib.* 2. *Epist.* 7. *m.*

Symmachus: Hæc consilii mei forma est. Facies ipse quod prudentia majore delegeris. Plura enim videt, qui coram de rerum conditionibus judicat. Ego quod loquor votum est: tu de appositis sume judicium. *lib.* 2. *Epist.* 19.

Idem: Magnarum deliberationum non debet citum esse judicium; nec temerè proferenda sunt, quæ servanda in perpetuum sanciuntur. *Epist.* 25. *Auctuarii.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Descivisse jam putatur planè qui deliberat.
Nulla de his fieri quæ nequeunt, est deliberatio.
Optimum est deliberare de gravi re inter dapes.
Qui nimis nimisque pensat omnia, haud quidquã expedit.
Sapè rectiora quam nos ipsa fors deliberat.
Summa sunt deliberanda pensiori examine.

¶ JAMBICA.

A rege descivere qui deliberant.
Decreta mentis quisque tutatur suæ.
Deliberare re præsenti, est optimum.
Deliberatio nulla rerum turpium est.
Ne quid patres stulti, ante opus delibera.
Ne stulte agas quid, ante opus delibera.
Vltro mones: suades deliberantibus.

Videantur plura titulo *Consilii, Consultationis.*

Deliciarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. NAZIANZENUS: Qui deliciis indulgetis, aliquid genio & ventri subtrahite, ac spiritui date. In propinquo est pauper; orbo succurre; in hunc aliquid eorum quæ tibi redundant, eructa & evome. Cur uterque vestrum premitur, tu eruditate, ille fame? tu crapula, ille aqua intercute? tu saturitatem saturitate gravans, ille morbo vacillans? Ne Lazarum tuum heic asperneris, ut ne te ipse in futuro ævo diviti illi similem reddat. *Orat.* 27.

D. Greg. Nyssenus: Ne te deliciæ sic obruant, ut nimia lætitia gestias, & insanis voluptatibus debaccheris. Ne sis animalium planè omnium pernicies, ingentium, mediocrium, minutorum, gradientium, volantium, natantium, sive inventu facilia, sive difficilia sunt, seu magno, seu vili pretio veneant. Multorum venantium sudore ventrem unum ne repleas: ne sint fauces tuæ veluti vorago aut gurges, aut vastissimus ac profundissimus puteus, ad quem obruendum

multorum

multorum laborent manus. Propter hominum luxuriem ac delicias, non modò maris profundum turbatur, non aquis solùm innatantes capiuntur pisces; sed marina animalia coguntur solum verrere, & in aquis fluminum degere. Inde in terram & cœlum hoc extrahuntur. Sic ostrearum genera non latuerunt. Sic captus echinus; sic serpentes in ritæ sunt sepiæ. Sic polypus saxis quibus inhærebat avulsus. Sic ex locis altissimis extracta conchylia. Nullum denique est animalium genus, quod vel summas vel infimas partes maris incolat, quod non humana fraus deceptum, ad hanc cœli lucem aspiciendum eduxerit: adeo hominum voluptates undique captantium ingenia ad varias insidias & dolos reperiendos elaborarunt. Sed qualia nam delicias ejusmodi consequuntur? Necesse est ut luxuria, ubi semel radices egerit & coaluerit, reliquam secum nequitiæ materiã trahat. Quamobrem qui molliter ac delicatè vivere instituere, necessariò ad excogitãdos magnificos ædificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis & exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad hæc cœtus hominum libenter convocant, & invitant, splendidam & variam suppellectilem studiosè comparant. Mensas pretiosissimas ex ære conflandas curant, alias levitate politissimè exæquatas, alias vario artificio sculptas & fabrefactas, ut liceat convivis simul, & gulam epulis delinire & oculos intuendis ac legendis historiis oblectare. Heic mihi deinde tute reliqua considera, crateras, tripodas, cados, gutturnia, lances, innumerabilia poculorum genera: scurras, mimos, cytharistas, poetas, oratores, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totũ deniq; petulantiæ ludũ; pueros comis effœminatos, puellas invereciundas, quas propter modestiã meritò sorores Herodiadis appelles, Joannem, id est, divinum in unoquoque sapientiæque studiosum è medio tollentes. Atque dum hæc intus geruntur, assident ad vestibuli fores innumerabiles Lazari, partim gravibus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pedibus mutili. Conclamant autem nec tamen exaudiuntur. Impedit enim tibiarum strepitus, & carmina cantorum, & solutè ridentium cacchinnatio. Quod si pauperes paulò vehementius fores pulsaverint, immitis alicunde prosiliens domini janitor, eos baculo propellit, & canes appellans, verberibus plagas infligit. *Orat. de pauperibus amandis.*

Chrysostomus: At delicias amas. Propterea ergo cessã inebriari. Nam ego te volo expleri deliciis; sed quæ verè sunt deliciæ, quæ nunquam marcescunt. Quænam sunt ergò verè deliciæ, & perpetuò florentes? Invita Christum ad prandium: eum tuis imperti, vel potiùs suis. Hoc infinitam habet voluptatem, & perpetuò vigentem. Sed quæ sunt sensilia, minimè sunt ejusmodi: imò simul & apparent, & evanescunt. Et qui se deliciis explevit, nihilo melius afficietur quã qui non explevit; imò verò pejus. Nam ille quidem tanquam in portu sedet: hic autem suscepit veluti quendam torrentem & obsidionẽ morborum, & nec hanc quidem ferre potest tempestatem. Ne ergo hæc fiant, persequamur symmetriam & moderationem. Sic enim & corpore benè erimus affecti, & animam in tuto collocabimus, & à præsentibus & futuris malis liberabimur. *fine Homilia* 27. *ad Corinthios* 1.

Idem: Delicias undénam appetimus? Non ex eo quòd corpus habeamus. Minimè: sed ex eo quod malam electionem. Corpus enim egetalimento, non deliciis. Corpus opus habet ut alatur, non ut infringatur & diffluat. Neque enim animæ tantùm, sed etiam ipsi corpori quod alitur, hostes sunt deliciæ. Nam pro robusto fit imbecillius, & pro firmo mollius, & pro salubri valetudinarium, & pro levi gravius, & pro denso rarius, & turpe pro formoso, & pro benè olente pejùs olens ac fœtidum, & pro mundo immundum, & dolore agitatum pro remisso, & inutile pro utili, & vetus pro novo, & putridum pro forti, tardumque & hebes pro celeri, & claudum pro recto & integro. *Homilia* 39. *ad Corinthios* 1.

D. Chrysostomus: Deliciæ ipsæ nec eandem quidem habent voluptatem in senectute: idque nobis est perspicuum ex Berzellai. *Homilia* 13. *ad Ephesios.*

Idem: Nónne deliciæ prohibitæ sunt? & nimis quidem. Cur id, si ad sumendum condita sunt? Quia & panem creavit Deus, & tamen usus prohibetur immodicus: & vinum creavit itidem, atque eo immoderatè uti prohibuit. Non itaque delicias tanquam immundum aliquid cavere jubet: sed ut quæ, si deseratur modus, vigorem animi solvant. *Homilia* 12. *ad Timoth.* 1.

D. Chrysostomus: Mortuus est quisque vivens, quum in deliciis degit. Quonam modo? Ventri solummodo vivit, sensibus cæteris mortuus: neque.n. aspicit quæ aspicienda sunt, neq; audit quæ necessariò audire convenit, neq; ea loquitur, quæ decet loqui, nihilq; in se vivere præter solam ventris ingluviem indicat: cæterùm quemadmodum mortuus quispiam in lectulo jacens, compositis palpebris, clausisq; luminibus, nullum omninò sensum habet: Ita & hic: imò longè hic deterius quàm ille affectus est. Ille.n. bona æquè ac mala eadem ratione non sentit: hic aũt malorum tantùm non amittit sensum, sed nihil boni penitùs sentit. Nihil illum ex his quæ in futura vita servantur, movet, sed ad omnia præstat immobilis, atq; ita mortuus est, quemadmodũ in cuniculum quendam obscurũ, & tenebrosum antrũ præcipitatus, atq; immunditia omni plenus, intimis & opacis vitiorũ finibus conditus, semper in tenebris instar mortuorum degit. Nam quum per omne tempus, partim prandiis occupatus, ac cœnis, partim ebrius durat, nonne in tenebris est? nonne mortuꝰ est? Ne tum quidem quum vigilare videtur, mihi dormitare cõvincitur, quum nec dum præteritæ noctis digesserit vinũ, & futuræ potationis immodica cupiditate teneatur. Videasq; illum serò, manè, meridie, semper cœnas comessationesq; versare, noctesque totas, & auroræ plurimã partẽ profundo sopore detineri. Húnecine igitur inter vivos statuere, ac numerare quispiã audeat? Jam verò quis possit dignè tempestatẽ illam ingentẽ eloqui, quæ ex hujusmodi pernicioso deliciarũ usu in animã simul & corpus irrumpit? Quemadmodum.n. vasta ac perpetua nubium densitas radios Solis nunquã sinit vim sui fulgoris ostendere: ita & vini ac deliciarũ evaporationes cerebrum non secus, quàm scopulum nactæ, illumq; crassa nube tegentes, non permittunt liberè usquã se intẽdere: verùm in tenebris perpetuis detinent eum, qui sic miserabiliter jacet affectus. Neq; explicari potest omninò, quanta intus tempestate jactetur. Quemadmodum.n. sæpè, quum inundatio vehementior facta fuerit, aquarúmq; vis officinarum aditũ occupaverit, turbari eos qui intus sunt cernimus, & discos atq; amphoras, & spongias, & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata deferre, uti ne violatis fundamentis atq; cõmotis, omnis posthac suppellex inutilis fiat: ita & anima quoties nimis deliciis oppressa fuerit, perturbatur omnis intrinsecus ratio. Cæterùm quod jam coactum est, quũ exhaurire difficillimũ sit, quod rursum aliud è vestigio ingrediatur, incredibile est quanta perturbatio, quantúsq; fluctus immineat. Neq; enim velim lætam, subridentemq; faciẽ cernas, verùm ad interiora transgredere, eaque diligenti examinatione perpende. Aspicies ea ingenti mœstitia plena. Ac si quidem liceret animam exutã corpore subjicere oculis intuendam, videres profectò hujusmodi deliciosorum animas dejectas, mœstas, tristes, fœdas, macieq; confectas. Quanto.n. corpus pinguedine, crassitudineq; distenditur, tanto illa extenuatur magis, atq; imbecillior fit, tãto item magis obruitur, atq; sepelitur. Ac sicuti in oculorũ pupilla, siquidẽ exteriùs impositas tunicolas crassiores effeceris, cernendi vim emittere ex se nequit, & clariùs intueri, quum radius ille oculorũ ex ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sint omnia: ita & corpus quũ fuerit obesum, animã quoq; obtusiorẽ evadere necesse est. At mortui, inquies, in putredinem tabemq; vertuntur, ingensq; ab eis sanies defluit. Id profectò & in ea quæ deliciis solvitur, fieri videas, quippe rheuma, pituita, purgamenta narium, ructus ac vomitus ex ea profluunt: cætera.n. omitto, quæ dictu turpia sunt. Tantum.n. habent deliciæ virũ, ut quæ ne eloqui quidem ipsi possumꝰ, ea deliciæ sibi proferre suadeant. Quonam modo? Defluit undiq; corpus, & imbecillius fit. At comedit, ac bibit. Non est id humanæ vitæ argumentum, quippe & muta animalia hoc ipso fungũtur munere. Quum igitur mortua jaceat anima, quid ex eo cibo emolumenti, potuque percipitur? Neq; enim si jaceat cadaver exanime pulchra veste contectum ex eo flore vestis proficiet quippiam: ita neq; anima mortua venustiori amicta corpore aliquid ex eo decorè lucrabitur. Nam quum omnis illi cura, omnisq; sermo, de Cocis, & instructoribus mensæ, atq; pistoribus sit, nihilque pium sentiat aut loquatur, nonne mortua est? *Homil.* 13. *ad Timoth.* 1.

S. Isidorus Pelusiota: Obsonia contemne, ut quæ paulò pòst minimè futura sint, nec diuturniorem ipso esu magnificentiam habeant. Siquidem superfluæ cibi sumptiones nunc quidem morbos pariunt: in futuro autem ævo pœnas accersunt. *lib.* 1. *Epist.* 362.

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Omnis fructus divitiarum in usu est positus deliciarum: alioqui remoto usu deliciarum, causæ opum non relinquuntur. *libr.* 3. *contra avaritiam.*

¶ Oratorum Græcorum.

Dio Prusæus: Potesne mihi solvere hoc dubium, utrum jure accusent hi quidem Archilochum, illi verò Sophoclem, de his quæ circa Nessum & Dejaniram contigerunt, an non? Ajunt enim hi quidem Archilochum nugari qui scripserit Dejaniram, quum ipsi vis inferretur à Centauro, multa ad Herculem locutam esse, mentionẽ faciens desponsationis Acheloi, atque eorum quæ tunc facta sunt, ut multum fuerit Nesso ocii ad faciendum quæ vellet. Illi autem Sophoclem ajunt ante tempus scripsisse jaculationem factã, nempe quũ flumen transirent. Sic.n. & Dejaniram perire, dimissam à Centauro: sed non, sicut consuevit multum præter opinionem dicens, & omnia potiùs quàm quis putet. Ergóne jubes me tibi dicere, quæ quis rectè, an quæ quis etiã non rectè putet? Ego equidem, quæ quis rectè putet. Quales ergo vulgus habet opiniones? An non necesse, eum qui recte enarrare velit, præter vulgi opinionem dicere? Necesse. Non igitur difficulter assequeris, an tale sit quod dictum est. Considera autem, an convenienter dicatur. Dic ergo, & enarra quomodo tibi videatur. Dico igitur tibi in præsentia, totum errorem circa fabulam in eo consistere, quòd Centaurus conatus sit rem habere cum Dejanira. Non enim conatus est, non. An tibi videtur credibile esse, in cõspectu Herculis arcum habentis, & cujus virtutis antea cœperat experimentum, quando solus ipse Centaurorum effugit à Pholoe, quũ illi nullam talem fecissent injuriam, ipsum conatum esse rem habere cum illius uxore.

Habet hoc quidem dubitationem. Verùm si hoc movemus, an non totam fabulam evertimus? Nequaquam, si cogitemus ut facta est, utque verisimile rem esse factam. Sic ergo dicas: Nessus Dejaniram transportavit, & in transportando conatus est corrumpere suo modo, non (ut ajunt) vim inferens, sed sermones convenientes ad eam faciens, docensque quomodo sibi Herculem posset subjicere, commemorans quòd nunc quidem esset ferox & sævus, atque modicum tempus apud eam esset versaturus: atq; hoc cum magnis difficulta-

cultatibus, propter certamina & peregrinationes, rationemq; vivendi quam elegisset. Si tu verò (inquit) illi persuaseris partum officiis, partim oratione, ut hanc miseriam atque hos labores remittat, vivatque segniter & jucundè, tùm tibi multò erit mitior, & ipse melius vivet & tempus reliquum apud te morabitur. Hæc autem enarravit illi Centaurus, insidias struens Herculi, si quo modo eum posset ad delicias perducere & socordiam. Noverat enim, quòd simulac mutasset vivendi rationem & exercitium, vincibilis esset atq; imbecillis futurus. Dejanira verò his auditis, non perfunctoriè sermonibus attendebat, sed cogitabat Centaurum rectè dicere quemadmodum veri simile erat, quòd vellet maritum sub se habere. Hercules aũt suspicatus nihil sani Centaurum dicere, ex eo quòd tam diligenter cum Dejanira disseret, quodq; ea illi attenderet, ita eum sagitta percussit. Qui moriens, nihilominus jussit Dejaniram esse memorem sermonum quos fecisset, atque ita facere ut admonuisset.

Postea verò quum Dejanira memor esset sermonum Centauri, simúlq; Hercules nihil remitteret, verùm etiã longinquiorem profectionem adornasset ultimam, quam, quando diruit Oechaliam, discereturque jam amare Iolen, putavit melius esse ea perficere de quibus Centaurus admonuisset: atque ita ei struxit insidias. Atque ut muliebre genus naturã blandum est & astutum, non ante remisit, quàm illi persuasit, partim consilium dans, partim se dicens illius curam gerere, ne malè affligeretur, nudus hyemem pariter & æstatem perferens in Leonis exuvio, ut exuvium deponeret, vestitũ aũt aliis similẽ reciperet. Et hæc illa erat, de qua dicitur, Dejaniræ tunica, quã induit Hercules. Pariter autem cum vestitu effecit, ut & aliam vivendi rationem immutaret, in lectisque dormiret, neq; sub Dio humiq; pernoctaret multum, ut solitus erat antea, neque suis operaretur manibus, neque cibo uteretur solito, sed elaborato atque dapibus & vinis suavi, & quæcunque his sunt consequentia. Porrò ex hac mutatione, quemadmodum (opinor) fieri necesse erat, in infirmitatem atque languorem corporis incidit: quúmque putaret non amplius facile fore, ut deliciis affluetus eam deponeret, ita semetipsum exussit: simul quidem satius existimans è tali excedere vita: simul autem indignans, quòd se deliciis mancipasset. *Oratione* 61.

Alciphron: Nesciebam, quàm essent luxuriosi, & delicati, Athenis divitum adolescentuli. Nuper verò, cùm Pamphilus cum æqualibus navigium pretio conduceret, ut tranquillo mari circumnavigare simul, & piscari nobiscum posset; cognovi quantas terra marique delicias pararent. Impariens enim piscatoriorum lignorum, & in peregrinis quibusdam tapetibus atque sagulis recumbens. (Etenim dicebat se non posse sedere, quemadmodum reliqui in transtris, tabulam opinor lapide asperiorem putans) petebat à nobis, ut umbram illi faceremus; atq; veli linteum supertenderemus; quippe solares radios omnino ferre non poterat. Nos verò non solùm quo hoc opificium exerceemus, verùm etiam omnes sine exceptione, qui non divitiis abundant, hanc curam habemus, ut apricari possimus. Nam æquali discrimine nobis est & algor & mare. Cùm autem veherentur unà, non solus, neque cum sodalibus solis Pamphilus, sed & mulierum ætate formáque præstantium multitudo eum sequebatur, omnes Musices peritæ: nam alia vocabatur Crumatium, erátque tibicen, alia Erato, & psalterium tractabat. Rursus Enepes alia, quæ Cymbala pulsabat. Nobis autem Acatus erat tota Musica, & cantatione refertũ pelagus, & omne lætitia gaudioque plenum: at mihi nihil adferebant voluptatis. Neque verò pauci ex consodalibus, & maximè prędurus Laucias Telchinus conviviando mihi molestiam facessebant. Postquam verò multum pretium numeravit, argentum me tenet, & nunc ejus marina scommata amo. Et alium ejusmodi cupio mihi dari sumptuosum & liberalem adolescentem. *Nausibius Prymnaeo Epist.* 12.

¶ Romanorum.

Symmachus: Nec mirum si te Bajanum otium sibi vindicat; cùm ipsum Annibalem fides certa sit, bello invictum manus dedisse Campaniæ. Non illius cœli aut soli illecebram retinax ad ventorum lotos æquaverit, & suada Circæ pocula, & tricinium semivolucrum puellarum. *lib.* 1. *Epist.* 41.

¶ Fabularum.

Turdus.

Turdus in myrteto pascens, fructus dulcedine detentus non discedebat. Auceps eum amore loci detentum observans cepit: cùm verò jam mactari deberet; misellus ait ego, qui propter escæ dulcedinem vita privor! *Æsopus.*

Mus rusticus & urbicus.

Mus rusticus, amicitiam iniit cum urbico mure, & ut amicitiam confirmaret, primus in agrum ad se vocavit urbicum, xeniáque apposita ei mensa ingessit, quæcunque agrum suis incolis ferre noverat. Idem verò hospitalitatis beneficium relaturus mus urbicus, in urbem deduxit rusticum, & hominis divitis excepit domo: ubi cùm jam gustaturi erant ea quæ præsto aderant, quidam qui de improviso supervenichat impediit, ac toties à capiendo cibo sunt depulsi, quoties aliquid attentarent sumere. Donec tandem rusticus: Abeo, inquit, mediocritatẽ in agro præferens, iis quæ in urbe sunt deliciis.

Sic mediocris fortunæ homines divitibus præferendi sunt. *Aphthonius.*

De Asino, qui Porco invidebat. Fab. 121.

Asinus porco, qui sub eodem erat domino, plurimùm invidebat, quòd omnis laboris expers, variis nutriretur cibis, in liésq; pinguior fieret, ipse autem plurimum laboris sustinens, duris paleis aleretur. Unde macilentus effectus vix ingredi posset. Sed ubi videt contubernalem suum ad laniendam trahi, ut occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus: At at, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia! O quàm melius est asinum esse quàm porcũ.

Fabula indicat, iis, quos felices putamus, minimè invidendum, quum illa adumbrata felicitas sæpè multæ sit causa miseriæ. *Laur. Abstemius.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cuncta asperne delicata, mysta si virtutum es.
Delicatæ opes parari non queunt citra malum.
Delicata res est, omne delicatum spernere.
Deliciis minimum fruuntur deliciis qui serviunt.
Ecquis escam viliorem à delicata sumpserit?
Esse virtus delicato non potest in corpore.
Excipi se herus a catello fert; ab asino quei ferat?
Magna serv itus profecto in delicate vivere.
Nec bibunt sine ambitione delicati, nec edunt.
Nulla vita delicata est, deliciis quam qua caret.
Perforato similis dolio est delicatè victitans.
Si satelles es virtutum, delicata aspernito.
Vita delicata radix ac parens libidinum est.
Vita delicata victum simplicem horret, ceu famem.
Vita summè delicata est, delicati in qua nihil.
Vivere, haud res delicata, res mage est exercita.
Vt vomant edunt, vomunt q; ut rursum edant proceres gulæ.

¶ Jambica.

Amamur usque in delicias cœlestibus.
Caseum tenellum hamus tenere non potest.
Delicia plures urbes, quam aries perdidit.
Periclitatur in deliciis castitas.
Quid delicatis utile est minus? nihil.
Res delicata sanè non est vivere.

Delicti.

¶ Sententiæ.

Peccatorum alia sponte fiunt & voluntariè: Alia invitò & contra voluntatem, rursus alia magna sunt, alia parva. Iterum alia sunt peccantibus solis noxia, alia verò aliis. In tuo verò quasi dara opera ac studio, universa concurrerunt. Tu enim magna multaque & pernicioſa scelera patrasti. Quamobrem par est, ut graviore quoque increpatione taxeris, quoniam quidem præsenti tempore simul etiam in aliis injuriis contingit. Verùm adhuc peccato potest remedium inveniri. Nam si ad emendationem accesseris, tu incausa eris, quamobrem non factum sit quemadmodum ego cur factum sit. *Ex Epistolicis typis.*

Ennodius: Excellentius crimen est, quod digna veneratione persona commisit. *Dictione* 15. *pr.*

Lysias: Sed dicet fortassis se invitum, ut hæc faceret, adactum fuisse. At ego non video, etiamsi quis maximè invitus tantorum vobis auctor malorum fuerit, ut eis majora esse nequeant, cur ideo dare vobis pœnas non debeat. *cap.* 12. *Orationis in Agoratum.*

Apollonius Ephoris: Vllorum quidem est, non delinquere. Generosorum verò delictum intelligere. At Lacedæmoniorum etiam corrigere & castigare. *Epist.* 43

Libanius: At verò sponte deliquisse, neque ullam apud leges veniam obtinet, & penitùs infamiæ notam inurit. *Declamatione quinta & trigesima.*

C. Tacitus: Mnester solus cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans, aspiceret Imperator verberum notas, reminiscereturque vocis, qua se obnoxium jussis Messalinæ dedisset, &c. Commotum his, & pronum ad misericordiam Cæsarem; perpulère liberti, ne tot illustribus viris interfectis, histrioni consuleret. Sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre. *lib.* 11. *Annalium cap.* 36.

¶ Poetarum.

Plautus Mercatore 5. sc. 3. v. 1.

Quasi tu nunquam quicquam assimile hujus unquã feceris.

Ovidius lib. 2. Tristium, v. 105.

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi est?
Inscius Actaon vidit sine veste Dianam:
Præda fuit canibus non minus ille suis.
Scilicet in Superos etiam fortuna valenda est:
Nec veniam læso Numine casus habet.

¶ Emblematis.

Camerarius xvi. Centur. 3.

Vetustate relicta, Aquila repubescens.

Inveterata tua jam tandem crimina culpæ
Exue, si rediet læta juventa tibi.

¶ Monosticha Trochaica.

Cogita Deum præsentem si non vis delinquere.
Delicti sui cateni is quisque peccans stringitur.

Delin-

Delinquentibus haud remitti pœnam publicè interest.
Ex delicto quoque item sit supplicii diversitas.
Haud ultra modum aut delicti sæviendum est terminum.
Illecebra delinquendi magna est adfluentia.
Leniter delicta plebis, duriter regis feras.
Non dolere post delicta, plus est quàm delinquere.
Plus potentium indignamur noxis quàm pauperum.
Qui delinquit aperte bis reus est: agit simul ac docet.
Qui nihil novit, delinquere ille idem nihil potest.
Quisnam fortuna delicta, nisi delirus arguas?
Quo splendidior est amictus, hoc macula est conspectior.
Vix delinquit, à natura & lege qui non deviat.

¶ Jambica.

Delicta amicis, amoris oculus non videt.
Delicta habent originem à dementiâ.
Delicta prodit qui delicta discutit.
Delicta punire interest & publicè.
Impingere bis ad saxum idem turpissimum.
Sermone, facto, consensu, delinquimus.
Vix is delinquit, qui delictum corrigit.
Vt qui deliquit, supplex est ultrò omnibus.

Dementiæ.

¶ Sententiæ.

Quintilianus Senior: Negabimus crimine uno posse deprehendi dementiam. Dementiam esse ablatum rerum omnium intellectum. Alioquin neminem tam felicem, qui non aliqua pœnitentia digna faciat, qui non subjectus sit errori: & hoc proprium, non dementiæ esse, verùm hominis. Porrò cùm adeo confessum sit, dementiam non posse curari, ut ne illud quidem adhuc inveniri potuerit, quæ causa faceret dementiam, ubi animus consisteret; profectò non poterit videri dementia, quæ est in hominis potestate. *Declamationis* 349. *sermone.*

Idem: Dementiæ reo quid objicis? usitata fortasse crimina, Tractas per publicum vestes, non reddita salutantibus nomina, non discretos ab inimicis amicos, aut dissipata luxuria bona, & aliena ætati vitia. Habet hoc crimen domus nostra, si reum mutas. An verò desidiam objicis? Bellum non sentio? hostem non intelligo? patriam non vindico? Præmium, inquit, non optas. Puta me rationem non posse reddere. Non est unius criminis dementia. Ut hoc sit argumentum dementiæ, infirmum est, quia solum est. Deinde nunquam in uno dementia deprehenditur. Objice & alia. Sed quid sine hoc quidem objici potest? Quid? tu liberalitatem, dementiam vocas? *Declamatione* 367. *pr.*

¶ Monosticha Trochaica.

Capta mens augmenta morbi, non medelas expetit.
Cui calor tremorque, ei saluti erit delirium.
Est docenda non cruciatibus afficienda amentia.
In vita nil est, amens quod in malum haud vertat suum.
Nemini fidit, pavetque, nulla cui mens, omnia.
Nil morosius demente, nil minus tractabile.
Nil refert honesta nec ne causa sit dementia.
Quidquid amens loquitur, clamor est, est vociferatio.

¶ Jambica.

Demens dolorem ridet infelicium.
Dementiam uno ex crimine haud deprendere est.
Haud morbus ullus pejor est dementiâ.
Haud punienda ullius est dementia.
Ingenium summum nullum sine dementia est.
Iocosa præfert mente captus seriis.
Non credit agretare se dementia.
Sceleris amentem reddit conscientia.

Videantur super hac voce Declamatores Græci Latinique locis infinitis. Item titulo *Furoris, Insaniæ.*

Democratiæ.

¶ Sententiæ Græcorvm.

Phalaris *Hegesippo*: Credo ego te, reliquósque cognatos, quibus exilium Clisthenis dolori est, malè consultum arbitrari, quòd jam è patria sit expulsus, cùm nullius ei præterquam pœnitentiæ tempus sit. Ego verò quando maximis florebat Reipublicæ gerendæ honoribus & insignibus, tum ejus potissimùm misertus sum, & per literas hæc ei significavi atque quorsum evasura essent, ostendi. At ille captus honorum illecebris, & his delectatus aura populari prorsus intemperanter se gerebat, & ineptias esse suspicabatur, quæ nos scriberemus quasi imperiti libertatis Rerumpublicarum & Democratiæ, imò infesti omnibus, qui civitatum jura bene administrarent, propter Tyrannidem: donec ultra quàm erat utile, superbia sua, propriáque gloria provectus concideret ac everteretur, & magno suo malo cognosceret, non rudem aut imperitum esse Phalarim, civitatis ritè & secundùm leges administrandæ propter regnum, sed ipsum ignarum populi propter fortunam fœlicitatémque temporaneam fuisse. Facilis enim & flexibilis est turba ad inferendum damnum; & principium à fine plerumque differentiens habet. Atque ego quidem perinde ac omnes sanæ mentis, exibilari me à promiscua turba, quàm dignitatibus evehi honoráque mallem. Nam odium ejus antè quàm ad suum finem perveniat, extinguitur, neque quibus viget temporibus ulla re damnosum est. Benevolentiæ verò & favoris opinio, aut turpe exilium aut præsentem mortem, aut præscriptiones violentas, aut certè nihil his tollerabilius gignit atque adfert. Per Jovem ter maximum Hegesippe, quemadmodum sentimus, ita recum loquimur. Omnis populus incomposítus, mente carens, vanus, propensissimus & facilimus ad quidvis adductu, perfidus, instabilis, iracundus, proditor, fallax, vox tantum, inutilis, adiram laudémque pariter inclinatus. Hoc enim est ad exitium cum contumelia festinare, populi in Reipublicæ gubernatione plausum favoremque captare. Attamen aliqui eò vecordiæ processerunt, stulto & effrenato quodam impetu, vel potiùs furore. Et multi liberorum amatores, non tanto desiderio filiorum ardent, & gaudent nuptiis non tam cupidè spectant fœminas, & avari natura, non ita pecunias desiderant, non denique bellicosos, pugnatores atque equorum altores studiosos tantùm Olympica certamina delectant, quanta cum lætitia tales miseram gloriolam, stultum honorem, plausumque in suam perniciem aucupantur. Eos verò, qui harum rerum cupiditate tenentur, amici familiarésque quantum possunt consolantur, & suo dolore recreant: inimici verò summam voluptatem capiunt. Vos autem Clisthenem, cùm sitis ei cognatione propinqui, solatio levate atque reficite, si fortè molestiùs tolerat, humano quodam casu turbatum, & simul eum ab ejusmodi rerum voluptate dehortamini, ut gravissimo errore peccatóque perculsum. *Epistola* 77.

Lysias: Perpendere oportet, quòd nemini à natura insitum sit, ut aut popularem statum, aut paucorum principatum amet; sed quicunque Reipublicæ status cuique maximè confert, hunc conatur stabilire. Adeò ut non minimum momenti in vobis sit, ut plurimi in præsenti Reipubl. administratione acquiescant. *cap.* 3. *Orationis de populari statu.*

Idem post pauca: Ex his igitur vos sententiam de civibus ferre oportet, considerando quomodo in Democratia se gesserint, & investigando an Reipublicæ facie mutata, aliquid ipsis commodi accedere potuerit. Hac enim ratione vestrum de ipsis judicium fuerit æquissimum. Quapropter ego arbitror; quicunque in Democratia datis pœnis infames facti erant, aut opibus exuti, aut simili aliqua calamitate involuti; illorum fuisse, aliam Reipublicæ formam quærere, & ex rerum mutatione aliquid utilitatis sperare. At quicumque populum multis & præclaris affecerunt beneficiis, & nullo unquam malo; quibus gratiam à vobis referri æquius erat; quàm rerum gestarum supplicium sumi; horum accusationes nequaquam decet recipere; ne si omnes quidem Reipublicæ muneribus fungentes ipsos oligarchiæ studiosos dicant. Mihi quidem, Judices, neque publicè, neque privatim illo tempore ullum accidit unquam incommodum, cur aut præsentibus malis liberari, aut alio rerum statu frui concupiscerem.

Lysias: Omnibus constat, quod ex iniquo eorum imperio, qui in paucorum principatu Reipublicæ præfuerunt, popularis status nobis restitutus sit; ex calumniatoribus verò paucorum principatus per occasionem bis jam sit exortus. Non decet itaque his sæpè uti consiliariis, quibus ne semel quidem credere profuit. *capit.* 10. *Orationis* 24. *de populari statu.*

Lysias: Atqui, non hi, qui numerum eorum, qui civilibus negotiis occupantur, augent, popularem statum evertunt; sed qui ipsorum frequentiam minuunt. *cap.* 4. *Orat. pro Polystrato.*

Lysias: Athenienses omnium primi atque eo tempore soli, regibus pulsis, Democratiam instituerunt, arbitrati in omnium libertate maximam consistere concordiam. Atque cùm omnium periculorum spem & commoda inter se haberent communia, liberis animis Rempublicam administrabant. *cap.* 6. *Orat.* 31. *funebris.*

Addantur alia è titulo *Aristocratiæ, Regni, Tyrannidis, Optimatum.*

Demon-

Demonstrationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

Clemens Alexandrinus: Sed neque antiquissimi Philosophi ad contendendum ferebantur & ad dubitandum, nedum nos qui amplectimur eam quæ verè est philosophiam: quos apertè inventionis causa ad perscrutandum quærere jubet scriptura. Recentiores autem Græcorum Philosophi, inani laudis cupiditate commoti, refellendo simul & contendendo, ad nugas deducuntur inutiles. Contrà autem barbara philosophia, omnem expellens contentionem. Quærite, inquit, & invenietis: pulsate & aperietur: petite & dabitur vobis. Atq; pulsat quidē per inquisitionem, quæ per interrogationem & responsionem instituitur oratio, veritatis fores, per id quod apparet. Aperto autem per scrutationem eo quod est impedimento, ingeneratur contemplatio quæ est ex scientia. Iis qui sic pulsant aperitur, ut opinor, id quod quæritur. Et iis qui sic petunt interrogationes per scripturas, ad quod quidem à Deo contendunt, fit donatio divinitus datæ cognitionis, comprehendendo per rationalem quę verè elucet inquisitionem. Non enim fieri quidem potest ut inveniat, non autem quærat: neq; ut quærat quidem, non autem perscrutetur, & explicet & aperiat per interrogationem, ad evidentiā deducens id quod quæritur: neq; ut rursus procedens per accuratum examen, non deinceps accipiat præmium, videlicet scientiam ejus quod quæritur. Sed potest quidem invenire qui quæsierit: quærere autem, si prius existimaverit se nescire. Hinc autem ductus desiderio ad id quod bonum est & honestum inveniendum, benignè quærit, citra contentionem & citra gloriæ cupiditatem, interrogando & respondendo, & ea etiam quæ dicuntur considerando.

Oportet enim non solùm eos qui ad divinas se applicant scripturas, sed eos etiam qui communes sequuntur notiones, ita proponere quæstiones ut in finem aliquem vtilem desinat inventio. Turbulentos enim homines, & forenses inventiones, alius excipit locus & alia turba: eum autem qui veritatis simul est amator & familiaris, esse pacificum, & in inquisitionibus oportet per demonstrationem quæ fit ex scientia, & sine nimio amore sui, tantum veritatis amantem, accedere ad eam quæ comprehendit cognitionem. Quæ nam ergo erit alia melior aut evidentior methodus ad principium talis doctrinæ, quàm ut nomen propositum tam apertè definitione persequatur, ut id assequantur quicunque eadem voce utuntur? Est'ne demonstrationis ergo nomen ejusmodi, cujusmodi est Blityri, vox solùm, nihil significans? Quare igitur neq; Philosophus, neq; orator, sed neque Iudex, tanquam nomen nihil significet, profert demonstrationem, neq; aliquis ex iis qui judicio contendunt, ignorat non esse, id quod significatur? Jam verò Philosophi excogitant demonstrationem, ut quæ consistat, alias aliter.

De quavis ergo re quæsita si quis rectè tractare velit, non ad aliud principium quod sit certum & extra controversiam potius deducet orationem, quàm ad id quod quicunque sunt ejusdem gentis & sermonis, ex appellatione fatentur significari. Deinde ab eo progrediendo, necesse est quærere, existat nec'ne id quod oratione significatur. Deinde, si esse fuerit ostensum, accuratè quærendum est qualis sit ejus natura, & num ordinem datum superet. Si autem non sufficit id solum quod visum est, absolutè dicere de eo quod quæritur: licet enim ei qui adversatur, ex æquo contrarium afferre quod velit: verum oportet confirmare id quod dictum est. Et si ejus quidem referatur judicium ad id de quo similiter dubitatur, & illius rursus ad alterum de quo dubitatur similiter, procedet in infinitum, & non poterit demonstrari. Si autem ejus quod est certum & extra controversiam, referatur fides ad id quod omnes confitentur, illud est constituendum doctrinæ principium. Omne ergo nomen propositum, est sumendum ad definitionem quæ est certa & extra controversiam, & manifesta iis qui sunt participes eiusdem considerationis, ut pote futurum doctrinæ principium, expositurum autem inventionem eorum quæ quæruntur.

Agè ergo ponamus nomen de quo agimus, esse, Sol. Dicunt itaque, Stoici eum esse, aliquid accensum ex aquis marinis intellectu præditum. An non est ergo oratio seu definitio, ipso nomine obscurior, quæ alia demonstratione indiget ut constet an sit vera? Melius est ergo dicere communi & aperta oratione, Solē nominari id quod est splendidissimū eorum quæ cœlum obeunt. Est enim, ut opinor, fide dignior & apertior, & quam omnes similiter confitentur homines, hæc oratio. Similiter autem demonstrationem quoq; omnes fatebuntur homines rationi esse consentaneam, quæ iis de quibus dubitatur, ex iis quæ sunt certa & extra controversiam, facit fidem. Nō solùm autem demonstratio & fides & cognitio, sed etiam præscientia seu præcognitio dicitur duobus modis: una quidem quæ est ex scientia, firma ac stabilis: alia autem solum ex spe.

Ac propriè quidem dicitur demonstratio, quæ fidem ex scientia indit animis eorum qui discunt: altera autem est ex opinione. Sicut etiam homo, vnus quidem verè est homo qui communem habet prudentiam: alter verò agrestis & belluinus. Sic etiam dixit Comicus: Elegans animal est homo, donec fuerit homo. De bove quoq;, equo, & cane eadem est ratio, prout fuerit virtus vel vitium animalis: respicientes enim ad perfectionem generis, venimus ad ea quæ sunt præcipua ex significatis. Exempli gratia, medicum intelligimus, cui nihil deest medicæ facultatis: cognitione autem præditum, eum cui nihil deficit cognitionis quæ est ex scientia. A syllogismo autem differt indicatio, quatenus id quidem quod indicat, unum significat, cùm sit unum: ut, uterum gerere dicimus esse indicium quod non sit amplius virgo. Quod autem in syllogismo sumitur, cùm sit unum, plura consequitur: ut, quòd Pytho proderet Byzantinos, verbi causa, non unum, sed plura sumuntur quæ id significent. Et concludere quidem ex iis quæ quis confitetur, est ratiocinari seu syllogismum conficere. Ex veris autem aliquid concludere, est demonstrare. Adeò ut sit quædam composita utilitas demonstrationis: nempe & ex eo quòd quæ sumuntur vera sumat ad ea quæ quæruntur, & ex eo quod inferatur consequens conclusio. Quòd si non sit prius, vel id non consequatur secundum, non demonstravit quidem, sed est ratiocinatus, seu effecit syllogismum: assumptis enim propositionibus convenientem inferre conclusionem, solùm est ratiocinari.

Ex assumptis autem propositionibus efficere etiam unamquamque veram, non solum est ratiocinari, sed etiam demonstrare. Concludere autem, quod est συμπεραίνειν, ut etiam patet ex nomine, est ad finem deducere. Est autem in unaquaque oratione finis id quod quæritur, quod etiam vocatur conclusio. Nulla autem simplex & prima oratio vocatur syllogismus, etiamsi sit vera, sed est ad minimum composita ex tribus huiusmodi: duabus quidem, ut quæ sumuntur propositionibus, una autem, ut conclusione. Aut enim omnia egent demonstratione, aut etiam quædam ex iis sunt credibilia. Sed si prius quidem verum est: uniuscuiusque demonstrationis petentes demonstrationem, procedimus in infinitum, & sic evertetur demonstratio: sin autem secundum, ea ipsa quæ sunt ex se credibilia, erunt principia demonstrationum. Jam verò Philosophi fatentur esse indemonstrabilia principia universorum: quamobrem si est demonstratio, omnino necesse est prius esse aliquid ex se credibile, quod quidem dicitur primum & indemonstrabile. Ad fidem ergo indemonstrabilem reducitur omnis demonstratio. Erunt autem alia quoque demonstrationum principia post eum fontem qui est ex fide, nempe ea quæ evidenter apparent ex sensu & intelligentia. Nam ea quidem quæ ex sensu evenerunt, sunt simplicia, & ejusmodi ut solvi nequeant: quæ autem ex his gignuntur, sunt quidem composita, sed nihilo secius evidentia, & credibilia, & primis magis rationalia. Quam ergo propriam orationis facultatem habemus omnes natura insitam, ea est ex eo quod est consequens, & ex eo quod repugnat. Si qua ergo fuerit ejusmodi inventa oratio, ut ex iis quæ jam sunt credibilia iis quæ nondum sunt probabilia possit fidem facere, eam ipsam dicemus esse essentiam demonstrationis.

Dictum est autem, fidei quoque & demonstrationis genus esse duplex: unum quidem, quod solam affert persuasionem animis auditorum: alterum verò, quod efficit scientiam. Si quis ergo inceperit ex iis quæ sunt evidentia sensu & intelligentia, & deinde cōvenientem intulerit conclusionem, verè demonstrat; sin autem ex opinabilibus solum, sed non primis, hoc est, neque sensu evidentibus nec intelligentia, si convenientem quidem inferat conclusionem, ratiocinabitur quidem, sed non quæ scientiam constituat efficiet demonstrationem: sin autem non convenientem, ne omnino quidem ratiocinabitur. Differt autem demonstratio à resolutione. Unumquodque enim ex iis quæ demonstrantur, demonstratur per quædam, quæ demonstrantur, illis quoque prius demonstratis ab aliis, donec recurrerimus ad ea quæ sunt per se credibilia, aut ad ea quæ sunt evidentia sensu & intelligentia. quod quidem nominatur resolutio. Demonstratio autem est, quando à primis venit id quod quæritur, per omnia quæ sunt intermedia.

Oportet ergo virum qui est præditus facultate demonstrandi, veritatis quidem propositionum multam curam gerere, nomina autem non curare, sive quis pronunciata, sive propositiones, sive assumptiones quis malit eas vocare. Similiter autem magna quoque cura est gerenda, quibus suppositis quid concludat: An autem concludentem orationem, an syllogisticam quis velit appellare, non curadentem orationem, an syllogisticam quis velit appellare, non curare. Dico enim eum qui demonstrat, oportere hæc duo observare in omnibus, nempe ut veras quidem assumat propositiones, eis autem consequentem inferat conclusionem, quam quidem nonnulli etiam appellant ἐπιφοράν, hoc est, illationem, id scilicet quod in unaquaque quæstione infertur propositionibus de eo quod quæritur. Atque diversis quidem opus est propositionibus. & quæ ei quod propositum est conveniant. Id quoque quod est ei propositum ad disputationem, conveniens assumere necesse est: & hanc orationem oportet esse apud omnes certam & extra omnem controversiam. Si sumantur autem propositiones quæ quæstioni propositæ non conveniant: fieri nō potest, ut rectè aliquid inveniat, cùm ignoretur tota quæstio proposita, quę etiam quæstio naturæ appellatur. In omnibus ergo quæ quæruntur, est aliquid quod prius quæritur, quo cùm sit omnino ex seipso credibile, creditur absq; demonstratione. A quo quidem est procedendum ad eorum inquisitionem, standumque est id eorum quæ videntur esse inventa arx quasi & criterium.

Omnis enim quæstio invenitur ex ea quæ prius consistit cognitione: sciendum autem cognitionem esse de qua prius constiterit ante quamcunq; rem quę quæritur: aliquando quidem solummodo essentiæ, cum ejus ignorentur munera & officia, ut verbi causa, lapidum,

lapidum, & omnium animantium, quorum ignoramus operationes, aut affectionum, aut facultatum, aut, vt semel dicam, eorum quę insunt in iis quæ sunt. Nonnunquam autem cognosci quidem aliquid ex his facultatibus, vel affectionibus, vel aliqua ex his, ut animę cupiditates & affectiones: ignorari autem & quæri essentiam. In multis autem cùm ipsa nostra intelligentia sit sibiipsi subjecta, hæc omnia in quæstione versari, cuinam ex substantiis sic insint. Nam cùm vtrorumque, essentiæ scilicet & operationis, notiones cogitatione conceperimus: ita quæstionem aggredimur. Sunt autem etjam aliqua, quorum cùm sciamus operationes simul cùm essentiis, ignoramus affectiones.

Est ergo inventionis ratio & methodus ejusmodi: incipiendum enim est à cognitione earum quæ proponuntur quæstionum: sæpe enim decipit figura dictionis, & confundit ac perturbat cogitationẽ, ut non facilè quis inveniat ex qua sit differentia: ut, exempli causa, an non sit animal fœtus qui gestatur in utero. Nam cùm & animalis & fœtus qui in utero gestatur aliquam habeamus notionem, quærimus an fœtui qui in utero gestatur insit esse animal: hoc autem est, an substantiæ quæ gestatur in utero, insit ut tunc possit moveri, & præterea sentire. Quamobrem operationum & affectionum inquisitio est in essentia quæ prius cognoscitur. Statim ergo is qui proponit, prius est interrogandus quianam vocet animal: hoc enim est maximè faciendum, quando viderimus nomen duci ad diversos usus: & perscrutandum est, an de significato dubitetur ex appellatione, an sit apud omnes extra controversiam. Si enim dixerit se vocare animal, quicquid augetur & alitur: rursus eum rogabimus, an plantas quoque existimet animalia: deinde hoc cum concesserit, jam oportet ostendere quid sit quod utero gestatur & alitur. Plato enim plantas quoque vocat animalia, ut quæ solam tertiam animæ speciem, nempe eam quæ concupiscit, participent. Aristoteles autem censet plantas & naturalis & nutrientis animæ esse participes, animantia autem non censet esse vocanda: quod enim alterius animæ, nempe sentientis, est particeps, id solum vult vocari animal. Stoici autem naturalem seu vegetantem facultatem, non nominant animam. Quod si is qui proposuit, negaverit plantas esse animalia, ostendemus eum secum pugnantia dicere: nam cùm definierit animal ex eo quod alatur & augeatur, & plantam non esse animal pronunciarit, nihil aliud visus est dicere, quàm quòd id quod alitur & augetur, est & animal & non animal. Dicat ergo quid velit discere. Num an augeatur & nutriatur fœtus qui est in utero, aut an sit particeps sensus alicuius, an etiam motus qui est ex appetitione. Nam ex sententia quidem Platonis, planta est animata & animal: ex sententia verò Aristotelis, nondum quidem est animal: deest enim ei vis sentiendi sed jam animata: est ergo, ut ipse vult, animal, essentia animata sentiendi potestate prædita. Ex Stoicorum autem sentẽtia, neque animatum, neq; animal est planta: est enim animal animata essentia. Si ergo animal est animatum, anima autem est natura vi sentiendi prædita: manifestum est quod animatum est sentiendi potestate esse præditum.

Si ergo is qui quæsivit, vicissim fuerit interrogatus, an animal quod est in utero adhuc vocet animal, abeo quod alatur & augeatur, habet responsionem. Sin autem dicat esse id quod quærit, utrum fœtus qui gestatur in utero sit jam sentiendi vi præditus, an etiam per aliquam appetitionem sit se movendi potestate præditus, fit jam apertè rei perscrutatio, non manente amplius deceptione nominis. Si autem non respondeat ad id quod fuit vicissim rogatus, neq; velit dicere quidnam intelligat, aut cuinam rei tribuens nomen animalis, fecerit propositionem, jubeat autem nos dividere, porerit cognosci eum esse contentiosum. Si autem cùm sint duo modi, unus quidem qui fit per interrogationem & responsionem, alter autẽ persequendo & explicando latiùs, negavit alterum: audiat nos omnia persequentes quę pertinent ad quæstionem propositam: deinde postquam perfecerimus, tunc licebit ei vicissim tractare de vnoquoque. Si autem conetur interrogando interrumpere examinationem, planum est eum nihil velle audire. Sed si malit quidem respondere, primùm omnium est rogandus, cuinam rei tribuat nomen animalis. Et ubi hoc responderit, rursus est rogandus, quidnam ei significet fœtus qui gestatur in utero, an quæ sunt jam formata & animalia, an etiam semen dejectum vult significare id quod est in utero, an ea quæ jam sunt membris efficta & expressa, quæ appellantur ἔμβρυα. Cùm autem ad hoc quoque responderit, oportet deinceps id quod est propositum concludere & docere: si autem ipse non velit dicere non respondens, audiat: Quoniam tu non vis dicere quonam significato dicas id quod proposuisti, aliter enim ego non de significationibus verba facerem, sed jam de rebus ipsis considerarem, scias te perinde fecisse, ac si proposuisses an canis sit animal, meritò enim dixissem, de quo cane agis: ego enim & de terrestri, & marino, & de astro cœlesti, quinetiam de Diogene, & de aliis deinceps loquor canibus: non enim divinaverim utrum de omnibus interroges, an de aliquo. Quod ergo postea es facturus, hoc cùm jam didiceris, dic apertè, de quonam quæras. Sin autem in excutiendis nominibus lubens verseris, clarum est quod ipsum nomen fœtus, neque est animal, neque planta, sed nomen, & vox, & corpus, & id quod est, & aliquid, & quidvis potius quàm animal. Et si hoc proposuisti, habes responsionem. Sed neque quod significatur ex nomine fœtus, est animal: sed illud quidem est & incorporeum, & dicendum est id esse & rem & cogitatum, & quidvis potius quàm animal: Erit autem quędam alia natura animalis. Apertè enim ostensum est, à te ipsa de qua quæritur, natura, inquam, fœtus qui est in utero, cujusmodi ea sit.

Alia est quæ proponitur quæstio de significatis hujus nominis animal. Dico ergo, si hoc dicis animal quod potest sentire & moveri ex appetitione, est animal non absolutè, id quod ex appetitione & movetur & sentit: nam potest etiam dormire, aut si non adsint sensilia, non sentire. Quod autem potest vel impelli appetitione, vel etiam sentire, est à natura datum signum quo animal cognoscitur. Tale quid enim ex his significatur. Primum quidem, an fœtus qui in utero gestatur, ex appetitione non sentire aut moveri possit, quod quidem proponitur considerandum: alterum autem, an fœtus qui gestatur in utero, aliquando sentire aut moveri potest ex appetitione: in quo significato nullus quærit, cùm sit evidens. Quæsitum autem fuerat, utrum fœtus jam sit animal, an adhuc planta: deinde nomen animalis traductum est ad definitionem, ut esset manifestum. Cùm autem ex sensu & motu qui proficiscitur ex appetitione, invenissemus ipsum differre à non animali, id rursus distinximus à rebus ei adjunctis, dicentes aliud quidem esse id quod potestate est tale, quod nondum quidem sentit & movetur, erit autem aliquando tale; alterum autem, quod actu jam est tale. Hujus autem est aliud quidem quod jam agit, aliud autem, quod agere quidem potest, quiescit autem vel dormit: hoc est autem id quod quæritur. Non enim ex eo quod alatur fœtus, dicendum est esse animal, quod quidem est eorum qui recedunt ab essentia, iis autem quæ alioqui accidunt mentem adhibent.

In omnibus autem quæ dicuntur inveniri, posita est demonstratio, quæ quidem est oratio quæ probat aliud ex aliis. Ea autem ex quibus probatur id quod quæritur, oportet eum qui discit confiteri & cognoscere. Horum autem omnium est principium, id quod est evidens sensu & intelligentia. Atque prima quidem demonstratio constat ex his omnibus. Quæ autem ex iis quæ per hanc prius fuere demonstrata, rursus aliquid aliud concludit, & quidem non minus credibilis quàm prior: non potest tamen prima quoque nominari, quoniam neque ex primis concluditur propositionibus. Prima ergo species differentiæ eorum quæ quæruntur, cùm tres sint, est ostensa: dico autem cùm cognoscatur essentia, ignorari aliquam ejus actionem vel affectionem. Secunda autem erat differentia earum quæ proponuntur quæstionum, in qua actiones quidem & affectiones omnes cognoscimus, ignoramus autem essentiam, vt, exempli causa, in quanam parte corporis sita sit pars animæ principalis. Eadem autem demonstrationis pertractatio est etiam in hac quæstione. Dicunt aliqui non posse esse plura principia unius animalis. Atque unius quidem generis principia non possunt esse plura unius animalis: generibus autem diversa, non est absurdum.

Apud Pyrrhonios, inquiunt, est ἐποχή, hoc est, assensionis sustentatio, quæ vult nihil esse firmum ac stabile. Ea si à seipsa inceperit, clarum est, quod primùm seipsam infirmabit. Aut ergo dat aliquid esse verum, & non est de omnibus sustinenda assensio: aut persistit dicens nihil esse veri, & clarum est quod nec ipsa prius verum dicet. Aut enim ipsa verum dicit, aut non. Sed si verum dicit, concedit vel invita, esse aliquid veri. Sin autem non verum dicit, vera ea relinquit quæ volebat tollere de medio. Nam quatenus falsa ostenditur quæ perimit epoche, seu assensionis sustentatio, eatenus vera esse ostenduntur ea quæ perimuntur, quemadmodum somnium quod dicit omnia somnia esse falsa: nam cum seipsam destruat, confirmat alia. Et in summa, si est vera, ducet à seipsa principium, cùm non sit alicuius alterius sustentatio assensionis, sed primùm suiipsius. Deinde si comprehendit quod sit homo, vel quod sustinet assensionem, clarum est eum non sustinere assensionem. Quomodo autem respondeat etiam ad rogatum? nam clarum est eum de hoc non sustinere assensionem. At qui se sustinere assensionem pronunciat. Quod sequendo si oporteat nos de rebus omnibus sustinere assensionem, de ipsa assensionis sustentatione assensionem primùm sustinebimus, sit ne ei credendum, an non. Præterea si hoc ipsum verum est, eum verum nescire, neq; omnino veri quicquam ab illo datur: si autem de hoc quoque dicit dubitari posse, an verum ignoretur, eo ipso dat verum cognosci posse, quod suam de ipso assensionis sustentationem videatur non confirmare. Quòd si hæresis est dogmatum inclinatio, aut, vt quidam dicunt, inclinatio quæ multis dogmatibus præbet consequentiam inter se & ea quæ videntur, tendens ad rectè vivendum: & dogma est quædam quæ fit ratione comprehensio: comprehensio autem est habitus & assensio animi: non solùm ephectici, sed etiam quilibet dogmaticus, id est, qui tradit dogmata, in nonnullis solet sustinere assensionem, aut propter mentis imbecillitatem, aut rerum obscuritatem, aut vires æquales rationum.

Ante definitiones autem, demonstrationes, & divisiones, prius ponendũ est quod modis dicatur id quod quæritur: & tractanda sunt homonyma, & synonyma sunt aptè & distinctè ponenda in sua significatione. Deinde quærendum est an ex iis quæ considerantur vt relata ad alia, sit id quod proponitur, an per seipsum sumatur. Post hæc, an sit, quid sit, quid ei accidat; aut sic etiam, An sit, quid sit, propter quid sit. Ad hæc autem contemplanda confert singulorum cognitio & vniversorum, & ea quæ sunt priora, & differentiæ, & earum divisiones. Atque inductio quidem affert id quod est vniversum & definitionem: divisiones autem, species & quid sit, & individuum. Contemplatio autem quæ consideratur, quot modis

dicatur,

dicatur, affert aſſumptionem ejus quod eſt proprium: dubitationes autem, eas quæ ſunt in ipſis differentias & demonſtrationes: & alioqui augent contemplationem ea quæ ipſam conſequuntur. ex omnibus autem oſtenditur ſcientia & veritas. Rurſus id quod in ſummam redigitur ex diviſione, appellatur definitio: ſumitur enim prior diviſionis & poſterior diſtinctio: prior quidem, quando conceſſum vel propoſitum fuerit: poſterior autem, quando demonſtratum. Porrò autem per ſenſum, ex eo quod eſt ſingulare, in ſummam colligitur id quod eſt univerſum ac generale: inductionis enim principium eſt ſenſus: finis autem, id quod eſt univerſum ac generale. Atque inductio quidem non oſtendit quid ſit, ſed quòd ſit, vel non ſit: diviſio autem quòd ſit, & diſtinctio ſimiliter atque diviſio, eſſentiam docet, & quid ſit, non autem an ſit. Demonſtratio autem tria, nempe an ſit, & quid ſit, & propter quid ſit aperit. Sunt autem nonnullæ quoq; definitiones quæ cauſam continent.

Quoniam autem ſcire eſt, quando cauſam viderimus: ſunt autem cauſæ quatuor, materia, id quod movet, forma, finis: erit quadruplex diſtinctio. Primum ergo ſumendum eſt genus, in quo ſunt ea quæ ſunt proxima iis quæ ſunt ſuprema: poſtea propinqua differentia. Differentiarum autem continuatio quæ ſcinditur & dividitur, implet quid ſit eſſe, ſeu rei eſſentiam ac definitionem. Non neceſſe eſt autem dicere omnes uniuſcujuſque differentias, ſed eas quæ formam tribuunt. Geometrica reſolutio & compoſitio eſt diviſioni Dialecticæ & definitioni ſimilis. Et à diviſione quidem recurrimus ad ea quæ ſunt ſimpliciora, & magis principalia. Atque genus quidem rei quæ quæritur dividimus in eas quæ ei inſunt ſpecies: ut exempli cauſa, in homine, animal quod eſt genus dividimus in eas quæ in ipſo apparent ſpecies, nempe mortale & immortale. Et ſic ſemper genera quæ videntur eſſe compoſita, ſecantes in ſpecies ſimpliciores, accedimus ad id quod non quæritur, & non amplius ſuſcipit diviſionem.

Cùm enim animal diviſerimus in mortale & immortale, deinde verò mortale in terreſtre & aquatile, & rurſus terreſtre in volucre & pedeſtre, & ſic propinquam ei quod quæritur ſpeciem, quæ etiam comprehendit id quod quæritur diviſerimus, ſecando deveniemus ad ſimpliciſſimam ſpeciem, quæ nihil quidem aliud, ſed id ſolum quod quæritur comprehendit. Rurſus enim pedeſtre dividimus in rationis particeps & expers rationis. Deinde ex iis ſpeciebus quæ ſumuntur ex diviſione, eligentes ea quæ ſunt magis propinqua homini, cùm ex iis unam compoſuerimus orationem, efficimus hominis definitionem, quæ eſt animal mortale, terreſtre, pedeſtre, rationis particeps. Quo fit ut materiæ quidem locum obtineat diviſio, definitioni quærens ſimplicitatem nominis: artificis autem & opificis definitio, quæ componit & conſtruit, & ejus quod eſt oſtendit cognitionem. Non harum autem rerum, nec ideārum ſunt definitiones, ſed rerum quarum habemus univerſas & generales in animo notiones. Harum notionum dicimus eſſe orationes quæ interpretantur: harum enim notionum fiunt etiam diviſiones. Ex diviſionibus autem, una quidem dividit id quod dividitur in ſpecies, ut genus: altera autem in partes, ut totum: alia verò in ea quæ accidunt.

Atque totius quidem in partes diviſio, ut plurimum conſideratur in magnitudine: quæ fit autem in ea quæ accidunt, nunquam poteſt tota accipi, ſiquidem oportet unicuique etiam omnino ineſſe eorum quæ ſunt eſſentiam. Unde etiam reprobantur ambæ hæ diviſiones: ſola autem probatur diviſio generis in ſpecies à qua formam characteremque accipit quæ eſt in genere identitas, & diverſitas quę eſt in differentiis ſpecialibus. Species ſemper in aliqua parte conſideratur, non tamen contrà ſi quid eſt pars alicuius, hoc erit etiam ſpecies: manus enim eſt pars quidem hominis, non eſt autem ſpecies. Et genus quidem ineſt in ſpeciebus: animal enim ineſt in homine & bove. Totum autem non ineſt in partibus. Homo enim non ineſt in pedibus. Quocirca ſpecies eſt parte magis principalis. Et quæcunque de genere prædicantur, ea etiam omnia prædicantur de ſpecie. Atque optimum quidem fuerit contemplari genus in duabus ſpeciebus: ſin minus autem, in tribus. Species ergo diviſæ quidem generalius, characterem accipiunt ex eodem & altero. Deinde verò diviſæ, per ea quæ generaliter ſignificantur characterem accipiunt. Unaquæque enim ſpecies aut eſt eſſentia: ut cum dicimus, ex iis quæ ſunt, alia quidem ſunt corpora, alia verò incorporea: aut quantum, aut quod refertur ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut agere, aut pati. Cuiuſcunque ergo rei habet aliquis ſcientiam, ejus etiam dabit definitionem: quemadmodum qui non poteſt oratione comprehendere & definire quidlibet, ejus rei nunquam habebit ſcientiam.

Ex ignoratione autem definitionis, accidit ut multæ dubitationes oriantur & deceptiones. Si enim qui rem novit, habet in animo eius cognitionem: poteſt autem etiam oratione explicare id quod habet in animo: ejus autem quod animo cogitatur explicatio, eſt definitio: neceſſe ut qui rem norit, poſſit ejuſdem etiam dare definitionem. Aſſumitur autem in definitionibus etiam differentia, quę ſigni locum obtinet in definitione. Hominis itaque definitioni adjectum, vi ridendi præditum, facit totum, animal rationis particeps, mortale, terreſtre, pedeſtre, vi ridendi præditum. Quæ enim per differentiam adhibētur definitioni, ſunt ſigna rerum propriarum, ipſarum autem rerum naturam non indicant. Jam verò dicunt differentiam eſſe proprii redditionem, & quatenus differt ab aliis id quod habet differentiam, quod ſoli ineſt, & de re mutuò prædicatur: neceſſe eſt in definitionibus primùm genus aſſumere ut principale, & quod poſſit conſiſtere. Et in longioribus quidem definitionibus, multitudo ſpecierum quæ inveniuntur per decem prædicamenta: in minimis autem, quæ ex propinquis ſpeciebus ſumptæ fuerint principales, rei eſſentiam & naturam ſignificant. Quæ eſt autem minima, conſtat ex tribus: ex genere, & duabus ſpeciebus maximè neceſſariis. Hoc autem fit propter brevitatem.

Dicimus ergo: Homo eſt animal vi ridendi præditum. Tunc aſſumendum eſt id quod præcipuè accidit ei quod definitur, aut propria ejus virtus, aut proprium eius munus ac officium, aut aliquid aliud ejuſmodi. Quare definitio quæ rei exponit eſſentiam, non poteſt quidem rei naturam accurate comprehendere: per præcipuas autem ſpecies declarat eſſentiam. Habet autem definitio propemodum eſſentiam in qualitate. Quæ efficiunt ut ſuſtineatur aſſenſio, cauſæ ſunt duæ ſupremæ. Una quidem, mens humana quæ eſt multiplex & inſtabilis, cui quidem natura eſt inſitum ut generet diſſenſionem, aut eorum inter ſe, aut ſui ipſorum à ſeipſis. Secunda autem ea quæ eſt in rebus diſcrepantia, quæ etiam maximè efficit ut ſuſtineatur aſſenſio. Nam cùm neq; omnibus viſis poſſimus credere propter repugnantiam: neq; omnibus fidem nō habere, quod id quod dicit omnia eſſe incredibilia, cùm ſit ex omnibus, in numerum etiā omnium adſcribatur: neq; aliquibus quidem credere, aliquibus verò non credere, propter æqualitatem: eò deducti ſumus ut ſuſtineamus aſſenſionem. Harum autem principalium cauſarum, propter quas aſſenſionem ſuſtinemus, cogitationis quidem inſtabilitas, generat diſſenſionem: diſſenſio autem eſt propinqua cauſa propter quā ſuſtinetur aſſenſio. Unde plena quidem eſt vita judiciis & curiis, & in ſumma, eorum quæ dicuntur bona & mala, electione. quæ quidem dubiæ mentis & ad oppoſitarum rerum infirmitatem claudicantis, ſunt argumenta. Sunt itaq; libris plenæ bibliothecæ, claſſeſq; & cōmentationes iis qui in dogmatibus inter ſe diſſentiāt, & ſibi perſuaſerunt in rebus tenere veritatem.

In voce tria verſantur: nempe & nomina quæ ſunt ſigna eorum quæ animo cogitantur principaliter, per conſequentiam autem, ejam ſubjectorum: ſecundò autem, cogitata quæ res ſubjectas referunt & exprimunt. Unde ſunt omnibus eadem cogitata, propterea quod ex rebus ſubjectis eadem forma & typus ingeneretur omnibus: non itidem etiam nomina, propter diverſos ſermones. Tertium autem, ſunt res ſubjectæ ex quibus nobis imprimuntur cogitata. Atque nomina quidem reducit Grammatica in viginti quatuor univerſa ac generalia elementa: oportet enim eſſe elementa definita: eorum enim quæ ſunt ſingularia, cùm ſint infinita, non eſt ſcientia. Eſt autem proprium ſcientiæ, vniverſis ac generalibus theorematibus niti & definitis. Unde ſingularia reducuntur ad univerſa ac generalia. Philoſophorum autem indagatio verſatur & in iis quæ animo cogitantur, & in rebus ſubjectis. Quoniam autem ſingularia horum ſunt infinita, horum quoque ſunt quædam inventa elementa, ad quæ reducitur quicquid quæritur, & ſi videatur quidem ſubire unum aliquod, vel etiam plura ex elementis, id eſſe pronunciamus: quod ſi omnia effugerit, nequaquam eſſe. Ex iis quæ dicuntur, alia quidem dicuntur abſque connexione, ut homo, & ut, currit, & quæcunq; orationem minimè perficiunt, quæ habet verùm vel falſum: alia verò cùm connexione. Ex iis autem quæ dicuntur abſque connexione, alia quidem ſignificant eſſentiam, alia autem quale, alia verò quantum, alia autem quæ referuntur ad aliquid, alia autem ubi, alia verò quando, alia autem ſitum eſſe, alia autem habere, alia verò agere, alia autem pati: quæ etiam dicimus eſſe elementa eorum quæ ſunt: quæ ſunt in materia & poſt principia. Conſiderari enim poſſunt hæc ratione.

Quæ carent autem materia, ſola mente poſſunt apprehendi per primam applicationem. Ex iis autem quæ collocantur ſub decem prædicamenta, alia quidem per ſe dicuntur, ut novem prædicamenta: alia autem relata ad aliquid. Et rurſus ex iis quæ ſunt ſub his decem prædicamentis, alia quidem ſunt ſynonyma, quorum & nomen eſt ambobus commune. Sicut bos & homo, quatenus animal. Sunt enim ſynonyma quorum amborū nomen eſt commune, ut animal: & ratio eadem, hoc eſt, definitio, nempe, eſſentia animata. Heteronyma autem ſunt, quæ circa idem ſubjectum ſunt in diverſis nominibus, ut aſcenſus & deſcenſus: eſt enim eadem via, ſive ſurſum, ſive deorſum. Eſt autem alia ſpecies heteronymorum, utpote equus, & niger. quæ & nomen & rationem habent, alterum ab altero diverſum, & neque habent idem ſubjectum: ſunt ea autem dicenda alterum, non heteronyma. Polyonyma autem ſunt quæ eandem quidem habent rationem, nomen autem diverſum, ut enſis, ſparha, gladius. Denominativa autem ſunt, quæ ex aliquo altero ſunt nominata, ut à fortitudine fortis. Homonyma autem ſunt, quæ uruntur eodem nomine, non habent autem eandem rationem, ut homo, qui eſt animal, & homo pictus. Ex homonymis autem, alia quidem habent idem nomen ex fortuna, ut Aiax Locrus, & Ajax Salaminius: alia autem ex cogitatione. Et ex his, alia quidem perſimilitudinem, ut homo, & qui eſt animal, & qui pictus: alia autem per proportionem ac convenientiam, ut pedes Idæ. & noſtri pedes, propterea quòd ſint inferiùs: alia autem ex operatione, vt pes navis, per quem navis navigat, & pes noſter, per quem movemur. Dicuntur etiam homonyma ab eodē & ad idem. vt à medico liber & ſcalpellum medica, & à medico qui vtitur, & ad rationem medicam.

Ex cauſis, aliæ quidem ſunt quæ dicuntur procatarcticæ, aliæ verò ſynecticæ, aliæ autem adjuvantes. aliæ ſine quibus non. Procatarcticæ, quæ primò dant occaſionē ad hoc vt aliquid fiat quemadmodum

pulchritudo dat incontinentibus occasionem amoris: eis enim visa solùm, ingenerat affectionem amatoriam, nec tamen necessario. Synecticæ, quæ etiam per synonymiam seu univocè vocantur, per se perfectæ, quandoquidem per se est efficiens effectus. Deinceps autē sunt omnes causæ ostendendæ in eo qui dicit. Pater quidem est causa procatarctica seu primordialis, disciplinæ: magister autem, synectica, id est continens. Ejus autem qui discit, ingenium, est causa adjuvans: tempus autem obtinet rationem causarum sine quibus non. Causa autem propriè dicitur id quod agendo est aliquid præbens, seu præbendi potestate præditum: sicut etiam ferrum dicimus esse τμητικὸν, hoc est, secandi potestate præditum, non solùm in secando, sed etiam in non secando. Sic ergo παρεκτικὸν quoque, id est, præbendi potestate præditum, ambo significat, & id quod jam operatur, & quod nondum quidem operatur, sed vim habet operandi. Porrò autem alii quidem dicunt causas esse ex corporibus: alii verò ex incorporeis: alii autem dicunt corpus quidem esse propriè causam, incorporeum autem per abusionem & veluti causaliter. Alii autem convertunt è contrario, res incorporeas quidem propriè dicentes esse causas: per abusionem autem corpora: ut, verbi causa, sectionem, quæ est operatio, esse incorpoream: & esse causam secandi, cùm sit operatio & incorporea, & quod secetur similiter gladio & eo qui secat, quæ sunt corpora.

Aliquorum autem causa dicitur tribus modis. Una quidem quæ est causa, ut statuarius: alia autem, cujus causa est: ut fiat statua: alia verò cui est causa, ut materia: æri enim causa est ut fiat statua. Fieri ergo & scindi, quæ sunt causæ cujus sunt, cùm sint operationes, sunt incorporea. Qua ratione, categorematum, vel ut nonnulli dicunt, dictorum (categoremata enim λεκτὰ, hoc est dicta, vocant Cleanthes & Archidemus) sunt causæ: vel, quod potius dicendum est, aliæ quidem dicentur causæ categorematum, ut hujus, scinditur, cujus casus est scindi: aliæ verò, pronunciatorum, ut hujus, navis fit. Cuius rursus casus est, navem fieri, Aristoteles autem vocat appellationem, nempe eorum quæ sunt ejusmodi, domus, navis, ustionis, sectionis. Est autem extra controversiam, casum esse incorporeum, quocirca illud quoque sophisma sic solvitur. Quod tu dicis transit per os tuum, quod quidem est verum: donium autem dicis, domus ergo transit per os tuum. Quod quidem falsum est. Neque enim domum dicimus quæ est corpus, sed casum qui est incorporeus, quem habet domus. Et ædificatorem dicimus ædificare per eam relationem quæ fit ad id quod futurum est. Sic dicimus texi chlamydem, id enim quod facit, significat operationem. Non est autem alterius quidem, id quod facit, alterius verò, causa, sed ejusdem & chlamydis & domus. Quatenus enim causa est ut fiat, ea ratione est etiam efficiens ut fiat: eadem autem est causa & efficiens, & propter quod. Et si aliquid quidem est causa & efficiens, hoc quoque est omnino propter quod: si quid autem est propter quod, non est id omnino quoque causa.

Multa quidem certè concurrunt ad unum effectum, propter quæ fit finis. Sed non sunt omnia causæ. Filios enim non occidisset Medea, nisi fuisset irata: neque fuisset irata, nisi laborasset zelotypia: neque fuisset zelotypa, nisi amasset: neque amasset, nisi Iason Colchos navigasset: neque Colchos navigasset, nisi Argo fuisset ædificata: neque Argo fuisset ædificata, nisi lingua fuissent scissa ex Pelio. In his enim omnibus cùm sit propter quod, non sunt omnia causæ cædis filiorum, sed sola Medea. Quamobrem id quod non prohibet, non operatur: quocirca non est causa id quod non prohibet, sed id quod prohibet: in agendo enim aliquod & operando causa intelligitur. Præterea, quod non prohibet, separatum est ab eo quod fit, causa autem refertur ad id quod fit: non erit ergo causa id quod non prohibet. Propterea quidem certè perficitur, quod non adsit id quod potest prohibere. Quatuor autem modis dicitur causa: efficiens, ut statuarius: & materia, ut æs: & forma, ut character: & finis, ut honor gymnasiarchæ. Eorum ergo sine quibus non, rationem æs tenet, ad hoc ut fiat statua, & est similiter causa. Nam quicquid est sine quo non contingit fieri effectum, causa est necessariò: causa autem non absolutè, non est enim synectica seu continēs causa, id sine quo non, sed adjuvans. Quicquid autem operatur, effectum reddit cum ejus quod patitur aptitudine: nam afficit quidem causa, patitur autem unumquodque prout ei fuerit aliquid à natura insitum, cùm sit ea quæ id præbet aptitudo & eorum sine quibus non, rationem obtineat. Est ergo causa adjuvans. Omnis enim causa consideratur in agendo. Seipsam autem non fecerit terra: quare nec fuerit causa sui ipsius. Ridiculum est autem dicere, non ignem esse causam ustionis, sed ligna: neque gladium, sectionis, sed carnem: neque quòd victus sit athleta, vires adversarii, sed suam imbecillitatem.

Causa continens non opus habet tempore: nam cauterium simulac carni fuerit applicatum, præbet dolorem. Ex procatarcticis aliæ quidem tempore opus habent, donec ad finem perductus fuerit effectus: aliæ autem non indigent, ut casus in fractura. Num ergo hæc non dicuntur expertia temporis per ejus privationem, sed per diminutionem, ut etiam repentè, quod nec ipsum quidem factum est absque tempore? Omnis causa quæ tanquam causa comprehendi potest cogitatione, est alicujus, & versatur in aliquo. Alicuius quidem effectus, ut gladius secandi: in aliquo autem versatur, nempe in eo quod est aptum & accommodatum, quemadmodum ignis in ligno, non uret enim Adamantem. Causa est ex iis quæ referuntur ad aliquid: mente enim concipitur per eam quæ est ad alterum habitudinem & relationem. Quo fit ut duobus sibi invicem applicatis, causam ut causam intelligamus. Eadem autem est ratio opificis, effectoris, & patris. Non est aliquid ipsum, sui ipsius causa, neque est aliquis pater suus: nam sic primum, futurum esset secundum. Causa quidem certè agit & afficit: quod à causa factum est, patitur & afficitur. Non potest autem idem à seipso sumptum, operari simul & affici, neque esse filius & pater. Et alioqui id quod est causa ejus quod fit ab ipsa, est prius tempore quoad essentiam, ut gladius incisionis. Non potest autem idem simul & tempore esse prius quoad materiam, quatenus est causa: & tempore esse posterius, quatenus est opus causæ. Et differt esse ab eo quod est factum esse. sic etiam causa quidem ejus quo fit, pater verò filii. Non contingit enim idem per idem & esse simul & fieri. Nihil est ergo sua ipsius causa. Causæ non sunt altera alterius invicem, sed altera alteri. Spleniaca enim quæ prius existit affectio, non est causa febris, sed ut fiat febris: & quæ præcedit febris, non splenis causa est, sed ut augeatur affectio. Sic etiam virtutes sunt sibi invicem causæ ne separentur, propter mutuam consequentiam: & qui sunt in fornice lapides, sunt sibi invicem causæ manendi, non sunt autem invicem causæ. Magister quoque & discipulus sunt sibi invicem causæ proficiendi.

Dicuntur autem alteri alterius inter se causæ aliquando quidem eorundem, ut mercator & caupo sunt sibi invicem causæ ut proficiant: aliquando autem alterius & alterius, quemadmodum ensis & caro: ille quidem carni, ut scindatur: caro autem gladio, ut scindat. Oculum pro oculo, & animam pro anima. Qui enim alicui vulnus inflixit lethale, is ei causa est mortis, aut ut ei mors accidat: qui autem ab ipso est vicissim lethaliter sauciatus, eum vicissim causam habuit, non quatenus ei fuit causa, sed per aliud: ipsi enim fit causa mortis: non autem mors mortale ipsi vulnus vicissim intulit, sed ipse sauciatus. Quare ipse quidem fuit alterius causa, aliam autem causam habuit. Et qui alii fecit iniuriam, causa quidem est alterius, nempe ejus cui facta est injuria. Lex autem quæ contra jubet eum supplicio affici, non injuriæ ac maleficii, sed alteri quidem vindictæ, alteri verò disciplinæ causa est. Quamobrem non sunt sui invicem causæ ut causæ, si causæ sunt. Præterea quæritur an multa fiant multæ causæ unius per congressum. Conjuncti enim homines causa sunt ut navis attrahatur, sed cum aliis, nisi sit etiam aliqua causa adjuvans, quæ concausa dicitur. Alii autem dicunt, si multæ causæ fiunt, seorsum una unius causa, ejus quidem quod dicimus esse beatum, quod unum est, causæ sunt virtutes quæ sunt multæ: & ejus quod est calefieri, & dolere, multæ sunt causæ similiter.

Nunquid ergo multæ virtutes sunt una potestate, & quæ calefaciunt, & dolore afficiunt: & multitudo virtutum quæ est unum genere, fit causa unius, nempe ejus quod est esse beatum? Revera autem procatarcticæ quidem causæ sunt unius plures & genere & specie: & genere quidem, ut cujuslibet morbi, exempli gratia, algor, resolutio, labor, mala concoctio, ebrietas: specie autem febris. Continentes autem causæ, genere solùm, non itidem etiam specie. Ejus enim quod dicimus bene olere, quod est unum genere, multæ sunt causæ specie, utpote thus, rosa, crocus, styrax, myrrha, unguentum. Rosa enim non erit adeò odorifera, ut myrrha.

Idem autem fit causa contrariorum, aliquando autem ob ejus quod patitur aptitudinem. Ob certam quidem vim, nempe eadem chorda ob intensionem aut remissionem, acutum aut grave edit sonum: ob aptitudinem autem eorum quæ patiuntur, mel quidem sanos dulcedine afficit, amarore autem eos qui febre laborant: & unum & idem vinum, alios quidem ciet ad iram, alios verò exhilarat: & idem Sol, ceram quidem liquefacit, lutum autem exsiccat. Porrò autem ex causis aliæ quidem sunt apertæ, aliæ verò obscuræ: & aliæ quidem consideratione comprehenduntur, aliæ ratiocinatione. Ex obscuris autem, aliæ quidem sunt obscuræ ad tempus, ut quæ aliquo quidem tempore abditæ fuerint, aliquando autem rursus apertè videantur: aliæ autem obscuræ natura, quæ nullo tempore possunt esse apertæ. Et ex his quidem quæ sunt natura, aliæ quidem possunt comprehendi, quas quidem vocabant non obscuras, quæ per signa sumuntur reputando ac ratiocinando, quemadmodum symmetria dubiarum orationum quę cadunt in contemplationem: aliæ autem quæ comprehendi nequeunt, quæ nullo modo possunt cadere sub comprehensionem, quæ etiam omnino dicuntur obscuræ. Et aliæ quidem sunt procatarcticæ seu primordiales, aliæ verò synecticæ, id est continentes, aliæ autem concausæ, aliæ verò adjuvantes. Et aliæ quidem, ejus quod est secundum naturam, aliæ verò, ejus quod est præter naturam. Aliæ autem morbi, & per accidens, aliæ quidem affectionum, aliæ vero earum magnitudinis: aliæ autem temporum & occasionum. Atque si tollantur quidem causæ primordiales, manet tamen effectus. Continens autem causa est, quæ si adsit, manet effectus: & si tollatur, tollitur. Continentem per synonymiam appellant, etiam per se perfectam, quandoquidem est sufficienter per se efficiens effectus. Si autem causa per se, perfectam significat operationem, adjuvans causa significat ministerium, & munus quod obit cum alio. Atque si nihil quidem præbetur, ne dicetur quidem adjuvans: sin autem præbetur, cius fit omnino causa cuius etiam præbetur, hoc est, ejus quod fit per ipsam. Est ergo causa adjuvans, quæ cum adest fit effectus, apertus quidem apertæ, obscurus autem obscuræ. Porrò

autem

autem concausa quoque est ex genere causarum, quemadmodum commilito est miles, & coëphebus est ephebus: atque adjuvans quidem causa, fert opem causæ continenti, ad intentionem ejus quod ab ipsa fit. Concausa autem non ita mente concipitur; potest enim esse concausa, etsi non sit aliqua causa continens. Intelligitur enim concausa cum alio, quod nec ipsum per se potest effectum efficere, ut quæ sit causa cum causa. Differt autem adjuvans causa à concausa, quod concausa quidem, ei quod seorsum non efficit, præbeat effectum: adjuvans autem, in eo quod seorsum quidem non efficiat, alteri autem accedens quæ seorsum efficit, ei ferat opem ad hoc ut sit effectus vehementissimus. Maximè autem ex primordiali causa factam esse causam adjuvantem, ad vim causæ intendendam adducit. *libro 8. Stromatum.*

Depositi.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Chrysostomus: Certè dum apud aliquos aliquid deponimus, nihil accipimus amplius, gratiasq; agimus, si vel totum quod deposuimus receperimus: & si fur aliquid furetur, nostro cum detrimento id faciet: at verò cœlestis ille depositi nostri Salvator dicturus tibi non est, Latro accepit, neque Tinea corrosit, sed & huic centuplum reddit, & illic æternam adjicit vitam: & nemo tamen apud illum deponere studet. *Hom. 11. ad Timoth. 1.*

Lysias: Etsi nullum hominum verebaris, Deos tamen te timere oportebat; qui accepisti illo discedente quinq; talentorum depositum, qua de re paratus sum fidenti animo ubicumque volueris, præstare juramentum per capita horum liberorum. *capit. 4. Oratione trigesima quarta.*

Isæus: Cùm, Prætore Cephisodore, triremi cum imperio præessem, & fama perlata ad meos esset, quod in prælio navali interiissem: cumque pecunia à me deposita apud Eumathem hunc esset, accersitis ille propinquis & amicis meis, indicavit quæ penes ipsum essent, & omnia justè & ut par erat restituit, *apud Halicarnassæum capit. 5. de Isæo.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Qui quadruplum ab infitiatore petit, illa dicere solet: Oportet pœnam esse avaritiæ, & affici supplicio cupiditates: neque enim aliter fides constare potuerit apud omnes, nisi metu contineantur. Depositum hoc eo magis vindicandum, quod ferè secreta sint citra probationem. *Declam. 245.*

Idem paulò post: Non est in depositis simplex conditio. Deponitur aliquid, quod quandocunque repetitur reddendum est. Deponitur aliquid in tempus.

Quintilianus Senior: Quid in causa est præter veritatem, ut aliquis id petat, quod probari non possit? Et inficiandi quidem depositam pecuniam manifesta ratio est, cupiditatis lucri: petendi etiam non depositam, si quæ probationis spes, eadem causa sit. Cùm quidem aliquis dicit, Deposui apud te, scis ipse: quid aliud videtur advocare quàm Deos testes. Dicite igitur causam quare petierit, si non deposuerat? Habere pecuniam potuit, manifestum est: & ipse reliquit heredes, & is qui ejusdem ordinis fuit. Multas deponendæ pecuniæ intervenire rationes inter milites manifestum est: longum iter incidit, periculosa expeditio. Si deponenda sit, ubi credibilius est deponi quàm apud hominem ejusdem ordinis? Nam præter id quòd facilior speratur fides ex pari, est quædam ejusdem ordinis cõjunctio: nec apud inferiorem deponi solet, cùm ideò deponatur ut recipiatur. credibile est ergo apud hominem ejusdem ordinis depositum esse. At sine teste. De omnibus depositis loquar. Misera herculè conditio mortalitatis, quando omnibus jam quæ agimus, videtur opus esse teste: ita parum facit veritas, ita nullum nomen est fidei. Non satis videri, si est probatum, quod duo sciunt? *Declamatione trecentesima & duodecima.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Depositò fraudare quēquam, fraudium immanissima est.
Depositum negare nemò nisi sacrilegus audeat.
Negligentius tueri depositum est dolus malus.
Nemo apud minus fideles deposuerit res suas.
Nonnisi intimis amicis quisq; res credit suas.
Sit fide optima necesse est nostra cui committimus.

¶ IAMBICA.

Ceu rem sacram deposita quaq; censeas.
Custodias deposita cautius quam tuum.
Deponimus nostra utiq; apud fidissimos.
Malè redditur depositum si dato nocet.
Nihil meretur depositum ultrò qui refert.
Servare depositum, est servare rem sacram.

Desiderii.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Nazianzenus: At tu mihi adesto, virtutemq; conspiratione tua atq; opera mihi fove, eamq; utilitatem quam quondam collegimus, precibus tuis conserva, ne alioquin paulatim velut umbra dilabamur advesperascente die. Equidem ipse te magis quàm aërem spiro, idq; solum vivo, quod tecum sum, vel coram, vel absens per animi simulacrum. *Epistol. 9. fine.*

D. Nazianzenus: Desiderabamus vos, filii, pariq; ut mihi persuadeo, desiderii affectu à vobis expetebamur (videte paterni animi candorem! nam & quod meum est narro & vestro erga me affectui testimonium præbeo) atque hactenus inter nos disjuncti ac divulsi, ut desiderium nostrum utrimq; agnoscere, atque ipsa locorum distantia & intervallo, quemadmodum pictores tabulas, explorare possemus, rursus convenimus. Quàm magnus memoriæ fomes est, vel brevis familiaritas & consuetudo, iis duntaxat qui moribus sunt ad amandum propensis. Deiq; erga genus humanum amorem imitantur. *Oratione decima octava.*

D. Nazianzenus: Ac profectò velut unicus dies totius vitæ humanæ instar est desideria laborantibus. Nam illud Patriarchæ Jacob mihi alio modo se habere videtur, qui duabus virginibus quatuordecim annis Labam Syro serviens, haudquaquam labore frangebatur. Erant enim, inquit, omnes illi dies, quasi dies unus, quod earum amore flagraret. Cuius rei hæc fortasse causa erat, quia rei expetitæ conspectu fruebatur: vel etiam quia leve est amore laborare, tametsi dilatio ipsa molestiam afferat. Sic videlicet natura comparatum est, ut ea segnius appetamus, quibus facile libereque frui licet, quemadmodum veterum quidam affirmavit. Equidem ipse, qui, cum adessem vim hujus affectus parum admodum sentiebam, posteaquam à vobis disjunctus sum, cupiditatem, amoremque, dulcem tyrannum, agnoscere cœpi: quod quidem non est cur novum videatur. Etenim si vel bubulcus ob vitulum unum ab armento aberrantem, vel pastor ob pecudem ex denario numero deficientem, vel avis ob nidulum, quem ad breve tempus reliquit, usqueadeo discruciari solent, ut & illi arreptis fistulis in speculam quandam evecti, calamos omnes mœrore impleant, & palantia animalia quasi ratione prædita evocent, ac si paruerint, majorem ex illis, quàm ex reliquis universis delectationem percipiant; & hæc stridens ad nidum convolet, pullisque stridentibus advolvatur, eosque pennis foveat: quantò tandem chariores esse par est apud bonum & commodum pastorem oves ratione præditas, & pro quarum salute nonnihil periculi subiit? quandoquidem hoc quoque acriores amoris flammas excitat. *Initio Orationis 28.*

D. Nazianzenus: Quamdiu vehemens est desiderium, id quod desideras, arripe. quamdiu calet ferrum, frigida obduretur: nec quid interim accidat, quod animi cupiditatem infringat. *Orat 40.*

D. Nazianzenus: Quid lumbis commune cum veritate, quemadmodum voluit Paulus? Num forte, quod speculatio concupiscentiam coërceat, nec aliorsum ferri sinat? Nec enim fieri potest, ut qui rei cujuspiam amore flagrat, parem ad alias voluptates vim habeat. *Oratione 42.*

D. Nazianzenus: Res quoque huius loci mihi exagitare & cavillis impetere videris, non ut cavilleris, sed ut me ad te ipsum trahas (si quid tamen ego mentem tuam intelligo) quemadmodum qui flumina obstruunt, ut in aliam partem retrahant ac derivent. *Epistola septima.*

S. Isidorus Pelusiota: Virtus quidem moribus quoque decus suum probro atque ignominia minimè afficit. At te, ea, quæ assequi non potes, amare haudquaquam oportet: verùm his omissis, ea quæ consentanea sunt, optare. Quandoquidem etiam ille divinarum rerum interpres Moses, ac divinus Paulus in nonnullis rebus ea, quæ postulabant, haud obtinuerunt: verum quòd non rectè postulassent, didicerunt. *lib. 2. Epist. 134.*

S. Isidorus Pelusiota: Si salutis desiderio teneris, omnia, quæ ad eam ducunt, effice. Nam qui ut aliquid fiat, expetit, quo id fiat, quidvis agere debet.

Synesius: Ioannes, quem quidem ideo quod te amat diligo, difficili morbo conflictatus est. malum autem illi non tam morbus erat quàm quod sacro abs tuo capite esset remotus: quando & nunc eodem in statu hæres, jam tertium illud molestiorem ei ægritudinem facit. *Epist. 37.*

Synesius: Sanus felixque perpetuò vivas, Deoque acceptus, ô fodalis optatissime, & utinam aliquando mutua consuetudine gaudentes invicem frui liceat, neque tu antea discedas, quam nos inter nos viderimus: sin aliud Deo visum fuerit, tu verò etiam absentis nostri recordare. Etenim meliores Synesio multos reperies, qui impensius ament, non temerè multos reperies. *Epist 96.*

Synesius: Si tantus ineſt Suadæ in literis aculeus, si expressæ animi morumque imagines, vivi ac spirantis affectus, & gratiæ inanes, tantas legentibus illecebras immittunt: profectò difficile admodum fuerit, coram illis ac præsentem vti. Me quidem fateor an-

tea suavissima sermonis tui Sirene præsens capiebas: nihilominus verè hoc prædicare non verebor, alterum mihi experimentum multo jucundius futurum. Non enim præsentis boni, perinde ut absentis, is qui jam periclitatus est sensum percipit. Nam illi fruendi ipsa perpetuitas voluptatis sensum adimit, hic paulatim ab jucundis rebus abductus, statim altera ex parte recordatione ista stimulatur ac pungitur, quibus demum bonis fraudetur. Utinam ergo ad nos venias, amicissimum caput, mutuoque de philosophia congressus ac colloquia habeamus, consentanea iis quæ jam inchoata sunt adstruentes, ut ex perfectis non manca, sed perfecta absolutaque pulchritudo consurgat. Sed si, quod deprecari meritò converit, mutuo consortio privemur; haud dubium est, quin in meipsum detrimentum omne recidat. Nam tibi, si illic disciplinæ multitudine hominum efflorverint; multorum Synesio & meliorum & similium erit copia, quibus cum consuescas. Mihi verò patria, quatenus quidem patria est, longe est charissima: Cæterum nescio quo pacto ad philosophiam obduruit. Quare minimè tutum est sine alicujus auxilio permanere, si non sit qui iisdem veluti Corybantum sacris insaniat. Atque ut esse aliquos demus.

Qui tandem esse queam divini oblitus Vlyssis?.

Cuinam alteri igniario affricatus, præter tuum sacrum animum, lucidum ac splendidum mentis fœtum eniterer? Quis tam vehementer abditam, ac latebris gaudentem scintillam machinis omnibus possit elicere? quis succendere? quis luculentum accopiosum ignem efficere? Itaque sive absentibus, sive unà degentibus nobis Deus semper adsit: præsente verò Deo, etiam quod inextricabile est explicari facilè potest. Vale & philosophare. *Epistola centesima trigesima octava.*

Synesius: Nobis etiam absens semper in memoria versaris. Neque enim ut maximè velimus, suavissimum animum tuum moresque: synceriissimos oblivisci possumus, fratribus in omnibus admirande. Quandoquidem nihil in nobis esse potest tui recordatione sanctius, nisi forte iterum venerabile tuum caput amplecti: quod utinam aliquando tandem Deus concedat, ut & te videamus, & suavissimam sermonis tui vocem audiamus. Cæterum iis quæ misisti, magnam nobis voluptatem attulisti, accepimus enim omnia: sed plus tamen mœroris ea cogitatione dedisti, cujusmodi nos amico vivo ac spirante privaremur, utinam tandem illud tempus adveniat, quo mutua consuetudine fruamur: utinam tanta mihi divino beneficio felicitas contingat. *Epistola centesima quadragesima octava.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Quanto deprimuntur suorum fasce factorum, quibus ab oculis tollitur quidquid offertur, & ne in oblivionem desideria mittantur, vicinum fit, nec contingi licet omne quod cupiunt. Ad Ticinensem urbem votivam susceperam necessitatem, & molesti itineris universa transieram: cùm subitò summo labore petitus jam de area fructus effugit, &c. *lib. 2. Epist. 3. pr.*

Ennodius: Frequenter necessitates desideria transcendunt, & sine intermissione timor cedit affectui. Voluntas in culpa est, quæ concinnata excusatione defenditur. *lib. 4. Ep. 33. f.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Phalarius Agesilao: Telesippe, molesto animo tuam apud Syracusios moram tardationemque pati videtur. Tantum autem affecta, mariti amantem, castamque vxorem se declaravit, nosque durius in te imperium habentes obtestata est, affirmans se non amplius absentiam tuam ferre posse, sed patrē suum implorans, fortè novisti, quid agere cupiat. At hoc tibi cōfirmo, faceret mehercule. Non enim diutius potest ut alienum negligere, suum lege maritum. Atque illa me rogavit, ut reverti te cogerem. Ego vero contrà, illam. Non enim ita Phalarim te existimo timere, ut Telesippen. Proinde redi quæso, teque ipsum sui cupidis & amantibus redde, sive nos magis reverere, sive illam, dignam equidem amore longè vehementiore. *Epist. 132.*

Simplicius: Si ea desideraris quæ supra vires tuas sunt, & dolere & frustrari te necesse erit, interdum etiam mollescere, & animum despondere. nam qui majora suis viribus desiderant, hi modis omnibus sibi apta contemnunt, eaque comparatione majorum respuunt. Neque verò magnis ante parva poriri licet; neque ante ea quæ commoderata nobis sunt, ad majora penetrare. *fine cap. 6. in Epictetum.*

Iulianus Imp. Mitte itaque orationem illam unaque sacrum illud consilium, sed per Mercurium & Musas, mitte celeriter. Sed & me scito tribus his diebus valde abs te consumptum esse, siquidem verè ait poëta Siculus, uno die amantes consenescere. Quod si ita est, ut certè est, senectutem jam nobis, vir egregie triplicasti. *Epistola tertia.*

Libanius: Agamemnon sciebat imperium se eversurum, si omnia exercitui permitteret, eorumque petitionibus adquiesceret. *in progymnasmatis.*

Philostratus: Cùm Titus aliquando publicè sacrificaret, congregata in unum Tarsensium civitas, de rebus maximi momenti apud eum intercessit, ille petitionibus eorum auditis, memoriæ habiturum, & de ipsis cum patre communicaturum respondit, quinetiam se legati vicem apud patrem pro ipsis subiturum pollicitus est. Tunc Apollonius: Si ego inquit horum aliquos manifestè coarguerim, tibi patriique hostes acerrimos fuisse, legatosq; ad res novas moliendos Hierosolyma esse profectos, & socios belli occultos iis qui tibi manifestissimi hostes sunt, quidnam illi paterentur? Quid aliud, inquit Titus, nisi ut morte plecterentur? Non igitur turpe judicas, infit Apoll. à delinquentibus pœnas statim reposcere in dandis autem beneficiis cunctationem quærere, & eas quidem ex te ipso inferre, in iis alterius sententiam asciscere sociam? His verbis lætatus Cæsar, permitto inquit concedoq; postulata: neq; enim mihi pater succensebit, quod à re, & à veritate fuerim superatus. *lib. 6. cap. 15.*

Procopius Sophista. Qui Sirenas præterlegerent navigando & carmina auribus perciperent, non patriæ desiderio tenebantur, neq; liberorum recordabantur. Omnia verò pati eis pulchrius & honestius videbatur, quàm ab his discedere, quarum voluptatem erant experti. Nos verò tuam musam summo, quod ajunt, digito gustantes, sic omni cupiditate ad eā delati cùm furore sumus, ut paulùm absit quin ab ea capiamur, quanquam corporibus distare necesse sit. Soluentib. autem nobis cogitatione, una soluimus. Et nunc Alexandri urbē habitamus, atque vobiscum esse per imaginationem fingimus. Ejusmodi sententiam amores mihi ingenerarunt. Et si paulisper resipiscens ad me ipsum redeam, in narrationibus de te comparatis, voluptatem ac delicias habeo, & omnes vicissim de vobis commemorāt, alius facilitatem sermonis, alius morum gravitatem, alii suavem appellant, alius moderationem animi recensēt, alius te Musas in lingua ferre dicit, & quilibet alios prævertere contendit, solus tuis virtutes prædicando. Tu verò scribe, literis absentiam fovens, & eum qui adfert epistolam libenter videre dignare. *Epist. 31.*

Procopius Sophista: Tu nostrum silentium derides. At ego tuam insolentiam atq; superbiam ferre non possum, quod forsitan te gravem & magnum videri putas, si nobis interposito quàm longissimo tempore te nobis conspiciendum præbeas, & sæpe nobis loquendi occasionem injicias. Quando redibit ad nos ille formosus, facie iucunda præditus, qui Sirenes etiam voluptatibus obscurat, qui suam patriam contemnit, ut servet imperium Cæsaris. Ejusmodi sermones jactare nos existimas, dum tu semper moram protrahis ac producis. Et omnino sic apud animum tuum statuis, raritatem semper quærentibus augere desiderium atq; amorem solvere. Unde fit, ut negligas nos. Neq; id adhuc est nobis grave, quanquam ejusmodi sit. Sed & patrios conventus ac concilia prō nihilo ducis, &c. *Epist. 37.*

Procopius: Falsi sumus spe diuturna, & penè tristi jam tempore, quod finem non acciperet. Attamen exhilaravit, & moderatiores nos reddidit. Tuam enim epistolam in memoriam vocantibus; occasionem præbuit cogitandi, te mox ad nos esse reversurum. Nunc autem etiā ipsa spe nos frustratos esse quomodo moderato animo feramus. Sed ō fortuna fortuna. Vociferabor enim paulò altiùs ad leniēdum dolorem. Quid adeò tibi voluptatem præstat indignatio ac mœror noster. Debebas enim, aut non in amorem homines pellexisse, aut fructum ex mutua cōsuetudine percipere pati, neq; abstractis & avulsis gaudere. Sed enim nihil novum est, nos cum sumus nati homines talia pati. Sed oportet collum demittere, & necessitatis jugum lubenti animo ferre. Nam placiti labores sunt remissiores laborantibus. *Epistola 55.*

Simocatta: Ad decimum calēdas Augusti redituram te ad nos pollicita es, & fefellisti promissa Dexicrates. Mihi verò cor etiam exustum est amore, & instar torris, pectus inflammatum est. Quotidie lachrymas cum gemitu profundebam, & tuum reditum somniabam. Januæ pulsus semper mihi tuæ præsentiæ phantasiam peperit. At tu Dexicrates aliò traducis amorem, & semper tibi peregrinum antiquius, nam celerrima satietate ignavorum animi subigi consueverunt. Infida res est desiderium & amores. Jacieris etiam tu aliquando. eorum enim qui patiuntur injuriam, calamitates & miseriæ, ad injuriæ autores transeunt. *Eurippe Dexicrati Epist. 9.*

Heliodorus: Vim vehementis cupiditatis tergiversatio contrario nixu intendit: oratio verò cedens, & ad motum voluntatis apposita, primum ardentemque impetum sedat, & concitatam appetitionem suavitate pollicitationis consopit. Primo siquidem conatu qui agrestius ament, in promissionem efflagitandam sibi incumbēdum esse existimant, & se potiri post promissa putantes, tranquilliori sunt animo, in spe vacillantes. Quæ ego prospiciens sermone me in ejus potestate tradidi, eis quæ deinceps consecutura sunt Deis commendatis & Genio, qui initio amoris nostri tutelam sortitus est. *Libro Æthiopicorum primo.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Incredibile est, quanto desiderio tui tenear. in causa, amor primum; deinde quod non consuevimus abesse. inde est, quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo. inde quod interdiu, quibus horis te visere solebam, ad diætam tuam ipsi me, ut verissimè dicitur, pedes ducunt, quod deniq; æger & mœstus, & similis excluso, à vacuo limine recedo, unum tempus his tormentis caret, quod in foro & amicorum litibus conteror. Æstima tu quæ vita mea sit, cui requies in labore, in miseria curisque solatium est. *Epist. 5. libri 7.*

Plinius Iunior: Scribis te absentia mea, non mediocriter affici, unumq; habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, sæpe etiam in vestigio meo colloces. gratum est quod nos requiris, quod his fomentis meis acquiescis. invicem ego epistolas tuas lectito, atque identidē in manus quasi novas sumo. sed eo magis ad desiderium

tui

tui accendor. nam cujus literæ tantum habent suavitatis, hujus sermonibus quantum dulcedinis ineſt? tu tamen frequentiſſimè ſcribe, licet hoc ita me delectet, ut torqueat. *Epiſt.* 7. *lib.* 6.

Plinius Iunior: Cùm veniſſem in villam Alſienſem quæ aliquando Rufi Virginii fuit, ipſe mihi locus optimi illius maximi viri deſiderium non ſine dolore renovavit. hunc enim incolere ſeceſſum, atq; etiam ſenectutis ſuæ nidulam vocare conſueverat. quocumque me contuliſſem, illum animus, illum oculi requirebant, libuit etiam monumentum ejus videre &c. *Epiſt* 10. *lib.* 6.

Plinius: Inundatione, hoc eſt, ubertate fraudata Ægyptus, ſic opem Cæſaris invocavit ut ſolet amnem ſuum. nec longius illi adverſorum fuit ſpatium quam dum nunciat. tam velox Cæſar potentia tua eſt, tamq; in omnia pariter intenta bonitas & accincta, ut triſtius aliquid ſæculo tuo paſſis, ad remedium ſalutemq; ſufficiat, ut ſcias. *cap.* 30. *panegyr. ad Trajanum.*

Plinius: Penè ipſo contubernio Principis felicius jucundiusque eſt deſiderare Principem deſiderantem. *cap.* 86. *fine panegyr. ad Trajanum.*

Nazarius: Avidius expetenti quem pictura non reddit. flagrantiora ſunt animorum deſideria, cum oculorum ſolatia perdiderunt. *Orat. in Conſtantinum Aug. fin. cap.* 12.

Latinus Pacatus: Nec pia Hæmona cunctatius, ubi te adfore nunciatum impulſis effuſa portis obviam provolavit, & (ut eſt omne deſiderium poſt ſpem impatientius) credens patere venienti, feſtinavit occurſare venturo. *cap.* 37. *Paneg. Theodoſ. Aug. dicti.*

Symmachus: Gravis eſt ſitis bonarum rerum, cui ſola fruendi aſſiduitas medicinam facit. *lib.* 3. *Ep.* 46. *m.*

Symmachus: Nullum deſiderium ad ſecunda progreditur, ſi priora diſpliceant. *lib.* 4. *Epiſt.* 65. *m.*

Symmachus: Deſiderium tui apud me creſcit ex mora. *lib.* 7. *Epiſt.* 7.

Symmachus: De reditu filii noſtri Fauſti prænuncias paulò ante literas miſi, ut accelerata ſecuritas deſiderii veſtri impatientiam mitigaret. *lib.* 7. *Epiſt.* 78.

Symmachus: Velim noveris nullas moræ allegationes deſideranti bus juſtas videri. Quidquid igitur ipſe accuſationis attuleris, ſurdis, ut ajunt, auribus ingeretur. *lib.* 9. *Epiſt.* 64. *m.*

Symmachus: Utcunque tamen deſiderium tui literarum ſolatio mitigaſti. quas frequentare dignaberis, ſi qua tibi ad huc neceſſitas familiaris moram indixerit. *lib.* 9. *Epiſt.* 74.

Symmachus: Accuſo literas tuas, quas, malè credulus, deſiderio meo facturas medicinam putavi: At illæ decurſæ oculis admoverunt tædas ferventiores. Affluebant enim multo melle facundiæ, quod avectum tecum doleo. Itaque parvæ lectionis ſapore commotus, triſtiorem damni ſenſum recepi. Inter hæc occurrit altera cogitatio, amarius eſſe ſi taceas. Quapropter cõditio durior vertit me ad optionem prioris. Peto igitur ſcribas. Sed fac epiſtolis tuis temporis intervalla breviora. Sæpius ad me commeent, & confabulationem præſentis imitentur. Fruemur aſſiduè ea parte qua melior es. *lib.* 9. *Epiſt.* 84.

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 1. ſc. 3.

Ne corrumpe oculos! redibo actutum. A. id actutum diu eſt.
I. Non ego te hic lubens relinquo, neq; abeo abs te. A. ſentio.
Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis.

Plautus Amphitr. 2. ſc. 2.

Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abeſt, quem amo prater omnes.
Plus agri ex abitu viri, quàm ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat ſaltem, quod perduelles vicit & domum
Laudis compos revenit, id ſolatio eſt. Abſit, dummodò
Laude parta domum recipiat ſe, feram & perferam uſq;
Abitum eius animo forti atque obfirmato: id modò ſi mercedis
Datur mihi ut meus victor vir belli clueat, ſatis
Mihi eſſe ducam.

Plautus Captivis. 2. ſc. 2. v. 20.

Quid tu? ſervus-ne eſſe, an liber malelis, memora mihi.
P. Proximum quod ſit bono, quodq; a malo longiſſimè
Id volo: quamquam non multum fuit moleſta ſervitus,
Nec mihi ſecus erat, quàm ſi eſſem familiaris filius.

Plautus Sticho 3. ſc. 1. v. 5.

Olim quos abiens affeci ægrimonia,
Eos nunc latantes faciam adventu meo.

Auſonius Epiſtola 2.

Iam ſuper egelida ſtagnantia terga Moſellæ.
Protulerat te, gnate, rates, mœſtiq; parentis
Oſcula & amplexus diſcreverat invidus amnis,
Solus ego, & quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram, profugaq; dabam pia vota carina.
Solus adhuc regnate videns, celeriſq; remulci
Culpabam properos adverſo flumine curſus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille eſt,
Attica quem docti colligit cura Metonis.
Deſertus vacuis, ſoliſq; exerceor ariis.

Auſonius Epiſtola 24. v. 99.

Te ſine ſed nullus grata vice provenit annus.
Ver pluvium ſine flore fugit, canis æſtifer ardet.
Nulla autumnales variat Pomona ſapores.
Effuſaq; hiemem contriſtat Aquarius unda.
Agnoſcis ne tuam, Ponti dulciſſime, culpam.
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam
Paullini illius veteris reverentia durat.
Quæq; meo atq; tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulyſſis,
Aut præter dominum virabilis ornus Achilli,
Nos quoq; tam longo Rhamnuſia fœdere ſolvet.

Auſonius Epiſt. 24. v. 119.

Accurre ô noſtrum decus, ô mea maxima cura.
Votis omnibus q; bonis precibuſq; vocatus.
Adpropera, dum tu juvenis, dum noſtra ſenectus
Servat inexhauſtum tibi gratificata vigorem.
Ecquando iſte meas impellet nuncius aures?
Ecce tuus Paullinus adeſt: jam ninguida liquit
Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva.
Hebromagi jam tecta ſubit, jam prædia fratris
Vicina ingreditur, jam labitur amne ſecundo,
Iamq; in conſpectu eſt, jam prora obvertitur amni,
Ingreſſuſq; ſui celebrata per oſtia portus:
Totum occurſantis populi prævertitur agmen,
Et ſua præterieus, jam jam tua limina pulſat.

¶ Monoſticha Trochaica.

Alia mens deſiderantibus, alia poſſidentibus.
Cur quæ non das ipſe amicis hæc ab eis deſideres?
Improbis ſufficere quiſnam poſſit deſiderius?
Non deſiderare longe quam frui jucundius.
Non ea jam mens res habenti, quæ deſideranti erat
Non ea mens rem poſſidenti eſt, quæ deſideranti erat.
Pluvimum deſiderare, ſignum eſt vel pauperrimi.
Plus timendum ſpes vicina dum deſideria uſtulat.
Quilibet ſibi quod deſit, vult magè ac deſiderat.
Senſus alius eſt præſentis, alius abſentis boni.
Si lovem vis provocare, oportet nil deſideres.
Tam gratum nil eſt adeptis, quam concupiſcentibus.
Vtrum non deſideres, an habeas intereſt nihil.
Vtrum non deſideres quid, an habeas, nil intereſt.

¶ Jambica.

Deſideranti injuſta quævis eſt mora.
Deſideranti pauca, multa haud excidunt.
Deſiderata conſequi dulciſſimum.
Deſideria obtinere cuncta, pœna maxima eſt.
Deſiderio expleto, animus mutari ſolet.
Deſiderium acuit abſentis vicinitas.
Deſiderium deſiderio reſtinguitur.
Dulciſſimum eſt potiri quæ deſideras.
Et deſiderium prodit imbecillitas.
Haud quopiam caret qui non deſiderat.
Lex deſideriis ſcripta nulla creditur.
Minimè grave eſt non appetere id quod neſcias.
Parvi puelli magna non deſiderant.
Perſæpe fallit deſiderium ipſius timor.
Poſt ſpem omne deſiderium impatientiſſimum eſt.

Desperationis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Chryſoſtomus:* Nemo ex iis qui ſunt in vitio, deſperet: nemo ex iis qui ſunt in virtute, confidat. Sed & hic ſit timidus, & ille promptus & alacris. Neque enim qui eſt piger & ſocors, ſufficiet ad manendum in virtute: neq; qui ſtudium adhibet & diligentiam, erit imbecillus ad fugiendum vitium. Horum autem amborum exemplum eſt beatus David: ut qui quando parum dormitavit, valdè ceciderit, & quando fuit compunctus, ad priorem reverſus ſit altitudinem. Sunt enim utraq; ex æquo mala, & deſperare, & pigrum eſſe ac negligentem. Nam illud quidem dejicit ab ipſo cæli fornice: hoc autem non permittit, ut qui jacet reſurgat. Propterea illi quidem dicebat Paulus: Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Huic autem: Hodie ſi vocem ejus audieritis, ne obduretis corda veſtra. Et rurſus: remiſſas manus & diſſoluta genua erigite. *Homilia* 38. *ad Corinth.* 1.

S. Iſidorus Peluſiota: Si mihi mortem gerendum putas, nullo modò: ſin autem tibi ipſi, ne hoſtes tuos in neceſſitatem admodum redigas atq; concludas: ne alioqui in extremis rerum difficultatibus neceſſitatẽ (quæ ſubditis ſibi à deſperatione ſtimulis, miram ad contumaciam vim habet) in conſilium adhibentes, iis malis te mulctent, quibus eos mulctare cogitas. Illa enim rerum earum, quæ geruntur, inſpectrix juſtitia, perſæpe ob victorum inſolentiam & importunitatem, rerum ſtatum in contrarium commutat. *lib.* 2. *Epiſt.* 84.

S. Isidorus Pelusiotâ: Et admisso delicto pœnitentia minimè ducti, pernicioſum eſt: & deſperatione affici pernicioſius. Illud enim à ſegnitie ac ſocordia manat: hoc à ſtupore atq; indolentia. Quando autem ſtupor ſocordia gravior eſt, tantò quoq; deſperatio negligentiam gravitate ſuperat. Ille enim immedicabile malum eſt: huic ad medicinam aditus patet. Quandoquidem ille depravati atq; corrupti judicii eſt: hæc autem circumſcriptionis & impoſturæ. Quamobrem ne nos accuſes, ut incuria laborantes, atque ad miſerum Zoſimum literas minimè cudentes, cùm ille duobus his moleſtiſſimis vitiis depreſſus ſit, nempe ſocordia & ſtupore. Non enim incuria laboravimus, optime vir, verùm à multis hac de cauſa perſæpe incitati, indomitam illam feram, & ſermone, & cohortatione, & minis, & pollicitatione, & ſuppliciis ad defatigationem uſq; monuimus. Verùm, ut apparet, illud minimè animadvertimus, nos Æthiopem dealbare, dæmonémque humanâ formâ præditum ad manſuetudinem & lenitatem pertrahere ſtudere. Quamobrem iſtud compertum habens, nos quicquam, quod ad officium noſtrum pertineat, nec prætermiſſuros eſſe, tuas ipſe preces largire. Sic enim fortaſſe ex tanta inſania emerget. *lib. 2. Epiſt. 94.*

Syneſius: Itáne verò? miſeros illos videamus ſponte mortem ſubire pro alienis rebus velle, quaſcunque deprædati fuerint, ne rurſum iis quorum illæ ſunt, tradere cogantur: nos pro ſedibus noſtris, pro ſacris, pro legibus, pro fortunis quibus nos magis temporis diuturnitas aſſuefecit, non periculis omnibus vitam exponemus, ſed animæ noſtræ conſulemus? Haud ſanè viri eſſe videbimus. Mihi quidem utut habeo, recta in illos eundum eſt, experimentúmque de tam audacibus hominibus capiendum, quales tandem cum ſint inſultare Romanis non dubitent, quocumque ii modo ſeſe habeant. Camelus enim (aiunt) etiam ſcabioſus multorum Aſinorum onera ſuſtinet. Enimvero & mori ferme in ejuſmodi caſibus eos video, qui vitæ ſuæ plurimum ſtudent, & vivere quotquot vitam deſperaverint. Horum ego unus ero. Pugnabo enim tanquam moriturus: Nec dubito quin ſuperſtes ſim futurus. A Lacedæmoniis enim ortum duco; & magiſtratuum ad Leonidam literas probè teneo: Tanquam illico morituri dimicent, & non morientur. *Epiſt. 113.*

¶ Latinorum.

Egeſippus: Judæi videntes undiq; ſe incluſos & obſeſſos undique, nec ullum refugii locum, ipſa deſperatione audaciam ſumpſere, nulla enim res promptiorem bello militem reddit, quam neceſſitas præliandi, & præruptum periculum. *capite nono lib. 3. de excidio Hieroſolymitano.*

Egeſippus: Deſperatione ſalutis ulciſci ſe volentes Vitelliani, ubi circumventos ſe videre, haud incruentam & ipſis Antonianis victoriam ceſſere. *fine capitis fere 30. libri quarti de excidio Hieroſolymitano.*

Egeſippus: Romanos perficiendi certaminis ſpes accenderat, Judæis ſuprema patriæ excidia ademerunt mortis formidinem. hi ſumptu gloriæ virtutem alebant, illi deſperatione ſalutis omne effundebant virtutis viaticum, nec reſervabant. *fine cap. 29 lib. 5. excidij Hieroſol.*

Egeſippus: Sed ira duce adolebat incendium. hoſtem urgebant deſperatione ſalutis, jam ſui prodigum, & totum ſe expendentem periculis. *cap. 42. lib. 5. de excidio Hieroſol.*

Chryſologus: Deſperatio eſt inter omnia mala pejor, & in adverſis venit ſemper extrema. *Serm. 83. m.*

Io. Sariſberienſis: Ubi deſperatur victoria, ad ſpem vindictæ erigendus eſt animus. eſt enim interdum

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem,

& ut ſe victores putent ſi non moriantur multi. magni namque muneris loco eſt, ſatiari ultione, & diſpendium vitæ, ſolatio vindictæ compenſari. Facile aſſumit pugnandi neceſſitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. Audaciores ſunt qui bellum inferunt, & ſæpe alii dum honeſtè viriliterq; mori cupiunt, feliciter vincunt. Audentes enim fortuna juvat: & ut pugnæ diſcrimen imminet, Degeneres animos timor arguit, quo nihil ignominioſius eſt his, qui nomen & officium militiæ profitentur. timidos namq; graviſſimè lex militaris percellit. *cap. 14. Policratici, lib. 6.*

¶ Oratorum.

Quintilianus: In quibuſdam calamitatibus deſperatio non eſt ſummus affectus: & quiſquis orbitatem ſtatim credit, feſtinat ad impatientiæ ſecuritatem. *Declam. 16. 55. 10.*

Calpurnius Flaccus: Inquieta res eſt homo cui jam in deterius nihil ſupereſt. *Controverſia 6.*

¶ Poetarum.

Terentius Andriæ 2. ſc. 1.

——*Væ væ miſero mihi!*
Vt animus in ſpem atq; in timore uſque antehac attentus fuit,
Ita poſthac adempta ſpes eſt, laſſus cura confectus ſtupet.

Guntherus lib. 3. v. 135.

Tandem ſpe poſita, jam deſperare coactus,
Ac velut in certa concluſus carcere mortis,
Ingentes animos ex ipſis cladibus hoſtis
Colligit.

Guntherus lib. 10. v. 162.

Audaces mors certa facit, pellitq; timorem
Deſperata ſalus,

¶ Apologi.

Babrias Πτῶκες καὶ Βάτραχοι. Fab. 55.

Θανεῖν ἐβούλοντο πτῶκες, ἢ ζῆν σύβιον
Ὡς εὐπελεῖς ὡς ἅπαντες ἀδρανεῖς ἄγαν.
Λίμνην δ' ἑαυτὲς ἐμβαλεῖν ἠπείγοντο
Ἔσχον φυγόντες βατράχων βάρος μέγα.

Επιμύθιον.

Μὴ ἀπογινώσκειν.

Lepores & Rana.

Mori decreverant Lepores, potius quam vivere in vita,
Cum ſint ita viles & imbecilles valde
In lacum ſe præcipitare cum ſtatuiſſent
Habuere à fugiente Rana audaciam magnam.

Affabulatio.

Non deſperandum.

¶ Emblematis.

Mus inter fuſtigatores. Emblem. 10.

Actum eſt, interij, niſi Deſperatio præceps,
Per medias cæcam concitet ire ſudes.

Florent. Schonhovius.

¶ Monoſticha Trochaica.

Ad duellum ne prodito deſperatus ſi vocat.
Alta cogitat nimiſq; nil cupit, certus mori.
Certa mors facit feroces: nil timet ſperans nihil.
Deſinit ſtatim timere, qui ſperare deſiit.
Deſperare nil oportet, nec rei ulli fidere.
Deſperatâ dimicatur in mortem victoriâ.
Deſperatio in virtutem ſæpe vera vertitur.
Deſperatio ſalutis duplicat vim, fit furor.
Deſperato, ſolatij loco eſt frui præſentibus.
Fortibus redintegrat vit ſpem atra deſperatio.
Hæret in vado ſalutis qui perire non timet.
Inquieta eſt res homo, cui jam in deterius ſupereſt nihil.
Inquieta res homo eſt cui peius eſſe jam nequit.
Mihi ſex menſes ſatis ſunt vita, ſeptimum Orco ſpondeo.
Militem ſui meliorem reddit deſperatio.
Negligunt ſacra ac profana, ſumma ſunt quibus mala.
Nil mali illis exſpectandum eſt, mors quibus deſpectui eſt.
Rebus in malis venit poſtrema Deſperatio.
Sæpe animi viresque victis mortis a fiducia.
Sæpius fuit vivendi cauſſa, fortiter mori.
Sæpius ſenſum doloris aufert deſperatio.
Tempus prælij eſt, ſalutis cum tibi haud ſpes eſt ſuper.
Vah! quàm honeſta mortis ingens fax eſt deſperatio.
Vltima omnium malorum dira deſperatio eſt.
Vltimi mater periculi ipſa deſperatio eſt.

¶ Jambica.

Ablata ſpes fugæ parit victoriam.
Audaciam omnem accendit deſperatio.
Clauſum uſpiam nihil eſt ei cui mors patet.
Credi periſſe, multos interſtu arcuit.
De nemine unquam vivo deſperaveris.
Et facta vita cauſſa eſt, fortiter mori.
Etiam ſpei fit cauſſa deſperatio.
Formido ſumit arma, ſpes ut occidit.
Illicium honeſta mortis, Deſperatio.
Mecum omnia abeant: trahere cum pereas libet.
Minimè poteſt timere qui ſperat mori.
Morti decus quaratur: vita tranſiit.
Nil fortius quidquam eſt, quàm deſperatio.
Non eſſe ſalvum, eſt unica Oedipodæ ſalus.
Qui minimè deſperat, putatur fortior.
Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.
Quid pertimeſcat cui beneficium eſt mori?
Senſum doloris aufert deſperatio.
Vitam ſuam qui temnit, dominus eſt tuæ.

Detractionis.

¶ Apophthegm. Sacror.

Salomon: Quis ſit *detractor* oſtendit Salomon. Prov. 11. 13. *eius pernicies & malitia*, Prov. 16. 28. & 18. 8. & 26. 20. 21. 22. Eccleſ. 10. 11. *Caſtigabitur à Deo.* Prov. 19. 29. *cui conveniat detractio*, Prov. 13. 5. & 25. 18.

Origenes: Quantum malum ſit detractio oſtendit multis verbis, *homil. 7. in librum Numerorum*, ubi de peccato & lepra Mariæ agitur.

Chryſoſtomus: Ejus ſcitè dicta adverſus detractionem & detractores vide apud eundem, *homil. in Pſalm. 100.* ex qua, quæ ſequuntur collegimus.

Grave malum eſt detractio, turbulentus dæmon, nec unquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, diſſidia

dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur. Sine ulla causa hostem reddit qui paulò ante amicus erat. Universas domos subvertit, & pacatas urbes ad bellum excitat. Pulchræ pacis vincula dissolvit, magnæ charitatis nodum infringit, &c.

Qui detractioni studet, diabolo servit: utpote qui calumniæ operam exequatur.

Detractio accusationis magistra est.

Si verum esset quod objicitur, in faciem objurgare operæpretium esset, ac libera & aperta oratione pacem sancire. Sin autem clam id facis, proculdubio falsum crimen intendis, ut qui improbam suspicionem adversus proximum confles, nec ea quæ abs te objiciuntur probare valeas. Quocirca detractor tanquam mendax & fur est propellendus.

D. Hieronymus: Prolata domini exprobratione & commination ad detractores, Psal. 50. addit, Scitò quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tuâ conscientiâ judicaris, & in his ipse deprehenderis quæ in aliis arguebas. Neq; verò justa est illa excusatio, Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdũ resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non fas esse detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, ne misceris: quoniam repentè veniet perditio eorum, & ruinam utriusq; quis novit? tam videlicet eius qui detrahit, quàm illius qui accommodat aurem detrahenti. *Ad Nepotianum, de vita Clericorum.* vide etiam epist. ad Rusticum monachum, de vivendi forma: ad finem.

Nihil tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur, &c. *Ad Celantiam, de institutione matrisfamilias.*

Augustinus: Adversus detractionem & detractores vide *epist. 137. Augustini ad Clerum & populum Hipponensem; & enarrat. in Psalm. 54. & in Psal. 92. & in Ps. 108. lib. 4. quinquaginta homiliarum, 2. homil. & 20. Serm. 26. & 45. ad fratres in eremo.*

Gregorius magnus: Ne immoderatis (inquit) laudibus erigamur, pleruniq; miro rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur: ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet: quia & arbor sæpe quæ unius ventu impulsu ita impellitur, ut penè jam erui posse videatur, alterius è diverso venientis flatu erigitur, &c. *Exposit. in 31. cap. Iobi, sect 9.*

De detractionibus non curandis vide *egregiam Gregorij epistolam 45. libro septimo ad Palladium. & epist. 39. lib. 9. ad Theoctistam patriciam.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

S. Augustinus: Ad crimina difficilem aurem habere nos oportere, aiebat Seneca, & cum eo B. Augustinus: qui nihil magis oderat, quàm detractiones & calumnias. Quare refectionis loco hoc distichon inscribi majori charactere curavit:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Unde dum quidam ab eo invitatus, multa de alio quodam effutiret, indignatus Augustinus, *Vel*, inquit, *hos versus obliterato, vel detrectare abstineto: aliàs mihi secedendum.* Augusta illa, & verè Augustiniana vox. cui nescio, an hæc ævo parem reperias. Monebat olim Horatius in Sermon.

—— Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Possid. in vit. ejusd. cap. 21.

S. *Ioannes Episcopus*: Ejusdem animi Joannes Episcopus. qui etiam publicè peccantes taxari incusarive vetabat: *Fieri quippe potest*, aiebat semper, *ut peccatum pœnitendo deleverint. Iniquum est enim id ab homine petulanter exprobrari, quod clementer à Deo esset condonatum.* Verè & præclarè Hieron. in Oseam: Nihil tam facile, inquit, quàm alios viles facere: quia alterius vituperio laudari nos arbitramur. *Marul. lib. 5. cap. 1.*

Sigismundus Imp. Deferebatur ad eum, Germanos passim obloqui, & honori suo detrahere. Qui subridens, *Anne*, ait, *vobis graveè videtur illos malè de nobis loqui, cùm nos malè agamus?* insinuans, multum aliquando è nostrâ parte dependere, utrum benè an malè audiamus. *Æn. Syl. lib. 2. de Gest. Alphons.*

Devotionis.

¶ Sententiæ Patrum.

D. *Io. Chrysostomus*: Si Deum mente semper videamus, si in eius recordatione semper nostram versemus cogitationem, nobis omnia semper videbuntur ferenda, omnia tolerabilia, omnia facile feremus, erimus omnibus superiores. Si quis enim videns dilectum, vel potius eius recordans, exurgit animo, & mente fit sublimi, & omnia fert facilè, ex eius memoria capiens voluptatem: qui versat in cogitatione eum qui nos verè dignatus est amare, & eius meminit, quando vel molestum aliquid sentiet, vel aliquid terribile & periculosum extimescet? Quando autem erit pusillo & abjecto animo? Omnia enim nobis videntur difficilia, quòd Dei nullam habemus memoriam ut habere oportet, quòd non eum in cogitatione perpetuo circumferimus. Meritò enim nobis dixerit, Oblitus es mei: ego quoq; tui obliviscar. & duplici ratione fit malum, quòd & nos eius obliviscimur, & ipse nostri. Hęc enim duo sunt inter se quidem complexa. sunt autem duo. Nam magnam quidem rem facit Dei memoria: magnam etiam & quod nos eum habeamus in memoria. Hoc bona facit eligere, illud perficere, & ad finem deducere. *Homil. 26. ad Hebræos.*

S. Salvianus: Præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem, ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmiũ cœleste perdamus. ex quo etiam illud est, quod & orari Deus & donari occultè jubens, vult nos fructum boni operis commẽdare secreto: quia nulla sit major fidei devotio, quam quæ conscientiam vitæ hominum, Deo teste contenta. *Præfat. in lib. 1 de avaritia.*

Chrysologus: Quæ vocabatur ab Angelo domina, ipsa se cognoscit & confitetur ancillam. Quiâ devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium: augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prœfilit, non ad superbiam pertumescit. *fin. Serm. 143.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Pluto v. 2077.

Ex quo Plutus videre cœpit: ego fame
Peri: neque, quod edam, quicquam reliquum habeo:
Quanquam sacerdos sospitatoris Iovis.
CA. At quæ nam huius rei causa est, dic obsecro?
SA. Nemo hominum vult quicquam sacrificare amplius.
CA. Quamobrem? SA. Quia nunc adeo omnes sunt divites.
At olim nihil cum haberent: ibi alius quillem
Quod salvus atque incolumis rediisset domum
Peregrè adveniens mercator, pinguem victimam
Iovi immolabat: alius, quòd causam in foro
Tenuisset, absolutus judicum sententiis:
Alius, magnificè sacra facturus, etiam
Sacerdotem convivam accersebat sibi.
Nunc autem ne unus est quidem, qui sacrificet,
Vel tantillum: nullus qui templum adeat Iovis,
Nisi turba hominum quædam innumerabilis: qua eò
Secedit à via, cacandi gratia.
CA, Cur non ab his legitimam partem tibi capis?

Prudentius passione Romani.

Cognostis ipsum. (Deum) nunc colendi, agnoscite
Ritum modumque, qualis sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem,
Pulcram venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus:
Illic sacerdos stat sacrato in limine
Foresq; primas Virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus.
Poscit litari victimas Christo & patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices,
Frontis, Pudorem, cordis Innocentiam,
Pacis quietem, Castitatem corporis,
Dei Timorem, regulam scientiæ,
Iejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper & largam manum:
Ex his amœnus hostiis surgit vapor
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum.
Sublatus inde cœlum adusq; tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat:
Vetat probatum vivere, & sanctum sequi
Vetat vigorem mentis altè intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ, &c.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate amatorio 41.

—furentem quid delubra juvant?
Iane, Deo grates actum cùm nuper abires,
Laxa forent Paphio quod tua colla jugo;
Forte Tryphena tibi medio venit obvia templo;
Dumq; venit, dulci risus ab ore fluit.
Da veniam pietas! Dominæ succumbimus, inquis:
Religionis amor victus Amore jacet.
Non aliter gestu saltare parata decoro,
Ferrur in objectas simia stulta nuces.

¶ Monosticha Trochaica.

Et Dei nostrique rebus obliviscimur bonis.
Maxime ad Deum excitamur constituti jam in malis.

Multa

Multa mentio mala in re, nulla est in bona, Dei
Prospera in re ficta ad instar fabula Deus jacet hic.
Quamdiu dolor sentitur, tamdiu devotio est.
Qui fide ac devotione caret, Deo est inutilis.
Relligionum haud admonemur res quam ubi minus bonæ.
Res sinistræ relligionum quemlibet tandem admonent.
Servitus devota constat hinc amore, inde at metu.
Sunt viris devotiones in mala re feminæ.

¶ Jambica.

Derisui Deus ipsemet felicibus.
In re mala quam plurima est devotio.
Nemo Deum esse credit utens prosperis.
Prosperrima in re mentio nusquam est Dei.
Rebus secundis, & Dei obliviscimur
Ritus sacrorum obliterantur prosperis.
Tentatio si nulla est, nulla oratio est.

Videantur plura titulo, Pietatis, Sacrificii.

Dei.

¶ Sententiæ patrum græc.

S. *Clemens Alexandrinus:* Omnis de Deo disputatio est tractatu difficillima. Quoniam enim cujusvis rei principium est inventu longe difficillimum: est certe omnino primum & antiquissimum principium difficillimum ad demonstrandum, quod quidem est etiam aliis omnibus causa ut fiant & facta sint. Quemadmodum enim dici potuerit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neq; individuum, neq; numerus, sed neq; accidens aliquod, neq; cui aliquid accidit. Neque vero eum totum recte dixerit quispiam: in magnitudine enim totum ponitur, & est pater universorum. Sed neq; dicendum est esse aliquas eius partes: in unum enim non cadit divisio, & ideo est etiam infinitum, non quod ejusmodi mente cogitetur ut pervadi non possit, sed quatenus nullam distantiam suscipit ac dimensionem, & finem non habet: & ideo est figuræ expers, & quod nominari non potest. Et si aliquando eum nominemus, non proprie vocantes, aut unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum id quod est, aut patrem, aut Deum, aut creatorem, aut Dominum: non id dicimus tanquam nomen eius proferentes, sed propter eius potestatem pulchris utimur nominibus, ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio. Non enim unumquodq; ex his Deum significat, sed omnia simul omnipotentis indicant potētiam. Quæ enim dicuntur, ex iis quæ ipsis adsunt, aut ex ea quæ est inter se invicem habitudine ac relatione dicuntur: horum autem nihil potest de Deo accipi. Sed neque scientia accipitur demonstrativa, ea enim ex prioribus constat & ex notioribus: nihil est autem ante ingenitum. Restat utiq; ut divina gratia, & solo quod ab eo proficiscitur verbo, id quod est ignotum intelligamus, quomodo Lucas quoque in Actis Apostolorum, Paulum dicere cōmemorat: Viri Athenienses, per omnia tanquam superstitiosiores vos video: præteriens enim & contemplans quæ colitis simulachra vestra, inveni etiam arā in qua scriptum erat, *Ignoto Deo*, Quem ergo ignorantes colitis, eum ego vobis annuncio. Quicquid ergo cadit sub nomen, est genitum, velint an non. *lib. Strom. 5.*

Clemens Alexandrinus: Patrem effectorem huius universi, & invenire est difficile, & cum inveneris, ut apud omnes eloquaris, nequit fieri. Verbis enim minime explicari potest, ut aliæ disciplinæ, veri amicus dicit Plato. Recte enim audierat quod sapientissimus Moses montem adscendens per sanctam contemplationem, ad fastigium eorum quæ percipiuntur intelligentia, necessario discernens, prohibet ne totus populus secum adscendat. Et quando dicit Scriptura: Ingressus est autem Moses in caliginem ubi erat Deus, hoc significat iis qui possunt intelligere, Deum nec esse inspectabilem, nec verbis posse enunciari. Caligo autem revera, nempe multorum incredulitas & ignoratio, objicitur splendori veritatis. Et rursus Orpheus Theologus cum ex eo adjutus dixisset,

Vnus perfectus per se, ex uno omnia facta,

aut, *Nata*, nam sic quoque scribitur, subjungit: *Nullus & ipsum*
Mortalis cernit, verum omnes aspicit ipse.

Apertius autem subjungit.

Non video hunc, solidus positus nam nymbus in orbem est.
Namq; pupillæ oculis hominum mortalibus insunt
Parvæ & mortales: iis insunt nam caro & ossa.

Iis quæ dicta sunt ferret testimonium Apostolus dicens: Novi hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum, & illinc in paradisum, qui audivit verba arcana quæ non licet homini loqui: sic tacite significans, Deum verbis non posse explicari: non lege & metu alicuius præcepti, illud, non licet, adjiciens, sed sancta potestate Deum verbis enunciari non posse significans. *Ibidem.*

Cl. Alexandrinus: Dei quidem manifestatio erat unius omnipotentis, apud omnes qui recte sapiunt omnino naturalis, & æternum ex divina providentia beneficium apprehenderunt plurimi, qui non plane omnem exuerunt pudorem adversus veritatem. Atque ut summatim quidem dicam, Xenocrates Carthaginensis nō spem omnem abjicit, quin etiam in rationis expertibus animantibus sit Dei notitia. Democritus autem, etsi nolit, confitebitur per dogmatum consequentiam: fecit enim easdem imagines in homines incurrentes & in animantes rationis expertes, ex divina essentia. Longe certe abest, ut sit homo expers divinæ notionis, quem etiam scriptum est participem fuisse inspirationis in generatione, ut qui fuerit purioris essentiæ particeps quam alia animantia. Hinc Pythagoras dicit mentem divina sorte venire ad homines, sicut fatentur Plato & Aristoteles: sed nos quidem dicimus spiritum sanctum inspirari ei qui credidit. Platonici autem mentem quidem, sortis divinæ in anima effluxionem esse: animam autem in corpore constituunt. Aperte enim dictum est per Ioël, qui erat unus ex duodecim prophetis: Et erit post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & filii vestri & filiæ vestræ prophetabunt. Sed non ut pars Dei, est spiritus in unoquoq; nostrum. *lib. 5. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Rursus autem non esse gestandos annulos, neque Deorum imagines esse eis insculpendas, præcipit Pythagoras: sicut Moses multis ante sæculis aperte legem sanxit, nullam oportere sculptilem vel fusilem vel fictam vel pictam imaginem simulachrumve facere, ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea trāsiremus quæ percipiuntur intelligentia. Ut Dei enim majestas vilis & contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo: & quæ intelligentia percipitur essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere. Quocirca Ægyptiorum quoq; Sacerdotum sapientissimi, Minervæ ædem sub dio esse constituerunt, ut Hebræi qui templum posuerunt absq; imagine. Sunt autem qui Deum colentes, facta cœli effigie quæ astra continet, eum adorant, cum nostra quidem certe dicat scriptura, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Operæprecium autem existimo Euryси quoq; Pythagorei vocem adducere, quæ sic habet: nam cum in opere de fortuna dixisset, opificem seipsos exemplari utentem fecisse hominem, subjunxit: Corpus autem est reliquis simile, ut quod factum fuerit ex eadem materia: à præstantissimo autem effectum est artifice, qui ipsum est fabricatus, seipso usus archetypo. Et in summa, Pythagoras, & qui sunt ex eo cognominati, una etiam cum Platone maxime ex aliis Philosophis, usi sunt legislatore, ut conjici potest ex ipsis dogmatibus: & per recte conjectantem famam divinationis, non absq; instinctu divino concurrissent cum quibusdam vocibus propheticis, & veritatē per partes & species tractassent, non obscuris appellationibus, nec extra rerum declarationem ingredientibus, honorarunt, cum accepissent manifestationem conjunctionis quæ intercedit cum veritate. Unde Græca quidem philosophia est similis illuminationi quæ fit ex scripto, quem homines accendunt, lucem artificiose à sole suffurati. Verbo autem prædicato, universa illa sancta lux eluxit. Deinde furtum quidem noctu utile est in ædibus, interdiu autem illustratur ignis, & universa nox illuminatur tanto sole lucis quæ percipitur intelligentia. *lib. 5. Stromatum.*

Cl. Alexandrinus: Rursus Deo potentiam in omnibus tribuunt, etiam qui apud Græcos sunt eruditissimi. Epicharmus quidem, (erat autem Pythagoreus,) dicens:

Nil Deum potest latere. Scire te hoc quidem decet.
Ille noster est inspector: cuncta nam potest Deus.

Vates autem Lyricus: Potest autem Deus ex nigra nocte lucem emittere intemeratam: atris autem tenebris tegere purum diei jubar. Qui solus inquit, potest, cum est dies, noctem facere, is est Deus. Et Aratus in iis quæ inscribuntur Phænomena:

A Ione principium, assiduis quem laudibus omnes
Concelebrant homines, fora sunt Ioüis omnia plena,
Compita cum pagis, omnes & cum aquore portus,
Vtimur & cunctis Ioüe nos exordibus omnes.

libro Stromatum 5.

Clemens Alexandrinus: Et Antisthenes Socraticus vocem illam propheticam circumlocutione exprimens quæ dicit, Cui me assimiliavistis, dicit Dominus: ait eum nulli esse similem, quoniam nemo potest eum discere ex similitudine & imagine. Xenophon quoque Athenienſis similia dicit his verbis: Qui ergo omnia concutit & facit quiescere, manifestus quidē est, ut qui sit magnus & potens: qualis autem sit forma præditus non apparet. Neq; vero Sol qui videtur luce illustrare omnia, ipse quoq; videtur permittere ut videatur: sed si quis eum impudenter fuerit contemplatus, is privatur oculis.

Quæ caro namque oculis cœlestem cernere possit
Verum, immortalemq; Deum, cui in vertice cœli
Est sedes? Solis radios nec cernere fixis
Luminibus poterit quisquam mortalis ab ortu,

vt prædixit Sibylla.

Recte ergo Xenophanes quoque Colophonius docens unum esse Deum, & incorporeum, subjungit:

Maximus in genere est divûm atq; hominum Deus unus.
Qui nec corpore nec mente est mortalibus ullis
Assimilis. Et rursus:
Atqui homines credunt Deos generarier ipsos.
Tum vestem his, vocem, corpus, sunt qualia eorum.

Et rursus:

Quod si forte bovi detur manus atque leoni
Pingere quis possent, hominum quæ operarier artes,
Depingenda ab eis esset si forma Deorum,

Tales

Tales hi formas facerent, & corpora eorum
Talia, quale sibi corpus natura dedisset.

Rursus igitur audiamus Lyricum Bacchylidem de divina natura dicentem: Sunt hi quidem à morbis valde indomiti, & nulli crimini affines, hominibus nullâ in re similes: Et Cleantem Stoicum, qui in quodam poemate de Deo hæc scribit:

Si quale sit bonum rogas, ex me audies:
Quod ordinatum est, religiosumque, ac pium,
Iustum, sui potens, decorum acutile:
Quod est severum, semper utile, ac grave:
Expers metus, doloris, & molestiæ,
Iuvans, placens, pulchre sibi consentiens.
Clarum nec insolens, modestum ac impotens.
Semper futurum, quodq; nemo unquam exprimat.

Idem autem tacite reprehendens vulgi idololatriam, subjungit:

Servilis est qui opinionem respicit,
Vt quid per illam consecuturus boni.

Non est ergo de Deo sentiendum convenienter vulgi opinioni.

Nam clanculum haud existimo,
Virt scelesti more, dissimilem sui
In hoc cubile se suum demittere,

ait Amphion Antiopæ. Sophocles autem directe dicit ac dilucide:

Congressus est cum eius parente Iupiter,
Non aureus forma, aut amictu cygneis
Plumis, puellam olim velut Pleuroniam
Concipere fecit, verum homo planissimè.

Deinde eadem persequens, hæc quoque subjunxit:

Celerque sponsa postibus sese intulit Adulter.

Et deinde narrat apertius incontinentiam Jovis de quo narrantur hæ fabulæ:

Is nec cibum tetigit, aqua nec se abluit,
Sed sauciato corde lecto se intulit.
Noctemque totam se voluptati dedit.

Atq; hæc quidem mittantur theatrorum ignorantiæ. Aperte autem dicit Heraclitus: *Eius quod oportet rationem homines semper minime intelligunt, & priusquam audierint, & cum primum audierint.* Lyricus autem Melanippides canens dicit: *Audi me ô pater miraculum mortalium, qui regis animam semper viventem.* Magnus autem Parmenides, ut Plato dicit in Sophista, de Deo hoc modo scribit:

Est is & ingenuus, nec in illum mors cadit ulla.
Vnigena est totusq; & semper, firmus, & ortus
Expers.

Et Hesiodus:

Cunctorum quæ morte carent rex es dominusque.
De imperio poterit nec quis contendere tecum.

Jam vero tragœdia quoque abducens à simulachris, docet in cœlum suspicere. Sophocles quidem, ut ait Hecatæus qui composuit historias, ubi agit de Abrahamo & de Ægyptiis, in scena aperte exclamat:

Vnus profectò & unicus tantum Deus,
Qui cœlum & amplum condidit terræ sinum,
Et sæva ponti terga, vimque flaminum.
At nos homulli, corde caco devij,
Misera malorum invenimus solatia,
Divûm figuras, saxeas aut areas,
Nisi aureas malimus aut eburneas.
His immolamus, his vovemus & dies
Sacros: & hoc est quod pium esse dicimus.

Euripides autem tragice canens in eadem scena:

Vides profundum hunc finis ignarum aëra,
Liquidis solum omne qui tenet complexibus,
Puta Iovem hunc, eumque credito Deum.

In dramate autem quod inscribitur Pirithus, hæc quoq; canit tragice: *Te qui per te ortus es, qui in imbre æthereo omnium naturâ implicasti, circum quem lux quidem & furva nox, variorumq; colorum, & quæ discerni non potest astrorum multitudo assiduè ducit choreas.* Hic enim eum qui per se est ortus, mentem dixit opificem. Quæ autem deinceps consequuntur, pro mundo ponuntur, in quo est repugnantia lucis & tenebrarum. Et Euphorion & Æschylus de Deo dicit gravissimè:

Ætherque, terraque est, polusque Iupiter.
Calumque & omnia Iupiter, & si quid supra.

Scio ego Platonẽ quoq; Heraclito adstipulari, qui scribit: Unum quod est sapiens, solum dici non vult, & vult nomen Jovis. Et rursus: Lex est & consiliũ uni parere. Quod si velis illud dictum ad sensum deducere anagogicum, Qui habet aures audiendi, audiat: id invenies sic declarari ab Ephesio: Qui non intelligentes audierunt, sunt surdis similes. Vulgo dicitur, eos abesse præsentes. Sed unum quoq; principium ex Græcis audire desideras? Timæus Locrus in opere de Natura his verbis mihi feret testimoniũ: Unum principium omniũ est ingenitum. si enim esset genitum non esset utiq; amplius principium, sed illud ex quo genitum, esset principium. Ex illo enim vera profluxit opinio, nempe: Audi, inquit, Israël, Dominus Deus tuus unus est & ei soli servies.

Omnibus en patet is, claruſque & apertus, inerrans,

Ut ait Sibylla. Jam vero videtur Homerus quoque dicere patrem & filium, per aptam, ut videtur, horum divinationem:

Certe cum solus sis vim tibi si asserat Vtis,
Haud ratione queat fugere morbus Iovis ulla,
Namq; Iovem agiferum nihilum curare Cyclopes
Svevunt.

Et ante eum Orpheus loquens de eo quod est propositum dixit:

Nate Iovis magni, pater & Iovis agiferentis.

Xenocrates autem Chalcedonius, unum quidem vocans supremum Jovem, alterum vero ultimum, patrem exprimit & filium. Et quod est admirabile & præter opinionem videtur Homerus quoque Deum cognoscere, qui inducit Deos obnoxios humanis affectionibus, quem ne sic quidem reverebatur Epicurus. Sic certe dicit:

Insequeris cur me pedibus pernicibus, ipse
Mortalis Pelide immortalem, an tibi notus
Non ego sum Deus?

Deum enim à mortali non posse capi, nec pedibus, nec manibus, nec oculis, nec deniq; toto corpore comprehendi, significavit, Cuinam assimilastis Dominum, aut cuinam similitudini ipsum assimilastis? inquit Scriptura. Nam faber fecit imaginem, aut aurifex fuso auro eum inauravit? & quæ sequuntur: Et Comicus Epicharmus de verbo sic aperte dicit in Republica:

Scilicet numero & ratione vita stat mortalium.

Et,

Rationis usu per numerosque vivimus.
Nos ista servant.

Deinde subjungit aperte:

Ratio gubernat mortales, hosq; conservat simul.

Deinde,

Et ratiocinatio cessit & ratio mortalibus.
Sola dirigit mortales ratio, nutrit atque alit.
Artium omnium est inventrix atq; erit ratio à Diis
Semper hæc docet quid usus omnibus facto siet.
Non enim mortalis artem invenit ullus, at Deus.
Namq; ratio nostra nata est ex Deorum scilicet.

Jam vero cum spiritus clamaverit per Esaiam: Quid mihi multitudinẽ sacrificiorum? inquit Dominus. Plenus sum holocaustis arietum: adipem agnorum & sanguinem taurorum nolo. Et paulò post subjungat: Lavamini, mundi estote, auferte iniquitates ab animabus vestris, & quæ deinceps consequuntur. Meleander Comicus scribit iisdem verbis:

Offerre si quis postulet se victimam,
Tauros vel hædos Pamphile, aut eimodi
Aliud quod: aut ex arte quod factum siet,
Aurata nempe pallia, aut ex purpura,
Animalia adde eburnea, aut smaragdina,
Placare & istis posse numen autumat:
Ne falsus animi est, ac sinistra mens ei.
Nam vir necesse est sit probus præ cæteris,
Nec virginem defloret ille aut fœminam.
Vitetque eadem ac furta, gratia lucri.
Acum nec ipsam Pamphile attingas velim.
Namque aspicit propinquus hæc semper Deus.

Deus appropinquans, inquit, ego sum, & non Deus procul. Aut quid faciet homo in occultis, & non videbo ipsum? inquit per Hieremiam. Et rursus Menander scripturam illam circumloquendò proferens: Sacrificate sacrificium justitiæ & sperate in Domino, sic scribit:

Neve acum charissime,
Alterius unquam concupisces. nam Deo
Facta haud iniqua, sed quæ justa sunt placent.
Sinit labore promovererem suam:
Terram colentem noctesque & interdiu
Iustus Deo autem rem vide ut facias sacram;
Sed corde mundo splendidus, non pallio.
Quod si tonantem audiveris Deum, mane
Si bene tibi sis domine conscius: Deus
Nam te videt præsens prope.

Adhuc te loquente, inquit scriptura, dicam: Ecce adsum. Diphilus rursus Comicus quædam hujusmodi disserit de judicio:

Tune arbitaris mortuos Nicerate
Qui se omnibus reddere gaudeis,
Fugisse numen, & latere postea?
Est justus oculus, cuncta qui solus videt.
Hinc infernum ponimus duplicem locum.
Hunc destinamus impiis, illum pijs.
Vterque quantis conditus terra latet.
Tu si lubet furare, quidlibet rape.
Errare noli: judicem inferi dabunt:
Deum, supremum regem & autorem omnium,
Cuius nec horridum ipse nomen dixerim.
Qui sæpe vitam protrahit nocentibus.
Quod si quis illum, cum scelesta perpetrat,
Latere credit, quot quot occidunt dies,
Ne totus errat, quod vel eventus docet.
Quasi ociosa cum Dei cessat manus,
Caveto quisquis esse non credis Deum.
Est, est profecto si quis interim scelus
Patrat scelestus, ponat in lucro moram.
Namq; ille tandem maximam pœnam dabit.

Convenit

Convenit autem his quoque tragœdia:

Erit profecto sæculi tempus novi,
Quando ignis effundere refertas copias
Auratus æther, flamma ambedet quæ rapax
Terrena cuncta, cunctaque uret persurens.

Et rursus subjungit paulo post:

cuncta ubi defecerint,
Totum profundum tunc peribit fluctuum.
Tellus manebit sed relicta, non enim
Pennata genera gignet igne torrida:
Servabit at dein, cuncta quæ amisit prius.

His similia invenimus etiam in Orphicis scripta hoc modo:

Nam quos celarat, jucunda ad lumina cunctos,
Rursus sollicitus sacro de corde remisit.

Quod si sancte & juste vixerimus, beati hic quidem, sed post excessum è vita beatiores, non qui aliquo tempore felices futuri simus, sed in ævum quieturi.

Vna cum superis habitantes: mensa in eadem
Qua fortes Danai, communi & sorte fruentes,

ait philosophica Empedoclis poëtica. Non erit aliquis adeo magnus, vel ex Græcorum sententia, ut superet justitiam: neq; adeo parvus, ut lateat. Idem autem Orpheus hæc quoque dicit:

At verbum aspiciens divinum, totus in illo
Persiste, atque tua præcordia corrige mentis,
Ingrediens recta, & solium cæli aspice regem
Immortalem.

Et rursus de Deo dicens, eum non cadere sub aspectum, ait eum fuisse cognitum uni soli genere Chaldæo, sive eum dicens Abrahamum, sive eius filium, his verbis:

Vnus præterquam, cui deriv atur origo
Chaldaum ex genere, is noscebat sidera cæli,
Illorumque vias, & qui moveatur in orbem
Sphæra. & tellurem circum vertatur in axe:
Spiritus & regat hanc & in aere & æquore fusus.

Deinde illud subjungit: Cœlum mihi est sedes, terra autem scabellum pedum meorum:

Ipse autem in magno constans & firmus olympo est.
Aureus huic thronus est, pedibus subjectaq; terra,
Oceani ad fines illi porrenditur ingens
Dextera, montanas atque intus concutit illi
Ira bases, motus nec possunt ferre valentes.
Ipse est in cælis, & terram amplectitur omnem.
Principium solus medium q; est atq; supremum.
Non aliter fas est te dicere. membra tremiscunt
Cogito dum summum:

& quæ deinceps sequuntur. Per hæc enim significavit omnia illa prophetica: Si aperueris cœlum, tremor ex te apprehendet montes, & liquescent sicut à facie ignis liquescit cera. Et per Esaiam: Quis mensus est cœlum palmo, & terram pugillo? Rursus quando dixit:

Ætheris atq; erebi, ponti terræque tyrannus,
Terribilis tonitru quassas vastæ atria cæli.
Damones & quem horrent, timet & quem turba Deorum,
Cui parent Parcæ, quamvis nil mitiget illas.
Exitij expers Matripater, volvuntur ab ira
Cuius cuncta: moves ventos qui, atq; omnia nymbis
Contigit atq; secas latum æthera fulmine. In astris
Perpetuus tuus est ordo, præcepta sequendo.
Candentique tua sedi permulta laborans
Adstant Angelicus populus, quis maxima cura
Mandata est hominum. Producit ver tibi flores
Purpureos veniens. A te quoque tristis hyems est.
Nubibus adventans gelidis, quas divisit uvis.

Deinde subjungit, aperte Deum appellans omnipotentem:

Exitij expertem, immortalem: dicere solum
Quem possunt, quibus est innatum morte carere.
Maxime Dvorum fato comitatus adesto,
Magnus, & expers interitus, qui es ab æthere cinctus.

Ac per illud quidem Matripater, non solum significavit generationem, sed etiam dedit occasionem iis qui introducunt productionem, ut Dei quoq; conjugem excogitarent. Paraphrastice autem scripturas illas exponit propheticas, nempe & eam quæ dicitur per Esaiam: Ego solidans tonitru, & creans spiritum, cuius manus exercitum cœli fundaverunt: & eam quæ per Mosen, Videte, videte quod ego sum, & non est alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & medebor. non est qui de manibus meis eripiat.

Ipse malumque bonum q; infert mortalibus atque
Ærumnas tristes, deinde & lachrimabile bellum,

ex Orphei sententia. Talia etiam Archilochus Parius: *O Iupiter, tuum quidem est imperium cæli: tu autem opera in cælis vides improba & justa.* Canat rursus nobis Orpheus Thracius.

Oceani ad fines expansa est & manus illi
Vndiq; dextera, sub pedibus subjecta que terra est.

Hæc illinc aperte sumpta sunt, nempe, Dominus servabit civitates quæ habitantur: & totum orbem terræ manu comprehendet tanquã nidum: Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, ut ait Hieremias, & erexit orbem terræ in sua sapientia. Præterea autem Phocylides angelos vocans dæmones, alios quidem ex his esse bonos, alios vero esse malos his ostendit. Nam nos quoq; accepimus aliquos qui defecerunt.

Damonibus non una viris natura nocendi est:
Sunt etenim longe venientia qui mala pellunt.

Recte vero Philemon quoq; Comicus, simulachrorum cultum per hæc exscindit:

Fortuna non est ulla quam dicunt Dea,
Non est. sed unicuique si quid contigit
Casuque fit, fortuna nobis dicitur.

Sophocles autem Tragicus:

Ipsis non veniunt certe Diis omnia sponte,
Excepto Iove: principium nam & finis in illo est.

Et Orpheus:

Regnum unum est, damon unus, qui lumine complet
Cœlum facta in eo sunt, in quo & cuncta moventur,
Ignis aqua & tellus:

& quæ deinceps consequuntur.

Et Pindarus Lyricus veluti quodam Bacchio furore corripitur, & aperte dixit: Quid sit Deus, nempe quod universum. Cum autem dixerit: Exiguam sapientiam sperat homo habere ab homine: Deorum autem consilia mortali mente scrutari est difficile, mortali autem natus est ex matre: ex illo deduxit sententiam, nempe: Quis novit mentem Domini? aut quis eius fuit consiliarius? Quinetiam Hesiodus cum ita scribit his consonat:

Non vates inter terrestres ullus habetur,
Qui Iovis agiferi possit cognoscere mentem.

Merito ergo Solon Athenienſis, qui ipse quoque secutus est Hesiodum, scribit:

Omnibus atque viris mens est obscura Deorum.

Rursus cum Moses prædixerit mulierem in labore & dolore esse pariturum, propter prævaricationem, scribit quidam poëta non ignobilis:

Nunquam noctuque diuque
A tristi arumna cessabunt atque labore,
Horum Diiq; mittent in pectora curas.

Præterea Homerus, cum dixit:

Ex auro verum trutinas pater ipse movebat,

Deum justum significat. Menander autem Comicus Deum bonum significans, dicit:

Adest viro cuilibet damon bonus,
Vt quisque primum nascitur, vita sacer
Præses regendæ: quippe damonem malum
Esse haud fatebor, qui boni ladat viri
Vitam.

Deinde subjungit, & bonum in omnibus Deum, aut omnem Deum dicit esse bonum, aut quod potius dicendum est, Deum esse bonum in omnibus. Rursus Æschylus Tragicus, Dei exponens potentiam, non veretur ipsum appellare etiam altissimum, in hisce:

Mortalibus sejungito à rebus Deum,
Similemque nobis esse ne credas cave.
Non noscit ipsum. nunc enim instar ignis est,
Tangique prohibet: nunc tenebra, nunc aqua est.
Quin & feris subinde simillimus,
Ventoque nebulaque, pluvia atq; tonitrui.
Inservit illi pontus & vasta petra:
Omnisque fons, & unda si qua est usquam,
Tremunt q; montes, terraque, & vasti maris
Ingens profundum, & montium cacumina,
Cum cuncta domini lumen horrendum aspicit.
Nam gloria Dei nil non potest altissimi.

An non tibi videtur explicare paraphrastice illud, A facie Domini tremit terra? Huc accedit quod Apollo divinandi peritissimus, Deiq; gloriæ ferens testimonium, cogitur dicere de Minerva, quando Medi bellum gerebant adversus Græciam, rogasse & Jovi supplicasse pro Attica. Sic autem habet oraculum:

Casta Iovem haud potis est sumimum placare Minerva,
Permultis verbis prudenti & pectore supplex.
Igni at multa dabit vehementi templa Deorum,
Quæ sudore hic stant nunc promanantia multo,
Et concussa metu:

& quæ sequuntur.

Thearides autem scribit in libro de Natura: Unum est autem eorum quæ sunt principium verum, unum. Illud enim est in principio unum & solum.

Sed non est alius quisquam magno sine Rege,

inquit Orpheus. Cui credens Comicus Diphilus sententiosissime, Eum, inquit, qui est pater omnium, solum honora perpetuo,

Qui tot bonorum inventor est & conditor,

Merito ergo Plato quoque assuefacit optima ingenia, ut veniant ad disciplinam, quam prius diximus esse maximam, & ut videant bonum, & illa ascendant ascensione. Hoc autem, ut videtur, non erit testæ conversio, sed animæ circumactio à nocturno quodam die, ad verum ejus quod vere est reditum, quem quidem dicemus esse philosophiam: eosq; qui sunt ejus participes, aurei generis esse judicat,

dicens,

dicens, Estis quidem omnes fratres: quinam autem sint aurei generis, accuratissime & omnino judicent. Patrem ergo & universorum effectorem naturaliter & citra doctrinam omnia ex omnibus apprehendunt, inanima quidem, quæ naturalem quandam habent cõsensionem & convenientiam cum animali: ex animatis autem, alia quidem jam immortalia quæ per diem operantur. Ex iis autem quę sunt adhuc mortalia, alia quidem in metu, & quę per matrẽ adhuc vehuntur in utero: alia autem quæ libera & quæ est in eorũ potestate utuntur ratiocinatione, ut ex hominibus omnes Græci & barbari.

Nullum autem usquam genus, neq; agricolarum, neq; pastorum, neq; eorum qui versantur in civitatibus, potest vivere, nisi eius quod est præstantius ac melius fide præoccupatum præventumque fuerit. Quamobrem universa quidem gens Orientalium, & universa quæ pertinet ad Occidentem, Septentrionem & Austrum, unam habet & eandem anticipatam notionem de eo qui constituit principatum: si quidem quæ sunt universæ & maxime generales ejus operationes, omnes ex æquo pervaserũt. Longe autẽ magis qui apud Græcos fuere curiosi philosophi, à barbara persuasi philosophia, ei qui non cadit sub aspectum, & est solus, & potentissimus, & artifex maximus, & eorum quæ sunt pulcherrima author præcipuus, dedere providentiam: quanquam quæ sunt his consequentia, nisi à nobis instituti fuerint, nesciant: sed neq; quomodo natura sit insitum ut deus mente cogitetur, sed solum, ut jam sæpe diximus, det ejus veram repræsentationem. Merito ergo Apostolus: An Judæorum, inquit, solum est Deus, non etiam Græcorum? nõ solum dicens prophetice, eos qui ex Græcis credunt Græcos, Deum esse cognituros, sed illud quoque significans, quod potestate quidem fuerit Dominus & Deus omnium, & revera omnipotens: cognitione autem non omnium. Neq; enim id quod est, neq; quomodo Dominus & pater & creator, neq; aliam veritatis norunt œconomiam ac dispensationẽ, nisi ab ipsa didicerint.

Similiter etiam prophetica habẽt eandem vim cum dicto Apostolico. Nam Esaias quidem dicit: Si autem dicitis, In Domino Deo nostro confidimus, nunc misceamini cum domino meo rege Assyriorum. Et subjungit: Et nunc non sine Domino ascendimus in hanc regionem ut in eam bellaremus. Jonas autem ipse quoq; propheta, idẽ tacitè significat, cum dicit: Et accessit ad ipsum is qui proram gubernabat, & dixit ei: Cur tu stertis? Surge, invoca Dominũ Deum tuum, servet nos & non pereamus. Nam illud quidem Deus tuus, dicens ei qui norat per agnitionem, hoc autem, ut servet nos Deus, significavit consensionem gentium quæ applicarat mentem ad omnipotentem, & nondum crediderant. Et rursus idem: Et dixit ad ipsos, Servus Domini ego sum, & Dominũ Deum cœli ego timeo. Et rursus idem: Et dixerunt, Nequaquã Domine, ne pereamus propter animam hominis huius. Malachias autem propheta aperte ostendit Deum dicentem: Sacrificium non accipiam ex manibus vestris, quoniam ab ortu solis usq; ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco mihi offertur sacrificium. Et rursus: Quoniam Rex magnus ego sum, ait Dominus omnipotens, & nomen meum clarum est in gentibus. Cujusmodi nomen? In iis quidem qui crediderunt, filius patrem significans: in Græcis autem, Deus creator. Liberum autem arbitrium Plato his ostendit: Virtus autem non paret alterius dominio, quam prout unusquisq; vel honoravit vel despexerit, erit ejus particeps. Culpa ejus qui elegit: Deus sine culpa est. Deus enim nunquam est causa malorum. O Troiani bellicosi, inquit Lyricus, Jupiter regnator superũm qui omnia aspicit, non est mortalib. causa malorum, sed omnibus hominib. in medio est propositum, ut apprehendant justitiam castam & sanctam Eunomiæ comitem & prudentis Themidis. Beatorum ô pueri qui nunc inveniistis sociam unà habitantem. Pindarus autem apertè inducit Jovem Servatorem unà habitantem cum Themide, Regem, Servatorem, justum, hoc modo.

Primum quidem, bono consilio praditam Themin cœlestem, aureis equis, propter Oceani rupem Parca ad venerabiles Olympi scalas, in viam duxere splendidam, ut esset vetus Jovis Servatoris cõjunx. Ea vero, auro ornatas, & præclarum fructum serentes peperit bonas Horas.

Qui ergo non credit veritati, humana autem est doctrina inflatus, miserq; est & infelix, & qui, ut ait Euripides, hæc videns, Deum mẽte non cogitat, de sublimib. autẽ rebus disputationis procul tortuosas jacit fallacias, quas indomita temere jaculatur lingua de iis quæ non videntur, nullius certe particeps sententiæ. Accedens igitur ad veram qui vult disciplinam, audiat Parmenidem Eleaten promittentem.

Æthereamque scies naturam & in athere cuncta
Signa, & sacrati clarissima lumina Solis,
Quæ res obscura est valde: unde & nata fuere.
Et luna dises errantia signa rotunda,
Naturamq, scies, cœlum & quod circuit orbem.
Vnde sit, utque illud maior vis omnia cogens
Vinxit, ut astrorum fines teneat.

Et Metrodorum, qui etsi fuerit Epicureus, hæc divinè dixit: Memento Menestrate, quoniam es mortalis, & vitam accepisti terminatam, anima ascendere, donec seculum, & rerum videris infinitatem, tam quæ futuræ sunt quam quæ fuerunt: quando cũ beato choro, ex Platonis sententia, felicem visionẽ spectaculumq; contemplabimur: nos quidem cum Jove sequentes, alii autem cum diis aliis, & beatissima, si fas est dicere, mysteria peragemus ac celebrabimus, ipsi quidẽ integri & nulli malorum perpessioni obnoxii, quæ in posteriori tẽpore nos manserunt: integra autem & quieta visa aspicientes & contemplantes in luce pura, puri, & nequaquam hoc obsignati quod nunc corpus circunferentes nominamus, eò instar ostrei alligati. Pythagorei autem cœlum appellant ἀντίχθονα, hoc est terram, ex adverso sitam. In qua terra, inquit per Hieremiam, collocabo te in filios, & dabo tibi terram electam hæreditatem Dei omnipotentis, cujus qui fuerunt heredes, erunt reges terræ. Quæ alia cum mini affluant innumerabilia, alia adjicienda, ut sit dicendi modus, finem imponam orationi, ne id nobis quoq; eveniat quod dicit Agatho Tragicus.

Qui cæteras res ut ut potissimas habent,
Et negligenter quod potissimum est agunt.

Libro 5. Stromatum.

Cle. Alexandrinus: Græci autem sicut hominibus forma similes, ita iisdem quoque quibus ipsi animi perturbationibus Deos ponunt obnoxios, & quemadmodũ eorum formas sibi similes singuli describunt, ut ait Xenophantes, Æthiopes quidem nigros & simos, Thraces autem fulvos & cæruleos: ita etiam animos assimulant iis qui eos effingunt, Barbari quidem agrestes & efferatis moribus: Græci autem mansuetiores, sed in quos tamẽ cadũt motus & perturbationes. Quocirca necesse est quidem ut improbi malas de Deo suscipiant cogitationes, probi autem optimas. Quamobrem qui est animo vere regio & cognitione præditus, is cum & pie Deum colat, & sit alienus a superstitione, persuasum habet eum solum qui est solus Deus, esse honorandum, venerandum, magnificum, beneficentia omnes complectentem, principem & authorem bonorum, malorum autem non esse causam.

Clem. Alexandrinus: Qui dicunt Philosophiam non venire huc à Deo, videntur omnino dicere non posse ut Deus videat omnia singularia: neq; eum esse causam bonorũ omnium, cùm unumquodq; eorum sit ex singularibus, nihil autem ex iis quæ sunt, omnino constiterit, si Deus nolit: quòd si eo volente est à Deo Philosophia, ea est cũ talem esse qualis est esse voluerit, propter eos qui non alia ratione abstinerent à malis. Deus enim novit omnia, non solum ea quæ sunt sed etiam quæ futura sunt, & ut erit unumquodq;, & eos qui sunt singulares motus prævidens intuetur omnia, & omnia exaudit, & nuda animam aspiciens intrinsecus, uniuscujusq; etiam ex singularibus æternam habet intelligentiam, & quod fit in theatris, & in partibus uniuscujusq;, inspiciendo, circumspiciendo, & conspiciendo, hoc in Deo simul fit & acervatim. Omnia.n. & singula intuetur una applicatione, non tamen omnia per principale institutũ. Jam enim multa quidem ex iis quæ sunt in vita, per humanã quoq; rationem ortum accipiunt, cùm divinitus acceperint illuminationẽ. Ecce enim sanitas, per medicinã, & bona corporis habitudo per alipticam, id est, ungendi artem, & divitiæ per negotiationẽ & rei faciendæ artem oriuntur & adsunt, per divinã quidem providentiam, per humanam autem opem & operam. A Deo autem est etiam intelligentia. Atq; divinæ quidẽ voluntati maximè obedit bonorum virorum liberũ eligendi arbitrium: quoniam bonorum quidem & malorum hominum multa sunt commoda communia, fiunt tamen utilia solis bonis & probis, quorum causa Deus hæc fecit. *lib. Strom 6.*

D. Greg. Nazianzenus: Locum quidem mutare Jonæ fuit: sed non etiam effugere Deum. nam nec mortalium ullus alius id potest, sive in terræ finibus, aut maris profundo se occultet, sive pennis (si qua arte id consequi possit) subleveturatq; in cœlum evolet, sive ad imas inferni partes se conferat, sive crassa nube se cõtegat, sive denique, quidvis aliud ad fugã in tuto collocãdam animo agitet. Solus quippe ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari, nec superari potest, cum aliquem arripere, ac sub manum & potestatem redigere voluerit. Celeres antevertit, prudentes decipit, fortes subvertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit. *Oratione 1. de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Pietatem positã esse judicate, non in multum & sæpe de Deo loquendo, sed ut plurimũ tacendo, Lingua.n. nisi ratione gubernetur, in lapsum facilè homines impellit: semperq; minus periculosum esse audire, quã loqui existimeris: ac proinde libentius de Deo quippiã discatis, quã doceatis: vosq, ita cõparetis, ut exactiore harum rerum examinatione dispensatorib. Verbi relicta, sermone minimum, operibus majori ex parte Deum colatis legisq; quã legislatoris laude ac prædicatione vestrũ erga eum amorem declaretis, vitia nimirũ fugientes, virtutẽ consectantes, spiritu viventes, spiritus vestigiis ingredientes, eoq; cognitionem attrahentes. *Orat. 2.*

D. Nazianzenus: Ne ob rerum penuriam ante Baal genua flectamus, nec ob metum aureã imaginem adoremus. Hoc unũ timeamus ne quid magis quam Deum timeamus, divinæq; imagini per improbam vivendi rationem probrum inferamus. *Orat. 6.*

D. Nazianzenus: Quemadmodum sol oculorum imbecillitatem prodit: eodem modo Deus animæ morbum adventu suo indicat, atq; aliis quidem lux, aliis ignis est: unicuiq; videlicet ratione subjectæ materiæ atq; qualitatis. *Orat. 7.*

D. Nazianzenus: Athanasium laudans, virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat: vel, ut verius loquar, tener. Deo quippe omnes vivunt, qui secundum Deum vixerunt, etiam si ex hac vita migrarint. Unde & Deus, Deus Abraham, & Deus Iacob dicitur, viventium Deus, non mortuorum. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus hominibus est, illudque, ut per cognatam illuminationem ad eum evehantur, vel potius reducantur. Nam cum multa & magna sint, atque adeo tot & tanta, ut nemo ea sermone complecti possit, quæ nos à Deo partim habemus, partim habituri sumus: maximum tamen & humanis-

simum est, propensio ad eum atque conjunctio. Nam quod rebus in sensum cadentibus est Sol, hoc iis, quæ animo & ratione intelliguntur, est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat: hic invisibilem. Ille corporis oculos ita afficit, ut lumen ipsius intueri possint: hic mentes divinas reddit. Atque ut ille, cùm, & iis quæ oculorum sensu prædita sunt, & iis quæ in aspectu sentiuntur, hanc vim tribuat, ut & illa videre, & hæc visu percipi possint, interim tamen ipse omnia, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudine antecellit, eodem modo Deus, cum tam iis, quæ intelligentia utuntur, quàm quæ mente & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, ut & illa intelligant & hæc intelligentia percipiantur, ipse tamen intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum usquam fertur. Nec enim quicquam sublimius habet, aut omnino habebit mens ulla, quantumvis philosophica, & altissimè tendens, ac summè curiosa. Hoc etenim rerum omnium expetendarum est: quò cùm pervenerimus, conquiescit omnis speculatio. Cuicunque igitur terrena mole per rationem & contemplationem perrupta, solutaq; hac carnali sive nubes, sive obvelatio dicenda est, cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commisceri licuerit, is duplici nomine beatus prædicari debet: tum quod hinc sursum ascenderit, tum quod deificationem illam sit consecutus, quam verum & syncerum philosophiæ studium conciliat, ac mentis supra terrenum binarium subvectio, propter eam, quam in Trinitate intelligimus unitatem. Quin autem ob animæ cum corpore conjunctionem deterior factus est, ac luto usque adeo hæsit, ut nec in veritatis radios mentis aciem irrendere, nec supra inferiora assurgere queat, idque cùm desuper originem traxerit, & ad supera vocetur hunc cæcitatis ergo miserum existimo, etiam si res hujusce vitæ illi ex animi sententia fluant: tantòque etiam miseriorem, quantò magis à secundo ac felici fluxu delusus fuerit, sibique aliud quodpiam bonum vero bono præstabilius esse persuaserit, malum utiq; malæ opinionis fructum decerpens nimirum ut vel tenebris mulctetur, vel eum tanquam ignem videat, quem ut lucem minimè cognovit. *initio Orat. 12.*

D. Nazianzenus: Ante fugit, humilitatem non tam in parvis rebus leviscque momenti (fieri enim possit, ut eam ostentatio, fictaque & adumbrata virtutis species pariat) quàm in majoribus & gravioribus explorari? Egò certè humilitatis ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de seipso pauca, idque apud paucos, & rarò commemorat, nec qui inferiorem humiliter affatur, sed qui parcè ac moderatè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere & retinere, quorundam etiam inscitiam fateri novit, atque ei sermone cedit, cui loquendi munus commissum est, ac nonnullos uberiore Spiritus gratia præditos, & contemplatione altiùs provectos esse æquo animo patitur. Turpe est profectò in veste ac victus ratione, non sublimiorem, sed viliorem eligere, ac genuum callo, lachrymarum fontibus, jejuniis, vigiliis, chameuniis, labore, atque omni corporis maceratione humilitatem præ se ferre, ac propriam imbecillitatem agnoscere: in divinis autem disputationibus principatum & tyrannidem sibi vendicare, nec cuiquam omnino cedere, verùm supra omnes legis doctores supercilium efferre: ubi humilitas non solùm gloriam habet, sed etiam securitatem. Quid igitur? (interpellabit quispiam ex iis, qui ferventioris animi sunt) an de Deo tacebimus, idque nobis indicis? Et de qua tandem re potius loquemur? aut quo loco illud ponemus, Semper laus eius in ore meo: &, Benedicam Dominum in omni tempore: &, Veritatem meditabitur guttur meum: & Ecce labia mea non prohibebo: aliaque in eamdem sententiam meditata ac definita testimonia producet. Cui leniter & sine acerbitate, ut hinc quoque animi moderationem doceamus, occurrendum est. Non te tacere jubeo, vir sapientissime, sed à pertinaci contentione abstinere: non veritatem occultare, sed præter legem non docere. Nam & ipse vel primus inter eos nomen profiteor, qui sapientiam & doctrinam laudibus efferunt, atque in divinis sermonibus sacrisque studiis tempus atque operam ponunt, aut certè ponere cupiunt: ac Deus faxit, ne quid unquam huic occupationi prævertendum ducam, ne alioqui ipsa sapientia miser appellet, ut sapientiam & eruditionem spernens ac pro nihilo ducens. Interim tamen excessum vito, & inexplebilem cupiditatem coërceo: malimque, si mihi utrumque fugere ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse, quàm nimis curiosus, ac nimis timidus, quàm nimis audax & temerarius. At tu idem omnino mihi facere videris, ac si me immodico cibo tibi interdicentem eo nomine accusares, quasi ab omni in universum alimento tibi abstinendum esse præscriberem, aut ad castè pudiceq; cernendum hortantem perinde criminareris, quasi cæcitatem laudibus efferrem. Si est tibi sermo prudentiæ, inquit ille, responde: nec quisquam prohibebit: sin minus, hæreat vinculum labiis tuis. Quantò commodius hoc in eos, qui ad docendum prompti ac parati sunt, adhiberi queat, Si tibi tempus est, doce: sin minus revincta lingua aures solve? Meditare tu quidem, atq; animo versare in rebus divinis: cæterum intra fines te continens. Loquere tu quidem ea quæ sunt Spiritus, ac, si fieri potest, ne aliud quidem quicquam loquere, immò etiam crebrius loquere, quàm respirā (pulchrum enim ac divinum est per divinarum rerum commemorationem ad Dei amorem perpetuò extimulari) sed ita, ut ea, quæ tibi imperata sunt cogites. Ne Patris naturam anxiè inquiras. Unigeniti ortum, Spiritus sancti gloriam & potentiam, unam, inquam, eandem in tribus personis deitatem & claritatē, individuam illam naturā, ac confessionem & gloriam spemq; hominum fide præditorum. Verba ea, quibus simul cum lacte imbuuntur, mordicus retine: sermonis autem & disputationis curam eruditioribus manda. Satis superq; tibi est fundamentum habere: superstruat architectus. Sufficit tibi cor pane fulcire: obsonia copiosis & locupletibus relinque. Nemo sanus ac prudens te accusabit, si splendide ac magnificè cœnam non instruxeris: verùm si, vel Christi discipulo, vel cuipiam alii panem non apposueris, aut aquæ poculum non porrexeris, cùm id tibi per facultates tuas liceat, tum demum jure ac merito condemnaberis. Noli celer esse in verbis, admonet Sapiens, nec inopia laborans cum locuplete compara, nec sapientibus sapientior esse affecta. Sapientiæ quoq; genus est, seipsum nosse, ac non immodicè efferri, eodemq; modo, quo voces, affici, quæ, si vehementius contendantur, propter excessum omnino deficiunt. Præstat, cùm doctus sis, ob mansuetudinem & animi æquitatem consultò cedere, quàm, cùm eruditione careas, per insolentiam ac temeritatē altiùs efferri. Celeritas tua usq; ad fidei confessionem progrediatur, quando ea abs te exacta fuerit: ultra eam a timidiorem te esse velim. Nam ut illic tarditas, ita hic festinatio periculosa est. Quid autem est, quamobrem grave & acerbū putes, si non in omni disputatione domineris, atq; in omni problemate aut quæstione primariam sedem obtineas, verùm alii te, vel doctiores, vel audaciores inveniantur? Deo gratiæ habeantur, quòd, ut eximia largitur, ita per cōmunia saluti hominū consulere norit. Atq; hoc miraculum non in doctrina tantū ac disputationibus, sed in ipsa quoq; mundi affectione locum habere comperies, si animā adverteris. Neq; enim in rebus creatis excellentissima quæq; nonnullorum duntaxat, sed omnium mortalium sunt, atq; ad unum idemq; figmētum cōmunis Dei gratia dimanat: neq; in fidei ratione, ea, quæ salutem efferunt, potentiorum sunt, sed volentium. Quid pulchrius aëre, igne, aqua, terra, pluviis, fructibus, sativis juxtà & agrestibus, tecto, indumentis? Atqui hæc sunt ejusmodi, ut omnes iis cōmunicēt utantur, partim quidem omnino cōmuniter, partim ad quandam mediocritatem: nec quisquā adeò tyrannus est, ut cōmuni beneficio solus fruatur. Deus enim solem suum æquè omnibus oriri facit, divitibus ac pauperib. pluit: communis diei noctisq; alternatio & vicissitudo, cōmune donum sanitas, cōmunis vitæ terminus, communis mensura & gratia corporis, cōmunis sensuum vis & facultas. Ac fortassē hoc nomine meliori quoq; conditione pauper est, quod prō his beneficiis ampliores Deo gratias agat, jucundiusq; communibus, quam potentiores superfluis minimeq; ad vitam necessariis fruatur. Atq; hæc quidem cōmunia, omnibus exposita sunt, Deiq; justitiam perspicuo argumento testantur. At aurū & pellucidi & deamati lapides, & molles ac supervacaneæ vestes, & turgida mensa furoreq; animos afficiens, & redundantes opes, quæ dominos labore conficiunt, paucorum hominū ornamēta sunt. Hoc a etiam circa fidē ipse animadverto. Cōmunia sunt, Lex, Prophetæ, Testamenta, Testamentorū oracula, gratia, puerilis institutio, perfectio Christi passiones, nova creatio, Apostoli, Evangelia, Spiritus distributio, fides, spes, charitas, eaq; tum erga Deum, tū ex Deo, nec ea ad mensurā data, quemadmodum olim manna illud ingrato & improbo Israëli donatū, sed ad uniuscujusq; voluntatē, ascensus item, illuminatio, subobscura quidem hæc, quæ in hac vita cōtingit, clarior autem illa, quam spe conceptā habemus, deniq; quod maximū est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti agnitio, ac primariæ nostræ spei confessio. Quid his maius ac sublimius? quid rursus cōmunius? At quæ ultra hæc sunt, tametsi ob raritatē præstantiora sint, tamē si necessitatē spectemus, posteriores partes tenent. Nā quæ hanc rationē habent, ut iis remotis atq; sublatis ne Christianus quidem ullus esse possit, hęc profecto iis utiliora sunt, quæ tantūmodo à paucis percipi atq; comprehendi possunt. *Orat. 26.*

D. Nazianzenus: Quid tandē Deus naturā sua & essentia sit, nec hominum quisquā unquam invenit, nec invenire potest. An verò aliquando sit inventurus, quærat hoc qui volet, ac perscrutetur. Mea quidem sententia tum demū hoc inveniet, cùm deiforme hoc atque divinum, id est mens nostra, & ratio cum natura cognata conjuncta fuerit, & imago ad exemplar illud suum, cuius nunc desiderio tangitur, ascenderit. Atq; illud mihi esse videtur, quod tanto studio commentamur, & exquirimus, nempe nos aliquādo tantum cognituros, quantum cogniti sumus. At in hac mortali vita quicquid ad nos usq; pertingit, aliud nihil est, quam exiguus quidam rivulus, ac velut parvus magnæ lucis radius. Quamobrē si quis Deum cognovit, aut Scriptura teste cognovisse dicitur, catenus cognovisse cē sendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quā qui minus luminis divinitus accepit. Ita exuperantia hæc, plena & numeris omnibus absoluta cognitio existimata est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum & facultatem perpensa. *Orat. 34.*

D. Nazianzenus: Deum intellectu percipere difficile est, eloqui a, impossibile, ut prophanorum Theologorū quidā docuit: meo quidē judicio non incallidè: nempe ut ex eo quòd intellectu difficilē affirmat, opinionē hominib. afferat, se eū cognitione percepisse. ex eo a, quòd nullis verbis eū explicari posse ait, hoc agat, ne inscitia sua prodi atq; convinci queat. Ego verò ita potius dicendū censeo, Dei naturam nullis quidē verbis explicari posse: animo a, atq; intellectu cōprehendi multo minus posse. Nam quod quis animo & ratione complexus fuerit, id quoq; fortassē sermone declarare queat, si nō satis dilucidè ac perspicuè, at saltem obscure, modò auditorem nactus sit, non omnino surdum, tardique & stupidi ingenii. At rem tantam animo comprehendere, omnino impossibile est, non modo ignavis & languidis, deorsumq; vergentibus, sed magnis etiā & excelsis viris,

Deique

Deique amore præditis, ac mortalibus peræque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo hæc & carnis craſſities tenebras offundit. Atq; haud ſcio, an hoc quoq; ſublimioribus illis & intelligentibus naturis, negarum ſit, quæ quia Deo propius junctæ ſunt, ac toto illo ſplendore collucent, cernere utiq; fortaſſe queant, ſi non prorſus, ac certè plenius quàm nos & ſolidius, atq; aliæ aliis, pro cuiuſq; ordine vel uberius vel parcius. *Orat. 34.*

D. Nazianzenus: Etenim quod Deus ſit, ac princeps quædam cauſa, quæ res omnes procrearit, atque conſervet, tum oculi ipſi, tum lex naturalis docet; illi, dum rebus in aſpectum cadentibus aciem affigunt, eaſq; & pulchrè fixas & ſtabiles eſſe, & progredi, atque immorè, ut ita dicam, moveri volviq; perſpiciunt: hæc autem, dum per res oculis ſubjectas, ac recto ordine collocatas, authorem earum conjectura quadam colligit, atq; aſſequitur. Quonam enim modo univerſa hæc rerum moles vel producta unquam fuiſſet, vel conſiſteret, niſi Deus omnia in rerum naturam protuliſſet, atque conſervaret? Quemadmodum enim quiſpiam citharam pulcherrimè confectam & elaboratam conſpiciens, ejuſq; concinnitatem & conſtitutionem, aut etiam ipſius citharæ cantum audiens, nihil aliud quam ipſum citharæ conditorem atq; citharœdum mente reputat, atq; ad eum cogitatione fertur, etiamſi de facie ignotum: eodem quoq; modo nobis, is, qui res effecit, effectaſq; movet atq; conſervat, manifeſtus eſt, etiamſi mente minimè comprehendatur. Ac nimis profectò hebes & ſtolidus eſt, quiſquis non huc uſq; ſponte ſua progreditur, naturaliùque demonſtrationum veſtigiis inſiſtit: atque adeo hoc ſibi perſuadet, ne id quidem Deum eſſe, quod vel imagine quadam animi concepimus, vel informavimus, vel orationis penicillo utcumque deſcripſimus. *Orat. 34.*

D. Nazianzenus: Quanti tandem æſtimandum eſt, quod profanus quidam auctor ſcribit, idem in ſenſilibus eſſe ſolem, quod Deum in intellectilibus? ut enim hic mentem, ita ille oculos illuſtrat, atque ut hic res omnes eas quæ animo & ratione intelliguntur, pulchritudine vincit, ille etiam eas quæ oculorum ſenſu percipiuntur. *Oratione 34.*

D. Nazianzenus: Quemadmodum nemo eſt, qui aërem totum unquam hauſerit: ita Dei naturam, nec mens unquam ulla prorſus concepit, nec vox ulla complexa eſt. Verum ipſum ex his, quæ circa ipſum ſunt, adumbrantes, obſcuram quandam & imbecillem, atque aliam ex alio ſpeciem colligimus. Ac præſtantiſſimus hic apud nos theologus cenſetur, non qui in totum, quid Deus ſit, invenerit (nec enim vinculum hoc totum capere poteſt) ſed qui ampliorem ipſius ſpeciem mente cõcepit, ampliuſq; veritatis ſimulachrum, vel adumbrationem, vel quocunq; tandem alio vocabulo uti quis malit: in ſe ipſo collegerit. *Orat. 36.*

D. Nazianzenus: Deus, & erat ſemper: & eſt, & erit: vel, ut rectiùs loquar, ſemper eſt. Nam Erat, & Erit, noſtri temporis, fluxæq; naturæ ſegmenta ſunt. Ille autem ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat, cùm in monte Moſi oraculum edit. Univerſum enim id, quod eſt, in ſe complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam eſſentiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem ſuperans: mẽte ſola adumbratus is, & quidem perexiguè ac perobſcurè, non ex his quæ in ipſo ſunt, ſed quæ circa ipſum: alia ex alio collecta ſpecie ad unum quoddam veritatis ſimulacrum: priuſquam teneatur, effugiens, & priuſquam intellectu percipiatur, ſeipſum fuga proripiens: tantum principem noſtri partem, eamq; à vitiorum labe purgatam, colluſtrans, quantum oculorum aciem fulguris celeritas minimè conſiſtentis. *Orat. 38.*

D. Greg. Nyſſenus: Quemadmodum ſecundum divinam diſpenſationem ſol ſuorum radiorum vigorem & ſinceritatem cum aëre interjecto contemperans, moderatum accipientibus ſplendorem & calorem immittit, quamvis ſit per ſe imbecillitati noſtræ inacceſſus: ſic & divina natura, dicti à nobis exempli ſimilitudine, infinitis partibus noſtram naturam ſuperãs, & inacceſſa ad participationem cum ſit, veluti mater benigna & miſericors ſenſu & intelligentia carentibus infantium vagitibus una balbutiens, hoc humanæ tribuit naturæ, quod capere poteſt: propterea que in variis ad homines Dei apparitionibus, & ſecundum hominem figuratur, & humanitus loquitur, & iram & miſericordiam, & ejuſmodi induit affectus: ut per omnia quæ naturæ ſunt congrua, infantilis noſtra vita tanquam manu ducatur, per providentiæ ſermones divinam naturam attingens. Quod enim nulli affectui eorum quæ per voluptatem, vel miſericordiam, vel iram contingunt, Deum obnoxium eſſe, ſanctum eſt exiſtimare, nullus qui vel mediocriter rerum veritatem conſiderarit, contradixerit. Verumtamen etiam delectari Dominus dicitur in ſervis ſuis, & iraſci animo in populum qui lapſus fuerat, & miſereri rurſus eius cuius miſertus fuerit, & ſimiliter miſereri, unoquoque talium verborum plauſibili ſermone nos inſtruente, quod per noſtra idiomata ſeu proprietates Dei providentia infirmitati noſtæ admiſcetur. Ut qui ad peccatum proclives ſunt, terrore ac metu à malis abſtineant, & qui in peccatis prehenſi ante fuerint, non deſperent reditum per pœnitentiam, in Dei miſericordiam reſpicientes: qui verò ad exactã normam vitam ſuam dirigunt, & rectè conformant, magis virtutibus exultent: ut qui ſua vita ipſum bonorum inſpectorem delectent. *Orat. 12. contra Eunomium.*

D. Gregor. Nyſſenus: Poſtquam homines imperita & puſilla cogitatione ac ſententia ad creaturæ pulchritudines mirabiliter affecti ſunt, non eorum quæ cernebantur admiratione ceu manuducto-re & optimo duce ad ſupereminentis pulchritudinis cognitionem ſunt uſi: ſed ad ea uſque quæ mente comprehendi poſſunt, ſuam intelligentiam ſtiterunt: & creaturæ partem unamquamque peculiariter admirati ſunt. Quapropter non in uno quodam ſolo eorum quæ oculis cernuntur divinitatis opinionem ſtabilierunt: ſed quidquid in creatura cernitur, numen exiſtimaverunt. Et ſic Ægyptiis quidem circa naturas intellectuales, amplius invaleſcente errore, innumerabiles dæmonum formæ ad deorum naturas annumeratæ ſunt. Apud Babylonios vero orbis cœli inerrans Deus exiſtimatus eſt, quem etiam Bel nominaverunt. Sic etiam orbes inferiores ſeptem, Græcorum vanitas modo peculiari cùm deos feciſſet, alii alium ſecundum erroris quandam rationem peculiarem ſubjecit. Nam cum hos omnes orbes in ſeipſos volvi animadverriſſent, quandoquidem circa ſummum erraverunt, per conſequens, uſque ad ultimum & citimum eundem errorem conſervarunt. Præterea ipſum æthera, atque ſubfuſum aërem, terramque & mare & ſubterraneam ſortem ſive extremitatem, & hujus ipſius terræ quæcunque ad vitam humanam tuendam & ſuſtentandam ſunt utilia & neceſſaria, nihil eſt quod divinæ naturæ exſors eſſe docuerint: Sed unumquodque horum ut Deum venerati ſunt: propter unum horum aliquod quæ in creatura præfulgent, ſeipſos omnibus ſubſequentibus ordine creaturæ partibus in ſervitutem addicentes. Quod ni à principio nefas viſum fuiſſet in creaturam oculos convertere, non in hanc multitudinis deorum fraudem & impoſturam erroribus decepti incidiſſent. *Orat. 4. adverſus Eunomium.*

D. Greg. Nyſſenus: Si ima creatura quæ noſtros uſq; ad ſenſus pertingit, modum humanæ conditionis ſuperat, quomodo qui univerſum conſtituit ſola voluntate in noſtra comprehenſione continueretur? *Orat. 12. contra Eunomium.*

Idem paulo poſt: Quemadmodum enim hi qui quempiam ſibi incognitum, per aliqua indicia & ſignia declarant, ipſum ex bono patre ortum & ingenuum, ſi ſic ſors tulerit, & ex nobilibus dicunt eſſe, atque divitiis clarum & dignitate conſpicuum, ætate florentem, & in tantum corpore eminentem, & quæ ſunt ejuſmodi dum dicunt, non naturam eius qui declaratur, ſed quædam ſigna & notas eorum quæ in ipſo cognoſcuntur, indicarunt. Neque enim quod generoſum & nobile, neque pecunioſum, neque illuſtre dignitate, quod ætate flore, & ſpectabile eſt, ipſe homo eſt, ſed horum unumquodque in aliquo ſpectatur. Sic etiam omnes voces ſanctæ Scripturæ ad glorificationem divinam inventæ, eorum quæ aliquid in Deo declarant, ſignificant, propriam ſignificationem ſingulæ præbentes, per quas, vel quod potens eſt, vel quod deterrioris non eſt capax, vel quod non eſt ex cauſſa, vel quod circumſcribi non poteſt, vel quod in omnia habet imperium, vel omnino quid eorum quæ in ipſo conſiderantur, docentur: eſſentiam autem ipſam, ut neq; intelligentia percipibilem, neq; oratione effabilem, non curiosè inquirendam dimiſit, ſilentio colendam eſſe ſanciens, dum vetuit profundorum inquiſitionem, & dum edixit non oportere efferre verbum ante faciem Dei. Ob eam cauſam qui omnem divinitus inſpiratam vocem perſcrutari voluerit, non inveniet divinæ naturæ doctrinam, nec ullius eorum quæ per eſſentiã ſubſiſtunt: unde in rerum omnium ignorãtia & caligine degimus, primum nos ipſos ignorantes homines, deinde etiam cætera omnia. Quis enim eſt qui ſuæ propriæ animę cognitionem perceptam habuit? quis novis ipſius eſſentiam? an materialis eſt, an immaterialis, purè incorporea, an quid in ea corporeum? quomodo naſcitur, quomodo temperatur? unde in corpus inſinuatur? quomodo abſcedit? quid habet quod colligat & inter medium veniat ad naturam corporis? quomodo tactum fugit & figuræ omnis expers, propria quadam circumſcriptione comprehendatur? quænam ſecundum operationes eius differentia? quomodo eadem etiam ſupra cœlum extenditur, dum curioſa indagatione quæ ſunt inviſibilia inveſtigat, atque etiam ad materiales affectus delabitur pondere corporis attracta, iramque & metum, dolorem & voluptatem, miſericordiam & ſævitiam, ſpem & memoriam, ignaviam & audaciam, amicitiam & odium, & omnia, quæ ex contrario animi facultatibus efficiuntur: quæ quis animadvertens, non cogitaverit quendam populum animarum in ſeipſo coitione quadam coarctarum & comparatarum habere? *Oratione 12. contra Eunomium.*

D. Chryſoſtomus: Ipſa Dei gratia finem nullum habet, terminum non novit, ſed & ad majora ſemper propagatur, atque progreditur. Id quod non ita in hominibus uſu venit. verbi gratia: Aſſequutus eſt quis magiſtratum, gloriam, principatum, tum in eo perpetuus non manet, ſed confeſtim ab eo excutitur: nam ut honorem illum humana manus non eripiat, certè ſuperveniens mors omnino ereptura eſt. At quæ Deus bona largitur, haudquaquam talia ſunt, à quibus videlicet non homo, non tempus, non rerum adverſarum vis, non ipſe diabolus, non mors ingruens deturbare nos poterit, quin vel mortui quum ſumus, tùm demum firmiùs ea poſſidemus, atq; adeò quò progredimur magis, eò pluribus ſemper, majoribuſq; illis effectis fruimur. *Homil. 9. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: Deo longe decentius ſervare quàm ſupplicio afficere. *Homil. 10. ad Romanos.*

D. Chryſoſtomus: Qui didicerit in domino gloriari nunquam extolletur, ſed ſemper erit modeſtus, & in omnibus erit gratus. Res autem Græcorum non ita ſe habent, ſed ſibi omnia tribuunt, quamobrem homines quoque in Deos referunt: adeo præcipites eos egit amentia & arrogantia. *Homil. 5. ad Corinth 1.*

Chryſoſtomus: Qui odorem ſenſit, illud quidem novit, unguentũ alicubi conditum eſſe: at cujuſmodi naturæ, non item; niſi prius id perſpectũ habuerit. Eodem modo nos quoq; quòd ſit Deus, ſcimus: quidnam autem natura ſit, non item. Itaq; tanquam thuribulum regium ſumus, cœleſte unguentum ac ſpirituale fragrantiam, quoquò gentium pergamus, redolentes. *Homil. 5. ad Corinth. 2.*

Chryſoſt. Unde tibi eſt exploratum Deum eſſe? Ab iis rebus quæ in aſpectum cadunt, ac cõmodiſſimo eo ordine qui in rebus omnib. conditis elucet, hinc deniq; quod de eo inter omnes conſtat. *Hom 3. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſt. Tum demum Dei vis maximè elucet, cum per viles & abjectos homunculos ingentes res patrat. *Homil. 3. ad Cor. 2.*

Chryſoſt. Homines pleriq; non perinde ſolent attentis auribus audire eos ſermones qui Dei majeſtatem commendant, atq; hos qui ejuſdem in homines beneficentiam declarant. *cap. 1. ad Galatas.*

D. Chryſoſt. A Deo lædere quidem eſt remotũ, prodeſſe a. eſt eius proprium. non vides quod quæ mortem afferunt venena lædunt, & nullo indigent? quando autem proſunt multis? *Hom. 12 ad Epheſ.*

Chryſoſtomus: Adeò magna ſunt beneficia Dei, atq; in tantum humanam omnem expectationem ac ſpem tranſcendunt, ut ea ſæpius vix credantur, quæ enim nunquam humanus animus aut cogitare, aut ſperare potuit, ea nobis cuncta largit' eſt. ut fermè Apoſtoli plurimum laborarint, ut nobis perſuaderent credere dona à Deo nobis indulta. Quemadmodum n. in excellentibus quibuſq; bonis hoc patimur, ut dicamus. Putas-ne hoc ſomniũ eſt, propterea quod non credamus, ita & in divinis profectò muneribus. *pr. Hom. 4. ad Tim. 1.*

Chryſoſt: Nihil eſſe deterius poteſt, quam velle divinas res humana ratione diſcernere, atq; metiri. Ita n. ex fidei fundamento quiſq; decidit, & longe errore jactatur vagus, atq; à luce deſeritur. Si enim qui ſolis radios corporeis cupit haurire luminibus, non modo quod quærit, non efficiet, neq; quod inſtituit, peraget: verum ipſo quoq; quo viget, privabitur lumine, innumeraq; ſuſtinebit incommoda: multo ſane magis, qui in æternam illam lucẽ defigere obtutus quærit, eamque rationibus conſequi mortalibus. *Hom. 2. ad Tim. 2.*

Io. Chryſoſt. Sicuris qui regi adſtat, gratiamq; apud illum habet, nihil triſte ſentire poteſt: ita etſi nos amici deſerant, etſi in adverſa quæq; incidamus, nihil ſentiemus ingratum, gratia Dei præſente & nos muniente. *2. ad Timoth. homil.*

Io. Chryſoſtomus: Humana irrideamus, donec Deum habemus propitium. Quomodo enim ſi ille ſit inimicus, etiamſi omnes ſint amici, nihil prodeſt: ita ſi ipſe ſit amicus, etiamſi omnes belligerentur, nihil lædit. *Homil. 33. Epiſt. ad Hebr.*

Baſilius Seleuc. Deus inimicos fortiter, diuq; fert, vindictæ dilatione præfinitum ſpatium pœnitudini tribuens. Ubi verò humaniora remedia minimè ſuccedere viderit, à medico provocat ad judicẽ, & conſiliorum ſuorũ ſpretores ſuppliciis revocat ad frugem. *Orat. 9. in*

Baſilius Seleuc. Non in ſæculi eſt Deum noſſe, aut eloqui, immo ex eorum numero quæ fieri minimè poſſunt. *Orat. 39. in.*

Ibidem: Deus quod ſit, credi debet. Nam quo latius humanus animus ſe diffundit, tantò clariùs deprehendit intelligentiæ ſuæ inſciẽtiam. Ac ſi quid magnificentius dicere contendat infra veritatem erit. Quis enim cognoverit, quem cogitatione nequeat adſequi? quis eum, qui enunciari non poteſt, enunciet? quomodo animatus à Deo limus, ſuæque ignorans animæ ſubſtantiam, Deum, qui animam inhalavit, comprehendat? Nequaquam igitur, qui Deum venerari didicit, Quid ſit Deus ſuperſtitioſe anquirit: quin potius ex rebus conditis Dei notione in animam transfuſa Deum eſſe ſecum deputat: A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, mundi origo expers originis, prædives emicantis lucis fons, venuſtiſſima præ omni ornamento pulchritudo, Trias in Monade cognita, & Monas in Triade veneratione numinis affecta.

S. Iſidorus Peluſiota: Divina beneficia non ſimpliciter ac citra ullam cauſam dari exiſtimo, verùm prout iis qui ea excipiunt, animos ſuos antè præpararint. Ac, ſi placet, illum ſacrorum antiſtitem Moſem conſideremus. Ille enim, quoniam Ægyptium, qui injuriam inferebat, ultus eſt, ac rurſum populares ſuos inter ſe rixantes ad amicitiam compulit, idcirco à Deo, Ægyptiorum quidem execruciator popularium autem ſuorum Legislator, inſtitutus eſt. *lib. 1. Ep. 70.*

S. Iſidorus Peluſiota: Scelerum correctionem atque animadverſionem, quam Deus emendationis noſtræ cauſa efficit, nec iram, nec indignationem vocare debemus, verùm potius admonitionem. Quòd ſi hanc quoque iram nonnulli eſſe exiſtimant, hinc etiam ipſius erga hominum genus benevolentiam prædicant, dum Deum propter homines, quorum cauſa humanitatem etiam induit, ad affectus deſcendere arbitrantur. *lib. 1. Epiſt. 344.*

S. Iſidorus Peluſiota: Manſuetum hominem Scriptura pugnacem ac bellicoſum reddit, cùm quiſpiã adverſus Deum aliquid molitur. Ad hunc modum Moſem adverſus populares ſuos excitavit. Sic Phinees item iniquos ac ſceleratos pugione transfodit. Sic Davidem, cùm adverſus Philiſteum decertavit, Sic Petrum, cùm zelo incenſus gladium adhibuit, quo tempore Domino pacis bellum à Judæis inferebatur. *lib. 1. Epiſt. 418.*

Iſidorus Peluſiota: Divinum numẽ, etſi clariſſimum, ac Sole longè ſplendidius, cernere quidem impoſſibile eſt (neq; enim in mortalium oculos cadit) animo autem concipere haudquaquam impoſſibile (mente quippe ab omni labe quàm maximè puræ radios ſuos per providentiam immittit (comprehendere autem prorſus difficile: omnibus enim rebus quæ animo & ratione intelliguntur, majus eſt ac ſublimius) benignum verò ac placidum habere pronum & facile. virtutem quippè amat & exoſculatur. Quamobrem ſi nobis cordi eſt id quod captum excedit capere, ac rem dignitatem omnem ſuperantem conſequi, temperantia, juſtitia, prudentia, fortitudine, aliiſq; virtutibus noſipſos exornemus. Neque enim aptiorem ſibi ac familiariorem ſedem ullam, quàm puram & caſtam animam eſſe conſtituit. Eóque etiam nomine ait, inhabitabo in eis, & inambulabo. *lib. 2. Epiſt. 186.*

S. Iſidorus Peluſiota: Vis numinis ultrix (ô quonam te nomine dignè appellem!) mortalium res inſpectat, eos qui ſcelerati aliquid admittunt, puniens. Nec res humanæ eo ſtatu ſunt, ut nemo eas curet ac moderetur. Hoc igitur cùm cognitum & exploratum habeas, injuſtitiam fuge, ut pœnam quoque fugias. *lib. 2. Epiſt. 127.*

Idem: Sacroſanctæ Scripturæ non obliquam & dubiam, ſed rectam & luculentam, atque inconcuſſam miniméque vacillantem de Deo fidem in omnium hominum animis inſitam eſſe oportere cenſent, periclitantibus lætam ſpem oſtendentes ac felicem exitum pollicentes, proſperè agentibus fiduciam porrigentes, calamitoſis ſolatium proponentes, ac denique peccantibus metum intentantes: ut non nomine tenus ipſum conſiderantes, probam omnem notionem velut per abortum egerant, verum & effectorem, & imperatorem, & inſpectorem, & procuratorem ac moderatorem, probos quidem viros remunerantem, de improbis autem ſupplicium ſumentem eſſe credentes. (Nam hæc demum exactiſſima & clariſſima de Deo doctrina eſt) vitium fugiant, ac virtutem amplectantur. At verò ipſius eſſentiam explorare, nec neceſſarium eſt, nec in humani ingenii captum cadit. Sciendum enim ac credendum eſt Deum eſſe: non autem quid ſit, curioſè inveſtigandum. Quocirca miſſa facta de ipſius eſſentia diſputatione, ut quæ nullo modo percipi atq; comprehendi queat, verùm omnem explorationem & inveſtigationem ſuperet, vitam noſtram & mores componamus, ut qui omninò rationem reddituri ſimus. *lib. 2. Epiſt. 299.*

S. Iſidorus Peluſiota: Cùm Deus loquitur, aut aliquid promittit, & rationes, & argumenta, & verborum lepores ac probabilitates faceſſant. Nullius enim hæc omnia momenti ſunt, ſi cum eius, qui loquitur, authoritate comparentur. *lib. 3. Epiſt. 6.*

S. Iſidorus Peluſiota: Modo divinitati conſentaneo, & excellenti, atq; adeò naturâ præſtantiori mentem de divina eſſentia & authoritate conſiderationem ineuntem, piè ac fructuosè, & quatenus facultas fert, ea, quæ ægrè inveſtigari atq; exponi, vel ut rectiùs loquar, nullo modo exponi queunt, apud auditores per linguam, ſi ita opus ſit, eloqui oportet: quòd Deus ſit, ex operibus aſſerentem. Illud enim cõſequi atq; comprehendere poſſumus: hoc autem captum omnem & comprehenſionem excedit. *lib. 3. Epiſt. 214.*

Idem Iſidorus: Qui de Deo ſermonem excitaturus eſt, hunc vitæ ac morum virtutibus elucere oportet. Nam qui vitio delectatur, huic ne de ipſius quidem juſtitiis, nedum de ipſo linguam movere permittitur: quòd videlicet divinis legibus contumelia inferatur, cùm per impuram & ſceleſtam linguam proferuntur. Peccatori enim, inquit ille, dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Ac per Eſaiam iis ſuccenſens, qui cùm optimæ vitæ nulla cura tangantur, ipſius tamen conſilia reprehendunt, his verbis utitur: Scire vias meas volunt, tanquam gens quæ juſtitiam fecerit, & legem Dei ſui non dereliquerit. Quòd ſi, qui ipſius vias, hoc eſt conſilia curioſiùs exquirunt, ſummæ audaciæ notam non effugiunt, an non illi ultra omnem audaciam progrediuntur, qui exiguæ linguæ opera de ipſomet Deo ſermonem movent, ac præſertim, cùm, quid ſit, anxiè inquirunt? Oportet autem, non quid ſit exquirere, ſed quòd ſit affirmare. Atque illud taceo, quod apud Lacedæmonios, qui ſermones actionum umbras eſſe non immeritò definierunt, ei, qui turpiter vixiſſet, ne probam quidem ſententiam pronunciare licebat. Quocirca ſi te, & recta fide præditum, & probè viventem adoriuntur nonnulli, tibique negotia faceſſunt, ne propterea conturberis. Hujuſmodi namque improborum hominum mos eſt. Nam cùm vitæ laude perſpicuè abs te ſuperentur, ad divini numinis indagationem confugiunt, tanquam ſcilicet hinc iis, qui rectè vivunt, moleſtiam exhibituri, eorumque fiduciam excluſuri. Atqui eos conveniebat (cum animis ſuis illud reputantes, quòd qui in re perſpicuâ & dilucidâ peccant, haudquaquam digni ſunt, quibus de ea re, quæ obſcuritatem præ ſe ferat, verba facientibus, fides adhibeatur) primùm vitam ſuam componere ac rectè moderari, atque ita deinceps ad earum rerum, quę comprehendi nequeunt, inveſtigationem tranſire. *lib 3. Epiſt. 232.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam ſcripſiſti, quam ob cauſſam Deus eos tradiderit in reprobum ſenſum, dicam, ſi id quod ſequitur, legeris, & cognoſces, & omni dubitatione liberaberis. Ait enim, Repletos omni injuſtitiâ. Nam poſteaquam generaliter omnem improbitatem nominavit, eandem etiam in ſpecie recẽſet in ſequentibus. Si ergo non replendos, ſed jam repletos tradidit, quid abſurdi feciſſe exiſtimandus eſt? Quod ſi hoc obſcurum eſſe putas, quamvis ſit perſpicuum, planius etiam ac manifeſtius idem tibi interpretari conabor. Non dixit, Quoniam vel poſtquam traditi ſunt, repleti ſunt, ſed neque hoc, Traditi ſunt replendi, vel ut replerentur, ſed Repletos tradidit: hoc eſt dimiſit, reliquit, nudatos ſuo auxilio & præſidio: non aliter quam Imperator aliquis milites, qui mandatis

ipſius

ipſius parere detrectant, ſed quantum in ſe eſt, victos dimittit ac relinquit, ſuâ ſapientiâ conſilioq; deſtitutos. Eos ergò, qui à ſe ipſis requ

excessum: quando in genitore genitus permanet, & in genitore genitus permanere persistit. *Serm. 61.*

Chrysologus: Deum nec absentat loca, nec tempora repræsentant; *Sermone 63. m.*

S. Chrysologus: Vis scire homo quid Deo debeas? Quod factus es; Dei creditum est: quòd es rationis capax, Dei fœnus est: quòd discretionem mali, bonive possides, accepisti: & quòd vivendi normam acceperis per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more vivens qua præditus es ratione privatis, & in gurgite criminum boni malive perdita discretione confundis, & divinæ legis substantiam dissipas, mandata voluntate captivus, factus es glorioso fœnoris debitor luctuosus: cui deficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur usura. Sed licet in hac re ceciderís, licet fueris in ista devolutus, vide ne desperes homo: remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori. Absolvi vis? Ama; charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere probante domino, cum dicit, Petre amas me? Inter omnia Dei præcepta amor obtinet principatum. *Serm. 94. ante fin.*

Chrysologus: Velle & non posse, non est divinæ majestatis, est infirmitatis humanæ. *Serm. 100. pr.*

Chrysologus: Quis intrat ad judicem non vocatus? quis non jussus ingreditur ad regem? quanto magis ad Deum non venit, quis non vocatus. *Serm. 101. post medium.*

Chrysologus: Homo coram homine de justitia, de innocentia, de merito forsan glorietur: coram Deo qui se de innocentia jactat, de sua justitia gloriatur, homo non est. *Serm. 122. m.*

Chrysologus: Homo cùm operarios invitat ad opera, non necessaria victus solum, sed etiam largo fundit epulas apparatu: ut convivium humanitatis effusæ pondus operis superet; & laborem: Deum quantum credit inhumanum, qui ad opera eius invitatus, pera, pane, precio onustus incedit, & anxius: ut aut lassus, aut tardior ad opus operarius infidelis occurrat: aut occurrere fortassis non potuit præmia promittit ille copiosa: tot chirographis, tot testibus, largam spondet ille mercedem: tu cum neque panem, neque vestimentum impio spiritu æstimas præbiturum? Teipsum cum non esses dedit esse: & quicquid homo habes dedit ipse: & cum tibi ac tuis voluptatibus viveres, victus necessaria non negavit: hunc suis virtutibus, suis operibus servienti, non panem, non vestimentum æstimas largiturum? Hoc ipsum quod in opera, quod in Zona portas, quis dedit tibi? Quid illi de suo insultaturus occurris? Novit quia dives es. *Serm. 170. ante fin.*

Ennodius: Rectè hoc æstimatur venire de Superis, quod inter homines nullo constat exemplo. *lib. 1. Epist. 6. m.*

Ennodius: Largis meatibus cœlestium munerum unda procurrit. transeunt haurientis ambitum quæ à Christo veniunt fluenta donorum. Sola vena est quæ maciem nescit, & defectus abjurat; tantum cursibus suis suggerens, quantum meretur pectus sitientis accipere. cui advertite quid occultus sapor infundat, quando ardorem lympha conciliat, & siccitatem labiis æstuante animo irriguitas vivi fluminis gignit. *lib. 3. Epist. 12. pr.*

Ennodius: Deus votorum maciem beneficii ubertate transgreditur: ut quando in desideriis meritorum conscii sectamur angustiam, divitis indulgentiæ copias non refrenet. *lib. 4. Epist. 7. p.*

Ennodius: Inauspicata bene de Deo merentibus dona tribuuntur. Ingerit superna dispensatio etiam quod supplicare humanitas non præsumit. *lib. 4 Epist. 29.*

Ennodius: Superna dispensatio, ut det genium beneficiis, improvisum facit esse quod tribuit: & dum vota transgreditur, potentiam suam liberalitate manifestat. *lib. 5 Epist. 2. m.*

Ennodius: Nesciunt in foribus hærere, quæ cœlo auctore tribuuntur. Semper incrementis ad culmen ascenditur, ubi supernus favor præstat exordium. *lib. 5. Epist. 16. m.*

Ennodius: Gratias tibi, superna dispensatio, quæ humanis rebus prosperorum fructum de adversitatis occasione largiris, nec pateris in ordine suo tristia permanere. *lib. 6. Epist. 5. pr.*

Ennodius: Cœlestis dispensatio religiosis desideriis nunquam negat affectum. nam quod piè cupimus, maturo præstat studio. *lib. 6. Epist. 36. pr.*

Ennodius: Nihil amplius cœlestis dispensator arcani ab humanis poscit ingeniis, nisi ut intelligant, quo veniant auctore quo sapiunt. Inter Deo proximos agnovisse qui præstitit, reddidisse est beneficium. Quod descendit à Superis sola hymnorum licet mercede taxari. fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. *Panegyr. Theodoret. capite primo a. fin.*

Ennodius: In divinis obsequiis feriato ore peragit mens serena sacrificium. actuum munitus claritate, in ætherio cultu etiam mutus obsequitur. *Paneg. Theod. cap 1. f.*

Io. Sarisberiensis: Melius est incidere in linguas hominum, quàm impiè versari in Deum. Itaq; si utrumq; vitare non possum, absonus malo videri quàm perfidus. *lib. 2. cap. 22. Policrat.*

Iohann. Sarisberiensis: Egregiè Cæcilius Balbus, Imperator, inquit Auguste, tum in mulis, tum in eo maxime elucet prudentia tua, quod isti nondum te omnino insanum reddiderunt, qui ut tibi applaudant, non modò Diis, sed tibi ipsi, & populo injuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reverentiam, quos parificant tibi. Te arguunt insipientiæ, dum conditionis tuæ repugnante natura, te parem numinibus esse persuadere præsumunt. Nota superstitionis inurunt populum, cui mortales Deos pro immortalibus persuadent esse colendos. Sane in eo aliquid divinum tibi inesse monstrabis, si omnes istos qui divinitati tuæ fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormenta. Quis enim Deorum ei parcat, à quo se deceptum iri intelligit? Quis non irruat in eum, qui aureos Jovis oculos eruit, aut argento gemmisque sublatis Vestam nititur excæcare? Quis de Martis capite adamantinum lumen impunè temerariis effodit unguibus? Nempe Deos invisibiles, & inimortales circumvenire, & eis fallaciæ parare insidias, gravioris culpæ est, eo quod ab his visibilium Deorum fabrica sustentatur & regitur, & honorem aut contemptum qui illis exhibetur, illi remunerant. Si sapis ergo Auguste in Deorum hostes insurges, & te si non Deum, quod nequaquam es, vel Deorum te docebis esse cultorem, si deceptores istos exterminaveris, excæcatores tuos, Deorum contemptores, & utrorumque injuriam punias. Hæc Cæcilius. Factio tamen oculatorum prævaluit, quod & præsentium rerum declarat status. Adeo quidem ut si quis popularium modestiæ conscius, assentationis & scurrilitatis vitio crediderit temperandum, hostis felicium censeatur aut invidus. Eorum siquidem aures teneræ sunt, & jam obsoluerunt vero, & lingua sæviorem sine offensione gravissima non admittunt. *libro tertio Nugarum Curialium capitis 14. initio.*

Iohan. Sarisberiensis: Colitur ergo Deus, aut affectu mentis aut exhibitione operis. Sed affectus dilectionis ipsum pure attingit, licet aliquo sensu corporis vel animæ, dum peregrinatur à domino, & mens mole corporis prægravatur, plene nequeat comprehendi: & certe eo amatur ardentius, & studiosius quæritur, quo altitudo & immensitas divitiarum potentiæ & sapientiæ suæ omnem exuperat intellectum: virtute tamen tanta omnem creaturam circumit, penetrat, implet & protegit, ut nequaquam latere valeat quamlibet rationabilem creaturam. Ipsa quoque irrationabilia ipsum esse, & talem esse, & tantum, plurimis indiciis protestantur. Miro itaque modo sic intelligentiam sui infundit ut subtrahat, sic subtrahit ut infundat, & secundum mensuram beneplaciti sui sic operatur in singulis, ut cum intensionis & remissionis vices ignoret, etsi non per essentiam, qua omnem replet uniformiter creaturam, plus vel minus videatur inesse per gratiam. Nam per unionem in solo unigenito virginis filio esse fideliter approbatur. Est itaq; nunc quasi singula in singulis futurus, ut scriptum est, omnia in omnibus electis.

Et sicut natura ignis, collatione tamen dispari, quoniam ei nihil potest pariliter comparari, à sole diversos, pro corporum diversitate producit effectus: sic illa (si tamen magna maximis conferre liceat) in multis multipliciter lucet. Solaris siquidem radius, si forte incidat in carbunculum, egrediens aut reverberans, rutilus, vicinum facit aërem rutilare. Idem ignis in smaragdo virescit, firmamento puriori sapphyro conformatur. Hiacynthi quoq; speciebus efficitur concolor. In topazio, quo rarior est, eo preciosior est, omnium fere colore superbit. Si ei Irim objicias, Thaumantiadis repræsentabit imaginem. Aqua superjectus, undat in lucanari, sed & ignem cælestem in supposita trajicit per berillum. Vides igitur in multis quam multa sit ignis. Sic in aliis est prudentia, fortitudo in aliis, temperantia in quibusdam, in quibusdam justitia, in nonnullis fides, longanimitas spei in aliis, in his est fervor charitatis, hic patientia laborum, illic dolorum consolatio, alibi perseverantia bonorum operum: quæ tamen singula in singulis est unus & idem Deus. At in futuro, quando immediata facie per gratiam eius videbimus eum sicuti est, omnia in omnibus erit, quando nulli ad beatitudinem alicuius virtutis substantia deerit, cum ipse in omnibus futurus sit plenitudo virtutis, & cumulus beatitudinis, adeo quidem ut juxta traditionem patrum, tanta majestatis suæ plenitudine videatur adesse electis, ut nihil eis desit in ulla gratia, & ipse fere solus videatur & nomine censeantur, salva veritate, substantiæ, & sine omni versabilitate naturæ. *Libro Policratici quinto, capite tertio.*

Iohan. Sarisberiensis: Nec refert fideli quis militet, an infideli, dum tamen militet fide incolumi. Diocletiano & Juliano & aliis impiis leguntur militasse fideles, & eis in defensione reipublicæ tanquam principibus fidem exhibuisse, & reverentiam. Impugnabant enim hostes imperii, sed mandata Dei servabant. Si vero præcipiebantur temerare legem, Deum homini præferebant. Sedebant principes & accusabant eos, illi exercebantur in justificationibus domini constanter loquentes sine confusione mandata eius cum omni fiducia. David quoque militasse legitur Achis, & fidem & reverentiam militantis impleße. Hæc autem omni militiæ formula præscribenda est & implenda, ut Deo primum fides debita, deinde principi & reipublicæ servetur incolumis. Et semper majora præjudicabunt minoribus, quia nec reipublicæ nec fides principi servanda est contra Deum, sed secundum Deum, sicut habet ipsa conceptio militaris sacramenti. Unde plurimum miror, si quis princeps illis habeat fidem, quos videt Deo suo, cui ut cætera taceam, etiam sacramento militiæ obligati sunt, fidem debitam non servare. Quoniam morbo rationis laborat, qui eum sibi fidelem fore credit, quem videt esse corruptum & perfidum in illum, cui plurimum debet. Sed timet principem. Certe si fortior supervenerit, pertimebit illum.

Amatur forte princeps. At si benignior & beneficentior apparuerit, & illum præamabit. Non enim quo se vertat impius qui hominem Deo profert nequaquam servabit fidem secundam, qui primam irritam facit.

§ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Heraclitus: Non est nunc Hermodore, quod tuis amplius irascaris. Euthycles Nicophontis, qui sacrilegium admiserat filius, mihi impietatis diem dixit, hominum sapientia præstanti imperitia facilè omnes vincens, quod inscripto in altari, cui astiti meo nomine deum ex homine memetipsum fecerim. Sic ab impio, in impiis judicabor. Quid censes? Videbor eis impius esse, qui diversam ab illis de diis opinionem habeam. Si etiam exæcatum visum judicarent, cęcitatem dicerent visum. Sed ô homines imperiti, docete nos primũ quid sit Deus, ut ex sermone vestro impietatis manifesto coarguamini. Ubi verò Deus est in delubris ac templis conclusus. O pios, qui Deum in tenebris statuistis. Homo convitium facit, lapideus si dicatur. Deus autem verè prædicatur ut hoc Euonimum. Ex præcipitiis nascitur. Indocti nescitis Deum non manifestum esse, neq; à principio vestigium habet, neq; circuitum ullum habet, sed totus mundus ei domus est, animalibus, plantis & astris decoratus. *Epistola ad Hermodorum.*

Xenophon: Ceterum numina supra nos esse, cuivis constat. Satis quidem est, ea majorem ob potestatem venerari. Quales autem & qui sint dii, nec inveniri facile potest, nec inquiri fas est. Quippe servorum etiam non interest, scire naturam aut facta dominorum suorum; ut quibus nihil præterea conveniat, quam inservire. Quodque maximum est, quanto majorem admirationem merẽtur, qui res humanas tractant: tãto plus hoc adfert oneris ac molestiæ, qui gloriam de multis intempestivis ac vanis rebus adfectant. Nam quando audivit quisquam, ô Æschines, Socratem de rebus cælestibus disserentem, vel ad lineas ac figuras emendandæ vitæ gratia discendas hortãtem? Musicam enim scimus ipsum intellexisse non ultra judicium aurium. Quin semper aliquid egregii suis dicere non desinebat, quid esset fortitudo, quid justitia, quid virtutes ceteræ. Vocabat autem hęc bona humana, cetera verò vel homines adsequi non posse, vel fabulis esse cognata dicebat, qualia supercilioſi sapientię professores ridicula commemorarent. Neque verò verbis hæc ita tradebat, ut factis eadem non præstaret. *Epistola ad Æschinem.*

Lysias: Declaravit autem Græcis ipsis, quod nullos putet esse Deos: Qui commissorum sibi conscius nihil veritus sit; sed magna confidentia navigatione deditus mare tentandum putarit. At Deus eum periculo subduxit, ut ad peccata sua reversus mea opera pœnas daret; quas ipsum & spero daturum. Nec quicquam horum mihi mirũ videri queat. Non enim è vestigio Deus punit, more hominum vindictæ avidorum. Variis autem è signis divinando id assequi possum, quando considero alios facinorosos, qui longo temporis intervallo pœnas dederunt, sicut & ipsorum posteri, propter majorum peccata. Interea temporis multis terriculis, multis periculis agitantur à Deo iniqui; ut pleriq; jam vita defungi, quo malis liberarentur, optarent. At Deus tandem effecit, ut magno cum dedecore vitam cum morte commutarent. *cap. 6. contrà Andocidem.*

Aristides Rhetor: Debent omnes pro sua quisque facultate Deum honorare. *Oratione in Sarapin.*

Aristides Sophista: Homerus inepto numine afflatus fuit, cùm fecit Jovem proconcione Deis vetantem, ne hominibus prospicerent. ille verò hoc neq; vetuit, neq; unquam vetiturus est, donec se ipsum reverebitur, nec enim illi fas est mutari, nec vel oblivione vel pœnitentia ductum de sententia decedere, in qua fuit initio, cum Deos hominum curatores, homines autem Deorum cultores & ministros designavit, prout utrisque decorum erat & utile futurum. *hymno in Iovem apud quem infinita multa invenias non impia de Deo, sub Iovis persona ita q; videatur.*

Aristides: Omnia sunt ubiq; Dei plena, cùm ipse rebus singulis assideat, non secus atq; pueris præceptores, & bellici victores aurigis. *Hymno in Iovem.*

Aristides: A Deo incipere meritò debemus, & in hoc desinere, dictorum omnium & factorum præsidem ipsum, & adjutorem, ceu universi imperatorem, & solùm perfectum, semper invocantes. *fine Hymni in Iovem.*

Aristides Rhetor: Divinam naturam & horrendam per vim, & salutarem per mansuetudinẽ decet existere. *Orat. in Pelagus Ægeum.*

Dion. Halicarnassæus: Si qua alia est Athenienſium laus, hæc sanè inprimis est maxima, quod omnibus in rebus, atq; adeo temporibus omnibus, Deos duces secuti sunt, neq; sine vaticiniis aut oraculis quidquam perficere voluerint. *ca. 47. de judicio hist. Thucyd.*

Maximus Tyrius: De natura Dæmonum cum disputatur, rationem rationi facile patior opponi, nec contentionem hanc reprehendẽdo: tantum abest ut indignum quid, aut à viri boni ratione alienum absurdumve ab eo committi existimem, qui vel secum ipse vel cũ aliis de Dæmone, an sit, quid, & quantus, inquirit. Et tamen in hac quidẽ quæstione nomen ipsum de quo agitur manifestum est: ejus verò de quo quæritur, tum abstrusa est essentia, tũ potestas controversa. Nũc autem cum de Deo dicere instituī, quid agam potissimum? qua verborum amœnitate, qua vocabulorum luce, qua carminis orationi suæ harmonia, mihi vel aliis id de quo nunc quæritur ostendam? Si enim Plato, quo homine nihil unquam rerum natura, ne Homero quidem excepto, vidit facundius, ne nunc quidem omnibus, cum de Deo agit, plane satis facit, sed non nemo reperitur, qui ex alio sententiam Platonis audire se postulet, operam ludere videatur, si quis ingenii vulgaris homo, disputationi huic se parem judicet. Nisi forte idem agere velimus, quod ille, qui sitienti homini cui fluvius adest limpidus plenusq;, qui & visu jucundissimus, & gustu sit suavissimus, optimeq; nutriat, ex imbelli aliquo fonticulo, quiq; nulla ex parte cum superiori conferendus sit, potum necessariũ adferat. Plane quod de noctua dicitur, quæ cum interdiu ad solem caliget, nocte lumen aliquod ab igne quærit. Si quis enim aliud dicendi genus requirit, cum in Platonica oratione versatur, aut si quis lucem illam obscurã minusque illustrem arbitratur: idem ille nec solem cum oritur, nec lunam cum fulget, nec Hesperum cum occidit, nec Lucifervm cum surgit unquam videbit.

Subsiste paululum. nunc enim propemodum quis sit dissertationis hujus usus & ratio, intelligo. Illud ipsum hic fit quod in iis qui metalla effodiunt. Qui cum terram ipsi cædant, aurum educant, ejus tamen naturam dignoscere non possunt: sed aliis hoc relinquũt, qui admoto igne explorent. Ego primam Platonis lectionem metallo similem facio, & quidem auro mero. Quod deinde sequitur, aliam artem requirit, quæ examinare id quod habet & rationis subsidio tanquam igne purgare possit: atque ita aurum purum exploratumq; satis, ad usum suum convertere. Si nobis ergo veritatis ipsius non minus quam auri, vena manifesta est, & quidem copiosa atq; opulenta, nec minus tamen alia arte opus est, quæ hoc ipsum exploret: atque ejus artis in hac quæstione, in qua agitur, quid secundum Platonem sit Deus, subsidiũ imploremus. Fingamus ergo loqui posse hanc ipsam artem, atq; ex nobis scire velle, quo animo ad hãc disputationem accedamus, an quod divinã omnino in rebus naturam esse ipsi non putemus, ac ne primã quidem Dei cognitione instructi accedamus, an vero quod vel de Platonis, vel de aliis quas ipsi peculiariter habemus opinionibus, & quas cum illius non convenire arbitramur, disputemus, atq; hoc fateri nos: illã instare rursus, & scire è nobis velle, quæ sint illæ, & qualem esse Deum judicemus. Quid respondebimus, ô bone, aut quid Deum esse dicemus? Anne secundum illud, *Incurvis humeris, atrum, crispoq; capillo?* Risu dignum merito ejusmodi responsum videbitur, quamvis angustiorum etiam formam Jovi tribuas, ut *nigra supercilia, comam auream qua cælum moveat.* Hæc enim omnia ob imbecillitatem oculorum, sermonis penuriam, animi caliginem, sapientissimi conjecêre mortalium: dum quam quisq; pulchritudinis concipere speciem poterat maximam, in eam quasi mentis imaginatione sublati, pœtæ simul & philosophi, Deo assignant. Quod si concionem cogas, omnesq; simul artes uno decreto convenire jubeas, ac de Deo ex iis quæras; putasne aliud pictorem, aliud statuarium, aliud poëtam, aliud dicturum esse, philosophum? Imo ne Schyta quidem & Græcus, & Persa, & Hyperboreus. Verum enim verò in aliis videbis alia nec unquam eadẽ statuere homines. Nec enim bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum, nec idem turpe aut honestum. Ut de legibus & jure taceam, quæ pro cujusq; placito in omnes ita partes distrahuntur ac vellicantur, ut non modo non gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat.

Talis namq; animi mens est mortalibus ægris,
Qualem quoq; diegenitor jubet esse Deorum.

In hanc tanta pugna, contentione, atq; opinionum varietate, in eo leges ubiq; terrarum atq; opiniones convenire videbis: Deum esse unum, regem omnium & patrem. Huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sint, & quasi in imperio collegæ. In eo Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiẽs consentit cum stulto. Vt si usque ad extrema Oceani litora processeris, hic quoq; Deos inventurus sis, qui non procul ab aliis oriuntur, ab aliis occidunt. Solum ergo Platonem existimas diversa ab his decernere, aut contrarias leges ferre? unum hunc à pulcherrima omnium voce abire, aut ad præsentissimam naturæ vim obbrutescere arbitraris? Quære ex oculis tuis quid videant: respondebunt esse solem. quære ex auribus quid audiant: respondebunt esse tonitru. Ita & artificem amant, & ipsam confitentur artem. Quod si ab omni ævo duo aut tres extiterunt, tam abjecti homines, vt sine Deo, & sine ullo sensu oberrarunt: quorum neq; lucem certam oculi, neq; certum sonitum aures admitterent, animo vero ac præstantiore sui parte mutili essent; irrationale, sterile atq; inutile hominum genus, ut si leonẽ sine stomacho, bovem sine cornibus, avem sine alis dicas: ex his nihilominus hominibus aliquid de divina natura intelliges. Nã & inviti hoc sciũt, & inviti dicunt. Manent enim semper reliquiæ aliquæ: quanvis cum Leucippo sentias, & bonũ illi demas: quanvis cum Democrito, & affectibus humanis subjicias: quanvis naturam ejus mutes cum Stratone: quanvis voluptatẽ addas cũ Epicuro: quanvis esse omnino neges cũ Diagora: quanvis quid sit dubitare te dicas cũ Protagora. Hos tamen mittamus potius qui totam veritatẽ assequi nunquã potuerunt: quod incerta quadam fallaciq; via ad eam tenderent. Nos verò quid agemus, qui & ipsi obliqua tantum vestigia videmus, ejusq; vix umbram qualis est conspeximus?

Ulysses cum ignotam terram appulisset, speculam ascendit, ex qua incolarum vestigia observabat:

Agreste sne homines teneant, sine legibus ullis.
Hospitiane fidem metuant, ac numina Divum.

Nos vero an non exemplo illius, in sublimen aliquam animi speculam rationis nostræ vim erigere conabimur, unde vestigia Dei ob-

ſervemus, ut ſciamus ubi ſint & qualia : ſed contra ſufficiet, ſi quaſi per umbram ea viderimus? Utinam ad manum oraculum aliquod eſſet mihi, ſive Jovis ſive Apollinis, quod apertè & manifeſtè non obliq; reſponderet. Quærere ex Deo illo, non de Crœſi regis demētiſſimi aut potius infeliciſſimi coci, lebete: non de maris ſpatio, aut arenarum numero. Ne ille quidem, quæ majoris momēti videntur. Medos adventare dicunt, quo pacto evadam? Quid enim Deorum cōſilo opus eſt, cum triremes habeam? Siciliam invadere cogito, quo pacto id ſuccedet? Nam etiamſi Deus non obſtet, magna tamē eſt Sicilia. Mihi verò Delphicus Apollo ſine ullis ambagibus de Jove, aut ipſe de ſe Jupiter reſpondeat: aut ſaltem aliquis ex Academia interpres Deorum, homo Atticus, divinandi non ignarus? Reſpondeat autem hoc modo. Animæ humanæ cum duo ad percipiendum inſtrumenta cōceſſa ſint, quorum alterum eſt ſimplex, quem intellectum, alterum varium, multiplex, mutabile, quos ſenſus vocamus: duo hęc officio inter ſe conjuncta ſunt, eſſentia & natura differunt, Jam ſicut hæc ipſa inter ſe habent, ita & illa quorum ea inſtrumenta ſunt. Quo fit ut & intellectus objecta tantum à ſenſuum objectis differant, quātum hic ab illis. Porrò rurſus quemadmodum objecta ſenſuum in communi vita notiora ſunt, objecta intellectus ignota: ſic objecta rurſus natura notiora ſunt. Ita ut animalia, plantæ, lapides, voces, iræ, impetus externi, figuræ colores, & ſimilia ſenſuum objecta, quæ lōga conſuetudine colliguntur, & in quotidianam hanc vitam incurrunt, tantum apud animum noſtrum effecerint, ita in partes ſuas eū traxerint, ut nihil aliud præter hæc uſquam extare exiſtimet. Contra intellectus objecta longe à contactu & acceſſione ſenſuum remota, ipſa per ſe ſeorſim intellectui occurrunt. Qui ipſe cum toti animę infuſus ſit, facilè à ſenſibus diſtrahitur, turbatur, impeditur, quo minus ſuis vacare poſſit objectis. Adde quod blanda quadam ac populari vi eo ad ducitur, ut quæcumque à ſenſibus dictantur, approbet: nec aliquid eſſe arbitretur, quod aut videri, aut audiri, aut adorari, aut guſtari, aut tangi non poſſit.

Sicut ergo in convivio nidoris pleniſſimo, & in quo vinum ubiq; funditur, tibiæ fiſtulæq; cum aſſa voce concurrunt, magna odorum vis ſpargitur; viri ſit fortiſſimi, & qui in officio continere poſſit & contrahere animum, ſenſus ad ſobrietatis temperatiæq; revocare limitem: ita revera in hac contentione ſenſuum, difficillimum eſt ſobriam invenire mentem, & quę ſuis jugiter intenta ſit objectis. Vt taceam ſenſuum quoq; ita comparatam eſſe naturam, ut cum varia ſit & è diverſis conſtata rebus, mutationique perpetuæ obnoxia, ita ſui ſimilem animam noſtram efficiat, ut quoties ad intellectus objecta, eorumq; naturam, quæ ſolida eſt & ſtabilis ſe accingat, toties ab hoc tumultu & his fluctibus ita agitetur, ut intueri eā firmiter non poſſit. Vere quod illis accidit, qui è navi egreſſi primùlum, terram tangunt. Nam & iis corpus à diuturno illo fluctuum motu, vi, arq; impulſu, ęgrè ad ſe redit & conſiſtit. Jam in utro horum Deum ponemus? Nōne in illo quod ſtabile fixumq; manet, quod moveri nunquam aut mutari ſolet? Cùm potiſſimum in rerum natura nihil ſit, quod conſiſtere poſſit, niſi ab illo fulciatur. Quod ſi ut ad ſummum pervenias, manuductione tibi opus eſt: ſequere ea quę dicentur. Perveniemus enim eo hac ratione, ut ſemper id quod magis notum eſt natura, bifariam dividamus: atque ex his rurſus, id quod præſtantius eſt ſecabimus, donec ad ejus perventum ſit, de quo quæritur, eſſentiam.

Alia ergo animata, alia ſine anima ſunt. Sine anima, ut lapides, ligna, & id genus alia. Animata, ut plantæ & animalia. Jam animatum præſtat ei quod ſine anima eſt. In animato, aliud vegetativum, aliud ſenſitivum eſt. Rurſus ſenſitivum vegetativo eſt præſtantius. In ſenſitivo aliud rationale, aliud rationis expers eſt. Rurſus rationale id quod rationis expers eſt antecedit. Sed & in anima rationali, quoniam tota quaſi quædam eſt congeries (nam & nutritivum in ea, & ſenſitivum, & motivum, & paſſivum) illud excellit quod intellectiuum dicitur. Sicut ergo animatū ad illud quod animæ expers eſt ſe habet, ita intellectiva anima ad totam. Unde ſequitur intellectivam præſtantiorem eſſe ea, quæ ex omnibus conflata eſt. In vtro ergo Deū, de quo agimus, ponemus? An in multiplici illa congerie? Ne Deus ipſe ſiverit. Reliquum eſt ergo ut tanquam in arce aliqua ſublimi, in principi intellectu, Deum ſtatuamus. Sed & intellectum duplicē video. Alter enim intelligere poteſt, quamvis non intelligat: alter etiam intelligit. Qui tamen nondum eſt perfectus, niſi & ſemper intelligat, & omnia, neq; alias alia. Ut ille demū abſolutiſſimus futurus ſit, qui & ſemper, & omnia, & ſimul intelligit.

Si placet, ſimilitudine id quod dicimus illuſtremus. Divinum intellectum cum viſu confer, humanū cum ſermone: nihil enim emiſſione oculi velocius eſt, quæ ſtatim eodemq; momento objectum ſuum ſenſu ſuo ad ſe attrahit: at ſermonis operatio lento ſimilis eſt gradu. Vel ut alia uramur comparatione, divinum intellectum cum obtutu ſolis conferamus, qui ſimul totum terræ ſpatium perluſtrat, humanū cum motu ejus, quo alium aut alium viciſſim locū totius occupat. Talem Academicus ille vates patrem & autorem univerſi nobis dat. Illius tamen nomen non edit, non enim novit: nec colorem prodit, non enim vidit: neq; magnitudinem deſcribit, non enim attigit. Hæ enim ſimileſq; quibus hæc conveniunt naturæ, corpore ſentiuntur, oculis luſtrantur. At divina nec videri oculis, nec efferri voce, nec tangi corpore, nec auditu poteſt percipi: quippe quæ ſola illa parte animi, quæ pulcherrima, quæ puriſſima, quæ perſpicaciſſima atq; præſtantiſſima eſt, pro ea quæ inter utrumque ſimilitudine intercedit & cognatione, cum audiri poſſit ac videri, tota atque in ſeipſam contracta, tota perſpicitur. Nam ut ille qui videri cupit ſolem, auribus non utitur, ut hoc poſſit, & qui harmoniam vocis audire cupit, oculis non utitur, ut eam audiat; ſed colores viſu, auditu quę audiri poſſunt, perſequitur: ita intellectus quæ intelligi debent, videt, quæ intelligi debent, audit.

Hoc eſt quod Syracuſius poëta occulte innuebat, cum diceret: *Mens videt, mens audit.* Quomodo mens vidit, quomodo mens audit? Si firmo erectoq; animo intemeratam illam lucem intueatur neq; hallucinetur unquam aut in terram ſuam defluat. Hoc fiet, ſi aures claudat, oculos reliquoſq; ſenſus in ſe convertat, ſi queſtus omnes terrenos & gemitus, ſi voluptatem & gloriam, ſi decus & infamiam, ex animo deleat: atq; his relictis duces itineris, rationem veram, amoremque ſolidum aſſumat, atque iis ſe committat. Quorum altera, ratio nimirum, viam oſtendet: alter, iam cognitam, ſuada ſua & venuſtate leviorem reddet, omneſque itineris moleſtias ſolabitur. Ita quo huc accedemus propius, quo a terra recedemus longius, ſemper quod ſequitur magis magiſq; manifeſtè & perſpicuè ſe nobis offeret, ac divinæ quaſi naturæ præludet. De qua inter aſcendendum audiet, poſtquam aſcenderit, videbit. Porro meta ipſa itineris non cœlum erit, nec quæ in eo ſunt corpora (quanvis hæc quoque amœna ſint, & divinitatis plena, utpote vera ejus legitimaq; progenies, & quam poteſt fieri pulcherrima compoſita & ordinata) ſed & hæc ſunt tranſcendenda, ipſumq; ſupra cœlum caput proferendum, donec ad illum quem quærimus locum, in quem nulla cadit mutatio, ejuſque ſerenitatem veniamus,

Quam non fuſcat hyems nec multo ſemper ab imbre
Tingitur. —— ſed candidus aer
Diſſpellit nebulas, & lux puriſſima cingit.

Ubi nullus corporis huius affectus, qui miſerrimam hanc dum in his verſatur animam exercet, & hoc omne quid in ea vacare contemplationi poteſt fremitu ſuo tumultuq; in præceps agit, contemplationi noſtræ interveniet.

Quem enim quæſo tot cupiditates, tot curarum monſtra, Deum ejuſq; naturam intelligere patiantur, ac non continuò tumultu ſuo interturbent? Non magis quam in ſtatu populari, cum diverſa plebs fremit & fluctuat, legis vocē intelligere poteſt aliquis aut principis.

Namq; ſirum magno in fremitu quis verba loquentis
Audiat?

Idcirco animus, cum in hunc tumultum incidit, ſemelq; immenſis hiſce fluctuum vorticibus ſe dedit, mare hoc intranabile navigat: donec philoſophia ſubveniat, quæ navigantem excipit, rationemq; illi ſuam, ſicuti vitram Ulyſſi Leucothoe, ſubſternit. Ex hoc ergo mari quomodo emerges ac videre Deum poteris? Plenè quidem & perfectè, cum ab eo vocaberis: quod paulo poſt futurum eſt. Tu modo mane, & expecta, dum vocet. Jam ſenectus aderit, quæ eo te deducet: jam mors aderit, quam imbelles deplorant, cujus aduentum tremunt: quiſquis contra Deo iungi amat, cum gaudio expectat, forti animo excipit. Quod ſi etiam dum hic es naturam ejus vis diſcere, quis id præſtabit ſatis? Scimus quidem pulchrum eſſe Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum: non tamen corpus pulchrum, ſed id unde corpori ſua pulchritudo venit. Nec pratum pulchrum, ſed id vnde & prato ſua pulchritudo eſt. Deniq; quicquid in fluvio, aut in mari, quicquid in cœlo cœleſtibuſq; Diis pulchrum vocamus, id omne pulchrum tanquam ex perpetuo limpidiſſimoque fonte inde dimanat. Tantumque ſingula, aut pulchritudinis, aut ſtabilitatis, aut diuturnitatis inter ſe habent, quantum ex eo fonte trahunt. tantumque à pulchritudine recedunt, & ad interitum ſuum tendunt, quantum ab eo abeunt.

Si hæc ſufficiunt, Deum vidiſti. Si nondum, qua tandem imagine commode exprimi poterit? Cave enim vel magnitudinem, vel colorem, vel figuram, aut ſimile quid quod in materiam cadat, cogites. Verum id quod amator faceret, qui ſi pulchrum aliquod corpus eſſet, cujus aſpectum multæ variæq; veſtes eriperent, primum eas detraheret, ut plene intueri poſſit. Idem tu nunc fac. Quippe ſi amictum hunc & quicquid oculos moratur cogitatione detrahas, in eo quod reſtabat, id ipſum iam videbis quod quæris. Si vero imbecilliores quam vt rerum omnium parentem artificemq; luſtrare poſſis, ſufficiat in præſenti, quod opera ejus videas, quod filios eius venereris. Sunt autem hi plurimi, & omnis ferè generis, non tantum quot Bœotius poëta eſſe voluit. Nec enim triginta tantum Deorum millia, ſupremi illius filii & amici ſunt, ſed innumeri: partim in cœlo ſtellarum corpora, partim in æthere dæmonum eſſentiæ.

Sed jam id quod volo illuſtriore imagine proponam tibi. Finge animo magnum aliquod regnum, aut potentem principatum, in quo reliqui, omnes actiones ſuas ad unius regis nutum, qui dignitate & majeſtate antecedit ceteris, ſponte dirigunt. Limes huius imperii ſit non Halys fluvius, aut Helleſpontus, non Mœotis aut Oceani littora, ſed cœlum ſupra, terra infra. Et cœlum quidem validis compagibus muri ad inſtar circum circa ſuſpenſum maneat, ut omnia amplexu ſuo continere poſſit. Terra quaſi cuſtodia & carcer noxiorum corporum ponatur. In alto, magnus rex ille immotus ſedeat, populiſq; ſuis volentibus leges, quibus ſarti tecti maneant, præſcribat. Regni autem conſortes ſint Dii multi quorum alii videntur, alii oculis conſpici non poſſunt. Horum nonnulli tanquam ſtatores quidam, regiq; genere proximi, circa veſtibula oberrent, menſæ ejuſdem familiæq; conſortes. Alii rurſus, qui his ſubſerviant, & rurſus alii qui infra hos ſint. Vides catenam perpetuam regniq; ſeriem, quæ à Deo ad terram uſq; deſcendat. *Diſſertatione prima quid ſit Deus ſecundum Platonem.*

Maximus

Maximus Tyrius: Libentissime inter se contendunt homines, nō de Republica tantum aut imperio, reliquisque quæ in medio versantur malorum: verum ita ut nec à rebus omnium tranquillissimis abstinendum putaverint. poëtice dico & philosophia. Quæ, duo quidem sunt, nomen si spectes, unum si essentiam, & rem ipsam, adeo ut per se nihil differat. Ut si quis aliud diem esse existimet, quam Solis lucem defluentem in terras, aut solis cursum supra terram, aliud quam diem. Eodem modo ad philosophiam se habet poëtice. Quid enim aliud poëtice est, quam philosophia tempore vetustior, harmonia metrica, argumento fabulosa? Aut quid aliud philosophia, quam poëtice, tempore recentior, harmonia expeditior, argumento apertior? Inter hæc duo ergo quæ tempore tantum inter se ac agendi differunt modo, quisnam differentiam in iis quæ de rebus utraque divinis tradit, dijudicet? An similem quæstionem esse dicemus, ac si quis medicinam illam veterem cum hodierna, qua in curandis hujus ætatis corporibus medicorum filii utuntur, conferat: vitiaque utriusque inter se & virtutes contendat? Ad hanc quæstionem responderet Æsculapius, reliquas artes non mutare tempora (quorum enim idem usus est, eadem aut similia sunt opera) medicinam verò temperamenta sequi corporum, quorum quia nec diuturna nec definita sit sed una cum alimentis semper facile mutetur constitutio, remedia victusque rationem, prout præsens requirit educatio, alio atq; alio semper modo excogitanda esse. Quare existimare noli meos illos filios, Machaonem Podaliriumq;, minus quam ætatis huius medicos, à quibus tam multa ac præclara inventa sunt, in arte sua excelluisse. Ea namque ætate quæ tractabant, minus mutationibus obnoxia, minus varia, minus dissoluta erant corpora: quare & facilior eorum cura erat, neque aliud medici opus quam,

Tollere corporibus iaculum, vulnusq; fovere.

Tandem verò vario cum victu uti, minusque ob id bene temperata cœperunt esse corpora, varias quoque ipsa formas ars induit, ac pro simplicitate illa sua quoslibet assumpsit modos. Agedum ergo instituti sui eodem cum Æsculapio modo rationem & poëta reddat & philosophus. Et illi quidem gravissimam fieri sibi dicat injuriam, si quis aut Homerum, aut Hesiodum, aut Orpheum, medius fidius, aliumve aliquem ævi illius hominem, minus quam aut Stagiritam Aristotelem aut Cilicem Chrysippum, aut Libycum Clitomachum, aliosque qui tam multa postea ac præclara philosophiæ addiderunt, sapientes fuisse contendat: sed & illos aut non minus aut magis etiam in iisdem illis excelluisse. Sicut autem antiqua illa victu suo simplici facilius arti locum relinquebant, quæ postea secuta sunt varietate medicinæ opus habuerunt corpora: ita & animi olim simplicitas, aut ut hi homines dicerent, ruditas, philosophiam requirebat Musicam, magisq; lenem: quæ fabularum eos jucunditate, non aliter quam alumnos suos nutriculæ, duceret ac tractaret. Mox processu temporis, una cum ætate facta acutior, veterique illa simplicitate discussa, diffidens penitus ac vafra, in fabulas inquirere cœpit, nec amplius obscuritatem illam ferre: sed velum philosophiæ detraxit, philosophiam mundo suo exuit, nudisq; agere verbis maluit, ita ut à prioribus posteriora nisi sola hormoniæ ratione non differant. Quæ enim de Diis tranduntur antiquitus inventa, ab omnibus postea recepta sunt philosophis. Exceptoque uno Epicuro, quem nec poëtis merito nec philosophis annumeres, una eademque omnibus agendi est ratio. Nisi forte Homerum Deos aut jaculantes, aut disserentes, aut compotantes, aut simile quid agentes inveniisse existimes: qualia infinita in eius passim poëmatis invenias. Quin ne Platonem quidem existima inveniisse Jovem aurigantem, volucriq; vehentem curru, aut exercitum Deorum undecim in acies distributum, aut Deorum convivia, aut Jovis Veneriscque nuptias cùm Porus Peniaq; furtim congressi, Amorem genuerunt. Nec Puriphlegetontem spectasse aut Acherontem, aliosque qui sursum deorsumque ignem volvunt: aut aquam (ut ipse loquitur) fluvios. Non Clotho vidisse, aut Atropon: nec in eorum fuso septem illas diversas inveniisse revolutiones. Sed & totam Syrii illius inspice poësin, Jovemque & Chtoniam atque amorem in illis: tum generationem Ophionei, pugnamque Deorum, & arborem illam ac peplum. Inspice & Heraclitum, Deos mortales, homines immortales invenies: ænigmatum denique tam apud poëtas quam apud philosophos plena esse omnia. Quorum ego occultam in tradenda veritate reverentiam pluris quā recentiorum facio audaciam. Eorum enim quæ ob imbecillitatem suam humana intueri perspicue nequit natura, speciosior interpres est fabula. Quod si plus prioribus illis posteriores hi viderunt, gratulor hanc illis scientiam: sin nihilo plus cum scierint, ænigmata tamen illorum in manifestius dicendi converterint genus, vereor ne quis reprehendere eos possit, quod occultas sacrasque evulgaverint scientias. Quid enim aliud sibi vult fabula, quam ut alium orationi addat apparatum? Non aliter quam mistæ solent, auro argentóque ac vestibus quibusdam suas induere imagines, ut aliquid illis majestatis accedat. Ea enim humanæ mentis imprudentia est, ut quæ exposita sunt, minoris faciat, quæ abstrusa, vehementer admiretur. Res enim occultas conjectura solet accedere, rationisque investigare beneficio. quas priusquam invenit quærit, postquam invenit, tanquam opus suum amat. Quod cum non fugeret poëtas, ad tractandas res divinas invenerunt remedium, ipsam nimirum fabulam, quæ directa oratione minus perspicua, ænigmate dilucidior, in medio scientiæ esset atque ignorantiæ. Ut partim crederetur, quod jucunda esset, partim non crederetur, quod miraculosa narraret; animumque semper ad rem ipsam, ulteriorémque investigationem, tanquam manu, deduceret. Atque illi ad tempus quidem non exiguum, his quasi insidiis aures detinuerunt nostras, philosophi re, poëtæ autem nomine. Qui invidiosum hoc nomen suavissima temperabant arte, quæ simul esset popularis. Grave enim molestumque est vulgo nomen philosophi: sicut pauper divitem, temperantem intemperans, virum fortem non libenter videt qui imbellis est. Nec enim in regno suo virtutem se efferre æquis fert animis improbitas. Poëtam vero audire iucundum, vulgoque gratum est: in quo ut voluptatem amamus, ita virtutem quæ latet, non satis intelligimus. Sicut autem ægris fastidientibus amara medicamina dulcedine aliqua imbuunt medici, quo remedii tædium occultent: ita & antiqua sapientia dum fabulis ac metris, carminumque modulis sensus condit suos, jucunditate occulta illam præceptorum temperat acerbitatem. Noli igitur quærere, utrum de Diis melius poëtæ an philosophi scripserint: quin potius inducias fac, fœdúsque inter hasce duas feri facultates: nec aliter quam unam eandémque artem considera. Sive enim poëtam voces, philosophum dicis, sive philosophum voces, dicis poëtam. Sicut utrunque virum fortem vocas; Achillem qui aureo illo pectoreque militat clypeo: & Ajacem quamvis è corio gestet suum. Quia & hunc & illum æque rei fortiter gerendæ aptum, æque metuendum virtus facit. Nec aurum ibi cum corio, sed virtutem confers cum virtute. Vera dicat poëta, quanvis poëtice dicat, quanvis fabulam dicat, quanvis carmine dicat. Persequar obscuritatem ænigmatum, investigabo fabulam, neque me de veritatis via, quanvis carmen sit, abducet. Vera dicat & philosophus, quanvis oratione nuda dicat: amabo amplectarque parabile hoc dicendi genus. Si vero utrique veritatem & poëtæ demas & philosopho, carmen absurdum, orationem facis fabulosam. Sine veritate ergo nec fabulæ nimis poëticæ, nec orationi credas philosophicæ. Oratione enim Epicurus utitur, sed quæ omnem fabulæ absurditatem superet. Quo fit ut magis ego Homero credam, cum Jovem duorum ait fortissimorum animas heroum, lance aurea librasse,

Hectoris atq; tuam pariter fortissime Achille,

dextráque jugum sustulisse. Video enim fatum eorum pariter cum Jovis dextra nutare.

——nec enim mutabitur unquam
Quod capite annuero, nec falsum fine carebit.

Nutum Jovis intelligo, cujus beneficio terra movetur, mare diffunditur, aer fluit, ignis sursum abit, cœlum in orbem versatur, creantur animalia, nascuntur arbores. Nutus ejusdem opus etiam virtus est ac felicitas. Sic & Minervam agnosco, quæ modo Achilli assistit, iramque illius temperat, hominem à tergo trahit: modo cum Ulysse versatur,

In quocunq; labore.

Etiam Apollinem agnosco, qui Deus simul Musicus & sagittator est. Harmoniam ejus amo, sagittas timeo. Etiam Neptunus tridente terram movet, agmina Mars cogit, ærariam Vulcanus colit: non solii Achilli tamen. Quemlibet ignis usum tractat, omnia ejus subsidio fabricat. Hæc poëtæ dicunt, hæc dicunt philosophi. Quorum si nomina mutes, similitudinem invenies, argumēta eorum cognosces. Jovem antiquissimam dic principemque esse mentem, quam sequuntur omnia, cui parent reliqua. Minervam prudentiam, Apollinem solem, Neptunum spiritum, qui terram simul ac mare pererrat, eorumq; simul harmoniam gubernat ac contentionem. Sic ad reliqua si eas, omnia sub nominibus certis à poëtis exprimi, simpliciter à philosophis narrari videbis. At quæ ab Epicuro dicuntur, cum qua tandem fabula conferam? Quis tam secors ignavusq; poëta, aut tam divinæ imperitus naturæ est? Deus, inquit, nec habet ipse, nec cuiquam exhibet negotium. Quam huic sententiæ similem excogitabo fabulam? Quomodo depingam Jovem? Quid aget? qua de re deliberabit? quibus se oblectabit voluptatibus? Bibit apud Homerum Jupiter, sed & concionatur, & deliberat. Sicut res Asiaticas Persarum rex, res Athenienſium populi conventus dirigit: sicut de nave gubernator, de exercitu imperator, de urbe liberat legislator. Ita ut navis, exercitus, regio servetur & familia, negotium habet gubernaror, negotium habet imperator, negotium habet legislator. De cœlo vero terra ac mari, aliisque universi partibus, quis Epicure deliberat? Quis gubernator, quis imperator, quis legislator, quis agricola, quis dispensator? At ne Sardanapalus quidem sine negotiis erat: qui quamvis clausis intus foribus maneret, quamvis cælato in lectulo inter mulierum recubaret greges, de Nino nihilominus conservanda, de Assyriorum prospero deliberabat statu. Tibi verò Jovis voluptas etiam illa Sardanapali est ignavior. O indignas fide & ab omni poëtica alienas harmonia fabulas! *Dissertatione vigesima nona, utri melius de Deis senserint, poëtæ an philosophi.*

Epictetus: Quemadmodum in navigatione, subducto navigio, si aquam exieris, obiter fortasse etiam cochleolam colliges, aut bulbum, animo autē in navigium intento esse oportet, ac continenter sollicito, ne gubernator vocet, ac tunc illa omnia relinquere, ut ne vinctus tanquam oves in navim conjiciaris. Ita etiam in vita, si tibi vice cochleæ aut bulbi detur uxorcula & puer, nihil impediet. At si gubernator vocarit, curres ad navim relictis illis omnibus, neque respicies. Quod si senex es, cave unquam à nave recedas longius, ne quando vocatus, deficias. *cap. 12. Enchiridij.*

Epictetus: Invitati ad convivium, eo quod adest fruimur. Si quis verò postulet à convivatore, ut sibi pisces aut placentas apponat, ineptus

ptus habeatur. In mundo autem multa flagitamus à Diis immortalibus, quæ illi negant: idque cùm multa sint quæ nobis dederunt. *apud Stobæum.*

Simplicius: Cùm Epictetus in quovis incæpto usurpare nos jubet illud Socratis: *O Crito si Diis ita visum fuerit, ita fiat. Me autem Anytus & Melitus occidere sane possunt, ladere verò no possunt:* videtur mihi innuere, omnem humani animi perfectionem conversione ad Deum, ejusque conjunctione absolvi ac consummari. Deinde, qui bonum & malum in rebus in nostra potestate sitis collocet, non autem in rebus externis, neque coactum iri unquam, neque læsum ab ullo.

Simplicius: Deum cum dico, rerum omnium principium dico. *ad cap. 34. Epicteti.*

Simplicius: Natura, non homines modo, sed & brutæ animantes & stirpes & lapides, ea denique omnia quæ sunt, pro sua quodque virili ad numen respiciunt. Homines vero præter id, à parentibus etjam statim à puero ad pietatem assuefaciunt, & cõmunes hominum sequuntur notiones. Omnes enim homines, tam Barbari quam Græci, tum infinito superiori tempore, tum nunc, quamvis alii aliis rationibus, Deum esse censent. Acrothoitis exceptis: quos narrat Theophrastus, cum nullum colerent numen subito universos à terra absorptos esse: & si quis forte alius unus atque alter, ab omni ævo, talis fuisse perhibetur. Fit autem, ut quidam eo quod absque demonstratione credunt, & quia bonos viros esse miseros, beatos & felices improbos vident, parum curent insitas à natura ipsa notiones, & non adversentur Tragœdiæ dicendi,

Deos non esse, dicere an non audeam,
Res improborum tam secundas intuens?

Rectum igitur fuerit, hos vel Epicteto obtemperantes, non in rebus externis, sed in nostra potestate sitis, bona & mala nostra collocare. Sic enim neque cum bono viro unquam male agetur, neque ullus improbus erit beatus. *ad cap. 38. Epictet.*

Simplicius: Cùm autem tales sint Dei, obscurum non est, nihil eos nostris rebus indigere. Quare officia nostra adversus illos sunt, quæ nos illis concilient atque subjiciant. Hac enim ratione affectionem atque ordinem naturalem ea quæ ex causis orta sunt, adversus primas & eximias causas tuentur. Honorandi sunt igitur, & pie colendi, eorumque actionibus obtemperandum: libenterque illis cedendum, & in iis acquiescendum, ut quæ & optimo consilio, & summa providentia administrentur. Ea vero tum nobis contingent, cum & cognitio nostra vera fuerit, & vita naturæ convenienter instituta. Recte autem de iis sentiemus, si indicaverimus & esse eos primas rerum causas & res conditas gubernare, & consulere universis, eaque recte & juste administrare. Sive quis enim Deos esse non censet: sive cum sint, non consulere rebus humanis: sive cum & sint, & rebus humanis consulant, id tamen & injuste & imprudenter facere opinatur, is neque colet & venerabitur eos, neque illorum actionibus subscribet ac parebit, ut ab optimo consilio profectis. Vita porro bene & sancte institui, ut eorum quæ fiunt, cum universa ab optima mente administrentur, nec reprehendas quicquam, neque auctores accuses, non potest, nisi bonum & malum in rebus nostri juris quæramus: ut in his & appetitiones nostræ & declinationes versentur, utque nunquam appetendo frustremur, nunquam incidamus in id, quod declinamus. Sive enim res externas ut bonas appetimus, & quasdam earum ut malas aversamur: sæpe & frustari desideriis, & in ea quæ fugias incidere necesse erit. Cum autem iis frustramur quæ desideramus, & in ea quæ fugimus incidimus: fieri non potest quin culpemus & oderimus auctores harum rerum: aut eos qui cum possunt, eas non avertant, sed conniveant. Omnes enim animantes, atque adeo res omnes bonum appetunt, eademque ratione mala secundum naturam declinant: eoque mala quæ aut sunt aut esse videntur, earumque causas aversantur. Itemque utilia seu vera seu falsa, eorumque causas amplectuntur & persequuntur, & ut magna admirantur.

Nullo igitur modo fieri potest, ut qui noceri sibi putat, eo delectetur quod nocere videatur: sicut fieri nequit, ipso uti damno gaudeatur. Sic enim quisque adversus dantem damnum affectus est, ut adversus ipsum damnum. Damnum enim malum est: malum fugiendum, & odio dignum, sicut bonum optabile & amplectendum. Eum autem, qui rei alicujus quæ mala habetur, causa putatur, odium & convicia vitare non posse: ex eo constat, quod nec naturalis necessitudo & conjunctio satis virium habet ad odium eorum profligandum, qui nos aut bonis quæ habentur privant, aut in ea quæ mala videntur conjiciunt. Nam propterea & pater invisus à filio conviciis afficitur, si bona filio neget, aut quod malum habetur infligat, sive id verberando fiat, sive ad continentiam assuefaciendo. Nam & Polynicem & Eteoclem Oedipolis filios, hoc quamvis fratres, ad duellum & cædem mutuam adegit, quod imperium bonum judicabant & alter eo se ab altero spoliari putabat. Jam agricola si post sationem non pluit, aut aliquando plus pluit, aut aliquid aliud quod bonum aut malum habetur fit, aut non fit: auctores aut impiis verbis lacessit, aut certe cogitatione. Nautæ quoq; molestè ferunt, cum ventus eis secundus non spirat, quamvis sæpe alius Austro, alius Aquilone egeat. neque cogitant, fieri non posse ut simul contrarii spirent: sed tãtum auctori ventorum succensent, quod nec suum habeant, & contrarium experiantur. Mercatores, cùm emunt, mercium copiam esse volunt: & cùm vendunt, penuriam: & utrum horum factum non fuerit, gubernatores universitatis huius accusant, neq; cogitant se ea concupiscere quæ fieri non possint. Qui uxores, qui liberos, qui denique carissima quæq; amittunt, ut frustrati iis quæ appetunt, & in ea prolapsi quæ declinant, gubernatores accusant. Qui enim id quod bonum habetur, præbent, eos & colere & venerari solemus. Nam ratione utilitatis statim veneratio excitatur, adversus eos qui utilitatẽ præbent: sicut ob inutile, odium & aversatio auctorũ.

Quare qui operam dat ut quemadmodum decet, appetat & declinet, nec ad externa porrigit appetitum & declinationem: is eadẽ opera & pietati dat operã. Semper enim ea quæ desiderat adipiscitur, nec in ea incidit quæ declinat, quia hæc penes nos sunt. Acquiescit igitur in iis quæ fiunt, & convenientem cultum auctoribus eorum tribuit. Qui autem res externas desiderat, easq; declinat: nisi etiam voluntates hominum ad suam opinionem conversas habeat, & divitias & paupertatem, & valetudinem & morbum, & vitam & mortem, & victorias & clades, atq; etiam ventos, & pluvias, & grandinem, & omnia quæ in sublimi fiunt, & fatum universum: quoniam in has appetitiones & declinationes prolapsus est necessario, multis appetitionibus frustratur, & in multa adversa incidit. Proinde etiam moleste fert omnia, & culpat auctores, & vitam agit cum molestam & ærumnosam, tum irreligiosam & impiam adversus Deum, ut omnibus modis sit infelix. *ad 38. cap. 2. Epict.*

Arrianus: Percontante quodam, quo pacto alicui persuaderi posset, singula sua facta à Deo conspici? Non credis, inquit, omnia inter sese cohærere? Credo, inquit. Quid verò terrena corpora non affici credis à cœlestibus? Credo, inquit, ni enim ita esset, quo pacto tanto ordine, tanquam ex divino mandato, cum ille plantas florere jubet, florerent? cum germinare, germinarent? cum proferre fructum, proferrent? cum matuescere, matuescerent? cum rursus decidere flores & defluere folia, & ipsas in sese quasi convolutas, quiescere ac refocillari, quiescerent ac refocillarentur? Unde porro ad incrementa Lunæ, & Solis accessum & recessum, tanta diversitas & in contrarium mutatio terrenarum rerum cerneretur? Cùm ergo folia & corpora nostra sic universitati devincta, tantaq; societate copulata sint: quãto magis animi nostri? An cum animi nostri ita sint devincti Deo, ut particulæ sint ejus, & ab eo avulsæ: non omnem eorum motum, ut propriũ & cohærentem, animadvertit? Cùm tu de gubernatione divina, & rebus tam divinis quam humanis, simul omnibus cogitationem suscipere, eademq; opera ab infinitis rebus simul & sensu & cogitatione moveri: quibusdam assentiri, quædã abnuere, de nonnullis amplius deliberandum censere possis: tu tot formas tam multarum & variarum rerum tuo in animo custodias, quibus impellentibus, in eas cogitationes incidis, quæ primis imaginibus consentiunt: tu artes alias atq; alias & infinitarum rerum memoriam conserves: Deus vero omnia intueri, omnibus rebus adesse, & ab omnibus aliquam sumere partem non potest, Sol tantum universi partem illustrare potest, exiguam illam relinquens luminis expertem, quam umbra terræ occupat. Qui autem Solem ipsum & fecit & circumducit, parvam suorũ operum partem, si cum universo conferatur: is vero non potest animadvertere omnia? At ego, inquit, nequeo hæc omnia simul assequi. Quis vero istud tibi dicit, te parem cum Jove habere potentiam? Nihilo minus tamen etiam procuratorem unicuiq; addit, genium cujusque illi custodiendum tradidit: & tali quidem, qui nec dormiat, nec decipiatur. Cuidã enim, præstantiori & diligentiori custodi unũquemq; nostrum commisit. Cum igitur fores clauseritis, & conclave tenebrosum effeceritis: cavete, ne unquam dicatis, vos esse solos, neque enim estis: sed Deus intus est, vester genitus intus est. Ecquis autem his luminis est usus, ut videant quid faciatis? Huic Deo & vos tale dare jusiurandum oportebat, quale milites Cæsari. Verum illi quidem conducti stipendiis jurant, salutem Cæsaris sibi rebus omnibus fore antiquiorem: Vos autem tot & tantis affecti à Deo beneficiis, non jurabitis? aut cum juraveritis, fide non servabitis? & quid jurabitis? Vos nunquam non dicto illi fore audientes: nunquam eum incusaturos: nunquam reprehensuros quicquam ab illo datum: nunquam invitos quicquam vel facturos vel toleraturos quod sit necesse. Numquid jusiurandum simile illi est? Nam illi quidem jurant, se neminem illo antiquiorem habituros: hi, se neminem sibimet ipsis esse prælaturos. *cap. 14. lib. 1. Epictet.*

Arrianus: Viatores cautiores, si audierint iter latrociniis infestum esse: soli se viæ committere non audent: sed comitatu vel legati vel quæstoris, vel proconsulis expectato, & iis aggregati tuto iter conficiunt. Sic etiam in mundo facit vir prudens. Multa latrocinia sunt, tyranni, tempestates, egestates, jacturæ carissimorum. Quo confugias? quomodo incolumis transeas? quis comitatus tutum te reddet? cui te adjunges? Diviti illi, aut consulari? Quem inde fructum capiam? Ipse exuitur, plorat, luget. Quid vero si comes ille meus in me conversus, latro meus fiat: quid faciam? Amicus ero Cæsaris: cui dum familiaris fuero, nemo mihi injuriam faciet. Primum, ut fiam illustris, quæ mihi toleranda & perferenda erunt? quoties, & à quam multis spoliabor? Deinde si factus fuero, & ipse mortalis est. Si verò delatione aliqua impulsus, idem inimicus mihi factus fuerit: quo recedendũ? In solitudinem? Age illo febris non venit? Quid ergo profeceris? Non licet ergo invenire comitem, per quem tutus sis, fidelẽ, firmum, insidiarum expertem? Imo vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init: si Deo se dederit, se iter tuto cõfecturum. Quid est istud, dedere sese Deo: Ut quod ille voluerit, & ipse velit: & quod ille noluerit, nec ipse velit. Qui ergo istud fiet? Quomodo fieret aliter, nisi cõsideranda Dei appetitione & administratione? Quid mihi dedit meum, & mei juris? quid sibi ipse reservavit? Liberam volun-

voluntatem mihi dedit: & quæ in mea potestate sunt, ea nec impediri nec prohiberi posse voluit. Corpus autem luteum, quomodo potuit tale efficere, ut à nemine prohiberetur? Subjecit igitur sub universitatis circuitum possessiones, vasa, ædes, liberos, uxorem. Quid ergo Deo repugno? Quid volo ea quæ velle non debeo, ut ea quæ mihi data non sunt, quovis modo consequar? Sed quomodo? Ut data sunt, & quatenus fieri possunt. At is qui dedit, aufert iterum? Quid ergo repugno? Non dico me stultum fore, si potentiori adverter, sed multo ante injurium. Unde enim ea habui? Pater illa mihi dederat. Illi vero quis? Solem quis fecit? Fruges quis dedit? Quis anni tempora distinxit? Communitatem & consociationem hominum inter ipsos, quis instituit? Itane, cum omnia, teipsum quoq; aliunde acceperis, indignaris & accusas largitorem illorum, si quid tibi ademerit? Quis es, & cur venisti? Nonne ille te introduxit? Nonne lumen ille tibi monstravit? Non adjutores adjūxit? Non sensus? Non rationem? Qualem verò te introduxit? Nonne ut mortalem? Nonne ut cum exigua caruncula victurum in terris, & spectaturum suam gubernationem? Nonne ut civem suum, & ad exiguum tempus celebritati interfuturum? Non vis igitur, dum tibi datum est conspecta pompa & celebritate, cum te eduxerit, abire, adorato illo, & gratiis actis de iis quæ vidisti & audivisti? Imo diutius festivitati interesse vellem. Et jam mystæ diutius initiari se vellent. Forsitan ii etiam, qui Olympię sunt, alios pugiles spectare. Sed celebritas finita est. Exi: discede ut gratus, ut verecundus, da locum aliis: oportet alios ita nasci, ut & tu natus es, & natos habere locū & habitationes, & victum. Si vero primi non discesserint, quid relinquitur? Cur insatiabilis es? Cur satis fieri tibi nō potest? Quid angis & coactas mundum? Næ. Sed liberos mecum esse volo, atque uxorem. Tuane sunt, an ejus qui dedit? An non ejus qui te quoque fecit? Ergo non cedes alienis? non locum dabis meliori? Cur vero iis conditionibus me introduxit? Si tibi non placet, egredere, non opus ei est spectatore querulo. Eos requirit, qui festum una celebrent, qui una saltent, qui applaudant potius, qui admirentur, qui divinis laudibus celebrent ac laudent spectaculum. Miseros autem & timidos non invitus spectaculo digressos videbit. Neque enim dum adessent, ut in festivitate vivebant: nec tuebantur locum convenientem, sed dolebant, incusabant Deos, fortunam, familiares: non animadvertentes quid consecuti essent, suarumque virium ad propulsanda contraria obliti, generositas fortitudinis, illius ipsius qua de nunc agitur, libertatis. Cur ista accepit? Ut iis uteretur. Quousq;? Dum is qui mutuavit, voluerit. Si ergo necessaria non erunt, noli illis affici, & non erunt. Tu ea tibi ne dicas esse necessaria, & non sunt. Hoc à diluculo usq; ad vesperam erat meditandum, initio sumto à minimis & pluribus casibus obnoxiis: ab olla, à poculo. Deinde progredere ad tuniculam, ad caniculam, ad equulū, ad agellum: inde ad te ipsum, ad corpus, ad partes corporis, ad liberos, uxorē, fratres. Ubi oculis omnia collustraris, abjice ab te: repurgato opiniones, ne quid adhæserit tibi, non tuum: ne quid annatum sit, ne quid cum dolore tuo sit avellendum: & in quotidiana exercitatione dicito, ut illic, non te philosophari (est id nomen arrogans) sed te vindicem & assertatorē exhibere. Hæc enim vera est libertas, hac libertate ab Antisthene Diogenes accepta, se ab ullo in servitutem abripi deinde posse negavit. *cap. 26. lib. 3. Epict.*

Arrianus: De eo ne moves controversiam, ubi sis felix futurus? quo in loco placiturus sis Deo? nonne vbiq; eodem intervallo distat, nonne ubiq; prospicit quid geratur? *fine cap. 4 lib. 4. Epict.*

Hierocles: Deus bonus est natura ipsa: neque in eum qui bonus est, ulla unquam rei ullius cadit invidia. *cap. 1. carm. Pyth.*

Hierocles. Vere Dei, à quo mundus arte summa effectus est, dignitatem hac solum ratione invenerimus, si ipsum etiam ceterorum causam existere, & naturarum immutabilium, quæ sunt rationis participes, factorem ponamus. *cap. 1. in carm. Pythag.*

Hierocles: Non eo ipso Deum honoras, quod ei das aliquid, sed quod dignus sis qui ab eo accipias. Deum namque honore afficias quàm optimè, si eidem fias animo similis. Quisquis Deo præterea, tanquam egenti, honorem tribuit, non videt, ut se Deo potentiorem faciat. Ipsa deinde oblationum profusio honori Deo non cedit, si averso à divinitate animo offeratur. Dona siquidem, & hostiæ stultorum hominum, nihil sunt aliud, quàm ignis pabulum, & donaria sacrilegorum opes. At divinus animus, cum bene fundamenta jecit, Deo conjungit. Est enim necesse quod simile est ad simile tendere. quo fit, ut solus sacerdos sapiens dicatur, solus item Deo gratus; solus etiam precandi gnarus. Novit enim solus Deum honorare, qui eorum dignitatem, quibus honor competit, non confundit: quique se imprimis hostiam offerens, suumq; animum divinum simulacrum faciens, mentem quoq; suam, ad divini luminis susceptionem, templum Deo ipsi construit, atq; præparat. Quid enim tale de rebus, quę sunt in medio positæ, offeras, ut Deo conveniens simulacrum, aut donum, quod ipsi uniri queat, efficiat: quæ in rationis participe natura munda & purgata, contingere necesse est. Nam, ut iidem viri asserunt, locum non habet Deus in terra, pura anima gratiorē, quibus & Pythius ipse adstipulatur, cum ait, Ipse piis tantū, quantū delector olympo. Est verò pius, qui divina scientia præditus, suamq; perfectionem, tanquam honorem præstantissimum, bonorū auctorib. offerens, adipiscendi studio ad eos se, qui suppeditare queunt, cōvertit, & eo ipso, quod bona potest accipere, eos honorat, qui illa perpetuo largiuntur. Quisquis autem aliter honorem Deo tribuere nititur, non autem à seipso, externarum ille divitiarum mala profusione, non propriæ virtutis honorifica oblatione in eos defungitur. Immo ne vero quidem probo jucundum esset ista admittere, quæ malo animo dari non ignoraret. Tale est etiam Pythii præclare dictum aliud. Ei enim, qui centum bobus, animo nequaquā pio, fecerat, cùm quęreret, quā grata sua illi dona fuissent, ita respōdit: At mihi farra placēt prænobilis Hermionei. Ut quod erat tenuissimū, tantæ profusioni ideo præponere significaret; quod mentis pietate ornaretur. Hæc enim si adsit, nihil esse Deo gratum non potest: contra autē, si desit.

Hierocles: Decet ad Deum, tanquam parentem, converti, qui ad vitæ felicitatem urgeat. Est enim Deus omnium quidem conditor, sed bonorum etiam parens. *cap. 61. carm. Pythag.*

Iulianus Cæsar: Oportet Ducem aut Regem, perinde atq; sacerdotem & vatem, Deum absidue ritè atq; ordine venerari: nec quicquam per negligentiam amittere, aut aliis potius convenire arbitrari ac differre velle, quasi ab sua dignitate alienum hoc ministerium videatur. *Orat. 3. ad Constantium Imp.*

Iulianus Imp. in Cæs. Nihil mihi o Iupiter & Dei opus est sermone aut cōtentione. Etenim si mea facta ignoraretis, ea me vos docere decorū esset: sed quoniam vobis nota sunt, neq; quidquam omnium vos latet, ipsi mihi honorem tribuite quem mereor. *loquitur M. Anton. Philosophus.*

Libanius: Quæ peccata viri boni fugiunt, quomodo committant cœli incolæ? sunt hæc cùm falsa, tum nocentia audientibus. *Progymnasm. de Chryse.*

Libanius: Si Jupiter non irascitur, temulenta protervia offensus, cur tantopere ejus cultum procuramus? Jam verò si rationem habet eorum à quibus honoratur: probabile est utique iis etiam infensum esse, qui injuriam faciunt, quod si deos compares nancisci fas non est, neq; tales, quales nos ipsis præbuerimus: verùm jus violantibus, illorum providentia frui licet: justitiam verò exercentibus non melius res agere integrum est, quam improbis: aræ quidem destruendæ, negligendæ victimæ, spernendi conventus, nullo deniq; in pretio numen habendum est. Humana etiam negotia casu & temerè fieri existimandum est, & quod fortuitum est præpollere, recti verò honestique nullum emolumētum esse iis qui sic vivere volunt. Et quid opus est justitiam colere, rem damnosam, cum ea contempta, nequitię voluptatem sine periculo percipere liceat? Quod si hæc ne dictu quidem honesta sunt, tantum abest ut factu æqua dignaq; sint, quin piis & justis spes melior recondita est: aliter autem vivere volentibus, & præsentia insuavia, & futura metus plena. *Orat. Vlyss. ad Trajanos.*

Libanius: A Deo superari ubinam molestum ac triste est? & quæ infamia? nam si Deus sceptro juberet deposito, ministri partes agere, nonnè contentum esse oporteret? idq; præclarum & generosum ducere quod ille præscripsit. *Achilli oratione contra Vlyssem.*

Libanius: Deis certè atq; eorum benevolentia omnibus hominibus opus esse arbitror: vobis præsertim, qui maximas res geritis. *Declamatione 20.*

Libanius: Quæ apud Deos bene se habere judicata sunt, etiam apud homines approbari necesse est. Quod si hominum æquitatis curam aliquam habere convenit, primi ipsi eam colere videamur Divi. *sub finem Declamationis 22.*

Libanius: Spontanei ad beneficentiam Dii sunt, invocati autem meliores: nihil eorum quæ humana sunt requirunt, non opulentia grata ipsis est, non alius quæstus ullus: solam benignitatem habent, in hac locupletes sunt Dei. *Declamatione 38.*

Philostratus: Quodam petente ut introduceretur ab Apollonio ad Deum, Quid tibi introductore, inquit, opus, si bonus es? studiosos enim viros Dei amant absq; sequestre. Cui ille: Te quidē Deus hospitem fecit, me verò minimè. Alter: honestatus & virtutis studium hospitem Deo me fecit, eodemq; fretus, quoad fieri ab adolescente potest, famulus & amicus dicor Æsculapii. quod si tibi pari modo virtutis honestatisq; cura est, fidenter ad Deum accede, & quidquid vis, ab eo audacter pete. *lib. 1. Apollonii cap. 9.*

Philostratus: Interrogavit accusator, cur te homines Deum appellant? Quoniam, inquit Apollonius, vir omnis qui bonus existimatur, tali cognomine honoratur, quod responsum erat Indicæ philosophiæ. *lib. 8. cap. 2.*

Heliodorus: Meritò tu quidem lamentaris, verùm exacerbas magis quam existimas Numen. neq; enim probris incessere, sed exorare necesse est: precibus nō criminationibus placatur id quod est potentius. *libro Æthiopicorum primo.*

Heliodorus: Dei & numina venientia ad nos & à nobis recedētia, in alia animalia rarissimè, in homines autem ut plurimū sese transformant, similitudine magis, ut visum insomnii esse opinemur, nobis imponentes. Quamvis igitur profanos homines laruerint, tamen quin à sapiente cognoscantur, effugere non possunt, sed ex oculis deprehenduntur, cùm continuo obtutu intueantur, & palpebras nunquam concludant, & magis etiam ex insessū, qui non ex dimotione pedum neq; transpositione existit, sed ex quodam impetu aërio, & vi expedita, findentium magis auras quam transeuntium. Quamobrem statuas quoq; Deorum Ægyptii ponunt, conjungentes illis pedes & quasi unientes. Quæ etiam Homerus sciens, ut Ægyptius, & doctrina sacrā instructus, occultè & involutè versibus reddidit, relinquens intelligendum iis qui possent. De Pallade quidem inquit: —— *atq; truces oculi fulsere tuenti.* De Neptuno: *Namq; pedum crurumq; simul vestigia ponè Per facilè agnoui remeante. libr. Æthiop. vertio.*

Basilius Imp. Conscientiam tuam si pro lege habueris, & quæ pati ipse nolis, nunquam alios pati permiseris, nullius unquam peccati reprehen-

reprehensionē sustinebis: & si Deum in omni actione inspectorē & cognitorem, sicut est, esse tibi persuaseris, nunquam neque palam neque clam peccabis. nam etsi alios latere videberis quæ secretò facies; at conscientiam certè tuam, & Deum ipsum, qui usq; in abditos animi sinus ac recessus intuetur, revereberis: homines enim ea quæ corporis sunt vident: at ea quæ in fundo animi latent, solus Dei oculus, quem nihil latet, penetrat. sicut enim cùm Sol lucet, sub dio nihil occultum esse potest: ita inspiciente Deo, nullæ actiones occultæ & secretæ esse possunt. *cap.* 42.

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Videlicet, Dii immortales, ut peccantibus graves, ita satisfacientibus faciles. *Declamat.* 323. *à med.*

Quintilianus Senior: Deorum numen rebus humanis etiam qua non apparet, intervenit. *Declamatione* 388.

Petronius Arbiter: Deos immortales rerum humanarum agere curam puto: nam imprudentes noxios in nostrum induxere navigium. *Satyrico.*

Incertus Panegyristes: Quamobrem te summe rerum sator, cujus tot nomina sunt quot gentium linguas esse voluisti (quem enim te ipse dici velis, scire non possumus) sive in te quædam vis mensq; divina est, quæ toto infusa mundo omnibus miscearis elementis, & sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu per te ipse movearis; sive aliqua supra cœlum potestas est, quæ hoc opus tuum ex altiore Naturæ arce despicias, te anquam oramus & quæsumus ut hunc in omnia sæcula Principem serves: parum est enim optare tantæ virtuti tantæque pietati quem longissimum habet vita processum. & certè summa in te bonitas est & pietas, & ideo quæ justa sunt velle debes. nec abnuendi est causa cùm possis. nam si est aliquid quod à te benemeritis denegetur, aut potestas cessavit, aut bonitas. fac igitur ut quod optimum humano generi dedisti permaneat æternum, omnesque Constantinus in terris degat ætates. *cap. ult. Orat. Const. Aug.*

Cl. Mamertinus: Jupiter præter depulsos quondam cœli possessione Titanas, & mox biformium bella monstrorum, perpeti curam quamvis compositum gubernat imperium, atq; hanc tantam molem infatigabili manu volvit, omniumq; rerum ordines ac vices pervigil servat. neq; enim tunc tantummodo commovetur cùm tonitrua incutit & fulmina jacit, sed etiam si tumultuantia elementorum officia pacavit, nihilominus tamen & ipsas quæ tacitè labuntur auras, placido sinu fundit, & in adversa cœli intentem impetu rapit Solem. *cap 3. paneg. m genethl. Maximiani.*

Incertus Panegyristes: Audi doloris nostri liberam vocem siquidem Dei ipsi quod plerunq; humanas res negligant, dum querimur ignoscunt, quibus aliud fortasse curantibus, grandines ruunt, terræ dehiscunt, urbes hauriuntur. quæ non illis hauriuntur volentibus sed aut aliorsum respicientibus, aut fatali rerum cursu urgente videntur accidere. *cap.* 9. *Maxim. & Const. Imp.*

Symmachus: D. Honorio Imp: Quæcunq; Deo auctore fiunt, meritò divino pietatis vestræ judicio firmantur. *Epist.* 31. *Auctuarij.*

Julius Firmicus: Deus, qui per singulos dies cœli cursum, celeri festinatione continuas, qui maris fluctus mobili semper agitatione perpetuas, qui terræ soliditatem, immoto fundamentorum solio roborasti, qui laborem terrenorum corporū, nocturnis opibus recreasti, qui refectis viribus rursus dulcissimi luminis gratiam reddis, qui corporis fragilitatem, divinæ mentis inspiratione sustentas, qui omnem operis tui substantiam salutaribus ventorum flatibus vegetas, qui fontium, ac fluviorū undas, infatigabili necessitate profundis, qui temporum varietatem certis dierum cursibus reddis, solus omnium gubernator ac princeps, solus Imperator ac Dominus, cui tota potestas numinum servit, cuius voluntate, operis perfectio ac substantia cōstat, cuius incorruptibilis natura, cunctā perpetuitatis substantiā ornat, tu omnium pater, pariter ac mater, tu tibi pater ac filius uno vinculo necessitatis obligatus, tibi supplices manus tendimus, te trepida supplicatione veneramur. *præf. lib.* 5. *Matheseos.*

¶ Poetarum.

Synesius Hymno tertio.

Eia mihi, ô anima,
Sacra carmina
Aggressa,
Corporeos
Sopito æstros:
Acue mentis
Celeres motus.
Regi Deorum
Nectimus coronam,
Hostiam incruentam,
Carminum libamina.
Te in mari,
Te super insulis,
Te in continenti,
Inque urbibus,
Asperisq; montibus,
Et super inclytis
Cùm campis
Statuam geminas
Pedum plantas,
Te beate canam,
Genitor mundi.
Tibi nox me ducit
Vatem ô rex:
Tibi diurna,
Tibi matutina,
Tibi vespertina
Carmina feram.
Testes fulgores
Micantium siderum,
Lunæque cursus,
Et ingens testis
Sol, puarum
Stellarum moderator,
Piarum animarum
Sanctus arbiter.
Ad tua atria,
Ad tuos sinus
Aversas
A vasta hyla
Alas subleVans,
Latus ut ad tuum
Vestibulum perVenirem.
Nunc adVenerandorum
Sacrorum
Templa sancta
Supplex Venio.
Nunc ad inclytorum
Verticem montium
Supplex Venio.
Nunc ad deserta
Conuallem ingentem
Libyæ Venio,
Oram australem:
Quam neque impius
Flatus polluit,
Nec signa
Vestigium hominum
Vrbana curantium.
Vbi tibi anima
Pura affectuum,
Soluta cupiditatibus,
Desinens à laboribus,
Cessans a luctibus,
Ira, contentionibus,
(Quæ in corde aluntur)
Ea excutiens,
Pura linguâ,
Menteque sancta
Debita
Carmina referet.
Pax sit
In æthere & in terra.
Sistat mare.
Sistat aer:
Cessate afflatus
Vaporum Ventorum.
Cessate impetus
CurVatorum fluctuum,
FluViorum cursus,
Fontiumque lapsus.
Teneat silentium
Mundi plagas,
Dum sacrantur
Sancta carmina.
Condant se sub terras
Serpentes sinuosi,
Condat se sub terram
Et alarius draco,
Dæmon hyla,
Nubes anima,
Idolis gaudens,
AdVersus preces qui canas
AdVocat.
Tu ô pater, tu ô beate,
Tu Voraces animi
Procul arceto canes
Ab anima meâ,
A precibus meis,
A Vita mea,
A factis meis:
At nostra
Mentis libamen
Tuus honoratissimis
Curæ sit ministris
Sapientibus, qui ad te transmittunt
Sanctos hymnos.
Iam feror
Ad carceres
Sacrorum carminum.
Iam strepit

Procubuy-

Oraculum in mente.
O beate esto propitius mihi:
O pater esto propitius mihi,
Si fortè præter decorum,
Si fortè præter modum
Tua attrectaui.
Cuius oculus sapiens,
Cujus acris acies,
Tuis fulgoribus
Præstricta
Non perstringetur?
Intentu enim oculis intueri
In tuas faces
Licet ne dijs quidem:
Sed decidens mens
De tua specula
Proxima quaque amplectitur:
Non vestigabilia vestigare
Dum tentat,
Eucémque intueri
Immensa in profunditate
Fulgentem.
Ab inaccessis autem delapsa,
In prima lucis
Specie figit
Oculi aciem:
Vnde decerpens
In tuas laudes
Flores lucis,
Vagorum ventorum
Sedet flatus,
Tua tibi restituens.
Quid enim non tuum, ô rex?
Patrum omnium
Pater, pater tuiipsius,
Ante pater, sine patre,
Fili tuipsius:
Vnitas unitate prior,
Entium semen,
Omnium centrum,
Æterna expers substantia mens,
Mundi radix,
Rerum ab initio creatarum
Lux undique collucens,
Veritas sapiens,
Fons sapientiæ,
Mens tecta
Proprijs fulgoribus
Oculo tuipsius:
Fulminum potens,
Seculorum parens,
Seculorum vita,
Superans deos,
Superans mentes,
In diversas partes versans:
Mentium parens mens,
Originem præbens dijs,
Spirituum opifex,
Et animarum altor.
Fons fontium,
Principiorum principium,
Radicum radix:
Vnitas es vnitatum,
Numerorum numerus,
Vnitas & numerus,
Intelligentia, & intelligens,
Et quod intelligi potest,
Et ante id quod potest intelligi.
Vnum & omnia,
Vnum autem omnium,
Et unum ante omnia,
Semen omnium,
Radix, & summus ramus,
Natura inter intelligentias,
Fœmina & mas.
Mystica autem mens
Hæc atque illa dicit,
Profunditatem ineffabilem
Circa ducens choreas.
Tu es quod parit,
Tu es quod paritur,
Tu, qui illustras,
Tu, qui illustraris:
Tu, qui appares,
Tu, qui occultaris
Proprijs fulgoribus.
Vnum, & omnia,
Vnum in teipso,
Et per omnia
Tu enim effusus es,
Ineffabili modo nate,
Vt filium pareres,
Inclytam sapientiam,
Rerum omnium opificem.
Profusus autem manes
Indivisuis sectionibus
Obstetricatus.
Cano te unitas:
Cano te trinitas.
Vnitas es, trinitas quum sis:
Trinitas es, unitas quum sis.
Qua autem intellectu percipitur sectio
Indivisum adhuc
Quod divisum est, tenet.
In Filium effusus
Consilio sapienti.
Ipsum autem consilium.
Natum est media
Natura ineffabilis,
Qua est ante naturas omnes.
Nefas (est) dicere
Secundum abs te.
Nefas (est) dicere
Tertium a primo.
Partus sacer,
Ineffabilis fœtus.
Terminus es naturarum
Parientis;
Et parta.
Veneror intellectualium
Arcanum ordinem.
Capiunt ha medium quiddam
Non (extrinsecus) infusum.
Ineffabilis proles
Patris ineffabilis,
Partus propter te,
Per partum autem
Tu es in lucem editus,
Vnà cum patre editus
Consilio patris:
Consilium autem tu (es) semper
Apud tuum patrem.
Ne immensum quidem
Tempus novi ortus
Tuos ineffabiles,
Seculúmque vetus,
Nulla temporis serie textum
Partum non cognovit.
Vnà cùm patre apparuit
Semper natus
Qui nasciturus erat.
Quis in rebus inenarrabilibus
Acuit audaciam, tanquam proposito præmio?
Cæcorum hominum
Varia loquentium
Impia audacia (sunt.)
Tu autem lucis largitor,
Lucis intelligibilis:
Obliqua & à fraude
Abducis sanctorum
Mentes hominum,
In tenebris Hylæ
Ne demergantur.
Te Pater mundi,
Pater seculorum,
Opifex divorum,
Fas est laudare.
Te quidem intelligentiæ
Canunt, ô rex,
Te mundi rectores,
Oculi fulgentes,
Mentes sidereæ
Celebrant ô beate,
Quas circum inclytum
Corpus movetur,
Omnis te canit
Cœtus beatorum,
Qui circa mundum,
Qui in mundo,
Qui in Zonis,
Quique extra zonas
Mundi partes
Gubernant sapientes
Ministri,
Qui ad inclytos
Clavi gubernatores (stant:)

Quos angelica
Profundit series.
Atque illustre
Genus heroum,
Opera mortalium,
Occultis vijs
Quod permeat,
Opera mortalia.
Animáque non proclivis
Et prona
In caliginosos
Terrenos globos.
Te beata natura.
Naturaque proles
Laudat ô beate,
Quas almis
Regis auris,
De tuis canalibus
Deductas
(Et) provolutas.
Tu námque immensi
Moderator mundi,
Natura es naturarum:
Tu naturam foves
Originem mortalium
Immortalis
Imaginem,
Vt etiam ima
Pars in mundo
Sortiatur vitam
Alternam.
Neque enim fas erat
Fœcem mundi
In summo vertice statuere.
At quod statutum omnino
In cœtu entium,
Nunquam posthac interibit;
Alsud verò ab alio
Mutua vicissitudine
Omnia fruuntur.
Rerum intereuntium
Orbis aternus,
Tuo spiritu
Revivíscens,
Tibi per omnia
Statuit choreas.
Mater natura
Suis coloribus,
Suis operibus
Picta varijs.
Ex animantibus verò
Diversa voce praditis
Vnum concentum tamen
Concordem tibi mittit.
Tibi omnia ferunt
Laudes perpetuas:
Dies & nox,
Fulgura, nives,
Calum, æther,
Et terra radices,
Aqua, aër,
Corpora omnia,
Spiritus omnes,
Semina, fructus,
Planta & gramina,
Radices, herba,
Pecora, & volucres,
Et natantium
Piscium greges.
Respice & animam
Languentem,
Deficientem
In tua Libya,
In tuis venerandi
Sacris,
Sanctis precibus
Intentam:
Quam circundas
Nubes corporea:
Sed tuus oculus, ô Pater,
Potest discutere nubem illam corpoream.
Nunc mihi animum
Tuis hymnis
Fœcundatus,
Acuit mentem
Igneis motibus:
Tu autem illustra, ô rex,
Lumina, ut celestia suspiciam.

Annue patet,
Corpore ut elapsa,
Non posthac mergatur
In terra noxa.
Sed quandiu vita
Corporea
In vinculis maneo,
Placida, ô beate,
Alat me fortuna:
Neque adversa aura
Spiret, animi
Curis tristibus
Exedens vitam,
Rebus divinis
Vt semper vacem,
Neque in talibus
Voluter.
Vnde jam elapsus
Munificentia tua,
Coronam sanctis
Ex pratis
Tibi hanc necto:
Tibi istas affero
Laudes, purorum
Princeps mundorum,
Et Filio sapienti,
Vna cum ejus sapientia,
Quem ex ineffabili
Effudisti sinu:
In te autem manet,
Ex te quamvis progenitus,
Vt omnia sapienti
Moderetur Spiritu:
Moderetur vetustorum
Profunditatem seculorum,
Moderetur oras
Immensi mundi,
Vsque ad imum
Fundum entium
Terrena portionis,
Piorum animis
Affulgens:
Soluit autem labores,
Et curas
Miserorum mortalium,
Auctor bonorum,
Propulsator dolorum.
Quid verò mirum est, Deum
Mundi opificem,
A suis operibus
Mala arcere?
Hoc tibi, ingentia
Rex mundi,
Persoluturus venio
Votum debitum ex Thracia,
Vbi per triennium
Habitavi in vicinia,
Prope regias
Terra ades:
Tulique labores,
Tuli cruciatus
Valde lacrymabiles,
Humeris ferens
Matrem patriam.
Rigabatur tellus
Artuum sudore
Decertantium
De die in diem:
Rigabatur lectus
Oculorum rivis
Plorantium
De nocte in noctem.
Templa verò quotquot
Extructa sunt, ô rex,
Vt tuis sanctis
Serviant sacris,
Omnia adij:
Procumbens supplex,
Solum palpebrarum
Rigans roribus,
Ne mihi inane
Iter contingeret,
Supplex oravi deos,
Ministros quotquot
Fœcundum Thracia
Tenent solum,
Quique ex opposita continenti
Chalcedonijs

Pres-

Præsidens arvis,
Quos angelicis
Coronasti, ô rex,
Fulgoribus, tuos
Sacros ministros.
Hi meas beati.
Adjuverunt preces:
Hi meos multos
Adjuverunt labores.
Non mihi vita
Tunc erat grata
Propter tellurem patriam
Vexatam,
Quam ex mœrore
Excitasti, ô rex,
Ipse qui senio subjectus non es.
Rector mundi.
Dum jam anima
Deficeret,
Dum jam artus
Collaberentur,
Suffulsisti meam
Articulorum vim,
Misera anima
Vim inspirans:
Laborum autem dulcem
Invenisti finem,
Ex animo meo,
Negotijs, ô rex,
Prabens longorum
Requiem laborum.
Qua tu omnia, ô beate,
Afris conserva
Ad longam
Seriem temporis,
Ob tui memoriam
Beneficij,
Et propter animam
Gravia passam.
Supplex autem da
Vitam innoxiam:
Libera me laboribus,
Libera me morbis,
Libera me curis,
Qua animos edunt:
Annue intellectualem
Servo vitam.
Ne mihi terrenos
Imbres divitiarum
Decernas, ô rex,
Quo rebus divinis
Vacem:
Neque tristis
Paupertas tecti
Adhærescens,
Ad terram trahat
Curas animi.
Vtraque hæc res animam
Deprimit ad terram,
Vtraque mentis
Oblivionem affert.
Nisi tu beate,
Ministres vires.
Na pater pura
Fons sapientia,
Illustra animum
De tuo sinu
Intellectuali luce.
Illustra cor
Ex tua vi
Sapientia jubare:
Et ducentem ad te
Sacram viam
Tesseram dato,
Signum tuum,
Qui vexant animos
Spiritus hylæ
Abigens a vita,
Precibusque a meis:
Et corpus conserva
Incolume, infestis
Inaccessum morbis:
Et spiritum conserva
Impollutum, ô rex.
Equidem nunc
Caliginosam hylæ
Maculam fero:
Teneor autem cupiditatibus,
Terrenis vinculis.
Tu autem liberator es,
Tu expiator es:
Libera malis,
Libera morbis,
Libera compedibus.
Tuum semen fero,
Generosæ
Scintillam mentis,
In altitudine hylæ
Absconditam.
Tu enim in mundo
Deposuisti animam:
Per animam verò
In corpore mentem
Sevisti, ô rex.
Tuam filiam
Miserator ô beate.
Descendi abs te
Terræ ut famularer,
Ex famula verò
Facta sum serva:
Hyle me magicis
Irretivit artibus.
Adhuc tamen insunt mihi
Exiguæ quædam vires,
Abdita pupillæ:
Nondum omnem
Restinxit vim:
Sed circunfusa est multa
Supernè tempestas,
Cæcam efficiens
Qua in Deum aciem dirigit.
Miserator Pater
Filiam supplicem,
Quam sæpius jam
Intellectuale ascensu
Scandere (cœlum) conantem
Blanda hylæ
Desiderium suffocat.
Tu verò illustra, ô rex,
Oculos, ut ad cœlestia se attollant.
Accende ignem
Et incendium,
Semen illud exiguum
Alens in meo
Capitis apice.
Colloca me Pater
Lucis in vi
Salutaris,
Quò manum naturæ
Non injicit,
Vnde non amplius terræ,
Non parcarum
Fila necessitatis
Revocare possunt.
Linquat, fugiat
Turbidus ortus
Famulum tuum.
Inter me Pater,
Terrenámque turbulentiam
Ignis intercedat,
Annue Genitor,
Annue famulo
Iam intellectuales
Pandere alas.
Iam ferat
Signum patris
Supplex anima,
Quod terreat quidem infestos
Damonas, qui terræ
Ex latebris
Loca petentes supera,
Afflant mortalibus
Impios conatus:
Signum autem tuis
Sanctis famulis,
Qui in inclyti
Sublimitate mundi
Ætherei ascensus
Clavigeri (sunt:)
Vt mihi lucis
Aperiant portas.
Diumque vanæ
In terra serpo,
Ne terræ sim:
Sed atheriarum operum
Hic quoque da

Teſtes fructus,
Voces veridicas,
Et quæcunque in animis
Diuinam
Spem fouent.
Iam me pœnitet
Terrena vita
Abite in malam rem peſtes
Impiorum mortalium,
Vrbiúmque opes:
Abite in malam rem omnes
Noxa blanda
Ingratæ gratiæ,
Quibus animam
Allectam
Terra ſeruam retinet.
Qua valde misera,
Suarúmque bonorum
Ebibit obliuionem,
Donec inciderit
Inuidam in portionem.
Geminas enim habet
Blanda (portiones) hyle.
Qui autem in menſa
Porrecta manu
Epulas dulce attigit,
Eum valde ſane pœnitebit
Acerba portionis,
Contrarijs ponderibus
Eum detrahentibus.
Hæc enim terrena
Lex neceſſitatis,
Binis ex crateribus, mortalibus
Vitam fundit.
Purum autem
Impermixtúmque bonum,
Deus, vel res diuina.
Inebriata dulci
Cratere, oras
Aſtigis malorum,
Incidi in caſſem,
Senſi damnum
Epimetheium.
Odi tamen leges
Inconſtantes,
Ad curarum expertia
Prata patris
Properans, intendo
Fugaces pedes,
Fugaces geminorum
Hylæ munerum.
Reſpice me ô vita
Intellectualis arbiter,
Reſpice tuam ſupplicem
Animam in terris
Intellectuales aſcenſus
Tentantem,
Tu autem illuſtra, ô rex,
Cœlum affectantia lumina,
Alas leues prabens.
Retinacula vero abſcindito,
Laxato vincula
Geminorum affectuum,
Quibus animas
Fallax natura
Deprimit in terram.
Da mihi ut elapſa
Ex corporis noxa,
Celerem ſaltum dem
Ad tuas aulas,
Ad tuos ſinus:
Vnde anima
Profluit fons.
Gutta cœleſtis
Effuſa ſum in terram.
Fonti me reſtitue
Vnde ſum effuſa
Profuga vagans.
Annue ut progenitrici
Luci miſceatur:
Annue ut ſub te
Patre cuſtodita
Cum cœlitum cœtu
Offerat ſanctè
Cœleſtes hymnos.
Annue (inquam) Pater
Vt luci mixta,
Non poſthac mergatur
In terra ſordibus:
Sed dum vita
Corporea
In vinculis maneo,
Placida, ô beate,
Alat me fortuna.

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Equitibus ℣. 30.

Optimumigitur factanobis præſentibus,
Apud Deorum ſimulachra alibi procumbere.
D. Iure nam ſimulacra? an eſſe tu ſtatuis Deos?
N. Imo. D. ſed quonam argumento hoc edoctus es?
N. Quia enim Deis inuiſus ſum ultrà quam decet.
D. Facile hoc mihi perſuades.

Ariſtophanes Pace ℣. 849.

Non ego teruncij facio Diuos, ſi fouent
Aluntq; ſcorta, quales mortales ſolent.

Petronius Arbiter.

Primus in orbe Deos fecit timor. ardua cœlo
Fulmina cum caderent, diſcuſſaq; mœnia flammis,
Atq; ictus flagraret Athos, modo Phœbus ad ortus
Luſtrata dejectus humo, Lunaq; ſenectus,
Et reparatus honor. hinc ſigna effuſa per orbem
Et permutatis diſiunctus menſibus annus,
Projecit vitium hoc: atq; error juſſit inanis
Agricolas primos Cereri dare meſſis honores;
Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palemque
Paſtorum gaudere manu. natat obrutus omnis
Neptunus demerſus aqua: Pallasque tabernas
Vindicat, & voti reus, & qui vendidit orbem,
Iam ſibi quisq; Deos videcertamine fingit.

Plautus Amphitr. 1. ſc. 2.

Non par videtur, facere delictum ſuum
Suamq; culpam, expetere in mortalem ut ſinat.

Plautus Bacchid. 5. ſc. 2. ℣. 69.

Quod Dij dant boni, cave culpatua amiſſis.

Plautus curcul. 4. ſc. 4 pr.

Cui homini Dei ſunt propitij, ei non eſſe ivatos puta.

Plautus Milite 3. ſc. 1. ℣. 140.

Qui Deorum conſilia culpet, ſtultus inſciusq; ſit,
Quiq; eos vituperet.

Plautus Rudente 4. ſc. 5. ℣. 34.

Satius ſi cui homini Dei eſſe benefactum volunt.
Aliquo illuc pacto obtingit optatum pijs?
Ego hodie quintq; ſperavi, neq; credidi,
Is improviſo filiam inveni meum.

Senecà ex Græco Cleanthis.

Duc me, parens, celſiq; dominator poli,
Quocumq; placeat. nulla parendi mora eſt.
Ad ſum impiger. fac nolle; comitabor gemens,
Maloq; facere patiar, quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Martialis lib. 8. Epigr. 24.

Si mihi nil dederis, Cæſar, permitte rogari:
Offendunt nunquam tura preces q; lovem.
Qui fingit ſacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat ille facit.

Lucianus In Deos.

Mortales ſi fortè latent tua crimina nequam:
Quod tecum reputas non latet hocce Deos.

Prudent. præfat. Pſythomachiæ in fine.

Parvam pudici cordis intrabit caſam.

Prudentius contra Vnionitas.

Ecquis in idolio recubans, inter ſacra mille,
Ridiculoſq; Deos venerans, ſale, ceſpite, thure,
Non putat eſſe Deum ſummum, & ſuper omnia ſolum?
Quamvis Saturnis, Iunonibus, & Cytherais
Portentiſq; alijs fumantes conſecret arcis.
Attamen in cœlum quoties ſuſpexit, in uno
Conſtituit jus omne Deo, cui ſervit at ingens
Virtutum ratio variis inſtructa miniſtris.
Quæ gens tam ſtolida eſt animis, tam barbara linguis,
Quæve ſuperſtitio tam ſordida, quæ caniformem
Latrantemq; throno cœli præponat Anubim?
Nemo Cloacinæ aut Hippo ſuper aſtra deabus
Dat ſolium, quamvis olidam perſolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus rimetur & extra.
Conſule barbati deliramenta Platonis,
Conſule & hircoſos Cynicos, quos ſomniat, & quos
Texit Ariſtoteles torta vertigine nervos,
Iſtos omnes quamvis anceps labyrinthus & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipſe

Gallinam

Gallinam ſoleant, aut gallum, clinicus ut ſe
Dignetur præſtare Deus morientibus æquum;
Cùm ventum tamen ad normam rationis & artis,
Turbidulos ſenſus & litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt numen in unum,
Cujus ad arbitrium ſphæra mobilis atq; rotunda
Volvatur, ſervent q; ſuos vaga ſidera curſus.
Non recipit natura hominis, modò quæ adrupes illa
Non ſit, & erecto ſpectet cœleſtia vultu;
Non recipit, neget ut regimen pollere ſupremum.

Prudentius priore libro contra Symmachum:

Ille Deus verus, quo non eſt grandior ulla
Materies, qui ſine caret, qui præſidet omni
Naturæ, qui cuncta ſimul concludit & implet.

Prudentius lib. poſter. in Symmachum.

Nam locus eſſe Deo quis poſſet in orbe feroci,
Pectoribus q; hominum diſcordibus, & ſua jura
Diſſimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompoſitos humano in pectore ſenſus,
Diſjunctas q; animi turbato fœdere partes,
Nec liquida inviſit Sapientia, nec Deus intrat.
At ſi mentis apex regnandi jure potitus,
Pugnacis ſtomachum pulſus, fibras q; rebelles
Frenet, & omne jecur ratione coerceat una;
Fit ſtabilis vitæ ſtatus, & ſententia certa
Hauſit corde Deum, domino & ſubjungitur uni.

¶ Apologorum.

De Amne ſuum fontem conviciis laceſſente. *Fab.* 57.

Amnis quidam ſuum conviciis fontem laceſſebat, ut inertem, quod immobilis ſtaret, nec ullos haberet piſces, ſe autem plurimum commendabat, quod optimos crearet piſces, & per valles blando murmure ſerperet. Indignatus fons in amnem velut ingratum, undas repreſſit. Tunc amnis & piſcibus & dulci ſono privatus evanuit.

Hæc fabula eos notat, qui bona, quæ agunt ſibi arrogant, non Deo attribuunt, a quo largo fonte noſtra bona procedunt. Laur. Abſtemius.

De Ove paſtori conviciante. *Fab.* 83.

Ovis conviciabatur paſtori, quod non contentus lacte, quod in uſum ſuum, filiorumque ab ea mulgebat, inſuper vellere illam denudaret. Tunc paſtor iratus, filium ejus trahebat ad mortem. Ecquid, inquit ovis, pejus mihi facere potes? Vt te, inquit, occidam, & lupis canibuſque proiciam devorandam. Siluit ovis majora adhuc mala formidans.

Hac fabula indicat, non debere homines in Deum excandeſcere, ſi divitias, ſi filios ipſis permittat auferri, cum etiam majora, & viventibus & mortuis, poſſit inferre ſupplicia. Abſtemius.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba. *Equus ſeſſore excuſſo currens.*

Qualis eques rapido nemoroſa per avia curſu
Corruit, effrenis præcipitatus equo:
Corpore tu, quemcunque Deus, vel mente, beavit,
Talis es, ipſius te niſi frena regant.

Had. Junius Emblemate XXVII.

Perſea fert lingua ſimiles, ſacra Iſidi, frondes:
Typumque cordis poma turgida exprimunt.
Sermo index animi, de numine ſentit apertè;
Cor cæco operculo intus arcanum tegit.

Had. Junius Emblemate XLII.

Myſteriis addicta Memphis ædè pro ſacra
Sphingem biformem dedicavit, ſymbolum Dei.
Amato numen ceu pijs mite, ac placabile:
Rurſus time, ut vindex inexorabile impijs.

Joach. Camerarius I. Centuriæ 1.
Si Serenus illuxerit.

Monsomni hoc, niſi Sol foveat, viduatur honore;
Quicquid ages, caſſum diſperit, abſq; DEO.

Camerarius IIII. Cent. 1.
Virtus hinc major.

Iridis Aſpalathus vi ſuavior; ipſaq; Virtus
Gratior eſt, ſuperûm quam pia cura fovet.

Camerarius XXVII. Centur. 1.
Vndique tutus.

Gallus amans lauri vigili ſolem ore ſalutat:
Sic à cœleſti mens pia pendet ope.

Camerarius XXXVIII. Centuriæ 1.
Modo Jupiter aſſit. *Pinus in oleam inſerta.*

Vt ſapias rectè & facias, Deus efficit Ejus
Auxilio plena lance beatus eris.

Camerarius LXXXVIII. Centuria 1.
Langueſco ſole latente. *Tulepa.*

Marcidus ut flos hic langueſcit ſole latente,
Cœleſti ſapimus ſic ſine luce nihil.

Camerarius II. Centuria 1.
Nempe arbos unde rigetur. *Mercurius irrigans laurem.*

Intererit multum quis noſtros irriget hortos;
Ac mens noſtra DEI qua foveatur ope.

Camerarius XLIII. Centuriæ 2.
Mens intenta DEO.

Ore capit patulo rorem vaga cerina cadentem,
Rore riges nobis torrida corda DEVS.

Camerarius XVIII. Centuriæ 3.
Diverſa ab aliis virtute valemus.

Paſſer ut ova fovet flatu vegetante marinus;
Sic animat mentes gratia dia pias.

Camerarius LIII. Centuriæ 3.
Fallit opinio. *Phaſianus caput occultans.*

Ah miſer, etſi quis caute ſua crimina celat,
Hæc tamen æterno ſunt manifeſta DEO.

Camerarius XXXV. Centuriæ 4.
Me duce navis eat.

Pompilius hic navim tuto prope littera ducit;
Vnus ſed mihi ſit duxque comeſq; DEVS.

Jac. Catſius emblemate ſacro VII.
Flectere, vel frangere.

Sæpe vel intacta nummi periere crumena;
Fractus & illæſo tegmine mucro fuit.
Sæpe cutis totos ruptis tegit oſſibus artus,
Cùm Deus ex alto tela triſulca jacit.
Mollibus indulget, durisq; ferocius inſtat.
Fulmen, & ipſe facit fulminis auctor idem.
Flecte genu: quicunq; Deo non flectitur, ille
Flectitur: elatos Numinis ira premit.

Catſius Emblemate ſacro XIX.
Quod movet, quieſcit.

Pulvis & umbra ſumus: deſcribere numen Olympi
Non opus eſt noſtra: pulvis & umbra ſumus.
Pace tua liceat tamen, ô Deus optime, dicta
Paucula vel blæſo promere verba ſono
Tu Rupes qui cuncta trahis, qui cuncta gubernas;
Eſt tamen intereà te penes alta quies.
Nulla ſubit te cura, Pater, tamen omnia curas?
Aſtra ſolumq; moves, nec tibi motus ineſt.

Catſius Emblemate ſacro XXVIII.
In Domino quies.

Nulla quies volueri qua turribus eminet altis,
Ne teneat rectam, cœlitus acta, viam.
Quærimus in tenebris tranquilli pectoris aream,
Et male diverſum quiſq; capeſſit iter
Hic ſibi divitias proponit & alter honores:
Ille voluptatis credit ineſſe Bonum.
Fallimur heu! ſtatio Deus eſt, Deus una quietis,
Non alibi placidæ commoda mentis erunt.

Dei omnia juſta. Emblemate LV.

Cur lovis adſeſtrix Themis eſt? quòd juſta putanda
Quæ Divina Dei mens rata cunque velit.
Florentius Schonhovius.

In ingratos. Emblemate LXX.

Devorat excuſſas glandes, nec ſuſpicit unde
Ha ſibi proveniant pigra propago Suum:
Percipiunt homines ſummorum munera Divûm,
Vix tamen his grates ore decente canunt.
Florens Schonhovius.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

De Dei eſſentia, natura, perſonis in unica Deitate, & Dei operibus, innumera dicta extant in ſacris & Eccleſiaſticis ſcriptoribus, ex quibus ingens volumen conſici queat. Quum autem & modus aliquis ſit tenendus in apophthegmatum delectu, nec quæ ad Orthodoxæ fidei dogmatum confirmationem pertinent ſint cùm ſcitè dictis vel permiſcenda, vel confundenda: pauca quædam de Deo hic adſcribere viſum eſt, cujus majeſtatem in ſilentio colere quam multiloquio minuere præſtat.

Benjamin Perſa: Legatus Romanus quum à Rege Perſarum Benjamin diacono propter Chriſtianiſmi profeſſionem captivo liberationem impetraſſet, Rex juſſit Benjaminum polliceri ſe doctrinam Chriſtianam cum nullo Mago communicaturum. Legatus quidem recipit diaconum mandata regis effecturum. At Benjamin cùm legatum hac de re ipſum admonentem audiviſſet, reſpondit, Non poſſe fieri, ut doctrinam lucis quam à Deo acceperat, non aliis imperiret: nam abſcondere talentum, quantum mereatur ſupplicij, hiſtoriâ Evangelicâ apertè docere. Verũ rex id tẽporis hujus reſponſi ignarus, jubet illũ è vinculis eximi. Qui quidẽ, vt ſolebat homines ignorantiæ tenebris obcæcatos, inde eripere, & ad lucẽ ſpiritualẽ adducere non ceſſavit. Anno autẽ elapſo, res ab eo geſtæ Regi indicantur. Qui jubet eũ adduci, & Deum, quẽ colebat, denegare. Tum ille ſciſcitatus à Rege, quo ſupplicio multandus ſit is, qui Perſicum regnum deſe-

par, & alienæ ditioni se subiicere animum inducat? Morte, inquit Rex, & quidem gravissima. Cui rursus Benjamin, Quo pacto igitur, inquit, coercendus est homo ille, qui effectorem & opificem omniū derelinquat, & unum è conservis Deum consecret (quod à Persis fiebat, ignem adorantibus) eique cultum vero Deo debitum tribuat? His verbis Rex graviter commotus, Benjaminum supplicijs crudelissimis & morte affici curavit. *Theodoret. eccles. hist. lib. 5. cap. 38.*

Procopius: Procopius cùm in iudicio sisteretur, & ei imperatum esset ut diis immolaret, unum solum Deum se scire dixit: cui, sicut ab eo ipso præceptum est, soli esset sacrificandum. Postquam verò quatuor Jmperatoribus hostias etiam offerre illi mandatum fuit, sententiam quandam quæ illis parum arridebat elocutus, hoc scilicet Homeri carmen, Non bona res, multi Domini, Rex unicus esto: extemplò securi percutitur. *Euseb. lib. 8. hist. Eccles. cap. 12.*

Constantinus Imperator: Humanum, inquit, videtur aliquando errare: at in humanis erroribus Deus est omnino expers culpæ. *Orat. ad sanctorum cœtum, cap. 26.*

Idem: Adversus Deorum multitudinem ab Ethnicis invectam scitè disserit idem Jmperator, *eadem oratione* ad sanctorum cœtum, *cap. 3.* his verbis: Si demus plures deos esse, quis rei cujusque procreandæ authorem & architectum exquisitè poterit cognoscere? cui tandem preces & obsecrationes offeremus? primóne an postremo? Quem (quæso) colere instituam, ut non in reliquos impius videar? An fortasse cùm aliqua res mihi ad victum necessaria desit, ei qui opem fert gratiam habeam: qui autem adversatur illum insimulem? Quem autem obtester, à quo me putem & calamitatis causam cognoscere, & eadem penitus liberari? fac responsa nobis per oracula dari: ista tamen fieri non propria ac sua vi facultatéque, sed ad Deum aliquem pertinere, quæ igitur misericordia? quæ Dei erga hominem providentia? nisi fortè, qui sit inter deos paulò ad benignitatem propensior, in eum qui nullum confert inter deos discrimen, benevolè animatus, auxilium etiam aliis invitis afferre voluerit. At odium, seditio, probra inde nascerentur: quandoquidem nec sua negotia quiete gerere possent propter contentionem, nec rebus suis ac propriis contenti esse propter cupiditatem. Et ad extremum omnium perturbatio si queretur atque confusio. At quid postea? Constat planè, cælestium discordia res inferiores ac terrenas omnino labefactatas fore: adeo ut ordo ac vicissitudo temporum, fructuum quoque ex eorum varietate nascentium commoditas è medio tolleretur. Tolleretur etiam dies & requies quæ eam sequitur nocturna.

Idem: Saporem Persarum regem ad pietatem sectandam prolixa epistola cohortatus, inter multa dicit: Modestiæ & mansuetudinis officiis lætatur Deus, mites diligit, authores seditionis odit, fidem amat, infidelitatem coercet supplicio, omnem potentiam superbia inflatam perfringit, pœna mulctat insolentium contumeliam, fastuleratos radicitùs extirpat, humilibus & patientibus injuriarum, quæ sunt ad dignitatem tribuit. sic etiam imperium justum magno æstimat, & auxilio suo confirmat: conscientiámque verè regiam tranquilla pace munit, &c. *Theodoret. eccles. hist. lib. 1. cap. 25.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

Iesus Christus: Contemplemur jam summum illud bonum, omnium rerum A & Ω, Deum. & quid præclarè, licet timidè aliquando, de eo dixerint nonnulli, proponamus. Mediator Dei & hominum Christus Jesus (cui, utpote Divinæ naturæ hypostaticè unito, certa hac in re fides) Adolescenti roganti, Magister bone, quid faciam, ut habeam vitam æternam? respondit: *Quid me interrogas de bono? unus est bonus* (videlicet originaliter, ex se, & absolutè) *Deus.* quasi dicat, Qualis ego, ut homo, quem tu me solùm existimas, non sum. *Matth. cap. 19. Marc. cap. 10. Luc. 18.*

Pius II. Pont. Max. Haud aliter Pius Pont. qui quoties Dei, ejusque naturæ meminerat, illud identidem insonabat: *Divina natura credendo melius, quàm disserendo investigatur. Platina in vita.*

D. Ludovicus Francorum Rex: Illum prioribus non iniquè adjungimus. à quo cùm in cœtu Religiosorum Seneschalcus Campaniæ scisciteretur, *Quid est Deus?* & ille cogitabundus hallucinaretur, quæstionem resoluit, inquiens: *Res adeò bona & præstans, ut nihil ea melius præstantiusq; dari, vel cogitari possit.* Idem longè ante eum, Ethnicus aliàs, de suo Jove Horatius:

Vnde nil majus generatur ipso,
Nec habet quicquam simile, aut secundum.

Ionuil. in vita ejusd. cap. 94.

Dei Benignitatis.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

S. *Ioannes Bapt:* Discutiamus etiam quàm dives in misericordia Deus, quàm in gratia munificus. sine quo nihil firmum, nihil stabile, nihil sanctum. Indignatione aliquando commotis Joannis discipulis, quòd Christus baptizaret, ac multi ad eum confugerent; ait ad illos: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Quod enim ille præ alio magister plures habeat qui se sequantur (inquit Chrysost.) Dei donum est. *Ioan. cap. 3.*

S. Martinus: In Alpibus devia & invia secutus, in latrones incidit. è quibus unus vibrata in caput ejus securi, mortem minabatur, nisi ferientis dexteræ ictum alius sustinuisset. Rogatus autem, num timuisset; *Minimè*, inquit, *numquam eram securior: sciebam enim Dei misericordiam maximè in tribulatione adfuturam. In vita ejusd. Sulpit.*

S. Ægidius: Amicum quo familiariter utebatur, rogabat aliquando: Credísne te à me diligi? eoque annuente: *Nolo*, ait, *hoc credere. Solus enim creator verè diligit creaturam, cujus dilectioni amor creaturæ comparari nequit. Ex Sent. aureu ejusd.*

Religiosus Anonymus: Hic quoque sciscitanti curiosiùs militi, num Deus peccatorum misereretur; *Tùne*, respondet, *ubi chlamys tua lacera, eam protinus abjicis?* quo negante, adjecit: *Ita nec Deus, custodit quippe eos, quos ad imaginem suam creavit. In vita P P. fol. 300.*

Petrus Aldobrandinus Card. Quin etiam Dei consilio Reipub. de bono Principe provideri dicebat ille: Clemente enim VIII. in Pontificem electo, rogarus, quorum suffragiis ad tantum honorem deveniisset; respondit: *Non fit summus Princeps, sed factus de cœlo recipitur.* neque enim rationi consonum est, ab hominibus fieri eū qui plus potest quàm hominum vis & natura. *Henricus Farnes. in Apoph. de Princ*

Tiberius II. Imp. Neque erat ab hac mente alienus Tiberius. qui quòd in pauperes profusior, à conjuge Augusta objurgatus, dum immensum thesaurum fortè in palatio reperisset; *Vides*, ajebat, *quàm fidelis est Deus noster, qui plura retribuit, quàm nos ejus amore elargimur. Paul. Diac hist. Longob. lib. 3. cap. 6.*

¶ Monosticha Trochaica.

A Deo sæpe unicè amantur, qui putant se negligi.
A Dijs amantur soli, quos homines amant.
Homo positus in sinu Dei, hominem quid times?
Humano generi ministrum se palam præbet Deus.
In Deos datum unicuique cuncta fari quæ velit.
Nemini benignitatem denegat Deus suam.
Nulla adhuc à gente numen dictus est Deus malum.
Omnis est boni architectus & simul parens Deus.
Qua Dei sunt cuncta habebis, quisquis ipsum habet Deum.
Quamlibet cor durum, emollit cum Dei cult gratia.
Sint licet Dei favontes spissè id ipsum fit tamen.
Tam facit Deus bene urbi parvulæ quam maxima.

¶ Jambica.

Æquè benignum se exhibet cunctis Deus.
Auctor boni est, haud auctor est mali Deus.
Deo adsident hinc Justitia, hinc Clementia.
Etsi propitij, sunt tamen lenti Dei.
Omnis Deum benignitas spontanea est.
Plerumque homini Deus occultè facit bene.
Plus nos amat Deus, pater quàm filium.
Se gratia una præbet omnibus Deus.

Dei Cognitionis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus:* Cognitionem sui Deus hominibus jam inde ab initio indidit; non è supernis emittendo vocem, sed quod illos voce validius illicere poterat, mundi creatione in medium proposita. quemadmodum & propheta inquit, Cœli enarrant gloriam Dei. Quid enim eo die dicent gentiles? te ignoravimus? Jtáne verò non exaudiistis cœlum, vocem ab aspectu emittens? non exaudiistis compositam rerum omnium harmoniam tuba illustriùs clamantem? noctis ac diei leges non perspicitis perpetuò statas, atque immobiles? hyemis, veris, cæterorumque anni temporum compositum ordinem, firmum & immotum? maris clementiam, idque in tanta fluctuum conturbatione? denique omnia ordinem servantia, eademque tum à pulchritudine, tum à magnitudine ipsum opificem veluti præconio annunciantia? *Homilia 3. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Ad perfectam & accuratam Dei cognitionem nihil æquè est inutile quàm arrogantia & affixum esse divitiis. efficiunt enim ut in admiratione, habeant præsentia, & futurorum nullam habeant rationem, & aures obstruant propter curarum multitudinem. *Homilia 5. ad Corinthios 1.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Christus & Apostoli: De necessitate hujus cognitionis vide *Ioann. 17. 3.* in quo sita sit, *1. Ioan. 2. 4.* ejus amplitudo sub regno Christi, *Heb. 8. 11.* vera & solida, *Matth. 11. 27. Ioann. 14. 7. 2. Corinth. 4. 6.* quibus sit concessa, Matth. 11. 27. & 18. 11. & *Ioan. 5. 20.*

ejus

eius effectus, 1. *Corinth.* 8. 2. & 14. 25. in quo sita sit cognitio Christi, *Ioan.* 7. 17, & 14. 7. *Ephes.* 4. 20. 1 *Ioan.* 2. 3. & 3. 6. eius progressus *Ephes.* 4. 11. 12. 13.

Naaman Syrus: Lepra sua per Dei gratiam ad verbum Elisæi Prophetæ mundatus, & ad Prophetam reversus, stans coram eo dixit, *Ecce jam novi nullum esse Deum in tota terra nisi in Israele.*

Item. *Detur quæso servo tuo duorum mulorum onus è terra: non enim est facturus amplius servus tuus holocaustum aut sacrificium diis alienis, sed Iehovæ. 2. Reg.* 5. 15. 17.

Basilius: Cognitio, inquit, quæ ab hominibus capitur crebro usu & exercitatione fit perfectior: ea autem quæ per Dei gratiam animis nostris ingeneratur, justitia, placabilitate & misericordia. Prioris ii qui perturbationibus obnoxii sunt possunt fieri participes: posterioris autem illi soli qui sunt ab omni perturbatione liberi, vacuique: quique, dum in precibus defixi sunt, propriam mentis lucem, quæ ipsos illuminat, contemplantur. *Socrat. histor. Eccl. lib. 4. cap. 18.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Iulianus Martyr. Si cognitionis præstantiam ab objecto metiri necesse est, ut tradunt Philosophi: ecquis eam COGNITIONEM nobilissimam negaverit, quæ circa nobilissimum ens, quale est DEUS, versatur? Haud ignorabat id IULIANUS: non Apostata ille, sed Christi Martyr illustris, cuius invictum animum cum emollire verbis Martianus non posset, diceretque: Extendatur ad verbera, ut vel sic eius stultitia omnibus innotescat: *Non est*, inquiebat, *stultitia Deum nosse, sed gloria. Sur. tom. 1. in vita.*

S. Polyeuctus Martyr. Ejusdem & ævi & animi POLYEUCTUS. de cujus conversione cum Paulina uxor quæreretur, ac præsertim quod 12. idola sua comminuisset; eam suaviter irridens, *Si solus*, ait, *deos tuos duodecim vici & contrivi, ecce duorum egena es. Adesdum ergo mea conjux, & fave Deum verum cognoscas.* Maximum (ut verè etiam erat) beneficium se conjugi præstiturum existimabat, si eam ad veri Dei notitiam capessendam valeret inducere. *Sur. ibid. in vit.*

Hugo de S. Victore: Hujus item memorandam sententiam silentio præteriisse, nefas. utpote à cuius ore profectum aliquando: *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia; sic nullum esse debet momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse. Lib. 1. de Claust. animæ.*

¶ Monosticha Trochaica.

De Deo loqui etiam quæ sunt vera ingens periculum est.
De Deo nihil dicas quod non didiceris à Deo.
Demonstrationes poscere à Deo plus quam impium est.
Magnitudinem qui nosse se putat Dei, atterit.
Me Deus, Fatumque, quo sum destinatus, ducite.
Multis de Deo ut verbis, est Dei ignorantia.
Nec sibi negotium parit Deus, nec alteri.
Ne quidem ullus Barbarorum est, qui non agnoscat Deum:
Nil quam honesta cogitare de Deo æquum est ac loqui.
Non curare Deos opinor quid agat humanum genus.
Qui caret Deo occupatur totus abs insania.
Qui Deos putat, nil sponte fatur impium aut facit.
Quod fore paratum est, hoc summum ex superat Iovem.
Semper idem est, semper eodem sese habet modo Deus.
Si Deum vis nosse, oportet ipse te noscas prius.

¶ Jambica.

Æquum est putare id unum, omnes quidquid colunt.
Deus necesse est sit, de matre qui Dea est.
In omnibus Deus Deis est Iupiter.
Nil humile abjectumq; de se cogitat genus Deum.
Non nosse tantum oportet sed sequi Deum.
Perversa sunt, quæ non sunt à Deo omnia.
Soli sibi tantus quantus est, notus Deus.
Vbique iidem sunt immortales Dei.
Vnum esse oportet quod ferunt homines Deum.

Dei cultus.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Jubemur autem colere & honorare eundem, quem & verbum esse & Servatorem & ducem, habemus persuasum, & per ipsum, patrem, non selectis diebus, ut aliqui alii, sed continenter per totam vitam hoc agentes, & modis omnibus. Certè genus electum, per præceptum justificatum, Septies, inquit, laudem dixit tibi. Unde nec in definito loco, neque in templo selecto, neque diebus aliquibus festis & præstitutis, sed per totam vitam is qui est præditus cognitione, in omni loco, etiam si per se sit solus, & si habuerit aliquos qui similiter crediderunt, Deum honorat, hoc est, agit gratias propter rectæ vitæ cognitionem. Si autem alicuius boni viri præsentia, propter observantiam & reverentiam eius quod est præstantius, eum qui cum versatur semper format & effingit: quomodo is qui cum Deo semper est præsens, per cognitionem, & vitam, & gratiarum actionem, non jure se melior semper evadat in omnibus & factis & verbis & affectionibus? Talis est is cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum: ut cum se absq; eo esse aliquando existimaverit, noctu & interdiu intemperantiæ se dedat & libidini.

Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique & omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, laudantes navigamus, & in omni alio vitæ instituto ut decet ex arte versamur. Propius autem Deo jungitur & familiaris efficitur is qui est cognitione præditus, ut qui simul quidem gravitatem & hilaritatem ostendat in omnibus. Gravitatem quidem, propterea quod ad Deum se convertat: hilaritatem autem, propterea quod humana bona reputet quæ dedit nobis Deus. Videtur autem cognitionis excellentiam Propheta sic ostendere: Benignitatem & disciplinam & cognitionem doce me: augendo amplificans id quod est principale perfectionis. Hic ergo homo qui est vere regalis, hic sacerdos sanctus Dei, quod quidem nunc quoque servatur apud eos qui sunt doctissimi ex barbaris, qui sacerdotale genus provehunt ad regnum.

Hic ergo nequaquam se tradit confusæ turbæ dominæ theatrorum. Quæ autem dicuntur & fiunt & videntur voluptatis illicientis gratia, ne in somnis quidem admittit. Neque has ergo quæ visu percipiuntur voluptates, nec eas quæ in aliis fruendis capiuntur varietates: ut sumptuosos & magnificos suffitus qui odoratum alliciunt, aut condimenta ciborum, & quæ ex variis vinis sentiuntur delitias gustum inescantes: neque odoriferas ex variis floribus contexuras, quæ per sensum animam effœminant: sed honestum rerum omnium usum ad Deum semper referens, & cibi, & potus, & unctionis, universorum datori offert primitias, gratias agens & per donum & unctionem, & per Verbum ei datum: ad convivia es epulas raro veniens, nisi si quod amicitiam concordiamque & consensionem profuturum convivium, ut veniat ei persuaserit. Est enim ei persuasum, Deum omnia scire & audire, nec vocem solum, sed etiam cogitationem. Nam auditus quoque qui fit in nobis per meatus corporeos, non per vim corpoream, sed per quendam sensum animalem & intelligentiam quæ discernit voces aliquid significantes apprehendit.

Non est ergo Deus humana forma præditus, ut audias, neque ei sensibus est opus, ut placuit Stoicis, maxime auditu & visu: non posse enim unquam aliter apprehendere. Sed & aeris ad patiendum facilitas, & acerrimus Angelorum consensus, & vis quæ animæ attingit conscientiam, inexplicabili potestate etiam absque sensili auditione simul cum cogitatione cognoscit omnia. Quod si quis dicat vocem quæ inferius circa aerem voluitur, ad Deum non pervenit: at cogitata sanctorum secant non solum aerem, sed totum mundum. Statim autem vis divina perinde ac lux, totam perspicit animam.

Quid vero, non etiam vota & instituta ad Deum perveniunt, & suam quasi emittunt vocem? an non etiam transmittuntur à conscientia? Quamnam autem vocem expectaverit, qui secundum propositum suum, electum etiam ante nativitatem, & id quod futurum est tanquam quod sit cognovit? An non profundum cujusvis animæ eluceſcere facit lux potestatis, cum penetralia, ut ait scriptura, scrutetur lucerna potestatis? Totus auditus, & totus oculus, est, ut his nominibus utar, Deus. Nullam ergo religionem, nec ullum Dei cultum servat, neque in hymnis, neque in sermonibus, sed neque in scripturis aut dogmatibus, quæ non convenit de Deo opinio, ad humiles & indecoras deflectens notiones & cogitationes: quo fit ut multorum laudatio nihil differat à maledictione, propter veritatis ignorationem. Atque quorum quidem sunt appetitiones, cupiditates, & ut semel dicam, animi impulsiones, eorum sunt etiam precationes. Quamobrem nemo potum desiderat, sed bibere potum: sed nec hæreditatem, verum esse hæredem: ita neque cognitionem, sed nosse: neque rectam rempublicam, sed rempublicam gerere. Eorum ergo sunt precationes, quorum petitiones: & eorum sunt petitiones, quorum sunt cupiditates. Precari autem & appetere fiunt inter se invicem, ad habendum bona & ea quæ adjuncta sunt commoda.

Is itaque qui cognitione tanquam possessione quadam est præditus, & petit & precatur ea quæ sunt vere bona, nempe bona animæ, ipse quoque adjuvans ut perveniat ad habitum bonitatis, ut non amplius habeat bona tanquam aliquas adjunctas disciplinas, sit autem bonus. Quocirca eos maxime decet precari qui Deum norunt ut oportet, & ei rei habent virtutem appositam & consentaneam, qui sciunt quænam sint vere bona, & quæ sint petenda, & quando, & quomodo singula. Est autem extrema inscitia, ab iis qui non sunt dii tanquam à diis petere: aut quæ non sunt dii

tanquam à diis petere: aut quæ non sunt utilia petere, ut illi qui petunt sibi mala quæ visione bona esse apprehendunt. Unde merito cum sit unus bonus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem dari, alia vero permanere, precamur nos & angeli, sed non similiter. Non est enim, petere ut donum permanet, aut ab initio ut id accipiamus contendere.

Quinetiam aversio & depulsio malorum, est species precationis. Sed ea precatione nunquam est utendum ad damnum hominum, nisi justitiæ curam gerens hoc moliatur is qui est cognitione præditus, & dispenset hanc petitionem iis qui mali sensum exuerunt.

Est ergo ut audacius dicam, precatio, cum Deo conversatio, & collocutio. Quare licet susurrantes, & nec labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Omnem enim intrinsecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuò. Ea caput & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus in ultima acclamatione orationis, promptitudine & alacritate spiritus assequentes essentiam quæ apprehenditur intelligentia: & una cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam & elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes. Scimus enim optime, eum qui est præditus cognitione, totum mundum lubenter transmittere, ut certè Junæi Ægyptum, ut aperte ostendat, se Deo quamproximum esse futurum.

Quod si nonnulli certas ac definitas horas constituunt precationi, ut verbi causa, tertiam, sextam, nonam: at is qui est cognitione præditus, per totam orat vitam, dum per preces suas cum Deo studet versari. Reliquit autem, ut semel dicam, omnia quæ non sunt utilia, cum eo jam pervenerit, ut jam hinc acceperit consummationem eius quod agitur ex charitate. Jam vero triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt qui norunt beatam sanctarum mansionum trinitatem.

Idem post: Quemadmodum quicquid vult potest Deus, ita quicquid petierit is qui est cognitione præditus, id accipit. Omnino enim novit Deus eos qui bonis digni sunt, & qui non. Unde dat ea quæ singulis conveniunt. Quamobrem indignis, etiamsi sæpe petierint, non dabit: dabit vero iis qui sunt digni. Neque superflua tamen propterea est petitio, etiamsi absque petitione dentur bona. Siquidem & gratiarum actio, & petitio eorum quæ pertinent ad conversionem proximorum, est opus eius qui est præditus cognitione: qua quidem oratione oravit quoque Dominus, gratias quidem agens propter ministerium, rogans autem ut in cognitione essent quamplurimi, ut in iis qui salvi fiunt, per salutem ex agnitione Deus glorificetur, & qui est solus bonus & qui Solus servator, per filium ex seculo in seculum agnoscatur. Quanquam fides quoque qua quis credit acceperum esse se quod petit, precatio est, quæ in animo, ut dignum est cognitione, est reposita.

Cæterum si conversationis cum Deo, occasio est precatio, accedendi sane ad Deum nulla est prætermittenda occasio. Ejus certe qui est præditus cognitione, sanctitas connexa cum beata providentia, per spontaneam confessionem, ostendit perfectum Dei beneficium. Est enim veluti quædam mutuo respondens providentiæ cura, sanctitas ejus qui est præditus cognitione, & reciproca amici Dei benevolentia. Neque enim Deus invitus est bonus, quomodo ignis est præditus vi calefaciendi. Est ei autem voluntaria bonorum impertitio, etiam si anticipet petitionem. Neque vero invitus salvuus erit is qui fit salvus: (non est enim inanimus,) sed omnino voluntarie & libero animi arbitrio contendet ad salutem. Quocirca præcepta quoque homo accepit, ut qui ex se moveri & incitari possit ad utrum velit ex iis quæ sunt eligenda & fugienda. Non facit ergo Deus bona ex necessitate, sed libera voluntate bene facit iis qui ex se convertuntur. Non est enim servilis quæ ad nos venit divinitus, tanquam à deterioribus ad meliores procedens, providentia. Ex miseratione autem nostræ imbecillitatis, exercentur quæ proximæ ac continentes providentiæ dispensationes: sicut etiam pastores ovium curam gerunt, & Rex eorum qui ejus parent imperio, & nos paremus præfectis nostris, qui eos regunt qui sunt eis commissi, eo ordine qui fuit eis traditus à Deo.

Dei ergo sunt servi & cultores, qui liberalissimum & maxime regalem cultum exhibent, qui fit per piam ac religiosam mentem & cognitionem. Est ergo omnis quoque locus vere sacer, in quo Dei accipimus notionem & cogitationem, & tempus. Quando autem is cujus est bona mens, & bonum animi institutum, & qui est gratus, petit per orationem, nonnullam aliqua ex parte ipse fecit opem; lubenter per ea quæ flagitat precibus, accipiens id quod desiderat. Quando enim nostram bonam animi propensionem acceperit is qui est dator bonorum, eius conceptionem omnia simul bona consequuntur. Certe per orationem examinatur modus, quomodo se habeat ad id quod oportet. Si autem vox & dictio nobis data est causæ intelligentiæ, quomodo non ipsam animam & mentem Deus exaudit, cum jam certe anima animam, & mens mentem exaudiat? Unde loquaces Deus linguas non expectat, ut hominum interpretes, sed cognoscit omnium, ut semel dicam, mentes. & quod nobis vox significat, hoc Deo nostra loquitur cogitatio, quam etiam ante creationem sciebat esse venturam in mentem. Licet ergo etiam absque voce emittere rationem, modo quis quicquid est intrinsecus spirituale, intendat in vocem quæ mente percipitur, per individuam ad Deum conversionem.

Quoniam autem diei natalis imago est Oriens, atque illinc quoque lux augetur quæ primum illuxit ex tenebris, iisque quæ volutantur in ignoratione exortus est dies cognitionis veritatis quemadmodum sol oritur, ideo ad ortum matutinum habentur preces. Unde etiam templorum antiquissima, respiciebant ad Occidentem, ut qui vultu stant ad imagines converso, doceantur verti ad Orientem. Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo: elevatio manuum meatum sacrificium vespertinum, ajunt Psalmi. Sceleratis ergo hominibus oratio, non solum in alios, sed etiam in seipsos est pernicioſissima: Siquidem etiamsi quæ fausta & prospera dicunt, postquam petierint, acceperint, ipse hæc lædunt eos qui acceperunt, ut qui sint usus eorum nescii. Orans siquidem ut ea possideant quæ non habent bona, atque quæ videntur bona, non ea quæ sunt petunt. Qui autem est cognitione præditus, eorum quæ possidet stabilitatem, ad ea autem quæ eventura sunt aptitudinem, eorum autem quæ est accepturus, petet æternitatem. Quæ autem vere sunt bona quæ versantur in animo, ea ut & sint sibi & permaneant precatur: neque aliquid ex iis quæ absunt desiderat, contentus præsentibus. Neque enim est propriis bonis defectus, cum satis jam sibi sit ex divina gratia & cognitione. Sed cum suis quidem sit contentus, aliis autem non egeat, omnipotentem autem cognoscat voluntatem, & simul habeat & precetur, maxime autem omnipotenti adhæreſcat potentiæ, studens esse spiritalis, per indefinitam charitatem, est unitus Spiritui. Sic magni est & excelsi animi, qui id quod est omnium præstantissimum, quod omnium optimum, possidet per scientiam, & facile quidem movetur & applicatur ad contemplationem: eorum autem quæ cadunt in contemplationem, in anima vim habet permanentem, hoc est, perspicacem scientiæ acrimoniam.

Hanc autem ut possideat potestatem quam maxima vi contendit: eaque quæ cum mente pugnant in potestate habet sua, & in contemplatione quidem perpetuo residens, & in ea se exercens exercitatione quæ ab iis quæ sunt jucunda se abstinet, & ea quæ sunt facienda recte gerit, magna præterea utens experientia tam in doctrina, quam in iis quæ ad vitam pertinent, habet dicendi libertatem, non vim effrænatæ linguæ, sed vim & facultatem quæ simplici utitur oratione, nihil eorum quæ, conveniente tempore dici possunt, & de quibus maxime dicendum est pro dignitate, celans neque propter gratiam, neque propter timorem. Quæ ergo ea quæ ad Deum spectant, ab ipso mystico veritatis accepit choro, oratione quæ virtutis ostendit magnitudinem, quemadmodum & dignum est, quæque ad eum spectant, demonstrans, cum excelso quodam quem precatio suppeditat animo, utitur, iisque quæ mente sola concipiuntur & spiritu per cognitionem quasi copulatur. Quo fit ut sit semper benignus, mansuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus, bona præditus conscientia. Idem est non solum rigidus & austerus ad hoc ut non corrumpatur, sed etiam ad hoc ut non tenetur. Nunquam enim animum, voluptati aut dolori submittit, aut ab eis expugnatur. Judex, si vocet ratio, immobilis, animi motibus nihil penitus largiens, immutabiliter qua justum habet profiscisci, ingrediens, persuasum habens omnia pulcherrime administrari, quæque virtutem elegerint, semper in melius proficere, animas, donec ad ipsum bonum venerint, ut quæ in vestibulis, ut semel dicam, patris, magno pontifici propinquæ evaserint.

Hic ergo tali cognitione præditus, quique est fidelis, & cui est persuasum quæ sunt in mundo optime administrari, æquo certe fert animo omnia quæ eveniunt. Merito ergo nihil ex iis quæ ad vitam pertinent, ad usum necessarium requirit: ut cui sit plane persuasum, quod qui omnia novit Deus, id quod est utile suppeditat bonis etiam non petentibus. Sicut enim artifici artificiose, & gentili gentiliter: ita etiam ei qui est cognitione præditus, ex cognitione præbet singula. Et qui ex gentibus quidem convertitur, fidem: qui autem ascendit ad cognitionem, charitatis petet perfectionem. Qui autem ad summum jam pervenit cognitionis gradum, precatur ut contemplatio augeatur & permaneat: sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Jam vero petet etiam ut à virtute nunquam excidat, maxime adjuvans & dans operam ut perpetuo maneat ejusmodi ut non possit excidere. Novit enim aliquos quoque ex Angelis, propter socordiam humi esse lapsos, quod nondum perfecte ex illa in utramque partem proclivitate, in simplicem illum atque unicum expediissent se habitum. Ei vero qui ex hoc loco, ad summum cognitionis gradum, & extremam viri perfecti se exercuit sublimitatem, omnis, & locus succurrit & tempus, postquam semel sine ullo lapsu vitam transigere elegit, seque in eo firma semperque intenta mentis stabilitate cœpit subigere. Quibus autem gravis aliquis adhuc relinquitur angulus deorsum vergens, una quoque detrahitur id quod per fidem sustollitur.

Ei ergo qui exercitatione, profecta ex cognitione, paraverit virtutem quæ non potest amitti, efficitur naturalis habitus. Et sicut lapidi gravitas, ita hujus scientia evadit hujusmodi ut amitti non possit: nec invito, sed sponte, vi rationis & cognitionis atque

provi-

providentiæ, eo deducitur ut non amittatur. Quippe cavendo eo deducitur ut amitti non possit. Cognitio autem videtur bonam præbere considerationem, docens perspicere ea quæ possunt adjuvare ad hoc ut virtus permaneat. Res est ergo maxima Dei cognitio: quocirca ea quoque ita conservatur virtus ut amitti nequeat. Qui autem Deum novit, est sanctus & pius: qui est ergo cognitione præditus, cum solum esse pium & religiosum jam probatum est. Isque gaudet quidem de bonis præsentibus: lætatur autem propter ea quæ sunt promissa, tanquam jam præsentia. Neque enim eum latent tanquam adhuc absentia, propterea quod qualia sint jam ante cognoverit. Cognitione ergo persuasus, quale sit unumquodque ex futuris, hoc possidet. Quod enim est mancum ac defectum, pro cujusque ratione metiendum est. Si ergo possidet sapientiam, & est res divina sapientia: qui est particeps ejus quod non indiget, non erit indigens. Non enim sapientiæ communicatio fit dum se invicem movent & retinent operatio & id quod participat: neque dum aliquid aufertur, aut fit alicujus indigens. Ostenditur ergo minui non posse operationem per ipsam communicationem.

Sic ergo habet omnia bona is qui cognitione præditus, potestate: sed nondum etiam numero, nam alioqui dimoveri non posset, quod attinet ad divinos qui debentur profectus & administrationes. Hunc quoque Deus adjuvat, propinquiore honorans curatione. An non enim bonorum virorum gratia, & ut ea possiderent, & illis usui, vel potius saluti essent, omnia facta sunt? Non ergo eis aufert ea quæ sunt propter virtutem, propter quos sunt quæ facta sunt. Clarum est enim quod bonam ipsorum naturam & sanctum institutum honorans, iis qui bene vivere constituerunt, vires inspirat ad reliquam salutem: alios quidem solum adhortans, aliis vero qui ex se digni evaserunt opem ferens. Est enim omne bonum ejusmodi ut adnascatur ei qui est præditus cognitione: siquidem ei est finis scire & facere scienter unumquodque. Quemadmodum autem medicus præbet sanitatem iis qui ei opem ferunt ad sanitatem: ita etiam Deus æternam salutem iis qui opem illi ferunt, & cum eo cooperantur ad cognitionem, & ad bonas actiones. Cum autem simul cum eo quod facimus, in nostra sint potestate ea quæ præcepta imperant, perficitur quoque promissio.

Ac mihi videtur illud quoque recte dici apud Græcos. Athleta quidam non ignobilis nec pusilli animi inter veteres, cum longo tempore corpusculum exercuisset ad fortitudinem, petens Olympia, cum Pisani Jovis aspexisset statuam: Si omnia, inquit, ô Jupiter, mihi recte parata sunt ad certamen, meritò mihi redde victoriam. Sic enim cum is quoque qui est cognitione præditus, citra reprehensionem & cum bona conscientia, quod ad se attinet, omnia impleverit, & ad doctrinam, & ad exercitationem, & ad bonorum operum effectionem, & ad hoc ut Deo sit gratus & acceptus, id omne, salutem deducit ad perfectionem. Hæc ergo à nobis exiguntur quæ sita sunt in nostra potestate; & eorum quæ ad nos pertinent tam præsentium quam absentium electio, & desiderium, & possessio, & usus, & permansio. Quocirca vere puram & immaculatam oportet habere animam, cum qui cum Deo conversatur, ut seipsum bonum perfecte efficiat: sin minus, proficiat ad cognitionem, & eam desideret, à vitii autem operibus omnino sit separatus. Quinetiam decet eum omnes preces & probe facere, & cum probis. Est enim lubricum ac periculosum cum peccatis aliorum communicare. Una ergo cum iis qui recentius crediderunt, is qui est cognitione præditus, de iis precabitur de quibus una etiam agere convenit. Universa autem ejus vita, tanquum quidam celebris ac sanctus dies festus est.

Atque ei quidem sacrificia, sunt ipsæ preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt scripturarum lectiones: psalmi autem & hymni, dum cibus sumitur: antequam autem eatur cubitum, sed & noctu, rursus orationes. Per eas seipsum unit choro divino, ex memoria continua, in memoriæ æternæ positus contemplatione. Quid vero, non aliud quoque sacrificium, nempe dogmatum & pecuniarum in egenos largitionem, cognoscit? Maxime. Sed nec ea quæ fit ore utitur verbosa precatione, ut qui quæ petere à Domino oporteat, didicerit. In omni ergo loco orabit, sed non ut aperte populo appareat. Quin vero & inter ambulandum, & in sermone & quiete & lectione, & iis quæ fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin si in ipsius animæ penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit: ille prope adest eo adhuc loquente.

Cum sint autem tres fines cujusvis actionis, propter id quidem quod est bonum & utile omnia operatur: voluptatis autem causa aliquid agere, his relinquit qui vulgarem vitam sequuntur. Longe autem abest ut qui in tali pietate probatur & dijudicatur, sit ad mentiendum propensus & ad jurandum: est enim jusjurandum confessio definitiva cum divina assumptione. Qui est autem semel fidelis, quomodo seipsum infidelem præbuerit, ut etiam opus habeat jurejurando, & non ita vitam instituat, ut ea sit firmum ac definitum jusjurandum, fidemque ostendat confessionis in constanti stabilique vita & sermone? Si autem in judicio ejus qui facit & loquitur positum est facere injuriam, non in perpessione ejus qui patitur persecutionem, neque mentietur, neque pejerabit, ut qui Deum afficeret injuria, cum eum sciat natura esse hujusmodi ut minime lædi possit. Sed neque propter proximum mentietur, vel aliquid transgredietur, quem didicit diligere, etiamsi non sit familiaris.

Propter seipsum autem multo minus aut mentietur, aut pejerabit, siquidem nunquam sua sponte in seipsum injustus invenietur. Sed neque jurat, ut qui in affirmatione quidem, Ita vel Est: in negatione autem, Non, usurpare constituerit. Jurare enim est jusjurandum, vel tanquam jusjurandum, mente conceptum proferre affirmative. Sufficit ergo ei vel affirmationi vel negationi addere illud, Vere dico, ut fidem iis faciat, qui responsi ejus non perspiciunt stabilitatem. Oportet enim eum habere, ut ego quidem existimo, apud externos quidem vitam fide dignam, ut ne postuletur quidem ab eo jusjurandum: apud seipsum autem & qui cum eo conversantur, animi æquitatem, quæ est justitia voluntaria. Jam vero recte & vere jurat, licet proclivis ad jurandum est is qui est præditus cognitione, qui raro quidem accedit ad jurandum, sed ita ut diximus. Quanquam ut sit verax in jurejurando, fit ex ea quam cum veritate habet consensione. Hoc ergo fit, quatenus quis se recte gerit vulgo in officiis.

Cur non ergo est opus jurejurando ei qui ita vivit ut jam pervenerit ad summum veritatis? Nam qui ne jurat quidem, multum abest ut sit pejeraturus: qui autem nihil transgreditur ex iis quæ pacta & conventa sunt, is nunquam juraverit: cum transgressionis & perfectæ observationis in factis alia sit ei confirmatio: sicut certè mentiri & pejerare, in dicendo & jurando, est præter officium. Qui autem juste vivit, nihil ex iis quæ decet fieri transiliens, ubi examinatur judicium veritatis, is factis vere & sancte jurat. Est ergo ei superfluum linguæ testimonium.

Cum ergo sit ei semper persuasum Deum esse ubiqui, & erubescat non verum dicere, & falsum dicere cognoscat se esse indignum, divina & sua ipsius contentus est conscientia: & ideo non mentitur, neque præter pacta conventa facit aliquid. Ea ratione neque jurat, si fuerit rogatus: neque unquam negat, ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.

Præditi autem cognitione dignitatem, maxime auget & amplificat, qui aliorum docendorum susceperit præfecturam, ut qui maximi quod est in terris boni dispensationem & verbo & facto acceperit, per quam tanquam mediator hominem cum Deo conjungit. Sicut autem qui res terrenas colunt ac venerantur, precantur imagines perinde ac si audiant, firma ac stabilia ducentes pacta conventa quæ eis fiunt authoribus: ita in animatis imaginibus, scilicet hominibus, vera verbi magnificentia à fide digno magistro accipitur: & quod in eos confertur beneficium, refertur ad ipsum Dominum, ad cujus imaginem docens is qui revera est homo, fabricat & componit, ad salutem renovans, hominem catechumenum. Quomodo enim ferrum Martem Græci appellant, & vinum Bacchum, aliqua relatione: ita is qui est præditus cognitione, proximorum utilitatem propriam salutem existimans, merito dicetur Domini imago animata, non quo ad formæ proprietatem, sed quo ad symbolum signumve potestatis, & similitudinem prædicationis.

Quicquid habet in mente, id etiam fert in lingua, apud eos qui digni sunt audire, ex assensione & certa sententia simul dicens & vivens. Vera enim simul sentit & dicit, nisi quando loco medicinæ, ut medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborant salutem, mentietur, aut falsum dicet, ajunt Sophistæ. Ecce enim Timotheum præclarus circumcidit Apostolus, cum vociferaretur & scriberet circumcisionem manu factam nihil prodesse: sed ne repente à lege avellens ad eam quæ est ex fide cordis circumcisionem, adhuc reluctantes eos qui audiebant Hæbræos, à synagoga se cogeret distrahere, se Judæis accommodans, factus est Judæus, ut omnes lucrifaceret.

Qui ergo propter proximorum salutem quibus se accommodat, se demittit, is nullius simulationis omnino cogitur esse particeps ob periculum quod imminet justis ab iis qui eis invident. Propter solam autem propinquorum utilitatem, faciet quædam quæ primario non fierent ab eo, si non faceret illorum causa. Is enim seipsum tradit pro Ecclesia, pro familiaribus quos ipse in fide genuit, in exemplum iis qui possunt susceipere summam œconomiam, benigni & pii doctoris, ut ostendat verborum veritatem ad operationem charitatis in Dominum. Is est ejusmodi ut à timore non redigatur in servitutem, verus in sermone, tolerans in labore, nec in ea quæ profertur oratione volens unquam mentiens, & in ea se semper ita gerens ut non peccent: quandoquidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium.

Vndique ergo veritati testimonium fert is solus qui est cognitione præditus, & facto, & oratione: semper enim in omnibus omnino se recte gerit, & in sermone, & in actione, & in ipsa cogitatione. Hæc ergo est, ut obiter dicam, Christiani pietas & religio. Si hæc facit ut dicit, & convenienter rectæ rationi,

pie

pie facit & justè. Si hæc autem ita se habent, solus revera erit pius, justus, religiosusque ac verus Dei cultor, is qui est cognitione præditus. Non est ergo Christianus impius (hoc enim fuerat propositum ostendere philosophis) quare nullum malum vel turpe, quod est injustum, nullo modo unquam operabitur. Consequenter ergo nec se gerit impiè, sed vel solus piè sanctè Deum colit, eum, inquam, qui vere est Deus, princeps, & Rex omnium, & omnipotens, ex vera religione purè & castè colens. *lib. Stromat. 7.*

¶ Philosophorum.

Xenophon: Equidem, mi pater, inquit, ut Dii propitii consulere nobis velint, pro virili mea id quod mones, procurare non desinam. Etenim audire aliquando ex te memini, non abs re illum & à diis & ab hominibus aliquid facilius impetrare, qui non angustis in rebus aduletur, sed fortuna maxime prospera, maxime Deorum meminerit. Ajebas & amicorum curam eodem modo habendam. Ergo jam, inquit, libentius Deos accedis imploraturus, filii, propter studia in eis colendis tua: & futurum etiam speras, ut magis ea, quæ petieris, impetres: quando sic tibi conscius esse videris, ut qui numquam in eorum cultu negligens fueris. Omnino, mi pater, respondit Cyrus, sic adfectus sum, ut me diis carum esse sperem. *cap. 36. lib. 1. Cyropæd.*

Xenophon: Perspicuum ac notum est, tam Græcos quam barbaros existimare, deos universa tum præsentia, tum futura scire. Omnes certe tum civitates, tum nationes, per divinationem consulunt deos, quid faciundum, quid omittendum sit. Etiam nos illa patet esse in sententia, quod dii nobis tum commodare, tum incommodare possint. Nam deos precantur universi, ut mala quidem avertant, bona vero largiantur. Hi ergo dii, qui omnia norunt, & possunt omnia, tam mihi sunt amici: ut quia sum ipsis curæ, numquam meæ res eos fugiant, neque noctu, neque interdiu, neque quo pergam, neque quid suscepturus sim. Et quia prospiciunt, quinam cujusque rei futurus sit eventus: missis nuntiis, ominibus, somniis, auguriis, quid faciundum, quid omittendum sit mihi significant. Eis quum obtempero, non illius umquam me pœnitet; & quia morem aliquando non gessi, pœnas dedi. Tum Socrates: Nihil horum, inquit, est incredibile: verum hoc equidem scisciari lubens velim, qua ratione colas eos, ut tam amicos habeas. Vili profecto, inquit Hermogenes. Quippe nullum sumtum faciens, eos laudo, & de iis, quæ dederunt, vicissim præbeo; quantumque possum, pie loquor: & quibus in rebus eos testes cito, in iis volens equidem numquam mentior. Profecto, ait Socrates, si quum talis sis, amicos eos experiris: etiam Deos par est credere, virtute ac honestate delectari. *cap. 19. Conviv.*

Lucianus: Enimvero quæ stulti homines factitant in sacrificiis, in diebus festis, in Deorum supplicationibus, & quæ petunt, & quæ precantur, & quæ de ipsis sentiunt, equidem haud scio sit ne aliquis usque adeo tristis & mœstus, quin risurus sit perspecta eorum quæ fiunt, absurditate. At multo antequam ridere incipiat, illud, opinor, secum expendet utrum pios istos appellare conveniat, an contra Diis inimicos ac infœlices: qui quidem tam humile, atque ignobile numen existimant esse, ut humanis obsequiis egeat, & adulatione gaudeat, & se negligi doleat. Nam Ætolica illa mala, & Calydoniorum calamitates, & tot cædes, & Meleagri interitum, hæc omnia dicunt esse Dianæ opera, quæ graviter ferret, se ab Oeneo ad sacrificium non fuisse adhibitam: usque adeo alte dolor hic animo illius insederat, quod sacris epulis fuisset frustrata. Et mihi videor vidisse ipsam in cœlo tunc solam, reliquis Diis ad Oenei convivium profectis, graviter ferentem, ac miserabiliter ejulantem quod ab ejusmodi sacris esset abfutura. Contra vero Æthiopas & fortunatos, & ter beatos quispiam dixerit, si gratiam ipsis referat Jupiter, quam initio Homericæ poëseos in ipsum contulerunt, quem perpetuos duodecim dies epulis exceperunt, idque secum adductis etiam Diis aliis.

Ita nihil, ut apparet, gratis faciunt, quicquid illi faciunt: sed bona vendunt hominibus, & ab illis emenda sanitas, forte bucula divitiæ, quatuor bobus, regnum, hecatomba, præterea incolumis à Troja in Pylum reditus, novem tauris: & ex Aulide in Ilium navigandi facultas regia puella: nam quidam alius, ne tunc urbs caperetur, à Minerva bobus duodecim erat mercatus, & peplo. Verisimile est autem multa esse apud illos & gallo, & corolla, & thure solo venalia. Quæ cum sciret Chryses, utpote sacerdos, & senex, & rerum divinarum peritus, posteaquam re infecta rediisset ab Agamemnone, tanquam qui prior Apollini gratiam esset fœneratus, expostulat, & vicem repetit, nec solum conviciatur, quum dicit, Ego optime Apollo tuum templum cum id temporis non esset coronatum, sæpe coronavi, torque taurorum, & caprarum coxas in aris adolevi, at tu, me hujusmodi injuriis affectum negligis, & de te benemeritum nihili facis. Itaque sic illum hac oratione exoravit, ut protinus arrepto arcu & sagittis, se super navium statione collocans, pestem in Græcos ne omissis quidem mulis & canibus, jacularetur.

Sed quoniam Apollinis semel memini, alia præterea volo dicere, quæ sapientes illi de ipso tradunt: non quam insœlicem maritum, non Hyacinthi cædem, neque Daphnes despicationem: sed ut ob Cyclopes interfectos damnatus, & in exilium pulsus fuerit. Propterea in terram humana sorte usurus, è cœlo est demissus. Ut etiam in Thessalia apud Admetum mercenariam operam locarit, & in Phrygia apud Laomedontem, atque apud hunc quidem haud solus, verum cum Neptuno cum ambo egestate pressi lateres fingerent, & in construendis mœnibus operam præstarent, nec mercedem integram ab illo Phryge retulerint, sed illis de summa plus quam triginta drachmas Trojanas adhuc ut ajunt, debeat.

Annon hæc in Deorum honorem fabulantur poëtæ: atque his etiam multo diviniora de Neptuno, Prometheo, Saturno, Rhea, denique de universa ferme Jovis familia? idque Musis in exordio invocatis ut canentibus adsint, à quibus tanquam numine afflati, ut consentaneum est, canunt ut Saturnus statim execto patre Cœlo, inibi regnarit, & liberos devorarit, quemadmodum Argivus ille Thyestes.

Utque Jupiter à Rhea furtim occultatus, supposito lapide, in Creta sit expositus, & à Capra educatus, ut Telephus à cerva, primusque Cyrus Persa à cane. Deinde ut expulso patre, & in vincula conjecto, imperium ipse obtinuerit, aliasque complures uxores duxerit, postremam vero Junonem sororem, idemque juxta Persarum, & Assyriorum leges: atque in amorem propensus & in venerem effusus, liberis cœlum facile implerit: quorum alios ex ejusdem sortis deabus, alios ex mortali, terrestrique genere nothos procrearit generosus ille, modo in aurum, modo in taurum, modo in cyanum, aut aquilam conversus, ac denique ipso Proteo mutabilior.

Solam autem Minervam è suo ipsius capite progenuerit sub ipso cerebro plane conceptam. Nam Bacchum imperfectum adhuc ut ajunt, è matre etiamnum conflagrante surreptum, in suum femur illatum defodit: deinde urgente partu exercuit.

His autem similia etiam de Junone canunt, nempe hanc citra virilem congressum, subventaneo conceptu gravidam puerum edidisse Vulanum, eum non valde fortunatum, sed fornacarium, & fabrum ærarium, ignipotentem, & in fumo perpetuo viventem, & scintillis oppletum, ut pote qui circa caminos versatur: tum etiam ne pedibus quidem integrum, cum enim claudicare à casu, ex quo à Jove de cœlo deturbatus est: ac nisi pro sua beneficentia Lemnii, cum dum adhuc ferretur in aëre, suscepissent, perierat nobis Vulcanus, non aliter quam à turri dejectus Astyanax.

Verumenimvero toleranda videntur, quæ de Vulcano narrant. Sed quis nescit qualia passus sit Prometheus, propterea quod humanæ gentis supra modum amans fuerit. Hunc enim in Scythiam deductum Iupiter in Caucaso cruci suffixit, adhibita aquila quæ jecur ipsius quotidie pertunderet. His igitur pœnas expendit.

Porro Rhea (nam hæc pariter sunt referenda) annon indecorè atque indignè facit? Iam anus cum sit, iisque rebus intempestiva, torque Deorum mater, attamen adhuc pueros amat, eosque zelotypia prosequitur, & secum Attin leonibus vectat, idque cum non amplius usui esse queat. Itaque quinam vitio quis vertat Veneri quod adulteretur, aut Lunæ quod ad Endymionem frequenter è medio cursu divertens descendat.

Sed age missas jam faciamus hasce fabulas, ipsumque cœlum conscendamus, poëtico more subvolantes, ea nimirum via quæ Homero & Hesiodo est eadem: & quo pacto quidque sit apud superos ordinatum, contemplemur. Quod autem forinsecus est æneum, vel ab Homero, qui id ante nostram ætatem dixit, audivimus. Quod si superaveris, & paulum sublato capite, sursum aspexeris, & plane supra dorsum perveneris, & lumen apparet candidius, & sol serenior, & astra fulgentiora: quicquid apparet, dies est, & solum undique aureum. Cæterum ingredienti, primo loco habitant Horæ, etenim portas servant: secundo Iris & Mercurius, ut pote ministri ac Jovis internuncii: deinde Vulcani fabrilis officina, omnigeno referta artificio. Postea Deorum ædes, ac Jovis ipsius regia, quam Vulcanus pulcherrime fabricavit.

At vero Dii Jovi assidentes (convenit enim ut opinor, res supernas verbis extollere) in terram despiciunt, & inclinato capite quoquo versum circumspectant, sic unde subvolantem ignem videant, aut surgentem nidorem, circaque fumum sese rotantem. Ac si quis forte sacrum faciat, epulantur omnes inhiantes fumo, ac muscarum in morem, affusum artis sanguinem bibentes. Si vero domi cibum sumant, nectare & ambrosia victitant. Atque olim quidem etiam homines in convivium & compotationem ab illis sunt adhibiti, nempe Ixion & Tantalus: sed quoniam stuprum moliti sunt, & garruli fuerunt, ob id in hunc quoque diem pœnas luunt: & reliquo mortalium generi inaccessum & abditum est cœlum. Hujusmodi est Deorum vita.

Proinde etiam homines hisce consimilia & congrua in ipsorum cultu sectantur. Ac primum quidem sylvas consecrarunt, montes dedicarunt, suamque cuique Deo plantam assignarunt. Postea per gentes distributos colunt, ac veluti suos cives faciunt: nempe Apol-

linem

tiam Delphi, Deliique : Minervam Athenienſes, quæ vel ipſo Athenes nomine ſe ei reipubl. familiarem eſſe teſtatur, Argivi Junonem, Mygdonii Rheam, Paphii Venerem. Rurſum autem Cretenſes Jovem affirmant non ſolum apud ſe fuiſſe educatum, ſed etiam ſepulchrum eius oſtendunt. At nos interim tam multis ſæculis fallimur, quum exiſtimamus Jovem tonare, pluere, aliaque omnia peragere: noſque illud latuit, eum jam olim fuiſſe defunctum, & apud Cretenſes ſepultum.

Deinde verò fanis in honorem illorum erectis, ne tectis aut penatibus careant, effigies illorum exprimunt, adhibito ad id vel Praxitele, vel Polycleto, vel Phidia. At hi neſcio ubi viſos illos effingant, Jovem quidem barbatum, Apollinem vero ſemper puerum, Mercurium ducentem primam languinem, Neptunum nigro capillitio, cæſiis oculis Minervam. Attamen qui templa ingrediuntur, nec è Thracia effoſſum aurum jam videre ſe arbitrantur, ſed Saturni Rheæque filium à Phidia in terram hoſpitem translatum, & Piſanorum ſolitudinem obſervare juſſum, hoc præmio contentum, ſi quinto quoque anno, præter Olympiorum propoſitum, ipſi quis ſacra faciat.

Tum autem conſtitutis aris, oraculiſque ſeptis, & puris vaſis, victimas adducunt: bovem aratorem agricola, agnum opilio, caprā caprarius: alius thus, aut placentam. Pauper verò Deum, eius tantummodo dextram oſculatus propitium reddit.

Jam verò quum immolant (ad illos enim redeo) coronatam pecudem quæ multo ante, ſit ne ad ſacra legitima explorarunt, ne quam ex his mactent, quas vetet religio, ad aram adducunt & ob oculos Dei jugulant, flebile quiddam emugientem, utque veriſimile eſt, bene ominantem, & jam dimidio vocis ſono rei ſacræ accinentem. Quis non conjiciat Deos hoc ſpectaculo delectari? Quin & pro foribus poſita tabula denunciat, ne quis intra pura vaſa conſiſtat, qui non ſit puris manibus. Tum ipſe ſacrificus ſanguine fœdatus, non aliter quam Cyclops ille pecudem incidit, inteſtina educit, cor avellit, & cruorem aræ circunfundit.

Et quid tandem quod ſit pietatis non peragit? Poſt omnia demum incenſo igni, capram cum ipſa pelle portatam, cumque lana ovem imponit. Nidor interim ille divinus & ſacer ſurſum fertur, & in ipſum uſque cœlum ſubvectus, paulatim diffunditur. Verum Scytha omiſſis omnibus hiſce hoſtiis, ut quas viles exiſtimet, ipſos homines Dianæ mactat, remque gratam Deæ ſic facit.

Hæc quidem fortaſſe modeſta videantur, quæque factitant Aſſyrii, quæ Phryges, quæ Lydi. At ſi in Ægyptum venias: ibi demum, ibi res graves videbis multas, & cœlo revera dignas: puta Jovem arietino vultu: canino Mercurium illum optimum. Panem vero totum hircum, alium etiam Ibin, alium crocodilum, & ſimiam. *Verum ſi diſcendo velis pernoſcere & illa*, complures ſophiſtas audies, & ſcribas, & prophetas qui tibi mento abraſo narrent (Sed prius ut dicunt *Fores occlude Prophane*) nimirum ut ab hoſtibus territi, illamque gigantum rebellionem veriti Dii in Ægyptum venerint, ut illic ab hoſtibus tuti latitarent: ideoque alius ipſorum hircum præ formidine induerit, alius arietem, alius feram, alius avem.

Atque hinc eſſe ut Dii nunc etiam eas obtineant formas, quas id temporis aſſumpſerant. Nam hæc diligenter mandata literis, idque ante annos plus decies mille in adytis poſita ſervantur. Victimæ autem, etiam apud illos ſunt cædem: niſi quod hoſtiam luctu proſequuntur, jamque mortuæ membra circunfuſi laniant, eamque ſoli ſepeliunt, qui occiderunt.

Nam Apis ille qui maximus ipſis eſt Deus, ſi moriatur, quis ſuam cæſariem adeo magni facit ut non detondeat, & nudo capite luctum præ ſe ferat, etiamſi vel purpuream Niſi comam habuerit? Eſt autem hic Apis Deus ex armento jam antea ſuffragiis deſignatus, ut pote multo formoſior ac venerabilior gregariis illis bobus. Hæc quæ ita ſe habent, & à vulgo creduntur, mihi poſtulare videntur, non aliquem à quo reprehendantur, ſed Heraclitum quempiam, aut Democritum: hunc quidem qui eorum rideat amentiam, illum qui deploret inſcitiam. *titulo De ſacrificiis.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

David: Evocatis Sadoco & Ebiatharo ſacerdotibus, ac Levitis nonnullis, edixit eis, *Vos primarij paternarum familiarum inter Levitas, ſanctificate vos ipſos & agnatos veſtros, ut deportetis arcam Iehovæ Dei Iſraelis in locum quem præparavi ei. Quia principio vos non feciſtis hac, irrupit Iehova Deus noſter in nos: cum non requireremus eum ritè.* Itaque ſanctificaverunt ſe ſacerdotes ac Levitæ, &c. 1. *Chron.* 15. 12. 13.

Ezechias Rex: Inito conſilio rex Ezechias Judæis & Iſraelitis indixit Paſcha percurſores cum faſciculis literarum, his verbis, Filii Iſraelis, Convertimini ad Iehovam Deum Abrahami, Iſaaci & Iſraelis, ut convertat ſe ad reliquias, quæ reliquæ vobis factæ ſunt è manu regum Aſſyriæ. Neque eſtote ut patres veſtri, & ut fratres veſtri qui prævaricati ſunt contra Iehovam Deum maiorum ſuorum: quos tradidit deſolationi, quemadmodum videtis. Nunc ne obdurate cervices veſtras, ut patres veſtri: cedite manum Iehovæ, & ingreſſi ſanctuarium eius, quod ſanctificavit in ſeculum, colite Iehovam Deum veſtrum, ut averat ſe à vobis æſtus iræ eius. Nam converſis vobis ad Jehovam, fratres veſtri & filii veſtri conſequentur miſericordiam coram illis qui captivos detinent ipſos, adeo ut reverrantur in terram hanc: nam gratioſus & miſericors eſt Iehova Deus veſter: neque avertet faciem à vobis, ſi convertamini ad ipſum. 2. *Chronic.* 30. 6. 7. *&c.* Quanvis Ezechias non dominaretur in Iſraelitas, quorum pars maxima deducti erant in Aſſyriam & alia loca à terra Cenahani procul diſſita, nihilominus & juris illius antiqui quod Davidis poſteri in totam Abrahami familiam habebant reſpectu, & pii principis, ſubditorum, non modo fidelium ſed etiam rebellium ſalutem promoventis munere fungens, cultum Dei reſtituere in integrum merito conatus eſt.

D. Petrus Apoſtolus: Occurrens ei Cornelius, centurio, & accedens ad eius pedes adoravit. Petrus vero erexit eum, dicens, Surge: & ego ipſe homo ſum. *Act.* 10. 26.

D. Paulus & Barnabas: Quum Lyſtris civitate Lycaoniæ ob miraculum in claudum quendam factum, Lyſtrenſes Paulo & Barnabæ ſacrificare vellent, ſervi Chriſti diruptis palliis ſuis, inſilierunt in turbam clamantes, ac dicentes, Viri, cur ita facitis? nos quoque ſumus homines iiſdem quibus vos affectionibus obnoxii, annuntiantes ut vos à vanis iſtis rebus convertamini ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, &c. *Act.* 14. 14. 15.

Anonymi: Dominicanus quidam magni ob eruditionem nominis, à D. Ludovico Francorum rege in Angliam mittebatur. Is dum Diepæ tempeſtatis cauſa hæreret, & conciones ſacras, in quibus plurimum excellebat pro more haberet, in littore quadam die deambulans, Vetulam conſpicit, quæ altera manu hydriam, altera titionem agitabat. Inſolentiam facti miratus cauſam rogat. Tunc illa, Vtinam mihi, inquit, hac aqua ignem inferni extinguere detur, hoc vero igne Paradiſi flumina exurere. Demirante adhuc magis monacho voti inſolentiam, ſuperaddidit, Ut mortales Deo creatori & redemptori non ſpe præmii, nec metu pœnæ (quorum alterum ſervile, alterum fœneratorium, utrumque certè philautiæ fructus eſt) aſſiduis veſtris conciliis & concionibus adducti, parere diſcerent, ſed ſolius honeſtatis ſtudio, tanquam regem ſubditi, tanquam patrem filii, tanquam Dominum ſervi, tanquam creatorem creaturæ, honorarent, amarent, colerent, venerarentur, potioremque gloriæ eius, quam commodi proprii rationem haberent. Obſtupuit monachus, & Davidis illud præfatus, Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem, A te (inquit) quæcunque es, mulier, id hodierno die didiciſſe me liberè profitebor, quod multorum annorum ſtudio prius mihi ne quidem in mentem venerat. Adeoq; Symboli loco deinceps uſus eſt vetulæ imagine, aquam & ignem prætendentis. *M. Virelli ὑπόμνημα.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aut Deum tecum loquatur, aut loquere ipſe cum Deo.
Delectare vis Deum? eia! redde pro bono malum
Deum haud colit mortalibus qui injurius.
Ex ea quis parte peccat, qua minus colit Deum.
Grata ſunt Deo profecta corde quæ ſunt ſimplici.
Mente honores, voce laudes, operibus colas Deum.
Miſeri Deos colunt, beati non colunt.
Nemo dignus eſt Deo alius, quam qui opes nauci facit.
Nil Deus jubet quod proſit ſibi, ſed illi cui jubet.
Non colit Deos qui adorat, eos qui imitatur is colit.
Non colit qui cœli adorat, ſed profanat ſidera.
Non Deus nobis, egemus ſed mage ipſimet Deo.
Non facit Deos qui fingit: qui colit Deos, facit.
Optimas ſpes ad ſalutem vol sunt qui colunt Deum.
Pectore humano ulla ne ædes eſt Deo incorruptior?
Quæ Deus concedit, haud face: illa quæ jubet face.
Qui Deum ratione humana metitur, Deum negat.
Qui Deum colit repletus perpetim eſt ſpebus bonis.
Quid velit conſiderandum, non quid concedat Deus.
Quid velit Deus videndum eſt: multa concedit mala.
Quis Deum colat, ſi nulla cuſpiam in re ſit bonus?
Quo magis Dij ſunt faventes relligioſius hos colus.
Quo quis eſt amicior Deo ne agit infelicius.
Semper durus eis eſt ipſis quotquot fert oculis Deus.
Tam diu Dei coluntur quam diu ſunt utiles
Tempori loco ve non eſt cultus adſtrictus Dei.

¶ Jamb ica.

Albus color Deo decorus maximè eſt.
Bona repletus eſt ſpe qui Deos colit.
Conſueſce teipſum ſemper reſpicere ad Deum.
Cor non putreſcit, ſi levetur ad Deum.
Cultorem ubiq; reſpicit ſuum Deus.
Cultus Dei merces ſui eſt opimior.
Homines amare, initium cultus eſt Dei.
In ade mentis conſecrandus eſt Deus.
Laudo omne quicquid arripis cauſſa Dei.
Malo abſtinere, cultus eſt Dei unicus.
Miſeris colendos maximè Superos reor:

Nulli

Nullo indiget, quix cuncta possidet Deus.
Primus Deorum cultus, ipsos credere.
Quicunq; lædit hominem non colit Deum.
Quoquo modo posiis, colas ritè Deos.
Rebus secundis maxime colas Deos.
Satis coluit imitatus quisquis est Deos.

Dei dilectionis & honoris.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

S. *Maria Mater Dei*: Præmissa Dei omnipotentia, beneficentiaque, quibus humanum genus ad se trahit, superest de ejusdem etiam erga eum dilectione, cultu, obsequioq; dicamus. Et illa quidem suo exemplo nos docuit BEATA VIRGO: quæ accepto cœlesti nuntio, cum ad montana Elisabetham visendi gratia pergeret, & illa beatam eam diceret, innatæ humilitatis limites non egressa; *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: & exaltavit spiritus meus in Deo salutari meo.* quasi dicat, Tu me beatam prædicas ob beneficia à Deo in me collata: at ego magnis laudibus collatorem ipsum prosequor. instruens nos, si gloriari oportet, in Domino gloriandum. *Luca, cap.* 1.

S. Dorothea Virgo. Et quoniam à fœmina propter eminentem ejusdem excellentiam, vel potius ab omnium fœminarum Principe orsi sumus: dabunt mihi hanc veniam viri, si & alteram ejusdem sexus, & virtutis, eis præponam. DOROTHEAM virginem ferunt, dum à Sapritio tyranno compelleretur, juxta mandatum Principum Augustorumq; suorum diis immortalibus litaret, respondisse: *Deus qui in cœlis est Augustus, ipse imperavit mihi, ut soli sibi serviam. quare videndum, cuinam Imperatori obtemperandum. Sur. tom.* 1.

S. *Fructuosus.* Quod prius fœminarum, nunc virorum exemplis confirmemus. A Galieno Imp. compulsus FRUCTUOSUS, idola venerari: aliàs morte mulctandus. At ille; *Nolo*, inquit, *sacrificare diis Galieni, sed æternum Deum, ac ipsius Cæsaris creatorem colo veneroq;.* Ad quod alludens Prudentius, ita canit:

Iussum est Cæsaris ore Galieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes:
Æternum colo Principem, dierum
Factorem, Dominumq; Galieni.

In vita apud Sur.

S. Eulogius fructuosi Diaconus. Presbyteri sui exemplum EULOGIUS Diaconus imitatus est: qui una cum illo ad martyrii palmam promerendam deductus, cum rogaretur: Numquid & tu Fructuosum colis? respondit: *Non colo Fructuosum, sed eum quem colit Fructuosus*, insinuans, viros sanctos honorandos quidem, quoad etiam hoc carcere mortali detinentur: Deum verò solum adorandum atq; colendum. *Augustinus de diver. serm* 101. *cap.* 2.

S. Thomas Aquinas: Nunc eos percurramus, in quibus mire coruscans Dilectionis erga Deum resplenduit scintilla. Quid enim de THOMA AQUINATE dicam? De quo & illud memoriæ æternæ consecratum, cum Neapoli ad imaginem Crucifixi oraret ardentius, hanc vocem audivisse: Benè scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies? cui ille: *Non aliam Domine, nisi teipsum.* Ea enim amantium natura, velle esse in amato. *Breviar. Rom. 7. Mart. Item in vita.*

S. Ludovicus Episc. Tolosanus. Et ab huius ore quoties ad Regni clavum assidere compelleretur, profecta nobilis illa vox: *Divitiæ meæ Christus, cætera sint cætera. Omnis copia quæ Deus meus non est, mihi inopia est.* Quam merito cum regio Psalte huic canere permissum: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. *Ex membrana vetusta in biblioth. FF. Minor. Lovanij.*

Princeps Anonymus: Lubeat etiam alius ordinis exempla in medium adferre. Principem fuisse accepimus, virum, ut prior ætas tulit, egregiè prudentem & pium. Hic rogatus cur munitas arces suo in regno construi vetaret, in firmum sui suorumq; præsidium; respondit: *Unica mihi arx est, eaq; munitissima: ea videlicet de qua Salomon ait: Turris fortissima nomen Domini: ad quam confugiens iustus liberatur. Georg. Richterus in Axiom. œconom.*

Dux Anonymus. Postulabat Dux Christianus ab Indo Toparcha, cui solerat Deus, expeditum cursorem. quo impetrato: Dic age, inquit, uter vestrum potetior, hic adolescens, an tu? Ego sanè, respondit Toparcha, qui huic ut id præstet, impero. Tum Dux: *Ita tibi de sole sentiendum. Cursorem illum velocissimum, Regis æterni ministrum: quare non ille, sed auctor dominusq; illius adorandus atque colendus.* Placuit Christiani viri dictum, & vere quod intendebat, effecit. *Ios. à Costa, lib. 5. hist. Ind. cap. 5.*

Anus Anonyma: Ingerit se hic nescio quæ ANUS: cuius in vita B. Yuonis celebris mentio. Yuone enim designato Oratore à Ludovico Pio Gall. Rege ad Sultanum Damascenum; accidit, ut ANUM sibi obviam habuerit, altera manu testam prunis plenam, altera phialam aquæ gestantem. Miratus ille, quid sibi id vellet, inquirit. Illa, *Hoc igne Paradisum comburere, aqua infernū extinguere volo.* Ecquid tam arduam rem moliris? inquit Yuo: *Vt nemo*, respondit illa, *imposterum benè operetur præmij spe inductus, metuq; pœnarum nullus à scelere desistat: sed ut omnes vero amore, quem Deo debemus, accensi, rectè vivamus.* Hanc tam gravem piæ ANUS vocem obstupuit Yuo, & laudavit, *Ionuil. in vita Ludovici, cap.* 57.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A Deo qui pendet, extrà Fortunæ omnem est aleam.
Copia omnis est egestas, quæ meus non est Deus.
Omnibus præstat parentem se cui est parens Deus.
Præferendus est Deus quibus libet mortalibus.
Qui Deo conjunctus, unquam abesse non potest Deo.
Qui Deum agnoscit parentem, se omnibus præstat patrem.
Qui Deum & patrem esse credit nil ei obtinget mali.

¶ JAMBICA.

Defer Deo, eja, honorem amore non metu.
In prospera æquum sorte meminisse est Dei.
Laudo omne quicquid arripis caussa Dei.
Nunquam patrare oportet quod lædit Deum.
Vilescat omne quidquid est præter Deum.
Quidquid Deo præstatur, id sanctum, id pium est.

Dei immutabilitatis.

¶ APOPHTHEGMAT. SACR.

S. *Amuel:* Quum Saul mandatum accepisset à Deo de Hamalekitis penitus excindendis, illudque non plene sed perfunctoriè & profana mente pollutus implevisset, Samuel gravissimis verbis hypocritam regem objurgavit & firmum Dei decretum de Saulis rejectione, & Davidis electione aperiens, dixit Sauli, *Laceravit Iehova regnum Israelis à te hodie: ut det ipsum proximo tuo* (Davidi paulo post in regem Dei jussu uncto) *qui melior est te. Quinetiam* (Iehova) *qui est Æternitas Israelis non committet mendaciter, neque pœnitebit eum: non enim homo est, ut pœniteat eum.* 1. *Samuel.* 15. 28. 29.

¶ MONOSTICHA.

A voluptate & dolore Numen omne dissitum est.
Deum nec ira moveris nec gratia.
Nec Deum beneficia tangunt, nec tangunt injuria.
Nil in Deorum sanguinem morti licet.
Non tangit dolor Deos, Deos non tangit gaudium.
Vt Deum non mutat ira, sic nec mutat gratia.

Dei Iræ.

¶ MONOSTICHA TROCHICA.

Est Dei ira summa in illos qui Dei iram haud sentiunt
Est Dei ira summa, quando nec malis irascitur.
Est quidem Dei ira lenta, sed magè implacabilis
Summa tunc Dei est ira, cum nec noxius irascitur.
Terra & unda aerq; non fert ira cui Dei incubat.

¶ JAMBICA.

Cœlestis ira, quos premit miseros facit.
Quo tardior Dei ira, eo est & grandior.
Solet ira multis Numinum ostendi notis.
Summum est nefas irascier contra Deum.

Dei Oculi aspectusq;.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Deesse super Deus quæ homulli gerimus, audit ac videt.
Est acutus ad videnda cuncta hominum ille oculus Dei.
Est Deus qui lumine æque res videt mortalium.
Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus, audit q; & videt.
Est ubique, idemq; cernit Numen orbis omnia.
Fallitur facto latere qui Deum sperat suo.
Fulgidum Dei intueri nemo sustinet jubar.
Intuetur ipse cordis abditos Deus sinus.
Nec vir justus, nec injustus ullibi latet Deum.
Neminem arrogante fastu despicit lumen Dei.
Nemo Iustitiæ frustratur, nemo Solis lumina.
Non Deus videt hominum res, sed regit, sed judicat.
Non modo in oculis Dei homines vivimus, sed & in sinu.
Quid queat Deum latere? cogitatio ei patet.
Si Deus vita est, Deum qui non videt, vitam haud videt.

¶ JAMBICA.

Audit Deus videtque, quamvis sit procul.
Beatus est cultum veretur qui Dei.
Delphinum aquilamq; è facili deprendit Deus
Deum latere non potest unquam malus

Homines

Homines latemus sapius, nunquam Deum.
Iustis oculis Deus aspicit mortalia.
Iustus piusq; non latet semper Deum.
Mortalium vitam omnium inspicit Deus.
Ne cogitans quidem Deum quisquam latet.
Nil omnium profectò est quod lateat Deos.
Occulta cordis cuncta sunt palam Deo.
Solis Deis videre se invicem licet.
Veniam sui vix passim præbent Numina.
Videre numen non caret periculo.
Vix mente, nedum sensibus, cernas Deum.

Dei potentiæ.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORVM.

ITHRO *Socer Mosis:* Accedens ille ad Mosem in deserto, & lætatus super omnibus illis beneficiis, quibus affecerat Jehova Israelem, quòd eripuisset eum è manu Ægyptiorum, dixit: Benedictus sit Jehova, qui eripuit vos è manu Ægyptiorum, & è manu Pharaonis, qui eripuit hunc populum à subjectione manus Ægyptiorum. Nunc agnosco magnum esse Jehovam præ omnibus diis: Nam ea ipsa re qua superbiunt, superior illis est. *Exod.* 18. 10. 11. Postrema hæc verba bifariam exponi possunt: universè, Deum superiorem esse omnibus potestate præditis, & res ipsas de quibus gloriantur, pro arbitrio moderari: vel speciatim de historia Ægyti accipi: ut ex hypothesi ipsa eruatur thesis.

Nebucadnezar Rex: Testimonio præsentiæ & potentiæ Dei convictus, dixit: Benedictus sit Deus Sadraci, Mesaci, & Habed-negonis, qui mittens Angelum suum eripuit servos suos qui confisi sunt in ipso: cùm verbum regis mutantes exposuerunt corpus suum, ut non colerent neque adorarent ullum Deum præterquam Deum suum. Quamobrem à me proponitur edictum, ut omnis populus, natio, aut lingua, quæ dictis erraverit contra Deum horum, Sadraci, Mesaci, & Habed-negonis, in membra lanietur, & domus ejus in sterquilinium redigatur: propterea quod non est Deus alius qui possit eripere hoc modo. *Dan.* 3. 28. 29.

Ionathan: Ad Philistæos Israëlis hostes cum armigero solo intrepidè accedens, quos etiam postea feliciter fudit & fugavit, dixit armigero suo: *Adesdum, eamus ad stationem præputiatorum istorum: fortè faciet Iehova pro nobis. Non enim est Iehovæ impedimentum quin servet multis aut paucis, &c.* 1. *Sam.* 14. 7. *&c.*

Darius rex: Videns insigni prorsus miraculo Dei omnipotentis Danielem è leonum fovea eductum, edixit omnibus populis, hunc in modum: A me proponitur edictum, ut in toto dominatu regni mei tremant & timeant omnes à conspectu Dei Danielis: quia ipse est Deus vivens & stabilis in secula, & regnum ejus incorruptum, ac dominatus ejus ad finem usque. Liberat, & eripit, facitque signa ac miracula in cœlo & in terra: qui liberavit Danielem à leonibus. *Daniel.* 6. 27. 28.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANORUM.

JESUS CHRISTUS: Paternæ Dei benignitati, Potentiæ ejusdem amplitudinem subjungamus: utpote in quo, per quem, & ex quo sunt, quæcumque sunt,

—— Qui res hominum ac deorum,
Qui mare & terras, variisq; mundum
Temperat horis.

Quid autem hac de re VERBUM ejusdem INCARNATUM? Multa de divitiarum hujus sæculi inordinato amore dixerat, eoque stante, salutem acquiri non posse: cùm super his mirati discipuli rogant: Quis ergo salvus esse poterit? quibus JESUS: *Apud homines*, inquit, *hoc impossibile est: apud Deum omnia sunt possibilia.* Quæ scilicet rerum perfectioni non repugnant, nec expressam contradictionem, si ita fiant, involvunt. Lubeat hic recordari ejus, quod de diis Gentium sensit & cecinit *Ovid.*

—— Immensa est, finemq; potentia cæli
Non habet. & quicquid superi voluêre, peractum est.

Matth. cap. 19.

Idem: Indignanti Pilato, dicentique: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, &c. respondit: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Omnis quippe potestas à Deo. & ut præclarè Seneca ad lineam,

Omne sub regno graviore regnum est.

Ioann. cap. 19.

S. Ioan. Baptista: Gloriantibus Pharisæis, quòd patrem haberent Abraham, adeoque legem accepissent, ac Dei populus essent, dicebat: *Nolite dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis,* (hos eos fuisse arbitrati sunt quidam, quos Dei jussu Josue ex Jordanis alveo sustulerat) *suscitare Abrahæ filios. Matth. cap.* 3.

S. Theophilus: Admirandum quod sequitur. Acceperat Angelico ministerio THEOPHILUS à Dorothea virgine aurea mala, & rosas, quæ ironicè ab eâdem, dum ad supplicium duceretur, seque ad Paradisum sui sponsi properare diceret, postulaverat: & in JESU Christi laudes protinùs erupit. Quare ad Sapritium Præsidem mittitur, qui illico, Quid est, inquit, quod fortè loquebaris? Cui ille: *Laudabam Christum feliciter, quem hactenus infeliciter negavi.* Dicentique rursus Sapritio, Miror te hominem doctum, illud nomen voluisse usurpare, quod hactenus tanto odio es persecutus: *At hinc*, ajebat, *apparet, verum esse Deum quòd me convertit ab errore ad veritatem. Sur. tom.* 1. *in vita S. Dorotheæ.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cuncta sunt Dei: Deoq; serviant jure omnia.
In Dei curru vehuntur luctus atque gaudium.
In Dei manu est, servare vel pessundare omnia.
Maximè omnium mensura rerum nobis sit Deus.
Nil Deus necessitate, pro potestate omnia agit.
Nil eorum quæ creavit Numinis dextra interit.
O Deus nec cogitando, nec videndo clauderis.
Os Iovis nequit mentiri: cuncta quæ fatur facit.
Principium, medium finisq; est Deus rerum omnium.
Sunt Deûm magis spectanda jura quam mortalium.
Universi anima est summusq; rector ac parens Deus.
Vsus, ars, industria, at as, nil valent contra Deum.

¶ JAMBICA.

Cunctis Deus potentior mortalibus.
Deus potest cuncta, at vult non nisi optima.
Exordium, finis, medium omnium, Deus.
Expers doloris ac voluptatis Deus.
Malum bonumque auctore provenit Deo.
Mutare magnum fas nefasque Diis leve est.
Nil non Dei naturæ perfacillimum est.
Non mole sed virtute magnus est Deus.
Non omne quod potest, idem omne vult Deus.
Omnes opes, omnisque egestas à Deo est.
Omni arte Deus naturaque est potentior.
Proprium est Dei complere cuncta viribus sua.
Rident volente flentque mortales Deo.
Sunt cuncta nutu constituta sub Dei.

Dei præsentiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Corpore atque mente puros esse apud Deum decet.
Haud loco intervallo à nobis hominibus distat Deus.
Invehitur populis Deus, rebus hominum ipse intervenit.
Nascitura, nata sunt; futura, facta sunt Deo.
Nullus est locus Dei expers: plena sunt Deûm omnia.
Pax ibi exsultatioque est vultus est ubi Dei.
Qui Deo est conjunctus, unquam abesse non potest Deo.
Scire quod non vis Deum, nec illud agas nec cogites.

¶ JAMBICA.

Clausus loco non est qui claudit omnia.
Deus est ubique; plena cuncta sunt Dei.
Nihil Deo præsente inextricabile est.
Nil usquam est quin sit magno plenum Deo.
Nullo loco divinitatem clauseris.
Proprium est Dei complere cuncta viribus sua.
Quâ non videtur Deus, humanis interest.
Vbi est Deus, gravitas ibi est, ibi est pudor.

Vide & tit. *Præsentia.*

Dei regni.

¶ APOPHTHEGMATUM SACRORVM.

IESUS CHRISTUS *Dominus noster*: Interrogatus à Pharisæis quando venturum esset regnum Dei: respondit eis, & dixit: Non venit regnum Dei ita ut observari possit, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim, regnum Dei intus habetis. *Luc.* 17. v. 20. 21.

Idem: Interrogatus à Pilato, respondit: Regnum meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certarent ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. *Ioan.* 18 36.

D. Martinus: Regnum Dei, inquit, non in eloquentia, sed in fide constat. *S. Severi præfat. in lib. de vita B. Martini.*

Dei Timoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Chrysostomus : Ut ne sceleribus omnibus inquinemur, Dei exactum timorem ante oculos habeamus. Nihil enim ita hominem perdit, quàm si illum cõtingat ab hac anchora excidere : quemadmodum nihil contrà ita illum servat, quàm assiduus in illum aspectus. Nam si hominem cùm præsentem contuemur, tùm ad peccandum tardiores reddimur, sæpè autem & servos modestiores subveriti, absurdi nihil admittimus : consideraro quantam adepturi simus securitatem, si nos contigerit, Deum assiduè in oculis ferre. Nusquam enim diabolus nos sic compositos adornetur, tanquam frustrà laboraturus : qui si aberrantes, ac sine fræno palantes viderit, sumpto à nobis exordio poterit ubique ut scabiosas oves à grege summotos depellere. Et quod ignavis famulis usuvenire in toro solet, ut ministeriis necessariis posthabitis, ad quæ peragenda à dominis suis dimittuntur, inconsultò ac temerè sibi occurrentibus affixi, otium illic absumant : hoc ipsum sanè & nobis quoque accidat necesse est, quoties à Dei mandatis aberramus. Stamus enim admirati divitias, corporis pulchritudinem, & alia item ad nos nihil pertinentia, illorum famulorum exemplo qui mendicis, morionibus, ac præstigiis quibusdam miracula repræsentantibus intenti, serò domum ubi redierint, extremis plagis cæduntur, multi autem & propositum iter prætereunt, secuti alios turpiter & inhonestè in hujusce modi facinoribus sese gerentes. Nos verò caveamus ne similia patremus. Etenim dimissi quidem sumus ad multa, & ea urgentia, peragenda : qui si omissis illis steterimus oscitantes ad hæc infructuosa, tempore omni nobis frustrà & incassum absumpto, extremum luituri sumus supplicium. *sub finem Homiliæ quartæ ad Romanos.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Jesus Christus : Sapientiæ initium Timorem Domini, dicebat Vates regius : sine quo proinde nulla pietas diu stare, nulla religio florere diu potest. Hinc illum tanto desiderio in seipsis excitârunt viri sancti, exemplo antesignani sui Christi permoti : nempe qui suorum animos excitans ad fidei constantiam servandam, *Ne terreamini*, ait, *ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Matth. cap.* 10. *Luc. cap.* 12.

S. Anastasius Martyr : Horum verborum memor Anastasius, Marzabanam Præfectum, qui eum minis ac tormentorum violentia à fidei susceptæ constantia deterrere nitebatur, ita est allocutus : *Non timeo Regem, ad quem meam in fide pertinaciam delaturum te minaris. An non ipse quoque homo est, in quem cadit interitus? Quémnam me ergo timere oportet ; illum qui æquè atque ego interit, an eum qui semper est, & omnia produxit? Sur. tom* 1. *in Vita.*

Franc. Borgia : Ille etiam insigni dicto hunc Timorem asseruit. Ad omnia enim pavidus, dicere solebat : *Iudicia Dei viventis & videntis, quantum à mortalium judicio discrepant! timeat itaq; qui sapit, Deum.* Suaviter Bernhardus super Cantica : Deum time, & mandata ejus observa, hoc est omnis homo : ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. *Ribad. libr* 4. *in Vita cap.* 4.

¶ Monosticha Trochaica.

A mortalibus timeri si cupis, time Deum.
Deviat à justitia qui hominem pertimescit, non Deum.
Esse jam nihil potest grave illi qui timet Deum.
Nil magis timeto quàm ne quem metuas plus quàm Deum.
Non potest hominem timere qui timet cæli Deum.
Non potest hominem timere qui Deum in cælo timet.
Numinum probro & supremis vivit in malis timor.
Qui Deum timet, repostus jam supra omnes est metus.
Qui Deum timet, timendorum omnium nihil timet.
Qui Deum timet, timore concutis altero nequit.
Qui timet Deum arctè amatur omnibus mortalibus.
Sic Deum timeto, ut ab ipso ad ipsum confugias tamen.
Turpiter timet mortalem positus in sinu Dei.

¶ Jambica.

Dei timor sapientia alma exordium est.
Homines magis veremur omnes, quàm Deum.
Ipsum veretur qui sese, timet Deum.
Minimè Iovem curare, mos Cyclopicus.
Multi timent homines, timent pauci Deum.
Multum Deorum in populum est efficax metus.
Multum timeas homines, sed adhuc magis Deos.
Nihil magis cuiquam est timendum, quàm Deus.
Non multum ab homine timendum est, a Deo nihil.
Reverere Nemesin, si mortale nil times.
Semper minatur ante supplicium Deus.
Tantum time, ne quid timeas præter Deum.
Timet Deum qui conscientiam timet.
Timori habe cui etiam elementa serviunt.

Dei Vltionis.

¶ Monosticha Trochaica.

Condolendum his non lætandum puniuntur qui à Deo.
Divinam effugere ultionem dum malus vult, incidit.
Ducit ad pœnam, ut capistro, perditæ mentis Deus.
Est Deus ; malos q; pœnis, præmio mactat bonos.
Et Indi intermissionem vindicant Dei suam.
Gentem ubi Deus punire vult, viros tollit bonos.
Impiger pes est Deorum ; nec diu hæret in via.
Inde injuria atque culpa est, ultio est hinc & Deus.
Iudicium minimè est injustum, quam vis occultum Dei est.
Iupiter vicina cælo, cælo metuens, fulminat.
Lanei pedes Dei ; venisset non sentientibus.
Millepœnas qui meretur, à Deo unam vix tulit.
Nec nocens quisquam supremo creditori decoquit.
Ne Deus vili pendatur utitur tonitru fulmine.
Nulla major homini pœna est, ipso quam à Deo abjici.
Pœna cæli tarditatem pensat usura gravi.
Quanto tardius Dei est, tanto est judicium justius.
Quo Dei vindicta lentior est, hoc est & grandior.
Quos cupit punire mentem tollit iis bonam Deus.
Quos Deus deducit ad pœnam, iis ignoscere impium.
Vindicat tandem vel ipse grex gruum necem Ibyci.
Vltionis jus aliena munere haud vendit Deus.

¶ Jambica.

Cujusque factis dant dignum exitium Dei.
Ersi Deus differt pœnam, haud aufert tamen.
Haud ullus unquam transilit plagam Dei.
Iram Domini quoque bruta animalia sentiunt.
Nemo ultionem effugit impius Dei.
Nunquam effugit lentam Dei iram pravitas.
Pedes habent Dei utique, verùm laneos.
Punit Deus severius quò serius.
Quo tardior pœna est Dei, hoc est grandior.
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.
Suas Dei ipsi vindicant injurias.
Vehemens Dea est Nemesis : cave to hanc ladere.

Dei Voluntatis.

¶ Apophthegm. sacror.

Iesus Christus *Dominus noster* : Non quisquis (inquit) mihi dicit, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum : sed qui facit quod vult Pater meus qui in cœlis est. *Matth.* 7. 21.

Dixit ei quidam, Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tuum colloquium. Ipse verò respondens dixit illi qui hoc ei dixerat, Quæ est mater mea, & quæ sunt fratres mei? & protensa manu sua in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea, & fratres mei. Quisquis enim fecerit quod vult Pater meus qui est in cœlis, is est meus frater, & soror, & mater. *Matth.* 12. 47. 48. 49. 50.

Idem : Veræ precationis formulam discipulis tradens, voluntatis Dei disertè meminit his verbis, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, etiam in terra. *Luc.* 12. 1.

Servus ille (inquit) qui novit voluntatem domini sui, nec se comparavit, nec fecit ex voluntate ejus, cædetur plagis multis : qui verò non novit, & fecit digna plagis, cædetur plagis paucis. *Luc. cap.* 12. 47.

Nocte qua traditus est, precans in horto, avulsus est à discipulis ad jactum lapidis, positisque genibus precatus est, dicens : Pater, si vis, transfer poculum hoc à me : veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Luc.* 22. 41. 42.

Idem : Esca mea, inquit, est exequi voluntatem ejus qui misit me, & perficere ipsius opus. *Ioan.* 4. 34.

Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, id est, Patris. *cap.* 5, 30.

Descen-

Descendi de cœlo ut faciam non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, id est, Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in vltimo die. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò suscitabo eum ultimo illo die. *cap.* 6. 38. 39. 40.

Si quis voluerit voluntatem Dei exequi, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. *cap.* 7. 17.

Cæcus illuminatus: Superbos Judæorum cavillos adversus Christum jactatos graviter refellens dicebat: Scimus Deum peccatores non audire: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus exequitur, hunc audit. *Ioan.* 9. 31.

D. Lucas & alii discipuli: Quum S. Apostoli vincula Agabus propheta prædixisset, & discipuli rogarent ne ascenderet in Hierusalem, respondissetque Paulus: Quid facitis flentes & comminuentes cor meum? Nam ego non solùm vinciri, sed & mori paratus sum in Hierusalem pro nomine Domini Jesu, Lucas & alii discipuli acquiescentes dixerunt, Fiat Domini voluntas. *Actor.* 21. 13. 14.

D. Paulus Apostolus: Hæc est voluntas Dei, inquit, nempe sanctificatio vestra: id est, ut abstineatis à scortatione, & sciat vestrûm unusquisque suum vas possidere cum sanctificatione & honore: non cum morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum. 1. *Thessal.* 4. 3. 4. 5.

Quoniam dogmatum theologicorum tractationem non attingimus, varias significationes vocis voluntatis in Deo explicare haud necesse est. Quod ad arcanam Dei voluntatem attinet. Vide *Apophthegm. de Providentia.*

Polycarpus: Polycarpus quum à persecutoribus quæreretur, & ex conclavi in quo assidebat perfacilè in aliam domum se recipere posset, noluit tamen, sed dixit: Fiat voluntas Domini. *Euseb. lib.* 4. *Eccles. hist. cap.* 14.

Eudoxia: Filius meus (inquit Eudoxia imperatrix ad Epiphanium) morbo gravi oppressus, si Deus voluerit, vivet, sin illum auferre constituit, ejus voluntas fiat. *Nicephorus, Eccles. histor. lib.* 13. *cap.* 13.

Deorum Gentilium Irrisionis.

¶ LUCIANUS.

MERCURIUS: O Jupiter, quid cogitabundus, & solus apud te loqueris, pallidus ambulans, & Philosophi colorem præ te ferens? Id mihi communica, & accipe me tuis in molestiis consiliarium. Ne tui famuli nugas contemnas.

MIN. *Sanè ita magne parens hominum rex, atque Deorum,*
Te precor en glaucis oculis Tritonia Pallas,
Fare age, ne celes, quòd sint hæc cognita nobis,
Quod te consilium dubio sub pectore versat?
Cur gemis? & tacito pallor subsurgit in ore?

JUP. *Nunquam gravis res ulla sic dici potest.*
Non passio, non ulla tragica calamitas.
Natura dîum cujus haud onus ferat.

MIN. *O Phœbe qualibus incipit proœmiis.*

Iup. O pessimum genus mortalium, Tuque ô Prometheu, me quibus afflixti malis. *Min.* Quid est? nec enim celabis hæc domesticos. *Iup.* O murmur ingens fulminis magnicrepi, quid mihi facies? *Min.* Compesce iram, si non comicè loqui quemadmodum hi possumus, neque totum Euripidem devoravimus, ita ut dramaticè tecũ loquamur. *Iuno.* An nescire nos putas causam mœroris, quænã sit? *Iup.* Tu nescis, nam ejulares magnopere. *Iun.* Novi dolorum tuorũ summam, te nimirum amore percelli. Nec tamen ejulo, ut quæ sim assuefacta crebris hujusmodi contumeliis à te peti. Igitur verisimile est, te vel Danaen aliquam, vel Semelen, vel Europam nactum, amore angi. Deinde statuere assumpta forma vel tauri, vel satyri, vel auri, per tectum in amatæ sinum influere. Etenim hæc signa sunt, suspiria, lachrymæ, & pallor, non alius rei, quàm amoris. *Iup.* O beata, quæ negotia nostra in amore, talibusque ludicris sita esse putas. *Iun.* Ecquid aliud, nisi hoc solicitat te, Jupiter cùm sis? *Iup.* Deorum res, ô Juno, in extremo discrimine versantur: & quòd ajunt, in acie novaculæ constitutæ sunt: utrum adhuc simus colendi, & quæ in terris offeruntur dona habituri: an verò prorsus negligendi, & pro nihilo ducendi. *Iun.* Num Gigantes aliquos terra produxit? aut Titanes disruptis vinculis, devictaque custodia rursum in nos arma parant? *Iup.* Confide, nam res inferæ benè Diis habent. *Iun.* Quid ergo aliud acerbum esse possit? Neque enim video, quando talia nihil te conturbant, quam ob rem nobis Polus, aut Aristodemus pro Jove apparueris. *Iup.* Timocles ille Stoicus, ô Juno, & Damis Epicureus, heri nescio unde ducto orationis initio de Providentia disputabant in magna probatorum hominum frequentia: quod potissimùm animum meum perturbavit. Ac Damis quidem affirmabat, neq; Deos esse, neque ea quæ geruntur observare, aut digerere. Verùm optimus ille Timocles nostras partes omni studio tuebatur. Deinde cùm affluerent multa turba, nullum finem sortita est disputatio. Etenim discesserunt hoc pacti ut cætera denuò despicerentur. Et nunc omnes suspenso sunt ad audiendum animo, uter vincet, & veriora dicere videbitur. Videtis periculum, ut res nostræ in uno periclitantes, ad angustias omnino sunt redactæ? Et ex duobus alterum evenire necesse est, ut aut nostræ res flocci fiant, & inania nomina videamur: aut quemadmodum antea, colamur, si Timocles dicendo superaverit. *Iun.* Gravissima profectò sunt illa, nec temerè Jupiter in hos tragicis verbis invehebare. *Iup.* Tu verò putabas me vel Danaes, vel Antiopes habere rationem, in tanta perturbatione. Quid igitur ô Mercuri, & Juno, & Minerva nobis faciendum est? Quin vos cõsilii partem comminiscimini. *Merc.* Equidem ego in communem utilitatẽ coacto concilio, dico rem adducendam in deliberationem. *Iun.* Ego idem cum hoc sentio. *Min.* Mihi verò aliter videtur, Pater, ut neque cœlum conturbes, neque palàm fiat te hanc ob rem tumultuari: sed privato consilio facias ut Timocles disputatione vincat: Damis verò ex congressu, derisus abeat. *Merc.* Atqui ista non ignorabuntur, Jupiter, cum Philosophis in proparulo futura sit disceptatio. At tu quidem tyrannum agere videberis, si de tantis rebus & ad omnes cõmuniter pertinentibus, cum reliquis non communicaveris. *Iup.* Ergo jam proclama, & præstò sint omnes. *Merc.* Rectè dicis. En vos Dei in concionem venite, ne cunctemini: convenite omnes: venite: magnis de rebus consilium inibimus. *Iup.* Ita nudis, ô Mercuri, simplicibusque verbis, ac pedestribus pronuncias, præsertim cùm maximis de rebus Deos convoces? *Merc.* At quomodo vis faciam Jupiter? *Iup.* Quomodo velim? Dico tuum præconium versibus esse magnificè efferendum, & grandiloquentia poetica, qua impulsi diligentiùs cõveniant. *Merc.* Sanè verum hoc poetarum & rhapsodorum est officium. At ego poëticen non calleo: adeò ut præconium sim corrupturus, si hypermetros aut defectivos versus connectam. Et risum ipsis movebo mea carminũ imperitia. Itaq; video Apollinem ob oracula nonnulla derideri: quanquam cautionis causa multa obscurent, ne omnino audientes otio indulgeant sed expendant versus. *Iup.* Proinde Mercuri, Homericos versus plerosq; admisce præconio, ut ille solebat nos convocare. Eorum autem te meminisse est credibile. *Merc.* Certè non admodum certò, neque promptè, attamen tentabo.

Ergo Deûm nemo, nec mas, nec femina deest.
Nullusque Oceani fluviorum, nullaque Nympha:
Ast in consilium Iovis heus properate frequentes:
Quique editis celebres hecatombas, quique sedetis
Ararum ad fumos, medio vel in ordine dîum.
Vel ferè postremo, vel nullo nomine noti.

Iup. Euge Mercuri: oprimè præconio functus es. Etenim jam conveniunt. Quapropter singulos excipiẽdo, ipsos ordine colloca, pro materiæ artisve dignitate: In prima sede aureos, in secunda argenteos, in tertia eburneos, in quarta æneos, aut lapideos. Inter hos etiam primas illi teneãt quos Phidias, aut Alcamenes, aut Myron, aut Euphranor, similésve artifices effinxerunt. Cæterùm hi vulgares, nulla arte nobiles, procul amoti sedeant cum silentio, in solum concionis complementum. *Merc.* Hæc fient, & ordine sedebunt. At non facile est scire, an eorum aliquis sit aureus, multísque talentis præponderet, nec accurato, sed vulgari admodum, & inconcinno opere comparatus, ante æneos illos Myronis, & lapideos Polycleti, Phidiæ & Alcamenis, sedebit: an existimandum artem esse præferendam. *Iup.* Ita quidem fieri oportebat: attamen aurum est anteponendum. *Mer.* Intelligo: rationem divitiarum, non præstantiæ, & census haberi jubes in dandis sedibus. Venite igitur occupatum primas sedes, vos aurei. Videntur autem, Jupiter, soli barbari primas occupaturi: nam Græcos vides quales sint: venusti quidem, & pulchri, & secundùm artem compositi: lapidei tamen, aut ænei omnes, vel, qui omniũ sumptuosissimi sunt, eburneo, pauculo auro renidentes, ut qui eo tantùm intincti, refulgeant. Cæterùm intus lignei, in quibus manentes muscarum toti greges conteguntur. Bendis autem hæc, & Anubis ille, & prope ipsum Attis, & Mithres ex solido auro sunt conflati, graves & magni revera pretii. *Nept.* Ecquid justum est Mercuri, primum collocare hunc canina facie Ægyptium, me qui sum Neptunus, priorẽ? *Merc.* Maximè. At te quidem ô Neptune Lysippus æneum & pauperem fecit, cùm tunc auro carerẽt Corinthii. Hic autem metallis universis est ditior. Quare te removeri patiaris oportet, neque indigneris si naso iste aureus tibi anteponetur. *Ven.* Ergo Mercuri, accipe me, & in primis consessibus colloca: nam sum aurea. *Merc.* Minimè Venus, quantum ego video. Sed nisi hallucinor, ex albo lapide ex monte Penteli exciso, ut Praxiteli placuit, facta Venus, Gnidiis tradita es. *Ven.* Atqui fide dignum testem tibi producam Homerum, qui sursum ac deorsum suis in rhapsodiis, auream me esse dicit. *Merc.* Sed enim ille ipse, auri multi, & opum possessorem Apollinem dixit: quẽ tamen in extremis sedentem videbis, direpta ipsi à latronibus corona, & surreptis citharæ verticillis. Quare contenta esto cùm servili planè in loco non collocata concioni interesis. *Colossus.* Quis verò contendere mecum ausit Sol cùm sim, tantæque magnitudinis? Et nisi me immensum & immodicum struere voluissent Rhodii, ex paribus sumptibus, sedecim Deos aureos fecissent: ad quorum proportionem sumptuosior existimarer. Præter tam ingentem magnitudinem inest etiam ars, & opificii exquisita ratio. *Merc.* Quid facto opus Jupiter? Nam hoc judicare difficile est. Nam si materiam respexero, æneus est. Verùm si supputem quot in eo fabricando impensa fuerint talenta, plures quàm quingentos modios, & censum equestrem inveniam. *Iup.* Quid opus erat, ut hic etiam interesset, qui aliorum parvitatem argueret, & sessioni obstaret? Verùm enimverò Rhodiorum optime, si quàm maximè aureis es præferendus, quo-

modo prima subsellia tenere possis, nisi omnibus sit surgendum, ut solus sedeas, omni Pnycis spacio alteris natibus occupato? Quocirca rectiùs facies, si prono in concilium capite, rectus concioni interfis. *Merc.* Ecce rursus alius hic est modus. Ænei enim ambo estis, & ejusdem artificii, utrumque Lysippi opus: & quod maximum est, generis nobilitate pares, ut qui sunt Jovis filii, Bacchus iste, & Hercules. Uter ergo illorum primas tenebit? contendunt enim ut vides. *Iup.* Tempus terimus Mercuri, cùm jamdudum habenda esset concio. Quare nunc promiscuè sedeant, ubi quisque voluerit. Deinceps verò hinc de rebus cogetur de integro concilium: tuncque sciam quis hac in re ordo sit constituendus. *Merc.* At Hercules, ut tumultuantur, communem & quotidianam istam distributionem clamantes, ubi est nectar? ubi relicta ambrosia? ubi Hecatombæ? communia sacrificia? *Iup.* Illis impone silentium Mercuri, ut nugis hisce relictis intelligant cujus rei gratia coacti sint in concilium. *Merc.* Non omnes, Jupiter, Græcam linguam capiunt. At ego multas linguas calleo, ut Scythis, Persis, Thracibus, & Celtis, quæ intelligant, pronũciem. Satius itaque puto manu significare & imperare silentium. *Iup.* Ita fac. *Merc.* Euge, Pythagoricis taciturniores facti sunt: ita ut concionandi sit tempus. Vides, ut jamdudum conjectis in te oculis, expectant quid sis dicturus. *Iup.* At quod mihi accidit, Mercuri, tibi cùm sis meus filius, dicere non pigebit. Scis quàm confidenti animo, & ore grandiloquo fuerim in concionibus? *Merc.* Scio: & te concionantem audiens timui: ac præcipuè quando minabaris te demissa catena illa aurea, terram à fundamentis, & mare cum ipsis Diis sursum tracturum *Iup.* At nunc ô fili, nescio utrum impendentium malorum magnitudine, an verò præsentiũ multitudine (nam hic Deorum conventus est frequentissimus ut vides) animo conturbor, & intremisco, & vincta mihi lingua videtur. Quódque omnium est absurdissimum, excidit mihi totius orationis procemium, quod præparaveram, ut bellissimo apud ipsos exordio uterer. *Merc.* Perdidisti omnia Jupiter. His suspectum est tuum silentium, & prægrande aliquod malum sese audituros expectant, quia tu cunctaris. *Iup.* Vis igitur Mercuri, Homericum illud procemium ipsis occinam? *Merc.* Qualenam?

Iup. Dicique Deaque omnes dicenti adsertite mentes.

Merc. Apage. Nam satis in principio adversus nos es debacchatus. Verùm si videtur, molestos illos versus omittito: & quam volueris ex orationibus Demosthenis contra Philippum, paucis immutatis declamato: quod multi oratores nunc faciunt. *Iup.* Rectè dicis compendiosam hanc orandi rationem, & astutiam opportunam hæsitantibus. Tandem igitur incipiam. Multis pecuniis, ô viri Dii vos anteposituros puto, si vobis innotescat, quid tandem sit illud, cujus gratia hunc in cœtum accersiti estis. Quod cùm ita sit, convenit ut me dicentem alacriter audiatis. Præsens utique tempus, ô Dii, emissa propemodum voce dicit, nobis fortiter suscipiendarum rerum præsentium curam, quas tamen negligere videmur. Jam autem volo deficiente mihi Demosthene, ea vobis apertè declarare, quibus perturbatus concionem convocavi. Heri enim, ut scitis, cùm Mnesitheus nauclerus ob servatam ex undis navem, quæ ad Capharei scopulos illisa fermè periit, nos in Piræo epulis excepisset, quotquot nostrùm ad sacrificium vocaverat: peractis libationibus, vos quidem alii alia via discessistis, ut cuique visum est. Ego verò, quia nondum erat vespera, in urbem redivi, ut tempore pomeridiano in Ceramico deambularem, animo volvens Mnesithei sordes, qui sedecim Diis epulum præbens, gallum unicum immolavit, eumque senem, & gravedine jam laborantem: præterea quatuor thuris grana, carie obsita, ita ut prunis extinguerentur, neque summis tantillum naribus odorem præberet fumus: idque cùm solidas hecatombas promisisset, tùm quum navis in scopulum impellebatur, eratque inter saxa. Postquã hæc mente agitans, ad Poecilen venio, congestam hominum multitudinem inusitatam video: nonnullos in ipsa quidem Stoa: plerósq; verò sub dio: quosdam etiam vociferantes, qui in concione sedentes, obnixè contendebant. Igitur conjectura assequutus quod erat, Philosophos esse ex contentiosis illis, volui admoto gressu, audire quid dicerent. Etenim nube crassissima me involvi, assumpto illorum habitu, & attracta prolixa barba, valdè similis eram Philosopho. Tum multos cubitu protrudens ignotus ingredior: & verberonem illum Damin Epicureum nanciscor, & omnium hominum optimũ Timoclem Stoicum acerrimè contendentes. Undejam sudabat Timocles, eique vox interpiciebatur præ clamore. Damis verò sardonium ridens Timoclem magis exasperabat: eratque omnis illorum de nobis disputatio. Etenim execrandus ille Damis affirmabat nos neque rebus humanis providere, neque ea quæ fiunt apud ipsos speculari: nihil aliud quàm nos non esse dicens. Nam hæc vis erat ejus orationis, quam nonnulli probabant. Alter verò, nempe Timocles stabat à nostris partibus, & pro nobis pugnabat, indignabaturque & modis omnibus defendebat, diligentiam nostram laudans, & narrans ut recta ratione & ordine singula moderamur, & digerimus: atque ipse etiam laudatores habebat. Verum jam fessus erat, & ægrè loquebatur: turba autem oculos ad Damin convertebat. Tùm ego cognito rei periculo, jussi noctem circunfusam dissolvere conventum. Quare abierunt ex composito, ut die postero disceptationem ad finem deducerent. Ego verò vulgo comitem me præbens, interim dum domum reperebant, audiebam Damidis orationem probantes, eiúsque sententiam præoptantes. Erant verò qui censebant contrariam opinionem præjudicio non damnandam, sed expectandum an Timocles cras aliquid dicturus esset. Hæc sunt ob quæ vos convocavi, non exigua ô Dii, si perpenderitis omnem nobis honorem, gloriam & proventum ab hominibus esse petendum. Qui si crediderint nullos omninò esse Deos, aut si sint, res tamen humanas nulla eorum providentia gubernari, nec sacra, nec dona, nec honores ex terra sunt expectanda: & frustra in cœlo sedebimus, fame laborantes, festis illis diebus, celebritatibus, certaminibus, sacrificiis, nocturnis ludis, pompisque privati. Supertantis itaque rebus, ajo oportere nos omnes consilium communi ci, quo à præsentibus periculis liberemur, & Timocles veriora dicere visus, vincat: at Damis ab auditoribus derideatur. Non enim prorsus confido fore ut vincat per se Timocles, nisi à nobis illi subsidiũ accedat. Pronuncia Mercuri præconium illud, quod lex edicit, ut surgentes consulterent. *Merc.* Audi, tace, ne turbes. Quis summorum Deorum, quibus licet verba vult facere? Quid rei est? nemo surgit, sed cuncti quiescitis rerum propositarum magnitudine obstupefacti?

Mom. *At vos sic muti tellus fiatis & unda.*

Verùm ego si mihi verba facere cum libertate concederetur, multa Jupiter, haberem dicenda. *Iup.* Confidenter dic, ô Mome. Nam aliquid in communem utilitatem videris propositurus. *Mom.* Proinde audite, Dii omnes, ex animo, quod ajunt. Ego enim omninò expectabam res nostras in eam difficultatem delapsuras, multosq; hujusmodi Sophistas nobis suppullulaturos, à nobis ipsis suæ audaciæ causam sumpturos. Nec sanè per æquitatem, æquum est irasci Epicuro, nec ejus discipulis, & disciplinæ successoribus, si talia de nobis senserunt. Quid enim de nobis sentire ipsos qui spiam putet, quum tantam in vita perturbationem cernunt? Bonos quidem, negligi in paupertate, morbis, & servitute consumi: verùm homines omni scelere contaminatos, honore & divitiis priores esse, & melioribus imperare: sacrilegos autem non puniri, sed delitescere: Insontes autem interdum cruce affigi, & fustibus cædi. Quæ cùm videant, jure de nobis ita sentiunt, ac si nihil omninò simus. In primis verò quum oraculorum effata audierint,

Vt magnum imperium trajecto destruet Hale,

quibus non declaratur sit-ne hoc ipsius, an hostium. Rursus,

Vxorum Salamis charissima pignora perdet.

Nam Persæ puto, & Græci, uxorum proles erant. Rursus, quum ex Poetis audiunt nos amare, vulnerari, servire, vinculis obstringi, seditionibus turbari, innumeris molestiis implicari, præsertim cùm beati & immortales esse contendamus: quid aliud quàm nos jure deriderent, & flocci facerent? Porrò nos indignè ferimus, si qui homines non prorsus væcordes hæc arguunt: nostramque providentiam rejiciunt, cùm potiùs non contentos esse oporteat si qui adhuc sacra faciunt nobis hunc in modum errantibus. Hic verò mihi Jupiter, soli enim sumus, nec homo quisquam in cœtu adest, præter Herculem, Bacchum, Ganymedem, Æsculapium, ascriptitios istos, cum veritate respondе, Num aliquando tantam hominũ curam suscepisti, ut expenderis, quinam illorum mali, qui boni sint? hoc non ausis dicere. Ego nisi Theseus Trœzene Athenas profectus, maleficos in itinere excidi sset, quantum ad te, tuámque providentiam attinet, nihil obstaret quo minus viverent viatorum cædibus insolescentes Sciron, Pityocamptes, Cercyon, aliíque innumeri. Aut nisi Eurystheus homo cùm justus, tùm providus, singulari humanitate impulsus, singulis apud quos diligenter exploratis, hunc famulum suum emisisset, hominem manu promptum, factisque strenuum, & ad labores obeundos alacrem, ô Jupiter, tu Hydram, Stymphalidas aves, Thracios equos, & Centaurorum contumeliam, ac petulantiam parũ curasses. At si vera profiteri oportet, sedemus, hoc tantùm observantes, an aliquis sacrificet, & aras adoleat. Porrò res cæteræ secundo flúmine feruntur, ut unaquæque fortuitò distrahitur. Itaque meriti hæc patimur, & patiemur amplius: quum homines paulatim emergentes, animadverterint sibi nihil prodesse quòd sacra offerant, & libamina nobis mittant. Deinde brevi videbis irridentes Epicuros, Metrodoros, & Damidas: victósq; & jugulatos ab ipsis patronos hosce nostros. Quare nostrarum esset partium talia cœpta compescere, & medicari, cùm ea isti in tantum provexerint. Momo autem non magnum impendet periculum, si non honoretur. Neque enim olim in eorum censebar numero quibus honos habebatur, rebus vestris adhuc florentibus, vobisq; sacrificiorum fructum percipientibus. *Iup.* Hunc quidem, ô Dii, nugari sinamus, qui semper asperum, & objurgatorem se præbet. Est enim, uti dixit admirandus ille Demosthenes, perfacile criminari, insectari, & reprehendere cuivis volenti. Sed consilium dare quo rebus præsentibus succurratur, prudentis revera consultoris esse. Quod vos alii, probè scio, etiam hoc tacente facietis. *Nept.* Ego quidem præter alia, ut scitis, sub undis versor, & in profundo marinam Remp. administro, solus pro virili parte navigantes servans, naves deducens, & ventos demulcens. Attamen, quia eos etiã curo qui hîc adsunt, dico hunc Damin esse è medio tollendum, priùs quàm ad contentionem veniant, aut fulmine, aut alia quapiã machina, ne disputando vincat: quandoquidem, ut ais Jupiter, est disertus. Quo facto ipsis ostendemus, nos de illis sumere supplicium, qui hæc in nos loquuntur. *Iup.* Ludis Neptune, an prorsus es oblitus? Nihil enim tale in nostra potestate est situm. Verùm Parcæ fatum unicuique decernunt, alii ut fulmine, alii gladio, alii febre, alii tabe occidat. Etenim si id meæ facultatis fuisset, scilicet sacrilegos illos sinistro fulmine non ictos ex Olympia digredi nuper, detonsis mihi duobus cincinnis, utroq; sex minarum pondo? Aut tu ipse neglexisses in Cerasto Oreensem illum piscatorem, qui tibi tridentem surripiebat? Præterea indignari videbimur hoc facto perturbati, & Damidi

midis pertimescere sermones, cámq; ob rem hominem summovere, non expectata ejus cum Timocle disputatione. Itaq; quid aliud quã indicta causa vincere sic videbimur? *Nept.* Atqui viæ compendium ad parandam victoriam ego à me excogitatum arbitrabar. *Iup.* Apage ineptum hoc consilium, Neptune, & magnopere cavendum, ut adversarium ante pugnam tollamus, quò invictus moriatur, relicta in ambiguo disputatione. *Nept.* Proinde aliud præstantius excogitate, si mea consilia sic repudiatis. *Apol.* Si nobis quoq; juvenibus atque adhuc imberbibus per legem liceret concionari, forsan aliquid ad hanc consultationẽ utile dicerem. *Mom.* Certè Apollo, de rebus adeò magnis instituitur consultatio, ut in ea non ætatis, sed communis omnibus boni ratio proponatur. Lepidum enim esset, si in extremum periculum adducti, de legum potestate anxiè disputaremus. Cæterùm tu jam omninò legitimus es concionator, cùm jam olim ex ephebis sis egressus, & in duodecim Deorum tabulam relatus, & ferè Saturni tempore in consilio fueris. Quare noli erga te nos juveniliter gerere: sed tùm sententiã animo confidenti pronuncia. Neque te pudeat quòd imberbis concionabere: præsertim cùm filium habeas Æsculapiũ tàm promissa barba insignem. Quin etiã te decebit, nunc maximè, quod in te est sapientiæ exhibere, nisi frustrà cum Musis philosophando in Helicone sedes. *Apol.* At ô Mome, tuum non est, sed Jovis hæc mandata dare. Quj si jusserit, fortè aliquid eloquar non ineruditũ, sed quod cum mea in Helicone exercitatione conveniat. *Iup.* Dicô fili, nam injungo. *Apol.* Timocles ille, vir bonus, & pius videtur, & Stoicorum doctrinam exquisitè callet: quò fit ut ad docendam philosophiam cum juvenibus conversetur, nec mercedem exiguam inde colligat, adeò est disertus quum privatim apud discipulos disserit. Cæterùm quum apud multitudinem dicendum est timidissimũ animum, vulgarem, barbaramque linguam profert, unde in cœtibus irridetur, cùm non eloquatur, sed balbutiat, & perturbetur. Quomodo se habet, in primis quando specimen facundiæ edere gestit. Etenim est intellectu acutissimo, & subtilissimo ingenio, ut ajunt qui Stoicorum doctrinam meliùs callent. Quæ autem dicit & exponit, ea præ imbecillitate corrumpit, & confundit, quid sibi velit non declarans, sed ænigmatibus similia proponens, rursus etiam multò obscuriora ad interrogationes respondens. Porrò auditores cùm non intelligant, eum irridents. Dicendum autem est perspicuè, & hoc in primis providendum diligenter, ut auditores dicta intelligant. *Mom.* Rectè quidem hoc dixisti Apollo, quòd eos laudasti qui perspicuè loquuntur: quanquam id non admodum in oraculis tuis observare soles, quæ tu obliqua & intricata reddis, & in mediam intercapedinẽ tutò projicis plerumque, ut ad eorum expositionem auditores alio egeant Pythio. Sed quid ad hoc affers consilii? quo remedio Timocli in dicendo impotentiæ succurrendum? *Apol.* Si possemus, ô Mome, patronum aliquem alium præbere, ex iis qui pro rei dignitate dicendi facultatem habent, & exprimere possunt quæ apud te meditatus suggesserit. *Mom.* Hoc dictum est, revera imberbis juvenis, cui sit adhuc pædagogo opus, patronum in conventu philosophorum sistere, præsentibus interpretaturum, quæ Timocli visa fuerint. Damin autem præsentem, & per se loqui. Hunc verò actore utentem, in aurem illi privatim susurrare quæ placet: actorem verò perorare, qui quod audit, fortasse non intelligat. Quomodo hæc non viderentur ridicula multitudini? At hoc aliter constituamus. Tu verò admirande (Nam te vatem quoq; ais esse nec mediocrem mercedem hac arte collegisti, quinetiã lateres aureos olim accepisti) cur non in tempore nobis specimen edis tuæ artis, prædicens uter philosophorum disputatione vincet? Nam tu qui vates es, eventum nosti. *Apol.* Quî hęc facere possim, ô Mome, cùm nec tripodem in præsentia habeam, nec thymiamata, aut divinum fontem, qualis est Castalius? *Mom.* Videsne? refutationem aufugis quum jam in angusto constringeris. *Iup.* Dic tamen ô fili, nec sycophantæ huic ansas præbeas calumniandi, résq; tuas subsannandi, tanquam in tripode, aqua, & thure sitas, quas nisi habeas, arte priveris. *Apol.* Satis erat, ô pater, hæc Delphis, & Colophone facere, ubi omnia pro more sunt parata, quæ ad vaticinandum sunt commoda. Attamen illis destitutus instrumentis conabor prædicere utrius futura sit victoria. Quod caperetis, nisi carmine responsum darem. *Mom.* Dic, sed perspicua tantùm Apollo, quæ neque patrono, neq; interprete indigeant. Etenim non ovillæ carnes, aut testudo in Lydia coquitur: verùm scis qua de re sit consultatio. *Iup.* Quid tandem dices fili? Nam hæc præcedunt oraculum, & jam sunt formidanda, color est immutatus, oculi mobiles, crispata coma, motus corporis furibundus. Denique numinis afflatu, terriculo, & mysteriis plena sunt omnia.

APOL. *Percipe faticani gens dicti oracula Phœbi,*
Lite super dura, quam constituêre Sophista
Clamosi, solidis tuti sermonibus ambo.
Hinc atque hinc multa alterno clamore tumultus,
Summa quidem spissa terrent aplustria astis,
Locustam at curvo vultur quum prenderit ungue,
Imbrifera clangent cornices ultima: vincent
Muli: asinus feriet velocia pignora cornu.

Iup. Cur hoc, Mome, excepisti cachinno: atqui ridicula nõ sunt quæ nobis impendent. Desine infœlix: risu suffocaberis. *Mom.* Quj non moveat mihi risum, Jupiter, tam clarum & apertum oraculum? *Iup.* Quin igitur & nobis interpretaris, quídnam sibi velit. *Mom.* Adeò liquida hæc sunt, ita ut nihil nobis Themistocle sit opus. Siquidem adeò perspicuè dicit oraculum, hunc quidem esse præstigiatorem: Nos verò clitellarios asinos & mulos, qui credamus ipsi non tantum habentes prudentiæ, quantum locustæ. *Here.* Ego verò pater, quanquam sum inquilinus, non tamen meam sententiam exponere verebor. Cùm autem ad disputandum convenerint, tunc si superet Timocles, disputationem procedere sinamus. Sin res secus cesserit, tunc ego si videtur concussam porticum in Damidem immittam, ne homo execrandus in nos insolescat. *Mom.* Hercules, eheu Hercules! quàm immane & Bœoticum consilium proposuisti, ut tot boni cum malo pereant: præterea porticus cum Marathone, Miltiade & Cynægiro? Et quomodo tot collapsis rhetores ampliùs declamarent, maximo ad orationes argumento privari? Præterea quum vivebas tale quid facere poteras. Sed ex quo factus es Deus, puto te didicisse, res hujusmodi duntaxat in potestate Parcarum esse sitas: earum esse nós expertes. *Here.* Nunquid quum Leonem, aut Hydram interfeci, Parcæ illud per me fecerunt? *Iup.* Maximè. *Here.* Et nunc si quis injuriam mihi inferat, aut templum meum compilando, aut statuam subvertendo, nisi id olim decreverint Parcæ, ipsum non comminuam? *Iup.* Nequaquam. *Here.* Ergo me cum libertate quæ sentio, dicentem audi Jupiter. Ego enim, ut ait Comicus, rusticus sum qui ligonem, ligonẽ voco. Si res vestræ sic se habent: honoribus, nidore, & sacrificiorum sanguine longum valere jussis, in orcum descendam, me nudum arcum habentem, saltem mortuorum umbræ pertimescent, propter feras à me trucidatas. *Iup.* Euge, testem, quod ajunt, domo adductum. Conservasti igitur istam Damidi ad dicendum subjiciens. Sed quisnam est iste qui tàm properè accedit, æneus, pulchris literis ornatus, scitè circumscriptus, cui prisco more religata est coma? Tuus potiùs frater est Mercuri. Agoræus ille qui stat ad Pœcilen. Proinde pice refertus est, cùm à statuariis quotidie refingatur. Quid, ô puer, cursu ad nos contendisti? num aliquid novi è terris renuntias? *Hermagoras.* Ingens quiddam, ô Jupiter, & quod summam requirit diligentiam. *Iup.* Dicito jam si quid aliud ortum sit quod nesciamus.

HERM. *Cùm ad porticum jam fabricaret aneus,*
Ac perque dorsum, perque pectus ungerer,
Factusque ineptè corpori thorax meo
Adpenderet, nec arte dispari foret,
Ex ære totus additus mihi baltheus,
Turbam video tumultuantem accurrere,
Qua cum duo sophistici certaminis
Ibant periti fronte tristi ac pallida
Pugiles, Damis &c.

Iup. Desine, Hermagora optime, tragicis versibus loqui. Novi enim quos dicis. Sed mihi dic, an jam diu contentionem commiserint. *Herm.* Nondum. Nam in velitatione adhuc versabantur, funda jaculantes & eminus sese mutuis convitiis impetentes. *Iup.* Quid ergo nobis faciendũ restat, ô Dii? an non inclinato in ipsos capite auscultandum? Itaque horæ pessulum jam adimant, & abactis nubibus cœli portas aperiant. Herclè quanta multitudo ad audiendum contendit! At non valdè mihi placet quòd Timocles iste trepidat & turbatur. Omnia hodie perdet: & manifestum est ipsum ut cum Damide pugnet non surrecturum. Sed quod nobis est facillimum, vota tacitè pro ipso faciamus nobiscum, ne Damis inaudiat. *Timocl.* Quid ais Dami sacrilege, Deos non esse, nec hominibus providere? *Dam.* Minimè. Verùm dic mihi priùs, qua ratione ipsos esse persuasus es. *Tim.* Non dicam. *Dam.* Non: sed tu. *Iup.* Hoc multò meliùs agit noster, quòd vocaliùs exasperatur. Euge Timocles obstrepe convitiis. Nam in hoc sita est victoria. Nam alioqui obturato ore te piscem reddet. *Tim.* At per Minervam, non respõdebo tibi prior. *Dam.* Ergo Timocles interroga. Hoc enim saltem obtinuisti, cùm juraveris: sed sine convitiis, si placet. *Tim.* Rectè dicis. Ergo dic mihi. Annon ô scelerate, Dii tibi videntur providere? *Dam.* Nequaquam. *Tim.* Quid ais? Hæc igitur omnia nulla providentia reguntur? *Dam.* Nulla. *Tim.* Neque Universitatis cura penes ullum Deum est? *Dam.* Non. *Tim.* Cuncta igitur impetu fortuito feruntur? *Dam.* Maximè. *Tim.* Hæcne fertis auditores, & scelestum hunc lapidibus non obruitis? *Dam.* Cur homines in me incitas Timocles? aut quis es, ut pro Diis indigneris, idque cùm non indignentur ipsi? qui olim audientes, saltem si audiunt, nullo malo me affecerunt. *Tim.* Audiunt, Dami, audiunt: & te aliquando postea ulciscentur. *Dam.* Ecquando ipsis contra me vacaret, cùm tot, ut ais, sustineant negotia, & rerum quæ sunt in mũdo infinitam multitudinem regant? Itaq; nec te, quòd semper perieras, puniverunt. Nec propter alia: ne præter pactum maledicere cogar. Nam non video quónam alio argumento majore suam providentiam demonstrare possent, quàm si te malum malè perderent. At certum est eos peregrè esse profectos, ultra Oceanum fortasse, & inculpatos Æthiopas. Solent enim ad eos crebrò ire commessatum: interdum etiam non vocati. *Tim.* Quid ad tantam impudentiam tibi dicerem Dami? *Dam.* Nimirum illud quod jamdudum ex te audire cupio, qua persuasione credideris Deos providere. *Tim.* Id mihi rerum primus ordo persuasit. Sol qui idem iter semper conficit, eodémq; modo Luna, & tempestatum mutatio, & plantarum procreatio, & animalium generatio, horúmque ipsorum tam elegans compositio, ut alantur, moveantur, cogitent, incedant, fabrilem artem & sutoriam exerceant. Atque id genus alia, mihi Providentiæ videntur esse opera. *Dam.* Tu quidem Timocles, quæstionem corripis. Nondum enim liquet an horum unumquodque Providentia perficiatur. Cæterùm quòd hæc fiunt, nec ipse negaverim. Non tamen ilicò necesse est credere, ea aliquo consilio fieri. Contingit enim ut hæc incœpta sint, núncq; similiter, eodémque modo constituantur. At tu ordinem eorũ, necessitatem appellas. Deinde scilicet indigna-

beris, si quis te non sequetur, cùm ea quæ fiunt, qualia sunt enumeres, & putes hisce demonstrasse, horum unumquodq; immutari Providentia. Itaq; juxta Comicum, hoc subfrivolum est: aliud mihi dicito. *Tim.* Equidem existimo alia præterea demonstratione non esse opus. Veruntamen dicam, ac respondе. Homerus videtur tibi fuisse Poëta præstantissimus? *Dam.* Maximè. *Tim.* Proinde ipsi credidi, Deorum providentiam declaranti. *Dam.* Certè vir admirande, Horum bonum quidem fuisse poëtam omnes tibi confitebuntur: sed veracem rerum hujusmodi testem, neque illum, neque alium ullum poëtam concedent. Neque enim veritatem ut puto, curant: sed demulcere auditores intendunt. Propterea versibus occinunt, fabulis personant, omnia denique delectandi causa moliuntur. Libenter autem ex te audirem, quibúsnam Homeri dictis potissimùm ad hoc credendum sit adductus. Num iis quæ dicit de Jove, ut per insidias ipsum vincire voluerint filia, & frater, & uxor ejus? Ac nisi Briareum accersivisset Thetis, facinus miserata, nobis correptus ille Jupiter optimus fuisset vinculis obstrictus. Pro quibus, beneficii memor, ludit Agamemnonem immisso fallaci somnio, quòd multi morerentur Græci. Vidésne? Non enim poterat immisso fulmine Agamemnonem ipsum comburere, nisi deceptor videretur. An illa re potissimùm adduxerunt ut crederes, quum audiebas à Diomede vulneratam Venerem, deinde Minervæ jussu Martem. Aliquanto verò pòst congressi Dii singulari certamine promiscuè cùm masculi, tùm fœminæ pugnárunt: in quo Pallas Martem, ut accepto à Diomede vulnere infirmiorem superat. Contra Latonam stabat Cyllenia proles. An quæ de Diana dicuntur visa tibi sunt fide digna? ut cum querimonia indignata est, quòd ad convivium Oenei non fuisset vocata: quam ob causam aprum ingentem, & invicti roboris in regionem ipsius immisit. Nunquid Homerus hæc dicendo tibi persuasit? *Iup.* Papæ! quanta ô Dii turba Damin collaudans exclamavit! Noster verò manet hæsitabundus. Quare metuit, & subtrepidat, & manifestum est fore ut scutum abjiciat. Jamque circunspicit qua elapsus aufugiat. *Tim.* Num neque Euripides tibi videtur sani quicquam dicere, quum introductis in scenam Diis, indicat bonos heroas ab ipsis servari, malos verò propter impietatem, qualis tu es, puniri? *Dam.* At ô generosissime philosophorum Timocles, si tibi hæc persuaserunt Tragici poëtæ: necessum est ex his duobus alterum consequi, ut aut Polum & Aristodemum, & Satyrum tunc putes esse Deos, aut Deorum personas ipsas, & cothurnos, & vestes ad pedes usque demissas, chlamydes, manicas, ventralia, corpuscula, aliaque quibus illi tragœdiam exornant: quod ego maximè ridiculum arbitror. Nam quum per se, nulla necessitate adactus, suam in fabulis sententiam dicit, liberè loquentem audies.

Vides supernum, simul & immensum æthera,
Terram humidis circumtenentem in brachiis.
Illum Iovem arbitrare, nec non hunc Deum.

Et rursus:

Iupiter, is qui Iupiter est: non enim ni ex fama novi.

Et id genus.

Tim. Proinde omnes homines gentesque decipiuntur, quum Deos esse putant, eorumque dies festos celebrant. *Dam.* Benè Timocles, in memoriam mihi revocasti gentium opinionem: unde potissimùm intelligi possit, nihil habere certi ea quæ de Diis perhibentur. Nam multa est dissensio, & alii aliud opinantur: Scythæ Acinaci sacrificant, Thraces Zamolxidi fugitivo homini, qui Samo ad ipsos venit: Phryges Lunæ, Æthiopes diei, Cyllenii Pheleti, Assyrii columbæ, Persæ igni, Ægyptii aquæ. Nam omnibus Ægyptiis communis est aqua. Privatim autem, Memphitis bos est Deus, Pelusiotis cepa, aliis Ibis, aut crocodylus, aliis cynocephalus, aut felis, aut simia. Præterea vicatim, aliis Deus est dexter humerus, aliis qui regionem adversam incolunt, sinister: aliis dimidium caput, aliis fictile poculum, aut catinus. Quomodo hæc, ô bone Timocles non sint ridicula? *Mom.* Nónne dicebam, ô Dii, hæc omnia in propatulum ventura, & fore ut accuratè examinarentur? *Iup.* Dicebas, ô Mome, & rectè objurgabas, atque hæc corrigere conabor, si præsens periculum evitárimus. *Tim.* At tu, ô Deorum inimice, oracula, & rerum futurarum prædictiones, cujus opus esse dices? nonne Deorum, eorundemque providentiæ? *Dam.* Nihil dicas, vir optime, de oraculis, siquidem ex te quæram, cujúsnam illorum mentionem facere velis potissimùm. Num illius quod Lydo Pythius reddidit? quod quidem prorsus anceps erat & biceps: quales sunt quædam Mercurii imagines, duplices, & utrinq; similes, ad utramlibet illarum partem te verteris. An potius, Crœsus trajecto Hale, suum quam Cyri imperium evertet. Atqui non paucis talentis perditus ille Sardianus, ambiguum hoc dictum emit. *Mom.* Hæc ipsa, ô Dii, vir iste commemorat, quæ maximè pertimescebam. Ubi nunc est festivus ille noster citharœdus? ad hæc refellenda descende. *Iup.* Tu nos mactas, ô Mome, cùm nunc intempestivè nos reprehendas. *Tim.* Vide quid facias scelerate Dami, ipsa Deorum templa & aras oratione tua propemodum subvertis. *Dam.* Non omnes saltem aras Timocles. Quid enim ex ipsis mali accidit, si suffitibus, & suavibus odoribus sint plenæ? Verùm Dianæ aras quæ sunt in Tauris, libenter viderem funditùs eversas, in quibus virgo tam suavibus epulis gaudet. *Iup.* Hoc unde nobis insuperabile malum obstrepit, quam nulli Deo parcit hic vir: sed ex plaustro liberè loquitur,

Ordine corripiens sontem, insontemq; perinde.

Mom. Atqui paucos Jupiter à culpa immunes inter nos invenies. Et forsitan progressus ille ex supremis aliquem offendet. *Tim.* Neque, ô Deorum impugnator Dami, Jovem ipsum audis tonantem? *Dam.* Quomodo tonitru non audirem Timocles? Verùm an tonet Jupiter, meliùs scire possis, cùm pro Diis inde adveneris. Nam qui ex Creta veniunt, nobis alia narrant, nempe ibi sepulchrum ostendi, & columnam stare, quæ indicet Jovem non ampliùs tonare posse, cùm jampridem sit mortuus. *Mom.* Equidem hoc ego ab homine dictum iri jamdudum sciebam. Cur igitur palluisti Jupiter, & præ tremore dentes concutis? Confidendum est, & contemnendi tales homunculi. *Iup.* Quid dicis, Mome, esse contemnendos? Non vides quàm multi audiant, & ut in sententiā contra nos adducti sunt, & in aures revincti à Damide abducuntur? *Mom.* At tu Jupiter, quum volueris ipsos omnes demissa catena aurea ipsa cum terra sustolles Oceanoq;. *Tim.* Dic mihi sceleste, nunquám ne navigasti? *Dam.* Imò sæpè, ô Timocles. *Tim.* Nunquid ventus id temporis incidens in carbasa, & implens navigia, vos ferebat, an verò remiges? cæterùm unus ad gubernaculum sedendo, navim servavit? *Dam.* Maximè. *Tim.* Nónne navis progredi non posset non gubernata, & universitatem hanc sine gubernatore, sine duce ferri putas? *Dam.* Euge Timocles, prudenter & potenter exemplo hæc demonstrasti. At ô Deorum amantissime Timocles, gubernatorem illum vidisti, nunquam non utilia excogitantem, eaque ante tempus parantem, & nautis imperantem. Navis autem nihil inutile, nec ad rem non pertinens habebat, quod usui non esset ipsis. Hic verò tuus gubernator, quem magnæ huic navi præsidere vis, ejúsque connautæ, nihil cum ratione, nihil ex dignitate ordinant. Sed fortè rudens in puppim protenditur, & pedes ambo in proram. Interdum aureæ sunt anchoræ, cheniscus plumbeus: & navis inferius est picta, superius deformis. Ex ipsis etiam nautis cernere est hunc pigrum, inertem, & ad opera meticulosum, duplicarium aut tripliciarium: illum ad natandum impigrum, & ad insiliendum in antennas facilem, ac rei cujusque utilis gnarum? hunc exhauriendæ duntaxat sentinæ destinatum. Eadem etiam in vectoribus videre licet, verberonem aliquem in prima sede sedentem ad gubernatorem, & honoratum: & alium cinædum, aut parricidam, aut sacrilegum summis honoribus potientem, & summa navis occupantem: multos verò spectatæ gratiæ in angustum scaphæ locum in imo compressos, qui à revera deterioribus calcantur. Ergo cogita quomodo navigárit Socrates, Aristides, & Phocion, quibus non satis opum erat ad victum: neque super nudis tabulis ad sentinam pedes extendere poterant. Contrà quantis bonis Callias, Midias, & Sardanapalus molliter usi sint, & sibi superiores conspuerint. Talia in hac tua navi accidunt, Timocles sapientissime. Idcirco infinita naufragia. Verùm si quis ei præfectus gubernator, videret & ordinaret singula, primùm quidem non ignorarent quínam ex navigantibus boni sint, quínam mali. Deinde cuique pro meritis convenientia distribueret: locum meliorem melioribus juxta se sursum, & deterioribus deteriorem deorsum. Et continuas meliores, & consiliarios fecisset. Atque alacri quidem nautæ, aut curanda prora, aut muri defensio demandaretur: aut omnino aliis præponeretur. Ignavi autem & segnis caput quotidie quinquies funè cæderetur. Quare ô admirande, tuum istud navis exemplum periclitatur corruere, quippe quod malum gubernatorem nactum est. *Mom.* Res certè Damidi secundo flumine procedit, plenisque velis fertur ad victoriam. *Iup.* Rectè ô Mome, judicas. Nihil enim validi Timocles comminiscitur: sed communia hæc, & quotidiana quæ omnia facilè refelluntur, alia aliis infundit. *Tim.* Proinde, quoniam navis exemplum tibi visum est non admodum validum, audi sacram, quod dicunt, anchoram & quam nulla machina rumpes. *Iup.* Quidnam dicturus es? *Tim.* Videas an consentanea hæc colligam, & an ea evertere possis aliqua ratione. Si sunt aræ, sunt etiam Dii. Atqui sunt aræ, Ergo & Dii. Quid ad hæc dicis? *Dam.* Si priùs ad satietatem risero, tibi respondebo. *Tim.* At videris nunquam ridendi finem facturus: attamen effare quo pacto ridiculum tibi videatur quod dixi. *Dam.* Quòd non sentias, tuam anchoram quantumvis sacram à tenui filo pendere. Nam conjunctis his duobus, Deos esse eò quòd sunt aræ, existimas te nodum firmum fecisse. Itaque cùm dicas te nihil firmius habere quod proponas, jam abeamus. *Timocl.* Ergo te victum confiteris, qui priorabis? *Dam.* Maximè Timocles. Tu enim ut ii quibus vis infertur, ad aras confugisti. Itaque per sacram illam anchoram, tecum, etiam super aris, paciscí volo, nos hac de re non ampliùs disputaturos. *Tim.* Hæc in me cavillaris, tumulórum effossor, scelerate, execrande, verbero, flagitiose. Nescimus enim quo patre sis natus: sed ut tua mater meretricem agebat, & ut fratrem occidisti, mœcharis, & adolescentes corrumpis gulosissime & impudentissime. At ne arrepta fuga priùs discedas, quàm à me plagas acceperis. Nam te quovis scelere contaminatum, jam hac testa frangam. *Iup.* Alter, ô Dii ridens abit: alter sequitur affatim ingerendo convitia, Damidem deridentem non ferens, & videtur ipsi testam in caput impacturus. Verùm nos in hoc negotio quid faciemus? *Merc.* Illud mihi rectè dixisse videtur Comicus,

Nihil passus es mali, si tibi non attribuas.

Et enim quàm ingens est malum, si pauci homines in hanc sententiam adducti abeunt? Sunt enim multi, & plures quàm Græci, qui in contrariam eunt, vulgus, plebs, barbarique omnes. *Iup.* At, ô Mercuri, præclarum est illud, quod de Zopyro dixit Darius. Quare & ipse mallem, unum hujusmodi, qualis est Damis, auxiliatorem habere, quàm sexcentis Babylonibus imperare. *titulo Iovis Tragœdi.*

Lucia-

Lucianus : Ira me amet cœlestis Jupiter, ut nihil tale in te siet. *Tri.* Amplius etiam terrefecisti me, quum Jovem dejerasti. Quid enim ille poterit ulcisci te, etiamsi fidem jurisjurandi transgrediaris ? Arbitror enim neque te de Jove isto tuo ignorare. *Cri.* Quid ais ? an non poterit Jupiter in tartarum præcipitare me ? An ignoras, quòd deos omnes dejecit à divino illo ætheris pavimento ? & Salmoneum, qui contrà tonare ausus fuerat, paulò antè fulmine præcipitavit, & ut petulantissimus quisque est, etiam nunc. A poetis autem & Titanum victor, & Gigantum interfector carminibus celebratur, quemadmodum & apud Homerum. *Tri.* Tu quidem Critia, omnia ea percurristi, quæ Jovi tribuuntur : sed si tibi ingratum non est, ausculta. An non Cygnus ille fuit & Satyrus ob petulantiam, imò & Taurus ? Ac nisi scortillum istud celeriterin humeros sustulisset, & per pelagus effugisset, fortassis araret etiam nunc, ubi in agricolam aliquem fortè incidisset iste tuus tonitrua faciens, & fulmina jactans Jupiter, & pro eo quod nunc fulmina jaculari dicitur, stimulo impelleretur. Illud autem quòd cum Æthiopibus convivatur, hominibus nigricantibus, & vultum obscuratis, & in duodecimum usque solem ab illis non discedit, sed apud ipsos vino madefactus desidet, idque cum barbam tantam habeat, an non quæso, pudore dignum fuerit ? Quòd autem ad aquilam attinet, & ad Idam, & quòd imprægnari per totum corpus solet, etiam dicere erubesco. *Cri.* Quid igitur, num Apollinem dejerabimus, ut qui vates optimus sit, & medicus ô bone. *Tri.* Vanum atque mendacem istum vaticinatorem dicis ? qui Crœsum paulò antè perdidit, & post ipsum, etiam Salaminios, alióque innumeros, obliqua atque ambigua omnibus illis respondendo. *Cri.* Neptunum autem quid ? qui & tridentem manu tenet, & in bellis immensum atque terribile quiddam clamat, quantum alii viri mille, aut etiam decies mille : præterea & terræ tremefactor, ô Triephon, appellatur. *Tri.* Adulterum istum dicis, qui Salmonei filiam Tyro, paulò antè vitiavit, & adhuc etiam mœchatur, liberatórque & patronus hujuscemodi vitiorum est. Nam Martem cum vinculis premeretur, & nodis insolubilibus cum Venere arctaretur, cæteris diis omnibus præ pudore silentibus, equestris iste Neptunus exoluit, in lachrymas profusus scilicet, perinde ut puerili magistros formidantes, aut quemadmodum aniculæ, puellas decipientes. Instabat autem precibus Vulcano, ut solveret Martem. Ac claudicans iste deus, misertus dei senioris & vetusti, liberavit Martem : quare & mœchus est, ut qui mœchos conservet. *Cri.* Quid igitur, Mercurium ? *Trie.* Apage mihi veteratorem istum, improbum, Jovis libidinosissimi servum, ipsum quoque libidine insanientem in adulteria. *Cri.* Proinde neque Martem, aut Venerem recepturum esse te scio, ut qui jam antea abs te calumniis impetiti fuerint. Quapropter missos & hos faciamus. Minervæ autem adhuc mentionem faciam, virginis videlicet armatæ, & terribilis deæ, quæ & Gorgonis caput pectori applicatum habet, deam Gigantum interfectricem. Non enim opinor, habes, quod de ipsa dicas. *Tri.* At dicam tibi etiam de ista, si mihi respondere voles. *Cri.* Dic, quidquid volueris. *Tri.* Dic mihi igitur, Critia, quæ Gorgonis hujus utilitas est ? & cur pectori gestamen hoc dea applicatum habet ? *Cri.* Uti terribile quoddam spectaculum, & quod mala avertere possit. Sed & hostes perterrefacit, & victoriam utroque inclinantem, quocunque ipsa vult, advertit. *Tri.* Num ob hoc ipsa quoque Glaucopis insuperabilis est ? *Cri.* Atque admodum. *Tri.* Cur igitur non illis potiùs qui servare possunt, quam qui servantur, femora adolemus taurorum atque caprarum, ut nos quoque insuperabiles reddant, perinde atque Minervam ? *Cri.* Atqui non potest illa eminus auxiliari, perinde ut diis, sed solùm si quis ipsam gestat. *Tri.* Et quidnam hoc ipsum est ? Volo enim ex te scire, uti qui inveneris talia, & quam maximè perfectè assecutus sis. Ignoro enim omnia, quæ de ipsa feruntur, præterquàm nomen. *Cri.* Ipsa quidem puella fuit, elegans, & amabilis. Perseus autem, cùm huic dolo caput amputasset, vir generosus & in arte magica laudatus, carminibus illam incantasset, in munimentum dii sibi ipsam retinuerunt. *Tri.* Hoc præclarum olim me latuit, quòd dij hominum quoque indigent. Quæ autem viventis utilitas fuit ? meretricabatur nimirum per cauponas, aut latenter vitiabatur, deinde se ipsam virginem appellabat. *Cri.* Non per ignotum Deum Athenis : sed virgo permansit, usque ad decollationem. *Tri.* Ergo si quis virgini caput amputaverit, terriculamentum hoc ipsum erit multitudini ? Novi enim innumeras membratim & per partes dissectas insula in circunflua, Cretam illam nomine dicunt. Quòd si igitur cognovissem hoc, ô optime Critia, quàm multas tibi Gorgonas ex Creta huc attulissem, téque ducem insuperabilem reddidissem. Poëtæ autem & oratores, multò me Perseo antepositissent, ut qui plures Gorgonas invenissem. Verùm res Cretensium, adhuc memini qui mihi sepulchrum Jovis tui istius demonstrabant, & occultas valles, quæ matrem ejus enutrierant, quanquam adhuc viridia ipsa ea arbusta essent. *Cri.* At nesciebas incantationem, & sacrificia quibus utendum fuisset. *Tri.* Si hæc, ô Critia, per incantationes facta sunt, fortassis etiam ab inferis excitasset illam, & in lucem dulcissimam reduxisset. Sed nugæ istæ, ac ludicra & fabulæ sunt à poëtis prodigiosè confictæ. Quapropter & hanc omitte. *Cri.* Junonem autem, uxorem Jovis, & sororem eandem, an non recipis ? *Tri.* Tace obsecro, propter intemperantissimum concubitum, & istam ex manibus pedibúsque extentam, cursu præteryehe. *Cri.* Quemnam igitur tibi juraho ? *Tri.* Deum altè regnantem, magnum ætherium atque æternum, filium patris, spiritum ex patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria. Hæc tu Jovem puta, hunc existima Deum. *titulo Philopatridos.*

Diaboli.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. NAZIANZENUS : Cyprianus quidem virginem sollicitabat, ac pro lenone non vetula quadam mulierecula ad hujusmodi res idonea, sed dæmone quodam corporum ac voluptatis amante utitur. Rebellice siquidem & invidæ potestates ad obeunda hujus generis ministeria celeres esse solent, multos nimirum ruinæ suæ socios quærentes. hujus porrò lenocinij merces, victimæ & libamina erant, affinitasque ea quæ per sanguinem & sacrificiorum nidorem cum eo contrahitur. Talem enim iis mercedem pendi oportebat, qui hujusmodi beneficia contulissent. At puella simulatque malum persensit atque insidias intellexit : puræ etenim ac divinæ animæ diaboli technas celerius deprehendunt, quamlibet alioqui versipellis ille sit, atque in conatibus suis varius ac multiplex. Itaque refugit ad sponsum suum Christum, &c. *Oratione 18.*

D. Gregor. Nyssenus : Nulla vis, quæ beatitudinem corrumpere possit, in superna vita versatur. nam ille qui ad corruptelam & perniciem hujus vitæ multifariam multisque modis malitiam suam adversus humanam vitam exercet ; vel tineæ in modum mentibus innascitur, partem cuicunque inhæserit inutilem reddens ; vel per partem corrosivam & corruptivam, nisi celeriter de parte quam invaserit, excussus fuerit, ad proxima quæque serpendo progrediens, quæcunque movendo se contigerit, iis vestigium corruptionis imprimit : vel si interiora firma ac tuta sunt, per externas circumstantias insidiatur : Aut enim voluptate perfodiendo cordis thesaurum invadit, aut per alium affectum ex animæ receptaculo virtute eximit, vel ira, vel tristitia, vel angore vel alia simili quapiam perturbatione & affectu rationem subducens. *de perfecta Christiani forma.*

D. Chrysostomus : Sunt qui in bello multa acceperunt vulnera, si viderint arma ejus qui ipsos percussit, horrescunt : ita etiam Dæmones semicinctia solùm videntes territi abscedebant. Vbi nunc sunt divites, & qui se efferunt ac sibi placent ob divitias. ubi sunt qui suas enumerant dignitates vestesque sumptuosas : cum his seipsos conferentes, sua omnia videbunt esse lutum & cænum. *Homilia 13. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus : Si qui luctatur cum hominibus, opus habet ut parcè & frugaliter vivat ; multo magis is qui cum dæmonibus. quando autem cum carnis abundantia ac pinguedine, divitiis quoque fuerimus alligati, quomodo vincemus adversarios ? *Homilia 13. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus : Cur dicit eum principem sæculi ? quoniam tota ferè humana natura seipsum illi dedit, & omnes sua sponte ei serviunt, & ex libero animi instituto & arbitrio : & Christo quidem bona promittenti innumerabilia, ne animum quidē adhibet quispiam. illi autem nihil tale pollicenti, sed ad gehennam transmittenti cedunt omnes. *Homilia 4. ad Ephesios.*

D. Chrysostomus : Dic mihi, si habeas aliquem filium, ille autem relictis famulis, qui sunt honesti & facie liberali, versetur cum iis qui tibi fuerunt molesti, qui in tesseris & alea sunt occupati, & hoc faciat perpetuò ; non exhæredabitur ? Perspicuum est, eum esse exhæredandum. Ita nos quoque si dimissis Angelis qui Deo placuerunt, & qui nobis sunt præfecti, versemur cum diabolo ; omninò erimus exhæredes. Absit : sed bellum adversus eum suscipiamus. Si quis habet inimicum, si injuria ab aliquo est affectus, si quis est efferatus : omnem congregatam asperitatem & ferociam effundat in caput diaboli. Heic ira res est bona & honesta : heic excandescentia & indignatio res est utilis, injuriæ acceptæ recordatio & odium res est laudabilis. Quomodo enim in externis injuriæ acceptæ meminisse est bonum. Itaque si habes vitia & defectus, ea heic exerce, si non potes ea deponere, aut cum membris tuis. Percussit aliquis ? Sis injuriæ acceptæ memor, & odio habe diabolum, & nunquam ei reconciliare, nec adversus eum susceptas compone inimicitias. At non percussit. Sic quoque sis memor acceptæ injuriæ, & eum habe odio : quòd dominum tuum affecerit contumelia, quòd offenderit, quòd fratribus noceat & cum eis bellum gerat. Sis semper inimicus, semper acerbus, semper immitis & ferus. Ita ille erit humilis, sic erit despicabilis, sic captu facilis. Si nos simus in eum feroces, ille in nos non erit ferus : si nos simus clementes & benigni, tunc ille erit ferox ; non sicut in nostris fratribus. Ille est inimicus & hostis, & vitæ & salutis, & nostræ & suæ. Si seipsum non diligit, quomodo poterit nos diligere ? Struamus ergo aciem, & eum feriamus : cùm magnum habeamus belli socium & adjutorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui poterit efficere ut minimè capiamur ejus laqueis, & nos bonis futuris dignabitur. *fine Homilia 22. ad Ephesios.*

D. Chryſoſtomus: Si in curſum atque equorum certaminibus nihil æque ſpectatu jucundum eſt; ac cùm quis totos currus unà cum aurigis impulſu ipſo proſtraverit, multisque quadrigis reſupinatis unà cum inſiſtentibus aurigis, ſolus ad metam calcemq; agonis contenderit; magnusque undique plauſus, & clamor aſcenderit; ille verò ex lætitia illa, & plauſibus quaſi volucris factus totum ſtadium equis confecerit: quantò major hinc exiſtet voluptas; cùm omnium hæreſium cuneos, & diabolica machinamenta, unà cùm aurigis ipſis, Dei gratia, omnia ſimul, confertim proſtraverimus. *Homilia 6. ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus: Diabolus ubi nos abducere minime potuerit quin rectè faciamus; alia quadam ratione molitur inanem reddere mercedem noſtram. nam vel vanæ gloriæ amorem, vel arrogantiam induxit; vel ſi nihil horum, murmurationem, vel ſaltem hæſitationem. *Homilia 8. ad Philippenſes.*

D. Chryſoſtomus: Quemadmodum avis, etſi non toto corpore, ſed uno tantum pede capta teneatur, in poteſtate ejus eſt qui laqueum tetendit; ita & nos, cùm & vitæ & fidei perverſitate capi valeamus, ſi vita ſolum oberraverimus, in jus diaboli labimur. 2. *ad Timotheum Homilia 6.*

Chryſoſtomus: Quemadmodum carnifices innumeris ſceleribus pleni, caſtigant alios; ita & nequiſſimo Dæmoni traduntur peccantes. *Homilia 5. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chryſoſtomus: At ille, inquit, furatus eſt, & ille eum nunciavit, ac prodidit. Imò ne id quidem ubique verùm eſt; ſed mendax irriſio: nihil enim norunt. nam ſi quid noſſent, quæ ad ſe pertinent ſcire ac prædicere magis debuerunt: quomodo ſcilicet multa donaria ſimulachrorum furto ſublata ſunt, quomodo auri plurimum liquatum eſt. Cur autem iſta ſacerdotibus ſuis non prædixere? nihil ergo noverunt, neque ſaltem ſalvandorum opum gratia prædicere valent, quando incendio ſua conflagratura ſunt fana, multiq; ex eis unà perituri, ut ne illorum quidem parcant ſaluti. enimverò forte fortuna potius fit, ſi quid ex his quæ prædixerunt, emergat. 2 *ad Timoth. Homil.* 8.

Idem: Simul ac acceſſiſti, ac rogaſti, te ipſum ſervum conſtituiſti; quippe ut credens rogaſti. Non, inquies, credens vera illos perſequi, ſed tentans an vera proſequerentur, acceſſi. Non eſt hoc credentis certò eos fallere, ſed ambigentis. cur enim quid erit interrogas? nam ſi quidem dicat; hoc erit, hoc age, & effugies: ne ſic quidem oportet ſimulachris credere. ſed ad ulteriora procedit amentia. Si enim quid futurum ſit, verè prædicunt, nihil inde lucraris, niſi mœrorem ſuperfluum. cùmque nullus futurus eventus ſit, rem tamen mœroris ipſe jam ſuſtines, teque ipſum inani dolore concidis. Si enim hoc nobis conduceret, nequaquam nobis Deus invidiſſet, neutiquam per livorem celaſſet, qui cœleſtia aperuit. 2. *Timoth. circa finem Homil.* 8.

Baſilius Seleuc. Tales Dæmonis ſunt machinationes: cum voluptate ſauciat, & accuſat pudendum in modum: ad ruinam impellit, & ruentes publicis ignominiæ notis conſignat. *Oratione* 3.

Baſilius Seleuc. Pſalmus & Lyra, & Gratia, arma ſunt in Dæmones. *mox:* Ubi Chriſti memoria, Dæmonum eſt pernicies. ubi ſigillum cœleſte eſt, ibi Diaboli exitium. *Sermone* 14 *ante finem.*

Baſilius Seleuc. Omnia funditus pereant, neque quidquam reliquum ſit non Dæmonum violentia convulſum, niſi tecta & inexpugnabili manu Dei muniantur. Concedit igitur minora, ut agnoſcamus majora, & cunctanter difficultatibus nos implicat, ut deteriorum ſenſum capiamus. *Sermone* 24. *ſ.*

Iſidorus Peluſiota: Eum, qui pugnis gaudet, ac tumultibus delectatur, atq; id ſtudet, ut omnibus odio ſit, quonam eum nomine aptiùs & commodiùs quiſquam appellet, quàm ſi ipſum nequam atque improbum dæmonem vocet, ut qui voluntate animíque inſtituto naturam mutarit? Quoniam igitur Chriſtus & hîc ante tempus dæmones torquet, & in altero ævo ſempiternum ipſis ignem unà cum ipſorum patre promiſit: aut tumultuariam vitam conſectari deſine, aut illud ſcito, te & hîc flagris obnoxium eſſe, & illic vindictam minimè vitaturum eſſe. *lib.* 1. *Epiſt.* 167.

Iſidorus Peluſiota: Si nec ſempiternæ cum Chriſto vitæ cupiditate flagratis, nec æternæ flammæ multam & condemnationem pertimeſcitis, certè aut cum contemptoribus dæmonibus certatis, aut inanima, & rationis expertia, nec ullo timoris ſenſu prædita hominum ſimulachra eſtis. *lib.* 1. *Epiſt.* 223.

Iſidorus Peluſiota: Communis quidem omnium hoſtis eſt Diabolus: generalia autem bella gerit adverſus eos, qui ipſius voluptatibus cultum minimè adhibent, nec per malorum radicem avaritiam ipſum adorant. Quorum in numero, & quidem inter propugnatores, cùm ipſe ſis, ſpiritus armaturam arripe. *lib.* 1. *Epiſt.* 263.

S. Iſidorus Peluſiota: Illud tibi permirum videri dixiſti, quî fiat, ut diabolus, viribus ejus fractis & debilitatis, quàmplurimos homines in poteſtatem ſuam redigat. Ego verò minimè illud miror, quòd ſceleſtus ille excubans, ac nec tempus ullũ nec horam prætermittens, nos deſidia torpentes & dormientes ſuperet. Etenim eos quidẽ, quos ſuperarit in exitum ſecum trahere poterit: ac primum illud regnum quod à divina potentia everſum eſt, obtinere nullo modo queat. Imò contrà illud mirandum eſſet, ſi nos, nihil eorum, quæ victores decẽt, facientes, eũ, qui nihil non adverſus nos movet ac machinatur, vinceremus. Nam quod permulti homines unà cũ hoſte adverſus fratres in aciem procedant, ac propterea clades oriatur, etſi verũ ſit præteribo: ne hoc iis, qui id perpetrant, nimis grave atq; acerbũ videatur. Quapropter, cùm & ex noſtra ignavia concidamus, & per id quod ille hoc molitur, ut ea omnia quæ pro nobis eſſe debebant, nobis adverſentur, deiiciamur, ac denique per id quod fratres noſtri in illius caſtris verſentur, atq; adverſum nos arma capiant, offenſionem patiamur, ecquid eſt cur mireris nos vinci ac profligari: Quod ſi quæras; quidnam igitur faciendum ſit, hoc reſpondebo: Quoniam diabolus, & ſi cecidit, tamen ſtolidè ſe jactat, audaciaque effertur, excubandum eſt, laborandum, periclitandum, divinum auxilium accerſendum & implorandum, ac denique quidvis agendum, ut & ducem ipſum, & eos qui cum ipſo militant, ſuperemus, Nam alioqui, ſi nihil horum efficere in animum inducentes, ea quoque quæ præclarè à Chriſto geſta ſunt, prodimus, noſipſos, non diaboli robur (quòd Servator quidem extinxit, noſtra autem ſocordia auxit) accuſare debemus. *libro ſecundo Epiſt. 164.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ea, quæ cogitatione voluuntur, vir leniſſime, minimè diabolo cognita ſunt (hoc enim divinæ duntaxat potentiæ, quæ corda noſtra ſigillatim finxit, peculiare eſt) verùm ex corporis motibus animi conſilia venatur. Verbi gratia: Vidit quendam curioſè intuentem, atque aliena pulchritudine oculos paſcentem? Ipſius cupiditatem & impetum nactus, ſtatim aut ad adulteriũ, aut ad ſtuprum eum extimulat. Vidit iracundum, & ad excandeſcentẽ proclivem? Statim gladium acuit, atque ad cædem incitat. Vidit turpibus lucris addictum? Ad latrocinia & injurias hortatur. Vidit ventri deditum? Statim eas etiam, quæ infra ventrem ſunt, affectiones ipſi depingit, atque, ut quod ſibi animo proponit, exequatur, materiam ipſi porrigit. Quid enim eſt quamobrem non omnes in eaſdem affectiones impellit? Nimirum quia hic aliud, ille aliud vult, atque hoc huic, illud illi magis arridet. Quocirca ex corporis motibus animi quoque imbecillitates conjicit: atque ita fraudes ſuas nectit. *lib.* 3. *Epiſt.* 156.

Idem: Quanquam te communis ille omnium hoſtis aggreſſus eſt, velut ad primum clamorem devicturus, atque omnem tuam vitæ rationem primo impetu arrepturus: tu tamen, ut accepi, pervigili ſtudio divinam opem obtendens, multos quidem ipſi ad obſidionem labores conciliaviſti, irritas autem ipſius machinas atque tormenta reddidiſti, ac luculentum adverſus eum triumphum exiſti. De victoria itaque tibi gratulantes, ac triumphum canentes, te monemus, ut excubes, tibíque animum & mentem adhibeas. Hoſtis enim nec pudore commoveri, nec rubore affici novit, nec ad extremum uſque vitæ ſpiritum deſperatione frangitur: verùm armorum ac tormentorum loco natura ſua contentus, omni tempore inſidias ſtruit, non ſe victum fuiſſe cogitans, ſed ſuperiorem abſceſſiſſe ſomnians. Quocirca omni cuſtodia ſerva cortuum. Neque enim ſimplex (nam facilè deprehendi poſſet) verùm varia & multiplex adverſus eum pugna eſt. Nam cùm per pudicitiam ac temperantiam victus eſt, per avaritiam pugnat. Cùm autem hic quoque vulnus accepit, per invidiam inſidias parat. Quòd ſi hæc etiam aliquem ſuperaſſe conſpiciat, amicos armat. Quòd ſi horum quoque impetus ſuſtinuerit, famulos ad bellum inſtruit. Quòd ſi ne ab his quidem ſuperatus ſit, contemptionem ac ſegnitiem immittit. Quòd ſi hanc quoque fregerit, hoc ipſi in animum inducit, ut acceptarum injuriarum memoriam retineat. Quid autem omnia improbi illius tela recenſere aggredior? Quare hæc omiſſa faciam, illúdque fortitudinem tuam admonebo, ut omni ex parte oculatam ſe præbeat: quandoquidem omni quoque ex parte hoſtis eam impetit, atque in ipſa vitalia jaculatur. *lib. 3. Epiſt.* 228.

S. *Iſidorus Peluſiota:* Non ſimpliciter adoritur callidus ille prædo eos, qui hoc tempeſtatis plenum mare navigant: verùm exploratis priùs atque cognitis animæ propenſionibus & appetitionibus, ità demum aggreditur, ac machinas ſuas inſtruit. Quid enim eſt, quamobrem Judam non ad libidinem, ſed ad proditionem impulerit? Nimirum quia partem illam præſidiis firmatam videbat: eam autem, quæ ad avaritiam pertinebat, infirmam & imbecillem. Ex crumenæ enim furto in ſpem venit fore, ut ipſe ad proditionem quoque facilè ſe conferret. Quocirca uniuſcujuſque appetitiones atque inclinationes & aſſenſus inquirens, nec tempus ullum aut horam prætermittens, ita denique materias externè ſubminiſtrat, atque in ea parte, ad quam eum propenſionem habere ſentit, vulnus infert. Ac propterea eum, qui laudem & gloriam conſequi cupit, omni ex parte munitum ac obſeptum eſſe oportet. Sæpenumerò enim hominis vitam, non ſecus ac civitatem quandam inexpugnabilibus muris circumdatam, per nutantem & imbecillam partem ditioni ſuæ ſubjecit, atque inanem & inutilem reliquorum murorum firmitatem reddidit. *lib.* 3. *Epiſtola* 385.

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam te mirari dicebas, quomodo nonnulli ex noxiis Dæmonibus poſtulârint, ſuum cultorem juſtum eſſe: illi verò injuſta agere ſuſtinuerunt: exiſtimo, idcirco ipſos poſtuláſſe ut cultor ſuus juſtitiæ operam daret, quia ſe pro Diis gerebant & ab omnibus haberi volebant. Injuſta verò ſubminiſtrabant, quòd improbi eſſent inſtituto animi & ſuâ voluntate. Nam quùm ſcirent, multos mortales virtutem in pretio habere, ſimulantes ſe virtutis ſtudioſos amare, ut videlicet opinionem probitatis ſibi conciliarent, non multò pòſt ſceleratis actionibus prodebant ſuum ad mala propendens ingenium. *lib.* 4. *Epiſtola* 105.

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Sicut exercitus pugnaturi, ea loca per quæ venturas hoſtium turmas ſciunt, aut foveis intercidere, aut ſudibus præfigere, aut tri-

aut tribulis infestare dicuntur ; scilicet, ut etiamsi non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat : ita etiam Dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacunque capiatur. *lib. 6. de gubernatione Dei.*

D. Chrysologus : Numquid nequitia spiritalis humanis distinguitur membris, & sensibus angustatur humanis, ut debilitates nostras, nostras perferat passiones : nec videre possit, nisi fenestris oculorum, & foraminibus aurium capere auditum, sermonem linguæ, aut oris officio proferre : & per hoc surdi, mutique statum miserabilem sustinere, cum tenuis & aerea natura carnem nesciat, refutet ossa, velut aura spirans orbem totum temporis transeat in momento : diversas species assumat, varias mutetur in formas, corda penetret, illudat animas, inspiret impias & turpissimas cogitationes : nec unde veniat, aut quo redeat, sentiatur : ac sic innocuas mentes, velut jaculum volans, lethali vulnere, & tota facilitate transverberet. *Sermone 52.*

Chrysologus : Diabolus hæreses inter fideles : inter sanctos, peccatum : inter pacificos, lites : inter simplices, dolos : inter innocentes, nequitiam gratis serere consuevit : non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat : nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes. Hostis plus ducem, quàm militem petit : nec obsidet mortuos, sed impugnat vivèntes : sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat sic laborat. Superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Quia diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, sed posteaquam prostraverit derelinquit : diabolus nō quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Fratres, ille malis nostris gaudet : surgit ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne, nostris vivit ex mortibus. Diabolus hominem non vult habere, sed perdere. Quare ? Quia ad cœlum unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur hominem pervenire. *Sermone 96. circa finem.*

S. *Chrysologus :* Diabolus nihil esset, si essent solicitiores homines & cautiores. Aut quid in homine unquam prævaluit ille virtute, nisi arte, mendacio, insidiis, fraude, dolo, nequitia, vitiorum ministerio, furore criminum? Ille voluntates hominum semper explorat, & bonas quidem voluntates refugit : malis autem voluntatibus obsecundat, ut sit minister scelerum, criminum leno, parasitus ipse vitiorum. Et quia potestate non potest, dominatur turpissimis mentibus turpissima servitute. Sic mendacio decepit Evam, sic cupiditate laqueavit Judam : sic Judæos cæcavit invidia, sic gentes idolorum caligavit errore, sic confudit populos pompa rerum, sic parvulos vanitate ne sana saperent, occupavit. *Sermone 10 5. pr.*

Io. Sarisberiensis : Hæc est enim fraudulentia malignorum spirituum, ut quod ultro faciunt, & dictitant hominibus faciendum, operose dissimulent, ut hoc facere videantur inviti. Simulant se coactos, & quasi exorcismorum virtute extractos fingunt ; & quo minus caveantur, exorcismos quasi in nomine Domini, aut in fide trinitatis, aut incarnationis, & passionis virtute conceptos componunt, eosdēq; hominibus tradunt, exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegii, & pœna damnationis involvant. Transfigurant etiam se interdum in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, munditiam consectantur, utilitatibus provident, ut quasi boni & propitii familiarius admittantur, audiantur benignius, amētur arctius, facilius exaudiantur : habitum quoque induunt venerabilium personarum, ut eis major & promptior reverentia impendatur. *lib. 2. cap. 27. Policratici.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus carmine 1. de rebus suis.

Quin etiam vafer innumeros extrinsecus hostis,
Humano generi stimulos excogitat acres,
Queis animam perimat, specie persæpe decora
Exitium occultans, quoties formidat apertos
Conflictus nec perspicuo contendere Marte
Audet. Talem etenim prorsus mortalibus ipse
Perniciem texit, qualem circumlitus esca
Hamus squamigeris pestem cum piscibus affert
Pectore qui medio, cupidi dum pabula quærunt,
Æs curvum traxere, suumque hausere repente
Interitum.

D. Nazianzenus Carmine 19. adversus Diabolum.

Tu minimis primo vitijs in pectora nostra
Influis, ac veluti exignis illaberis undis.
At simul atq; tibi, datus est locus, illico magnus
Irrumpis, rapideq; fluens latissimus amnis,
Donec me chaos arripiat barathrumq; profundum.

Prudentius passioni Romani.

Sum mutus ipse ; sed potens facundia
Mea lingua Christus luculenter dissideret ;
Ipse explicabit quos supremo spiritu,
Damon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore pestis pejor in novissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, & dolore savior,
Quassando pressis immoratur dentibus.
Hastile fixum sed manet profundius ;
Nec cassa sentit morsuum pericula.

Prudentius adverſ. Marcionitas.

Vis Domini aerios etiam est molita ministros,
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Majestate ferox, nimijs dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatq; suos licito jactantius ignes,
Persuasit suprijs genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esset,
Inciperet, nasciq; suum sine principe cœptum.
Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam ;
Qua docet è tenebris subitum micuisse tyrannum.
Qui velut æterna latitans sub nocte retrorsum
Vixerit & tecto semper regnaverit avo.

Prudentius contra Marcionitas.

Novimus esse patrem scelerum, sed novimus ipsum
Haudquaquam tamen esse Deum, quin imo gehennæ
Mancipium, Stygio qui sit damnandus averno,
Vertice sublimis, cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput, & fumo stipatus & igni,
Liventes oculos suffundit felle perusto
Invidia, impatiens justorum gaudia ferre.
Hirsutos juba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, & virides allambunt ora cerastæ
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervasq; in vincula tendit.
Ars illi est captare feras, animalia bruta ;
Irretire plagis, retinacula denisq; cacis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic mundum curis anfractibus ac silvosis
Horrentem scopulis, versuto circuit æstu :
Fraude alios tectisq; dolis innectere adortus ;
Porrò Gigantes alios luctando lacertis
Frangere, funereos late exercere triumphos.

Prudentius contra Marcionitas.

Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis
Et carne, & venis ferventibus, & vitioso
Felle putat, calidisq; animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit ;
Sed cum Spiritibus tenebrosis nocte dieq;
Congredimur ; quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cœlum inter, & infima terra
Quod patet, ac vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, ut sacra nobis
Oris Apostolici testis sententia prodit.
Nemo habitum natura, aut irritamina peccans
Corporis accuset : facile est frenare rebelles
Affectus carnis, nimiosq; retundere pulsus
Materia fragilis, & viscera victa domare.
Quippe animus longè præstantior, utpote summo
Æthere demissus, subjectos si velit artus
Imperio quassare gravi, jussisq; severis
Dedere ; regnanti domino vis nulla resistit.
Major ineat vis illa homini, qua flatile virus
Ingerit, & tenuem tenui ferit aere mentem.
Parthica non aquè ventos transcurrit arundo,
Cujus iter nullus potis est comprendere visus ;
Perpes enim volucres dum pennis transvolat auras,
Improvisa venit, nec stridor nunciat ante
Adventum lethi, quam pectoris abdita rumpat,
Securam rapiens medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis & medicata sagitta,
Quam jacit umbrosi dominatio lubrica mundi ;
Eludens excussa oculos, calamiq; volantis
Prapete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animæ est, aut tarda cavendi
Vulneris, ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium, purum, sapiens, subtile, serenum,
Nobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum ;
Factorem modò facta suum veneretur, & ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum ;
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spolijs stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce jacens, alieno & dedita regno
Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malum, mundiq; hominumq;, malignis
Hostis ad invidiam detorqueo? cùm mala nostra
Ex nostris concreta animis, genus, & caput, & vim,
Quid sint, quid valent, sumant de corde parente?
Ille quidem fomes nostrorum & causa malorum est.
Sed tantum turbare potest, aut fallere, quantum

Nos volumus, qui decrepito suggesta Leoni
Armamenta damus. friget fera futile frendens
Humani generis per suffragia gliscat.
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum,
Vt genuit Dauid, alias pater optimus, unum
Crimen Abessalon tetrum. pater ille, sed unum
Innocuas inter soboles genuit patricidam;
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum,
Ah pietas, signis contraria signa paternis
Egit, & unius commisit sanguinis arma.
Nostra attidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt, versis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum vivere pœnis.
Depopulantur enim nimium fecunda parentum
Viscera, & interitu genitalis stirpis aluntur.
Vipera sic moritur fusa per viscera prolis
Morsu, morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta virum: sed cùm calet igni
Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum
Ore sitit patulo caput inserit ille trilingue
Conjugis in fauces, atq; oscula fervidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta voluptatis vis saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Infusasq; bibit, caro pereunte, salivas.
His pater illecebris consumitur. at genitricem
Clausa necat soboles. nam postquam semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere, motatuq; uterum vibrata ferire,
Æstuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemq; genuit damnati conscia sexus,
Progeniem septi rumpentem obstacula partus.
Nam quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem intentibus excruciata
Carpitur, atq; viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis, prodit grex ille dolorum
Ingressum vitæ vix eluctatus, & ortum
Per scelus exculpens. lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum nascitur orba,
Haud experta diem, misera nisi postuma matri.
Non dispar nostra conceptus mentu, ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa venenum
Conjuge Beliade sic oscula devorat haustu
Interimq; rapit, sic felle libidinis ardens
Impletur vitijs perituro mixta marito.
Tunc prægnans lethale genus concepta maligni
Fert opera ingenij de semine complicis hydri,
Quem pœnis pensare prius sua facta necesse est,
Corrupta pro stupro anima proq; orbe perempto
Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperijs, soboles dum parturit, ex se
Contra naturam genitas; peccamina crebra
Scilicet, & pastos materno funere natos.
Hinc illa est Domini justa objugatio Christi:
Nonne pater Damon (vos increpo peccatores)
Concubitu carnis semen sitientis iniquum
Vos genuit. &c.

¶ Emblematis.

Seba. Crocodilus.

Niliacus qualis serpens fugientibus instat,
Instantes fugiens quamlibet antè ferox.
Sic vetus ille Draco, savus mortalibus hostis,
Te reprimente fugit, te fugiente premit.

Camerarius LXXXIV. Centur. 4.

Cœlo repetita placebunt.

Cœlesti auxilio vetus ille extinguitur anguis,
Humana elidit spicula missa manu.

Catsius Emblemate Sacro XXXIV.

Objecta movent.

Fit globus insidias muri dum tendit Echinus;
Et jacet immoto corpore fusus humi
Os latet in medio, quod dum putat esse cavernam
Musculus, ad socios non rediturus, init.
Cùm vitium, quod quisq; colit, rex calleat Orci,
Illius objectu pectora nostra trahit.
Lucro cibi capitur, vinosus imagine Bacchi;
Virginis aspectu mota libido furit.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iesus Christus Dominus noster: Diaboli ingenium & lapsum Christus describens, dicit, Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit. Non est enim veritas in eo. Quotiescunque loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est, & mendacij pater. *Ioann.* 8. 44.

D. Petrus Apostolus: Deus, inquit, Angelis qui peccarunt non pepercit: sed in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit damnationi servatos. 2. *Petr.* 2. 4.

D. Iudas Apostolus: Angelos qui non servata sua origine reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine Dominus reservavit.

Tertullianus: Factus (inquit) à Deo non est diabolus, id est delator. Supereſt ut ipse se fecerit deferendo de Deo, & quidem falsum: primò, quod Deus illos ex omni ligno edere vetuisset: dehinc, quasi morituri non essent si edissent: tertiò, quasi Deus invidisset illis divinitatem. Unde igitur malitia mendacii & fallaciæ in homines, & infamiæ in Deum? à Deo utique non, qui & angelum ex forma operum bonorum instituit bonum. Denique sapientissimus omnium æditur, antequam diabolus, nisi malum est sapientia, &c. *Adverſ. Marcionem libr. 2. capite* 10.

D. Cyprianus: Dominus, inquit, prudentes esse nos jussit, & cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper, & semper insidians, ubi in pectus obrepserit, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret: & dum remissis & incautis lenioreaura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & salutis ac vitæ naufragia moliatur. *Item.* Circuit diabolus nos singulos, inquit: & tanquam hostis clausos obsidens muros explorat, & tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis, & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut toni dulcioris auditu solvat & molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentib⁹ ad petulantiam cædis instigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta: ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostentat falsa, ut vera subripiat: & cùm latenter non potest fallere, exertè atque apertè minatur: terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquiens semper, & semper infestus: in pace subdolus, in persequutione violentus. *Lib. de zelo & livore.*

Basilius Magnus: Adversarius (inquit) nobis est diabolus, ob antiquam ex ejus insidiis ruinam, ita Domino disponente, ut cum illo luctarentur. Itaque per obedientiam nos renovavit, ut de inimico triumpharemus. Utinam quidem non esset factus diabolus, sed in ordine quo ab initio constitutus fuit remansisset. Postquam verò ab autore suo defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis ad ipsius imaginem constituti factus est. At Deus sapiens & providentissimus rerum humanarum dispensator ejus utitur ad nostram exercitationem malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem. Satan verò dicitur, quòd bono adversetur: & Diabolus, quoniam idem & in peccato nobis cooperator & accusator noster est. Gaudet ex interitu nostro, nósque eorum gratia quæ commissa, sunt traducit. Naturâ est incorporeâ, dignitate principali. Locus principatus est aër, &c. *Sermo. quòd Deus non est author malorum.*

Iacobus Eremita: Dæmon, Æthiopis nudi forma, ad Jacobum eremi incolam, pium virum, accedens, ejusq; fortitudinem impatienter ferens, minatus est se eum virga percussurum. Tunc Jacobus, Si tibi, inquit, permissum est à Deo universorum, percute, & plagam libenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum, non percuties, licet millies insanias. His auditis Dæmon aufugit. *Theodoret. hist. Sanct. Patrum, vita* 21.

Greg. Nazianzenus: Diabolus propter superbiam ex splendore caligo & effectus est, & nominatur, ac subjectæ ipsi rebelles potestates, quæ per boni fugam vitium effecerunt, ac nobis contraxerunt. *Oratione* 38.

Nobis circa occultum & internum hominem curatio omnis & studium versatur: atque cum eo hoste dimicandum habemus, qui nos interne oppugnat, & certamine lacessit, ac nobismetipsis (quo nihil miserius est) tanquam armis in perniciem nostram utens, peccati morte nos afficit. *In Apologetico.*

Si te (inquit) luminis persecutor & tentator post Baptismum adortus fuerit, ut certè adorietur (nam & Verbum, Deum meum propter carnis velamen oppugnare aggressus est: lumen inquam illud absconditum, propter humanitatem in aspectum cadentem) habes quo eum superes: ne certamen reformides. Aquam adversus eum oppone, Spiritū oppone, in quo ignita omnia illius pravi tela extinguentur. Spiritus quidem est, verùm montes dissolvens. Aqua quidem est, sed quę ignis extinguendi vim habeat. Si inopiam tibi proposuerit (nam hoc quoq; Christo proponere non dubitavit) ac fami tuæ insidias struens postularit, ut lapides in panes vertantur, ne illius cogitationes ignores. Doce quæ non didicit, vitalē illum sermonē oppone, qui panis est cœlitus missus, ac vitā mundo largitus. Si tibi per inanē gloriam insidias moliatur (quemadmodū & illi, cū in tēpli pinnaculū eū sustulit, ac dixit, Proiice te deorsū, ut divinitatis specimē edas) ne p animī elationē deiiciaris. Nam si hoc evicerit, nequaquā hîc cōsister: expleri non potest: ad omnia grassatur. Benignitatis quidē specie lenocinatur: verū in malū desinit. Hæc est illius pugnādi ratio. Atq; etiam scripturarū peritus est hic latro. Hinc illud, Scriptū est, de pane: hinc illud, Angelis suis mādavit de te, &c. In manibus portabūt te. O vitii Sophista! quomodo id quod sequitur suppressisti, nimirū quòd super aspidē te & basiliscū ascendā & calcabo super serpentes & scorpiones, Trinitate videlicet septus & cōmunitus? Si per avaritiā te oppugnet, uno tēporis momento atq; obtutu regna omnia, velut ad se attinentia, ostendens, arq; adorationem à te exigens, ut pauperem contemne, Dic, signaculo fretus, ipse quoque Dei imago sum: nondum ut tu, à superna gloria propter superbiam dejectus sum: Christo indut⁹ sum:

in Christo

in Christo transmutatus sum: tu me ipse adora. His verbis, mihi crede, ut à Christo primo lumine, ita ab iis qui ab ipso illuminati sunt, victus ac puderactus recedet. *Orat. in Sanctum Baptisma.*

Eusebius Eremita: Quum Eusebius monachus, propter leve aliquod delictum, severam admodum legem suis oculis totique corpori tulisset, Acacius vir pius eum curuo corpore & fixis in terram oculis angustissima semita incedentem conspicatus, quæsivit, quemnam caperet ex hac disciplina fructum, neque cœlum aspicere, neq; campum proximum contemplari, neq; ex angusta illa via egredi volens. Tum Eusebius, Hæc (inquit) molior adversus maligni dæmonis machinationes. Ne enim de magnis bellum gerat, conans auferre justitiam & temperantiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & ut fastu efferar & superbia intumescam efficiens, & quæcunque adversus hanc molitur animam, conor hostem ad hæc parva traducere, in quibus etiam si vicerit non magnum affert detrimentum: & si victus fuerit evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem evadere possit superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum (non valdè enim teritur qui in his damni aliquid accipit. Quod enim damnum est, vel videre cāpum, vel in cœlum oculos attollere, nec ne?) ad hoc me genus pugnæ transtuli. In hac enim me nec ferire potest, nec perimere, Non sunt enim hæc jacula lethifera, ut quæ illis feriris careant aculeis. *Theodoret. hist. sanct. Patrum, Vita 4.*

D. Bernardus: Multa apud veteres Theologos de reprobis illis Angelis extant insignia dicta. Ex Bernardo occurrunt quædam quæ sequuntur.

Vis videre furoris filium? Si vidisti Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo, quod est in impetu furoris præcipitatum, agnovisti de furore Dei. *Serm. 69. super cantica.* Patris cœlestis zelus graviter vindicavit in diabolum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. *Serm 1. de adventu Domini.*

Ab itineribus veritatis Domini incurvati sunt colles mundi, superbi dæmones, principes mundi hujus & harum tenebrarum, qui viam veritatis & misericordiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum Dei? Quid illi cum veritate, qui mendax est & mendacii pater? Habes manifestè de eo scriptū, Quòd in veritate non steterit. Quàm verò longè fuerit à misericordia, etiam inflicta nobis ab illo miseria nostra testatur. Quando ille unquam misericors fuit, qui homicida ab initio erat? Postremò, qui sibi nequam, cui bonus? Quàm nequissimus ille sibi, qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquam super propria damnatione compūgitur. Nimirum falsa præsumptio eum à via veritatis extrusit, crudelis obstinatio viam misericordiæ intercluſit. Inde enim nec in se unquam assequi, nec à Domino misericordiam consequi potest. *Serm. 11. in Psalm. Qui habitat.*

Nihil adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cùm ejus voluntas sit semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliunde quàm a Deo habet. Quamtamen potestatē semper moderatur Dominus: ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat quàm eorū exigunt merita qui puniuntur. *In parvis sermonibus 48 serm.*

Iam diabolo ignis est paratus, etsi nondum illo præcipitatus in ignem modico adhuc tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cœlestis opificis factus est, malleus universæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem: reprobos conterit in eorum damnationem, &c. *Serm. in transitu S. Malachiæ.*

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Iesus Christus: Discamus quoque generis nostri perpetuo insidiatori technas nectere, est quippe serpens lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur totus in intima cordis, dum nō sentitur, illabitur. Et quidem Salvator noster ejusdem impetitus insidiis in deserto, cùm variis modis ejus animum licet incautus venator pulsaret, eumdem severè reprimens, *Vade, inquit, Satana. scriptum est enim: Dominū Deum tuū adorabis, & illi soli servies.* Unicum resistendi illi remedium edocēs, soli Deo servire. *Matt. c. 4.*

Idem: Cum obiiceret Iudæis, diceretque: Vos facitis opera patris vestri. respondérent autem illi: Unum patrem habemus Deum. subintulit post quædam: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere: ille homicida erat ab initio. Ioan. cap. 8.*

D. Antonius Abbas: Magnus hic ad Dæmonum insultus impetusque propulsandos Athleta, rogatus à discipulis, quænam arma diabolicas impugnationes certò & validè repellerent; *Signum crucis, inquiebat, & ardens in Christum fides, inexpugnabilis sunt viris Deo dicatis & aheneum murum, adversus Dæmonum machinationes. D. Athan. in Vita.*

Apollo Abbas: Iste etiam comites de ratione Diabolo resistendi anxios adhortabatur, machinationes ejusdem in principio cogitationum propulsarent. Dicebat enim, *Contrito namque capite serpentis, totum corpus extinguitur. Palladius.*

Pithyrion Abbas: Hic quoque Eremi incolis dicere solitus, *Qui vult expellere à se Dæmones, is prius in servitutem redigat pravas animi affectiones. Qualem enim animi quis affectionem superarit, ejus etiam Dæmonem à se ejiciet. Ibidem, in Vita ejus.*

Macarius Abbas: Ille etiam fratri, quem nequam Spiritus occulta suasione eò induxerat, ut crederet se inutiliter in solitudine vitam agere, quòd nemini benefaceret; salutare consilium dedit: ut quoties in ejusmodi cogitatus incidisset, responderet; *Hoc saltem in solitudine utiliter ago, quòd amore Domini mei Iesu, à tigurriolo isto non decedo.* Cessarunt ibi præstigiatoris insidiæ, ubi amori Christi datus est locus. *In Vitis sanctorum PP.*

D. Martinus: Quodam die, Diabolus præmissa præ se, & circumjectus ipse luce purpurea, quo facriùs claritate adsumpti fulguris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroq; redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, ut nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti Martino in cella astitit. Cúmq; Martinus primo aspectu ejus fuisset hebetatus, diu multúmq; silentium ambo tenuerunt. Tunc prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum, descensurus ad terram, priùs me manifestare tibi volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, nec quidquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cùm videas? Christus ego sum. Tum ille, revelante sibi Spiritu, ut intelligeret diabolum esse, nō Deum: *Non se, inquit, Iesus Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prædixit. Ego Christum nisi in eo habitu, formaque qua passus est, nisi crucis stigmata præferentem, venisse non credam.* Ad hanc ille vocem statim ut fumus evanuit. S. Severus, *de Vita B. Mart.*

Hilarion. Camelum enormis magnitudinis, à Dæmone possessum, solidissimis funibus distentum triginta & eo ampliùs viri ad Hilarionem pertraxerunt, qui jussit camelum dimitti. Sratim verò & qui adduxerant, & qui cum Hilarione erant, usque ad unum omnes diffugerūt. Porrò ille solus perrexit obuiam, & sermone Syro, Non me, inquit, terres Diabole, tanta mole corporis: & in vulpecula & in camelo unus atq; idem es. Interim, porrecta stabat manu: ad quem dum furens, & quasi eum devoratura bellua pervenisset, statim corruit, & mansuetus factus est. Dicebat autem Hilarion, hominum causa Diabolum etiam jumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non solùm ipsos, sed & ea quæ ipsorum essent cuperet interire. Quod ex Jobi historia etiam confirmabat. *D. Hieronymus in Vita S. Hilar.*

Dialecticæ.

¶ Sententiæ Græcorum.

D. Greg. Nyssenus: Liquet omnibus, quod dialecticæ curiosa subtilitas pares in utramq; partem habeat, vel adversionem veritatis, vel ad mendaciuin indicandum. unde etiam ipsam veritatem, ubi hujusmodi aliqua adhibita arte profertur. sæpenumero suspectam habemus; quasi harum artium subtilitas atq; versutia, mentem nostram seducat, & in fraudem impellat, atq; à veritate avertat. *lib. de anima ac resurrectione.*

Aristides Rhetor: Atqui putabam ego non admodum hæc esse diversa, verū Dialecticam partem quandam esse Rhetoricæ, quemadmodum est interrogatio sermonis totius: & sicut cursores norunt incedere, non item omnes, qui incedunt, currere, eodem prorsus modo ad dialecticos habere se oratores.

Alcinous: Dialecticæ facultatis elementum primum Plato esse vult, in primis rei cujusq; essentiam, deinde quæ accidūt illi advertere. Quid autem unumquodq; sit considerat, vel à superioribus dividendo atq; definiendo, vel ordine converso, resolvendo. Ea vero quæ accidunt, & essentiis adhærent, vel ex iis quæ continentur per inductionem, vel ex iis quæ continent per ratiocinationem: ut meritò Dialecticæ partes, Divisio Definitio Resolutio Inductio statuatur ac Ratiocinatio. Divisionum igitur alia est generis in species distributio, alia totius in partes: ut cum animam in partem rationalem, & eam quæ perturbationibus obnoxia est; & hanc ipsam rursus in eam quæ appetendi & quæ irascendi vim continet, dividimus. Alia est insuper vocis in significata divisio, quoties idem unumq; rebus accommodatur pluribus. Tertia accidentium in subjecta divisio, ut cum dicimus Bonorum quædam ad animum, quædam ad corpus pertinere: quædam externa esse. Quarta subjectorū in accidētia: ut cū dicimus, hominum quosdam bonos, nonnullos malos, medios esse alios.

Divisione igitur generis in species primo utendum est, quoties quæ rei uniuscujusq; sit essentia, volumus dignoscere. Id autem absq; definitione fieri nequit. Ex divisione autem hoc pacto conficitur definitio. Rei definiendæ genus sumendum est: sicut hominis animal. Id deinceps per proximas partiendum differentias, usque ad species descendendo, ut in rationale & rationis expers, mortale & immortale. Sic enim, si proximæ adiiciantur generi differentiæ, hominis constituetur definitio. Resolutionis tres sunt species. Una est qua à sensibilibus ad intelligibilia prima ascendimus. Alia, qua per demonstrata & subdemonstrata ad primas & quæ medio carent propositiones ascendimus. Postrema, quæ ex suppositione ad ea quæ sine suppositione sumuntur pergit principia.

Et prima quidem hujusmodi est, ut si ab eo quod in corpore dicimus pulchrum, ad illud quod in animo dicitur pulchrum, transeamus: ab eo ad illud quod in vitæ officiis versatur, ac deinde ab eo ad illud quod in legibus; atque ita porro ad immensum pulchritudinis mare: ut iis quasi gradibus, ipsum quod reliquum est intueamur pulchrum. Secunda resolutionis species hoc modo fit: Supponendū id quod quæritur, & quæ priora sunt cōsideranda, eaq; demonstrāda, à posterioribus ad superiora progrediendo, donec ad primum & id quod in confesso est perveniamus: à quo sumpto rursus initio, ad id quod quærebatur cōpositionis modo regrediemur. Quæro exempli gratia, an immortalis sit animus, eoque ipso supposito, an idem

semper

ſemper moveatur quæro, hoc demonſtrato, iterum quæro, an id quod movetur ſemper, per ſe moveatur: quod cum rurſus demonſtraro, num quod per ſeipſum movetur, motus principium ſit quæro: poſtremo, utrum origine careat principium: quod quidem ut certiſſimum à cunctis admittitur; ingenitum quippe quod eſt, interitus quoque eſt expers.

A quo cum ſit perſpicuum, demonſtrationem colligam ejuſmodi: Si principium originis expers, erit & interitus. At quod per ſe movetur motus eſt principium. Per ſe autem anima movetur: expers ergo & interitus, & originis, & immortalis eſt anima. Quæ vero ex ſuppoſitione eſt, hujuſmodi eſt reſolutio. Qui aliquid quærit, illud primo ipſum ſupponit, deinde quid ex ſuppoſito ſequatur advertit. Tum vero ſi ipſius ſuppoſitionis reddenda ſit ratio, alio ſuppoſito, quærit, utrum id quod prius fuerat ſuppoſitum, rurſus ad aliam ſequatur ſuppoſitionem. Idemque ſemper obſervat, donec ad illud, quod non amplius ex ſuppoſitione ſumitur, pervenerit principium. Inductio autem omnis eſt diſputandi via & ratio, quæ vel à ſimili ad ſimile, vel à ſingulis tranſit ad univerſa. Quæ quidem ad excitandas naturales quas vocant multum confert notiones. *cap. quinto lib. de doctrina Platonica.*

Idem ſtatim: Orationis ejus quam Propoſitionem vocamus, duæ ſunt ſpecies; Affirmatio altera, altera Negatio. Affirmatio talis eſt, Socrates ambulat. Negatio talis Socrates non ambulat. Affirmationum autem & Negationum, alia Univerſalis, alia Particularis eſt. Et Particularis quidem affirmativa talis eſt. Quædam voluptas bonum. Negativa, Quædam voluptas non bonum. Univerſalis affirmativa, Omne turpe malum. Negativa univerſalis, Nullum turpe bonum. Ex propoſitionibus, aliæ Categoricæ ſunt, aliæ Hypotheticæ. Categoricæ quæ ſimplices, ut omne juſtum bonum. Hypotheticæ, quæ conſequentiam inferunt vel repugnantiam.

Syllogiſmorum etiam modis utitur Plato, tum redarguens tum demonſtrans. Redarguens quæ falſa ſunt, interrogando; demonſtrans quæ vera ſunt, docendo. Syllogiſmus porro oratio in qua poſitis quibuſdam aliud ab iis quæ poſita ſunt, vi tamen eorum quæ poſita ſunt, neceſſario efficitur. Syllogiſmorum alii Categorici, alii ſunt Hypothetici, alii ex utriſque mixti. Et Categorici quidem, quorum tam aſſumptiones quàm concluſiones ſimplices ſunt propoſitiones. Hypothetici qui ex hypotheticis fiunt propoſitionibus, Mixti qui utrumque complectuntur. Utitur autem Plato demonſtrativis argumentationibus, in iis in quibus mentem ſuam exponit dialogis: probabilibus, adverſus ſophiſtas & juvenes: contentioſis, adverſus illos, qui propriè contentioſi vocantur, Euthydemum dicis cauſa, & Hippiam. Cum vero Categoricæ argumentationis figuræ tres ſint. Prima eſt, in qua terminus communis de hoc quidem dicitur, illi vero ſubiicitur. Secunda, in qua terminus communis de utriſque prædicatur. Tertia, in qua terminus communis utriſque ſubiicitur. Terminos dico, propoſitionum partes. ut in hac, homo eſt animal, hominem & animal terminos vocamus.

Atque in prima quidem figura ſæpe interrogat Plato, ut & in ſecunda & tertia. Et in prima quidem, ſic in Alcibiade: Quæ juſta ſunt, honeſta ſunt: quæ honeſta ſunt, bona ſunt. Ergo quæ juſta ſunt, bona ſunt. In ſecunda, ut in Parmenide: Quod partes nullas habet, nec rectum eſt nec rotundum: at quicquid figuræ eſt particeps, aut rectum aut rotundum eſt: quod ergo partes non habet, nullius eſt particeps figuræ. In tertia ſic eodem in libro: Quod figuræ eſt particeps, quale eſt, quod figuræ particeps, finitum eſt: quod ergo eſt quale, finitum eſt.

Sed & Categoricis ſæpe interrogare Platonem videbimus, præcipuè verò in Parmenide, ejuſmodi: Si non habet partes ipſum unum, nec principium nec finem nec medium habet: quod ſi principium medium, finemque non habet, nec extremum habebit: ſi extremum non habet, ne figuræ quidem eſt particeps. Ergo ſi non habet partes ipſum unum, nullius figuræ particeps eſt. Ex ſecunda vero hypothetica figura, quam plerique dicunt tertiam, in qua terminus communis utrunque ſequitur extremum, hunc in modum quærit: Si non habet partes ipſum unum, neque rectum eſt, neque rotundum: at ſi figuræ eſt particeps, aut rectum aut rotundum eſt: idcirco ſi partes non habet, ne figuræ quidem particeps erit. Quinetiam ex tertia figura, quam nonnulli ſecundam eſſe volunt, in qua terminus communis, utrumque antecedit extremum, in Phædone ſic argumentatur: Si ſcientiam ipſius æqualis adepti, oblivioni non tradidimus, profectò ſcimus. ſin autem obliti ſumus, reminiſcimur.

Sed & mixtis, qui per conſequentiam aliquid efficiunt, ſic utitur: Si unum totum eſt & finitum, hoc, principium media finemque cum habeat, figuræ quoque eſt particeps: verum antecedens, verum igitur conſequens. Eorum autem qui per conſequentiam evertunt, ex hoc ipſo differentiæ conſiderantur.

Cum quis diligenter igitur facultates animi, variaſque hominum differentias, nec non diverſas orationis, quas huic aut illi accommodet, perſpectas habet formas, quis præterea quibus perſuaderi poſſit rationibus, accurate obſervarit, hic ſi occaſionem fuerit nactus commodam, & ad uſum accommodatam ſuum, perfectus erit orator. Neque aberraverit qui Rhetoricam illius, bene dicendi definierit ſcientiam. Fallaciarum quoque captionumque rationem, ſi rectè inſpiciamus, in Euthydemo à Platone inveniemus delineatam. Nam & quæ in vocibus, & quæ in rebus ipſis committuntur, tum quo pacto ſolvi debeant, ibi oſtenditur. Sed & decem prædicamenta, tum in ipſo Parmenide tum in aliis adumbravit dialogis. Totum vero ab etymologia in Cratylo complexus eſt locum. Denique, ut ſemel dicam, præ cæteris admirandus in dividendo, definiendoque quæ Dialecticæ vim maximè teſtantur, Plato noſter extitit.

Eorum autem quæ in Cratylo tradit, mens hæc eſt. Ibi enim quærit, utrum vi & ratione naturæ an vero poſitu facta ſint nomina: placetque illi poſitu quodam conſtare nominum rectitudinem: neque ſimpliciter tamen & fortuito, verum ut ipſam rerum naturam ſecuta videatur ejuſmodi poſitio: neque enim aliud eſſe rectitudinem nominum, niſi rei ipſius conſonam naturæ impoſitionem. Quare nec quamlibet impoſitionem nominis ad rectitudinem ſufficere, neque rurſus naturam, primumque vocis ſonum, ſed quod ex utriſq; compoſitum: ut quodvis nomen ponatur convenienter rei & proprie. Non enim ſi quodlibet nomen temere cuilibet adhibeatur, recte ſignificabit: ut ſi equi nomen imponamus homini. Siquidem loqui, quædam eſt actio. Quare non quocunque quis loquatur modo, rectè loqui exiſtimandus eſt: verum ſi ita, ut ipſarum natura rerum requirit, fuerit locutus. Quoniam verò ipſius locutionis pars quædam eſt, nominum impoſitio, ſicut & orationis pars nomen, ſequitur rectè vel non rectè nominare, haud qualibet nominum fieri impoſitione, verum naturali cum re ipſa nominis proprietate & convenientia. Vt is rectus demum nominum futurus ſit conditor, qui ipſo rerum naturam exprimet nomine. Rei ſiquidem inſtrumentum nomen eſt: non quodcunque ſors obtulit, ſed quod congruum naturæ. Quare hujus beneficio, alter communicamus res cum altero & diſcernimus. Ex quo ſequitur, nihil aliud eſſe nomen quam docendæ cuique & diſcernendæ rei inſtrumentum accommodum, ſicut telæ radius textoris.

Ad Dialecticum ergo & hoc pertinebit, rectè uti nominibus. Sicut enim radio textor, ut qui proprium ejus novit uſum, recte utitur, cum eum faber fecerit: ita nomine quod alius formaverit, recte & ut oportet, uteturDialecticus. Et ut clavum efficere fabri, uti autem recte gubernatoris eſt: ſic quoque nominum formator, quemadmodum oportet, nominibus utetur, ſi tanquam præſente Dialectico id fecerit: quippe qui perſpectas rerum quæ ſignificantur nominibus habet naturas. Atq; hæc de Dialectica obiter quaſi adumbrata ſint. *c. 6.*

Dicti.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dicta cuncta tanti habentur, quanti is eſt qui protulit.
Dicta Principum æquè ſitam quàm acta eorum publicant.
Dicta quæ ſunt tunc laudamus, facta eorum cum eſt fides.
Eadem dicta eademq; oratio æqua non æquè valet.
Facio meum ubique quidquid eſt dictum bene.
Malvelit petulans amicum perdere quam dictertum.
Omne dictum pro loco, vel tempore, fit bonum aut malum.
Quod dici poteſt bene, cunctis eſt commune gentibus.
Stultus ex dictis amicum, ex factis ſapiens penſitat.
Verba blanda, aurum eſſe rere? dicta docta pro dæmone?

¶ JAMBICA.

Dictum malum aut bonum fit tempore & loco.
Dixit bene abunde, qui res fecit ſatis.
Examina hominum facta; dicta neglige.
Firmare factis dicta, juſti aut fortis eſt.
Mala res frequenter pro dictis datur malis.
Non omninò temerè eſt quod vulgò dicitant.
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.
Odere reges dicta, quæ dici jubent.
Plus dicta amica ſtimulant, dicta quàm patris.
Quidquid bene ubique dictum eſt, id facito tuum.
Quidquid Dei dicunt, id rectum eſt dicere.

Diei.

¶ SENTENTIÆ ORATORVM.

LVCIANVS: Nam multa quidem ſunt, quæ & Attici eodem modo cum cæteris omnibus hominibus appellant: Apophradem autem ſoli illi atram, & abominabilem, & inauſpicatam, & nefaſtam, tibíq; ſimilem diem vocant. Ecce jam obiter didiciſti ſignificationem Apophradis. Hic Nefaſtus eſt dies, quo neq; magiſtratus publicè de rebus conſultant, neque lites in foro diſceptantur, neque ſacrificia peraguntur, neque quicquam eorum quæ fauſta ſunt tractatur. Atque dies hujuſmodi, apud alios aliis de cauſis indictus eſt. Aut enim gravi aliqua clade ſuperati, tales exinde dies, quibus rem malè geſſerunt, pro nefaſtis & inauſpicatis ad res legitimas gerendas, habendos cenſuerunt: aut mehercle etiam. Atqui ineptum fortaſſis, & intempeſtivum utique jam fuerit, dedoceri, ac denuo diſcere talia virum adeò ſenem, ne illa quidem, quæ his priora ſunt, ſcientem. *E pſeudologiſta.*

Petronius

Petronius Arbiter: Ego sic semper & ubique vixi, ut ultimam quamque lucem, tanquam non redituram, consumerem. *Satyrico.*

Symmachus: Non frustra prædicant, mentes hominum nitere liquido die, coacta nube flaccescere. Meus animus fidem facit exemplo. nam quoties tibi scribo, ex sententia sum: verbis, quorum aliàs supellex mihi defit, indulgeo. *lib. 1. Epist. 31.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Avibus v. 484.

Quod autem non dei igitur hominibus imperarunt antiquitus,
Sed aves & regnabant, multa sunt signa horum.
Statim autem vobis primùm ostendam gallum quod regnabat,
Imperat atque Persis primũ omnibus, Dario & Megabizo,
Quare vocatur Persicus avis à dominatione adhuc illa.
E. P. Propter hæc habens & nunc tanquam rex magnus discurrit,
In capite cassidem avium solus rectam.
P I. Sic etiam potuit, & magnus erat tunc & multus. quare etiam nunc
Præ robore hoc tunc illo quando solum diluculo cecinit,
Resultant omnes ad opus fabri ferrarij, figuli, pellium tinctores,
Coriarij, balnearij, farina venditores, tornoscuta, & lyras facientes.
Hi autem vadunt calceati nocte.

Prudentius ad Galli cantum.

Ales diei nuncius,
Lucem propinquam præcinit:
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos,
Ægros, soporos, desides.
Castique recti ac sobrij
Vigilate. jam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile sternere,
Si parte noctis addita,
Tempus labori adjecerit.
Vox ista quam strepunt aves
Stantes sub ipso culmine,
Paulo ante quam lux emicet;
Nostri figura est Iudicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisq; opertos segnibus,
Suadet quietem linquere,
Iam jamq; venturo die:
Vt cum coruscis flatibus
Aurora cœlum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.
Ferunt vagantes Dæmonas
Latos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos,
Sparsim timere & cedere.
Invisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ,
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscij
Norunt repromissæ spei,
Qua nos soporis liberi
Speramus adventum Dei.

Prudentius hymno matutino.

Hæc hora cunctis utilis
Qua quisque, quod studet, gerat,
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, iustitor.
Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum.
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli ac fœnoris,
Fandiq; prorsus nescij,
Nec arte fortes bellica,
Te Christe solum novimus.

Plautus Persa 1. sc. 3. v. 33.

Sed quid cessamus prælium committere?
Dum mane est, omnes esse mortales decet.
Nimis penè mane est. S. mane quod tu occeperis
Negocium agere, id totum procedit diem.

¶ Monosticha Trochaica.

Cura hodierna: quippe nulli cognita hora crastina est.
Cura maximè est habenda cuique mane & vesperi.
Damnat tandem cuncta noctis tristis ostendit dies.
Efficax magistra stultorum hominum longior est dies.
Eodem ubi die lusere pessum eunt liburnicæ.
Est lucrum die vel una non dolere, non queri.
Est dies judex diei, ultimus sed omnium.
Ex suo arbitrio potentes raro disponunt die
Hora nulla est ipse casus quin queat pessundare.
Idem eris quoque ævum per omne qui vltimo fueris die.
Inchoat finit ve pœnas vltimus nostras dies.
Iudicat dies de alio alius; ultimus sed de omnibus.
Iudicat dies supremus de diebus omnibus.
Lux bene acta plus patet quam non benè actum seculum.
Mane quod occipis negotium, id totum procedit diem.
Maximè cura est habenda cuique mane ac vesperi.
Nunc dies hominis nos erca, nunc dies homini est parens.
Optimè vivit sibi ire qui ultimum putat diem.
Postremi dies sunt testes vitæ sapientissimi.
Quis scit an hodiernæ summæ crastinum adjiciet Deus?
Sic diem quemque ordina, ac si sit futurus ultimus.
Singulos dies prudens vir singulas vitas putat.
Subsequens dies ubique testium est verissimus.
Singulos dies, vitasq; singulas putat sophus.
Vltimo die finitur vita, omni die perit.
Vltimo finitur, omni vita qua die perit.

¶ Jambica.

Aurora cui non cordi est, cordi vesperæ est.
Aurora Musis acceptissima est novem.
Bibamus atque amemus: digitus est dies.
Canu dies, nec non sapiens est artifex.
Cuncta in diem imò in horam sufficiunt probis.
Dies bonis perit quo nil agunt boni.
Dies magistra est omnibus mortalibus.
Dies malis perit, patrant quo nil mali.
Dies sequentes testes sapientissimi.
Discipulus est prioris insequens dies.
Dum mane est, omnes esse mortales decet.
Effluere prohibe optimos vitæ dies.
Etiam dies nederier stultis solet.
Flectit dies retroque ducit omnia.
Haud scire cuiquam est quid vesper serus vehat.
Hominem omnis hora mutat, nedum omnis dies.
Homini dies utique adimit agritudinem.
Horæ inquietat omnes ultima metus.
Idem eris in ævum, qui ultimo fueris die.
Iudex dies felicitatis ultimus.
Laudanda nunquam qua die haud fiunt suâ.
Lucrum est diei unius indolentia.
Malignitatem detegit tandem dies.
Mortalium vita, unus est tantum dies.
Natalis est æterni postremus dies.
Natura non domat feras; dies domat.
Nil est dies quod non revelet longior.
Nisi occupas, fugit dies quæque optima.
Nondum omnium dierum Lucifer occidit.
Planè dies mores probat mortalium.
Prudens diem sibi omnem ut ultimum ordinat.
Pulsa ire nube candidus solet dies.
Quam vis diem sapiens velut ultimam ordinat.
Rebus gerendis matutinum aptissimum.
Semper dies præsens putandus ultimus.
Suprema nostra singuli præcipitant dies.
Vesper diem finit, diem non inchoat.
Vires & iræ & luctus subtrahit dies.
Vix hora præsens obtinet certam fidem.
Vnus dies par est diebus omnibus.

Difficultatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Arduum nil, res eunti ad arduas per ardua.
Arduum nihil est ei qui tendit ad res arduas.
Comparanda haud difficulter, appetuntur segnius.
Comparanda difficulter appetuntur acrius.
Difficultas omnis almæ pervia est pecuniæ.
Est opus sumptu ac labore ijs grande queis cura decus.
Impetrandi difficultas, addit ardorem viris.
Multa facilia ex difficilimis magnitudo animi efficit.
Nil tam est facile, quin difficile sit quod invitus facis.
Nulla non pecuniæ ipsi difficultas pervia est.
Per facile acquisita nisu quilibet parvi æstimat.
Res eunti ad arduas per ardua, haud quidquam arduũ est.
Tædio est labore nullo quod venit parabile.
Tam nihil, grave est fiat quin id leve, ultrò si facis.

¶ Jambica.

Amoris ardor languet, cùm licet frui.
Arma absint licet dolique, magna si ruunt sua.
Constare parvo grande non debet decus.
Curantibus res arduas nil arduum est.
Difficili animo quis facilè res suas gerat?
Et Gordium nodum explicet Prudentia.
Facilia cuncta sunt viris sapientibus.
Haud comparantur, maxima absque pulvere.
Parata præda destruit cupidinem.
Quod difficile est, consuetudo facile efficit.
Quod percipi statim potest, silet statim.

Diffidentiæ.

¶ Sententiæ Græcorum.

Theophrastus Ethicis Character: Diffidentia est per quam omnes fraudis suspectos habemus. Diffidens autem is est qui si ad emenda obsonia puerum miserit, alium mox mittat, qui percontetur quanti emerit. Si ferat ipse pecunias, solet eas singulis stadiis numerare. Cubans in lecto, uxorem interrogat an capsam bene clauserit: an probe sit arca obsignata: an vestibuli foribus pessulus sit obditus: ac licet affirmet illa, nihilo tamen secius, nudus ac discalceatus è lecto surgens, accensa lucerna, obire singula & inspicere pergit, ac vix ita tandem somno se dedere. Ad debitores suos scenus sortis exactus, cum testibus accedit: ne inficias videlicet ire possint. Vestem poliendam dealbandamque, non ei dare solet qui fullo sit optimus: sed ei qui fidejussorem det idoneum. Quod si quis pocula ab ipso commodato roget, solet ille maxime quidem, non dare: aut si quando det, continuo repetere. Puerum à pedibus jubet non à tergo sequi, sed ante se ambulare: ne possit ille inter eundum fugam capessere, hac ratione cavens. Postremo iis qui cum aliquid ab ipso sumpserint, dicunt illis referin rationes: Imo, ait, deponè non enim vacat mittere flagitatum.

Libanius: Vis diffidentiam; benevolentia autem fidem comparat. *Declamatione decima nona.*

¶ Poetarum.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. v. 50.

Semper oculatæ nostræ sunt manus, credunt quod vident.

Plautus Trucul. 5. sc. 1. v. 9.

Manus vetat, priusquàm penes sese habeat, quidquã credere.

¶ Emblematis.

Crocodili lacrimæ. Embl. xxxix.

Aspiciens hominem lachrymas Crocodilus acerbè
Fundit, & in cassès fugiendo ducere tentat,
Hunc ubi perduxit, conantem cedere retrò
Invadit, rostroque illum discerpit avaro:
Nusquam tuta fides, hosti diffidito semper,
Nam nihil utilius quàm diffidentia prudens.
Florentinus Schonhovius.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

Debora: Jussu Dei Debora Prophetissa Baracum advocavit, & arma sumere jussit adversus Siseram. Baraco autem dicenti, Si veris mecum, utique iturus sum: sin autem non iveris mecum, non ibo. Debora respondit, Omnino itura sum tecum, nisi quòd non erit gloria tua, secundum hanc viam qua tu ambulas: in manum enim mulieris dedet Jehova Siseram. Deinde, exercitu Siseræ se ad pugnam accingente, Debora Baraco edixit, Surge: nam hic ille dies est, quo tradet Jehova Siseram in manum tuam: nonne Jehova procedit ante te? *Iudic.* 4. *&* 9. 14.

¶ Monosticha Trochaica.

Credulus repente pauper; dives est incredulus
Decipi persæpe nobis satius quam diffidere.
Diffidentia conservavit, perdidit fides opes.
Diffidentia est tutamen unicum tyrannidis
Est comes virtutum & ipsa macra diffidentia.
Et suam domum circum fert fisa nulli cochlea.
Fide paucis, fide nulli: rara jam viget fides.
Multa utilia; at nil utilius cauta diffidentia.
Tam malum est fidem habere cuivis, quam fidem habere nemini.

¶ Jambica.

Aliquando simus properi diffidentiæ.
Credulitate tutior diffidentia est.
Diffide; namq; nervus id prudentiæ est.
Diffide: ubique regnum habet corruptio.
Paucissimis habet fidem prudentia.
Prudentiæ nervos puta, diffidere.

Videantur plura titulo Credulitatis, & Fidei.

Dignitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus:* Cæteræ quidem dignitates temporaneæ sunt, atque unà cum hac vita depereunt, quæ & pecuniis sunt venales, quasquè haudquaquam quis dignitates dixerit, sed dignitatum nomina dumtaxat, in vestium ornatu, & in satellitum adulatione potestatem obtinentia. hoc autem, tamquam à Deo datum donum sanctificationis, itemq; & adoptionis, ne morte quidem intercidit, sed hac in vita splendescentes ubi effecit, ad futuram usq; nobiscum peregrinatur. *Homilia* 1. *ad Romanos.*

S. Isidorus Peluſiota: Non modò illud existima, te culpa & reprehensione carere, verùm etiam laudibus plenum esse oportere. Illud enim quorumlibet etiam est: hoc autem summa virtute præditorum. *lib.* 2. *Epist.* 39.

S. Isidorus Peluſiota: Non quidem me fugit, ô castitatis delubrum, meritò te hoc nomine discruciari, quòd Zosimus & Martinianus, Maróque item & Eustathius, qui Sacerdotum speciem præferunt, seipsos omni virtuti inaccessos & inuios, omni autem vitio planam ac facilem viam sedémque reddiderint. Verùm illud tibi exploratum esse debet, quòd quo majores honores consecuti sunt, eo quoque gravioribus supplicüis afficientur, ut qui ne beneficio quidem meliores effecti sint. *lib.* 3. *Epist.* 240.

S. Asterius: Consules etiam ipsi fama inclyti & ad fastigium humanarum dignitatum evecti per vanitatem opes exhauriunt, non modò sine fructu, sed & cum peccato; dicique vere potest, quam sublimis eorum thronus, tam insignem esse dementiam. Cum enim permultos capescere soleant honores, & amplissimas Regiæ præfecturas obtinere, quam plurimum equalibet exstruere opum studeant. Et hi quidem stipendium militare suum in commodum vertunt, illi justitiam & veritatem pretio sæpius addicunt, alii thesauros gazamque regiam depeculantur, & omnia undique nullo vel infami vel iniquo prætermisso lucro cum offensa Numinis coacervant; nunc autem præsident, aurumque congestum, intra breve tempus in aurigas, tibicines, mimos, saltatores, spadones distribuunt. Addo propudia mulierculatum quæ corpus suum vel carnifici venale præbeant bestiarios impuros & ab omni spe derelictos, ipsasque belluas, quibus alendis auro opus sumptuque in carnes aut mazam. Ista autem omnia non alia causa, quam ut ipsorum nomina contractibus ac diplomatis præscribantur. O stultitiam! o cæcitatem. Deus pollicetur, eorum qui pauperes alent nomina libris viventibus, immortalibus, incorruptibilibus inscriptum iri, quos neque tinea neque tempus absument. Et hos tu libros non affectas, non rationem tantorum promissorum habes, non memoriæ divinæ (qui liber ille vivus, inscribi infigique studes; sed contra magni facis à tabulariis exarari, à mangonibus prædicari, à vilibus adulatoribus excipi plausu, malus utilitatis arbiter, ineptus & imperitus rerum æstimator. Quin potius pauperem injuria affectum munerare; non Musicum dissolutum: affice beneficio viduam proscorto, mulierem decenter conclusam pro ea quæ se vulgat: inquire virgine sancta Deo psallente, & sperne psaltriam inverecundam ac palam cantu velut insidiis homines intemperantes captantem: fer opem pupillo, libera pauperem ære alieno ac fœnore, & gloriam perpetuam videbis. At tu oculos evacuas in turpem animi relaxationem, in risum indecorum & inconditum, neque consideras quam multas pauperum lacrymas dones, per quas opes illæ tuæ conflatæ, quam multi in vincula conjecti verberatique fuerint, aut ad laqueum accesserint, ut tibi suppetat quod scenicis hodierno die largiaris. Et quis quæso finis? Vanitas. Post omnia tumulus exiguus, paucorum obolorum vestis corpusculum ambiens; ac paulo post necessarium temporis malum, oblivio, quæ cuncta circa quæ sudaveris, tenebris involvat: sed & judicium divinum, & indeprecabilis mali propositi vindicta ac pœna. Vbi nam Consules & fasces? Propone tibi ob oculos, & enumera qui herè qui nudiústertius fuerunt: nonne hic quidem, ut facinorosus aliquis, per repentinam armatæ multitudinis seditionem capite truncatus est, ostentatusque majore post necem pompa, quam cum in curru sublimis & exultabundus transveheretur? ille præter exercitus præfecturam eumdem adeptus honorem, in extremis Ægypti Libyæque finibus, in locis arenosis & humoris omnis humaniq; cultus expertibus, damnationis supplicium fugiens, miserrime extinctus est? Quid de eo dicamus qui & ipse de numero Consulum atque Ducum exercitus in terra Colchide nunc degens, barbarorum humanitati vitam & spiritum debet? Præsidem autem illum rectoremque provinciæ fortissimum & invictum, ut existimabat, qualis vitæ catastrophe excepit? Primum quidem filium suum vidit capite truncatum, & ipse postea capitali sententia damnatus est, laqueoq; gulæ jam admoto, clementia Principis manibus carnificis exemptus est; ut quantulum ætati supererat, senex in dolore & calamitate sensuque malorum exigens, ac plenus dedecoris & ignominiæ.

miniæ, tali magni consulatus exitu vita decederet. Quid? quod anno superiore gigantea prorsus facinora atque etiam majora molitus est cujus sexus in dubium vocabatur, virgasque consulares affectavit qui virgas heriles effugerat, ac tantum telluris possedit, quantum nec facile nominare, qui nunc exigua conditur humo, & quantulam ei non nemo miseratione motus impertiit. Non igitur vere juxta sapientem illum Ecclesiasten hæc talia cuncta vanitas vanitatum, ac vel amplissimæ dignitates inania quædam visa & ostenta somniorum? quæ cum ad breve tempus oblectarunt, post deinde diffugiunt & evanescunt, & cum aliquantum floruerint, subito marcescunt.

¶ Latinorum.

Ennodius: Ne subjaceat moribus qui præminet dignitate. *Dissione s. m.*

Basilius Imp. A Reipublicæ muneribus perditos ac sceleratos homines extorres esse jube, neq; ullam imperii tui partem illis committe, ne & ipse similis eis esse, ac improbis eorum factis gaudere videaris: nam quæcumque mala illi perpetraverint, eorum causas tibi adscribent, neque perversæ voluntatis eorum participem esse judicabunt. Et quod gravius est, scelerum ab illis commissorum rationem Deo reddere oportebit: perditorum enim hominum promotio, certa condemnatio est eorum qui illos provexerunt: & scelerata eorum facta illis attribuuntur, qui eos provexerunt. Vide ergo ut bonos viros ad honores, & munera publica promoveas, ut bona de factis eorum fama gloriam tuam augeat, cùm subjecti præclara eorum gesta tibi adscripturi sint. Est autem à populo consentiente profecta laus, multis magnisque opibus longe præstantior. *Capite 33.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Cremutius Ruso est indolis optimæ, brevi producturus alios, si interim provectus fuerit à nobis. neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorq; contingat. *Epistola 23. fine libri sexti.*

Plinius: Quod factum tuum à cuncto Senatu, quàm vera acclamatione celebratum est? Tanto Maior, Tanto Augustior. nam cui nihil ad augendum fastigium supereſt; hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ. neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longius abest quam ab humilitate. mihi quidem non tam humanitas tua, quam intentio ejus admirabilis videbatur. quippe cùm orationi oculos, vocem, manum commodares; ut si alii eadem ista mandasses, omnes comitatis numeros obibas. *cap. 71. panegyrici ad Trajanum.*

¶ Apologi.

Babrius. Περὶ Ὄνου καὶ Λεοντῆς, *Fab. 14.*

Φέρων Λέοντος δέρμα τις ἄρειος Ὄνος,
Ηὔχει Λέων εἶναι τις αἰπόλους βλέπων.
Ἐπεὶ δὲ γυμνὸς τῆς Λεοντῆς εὑρέθη,
Τῦτον μύλων ἔμπησε τῆς ἀταξίας.
Ἐπιμύθιον
Ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι οἷς παρ' ἀξίαν τιμαὶ τάχιστα λύονται.

De Asino & pelle Leonis.

Leonis pellem humeris ferens Asinus,
Iactabat se esse Leonem quempiam videns caprarios.
Sed ubi sine Leonis ingentis est pelle,
Pristinum eum memorem turbationis reddidit.

Affabulatio.

Fabula significat, immeritos honores quamprimùm solui.

¶ Emblematum.

Catsius Emblemate Ethico XLI.

Vsque recurret.

Simius è silvis mediam perductus in urbem,
Ad citharam choreas ducere doctus erat.
Iamq; salit comites q; simul, spectante popello;
In medios sparsa cum cecidere nuces.
Ille videns quod amat, frustra indignante magistro,
In sua vota ruit, deseruitq; chorum.
Ne quicquam viles animæ tolluntur in altum;
Simia, quidquid agas, simia semper eris.

E parvis citò magnus. Embl. XLV.

Quosquos ex humili salire cernes
Ad fastigia dignitatis alta;
Crocodilo habeas pares, abhorro
Qui creſcit minimo brevi stupendus.
Parte hâc dissimiles tamen vocabis,
Quòd hic perpetuò augeatur, illi
In summo positi ruant ad imum.

Florentius Schonhovius.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

Gedeon: Israelitæ magnificentes virtutem Gedeonis, dixerunt ei, Dominium tu habe in nos, tum tu, tum filius tuus, tum nepos tuus, quia servasti nos è manu Midianitarum: at respondit eis ille, Non habebo ego, neque habebit filius meus dominium in vos, Iehova habiturus est dominium in vos. *Iudic. 8. 23.*

Valentinus Imp. Posteaquam Valentinianus imperii suscepit insignia, & milites clamarent, ut alterum sibi velut imperii socium adiungeret, Me, inquit, ad imperandum deligere, ô milites, penes vos erat: sed cùm jam à vobis delectus sim, consortem imperij, quem postulatis, non in vestra, sed in mea solius potestate deligere situm est. Quinetiam vos, qui meo iam imperio subjecti estis, conquiescere: me autem, utpote Imperatorem, quid agendum sit, considerare decet. *Sozom. eccles. hist. lib. 6. cap 6.*

Cosmas: Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus, cùm Alexium Comnenum Imperatorem exactionum nullum ponere modum, omnémq; emendationis spem sublatam videret, ministro suo dixit, Tolle Psalterium Davidis, & sequere me. Simúlque æde sacra egressus est: in quam nunquam rediit. *Zonoras, tom. 3.*

Hadrianus VI. Quum Romæ Hadrianus VI. pontifex renunciatus esset, tabellarii cum privatis literis ad Victoriam Vellicam, Cantabriæ vrbem, ubi tum erat Hadrianus, à Carolo V. Germanica comitia celebrante præfectus regni relictus tertio decimo die pervolantes, ædium scalas conscendenti ad pedes provoluuntur, cumq; porrectis literis pontificem salutant. Ille nihil ad tanti nuntii nomen vultu animóve commotus, paulùm substitit: & cum tabellarios ab osculo pedum averteret, conversis ad amicos oculis, Si vera sunt (inquit) quæ nuntiantur, mihi profectò plurimùm est dolendum, &c. *Iovius, in Hadriani vita.*

¶ Monosticha Trochaica.

Adsequi omnes dignitates sine repulsa haud omnium est
Alterius qui dignitati parsit, & servat suam
Clarior quo dignitas est, hoc fama est illustrior.
Conferenda est ex virtutum non opum vi dignitas
Cura major est salutis; dignitatis est minor.
Det licet rex dignitatem, non dat aptitudinem
Dignitate est exsuendum, quam tueri quis nequit.
Dignitate præminentes, moribus cur subjacent?
Dignitate quem antecedis, vince item virtutibus
Dignitatem alter meretur, alter usu ac fructu habet.
Dignitas par sæpe magna caussa fit discordiæ
Dignitas malis tributa, non est dignitas, nota est.
Dignitas sublimium nil quam urbium præscriptio est.
Dignitas tradenda nulli quem probe ante haud noveris
Dignitatis custos est firmissimus modestia.
Dignitatis quam salutis cura major est probo.
Dignitatum ordo ex laboris varietate nascitur.
Dignus est majore honore, major à virtutibus.
Expedire quam impedire dignitatem justius.
Fugimus officij laborem, dignitatem amplectimur.
Grandius munus meretur qui minus gessit bene.
Hoc magnum est periculum, ab asinis ad boves transsedere.
Impedire quam expedire dignitatem promptius.
Improbè nemo eo adscendit, unde jam descenderat.
Improbos conspectiores ipsa dignitas facit.
In minus collata dignos dignitas, ludibrium est.
In secundis tertijs q; haud indecorus est locus.
Major omni dignitatis exilio est amissio.
Majus est cui dignitatem restituere quàm dare.
Moribus jacere noli dignitate qui emines
Negligit suos amicos exaltata dignitas.
Nemini quid concedendum est, quod tueri nesciat.
Ne quidem potest retineri dignitas sine utilis.
Non statim aptus dignitati est, dignitatem qui gerit.
Perditorum ignobilitate dignitates polluis.
Per tuam virtutem adscende, non per alterius malum.
Pessimos plerumque fungi certum est dignitatibus.
Qua data indigno est, vocari dignitas qua nam queas?
Quis locus sit dignitati, summa ubi est indignitas?
Transeunt cursim recenta dignitatum insignia.
Vincla amoris sanguinisq; non dissolvit dignitas.
Vipera in sinu est, promotus ante tempus arrogans.
Vir modestus dignitates, nec petit, nec respuit.

¶ Jambica.

Culpam voluntas sustinet, non dignitas.
Dignum quod est Deo, viro & dignum bono est.
Et dignitatem compares pecunia.
Fac dignitati mores adstruant fidem.
Fastigium est ubique ubi est & dignitas
Haud parcit ullus dignitati perdita.
In dignitate vivere haud fas? fas mori est.
Majoris est cura salus quam dignitas.

Multis sua est fortuna pro virtutibus.
Nil est nisi umbra insomniumque dignitas.
Non omnibus quatuordecim gradus patent.
Nunquam id bono multum est, quod dignus accipit.
Ordinibus haud distat virtutum sanctitas.
Ornatus in luto est indigno dignitas.
Partes priores da bono, non diviti.
Paucis præsse egenis, nulla est dignitas.
Sapiens putatur omnis esse dignitas.
Virtute sola dignitatem compares.

Requirantur plura titulo *Honoris, Magistratus, Episcopi, Antistitis*, &c.

Dilationis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cvilibet rei sperata longior dilatio est.
Maximè procrastinamus quæ moram nullam ferunt.
Molienti magna major utilis cunctatio est.
Obsita est frequente damno segnior dilatio.
Qua simul bona ingerit plura, haud iners dilatio.
Quod hodie fieri potest, ne differas in crastinum.

¶ IAMBICA.

Cunctationis vitia virtus corrigit.
Differre homini est tardissimum omne quod placet.
Differrè honesta semper serum ac noxium.
Dispendiosa rusticis cunctatio.
Extra periculum utilis cunctatio est.
Iactura vitæ maxima, est dilatio.
In crastinum res differantur seria.
Longa est res sperata omnis dilatio.
Noluisse visu interim est qui distulit.
Procrastinatori usq; luctra cum malo est.
Signum est timoris pallor ac cunctatio.
Vbi est periculum, haud utilis cunctatio est.

Dilectionis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

S. Clemens Alexandrinus: Sed neque hoc cognoverunt accusatores, quomodo dicit Apostolus: quod qui propinquum suum diligit, malum non operatur. Illud enim, Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & si quod sit aliud præceptum, in hoc solo sermone in unam veluti summam redigitur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hac utique ratione, diliges, inquit, dominum Deum tuum, ex toto corde tuo: & diliges proximum tuum sicut teipsum: siquidem qui proximum diligit, malum non agit: & omne præceptum in hoc veluti in compendium redigitur, in diligendo proximum. *libro* 10. *Stromatum.*

D. Chrysostomus: Nihil ita dilectionem conciliat, quam quòd & in gaudio & in tristitia alterutrum communicamus. Noli ergo si quando procul es ab adversis propterea extra compassionem quoque consistere. Nam proximo tuo malè adfecto, communem tibi calamitatem illius facere debes. Communica ergo plorantibus, ut tristitiam illorum alleves: communica gaudentibus, ut & lætitiam illorum radices, & dilectionem consolides, & ante illos teipsum juves. Lacrymando siquidem misericordem te facis: congratulando verò, livore atq; invidia teipsum liberas. Vide verò, quàm non sit molestum & odiosum quod tradit Paulus. Non enim dicit, solve proximi calamitatem, ne sæpenumero dicas, impossibile est: sed quod facilius est, præcipit, & quod facere potes. Nam si quod proximum urit, tollere non potes: produc lacrymas, & majorem partem sustulisti. Et si prosperitatem illius augere non vales, congaude, & multum augmenti attulisti. Propterea non solùm hortatur ut non invideas: sed quod multò plus est, congaudeas etiam. Longè enim majus est illud, quàm si non invideas. *Homilia* 22. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Paulus dicit dilectionem ipsam esse debitum, non quidem tale quale est tributum, quale vectigal, sed quod continuò sine intermissione sit præstandum, nunquam enim illam reddi vult. imò semper quidem reddi vult, non tamen impleri, sed semper deberi. tale quippe debitum est, ut reddatur semper, & debeatur. *Homilia* 23. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Virtutis principium ac finis dilectio est: hanc habet radicem, hanc materiem, hunc verticem. *Homilia* 23. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Ne dicas, Si me dilexerit diligam, sed si quando amare te noluerit, tum majorem etiam dilectionem ostendito, quatenus ipsum attrahas. Membrum siquidem est. Membrum verò si necessitate quadam à reliquo fuerit corpore abscindendum; nihil non molimur, quò illud uniamus iterum, ita ut nunquam majorem curam impendamus; ita tibi quoq; faciendum. Nam tum demum major expectanda tibi merces est, quando diligere recusantem attraxeris. Si enim eos potissimùm ad prandium vocare jubes, qui vicem rependere nequeunt, quò aucta nos maneat retributio: multò magis circa dilectionem hoc facere oportet. Qui enim dilectus diligit, mercedem tibi eo ipso jam reddidit. Qui verò dilectus non diligit, Deum pro seipso debitorem tibi constituit. Præterea si te dilexerit, non multa cura opus habebit: si verò non dilexerit, tum potissimùm tua cura & adjutorio juvandus erit. Causam itaque curæ ac diligentiæ, ne causam facias socordiæ ac negligentiæ: neque dicas; Quoniam morbo laborat, ideò ipsum negligam. Morbus siquidem est ista dilectionis frigiditas. Tu verò, quod frigidum est, calefacito. Quid autem si calefieri non sustinet, inquies? Perdura quod tuum est faciens. Quid si eo magis pervertetur? Rursus majorem tibi retributionem procurabit: eoq; te magis imitatorem esse Christi declarabis. Si enim dilectio mutua discipulorum insigne est (in hoc enim cognoscent omnes, inquit, quòd discipuli mei estis, si vos invicem dilexeritis) perpende quantum sit, odio prosequentem diligere. Nam & dominus tuus osores suos dilexit & provocavit. *Homilia* 27. *ad Romanos.*

Idem mox: Ne dicas itaq;, Quoniam odio habeor, propterea non diligam: propter hoc enim ipsum potissimum diligere debes. Alioqui non facilè fit, ut qui diligit odio habeatur. Nam etiamsi bestia quis sit, diligentes tamen diligit. hoc enim, inquit, & Ethnici faciunt & publicani. Si verò diligentes se quisque diligit: quis non eos diligeret, qui tametsi odio habeantur nihilominus diligunt? Hoc itaque declara, neq; cesses quin perpetuò dicas. Quoniam quantumvis exosus tibi sum, non quiescam tamen quo minus te diligam. Hoc si feceris, nullam non contentionem sedabis, nullam non animam emollies. Morbus enim iste aut ex inflamatione fit, aut ex frigiditate. Verum utriq; dilectionis virtus suo calore mederi consuevit. Non vides turpes illos amatores alapas, sputa, opprobria, innumeraque alia incommoda, quæ fornicatiæ illæ mulieres infligunt, patienter ferre? Quid igitur amorem hunc eximet? Illata convicia? Nequaquam. Imò magis inde accenditur. Et quamquam ista facientes mulierculæ præterquam quòd fornicantur, obscuro etiam ac vili genere sint; qui verò talia ab illis patiuntur, illustres sæpenumero progenitores connumerare, multamq; majorum possunt prætendere celebritatem: neq; hoc tamen illos liberat, aut ab amata cohiber. An non erubescemus, quòd tantam erga Deum dilectionem, quantam habet potentiam diabolicus ille ac dæmoniacus amor, ostendere nequimus? Non consideras, quòd adversus diabolum maximum sit hoc munimentum? Non intelligis, quòd malus ille dæmon instet, quatenus exosum ad se trahat membrum tuum circumvenire satagens? Tu verò neglecto illo transis, pugnæq; præmium prodis. Nam veluti præmium in medium ponitur frater: quòd si viceris, coronam adeptus es. Si verò neglexeris, sine corona discedes. Cessa itaque à Satanico illo verbo: Quoniam si odit me frater meus, ne visu quidem illum dignabor. Nihil enim turpius dici poterit, tam etsi generosæ mentis indicium multi hoc esse velint. Sed nihil illis est ignobilius, nihil stultius, nihil crudelius. Propterea quoq; potissimùm lugeo: quòd quæ malitiæ sunt, virtutis esse multi putant; & fratrem contemnere & despicere splendidum videtur & honestum: quod quidem fortissimus est diaboli laqueus, nimirum quòd & bona opinione malitia circumdatur; unde & difficilè adeò vel tollitur vel relinquitur. Ego quidem multos audivi hoc ipsum gloriantes, quòd aversos à se non accesserint: atqui dominus tuus in eo gloriatur etiam. Quoties illum conspuerunt homines? quoties aversati sunt? Ipse verò non quiescit, quin accurrat. Ne dicas igitur quoniam odientes me non possum accedere: sed dico, quoniam aversantes me aversari nequeo. Hoc demum fuerit discipuli Christi verbum, quemadmodum & alterum diaboli. Hoc illustres fecit & celebres, alterum verò turpes ac ridiculos. *Homilia* 27. *ad Romanos.*

Chrysostomus: Dilectionis hoc primum est, ut quod pro se quisque curat, idem faciat & pro altero. *Homilia* 27. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Cùm ingens crimen sit, non diligere: majus tamen & gravius efficitur, quum quispiam amatus minimè redamat. Nam si is, qui amantem redamat, publicanis nihilo præstantior est, profecto is qui ne hoc quidem habet, inter feras censendus est, imo etiam his inferior erit. Quid ais homo? Amantem non redamas? Cur ergo huiusce lucis usura frueris? Qua tandem in re jam usui eris? Quibusnam in rebus forensibus, an privatis? Haud sane. Nihil eo homine inutilius fingi potest, qui amare nescit. Hanc legē latrones etiam persæpe ac sicarii, & sepulcrorum effossores amplexi sunt: quumq; vel salē dumtaxat cōmunē inter se habuissent, aliam mentē induerunt atq; ob mensæ cōmerciū mores suos mutaverunt. Tu verō non salē dumtaxat, sed verba etiam, & negotia, & ingressus cū aliquo cōmunes habens, non eū amas? At ij, qui turpibus amoribus dediti sunt, universas quoq; facultates suas in eas mulieres, cum quibus consuetudinē habent, expendunt: tu verò, honesto amore captus, ita frigidus & imbecillis atq; ignavus es, ut ne citra sumptū quidē ullum amare sustineas. Sed quisnam est, inquis, usq; adeo miser, qui tam belluinis moribus, ut amantē aversetur atq; oderit? Tu quidem recte facis, qui ob rei absurditatem fidem mihi detrahis. Verum, si multos ejusmodi demonstrare, quo tandem pacto ignominiam hanc feremus? Nam quum amanti obtrectas aut obtrectante altero non ei opem fers, quum florenti invides, quænam hæc benevolentia est? Quanquam ne hoc quidem ad probandam amicitiam sufficit,

sufficit, quod quispiam ab invidia liber sit: quemadmodum nec illud etiam, quod quis amantem odio ac bello minime insectetur: nisi insuper eum quoque tueatur, ipsiusque commoda amplificet. Quum autem nihil non facit ac loquitur, quo proximum delicias, quid tandem hac anima miserius esse possit? Heri ac nudiustertius amicus illi eras, sermonesque ac mensam imperticbas. Postea autem, simulatque membrum tuum florens, atque in hominum laude positum vidisti, abjecta amicitiæ larva, inimicitiæ, vel furoris potius, personam induisti, perspicuus etenim furor est, prosperis aliorum rebus angi. Hoc enim furentium canum est, rabieque laborantium. Eorum enim more, hi quoque livoris œstro perciti, in omnium ora prosiliunt. *Homilia 27. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Si proximum diligeres sicut teipsum, non esset servus, non liber, non princeps, non qui pareret principi, non dives, non pauper, non parvus, non magnus, non diabolus unquam esset cognitus. Non hic dico, sed etiam si alius talis, imò verò & si centum vel etiam decies mille essent ejusmodi, nihil valuissent si illa esset. Ignis enim immissionem magis tulerit fœnum, quàm flammam charitatis diabolus. Ea est muro so tior, ea est adamante firmior ac durior; & si quam aliam proferas hac fortiorem materiam, omnia superat charitatis firmitas. eam non vincunt divitiæ, non paupertas: imò verò non esset paupertas, non immodica divitiarum copia, si esset charitas; sed ea sola quæ ex utrisque sunt bona. Nam & perciperemus eam quæ ex illis existit abundantiam, & quæ ex hac oritur curarum & solicitudinum vacuitatem: & neque curas divitiarum, neque paupertatis metum sustineremus. Et quid dico lucra, quæ ex ea fiunt? Nam ipsum per se diligere, cogita quantum sit, quantam afferat lætitiam, in quàm magna gratia constituat animam: quod quidem est ejus eximium. Nam aliæ quidem partes virtutis laborem habent conjunctum; ut jejunium, temperantia, vigilias, invidiam, cupiditatem contemptum: Charitas autem cum lucro & multam habet voluptatem, & nullum laborem: & sicut bona lapis quæ ubique sunt bona colligens, ea deponit in anima ejus qui diligit: & si quis serviat, libertate jucundiorem reddit servitutem. Nam qui diligit non tam lætatur si imperet, quàm si & imperetur; etiamsi imperare sit jucundum: sed ipsa transmutat rerum naturam, & accedit habens omnia bona in manibus; quavis matre mitior, quavis regina locupletior: & quæ sunt laboriosa, levia facit & facilia; virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddens vitium. Considera autem. Impendere videtur esse molestum, ipsa autem id facit jucundum. Accipere ab aliis est jucundum: ea autem non sinit id videri jucundum, sed efficit ut fugiatur tamquam malum. Rursum malè dicere omnibus videtur esse dulce: ipsa autem id reddit amarum, benedicere verò dulce. Nihil est enim nobis æquè dulce, atque laudare eum qui diligitur. Rursus ira habet aliquam voluptatem, sed hoc nequaquam; imò verò ablati sunt omnes ejus nervi: & si eum qui diligit molestia affecerit is qui diligitur, nusquam quidem ira cernitur; sed lachrymæ, & consolationes, & supplicationes; tantum abest, ut irritetur. & si viderit peccantem, luget & dolore afficitur. Sed & ipse dolor affert voluptatem. Charitatis enim & lachrymæ & tristitia sunt quovis risu & gaudio jucundiores. Non adeò quidem certè quiescunt & recreantur qui rident, ut qui flent & lugent pro amicis. Quod si non credas, reprime eorum lachrymas: & non minùs ægrè ferent, quàm si passi essent gravissima. *Homilia 32 ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Hoc est omnibus perspicuum, quod si quis sit quavis fera ferior, ex dilectione fiet quavis ove mansuetior ac mitior. *Homilia 33. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Qui proximum sicut oportet diligit, non gravatur illi servire submissius quàm quisquam servus. Quemadmodum enim ignis admotus ceræ facile mollit eam, sic & amoris calor omnem fastum atque arrogantiam vehementius quàm igne solvit. *cap. 5. ad Galatas*

Chrysostomus: Qui diligit, si didicerit eum qui diligitur hoc nosse, nempe se diligi, magna est consolatio & recreatio. *Homilia 4. ad Thessalonic 1.*

Idem: Dilectionis vis est, ubicunque ejus fragrantiæ odor aspirat, nihil omnino triste nihil ingratum irrumpere potest. ex hac enim & reliqua exoriuntur bona. *Homilia 4. Epistolæ ad Titum.*

D. Ioan. Chrysostomus: Non est nobis opus laboribus, neque sudoribus, si nos alter alterum diligamus. Quomodo in via publica, si quis invenerit initium, ab ipso ducitur, nec duce opus est: ita etjam in charitate, solum apprehende initium, confestim ab ipso duceris & dirigeris. Cogitabit quispiam ipse apud se, quemadmodum in se sit affectus. Sibi non invidet. omnia bona sibi precatur se proponit omnibus, pro se vult omnia facere. Si ergo in alios quoque sic afficiamur, omnia soluta sunt vincula: non sunt inimicitiæ: non est avaritia, & plura habendi cupiditas. quis enim ut plus habeat, se voluerit fraudare? nemo sed contra, communia omnia possidebimus. *Homilia 19. Epist. ad Hebræos.*

D. Ioan. Chrysostomus: Hoc est sincera dilectio, & verè dilectio, quando cùm nihil simus utiles ei qui diligit, ab eo diligimur, non ut accipiat, sed ut det. *Homilia 29. Epistolæ ad Hebræos.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Ego nec culpa careo, nec amicos, qui culpa careant, quæro: nec enim nanciscar: verùm eos, qui plurimas & maximas virtutes habeant, pauca autem & exigui momenti vitia (fieri enim omnino non potest, quin in eo, qui homo est, vitium aliquod deprehendatur) in amicorum album ascribo. Nam qui ob exiguum vitium maximam etiam virtutem parvi pendunt, nec res humanas considerant, nec Apostolo Paulo morem gerunt, ad hunc modum admonenti, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam qui parvum vitium minimè suffert, is nec maxima virtute perfruitur, nec Christi legem, hoc est charitatem explebit. Quòd si dixeris in veteri Testamento minimè dictum fuisse. Diliges proximum tuum sicut teipsum, hoc respondebimus, maximè quidem eum illam etiam sanxisse: deinde autem in carnali sua præsentia aliquid amplius adjunxisse, cùm dixit, Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut ego dilexi vos. Etenim diligere quidem in veteri testamento situm est: hoc verò, sicut ego dilexi vos, adjecit. Eóque nomine mandatum novum ipsum appellavit. Aliud enim est diligere proximum suum sicut se ipsum: aliud sua negligere, ut proximorum commodis consulat. Ut enim ipse non suam sublimitatem, sed hominum utilitatem sibi ob oculos proposuit, ac se ipsum humilians formam servi suscipere minimè gravatus est, ut servos ad filiorum adoptionem duceret: eodem modo etiam unumquemque nostrum non privatum commodum, sed proximorum utilitatem spectare jussit. Quòd si quispiam est, qui semper hujusmodi demissionem detrimento affici existimet, illud audiat, hujusmodi demissionem ad ipsum honoris verticem eum subvehere. *lib. 3. Epistola 410.*

Synesius: Neque easdem ob causas diligunt ac laudant homines, nec eadem animæ facultas utrisque illis præstandis attributa est, sed ea quidem parte quæ affectibus movetur conciliamur, aut alienamur invicem: Quæ vero judicandi vi prædita est & rationem continet, ea laudamus, aut reprehendimus. *Epistola 112.*

¶ Latinorum.

D. Sarisberiensis: Deus generaliter ab omnibus amandus est, & colendus ex tota anima, ex omnibus viribus. probatio verò dilectionis, exhibitio operis est. *libro quinto Policratici cap. tertio.*

¶ Poetarum.

Plautus Asinariæ 3. sc. 3. v. 16.

Vale. P. quo nunc properas? A. bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me jam quantum potest à vita abjudicabo.
P. Cur tu obsecro, immerito meo, me morti dedere optas?
A. Egóne? quam si intelligam deficere vita, jam ipse
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.
P. Cur ergo minitatus tibi te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturum putas? si istuc quod dicis faxis,
Mihi certum est efficere in me omnia eadem qua tu in te faxis.
A. O melle dulci dulcior mihi es tu. P. certe enim tu vita es
Mihi, complectere. A. facio libens. P. utinam sic efferamur.

Joan. Sarisberiensis Prologo Policratici.

Nemo sciens illum ladit, quem credit amicum.
Regula fida nimis; quisquis amandus, amet.
Hæc hominum disiuncta solet conjungere corda:
Ista potest homines concilisare Deo.
Hac duce carpe viam: gradienti nemo nocebit.
Et poteris cunctas tutus inire manus.

¶ Monosticha Trochaica.

Alterum quis diligit nisi unius caussa suâ?
Dilige à Deis dilectos, si modò te diligis.
In dilectione vincere res nimis fœdissima est.
Neminem improbus suorum diligit fide bona.
Nemo diligi ferè ambit, ante quis non diligit.
Nemo quem fastidit, ultrò diligit fideliter.
Non ab annis æstimanda verùm animis dilectio.
Non sinit dilectionem separari spiritus.
Sapè maximè dilectus & timetur maximè.

¶ Jambica.

Caput bonorum est omnium dilectio.
Deligere oportet quem velis diligere.
Deum diligere, prorsus est donum Dei.
Dilectioni ne probrum quidem probro est.
Dolet perire illos mihi quos diligo.
Haud diligit se, proximum qui haud diligit.
Longè metu potentior dilectio est.
Mater bonorum es omnium dilectio.
Nemo alterum nisi caussâ diligit suâ.
Nemo alterum plus, ipse quam se diligit.
Plus ijs timemus quos diligimus amplius.
Quem diligunt boni, oderunt statim mali.
Se diligit qui inimicum diligit suum.

Alia his similia sumantur è titulo *Amicitiæ, Amoris Charitatis.*

Diligentiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

COElites sudore cuncta fœnerant mortalibus.
Diligens circa minuta, grandiora haud negliget.
Diligens prudensque, gestam rem male vertat in bonum.
Diligentia corona debita, haud ignavia est.
Diligentia in minutis summa, majorum est salus.
Dulciora sunt bona ante exemplum diligentiæ.
Fructuosius ne quidquam quaso diligentia est?
Mens generosa religiosam observat diligentiam.
Non feras omnes cepisse, nemini culpæ fuit.
Quidquid est in orbe servat omne diligentia.
Quis diem totum jaculans aliquando non continet?
Serva sunt & obsequuntur cuncta diligentiæ.

¶ JAMBICA.

Diuturnitate minuitur diligentia.
Gnavè agere oportet quod agas, non ductariè.
Inertia est triumphus diligentia.
Iuge assequaris cuncta diligentia.
Persæpè nimia noxa diligentia est.
Somnus merumq; inimica diligentiæ.
Vincitque naturam alta diligentia.

Discendi.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

D. NAZIANZENUS: Dic mihi, vir admirande, vocasne aliquid saltare, & tibia canere? Maximè verò inquiet Quid sapientiam, & sapientem esse, quam nos divinarum humanarumque rerum scientiam definimus? Id quoque concedet. Age verò censetne artes illas sapientia meliores & sublimiores esse, an hanc potius illis? Mihi quidem non est dubium, quin hanc omnibus etiam præstantiorem esse dicturi sint, atque hactenus æqui & candidi judices sint. Utrum igitur, saltationis quidem & cantus tibiarum doctrina quædam & disciplina est, ad idque, & diuturno tempore, & plurimis laboribus ac sudoribus opus est, atq; interdum etiam mercedem persolvere oportet, & perductores adhibere, longasq; peregrinationes suscipere, cæteraque omnia facere & pati, quibus artis peritia cõparatur: sapientiam autem, quæ omnibus præest, ac bona omnia complexu suo tenet, (adeò ut ipse quoque Deus, quamvis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius quam ullis aliis, delectetur) rem usque adeo levem & protritam esse existimabimus, ut ad hoc, ut quispiam sapiens sit, voluntas sola requiratur? Magnæ hercle stultitiæ hoc fuerit. Si hæc ad eos dicamus, erroremque paulatim repurgemus, aut alius quispiam doctiorum, & prudentiorum, hoc nimirum illud fuerit, supra petras seminare, atque in aures non audientium loqui. Ita ne hactenus quidem sapientes sunt, ut insciti suam cognitam habeant. Ac mihi commodum esse videtur illud Salomonis de ipsis usurpare: Est malum quod vidi sub Sole, virum qui sibi sapiens esse videtur: & quod pejus est, alios erudiendos suscepit, qui ne insciriam quidem suam persentit. Hoc malum lachrymis quidem & luctibus, si quod aliud, dignum est: quod etiam ipse sæpè miseratus sum; non ignorans opinionem plurimum de re ipsa auferre, inaniſque gloriæ studium hominibus magno ad virtutem impedimento esse: morbum autem sanare ac reprimere, Petri cujusdam, aut Pauli fuerit, magnorum inquam illorum Christi discipulorum, qui una cum gubernatione, tam in sermone, quàm in opere gratiam acceperunt, omnibusque omnia facti sunt, ut omnes lucrifacerent. Nobis autem aliis, magnum atque amplum fuerit, si ab iis, quibus emendandarum & dirigendarum hujusmodi rerum cura commissa est, rectè gubernemur atque ducamur. *Oratione prima, de fuga in Pontum.*

D. NaZianZenus: Mea quidem sententia, turpe admodum fuerit, nunc earum rerum confirmationes colligere, quæ jampridem persuasissimæ sunt. neque enim optimus ordo est prius docere ac postea discere, non dicam divina, & usque adeò magna ac sublimia, sed ne aliud quidem quidquam parvum & contemnendum. *Oratione 32.*

D. ChryſoſtomuS: Qui docentur ab hominibus, etiamsi sint acri celerique ingenio, tamen ut ad diversa transferantur, tempore est opus multoque studio. ceterum qui cùm vehementissimè laboraret insania, totus ac purè rediit ad sanam mentem, declarat sibi divinam visionem ac doctrinam adfuisse, perque hanc subitò ad puram rediisse sanitatem. *cap. 1. ad Galatas.*

BaſiliuS Seleuc. Eruditionis principium est, ignorantiæ exprobratio, & discendi initium eorum, quæ quis ignoret animadverno. *Oratione 25. m.*

S. IſidoruS Peluſiota: Quemadmodum pueri, cùm primùm literas formare discunt, in præceptorem intenti sunt, ad quod calamum accommodarit, lubenter atque obedienti animo notas excipientes: eodem modo eos quoque, qui ad res divinas perdiscendas se conferunt: earum magistros sequi, atque puerilem simplicitatem & indubitatum assensum habere oportet. Abscondita enim sunt hæc à sapientibus & prudentibus, ut inquit Dominus, & parvulis revelata. *lib. 1. Epiſt. 440.*

¶ LATINORUM.

ChryſologuS: Si ad humana perdiscenda tota hominis brevis est vita: quod tempus sufficere credimus ad intelligentiam posse divinam? *Sermone 112. p.*

Io. SariſberienſiS: Ceterùm qui multa percurrit, ut eligat cui sit potius insistendum, circumspectus est, & aliis examinatis prælectioni suæ fidelius serv t. Eo forte spectat præceptum Ethici, legere libros præcipientis. In libello quoque quo parvuli initiantur, ut virtutis instructio, & usus teneris ebibitus animis, facile nequeat aboleri, quoniam & testa diutius servat odorem ejus,

Quo ſemel imbuta recens eſt.

Ait vel Cato vel alius; nam autor incertus est,

Multa legas facito, perlectis perlege multa.

Quo quidem aliquid esse utilius ad scientiam aspiranti, facile non crediderim, præter observantiam mandatorum Dei, in qua singularis & unicus indubitanter est philosophandi profectus. Sic tamen omnia legenda sunt, ut eorum aliqua cum lecta fuerint, negligantur, reprobentur. nonnulla, aliqua videantur in transitu, ne sint omnino incognita, sed præ omnibus majori diligentia insistendum est, quæ aut politicam vitam, sive in jure civili, sive in aliis Ethicæ præceptis instituunt, aut procurant corporis aut animæ sanitatem. Cùm enim illa quæ præcipua est inter liberales disciplinas, sine qua nemo rectè docere vel doceri potest, sit in transitu, & quasi à limine salutanda, quis in aliis censeat immorandum, quæ aut intellectu difficiles, aut effectu inutiles, & pernicioſæ, non faciunt hominem meliorem? Nam & ea ipsa, quorum usus necessarius est, si hominem immoderatius occupaverint, pernicioſiſſima sunt. Poetas, historicos, oratores, mathematicos probabilis mathematicæ, quis ambigit esse legendos, maximè cum sine his viri esse nequeant, vel non soleant literati? Qui enim istorum ignari sunt, illiterati dicuntur, etsi literas noverint. Cum tamen quasi in jus suum vendicant animum, etsi polliceantur notitiam rerum, virtutis tamen dedocent & submovent cultum. Unde Cicero cum de poetis ageret, ut diligentius audiatur, exclamat; Clamor & adprobatio populi, quasi magni cujusdam & sapientis magistri, & qui ad commendationem sufficiat plausu suo, quos vult facit authenticos. At illi, qui tantis laudibus efferuntur, quantas obducunt tenebras! Quos invehunt metus! Quas inflammant cupiditates! Hi stupra adulteriaque conciliant, varias doli reparant artes, furta, rapinas, incendia docent, quæ fuerunt aut fuerunt. imo quæ fingi possunt, malorum exempla proponunt oculis multitudinis imperitæ. Quæ incendia cœli succensi aut maris inundatio aut terræ hiatus, tantas fecit populorum strages, quantas isti faciunt morum? Comicus qui præ cæteris placet, in Eunucho refert adolescentis libidinem inflammatam cum tabulam pictam videret continentem, quo pacto Deus, qui cœli templa sonitu concutit, per impluvium auro misso inclusam turre, & septam custodibus, corruperit Danaen. Similes in singulis picturas videt, miratur & laudat multitudo. Nam quæ virtutis incitamenta sunt, rarus spectator adtendit. *lib. 7. Policrati capite nono.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

DiogeneS: Multa quæ peræ nostræ oneri erant, abjecimus, Apollexis, catinum videlicet: & poculum: cùm alterius loco, panem in quo concavum est, alterius, manu uti me posse intelligam. Neque me pudet hujus doctrinæ auctorem, quemvis puerum ostendere. Non enim decet utile ad libertatem assequendam inventum contemnere, sed complecti. *Epiſt. 13. ad Apollexiden.*

XenophoN: Socrates rursus quum adesset aliquando Euthydemus, quia videbat eum à consessu secedere, cavens rem scilicet, ne Socratem admirari, ob sapientiam videretur: Euthydemum hunc, inquit, cives, posteaquam adoleverit, civitate de re quapiam consultationem proponente, minime à consilio dando sibi temperaturum, satis ex ipsius studiis manifestum est. Et videtur mihi præclarum jam orationum pro concione recitandarum exordium parasse, qui caveat scilicet, ne videatur ab quoquam aliquid discere. Nimirum ubi dicendi volet initium facere, hoc quodam modo exordietur: Equidem, cives, à nullo umquam dicendi agendique peritos, non tamen ut eos convenirem, operam dedi; neque curam adhibui, ut hominem aliquem doctum mihi magistrum adjungerem: sed econtrario, semper fugi non solum, ne quid ab aliquo discerem, verumetiam ne discere viderer. Nihilominus id consilij vobis da-

bis dabo, quodcumque fortuitò mihi ad animum acciderit. Eodem uti exordio cõveniret etiam iis, qui medendi munus à Republ. imperare cuperent. Nam illis ex usu tuerit, hinc orationem ordiri: Equidem à nemine, cives, medendi artem didici, neque quenquam medicorum quæsivi, quo magistro uterer. Semper enim cavi non solùm ne à medicis aliquid discerem; sed etiam ne viderer artem hanc didicisse. Nihilominus velim medendi munus mihi mandetis. Nam enitar equidem, in vobis periculum faciendo, eam discere. Ad hoc exordium arrisum est ab omnibus, qui aderant. Cæterùm ubi jam adpareret Euthydemum iis, quæ à Socrate dicerentur, animum attendere; quamquam ipse, ne quid proloqueretur, caveret; seq; per silentium arbitraretur modestiæ laudem consequuturum: tùm verò Socrates, qui vellet eum ab hoc instituto ávocare: Mirum est, ait, quam obrem illi, qui citharæ canere, vel tibia cupiunt, vel equitandi artem discere, vel ad aliud ejusmodi quidpiam idonei fieri, non conentur hoc sanè quàm negligenter agere, in quo valere volunt; neq; marte suo, sed apud eos, qui præstare cæteris videntur: omnia tum agunt, tùm sustineant, ne quid absq; illorum judicio faciant, quasi alia ratione dignum aliquid opera consequuturi non sint: quam plerique, qui facultatem dicendi, gerendique publicas res adipisci volunt, existiment se absq; præparatione ac studio, casu quodam, & subitò idoneos ad ea præstanda futuros. Atqui tantum hæcillis effectu difficiliora sunt, quanto in his plures operam ponũt, ac pauciores id, quod moliuntur, conficiunt. De quo patet, ab eis & studium majus requiri, & contentiùs, qui hæc concupiscunt, quàm qui illa. *libr. 4. cap. 4. Memorabilium.*

Aristides Sophista: Cùm alii majora affectantes minutiora quælibet omittant; ille à minutis exorsus ad summa pervasit; quemadmodum & in mysteriis ajunt minore debere præcedere. Alii præterea vestigia quidem & principia sunt exactè perscrutati, aut in eis potiùs ætatem totam contriverunt: quo autem ea pertinebant, vel non cognovêre, vel non sunt assecuti. Hic verò tanquam iter quoddam ab initio ad finem instituit, nihil omittens quod ullius esset pretii. Itaq; gravis instar publici fuit promptuarii: cùm liceret ab ipso eruditionem velut è fonte haurire. *In funere Alexandri.*

Libanius: Quin te ipsum, ô Thraso, etiam serò aliquid discere monerem, nisi ætatis limites excessisse cernerem, intra quos institui facile est; & indolem à Musis alienam ac stupidam tibi inesse sensissem, atque patriæ omni ex parte inutilem. *Declamationis trigesimæ primæ fine.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Priorum temporum servitus, ut aliarum optimarum artium, sic etiam juris Senatorii oblivionem quadam & ignorationem induxit. Quotus enim quisque tam patiens, ut velit discere, quod in usu non sit habiturus? *lib. 8. Epist. 14.*

¶ Apologorum.

Babriæ. Περὶ Λέοντος, Ὄνου, Ἀλωπέκος. Fab. 5.

Λέων, Ὄνος, Κιρδώ τε συὸς ἤνεγκον.
Ὄνος δὲ ταύτῃ εἰς τέλος δεδασμένος,
Λέων ἁπασπάραξε· Κιρδὼ δὲ τἄλεον
Ἐνειρμὸν αὐτῇ, συφορηθεῖσ' ἐξ Ὄνου.

Ἐπιμύθιον.

Οὐ δεῖ ἐξ ὧν πάσχουσιν ἕτεροι, παιδεύεσθαι.

De Leone, Asino, Vulpe.

Leo, Asinus, Vulpésque, ad prædam iêre.
In tres partes eam cùm Asinus divisisset,
A Leone dilaceratus est. at Vulpes plus
Ei tribuit, edocta ab Asino.

Assabulatio.

Quòd ex iis quæ alii patiuntur, doceri oporteat.

Depuero discere nolente. Fab. 175.

Puer osor literarum, in ludũ literariũ à patre deductus, nullis magistri blanditiis induci poterat, ut primã alphabeti proferret literam. Tùm præceptor: aperi os, inquit. quod hujus literæ exigit enunciatio: ille verò hiabat, sed absque voce. Præceptor videns laborem suũ irritum (neq; enim puerulum ac novitium verberandum censebat) jubet eum inter condiscipulos sedere, eos monens, ut illi persuadeant hanc vel saltem literam efferre. Tum condiscipuli pro virili quisque eum hortari, dicentes: Est ne tantus labor *a* dicere. At puer versutus: nõ est, inquit, arduum dicere *a*, sed si *a* dicerem, vellet ut *b* dicerem, &c. Non erit ea vis præceptori patriq́ue ut discam.

Fabula indicat, nolentes discere, à nemine posse compelli. *Abstemius.*

¶ Emblematis.

Paulakim. Embl 67.

Qui studet phialam replere lymphâ
Stillando faciat, rebullit omnis,
Hanc infundere si simul labores:
Quisquis ingenium gravare multis,
Et comprendere cuncta vult, hebescit.
Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Christianorum.

Alphonsus Arag. Rex: Intellexerat à familiaribus, regem quendam Hispanum dicere consuetum, non convenire Principi literas; & iracommotus, *Bovis*, ajebat, *non hominis illa vox.* Atque è contrario gloriabatur, se totum vetus & novum Testamentum, una cum glossis, decies & quater evolvisse. Verè eò elogio dignus, quòd à Carolo Magno majorem fortunâ & virtute Principem orbis non vidit. *I. Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. 7.*

Carolus IIII. Franc. Rex: Hunc etiam Carolus imitatus, qui Scholas Pragenses ingressus, magistros de liberalibus artibus altercantes, per horas quaternas mira cum voluptate & attentione audivit: cumque molestiùs id ferrent Purpuratorum aliqui, & horam cœnæ effluxisse Regem monerent: *Mihi*, inquiebat ille, *minimè effluxit: nam cœna mea hæc est.* Rarum in Principe exemplum. *Æn. Syl. lib. 4. Comment. in Gesta Alphonsi.*

Constantinus Ducas Imperator: Et hic licet ignarus literarum; magnus tamen earundem fautor & amicus exstitit. Quippe qui sæpiùs illud usurparet: *Malim ex doctrina, quam imperio nobilitari. Zonar. Tom. 3. Annal.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ante sit remex oportet, quàm occupet clavum ratis.
Culpa similis est docere rem vetitam atque discere.
Discere, est res plus quam honesta vel senigravissimo.
Doctorum opprobrationes vitia sunt discentium.
Gustur offendis spinosò pisce raptim si voras.
Iunior dum es, cuncta disce. vix doceri vult senex.
Literas Græcas senex jam discere haud ato erubet.
Mens superba perdoceri non potest: scit omnia.
Nulla ætas cui videri sera ad discendum potest.
Nulli adhuc fuit pudori discere quidquam a barbaris.
Nunc doce quod est necesse: in crastinum superflua.
Nunquam discitur satis, nunquam nimis quod discitur.
Omnium discentibus vel prima lex est credere.
Plurima non queat ab amico quis quam inimico discere.
Profecit parum superbus: se putat scire omnia.
Qui nihil unquam didicere, discere ecquod nam queant?
Qui probrum putant doceri, permanent semper rudes.
Qui quid velle debeant didicere, vivunt ut volunt.
Tam diu cuique est discendum, quàm diu quid nesciat.
Tam diu homini est discendum, quam vivit diu.
Turpe non est illa quæ quis nescit, velle discere.
Turpis & ridicula res est elementarius senex.
Vis doceri? inquirere oportet multa, nil d. scernere.
Vt boni quid discat, ætas sera dici non queat.

¶ Jambica.

Addiscitur facillimè omnis pravitas.
Admitte in aures cuncta & disce ab omnibus.
Ætatis homines omnis admittit schola.
Alios quod es docturus, ante disce.
Aliter docendi vives, aliter principes.
Amor, magister optimus discentium.
Bonum doceri à barbaris cur sit pudor?
Dediscit animus serò quod didicit diu.
Difficilius dediscere est, quam discere.
Disce à peritis: sequere semper optimos.
Discunt facillimè qui libenter audiunt.
Doceri velle, summa est eruditio.
Est illecebra discendi oblectatio.
Facimus discendo, quæ faciendo discimus.
Magè est voluptas quam labor quid discere.
Magè arduum dediscere est quam discere.
Minimè est pudor quæsisse quæ nescieris.
Mora nulla discendi est, ubi adest doctor Deus.
Multa in dies addiscentes senescimus.
Nemo didicisse non mavult quàm discere.
Non est labor, magè est voluptas discere.
Non est pudori discere vel à barbaris.
Obstaculum profectus arrogantia est.
Qua quis puer didicit, meminit quam vivis senex.
Quotidie aliquid addiscens fit senex Solon.
Qui quod didicit, dedidicit: haud æquum facit.
Res perridicula est, elementarius senex.
Si cupidus es discendi, disces plurima.
Silere posse, prima laus discentium est.
Solon magistris usus ipse est barbaris.
Tam diu homini est discendum, quam vivit diu.
Vbi deest mens, disciplina nil juvat.

Disciplinæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Clemens Alexandrinus : Dei in incutiendo timore artificium, est fons salutis. Boni est autem, dare salutem. Misericordia autem Domini est super omnem carnem, dum arguit, castigat & docet, sicut pastor gregem suum. Eorum qui disciplinam suscipiunt miseretur, & eos qui sunt ardenti studio sibi conglutinat. Et hac ducendi ratione sexcenta millia peditum, qui coacti erant, in ea quam habebant cordis duritie flagellans, miserans, verberans, medens, in miseratione & disciplina custodiit. Prout enim ejus est multa misericordia, ita etiam ejus reprehensio. Pulchrum enim quidem certè est non peccare : bonum est etiam ut & qui peccat ducatur pœnitentiâ : quemadmodum optimum quidem est semper esse sanum: bonum autem est etiam à morbo convalescere. Hac etiam ratione per Solomonem præcipit : Tu quidem virga percute filium tuum, animam autem ejus à morte libera. Et rursus : Ne parseris castigare puerum: virgâ autem ipsum corrige, non enim morietur. Reprehensio enim & increpatio, sicut vel ipsum Græcum nomen significat, sunt ipsi ictus animæ, qui peccata castigant, & mortem prohibent : ad moderationem autem & temperantiam deducunt eos qui feruntur ad intemperantiam. Hac quidem certè ratione Plato cùm sciret in reprehensione maximas esse vires correctionis, & præcipuâ purgationem, convenienter ei quod dictum est, eum qui est maximè impurus, vult ineruditum & turpem evasisse, propterea quòd reprehendi non posset : quemadmodum purissimum & pulcherrimum eum esse conveniebat, qui futurus esset beatus. Si enim magistratus ac principes non sunt timori bono operi, quomodo qui naturâ bonus est Deus, ei qui non peccat erit timori ? Si autem malum facies, time, ut dicit Apostolus. Et ideo ipse quoque Apostolus ad similitudinem Domini sigillatim ecclesias peracriter incessit, suæ conscius libertatis, & imbecillitatis eorum qui audiebant. Galatis itaque dicit : Inimicus factus sum, vera vobis dicens.

Quemadmodum autem qui sani sunt, non opus habent medico, quatenus rectè valent : qui autem ægrotant, arte indigent : ita nos quoque qui in vita laboramus probrosis cupiditatibus, vituperandisque intemperantiis, ac libidinibus aliorúmq; vitiorum inflammationibus, Servatore opus habemus. Is autem non solùm lenia ac mitia adhibet medicamenta, sed etiam acria. Peccatorum quidem certè proserpentes corrosiones sistunt amaræ metus radices. Quamobrem salutaris est metus, licet amarus. Jure ergò qui ægrotamus, Servatore opus habemus : qui autem aberravimus, eo qui nos deducat, & qui cæci sumus, eo qui nos ad lucem deducat : & qui sitimus, fonte vitali, cujus qui sunt participes, non amplius sitient : & qui mortui sumus, vitâ egemus: & qui oves, pastore : & qui pueri, pædagogo: quinetiam universa humana natura, Jesu : ne qui insolentes & peccatores sumus, incidamus in finem condemnationis : à paleis autem segregemur, & in apothecam paternam recondamur. Ventilabrum enim in manu Domini, quo palea quæ igni debetur, à frumento secernitur.

Licet autem, si vultis, sanctissimi pastoris & pædagogi omnipotentis & paterni Verbi summam nobis sapientiam edisce re, ubi allegoria utitur, seipsum dicens pastorem ovium. Est autem pædagogus infantium. Dicit ergo per Ezechielem, orationem dirigens ad presbyteros, & eis quandam salutarem justæ solicitudinis descriptionem exponens : Et quod claudum est alligabo, & quod ægrum est curabo, & quod aberrat, reducam : & pascam ipsos ego ad montem sanctum meum. Hæc sunt præcepta boni pastoris, Pasce nos infantes, sicut oves. Etiam Domine imple tuis justitiæ pascuis : etiam pædagoge, pasce nos ad sanctum tuum montem, ad ecclesiam, quæ in alto est, quæ superat nubes. quæ cœlos tangit. Et ero, inquit, pastor ipsorum, & ero prope ipsos, sicut tunica prope corpus ipsorum. Vult carni meæ dare salutem, me tunica incorruptionis induens, & corpus meũ injunxit : Vocabunt me, inquit, & dicam, Ecce adsum. Celerius exaudiisti, quam ego expectavi Domine. Et si trajiciant, non cadent, dicit Dominus. Non cademus enim in corruptionem, qui ad incorruptionem trajicimus : quoniam ipse nos tenebit. Dixit enm ipse, & voluit ipse. Talis est noster pædagogus, optimo jure bonus : Non veni, inquit, ut mihi ministraretur, sed ut ipse ministrarem. Propterea in Evangelio fessus introducitur, qui pro nobis defatigatur, & suâ ipsius animam pretiũ redemptionis pro multis dare pollicens. Hunc enim solum esse fatetur bonum pastorem. Liberalis ergo est ac magnificus, qui quod maximum est suam pro nobis dat animam. Valdeque est hominibus utilis, & in eos benignus, quòd homo voluit esse frater, cùm posset esse Dominus. Ille verò etiam usque adeò bonus fuit, ut pro nobis moreretur. Quinetiam ejus clamavit justitia: Si recti ad me veniatis, & ego rectus ad vos : Si obliqui ambuletis, & ego obliquus, dicit Dominus exercituum : peccatorum increpationes per vias obliquas significans. Rectè enim & secundùm naturam, quæ per Jesu Literam significatur, est ejus bonitas, quæ erga eos qui ex auditu crediderunt firma est & immobilis : Quoniam vocavi, & non exaudiistis, dicit Dominus, sed mea irrita feciſtis consilia : meas autem reprehensiones non attendistis. Ita est maximè utilis Domini reprehensio. De iis David quoque dicit : Generatio perversa & exacerbans, generatio quæ non direxit cor suum, & non fuit fidelis cum Deo spiritus ejus, & Dei testamentum non custodierunt, & in lege ejus noluerunt ambulare.

Hæ sunt causæ exacerbationis propter quas venit Judex pœnas irrogaturus iis qui bonam vitam noluerunt eligere ; & ideò cum eis paulò hic egit crassius, si ab eo quo ad mortem feruntur impetu, aliquo modo eos retardaverit. Dicit itaque per David minarum causam apertissimam. Non crediderunt in mirabilibus ejus. Quando occidebat ipsos, requirebant ipsum, & convertebantur, & manè ad Deum vigilabant, & recordati sunt quòd Deus est adjutor eorum, & Deus altissimus redemptor eorum est. Ita cognovit eos converti propter metum, contempsisse autem ejus benignitatem. Bonum enim, ut quod sit semper beneficum, generaliter contemnitur: colitur autem qui benevolo justitiæ metu admonet. Duplex est autem genus metus : quorum alterum quidem est cum pudore, quo utuntur cives erga bonos Principes, & nos erga Deum : quemadmodum utũtur boni ac moderati filii erga parentes. Equus enim, inquit, indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps. Aliud autem metus genus est cum odio, quo servi utuntur erga dominos difficiles : & Hebræi, qui Deum Dominum fecêre, non patrem. Multum autem atque adeò omninò differt id quod est spontaneum, liberum, ac voluntarium, ab eo quod fit per necessitatem, quod ad religionem & pietatem attinet. Ipse enim, inquit, est misericors, medebitur peccatis eorum & non perdet, & implebit ut avertat iram suam, & non incendet omnem indignationem suam. Vide quomodo pædagogi quod justum est, ostenditur in increpationibus, & Dei quod bonum est, in miserationibus. Quocirca David, hoc est, spiritus qui per eum loquitur, utrunque complectens, de eodem Deo psallit : Justitia & judicium præparatio sedis tuæ. Misericordia & veritas præcedent ante faciem tuam. Fatetur esse ejusdem potestatis & judicare & benefacere. Simul enim est utrorumq; potestas, judicium justi quod discernit, & idem justus & bonus qui est verè Deus : qui est ipse omnia, & omnia ipse : quoniam ipse Deus, qui solus est Deus.

Quemadmodum enim speculum non est malum deformi, eò quòd ipsum ostendat qualis sit : & quemadmodum medicus non est ægrotanti malus, quòd ei febrem annunciet : non enim medicus febris causa est, sed ipse febrem arguit. Ita nec is qui reprehendit, ei malè vult qui laborat animo : neque enim infert ei delicta, sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc ut evertat ab ejusmodi studiis. Quamobrem Deus quidem bonus est per seipsum, justus autem propter nos : & ideo quia bonus. *lib 1. cap. 9. Pædagogi.*

D. Greg. Nyssenus : Ordo in disciplinis optimus est, primùm doceri, ac deinde loqui. Disciplinas autem qui cibos animi esse dixerit, à vero non aberrabit. *Homilia septima in Canticum Canticorum.*

D. Io. Chrysostomus : Ne mireris, ne cùm à se sit dura disciplina, fructus habeat dulces. Nam etiam in arboribus cortex quidem est propè omnis expers qualitatis & asper, fructus autem sunt dulces. *Homilia* 30. *Epist. ad Hebræos.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus : Erubesco dicere in confusionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parùm proficiat disciplina ; cùm videamus pastorale magisterium etiam apud muta animalia non perire. Doceant nos ecce servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cùm in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, & sub unius habenæ retinaculo, ita laxari se consentiunt, ut & currendi & standi modus sub quadam legum dispositione servetur. Ita quos natura numero dividit, studio disciplinæ conjungit. Videte quàm fortia boum corpora plaustro subjaceant ; quæ in tantum imperio animum parant, ut tumentia naturaliter levi jugo colla supponant. Ita disciplinæ constitutionibus serviunt etiam quæ in feritate nascuntur. Unde miror aliquoties hominem, cui inest sapientia, & intellectus prudentiæ, passim præcepta disciplinæ negligere : cùm videamus mutum animal vitia cavere, jussis obtemperare, imperio deservire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, ut cùm opus fuerit armatis legionibus occurrat, & hostilibus se telis jussum objiciat. *post medium sermonis primi.*

S. Valerianus : Hostis est & inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti, disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur isti satis miseri, quos ad omne facinus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possider, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, & à quibus nunquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulcæ disciplinæ onus est, & leve jugum Domini, quod non gravat nisi perditos aut perituros. *Sermone primo.*

Idem statim : Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt universis quæ in cœlo & sub cœlo sunt verbo operante compositis, omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui Deus nihil prius quàm disciplinam fecit. Nam cùm assistente sapientia cœlum suspenderet, terram pararet, mare concluderet, & suis locis suisque temporibus cursum Solis Lunæque globum disponeret, omnia sub disciplina constituit. Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi

nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Numquid sine disciplina agitur Solis cursus? qui quamvis diurni itineris necessitatem infatigatus impleverit, ad officium tamen suum matutinus occurrit, & se in parte cœli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, ut intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus siderum cursus agitetur, ut nec Luna defectionis suæ damna effugiat, nec Solem diurni luminis flamma destituat. Numquid sine disciplina est, quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continentur, & in suo sinu frequenter incitata ventis altior aggere unda concluditur. Omnia profectò insipiens natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret.

S. Valerianus: Bene in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero castum? quid furi esset tutum? quid latroni non pervium? quis non expaveseeret concava littorum, secreta silvarum? quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compescereť? ac nisi constitutus esset ordo vivendi, nunquam profectò finem poneret natura peccandi. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat. nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum à te disciplina discedat, nihil est quod non habendi ac possidendi cupiditate animus occupet, nisi avaritiæ vitium disciplina condemnet. Omnia sub metu disciplinæ vitia jacent. Jam non est in quo fides unquam erubescat, si homo futurum Dei judicium respiciat, & caussam reddendæ rationis intendat: nec est in quo vindex scelerum flamma desæviat, si intuitu disciplinæ, aut quæ sunt honesta cogites, aut quæ sunt pudenda castiges. *serm.* 4.

S. Valerianus: Multi qui sanæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, & disciplinam imperium esse judicant, ac rationabilem castigationem superbiæ assignant: cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum; nec sit superbia, nisi ubi negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis: quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat ut noceat. deniq; mores hominum irata corrigit, inflammata custodit. Nihil profectò est, quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat: quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. *Initio Homiliæ 1. de bono disciplinæ.*

Egesippus: Magna cùm sit virtus Romana, præstans universarum gentium populus, maximè tamen ea præcedit ordine, & præceptorum obedientia, ea enim est disciplinæ militaris custodia. Cùm verò nihil in nobis offendat, nisi sola pugnandi immoderatio, & propria quædam manuum intemperantia, quid æquius potest esse quàm præsente Cæsare disciplinam repudiari militiæ? multum arbitror ipsas ingemiscere militiæ leges tantæ dissolutionis flagitio, multum Imperatorem cùm hæc compererit, qui semper audiri se à milite suo, quam timeri ab hoste maluit. obedientia enim militis effectum properat; metus hostium differt victoriam. quid judicaturum de filio patrem putaris, cujus tam vile imperium sit apud exercitum? pronunciatur enim de duce, cujus præceptum dissolvitur. nec dubium quod sæpius vindicatum sit in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverit, quàm in eos qui secundum imperium progressi, virtuti cesserint, nam legibus egredienti ordinem præscripta mors est. Quid igitur futurum, ubi non unus, sed passim exercitus deliquit ordinem suum, & statutum ducis negligit? Cognoscite vos milites esse imperii Romani, plebis, Senatus, apud quos sine præcepti auctoritate, & vicisse crimen est. *cap. 7. lib. 5. de excidio Hierosol.*

Ioh. Sarisberiensis: Romanis adeo profuit disciplina, ut orbem suæ subjicerent ditioni. Alexander quoque Macedo, exiguam manum militarem suscepit à patre, sed doctam, qua assuefacta militiæ orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias fudit. Xerxes à trecentis Lacedæmoniorum ad Thermopilas vexatus, cum eos manu infinita, plurimisq; suorum amissis, vix confeciſſet, in eo se deceptum dicebat, quod multos quidem homines, viros autem disciplinæ tenaces nullos. Hoc equidem vere dixit, quod & fuga illa testatur, qua apud Salaminam turpiter victus, qui tot gentes in bella trahebat, ut duces non possent facilè numerari, vix una nave evasit. Fertur enim quod duces exercitus eius non consueverit præ multitudine aliter numerare, quam singulis telis receptis à singulis, ut ex numero telorum, ducum quoque numerus teneretur. Est autem dux usquequaque inutilis, apud quem disciplina non viget; & frustra sperat victoriam, qui animos manusq; militum assidue non exercet. Miles subitus subito deserit ducem, & laborem ferre non sustinet, quem continuus non exercuit labor. Cæsaris animum fiducia roboravit, quod ei res erat adversus militem subitum, ducemque emeritum, & qui longa pacis quiete dedidicerat ducem. *lib. 6. Policratici cap. 14.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Et Socrates: Animadverto, inquit, hæc ita se habere. Sed videtur mihi civitas nostra nunc animo benigniori erga virum fortem adfecta, quem imperio præficit. Nam fiducia negligentiam, & ignaviam, & inobœdientiam in hominum animis excitat: metus autem efficit adtentiores, magisque parendi studiosos, atque compositos. Quod quidem intelligi magis etiam potest, sumto de nauris argumento. Nam quum illi nihil sibi metuunt, nihil recte atq; ordine gerunt: at ubi vel tempestatem vel prœlia verentur, non solum imperata cuncta faciunt; sed etiam cum silentio quid futurum sit vt ipsis mandetur, sollicite exspectant, instar eorum, qui navant in choris operam. *lib. 3. Memorabilium cap. 12.*

Leo Imperator: Neque regium satellitium nostrum & potentia; neque potentiæ nostræ dignitas & amplitudo, neque amplitudinis nostræ splendor atque fructus, neq; quicquam ex iis quæ in hominibus expetenda & honorata sunt, Majestatem nostram perinde oblectat, ut eorum qui sub dominatum nostrum subjecti sunt, pax atque tranquillitas, & Reipublicæ nostræ firma constitutio, atque ad optimum rerum statum traductio: nihilq; contra est quod nostram mentem de salute regni cogitantem ita vexet & soliciter, ac eorum qui nostro imperio obediētes sunt perturbatio, & rerum meliorum, vel propter negligentiam amissio, vel propter imperitiam labefactatio. Si enim unius alicuius viri, cuius nos procurationem provisionemq; suscepimus, progressio ad melius incredibilem nobis voluptatem affert, & ad deteriorem partem applicatio, permagnum nobis dolorem apportat, quid nunc efficere debemus tanta hominum & tam frequenti ac penè infinita multitudine sub nostram providentiam secundùm Deum statim subjecta, quorū curam provisionemq; nocturnis vigiliis & diurna solicitudine non deponimus, ut ab omni molestia & offensione liberi conserventur, & omni rerum affluentia lætitiaque expleantur?

At si cætera quæ ad rempublicam pace & consilio gubernandam spectant, non rectè administrantur, haud magnum inde detrimentum oriri, non graves rerum perturbationes ac mutationes effici videmus: disciplina autem militari jacente, tam miseras rerum offensiones ac lamentabiles conversiones Romani acceperunt, quantas quotidiana rerum experientia ante oculos nostros conspectumque proponit. Ac homines quidem qui ratione & Dei ipsius imagine insigniti sunt, pacem amplecti, mutuaq; se dilectione prosequi oportuit, neq; manus cruentas & conscelerata contra genus suum & miseros mortales armare. Quoniam autem ab initio parricida diabolus, generis nostri hostis, peccato potens, sua ipsorum natura homines expugnare cogitat, perneccessarium est ut homines illius machinationibus per homines adhibitis occurrant, neque seipsos aliis nationibus bellum inferentibus tradant, sed militaris disciplinæ scientia salutem sibi quærant, & se ab hostium incursionibus tutos conservent, & illis inferant, quæ pati illos dignum est, ut omni nefariorum hominum improbitate deleta, & sua ipsorum salute comparata, pax ab omnibus diligatur atque suscipiatur.

Quandiu enim Romanis in bello ordinis conservatio fuit, tandiu & divino præsidio imperium non destituebatur. Et cum ordinis conservatione junctus optimatum labor, splendorem victoriæ maiorem adhibebat: nunc verò cùm & acierum instruendarum ratio & imperatoria ars longo jam tempore neglecta jaceant, ut ne addam quod in altam oblivionem penitus venerint, ne ipso quidem Imperatore ea quæ in promptu sunt: addiscente, magnas & varias perturbationes videmus invectas esse. Nam cum hæc ars quæ multorum bonorum & magnorum parens atq; effectrix fuit, quibus antiqua Romanorum Respublica floruit, semel collapsa de gradu cecidit, divinam quoq; benevolentiam abiisse, & consuetam apud eos militum victoriam è manibus excidisse videmus. Paulatim enim relanguescente militari disciplina atq; industria, omnis ille vigor animi atq; alacritas optimatum consenuit. Itaq; interdum quidem segnitiem atq; ignaviam accusamus militum, interdum inscitiam atq; timiditatem ducum culpamus, interdum antiquarum acierum rationem ad cognoscendum perobscuram negligimus. Cum hanc vtilissimam scientiam recuperare, & è Republica nostra quasi ejectam revocare studeamus, in tantis occupationibus nostris haud prætermisimus, quin omnem laborem nobis ipsis assumeremus, ut utilitas inde communis omnibus adferretur.

Nam cum in antiquis & recentioribus rei militaris atq; imperatoriæ scriptoribus diligenter versati simus, atq; aliis historiis soluta oratione res gestas memoriæ mandantibus diligenter navaverimus operam, & si quid præterea in manibus hominum est ad bellicos usus idoneum, & quæcunq; mediocri rerum usu hac nostra ætate, ad statum rerum nostrarum aliquid momenti adferre videbantur, ea in omnibus actionibus suscipiendis, rebusq; nostris gerendis examinavimus, & quod in iis optimum fuit quasi delibavimus: & quæ manifestam quandam atque evidentem utilitatem adferebant, quàm paucissimis potui complexus sum, & promulgatæ legis vice trado, rerum magis ornamenta quam verborum persequens, ut compendiariam quandam rei militaris disciplinam nostris Præfectis, atque iis quibus cura rerum bellicarum commissa est præscribens, facile perspiciant factu esse iis qui volunt & cupiunt, ad maiora atq; altiora ordine quodam & gradu procedere.

In qua omni rerum tractatione, dicendi elegantiam, & verborum ornatum nullum adhibuimus: rerum pondus, dicendi perspicuitatem, orationis simplicitatem, quantum fieri potuerat sequuti sumus. Unde & verba rei militaris interdum græca adjunximus, interdum latinis vocabulis usi sumus, & alias quoque dictiones usu jam militari receptas non repudiavimus, ut omnes manifestè ac perspicuè ista cognoscerent.

Tractationes rerum minimè necessarias, quæcunq; aut supervacaneæ, aut inutiles fuerant, omnes detraximus, compendiariam quandam & expeditam rerum bellicarum expeditionumq; rationem

non

nō verbo solùm utilem, sed re ipsa factisq; maiorum approbatam, & ad nostra usq; tempora, quanquam rebus gestis minimè, transmissam, quibus Romanum olim florebat imperium, oratione tamen ac literis, quibus res oblivione penè deletę revocantur & recuperantur, & ad pristinam iterum dignitatem restituuntur, mandatam habeant qui ad disciplinam militarem atq; imperatoriam cognoscendam se totos tradunt. Quod si aliquid boni oratione nostra effectū est, gratiæ habendæ sunt omnium bonorum largitori CHRISTO, universitatis Regi, Deoq; nostro, qui & orationi nostræ affundit gratiā. Sin diversā ab istis & cura cogitationeq; sua meliora quis invenerit, gratias etiam ille omnis bonitatis autori Deo agat; nobis venia propter studium conatumq; nostrum tribuenda est.

Omnino autem qui se ad imperium administrandum vel magna vel aliqua ex parte dediderunt, in scientia militari atq; imperatoria se diligenter exerceant. Neq; enim quemadmodum imperiti quidam existimarunt, multitudine ac numero hominum, sed benignitate ac favore Dei bella conficiuntur, & rei militaris imperatoriæq; scientia, in quæ potius quam in importunæ multitudinis coitionem intuendum est: altera enim res tum utilitatem tum incolumitatem, iis qui ea bene utuntur, apportat, altera verò perturbationem & sumptus multos infructuosos adfert.

Quemadmodum enim navem onerariam per maria trajicere non possumus sine arte gubernatoria, sic neq; bella nostra honestè suscipere, neque suscepta conficere possumus sine arte militari atque imperatoria, qua non solum æqualem & parem numero multitudinem hostium propitio Deo superamus, sed etiam longè multo maiorem hostium numerum instructioresq; copias fundimus & dissipamus. Quæsi igitur legi alicui militari promulgatæ, sic huic tractationi vos parere atque obedire volumus atque imperamus. *Præfatione Tacticorum.*

Aristides Rhetor: Lege & disciplina, non urbes tantum, sed & orbis universus, atq; ipsum cœlum constat & conservatur. *fine orationis contra proditores mysteriorum.*

§ ROMANORUM.

Valerius Maximus: Præcipuum est decus & stabilimentum Romani imperii salutari perseverantia ad hoc tempus sincerum & incolume servatum, militaris disciplinæ tenacissimum vinculum, in cujus sinu ac tutela serenus tranquillusq; beatæ pacis status acquiescit. *Initio libri 2. cap. 7. quod pluribus exemplis refertum, utilis ter legetur.*

Idem: Aspero & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ ubi à recto tenore desciverunt, oppressura sunt nisi opprimantur, *eod. cap.*

Valer. Maximus: Disciplina militaris acriter retenta, principatū Italiæ Romano Imperio peperit, & multarum urbium, magnorum regum, validissimarum gentium regimen largita est: fauces Peutici sinus patefecit, Alpium Tauriq; montis convulsa claustra tradidit, ortumq; è parvula Romuli casa, totius terrarum orbis fecit columen: ex cuius sinu omnes triumphi manarunt. *principio capitis 8. libri secundi.*

Quintilianus Senior: Cui titulus fortis pater desertoris: Nihil est quod ex meo favore speres, juvenis infelicissime, nullam fiduciam ex hac quantulacumque operæ meæ gratia, capias: moriendum est. Debetur hoc sane disciplinæ militari, debetur castrorum severitati. Infelix exeuntium omen, miseræque primitiæ! Si alterum utique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis? Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius, &, si contigisset felicitati felicior quies, optimus filius eras? Moriendum est. quid tibi præstare infelix pater possum? cum duceris, flebo, plangam. Hos quos sumpseram modo ex victoria publica lætos habitus, abducite. Merui ambitiosus pater, scilicet, ne quid de militari severitate detraherem, ne viderer vir fortis desertori ignoscere. *Declamat.* 316.

Quintilianus Senior: Nihil esse quo magis disciplina militaris confirmari possit quam exemplo adversus indignos, nemo dubitabit. *Declamat.* 339 *fine.*

Quintilianus: Si vere æstimemus; imperium populi Romani ad hanc diem disciplina militari stetit. non enim nobis, aut multitudo maior est quam cæteris gentibus, aut vehementiora corpora, quam vel his ecce Cimbris, aut maiores opes quam locupletissimis regnis, aut mortis contemptus facilior quam plerisq; barbaris causam vitæ non habentibus. Principes nos facit severitas institutorum ordo militiæ, amor quidam laboris, & quotidiana exercitatione assidua belli meditatio. Itaq; plura pene moribus quàm viribus vicimus: cùm captivæ quoq; sanctè habebantur, & contumelia etiam hosti aberat: quæ omnia longa superbæ nobilitatis intermissa luxuria, tui nobis mores retulerunt. *Declam 3. §. 13.*

Plinius: Quàm speciosum est quod disciplinam castrorum lapsam extinctamq; refovisti, depulso prioris sæculi malo inertia, & contumacia, & dedignatione parendi? Tutum est reverentiam, tutum caritatem mereri, nec ducum quisquam aut non amari à militibus, aut amari timet, & inde offensæ gratiæq; pariter securi, instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, mœnia viros aptant. quippe non is Princeps qui sibi imminere, sibi intendi putet quod in hostis paretur, quæ persuasio fuit eorum qui hostilia cùm facerent timebant. Eodem ergo tempore militaria studia, nec animos modo, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam in curia hebetari retundique gaudebant. Duces quoque porrò nostri, non tam regum exterorum, quam suorum Principum insidias, nec tam hostium, quàm commilitonum manus ferrumque metuebant. *cap. 18. paneg. ad Trajan.*

Idem: Est hæc natura sideribus, ut parva & exilia validorum exortus obscuret. similiter Imperatoris adventu legator. dignitas inumbratur. tu tamen major omnibus quidem eras, sed sine ullius deminutione major: eandem auctoritatem præsente te quisq; quam absente retinebat. quin etiam plerisq; ex eo reverentia accesserat quos tu quoque illos reverebare. Itaque proinde summis atq; infimis carus, sic imperatorem commilitonemq; miscueras, ut studium omnium laboremque, & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps sociusq; relevares. felices illos quorum fides & industria, non per internuncios & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probabantur. *cap. 19. paneg. ad Traj.*

Frontinus: Publius Scipio ad Numantiam, corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit, dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus, quibus cum frequens injungeret iter, portare complurium dierum cibaria imperavit, ita ut frigora & hymbres pati, vada fluminum pedibus trajicere assuesceret miles: exprobranre subinde Imperatore timiditatem & ignaviam, frangente delicatioris usus ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maximè nobiliter accidit C. Mevio tribuno, cui dixisse traditur Scipio, Mihi paulisper, tibi & Reipublicæ semper nequam eris.

Q. Metellus bello Iugurthino, similiter lapsam militum disciplinam pari severitate restituit, cum insuper prohibuisset alia carne quam assa elixave milites uti.

Pyrrhus delectori suo fertur dixisse, Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

Lucio Flacco & C. Varrone Coss. milites primo jurejurando facti sunt, antè enim sacramento tantummodo à tribunis rogabantur: cæterum ipsi inter se conjurabant se fugæ atque formidinis causa non abituros: neq; ex ordine recessuros, nisi teli petendi feriendive hostis aut civis servandi causa.

Scipio Aphricanus, cum ornatum scutum elegantius cuiusdam vidisset, dixit non se mirari, quod tanta cura ornasset, in quo plus præsidii, quam in gladio haberet.

Philippus, cum primum exercitum constitueret, vehiculorum usum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos calones habere permisit: peditibus autem denis singulos, qui molas & funes ferrent in æstiva exeuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperavit.

Caius Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus & habile onus & facilis requies esset: vnde & in proverbium tractum est, Muli Mariani.

Theagenes Athenienſis cum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit ibi se daturum dein clam equites præmisit, eosque hostium specie imperum in socios retorquere jussit: quo facto quos tum habebat, tanquam ad hostium occursum præpararentur, permisit ita ordinare aciem, ut quo quis voluisset loco consisteret, & cùm inermissimus quisque retrò se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, ut quenque invenerat stantem, ita ad ordines militiæ provexit.

Lysander Lacedæmonius, egressum via quendam castigabat: cui dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit, ne speciem quidem rapturi præbeas volo.

Antigonus, cum suum filium divertisse audisset in eius domum, cui tres filiæ insignes specie essent, Audio, inquit, fili, anguste habitare te, pluribus dominis domum possidentibus, hospitium laxius accipe: jussoq; commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hospitio matris familias uteretur.

Q. Metellus Cos. quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.

Publius Rutilius Cos. cum secundum leges in contubernio suo filium posset habere, in legione militem fecit.

T. Scaurus filium, quod in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum venire vetuit: adolescens verecundia ignominiæ pressus mortem sibi conscivit.

Castra antiquitus Romani, ceteræq; gentes passim per corpora cohortium velut mapalia constituere soliti erant, cum solos urbium muros nosset antiquitas.

Pyrrhus Epirotarum rex, primus totum exercitum sub eodem vallo continere instituit. Romani deinde victo eo in campis Arusinis, circa urbem Statuentum castris eius potiti, & ordinatione notata paulatim ad hanc usq; metatione quæ nunc effecta est, pervenerunt.

P. Nasica in hybernis, quamvis classis usus non esset necessarius, ne tamen desidia miles corrumperetur, aut per ocii licentiam sociis injuriam inferret, naves ædificare instituit.

M. Cato memoriæ tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut si lentius animadvertere voluissent in principes, sanguinem missum.

Clearchus dux Lacedæmoniorum exercitui dicebat, Imperatorem potius quam hostem metui debere, significans eos, qui in proelio dubiam mortem timuissent, certum si desciuissent, manere supplicium.

Appii Claudii sententiæ, senatus eos, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum jussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.

Otacilius Crassus Cos. eos, qui ab Hannibale sub jugum missi redierant, tendere extra vallum jussit, ut immuniti assuescerent periculis, & adversus hostem audentiores fierent.

P. Cornelio Nasica, Decimo Junio Coss. qui exercitum deseruerant damnati, virgis cæsi publicè venierunt.

Domitius Corbulo in Armenia, duas alas & tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum jussit tendere, donec assiduo labore & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.

Aurelius Cotta Cos. cũ ad opus equites necessitate cogente jussisset accedere eorumq; pars detrectasset imperium, questus apud censores, effecit, ut notarentur. A patribus, deinde obtinuit, ne eis præterita æra procederent.

Tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque consensu stabilita disciplina est.

Q. Metellus Macedonicus, in Hispania quinq; cohortes, quæ hostibus cesserant, testamentum facere jussas, ad locum recuperandum remisit, minatus non nisi post victoriam receptum iri.

P. Valerio consuli senatus præcepit exercitũ ad Sirim victum ducere Serinum, ibiq; castra munire, & hyemem sub tentoriis exigere.

Senatus, cùm turpiter fugati eius milites essent, decrevit, ne auxilia ei submitterentur, nisi captis eius legionibus, quæ Punico bello militiam detrectaverant. at in Siciliam velut relegatis per septem annos ordeum ex senatusconsulto datum est.

L. Piso Titium præfectum cohortis, quod loco fugitivis cesserat, cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie stare, dũ vigiles venirent, jussit, conviviisq; & balneo abstinere.

Sylla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis jussit.

Domitius Corbulo in Armenia, Æmilio Rufo prefecto equitum, quia hostibus cesserat, & parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scidit: eidemq;, ut erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperavit.

Attilius Regulus, cum ex Samnio in Lucernam transgrederetur, exercituſq; eius obviis hostibus aversus esset, opposita cohorte, jussit fugientes pro defectoribus cædi.

Cotta Cos. in Sicilia, in Valerium Nobilem tribunum militum ex gente Valeria virgis animadvertit.

Idem P. Aurelium sanguine sibi junctum, quẽ obsidioni Lipararum ipse ad auspicia repetendi Messanã transiturus præfecerat, cum agger incẽsu, & capta castra essent, virgis cæsum in numerum gregalium peditum referri, & muneribus fungi jussit.

Fulvius Flaccus Censor Fulviũ fratrem suum, quia legionẽ, in qua tribunus militum erat injussu consulis dimiserat, à senatu movit.

M. Cato, ab hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cũ tradito profectionis signo classem solvisset, & relictus è militibus quidã alta voce & gestu expostularet, uti tolleretur, circumacta ad littus universa classe comprehensum, supplicio affici jussit; & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit.

Appius Claudius ex his, qui loco cesserant decimum quemq; militem, sorte ductum, fuste percussit.

Fabius Rullus Cos. ex duabus legionibus, quæ loco cesserant sorte ductos in conspectu militum securi percussit.

Aquirius ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit.

M. Antonius, cùm agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant duarum cohortium militem decimavit, & in singulos ex his centuriones animadvertit, legatum cum ignominia dimisit, reliquis ex legione ordeum dari jussit.

In legionem, quæ Regium oppidũ injussu ducis diruerat, animadversum est, ita ut quatuor millia tradita custodiæ necarentur. Præterea senatusconsulto cautũ est, ne quẽ ex iis sepelire vel lugere fas esset.

L. Papyrius Cursor dictator Fabiũ Rutilium, magistrũ equitum, quod adversus edictũ eius, quamvis prosperè pugnaverat, virgis posposcit cæsum securi percussurus: nec cõtentioni aut precib. militum concessit animadversionem, eumq; profugientem Romã persecutus est: nec ibi quidem remissio prius supplicii metu, quã ad genua eius, & Fabius cũ patre, provolveretur, ac pariter senatus ac populus rogarẽt.

Manlius, cui Imperioso postea cognomen fuit, filium quod is contra edictum patris cum hoste pugnaverat, quamvis victorem, in conspectu exercitus virgis cæsum securi percussit.

Manlius filius, exercitu pro se adversus patrem seditionem parante, negavit tanti esse quenquam, ut propter illum disciplina corrumperetur, & obtinuit, ut ipsum puniri paterentur.

Q. Fabius Maximus transfugarum dexteras præcidit.

M. Curio Cos. bello Dardanico, circa Dirachium, cum ex quinq; legionibus una, seditione facta, militiam detrectasset, secuturamq; se temeritatem ducis in expeditionem asperam & insidiosam negasset, quatuor legiones eduxit armatas, & cõsistere omnibus, detectis armis velut in acie, jussit, post hæc seditiosam legionẽ inermẽ procedere discinctamq; in cõspectu armati exercitus, stramẽta coegit secare: postero aũt die similiter fossã discinctos milites facere, nulliſq; precib. legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eius submitteret, nomẽq; abolerer, milites aũt in supplementũ ceterarum legionum distribueret.

Q. Fulvio, Appio Claudio Cos. milites ex pugna Cannensi in Siciliam à Senatu relegati postulaverunt à Cos. M. Marcello, ut in prœlium ducerentur, ille Senatum consuluit: senatus negavit sibi placere committi his Rempublicam, quam deseruissent: Marcello tamẽ permisit facere quod videretur, dum ne quis eorum munere vacaret, neve donaretur, neve quod præmium ferret, aut in Italiam reportaretur, dum Pœni in ea fuissent.

M. Salinator consularis damnatus est à populo, quod prædam non æqualiter divisérat militibus.

Cum ab Lygurib. in prœlio Q. Petilius Cos. interfectus esset decrevit senatus, uti ea legio, in cuius acie Cos. erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraq; rescinderentur. *lib. 4. Stratagem. cap. 1.*

Idem de effectu disciplinæ: Bruti & Cassii exercitus, memoriæ proditum est, bello civili cum una per Macedoniam iter facerent, priorq; Brutus ad fluvium, in quo pontẽ jungi oportebat, perveniſſet, Cassii tamen exercitum & in efficiendo ponte, & in trãsitu maturando præcessisse: qui vigor disciplinæ effecit, ne non solum in operibus, verum etiam in summa belli præstarent Cassiani Brutianis.

C. Marius, cum facultatem eligendi exercitus haberet, ex duobus, sub Rutilio, & qui sub Metello, ac postea sub seipso meruerãt, Rutilianũ quendẽ minorẽ, qui certioris disciplinę arbitrabatur, præoptavit.

Domitius Corbulo, duabus legionibus & paucissimis auxiliis disciplina correcta Parthos sustinuit.

Alexander Macedo quadraginta millibus hominum, jam inde à Philippo patre disciplinæ assuefactis, orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias vicit.

Cyrus bello adversus Persas, quatuordecim millibus armatorum immensas difficultates superavit.

Epaminondas dux Thebanorũ, quatuor millib. hominũ, ex quib. quadringenti tãtum equites erant Lacedæmoniorum exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum mille sexcentorum vicit.

A quatuordecim millibus Græcorum, qui numerus in auxiliis Cyri adversus Artaxerxem fuit, centum millia barbarorum prœlio superata sunt.

Eadem Græcorum 14. millia, prœlio amissis ducibus, reditus sui curã uni ex corpore suo Xenophonti Athenienſi demandata, per iniqua & incognita loca, incolumia reversa sunt.

Xerxes à trecentis Lacedæmoniorum ad Termopylas vexatus, cũ vix eos cõfeciſſet, hoc se deceptum ajebat, quod multos quidem homines haberet, viros autem disciplinæ tenaces nullos. *cap. 2. lib. 2. Stratagem.*

¶ Poetarum.

Ennodius Epigrammate 15. f.

Celsa tenebroso frondescunt arbuta luxu,
Quæ nullis strinxit fulcibus agricola.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate ethico XIII.

Quæ nocent, docent.

Si foret in silvis per devia rura vagatus;
Nec cavea viridis clausa fuisset avis;
Non regum consueta dapes, non ore falernum
Gustet, & aurato non recubet thalamo:
Nec lapides daret ore sonos, nec amabile murmur,
Nec domino posset dicere, Cæsar ave.
Frena det ingento, juvenilibus imperet annis;
Optati ingreditur quisquis honoris iter.

Disciplinæ Ecclesiasticæ.

¶ Apophthegmat. Sacr.

Iosaphat rex: Hierosolymis constituit Josaphat à Levitis & Sacerdotibus, & ex Primoribus paternarũ familiarum Israelis, ad judicia Jehovæ & lites: cùm reverterentur illi in urbẽ. Et præcepit eis dicendo, Sic facite cum timore Jehovæ, cum fide, & cum animo integro. Vt quæcunq; lis pervenerit ad vos à fratrib. vestris residentibus in civitatibus suis, de discrimine inter cædem & cædem, inter legem & præceptum, statuta & judicia, admonetis eos ne rei fiant Jehovæ, & incumbat fervens ira vobis & fratribus vestris: sic facite ut non sitis rei, &c. 2. *Chron.* 19. *8. 9. 10.*

Ioas Rex: Quum esset ei in animo instaurare domũ Jehovæ, congregatis Sacerdotibus ac Levitis dixit eis Joas, Exite per civitates Jehudæ, & cõgregate à toto Israele pecuniã ad curandum domũ Dei vestri de anno in annum: vos itaq; festinate in hoc negotio. Sed non festinarunt Levitæ. Quapropter vocans rex Jehoiadam primarium, dixit ei, Quare non habuisti quæstionem de Levitis, ut afferrent à Jehuda & Hierosolymis collectam Mosis servi Dei & congregationis Israelis ad tentoriũ conventus? Itaq; edicente rege aptaverunt & posuerunt arcam in porta domus Jehovæ foris. 2. *Chron.* 4. *5. 6.*

Iesus Christus & Apostoli: Quæ de disciplina Ecclesiæ docuerunt, *Vide in Apopht. de Ecclesia.*

D. Ambrosius: Quum Theodosius Imp. ob seditionem Thessalonicæ excitatam septem hominũ millia interfeciſſet, Ambrosius Mediolanensis episcopus, Theodosio Mediolanum adventanti, & in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula obviam procedit, vetatq; ingressum, & his ferè verbis eum affatur: Est verisimile, ô Imperator, te ignorare cædis abs te perpetratę magnitudinem, neq; post sedatam iracundiam ratione admissum facinus pervidere. Nam

Impe-

Imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verum quæ sit natura nostra, & quam fragilis ac fluxa, considerandũ est: & in avitum pulverem, ex quo orti sumus, & in quem recasuri, acies mentis intendenda: neque ipse splendore purpureæ deceptus, corporis illa operi imbecillitate ignorare debes. Quinetiã illis imperas, qui & ejusdẽ sunt naturæ participes, atq; adeo conservi. Unus enim omniũ Dominus & Rex, hujus universitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templũ illius, qui est omniũ Dominus, quibus pedibus sanctum illud solum calcabis: Qui, quæso, manus injusta cæde & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctũ Domini corpus accipere? Aut quomodo venerandum eius sanguinẽ ori admovebis, qui furore iræ jubente tantum sanguinis tam inique effudisti? Recede igitur, & ne conare novo scelere scelus ante editũ augere: sed capesse vinculum, quo ut ligeris Dominus omnium cœlitus sententiã dat. Quod quidẽ vinculum vim habet & morbũ animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi. Huic orationi obsecutus Imperator (nam divinis educatus eloquiis accuratè norat tum quę essent officia sacerdotũ, tum quæ Regum propria) cum gemitu & lachrymis ad palatiũ revertitur. Atq; octo mensium spatio jam elapso, Servatoris Natalitia fuere celebrata. Imperator aũt considet in palatio, lamẽtis se dedens, & magnam vim profundens lachrymarum. Quod cùm animadvertisset Ruffinus, qui tum magister aulæ fuit, magnaq; apud Imperatorem authoritate, utpote familiaritate ei cõjunctior, ad illum recedens rogat causam fletus. Tum Imperator, lugens acerbius, & majorẽ in modum flens: Tu, inquit, Ruffine, ludis? nam quantis ipse in malis versẽr, nõ sentis. Ego vero gemo, & meam ipsius deploro calamitatẽ, dum mente cõplector quã facilis aditus ad sacrum templũ servis & mendicis pateat, liberq; illis ad Dominum suũ deprecandum detur introitus: mihi autem nõ modo ad illum locum, verum etiã ad cœlum ipsum accessus præclusus sit. Nam venit mihi in mentẽ sententiæ à Domino prolatæ, quæ palam dicit, Quæcunq; ligaveritis super terrã, erit ligatus & in cœlis. Cui Ruffinus, Curram, inquit, si placet, ad Episcopum, ei supplicabo, persuadeboq; ut tua solvat vincula. At non est, inquit Imperator, tibi morẽ gesturus. Novi enim adeo justam æquamq; Ambrosii esse sententiam, ut non metu potestatis Imperatoriæ sit legem divinã violaturus. Verum cum instaret Ruffinus, polliceretur q; se Ambrosio persuasurum, Imperator jubet properè abire: ipseq; falsa spe inductus, & Ruffini confisus promissis, paulo post sequitur. Ut primum aũt Ruffinum Divus vidit Ambrosius: Videris mihi, inquit, Ruffine, canum impudentiã imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricuisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginẽ Dei insaniviss̃e. Ubi vero Ruffinus eum obnoxiè rogasset, ac dixisset Imperatorẽ brevi eo venturum, S. Ambrosius divino zelo accensus: Ego (inquit) Ruffine, tibi prædico, me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturũ. Quod si Imperium mutarit in tyrannidẽ, cædem lubens equidẽ excipiam. Quib. auditis, Ruffinus Imperatori per internunciũ significat, hortaturq; ut maneat in palatio. Quæ cũ Imperator in medio foro accepisset: Eo, inquit, illuc nihilominus, qui justas debitasq; cõtumelias subeam. Ubi vero ad sacros tẽpli parietes advenit, non ingreditur in templũ ille quidẽ, sed ad Episcopum, qui in ædicula salutatoria sedebat, accedens, obsecrat ut vinca sibi solvat. At Ambrosius, eius adventũ dixit esse tyrannicũ, eumq; ipsum contra Deũ insanire, & illius leges proterere. Tum Imperator, Non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno, neq; sacra vestibula per nefas introire cupio: sed oro, ut mihi solvas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiã illius, qui est Dominus omniũ: & ne mihi occludas januam, quã ille omnibus, quos peccatorũ suorũ pœnitet, aperuit. Cui Ambrosius, Quam tu, inquit, pœnitentiã, post tam grave scelus admissum, ostendis? Quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curanda & sananda adhibuisti? Tuũ est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, caq; temperare, & vulnera quæ ægrius curantur obligare: meũ autem, quæ sunt adhibita, accipere. Tum divus Ambrosius: Quoniã, inquit, iracundiæ permisisti judiciũ, & non rectæ rationi, sed animo irato obsecutus, sententiã pronunciasti: cõscribe legem, qua deinceps sententiæ per iracundiã pronunciatæ, irritæ sint & nullius momenti: cognitionesq; causarũ de cæde & publicatione bonorũ, ad triginta dies scriptis proditæ maneant, uti recta ratione de illis judiciũ des. Atq; diebus illis confectis, qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Actum quidẽ compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta: & ita perspicies, iniquane sint an æqua. Quod si iniqua deprehenderis, certũ est ea decreta scriptis mandata te dilaceraturũ: sin æqua, confirmaturũ: sicq; manifesto intellecturum numero dierũ interjectorum, nihil de authoritate decretorum recte sancitorũ omnino detractũ esse. Istud consilium Imperator, quoniã prudentissimum esse cẽsebat, libenter amplexatus, jubet extemplo legẽ conscribi, suaq; subscriptione confirmat. Qua re confecta D. Ambros. eius vincula solvit. Itaq; Imperator piissimus in sanctum templum ingressus, non stans Dominum precatus est, neq; genibus flexis, sed pronus, humi abjectus, versum illũ Davidis recitavit: Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundũ verbum tuũ: atq; capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrymarũ guttis solum rigare, veniamq; supplex petere cœpit. Ubi autẽ tempus postulavit, ut dona sacræ mensæ offerret, surgit, atq; non minorẽ lachrymarum vim, quã antea, effundens, in sanctuarium ingressus est. Cum vero dona, uti solebat, obtulisset, intus prope cancellos mansit. At rursus magnus ille Ambrosius non cõticuit quidem, sed locorum differentiã cum docuit. Ac primũ sciscitatur, ecqua re egeret? Et cum respõdisset Imperator, se expectare divinorum mysteriorũ perceptionem: significavit illi per primariũ Diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditũ patere eademq; aliis omnibus inaccessa esse, nec debere tangi. Jubet igitur ut exeat, & cum reliquis laicis consistat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non sacerdotes efficit. Respondit supplex Imperator, se nõ animi confidentia inductũ mansisse inter cancellos, sed hanc consuetudinẽ Constantinopoli didicisse. Quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiã. Tantis & tam eximiis virtutis ornamentis enituit tum Episcopus, tũ Imperator. Utrumq, enim admiror: alterũ propter ingenuã loquendi libertatẽ, alterum propter facilẽ obedientiã: & illum propter divini zeli ardorẽ, hunc autem propter synceram fidem. Imperator autẽ pietatis quæ ab illustri illo episcopo didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim, observavit. Nam cum solenni quodam festo ad templũ accederet, statim ut dona sacræ mensę obtulisset, exivit. Cum aũt Nectarius, qui id temporis illius Ecclesiæ fuit Antistes, rogaret, Cur non maneret intus? gemens respondit, Ægrè tandẽ didici quid inter Imperatorẽ interst & Episcopũ: ægrè tandem reperi veritatis magistrũ. Nam solum Ambrosiũ novi episcopũ, dignũ eo nomine. Tantum cõmodi reprehensio, à viro virtute præstanti adhibita, secum adferre solet. *Theodor eccl. hist. lib. 5. c. 17.*

Iustinus martyr. Disciplinam Ecclesiæ & ritũ initiandi Christianos suo tempore usitatũ ita describit: Quotquot credũt quę docemus vera esse, & ad eum modũ vivere pollicẽtur, ante omnia discunt, jejuniis & precib. petere à Deo præteritorũ peccatorũ veniam, nobis una præces jejuniaq; jungentibus. Deinde ad aquam à nobis ducuntur, & renascuntur eo modo quo & nos renati sumus. Nam in nomine Patris omniũ, Dominiq; Dei & Servatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti, in aquã tunc lavantur. Hominem sic ablutum ac institutũ ad fratres adducimus, ubi cœtus fiũt, ut tam pro nobis quam pro recens illuminato precemur, ut inveniamur per verã doctrinã & bona opera digni observatores & custodes mandatorũ, & ut salutem æternam assequamur. Post precationẽ nos salutamus osculo mutuo. Deinde adfertur præcipuo fratri panis & calix aqua dilutus, quib. acceptis laudẽ & gratiarum actionẽ Patri omnium offert per nomen Filii & sancti Spiritus: atq; ita Eucharistiam aliquãdiu celebrat. Post preces & Eucharistiã totus populus accinit, Amen. Absoluta gratiarum actione præsulis, Diaconi quos vocamus, dant singulis præsentibus partẽ panis & calicis diluti: super quos facta est gratiarum actio: atq; etiam deferre sinunt absentibus. Hoc autem alimentũ apud nos vocatur Eucharistia, ad quod nemo admittitur, nisi qui credit verã esse nostram doctrinã, ablutus regenerationis lavacro in remissionẽ peccatorum, & sic vivens ut Christus docuit. Non n. ut vulgarem panẽ & vulgare poculum hæc sumimus: sed quemadmodũ per verbũ Dei caro factus Iesus Christus Servator noster, carnem & sanguinẽ pro salute nostra habuit: sic etiã per verbũ precationis & gratiarũ actionis, sacratã ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Jesu carnem & sanguinem esse didicimus.

Die Solis, urbanorũ ac rusticorum cœtus fiunt, ubi Apostolorum Prophetarumq; literæ præleguntur: deinde cessante lectore, præpositus (pastor Ecclesię) verba facit adhortatoria, ad imitationem rerum honestarũ invitis. Post hęc consurgimus omnes, & precamur. Postea profertur panis, vinũ, & aqua: tum præpositus quantũ potest precatur, & gratias agit: plebs vero Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittuntur per diaconos. Ditiores, si libeat, pro sua quisq; voluntate conferunt. Collecta deponuntur apud præpositũ: is subvenit pupillis & egenis. Cõventus autẽ hos die Solis facimus, quod hac die Deus mundũ creavit, & eadem die Christus resurrexit à mortuis. *Hæc Iustinus, Apolog. 2. pro Christianis.*

Iræneus. Mulier quædã, inquit, forma præstans, diaconi cujusdã in Asia, cum à Marco hæretico mẽte & corpore corrupta diu eum esset secuta, postea magno labore à fratrib. conversa, omne tempus in exomologesi cõsummavit, plangens & lamentans. Ibidẽ & de Rhodanensibus mulierib. scribens, ait, eas in publico exomologesin fecisse. Ex his & similibus locis, quorũ multa apud Tertullianũ & Cyprianum extant testimonia, cõstat peccatores, quorũ delicta & scelera Ecclesiæ detecta erant, ut scandalũ piis oblatum tollerent, pro ratione delictorũ à presbyteriis, id est, concessibus pastorũ & presbyterorũ primum admonitos, objurgatos & cõsolatos, deinde post publicã coram piorũ cœtu delictorũ agnitionem, & derestationẽ ad sacram cõmunionẽ, qua ante fuerãt excluſi, receptos fuisse. Quę ritum veteres pœnitentiã, confessionem, satisfactionem nominarunt. De his autem quum Theologi neoterici prolixe differãt in dogmatum explicatione, instituti nostri metas ne transiliamus. *Libro 1. adu. hæreses, c. 9.*

Tertullianus: Christianorum sui seculi disciplinam, ritus & mores describit apologet. adu. gentes. cap. 39. Coimus, inquit, in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus oranies. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus ac potestatibus, &c. Cogimur ad divinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorũ nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumq; futuri judicii præjudicium est si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quiq; seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim

enim pretio vlla res Dei constat: non de oneraria summa quasi redempta religionis congregatur: modicam vnusquisq; stipem menstrua die, vel quando velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo cõpellitur, sed ipsponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non aliis quam egenis alendis dispensatur. Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit: vocatur ἀγάπη, id est dilectio, quãtiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosq; refrigerio isto iuuamus. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi esse Deum. Ita fabulantur, vt qui sciunt Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisq; de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio conuiuium dirimit.

Idem. De disciplina & ritibus Ecclesiæ circa baptismum & baptizandos suo seculo variis locis differit, quæ quoniam scite digna videntur, adscribemus. Potestas baptisandi penes solos Ecclesiæ ministros est, *libro de Baptismo*: Non permittitur (inquit, *lib. de Velandis virginibus*) mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere. Dies Paschæ & Pentecostes solennes fuisse ad baptizandum ait, sed paulo post addit, Omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo. Ætatem aliquam in infantibus requirere videtur lib. de Baptismo, sed priuato suo iudicio id profert. Infantes enim Ecclesia Christiana, postquam editi essent baptizandos esse censuit, iuxta Dei verbum Ecclesia, teste Cypriano, lib. 3. epist. 8. De baptismo adultorum conuenit Tertullianus cum Iustino, cuius dicta notauimus. Adultus baptizandus interrogabatur de Symbolo cuius verba coram cœtu recitabat. Deinde renuntiabat Diabolo, pompæ & angelis eius. Recitabatur postea formula Christi, Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Sic enim in libro de Corona militis, Ter mergitamur, nihil amplius aliquid respondentes, quã Dominus in Euangelio determinat. Et in lib. adu. Praxeam, Non semel, sed ter ad singula nomina, & ad personas singulas tingimur. Aliæ ceremoniæ accedebant, de quibus idem Tertullianus lib. de Baptismo *Vide eiusdem lib. de spectaculis, de idololatria, de corona militis, lib. 1. contra Marcionem, & de pudicitia.*

Idem. Disciplinæ Ecclesiasticæ circa claues, id est pœnitentiæ publicæ seu confessionis & exomologeseos, (quam pœnitentiæ ministerium alicubi vocat) ritus idem in libris suis subinde, alias breuiter, alias prolixius recitat. *Lib. de pœnitentia:* Is actus, inquit (confessionis scilicet) exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conuersionem iniungens misericordiæ illicem. Deipso quoque habitu ac victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa per quæ peccauit tristi tractatione mutare. Cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerunque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & aris Dei ageniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis continet.

Idem. Libro secundo ad vxorem, libro de cultu fœminarum, ad martyres, ad Stapulam, piam & honestam Ecclesiæ veteris disciplinam, id est, Christianorum probatos mores commemorat Tertullianus, cuius vestigia discipulus Cyprianus sequitur. Ex horum Theologorum dictis constat faciem Ecclesiæ longe aliam tunc fuisse ab ea quæ postea apparuit, & tunc sub Domini disciplina fideles beate vixisse. Horum quippe exercitia fuere preces publicæ & priuatæ, silentium, modestia, patientia, æquitas, castitas, benignitas, charitas erga pauperes, ieiunia, ægrotantium visitationes, consolationes captiuorum, hospitalitas, &c.

Disciplinam Ecclesiæ veteris priuatam & publicam, post Tertullianum & Cyprianum, alii patres prolixe describunt. Quum vero eorum dicta, siue cæremonias sacras, siue mores Christianorum & vitæ instituta varia spectes, ad dogmatum explicationem potius quam ad apophthegmatum seriem pertineant, plura addere non libuit. Tantum pauca quædam, quæ ad disciplinæ commendationem faciunt, & quidem in genere, subiunximus.

Clerus Romanus. Presbyteri & diaconi Ecclesiæ Romanæ ad quandam D. Cypriani epistolam respondentes, inter alia scite dicta, quæ sequuntur de vtilitate disciplinæ in Ecclesia Dei proferunt quæ sequuntur: Quid magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam seueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illic incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauim Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos: vt appareat non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus repellantur, vt disciplinæ ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur. *Cyprian. lib. 2 epist. 7.*

D. Gregorius magnus. Quotiens, inquit, contra Ecclesiasticam disciplinam quid gestum dicitur, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. *Epist. lib. 5 ep. ad Maximinum.*

Nicephorus. Veterum Christianorum solitudinem commune consilium & institutum fuisse ait, vt quam maximam animæ curam gererent, eamque à rebus & studiis huius vitæ per desuetudinem abalienarent, & longioris vitæ suæ tempus in precationibus, ieiuniis, hymnisq; & Deum decentibus laudibus consumerẽt: corpus autem delicta rumq; eius & voluptatis studium negligerent, necnon pecuniam & negotiorum occupationes omnino à se repellerent, & ad vitam Angelicam imitatione contenderent. *Eccl. hist. 11. c. 41.* Qui fuerint sequentium seculorum mores & disciplina in Ecclesiis, horrendæ quæ sub Antichristo visæ sunt, & etiamnum apparent vastitates, luculenter demonstrant. Hæ autem quum cryptas, non scripta, gemitus ad Deum, non mugitus ad homines, atram mentem sub mi is Dei trementem non atramentum desiderent, etiam piis cogitationibus lectorum aliquid concedamus.

Disciplinæ militaris.

¶ APOPHTH. SACRA.

Carolus Magnus. Postquam Cæsar & Augustus appellatus est, diligenter curavit, vt disciplinam militarem conseruaret, sicuti cõstat ex eius scitè dictis, quũ exercitum debellatis Saxonibus & Lõgobardis, cum quibus diuturnum bellũ gesserat, dimitteret: Ite, inquit, milites mei, vos heroes vocabimini, socij regum, iudices criminũ. Viuite posthac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, fauete fœminis, iuuate pupillos, consilio circundate principes, ab his victum, vestitum, stipendium petite. Si quis negauerit, inglorius infamisque esto. Si quis iniuriam vobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat. Vos autem cauete, ne tantum decus, tantumque priuilegium iusto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut seurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis, ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsan excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum regibus perpetuò reseruamus. Hinc apparet quod pulchrum quidem sit vincere Reges, oppugnare regiones, castra & vrbes: multò tamen pulchrius affectibus imperare, rectum ordinem & disciplinam sartam tectam tueri: omniumque admirabilissimum, quando is qui multos vicit, sui ipsius victor apparet. *D. Philippus Camerarius, cap. 79. meditationum historicarum.*

Ludovicus XII. Gallorum rex. Dicebat eum qui Pontificibus his qui bello potius quàm pietati student, primus arma, sodalibus sanctioris vitæ instituta professis, equos permisisset, & militarem & cælestem disciplinam corrupisse. *Arnoldus Ferron. de rebus gestis Francorum, libro tertio.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absque disciplina lenis esto Rex dispendio.
An qua disciplina est, in qua non peccando discitur?
Civitas sub disciplina, civitas præflorida est.
Disciplina bene vivendi, ipsa est supplicij acerbitas.
Disciplina est immortalis: est caduca pecunia.
Disciplina liberorum charitate antiquior.
Disciplina militaris imperij primum est decus.
Disciplina, paupertate magistra, absolutissima est.
Disciplina recta quidnam, quàm natura est altera?
Disciplina robur est, non multitudo, exercitus.
Disciplina servat orbis intus atque extra globum.
Disciplina vbi senescit rara virtus florida,
Disciplina militari ipsum hostilissimum otium est.
Disciplinæ sub metu vitia omnia optimè iacent.
Fert equus jugum ac flagellum, fortis ac celer licet.
Florida est quacunq; agit sub disciplina civitas.
Haud tenax est disciplina militum major manus.
In comas fructumque expirat silva falcis nescia.
In delictis præliorum nulla post correctio est.
Magna cura disciplinæ ibi est, fortuna vbi haud sua est.
Mens disciplinæ dedita immemor mali est.
Militaris disciplina, in pace inexorabilis.
Militi clade à recenti disciplina plurimum est.
Multitudo grandior omnis disciplinæ est insolens.
Mundus absque disciplina vix vel vnum stet diem.
Non natura at disciplina mater eloquentiæ est.
Perditis, modo aut perituris, disciplina onus grave est.
Pravitatem omnem naturæ disciplina corrigit.
Rarum ibi crimen vbi nullum est, disciplina ubi sua
Sic vigilet tolerantia ut non disciplina dormiat.
Somnus hostis disciplinæ est & defatigatio.
Vix est ulla, disciplina quin ferat leges fera.

¶ IAMBICA.

Cui disciplina est civitas, ea florida est.
Disciplina infirmitatis optima est custodia.
Equus freno rebellat, raro suo veteris.
Et disciplinæ elementa tota servant.
Haud disciplina est, disciplina quæ indiget.
Haud dulcis ubi disciplina infantiæ est.
In disciplina plus est, quàm in exercitu.
Latronibus quoque disciplina bellica est.

Natura prima disciplina est omnium.
Omnis parens est disciplinæ instantia.
Rebus secundis disciplina corruit.

Discipuli.

SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

D *Greg. Nyssenus*: Valde magistris & doctoribus indignamur, & eorum admonitionem ægrè ferimus, & consiliis gravamur: nauseamus verò ad rerum honestarum disciplinam, perinde ac ægroti cibum fastidientes ad opsonia quæ illis medici exoptant. Ac si quis increpet, exacerbamur: si asperius verbum audiamus, indignamur: sique nobis ad separationem ecclesiæ fores obserantur, ad convicia ferimur, ac blasphemamus. Ii non sunt discentium mores, neque obedientia discipulorum, sed seditiosorum & pugnacium contentio. Puelli enim vicem discipulus subire debet, qui artem vel scientiam aliquam de externis desideraverit. qui verò pietatem meditatur, majori cum accessione infans esse debet. præsertim cum etiam Dominus illam ætatem veluti ad obediendum paratam sui ipsius laudibus ornaverit. Atqui puellus non insurgit in characteres & lineamenta quæ præceptor in cera inscripserit, neque nova molitur elementa, aliquid novi in literis licentia stolida attentans, sed primam graphio in notis præceptoris manum exercet. nomina verò non alia ex elementis colligit, quàm ea quæ audivit, sed omnimodo, ratione ac opera magistri traditionem imitatur. Quòd si, quando negligentius quid egerit, cutis eius verberibus afficiatur, plagis contumax non efficitur, neque perfractis tabellis à magistro abit, sed aliquandiu dolori amatas instillans lachrymas, disciplinis adhæresci, versaturque acrior in meditatione, non autem negligentior evadit. Alias rursum si tanquam juvenis ac novus parum rem curet, à cibis abstinere jubetur, & famis pœna propter socordiam damnatur: permanet verò in ludo etiam solus, aliis ad prandium discedentibus pueris, præceptum religiosè observans. *contra non ferentes castigationes.*

D. Chrysostomus: Hoc ipsum optimi præceptoris officium est, discipulorum appetitionem ac desiderium non ubiq; sequi, sed illos ad id quod ipse vult deducere, spinasque revellere, ac tum sementem facere; neque statim ad interrogata ubique respondere. *Homilia 16. ad Roman.*

Chrysostomus: Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Non convenienter fini & eventui, sed convenienter labori. quid enim si non attenderunt auditores. *Homilia 9. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus. In more discipulorum positum est, ut doleant atq; ægrè ferant cùm objurgantur. *Homil. 4. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Discipulorum virtus magistro plus ornamenti atque commendationis affert quàm ulla epistola. *Homilia 6. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Avidius magistros suos requirant discipuli, quam ipsos parentes, ab his quippe vivere; ab illis bene vivere habent. *Homil. 14. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Discipulorum incrementum mente prædito magistro & vita, & cohortatio, & consolatio est. *Homilia decimaquinta ad Corinth. 2.*

D. Chrysostomus: Has ob superstitiones in tumultu ac perturbatione sunt res nostræ, adeo ut qui discipuli esse debuerant, multa repleti mentis elatione, subverterint ordinem, & quæ erant superiora, facta sint inferiora. Quod si quis illos vel leviter accuset, conspuunt eos quorum imperio subsunt. Ideo faciunt quod nos eos perperam à pueris instituimus. Verum enim verò etiamsi qui præsunt improbi forent innumerisq; scatarent malis, ne sic quidem fas esset discipulo dictis non audientem esse. *Cap. 1. ad Gal.*

Chrysostomus: Pædagogus non adversatur præceptori, sed adjuvat; arcens adolescentem ab omni vitio, reddens illum idoneum omni studio percipiendis quæ tradit præceptor. Verum ubi jam habitum collegerit, discedit pædagogus. *Cap. 3. ad Gal.*

Idem mox: Et pædagogus nunc ridiculum reddit adolescentem, cùm tempore postulante, ut ab eo discedat, apud se detinet.

Chrysostomus: Beata res est, si discipuli non solum præsente magistro mentem quam oportet, obtineant, verum etiam absente. *Cap. 4. ad Galatas.*

Chrysostomus: Sive vera sive falsa sint, hoc ipso quod illis maledicitis, vos ipsos læditis. quid ita? quoniam si vera quidem fuerint, vobis nihilominus nocetis, judicium de magistris ferentes, & ordinem disturbantes. nam si de fratre judicare non oportet, multo minus de magistro. Sin autem percussa, intolerabile omninò supplicium ac pœna. De omni enim verbo otioso rationem reddetis. *Homil. 9. ad Philipp.*

Chrysostomus: Nulla re æquè allici discipulus potest, ac persuasione hac, curæ se esse præceptori, suaque caussa illum mœrere; quod exuberantis charitatis est. *Hom 9. ad Philipp.*

D. Io. Chrysostomus: Cùm deberetis esse magistri propter tempus, ne discipulorum quidem locum teneatis: sed semper eadem & de iisdem audientes, tanquam nihil audientes ita affecti sitis, & si quis vos interroget, nemo possit respondere præter admodum paucos, eosq; numeratu faciles. Hoc autem non est parvum damnum. Sæpe enim doctorem volentem ulterius progredi, & quæ sunt magis mystica & altiora tangere, non sinit eorum qui discunt ignavia & negligentia. Nam sicut in magistris ludi literarii, si elementa semper audiat puer, & ea non teneat, necesse erit eidem puero eadem semper insonare & repetere: nec prius desistet docere quam illa accuratè potuerit discere. est enim multæ amentiæ, prioribus non rectè inditis, ad alia eum dicere. Sic etiam in ecclesia, si nobis eadem dicentibus nihil amplius discatis, non cessabimus eadem dicere. Si ostentationis quidem, & honoris cupiditatis à nobis haberetur ratio, oportuerit semper transilere & transire, vestrum nullam gerentes curam, sed solos vestros plausus appetere. Sed quoniam non in hoc studium posuimus, sed nos pro vestra utilitate omnem laborem suscipimus, non cessabimus de iisdem vobis dicere, donec ea rectè gesseritis. *Hom. 9. Epist. ad Hebr.*

Chrysost. Quod reverendus sit magister, id est utile discipulo. *Homil. 12. ad Coloss.*

S. Isidor. Pelusiota: Discipuli veros magistros, & vt patres amare, & vt principes timere debent: ac neque ob amorem metum discutere, neque ob metum benevolentiam obscurare.

LATINORVM.

S. Chrysologus: Magistro magnam facit injuriam, qui se discipulum fatetur ejus, cujus non sequitur institutum. nam sicuti discipuli probitas, laus est magistri; ita magistri vituperatio discipulus nesciēs disciplinam. *Sermone 94. in.*

Chrysologus: Nec ovis ad caulas pervenit, si pro suo libitu pervageturr nec scientiam discipulus poterit obtinere, si doceri pro sua voluntate contenderit. Ægrotus quoque nunquam poterit recipere sanitatem, si pro suo fuerat curatus arbitrio. *Sermone 173. post princip.*

Ennodius: De perfectione confidunt discipuli, quoties magistrorum præsentiam præstolātur. Spes eruditionis manifesta est, ut fruatur genio suo, invitare doctorem. Clara sunt ingenia, quæ instruentium agitantur desideriis. Monitorem requirunt, qui felici sorte didicerunt. *Lib. 5. Epist 14. pr.*

PHILOSOPHORVM ORATORVM HISTORICORVMQVE GRÆCORVM.

Plutarchus epistolæ ad Trajanum: Modestiam tuam noverara non appetere principatum, quem tamen semper morū elegantia mereri studuisti. quo quidem tanto dignior judicaris, quanto à crimine ambitionis videris esse remotior. Tuæ itaq; virtuti congratulor, & fortunæ meæ, si tamen rectè gesseris, quam probè meruisti? alioqui te periculis, & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito, cùm & ignaviam Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Senecæ Neronis sui meritò detrahentium carpitur linguis; adolescentiumque suorum temeritas in Quintiliani refunditur: & Socrates in pupillum suum fuisse clementior criminatur. Politicæ constitutionis majorum vires tibi expressi: cui si obtemperas, Plutarchum vivendi habes auctorem, alioqui præsentem epistolam testem invoco, quia in perniciem imperii non pergis auctore Plutarcho. *Sarisberiensis cap. 1, lib. 5 Polic.*

Halicarnassæus: Magister solet discipulos in ludo scientiæ suæ specimen dantes, ne in fletum prorumpant, præmiis excitare. *Cap. 6. Tractatus posterioris de locutione figurata.*

Aristides Sophista: Lacedæmonios quoniam alacriores volebant reddere, ut solent puerorum magistri, priori loco statuerunt, ut eos ad imitationem factorum suorum incitarent. *Orat. Panathenaica.*

Aristides Rhetor: Omnis discipulus, eo ubiq; ipso quod indiget disciplina, deteriorem se profitetur. Itaq; nisi sibi primum ipse indigere persuadeat, quomodo vel discat, vel alteri docenti obtemperet? quocirca est absurdum eum, qui semetipsum deteriorem fateatur, atq; ob id ipsum laudetur, præstantiorem dicere. An verò in donationibus, nō is qui accipit aliquid, eo quod accipit, habebitur potior, sed priores donanti deferentur; in disciplinis discipulus inventore erit ac doctore melior? atqui quibus in rebus is, qui eas accepit, oprimus censetur, primus nimirum is qui eas habuit initio, tam temporis quàm caussæ ratione censebitur &c. *Videantur plura super hoc argumento Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Aristides: Plato multa sub nomine Socratis tractat, de quibus nihil eum fatetur disputasse: ac rectè quidem & juste facit, dum præceptorem studet ornare; nisi quod nec alios, qui non merebantur, insuper dedecorare velle debebat. *Oratione secunda Platonica pro quatuor viris.*

Simplicius: Officia porrò erga bonarum artium doctores eadem sunt, quæ erga parentes, & fortasse cum aliquo cumulo: quod hi altores & curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt: idq; nec naturali necessitate, ut parentes tum apud brutas animantes, tum apud homines, sed bona voluntate, divinam bonitatem imitante, quæ animas in ortum delapsas eo unde venerunt, reducere conatur. Illud etiam præterea habent officia adversus magistros, quod omnibus eorum præceptis, tanquam divinis edictis, est obtemperandum. Earum enim rerum doctor, quæ secundum naturam nobis conveniunt nihil præcipiet, nisi quod ad hunc finem referatur. Si vero parentes nostri bonarum etiam artium doctores fuerint: tum binis affectionibus conjunctis, etiam officia vtrisq; debita præstanda erunt, ipsiq; ut

divina quædam imago adorandi, quod & ut essemus, & ut bene essemus, hi non secus ac Deus auctores fuerint. *Ad c.37. Epict.*

Philostratus: Illud quoq; inter Pythagoræ laudes numerant; quidquid ab eo jussum prolatumq; esset, id tanquam legem ab eius discipulis observari consuevisse; ipsumque tamquam à Iove profectum venerabantur. *Lib.1. Apoll. cap.1.*

Philostratus: Ego quidem eis quæ dicta sunt, assentior. quid enim aliud post magistrorum orationem facere possum? *Lib.5. Apollonij initio cap.14.*

Eodem adhuc capite: Erubescens Dion; concilies me velim rex, præceptori Apollonio, pro iis quæ adversus eum dixisse visus sum; cum ejus oratione antea nunquam contradixerim. Ejus verba rex collaudans; Heri, inquit, id ab eo petii, & iam omnino peractum est.

Philostratus: Neque me deridentem illum unquam vidi, nec ullatenus jocosè ludentem, sicut inter amicos fieri consuevit; sed mecum veluti adolescentuli cum parentibus præceptoribusve, cum pudore quodam & reverentia loquens erubescit. *Lib. 8. Apollonij lib. 3. cap. 3 Apologiæ.*

Eumenius: Cæterùm quod tibi omnes liberos meos commendavi, lata est, Imperator, ambitio. Præter enim illos quinq; quos genui, etiam illos quasi meos numero, quos provexi ad tutelam fori, ad officia palatii. multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt, multi sectatores mei etiam provincias tuas administrant: quorum successibus lætor, omniumque honorem pro meo duco: & si fortè hodie infra expectationem mei dixero, in illis me confido placuisse. *Fine Panegyrici Constantino Aug. dicti.*

Symmachus: Multi posthac adnitentur artes bonas, & laudis germanas meras literas. Sed cui eveniet aut tam felix discipulus, aut tam memor debitor? Haud ignoramus Magnum illum cui supra votum fortuna fluxit, Stagiritæ suo nihilum commodasse. Quinto Ennio ex Aetolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolorat. Enimverò neque Panætio Africanorum secundus, neque Oppio Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro suo Mithridates Porticus liberalium disciplinarum precia solverunt. At nunc eruditissimus Imperator, & opum largus & honorum, quasi pro usura tibi prima detulerit, ista suprema ad sortem fœnoris reddit. *Lib.1. Epist.15.*

¶ Poetarvm.

Prudentius passione Cassiani.

Aspera nonnunquam præcepta, & tristia iussa
Impube fulgus moverant ira & metu.
Doctor amarus enim descenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantia est.

¶ Fabvla.

Phædrus fab. 59. Tauri & Vituli.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus
Cum vix intrare posset ad præsepia
Monstrabat Vitulus quo se pacto flecteret:
Tace, inquit, ante hoc novi quàm tu natus es.
Qui doctiorem emendat sibi dici putet.

¶ Monosticha Trochaica.

Discipuli quodcunque peccant pædagogus plectitor.
Haud potest coli naturam cuius ignoras veris.
Proximus est magistro ornatus qui doctrinæ diligit.

¶ Iambica.

Aestate, pueri si valent, discunt satis.
Animo docendo res minutas conteris.
Dediscitur ægre atas quod didicit iunior.
Magistro quemquam discipulum minitarier?
Perdit discipulos præceptorum copia.
Quæ quis didicit puer, meminit item senex
Tace, ô puer, ante id novi quàm tu natus es.

Discordiæ.

¶ Sententiæ patrvm græcorvm.

D. *Nazianzenus:* Hactenus nos afflixisti, ut per dissidiũ, quantum pacis bonum esset, intelligeremus, atque illato dolore, in pristinum statum nos restituisti, (ô novam & mirandam medendi rationem!) utpote qui per odium, quod statim odio & detestationi habuimus, ad pacem nos erudieris, ac contrarium per contrarium procuraris, perinde atque hac dumtaxat de causa disjungi nos passus, ut ferventioribus animis ad nos ipsos accurreremus: non secus ac plantæ, quæ si manibus per vim in diversum trahantur ac deinde laxentur, rursum ad sese & primam suam naturam recurrunt, idque sibi proprium esse ostendunt, ut vi quidem inflectantur, sponte autem erigantur: quoniam non jam manus oculum, nec oculus manũ contemnit: quoniam caput non jam adversus pedes insurgit, nec pedes à capite abalienantur) hac perturbatione imperiique repudiatione, quæ corpus uniuersum confundit & evertit, non plus detrimenti afferentes, quàm accipientes) verum naturæ ordine ac lege, quæ mutuo nexu omnia inter se devinxit, atque conservat, ipsum pro invicem solicita sunt membra, corpusq; unum, & spiritus unus extimus, quemadmodum & in una spei vocatione vocati sumus. *Orat. 12.*

D. Nazianzenus: Cùm dissidiis laborare grave sit, & multa conflet mala, tum verò multò gravius est, depositis inimicitiis, pacisque bonis degustatis, in eundem rursus morbum provolui, atq; ad suum, ut dici solet, vomitum redire, ac ne ipsa quidem experiẽtia, quæ stultorũ magistra est, emendari. Etenim eos levitatis ac stultitiæ opinionem subire comperio, non qui in vitio aliquo permanent, sed qui instar auræ subinde se immutantis, aut reciprocantium Euriporum, aut instabilium maris fluctuum, facili momento in contrarias sententias feruntur ac revolvuntur. Atque illud insuper mecum considero, iis, qui seditionibus conflictantur, spem saltem concordiæ solatium afferre calamitasque ipsorum maxima ex parte levare (spes enim mutationis, ac melior rerum status ante oculos positus, maximam opem afflictis hominibus afferre solet) qui vero sæpe quidem concordiam coluerunt, semper autem ad vitium relapsi sunt, his, unà cum aliis rebus, melior quoq; spes adempta est; ut qui non minus pacem ipsam, quàm dissensionem, metuant, neutriq; earum propter utriusque levitatem & inconstantiam magnopere fidant. Nec verò hæc eo à me dici quisquam suspicetur, quod pacem omnem amandam & complectendam esse existimem (nam ut optimam quandam dissensionem, ita perniciosissimam quandam concordiam esse perspectum habeo) sed eam demum, quæ bona est, & boni causa initur, ac Deo copulat. Atque, ut hæc brevi distinctione explicentur, sic statuo, nec segniorem quenquam esse debere, quàm par sit, nec ferventiorem: ita ut, vel ob levitatem ad omnes se aggreget, vel ob temeritatem & insolentiam ab omnibus se removeat (æque enim, & iners segnities est, & mobilitas atq; inconstantia à societate & communione aliena:) verum ubi aperte se prodit impietas, tum verò, nobis faciendum esse, ut adversus ignem & ferrum, & tempora, & principes, ac denique prius adversus omnia cominus feramur, quàm ut mali fermenti participes efficiamur, ac malè affectis assentiamur: nec quicquam perinde metuendum est, quàm ne quid magis quàm Deũ metuamus, ac propterea fidei & veritatis, cùm veritati serviamus, doctrinam perfidè deseramus. At cùm suspicio sola animum nostrum malè habet, timorque nullis certis argumentis innixus, tum verò lenitatem potius quàm celeritatem, & indulgentem demissionem potius quàm arrogantiam & contumaciam adhibere convenit: multoque melius & conducibilius est, ut in communi corpore manentes mutuò nos ipsos, tanquam alii aliorum membra, corrigamus atq; corrigamur, quàm ut præjudicio per secessionem facto, & authoritate per separationem amissa, ex edicto postea, velut tyranni ac non fratres, correctionem imperemus. *Oratione duodecima.*

D. Nazianzenus: Quin hoc quoq; nomine sceleratiores sumus, quod non exteros exteri, nec ignotos ignoti (quę res non nihil etiam calamitatem levat) verùm nosipsos mutuò, & quasi domestici domesticos, populamur; aut, si mavis, eiusdem corporis membra, consumimus invicem atq; consumimur. Neque id grave & indignum est quanquam alioqui pergrave: sed quod animis ita comparati sumus, ut imitationem nostram, accessionem, atq; incrementum esse existimemus. *Orat. 25 contra Arrianos.*

¶ Latinorvm.

S. *Salvianus:* Maxima caussa est discordiarum diversitas voluntãtum: quia fieri aut omnino non potest, aut vix potest, ut eam rem in alio quisquam diligat, à qua ipse dissentit. itaque eos non sine caussa oderunt, in quibus omnia sibi æmula atque inimica decernebant. *Lib.8. de gubernat. Dei.*

Ennodius: Pardignitas caussa discordiæ. *Vitæ Epiphanij c.16.*

Io. Sarisberiensis: Hospitem meum Placentinum dixisse recolo; virum utique sanguine generosum, habentem prudentiam mundi huius in timore Domini, hoc in civitatibus Italiæ usu frequenti celeberrimum esse, quod dum pacem diligunt, & justitiam colunt, & perjuriis abstinent, tantæ libertatis & pacis gaudio perfruuntur; quod nihil est omnino, quod vel minimo quietem eorum concutiat. Cum vero prolabuntur ad fraudes, & per varias injustitiæ semitas, scinduntur in semetipsis, statim vel fastum Romanum, vel furorem Teutonicam, aliudve flagellum inducit dominus super eos, & permanet manus eius extenta, donec ipsi ab iniquitate per pœnitentiam revertantur. Quo solo remedio apud illos omnis cessat tempestas. Adiiciebat etiam quod merita populi omnem evacuant principatum, aut eum faciant esse mitissimum, cum è contrario certum sit, quod propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam, & impossibile esse ut diu regno gaudeat qui populi humiliatione, & proprio fastigio superbè nimis exultat. Sed illius dicebat protendi principatum, qui apud se de conscientia humilitatis semper in se angitur quasi regnaret invitus. Tale aliquid invenitur in scriptis majorum. Cum enim Helius Romæ præfecturam splendidius ageret, ex Senatore Imperator creatus est, qui cum obsecrante Senatu, ut filium Cæsarem, quem habebat, Augustum appellaret, sufficere inquit debet, quòd ego ipse invitus regnaverim cũ non mererer. Principatus enim non sanguini debetur, sed meritis: & inutiliter regnat, qui rex nascitur, non meretur. Et proculdubio parentis affectũ exuit, qui parvulos suos importabili mole subjecta extinguit. Hoc quidem est suffocare liberos, non promovere. Alendi prius sunt, & in virtutibus exercendi; & cum in eo profecerint, ut probentur illos virtutibus

antecedere, quos debeat honore anteire, invitati ascendant, & se civium suorum nequaquam subtrahant votis. Quis enim illos ambigit aliis præferendos, qui quasi naturali probitatis privilegio ampliari, majorum titulis invitantur ad virtutem, & eorundem beneficio futuræ bonitatis aliis faciunt fidem? Hæc ille. Et quidem elegãter privilegium expressit principis, cui ex antiquo munere Dei, succedunt filii indubitanter, nisi iniquitas subvertat principatum. *Lib. 4. Policratici cap. 11.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Xenophon. Agesilaus: Etsi civitates omnes, quibus præfuturus domo navigaverat, intestinis dissidiis laborantes accepisset, quoniam essent mutatæ respublicæ, postea quam ademptum Athenien sibus imperium fuerat: perfecerit, ut absq; exsillis & cædibus, quam quidem diu aderat ipse magna cum animorum concordia semper administrarentur, & felices essent? Enimvero Græci, quotquot incolunt Asiam, non eius ex Asia discessum, ceu principis tantum: sed etiam vt patris, ac sodalis dolebant, & tandem declarabant, non ei se ficticiam benevolentiam exhibere. Nam sponte cum eo profecti sunt ad ferendum suppetias Lacedæmoni, quum quidem scirent, sibi non adversus deteriores se pugnandum esse. *Cap. 15. Vitæ eius.*

Lysias: Non dubito quin omnes confessuri sitis, concordiam maximum esse bonum Reipublicę, discordiam vero omnium malorum caussam: dissensiones autem oriri inter cives hisce de caussis maximè, cum quod alii aliena concupiscant, cum quod alii suis spolientur. *Cap. 4. Orationis 17. de Niciæ bonis publicatis.*

Dio Prusæus: Quæcunque autem difficulter ab alio huius civitatis confici possunt, forte vero & nimis difficilia sunt, ad ea me semper existimate intento fore animo, dum spiravero. Quin etiam quisquis ad negocia civitatis alacris fuerit, atque aliquid nobis commodi adferre poterit, me primum habebit testimonium perhibentem, & cooperantem. Atq; idipsum negocium quod rectè administratur, multo libentius laudavero, promptiusque, alio agente, quàm si ipse consuluissem. Neque enim magni fieri cupiens, neque laudantibus indigens, neque cupiditate gloriæ, sed benevolentia erga vos, volo fieri aliquid quod conveniat. Et deos præcor omnes, senescens ut quamplurimos videam, me longè magis idoneos, ut commodent civitati. Et nunc pro his laudo & magistratum, & qui hoc consilium dedit. Omnes enim (ut breviter dicam) inimicitiæ, omne dissidium, cum quolibet susceptum, operosum est & difficile, tam civitati quàm privato, quoquo modo etiam sint affecti. Imbecilles enim multa est occasio redarguere atque humiliare, ad ea quæ prius habent mala: beatis autem molestiam exhibere, perturbareque illorum animum. Vnde qui sapiunt, malunt mediocribus potiri, aliqua concedentes: quàm valde accuratè adhærere juribus, & pro re quavis contendentes, nulliq; nihil cedentes, semper quosdam habere insidiantes, bellumque inferentes, atque nunc quidem felicitatibus invidentes, quantumque facere possunt sese impedimento obiicientes: nunc vero, si quod accidat detrimentum (multa autem, ut inter homines, accidunt) gaudentes & aggredientes. Non enim homo ullus est ita imbecillis aut invalidus natura, qui non nanciscatur opportunitatem ad inimicitias odiumq; demonstrandum, vel per se, vel cum aliis, vel sermonem aliquem dicendum qui prorsus ægritudine afficiat, negociumque concinnandum damnosum. Neque enim morbus ullus ita non ab habentibus sentitur, ut nunquam obsit, neque ulli impedimento sit actioni, sed vel vigilanti vel ambulanti obstat: & tametsi non vehementer corporis fatigat robur, in lectum tamen eum comitatur, & distrahit atque corrumpit somnum.

Sic ego aio, nunquam prodesse, odio haberi & contendere, ne maximæ quidem civitati cum minimo vico: nedum cum hominibus patvam inhabitantibus civitatem, remque publicam habentibus peculiarem, & apud præsides honorem quendam aut potentiam, si se gerant moderate (Oportet enim vos audire vera, & non molestè ferre, si quis alios laudans vobis prosit) & quod maximum est, cum finitimis & vicinis, & tantum non singulis diebus inter vos versantibus: cum quod plurimis nuptiarum vobiscum commercia sint, tũ quod cives quidam & fere potentissimi apud vos, apud illos honorem sunt consecuti. Quomodo credendum est, hasce inimicitias jucundas & innoxias esse? Et nemo me hoc dicere suspicetur, quod prorsus succumbere oporteat, atquè illis nihil æqui decernentibus, neque moderati, eos rogare & obsecrare: verum quum ipsi decernant, promptique sint ad inimicitiam, ut vos ad eam ferami ni promptiores, quodque contentionem ex dissidio ortam ad hoc transferre multo honestius sit, quo nos quàm illi æquiore mente præditi videamur, magisque pecuniam pluraque habendi cupiditatem contemnere. Non enim ita turpe est in operibus odiosis superari, atque hercle in factis inimicis, ut in mediocritatis humanitatisque officiis. Qui enim in illis superatur, in opinionem venire solet quod sit infirmior: qui vero in his, quod sit improbus & contentiosus. Quanto ergo melius est infirmum videri, quam pravum: tanto etiam melius est, posteriores esse ad pugnandum, quam ad reconciliandum.

Merito autem mihi attenderetis animum magis quam aliis, fortè quidem & aliud, illud autem præcipuè considerantes, quod mea privatim nihil referat, neque vexationem aliquam, neq; sumptum mei ipsius recusans, propterea negligam id quod vos deceat. Quod me enim non sitis turbaturi nolentem, neque iussuri ut peregrinationẽ suscipiam, ut qui iam multum temporis apud vos versatus sim, perspicuè novi. Quumque alioqui minimè sim ociosus, vobis conducere puto, ut neq; hoc modo peregrinationem suscipiam. Sed quod dixi, latius puto omnibus hominibus, non vobis solum, neque suscipere facilè inimicitias non admodum necessarias: & si quæ prius existunt, deponere quovis pacto si fieri possit: damnum ex dissidio maius existimantes, detrimento ob compositionem accepto. Omnis enim (vt aiunt) pax melior bello: atque omnis amicitia longè melior utiliorque mente præditis quàm inimicitiæ, & privatim domibus, & publicè civitatibus. Quippe pax atque concordia vtentibus se nihil unquam nocuerunt: inimicitiæ vero & contentio mirum si non irrecuperabilia & maxima dederunt damna.

Et concordiæ quidem & nomen plausibile, & experientia optima iuxtà & utilissima est omnibus: seditionis autem & dissidii, tetrica quidem & molesta appellatio est, multo autem peiora sunt facta. magisque tetrica. Etenim dicere contingit & audire multa molesta, & multa quæ nolis & facere & pati. Dissidium autem tam propinquorum, atq; tam finitimorum odium, nihil aliud esse videtur quam unius seditio ciuitatis, ubi & nuptiarum multis est & commerciorum societas, atque alteri veniunt ad alteros propemodum singulis diebus, & sunt cognati inter se & familiares, hospitesque quodammodo omnes. Propè autem habitans civitas hostilis atque inimica, tristis omnino res est, & insociabilis: quemadmodum benevola & amica, commoda atque chara res est. Cogitate autem, quanto iucundius sit peregrinari ad in propinquo habitantes, familiariter & non hostiliter affectos: quantoque melius hospites advenientes suscipere, absque suspicione. Atque in communibus conventibus, & deorum festis & spectaculis, quanto melius modestiusque sit inter se miscerri sacrificantes, simulque precari, quam è diverso devovere atque malè dicere. Acclamationes autem utriusq; multitudinis in stadiis & theatris, quantum differant cum laude factæ, multoque favore, ab iis quæ cum odio atque conuiciis? Non enim hoc est moderatorum hominum, neque civitatum honestarum: sed magis inhonestarum meretricum, quas ex utriusq; ædibus nihil pudet quodlibet verbum scurrile dicere, ut ait Homerus:

Qua lite incensa magna pectusque vorante,
Mutuò jurgantur sævè, ad medium que feruntur
Vsque forum celeres, jactantes plurima vera,
Falsaque multa simul: iubet autem hoc fervida bilis.

Quanti autem æstimandum, hæc non pati? Quanto vero pluris, non facere? Quæ autem tanta esse queat pecuniarum copia, aut regionis magnitudo, pro qua non conveniat hominibus mente præditis, cõparare quotidianum favorem, ut decenter quidem ludi spectarentur, prompte vero peregrinatio susciperetur? Quin etiã ea quæ sunt in regione, & quæ sunt in mari, quæq; sunt in montibus; semper vos in idem loci congregant, atque nolentes etiam eogunt mutua habere commercia. Illi enim indigent materia quæ apud nos est, aliisque multis: & nos haud quimus per alium portum nec inferre nec efferre, quæ apud nos proveniunt. Quo pacto igitur non omnium infortunatissimum sit, emere unumquemque ab hominibus non amicis, venundareque osoribus, navesapplicare apud gravate excipientes, suscipere conviciantes, convivia: interdum agere cum alienissimis: & si quis navem inscendat, manifeste scire, quod & à gubernatore & nautis devoveatur? Quod autem omnium injucundissimum est, semper inimicos videre præ oculis, & navigantes, & iter facientes: atque hos semper plurimos in viis occurrere, pravum & molestum signum est: ut prorsus necesse sit prætereuntes vel dicere, vel audire quod mordeat.

Itaque sæpenumero mecum cogitavi hominum ruditatem, corruptionemque, quod pejoribus sint animis quàm ignobilissima vilissimaque animalia. Homines enim frequenter, quum mutuo se conveniunt, pugnantes conviciantesque recedunt. Formicæ autem ita densæ ambulantes, nunquam vexant se mutuo, sed valde mansuetè conveniunt, prætereuntque, & succurrunt invicem. Et quidem, quod nunc accidit circa nostram civitatem, revera sanè multos tangit, vellicatque alios omnes: quod caussas vos suscipiatis, easque apud vos necesse sit judicari: oporter autem propter hoc magis humaniter agere, neque facere vosmetipsos invidiosos. Deinde legati ad hoc delecti negocium, unde discedent, nonne illinc? Nonne ab inimicissimis huc appellent navigantes? portuque utentur inimicæ civitatis? An illis circumeundum erit, quasi sævum sit & invium mare nobis propinquum? Ego enim, ut antea dixi, dissidentibus cum vicinis hæc difficiliora gravioraque puto, quam auferre arma, & incurrere in regionem, aut machinas mœnibus admovere, aut excindere arbores, aut fructibus ignem immittere.

Hæc enim quum (ut opinor) acerba sint, omni tamen ex parte acerbius est id quod ex inimicitiis atque odiis provenit. Neque enim apparet, hac ex re quicquam utile aut bonum unquam proveniſſe. Inimicitiarum siquidem fructus ab omni parte amarissimus & acerbissimus est: sicuti opinor è diverso, benevolentiæ iucundissimus atque utilissimus. Nunquam enim cedere, neque locum dare proximo (dico autem, absque turpitudine: neque eo, ut quæ nancisceris ipse, aliis dimittas) non virile est, sicuti putant quidam: neque magni animi, sed stultum & agreste.

Nõ videtis universi cœli, & quæ in eo sunt divinorum beatorumque sempiternum ordinem atq; concordiam, moderationemq;, qua neque pulchrius neq; gravius quicquam excogitari potest? Ad hæc, elementorum quæ dicuntur, aeris & terræ, æquæ & ignis tutam atque

æquam

æquam per secula harmoniam, qua cum benevolentia & mediocritate perdurare soleant salva, salventque omnem mundum? Animadvertite enim, etiam si quibusdam hæc oratio de sublimibus esse videatur, neque omnino ad vestrum affectum composita, quod ea quũ sint incorruptibilia & divina, & primi maximique Dei consilio & potentia omne tempus gubernentur, ex mutua amicitia concordiaque salvari ament: tametsi partim sint fortiora majoraque, partim vero minora videantur. Hac autem societate convulsa, superveniente seditione, non ita interitus corruptionisq; expers illorum est natura, ut non conturbentur, & immensam atque incredibilem (ut aiunt) sustineant corruptionem. ab existente in non existens. Quæ enim apud sapientes nominatur violentia ætheris, in quo regia maximeque propria animæ & potentiæ vis est, quem non fugiunt ignem nominare, frequenter terminoque definito & leniter nascentem in quibusdam constitutis temporibus cum omni amicitia concordiaq; videbimus. Aliorum autem cupiditas & dissidium iniquè exortum, in extremo interitus periculo est: qui universis nunquam continget, eo quod inter ea summa pax & iustitia existat, omniaq; ubique serviant correspondeantque sibi, æquissimæ obedientia legi, cedentiaque.

Non videtis, nunc quidem solem noctu excedere, dareque oriendi locum obscurioribus astris: nunc autem lunæ permittere, ut omnem terram illuminet, in defectu luminis melioris? Nunc vero sidera locum dare soli, neq; arbitrati se quicquam pati, aut perdi, propter illius Dei potentiam? Nunc autem solem medio interdum die tenebris obscurari, luna intercedente, cui ipse lumen ministrat: quinetiam sæpe ab infirmissimis nubeculis abscondi, aut aliqua rara circa lacus & flumina nebula stante, interdum omnino excludi, interdum verum infirmum tenuemque radium transmittere? Ad hæc non videtis errantes stellas irrequieta incedere chorea, & nunquam sibi invicem esse impedimento? Rursus ad hæc, terra quidem infimam sortita regionem, subtus manet, tanquam navis sustentaculum. aqua vero circa hanc diffusa est: super autem ambabus aer mollis tacitusq; vehitur; æther autem supremum obtinet locum, omniaque complectitur, divino igne in circuitu super ea circumcurrente? Et hæc quidem ita robusta & magna, societatem inter se mutuam habent, agũtque sine inimicitiis: parva vero ita oppidula, vilium hominum, genteſque imbecilles in terræ particula habitantes, non possunt quiescere, neque citra tumultum sibi esse vicinæ?

At volucres prope inter se nidos construentes, non mutuo insidiantur, neque dissident pro esca: neque formicæ foramina inter se propinqua habentes, ex eademq; area sæpe frumenta inferentes, inter se pugnant, sed cedunt mutuo, eque viis divertunt, simulque operantur frequenter. Neque plura apum examina unum & idem de pascentia pratum, neglectis operibus, pro florum rore dissidẽt. Quinetiam armenta boum equorumque permixta sæpe, absq; tumultu & mansuete pascuntur, ut unum ex ambobus armentum videatur. Præterea caprarum & ovium commixtæ greges in pascuis, totumq; pasti diem, facilè & mansuetè à pastoribus discernuntur. Porro homines pecoribus & bestiis, ut apparet, peiores sunt, quod ad amicitiam attinet, mutuamque societatem. Quæ enim natura fecit benevolentiæ causa, ea videre licet inimicitiarum odiique facta esse seminaria. *Oratione quadragesima.*

Dio Prusæus: Quum ergo hæc ita sint, abstinui à negocio, non illos destituens, sed reveritus vos, meq; putans utiliorem fore & illis & vobis, si possem civitates facere amicas, liberareq; prioribus à quæstionibus, inq; posterum exhortarer ad concordiam. Hoc enim in primis optimum & commodissimum est, non solum æqualibus inter ipsos, sed & superioribus erga inferiores. Novi equidem quàm difficile sit contentionem ex hominibus auferre, præsertim longo tempore nutritam: quemadmodum à longo tempore agnatum morbum haud facile est à corpore repellere, maxime si quis absq; doloribus curare velit. Attamen civitatis moribus credo, existimans minimè esse duros & agrestes, sed verè germanos, dignosq; humanissimis viris, beataq; civitate, à qua huc missi estis, amici iam ad amicos hac in civitate habitantes; quæ tantum felicitate potentiaq; alios superat homines, & plus etiam excellit æquitate humanitateque, cum quod largiter impertit & civitatem & leges & magistratus, nihil alienum existimãs in dignitatibus, tum quod similiter omnibus jus custodit suum. Eam convenit ut vos imitemini, mansuetique atque magnanimi appareatis, & id erga tam propè habitantes, & contubernales ferè, non sævos neque superbos viciños, quibus cum vobis & nuptiæ sunt communes & liberi, & res publicæ, deorumque sacrificia, & conventus & spectacula, simulq; in eodem ludo docemini privatim, & convivia agitis, vosque invicem suscipitis, plurimumque temporis invicem conversamini, & propemodum vnus estis populus, unaq; civitas, in non longo intervallo. Hæc igitur plures ist hinc & cives fecit participes, adque gerendos apud nos magistratus non estis excluſi, nec non ad illorum honestorum quæ civitatis sunt Romanæ societatem estis admissi. Quomodo ergo par foret, privatim quidem vnumquemque putare amicum, atq; honoribus afficere: cõmuniter autem civitatem inimicam existimare, & vos illam, & illas vestram? Qui enim homines diligunt, cumque his conversantur, civesque faciunt, quid restat, nisi ut vel hunc oderint locum, aut (quod ne dicere quidem fas est) à diis odio habeantur?

Atqui omnes inimicitiæ ad omnes, laboriosæ sunt & difficiles. Nullus enim tam infirmus est inimicus, qui non contristarit nacta opportunitate etiam eum, qui valde visus est fortis, odiumq; ostenderit aut sermone molesto aut incommodo facto. Non enim est (ut ita dicam) unquam jucundus aut utilis odii fructus; sed è diverso omnium tristissimus atq; acerbissimus, neq; ullum onus ita grave nec laboriosum, ut inimicitias ferre. Felicitates enim perturbant, quum semper adsint: calamitates autem augent: eique qui alia re quapiam contristatus est, tristiciam duplicant: eos qui sunt felices, non sinunt gaudere pro dignitate. Necesse est enim plebem à se invicem quidẽ incendi, apud alios vero contemni, & authoritate nihil valere, tum quod illis sint adversarii, tum quod imprudentes & contentioſos putent.

Amicitia autem & concordia nihil pulchrius, neque divinius, & viro erga virum, & civitati erga privatum. Qui enim decentius possident bona, quam amici, qui una opera simul sibi acquirunt? Qui vero effugiunt mala facilius, quam quibus amici ferunt auxilium? Quos minus attingunt molesta, quam qui habent condolentes, unaque cum illis sufferentes? Quibus jucundius est felicitate frui, quam qui non modo semetipsos, verum etiam alios sua felicitate lætificãt? Itaque egò illum hominem ne felicem quidem dixerim, qui neminem habet una voluptate fruentem. Quis cooperarius, quisve consiliarius in indigentibus melior, quam amicus fortunatus? Hic enim consiliarius ferè non solum optimi nominis est, sed & utilissimus, & quem libenter conveniat homo benevolus. Quæ autem sunt odii atque inimicitiarum, ubique molesta sunt, & gravia. Gravis est in rebus seriis, gravis & in lætitia, præsens inimicus, molestus videntibus, molestus quoque recordantibus, experientibus vero longe omnium damnosissimus. *Orat. 41.*

¶ Poetarvm.

Petronius Arbiter.

Intonuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput huius in orẽ
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.
Stabant arati scabra rubigine dentes.
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter torto lacerata pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

¶ Apologorvm.

Babrias: Περὶ τριῶν Βοῶν ὁμοφώνων, εἶτα διαφώνων καὶ Λέοντος. 36

Ὁμόφρονες νέμοντο τρεῖς ὁμοῦ Βόες.
Οὓς ἀεὶ διῆρ' ἔβλαπτε πολλάκις Λέων.
Ἐχθρὸν δὲ μισεῖ, καὶ μάχης ἀρχὴν ἔχει,
Ἐκφυγὼν ὀπὴν ὁρᾷ γυμνὸν ὡς ἑνα.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς χαζομένους ὑπὸ τῶν ἰδίων, καὶ διὰ τοῦτο κακῶς πάσχοντας.

De tribus Bobus concordibus, inde discordibus, & Leone.

Concorde pascebantur tres simul Boves.
Quos ne ferus quidem lædebat Leo.
Quum verò inimicitiarum odio & pugna dissensissent,
Singulos devoravit nudos ut unum.

Affabulatio.

Adversus eos, qui à suis dissident, & propterea mala patiuntur.

De Lupo gregem aggresso, quum ibi duo canes essent inter se pugnantes. Fab. 153.

Lupus ex alta specula contemplatus canes geminos gregis ovium custodes inter se pugnantes, & sese mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tuto oves invadere. Magno igitur impetu in oves delatus, quum unam oppido pinguem rapuisset, cõcite fugiebat. Canes id conspicati, omissa domestica pugna lupum fugientem assecuti, tantis illum affecere vulneribus, ut vix posset evadere. Quum autem mox ab alio lupo interrogaretur, cur solus gregem esset adortus, ubi tam validi erant propugnatores: domestica, inquit, pugna deceptus sum.

Fabula indicat, quod inimicitiæ externorum, discordes propinquorum animos reconciliare solent. Abstemius.

¶ Emblematvm.

Had. Iunius. Emblemate 54.

Sanguineam quatiens hastam, caput horridæ echidnæ
Folle focum subigit, flamma unde fumusq; exsilit.
Exitiale parens animat discordia bellum,
Improba lingua mali, cadæq; seminarium est.

Batillius xxvi.

Eventus belli civilis imago.

Qualis ubi cauda spatiosi corporis hostem est
Complexus, nodis implicuit que draco,
Iam se & victorem credit, simul ipse ruentis
Mole fera pressus terga caputque perit.
Hoc odium hac urbes agitat discordia nostras
Communi miseris civibus exitio.
Gallia sic propriis iterum oppugnata triumphis,
Exhausto exanguis sanguine strata jacet.

¶ Apothegmatvm Sacrorvm.

Fridericus & Gulielmus, Saxones: Saxoniæ duces, Fridericus &

Gulielmus, fratres, crudelia inter se bella exercuerunt, hæreditatis paternæ causa: & quamvis de pace sæpe mentio fieret, impedimentibus tamen plerisque, quibus ea discordia quæstui erat, irrita fuit omnis compositio. Sed cum vastatis jam agris tota provincia pessum iret, & Apollonius quidam fraternarum incensor discordiarum per annum Iubilæum Romam petisset, rogavit Fridericus germanum suum, uti ad se Libercam veniret, secum de pace acturus. Annuit Gulielmus. Iter ingresso dixere consiliarii, paratas insidias esse, caveret ne se iret perditurum. Quibus ille, *At ego*, inquit, *lubens moriar, si vos prius necatos videro, qui fraternas contentiones alitis.* Ita loquutus, sequi iussis qui se amarent, vrgensq; calcaribus equum, festino cursu fratrem adiit. Quocum semoris arbitris è vestigio pacem composuit, fœdusque pepigit. *Aen. Sylvius. c. 32. Europæ.*

¶ Monosticha Trochaica.

A voluntate, heu, diversa virus est discordia.
Cœlum ubi permiscet alto latior discordia est.
Civium discordiam hostis sopit illico exterus.
Civium diu latere non potest discordia.
Corporibus non æquè inter sese homines quàm animis dissident.
Cura partium nulla ijs qui publico gaudent malo.
Dissident sæpe inter se qui inter se minimè dissident.
Et novas interna sedis sufficit discordia.
Haud ferro dijudicanda civium discordia.
In discordia civili tuta festinatio est.
In discordia intestina nil esse occulti potest.
In dissensione vinci malelis, quàm vincere.
In turbas discordia sque pestimis vis plurima est.
Maximum bonum concordia, & malum discordia est.
Nemini discordiarum causas fingere, arduum est.
Nil hero potest nocere servorum discordia.
Nullus est contentione morbus urbi tetrior.
Nulla turpior quàm cordis ac linguæ discordia.
Omnis opprimenda in herba est civium discordia.
Qui susurrat, inter amicos seminat discordiam.
Sæpe partes dissidentes conciliat necessitas.
Servit quidem Deo Ate, at invisa est Deo.
Si quid est secum quod ipsum dissidet, statim ruit.
Vitimum malum, turbatis rebus, est Discordia.

¶ Iambica.

Adversa res statim parit discordias.
Confusioni adest statim discordia.
Discordia civium, hostium est occasio.
Discordia omnis manat ab pecunia.
Discordia remedium, ab unico regi.
Dissensionum nutrix est licentia.
Dissolvit urbem civium discordia.
Incommoda quæ non procreat dissensio?
Malo pusillo surgium ingens dirimas.
Nil est Deo contrarius discordia.
Nostris celebres hostes sunt discordiis.
Par dignitas ubi est, ibi & discordia.
Quid vis, licet potens, ruit discordia.
Quis non quietem voveat pro discordia.
Respublicas tantum evertere divites.
Semper paret discordiam communio.
Ubi locorum cumque Helena est, Troiam puta.
Vis tollere ades? fulcra earum tollito.
Vis tollere ades? vincula eius tollito.
Vrbis venenum est ordinum discordia.

Disputationis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. Nazianzenus, de Basilio Magno: Necessariis argumentis adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare ac contra niti possent: sed quæ maxima sermonis virtus & prudentia est, propriis vocibus constringerentur. *Orat.* 20.

D. Nazianzenus: Ac maxime quidem ita comparatum est, ut omnis sermo contentiosus, & cum ambitione conjunctus exercitatio quædam sit, qua ad contendendum de rebus gravioris momēti provehamur. Proinde nobis curæ esse debet, ut quemadmodū pueros in primis moribus, & prima institutione fingimus, ut insequentis ætatis improbitatem fugiant, ita nos quoq; ne in levibus quidem parvique momenti disputationibus, audaciæ atq; ineptię significationem præbeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in majoribus abstamur. Minoris enim laboris est primum improbitati non cedere, sed eam accedentem fugere, quàm progredientem altiusq; grassantē reprimere atq; superare: non secus videlicet ac facilius est petram initio firmare & retinere, quam ruentem sursum retrahere. Sin autem tam immodico & inexplebili disputandi studio flagras, nec morōū sistere ac reprimere potes, hæc meditare, in his esto: ambitionem ittā in iis rebus, in quibus periculi nihil subest, effunde. Quod si hoc repudias, nec linguam fræno coercere, animiq; impetum frangere ac comprimere potes, sed tibi furere atq; insanire certum est, ac primis virtutibus minime cedere, (nisi tamen iis quoq; cognitionis modus est) altiusq; omnino assurgere, quam ex utilitate tua sit: at illud saltē tibi impera, ut fratrem non cōdemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, nec temere ac præcipiti judicio eum condemnes, aut salutem eius pro desperata habens discedas, qui animi facilitatem ac morum suavitatē profiteris. Quin potius hic humilem te præbe, dū licet: hic nullo cum tuo detrimento fratrem tibi antepone, ubi condemnare & contemnere, nihil aliud est, quam à Christo, ac sola spe eiicere, atq; exturbare, occultumq; triticum, & quidem triticum fortasse te præstantius, una cum zizaniis excindere. Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leniter & humane, non ut hostis, nec ut durus & rigidus medicus, nec ut sectionibus tantum, & cauteriis adversus morbum grassari sciens: partim teipsum ac tuam infirmitatem agnoscas. Quid enim si lippientibus oculis, aut alio quopiam morbo laborantibus, obscurum solem aspicias? Quid si omnia verti ac sursum deorsumq; ferri putes, ipsi nausea correptus, aut vino obrutus, ignorantiamq; tuam aliis attribuas? Multum deniq; ante versandus atq; contorquendus est animus, multa ferenda, quàm ut aliū impietatis damnemus. Non idem est stirpem, aut brevem quendam & caducum florem evellere, atq; hominem excindere. Imago Dei es? & imaginem quoq; Dei alloqueris. Iudicium quoq; subibis, qui judicas, & quidem alienum servum judicas, & quem alius moderatur. Sic fratrem tuum explora, quasi ipse ad eandem mensuram expēdendus. Quocirca ne cito ac temerè membrum seces ac proiicias, cum incertum sit, an hac ratione partes quoq; sanæ perniciem aliquam contractūræ sint. Verum argue, increpa, obiecra. Habes medicinæ regulam. Christi discipulus es, mitis ac benigni, & qui nostras infirmitates portavit. *Oratione vicesimasexta.*

Idem: Ac profecto legem quoq; apud nos constitutam esse oportebat, quæ juberet, ut quemadmodum olim apud sapientes Hebræos à quibusdam Scripturæ sacræ libris juvenes arcebantur, utpote tenerioribus adhuc minimeq; firmis animis haudquaquam profuturis, eodem quoq; modo, non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus, de fide disputandi potestas fieret, iis nimirū, qui nec ingenio sunt omnino segni & ignavo, nec rursum iis, qui inexplebili quadam aviditate laborant, gloriæq; studio ducuntur, atq; in pietate ferventiores sunt, quam par sit: atq; hi quidem illi collocarentur, ubi nec sibiipsis, nec aliis noxii essent, iis autem, qui in disputationibus modesti, ac verè compositi & temperantes essent, libera disputandi facultas daretur: promiscua vero multitudo ab hac via, & loquacitatis morbo hac tempestate vrgente, abducta & aversa, ad aliud virtutis genus minus periculosum traduceretur, ubi & segnities minorem labem, ac detrimentum afferret, & insaturabilis aviditas pietatis laudem haberet. Etenim si, ut unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium & per omnia, & in omnibus, ita una quædam esset per disputationem & contemplationem ad salutem via, ut qui ab ea exciderent, iidem à toto quoq; aberrarent, atq; à Deo, ac spe salutis æternæ præcipites eiicerentur, nihil sane periculosius esset, quàm vel hujusmodi consilium dare, vel huic parere. At si, ut in rebus humanis multa & diversa sunt vitarum genera & instituta, alia majora, alia minora, alia illustriora, alia obscuriora, sic in divinis quoq; non una salutis ratio est, nec una quædam virtutis via, sed plures, atq; huius pervulgati dicti omniumq; linguis celebrati, nimirum multas apud Deum mansiones esse, nulla alia causa est, quàm quod multæ sint viæ eo ferentes, quarum aliæ periculosiores & splendidiores sint, aliæ abjectiores & tutiores: cur tutioribus relictis ad unam hanc nos convertimus, adeo lubricam & periculosam, ac nescio quo ferentem? An idem quidem cibus non omnibus congruet, sed alius alii, pro diversa ætatum & constitutionum ratione, eadem autem vita aut disputatio cunctis conducet? Hoc ipse quidem non dixerim, nec dicentibus assentiar. Quare si mihi obtēperandum duxeritis, juvenes & senes, præfecti & subditi, monachi & qui in sodalitio vivitis, supervacaneas & inutiles ostentationes valere jubebitis, atq; id potius curabitis, ut per morum probitatem honestamq; vitæ rationem, ac sermones periculo vacuos ad Deum appropinquantes, ad alterius sæculi veritatem & contemplationem perveniatis. *eiusdem 26. orationis fine.*

D. Nazianzenus: Non imperite docemus, nec adversarios contumeliis & conviciis incessimus; quemadmodum pleriq; faciunt, nō cum sermone, sed cum loquente confligentes, ac rationum & argumentorum infirmitatem maledictis interdum obtegentes, non aliter ac sepias atramentum ante se vomere aiunt, ut piscatores effugiant, aut conspectum sui eis eripiant. Verum nos pro Christo bellū gerere hoc argumento planum facimus, quod secundum Christum, qui mitis ac pacatus est, atque infirmitates nostras portavit, dimicamus. Nam nec in veræ doctrinæ detrimentum paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, ut facilitatis & mansuetudinis famam colligamus (non enim quod bonum est male aucupamur:) & rursum pacem colimus, legitime pugnātes, atq; intra limites nostros Spiritusque regulam nosmet continentes. Ac de his quidem

quidem ita sentio, cunctisque animarum dispensatoribus rectæque doctrinæ arbitris legem statuo: ut nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per summissionem elatos & insolentes efficiant: sed prudenter & consulte in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatem excedant. *Oratione trigesima secunda.*

D. Nazianzenus: Nec vero mirum vobis videatur, si quid à vestris sensibus ac lege vestra alienum dixero, qui scire vos omnia & docere profitemini, perquam fortiter ac generose, non enim dicam stultè & temerè, ne quid animos vestros offendam. Non cujusvis est, ô viri, de Deo disserere, non, inquam, cujusvis (non adeo vilis ac protrita hæc res est, & eorum, qui humi adhuc reptant) addam etiam non cujusvis temporis, nec apud quosvis, ne de quibusvis: sed certo tempore, & apud certos homines, & aliquousque hoc faciendum est. Non cuiuslibet quidem, quoniam his dumtaxat hoc muneris incūbit, qui exactissimè explorati sunt, ac contemplando longè processerunt, priusque etiam, & corpus, & animum à vitiorum sordibus purgarunt: aut, ut parcissimè loquar, jam hoc agunt, ut se à vitiorum labe purgent. Impuro enim rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse caret: quemadmodum nec ægris oculis Solis radios intueri. Quando autem? Tum videlicet, cū ab externo luto ac tumultu quietem agimus, nec princeps nostri pars improbis vagisq; simulachris confunditur, dum velut deformibus literis elegantes literas, cœnoque unguentum admiscemus. Vacare enim haud dubie oportet, ut ad Dei cognitionem perveniamus: cumque tempus acceperimus, id agendum est ut divinæ doctrinę rectitudinem judicemus. Apud quos porro? Nempe apud eos, qui rem huiusmodi studiose ac serio amplectuntur, quique non ut quippiam aliud, sic hoc quoque inepta nugacitate prosequuntur, post Circenses ludos & spectacula, post cātiones, post denique quàm ventri, & iis, quæ sub ventre sunt, indulserint. Qui quidem ita perditè affecti sunt, ut hoc quoque in oblectamentorum partē numerent, nimirum de divinis rebus nugari, atque arguta disputatione concertare. Iam de quibus, & quousque disputandum? De his solum, quæ ingenii nostri modulum, atque auditoris captum non excedunt: ne alioqui ut nimia vocis intentio, atque immodicus cibus, aures & corpora labefactat, itemque sarcinæ viribus graviores bajulorum humeros, ac crebriores pluviæ terram opprimunt, ita etiam auditores quæstionibus gravioribus ac durioribus oppressi atque confecti, pristinas quoque vires amittant. Neque vero hæc quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem (ne rursus adversum nos irruant, qui omnia facile ac statim in calumniam trahunt.) Nec enim tam sæpe Spiritum ducere, quàm Dei meminisse debemus: immo, si dici hoc potest, aliud nihil quam hoc faciendum. Nam & ego inter eos nomen meum profiteor, qui verbum illud probant, quod nos die ac nocte jubet meditari, vespere & mane & meridie narrare, ac denique benedicere Dominum in omni tempore, (sive, ut verbis Mosis utar dormiamus, sive consurgamus, sive iter faciamus, sive quid aliud agamus) atque hac ipsa recordatione ad puritatem informari. Quocirca, ne quis perpetuo Deum memoria teneat, haud vero, sed ne de Deo disputet: immo nec hoc prohibeo, ne de Deo disputet (id enim pium est) sed ne intempestivè: nec hoc ago, ut docendi munus explodat, sed ne mediocritatis fines trāsiliat. An vero cum mellis quoque ipsius, quantumvis dulcis, satietas vomitum moveat, suumque cuique negocio destinatum sit tempus, ut ego cum Salomone censeo, cumque ea, quæ per se bona sunt, nisi bene tractentur, boni gratiam perdant (non aliter atque hyeme intempestivi sunt flores, nec mulieribus virilis, nec viris muliebris ornatus convenit, nec luctui geometria, nec convivio lachrymæ) hic solum nullam temporis rationem habebimus, ubi maxima eius ratio habenda est? Absit, ô amici ac fratres (fratres enim adhuc vos appello, tametsi parum fraterno erga nos animo sitis) absit ut ita sentiamus, ac velut equi feroces & indomiti, ratione, quasi sessore, excussa, abjectaque & velut exputa pietate, qua præclarè compescimur, atque restringimur, procul extra metam curramus: verum finibus nostris disputationes nostras coerceamus, nec in Ægyptum præcipites feramur, nec ad Assyrios pertrahamur, nec canticum Domini in terra aliena cantemus, hoc est apud quosvis auditores, tam nostrates, quam extraneos, tam hostes, quam amicos, tam candidos, quam malignos ac præposteros, qui summo studio res nostras explorant, nihilq; avidius expetunt, quam ut malorum nostrorum scintilla in flammam surgat, quam etiam furtim exuscitant, atque accendunt, auræque suæ afflatu in cœlum attollunt, & Babylonica flamma, in orbem omnia populante, sublimiorem reddunt. Quoniam enim in suis dogmatibus nihil sibi præsidii roborisque constitutum vident, hoc in nostrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde quemadmodum muscæ vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut, si mavis, erratis imminent. At nos quidem nosmetipsos diutius ne ignoremus, nec moderationem, quæ in his rebus tenenda est, aspernamur. Quod si inimicitias atque odia extinguere non possumus, illud saltem inter nos conveniat, ut mystica mysticè, & sancta sanctè proloquamur, nec in prophanas aures, quæ in vulgus efferri nefas est, proiiciamus: ne alioqui constet eos, qui dæmones adorant, & turpium fabularum ac rerum cultum profitentur, nobis gravitate superiores esse: quippe qui iis, qui non iisdem sacris initiati sunt, cruorem potius suum, quàm sermones quosdam impertirent. Agnoscamus, ut in vestitu, victu, risu, atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quendam ac decorum tenendum esse, præsertim cum inter tot Dei virtutes ac nomina λόγον quoque, hoc est Verbum, colamus. Quo magis laborandum est, ut etiam ipsa ambitio nostra legitima sit. Cur Dei generationem & creationem, & Deum ex nihilo ortum, cur sectiones & divisiones ac resolutiones ille audit, qui sævo atque infenso animo huiusmodi sermones expendit? Cur accusatores ipsos judices constituimus? Cur hostibus in perniciem nostram gladios porrigimus? *Oratione 33.*

Isidorus Pelusiota: Non cujusvis est, heus tu, dogmatisten agere: quandoquidem nec omnium purpuram gestare. Quocirca cum non omnes purpura utantur, ac præsertim pauperes (vt qui alioqui Imperatoriæ majestati contumeliam inferant, remque præcellentem vilem & abjectam reddant) abstineas velim ab ecclesiæ minimè congruentibus disputationibus, quæ nullam auditoribus utilitatem afferunt, verùm religionem nostram in contumeliam trahunt, infensosque atque infestos nobis hæreticos, non adversum te, atque ad te accusandum & insectandum flectunt, verum ad pietatem convitiis maledictis incessendam extimulant. Non enim insciiam tuam perspiciunt: verùm piæ doctrinæ imbecillitatem risui ac ludibrio habent. *Lib 214.*

¶ Latinorum.

Io. Saruberiensis: Adspice ad moderatores philosophorum temporis nostri, illos qui altius præconantur, quos auditorum multitudo circumstrepit, diligenter adtende, eos in regula una, aut duobus aut pauculis verbis invenies occupatos, aut ut multum pauculas quæstiones aptas jurgiis elegerunt, in quibus ingenium suum exerceant, & consumant ætatem. Eas tamen non sufficiunt enodare, sed nodum, & totam ambiguitatem cum intricatione sua per auditores suos transmittunt posteris dissolvendum. Eo loci ut congrediaris invitant, instant, postulantque conflictum: si differs manum conserere, si paululum moraris, insiliunt. Si accedis, si tandem invitus congrederis, si premis, latebras quærunt, variant faciem, verba distorquent, præstigiis conformant, lubricum & volubilem Protea miraberis rediisse, nisi quod teneri facilius potest, si in eo perstiteris, ut quocumque verba defluant & volvantur, quid velint intelligas, & quid sentiant in tanta varietate verborum, & tandem vincientur sensu suo, & capientur in verbo oris sui, si substantiam eorum, quæ dicunt, attigeris, firmiterque tenueris. Ea tamen de quibus maxime disceptatur inutiliora, & aliis viliora sunt, cum patuerint. Si progrederis, si pudet, & piget in nugis diutius occupari, ad diverticula propositæ quæstionis relabitur, & quasi ad sinum matris recurrens, more Antei, ab eo, in quo genitus & nutritus est, vires reparare contendit. Sic circumit, tot facit amfractus, ut ad usitata recurrat, ac si labyrinthum oporteat circumiri.

Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia aura lacerta,
Illi eadem sumtis quarunt animalia pennis.
Vultur jumento & canibus crucibusque relictis,
Ad fœtus properat partemque cadaveris adfert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis. & se
Pascentis, propria cùm iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famula Iovis, & generosa
In saltu venantur aves. tunc præda cubili
Ponitur: inde autem cùm se matura levabit
Progenies, stimulante fame festinat ad illam,
Quam primam rupto prædam gustaverat ovo.

Si ergo eos à verbis suis suspenderis, fere in omni facultate, inopiæ eorum poteris misereri. Sunt enim qui præstare videantur in singulis; sunt qui partes philosophiæ vendicent universas: nec minus tamen sunt in singulis philosophiæ copia destituti. Sunt qui ab una perfectionem sperent, sunt qui universis invigilent, inopes singularum. Non facile tamen dixerim, quos magis credam esse erroneos, cum nec ab perfectio constet, & nemo fideliter queat omnibus inservire. Qui tamen ab una petit omnes, ineptior est. Arrogantior qui omnes profitetur. Imo ad omnia occupari desidis est; sed fastidientis, & non proficientis, omnia circumire. *Lib. 7. Policratici cap. 9.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Epictetus: Eum cum quo differis, trifariam considera, vel ut præstantiorem, vel ut inferiorem, vel ut parem. qui si te est melior, audiendus est, eique parendum: inferiori persuadendum, pari assentiendum: sic nunquam in crimen contentionis incides. *Apud Stobaum.*

Arrianus: Plerique homines temerarii, cùm in hoc certamen descenderint, exagitant atque exagitantur, ac demum convitiis dictis & auditis discedunt. Illud tuum & maximè proprium fuit Socratis, ne unquam in differendo ira commoveretur, neque ullum unquam contumeliosum dictum proferret aut convitium, sed convitiatores toleraret, ac repugnantiam tolleret. *Cap. 12. lib. 2. Epict.*

Aristides Rhetor: Absurdum est, præsentibus rebus non intellectus, de remotis disputare: certa quoque pro incertis potius, quam hæc illis confirmari, si liceat ineptum fuerit. *Oratione Aegyptiaca, de Nilo.*

Apollonius Dioni: Tibiis Lyraque melius est oblectare, quàm disputatione. Nam illa sunt voluptatis instrumenta; & Musica nomen est arti. Disputatio verò invenit verum. Hoc tibi faciendum, hoc scribendum, hoc dicendum, si & in hac philosopharis. *Epist.* 9.

Eidem: Requirunt aliqui quid in caussa sit, quamobrem in vulgo & multitudine disserere cessarim: Sciant igitur, quibus id scire curæ est. Non enim potest utilitatem aliquam adferre sermo, qui cùm unus sit, non etiam ad unum habetur. Qui igitur aliter disseritur, opinione minor & inferior apparet. *Epist.* 10.

§ Apophthegmat. Sacrorvm.

Sisinnius: Nectario Constantinopoleos episcopo Sisinnius vir eruditissimus tale consilium dedit ad compescendam hæreticorum audaciam, ut concertationes Dialecticas vitaret, testesque adhiberet formulas fidei à veteribus editas: efficeretque ut hæreticorum principes ab Imperatore rogarentur, utrum aliquam rationem ducerent illorum doctorum, qui ante divisionem probè Ecclesiam temperassent, an eos tanquam à religione Christiana alienos reiicerēt? Quod si eos reiiciunt, eisdem etiam anathema denuntiare audacter aggrediantur: at si illud aggredi audeant, certè à multitudine ipsi expellentur. Quo confecto, veritatem vicisse manifesto constabit. Sin veteres doctores minimè reiiciunt, tum nostrum est eorum libros proferre, quorum testimoniis nostra confirmetur sententia. *Socrat. hist. Eccl lib.* 5, *cap.* 10.

Idem: Theodosio Imperatori & Episcopis Orthodoxis Sisinnius Lector vir prudens, & multæ lectionis author fuit, ut fugerent institutas cum sectariis disputationes, utpote rixarum atque pugnarum fomites. Sed ex ipsis quærerent, reciperēntne eos, qui ante Ecclesiæ distractionem interpretes ac doctores fuissent Scripturæ sacræ? Etenim si horum testimonia rejecerint, inquit, à suis ipsorum consortibus explodentur. Sin autem sufficere eos ad controversias decidendas arbitrabuntur, produci oportet illorum libros. Certo enim sciebat, veteres, qui cœternum cum Patre Filium cognoverant, ausos non fuisse dicere, illum ex aliquo principio duxisse originem. *Sozom. Eccl. hist. lib.* 7. *cap.* 12.

Episcopi Orthodoxi in Africa: Quum ad disputationem adversus Arrianos hæreticos, quorū antesignanus erat quidā nomine Cyrila, nōnulli episcopi Orthodoxi accessissēt, & Cyrila satellitibus stipatus superbissimū thronum in loco excelso collocassēt, dixerūt Orthodoxi, Illa est semper grata collatio, ubi superbia nō dominatur elatio: sed ex consensu cōmuni venitur, ut cognitoribus decernētibus, partibus agētibus, quod verū est agnoscatur. Nec quis erit Cognitor, quis Examinator, vel Libra justitiæ, ut bene prolata confirmet, aut prave assumpta refellat? Cyrila pro verbis verbera protulit, Orthodoxos jubēs fustibus tundi. Tunc clamare cœpit unus ex illis, cui nomen Eugenius, Videat Deus vim quam patimur, cognoscat afflictionē persecutionum quam à persecutoribus sustinemus. Cyrila deinde disputationem verbalem fugiente, Orthodoxi pravitatem illius prævidentes, libellum de fide conscripserant, quem tunc obtulerunt, dicentes, Si nostram fidem cognoscere desideratis, hæc est veritas quam tenemus. Omnia autem hæc in vanum & dicta & oblata fuere propter Arianorum & Hunerici pervicaciam, ut prolixe docet. *Victor. hist. de persecut. Vandal. lib* 2. *&* 3.

Andronicus Comnenus Imp. Is in religione optime institutus, de divinis dogmatibus disputandi curiositatem adeo improbabat, atque de Deo novi aliquid vel dicere vel scribere aversabatur, ut Euthymium eruditissimum de illo Christi dicto, Pater major me est, in suo tabernaculo contra quendam alium contentiosius differentē objurgarit, & in Rhydacum amnem se abjecturum minatus sit, ni desisteret. *Nicetas, lib.* 2.

Gregor. Nazianzenus: Instantias & oppositiones, inquit, novamque pietatem, & jejunam ac minutam sapientiam contemne, & quidem magis quàm aranearum telas, quæ muscas quidem retinent, à vispis autem perrumpuntur, ne dicam à digitis, aut alio quopiam graviori corpore. Hoc unum nos timere doce, nimirum ne in argutiis & captionibus fidem solvamus. Sermone victum esse minime grave atque acerbum est (non enim omnium est sermo) at vero grave & acerbum est deitatis jacturam fecisse. omnium enim est spes. *Orat.* 23.

Idem: Melior (inquit) est pauper in simplicitate sua, & qui sermonis ac scientiæ inopia laborat, simplicibusque verbis innititur, atque in illis tanquam in parva & tenui rate salutem assequitur, quàm fatuus labiisque perversus, qui disputationibus & argumentis ineptè atque imperitè confidit, ac Christi crucem, rem omni sermone sublimiorem, per differendi facultatem evacuat, ubi probationis & argumentorum infirmitas veritatem imminuit & labefactat. Quid in cœlum provolas, cum pedes sis? &c. *Oratione* 26. *de moderatione in disputationibus servanda.*

Nobis curæ esse debet, ut quemadmodum pueros in primis moribus & prima institutione fingimus, ut insequentis ætatis improbitatem fugiant, ita nos quoque ne in levibus quidem parviq; momenti disputationibus, audaciæ atque ineptiæ significationem præbeamus, ne ea tandem diuturna consuetudine in majoribus abutamur.

Et paulo post: Si immodico & inexplebili disputandi studio flagras, & tibi furere atque insanire certum est, illud saltem tibi impera, ut fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, nec temerè ac præcipiti judicio eum condemnes, aut salutem eius pro desperata habens discedas, qui animi docilitatem ac morum facilitatem profiteris. *Eadem oratione.*

Legem apud nos constitutam esse oportebat, quæ juberet, ut quēadmodum olim apud sapientes Hebræos à quibusdam scripturæ sacræ libris juvenes arcebantur, utpote tenerioribus adhuc, minimeque firmis animis haudquaquam profuturis: eodem quoque modo, non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus, de fide disputandi potestas fieret: iis nimirum, qui nec ingenio sunt omnino segni & ignavo, nec rursum iis qui inexplebili quadam aviditate laborant, gloriæque studio ducuntur, atque in pietate ferventiores sunt quam par sit: atque hi quidem illic collocarentur, ubi nec sibiipsis nec aliis noxii essent. Iis autem qui in disputationibus modesti ac verè compositi & temperantes essent, libera disputandi facultas daretur: promiscua vero multitudo ab hac via, & loquacitatis morbo hac tempestate vigente, abducta & aversa, ad aliud virtutis genus minus periculosum traduceretur, ubi & segnities minorem laborem ac detrimentum adferret, & insaturabilis aviditas pietatis laudem haberet. *Ead. oratione.*

D. Ambrosius: Quoniam hæretici falsa sua dogmata versutis disputationibus adstruere nituntur, dicendum, inquit, nobis quod scriptum est, Cavete ne quis vos deprædetur per philosophiam, &c. Coloss. 2. Omnem enim venenorum suorum vim in dialectica disputatione constituunt, quæ philosophorum sententia definitur, non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. At non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. *De fide lib.* 1. *cap.* 3.

Non vincere volumus, sed sanare: non insidiosè agimus, sed religiosè monemus. *De fide, lib.* 2. *cap.* 4.

D. Augustinus: Cum veritas, inquit, melius quæri nō possit, quam interrogando & respondendo, tamen vix quisquam invenitur quem non pudeat convinci disputantem: eoque penè semper evenit, ut rem bene inductam ad discutiendum inconditus pervicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum plerunque dissimulata interdum & aperta. *Soliloquior. lib* 2. *c.* 7.

De moderatione in disputationibus theologicis servanda, earumque summo arbitro, hæc dicit: Vt turbulentas turbas, & impedimentum potius quàm adiumentum afferentes omnino devitemus, & verè ex animo amico atque tranquillo susceptum tam magnum negotium domino opitulante peragamus, videtur mihi ad aliquam villam nos convenire debere, non magnam, vbi neque orthodoxorum, neque Donatistarum sit Ecclesia: quam tamen villam communiter possideant homines & nostræ communionis & Donatistarum: ibi faciamus codices canonicos præsto esse. Et si qua proferri potuerint ex utraque parte documenta, ut postpositis cæteris, nulla (si Domino placuerit) interpellante molestia, quorquot diebus poterimus ad hoc vacantes, & unusquisque nostrum apud suum hospitem Dominum deprecantes, adjuvante ipso cui pax Christiana gratissima est, rem tantam, & bono animo cœptam ad inquisitionis terminum perducamus. *Epist.* 163. *ad Eleusium, Glorium & Felicem.*

Considerantes infirmitatem nostram & audientes Apostolum dicentem, Fratres, ego arbitror me non apprehendisse: &, qui se putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum oportet scire: cum divinis scripturis colloquamur sine contentione, pacati, non inani ac puerili animositate studentes alterutrum vincere: sed pax Christi potius vincat in cordibus nostris, quantum eam nobis & in hac vita percipere posse donavit: ut cogitantes quid eadem pax inter fratres egerit, quorum ex tam multis animis & multis cordibus fecit animam vnam & cor unum, in Deum debita pietate credamus: multo maxime in illa pace Dei, quæ superat omnem intellectum, &c. *Epist.* 174. *ad Pascentium Arianum.*

§ Apophthegm. Christianor.

Spirydion Episcopus, & Anonymi Sophistæ: Apud Homerum ridetur à procis Vlysses, quod panis frustula peteret, non enses, neque lebetes: ita & ridendi illi, qui differendo solum id agunt, ut frivolas captiunculas obiiciant, & ipsum tractandæ quæstionis fundamentum evertant. Tales enim cum ad Nicænam Synodum convenissent, & quosvis cavillationibus suis impeterent; Spirydion vir bonus, & verus Israelita, recitata fidei formula, Sophistam principem aggressus: *Si credis,* inquit, *constanter respondē, nec logomachis istis in Dei contemptum utere.* Ilico ille; *Credo.* & comites intuitus, *Quantum interest,* ait, *de rebus nudis absque fuco disputare, & inanibus sophismatibus tempus consumere?* mirantibusque subitam illam animi conversionem assentatoribus suis, *Quamdiu,* inquit, *res verbis agebatur, verba opposui: at postquam cum verbis vis quædam ex ore huius senis erupit, nihil amplius verba adversus eam valuere.* Admodum eleganter Chrysostom. In aliis certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: at in disputationibus divinis, solis debetur corona, qui se rei magnitudine victos ingenuè fatentur. *Ita Niceph. lib.* 8. *c.* 15. *Sozom. lib.* 2. *c.* 3. *Cedrenus, & alij.*

Iulianus Cardinalis: Erat in Concil. Florentino Imperator Palæo-

Palæologus: qui, dum gravis illa incidisset altercatio de processione Spiritus sancti, multa se in Græcorum favorem annotasse, at domi suæ (quæ erat in Græcia) asservasse dicebat. Cui IVLIANVS: *Cum in certamen se sciret sua Maiestas descendendum, non oportuit arma domi relicta sed in contentionem allata.* *P. Æmil. lib. 10.*

Petrus Aldobrandinus Card. Non minus disserendo, quàm elaborando doctrinam parari insinuabat hic; dum enim quidam disputantium circulos effugeret, aiebat: *Tu id addiscendo facis, ut dum disputationem refugis, nihil addiscas.* Hinc benè Minerva armata veteribus pingitur; quia doctrina non nisi acriter pro ea disceptantibus, præda fiat. *Henr. Farnes. in Apophth. de Principe.*

Ioannes Picus Mirand. Hujusce propositi pariter & animi IOAN. PICVS. qui percontanti, quasnam disputationes maximè prodesse existimaret; aiebat: *Quæ pacato animo ad investigandum veritatem, privatim, ac semotis arbitris exercentur. Obesse autem illas, quæ in propatulo fierent, ad ostentationem dumtaxat, aut captandam vulgi auram, atque imperitorum applausum.* *Ioan. Franc. in Vita Pici.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Disputare nunc docemur quisque non & vivere.
Disputare omnes docemur in scholis, non vivere.
Disputare scimus omnes; nemo novit vivere.
Quilibet tam disputare malunt, quam vivere.

¶ IAMBICA.

De Trinitate credas, non & disseras.
Docemur hodie disputare, haud vivere.
Nunc disputare malumus quam credere.
Ratione mecum non furore dimica.

Dissimulationis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

Xenophon: Dic mihi, ait an non perhibebas, existimare te futurum, ut ille castratus ab Assyrio nobiscum se conjungeret? Equidem hoc, ait, certo mihi persuasum habeo. Nam multa iam pridem nos inter nos libere colloquuti sumus. Quando igitur commodum tibi videtur, hominem accedito, ac primum quidem sic facito, quemadmodum ipse tibi significabit. Vbi verò cum eo congressus fueris, siquidem animadvertes, eum nobis amicum esse velle: prorsus hoc struendum erit, ut clam sit, eum nobis amicum esse. Nec enim aliquis in bello amicos ulla ratione alia pluribus beneficiis adfecerit, quam si hostis esse putetur: nec inimicos ulla ratione alia quis adfecerit detrimentis pluribus, quam si amicus esse videatur. *Cap. 19. lib. 5. Cyropædia.*

Libanius: Metuo ne civis, osor urbis videar, in medium proferens quæ minus honestè in ea sunt facta. nam absurdo quodam facinore perpetrato, quiescere nolle, nec silentio malum obtundere; sed pœnas eorum quæ facta sunt exigere velle, injuriam adaugere solet. *Declamatione 25.*

¶ ROMANORVM.

C. Tacitus: Dissimulationem inter virtutes suas primam ponit, diligitque Tiberius Imp. *Libro IV. Annal. cap 71.*

Idem: Dissimulatio nondum deserit Tiberium, cum jam vires, jam corpus desererent. *Lib. 4. Annal. cap 50.*

De dissimulandis adversis.

Frontinus: Tullus Hostilius rex Romanorum, commisso adversus Veientes prœlio, cùm Albani deserto exercitu Romanorum, proximos peterent tumulos, eaque res turbasset nostrorum animos, clarè pronunciavit, iussu suo Albanos id fecisse, ut hostem circumveniret. Quæ res & terrorem Veientibus, & Romanis fiduciam attulit, remque inclinatam consilio restituit.

Lucius Sylla: Cùm præfectus eius comitante non exigua equitum manu, commisso iam prœlio ad hostes transfugisset, pronunciavit iussu suo id factum, eaque ratione militum animos non tantum à confusione retraxit, sed quadam etiam spe utilitatis, quæ id consilium secutura esset confirmavit.

Idem: Cùm auxiliares eius missi ab ipso, circumventi ab hostibus, & interfecti essent, vereretur que, ne propter hoc damnum, universus trepidaret exercitus, pronunciavit, auxiliares, qui ad defectionem conspirassent, consilio à se in locâ iniqua deductos: ita manifestissimam cladem, ultionis simulatione velavit, & militum animos hac persuasione confirmavit.

Scipio: Cùm Syphacis legati nunciarent ei regis sui nomine, ne fiducia societatis eius, ex Sicilia in Aphricam transiret, veritus ne confunderentur animi suorum abscissa peregrina societate, dimisit ire legatos, & famam diffudit, tanquam vltrò à Syphace accerseretur.

Qu. Sertorius: Cum acie decertaret, barbarum qui ei nunciaverat Herculeium periisse, pugione trajecit, ne & in aliorum id noticiam perferret, & ob hoc animi suorum infirmarentur.

Alcibiades Athenienſis, cum ab Abydenis prœlio urgeretur, subitoque magno cursu triſtem advertisset adventare tabellarium, prohibuit palam dicere quid afferret. Deinde secretò scisscitatus à Pharnabazo regio præfecto, classem suam oppugnari, celatis & hostibus & militibus prœlium finiit, ac protinus ad eripiendam classem ducto exercitu opem tulit suis.

Hannibalem venientem in Italiam tria millia carpentariorum reliquerunt, quo ille exemplo, ne & ceteri moverentur, edixit à se esse dimissos, & insuper in fidem eius rei, paucos leviſſimæ operæ domum remisit.

L. Lucullus, cum animadvertisset Macedonas equites, quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, & turmas, quæ eos sequerentur, immisit, hostis committi prœlium ratus, transfugientes telis excepit Macedones, qui cum viderent, neque recipi se ab adversariis, & premi ab his, quos deserebant, necessario ad iustum prœlium conversi hostem invaserunt.

Datames dux Persarum, adversus Authofradatem in Capadocia, cùm partem equitum suorum transfugere comperisset, cæteros omnes venire secum jussit, assecutusque transfugas collaudauit, quòd eum alacriter præcessissent, hortatusque est eos etiam, ut fortiter hostem adorirentur: pudor transfugis attulit pœnitentiam, & consilium suum (quia non putabant deprehensum) mutaverunt.

T. Quintius Capitolinus Cos. cedentibus Romanis mentitus est in altero cornu hostes fugatos, & ita confirmatis suis victoriam retulit.

Cneus Manlius, adversus Hetruscos, vulnerato collega Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, & ob id parte cedente, quòd etiam occisum crederent consulem, cum turmis equitum occurrit, clamitans & collegam vivere, & se dextro cornu vicisse. Qua constantia redintegritatis animis suorum vicit.

Marius, adversus Cymbros & Theutonos, cum mearores eius per imprudentiam ita castris locum cepissent, ut sub potestate barbarorum esset aqua, flagitantibus eam suis, digito hostem ostendens, illinc (inquit) petenda est. Quo instinctu assecutus est, ut protinus barbari tollerentur.

T. Labienus post Pharsalicam pugnam, cum victis partibus Dyrrhachium refugisset, miscuit vera falsis, & non celato exitu pugnæ, æquatam partium fortunam, gravi vulnere Cæsaris finxit, & hac assimulatione reliquis Pompeianarum partium fiduciam fecit.

M. Catoicum Ambraciam, eo tempore, quo sociæ naves ab Ætolis oppugnabantur, imprudens vno lembo appulisset, quanquam nihil secum præsidii haberet, cœpit signum voce gestuque dare, quo videretur subsequentes suorum naves vocare: eaque asseveratione hostem terruit, tanquam planè appropinquarent, qui quasi è proximo citabantur. Ætoli, ne adventu Romanæ classis opprimerentur, reliquerunt oppugnationem. *Lib. 2. Stratagem c. 7.*

Divinationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

Clemens Alexandrinus: Iam vero inter Græcos quoque dicuntur fuisse multi qui responsa dederunt, sicut Bacides: vnus quidem Bœotius, alter vero Arcas, qui multa multis prædixerunt. Athenienſis autem Amphileti consilio Pisistratus quoque confirmavit tyrannidem, cum ei invadendi tempus significasset. Taceatur enim Cometa Cretenſis, Cyniras Cyprius, Admetus Theſsalus, Aristæus Cyrenæus, Amphiaraus Athenienſis, Timoxeus Cercyræus, Demænetus Phocenſis, Epigenes Theſpienſis, Nicias Caryſtius, Aristo Theſsalus, Dionysius Carthaginenſis, Cleophon Corinthius, Hippo filia Chironis, & Bœo, & Manto, & Sibyllarum turba, Samia, Colophonia, Cumana, Erythræa, Phyto, Taraxandra, Macetis, Theſsala, Theſprotis: & rursus Calchas & Mopsus qui fuerunt Trojanis temporibus: antiquior autem Mopsus, ut qui navigaret una cum Argonautis. Aiunt autem Battum Cyrenæum composuisse eam quæ Mopsi dicitur divinationem. Et Dorotheus, in primo libro qui inscribitur Pandecta, refert Mopsum adiisse Alcyonem & Coronem. Præscientiæ autem Pythagoras quoque Magnus semper mentem adhibuit, & Abaris Hyperboreus, & Aristæas Proconneſius, & Epimenides Cretenſis qui venit Spartã, & Zoroaster Medus, & Empedocles Agrigentinus, & Phormio Lacon. Quinetiam Polyaratus Thaſius, & Empedotimus Syracusanus, & post hos maxime Socrates Athenienſis. Est enim mihi, inquit in Theage, quod ab ineunte ætate divina sorte accidit, signũ dæmonis. Id autẽ est vox, quę vbi fuerit edita, retinet ne faciã quod sum facturus, hortatur a. nunquam. Et Execestus Phocenſiũ tyrannus, duos gestans incantatos annulos, qui inter se invicem ab eis edebatur sonitu,

nitu, sciebat tempus rerum gerendarum, mortuus tamen est dolo interfectus, etiam si id ei prius significasset sonitus, ut dicit Aristoteles in opere de Republica Phocensium. Quinetiam ex iis qui aliquando fuere homines in Ægypto, opinione autem hominum Dii fuerunt, Hermes Thebanus, & Aesculapius, Memphitanus, & rursus Tiresias & Manto Thebis, ut dicit Euripides. Iam Helenus & Laocoon & Oenone & Brenus in Ilio. Crenus enim unus Heraclidarum dicitur insignis vates, & Iamus alius in Elide, à quo Iamidæ, & Polyidus Argis & Megaris, cuius meminit Tragœdia. Quid opus est recensere Telemum, qui cum esset vates Cyclopum, prædixit Polyphemo ea quæ in errore Vlyssis evenerunt: aut eum qui erat Athenis Onomacritum: aut Amphiaraum, qui cum septem qui adversus Thebas bellum gesserunt, fertur Troia capta una generatione fuisse posterior: aut Theoclymenum in Cephalenia, aut Telmessum in Caria, aut Galeum in Sicilia? Præter hos autem fuerint etiam alii, Delphis, Mopsus Apollinis filius, & Mantus in Pamphylia, & Amphilochus Amphiarai filius in Cilicia, Alcmeon apud Acarnanes, Anias in Delo, Aristander Telmessensis, qui fuit cum Alexandro. Iam verò Philochorus, in primo de divinatione, refert Orpheũ fuisse vatem. Theopompus autem & Ephorus & Timæus Orthagorã quẽndam vatem fuisse scribunt, quemadmodum Pythocles Samius in quarto rerum Italicarum, Caium Iulium Nepotem.

Sed illi quidem fures omnes & latrones, vt dicit scriptura, plurima ex observatione, & ex verisimilibus prædixerunt, sicut medici & vates qui conjectant ex regula naturæ: alii autem etiam à dæmonibus incitati, vel per aquas, & suffitus, & aerem aliqua qualitate præditum, perturbati. Apud Hebræos autem Dei virtute & inspiratione, ante legem quidem Adam, qui & in muliere, & in animantum nominatione futura prædixit: & Noe, qui prædicavit pœnitentiam: Abraam, Isaac & Iacob, qui aperte non pauca ex futuris, & iis quæ iam instabant præsignificabant. Cum lege autem Moses & Aaron, post quos prophetavere Iesus filius Nave, Samuel, Gad, Achias, Samæas, Iehu, Helias, Michæas, Abdiu, Elisæus, Abdadone, Amos, Esaias, Osee, Ionas, Ioel, Hieremias, Sophonias Chuzi, Ezechiel, Vrias, Ambacum, Naum, Daniel, Misael qui præerat rationibus, Aggæus, Zacharias, & qui erat ex duodecim Angelus. Sunt autem omnes Prophetæ XXXV. Ex mulieribus autem (nam eæ quoque prophetabant) Sara, & Rebecca, & Maria, Debbora, & Olda. Deinde circa eadem tempora prophetavit Ioannes vsque ad baptismum salutarem. Post Christi autem ortum, Anna & Symeon. Zacharias enim pater Ioannis, ante filium quoque in Evangeliis dicitur prophetasse. *Lib. 1. Stromatum.*

D. Gregorius Nyssenus: Quoniam homines voluptarii corporisque plus æquo amantes in hac vita studio res futuras sciendi tenentur; quia cognitione vel mala se evitaturos sperant, vel id quod desiderant assecuturos: idcirco ne à Deo pendeant homines, prænotiones rerum futurarum varia genera fallax dœmonum natura commenta est, auguria, divinationes per symbola, oracula, haruspicia, mortuorum evocationes, furoris afflatus, numinis instinctus; inspirationes, aliaq; plurima id genus: tum quæcunque prænotionis species ex aliqua fallacia, vera cuipiam videatur, illa continuò à fallaci dæmone monstratur; ut hoc tanquam patrocinio ejus, qui in fraudem illectus est, fallax opinio justa comprobetur. Sic efficit dæmon ut aquilæ volatus cum ejus qui observavit spe & expectatione concurrat, & ut jecoris palpitio, & membranarum ac pellicularum ex inflatione orta titubantia; & oculorum inversiones, & unaquæq;, prout notata fuerit ex fallacia observatio, deceptis hominibus à versutia dæmonis commonstratur; ut à Deo descendentes dæmonum cultui se addicant, à quibus talia perfici credunt. *Epistola de Pythonissa.*

D. Chrysostomus: Prophetia enim nõ in tẽpore quo dicitur, sed ni tẽpore eventus præbet indicium suę veritatis. neq; erat facile eam discernere; & quisnam quidem esset qui prophetabat, quisnam verò qui mentiebatur. etenim cùm sceleratus sit diabolus, subit eos qui prophetant, & inducit pseudoprophetas, tanquam qui ipsi quoque futura prædicant. Deinde quoniam interim de iis quæ dicebantur non poterat reddi ratio, cùm res nondum evenissent, de quibus prædicebatur; facilè etiam decipiebat. Nam eum qui falsum, & eum qui verum dicebat, arguebat finis. *Homilia 29. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: In simulacris, inquit, si quando quis arreptus esset à spiritu immundo, & divinaret seu vaticinaretur, tanquam qui abduceretur, sic trahebatur vinctus à spiritu, nihil sciens eorum quæ dicebat. Hoc est enim proprium vatis seu divinatoris; emotæ esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Propheta autem non sic: sed cum mente sobria, & cum modesta ac temperante constitutione, & sciens quæ loquitur, dicit omnia. Quamobrem etiam ante eventum, vel ex hoc cognosce vatem seu divinatorem & prophetam. *Hom. 29. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Rursus amisit quispiam pecuniam. Multi sunt qui suadent ut eat ad divinatores. maluisti propter Dei metum, quoniam est vetitum, pecunias non accipere, quam Deo non obedire. parem habes mercedem, atque ille qui eas erogavit pauperibus, si iis amissis gratias egeris, & quum posses ire ad divinatores, sustinuisti eas potius non accipere, quam sic accipere. Nam sicut ille propter Dei metum eas effudit in egenos, ita tu quoque propter Dei metum, quum illi rapuissent non recepisti. *Homilia 3. ad Thessalonicenses.*

Chrysostomus: Te diabolus molestia affecit ablatis pecuniis. Ipsum tu quoque molestia affice. Ne eum lætitia afficis. Si Deo agas gratias, certam & lethalem plagam ei infligis. Vide autem quid fiat, neque ipsas invenies si iveris ad divinatores. Non potest enim esse ut illi sciant. Quod si etiam casu dixerint, & animam præterea perdis, & à fratribus tuis irrideberis, & eas rursus perdes. Dæmon enim sciens te non æquo animo ferre damnum, sed pro his etiam DEVM tuum negare, rursus dat pecunias, ut habeat occasionem te rursus decipiendi & efficiendi ut deficias. Quod si etiam dicant divinatores, ne miremini. dæmon est incorporeus, omnes obit orbis partes. Ipse armat latrones. Non enim hæc fiunt absque, dæmone. Si ergo eos armat, & scit ubi sunt repositæ, non ignorat suos ministros. Non est autem mirum si te viderit damnum ægre ferentem, & alterum afferat. Si te viderit irridentem & despicientem, ab hac via receder. Quomodo enim nos molestia afficimus inimicos iis quæ sunt molesta: sin autem viderimus eos non dolere, deinceps desistimus, ut qui non possimus mordere. Ita etiam diabolus. *Homilia 3. ad Thessalonicenses.*

D. Io. Chrysostomus: Vbi consueverit homo magis fidem adhibere, multis ipsis seductoribus confert. nemo cùm fallunt, attendit: sed solùm si quid verè prædixerint aspicit. Adduc ad me divinatorem; si quam habet præsciendi vim, dicat quid mihi cras veniet, quid mihi erit. at id profectò non dicet. sum enim sub ditione regis. neque habet ille in me ullum imperii ius. & cæt. 2. *ad Timoth. homil.* 8.

Synesius: Porro ad maxima quæque citra laborem pervenire, divinum quoddam bonum est: hominibus vero, non vtique virtuti duntaxat, sed & bonis omnibus,

——— *Sudorem dij præposuere potentes.*

at divinatio bonorum omnium summum haud temerè habeatur: Etenim scientia ipsa, vniversęque cognoscendi facultate cùm ab homine Deus, tum homo à belluis separatur: Sed Deo sola ad cognoscendum natura satis est; homo autem divinationis beneficio multò plura consequitur, quàm quæ communis natura sortita sit. Vulgus enim id duntaxat quod præsens est videt: quòd nondum accidit, coniectura assequitur: Calchas verò vnus in Græcorum omnium conventu nouerat,

Quæ sunt, quæ venturа, & quæ ante fuerunt.

Atque ideo apud Homerum deorum res Iovis ex arbitrio pendent, quòd

Natu sit maior, pluraque norit.

Ob id nempe quod natu sit grandior: ad hoc enim ætatis mentionem arbitror hisce in versibus pertinere, quòd pro temporis diuturnitate plura nosse contingeret. quandoquidem cognitio ipsa facilè cæteris omnibus antecellit. Quòd si quis aliis ex versibus ita in animum inducat, vt principatum Iovis ex manuum robore metiendum putet, quòd (vt idem ait)

Præstabat viribus ille,

is imperitè admodum in hac poesi versatus est, nec eius philosophandi rationem intelligit, quæ Deos nihil aliud quam mentes esse definiat. propterea quæ rursum ei quod dixerat, Iovem viribus superiorem esse, statim illud (natu maior) adtexuit, vt Iovem antiquiorem mentem esse significaret: mentis autem robur, quòd tandem aliud est, præter prudentiam? Quare quisquis Deus ille est, cui deorum principatus attribuitur, cum item mens sit ex sapientiæ copia, & abundantia in cæteros imperium habet, adeoque istud ipsum,

præstabat viribus ille, eodem cum altero (*pluraque novit*) regreditur ac recidit. Quàm ob causam sapiens cum Deo necessitudine quadam coniunctus est, quod cognitione proxime ad eum accedere conetur.

Hæ igitur argumentationes sint, quibus hoc efficiatur, divinationem vnam ex optimis rebus esse, quæ hominum studiis tractentur. Iam verò cum per quælibet, futurorum indicia quælibet præbeant, vtpote quæ eodem in animali, mundo scilicet, fraterna inter se cognatione contineantur; Cumque hæc, velut multiplices quædam literæ sunt in tota rerum universitate, tanquam in libro, descriptæ, quarum aliæ Phœnissæ, aliæ Ægyptiæ, Assyriæ aliæ sunt, quas qui sapiens est, legit: sapiens porro is est, qui natura didicit, aliisque aliis in rebus est sapiens: & hic quidem magis, alter minus; Exempli gratia, hic quidem syllabarum peritus est, ille dictionis integræ; alter oratione simul universæ ita planè futura sapientes prævident, alii ex Astrorum, alii ex stabilium, ac permanentium, alii denique ex discurrentium factum observatione, atque notitia: Nonnulli in viscceribus animalium ea legunt, quidam in garritu auium, & institione ac volatu: Sunt etiam, quibus quæ vulgo omina dicuntur, literarum instar sunt futura manifestè declarantium, uti voces, & fortuiti occursus, aliis de causis facti, ita ut omnia omnibus significandi vi prædita sint. Itaque si nulla in avibus inesset sapientia, artem illæ ex hominibus aliquam, quemadmodum ex iis facimus, ad futurorum notitiam instituissent: Siquidem nos illis, quemadmodum illæ nobis, novi, & pervetusti, ac secundi sumus, Oportebat enim, arbitror, universitatis huius consentientis secum, conspirantisque partes, vtpotè quæ eiusdem totius membra sint, mutua quadam necessitudine copulari. Ac fortasse Magorum incantationes nihil aliud sunt: nam à se invicem attrahuntur,

non

non minus, quàm significantur; Isque demum sapiens est, qui partium inter se mundi cognationem intelligit. Quippe aliud alterius beneficio ad se pertrahit, præsentia, tanquam pignora quædam habens eorum quæ maximo intervallo dissita sunt. Cuiusmodi sunt voces, materiæ, figuræ; non secus atque in nobis viscere aliquo malè affecto, aliud eodem modò afficitur: Ac digiti etiam morbus in inguem decumbit, tametsi quæ interiecta sunt multa, nihil mali sentiant: Sunt enim vnius animalis partes, inestq; in his, potius quam in aliis, quædam ad se invicem affectio: inde igitur accidit, vt ad Deum aliquem, ex eorum numero, qui mundi huius ambitu continentur, lapis apud nos aliquis herbave pertineat: quibus rebus cum affectionis similitudine sit coniunctus, naturæ vi trahitur, ac pellicitur. Quemadmodum qui imam chordam pulsat, non proximam, hoc est sesquioctavam movet, sed sesquitertiam ac Neten, atque hoc ipsum ex antiquiori concordia promanat: inest enim velut in cognatione, nonnulla etiam inter partes dissensio: Siquidem mundus non vnum absolutè quidpiam est, sed vnum ex multis conflatum: in eoque partes insunt, partibus affines, ac repugnantes conspirante ad universi concordiam mutuò earum divortio; vti Lyra contrariorum, ac consentientium sonorum constitutum modulamen est? Nam quod ex contrariis vnum fit tam in Lyra, quàm in mundo concentus appellatur.

Atque Archimedes quidem Siculus locum aliquem extra terræ ambitum postulabat, quasi contrario se toti terræ pondere libraturus; negabat enim se, quandiu in ea esset, quicquam in ea vitium habere; Verùm quisquis ullam circa mundi naturam peritiam est adeptus, si extra eundem constituatur, nihil iam peritia vti sua poterit; necesse enim erit, vt contra illud ipsum vtatur; Quare interrupta continuitate frustrà contueatur, & expertia animæ indicia observet. Quicquid enim divinum extra mundum positum est nullis omninò præstigiis allici potest;

Quicumque est liber curæ vacat omni,
Nec pensi illi quicquam.

Natura quippe mentis nullo modo inflecti potest; patibileque hoc ipsum est quod mulcetur ac pellicitur. Quamobrem divinationem, ac mysteriorum latissimam copiam, eorum quæ in mundo sunt multitudo, atque affinitas suppeditat; multitudo inquam discrepantium, affinitas verò coniunctorum, & vnum constituentium. *Libro de Insomnijs.*

LATINORVM.

Chrysologus: Hic si esset propheta sciret &c. Phærisæe, quod conspicis non est ignorantiæ, sed potestas; est divini judicii, non erroris humani. Pharisæe erras: ne scire magis potuit si fuisset propheta. Quia propheria non est humani arbitrii, muneris est divini: unde propheta scit, non quantum vult, sed quantum dederit ille qui tribuit prophetiam. *Sermone 94 p.*

Io. Sarisberiensis: Varro autem curiosissimus inter philosophos, quatuor species divinationis ab elementis mutuatus est, pyromantiam scilicet, aerimantiam, hydromantiam, & geomantiam, multasque species videbis ex his capitibus pullulare, sive arte, sive furore divinatio peragatur: quarum nomina exempli causa vel pauca subiiciam. Incantatores quidem sunt, qui artem verbis exercent. Arioli, qui circa aras nefandas preces, aut execrata sacrificia faciunt, in quorum cervicibus est manus Domini, dicente propheta: Arioios & magos non patieris vivere. Aruspices sunt inspectores horarum, præscribentes quid qua hora fieri expediat, quorum errorem damnavit Apostolus dicens: Timeo ne frustra laboraverim in vobis, observatis enim dies & annos, & menses & tempora, cum felicitas operis non à tempore, sed à nomine Domini debeat expectari. Aruspicium quoque in extorum inspectione viget, quam artem Tages quidam dicitur inveniſſe.

Vnde Lucanus:

Fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

Extorum verò nomine censentur omnia, quæ cutis extremitate teguntur. Ex quo liquet eos esse aruspices, qui vaticinantur in ossibus animalium, sive sanguine, sive futura prænunciant, sive præsentia pronuncient vel præterita. Vaticinium siquidem est, quo cum intelligentia veri, abscondita proferuntur: cum & prophetiam non modò de futuris constet esse, sed de præsentibus, & futuris, & præteritis. Si verò adhibeatur sanguis, ad nicromantiam jam accedit; quæ inde dicitur, quod tota in mortuorum inquisitione versatur. Cuius vis ea esse videtur, ut ad interpretationem veri, mortuos valeat suscitare. Ea namque ludificantium dæmonum, & humanæ perfidiæ illudentium fallacia est. Pythii sunt quos spiritus Pythonicus replet, & frequentius in virginibus exercetur, ut magis ludificet; ac si immundissimo spiritui placeat integritas mentis aut corporis. Vultivoli sunt qui ad effectus hominum immutandos in molliori materia, cera forte vel limo, eorum quos pervertere nituntur effigies exprimunt, cuius illusionis in Pharmaceutria Virgilius meminit.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

Naso quoque in libro Heroidum,

Deuouet absentes, simulachraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Horum vero malitia, etiam cum plurimum noceret, artificio levi dissolvitur, si videlicet qui suspecti sunt conveniti ab aliquo crimen suum inficientur. At si confessi fuerint, cogantur maleficium revocare. Imaginarii sunt, qui imagines quas faciunt, quasi in possessionem præsidentium spirituum mittunt, ut ab eis de rebus dubiis doceantur. Hos idolalatras esse sacra scriptura convincit, & divinæ majestatis judicio condemnatos. Conjectores sunt qui artificio quodam, sibi vendicant somniorum interpretationem. Chiromantici sunt, qui à manuum inspectione, rerum vaticinantur abscondita. Specularios vocant, qui in corporibus levigatis & tersis, ut sunt lucidi enses, pelues, cyathi, speculorumque diversa genera divinantes, curiosis consultationibus satisfaciunt, quam & Ioseph exercuisse, aut potius simulasse describitur, cum fratres arguerent surripuisse scyphum, in quo consueverat augurari. Mathematici sunt, licet appellatio generaliter omnia complectatur, qui à positione stellarum, situque firmamenti, & planetarum motu, quæ sint ventura coniiciunt, ut est illud:

Nostra vel aquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora.
Dissidit in Geminos concordia facta duorum,
Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus una,
Nescio quod certe est, quod te mihi temperat astrum.

Ac si stellarum choreas applicationesque unius ad alteram constet rebus, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, quandam necessitatis præstare originem, quorum & genelliaci, qui geneses, id est, natalitias horas attendunt, imitantur errorem. Vnde Satyricus,

Nota mathematicis genesis tua.

Iidem verò horoscopi nominantur.

Vnde rursus,

Geminos horoscope graue Producis genio.

Viguit autem ista scientia & forte eam aliquatenus licuit exerceri, donec Deum natum nunciavit stella de cœlo, magosque non reprobos primitias fidei ad eum adorandum novo & inaudito ductu perduxit. Exinde vero penitus interdicta est. Saliſſatores qui ex saltu membrorum, aut inopinato motu, prosperum aliquid futurum autumant, vel adversum. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis superstitiosa quadam observatione, rerum pollicentur eventus: quod genus sortes Apostolorum & prophetarum, & dividentium, & inspectio tabulæ, quæ Pythagorica appellatur, observatio quoque casus in rei de qua quæritur, significatione. Augurium verò quod est in avium observatione Phryges invenisse traduntur, quod in voce traditur aut volatu. Est autem secundum traditionem eorum, volatus tam alarum quam pedum: vola siquidem est interior palmæ vel pedis. Vnde apud Maronem in sexto, volantes pro gradientibus columbæ describuntur. Hoc etenim ad hominis pertinet felicitatem, si columbæ gradientes, dum tamen in pastu itinerantes præcedant. *Lib. primo Polycrat. cap. duodecimo.*

Io Sarisberiensis: Pythonicorum vero eo pernicioſior est consultatio, quo fallacia malignorum spirituum in his manifestior est, qui sive mentiantur sive non, in proposito semper habent ut noceant. Fallunt autem interdum studio fallendi, interdum cœcitatis suæ errore decepti: id tamen agunt assidue, ut futurorum conscii per omnia videantur. Inde est quod ambiguitate verborum obnubilare student oracula, ut cum mendaces, aut fallaces inventi fuerint, aliquo rationis velamento suam queant tueri fallaciam. Sic utique fallacia non desistunt, donec auditores suos præcipitent in ruinam. Cui enim à seculo vatum profuere responsa? Crœsone, an Pyrrho, aut præcedentium aut subsequentium cuiquam? Dux Thebanus dum de oraculo sperat victoriam, fratris mucrone perfoditur. Ei tamen avus Laicos successus belli visus est polliceri: Quid enim aliud significaret, quod post multas ambages intulit,

Certa est victoria Thebis?

Cæterum ne interempto duce, mendacii arguatur, ut fallaciam ambigua veritatis nota obduceret, quo malitiam tueatur subjecit,

Hei mihi per gladios victi pater.

Sic ergo dum quasi fatorum consilio securus ad parricidium invitatur, laqueo impietatis trahitur ad occasum. Patris quoque parricidæ desiderium adimpletur, dum fratres impii, quibus imprecatus optaverat, ut ferro generis consortia dissilirent, mutuis vulneribus pereunt, & alternis gladiis prosternuntur. Crœsus maxima regna, si Halin transgrediatur, de oraculorum fide sibi subiectum irè confidit. Sed cum res in contrarium cesserit, fallax Apollo se vnius verbuli æquivocatione, absolvit ab invidia mentiendi. Quid Pyrrhus? Romanis victis, quos sæpe in acie virtute fuderat, beneficio Phœbi sibi promittit imperium, sed irreparabiliter stratus, in seipsum retorsit culpam, qui amphibologiam oraculi minus utiliter intellexit. Ad notiores transeatur historias.

Appius

Appius cum vnica & singularis civilis belli tempestas orbem concuteret, docente Phœbo in sinu Euboico quietem quærit, & mortẽ invenit. Oraculum quidem autore Lucano celebre est:

Effugis ingentes tanta discriminis expers
Bellorum Romane, minas solusque quietem
Euboici lateris media convalle tenebis.

Lib. 2. Polycrat. capite 27.

Io Sarisberiensis. Licet tamen ut de futuris aliquis consulatur, ita quidem, si aut spiritu polleat Prophetiæ, aut ex naturalibus signis, quid in corporibus animalium eveniat, physica docente cognouit, aut si qualitatem temporis imminentis, experimentorum indiciis colligit. Dum tamen his posterioribus nequaquam quis ita aurem accommodet, ut fidei, aut religioni præiudicet. Sed nec primi audiendi sunt, nisi in eo quod loquuntur à Domino, quod nunquam religionem impugnat, quia verum vero nequit esse contrarium, nec bonum bono. At physici dum naturæ nimium autoritatis adtribuunt, in autorem naturæ, adversando fidei, plerumque impingunt. Non enim omnes erroris arguo, licet plurimos audierim, de anima, de virtutibus & operibus eius, de augmento corporis & diminutione, de resurrectione eiusdem, de creatione rerum, aliter quam fides habeat, disputantes. De ipso quoque Deo interdum ita loquuntur, ut, Si terrigenæ tentarent astra gigantes, & inani conatu cum Encelado, ut eis Ætnæ onus igniſluum imponatur, cupiant promereri. Sed in his facile labi possunt, quia quanticumque ingenij vires, citra profunditatem difficultatis, quæ in his vertitur, subsistunt. Vbi vero deficit intellectus, fidei ratione deducta, quæ media est, restat sola opinio. *Lib. 2. Polycrat. cap. 29.*

Philosophorvm Græcorvm.

Hyppocrates. Hæc vera esse, vt sunt, credo Philopœmen, neque somnia reijcio, præsertim quæ ordinem conseruant. Medicina autem & Diuinatio, magnam inter se cognationem habent, quandoquidem duarum artium pater est vnus Apollo progenitor noster, qui & præsentes & futuros morbos prædicebat, & ægrotantes & ægrotaturos curabat. *Epistola 10 ad Philopœmenem.*

Xenophon. At Socrates nihil rei magis nouæ introduxit, quam alii, quicumq; diuinationem esse statuentes, & auguriis, & ominibus, & præsagiis, & sacrificiis vtuntur. Existimant enim illi, non aues, nec obvios scire, quid ex vsu sit ijs, qui divinatione vtuntur: sed horum opera deos illa significare, quod etiam putabat Socrates. Verum maxima pars ait, se ab auibus, & ab occurrentibus vel auerti, vel incitari. Socrates autem dicebat id, quod & sentiebat, nimirum numen omnia significare: multisque familiaribus denuntiabat, vt hæc facerent, omitterent illa, tanquam numine sibi ea prædicente. Quod si qui parerent ei, sentiebant id sibi ex vsu esse: alios qui nõ paruissent, facti pœnitebat. Quis vero non fateatur, noluisse Socratem vel stolidum, vel adrogantem apud eos videri, qui consuetudine ipsius vtebantur? vtrumque certe videbatur in eum cadere, si denuntiabat, ea sibi divinitus indicari, & palam mentiebatur. De quo patet, nihil prædicturum fuisse, nisi vera se dicturum credidisset. Quis autem alii fidem in his habeat, quam Deo? Iam qui diis fidem habebat, quomodo non esse Deos putabat? Enimvero faciebat hæc quoque ad necessarios. Auctor illis erat, vt necessaria facerent, quemadmodum ea fieri putarent optime. Verum de iis, quorum incertus esset euentus, oracula consultum mittebat suos, an suscipienda essent. Addebat eos, qui præclare domos & vrbes administraturi essent, arte diuinandi egere. Nam vti quis percipiat ædificandi artem, vel excusoriam, vel colendi agrum, vel hominibus imperandi, aut huiusmodi opera examinandi, aut rationes ineundi, aut rem domesticam administrandi, aut imperatoriæ peritiam consequendi; huiusmodi omnia posse homines doctrina consequi, suoque arbitratu eligere dicebat? quæ autem in his essent maxima, deos sibi aiebat reseruare, eorumque nihil non hominibus obscurum esse. Nec enim constat ei, qui agrum egregie conserit, quisnam fructum sit percepturus: nec qui egregie domum ædificat, quis eam sit habitaturus: nec imperatoriæ rei peritus, an imperatoris munere fungi expediat: nec perito rerum ciuiliũ, an ex vsu futurum sit, vt ciuitati præsit: nec qui formosam ducit, vt ea lætetur, an propter hanc dolorem sensurus sit: nec qui potentes in ciuitate adfines adeptus est, an per hos ciuitate sit exsulaturus. Horum omnium si qui nihil ad numen referant, sed universa potius ad hominis consilium: furere dicebat. Itidem illos etiam aiebat furere, qui per divinationem explorarent ea, quæ hominibus discendo diiudicandi potestas divinitus esset concessa: veluti si quis consulat, vtrũ moderandi currus peritum, an imperitum præstet in vehiculum recipere: vel gubernandi peritum in navem recipere præstet, an imperitum. Quæ item homines numerando, vel metiendo, vel ponderãdo scire possunt, ea quia diis quærerent, nefarie ducebat agere. Adeoque necesse esse dicebat, vt quæ homines discendo cognita facere dii vellent, discantur: quæ vero sunt obscura hominibus, in iis conandum, ut per divinationem dii consulantur. Nã significare deos hæc illis, quibus sint propitii. *Lib. 1, Memorabilium cap. 2.*

Xenophon. Si quis maiora, quam pro sapientia humana, vellet adsequi; ei dabat hoc consilii, vt divinationi operam daret. Etenim aiebat eum, qui sciret, quibus indiciis Dii hominibus aliquid significent, nunquam à consilio divino destitui posse. *Cap 36. lib. 4. Memorabilium.*

Xenophon. Enimvero Deum futuri præscium esse, ac significare futura cui velit, omnes haud aliter atque ego, tum dicunt, tum existimant. Sed alii auguria, & omina, & coniectores, & vates adpellant eos, qui futura significant. Ego vero dæmonium & numen hoc adpello, meq; arbitror, dum sic voco, veriora, magisq; pia dicere; quam eos, qui avibus divinam potestatem adtribuunt. Atqui non menturi me contra Deum, hoc etiam argumentum habeo. Nam licet amicis plerisq; consulta numinis enuntiaverim, numquam tamen in mendacio sum deprehensus. Hæc ubi iudices audientes tumultuarentur, quia partim dictis fidem non haberent, partim inviderent ei, quod consequeretur à diis majora, quam ipsi. *Cap. 3. defens. Socratis.*

Arrianus: Propter intempestivam divinationis curam, multi multa officia negligimus. Quid enim vates prævidere potest præter mortem, aut periculum, aut morbum, aut aliquid eius generis? Quod si pro amico discrimen adeundum est, aut etiam mors pro eo oppetenda ex officio: quid jam divinatione est opus? Nonne penes me habeo vatem, qui naturam boni & mali mihi edisserit? Qui utriusque signa enarravit? Quid ergo præterea requiro aruspicinam aut augurium? Cur vatem fero, cum hoc mihi conducibile esse ait? Quid enim est conducibile? Novitne quid sit bonum? Num ut viscerum, sic etiam bonorum & malorum signa didicit? Nã si horum signa novit, honestorum etiam & turpium novit, & justorum & injustorum. Homo tu mihi dic quid portendatur, vita an mors? paupertas, an divitiæ? Vtrum vero hæc expediant an impediant, num ex te audiam? Cur de Grammatica non disputas, sed hic demum de rebus ubi omnes homines erramus, & inter nos dissentimus? Quapropter recte illa mulier, quæ cum Gratillæ amplius menstruo commeatum missura esset, ei qui dixerat, fore ut Domitianus illa eriperet, respondit: Malo ut Domitianus, eripiat, quam ego non mittam. Quid ergo nos ad frequentes divinationes adducit? Timiditas, solicitudo de eventu. Propterea vatibus adulamur. Domine, capiamne patris hæreditatem? Videamus: rem divinam faciamus. Sane domine, ut fortuna volet. Si dixerit, capies hæreditatem: tanquam ab ipso hæreditatem acceperimus, sic ei gratias agimus. Itaq; illud jam reliquum est, ut illudant illi nobis. Quid ergo? Citra appetitionem & aversationem est auspicandum: quemadmodum viator ex obvio quærit, vtra via sit insistenda: neque de eo solicitus est, dextrane, an læva sit pergendum. Neque enim harum alterutra pergere vult, sed ea quæ recta ducat. Sic etiam ad Deum erat accedendum, tãquam ad ducem. Neque secus utendum oraculis, atque oculis: quos non obsecramus, ut hæc illave nobis potius ostendant, sed quas res demonstrarint, earum imagines accipimus. Nunc trementes augurium capiamus, Deumque invocantes precamur eum: Domine miserere nostri, Fac mihi exeundi potestatem. Mancipium, nunquid aliud mavis, quam id quod magis conducit? Quid autem conducit magis, quam quod Deo visum est? Cur (quantum in te quidem est) judicem corrumpis, & suasorem seduois? *Cap. 7. libri 2. Epicteti.*

Simplicius: Divinatio de rebus omnibus, timidos reddit & ignavos, & ut parva magni fiant facit. *Ad Epict. c. 39.*

Aristides Rhetor. Divinatio nihil aliud est propemodum quàm imaginatio, & quanquam pleriq; vatem ab homine privato sic ferè distinguant, ut imaginationem omnibus, scientiam vatibus tribuãt; ego tamen vati scientiam ipsius imaginationis tribuo, nec præterea quidquam. Nec enim eodem modo Deos arbitror, atq; homines futura scire. Illi enim quid facturi sint norunt, & res omnes ante oculos habent: hi verò tanquam in tenebris ex sono vel viso aliquo, de rebus judicant, nec quidquam possunt perpetuum prædicere. Etenim nisi quæstionem proposueris, nihil de signis quæ vidit, poterit judicare. Quin cùm de futuris debeat dicere, ne hoc quidem, cuius rei gratia ad ipsum venias, nisi audiverit, novit: Nec enim res in conspectu habet, sed argumenta cum signis conjungens, secundum rationem imaginatur, &c. *Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Maximus Tyrius: Cum Medorum exercitus Græciam invaderet, ad oraculum Athenienses confugerunt, vt ex Deo intelligerent, quid adversus tantam classis Barbaricæ vim faciendum sibi esset. Videbant equitatum Medorum, currus Persarum, clypeos Ægyptiorum: sequebantur & funditores è Caria, & sagittarii è Paphlagonia, & velites è Thracia, & cataphracti è Macedonia, & equites rursus è Thessalia. Quæsiverunt ergo ex oraculo illi, quidnam potissimum tanto in malo sibi faciendum esset. Deus oraculum dat illis, vrbem ligneo ut muro cingerent. Videri sibi Themistocles ait ligneo muro triremes designari. Res Athenienſibus placuit, relictaq; vrbe sua muros quos oraculum iusserat conscenderunt. Si ergo, hoc in discrimine, nihil oraculi voce sibi opus esse, Athenienses putassent, sed prudentis potius viri, qui è re nata, tum proprias vires, tum hostiles recte perpendere, nec minus de periculo, quam de fiducia, si quam in virtute sua repositam habebant, recte iudicare potuisset: minusne sapiẽter eum hominem responsurum fuisse putamus quam oraculum? Meo iudicio nec obscure loqui opus fuisset, nec de ambiguo muro egisset: sed hoc potius modo sententiam suam proposuisset: Me autore, hos lapides Athenienses quos videtis & hos muros, Barbaro relinquetis: ipsi verò cum tota familia vestra, vestrisque liberis, libertate item ac legibus, ad mare ibitis. Hic vos triremes excipient, quæ & capere vos, & servare, & pugnare pro vobis, & victoriam vobis parere poterunt. Cur ergo ad oracula confugiunt homines, nec potius ab hominibus consilium petunt? An quia consilium humanũ, vt tutum minus minusque certum, ita invidiæ obnoxium est: nec probum vsquequaque, aut sui simile esse, & ad finem suum pervenire solet. Divinum contra, & præstantia sua fidem sibi, & veritate authoritatem conciliat; nec vnquam à scopo suo aberrat qui eo vtitur,

& in-

& invidiam humanam majestate sua excedit. Imo præscientia divina, & mens humana, (quamvis enim audacia sit in verbo, dicetur tamen) res cognatæ sunt. Ut si quid aliud usquam nihil sit simillius quam virtus hominis, & consilium Dei. Noli ergo dubitare posthac, aut quomodo homo cum liberi arbitrii sit, divinatione utatur, aut quomodo salva divinationis veritate, aliquid humana servet prudentia, quod in potestate sua sit positum. Simillima enim sunt de quibus agis. Idem est quod quæris, quod in dubium vocas, quod volvis & revolvis toties: cum sine ulla molestia totum, ut oportet, possis distinguere. Nec enim omnia ad finem suum divina dirigit potentia, nec ubique à fine suo aberrat homo. Et de humana quidem mente aliàs.

Nunc illud audire ex te velim, utrumne scire omnia divinam mentem existimes: turpia & honesta, digna atque indigna. Equidem pudet me referre singula, ne minus indignè de Deo loqui videar. Res enim videlicet præclara est, scire omnia, arenarum numerum, maris spatium, tum si quis forte absurdus in Lydia lebes coquitur. Nihil enim, ut illi volunt, quærere aliquis possit, de quo non verum ipsum respondere possit Deus: sive id è re futurum sit ejus qui quærit, seu contra. Nec refert an injustus aliquis oraculum accedat, ut præter fas aliena invadat. Equidem ardelionem potius mihi narras quam Deum, mireque curiosum ac vanum: similem mendicis illis qui in triviis stipem colligunt, & duobus obolis obvio cuique ventura prædicunt. Ego vero non Deo tantum, sed & viro bono indignum esse puto, ut occasione qualibet verum dicere occupet. Nec enim res per se præclara est verum dicere, nisi id cum utilitate fiat eius, qui audit. Ita sæpe medicus ægros, dux exercitum, gubernator fallit nautas: nec hoc in iis reprehenditur. Quid quod mendacia sæpe prosunt hominibus, nocet contra veritas?

Quare si aliud divinationem esse existimas, quam mentem divinam, quæ accurata stabiliq; scientia differt ab humana, eadem opera existimare potes rationem cum ratione pugnare. Sin contra fateris, non aliter differre hæc duo quam solis lumen à lumine ignis nostri, cum utrumque sit lumen: per me licet ut id quod magis lucet, præferas, dummodo ne id quod minus lucet, in divisione tua excludas. Quin potius sic statue: universum hoc, harmoniam esse quandam instrumenti musici, cujus artifex sit Deus. Eam autem harmoniam incipere à Deo, à Deo per aërem, per terram, per mare, per animalia omnia transire & plantas. Quia autem simul ac digressa est à Deo, diversas dissimilesque naturas invenit, iis se miscet, diversitatemq; quæ in illis est conciliat ac componit. Non aliter quam suprema harmonia diversitatem quæ in toto choro est moderatur ac temperat. Et modum quidem quo divina hæc ars procedit verbis exprimere non possum, delineare tamen qualicumque similitudine possum. Vidistine unquam naves in terram subduci, aut ingentes saxorum moles impelli? quod variis instrumentorum motibus conversionibusque fieri solet. quorum singula singulis vim addunt aliquam, atque invicem ita moventur, ut universum pondus promoveant. Hic enim cum tota instrumentorum compago id facere dicatur, aliquid tamen partes conferunt. Ita statuatur ipsum artificem esse Deum, machinas rationes humanas, humanam rursus artem quæ nos ad fatale decretum trahit.

Quod si magis etiam perspicuam similitudinem requiris, finge Deum esse ducem, militiam vitam nostram, militem hominem, tesseram, fatum, arma, facultates homini concessas, inimicos, calamitates, socios belli, rationem, victoriam, virtutem, cladem, improbitatem, divinationem vero esse eam artem, quæ ex apparatu præsenti futura conjiciat. Gubernator enim si navem habeat, & instrumenta norit quæ requiruntur, si mare inspiciat, ventos observet, quid futurum sit novit. Dux si exercitum habeat, & arma sua sciverit, & de necessario apparatu cogitaverit, & hostium adventum præviderit, exitum novit. Et medicus si ægrum videat, & morbum intelligat, & artis suæ sibi sit conscius, quid futurum sit non nescit.

Vides quanta sit hariolorum copia, quam certa, quam artificiosa, quam prudens. Si igitur quod in potestate nostra est, ex seipso tantum penderet, non opus esset divinatione. Cum vero id ipsum cum toto cohæreat, tanquam pars quædam & ipsa fati; id quod necessitati subjicitur divinationem statuat, quod vel certitudinem vel incertitudinem rei futuræ respicit, consultationi subjiciatur. Quid quod de necessariis quoque, & humana mens, & divina judicat scientia? Quomodo, dices, utraque? Sane siccitates, pluviarum penuria, & terræ motus, & eruptiones ignium, & ventorum impetus, & mutationes aëris, non Deus prævidet tantum, sed & divini ingenii viri. Ita terræ motum Pherecydes Samiis, & imminentem pestem Thessalis Hippocrates, & defectum solis Clazomeniis Timesias, aliusque aliud prædixit. Quomodo contra quæ in potestate nostra sunt prædicit Deus?

Ne liberis incumbito invito Deo.
ait Deus.
Natus parentem namque mactabit suum.

Hæc dicit quidem, non ignorat tamen intemperanti & vinoso homini consilium se dare, ideoq; futuram calamitatem prædicit. Cujus causam Laius præbuit, Deus prædixit.

Cræsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Transiturum eum esse non dicit, sed quid post transitum eventurum ei sit, dicit. Quod si oraculum divinum mentemq; humanam distrahas & distinguas, harmoniam conjunctissimam dissolvis. Non aliam domum habent præter hanc quam vides Dii homineque; cœlum dico & terram. Duo illa genera duos hos lares; duo hæc ædificia incolunt: alterum Dii Deorumque liberi, alterum Deorum incolunt interpretes. Non illi quidem Humicubæ, ut ab Homero vocantur, aut Illotipedes, sed qui oculos simul mentemque in cœlum erigant, & à Deo toto animo dependeant. Horum vitæ Dii præsident: qui ipsi quoque terram pererrant, ejusq; progeniem conservant. Cæterum nec videntur, nec in bello, ut Homerus vult, jaculantur, aut vulnerantur.

Nec Cererem tractant, nec rubri munera Bacchi.

Homines vero sublatis in cœlum oculis, qua licet, splendidam Jovis domum intuentur: quæ non ut illa Poëtæ auro adornata est, *nec pueris qui ardentes manu tædas ferunt*, sed sole lunaque reliquorumque qui hos comitantur, illustri fulgentem igne. Exercitum ex optimis ducibus necessariisq; militib. vides. Hæc inter se conjuncta maneant, videbis quid sit divinatio, videbis virtutem utriusq;, utriusque officium, & quid commune habeant.

Vides humanam vitam esse quasi rempubl. quandam, est autem instabilis, nec in continenti constituta, sed quæ parva navicula immensum mare trajicit. Hanc non gubernatoris tantum ars conservat, sed & ventorum commoditas, & ministerium singulorum, & instrumentorum agilitas, & natura maris. Cum instrumentis ergo & ministerio confer rationem animi, cum mari & ventis rerum humanarum incertitudinem, cum providentia gubernatoris, divinationis certitudinem. Quod si absurdum Reipubl. hujus temperamentum animo videatur tuo, Platonem audies qui ita scribit: *Deus & cum Deo fortuna opportunitasque humana gubernant omnia: ut autem mitius agamus, præstabit tertiam his adjicere artem. Quoties namque tempestas oritur, multum interesse existimo, sitne peritus gubernator: nec ne.* Hæc Platonis oracula animum perturbant meum, neque permittunt, ut vel plane divinationem contemnam, aut firmiter illi adhæream. Sed sicut aves quæ ancipitis naturæ sunt, cum reliquis hoc commune habent, quod in aëre volent, talem video vitam esse nostram quam ducimus, ancipitem, mixtamque necessitate simul & libertate. Ea autem illibertas talis est, qualis in homine vincto, qui sponte sequitur lictores. Itaque necessitatem illam videre mihi videor, aptè tamen exprimere non possum. Si enim Parcam dicam, voce utar, in qua hominum opiniones ludunt. Quid enim est Parca? cujus naturæ? quæ ejus est essentia?

Si Dea sis, cœliq; habitas sublimia templa,

minime reprehendi debet, quod à te sit, neq; Parcæ humanæ miseriæ causa (quia nulli Deo adscribi illa debet) tribuenda est.

Sin hominum quisquam, tellurisq; incola nostræ,

Mentitur Elpenor cum dicit,

Lasit me mala scæva Dei ——

Mentitur & Agamemnon cum dicit,

—— mei nihil criminis hic est,
Sed sortis & Parca, quæque aëra lustrat Erinnys.

Quæ nomina nihil aliud sunt, quam humanæ improbitatis speciosus prætextus, quæ culpam suam in Deos, in Parcas, in Erinnyas conferre solet.

Quæ in tragœdiis, ut locum habeant, per me licet (nec enim cum poëtis de nominibus contendo) in vitæ autem scena vide ne ineptiæ sint. Nam & Erinnys, & mala scæva, & vis Deorum, & si quæ alia vocabula quæ fatalem exprimunt potentiam in animo nostro circumgestamus, ea sunt quæ Agamemnonem turbant, cum præstantissimum Græcorum (ut apud Homerum est) contumelia afficit, ea sunt quæ in ebrietatem Elpenora, in fratris nuptias Thyestem, Orestem in matris cædem impellunt. Ea sunt quæ sycophantam in judicium, piratam in mare, homicidam in ferrum, intemperantem in voluptates trahunt. Hi sunt calamitatum humanarum fontes, è quibus non aliter quam ex Ætna ignis, ex Æthiopia pestis, mala illa defluunt. Hoc interest tamen, quod ignis in terram fertur, pestis cum Athenas usque pervenit, substitit: scelerum torrentes & innumeri sunt, & perennes, ideoque plurimis responsis, plurimis opus est oraculis. Nemo ergo, meo judicio, errabit, qui ex oraculo quærat aliquo, quis improbitatis, quis perfidiæ, quis intemperantiæ finis futurus sit. De his vero Socrates non minus olim respondebat, quam Apollo. Et propterea Socratem, tanquam collegam suum laudabat Apollo. *Dissertatione tertia Vtrum manente divinatione, aliquid sit in nostra potestate.*

Philostratus: Qui divinandi peritia gaudent, divini quidem ob ipsam evadunt, & ad utilitatem hominum plurimum conferunt. qui enim ea quæ aliis opus est à Deis exquirere, hæc apud se prævidere, & cæteris ignorantibus prædicare possit, hunc felicissimum puto, cum tantum in hac re efficere possit, quantum Apollo Delphicus. Sed quoniam ars jubet, eos qui ad oracula petenda proficiscuntur, puros mundosque accedere alioquin de templo ejici præcipit, videtur mihi multo magis verum qui præscire futura voluerit, castè sanctæque dispositum esse oportere, ita ut nullius sordis macula animam ejus inquinet, nullaq; delictorum cicatrices menti impressas gerat, ut purè de se ipso primum, & de eo quem in pectore gestat tripode vaticinari possit. sic enim vocaliora verioraq; dabit responsa. *lib.* 3. *Apollonij cap.* 13.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus: metus prævalebat, nam & tremor terræ perseverabat, & plen-

que lymphatici terrificis vaticinationibus, & sua, aliena mala, ludificabantur. *sub finem Epist. 20. lib. 6.*

¶ Poetarum.

Nonnus lib. VI. Dionysiacων.

——— Μαντοσύνῃ αι γὰρ
Ἐλπίσιν ἐσσομένησιν ὑποκλέπτουσιν ἀνίας.

——— *Divinationes*
Spe futura auferunt sollicitudines.

Plautus Rudente 4. sc. 4. v. 95.

Quid si ista aut superstitiosa, aut ariola est, atq; omnia
Quidquid insit, vera dicet? anne habebit ariola?
D. Non feret nisi vera dicet, nequicquam ariolabitur.

¶ Apologi.

Babrias Περὶ ἀστρολόγου καὶ ὁδοιπόρου. Fab. 22.

Ἀστρολογίς ποτ' ἐν τοκοπῶν τις ἀστρολόγος.
Πίπτει λελησθὼς εἰς φρέαρ· τυχὼν δέ τις
Ὁδοιπόρος, γενομένῃ τῶν ἐφηλίγων,
Νεῶθεις ἄνω, βέλτιστε, τὰ γῆ δ' ὑ βλέπεις;

Epimythion.

Ὅτι πολλοὶ τὰ οὐρανῶ τε μὴ γινώσκοντες, τὰ μέλλοντα καυχῶνται γινώσκειν.

De Stellarum speculatore & Viatore.

Stellis intentus quidam stellarum speculator
Cadit imprudens in puteum: sed quidam superveniens
Viator suspiranti hæc inquit, decens:
Animum qui applicuisti sursum, ô optime, terrā non vides?

Assabulatio.

Quod plerique quum præsentia nesciant, futura cognoscere glorientur.

¶ Apophthegm. Christianorum.

Ioannes XIV. Pont. Hic antea Balthasar Cossa dictus, Bononia, ubi litteris operam dederat, Romam proficiscebatur. Rogatus autem cur Romam tenderet; *Vt me Pontificem faciam*, respondit. nec in vanum. haud diu enim pòst ab Alexandro v. ad Cardinalatus honorem evectus, ei in Pontificatu sub nomine Joan. XXIV. successit. *Bapt. Fulgos. lib. 3.*

Nicolaus V. & Pius II. Pont. Simile est quod subjicimus. Erat Thomas Sarzanus Orator Eugenii IV. ad Cæsaream majestatem in Germaniam missus: cumque Alpes trajiceret, incidit forte in Æneam Frederici III. legatum. cumq; in eamdem domum divertissent ambo, & Æneas parciùs in victu ageret, subridens Thomas, *Ecquid*, inquit, *tantopere victitat parcimus: numquid uterq; nostrum ad Pontificatum promovendus?* vere uterque promotus. Thomas sub Nicol. V. & Æneas sub Pii II. nomine, Pontificatus honore præfulsit. *Bapt. Fulgos. lib. 1. cap. 3.*

Paulus II. Pont. Quo die Franciscum Ruveram ad sacrum Senatum promovit, dixisse fertur: *Hoc die successorem meum elegi.* Ridebant alii Pontificis dictum, at Franciscus, sumpto Sixti nomine, Paulo ita functo successit. *Ibidem.*

Clodovæus Gall. Rex: Demus etiam suum locum civili ordini & qui ejusdem ductor, Clodovæo. Quid iste? inquies. Castra metaturus adversus Gothos, munera Divo suo tutelari Martino Turonam mittebat: mandans ea deferentibus: *Ingressuri templum, observate quæ futuri eventus ex bello quod paramus, cōjecturam possent præbere.* Parent illi; & ecce templi limen subeuntes, audiunt monachos, vespertinas horas Deo persolventes, & quidem illud Psalmi Davidici: Præcinxisti me virtute ad bellum. captatoq; omine felici, ad Regem redeunt, omen nuntiant, quod eventus declaravit non fuisse vanum. *Ibid.*

Leonardus Ruveras: Erat hic Franciscì illius, de quo jam ante, ex fratre nepos, angustare & virtutis gloria homo omnium ludibrio expositus. cum namq; proprio nomine compellaretur, indignabundus, *Quin*, ait, *me Comitem appellatis?* Si vero de ducenda uxore sermo haberetur, *Nolim*, dicebat, *aliam, quam propinquam Regis.* Tulit igitur Patrui, qui tum Pontifex, fortuna; ut quæ de se per jocum prædicaverat, reipsa ad effectum deducerentur. *Ibid.*

Anonymus: Neq; missum faciam quod Severo Imper. ex Anglia reduci non solum victori, sed pace etiam æternum fundata, scurra quidam factus obvius, hunc in modum est vaticinatus: *Fuisti Cæsar, totum vicisti, jam Deus esto victor.* nec ita diu post vita excessit Imperator. *Erasm. lib 6. Apophth.*

Henricus Schuartzeburg. Comes. Spectat huc etiā quod de Henrico Comite apud plerosq; scriptum reperi. huic familiaris erat. si quando rem quampiam facere recusaret, hæc vox: *Si hoc fecero, mergar in latrina*, tuliisse autem sui interitus præsagium in hoc proverbio, docuit secutus eventus. Erfordiæ enim in cœnobio D. Petri (ubi cum Frederico Cæsare fuerat) in sordibus istis, collapsis latrinæ trabibus, suffocatus est. *Phil. Cam. medit. Histor. cap. 86.*

Fredericus Elector & Ioannes Duces Saxoniæ: Erant hi fratres germani, Saxoniæ fortissimi Duces. Qui dum per Albim fluvium, recens soluta glacie, Wittebergam navigio pergerent: factum ut cōgelatæ moles Albi innatantes, iter impedirent, navemq; quassarent. In ripam itaque egressi, vident navis carinam latè findi, ac latera resoluta decidere. quod interpretatus Fredericus, *Metuo*, ait ad fratrē, *post nos, nostra naufragia*, id est, *domus Saxonica dilacerationem* quæ & subsecuta est. *Peucerus lib. De divinat.*

¶ Monosticha Trochaica.

A Deo, à fato, à natura, tota divinatio est.
Augures futura dicunt, non sibi, sed alteri.
Augures ob quæstum fictas suscitant sententias.
Auspici magis audiendum quam auscultandum censeo.
Cuncta fato si geruntur, vana divinatio est.
Divinatio animi est integri, non vitiosi corporis.
Mirum est te haud ridere, aruspex, cum videas aruspicem.
Nil absq; auspicio gerendum est aut privatim aut publicè.
Quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.
Sæpe aruspices loquuntur hostiis contraria.
Divinatio Sibyllæ Virginitatis præmium est.

¶ Jambica.

Absq; ope divina, omnis læva auspicatio est:
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
Divinat omnis quisquis recte conjicit.
Fulmen sinistrum auspicium habemus optimum.
Nil certi inesse auguriis, hoc certissimum est.
Non vera, verum amica, conjector refert.
Persæpe fortuita divinatio est.
Præsaga valde rebus est mens in malis.
Qui bene conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum
Sapientis haud usquam errat divinatio.
Visu peritus hariolo velocior est.
Vt sapere, sic & divinare, regium est.

Divitiarum.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Sunt itaq; habendæ divitiæ, ut est rationi consentaneum: suntq; benignè, non autem sordidè nec insolenter communicandæ: nec est honesti studium in sui amorem superbiamq; & arrogantiam consumendum, ne fortè & nobis utique dicat quispiam: Equus ejus est precii quindecim talentorum, vel fundus, vel servus, vel aurum: ipse vero trium obulorum est aut paulo amplius. Jam enim aufer mundum à fœminis, & servos à dominis, nihil invenies dominos differre ab emptitiis mancipiis, non incessu, non aspectu, non sermone, adeo sunt similes mancipiis. Quinetiam in hoc discrepant, quod sint servis imbecilliores, & ita educti sint ut sint magis valetudinarii. Hoc ergo ex dogmatibus optimum est perpetuò canendum. Quod vir quidem bonus, qui est moderatus & justus, in cœlo recondit thesaurum pecuniæ. Is qui terrena vendidit, & dedit pauperibus, invenit thesaurum in quem non cadit interitus, ubi nec tinea est, nec latro. Is ergo est vere beatus, etiamsi sit parvus, imbecillus, & inglorius: isq; revera magnas possidet divitias. Quod si sit vel Mida & Cinyra ditior, sit autem insolens, quemadmodum qui purpura & bysso luxuriosè vestiebatur, Lazarum autem contemnebat, & miser est, & in mœrore vivit, neque vivet.

Divitiæ ergo sunt serpenti similes, quem si quis nescit inoffense eminus accipere & sine periculo bestiam summa cauda apprehendens, ea manu circumplicabitur & mordebit. Pulchre norunt serpentum instar repentes divitiæ, dum à perito vel ab imperito apprehenduntur, inhærere & mordere. Sed si quis se magnificum præbens rectè & scienter eis utatur, Verbi quidem carmine bestiam punget, ipse vero illæsus manebit. Cæterum, ut videtur, non satis animadvertimus quis sit is solus dives, nimirum qui quæ sunt longè preciosissima possidet. Magni autem precii sunt, non gemma, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus. Ea est autem ratio tradita per pædagogum ad exercitationem. Hæc est ratio, quæ abjurat delitias, & eam quæ per se fit operationem in ministerium evocat, laudatq; frugalitatem temperantiæ filiam: Accipite, inquit, disciplinam, & non argentum, & cognitionem super aurum probatum. Melior est enim sapientia lapidibus preciosis: quicquid est autem preciosum, nequaquam est ea dignum. Et rursus: Colligite me super aurum, & lapidem preciosum, & argentum: germina enim mea meliora sunt argento electo.

Quod si etiam distinguere oporteat, sit quidem dives qui multa possidet, auro onustus, ut sordidum marsupium: at qui justus est, bene compositus est & decorus: decorum enim, est ordo: quemadmodum autem oporter & decorum est, in administrandis bonis suis & distribuendis, moderatus. Sunt enim qui semināt & plura colligunt, de quibus scriptum est: Dispersit; dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Quare non qui habet, & servat, sed qui impertit, est dives: & impertitio ac cōmunicatio, non autem possessio, beatum reddit. Animæ autem fructus est benigna communicatio. Divitiæ ergo sunt in anima. Jam vero bona possideri solum possunt à bonis: boni autem Christiani Homo autem insipiens vel imperans neq; boni sensum habere potest, neq; consequi possessionem. A solis ergo Christianis possunt bona possideri. His autem bonis nihil

est divi-

ſit divitius: hi ſunt ergo ſoli divites. Veræ enim ſunt divitiæ, juſtitia, & ratio, quæ eſt quovis theſauro precioſior. Quæ quidem divitiæ ex pecoribus & prædiis non augentur, ſed à Deo donantur, divitiæ quæ auferri non poſſunt, quantum eſt theſaurus ſola anima, poſſeſſio ei qui illam poſſidet optima, quæ hominem vere reddit beatum. Cui enim adeſt, nihil eorum ut expetat quæ non ſunt in noſtra poteſtate, ea autem quæ expetit, ut conſequatur; quinetiam quæ ſanctè deſiderat, ea cum petit, à Deo ut accipiat, quo modo non is multa, imò verò omnia poſſidet, qui theſaurum æternum, nempe Deum habet: Petenti, inquit, dabitur, & pulſanti aperietur. Si Deus nihil negat, pietate ac religione prædíti viri ſunt omnia. *lib. 3. Pædagog. cap. 6.*

D. Nazianzenus: Non opes cumulabit? At nec invidiam metuet, aut animæ detrimento afficietur, male colligens, atq; eo plura quotidie aſſumere ſtudens, quo plura jam adeptus ſit. Hujuſmodi quippe divitiarum morbus eſt, ut finem appetendi plura neſcit, ſed ſitis medicinam in perpetuo potu ſitam eſſe arbitretur. *Oratione 10. in funere fratris.*

D Nazianzenus: Supremam illam & primam Dei legem imitemur, qui pluit ſuper juſtos & peccatores, & Solem omnibus æquè oriri facit, ac terram liberam, & fontes, & amnes & ſylvas terreſtribus omnibus animantibus expandit, aërem autem avibus, & aquam iis, quæ in aquis vivunt, primaque vitæ ſubſidia omnibus copioſiſſimè largitus eſt, non cujuſquam imperio detenta, non lege circumſcripta, non finibus diſtincta, ſed & communia eadem, & ampla atque copioſa, nec propterea deficientia propoſuit: tum ut æqualem naturæ dignitatem muneris æqualitate ornaret, tum ut benignitatis ſuæ opes oſtenderet. At homines, ſi aurum & argentum & molliſſimas quaſque ac ſuperfluas veſtes, gemmaſque pellucidas, cæteraque id genus, quæ belli ac diſſidiorum, primæque tyrannidis argumenta ſunt in terram abdiderint, ſtatim ſupercilium præ amentia tollunt, calamitoſiſque cognatis miſericordiam occludunt, ne ex ſuperfluis quidem rebus ad neceſſarios vitæ uſus opem ipſis ferre in animum inducentes (ô ingentem ſtultitiam! ô ſingularem væcordiam!) ne illud quidem, ſi nihil aliud, cogitantes, quod paupertas & divitiæ, libertaſque, ut appellamus, & ſervitus, ac cætera hujus generis nomina, poſtea in hominũ genus ac vitam irrepſerunt, ſimul cum vitio, non ſecus ac morbi quidam illapſa, ab eoq; inventa.

A principio autem, inquit ille non fuit ſic: verum is, qui hominem primum creavit, liberum eum, ſuique arbitrii reliquit, ſola mandati lege coercitum, atq; in Paradiſi deliciis opulentum: idemque reliquo mortalium generi per unum illud primum ſemen largitus eſt. Libertas porro & divitiæ in ſola mandati obſervatione ſitæ erant, quemadmodum contra paupertas & ſervitus in illius violatione. Ex quo autem invidiæ & contentiones, & ſubdola ſerpentis tyrannis, per voluptatis illecebras furtim nos ſemper attrahens, atque audaciores adverſus infirmiores concitans, in vitam irrepſerunt, ab eo tempore in nominum diverſitates cognatum genus diſſectum eſt, ac naturæ nobilitatem avaritia diſcidit, aſſumpta nimirum etiam lege, quæ potentiæ atque imperio adjutricem ſe præbet. At tu primam diviſionem intuere: legem Creatoris, non ejus, qui victoria potitus eſt, tibi propone. Naturæ pro viribus ſuccurrere, veterem libertatem honore proſequere, teipſum verere, ignominiam generi tuo contege, morbo ſubveni, egeſtati ſolatium affer: qui firmo corpore es, opibus circumfluis, ægrotanti & inopi, qui minimè offendiſti, collapſo, & comminuto; qui læto & hilari animo es, mœrenti & afflicto, qui rebus ſecundis uteris, adverſis laboranti. Deo gratitudinis ergo aliquid tribue, quod ex eorum numero ſis, qui de aliis bene mereri poſſunt, non qui aliorum beneficentia opus habeant, quod non in alienas manus oculos conjectos habeas, ſed alii in tuas. Da operam, ut non ſolum opibus, ſed etiam pietate, non ſolum auro, ſed etiam virtute ſis locuples. Cura ut proximo tuo idcirco præſtantior ſis, quia benignior. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando. Nihil enim tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri: tametſi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterq; nimirum pro ſuis viribus. *Orat. 16.*

D. Nazianzenus: Qui opibus ſtudetis, audite Prophetam dicentem, Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: ſcitote vos re incerta & fragili niti ac confidere. navem paullum exonera, ut levius naviges. Hoſti forteſſe aliquid eripueris, ad quem facultates devolventur. *Orat. 27. extremo.*

D. Nazianzenus: Dives eſt philoſophus? id ſtudio habebit, ut opibus minuatur, pauperem bonorum ſuorum participem faciet, tanquam alienarum diſpenſator, ut & ille hac perceptione juvetur, & ipſe ad Deum colligatur, nihil præter crucem & corpus habens. *Oratione 28.*

D. Greg. Nyſſenus: Pauper, unas divitias eſſe virtutem docebatur quam omnibus abunde acquirere liceret. Si quis divitiis floreret ita uti par erat, admonebatur, cum adminiſtrator & diſpenſator, non dominus, facultatum doceretur. *Oratione de vita Gregorij Thaumaturgi.*

Chryſoſtomus: Jam ſi parvam domunculam certa penſione locaveris, penſionem ipſam ſeverus rigiduſque exigis. creaturæ autem illius fructum percipiens, orbem tam latum inhabitans, ne tantillum quidem mercedulæ penſitare ſuſtines. ſed mani gloriæ tum teipſum, tum tua omnia dedis. Illinc enim omnia hæc veluti appenſa ſunt. nam neq; equus melior quantum ad ipſius virtutem evaſerit, hujuſmodi ornatu ac phaleris ſuperbus, neq; illius item ſeſſor: qui & hoc nomine nonnunquam vilior contemptibiliorque redditur. multi enim ſeſſore præterito, ad unius equi phaleras oculos traducunt ſuos, non autem ad famulos hinc inſequentes, hinc antecedentes, eoſdemque ſubnixis alis ingredientes, atque obvios quoſque cubito propulſantes: eum verò qui hujuſmodi ſatellitio cinctus incedit, & oderunt, & tanquam publicum averſantur hoſtem. At verò animum cum exornas, non hoc evenire ſolet. tum enim & homines, & angeli, & angelorum Dominus, denique omnes lauream tibi intexunt. *Homil. 11. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Illæ veræ demum ſunt divitiæ, in omnibus exuberare neq; alterius cujuſquam opera indigere. *Homil 19. ad Rom.*

D. Chryſoſtomus: Iis qui per angiportus & compita mendicant, peramque habent, & mutilatis ſunt corporibus, & pannoſis ſunt induti veſtibus, iſti ſunt miſeriores, qui ſericeas & ſplendidas veſtes geſtant: & qui ſuperbè & inſolenter in foro incedunt, ſunt iis miſerabiliores qui vadunt per trivia, & in aulas ingrediuntur, & ab imo vociferantur & mendicant. Nam iſti quidem Deum laudant, & miſericordiæ & multæ philoſophiæ loquuntur verba. Quamobrem & eorum miſeremur, & manum eis porrigimus, & nunquam eos accuſamus. Qui autem male ditantur, eructant verba crudelitatis, inhumanitatis, rapinæ, & ſatanicæ cupiditatis: & ideo ab omnibus odio habentur & irridentur. Conſidera autem quid apud omnes homines videatur eſſe turpe, à divitibuſne petere an à pauperibus? eſt perſpicuum quod à pauperibus. Hoc ergo faciunt divites: non enim ardebant accedere ad ditiores. Qui autem mendicant, petunt à locupletibus. Non petet enim mendicus à mendico, ſed à divite. Dives autem pauperem diſcerpit ac lacerat. Rurſus quid quæſo eſt honeſtius, accipere à volentibus & gratiam habentibus, an nolentes cogere, & eſſe eis moleſtos? Sed hoc quoq; faciunt divites. Nam pauperes quidem accipiunt à volentibus, & habent gratias: divites autem ab invitis & nolentibus quod eſt argumentum majoris paupertatis. Nam ſi ne ad prandium quidem vellet ire quiſpiam, niſi invitans haberet gratiam: quomodo eſt bonum & honeſtum pecuniam accipere, cum fuerit allata vis & neceſſitas? Canes non propterea averſamur & fugimus latrantes, quod nobis aſſiduè inſtent & nos urgeant? Hoc faciunt etiam divites. At eſt honeſtius ut dationi adſit metus? Hoc vero eſt omnium turpiſſimum. Quis enim nihil non moveret accipiat quonam non fuerit magis ridiculus? Etenim nos canes ſæpe timentes, projicimus quæ tenebamus. Quid rurſus, dic mihi, turpius, panniſne obſitum petere, an veſtes gerentem ſericeas?

Quando enim dives quiſpiam colit & obſervat pauperes ſenes, ut res illorum accipiat, idque cum habeant liberos; quanam erit dignus venia? Si vultis autem, ipſa quoq; verba examinemus, quæ nã dicunt quidem petentes divites, quænam vero pauperes. Quid ergo dicit pauper? Quod qui dat eleemoſynam, parce & modice non dabit; quoniã dat ex iis quæ ſunt Dei: quod Deus eſt benignus & clemens, & reddit majora. Quę quidē omnia ſunt verba philoſophię, & exhortationis, conſilii. Vultenim te dominum reſpicere, & tibi eximit metum futuræ paupertatis: & multam videris doctrinam in verbis mendicantium. Divitum autem qualia ſunt verba? Porcorum, & canum, & luporum, & aliarum ferarum. Nam alii quidem ex ipſis perpetuo loquuntur de menſis, & obſoniis, & condimentis, & vinis omnis generis, & unguentis & veſtimentis, & omni alio luxu & profuſione. alii autem de uſuris & fœnoribus, & ſchedulas fingentes, & debitorum intolerabilem attollentes magnitudinem, ut quæ à patribus aut avis acceperit initium, hujus quidem domum auferunt, illius vero fundum, alterius autem mancipium & omnes facultates. Quid de teſtamentis dixeris, quæ pro atramento ſcripta ſunt ſanguine? At enim in non ferendum inductis periculum, aut quibuſdam parvis incantatis permiſſis, quos pauca viderint poſſidere, perſuadent præterire omnes qui ad eos attinent, & ſæpe paupertate pereunt, ipſos autem pro illis hæredes inſcribere. Hæc autem quarumnam ferarum non obſcurant & ſuperant furorem & veritatem? Quamobrem rogo & exhortor: ut omnes ejuſmodi fugiamus divitias, turpes & cæde refertas, & acquiramus ſpirituales, & theſauros inquiramus in cœlis. Nam qui eas habent, illi ſunt divites, illi locupletes, fruentes omnibus & quæ heic ſunt & illic. Qui enim congruenter Dei verbo vult eſſe pauper, is omnium oſtia habet aperta. Ei enim qui propter Deum nihil poſſidet, unuſquiſq; ſua conferet. Qui autem pauca vult habere cum injuſtitia, is occluder omnium oſtia. *Homil. 13. ad Corinth 1.*

Chryſoſtomus: Ne dicas ergo: cur ille quidem dives, cum ſit malus hic vero pauper, cum ſit juſtus. Nam horum quidem licet dare rationem, & dicere: quod neq; juſtus aliquid damni accipit à paupertate, ſed etiam bonæ exiſtimationis majorem acceſſionem; & malus habet divitias ſupplicii viaticum, niſi mutetur. Quin etiam ante punitionem divitiæ fuerunt multorum ei cauſa malorum, & duxerunt ad innumerabilia barathra. Deus autem dimittit, ſimul & oſtendens libertatem noſtri arbitrii, & alios docens, ne furore & rabie incitati ferantur ad pecunias. Quid vero, inquit, quod quiſpiam, cum ſit malus eſt dives, & nihil grave & moleſtum patitur? Nam ſi cum ſit quidem bonus dives ſit, merito: ſin vero malus, quid dicemus? Quod eſt etiam hac ratione miſerabilis. Nam ſi divitiæ acceſſerint vitio & improbitati, movent & excitant animi perturbationem. At eſt bonus, & eſt pauper. Sed nihil læditur. At eſt malus, & eſt pauper. Jure ergo & merito, imo vero ipſi conducibiliter. At ille divitias, inquit, accepit à majoribus, & eas diſpergit meretricibus & paraſitis, neque grave aut moleſtum? Inebriatus & exiſtimas cum frui deliciis Conſumit

sumit in iis quæ nos decet, & non opus est, & existimas eum esse beandum & æmulandum? Et quid eo fuerit deterius, qui suæ animæ attulit exitium? Tu autem si corpus quidem ejus esse inversum & mutilatum, eum mille lacrymis deflendum esse diceres: totam autem ejus animam videns mutilatam, etiam beatum existimas? At non sentit, inquit. Et propter hoc ipsum rursus est miserabilis, sicut & qui sunt emotæ mentis. Nam qui scit se ægrotare, & quæret omnino medicum. & patietur medicamentum: qui autem ignoiat, ne poterit quidem liberari. Eum ergo, die mihi quæso existimas beatum? sed nihil mirum. Sunt enim plures imperiti philosophiæ. Propterea extremum luimus supplicium, ut qui puniamur, neq; liberemur à supplicio. Propterea perpetuæ sunt iræ, animi ægritudines & perturbationes: quod cum vitam à molestia vacuã Deus nobis ostenderit nempe viam virturis: nos eã dimittentes alia via ingredimur, nempe divitiarum & pecuniæ, quæ est referta malis innumerabilibus: & non secus facimus, atq; si quispiam non valens corporum discernere pulchritudinem, sed totum tribuens vestibus & ornamento quo induuntur, speciosam quidem mulierem, & naturali pulchritudine præditam visam prætereat, turpem autem, & deformem, & corpore mancam ac mutilatam contemplatus, eam ducat uxorem. Tale quid nunc quoq; multis accidit in virtute & vitio: hoc quidem natura turpe admittentes, propter externum ejus ornatum, illam autem speciosam & formosam aversantes, propter nudam ejus pulchritudinem, propter quã maximè eam oportebat eligere. Propterea erubesco: quod apud Græcos quidem qui sunt insipientes, sunt qui hæc philosophentur, si nõ reipsa, animo quidem certe & sententia, & sciunt, quam sint res fluxæ & caducæ: apud nos nonnulli ne hæc quidem sciunt, sed & ipsum corruptum habent judicium, idq; cum susq; deq; nobis cantet scriptura. *Homil. 29. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Numquid omnes divitiæ, & omnis paupertas à domino? Et quis hoc dixerit? Videmus enim & ex rapto, & ex maleficio in fodiendis sepulchris, & ex præstigiis, & ex aliis hujusmodi occasionibus, magnas divitias à multis esse congestas, & qui ipsas habent ne dignos quidẽ esse qui vivãt. Quid ergo, die quæso, has divitias à Deo esse dicimus? Absit. Sed unde? A peccato. Nam & meretrix probro affecto corpore ditescit: & formosus sæpe adolescens ætatis flore vendito aurũ acquirit cum dedecore: & sepulchrorum effossor effractis sepulchris iniquas cogit divitias, & latro muris perfractis. A Deo ergo sunt omnes divitiæ? Quid ergo, inquit, dicemus ad hoc dictũ? Disce ergo primum paupertatẽ non à Deo existere. Quando enim adolescens quispiam, cum sit prodigus, aut in meretrices divitias cõsumpserit, aut in præstigias, aut in quædam alia hujusmodi desideria, & factus fuerit pauper an non est perspicuũ: quod hoc non factum sit à Deo, sed à sua profusione? Rursus si quis ob segnitiem & otiũ factus sit pauper; si quis ob amentiam delatus sit ad mendicitatẽ, si quis audiens pericula, & nefaria aggrediens facinora: nõ est plane perspicuũ quod nemo ex iis qui sunt hujusmodi, à Deo dejectus est ad mendicitatem? Falsum ergo dicit scriptura? Absit: sed stulte agunt, qui non cum ea qua par est diligentia legunt omnia quæ scripta sunt. *Homil. 34. ad Corinth. 1.*

Chrysost. Nam qui justè possident, ut qui à Deo acceperint, in ea quæ Deus præcepit impendunt. Qui in acquirẽdo autẽ Deum offenderunt, in expẽdendo etiam idipsum faciunt, in meretrices aut parasitos consumentes, aut infodientes & excludentes, in mendicũ autem nihil cõsumentes. Et cur, inquit, sinit Deus q eos sunt tales ditescere? Quoniam est lenis & patiens. Quoniã vult nos adducere ad pœnitentiam. Quoniam paravit gehennã. Quoniam diem statuit, in quo est judicaturus orbem terræ. Si statim autẽ punisset eos qui male ditantur: non habuisset Zachæus constitutũ tempus pœnitentiæ, ut adderet quadruplum eorũ quæ rapuerat, nõ Matthæus, ut mutaretur & fieret Apostolus convenienti tempore præreptus, non multi alii ejusmodi. Propterea sustinet omnes vocans ad pœnitentiam. Si autẽ nolint, sed in iisdem permaneant: audient Paulum dicentẽ, quod secundum eorũ duritiem & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis, & justi judicii Dei. *fine Hom. 34. ad Cor. 1.*

Chrysost. Quomodo dives beatus existimandus, nisi eos qui cum bestiis pugnant beatos dixeris: quod pugnãtes illas bestias sibi inclusas servent qui talia proponunt certamina, ipsi non audentes accedere nec tangere, sed ipsas formidantes & contremiscentes? Hoc ipsum accidit etiã divitibus: qui tanquam immanẽ bestiam divitias inclu serunt in penariis, & ab ipsis singulis diebus vulnera accipiunt innumerabilia: contrario plane modo, quã fiat in bestiis. Nam illæ quidẽ quando eas eduxeris, tunc exitium afferunt iis qui eis occurrunt: istæ autem cum fuerint inclusæ & servatæ, tunc eos perdunt, qui ipsas possident & servant. *fine Homil. 35 ad Corinth. 1.*

Chrysost. In pecuniis quidem nequit fieri, ut quispiam evadat dives, nisi alius prius factus sit pauper. In spiritualibus autẽ non ita est, sed totum contrarium: fieri non potest ut quispiam fiat dives, nisi alterum fecerit opulẽtum. Nam si nemini profueris, non poteris effici opulentus. Nam in corporalibus quidẽ impertitio efficit diminutionem: in spiritualibus autẽ impertitio operatur abundantiam, & non impertiisse, hoc multã conficit paupertatem, & infert ultimũ supplicium. Hoc autem ostendit, qui infodit thesaurum. Etenim quis rationem habet sapientiæ & alium impertiit, auget copias, ut qui multos fecerit sapientes: qui autẽ domi abscondit, seipsum privavit copiis, ut qui non pararit multorũ utilitatem. Rursus qui alia habet dona, multos medicatus amplificavit donationem: & nec impertitione fuit ipse exinanitus, & multos implevit spirituali donatione. Et in omnibus spiritualibus firma & stabilis permanet hæc regula. Ita etiã in regno, qui sui regni multos reddit participes, hac rursus ratione eo ipse magis fruetur: qui autem nullũ studet habere socium ac participem, ipse quoq; excidet à magnis illis bonis. Si enim sapientia sensilis non consumitur in numerabilibus rapiẽtibus, neq; artifex multos efficiens artifices perdit artẽ: multo magis qui regnum rapit, minus non efficiet; sed tunc nobis majores erunt divitiæ, quando multos ad id vocaverimus. Rapiamus ergo ea quę non cõsumuntur, sed dum rapiuntur magis abundant. Rapiamus ea quæ nullũ habent calumniatorem, nullum qui invideat. Si enim, si auri locus esset perennem habens fontem scaturientẽ, & eo magis efflueret, quo magis exhauritur, aliis autem esset locus habens thesaurum in fossum: ex utro velles ditescere? an non ex illo? Est perspicuũ. Sed ne verbis hoc solum effingamus, quod dictũ est, cogitate in aëre & in sole: ea enim rapiuntur ab omnibus, & omnes implent. Sed hæc quidem manent similia à fruentibus non diminuta. Quod autem dixi est multo majus. Non enim manet similis spiritualis sapientia, si distribuatur, & non distribuatur: sed magis augetur, si distribuatur. *Hom. 40 ad Cor. 1.*

Chrysost. Patientia si adsit, nihil nocet paupertas: si desit, nihil prosunt opes. Quid enim, oro te, utilitatis capiunt, qui opibus quidem affluunt, verum pauperes animos habent? Non tu tam miserum reipsum censes, quã dives ille seipsum, quia nõ omnes omnium facultates unus habet. Quod si non perinde ut tu lamẽtaretur ipsius conscientiam explica, & lamentationes atq; singultus videbis. Vis tua tibi opes ostendã, ut beatos eos existimare desinas, qui in pecuniis sunt locupletes? Vides hoc cœlum quam præclarũ quam ingens, quam sublimi loco situm? Hæc ille pulchritudine, nihilo amplius fruitur, quã tu: nec te ille propellere, totũq; sui juris efficere queat. Ut enim propter illum est creatum, ita etiã propter te. Quid Sol? splendidum, in quã, hoc sidus ac rutilans, aq; oculos nostros oblectans? An non cõmunis hic quoq; omnibus mortalib. patet, atq; omnes æque, tam divites, quam egẽtes eo fruuntur? Quid stellarũ corona? quid Lunæ orbes? an non omnibus æque concessa sunt? Imò vero, quod dictu mirabile est, nos qui pauperes sumus, uberius iis fruimur, quam illi. Et enim illi mero ut plurimũ obruti, atq; in comessationib. altissimoq; somno vitam degentes, ne hoc quidem persentiscunt, ut qui tecto se teneant, atq; in umbra alantur. Pauperes contra ea conditione sunt, ut nulli mortalium parem ex elementis voluptatem capiant. Quin si aërem ipsum, qui ubiq; fusus est, exploraveris: puriore utiq; eo atq; uberiore pauperem frui perspicies. Nam & viatores & agricolæ latius eo afficiuntur, quã qui in urbibus degunt, & hos quoq; spectes: lætius artifices, quã qui toto die perbacchantur. Nam quid de terra dicam? an non cunctis æque patet? minimè, inquies. Quid ita? Quoniam is qui dives est, & in urbe multa terræ jugera adeptus longa pomœria extruit, & in agris multas partes desecat. Quid ergo? An quia desecat, solus proinde is fruitur? Haud sane quãlibet admiratur. Fructus etenim in omnes distribuere cogitur: at triticum, vinũ, & oleum tibi elaborat: ac nusquam non tibi inservit. Amplorum etiam septorũ ac domiciliorũ post incredibiles sumptus & labores atq; ærumnas usum tibi comparat, exiguis à te pro hujusmodi ministerio numis acceptis. Atq; hoc & in Balneis, & in aliis omnibus reb. usu venire comperias ut qui divitiis circumfluunt, curis & laboribus conficiantur, qui autem opibus carent, paucis obolis hoc assequuntur, ut his omnibus cũ summa securitate fruantur. Nec vero plus fructus è terra ad divitem redit. Neq; enim ille decem ventres implet, cum tu unum dumtaxat impleas. At exquisitioribus cibis ille vescitur? Maximè quidem istud haud magna præstantia est.

Quanquam ut ita sit: tamen hoc quoq; superiores partes pauperẽ ferre comperiemus: Nã si profusa illa & exquisita vitę ratio ea de causa tibi beata expetenda esse videtur, quod majore voluptate perfusa sit: amplior utiq; voluptas penes pauperẽ est, nec solum voluptas, sed etiam sanitas. Atq; hoc solo nomine superior est dives: quod imbecillius sibi corpus efficiat. ac plures morborum fontes colligat. Quidquid .n. pauper edit, modo rationi consentaneo administratur: quidquid autẽ dives quia modũ excedit, in corruptionem desinit. Quod si placet, exemplo istud ipsum ꝑspiciamus. Si rogus accẽdendus sit, atq; ille quidẽ sericas vestes, & per multa tenui filo cõtexa lintea injiciat, atq; ita eum accendat, hic contra quercea & picea ligna: quid tãdem amplius ille habet, quã hic? Nihil sanè: imo inferius etiam quippiã. Nihil enim prohibet, quo minus idem exemplũ alio modo invertamus. Si alter ligna, alter corpora exurenda in rogũ injecerit: utri tandem rogo libentius affueris, hicne qui lignis, an ei qui corporib. inflammatus sit? Liquet profecto quod ei lubentius, qui lignis incẽsus sit. Ille enim, ut naturæ consentaneũ est, ardet, ac jucundũ hominib. spectaculũ præbet: hic contra ejusmodi est, qui nidore, & sanie, ac fumo, & ossiũ fœtore, omnes procul abigere queat. Cohorruisti ad hæc verba, atq; rogũ hanc execraris? Tales utiq; sunt divitũ ventres. Majorem enim in illis quam in illo rogo putredinẽ quis reperiat, ut fœtidos halitus, & impuras defluxiones: quod toto corpore atq; in singulis partibus, ingens ob saturitatem cruditas existat.

Nam cum naturalis calor conficiendis omnibus cibis haud par sit, verum iis obruatur: urgent illi fumum sursum excitantes, atq; ingentem molestiã afferentes. Cuinam igitur rei eorum ventres conferre quis possit? Quemadmodũ in cloacis, in quibus magna est stercoris, fœni, stipulæ, lapidũ ac luti colluvies, crebræ obstructiones oriuntur, ex quibus fit tandẽ, ut cœnum magno impetu ad superiores partes sese diffundat: ita etiam in horũ ventre usu venit. Eo quippe ab inferiori parte obstructo, vitiosæ illæ defluxiones magna ex parte ad superiores

periores partes regurgitant. At vero in pauperibus secus res habet. Ut enim fontes, qui puros latices fundunt, atq; hortos & prata irrigant, ita horum quoq; ventres ab his excrementis puri sunt: cum contra divitum, vel potius luxui studentium, ventres humoribus noxiis, pituita, bile, corrupto sanguine, putriq; defluxione, aliisq; hujusmodi rebus pleni sint. Ex quo fit: ut ne ad breve quidem tempus incolumis quis perstare possit, qui quidem semper in deliciis vivat: verū in perpetuis morbis versetur. Quocirca lubens ex istis scisciturr, quam ob causam cibi nobis Dei munere concessi sint, ut intereamus, an ut alacriores simus? ut imbecillimur? ut adversa valetudine laboremus, an ut sani simus? ut imbeciles simus, an firmi, ac robusti? Illud sanè perspicuū est: quod alimoniæ, sanitatis, viriumq; tuendarum causa datæ sint. Qui fit igitur, ut iis in contrarium abutamini, morbos videlicet atq; imbecillitatē percos corpori procurantes, cum contra pauper frugali ac tenui cibo cōmodam valetudinem, corporisq; firmitatem ac robur sibi comparet? Proinde ob paupertatem, sanitatis parentem, ne collacryma, sed potiꝰ exulta: &, si tibi divitiæ cordi sunt, divitias cōtemne. In hoc enim potissimum opes & copiæ positæ sunt, non ut quis divitias habet, sed ut ne habere quidem curet. *Homil. 12. ad Corinth 2.*

D. Chrysost. Non potes toro herbaceo cubare? ne mihi compares lectos argento ornatos: sed lecto utere & stragulis, nō factis ad ostentationem, sed ad requiem neque lectos eburneos: teipsum contrahe. Quid innumerabilibus, quæ importari possunt, navem impleo nerariam? Si sis moderatus & compositus, nihil timebis, non invidiam, non latrones, non insidiatores. Non es tam dives pecuniis, quā curis. Non ita abundas possessionibus, ut angoribus & periculis, quæ tentationes inducunt & multa pericula. Hæc sustinent, qui multa volunt possidere. *Homil. 13. ad Ephesios.*

Chrysost. Ne filiis vallos & septa extrinsecus circumponatis. Hoc enim sunt divitiæ, hoc est gloria. Quando enim ea deciderint, decidunt autem, planta est nuda & expugnatu facilis: ut quæ præterito tempore non solum nihil lucri acceperit, sed etiam damno sit affecta. Illi enim valli & septa quæ prohibēt quo minus decertet adversus insultus ventorum, efficiunt ut nunc repente simul cōcidat. Magis itaq; lædunt divitiæ, ut quæ reddant imparatos & minime exercitatos adversus vitæ iniquos casus. Tales ergō reddamus filios, ut possint adversus omnia resistere, neq; nova & aliena videantur quæ incurrunt. *Homil. 21. ad Ephesios.*

Chrysost. Quid est quod invideas diviti? quod seipsum pluribus curis subjecit? quod difficiliori servituti? quod sexcentis catenis, veluti canis qui spiam, suis pecuniis illigatus est? Advenit vesper, successit nox: huic verò solatii ac requietis tempus fit tumultus, tristitiæ, mœroris, solicitudinis, tempus. Increpuit quid? continuo proripit se. A latronibus spoliatus est quispiam? qui nullum damnum fecit, majore torquetur solicitudine, quam ille, qui fecit. Nam ille quidem semel perdidit, & dolorem accepit, deinde vero curam deposuit: hic vero perpetuo secum illam gerit. Advenit nox, portus malorū nostrorum, nostrarum calamitatū solatium, vulnerū medicamentum. Nam & illi, qui in luctu aliquo sunt amicis quidem, & cognatis, & familiaribus, ac sæpe etiam patribus consolationem afferentib. non obtemperarūt, neq; morem gesserunt, sed illo ipso sermone ad iracundiam sunt provocati: somno autem requietem indicente, ne oculos quidē contra attollere valuerunt. Nullus enim æstus est, qui æque atq; acerbitas doloris animas nostras cruciet. *Homil. 2. ad Philippenses.*

Chrysost. Dies illuxit? atq; hic sibi metuit à sycophantis, non successit? timet latrones. imminet mors? non tantum ex ipsa morte doloris capit, quam quod sua in aliorū manus devenient. puerulum habet? tunc vero tanto major cupiditas, hunc se pauperem putat. non habet? ægritudine, conficitur. Hunc igitur beatum judicas, ad quem nullo ex loco affluere potest voluptas? huic fluctibus jactato invides, cum tu in tranquillo portu, paupertate inquā, conquiescas? Vere & hæc infirmitas est naturæ humanæ, bona generosa non ferre, sed ea, unde nobis bene est, contumeliis incessere. Atq; hæc quidem in hoc mundo. Verum cum illuc abierimus, audi quid dicat dives ille, innumerabiliū bonorum dominus, quemadmodū quidem tu dicis: neq; enim ego equidem bona dixerim, sed indifferentia. Hic igitur innumerabilium bonorū dominus, audi quid dicat, & cujus rei necessitate laboret. Pater, inquit, Abraham, mitte Lazarum, ut in ringat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meā: quoniam crucior in hac flamma. Nam etsi dives iste nihil eorum malorū quæ supra commemorabam perpessus esset, tametsi omnem vitam solicitudine & cura liber placidissimè egisset, quamquam quid dico omnem vitam egisset? unicū illud momentum (momentum enim est, ut unicum, inquit, momētum est omnis nostra vita, si cum illo infinito seculo conferatur) tametsi igitur omnia illi ex sententia fluxissent: nōne ex his ipsis verbis, vel potius ex his ipsis rebus miserabilis est? An non vino tua undiq; mensa undabat? nunc vero ne guttam quidem aquæ in potestate habes, nunc cum maxime eges. An non pauperem illum ulceribus deformatū respiciebas? nunc vero postulas, ut ipsum possis aspicere, ac nemo permittit. Ad fores tuas jacebat: nunc vero in sinu Abrahæ conquiescit. Tu sub amplis laquearibus cubabas, nunc vero in igne gehennæ. Audiant hæc divites, vel potius non divites, sed inhumani, & qui nullo misericordiæ sensu tanguntur. Non enim idcirco ille puniebatur, quoniam dives erat: sed quoniam misertus non est. Licet enim diviti, dūmodo misericordia se duci sinat, cujusvis boni esse compotem. Ac sane ob hāc causam neminem iste alium vidit quam illum paulo ante ipsius egētem, ut hinc in memoriam rediens factorū suorum, intelligeret juste se hujusmodi pœnis affici. An fortasse decerant sexcēti alii pauperes justi? sed qui ad fores ipsius jacebat, is illi se spectandū præbet, una erudiens ipsum ac nos, quantū boni sit pecuniis non confidere. Nihil illi paupertas obstitit ad regnum consequendum: nihil huic divitiæ profuerunt ad vitandam gehennam. *Homil. 2. ad Philipp.*

Chrysost. Malumus futurę vitæ jacturā facere, quam præsentiū rerum, quamquā hæc nihil aliud sunt, quam damnū. Cedo enim, sigillatim expendamus ea, quæ in divitiis insunt. An non damnum censeri illud debet, quod laborē quidem habet, lucrū vero nullū? Quid enim dic mihi, utilitatis ex multis ac pretiosis vestibus? atq; istis induti qd lucri facimus? nihil plane, sed damnum dumtaxat reportamus: quomodo? quoniā & pauper vilem tritamq; vestē ferens in maximis caloribus nihilo dererius fert æstū, quam tu quinimo ille facilius: trita enim, & unica facilius sinit respirare, ac recreari corpora: quæ autem nove confecta est, etiam si aranearū telis tenuior, non item. Actē quidem nimio elatus fastu, & binas, ternasq; tunicas, sæpe vero & amiculū, & zonam, & subligacula habes: Illi vero nemo crimini dat, quod unica tegatur tunica, hincq; facilius fert æstum. Et divites quidem videmus manantes sudore, pauperes vero minime. Quando igitur homini eundem vel etiā potiorem usum præbent vestimenta vilia, & nulloprope pretio empta, illa vera, in quibus necessario multū auri effundendū fuit nihil plus efficiunt, nonne damnum est nimiū illud, ac supervacaneum? Nihil enim plus afferunt, quod ad usum, & commodū pertinet, sed plus auri effusum tibi est. Eundē verq usum, commodū pertinet, sed plus auri effusum tibi est. Eundē verq usum, & cōmoditatem tu quidem dives centum, aut forte etiam plurib. aureis emisti, pauper vero pauculo argento. Vides damnū? sed fastus vireis emisti, pauper vero pauculo argento. Vides damnū? sed fastus vidēre non sinit. Vis ne auri etiam, quod & equis, & mulieribus circūdant, rationem subducamus? Ad alia enim divitiarum mala hoc etiā accedit, quod amentes faciunt. Eodem enim honore & mulieres, & equos dignantur: unus est utrorumq; ornatus: atq; ex iisdem rebus volunt muleres splēdidiores apparere, ex quibus & vehicula, ex quibus & pelles cortinarū, in quibus vehuntur. Dic mihi, quid lucri est mulum vel equum auro ornare? Mulier vero tanta auri, lapidumq; mole circūdata, quid amplius habet? At enim aurea, inquit, non cōsumuntur: quinimo & hoc illis accedere affirmant qui ista callent, neq; in balneis, & alibi sæpe, & lapides, & aurea multū de pretio perdunt. Verum sit ita sanè, ut vis nihilq; lædantur: cedo quid lucri? Quid? quum exciderint, ac perierint, an non damnū est? quid vero, quum invidiā atq; insidias in se concitarint, nonne damnū? Nam quandoquidem nihil prosunt circumdatæ mulieri, inflāmant vero invidorū oculos, & latrones magis excitāt, nonne damnū afferunt? Quid vero, dic mihi, quū liceret viro his uti ad negotium magno cū emolumento gerendū, nec tamen potest ob sumptuosæ mulieris luxū, cogiturq; ipse cum fame confligtari, & in summas adduci angustias, illā vero spectare auro onustam: nonne hoc damnū est? Propterea enim pecuniæ dicte sunt χρήματα, id est utilia, nū ut ipsis sic nos utamur, quemadmodū utuntur aurificum prothecæ, sed ut ex illis honesti quippiā agamus. Quando igitur auri cupiditas id minime permittit, an nō res tota damnū est? Nā qui ipsi uti non audet, perinde ac si aliena essent, ita non utitur: sublato autem usu jam non sunt χρήματα, id est utilia.

Quid vero, quū ædes splendidas ac laxas ædificamus, ipsasq; & columnis & marmoribus, & porticibus & ambulationib. modisq; omnibus exornamus, idola ubiq; & statuas collocantes? multi quidē ex his etiā dæmonas invocant: sed omittamus nunc istud. Quid sibi vult & tectū aureum? nonne eundē usum sua illi domus præbet, q̄ sibi aptā, ac modicā habet? at habet, inquit, magnā delectationem. sane unum, aut alterū diem, exinde vero minime. Nam si solē ipsum non valde admiramur, quod ei videdo assuevimus, certe multo minus opera artis sed nihilo magis, quā si lutea essent, attēdimus. Quid enim, dic mihi, ad ædificationis cōmoditatem multitudo columnarū, & signorum pulchritudo, & aurū muris inspersū confert? nihil, sed omnia luxus, insolētiæ, elationis nimiæ, ac de mentię sunt. Ubiq; enim reb. necessariis. quibusq; utamur, danda opera est, nō inutilibus. Vides rem istā damnū esse? vides supervacaneā, & inutilē? nam si neq; majorē usum, neq; delectationē affert (præcedēte. n. tēpore satietatē parit) nihil aliud est, nisi damnū. Sed obstans inanis gloriæ studiū facit, ne videamus. Ita Paulus quidē quæ lucra esse arbitrabatur, ea reliqt: nos vero neq; ea, quę dāna sunt prę Christo relinquem⁹? quousq; tādē humi defixi hærebimus? Quousq; ad cœlum non spectabimus. *Hom 10. ad Phil.*

Chrysost. Sed quid? vis examinemus rem valde optandā, mempe divitias. Age, eas sigillatim examinemus. Habent delicias: habēt honores: habēt potentiam. Atq; primū quidē, si vis, examinemus delicias. An non eæ sunt pulvis? Imo vero citius pulvere transeunt. Nā ad linguam usq; pringit voluptas deliciarū. Quū a impletus fuerit venter, ne ad linguā quidē usq;. At ipsi honores, inquit, sunt res suavis & jucūda. Et quid est illo honore insuavius, quū habeatur ꝓpter usum pecuniæ. Quū non habeatur ex libera electione, neq; ex aliqua animi alacritate, nō tu frueris honore, sed divitiæ. Quamobrē hoc ipsum facit divitem maxime omniū in honoratū. Nam dic quęso, si te habentem amicū omnes honorarent, faterentur axe quidē nullius esse pretii, necesse autē esse ut propter illū te honorarent, quomodo te ignominia aliter magis affecissent? Quāobrē ignominię causa sunt nobis divitiæ, ut quæ ipsis possessorib. sint magis honoratæ, & imbecillitatis indiciū potius q̄ potentiæ. Quomodo ergo nō est absurdū, terra & cinere hoc. n. est aurū, nos non existimari esse dignos, sed nos propter illud honorari? & merito. Melius est enim non honorari, quā sic honorari. Nam dic quęso, si quis tibi diceret, Nullo te honore dignū esse existimo, sed ꝓpter famulos tuos te honoro, nūquid hac ignominia

potest quidquam esse pejus? Si autem propter servos turpe est honorari, qui sunt participes ejusdē cujus nos animæ & naturæ: multo magis propter ea quæ sunt his viliora, domorum, inquam, parietes, & atria, & vasa aurea, & vestes. Hæc re vera sunt ridicula & pudenda. Melius est mori quam sic honorari. Si te in hoc fastu periclitantem vilis quispiam & despuēdus ab hoc periculo vellet liberare, quidnam hoc esset pejus? Quod autem de civitate inter vos dicitis, volo vobis dicere. Eum qui rerū potiebatur aliquando offendit nostra civitas, & jussit eam everti funditus. cum viris, pueris, & domibus. Tales enim sunt iræ regum. Potestati quantum volunt indulgent: tantum malum est potestas. Erat ergo in extremis periculis. Hæc autem vicina civitas maritima rogavit pro nobis imperatorem. Qui autem nostrā habitabant civitatem. Adeo sic honorari pejus est quam ignominia affici. Vide enim undenam radices agat honor. Coquorum manus faciunt ut vos honoremini. Quamobrem illis deberis habere gratiā. Et subulci lautam præbentes mensam, & textores, & lanifici, & qui metalla operantur, & qui placentas condiunt, & mensas sternunt. An non ergo melius est non honorari, quam agnoscere se pro honore debere illis habere gratiam?

Præter hęc autem quod ditescere plenum sit ignominia, ego aperte conabor ostendere. Turpem facit animam. Quid est autem hoc ignominiosius? Nam, dic quæso, si corpus esset speciosum, & omnes sperans pulchritudine, accedentes autem divitiæ pollicerentur se id turpe facturas, & pro sano quidem ægrotum, pro bene autem composito tumidum & inflammatum, & omnibus membris intercute repletis inflassent quidem faciem, & omni ex parte feciissent tumescere, pedes quoq; inflassent & trabibus feciissent graviores, inflassent & ventrem. & effeciissent majorem quovis dolio. postea ne iis quidem qui vellent curare se permissuras profiteretur, ea enim est nimia potestas & licentia: sed se tantum daturas esse libertatem, ut si quis accederet ad ipsum liberandum à noxiis, eum essent puniturę. Dic ergo quæso, sic ditescere, quum hæc faciat animæ, quomodo pulchrū fuerit & honestum? Sed nimia potestas & licentia est ipso morbo gravior. Ægrotantem enim ne medicorum quidem parere legibus est gravius quam ægrotare.

Quod quidem habent divitiæ, facientes omni ex parte intumescere & inflammari animam, & prohibentes medicos accedere. Neque enim si aqua intercute laborantem jacentem viderim quempiam, & neminem vetantem quo minus potu impleatur quantum velit, & noxiis carnibus, eum beatum dixerim propter eam potestatem & licentiam. Potestas enim & licentia non est semper bona, sicut certe nec honores. Nam eæ quoque ingentes faciunt spiritus, superbiaque implent & arrogantia. Si autem nolles corpus morbum suscipere cum divitiis, quomodo despicis animam, non hoc solum, sed aliam quoque suscipientem punitionem? undique enim æstuat febribus & inflammationibus. Febrem autem illam nemo potest extinguere: non sinunt enim divitiæ, utpote quæ detrimenta persuaserint esse commoda: utpote neminem sustinere, & per summam licentiam omnia agere. Non enim aliam invenies animam tam multis & tam nefariis plenam desideriis, ut eorum qui volunt ditescere. Quasenim nugas non sibi describunt, magis quam qui Hippocentauros effingunt & Chimæras? Et serpentipedes, & Scyllas, & monstra videris eos effingentes. Et si quis velit eorum unam effingere cupiditatem, nihil videbuntur, nec Scylla, nec Chimæra, neq; Hippocentauri, si cum portento illo conferantur: sed videbis illam habere omnes simul beluas. Et forte existimabit quispiam me fuisse in multa divitiarum copia, ut qui in iis quæ dicuntur tam sim verus. Ferur quidam, apud eos in delitiis eo veniisse luxus, & tam probrosi, ut auream sibi fecerit platanum, cœlumq; superne, & ita sediisse, idque quum bellum gereret adversus belli peritos. An non est hæc cupiditas Hippocentaurorum? An non Scyllæ? Alius rursus injecit homines in bovem ligneum. An non hoc est Scylla? Quidam autem ex prioribus ex viro fecit mulierem, ex Rege militem, ex muliere, quid dicam? bestiam rationis expertem, & his adhuc pejus. Bestiæ enim etsi sint sub arboribus, suam sustinent naturam, & nihil quærunt amplius. Iste autem etiam ferarum naturam longe superavit. Quid ergo divitibus fuerit insipientius? Hoc autem fit ex nimia desideriorum vi & abundantia. At nonne multi eum admirantur? Fiunt itaque sicut ipse ridiculi. Hoc non ostendebat divitias, sed amentiam. Aurea illa platano quanto est terrestris platanus melior & præstantior?

Nam quæ sunt secundum naturam, sunt jucundiora iis quæ sunt præter naturam. Quid tibi volebat cœlum aureum ô fatue? Vides quomodo insanientes faciant divitiæ? quomodo intumescant & æstuent. Existimo ipsas etiam mare non nosse, & fortasse velle etiam in ipso ingredi. An non hæc sunt Chimæra an non hippocentaurus? Sed sunt nunc quoq; qui ab ipso nihil distāt, sed sunt etiam his multo insipientiores. Quid enim, die quæso, ab aurea platano differunt quod attinet ad amentiam, qui amphoras faciunt aureas, & ollas, & alabastra? Quid vero mulieres, (puder quidem, sed tamen necesse est dicere) matulas facientes argenteas? oporteret vos pudere quæ hæc facitis. Christo esuriente tu ita indulgens deliciis, imo vero desipis? Quasnam hæ luent pœnas? Deinde rogas cur latrones, cur parricidæ, cur mala, quū diabolus vos ita agitet ac discerpat: Nam mensas quidem & discos habere argenteos ne hoc quidem animo convenit philosophico, sed totum est plane deliciarum. Immunda autem vasa facere argentea, nunquid est deliciarum? Non dixerim deliciarum, sed insaniæ, imo vero pejus insania. Scio multos me propter hoc habere ludibrio. sed non curo, modo aliquid prosim. Re vera amentes & furentes faciunt divitiæ. Si tantæ essent copiæ, vellent & terram esse auream, & parietes aureos, fortasse & cœlum & aerem ex auro. Quis furor, quæ amētia, quæ febris? Alius perit frigore qui est factus ad Dei imaginem. Tu autem hæc fabricaris? O fastū & arrogantiam! Quid amplius feciisset insanus? Excrementa tanti facis ut ea argento excipias? Scio vos audientes obtorpescere debent quæ hæc faciunt, & viri qui morbis hujusmodi deserviunt. est enim hoc intemperantia, & inhumanitas, & feritas, & petulantia. Quæ scylla, quæ chimæra, quis draco, vel potius quis dæmon, quis diabolus hoc fecerit? Quid prodest Christus? Quid prodest fides, quum toleratur aliquis ex gentibus, imo vero non ex gentibus, sed ex dæmonibus? Si caput non est ornādum auro & margaritis: qui argento utitur ad tam immundum ministerium, quamnam assequetur veniam? Non sufficiunt reliqua, quamvis nec illa sunt toleranda: cathedræ & scabella & argento omnia. Atqui hæc quoque sunt amentiæ.

Sed ubiq; est fastus supervacaneus: ubiq; inanis gloria. Nusquam usus habetur ratio, sed ubiq; sunt supervacanea. Ergo vereor ne ab hac insania procedēs sexus muliebris, monstrorū formam suscipiat: verisimile est eas cupere pilos quoque habere aureos. Aut fateamini vos eo quod dictum est nihil esse affectos, & excitatos, & incidisse in concupiscentiam, & nisi pudor retinuisset, non recusaviissetis. Nam si audetis ea quæ sunt his absurdiora, multo magis existimo ea pilos aureos esse desideraturas, & labra, & supercilia, & toto auro liquefacto se eo velle illinere. Si autem non creditis, & existimatis me ridentem dicere, ego narrabo quod audivi, imo vero nunc quoque est. Sed jacet tanquam monstrum. Gloria tibi Christe, quam multis nos impleviisti bonis, ut sani essemus, à quam multis monstris & amentiis liberaviisti? *Homil. 7. ad Colossenses.*

Chrysostomus: Quamdiu habes quod des Christo, es dives. Dic quæso, tibi spoliato rex accedens manum tendit, rogans ut à te aliquid accipiat, an non te existimaveris omnium ditissimum, si ne post tantam quidem paupertatem tui pudeat regem? Ne abripiaris, te solum supera, & superabis insidias diaboli. Licet tibi magna lucrari. despiciamus divitias, ne despiciamus animam. Quomodo autem despexeris? Non videtis præclara corpora, & eos qui capti eorum amore, quamdiu quidem sunt in conspectu, accenditur ignis, exurgit flamma: postquam autem quispiam ea procul abduxerit, extincta sunt omnia & sopita. Ita etiam in divitiis. Nemo aurum sibi comparet. Nemo lapides pretiosos: Nemo torques & monilia: ea dum videntur inescant oculos. Si vis esse dives ut veteres, non in auro, sed in rebus necessariis, ut etiam parata aliis habeas, ne ornamentis delecteris, ejusmodi divitiæ patent insidiis latronum, & nobis præbent solicitudines. Non vasa aurea & argentea: sed sint apothecæ, frumenti, vini, & olei. Sint, non ut rursus venditæ pecuniam conficiant, sed ut erogentur egentibus. Si nos abduxerimus ab illis supervacaneis, assequemur bona cœlestia. *Homilia 3. ad Thessalonicenses.*

D. Chrysostomus: Spinæ sunt re vera divitiæ nullum habentes fructum, usu deformes, & ad usum injucundæ, eos qui tangunt molestia afficientes, non solum ipsæ fructum non ferentes, sed id etiam quod germinat impedientes. Tales sunt divitiæ: non solum ipsæ fructum non ferunt æternum, sed eos etiam qui ipsum volunt possidere impediunt. Rationis expertium camelorum nutrimentum sunt spinæ. Ignis sunt esca, & sumptus ad nihil utilis, nisi ad succendendum fornacem, ad illum diem accendendum qui ardet ut clybanus, ad alendas rationis expertes animi perturbationes odium, injuriæ acceptæ recordationem, & iram. Talis enim etiam Camelus qui rodit spinas. Dicitur enim ab iis qui hæc norunt in jumentis nullum esse æque iracundum, & quod iræ sit gravioris, & acceptæ injuriæ magis memor, quam camelus. Tales sunt divitiæ, alunt rationis experres morus animi: qui sunt autem rationis participes, pungunt & sauciant. Sicut usuvenit in spinis. Durum quid & asperum est hæc planta, ea sua sponte nascitur. Videamus quomodo nascitur, ut ipsam exscindamus. Nascitur in locis præruptis, lapidosis, aridis, ubi nullus est humor. Quando ergo est aliquis asper, præruptus & præceps, hoc est immisericors, in eo nascitur spina. Sed quando eas volunt exscindere agricolæ, non hoc ferro faciunt. Sed quomodo? Ignem immittentes sic omne terræ vitium extrahunt. Nam quoniam non sufficit superne scindere, radice inferius manente. Sed neque radicem eximere. ex vitio enim in terra, sicut quum pestis aliqua in corpus incubuerit, manent reliquiæ: omnem illius humorem, nempe spinarum, ignis superne hauriens, tanquam virus quoddam per colorem & terræ lumbis ignis extrahit. Sicut enim imposita cucurbicula omne vitium ad se attrahit: ita etiam ignis omne vitium quod ex spinis extitit exhaurit, & ipsam puram reddit. *Homil. 3. ad Thessalonic.*

D. Chrysostomus: Dic quæso, unde tu dives es? unde ille? ex avita, inquies, hæreditate, alius itidem ex hæreditate paterna: pone longam generis seriem repetens opes istas probare crimine carere injustitiæ? Nunquam profecto id poteris, verum necesse est harum initium ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Unde id constat? ex eo scilicet, quod Deus ab initio non fecit alium quidem divitem, alium

alium pauperem: neque huic thesauros effodiendos ostendit, illum hac investigatione privavit: sed eandem omnibus aperuit humum. Quo igitur pacto, quum illa communis sit, tu illius permulta iugera possides, proximus vero nec unius glebæ possessione lætatur? Pater, inquies, mihi ista reliquit: ille autem à quo ea suscepit? A maioribus scilicet. Sed necesse profecto est, per successionis lineam ascendendo invenire principium, id autem iniustitia vacare non potest. Dives fuit Jacob, verum laboris sui mercede ditatus est. Sed mittamus patrem quæsivit iniquo forte compendio. Etsi enim quæ habes, ex rapina collecta sunt, non tu tamen ea rapuisti. Verum ut concedamus, ne illum quidem rapuisse, sed effossum humo habuisse thesaurum: quid tandem? num idcirco sunt bonæ divitiæ? Minime id quidem. Sed neque, inquies, malæ sunt, nisi fuerint ex avaritia & cupiditate congestæ. Non malæ sunt, si egenis fuerint distributæ: sin vero huiusmodi officiis pietatis non interviant, & malæ, & pernicioſæ sunt. Quamdiu enim quisque malum non facit, malus non est. Quid vero si bonum non fecerit, bonus erit? An vero id malum non est, solum dominicas possidere divitias? solum frui his quæ communia condita sunt? nonne Domini est terra & plenitudo eius?

Si igitur communis Domini sunt nostra omnia, nostrorum quoque conservorum non minus debent esse quam nostra. Quæ enim Domini sunt, omnia communia sunt. An vero non videmus & in magnis domibus hæc ita constituí? puta omnibus æqualiter esca dividitur, quippe ex thesauris dominicis promitur, communisque omnibus est. & æqua ratione patet Domini domus. Communia sunt omnibus itidem & regalia omnia, communes urbes, plateæ, porticus omnibus sunt, æquumque ius in his omnibus est, nec alius plus alio possidet, quæ usui publico patent. Tu velim Dei dispositionem consideres omnino mirabilem: fecit quædam esse communia, ut vel ex ipsis genus miscereturhumanum: puta aerem, Solem, aquam, terram, cœlum, mare, lucem, sydera: hæc omnia veluti fratribus omnibus exæquo partitur, eosdem omnibus oculos condidit, corpus idem, eandem animam, similem per omnia cunctis effigiem, ex humo perduxit omnia atque ex uno homine molitus est omnes. Cæterum horum nihil inclusit, fecit & alia pleraque communia: ut puta, lavacra, urbes, plateas, porticus, & cætera huiusmodi. Et intuere quæso, uti in his quæ communia sunt, nullæ resonant lites, sed pacata sunt omnia: ex quibus si quis aliquid usurpare conetur, ac proprium facere, tunc iam continuo excitantur lites, veluti natura ipsa indigne ferente, quod quum Deus nos undique colligat, nos è contra ipsos dividere nitimur, ac discerpere omnino contendimus: dum nobis communia usurpare conamur, ac dicere: Hoc tuum, hoc meum est. Ex hoc enim contentio omnis, atque omnis occasio mœroris oritur: ubi autem hoc non est, nulla lis, nulla contentio gignitur. Magis igitur communis rerum, & æqua possessio, qua proprietas illa hæreditario jure pervenit, magisque secundum naturam est. Vt quid enim nemo unquam de fori proprietate contendit? Quia commune omnium est. At vero de domus possessione omnes certare videmus, & te pecuniis itidem.

Et ea quidem quæ necessaria sunt, nobis communia proponuntur: nos vero ne in his quidem quæ minima sunt, fœdus servamus societatis humanæ, dum ea communicare negligimus. Et certe illa ideirco communia fecit, ut ex his discamus & ista possidere communiter. At nos ne sic quidem discere volumus: verum, ut dixi, bonus esse non potest, qui divitias possidet solus: sed tunc bonus efficitur, si eas aliis quoque communicet. Si illas non habet, bonus erit: si & aliis tribuat, erit itidem bonus: cæterum quamdiu eas habuerit solus, bonus profecto non erit. Hoc igitur bonum dicendum, quod dum tenetur, malos ostendit: dum deponitur, bonos? Non igitur habere pecunias bonum est, verum non habere, videri bonum facit. Non igitur sunt bonæ divitiæ: cæterum si eas, dum licet accipere, renuas, bonus itidem eris. Si igitur quum eas habentes communicamus egentibus, & oblatas sponte renuimus, tunc boni sumus: sin vero eas vel oblatas sumpserimus, vel soli possidere velimus, boni non sumus: qua ratione divitiæ bonæ dicendæ sunt? Noli igitur eiusmodi appellatione falli, nec bonas dixeris, quæ bonæ non sunt. Idcirco nempe bono, quod verum est, cares: quia bonas divitias putas, quia illas miraris attonitus. Purgare animum stude, judiciumque diligentius adhibe: tunc profecto bonus eris, quum judicio minime aberraveris. Disce quæ vera sint bona. Quænam vero ista sunt? Virtus scilicet, atque benignitas eadem profecto norma si misericors fueris. Quanto ea re excellis magis, tanto melior eris, atque putaberis: non sic autem, si fueris dives. *Homilia* 12. *ad Timoth.* 1.

Chrysostomus: Servile pecuniarum jugum fuge, quippe si illas tenere volueris, inops eris: sin autem eas aspernatus fueris, duabus ex partibus dives evades. Tunc tibi omnia undique affluent, ex eo maxime, quod nihilo eorum indigeas, quibus plurimi egent. Neque enim possidere plurima, sed plurimis non indigere, divitem facit. Itaque, quamdiu rex aliquo indiget, nihil meliore in loco, quam pauper est: quippe indigere aliis, ea tandem paupertas est. Itaque neque reges ipsi ea ratione paupertatis nomen effugiunt quia subditis indigent. *Homilia* 11. *ad Timoth.* 1.

Chrysostomus: Opes Abrahami & Job, non in auri argentique talentis, non in præclaris ædibus, sed in pecoribus erant: quæ profectò divitiæ & innocuæ, & divinitus permissæ sunt. *Homilia* 12. *ad Timoth.* 1.

Chrysostomus: An non stulti sunt, qui nanos habent, oblectationis non clementiæ causa, qui pisces includunt atriis, qui feras nutriunt, qui canibus studeant, qui equos ornant phaleris, horumque non secus ac parvuli affectu rapiuntur? hæc omnia inutilia sunt atque superflua: nihil in his necessarium, nihil utile. *Homilia* 17. *ad Timoth.* 1.

Chrysostomus: Candore lucentis margaritæ attraheris: cogita maris esse aquam, & in eius finibus ante jacuisse dejectam. Rapit animum auri fulgor, & nitor argenti: cogita & terram ac cinerem & fuisse prius, & modo esse. Placet pretiosa & serica vestis: at vermium ille contextus est, opinio est, & humana præsumptio, nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Nam quæ sunt per naturam pulchra, admonitore opus non habent. At tu si videas æreum nummum inauratum, admiratione primum fulvi metalli raperis, aurumque appellas: ubi vero peritiores quique in huiusmodi te erroris admonuerint, & miraculum una & error abiit. Vides ut in natura non habeat speciem? Eadem argenti ratio est. Nam si stannum videas, veluti argentum admiraris, opusque doctore habes, ne te rerum species fallat, adeo non sufficit ad ea digno cenda oculus. Non huiusmodi profecto sunt flores, sed illis longè præstant. Rosam enim aspiciens, absque doctore per te ipsum odorem speciemque discernis: ita & violas, & lilia, & flores reliquos. Sola igitur opinio istis pretium facit. Namque si imperatori visum fuerit argentum auro pretiosius statuere, per leges continuo miraculum affectusque transfertur: adeo avaritiæ opinionique servimus. Quod vero ita se habeat res, rarum quoque omne pretiosum est, & qui fructus apud nos vilissimi sunt, in Cappadocia sunt pretiosi, ac longe his, qui apud nos habentur in pretio, chariores. In Serum item provincia abunde indumenta ista, in aromatum ferace Arabia, & India pretiosis lapidibus plena plurima invenire est. Adeo præsumptio, & humana opinio invaluit, nihilque judicio agimus, sed temere ac passim omnia. *Homilia* 17. *ad Timoth.* 1.

Chrysostomus: Nihil ita supercilium attollit, nihil ita superbiam & arrogantiam gignit, ut opes. sicut contrà, qui in Deum, sperat, à fastu semper alienus est. Quid in eo speras, quod repente transfertur. Id quippe divitiæ sunt. Quomodo vero cavere superbiam poterunt? Si viderint quam infirmo illæ, quam instabiles sint; si attenderint quam omnes opes exsuperet firma in Deum spes; si intelligant harum etiam auctorem esse Deum. *Homilia* 18. *ad Timoth.* 1.

D. Ioan. Chrysostomus: At efferris & tibi places propter divitias? Non vides eos qui te præcesserunt nudos excessisse & desertos: An non nudi ingressi sumus in hanc vitam, & nudi abibimus? Quis habens aliena, affertur & sibi placet? Nam qui ea ad suos usus convertere, & iis frui volunt, ipsi eis vel inviti privantur, sæpe etiam ante mortem: in morte autem omnino. At nos viventes, inquit, eis ut volumus utimur. Maximè quidem neminem citò videris ut vult uti facultatibus. Quod si quisquam etiam ut vult utatur, ne hoc est quidem magnum, breve est enim præsens tempus, si conferatur cum seculis quæ non finiuntur. Efferris, ô homo, & gloriaris quod sis dives? Cur? quamobrem? Hoc enim adest & latronibus & furibus, & parricidis, & mollibus, & scortatoribus, & sceleratis. Cur ergo tibi places & efferris? Nam si eo rectè, & ut oportet, usus es, non debes elato esse animo & tibi placere, ne violes mandatum. Sin autem non rectè & ut oportet, ideo maximè non debes: quòd pecuniarum factus sis servus, & possessionum, & ea in te dominatum obtineant. Num, dic quæso, si quis febricitans multum aquæ ebiberit, quæ brevi quidem tempore extinguat sitim, postea autem accendat flammam, ex eo ne debet efferri & sibi placere? Quid verò si quis temere plures suscipiat curas & solicitudines, propter eâ ne debet sibi placere? Cur, dic quæso? Quoniam multas curas & solicitudines? Quoniam multi tibi adulantur? eis enim servis. Et, ut intelligas, audi apertè. Ex iis quæ in nobis sunt animi affectionibus, aliæ quidem sunt quandoque utiles, ut ira sæpe est utilis. Vt rursus zelus & cupiditas, hæc quidem quum existit in liberorum procreatione: ille verò, quando habet æmulationem ad ea quæ bona sunt & honesta. Arrogantia autem & insolentia nusquam est bona, sed ubique est inutilis & noxia. *Homilia* 2. *Epistolæ ad Hebræos.*

Basilius Seleuc: Divitiis decenter uti licet; ut cùm in egentes consumuntur, at immodica pecuniæ cupiditas, accusatione digna est, digna criminatione, digna vituperatione. *Oratione* 42. *fine.*

S. Isidorus Pelusiota: Iustis quidem artibus partas opes habes: at eadem iniustè contines. Has igitur communes fac: ut sic tuæ fiant, hoc est, ut angustis ac necessariis temporibus animam tuam redimant, ac Deum tibi placabilem reddant. *Lib.* 1. *Epist.* 411.

§ Latinorum.

Salviani: In omnibus Galliis sicut divitiis primi fuere Aquitani, sic vitiis, nusquam improbior voluptas, nusquam inquinatior

vita, nusquam corruptior disciplina. hanc pro muneribus sacris dederunt Domino retributionem ; ut in quantum eos beneficiis suis ille ad se illexerat, in tantum illi flagitiis suis laboraverunt ad exacerbandum. *libro septimo de gubernatione Dei post principium.*

S. Salvianus : Omnem substantiam mundialem divino possessoribus cunctis munere dari, nullus ambigit qui modò in hominum numerum referri potest ; nisi forte qui tantæ sit insipientiæ, ut cum humano generi mundus ipse à Deo datus sit, ea quæ in mundo sunt, non à Deo hominibus data arbitretur. Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea quæ Dei dono accipimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in eius opere consumere quæ ejusdem sumpsimus largitate. hoc est enim agnoscere munus Dei & divinis beneficiis bene uti, ut datis suis illum honores à quo data ipsa acceperis. quod & humanarum rerum exempla edocent. Si usus alicuius rei cuipiam homini alterius beneficio tribuatur, isque immemor illius à quo fructum rei indeptus est, avertere ab eo ipso proprietatem præstitæ rei atque alienare conetur, nonne ingratissimus omnium hominum atque infidelissimus judicetur ? qui oblitus scilicet hominis benefici spoliare illud jure dominii sui velit, qui eum ipsum usus possessione ditaverit ? *lib. 1. contra avaritiam.*

Salvianus : Commodatis à Deo facultatibus utimur, & quasi precarii possessores sumus. denique egredientes è mundo isto, velimus, nolimus hic cuncta relinquimus. Cur ergo cùm possessores tantum usufructuarii sumus, quod nobiscum auferre non possumus avertere à proprietatis domino atque alienare tentamus ? Cur non bona fide datis à Deo reseulis utimur ? tenuimus quoad licuit, quoad permisit ille qui præstitit. quid rectius, quid honestius, quam ut ubi res ab eo recedit qui usum habuit, revertatur ad eum possessio qui utendam concessit ? hoc que ipsum Dei voces jubent : Honora Dominum de tua substantia ; & alibi : Redde debitum tuum. Quàm indulgenter ? cùm totum Dei sit quod accepimus, nostrum esse dicit, ut demus ; ideo scilicet nostram appellans proprietatem possessionis, ut major sit merces operantis : quia plus fructuum necesse est largitor habeat, ubi de suo videtur esse largitio. Sed tamen ne hoc ipso humana mens insolesceret, adjecit, Redde debitum tuum : hoc est, quem devotio non illiceret ad largiendum necessitas cogeret ad exolvendum ; & quem ad opus sanctum fides sua ipsa non retraheret, saltem necessitas coarctaret.

Si devotus es, da quasi tuum ; si indevotus redde quasi non tuum. hoc est utique dicere omni homini ; Ad opus sanctum & hortatione invitaris & exactione constringeris. da, si vis ; redde, si non vis. Apostolus quoque id ipsum monet : præstat nobis, inquit, omnia ad fruendum ; in voluntate operum bonorum hoc est, ad hoc facit homines substantia esse locupletes, ut bona operatione sint divites ; id est, ut commutent divitias & facultates quas acceperunt bonis operibus ; Dei opes quas habent in hoc seculo temporarias, bene utendo faciant sempiternas : ac sic agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cùm qui sunt divites in hoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cœlo. Sic ergo habendæ sunt opes, sic petendæ, sic tenendæ, sic propagandæ : alioqui inæstimabile malum est, bonis à Deo datis non bene uti. Avaro, inquit Scriptura sacra, nihil est scelestius ; & pessimum ac feralissimum morbi genus, divitiæ conservatæ in malum Domini sui. verum est, quid enim peius, aut quid miserius quam si quis præsentia bona in mala futura convertat, & quæ ad hoc à Deo data sunt, ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hoc ipsa quæratur mors ac damnatio sempiterna ? In quo & illud considerandum, quod si servatæ divitiæ ad malum hominis conservantur, quanto utique ad maius malum coacervantur ? quotus enim quisque nunc divitum tantæ est continentiæ, qui opes custodire contentus, accumulare etiam nolit ? O miseria temporis & Ecclesiasticæ plebis, ad quid redacta est ? ubi cùm scriptum sit, quod servare opes genus sit magni criminis ; non augere, jam genus putatur esse virtutis. Ergo quomodo si quidam reos omnino non putant, si nec in morte sibimet perdispensationem substantiæ consuluerint, cùm etiam ex hoc rei sint, quod usque ad mortem cuncta servaverint ? aut quomodo rei non erunt, qui facultates suas ad quoscunque homines infidelissima vanitate transmiserint ; cùm etiam illi rei futuri sint, qui non se ipsos in vita ista aliqua ob honorem Dei rerum suarum parte privaverint, &c. *libro primo contra avaritiam.*

Salvianus : Nec ipsæ opes homini pœnæ caussa sunt ; sed de opibus sibi pœnas divites faciunt : quia dum uti divitiis bene nolunt, ipsas sibi divitias in tormenta convertunt. *lib. 1. contra avaritiam.*

S. Salvianus : Majorem ferè excitant habendi cupiditatem opes post indigentiam. *libro secundo contra avaritiam.*

S. *Zeno* : Quid, inquit, faciam ? Quis non talem misereatur ? Quis non infelicitatem ejus doleat ? angustiatur ex abundantia : constringitur, & coarctatur ex opulentia. infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et, ut video, ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit graviores. Terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam geminavit, ita ut curis, ac mœroribus stimulatus egentibus, & esurientibus similes perferat cruciatus. Denique & egeni vox ista est : Quid faciam ? unde cibus ? unde vestitus ? eadem conqueritur & dives, Quid faciam ? ubi recondam ? iisdem cruciatibus pro solicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate torquetur. Vides divitem nec opimis copiis posse lætari : sed mentem eius absumit, ac solvit affluentia, dum nullo intellectu humanitatis sentire non potest, id sibi abundare, quod aliis deest : non enim apastolicis commonitionibus accommodat aurem suam, ut discat ab eo abundantiæ suæ rationem, cum dicit, Ut vestra abundantia fiat, id est proficiat ad aliorum inopiam. Et quidem mihi videtur talis hæc passio animæ similis esse his, qui tantum gulæ indulgent, ut disrumpi magis nimio cibo eligant. quàm alicui indulgere reliquias. *de duplici tentatione m.*

D. Zeno : Proculdubio non est à Tyranno dissimilis, qui solus habet, quod potest prodesse commodis plurimorum. Quid ? quod paupere quotidie moriente oppressione, fame, frigore, injuria amicum tibi exeolis aurum : custodis argentum : vestem pretiosam : ornamentaque superba, & supervacanea pro sacrosancto habet, sicut idolum. te per momenta componis dives in publico, ditior in secreto ? nec intelligis, quia homini inopia morienti tantis opibus, qui cum possit subvenire, non subvenit, ipse eum videtur occidere ? O quantarum neces animarum in phalaris pendent ornatæ matronæ : ornamentum cuius unum si solvas in pretium, distribuasque necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malo ille constat ornatus.

Filios, inquit, habeo, quos nudare non debeo. ista est infidelitatis excusatio ; quam Spiritus sanctus per prophetam retundit hactenus dicens, Adolescentior fui, & senui : & nunquam vidi justum derelictum, nec semen eius quærens panem. : Et iterum, Divites eguerunt, & esurierunt, requirentes autem Dominum non minuentur omnibus bonis : quod probare exemplo per facile est. Meminimus in regnorum proditum libris, famis tempore, quo totus passim populus moriebatur, Eliæ alimenta poscenti memorabilem viduam ultimam victus sui, filiorumque substantiam non partitam, sed totam dedisse : maluisseque secum liberis suis emori, quàm justitiam præterire : pro quo tam illustri facinore cibos à Deo immortales accepit : quos edacitas delibare nequiret : sua enim deminutione crescebant. integer horum denique vasis semper in plenis manebat status ; quantumque eis impensæ diuturnæ necessitas dempserat, tantum rediviva facunditas reponebat.

Quapropter si pater bonus, si providus, si utilis esse desideras, sicut ille Abraham, Deum plus debes amare, quàm filios, ut habere merearis integros, incolumes, ac beatos. Stulta autem res est, illis te velle vitæ substantiam providere, quibus nec nativitatem dederis, nec animas inspiraveris, nec salutem præstare possis. Unde vel sero sacrilegam vocem comprime humanæ fragilitatis memor : qui in hoc ipso, quod loquimur, quid possit contingere, ignoras : excusationisque vanæ depone fallaciam. ingratis avaritiam peccato condis. solius Dei potestas est futurorum commodis providere. *Serm. de justitia ante finem.*

S. Valerianus : Duo sunt genera divitiarum. unum quod suadet ad mortem ; aliud quod ducit ad vitam. Divitiæ mortis sunt, incubare facultatibus alienis, & coacervatam pecuniam infelicium lacrimis comparatam, in diem adnumerare sæculi hæreditatibus pro futuram. Illæ integræ & incorruptæ divitiæ, quibus animæ redimuntur, quibus peccata purgantur. illius opes acceptabiles Deo sunt, cuius largitate pauper alitur, nudus vestitur, captivus redimitur, vinctus absolvitur, cœlestis regni hereditas comparatur. Nolo illas divitias quæ quotidie augmento suo famem faciunt ; & in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur. *sub finem Homiliæ 8.*

S. Chrysologus : Facite thesaurum non deficientem in cœlo. Homo tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare : manere tibi tua voluit, non perire : perpetuari, non vacuari sacculos imperavit : jussit te transferre, non perdere : Thesaurum non deficientem in cœlo : quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Plus consilio patris agit, quàm jure dominantis : inter insidias latronum & tinearum morsus quare tua recondas, objurgat : pervigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora, ne tibi ipse facias commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet : nescit quietem : & cui deest securitas, quies perit : pœna dives est ille non sensu. *Sermone 22.*

Chrysologus ? Est grave divitibus malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. *Sermone 122. m.*

Io. Sarisberiensis : Leguntur philosophorum plurimi non modo divitias contempsisse, sed abjecisse quasi impedimentum sapientiæ & virtutis. Fecit hoc Socrates, quem omnium philosophorum sectæ quasi prudentiæ & veritatis unicum fontem venerantur. Antisthenes quoq; cùm gloriosè rhetoricam docuisset, audissetq; Socratem, dixisse fertur ad discipulos suos, Abite, magistrum quærite ; ego enim jam reperi : statimq; venditis quæ habebat & publicè distributis nihil sibi plus quàm palliolum reservavit. Huius Diogenes sectator fuit, potentior rege Alexandro & naturæ humanæ victor &c. *capite decimoseptimo Policratici, lib. 5.*

Ioan. Sarisberiensis : Sententia vel opinio Philosophorum omnino evanuit, dum sic omnes post divitias currant, ac si alibi laborū requies,

requies,dolorumque solatium inveniri non posset, ac si naufragi de profundo queant enatare facilius , si prægravi sarcina fuerint onerati. Sed quis unquam ulcerosus spinas congessit, ut volutatus in eis quiescat molliter? Profecto si ei perfecte crederes qui ait,divitiæ sunt spinæ,minimetanto studio à sapientibus nostris temporis quærerentur. Vt ergo Publius Carpus ait, divites pauperibus miseriores sunt,eo quod à sapientia longius abeunt. Appetitus divitiarum sapientiæ exclusio est, & fuga virtutum , fœcunda virorum paupertas,naturam optimam bene vivendi ducem imitatur , & virtutum parens,& custos est.solaque securitatem parit,quæ sola nescit incentiva bellorum. Non habet jurgia qui contentionis causas ignorat. Trepidat orbis , & Cæsaream manum solus pauper non timet. Vtique si ob aliam causam non fugerentur,aut contemnerentur divitiæ,nisi quia sapientiæ vias sepiunt spinis,eas oportuerat non amari.

Ne tamen his qui paupertatis erubescunt vilitate sordescere, philosophorum sit molesta opinio,divitiarum non indicit fugam philosophia,sed inhibet appetitum. Mentem sui compotem quærit, & quæ in omni fortunæ calculo sufficiat sibi , ita tamen ut sufficientia eius ex Deo sit. Sic auro tanquam fictilibus; fictilibus quasi auro utatur. Nam sicut opes admittuntur ad usum , sic à sapiente contemnuntur abusu. Sed forte suppellex vilis videbitur ignominiosa magnatibus , & honoris splendorem res tenuis decolorat. Atqui longe præstantius est , moribus splendere quàm rebus , nec rerum unquam specie illustrabitur , quem suæ turpitudinis macula dehonestat. Res itaque non sunt in vitio , sed usus. Et est philosophantis animi fructus nobilis , generosa æquanimitas mentis. Nam si ex stupore est , ut æquanimiter portet , mens ægra ab incolumitatis virtute degenerat. Cum vero philosophandi sint multæ semitæ , illa præ ceteris mihi videtur esse nobilior & laudabilior. Quæ sic prandet olus patienter,rebus ut uti Noverit, & rerum quæ sic versatur in usu , ut olus & quælibet extremæ paupertatis Xenia docta sit non fastidire. Fructus siquidem Philosophiæ eximius est,ut noverit quis abundare,& penuriam pati,ut læto animo æquanimiter omnia portet, ut objecto solidæ virtutis obice omnem fortunam exarmet. Profecto quisquis hæc assecutus est, non sperat aut extimescit,& in eum semper fortuna quælibet mancaruit. Quid,inquit curiosus philosophiæ persecutator , tibi philosophia contulit ? Et Aristippus; ut cum omnibus, ait, hominibus intrepidè fabularer. Vtique si honoris esset,aut pecuniæ, reive alterius cupidus,hoc minimè posset veraciter respondere.

Ad salutem tamen via tutissima est,divitiis & rebus aliis expedito. Difficillimum enim est,ut possessorem sui non impediant cursum. Quis nescit Hipodamiam prævolasse ad palmam, dum concertantium procorum cursum , projecto auro potuit retardare ? Mansit itaque virgo invicta , donec ventum est ad pecuniæ contemtorem , qui in contemtu auri virginem superavit , aurum obtinuit , & ex eo (ut fingitur) certatricis puellæ cereos axes fecit, dum incorruptionis amor , pecuniæ amorem absorbuit. Nonne hoc ipsum commendat judicium Dei , & eas contemtibiles facit , quod in egestate bonorum ipsis iniqui affluunt ? Fit tamen interdum nescio quo pacto , ut ad subversionem justorum,se eis ingerant , ex quo diligentius excluduntur , ad ostium contemtoris studiosius pulsant. Quo beatus Eugenius munera cautius abigebat , ad eum undique multiplicius confluebant. Hoc quoque fere ubique accidit , ut fugiant , dum quæruntur , dum fugantur accelerant. Et hæc quidem via eo opendiosa,& honestissima est ad divitias. Cum enim divitiæ prudenter excluduntur , & vita æterna acquiritur , & cumulus divitiarum accedit. *lib. 5. cap. ultimo Policratici.*

Io. Sarisberiensis : Qui solas divitias congerere curant, nihil in vita potius credi volunt via quam ceteris prætulerunt. Vt eis indigentia expleatur , diversa probantur à diversis. Nullum grave periculum est , Si spes dolosi nummi refulgeat. Ipsam ferè naturam vincit amor pecuniæ , & res penè impossibiles ad possibilem redigit facultatem. Avaro nihil vile videtur aut sordidum; & sibilante populo seipsum consolatur , imò & sibi applaudit simul ac nummos contemplatur in arca. Dum itaque quæstum faciat,nulla pars mundi videtur inaccessibilis,& ipsius torridæ æstum , major avaritiæ ignis exuperat. Inde est quod hic mutat merces surgente à sole ad eum quo vespertina tepet regio. hic toto impetu fertur in hostem : concurritur : horæ momento cita mors venit, aut victoria læta. Alius superbis gaudet assidere liminibus,ut ex familiaritate majorum facilius ad opes quæ desiderantur accedat. Si poreſt' versatur in aliquo ministerio ; sin autem , sufficit in matricula Curialium esse conscriptum ; sola siquidem conscriptio lucrosa est : ut minimum , locum parsimoniæ facit,qua nullum vectigal utilius. Suis enim commodissimè parcit,quem loculi exhibent alieni. *lib. 7. Policratici cap. 16.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Diogenes : Æquo jure omnibus mors impendet,quam vos formidatis. Et pauperes sæpenumero vidi ob inopiam sanos esse: divites minimè,ob infelicis ventris incontinentiam. Cui cùm indulgetis, brevi titillatione,nimia cum voluptate affecti,vehementiorem post modum dolorem subitis. Neque quicquam vobis prodest domus, neque quibus abundatis,pecuniæ : sed cum aureis & argenteis toris discumbitis,in ipsa felicitate obduratis. Neque adduci potestis, ut bonorum reliquias cum oleribus edatis mali & malorum amici. Qui,si quid vobis mentis inesset,si non ebrii desideretis, optimo illi Socrati sanè fidem adhiberetis , & in communi omnium consensu assentiremini,& per omnes ætates aut continentiæ studeretis , aut suspendio vitam fineretis. Neque enim aliter in vita fieri potest, nisi tanquam in convivio,semper vino madidi vertiginibus, & intestinorum doloribus ab aliis duci velitis. Neque vos liberi fieri potestis Et dum in luxuria & deliciis,quæcunque in potestate vestra bona sunt,animo complectimini , veniunt communes carnifices, quos vos Medicos appellatis : qui quicquid sibi in mentem venerit,id dicunt,& faciunt. Hi autem,qui bene medentur,incidunt, urunt,ligant,intus extráque medicinas exhibent. Et si convalueritis,nullam gratiam habetis,sed diis habendam profitemini:sin minùs,medicos accusatis. *Epistola 27.*

Euripides : Non enim purpuram & sceptrum ferre , neque in Triballis acceptis oppidis cum imperio esse cupivisse quispiam, nos dixerit , & ob eam caussam profectionem ad Archelaum instituisse. Sed nimirum divitiarum caussa. Cur igitur cùm in adolescentia, & in ætatis medio, & quo tempore mater adhuc nobis erat superstes, propter quam solam voluissemus opes cumulare si modò voluissemus,non modò non aucupati simus sed repudiaverimus etiam oblatam,& ultrò propositam eandem hanc pecuniam,nunc ita ætate provectis nobis placere aut desiderabilem esse,quisquam jure possit existimare,nisi idcirco magna dona capere cum maximo nostro dedecore,neque ampliùs ullo fructu,concupivimus , ut in Barbara terra vitam deponamus,& ut plures Archelao relinquamus pecunias. *Epistola ad Ceph. sophontem.*

Xenophanes : Primum Socratis admirabilem doctrinam ad probare debes qui divitias ex usu metiri jubebat. Non enim immensas possessiones,divitias vocabat ; sed tantum,quantum requiritur ad usum decentem Monebat autem,ne in his judicio falleremur. Illos enim,quos diximus,revera divites; reliquos pauperes adpellabat: & incurabili paupertate laborare dicebat , quod animi esset imbecillitas,non possessionis. *Epistola ad Iamproclem.*

Xenophon : Age vero , inquit Socrates,tu nobis Antisthenes dicito,quo pacto tam elato sis ob divitias animo, quum tam exiguæ sint facultates tuæ. Quod arbitror , ait, ô viri , non in ædibus sitas esse tum opes,tum paupertatem hominibus, sed in animis. Multos enim privatos homines esse video,qui quum facultates ampliſſimas possideant,adeo se tamen esse pauperes arbitrantur : vt quemvis laborem,quodvis periculum subeant , quo plura comparare possint. Fratres etiam novi,quibus quum facultates æquales obtigerint , tamen alter eorum quæ abunde sufficiant , & sumptum etiam superent,habet : alteri nihil non deest. Animadverto & reges quosdam esse,qui tanta opum fame laborant : ut longè graviora committant, quam homines maxime inopes. Nam propter egestatem nonnulli furantur,alii parietes perfodiunt,alii committunt plagium. At reges quidam sunt , qui pecuniarum caussa familias totas evertunt,occidunt multos , sepenumero totas etiam urbes diripiunt. Hos igitur equidem non possum non vehementer miserari , quod tam gravi morbo laborent. Nam simile quid ipsis accidere mihi videtur atq; si quis multa possideat multaq; comedat, nunquã tamẽ saturetur. Ego vero tam multa scilicet habeo,vix ut ea possim ipse invenire. Nihilominus superat mihi aliquid , dum comedo donec eo perveniam , ut non esuriam : & bibo , donec non sitiam : & ita vestitus sum , ut foris nihilo magis , quam ditissimus hic Callias frigeam. Quum domi sum , admodum mihi calidæ videntur esse tunicæ parietes ipsi , & tecta crassorum paludamentorum instar. Stragula veste usque adeó abundo , ut etiam excitari difficulter possim. Quod si aliquando re veneria corpus indigeat , adeo mihi satisfacit , quod adest : ut illæ ad quas accedo , mirifice me complectantur , propterea quod eas alii convenire nolint. Atque hæc omnia tam iucunda mihi accidunt , ut dum ea facio singula , non equidem maiori , sed minori potius delectatione perfrui optem : quod pleraque mihi iucundiora esse videantur,quam expediat.

Rem autem longe maximi pretii meis in opibus illis esse existimo , quod etiam si quis ea mihi adimat , quæ nunc adsunt; nullum esse tam vile opus videam , quod mihi non satis alimenti suppeditet. Etenim ubi voluptariam agere vitam voluero , non magni pretii quædam ex foro coemo , quod ea nimis magno sumptu veneant , sed ex animo promo. Adeoque multo plus confert ad voluptatem , exspectato emptore , quo quid requiram, ita deinde sumo : quam si magno pretio redemptis utar. Quemadmodum nunc quoque,quum in hoc vinum Thasium inciderim,bibo illud sine siti. Enimvero par est credere,multo etiam iustiores esse,qui vilitatem victus potius,quam caritatẽ spectant. Nam quib. maxime præsentia satisfaciunt,ii minime aliena concupiscũt. Est autem operæpretium considerare , quam liberales efficiant homines huiusmodi divitiæ. Nam Socrates hic,à quo has sum consequutus, neque numero , neque pondere mihi eas suppeditabat, sed

sed dabat mihi tantum, quantum ferre poteram. Atque equidem modo nemini meam nunc invideo, sed abundantiam amicis omnibus ostento, & participem facio quemvis, qui quidem velit, earum divitiarum, quas animo meo possideo. Quinetiam rem omnium delicatissimam, videlicet otium, semper adesse mihi videtis qui spectem quæ digna sunt contemplatu; & audiam, quæ auditu digna; &, quod equidem maximi facio, adesse Socrati totos dies in otio possim. Atque is etiam ipse non eos admiratur, qui plurimum auri numerant: sed perpetuo cum iis versatur, qui ipsi placent. Atque hoc modo quum loquutus is esset: Per Junonem, ait Callias, quum alias ob causas his cum opibus admirationi mihi es: tum quod neque te servi loco civitas habeat, aliquid scilicet imperans: neq; homines tibi succenseant, si nihil des mutuo. Tu vero hunc mirari desine, ait Niceratus. Nam ego eum conveniam, qui quidem sumam hoc ab eo mutuo, ne qua mihi re sit opus amplius. Etenim ab Homero edoctus, ut ita numerem.

Septenos tripodas, atque auri dena talenta,
Bu ſinos & equos, bis denos atque lebetas.

non desino ponderare ac numero divitias quam plurimas expetere. Quo fo tasse fit, ut quibusdam avidior esse pecuniæ videar. Ibi vero in risum effusi sunt omnes, qui tum quod res esset dixisse arbitrarentur. *cap. 17. & 18. convivij.*

Lysias: Audivi ex patre & ex aliis senioribus, quod non hoc tempore solum, verùm etiam olim, multorum facultates vobis incognitæ fuerint; qui vivi quidem locupletes videbantur, mortuis autem ipsis, res longe præter opinionem vestram se habuit. Ischomachus putabatur, possidere talenta amplius LXX. hereditate divisa ne decem quidem obvenere e utique filio. Stephanus Thalli filius undecim circiter reliquit talenta, existimatus obtinere plus quam quinquaginta. Niciæ domus sperabatur esse non minoris quam centum talentorum; at res longe erat infra famam. Niceratus cùm obiisset, nec aurum nec argentum reliquit; possessiones vero vix erant talentorum quindecim, &c. *cap. 13, de Aristophanis bonis.*

Aristides Sophista: Quin & prima divitias nec secuta est Vrbs Athenarum, nec mirata; cùm neque ditiores nunquam extulerit: illud pius modo deberi, ut nihil ob eam rem paterentur incommodi, rata. neque eos qui virtute præstarent; licet opibus inferiores essent; minoris unquam fecerit. Existimavit enim turpe fore (si servorum non opulentissimi, sed fidelissimi quique ceteris meliores censerentur) liberorum hominum dignitas opibus, non qualitate cujusque æstimaretur. *non sta longè à fine Orationis Panathenaicæ.*

Epictetus: Divitiis utendum est, ut materia quadam non in omni re eodem modo. Virtutem igitur omnibus optare præstat, quam divitias insipientibus periculosas. Pecuniis enim augetur improbitas: & quo quisque stultior est, eo magis insolescit, cum voluptatum suarum rabiem explere possit. Nemo avarus, nemo voluptarius, nemo ambitiosus est, idemque humanus: sed solus honestatis studiosus. *apud Stobæum.*

Epictetus: Vt in parvo lecto coarctatum valere præstat, quam in amplo thalamo voluptatum æg otare: sic in parvis copiis angustè vivere præstat, quam in magnis opibus afflictari. Non paupertas dolorem parit, sed cupiditas: neque divitiæ metu liberant, sed ratio. Ratione igitur exculta, nec divitias optabis, nec paupertatem reprehendes. Neque equus ob præsepe, phaleras & tapetes, neque avis ob cristam & nidum insolescit; sed uterque ob celeritatem, alter pedum, alter alarum. Neque tu igitur ob victum & amictum, aut ullas externas copias efferaris, sed ob humanitatem & beneficentiam. *apud Stobæum.*

Arrianus: Cùm providentiam accusas, in te si descenderis, cognosces, certa ratione factum esse. At improbus meliore conditione est? Quo in re? In pecunia. Nam in hac tibi præstat, quod adulatur, quod frontem perfricuit, quod vigilat. Quin illud intuere, num fide, num verecundia tibi præstet? Neque enim ita esse invenies; sed potius melioribus in rebus te meliore conditione esse cognosces. Nam & ego aliquando cuidam philosorgi successus ægre ferenti, nunquid inquam tu cum Sura dormire velles? Ne, inquit, is mihi dies illucescat. Quid ergo succenses, si aliquid pretii pro iis quæ vendit accipit? Cur beatum eum prædicas ob ea quæ protestaris? Quid peccat providentia, si melioribus meliora tribuit? Neque præstat verecundum esse, quam divitem? Assentiebatur. Quid ergo succenses, cum id habeas quod melius est? Semper igitur mementote, atque in promptu habetote, eam naturæ legem meliorem, in eo quo sit melior, meliore conditione esse illo qui sit deterior. Ita nunquam succensebitis. *cap 17. lib 3. Epict.*

Simplicius: Ad opes parandas, ut multorum auxiliis opus est; sic eædem à multis potentioribus imminui possunt. *ad caput 2. Epict.*

Libanius: Ne quis arbitretur istum sacris expilatis locupletarum esse, aut parietibus effossis, aut sepulchris motis & excussis, aut insidias hostibus struendo. Abest scelerata caussa ab hujus opulentia. Verùm tamen, ut mores non reprehendo, ita genio convitior. *Declamatione octava.*

Libanius: Opes magna re ipsa apud Poëtas nactæ sunt elogia, siquidem etiam Deorum pocula aurea ferunt esse; ac tantum ipsis in cœlo auri conditum esse, ut urbes quoque integras imbre aureo beatas efficiant. *Declamatione decima.*

Libanius: Sæpe fama invidorum opus est; ac fit verisimile opulentis ab egenis invideri. *Declamatione trigesima tertia.*

Libanius: Quid, per Jovem, non in divitiis est, & per divitias? nonne hæ condunt urbes, & reges faciunt, & trophæa excitant, & nuptias constituunt, & amicos alliciunt, morbos arcent? opes artes invenere: hæ suaserunt mare navigare, & terræ cultum amare, & dicendi artem exercere, & parentes charitate prosequi. cum his etiam notos & familiares juvamus; & infestos dolore afficimus, & templa ædificamus, & sacra signa fabricamur, & victimas mactamus, & donariorum ornatum dicamus. strenuus vir opulentus, venerabilior est; exercitus dux dives, honorabilior, senex illustrior; opes oratorem etiam prudentiorem indicarunt, & accusatorem idum ostenderunt; & reum exposci solvique curarunt. Idcirco poetas Musarum afflatu percitos esse persuasum habeo: quoniam heroica & lyrica poemata opulentiæ laudibus implevere; virtute & gloria quasi appendiculis & corollariis ipsi additis, eandemque late patentem appellantes: idque jure ac merito. Nam quæ quondam etiam peregrinis jus civitatis dedit, & generis dedecus occultavit, & gloriam ignobilibus adjunxit, & prudentiæ existimationem stultis ac dementibus attulit; quomodo non omnia robore præterit? hanc nonnulli etiam cognationi anteposuerunt; quinetjam opulentia jura naturæ necessaria superavit. & quid dico homines? qui omnia tenent regunt que Dii, aurum adamant: & Jovis pavimentum auro constat. iidem gratulatoriis sacris oblectantur, quæ si defecerint, vehementius quàm fœneratores exigunt. Verùm generosus hic, majorem præ se ferit gravitatem quàm Dii; atque opulentiam ignorat sobolem esse Cereris: adeoque turbulento ingenio est, ut studium pecuniarum in me derideat: sed idem plorat, si eam aliquando hæreditatem adeundi jus non detur. Ergo liceat ex hoc judicio in petitionibus sapere. *Declamatione trigesima septima extremo.*

Libanius: Malum, mi fili, paupertas est: Opulentia bonum. & ad eos qui eam comparârunt, omnes tanquam ad Deos accurrunt. *Declamatione 39.*

Philostratus: Cùm tuos comites, te ipsum quo pacto sis cultus intueor, dives mihi delicioso que esse videris. Hujusmodi autem viros calumniatores premunt, linguis contra eos pro stimulis utentes. Et quid adversus eos tuæ tibi proderunt aves? Non enim si philomelarum omnium cantus in unum congeras, abigere illas poteris tibi incumbentes, & in te convicia jactantes: sed opus est facultates tuas eis impertiri, & pecuniam tanquam canibus mellitas offas obicere; quibus rursus latrantibus iterum atque iterum dandum erit, quoad ipse famelicus ac pauper evadas. *lib 6. Apollonij cap 15.*

Philostratus: Dum talia loquerentur; quidem Cilix ad eos accedens: Ego inquit ô viri, propter divitias in vitæ discrimen adductus sum. Et jure forsitan, inquit Apollonius. Si enim ex nefariis operibus opes comparasti, velut latrociniis, aut veneficiis homines interficiendo, aut effodiendo Regum sepulchra ubi magni thesauri plerunque conduntur, consentaneum est, te non solùm in judicium vocari, sed maximis affectum suppliciis interfici. his enim modis divitiæ quidem parantur, sed nefandæ scelestæque putari debent. Sin verò ex hæreditatibus, aut liberali mercatura, & non fœneratura, ditatus es; quis est adeo perversus, ut sub legum prætextu, conetur tibi ea auferre quæ secundum leges acquisisti? Tunc ille. Eorum quæ habeo maxima pars ab agnatis mihi relicta in unam domum meam pervenit. Vtor autem divitiis non tanquam alienis cùm meæ sint; nec rursus ut omninò meis: nam bonis viris libenter eas communico. Accusant autem me calumniatores, quod non tyrannidis bono divitias possideam; cùm mihi sint adjumentores novas adversus Principem moliendi: adduntque, non mihi solùm, verùm etiam aliis, quos hujus facinoris socios adsciverim, opes meas facultatem suppeditare. Comparatæ autem jam quædam adversus nos accusationes; & primo quidem, quod omnes divitiæ si mediocritatem excedant, contumeliam pariunt, & cervicem supra multos elevare faciunt, & animos erigunt, nec obtemperare legibus patiuntur, & magistratus qui ad gubernandas provincias accedunt, in caput divitum provocant, cùm pecuniis maximè inserviant; & se ab hujusmodi divitibus propter opum vim contemni arbitrantur.

Ego enim cùm adhuc essem adolescens antequam talentorum centum divitias possiderem, omnia pro ridiculis habebam, parumque pro iis quæ tunc aderant me tuebam. Postquam verò uno die talenta quinquaginta ex patrui morte ad me pervenere; ita mentem immutavi, quantum equorum domitores illos immutant, ex feris ac rudibus ad mansuetiores mores traducentes. Cumque divitiæ quotidie augescerent, multaque terra mariq; mihi adferrentur; propter timorem factus sum divitior. servus, ut magnas pecunias pro custodienda gaza erogarem; partim tribuendo calumniatoribus, quos talibus officiis lenire opus erat; partim magistratus gerentibus impertiendo, ut contra insidiatores munitus essem; partim agnatis affinibusque largiendo, ne mihi

divitias

divitias inviderent. Quin etiam servis nonnullis donabam, ne deteriores fierent, si negligi se percitus animadverterent. Pascebam etiam gregis amicorum præclaros, qui immentia pericula prævidentes, partim illis occurrebant, partim mihi prænunciabant. Attamen cùm hoc modo opes circumvallassem, easque tam tutis mœnibus sepsissem, earum caussa in hoc discrimen adductus sum, neque satis adhuc nobis exploratum est, an incolumi corpore simus evasuri. Ad hæc Apollonius; confide inquit: nam pro corpore fide jussores habes divitias; illarum enim caussa in carcere detineris: sed non ita multò post dimitteris, non solùm his vinculis solutus, verum etiam labore ac sollicitudine; quæ te servos ac calumniatores divitiarum metu colere cogebat. *lib.7 cap.11.*

Apollonius Euphrati: Paucis indigent tui liberi, si Philosopho nati sunt. Non igitur erat laborandum tanto studio ut plus quàm satis est accederet: præsertim cùm id ignominia non careret. Postquam verò semel factum est, proximum fuerit ut propensissimo animo quibusdam de tuis facultatibus impertias. Habes autem in quam id conferas, & patriam & amicos. *Epist.* 4.

Idem: Ex Epicuri sermonibus, ille qui de voluptate est, non ampliùs habet opus assertore vel ex horto, vel ex eius disciplina profecto. Nam & in stoa verissimus esse confirmatur. Quòd si ad refellendum protuleris lucubrationes & dogmata Chrysippi: scriptum est etiam eiusmodi quiddam in regiis literis. Euphrates accepit & rursus, accepit. At Epicurus non accepisset. *Epistola quinta*:

Idem: Interrogabam divites quosdam ecquid explerentur aliquando. Qui responderunt, Nequaquam. cùm autem caussam huius necessitatis inquirerem divitias accusabant. Te verò miserum qui recens dives sis factus. *Epist.* 6.

Lucianus: O Jupiter Philie, hospitalis, sodalitie, domestice, fulgurator, iuramenti præses, nubicoge, grandistrepe, & siquod aliud tibi cognomen attoniti poetæ tribuunt, maximè quum hærent in versu (Nam tum illis multi nominis factus, carminis ruinam fulcis metsu (Nam tum illis multi nominis factus, carminis ruinam fulcis metrique hiatum imples) ubi tibi nunc magni crepum fulgur, gravi fretrique hiatum imples) ubi tibi nunc magnicrepum fulgur, gravi fremum tonitru? ubi ardens, candens, ac terrificum fulmen? Nam hæc omnia iam nugas esse apparet, fumúmque poeticum, nec omnino quicquam præter nominum strepitum. Sed decantatum illud tuum telum eminus feriens, & promptum, nescio quomodo penitus extinctum sit, & frigidum; & ne minimam quidem scintillam iræ contra nocentes asservarit. Itaque quivis ex his, qui peieraturi sunt, citiùs extinctum ellychnium metuerit, quàm flammam fulminis cuncta domantis: ita titionem quempiam in ipsos vibrare videris ut nec ignē, nec fumum ex ipso manantem pertimescant: sed hoc solum ex vulnere putent sibi inferri nocumentum, ut fuligine compleantur. Quibus rebus factum est, ut iam Salmoneus tibi sit ausus etiam obtonare: neque id admodum ab re: quippe adversus Jovem usque adeò frigidum, vir ad facinora fervidus, audaciáque tumidus. Quidni enim faciat, ubi tu perinde ac sub mandragora dormis? qui neq; peierantes audias, neq; flagitiosos observes: sed cæcutias lippitudine, & hallucineris ad ea quæ fiunt, auréque tibi obsurduerint, quemadmodum iis qui senio confecti torpent. Quandoquidem cùm iuvenis adhuc esses, acriq; animo, & vehemens ad iracundiam, permulta in homines maleficos & violentos faciebas: Neq; tum unquam cum illis inducias agitabas, sed perpetuò fulmen erat in negocio, & ægis concutiebatur, obstridebat tonitru, fulgur continenter iaculorum in morem densissimè ex edito loco devolantium torquebatur, terræ quassationes cribri instar frequentes, nix cumulatim, grando saxorum in morem, atq; ut tecum grandius loquar, imbréque rapidi & violenti, ac flumen quotidie exundans. Hinc tantum repente Deucalionis ætate naufragium ortum est, ut omnibus sub aqua demersis, vix unica scaphula servaretur, quæ in montem Lycorem appulit, humani generis quasi scintillulas quasdam servans, unde sceleratius etiam genus propagaretur. Quare dignum socordia præmium ab illis reportas, cùm nemo iam tibi sacra faciat, nec coronas offerat, nisi siquis obiter in Olympiis: qui quidem non admodum ne cessariam rem facere sibi videatur, sed priscum quendam ritum observare: ac pene Saturnum, ô Dorum generosissime, te reddunt, magistratu amoventes. O mitto dicere, quoties iam templum tuum sacrilegio compilarint: quum tibi eriam ipsi manus in Olympiacis admoliti sunt. Interea tu altifremus ille, adeò piger fuisti, ut neque carnes excitaris, neque vicinos advocaris, qui opitulantes tibi illos comprehenderent, cùm ad huc ad fugam se compararent. Sed generosus ille, gigantum extinctor, & Titanum victor sedebas fulmen decemcubitale, dextra tenens, quum tibi cæsaries ab illis circumtonderetur. Hæc igitur, ô præclare, quando tam securè despicere desines? quando de tantis maleficiis pœnas sumes? Quot Phaethontes, aut Deucaliones, satis idonei sint ad expiandum tam inexhaustam morum improbitatem? Et enim ut communibus omissis, de meis verba faciam. Ex quo tam multos ex Athenien sibus in sublime evexi, & divites ex pauperrimis reddidi, & omnibus egenis opem tuli, imò affatim, ut amicis benefacerem, universas opes effudi, & proprerea pauper evasi, iam ne agnoscor quidem ab illis, nec aspicere dignantur me, qui antea reverebantur, adorabant, meóq; de nutu pendebant. Quòd si quando per viam ingrediens, forte fortuna in eorumquempiam incidero, perinde ut eversum hominis iam olim defuncti cippum, ac temporis longitudine collapsum prætereunt, quasi ne norint quidem. Porrò alii procul conspecto me, aliò sese deorquent existimantes sese inauspicatum, abominandumq; visuros spectaculum, quem non ita pridem servatorem, & de se bene meritũ prædicabant. Itaq; prementibus malis ad extrema redactus consilia, rhenone indutus, terram exerceo quatuor conductus obolis, & cum solitudine, & ligone hic philosophor. Hoc interim lucri mihi videor facturus, quod non amplius intuebor pierosq; præter meritum fœlices: illud enim est perquam molestum. Iam igitur tandem aliquando, Saturni & Rheæ proles, excusso profundo isto, graviq; somno (longiorem enim quàm Epimenides dormivisti) denuo vibrato fulmine, aut ex Oeta redaccenso, ingenti excitata flamma, iram aliquam strenui illius ac iuvenilis Jovis ostende, nisi vera sint ea quæ de te tuáq; sepultura Cretenses fabulantur. *Iup.* Quis hic est Mercuri, qui sic ex Attica in montis Hymetti radicibus vociferatus est? horridus totus ac squalidus, & rhenone amictus? fodit autem, ut arbitror, in terram pronus, homo loquax & confidens, nimirum est philosophus, neq; enim adeo impia adversus nos erat dicturus. *Merc.* Quid ais ô pater, non nosti Timonem filium Echecratidis Colyttensem? Hic est qui nos plerumq; sacro convivio excepit ex hostiis eximiis parato, ille repente ditatus, ille qui totas hecatombas, apud quem splendidè Jovialia festa consuevimus agitare. *Iup.* Eheu, quænam ista rerum commutatio! hiccine est honestus ille dives, circum quem tam frequentes erant amici? Quid illi acciditut hoc sit habitu, squalidus, ærumnosus, fossor conductitius, ut cõicio, cùm tam gravem ligonem gerat. *Merc.* Illum, ut ita dicam, probitas evertit, & humanitas, atq; in omnes egenos misericordia. vel re verà vecordia potius, facilitas, nullúsq; in susciplendis amicis delectus, quippe qui neutiquam intellexerit sese corvis, lupisq; largiri. Quin magis cùm à vulturibus tam multis misero iecur roderetur, ob id amicos & sodales iudicabat, quasi epulis gauderent, quod ergà sese benevolentia afficerentur. Ille vero postquam ossa penitus nudassent, circumrosissentq;, deinde siqua inerat medulla, hanc quoq; admodũ diligenter exuxissent, abierunt, exuccum, & radicitus succisum deserentes, adeo ut non amplius agnoscant, aut aspiciant, tantum abest ut sint qui vicissim illi opitulentur, & impertiant. Has ob res fossor, & sagο, ut vides, opertus pelliceo, urbem præ pudore fugiens, mercedé agricolam agit, adversus ingratos atrabile stomachatur, qui quidem sua benignitate ditati, nunc admodum fastuosè prætereant, ac ne nomen quidem an Timon vocetur, noverint. *Iup.* At vero vir neutiquam fastidiendus & negligendus, qui jure optimo indignatur, quod his agat in malis: siquidem & execrandos illos adulatores sumus imitaturi, si eius viri oblivisc amur, qui tot pinguissimos tauros & capras nobis in aris adolevit: quorum nidor mihi etiam num in naribus residet. Tametsi propter negotia, magnámq; peierantium turbã, & eorum qui vi agunt & rapina vivunt, præterea ob formidinem quam mihi pariunt sacrilegi, qui multi sunt, & observatu difficiles, & ne minimum quidem nos connivere sinunt, multò iam tempore Atticam non respexi: ac in primis ex quo philosophia, & verborum contentiones, apud istos increbruerunt, adeo ut istis inter se pugnantibus, vociferantibúsq;, ne exaudire quidē mortaliũ vota liceat. Unde mihi necessum est, aut auribus obturatis sedere, aut ab ipsis perdi, qui virtutē quandam, & nescio quæ incorporea, nugásq; magna voce connectunt. Hinc factũ est, ut hic quoq; à nobis neglectus fuerit, quamvis non sit despicabilis. Quod reliquũ est Mercuri, assumptõ Pluto, celeriter ad hunc eas, Plutus autē unà secũ etiam ducat Thesaurũ, & ambo apud Timonē perseverent, nec tam facilè demigrent, etiamsi quam maximè rursum illos præ bonitate domo exigat. Cæterùm de ingratis illis palponibus, & in posterum consultabo, & pœnas dabunt simulatq; fulmen præparavero. Nam fracti sunt, & retusæ cuspide duo radii eius maximi, quum nuper acriùs in sophistam Anaxagoram iacularer, qui suis familiaribus persuadebat, nullos esse nos qui Dii vocamur. At ab illo aberravi: nam obtenta manu Pericles eum protexit: fulmen vero in Castoris & Pollucis templum detortum, tũ illud exussit, tũ ipsum ad saxũ pene est comminutum. Quam quã vel id supplicii satis magnum in istos fuerit, si ditissimũ videant factũ fuisse Timonē. *Merc.* Quantũ habet momenti altũ vociferari, & obstreperũ, audacémq; esse? idq; non iis modo qui causas agunt, verum etiam qui vota faciunt conducibile. En mox è pauperrimo dives evaserit ille Timon, qui se precando clamosum & liberè loquentē præbuit, attentum verò Jovem reddidit. Quod si incurvus fodiendo siluisset, neglectus etiamnum foderet. *Plut.* At ego ô Jupiter hunc aditurus non sum. *Iup* Quid ita, optime Plute, præsertim à me jussus? *Plut* Quoniã per Jovē iniuria me affecit, eiiciens, & in multas partes dividens: idq; cũ illi paternus essem amicus, ac me pene dixerim, fusciniis ex ædibus extruserit, sicut qui è manibus ignem abiiciunt. Nũ rursus ad istum ibo, parasitis, adulatoribus, & scortis donandus? Ad eos mitte me Jupiter, qui munus intellecturi sint, qui amplexuri, quibus in pretio sim, & exoptatissimus. At hi stupidi cum paupertate cõmercium habeant, quam nobis anteponunt: & acceptis ab ea rhenone, & ligone, miseri sat habeant, quatuor obolos lucrantes, qui decẽ talenta contemptim dono dare solebant. *Iup.* Nihil in te istiusmodi posthac facturus est Timon, quippe quem ligo abundè docuerit, (nisi prorsus nullum dolorem sentiunt illius ilia) te potiùs quàm paupertatem esse eligendum. Ac tu mihi querulus admodum esse videris, qui nunc Timonem incuses, quod tibi liberè vagari permiserit patefactis foribus, nec zelotypus in te, domo concluserit. Aliàs autem contrà in divites stomachabaris, quum diceres te ab illis, repagulis, clavibus, & impressis sigillis ita fuisse conclusum, ut ne prospicere quidem in lucem tibi liceret. Id igitur apud me deplorabas affirmans præfocari te nimiis tenebris: eóque pallidus nobis occurrebas, curis plenus, contractis contortisq; digitis, ut fieri solet in rationũ collectionibus: quòd si quando daretur opportunitas, aufugitu-

rum quoque ab illis te minitabâre. In summa rem admodum acerbam iudicabas in æreo, ferreóve thalamo, Danaes exemplo, virginẽ asservari, arq; à sedulis sceleſtiſſimiſq; pædagogis educari, Fœnore, & Computo. Eos proinde absurdè facere aiebas, quòd te præter modum adamarent, neque, cùm liceret, frui audierent, nec quanvis essent domini, securè suo amore uterentur: sed vigiles observarent, ad sigillum serámque immotis oculis intuentes, abundè magnum fructum arbitrantes à se percipi, non quòd ipsis fruendi facultas adesset, sed quod nemini fruendi copiam facerent; non aliter quàm in præsepi canis, qui nec ipse hordeo vescitur, nec famelicum equum vesci sinit. Quinetiam ridebas istos qui parcerent, asservarentque, & (quod esset absurdissimum) se ipsos zelotypia prosequerentur: nec intelligerent fore, ut aut sceleratissimus famulus, aut œconomus, aut puerorum præceptor furtim subiret, ludibrio habiturus infœlicem & inamabilem herum, quem postea sinat ad fuliginosam, & oris anguſti lucernulam, ac siticulosum scirpulum usuris invigilare. Annon igitur iniquum, cùm hæc olim incusaveris, nunc his contraria Timoni obiicere? *Plut.* Atqui si veritatem inquisiveris, me utrumq; rationi consentaneum facere iudicabis. Nam & Timonis hujus nimia lenitas, negligentia, non benevolentia, quod ad me attinet, meritò videatur. Illos verò qui me ostiis ac tenebris incluſũ servant, & ut crassior, pinguior, imò immensus fiam, operam dant, nec tamen attingunt ipsi, nec in lucem producunt ne à quoquam videar, illos inquam amentes & contumelioſos rectè putem, quippe qui me insontem in vinculis putrescere cogunt, non intelligentes brevi sibi abeundum, & me alii cuipiam, cui fortuna faverit, relinquendum. Quocirca neque illos probo, nec hos qui nimium facilè mihi manus admovent: sed eos, qui, quod est optimum, mediocritate utuntur, ut nec prorsus abstineant, nec penitus profundant. Etenim per Jovem illud considera Jupiter, siquis ubi juvenem & formosam uxorem lege duxerit, postea neque observet neq; omnino zelotypia prosequatur, concedens illi ut noctu atq; interdiu eat quò vellit, & rem cum quibuslibet habeat, vel potiùs ultro producat ut adulteretur, fores aperiens, prostituens, & omnes ad eam invitans, num hic amare videbitur? profectò hoc tu nequaquam dices Jupiter, qui sæpenumero amorem senseris. Rursum siquis ingenuam lege domum deducat, acceptam ad liberorum legitimorum procreationem: cæterùm nec ipse contingat florentem ætate, decorámque virginem, nec eam ab alio aspici sinat, sed inclusam, orbam, sterilémque in perpetua virginitate contineat, ac interim se amore teneri dicat, & hanc præ se ferat colore, corpore exhausto, refugis oculis, num fieri potest, ut talis quispiam desiperenon videatur, quippe qui, cum liberis oportuerit operam dare, fruiq; conjugio, puellam adeò formosam atq; amabilem sinat emarcescere, per omnem vitam, tanquam Cereri sacerdotem alens? Hæc & ipse indignor, quum à nonnullis ignominiosè cædor calcibus, & lanior, & exhaurior, à nonnullis contrà perinde ut stigmaticus fugitivus compedibus vincior. *Iup.* Quid igitur adversus illos indignaris? utrique enim egregias luunt pœnas. Hi quidem dum Tantali in morem, nec bibere, nec edere sinuntur, sed ore sicco auro tantùm inhiant. Illi verò, dum ceu Phineo cibos harpyiæ ipsis è faucibus eripiunt. sed abi jam, cordatiorem multò nacturus Timonem. *Plut.* An ille aliquando desinet me velut ex foraminoso cophino, priusquam omnino influxerim, data opera exhaurire, quasi conetur occupare, quo minùs influam, veritus ne si copiosiùs infundar, ipsum undis obruam? Quò fit ut in Danaidum dolium aquam mihi videar allaturus fruſtráque infusurus, vase non continente liquorem: imò priùs propemodum effuso quod influit, quàm influxerit: adeò latus dolii hiatus ad effusionem, ac liber exitus. *Iupiter.* Proinde ni hiatum istum obturaverit, perpetuámque perstillationem sistere conetur, te propediem effuso, facilè rursus sagum & ligonem in fæce dolii reperiet. Verùm abite jam, illúmque ditate. Tu verò Mercuri memineris redeundo Cyclopas ex Aetna ad nos adducere, quò fulmen cuspide restituta resarciant. Nam eo nobis acuminato erit opus. *Merc.* Eamus Plute. Quid hoc? num claudicas? Equidem ignorabam ô præclare, te non cæcum modò, verùm etiam claudum esse. *Plut.* Hoc non est mihi perpetuum Mercuri: sed quando ad aliquem à Jove missus proficiscor, nescio quomodo tardus & claudus utrinque sum: ita ut ægrè metam pertingam, quum nonnunquam qui me operiebatur, priùs insenuit. Sed quum discedendum est alatum videbis, avibus longè celeriorem. Vnde fit ut amoto repagulo, protinus voce præconis victor pronuncier, saltu stadium transmensus, ne videntibus quidem aliquoties spectatoribus. *Merc.* Ista haud vera narras. Imò ego tibi permultos commemorare queam, quibus heri ne obolus quidem erat ut restim emerent, qui hodie repentè divites facti splendidè vivant, albis quadrigis vehantur, quibus ne asellus quidem ante suppetebat: ii tamen purpurati, & manibus aurum gestantes obambulant: qui ne ipsi credere possunt, quin per somnium divites sint. *Plut* Ist hæc alia res est, ô Mercuri, neque enim tum meis ipsius ingredior pedibus: nec à Jove sed à Dite transmittor ad eos, qui & ipse opum largitor est, magnáque donans: quod suo etiam nomine declarat. Itaque quoties est mihi ab alio ad alium demigrandum, in tabellas iniiciunt me ac diligenter obsignatum, & sarcinæ in morem sublatum transportant. Interea defunctus ille, alicubi in tenebricosa ædium parte jacet, vetere linteo in genua iniecto tectus, de quo feles digladiantur. Porrò qui me speraverant obtinere, in foro operiuntur hiantes, non aliter quàm hirundinem advolantem stridentes pulli. Deinde ubi signum detractum est, & lineus ille funiculus incisus, apertæque tabellæ, novúsque meus dominus est pronunciatus, sive cognatus quispiam, sive adulator, sive servulus obscœnus, qui puerili obsequio favorem meruerit, etiam tum mento subraso, pro vanis omnigenisque voluptatibus, quas ipsi jam obsoletus suppeditavit, ingens scilicet præmium ferens generosus quisquis tandem ille fuerit, nonnunquam me ipsis cum tabellis arreptum, fugiens adportat nomine commutato, ut qui modò Pyrrhias, vel Dromo, vel Tibius, jam Megacles, aut Megabyzus, aut Protarchus appelletur. Cæterùm illos nequicquam hiantes, seque mutuum intuentes relinquit: ac verum luctum agentes. quòd ejusmodi thynnus ex intimo sagenæ sinu effugit, devorata non exigua esca. Atque hic repentè totus in me irruens, homo ineptus & rudis, compedes adhuc horrescens, & siquis alius loro increpet, stans arrectis auribus, & pristinum tanquam templum adorans, non amplius iis in quos incidit, est tolerabilis: sed & ingenuos contumelia afficit & conservos flagris cædit, experiens num sibi quoque similia liceant. donec aut in scortulum illapsus, aut alendo cum equorum studio captus, aut adulatoribus sese tradens, dejerantibus Nireo formosiorem esse, Cecrope, Codróve generosiorem, callidiorem Vlysse, ditiorem verò sedecim simul Crœsis, momento temporis semel effundant infelix, quæ minutatim multis ex perjuriis, rapinis, & flagitiis fuerant collecta. Ista fermè sic se habent uti narras. Verùm ubi, tuis ipsius ingrederis pedibus, qui tandem cæcus cùm sis viam invenire potes? aut qui dignoscis ad quosnam Jupiter te miserit, dignos illi visos qui divitiis abundent? *Plut.* Enimvero credis me reperire istos ad quos mittor? *Merc.* Per Jovem haud quaquam. Neque enim Aristide præterito ad Hipponicum, & Calliam accessisses, tum ad multos alios Athenienses, ne obolo quidem dignos. Cæterùm quid facis emissus? *Plut.* Sursum ac deorsum circumcursans oberro, donec imprudens in aliquem incidero. Hic autem quisquis ille sit, qui fortè primus me nactus sit, abducit ac possidet, te Mercuri pro lucro præter spem objecto adorans. *Merc.* Num ergo fallitur Jupiter, qui credat ex ipsius sententia, ditari abs te eos, quos dignos existimarit qui ditescerent. *Plut* Etjure quidem optimo fallitur ô bone, quippe qui cùm me cæcum esse probè sciat, emittat vestigatum rem usque adeò repertu difficilem, & jam olim è vita sublatam, quam ne Lynceus quidem facilè inveniret, cùm adeò sit obscura & minuta. Quare cùm rari sint boni, improbi verò in civitatibus omnia obtineant, oberrans facilè in istius farinæ homines incido, & ab illis irretior. *Merc.* At qui fit ut quoties eos deseris, facilè aufugias, cùm viæ sis ignarus? *Plut.* Tum demum acutùm cerno, pedibúsque valeo, solummodò quum fugiendi adest opportunitas. *Merc.* Illud etiam mihi responde: qui fit ut cùm oculis sis captus (dicendum enim est) præterea pallidus, & cruribus gravis, tot habeas amatores, adeò ut omnes in te defigant oculos: & si potiantur, fœlices videantur; sin fruſtrentur, non sustineant vivere? Ex his quidem non paucos novi, qui sic perditè te amarint, ut se aereo è scopulo in alta piscosi maris, præcipites abiecerint, rati fastidiri sese abs te, propterea quòd illos nullo pacto respexisses. Quanquam sat scio, tu quoque fateberis, si quo modo tibi ipsi notus es, furere istos qui hujusmodi amore sunt dementati. *Plut.* At enim credis me, qualis sum, talem istis videri, nempe claudum, & cæcum, & quicquid aliud mihi inest vitii. *Merc.* Quid ni ô Plute, nisi & ipsi omnes sint cæci? *Plut.* Haud cæci quidem, ô optime, verùm insciti, errórque quæ omnia occupant, illis offundunt tenebras. Ad hæc ipse quoque, ne per omnia deformis sim, persona valdè amabili tectus, inaurata, gemmisque picturata, ac versicoloribus amictus eis occurro: at illi rati sese nativi vultus venustatem aspicere, amore capiuntur, dispereúntque nisi potiantur. Quòd siquis me toto corpore renudatum illis ostenderit dubio procul futurum sit ut ipsi se damnent, qui tantopere cæcutierint, amantes res neutiquam amandas, & deformes. *Merc.* Quid ergo, postquam eò perventum est ut jam divites evaserint, jámque personam ubi circumposuerint, rursum falluntur? adeò ut siquis illis adimere conetur, penè caput potiùs quàm personam abiiciant? Neque enim verisimile est etiam tum illos ignorare, auro bracteatam esse formam, quum intus cuncta inspexerint. *Plut.* Ad id non paucæ res, ô Mercuri, mihi sunt adjumento. *Merc.* Quænam? *Plut.* Simul atque qui me primùm nactus est, patefactis foribus exceperit, clanculum unà mecum introit fastus, vecordia, insania, mollities, contumelia, fraus, aliáque sexcenta: à quibus omnibus postea quam est occupatus animus, miratur non miranda, appetit fugienda: méque cunctorum illorum quæ introierunt, malorum patrem stupet, illorum satellitio vallatum, quidvis potiùs passurus, quàm ut me reiicere compellatur. *Merc.* Vt lævis es, ô Plute, & lubricus, & retentu difficilis, ac fugax, neque ullam certam præbes ansam qua prensus teneare: verùm nescio quomodo anguillarum ac serpentum in morem inter digitos elaberis. At contrà Paupertas, viscosa, & prehensu facilis, toto corpore multos uncos gerit hamos, ut qui tetigerint, ilicò hæreant, nec facilè queant avelli. Verùm interea dum nugamur, rem haud parvam omisimus. *Plut.* Quam? *Merc.* Nempe quòd thesaurum non adduximus quo vel in primis erat opus. *Plut.* Ista quidem ex parte bono sis animo. Nam non nisi in terra relicto illo, ad vos ascendo: jussóque intus manere foribus occlusis, neque cuiquam aperire, nisi me vociferantem audierit. *Merc.* Iam igitur Atticam adeamus, & me sequere chlamydi adhærens, donec extremam viam attigero. *Plut.* Rectè facis, Mercuri, quum me per viam ducis. Etenim si me desereres, forsan oberrans in Hyperbolum aut Cleonem incidere. Sed quis hic fragor, ac si ferrum & lapis collidantur? *Merc.* Timon

hic est,

hic est, qui proximè montanum & petricosum fodit solum. Papæ, & Paupertas adest, & Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo, atq; id genus aliorum turba quorum omnium agmen fames cogit, longè præstantius quàm tui sint satellites. *Plut.* Quin igitur quàm ocydissimè discedimus Mercuri? Neque enim quicquam æstimabile præstiterimus cum homine vallato istiusmodi exercitu. *Merc.* Secus visum est Jovi: quare nihil metuamus. *Paup.* Quonam, istum Argicida, manu adducis? *Merc.* Ad hunc Timonẽ à Jove missi sumus. *Paup.* Itáne nunc Plutus ad Timonẽ, posteaquam ego ipsum antea deliciis malè corruptum suscepi: & his, videlicet Sapientiæ & Labori traditũ strenuum, multiq; precii virũ reddidi? Adeóne despicienda, iniuriæque idonea Paupertas vobis videor, ut hunc quæ mihi unica erat possessio, eripiatis, iam exactissima cura ad virtutem excultum? ut Plutus hic ubi denuo susceperit, per contumeliam, & arrogantiam illi manu iniecta, mollem & ignavũ, & vecordem, qualis olim erat, reddiderit: rursum mihi restituat ubi iam nihili factus erit. *Merc.* Sic ô Paupertas Jovi placitũ est. *Paup.* Equidẽ abeo: at vos Labor, & Sapientia reliquiq; sequimini me. Porro hic brevi cognoscet, qualis in se fuerim, quam nunc relinquit: nempe adiutrix bona, & rerum optimarũ doctrix, qua cum donec habuit cõmercium, sano corpore, valentiq; animo perseveravit, virilem exigens vitã, & ad sese respiciens: supervacua autẽ & vulgaria ista, aliena, ita ut sunt, existimas. *Merc.* Discedunt illi, nos eum adeamus. *Tim.* Quinam estis, ô sceleste? aut qua gratia huc advenistis, homini operario, ac mercenario negotium exhibituri? sed non læti abibitis, improbi vos omnes: nam ilico vos ego glebis & saxis petitos comminuam. *Merc.* Nequaquã ô Timon ne ferito: neq; enim mortales ferires. Ego enim sum Mercurius, hic Plutus. Nos tuis precibus exauditis misit ad te Jupiter. Quare, quod bene vertat, opes accipe desistens à laboribus. *Tim.* Atqui vos iam ploraveritis, etiamsi Dii sitis, ut dicitis: siquidem odi pariter omnes tũ Deos tum homines. Sed cæcum hunc, qui quis is est, certum est mihi impacto ligone cõminuere. *Plut.* Abeamus, per Jovem, Mercuri: quandoquidẽ hic homo mihi videtur non mediocriter insanire, ne malo quopiam accepto discedam. *Merc.* Nequid ferociter, Timon, quin potiùs hac ferocitate, & asperitate deposita, bonam fortunam porrectis manibus excipe, rursusque dives esto, rursus Athenien sium princeps, solúsq; fortunatus ingratos illos despicito. *Tim.* Nihil mihi vobis est opus: ne obturbate: sat opũ mihi ligo: sum præterea fortunatissimus, si nemo ad me accesserit. *Merc.* Adeó ne quæso inhumaniter? *Hæc ego sæva loqui refero atq; immania dicta?* Atqui parerat fortasse invisos esse tibi homines, à quibus tam indignas iniurias accepisti: nequaquã autem Deos, cùm illi tantopere tui curam gerant. *Tim.* At tibi Mercuri, Jovíq; pro vestra cura, plurimã habeo gratiam: sed Plutum hunc recipere nolim. *Merc.* Quid ita? *Tim.* Quia mihi olim innumerabilium malorum author fuit, cùm me assentatoribus traderet, mihi insidiatores inveheret, odium conflaret, illecebris corrumperet, invidiæ obnoxium redderet: deniq; quũ me adeò perfidè & proditoriè destituerer. Contrà verò Paupertas me laboribus viro dignissimis exercens, mecũq; verè & liberè convivens, & quibus opus erat suppeditavit laboranti, & vulgaria illa contemnere docuit, effecitq; ut mihi vitæ spes omnis ex me ipso penderet, & demonstravit quænam essent opes meæ, quas neq; adulator assentans, neq; sycophanta territans, neq; plebs irritata, nec concionator suffragium ferens, neq; tyrannus insidians queat eripere. Itaq; laboribus iam roboratus dum hunc agellũ gnaviter exerceo, neque quicquã eorum malorum quæ sunt in civitate aspicio, abundè magnum & sufficientem victum ligo mihi suppeditat. Quare tu Mercuri, quam venisti viã remetiens recurre, Plutum hunc ad Jovem deducens. Illud mihi sat fuerit si effecerit ut omnes mortales per omnem ætatẽ eiulent. *Merc.* Nequaquã ô bone, neq; enim omnes ad eiulandum sunt accõmodi. Quin iracunda ista puerilíq; missa face, ac Plutum excipe: non sunt reiicienda munera quæ à Jove proficiscuntur. *Plut.* Vin Timon ut contra te partes defendam meas? an graviter feres, si quid dixero? *Tim.* Dicito, sed nec multis, nec cũ procœmiis, quemadmodum perditissimi isti oratores solent. Nam huius Mercurii gratia te feram pauca dicentem. *Plut.* Atqui mihi multis potiùs erat dicẽdum, multis nominibus abste accusato. Vide tamen num qua in re te, quemadmodum ais, læserim, ego qui dulcissimarum quarumq; rerum tibi author fui, honoris, præsidentiæ, coronarum, aliarúmq; delitiarum. Mea etiã opera celebris, conspicuus atq; observandus eras, verùm siquid ab adulatoribus molesti tibi accidit, ego non sum in culpa. Quin potiùs à te sum ipse affectus contumelia, propterea quod ita ignominiosè execrandis illis viris me obiecisti, qui te laudabant, & præstigiis dementabant, mihíq; modis omnibus insidias struebant. Porrò quod extremo loco diristi, te à me proditum, istud criminis in te possum retorquere, cùm ipse sim modis omnibus à te reiectus, præcéps q; exactus ex ædibus: vndepro molli chlamyde sagum hoc charissima tibi paupertas circumposuit. Itaq; testis est mihi hic Mercurius, quanto opere Iovem oraverim ne ad te venirem, qui te tam hostiliter erga me gessisses. *Merc.* At nunc vides, ô Plute, in eiusmodi hominem sit commutatus? Proinde audacter cum illo consuetudinem habe. Tu verò fode ita ut facis: tu interim thesaurum sub ligonem, adducito: audiet enim si tu accersiveris. *Tim.* Parendum est Mercuri, rursusque diescendum. Quid enim facies cùm Dii ipsi compellant. Tamen vide in quæ negocia me miserum coniicies? qui cùm hactenus fœliciss imè vixerim nihil mali commeritus tantum auri repentè accipiam, tantúmq; curarum suscipiam. *Merc.* Sustine Timon mea gratia, tametsi grave est istud, & intolerandum, quò videlicet palpones illi invidia rumpantur. Ego autem superata Ætna in cœlum revolabo. *Plut.* Abiit quidem ille, sicut apparet, Nam ex remigio alarum coniicio. Tu verò hic operire, siquidem digressus Thesaurum ad te transmittam. Sed feri potiùs. Te compello auri Thesaure, Timonem hunc exaudi: & te offer eruendum. Fodi Timon altiùs impingens. Cæterùm à vobis ego discedo. *Tim.* Age vero, ô ligo, te validum mihi præsta, nec defatigare quoad Thesaurum ex abdito in apertum euocaris. Hem prodigiorum author Iupiter, amici Corybantes, ac lucrifer Mercuri, vnde nam auri tantum? Num somnium hoc est? Metuo ne carbones reperturus sim experrectus. Atqui aurum profectò est insigne, fuluum, grave, & aspectu longe iucundissimum. *Pulcherrima aurum fausti tas mortalibus.* quippe quod ignis in morem ardens, noctes diéique renides. Ades ô mihi charissimum, & desideratissimum: nunc demũ credo vel Iovem ipsum aurum esse factum. Etenim quæ tandem virgo non exporrecto sinu utique adeò formosum amatorem excipiat, per tegulas illapsum? ô Mida & Crœse, muneráque in templo Delphico dicata, ut nihil eratis si cum Timone, Timoníque opibus comparemini, cui ne Persarum quidem rex par est. ô ligo, & rheno charissime, vos huic Pani suspendi bonum est. At ego quàm maximè semotum mercatus agrum, turriculáque ad servandum aurum constructa mihi soli vivendo satis erit inhabitare: & ibidem mihi defuncto sepulchrum esse volo. Hæc igitur decreta sunto, placitáque in reliquũ vitæ: commercii cum quibusvis fuga, ignoratio, & fastidium omnium hominum. Porro amicus, hospes, sodalis, ara misericordiæ, meræ nugæ: tum miserari lachrymantem, egentibus opitulari, iniquitas, ac morum subversio: at vita solitaria, qualis est lupis, unus sibi amicus Timon: cæteri omnes hostes, & insidiatores: cum horum quopiam congredi, piaculum, adeò ut siquem aspexero duntaxat, inauspicatus sit ille dies. In summa, non alio nobis habeantur loco, quàm saxeæ, vel æneæ statuæ: & neque missum ab ipsis caduceatorẽ recipiam⁹, neq; fœdera feriam⁹. Solitudo termin⁹ esto. Cæterũ tribules, cognati, populares, postremò patria ipsa, frigida quædã & inutilia nomina, & stultorũ hominũ gloriæ. Sol⁹ Timõ dives esto, despiciat omnes, solus ipse secum oblectetur, abhorrens ab assentationibus & odiosis laudibus: Diis sacra faciat, solus epuletur, sibi ipsi vicinus, sibi excussis aliis contermin⁹us: & semel se ipsum comiter excipere decretum esto, si sibi moriendum sit & admovenda corona. Deniq; nomen suavissimum esto Misanthropos, *hominum osor.* Morum autem notæ, morositas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas: quod siquem conspexero incendio conflagrantem, & supplicantem ut extinguam, pice, oleóque restinguere: & siquem hyeme flumen deferat, isque porrectis manibus roget ut retineatur, eum demerso capite propellere, ne possit emicare. Hoc pacto parem gratiam reportent. Hanc legem tulit Timon Echecratides Colytrensis, & Timon ipse concionis subscripsit suffragiis. Age hæc decreta sunto: hæc fortiter tueamur. Cæterum magni fecerim, si hoc omnibus innotescat, quod opibus abundo: eos enim illud præfocaverit. Sed quid illud? Eheu, quæ celeritas ista? undique concurrunt pulverulenti atque anheli, haud scio unde aurum oderati. Vtrum igitur hoc conscenso colle saxis eos abigo, è sublimi deiaculans: an hac tantùm in re legem violabimus, ut semel cum illis congrediamur, ut contempti, magis angantur? ita satius esse duco. ideóque restemus quò illos excipiamus. Age prospiciam, primus eorum iste quis est? Nempe Gnathonides adulator, qui mihi nuper cœnam petenti, funẽ porrexit, quum apud me sæpenumero solida dolia vomuerit. Sed bene est quod ad me venit: nam primus omnium vapulabit. *Gnat.* Nonne dicebam fore ut Dii Timonem bonum virum non negligerent? Salve Timon formosissime, suavissime, convivator bellissime. *Tim.* Tu quoq; salve Gnathonides vulturum omnium foraciissime, atq; hominum perditissime. *Gnat.* Grata semper tibi dicacitas: sed ubi est convivium? nam novam tibi adfero cantilenam ex his quos super didici dithyrambis. *Tim.* At elegos canes admodum miserabiles, ab hoc doctus ligone. *Gnat.* Quid istuc? feris ô Timon? antestor ô Hercules, hei hei, te quod mihi vulnus infixeris apud Areopagitas in ius voco. *Tim.* Atqui si cunctêre paulisper, mox cædis me reum ages. *Gnat.* Nequaquam, quin plane vulneri medere paululum auri inspergens: præsentissimum enim illud est remedium ad sistendum sanguinem. *Tim.* Eriam manes? *Gnat.* Abeo. Sed malè tibi vertet quod ex viro commodo tam sævus factus sis. *Tim.* Quis hic est recalvaster ille qui accedit? Philiades, assentatorum omnium execratissimus. Hic cùm à me solidum acceperit fundum, tum in filiæ dotem talenta duo, laudationis præmium, cùm me canentem reliquis omnibus silentibus solus supra modum laudasset, deierans me oloribus longè magis canorum, postquam me nuperæg; otantem vidit (nam adiexam opis indigus) plagas egregius ille vir impegit. *Phil.* O impudentiam! nunc demum Timonem agnoscitis? nunc Gnathonides amicus & conviva: enimvero digna se accepit, cùm sit ingratus. At nos qui iam olim familiares sumus, æquævi, ac populares, tamen modestè agimus, ne insilire videamur. Salve here, fac ut adulatores istos observes nefarios, qui nusquã nisi in mensa adsunt: præterea à corvis nihil differunt. Nulli hominum huius ætatis est amplius fidendum: ingrati omnes & scelesti. At ego cùm tibi talentum afferrem, quo ad urgentem necessitatem vti posses, in via accepi te summas quasdam opes esse nactum. Proinde veni his de rebus remoniturus, quanquam fortè tibi me monitore nihil erat opus, cùm vel ipsi Nestori, si necesse est, consilium dare queas. *Tim.* Ita fiet Philiades. Verùm accede quo te ligone comiter excipiam. *Phil.* Viri, caput mihi ab hoc ingrato effractum est, propterea quod illum quæ in rem illius erant, admo-

nui. *Tim.* Ecce,tertius huc orator Demeas accedit, rabulas dextra tenens,seque profitens mihi cognatum esse. Hic una die de meo sedens,seque profitens mihi cognatum esse. Hic una die de meo sedenens, sequè profitens mihi cognatum esse. Hic una die de meo sedecim talenta civitati dependit, nam damnatus erat, ac vinctus. At quum solvendo non esset,ego miserius illum redemi. Porrò cùm illi sorte obvenisset,ut Erechtheidi tribui distribueret ærarium,atque ego adiens,id quod ad me redibat poscerem, negabat se civem me agnoscere. *Dem.* Salve Timon,præcipuum tui generis præsidium,fulcimentum Athenienſium,propugnaculum Græciæ; profectò jam pridem te populus frequens,& utraq; curia optitu. Sed prius dicere tum audi quod de te conscripsi. Quandoquidem Timon Echecratidæ filius Colyttensis,vir non modo probus & integer, verùm etiam sapiens,quantum aliius in Græcia nemo, nunquam per omnem vitã destitit optimè de Republica mereri: præterea pugilatu,luctа,cursúque die eodem adhæc solenni quadriga,equestriq; certamine in Olympicis vicit. *Tim.* At ego ne spectator quidem unquam in Olympicis sedi. *Dem.* Quid tum? spectabis posthac. Sed ista communia addi sanius est. Tum anno superiore apud Acharnenses pro Rep. fortissimè se gessit,& Peloponnesiorum duas acies concidit. *Tim.* Qua ratione ? quippe qui nec unquam arma gesserim,nec miles unquam conscriptus fuerim. *Dem.* Modestè quidem de te loqueris: Nostamen ingrati futuri sumus,nisi meminerimus. Præterea scribendis plebiscitis,& in consultationibus, & in administrandis bellis,non mediocrem utilitatem attulit Reip. Quamobrem visum est omnibus,curiæ,plebi,magistratibus tributim, plebeiis singulatim, communiter omnibus,aureum statuere Timonem iuxta Haliadem in arce,fulmen dextra tenentem,& radios super capite habentem: eumq; septem aureis coronis coronare,háſque coronas hodie in Bacchanalibus per novos Tragœdos promulgari: siquidem hodie illi Bacchanalia sunt agenda. Tulit hoc suffragium Demeas orator,cognatus illius propinquus,& discipulus. Etenim orator optimus est Timon, Præterea quicquid voluerit. Quare hoc tibi suffragium attuli,utinam & filium meum ad te adduxissem,quem tuo nomine Timonem denominavi. *Tim.* Qui potes illud Demea, qui nunquam uxorem duxeris,quantum nobis scire licuit ? *Dem.* At ducam novo ineunte anno,si Deus dederit: liberisque operam dabo: tum quod nascetur(erit autem masculus) Timonem nuncupabo. *Tim.* An uxorem tu sis ducturus, haud equidem scio,tanta à me plaga accepta. *Dem.* Hei mihi,quid hoc est rei ? Tyrannidem occeptas Timon,pulsáque ingenuos,ipse nec ingenuus, nec civis ? verùm pœnas dabis propediem cùm aliis nominibus,tum quòd arcem incenderis. *Tim:* At ô scelestè non conflagravitarx ? proinde palam est te calumniatorem agere. *Dem.* Verùm effosso ærario dives factus es. *Tim.* Neque hoc effossum est. Hæc etiam absurda dicis. *Dem.* Verùm effodietur posthac. Interim verò omnia quæ in eo condita,possides. *Tim.* Alteram itaq; plagam accipe *Dem.* Hei scapulis meis. *Tim.* Ne vocifereris,alioqui tertiam tibi inferam. Etenim res planè ridicula mihi acciderit,si cùm inermis duas Lacedæmoniorum acies fuderim, unum scelestum hominem non protrivero. Tum frustra vicero in Olympiis pugilatu & lucta. Sed quid hoc ? annon Thrasycles Philosophus hic est ? profecto ipsus est, promissa barba, subductisque supercilliis, & magnum quiddam secum murmurans,accedit,titanicum obtuens, coma super fronte crispata, Autoboreas alter,aut Triton, quales Zeuxis pinxit. Hic habitu frugalis,incessu moderatus, amictu modestus, mane mirum quàm multa de virtute disserit, damnans eos qui voluptate gaudent, frugalitatem laudans: at ubi lotus ad cœnam venit, puérque ingentem illi calicem porrexit (meraciore autem maximè delectatur) perinde ut Lethes aquam ebibens, matutinis illis sermonibus maximè contraria facit,dum mi lui instar præripit obsonia, & proximum oppositо cubito arcet,mento condimentis oppleto,dum canum ritu ingurgitat, & prono corpore, ac si virtutem in patinis sese inventurum speret: dúmq; catinos indice digito diligenter extergit, ne vel paululum alliati edulii relinquat: semper querulus, quasi deteriorem partem acceperit, vel si totam placentam,aut suem solus omnium accipiat,qui quidem edacitatis, & insatiabilitatis est fructus, temulentus,vino insanus,non ad cantum modò,saltationémq;, verùm ad cõvicium usque & iram. Adhæc multus inter pocula sermo: tum enimmaximè de temperantia,& sobrietate verba facit,idq; cùm jam à mero malè affectus ridiculè balbutit. Accedit his deinde vomitus. Postremò sublatum illum de convivio efferunt aliqui,ambabus manibus tibicinæ inhærentem. Quanquam alioqui ne sobrius quidem ulli primas partes cesserit,vel mendacio,vel confidentia, vel avaritia. Quin & inter assentatores primas tenet, peierat promptissimè,anteit impostura,comitatur impudentia. In summa vir est omnifaria sapientia cumulatus,omni ex parte exactus,varieq; absolutus. Quare licet sit modestus,brevi eiulabit. Quid hoc? papæ, tandem nobis Thrasycles? *Thras.* Non hoc animo ad te venio,Timon,quo plerique isti,qui nimirum tuas opes admirati,argenti, auri, opiparorum conviviorum spe adducti concurrunt, multam assentationem exhibituri apud te,hominem simplicem,& de rebus suis facilè impertientem Scis enim offam in cœnam mihi satis esse, opsonium verò suavissimum,cepam,aut nasturtium, aut siquando lubeat epulari lautiùs,paulum salis : potum verò ex fonte novem fistulis scaturiente constare: tum hoc pallium quavis purpurâ potius. Nam aurum nihilo magis apud me est in precio, quàm calculi qui sunt in litoribus. Verùm tua ipsius gratia huc me contuli, ne te corrumpat pessima & insidiosissima possessio divitiarum,quippe quæ multis sæpenumero immedicabilium malorum causa extiterit Etenim,si me audies,potissimum opes vniversas in mare proiicies, ut pote non necessarias bono viro,quique Philosophiæ possit opes perspicere. Ne tamen in profundum,o bone,sed fermè ad inguina usq; ingressus,paulò ultra fluctuosum littus,me uno spectante. Sed si hoc nolis,tu eas alio potiore modo,confestim exædibus eiicito, ac ne obolum quidem tibi reliquum facias,largiens quibuscunq; opus est,huic quidem quinq; drachmas,alii minam,alii talentum. Porrò si quis erit Philosophus, æquum est ut duplam,triplámve portionem ferat. Mihi autẽ,quamquam mea ipsius gratia non postulo,sed ut amicis siqui indigent impertiam,satis erit,si peram hanc,ne duos quidẽ integros modios Æginetieos capientem,plenam præbueris. Eum enim qui philosophatur convenit paucis esse contentũ,nihilq; ultra peram cogitare. *Tim.* Equidem ista quæ dicis probo Thrasycles. Ergo si videtur,priusquam peram expleam,tibi caput pugnorũ ictibus opplebo,insuperq; auctariũ ingone dabo. *Thras* O populi Imperiũ,& leges! à nefario homine in libera civitate pulsamur. *Tim.* Quid stomacharis ô bone Thrasycles? num te defraudavi ? Atqui mensuræ chœnices quatuor adiiciam. Sed quid hoc est? Complures simul adveniunt, Blepsias ille,& Laches,& Gnipho,in summa,eorũ agmen qui vapulabunt. Itaque quin ego in rupẽ hanc conscendo, ac ingonem quidẽ jam dudum fatigatum,paulisper interquiescere sino ? At ipse congestis plurimis saxis,procul in ipsos grandino? *Blep.* Ne iace, Timon, abimus enim. *Tim* At vos nec sine sanguine,nec sine vulneribus abibitis. *Timone, sive Misanthropo; ubi de usu & abusu divitiarum.*

Themistius : Iam vero quod ad aurum attinet,si quid indigerem, non dubito quin me magis eo Imperator oneraret,quam Crœsus olim Alcmæonem illum Athenienſem, cum ei permisit, ut quantum corpore suo posset auferret. Quando & nunc,quantum in illo fuit, clam in meas ædes delitiarum, ac commoditatem quosdam rivulos immisissem,quos ego vix obstruere,atq; obturare potui, nec domum meam majorem,quam Philosophia sinat,opum copia,inundari,atque obrui sum passus: neutiquam ignorans quocumq; sponte, ac citra laborem unus se ille furtim insinuasset, inde emigrare virtutem oportere. Verũ callidius utiq; Philosophum aggredi Constantinus novit,quam Philippi Filius Alexander: Hic enim posteaquã quinquaginta simul Talentis obtatis perrumpere,ac flectere Calcedoniũ Xenocratem non potuit,sed auri ille impetum fortiter, constanterq; propulsavit, cessit illico,ac manum sustulit, nec aliam validiorem machinam adhibuit. At Magnus Imperator eam rationem excogitavit,cui ego uni cederem,nec manus,sed aures subiicerẽ. *Orat.* 14.

Alciphron : Te solùm divitiis affluere putas,quòd eos qui mihi suam in captando operam locarunt, ineſcatos ad te ipsum traducis abundantia mercedis & meritò. Tibi namq; factus antea moneras aurẽ Darici tulit,Salaminensis pretii fortasse reliquias,submersæ opinor Persicæ navis cùm hominibus suo & pecuniis,cùm in majoribus nostris Themistocles, Neocle patre magnum contra Medos Trophæum statueret. At ego necessariarum rerum affluentia contentus sum,quas labore quotidiano,manibus comparo. At si diteſcis,fac ut jure diteſcas, & divitiis non ad malitiam, sed ad probitatem quasi ministris utare. *Naubathes Rhotio Epist. quinta.*

Simocatta : Corydon homo beatus est,& fortunæ amicus,ut apparet. Vites gravantur botris, Pyri onustæ sunt,& messores postulant. Olivæ ad terram inclinant,& multitudine ferentibus ramis vim adhibent. Prata comis plena sunt. Area paleis æqualis est sulcis. Sed& uxorcula cum reliquis hominem oblectat. Tot enim sunt ei liberi, ut etiam Ægyptum ac Danaum liberorum fœlicitate superet. Alius enim adhuc mammillis adhæret,alius jam lactere desiit. Cæteri repunt qui novam rectè ingredi cœperunt. Quidam balbutiunt & dentes efferunt. Reliqui ad vigorem ætatis accedunt,& jam adolescentiã grandiorem sortiti sunt. Ad nodum distinctionum tibiæ,series ætatis est ei composita. Tu verò monebas ne Corydoni filiolam traderem,& affinitatẽ vituperabas, quasi generis ignobilitatem aversans. Heu mihi persuasum in fœlix & levem animum habui. Nihil prodest hominibus nobilitas. Divitiis enim apud omnes nihil gloriosius. *Epistola* 62.

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Habent hoc quoq; deliciæ divitum,malunt quærere omnia contra naturam. gratus est ille debilitate : ille ipsa infelicitate distorti corporis placet : alter emitur quia coloris alieni est. accessit nova elegantia inter perversas delicias,habere rusticum parasitum. *Declamat.* 298. *a. f.*

Quintilianus Senior: Præcipua impotentiæ voluptas divitibus videtur,ut sceleribus suis etiam glorientur. *Declamat.* 305. *pr.*

Quintilianus : Divitiis opus est,ne simus in amore miseri,& impotentissimi mali difficultates illi fortasse non sentiant,quos contra fastidia ceterosque contemptus explicat felicitas magna pereundi. *Declamatione* 15. *S.* 10.

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita sua.

Πᾶσι γὰρ ἔσης τῆς ἀπλησίας κακῆς,
Ἄπλησον εἶναι χεῖρον ἐν τοῖς πνεύματος.
Cùm fœda rebus exeat in cunctis opum
Cupido, multo est fœdior tamen in sacris.

D. Nazianzenus Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

Sunt multi, quibus est sensus deperditus omnis
In stadijs dum sacrilego male sanguine gaudent.
Dum gaudent nunc cæde virum, nunc cæde ferarum
Lævis homines, populi ut plausu vanosq; favores
Obtineant, atq; exiguos celebrentur in annos.

Rursus

Rursus in athletas alij bona cuncta profundunt,
Aurigasq; leves, quos sub pugnante corona,
Aeriq; hinc illinc; manus feriente vicissim
Certatim insanire juvat. sunt rursus, opes qui
Nunc in femineis, nunc in probrisq; virorum,
Dum varios animi lusus & gaudia quarunt,
Consumpsere suas, dum minorumq; jocose
Prospiciunt avidi colaphismata, quaeis sibi malas
Dum retegunt illi, sonitus crepitusq; cietur:
Ex quo pro lacrimis oritur gemitusq; cachinnus.
Haecetenim stultè peragunt, vitamq; scelestam
In medio ludunt, id quod didicere, docentes
Ac solis merces scelerum, non horridus ensis,
Est, sed opes & divitiae; quae turpibus illi
Auxilium vitijs prabent, miserumq; favorem.
Porrò inter stolidos homines & mente carentes
Perfacile est plausum scelerata ferre catervae.
Ista quidem faciunt illi, quaeq; arte pararunt.
Infanda, post absciunt sceleratius: idque
Iudicio certè supremi numinis aquo.

Bias apud Ausonium.

Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.

Aristophanes Pluto v. 29.

Ego cùm vir essem justus, integer & pius,
Hactenus in egestate, & summa penuria,
Aetatem egi inopem ac miseram. C. istuc scio.
CH. Alij verò nequam homines, scelerati, improbi,
Sacrilegi, sycophanta, rabula, interim
Diteſcebant C. istuc credo facillimè.

Eodem, versu 783.

Abi in malam rem! quam molestum illud genus
Amicorum, qui amici existunt protinus,
Si cui secundiores esse res vident
Praterq; spem de egeno factum divitem.
Nam & laucinant me, & prope crura infringunt mihi.
Dum quisque suam declarat benevolentiam.
Nam quis me hodie in foro non allocutus est?
Qua turba semum non illic me circumdedit?

Aristophanes Pluto. v. 87.

——sed undenam cado,
Tam squalidus huc prodis. P. e Patroclei domo,
Qui nunquam lavit, ex quo aetatem inter homines
Agit. C. dic mihi amabo, unde istuc sit tibi malum.
P. Me Jupiter me multavit malis, sua
Bona invidens hominibus nam olim puer adhuc
Mirarme fueram, quod desertis improbis,
Justos, modestos, eruditos, & probos
Adire solos vellem: sed me Jupiter
Occacavit, ut horum dignoscam neminem.
Adeo frugi hominibus hic Deus male invidet.
C. Atque ille honorem accepit à justis ac bonis
Solis. P. fateor. C. agetu, si visum pristinum
Recuperes, numquid fugies jam deinceps malos?
P. Ita loquor. C. adjustos divertes? P. scilicet.
Nam nusquam ipsos jam longo vidi tempore.
C. Neq; id mirum; quando ego oculatus ejusmodi
Haud usquam video.

Ibidem versu 106.

Obsecro, da te mihi, neq; dese re me virum
Si quaeras quam ego sum, invita meliorem, neq;
Tu reperies, neq; per Jovem alius est, quam ego.
P. Hoc pollicentur omnes: sed ubi me semel
Adepti fuerint, divites que evaserint,
Plane à probitate deflectunt ad malitiam.

Aristophanes Pluto. v. 288.

An revera nos omnes divites sumus futuri?
C. Imò Mida: si modo asininas induatis aures.

Aristophanes Pluto. v. 495.

——Si Plutus nunc visum oculosque receptet,
Neque caecus oberret: apud frugi tantum divertet, eosque
Nunquam deseret: at pravos & sceleratos negliget: atque
Hinc fiet, ut omnes frugi & amantes pietatis locupletet.
Quo consilio, credo quis hominum melius excogitet ullum?
B L. Nemo profectò. nam me tibi testem do: ex hac quarere
CH. Etenim si hominum vitam, ut nunc est, quis secum ex-
penderit: an non
Quandam insaniam, & ut dicâ verius, extremâ reputabit
Esse miseriam? Nam hodiè bona pars hominum prava &
scelerata
Divitijs per fas atque nefas, corrasis, affatim abundat:
Multi aut justi & probi inopia atq; fame pressi, malè vitâ
Peragunt. & tecum, Paupertas, nullo non tempore degunt.
Ita q; unâ hanc esse viam puto: quâ si oculis cat ille receptis:
Genus humanum majoribus accumulaverit emolumentis
P A. O homines per facile pra alijs hucillecti, ut nihil usquâ
Sani inceptetis: duo vetuli, deliri atque hallucinantes:
Socij nugarum & fraudum si, quod vos summa cupritis vi,
Contingat: nõ video, qui nam in rem hoc vestrã cedere possit.
Quoniam si Pluto visus reddatur: sequè omnibus ille
Ex aquo distribuat: & communis velit omnibus esse:
Tum neque docta artes, neque disciplina ex mortalibus ulli
Futurae sint curae. Deletis autem per vos artibus atque
E vita hominum sublatis: quis quaeso ferrum fabricabit
Quis naves coplget? quis sutor erit? quis pistor parabit?
Quis corium mactabit? quis pelles tinget: quis coniget aedes?
Quis arabit terram? quis fructibus demetet & in horrea cõdet?
Si quidem vobis ista securis & inertibus esse licebit.
CH. Nugaris, na haec quae modò nobis enumeraſti, omnia ser-
Perficient. P A. Vnde autem tibi servi? C H. Illos mercabi-
mur. P A. At quis
Vendet primũ, cui non minor argenti vis, quã tibi prompta?
CH. Aliquis lucri cupidus mercator peregrè Thessalia ad nos
Proficiscens, aplagarijs atque propolis mancipiorum.
P A. At neq; plagiarij erunt siquidẽ tua, quam dicis, ratio sit
Nam quis locuples hoc faciat proposito discrimine vitæ?
Itaque tuto colere, arare, & caetera vitæ munia obire
Cogeris; multoq; miserior, quã nunc eris. CH. in caput esthæc
Mala tuum recidant. P A. Sed neq; tum in lecto (quia nul-
erit ullus)
Neque tapetibus es dormiturus: quis enim stragula texat,
Cui nummorum satis est: neq; trem unguentis olim pretiosis
Delibuti, neque sumptuose tinctis gradiemini amicti
Vestibus, ubi domum duxeritis sponsam. Quasi omnia vobis
Desint: quomodo pro divitibus censebimini atque opulentis?
A me autem ista omnia, quorumcumque modò vestrum in-
diget usus,
In promptu vobis adsum. nam ego opificem, veluti imperiosa
Domina astans, cõpellio: ut rerum usu & paupertate premẽte,
Rationem ineat, qua vitam tolerer.

Aristophanes Pluto v. 804.

Quanta est voluptas, ô viri, discescere,
Et praesertim, qui domo nihil extulit:
Et opes suas paravit sine dispendio.
Veluti jam nobis accidit, quibus omnium
Bonorum acervus in domum, quasi vi irruit:
Nulla cujusquam injuria: sic scilicet
Diteſcere, homini demum suave atque voluptarium
Primum area plena est tritice a similagine:
Vino rubello & fragranti plena amphorae:
Argento & auro plena sunt vasa omnia:
Ita ut nemo satis possit admirarier:
Puteus oleo plenus: plena sunt lecythi
Pretioso unguento: plenum denique caricis
Summum cenaculum: Vasa omnia, obbulae,
Acetabula, fidelia sunt aerea,
Piscarias autem scutellas, antea
Putres, videre nunc domi est argenteas:
Culina derepente est facta eburnea,
Nos servulis par impar ludimus aureis
Nummis: idem alvo exonerata, non lapidibus
Nates detergimus, ut olim; sed alijs,
Idque subinde, animi & deliciarum gratia.
At herus meus corona comitus aurea,
Suem, hircum, aretem Dijs intus immolat.

Plautus Aululariæ 2 sc. 2. v. 17.

Non temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.
Nunc petit, cum pollicetur. habet aurum ut devoret.
Alteram manu fert lapidem: panem ostentat altera.
Nemini credo qui largè blandus est dives pauperi.
Vbi manum insicit benignè, tibi onerat aliquam zamiam
Ego novi istos polypos, qui ubi quid tetigerint, teneut.

Plautus Bacchid. 2. sc. 3. v. 97.

Sed dives ne est iste Theotimus? C. etiam rogas?
Qui soccis habeat auro suppactum solum.
N. Cur ita fastidit? C. tantas divitias habeat:
Nescit quid faciat auro. N. mihi dederit velim.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 127.

Huic homini dignum est divitias esse, & diu vitam dari,
Qui & rẽ servat, & quibene habet suis q; amicis vult bene.

Plautus Milite 3. sc. 1. v. 130.

——Ita me Dij Deaq; ament, aequum fuit,
Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent.
Sicut merci precium statim, pro virtute ut veneat:
Qua improba est pro mercis vitio dominũ precio pauperat.
Itidem Dios dispertisse vitam humanam aquum fuit,
Qui lepidè ingeniatus esset, vitam longinquam darent.
Qui improbi essent ac scelesti, iis adimerent animam citò
Si hoc paravissent, homines essent minus multi mali,
Et minus audacter scelesta facerent facta, & postea
Qui probi homines essent, esset his annona vilior.

Plautus Pœnulo 3. sc. 6. v. 15.

Injuriam illic insignirè postulat:
Nostro sibi servire nos censet cibo.
Verùm ita sunt isti nostri divites?
Si quid bene facias, levior pluma est gratia:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Lucilius.

Aurum atq; ambitio specimen virtutis utriq; est.
Quantum habeas, tanti ipse sies, tantiq; habearis.

Phædrus Fab. 70.

Opes in viro sæpe merito sunt forti viro :
Quia dives arcæ veram laudem intercipit.
Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Cùm gratulantes personasset Deos ;
Venienti Plutoni qui Fortunæ est filius,
Avertit oculos, caussam quæsivit pater.
Odi, inquit illum qui a malis amicus est,
Simulq; objecto cuncta corrumpit lucro.

¶ Fabula.

De Lupo esuriente, qui in cadaver bovis inciderat.

Fab. 191.

Lupus senio confectus, quum amplius venari non posset, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum, qui eum cibo iuvaret, poterat invenire. Dum ergo mœstus ingentem peragraret sylvam, in bovis cadaver incidit, quod vix cœperat laniare, quum non solum cæteri lupi, verum etiam vultures, corvi & cornices illuc se contulerant, lupum orantes, ut se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tunc secum lupus: Quem paulò antè fratres & filii negligebant, ecce alienigenæ animantes nunc honore prosequuntur, & amicum expetunt. Non mihi, sed bovi hunc exhibent honorem.

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, divitibus vero ab omnibus honorem exhiberi. Abstemius.

Æsopi Hercules & Plutus : Hercules inter Deos receptus, & apud Jovem epulatus, Deorum unumquemque comitate multa amplexus est. tandem verò ingredientem Plutum humi defixis oculis aversatus est. factum admiratus Jupiter, causssam percunctatus est, cur omnibus Diis officiosè salutatis, solùm despiceret Plutum? Cui ille, ideo illum adversor, quod quamdiu inter homines fuimus, eum ut maximè animadverti cum malis esse conversatum.

¶ Emblematum.

Scba.

Incauto quicunque rosas collegerit ungue,
Vix unquam illæso legerit ungue rosas :
Hoc sapite exemplo lecturi ; plurima namque
Hisce latent vestris spicula mixta rosis.

Batillius. CCVIII.

Plures casus vitam divitum manent quàm pauperum.

Altum hæc cymba tenet, littus premit illa propinquum :
Pauperis hæc vitam, divitis illa refert,
Incertum hic periter male certâ navigat aurâ,
Arbitrio cursum temperat ille suo.

Indoctus ipse alios juvo. Embl. LXV.

Sunt Asini cantare rudes, tamen essa ministrant
Quæ fistulis aptissima ;
Sic quibus est res ampla domi, tenues studiosos
Opibus juvare convenit.

Florentius Schonhovius.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

Abrahamus Patriarcha : Quum ei post debellatos quatuor reges, & reducto nepote Loto, rex Sedom ei spolia offerret, dixit Abrahamus, Extuli manum meam ad Jehovam Deum fortem, excelsum, possessorem cœli & terræ, dira mihi imprecans, si accepero à filo usque ad corrigiam calciamenti, ac proinde si accepero ex ullare quæ tua sit: ut non dicas, Ego ditavi Abrahamum. Penes me nihil esto, &c. *Genes.* 14. 21. 22. &c.

David psalmographus : Fiduciam suam in Deum prædicans, & securitatem de resurrectione carnis ac vita æterna, vanitatem divitum qui caducis rebus confidunt, earum incertitudine hominúmque exitio explicat, verbis multiplicem sapientiam ostendentibus, & omnino memoria dignissimis. Eorum, inquit, qui confidunt in opulentia sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur, fratrem nullo modo redimere potest quisquam, nec dare Deo redempturam ejus, ut vivat adhuc in æternum, & non experiatur corruptionem. Quanvis videant sapientes mori, simul stultum & brutum perire ac derelinquere aliis opulentiam suam, animus tamen est illis domos suas in seculum & habitacula sua in quamq; generationem vocare de nominibus suis per terras. Neque homo qui in honore est, commoratur, sed similis fit iumentis quæ intereunt. Hæc cùm sit via istorum, expectatio est eis, & posteri eorum os eorum approbant. Tanquam pecudes, ubi in sepulchro dispositi fuerint, mors depascet eos. Ne timeto cùm dives evaserit quispiam, cum aucta fuerit gloria domestica ejus. (Non enim in morte sua assumpturus est illius quicquam, non descensura est post eum gloria ejus) cùm animæ suæ in vita sua benedicet, & celebrabunt eum si benefaciat sibi : ut perveniat usque ad ætatem majorum suorum, in æternum tamen hujusmodi homines non sunt fruituri luce. Homo qui est in pretio, neque est intelligens, similis fit iumentis qui intereunt. *Psalm.* 49. *à* 7. *vers. ad ultimum.*

Idem, ab adversariis oppressus, fiduciam suam in Deum alio Psalmo prædicat, officiúmq; Dei erga se, inimicos reprehendit, seipsum Ecclesiámque suo exemplo confirmat, & omnes à fiducia rerum vanarum, cujusmodi sunt divitiæ, revocat ad Deum, dicens, Confidite Deo omni tempore, ô populi, effundite coram eo animum vestrum. Deus receptui nobis est. Tantummodo vanitas sunt nati plebeio homine, mendacium sunt nati præstante viro : lancibus illi simul impositi, ascensuri essent supra vanitatem. Ne confidatis oppressioni, & rapinæ ne evanescatis : opulentia si abundet, ne apponatis animum. *Psalm.* 62. 9. 10. 11.

Salomon : Malè & citò partæ *divitiæ* non prosunt, inquit Salomon, Proverb. 10. 2 3. 16. & 11. 4. & 20 21. & 21. 6 7. & 28 20. 22. *Dispensantur cibo*, Prov. 13. 11. *cum exiguo prorum non comparanda*, Prov. 15. 16. & 16 8 *Iustis & honestæ sunt corona* Prov. 14 24. & 22. 7, *Sunt ornamento virtute*, Eccles. 7. 12. 13 *Honorem adferunt*, Eccles. 4. 15. *Vtiles sunt*, Prov. 10 22. & 15 6. Eccles. 5. 18. & 6. 1. 2 & 10. 19. *usus earum qualis esse debat*, Prov. 5. 15. &c. Eccl. 8 15. & 9. 7. 8. 9. *Confidens in illis peribit*, Prov. 11. 28. & 18 11. *Earum miseria & vanitas*, Proverb. 13. 8. & 28. 11. Eccles. 5. 10 11. 12. 13.

Iesus Christus Dominus noster: Ne thesauros, inquit, congerite in terra, ubi tinea & erosio corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur. Sed congerite vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea, neque erosio corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur. Nam ubi est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum. Nemo potest duobus Dominis servire : aut enim unum habebit odio, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ. *Matth.* 6. 19. 20. 21. 24.

Idem: Dicebat suis auditoribus, Facite vobis amicos ex mamona fallaci, (i. ex divitiis fraudulentis sive fraudatricibus, quòd nihil sit illis incertius & fallacius, ut quotidie experiuntur, qui spem in eis suam collocant) ut quum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in eo quod minimum est, etiam in eo quod multum est fidelis est : & qui in eo quod minimum est, injustus est, etiam in eo quod multum est injustus est. Itaque, si in fallaci mamona fideles non fuistis, veram mamonam quis credet vobis? Et si alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nullus servus potest duobus Dominis servire : aut enim unum odio habebit, & alterum diliget : aut uni adhærebit, & alterum contemnet. nō potestis Deo servire & divitiis. Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant avari : & sannis eum excipiebant. Tunc dixit eis, Vos ij estis qui iustificatis vos ipsos in hominum conspectu : Deus autem novit corda vestra : quia quod apud homines sublime est, abomination est in conspectu Dei *Luc.* 16. 10. *&c.*

Idem: Adolescenti cuidam diviti de observatione mandatorum divinorum glorianti, dixit Jesus, Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & adesdum sequere me. Quum audisset autem adolescens sermonem, abiit contristatus. Habebat enim bona multa. Jesus autem dixit discipulis suis, Amen dico vobis, dives difficulter introibit in regnum cœlorum. Rursum verò dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei introire. His autem auditis discipuli ejus perculsi sunt valdè, dicentes, Quis ergo potest servari? Intuitus autem eos Jesus, dixit eis, Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt. *Matth.* 19. 21. *&c.*

D. Paulus Apostolus : Timotheum & quemvis alium hominem Christianum à divitiarum amore retrahere volens, divino spiritu afflatus dicebat, Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus : sed habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti erimus. Qui autem volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Si quidem radix omnium malorum est amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis. Tu verò, homo Dei, ista fuge, &c. *Et paulò post :* Iis qui divites sunt in hoc seculo denuntia ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo, qui præber nobis omnia copiosè ad fruendum : ut aliis benefaciant, ut divites sint operibus bonis, faciles ad impartiendum, facilis convictus : recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum : ut apprehendant vitam æternam. 1. *Timoth.* 6. 6 7. *&c* 17. 18. 19.

D. Iacobus Apostolus: Frater, inquit, qui est abjectus, glorietur in sublimitate sua : contrà, qui dives est, in abjectione sua, quoniam veluti flos herbæ præteribit. Nam velut exorto sole cum æstu, exaruit herba, & flos illius decidit, & spectabilis decor ipsius perit : ita & dives in viis suis marcescet *Cap.* 1. *vers.* 9. 10. 11.

Divitibus iniquis, profanis, & in suo luxu immersis, exitium denuntiat idem Apostolus, & stultam eorum fiduciam irridet piis verbis, Agite nunc divites, flete, ululantes super miseriis vestris superventuris. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum & argentum vestrum ærugine vitratum est, & ærugo eorum testabitur adversum vos, & exedet carnes vestras velut ignis : thesaurum congessistis in ultimos dies. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, à vobis intercepta, clamat, & clamores eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt. In deliciis vixistis super terram, & lasci vistis, enutristis corda vestra ut in die mactationis : condemnastis, occidistis justum : non resistit vobis. *Cap.* 5. *vers.* 1. 2. *&c.*

D. Irenæus:

B. Irenæus: Christus, inquit, non fabulam retulit nobis pauperis & divitis, Luc. 16. Sed primum quidem docuit neminem oportere deliciis uti, neque in secularibus oblectamentis & multis epulis degetes servire suis voluptatibus, & obliviſci Deũ. *l. 4. adv. hæreſes. c 4.*

D. Cyprianus: Divites mulieres & virgines, consiliis sacris ad modestiam, temperantiam & pudorem deducentibus ægrè acquiescunt. Cypriani seculum his sordibus fœdatum apparuit, & voluptatibus deditarum objectis satisfaciendum fuit. Quod eximius illic Dei servus abunde præstitit, divitum querelas retundens his verbis: Sunt aliquæ divites, inquit, & facultatum ubertate locupletes, quæ opes suas præferant, & se bonis suis uti debere contendant. Sciant primò illam divitem esse, quæ in Deo dives est: illam esse locupletem quæ in Christo locuples est: bona illa esse quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant: cæterùm quæcunq; terrena sunt & in seculo accepta, & hîc cum seculo remansura, tam contemni debent quàm mundus ipse contemnitur, cujus pompis & deliciis jamtunc renunciavimus, cùm meliore transgressu ad Deum venimus.

Locupletem te dicis & divitem, sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultũ atq; ornatũ tuum iusto fine moderãdum sua voce præscribit. 1. Tim. 2. Item Petrus Apostolus, 1. epist. 3. Sed non omne quod potest, debet & fieri: nec desideria prolixa, & de seculi ambitione nascentia, ultra honorẽ ac pudorẽ virginitatis debent extendi, cùm scriptum sit, Omnia licent, sed non omnia expediunt aut ædificant.

Locupletem te dicis & divitem: sed jactare divitias suas virginem non decet, cùm dicat Scriptura, Sap. 5. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarũ jactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra. & Apostolus rursũ moneat & dicat, 1. Cor. 7. Qui emunt, sic sint quasi non possidentes, & qui hoc mundo utuntur quasi non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Petrus etiam, Act. 3. aurũ quidem sibi esse & argentũ negat, sed esse se dicit Christi gratia divitem, esse fide ejus & virtute locupletem, quibus multa magnalia cum miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriæ bonis spiritualibus abundaret. Has opes, has divitias possidere non potest, quæ se divitem seculo mavult esse quàm Christo.

Locupletem te dicis & divitem, & utendum putas iis quæ possidere te Deus voluit. Vtere, sed ad res salutares. utere, sed ad bonas artes, utere, sed ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletẽ sentiant indigentes. Patrimonium suum Deo fœnera, Christũ ciba. ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora. Commẽda illic thesauros tuos, ubi fur nullus effodiat, quo nullus insidians grassator irrũpat. Possessiones tibi, sed cœlestes magis, compara, ubi fructus tuos juges ac perennes, & ab omni contactu injuriæ secularis immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec sol urat, nec pluvia corrumpat. Delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non salubriter perfruaris. Tentatio est patrimonium grande, nisi ad usus bonos sensus operetur, ut patrimonio suo quisque locupletior, magis redimere debeat quàm augere delicta. *Ex D. Cypriani libro de disciplina & habitu virginum.*

Idem: Meritò, inquit, Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi fit & repugnans, ut quæramus in seculo diu vivere, qui petimus regnũ Dei velociter advenire. Et docet Apostolus, 1. Timoth. 6. non tantum contemnendas sed & periculosas esse divitias: illic esse radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. *lib. de Oratione Dominica.*

Anonyma: Captiva mulier Christiana inter Iberes, quum Christi virtute Iberum reginã ex morbo curasset, à rege donis remunerari jussa, se divitiarum minimè indigere respondit, pietatem se habere pro divitiis asserens: regémque munus amplissimum recepturum, si Deum quem illa colebat vellet cognoscere. Hæc locuta, dona remittit. *Socrat. hist. eccles. lib. 1. cap. 16.*

Basilius magnus: Illius dicta de divitiis ab Antonio collecta, *Sermon. de divitijs & divitibus qui bene ac decenter viuunt*, hæc sunt. Fluxa divitiarum natura torrente celerius possidentes prætermeat, & aliâs alium præterlabi solet.

Aquam citius manu comprehensam tenueris, quam divitias satis servaveris.

Iustus quidam neque præsentes divitias aversatur, nec absentes requirit: non enim sibi tantùm fruitur rebus quas Deus dederit, sed dispensator earum est. Nullus vero mente præditus sponte festinat ad negotium alienæ dispensandi, nisi gloriam popularem respiciat, &c.

Alia scitè dicta Basilij leges in tribus homilijs quæ 1. tomo extant scriptis in divites avaros, ex quibus homil. iustum libellũ quis conficere possit. Loca indicasse sufficiat, ne apophthegmata in volumina transformare velle videamur.

Gregorius Nazianzenus: Divitias impiorum vocat calamitatis arrhabonem, vitiorum magistras, idola, perditionis instrumenta, harum cupiditatem rem fœdissimam, exitialem. Pulchra res, inquit, inopia, & pecuniarum contemptio. Testis est Zachæus, atque etjam Christus: ille dum Christo domum suam ingredienti omnes propemodum opes suas dono dedit: hic autem diviti illi (Matth. 19.) perfectam vitam hac re definivit. *Orat. 6.*

Idem: Utinam, inquit, pereant divitiæ, nisi pauperibus subveniant. Quid enim opus est multa reponere latronibus & furibus, & mutationibus temporum, quæ alias in alios transferunt & ventilant instabilem opulentiam: non autem recondere in apothecas munitas, & omnibus insidiis validiores? *Anton. Serm. de divitijs & divitibus qui bene viuunt.*

Boni Dei minister factus es, ô homo, œconomus conservorum? ne putes omnia tuo ventri parata esse. De rebus illis quas manibus tractas, tanquam de alienis consulta. Brevi tempore te oblectant, deinde præterfluentes interibunt: tu verò exquisitam de ipsis rationem reddere iubberis. *Anton. Serm. de malis divitibus.*

Dives non habendus est felix propter divitias, neque princeps propter excellentiam dignitatis. Hæc etenim instrumenta virtutis, sunt, si rectè usurpentur, non autem ipsa felicitatem in se continent. Ergo qui malè divitiis utitur miserabilis est: ut ille qui sponte se vulneraverit eo gladio quem ad vindictam hostium sumpserat. *Eod. Serm.*

Gregorius Nyssenus: Honestè, inquit, possidere pauca, multò præstabilius est, quàm improbè multa possidere.

Nulla lucrandi satietas vnquam oboritur: sed quod subinde accipitur materia & fomentum majoris desiderij fit. *Antonius, Serm. de bonis divitibus.*

Philo: Divitiarum decus non in loculis situm est, inquit, sed in auxilio egentibus exhibendo. *Ibid.*

Nilus: Ne velis, inquit, ditescere ea causa, ut liberalis sis in pauperes. Deus enim jubet justum misereri ex iis quæ habet. *Ibid.*

Chrysostomus: Pauper non tam necessaria desiderat, quàm superflua dives: nec rursus tantam vim aut facultatem habet pauper ad exercendam improbitatem quantam dives. *Ibid.*

Divites ut plurimum faciè incidunt in malitiam. Cùm enim abundantia rerum magnam pravis affectibus facilitatem præbeat, procliviores ad vitia feruntur. *Anton. Sermon. 132. de divitibus, &c.*

Periculosa divitum est vita & intractabilis mutatio. Quod si dixeris, multos famulos circunducit dives, & multa terræ iugera possidet: primùm scias difficilem ei reddendam esse de omnibus suis rationem: non enim fruendi gratia tantùm accepit, sed ut aliis quoque utile foret. Deinde, quod nihil ei ab hac opulentia contingit, quàm curæ, solicitudo, ira, & perpetua perturbatio ac tumultus: neque enim dives multos implet ventres, pauper verò unum solum: sed unum & hic & ille, & unum uterque corpus curat: idque alter sine metu & anxietate, alter tremens, & timens adversitates. Ne respexeris igitur quanta sit possessio, sed an major fructus majorem possessionem sequatur. *Eod. Serm.*

Nihil iuvant opes divitem morientem, quas secum auferre nequit: & hoc duntaxat accepit lucri, quòd cùm viveret, beati titulum apud adulatores habuerit. *Ibid.*

Multi divitiis affluentes, vitam sibi minimè vitalem existimant: alii in extrema paupertate maxima cum hilaritate degunt. Imò illi post satellitia, gloriam, honores, vitam ipsam execrantur: Hi verò obscuri, & ex obscuris, & omnibus ignoti, multis aliis se beatiores existimant. Hilaritas enim & tranquillitas animi non tam in rerum conditione quàm judiciis hominum consistere solet. *Eod. Serm.*

Idem: Quid de divitiis sentiat Chrysostomus, ex ejus homiliis & scriptis colligere in promptu est. Ejus dicta quædam notabimus. Divitiæ, inquit, non sunt peccatum: sed peccatum est, eas non distribuere pauperibus, & eis malè uti. Non sunt monimentum gloriæ, sed avaritiæ. Sunt gravia vincula & sævi tyranni malè utentibus: immanes item belluæ, corruptionis adiutrices, hostes continentiæ, inimicæ temperantiæ, occultæ prædatrices virtutum, similes feris & servis fugitivis, bonos mores nunquam fecerunt, reconditæ sunt beluis reclusis similes, occultant viperas & scorpios, multos habent fluctus & perturbationes, sunt abundantibus opprobium, non sunt cum eo qui habet illas, suffocant mentem, suis dominis sunt periculosæ & lethales, dum includuntur acrius rugiunt quam leones ac omnia perturbant, reddunt homines insanos, coniiciunt in tentationes, contumelias verborum in Deum pariunt, sunt omnis absurditatis parentes, sunt instabiles, fugaces, fallaces, homicidæ, probrosæ. *His epithetis brevia quædam dicta subjungamus.* Divitiæ non sunt bonum, sed voluntas nostra. Sunt feræ: si contineantur fugiunt, si spargantur manent. Sparge igitur, ut maneant: ne occultes & defodias, ne fugiant. Tum demum nostræ sunt, cùm dantur pauperibus. Ei sunt bonæ cui peccatum non est conjunctum. Divitias qui malè expendunt, avaris sunt pejores. Nunquam magnam salutis animæ iacturam faciunt, ubi studium est utile. Divitiæ maximæ, non egere divitiis.

Cupiditas divitiarum est omnium vitiorum arx & metropolis, opera bona facere non sinit, est tyrannis per totum terrarum orbem diffusa, est soboles Satanæ, qui eas congregat, cum peccato spem suam ponit in terra, inflant, & nocendi virtutem præstant. Divitiæ inferorum tormenta suscipiunt: non sunt filiis relinquendæ, ut relinquant ipsi virtutem: in divitiis defuncti sunt deflendi qui nullam ex divitiis sibi comparaverunt consolationem.

Porro justas homilias, & quidem plures reliquit Chrysostomus, nempe de avaritia, de beneficentia, charitate, dilectione, divitiis, eleemosyna, misericordia, &c. ex quibus innumera apophthegmata sacra pius lector de divitiis earúmque usu & abusu colligere potest.

D. Augustinus: Quales sunt divitiæ, inquit, propter quas latronem times? propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat & fugiat?

fugiat? Si veræ divitiæ essent, securitatem tibi præstarent. Illæ ergo veræ divitiæ sunt, quas cùm habemus, perdere non possumus, Seculum est quasi mare: unicuique autem sua cupiditas est tempestas. Amas Deum? ambula supra mare: sub pedibus tuis est seculi timor. Amas seculum? absorbebit: amatores suos vorare novit, non portare. Sed cùm fluctuat cor tuum cupiditate, invoca Christi divinitatem, ut vincas tuam cupiditatem. *De Verbis Domini, Serm.* 13.

Placuit divinæ providentiæ in posterum bona præparare justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis quibus non cruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimùm, qualis sit usus, vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malus frangitur: malus autem ideo infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reservari pateretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret apertè Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itémque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur: nec pios faceret talis servitus, sed potius cupidos & avaros. *Lib* 1. *de civitate Dei, cap.* 8.

Paulinus noster, Nolensis episcopus, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus, quando & ipsam Nolam Barbari vastaverent, cùm ab eis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognovimus, precabatur, Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis. Ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. *Ejusdem lib.* 1. *cap.* 10.

Amiserunt Christiani omnia quæ habebant. Nunquid fidem? nunquid pietatem? nunquid bona interioris hominis, qui est ante Deum dives? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus Apostolus dicebat, Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia, &c. At quidam boni etiam Christiani tormentis excruciati sunt, ut bona sua hostibus proderent. Illi verò nec prodere nec perdere potuerunt bonum, quo ipsi boni erant. Si autem torqueri quam mammona iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo: ut eum diligere potius discerent, qui pro se passos æterna felicitate ditaret, non aurum & argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Namque inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum nisi negando servavit. *Eodem capite.*

Amor temporalium est visus spiritualium pœnarum. *De Verb. Domin. Serm.* 33.

Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim vestimentis induti nascimur, nec cum auro argentóque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, potu, amictu: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum, sepulchro nos includit cespes angustus, qui & pauperi abundat & diviti: & terra, viventis quæ non cœpit affectum, jam divitem capit. *tractat de Nebucadnezare.*

Audi, omnes nascimur nudi, & morimur: nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi fortè, quia gravius fœtent corpora divitum, distenta luxurie. *In Hexamero.*

Quid boni est in hac vita homini, qui in umbra vivit, nec expleri potest cupiditatibus & si impleatur divitiis, fructum quietis amittit? Cogitat custodire quod misera cupiditate acquisivit, ut miserius ea possideat, quæ sibi prodesse non possunt. Quid enim miseriùs, quã ut custodia torqueat, quarũ abundãtia nihil prosit? *Lib. de bono mortis*

Omnis dives aut iniquus, aut hæres iniqui est. *Epist.* 69.

Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit: neque putavit se posse & virtutem & divitias simul possidere. Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur: & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus fideliter aliena distribuere, qui nostra timidè reservamus? plenus venter facilè de jejuniis disputat. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. *Ad Paulin.*

Nihil miserius est quàm propter nummos Deum contemnere. *Ad quendam suum familiarem, & hab.* 12. *quæst* 1 *duo sunt.*

D. Gregorius magnus: Divitiarum, inquit, modus est primò habere quod necesse est. Dives cùm dormierit nihil secum auferet. Res suas cùm moritur secum effert, qui eas petenti contulit. Nam terrena omnia quæ servando amittimus, largiendo servamus: patrimoniúmque retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum nostris rebus durare non possumus, quia nos aut illas deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum est ergo nobis, ut res absolutè perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem. Culpam autem rerum nobiscum ducimus, quamvis hęc omnia, pro quibus perpetrata sunt, reliquamus. *Moral lib.* 18.

Qui terrenarum rerum amore vincitur, nullatenus in Deo delectatur. Esse sine delectatione anima nunquam potest: nam aut infimis delectatur, aut superioribus: & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori studio torpescit ad infima: quantóq; acriori cura ardescit ad infima, tanto tempore damnabili frigescit à summis. *Eod. libro.*

Idem: Magna est securitas cordis, si nihil habet concupiscentiæ secularis. Nam cùm ad terrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillúmq; esse nullatenus potest: quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat. *Lib.* 22. *Moralium.*

D. Bernardus: Divitiarum, inquit, amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animum quàm refrigeret usu suo: utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremò, ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas, & usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit & solicitudo. & in his omnibus, pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, sed nullis, eam parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nec in cor hominis ascendit, non tam insipientiæ quàm infidelitatis esse videtur. *Serm de conversione ad Clericos, capite* 12.

Infelix qui in hujus vitæ tenebris & lubrico fidens perituram insumit operam, nec advertit, quoniam est vapor ad modicum apparens, & vanitas vanitatum. Obtinuisti tandem ambitiosè quam ex longo concupiveras dignitatem? Serva quod habes. Implesti pecuniosè loculos tuos? Solicitus esto ne perdas. Vberes fructus attulit ager tuus? Dirue horrea tua ut majora ædifices: muta quadrata rotundis, dic animæ tuæ, habes multa bona reposita in annos plurimos. Erit enim qui dicat, Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cujus erunt? *Eod. sermone, cap.* 14.

Dic nobis, beate Paule quis sit laqueus iste diaboli, à quo se liberatam fidelis anima congratulatur? Qui volunt (inquis 1. Timoth. 6.) divites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. Ergóne laqueus diaboli divitiæ sunt hujus seculi? Heu quàm paucos invenimus qui ab hoc laqueo liberari exultent! quàm multos qui dolent quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt ipsi se involvere & intricare laborant! Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem ubi caput suum reclinaret Filium hominis, exultate, & dicite, Ipse liberavit me de laqueo venantium, &c. *Serm* 3 *in Psalm. Qui habitat.*

Anonymus: Fertur historia quædam non inconcinna de duobus opificibus, quorum alter uxorem & numerosam prolem habens, pietatis studio unicè erat addictus, nec nisi audito verbo Dei ad labores accedebat, iisque in re familiari gaudebat successibus, ut divitiis abundaret. Alter verò uxorem quidem habens, sed liberorum expers, adeo laboribus suis intentus erat, ut diem & festum & profestum juxta æstimaret, nec sibi otium audiendi sacras conciones sumeret: interim magna paupertate premeretur. Quare tandem ex altero scisciatus est, unde ipsi tantæ supperetent divitiæ (quum eandem artem uterque profiteretur) qui tantam familiam alere cogeretur, cùm sibi liberis familiáque destituto inter assiduos labores gravis paupertas esset ferenda? Respondit ille, *Mane me comitare, & ostendam tibi undénam benedictio meis rebus accedat.* Postridie eum ad sacrã concionem secum adduxit, idem & perendie fecit, quin & tertio die idem facturus advenit. Ibi stomachabundus ille ait, Sibi viam ad templum satis esse notam, nec ipso monstratore opus esse, se putasse, fore ut per ipsum eò deduceretur, ubi rationem acquirendi divitias disceret. Ad quæ ille, *Alium ignoro locum, ubi thesaurus animæ & vita æterna acquiratur, quàm in templo. Nunquam autem audivisti, quid Christus in Evangelio dicat, Primò quærite regnum Dei, & cætera omnia adjicientur vobis.* Altius hæc animo infigens alter ille pauperculus, templum quotidiè frequentabat, verbúmque Dei avidè audiens, felices in rei familiaris administratione successus expertus est. *D. Andreas Hondorffius, in theatro historico.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

Adolphus Nassovia, Rex Rom. Verè igitur & præclarè iste. cùm multa de divitiarum gloria jactari audiret, *Præstat*, inquiebat, *vir sine pecunia, quàm è converso sine viro pecunia. animus est qui verè divites facit.* Hinc Lucret. lib. 5. de Nat.

Quid? si quis verâ vitam ratione gubernat;
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè
Æquo animo. neque enim est usquam penuria parvi.

Golzius.

S. Hilarion. Admirabatur eum Cicero in Off. qui divitiis ac opibus non moveretur, eumq; spectatu dignum arbitrabatur. Admiremur igitur viros inter Christianos hoc gloriæ splendore insignes, spectemus Hilarionem, qui Constantio Jmp. sibi decem auri libras offerenti, eò quòd candidatum quendam gravi nequitiæ spiritu liberasset, hordeaceum protulit panem, dicens: *Qui tali cibo aluntur, non majoris æstimant aurũ, quam lutum. Hier. in Vita, c.* 8.

S. Thaddæus Apost Miremur etiam Thaddæum: quem Abgaro Edissenorum Regi, aurum sibi ob miracula perpetrata & jacta Evangelij semina offerenti, respondisse tradunt: *Si nostra relinquimus, quomodo accipiemus aliena?* Sciebat illud Oseæ cap. 9. Desiderabile argentũ vrticam hereditabit, lappa in tabernaculo eorum. *Euseb. lib.* 1. *Hist. cap.* 15.

S *Basilius Magnus*: Vt in aliis omnibus, ita & hic magnus mirandusque Basilius. Cui dum Cæsareæ Præfectus suadere niteretur, in gratiam Jmperatoris fidem negaret, promitteretque favoris & opum copiam; *Hac homini Christiano*, inquit, *non conveniunt: sed adolescentulis, iisq; qui talibus promissis capiuntur. Trip. hist. lib.* 7. *cap.* 36.

SS. *Maximus*

SS. Maximus & Olympiades: Quo tempore Christiana pietas in Persida invicta permanebat, Decio tyranno oblati sunt isti, à quibus dum facultates flagitaret, *Libenter*, inquiunt, *nostræ enim facultates & aurum, Christus est, ad hunc accedito, & veris divitiis abundabis. Baronius. Lippel. tom. 2.*

S. Euphraxia Antigoni Filia: Ecquis EUPHRAXIAM magnis illis viris adjungi à nobis indignabitur? quæ patricii generis adolescenti à parentibus quasi desponsata, sumpto religionis velo, continentiam Deo vovit, promittendiq; Theodosio Imp. opulentam dotem si acquiescceret; *Opes*, inquiebat, *mea Christus est: tu tuas aliis dato.* Lubet hanc brevi carmine etiam illustrare:

Quam non regna juvant, non Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alia cupiant: cupit hæc modo paupere cultu,
Securo Christum tramite lata sequi.

Sur. tom. 2. in vita.

Fredericus Imperator: Habet & hic suas partes FREDERICUS, eum enim Ladislaum Hungariæ Regem protegeret, & in suo palatio institueret, non defuere qui clam perdendum puerum dicerent: utpote cujus morte opes plurimas regnaq; consequeretur. At IMPERATOR: *Ego sanè non ita amo divitias, ut impiis consiliis persuasus, propter eas tam impium facinus attentem.* ô egregium, & vere regium sermonem! *Æn. Syl. lib. 3. Comm. de Reb. Alphonsi.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ad metalla quis damnatos negitet esse divites?
Admodum caute, in modum serpentis, sunt tractanda opes.
Copiam feras minus bene, quam feras non copiam.
Copia est ubi ingens, ingens etiam ibi indigentia est.
Consuetudo divitum non est venire ad pauperes.
Dite mortuo vix vestis est pudenda qua tegat.
Ditibus fere pœnarum sunt opes viaticum.
Ditior licet, tamen ipsum te geras aquabilem.
Dives animo exiguus vivit, plurimus patrimonio.
Dives omnis æstimatur, pauper omnis temnitur.
Dives omnis aut iniquus, aut iniqui filius.
Dives atque justus esse vix fere potes simul.
Dives es? fac ergo mandes legibus suspendium.
Dives es repente factus: ne fortuna abutere.
Dives esse quisquam quærit pauperi esse cui licet?
Dives est ut lapsa quercus, quisq; carpit mortuum.
Divitem simul probumq; repperire nusquam est.
Divites foris toti aurei, intus toti putridi.
Divites patrimoniorum sunt suorum appendices.
Divites quanta habeant cernis, quantis egeant non vides.
Divites quid ni parentes dicas multitudinis?
Divites tragicam Scenam implent, pauperes comœdiam.
Divites suo redduntur similes auro corpore.
Divites tragœdiam implent, pauperes comœdiam.
Diviti macellum opimum gaudio, egre pauperi est.
Diviti quoq; absque injuria esse publico licet.
Diviti si quid bene facias, levior pluma est gratia.
Divitiæ minime nocebunt, si auferas superbiam.
Divitias amare, angusti haud est animi, angustissimi est.
Divitias odisse, quid nisi genus inanis gloriæ est?
Divitis virtutibusq; non vacare una potes.
Divitis sectam sequuntur forma visq; corporis.
Divitum felicitatem agrè intuentur pauperes.
Divitum felicitas, postrema est infelicitas.
Divitum pecunia! heu, quam fœtidæ est putredinis.
Divitum res affectatam sapiunt arrogantiam.
Divitum uxores coqui sunt aut citharœdi succuba.
Et morbis doloribusq; obnoxij sunt divites.
Ferre contra divitem ecquis testimonium audeat.
Filius Plutus Fortunæ: filia est Virtus Jovis.
Fortunæ mutationem male tegit dives repens.
Gaza res quidem ipsa pulcra: virtus at est pulcrior.
Hei mihi! plus est in ore divitum quam pauperum.
Hercules Plutum haud salutat, quia Fortunæ est filius.
Hoc prior virtute quisq; est, in bonis quo plus habet.
Indiget profecto multis multa quisquis possidet.
Invident omnes struuntq; dolos repente diviti.
Lauta cum tibi jam sit res, sis memor virtutum.
Malim dives ægrotare, valere pauper quam bene.
Mane Crœsus es? expecta: fies Irus vespere.
Mane crœsus, Irus esse quibit ante vesperam.
Minus habentes semper aliquid addunt ditioribus.
Multi se divitiores quam re vera sunt putant.
Neminem non pertimescit multa sunt cui præsto opes.
Nemo pauperare quibit divitem factum à Deo.
Ne quidem dives quiescit mortuus à latronibus.
Ne quidem securitatem suppeditat mors diviti.
Nil putat sibi timendum Dives, etsi inter reos.
Nulla sub rege indigente diviti securitas.
Nunquam eget dives, se egentem quigemens palam autumat.
Parvulam dites jacturam sarciunt suspendio.
Perdunt multos ultimi supplicii merguntq;.
Plus curarum possident quam famæ opum q[illegible] veris.
Plus dolorum plus curarum diviti est quam [illegible]eri.
Plutus claudus est cum accedit, cum recedit [illegible]er
Plutus haud est magnum Numen; obvenit vel [illegible]
Quantos, Fors, agit tumultus intra ditum te[illegible]
Quid qua te esurire cogunt divitis opus tu[illegible]
Quot latent sub divitum una purpura tragœdias.
Supplices Midis Getisq; dives esse si cupis.
Tam comatis est molestum quam calvis velli pilos.
Temporibus bonis malisq; divitiæ juxta valent.
Vis homines videre curvis digitis? divites vide.
Vix erit bonus excellenter, qui excellenter dives est.
Vix se dives ad minorum haud efferat injurias.
Ut Polypi sic ditiores, ubi quid tetigerint, tenent.

¶ JAMBICA.

An dives, omnes quærimus; nemo an bonus.
Animis suis vacare nequeunt divites.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Certe haud minus res hominem quam scutum tegit.
Citatiores sunt opes torrentibus.
Ditescere, hominum virtus una, imo unica est.
Ditescere omnes cupimus, at non possumus.
Ditissimi qui sunt, sunt & pauperrimi.
Dives fieri qui vult, fieri vult & cito.
Dives potius aurum quam cœlum suspicit.
Dives repente, animal nulli domabile est.
Dives suæ artis curam vix figulus gerit.
Dives tyranno opima quivis victima est.
Dives variis cestus Veneris effectibus.
Dum dives es, inopes juvare sis memor.
Divitiæ in animo sint, non in patrimonio.
Enascitur q; aurum domo felicibus.
Infirmi animi est, non posse divitias pati.
In egeno egena, in divite omnia ditia.
In publica re cuncta possunt divites.
Malesuada valde divitum admiratio est.
Nec blanda, nec morosa fare diviti.
Nec divites suis carent molestiis.
Nec nocte nec die expers dives est metus.
Nemo repente vir ditatus est probus.
Nil ditiorum mente effeminatius.
Non quare & unde: quid habeas tantum rogant
Nunquam quieta divitum possessio est.
Plus semper defit diviti, quam pauperi.
Qui divitiis simul vitiis quoque incubant.
Quies molesta diviti in thoro aureo est.
Qui multa habet multis vicissim idem indiget.
Qui pauper est animo, esse dives non potest.
Quo ditior quis est eo est & sanctior.
Quo ditior quis hoc agit mage anxius.
Quo ditior quis, hoc est & sapientior.
Quo divitiæ, si non sunt fructui & usui?
Quo dives scis esse, debiles scias.
Res est profecto animæ loco mortalibus.
Res, non minus mortales, quam scutum tegit.
Sacrum aut profanum habeas, parvi hodie penditur.
Sapiens putatur sermo quivis Divitum.
Sequi pudet naturæ legem divites.
Si dives es, bene audies, licet malus.
Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.
Vir quisque tanto melior est, quo ditior.
Virtutum opumq; rara valde copula est.
Vis divites natos relinquere? fac bonos.
Vix quisquam erit nimis dives, nimis bonus.

Divortii.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus:* Enimvero lex omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes, sed ob impudicitiam tantum & adulteria uxore viro separari permittit: reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate ac patientia uti jubet. Ergo impudicam quidem: quia genus corrumpit & adulterat, expellamus: cætera autem omnia patienter & moderate ac sapienter feramus, aut, ut rectius loquar, sapienter & moderate ferte, quicunque matrimonii jugum subiistis. Si illitos fuco & cerusa colores & pigmenta perspexeris, eam hoc ornatu spolia: si pacem & petulantem linguam, coercere: si meretricium risum, tristem effice: si sumptum aut potum immodicum, contrahe: si intempestivos progressus, constringe: si oculum elatum atque suspensum, reprime. At eam ne remore

mere à te divellas & abſtrahas. Incertum eſt utra pars in diſcrimine verſetur, eane quæ ſecatur an ea quæ ſecatur. Fons aquæ, ait ille, ſit tibi proprius: nec ullus extraneus tecum ſit particeps. Pullus gratiarum tuarum, & cervus amicitiæ tuæ conſuetudinem vitæ tecum habeat. Quocirca tibi cavendum eſt, ne fluvius alienus efficiaris: atque aliis potius placere ſtudeas, quam uxori tuæ. Quod ſi alio fertur cupiditas tua, parti quoque tuæ libidinem præſcribis. Atque ad hunc quidem modum Salvator locutus eſt. Quid autem Phariſæi? Durus illis hic ſermo videtur. Nec mirum, cum & aliis honeſtis & præclaris rebus offendantur, tum illius temporis Phariſæi, tum etiam noſtrates. *Orat.* 31.

S. Aſterius: Ipſa, inquit, creatio, conjunctionis non divortii ſcopum oſtendit, priuſque nuptiarum auſpex & conciliator extitit ipſe Conditor univerſi, qui & primos quos finxerat homines conjugali inter ſeſe vinculo copulavit, & poſteris velut perpetua quadam ſerie convivendi cohabitandiq; neceſſitatem impoſuit, legis inſtar divitiæ colendam & obſervandam qui autem nexu tam arcto jungitur, non amplius duo ſunt, verum una caro: quare quod Deus conjunxit homo ne ſeparet. Hæc Phariſæis dicta tunc fuere: audite jam vos mulierum inſtitores, qui ceu veſtes ſubinde eas mutatis, qui thalamos tam ſæpe & facile ſtruitis quam nundinarum tabernulas, qui bona ac dotem ducitis, conjuges ad quæſtum ac negotiationem habetis; qui vel leviter offenſi libellum repudii conſcribitis, multaſque velut viduas in vita relinquitis. exiſtimate & omnino vobis perſuadete matrimonia morte tantum & adulterio dirimi: non enim ut contubernia meretricia, quæ ſolam venantur voluptatem, paucorum numerus dierum terminat, itidem in iis ſeſe res habet, quæ rite & ex lege fiunt, ſed planè contra, o bone, una contrahitur corporis & animæ ſocietas, & ut affectus affectibus commiſceantur, & caro carni quodammodo colligetur. Quæ cum ita ſunt, quomodo citra animi perturbationem abſcindis? quomodo ſine moleſtia ſine ægrimonia ab ea recedis quam vitæ ſociam non uſurariam in breve tempus accepiſti, quæ ſoror tua, quæ conjux. & ſoror quidem creationis reſpectu materiæq; terreſtris, ex qua compoſiti eſtis: conjux autem propter matrimonii legitimam copulam atque conjunctionem. duplex hoc vinculum legis & naturæ quemadmodum abrumpes? pacta dotalia ac ſponſiones quomodo reſcindes? & quibus de pactis loqui me cenſes? an de his quibus ſcripta jam dote & ipſe manu propria ſubſcripſiſti & ſigillum appoſuiſti tuum? valida quidem illa ſunt ac firmata ſatis: verum ad vocem Adami me converto: Hæc caro ex carnibus meis, hoc os ex oſſibus meis: ipſa vocabitur uxor mea non de nihilo profecto vox iſta memoriæ prodita, ſed ut communis eſſet omnium confeſſio virorum feminis, quæ viris per nuptias legitimè junguntur, hujus unius ore prolata.

Ac ne mireris unius è verbis cæteros obligare, quæcunque circa protoplaſtos illos initio acciderunt in naturam poſteris abierunt. quare ſi mulier aliqua temerè repudiata, ſumpta Geneſeos libro ad judicem (judicem eundem ac teſtem) te pertraxerit, dic age quid reſpondebis? quei defugies eorum auctoritatem verborum quæ per temetipſum coram Deo pronunciata, quæque non vilis ſcriba, ſed ipſe Moſes literis conſignavit, Dei famulus ac miniſter? Patris ac matris expertem mulierem Adamo Deus in manum tradit, & uti bonus curator, pupillæ tutelæ proſexit. iſta parentis ſuæ defenſione, his cauſſæ ſuæ firmamentis adverſus ingratos infidoſque maritos, filio etiam rectè utentur: nec ullo modo poteris uxorem habere deſpicatui, legibus & antiquitus divinis & poſterius. Incutiant tibi pudorem vitæ commoditates quas uxor adfert. membrum eſt, adjutrix eſt, vitæq; ſocia & communium genitrix liberorum, in morbis opitulatrix, in calamitate ſolamen, domus cuſtos, ac bonorum theſaurus. eadem dolet, eadem gaudet: communes, ſi quæ ſunt poſſidet opes, rem tenuem & anguſtam ſedulo ſuſtentat, maloq; paupertatis quantum poteſt occurrit ac reſiſtit, laborem deniq; & moleſtiam educandis liberis propter conſortiū tuum ingentem ſubit. Si calamitas incidit, ille malis obrutus latet, amici qui cenſebantur, amicitiam felicitate metientes, rebus adverſis ſe ſubducunt, ſervi ſimul & dominum & miſerias fugiunt: ſola adhæret uxor agræ partis membrum, & in malis ſerva ac miniſtra. hæc virum curat, hæc lacrimas abſtergit, hæc plagis ac verberibus medetur, hæc in carcerem uſq; comitatur, & ſi quis ingredi permiſerit, libenter una cum eo concluditur, ſin id prohibetur, ſicut familiaris hero catellus, circa januam carceris manet.

Novimus ipſi mulierem quæ attonſa coma veſtem virilem eamque floridam induit, ut ne virum fugientem latentemque deſerere cogeretur. Ita cum ſervitutem ſervire videatur affectui vere ſervit in eoq; vitæ genere compluribus perſeveravit annis, locum ex loco ſolitudinem ex ſolitudine mutans. Talem etiam patientiſſimi Jobi conjugem fuiſſe reperimus. deſeruerunt eum omnes, unaque cum opibus adulatores defluxerunt: amici ipſi rebus ſecundis amicitiam æſtimantes, cum fortuna mutarunt, ſi qui remanſerunt ac præſto fuere, eorum præſentia contumeliæ quam officio propior, augendæ magis ærumnæ quam ſolatio fuerunt, quiſque conſolari debuiſſent, coram eo lamentati ſunt. ſola autem hæc primaria paullò ante & ornatiſſima femina, nuſquam à viro deceſſit, aſſeditq; vel in ſterquilinio, ſaniem & tabum abſtergens, vermeſque plagis educens. vere quidem illa vitæ ſocia, non felicitatis contubernalis, individuæ cultrix amicitiæ, non aſſentatrix aſſectatrixq; voluptatum: unum denique de tanta fortuna, ac tota cognatorum ac benevolentium cohorte reliquum marito bonum, ac proinde ex animo conjugis amore in peccatum blaſphemiæ prolapſa fuit, ac ne diutius ille conflictaretur, & ipſa in continuis doloribus eum videret, Deo maledicere, & accelerare mortem ſuaſit. ſuæ nempe ſecura viduitatis ac ſolitudinis, unum id cogitabat, quemadmodum è vita non vita maritus exiret.

Hæc talia cum recente experientia, memoria vetus adverſus eos adfert qui erga conjuges injurii ſunt & iniqui. Quid porro reſpondeat hujus criminis reus? quam ſaltem ſpecioſam levitatis ſuæ defenſionem proferat? Malum, ait, odioſumq; mulieris ingenium, lingua temeraria & præceps, mores à domo rebuſq; domeſticis alieni, nec ipſa bona aut frugi rei familiaris adminiſtratrix. Sint hæc ſane: perſuaderi adhuc mihi patior, & accipio veſtra dicta, ſicut unus eorum judicum qui parum exploratam aurem habent, ac facile accuſatorum inſectationibus tranſverſi rapiuntur. tu vero dic obſecro, cum eam initio duceres, an neſciebas homini te cōjungi? hominem autem cum quis audit, non ſtatim peccatum adhærere & conſequi cogitat, Deumq; ſolum culpæ & reprehenſioni non obnoxium? tu ipſe nuſquam peccas? non moribus & ingenio tuo moleſtiam uxori præbes. an omnis omnino purus & expers culpæ, matrimonii legem inviolabiliter ſervas? quoties ipſa forſan à temulento contumelia affecta eſt? quam multas & magnas injurias, quam indigna verba ſuſtinuit? quot & quanta tua vitia in obſcuro ſunt, quoniam uxor non revelavit? toleravit illa temerè & ſine cauſſa iraſcentem atq; debachantem: ac quamvis libera dignationeq; par, conticuit ſicut ancilla de foro empta. Neceſſaria ad vitam & victum vel inopia vel avaritia non ſuppeditanti, quamquam ægra animo, non maledixit: nec redeuntem à ſympoſio, vino oneratum & inſanientem, ebrietatis odio non admiſit, aut rejecit; ſed cum venia ac levitate, qualis humanitatem noſtram decet te, ſuſcepit, & reprimentem ac verberantem ad lectum manuduxit, caputque ægrum ac meris vaporibus agitatum ſedulo curavit: ſola nimirum tui miſerta, cum famuli mentis ob errorem & agitationem herum deriderent ac ſubſannarent,

At tu paſſim in compitis ac plateis oberrans, frigidis de cauſſis uxorem tragicè turpiterq; traducis, ut ad faciliorem cogitati repudii veniam & excuſationem, viam & aditum tibi munias. Duci immittes ac belluini id genus homines, vereq; geniti, ut fertur, è robore vel ſaxo, qui rebus omnibus oblivioni traditis, æquo animo & abſq; ſenſu doloris ſegregantur. quis autem ægrum ſibi membrum curationis vicem abſcindat, cum & nullum fere periculum, & medelæ magna ſpes & penè explorata? exorta eſt in manu puſtula? diligenter eam curamus. inflammatio pedi infeſta? pharmaco tumorem cohibemus. quod ſi prætermiſſa medicorum inſpectione & cura, quoties aliquid doluerit, ad ferrum & ſectionem imus, exiguo ſanè tēmpore membris nos ipſos omnibus mutilaverimus. Verum non eo modo fratres, eſtote memores membrorum veſtrorum, flectant vos & pudore quod omnimodo afficiant obſequia & miniſteria mulierum; dum ira accenſi fueritis, partus unius dolores cum his quæ dolorem vobis faciunt contendite, multiſq; hæc partibus vinci comperietis. Conſiderentur inque medium proferantur benevolentiæ bona, morborum curationes, caſuum omnium ac calamitatum ſocietas, lacrimæ mariti cauſſa fuſæ. veniat in mentem, quod parentes ſuos, quod domum ubi primum lucem adſpexit propter te reliquerit, fortiſque venientem & externum ſecuta ſit, quod forte ſuarum aliquid rerularum alienare non dubitaverit, ut eo moleſtiam & moroſitatem viri redimeret. hæc omnia affectum concilient, amoriſq; vinculum nectant, ac lubricum animum, velut marcidam domum, contineant atque confirment. vincat miſericordia, & conſuetudo convictuſq; longi temporis ne calcetur, quæ faciunt ut bruta animantia ægrè diſiungantur. Vidi certe bovem quod aberraſſet ab armento ſoluſq; ſibi relictus eſſet, miſerabiliter mugientem, pecudem item balantem monteſq; percurrentem ac ſaltus dum ad gregem rediſſet. ſed & caprea idem paſſa, quamquam in varios incidit greges prætercurrit, nec ante curſum ſiſtit quam ubi ſuum cui aſſuevit gregē & caprarium reperit. ne brutis igitur ipſis nos qui rationis ſumus participes duriores exiſtamus, neque minoris uxorem faciamus quam aliquem viæ comitem, aliumve ex cauſſa levi & ſubita leviter nobis notum. Vides quemadmodum quòs via publica junxit, idemque tectum ac diverſorium, aut umbroſa per æſtum meridianum arbor excepit, fortuitum occurſum in occaſionem amicitiæ rapiant, & cum ad divortia viarum pervenerint, non ſine ægrimonia divellantur, ac ſublacrimantes & fixis alter in alterum oculis conſiſtant, ſymbolaq; mutua largiantur: ut progreſſi deinde paullulum rurſus ſeſe convertant, revocatiſque fauſta ac felicia adprecentur, ut denique brevis uſura temporis tam arctam jungat amicitiam, ut ægre dipredi, cogendiq; tantum non eſſe videantur. Et tu comparem ac vitæ ſociam deſpicatui ſic habes, ut vaſculum amiſſum, aut vile veſtimentum per neglectum in via oblivioni traditum, catellumve, Meliteum qui domo clanculum ſe ſubduxit? ubi ſimulatus initio affectus? ubi tori ſocietas atque communio? ubi legitimum vinculum & diuturnæ vis cōſuetudinis, quam & in naturam abire tua ratio dictat, tum experientia demonſtrat? facilius cuncta abrupiſti quam Samſon hoſtium funes.

Atqui vir probus & in affectu conſtans vel demortuæ memoriam conjugis ægrè deponit, liberoſque fovet ac diligit tanquam commune depoſitum matris ac naturæ, ſpirantemque in eis defunctam videre ſibi videtur. hic enim ex liberis maternæ ſimilitudinem vocis præfert. ille de forma ac lineamentis plurimum hauſit, alius mores & ingenium parentis repræſentat: atque ita parer multas habens

& vivas & spirantes conjugis effigies, perpetui consortii connubiique speciem animo suo informat, eoq; nullam novæ cogitationem voluptatis admittit, nec hodie qui tumulum conjugi fecit, post paulo thalamum adornat, aut à lacrimis ac suspiriis nuptialem ad choream iterum festinat: non vestem atram ac lugubrem festa sponsalique stola permutatur, non in calentem adhuc à priore matrimonio lectum alteram inducit, aut novercam, odiosum liberis nomen, adducit: sed turturum non illam quidem à ratione profectam, sed insitam à natura sanctimoniam imitatur.

Hactenus quidem vapulet maritus, crebrisque densæ nivis instar ingratitudinis criminibus pulsetur. quod si forte adulterii culpam objicit, eamque divortii rationem reddit, omnem statim accusationem à marito injuria hac affecto in adulteram transferam, & pro hoste probus illi defensor ac propugnator assistam. Laudabo eum qui fugiet insidiatricem, qui vinculum abrumpet quod eum aspidi, quod echidnæ copulavit. Huic enim primum dat veniam ipse Conditor universi, tanquam justo dolore percito, meritoque domus pestem & exitium domum exigenti. nam cum duplici fine matrimonia contrahantur, benevolentiæ, & liberorum quærendorum, neutrum in adulterio obtinetur, nec enim affectui locus, ubi in alterum animus inclinat, ac soboli omne decus & gratia perit, quando liberi confunduntur.

Continentiam igitur & castitatem, quod est in dissolubile matrimonii vinculum, pars utraque mihi cole. hæc enim ubi colitur, ibi concordiam & mutuam benevolentiam locum habere necesse est, quando vaga ac spuria libidine liber animus, justo legitimoque totus amore occupatur. Hæc porro continentiæ lex non feminis tantum, sed etiam viris à Deo lata est. qui tamen legislatoribus adhærentes humanis, per quos libidinari ipsis licet, severi quidem judices sunt & arbitri castitatis muliebris, ipsi vero cum summa impudentia in plures insaniunt, & juxta proverbium, aliorum medici infinitis ulceribus scatent. & si quis eos horum flagitiorum arguit, lepidam & jocularem defensionem adhibent. Viri, inquiunt etiamsi plures ad feminas accesserint, nullum domui familiæque damnum inferunt: at mulieres ubi peccant, externos hæredes in domos ac familias inducunt. Verum audiant tam stolidæ sententiæ auctores, ac discant, per ipsos quoque domos alienas everti. feminæ enim eæ quibuscum consuetudinem habent aliquorum vel filiæ vel uxores omnino sunt, & invenietur vel matrimonium insidiis petitum, vel pater injuria affectus, qui postquam susceperat, eduxerat, virginemque perducturum ad thalamum speraverat, omni spe & expectatione per istos pudicitiæ prædones deturbatur.

Quod si jam pater est qui flagitia hæc patrat, cogitet atque consideret quid animi sit patri sic deluso: si maritus, sibi ipsi illatam eam injuriam fingat: nam ita demum bene præclareque se res habent, si de aliis quisque statuit quod evenire sibi velit. Quod si qui Romanis auscultantes legibus, permissam esse scortationem & crimine vacare existimant, gravem sane errorem errant, ignorantque leges divinas ab humanis dogmatibus nimium quantum dissidere. Audi Mosem Dei voluntatem annuntiantem, graveque & amaras adversus scortatores sententias pronunciantem: audi Paulum dicentem: Scortatores & adulteros judicabit Deus. Alii isti nil quidquam ad salutem tibi proderunt tempore retributionis, sed ipse trepidantes æstuantesque mente vix constabunt: insipiens & indoctus deprehendetur legum ille architectus Plato, cum gravi illa orationis suæ facultate ac robore contra omnes legumlatores vim suam efferente, cum ad pœnam distrahi videbunt eos quibus ipsi scortandi licentiam indulsere. Nam omnino qui non vetuerunt, aliena sibi peccata asciverunt, & gemino obnoxii crimini invenientur, quod & ipsi sibi non temperarint, & aliis passim peccare permiserint. Qui igitur cum uxoribus vivere volunt modestis & bene moratis, ipsi suos mores ita componant ut conjugibus institutioni disciplinæque sint, hæque domesticis ad virtutem exemplis excitentur. *Homilia An liceat dimittere uxorem.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Sejungi à conjuge sententia judicum, infortunii magis esset quam felicitatis. Qui ferre potuissem mulieris parentes culpantes me, & increpantes, & alios super aliis conquerentes: hunc inde clamantem, hinc illum vociferantem: urgentes, circumstantes, quietem meam calumniantes: accessu difficilem me vocantes, truculentum risus hostem nominantes: vitam me ex animi mei sensu & arbitratu degere prædicantes? Qis vero ferreus adeo est, quis ita adamantinus, ut ea perferret. quæ mulier hæc faceret? insequeretur me videlicet pallio arreptum, trahendo, vexando; Deorum nomen subinde obtestando: Heroas nominatim advocando: astra, ventos, columnas, fundamenta ciendo. deinde in angiportum se conjiciens exclamaret edita voce, atque ad clamorem vicinos excitaret: postremo, valuis super insidens, undique obsideret me sedulo, nec progredi me sineret, declamans in me domi conclusum. Diem vernum, si Diis placet, peragerem, post hanc expulsionem: cum hoc assidue auribus personaret, strepit janua: quis pulsat? uxoris affinis aliis nimirum opus mihi esset, dum exiguntur à me rationes actorum. Sane mori me malo prius quam hæc contingant. *Declamat: 6.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ut filia virgo pertineat ad patrem, tamen nupta pertinet ad maritum. Abdicari propter matrimonium non potest. Paullo fortior, recusaret etiam nubere, nisi cui voluisset. *Declamat. 259. a. f.*

Idem: Ut etiam nuptias imperare possis, repudium imperare non potes ejus ad quem puella legibus, & magistratibus, & jurejurando pervenit.

Quintilianus Senior: Lex injusti repudii maxime necessaria est ad continenda matrimonia, & his præcipue moribus, quibus finem tantum necessitas fecit, super omnes leges tuenda. Repudiatam ab hoc uxorem esse manifestum est: reliquum est, ut aliquid repudiatæ objiciat. ita demum enim potest esse justum repudium, si meruit id quæ repudiatur. mox: Lex injusti repudii spectat utramque personam: nec satis est id modo intueri, quid maritus facere debuerit, verum id quoque intuendum est, quid pati debuerit uxor. *Declamat. 262. p.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2 sc. 2. v. 223.

Quid si adduco tuum cognatum huc à nave Naucratem,
Qui mecum una vectus est una navi? atq; is si denegat.
Facta quæ tu facta dicis, quid tibi æquum est fieri?
Numquid caussam dicis, quin te hoc multem matrimonio?

Plautus Amphitr. 3. sc. 2.

Durare nequeo in ædibus, ita me probri,
Stupri, dedecoris, à viro argutam meo.
Atq; id me susq; deq; esse habiturum putat.
Non edepol faciam, neq; me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi, atq; adjuret insuper,
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.

Plautus Amphitr. 3. sc. 2. v. 47.

Valeas, tibi habeas res tuas: reddas meas:
Iubenne ire comites? IV. sanan es? A. si non jubes,
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.
IV. Mane: arbitratu tuo jusiurandum dabo.
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.

Plautus Menæchmis. 4. sc. 1. pr.

Egone hic me patiar esse in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quidquid domi est,
Atque ad amicam deferat:

Plautus Menæchmis 5. sc. 1. v. 19.

Non ego isthæc flagitia possum perpeti.
Nam me meam ætatem viduam esse malim,
Quam isthæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
ME. Quid id ad me, tute nuptas possis perpeti,
An sis abitura à tuo viro? an mos est ita hic,
Peregrino ut venienti narrent fabulas?
M. Quas fabulas? non inquam patiar præterhac
Quin vidua visam, quam tuos mores perferam.
ME. Mea quidem hercle caussa, vidua victita.
Vel usq; donec regnum obtinebit Iupiter.

Plautus Sticho. 1. sc. 2. v. 71.

Mihi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.
P. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus.
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non dari eas oportuit,
Aut nunc non æquum est abduci, pater, eis absentibus.
A. Vosne ego patiar cum mendico nuptam me vivo viro?
Q. Placet ille meus mihi mendicus: suus rex reginæ placet
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
A. Vos ne latrones & mendicos homines magni penditis?
P. Non me tu argento dedisti opinor nuptum, sed viro.
A. Quid illos expectatis, qui ab hinc jam abierunt triennium?
Quin vos capite conditionem ex pessima primariam?
P. Stultitia est pater venatum ducere invitas canes.
Hostis est uxor invita quæ ad virum nuptum datur.
A. Certumne est neutram vestrarum persequi imperium patris
Q. Persequimur: nam quo dedisti nuptum, abire noluimus.
A. Bene valete. ibo atq; amicis vestra consilia eloquar.
P. Probiores credo arbitrabunt: si probis narraveris.
A. Curate igitur familiarem rem, ut potestis optimè.
P. Nunc places cum recte monstras: nunc tibi auscultabimus.

Terentius Hecyræ 1. sc. 2.

Sed quam decrerim me non posse diutius.
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi à suis,
Neq; honestum mihi, neq; utile ipsi virgini est.
PH. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PA. Hoc ego proferre, incommodum esse mihi arbitror.
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitij,
Superbum est.

Teren-

Terentius Hecyræ 2. sc. 1.

—— Vestrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere uxorem, & quæ vobis placita est conditio datur.
Vbi duxere impulsu vestro, vestro impulsu eadem exigunt.

P. Syrus Mimus.

Mulier quæ multis nubit, multis nonplacet.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

Iesus Christus Dominus noster: Sciscitantibus Pharisæis, licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa? respondens dixit Iesus, Non legistis opificem ab initio fecisse masculum & fœminam? & dixisse, Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & qui duo fuerant, erunt una caro? Itaque non amplius sunt duo, sed una caro, quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat. Dicunt ei, Cur ergo Moses mandavit dare libellum discessionis, & eam dimittere? Respondit Jesus, Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterum à principio non fuit ita. Dico autem vobis, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem: & aliam duxerit, eum mœchari: & qui dimissam duxerit mœchari. *Matt.* 19. 3 4. 5. *&c.*

¶ Monosticha Trochaica.

Et viro à suo divortij uxor imperiosior.
Repudium? rebus paratis atq; ornatis nuptiis?
Tam potest uxor maritum deserere atq; eam ipsemet.

¶ Jambica.

Adsumpta rursus uxor, sit superbior.
Discordiæ est repudij seminarium.
Divortium quasi fructus matrimonij est.
Post liberos natos, turpe est divortium.
Repudia Regum, uxoribus haud dant exitum.

Doctrinæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Qui literis operam datis, ne doctrinæ atque eloquentiæ vestræ magnopere confidatis, nec immodicè & plus quam ratio postulat, sapientes sitis, nec omnibus in rebus vincere male cupiatis, sed in quibusdam etiam honestè vinci æquo animo feratis. Verbo date sermones: curare ut doctrina, non mortis sed justitiæ instrumentum sit. *Orat.* 9.

D. Nazianzenus: Illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere. *Orat.* 20. *in funere D. Basilij.*

Idem eund. epitaph. Qui vel solos mores, vel solam doctrinam consecuti sunt, ab altera autem deseruntur, ii mihi nihil à luscis differre videntur, quib. cum magnum detrimentum sit, tum vero major turpitudo, sive alios cernant, sive ab aliis cernantur. At quibus utraque laude excellere, ac velut ambidextris esse cõtigit, hi nimirum omnibus numeris absoluti sunt, ac cum alterius vitæ beatitudine vitam agunt. *Orat.* 20. *in funere D. Basilij.*

D. Greg. Nyssenus: Non sunt radices eruditionis dulces, sed amaræ, fructum autem in posterum germinant favis suaviorem: & idcirco labore quidem ei qui exercetur opus est, ei autem qui exercet, & verbere & asperitate. *adversus eos qui castigationes agrè ferunt.*

D. Greg. Nyssenus: Amaritudo è vita torporem & ignaviam expellit, & illius loco fortem & duram & asperam vivendi rationem introducit. Si quidem omnis disciplina principio videtur non lætitiam sed molestiam afferre. *Orat.* 1. *in Christi resurrect.*

D. Chrysostomus: Mansuete magistrum corripere oportet. Neque enim potest anima quæ opus habet discere, si corrixando & altercando doceatur, quippiam utile ac necessarium quantalibet intentione utatur, conspicari, nihil inde referet nisi mœrorem atq; tristitiam. Expedit hoc illi ante omnia qui utile aliquid addiscere vult, ut gratè magistro afficiatur. grate vero illi affici qui se injuriis audacter impetat, nemo fere potest. 2. *ad Timoth. Homil.* 6.

Basilius Seleuc. Paulatim Christus facta doctrinæ accessione, ex discipulis magistros efficiebat. confertam enim doctrinam non fert hominum ingenium. Quare miraculis & præceptionibus, quasi pinis, mentes aptans excitat, ut ad disciplinæ celsioris culmen evolent. *Orat* 25. *med.*

S. Isidorus Peluseota: Doctrina, morum dux est, in hoc constitura, ut omnia, quæ in nobis sunt, ex ratione moderetur. Quod si hanc libidinibus ac jurgiis impendamus, iisq; qui eruditionis expertes sunt, ad furiosius exercendas inimicitias commodemus, ingentes Deo Verbo rationes reddendas habebimus, ut qui nec ex ipsius nomine pudore aliquo affecti fuerimus, nec honorem literis atq; doctrinæ studiis habuerimus, verum ad judicia & lites ac pugnas, ut apparet, eruditi fuerimus. *lib.* 1. *Epist.* 412.

S. Isidorus Peluseota: Quoniam scripsisti, me, ut par est, omni ratione te pascere, atq; à lingua mea in tuas aures per doctrinam commemoratione dignam, illud rescribo, quod siquid commodi atque eruditi à me scribitur, hoc divinæ ac cœlestis gratiæ esse existimare debes. quæ rudes etiam & imperitos sapientes efficit. *lib.* 2. *Ep.* 218.

S. Isidorus Peluseota: Quidam te ob ingenii acumen ac dicendi facultatem admirantes, ut contentiosum atq; ad audiendum difficilem & morosum accusant. Nam cum ad inferiores te demittere debeas, tu contra ne superioribus quidem ac præstantioribus cedis. Quocirca, si res ita se habet, ne eruditionem eam, quæ in te summa est, per animi sinisteritatem atq; improbitatem probro ac dedecore affice: verum egregiæ indoli benignitatem, & eloquentiæ morum suavitatem & facilitatem admisce: quo utrinq; laudem tibi ac nominis celebritatem concilies. *lib.* 3. *Epist.* 41.

S. Isidorus Peluseota: Quandoquidem, ut audio, non scias, sed ut gloriam ex scientia captes, studiorum laboribus incumbere videris, hoc quoq; abs te præstari volo, ut veritatis potius quam gloriæ desiderio tenearis. Quod si nunc ambitionis affectu temulentus, hac oratione offenderis, non tamen dubito, quin ubi ad meliorem mentem redieris, gratiam mihi sis habiturus. *lib.* 3. *Epist.* 79.

¶ Latinorum.

Ennodius: Votum obsidem tradidit honestati, qui ad liberales ad spirat, superis faventibus, disciplinas. Bonarum affectus artium dirum dedignatur ingenium: ad eloquentiæ ornamenta non tenduntnisi moribus instituti. *lib.* 5. *Ep.* 9. *pr.*

Ennodius: Sancta sunt studia literarum, in quibus ante incrementa pueritiæ vitia dediscuntur. Hoc itinere cana ad annos pueriles solent venire consilia: dum quod ætas refugit, norunt instituta præstare. *lib.* 5. *Epist.* 10. *m.*

Ennodius: Audivite, patris tui relatione, circa studia jam remissum, & quasi arcem scientiæ adeptus sis, ita nullatenus esse de lectionis instructione sollicitum. Nosti fili, istius rei summam, nisi assiduitate nimia non teneri. Non profuit in hoc opere laborasse aliquando hominem, qui à laboris intentione destitit. pernicibus aliis negligentes fugit scientia: & quicquid mora, & sudore partum est, sub celeritate transfertur. *lib.* 7. *Ep.* 3 *vers. f.*

Ennodius. A vobis radicem sumunt institutæ sapientiæ, per vos informata proferuntur. Nullus sine vobis pectoris sapor est, libertas eloquio. vos ingenui testimonium sanguinis, vos materia pudoris. per vos, quod cor bene dictaverit, lingua proloquitur. ad investigandam iter justitiam vos præbetis: dum oppressum callem dumetis quo expetuntur superna, purgastis, vos triticeam de loliis segerem, vos fœcundas de sterilitate ingeniorum glebas efficitis, & gravidas aristas ad scientiæ horrea, ne fames infantiæ possit prævalere, portatis. Mundæ nitorem familiæ servando, obscenam prosapiem peregrina luce perfunditis. Deo proxima res est vestro infusa beneficio, dum per cursus elucubrationis traditæ, ne optimi degenerent, & ut mali degenerent, salva stemmatum veritate præstatur. Per vos de innocentum actibus, quæ ad instructionem sequentium pertinebant gesta non pereunt. vestris in medium caenis transacta reducuntur, & sepulta reviviscunt, vos instrumenta memoriæ, vos causa pietatis. vestris vomeribus humani pectoris tellus ad fœcunditatem præparata describitur. vos religionis auctores, vos hostes criminum: vobis ducibus quæ per usum subripiunt, dediscuntur scelera, per quas bona discuntur. aut ad directum homines augetis propositum, aut mutatis obliquum. Vestro exules ornantur indicio, & à mundi culminibus se unctos vos cœlo sociatis malas conscientias aut intrare contemnitis, aut in sacrarum ingressæ dedicatis. Facessat à literis vel mutare quod dignum est, vel non mutare quod noxium. vestris vulneribus nulla per chalybem vestitos subducit instructio. ad penetralia illorum, & quos ferrum texerit, pervenitis. vestris umbonibus directa ab adversariis tela repelluntur: nec spiculis peritiæ vestræ ulla clypeorum crates opponitur. Vos in adflictione constitutos erigitis: vos positos in corporum cruce mulcetis: sic gaudiis augmenta tribuentes, ut modum hilaritas & producta custodiat: si à vobis veniam blandimenta dulcescunt. Non licet cõtra imperium vestrum vel defunctum flere quem diligas. vos nuptiis, vos apte funeribus. scientiæ istius studium diversissima in concordiam tenet, & utramq; partem amplexa gratulatur. *Dictione* 12. *m.*

Phalarus Paurola filio: Quæ quidem à patre debuerunt in filium proficisci, ea tibi suppeditata sunt Paurola. Quæ vero à te in patrem, si eam cum datur facultas, referre nolis, peccas. Nam audio te literis, cuius te causa sæpius objurgavi, parum diligentem operam navare. Aliam vero gratiam à te recipere non volam, si hæc mihi non contigerit. Sid autem persuasum habeas, literarum emolumentum, si gratificari mihi volueris, magis ad eum, qui dat beneficium, quam qui accipit, perventurum. *Epist.* 20.

Lucianus: Hactenus ridicula sunt, & puerilia quæ diximus: quæ verò deinceps audietis, nequaquam contemnenda sunt, ô viri: sed quæ auscultandi percupidos auditores requirant. Nam ut ex Homero dicam. *Venere mihi divina insomnia nocte Alma*, ita evidentia, ut à veritate nihil distarent. Nunc etiam post tantum temporis intervallum, & visorum species oculis inhæret, & auditorum vox auribus insonat, tam plana fuerunt omnia. Duæ mulieres manibus prehensum, ad se utraque valdè violenter ac potenter me trahebant: unde parum abfuit quin me discerperent, inter se contendentes. Nam altera quidem superabat, & propemodum totum tenebat me: modo contra ab altera tenebar. Tum in se invicem clamabant ambæ, hæc quidem quod suum vellet me possidere: illa vero quod aliena nequicquam sibi vendicaret. Erat autem altera operaria, virilis,

virilis,& squalida coma,callosis manibus,succincta veste,marmoreo pulvere oppleta, qualis erat avunculus quum lapides poliebat. Altera facie venusta,habitu decoro,veste modesta,mundaque. Postremò autem permittunt meo judicio utri earum conversari malim.

Et sic prior illa dura, & virilis locuta est. Ego, chare puer, Statuaria sum, quam heri discere cœpisti, tibi familiaris, & à parentibus congeniia,Nam & avus tuus (avi materni nomen addens) fuit marmorarius, ambo præterea avunculi tui, & propter nos valde clarueruntt. Quod si velis tricis, ac nugis circa quas ista versatur, alteram indicans, abstinere, me vero sequi,mecumq; degere: primum generose educaberis, & robustos humeros habebis, ab omni quoque invidia alienus eris: nec patria, tui sq; familiaribus unquam relictis,in terras alienas abibis, neque ob orationem laudabunt te omnes. Neque vero corporis utilitatem, aut vestium sordiriem averseris. Nam ab his initiis profectus etiam Phidias ille Jovem spectandum exhibuit, & Polycletus Junonem fabricavit, Myron laudatus est, & Praxiteles in admiratione fuit: & hi quidem cum Diis illis adorantur. Quod si horum unus evaderes, quomodo ipse apud omnes homines celebris non fieres? Patrem certe beatum efficeres, & patriam omnibus spectabilem redderes. Hæc atque his etiam plura balbutiendo, & barbare pronunciando,pleraque dixit Statuaria, summo studio omnia connectens, & me in suam sententiam adducere contendens. Sed plura non memini: maxima enim pars mihi excidit.

Cæterum ubi tandem finem fecit loquendi, altera in hunc fermè modum orditur. Ego vero, ô fili Humanitas sum, jam consueta & nota tibi, tametsi nondum ad finem periculum mei feceris. Quanta utique bona sis adepturus si statuarius evadas,illa modo exposuit. Nihil enim aliud nisi operarius eris, corpore laborans, & in totam vitæ spem positam habens, obscurus ipse degens, modicum & minime generosum quæstum faciens, dejectus animo, tenuis reditibus, nec amicis in foro auxiliaris, nec inimicis formidabilis, nec civibus beatus prædicandus:sed illud solum videlicet opifex,& è vulgo unus præstantiorem te semper formidans, & dicendi peritum colens, loporis vitam vivens, potentioris denique lucrum existens. Quod si etiam Phidias, vel Polycletus fias, & præclara multa opera edas, artem quidem laudabunt omnes, nemo tamen ex aspicientibus, qui sanæ sit mentis, tibi similis esse optarit. Qualis qualis enim fueris, nihil nisi mechanicus artifex,manibus operans,& ex iisdem victum quæritans censeberis.

At contra, si mihi obsequaris, primum tibi multa priscorum virorum præclara opera, actaque admiratione digna ostendam. Deinde & orationes eorum ponendo, & omnium, ut ita dicam, expertum te reddendo, animum, quæ tui pars est præcipua, multis ac præclaris ornamentis exornabo, Modestia scilicet, Justitia, Pietate, Mansuetudine; Æquitate, Prudentia, Fortitudine, Amore honesti, rerum gravissimarum Desiderio. Hæc enim sunt verè incorrupta animi ornamenta. Præterea neque quicquam ante actum te latebit, neque quod in præsentia est agendum. sed illud multo ante mecum prospicies. Omnia in summa, quæcunque seu divina sunt, seu humana, brevi te docebo. Et qui nunc pauper es, istius nescio cujus filius, qui de adeo illiberali arte nescio quid consultas, haud multo post, omnibus insignis, & admirandus videberis dum honoribus afficieris, laudibus eveheris, & rerum præstantissimarum gloria celebraberis, & ab iis qui genere, atque opibus antistant conspicieris: vestem quidem hujusmodi geres (ostendens suam, gerebat autem admodum splendidam) magistratu vero primoque consessu dignus existimaberis. Et si aliquo peregre proficiscaris, etiam in aliena terra non ignotus, nec obscurus eris. Talibus ego te ornamentis insignem reddam: ut te aspicientium unusquisque proximè astantem impellendo commonens, digito te demonstret, atque hic ille est, dicat. Jam siquid magni momenti, vel ad amicos, vel ad civitatem universam pertinebit, omnes in te oculos convertent: tum siquid dixeris, plerique hianres auscultabunt, admirantes & prædicantes te beatum ob dicendi vim, tuumque patrem ob prolis fœlicitatem. Et quod ajunt, ex hominibus aliquos immortales reddi.hoc tibi conferam. Nam postquam ipse ex hac vita decesseris, nunquam desines conversari doctis,&consuetudinem habere cum optimis quibusque. Demosthenem illum vides, cujus filius fuerit, & quantum ego eundem reddiderim.

Vides & Æschinem, qui tympanistriæ filius erat, attamen propter me etiam Philippus rex illum coluit. Ipse quoque Socrates ab ista Statuaria educatus,simul atque meliora intellexit,illaque relicta ad me transfugit, audis ut nunc ab omnibus decantetur? At si reliqueris tantos talesque viros, res adeo splendidas, orationes tam graves. habitum tam decorum,honorem, famam, laudem primos consequeris gloriam,& qua te omnes ob prudentiam prædicabunt, fœlicitatem, tunicularn sordidam indues, habitumque servilem assumes, vectes, cæla, celtes, scalpra præ manibus habebis, deorsum inclinatus in opus, humilis, humiliaque tentans, omnibus denique modis abjectus. Nunquam autem caput eriges, virile nihil,liberum ve cogitabis: sed tantum providebis, ut opera tua suis numeris & decore absoluta reddantur,at ut ipse concinnus & ornatus incedas, minime curabis, imò saxis ipsis contemptiorem te reddes.

Nondum hæc dixerat, quum non expectato fine orationis, surgens sententiam pronunciavi: & relictaílla deformi & operatrice, ad Humanitatem læto animo transivi, eoq; magis quia mihi venit in mentem scutica, & plagæ non paucæ quas mihi pridie artem aspicanti statim ab initio inflixit. Tum illa relicta primum indignabatur, manusque complodebat, ac dentibus infrendebat: tandem quemadmodum Nioben audimus, ita hæc quoque diriguit,& in saxum mutata est. Quod si incredibilia passa esse videtur, ne miremini: miranda enim sunt objecta somniorum. Altera autem oculis in me conversis, proinde, inquit, justitiam hanc tibi rependam quoniam causam hanc recte judicasti. Jam veni, currumque hunc ascende (ostendebat currum qui ab alatis,equis Pegaso similibus trahebatur) ut videas qualia & quanta ignoratutus fuisses,si me non secutus esses. Cæterum postquam ascendi,hæc quidem agitare& aurigari cœpit.Ego vero in sublime sublatus,ab oriente incipiés,ad occidentem usq; contemplabar urbes,gentes,& populos,qualis Triptolemus, in terram aliquid spargens. Verum non amplius memini, quid esset illud quod spargebam: nisi hoc solum quod homines me sur um aspicientes laudabant,& ad quoscunq; volando perveneram, illi me cum fausta precatione deducebant. Porrò cum mihi restantas, & me laudantibus illis commonstrasset, iterum reduxit,non amplius illa veste indutum, in qua avolaveram: sed in eleganti cultu mihi videbar redire. Itaque patri, quem stantem, & me expectantem deprehenderat, vestem illam, & me qualis venirem ostendit, eumque submonuit, quam parum abfuerit, quin minime digna de me cum amicis statuisset. Atque hæc quidem memini mihi visa, puberem ætatem ingresso, & recenti plagarum metu, ut puto perturbato,

Sed interea dum hæc dicuntur, ô Hercules, inquit quispiam, quam longum hoc somnium & judiciale est. Alius deinde obloquens: Hyemale, inquit, est somnium, quoniam noctes sunt longissimæ: aut forte trinoctiale quemadmodum ipse Hercules. Quid igitur illi in mentem venit nugari talia nobiscum, mentionemque facere puerilis istius noctis, somniorumque veterum, & ætate jam obsolœtorum: sutilis est omnis frigida oratio. Numquid nos somniorum interpretes esse duxit? Nequaquam ô bone. Neque enim Xenophon hoc putavit, quum olim exponeret somnium, quo pacto ipsi visum fuerat in domo paterna, & deinceps. Noctis enim ut visionem suam, non ut conjectationem, neque quod ita nugari statuisset, narravit, præsertim in bello & summa rerum desperatione constitutus, circumstantibus hostibus: sed quod utilitatem quandam, haberet illa narratio. Proinde etiam ego somnium hoc vobis exposui, nimirum, ut adolescentes ad meliora convertantur, & literarum studio teneantur: maxime siquis ipsorum præ inopia pejus de se statuit, animumque ad deteriora inclinat, ingenium non illiberale perdendo. Confirmabitur enim, sat scio, talis quispiam, ubi sermonem hunc audierit, me sibi sufficiens exemplum proponendo, & cogitando qualis essem, quum ad optima animum appuli & literarum studia appetivi, minimè ob eam, in qua tum erani, pauperratem animo fractus: deinde qualis huc ad ad vos redierim: qui etsi nihil aliud, nullo tamen statuariorum istorum obscurior evasi. *tomo primo, de Somnio.*

§ Oratorum Græcorum.

Aristides Rhetor: Jam eloquentiæ studium soli quod sciam, Græcorum non opum, nec gloriæ, nec honoris, nec matrimonii, nec potentiæ, nec ullius accessionis caussa persecuti sumus: verum cum eam propter se amaremus. justos ex orationibus honores accepimus. Cumque alii amoribus delectentur, alii lavacris, alii potationibus, alii equis & canibus? quidam etiam ludendi vel aliarum rerum studio à literis deficiant, mihi vero literæ omnes appellationes ac facultates continent, nam & liberos & parentes, & negotia & ocia, atq; omnia in his posui, ad has venerem invoco, has joco ac serio persequor: his gaudeo,has amplector, harum frequento fores. *Oratione contra criminantes quod non declamet.*

Aristides Orator: Qui quid aliud, quod facile sit, docent, brevi multos habent sectatores. *non longè ab initio orationis Platonicæ 2 pro Quatuorviris.*

Libanius: Alexander magnus non erat similis cæteris regibus, à quibus eruditio pro re inutili habetur: finis autem felicitatis est voluptas: sed ratus nihil interesse inter hujus boni expertes ac mancipia volensq; excellere renantibus re omnium pulcherrima, alacriter se Aristoteli conjunxit, & sapientissimi viri discipulus esse voluit: deditque hæc conjunctio occasionem sequenti ejus claritati ac celebritati. *Chriæ primæ.*

Libanius: Isocrates cum adolescentes cerneret à studiis discedere metu laboris, respectuque primi sudoris, minime cogitantes quæ contingere ab his bona soleant: quid facit? collatis ultimis cum primis & voluptate cum tristibus, magis hos illius respectu confirmavit, quam horum caussa contristavit. nam disciplinarum inquit & radices sunt, & fructus: illis amarum additum his suavitas maxima adjuncta est. Quis non miretur in primis dicti veritatem? nam videamus ambo tempora, tam initii, quod radicis nomine significat, quam finis, quod introducit fructiferum. reperiemus enim illud tristitia quadam studia frangere, hoc incredibili lætitia excitare. Huc enim mihi aspice. Residet magister loco, ut judices, editiore, terribilis, adductis superciliis, iracundiam præ se ferens, nihil promittens placidum. cogitur accedere puer trepidus & submissus, ad opus variæ recitationis, inventorum, compositorum, atque insuper memoriæ. quod si opera improbata ipsius fuerit, indignationes, convicia, verbera, minæ in

poste-

posterum sequuntur. sin omnia eximium in modum elaborata, neque reprehensioni ullus relictus locus, in lucro ponendum non malo cum affici inculcatur cohortatio, ne postmodo deteriorem operam dare velit. ac iis potius qui per omnia officium suum fecere, expectandum tamen malum. simul enim dixisse minus bene videntur, simul gravius excipiendum onus. atque majoribus etiam jam satisfacere posse creduntur. atque talis quidem, vel non valde dissimilis est magister. Custos autem, hoc est pædagogus, Deum immortalem, quanto dominis ipsis gravior semper adest, prope ut annexus esse videatur. assiduo suscitat, perpetuo objurgat, ab omni otio repellit, operi animum intendere jubet. nihil laudat, quod recte factum fuerit, ob minima autem maxima supplicia infert, armatus (ut ita dicam) semper, dum scipionem aut scuticam dextram præfert. At parentes liberis faciles sunt? imo nihilo mitiores ipsis, ac potius sæviores: subeundumq; pueris domi certamē novū, nihilo illo inludis levius ubi.n. cib. potusq; præbendus pro eo audita patre. Quid factū, quantum profectum est? quid nobis doctrinæ accessit? & similia.

Addamus jam & quæ à matre expectanda. huic illum rationes referre necesse est. heic si ulla oblivionis accusatio, verbera memorare parum, etiam à cibo excludi oportet. Adest jam vespera quę aliorum labores solvit? ea illorum labores & opificium auget. At nox quietis tempus proprium, caussam vel maximam affert pueris criminationū nisi ante satietatem somnum repulerint. His igitur neque foras cum prodeunt, neq; domi cum morātur, non apud institutores, non apud parentes, non noctu, non interdiu conceditur vacare, sed per omnes labores pergendum est. ac ne somniis quidem placidis frui licet, verum & hæc plerunq; habent prædictionem. Num quis est qui existimet perperam disciplinarum radices ab Isocrate consideratas? Vides difficultatem, a maritudinē, omnia referta curis. Sed non heic constitit res, inquit, neq; terminus est disciplinarum difficultas. Jam igitur ad fructus respice, & cum radice hos compara, mox reperies jucunditatem non inferiorem tristibus illis. Quid autem est splendidum? quid omnino rerum meliorum, quod cum malis non cōmunicatur? Ubi jam enim adolescens satis institutus videtur, vocatur ibi in concionem populi, totusq; populus hujus à sententia pendet, & auctoritati ipsius parent. tanto est curia plenior voluptate, quam dolore fuerat ludus portiorq; corona verberibus. antecedirq; longe pædagogorum tristitiam præconis vox, splendido elogio proclamans. benevolentiam erga hunc. Accipe & reliquos fructus. Incidit tempus legationis? statim suffragium fertur erudito, atq; hic patriæ bona conciliat. hic illustris apud ambos, tam qui misere, quam ad quos venit legatus. Incidit controversia cum finitimis, atq; opus est illa remota? non ibi fortis, non dives, non præstans forma, sed eruditione excellens diligitur ante alios omnes: deniq; civitatum maximæ administrationes, penes oratores sunt, sed oratores de doctorum sunt numero. hi leges, hi plebiscita conscribunt, quibus respubl. contineri solent. De opinione vero collati maximi beneficii, major existit voluptas, cum accipientibus, tum conferentibus. benefacta enim iis qui adjuvantur succurrunt necessario tempore, iis autem qui adjuvant virtutis laudem pariunt.

Sed & hoc est manifestum, omnium esse maximum læsos defendere, & ab illis inimicorum vim propulsare, hæc autem omnia eruditi possunt, eorū enim à quibus affecti injuria fuere nomina deferunt, judicio eos postulant, in jus rapiunt, legibus tradunt, in ipsos si quis sycophanta sese intulerit, nihil periculi est: satis enim vi & acie sua defenduntur. Affinitas quæritur? quis non votis optarit eruditū sibi contingere? Quæritur amicus? quis non cupiat necessarius illius vocari? hoc.n. genus nō modo sibi præsidio, sed & suis pro portu esse poterit, si adsint in tempore necessario, si in adversis socios, consolatores, opitulatores se præstent. Quā speciosè vero ad tribunal deducuntur? quam speciosius etiam reducuntur post actiones gloriosas? Quod si forte subeat cupido pecuniæ, propinquæ divitiæ sunt, illæ quidem honestæ & artis quæstus. Præterea in cæteris cōmunibus, hos desiderant si absint, si adsint, confidunt. ab his pax & bellum administratur. Hi parentibus celebritatem nominis conciliant, nobilitatem liberis relinquunt. In his duplex est ob eruditionem senectutis reverentia. eorundem mortuorum longissimo tempore in foro positæ statuæ conservant memoriam.

Cernis quā contarii sint de illa rādice enati fructus? cernis quanto plus delectationis sit quam laboris fuerat in disciplinis? cernit tetrica illa in maximam hilaritatē evadere? Ac mihi hoc ita se habere jure optimo videtur. Videamus.n. utrum exiguū quiddam & futile sit eruditio, & ejusmodi ut facile conspui possit; an vero contra, & ipsa ingens ac admirabilis & maxime utilis possessori suo, aliis a. invidiosa? Atq; ea sanè quę dudū commemorata sunt, de præstantia illius, indicant ultimā hanc loco poni nullo jure posse, hæc. n. omnia comprehendere visa est; plausum, laudē, copias, præmia, honores tam vivor. quā mortuor. In promptu a. caussa est, quare necesse sit illa laboribus parari. ita enim se res habet: aliæ res nullius sunt momenti, aliæ maximi priores quidē facile adquiri possunt, ad posteriores vero laboribus deducimur. Neq; parvis sudorem natura admiscuit, neq; socordiā maximis: sed utriusq; illorū consentaneum est fini exordium. ibi deliciæ, hic defatigatio. de duob. igitur alterum accidat necesse est, vel exiguū quiddam, ut eruditionē perhibeamus, aut hoc negantes, admittamus laborē. Si ergo de ineruditione aut re quapiam futiliore Isocrates differens, initiis diceret horum labores inesse, valde ei succenserē. plenæ enim voluptatis istæ radices, cum a. verba de re faciat, cujus donum ad Deos referre æquū est, dixeritq; initia esse ingratiora, sed finem lætum, habet & ipsius rei magnitudinē sententiæ patrocinantem suæ. Cum mercatoribus agitur & ipsis eodem pacto non enim illis in angiportis dormientibus, nec domi absq; negotio sedētibus offeruntur divitiæ: opus est obsesso portu, compellato nauclero, impositis & mercibus & corpore in navem: tum abscondenda terra, & in altum eraicendum, ubi multos deinde dies cum noctibus cōjungat. Neq; diximus adhuc tamen quod majus est, sæpe .n. qui modo proram impetierant, cadunt flatus, & irruunt contrarii, & ni unde provecti fuerant eo referuntur, neq; lucrum ullum in cursu factum, fulmina verò quæ juxta onerariam decidunt, & tonitruum fragores, fluctusq; insurgentes, & decumanorum metū, quis pro eo ac par fuerit enarrare possit? hæc cum illi fortissime petiulerint, periculi præcio opulentiam mercantur. atq; horum aliorum usu veniat necesse est, vel multa ut illis adversa perpetienda, vel ut facultates non augendæ sint.

Atqui universas divitias si quis disciplinis opponat, risum moveat dijudicatio. quid mirum a. si illæ labores requirunt, cum ne minora quidem sine defatigatione contingere soleant? Cereris fruges quopacto demetere censes agricolas? numquid sine fatu, sineq; oratione, ut apud Cyclopas? figmentum hoc & fabula ac potius necesse est omnino bovem curare illum, & aratrum pangere, & dissindere terram in sulcos, & sationis tempus nosse, neq; pati quod conjectum fuerit ut auferant avicula, itemq; quæ detrimentose obvata viderit spicis, ea ut amputet. cumq; jam nullum curæ atq; diligentiæ genus non adhibuerit, matureſcente jam segete, cum æstatem expectaverit, ita demum falces usurpabit. Neq; hoc considerandum modo, areas illum compleviſſe, sed quanti labores subeundi fuerint, hoc aspicere possent. Eadem & de pastoribus dicere liceat, deq; artibus aliis, quarum bona ne conferenda quidem sunt disciplinarum bono.

Ac quid his immorari attinet, cum suppetant exempla idonea, quę præclarum testimoniū perhibeant huic disputationi? quid.n. majus aut gravius Demosthene? non illum dico, qui dux in Sicilia, sed qui orator fuit Athenien sium, an ulla major unquā Athenien sibus, atq; adeo omnibus mortalibus commoditas extitit? quis filium suum nō optarit, non dico senilem fieri illius, sed omnino imitationem ejus attingere? hic igitur non convitiis & compotationibus intendens animum, neq; apponens mensam sybariticam, neq; felicitatem in voluptate constituens, non ventri indulgens, non plurimum temporis quieti tribuens, ad tantam gloriam quæ nunc terram & mare occupat, pervenit. Unde igitur, aut quonam pacto tantam granditatem collegit? omnia quidem simul ut dicam, de laborum assiduitate, fugiendo scilicet facilia, libris incumbendo, cum duceret aquam magis sibi convenientem quam vinum. in studiis vitam agenti, cum tempus saporis, ipse operum tempus faceret, cum ita totum ad discēdum conferret, ut effosso solo domicilium ad inhabitandum novum & admirabile sibi construeret, ne qua tumultuatio sensibus objecta excuteret rationem institutorum. Nondum quod maximum est diximus. prodire enim in publicū in primis officere studiis ratus cumq; ordine quodam labores suos sibi vellet procedere, radendam capitis partem duxit, ex quo id efficeret, domi ut remaneret.

Hic igitur Demosthenes, radicis acerbitatem cum percepisset, etiā fructuum dulcedinē percepit. post illa enim molesta, non solum Athenien sium ipsi, sed totius Græciæ salus credita fuit. cum omnibus posthabitis solum spectaverunt, principem populi benevolentem, consiliarium bonum, oratorem gnavū, prudentem, acutū, omnibus honestis nominib. appellantes. hic fuit ipsis omnia, legumlator, plebiscitorum scriptor, qui legationes obiret. qui dicere, qui persuadere sciret. quin etiā caput illud quod deforme reddidisse videbatur, post-ea ostentavit redimitum corona, deq; illa inclusione & angustiis ædibus in totum orbem terrarum protulit gloriam suam, moriuus etiā nō finivit, ut ita dicam, vitam, sed animos cum juvenum tum seniorum, nunc quoq; omnium rethoricę cupidorum, quasi initiorum sacris quibusdam imbuit. deniq; nec ingratiorem radicem, neq; præstantiores fructus quisquam degustavit. Quid Lycurgus ille, qui & ipse temporibus vixit Demosthenis? utrum aut vulgaris orator Athenien sibus visus, aut quod magnus esset atq; existimaretur, id ei absq; laboribus contigit? Verum quis tam sero ad discendum se contulit, cui non novum aliquid auditum sit, vel quo pacto somnum ille dispulerit? Rectè igitur hæc à nobis disputari cum aliis multis & Hesiodus testatur, neq; quisquam profecto tam audax fuerit ac temerarius qui hunc testem rejiciat. nam ne pueris quidem esse ignotum puto, præ cæteris poëtis celebribus. Hesiodum à numine Musarum correptum, & ab his jussum fuisse, Deorum genus, & alia hominibus utilia multa decantare. Hic ergo in versibus quos de virtute fecit, in sublimi residere illam dicit confessusq; viam quæ ad eam ducat esse arduam ac difficilem, quæ per multos sudores perficienda sit: intelligi vult ei quidem qui cupiat potiri virtute.

Utriusq; ratio eadē, in qua sententiæ congruunt, nominum quoddam discrimen est, quod disciplinā nominavit Isocrates. hoc ille virtutem dixit quod radicē ille, hic semitam, rursum cū Isocrates amaram, ille asperā. Qui vero dixit, à Deis venire bona hominibus, quod non argento neq; auro neq; simili, sed laborū precio veneant, an non præclare tam cum Isocrate quam cum Hesiodo videtur consentire? Nosne igitur tam incogitantes erimus, ut primorū metu, tantis bonis nos frustrari: urq; non hęc appetere cupidissimē; illa fortiter perferi velimus? an nō verebimur tā multos sapientes viros videri cōdemnare futilitatis? aut cōmittere alterū horū, vel ut digna admiratione culpemus, vel ut nō obsequamur iis quę admirati fuerimus? *Chria altera.*

Libanius:

Eborensis: Nihil certè grave est, si à servis ea quæ maximè profutura sint patriæ, didicerimus. *Declamatione decima septima.*

Libanius: Cura est superis, cura est Divis cultorum Musicorum: huic rei argumento est Libethrium quod post Orphei cædem, per Musis aversum genium, pernas dedit; & locus ipse fœdatus est inscitia multa. Attamen hoc quali non peste magis horrendum, qua non ariditate nocentius, & mentè excœcari, & in præclararum rerũ ignorantia vitam degere, & à pecudibus nulla in re differre. *Fine Declamationis Sexagesimanona.*

Basilius Imperator: Bona cumprimis atque ad vitam rectè instituendam pernecessaria res est literarum cognitio, non solum Regibus, sed etiam privatis hominibus, illis enim qui eam sibi acquisierunt, magnas adfert commoditates, & ad corpus, & ad animum excolendum: hunc quidem studio sacrarum literarum, illum vero exercitatione bonorum operum. Quapropter, ô mihi dilecte Leo fili, ego qui & pater & regni tui socius, admoneo ut eam tibi Imperii ducẽ adsciscas, quæ & regnis ornamento est, & Reges immortalitate donat. Quemadmodum enim cum Sol super terram non lucet, obscura sunt omnia atque indiscreta: ita in animo nulla eruditione nullisque literis imbuto, confusa atque inordinata jacent universa. Capesse igitur ingenij cultum ex literis cum virtute conjunctum. Virtus enim sola ex iis quæ ab homine possideri queunt, neq; perire, neque amitti potest. *Cap. 1.*

§ Romanorum.

Plinius Iunior: O diem lætum, notandumq; mihi candidissimo calculo! Adhibitus in consilium à præfecto urbis, audivi ex diverso agentes summæ spei, summæ indolis juvenes duos, Salinatorem & Quadratum. quid enim aut publicè lætius, quam clarissimos juvenes, nomen & famam ex studiis petere &c. *Lib. 6. Epistola 11.*

Plinius Iunior: Negat epistola tua te studere: sed est tam polita, quæ nisi à studente non potest scribi, aut es tu super omnes beatus, si talia per desidiam & otium perficis. *Epist. 13. libri septimi.*

Plinius Iunior: O quantum eruditorum, aut modestia ipsorum, aut quies, operit & subtrahit famæ! at nos eos tãtum dicturi aliquid aut lecturi timemus, qui studia sua proferunt: cùm illi qui tacent, hoc amplius præstent, quod maximum opus silentio reverentur. Expertus scribo. Terentium Iuniorem ego invitatus hospitio, ut bonum patrem familiæ, ne diligentem agricolam intuebar, de his locuturus in quibus illum versari putabam: & cœperam, cum ille me doctissimo sermone revocavit ad studia. quàm tersa omnia? quam Latina? quam Græca? nam tantum utraq; lingua valet, ut ea magis videatur excellere, quam cum maximè loquitur. quantum ille legit? quantum tenet? Athenis vivere hominem, non in villa putes. quid multa? auxit sollicitudinem meam, effecitq; ut illis quos doctissimos novi, non minus hos seductos, & quasi rusticos verear. idem suadeo tibi. sunt enim ut in castris, sic etiam in literis nostris plures cultu paganæ, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus invenies. *Epistola 25. libri 7.*

Plinius: Quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiæ doctoribus habes? ut sub te spiritum & sanguinem, & patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exilijs puniebat: cum sibi vitiorum omnium conscius Princeps inimicas vitiis artes, non odio magis quam reverentia relegaret. At tu eadem artes in complexu, oculis, auribus habes. præstas enim quicũque præcipiant, tantumque eas diligis quantum ab illis probaris. *Cap. 47. Panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Sed maximas ingenii tui vires fortuna magna nõ onerat. Proinde his etiam rebus intende, quæ ita occupatis nihil molestiæ afferunt, ut ipsas molestias plerumq; solentur. *Lib. 1. Ep. 12. f.*

§ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 49. ad Nicobulum patrem.

—— O genitor tua me doctrina pudore
Afficit, & præstans facundia. Nam tibi linguæ,
Aureque, & cita mens prosa versuque feruntur
Felici cursu, nec id ullo pene labore:
Quod magu est mirum. Tu magnis regibus olim
Assabas una que in gravibus laus maxima bellis.
Tum tua Archamenidum letho dabat hasta phalangas,
Tu mente atque opibus multis, tu sanguine claro,
Corporea tu mole, pater, formaque decore
Aeacidas veteres æquabas, ac Meleagrum.
Attamen haud tantum peperercunt omnia laudem
Hæc tibi, doctrinæ quam copia maxima, quæ te
Reddidit expertem senij firmumque, tibique
Præbuit eximium mansura in sæcula nomen.
Sors tua doctrinæ sors sit mihi, non secus atque
Lancea Spartiatis, humeras Pelopeius ortis
A Pelope, & sceptrum ad natos a patribus usque
Manans, Cecropidisque velut depicta cicada.
Est etiam laudi natis patris ora referro.
Hæc mea te moveat, pater, haud inhonesta cupido.

D. Greg. Nazianzenus fine Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Vnam doctrina rem semper crede priorem,
Virtutem studiumque boni moresque probatos.

Phædrus Fabular. libri 3. Præfatione.

Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo;
Ego literatæ quæ sum propior Græciæ,
Cur somno inerti deseram patriæ decus?
Threissa cùm gens numèret auctores Deos,
Linoq; Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, & domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas;
Quoniam mihi solennis debetur gloria.

Phædrus Fabula 79.

Homo semper in se doctus divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelago,
(Erat autem natus, ut aiunt, in Ceo insula)
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt
Subsidium vitæ: quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta, tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit.
Nudos relinquunt fortè Clazomenæ prope,
Antiquæ fuit urbs quam petierunt naufragi,
Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpe versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus
Sermone ab ipso cognitum cupidissimè
Ad se recepit, veste, nummis, familia
Hominem exornavit: ceteri tabulam suam
Porrigunt rogantes victum, quos casu obvius
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perijt.

Phædrus Fabularum libri 4. fine.

Non litera modo inter homines prævalent,
A superis sed quoque tributus illis est honos.
Simonides ut laudem pyctæ scriberet
Certo condixit pretio, secretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,
Visus Poetæ ut moris est licentia,
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem simulis referens gloriæ.
Opus adprobavit, sed mercedis tertiam
Accepit partem, cum reliquam poscoret;
Illi, inquit, reddens quorum sunt laudes duæ.
Verùm ut ne irate te dimissum sentiam,
Ad cœnum mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis & dolens injuria.
Ne male dimissam gratiam corrumperet,
Promisit, redit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium.
Magno apparatu lata resonabat domus;
Repente cum duo juvenes sparsis pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem:
Illius interesse ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem:
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camera subito oppressit ceteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.
Vt est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam, mercedis loco.

§ Emblematum.

Hadr. Iunius Emblemate v.

In vigilare libris, studio meminisse horas,
Pars vitæ est princeps: otia vita fugit.
Fama vehit vigiles, sepelitque oblivio inertes:
Nos liber explicitus, clepsydra, lychnus habent.

Batillius. XLIII.

Carpturus dulcem fructum radicis amaræ.
Ascensu teneras pueri secat aspera palmas,
Non aliter fructus palma daturos suos.
Doctrina hos aditus primum spectantibus offert,
Ad se se & præceps ardua monstrat iter.
Sed quibus ipsa dabit summum contingere culmen,
Perpetuo hos requies lausque decusque manent.

Camerarius XXXVII. Centur. I.

Sic vos non vobis, vitis lauro fulte.
Pingitur in lauri vitis cursu pote nixa.
Sæpe etiam docti munere dives eget.

Camerarius XCIII. Centur. I.

Non tibi spiro.
Præsis est animus virus doctrina salubris:
Sic lætulens fugitat pervius amaracinum.

Camerarius VII. Centur. 3.

In tempore munit. Aquila cum lapide quo ſtabilit nidum.

Non bene firmum animum abripient vaniſſima rerum;
Quare hunc doctrina conſtabilito gravi.

Camerarius XXVIII. Centur. 4.

Pretioſa paſcitur eſca. Carpio auri fabulo veſcens.

Scilicet eſt quovis doctrina potentior auro,
Hæc ergo ingenij collige divitias.

§ Apophthegm. Christianor.

Pius II. Pontifex: Doctrinam, qua pulchrior ac nobilior nulla eſt poſſeſſio, in præſenti adducimus, & pro ea Pium II. Pontificem. cujus memoranda vox: *Cui plura noſſe datum eſt, eum majora ſequuntur dubia* Cur ita? Fit namque ut ubi rem quampiam accuratè inveſtigaveris, tum demum ea in animum veniant, quæ ad rationem perfectionemque illius plenè indagandam conducere videntur. *Platina in vit.*

Tilius nobilis Reg. Franc. Erat hic ex illis qui Franciſci primi veſtigia ſectatus, literas (quæ anteà ſordidæ inter nobiles reputabantur) in aulam Franciæ reduxit, cui proinde in ore frequens illud: *Litteræ Equeſtrium ordinum dignitatem confirmant. & ab ignobilitate vindicant. Refert Greg. Richterum in Axiom. Polit.*

Alphonſus Arag. Rex: Iterum Alphonsum compello: à quo profectum aliquando, *Malim priſtinam vitam agere, quam eruditione carere.* ita enim eum affecerant literæ, ut Ioan. Eſernitanus rari judicii ingeniique vir clariſſimum hoc de eo tulerit teſtimonium, niſi Rex fuiſſet, eximium Philoſophum futurum fuiſſe. *Panorm. de geſt. Alphon.*

Doctrinæ in pretio habitæ.

§ Apophthegm. Christianor.

Leo Imperator: Cum tanta tamque celebris ſit Eruditio, quis miretur eam magno in pretio habitam aliquando apud magnos? Leo Imp. qui Martiano ſucceſſit, dicenti cuidam ex Eunuchis, quod Eulogio philoſopho frumentariam teſſaram dari mādaſſet, militibus ejuſmodi largitionem faciendam; reſpondit: *Vtinam is ſemper ſit meorum temporum ſtatus, ut mihi liceat militum ſtipendia in literarum magiſtros transferre! Suidas.*

Alexander Severus: Ille Macedonem Alexandrū imitatus, quotquot in Italiam ſe conferrent viri doctrina præſtantes, ſuo favore complectebatur. ita ut aliquando apud exterarum nationum Legatos gloriari ſolitus ſit. *Rari in orbe docti, quibuscum aut verbo aut ſcripto non fuerim locutus.* Laus digna Regibus, & quàm hæreditariam illis eſſe decet. *I. Spinæus lib. 4 de Tranquill. animi.*

Robertus Rex Neapolis: Huic item & literæ & literati uſque adeò chari, ut aliquando audità ab eo regia illa vox: *Chariores mihi litera regno.* Utinam etiam ea mens in aliis regibus noſtri orbis! *I. Lipſ. lib Monit. Polit. c. 7.*

Alphonſus Arag. Rex: Erga omnes benevolus; ſolos illiteratos deſpexit; vixdum hominis eo nomine dignatus. Ennianum enim illud ſubinde obmurmurabat, *Vulturis* (genitivus pro nominativo adritum priſcum) *in ſylvis miſerum mandebat homonem* ægrè eos homines vocitabat; in quibus nihil hominis, effigiem præter, animadvertebat. *Panorm. lib. 1. de Geſt. Alphonſi.*

Margaretà Scotiæ Reg. In Scotiam tranſeo; ubi Margaretam Reginam video, jure primis illis annumerandam, ſi non præferendam. Obambulabat, ut fit, palatium, & ecce conſpicatur Aliam Chartier, virum notæ deformitatis, at eruditionis eximiæ, obdormiſcentem inter ſubſellia procubuiſſe. Accedit palàm, eum amplectitur, elevat, & mirantibus (quis hæc facientem Reginam non miretur?) quod virum tam deformem exoſcularetur: *Virum,* inquit, *amplexata non ſum: ſed os illud, ex quo tot inſignes prodiere ſermocinationes.* Vnicum quod ſciam in fœmina exemplum. inviſa namq; eruditioni bona pars illius ſexus. *Auct. Serm. memor. lib.*

Franc. Sforzia: Erat hic literarum expers, amantiſſimus tamen eorum qui illas fovebant. Rogatus autem, cur literas neſciret; *Quia,* inquit, *non didici una eademque manu librum tenere & gladium. P. Iovius.*

§ Monosticha Trochaica.

Clarior doctrina multò eſt, crebra exempla quam juvant.
Comparanda opes quæ puppe naufraga tecum enatent.
Docti poſtquam prodierunt deſierunt eſſe boni.
Doctrinarum amara radix fructus at ſuavioſtimus.
Doctus eſt, qui ſcit honeſtum ſcire quæ par eſt virum.
Diſciplina animo conjuncta nullo intereunt tempore.
Diſciplina nulla eſt, in qua non peccando diſcimus.
Magna turba expers ſolitudo maxima eſt.
Munus abjurat cœleſte nobilis abſque literis.
Ne bene eſt reipublicæ, cujus litera in pretio bona.
Nemini doctrina fingit ingenium; omnibus polit.
Nobilis non eruditus munus abjurat pols.
Plurimum doctrina prodeſt, plurimum obeſt doctrina.
Plus honorat ſe quam doctos rex in honore quos habet.
Si parum doctrina confert, nemini tamen nocet.
Tanto gratior ſuis quis eſt quanto eſt & doctior.

§ Iambica.

Confertam ingenium hominis doctrinam haud ſufferat
Doctrina bello, pace doctrina utilis.
Doctis aperta ſemper Regum pectora.
Doctrina culter eſt in inſani manu.
Doctrina, docti à vitijs carpitur improbis.
Doctrina egere non putant ſe divites.
Doctrina heros ſuo eripi nunquam poteſt
Doctrina honori eſt omnibus mortalibus.
Doctrina mores eſſe non ſinit feros.
Doctrina mores formet in cera modum.
Doctrina non ingenia fingit, ſed polit.
Doctrina quam vis ante eſt pecuniam.
Doctrina vita ſcipio eſt, qui ſuſtinet.
Doctus labore alieno nemo, ſed ſuo eſt.
Ferè flagitia quævis tollunt literæ.
Haud fabricat doctrina mentes, ſed polit.
Haud pluris ſunt indocti homines quam quantum habentur.
Homo doctus, in ſe ſemper divitias habet.
Indocti homines quid differunt à mortuis?
Nemo labore alieno doctus ſed ſuo eſt.
Nil uſpium doctrina eſt invidioſius.
Noverca doctrina omnis negligentia eſt.
Pectus bonum, atque os doctum, rara adfinitas.
Præſtat docere vita quam ſermonibus.
Qui doctus eſt, amicorum haud unquam eſt inops.
Radix amara dulces fructus ſufficit.
Rei juventus docta publicæ eſt baſis.
Vtilis eſt doctrina civi, Regi eſt utiliſſima.
Vt prodiere docti, boni deſinunt.

Doloris.

§ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Nazianzenus: Ac dolenti ignoſcendum eſt, ea quæ dolentis ſunt loquenti. *Epiſtola 45,*

Chryſoſtomus: Non ſunt caſus omnes communes omnibus, cæterum alius ex uxore, alius ex filio; ex ſervo alius, alius ex amico, alius ex inimico, alius ex vicino, alius ex quovis detrimento cauſam mœroris ducit. Plurimæque ſunt doloris cauſæ, atque differentes, prorſuſq; neminem invenies triſtitiæ ac doloris expertem, etſi alius magis, minuſque alius doleat. non itaque feramus graviter, neque nos tantummodo triſtia pati arbitremur. Neque enim fas eſt, ut homo qui ſit, mortalemque hanc agat vitam, doloris angoriſque ſit expers. Sed niſi hodie, cras ſe ingeret mœſtitiæ cauſa: quod ſi non cras, poſtea certe mœſtitia. Quemadmodum denique fieri non poteſt, ut qui navigant, abſque curâ ſint: ita & qui vitam hanc fragilem vivunt, abſque ſolicitudinis angore eſſe non poſſunt. Nam ſive quiſpiam dives ſit, plurimæ illi mœſtitiæ occaſiones cauſæque non deſunt: ſive rex curis deſtinatur innumeris. Neque enim vel illi omnia ex ſententia proveniunt, ſed plurima quæ minime velit, perpeti cogitur. Ille vero in primis eſt, qui contra voluntatem ſuam gerit omnia, habetque qui accipere parati ſunt, quæque illius ſunt. Conſidera denique quanta illi ſuppetat mœroris cauſa, quum velit quidpiam, neque agere valeat, ſive metus obſiſtat, ſive ſuſpicio, ſive hoſtes, item ſive amici impedimento ſint. Sæpe item etiam quum aliquid agere nititur, pro voto; ſuccedit: omnem tamen actus illius voluptatem obſcurat adverſantium multitudo. At vel illos fortaſſe putas mœroris exortes, qui vitam curis ac negociis vacuam elegerunt? Minus quidem illi quam reliqui perturbantur, non tamen penitus vacare poſſunt, ſicuti immortalem eſſe hominem poſſibile non eſt. *Homilia 1 ad Timoth. 2.*

Chryſoſtomus: Neminem prorſus invenies dolore ac mœſtitiâ vacantem. Quod ſi qui minorem habere videntur doloris cauſam quam nos: ita enim quiſque arbitratur, magiſque incommodis noſtris, quàm alienis afficimur: quemadmodum enim hi, quibus pars aliqua corporis dolet, putant ſe plus dolere, quam proximos: & qui oculum dolet, nullū putat ſibi æquari poſſe dolore. Rurſus qui ſtomachi languore tenetur, illum putat dolores omnes excedere: Singulique quibus detinentur incommodis, omnia viſuæ magnitudinis tranſcendere exiſtimant:

Ita & in angore animi ac mœſtitia contingit, ut quo quiſq; premitur, eā putet cæteros ſua acerbitate ſuperare quippe q hoc ſuo experimento

mento dijudicat.' Sicuti qui filios non habet, nihil ea infœcunditate putat esse molestius: & qui inter paupertatis angustias filiis angitur, nihil æque atque eam liberorum multitudinem execratur. Et qui item unum habet filium, hoc plenum doloris existimat, quum ille hinc & negligentior fiat, & patrem summo in mœrore constituat: quippe qui, quia illi unicus charissimus sit, neque patiatur converti ad meliorem frugem. Qui item habet uxorem eximiæ pulchritudinis, nihil ea re putat esse deterius, quum ea pulchritudo suspicioni atque insidiis máxime præbeat locum. Et qui deformi conjungitur, pari ratione vexatur, putatq; eam rem esse molestissimam qui privatus vivit, nihil ea vita inutilius suspicatur aut vilius. Miles nihil militia laboriosius, nihil periculosius putat: meliusque arbitratur, pane tantum & aqua in cibum uti, quam tantas perferre molestias. Qui in principatu est constitutus, nihil esse durius autumat, quam aliorum necessitates curare. Qui vero subditus persistit, nihil indignius censet, nihil abjectius, quam alienæ ditioni subiici. Qui uxorem duxit, nihil uxoria cura dicit esse molestius. Qui non duxit, nihil liberali viro ducit indignius, quam uxoris carere solatio, familia, quieteque destitui. Negotiator agricolam, quod in tuto res illius sit, beatum prædicat: ille hunc è contra, opum gratia felicissimum putat. Prorsus vero perdifficile hominum genus ubi acquiescat, inveniet, quum semper ad querimonias, indignationesque sit pronum. *Homilia* 1. *ad Timoth.* 2.

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem ei, qui mœrore obrutus & profligatus est, molestorum narratio solatii nonnihil affert, ac præsertim cum ad synceros amicos fit (silentio quippe ingravescit calamitas. Permulti siquidem ob pectore pressas ac silentio traditas miserias suas in graves & periculosos morbos inciderunt) idcirco eos, qui calamitates suas commemorare cupiunt, blandè ac suaviter admittere oportet, ac posteaquam illi per hujusmodi sermonem dolore levati fuerint, tum demum, eam quam par est medicinam adhibere. Nam si confestim ipsis ora obstruamus, tum inhumaniorum hominum existimationem colligemus, tum remedium imbecille atque invalidum reddemus, nimirum ipsa doloris flamma illud repellente. At si mitigato dolore pharmacum imponamus, duplex lucrum consequemur, alterum quod humani ac misericordes erimus: alterum quod morbum depellemus. *Lib. 3. Epist. 8.*

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiensis: Quem stimuli affectuum pungunt, dissimulare nō potest, quin moveatur ad formam passionis. Exultat ergo quem gaudii aura demulcet, spes inducit hilaritatem, metus trepidat, dolentis animus mœrore confunditur. Hæc apud singulos alternat facies boni aut mali. Verum sensus malorum altior est, & sæpius in omnes incurrit; quis est enim qui malorum asperitate sæpius non uratur, quam demulceatur fomento bonorum? Rarus est, qui totius fortunæ impetum à se toto possit arcere. Qui sui viribus prævalet, aut in amici aut familiaris corpore, vel sorte tentatur. Licet parum humanus sit, quem extraneorum jactura non concutit. Non satis homo est quem aliena non movent. Sed sapientioribus jam venit in dubium, an quicquam hominis, recte sit homini alienum. Virtutis vero processus, ambiguitatis hujus nodum solvit, cum & Comicus nihil humani alienum à se reputet, & magister cœlestis hominem homini diligendum docuerit ut seipsum. Vnde patet indignum esse tanto magistro discipulum, qui veritati non congaudet, & adversus publicæ salutis hostes non excandescit. *Libri tertij Policratici proleg.*

Io. Sarisberiensis: Nemo est qui exigentibus culpis, in seipso non inveniat causas materiemq; doloris; cùm ipsius philosophiæ testimonio, unicuiq; contingat adesse, quod nollet, vel abesse quod vellet. *Lib.* 3. *Policr. c.* 8.

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Libanius: Non idem est, homines semel omni miseria liberari, & in tristitia vitam degere. mortuus enim jacet sine sensu: qui autem in dolore vivit, is verè affligitur. *De irato Achille Progymn.*

Libanius: Quid vis intolerabile est mihi, etiam leviissimum; quādo qui dolorem infert malevolus est? *Declamatione quadragesima secunda.*

Heliodorus: Cùm quies & silentium tota esset. palude, & ad primam vigiliam noctis processisset, solitudinem & absentiam eorum qui tumultuarentur, tanquam occasionem sibi datam ad luctum & lamenta virgo arripuit: excitante etiam magis dolorem ipsa nocte, & nulla re, quæ audiri aut videri posset, ad sese animum revocante. *Libro* 1. *Aethiop.*

Maximus Tyrius: Velim scire qua potissimum ratione à dolore vindicari possit animus. Num & hic, quemadmodum in corporis doloribus fieri videmus, medico sit opus, neque medico tantum, sed & remediis, & accuratè ad sanitatem temperata victus ratione. Quis igitur erit potissimum hic animæ nostræ medicus? quæ remedia, quæ victus ratio? Ego tantum antiquitati tribuo, ut has artes non dividam: sed potius poetis credam. Voluntilli Pelio in monte vixisse hominem, cui Chiron nomen fuerit. Chironi huic artem fuisse, quæ utrunque ageret. Quoscunque enim in disciplinam suam receperat, omni laborum genere, venationibus, mōtanis itineribus, cursibus, humi decumbendo, cibis ferinis, fluviali potu ad summam perducebat sanitatem. Rursus hoc agebat, ne ulla in parte corpori cederet anima, neque minus celeriter mentis aciem intenderet, neque minus fortiter affectibūs resisteret. Neque alia est causa, cur duo nomina uni arti poetæ tribuerent, & quod medicus optimus, & quod idem esset justissimus. Quod si hoc tempore distingui ars cœperit, noli id mirari, priusquam mihi ostenderis hanc ipsam medicinæ artem unam esse ac conjunctam: ac non potius aliam ejus partem aliis in corporis partibus occupari. Quarum hæc oculos curat, illa tergum, alia vero aliud: ut metuendum sit, ne in minutas toties ignobilesque divisa partes, nihil omnino tandem futura sit. Non aliter quam regnum Macedonicum post Alexandrum legimus ad plures devolutum esse: quorum nemo toto imperio dignus habebatur. Sed qua de causa Chirōnis paulo ante mentionem fecimus? Age videamus simul, num præterrem. Primum velim scire, quod te confessurum non dubito, an aliquem corporis dolorem existimes. Hic igitur duplex est. Interdum enim simul uno quie impetu corpus totum subit, corpori toti æqualiter se miscet, naturalem ejus turbat constitutionem, non aliter quam ignis, quem proprie ignem dicimus, ferrum mutat. Hunc ignem Græcorum medici, ut minus malum esse videatur, nomine deminutivo πυρετὸν non πῦρ dixerunt. Rursus alia doloris hujus species est, quoties una pars corporis fons totius morbi est & causa: ita ut malum ex hac parte se diffundat, totumque corpus in consensum trahat simul & abripiat, ita doloris hujus fiat particeps. Id quoties accidit, celerrime ab ægra parte ad integram solet transitus fieri. Quod apparet, si extremam pedis partem offendas: momento enim temporis, ab unguibus, ut vulgo dicitur, ad caput usq; dolor diffunditur. Putasne hoc futurum, nisi corpus undiq; complexa esset anima, nisi toti corpori, non aliter quam lux aeri, permixta esset anima? Alio potius exemplo utamur. Sicut in suffitibus fieri solet, ut eorum odor fragrantiæ suæ suavitate medio interfusus aeri, ad eos qui longissime absunt diffundatur: aut ut colores, priusquam ad oculorum eminus perveniunt aciem, interjectum pingere videntur aerem: Ita existima passim penetrare animam, nec ullam immunem illius esse corporis partem. Capillos tātum excipe & ungues, quorum alia est ratio: quæ non aliter se habent, quam in arboribus frondes. Nam & ejusmodi minimo in plātis sensu sunt prædita. Eo modo cum ad corpus se habeat anima, non est mirum si doloribus quoque ejus imbuatur & voluptatibus. Dolor tormentum est corporis, affectio animæ. Hæc igitur prima est origo doloris in homine. Secunda quæ directè cum superiore pugnat, quæ ab anima incipit, desinit in corpus. Quoties igitur tristatur anima, afficitur cum ea corpus & tabescit. Hoc est quod lachrymas ex oculis dimittit, hoc est quod pallere solet, quod attenuari: Sicut in iis fieri videmus, quos amor excruciat, quos paupertas conficit, quos mœror squallore inficit. Quid quod & bilis, & ira, & invidia dolores suos transferant: ad corpus nec ullus animi, qui non ad membrum aliquod perveniat, motus est. Sed quorsum hæc pertinent? Vt appareat, dolorem, sive ab anima ad corpus, sive à corpore ad animam transeat, una eademque medicina tollendum esse: sicut una gubernandi arte Euripus feliciter navigatur. Et hæc quidem eo modo putavimus probanda. Ipsam vero medicinam quæ utraque curet, tam quæ hinc quam illinc oriuntur mala, quis ostendet nobis? Quia an similem alibi Chironi invenire possim, vehementer dubito: cujus arte utrunque simul bonum consequar. Et quamvis non omnino confidam (opus enim ipsa Ossa Olympoque majus est,) non tamen penitus de arte despero. Quid enim non assequi possit, modo velit, ausa quidvis experiri anima? Interim dum credo & diffido, dum ignorare & scire mihi videor, hoc modo litem dirimam. Vnam eandemque esse artem puto, non tamen quæ utrique conveniat, & animæ & corpori: sed præstantioris partis cura, curari & deteriorem. Inter dicendum enim, in mentem mihi venit illud quod Charmidi dicebat Socrates: quamvis non ipsum illud quod in Thracica illa, ut vocat, incantatione erat. Ille enim una cum toto, ait sanari partem, nec fieri posse ut conservatio parti contingat, nisi prius contingat toti. Verum id esse non nego in corpore: at vero ubi anima conjuncta cum corpore consideratur, contra se habere puto. Bene enim se habere totum necesse est, cujus pars bene habet: non utralibet, sed præstantior. In societate enim deterioris cum meliori, ex conservatione melioris dependet deterius. Nisi putes hominem cui bene constituta sit anima, dolorem aliquem aut vulnera, aut aliud quod corpori nocet, respicere posse. Minime per Iovem. Hæc igitur quærenda medicina est, hæc exploranda: ea comparanda ea perquirenda est sanitas. Aut enim statim corporis sequitur sanitas: aut si non, certe malorum quibus corpus affligitur integer contemptus. *Dissertatione* 18. *Quomodo quis sine dolore esse possit.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Ego insanus eram, & defendendus quidem, si contradixissem: sed perseveraturum patrem negabant propinqui: sic factum est, ut dolorem silentio premerem; qui clausus atque intra cogitationem receptus, abstulit mentem. *Declamatione* 191. *med.*

Quintilianus: Levior est dolor qui disponitur. *Declamationis* 12. *ipso initio.*

Quintilianus: Acrior semper ex verecundia dolor. *Declamatione* 17. §. 8. *f.*

Calpurnius Flaccus: Dolere integrè non potest, qui urgetur irasci. *Controversia duodecima.*

Plinius Iunior: Plerumque dolor etiam venustos facit. *Lib.3.Epist.9.princ.*

Plinius Iunior: Est quædam etiam dolendi voluptas; præsertim si in amici sinu defleas; apud quem lacrymis tuis, vel laus sit parata, vel venia. *Epistola decimæsexta extremo, libro octavo.*

Plinius Iunior: Sed quid ego indulgeo dolori? cui si frenos remittas, nulla materia non maxima est. *Epist.9.libri quinti.*

Symmachus: Si dies longior sensum tanti doloris exemerit. *Lib.1. Epist.7.*

Symmachus: Postquam te jactatum comperi dolore consueto, omnis reliquarum sollicitudinum mearum sensus evanuit. nam, ut ait Hippocrates, præsentia hebetantur incommoda si cui dolor major accesserit. Expecto igitur ut accepto de te indicio lætiore, in priores curas revertar. *Lib.6.Epist.45.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carm.11. ad Episcopos.

Φάρμακον ἄλγεος ἐστι κεφαλῆς ἐς μῦθον ἀνιπτεῖν.
Est medicina doloris & ipsum efferre dolorem.

Plautus Cistellariæ 1.sc.1.v. 61.

Excrucior mea Gymnasium, male mihi est, male maceror.
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab agritudine.
Quid dicam? nisi stultitia mea me in mœrorem rapit.
G. Indidem unde oritur facito, ut facias stultitiam sepelibilem.
S. Quid faciam? G. In latebras abscondas pectore penitissimo.
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine arbitris.

Apophthegm. Christianor.

Pastor Anachoreta: Beatos eos qui hic lugent, quoniam postmodum consolabuntur, inquiebat Salvator, ejusque dicti memor Pastor Anachoreta, cùm Arsenium lachrymis madentem esset conspicatus, dicebat: *Beatus verè es Arseni, quod cum teipsum in hac vita luxeris, non eris opus lachrymis in futura. Sur. tomo 4. ex Palladio.*

F. Borgia: Quantum autem utilitatis successivi dolores homini Christiano adferant, tacitus secum considerabat Franc. Borgia: cujus assiduæ illæ ad Deum preces, ut deliciæ in cruciatum verterentur, ac dolores voluptati essent. Itaq; Lermæ Comitissam cum mœstam videret, hoc dicto solabatur: *Nolenti dolores Deus immittit, postulanti negat. Ribad. lib.4.c.5. vita eius.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cuique plus Dij dolorum, quam voluptatum oggerunt.
Cum dolendum est saltem simules, si tibi re ipsa non dolet.
Ecquis est qui semper esse possit in doloribus.
Est dolor levis si ferre quis, si ferre nequis brevis.
Est lucrum die vel una non dolere, non queri.
Est superfluum dolere si dolor nil proficit.
Fit furor terrore præceps, & malis fessus dolor.
Ignavo insultant dolores; cedunt persistentibus.
Ignis est dolor, calescit hoc magis quo plus tegis.
Impetus primos doloris temperare perarduum est.
In se omnis tandem facessit senio nimietatis dolor.
Invenire dolori magno paria verba quei queam?
Leniat saltem dolorem si desperas tollere.
Lippo oculo manum abstinere quin attingas, non queas.
Magnus esse unaque longus nemini dolor potest.
Maximus dolor vel ipsam sede mentem demovet.
Mensa sumptuosa cordis non medetur ulceri.
Mens dolore obsessa, clausa rebus est latis fore.
Multa vita habet vias, sed nulla in qua non sit Dolor.
Nemini non plus doloris accidit quam gaudij.
Nemini sua est voluptas cui dolor non sit suus.
Nil dedit natura gravius quàm dolorem homini malum.
Nil jucundius vacare quam omnibus doloribus.
Non dolor nos vexat, vexat stulta doloris opinio.
Non dolor quem vexat, ejus vexat stulta opinio.
Omnes qui dolent succensent liberè loquentibus.
Omnium mors est dolorum finis ac solutio.
Qui dolet antequam necesse est, quàm necesse est plus dolet.
Qui miser est, mali ultra sensum, in eo vim nullam habet dolor.
Quod satis dolet dolore mox majori expellitur.
Sape gaudium è dolore fit dolorque è gaudio.
Tam malum est dolere cuncta, quam dolere nil malum.
Tunc supervacuum est dolere, nil eo cum proficis.
Viva vox levat doloris, aggravat silentium.

¶ Iambica.

Ad id manum referimus sape quod dolet.
Aut tempore aut ratione curatur dolor.
Aut tempus, aut ratio, dolorem decoquit.
Caussæ dolorum sunt honores atque opes.
Cedit dolor minor, major si accesserit.
Cui nam doloris vita egena contigit?
Cur sæva modicis statuis? ut passus es, dole.
Deponere est dolorem, si intermittere est.
Dolor diu durare magnus non potest.
Dolor minus gravis is est, qui disponitur.
Dolor recens, veteres dolores advocat.
Doloris omnis ultio confessio est.
Durare magnus non potest longum dolor.
Durare summus non potest diu dolor.
Durat parum doloris summi intentio.
Et causa multis est insaniæ dolor.
Etiam ipse se frequenter accendit dolor.
Etiam viros devincit invictos dolor.
Frustra dolori, dum est recens, occurritur.
Gravem dolorem qui putat, gravem facit.
Hoc desinit citius dolor quo est acrior.
Ignorat infans ipse quidnam sit dolor.
In formulam communis haud cadit dolor.
Iustum dolorem temperare prægrave est.
Iustus dolor plus percutit quam brachia.
Levem dolorem, dum putamus, reddimus.
Levem dolorem qui putat, levem facit.
Levis est dolor, qui capere consilium potest.
Longa malorum sensus accrescit die.
Magis dolet metus doloris quam dolor.
Magnus diu durare non potest dolor.
Magnus sibi ipsi non facit finem dolor.
Medela mors angoris præsentanea est.
Metus doloris per se formidabilis.
Minuis dolorem si facis palam alteri.
Minus dolet dolor, doloris quam metus.
Motus minus decoros exprimit dolor.
Mutus dolor quem vis dolorem duplicat.
Nemo diu dolere, & extreme potest.
Nemo diu dolet nisi culpa cum sua.
Nemo doloris prorsus expers extitit.
Nil est dolore apud miserospotentius.
Nil est dolore improviso torrentius.
Nimio doloris harent libenter femina.
Non est dolor magnus si adhuc loqui potes.
Non est dolor nisi ex eo quod sentias.
Nullius dolor supra dolorem femina.
Nunquam doloris defuit ingenium suo.
Odit dolor mœroris & socios sui.
Omnis dolor, certe recens, est contumax.
Omnis dolor gravis, brevis; longus, levis.
Plerumque etiam venustos efficit dolor.
Qua quis dolet parte illico transfert manum.
Quid non queat superare grandior dolor?
Quid nostro habet dolore opus, qui non dolet?
Quidquid dolorem pascit, id nimium puta.
Radix doloris omnis, spe frustrarier.
Rerum dolor res simplicissima omnium est.
Res nulla citius venit in odium quam dolor.
Sape ex dolore puro natus grandior.
Sape efferatur ipsius in rabiem dolor.
Sedes ratione, sedes dolorem tempore.
Sensus quoque ipsos nimius excutit dolor.
Si longus est dolor, esse magnus non potest.
Simulare certe est hominis, si re non dolet.
Si summus est dolor, necesse est sit brevis.
Si quis dolet diu, dolet culpa sua.
Solutio dolorum mors est omnium.
Tacitè dolere proprium est ignavia.
Telo insolenti summus utitur dolor.
Veros dolores etiam Tempus mitigat.
Vocem quoque ingens ipsam intercludit dolor.

Doli.

Sententiae Patrvm.

Chrysostomus: Est bona quoque deceptio, & bonus dolus quo multi sunt decepti, quem ne fallaciam quidem aut deceptionem oportet dicere. de qua dicit Hieremias, Decepisti me Domine, & deceptus sum: ego autem non persuadeor. Nam quod est ejusmodi, ne deceptio quidem dicendum est & dolus. nam & patrem suum decepit Iacob, sed non erat deceptio, sed dispensatio. *Homil.5. ad Coloss.*

¶ Poetarvm.

Prudentius Psycomachia 7.

——*Latet & lupus ore cruento*
Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.

Plautus Captivis 2.sc.1.v.25.

Secede huc nunc jam, si videtur, procul;
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant;
Ne vo permanet palam hæc nostra fallacia.

Nam

Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maximum, si id palam provenit.
Plautus Pœnulo 5. sc. 2. v. 129.

—— *M. Potin fieri subdolus?*
P. Inimico possum; amico est insipientia.
M. Inimicus hercle est huius. P. male faxim libens.
Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 49.

Conficiet jam te hic verbis, ut tu censeas,
Non Pseudolum, sed Socratem tecum loqui.
Plautus Pseudolo 1. sc. 4. v. 57.

Quid cum manifesto tenetur? C. anguilla est: elabitur.
Plautus Trucul. 2. sc. 5. v. 9.

—— *Nullam rem oportet dolose aggrediri, nisi astute, accurateque exequaris.*

¶ Apologorvm.

Æsopi Asinus sale onustus. Asinus sale onustus flumen transmeabat. Lapsus, in aquam decidit. Liquescente sale, expeditior surrexit. Ea re gavisus, cum postea spongiis onustus ad flumen quoddam venisset, ratus si rursus decideret, fore ut leviore cum onere surgeret, consulto delapsus est. At spongiis aquam absorbentibus cum adsurgere nequiret, imbi suffocari contigit.

Dolus. De Accipitre & Philomena. Anonym.

Dum Philomena sedet, studium movet oris amœnum:
Sic sibi sic nido visa placere suo.
Impetit accipiter nidum, pro pignore mater
Supplicat, alter ait, plus prece carmen amo.
Nec prece nec precio, sed amœno flectere cantu
Me potes; ille silet, dulcius illa canit.
Mente gemit: licet ore canat, mens eius acescit,
Cuius melliflua manat ab ore melos.
Impia fatur avis, sordet modus iste canorus,
Et laniat natum matre vidente, suum.
Mater obit, nec obire potest sed vivit ut ipsam
Vincat vita necem, plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore, corpus
Rodit, avis rostro, cor fodit ense dolor.
Vestigat sua pœna scelus: nam fraudibus ipse
Aucupe fraudosam viscus inescat avem.
Fine malo claudi semper mala vita moretur,
Qua capit insontes, se dolus arte capit.

¶ Apophthegm. Christianor.

Ludovicus XII. Gall. R. Sinceritati contrarium Dolvm Fravdem Qvæ miro ingenii acumine in Antonio Vivonio equite detexit carpsitque Lvdovicvs. Cùm enim apud eum referret Antonius se aliquando iuvenem adhuc vituli pelle contectum, solitum in aucupium descendere, quo aves falleret: ille hominem callidum & fucatum perstringens, *Verè*, ait, *tu haud omnino adhuc eam pellem exuisse videris.* astutos enim & fraudulentos, vulpino nomine vulgo nuncupamus. Ita olim Persius in Satyris Damam servum corripiens, dicit:

Pelliculam veterem retines, & fronte politus,
Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Annal. Franc.

Miles Anonymus.

De tribus exigeret cum vilibus Euclio drachmis
Fœnus ab urbano milite; Miles ait:
Ne diffide, dabo: *dubiisque fefellit avarum*
Dictis, accepto nam dedit ære fugam.

Ex collectis & relatis Auctori.

¶ Monostiecha Trochaica.

A viro cave doloso, tempore omni, omni loco.
Carrabum licet velocem polypus segnis domat.
Claræ sint ac certa, oportet quæ dolum probent malum
Iussa iudicis secutus haud dolo fecit malo
Impares ferro procedunt ad victoriam dolo.
Ne dolus virtuti illudat, fortiorum cautio est.
Non potest dolus probari quam notis clarissimis.
Non tam suave vindicari, quam res misera est decipi.
Plures ipsi sese fallunt quam fallantur ab altero.
Præstruunt dolos nequaquam prævalentes prælijs.
Qui dolo prodesse quærit, omnium est justissimus.
Qui dolose agit, virtute se fatetur imparem.
Qui struit dolum alteri, idem ipse eum struxit sibi.
Qui suo jure utitur, doli accusari non potest.
Quoniam contendi nequit iam vi, clam tendenda est plaga.
Quos virtute non potes, facillime expugnas dolo.
Sape vultu sape voce blanda se tegit dolus.
Vulpina assuenda pellis ubi leana deficit.

¶ Iambica.

Ætate fluxus, facile dolis subjacet.
Alij nocere alienus haud debet dolus.
Aliud ait, simulat que aliud dolus malus.
Aliud simulat, aliud agit dolus malus.
Clades metusque obnoxia valde sunt dolis.
Cum vulpe prudens etiam vulpina abitur.
Dolis medeare sapesi haud intelligas.
Dolos præventos fingit, qui struxit dolos.
Dolus bonus vocandus qui animo sit bono.
Dolus volenti non infertur aut malum.
Frangit dies dolosa, vera roborat.
Generosa corda nullus unquam intrat dolus.
Honestior multo mera est vis quam dolus.
Infirma vulpis viribus, dolis potens.
Iuste infoveam quis, ipse quam fodit, cadit.
Mensor dolum solummodo præstat malum.
Ne prodat aliquis te, amove testes doli.
Non sunt doli, doli, nisi astu percolas.
Nunquam leo pellem induet vulpecula
Plus proficit postremo virtus quam dolus.
Quem viribus non es pote, hunc dolo occupes.
Quicunque fraudem excluſit haud fecit dolo.
Quod vi nequit malignus, absolvit dolo.
Quod vis nequit, dolus profanus expedit.
Scelerum ferè inter valla postulat dolus.
Simulat aliud, aliudque agit dolus malus.
Turpe est ferire hostem dolis, non viribus?
Virtute vera Roma vincit non dolo.
Virtute vinci quod nequit, vincat dolus.

Dominii.

¶ Sententiae patrvm graecorvm.

Chrysostomus Hoc meum & hoc tuum, sunt nuda solum verba, in rebus autem non consistunt, etenim si domum dixeris esse tuam, est verbum à re desertum. Nam & aer, & terra, & materia sunt opificis: sed & ne ipse qui eam construxisti, & alia omnia. Si unus autem est usus, is quoq; est incertus, non propter mortem solum, sed etiam ante mortem: propterea quod res sunt caducæ & instabiles. Hæc ergo apud nos assidue describentes philosophemur: & duo quæ sunt maxima lucrabimur. grati enim erimus; & dum habemus, & dum à nobis auferuntur: & non serviemus iis quæ præterfluunt, & non sunt nostra. Nam etsi pecunias acceperit, suas sumpsit: & si honorem, si gloriam, si corpus, & ipsam animam. si filium tuum acceperit, non tuum accepit filium, sed suum servum. Non enim effinxisti, sed ille eum fecit. Tu ejus accessui administer fuisti, ipse autem totum est operatus. Gratias ergo aganus, quod digni habiti simus, qui Dei essemus administri. Sed quid volebas? eũne habere perpetuo? Hoc rursus est ingrati, & nescientis quod alienum habebas, & non proprium. Quomodo ergo qui promptè alicunde recedunt, sciunt se sua non habere: ita qui dolent, sibi usurpãt ea quæ sunt Regis. Nam si nos non sumus nostri ipsorum: quomodo illi erunt nostri. Duplici enim ratione sumus ejus; & ratione creationis; & ratione fidei. Propterea dicit David: substantia mea apud te est. Paulus quoque dicit: In eo vivimus; & movemur, & sumus. & de verbo fidei tractans dicit: Non estis vestri, sed empti estis pretio. Omnia enim sunt Dei. Quando ergo vocaverit, & voluerit accipere; ne sicut ingrati servi vivemus reddere rationem: ne ea quæ sunt domini nobis attribuamus. Anima tua non est tua: & quomodo tuæ sunt pecuniæ? *Homilia 10. ad Corinth. 1.*

S. Asterius: Commenticia ac falsa quadam notione mentibus hominum insita, cum peccata multiplicantur, tum opera bona quæ præstare quisque nostrum in hac vita debemus, retardantur. hæc autem illa est, quæ cuncta quibus utimur, fruimur, nexu mancipioque nostra esse nobis persuadet. Ab hac opinione est, quod magna contentione de illis litigamus, pugnamus, digladiamur, ac ceu præcipua quædam & eximia bona, maxime ea & amamus & existimamus. Verùm longe secus, imo plane contra sese habet. nihil enim quidquam eorum quæ possidemus verè nostrum est, ac ne nos quidem ipsi tanquam domini, hoc in terris, ac velut propria sede & domo commoramur, sed quasi inquilini & advenæ, vel potius exules nolentes ac nec opinantes abripimur, fortunisq, simul omnibus, cum rerum Domino visum fuerit, exuimur. ad summam; facillime res fluxæ hujus vitæ mutantur, & qui hodie clarus & illustris, cras miseratione & ope dignus; qui in præsentia locuples ac divitiis affluens, paullo post egere, vixque domi panem ad victum habere deprehenditur. Et hoc maximè Deus hominibus præstat, quod semper idem & in eodem sit statu, vitamque & gloriam ac potentiam possideat sempiternam. *Homilia initio, de œconomo iniquitatis.*

S. Asterius: Noveris quisquis es, rerũ tibi alienarum dispensationem esse delegatã, erectaq; prorsus ex animo potestatis herilis arrogantia, dispensatoris œconomiq; rationibus reddẽdis obnoxii circũspectione & humilitatẽ sume; dominũq; semper expectans, codicẽ ac tabulas rationũ sollicitè cõpara. Inquilinus enim es & ad breve tempus, veluti in trãsitu cõcessa tibi usura. quod si in notis ac familiarib. etiã hæsitas, ab ipsa re atq; experientia disce, quæ magistra est minime fallax. Prædium posside vel ex hæreditate majorũ, vel ex aliquo contractu: memoria igitur tecum repete & enumera, si potes, quotquot id ipsũ ante te possiderũt, post deinde futurũ in ævũ cogitationem mitte, tecumq; reputa quã multi numero post te eo potientur:

ac dic mihi sedes, cujusnam ejus dominium, & quodnam eximii discriminis inter illos qui aliquando sic habuerunt, qui nunc habet, aut deinceps sunt habituri? nam si quis omnes velut è machina congregarit, domini profecto plures quam glebæ reperientur. Amplius, si videre libet expressam hujus vitæ imaginem, recordare, si forte accidit, aut finge, te aliquando tempore æstatis arborem in via cõspicatum undiq; viridem & patulam, lataq; aptam umbra vel domus vicem implere, propter amœnitatem ei successisse, & quantum licebat sub ea commoratum: deinde alium te jam abituriente viatorem astitisse depositaque sarcina, tua abeuntis excepisse omnia, stratum ignem, ramorum umbram, ac lympham præter fluentem. sed & hũc, ubi pauxillum in herba te ambulante requiesset, viam rursus inire cœpisse, eandemq; arborem una die decem forte hospitum ad breve tempus diversorium exstitisse, & cunctis usu patuisse, cum tamen unius propria domini censeretur. Haud aliter sese habent stationis hujus atq; vitæ copiæ & facultates. multos illæ quidem alunt & oblectant; dominium autem earum penes unum Deum, cui incorruptibilis expers vita. In Pandocheum etiam aliquando cum iter faceres divertisti, ibiq; lectum, mensam, poculum, discos, alia q; id genus vasa reperisti, cum nihil quidquam tecum attulisses: & ubi nõdum ad satietatem iis usus esses, supervenit alius anhelabundus ac pulverulentus, & aliena ceu propria affectans, ad abitum te excitavit & impulit. talis omnino vita nostra, aut si quid his quæ diximus magis transitorium & caducum. Quare cum aliquos audio dicentes, Prædium meum, ac Domus mea, non possum satis admirari, quomodo quæ ipsorum non sunt, inani syllaba sibi vendicent, tribusque fallacibus literis aliena amplexentur. Sicut enim histrionum personas propriè, & peculiariter eorum possidet nemo, sed pro re & argumento promiscuè quisq; sumit: ita terram fæcesq; terrenas quasi vestes ex aliis alii induunt. Atque scrutare quæ regum sunt: chlamydes conquire regias, quamplurimas sanè reperies quæ regũ multorum corpora texerint; quod & de coronis, fibulis, zonis dicendum; omnia nempe hæreditatem instabilem, usumq; eorum communem, & ab iis qui abeunt, ad alios qui remanent transeuntem. Quid autem & quanti tota illa quam Præsides obtinent scena? argenteum vehiculum, & virga aurea. non semper ista à Præside habẽtur, nunquam certe ab eodem, nisi forte ad exigui temporis usuram. Sicut enim feretrum aut sandapila, alia subinde cadavera suscipit: ita principum virorum insignia utentes, identidem commutant. In diem igitur heic vivamus, semper exitus signum ac tesseram expectantes. *Homilia de œconomo iniquitatis.*

S. Asterius: Nec ipsius nostri domini sumus, sed œconomi tantũ ac dispensatores. quidquid enim legibus ac præceptis adstringitur, ipsi subditum & obnoxium est legislatori. Quod si igitur ne ipsæ quidem corporis nostri partes ac membra libera suique juris sunt, sed voluntate Domini ad functiones suas diriguntur & gubernantur; quid his dicemus qui sibi persuadent auri, argenti, agri cæterarumq; rerum plenam se possessionem, merum dominium habere? nihil omnino tuum, ô bone, tu servus es, & omnia tui domini; quia servus liberum peculium non habet. nudus in hanc lucẽ prodiisti, & quæcunq; possides ex lege Domini accepisti. sive enim hæc ex patrimonio Deus voluit ac jussit, ut liberis exuvias ac spolia sua parẽtes partiantur; sive ex matrimonio hoc ipsum & quæ eo pertinent, à Deo sunt instituta; sive denique, ex mercatura, agricultura, aut aliis adquirendi modis, Deo favente & adjuvante nactus es. Ecce patet tua non esse quæ habes: videamus jam quid præscriptum tibi sit, & qualis esse eorum administratio debeat. Da esurienti, tege nudum, cura male affectum, nec pauperem nec jacentem in triviis neglige: de te ipso noli sollicitus esse, aut cogitare quemadmodum ad diem crastinum pervenies. & ista quidem si feceris, à legislatore cohonestaberis: si vero mandatorum rationem nullam habueris, male mulctabere gravi terq; puniere. Hæc profecto mihi non videntur ejus esse qui suus sibi dominus, cuiq; libera quidvis agendi potestas, sed omnino contra, multitudo præceptorum arguit hominem imperio regio, legibusq; dominicis subjectum, à quo præscriptæ ratio vitæ quasi debitum aliquod exigetur. Et nos tamen nescio quomodo, tanquam liberam degamus vitam, & à rationibus reddendis immunes simus, miseros inopesq; despicimus ac miseriis suis immori patimur; cum interim non dubitemus per ambitionem ac vanitatem sumptus immodicos facere. nam & adulatorum intemperantium multitudinẽ alimus, & parasitorum infeliciũ turbam in comitatu habemus; & cum in bestiariorum ac ferarum, & generosorum equorum alimẽta, tum in præstigiatores ac mimos alios q; perditissimos homines, opes exhaurimus; atq; adeo rem facinus stultitiæ & insaniæ prorsus affinem. nam ubi impensa lucrum inæstimabile salutemq; æternam adfert, compressa manu pecuniã cohibemus, ut ne pauci quidem oboli excidant: ubi vero de sumptibus hujusmodi agitur, quos & peccata comitantur & pœnæ infinitæ, ac vel ipsum ignis supplicium consequitur, ultro opes effundimus, totoq; ostio, ambitione jubente, exire permittimus. qui sanè non est sensus animusq; servorum dominum exspectantium, sed juvenum intemperantium, commessatorum ac voluptatibus deditorum. *Homilia de œcon. iniquo.*

¶ Latinorvm.

D. Zeno: Sed recordare ô homo, quis est, qui largitus est tibi teipsum. Quis sis in memoriam revoca. Servus es Dei: & dispensatio tibi commissa est dom[illegible]sticæ facultatis. Recordare ergo, quis est, qui tibi injunxit officium dispensandi super familiam suam. Quid est, quod multis prælatus es. Non est utique sine causa, quod tibi à bono, & justo Deo officium tribuitur largiendi, aliis necessitas imponitur indigendi. Dispensatorem te igitur conservorum tuorum ex domesticis facultatibus te esse cognosce. Nec æstimes, quod omnia ventri, & delitiis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commissa tibi magis, quàm concessa cognosce. Parvo tempore aliquantulum super his lætaris, & abuti eis voluptuosius delectaris? Cum vero hæc pariter cum vita nostra defluxerint, rationem dispensationis nostræ evocamur Domino reddituri. Hic mihi te paulisper indulge, quisquis es, qui divitiarum dispensationem in hoc mundo sortitus es: & te in illo terribili Dei judicio tribunali adstantem paulum quid vacans, si tamen vacare potes à divitiarum solicitudinibus, intuere. Cum interrogari cœperis, commissas tibi opes cum quibus egentibus divisisti? quibus necessitatem patientibus subvenisti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio profusa pecunia liberasti? quibus pupillis pater, cui viduæ vir castis provisionibus extitisti? pecunia mea, fructus mei quid apud te operis, quid utilitatis habuerunt? Tu ad hæc sine dubio respondebis. Omnia simul reposita, ac recondita claustris validissimis, & signaculis tutissimis communivi. nulli quicquam tribui: qui immo & ad custodienda ea vigilias addidi: meas curas impendi: solicitudines tribui. Sed stulto cõsiliario usus es temetipso: deliberans enim ais, Quid faciam? Consequens utique erat te de talibus delib rantem dicere, Aperiam horrea mea, & replebo esurientes animas pauperum. Patefaciam, quæ recondita sunt: & invitabo indigentes: ac relevabo afflictos. Imitabor beatum Ioseph: & humanitatis voce proclamabo, Si quis indiget panibus, veniat ad me, ut gratiam, quam Dominus indulgenti liberalitate largitus est, communem cum omnibus faciam. Velut ex cõmunibus ergo fontibus hauriat unusquisque, quod sufficit. Sed tu nihil tale non solum proloqueris, verum nec cogitas quidem: quinimmo communia omnibus hominibus divina invadis beneficia: tuam vero ipsius animam malignis consiliis cruc as, & affligis. *De duplici tentatione post med.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Xenophon: Maximam Diis gratiam habemus, amici & socii, quod ea nobis adipisci concesserint, quibus arbitrabamur nos esse dignos. Est enim jam nostra in potestate solum amplum ac fertile, nec desunt, qui hoc colendo nos alent. Sunt etiam nobis ædes, & ex quidẽ instructæ. Nec est, cur quisquam vestrum hæc possidens, aliena se possidere existimet. Est enim æterna lex inter omnes homines, capta eorum urbe, qui bellum alius faciunt, tam corpora illorum, qui sunt in urbe, quam fortunas iis vindicari, qui urbem capiunt. Quãobrem injustè non possidebitis, quæ tenetis: sed si quid hostes rẽtinere permiseritis, id ablatum non esse, clementiæ vestræ acceptum referri debet. *Cap 37. lib. 7. Cyropædiæ.*

Simocatta: Ficituæ ad meum agrum radices protulerunt, neque volunt amplius esse tuæ potestatis, atque à tuo jure abstractæ, mihi fructum fœtumque donant. Mea enim opera transierunt, Atq; hæc lex est agricolis, & legibus quę jam inveterarunt, morem gere senex. Quod si consuetudine, quæ nobis est, vis contradicere, velut novum te recentem legislatorem è rusticis conciliis te eiicimus, & è nostris finibus te exterminamus, quasi alienum. *Epist 56.*

Libanius: Ecquis nam quod accepit, facile libensque reddiderit, cum id ei retinere integrum sit? *Declamatione decima.*

¶ Romanorvm.

Quintilianus: Multa quæ libera fuerant, transeunt in jus occupantium, sicut venatio, & occupatio. Nam ut cætera animalia hominum causa finxerit providentia, quod omnibus nascitur, industriæ præmium est. Quid autem non liberum natura genuit? Taceo de servis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem necessitate natos. Ex eodem cœlo spiritum trahunt: nec natura vilis, sed fortuna dominum dedit. Cur infrenatis equis victor insidet? Cur injusto cotidie jugo boum colla deterimus? Cur in usum vestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? (Taceo de sanguine & epulis per mortem paratis.) Si omnia quæ libera generantur, naturæ demus, desinitis divites esse. Si vero hæc conditio est, ut quicquid ex his animalibus in usum homini cessit, proprium sit habentis: profecto quicquid jure possidetur, injuria aufertur, ut volucres mites, & aliæ quæ per rusticas villas, quæque ditibus cellis saginantur, in quibus tamen domini ambigua possessio est, & vaccæ, & armenta, & omne pecudum genus. Sed illa impositus cohibet magister. Pejusne domino in iis jus est, quibus custode non opus est? Nam si hoc dicitis, nihil esse nostrum quod perire possit, ex nullius animalis damno hæc edi formula potest. Nam & errare pecudes solent, & fugere mancipia. Si hoc in cæteris non obstat, vagari tu nolles apes, in opus exire, & ad cotidianum censum laboris assiduũ non detrectare militiam. An non ipsæ domum suam sponte revolant, finemque laboris sui sole metiuntur, & omnis intra solitas domos turba conditur, noctemque modesto silentio trahunt? Age porro, ut non sit earum certa possessio dum volant: nempe cum remearunt; concludi, transferri, donari, venire possunt: in potestate sunt. Quomodo autem potest sine damno meo perire, quod cotidie meũ est, At extra imperia positum est. Mirum hercle, si negato commercio sermonis humani, sunt in cæterorum animalium forma. Tamen

quam

quam dominus dedit incolunt ſedem, laſcivientem luxuria fugam tinnitu compeſcimus. Etiam ſi diverſis regibus coorta ſeditio ad bellum inflamma-it iras, exiguo pulvere, vel unius pœna ducis reſedit omnis tumor. Illa vero admiranda ſedulitas, quod operi totus inſſumitur dies, in dominorum reditus ablata ſupplentur. Age, ſi obſequi poſſent, quid amplius imperares? Intelligo his vanis ultra neceſſitatem eſſe reſponſum. Si non ſunt apes meæ, ne id quidē quod his efficitur, meum eſt. Atqui nulla unquam inveniri potuit impudentia, quæ fructus mellis in dubium vocaret. Hoc ergo fieri poteſt, ut quod naſcitur, meum ſit: quod generat, alienum. *Declamatione* 12. § 10.

Symmachus: Mutetur igitur animus in gaudium, & adeptum eſſe te crede quod poſſibilis conjectura promittit. *Lib.* 7 *Epiſt.* 8. *f.*

Symmachus: Quæ jure ac legibus ſunt relicta, alienari impetratione non poſſunt. *Lib.* 9. *Epiſt.* 117.

§ Poetarvm.

Lucianus.

Iohanne Benedicto Interprete.

Fundus Achemenidæ quondam hic fuit, inde Menippi:
Nunc que hunc, nunc que alium rurſus adibit herum.
Nam ſe olim hic dominum ratus eſt, nunc retur & ille,
Illius at ſola eſt fors hera, nullus herus.

Domini.

§ Sententiæ patrvm græcorvm.

Chryſoſtomus: Quomodo qui in uno loco habitant, cum multos dominos habent contrarios, ſunt divulſi: neq; ad concordiam quidquam prodeſt eis locus; cum domini diverſa jubeant, & ad ſe trahant. Non poteſtis enim, inquit, Deo ſervire & mammonæ. Ita qui ſunt in diverſis locis, ſi non habeant dominos, ſed unum ſolum; eis loca nihil obſunt ad concordiam: cum dominus, qui eſt unus, eos conjungat. Non dico, inquit, quod cum Corinthiis ſolum, cum Corinthii ſitis, vos concordes eſſe oporteat: ſed etiam cum omnibus qui ſunt in toto orbe terrarum, cum communem habeatis dominum. *Homilia* 1. *ad Corinthios* 1.

D. Io. Chryſoſtomus: Non ſinit Eccleſiæ nomen indignari dominos, ſi ſervis connumerantur. non enim novit Eccleſia Domini ac ſervi differentiam. Cæterum ex probis & improbis actibus utrumq; diſcernit. Si igitur Eccleſia eſt, noli ferre indignè, quod tecum appellatus eſt ſervus. In Chriſto enim Ieſu non eſt ſervus, neq; liber. *Homilia* 1. *Epiſt ad Philemonem.*

D. Io Chryſoſtomus: Nos recuſamus vocari domini malorum ſervorum noſtrorum; & eos dimittimus: & ſi quis accedens dixerit, Hic vel ille mala facit innumerabilia, nunquid eſt ſervus tuus? ita tum dicimus, Nequaquam, probrum propulſantes. Eſt enim ſervo ad dominum habitudo, & relatio, ignominia ab illo ad hunc tranſit. *Homilia vicesima quarta, Epiſtolæ ad Hebræos.*

Baſilius Seleuc. Centurio neq; ſervum, ſprevit per ægritudinem corpore diſtabeſcente, non ſervi cōtemſit adflictionem herili faſtu turgens, neque præ voluptate, quam ex numeroſo ſatellitio capiebat, pueri immobilis oblitus eſt: verum obibat inveſtigans periculo remedium. Nec aute cura deſtitit, dum ipſe in curationis fontem incideret. *Sermone* 19 *m.*

S. Iſidorus Peluſiota de Herode: Sicut famulus improbus herilem reprehenſionem metuens, ita hic quoque aptiſtam metuebat. Vetus enim is eſt dominus, qui officium facit, non is qui purpuram geſtat, & armorum robore præditus eſt. *Lib.* 4. *Epiſt.* 96.

§ Oratorvm Philosophorvmqve Græcorvm.

Ariſtides Rhetor: Iam dominus à ſervo quare differt obſecro? nonne domini imperare, ſervi eſſe obedire quivis dixerit? itaq; alter per ſe quid faciendum ſit novit, alter audiendo diſcit. *Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

S. Epictetus: Cujuſque dominus is eſt, qui ea quæ ipſe vult, aut non vult poteſtatem habet vel conſervandi, vel eripiendi. Quiſquis igitur liber eſſe volet, neq; cupiat quidquam, neque adverſetur eorum quæ penes alios ſunt. ſin minus ſervire neceſſe erit. *Cap.* 20. *Enchiridij.*

Simplicius: Cujuſq; herus & dominus eſt is, qui poteſtatem habet, ea quæ ille vult, & deſiderat, aut conferendi, aut auferendi. Nam iis qui noſtra deſideria explere poſſunt, nos ſubmittimus, paremus, & ſervilem in modum miniſtramus, ut nobis morem gerant. Et iis qui ea quæ habemus, eripere poſſunt, cum timore adulamur: tremimus, & demulcemus eum ut dominum, qui ea quæ nos declinamus nobis inferre poteſt, ne inferat: & qui eripere poteſt, ne eripiat. Conſtat autem & externa & nobis aliena eſſe ea, quorum alii poteſtatem habent vel conferendi, vel auferendi. Noſtrarum enim rerum nos domini ſumus, & in noſtra poteſtate illæ ſunt. Quod ſi bonum eſt libertas: ſi liberi non autem ſervi eſſe volumus: nec appetamus quicquam quod penes alios eſt, eademque non declinemus. Alioqui multifariam ſervire neceſſe erit, ut res deſideratas & conſequamur & retineamus: ut declinemus res fugiendas, nec in eas incidamus. Vide autem, ut quavis in re binos dominos habeamus, alterum intus, alterum foris. Brutus enim appetitus ratione commota; hoc eſt, nobis ipſis, quorum natura pendet à ratione, & capta, jam una cū illa ſervit externo domino: ut non modo ſervi, ſed ſervorum ſervi ſimus. Ac alii quidem ſervi ſaltem in ſomnis ab heris ſuis diſcedūt, & aliquid vacationis ab eis impetrant. Nos vero etiam in ſomnis petulantibus, iniuriis, & monſtroſis edictis imitium iſtorum dominorum paremus: nec, ubi jugum eorum ſubierimus, uſquam vacationem habemus: ſed alias factis, alias verbis, alias imaginibus, & viſis ab eis exagitamur. & (quod pejus eſt) cordatiores ſervi abſurda heroum mandata inviti exequuntur: nos vero & lætamur, & rationes comminiſcimur, quibus ea vel conſequamur, vel decinemus quæ illi imperant, nunquam ſine damno & detrimento. *Ad cap.* 21. *Epict*

Arrianus: Homo animal eſt contemplationis ſtudioſum. Sed turpe eſt hæc ita contemplari, ut fugitivi ſervi ſolent. Continenter eſt ſedendum, & nunc tragœdus audiendus: non ut illi faciunt qui ſimul accedunt, & tragœdum laudant, ſimulq; circumſpectant. Deinde ſi quis herum nominarit, ſtatim trepidi fugiunt. Turpe eſt, philoſophos etiam opera naturæ ita contemplari. Quid enim eſt dominus? Homo. Homo autem hominis dominus non eſt, ſed mors & vita, voluptas & dolor. Nam abſque his adhuc mihi Cæſarem, & videbis quām ſim conſtans. Si vero ille cum his venerit, tonans & fulgurans, egoque illa metuero, quid aliud quam ut fugitivus dominum agnovi? Quoad autem aliquas ab his inducias habuero, quē admodum fugitivus in theatro aitat, ſic & ego lavo, bibo, cano. ſed hæc omnia cum metu & ærumna. Quod ſi me ab iſtis dominis vindicato, hoc eſt ab iisrebus propter quas domini ſunt formidabiles, quid amplius habeo negotii quem porro dominum? Quid ergo? prædicanda ſunt hæc apud omnes? Non, ſed accommodare nos debemus hominibus imperitis, ac dicere, Hic quod ſibi ipſi bonum eſſe cenſet, id mihi quoque ſuadet: ignoſco ei. Nam & Socrates venenum ſumpturus, cuſtodi carceris ploranti veniam dabat: Quam ſtrenue, inquit, nos deploravit. *Capite* 29. *lib.* 1. *in Epictetum.*

§ Poetarvm.

Plautus Amphitr. 2. ſc. 2. v. 121.

—— Vera loqui volo te, nolo aſſentari mihi.

Plautus Aululariæ 1. ſc. 1. v. 5.

Nam qua me nunc cauſſa extruſi ex ædibus?
E. Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?
S. Vtinam me Dīvi adaxint ad ſuſpendium,
Potius quidem, quam hoc pacto apud te ſervíam.

Terentius Adelph. 4. ſc. 1.

Quin tu otioſus es? ego illius ſenſum pulcrè calleo.
Cum ſervit maximè, tam placidè quam ovem reddo.

Terentius Andriæ 3. ſc. 2.

O Dave! itáne condemnor abs te? aut itáne tandem idaneus
Tibi videor eſſe, quem tam apertè fallere incipias dolis?
Saltem accuratè, ut metui videar.

§ Monosticha Trochaica.

Haud tuum eſt puncto quod horæ cedit in jura altera.
Invitis nobis retinere res alius noſtras nequit.
Nemo plus trāsferre in alium iuris quam ipſe habet poteſt.
Non tua ſunt qua habes, tibi eſt ſed credita diſpenſatio.
Non mage id quod habemus noſtrum eſt, quam noſtrum eſt id quod ſumus.
Noſtra non amittimus, ſed ſunt data à quo reddimus.
Plus bona in ſua homini cuivis, quam licet Regi in ſua.
Publicè intereſt abuti neminem rebus ſuis.
Quidquid in navi eſt, tuum haud eſt. Ventus eius eſt herus.
Si quid auferri poteſt à te, ſortis eſt certe haud tuum eſt.
Tolle jura Regum, & dicere quis queat? Villa hæc mea eſt.
Vt ſuas res adminiſtret quiſque, pol, iuſtiſſimum eſt.

§ Iambica.

Æquum eſt cuique homini eſſe rem ſuam in manu.
Centum oculos dominus poſſidet, ſervus duos.
De reſtatuere ut quiſque vult poteſt ſua.
Dominus videt quam primum in rebus ſuis.
Eſt mutua inter famulum herumque ſervitus.
Magè quaritur clientium res quam fides.
Multos clientes eſſe omnes volunt ſibi.
Non ſervitutis, ſapè domini pudet.
Plures dominos ſervi comederunt, quam canes.
Scandunt eodem quo dominus mina ac timor.
Semper domini frons ipſo occipitio eſt prior.
Servis moderate dominus imperat bonus.
Tuum eſt etiam, quod lege ſub certa tuum eſt.
Vbi nil proprij eſt, ibi nulli etiam eſt frugalitas.
Verus nobis Deus eſt dominus, verus pater.

Videantur plura titulo Matrimonii, Oeconomiæ, Patri familias, Servi.

Domus.

§ SENTENTIÆ GRÆCORVM.

Greg. Nyssenus: Terreni parietes iis qui cum virtute transigant, circundati, nihil adferunt commodi. quinimo par consentaneumq; fuerit ab iis qui vitiis atq; nequitia inquinantur, parietum usum studiosè, & cum cura institui ac parari; propterea quod domus occultarum plerumq; turpitudinum velamentum existit. At quorum vita cum virtute transigitur, in his nihil est quod parietes obtegant & obvelent. *In vita Thaumatur.*

D. Chrysostomus: An non audivisti, Apostolis dicentibus, eos qui primi verbum excepere, & domos & prædia divendidisse, quo fratres enutrirent? Tu vero tum domos diripis, tum prædia intervertis, ut equum, ut ligna, ut pelles, ut parietes, ut pavimenta exornes. & quod gravius quidem est, hanc adeo insaniam non viri tantum, sed & fœminæ quoq; insaniunt: quæ sanè maritos suos ad stultum hūc infrugiferumq; laborem componentes, illo ubiq; potius, quàm ubi opus est, sumptum facere cogunt: quas tamen si quis fortè hoc nomine improbaverit ac reprehenderit, meditatam ac cogitatam audiet defensionem criminationis plenam. *Homil. 11 ad Roman.*

D Ioh. Chrysostomus: Nullus abscondit vitam in quam non cadit reprehensio. quæ autem absconduntur, absconduntur propterea quod sint offusa tenebris. *Homilia 18. c 5. ad Ephesios.*

Aeschines: Quoniam ad cognomenta domiciliorum confugis, & rem ostiarium coargui postulas, ubi sederis; male facis. neque enim domicilia aut habitationes cognomenta faciunt habitatoribus; sed habitatores suorum studiorum cognomenta locis induunt. nam si in earum tabernarum quæ in viis sunt quapiam medicus habitarit, ab eo cognomen sumit, ubi is emigrarit, ac faber ferrarius immigrarit, amisso priore aliud accipit: eodemq; modo, si fullo aut alius opifex, aut leno. quod si lupa, ab eo quæstu lupanar appellatur.

Lucianus: Ergo Alexander quidem expetivit in Cydno lavari, cum & pulchrum & limpidum conspexisset hunc fluvium, & tuto profundum, & leniter concitatum, & natatu jucundum & æstivo tempore frigidum: adeo ut etiamsi manifestus ipsi fuisset morbus, quo hinc laboravit, videatur mihi non fuisse ab hoc lacro sibi temperaturus. Siquis autem videat domum mole maximam, forma pulcherrimam, luce clarissimam, auro fulgentissimam, & picturis floridissimam, nō expetat in ea orationem habere, si hoc in studio versetur, & in ea celebrari, & inclarescere, illamque voce implere, & quàm maximè licet, etiam ipse pars aliqua pulchritudinis illius esse: at eam undique diligenter contemplatus, & solum admiratus, abeat surdam ipsam, & orationis expertem relinquens, nec alloquendo, nec sermonem conferendō, perinde atque mutus aliquis, aut qui invidia tacere decreverit? Hercle hoc non faciat homo elegantiæ studiosus, & rerum pulcherrimarum amator: sed magnæ rusticitatis, insciticæ, & imperitiæ fuerit, suavissimis rebus seipsum velut indignū abstinere, & à pulcherrimis velut exulem relegare, neque intelligere, indoctos & eruditos viros non eadem lege spectaculis frui: sed illis quidem sufficere quod hoc solum commune vident, & circumspiciunt, oculosque circumferunt, ac sursum versus tectum spectāt, manumq; quatiunt, & tacitè voluptatem capiunt, præmetu nequid non satis dignum iis quæ spectantur, proferant. At qui cum eruditione spectat res pulchras, illi puto non saterit solo visu id decerpere quod delectabile est, neque mutus pulchritudinis spectator esse sustinebit: sed quoad fieri potest, & in eo immorari, & oratione visum compensare conabitur. Cæterum ea compensatio non est laus duntaxat domus. Hoc enim fortè insularem illum adolescentem decebat Menelai domum summa admiratione contemplari, & cum iis quæ in cœlo pulchra sunt, ejus ebur & aurum comparare, ut qui in terris pulchri aliud nihil vidisset. Sed & in ea dicere, & optimis quibusque, convocatis orationem habere, pars quædam laudis hoc quoque fuerit.

Atque adeo rem suavissimam arbitror esse, Domum, pulcherrimam ad suscipiendas orationes apertam, laudis & commendationis plenam, leniter ut antra consonantem, & ea quæ dicuntur sequentem, postremaque sermonis protendentem, ultimisque verbis immorantem: imo verò quemadmodum docilis auditor solet, ea quæ dicuntur memoria repetentem, & eum qui dicit laudantem, nec inscita relatione accepta rependentem: quale quiddam accidit & speculis pastorum tibiis, & cantu resonantibus voce in contrarium repercussa, atque in seipsam revertente. Idiotæ autem putant virginem quandā esse quæ canentibus, & clamantibus respondeat, media præcipitia incolens, intusq; de rupibus loquens. Mihi itaque videtur, unà cum magnificentia domus, etiam dicentis animus attollere sese, & ad perorandum excitari: ut cui visus ipse nonihil subministrat. Ferè enim per oculos ad animum influit aliquid pulchri, ad quod deinde exornatam orationem emittit. An vero Achilli credimus visum armorū intendisse illum contra Trojanos impetum, & cùm ea experiendi tantùm gratia induisset, elatum fuisse, & velut alis ad belli desiderium abreptum: dicendi autem studium pulchritudine locorum non intendi?

Atqui Socrati quidem satis fuit, platanus frondens, & herba virescens, & fons limpidus non procul ab Ilisso: atque ibi sedens, & Phædrum illum Myrrhinusium verbis eludebat, & Lysię filii Cephali orationem redarguebat, & musas accersebat, quas ad se in desertū venturas credebat, & coadiuturas sead institutum de amore ferinoq; nem. Neque verebatur homo senex advocare virgines ad masculos amores intelligendos. Nos autem in locum adeo pulchrum non putemus eas etiam non vocatas venturas esse? Ac sanè non in umbra solum, aut sub platani pulchritudine receptaculum hoc erit: neque etiam illa ad Ilissum amœnitate relicta, regis domum auream cum hac conferas. Nam illius quidem admiratio in magnificentia tantùm consistebat: ars autem, vel pulchritudo, vel delectatio, vel proportio, vel concinnitas nulla respondebat, neq; auro permixta erat: sed barbaricum erat spectaculum, mera opulentia, & invidia spectantium, & fœlicitatis jactantia possessoribus: sed quod laudares, nihil illi aderat. Neque enim Arsacidis erat ulla pulchri ratio: neque res suas ad voluptatem ostentabant, neq; curabant à spectatoribus laudes, sed admirationem consequi. Non enim elegantiæ, sed opum amantes sunt barbari.

At hujus domus pulchritudo, non ad barbaricos oculos, neq; ad Persicam arrogantiam, aut regiam jactantiam comparata, non modo pauperem, sed & ingeniosum spectatorem postulat: cui non solùm in visu judicium, sed cuius æstimatio verba sequatur. Nam quod & ad pulcherrimam diei partem respicit (pulcherrima autem ipsius pars, & maximè amabilis, principium est) & solem emergentem statim excipit, & lumine ad satietatem usque repletur foribus adapertis: qua ratione sua templa condiderunt veteres, ut ea parte intuerētur: deinde quod longitudo cum latitudine, & utraque cum altitudine justa proportione consentiunt, & fenestræ liberę, & ad quodlibet anni tempus bene comparatæ sunt, qui hæc omnia non sint suavia, multaq; laude digna? Præterea miretur quispiam tectum, cujus pulchritudo nihil affectatum, elegantia nihil reprehendendum habeat, cui aurum modicè ad decus sit additum: non autem ubi eo est opus immodicè illitum: sed quantum, perinde atq; mulieri castæ & formosæ satis est, ad pulchritudinem reddendam insigniorem, vel circa collum tenue aliquod monile, vel circa digitum annulus gestabilis, vel pendentes ab auribus inaures, aut aliqua fibula, vel tænia comam diffluentem colligans, quæ tantum pulchritudini apponit, quantum vestitui purpura. At meretrices, in primis quæ ex illis sunt deformiores, vestem purpuream totam, & cervicem auream facere solent, pellaciam hac magnificentia venantes, & quod pulchritudini deest, externæ venustatis appositione solantes. Arbitrantur enim suos lacertos auro resplendentes, apparere nitidiores, & pedes incōgruam figuram aureo sandalio tectum iri, faciemque ipsam fore amabiliorem, si cum re quapiam splendidissima conspiciatur. Atque illæ quidem hoc pacto. Modesta vero mulier, auro quidem pro eo ac satis est, atque solum ubi opus est, utitur: suam vero pulchritudinem etiam nudam ostendere non verebitur. Proinde etiam hujus domus tectum, imo potius caput, per se quoq; est formosum, auro autem tantum est exornatum, quantum & noctu stellis cœlum, certis intervallis circumsplendet, certisque interstitiis igni collucet. Quod si totum foret igneum, non pulchrum, sed terribile nobis videretur.

Cæterùm videre etiam licet aurum hic haudquaquam otiosum, aut delectandi duntaxat gratia reliquo ornatui interspersum esse: sed & fulgorem non injucundum de se præbere; & totam domum suo rubore velut inficere. Quando enim lux diei incidens applicatur, & cum auro commiscetur, communem splendorem reddūt, duplicem ruboris claritatem exhibent. Hæc quidem sunt quæ ad fastigium, & verticem domus pertinent, quibus Homero aliquo laudatore esset opus, qui illam vel celsitectam, perinde atque Helenes thalamum, vel refulgentem, velut Olympum appellaret. Reliquum autem ornatum, & parietum picturas, & colorum pulchritudinem, & uniuscujusque evidentiam, diligentiam, & veritatem, cum facie veris, & florido prato rectè compares. Nisi quod illa deflorescunt, marcescunt, mutantur, & abiiciunt pulchritudinem. Sed hoc ver perpetuum, & pratum nunquam marcescens, & flos immortalis: utpotè solo visu hæc tangente, & eorum quæ carpuntur, suavitatem decerpente. Proinde quis tantarum, taliumque rerum aspectu non delectetur: aut quis non expetat, etiam præter facultatem inter ea orationem habere, cum sciat turpissimum esse à visis superari?

Maximam enim alliciendi vim habet aspectus pulchrorum, non erga homines solum: sed & equus, opinor, libentius currat per campum pronum, & mollem, placide gressum capientem, & sensim pedi cedentem, neque vngulæ resistentem. Toto igitur tunc utitur cursu, totumq; se ipsum tradens celeritati, certat etiam cum campi pulchritudine. Pavo autem ineunte vere, ad pratum aliquod accedens quando & flores prodeunt, non amabiliores modo, sed, & ut ita dicam, floridiores, & colore puriores: tunc ipse quoq; extensis pennis, iisq; solis ostensis, & sublata cauda, & circumquaque expansa, suos etiam flores ostentat, & ver pennarum, ac si ad hoc certamen à prato provocetur. Quare se ipsum convertit, & circumagit, & pulchritudine gloriatur: quando videlicet etiam admirabilior apparet ad splendorem solis, variantibus se coloribus, & sensim in alios atque alios transeuntibus, aliamq; formæ speciem recipientibus. Accidit autem hoc potissimum in circulis, quos in summis alis habet, quarum quamlibet quasi irides quædam circumstant. Nam qui antè visus est æreus, mox inclinante se paululum illo, aureus conspicitur: & rursum quod ad solem cæruleum apparuit, si obumbretur, viride videtur: sic ad lucis mutationem mutatur pennarum ornatus.

Quod autem & mare idoneum est ad provocandum, & ad cupiditatem concitandam, quando tranquillum apparet, ipsi scitis, etsi non dicam: quandoquidem etsi quis procul in continenti habitet, sitque

sitque navigationis imperitus, nihilominus & ipse illud ingredi cupit omnino, & circumnavigare, & procul à terra in altum trahi, in primis si auram videat, velum à tergo leniter prosequentem: navem autem placidéque ac læviter per summos paulatim fluctus labentem. Proinde etiã hujus domus pulchritudo idonea satis est ad provocandas orationes, & excitandum dicentem, eumq; modis omnibus reddendum celebrem. Itaque his credo, & jamdudum persuasus sum, & in domum dicendi gratia ingressus sum, pulchritudine ipsius veluti rhombo, aut Sirene tractus: spem haud exiguam habes, etiamsi antehac orationes meæ deformes fuerint, pulchras visum iri, perinde ac veste aliqua pulchriore exornatas.

Cæterùm altera quædam oratio haudquaquam ignava, sed valde generosa, ut ait, inter loquendum me interpellabat, & sermonem interrumpere conabatur: & postquam dicendi finem feci, vera negavit à me dici: se autem mirari, ait, si dicam domus pulchritudinem, picturis & auro exornatam, aptiorem esse ad orationes habendas. Nam contrarium evenire. Quin potius si videtur, ipsa pro se prodiens oratio, tanquam apud judices vos, dicat quatenus vilitatem, & deformitatem domus putet esse dicenti conducibiliorem. Equidem me jam audivistis: proinde nihil opus est ut bis eadem de re dicam. Iste vero prodiens verba faciat, & ego tacebo, & aliquantisper ipsi locum dabo. Proinde viri judices, inquit oratio, Orator ille qui prior verba fecit, multis magnisque laudibus hanc domum evexit, suaque oratione ornavit. Ego vero tantùm abest, ut illam vituperare velim, ut etiam ea quæ ab illo prętermissa sunt, addenda mihi putem. Nam quo pulchrior illa vobis apparuerit, eo magis contraria dicentis vsui ostendetur.

Ac primùm quidem, posteaquam mulierum, & ornatus, & auri mentionem ille fecit, mihi quoque permittite, ut hoc exemplo utar. Nam aio mulieribus formosis non modo nihil conferre ad pulchritudinem ampliorem reddendam, ornatum illum multum: sed contrà adversari potius, quando eorum qui forte aspiciunt unusquisq; auro & gemmis pretiosis obstupefactus, pro eo quod laudare vel colorem, vel vultum, vel cervicem, vel cubitum, vel digitum debebat, relictis his ad sardium, vel smaragdum, vel monile, vel armillas respicit: ut ob id merito illa neglecta dolere possit, spectatoribus etiam non habentibus laudandæ illius propter ornatum, sed obiter duntaxat ipsam intuentibus. Quod necesse est opinor ei accidere, qui inter tam pulchra opera habet orationem. Latet enim in magnitudine pulchrarum rerum, quod dictum est, obscuraturq; & abripitur: perinde ac siquis lucernam in magnum rogum injiciat, aut formicam in elephante vel camelo ostendat. Proinde hoc dicenti est evitandum. Præterea & vocem ipsam turbat, qui in adeo vocali, & resonante domo dicit. Nam illa respondet, & ex adverso resonat, & contradicit: imo etiam dicentis vocem obruit: quale quiddam & tuba facit tibiæ, si pariter inflentur: aut hortatoribus mare, quoties illi ad fluctus strepitum remigationi accinere volunt. Vincit enim magnitudo vocis, idque supprimit quod minus est.

Quinetiam illud quod dixit adversarius, dicentem à pulchra domo excitari, & alacriorem reddi, quantum mihi videtur, contrà se habet. Obstupefacit enim & terret, & rationem conturbat, & timidiorem reddit, cogitantem nihil esse turpius quàm in speciosò loco similem quoque orationem non apparere. Index enim profecto iste omnium manifestissimus est, non aliter ac siquis armaturam pulchram induat, deinde ante cæteros fugiat, notabilior cùm sit meticulosus ex armis. Quod cum perpendisset ille apud Homerum orator, videtur mihi minimam formæ curam habuisse: quin magis homini prorsus imperito seipsum assimilasse, quo majori admirationi foret orationis ipsius pulchritudo, ex illa cum deformitate facta collatione. Præterea omnino necesse est, dicentis ipsius mentem circa intuitum detineri, & cogitãdi diligentiam languescere visu superante, & ad se vocante, neque orationi incumbere permittente. Quare fieri non potest quin is deterius dicat, animo cura eorum quæ videntur laudes occupato.

Nam omitto dicere, eos qui adsunt, & ad auscultandum assumpti sunt, quum in hujusmodi domum venerint, ex auditoribus fieri spectatores. Nec orator ita est Demodocus, aut Phemius, aut Thamyris, aut Amphion, aut Orpheus, ut avellere cogitationes illorum à spectando possit. Sed ut quisque ipsum modo limen transcenderit, multa pulchritudine circumfusus, orationis illius aut recitationis, ne principium quidem exaudire videtur: sed totus in spectando versatur, nisi quis fortè omnino cœcus fuerit, aut noctu velut Areopagi Senatus solet, ad auscultandum venerit. Nam quod verborum vis longe inferior sit, quàm ut cum visu certare queat, Sirenum fabula cum illa de Gorgonibus comparata, facilè docuerit. Illæ enim mulcebant quidem præternavigantes canendo, atq; adblandiendo carminibus: & ad se delatos aliquandiu detinebant, & in summa, res ipsa mora quadam opus habebat: atq; interim eas quispiam est prætervectus, & inaudito cantu præteriit. At Gorgonum pulchritudo, ut quæ violentissima esset, & partibus animæ maxime sauciabilibus obversaretur, statim obstupefaciebat, & mutos reddebat aspicientes: & ut fabulæ placet, & fertur, in lapides ilico præ admiratione convertebantur, Quamobrem & illa quæ de pavone paulo ante dixit, ipsa pro me dicta existimo. Nam & illius in aspectu, non in voce delectatio est: juxta quem siquis vel luscinium vel cygnum statuat & canere jubeat, inter canendum autem pavonem tacentem cõmonstret, sat scio, quòd ad hunc transiturus sit animus, longum valere jussis illorum canticis: adeò ineluctabilis videtur esse voluptas, quæ visu percipitur.

Atque equidem, si vultis, adducam vobis testem virum doctum, qui statim mihi testimonium ferat, ea longè prævalere quæ visu, iis quæ auditu percipiuntur. Ac jam heus præco, accersite Herodotum Lyxi filium Halicarnassensem. Et quia probè fecit, quod morem gessit, accedat testimonium dicturus. Atque ipsum admittite sonicè, suo more, loquentem. Vera ista, judices; hæc oratio vobis narrat; atque ipsi credite, quæcunque de his dixerit, visum auditui præferendo: siquidem aures fide minus dignæ sunt, quam oculi. Auditis testem quæ dicit; & ut primas visui tribuerit? ac merito: Nam verba sunt alata, proinde simul atque proferuntur, avolant. At eorum quæ videntur, delectatio, semper adest, ac præsens manet, & spectatorem ad se prorsus abducit. Qui ergo molesta non sit dicenti adversaria, domus ita pulchra, & ab omni parte conspicua? At quod est maximum, nondum dixi. Nam vos ipsi, judices, interea dum nos dicebamus, tectum aspiciebatis, parietes mirabimini, & picturas, ad unamquamque conversi, examinabatis: neq; vos pudebat. Ignoscendum enim, siquid humanum vobis accidit: præsertim cùm pulchris illis & variis objectis capti fueritis. Nam artis diligentia, & historiæ cum antiquitate, utilitas, revera illiciendi vim quandam habent, & spectatores eruditos requirunt.

Et ne nobis relictis illic omnia respiciatis, age quoad fieri potest, illa vobis oratione depingam. Nam jucunda puto, erunt auditu, quæ visu vobis sunt mirabilia. Fortè enim ob id ipsum me laudabitis, & adversario anteponetis, ut qui & ipse hæc demonstrem; & duplicem vobis voluptatem pariam. Cæterùm conatus hujus difficultatem videtis: nimirum quàm grave sit absque coloribus, & figuris, & loco tam multas imagines in unum congerere. Est enim exilis planè pictura verborum. Quare ad dextram quidem ingredienti, Argolicæ fabulæ, intermixtum est malum Aethiopicum. Perseus cetum interficit, & Andromedam eripit, quam paulò post uxorem ducet, & abducta secum illa, discedet: Atque ut extra institutum, volatus ad Gorgonas. Ac brevi spatio, multa imitatione expressit artifex, virginis verecundiam, & metum. Spectat enim & pugnam desuper ex rupe, & adolescentis audaciam amatoriam, & beluæ visum intolerabilem: quæ horrida spinis, & formidabilis hiatu oris accedit. Tum Perseus sinistra Gorgonem ostendit, dextra ense ferit. Iam quicquid illius beluæ Medusam aspexit, saxum est: at reliquũ quod est adhuc animatum, ense cæditur. Deinde post hanc imaginem, alia est justissima pictura, cujus primum exemplar videtur mihi pictor ab Euripide, vel Sophocle accepisse. Nam illi similem quandam imaginem descripsere, adolescentes duo, socii, Pylades Phocensis, & Orestes, cùm jam viderentur mortui esse, post regiam latentes, & clam adeuntes, occidunt ambo Aegisthum. Clytemnestra autem jam interfecta est, & in lecto quodam seminuda jacet. Ac totum famulitium hoc facinore obstupefacti, alii clamare videntur, alii qua parte fugiant, circumspiciunt. Porro pictor honestum quiddam excogitavit, qui quod impium in hac re fuit, id ostendit solùm, & quasi jam prætercurrit: sed adolescentes in cæde adulteri immorantes exprimit. Post hæc autem Deus est formosus, & venustus adolescentulus, amatorium quoddam ludicrum. Branchus puta in rupe sedens tenet leporem, & alludit cani: qui in sublime videtur ipsi insulturus: astans autem Apollo ridet, & utroque delectatur, & puero ludere, & cane saltum meditante. Præter hæc Perseus, iterũ quæ ceti cædem præcesserunt, aggrediens, & Medusæ caput amputans, & Minerva Perseum protegens. Atque hic quidem racinus jam peregit: factum autem ipsum in clypeo nondum vidit, Gorgonis videlicet imaginem: cùm veri aspectus pœnam noxiæ. In medio autem pariete, ex adverso januæ, Minervæ est templum: & Dea ipsa candido ex marmore: habitus non est militaris, sed qualis fuerit pacem agentis bellicæ Deæ. Deinde post hanc alia Minerva, non hæc quidem marmorea, sed picta: quam Vulcanus amans insequitur, ipsa autem fugit, & ex ea persecutione Erichthonius nascitur. Hanc sequitur vetus alia pictura. Cœcus Orion Cedalionem portat, qui dum vehitur, viam qua itur ad lucem, ipsi indicat, & cœcitatem sol apparens me dicatur: quod opus è Lemno intuetur Vulcanus. Post hæc Vlysses, insaniens videlicet, quando cum Atridis in expeditionem ire nolebat. Adsunt autem legati, jam vocantes ipsum. Atque ea quæ ad simulationem pertinebant, probabilia omnia, vehiculum, & jumentorum junctorum discrepantia, & eorum quæ aguntur insciti: sed objecto tamen infante redarguitur. Nam Palamedes Nauplii filius, rem intelligens, correpto Telemacho, minatur se eum interfecturum, tenens strictum ensem: & simulatæ insaniæ simulatam iram hic opponit. Vlysses autem ad metum hunc respiscit, fitque pater, & simulationem deponit. Postrema verò Medea depicta est, invidia flagrans, pueros aspiciens, & grave quiddam meditans. Iam enim gladium tenet: at miseri illi ridentes astant, nihil eorum quæ futura erant, scientes, idque cum in manibus matris gladium viderent.

Hæc omnia, Judices, nonne videtis quomodo auditorem abducant, & ad spectandum convertant, solum verò dicentem relinquãt? Atq; equidem verbis ea persequutus sum, non ut adversarium audacem & temerarium existimantes, quod rebus ita difficilibus seipsum volens immersit, damnetis, & odio habeatis, solumq; eum cum oratione sua relinquatis: sed potius ut ipsum adjuvetis, & quoad fieri potest convivantes, ea quæ dicuntur audiatis, rei difficultatem apud vos æstimantes. Vix enim etiam hoc pacto, vos non judices, sed auxiliatores habendo, poterit non omnino indignus hac domus magnificentia censeri. Quod autem pro adversario hæc oro, ne miremini. Nam ex eo quod domum hanc amem, & cum qui in ea dicit, quicum-

quicunque tandem is fuerit, optarim equidem celebrari. *Lemmate Domus.*

¶ Romanorvm.

Seneca: Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros. Vix quenquã invenies qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi sit, subito aspici. *Fine Epistola 43.*

Velleius Paterculus: M. Livius Drusus cùm ædificaret in palatio, eo loco, ubi est quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est, promitteretq; ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunisq; ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset. Tu vero, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quidquid agam ab omnibus perspici possit. *Lib. 2. Histor. c. 14. fine.*

Quintilianus Senior: Perdidi domum fortuito incendio, quomodocunq;, tamen domum perdidi. Penates illos in quibus natus sum, qui mihi quotidiana imagine adhuc versantur ante oculos; penates in quibus sacri aliquid esse credimus, amisi. hospes in civitate victurus sum. pauper domum perdidi, hoc est exutus sum omni censu. *Declamatione 337. a m.*

Quintilianus Senior: Quid horum quæ perdidisti magnopere desideras? Locuples es. Domum opinor perdidisti infelix, non habebis tectum quod subeas: in publico tibi manendum est & sub cœlo. Fortasse etiam contulerint ista detrimenta deliciis tuis. Novimus animos vestros, novimus fastidia. Si non esset incensa domus, subinde diruere, subinde mutare vos juvat, & aliquid scilicet experimentis adiicere. Domum perdidisti? gravis injuria fortunæ! novam habitabis. *Declamatione 337. sub finem.*

Plinius: Sed cùm rebus tuis ut participes perfruamur, quæ habemus ipsi, quam propria, quam nostra sunt! nonenim exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumvenis; nec unius oculis flumina, fontes, maria deserviunt. est quod Cæsar non suum videat; tandemq; Imperium Principis quam patrimonium majus est. multa enim ex patrimonio refert in imperium, quæ priores Principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia sedesque nobilium immigrant pares domini; nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo terũtur, aut fœdâ vastitate procumbunt. datur intueri pulcerrimas ædes detersо situ auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modo sed tecta ipsa meritum. sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo exstructa sunt animo ab interitu revocare. muta quidem illa & anima carentia, sentire tamen & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini non servientes. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium: quo sit detestanda avaritia ejus, qui tam multa concupiscebat, cùm habent supervacua tam multa. Tum exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa. nunc Princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit. Ipsos illos magni aliquando Imp. hortos, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas Principis, tanta securitas temporum est, ut ille nos Principalibus rebus existimet dignos; nos non timeamus quod digni non videamur. Nec vero emendi tantum civibus tuis copiam præbes, sed amœnissima quæq; largiris & donas: ista inquam donas in quæ electus, in quæ adoptatus es. transfers quod judicio accepisti; ac nil magis tuum credis, quam quod per amicos habes. *Cap. 50. Panegyrici ad Trajanum.*

Nazarius Orat. ad Constantinum Imp. In magnis domibus interiorem ornatum vestibula ipsa declarant. *Capitis sexti exordio.*

Symmachus: Domus quæ tibi prius ambitiosa per ætatem viventi & habitanti cum liberis satisfecit, senilem moderationem distribuus in alias domus filiis non debet offendere. *Lib. 3. Epist. 14. f.*

¶ Poetarvm.

Ennodius Epigr. 10.

Ædibus ad genium duo sunt concessa per ævum,
Si niteant crustis, aut domini merito.
Herbida pasturam simulantia saxa virentem
Illiciant oculos nobiliore dolo.
Pellat opus tamen arte, regat natura figuras,
Viscera dum lapidum fingit imaginibus.
Candorem roseo perfundat doctor ab ore,
Depingat sparsis congrua membra notis.
Aurum culmen, ebur, tabulas, laquearia gemmas
Non datur humanis plus rutilare bonis.
In pretio cautis fores & sine lege jocatur.
Moribus ut constes, crede, laboris erit.

Ennodius Epigram. 56.

Ædibus ad pretium sic mores conditor addit,
Vellera ceu Serum murice tincta feras.
Qualiter inclusas comit lux hospita gemmas,
Nix lapidis quoties pulcrior arte rubet.

Plautus Aululariæ. 3. sc. 2. v. 13.

Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotii,
Me absente, nisi ego jussiram?

Mox versu 18.

Volo scire item ego, mea domi meane salva futura?

Ibidem versu 28.

Si ad januam huc accesseris, nisi jussero propius.
Ego te faciam miserrimus mortalium uti sis.

Plautus Milite 2. sc. 2. pr.

Nisi hercle defregeritis talos, postquam quenquam in tegulis
Videritis alienum; ego vestra faciam latera lorea.
Mihi quidem jam arbitri vicini sunt, mea quid fiat domi.
Ita per impluvium intro spectant: nunc ædes edico omnibus
Quenquam à milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Hunc deturbatote in viam.

¶ Emblematis.

Camerarius xci. Centur. 2.

Domus optima. Testudo Aesopica.

Est sua cuique domus tutissimus usque receptus,
Hanc cen testudo fœmina casta colat.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; comploratione nulla est aut fuit domus
Ædes in quam lac asininum infertur, certè morbida est.
A fabro admodum est recens quæ haud indiget fabro domus.
Ampla si parum ac decora, tecta at est tamen domus.
Dum tegar tecto quod imbrem ventumque arceat, sat est.
Eccubi domum invenire mica cui non sit mali?
Fœmina est salus domus, domus ruina fœmina est.
Haud domus est pusilla turbam quæ capit virtutum.
Magno ut empta, sic parata ligna amplam instruunt domum.
Neminem à domo excitanda terruere incendia.
Nil domus sunt quam arcanarum vela turpitudinum.
Non capit civem alti Olympi strenuum ædes terrea
Non potest intrare parvos grandius malum lares,
Nulla tam domus pusilla est, rex exire unde haud queat.
O domus Anci quam domino nimium dominaris dispari!
Perfugium domus cuique vel tutissimum sua est.
Plurimum in suo potest vel gallus sterquilinio.
Pro potestate animadvertendum nemini est intra domum.
Sapè quis foras beatus est domi miserrimus.
Sapè publicè beatus, est domi miserrimus.
Si domus minime est decora; tecta at est tamen domus.
Si domus non est venusta, sic tamen tecta est domus.
Tecto opus homini est, ferarum præda ne sit morsibus.
Væ domui quam non dominus inhabitat suus.
Vnius domus si mores noris, noris omnium.
Vna stat domus, volentino esse mores omnium.

¶ Iambica.

Æque bene hominem culmo, quàm auro pertegas.
Cave quemquam alienum in ædes intromiseris.
Claros foris labes notat domestica.
Domestica mala operit dolor, non publicat.
Domino domus est ornanda non dominus domo.
Domum ô beatam ubi uxor sentit cum viro!
Domus domino honestanda non dominus domo.
Domus pusilla pestem magnam non capit.
Etiam domi aurum nascitur felicibus.
Gaudent eisdem una ac dolent domestici.
In jus vocatur de domo nullus sua.
Latitatio est turpis sui occultatio.
Legem ac tribunal quisque habet domo in sua.
Male nutrias una in domo duos canes.
Maneant domi matrona; publicum nocet.
Mulier domui exitium, mulier domui salus.
Multi domos, pauciſsimi animos excolunt.
Nemo extrahendus de domo civis sua est.
Ne quidquam alas domi cum curvis unguibus.
Ne reficito putrem domum, sed tollito.
Nisi incolantur, illico ædes concidunt.
Nullum tugurium ullam virtutem respuit.
Nullus sua vocatur in jus de domo.
Periculosa meretrix, translata in domum.
Persæpe latus publicè mœret domi.
Parvus domi, esse quei queat bonus foris?
Pulsa prius quàm alterius intres in domum.
Pusilla grandi haud subjacet cladi domus.
Quando impetit bos cornibus domesticos?
Rectè ordiare semper à tuo lare.
Saltem domum per commodo exstrua loco.
Sunt & suas qui incendio absumunt domos.
Væ domui quam non dominus inhabitat suus!
Vir ubi imperat, mulier paret, recta est domus.
Vnius domus si mores noris, noris omnium.

Dona-

Donariorum.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Quod super altare neque securis ascendisset, nec visa aut audita ascia esset, significabatur nativum, & simplex artisque ac furi expers esse debere, quidquid Deo consecratur. *Orat.* 19.

S. Isidorus Peluſiota: Hoc Judæi quoque olim fecerant, in sacrificiis liberaliter se gerentes, atque interim Legis Magistros & conditores lapidibus obruentes, quod vos item illorum exemplo feciſtis, dū donariis quidem ac votivis muneribus divinum templum exornatis, hujus autem pastorem calamitatibus afficitis. Quapropter non charitate erga Deum ducti hujusmodi munera obtulistis: verum inanis gloriæ studio, mercedem suam hinc recipientis. *Lib.* 1. *Epist* 348.

Idem: Si munus Deo vere offerre cupis, muneris sequestrum ne aspernare: cujus administris manibus uti Deus pro sua benignitate minimè dedignatus est. Sacerdos enim, etiamsi inertis atq; ignavæ vitæ, ut asseritis, maculis contaminatus est, ipse quidem pœnas luet, interim tamen Angelus Domini omnipotentis est: tum quia divini sacrificii munere perfungitur, tum quia multorum saluti operam navat. *Lib.* 1. *Epist.* 349.

S. Isidorus Peluſiota: Quemadmodum enim, si ante effusum unguentum interrogatus fuisset, haud dubie illud vendi, & pauperibus dari jussisset: sic postquam effusum fuerat, mulieris fidem per objurgationem extinguere absurdum erat. Atque ad eundem quoque modum nunc faciunt probatissimi quique sacerdotes. Nam si quis dicat, consecrare atque appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare jubent. Sin autem id jam ipse fecerit, non modo eum non increpant, verum etiam blande ac leniter admittunt: non quod hoc illo melius ac præstantius esse ducant (non enim propterea Christus venit, ut Ecclesias auro & argento impleat) sed ne eum, qui hoc donarium obtulit animi anxietate afficiant. *Lib.* 2 *Epist.* 88.

¶ PHILOSOPHORVM.

Phalaris Messenjs: Non ignorabam, cum vestris diis anathemata tripodas delphicos & coronas aureas aliaque musca, gratificatoriaque magni precii munera pro salute mitterem, ex duobus alterum vos facturos esse, ut aut pietatis religionisque colentes hæc diis consecraretis, aut illis spoliatis inter vos ipsos distribueretis, quod & evenit. Nam me contumeliis lacerantes propter donatorem anathemata non pura esse simulastis deosque sacrilegio scelerati simo deprædati estis. Quid enim refert consecrata ne diis suspensaque detrahas, aut addicta nominatim rapias? Vtraque enim non mittentium amplius sed illorum sunt. Vt enim mea gratitudo erga deos sic vestra improbitas impietasque maxima est. Nam & meam largitionem, & vestras rapinas atque furtum noverunt. Mihi vero satis est, vos sceleroſos & execrandos Deorum immortalium quos spoliastis ira & indignatione factos videre. Nam cum reliquis, quamobrem ea in lucro deputastis, simul etiam confessi estis nihil ex missis donariis impurum pollutumque esse, nisi iidem Thesauri, sub ambiguam sortem conjiciantur: si quidem vos eos partiremini meliorem sin diis dono ferrentur, deteriorem. Præterea manifestæ vos ipsos impietatis scelerisque damnatis. Principes enim caussam in plebem transferunt, quamobrem pecuniæ in hostilibus communi decreto sint habitæ. Vos verò populus, in principes & magistratum. Et quod omnium gravissimum est, Deos perinde ac homines nequitia perditos, proditores fore affirmatis, si à Tyranno munera recepissent: gerentes verò apud vos Rempublicam bonos & integros (qui ter & non semel duntaxat. Messanam non aliter quàm Agrigentum in manus potestatemque meam tradiderunt) si petentibus eis pecunias concedam, non pœna plectitis. In caussa est, quod vos eadem voluntate. & eodem crimine obstricti estis, neque reis liberè supplicium constituere audetis. Omnes enim acceptorum donorum fontes inveniemur. Attamen ego, nullum posthac verbum faciam: neque de Anathematis quæ à me diis donata, nobis erepta vos tenetis, curam ullam suscipiam. Si vero quos per sacrilegium spoliastis, dignam pro vestra audacia nefandoque scelere tum in me, tum in ipsos perpetrato, pœnas exposcent. *Epist.* 34.

Lucianus: Ego ô Delphi, cùm neque publicum Agrigentinis, neque privatum Phalaridi ipsi hospitium ante hac præbuerim, nec aliam privatam tribuendæ illi benevolentiæ caussam, aut olim ineundæ amicitiæ spem habeam: & legatos qui ejus nomine venerunt audiverim æqua modestaque perorantes, siquidem & pietati simul, & publicæ utilitati, præcipuè vero ei quod Delphis decorum est, cēseo consulendum, surrexi vos cohortaturus, ne viri principis pietatem offendatis, ne etiam Deo jam destinatum munus alienetis. Præsertim cùm trium maximarum rerum perpetuum futurum sit monumentum, artis elegantissimæ, inventionis pessimç, & justi supplicii. Itaque quod & quid faciendum sit ambigitis, quodque magistratus vobis proposuerunt deliberandum, num munus sit suscipiēdum, num vero ablegandum, impium esse puto: imo potius ab impietate summa non abesse. Neque enim aliud hæc res erit, nisi sacrilegium, aliis longè atrocius. Nec minus impium erit factu, Deo donaria dedicare volentibus, id faciendi facultatem non concedere, quàm jam dedicata de peculiari.

Vos autem oro, ego qui sum ex Delphorum numero, & publicæ gloriæ, si conservetur, ex æquo particeps, & contrariæ opinioni obnoxius, si ex præsenti negotio contingeret, ne piis hominibus templum præcludatis, neque civitatem nostram omnium hominum calumniis traducendam obiiciatis; ac si quæ Deo mittuntur munera calumnietur, & calculo, judicioque donaria dedicantes probet. Nemo enim dicare quicquam audeat, certior factus, Deum benevolentia nulla susceptorum, quod prius Delphis visum non fuerit. Quare Pythius justum de donario suffragium jam tulit. Nam si vel Phalarin odisset, vel munus ipsum averſaretur, facilè fuerat cum oneraria navi qua advehebatur illud in medio Jonio submergere. At ille contra dedit ipsis, quemadmodum testantur, ut & sereno cœlo traiicerent, & incolumes in Cirrham appellerent. Vnde liquet, ipsum monarchæ pietatem accipere, cui vos astipulantes oportet, hūc taurum reliquis templi ornamentis adjungere. Siqui tem hoc esset omnium absurdissimum, ut qui munus adeo magnificum, Deo misisset, vestris calculis ab ingressu templi arceretur, ac præmium impietatis reportaret, videlicet judicatus indignus, qui donum Apollini offerret.

Cæterum is qui à me dissentit, tanquam ex Agrigento recens delatus, cædes quasdam, & injurias, & rapinas, & deprædationes tragicè, exaggerabat à tyranno factas, ferme se testem oculatum fuisse dicens, quem scimus ne ad navigium quidem usque profectum fuisse peregrè. Ac neq; iis credendum omnino qui ista se perpessos esse asserunt. Etenim incertum est vera-ne dicant, siquidem non possunt non criminari ea quæ explorata habemus. Quod si tale quid in Sicilia factum est, Delphis non necesse est ut eius satagant, nisi non sacerdotes, sed judices esse jam velimus: & cum nostri sit officii victimas immolare, aliumq; cultum Deo præstare, & siquis donaria mittat, ea simul consecrare, contemplantes sedeamus, num qui trans Jonium mare habitant justo vel injusto imperio regantur. Atque res quidem aliorum se habeant prout voluerint. At nobis opinor esse perneceſſarium, ut proprias norimus, tum quis olim earum fuerit, tum quis nunc sit status, & quid magis ex usu sit nostro faceret. Nā quod in præcipitiis habitemus, & rupes colamus, Homerus monitor nobis, non est expectandus, qui nobis hæc patefaciat: sed coram oculis hęc intuemur. Et quantum in terra est, in extrema fame semper versaremur: verùm templum ipsum, & Pythius, & oraculum, & qui sacrificant, & qui pietatem exercent, hi Delphorum sunt capi, hi proventus, hinc abundantia, hinc alimenta. Parenim est ut vera dicam vobis, etiam quod à poetis dicitur, citra sementem, citraque culturam omnia nobis proveniunt, agricolæ Dei opera: qui non solum ea bona nobis exhibet quæ apud alios nascuntur: sed siquid est apud Phryges, aut Lydos, aut Persas, aut Assyrios, aut Phœnices, aut Italos, ipsos-ve Hyperboreos, omnia ad Delphos veniunt: & nos secundum à Deo honorem ab omnibus consequimur, opulenti, fęlices sumus.

Hæc olim, hæc hactenus obtinuimus: atq; utinam ita vivere non desinamus. Nemo meminit latum à nobis usquam fuisse suffragiū, quo quenquam à sacrificando, vel offerendo donario prohibuerimus. Quam ob caussam, opinor, ipsum templum, mirum in modum auctum est, & donariis summopere locupletatum. Quare neque quicquam in præsentia est innovandum, neq; præter patriam consuetudinem lex constituenda: non accuratè expendenda donaria, nec genus quærendum, unde, à quo, & qualia sint. Sed citra curiositatem suscipiendo consecranda sunt, ut utrisque cum Deo tum piis hominibus inserviamus.

Videmini autem mihi, viri Delphi, rebus præsentibus optimè consulturi, si primum reputetis quæ res, quantæque in considerationem veniant: ac primum quidem Deus, & delubrum, & sacrificia & donaria, prisci mores, antiqui ritus, & gloria oraculi: deinde civitas universa, & communis nostrum, & privata singulorum Delphorum utilitas: deniq, apud homines omnes gloria, vel infamia. Quibus nescio nunquid majus, si sapitis, magisve neceſſarium existimabitis. Atqui hæc sunt de quibus consultamus: non unicus Phalaris tyrannus, non hic taurus, non æs tantùm, sed omnes reges, omnes principes, quotquot templo nunc utuntur: præterea aurum, & argentum, & quæcunq; alia pretiosa, multa sæpe Deo dedicabuntur. Primùm enim expendendum quid cum Dei voluntate conveniat: cujus rei gratia, neque ut semper, neque ut olim moris fuit, in dedicandis donariis nos geramus: aut quid in constitutionibus antiquis reprehēdentes, novis rebus studeamus. Et quod nunquam ex quo hanc urbem incolimus, & Pythius oracula reddit, & tripos loquitur, & sacerdos numine afflatur, fecimus, nunc instituamus, ut qui huc mittunt munera, judicio & examini fiant obnoxii. Atqui cùm ex prisco illo instituto liceret omnibus nullo discrimine munera offerre, videte quot bonis cumulatum sit templum, omnibus offerentibus, & supra facultates nonnullis Deum donariis cohonestantibus.

Quod si vosmet ipsos censores & indagatores donariis præficiatis, vereor ne desit nobis quod in posterum probemus, nemine se cōstituente reum, & sumptus ac impensas æquo animo faciente, ut judicetur, deque omnibus in periculum veniat. Num cui acerba non fuerit vita, si judicetur indignus qui Deo donaria consecret? *Phalaride secundo.*

Epictetus: Si tibi propositum est, urbem Donariis ornare, teipsum inprimis illi dedicato, pulcerrimum mansuetudinis justitiæ, beneficentiæ monumentum.

Idē: Quemadmodum si leones aleres, non tā pretiū vinculorum, quàm ipsius animantis naturam curares; ita si civibus præesse studes, non tam pretium donariorum curato, quàm virtutē incolarum.

Dona

Doni aut Donationis.

SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Nihil apud Deum magnum est, quod non pauper quoq; donare possit, ut ne in baptismo renuibres propellantur, veluti qui non habeant quomodo cum locupletibus certent. In cæteris quidem rebus inter divitias & paupertatem interest: hoc autem qui promtior qui alacrior est, idem quoq; ditior est. *Oratione quadragesima.*

§ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE.

Philostratus: Nunc quid regiis oblatis præclaris quidem & magnis respondendum sit considerandum. Petes enim forsan nihil: in quo cavendum, ne propter superbiam oblata à rege dona repudiare videaris. *Lib.1. Apoll.c.21.*

Libanius: Is qui accipit ea quorum dominus non est, dona capit, qui autem accipit ea quorum compos fuit; quæ prius habebat, recipit. *Achilles ad Vlyssem.*

§ ROMANORVM.

Quintilianus Senior: Non potest à privato dari quod ab omnibus debetur. *mox:* Non potest quisquam dare, quod constat duorum voluntate. *Declamatione 306 in.*

Plinius Iunior: Respondebam ei, non esse satis honestum, donare & locupleti & orbo. *Libro 5. Epist.11.*

Plinius Iunior: Quanquam absens, totus huc migrasti; tantum mihi copiarum urbanarum quàm rerum rusticarum nomine tuo oblatum est, quas omnes, improbè quidem, accepi tamen. nam me tui ut ita facerem rogant: & verebar ne & mihi & illis irascereris, si non feciſſem. In posterum, nisi adhibueris modum, ego adhibebo. etiam tuis denunciavi, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. Dices, oportere me tuis rebus ut meis uti etiam: sed perinde illis ac meis parco. *Epistola 28 libri sexti.*

Plinius Iunior: Vellem Africanas, quas coemeras plurimas, ad præfinitum diem muneris gladiatorii occurrissent. sed licet cessarint illæ, tempestate detentæ, tu tamen meruisti ut acceptum tibi fieret, quod quo minus exhiberes non per te stetit. *Fine Epistolæ 34. libri sexti.*

Symmachus: Tuæ potestati tuoq; arbitrio committo, ut opportune singulis quæ missa sunt offerantur. *Lib.2. Epist.81.f.*

Symmachus: Tibi lineam misi, cujus potest oblatio exigua non videri, si magis mei in vos animi quàm sui pretii æstimatione pendatur. *Lib 6. Epist.79.f.*

Symmachus: Honore sportulæ duos solidos offerendos tibi misimus: parvum munusculum, si æstimetur pretio sui: religiosum, si amore penditis. *Lib.9. Epist 82. & Epist.98.*

Symmachus: Amantium largitio non deterit vires offerentium. *Lib.10. Epist. 26.f.*

§ POETARVM.

Plautus Amphitr.1.sc.3.

Nunc tibi hanc pateram, qua dono mihi ob virtutē data est,
Alcumena jam condono. A. facinus alium res solas.
Ecastor condignum donum, qualis est qui donum dedit!
M. Imo sic condignum quale est is cui dono datum est.

Plautus Mercatoris .sc.5.v.29.

Honoris caussa quidquid est quod dabitur, gratum habebo.

Plautus Truculento 4.sc.1.v.3.

Dū magni, ut ego sum lætus & lætitia differens, ita
Ad me magna nuncius sit Cyamus hodie gaudia.
Mea dona deamatu acceptaq; habitaesse apud Phornesium.
Cùm hoc jam volup est, tū hoc nimo magna mellissa mihi
Militis odiosa ingratique habita.

Martialis 5.Epigr.18.

Odi dolosa munerum & malas artes.
Imitantur hamos dona, namq; quis nescit
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico dixiti nihil donat,
O Quinctiane liberalis est pauper.

Martialis lib.5.Epist. 19.

—— Celat ingrata pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque sodali;
Aut quem prosequitur non alienus eques?

Martialis lib.5.Epigr.60.

Quod non argentum, quod non tibi mittimus aurum,
Hoc facimus caussa Stella diserte tua.
Quisquis magna dedit, solvit sibi magna remitti.
Fictilibus nostris exoneratus eris.

Martialis lib.7.Epigr.42.

Primum est ut præstes si quid te Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens ut cito Cinna neges.

Martialis lib.8.Epigr.70.

—— aut stare aut crescere debent
Munera.

§ FABVLA.

De Fure & Cane. Anonymus.

Fure vocante canem pretenso munere panis:
Spreto pane canis talia verba movet.
Vt stleam tua dona volunt furtisque laborant.
Esse locum, panem si fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca.
Me privare cibo cogitat iste cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno,
Adverna plus nolo nec placet hostis ero.
Non rapiet nox una mihi bona multa dierum;
Nolo semper egens esse, semelque satur.
Latrando tua furta loquar nisi pronto recedas.
Hoc stler, ille manet, hic tonat, ille fugit.
Si tibi quid detur, cur detur respice; si des
Cui des ipse nota; teque gulose domа.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absque acceptione nulla creditur donatio.
Carius donata constant cuique quàm quæ vendita.
Despotius etiam non digna quam dignos ut negligas.
De suo donet, donare de fortuna qui nequit.
Difficile est donare multa, nisi ipsa ab aliis auferas.
Divitis nunquam magis dat pauper quàm cum dat nihil.
Divitis qui dona mittit; non donat, sed fenerat.
Dona amantum unquam ne vires efferentium atterunt?
Dona amicis quis donaris sanus pestilentia?
Dona carent Virtutis fructu, dona carent sortis fido.
Dona delatorum usque florent, nisi per mundum ambulant.
Dona exterta tam jucunda non sunt atque ultronea.
Dona fortuna ampla, & ampla plena sunt formidinis.
Dona, non sint dona, visus quvis hamus ne intervenit.
Dona qui capit libenter, & libenter referet.
Dona qui celant Deorum gratiam nisi non habent.
Dona quisquis verbo honestat, ipsa dona duplicat.
Dona recte multa perdas, ut semel ponas bene.
Dona Regum strangulantur Aulicorum inter manus.
Dona si amputata tua ipsum absimilio melinscis.
Dona si sunt quæ dat hostis, plena sunt damno ac malo.
Dona sortis magna magnis subjacent periculis.
Ecastor condignum donum; qualis qui donum dedit.
Ecquis se velit donari ab improbo viro bonus?
Exiguum qui dat libenter, maximo majus dedit.
Gratia dent omne demis, quid quid adjicis mora.
Gratius venit libenti quod datur, quam ampla manu.
Gratum habēdum id omne, honoris quod datum caussa tui.
Haud grata est donatio unus rem duorum si offerat.
Improbe quid das? abire impunè ab illo jam haud potes.
Latior sulcus donantis omne donum duplicat.
Multa oportet dona perdas, ut semel ponas bene.
Nec bonus vir, nec Deus ab homine improbo donum accipit.
Nemo perdit, fœneratur quas amicis dat opes.
Nemo vir bonus donare ab improbo sese velit.
Nil refert ut dono in pusillo summa quàm sit gratia.
Non potest dari a privato, quod debetur ab omnibus.
Noxia hercle haud quæ tuosa est improbi donatio.
Nullo jure quod cogente cedis id donatio est.
Omne quod datur vel ob rem vel adeo ob caussam datur.
Plura Regibus dant docti, quàm auferant a Regibus.
Principum donis obnitis, Principum est offensio.
Principum vel stare debent dona, vel succrescere.
Provide ne dona censum deterant amentium.
Publicum donare plebi, gradus est ad tyrannidem.
Quæ sua manu non donant Principes, intercidunt.
Quæ tibi fortuna donat cuncta, consulas boni.
Quod datur præsens tanquam in manum, id vero est fortunadius.
Quod Dei boni dant, culpa ne tua amittas cave.
Sæpe amici dona præstant, vota quod mutua hostium
Stultus est, hamo te captat, divitis quis dat tenuis ops.
Supra hominem est, sitare dona sponte ad se venientia.
Vel petit, vel desipit, cùm pauper donat divite.

§ IAMBICA.

Animum Deus non dona dantis adspicit.
Animum sapiens, donum intuetur stultior.
Bene in datorem quod dedit refuderis.
Cui dona corde cuique sunt non diligit.
Cum quid datur spectabis. & dantem adspice.
Donantis haud donum ast voluntatem inspice.
Donare conjunx conjugi nihil potest.
Donare cuncta oculis apertis, Principum est.
Donare non est regium, sed perdere.
Donare posse non sanè est cujuslibet.
Dona è sinu fac exeant, non exeidant.
Donatio nil sæpe quam venatio est.

Bonis malis fors auget, evertit bonos.
Dono pusillo haud demeretur Principem.
Donum a tyranno auferre nemo vult probus.
Donum omne, tempus magis aut minus facit.
Donum veneno hostile semper oblitum est.
Ducas tuum solum illud esse, quod fuit.
Etiam virtus donanda donis sunt bonis.
Gaudet magis qui donat illo qui accipit.
Gratissimum est donum preces quod prævenit.
Hoc quisq; habet solum quod alteri dedit.
Id omne dones, quod desperas vendere.
Imitantur hamos dona, dando quæ petunt.
In bello permulta oportet donari oculis Principes.
Inspicere dentes improbum est donati equi.
Manent munuta, grandia dona non manent.
Manum adfricat manus; quid da, & quid accipe.
Multi solent dare, quia servare nesciunt.
Nec accipe omnia, nec passim, nec ab omnibus.
Nec omnia, nec passim accipe, nec ab omnibus.
Nemo dare alteri ipse quo caret potest.
Nil vere habent, quam quod dedere Principes.
Nolunt suis obniti donis Principes.
Non servitute redditur, ast donis honor.
Plus commodi feres si das quam si accipis.
Quo mente quid sit refert, non quid datur.
Quod alteri das amplius haud jam est tuum.
Quod dat Deus bonum malum ve id accipe.
Quo plus Deus donat, donare plus potest.
Reddas quod est datum, ut iterum detur tibi.
Regis minus est, quod abstulit, quam quod dedit.
Rex quæ bonis aut, non dat, sed bis accipit.
Se fraude Reges capere aves, donis cape.
Solas opes habebis quas donaveris:
Suspecta sunt mihi latronis munera.
Vix dona grata sunt deest queis comitas,

Dotis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Isidorus Pelusiota. Notarii in iis contractibus, qui ad dotes pertinent, scribere consueverunt. Alere ac vestire, quemadmodum muliere uxore dignum est, pro facultatum captu: mulierem videlicet ob naturam collocantes, uxorem autem ob vitæ consuetudinem. *lib. 3. Epist. 176.*

Phalaris Teucro. Vehementius mihi desiderium fuit uxorē Philodemi Cleænetam videndi (scis utiq; de qua loquar:) quam filiæ nuptias, nisi certis impedimentis prohibitus fuissem: ad quorum societatem te quoque vocassem, ut venires, nisi Syracusis ejusmodi de caussa relinquendum putassem. Unde senties etiam abundantius, nō temere nos de ipsis ad te scribere. Hanc tumetipse fac ut convenias & genero quinq; talentorum dotem te confecturum, præstiturumq; recipe, si filia nuptias ineat, neq; tam ut hæc dono dari videantur, quā veluti meum debitum æsq; alienum à te persolvi: sin rogarit, unde nobis à Philodemo tanta pecuniarum vis esse potuerit, nescire quidem te respondē, sed in me qui acceperim & Philodemum qui dederit. ejus cognitionem transfer. Operam autem in primis dabis, ut Leon gener scribatur. Venit enim ad nos, & conjugium ambivit. Quem ego, celeriter promissis rebus omnibus ad te misi. Sin alium quempiam invenerit meliorem commodioremq; sponsum puellæ mater, illi dotem polliceberi neque quicquam ultra molieris. Non enim in uno certoq; genero nostra erga Philodemum munificentia savorq; consistit, neque cum pecunias largimur, statim nuptiarum confectionem apparamusq; donamus. Sed per Deum immortalem ne tam negligenter sponsalibus utaris, ut non accepisse potius quam reddidisse quinq; talenta puteris, sicubi eam viro conjungere decreverit. Turpe est enim assequi quod voluerimus, non potuisse largiendo, ubi propositum sit non collocandi beneficii nomine pecunias, sed ita ut simulavimus ultrò libenterq; reddidisse videri. Ac mihi sane per solem dispendium facturus multò maximum videor, si penes me pecuniæ manserint, tametsi magnum ad nuptias adjumentum puella alioquin habitura est. Non enim possunt idem sentire, rerum mearum imperiti ignarique. Utinam vero non crudeliorem undiq; & atrociorem Phalarim traducerent. Mitte quoque puellæ ad nuptias, quatuor filias æquales, muliebresque stolas, quas à nobis missas habes: Item aureos sexaginta, atque hortare, celeriter ut apparentur nupriæ, quæ nunc etiam nimis ferè serò celebrantur. Munera promptè, alacriterque mitte, sic ut in his quæ Phalaridis sunt, quasi tui beneficii fructum aliquem percipias. Atque hæc sic se habeant ô Teucer. Quod ad reliqua pertinet, filiæ tanquam patrē carentis uxoriisque ut marito privatæ curam geras, earumque commoda tuere, nuptiasque quam magnificentissimo apparatu instrui facito: ne quis Syracusiorum ex his qui cognatione aliqua puellam attingunt, miserum pro beato Philodemum appellet: sed ejus fortunam longe superemus atq; vincamus. *Epist. 142.*

Idem Cleænetæ: Philodemi in peregrinam terram navigatio, tui quidem viri, mei vero non ejus amici, tibi quidem honorifica esse videtur: At filiæ tuæ vigesimum jam annum domi latitanti non fortunatam neque prosperam. Viri enim viduitas, quo ad plures annos accedit, eo virtutem ampliorem, puellæ verò præter ætatem producta prorogataq; virginitas, calumniam secum affert. Turpissimum enim omnium hominum opinione ducitur & hercle est, filia ultra tempus a natura circumscriptum, in cœlibatu permanens ac perseverans. Jamdudum enim vitam ejus, ut tuam cum viro conjunctam copulatamq; laude vehi oportebat. Fortassis igitur Philodemi carentiam eo fers moderatius, quod ejus loco filiam habes, quam ille tuque simul in hanc lucem edidistis. At indignum est, & iniquum mariti desiderio, filiam nuptiarum jure & consuetudine prohibere. Neq; vim habet eandem, a mox venturo marito abesse, & carere eo, cujus nunquam periculum quæpiam fecerit aut cum quo nunquam familiariter transegerit, naturæ legibus matura & florens vigenq;. Cum vero neq; laborantibus parentibus, neq; pecuniarum inopia, quemadmodum in hoc tempore, summæ maximæq; infelicitatis id est argumentum quod nequaquam ô Cleæneta suspicare. Philodemus enim cum portu solveret, quinque talentariam dotem apud nos illi reliquit: neque solum hæc. Sunt enim ei communes etiam Phalaridis pecuniæ. Quamobrem quid est? quod moram interponas. Non enim Philodemi reversionem, quæ nullis nuptiis impedimento esse debet, expectandam esse censeo. Quæcunq; enim in ejus potestatem arbitriumq; erant rejicienda mihi horum præverterimus. Quæ vero naturæ lex visq; nobis repugnantibus urget, iis, quantum fieri potest, moram nullam aut tarditatem afferamus. Siquidem vestra tempora, puellæ opportunitas & occasio non expectat. Philodemus autem forsitan his rebus impeditur tenenturq;, quibus impediri patrem credibile est, cum filiæ maturitas ad conjugium floscq; ætatis jam propemodum devirescere incipit. Tibi vero quamobrem contra legem domi puellam diutius teneas, nulla satis justa excusatio est. Non enim in præsentiarum patre quam marito opus habet. Tu vero tum aliis compluribus & necessariis de caussis, tum vero maxime ob fortunam, absenti patri, matrem quoq; præsentem apponendam accensendamq; esse cogita, non sane meis rationibus persuasa; atque sic & de marito tuo bonis avibus fœliciterq;, & de filia splendide decoreque statues. Multa enim sunt etiam alia bene ac ritè sine Philodemo per te gesta. Hoc autem jam omnium loco commune bonum præstabis, quod mulieri sapienti ornamento sit, si filiam, ut postulant permittuntq; leges, elocaris. Pecunias igitur cū tibi visum fuerit. Teucer meus adnumerabit. Quod si alterius etiam rei ad nuptiam indigneris: ille suppeditabit. Tu solum quæ voles, impera. Ac pro Philodemo, ut nuptiis interveniat, vota facito. Nullo vero modo puellę tempus suspensum ad ejus reditum differ. Et salvum illum esse atque adfuturum, tum alia tibi sint indicio, tum non minus tuus erga ipsum amor & benevolentia. *Epist. 143.*

Libanius: Ut rem augerem etiam obsidionem nuptiarū sustinui & mulierem duxi, non formæ venustate conspicuam sed opulentam & possessionibus abundantem. quis enim è pulchritudine fructus est hominibus? etenim hereditas his augeri nequit. *Declam 39.*

Paulo post: Abi sis, mi homo, inquam, nondum mores meos noisti: nō sum pulchritudinis, sed possessionum amator. estne locuples? an plura possidet? servosne habet qui æra merere possint? hæc est pulchritudo quam nos appetimus.

Heliodorus: Me præsentem inopiam prætendente: Omittas hoc, inquit pater. dotem quidem me tuliisse multorum talentorum & universarum opum, ipsam puellam arbitrabor. *lib 5. Æthiopic.*

¶ POETARUM.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 211.

Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur.
Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem:
Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam.
Tibi morigera, atq; ut munifica sim bonis, prosim probis.
M. Næ istæc edepol, si vera loquitur, examussim est optima.

Plautus Aululariæ. 2. sc. 1. v. 44.

Ergo virtute Deum & majorum nostrorū dives sum satis.
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.

Plautus Aululariæ. 3. sc. 5. pr.

Narrat amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant sapienter factum, & consilio bono.
Nam meo quidem animo, si idem faciant cæteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur quam utimur,
Et illæ malam rem metuant quam metuunt magis,
Et nos minore sumptu simus, quam sumus.
In maximam illuc populi partem est optimum.
In pauciores avidos altercatio est:
Quorum avidis animis atque insatiatatibus
Neq; lex, neq; tutor capere est qui possit modum.
Namq; hoc qui dicat: Quid illa nubent divites
Dotatæ, si istud jus pauperibus ponitur?
Quo lubeat nubant, dum vos ne fiat copiæ.
Hoc ita si fiat, mores meliores sibi
Parent pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego fuxim multi, pretio qui superant equos,

Sicut ſiliores Gallicis cantheriis.
Nulla ergo dicat, equidem dotem ad te attuli
Majorem multo, quam tua erat pecunia.
Enim mihi quidam, aquum eſt purpuram atq; auriũ dari,
Ancillas, multos muliones pediſſequas,
Salutigerulos pueros, vehicula quei vehar.
Nunc quoquo ventas, plus plauſtrorum in ædibus
Videas quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulcrum eſt præquam ubi ſumptũ petunt,
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarij, induſiarii,
Flammearij, violarij, cerinarii,
Aut manulearij, aut murrobarbrarij.
Petunt fullones, farcinatores petunt.
Strophiarii adſtant, adſtant ſemizonarii.
Iam hos abſolutos cenſeas, cedunt, petunt &c.
Hæ ſunt atq; alia multa in magnis dotibus
Incommoditates ſumptuſq; intolerabiles.
Nam qua indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri:
Dotata mactant & malo & damno viros.

Plautus Epidici. 2. ſc. 1. v. 6.

At pol ego te credidi uxorem quam extuliſti, pudore exequi
Cujus quoties ſepulcrum vides, ſacrificas illico Orco hoſtiis,
Neq; adeo injuria, quia licitũ eſt eam tibi vivendo vincere.
P. Oh, Hercules fui dum illa mecũ fuit. neq; ſexta arumna
Acerbior Herculi, quam illa mihi eſt objecta. A. pulcra
Edepol dos, P. qua quidem pol non marita eſt.

Plautus Menæchmis 5. ſc. 2. v. 15.

Credo cum viro litigium natum eſſe aliquod.
Ita iſta ſolent, qua viros ſubservire.
Sibi poſtulant, dote freta feroces.
Et illi quoq; haud abſtinent ſæpe culpa.
Verum eſt modus tamen, quo id pati uxorem oportet.

Plautus Moſtellar. 3. ſc. 2. v. 14.

Si quis dotatam uxorem domi ſuæ habet,
Neminem ſollicitat ſopor:
Ire dormitum odio eſt.

Plautus Perſa 3. ſc. 1. v. 54.

Neceſſitate me, mala ut fiam, facis.
Verum videto ubi me voles nuptum dare,
P. Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides,
Cujuſmodi heic cum fama facile nubitur?
Dum dos ſit, nulla vitium vitio vertitur.

Plautus Trinummo 6. ſc. 2. v. 96.

Ego in dotatam te uxorem ut patiar? L. patiendũ eſt pater,
Et eo pacto addideris noſtra lepidam famam familiæ.

Plautus Trinummo 3. ſc. 1. pr.

Quomodo tu iſtuc, Staſime, dixti? noſtrum herculem filium
Lesbonicum ſuam ſororem deſpondiſſe? S. hoc modo.
C. Cui homini deſpondit? S. Liſitelis Philtonis filio,
Sine dote. C. ſine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. tanton' in re perdita,
Quam in re ſalva, Lesbonicus factus eſt frugalior?
S. Atq; equidem ipſius ultrò venit Philto oratum filio.
C. Flagitium quidem hercle fiet, niſi dos dabitur virgini.

Plautus Trinummo 3. ſc. 2 v. 54.

Sed tu objurgans me, à peccatis rapis deteriorem in viam.
Meam vis ſororem tibi dem, ſuades ſine dote. hoc non con-
venit.
Me qui abusus ſim tantam rem patriam, porro in divitiis
Eſſe, agrumq; habere, egere illam autẽ, ut me merito oderit.
Li. Sicut dixi faciam: nolo te jactari diutius.
LE. Nolo ego mihi te tam proſpicere, quei meam egeſtatem
leves,
Sed ut inops infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in concubinatum tibi
Sic ſine dote dedidiſſe, magis quam in matrimonium.
Quin me improbior perhibeatur eſſe? hac famiferatio
Te honeſtet, me autem collutulet, ſi ſine dote duxeris
Tibi ſit emolumentum honoris, mihi quòd objectent ſiet.

Plautus Trinummo 3. ſc. 3. pr.

Vt mihi rem narras, Callicles, nullo modo
Poteſt fieri prorſus, quin dos detur virgini.
C. Namq; hercle honeſtè fieri firmè non poteſt.
Vt eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cum ejus rem penes me habeam domi.
M. Dos domi parata eſt, niſi expectare vis,
Vt eam ſine dote frater nuptum collocet.
Poſt adeas tute Philtonem, & dotem dare
Te ei dicas facere id ejus ob amicitiam patris.
Verum hoc ego vereor, ne iſthac pollicitatio
Te in crimen populo ponat atq; infamiam.
Non temere dicant te benignum virgini.
Daram tibi dotem ei quam dares ejus à patre.
Ex ea largitarite illi, neq; ita ut ſit data
Columem te ſiſtere illi, & detraxe autument.

Plautus Trinummo 5. ſc. 2. v. 32.

——— *Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*
CHI. Spondeo, & mille auri Philippũm dotis. L. dotem ni-
hil moror.
CA. Si illa tibi placet, placenda dos quoq; eſt, quã dat tibi.
CH. Poſtremo, quod vis nõ duces, niſi illud quod nõ vis ferat.
CA. Ius hic orat. L. impetrabit te advocato atq; arbitro.
Iſtac lege filiam tuam ſponden' mihi uxorem dari?
CH. Spondeo.

Auſonius in Monoſyllabis.

Sæpe in conjugiis fit noxia, ſi nimia eſt dos.

¶ Emblematis.

Catſius Emblemate Ethico 27.
Dos eſt uxoria lites.

Veſtibus indutum nil cæpe nocebit ocellis,
Tegmina tollenti ſtetibus ora fluent.
Cæpe quod eſt nobis, teneris hoc uxor ephebis:
Cum verbis agitur, tum bene conſtat amor.
Intret hymen thalamos, ſit zona ſoluta puella,
Ibit demiſſu vir noſus auriculis.
Mira vides: uxor quem nunc jubet eſſe maritum
Vah! puer eſt, ſed vir, eum puer eſſet, erat.

¶ Monoſticha Trochaica.

Abſque ſcriptura dos nudo pacto conſtitui poteſt.
Conjugis de dote quarunt omnes, nemo de indole.
Conjugis dotata affines ſunt marito tanquam heri.
Cum mala fama facile hodie, dum dos adſit, nubitur.
Divitem duc: omne dotis nam maritis fit lucrum.
Dote freta ſubservire poſtulant ſibi viros.
Dotis eſt nupta illis abunde, cui modeſte corſitum eſt.
Dotis inſtar eſt optima virgo liberalior.
Et dotata in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.
Fœmina dotem eſſe ſalvam, & intereſt Reipublicæ.
Fœmina dotata mactant & malo & damno viros.
Fœmina dotata mactat & malo & damno virum.
Fœmina dum dos ſit, nullum vitium vitio vertitur.
Fœmina indotata, ſemper in poteſtate eſt viri.
Fœminas habere dotem ſalvam publice intereſt.
Fit ſibi Deus maritam divitem qui ducit at.
Friget abſq; dote virtus, nullum amatorem invenit.
Indotatam ignobilemq; filio ut daret pater?
Nil grave aque ut uxor ingens dos cui pecunia eſt.
Nil in orbe uxore toto dotata jactantius.
Nil ita uſpiam eſt puſillum, dos cui non ſua.
Non maritum opes uxoris, ſed virtutes divitant.
Noſtra ſunt quæ à patre habemus: conjugis dos non beat.
Pauperi eſt gravis puella dotem ætate poſtulans.
Pulcra pol dos eſt, marita ſi non eſt, pecunia.
Si bene eſt morata conjux, dotis eſt tibi ſatis.
Subservire ſibi dotata poſtulat qua vis virum.
Turpius nil unctiore a dote conjugis vero.
Virginem pater indotatam unico ut det filio?
Virginum dos æquam maior quam virtus parentium.
Virgo pulcra, dotis expers, nonne dotatiſſima eſt?
Vis miſeri fieri ex beato? duc maritam divitem.
Vxor indotata ſemper in poteſtate eſt viri.
Vxor ſi placet, placenda dos quoq; eſt, quam dat tibi.

¶ Jambica.

Argentum accepi: dotem imperium vendidi.
Dos fœmina pulcerrima eſt ſilentium.
Dotanda patri nata pro natalibus.
Dotata, mactat & malo & damno virum.
Dotem lucratur vir marita adultera.
Dum morata recte venit uxor, dotata eſt ſatis.
Formoſa virgo eſt? dotis dimidium puta.
In ambiguis reſpondere melius pro dotibus.
Indotata uxor, in poteſtate eſt viri.
In dote multis eſt minus quam in veſtibus.
Pro dote lauta uxori obedientia eſt.
Pudica vita, dos matrona gemma eſt.
Pudica vita uxori dos pulcherrima eſt.
Puella pulcra dotis inſtar maximi eſt.
Servire vis beate? ducas divitem.
Vxoris eſt dos prima morigeratio.
Vxor ſine dote, pannus eſt in purpura.

Dubii.

¶ Sententiæ Theologorvm.

D. *Nazianzenus:* Verum hoc lubens obliviſcar. Sic enim exiſtimo, in dubiis & incertis rebus faciendum nobis eſſe, ut ad benignitatem & humanitatem propenſiores ſimus, eoſq; quſi in culpa ſunt, abſolvamus potius, quam condemnemus. Malus enim celerrimè adducitur, ut bonum etiam virum condemnet: contra vir probus ne malum quidem facile condemnaverit. Qui enim ad vitium minimè proclivis eſt, is nec facile ad male de alio ſuſpicandum movetur.

S Iſido

S. *Isidorus Peluſiota*: Illud fortaſſe ignoras, id quod dubitationem habet, alia dubitatione minimè unquam diſſolvi: verum nos ab iis rebus quæ in confeſſo ſunt, controverſarum ſolutionem quærere ſolere. *lib.* 2. *Epiſt.* 97.

S. *Iſidorus Peluſiota:* Per ea quæ certa & confeſſa ſunt, de dubiis judicandum eſt, non autem per dubia & ambigua de certis & indubitatis. Verbi gratia: Cum imaginis ſomnium à regis Babylonii animo avolavit, atque ipſe non modo ejus rei, cujus ſpecies ipſi objecta fuerat, interpretationem, ſed hoc ipſum quoq; quod viderat, ſcire cuperet, tum Daniel non prius ea, quæ perſpicua & manifeſta erant, enarraſſet, atq; ita de rebus dubiis fidem ſibi conciliaſſet, omnemq; à ſe ſuſpicionem propuliſſet. Siquidem de certis atque confeſſis rebus doctrina, fictæ & commentitiæ interpretationis accuſationem de medio tollebat. *lib.* 3. *Epiſt.* 28.

S. *Salvianus:* Res dubia & latens melius ſemper bonis interpretationibus quam malis defenſoribus creditur. *Epiſt.* 7. *initio.*

¶ Apologi.

Æſopi Homo divinus. Homo quidam olim ſolebat ex contrectatione dicere, quale eſſet, quicquid in manus venerat. Allatum vero Lupi catulum cum aliquando contrectaret, mentis dubius dixit, ignoro utrum Canis, aut Vulpis, aut id genus animalis fœtus ſit, illud certò ſcio, non tutum eſſe id animal ovium gregi immiſceri.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum eſt iniquus arctis ſuaſor in rebus metus.
Animus dubius paullo momento huc illuc impellitur.
Cuncta homullo incerta ſi ſunt quid timere convenit?
Dum in dubio eſt animus moneto paulo huc illuc vertitur
Et ſtatum dubium & minacem juncta conſilia explicent.
Inter dubia fortunam, inter certa virtutem æſtima.
Miſeri certis acquieſcunt, dubia plus torquent mala.
Quæſtio fatua eſt rationem quæ dubitandi non habet.
Quis dubitans ſuis de rebus in diverſa reſpicit?
Quod dubitas, æquum ſit anne iniquum, nunquam feceris.
Rebus in dubiis quicunq; timidus eſt, nauci haud erit.

¶ Jambica.

Ambigua ſoli noſcere Oedipodi datur.
Animus dubius, facilè huc illuc impellitur.
Benigniora in dubiis ſemper præferas.
Capiendæ rebus in malis præceps via eſt.
Cui ultima eſt fortuna, quid dubium timet?
Eſt certus erga incerta ſemper vir probus.
Eſt omnis ex incerto latior metus.
Incerta certis præferens, parum ſapit.
Incerta certis poſthabe periculis.
Pedi ſiniſtro aptes cothurnum ut dextero.
Quiſquis dubitavit, eſt neganti proximus.
Semper ſequendum eſt quod minimum eſt, ubi haud liquet.

Videantur plura titulo, *Doli, Fraudis, Diſputationis, Quæſtionis.*

Duelli.

¶ Sententiæ Historicorum.

Geſippus: Jonathas quidam exiguus corpore, deſpectu dignior, juxta Johannis ſepulchrum laceſſebat Romanos, ut ſecum, qui vellet, manu decerneret. Aliis deſpicientibus puſillitatem hominis, aliis faſtidientibus cum eo decertare, quem continuo captivum alii habituri forent, aliis conſiderantibus periculoſo certamine rem geri cum viris, qui in extremis ſalutis non aliqua fortitudine, ſed ſola temeritate vindictam quærerent: nihil laudis futurum, ſi vinceretur excidio finitimus: & plurimum dedecoris, ſi quis lapſu aliquo communem victoriam turparet. Jactabat ſe inſolentiſſimus, & metum objiciebat victoribus: convitia ferens, qui ſuis viribus, ſed alienis auxiliis Romani inniterentur: nec Judæos bello hoſtium, ſed domeſticis, afflictos ſeditionibus. Erat in numero militum Romanorum Pudens nomine, qui præſtrictus inanibus contumeliis, dum inconſulto pudori conſulit, ſalutem neglexit atque ipſa indignatione incautior, vulneri patuit, fuſuſq; in terram, incuſſit ſociis verecundiam: inſultationis quoque cauſam Jonathæ ſimul & mortis reliquit. Namque is ſucceſſu lætus certaminis, & pompam attollens triumphi, dum tripudiat, atq; exultat, concuſſoque clypeo ſimul & gladio proludit, excitavit in ſua vulnera Centurionem Priſcum; qui ſuperba & tumida jactantem non tulit, atq; incautum victoria penetravit ictu ſagittæ. Quo ſtratus Jonathes docuit jam prælio neminem irrationabiliter inſultare oportere: Ubi victoris & victi conditio incerta, donec bellum claudatur. *lib.* 5. *cap.* 27.

Quintilianus Senior: Qui ab hoſte provocatus non pugnaverit, capite puniatur. In omnibus quidem legibus ſolam ſpectari oportet ſcribentis voluntatem. Verba enim ambigua, & in plures intellectus ducta ſunt: ſcribendarum legum cauſa, voluntas fuit. Ergo id unum ſpectari convenit, propter quod ſcriptæ ſunt. Hujus autem legis manifeſtum eſt hanc voluntatem eſſe, uti puniatur, quotiens commiſſum eſt, propter quod conſtituta pœna eſt: ſupervacuum ſupplementum eſt, ut contra verba interpretatio ſequatur. aliquid frequenter accidere poteſt, cum aliis legibus, tum hac præcipuè. Fingamus enim ab hoſte provocatum aliquem ægrum: fingamus provocatum eum, qui proximo prælio debilitatus ſit: fingamus eſſe provocatum, quem imperator in aliam partem expeditionis ire juſſerit: profecto adverſus neminem horum actio ex hac lege dabitur. Atqui mihi ſatis eſt efficere, ut alicui non pugnare liceat. Nam ſi ulli poteſt dari hæc venia, non dubitabitur quin patri detur. Sed antequam naturam defendo, Imperatoris volo defendere dignitatem. Contendo hanc legem ad milites pertinere: primum quod inter hos fere provocatio ſit: deinde quoniam legumlator nunquam profecto tam inimicus fuit, ut periclitari ex eventu pugnæ unius, civitatem, ſummamque reipublicæ vellet. Fingamus enim ab aliquo ultimo militum provocari ducem: idem diſcrimen, idem periculum, par eventus eſt. Adjice, quod inter præcipuas virtutes eſt, imperatorem non pugnare aliquando. Sic extrahitur hoſtis: ſic impetus ſubitos partis adverſæ frangit mora: ſic intercluſos commeatibus in deditionē venire fame cogimus. Itaq; hercule militem legimus robuſtum, legimus juvenem: imperatorem facimus ſenem. In illis enim vis corporum & manus ſola ſpectatur, in his conſilium & ratio: quæ bona præcedentis ætatis in locum virium ſubeunt. Ipſum præterea nomen Imperatoris ſatis ſignificat non exigere manum ipſius. Imperare enim debet & præcipere. *Declam.* 317. *pr.*

Heliodorus: Jam cominus & conſertis manibus prælium ineunt: verum ad extremum non ſuſtinuit Theagenis impetum Pelorus. poſtquam enim ad inopiam auxilii reipſa ferendi redacta Chariclia, ſermonem auxiliarem Theageni ejaculata eſt, Strenuus eſto cariſſime, exclamans, tum jam longè Pelorum ſuperabat Theagenes, tanquam robur & audaciam illi voce ſubminiſtrante, & quod pugnæ præmium ſupereſſet indicante. *lib.* 5. *Æthiop. rerum.*

Heliodorus: Sed nihil urget, ut exiſtimo, cur populus utrinque ſe prælii aleæ exponat: præſtaq; cum privata quorundam injuria adventus ſit cauſſa, non publica neq; communis, privatim etiam controverſiam componere; & finem qui à Deis & æquitate illis deſignabitur, ratum habere. Æquum igitur mihi eſſe videtur & imperio, ut reliqui Memphitæ quieti ſint, fratres autem de antiſtitio ſingulari certamine dimicent, ea conditione, ut victori ſacerdotium cedat in præmium. Omnes qui erant Memphi dicta collaudabant quod ob periculum ob oculos poſitum & imminens, alieno ſe quiſq; certamine depuliſſe lætaretur &c. *lib.* 7. *Æthiopic.*

¶ Poetarum.

Guntherus lib. 2. Ligur. v. 385.

Sed quia caſtrenſis crebris aſſueta rapinis,
Rixari, ferroque etiam pugnare juventus,
Duxerat in morem, præda q; libidinis uſum:
Providus hunc tali miteſcere lege furorem
Rex jubet: ut ſi quis caſtrorum & agmine quenquam
Pulſet, & injuſtis ſocium ferus appetat armis,
Aut caput, aut dextram tali pro crimine lictor
Amputet, & facinus feriat capitale ſecuris.

De Cive & Milite. Anonymus.

Civis, Eques ſub rege vigent: hic præliа regis,
Hic diſpenſat opes, hic vir & ille ſenex.
Invidiæ perflat genas ignita doloris
Flammis fax juvenem terret honore ſenis,
Regis in aure truces fingit de cive querelas,
Eſt tibi non paſtor, ſed Lupus ille ſenex.
Ditant furta ſenem, crevit ſua copia furtis,
Et ſua de cenſu gaza receſſa tuo eſt
Firmabo mea verba manu: ſua furta fateri
Hunc faciam. bello judices verus ero.
Cum moveant objecta ſenem, plus debilis ætas
Hunc movet, ac ſenij crimine niſus hebes.
Parcunt jura ſeni, ſi pro ſene pugnat amicus,
Cui nullius amor fenoris arma probat.
Mendicat pugilem. ſed abeſt qui pugnet amicus,
Nam refugit viſo turbine falſus amor.
Dum fortuna tonat fugit vos terret amicos,
Et quis amet quis non, ſola procella docet.
Cœna trahit civem, differt nox una duellum,
Sollicitat menſam juſta querela ſenis.
Quos meritis emi multos mihi fecit amicos
Longa dies, cunctos abſtulit hora brevis
De tot amicorum populo non reſtitit unus:
Quamque dedi multis, nemo repenſat opem.
Rebar pace frui, mea paci congruit ætas:
Sed mea turbavit gaudia livor edax
Hoſti multa meo palmam pepigere, tepeſco,
Ille calet, careo viribus, ille viget.
Arma parum novi, ſe totum præbuit armis:
Eſt mihi viſus hebes, viſus acutus ei.
Nil mihi ſpondet opem, niſi juſtæ gratia cauſſæ,
De fragili quæritur præſide cauſſa potens.

Corporis eclipsim timet alti copia cordis,
Nam fragili peccat mens animosa manu.
Si turpes nitida mendax infamia fama
Infigit maculas, quid nituisse juvat?
Desperat, lugetq; senex: hunc levit arator
Qui senis arva colit, annua lucra ferens.
Me stimulat pietas pro te perferre duellum,
Est mihi pro domino dextra parata meo.
Ecce dies oritur, locus est tempusque duelli.
Sunt pugiles, ineunt mente, manuq; simul.
Est equiti fœdum, quod stet, qui pugnet, aratori
Seque putat victum, ni citò vincat eques.
Nil de se retinet virtus oblita futuri,
Dextera corporeas prodiga fundit opes.
Ictus ipse suos steriles expendit in usus,
Et feriens hostem se magis hoste ferit.
Sed propriæ virtutis opes abscondit arator.
Dum locus expensæ detur & hora suæ:
Aut motu fallit, aut armis temperat ictus
Prædicit q; minas frontis utrumque jubar.
Dormitans vigilat, & cessans cogitat ictum.
Et metuens audet dextra, notat q; locum.
Hæc mora non artis ratio, sed causa timoris
Creditur: arte fruens esse videtur iners.
Gaudet eques, victisse putans, spernitq; bubulcum,
Sudoremque suo tergit ab ore suum.
Ecce moram nescit, equidem speculata morantem
In cubiti nodum rustica clava ferit
Hujus plaga loci totius corporis auffert
Robur, cedit eques, seq; cadente sedet
O nova simplicitas! sedet iste, vocato; sedentem
Et nisi surgat eques, surgere velle negat:
Surge, bubulcus ait, cui miles, surgere nolo
Alter ait, sedeas, meque sedere licet.
Turba stupet: Præfectus adest, equitiq; morantis
Imperat ut pugnet, aut superatus eat.
Hæret eques. Præfectus ait, te vicit arator,
Pugna cadit. Regi panditur ordo rei.
Rex ait incisum noda Præfecte duellum.
Dedecus explanet ille, vel ille suum.
Pugna redit, milesq; sedet, velut tute sedebat
Surge bubulcus ait, non volo, miles ait.
Cultor ait, dum stare negas, ego stare recuso.
Surgere si tentus, surgere promptus ero.
Ambo sedent, ridet populus, præsesque bubulco
Intonat, aut pugnes, aut fuge: tempus abit.
Cultor ait, surgat; caderet si surgere vellet.
Percute Præses ait, percute surget eques.
Te decet aut illum victi sibi ponere nomen,
Hoc mihi non ponam nomen, arator ait,
Surgo, surge miser, nam turpe ferire sedentem
Est mihi, sitque tibi turpe sedendo mori.
Sic ait, & timidum multat: rogat iste furentem,
Parce mihi victo, supplico victor abi.
Lætanat fortuna senem, senis unicus hæres
Scribitur, & dignas intrat arator opes.
Ius superat vires, sors aspera monstrat amicum,
Plus confert odio gratia fraude fides.

¶ Emblematum.

Camerarius III. Centur. 2.

Non impune feres. Pugna Elephanti contra Draconem.

Contemnit mortem, qui non moriturus inultus,
Vna etiam est hostis certa ruina sui.

Camerarius 4. Centur. 2.

Non ergo revertar inultus. Rhinocerotis pugna cum elephanto.

Vincere vel pulchra laus est occumbere morti,
Sed tremulo à pugna turpe redire gradu.

Ducis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Nonnulli Julianum Imp. à Persis jaculo confixum fuisse ajunt, temere in hostes excursantem, atque huc & illuc vesane præsultantem, idemq; ipsi, quod Cyro Paryſatidis filio accidisse, qui cum adversus Artaxerxem fratrem cum decem hominum millibus ascendisset, ac fortiter pugnaret, temeritate tandem sua victoriam amisit. *Orat. 4. stelliteutica altera.*

D. Nazianzenus: In Epaminondas illos & Scipiones, tolerantiæ ratione intuere, qui simul cum exercitu iter facis, & victum tenuem ac plebejum amplecteris, & eam gerendi belli rationem laudibus effers, in qua dux omnia per se administrat. *Orat. 3. stelliteu. 1.*

D. Chrysostomus: Si quis exercitus præfectus prælio ingravescente retrocedens abscesserit, hostibus milites tradit, haud quaquā ipsos impellens, verum suo ipsius auxilio nudans. *Homil. 3. ad Rom.*

Chrysost. Eadem vox Abrahami dextram & armavit & compescuit atq; Deo tanquam bellico cuidam imperatori subdita, ad ipsius nutum omnia exequebatur, cunctaque ad illius vocem administrabantur. *Homil. 3. ad Corinth. 3.*

Io. Chrysost. Neq; enim miles adeo conturbatur suis tentationibus, ut quando viderit sauciatum ducem exercitus. *Hom. 3. ad Thessal.*

Chrysost. Non ut vos inter nos structa acie confligamus, dati sunt nobis doctores, sed ut omnes inter nos conjungamur. Ideo enim exercitui præficitur dux, ut eos qui sunt separati efficiat unum corpus. si exercitum autem est divulsurus, hostis magis quam ducis exercitus locum est impleturus. *Homil. 12. Corinth. 1.*

Synesius de duce timidissimo: Atq; ægritudinis quidem mentio nulla, quin eos irridebat, qui id audire sustinuissent, se vero è longinqua regione nescio qua revertere ajebat. Illo enim auxilii ferēdi gratia excitum se esse: hac una re eorum qui vocaverāt agros esse servatos: neq; enim irrupisse hostes, sola adventus Joannis fama perculsos: Qua cum omnia in tuto collocasset, statim ad eam provinciæ partem, quæ laborasset, accurrisse dicebat: Propediem enim expectare se, venturos si ejus præsentia cælaretur, nec nomen divulgaretur. Repentè igitur perturbare, ac permiscere omnia, cum se perperā ducis officio immisceret, ac brevi vincendi artem traditurum pollicetur: hæc identidem succlamans, in frontem, in phalangem & ad cornu sæpius, & quadratum oblongum ingeminans, ordinumq; appellans nomina, quorum usum ignorabat. Ac quibusdam ob id aliquis esse visus est, & indolem prædicabant, & discipuli esse cupiebant.

Et jam adveſperascebat, tempusq; irruptionis appetebat: Itaque brevi montib. digressi longè processimus. Hic adolescentes quatuor rustico habitu, vociferantes quantum capita ferebant, cursu ad nos contendebant, ut nemini vate opus esset ad divinandum, hostes ab iis metui, festinatoq; eos in aciem recipere se velle. Ac priusquam penitus illos exaudiremus, adesse hostem nuntiantes, miseros homunciones in equis conspicimus, qui, ut mihi videbantur, famis ductu regebantur: cæterum ad morem pro bonis nostris appetendam paratissimos. Qui cum nos conspexissent, conspectiq; essent, antequam intra teli jactum veniretur: Alii ut solebant equis delapsi se ad certamen accingebant: mihiq; homines imitari factu optimum esse videbatur: regio enim ipsa minime equitatui opportuna erat.

Verum generosus ille nequaquam se in equitum jura peccaturum dixit, sed equestre certamen initurum: Quid igitur? frenis violenter detortis, cōvertens se quanto poterat impetu fugiebat, equum cruore spargens, omnibus habenis laxatis, stimulisq; omnibus adhibitis: tum creans. In quo difficile admodū dictu est verum potius laudasset quispiam, equumne an equitem: Nam ille eodē modo per prona, eodem per acclivia, perq; consita nō minus quam nuda ferebatur. Uno impetu fossas transmittebat, suprà tumulos attollebatur. Hic ubiq; equo insidebat, nec usquam de sessione prolapsus est. Mihi enim vel hostibus elegans hoc spectaculum accidisse videtur: plurimaq; ejusmodi intueri velint. Nihilominus tamen quantū in nobis fuit, non viderunt, sed animo, ut par erat, contractiores fuimus: plurimum spe falsi, quam in cincinnato isto habuimus, itaq; aciē instruximus, tanquam si quis aggrederetur excepturi, ipsimet a. prælių invadere minime statuimus. Etenim qui strenuus ipse, ac fortis esset, scio tamen diffidebat, cum ad recens exemplū respiceret. Tum nihil coma turpius videbatur, quam ut quisque habebat, ita primus nos maximè proditurus existimabatur.

Verumtamen nescio an idem quoq; hostibus in animo erat. Nam & instructi operiebantur nos, velut restituri si eos aggrederemur: Posteaqā vero neutra ex parte tentatum prælium est, primū illi ad lęvam, inde nos alteram ad partem aciem convertimus, neutri accelerato gradu, sed lentiore progressu, ne receptus iste fuga videretur. Postea tamen quamvis in hisce rebus versaremur, scisciti sumus, ubinā terrarum Joannes esset. At ille uno spiritu Bombæam utique perveniens agrestis muris instar sese in saxū abdiderat. Est Bombæa mons concavus, quem ars & natura consentientes munitissimum castellū reddiderunt. Hoc jam olim merito celeberrimum erat, nonnulliq; cum Ægyptiis cuniculis comparabant. Sed nunc muros omnes ac propugnacula omnium judicio superat, quandoquidē ille præ cæteris sui providentissimus, ne nimium ineptè dixerim formidolosissimus, quæ propria est rei appellatio, in eo delitescit, & ad salutem suā cæteris prætulit. Est enim ingredienti statim in flexus & ambages sinuatus, & explicatu difficilis, ut solam Joannis fugam capere possit. *Epistol. 104.*

B. Synesius de simili Lepore: Cum nos per Cerealem salutasti, hoc ei contulisti, utiquinq; dies illius nequitia celaretur. Boni enim aliquid civitates ab eo homine sperarunt, quem Simplicius nosse non gravaretur. At ille citò admodum pudore affecit. non te quidem (absit enim ut tuæ res sint ex altero suspensæ) sed seipsum potius, ac simium magistratum, ac ne longius faciam, Romanam Rempublicā. Homo est exiguo admodum vænalis; famæ atq; existimationis contemptor, bellicæ rei imperitus, in pace importunus, qua brevissimo tempore potitus est. Non enim longo tempore opus habuit ad everrenda perturbandaq; omnia. Nam perinde ac si lege aliqua militum fortunæ ad Ducē pertinerēt, quę quisq; possideret accipiens, vicissim illis vacationē & immunitatē à delectu largiebatur, copiam omnib. faciens eo se conferendi, ubi ali se posse sperarēt. Hæc cum indigenis fecisset, quoniam à peregrinis argentum exprimere non poterat, expressit ab illorum civitatibus, copias suas eo deducens, commigransq;

transque, non ubi major opportunitas, sed ubi compendii uberioris spes esset. Cum enim ejus commoratione civitates opprimerentur, aurum contribuebant.

Hæc ego Macetæ sensere; moxque à semibarbaris ad Barbaros ejus rei fama propagata est.

Hinc, quos vere novo frondes, floresque, ruebant.

Heu juventutem male à nobis amissam! Heu frugum à nobis fructus speratos proventus. Plaustrisq; nostrum divitiæ in pecore, in artificiis Cattelorum, in gregalibus Equis: periere omnia, omnia abacta. Sentio me præ dolore non esse mei comporem, verum ignoscite quæso: omnibus enim septus sum, & obsessus hæc scribo, de die lætius lucem aspiciens, calque accendens & ipse, atque alios in signum attollens.

Paullo post: Male malus pereat Cercalis, nisi ante imprecationem perierit, adeo dignus erat, quem proxima tempestas è medio tolleret. Qui postquam animadvertit quænam in pericula provinciam conjecisset, terræ penitus diffidit. Itaque auro omni in actuarias binis velis instructas impositio, in salo & anchoris commoratur: literæ vero illius parvula celoce deferuntur, quæ idem quod nos facimus, præcipiunt, ut intra muros contineamur, ne quisquam extra fossas exsilat, neve cum invictis viris manum conseramus: alioqui Deos hominesq; testatur, omni se culpa vacaturum. Ad hæc quaternas excubias collocari jubet, quasi in insomnia spes sit omnis nostra posita. Videtur enim hisce in rebus expertus, utpote ærumnis ac miseriis assuefactus. Quamquam ne nobiscum quidem ærumnarum esse voluit particeps. Non enim ad propugnacula, ut ego, sed ad remos, imperator stat. *Epistol.* 129.

Synesius: Cum studium sapientiæ non alienum à civili conversatione elegerim, & cultus omnium humanissimus invitet atque inducat ad mores societatis amantes: obaudivi vocatus à vobis, & gaudeo quod didicerim qua de causa urbes concurrerint inter se. Nam operæpretium ipsas facturas opinor, si & nunc & in posterum erga eos qui ultro beneficia in ipsas contulerunt, gratæ & sint & videantur. Quamobrem communes populi voces suscepimus, & cujusq; qui privatim sermones habuit, omnes utique laudibus extuli. Enimvero par est me esse ex eorum numero, qui bene dictis certant. quinetiam hæc ad me magis quam ad alios attinent, quæ cõmunia sunt: & gratiam pro singulis, pro cive & civitate, ipse meo nomine debere iis qui benignè fecerint, existimo. Quidni enim is, quem pro communibus bonis preces fundere oportet, illi gratiam debeat, qui ipsa tum exercitu, tum alia cura ac solicitudine auxerit? Qui vero non quovis honore afficerem eum, qui ut voti compotem forem sudoribus perfecit.

Equidem à Deo petii ut malè perirent mali, execrandi barbari Hoc autem Anysii manus Dei virtute perfecerunt. Exiis certe equitibus, qui supra mille nuper impressionem fecerãt, ne quintam quidem relictam esse partem ajunt tam illi ipsi qui inferiores fuerunt, quam qui prostratos enumeraverunt, & adhuc superstites sunt. idq; peregit non magnis copiis præfectus atq; instructus: quippe quadraginta tantum viri cum ipso stabant in acie. Atqui de iis prpfecto nihil dicam tam equitibus quam peditibus, quibus tesseram frumentariam damus. Verum hic putat Unnigardarum opera ad omnia esse utendum: istos vero quorum major est numerus, ne alienorum quidem operum spectatores induxit. Unnigardæ ipsius solius bellica acta & consilia percipiunt. Eorum est manipularius & cohortis ductor: eorumdem cõmilito & imperator: cum his excurrit per campum, cursu in armis confecto. Celeriter ubiq; locorum est: vincit autem quocumq; adfuerit. Quod si hi plures essent, puta præter eos quos habemus, ducenti, Dei fretus ope adeo asseverare, huncanimosum Juvenem in Barbarorum terram bellum trajecturum. Quare Anysio Duci ducentos Unnigardas poscemus, si cogitemus & velimus consanguineos à Barbarorum regione revocare. Utinam possem videre spoliorum acervum, & prædam mancipiorum Barbaricorum, atq; eum qui nuper Dominus erat, vicissim aliis servientem. Hæc nudius quidem tertius optare facilè erat: nunc vero etiam spirare eadem integrum est. Nam quæ oculis subjecta fidem faciunt, eorum quæ expectantur pignora facta sunt. verumtamen ad hæc obtinenda Anysio ducentorum præfecto opus est. Hic Unnigardis utrendi & indolem habet & artem: & idem potest viros exarmare, exastrare, & ut lubet regere. Unnigardæ cum Anysio, Romanæ sunt manus, Romana militia. Jam sine isto, quadragenos etiam præsentes laudare quidem possum ob robur: sed pro ipsorum animo spondere nolim. Relatio adornetur quæ de Anysio oret, & milites & tempus poscat strenuo huic viro.

At in cæteris qualem se præbuit? Bellum pacis tempore exortum, & hoc barbarico paulo molestius ex militum immodestis acturbulentis deliciis, atque avaritia insolentiaque Ducum excitatum: nonne hic est qui compescuit & oppressit? Sub quo solo è multis Ducibus, privatus iniuria affectus liberius & altius clamat, quam miles. Quem porro licet alienum à muneribus accipiendis, & abhorrentem donavocare? Nonne eum qui despicit etiam lucra, quæ lege obveniunt? Religiosior vero quisnam potius foret quam is, qui omnia facta & dicta à Deo orditur? Pro his certè omnibus fas est cunctos etiam nunc Deum precari, ut senectus ipsum provecta & viridis maneat, ejus virtute simul cum annis progressum faciente. *Elogio Anys.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Et Dux præstabit Deo caussas, si sequentibus se præbuit virtutis exemplum, si in excubiis pervigil, si in discursibus indefessus, si pacem omnium proprio labore perquisivit. *Sermone 26.*

Egesippus: Certatum acriter quoad Antiochus restitit: renitebatur enim quamvis exercitus ejus more pecorum obtruncaretur, ubi vero & ipse cecidit (nam præ cæteris sese offerre solebat periculis) aversi omnes, quorum maxima pars incerto fugæ dispersa exstinguitur &c. *lib. 1. cap. 11. de exc Hieros.*

Egesippus: Josephus in Galilæam descendens munire castella, instaurare propugnacula, validissimos quoq; & bello promptissimos asciscere sibi impigre curabat, prohibere latrocinia, prætẽdere quotidie in castris, militem Romanæ militiæ more exercitare, dividere ordines, distribuere cẽturiones, plurimos præficere, quo facilius disciplina ab omnibus exigeretur, ne quisquam lateret quicumq; propria munia deliquisset instituebat etiam, ut agnoscerent institutiones tubarum & repressiones, si querentur ordinem, aciem dirigerent, clypeos intexerent, ut murali vice, si forte magna vis hostiũ ingrueret, sese adversus incursantes defenderent, subvenire laborantibus, fessis compari, periculo aliorum in se transfundere: nec solum belli artes docere, sed etiam ante bellum denunciare, ut miles cibum sibi & arma portaret, vallo & fossa sese muniret, castrisq; ponendis præveniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere assuesceret, lucrum proprium putaret, si nihil dispendii ruralibus cultoribus irrogaretur: quid enim distet ab hostibus, si ipse hostili modo auferat? nisi quod gravius est sua quam aliena incessere, socios quã adversarios spoliare, plurimum valere in bello bonam conscientiam, eo quod amplius de divino præsidio præsumeret, qui se nulli ad finem crimini recognosceret. *cap. 3. lib. 3.*

Egesippus: Josephus interea inter favillas urbis in quodam lacu delitescebat, haud inscius, quod quasi dux adversi agminis studiosius requireretur. *cap. 15. lib. 3. de excid. Hieros.*

Egesippus: Interea Cæsar in medio populi, orantibus pleriq; ne se periculis daret atq; exercitu dispersо summã periculi solus subiret, cũ dominus esset terrarũ orbis non enim ut ante, vice militis pugnaret, sed Imperatoris, in cujus periculo pernicies esset universorũ, non adquievit: sed militiæ decus prepones salutiapud quẽ gloriosa mors vitæ opprobrio præpõderaret, adversum pectus hostib. refert, territisq; quos adversũ iret, in alios sese retorquer. sola n. spe sui & nimis noxæ atq; alacris fortitudinis gloria, perturbat hostẽ. *c. 4. l. 5. excid. Hier.*

Egesippus: Spectabat Titus vincentem cum gaudio, periclitantem cum ingenti dolore. dolebat subvenire, sed longe aberat, revocabaturque à suis: quia in milite unius sors est, in Imperatore universorum periculum. *cap. 30. lib. 5. de excid. Hieros.*

Egesippus: Ipse quoq; simul descendere volens revocabatur à suis, ne in angusto nocturnis temporibus, quibus necesse erat insidiantiũ fraudi occurrere, pericli aliquid in se excitaret, cum amplius profuturus esset, si spectator belli adesset, quo unusquisq; promptius sibi decernendũ arbitraretur, sub oculis Cæsaris præliaturo. omnia enim quæ circa templum gererentur, velut in theatro quodam, ex loco Antonia desuper visebantur. *cap 35. lib. 5. excid. Hieros.*

Io. Sarisberiensis: Doctos duces Romanorum se pro suis exercitibus devovisse percelebrẽ. Julius quoq; Cæsar inquit, Qui non laborat ut militib. charus sit, militem nescit amare. nescit humanitatem ducis in exercitu adversus hostes esse. Idem nunquam dixit militibite, sed venite. Ducebat enim quia participatus cum duce labor videtur militibus minor. Præterea voluptas corporis eodem auctore vitãda est. Aiebat enim in bello corpora hominũ gladiis, in pace voluptatib. vulnerari. Senserat. n. gentium triumphator, voluptatẽ nullo modo tam facile superari, quam fuga, eo quod ipsum qui gentes domuerat, Veneris nexibus innodavit mulier impudica. *li. 4. c 3. Polic.*

Io. Sarisberiensis: Virgilius compatrioris omnibus ducem dedit Æneam, virum armis & pietate insignem. alias enim dux esset inutilis, cum sine viribus regna acquiri non valeant, aut sine justitia retineri. *lib 4. Policrat. cap. 11.*

Ioh. Sarisber. Trajanus Imp. tantæ fortitudinis & civilitatis fuit, ut Romani imperii fines, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, longe lateq; diffunderet. Gloriam tamen militarem moderatione superavit. Romæ & per provincias omnibus se æqualem exhibens, amicos salutandi caussa frequentans, vel ægrotantes, vel festis diebus cum eisdem indiscrete vicissim habens convivia, vehiculis eorum & vestibus indifferenter utens publice & privatim ditans omnes, immunitates civitatibus largiens, relaxans tributa provinciarũ, nulli gravis, charus omnibus, adeo ut usq; ad nostrã ætatem, in Senatu non aliter Principibus acclamaretur, felicior Augusto: melior sis Trajano. *cap. 8. Polic. lib. 5.*

Io. Sarisb. In tota re militari nihil utilius, nihil clarius duce erudito. nam virtus & industria Ducis, efficaciam exercitus, sicut proverbialiter dici solet, quasi altera lance compensat. Cæsareos triumphos duci potius quam exercitui vetustas adscripsit. *l. b. 6. Polic. cap. 15.*

Io. Sariberiens. Defecit ætas nostra, & fere ad nihilum redacta est. honoribus intumescit, honorum nescius gradus, vanitate nominũ delectatur, contemta rerum veritate & fructu. Alcator, auceps, quodq; magis mirere, sutricines, & qui nunquã viriliatractaverunt, sed neq; nota habuerunt officia, cum ad opera lasciviæ pilo fruticant, cutisq; indurata tanquam inhabiles reprobantur, militem induunt, primipilarium ducatumque affectant, & se ductores & doctores pollicentur officii quod nunquam didicerunt. Porro nullum unquam imperium hic virtus dilatavit, cujus isti non sufficiunt cõtrahere fines, aut omnino vires evacuare. Si mihi nõ credis, vel operib. credet. Pudet dicere quod dolor est & ignominia sustinere. Dum armata nobis militia stertit, dum alienam expugnant pudicitiam suam prostituunt,

dum nobilium circumeunt domos, convivia explorant, ut epulentur quotidie splendidè, dum ampullas projiciunt & sesquipedalia verba, sine cruore trucidantes Saracenos & Parthos, & si quid aliud hostili censetur nomine, dum hoc faciunt milites glorioſi, Nivicollinus indomitus insolescit, inermes Britones intumescunt, ipsosq; qui dicuntur Palatini comites, & regum sanguine gloriantur, fere ad deditionem compellunt, & quasi tributarios faciunt. Non est qui cum eis velit manum conserere, aut qui velit æquo Marte quid valeant experiri. Armati inermes ad campestria provocant, sed inermes ad silvestria, quia de propria virtute diffidit, nemo nostrorum persequitur. *lib. 6. Polycrat. cap. 16.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Isocrates Philippo Salutem: Non me fugit, majorem ab omnibus gratiam, eos qui laudant quam qui suadent inire solere: præsertim: si quis hoc faciat injussus. Ego vero, nisi te prius summa cum benevolentia fuissem adhortatus, ut ea, quæ maxime te decere videbantur faceres, jam fortasse de iis quæ ad te pertinent dissererem. Verum cū de tuis rebus curam susceperim, & meæ civitatis causſa & cæterorum Græcorum, turpe ducerem, si quæ minus necessaria sunt, in his tibi consilium meum impertirem. Ea verò quæ magis urgent, silentio prætermitterem, idq; cum in illis gloria discepter, in his vita, quā nihil pendere videbaris omnibus, qui collatas in te sermone hominum blasphemias audivissent. Nemo est enim, qui non magis audacter, quam regiè te vitam tuam in periculū offerre putet, & magis tibi fortitudinis laudem, quam communis utilitatis rationem curæ esse. par enim est turpitudo, & circumfusis hostium copiis, non potissimum præ cæteris excellere, & nulla postulante necessitate in ejusmodi te certamen immittere, in quo si etiam victoriam obtineas, nihil tamē magnopere utile sis gesturus. Sin mortē oppetas, existentem etiam fortē nam sis perditurus. Non autem omnis in bello mors honesta statim putanda est, sed ea quæ pro patria, parentibus & liberis aditur, in laude est ponēda. Quæ vero hæc omnia pervertit, & res antea fortiter gestas commaculat, eam ignominiosam putare, quasique causſam turpitudinis fugere debemus.

Cæterum in rem tuam fore arbitror, si civitatum consuetudinem in administrandis bellis imitere. Nam omnes, cum exercitum emittunt, Solent Rempubl. & eos qui in res præsentes consilia dant, Securitate munire, unde fit ut etiamsi cladem aliquando accipiant: tamen non funditus illorum copiæ deleantur. Sed multas calamitates tolerare possint, & ex his iterū sese colligere. Quod idem & tibi versandū animo est, & nullum aliud bonum salute præstantius existimādum, ut partam victoriam rite dispensare possis. vide Lacedæmonios, qui regum vitam maxima cura studioq; tuentur, & excellentissimorum civium præsidio stipant, quibus majus habetur dedecus, illos morti occumbere pati, quam scuta abjicere. Sed nec eorum es ignarus, quæ Xerxi cum totam Græciam subigere voluisset, & Cyro cū de regno certaret contigerunt. quorū ille tot tantisq; victoriis de cladibus fructus, quantas vix alius noverat, quoniam suam animam conservarat, regnum & obtinuit, & liberis suis tradidit, atq; sic Asiæ profuit, ut eā non minus formidabilem quam ante fuerat, relinqueret. Cyrus vero, cum universum regis exercitū superasset, & rerum potiretur, propter temeritatem, non modo se ipsum tanta potentia spoliavit: verū etiam commilitones suos in extremum periculum conjecit. possem infinitos alios commemorare, qui cum magnos & amplos exercitus ducerent, non ipsi solum perierunt, sed & multas myriadas in exitium una pertraxerunt.

Quorum recordatione ductum oportet non eam fortitudinē amplecti, quam à temeritate & importuna quadā ambitione proficiscitur, neq; cum sint alioquin multa monarchiis propositā pericula, novum aliud indecorum & militare sibi advenire, neq; cum iis pedem conferre qui velut infortunata vita liberentur, vel amplioris precii spe, temerè quodvis periculum adire parati sunt, neq; ad gloriā eam contendere quę multis aliis tum Barbaris sæpe contigit. Sed eam quę tanta est, ut ex hujus seculi mortalibus nemo illam præter te cōsequi possit, neq; nimium istis virtutibus studiū impendere, quæ cum malis etiam sint cōmunes: sed iis, in quorum societatem nemo malus pervenire potest, neq; conflictus inglorios & difficiles subire, cum liceat gloriosè cōmodèq; prælium facere, neq; sic bellum administrare, ut amicissimos tui in mœrores & sollicitudines conjicias, hostib. vero bonam magnamq; spem objicias ut nunc feciſti. Sed barbaros, quibus jam bellum infers, eatenus profligare debetis, quatenus tuæ regioni nullum damnum inferatur: cum vero quem hodie Magnū appellant ad nihilum redigere, ut & tuam ipsius gloriam augeas, & Græcis ostendas, contra quos bellum suscipere oportet. Plurimum autem interesse putavi, hæc ante susceptam expeditionē ad te scribere, ut si quidem morem gereres, non in tantum periculū adduceres: Sin repudiares; ego non idem his cōsilium dedisse viderer, quorum clades jam omnibus innotuisset: Sed eventus à me bene & utiliter in medium consultū fuisse declararet. Multa sunt, quæ rei naturā dici postularet: sed finem faciam. Credo enim te tuosq; familiares vigilantissimos viros, nullo negotio, quæ placitum fuerit ad ea quæ cōmemoravi adjuncturos. Ad hæc minima quæq; consectari nolo. Etenim progressus jam paulum, fere imprudēs non in epistolæ modum: sed in justæ orationis longitudinem excidi.

At vero quamvis hæc ita habeant, non tamen de Repub. negligētius agendū est, sed annitēdum ut te ad eius amicitiam societatemq; adhorter. Complures enim inveniri existimo, qui tibi non modo infestissima duntaxat nuncient & deferant ex his quæ apud nos vulgo jactantur: sed etiam à seipsis aliquod addant, quib. non est æquū te fidem habere. Nam absurde faceres, si nostrum populū facile calumniatorū sermonibus auscultare quæstus, tu ipse, nugivendis hujusmodi aures animumq; præberes. Atqui vides profectò, quāto flexibiliorē ad omnes partes civitatem nostram hi homines efficiant, tanto tuis rationibus utiliorem cōmodioremq; reddere. Si enim qui nihil utilitatis adportant, oratione quod nolunt, adipisci queunt, quid tandē tibi qui re & opere beneficium præstare potes, denegari à nobis par est. His vero, qui male acerbeq; civitati loquuntur, eos opponendos censeo, qui omnia hujus esse contendunt, & qui neq; gravem neq; levem injuriam unquam feciſse dicunt. Ego vero non sane id dixerim. Cur enim me non puderet, cum aliqui ne deos quidē à crimine immunes esse putent, asserere audere, nihil unquā eos mali designasse. Sed tamen hoc de ipsa confirmare possum, non aliquā vel Græcorū vel tuis rationibus utiliorē reperiri. Quod maximè tibi perpendendum animo est. Non enim solum in bello viribus & copiis te juvabit, verum etiam si favere duntaxat videatur adjumēto tibi poterit esse. Nam sic & subditos tibi facilius continebis atq; compesces, cum perfugii locus non datur, & Barbarorū quos voles citius sub jugum mittes.

Verum quis eam benevolentiā non summè tibi suadeat expetendam, cujus auxilio non modo præsens imperium tutò defendere: sed etiam sine periculo multū partib. amplificare possis. Atq; ego miror eos reges & imperatores, qui copias peregrinorū mercede contrahūt, multasq; pecunias insumunt, cum sciant sæpius ab his perniciē & injuriam suis dominis allatam esse quā vitam salutemq; propugnatā. Urbem vero tam potentem colere negligunt, quæ Græciæ & singulas partes & universam libertatē sæpe præsentissimo exitio liberavit. Illud vero tuum institutū à multis probari cogita, quod Thessalis æquum te præbueris, & utilē, viris non imbellibus, sed magnis nimis & bellicosissimis. Quamobrē erga nos quoq; simile quiddā agere convenit: cum videas Thessalos regione, nos vero potētia tibi finitimos esse, quam omnibus modis tibi conciliare stude. Multò enim laudabilius est favorem quā mœnia civitatum capere. Quoniam hoc non solum invidiam & odium parit, verumetiam si quam laudem haber, ejus maxima fere pars copiis militibusq; ascribitur. Sin amicitiam & benevolentiam comparere possis, omnes insigni laude tuum animū sententiamq; prosequentur.

Non injuria mihi de civitate loquenti assentiri debes, cum videas me non orationes ad gratiā voluntatemq; populi, sed quantum fieri potest ad reprehensionē & objurgationē accommodatissimas habere consueviſse, neq; levium hominum, & temerè quisvis probantiū sermonibus laudari, sed ipsis vel ignotū prorsus vel etiam invisum esse, quemadmodū tu quanquam hoc interest, quod erga te propter fœlicitatem & potentiam, sic animis affecti sunt. Erga me vero, quod excellentiorem ipsis sapientiam mihi vendico, & quod ad me plures discendi causſa, quam ad se convenire vident. Vellem autem eodem modo facile esset, hanc opinionē, quam de nobis imbiberunt ex animis illorum eximere. Nunc vero tu, si libitum erit, nullo negotio delere poteris. Mihi contra propter senectutem, aliaq; multa, præsentia boni consulere necesse est. Proinde nihil reliquum esse censeo quod dicam, nisi quod vestrum regnum, & præsentem fœlicitatem, Græcorum fœlicitati benevolentiæq; committere liceat.

Xenophon: Quid vero mi fili, subjecit pater, an & quorundam aliorum, quæ necessario nobis aliquando videbātur negligenda non esse, memi nisti? Memini quidē certe, ait, quando ad te argenti petendi causa veniebam, quod ei persolverem, qui se disciplina imperatoriæ me instituisse profitebatur. Tu vero simul id mihi numerans, hoc quodā modo me interrogabas. Num vir hic, fili, cui mercedē adfers, inter imperatoriæ rei præcepta, etiam administrationis domesticæ mentionem fecit? Nihilo certe minus militi rebus ad victū necessariis, quam familiæ domesticæ, opus est. Ibi quum ego fassus id, quod res erat, negassem ab illo quidquam me de hoc admonitum esse: rursum quærebas, ecquid de bona valetudine corporisque robore disseruisset, uti de quibus imperatorē non secus, ac de imperatorio munere suo, sollicitum esse oporteat. Hoc enim quum negassem, rursum rogabas, ecquam me rationē procurandi docuisset, ut socii qualibet in parte rei militaris quam præstantissimi evadant. Id quoq; me negante, denuo quærebas, ecquid doctrinæ mihi tradidisset, quo pacto in militum animis promta quædam alacritas excitari possit, quum diceres, prorsus inter alacritatem animi, & abjectionem, rebus in omnibus, discrimen esse maximum.

Ubi hoc etiam abnuissem, explorabas tu rursum, ecquid docuisset, quo effici maxime possit, ut exercit⁹ dicto sit audiens. De quo quum prorsus ab illo nihil esse dictū pareret, deniq; me interrogabas, quid tamdem docendo disciplinam Imperatoriam se mihi tradidisse diceret. Atq; ibi quum ego respondarem, exercitus instruendi rationes ab eo mihi cōmonstratas: subrisisti tu quidem, ac mihi singula ista proponenda percurrebas: Quid instruendi exercitus ratio ad artem imperatoriā profuerit, absq; rebus ad victum necessariis? quid absq; firma valetudine? quid absq; illarum artium scientia, quę ad belli usum inventæ sunt? quid absque obœdientia? Quumq; adeo perspicuum mihi feciſses, rationem aciei struendæ exiguam muneris imperatorii partem esse, atq; ego te rogassem, ecquid horum abs te mihi tradi posset: mandabas, ut irem, ac illis cum viris dissererem, qui imperatorię rei periti haberentur, deq; ipsis percontarer, quo pacto hęc singula

gula fierent. Ex eo tempore illorum ego consuetudine sum usus, quos cognitione harum rerum in primis excellere audiebam.

Ac de victu quidem, persuasum mihi est, satis id futurum, quòd Cyaxares nobis sit præbiturus: de bona vero valetudine, quod audirem & viderem, tum civitates eas, quæ hujus indigent, medicos adfeisse, tum imperatores ad usum militum medicos secum sumere: itidem mihi postquam munus hoc mandatum fuit: statim hæc animo cura insedit: & existimo equidem, mi pater, ait, viros me artis medicæ admodum gnaros mecum habere. Ad quæ pater: Hi vero medici, de quibus tu nihi loqueris, inquit, quemadmodum sunt vestium lacerarum sarcinatores quidam, ita & ipsi hominibus medentur, postquam in morbos inciderunt. At tua valetudinis bonæ cura præclarior erit, qui operam dabis, ne prorsus in morbos exercitus incidat. Et quanam via mi pater incedens, inquit, hoc præstare potero? Nimirum si diutius eodem loco sis mansurus, primum negligendum tibi non erit, ut castra in regione salubri loces: quod quidem facile adsequeris, si curæ tibi fuerit. Quippe numquam homines loqui desinunt tam de morbiferis, quam salubribus locis. Vtrisque testes adsunt evidentes, nimirum ipsa corpora, & ipsi colores. Deinde regiones considerari non satis est, sed in memoriam tibi revocare debes, quo pacto studeas ipse tuimet curam gerere, quò recte valeas. Et Cyrus: primum operam do, inquit, ne umquam nimium me replea, quum id gravare soleat. Deinde quæ ingesta sunt, laborando digero: quare fieri equidem existimo, ut & valetudine bona diutius utar, & robur aliquod etiam mihi accedat. Eadem ergo cura respondit pater, & aliis erit adhibenda.

Num vero subjecit Cyrus, otium militibus suppetet, mi pater, ad exercenda corpora? Immo, inquit, non otium erit modo, sed etiam necessitas id postulabit. Nam exercitus, qui officium facturus sit, numquam desinat necesse est vel hostibus detrimenta, vel sibi commoda quædam adferre. Difficile est enim, fili, vel unum hominem otiosum alere: multo etiam difficilius, familiam totam: omnium verò difficillimum, exercitum alere otiosum. Plurima sunt enim in exercitu, quæ pascuntur, & à minimis initium faciundo, quæ nancta fuerint, largissime prodigunt. Idcirco nunquam exercitum convenit esse otiosum. Dicis tum mi pater, inquit, ut mihi quidem videtur, perinde ac iners agricola nulli usui sit, ita & imperatorem otiosum ac desidem nulli esse usui. At imperatorem industrium plicoor equidem, ait, nisi quis Deus obstet, id perfecturum, ut rebus necessariis milites abundent, & eorum corpora quam optime adfecta sint. Enimvero quod exercitia quæque, mi pater, rerum bellicarum adtinet; equidem arbitror, si quis certamina quædam singulis indicat, & præmia proponat: eum maxime consecuturum, ut quavis in harum parte, si quando usus poscat, & exercitatos & præparatos habeat. Rectissime dicis fili, ait. Nam hoc si feceris, plane futurum scias, ut ordines militares tamquam choros Musicos, in iis occupatos spectes, quæ officii ratio postulat. Ad efficiundos autem milites promtos & alacres, inquit Cyrus, nihil mihi magis idoneum videtur esse, quam bonas in animis hominum spes excitare posse. Verum, subiecit ille, hoc ejusmodi est, fili atque si quis inter venandum eadem voce semper canes inclamat, qua, quum feram videt, utitur. Nam primum, sat scio, alacriter obœdiunt: sin frequenter fallantur, tamdem ne tum quidem obsequuntur, ubi quis vere visa bellua clamat. Sic etiam de spe statues, si sæpius quis iniecta bonorum exspectatione fallat, hunc ad extremum fidem non meriturum, etiam quum veram spem policebitur. Nimirum quæ certo quis, fili, comperta non habuerit, ea ne dicat ipsemet caveri debet: sed conficere, quod volet, poterit, si nonnunquam alii eandem rem proferant. Suam vero incitationem imperator ad pericula maxima reservare fidei majoris causa debet.

Profecto, inquit Cyrus, recte mihi dicere videris, ac mihi sic magis arridet. Verum quo pacto sit efficiundum, ut milites pareant, ignorare, mi pater, nequaquam me arbitror. Nam ad hoc statim à puero tu me condoce faciebas, quum tibi me obtemperare cogeres: deinde magistris me tradidisti, qui & ipsi idem hoc agebant. Quum vero iam inter ephebos versabar, præfectus noster in hoc ipsum curam ácrem impendebat. Denique leges pleraque hæc duo maxime docere arbitror, nimirum imperare, & sub imperio esse. Quapropter equidem de his cogitans, animadvertere videor, in omnibus illam exhortationem ad efficiundum, ut pareatur, plurimum valere: si is, qui dicto audiens est, laudetur ac honore adficiatur: contumax autem & ignominia notetur, & puniatur. Hæc via, mi fili, ait pater, eò pertinet, ut coactus quis pareat. Verum ad id, quod hoc longe potius est, ut homines ultro pareant, alia quædam est via magis compendiaria. Homines enim ei, quem arbitrantur de commodis suis prudentius se ipsis dispicere, perquam lubenter parent. Atque hoc ita se habere, quum in multis aliis, tum in ægrorantibus animadvertere licet, qui perquam cupide arcessunt id præcepturos, quod fieri oporteat: itidemque in mari, ubi vectores per quam cupide gubernatoribus obsequuntur. Etiam plerique ab iis, quibus existimant itinera notiora, quam sibi, ne discedant, totis viribus enituntur. Quum autem futurum putant, uti ex obœdientia detrimenti aliquid capiant: tum vero nec supplicis admodum cedere, nec excitari largitionibus volunt. Neque enim muneratuo cum damno quisquam admittit. Dicis tu, mi pater, ait, nihil ad hoc, ut suo subjectos imperio quis obsequentes habeat, efficacius esse, quam ut eis prudentior existimetur. Dico id quidem, inquit. At quo pacto, mi pater, possit aliquis opinionem eiusmodi de se quam primum exhibere? Nulla est, fili, via magis compendiaria, quam ut quibus in rebus prudens videri volueris, in iis re ab se prudens sis. Quod si hæc singulatim consideres, vera me dicere intelliges. Nam si vel bonus agricola videri velis, vel eques, vel medicus, vel tibicen bonus, vel aliud quidpiam; quum non sis: quam multa tibi struenda sint, ut talis videare, cogita. Et si maxime persuadendo pleroisque impulseris ad te laudandum, ut hanc de te opinionem excites, jamque præclaros adparatus ad horum quælibet habeas: tamen & tunc eris impostor, & paulo post redargueris, ubi periculum faciundum fuerit, & præterea vanus videberis.

At qua ratione possit aliquis eius, quod in posterum è re futurum sit prudentiam revera consequi? Nimirum ea, fili, si quæcunque discendo cognosci possunt, didicerit: quemadmodum tu aciei struendæ rationes didicisti. Quæcunque vero sub disciplinam non cadunt, neque providentia humana prospici possunt: de his si per divinationem Deos consulueris, prudentior reliquis eris: præsertim si quod factu melius esse cognoveris, id operam des, ut fiat. Nam quod ex usu sit procurare, prudentioris est viri, quam negligere. Iam ut aliquis à sibi subditis diligatur, quod ego maximum arbitror, ad hoc planum est eadem perveniri via, qua utendum est illi, qui ab amicis diligi cupiat. Dandam enim operam puto, ut illustris sit beneficentiâ. Sed hoc difficile est, fili, semper eos, quos velis, adfigere beneficiis posse. Vt autem secundis eorum rebus unà gaudere videaris, & adversis unà dolere, & cupiditatem sublevandi eorum inopiam, præ te ferre, & sollicitudinem metus, ne qua in re aberrent, & studium providendi ne detrimentum accipiant; in his scilicet adnitendum magis est, ut eis adsis. Iam vero in rebus agendis, si per æstatem gerendæ sint, solem imperator in omnium oculis perperi supra ceteros debet: per hyemem, frigus: quum laborandum est, labores. Nam hæc omnia nonnihil adferunt momenti ad subjectorum amorem conciliandum.

Ais tu, mi pater, inquit, etiam imperatorem oportere ad omnia sibi subjectis laborum tolerantiorem esse? Equidem ajo, respondit. Tu tamen bono sis animo, fili. Scito enim, labores eosdem similibus corporibus imperatoris ac gregarii militis, æque graves non esse, quod ipse honos labores leviores faciat imperatori: & quod intelligat in oculis hominum esse, quidquid ipse faciat.

Ubi vero mi pater, jam necessariis à rebus instructi milites erunt, ubi recte valebunt, ubi labores perferre poterunt, ubi bellicis artibus exercitati erunt, ubi etiam ambitiose viri fortes videri cupient, ubi denique facere imperata, quam detrectare, iucundius ipsis erit: nonne tum, pater, sapere quis tibi videretur, si cum hoste quamprimum confligere vellet? Quid ni, inquit, si quidem ipse meliori conditione sit futurus. Sin autem, quanto equidem & me ipsum, & meos præstare censerem, tanto maiori cautione utere: quemadmodum & alia, quæ maximi pretii ducimus, ut quam maxime in tuto sint, operam damus. Verum, mi pater, esse meliori, quam hostes, conditione quo pacto quis possit? Profecto, fili, non de re vili neque simplici rogas. Nam scire debes eum, qui præstaturus hoc sit, & insidiatorem esse oportere, & mentis occultatorem suæ, & fraudulentum & veteratorem, & furem, & raptorem, & quavis in re hoste superiorem. Et Cyrus ad ea ridens: Deus bone, ait, qualem esse me virum, pater, oportere dicis? Qualis, inquit, si fueris fili: & justissimus sis, & legum observantissimus.

At qui fit, ait, ut nos, quum pueri & ephebi essemus, his contraria docueritis? Immo, inquit, etiam nunc profecto: nimirum erga amicos & cives. Verum an non meministi, pleraque vos didicisse nequitias, ut hostes lædere possitis? Non equidem, mi pater, inquit. Cur ergo, subjecit ille, sagittis ferire discebatis? cur vibrare jacula? cur sues agrestes & retibus & foveis capere? cur cervos pedicis & plagis? cur & cum leonibus, & ursis, & pardis, non æquo marte congrediebamini; sed ita semper adversus hasce feras certare conabamini, ut conditione vos meliori essetis? an non animadvertis, hæc omnia nihil aliud, quam nequitias, deceptiones, fraudes, melioris conditionis captationes esse? Sunt profecto, inquit Cyrus, sed adversus feras. Hominum vero quemquam si duntaxat velle decipere viderer, admodum vapulare memini. Nimirum, ait pater, neque vos sagittis hominem, ut arbitror, neque jaculo, ferire sinebamus: sed petere docebamus scopum, non id quidem, ut in præsens noceretis amicis: sed ut tempore belli, etiam in homines ictum dirigere possetis. Itidem fallaciis utendi, & meliori aliqua conditione potiundi rationem vobis tradidimus, non in hominibus sed feris: nec his quidem ut amicos læderetis, sed ne tempore belli rudes horum & inexercitati essetis.

At enim, mi pater, inquit, si utraque scitu sunt utilia, tam bene, quam male hominibus facere: etiam utraque in hominibus erant docenda. Sane fertur, ait pater, maiorum nostrorum memoria, fili, quemdam puerorum magistrum fuisse, qui & justitiam pueros doceret, quemadmodum tu quoque jubes, & iniustitiam: non mentiri, & mentiri: non fallere, & fallere; non calumniari, & calumniari; non præripere commodum aliquod aliis, & præripere. Distinguebat etiam, quænam horum in amicos, quæ in hostes patrari oporteret. Atque adeo progressus ulterius, justum esse docebat, amicos fallere cum bono ipsorum, & furto res amicorum subtrahere cum bono ipsorum. Hæc qui docebat, etiam pueros ad ea

inter se facunda exercuerint, necesse est : itidem ut in lucta circumveniendi rationem tradere Græcos ajunt, atque etiam exercere pueros, ut inter se hoc facere possint. Itaque quum nonnulli à naturâ essent ingeniosi adscite decipiendum & forte præripiendum aliquid aliis ac fortassis ad lucrandi quoque studium inepti non essent: nec ab amicis quidem abstinebant, quo minus eis aliquid præriperent conarentur. Quapropter edictum inde factum est, quo nunc etiam utimur, simpliciter esse docendos pueros, quemadmodum servos docemus erga nos veraces esse, non fallaciis uti, nec furari, nec aliquid præripere. Si quid adversus hæc facerent, ut castigarentur : quo nimirum cives hoc more, condocefacti, manuetiores existerent. At postquam ad eam ætatem perveniissent, quæ jam tua est, tunc eis & belli jura tuto tradi posse putabant. Non enim amplius exorbitaturi videmini ; ut in cives feros evadatis, qui sic educati estis unà, ut mutuo vos revereamini. Ita de venereis etiam rebus ad valde juvenes verba non facimus, ne accedente ad vehementem in eis libidinem levitate, immodice huic libidini suæ indulgeant.

Sic est, profecto, respondit Cyrus. Quapropter me, ceu tardius accedentem ad discendum ratione illas præripiendi quasdam commoditates, docere, si quid habes, ne recusato : quo meliorem meam, quam hostium sit, conditionem efficiam. Igitur enitere, subjecit pater, quantum potes, ut cum tuis instructis, hostes non instructos deprehendas, cum armatis, inermes : cum vigilantibus, dormientes : conspectos abs te, quum ipse te non viderint : atque etiam ut locorum difficultatibus impeditos, ipse constitutus in loco munito excipias. Et qui fieri poterit, inquit, mi pater, ut aliquis hostes in hujusmodi erroribus deprehendat? Quia enim, fili, multa talia quum vobis, tum hostibus accidere necesse est. Nam utriusque victus expedienda ratio est, somnus utriusque capiendus, & tempore matutino ad naturæ necessaria prope simul universis est secedendum, & itineribus, qualia fuerint, talibus utendum è necessario. Quæ omnia considerandata tibi sunt, ut ubi maxime vos imbecilles animadverteris, ibi summa cautione utaris : ubi vero posse senseris hostes opprimi facillime, ibi potissimum eos adgrediare.

Verum an duntaxat in his, inquit Cyrus, meliori esse conditione licet, an etiam in quibusdam aliis ? Imo [in aliis] multo magis, inquit fili. Nam in his prope universi cautiones accuratas adhibent, ut quibus est sibi opus intelligant. Qui autem fallunt hostes, possunt eos vel injecta inducia incautos opprimere : vel concessa insequendi se facultate, perturbare ipsorum ordines : vel simulatione fugæ adductos ad difficilia loca invadere. Oportet vero te, fili, qui hæc omnia discendo cognoscere cupis, non iis duntaxat uti, quæ ab aliis didiceris : sed etiam de ingenio tuo quasdam adversus hostem molitiones excogitare : quemadmodum & Musici non iis tantum, quos didicere, modis utuntur : sed alios etiam novos facere student. Atque nova sunt, & ipso quasi in flore, vehementer illa quidem in Musicis quoque probantur : verum multo magis in rebus bellicis novæ machinationes laudem merentur, quippe quæ hostem decipere facilius possint.

Quod si tu, fili, nihil aliud in homines transferas, quam eas ipsas molitiones, quas adversus minutas admodum bestias excogitare solebas : non te plurimum in rationibus, quibus hoste superior evadas, inveniendis profecturum existimas ? Tu hyeme sævissima noctu surgens, aucupatum ibas : & prius, quam aves se commoverent, jam eis erant abs te parata retia, jam area versa non versæ similis erat. Præterea quædam aves abs te sic erant edoctæ, ut suis quidem illæ commodis servirent : sui vero generis aves in fraudem pellicerent. Ipse in insidiis itate abdebas, ut illas tu cerneres, ab illis cerni non posses. Etiam studiose dabas operam, ut aves prius trahendo anteverteres, quam fugerent. Rursum adversus leporem, quod is in caligine pastum quærat, interdiu vero fuga sibi consulat, canes alebas, qui odoratu eum vestigarent. Et quia repertus celeriter in fugam se conjiceret, idcirco canes alios habebas, ad hoc institutos, ut è vestigiis eum insequendo caperent. Quod si horum quoque canum vim lepores evasissent, indagabas eorum vias & ad quæ loca potissimum fugerent, in illis retia visum fugientia tendebas : ut illapsus in ea lepus ipsemet in illa fuga concitatiore se indueret. Atque uti ne hinc quidem aufugeret, speculatores eius, quod accideret, constituebas : qui de propinquo celeriter adcurrerent. Ipse à tergo clamorem ad leporem usque pertinentem tollens, territabas eum ut improvide procurrens caperetur : qui autem ab anteriori parte in insidiis erant, facile tua opera latebant, quod abs te silere jussi fuissent. Quamobrem, ut aiebam antea, si huiusmodi quædam adversus homines etiam, moliri volueris, equidem haud scio an ullum ex hostibus superstitem relicturus sis.

Quod si aliquando necessitas obveniat, ut in planitie campestri, marte aperto, armatis utriusque prœlium sit conserendum : tum vero, adjumenta fili, quibus superiores evadamus, multo antè comparata plurimum valent. Sunt autem hæc, si corpora militum probe fuerint exercita, si probe quasi exacuendo redditi acres animi, si probe rei militaris artes meditatæ. Præterea necesse est hoc etiam scias, quoscunque censes æquum esse tibi parere, eos omnes existimaturos æquum esse, ut tu ipsis consulendo prospicias. Itaque numquam tibi deponendæ sunt curæ, sed providendum noctu, quid subjectos imperio tuo facere velis, ubi dies advenerit : interdiu, quo pacto se res nocturnæ quam optime sint habituræ. Qua vero ratione sit instruendus ad pugnam exercitus, quo pacto vel interdiu, vel noctu vel per angustas, vel latas, vel montuosas, vel campestres vias ducendus : quo pacto metanda castra, nocturnæve diurnæve excubiæ constituendæ, ducendus in hostem, vel reducendus miles : quo pacto propter urbem hostilem faciundum iter, exercitus ad murum vel adducendus, vel abducendus : quo pacto vel saltus, vel fluvii transeundi : qua ratione vel à copiis equestribus, vel à jaculatoribus, vel à sagittariis cavendum : tum si tibi explicatum in cornua exercitum ducenti hostes se obvii ostentant, quo pacto sit acies eis opponenda : sin cum phalangis in morem instructum ducenti, ex alia quavis parte hostes adpareant ; non autem à fronte, quo pacto ducendus sit tunc in eos miles : qua ratione possit effici, ut quid hostes rerum agant, sentias : tu quid instituas, prorsus ab ipsis ignoretur : hæc igitur omnia quid ego tibi commemorem ? Nam quæcunque comperta mihi erant, audisti sæpius : & cetero quin si qui harum rerum periti videbantur, eorum neminem neglexisti, nec rudis & imperitus evasisti. Quapropter ad quælibet eventa, ut arbitror, his utendum erit, quæ tibi quovis tempore potissimum ex usu fore videbuntur.

Etiam hæc ex me, fili, maximi sane momenti discito. Numquam neque pro te solo, neque cum exercitu, sacris non litatis, & contra auspicia periculum adieris. Nam cogites velim, homines non nisi de conjecturis res gerendas suscipere : quum plane nesciant, unde boni sit aliquid ipsis expectandum. Licet hoc de iis, quæ accidere solent, intelligas. Nam fuere complures, iique hominum opinione sapientissimi, qui multis auctores exstiterunt, ut bellum adversus eos moverent, à quibus illi deinde, qui persuaderi hoc sibi passi fuerant, sunt eversi. Multi præterea multos, & privatos homines, & respublicas evexerunt : à quibus evectis opera sua, maximis sunt deinde malis adfecti. Multi eos, quibus amicis uti poterant, collatis in ipsos, & acceptis vicissim beneficiis, quum servos esse suos, quàm amicos mallent : ab iisdem multati pœnas dedere. Multi vita jucunda, conjuncta cum possessione patris alicuius non contenti, quum omnia suam in potestatem redigere cuperent, illis etiam, quæ possidebant, exciderunt. Multi aurum, quod tantopere votis omnium expetitur, consecuti, propter hoc ipsum interierunt. Itaque humana sapientia, nihilo certius, quod optimum est, deligere novit, quam si quis hoc agat, quod sors obtulerit. Verum Dii immortales, fili, omnia norunt, & præterita, & præsentia, & quis singulorum futurus sit exitus. Iidem hominibus se consulentibus, quibus quidem propitii sunt, quæ suscipienda, vel non suscipienda sint, ante significant. Neque vero mirandum, non omnibus ipsos velle consulere : quando illorum curam gerere, quos complecti studio suo nolint, nulla necessitate coguntur. *cap. 40. & seqq. lib. 1. Cyropædiæ.*

Xenophon : Sibi autem Cyrus tabernaculum fieri curaverat, quod eorum capax esset, quos ad cœnam invitasset. Et invitabat plerunque præfectos cohortium, quos ipsi visum esset opportunum. Nonnunquam & manipularios, & decuriones, & quinarios, & milites quosdam : immo etiam interdum quinionem totum, totam decuriam, totum manipulum, totam denique cohortem invitabat. Atque hac invitatione ac delatione honoris utebatur, quoties cerneret aliquos eiusmodi quiddam facere, quod ab omnibus fieri vellet. Semper vero eadem tam Cyro, quam invitatis ad cœnam adponebantur. Etiam adparitoribus in exercitu partes æquas semper distribuendas curabat, quod castrenses illos adparitores non minus honore dignos existimaret, quam caduceatores ac legatos. Nam fideles hos esse debere statuebat, rerumque castrensium peritos, intelligentes, navos, celeres impigros, formidinis expertes. Præterea censebat Cyrus, in his adparitoribus esse illa debere, quæ optimis quibusque adsint : & sic eos consuefaciendos, ne opus ullum recusent, sed convenire sibi putent, omnia facere, quæ princeps jusserit. *cap. 11 lib. 2. Cyropæd.*

Xenophon : Quum cœnæ tempus adpetiisset, arcessit Cyrum Cyaxares, ac rogat : ut, quando jam longo temporis ex intervallo eum videret, secum cœnaret. Cui Cyrus : Ne iusseris hoc, inquit, mi Cyaxares. An non vides, hos omnes qui adsunt, à nobis impulsos adesse ? Quamobrem non recte fecero, si hos negligens, voluptati meæ indulgere videar. Nimirum ubi se negligi putant milites, tum & fortes qui sunt, multo animis dejectiores evadunt, & improbi petulantiores. Verum tu, qui præsertim longo itinere confecto advenisti, cœnato jam : & si qui te colunt, illos vicissim complectere, cœnaque excipito, ut per eos animo bono sis. Ego vero ad ea me convertam, quæ dixi. *cap. 47. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon : Hyrcanius inquit : Dicerem ego, inquit, si jam discederetis Medi, numinis id alicuius voluntate fieri, quod valde beatos vos fieri non sineret. Humanæ quidem mentis judicium quod adhibet, quis vel hoste fugiente se patiatur averti vel arma tradente non ea capiat, vel se cum suis rebus cedente non recipiat ? Præsertim quum eiusmodi ducem habeamus, qui mihi videtur, quod juratus equidem deos omnes testor, majorem ex eo

voluptatem capere, si bene de nobis mereatur, quam si seipsum locupleret. *cap.* 6. *lib.* 5. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Quum autem illuxisset, aderat eum equitibus Gobryas, & præibat. At Cyrus, velut eum facere par est, qui cum imperio sit, non solum itineri faciundo intentus erat, sed inter progrediendum considerabat, fierine posset, ut hostes imbelliores redderentur, ipsi firmiores. *cap.* 14. *lib.* 5. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Secundum hæc ibant ad tabernacula, & inter eundum colloquebantur inter se, quantum memoria valeret Cyrus, si quid cum aliquibus esset constituendum, quo modo nominatim adpellatis suis præciperet. At Cyrus hoc studiose faciebat, cui perquam mirum videbatur, eos, qui opificia sordida profiterentur, tenere singulos instrumentorum opificii sui adpellationes, sicut medicus & instrumentorum & medicamentorum omnium, quibus utitur, nomina novit: imperatorem vero tam stolidum esse, ut ducum sub se nomina ignoraret, quibus ei tamquam instrumentis necessario esset utendum, sive quid occupare, sive custodire, sive aliquibus animos addere, sive terrere cuperet. Quin etiam si quem honore adficere aliquando vellet, decori rationem postulare putabat, ut nominatim hunc compelleret. Præterea existimabat eos, qui principi se notos esse arbitrarentur, magis hoc expetere, ut præclarum aliquid gerentes conspicerentur, & à faeinore turpi maiore studio abstinerent.

Hoc quoque stolidum esse statuebat, imperatorem, quum aliquid geri vellet, ita præcipere, quemadmodum domini quidam domi suæ imperant: Eat aliquis ad aquam, ligna quis findat. Nam si hoc modo iubeant, mutuo se respicere putabat omnes, neminemque imperata facere, & omnes eadem culpa teneri, neque tamen quemquam vel pudore ob culpam adfici, vel sibi metuere, quod ea cum multis ipsi communis esset. Has ob causas quoties aliquid imperaret, omnes adpellabat nominatim. Atque hæc Cyri erat de his sententia. *cap.* 27. *lib.* 5. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Regem ubi Cyrus advenire sensit, sumtis secum & Persicis equitibus, qui jam multi erant, & Medis omnibus, & Armeniis, & Hyrcaniis, & qui reliquorum sociorum equis & armis instructissimi erant, obviam prodiit, & copias ei spectandas exhibuit. Cyaxares, ubi multos & egregios fortesque viros in Cyri comitatu conspexit, secum vero & exiguam, & non magni æstimandam famulorum manum: id sibi dedecori esse putavit, adeoque dolorem ex eo cepit. Quumque Cyrus ab equo jam descendisset, ac de more osculaturus ipsum accederet: descendit ille quidem ex equo, sed avertit sese: nec osculatus est eum, sed lacrumas palam profudit. Tum vero Cyrus alios quidem omnes secedere iussit & quiescere: ipse dextra Cyaxaris prehensa, de via sub palmas quasdam eum abduxit, & stragula quædam ei Medica substerni iussit, in quæ quum eum collocasset, & adsedisset ipse, sic interrogavit: Dic mihi, per Deos immortales, mi avuncule, quamobrem irasceris mihi? quid rei molestæ vides, quod usque adeo fers graviter?

Heic Cyaxares huiusmodi quædam respondit: Quia quum, Cyre, existimerinde usque ab omni hominum memoria tum majoribus jam olim regibus tum patre rege procreatus esse, atque etjam ipse rex habear, me quidem adeo viliter indigneque advehi conspicio, te vero famulitio meo cererisque copiis magnum & magnificum adesse. Atque hæc, mea sententia, vel ab hostibus pati grave est: sed multo, pro Jupiter, gravius ab illis, à quibus perpeti minime decebat. Equidem arbitror esse satius, decies sub terram condi, quam adeo vilem me conspici, meorumque neglectionem & irrisionem cernere. Non enim nescius sum, non te solum me maiorem esse: sed etiam servos meos maioribus cum copiis, quam meæ sint, mihi occurrere, atque ita paratos esse, ut facilius me lædere possint, quam à me lædi. Quæ dum proferret, multo etiam magis eum superabant lacrumæ: adeoq; Cyrum ipsum eo pertraxit, ut oculi eius lacrumis implerentur.

Quum autem paullum se cohibuisset, ita Cyrus loquutus est: Tu vero, mi Cyaxares, nec vera dicis, nec recte iudicas, quum Medos existimas propterea, quod adfuerint mihi, sic instructos esse, ut ad te lædendum satis vitium habeant. Te quidem & irasci, & in metu esse, non miror. Utrum autem iure, an iniuria eis succenseas, equidem omittam. Quippe scio te praviter latum, si me agere caussam horum audias. Sed enim hominem, qui cum imperio sit, subjectis sibi pariter omnibus succensere, magnum equidem errorem arbitror. Est enim necesse, multos infestos fieri, quum quis terrorem multis incutit: & omnibus inundæ concordiæ occasiones suggeri, quum quis omnibus succenset. His de caussis me scire debes hos ad te sine me non remisisse, quod metuerem, ne quid ob iracundiam tuam accideret, quod nobis universis dolorem adferret. Itaque Deum ope nullam hæc tibi me præsente periculum creabunt. Quod vero existimas, injuria te adfectum à me esse: graviter admodum fero, si dum in eo pro virili laboro, ut in amicos plurima beneficia conferam, contrarium huic facere videar. Uerum enimvero ne nosmet, ait, adeo temere criminemur & insimulemus: sed si fieri potest, planissime videamus, qualis illa sit à me illata iniuria. Atque equidem æquissimam inter amicos conditionem fero. Nam si me pareat quidquam mali feciisse, injustum me fatebor: sin me nihil admisisse pareat, ac ne cogitasse quidem, an non & ipse fatebere, nullate adfectum à me injuria? Id vero necesse fuerit, ait. Quod si autem pareat, etiam boni me auctorem exstitisse tibi, studioseque in id incubuisse, ut quamplurima beneficia possem, in te conferrem: an non potius laude tibi dignus habear, quam reprehensione? Æquum scilicet, ait.

Age igitur, inquit Cyrus, consideremus singillatim omnia, quæ à me gesta sunt. Sic enim maxime parebit quid in iis boni sit, quid mali. Atque ordiamur sane ab hoc principio, si quidem tibi sufficere videtur. Tu enim, quum animadverteres, multos hostes coivisse, & quidem adversus te, tuamque ditionem domo progressos esse: illico tum ad Persas publice misisti, qui subsidiarias copias poscerent, tum ad me privatim: rogans, ut operam darem, quo venirem ipse, copiarumque Persicarum, si quæ ad te irent, ductor essem. An igitur in his non abs te persuasus sum, non adfui, non militem adduxi numero quam potui, maximo, & eundem præstantissimum? Venisti vero, inquit. Ergo, ait, mihi primum dicito, utrum in hoc injuriam adversum te meam deprehenderis, an beneficium? Planum est, inquit Cyaxares, ex his beneficium me tuum cognovisse. Quid vero, ubi venerunt hostes, & dimicandum adversus eos erat, an tum animadvertisti, me vel laborem ullum detrectasse, vel pepercisse periculo? Non profecto, non equidem. Quid? ubi Deum ope victoria penes nos stetit, hostesque jam cederent, atque ego te rogarem, ut communibus eos copiis insequeremur, communi opera in eos vindicaremus, communem denique sive boni, sive mali fructum caperemus, quidquid tandem accidisset: in his an accusare me possis, quasi proprii emolumenti plus æquo cupidus fuerim?

At hæc Cyaxares subticuit. Et Cyrus rursum ita locutus est: Quando tibi ad hoc tacere potius lubet, quam respondere: id mihi dicito, adfectumne te sis arbitratus injuria, quod, quum tibi tutum non esse videretur persequi, te quidem ipsum periculi huius participem fieri non sum passus, sed ut equites mihi quosdam de tuis mitteres, rogavi? Num enim id abs te petens, injuste fecerim, præsertim qui jam ante me tibi socium belli præbuissem, abste, inquit, demonstretur. Ad quæ Cyaxares quum itidem taceret: Quod si ne ad hoc quidem, inquit, respondere vis: deinceps dicito, an injurius fuerim, quod quum tu mihi responderes, nolle te, qui Medos hilaritati operam dare videres, ab hac revocatos cogere, tunc ad profectionem cum periculo conjunctam: an inquam videar molestum aliquid tibi feciisse, quod irasci tibi noluerim: sed post hæc rursum abs te id petiverim, quo sciebam nihil à te mihi tribui posse levius, neque Medis imperari facilius? Rogabam enim, ut eos mihi dares, qui sequi vellent. Quod quum abs te impetrassem, perfeci nihil, extraquam persuadendo. Itaque eos accessi, persuasi, persuasos accepi atque abii; tuo permissu. Quod si hoc merito culpandum existimas, ne quidem culpa vacat, uti videtur, aliquid abs te accipere, quod dederis. Sic igitur profecti sumus. At postquam discessimus, quid gestum à nobis est, quod omnibus notum non sit? an non hostium castra capta sunt? non plures eorum interfecti sunt, qui contra te venerant? Quin & vivis adhuc hostibus an non plerisque ademta sunt arma, plerisque equi? Fortunas quidem eorum, qui ante hac ferebant, agebant res tuas, jam vides amicos tuos & possidere, & secum adferre partim tibi, partim sibi, qui tuo tamen imperio continentur. Quod vero longo omnium maximum est & præclarissimum, vides ditionem tuam ampliorem fieri, hostium imminui: vides illorum castella teneri, ac tua, quæ avulsa Syri suam in potestatem redegerant, nunc è contrario tibi cessisse. An horum aliquid vel bonum, vel malum sit cognoscere velle, equidem quid sibi velit, dicere nequeo: quo minus tamen audiam, nihil impedit. Dic igitur, quæ tua de his sententia sit. Hæc quum dixisset Cyrus, finem fecit.

Cyaxares vero adhæc respondit: Nescio quid dici possit, Cyre, ea quæ feciisti, mala esse. Uerum scire te volo, hæc bona eiusmodi esse, ut quanto plurium speciem habent, tanto magis mihi sint oneri. Nam malim equidem ditionem tuam copiis meis ampliorem facere, quam videre tali modo abs te augeri meam. Quippe tibi hæc gerenti honesta & laudabilia sunt, mihi quoddammodo ignominiæ notam inurunt. Etiam opes, ait, tibi me donare malim, quam abs te accipere, quæ tu nunc mihi tribuis. nam lit abs te locupletari me plane sentio, quibus ipse pauperior fio. Quod si subjectos mihi viderem modica quadam abs te adfectos iniuria, minus dolerem, meal sententia, quam nunc, ubi magnis abs te adfecti sunt beneficiis. Ac siquidem hæc parum humaniter & absque iudicio tibi cogitari videor, non ea in me, sed in te conversa, qualia tibi videantur, considera. Quid enim, si quis canes quos tu aleres custodiæ tuæ tuorumque caussa, tales commode curando reddat, ut illum magis, quam te norint; an hoc curationis genere te delectaturus sit? Quod si exiguum hoc tibi videtur, id etiam considera: si quis tuos è familia ministros, quos & custodiæ & præsidii caussa, & ut te colant, tecum habes, eiusmodi efficiat, ut ipsius esse malint, quam tui: an pro eo beneficio gratiam illi sis habiturus? Quid vero, quod unum amore maximo complectuntur homines, & curæ in primis ut sibi proprium habent, si quis uxorem tuam sic obsequiis demereretur, ut tandem efficeret ea-

ret eam sui magis amantem, quam tui : num hoc beneficio te delectaret ? Nihil, mea quidem sententia, minus. Immo iniuriam tibi hoc facto maximam inferret.

Ut autem quod dolori meo simillimum est, dicam : si quis Persas eos, quos tu ad nos duxisti, sic demereretur, ut ipsum lubentius, quam te sequerentur, ad hunc tibi amicum duceres ? Equidem haud arbitror, sed infestiorem putares, quam si multos tuorum occideret. Quid si amicus quispiam tuus, te amanter dicente, Accipe de rebus meis quantum voles : posteaquam id audisset, iret, atque omnia, quæ posset, acciperet : tuisque adeo rebus ditaretur, quum tu ne modicum quidem earum fructum perciperes : an posses expertem culpæ amicum hunc existimare ? Nunc autem abs te, mi Cyre, si non hæc, tamen his similia perpessum me arbitror. Nam vera narras, quum ego dixissem, posse volentes abduci, discessisse te ita : ut omnes meas copias acciperes, & me solum relinqueres. Iam autem, quæ opera mei exercitus cepisti, adfers sane mihi, ac meis viribus ditionem hanc auges : atque equidem nullius boni tecum auctor, instar fœminæ me offerre videor, & exhibere, ut beneficia tum ab aliis hominibus, tum etiam ab his imperio meo subiectis accipiam. Tu viri speciem habes, ego indignus iudicor imperio. Hæccine tibi, Cyre, videntur esse beneficia? Ignorare profecto non debebas, si te ulla mei cura tangeret, in primis tibi cavendum, ut nullare minus me spoliares, quam auctoritate ac dignitate. Nam quid accedit ex eo mihi, si maxime regio meo ditatetur, ipse per ignominiam contemtui sim ? Nec enim ideirco Medorum ego potitus sum imperio, quod unus præstantior universis essem : sed potius, quia ducerent illi, nos in omnibus se meliores esse.

Tum Cyrus, adhuc loquente Cyaxare, sermonem ipsius excipiens, ait : Per Deos immortales, mi auuncule, si quid ego tibi antehac feci, quod gratum esset : etiam tu in his mihi gratificare, quæ petam. Finem scilicet de me querendi hoc tempore facito. Vbi vero periculum de nobis feceris, quo pacto adfecti erga te simus : si quidem paruerit ea, quæ sunt à me gesta, tui boni caussa gesta esse, me amplectentem te vicissim amplectere, beneque de te promeritum existima : sin aliter, de me queritor, Fortassis, ait Cyaxares, recte dicis ; atque equidem hoc faciam. Quid igitur, ait Cyrus, an etiam te osculabor ? Si voles, inquit. Neque me aversaberis, ut modo ? Non aversabor, ait. Itaque Cyrus eum est osculatus. Quod quum Medi, Persæ, ceteri viderent, (erant enim omnes solliciti, quid de his futurum esset) statim adfecti lætitia, & exhilarati sunt. Cyaxares & Cyrus conscensis equis præibant, Medis Cyaxarem sequentibus, (sic enim nutu Cyrus eis significarat) Persis Cyrum : post alii sequebantur. Ubi ad castra peruentum esset, Cyaxarem in tabernaculum paratum collocarunt : & ei, quibus hoc datum erat negotii, necessaria parabant : Medi ceteri, quamdiu ante cœnam otiosus Cyaxares erat, accedebant eum, partimque sponte sua, partim mandato Cyri, quorum erat maximus numerus, munera ferebant ; alius bellum pocillatorem, alius bonum coquum, alius pistorem, musicæ artificem alius, alius pocula, vestem alius elegantem. Maxima quidem ex parte quælibet unum quiddam eorum, quæ ceperat, ei donabat : ut Cyaxares adeo sententiam deinde mutaret, ac neque Cyrum eos ab se avertisse, neque minus, quam ante, à Medis se observari duceret. *lib. 5. Cyropædiæ 40. & seqq.*

Xenophon : Et Cyrus cum alia parabat ad pugnam magnifice, & erat sane vir talis, qui nihil exiguum gerere cogitaret : tum non solum ea curabat, quæ socii censuissent, sed etiam contentionem inter amicos excitabat, ut armati singuli pulcherrime, & equitandi, jacula vibrandi, sagittis ferendi peritissimi, laborumque patientissimi conspicerentur. Atque hæc effecit, tum ad venationes eos educendo, tum præstantissimos ubique præmiis & honoribus ornando. Quin & præfectos, quos videret studiose operam dare, ut milites ipsorum quam optimi essent, partim collaudando excitabat, partim eis gratificando, quacumque in re posset. Quod si rem sacram aliquando faceret, festumve diem ageret : tum quoque de iis omnibus, quæ homines belli caussa exercent, ludos & certamina instituebat, & præmia victoribus magnifice largiebatur : ut multa jam in exercitu esset hilaritas.

Xenophon : Agesilaus quum imperium teneret complurium in continente civitatum, atque etiam insularum, postea quam ei classem quoque patria tradidit, jam succrescens famæ celebritate ac potentia, nactusque potestatem utendi multis commodis, & quod maximum erat, jam voluens animo, speque concipiens eversionem ejus imperii, quod prius Græciam armis invaserat : nihilominus ab harum rerum nulla vinci se passus sit, sed ubi domo venisset ad eum quidam à magistratibus, qui eum opitulari patriæ iuberet : parebat perinde reipublicæ, ac si tunc forte solus in Ephororum curia propter Quinqueviros constitisset. Qua quidem re insigniter declaravit, non se terram universam patriæ, nec posterius adquisitos amicis veteribus, nec turpia lucra, nullo cum periculo conjuncta, honestis ac justis, quæ periculum habeant, anteferre. *capite 14. Vitæ ejus.*

Xenophon : Agesilaus ubi jam senectus eum tam à militia pedestri, quam equestri arceret, ac patriæ pecuniis opus fore cerneret, si quidem ea socium ullum retinere vellet : harum ipse parandarum onus in se recepit. Quicquid omnino poterat, domi manens moliebatur : & si quæ ferret occasio in iis inquirendis minime segnis erat. Quinetiam pudore non præpediebatur, quominus legati nomine potius aliquo proficisceretur : quam imperatoris : si quidem aliquid emolumenti reipublicæ adlaturus esset. Sed tamen, etiam interea, dum legationes obibat, imperatoris magni munere fungebatur. Nam quum Aurophriadates ad Assum Ariobarzanem fœderatum obsideret, Agesilaum veritus, fuga inde discessit. Cotys item, quum Sestum obsideret, urbem Ariobarzanis : & ipse soluta obsidione discessit. Quo factum est, ut non absre tropæum de hostibus etiam ex legatione statutum ei fuerit. Quinetiam quum Mausolus mari e navibus utrumque locum hunc obsideret, non metu adductus, sed persuasione domum cum classe abiit. Dignas profecto res admiratione gessit Nam & illi, qui ab eo se adfectos beneficio putabant, & qui fugiebant ipsum, utrique pecunias ei dabant. Mausolus quidem, quum celeriter pecunias in usum Lacedæmonis contulisset, Agesilaum remisit in patriam ; datis, qui eum magnifice deducerent. *cap. 26. Vitæ ejus.*

Xenophon : Quum Agesilao dona ei complura Tithrausstes offerret, si suis finibus excederet : Existimatur apud nos, inquit, honestius imperatori esse, Tithrausta, exercitum suum ditare, quam seipsum : & ab hostibus spolia potius, quam dona referre. *cap. 30.*

Xenophon : Ceterum à quanam earum voluptatum, à quibus multi se vinci patiuntur homines ; Agesilaum quis superatum vidit ? qui ab ebrietate perinde putabat abstinendum atque ab ingluvie : à cibis immodicis perinde, atque ab otio & desidia. Quoties portionem duplicem in conviviis accipiebat, non utraque vescebatur : sed iis hinc inde missis, neutram sibi reliquam faciebat. Existimabat enim, regi eam duplicari, non satietatis nimiæ caussa : sed ut ea posset, quem ipse vellet, honorare. Itidem somno, non ut domino : sed eo, qui negotiis ipsius pareret, utebatur. Quod si lectum inter familiares vilissimum non haberet, non obscurum erat, ipsum pudore adfici. Existimabat enim, imperatorem decere potius, ut tolerantia, quam mollitie privatis hominibus præstaret. Non tamen eum pudebat in aliis huiusmodi rebus majorem sibi partem poscere, nimirum per ætatem, solis ; per hiemem, frigoris. Quod si aliquando usuveniret, ut laborandum exercitui esset : sponte sua supra ceteros laborabat, quod arbitraretur, eiusmodi omnia militibus esse solatio. Denique summatim ut dicam, inter laborandum quidem exsultabat Agesilaus, otium vero nullum prorsus admittebat. *cap. 32. Vitæ eius.*

Xenophon : Milites Agesilaus non modo dicto audientes, sed etiam sui amantissimos effecit. Et quonam pacto phalanx esse firmior possit, quam si propter obœdiendi studium in officio se contineat, & propter amorem erga ducem fideliter ei præstò sit ? Hostes erga eum sic erant adfecti, ut vituperare quidem ipsum non possent, odisse vero cogerentur. Semper enim hoc moliebatur, ut meliore fœderati essent conditione, quam hostes : quos quidem fraude circumveniebat, ubi ferret occasio : & anteverrebat, si celeritate foret opus : delitescens etiam, ubi hoc ex usu foret. Denique adversus hostes instituebat omnia illis contraria quæ amicis præstaret. Nam nocte perinde, ac die utebatur : die perinde, ut nocte : nonnumquam ubi esset, quo iret, quid faceret, non constabat. Qua re perficiebat, ut ex munitis hostium locis, non munita redderet ; vel præterundo, vel superando, vel furtim intercipiendo. Quoties iter faceret, quia sciret hostibus pugnandi potestatem esse, si vellent : ita instructum ducebat exercitum, ut sibi ipsi posset imprimis opitulari : & tranquille, instar pudicissimæ virginis, incederet. Existimabat enim, in hoc situm esse quietem exercitus, & summam immunitatem ab omni terrore, perturbatione, peccatis, insidiis. Quare dum ita se gereret, hostibus erat formidini, & amicis fiduciam, animique robur addebat. Quo factum, ut hostibus numquam esset contemtui, ab civibus non multaretur, ab amicis non vituperaretur, ab hominibus denique universis plurimum & diligeretur & prædicaretur. *cap. 36.*

Xenophon : Etiam imperatores interdum quibusdam in actionibus imperatoriis, quum intelligentia non differant, nihilominus alii meliores, alii deteriores sunt haud dubie propter diligentiam. Nam quæ duces omnes norunt, & privatorum pars maxima ; ea duces alii faciunt, alii non faciunt. Verbi gratia, norunt omnes potius esse, ut ii qui per agrum hostium transeant, instructis ordinibus iter faciant, quod ita dimicaturi commodissimè sint, si usus ferat : hoc quũ sciant, in quam, alii præstant, alii non, Norunt omnes optimum esse, diurnas & nocturnas excubias ante castra constitui : verum id quoq; ut fiat, aliis est curæ, aliis non est. Difficile sit aliquem reperire, qui quum meatus angusti transeundi sunt, non intelligat potius esse, præoccupari opportuna loca, quam non : nihilominus hoc quoque alii faciunt, alii non. *cap. 65 œconomiæ.*

Xenophon : Imperatores alii ab aliis differunt. Nam alii milites exhibent eiusmodi, qui neque laborem ullum suscipere, neque periculum adire, neque dicto audientes esse, nisi quantum necessitas vrgeat, velint ; atque etiam magnifice se efferant propterea, quod duci suo adversentur. Iidem exhibent quoque nonnullos, qui, si quid accidat rei turpis, adfici pudore nesciant. Contra divini, & boni, & periti rectores, quum vel hos ipsos, vel alios etiam sæpenumero accipiunt, talibus ipsis utuntur ; ut turpe quiddam patrare verecundia præpediti nolint, ac rectius esse arbitrentur parere, atque etiam singuli obœdientia delectentur, & universi, quum la-

bores

bores suscipi necesse est, non illubenter eos suscipiant. Nimirum ut privatis nonnunquam hominibus laboris studium innascitur, sic etiam in exercitu toto à bonis imperatoribus studium quoddam excitari solet, ut omnes & laborare, & ambitiose conspici cupiant à rectore suo, dum præclarum aliquod facinus edunt. Ceterum erga quoscunque rectores hoc modo milites, qui eos sequuntur, adfecti sunt, hi vero potentes rectores evadunt; non illi quidem, qui robustiore sunt corpore præditi, quam ipsi milites: & iaculandi sagittandique artem optime tenent, ac optimum equum habent, ut tamquam præstantissimi equites & cetrati ante alios disserimen adeant: sed qui hoc in militum animis efficere possunt, ut per ignem, & quodvis periculum, sequendum statuant. Hos certe merito quis magnanimos dixerit, quos sequuntur multi, eadem cum ipsis sentientes. Itidem par fuerit dicere, magna cum manu eum proficisci, cuius voluntati multæ manus obtequi volunt: ac magnus idem reabse vir est, qui res magnas consilio potius, quam robore perficere potest. Sic in operibus cuiusque suis, sive villicus sit, qui præest, seu magister operatiorum, quicumque præstare suos alacres, & contentis viribus laborantes, & assiduos potest; illi vero sunt, qui proficiunt in bonis, & abundantiam quamdam rerum ingentem comparant. *capite 70. Oeconomica.*

Xenophon: Ceterum iuvisse Socratem rerum honestarum cupidos in hoc, ut illorum, quæ expedebant, studium in eis exercitaretur: id iam commemorabo. Nam quum audiisset aliquando, Dionysodorum in urbem venisse, qui artem imperatoriam docere se velle polliceretur: ad quemdam è familiaribus dixit, quem huius honoris in civitate consequendi cupidum esse animadverteret: Turpe est eum, me adulescens, qui fungi munere imperatorio velit in republica, negligere discendæ illius occasionem, quæ offeratur: atque hic multo iustius à civitate puniretur, quam si quis imperitus statuariæ, nihilominus statuas fingendas susciperet. Nam quum bellicis in periculis universa respublica imperatori committatur, consentaneum est, eo rem feliciter gerente magna reipublicæ commoda, contraque peccante ipso, magna mala evenire. Cur igitur non is merito, qui artem hanc discere negligit, ac nihilominus ut imperator deligatur, omni cura consequi nititur, multari debeat? Hæc quum diceret, persuasit homini, ut ad discendum accederet. Posteaquam re percepta rediret, cum eo iocans: An non, inquit, videtur vobis, amici, perinde atque Homerus Agamemnonem augustum dixit, ita etiam hic, posteaquam imperatoriam artem didicit, augustior videri? Etenim quemadmodum qui citharam pulsare didicit, etiamsi non pulset citharam, nihilominus citharœdus est: & qui medendi artem didicit, etiamsi medicinam non faciat, nihilominus medicus: ita hic quoque semper ex hoc tempore imperator est, etiamsi à nemine ad munus hoc deligatur. At vero qui alicuius rei rudis est, is nec imperator, nec medicus est, etiamsi vel ab universis hominibus deligatur.

Ut autem, ait, etiam nos, si quis forte nostrum te prætore vel cohortis præfectus, vel manipuli ductor fuerit, rerum bellicarum peritiores simus: dic nobis, unde cœperit artem imperatoriam tibi tradere. Ab illo ipso, inquit, in quod etiam desiit. Nam ordinum rationes, nihilque præterea me docuit. Atqui, subjecit Socrates, aliquanta hæc artis imperatoriæ pars est. Nam necesse est imperatorem esse peritum parandi ea, quæ ad bellum requiruntur, & suppeditandi commeatum militibus, & in consiliis sollertem, & in labore strenuum, & diligentem, & tolerantem, & perspicacem ingenio, & benignum, & sævum, & simplicem, & insidiosum, & cautum, & furem, & profusum, & rapacem, & largiendi cupidum, & avarum, muniendi sese, ac alios adgrediendi non ignarum: alia denique multa tùm à natura, tum à scientia requiruntur in eo, qui recte munere imperatorio functurus sit. Nihilominus bonum est etiam aciei struendæ peritum esse. Nam multum interest inter ordinatas & confusas copias, quemadmodum lapides, & lateres, & ligna, & tegulæ, si confuse disiecta sint, usum nullum habent: verum posteaquam ea, quæ neque liquescunt, ut sunt lapides ac tegulæ, in imo ac summo collocantur, in medio vero lateres & ligna, quemadmodum in ædium structura componi solent; tum scilicet efficitur res magni pretii, videlicet domus. Et adulescens: Dixisti, ait, quiddam valde simile, mi Socrates. Nam & in bello fortissimi quique primo ultimoque loco sunt collocandi, pessimi vero in medio, ut ab illis ducantur, ab his impellantur. Tum Socrates: Siquidem, ait, etiam te docuit strenuos ab ignavis discernere: sin autem, quid expedit tibi, quidquam didicisse? Nam si te argentum iussit pulcherrimum primo ultimoque loco ponere, in medio vero pessimum, neque tamen docuit bonum ab adulterino discernere, nullo id tibi usui fuerit. Profecto, inquit, non hoc me docuit: quo fit, ut nos ipsos necesse sit fortes ab ignavis secernere. Cur igitur non consideramus, ait Socrates, quo pacto in eis non fallamur? Equidem hoc cupio subjecit adulescens.

Ergo, inquit Socrates, si argentum diripiendum sit, an non argenti cupidissimis primo loco dispositis, recte aciem instrueremus? Ita mihi videtur. Quod si eos collocare libeat in fronte, qui periculum subire debeant, nonne cupidissimos honoris istic disponemus? Nam hi certe sunt, ait, qui laudis gratia pericula non reformidant. Ideoque obscuri esse nequeunt, sed ubique conspicui, facile deligi poterunt. At enim utrum te solummodo acie struendæ rationem docuit, an etiam ubi, & quo pacto singulis ordinibus utendum sit? Non admodum, ait. Atqui multa sunt, ad quæ neque ducere, neque instruere convenit eodem modo. Ea vero, inquit adulescens, non profecto declaravit. Ergo tu rursus ad eum accedito, hominemque interrogato. Nam si quidem hæc sciet, ac impudens non erit, pudebit eum accepta pecunia te adhuc indigentem doctrina dimisisse.

Quum etiam Socrates aliquando in aliquem incidisset, qui delectus erat, ut imperatorio munere fungeretur: Quamobrem, ait, Homerum existimas adpellasse Agamemnonem pastorem populorum? an ideo, quod quemadmodum pastorem in hoc adhibere curam oportet, ut oves, & salvæ sint, & habeant pabulum necessarium: ita etiam imperatori curandum sit, ut milites sint incolumes, & commeatum habeant, id ipsum hoc modo consequuturi, cuius caussa militant? Idcirco autem militant, ut hostibus victis beatiores sint. Nam cur ita laudavit Agamemnonem, ut diceret?

Miles erat fortis pariter, & rex bonus idem.

An non propterea, quod tum demum aliquis & bellator, & fortis futurus sit, non si solus ipse recte se gerat in prœliis adversus hostes, sed etiam in universo exercitu idem efficiat? Quodque rex bonus, non si suæ tantum vitæ bene præsit, sed iis etiam quibus imperat, auctor sit felicitatis? Nam rex creatur, non ut egregie sui ipsius curam habeat; sed ut illi etiam, qui eum crearunt, per ipsum beati sint. Et militant omnes, ut quam optima vita fruantur: & imperatores propterea legunt, ut eis ad hoc ipsum duces sint. Itaque debet is, qui munere imperatorio fungitur, hoc ipsum illis procurare, qui eum imperatorem legerunt. Nec enim proclive est quidquam hoc pulchrius invenire, vel contrario turpius. Atque hoc modo considerans, quæ boni ducis esset virtus, cetera quidem auferebat, hoc solo ei relicto, ut illos, quibus præest, beatos reddat.

Memini etiam ipsum aliquando in hanc sententiam ad quemdam disseruisse, qui ut copiis equestribus præesset, lectus erat. Potesne dicere nobis, mi adulescens, quamobrem magister equitum esse concupiveris? Non enim ideo certe, ut inter equites ceteros primus ipse equitares. Nam id equites sagittarii sibi deposcunt, qui quidem etiam magistros equitum præcedunt. Vere dicis, ait. Enimvero ne ideo quidem, ut notus esses. Nam & furiosi omnibus noti sunt. Hoc etiam, inquit, vere dictum. Num igitur propterea, quod equestres copias reipublicæ te meliores effectas traditurum existimas? atque ut, si necessitas equitum operam desideret, iis ita præsis, ut patriæ boni alicuius auctor sis? Omnino, inquit. Egregium profecto quiddam hoc fuerit, ait Socrates, si præstare possis. Imperium vero quod tibi mandatum est, nimirum in equos est, & equites. Ita scilicet est, inquit.

Age igitur, hoc primum nobis dicito, quo pacto equos te præstantissimos effecturum cogites. Et ille: Puto equidem, ait, hoc ad munus meum nihil pertinere, sed cuivis seorsum equum suum curandum esse. Ergo si tibi, subjecit Socrates, equos exhibeant alii tam vitiatis pedibus, tam ægris cruribus, tam imbecillos, alii tam male pastos, ut sequi non possint: alii tam contumaces, ut quo tu eos loco constitueris, manere nolint; alii tam calcitrosos ut ne quidem constitui alicubi possint: quam ad rem equitatus hic utilis erit tibi? aut quo pacto poteris, dum talibus præes, reipublicæ prodesse? Tum ille: Præclare mones, inquit, & conabor equidem pro meis viribus equorum habere curam. Quid autem? non operam dabis, ut equites meliores efficias, ut in equos ascendendi sint peritiores. Hoc quidem necesse est, inquit. Nam etiam si quis eorum delabatur, multo tamen magis hoc modo saluus evaserit. Quid vero? sicubi periculum subeundum sit, utrum hostes ad arenam iubebis adducere suos, ubi vos equitare consuevistis, an operam dabis, ut iis in locis tales exercitationes instituas, in quibus hostes esse solent? Melius hoc sane fuerit, inquit. Quid autem? Num ut quam plurimi ab equis deiiciantur, curæ tibi erit? Hoc quoque melius fuerit, ait. An vero coercitasti acuendos esse animos equitum, & irritandos adversus hostem, quæ quidem res ipsos fortiores reddunt? Si non hactenus, saltim nunc id adgrediar, inquit.

An autem curæ tibi fuit, ut dicto sint audientes equites: Nam absque illo sit, nec equorum, nec equitum bonorum ac fortium usus ullus erit. Vere dicis, ait, sed qua potissimum ratione, mi Socrates, ad hoc quis eos impulerit? Nimirum nosti, quavis in re parere homines illis maxime velle, quos existimant esse præstantissimos. Nam in morbo potissimum illi parent, quem medicæ rei putant esse peritissimum; & in navi qui navigant, ei, quem gubernandi putant esse peritissimum; & in agricultura, quem agricolendi peritum in primis arbitrantur. Omnino, inquit. Igitur consentaneum est, etiam in equestri re ceteros ei, qui maxime scire videatur, quæ faciunda sint, maxime parituros. Itaque si ego, mi Socrates, præstantissimum me declaravero, num ad hoc mihi sufficiet illud, ut mihi pareant? Siquidem præterea, subjecit Socrates, docueris eos, fore melius ipsis ac salutarius, si tibi obtemperent. At quo pacto, inquit, hoc docebo? Multo facilius profecto, quam si docere te oporteat, mala bonis præstare, magisque conducere.

Dicis tu, inquit, debere magistrum equitum præter alia curam adhibere, ut etiam dicendi facultatem habeat? Tu vero existimabas, respondit, tacite præfecturam equitum administrari posse? An non tecum ipse cogitas, nos ea universa, quæcumque de præscripto legis longe pulcherrima didicimus, & per quæ vivendi modum tenemus, una cum quavis alia bona disciplina, orationis ope didicisse; quodque doctores optimi sermone in primis utantur, & qui dignissima cognitione tenent, pulcherrime differant? An ad animum tibi numquam accidit, quod quum chorus unus ex hac urbe efficitur, verbi caussa, qui in Delum mittitur, nullus aliunde huic æqualis institui possit; quodque tanta virorum præstantia in alia urbe nulla cogatur, quæ huic nostræ respondeat? Vere dicis, ait. Atqui neque vocis elegantia tantum præstant Athenienses aliis, neque corporum magnitudine ac robore: quantum ambitione, quæ maxime ad præclara & honorifica mortales excitat. Etiam hoc, ait, verum est. Ergone putas, inquit, etiam equestres copias, quæ hcic sunt, si quis diligenter curet, longe præstaturas aliis armorum equorumque adparatu, ac ordine, & promte pericula adversus hostes subeundo, si existimarent hæc facientes, se laudem ac gloriam consequuturos? Hoc quidem est consentaneum, inquit. Ergo ne cunctaris, ait, sed operam dato, ut equites ad ea propellas, de quibus & tibi, & propter te ceteris civibus commodum aliquod sperandum sit. Equidem hoc profecto conabor, inquit.

Quum autem aliquando Nicomachidem abeuntem è comitiis vidisset, quærebat: Quinam, mi Nicomachides, imperatores lecti sunt? Et ille; An non tales sunt, ait, Athenienses, mi Socrates, ut me quidem non elegerint, qui ex delectus tabellis militans tum manipulos ducendo, tum cohortibus imperando, tum vulneratos ab hostibus accipiendo, (simul se denudans, vulnerum cicatrices ostendebat) jam confectus sum: Antisthenem vero legerunt, qui neque gravis armaturæ pedes ulla in expeditione unquam fuit, neque inter equites quidquam illustre gessit, ac præter rationem cogendæ pecuniæ nihil novit. Bonum vero id fuerit, ait Socrates, posse militibus ipsum necessaria suppeditare. Enimvero, inquit Nicomachides, etiam mercatores cogendæ pecuniæ rationem norunt, neque tamen idcirco fungi munere imperatorio possunt. Et Socrates: Etiam victoriæ cupidus est Antisthenes, inquit, quod in imperatore necessario requiritur. An non vides eum, quoties chori dux fuit, omnibus choris vicisse? Profecto, ait Nicomachides, nihil simillitudinis habet chori & exercitus præfectura. Atqui, subjecit Socrates, quum neque canendi, neque doctrinæ chororum peritus esset Antisthenes, nihilominus reperire potuit eos, qui in his longe præstarent aliis. Ergo & imperatorio dum munere fungetur, inquit Nicomachides, alios inveniet, qui ejus loco aciem struent; alios, qui pugnabunt. Nimirum, ait, Socrates, si etiam in rebus bellicis præstantissimos quosque perinde ac in iis, quæ ad chorum pertinent, repererit, ac præ aliis delegerit: consentaneum est, eum hac quoque in parte victoriam reportaturum. Præterea credi par est, cum majores facturum sumtus in hanc rerum bellicarum victoriam, quæ communis ei cum civitate universa est; quam in victoriam chori, cum tribu sua partam. Hoccine vis mi Socrates, inquit, ejusdem esse hominis choro & exercitui præesse? Equidem, inquit, ajo illum, qui sciat, quibus sit opus, eaque comparare possit, cuiuscumque tandem rei præsit, bonum tamen præfectum esse; sive choro, seu domui, seu civitati, seu exercitui præsit.

Profecto, ait Nicomachides, numquam de te auditurum equidem me arbitrabar, mi Socrates, bonos patresfamilias etiam bonos imperatores esse. Age igitur, inquit Socrates, utriusque officia indagemus; ut sciamus, eadem ne sint, an diversa. Omnino, ait. An non igitur ad utrumque pertinet, ut imperio suo subjectos sibi morigeros & obsequentes reddat? Vero, inquit. *Quid vero? (An non hoc ad utrumq; pertinet, singulos ad gallis imperandum idoneos efficere?* Hoc quoque respondit. Etiam hoc utrique convenire, arbitror, ut malos puniant, & adficiant honore bonos. Prorsus ita est, ait. Subditorum autem benevolentiam sibi conciliare, qui non utrique fuerit honestum? Ita est, inquit. Ut socios & auxiliatores adsciscant, num utrique putas ex usu esse, nec ne? Omnino, inquit. Nonne ad res suas custodiendas utrosque idoneos esse convenit? Maxime, ait. Ergo & diligentes, & laborum tolerantes in officiis suis oportet esse utrosque. Omnia hæc, inquit, ex æquo utrisque competunt; verum pugna decernere, non utrique commune est. An non utrique hostes habere possunt? Omnino, ait. Ergone utrique expedit ut his superiores evadant? Expedit plane.

Verum si omittas illud, si pugnandum sit, quid rei familiaris administrandæ ratio proderit? Plurimum, inquit Socrates. Nam quum rei familiaris administrandæ peritus quum sciat, nihil adeo utile ac fructuosum esse, ac pugnando hostes vincere, neque quidquam esse tam inutile ac damnosum, ac superari; alacri studio quæ ad vincendum conducunt, quæret ac parabit; diligenter considerabit & cavebit, quæcumque ad hoc faciant, ut vincatur; quumque videbit adparatum ad victoriam idoneum esse, viriliter dimicabit. At si imparatus sit, manum ne conferat, inprimis cavebit. Ne tu mi Nicomachides, inquit, homines administrandæ familiaris rei peritos contemseris. Nam rerum privatarum procuratio tantum à publicarum tractatione differt multitudine. cetera consimiles sunt. Quodque maximum est, neutra fit absque hominibus: neque per alios quidem homines privatæ, per alios autem publicæ res tractantur. Nam qui publica procurant, non aliis utuntur hominibus, quam quibus illi, qui privata gubernant, quotquot tane perita quo pacto conveniat hominibus uti, tum publicas res egregie administrant: id vero qui nesciunt, utrimque peccant. *cap. 1. & seqq. lib. 3. Memorabilium.*

Dion: Halicarnassæus: Prudentes imperatores, in instruendis ordinibus, operiunt infirmiora fortioribus; sicque nulla pars virium redditur inutilis. *cap. 36 f. de collocatione verborum.*

Aristides Sophista: Multi cùm contra hostes fortiter se gererent, à suis tamen militibus regebantur potius quam ut eos gerent. hic autem tam facile rexit eos & compotuit, ut cùm multa quidem ipsis & innumera præberentur, illique difficiles essent ac metuendi, nisi tot, atque etiam plura acciperent; illorum cupiditatem non modò non auxerit, sed & modò constituto, ad labores & exercitia corporis aptiores milites reddiderit, non ultra donis eos inhiare passus ac delicate vivere, sed ita bellicis certaminibus assuefaciens, ut istis cupiditatibus non essent amplius obnoxii. *Laudatione M. Aurelij Antonini Philosophi Augusti.*

Aristides Rhetor: Duces ipsi quid nam agunt vir bone? nihil aliud arbitror, qui quidem optimi sint ac prudentissimi, nisi quod hostium consilia, suorum ingenia, locaque & occasiones coniciunt. ergo conjectura principatum obtinet atque omnia perficit. *Oratione priore Platonica, de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Adeo Themistocles divino quodam fato, atque in communem Græciæ salutem natus est, nec qui quam præter commune spectabat commodum, ut cum eodem Græci convenissent, atque ii, quamvis Athenienses, cunctos propemodum navium numero superabant, Lacedæmoniis tamen magis faverent, eosque rerum summæ vellent præficere: ipse qui sciebat futurum, si summum jus quæreretur, & de principatu contenderent, ut pessum irent omnia neque quid agerent, scire possent: ipse, inquam, Athenienses persuaserit, ut se submitterent, ac Lacedæmoniis in præsentia principatum concederent, eundem se ipsis à volentibus Græcis recuperaturum pollicitus. Nec vero fidem fefellit, ac nomen potius fere principatus, quam ipsum jussit imperium concedere. Nam si rem spectemus ipsam, sibi imperium, illis nomen detulerunt; ac præter communem salutem, & cum hostes fortitudine superatos, dignitatem quoque præclarissimam sunt & augustissimam consecuti, quandoquidem ducum duces erant redditi. *Oratione 2. Platonica.*

Aristides: Nec vero Themistocles quamvis videret Græcos navibus, militibus, pecunia, multum inferiores esse, Regem Persarum superiorem, de re tota desperavit, cùm sciret fore ut, nisi consilium ipsis suppeteret suum, reliqua tanta non essent admodum profutura: nec ignoraret eorum fere res succedere felicius, quorum præfecti sint virtutis studiosiores. quamobrem Rex etiam tum se imbecilliorem factum agnovit, quo die in virum se strenuiorem incidit. *Oratione secunda Platonica pro Quatuor Urbis.*

Aristides: Atque hic præclarè apparet quanto præstantior Terpandro Musicus fuerit Themistocles. nam cum ille Lacedæmonios inter se concordes reddiderit, hic Athenienses & Lacedæmonios, atque etiam Græcos omnes in concordiam tum redegit, & cùm classis imperio cessit, tum illos principatum jussit concedere, quamvis tanto vincerent intervallo, ac soli totam rerum spem sustinerent. tale vero modestiæ ac tolerantiæ specimen quis unquam eorum protulit, qui in palliis consenuerunt? Nec tamen ut specie, ita etiam cura rerum cessit, ut dicebam, nec vel civitati vel homini cuiquam se submisit: verum & ipse consiliis omnibus præfuit, quasi solus fuisset omnibus præfectus, & Laconicæ classis imperatorem Eurybiadem, quasi puerum composuit ac docuit, quemadmodum qui eos, qui sunt natandi rudes, manibus suis sustinent, non eum objurgans, sed imperatoris nomine quasi demulcens. Nam quum ipse classis esset imperator, & omnium dominus, ac ipsius primum Imperatoris, ut eum, quocumque vellet converteret: id cum toto imperii tempore, cum statim tunc ostendit. Etenim cum Eurybiades barbaricarum triremium copia fuisset perterritus, postquam alias obviam venire videbat, alias circum se navigare audiebat: & certamen relinquere non spe meliore, sed quod, ut in talibus fieri solet, præsentis effugium discriminis in lucro ponebat, cogitaret, atque ad Peloponesum respiceret: ipse, quasi deus aliquis ex machina, manus admovit, ac res à principio tam turpi cœptas perire vetuit: & Eurybiadem, quoniam verbis persuadere non poterat, pecunia redemit: non quasi cuiquam serviret, sed ipse potius pro ministro usus: ac tum Eubœam vindicavit. tum res Græcorum composuit, ne prorsus esse dubiæ expertis viderentur. *Oratione 2. Platonica.*

Aristides Rhetor: Naturæ vis murare legem, quæ vult præstantiam ferre poriorem, & ex principum arbitrio vivere. Turpe sit Imperatori si ad milites respiciat. contra decet, exercitum imperatori morem gerere, sicut coryphæo saltatores, gubernatori nautas, principi populum, oratori auditores. *Oratione de paraphtegmate.*

Lucianus. Alexander: Me tibi, ô Libyce, præponi par est: præstantior enim sum. *An.* Minime: sed me. *Al.* Ergo iudicet Minos.

nos. *Min.* At quinam estis? *Al.* Hic est Carthaginensis Anibal: ego Alexander Philippi filius. *Min.* Per Jovem ambo glorioſi. Sed qua de re vobis est altercatio? *Al.* De præstantia. Hic enim se meliorem fuisse quam ego, exercitus ducem dicit. Ergo verò ut omnes sciunt, non isto solùm, sed omnibus fermè, qui ante meam ætatem fuêre, in re militari fuisse me præstantiorem affirmo. *Min.* Ergo vicissim uterq; dicat. Tu verò Libyce primus verba facito. *An.* Unum hoc me iuvat Minos, quod & hic Græcam linguam didicerim: adeò ut neq; etiam hac in re iste me superet. Porrò illos maximæ laudis dignos assero, qui cùm principio nihil essent, magni tamen evaserunt & per se potentes facti & principatu digni habiti. Ego igitur cum paucis Iberiã adortus, cùm pro fratre dux essem exercitus, maximis rebus idoneus, & præstantissimus sum iudicatus. Ibi tum Celtiberos cepi, & Galatas Hesperios devici. Et cùm magnos montes transcendissem, omnem Eridanum percurri: multásq; civitates everti, & planam Italiam subjugavi: & usq; ad præeminentis urbis suburbia grassatus sum: totq; uno die occidi, ut eorum annulos modijs metitus sim, & ex cadaveribus pontes fluviis fecerim. Atq; hæc omnia peregi, cùm neq; me Ammonis filium appellarem neq; me Deum fingerem, neq; matris insomnia narrarem: sed me hominem faterer, & contra duces prudentissimos decertarem, & contra fortissimos milites pugnarem: nec Medos aut Armenios expugnarem, qui prius fugiunt, quàm quisquam eos persequatur, & cuivis audenti victoriam facilè tradunt. Alexander verò acceptum à patre imperium auxit & fortunæ quodam impetu usus multùm ampliavit. Qui postquam miserum illum Darium in Issо & Arbelis deduxit, à paterna virtute degenerãs adorari voluit, & ad Medorum delicias sese contulit: & amicorum cæde convivia contaminavit, & interficientibus opem tulit. Ego autem pariter patriæ dominatus sum: quæ cùm me revocaret, hostium magna classe adversus Libyam navigante, statim parui: continuóq; me hominem privatum dedi & damnatus æquo animo rem tuli. Atq; hæc egi barbarus cùm essem, omniśq; Græcanicæ disciplinæ expers, nec Homerum ut iste didicissem, nec Aristotele sophista magistro, sed sola naturæ meæ solertia usus essem. Hæc sunt quibus me Alexandro meliorem prædico. Quòd si præstantior est iste quoniam diademate revinctum caput habuit, id decorum forsan est apud Macedonas: non tamen propterea melior videri debeat generoso viro, & imperatore bono: qui mentis sententia magis quàm fortuna est usus. *Mic.* Hic certè non mollem habuit orationem, nec qualem pro se Libycum hominem decebat. Tu verò Alexander quid ad hæc dicis? *Al.* Nihil certè Minos, homini tam temerario respondendum esset. Satis enim vel sola fama te docuerit, qualis ego rex, qualis iste latro fuerit. Adverte tamen, an parum ipsum superaverim, qui cum essem adhuc adolescens rem aggressus regnum obtinui turbatum, & de patris interemptoribus supplicium sumpsi, & Græciam Thebarum subversione perterrui. Tum ab iis dux electus, dignum non putavi, Macedonum imperium curando, me contentum esse eo quod pater reliquerat. Sed totum terrarum orbem cogitatione volvens, & grave ducens, ni universum occuparem, cum paucis Asiam invasi: & apud Granicum magna pugna vici. Captaque Lydia, Jonia, ac Phrygia, denique subjugato quicquid obvium erat, Issum veni ubi me cum innumeris copijs Darius expectabat. Post hæc, ô Minos vos ipsi scitis, quot uno die mortuos vobis miserim. Dicit enim Charon, sibi tunc scapham non sufficisse: sed plerosque illorum ratibus compactis trajecisse. Et hæc confeci me ipsum periculis opponens, & in pugna vulnerari non timens. Et ut quæ Tyri & Arbelis gesta sunt reticeam, ad Indos usque veni, meumq; Imperium Oceano terminavi, & ipsorum elephantes cepi, & Porum captivum abduxi. Scythas etiam non contemnendos homines superato Tanai, magno equitatu devici: & amicos beneficijs devinxi, & ab inimicis me vindicavi. Si vero Deus hominibus videbar, parcendum illis erat: siquidem rerum à me gestarum magnitudine adducti sunt ut tale quid de me crederent. Tandem mors me regnantem occupavit: sed hunc, cum apud Bithynum Prusiam exularet, ut vir pessimus & crudelissimus merebatur. Nam quo pacto Italos vicit, omitto dicere. Non enim virtute, sed versutia, perfidia & dolis id peregit: nunquam justi, aut claritudinis alicujus memor. Sed quoniam delicias mihi oblitus mihi videtur eorum quæ Capuæ commisit, quum meretricibus deditus, vir ille mirabilis, belli gerendi occasiones voluptatibus prodidit. Ego vero, nisi quæ sub Occidente sunt, parva ratus, ad Orientem potius me contulissem, quidnam adeò magni præstitissem? Qui Italiam absque sanguine capere, ac Lybiam omnemque tractum ad Gades usque sub potestatem facilè redigere potuissem? Sed hæc nulla contentione digna putavi, quæ jam me formidarent & dominum agnoscerent. Dixi. Tu vero Minos judica. Hæc enim è multis protulisse satis est. *Scip.* Ne priusquam me quoque audiveris. *Min.* Quisnam & cuias es vir optime, qui dicendi copiam poscis? *Scip.* Scipio sum Romanus, Imperator, qui Carthaginem delevi, & Afros magnis præliis subegi. *Min.* Quid igitur tu dices? *Scip.* Alexandro quidem me esse inferiorem, sed Annibale præstantiorem, qui ipsum persecutus devici, & turpem fugam arripere coegi. Quomodo igitur impudens iste non videatur, qui cum Alexando certare ausit, cui ne ipse quidem qui nec ipse est contemnendus. *Dialogis mortuorum.*

Idem: Al. Sed in subeundis periculis alacritatem non laudas pater, ut quum apud Oxydracas primus intra mœnia desilii, totq; vulnera accepi? *Ph.* Non laudo, Alexander. Non quod non decorum esse putem vulnerari quandoque Imperatorem, & in subeundis periculis prætentare viam: sed quod illud ex re tua minimè erat. Etenim pro Deo habitus, si quando vulnus reciperes; teque viderent bello raptim efferri, sanguine manantem, & vulnus mœrentem, spectatoribus hæc erant ridendi argumentum. Adde quod Ammon præstigiator, & mendacii reus vates arguebatur, & assentationis, prophetæ illius. Equis risum continuisset conspicatus Jovis filium animo deficientem, & ope medicorum indigentem? *Dialogis mortuorum.*

Themistius: Non minus te à Persis quam à Romanis Imperatorem factum, perspicuè illi declararunt, cum simul ac renunciatum te intellexerunt, arma projecerunt: ita ut eos postmodum metuerent, contra quos audaces antea atque insolentes extiterant. Sic & Thebanum olim Epaminondam ferunt, cum inter alios milites in ordine esset, sub aliis Bæotorum ducibus, atque à Thessalis urgeri exercitus cœpisset, media ex acie Bæotorum imperatorem esse factum, statimque hostes in fugam conversos, cum eundem quem militem antea non tenuissent, imperatorem perhorrescerent. Te vero non Thebani ac Thessali, illi ultro crearunt, hi inviti comprobarunt, sed in unum coactus Occidens universus atque Oriens quemadmodum æquum illum erat, qui toti terrarum orbi esset imperaturus, nullam ejus partem suffragii expertem habere. *Oratione* 12.

Iulius Cæsar: Nam & sub dio stationem tuam fixeras, tamerfi vicinum esset non contemnendum oppidum, & militibus tuis non vocis imperio, sed factis atque exemplis ad labores capessendos & pericula præeundo, ignotam hactenus viam omnibus excogitasti. *Orat.* 1. *ad Constantinum Aug.*

Iulianus Imp. Multa sunt, quæ de Argivorum civitate dici possunt, si quis velit eorum res veteres & novas prædicare. Nam rerum ad Trojam gestarum gloria, sicut Athenienſibus & Lacedæmoniis postea sic illis maxima ex parte tribuenda est. Etsi enim ambo illa communiter ab universa Græcia gesta sunt, attamen ut laborum & molestiarum, sic laudum præcipua pars esse debet imperatorum. *Epistol.* 36.

Libanius: Ad hæc parvâ, otium non dabant. nam crebra & continua curarum ac laborum successio fuit: teque deliberationes actionibus, ac vice versa actiones consultationibus tradebant. Navi similis erat, quæ cum illum fluctum evitavit, cum altero contendit: ita ut necesse esset alios interrogare, aliis respondere: illis præcipere, hos vocare; quosdam emittere, nonnullos increpare, aliquos laudare, illis credere, his diffidere, alios suspicari, aliis confidere, quibusdam quæ sentires dicere, in alios fraudem astumq; conferre. ac nullus quidem enumerare queat, quæ à te tunc mentem & oculos, & aures requirebant. quapropter cui non licebat præ multitudine urgentium negotiorum ne respirare quidem, huic ne onus imponere conveniebat? *Declamat* 20.

Libanius: Melior est Dux exercitus qui furatur, quam qui veretur ne per furtum vincat. Ergo si fraudes, perinde ac fabricas hostibus admoveas, legibus consentanea feceris. Sic Themistocles ille duplici fraude, altera munivit urbem, altera Græciam servavit. Quin etiam medicos videmus ægrotantium cupidines fraudibus eludere. idem quoque utique adversus sanos præstamus. quoties melius fuerit delusum fuisse, quam quod verum est audisse. Mox. concedatur etiam aliquod in præliis mendacium. nam vitæ discrimen furtum admittit. Imo Ulysses ob Palladii Minervæ signi furtum, honore affectus est. *Declam.* 29.

Libanius: Velim vos meminisse illius diei in qua comitiis habitis, multis aliis præteritis, me ad copias ducendas constituistis. atenim populus congregatus est: consilium autem fuit de electione ducum: tumultus non exiguus & sermonum varietas multa, & voces hujusmodi oratorum, In armis salus est: armorum verò ipsorum momentum in imperatore est: atq; hunc decet, non quemlibet e trivio, sed aliquem ex iis esse qui examinati sunt. hunc quidem ille laudaverat: vos autem non approbaveratis. alius alium admiratus erat: at vos non tolerabatis. ac de tertio, opinor, & quarto idem fuit, cum hi laudarent, illi non parerent. Etenim aliorum majores incusabatis: alios non pulchre educatos fuisse ajebatis: alios certaminum imperitos esse dicebatis: nonnullos tardos ad inveniendum quid in rem sit: quosdam non satis virium habere ad perficiendum quod visum & statutum esset. Postquam verò quidem mei meminit, omnes prorsus (hoc enim etsi importunum dictu fuerit, non tacebo) omnis inquam, Judices, populus tumultuatus est, & quasi audivisset, quem dudum quærebat, constituit: & cum voluptate ac bona spe elegit. Igitur ego negotiis susceptis, & conatus non fallere expectationem eorum, qui me elegerant, non id agebam ut suaviter degerem in potestate, & facultates meas augerem: verum ut publica melius se haberent, & ut nihil utiq; negligeretur id operam dare perstiti. Labores meos norunt milites, meas vigilias: quot ipsos actionib. exercuerim: ut probos & fortes honoraverim: ut eos, qui tales non erant, emendaverim: occasiones aciei instruendæ quærendo, locorum & artium invasiones & expugnationes, cavendo ne quid adversi contingeret: insidias struere meditando, commenta, exhortationes, prælia, opportuna quæque ad vincendum occupando: optimi ducis munus esse existimans, non ut curæ habeat iis quidem quæ foris

sunt potiri, eorum verò quæ intra muros sunt negligens & securus sit. *Declamat. 28.*

Onosander: Eligendum igitur Imperatorem censeo, non certa quadam gente familiave oriundum, ut sacerdotẽ, nec amplis facultatibus locupletem, ut gymnasiarcham, sed castum, temperantem, sobrium, frugi, laboriosum, intelligentem, minimè avarum, nec juniorem, nec item seniorem, &, si fortè contigerit, filiorum patrem, dicendi peritum, ac demum gloria illustrem.

1. Castum quidem esse opto, ne voluptariis distractus hinc inde cupiditatibus rerum curam insuper habeat maximarum.

2. Temperantem vero, si quidem penes eum imperii summa est. Nam intemperantis animi motus semel admissi, liberas mentes subigunt, & impotentes feruntur in libidines.

3. Sobrium sive siccum: ut in arduis negotiis parandis putandisque pervigilet. Noctu enim quasi silente & quiescente animo, multa Ducis cogitatio molitur ac perficit.

4. Frugi verò: Facultates enim exhauriunt & exsiccant prodiga familiarum ministeria, & immodesti ac intempestivi sumptus in Ducum luxus atque delicias.

5. Laboriosum: ut non primus à militia deficiat, sed postremus.

6. Intelligentem: Nam acutum & perspicacem Imperatorem esse decet, & ingenii celeritate multa simul agitante velocem. Cogitatio enim instar volatus, apud Homerum. Et sæpenumero inopinati tumultus ingruentes, tumultuariam quoq; utilis consilii rationem expedire cogunt.

7. In primis vero probabitur minimè Avarus. Incorrupte enim & magnifice præesse, ea demũ vera audacia, & summa authoritas est. Et pleriq; viri fortes, umbonum hastarumq; micantium fricturas oculis contra spectant irretortis, attamen auri nummorumq; fulgorem non sustinent, mentisq; aciem hebescere patiuntur. Terribilia hostibus illa arma, nec parum ad victoriam efficacia.

8. Neq; Juniorem, neq; item Seniorẽ. Nam ille fide minus idoneus, istius vires parum firmæ, neuter securitatem præstare potest. Etenim adhuc adolescentior, temerario & feroci impetu, rem deperdet: At jam defectæ ætatis senex naturali infirmitatis vitio, derelinquet. Optima igitur temperatæ ac intermediæ cujusdam rationis selectio, quia & robur inerit seni juniori, & prudentia juveni seniori. Qui vero aut corporis vires absque ingenii consilio, aut consilium absq; viribus probant, falluntur, nec hilum proficiunt. Nimirum omissa prudentia nihil sapienti calliditate consulitur, virib. deficientibus nihil recte consulrum perficitur. Nec parum quidem erit præsidii electo Duce vulgi commendatione probato. Quem enim homines sponranea voluntatum inclinatione cordi habent, ejus facillimè imperio parent, dicto audiunt, periculis subveniunt, decertantemque protegunt.

9 Bonum ducem patrem esse malui, quam illiberem aut improlẽ. Hic tamen si cætera probus sit non repudiandus. Et si fortè parvuli filii sint, eos, veluti potentissimas amoris illecebras, idoneos animi sui obsides reipublicæ relinquet. Iisq; ut asperis acerbisq; asilis & œstris ad bellum parer incitabitur, Si verò jam adultæ sint ætatis cõsultores, ducesq;, ac fidissimi secretarum cogitationum arbitri fient, reiique publicæ statum obfirmabunt.

10. Dicendi peritum. Hinc enim maxima præcipuaq; in exercitũ commoda derivari puto. Siquidem Imperatoris vehementi concione erecti excitariq; in procinctu milites, ardua quæq; & formidolosa despiciunt, & propositam in laudem victoriamq; acriter decertando conspirant. Nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, aut irritant, ut hortatrix ad virturem & gloriam oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppositа pericula erigit stabilitque: immo & metu conterritos, peneq; jacentes, sæpe constãti roborat allocutione. Unde efficax Imperatoris eloquutio, exercitus strages generose solari ac leniri docta, utilior multo est longo vulnerariorum medicorum agmine. hinc enim solis remediis medicina vulneribus paratur: illinc defessi milites, viribus novis reparantur, fortes, addita etiam virtute magis animantur. Et quemadmodum latentium morborum sanatio difficilior, conspicuorum facilior: sic etiam longe majoris prudentiæ est, cæca pernicie deficientes fugientesq; animos ab interitu revocare, quam corporis ægritudinem plerumq; liquido manifestam sanare. Nulla igitur Respubl. aut exercitum sine Imperatore, aut Imperatorem absq; eloquentia, mitrat.

11. Illustrem deniq; & generosum. Ignobilis enim Ducis principarum ægrè ferre populus solet, & vix est ut illius imperio ditionive subjici velit. Quocirca necesse est eum qui præclaras omnes quas enumeravi, ingenii dotes, complexus sit, etiam esse illustrem ac virtute nobilem. Sed nec divitem tamen, ut jam vitiosa electio sit, pecuniarum habita ratione. Nec item pauperem, ut inopia pressus sese excusare possit. Neq; divitem quidem, neq; pauperem: sed tamen & divitem, & pauperem: neuter vero sortitione probandus, sed delectu considerato dijudicandus. Dives enim virtute præditus tantum ab generoso paupere differt, quantum argentea aureaq; arma, ab æreis ferreisq; disparata sunt. Illa enim ornamento quoq; abunde exuperant, hæc vero sola utilitate ac necessitate cum illis certant. Quæstuarias item artes minimè exercear. Ejusq; conditionis homines licet ditissimos vix unquam Duces eligendos censeam. Nummularios dico, arulatores, mercatores, aut his similia commercia pertractantes. Eos enim demisso abjectoq; esse animo necesse est, utilis tantummodo lucelli utilitate captos, & cumulandis opibus stolida avaritia despicatos, nec ulla unquam præclara Reipublicæ tributa opera, aut majorũ meritis nobilitatos. Nam & gentilem quoq; sive majorum virtutem amare licet præsentem, nefas quærere absentem, aut hujus tantum gratia & favore dignos imperio aliquos existimare. Ut autẽ animalia, quorũ strenua opera est, generosa dicimus, sic generosi homines, ex sua propriaq;, non aliena aut adscitia virtute, judicandi. Amentis enim est, quid præclarè à majoribus gestum sit, inspicere, nec quid ipsimet eligendi præstare potuerunt, expendere. quasi vero qui olim ante nos vixerunt, urbẽ remq; publicam nobis servare valeant incolumẽ, maneantq; eadem illa nunc quæ pridem extitere. Nonne vero absurdũ illud videbitur, milites honorariis præmiis decorare, non proavorũ splendoribus claros, sed audaci facinore valẽtissimos: Duces tamen inspecta majorũ, quantumvis illustriũ, gloria eligere, non vero propria ipsorum virtute, & licet gentilitia careant? Hæc certe si adsit, beatum prædico Imperatorem at illa si desit, ignavũ inertemq; judico. Nec male forsan speravit aliquis Duces præstantiores futuros, si avorũ magna sonare nomina nequeant. Illi namq; parentum virtutib. celebres, etsi degenerent, famæ nihilominus ac memoriæ perennitatẽ æternum mansuram existimant, ideoq; permultis in negotiis supino animo desidiosi jacent. Secus qui nullã sibi generis arrogant gloriam. Humilem enim ortum, ut suapte industria honestissimum reddãt, multis susceptis aditisq; periculis pleniore omniũ ore laudari discupiunt, Atq; ut ii quibus paupertinæ tenuesq; sunt reculæ, parandis augendisq; vitæ præsidiis, ac fortunæ damnis sarciendis promptiores divitibus esse solent: pari quoq; ratione, qui nullos hereditarios honores cernere possunt, peculiari propriaq; virtute gloriam laudemq; magnopere sibi adserere ac vindicare conantur. *Strategici cap* 1.

Onosander: Maxime quidem colendus & observandus est Imperator bonus, nobilis, & dives, non tamen improbandus pauper virture gloriosus, etsi nec origine generosus. Electus vero appellatusq; Imperator æquus, benignusq; sit, affabilis, facilis, intrepidus ac placidus. Sed non ita simplex, aut mitis, ut despiciatur, neq; adeo tetricus & austerus, ut in odium veniat. Ne scilicet gratiosa nimis dissimulatione militũ animi solvantur atq; lasciviãt, neve itẽ nimio bellicæ disciplinæ terrore alienẽtur. Ipse autẽ, ordinarios, manipularios, primipilos, cæterosq; ordinũ ductores, suo arbitratu, aciei præficiat, eosq; potissimũ, quos noverit patriæ amantissimos, fidissimos, valẽtissimosq;, nihil vetabit quinetiã locupletissimos, & nobilissimos. Nec. n. permultos præfectos, tam accurato morũ ac vitæ examine licet expendere, q̃ per solos Imp. ac Duces, etsi divitiarum cũ nobilitate insolentior aliquando sit fastus. Itaq; in civili trepidatione, & occasionis puncto, præponenda quidẽ nobilitas, in penuria vero, posthabita nobilitate, optãda potius opulẽtia est. Divites. n. sumtus in exercitũ liberali animo cõmode facere poterunt. Illa a. hujusmodi præfectorũ munificẽtia militũ benevolentiã provocat, securitatemq; cõciliat, in rebus q; arduis tutior fides quando milites, spe majorum præmiorũ, pericula quæq; audaces adibunt. Si tamẽ strenue se gesserit Imp. *c. 2. Strateg.*

Onosander: Imper. si in eadem castrorum permanserit metatione, & in hostis conspectum prodire voluerit, vel ut cum eo sermones aliquos misceat, vel ut eum de quibusdã reb. audiat, det operam ut secũ prodeãt quoq; selecti, præstabiles quiq; juvenes, robusti, decori, proceri, splendidis armis insignes. Sæpe. n. inspecta parte, de totius præstantia judicari solet. Atq; hinc hostiũ Imper. non tantũ de iis quæ audiverit deliberabit, quantũ illis quę viderit, terrebitur. *c. 10. Strat.*

Onos. Si quando pavor aliquis aut metus exercitũ invasit, vel quia nova sociorum accessione hostiũ numerus accrevit, vel quia potior quodãmodo genius illorũ videtur. tum maxime Imperator hilarem, lætũ, ac intrepidũ vultũ militibus ostendat. Nam ad Imp. adspectum, quasi ad exemplũ, ceterorum animi cõformantur. Et magnanimi hilariq; Ducis cõfidentiores copiæ sunt, nempe quasi nihil sit periculi cõtra si pavidus ille ac mœstus appareat, animos simul abjiciunt, velut majore quadã malitate impẽdente. ideoq; satius erit decora & suavi vultus cõpositione multitudinis pectora erigere, quã verbis & cõcionibus adhortari. nam illis ut è re nata confictis pleriq; diffidunt. At vero cum serenam ac securam Imperatoris frontem contuentur, simplicem non simulatã esse existimantes, metum quoq; omnem abesse debere, persuaderi sibi facile patiuntur. Utile autem est utramq; in partem. quando usus venit, eloqui posse, vultumque fingere, ut res quæq; postulare videtur: & quemadmodum confidentiam exercituĩ addidisse profuit: sic etiam & metum aliquando injecisse. non parum commoditatis attulit. *cap. 13. Strateg.*

Idem: Etenim si milites languidè ac remissè pugnent, aut ductoribus suis contumaciter repugnent, tunc Imperator periculũ imminere utiliter simulabit, maximè si eos ita in metu ponat, quasi stent in insidiis hostes jamjam erupturi. Sic enim non pavidos, sed cautos efficiet. Et afflicti quidẽ animi roborandi & cõfirmandi sunt, lenti vero ac desides terroribus excitandi. Et ita timidi fortes evadẽt, audaces vero, cautiores ac prudentiores fient. Utrumq; autem militarib. copiis accidere solet. nempe, tam ignaviter ac demisse aliquando formidant ut nihil omnino audere velint, aliàs tam arroganter hostes negligunt, ut nihil prorsus cavere curent. Ad hos igitur illosq; casus paratũ esse Imper. decet, ut sciat, modo pericula & sermone & vultu cõfutare ac elevare, modo simulato metu eadem adaugere. *c. 14. Strat.*

Onosander: Qui aut munitiones suas ipsi destruunt, aut amnes copias trajiciunt, aut saxa inaccessa & prærupta à tergo militibus suis esse studeant, ut vel manentes in gradu vincant, vel fugere incipientes pereant, eos omnino nec laudare nec vituperare habeo. Quicquid enim cum periclitatione perficitur, temeritatis audaciæ.

audaciæque potius quam prudentiæ tribuendum est, atque ex casu, quam iudicio consilióve pendet. Nam ubi aut victorem obtinere oportet, aut victum rerum suarum summam secum unà eversam videre necesse est, quomodo ibi parta victoria, vel prudentiæ adscribenda, vel accepta clades Imperatoris voluntati & proposito imputanda? Equidem militibus quibusdam, ut ambitiosè ferro vitam, inter se cernant concedi aliquando patior. nam & præclarum fortè facinus faciendo suis certè valdè prodesse, & occũbendo non admodum obesse poterunt. At totis copiarum viribus, opus periculosæ plenum aleæ tractare, haudquaquam, probo. Sed in primis peccare mihi videntur ij, qui hostibus leve fortassis incommodum daturi, suis vero maximam perniciem importaturi his stratagematum artibus abuntur.

Verùm si certum illis tamen ac præsens sit suorum exitium, etsi periculosis hujusmodi expeditionibus abstinerent, & certa item profligatis hostibus immineat pernicies, minimè tunc errare videantur si fugiendi vias omnes militibus suis obstruant. Multo enim utilior in rebus dubiis audacia est, dando operam ut sui incolumes serventur, hostiúmq; strages fiat, quàm ignavia & quies, quando manifestum est & nihil audentem omnino tandem periturum. Nec solùm in iis locis in quibus salus unà fugientibus est, salutem sperare nullam; sed ubicunque & in quibuslibet proeliis, accuratâ oratione milites suos doceat Imperator fugientibus quidem certissimum imminere interitum, quando scilicet fervidi pro arbitrio inhærebunt hostes, & nemine repugnante terga dantes, quocunq; libuerit compellent: in gradu verò manentibus, fortitérq; pugnantibus, spem aliquam salutis supereße. Etenim si in iis rebus persuasi sint, turpissimum fugientibus perferendum esse exitium, resistentibus vero gloriosam mortem opperendam, semperq; ordine deserto plus dari detrimenti, quàm servato, erunt in suscipiendis adeundisque periculis fortissimi constantissimique. Optime itaque se gesserit Imperator si milites suos fecerit, ista ut omnes aut permulti sibi persuadeant. tunc enim aut absolutissimam victoriam reportabunt, aut non nisi in leves incident calamitates. Cum autem rerum varias facies ante conflictum animo præcepit, apprimè Imperatoriam artem callens, permultas ac mirabiles in ipso pugnæ momento pugnandi repugnandique artes reperit, quæ singillatim provideri aut præmonstrari minime possunt. Quemadmodum enim gubernatores omnia navigio instruenda utilia parant priusquam portu solventes evehantur, coorta vero in alto tempestate, jam non quæ volunt, sed quæ necessitas cogit, faciunt, & multa sæpe dubii eventus audacter adeunt pericula, nec ad artis peritiæq; suæ memoriam conatus suos referunt, sed ad necessaria pro temporis ratione auxilia: Sic Imperatores copias quoque suas, ut rebus bene gerendis usui sibi fore putant, instruunt quidem, ingruente autem belli tempestate quæ varia & improvisa objiciens discrimina, parata omnia collidere ac evertere solet, coguntur pro rerum præsentium statu, extempore investigare consilia, qualia fortunæ sæva potius necessitas, quam experientiæ memoria suggerit. *cap.* 32. *Strategici.*

Idem Onosander: Imp. si quando ipse decertet, caveat diligenter ne sit audacior, aut potius manum omnino cum hoste non conserat. Nam licet præstabilem fortitudinis operam navare possit, non tamen tantum suis pugnando proderit, quantum occumbendo oberit. Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini. Nimirum quilibet è populo miles, corporis robore strenuè facere potest, mentis autem providentia bene consulere, haud alius facilè queat. Nam quo modo, si gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis se immisceat, navem in periculo esse contingit: Eodem planè modo si Imperator consilia suis dare negligens, ad militaria munera se transferat, rem universam in maximum adducit discrimen, meliorum enim majorumque curarum incuria, irritum & vanum fiet cum desiderabitur auxilium. Et sanè animum suum induxisse censetur, de rei & exercitus totius interitu minimè esse solicitum: quia scilicet eius, in quo omnium salus versatur, exitium parvi facit, omnes quoque omnino secum una profligari dolo malo velle videtur. rectèque quis eum culpaverit ut ignavum magis quam strenuum aut fortem. Qui enim multa consultò prudenterque imperat, satis inlustrem rebus bene gestis adipiscetur adoream. At qui adeo ineptus est, ut, nisi manum cum hostibus conserendo in eorum manus venerit, nihil se egregium edidisse existimet, non fortis, sed audax & temerarius existimari debet. Eapropter Imp. avidè se & alacriter pericula suscepturum ostentet militibus, ut eorum hoc modo animos provocet; sed ipse vix in certamen veniat, nec nisi summa prius adhibita diligentia, mortemque tum demum despicere incipiat, cum in periculum res suas venire viderit: ita ut, & occisis copiis superstes esse velit. Sæpenumero enim gloriosam cætera victoriam mors Imperatoris valdè afflixit, quiq; jam ferè postrati fugatique erant, hostem sine Imperatore esse cernentes, recuperatis paulatim animis consurrexerunt in proelia fortiores: qui vero feliciter pugnaverant, animos abjecerunt, nimio Imperatoris interfecti desiderio anxii. Illud præcipuum Imperatoris officium est, ordines singulos obequitare, adesse periclitantibus, gnavos strenuosque claudare, ignavos pavidosque increpare, cunctantes excitare, imminutis ordinibus milites alios substituere, quosdam etiam, si opus sit, traducere, suppetias ferre laborantibus, ac opportunitates, momenta, eventus observare. *cap. Strateg.* 33.

Onosander: Ad impressiones autem faciendas, urbesque per proditionem noctu invadendas, incertantium per noctem supra terras siderum Imperatori peritiam aliquam inesse oportet, aut sæpenumero vanas & irritas struet ille insidias. Nam aliquando proditor tertiam aut quartam, aut aliam quam oportunam duxerit noctis horam constituit, qua se portas reseraturum, aut custodes civitatis jugulaturum, aut hostile intus præsidium invasurum promisit. Tunc que de duobus alterum evenit, nempe ut vel præmaturè hosti appropinquet, & priusquam proditores parati sint, deprehendatur, reique gerendæ consilia impediantur. vel ut diutius cunctando serior adveniat, & proditores in ipso belli furto comprehensi, ad mortem illico rapiantur, nihilque ipse perficiat. Itaque conjicere apud se, viamque metiri debet, & quot stadia pervadenda, quotque horarum sit iter: tum ex siderum intuitu emensum jam spatium colligere, quantumq; adhuc conficiendum sit, definire. Id si accuratè perpenderit, commodum tempus nec temere festinando præverteret, nec diutius commorando elabi patietur. Et vix adhuc rumor erit eum adventare, quando jam in muros fuerit admissus.

At si interdiu movere exercitum velit, in urbem aliquam constituta hora occultè per proditionem invasurus, præmittat equites aliquot, qui obvios quosque intercipiant, ne quis se inde ad urbem cursu propripiat, hostesque adventare significet. sed incautis improvisus immineat exercitus. Quisquis autem nec opinantes hostes opprimere volet, etsi non per proditionem victoriam surrepturus, sed dicta & denunciata die concertaturus, haudquaquam interjecta mora id agat, sed quam potest celerrimè, in opidum, aut vallum, aut urbem, impetum faciat, præsertimque si militum numero hostibus inferior sit. Nam repentini impetus quique præter opinionem desubito ingruunt, adversariorum copias etiam præstantiores potioresque percellunt. At si per tempus illis vires tuas circumspicere, de iisque deliberare liceat, eas tandem sumtis animis despicere ac negligere incipient. Adeo res quædam audacibus subitisque inceptæ principiis, persæpe majorem incutiunt, quam prolatæ, terrorem. Ideoque nonnulli improviso hostium adventu perterriti, aut volentes sese ditioni illorum ultrò subjere, aut nolentes etiam imperatis parere coacti sunt. *cap.* 39.

Onosander: Si quid subito confici oportet Imperator, primus ipse, manu operi admota, conspiciatur. Nec enim militum vulgus adeo potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis Ducem suum in re attrectanda omnium principem, festinandum esse animadverrit, cessare erubescit, imperatisque non parere veretur, nec jam ut servus, aut imperio subditus, sed commilitonis instar, ad opus quoque provocatus accedit. *cap.* 42. *§.* 1. *Strategici.*

Onosander: Ipse igitur Imperator, inquiet aliquis, ferro vel adamante fusus ac conflatus, solus his rebus semper invigilet. At non ita sane se res habet. Nam aliquando dum ille sese ad breve tempus quieti & somno dederit, interea temporis Ducum aliquis fide ac virtute præstantissimus, qui in militari imperio secundas teneat, exercitui præficiatur. *cap.* 42. *§.* 4.

Leo Imper. Imperator est qui universo exercitui præest, & maximam secundum Regem habet potestatem.

Imperator est universæ militiæ præcipuus dux à Rege designatus, qui alios sub se duces partim à rege missos suffragio suo approbat, partim sua ipsius autoritate designat.

Proprium Imperatoris munus est, subjectos suos prudentia, fortitudine, justitia, temperantia, anteire.

Universæ provinciæ quam accepit, tum militaris tum privatæ tum publicæ administrationem in se recipere.

Exercitum inordinatum, idonea atque opportuna in acie collocare.

Propositum hoc est Imperatori, ut multitudinem suam amplificet, & sine omni offensione, ab hostibus reliquisq; injuriis, à perturbationibus & seditionibus solutos conservet, hostes omnibus modis vel bello vel incursionibus inopinatis labefactet, & quæ inferre hostibus molitur, circunspiciat ne eadem ab illis patiatur.

Finis Imperatoris est, maximam gloriam habere, in omnibus Dei & Regis benevolentiam consequi: sin quod idoneum officioque suo conjunctum est neglexerit, ut è contrario illi accidat. Ita igitur Imperatoris imagine informata, quasi coloribus quibusdam exprimendæ dotes ejus sunt, demonstrandumque est quis & qualis esse debeat, qui in hoc dignitatis gradu collocandus sit. *cap.* 1.

Mandamus igitur ut Imperator sit corpore continens, victu temperans, sobrius, vigilans, frugi, & in rebus necessariis minime profusus, in laboriosis negotiis assiduus, circumspectus & prudens, pecuniæ despiciens, famæ commendatione honestus, neque juvenis, neque ætate ingravescens, habilis ad dicendum ex tempore in media frequentia hominum, liberorum, si ita usus ferat, parens, non ad mercaturam faciendam, aut ad hujusmodi lucrum intentus, non parvi animi & minutas res expetens, denique generoso tum animo tum corpore, quoad ejus fieri potest, & in omnibus magno animo.

2. Continentem esse Imperatorem oportet, ne voluptatibus nimis diffluens, rerum necessariarum curam ac provisionem abjiciat.

3. Temperantem vero, quoniam tale imperium susceperus est. Intemperantes enim & libidinosæ animi appetitiones, si quando vires cœperint, propter quidvis agendi licentiam in omnes cupiditates infrenatè ruunt.

4. Sobrium autem & vigilantem, ut in maximo acierum appa-

ratu animo quasi excubet. Nocte enim quando animus maximè requiescit, Jmperatoris sæpe sententia versando mutatur, sæpe cogitando confirmatur.

5 Frugi, & in usibus necessariis non nimis profusum. Sumptuosi enim & ingentes famulatus, tempus ut inaniter transigatur faciunt, & quod ad necessarias expeditionum expensas conferendum fuit, ad delicias luxumque præfectorum absumunt.

6 Industrium autem, ut ne primus militum otium sectetur, sed exemplum potius fiat ad labores alacriter suscipiendos.

7 Circunspectum & prudentem. Sollertem enim oportet esse Jmperatorem, in omnes partes cogitationem animi quadam celeritate versantem: perturbationes enim inopinatæ cùm incidunt, confestim præsentis auxilii excogitationem requirunt.

8 Pecuniæ despicientem. Etenim pecuniæ despicientia in Jmperatore cernitur, quando abstinenter & magnificè rebus gerendis præest, & honores bellicos virtutis mercedem suis proponit. Multi enim & animo forti sunt, & corpore adversus hostes robusto: sed quando in aurum intuentur, mentem occæcatam cupiditate atque obscuratam habent: gravia enim arma sunt hæ pecuniarum cupiditates, & ad oppugnandos atque evertendos homines efficacia.

9 Neque juvenem neque ætate ingravescentem: quoniam juvenis propter ætatem, inconstantem & flexibilem habet mentem: Senex autem imbecillo est corpore, & nullus ex illis penè firmus existit: & ille quidem ut ne propter inconsideratam te meritatem quasi audax labatur, hic vero ne propter naturalem imbecillitatem corporis, quæ facto opus sunt prætermittere cogatur. Optima igitur electio est constantis & mediæ ætatis, non juvenis, aut ætatis ingravescentis.

10 Etenim vis & robur est in eo qui nondum consenuit, prudentia autem & stabilitas in eo qui ex adolescentia excessit. Nanque qui robur corporis sine prudentia animi admirantur, vel contra animam prudentem absque corporis viribus excolunt, ad nullum bonum exitum perveniunt. Prudentia enim si viribus deficiatur, nihil pulchrum, vires verò prudentia destitutæ, nihil prorsus efficiunt.

11 Charum subjectis suis Jmperatorem, longè nobiliorem scimus esse, hocque magnopere subjectis adjumento est. Quem homines diligunt, illi imperanti facilè obtemperant; dicenti & pacisceti non resistunt, periclitanti succurrunt. Tantares est amor, ut pro eo quem charum quis habet, vitam profundat.

12 Pater liberorum anteponendus est effœto atque orbo. Neque verò orbum liberis repudiamus, si bonus sit. Nam qui liberos habet Jmperator, si infantes fuerint, longè ardentior propter liberorum amorem ad studium rerum agendarum suscipiendum, erit. Si verò constanti jam & matura ætate fuerint, consiliarios, & laboris imperatorii participes & fideles administri, res pro communi salute susceptas promovebunt. Itaque hac de causa pater orbo videtur anteponendus.

13 Ad dicendum & perorandum habilem: puto enim hoc maximè exercitum adjuvare. Nam instructum ad pugnam exercitum Jmperator exhortatione sua ad periculorum mortisque contemptionem, & ad rerum honestarum suaviumque studium adducet. Tuba enim in auribus hominum personans, non tantum animos nostros ad motus bellicos excitat, quantum oratio sapientia quadam adjuncta ad virtutem vocat, & paratos ad dimicandum auditores facit, & ad pericula suscipienda animos impellit.

14 Si verò ulla in exercitu contingat offensio, aliqua tum illos ei cohortatio permulcet, & longè utilior est Jmperatoris oratio, ad res afflictas exercitus levandas, quàm medici vulnera curantes: illi enim saucios solos die ac tempore tandem fortasse sanant, hic autem confestim fessos ac lassaros alacriores facit, & ad omnem animi magnitudinem præstantiamque satis robustos.

15 Nobilem & celebrem virum diximus esse oportere, quia semper hæsitat animo & excruciatur vulgus, cùm obscuris viris atque ignobilibus subjectum est. Nemo enim lubens patitur eum Jmperatorem eligi, quem deteriorem seipso putat.

16 Mihi perneccessarium sanè videtur, ut Imperator designatus si has quas nuper commemoravi virtutes imperatorias habeat, nobilis statim sit: talis enim virtus obscurum diu hominem manere non sinit.

17 Dicimus autem ne divitem quidem, nisi virtutes imperatorias habeat, pecuniarum causa imperatorem designari debere: nec pauperem contra si bonus fuerit, paupertatis ac tenuitatis causa repellendum. Nec verò divitem divitiarum gratia repellimus, sed si virtutes Jmperatore dignas non habeat: nec pauperem quia pauper est designamus, sed quia fortem atque imperatorium habeat animum. Neutrum propter fortunam repudiamus, sed utrosque propter mores asciscimus.

18 Dives bonus tantum præstat generoso pauperi, quantum aurea atque argentea arma æreis ferreisque antecedunt: hæc enim in bello æquè efficacia sunt, illa verò præter efficacitatem etiam ornamentum afferunt.

19 Pauperem generosum voco, qui munerum abstinens est, & minimè quæstuosus: quæstuosum enim virum, ne si ditissimus quidem fuerit, uti e est Jmperatorem eligi.

20 Imò verò neque parcum aliquem aut sordidum, ad rem faciendam venalitium, aut aliquid eius generis molientem: necesse est enim tales perparcos esse, & ad aviditatem pecuniarum inexplebiles, & ad cumulandas opes nimium intentos, & ab honestis actionibus longè abhorrentes.

21 Si claris & nobilibus majoribus fuerit, aliquam hoc commendationem habeat. hanc tamen generis nobilitatem, si absit, non admodum requiremus, neque tantummodo propter hanc unam, si aliàs laudabiliter artem imperatoriam teneat, dignus hoc munere habeatur.

22 Quemadmodum enim animantia omnia ex moribus illorum & actionibus exquirimus utrum generosa an inertia sint, sic & hominum nobilitatem non ex majorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus & rebus gestis æstimare oportet. Iniquum enim atque indignum est, humiles atque obscuros quosque milites sua ipsorum virtute ac militari laude, & non majorum splendore, emergere, Jmperatores autem propter majorum suorum præclara facta eligi; cùm ipsi imperiti atque inertes sint.

23 Neque vero illos, qui cùm obscuro loco nati sunt, tamen sua ipsorum facta nimis venditant. Nam si virtuti suæ majorum quoque splendor accedat, fortunatus Jmperator est: sin virtus abfuerit, ne hæc quidem illum clarum efficient.

24 Fortassis autem existimare quis posset, meliores futuros Jmperatores qui nulla majorum suorum laude commendantur. Nam qui majorum factis clari sunt, & illorum gloria illustres fiunt, sæpe negligentiores & omissiores sunt: qui autem nihil à majoribus acceperunt, isti maiorum obscuritatem sua virtute illustrant, & ad res alacrius suscipiendas omni animi contentione impelluntur. Et quemadmodum qui haud magna cum re sunt, ad vitæ cultum & affluentiam rerum comparandam diligentius contendunt, sic quibus nulla à majoribus gloria relicta est, iidem sua ipsorum virtute strenui esse laborant.

25 Iis de causis eligatur Jmperator bonus, nobilis, dives: non repellatur autem pauper si cum virtute sit, quanquam claris ac illustribus majoribus ortus non sit.

26 Ad summam autem dicere oportet, Jmperatorem, si fieri potest, corpore gratioso, robusto & laborioso, mente autem celeri ac strenua, honoris expetentem, promptum, periculorum despicientem, & rerum divinarum veræque religionis sanctissimum cultorem esse debere.

27 In voluptatibus corporis temperantem, consilio & laude vera in rebus honestis suscipiendis inexplebilem atque insatiabilem.

28 Ad perspiciendum in dubiis rebus quid maximè opus facto sit, acrem & solertem.

29 Exiis quæ in promptu sunt, ad res abstrusas coniiciendas felicem.

30 Ad jacentes militum animos oratione excitandos, & in spem bonam adducendos habilem, & ad periculum suscipiendum paratos efficientem.

31 In instruendo & armando & ornando exercitu peritum.

32 Eorum quæ constituta & decreta sunt, constantissimum cultorem.

33 In sermone certum, ne ab astutis & disertis viris, quæ illi ad deteriorem partem applicabunt, capiatur.

34 In pecunia consumenda ad conquirendas sibi voluptates, parcissimum ac frugalissimum: ad consensionem vicinorum, & præcipuè in sumptibus pro republica faciendis, largum & liberalem.

35 Is igitur Jmperator designatus, qualem oratio nostra descripsit, natura, moribus & institutis ubi jam præest, benignus, affabilis, promptus, facilisque sit.

36 Nec verò tam clemens & mitis sit ut contemnatur, ne propter negligentiam exercitum & omnem sub imperio suo subjectam corrumpat plebem, nec contra propter timorem ab amore sui alienet.

37 Reliqua quæcunque oportet eum in quotidianis & singulis rerum administrationibus suscipere, nunc propter longitudinem in angustum contraximus, sed ea in ipso quasi salo orationis nostræ de re militari habitæ, seorsim quantum possumus repetemus.

38 Talis si sit & permaneat qui à regno nostro Jmperator eligitur, speramus eum Dei bonitatem, nostram benevolentiam, & reipublicæ salutem, & magnam apud omnes existimationem, & vitæ tranquillitatem in CHRISTO Deo solo universitatis perenni & sempiterno Regi comparaturum. Itaque ad hunc modum Imperatoris forma descripta, agè quasi ante oculos regni nostri conspectumque ponamus, & hac sequenti nostra exhortatione, quæ in militari atque imperatoria arte maximè necessaria idoneaque sunt, explicemus.

39 Principio igitur ante omnia, ô Imperator, tibi hanc cohortationẽ & præceptũ trado, ut pietatẽ & iustitiam colas, & assiduè ante oculos Deũ habeas, illum revereris, omniq; corde & mente tua illũ diligas, & secundũ illũ nos, & illius imperata facias, & illius benevolentiam inde acquiras, ut (audacter sanè videbor loqui) ingravescentibus temporibus, quasi amico Deo omnium dominatores fretus, cum fiducia illum deprecaris, & spem salutis in illo ponens

amisse

malèe ab illo quidvis contendas. Fidelissimus est enim qui dixit Voluntatem timentium cum faciet, preces eorum audiet, & servabit eos.

40 Certò enim scias, absque divina benevolentia, quanquam magna prudentia esse videaris, te quod cupis minimè præstiturum, neque hostes quamvis imbelles superaturum: quia omnia divina providentia continentur, & quæ minutissima sunt, illius tamen providentia administrantur.

41 Quemadmodum enim gubernator navis, quanquam valde peritus sit, si venti minus secundi fuerint, artem habet penè inanem, sin ventum nactus fuerit & artem suam quoque adiunxerit, celeritatem cursus feliciter duplicat: sic Imperator bonus, si benevolentiam Dei collegerit, copias suas munusque imperatorium cum vigilantia industriaque bene administrabit, & commendatum sibi exercitum sine offensione reget, & magnitudine sapientiæ suæ hostes oppugnabit. Dei enim providentia omnia partim ad utilitatem docebit, partim ad bonum exitum traducet. Hic igitur fide religiosus, in rebus agendis iustus, quasi fundamento bono & stabili facto, reliqua bona extruet.

42 Mitis ac sedatus sias adversus eos qui te conveniunt: efferatis enim mores odiosi atque intolerabiles fiunt.

43 In vitæ, vestitusq; cultu simplex sias & frugalis: luxus enim necessarios sumptus ad nihilum exhaurit.

44 Vigilanter & industriè, non negligenter aut solutè negotia suscipe: diligentia enim & assiduitas res asperas & molestas facilè conficit: qui autem in re agenda negligens est, ab ipsa re neglectus erit.

45 In rebus magnis & necessariis nihil facias sine consilio: sin serius consilium ceperis, quod consultum est sine ulla dilatione aut hæsitatione perficias, quemadmodum in ægritudinibus medici faciunt.

46 Subjectis tuis te in omnibus æquum exhibeas: nihil ulla cum iniquitate aut studio partium, quam personarum acceptionem vocant, facias, sed secundùm iustitiæ naturam ex æquo & bono omnia pertractes.

47 Nec dissolutus aut negligens sis in vindicandis flagitiis à negligentia aut improbitate ortis, ut modestus videaris esse: neque enim modestiæ est in rebus potissimum necessariis, improbitati aut nequitiæ aliquid concedere, neque contrà ad severitatis ostentationem temerariâ & indicta causa supplicium de aliquo sumere: illud enim contemptum atque contumaciam parit, hoc autem iustum odium & fructus eo dignos. Perbona autem res est timor cum iustitia: & post crimen propositum iusta animadversio, quæ non supplicium, sed castigatio quædam à sapientibus nominatur.

48 In primis ad bellum armatus, hoc cogita, bellum esse iustum quod susceperis, nec violentas aut iniustas manus hostibus afferas, nisi priores illi propter consuetam illorum impietatem expeditionem facientes, nostram ditionem invadant.

49 Nam cùm nos semper pacem, tum erga subjectos, tum erga externos, propter Christum universitatis Regem & Deum complectamur, si gentes suis inclusæ finibus contentæ sint, nullamque injuriam inferre studeant, tum tu manus ab illis abstineas, neque sanguine intestino aut externo terram polluas: quæ enim tu illis exprobraveris, quod hominibus innocentibus & nullam iniuriam inferentibus manus attulerint, eadem illa ipsi, si nihil adversum regni nostri subjectos patrarint, sed pacati fuerint, tibi inferenti bellum exprobrabunt. Par est enim nos, qui cum omnibus hominibus quantum in nobis est pacem facimus, cum iis qui tranquilli esse volunt, & nullam injuriam nobis nec subjectis nostris inferre conantur (quia pacem cæteris rebus omnibus anteponimus) pacem constituere, & à bello abstinere.

50 Sin immodesti hostes & injuriarum autores fuerint, nostram populantes terram, tum cùm iusta defendendi causa nobis proponitur, & iniustum bellum ab adversariis infertur, confidenter & animosè suscipe bellum contra eos huius iniustitiæ autores, & violentas manus subjectis nostris afferentes: bonum tum habe animum, & adjutorem iustum habebis Deum, & pro fratribus tuis pericula subiens omnino splendidam victoriam habebis. Itaque hoc dignitatem tuam imperatoriam precamur, ut diligenter consideres causam belli, & ex iustis initiis bellum moveto, & contra nefarios homines aciem tuam teque armato.

51 Omnino igitur in omnibus teipsum subjectis tuis meliorem demonstrare contendas, & fide in Deum, pietate ac reliquis virtutibus eximium. Nam ad principum virorum cogitationes solet se subjectorum multitudo accommodare, ut juxta vetus proverbium, non cervi leonibus imperent, sed leones cervis.

52 Hæc tibi Imperator paucis uno sub aspectu regii nostri instituti præcepta concluximus, quæ hæc nostra brevitatis institutio fusius dilatari non patitur. *cap. 2. Tacticorum.*

Heliodorus: Cùm semper sit infidum Bucolicum in Ægypto genus, tum nunc præcipuè, ubi duce, pro imperio revocante illorum animos ad moderationem, carent. *libro Æthiopicorum secundo.*

Papirius Fabianus: Nemo vitia quæ odit imitatur. Quis Imperator ob hoc ipse de prælio fugit, ut benè pugnaret exercitus? non coercet vitia qui provocat. *apud Senecam Controversia 14.*

Quintilianus Senior: Vicisset juvenis senem, vicisset sceleratus pium. quantum respublica detrimenti, quantum lacrimarum, quantum luctus amisso duce haberet, & fractis militum animis, & inclinata in posterum spe. *Declamatione 317. fine.*

Plinius: Quid? apud milites quam admirationem quemadmodum comparasti? cùm tecum iniedam, tecum ferrent sitim; cùm in illa meditatione campestri militaribus turmis Imperatorium pulverem sudoremque misceres, nihil à ceteris nisi robore ac præstantia differens; cùm libero Marte nunc cominus tela librares, nunc vibrata susciperes, alacer virtute militum, & lætus quoties aut cassidi tuæ aut clypeo gravior ictus incideret (laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque ut auderent, & audebant) cùm spectator moderatorque incuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac si quod durius accipienti videretur, ipse vibrares. Quid cùm solatium fessis, ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori, nisi post omnes dare. Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, si inter Fabricios ac Scipiones & Camillos talis esset. tunc enim illum imitationis ardor, semperque melior aliquis accenderet. postquam vero studium armorum à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore translatum est, postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica, sed Græculus magister assistit; quam magnum est, unum ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, & sine æmulo sine exemplo secum certare, secum contendere; ac sicut imperat solus, solum ita esse qui debeat imperare, &c. *cap. 13. Panegyrici ad Trajanum.*

Idem: Tribunus verò disjunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lucrasti; jam tunc præmonente fortuna, ut diu penitusque perdisceres, quæ mox præcipere deberes. neque enim prospexisse castra, brevemque militiam quasi transisse contentus, ita egisti tribunum, ut esse statim Dux posses, nihilque discendum haberes tempore docendi. Cognovisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum; & diversam aquarum cœlique temperiem, ut patrios montes patriumque sidus ferre consuesti. *cap. 15. Paneg.*

Idem mox: In præsentia quidem quisquis paulò vetustior miles, hic te commilitone censetur. quotus enim quisque cuius tu non ante commilito quam Imperator? Inde est quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras; nec habent annumeranda tibi pro Republ. vulnera, quibus statim laudator & testis contigisti. *Ibidem.*

Plinius: Sed magis prædicanda moderatio tua; quod innutritus bellicis laudibus, panem amas; nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuæ die dicata Capitolino Jovi laurus, idcirco ex occasione omni quæris triumphos. non times bella, nec provocas. Magnum est, magnum est stare in Danubii ripa, si transeas certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus. quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur: nam ut ipse nolis pugnare moderatio; fortitudo tua præstat ut neque hostes tui velint. *capite 16. Paneg. ad Trajanum.*

Eumenius: Hæc est tua, Constantine, de Ascarici Rigaisique supplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda. semel acie vincitur, sine fine documento. Cladem suam quamvis multi pereant, vulgus ignorat, compendium est devincendorum hostium duces sustulisse. *cap. 11 fine, Panegyr. Constantino Augusto.*

Eumenius: Quid multa? Confitendum est, Imperator, cum hoc tuo vigore corporis, hoc mentis ardore, laborasti interdum, ut quem ducebat sequereris exercitum, tanto omnes impetu ferebantur. *cap. 18. Paneg. Constantino.*

CL. Mamertinus: Ut interim divina virtus tua exercitatione solita non careret, aperto Marte, atque uno impetu perculisti, non universo ad id prælium usus exercitu, sed paucis cohortibus. quid enim opus est multitudine. cùm ipse pugnares, ipse omnibus totis totaque acie dimicares, ipse hosti undique, & qua resisteret, & qua cederet, & qua fugeret, occurreres; erroremque adversariis pariter actùis faceres, cùm neque te Barbari unum putarent, neque milites, non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent. *cap. 5. Paneg. Maximiano.*

Latinus Pacatus: Cùm duo sint quæ claros duces faciant, summa virtus summaque felicitas, scire obviumest, qua præditus fuerit felicitate qui te genuit. *capite 6. Panegyrici Theodosio Augusto dicti.*

Latinus Pacatus : Ne tum quidem cùm in altiorem provectus gradum, jubere tantum, & dividere cum negotiis otium, & parta gloria veluti repositò frui posses honore, operam remisisti; quin omnium castrensium numerum numeros primus aut cum primis obires, stare pro signis, excubias sorte agere, vallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in prælium primus ire, prælio postremus excedere, dux consilio esse, miles exemplo; ut jam tum posset intelligi, alios Imperatori pugnare, te tibi. *capite decimo Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

¶ Poetarum.

Archilochus apud Dionem Prusæum Orat. 33.

Non diligo magnum ducem;
Stupido nec animo præditum,
Nec gloriantem pendula
Cæsarie, & adrasum undique:
Magis sed incurvum probo,
Tutoq; qui ponit gradum,
Et qui piloso mente sit,
Conducat ut quid cogitet.

Plautus Milite 2. sc. 2. v. 64.

Viden hostes tibi adesse? tuoque tergo obsidium? consule!
Arripe opem auxiliumq; adhanc rem propere; hoc non placidè decet,
Antevenite aliqua aliquos: aut tu circumduce exercitum:
Curre in obsidium perduellis, nostri præsidium para:
Intereludito inimicis commeatum; tibi munitiam,
Qua cibatus commeatusq; ad te & legiones tuas
Tutò possit pervenire. hanc rem age. res subitaria est.

Terentius Eunuchi 4. sc. 7.

Tu hos instrue. hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.
G. Illuc est sapere! ut hos instruxit, ipsus sibi cavit loco.
TH. Idem hocce Pyrrhus factitavit.

Ennodius Carmine 18.

Verus magister actibus
Exempla, non verbis dedit.
Nam doctor ille fortis est,
Qui bella viribus docet.
Quem dicta militem trahunt,
Si dux gerendis abstruet?
Ventosa linguæ hortatio,
Quod forma præstat, non habet.

Ennodius Epitaphio Habundantii Epigr. 2.

Nunquam merte perit meritis post busta superstes;
Funera sublimen non cupiunt animam.
Sanguis, honor genius probitas, constantia, census
Interimunt multis dotibus exitium.
In commune bonus non sentit damna sepulcri,
Fila legunt Parcæ quæ dederant miseris.
Pendula lassantur quæ plebem stamina portant;
Fortia contingunt licia nobilibus.

Guntherus lib. 2. v. 544.

Rex nihil infectum, fieri quod postulat usus,
Neglectumve sinit: multumq; & ubiq; jubendo;
Tugnandoq; manu, perfecti militis usum,
Officiumq; simul discreti Principis implet.

Guntherus lib. 4. v. 284.

At rex invictus nil se memorabile credens
Dum supereset aliquid, nil se fecisse decorum,
Voce, manuque suos ardens hortatur, & addit
Sæpè minas, reficitque animos, & suggerit iras.
Ipse manu propria, sociis prohibentibus, omneis
Explorat casus, & quæque pericula primus
Excipit, oblitus pariter regnique, sui que,
Cœptaque vel summo cupiens implere periclo.
Principis exemplo miles virtute coacta.
Audet, & audaci pudor est sub Rege timere.

Guntherus lib. 10. v. 559.

Hæc ubi verba viris regali plena vigore,
Aut meliora dedit, cunctos simul ore venusto
Laudat, & egregios titulis exaggerat actus.
Tunc si quos præclarum aliquid laudisque superbæ
Commeminit gessisse manu, regaliter illos
Appellans memorem factorum quemque suorum
Efficit, & sese memorem simul indicat esse:
Munificaque manu meritis bene, munera magna
Erogat, argenti multum largitur, & auri,
Crateras, pelves, discos, pateras que capaces,
Addit equos celeres, galeas, thoracas, & enses;
Textaque multimodo operose picta figuris,
Atque figuratam late se Rege monetam:
Distribuitque suis regale numisma maniplis
Sic demum castris sustensa parte laboris
Pollicitas alacres ad quæque sequentia vires
Muneribus latos, titulis dimittit onustos.

¶ Apologi.

De Apro Asinum ad certamen provocante.

Aper Asinum ad certamen provocans, sperabat se victorem fore, quod longiores acutioresque sibi quàm adversario dentes essent. Sed quum asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulo post ad se reversus: Non istinc me lædi, inquit, credebam.

Fabula indicat virum prudentem omnia explorare debere, unde ab adversario possit offendi. Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius xxx.

Vigilantia ducis.

Turpe duci totas somno perducere noctes,
Qui belli totum sustinet unus onus,
Sensit Alexander, quum, ne violentia somni
Incautum opprimeret languidus atque quies,
Apposito juxta super exertabat aheno
Extentam, globulo semigravemque manum,
Qui daret elapsus sonitum strepitusque sonoros,
Ipsum qui stratis protinus excuterent.

Camerarius L. Centur. 1.

Si recte facies.

E Lauro, Quercu atq; Olea duce digna corona;
Prudentem, fortem, pacificumque decet.

¶ Apophthegmata Sacrorum.

Heraclytus patriarcha Hierosolymitanus: Belli quod Christiani principes in Oriente gesserunt, Ludovici Iunioris, Philippi Augusti, & sequentium Franciæ regum temporibus, rebusq; Christianorum lacertis, ac viribus fractis, ex Syria oratores venere ad opem implorandam. Henricus rex Angliæ ad luendam Thomæ episcopi in Anglia mactati noxam, bellum illud sacrum instaurare iussus Heraclio patriarchæ Hierosolymitano ad se venienti promi iubebat ingens auri pondus ad res Orientis recuperandas. Ille, *Non pecunia*, inquit, *sed Imperatore nobis opus est.* Eo verbo Henricus permoveri visus est, ne ultra differret. *P. Æmylius, de reb. gest. Francorum. lib. 6.*

¶ Apophthegm. Christianorum.

Laurentius Almeida Lusit. Cum Mahumetanis navali prælio decertabat; eaque quâ vehebatur navis, in supremum videbatur discrimen adducta: monitus ergo saluti suæ prospiceret, quasi minabundus istius consilii auctoribus, *Non*, ait, *mihi decorum id periculum evitare, & commilitones in eodem constitutos deserere: non mortem sed infamiam extimesco. Osor. lib. 5. Hist. Eman.*

Alphonsus Arag. Rex. Dicebat aliquando ille: *Magnum est populi adversus hostem Ducem esse: maius tamen civibus ad virtutem.* quare non ineptè olim Pausanias Plistonactis F. percontanti quónam pacto debellari possent Thraces; Si, inquiebat, eum belli ducem delegerimus, qui vir optimus est, ut videlicet non minùs ad virtutem, quàm adversus hostem ducatum præbeat. *Panorm. lib. 4. de ejusdem Gest.*

Idem: Ut erat clementissimus, dum parta de hostibus memorabili victoria triumpharet: victos captosque in triumphum adduci non est passus, dicens: *Potius ob servatos hostes, quàm casos, triumphandum.* nam

——— *Ignoscere pulchrum*
Iam misero, paneque genus vidisse precantem.

Panorm. lib. 1. de ejusd. Gest.

¶ Monosticha Trochaica.

Abstinentem habere dextram, laus Duci nec ultima est.
Acta si Ducum rescindis, segnes sunt in posterum.
Acrius timor turbatis, ipse quam dux, imperat
Ad genus non respicit dux militis virtus præit.
Ad provinciam occupandam sanctitas juvat Ducis.
Agricolaque militisque cura summa sit Duci.
Æmulus luctantium, ô Dux vince non vi sed dolo
Æquè ad adversa ac secunda se bonus dux præparat.
Æquè quam bellum timenda conniventia est ducis
Æquo justior suspecta jure est aquitas Duci
Ætatis etiam vigore perplacet Dux militi.
Anteponit dux salutem militum rumoribus
Antiqui est Ducis, tractare non ferrum modò ast stylum.
A periculo trecul, Ducem agere non est arduum.
Arduum sibi, legatis Dux permittit catera.

A suis princeps ametur, dux timeatur à suis.
Auferunt sordes quibusq; gestis omnem gratiam.
Bella justa Dux Deisque suscipit volentibus.
Civem unum servare malis, mille quam hostes perdere.
Cladibus duces in amplis ipsi item fere cadunt.
Colloquia simulata plures perdunt quam pugnæ duces.
Copia absq; ductore, an non corpus absq; spiritu?
Copia sine imperante, corpus absq; spiritu.
Consilio juvet dux, miles sed manu victoriam.
Cui res hostium sunt notæ maximè, est dux optimus.
Cuncta convertuntur ad victoris opes, capto duce.
Dedecus est una cum amica ire Imperatorem in via.
Dictio juris castrensis, prorsus est obtusior
Diligi haud quit dux avarus: quisq; quærit prodigum.
Diligi nequit dux parcus: quisq; quærit prodigum.
Divitem inter pauperemq; si strategus est, placet,
Dux alia omnia militi largitur, cui haud pecunia est.
Dux aliis minora mandat, sibi sumit validissimum.
Dux avarus sæpe belli caussa tristis exstitit.
Dux avarus sæpe caussam tristi bello præbuit.
Dux avarus sordidusq; exercitui contemnitur,
Dux bonus dolet jacturam militis cujuslibet.
Dux bonus non est nisi omne norit id quod milites.
Dux bonus non tantum à fronte, verum a tergo prospicit.
Dux bonus plus consilio quam militum vi perficit.
Dux bonus plus fert laborum quam miles gregarius.
Dux bonus sortis secundæ vultum in adversis gerit.
Dux bonus transfert in hostem quidquid ominis mali est.
Dux dierum noctiumque norit differentias
Dux ducem si norit, ejus penè jam victoria est.
Dux egeni, aquila senenti par, nec alam unguemve habet.
Dux frugi vino contentus est quo utuntur remiges.
Dux fugientium ultimus sit, miles ubi in tuto est suus.
Dux laboranti succurre parti cum nova manu.
Dux minus pericla belli, jussa quam Regis timet.
Dux nihil militi bello est, omne Martis alea est.
Dux quo plura è pugna vulnera effert hoc est carior.
Dux rapax ferè sui omnem militis pudam occupat.
Dux sciat conversiones Solis, Astra dux sciat.
Dux sciat quidem omnia, at non exsequatur omnia.
Dux sciens mali boniq; semper est interritus.
Dux secundo Marte gestum quidquid est, ducit suum.
Dux suorum ingenia norit, norit & ingenia hostium.
Dux ubi se haud continet, nec continet se exercitus.
Dux vias locosq; norit ad quæ pergit cum suis.
Dux ut est perinde intentus miles aut licentior.
Egregij quoq; insolescunt prosperis rebus duces.
Est ducis cujusq; vincere, imperare idonei est.
Eventu primo gignas aut metum aut fiduciam.
Exemplo Ducis laborem quem vis miles sufferat.
Extum splendore vita quis dux dignum habet sua?
Exultatione vulgus mulctat optimos Duces.
Facta fortia gloria assignato miles Ducis.
Ferre Dux queat laborem ferre dux queat gelu.
Flagitium suum ipse miles sapius Duci imputat.
Haud magni fortuna momenti Imperatori est bono.
Haud fidas Duci, qui nunquam in bello rem gessit male.
Hoc mage audiens dicto est, quo plus habet miles Ducum
Hostem ubi haud contemseris, Ducem audias æqualius.
Hostium cognosce res, sed sic tuas ut neseiat.
Hostium dux captus, præcipua est fides victoria.
Hostium novus delictis mitior pœnitentia est
Hostium qui dux conatus dissimulat, eos alit.
Imperatorem in via cum amica una ire haud convenit.
Imperator quando pugnat, nominis immemor sui est.
Imperator si haud ætate sit senex, sit moribus.
Imperatorum bonorum magna nunquam copia est.
Imperitus Dux suis plus damno est, quam ipsis hostibus.
Imperium magnum, curam item magnam expetit.
Imputantur unt adversa, sibi omnes prospera vindicant.
In ducem bonum licere nil malæ sorti solet.
In duce parum jace auri, militem inde spes trahet.
In Ducis virtute multum est, plus in eloquentia.
In fuga primum ducem malum, in pugna quære ultimum
In fuga primum, ultimum in pugna invenis ducem malum.
Integram dormire noctem, non ducis boni, ast mali est.
Integram dormire noctem plebis est: Ducem haud decet.
Integrum peccare non est bis Duci in re bellica.
Insordiâ, calumniâq; dux facile exterus ruit.
Ipse sæpe dux alienæ temeritatis fit comes
Læta vendicant sibi omnes, tristia imputant duci.
Marte gestum quod secundo est, omne dux ducit suum.
Marte gestum quod sinistro est, militi dux imputat.
Martem init manu prior Dux, ponit ipsumq; ultimus.
Marte quod gestum secundo est, omne dux ducit suum.
Marte quod gestum sinistro omne imputat dux militi.
Maximi Dux est momenti milites quem diligunt.
Maximum telum imperatori in bello est auctoritas.
Militari animo sæpe impar est ducis modestia.
Milite ebrio, sit saltem dux oportet sobrius.
Militis sui virtutem quis sine hoste dux probet?
Milites sat exhortatur Dux, stragem hostium ut faciat.
Militi antistes necesse est imperare si cupis.
Militi invisus secundo nil agit dux alite.
Militis robur strategum nutriat encomiis.
Multa auctoritas bellanti profacundia est Duci.
Nec levi periculo adsint, nec gravi desint Duces.
Nec minor major ve sit dux in triumpho publico.
Nec senex sit junior ve qui imperabit militi.
Ne manu Dux pugnet summa cum rei periculum est.
Nemini fere bonus dux facta qua vult publicat.
Nil Duci bono discendum est, sub dacendi tempora.
Nil magis ducem decet, quam cogitare pro omnibus.
Nil perversius quam cæcus si dux est videntibus.
Nil pompa aut opinioni dat Dux qui vult vincere.
Non claravit Ducem parentum gesta clara, sed sua.
Non minus Ducis est superare consilio, quam prælio.
Non parere duci veteranus, imperare postulat.
Non potest ignavus esse quem præit dux strenuus.
Non putaram, turpis est vox, sed Duci turpissima est.
Non putaram, vox duci bono omnium turpissima est.
Non statim dux est vocandus qui trahit bellum malus,
Non ubi, imperator, pugnes, sed ubi vincas dispice.
Nota sunt Duci Dies, nota sint Noctis vices.
Noxia omnibus voluptas, sed Duci vel maximè.
Nullum habentibus statum, dux quilibet est idoneus.
Nullus magnus dux Iberis præter Viriatum fuit.
Nunquam eris bonus Dux omnem nisi famam contempseris
Obsequio pereunte, etiam Ducum omne imperiũ intercidit.
Osserunt duces se multi in castris, pauci milites.
Omnes exsolvit pudore proditionis Dux fugax.
Omnium catus dux caussas quærit in eventum.
Par duci sit dux oportet si cupis victoriam.
Plurimi duces nomenque ex hostium ferunt malis.
Plus Ducis mors una damno est quam strages exercitus.
Plus Ducis nocet mors una, quam ruina exercitus.
Plus in imperio repostum, quam ducis in victoria est.
Plus sapit Dux qui sapit ac consilij sententia.
Plus sapit Dux de Senatus qui sapit sententia.
Plus sibi indicit laboris Dux bonus quam militi.
Prælio malo, imperator poscitur sæpe ad necem
Præter expectationem nil Duci cauto accidit.
Primus est fugæ, ultimus quæ prælij ductor malus.
Primus ipse obeas velis quod inferiori injungere.
Pro miraculo est si egenus dux est à victoria.
Promptius procurrit miles, Dux ubi iis comes it pedes.
Prospera atq; ambigua passus Dux, dux est interritus.
Providendo & consultando, sapius prosunt Duces.
Post habet sapiens saluti dux populi dicteria.
Pulcrius, quam semetipsum, milites dux divitet.
Qua peioris caussa ibit pastor, ibit dux pro gloria.
Quando pugnat imperator, immemor sit nominis.
Quæritur primi ars magistri cum mare undis horridum est.
Quei queat placere cunctis, bellis in civilibus?
Quem bello opprimi desperat posse dux, dolo excipit.
Qui desiderium relinquit dux cum abit sui, est bonus.
Quilibet dux est idoneus nullum habentibus statum.
Quid non usquequaq; præstet dux prudens, dux eloquens?
Qui suos statim haud tuetur cum potest, eos deserit.
Quo dna vis gubernatores, hoc in castris sunt Duces.
Quo palam fieri haud conducit id clã dux prudens patrat
Rarius Duci permittit bellum lègere tempora.
Raro vivus hostis in sui manus Dux incidit.
Raro vera: ficta semper est Ducum clementia.
Rebus adversis Duci haud facile obsequuntur milites.
Rebus in malis potissima eminet virtus Ducis.
Rectius Duci juvenis uni quam multi subest.
Reddit dux rationem cladis, non reddit victoria.
Re secunda Dux modestus, re crepera hilaris dux placet.
Respicit futura Dux, Dux respicit præsentia.
Res Romana validior ipsis ducibus est quam exercitu.
Rex in pace iniquus, esse Dux belli haud pravus potest.
Rex in pace injustus, esse Dux belli bonus potest.
Sapius Fortuna, nunquam deserit Virtus ducem.
Sæpe non minus fortuna quam ratio Duci abfuit.
Sæpe pacis nomen honestum, turpe velat otium.
Sæpe ubi Duces mutantur, esse non queunt boni.
Sæpe vires universa gentis cum Duce occidunt.
Salva Roma, salva patria: salvus est Germanicus
Sat ducem valere mente: militi est opus manu.
Securo decoris, nec est majestas nec metus Ducis.
Servavit somnus Lucullum qui alios perdidit duces.
Solis ac Lunæ momenta, quis Dux non consideret?
Si mutare vis rationem belli omnem, muta ducem.
Sive pax sit sive bellum, parcito dux rusticis.

Summa laus ducis, vel salvè vincere honestè vel mori.
Sunt divisa inter duces exercitamq; munia.
Tam malum est Duci timere nil, timere quam omnia.
Turpe minus timere est hostes, quam adsentare militi.
Viribus parere mavult multitudo quam duci.
Vincitur absque cade miles aut capto aut caso duce.
Vincit illico ducem qui pramijs facit suum.
Umbra nulli longior fit a Victoria Duci.
Vnius perditorum pernicies in Ducis periculo est.
Vnius perditorum ruina est in Ducis periculo.
Vox ducum observanda subiq; militi pro Numine.

¶ Jambica.

Ad arma inique trepidas, nil questus prius.
Alia ducum sunt artes, alia militum.
Amisso apum Rege omne examen labitur.
Auctoritas duci ipsa pro facundia est.
Augustior dux redditur periculis.
Belli bonus dux in periculis cernitur.
Bene eum sequuntur omnes, qui ducit bene.
Capitalis in Ducem omnis contumacia.
Eadem Ducis sape infert una insciti.
Clarissimi morte indigna pereunt duces.
Compendio hostem vincit, qui tollit Ducem.
Compendium est belli interceptio Ducis.
Consilia Dux sequitur sua, vulgi non probat.
Consul ac Dux factus infelix sit, tribunus servias.
Contemptui est dux si minus potest suis.
Cur circumagatur vulgi Dux rumoribus?
Damnandus haud est Dux ob infortunium.
Delicta magis prohibeat Dux quam vindices.
Dignum duce abstinentem habere dexteram.
Dijs comparandus in bello dux qui perit.
Defensio Ducum in bello, hostium est lucrum.
Ducem bonum nulla efferat victoria.
Ducem facit speciosum sanguis hostium.
Ducem insolentem, aut desidem, victus facit
Duces suos reverentur Spartana, haud timent.
Duci haud amantur diligentes qui nimis.
Dux admonendus: verum non a quolibet.
Dux bellicosus, Principi ignavo gravis.
Dux caussa sape cladis, non exercitus.
Dux esto cautus consilio, promptus manu.
Dux ferre qui pote cuncta, invidiam non potè.
Dux illico reus fit re gesta male.
Dux inclitus, plus fama, quam manu occupat.
Dux invidus ne sit, Dux laudet strenuos.
Dux mente prastans esto, miles at manu.
Dux militem bonum legit, non prastinat.
Dux nec nimis fidat, diffidat nec nimis.
Dux optimus, qui idem optimus commilito.
Dux patriam gaza ornet, haud domum suam.
Dux plus est pedes, minoris eques.
Dux prasius bonus adsectam reddit bonum.
Dux provocatus non pugnat, nisi cum utile est.
Dux qualis est, talis q; belli item status.
Dux sape ficta fallit hostem literis.
Dux solummodo dicetur, ut dicentur milites.
Dux vincat hostes: Rex cives felicitet.
Dux unus esto exercitus: plures nocent.
Dux visus, in manum hostium raro venit.
Dux visus in manu raro hostium incidit.
Etiam indigent ductore cete grandia.
Etiam legiones Dux adspectu terreat.
Etiam sedendo strenui bellant duces.
Exacta quonam est a Duce divinatio?
Exercitum facilè invenit dux prosperis.
Extinguere hostem, maxima est virtus Ducis.
Facile invenit miser Imperator militem.
Faturus aliquid nemini prodideris.
Falli nequit Dux, nemini qui exhibet fidem.
Fortis licet sis Dux, tutissimum eligo.
Fortuna momenti haud magni Duci est bona.
Fortuna ne regat Ducem ratio regat.
Fortuna sape Ducem, non virtus deserit.
Fossa as q; vallo castra, Dux, circumdato.
Humilis pudet magnum ducem victoria.
In neminem sævit post acium Dux pius.
In prælijs pugnare passim, haud est Ducum.
In prælio arte utare Dux non impetu.
Insaniam ducis sui miles luit.
Introrsus abdit dux dolorem industrius.
Invidiam, decori parte etiam abstrahit ducem.
Loco parentis Imperator militi.
Magis sibi quam suis bonus dux imperat.
Mandata perfert ipse Dux bonus sua
Mendacium Ducibus res vel pulcherrima est.
Miles legendus, non emendus est Duci
Miles sine Duce, corpus absque spiritu est.
Morbo Ducis quoq; disciplina morbida est.
Morem gerit miles Duci, haud Dux militi.
Multo est melius ducem habere nullum quam malum.
Nil non patrat miles sub adspectum Ducis.
Nil timere, nil festine Dux agit bonus.
Nimium arroganter miles prascribat Duci.
Non armiger mortem oppetat dux, sed ducis.
Non eligit Dux tempora, oblata accipit.
Non est Ducis umbra longior post victoriam.
Nox plurimum ducis juvat solertiam.
Obviti adversis maximum est munus Ducis.
Par dux duci eligendus, aut prastantior.
Parens legionum vulgus est, qui ipsas destruit.
Peccata rectis consiliis dux corrige.
Pejoris omnes imperium invicti ferunt.
Periculosa res est dux audentior.
Persape bellum data opera trahunt duces.
Plerosque pessum dat Duces insciti a.
Plerumque bellum morte concidit Ducis.
Plus Imperatore uno esse in bellis malum est.
Plus plurium nocet ducatus quam juvat.
Postremus in fuga Dux bello cernitur.
Pectora Duci oportet pectora sint manu.
Primus Ducis adsignatur in pugnâ locus.
Prohibere non audent duces obnoxij.
Pro se Imperator non timet, sed pro suis.
Quanti Imperator, tanti item est exercitus.
Quid aggrediatur dux qua nequeant perfoi?
Quisnam Ducum luit pœnam infortunij.
Quis non sui sequatur exemplum Ducis?
Ratio atque consilium artes propria sunt Ducum.
Ratio imperandi constat, si uni redditur.
Rebus duces adflictis simulant gaudium.
Reddenda ratio fortuna nulla est Duci.
Sape arguunt ducem suum qui suaserunt.
Sapè Imperator ardori impar militum est.
Scit vincere, & consulere victis, dux probus.
Sis pervicax in hostes, clemens supplici.
Solum sinister dux, fugam circumspicit.
Superesse clades, quis Ducum velit sua?
Tam cedere Ducis, Ducis quam vincere est.
Tam nocte quam die utitur Dux strenuus.
Timor magis turbatis, quàm Dux imperat.
Tolerare Dux monstrat labores, non jubet.
Vanum timorem miles haud credit Ducis.
Vbi dux fugit, jure etiam ibi miles fugit.
Vbi Hannibal est, ibi belli ars, ibi caput.
Vbi imperator est, ibi & fors prospera est.
Virtus ducis boni utique imperatoria est.
Vis mutare exercitum? alterum imperatorem qi dato
Votivum obire mortem in armis est Duci.
Vultus Ducis, victoria augur optimus.

FINIS LIBRI QVARTI.

POLY-

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER V.

Ebrietatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

DIvus Gregorius *Nyssenus*: Intus in officina Mammonç, alii tanquam nimis onusta navigia, revomunt cibum, alii præsentib. poculis indormiunt mẽsæ. Duplex autem in turpi domo exercetur peccatum, unum propter ebriorum satietatem, alterum propter negligentiam pauperum, quam vel etiam à foribus abigunt. Si Deus hæc aspicit, ut aspicit, quam vitæ commutationem, quem exitum fore cogitatis?

D. Chrysostomus: Tam detrimentosa, non est ebrietas quam pecuniarum concupiscentia illic enim damnum inter perturbationem atq; afflictionem consistit, terminaturq; sensus stupore atque ebrii exitio. at hic damnum ipsum infinitas animas pervadit, varia undiquaq; bella succendens. Qui vino ebrius est, is quo plures vini calices hauserit, eo plures appetit: qui autem pecuniarum amori servit, quo magis ditescendi desiderio capitur, eo majorem concupiscentiæ flammam incendit, pestilentioremq; sibi desiderii sitim accersit. In hoc igitur uno adsimiles sibi invicem sunt. At in altero rursus avarus superiora omnia habet. Quonam quæso hoc? nempe quod ille quidem rem eam patitur, quę juxta naturam est. Vinum enim natura cum sit calidum, insitamq; siccitatem intendat, facit, qui eo poti ebriiq; sint, ii ut sitiant adhuc. Avarus vero ille unde plura semper concupiscit? unde? Certè cum magnopere ditescit, tum maximè pauper est, est porro morbus hic talis, ut cognitu sit difficilis, ænigmati potius similis. Sed tamen illos dispiciamus, si placet vel ipsam post ebrietatem quanquam avarum, vere ut loquamur, post ebrietatem nullo videre tempore licet: usq; adeo in ipsa semper est ille ebrietate. Quamobrem utrumque tanti sper dum ebrietate occupantur dispiciamus, consideremusq; uter eorum risu dignior: quin & eos effingamus exactè rursus exprimentes. Videbimus igitur cum, qui vino nimio potus delirat, desipitq; sub vesperam oculis apertis neminem tamen videre, sed temere huc illuc circumferri, atq; ad unumquemq; sibi obviam pedibus offendere, eundemq; evomere, dilacerare, indecore denudari, ac si vel uxor adfuerit, si filia, si anicilla, si quis alius, majorem in modum ludibrio haberi. Age itaque & ipsum quoq; avarum in medium proferamus. huic enim non jam ad risum res pertinet, sed ad execrationem, ad ingentem excandescentiam, unoq; verbo ad infinita fulmina: risum tamen in præsentia spectemus. Etenim hic ut ille omnes ignorans, & amicos & inimicos, similiter oculis quidem apertis occæcatus est: ac quomodo illius oculis omnia vinum, sic hujus omnia pecuniæ sunt. & præterea vomitus ipse longè læralior: neq; enim cibum eructat: sed convicii, sed contumeliæ, sed belli, sed mortis verba, infinita, cœlitus in ipsius caput fulmina contrahentia. ac quemadmodum ebrii corpus lividũ esse solet, ac diffluens: sic & hujus anima, atq; adeo ne hujus quidem corpus ab hoc morbo vacat: sed magis etiam eo detinetur, cura solicitudine, iracundia, vigilantia totum illud sic arrodente, ac sensim absumente ut à vino celerius letaliusve absumi nequeat. Adde quod qui à vinolentia possidetur, transacta nocte ad sobrietatem redire potest. Hic autem continenter ebrius est, & interdiu & noctu, & evigilans & dormiens, majori in cruciamento constitutus, quam cõstituatur vel qui vinctus in custodia degit, vel qui ad effodienda metalla relegatus est, vel si quis est qui graviori supplicio addictus sit. Hoccine igitur, quæso, vita, ac non potius mors est, atq; adeo quidam quavis morte miserabilius? Siquidem mors corpus quidem cõsopit, illud tum ludibrio, tum indecentia ac turpitudine, tum peccatis liberans: at ebrietates hujusmodi in ista omnia illud præceps agunt, aures obturando, oculos occæcando, menti deniq; ipsi multam effundendo caliginem: neq; enim audire, neq; prorsus eloqui aliud quicquam avarus potest, quam fœnora, quam ex fœnoribus fœnora parta, quam lucra turpia, quam quæstus invidiosos, quam negotiationes serviles ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exosus, omnes aversatus, cum omnib. bellum gerens & quidem nulla causa. In pauperes insurgens, divitibus invidens, neminem benignè salutans, appellans comiter neminem. Nam ut uxorem habeat, ut liberos, ut amicos, nisi undequaq; aliquid corradat, undiq; lucrum aliquod faciat, hos illos omnes sibi magis hostes ducit, quam qui natura hostes sunt. Hac igitur insania ecquidnam perniciosius esse queat? quid porrò miserius? cum tibi ipse nusquam non saxa latentia, nusquam non præcipitia, fossas, infinita barathra comparas? & quidem corpus unum interim cum habeas, atque uni tantum ventri servias, ac si te quis fortè ad reipublicæ obeunda munia adleget, fugites, sumptui parcens, tibi autem ipse asciscas sexcenta munia, omnibus illis non sumptuosiora solum, sed & molestiora: & periculosiora, Mammonæ initiatus, nec pecunias modò scelesto huic tyranno, heq; corporis tui sudorem, animæ tormentum ac dolores, sed & ipsum sanguinem offerens, ut tu amplius nescio quid ex hac barbarica servitute miser & infœlix acquiras. An non vides, qui in singulos dies ad monumenta efferuntur, ii ut nudi rebusq; omnibus destituti ad ea sepulcra rapiantur, adeo nihil quicquã rerum domesticarum capere valentes ut vel ea quibus succinguntur, ad lumbricos ipsos comportent? Hos quos dico mortuos quotidiana animi cogitatione lustrato, ac tibi fortasse avaritiæ morbus iste quiescet. *Homil.* 13. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus; Ebrius si quod forte opus in manibus habere visus fuerit, alia certe pro aliis cernit, eorum similis quos animi furor atque insania vexat, ac potius illis miserior: nam illos quidem si quãdo quis injuria afficit, injuria affectos miseramur, injuriæ autem illatorem increpamus, at huic si quem insultare viderimus, non solum non ad misericordiam flectimur, sed & jacentem prostratumq; calculo etiam nostro condemnamus. *Hom.* 13 *ad Rom.*

Chrysostomus: Ebrietas bene significantem linguæ nostræ exscindit vocem, ut balbutiamus efficiens, oculosq;, & omnia, ut semel dicam evertens. *Hom.* 19. *ad Ephes.*

Chrysostomus: Nunc autem inebriari, videtur res esse ignavi & pusillanimi animi, & quæ sit ridenda. ubi inebriari maxime omnium deberet esse ridiculum. nam maxime quidem etiam privatum, procul ab ebrietate remotum esse bonum est: multo autem magis militem, qui versatur in gladiis, in sanguine & cædibus, & multo magis quando ira aliunde irritatur, à potestate, à dominatu, ex eo quod sit assidue in insidiis & pugnis. *Homil.* 19 *ad Ephes* 10.

Chrysostomus: Ebrietas animæ, sunt divitiæ, & pecuniæ cupiditas, & amor corporum: & quomodocunque malum, est ebrietas animæ. *Homil.* 9. *ad* 1. *Thessal.*

Isidorus Peluſiota: Nimia potio, prolapsio potius est, tam in opibus, quam in negotiis: ut quæ & mentem magis perturbet, & corpus premat. Quod cum ita sit, ab immoderato usu abstine, ac moderationi studę, quæ & sanitatis mater est, & prudentiæ ac sobrietatis causa. *lib.* 1. *Epist.* 277.

Isidorus Peluſiota: Tot vitiorum causa est ebrietas, heus tu, ut is, qui paradisi arcanorum auditor extitit, eam extra Dei regnum collocarit. Ac proinde ne ingentem morbum, tanquam levem & exiguum, contemnamus. *lib.* 1. *Epist.* 279.

S. Isidorus Peluſiota: Divino sacrificio contumeliæ notam ne inure: Fructum benedictionem ne aspernare. Ingurgitatione potionẽ ne fraudа. Immoderatione mediocritatem ne lædе. Mentem ac rationem bibendo ne absorbe. Verum illud in mente habens, quod divinus Spiritus ex hujus primitiis Christi sanguinem efficit, sic illud adhibe, ut imbecillis, eoq; ad adjumentum opus habens: non autem ut inimicus, vini armis adversus omnes utens, imo vero adversus teipsum, utpote ab eo corruptus ac putrefactus. *lib.* 1 *Epist.* 313.

S. *Isidorus Peluſiota*: Ob temperamentorum discrimen fit, ut quidam ex his temulentia laborant, pallidi ac feroces existant, quidam contra rubicundi ac sanguinei: quod videlicet aut ob mentis emotionem sanguis ad intimas partes se receperit, ac pallidam oris superficiem reliquerit, aut quod agitatio calorem eum, qui in intimis partibus situs est, ad extimas partes revocarit. Cæterum sive hoc, sive illo pacto quispiam captus sit, potest præstantissimi cujusdam aurigę instar, aut, ne hæc vitiosa affectio excitetur, prohibere: aut eam, si excitata sit in concentum ac lenitatem traducere. *lib.* 3. *Epist.* 293.

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Excedit disciplinæ modum, si quis plus bibat quam sitiat. Quid igitur apud illos exosum, ubi præter ebrietatis vitium, etiam detrimenta conveniunt facultatum? quis autem ferat illa damna vinolentiæ, ubi plus vergitur ebrietatis causſa, quam bibitur? aut quis apparatum illius triclinii libenter aspiciat, in quo omnia pereuntis vini odore sordescunt? nam ubi supercurrit merum, horret necessario turpi squallore convivium. perit profecto quidquid hydria plena susceperit. Videat ergo quid futurum sit, cui ebrietas placet. Si oleo nimio vas compleveris, ad os patulum recurrit fervens unda vindemiæ, & cum fœditate revomet quidquid ex nimietate

tate susceperit. Videmus etiam frequenter exundante vino caprini generis vasa corrumpi, & undis luctantibus cuppas figuli rimas aperire. Nihil profecto liceret morti, si scirent miseri caussas vitare pereundi. Debilitatis autem viam munit, qui infirmis corporibus plus aliquid oneris imponit. Ira est, ut dubiè cœptum iter peragat, qui injusti fascis pondus accusat. Moneo itaque, dilectissimi, ut si quis Christo placere disponit, desideria gulæ castiget, quæ ebrietate famulante, magistra solet esse damnorum. denique hinc nuditas, hinc mendicitas, hinc solet aliquantis venire egestuosa paupertas. *Homilia 19.*

B. Chrysologus: Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium. quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis exstinguit. *Sermon. 26. m.*

Idem: Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra: hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis illecebra honestatis & pudoris injuria: hanc nullus noverit Christianus, ne auditu quidem sacerdos attingat: ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inveniatur exemplum. *Eodem Serm. 26.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Anacharsis: Copiosum vinum merum abhorreret à capiendis rectis consiliis. Turbat enim mentem, in qua sita est hominum ratio. Qui vero magnis rebus studet, cum non facile sit recte perficere, quæ animo concepit, nisi sobriam vitam, & curis plenam instituat. relictis igitur talis & crapula transfer te ad ea, quibus imperium cõfirmes & augeas, atque patris institutum, in bene merendo sequaris, ut in amicos & petitores beneficiis tibi obstringas. Quod si præter vitæ turpitudine in corporis tui periculum veneris, tum amicis tuis in mentem veniet Scythæ Anacharsidis *Epist. III. ad Hipparch.*

Philostratus: Ebrietas non ab uvis tantum hominibus provenit; verum etiam à dactylis perinde atq; ab uvis plerique bacchantur. multos enim Indorum offendimus vini tali ebrietate correptos, quorum alii quidem saltantes cadunt, alii dormientes cantant, sicut apud nos faciunt, qui ad multam noctem à potatione discedunt. *lib. 2. Apollonij cap. 3.*

Iulianus Imp. Nec enim omnino dicendi facultate carebat: sed propter vinolentiam sæpenumero hebetior erat. *in Cæs. de Trajano Imp.*

Libanius: Temulenti aliorum manibus sustentantur, si absistant qui opem ferunt, protinus occumbunt. *Vituperio vitij.*

Libanius: Vinum si quis bibat moderatè, & corpori bonum conciliarit. neq; animum læserit. Sin egressus modum fuerit, & excesserit fines bibendi. ut jam inebrietur: hujusmodi evenire necesse est. Vidi enim quendam ebrium in convivio, & abeuntem domum subsecutus sum. Is cum nondum plenus esset, admodum moderata oratione utebatur, eratq; mansuetus, proferreque interdum aliquid erudite, neq; falsis dictis quibus pungaretur irasci. At jam vino dominante, corpus ipsum rubescere, ipse animo commoveri, inque alios contumeliosus, urbanis succensere: ipsum etiam increpare pincernam nulla culpa illius. Tum poculum manibus elabi, oculiq; & lingua perverti. Cum surgendum esset, opus illi erat & erectoribus. Passus autem se usq; ad forum deduci: huc cum veniisset, ductorem dimittit, seque conatur ipse sustentare: neq; tamen poterat. Similisq; erat delirantibus, cum huc illuc titubans ferretur, in opinione omnium futurum ut caderet. quo ipso & risus excitabatur. Nemo enim aderat, qui sine risu hæc aspiceret. Necessariorum quidem si quis auxilium laturus forte accessisset, neq; agnoscebatur ab isto, & genere indignũ rem facere videbatur. Tandem vix domum delatus, sequentibus multis (voluptati enim aliis erat ebrii istius miseria) cum objurgare servos, tum videri mulier illi malè rem domesticam curasse, quæ nihil plane deliquisset, nullis igitur verbis parcere: neq; tamen quicquam enunciare planè atque integrè, sed nunc literam, nunc plura etiam omittere. Postquam assedit, ædibus succensere, quæ nollent consistere. clamabatque diu ac multum, quasi vis afferretur. Postremo extensus jacuit, correptus somno morti simillimo. Quem cum cepisset admodum prolixum, illucescente jam die, reversus ad se, cogitare quid in ebrietate sibi accidisset: ipse quidem certe ignarus omnium, sed ab aliis de cunctis edocebatur. *Descriptione Ebrietatis.*

Basilius Imperator: Refuge comessationes, in quibus indulgetur poculis. ebrietas enim inimica est prudentiæ: ubi enim mens à vino opprimitur, idem ei contingit quod imperitis aurigatoribus, qui cum regere currum nesciant, & se & suos equos huc atque illuc circumagunt, & spectatoribus magnos risus excitant, quando autem mens ita affecta, itaque oppressa est, fieri nequit, quin animus totus magno in æstu, magnaq; in fluctuatione versetur. *cap. 25.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Equitibus v. 87.

At quid queat ebrius consulere utile?
D. Certè omnino utile. tu homo ignavissime
Quid? tune vinum audes calumniarier?
Quasi ad consulsandum nihil afferat boni?
An vino aliquid reperias ad agendum aptius?
Viden' quando bibunt vinum homines, ibi admodum
Ditescunt, causas vincunt, lites obtinent:
Beati fiunt. & jam amicis commodant.
Age effer hut mihi vini veteris congium,
Ut irrigem mentem, & dicam aliquid utile.
N. Hei mihi, quid acturus es hic cum potu tuo?
D. Bene agam. effer tu modo, ego decumbam paxillulum:
Nam inebriatus spargam undiq; ratiunculas,
Sententiolas, & consultatiunculas.

Aristophanes Pluto. v. 1050.

Opinor quod te anum jam diu non viderit.
A. Hem, quam diu credis, qui modo apud me heri fuit.
C. Tum sane huic homini longe aliter usu venit,
Quam cæteris. nam quanto hic est temulentior,
Tanto, ut mihi videtur, perspicit acutius.

Aristophanes Vespis v. 1246.

Ad cœnam eandem quam Philoctemon parat,
Fuer parato Chryse nostram symbolam
Ut inebriemur. jamdiu hoc factum est tamen.
Potasse valde noxium est, vinum facit
Pultare januam & fores confringere,
Tum pendere ara post solutam crapulam.
BD. Non sic cum honestu & bona res sit viris
Nam flore lasci liberi excusant facul
Aut forte verbum sesacetum dixeris
Æsopicum joculare vel Sybariticum
Convivia inter læta sumptum, & moveris
Risum, facessent teque mittent protinus.
PH. Mihi ergo dicta plursma ediscenda sunt,
Si non luenda est pœna commissa mali.

Aristophanes Vespis. v. 1297.

At nemo contumeliosior fuit:
Nam se ille postquam ingurgitavit plusculum,
Saltavit, & pepedit, & jocos dedit,
Satur ut asellus ordei mactus mola.
Batuit quẽ me superbiter, puerum vocans.

Mox. v. 1316.

Vinoq; tandem madidus, & domum petens
Pulsat ferit que quisq; est sibi obviam.

Aristophanes Vespis v. 1469.

Nam potus iste tempore a multo senex,
Ut tibiam audit, volupe ducens gaudium,
Saltare tota nocte nunquam desinet.

Plautus Pseudolo 5. sc. 2. v. 7.

Molliter siste me nunc: cave ne cadam:
non vides me ut madidè madeam?
SI. Quæ istæc audacia est, te sic interdiu
cum corolla ebrium incedere? P. lubet
Si. Quid lubet? pergin ructare in os mihi? P.
suavis ructus est mihi: sic sine modo,
S. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor
Fructus ebibere in hora una.

Plautus Truculento 4. sc. 3. v. 59.

—— *Per tua obsecro*
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras.
Mihiq; ignoscas, quod animi impos vini vitio fecerim.
C. Non places. in mutuum culpam confers, quod nequit ne-
quit.
Nam vinum si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari. sed vino homines solent,
Qui quidem probi sunt. verum qui improbus est, aquam si bibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio est improbus.

Terentius Heautont. 3. sc. 2.

—— *Equidem te demiror Chreme,*
Tam mane, qui heri tantum biberis. CH. nihil nimis.
S. Nihil, narras? visa vero est, quod dici soles
Aquila senectus.

Incerti.

Phœbus me in somnis vetuit potare Lyæum.
Pareo præcepto: tunc bibo cum vigilo.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba. Aqua in dolio pertusa.

Belidas fingunt pertusa in dolia vasa
Mox effundendas fundere semper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te,
Ebrie, quæ meias qui sine fine bibis.
Quinetiam hoc in te quadrat turba ebrius, quod sint
Corpora qua fuerant, dolia facta tibi.

In Bacchi statuam. Embl. xi.

Cur ferulam Bacchus manibus gerit atq; papaver?
Die mihi cur veteres hac voluere Patres?
Scilicet ut vino plenus, det corpora somno,
Postridie pœnas se meruisse sciat.

Flor. Schonhovius.

Apes.

§ Apophthegmata Sacrorum.

Salomon: Ejus insignia dicta adversus ebrietatem & vini abusum hæc sunt. *Prov.* 20.1. Derisor est vinum, tumultuosus potus inebriãs: ideo quisquis oberrat in eo, nõ sapit. *Cap.* 23.29. &c. Cui væ? cui eheu? ideo quisquis oberrat in eo, nõ sapit. *Cap.* 23.29. &c. Cui væ? cui eheu? cui cõtentiones? cui loquacitas? cui vulnera impune? cui rubor oculorum? Immorantibus apud vinum, euntibus ad investigandum vinorum? Immorantibus apud vinum, euntibus ad investigandum vinorum mistum. Ne respicito vinum cum rubescit, cum exhibet in poculo colorem suum, continenter movetur rectissimè: tandem velut serpens mordebit, & ut vipera punget. Oculi tui respicient alienas, & animus tuus eloquetur perversitates: & eris ut qui jacet in corde maris, & ut qui jacet in corona carchesii. Percutiẽtibus me, inquies, aliis, non ægrotavi: tundentibus, me non sensi: quando expergiscar, pergã, requiram istud amplius. *His verbis* ostendit rex sapientissimus ebriosos esse quiritabundos, suspirios os, rixatores, loquaces, plagis abundantes, rubicundos & oculis deformes, impudicos, impuros, & omnib. modis perversos, deinde tanta dementia perculsos, ut sibipsis de stupore corporis & animi gratulentur (quod ebriosis solenne est post crapulam utcunq; excussam) & seipsos de industria noviscq; gulæ ac intemperantiæ artificiis ad continuandam augendamq; illam suam lasciviam provocent. *Vide etiam cap.* 31.

Isaias propheta: Dei mandato, Isaias horrendam maledictionem ebriosis denuntiat, dicens, Væ surgentibus summo mane, ut potum inebriantem sectentur, prorogantibus ad crepusculum usq; , ut vinum incendat ipsos: in quorum conviviis est cithara & nablium, tibiaq; & vinum: opus autem Jehovæ non intuentur, & factum manuum ejus non considerant. Væ valentibus potare vinum, & strenuis ad miscendum potum inebriantem. *Isa.* 5. 11. 12. 22.

Amos propheta: Væ, inquit, hominibus longe repellentibus diem mali, accumbentibus in lectis eburneis, redundantib. super spondas suas, comedentibus agnos è grege & vitulos è medio saginarii, modulantibus ad præscriptum nablii, bibentibus in crateribus vini, & qui præstantissimo unguento unguntur sese: neque afficiuntur ægritudine propter confractionem Josephi: Mox migrabunt inter primos migraturos, tunc cessabit amovebiturq; designatio redundantium. Amos, 6.34. &c. Per designationem redundantium (quæ cessatura est) intelligit descriptionem illam quæ in ebriosorum & luxu perditorum hominum conviviis accuratissime solet fieri à magistris conviviorum, nempe numerum & ordines convivantium, triclinia, fercula, servulos, cantiones, pocula, unguenta, coronas, odoramenta, & reliquum luxum moderantibus.

Iesus Christus Dominus noster: De novissimis diebus loquens, dicebat discipulis suis, Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ: & repente vobis superveniat dies ille. *Luc* 21. 34.

D. Paulus Apostolus: Interdiu compositè ambulemus, inquit, nõ in comessationibus & ebrietatibus: non cubilibus ac proterviis, non lite ac invidia: sed induimini Domino Jesu Christo, & carnis curam ne habete ad explendas cupiditates. *Rom* 13 13. 14.

Scripsi vobis ne commisceamini: id est, si quis quum frater nominetur sit ebriosus, cum ejusmodi ne edatis quidem. 1. *Cor.* 5. 11.

Ebriosi hæreditatem regni Dei non possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10. & *Galat.* 5. 21.

Ne inebriamini vino, in quo luxus est (i. omnis profusio, eaque summa cum turpitudine conjuncta) sed implemini Spiritu: loquentes inter vos mutuò per psalmos, &c. *Ephes.* 5. 18. 19.

Oportet episcopum esse inculpatum, tanquam Dei dispensatorem: non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, &c. *Tit.* 1. 7.

Clemens Alexandrinus: Quomodo in potu Christianos se gerere deceat prolixè explicans, inter multa dicit, Vino immodico lingua præpeditur, labra solvuntur, oculi detorquentur ac divertuntur, gressus tanquam fluctu impellente subsidunt, nec possunt locum tenere: ructus, singultus, vomitus, insaniæ pro ludis & jocis subeunt. Plurimi dicunt, inquit, oportere in convivio se relaxare, & seria in auroram differre. Ego autem tunc maxime censeo rationem esse in cõvivium vana introducendam, quæ instar pædagogi corrigat temulentiam, ne nobis imprudentib. convivium dilabatur ad ebrietatem. Quemadmodum enim nemo qui sapit, æquum censuerit claudere oculos, priusquam eat dormitum: ita nec rationem abesse a convivio quis recte volucrit, neque ante res gerendas eam sopire recte instituerit. Miseri autem qui è convivio temperantiam abigunt, intemperantiam, quæ circa compotationes versatur, vitam esse beatam existimant. Quorum vita quidem nihil est aliud quam comessatio, crapula, balnea, temetum, matulæ, otium, potus. Videre ergo licet aliquos eorum semimortuos, cespitantes, in collis coronas habentes, non secus ac amphoras inter se invicem merum fundentes sub nomine benevolentiæ: alios autem plenos crapula, sordidatos, in vultu pallentes & lividos, & hesternæ temulentiæ adhuc aliam infundentes temulentiam. Bonum, bonum est, ô amici, ut cum hanc imaginẽ simul ridiculam & miserabilem viderimus, nos ipsos ad id quod melius est componamus & effingamus. *Prolatis deinde & expositis Salomonis & Christi adu. ebrietatem ebriososque dictis, similitudinem à Sapiente propositam, Prover. 23. expoliens addit.* Videtis naufragii periculum. Cor quidem multo potu obruitur, vini autem temulentia: maris agitationibus minacibus comparavit: nam corpus, tanquam navis, demersum, turpitudinis profundum subit ac dedecoris, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet humana, supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in laxa mari latentia irruens, scipsum in voluptates impactum perdiderit. *Post mala alia in ebrietatem dicta, subjungit*, Nos qui sumus genus pacificum, ad usum non ad petulantiam & contumeliam convivantes, sobriis haustibus amicitiæ ergo bibimus, ut vero & convenienti nomine pocula amicitiæ appellentur. Quomodo Dominum bibisse existimatis, qui propter nos homo factus est? adeone impudenter ut nos? annon honeste & temperanter? annon consideratè? *Vide 2. lib. Pædagogi, c. 2. cuius hæc cõclusio est*, Noachi indecora ebrietas scripta est, ut ebrietatem quã maxime vitemus, manifestam scriptisque mandatam lapsus imaginem habentes, propter quam qui ebrietatis turpitudinem texerunt (nempe Japhet & Sem) benedicuntur à Domino.

Basilius Magnus: Extat, primo tomo operum ejus, Sermo in ebrietatem & luxum, ex quo sequentia dicta decerpsimus.

1. Vinum Dei donum ad infirmitatis robur ac sustentationem sapientibus concessum, nunc vero instrumentum incontinentiæ in intemperantibus est factum. Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit.

2. Bestiis longe peiores existimo qui à vino superantur, quum illæ coeundi statas habeant leges & horas: at ii, quod plus æquo se vino ingurgitaverint, corpusque supervacuo calore concitaverint, in commiscendo nullius temporis & horæ rationem habentes, æquissimis complexibus & amoribus inter se fruuntur. Nec solum eo pejores brutis, quod mente insani & ebrii: sed etiam quod sensibus longe infra illa deficere videantur. Quod, quæso, animal ita visu audituve atque ebrius homo debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis vero sæpe ut domesticis congrediuntur? An non umbras sæpenumero, tanquam sulcos aut loca præruptata insiliunt? Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: terra insurgere interdum, ac in arduum rectumq; erigi: montes vero circummoveri videntur. Quandoque absque & præter modum rident: nunc vero sine consolationis remedio plorant: nunc item audaces & temerarii, mox timidi & ignavi. His etiam somni sunt graves, ægrè respirantes & prope suffocantes, ac revera morti vicini. Vigiliæ vero somnis stupidiores. In somnium quoddam est vita ipsorum: qui, cum nec vestem aliquoties habeant, nec quod comedant usq; in crastinum, & regna administrant, & exercitibus imperant: in ebrietate civitates ædificant, & pecunias distribuunt.

3. Nonnullos videas desperabundos, tristes, atque adolescentes, semper querulos & lachrymis refertos. Vinum in differentibus corporum habitibus differentes animæ perturbationes exercet. Sed quod opus hanc perturbationum catervam numerare, morum perversitatem, promptitudinem ad iracundiam & querelas repentinam animi ad omnia mutationem, strepitum multum ac tumultum, facilem ad dolos deductionem, ad omnes iræ motus incogitantiam?

4. Ebriosi ipsum corporis habitum corrumpunt, dum non solum abundantia voluptatum ad lasciviam insanientium illos labefactant & dissolutos reddunt: sed & corpus tumidum, putidum, muscosum, & vitali vigore privatum circumferentes. Nam eos videre licet oculis liventibus, cute subpallida, spiritu gravi, lingua balbutiente ac demissa, voce confusa, pedibus infirmorum more infirmis ac titubantibus.

5. Veluti navigia, quando fluctibus procellæ acceptis gravantur, necessario commeatus vacuatione ac projectione levanda sunt: sic ebriis rerum stomachum gravantium vacuatio necessaria est, ex quo & vomitione ac dejectione frequenti vix levari possunt: tanto naufragis deteriores, quanto illi res causantur extrinsecas, ventos & mare: hi vero sponte periculum adeunt, & ex ebrietate sibi volentes tempestatem pariunt.

6. Lymphatus & malo dæmone captus misericordia quidem dignus est: ebrius vero eadem fere & ipse patiens, minime misericordia dignus. qui spontaneo servit dæmoni.

7. Lamentatione quidem digni sunt ebrii, quod ex Apostoli sententia regnum Dei non consequantur. Tumultus in eis oritur, & turbatio ob vini potentiam, rationi & cogitationibus adversantem. Præterea tristitiæ ob amaros optandæ voluptatis exitus. Horum namq; pedes ut vincti debilitantur. Manus ex fluxionibus vini continuo moventur: quanquam ante omnia multa hæc in ipso potationis tempore similia phreneticorum eis eveniunt. Quum enim cerebrum æstu ex vini vapore redundante vacillat, dolorem intolerabilem capiti parit. Ex quo caput recte supra humeros consistere non valens, huc illuc vertebris dissolutum jactatur.

8. Quis sapientum admovebit vino sepulros, qui ex crapula continuo dormitant, capite gravantur, oscitant, caliginem ob oculos habent, ob nauseã fastidiunt? Quamobrem sapientiæ magistros inclamantes minimè audiunt, Nolite inebriari vino in quo est luxus: &, Res immoderata est vinum, & probrosa ebrietas. Quibus sane verbis ipsi minimè auscultantes, ebrietatis nimirum fructum referunt. Tumescit enim corpus, oculi humoribus prægravantur, ora siti ardent, fauces continuo siccantur. Et sicuti valles, donec torrentibus inundantur plenæ esse videntur: unda vero desinẽte statim siccæ vacuæq; remanent: sic & vinolentorum ora, vino ac potatione durantibus, exaturantur ac madescunt: paulo post continua siccitate laborant.

9. Ex

9. Ex frequenti potatione humor naturalis amittitur. Quænam enim est hominis structura adeo firma quę tantis ebrietatis malis resistat? Quis unquam madidum semper & innatans vino corpus conservabit, ut non exile, dissolutum, & omnibus obnoxium morbis existat? Hinc tremores hinc debilitates, confracto ac debilitato vitali spiritu, & excidentibus ac dissolutis robore membris excitantur.

10. Quod Isaias, deplorat cap. 5. Ii sunt qui luce incipiente vinum quæritant, cœnopolia cauponasq; circumagunt, sodales conveniunt, ac invicem ad potādum invitant: omnem deniq; curam, cæteris posthabitis in eo collocant, nec temporis partem aliquam in rerum cœlestium atq; operum Dei consideratione ponunt: sed statim summo mane divites sympoſia meditantur, tapetibus variis & aulæis ædes ornari curant, famulos ad hoc exercent, in hoc omnem curam ac diligentiam ostendunt, &c. Demum ordo ac dispositio in re inordinata confusaq; constituitur: ut quemadmodum principibus mundanis ex satellitibus augetur autoritas: ita illi & ebrietati velut reginæ cuidam ministros disponentes, summam illius turpitudinem horum munerum studio tegere contendunt.

11. Deinde cum potatione procedente eò veniunt, ut de augenda hac insania certent, & de ebrietate per ambitionem contendant: cujus legis autorem diabolum habent, victoriæ præmium, peccatum. Nam qui plus hauserit meri, is præ cæteris laudatur, is victoriam refert. Atq; ita gloria in ignominia illorum est. Omnia ibi sunt confusione referta, ubi & vincentes & victi pariter, temulenti sunt, ubi ministri rident, manus labant, ora madent, venter ciborum gravitate rumpitur, miserum corpus naturali vigore dissolutum ac desiens vim ponderis immodici ferre non valet.

12. Miserum profecto Christianorum oculis spectaculum: Vir ætate florens, corpore robustus, obeundis in exercitu laboribus aptus, aliorum subsidio domū reportatur, nec erigere seipsum valens, nec propriis incedere pedibus: & qui terrori hostibus fuerat, ridiculus in foro pueris videtur, occasionemq; ut ab omnibus contemnatur præbet, sine ferro vulneratus, sine hostibus enectus.

13. Ex talibus malis viri ac fœminæ communes choros constituentes, maloq; dæmoni miseras tradentes animas, sese invicem libidinum telis confodiunt atq; lacerant. Rides, dic mihi, & gaudes incepta stolidaque lætitia, quum lacrymas fundere ac dolere ob ea quæ admisisti fas erat. Cantus profanos exerces, oblitus Psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moves pedes, & insanus saltas. Choreas ducis imprudens, cum genua ad Dei & Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oporteat.

14. Puellę reversæ sunt amissa virginitate, uxores pudicitiam maritis minimè servaverunt. Si quæ forsan peccatum corpore vitavere, animo tamen admiserunt. Vidit ille male: visa est illa malè. Dedita enim opera mulieres in ebrietate & convivio, omni lascivo gestu, saltatione, cantu impudico, ad libidinem effrenes juvenes invitare spectantur.

15. Dicite mihi, quomodo servis imperare potestis, quum & ipsi cupiditatibus vestris tanquam mancipia serviatis? quomodo filios monetis vestros, animas proprias incastigatas retinentes, ac procul ab omni disciplina viventes?

16. Remedium his malis non omittam. Jejunium ebrietatem curet, Psalmus turpet cantus, lacrymæ risum, pro saltatione genu Deo flectatur, pro tripudio pectus pulsetur, pro vestium sumptu atq; ornatu humilitas. In omnibus vero eleemosyna peccata diluat, redemptio animæ, & viri divitiæ. In communionem societatemq; orandi Dei plures admittite eorum qui tribulati sunt, si quo pacto vobis malitiæ culpa remittatur.

Greg. Nazianzenus: Pauperes præclarè secum agi putabunt, inquit, si vel aqua expleantur: nos autem vini pocula usq; ad temulentiam hauriemus, imo etiam ultra temulentiam, saltem ii qui majore intemperantia laborant: atq; ex pluribus vinis alia rejiciemus, alia (ut suavia & grata) probabimus, de aliis etiam philosophabimur, atq; in detrimento ponemus, nisi ad patrium vinum exoticum etiam quoddam velut tyrannus accedat. Nos quippe lautos & delicatos, & profusiores quam usus exigat, aut esse, aut haberi oportet: perinde atq; vereamur ne non mali existimemur, ac ventris & eorum quę sub ventre sunt mancipia. *Or. 16. de paup. amore.*

Chrysostomus: Quam primum, inquit, mens vinolentia multa fuerit obruta, statim & in ipso initio utilitas quæ à jejunio est repellitur. Quid enim insuavius, dic obsecro, quid item turpius iis qui usque ad mediam noctem meracum sorbentes, sub auroram vinum quasi recens ingestum spirant, & occurrentibus quidem injucundi, ministris vero contemptibiles apparent, & deridentur ab omnibus qui modo quid deceat vel leviter intelligunt, & quid propter immodicam illam ac inutilem intemperantiam in se provocant Dei indignationem? Ebriosi enim regnum Dei non possidebunt. Quid illis miserius, qui ob parvam & pernicio sam voluptatem à regni vestibulis ejiciuntur? *Hom. 1. in 1. cap. Gen.*

Ebrietas & crapula degravans mentem & impinguans corpus, captivam facit animam, undique illam oppugnans, neque sinit rationis judicium firmum consistere, sed impellit, ut in præceps feratur, & omnia contra propriam salutem operetur. *Eadem homil.*

Gravissimum quiddam est ebrietas, ô dilecti, & quod potest excæcare sensus, & submergere mentem, & hominem rationale animal quasi mortuum & operatione carentem jacere facit. Ibi ridiculus omnibus, & uxori, & liberis, & famulis. Amici ejus ignominiam cogitantes sese abscondunt & confunduntur: inimici oblectantur, irrident, execrantur, dicentes, hunccine oportuit vivere? ô pecus, ô porcum! Quid miserius eo fuerit qui ebrietati quotidie deditus est, vinum profundit, & mentis suæ judicium corrumpit? Eapropter & sapiens quidam admonebat dicens, Principium vitæ hominis panis & aqua, & vestis, & domus regens turpitudinem: ut si quis ebrietate vincitur, non evulgetur, sed à suis contegatur & non sit omnibus risus & turpitudinis argumentum. *Homil. 29 in 9. cap. Genes.*

Ebrietas est vere voluntarius dæmon, & gravius quam dæmon mentem obtenebrat, & ebrium benevolentia omnium destituit. Sæpe enim dæmoniacum videntes misericordia movemur & condolemus, magnamque erga illum benevolentiam declaramus. In ebrios vero importuni sumus, indignamur, eis dira innumera imprecamur. Quia dæmoniacus involuntariè operatur: si rumpat vestem & obscœna pronuntiet, venia dignus est. At ebrius siquid malè fecerit, culpandus est: sed & graviter illum accusant familiares, amici, vicini, omnes: quia sponte sua ebrietatis tyranni di sese subjecit. *Eadem homilia.*

Quum diabolus ut plurimum insidietur in conviviis, cum & ebrietatis & ingluviei, risusque profusi & remissi animi auxilio utatur, tunc maxime oportet & ante mensam, & in mensa se munire Psalmorum præsidio, & simul cum uxore ac liberis surgentes à convivio hymnos sacros Deo canere. *In Psal. 41.*

Ebrietas est innumerabilium malorum fons ac fundamentum, præsertim quoniam præter omnem modum, nullum non facinus aggredi facinus. Ebrietatis natura est ejusmodi: aliquantum progressa adauget sitim, eamque reddit minus tolerabilem. Meritò dicit Isaias, ebriosos nō respicere opera, Dei quomodo enim id facere possent qui interdiu noctisopera exequuntur, noctu vero nihilo melius afficiuntur atque mortui, acie item destituuntur oculorum animi & corporis? *In 5 cap. Isaiæ.*

Audivi multos, cum insanæ istæ accidunt passiones dicere, utinam non esset vinum! O amentiam singularem, ô stoliditatem inauditam! alii delinquunt, & Dei tui dona criminaris. Putasne à vino factum hoc malum? Minimè sanè. Sed id fecit eorum incontinentia qui vino abusi sunt. Dicas ergo, Utinam non esset ebrietas, non essent delitiæ! Si verò dicis, Utinam non esset vinum, paulatim progrediens optabis ne sit ferrum propter homicidium, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit fœmina propter adulterium: & sic omnia Dei opera tibi destruentur. Ebrio igitur, cum in se fuerit reversus, omni dedecore suo prius descripto, dicas datum esse vinum ad lætitiam, non ad turpitudinem nostram: ut rideamus, non ut derideamur: ut rectè valeamus, non ut ægrotemus: ut imbecilla corpora reficiamus, non ut robur animi dejiciamus. honoravit te hoc munere Deus: cur dehonestas propter intemperantiam bibendi teipsum? *Hom. 58. in Matth. cap. 17.*

Paulus Timotheo dicebat, Utere modico vino propter stomachū tuum: ebrioso vero dicet, Utere modico vino propter fornicationes, ut crebra turpiloquia fugias, propter pestiferas cupiditates quas ebrietas parit. Quod si hæc non persuadent vobis ut ab his abstineatis, saltem propter dolores & eversiones stomachi abstineatis. *Ead. homil.*

Non ad mœrorem, neque ad dolorem, sed ad dolorem, sed ad lætitiam vinum datum est: hanc ejus virtutem vos ebriosi dejiciris. Nam quæ lætitia est, si non es in teipso, si mille doloribus vexaris, si omnia tibi circumferri videantur, si tenebris detentus, quasi febricitans, hominibus indigeas qui oleo caput tuum perfundant? *Ibidem.*

Vos sobrios oro, ne hac turpissima insania unquam capiamini, & ut eos qui capiuntur diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestiis homines fieri. nihil enim ultra quam opus est illæ desiderant: isti autem mediocritatis terminos excedentes, irrationabiliores illis constituuntur. Quanto enim asinus melior ebrioso est? quanto canis præstantior? Omnia certè animantia, rationis expertia, sive comedant aut bibant, ultra quam satis est, etiamsi mille cogerent, nunquam elabuntur. Pejores igitur inebriamini, non apud mentis compotes solum, verumetiam apud vos judices. *Ibidem.*

Etiamsi febris cessaverit, debilitas tamen inde facta diutius remanet: sic ebrietate transacta fluctuatio tamen ejus tam corpus quam animam diutius exagitat. Jacet enim plerunque, tanquam fluctuum ictibus conquassata navis, miserum hominis corpus: anima vero detestabili cupiditate compulsa vehementer incenditur: & cum corpus dissolutum fuerit, ipsa tempestatem excitat & cupiditatem incendit: & cum resipuisse videtur, tunc multò magis quam prius insanit, vinum, dolia, calices, cyathos & crateres plenos somnians. Et quemadmodum quamvis tranquillitas ex tempestate facta sit, detrimentum tamen quod inde factum est non restituitur, si semel jactura facta sit: sic omnium plene honorum jacturam ebrii patiuntur. Modestiam enim, pudorem, prudentiam, patientiam, humilitatem, omnia hæc quasi naufragium passi, iniquitatis pelago submerserunt verum multo pejora sunt, quæ sequuntur ebrietatem, quam quæ tempestatem. Nam ibi quidem post onera ejecta navis levior redditur: hic vero magis grauatur. Etenim pro divitiis virtutum ejectis, arenam atque aquam fœtidam ex ebrietate sibi congregarunt, quibus navicula cum vectoribus atque gubernatore simul demergitur. Itaque revolvamus semper nobiscum ebriosum neminem in cœlorum regnum perventurum. Quid regnum cœlorum dixi, cum nec præsentibus quidem jucunde utantur, noctem in die habentes,

& in luce tenebris obvoluti, & apertis oculis nihil rectè videntes? *Exeæ. homilia.*

Non prohibeo convivia, sed ne præter decorum quid agatur. Volo delicias vere delicias esse, non pœnam, non supplicium, nõ ebrietatem, neq; immodestam comessationem. Dicant profani Christianos maximè esse qui deliciari sciant, ordineq; & cum decore deliciari. Exultate, inquit Propheta, Domino cum tremore. Quomodo vero exultandum est? Si hymnos dixeritis, preces & vota feceritis, Psalmos pro illiberalibus illis cantucis induxerit. s. Ita & Christus mensæ vestræ aderit, &c. Neq; mihi dicas quod consuetudo diversum, & lex obtinuit: sed quæ malè habeat corrige. Sive comederitis, inquit Paulus, sive biberitis, sive quid feceritis, ad Dei gloriam omnia facite. *Hom. 25. in epist. ad Rom. c. 13.*

Ne inducas ebrietatem matrem ægritudinis animi, lætitiam diaboli, quæ mala parit innumerabilia. Hinc enim est & somnus morti similis: & crapula, & morbi, & oblivio, & mortis imago. Ebrius nolens amicum convenire. Et Christum intus habens audes tantam inijcere temulentiam. At delicias amas. Propterea cessa inebriari, &c. *Homil. 27. in 1. ad Corinth c. 11.*

Datum est vinum ad lætitiam, non ad ebrietatem. Nunc autem non inebriari videtur esse res ignavi & pusilli animi, & quæ sit ridenda: ubi inebriari maxime omnium deberet esse ridiculum. Privatum quemq; ab ebrietate remotum esse convenit: sed multo magis militem, qui gladios tractat, & versatur in sanguine & cædibus: quũ etiam ita alijunde plus satis irritetur, nempe à potestate, dominatu, & ex eo quod assiduè sit in insidijs & pugnis. *Paulo post.* Vini hemina & panis unus sufficiunt ad implendum ventrem hominis. Corpus breve, paucisque indigens, & satiandum Deus condidit, nihil aliud significans quam quod ad aliam vitam properamus. *Hom. 19. in epist. ad Ephes. c. 5.*

Vide præterea Chrysostomum, in *Homilia prima ad populum Antiochenum*, super illud Apostoli, Vino modico utere. Item, *Homil. 54.* contra eos qui ebrietati vacant, &c. Item *hom. 57. 71. 72. Oratione 6. de providentia, homil. de militia Christiana homil. prima de pœnitentia, & Sermon. 1. de jejunio.*

Est quædam, inquit, absq; vino ebrietas: est & in sobrietate temulenta luxuriosaq; comessatio. Quod si nemo posset absq; vino temulentus esse, nequaquam Propheta diceret, Væ iis qui ebrij sunt, & non à vino. Si non esset sine vino ebrietas, haudquaquam dixisset Paulus, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Nam quemadmodum vino, sic & alio modo potest quis inebriari. Est enim ebrietas & in ira, & in mala concupiscentia, & in avaritia, & in amore gloriæ, denique in aliis omnibus affectibus. Ebrietas enim nihil aliud est, quã excidisse à recta ratione, deliratioque & sanæ mentis privatio. Non solum igitur qui multum exhaurit merum, verum etiam qui alium quempiam morbum alit in animo, vehementer ebrius esse judicabitur, *Oratione 5. ad. Iudæos.*

Vide item *orationem* Chrysostomi *de ingluvie & ebrietate*, tom. 7. quæ summam eorum quæ ex eo tem facundissimo Theologo adu. ebrietatem protulimus continet.

D. Ambr. Ebrioso est, inquit, omne absorbere vinum, & intemperantis evacuare quod impleverit. Continentia autem utenti mensura legitima est. Ebrietatis itaq; species gemina est. Una quæ titubationem corpori afferat, atq; ejus supplantet vestigia, sensumq; perturbet: altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, & omnem infirmitatem, videatur avertere. Unde Apostolus ait, Vino modico utere, propter frequentes tuas infirmitates. Sicut enim isto bibendi more, vinum non infirmitati est, sed saluti, atq; omnem infirmitatem allevat corporis, ita etiam ebrietas illa præclara omnem infirmitatem carnis excludit. Quæ est ista ebrietas? Inebriamini, inquit Apostolus, non vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto. *Lib. de Noe & arca, c. 29.*

Sicut mater fidei continentia, ita perfidiæ mater ebrietas est. In quod facinus ista non præcipitat? Sedentes in foribus tabernarũ homines, tunicam non habentes, nec ipsum sequentis diei, de imperatoribus & potestatibus judicant, imo regnare sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates æducãt, qui non habent unde cauponi potus sui pretium solvant. Servet enim in his vinum, & nesciunt quid loquantur. De ebrietate ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quam fortes sibi homines videntur in vino, quam sapientes, quam ceerti, quam etiam pulchri ac decori, cùm stare non possint! Mens cubat, lingua balbutit, pallor & sanguis ora infundit, &c. *Eod. lib. c. 12.*

Sed fortè dicent has esse potationes vulgarium & levissimorum hominum. Veniamus ergo ad horum potentium & fortissimorum convivia. Cernas poculorum diversorum ordines: aciem ordinatam putes. Vasa exposita aurea & argentea, pompam arbitreris: cornu in medio, vino plenũ, non epularis, sed bucciniæ præliaris instrumentum, quod discubentes in certamen accendãt. Primo minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verum hæc non sobrietatis est species, sed bibendi disciplina. Etenim ut tragœdiarũ actores primo sensim vocẽ excitant, donec vivæ vocis aperiant iter, ut postea magnis possint clamoribus personare: ita isti quoq; in principio præludiis se exercẽt poculis, ut irritent iram, ne forte restinguant eã, & satiati postea bibere nõ possint. Ergo ubi res calescere cœperit, certãt majoribus poculis: fervor inardescit. Aridus cibus siti exæstuat, & ubi immanni vasa cœperint, potu meraciore reparatur. Certant pocula cũ fornicibus, & inter moras sæpe geminãtur. Deinde procedente potu longius, cõtentiones diveræ, & magna certamina, quis bibẽdo præcellat. Nota gravis, si quis se excutet, si quis tẽperandum fortè vinum putet. Et hęc donec ad mensas perveniatur secũdas. At ubi consummatæ fuerint epulæ, & putes jã esse surgendum, tunc de integro potum instaurãt suum: & cùm cõsummaverint, tunc incohare ie dicũt, tunc deferuntur phialę, tũc maximi crateres quasi instrumẽta bellorum. Ac ne immoderatũ hoc arbitreus, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipẽdium debilitas, victoriæ præmiũ culpa, pendet anceps diu & dubius belli eventus. furor. n. illic est præliaris. Victores victiq, omnes ebriã jacent, plerique; sopiti. Qui damna nõ sentit, hanc mensæ suæ gloriam putat, si ex ea vulnerati omnes ac saucii tanquam de arena exeant. Cernas juvenes terribiles visu hostib. de cõvivio portari foras, & inde ad cõvivium reportari: repleri ut exhauriãt: exhauriri ut bibãt. Si quis verecũdior fuerit, ut erubescat surgere, cùm jam immoderatos potus tenere nõ possit, anhelare vehementius, sudare, gemere, signis prodere & pudet cõfiteri. Ibi unusquisq; pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi & somnolenti nesciũt mente quid lingua proferat. Unusquisq; fertit & potat, dormit & dimicat: & si quãdo consurrectum fuerit, viri præliatores stare nõ possunt, gressu vacillant. Ridet servuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, huic imponunt equo. Alii referuntur in scutis: ut pompa ludibrii. Quos manè insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiã a pueruli rideri: sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso juventutis flore arentes. *Cap. 13.*

Nec vos excusamini, qui vocatis ut amicos, & emittitis ut inimicos. Quãto melius in terrã vina tua fudisses? Quid te delectant dãna sine gratia? Rogas ad jucunditatẽ, cogis ad mortem: invitas ad priãdiũ, efferre vis ad sepulchrũ. Cibos propinas, tormeta irrogas. Vina prendis, venena suffundis. Omne n.q equid nocet venenũ est. Tollit lenius, viscera exurit, somnũ infelix, caput vexat. Etiã major vis vini q veneni est. Deniq, venenũ vino excluditur, nõ vinũ venenũ. *c. 14.*

Non immeritò maledictionem denuntiat Isaias illis qui manè ebrietatis potũ requirunt, quos conveniebat Deo laudes referre, prævenire lucẽ, altare orationi: occurrere Soli justitiæ qui nos visitat & exurgit nobis, ut nos Christo nõ vino & sicerę surgamus. Hymni dicuntur, & tu poculum tenes? Psalmi canũtur, & tu psalterium lonas, aut cytharam, aut tympanum? Meritò væ, qui salutẽ relinquis, mortem eligis. Vix diluculascit, & jã curiatur per tabernas, vinum quæritur, excutiuntur tapetes, accubitum festinãt sternere, lagenas argenteas, auratos calices exponunt. Væ, inquit Propheta, ista quærentibus. *Paulo post.* Non seducant te vasa aurea & argentea. Habemus & nos thesaurum in vasis fictilibus. Vas Apostolorum ficile est, sed in eo thesaurus est Christi. Vę sicerariũ manè sectantibus. Aureum est hoc vas, poculum est, & in eo poculo venenum mortis, venenum libidinis, venenum ebrietatis. Hoc qui biberit commovetur & cadit: commovetur non solum corpore, sed etiam corde turbatur. *Cap 15*

Sudant vino corpora temulentorum, si lenius ea tetigeris exprimis vinum. Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insaniæ, venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas: per hãc ũnum ex hominib. equi adhinniemus. Vocem amittunt, colore variãtur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc exitialis crudiras, hinc vomitus freques temesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Mentior nisi eadem Dominus per Hieremiam locutus est, dicens, Bibite & inebriamini, & vomite, & cadetis, & nõ consurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, umbras sæpe transiliunt sicut foveas. Nutat his cum facie terra, subito erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuãtis fragor, & resonãtia fluctu littora. Canes si viderint, leones arbitrãtur & fugiunt. Alii risu soluũtur incõdito, alii incõsolabili mœore deplorãt, alii cernũt irrationabiles pavores. Vigilantes somniãt, dormientes litigãt: vita his somniũ est: somnus mors, &c. *c 16*

Quid obtestantium potationes loquar? Quid sacramẽta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorũ: & qui non biberit, sit reus in devotione. O pię devotionis obsequium! Quis non biberit, sit reus in devotione. O pię devotionis obsequium! qui non biberit, sit reus in devotione. O pię devotionis obsequium! O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificiũ putant! *Paulo post.* Pleriq; vino utuntur ut equuleo: & quib. tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerunq; vinum, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerunq; vinum, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerunq; vinum

didam vino ſolutus commiſit inceſtum ignorans: tu ſic bibe, ne capiaris. Inſtruant patriarchæ non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. Ideo iteratum eſt exemplum ebrietatis, ut confirmetur magiſterium cautionis. *Lib. 1. de Abrahampatriarcha, c. 6.*

D. Auguſt. Ebrii, inquit, quaſi læto corde videntur apparere. Utinam lætentur & non rixentur! Dicis mihi, Quid lætius ebrio? Imo quid inſanius ebrio? quid plerunq; iracundius? Eſt ergo vinũ quod verè lætificat cor, & non novit aliud niſi lætificare cor. *In Pſal. 103.*

Qui alterum cogit ut ſe bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem necaret. *In Sermonibus de tempore ſermon. de ebrietate vitanda, ex quo ſequentia dicta collecta ſunt.*

Paludibus nihil utile aut jucundum exhibentibus ſimiles ſunt ebrioſi, quorum prandia ducuntur uſque ad noctem, quorum cœnas lucifer videt, qui ſtare non poſſunt, etiam cum videntur eſſe jejuni, quorum ſenſus tardi, graves, obtuſi, & quodammodo jam ſepulti. Deniq; in ipſa frequenter ebrietate nec ſeipſos nec alios recognoſcunt, nec ambulare valent, nec ſtare, dicere aliquid vel audire quod ad rationem pertineat omnino non poſſunt. frequenter etiam uſq; ad vomitum ingurgitare ſe non erubeſcunt, & ad menſuras ſine menſura bibere. Majora enim pocula providentur, certa lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.

Inde lites & rixæ naſcuntur, inde diverſis & horrendis ſaltationibus membra torquentur, inde adulteria & homicidia nonnunquam perpetrantur. Et quotiens nimium potum accipiunt, tanquam in paralyſin reſoluti, dum ſuis pedibus ambulare non poſſunt, aliorũ manibus portantur ad lectum. Et eſt in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, ſuffuſio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis ſtupor.

Qui tales eſſe volunt, miſerabiliter ſe excuſare conantur, dicentes, Ingratum habeo amicum meum, ſi quotiens illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit ipſe non dedero. Et non ſit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui tuus & ſuus eſt inimicus. Si te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum & Deum inimicum. Tu eum noli adjurare, noli cogere, ſed in poteſtate illius dimitte, ut quantum ſibi placuerit bibat, & ſi ſe inebriare voluerit, vel ſolus pereat, & non ambo pereatis.

Quam multi inveniuntur qui ebrioſos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante oſtium pauperibus petentibus, vel unum calicem diſſimulant dare? nec attendunt, quia illud quod ebrioſis videntur ingerere, Chriſtus in pauperibus deberet accipere, qui dixit, Quod fecitis uni ex minimis meis, mihi feciſtis.

Conſiderent ebrioſi ſi non pejores animalibus judicandi ſint. Quum enim animalia amplius quàm eis opus eſt bibere nolint, illi & duplum & triplum quàm eis expedit potum accipiunt. Atq; utinam potum tantùm perderent, & non etiam ipſi perirent! *Hæ addit Auguſtinus varia Scripturæ teſtimonia.*

Ebrioſi qui contra coalumnam & amicam ſuam ebrietatem loquentibus iraſcuntur, libera à nobis voce audiant, quod quicunq; ebrioſus pœnitentiam de ipſa non egerit, ſed uſque ad mortem in ipſa ebrietate permanſerit: in æternum profecto peribit, quia non mentitur Spiritus ſanctus per Apoſtolum dicens, Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt.

Quia, quod pejus eſt, aliqui etiam clerici qui hoc deberent prohibere, ipſi cogunt bibere, aliquos plus quàm expedit: amodo incipiant & ſeipſos corrigere, & alios caſtigare, ut cùm ante tribunal Chriſti venerint, nec de ſua, nec de aliorum ebrietate incurrant ſupplicium.

Illud ante omnia rogo, & per tremendum diem judicii vos adjuro, ut quotieſcunq; vobis invicem convivia exhibetis, illam fœdam conſuetudinem perquam grandi menſura ſine menſura tres homines aut volentes aut inviti ſolebant bibere, tanquam venenum diaboli de veſtris conviviis reſpuatis, quia iſta infelix conſuetudo adhuc de paganorum obſervatione remanſit. Et quicunq; hoc in ſuo convivio aut alieno fieri acquieverit diabolo ſe ſacrificaſſe non dubitaverit.

Serm. 2. inter multa, hæc obſervanda videntur. Ebrii ſobrios irridentes, dicentes, Verecundia ſit vobis quod bibere non poteſtis quãtum nos. Vos viri non eſtis. Videte ebrioſorum miſeriam. ſe dicunt eſſe viros qui in ebrietatis cloaca jacent, & illos negant eſſe viros qui honeſtè & ſobriè ſtant. Victor ebrietatis vituperatur, & victus ab ebrietate laudatur.

Dicunt, Perſona potens me coegit ut amplius biberem. Vana excuſatio. Etiam ſi tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Quicunq; pro veritate teſtimonium dederit, quicquid pro teſtimonio veritatis, vel juſtitiæ & ebrietati reſiſtens pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.

Qua fronte, qua conſcientia tua qui ſervum nõ vis habere ebrioſum, ipſe vis ebrioſus fieri? Ecce de donis Dei tu habes ſervum, & te habet Deus ſervum: quomodo vis ut tibi ſerviat ſervus tuus, ita & tu ſervire Deo tuo debes. Ne facias Deo, quod tibi fieri non vis.

Qui credit ebrietatem eſſe exiguum peccatum, niſi reſipuerit, cũ adulteris, homicidis, idololatris, &c. æterna ſine remedio pœna illum cruciabit, juxta Apoſtoli dictum, Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. 1. Corinth. 6.

Sed dicet aliquis, Ego regnum Dei nolo, æternam requiem tantũ obtinere deſidero. Nemo ſe decipiat, fratres: duo enim loca ſunt, & tertius non eſt ullis. Qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum diabolo abſque dubitatione ulla peribit.

Ser. 33. ad fratres in eremo: Cyrillus veſter, inquit, filiũ habebat ut ſcitis, quẽ corrigere negligebat, & qui luxuriosè vivendo cõſumpſit partem bonorum ſuorũ. Sed ecce hodie ebrietatem perpeſſus, matrẽ prægnantem nequiter oppreſſit, ſororẽ violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulneravit ad mortẽ. O doloroſa ebrietas, omnium malorum mater, omnis luxuriæ ſoror, omnis ſuperbiæ pater, tu mentẽ excæcas, recto cares judicio, conſilium nullum habes, blandus dæmon es, venenũ dulce, ſuave peccatũ. Per te inflatur ſtomachus, & putreſcit anhelitus: tu oculos excæcas, cuncta mẽbra debilitas, mortem acceleras, crumenam evacuas, dominium recipis ab homine. Diſcant te diligentes agnoſcere & devitare, diſcant te velut mortẽ effugere, quoniã qui te dilexerit, regnũ Dei nõ conſequetur.

¶ Apophthegm. Chriſtianor.

F. Bernardinus Palomus: Huic ſæpius in ore: *Vinum duo potiſſimum mala comitantur: ſi namque diluitum ſumas, ipſum corrumpis: ſi non diluas, ipſe corrumperis. Floreſta.*

Alphonſus Arag. Rex: Conſiderabat eadem ille, ideoq; rogatus, cur præter Magnatum morem vini expers viveret; reſpondebat: *Vino ſapientia obſcuratur. quare non decet Regem, ut hujus immodica compotatione in animo extinguat illud, ſine quo Imperatoris aut Regis nomen tueri non poſſet.* Sciebat enim quod

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent. Pamor. lib. 2. de eiuſd. Geſtis.

Idem: Aliàs per oportunitatem rogatus, cur vinum tanta aqua diluaret? *Ne me*, inquit, *inebrier. Scio namque quantum Macedonis Alexandri gloria obfuerit ebrietas. Ibidem.*

Idem: Rurſus ſimile ſciſcitanti, cur videlicet in tantum Ebrietatem deteſtaretur, reſpondit: *Quia ſcio Furorem & Libidinem eius filias eſſe.* Probe igitur monet Horatius:

At ne quis modicè transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapythis rixa ſuper mero
Debellata. —— *Ibidem.*

Carol. V. Imp. Addo facetum hoc noſtri quondam Principis. Monebatur aliquando in caſtris Germano militi legẽ daret, ebrietatis vitãdæ gratia. At ille, *Quid* inquit, *Germano Ebrietatẽ interdicerẽ? perinde id foret, ac ſi Hiſpanis furta aut rapinas inhiberẽ. Coroz. & alij.*

¶ Monoſticha Trochaica.

Contumelioſa valde res eſt temulentia.
Duplicem pœnam merentur temulenti crimina.
Ebrij lingua omne prodit, corde haret quod ſobrij.
Ebrii vino atque amore, verbis, oculis ſe indicant.
Ebrijs mulier videtur quàm dudum formoſior.
Ebrioſa item ebrioſi tota fit ſodalitas.
Ebrio ſurgente nec pes nec mens officium facit.
Ebriorum dicta pœnam non merentur judicis.
Ebrioſos ebrioſos quicum victitat facit.
Ebrioſus ebrioſum reddit & collegium
Ebrius nunquam fiet qui cogitabit de ebrijs.
Ebrius vir eſt ineptus procreandis liberis.
Ebrius vitium ac videntem ſe privat prudentia.
Fœminam ebriam eſſe, crimen ſexus eſt primarium
Ianuam omnibus delictis mulier aperit ebria.
Inter ebrios vina armapralium certum excitant
Interit abſque doloris ſenſu quiſquis ebrius interit.
Largior meri uſus auget ebris ſitim, haud necat.
Laudibus vini vinoſus illico deprenditur.
Nec cadis ferrum auctor, nec merum auctor temulentiæ
Non ſenex ſolummodo bis eſt puer, ſed ebrius.
Non tam bellua eſt rationis expers ipſe quàm ebrius.
Ob meri cadum, in Centauros irruit vis Herculis.
Obrutus mero nil differt aut parum à cadavere.
Opprimas vinum vino, ejia, crapulamque crapula
Principem ebrium eſſe turpe eſt; coniugem eius turpius.
Promptè inebriaveris ſenem, at non promptè feminam.
Quam magis bibere Parthi major hos tenet ſitis.
Quid moret pater Thyoneus e virandus ut ſiet?
Quodlibet vinum vinoſus cauſſa laudat qualibet.
Si alia membra vino madeant, cor ſit ſaltem ſobrium.
Temulentiæ patronum quis ſe ultro ac palam ingerat?
Turpis ebrietate ſervor extumet libidinis.
Vinolentia atque Rixa inge contubernium eſt.
Virtutum choro Catharma eſt ebrioſa fœmina.
Vis meri facit periculum de cuiuſque moribus.
Vix mero madere fas eſt ipſis Bacchanalibus.

¶ Iambica.

Ad ferrum multi fuere meliores malè ſobrij.
Animum gerit vir ebrius tyrannicum.
Cur ad bibendum, haud ad edendum cogimur?
Devota vino femina, heu turpiſſima eſt.
Ebria omnibus claudit fores virtutibus.
Ebriulati, mœrem hilaram arripiunt.
Eſt poſt merum ſolutior licentia.
Et cauſſa mortu ebrius ſæpe eſt ſua.
Etiam Nocturnus obdormiſcit ebrius.
Etiam ſuis Rex ebrius contemptui eſt.
Facilè officiorum oblivioſi ſunt ebrij.
Fatur loquenda, tacenda fatur ebrius

Plura

Fiunt sues imo suissimi ebrij.
Haud esse acutus ebris, visus potest.
Haud pastulanda ab ebrio prudentia.
Hominem illico diversa vina inebriant.
Homo ebriacus somno sanari solet.
Inebriantur juvenes tardius quàm senes.
Insania germana temulentia est.
Lasciviæ magistra temulentia est.
Multum bibere atque sapere multum, haud fas simul.
Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu.
Nil strenuum mage in bibendo spongia.
Nil tam seni est similis quam adolescens ebrius.
Nolens volens, senecta saltat ebria.
Non condolemus ægrotanti ex crapula.
Penè innocens est quisquis peccat ebrius.
Per cœnum ad urbem recta fertur ebrius.
Pro mortuo est somno occupatus ebrius.
Prudentia res inimicissima crapula est.
Quemquam ferat, qui ferre vinum non potest?
Quisquis bibit permultum, parum sapit.
Quisquis bibit procliuis est in lacrymas.
Reddet mero mentem gravatam mox quies.
Sanos etiam vini dementat copia.
Servis suis tandem ebrius ludibrio est
Sitis bibendo augetur, haud exstinguitur.
Tandemque servis vilet ebrius suis.
Turpissima est res ebrietas in Principe.
Vbi regnat ebrietas, ibi ratio exulat.
Verbis malis frustra increpatur ebrius.
Vini libido, mille animi fœdat bona.
Vino medicina somnus præsentissima est.
Vinum illico, sed non & mustum inebriat.
Violentiam innatam auget vinolentia.
Vir temulentus sobria impar fœminæ est.

Ecclesiæ.

SENTENTIAE PATRVM GRAECORUM.

Clemens Alexand. Manifestum esse existimo, unam esse verâ Ecclesiâ, eam quæ verè est antiqua, in cujus catalogũ referuntur ii qui sunt justi secundum propositũ. Nam cum unus sit Deus & unus Dominus, propterea id etiã quod est summe venerabile, & ex eo quod sit solum claudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo naturæ sortem cooptatur Ecclesia quæ est una, quã conantur hæreses in multas discindere. Et substãtia ergo & cogitatione & principio & excellentia, solã esse dicimus, antiquã & catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quę est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento quod est unũ diversis temporib. in quibus Dei voluntate per unum Dominum cõgregat eos qui jam sunt ordinati, quos prędestinavit Deus, cùm eos justos futuros cognouisset ante mũdi constitutionẽ. Cæterùm Ecclesiæ quoq; eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile vel æquale. Atq; de iis quide n dicetur postea. Ex hæresibus aute n, aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ sunt à Valentino & Marcione & Basilide, etiamsi glorientur se Matthiæ opinionem adducere: fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina, ita etiam traditio: aliæ autem ex loco, ut Peratici: aliæ autem ex gente, ut Phrygũ hæresis: aliæ autẽ ex operatione ut Encratitarum: aliæ autẽ ex propriis dogmatibus, ut Docitarum & Hematitarũ: alii autem ex positionibus, & iis quæ ipsæ honorarunt, ut qui appellantur Cajanistæ & Ophitani: aliæ verò ex iis quæ nefariè ausæ sunt & perpetrarunt, ut qui ex Simonianis vocantur Entychitę. *Sub finẽ libri Stromatũ septimi.*

D. Nazianz. Ut hortus præstantior est quam stirps una, & cœlũ universum cũ suis ornamentis quàm unica stella, & corpus quã unicum mẽbrum: ita præstabilior est tota Ecclesia recte cõposita uno homine officio suo probe fungente. Ergo solitaria vita relicta ei opera merito danda est : præcipuè cum oporteat non sua quemque commoda spectare, sed & aliorum. *Oratione octaua*

D. Nazianz. Ecclesiam persecutiones illustriorem quoq; ipsam splendidioremque per suppliciâ reddebant. *Orat.* 23.

D. Naz. An non iniquum fuerit & absurdum, cùm auro & argẽto, superfluisq; opibus Deum honores, ubi plus fortasse ostentationis est quàm pietatis, sacerdote omnino Ecclesiam mulctare velle, sanctissimumque donarium deprædari? *Epist.* 28.

Chrysost. Quemadmodum ignis naturam talem esse videmus: ut si quis multas in unum lãpadas coegerit, splendidam reddat, & incendat lucẽ: sic & in ipsis fidelibus ac credulis usu venit. Quũ enim à nobis mutuo auulsi sumus, fit nescio quo pacto, ut mœstiores reddamur: quum autẽ mutuo nos conspicientes membris domesticis hinc inde impliciti, fit ut magnam consolationem accipiamus. Mihi enim hic tempus præsens ne examinaveris, per quod Dei gratia, multi fidelium ordines, & per vicos, & per urbes, & in ipsa eremo inhabitãt: verum me noriæ tuæ obversetur tẽpus illud, quantũ inde bonũ existeret, quum & discipuli magistros cõtuerentur, & à fratribus fratres ex alia civitate profecti conspicerentur. Atq; ut rem ipsã planius eloquamur, exemplo utemur. Nam si fortè contingeret ac fieret, quod tamen omen Deus avertat, abductos nos in Persarum, vel Scytharum, vel cæterorũ Barbaroru n binos ternósve, in illarum gentium urbibus à nobis mutuo avelli, deinde repẽte quempiam ex hac urbe advenientem videre: considera quanta n caperemus ex ea re consolationem? *Hom. 2. ad Rom.*

Chrysost Ecclesiam Dei vocat, ostendens eam oportere esse unitã. nomen enim Ecclesiæ nõ est nomen separationis, sed unionis & cõcordiæ & consensus: neq; parvum hoc est, sed omnium pernicioſissimum, divulsam esse ecclesiam. *Hom. 1. ad Corinth. 1.*

D. Chrysost. Ecclesia nunc similis est mulieri, quæ à veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis, & moniliũ quidem solas ostẽdit thecas & arculas, divitiis. a, est privata. neq, hoc solũ dico propter dona (nõ. n. esset grave si hoc solũ esset) sed etiam propter vitam & virtutẽ. *mox*: Tunc quidem in omnib. una erat anima & cor unũ. Nunc autẽ ne in una quidem anima illã concordiam videris & consensum: sed ubiq; magnũ est bellum. Pacẽ nunc quoq; precatur omnib. is qui præsit ecclesiæ, ut quĩ in domum ingreditur paternam: sed hujus pacis nomen quidem est frequens, res autẽ nusquam. Tunc enim domus erant ecclesiæ: nunc autem etiam ecclesia est domus, vel potius quavis domo deterior. Nã in domo quidem benè cõstitutum videris ordinem. Nã domina quidẽ domus sedet in sede cum omni honestate, modestia & decore: & ancillæ texunt cum silentio: & singuli ex famulis in manibus habent id quod est eis mãdatum, Hic autẽ multus est tumult s, magna cõfusio, & à caupona, nihil nostra differunt: tãtus est risus, tanta perturbatio; sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus & tumultuantibus. atq; adeo hic solum. Nam alibi ne propinquum quidẽ licet alloqui in ecclesia, & ne si amicum quidem longo tempore absentem exceperit. Sed hæc foris fiunt: & meritò. Non. n. tonstrina, neq, unguentaria officina, neq; ulla alia opificum qui sunt in foro taberna est ecclesia: sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum. Quomodo ergo si quis diductum cœlum illuc introduxisset, etiamsi patrem videres, etiamsi fratres; ne audere: quidem loqui: ita hic ne aliud quidem loqui oporteret præter spiritualia. Nam hic quoq; est cœlum. Quod si non credis, aspice ad hanc mensam: recordare propter quam causam, & quamobrem hic stet. Cogita quis sit qui huc procedat: venerare & obstupesce etiam ante tempus. Etenim si quis solum viderit regis solũ, animo assurgit expectans regis exitum. *Hom. 36. ad Corinth. 1.*

D. Chrysost. Nunc ecclesia nihil differt à foro, & si nõ sit dictu audacius, fortè nec à fornice aut prostibulo: adeo iis q̃ illic scortantur, lasciviis & impudicitis ornantur quæ hic cõgregantur. Quamobrẽ multos quoq; impudicos hic attrahunt. Et si quis tentet aut velit corrũpere mulierẽ, nullus ei videtur locus aptior, quàm ecclesia. Et si quid vẽdere aut emere oporteat, ecclesia videtur esse aptior quàm forum. Hic. n. de his plura verba fiunt, quàm in ipsis officinis. Et si qui velint malè dicere, & maledicta audire: hoc quoq; hic magis videbit contingere, quàm in foro. Et si voluerit res audire civiles, & q̃ in ædibus fiunt, & quæ in castris: ne eas ad prætorium, neq; sedeas in officina medicorum. Sunt n. qui omnibus exactius hic omnia hæc annunciant: & omnia sunt hic magis q̃ ecclesia. *Hom 36. ad Cor. 1.*

D. Io. Chryso. Qui præsentis vitæ imperio potiuntur, tanto iis, penes quos Ecclesiasticũ imperiũ est, inferiores sunt, quanto minus p̃clarum est invitis, q̃ volentibus imperare. Nam hoc etiã naturæ cõsentaneum imperium est. Et enim illic quidẽ omnia metu ac necessitate perficiuntur: hic voluntas libera q; animi sententia omnia exequitur. Nec vero hac tantum ratione hoc imperium illi p̃stat, verum ob hanc etiam causam, q̃ non solum imperium est, sed etiam paternitas, ut ita dicam. Nam patris mansuetudinẽ ac suavitatem habet: quumq; majora pcipiat, ea tamẽ persuadet. Externus. n. princeps dicit, Si adulterium admiseris, actum de te erit: at hic gravissimas pœnas minatur, si vel dumtaxat procacib. & impudicis oculis mulierẽ cõspexeris. Etenim grave ac venerandum est hoc tribunal: nec corpus solum, sed animam etiam corrigit. Quantum ergo inter corpus & animã discriminis est, tãtum itẽ hoc imperiũ ab illo distat. Adhæc qui imperio illo fungitur, perspicuorũ dumtaxat criminũ judex sedet, imo ne horum quidẽ omnium, verũ eorum tantummodo, quæ certis argumentis cõperta sunt. Quin plerũq; etiam accidit, ut, pdito jure ea dissimulet. At cõtra tribunal nostrum omnes, q̃ ingrediũtur, hoc docet, quod qui apud nos judicis partes tenet, nuda omnia & aperta in cõmuni totius terrarũ orbis theatro collocabit: nec cuiquã sese occultãdi facultas erit. Ac proinde Christiana lex multo magis vitã nostram tuetur & cõtinet, q̃ externæ. Nã si de tectis atq; occultis peccatis cõtremiscere, cautiorẽ hominẽ reddit, q̃ de perspicuis tãtum in metu esse, atq; iis, q̃ de levibus etiã noxis pœnas expetit, ad virtutis studium magis excitat, quam qui gravissima quæq; dumtaxat punit, non est profecto dubium quin vita nostra hoc imperio maxime fulciatur & conservetur. *Homilia 15. ad Corinth. 2.*

D. Ioh. Chrysostomus. Hic invidiæ morbus Ecclesiam etiam attigit omniaque sursu n ac deorsum vertit, corporisq; compagem discidit, nosq; adversus nos ipsos mutuo stamus, livore nimirum arma nobis porrigente. Ob eamque causam ingens rerum depravatio est. Nam quum, omnibus etiam ædificantibus, præclare se res habeat, si ii, qui erudiuntur, stare queant, quũ omnes id agimus ut diruamus, quis tandem finis erit, Quid agis homo? Utilene esse existimas proximi commoda dejicere. At ante illum tua ipsius commoda evertis: Non ædium extructores, non agricolas cernis, quemadmodum omnes concordibus animis in unum currant? Hic effodit, ille serit, alius radicem contegit, alius quod latum est, rigat, alius obsepit, ac

muro cingit, alius beſtias arcet: omneſq; id unum ſpectant, ut plantam incolumem ſervent. Hic autem non ita res habet. Verum planto quidem ipſe: alter autem labefactat, & ſuccutit. Sine ſaltem eam recte figi: ut robur ejuſmodi contrahat, quod hoſtili impetu frangi nequeat. Non opus meum deles, ſed tuum evertis. Ego plantavi, rigare te oportebat. Si itaq; ſuccutias, radicem funditus evelles, nec habebis ubi rigationem tuam oſtendas. At vides eum qui plantat omnium ſermonibus celebrari? Bono animo eſto: nec ego aliquid ſum, nec tu. Nec enim qui plantat eſt aliquid, ne qui rigat eſt aliquid. Unius enim Dei opus eſt. Ex quo efficitur, ut adverſus ipſum bellum ineas ac dimices, dum ea, quæ plantata ſunt, extirpas. Ergo aliquando tandem reſipiſcamus, atque expergiſcamur. Non tam externum bellum, quam inteſtinam pugnam extimeſco. Quandoquidem etiam radix, quum terræ recte affixa fuerit, nihil à ventis detrimenti patietur. Sin autem ea, verme eam interne depaſcente, vacillet, nemine etiam moleſtiam ipſi exhibente collabetur. Quouſque tandem Eccleſiæ radicem vermium in morem exedemus? Nam & à terra hujuſmodi cogitationes exiſtunt: imo, ut rectius loquar, ne à terra quidem, ſed à ſtercore, utpote quarum parens putredo ſit. Neque etiam ab execrando eo obſequio, quod à mulieribus exhibetur, abſiſtimus. Tandem igitur aliquando fortes viros nos præbeamus: philoſophiæ pugiles efficiamur, ingentem malorum proventum abigamus. Etenim Eccleſiæ multitudinem, tāquam examine quoddam corpus, humi proſtratum nunc cerno. Et quemadmodum in corpore recens vita functo, oculos quidem, & manus, & pedes, & collum, & caput intueri licet, ſic tamen ut nullum membrum munere ſuo fungatur: eodem modo hic quoque omnes, qui adſunt, fide quidem prædíti ſunt: at fides actuoſa non eſt. Fervorem enim extinximus, Chriſtique corpus mortuum reddidimus. Quod ſi hoc dictu quoque horrendum eſt, multo utique horribilius eſt, quum in rebus ipſis cernitur. Siquidem fratrum nomina habemus: res autem hoſtium. Quumque membra omnes vocemur, ferarum tamen ritu inter nos diſſidemus. Hæc, non rerum noſtrarum evulgandarum ac traducendarum ſtudio à me dicta ſunt: ſed ut pudorem vobis incutiam, atque hinc vos avertam. *Homilia 27 ad Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Qui diſſecti ſunt in varias partes, nequaquam poſſunt appellari cognomine congregationis. ſiquidem Eccleſiæ nomen conſenſus concordiæque nomen eſt. *Cap. 1. ad Galatas.*

Chryſoſtomus: Ut in corpore ſi quis ab omnibus membris eundem poſtulet uſum, nunquam conſtiterit corpus; ſic & inter fratres grave bellum erit, ſi ab omnibus omnia requirimus. *Cap. 6. ad Gal.*

Chryſoſtomus: Qui ſunt inordinati? ii plane qui agunt præter quod Deo videtur. Eſt enim militari ordini ipſe eccleſiæ ordo congruētior & convenientior. quamobrem & maledicus eſt inordinatus, & ebrioſus inordinatus, & avarus, & omnes qui peccant. non enim ordinatè incedunt in acie, ſed pravè ac perverse. *Hom. 10. ad 1. Theſſ.*

Chryſoſtomus: Tenete traditiones. Hinc eſt perſpicuum, quod non omnia tradiderūt Apoſtoli per epiſtolam; ſed multa etiam ſine ſcriptis; & ea quoq; ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoq; traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. eſt traditio: nihil quæras amplius. *Homil. 4. ad Theſſal. 2.*

Chryſoſtomus: Quomodo qui unam domum habitant, & ſunt in unius patris poteſtate, & unius menſæ ſunt participes; ita olim habitabant in unaquaq; eccleſia. nunc abſq; ſenſu ſupplicii temerè alter ab altero ſeparatur, idque præ algore pietatis. *Hom. 5. ad Theſ. 2.*

Chryſoſtomus: Eſt eccleſia veluti domus quædam: ac ſicuti in domo uxor eſt, & filii ac ſervi omnium que cura ac regimen incumbit viro: ita ferme & in eccleſia videas, nihil ibi eſt aliud quam filii & uxores, & ſervi. Quod ſi adminiſtrationis habeat ſocios eccleſiæ rector, habet & domi vir uxorem conſortem curarum ſuarum. At vero in eccleſia, viduarum ac virginum alendarum ſolicitudo eſt: habet & domi vir & ſervos, & filios. Eſt autem longe facilius domum quam eccleſiam regere. Qui igitur rem, familiarem diſpenſare congrue neſcit, is quo pacto eccleſiæ præeſſe convenienter poſſe putandus eſt? *Homilia 10. ad Timoth. 1.*

Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum ſagena, quæ in mare proiicitur, varia piſcium genera concludit: Eodem modo ſempiternum Chriſti regnum ex omnibus hominum nationibus multitudinē excipiens: pro fidei ratione ſalutem cuique conſtituit: non generis authoritati, non dignitatis amplitudini, non ſacerdotio, non regno hac appellatione indigno delicias tribuens, verum moribus ac vitæ, quæ ad puritatem propenſa fuerit; atque ad verorum piſcatorum prædam ſe contulerit. *Lib. 1. Epiſt. 204.*

Idem: Bona in vaſa colliguntur, mala autem extra ſagenam proiiciuntur: nimirum cum Domini Eccleſia excutietur, quandoquidem omnes Chriſti nomine congregati, atq; in unam compagem & commiſſuram copulati ſunt. Et quidem in vaſa, hoc eſt, in ſempiternas manſiones, colliguntur animi qui in veritate perſtiterunt: extra regnum autem proiiciuntur hæretica, rectèque doctrinæ adverſantia. *Lib. 1. Epiſt. 205.*

S. Iſidorus Peluſiota: Non tanquam nemo Eccleſiæ bellum indicturus, atq; extinguere adnixurus eſſet, verum quod multi quidem adverſus eam pugnaturi, ſed tamen vincendi ac profligandi eſſent dictum eſt, Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, ſubaudi, Eccleſiam. Sic quippe contigit. Oppugnata enim eſt, ſed non oppreſſa, verum iis ipſis, qui eam extinguere tentaverunt, ſplendidior emicuit. Quid igitur miraris, ſi ſancti etiam viri bello exagitentur? Ex bellis enim præclariora trophæa, atque ornatiora ſpolia eſſe videntur. *Lib. 3. Epiſt. quinta.*

S. Iſidorus Peluſiota: Lex hac de cauſa naturales etiam, nimirumq; in voluntate noſtra ſitas excretiones expiari voluit, ut voluntarias ac naturæ repugnantes multo magis fugiamus. Nam quæ iis, qui ea perpetiuntur, quæ ſpeciem quidem peccati habent, nec tamen revera peccata ſunt, aditum ad templum, quoadusq; purgati fuerint, intercluſit: eadem quæque iis qui ſponte atq; conſulte peccant, majorem metum incutit, acerbiorem q; pœnam minitatur. Nam cum id quod minimè ſponte factum eſt, veniam haud ſimpliciter impetrarit, id proculdubio, quod voluntariè admittitur, veniam haudquaquam obtinebit, niſi vera & ſincera pœnitentia curetur. *Lib 3. Ep. 14.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quod ſanctorum cœtus, ex recta fide, atq; optima vivendi ratione collectus, Eccleſia ſit, inter eos conſtat, qui ſapientiam deguſtarunt. Quod autem Euſebius hoc ignorans, veram Eccleſiam evertat, dum multis offendiculi cauſam præbet, templum autem extruat, atq; illam quidem ornatu ſpoliet, probos viros expellens, hoc autem magnificis marmoribus exornet, hoc quoq; nemini obſcurum eſt. Quod ſi ille certo cognoſcat, aliud Eccleſiam, aliud templum eſſe (nam ea ex immaculatis animis conſtat: hoc autem ex lapidibus & lignis exædificatur) ſic exiſtimo, eum finem facturum eſſe illam evertendi hoc impenſius, quàm neceſſe ſit, exornandi. Neque enim parietum, ſed animarum cauſa cœleſtis rex huc venit. Quod ſi ſe ignorare fingat, quod dico, etiamſi vel tardiſſimis quàm maximè clarum ac conſpicuum ſit, exemplis hoc declarare conabor. Ut enim aliud eſt ſacrificium, aliud altare, aliud thymiamatis locus, aliud thymiama, aliud ſenaculum, aliud ſenatus (illud enim locum in quem coeunt, ſignificat: hic autem viros eos qui cōſilium ineunt, ad quos & periculum & ſalus pertinet) eodem modo de templo & Eccleſia ſtatuendum eſt. Quod ne ſic quidem ſe intellexiſſe dicant, illud ex me diſcat, quod Apoſtolorū tempore, cùm Eccleſia & ſpiritualibus gratiis abundaret, & vitæ ſplendore affluerit, nulla templa erant: at noſtra tempeſtate templa plus quàm par ſit exornata ſunt, Eccleſia autem, ne quid gravius dicam, comicis cavillis inceſſitur. Ego verò, ſi mihi optio daretur, temporibus illis fuiſſe mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, Eccleſia autem divinis ac cœleſtibus gratiis undique cincta & redimita erat, quàm his noſtris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus cohoneſtata ſunt, Eccleſia autem ſpiritualibus illis gratiis nuda & vacua eſt. *Lib. 3. Epiſt. 246.*

S. Iſidorus Peluſiota: Magna me admiratio tenet, qui fiat, ut cùm prius ii, qui divino ſermone inſtituti erant, opes ſuas ad communem utilitatem propoſuerint, nunc contra nonnulli ex ſermonis magiſtris & interpretibus (neque enim omnes condemnare fas eſt) communes opes ad ſe avertere non vereantur. Itaque ob hujuſmodi abſurditatem hoc effecerunt, ut illi etiam, qui offerre conſueverant, elanguerint. Nam cùm Eccleſiæ theſauros in ſubditorum probitate animique candore reconditos eſſe oporteat, hoc ipſi fieri minimè ſinunt. *Lib. 3. Epiſt. 325.*

Idem: Si ii, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, & ii, pro quibus ſacerdotii munus obitur, in iiſdem rebus verſantur, quiſnam divinū numen placabit? Quocirca opus eſt ut pauperum theſauri in ſubditorum animis & voluntate recondantur, ſacerdotes autem ſacroſancto duntaxat miniſterio dent operam: ut Deum, tum ſibi ipſis, tum iis, qui parent, propitium reddere poſſint. Quod ſi vero plebes, eos qui ſacerdotii ſanctitatem ſortiti ſunt, omnia ea, quæ ad hanc vitam pertinent, tractare atq; adminiſtrare conſpicientes, religioſam pietatem excuſſerunt, non tam ipſi accuſandi ſunt, quàm negotiatores illi atque caupones, qui iniquam omnem & ſceleratam quæſtus faciendi rationem induunt. Nam ſi ipſi mores ſuos correxerint, ſpes eſt plebem quoque ſecuturam eſſe. *Lib. 3. Epiſt. 326.*

Iſidorus Peluſiota: Apoſtoli quidem, utpote à divino Spiritu ſapienter inſtructi, Eccleſiam quoq;, ut Domini ſponſam ita exornarunt, ut nec mali quicquam ipſi moleſtiam exhiberet, nec quicquā melius eſſet, quod ad ipſius ornatum adjungi poſſet. At nonnulli ex his, quibus nunc magiſterii ac doctrinæ thronus haud ſcio, quonam pacto commiſſus eſt, res novas moliri audent, ac legem honeſtè pieque ab illis fundatam pro nihilo ducentes, ſua proferunt, veterem ſcilicet ornatum, per ea quæ agunt, viliorem atq; contemptiorem eſſe judicantes. Nam cùm illi unum, qui Apoſtolicam dignitatem pecunia empturum ſe ſperaverat, objurgarint, ac dixerint, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniā Deum exiſtimaſti pecunia poſſideri: non eſt tibi pars nec ſors in hoc ſermone: Iſti contrà ſacerdotii munus iis præſertim cōmiſerunt, qui tanquā in foro ipſum emerūt. Nec vero hoc adhuc grave eſt, quāvis alioqui grave, verum etiā hoc nomine magis efferuntur, quam alii ob probitatem ac voluntariam paupertatē. Atq; cùm à quibuſdam convitiis impeti videntur, ſtatim Apoſtolicā dignitatem proferunt (non enim nos, inquiunt, ſed Epiſcopatū contumelia affecerūt) cùm autem aliquid eorum, quæ officii ſunt, agendum eſt, non amplius hoc proferunt, perinde atque hoc ipſis liceat honori haberi, ut Apoſtoli, non autem facere ut Apoſtoli. *Lib. 3. Epiſt 394.*

S. Iſid. Peluſ. Quòd florente Eccleſia, & nondū morbo laborante divinæ gratiæ circum cā velut chorū agerent, Sācto videlicet Spiritu res adminiſtrante, atq; Antiſtitū unumquemq; incitante, ac Eccleſiā in cœlum cōvertente, omnib. notum & perſpicuū eſt. Quod autem, poſteaquā ea morbo affecta eſt, ac ſeditione laboravit, omnia illa avolarint, atq; nō gratiæ duntaxat (neq; n. ita gravis res eſſet, ſi hoc ſolum malī eſſet) ſed etiā vita & virtus abſceſſerint, id quoq; nemini obſcurū eſt. Ut enim alia omittā, & una re cætera etiam ſignificabo. Etenim pacis quidē nomen ubiq; eſt: res ipſa nuſquam: verum Eccleſia fœ-

ſtã fœminæ cuidã, quę ex antiquã felicitate excidit, ac ſigna tantùm habet, ſimilis eſt. Ornamentorum.n. ſuorum theeas & arculas habet: opibus autẽ ſpoliata eſt: nõ ob ejus, qui eã primùm exornavit incuriã ac negligentiam, ſed ob eorum, qui non, ut convenit, res adminſtrant, improbitatẽ. Alii enim vẽdere, alii emere ſacerdotiũ audent. Alii ea agunt, quæ, etiãſi liceat, dicere tamen nõ audeo: alii autem ea dicunt, quæ ne cogitare quidem fas eſt. Merito proinde hujuſmodi hominib. Eccleſiæ Dominus ac ſponſus hoc interminatus eſt, quòd tibi à me quæſiiſti. Veniet dominus ſervi illius, & diuidet eũ, & partẽ ejus cũ infidelibus ponet. Verum hujuſmodi cõminationem pro fabula ducunt, atq; hanc ſententiã pro circulatoris cujuſdam figmẽto: etiãſi mundus jam ad finem properet, ac ſupplicium parturiat. At tu, ô cõſpicue Eccleſiæ alumne, ne ad eos, qui naufragio pereunt, animũ attẽdas, nec cũ ſegnibus & ignavis teipſum cõpares: verùm ſcientiæ lumen ſplẽdidius ſubinde redde, per vitæ probitatem ac virtutem ipſum irrigans. Atq; ſponſum exſpecta, ingreſſurum quidem cum iis, qui animis & corporibus virgines ſunt: de iis autem, qui virginitatis & ſacerdotii dignitati per flagitia ſua contumeliam intulerunt, ſupplicium ſumpturum. *Lib. 3. Epiſt* 408.

¶ LATINORVM.

B. Salv. Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnib. eſſe debet placatrix Dei, quid eſt aliud quã exacerbatrix? aut præter pauciſſimos quoſdã qui mala fugiũt, quid eſt aliud penè omnis cętus Chriſtianorum quam ſentina vitiorũ? quotum quẽq; invenies in eccleſia non aut ebriosũ, aut helluonẽ, aut adulterum, aut fornicatorẽ, aut raptorem, aut gaudionẽ, aut latronem aut homicidã? & quod his omnib. pejus eſt, prope hæc cũcta ſine fine. Interrogo.n. Chriſtianorum omniũ conſcientiã: ex his vel flagitiis vel ſceleribus quotuſquiſq; nõ aliquid eſt horrũ? aut quotuſquiſq; nõ totum? facilius quippe invenias qui totũ ſit quã qui nihil. & quod diximus nihil; nimis fortitan gravis videatur cenſuræ. plus multo dicã: facilius invenias reos malorum omnium, quã non omniũ; facilius majorum criminum quam minorũ; id eſt, facilius qui majora crimina cũ minoribus, quam qui minora tantũ ſine majorib. perpetrarint. In hanc enim morum probroſitatẽ prope omnis Eccleſiaſtica plebs redacta eſt, ut in cũcto populo Chriſtiano genus quodã modo ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum. itaq; eccleſias vel potius tẽpla atq; altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent, quã cujuslibet minimi ac municipalis judicis domũ. Siquidem intra januas nõ modo illuſtriũ poteſtatum, ſed etiã præſidum aut prępoſitorũ, non omnes paſſim intrare pręſumunt, niſi quos aut judex vocaverit, aut negotiũ traxerit, aut ipſa honoris proprii dignitas introire permiſerit: ita ut ſi quiſpiã fuerit inſolẽter ingreſſus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundiæ atq; exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. in templa a. vel potius in altaria atq; in ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine ulla penitus reverentia ſacri honoris irrũpant: non quia non omnes ad exorandũ Deum currere deberent, ſed quia qui ingreditur ad placandũ, non debet egredi ad acerbandum. neq; enim ejuſdẽ officii eſt indulgentiã poſcere, & iracundiam provocare. Novum ſiquidẽ monſtri genus eſt; eadem penè omnes jugiter faciunt quæ plangunt. & qui intrant eccleſiaſticam domum, ut mala antiqua defleant exeunt. quid dico exeũt? in ipſis penè hoc orationibus ſuis ac ſupplicationibus moliuntur. aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur: ac ſic oratio eorũ rixa eſt magis criminũ quam exoratrix: ut verè illa in eis ſcripturæ maledictio cõpleatur, ut de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Deniq, ſi vult quiſquam ſcire, quid in templo ejuſmodi homines cogitaverint, videat quid ſequatur. ſiquidem conſummatis ſolennibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt: alii ſcilicet ut furentur, alii ut inebrientur, alii ut fornicentur, alii ut latrocinentur: ut evidenter appareat, hoc eos eſſe meditatos dum intra templum ſunt, quod poſtquam egreſſi fuerint exſequuntur. *Libro 3 de gubernatione Dei.*

S Salvian Sed paucorum hoc, inquis, dedecus fuit; & quod non à pluribus perpetratum eſt, cũctis nocere non potuit. Jã dixi ſæpius, in Dei populo etiã unius facinus peſtem fuiſſe multorũ: ſicut ex furto Achar fugit populus, ſicut ex zelo Saulis exorta eſt peſtilẽtia, ſicut ex David numeratione mortalitas. Ita eſt.n. Dei eccleſia quaſi oculus. ut in oculũ etiãſi parva ſordes inciderit, totũ lumen obcœcat; ſic in eccleſiaſtico corpore etiamſi pauci ſordida faciãt, prope totũ eccleſiaſtici ſplendoris lumen offuſcatur. &c. *Lib ſeptimo de gubern Dei.*

S. Salv. Chriſtianus qui ad eccleſiam venit, negligentiæ reus eſt, qui autem venit cœleſti Deæ initiatus, ſacrilegii. nimirum enim piaculi res eſt, ſi honor Deo non deferatur, quam ſi irrogetur injuria. ac per hoc quicunq; iſta fecerunt, non dederunt honorem Deo, ſed derogarunt. nam etiam ipſam quodammodo eccleſiæ ſalutationem idolo præſtiterunt quia ſecundi loci officioſitas honori illius profecit, cui principalia deferuntur. *Imitio fere libri 8. de gubern. Dei*

Salv. Neſcio quomodo repugnante cõtra te ipſam felicitate, quãtum tibi auctũ eſt populorum, tantũ penè vitiorum; quãtum tibi copiæ acceſſit, tantũ diſciplinæ receſſit; & proſperitas venit quæſtuum cũ magno fœnore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta eſt, & creſcentib. filiis ſuis mater ægrotat, factaq; es, Eccleſia profectu tuæ fœcunditatis inferior atq; accenſu relabens, & quaſi viribus minus valida. Diffuditi per omnẽ mundum religioſi nominis mẽbra, religionis vim nõ habentia: ac ſic eſſe cœpiſſe turbis opulẽs, fide pauper; quãto ditior multitudine, tanto egetior devotione; latior corpore, anguſtior mẽte, eadeq;, ut ita dixerim, & in te major, & in te minor; novo penè & inaudito genere proceſſus & receſſus creſcens ſimul & decreſcens. Ubi.n. eſt illa nunc eximia formæ tuę & totius corporis pulchritudo? ubi illud de vivis virtutib. tuis divinor. apicũ teſtimonium, cor unũ & anima una, & nemo quidquã ex eo ꝙ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat? cujus tu nũc (ô dolor, ô lamẽtatio) lectionẽ tantum habes, virtutẽ non habes, cui quantum ſcientia, tantũ interim cõſcientia abes. Maxima quippe nunc filiorum tuorũ portio mortiferarũ rerum negotiatrix eſt, propoliſq; & cauponib. ſimilis terrenis, imò tartareis, perituris ſimul & perdentib. ſtudet, nundinis. Lucro enim pecuniæ damnum vitæ ementes, ut adquirant quæ nõ ſunt ſua, prodigunt quæ ſunt ſuã, mandantes terræ theſauros luctuoſos. hæredib. breve gaudiũ, auctoribus longum mœrorẽ allaturos: fraudãtes uſu rerũ præſentium tam alios quam ſeipſos, cõdentes profundis ſpecubus infernas opes, ſimul pecuniam ſuam ac ſpẽ infodientes. Invidentes itaq; ſaluti ſuæ, animasq; proprias quæ vocantur ad cœlum, terrenis ponderibus in terram premunt. Mens enim theſaurizantis theſaurum ſuum ſequitur, & quaſi in naturam terreſtris ſubſtantiæ demutatur, nec ſolum nunc, ſed & in futuro atque perpetuo. *Libro primo contra avaritiam.*

Chryſologus: Hoc eſt quod pavebã dicere, hoc eſt quod trepidabã proferre, hoc eſt quod neq; cœleſtiũ, neq; terreſtrium quemquã ſinebat ſervituti propriæ cõditio ſuſpicari: cęli & terræ, carnis & Dei repente tantũ poſſe provenire cõmercium, ut Deus in hominẽ, homo in Deũ, dominus in ſervum, ſervus verteretur in filiũ, fieretq; divinitatis & humanitatis ineffabili modo una & ſempiterna cognatio. Et quidẽ deitatis erga nos dignatio tãta eſt, ut ſcire nequeat quid potiſſimũ mirari debeat creatura: utrum quod ſe Deus ad noſtrã depoſuit ſervitutẽ: an quod nos ad ſuæ divinitatis rapuit dignitatẽ. Hinc eſt homo quod te divinitus adhortatur, qui tãto nũc tuo amore flãmatur: quod adhuc in utero voce tua te Deus adoptat in filiũ: quod te nõ ſeri ſolum liberũ vult ille, ſed naſci: quod ipſã propter te manumittit naturã: ne quem nævum, ne quam maculã imponat ortus priſtinæ ſervitutis. O vos beatos, quib. dominari datum eſt ante, quã naſci: ante regnare, quam vivere: ante ad Dei patris gloriam pervenire, quàm profapjam propriæ utilitatis agnoſcere. Eccleſia felix mater, quæ vos tales recipit, quæ cum virgo permaneat, genuiſſe tales & tantos vos taliter ſe miratur. *Sermone* 72.

Chryſol Sed nõnulli ſub ſpecie fidei contẽptus, ſuã excuſare nitũtur ignaviã, ut neglecto venerandi cœtus & cõgregationis ardore: illud ſe tẽpus orationi deputaſſe cõfingant, quod domeſticis dederint & impenderint curis: & cũ propriis deſideriis mãcipantur, divina cõtemnunt & deſpiciũt inſtituta. Iſti ſunt qui corpus Chriſti diſſipãt, mẽbra diſpergunt: nec ad decorem ſuum patiuntur formã dominici habitus pervenire: quã propheta cùm vidiſſet in ſpiritu, ſic cãnebat. Speciosus forma præ filiis hominũ. Habent quidẽ ſingula membra propriũ ſui munus officii, q tamen tunc implere poterunt, ſi cõnexa ſibi & cõpaginata perfecti corporis pervenĩãt ad decorẽ. Hoc ergo intereſt inter cõgregationis plenitudinẽ gloriosã, & ſeparationis prę ſumptã de ignorãtia, aut negligentia vanitatẽ: ꝙ in ſalute & honore integri corporis, ſpecies eſt unitas mẽbrorum: & in ſeparatione viſceru eſt fœda, lethalis, & horrẽda pernicies. Homo, quid aliud te docuit in tuo corpore, aut ſic diviſa cõjunctio, aut tã conjuncta diviſio, niſi ut ex multis unus, & unus in multis viveres? Eſt mẽbrorum cõmercio ſalutari pretioſus oculus, ſed ſi perſeverat in corpore: alioq; ubi corpori defuerit, ſibi nõ aderit: debent illi mẽbra omnia ſuæ lucis obſequiũ: ſed & ipſe oculus ſentit corpori ſe debere quod lux eſt, qui utiq; cum omnibus membris miniſtratum membrorum providet, evulſus a corpore nec ſibi videt. Quiſquis ille eſt qui ſe putat eſſe aliquid, tali inſtitutus exẽplo maneat in Eccleſia, ut ſit aliquid: alioqui ubi defuerit illi, ſibi eſſe mox deſinit. *Sermone* 132. *m.*

Io. Sarisb. Eccleſia data eſt in direptionẽ, aliis palã, aliis clã occupãtibus eã. Nã & ipſa occupãti cõceditur, eo forte ꝙ in nullius bonis eſt. Nõ eſt n. inventus, niſi perrarus, q accingatur gladio ſuper femur ſuũ, ad pſumtionẽ ambitionis reprimendã. Illa nãq; machinas multiplices erigit, ut eã expugnet nemine defendẽte. Alius n. de nobilitate cõfuſus, aut virib. poteſtatũ, violẽter in ſacta irruit, & ſi forte pulſat ad oſtiũ, parierẽ aut limina ſuffodere nõ veretur. Nã & ſeditionẽ cõciabit in Moyſen, & alienũ ignẽ in tẽplum inferet, & vaſa sãctuarii cõtaminabit. Alius ſperãs in multitudine divitiarũ, Simone ducẽte ingreditur, nõ inveniẽs ibi, q eũ & pecuniã ſuã jubeat ire in perditione. Alius in munerib. ad Petrũ reformidat accedere, clãculo tamẽ ꝙ impluviũ auri ac ſi ꝙ tegulas Jupiter elabatur in gremiũ Danaes, ſic in ſinum Eccleſiæ procus deſcẽdit inceſtus. Alius obſequio quaſi muneris ignarus, adeſt: ac ſi obſequia nõ cedant in muneris rationẽ, ꝙfecto nullũ majus eſt munus, q cũ homo ſeipſũ hominis devovet ſervituti. Aliũ colluſione quadã vocãtis liberalitas ꝙvenit, ſed poſtmodũ collatã gratiã ſuo Giezi plenius cõpenſabit. Alius agit ne ipſũ pulſare oporteat, ſed ad ingrediendũ cõpellatur invitus, & quaſi obnubilãs lucernã Dei, ut eũ impune irrideat fraudulẽtus. Diu ſiquidẽ alius ſimulavit. Ambitionẽ namq; multis indiciis ꝙdidit, & ſe divitẽ, potentẽ, inſignẽ velle fieri confeſſus eſt, ſed alia via, ſed in alio ſtatu, ſed in minori periculo, majore libertate. Voluit eſſe nobilis in Laicos, aut certe magnus in clero. Ob hoc principũ virorũ qſivit gratiã, familiaritatẽ iniit, & ab eis quaſcũq; ſuſcepit functiones. Scriniis forte platus eſt, aut cõſignãdi ſuſcepit officiũ, aut cimelii cuſtodiã, aut publici claves ærarii, aut ratiocinii varias cautiones, aut ſi quid aliud nequit, ut cordib. ꝓficeretur obtinuit. Nõ tamen ꝙ ad eũ pertineat de egenis, aut de pauperib. curam gerat, ſed quia fur eſt, & loculos habet, quos avaritia ſolvit ad tempus, ut ſub imagine pietatis, eos ſacrilegus farciat, & de mendicitate, & de morte egentium privatas ſibi divitias paret. Si enim veræ compaſſionis moveretur affectu, ſua fidelius & utilius pauperibus erogaret, quam ad diſpenſationem

alieni mercator impurus accederet. Jam palam emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat. *Lib 7. Polycratici c.17.*

Io. Sarisberiensis: Proculdubio quisquis ecclesiasticam deprimit libertatem aut punitur in se, aut in sobole. Amittunt ergo filii etiam propria cum his quæ favore eorum paterna impietas occupavit. *Lib.7. Policrat. c.20.*

¶ Emblematvm.

Adeodatus Seba. Ecclesia.

Pinge globum tenui quem libratum undique filo
Sustineat summi Numinis alta manus.
Talis est urbs Christi de nomine dicta beato,
Quæ nil firmius est, mobiliusque nihil.

Seba. Vipera rupta matre erumpens.

Viperei exedunt ceu matris viscera fœtus
Sic quos ipsa suo fovit alumna sinu,
Roditur, heu, nimium sanctorum Ecclesia multis.
At non eventu, nec ratione pari.
Vipera nam salva infelix prole interit, illis
Hæc contra extinctis non pereuntia manet.

Idem. Luna Soli opposita & interjectu terræ deficiens.

Lunam interveniens ceu terra corpus opacum,
Atra inficit caligine.
Sic interveniens hominum sapientia, purum
Ecclesiæ infuscat jubar.

Seba. Plena Luna Soli adversa.

Fraternis luna aut radijs adversa refulgens,
Pleno coruscat lumine:
Sic Christi objectos spectans Ecclesia vultus,
Splendore lucet integro.

¶ Apophthegmat. Sacrorvm.

Sara Abrahami uxor: Cùm videret Sara Ismaelem filium Hagaræ Aegyptiæ, quem Abrahamo pepererat, irridentem, (erat autem hæc irrisio cum Isaaci persecutione conjuncta, teste Apostolo, Galat.4.29.) dixit marito, *Ejice ancillam hanc & filium ejus: non enim futurus est hæres filius ancillæ istius cum filio meo, cum Isaaco.* Hujus apophthegmatis, & historiæ intellectum aperit & patefacit D. Paulus, c.4. epist. ad Galatas, conferens inter se duos Abrahæ filios: Ismaelem primogenitura sua superbientem, sed ex serva natum: & Isaacum promissionis filium, ex libera natum. Ille hunc persequitur, ideoque ejicitur, ne hæreditatem cum Isaaco communem habeat. Idem in Ecclesia fieri ait Apostolus, in qua duplices sunt filii. Ex libera nati, sive filii promissionis, id est, fide apprehendentes gratuitam justitiam & adoptionem, ut vitæ æternæ hæreditatem consequantur. Ex serva nati, id est, hypocritæ, justitiæ suę fiducia tumidi & inflati, qui sunt jurati hostes ac persecutores Christi fidelium, & perpetuo flagrant odio doctrinæ de gratia & justitia fidei: & qui (ut Paulus de Judæis loquitur) volentes suam justitiam stabilire, justitiæ Dei non sunt subjecti: ideoque hæreditate, credentibus in Christum promissa excluduntur, ut ut cum Ismaele circumcisionē suam & primogenituram, id est Ecclesiæ faciem, & aliquam legalis justitiæ umbram jactitent ac ostentent.

David: David cognoscens locum quem Jehova elegerat sibi, opifices & materiam comparat ad templi ædificationem, deinde vocato filio Salomone dixit ei, *Quod ad me, erat mihi in animo ædificandi domum nomini Iehovæ Dei mei. Sed editum est mihi verbum Iehovæ dicendo,* Sanguinem copiosum effundis, & bella magna geris: nō es ædificaturus domum nomini meo, quia sanguinem multum effundis in terram coram me. Ecce editus filius tibi, is futurus est quietus, cùm quietem dedero ei ab omnibus inimicis ejus circumquaque: nam Scelomo (i. *pacificus*) erit nomen ejus: etiam pacē & tranquillitatem disponam in Israele diebus ejus. Is ædificaturus est domum nomini meo, idemque mihi futurus est in filium, & ego ei in patrem: & firmabo solium regni ejus super Israelem usque in seculum. *Nunc fili mi, futurus est Iehovæ tecum; quandoquidem prosperaberis, ædificato domum Iehovæ Dei tui, quemadmodum locutus est de te. Verumtamen det tibi Iehova intellectum & prudentiam, cum mandatis instruet te super Israelem, & ut observes legē Iehovæ Dei tui,* &c. Deinde præcepit David omnibus principibus Israelis, ut juvarēt Salomonem filium suum, dicens, *An non Iehova Deus vester vobiscum est, qui dedit vobis quietem circumquaque: nam tradidit in manum meam habitatores hujus terræ, & subiecimus ipsam terram coram Iehova, & coram populo ejus. Nunc adhibete cor vestrum, & animum vestrum ad requirendum Iehovam Deum vestrum: ideoq; agite, ædificate sanctuarium Iehovæ Dei, ad inferendum arcam fœderis Iehovæ, & instrumenta sacra Dei in domum quæ ædificata fuerit nomini Iehovæ.* Hic miscet David præcepta & promissiones, quæ non modo ad Salomonem, sed etiam ad omnes homines, præcipuè vero ad gubernatores rerumpublicarum pertinent. Sicut enim David moriturus severissimè præcipit filio Salomoni, ut legis divinæ sit custos: ita omnes reges, principes, & magistratus sciant sibi legis custodiam commendatam esse. Porro, ut David promittit filio servanti mandata Dei prudentiam rectricem consiliorum, felicitatem eventuum, & præsentiam Dei: ita non dubium est omnibus piis gubernatoribus eadem bona à Deo promitti. Cæterum, non modo in rebus politicis administrandis, sed tum vel maximè in constructione templi reges & principes opus habent præsentia, consilio, auxilio primariorum virorum, pro modo vocationis uniuscujusque. Nec occasiones divinitus datæ sunt negligendæ. Pax enim (cujus David meminit) apta & accommodata erat ædificationi templi. *Vide 1. Chron. 22. c. & 28. cap. eiusdem libri.*

Idem: Convocatis regni sui ordinibus declaravit Salomonem ex Dei voluntate regni hæredem esse, deinde omnes ad cultum Dei & structuram templi à Deo præscriptam hortatur, & ad Salomonē conversus: *Tu quoque,* inquit, *Salomon, fili mi, agnosce Deum patris tui, & cole eum corde integro & animo studioso: quia omnia corda exquirit Iehova, & quodque figmentum cogitationum intelligit. Si exquisiveris eum, invenietur abs te; sed si dereliqueris eum, rejiciet te in perpetuum. Vide nam, quandoquidem Iehova elegit te ad ædificandum domum pro sanctuario: confirmare & fac.* Tradita deinde templi, & omnium quæ inde pendebant structura, dispositione, & ornatu, subjecit: *Hæc omnia descripta sunt à manu Iehovæ, qui instruxit me: confirmare, estoq; fortis & fac: ne timeto, neque consternator: nam Iehova Deus, Deus meus tecum erit, (non deseret te neque derelinquet te) donec absolveris totum opus ad ministerium domus Iehovæ.* Addidit præterea, Sacerdotes, Levites, alios templi ministros, principes & omnes Israelitas paratos fore ad omnia regis sui verba. Dixit item toti congregationi, *Salomonem filium meum unum elegit Deus puerum & tenellum: opus autem hoc magnum est: non enim homini istud palatium sed Iehovæ Deo paratur. Atq; omnibus quidem viribus meis præparavi pro domo Dei mei aurum,* &c. Vide 29. & 30. cap. 1. lib. Chronic.

Cyrus, rex Persidis: Anno primo Cyri regis Persidis, ut complerētur verbum Jehovæ dictum ore Jeremiæ, excitavit Jehova spiritum Cyri regis Persidis, ut promulgaret per totum regnum suum, idque etiam scripto, dicendo, Sic ait Cyrus rex Persidis, Omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cœli, & ipse commisit mihi, ut ædificem sibi domum Hierosolymis quæ sunt in Jehuda: quis in vobis de toto populo ejus est ædificaturus? Jehova Deus ejus sit cum eo, & ascendito, 2. *Chronic.* 36. 22. 23. Josephus lib. 11. c. 1. antiquit. testatur Cyrum cum audivisset recitari vaticinia Isaiæ 45. & 46. cap. non solum populo concessisse reversionem in patriam, sed etiam imperasse civitatibus & præfectis, ut instruerent viatico Judæos: subditis itē spontaneam oblationem, & templo vasa restituisse. Vide initium libri Esdræ ubi idem edictum Cyri apponitur; addito mandato de instauratione templi, sublevatione Judæorum redeuntium, & voluntaria oblatione.

Mardochæus: Audito regis Assueri ab Hamane impulsi de Judęorum cæde decreto, gravitet lugens, nepti suæ Esteræ reginæ per internuntios id significat, eamq; serio sui officii admonet, dicens, Ne putes apud animum tuum te ereptam iri in domo regis, ex omnibus Judæis. Nam si omnino silueris tempore isto, respiratio & liberatio constabit Judæis aliunde: tu verò & domus patris tui peribitis: & quis novit an propter tempus ejusmodi perveneris ad istud regnum? *Ester* 4. 13. 14.

Esras: Postquam beneficio regis Persarum populus ex captivitate Hierosolymam esset reversus, & jam rerum instauratio feliciter esset inchoata, Esra traditis in manum sacerdotum ingentibus auri & argenti summis, dixit ad illos, *Vos estis sancti Iehovæ,* hæc quoque instrumenta sunt sancta: argentum etiam ac aurum sunt voluntaria oblata Jehovæ Deo majorum vestrorum. Sedulò observate, donec ea appendatis coram principibus sacerdotum ac Levitarum, &c. *Esræ 8. 28.*

Nehemias: Quum à rege Artaxerxe impetrasset reditum in Judæam ut templum & urbem instauraret, consideratis diligenter maceriis & desolationibus, dixit ad primarios, *Videtis malum in quo versamur, Hierosolymam vastatam esse, & portas eius succensas igne: agite, ædificemus murum Hierosolymæ, ut non simus amplius opprobrio.* Et ubi indicavit quam prospere omnia egisset, dixerunt, *Surgamus & ædificemus:* confirmaruntque manus suas ad hoc bonum. *Nehem. 2. 17. 18.*

Idem: Quum Sanballat & alii hostes Israelitarum subsannarent & spernerent eos instaurationi Hierosolymorum intentos, sciscitantes, Quę est ista res quā facitis? an contra regem rebellatis, Nehemias causa totius negotii eis exposita, dixit, *Deus cœli secundabit nos, & nos servi eius surgentes ædificabimus:* vobis verò non est pars, aut jus, aut monimentum Hierosolymis. *Nehem. 2. 19. 20.* vide etiam *Nehem. 4. 1.* &c.

Iesvs Christvs *Dominus noster:* Si peccaverit in te frater tuus, inquit, ito, & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: sin verò te non audierit, assume tecum unum adhuc aut duos: sit ex ore duorum aut trium testium confirmetur res tota. Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit: sit tibi velut quispiam ethnicus & quispiam publicanus. *Matth 18. 15. 16. 17.*

Idem: Discipulis suis, & toti Ecclesiæ dicebat, Ne time, ô parve grex: nam visum est Patri vestro dare vobis regnum. *Luc. 12. 32.*

Idem: Dixit ei quidam, Domine, num pauci sunt qui servantur? Ipse verò dixit eis, Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, itudebunt intrare, & non poterunt: ex quo videlicet surrexerit pater familias, & occluserit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis: qui respondens dicet vobis, Nescio unde vos sitis. Tunc incipietis dicere, Edimus in tui conspectu & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet, Dico vobis, nescio unde vos sitis: abscedite à me omnes qui facitis quod injustum est. *Luc. 13. 23. &c.*

D. Pau-

D. Paulus Apostolus: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. 1. *Cor.* 3. 11.

Vos estis concives sanctorum ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cujus imus angularis lapis est ipse Jesus Christus: in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino: in quo & vos una ædificamini, ut sitis habitaculum Dei per Spiritum. *Eph.* 2. 15. &c.

Christus dilexit Ecclesiam quæ ei subjecta est, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, postquam eam purgasset lavacro aquæ per verbum: ut sisteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiã non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi: sed ut esset sancta & inculpata. Nullus unquam sui ipsius carnem odio habuit, imo enutrit & fovet eam sicut Dominus Ecclesiam, &c. *Ephes.* 5. 24. 25. *&c.*

Hæc tibi scribo, ut noris quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis. 1. *Tim.* 3. 15.

Qui descendit, nempe Christus Filius Dei, ipse est qui etiam ascendit longè supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem, inquam, corporis Christi: donec evadamus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi: ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum versutia: sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius extructionem per charitatem. *Eph.* 4. 10. 1. *&c.*

Clemens Alexandrinus: Unus quidem est universorum Pater: unum est etiam Verbum universorum: & Spiritus sanctus unus: & ipse est ubique. Una autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Hæc non habuit mater hæc sola: quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul & mater, integra quidem & inviolata, ut virgo: amans autem ut mater, & suos accersens infantulos, sancto lacte, nempe verbo infantili nutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher & appositus: scilicet corpus Christi, &c. *Pædagogi lib.* 1. *c* 6.

Irenæus: Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt. *Lib.* 2 *c* 43.

Memor igitur, inquit, quoniam carne Domini redemptus es, & sanguine ejus, & tenens caput, ex quo universum corpus Ecclesiæ compaginatum augescit, hoc est carnalem adventum Filii Dei, & Deum confitens, & hominem eum firmiter excipiens, utens etiam his ostensionibus quæ sunt ex Scripturis, facile evertis omnes eas quæ postea affictæ sunt hæreticorum sententias. *Lib* 5 *c* 13.

Fugere oportet sententias hæreticorum, & intentius observare ne conjungemur ab ipsis; confugere autem ad Ecclesiam, in ejus sinu educati, & Dominicis Scripturis enutriri. *Eiusd. lib. c.* 17.

Tertullianus: Apostoli, inquit, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum; & Ecclesiis institutis dehinc in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverũt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, unaq; est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant unitatem. *Lib. de præscriptionibus adversus hæreticos, cap.* 20.

Doctrina hæreticorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus authoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli nõ diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis addidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. *Cap.* 32. *ejusdem libri.*

D. Cyprianus. Loquitur, inquit Dominus ad Petrum, Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et eidem post resurrectionem suam dicit, Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatẽ tribuat & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui retinueritis, retinebuntur: tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipiendo sua authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. *Paulo post:* Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse confidit? *Item:* Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unũ tenaci radice fundatum, &c. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unũ tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, &c. unum caput est, & origo una, & una mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios quos generavit, regno assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrẽ, &c. *Lib. de Simplicitate Prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ.*

Greg. Nazianzenus: Publicis & privatis malis multis descriptis, ait, Sunt hæc sanè gravia, & plusquam gravia: sed nihil perinde grave atque acerbum est, ut pax pulsa & fugata, & Ecclesia decore suo spoliata, priscaque dignitas & amplitudo sublata & extincta, atque adeo inversa ordinis ratio, ut qui prius ex non populo populus, & ex non gente gens facti fueramus, nunc in eo periculo versemur, ut verendum sit, ne ex populo maximo, & gente in non populum, & non gentem redigamur. *Orat.* 3. *de Pace.*

Ordo in Ecclesiis constituit, ut alii oves sint, alii pastores: alii præsint, alii subsint ac pareant: alius velut caput, alius pedes, aut aliud quoddam corporis membrum, ad totius Ecclesiæ concinnitatem & utilitatem, vel inferius, vel præstantius. Et quemadmodum in corporibus, nec membra inter se dissilia sunt, verum cuncta unũ corpus sunt, ex diversis membris conflatum, nec rursum idem omniũ munus est, tametsi alioqui ad benevolentiæ concordiæque necessitatem, honorisque parem in disparibus rationem, alia eorum opera ex æquo indigeant: ad eundem quoque modum apud nos, hoc est in communi Christi corpore, se res habet. Omnes enim corpus unum in Christo sumus, singuli autem Christi, atque alii aliorum membra. *Et infra:* Hunc ordinem revereamur, o fratres, hunc tueamur, & conservemus. Alius doceat, alius discat, alius propriis manibus bonũ operetur, ut habeat quod egentibus impertiat, &c. *Oratione vigesima sexta, De moderatione in disputationibus servanda.*

Chrysostomus: De Ecclesia scitè dicta penè innumera apud eum extant. Paucâ quædam exhibemus, quæ ad ipsos fontes lectorem invitabunt. Ecclesia est domus per animas nostras ædificata: cœlestis est, & nihil aliud quàm cœlum, arcanorum & mysteriorum thesaurus. Non est paries, nec convexum, seu fastigium tecti, sed fides & vitæ ratio: est sanctorum civitas, in ea dolentium est voluptas, defatigatorum respiratio, laborantium requies. Est Christi domus supra firmam petram, id est fortitudinem fidei ædificata: torcular habens in se Dei verbum: candelabrum quod bajulat verbum vitæ: locus medicinæ spiritualis: mons qui labefactari nequit: tentorium quod de loco in locum migrat, propter persecutiones. Non est in parietibus, sed multitudine piorum. Non est locus disputationis, sed doctrinæ. Ecclesiam ædificavit Christus, & nullus eam destruere poterit: destruxit templum Judaicũ, & nullus illud ædificare poterit. Composuit fundamenta Ecclesiæ super fraternitatem charitatis. Ecclesias omnes undiquaque fundavit Christus. Ecclesia est amore Christi constructa. Corpus Ecclesiæ nihil tam scindit atque superbia. Non est ibi Ecclesia, ubi non est fides. Nomen Ecclesiæ non est nomen separationis, sed unionis, concordiæ & consensus. Ecclesia Christi nihil potentius: nunquam sine tentatione: radices in cœlo fixas habet potius quàm in terra: cum oppugnatur, vincit: cùm appetitur insidiis, superat: cùm afficitur injuria, splendidior evadit: ejus fides non bene cognosceretur, nisi Antichristi ad eam venirent. Ferire non potest, propter fidem in Christum. In confessoribus victoriosa, in martyribus triumphatrix, gaudet in una regula charitatis Christi. In Ecclesiã unam vocem esse oportet. Ecclesiæ primitivæ talis erat, qualis est in cœlis, nihil habens rerum mundanarum: non parietibus, non marmoribus, sed eorum fervore qui cõvenerant, reluctans. Ecclesiæ oppugnatores perierunt, & ipsa supra cœlum ascendit.

Idem: Quum in exilium pelleretur, ad beatam Olympiadem, ejusque sanctimoniales accedens, illas consolatus, tandem addidit, Hoc à vobis postremo loco peto, ne quid de solita vestra circa Dei templum, cui assidetis, assiduitate & fide remittatis. Et quicunque thronum hunc conscenderit (haudquaquam enim Ecclesia prorsus carebit episcopo) ut ei ipsi non minus atque mihi capita vestra inclinetis, & dilectionis meæ in orationibus vestris memineritis. *Niceph. eccl. histor. lib.* 13. *c.* 20.

D. Hieronymus: In illa Ecclesia, inquit, permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquã alio nuncupari, utputa Marcionitas, &c. scito non Ecclesiam Christi sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse judicant quos futurus Apostolus prænunciavit. *Epist. adv. Luciferianos.*

D. Ambr. Eccleſia, inquit, illa ſequenda, in qua fides eſt vera: inter fluctus habitans non cõmovetur. non ab homine cœpit, ſed à verbo: non armis ſecularibus, ſed ſpiritualib. vincit: obumbrari poteſt, perire nõ poteſt: omnes ad ſe ac proinde ad Chriſtum invitat: ſine cruce ſtare non poteſt: ſola vetus novumq; tenet teſtamentum: ſupra petrã apoſtolicam ædificata inter tot freta mundi immobilis permanet: ejus opibus non parcendum eſt tempore neceſſitatis: in Eccleſia, alii fortes, alii infirmi, illi ſtant, hi labuntur & reſurgunt: fulget non ſuo ſed Chriſti lumine, & (ut luna) ſplendorem ſibi arceſſit de ſole juſtitiæ. *Ex operibus Ambroſii.*

D Aug Frequentius dicebat, magis ſecurius ac tutius Eccleſiã legata à defunctis dimiſſa debere ſuſcipere, quam hæreditates fortè ſollicitas & damnoſas, ipſaq; legata magis offerenda eſſe quàm exigẽda. Commendata verò quæq; ipſe non ſuſcipiebat, ſed volentes ſuſcipere clericos non prohibebat. In iis quoq; quæ Eccleſia habebat & poſſidebat intentus amore vel implicatus cupiditate nõ erat, ſed majoribus magis & ſpiritualibus ſuſpenſus, & inhærens rebus, vix aliquando ſeipſum ad iſta temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. *Poſſidonius, in vita Auguſtini, c. 24.*

Inter nos, inquit, & Donatiſtas quæſtio eſt, ubi ſit Eccleſia, utrum apud nos, an apud illos. Quid facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti? Nõ audiamus, hæc dico, hæc dicis, ſed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri dominici, quorum authoritati utriq; conſentimus, utriq; credimus, utriq; ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram, Noſo humanis documentis, ſed divinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. In ſcripturis canonicis eam requiramus. Nec Catholicis epiſcopis conſentiendũ eſſe, ſi ubi fortè fallunt ur, ut contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiant: ſi autem aliud declamas vel recitas, nos poſt vocẽ Paſtoris noſtri per ora Prophetarum, per os proprium, per ora Evangeliſtarum nobis apertiſſimè declaratã, voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus. Remotis omnibus tergiverſationibus Eccleſiam ſuam demonſtrent (ſi poſſunt) non in ſermonibus hominum, non in cõciliis epiſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorum, nõ in ſignis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra iſta verbo Domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in præſcripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Evangeliſtarum prædicationibus ac laboribus: hoc eſt in omnibus Canonicis ſanctorum librorum authoritatibus. *Ex libro D. Auguſtini de Vnitate Eccleſiæ contra Petilianum.*

Nicephorus: Privatæ, inquit, Clericorum, tempore quolibet, inimicitiæ maximo detrimento affecerunt Eccleſiam, & Religionem in multas ſectas diſſecuerunt. *Niceph eccl hiſt. lib. 11. c. 12.*

Sulpit. Severus: Nunc, inquit, cum maxime diſcordiis Epiſcoporum turbari aut miſceri omnia cernuntur, cunctaq; per eos odio aut gratia, metu, inconſtantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, ſomno, dedita ſunt depravata: poſtremo plures adverſum paucos bene conſulentes inanis conſiliis & pertinacibus ſtudiis certant: inter hæc plebs Dei & optimus quiſque probro atque ludibrio habetur. *S. Severi ſacra hiſt. lib. 2.*

Anonymus. Eccleſia, inquit, auro non ſtruitur, ſed potius deſtruitur. *S Sever. dialog. 1.*

Orentius Abbas: Quadam die, templũ ingreſſus eſt, verſo ſago ſuo, ita ut foris eſſet villoſus. Ad eum autem nonnulli qui res ſacras ibi curabant, accedentes, dixerunt, Cur eo habitu templum es ingreſſus, ut peregrini nos ludibrio exponeres? Quibus reſpondit, Vos Dei Eccleſiam everſiſtis, nemine tantum ſcelus reprehendente, & quæritis, Cur ſagum meum inverterim? Ite, corrigite à vobis everſa, & quę inverti ego facile vertam. *Ioan. Moſcus, in prato ſpirituali, c. 122.*

¶ Monosticha Trochaica.

Colligis tibi omne quicquid ſpargis, Rex, eccleſias.
Muricis calcat qui ſcita proterit ulla Eccleſia.

¶ Iambica.

Eccleſiam aurum non ſtruit, ſed deſtruit.
Eccleſiam fraudare ſacrilegi eſt ſcelus.
Eccleſia eſt hoc ſanctior quo eſt unctior.
Quæ non habet ſacerdotem haud Eccleſia eſt.

Eccleſiæ eiuſq; immunitatis & auctoritatis

¶ Apophthegm. Christianor.

Ieſus Chriſtus. Proſequamur nunc ordine Aeterni Regis Sponſam in terris, columnam & firmamentum veritatis, Eccleſiam: cujus auctoritatem poteſtatemq; inſinuans ipſe ejus Dominus, dũ de obedientia illi præſtanda ſermocinaretur, *Si*, inquit, *Eccleſiam nõ audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus* id eſt, Si Eccleſię obtemperare noluerit; ne cõſortio ejus utaris, ſive in divinis, ſive in humanis. Ita enim Judæi habebant Ethnicos & Publicanos, ut eorum menſa & conſortio ſepolluí arbitrarentur. & verè non habebit unquam Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. *Matt. c. 18.*

S. Hugo Epiſcopus Lincolnien. Immunitatis Eccleſiaſticæ vindex & protector eximius, nunquam ſe conſcio quicquã in Eccleſiæ præjudicium attentari permiſit. unde & Regum malleus, ea ætate nuncupatus. Rogantibus autem amicis, ut majoris periculi evitandi cauſa, in re parvi momenti, Regi contra Eccleſiæ avitum jus adſtipularetur, dixiſſe fertur: *Abſit, ut me vivolente, cuiuſcumq; etiã dignitatis, Eccleſiaſticæ libertatis privilegium infringant. Sur. tom. 6. in vita.*

Idem: Cùm fortè Diœceſis viſitandę cauſa iter ageret, obviam habuit hominum ſine ordine diſcurrentium turbam, qui furẽ ad ſupplicii locum de more deducerẽt. Reus Epiſcopum adeſſe ratus, propiùs pro conſequenda benedictione adduci poſtulat. Eo viſo Episcopus, miſericordia motus: *Solvite*, inquit, *& ſinite abire. ubi enim Epiſcopus cum fidelium populo congregatus eſt, ibi eſt Eccleſiæ neq; minor immunitas debetur lapidibus vivis, quam mortuis. Ibi.*

S. Thomas Cantuarien. Ethic quoq; in hoc amoris & ſolicitudinis genere excelluit. mortem quippe ſibi minitante ſicario: *Ego verò*, aiebat, *pro Domino meo moriparatus ſum, ut Eccleſia Anglicana meo ſanguine pacem & libertatem aſſequatur. Thom. Staplet. in Apolog. & Sur in vita eiuſdem.*

Innocentius II. Pont & Fredericus II. Rogerius Imp. Erat is Frederícus, qui in id ſolùm incumbebat, ut Eccleſiæ auctoritatem integritatemq; enervaret. Quare à pluribus ſummis Pontificibus diris devotum, deſpexit Innocentius, ac Cæſaris nomine indignum judicavit. Ille autem hoc diſticho in Pontificem luſit:

Roma diu titubans, variiſque erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

cui Pontifex, ut erat ſummo ingenio, reſcripſit:

Niteris incaſſum navem demergere Petri:
Fluctuat, aſt nunquam mergitur illa ratis.

At Fredericus, denuò Innocentium perſtringens, ſubjecit:

Fata volunt ſtellaque docent, avisumque volatus,
Quòd Fredericus *ego malleus orbis ero.*

Verùm illud augurium eludens Innocentius, ita ad extremum reſpondit:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur:
Quod tibi vita brevis pœna perennis erit.

In Paralip Ab. Vrſp Ioan Wolff. tom. 1. Lect memor

Pipinus Rex Gall. Magis admirandi laudandiq; hi, quo ab Eccleſiaſtico ordine ſunt remotiores. In Galliam itaq; ſecedenti occurrit Pipinus Rex. Dum namq; adverſus Longobardos caſtra moviſſet, ſuos adhortatus, tandem hoc dicto ſermonem finiit: *Eo conſilio arma induimus, ut Apoſtolicam ſedem ab omni mortalium injuria vindicemus.* Hinc ei nomen Chriſtianiſſimi obtigit: quod ab eo, licet non eodem jure, omnes poſteri uſurparunt. *Barland. in Chron. Duc. Brab.*

Alphonſus Arag. Rex: Emittat hic etiam ſuos radios Alphonsvs: qui Piceno ſuo Marte Sedi Apoſtolicæ recuperato, cùm ab Eugenio PP. urbes aliquot dono offerrentur, fortiter recuſavit, dicens: *Nequaquam quæſtus aut prædæ, ſed Eccleſiæ tuendæ gratia hanc expeditionem ſuſcepi.* Heu! ubi nunc ille Principum fervor & zelus? *Panorm. lib. 3. de Geſt eiuſd.*

Eccleſiaſticæ poteſtatis.

¶ Apophthegm. Sacrorvm.

Ambroſius: Quum Theodoſius Imperator meritò a cõmunione Eccleſiæ ejectus, ad Ambroſium Epiſcopum accederet, ut vinculo illo ſolveretur, & audiiſſet epiſcopi animum ad conſervandam Eccleſiæ Dei diſciplinam, minis omnibus blanditiiſque contẽptis, obfirmatum eſſe, nihilominus ad ſacram ædem & epiſcopum pergens, Ibo, inquit, merito meo objurgationem & contumeliam excepturus. Et ubi proximè ad templũ acceſſit, ingredi id quidem autus non eſt. Ubi autem ad Ambroſium, qui in æde ſalutatoria conſederat, venit, ut inſolubilia vincula ſua ſolveret, eum rogavit. Ambroſius verò illũ ſanctiones divinas proculcare arguit, & adventum ejus, qui ita Deo repugnaret, tyrannicum appellavit. Ibi Theodoſius, At ego (inquit) non in ſtudio habeo, ut cùm temeraria confidentia ſacrum ingrediar veſtibulum. Te autem oro, ut vincula mea ſolvas, & communem Domini benignitatem imitatus, non ſoli mihi in faciem miſericordiæ fores occludas, quas communiter omnibus reſipiſcentibus & pœnitentia multa utentibus, miſericordiæ Dominus aperuit. Ambroſius vero: Verum dic age, inquit, quæ tua fuerit, poſt tantam iniquitatem & effrenis iræ petulantiam, pœnitẽtia? Qualia tandem incurabilibus affectionibus adhibuiſti remedia? Sub hæc placidè Imperator dixit, Tuæ verò eſt operæ indicare mihi & temperare ſacræ medicinæ remedia, Meum autem fuerit, ea ſuſcipere, etiamſi multum habeãt acrimoniæ & aſperitatis. Ibi tùm Ambroſius, divino Spiritu plenus, Quandoquidem, ait, ira concitatus, cædem illam præcepiſti, & ſententiam illam non ratio in tranquillo ſtatu ſuo conſiſtens, ſed furor inſana & vecordia audacia productus tulit, ut legem & conſtitutionem promulges volo, quæ iræ calculos condemnet, & juſſionum tuarum adminiſtris injungat, ut publica judicia, & capitalium cauſarum pœnas ad trigeſimum uſque diem differant. Et ut ſententiæ capitales in ſcriptum relatæ

reſtam

rectum & pacatum rationis judicium expectent. Porro diebus his elapsis, quibus judiciorum cura commissa est, scriptum proferant, ut scilicet quum jam ira deferbuerit, & ratio sibi ipsi restituta fuerit, sententiam latam per disquisitionem perpendant, justa ne sit, an iniqua. Ac siquidem contra jus ea concepta fuerit, statim eam conscidet: sin contrà, multo magis eam confirmabit. Et dierum istorum numerus ad id quod conducat cognoscendum maxime proderit. Peræquum enim est tempus id intercedere, quod quum Imperatoris iram placet, tum furore langueſcente humanitati & misericordiæ locum tribuat. Imperator Episcopi præscriptum susceptit, & confestim constitutionem conscripsit, &c. *Nicephorus eccleſiast. histor. lib. 12. cap. 41.*

Ab Ecclesia arcere indignos.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Babylas Episcopus: Magno sanè pioque Ecclesiæ Dei zelo succensi olim viri sancti], inidoneos ab eadem arcebant. domum Dei quippe per eos contaminãdam rati, qui se illa fecissent indignos. & quidem BABYLAS Deo sacrificium immaculatum offerẽs, cùm videret Numerianum per Ecclesiæ cancellos introspicientem, magno ei animo obstitit, dicens: *Non licet tibi cruore & idolorum sacrificiis polluto, tam petulanter in domum Dei ingredi, & divina mysteria contaminatis oculis contemplari. Nicephor. libr. 6. histor. cap 34.*

Polyeuctus Patriarcha: Neque minùs animosè ille. Ioanni enim Zimisco, qui Nicephorum Phocam, cujus imperium affectabat, interfecerat, ad imperii apicem evecto, dum in templum Constantinopolitanum diademate jamjam insigniendus properaret, factus obvius, ita eum aggrediebatur: *Non decet talem ingredi Ecclesiam, cujus manus adhuc stillant recenti sanguine suis cognati. Cedr. Cuspinian.*

Theodosius Imp. Hunc autem zelum viris illustribus defuisse, ne quisquam dicere audeat, monet THEODOSIUS IMPERATOR. dum enim de uniendis pacificandisque Ecclesiis cogitaret, Demophilum Arrianæ pestis præfectum, eo quod à scelerato dogmate discedere abnueret, his dictis compellavit: *Si pacem concordiamque declinas, fugere te etiam a sacris Basilicis præcipio.* Indignum eum judicabat sacra limina contingere, in quibus auctor pacis domicilium fixisset. *Socr. hist. Trip. lib. 8. cap. 10.*

Ecclesiasticorum honorandorum.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Constantinus Imp. Si stulta illa & superstitiosa deorum cultrix antiquitas, nescio quid divinum in Sacerdotibus Flaminibusq; suis suspicata, summo eos honore ac veneratione prosequebatur: quis miretur eundem nunc impendiis, quos Deus ipse, tanquã operis sui vicarios, Sponsæque suæ perpetuos protectores, cõstituit Ecclesiæ ministros. Quorum honorem reverentiamq; ita in omnibus tuendam existimabat CONSTANTINUS, ut illorum vitam detrectantibus, aures clauderet, diceretque: *Si in Episcopum aut Monachum fornicantem incidissem, sustulissem chlamydem, eique imposuissem, ut à nullo oculo videretur.* Sciebat autem prudens Imp. talium delicta, levi & malignanti populo magnum ad vitia præbere incitamentum. *Sur. to. 1 de S. Ioan. Eleemos.*

Philippus Augustus F. R. Et hic non nomine dumtaxat, sed re etiam ipsa AUGUSTUS. Ad quem cùm deferretur, Ecclesiasticos nimis latè suæ jurisdictionis limites extendere, ac crebriùs Regi præjudicare, respondit: *Credo rem quandoque se ita habere: at memor beneficiorum Dei, malim auferri mihi jura mea, quàm cum servis Dei litigare, aut cum Ecclesia contendere.* Ita ille olim: nunc autem sola ea spolia justa reputantur, quæ Ecclesiæ, ejusque ministris, quovis tandem modo detrahuntur: ita ut nostri sæculi pseudoprophetæ, pro concione non erubescant populo annuntiare, præcepto de non jurando, Ecclesiasticorum proventuum rapinas non vetari. *Ionuil. cap. 93.*

Henricus II. F. R. Eodem in regno & virtute successor HENRICUS. Cùm Lutetiam more majorum ingressus, publico epulo in palatio exciperetur, ambigerentque Ecclesiastici & sæculares Principes, quinam dextram sinistrámve Regis clauderent; *Meam* inquiebat REX, *dextram Ecclesiæ dedi, dedicavique.* Iussitque Ecclesiasticos Principes, non sine multorum fremitu, ad dexteram suam accumbere. *Lud. Aurel. ex Annal. Franc.*

Ecclesiasticorum bonorum.

¶ APOPHTHEGM. SACRORVM.

Flavianus: Chrysaphius quidam, multa autoritate apud Theodosium pollens, quod consecrationem Flaviani, Antiochiæ episcopi, propter anticipatam opinionem minus gratam probatamq; haberet, Imperatori subjecit, Flaviano significaret ut electionis atque consecrationis suæ gratia benedictionis munus sibi mitteret. D. Flavianus panes puros misit. Chrysaphius contra aureũ benedictionis donum mittendum esse contendebat. Cui Flavianus respondit, non esse sibi talium rerum copiam, nisi fortè ad hoc sacris uteretur templi donariis. Ipsum verò Chrysaphium optimè nosse Ecclesiæ sacræ vasa Deo, & pauperibus esse consecrata. *Niceph. hist. eccl. lib. 14. cap. 47.*

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Clemens IV. Pont. Erat hic, priusquam sacris initiaretur, Bononiæ legum Doctor & Professor. Itaque cùm ob merita & virtutes ad Romanæ Cathedræ honorem evectus esset, ejusque filiæ, quas ex priori conjugio binas habebat, dotem paternæ conditioni æqualem postularent, respondebat: *Papa non habet filias: sufficiens vobis sit, relicta à majoribus parentibusque hæreditas.* & ita inanes, raro, sed illustri exemplo dimisit. *Bap. Fulgos. lib. 4. c. 3.*

Laurent. Iustinianus Patriarcha Venetus: Illud in Pontifice, hoc æque illustre in PATRIARCHA. Habebat namque consanguineum IUSTINIANUS tenuioris fortunæ quàm animi: qui cùm apud eum instaret frequentius, filiæ suæ, quam unicam habebat, ampliori dote succurreret, quo nobiliori marito desponsaretur; prudens hoc & piũ ab eo responsum accepit: *Considera quæso frater, si parum dedero, non est quo opus habes: sin multum defraudavero multos, ut uni satisfaciam. ac proinde quidquid meum est, ad cibos pauperum potius, quàm ad intortos crines aut margaritas, ab Ecclesia relictum est. Invita eius apud Surium tom. 1.*

Ecclesiastæ sive Concionatoris.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Clemens Alexandrinus: Necesse est ergo utrosque eos probare seipsos: illum quidem an dignus sit qui dicat, & monimenta relinquat: hunc verò, an jure possit audire & legere. Quemadmodum Eucharistiam cùm quidam ut mos est dixerint, permittũt unicuiq; ex populo ejus partem sumere. Ad accuratè enim perfecteque eligendum ac fugiendum, optima est conscientia. Firmum autem ejus fundamentum, est recta vita, cum ea quæ convenit doctrina: & sequi alios jam probatos, & qui se rectè gesserunt, optimũ est, & ad veritatem intelligendam, & ad exequenda mandata. Quamobrem qui comederit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane edat & de calice bibat. Consequens est ergo, ut qui ut proximis prosit curam suscipit, consideret, numquid audacter ac temerè, & aliqua æmulatione, ad docendum prosiluerit, num gloriam ex eo aucupetur, quod doctrinam suam communicat: num hanc solam respiciat mercedem, eorum qui audiunt saluté, & quod nihil ad gratiam loquatur: tum cogitet an à sordibus, corruptelisque semper alienus vixerit, qui per literarum monimenta loquitur. Nũquam enim in sermone adulationis fuimus, sicut nostis, inquit Apostolus, neque in prætextu avaritiæ, Deus testis, neque quærentes gloriam ab hominibus, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possemus esse oneri ut Christi Apostoli; sed fuimus mansueti in medio vestri, sicut nutrix fovet filios suos. Eadem autem ratione eis quoque qui sunt divinorum verborum participes, observandum est, nũm nimiũ curiosi animi vitio inducti, tanquam urbium ædificia visuri, ad id accedant, num veniant ut sint rerum secularium participes, cùm audierint eos qui sunt Christo consecrati, ea quæ sunt ad victum necessaria lubenter communicare. Sed sunt ii quidem hypocritæ, & ideo mittantur. Si quis autem non videri justus, sed esse velit, oportet ut optima is sit conscientia.

Si est ergo messis quidem multa, operarii verò pauci, revera orare oportet, ut maximè sit plurium operariorum copia. Est autem duplex agricultura: una quidem quæ non fit scriptis, altera verò quę fit scriptis. Utrovis autem modo Domini operarius præclarum frumẽtum seminaverit, & spicas auxerit & messuerit, verè divinus apparebit agricola. Operamini, inquit Dominus, non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam. Sumitur autem nutrimentum & per cibos & per verbã: & revera beati sunt pacifici, qui eos qui in hac vita & errore ab ignoratione oppugnantur, contraria docendo transmovent,

vent & traducunt ad pacem quæ est in verbo, & vita quę est ex Deo, & eos qui esuriunt justitiam, panis distributione nutriunt. Sunt enim etiam animæ propria habentes nutrimenta, & aliæ quidem augentes per agnitionem & scientiam, aliæ vero per Græcam pascuntur philosophiam, cujus, quemadmodum nucum, non est quidvis esculentum. Qui autem plantat & irrigat, cùm ejus qui auget sint ministri, in ministerio unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem. Dei enim sumus cooperatores, Dei agricultura: Dei ædificatio estis, ut ait Apostolus. Neq; vero permittendum est auditoribus, ut ex comparatione faciant probationem: neq; verbum tradendum est examinandum iis qui educati sunt in artibus omnis generis doctrinæ, & inflatorũ argumentorum viribus animam jam habent præoccupatam, & nondum exinanitam. Qui autem ex fide convivari instituerit, is ad divinorum verborum susceptionem firmus est ac stabilis, ut qui judicium quod bona nititur ratione, nempe fidem habeat. Eum autẽ hinc ex abundanti sequitur persuasio. Hoc itaq; erat illud propheticum: Nisi credideritis, non intelligetis. Dum ergo tempus habemus, operemur bonum, maximè autem apud domesticos fidei. Unusquisq; autem eorum ex beati Davidis sententia psallat gratias agens: Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Auditam mihi facies lætitiam, & exultatione exultabunt ossa humiliata. Averte faciem tuam à peccatis meis, & iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Atque qui ad præsentes quidem dicit, & tempore probat, & judicio judicat, & discernit ab aliis eum qui potest audire, observans sermones, mores, consuetudines, vitam, motus, habitus, aspectum, vocem, trivium, petram, vivam quæ conculcatur, terram fertilem, sylvescentem regionem, & regionem bonam ac feracem, & quæ colitur, & quæ potest multiplicare sementem. Qui autem per literarum monimenta loquitur, apud Deum sacramenti religione obstringitur, hæc in scriptis vociferãs: Nec lucri gratia, nec inanis gloriæ causa, vinci ab affectione, aut quæstu servire, aut efferri voluptate, sed eorum qui legunt sola frui salute, cujus nec est in præsentia particeps, sed spe expectans eam quæ omnino reddenda est retributionẽ ab eo, qui operariis pollicitus est se redditurum mercedem pro meritis. Sed nec eum qui in virorum numerum adscriptus est, oportet desiderare remunerationem. Non enim qui sua benefacta jactavit, propter gloriationem accepit retributionem. Qui autem eorũ quæ oportet aliquid facit propter remunerationem, aut ut recte operans præmium quærens, aut ut maleficus pœnam vitans; an non mundana tenetur consuetudine? Oportet autem Dominum, quoad ejus fieri potest, imitari. Is autem fuerit qui Dei voluntati inservit, qui cum gratis acceperit, dat gratis, satis magnam recipiens mercedem, ipsam vitæ rationem. Non ingredietur autẽ, inquit, in sancta merces meretricis. Porrò autem prohibitum est offerre altari pretium canis. Cui autem mala educatione & doctrina obtusus est animæ oculus, vadat ad propriam lucem, ad veritatem, quæ in scriptis ea quę non sunt scripta indicat. Qui sititis, ite ad aquam, dicit Esaias. Et bibite aquam de vasis vestris, monet Salomon.

In legibus itaque Plato qui est ex Hebræis philosophus, jubet agricolas non irrigare, neque aquam ab aliis sumere, nisi cum prius apud se foderint vsque ad terram, quæ virginalis dicitur, terram aridam & aquæ expertem invenerint. Inopiæ enim non succurrere, nõ justum est: ocio autem ac socordiæ viaticum suppeditare, minimè est honestum: etiamsi onus quidem simul imponere rationi esse consentaneum, simul autem portare non convenire dicebat Pythagoras. *Initio libri primi Stromatum.*

Isidorus Pelusiota: Deus lucernam, hoc est, sacerdotem, accendit, atque candelabro imponit, hoc est, suæ lucem ferenti cathedræ: ut & dogmatum, & actionum ab omni caligine liberarum, splendorem Ecclesiæ, fulgetræ instar, afferat: quò nimirùm plebs vivifici fulgoris radios spectans, ad eos se dirigat, patrisq; luminum gloriam prædicet. *Lib. 1. Epist. 32.*

Isidorus Pelus. Sermo, qui ad audientium, utilitatem habetur, potens sermo est, quiq; optimo jure sermo appelletur, imitationemq; ad Deum habebat. At qui voluptate sola & plausu terminatur, æris sonus est, magno strepitu aurem personans. Quare, aut sermonem tuum gravitate moderare, ac sermonis fastui ac pompæ mediocritatem antepone: aut re cymbalum theatrorum scenæ accommodum esse scito. *Lib. 1. Epist. 62.*

Isidorus Pelusiota: Orationum congeriem habes, ut audio, quibus aures quidem oblectantur, animus autem minimè alitur. At tibi vivo sermone opus est: quo qui caret, nihil aliud est quàm cymbalum tinniens. Quocirca si eum insuper acceperis: canorum ac suave organum eris, Deoque & hominibus concinnum. *Lib. 1. Epist. 108.*

Isidorus Pelus. Lepidè ac jucundè in ecclesia doces: at utinam potius utiliter. Similis enim es cuidam in altum lapides jactanti, ac ruinæ suæ rectitudinem procuranti, eamq; in seipsum provocanti. Nam si peccatorum reprehensio in nobis ipsis per opera sermones inficiari ac destruere perspiciatur, non modo auditores, quominus scelerate vivant, non prohibebimus, sed etiam ridendos nos ipsis propinabimus, alia videlicet docentes, & alia facientes. *Lib. 1. Epist. 112.*

Isidorus Pelusiota: Si ad peccata vos inducerem, quemadmodum à multis peccatis vos deterrere conor, ô indomiti ac stupidi homines, haud absque meos ad vos sermones atq; colloquia defugeretis, cognatam potius probarum rerum cupitatem habentes, ex quo Deus nobis aliquid de suo inspiravit. Sin autem sermones mei turpes vestras actiones coarguunt, tanquam speculum fœdo ac deformi, ac medicus ægrotanti reperior. Nam ille speculum idcirco fugit, quod turpissimæ formę ipsum submoneat: hic autem ea de causa medicum fastidit, eoq; offenditur, quia partem ægram incidit aut exurit. Quamobrem aut deformitatem mutate, ac sanitatem revocate: aut speculum vobis ac medicus perpetuò ero. *Lib. 1. Epist. 382.*

Isid. Pelus. Lubens ex te sciscitarer, qui cõvitiis nos petis, atque acerbum & infestũ te nobis judicem præbes, si te Imperator ad propugnaculum collocasset, turrisque urbis custodem constituisset, ea autem suffoderetur atque concuteretur, ut hostibus ad urbem aditus pateret, an non instrumentis omnibus atque armis, quæ vel recondita haberes, vel comminisci posses, uteretis, prohibens, ac tela jaciens, conatumque hujusmodi frangens, atq; tuam urbem ac teipsum à periculo vindicans, tum Imperatori fidem ac benevolentiã conservans? Nobis autem, quos Deus Ecclesiæ suæ magistros præfecit, eo nomine succenses, quòd Arrio, qui non modò cũ pio grege bellum gerit, sed etiam permultos jam interemit, obsistimus. Ego vero eam ob causam periculum omne contemno: ac quidlibet potius facere desierim, quàm ut non illum, quàm maxime queam, feriam. *Lib. 1. Epist. 389.*

S. Isidorus Pelusiota: Si dicere fas est (fas est autã vera loqui, cùm quis pro virtute pugnat) periculum est ne divina prædicatio ab iis ipsis, qui eam tueri videntur, evertatur. Nam cum contraria iis, quæ loquuntur faciunt, multos adduxerunt, ut sermonibus, quos habent, non secus ac fabulis attendant. Quocirca operæpretium est, ut ipsi periculum, quod sibi imminet, cogitantes, nihil non agant, quo illius expertes maneant. *Lib. 2. Epist. 142.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum nobilis arbor, cum fructibus gravis est, ac foliis abundat, agricolam oblectat, & spectatores voluptate afficit, ac prætereuntes recreat & reficit: eodem modo is quoque qui in doctoris solio collocatus est, cum & virtute ornatus & instructus est, & sermone atque doctrina fulget, tum Deum oblectat, tum hominibus utilitatem affert. Si autem alterutro careat, discipulis haud admodum prodest. Vita enim opus est, propter eos qui ad culpandum & criminandum proclives sunt: doctrina item ad refellendas hæreses requiritur. Nam etsi citra sermonis ac doctrinæ opem vitæ probitas multis utilitati esse solet: tamen cùm eum in disputationibus ac colloquiis vici conspiciunt, gravissimis plerunque detrimentis afficiuntur, ut qui ab adulterinis dogmatibus surripiantur, atque in fraudem inducantur. Non enim id docentis imperitiæ, verùm dogmatis imbecillitati assignant. Rursum si sermo fluens magna vi adversarios profliget, ob vitæ improbitatẽ trophæi decus obscuratur. Neque enim fide dignum hunc magistrum existimabunt, qui non ea, quæ oportet, facit. Quocirca, & sermone, & vita rutilare opus est. Qui enim facit & docet, inquit Christus, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quod si solum facere, docere esset, ut nonnulli putant, profecto secundum minimè adjunxisset. *Lib. 2. Epist. 234.*

S. Isidorus Pelusiota: Eum, qui docere aggreditur, facere oportet, atque ita loqui. Qui autem non facit, eum ne verba quidem facere convenit. Prior enim inter summos collocabitur: posterior autem non modo pœnas illic dabit, sed etiam ridiculum hic sese præbebit. Cavillorum enim ac sannarum materia auditoribus erit. Quamobrem aut facientem loqui oportet, aut non facientem silere, ac linguam probitatis, rectiq; judicii habenis, quæ resipiscentiam parturiunt, coercere. *Lib. 3. Epist. 189.*

S. Isidorus Pelusiota: Multi mortales, non solum ex iis qui in externis certaminibus contendunt interpretari scripturas, dum nõ eodem modo se auditores præbent, multorum variorumque malorum auctores existunt. Alii enim veritatis nullam curam habentes, ad gratiam eorum qui dicũt, plausum excitant, perinde ac si aurigarum ac saltatorum essent amatores: Alii cõtra odii causa sibilum attollunt: & quidem sæpe ante quam accuratè audiverint ea quæ dicuntur, tantum abest ut intellexerint. Atque ex his sæpenumero aliqui nec sapientes & eruditi, nec benè dicentes, forsan malè quoque loquentes, non auditorum benevolentiam, non amicitiam erga se, non adversariorum odium, quas ob res plausus & tumultus excitati sunt, cogitantes, non solùm applausibus istiusmodi elati, sed etiam amore sui inebriati, quin & ab anticipata aliqua opinione devicti, sæpe absurda atque ridicula quædam dogmata excogitãt & tradunt. Deinde cum ne quidem lingua proferri ea oportuerit, obtinere etiam illa contendunt.

Quæ cum ita sint, oportet ejusmodi doctrinarum studiosos, cum sciant, animam hic in discrimine versari, & veritate nihil præstabilius aut antiquius esse, præterea etiam cogitantes ea mala, quæ ex odio & anticipata opinione oriuntur, communes quidem se præbere dicentium auditores; non tamen æquales. Non est autem unum & idem, ut quidam arbitrantur. Nam oportet quidem utrunq; cõmuniter audire; non tamen utriq; æqualitatem tribuere: sed prudẽtiori magis, indoctiori vero minus: Et sapienti quidem laudes, rudi vero atque imperito, siquidem reprehensionibus corrigi emendarique possit, reprehensiones; sin minus, silentium adhibere. Hæc igitur de auditoribus dicta sunto.

Porro quod ad eos qui dicunt attinet, aio ipsos maximè decere modestam dubitationem, non autem rixosam contentionem. Sæpè enim

enim ad amicos ambigere ſolent homines: contentionibus verò dãt operam inimici. Hæc igitur pulcherrima atque utiliſſima erit converſatio & iis qui dicunt, & iis qui audiunt. Nam & qui dicunt, ita maximè apud eos qui audiunt probabiles & grati erunt, non autem laudabuntur. Probabilem enim eſſe hoc propriè eſt, ſi quis in animis audientium approbatione dignus cenſeatur, qui ſine fraude ac deceptione incorruptè calculos ferunt. Laudari verò conſiſtit in oratione, quæ ſæpenumero aſſentationem ſpirat, nihilq; veri in ſe cõtinet. Et vero auditores maximè quidem lætabuntur, non autẽ delectabuntur. Eſt enim lætari, diſcere aliquid rerum pulcerrimarum & honeſtiſſimarum: delectari vero ſuaviterque affici eſt, dum quis comedit, aut quidpiam ſimile per corpus agit. Hæc ita judicata ſint: hæc definita: hæc obſerventur: Sic futurum eſt, ut magna non ſolùm in auditoribus ad virtutem, ſed etiam in iis qui dicendi ſtudio tenentur, ad ſapientiam, fiat acceſſio. *Lib. 4 Epiſt. 131.*

Educationis.

SENTENTIAE PATRVM GRAECORUM.

Chryſoſtomus: Vis filium eſſe obedientem? Ab initio eum educa in diſciplina & admonitione Domini. Ne exiſtimes eſſe ſupervacaneum, quod ipſe divinas literas audiat. Nam illic hoc primum audient: Honora patrem & matrem. Quamobrem propter te hoc fit. Ne dicas, Hoc eſt monachorum: Num ergo eum facio monachum? Non eſt neceſſe, ut fiat monachus. Quid id times, quod eſt multo lucro plenum? Fac eum Chriſtianum. Maximè enim mundanis, nempe ſecularibus, neceſſe eſt diſcere quæ illic ſunt documenta, maxime autem pueris. Multa eſt enim in illa ætate ignorantia. ignorantiæ autem fit acceſſio etiam ex ſcripturis externorum, quando didicerint, qui illic ſunt Heroes haberi in admiratione: cum ſint ſervi animi perturbationum & vitiorum, & mortem timeant. Ut Achilles quando eum pœnitet, quando moritur pro cõcubina, quando alius eſt ebrius, & multa alia ejuſmodi. Ei ergo opus eſt his medicamentis. Quomodo enim non eſt abſurdum ad artes quidem mittere, & ad ludum literarium, & pro eo omnia facere; in diſciplina autem & Dei admonitione eos non educare? Propterea nos primi fructus percipimus; audaces, intemperantes, immorigeros, ſordidos, & illiberales alentes filios. Ne ergo hoc faciamus, ſed huic beato pareamus ſuadenti. Educamus eos in diſciplina & admonitione Domini. Demus eis exemplum ab ineunte ætate, facientes eos vacare lectioni ſcripturarum. *Hom. 21. ad Eph.*

Chryſoſtomus: Si filius ab initio didicerit eſſe philoſophus acquiſivit divitias majores quibuſvis divitiis, & potentiorem gloriã. Nihil tantum efficies, docens artem & diſciplinam externam, per quam acquirit divitias; quàm ſi eum docueris artem, per quam deſpiciet divitias. Eſt enim dives; non qui multis eget divitiis, & multis eſt circumdatus; ſed qui nullius indiget. Hoc doce filium, hoc erudi. Hæ maximæ ſunt divitiæ. Ne quæras quomodo eum reddas florentem, & magnæ exiſtimationis in doctrinis externis, & facias gloria inſignem: ſed cura, ut eum doceas deſpicere hujus vitæ gloriam. Inde fiet ſplendidior & gloria illuſtrior. Hæc non à doctore diſcit aliquis, neque per artem, ſed per divina eloquia. Non quæras, ut longam vivat vitam; ſed ut infinitam, & quæ nunquam deſinit. Magna illi largire, non parva. Audi Paulum dicentem: Educate eos in diſciplina & admonitione Domini. Ne ſtudium ponas, ut eum facias oratorem; ſed erudi, ut ſit philoſophus. Nam ſi illud quidem non ſit, nihil eſt damni: ſi hoc autem abſit, nullum erit lucrum Rhetoricæ quantumvis multæ. Opus eſt moribus, non dicendi facultate; vitæ modeſtia, non orationis vehementia; factis, non verbis. Hæc regnum conciliant: hæc donant etiam quæ ſunt verè bona. Ne linguam acuas, ſed expurges animam. Non hæc dico prohibens erudire, ſed prohibens illis ſolis adhibere animum. Ne exiſtimes, quod ſolis monachis opus eſt his documentis, quæ ſumuntur ex ſcripturis. Maxime enim his opus eſt iis pueris, qui venturi ſunt ad hanc mundi vitam. Quomodo enim navis inſtructione, & gubernatore, & nautarum juſto & completo numero, non æque indiget qui perpetuo ſtat in portu, ſed is qui ſemper verſatur in mari: ita etiam mundanus, ſeu ſecularis, & monachus. Nam hic quidem eſt veluti in portu, agens vitam nullis agitatam fluctibus, & procul à negotiis, & ab omni procella liberã: ille autem perpetuo agit in pelago, & in medio mari verſatur, cum multis iisque ingentibus pugnans fluctibus. Et ſi ipſe non opus habeat: paratum tamen eſſe oportet, ut aliorum linguas obſtruat. Quãobrem quo fuerit in hac vita majoris exiſtimationis, eo magis ei opus eſt hac eruditione. Nam etſi alatur in aula regia: multi ſunt illic & Græci & philoſophi, & ob præſentem gloriam tumidi; tanquam locus quidam repletus hydropicis. Tale quid eſt aula regia. omnes ſunt inflati & tumidi. Qui autem non ſunt, ſtudium ponunt ut fiant. Cogita ergo quantum ſit filium tuum illuc ingreſſum, ingredi tanquam optimum & præſtantiſſimum medicum, cum inſtrumentis, quæ poſſint uniuſcujuſq; tumorem comprimere, & ad unumquẽq; accedere & diſſerere, & corpus quod laborat ſanum facere; medicamenta imponentem ex ſcripturis, & philoſophiæ infundentem rationes. Monachus enim cum quo diſſeret? cum muro & tecto? an cũ deſertis & nemoribus? an cum avibus & arboribus? Ejuſmodi ergo doctrina non eſt illi admodum neceſſaria. Conatur tamen hac in re ſe recte gerere: non ut alios tantùm erudiat, ſed ut ſeipſum. hac ergo doctrina maximè opus eſt iis, qui in hac vita verſãtur. Iſte enim peccandi majorem habet neceſſitatem, quàm ille. Si vis autem cognoſcere, etiam in mundo ipſo erit aptior. Omnes enim ex verbis illis eum reverebuntur: quando viderint ipſum in igne non uri, neq; principatum concupiſcere. Tunc etiam conſequetur, quando non concupierit; & Regi erit magis reverendus. Non poteſt enim fieri ut is lateat. Nam inter multos ſanos latebit is qui eſt ſanus: inter multos autem ægrotos quando fuerit unus ſanus; cito etiam fama perveniet ad aures Regis, & præficiet eum multis gentibus. *Homilia 21. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Non eſt parvi meriti, indultos nobis à Deo liberos, ad ipſius exercere militiam, eique ab ipſis infantiæ pannis dedicare. Nam ſi hujuſce educationis fundamenta jecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis: quemadmodum ſi neglexerint, graviſſimis cruciatibus. Nempe enim & Heli propter filios periit: illos quippe quum acrius coercere debuiſſet, verbis tãdem lenibus monuit. Quocirca dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, & illos & ſeipſum una perdidit. Audite hæc patres, veſtroſque filios in diſciplina & correptione domini erudite ſumma cum diligentia. Eſt enim juventus fera, plurimiſque indiget inſtitutoribus, magiſtris, pædagogis, aſſeclis atque nutritoribus. Votique res eſt, poſt adeo exactam diligentiam, eam continere poſſe, non ſecus quam equus quidam indomitus velut fera belua. Hujuſmodi quippe juventus eſt. Si igitur illi ab ipſis ſtatim initiis, atque à prima ætate leges optimas imponamus, minimum poſt hac laborabimus: verum conſuetudo ipſa virtutis in legem tranſiet. Nihil eos agere permittamus ex his quæ noxiæ jucunda ſunt, neque illis ut pueris indulgeamus: atq; ante omnia illos in pudore & ſobrietate ſervemus, quippe huic inimica libido omnium maxime hujuſmodi turbat ætatem. Ad hoc igitur vitium compeſcendum, magnis nobis ſudoribus, magnaque intentione opus eſt, mature illos matrimonio jungamus, ut munda atque integra illorum corpora ſponſæ admoveantur. Hujuſmodi quippe amores ferventiores ſunt. Atque is qui ante nuptias pudicitiæ ſtuduit, lõge magis poſtea pudicus erit. [qui autem aſſueverit ante nuptias ſcortari, etiam poſt nuptias iſtud faciet.] Viro enim, inquit, fornicario omnis panis ſuavis eſt. ideirco quippe coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ ſigna ſint: quod ſcilicet ante a libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt. Quod ſi libidine ſuperatus quiſpiam ſeipſum ſcortis addixerit: cujuſnam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla ſubdiderit? Admoneamus igitur illos, corripiamus, terreamus, minaſque intentemus, & modo iſtud, modo illud faciamus. Magnum habemus, pretioſumque depoſitum filios, ingenti illos ſervemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus. Nam ut fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum ſtudio tradimus, & agaſonem atque mulionem procuratoremque ac diſpenſatorem, qui nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus: cæterum quod nobis chariſſimum omnium eſt, omnino negligimus: neque curamus, quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius tueri ac ſervare pudicitiã poſſit? Et certe nulla nobis poſſeſſio, nullus fundus æque nobis gratus atque charus eſſe debet: quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis poſſeſſionum cura eſt, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur: quod profecto abſurdiſſimum atque ſtolidiſſimum eſt. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia ſecundo loco quæramus. Nam ſiquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: ſin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere divitem? Bonum illum ac benignum eſſe doce: ita enim etiam rem familiarẽ auctiorem facere poterit. Quod ſi tenuis illi ſubſtantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quam hi qui plurima poſſident. Quod ſi malus ille fuerit, etiamſi infinitam illi ſubſtantiam relinquas, non illi cuſtodem reliquiſti, ſed longe deteriore conditione feciſti, quam ſi ad extremam deveniſſet inopiam. Quippe filiis non rite inſtitutis præſtat pauperes eſſe, quam divites. Paupertas enim vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet: opes vero ne volẽtes quidem pudice temperanterq; vivere ſinunt: verum exorbitare faciunt, atque pervertunt, maliſque innumeris ſubjungunt. Matres item, filiarum vobis curam aſſumite, eſt ea cura vobis perfacilis. Curate ſolicite, ut domi jugiter ſint. Ante omnia pias eſſe, religioſaſq; docete, aſpernari pecunias, exterioriſq; ornatus contemptrices eſſe, atque ita demum nuptiis tradite. eas ſi ita inſtitueritis, non ipſas modo ſervabitis, verum & viros qui illas ducturi ſunt, neq; viros tantum, ſed etiam filios atque nepotes. Quippe ex radice optima ſurculi prodeunt firmiores, ac ſemper in meliora proficiunt, horumq; omnium merces vobis reddenda eſt. Non igitur tanquam unius animæ commodis proſpicientes, ſed ut plurimis per unam conſulẽtes, magno cum ſtudio omnia faciamus. Ita nempe paterna domo decet progredi virginem, ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæſtra luctatorem, ut omnem diligentiſſime rei familiaris peritiã habeat: ſitque veluti fermentum, quod maſſam omnem in ſuam transfert pulchritudinem. Filii quoque adeo verendi ſint præ morum honeſtate, & ſingulari pudicitiæ laude, ut ab homimbus, & à Deo laudes mereantur. Diſcant continere ventrem, abſtineant à ſuperfluis ſumptibus, & omni magnificentia apparatus, diſpenſare ſua probe noverint, pii in parentes ſint, ſubiici & dicto obtemperãtes eſſe diſcant: ita enim & parentibus ipſis ingentes præmiorũ adjicient cumulos: atque ita omnia in Dei gloriam, ſalutemque noſtram fient. *Hegeſ. 2. ad Tim. 1.*

D. Ie.

D. Io. Chryſoſtomus: Qui filiorum ſuorum eſſe magiſter non potuit, quo pacto alios docere poſſe putandus eſt? Si quos ab initio ſecum ſemper habuit & nutrivit, perverti permiſit, quorumque ſibi & per leges, & jure naturæ poſteritas omnis indulta erat, eos regere moderarique non potuit; quomodo alienis prodeſſe valebit? Nam niſi ſumma eſſet negligentia patris, nunquam profecto quorum ſibi ab initio regendorū facultas omnis fuit, eos neglexiſſet, aut malos fieri ſineret. Neq; enim ulla ratione fieri poteſt, ut qui ab ipſis initiis magna cum diligentia ſummoq; ſtudio fuerit educatus, malus evadat: neque enim naturalia ſunt peccata, ut tantum curæ tantumque diligentiam ſuperare prævaleant. *Epiſt. ad Titum Homilia 2.*

¶ Latinorvm.

Egeſippus: Unde curæ mihi, ut ſponſores concordiæ adjungam liberis meis parentes amicoſq;, quorum hortatu mutuæ dilectionis affectum induant. Nam cum omnis ſermo malus facile mentē audientis inficiat, tum maxime aſſidua colloquia, & diuturnus uſus peſtem animis infundere ſoleant, quo contagio quodammodo in mores cohabitantium cito tranſeat: etſi tranquillitas morum ſit, tamen ut ſtagnum mite licet, ventis exagitantibus aſſurgere in æſtus valet, ita bona natura improbis monitoribus fluctuat. *Lib. 1. c. 38. de excid. Hier.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Xenophon: Fuiſſe Cyrus ita comparatus à natura perhibetur, atq; etiam nunc decantatur à Barbaris, ut & forma pulcherrimus, & animo præditus humaniſſimo, & diſcendi, adipiſcendique honoris avidiſſimus eſſet adeoq; nullum non laborem perferret, nullum non laudis gratia periculum adiret. Tali quum à natura indole animi, formaque Cyrus eſſet, quemadmodum ſane hactenus memoratur: etiam ſecundum leges Perſarum eſt inſtitutus. Earum vero princeps eſſe cura videtur, id efficere, quod bono publico maxime conducat. Non enim inde faciunt initium, unde quampluribus in civitatibus leges exordiuntur. Nam pleræq; civitates cuivis educandi liberos ſuos, qua ipſi viſum ratione fuerit, poteſtatem faciunt, atque ipſis etiam provectioribus vivere ſui ex animi ſentētia permittunt: deinde edicunt, ne quis clepat, ne rapiat, ne per vim domum in aliquam irrumpat, ne quem per injuriam pulſet, adulterium ne cōmittat, magiſtratus imperio parere ne detrectet, atque his itidem alia conſimilia. Quod ſi quis horum aliquid tranſgrediatur, pœnæ propoſitæ ſunt. At vero Perſicæ leges hoc antevertentes, primum procurant, ne prorſus ejuſmodi cives ſint, qui pravi alicujus, fœdive facinoris libidine ducantur. Atque hoc hujuſmodi quadam ratione procurant. Eſt apud eos forum, quod Liberum vocant, in quo cū regia, tum curiæ magiſtratuum cæteræ ſunt exſtructæ. Hinc & res venales, & nundinatores, & clamores horum ac inſolentiæ alium in locum rejectæ ſunt: ne horum turbulenta confuſio cum decoro illorum ordine, qui ſunt inſtituendi, permiſceatur.

Forum hoc ad curias ſitum, quatuor in partes eſt diviſum. Earum prima pueris eſt adtributa, puberibus altera, tertia plenam adeptis ætatem viris, quarta militares annos egreſſis. Et ex lege ſinguli ſuis in locis adſunt, pueri quidem & ætatis maturæ viri, primo diluculo: ſeniores vero ubi cuiq; commodum eſt, extra ſtatos dies, quibus oportet eos adeſſe. Puberes etiam propter curias cum armis gymnicis exilibuſve dormiunt, maritis exceptis, quorum præſentia ne quidem requiritur, niſi denuntiatum fuerit, ut adſint: nec honeſtū, hos adeſſe ſæpius. Harum partium cuiq; duodecim ſunt præſides, quod Perſarum natio totidem in tribus ſit diſtincta. Præſunt autem pueris delecti quidam ex ſenioribus, qui eos effecturi quàm optimos videantur. Ephebis item, de virorum ætatis integræ numero lecti quidam, qui hos reddituri optimos exiſtimentur. Viris etiam maturæ jam ætatis præficiuntur, qui tales reddituri putentur, ut potiſſimum ſibi præſcripta, & à magiſtratu ſummo imperata præſtēt. Ne ſenioribus quidem ſui præfecti deſunt, quippe quod his etiam qui præſint, deligantur, ut & ipſi officium faciant. Ac nos etiam illa commemorabimus, quæ cuilibet ætati præſtanda legum ex præſcripto ſunt, ut qua cura ſtudioque efficiant, quo cives optimi ſint, magis etiam pareat.

Pueri ergo magiſtrorum domos frequentando, in diſcenda juſtitia verſantur, ut aiunt, ad hoc ſe non aliter itare, atque ſoleant apud nos qui literis operam daturi ſunt. Horum autem præſides maximam diei partem jure dicundo conterunt. Nam & inter hos pueros nihilo ſequius, ac inter viros, mutuæ criminum accuſationes exiſtunt, furti, rapinæ, vis illatæ, doli, convicii, & aliorum, quæ accuſari ſolent. In illos autem, quos intelligunt talis alicujus injuriæ reos, animadvertunt. Eos etiam plectunt, quos per injuriam accuſare cōperiunt. judicium vero dant de illo quoq; crimine, propter quod inter homines odia mutua potiſſimum exiſtunt, quum poſtulationes in judiciis de eo minime fiant, nimirum de ingratitudine. Itaq; ſi quem intellexerint gratiam non referre, quum poſſit: in eum etiā valde animadvertunt. Nam ingratos homines inprimis nulla deorum cura, nulla parentum, patriæ, amicorū, adfici arbitrantur. Quin & impudentia potiſſimum ingratitudinem comitari creditur, quod hæc una omnium eſſe maxima dux ad turpiſſima quæq; videatur. Præterea pueros ad temperantiam condocefaciunt.

Plurimum vero ad hanc diſcendam confert, quod ipſos etiam ſeniores, toto die temperanter ac moderate vitam agere vident. Addunt præcepta de præſtanda magiſtratibus obedientia, quam ad rē multum conſert, quod & ſeniores enixe vident magiſtratibus obtemperare. Docent eos & ventris ac potus abſtinentiam, nec parum ad hoc adfert adjumenti, tum quod ſeniores quoq; non prius ventris cauſa diſcedere vident quam ſuis a præſidibus dimittantur: tum etiam, quod apud matrem pueri non paſcuntur, ſed apud magiſtrū, poſtquam id præſides eis ſignificant. Adferunt autem domo panes quidem ad cibum, naſturtium vero ad obſonium: itemque ampullam, ut ſi quis ſitiat, è præterfluente hauriat. Ad hæc arcum tendere, ſagittis & jaculis ferire diſcunt. Exercent autem in his ſe pueri uſq; ad ſextum ſeptimumve ac decimum ætatis annum, a quo jam tempore ad ephebos abeunt, qui hoc rurſum modo vivunt.

Decem annis, poſtquam è pueris exceſſerunt, ad curias ſomnum capiunt, ut dictum eſt, quum civitatis cuſtodiendæ, tum exercendæ temperantiæ gratia. Nam hæc potiſſimum ætas requirere curam videtur. Iidem interdiu quoq; magiſtratibus utendos ſe maxime præbent, ſi qua in re ipſorum opera publice deſideretur. Ac ſiquidem uſus ita poſtulet, univerſi ad curias manent. Rex vero, quum venatū exit, (& exit per menſem ſæpius) dimidiam cuſtodiæ partem educit. Quotquot autem exeunt, arcus habere juxta pharetram oportet, ac copidem in vagina, vel ſecurim. Præterea cratem, & haſtas binas, ut harum alteram emittant: altera, ſi ſit opus, cominus utantur. Cur vero publice venationi operam dent, in qua rex ducis officio perinde ac belli tempore fungitur, quum & ipſe venetur, &, ut venentur alii, curam adhibeat, hæc cauſa eſt: quod bellicarum rerum iſtæc exercitatio veriſſima videatur eſſe. Conſuefacit enim ad ſurgendum mane, & ad frigora caloreſque perferendos, atque etiam ad itinera & curſus exercet. Præterea ſagittis jaculiſque feram petere neceſſe eſt, ubicumque inciderit. Sæpe etiam acui animum in venatione oportet, obiiciente ſe robuſta & feroci aliqua beſtia. Nam quæ offerunt ſeſe beſtiæ, feriendæ ſunt: ab iis autem cavendum, quæ in venantem irruunt. Adeoq; non facile quis reperiat, quidnam eorum, quæ bellum habet, à venatione abſit. Quum autem venatum exeunt, prandium ſecum ferunt, copioſius illud quidem, ceu par eſt, quam puerorum: alioqui tamen ſimile. Ac dum venantur, haud quaquā prandent. Sin autem vel feræ cauſſa præſtolari oporteat, vel cæteroqui diutius immorari venationi libeat: illo prandio cœnæ tēpore ſumto, poſtridie rurſus ad cœnam uſque venantur. Itaque biduum hoc unum diem putant propterea, quod unius diei cibum abſumant. Faciunt autem hoc conſueſcendi cauſſa, ut ſi quid tale in bello etiam uſus poſtulet, præſtari ab eis poſſit. Quidquid verò qui hac ætate ſunt, venando ceperint, id eis in obſonium cedit: ſi captum nihil ſit, naſturtio veſcuntur. Quod ſi quis eos vel ingrato cibo veſci putat, quum naſturtium ſolum adhibent ad panem, vel uti potu ingrato, quum aquam bibunt: is ad animum revocet, quam ſua vis cibus ſit offa & panis, ſi edat eſuriens: quam ſua vis aqua, ſi bibat ſitiens.

Quæ autem domi manent tribus, eæ quum aliorum exercitiis, quæ pueri didicerunt, occupantur, tum ſagittando ac jaculando, in quibus ſanæ perpetuæ inter eos contentiones exiſtunt. Etiam publica quædam horum certamina ſunt, & in eis præmia propoſita. In quacunque vero tribu quam plurimi peritia, fortitudine, obedientiæ præſtiterint, ejus non modo præſes à civibus laudatur & honore adficitur: ſed etiam is, qui eos, dum adhuc pueri eſſent, inſtituit. Atque horum domi manentium ephebōrum opera magiſtratus utuntur, ſi quo præſidio cuſtodiave ſit opus, aut ſi veſtigandi ſint maleſici, vel intercipiendi latrones, vel ad aliud quidpiam eorum, quæcunq; vitium aut celeritatis opera ſunt. Hæc igitur agunt ephebi, ac poſtquam annos illos decem exegerunt, ad viros ætatis plenæ tranſeunt.

A quo autem tempore ex ephebis exceſſerunt, viginti & quinque annis hujuſmodi vitam agunt. Primum perinde ac epheſi ſe magiſtratibus exhibent, ſi qua in parte ipſorum opera publice ſit opus ad ea, quæ curant jam intelligentia præditi, & viribus adhuc integris. Quod ſi eundum ſit in militiam, non jam hoc modo inſtituti vel arcus in expeditione geſtant, vel tragulas: ſed arma, quibus apud Græcos inde nomen eſt, quod eis cominus pugnetur: circū pectora thoracem, cratemq; talem manu ſiniſtra, cum quali Perſæ pinguntur: dextra vero ſicam, vel copidem. Omnes autem magiſtratus ex his conſtituuntur, exceptis puerorum magiſtris. Hos annos quinq; ac viginti poſtquam exegerunt, jam quinquageſimum ætatis annum, ab ortu ſcilicet, iſti exceſſerint. Itaque tunc eorum in numerum abeunt, qui & ſunt & appellantur ſeniores.

Hi vero non ampliùs extra ſolum patrium militatum eunt, ſed domi manent, omniaq; tam publica judicia, quam privata exercent. Etiam capitis ſupplicia decernunt, ac magiſtratus omnes legunt. Si qui autem vel inter ephebos vel eos qui plenæ ſunt virilis ætatis, in eorum aliquo deliquerint, quæ legibus conſtituta ſunt: eorum unūquemq; tribum præſides deferunt, & aliorum quiſpiam, qui velit. Seniores vero recognita eum loco movent. Motus autem ordine, per omnem deinde vitam infamis maneat. Ut vero planius univerſa Perſarum reipublicæ ratio declaretur, ad ſuperiora paullum revertor. Nam propter illa, quæ ante hac à nobis dicta ſunt, quam pauciſſimis nunc declarari poterit.

Perſarum ad centum & viginti millia feruntur eſſe. Horum nemo lege ab honoribus & magiſtratibus arcetur, ſed cuivis Perſæ liberos ſuos ad ſcholas juſtitiæ publicas mittere licet. Mittunt vero, qui alere liberos ſuos in otio poſſunt: qui non poſſunt, non mittūt. Apud magiſtros autem publicos inſtitutis licet inter ephebos adoleſcere, quod illis haud fas eſt, qui hujus inſtitutionis curſum non

tenuere

tenuerunt. Jam quotquot inter ephebos ea quæ præscripta legibus sunt, plene præstiterunt, iis permissum est, illorum contubernio, qui virilem ætatem plenam adsecuti sunt, adgregari, ac magistratuũ honorumq; participes fieri. Qui vero vel inter pueros, vel ephebos tẽpus suum non exegerunt, nec in virorum ætatis integræ classem admittuntur. Inter viros autem cõstantis ætatis, qui perpetuo sine culpa vixere, seniorum in ordinẽ cooptantur. Atq; ita inter hos seniores alleguntur ii, qui omnis iter honesti confecerunt. Hæc cõstitutæ rei apud Persas publicæ ratio est, quam si sequantur, longe se arbitrantur esse optimos. Extat autem hoc quoq; tempore testimonium tam moderationis eorum in victu, quam laboris in victu dirigẽdo. Quippe nunc etiam apud Persas nõ solum exspuere palam & emũgi & flatus refertos videri turpe ducitur: sed etiam vel excernendi lotij, vel alterius ejusmodi rei gratia secedentem aliquo cõspici. Nõ possent autem hæc facere, nisi & victu modico uterentur, & humorem ita labore digerendo cõsumerent: ut is alia via quapiam excerneretur. Et hæc quidem habemus, quæ Persas ad omnes spectantia proferamus. *Lib. Cyrop cap* 3. *& seqq.*

Xenophon: Fuit ali quando mecum Anyti hujus filius exiguo tẽpore, visusq; est mihi indole non ignava præditus esse. Itaq; ajo, non permansurum in illo tervili vitæ genere, quod pater ei præscripsit. Quia vero nullius virtute præditi viri curæ commendatus est, dico futurum, ut in aliquam libidinem fœdam proruat, & in illa socordia longius progrediatur. Hæc dicens nequaquam mentitus est. Nam adolescens hic, quum vino delectaretur, neq; noctu, neq; interdiu bibendi finem faciebat: ac tandem nec patriæ, nec amicis, nec sibi utilis fuit. Anytus ipse propter educationem filii pravam, & amentiam suam etiam à morte infamis est. *Cap* 8. *defensionis Socraticæ.*

Theano: Audio te delicatam, & luxuriosam quandam rationem in educandis liberis tenere. Ad officium verò matris pertinet, non ut ad voluptatem suos liberos assuefaciat; sed ut ad temperantiam modestiamque instituat. Vide igitur ne non amantis, sed adulatricis partes agas. Nam educata simul cum pueris voluptas, intemperantes & prodigos reddit. Quid enim adolescentibus suavius aut jucundius, conflicta voluptate? Quamobrem amica, providendum est summopere, ne educationem liberorum in seductionem convertas. Seductio vero & perversio naturæ est, cum ad voluptatis amorẽ animi, corpora ad libidinẽ transferuntur, & hęc laborem fugiunt, illi mollitiẽ amplectuntur. Sunt a. exercendi ad hæc dura & formidabilia liberi, ut cum dolor sit perpetiendus aut subeundus labor, ne his affectibus quasi servi subjiciãtur, & in voluptatib. libidinosi, & à laboribus abhorrentes, sed ut omnib. virtutẽ & honestatẽ anteponant, atq; ab illis abstineant, in his vero permaneant, neq; in victu gulosi & voraces, neq; in voluptatib. sumptuosi, & in nimis lusibus prodigi sunt efficiendi, neq; quidlibet ioquẽdi & omnis studii potestas eis est permittenda. Præterea delatũ est mihi te metuere si fleãt & ad risum eos traducere conari, etiãsi nutricem percutiant, aut te perperã videre dicant, & in æstate refrigeratione, in hyeme æstu fovere, multisq; delitiis, quarũ inopes & egeni pueri nullas experiuntur & alũtur minori negotio, neq; vero minus crescunt, sed habent se longè melius. Tu vero quasi Sardanapali posteritatẽ liberos nutris, & masculorũ vigorem, voluptatib. frangis. Quid enim faciendum sit illi puero, qui si non confestim ut libitũ est edat, in fletũ ac gemitũ erũpit, & si comedat, suaves tantũ atq; blandientes cibos quærit, si sit æstus, tabe corripitur, si frigus, cõtremiscit: si quis objurget, repugnat: si quis non ad voluptatem omnia ministret, indignatur: si nõ mundet, in iram concitãtur: voluptati turpiter indulget, & undiquaque molliter ac effœminatè se gerit.

Sed ô amica scias qui in inertia tam dissolutè vivunt eos cum ad virilẽ ætatem perventũ est, mancipia fieri solere, daq; operã, ut ejusmodi voluptates de medio removeas, atq; ita duram acerbamq; nõ teneram & delica ã educandi viam institue, & concede ut famem sitimq; ferant: prætcrea calorẽ algoremq;, & erga æquales aut præfectos verecundiã præstent. Sic enim ingenuitatẽ quandam in animi seu remissione seu contractione assequentur. Labores enim, amica, sunt quasi præparationes quædam pueris ad virtutis perfectionem, quibus intincti quãtum satis est virtutis tincturã facilius deinde ferunt. Quamobrẽ, amica, diligentiã, adhibe, ne quemadmodũ vites, quæ male aluntur, fructu destituuntur, sic etiã liberi, præ luxu, injuriæ, & vanitatis plurimæ vitiositatem pariant. *Epist. ad Eubulam.*

Musonius: Et ex his quæ ad nos de te hominũ sermone perferuntur, & ex literis quas ipse tuis filiis mittis, conjecturã faciens nõ idẽ quod vulgus, sed ꝙ par est te de philosophia sctire, in præsentia quidem gratulari tibi ob eam causſam statui, in posterũ verò simul vota facere, ne ad aliud quippiam illi deflectãt, sed hoc propositũ quod nunc habent, conservantes ad finẽ usq; philosophentur, ut & ipsi bene discedant, & pro tuis in se collatis beneficiis gratiã tibi referre possint. Cũ .n. duæ sint in universum causſæ, quib. homines rectè & via quadã vitã instituunt peritia & tẽperantia, quomodo possimus, aut erga nosmetipsos, aut erga alios officiũ facere, inscitia simul & intemperantia præditi. Harũ igitur liberatio, necessario videtur à nobis requiri. Nã ad modestè ac ritè vivendũ nati sumus, ratione nobis ad hoc nobis quasi Episcopa ac principe à natura data. Inscitia vero & intẽperantia nõ possumus liberari, nisi rationis medicinæ & curationi nos cõmittamus. Hæc .n. procedens & quod primũ est in nobis à dissonantia naturali, ad naturã semper cõvertens, parva judicia, & ex ꝓversitate insita, resecare & evellere semper ex animõ conatur, cõtra vero sana & cũ natura cõsentiẽtia introducere, aut imbecilla recreare. Hæc vero postquã robur & constantiã acceperũt, in omni vitia nobis officii viã præmonstrant, ut etiã videamus semper ꝙd fieri oporteat. & his quæ cõprobavimus cõsentanea faciamus. Hæc cũ non solum ꝓmittat, sed etiã præstet animi medicina, eccujus auxilũ, aliquis justius tuis liberis imploraverit quã tuũ? aut non cupis eis bene cõsultũ, pater cũ sis, & ad quidvis subeundũ paratus es, ut eos in bonorũ numero conspicias: aut non ad hæc & genuisti ipsos & educasti, non autem idcirco continenter pro iis vota diis immortalibus facis.

Virtutem a. & vitæ honestatem colens, non velis tuos liberos videre tẽperantes in cibo ac potu & continentes sub ventre, ut ad procreationẽ sobolis tantũmodo eum opportunũ est, generativis partibus utãtur, & exiguo somno ad requiescendũ contentos, vestib. inornatis & nõ fucatis, sed puris & ad tegendum ea quæ natura tecta esse vult, aptis indutos. Vultũ a. & gressũ eorũ pudore ac prudentia notatũ, ut nemo audeat in eorũ, conspectu, aut facere, aut dicere aliquid indecorũ. Atq; inpromptu eis esse, cũ velint & opus sit, cũ toto corpore, tũ qualibet ejus parte, ad eã rem cujus causſa nata est, uti? Non a. velis eos speculãtes divina & humana erga deos pietate ac sanctitate modestè se gerere, erga homines justitia & sanctimonia? & patriã parentib. anteferre, ꝙ etiã ipsi volent parẽtes si sapiant. Et parẽtes familiaribus & cognatis, atq; inter ipsos potes primũ honoreẽ habere patri, expostulare aut conqueri de ipsis utrunq, nefariũ ducere. Gratiam autẽ referre, ꝓ officiis præstitis, grato & memori animo necessariũ putare, ꝙ hoc modo duntaxat possint rependere vetera beneficia novis cumulata. Itẽ promptos esse ad eos propugnandos & pro ipsis si necessitas postulet, mortẽ adeundam. Nonnunquam etiam indignationem, nõ verba solum, sed etiã plagas & vulnera, quamvis ab ira, non ratione, ꝓficiscantur, placato animo excipere, neq; sibi tunc, sed magis parentib. metuere, ne ipsi ex ira in malũ aliquod incidant.

Quid vero non sustineas, ut audire de ipsis posses, ꝙ eandem hanc domum per omnẽ vitam habituri essent teipsis vero & suis in cõmune relatis concorditer ætatẽ agere, ut & studiis & remissionib. iisdem uteretur. Aut hæc omnia illis inesse velis, morte verò & laborib. atq; opinionẽ nõ velis superiores esse, quib. obstrictũ vulgus, quodcũq; ipsorũ robore ꝓvenerint quasi abjectũ aliq, & vile mancipiũ, agitur ferturq;. Quod vero natura vulgus est, facilius est prioribus, nostro verò tempore, perversitate quã sequitur, evasit difficilius. Non optaris ipsi hoc inesse, ut omnia metiantur argento, atq; se potius, parentes & liberos, quam pecunias prodere. Sed possessionibus ac facultatibus tantam operam dare, quam cum necessitas exigit, ad suos suorumq; familiariũ usus. Thesauros verò & avaritiã quæ modum excidit, contemnere, quibus privatim & cõmuniter ad multa nefariaq; scelera impellumur. Sed hæc quidẽ optanda. Non autẽ æquè optandum, ut ipsi imperiũ gerere, & judicia secundum leges, & justitia gubernare possit. Atq; conscientiis tũ sibi ipsis, tum sibi mutuo, & in iis quæ faciunt, & in iis quæ loquuntur, vitam agant, quæ semper eruditionẽ & sapientiam amplectatur, atq; rationem mente & optima sentiendo confirmet, & si tempus postulet in opus producat. Et illã primas teneat, cum volunt ꝓpugnare sacra, patriam, parentes, amicos, veritatẽ, leges & ut breviter dicam, eos qui injuriam patiuntur. Neque enim quenquam alium arbitror modo sana mente sit, qui ad regendas, ſRespublicas, aptam rationem probaturum, quæ non ad hæc, sed ad contraria tendat.

Si igitur & optanda sunt hæc & expetenda, quid obstet quo minus etiam philosophandi rationẽ & optandam & expetendam existimemus, qua sola hæc cõparantur. Philosophatur enim qui purgandæ rationis curã gerit, & suiipsius curã habet & patriæ & patris atq; fratris, amicorum, & ut summatim dicam, omnium. Etenim natura mundi & eorũ quæ in hoc insunt ad se considerandã nos rapiens, eo quod nobis impertit, rationẽ, cum ipsis quidem cõmunem, propria verò à reliquis animalibus, vult ut deos quidem tanquam optimos quosdam & primarios duces atq; cõmunes nostrum, tum benefactores, tum parentes amemus, & retribuamus ipsis obedientiam, hominibus vero & cõmuniter, & in arctioribus conjunctionib. cum cura & virtute præsimus. Postquam vero legib. & judiciis miscuerimus divina & humana, extremo ac summe secundũ naturam vivamus, tanq; ꝓfecti jam facti & ad suprema ꝓgressi, legẽ & judiciũ, quale & numina administrãt & beata sunt. Ita vero pro rationis & formatorum ad secundũ illam morũ rectitudinẽ, & vitam agamus fœliciter, & vitãjcũ mortẽ cõmutemus fœliciter, quasi drama quodã egregie & recte cõpositũ ab initio usq; ad finẽ pulchre ludẽtes atq; absolventes. Proinde bono & cõfidenti animò, non solũ o Pancratida ꝓmitte, verũ etiam adhortare tuos filios ad Philosophiã amplectendã, & omniũ convenientissimã loquẽdi libertatẽ para. Si .n. hęc institueris & approbaris, licebit tibi & ad eos q vos cognatione attingũt, dicere, te nõ solũ liberos in genus, sed etiã tales liberos induxisse, & ad patriã te nõ solũ qualescunq; homines ei, sed etiam justos & moderatos cives ei præbuisse. Quod si confidetis cõmuniter, & cum ad suã quisq;, tum ad mutuam invicem curam animos excitabitis, statim quidẽ in faciendis ludis Dei mutuo philosophiã tractabitis, non tantum hæc justa eis tribuentes, quæ ex tenui marsupio summũtur, verũ etiam quã ob causſam instituti sunt, sanctũ & vetustũ institutum sequẽtes, ꝙ sola pia & philosophica mẽtis affectione præstari potest. Et ab ea moderatione atq; modestia quæ in ludis spectatur, ad cõmune vobis & omnib. certamẽ cõvertemini, ꝙ nihil quidẽ naturæ detrahit aut repugnat, solis vero dolorũ & ꝓturbationũ causſas aufert, in quo certamine vinci quidẽ & occũbere necesse est imparatũ, victũ a. oportet excindere in servitutẽ & infœlicitatem, q̃ ne abjurare quidem ulli nostrũ concessũ est. Vincimur .n. in ea, ab sempiternis, & naturæ atq; latis legibus, quæ unicuiq; suum negotiũ agere, & vivere justè ac sanctè mandant. Hæc arbitror te quasi à patre liberorũ patrẽ accipientẽ & ipsũ melius habiturũ, & ad optima quæq; liberis auxilio fururũ.

Saluto te cùm aliis de cauſſis, tum propter tuam in nos benevolentiam. Scias te à me diligi. Ejuſmodi vero etiam alios plurimos amicos habebitis, ſi philoſophiæ operā dederitis. *Ep ad Pancratiū.*

Iulianus Cæſar: Nimirū tibi regia educatione opus erat, quæ partim corpus ipſum ad firmitatē ac robur optimumq; habitum & pulchritudinem cōformaret; partim animum ad fortitudinem, juſtitiā, temperantiam ac prudentiam ſcitè atq; idoneè cōpararet. Porro hęc ipſa difficile eſt eo victu ſuppetere, qui animos perinde atq; corpora enervat ac frangit; quiq, imbecilliores voluntates ad ſubeundā pericula facit, & ad capeſſendos labores corpora ipſa debilitat. itaq; alteri quidem parti, nimirum corpori, gymnaſtica opus erat; alterā, hoc eſt animum, meditatione doctrinarum artiumq; excolebas. Igitur quod ad viriū exercitationem attinet, non ea uſus es, quæ ad oſtentationem ſolam refertur. Neq; enim decantatam illam corporis cōſtitutionem, quę Paleſtricorum propria eſt, Regi conſentāneam eſſe judicaſti, qui ſcilicet verorum eſſe certaminum particeps debeat. Cū illa ſomnum breviſſimum, cibum pariſſimum deſideret, neq; ipsū vel copia, vel qualitate, vel uſurpandi tempore cūctis eodem modo definitum. Tu vero parabili ac vulgari contentus eras, cum ejus capiendi tibi per negotia tua facultas daretur. Itaq, ad illas quoq; cōparandas exercitationes putaſti: eaſdemq; & varias & militares eſſe. Saltare in armis, decurrere, equitare: quæ tu omnia ab initio tractaſti, tantumq; in ſingulis horum conſecutus es, quantum cæterorum militum nullus. Ex iis enim alius pedes quidē bonus eſt, ſed equitandi tamen imperitus; alius equeſtri ſcientia præditus, pedeſtre ad certamen deſcendere veretur. Tibi hoc uni præcipuū eſt, ut & inter equites optimus videare, cum te ad illorum cultum atque habitum tranſtuliſti, & inter pedites adſcriptus, robore omnes, ac celeritate, & agilitate pedum antecellas. Ac ne forte otioſæ tibi relaxationes animi, & ſine armorū meditatione tranſeant, ſagittas dirigere ad ſcopum didiciſti. Atq; una & corpus ipſum voluntariis laboribus ad non voluntarios perferendos idoneum reddidiſti: & animum doctrinarū ſtudio, ac conſentaneis ætati huic artib. imbuiſti. Qui ne omnino inexercitatus eſſet, aut quæ de virtutib. traduntur ſic tanquā cantiones quaſdam ac fabulas audiret, ac tanto interim tempore præclarorum facinorum ac geſtorū rudis, atq; expers foret: quod egregius ille Plato faciendum cenſebat, ut adjectis ad pedes quibuſdā velut pēnis, impoſiti equis pueri ad prælia ducerentur, quo earum rerum ſpectaculo intereſſent, quarum paulo poſt actores eſſe eoſdē oporteret. Hoc ipſum parentum tuum jure dixerim cum præclarè animadvertiſſet, Gallorum gentibus cuſtodem te atq; Imperatorem præfeciſſe adhuc juvenem, vel ætate potius admodum puerum, quandoquidem, quod ad prudentiam ac robor attinet, cum præſtantiſſimis viris cōparandum merito te eſſe noverat. *Paneg. in Conſtant. Imp.*

Iulianus Cæſar: Ecquam porro regalem educationem, atq; inſtitutionem præſtantiorem illa quiſquā poteſt in omni vetuſtatis memoria reperire? Neq; enim inter Græcos Lacedæmonii, qui optima civitatis adminiſtrandæ ratione, hoc eſt Regia poteſtate uſi videtur, ita ſuos Heraclidas inſtituebant. Neq; ex Barbaris Carthaginenſes, qui præcipuā regni formam aſciverunt, ei qui ad Imperiū eſſet evehendus, optimā inſtitutionem ac diſciplinam adhibuerunt. Sed cōmuniter propoſitæ omnib. erant quæ Legibus præſcribebātur exercitationes, ac rudimenta virtutis, ſic tanquam fratrib. univerſis inter ſe confuſis civibus, tā qui imperare aliis, quam qui ſubjici aliorum imperio deberent: nec inſigne quicquam ad inſtitutionem ac diſciplinā Principes prætērea habebant. Quanquam nonne ſtultū eſt ab iis qui imperent eam flagitare virtutis magnitudinē, qua major eſſe nulla poſſit, nec illud interim providere, qua ratione vulgo hominum antecellant? Sed Barbaris quidē ignoſci ob hoc ipſum poteſt, quod cum in medio cuiq; propoſitū eſſet imperium, parem atq; cādem formandis omnium moribus curam adhibuerunt: Lycurgum vero qui Herculis poſteris ſtabile regnum atq; inconcuſſum ſervare vellet, merito aliquis propterea reprehenſione dignū putet, quod nihil in juventutis educatione Regib. eximium ac præcipuū tribuerit. Non enim, etſi Lacedæmonios omnes Athletas quodammodo virtutis eſſe oportere, & alumnos crederet, æqualem tamen privatis, ac magiſtratibus educationem, atq; inſtitutionem accōmodare debuerat. Siquidem ejuſmodi conſuetudo paulatim ſe inſinuās affert neſciò quem animis Principum contemptum. Ac ne omnino quidem Principes habendi illi ſunt, qui non primū illum inter ſuos locum ſua virtute cōpararunt. Eamq; fuiſſe causā arbitror, cur Spartani difficiliores ſe ad obſequendum ſæpenumero Regibus ſuis oſtenderent. Cujus rei manifeſtum atq; evidens argumētum eſſe poteſt Lyſandri illā adverſus Ageſilaū æmulationis plena contentio atq; id genus alia, quæ facile occurrunt, ſi quis illorū hominum geſta conſiderare velit. Sed his Reipub. ratio ipſa, utpote quæ ad virtutem idonè præpararet, etſi nihil vulgaribus hominibus præſtantius aſſequi atq; uſurpare permitteret, hoc tamen ipſum, ut præclari atq; egregii forent, tribuebat. Carthaginenſiū vero ne publica quidē illa inſtituta probantur. Quippe parentes liberos ſuos ædibus ejicientes quæ ad vitam neceſſaria erat proprio labore ſibi quærere jubebant, cum mandatis, nihil ut eorū quæ turpia videretur admitterent. Hoc autē erat non ex animis juvenū cupiditatem evellere, ſed illud unū præcipere, ut clam ſcelus ſuum perpetrare contenderent. Non enim mores hominum deliciæ dumtaxat & luxus, verū etiam quæ neceſſariis rebus indiget vita depravat. In quibus ratio ipſa nondum ſui compos, atq; ex pers judicii impulſa cupiditate neceſſitati obtemperet. Præſertim cum nihil eā animi affectū coerceat, ſed ad rem quærendā ac mercatorum permutationes à puero conſuefactus fuerit, quas partim cōmentus ipſe ſit, partim à peritis didicerit, de quibus non modo loqui, ſed ne audire quidem ingenuū deceat; quamplurimas in animo ſordes labeſq; contrahunt, quibus vocare vel honeſtum civem oportet, nedum Regem & Imperatorē. Mihi vero nihil iſtos arguere in præſentia neceſſe eſt. De inſtitutionis dumtaxat diverſitate dicam, qua tu uſus pulchritudine, robore, juſtitia, & temperantia præſtitiſti: cum & laboribus firmitatem corporis, & legum beneficio temperantiā eſſes adeptus, & non modo corpus continentia & frugalitate firmius, ac robuſtius, ſed & animum juſtiorē corporis patientia reddidiſſes: tum quæ à natura inſita erāt bona omia ratione perficeres, aliaq; ſtudio ac labore in dies adjiceres, & nullius indigens ipſe aliis abunde ſuppeditares, ac donis ampliſſimis ditares, quæ eos qui donati eſſent Lydorū Principi pares efficerent. Cū tu interim iis reb. quas poſſideres parcius utereris ipſe quā Spartanorum moderatiſſimus quilibet: adeo ut luxus ac voluptatem materiam ſufficeres aliis, iis vero qui temperati eſſe vellent teipſum imitandum proponeres. Quippe toto illo tempore una & ſubditis tibi benignè, atq; humaniter imperabas, & te Parentis imperio modeſtè ac tanquam unus è multis ſubjiciebas. *Paneg. in Conſtantium Imp.*

Libanius: Enimverò quiſquis hominum, ut hominem decet, educatus eſt, hoc etiam ipſo melior eſt illo, qui præter leges nutritus eſt. *Comparatione Achillis & Aiacis.*

¶ Romanorvm.

Plinius Iunior: Oculorum porro & aurium voluptates, adeo non egent commendatione, ut non tam incitari debeant oratione quam reprimi. Ut vero aliquis libenter educationis tædium laboremq; ſuſcipiat, non præmiis modo verum voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis proſequuntur, quanto magis decuit publicè conſulentem, utiliſſimum munus, ſed non perinde populare, comitate orationis inducere? *lib. 1. Epiſt. 8.*

¶ Emblematvm.

Camerarius 92. Centur. 4.

Dira diris paſcuntur. Vipera ſcorpiis paſta.
Tetra quod extinguit, non mirum, ſi vipera morſu.
Ecce etenim quali gaudeat illa cibo?

Jac. Catſius Emblemate ethico 5.

Paulatim rima pateſcit.
Quod peponem riguo mihi creſcere cernis in horto,
Non eſt quod velit hinc noſtra culina cibum.
Heic ego dum tener eſt, rorantia carmina ſculpo,
Et mihi cum viridi cortice creſcit opus.
Sit licet inſulſus pepo, nos docet, imbuat infans
Semina nequitiæ, peſſima meſſis erit.
Ille, virum facinus patrare virile videbit,
In puero virium qui puerile tulit.

A teneris aſſueſce. Emblem. 46.

Fruſtra, operam perdis, potuiſſet virga movere
Cum nondum ſtaret viribus aucta ſuis.
Nunc robur mora longa dedit, citiuſq; fatiſcet.
Quam queat in formam flectier illa nova.
Flor. Schonhovius.

Cura animi potior. Embl. 72.

En quanto ſtudio rudes catellos
Vrſa perpoliat, decentiorem
Donec imprimat, ingeneratque formam:
Mortales merito rubere diſcant,
Qui, neglecto Animi nitore pulchri
In natis, modò ſunt luti parentes.
Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Ludovicus F. R. Totius Reipub. fundamentum, Liberorum educationem dicebat Diotogenes Pythagoræ auditor: quia facile eſt tenellos animos cōponere, & quaſi ſub pollice ad quodvis ducere. Cujus rei exempla à Ludovico auſpicabimur. qui priuſquā ſe quieti cōponeret, vocatis filiis, facta dictaq; Principum proponebat, tam eorū qui laudabilem vitam duxerant, quam qui nefariam. monebatq; : *Illorum exempla animis veſtris inculcate: ut & meliores evadere, & ab omni flagitio, pro vectiores effecti, abſtinere valeatis.* Significabat enim in iis potiſſimū inſtituendos adoleſcentes, quib. uſuri ſiunt, cum ad virilē pervenerint ætatem. Ita gloriatū de ſeipſo legimus Perſium, quod à Cornuto, viro erudito & Philoſopho eximio, adhuc puer liberalib. diſciplinis imbutus fuiſſet. ait enim. Sat. 5.

Cumq; iter ambiguum eſt, & Vitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes:
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu: tunc fallere ſolers
Appoſita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

Ionuil. in eius vita, cap. 87.

Idem: Ut erat pietate & modeſtia eximius, cuicumq; ſe operi daret, ſalutiferæ crucis ſigno frontem, pectuſq;, & os præmunire ſolitus. Dicebat enim: *Ita me mater puerum inſtruxit. Corezetus.*

S. Anſelmus: Egregius hic morum vitæq; inſtitutor. qui intelligens cœnobii cujuſdam Præpoſitum durius cum iis agere, qui religioni ejuſq; obedientiæ devoverant, eoſq; deteriores indies evadere.

Ruffin

Quam benè, inquiebat, *nutrimentum expenditis, qui de hominibus bestias nutriv istis? Surrus in vita. Edinerus, & alij.*

Idem: Ejusdem etiam paterna illa vox, dum de liberorum educatione interpellaretur: *Cupitis*, inquit, *pueros optimis ornari moribus? necesse est, ut cum severitate disciplina, paterna pietatis & manſuetudinis levamen eis impendatis. Ibidem.*

Gibertus Dumenerdius: Quid verò iste? Erat vir genere & religione nobilis. cui cum agyrta quidam stigmaticus, magistri sui progenies, poneret sequenda vestigia; *Quid ais*, inquiebat, *sodes? non est quod mequeteque fatiges. quæ enim puer imbuit, senior respuam? Sanè,*

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

P. Opmerus in Mart. Holl. manuscr.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad mores honesta multum confert educatio.
Corpori atque animo beando est optima educatio
Corpori male est animoque grava ubi educatio est,
Cura asini est equique major patribus quam filij.
Dedecet bene educatos tristis impolities.
Educatio ac doctrina meliuntur optimos.
Est boni totius instar educari non male.
Filios perraro egestas educat sicut decet
Fida morum cura vincit omne natura bonum.
Filios bene educare magni apud meriti Deum est,
Haud facit partus parentes, educatio facit.
Liberi tantum docentur rectè equitare divitum.
Mollis educatio omne divitum perdit genus.
Non potest parens vocari filios qui non alit.
Non solummodo ursa fœtum procreat sed fabricat.
Nulla aqua lanarum adulta diluas conchylia.
Parvulos qui delicatè nutrit grandes perdidit.
Planta talis fructus est, quale est in quo constitit solum.
Plurus est benè educari, quam geni feliciter.
Prolium mentes novella quo velis duci queunt
Pro majorum dignitate liberos quisque educet.
Quo semel tincta est colorem lana servat perpetim
Servus est bonus malus ve, ut ejus educatio est.
Vix remittit testa odorem pota quo fuit recens.

¶ Iambica.

Ars disciplina recta est educatio.
A fundamento plurimum pendet bono.
Bene educari plus est quam nasci bene.
Caput institutionis educatio est.
Cibus nimius somnusque hebetat impuberes.
Haud usus est equis sum absque moribus.
Laudes magis pueros, quam verbera excitant.
Male educatus rarò transit ad bonum.
Mores alumni nutritorum præferunt.

Effigiei.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum utique pulchra res est forma in ære scalptilis.
Aeri nil perit conflato si in statuam conceptitur.
Clariores longè morum, quàm majorum imagines.
Non perennat statua honorem mortui sed publicat
Peccat in regem regalis injurius qui imagini est.
Principem violant, vel ejus qui violant imaginem.
Principem violas violata Principis ipsa imagine.
Principi infert vim, vel ejus qui violat imaginem.
Pulchrior ingenij est imago, quàm est imago corporis.
Queis animi est imago nulla, & corporis negligitur.
Quisquis hostem armatus vicit, statuâ armatâ sculpitur.
Quot dies in anno; statuas tot habuit Demetrius.
Regis est injuria, eius si noces imagini.
Respice ad vitas Sanctorum: statuæ nam sunt mobiles.
Signa, sacra esse desierunt, homines facti ut sunt sacri.

¶ Jambica.

Cui bis sua est imago sancta bellua.
Pectorum imago tota libris interest.
Signis Deorum quis temerè admoveat manum?
Solatio est amanti imago amasia.
Tolli queunt statua, tamen virtus manet.

Egestatis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Chrysostomus: At vides alios esse in deliciis, te autem in paupertate. Sed ne hæc solum consideres, sed etiam eas quæ sunt ex his molestias. In paupertate autē ne consideres solā mendicitatem, sed etiā eam quæ inde capitur voluptatē. Nam divitiæ quidem lætā habent personā, interna autem plena sunt caligine: paupertas autem contra. & si uniuscujusq; explicaris conscientiam: in anima quidem pauperis multam videbis securitatem & libertatem; in anima autem divitis tumultus, perturbationes & fluctus. Si autem doles, videns ipsum divitē: ille quoq; plus quam hi dolet, aspiciens eū qui est ipso ditior. & quomodo tu eum times, ita ipse quoq; aliū, & in eo te nihil præcellit. At doles, videns magistratū, quoniam tu es privatus, & ex iis qui parent imperio: sed tibi veniat in mentem & dies successionis. Sed & ante illū diem, tumultus, pericula, labores, vigilias, omnes afflictiones. Et hęc dicimus apud eos qui nolunt philosophari. Nam si hoc sciveris, ex aliis majoribus possumus te consolari. Interim necesse est ex crassioribus tecū disceptare. Quando ergo videris divitē, cogita illo ditiore: & videbis eum itidem ut tu es esse affectum. Postipsum autem, cogita etiam eum, qui est te pauperior; & quàm multi dormierunt esurientes, & paternas amiserunt facultates, & habitant in carcere, & quotidie optant mortem. *Homil. 38. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Cernere est paucos quidem divites, pauperes autem multo plures ad salutē pervenire. Ac velim diligenter cōsideres, hinc opum impedimenta, hinc paupertatis vitia. Quanquam nec opum, nec paupertatis hæc vitia sunt; sed utrumq; eorum, qui his prediti sunt. Sed tamē utrum è duobus animum firmius muniat, videamus. Quodnam ergo vitium paupertas habere videtur? mendacium. Quodnam rursus divitiæ? superbiam, malorum omnium matrem; quæ etiā diabolum, ut diabolus esset, cū prius talis minimè esset, effecit. Rursus malorum omnium radix est avaritia. Uter itaq; huic radici vicinior est, divesne an pauper? Dives procul dubio. Quo n. quis pluribus opibus undiq; cinctus est, eo plures expetit. Adhæc inanis gloriæ studiū, sexcentas virtutes labefactat. At non procul itē ab hac ñxum tabernaculū habet dives. Quid aute ? inquit: pauperis incōmoda non adfers, afflictionē videlicet atq; angustiam. At hæc illi cū divite sunt cōmunia: imo etiā majore ex parte hujus sunt, quàm illius. Ita fit: ut quæ paupertatis mala esse videntur, utriusq; cōmunia sint; quæ autem divitiarum, ea divitem solum vexent. Quid vero, inquies, cum pauper ob rerum necessariarum penuriam multa scelera perpetrat? At nullus pauper tot scelera ob egestatē admittit, quot divites ob amplas & uberes opes admittunt; & ne, quæ domi congesta habent, amittant. Neq; n. pauper necessaria perinde expetit, ut dives supervacanea: nec rursus tantā ad improbitatem exercendam vim ac facultatē habet, quantam ille. Proinde si & vult magis, & plus potest; liquet profecto, quod plura quoq; flagitia designabit. Neq; n. pauper famem ita reformidat: ut dives metu cōtremiscit, ac penè exanimatur, ne bona ei sua pereant; & discruciatur, se nondum omnia omniū bona accepisse. Proinde cum & ab inani gloria, & à superbia, & ab avaritia, quæ malorum omnium radix est, propius absit: quam tandē salutis spem habiturus est, nisi insignis cujusdam virtutis specimen edat? Quonam modo per arctam viam gradietur? Quæ cum ita sint: vulgi opiniones ne circūferamus, sed res ipsas expendamus. An non enim absurdum ac præposterum fuerit; nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero & calculo id cōmittere; cum autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temerè ac velut obtorto collo trahi; idq; cum exactam rerū omnium lancem ac normam & amussim habeamus, nempè divinarum legum sententiam? Quocirca vos omnes rogo atq; obsecro: ut quid hic aut ille de his rebus sentiat, nihil morantes, Scripturas sacras de iis consulatis, ac quæ verè sint opes cognoscatis, cognitas omni studio consectimini, ut ad cœlestia bona perveniatis. *Homilia 13. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Potest etiam ad pauperes usq; pervadere injustitia. non videtis quam multas isti cient pugnas, & evertunt omnia? *Hom. 13. ad Ephes.*

D. Io. Chrysostomus: Si efferri & sibi placere oportet, propter paupertatem sibi placere oporteret, non propter divitias. quamobrem? Quoniam qui paucis potest vivere, est multo major & melior eo qui non potest. Nam dic mihi, si aliquibus vocatis in urbem regiā, ex iis alii quidem, nec jumentis opus habeant, nec famulis, nec umbellis, nec diversoriis, nec calceis, nec vasis; sed eis sufficit habere panem & aquam sumere ex fontibus: alii autē dicant; Nisi dederitis vehicula, & stratum molle, non possumus adesse: nisi etiam multos habeamus qui nos sequantur: nisi assiduè liceat quiescere. non possumus: si non utamur jumentis: si non etiam parvam diei partem ambulemus. opus est nobis etiam pluribus aliis. Quosnam admirabimur, illos an hos? hos scilicet qui nullo indigent. Ita hîc quoq; illi quidem ad hujus vitæ viam multis indigent: hi vero nullo. Quamobrem oportet eos ob paupertatem magis efferri & sibi placere, si sibi placere oporteret.

At pauper, inquit, est despicabilis. Non ille, sed qui eū despiciunt. Cur enim ego non despicio, qui nescunt admirari ea quæ oportet? Sed si sit quidem pictor quispiā, eos qui ipsum ridet irridebit, quādiu fuerint rudes atq; imperiti, & neq; convertitur ad ea quæ ab illis dicūtur, sed cōtentus est suo ipsius testimonio, & nos pendimus a vulgi

opinione? propterea digni sumus qui contemnamur, quod eos non despiciamus qui nos despiciunt propter paupertatem, & nos eos cēsemus miseros. Et præterea quot peccata nascuntur ex divitiis, quot autem bona ex paupertate. Imo vero, nec divitiæ, nec paupertas, per se sunt bonum, sed pro ut sunt qui his utuntur. Probus Christianus magis cernitur in paupertate quàm in divitiis. Quomodo? Erit à fastu alienior, modestior, honestior, prudentior. qui autē manet in divitiis, ad hæc multa habet impedimenta. Videamus ergo quænam sunt quæ facit dives, vel potius is qui divitiis male utitur. Ille rapit, fraudat, circumvenit, vim affert. amores turpes & inhonestos, cōcubitus nefarios, præstigias, veneficia, alia tetra & gravia non invenies nasci ex divitiis? Non vides quod in paupertate facilius est virtutem exercere quàm in divitiis? Nec enim, quoniā pœnas hic non dāt divites, existimes eos non peccare. nam si facile esset, divitē dare pœnam, iis plenos invenires carceres. Sed inter alia hoc quoq; malum habēt divitiæ, quod qui eas in vitio ac scelere possidet, impunè peccaris, nunquā desistet hoc facere; sed accipiet vulnera sine medicamentis; neq; ei quisquam imponit frenum. Si quis autem velit, inveniet paupertatem nobis ad voluptatē plura dare adminicula. Quomodo? Quoniam liberata est à solicitudinibus, odio, pugna, lite, & à malis innumerabilibus. Ne ergo quæramus ditescere, nec semper æmulemur eos qui multa possident. sed qui habemus quidem, divitiis utamur ut oportet, qui autem nō habemus, ne propterea doleamus; sed Deo agamus gratias, quod efficiat, ut nos in parvo labore, eandē quam divites, aut etiā majorem, si velimus accipiamus mercedem, & magna ex paucis lucrabimur. *Homil. 2. Epist. ad Hebræos.*

D. Io Chrysostomus: Eliæ fiduciam & loquendi libertatem indidit paupertas. nam dives quidē est servus, ut qui damno sit obnoxius, & cuilibet volenti malefacere pateat. Qui a. nihil habet, non timet bonorum publicationem neq; condemnationem. est n. valde fortis, & nō habet unde afficiatur injuria, aut mali aliquid patiatur. Dives ab omni parte captu facilis est, & perinde est, ut si quis eum quidem qui multos & longos trahit funes facilè ceperit, nudum autem non facile poterit apprehendere ac detinere. Ita etiam hoc evenit in divite. Mancipia, aurum, prædia, negocia innumerabilia, innumerabiles sollicitudines, circumstantiæ, casus & necessitates efficiunt ut facile capi possit ab omnib. Nemo igitur jam existimet paupertatem esse causam infamiæ & dedecoris. nam si adsit virtus, omnis orbis terrarum divitiæ, ne sunt quidem lutum, nec festuca, si cum ea conferantur. Eam igitur conjectemur. *Homil. 18. Epist. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi ob multorum improbitatē inexplebilemq; cupiditatē, voluntariæ paupertatis virtus eò redacta esse videtur, ut vires humanas excedat, nec quenquā esse credis qui eā consequatur ac præstet: quosdam tamē esse novi. Ac si tu ignoras, nihil mirum. Nam cum præ opum ac pecuniarū cupiditate ipse temulentia labores, haud mirū est, eos qui purè atq; integrè sobrii sunt, tibi ignotos esse. Cæterùm eos, qui suis reb. contenti sunt, imitare, quiq; justis laboribus victum sibi quærūt, nec quicquam præterea requirunt. An nè hos quidem lucentes perspicis, ac luminariū instar rutilantes? Hos inquàm aliquantisper ad imitandum tibi propone, atq; in alienas opes & pecunias: impuras & inexplebiles manus tuas injicere desine, ac sic illos quoq; contueri poteris. Nā nunc, hoc audito, nec ad credendū adduceris, verùm eos quoq; traduces ac fugillabis, nec incurabili furore teneri desines. At si ad mediocrem sanitatē veneris, tum verò eos etiam qui prorsus integra valetudine præditi sunt, facilè perspicies: atque etiam quandoq; ipsos optimæ hujusce viæ duces ac præmonstratores habebis. *Lib. 2. Epist. 113.*

S Isidorus Pelusiota: Rectè à quodam externorum hominum dictum est, turpe ac probrosum non esse paupertate laborare, verùm paupertatem forti animo minimè ferre. Quamobrem si hoc ille quoq; rectè ac præclarè existimavit, ex inopia pudore ne afficiamur, imo ne probro quidem eam ducamus, verùm ad vitium hunc metum transferamus. *Lib. 3. Epist. 101.*

S. Isidorus Pelusiota: Quando quidē is, qui inopia constrictus est, donatore indiget; qui autē controversiam habet, judicis ope atq; auxilio: idcirco paupertatē, non molestiam cuiquā exhibere, sed obsecrare æquū est. Quod si omissa obsecratione, ad struēdas calumnias sese cōvertat, eam profecto in judicio miserationi esse minimè æquū fuerit. Ac propterea his verbis usus est, in judicio non misereberis pauperis. Etenim ipsius quidem misericordia affici convenit, at non cum litigat, sed cum obsecrat. Si autem preces in accusationem vertat, justitia misericordiæ anteponenda est. Neque enim jus corrumpi justum est. *Lib. 3. Epist. 250.*

S. Asterius: Duo circa paupertē hunc notantur; inopia nimirum & humilitas atq; modestia. non est itaq; quod pauper quilibet ac pannosus virtutis laudē sibi vindicet, aut egestate ad salutem sibi sumcere existimet. nec. n. universim laudatur, quemcunq; necessitas egere cogit, sed hic demum in admiratione est, qui sponte ac decreto quodam animum in paupertate componit ac moderatur: illis autem qui morib. & ingenio pravo sunt, omninoq; corrigi nō possunt, viaticū est ad mala multa facinora coacta paupertas. Et omnes equidē parietū perfossores, plagiarios, grassatores, fures & homicidas ipsos, cū ad tribunal judicio sisterentur, inopes, egenos, ignobiles, sine domo certisq; sedibus vidi. unde liquidè constat, beatum hic pauperē illum prædicari, qui mēte philosopha laborē & ærumnam perfert, fortiterq; & constanter adversos tolerat casus, ac nihil vel sceleris vel flagitii molitur, ut carni per voluptatē ac delicias gratificetur. Beati pauperes spiritu. nō igitur omnis pauper justus, sed ille qui Lazari similis; neq; dives omnis damnatus, sed ille qui Divij similis. quis. n. cœlesti illi Jobo opulentior? neq; tamen eā nimia illa rerum omniū copia & affluentia aut à justitia abalienavit, aut, ut breviter dicā, à virtutis orbita demovit. cōtra quis Iscariote Juda pauperior? neq; tamē vel minimum ad salutem ei profuit egestas, &c. *Hom de Lazaro & dive.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Epictetus: Quemadmodum si in navi cōceptus aut natus esses, ejus esse gubernator non studeres: ita neq; in terris divitiæ tibi expetendæ sunt. neq; n. illic natura tecum cohæret navis, neq; heic opulētia, sed ubique ratio: quæ ut tibi cognata, & à natura tributa est, ita eam tuam esse ducito atq; excolito. *Apud Stobæum Serm. 11.*

Simplicius: Ne in paupertate quidem aliquid mali est. alioqui & Crateti Thebano ita visum esset, qui bona sua Reip. cōcessit, cū dixisset: Crates Cratetē privat hac pecunia: actū demum se in libertatē assertum putavit, cū divitias paupertate cōmutasset. *Ad c 9. Epictet.*

Dio Prusæus: Ego vero libenter sequebar. neq; enim unquā mihi insidias parari timui, nihil habenti præter vile palliolū. Et sæpe quidem & alias expertus sum in talibus opportunitatibus, utpotè in errore continuo; verum etiam tunc, paupertatem esse rem verè sacram & tutam. & nemo ferè pauperes injuria afficit, non magis quàm qui caducea ferunt. *Oratione septima.*

Hierocles: Si quis in paupertatem delapsus ipsam ferat moderate: præterquam quod ita sibi dolorem adimit; vitæ etiam certam oblectationem nanciscitur: partim quidē, quod idoneam alimentorum suppeditationem meditādo inveniet, si dolore nō conturbetur: partim vero, quod ejus prudētiam, animiq; robur qui vicini sunt admirantur; & suppeditant ad vitā necessaria, quantum possunt. At vero, qui indignatur cùm muliebri more exacerbatur, primum quidē dolores sponte sibi accersit: in luctu deinde paupertatis desixus nō potest omnino efficere, ut sibi nec à seipso aliquid vacet ad sublevandam inopiam conferre, ne vicinorum contributionibus sublevari; nisi quantum stipis ergo alicui quis projecerit: quod rursum pro largientis animo, ei, qui in tanta rerum penuria versātur, dolorem auxerit. *Cap. 17. Carm. aur. Pythag.*

Simocatta: Saliunt capræ quasi fœlicitate gaudentes. Desimus cū egestate cōfluctari bestia implacabili & difficili. Ad ulceris modū eos qui habent invadit. Malum est familiæ pigrū, triste, ad dolorē insolabile, ad molestiam flexibile vigilans, curarum amans, laboriosum, malorum artifex, inglorium, contemptum, invidia vacans. Nemo enim in tantum malum cupit incidere, neq; si Oreſtis furore laborare convincatur. Abjecta igitur inopia per inopiam, ad alium finē transferamur, cum animo mutantes etiam sententiam. *Epist. 29.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Nihil est periculosius, judices, in hominib. mutata subito fortuna: nihil ad utilitatē su promptius, miseris delicatis. Juvenes in magnis patrimoniis, atque in summa nati dignitate, subito excussi, nō dico opibus. sed necessariis etiam ad victum, spiritūq; ultimum sustinendū, nō redibunt ad opus quotidianū, non sufficiēt assiduo labori: superest ut audeāt aliquid, vel propter q moriātur. tot hos quos abjicitis (nam quoq; turbam abdicatorū esse dixistis) emittite subito nudos, omniū egenos: ipsisne aliquis poterit irasci, si quid fecerint? si in latrocinia se prædasq; miserint? Quantūlibet animis nostris remittamus, ac totā innocentiam credamus esse persuasionis, multū contra justitiam necessitas valet: at si nihil adversus alios, adversus se certè multa fecissent. Ornatam me Rēpub. atq; adjutā, judices, crederetis, si horū fortissimus quisq; venisset in ludum atq; arenam? si paulo mollior frons ad laqueum, ad præcipitia, ad qualemcunq; vitæ festinasset exitum. *Declamat. 260 m*

Quintilianus Senior: Habet autē hoc incōmodi paupertas, quod quotiēs ad amicitiā superioris accessit, affert aliquid dubitationis, fide an utilitatib. amet. Officia adversus se mea no. erat dives, assiduū me hæsisse lateri suo sciebat. tenuitas mea afferebāt hāc ei dubitationē, ut posset quærere an istud amicitia fecissem. Itaq; cū sciret mortē esse, quæ de animis diceret verū: testamenta, quib. omnem affectū fatemur: ita suprēmas tabulas ordinavit, ut adversus me dicere vellet animo meo. Bona interim sua apud istum deposuit, dum sciri posset, quid de illo ipse sensissem. Dari mihi jussit id quod ego testamento meo darē. Si cogitationē intra angustias facultātū mearū tenuit, prēter id quod ingratus videri potest amicus, nō multum ejus interfuit, quid ego scripsissem. Lectæ sunt tabulæ meæ. cōstitit fides amicitiæ: omnium bonorum institutus hęres erat. hoc plenior animus meus, quod sine exceptione. Igitur quod ad me pertinet, aperui pectus, & conscientiam protuli; & qua rerum natura patitur, viscera penè mea in conspectu vestro sunt. *Declamatione 332. pr.*

Seneca: Non est quod paupertas nos à Philosophia revocet, nec egestas quidem. toleranda est enim ad hoc properantibus vel fames, quam tolerare quidam in obsidionibus. *Epistola 17.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Hunc mare cæruleum Stygias detrusit ad undas,
Aut Scythum in terram ejecit sed vestis egentem,
Ac miserum erronem censu qui maximus ante,
Naufragio amissis opibus mersisque profundo.
Illum dura inter certamina, Martia letho
Vis dedit, aut certe captivum tradidit hosti.
Fortunis alium princeps spoliavit, eadem
Luce illum ditem efficiens, opibusque carentem

Ac fures alium versat, sæpe latrones,
Fraudibus obscuru, media vel luce ruentes.
Denique morbus atrox quorundam membra peremit.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 48.

Quid is, eget' ne. L. eget. P. habuit ne rem? L. habuit. P. quæ eam perdidit?
Publicis' ne assinis fuit, an maritimis negotijs?
Mercaturam' ne, an venales habuit, ubi rem perdidit?
L. Nihil istorum. P, quid igitur? L. per comitatē edepol pater.
Fratrem aliquantum animi caussa in delicijs disperdidit.
P. Aedepol hominem prædicatum fermè familiariter,
Qui quidem nunquam per virtutem rē confregit, atq; eget.
Nihil moror eum tibi esse amicum cum ejusmodi virtutib.
L. Quia sine omni malitia est, tolerare ejus egestatem volo.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. pr.

—— Ego operam meam
Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.
Viden' egestas quid negotij dat homini misero mali?
Qui ego nunc subigor triū nummorū caussa, ut has epistolas
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego qui sciat homo nescio.

¶ Apologorvm.

De Caponibus pinguibus & macro. Fab. 10.

Vir quidam complures capones in eodem ornithoboſco incluſos largo nutricaverat cibo, qui pingues effecti ſunt omnes, præter unū, quem ut macilentum irridebant fratres. Dominus nobiles hoſpites lauto & ſumptuoſo accepturus convivio, imperat coco, ut ex his interimat, coquatque quos pinguiores invenerit. Hoc audientes corpulenti, ſeſe afflictabant dicentes, Quanto præſtitiſſet, nos macilentos eſſe.

Hæc fabula in pauperum ſolamen conficta est, quorum vita tutior, quàm divitum. Abſtemius.

De Dæmone morte divitum lætante, pauperum vero mœſto. Fab. 190.

Dæmon terrarum orbem peragrans (ut ejus eſt mos) animadvertit juvenem quendam parentum morte lætantem: unde totus exhilaratus eſt. Sed uiterius progreſſus flevit, quum alium filium in funere patris mœſtum intueretur. Interrogatus tam diverſorum affectuum cauſas: Riſus, inquit, filii ex obitu parentum, ſignificat illos divites eſſe defunctos, quorum admodum rari noſtra ſtrugiūt manus. Fletus verò, paternæ eſt ſignum inopiæ. Pauperum autem regnum colorum ut plurimum eſſe conſuevit.

Fabula indicat, nimias divitias homines ad inferna deducere. Abſtemius.

¶ Emblematvm.

Batillius ccix.

Odioſa paubertas.

Qualis deſertā puteum deſertus in orā
A populo ſperni prætereunte ſolet,
Contracta ſic quos in paupertate videmus
Deſertos fugimus: pauper ubique jacet.

Jac. Catſius Emblemate Ethico 14.

Omnia mea mecum. Teſtudo.

Omnia qui ſecum portat ſua, non vada ſalſo
Horreat influctu, non freta vaſta tremet.
Non triſti miſer ore domos, moleſque relictas
Reſpiciat, parva dum rate vectus abit.
Ingruat enſe latro graſſentur ad oſtia fures,
Aut canit, aut placido membra ſopore levat.
O ſecura quies! ó paupertatis amica
Commoda! felices qui tua dona colunt.

¶ Monostiha Trochaica.

Abſque egeno nec privatim publiceque vivere eſt.
Artis eſt parens egeſtas omnis & ſcientiæ.
Aſſidet mage atra egeſtas optimis quam peſſimis.
Certa egeſtas eſt eo uti haud poſſe quo tibi eſt opus.
Contrahit ſe inops, proterve cuncta patrant divites.
Condire cuncta ſuevit indigentia.
Divitem fide, unquam egeſtas quando triſtis attigit?
Et Menenijs egeſtas patrimonij loco eſt.
Exercenda iniquitatis & frenum indigentia eſt.
Extra egeſtatis timorem eſt, cui natura ſufficit.
Ii qui habent minus aliquid addunt ſemper divitioribus.
Illicofies egenus ſi eſſe dives vis cito!
Ingenio pudice educto ſæpe egeſtas vim intulit.
Multum habet virtutum egeſtas contra opum inſolentiam.
Nemini gravis eſt egeſtas, quam qui eam aut timant grave.
Nemini probro eſt egeſtas, plurimis at ſunt opes
Nemo egeſtatem modeſtè ferre quam ſapiens poteſt.
Nemo egeſtatem unquam ob ipſam mancipatus carceri eſt.
Nulla grandior calamitas eſt egeſtate, enecat.
Nulli egeſtatem exprobrato: munus eſt & hæc Deum.
Non habet curam ullam egeſtas, non habet moleſtiam
Non longè abeſt egeſtas á fama mala.
Otio ac Gulæ ipſa Egeſtas uſquequaque adeſt comes.
Promptius virtutem egeſtas nutriat, quam opulentia
Propter impotentiam egenus negligi uſque ſe putat.
Quem facit fortuna egentem dic miſerum haud itē malum
Quis ſuam timet, alienam ſpernit indigentiam.
Sæpe egeſtas atra cauſſa turpis inclementiæ eſt
Sæpe egeſtas non à ſorte pendula eſt, ſed moribus
Semper ij qui habent minus aliquid addunt ditioribus.
Sit licet juſta, uſque egeſtas eſt ſuſpecta ſordium.
Turpe egeſtatem haud fateri; non effugere turpius.
Turpe non fateri egeſtatem, haud cavere turpius.

¶ Jambica.

Animi generoſi egeſtas nervos exſecat.
A quibus ameris, ſola egeſtas indicat.
Artis eſt parens egeſtas, omnis & ſcientiæ.
Caduceo loco eſt egeſtas pauperi.
Cui non malorum egeſtas creditur ultimum?
Gazis egeſtas prævalet pia impiis.
Germana Egeſtas eſt ſoror mentis bonæ.
Haud quidquam egeſtas officit ſapientiæ.
Haud turpe egere, at ferve egere turpiter.
Haud nulla cura juris eſt egentibus.
Iuſtum eſt egenti ſubvenire, haud diviti.
Lappa eſt, egeſtas excutis ſe non ſinit.
Malis egeſtas eſt mala, at bonis bona eſt.
Malitiæ obex perennis indigentia eſt.
Malorum egeſtas omnium leviſſimum eſt.
Mentis bonæ germana egeſtas eſt ſoror.
Nec ſordidatum te mirare, nec dole.
Nemo gravem egeſtatem ſentit, niſi qui putat.
Nuſquam deſideratur Dux magis quam in aſperis.
Patrare magni egeſtas atra quid queat?
Perſæpe fregit corda egeſtas fortia.
Perinutus eſt ubique qui nil poſſidet.
Plerumque egeſtas hominem degenerem facit.
Propatrimonio egeſtas eſt Menenis.
Prudentum egeſtas etiam frangit pectora.
Quæcumq; opes largitur inopia eſt bona.
Quamplurimum eſt egena in vita audaciæ.
Qui nil habet proſcribere ejus nil queas.
Sapiens egenus diviti præſtat nulli.
Secura egeſtas nulla curis angitur.
Tuta eſt egeſtas omnis a diſpendio
Vbi eſt egeſtas, ibi eſt ſimul moderatio.
Vbi eſt inopia, ibi eſt libertas maxima.
Vere parens modeſtiæ eſt indigentia.
Vir conſultus prudens boni penuriam.
Virtutem egeſtas, divitiæ vitium tegunt.
Virtutem egeſtas omnium vera eſt parens.
Vivunt tamen Samielo homines poterio.

Electionis.

Sententiae Patrum.

D*Nazianzenus:* A patre & hero quandoq; objurgari ſatius eſt, quàm domo ejici; & exiguo ſplendore perſtringi, quam prorſus obſcurari. Prudentium porro & cordatorum virorum eſt, ut in bonis meliora & excellentiora, ita in malis minora & leviora eligere. *Oratione quadrageſima.*

S. Iſidorus Peluſiota: Et erat Daniel ſuper duces & ſatrapas: hoc eſt, ſapientior, atq; ad rerū adminiſtrationē aptior eſſe demonſtratus eſt, non modo duobus illis eximiis ac primariis, ſed etiā iis, qui poſteriorem iis dignitatis locū tenebant. Quæſtionis autē ſolutio hæc eſt. Quoniam fieri poterat, ut Regis judicium minimè ſanum & integrū deteriores perſæpe ad imperium efferret (quod quidē fieri cōſuevit, non tantùm in regnis, ſed etiam in Eccleſiis. Quid enim eſt, quamobrē mirum videri debeat, ſi ii, quib. hujuſce vitæ negotia cōmiſſa ſunt, in hujuſmodi peccata prolabātur, cùm etiā in Sancta hęc temeritas irruperit) eſſent autem in multitudine nonnulli, qui prudentia eos anteirent, neceſſario proinde juſti viri comparationem non cū ſolis illis duobus ducibus fecit, hoc eſt, iis qui militarib. ordinibus præerāt, eoſq;, tum in bello, tum in pace, ubi oportebat, collocabant, ſed etiā cum aliis omnib. quo videlicet nō ab imperatoris ſentētia, quæ ſæpenumero à recto aberrat, ſed à rerū veritāte coronā ipſi necteret. Præſtabat enim non iis duntaxat, qui regi prudentes & cordati eſſe videbātur, verūm iis quoq; qui re vera prudentes erant. Quocirca etiā rex quidem totius regni adminiſtrationi eū præfecit, ut qui ſcilicet ex rerū procuratione reliquis ommb. præſtantiorem ſe præbuiſſet: alii autem dolos ac fraudes adverſus eum concinnare in animo habebant. Sic enim natura comparatum eſt, ut livor adverſus res ſecundas bellum ineat. *Lib. 3. Epiſt. 336.*

Zeno: Unius electio eſt alterius reprobatio. *Sermone de fide.*

Chryſologus: Vendite quæ poſſidetis. non poteſt dominari omnibus niſi is qui propriis tenetur. dejectæ mentis eſt, qui familiaris rei meminit cum vocatur ad regnum. Jacens animus plebeius nummulum theſauris regalibus antepono. pauper ſenſus parvis incubans, perdit magna; & inhians temporalibus, deſerit ſempiterna. *Sermone 22.*

Ennodius: Exponit censuræ sententiam suam, quisquis quod elegit non tuetur. *Lib. 2. Epist. 26. a. f.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Simplicius: Quis, ut Homericus Diomedes, aureis ærea non permutet? quis verò maxima animi bona, rerum externarum jactura non redimat. *Fine c. 17. in Epict.*

Themistius: Nolite arbitrari, generosi Principes, milites tanti suffragii auctores dominosq; esse. verùm cælitus descendit id decretũ, atq; indidē promulgatio perficitur. Hoc autem, ut canit Homerus, *consiliũ Iovis* est, per hominum ministeria. Proinde vestrũ est patefacere etiam Deo milites ministraviſſe: adeo ut, siquidem solis imperii viribus freti sitis, planè appareat vos principatum ab armis accepisse: Sin autem virtutis præstantia confiditis, è cœlo præmissi ac prçpositi videbimini. Nam hoc cœlestis electionis, ac suffragationis signum est: non aurea Aquila, neq; literæ pretiosæ & augustæ, non nugæ & faleræ: sed consilium ad numen illud spectans, & ad fervens illius stadium contendens. Quam ut vobis non est ferēdus, qui absq; insignib. vestris imperare aggreditur: ita neq; Deo gratus & acceptus est, qui absq; Dei auspicio indicioq; purpureā chlamydem induit: iccirco illius insignis notæ specimē exhibendũ est. Hæc porro vobis insunt, & longe supra consuetum morē. Enimvero renunciatio è populo facta honoris plurimũ habet, & quæ ab uno rerum potiente principe declaratio profecta est. Hæc autē utraq; in vobis concurrunt. ac vincit quidem alter multitudine, imperātis, vero gratia tu potius superas: ac populi suffragiũ in te convertitur. Nam quem omnes homines constituerunt, nie te consortem effecit: quin etiã indicium grave dedit, quod congruenter meritoq; ipse acceperit; cum participem te fecit, sui in omnibus persimilem. *Orat. decima sexta.*

Libanius: Cum è duabus molestiis integrum non sit in alteram non incidere; malum minus eligam. *Declamatione duodecima.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Otium pauliſper cum magna suâ laude Claudius Pollio intermisit & potuit, à Corellio nostro; ex liberalitate Imp. Nervæ, emendis diu denditq; agris adjutor adhibitus. Etenim qua gloria dignum est, tummo viro in tanta eligendi facultate præcipue placuisse. *Lib 7. Epist 31.*

Symmach. Rerum bonarum difficilis est electio. *Lib. 4. Epist. 52.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carmine 45. de Parabolis Evangg.

Pauci namque manus norunt adhibere peritas,
Hesc ubi vicina est vitio pulcherrima virtus.

Petronius Arbiter.

Inveniat quod quisque velit: non omnibus idem est,
Quod placet hic spinas colligit, ille rosas.

Ausonius Idyllio 16.

Quod vitæ sectabor iter? est plena tumultis
Sunt fora: si curis domus anxia: si peregrinos
Cura domus sequitur: mercantem si nova semper
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas:
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
Infamat, pœnæque graves in cœlibe vita;
Et gravior cautis custodia cana mariti.
Sanguineum si Martis opus, si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes usura trucidat?
Omne bonum cura: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest parvis lactentibus: & puerorum
Dura rudimenta, & juvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, insidias, que, catenas que labores
Mutandos semper gravioribus. ipsa senectus
Expectata diu, votisque optata malignis
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præsentia. quosdam
Constat nolle deos fieri. luturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Iovem: data si quod vita perennis.
Respice & ad cultus animi, sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem juvat, aspice & ad pœnas, & crimina regum,
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet servare fidem deleta Saguntos.
Vive, & amicitias semper cole. crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Dissidet ambiguis semper mens obvia votis.
Nec voluisse homini satius est. optata recusat.
Esse in honore placet, mox pœnitet. & dominari
Vi possint, servire volunt, idem auctus honore,
Invidiæ objicitur. per nox est cura diserti:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus,
Et defendereos sed gratia rara clientis.
Esto cliens gravis imperij persona patroni.
Exercent hunc vota patrum. mox aspera curis
Sollicitudo subit. contemnitur orba senecta.
Et captatoris præda est, hæredis egenus.
Vitam parcus agas, avidi lacerabere fama,
Et largitorem gravius censura notabit.
Cuncta tibi adversis contraria casibus. Ergo
Optima Grajorum sententia, quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.

¶ Apophthegm. Christianor.

Apostoli Christi: Ad Electionis exempla progredientes, unde melius quàm ab Apostolis Christi ordiemur? qui gravi illa oratione à Petro habita, proposuerunt eligere virũ aliq; eum ex iis qui Christum secuti fuerant, in locũ proditoris Judæ, ut unà cum eis testimonium prçberet resurrectionis Domini. Et statuerunt duos, Barsabam & Matthiam: orantesq; dixerunt, *Tu Domine qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerij hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Quorum exemplo monemur, non nisi certa deliberatione, ac personarum cognitione prævia, per divini nominis invocationem, ad quam vis electionem procedendum. *Act. c 1.*

Honorius I. Pont. Hunc unicum dumtaxat Joannem Buccamatium Episc. Tusculanum ad sacrum Senatum suo Pontificatu adsciviſſe tradunt: ac pluribus ob id indignantibus, dicebat: *Boni tantum & docti, in tantum collegium adoptandi Patres sunt.*

Sigismundus Imp. Non longè a scopo hoc aberrabat Sigismvndvs: qui diu multumq; de Procerum delectu in suam curiam solicitus, *Eos reges*, inquit, *in terris beatos existimo, qui electis ex sua curia superbis viros mansuetudine & misericordia præclaros, assessores habent. Aen Syl. de Dict. Sigism.*

Valentinianus Imp. Aevo superior, ast animo hic par cum priori Valentinianvs. Contendebat apud eum Episcoporum concilij, ut Mediolanensibus Antistitem deligeret. Verùm ille, *Major*, inquit, *hæc provincia quam quæ nostris viribus queat sustineri. Vos itaque divina repleti gratia, melius hoc negotium transigetis.* Neque id male. decet enim electionem ab iis neri, qui paris ordinis aut conditionis cum eo qui eligendus. *Theodoret lib. 4.*

¶ Emblematis.

Iac. Catsius Emblemate Ethico 1.
Omnia in meliorem partem.

Hinc rubet igne sudes, nullis crepat inde fucillis:
Hinc poterit tangi, fauciat inde manum.
Res humana bifrons: tu qua juvat, arripe quidquid
Te super ætherea de regione fluit.
Damna suum lucrum sua gaudia luctus habebit,
Excipis incumbens si sapienter onus.
Morosum nec læta juvant; & rideat orbis,
Quod gemat ille tamen quodque queratur, habet.

¶ Monosticha Trochaica.

E duobus eligendum est bonum præstantius.
E duobus eligendum est malum pusillius.
Eligas minimum malorum sed bonorum maxima.
Elige è malis duobus, quod malum levissimum est.
E malis semper duobus eligas quod est minus.
Fons si adest, nemo è lacu haurit, guttamentis cui super.
Fonte proximo, è lacunis nemo bibit qui sapit.
Haud violenta electio Dei est, merè est suasoria.
In nostro arbitrio est sequi vel Lazarum vel Divitem.
Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.
Non habet boni delectum, quem subegit pravitas.
Optimam vitam eligas; dulcesceet consuetudine.
Quis spinas vepresque calcet cui via est directior?
Vis ubi maior melius ve, nulla ibi est electio.
Vitam delige optimam, usus illam suavem fecerit.
Vilem stultus videt locum eligitque inutilem.

¶ Iambica.

Alios sibi præfert iniquè omnes ferunt.
Cœlestibus fluxa anteponens desipit.
Digna eligenda saltem arbor suspendio est.
Difficilis est rerum bonarum electio.
Dimittitur nullis sponte id quod optimum est.
Est præferendus cuivis mortali Deus.
Malum eligendum semper est levissimum.
Nil eligendum est turpe, lucri gratia.
Peiora quis non præ melioribus eligit?
Prælatio unius, alterius contumelia est
Præsente carne, nemo vescitur thymo.
Quis eligat quod ante non probaverit?
Quis non reperto lac mero reliquerit?
Semper legendum est è malis binis minus.
Sine reprobatione nulla electio est.
Stultè è malis nisi quod minimum est elegeris.

Videantur & tituli, Placere, Approbationis, Iudicii.

Elec-

Eleemosynæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. Nazianzenus: Plerique misericordia erga pauperes, luxum ac delicias suas redimunt, ac non bonum malo sanant, sed pro bono malum recipiunt. *Orat.* 11.

D. Nazianzenus: Quocirca verbum jam sequamur, illam requiem quæramus, hujus vitæ opes & copias abjiciamus, hoc solum, quod in ipsis boni est, lucremur, nempe ut animas nostras in eleemosynis exiguamus, facultates nostras pauperibus impertiamus, ut cœlestibus ditemur. Animæ quoque partem da, non carni duntaxat, Deo quoque partem da, non mundo tantum, ex ventre aliquid subtrahe, & spiritui consecra, & igne aliquid eripe, ac Domino committe. Da patrem septem, hoc est huic vitæ, atque etiam octo, id est ei quæ post hanc nos excipiet: da exiguum ei, à quo multum habes: da etiam omnia ei, quia omnia donavit. Nunquam Dei munificentiam vinces, etiamsi omnia tua bona projicias, etiamsi te etiam ipsum bonis tuis adjungas. Nam hoc quoque ipsum accipere est, nempe Deo donari. Quantumcunque contuleris, plura tamen tibi reliqua erunt: nec quicquam tuum dabis, quandoquidem omnia à Deo manant. Et quemadmodum in nemo umbram suam prægredi potest, ut quæ, quantum progredimur, tantum etiam se subducat, parique semper intervallo nos antecedat, nec corporis magnitudo supra caput sese efferre potest, utpote quod supra corpus semper emineat: eodem modo nec Deus muneribus nostris vinci potest. Neq; enim quicquam, quod extra illius bona sit, damus, nec quod illius liberalitatem superet Agnosce unde habes, quod sis, quod spires, quod ratione ac mente utaris, quodque maximum est, quod Deum cognoscas, cœlorum regnum speres, honoris æqualitatem cum Angelis, gloriæ contemplationem, nunc quidem in speculis & ænigmatis, tunc autem pleniorem ac puriorem, quod Dei Filius, Christi cohæres, atque, ut audacter loquar, Deus etiam factus es? Unde tibi hæc omnia, & à quo? Aut, ut parva hæc, oculisq; subjecta dicam, cujus munere ac beneficio cœli pulchritudinem cernis Solum cursum, Lunæ orbem, siderum multitudinem, eamque, quæ in his omnibus, velut in lyra elucet, concinnitatem atque ordinem, semper eodem modo se habentem, partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei noctisque æquas portiones, terræ productiones, aeris fusionem, maris, fluxi simul ac stabilis, immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia? Quis tibi pluvias dedit, agriculturam, cibos, artes, domicilia, leges, Reſpubl. vitam mitem & humanitate excultam, amicitiam & familiaritatem cum eo, cum quo tibi cognatio intercedit? Unde habes quod animantia partim cicurata tibiq; subjecta sunt, partim in cibum tradita? Quis te omnium rerum, quæ in terra sunt, dominum & regem constituit? Quis, ne singula commemorem, ea omnia, quibus homo cæteras animantes antecellit, largitus est? Nonne Deus, qui nunc præ omnibus, & pro omnibus rebus benignitatem à te vicissim poscit? An vero nos non putebit, cum tot tantaque ab eo, partim accepetimus, partim speremus, nec hoc quidem unum ipsi conferre, nimirum benignitatem & humanitatem? An cum ille nos à feris disjunxerit, solosque ex omnibus iis, quæ in terra sunt, ratione ornaverit, ipsi contra nosmetipsos efferabimus, tantumque à voluptatibus & deliciis corrumpemur, aut furore afficiemur, aut, quo verbo id exprimam nescio ut simul cum mazâ & furfuribus, quæ male fortasse collegimus, nos quoque præstantiore natura esse quam ipsi sunt, existimemus: & quemadmodum olim, ut poetæ fabulantur, genus quoddam erat gigantum & reliquorum hominum, sic nos quoque sublimes & humana conditione majores apud ipsos erimus, velut ille Nemroth, aut genus Enach, quod Israelitas olim opprimebat. aut illi, quorum scelere factum est, ut diluvium terram purgaret? An cum ille, Deus licet ac Dominus pater noster vocari non erubescat, nos contra cognatos quoque nostros abnegabimus? *Oratione 16.*

D. Nazianzenus: Ex nostris quoque nonnulli sunt, id quod lachrymis dignum est, qui tantum abest ut laborantium vicem doleant, ipsisq; opem ferant, ut eos etiam acerbis probris insectentur, ipsisque insultent: an vane & inaniter philosophantur, vereque ex terra vocem mittunt, & in aerem loquuntur, non in sagaces aures divinisque dogmatibus assuetas: eoque audaciæ progrediuntur, ut dicant, A Deo illis est afflictio, a Deo nobis prosperitas. Et quis ego sum, qui Dei decretum rescindam, ac Deo benigniorem me præbeam? Ægrotent, afflictentur, in calamitate versentur: ita Deo visum est. Atque hic solum Dei amorem præ se ferunt, ubi obolos custodire, ac miseris insultare oportet. Sane quod isti se prosperitatem à Deo habere minime arbitrentur, per ea, quæ loquuntur, aperte indicant. Quis enim, de indigentibus ita statuerit, qui quidem suorum omnium bonorum authorem & largitorem Deum agnoscat? Eorundem quippe est, & à Deo aliquid habere, & iis, quæ habent, pie ac secundum Deum uti. An vero à Deo quoque sit, ut illi divexentur, nondum perspicuum est, quam diu terrena hæc moles perturbationem à seipsa jactationemque velut in fluctibus tulerit. Quinam vero exploratum est, num ille ob vitium crucietur, hic rursum, ut bonus ac laude dignus, evehatur, ac non contrà, ille ob improbitatem attollatur, hic ob virtutem exploretur, ille inquam, altius evectus, ut gravius corruat, ac tantisper expectatus, quo ad universa ipsius improbitas morbi cujuspiam instar prius eruperit, ut justius etiam postea puniatur: hic rursus præter opinionem vexatus & oppressus, ut, non secus atque aurum in fornace, probatus, paulum illud vitii, quod habet eliquet (nemo enim, duntaxat in procreata natura, omnino à sorde purus est) aut etiam ut probatior & excellentior appareat. *Orat.* 16.

D. Nazianzenus: Quis pauperibus, hoc est, naturæ pari honore præditæ contemtissimæ parti, vel animo condolentior, vel manu largior & prolixior? nam revera tanquam alienorum bonorum procurator, de bonis suis cogitabat, pauperum inopiam, quam maxime poterat, sublevans: nec superflua tantum, sed necessaria quoq; in eam rem impendens, id quod charitatis erga pauperes apertissimum argumentum est: partemq; dans, non septem duntaxat, velut Salomonis lex præscribit, verum si octavus etiam accederet, ne hic tamen restricti ac sordidi animi vitio laborans verum libentius sua profundens, quam alii acquirant: vinculum & electionem tollens, (hoc est, ut quidem interpretor, tenacitatem, & exploratione, ejus, qui accepturus est, sitne videlicet dignus necne) ac murmuris verbum cum largitione. Quod quidem plerisq accidit, qui tribuunt quidem, verum hoc non adjiciunt, ut prompte ac libenter tribuant: quod quidem majus & perfectius est, quam præbere. Multo enim satius est ob eos, qui digni sunt, indignis quoq; largiri quam dum metuimus ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare. *Orat.* 19. *in funere patris.*

D. Greg. Nyssenus: Calamitate affectum, amplectere ut aurum. Infirmam pauperis valetudinem ita fove, ut in ea & sanitatem tuam & salutem uxoris, filiorum, servorum, totiusque familiæ positam putes. Nam cum omnes pauperes fovendi adjuvandiq; sunt, tum illi qui ægrotant præcipue sunt cõplectendi, qui enim egens & æger est duplici laborat paupertate. Inopes enim valent corpore, ex hoc ad illud ostium accedentes, qui aliquid dent aliquando tandem inveniunt. præterea sedent in triviis, & prætereuntes omnes interpellant, opem implorantes. At pauperes adversa præditi valetudine, angustoq; hospitiolo imo vero angustis hospitioli angulis conclusi sunt, uti Daniel in lacu te benignum & pauperum studiosum atq; amantem, tanquam Abacuc expectant. quamobrem per eleemosynam socius efficere, celeriter & impigre ad alendum egentem accede, nullam facies in promerendo jacturam, ne vereare. in ultiplex enim & copiosus gignitur fructus eleemosynæ. sere beneficium, ut metere possis fructum, & bonis manipulis domum replere. At enim te quoque pauperem dices? fac sis, attamen dato, quod habes neque enim supra vires tuas quidquam à te requirit Deus. da tu panem, ille poculum vini, alius vestimentum dabit, atque ita ex multorum benignitate unius sublevabitur calamitas. Ne Moses quidem id quod impendit in tabernaculum ab uno tantum homine accepit, sed ab universo populo. alii aurum, argentum alii, ut magis minusve divitiis affluebant, obtulerunt. pauperes vero vel pelles, vel etiam caprarum pilos, si quis gravius inopia premebatur. Nonne vides pauperis etiam viduæ quadrantem, divitum munera superasse? illa enim quidquid habebat exhausis, cum ex horum copiis vix pusillum quiddam exciderit. Jacentes pauperes ne despexeris. Servatoris enim nostri personam induerunt. propriam enim benignus ille personam eis largitus est, ut sicut si qui adversus vim inferentes, tanquam propugnaculum regias prætendunt imagines, quo Principis effigie irruentium impetus frangatur & retardetur. sic ipsi eos qui nulla moventur commiseratione (quippe pauperes odio prosequuntur) per illam flectant, mitigent, exorent. ut bonorum, quæ speramus & expectamus, sunt promi condi. hi janitores regni cœlorum, qui forum aperiant benignis & bonis, occludant inhumanis. hi & vehementes sunt accusatores, & optimi patroni accusant autem & defendunt non oratione, sed aspectu ipso. ipsi à judice. quæ enim in eos fiunt, apud eum qui corda scrutatur, qui cogitationes hominum, intimosq; animi sensus novit, quovis præcone clarius apertiusq; vociferantur ac clamant. *Orat. de amandis pauperibus.*

D. Greg. Nyssenus: Quid ergo faciendum est nobis ut nihil in naturæ legem peccasse videamur. satisne sit, eorum afflictiones deplorasse, & oratione morbum extulisse, atq; ipsa commemoratione commotum esse? an necesse est, ut facto etiam aliquo misericordiã ac benevolentiam erga eos nostram declaremus? Sic est profectò. nam quæ proportio est inter res veras & adumbratas pictasque, eandem obtinent verba, si ab operibus sejungatur non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis. Quamobrem, quod nobis ipsorum caussa mandatum est, id oportet ut ipsimet exequamur. neq; enim illud omnino quispiam dicat, esse satis, si procul à nobis in extremam aliquam nostræ regionis partem, tanquam in coloniam deductis alimenta suppeditentur. ea namq; sententia nullam veræ clementiæ & commiserationis significationem habet: sed sub ea misericordiæ specie illud consilium latet, ut homines à vita nostra prorsus exterminentur. Deinde nostræ nos vivendi consuetudinis non pudet? qui sues & canes contubernales habeamus, adeo ut ne suo quidem lectulo venator catulum arceat, & agricola vitulum exosculetur & propriis manibus viator asini pedes lavet, & curandis vulneribus medicas manus adhibeat, stercusq; auferat, & cubile substernat; eos autem qui generis necessitudine nobis conjuncti sunt, ipsis etiam rationis expertibus animalibus postponamus? Ne fiant hæc quæso, ne fiant o fra-

tres. ea sententia adversus homines rata ne habeatur. Operæ pretium est meminisse qui sumus de quibus consilium capimus, nempe de hominibus homines, qui nihil proprium & à natura communi sejunctum possidemus. Unus omnibus in hanc vitam introitus, idem omnibus vitæ modus. Edendi, bibendi, vivendi, similis ratio: eadem corporum cōstructio: idem è vita exitus. omnia enim composita dissolvuntur & ad interitum veniunt. nihil eorum quæ mixta concretaque sunt, semper eodem statu manent. exiguum ad tempus bullarum instar spiritui nostro circumjectum est corpus. mox autem extinguitur nullo hujus tumoris in vita relicto vestigio. In columnis & lapidibus & titulis monumentorum, ac ne illa quidem sempiterna. *Orat. 2. de pauperibus amandis.*

D. Chrysostomus: Qui agros, qui ædes, qui aurum in animo circumfert, is ubicunq; gentium apparuerit, cum his ipsis divitiis apparet. Et quo id, inquis, fieri potest modo? potest quidem, idque non ita magno negotio. nam si eas opes per pauperum manus in cœlum transtuleris, universas in tuam ipsius animam transtuleris, sic ut vel morte ingruente eripere tibi eas possit nemo: verum sic hinc decedas, ut vel illic dives sis. *Homil. 14. ad Roman*

Chrysostomus: Melius quidem fuerit multumq; adferens fiduciæ, dum adhuc vivis, paupertati egentium succurrere. si vero istud nolueris; vel moriendo generosum aliquid facias. Id enim licet non multum habeat dilectionis erga Christum aliqua tamen est dilectio nam etiamsi non habiturus sis priores partes cum agnis, non tamen parum erit, post illos esse, & neque cum hœdis, neq; à sinistris stare. *Homil 18. ad Rom*

Chrysostomus: Multum vero aut minutum non datorum mensura, sed juxta facultatem contribuentium ponderatur. Itaq; neque qui dives est, infletur: neq; pauper, tamquam qui modica det, dejiciatur. fit enim sæpenumero ut plus divite det pauper. Non oportet ergo vos ipsos propter paupertatem miseros æstimare. faciliorem enim vobis eleemosynam illa facit. Nam qui multa possidet, majore distinetur vel arrogantia vel cupidine, quam ea sint quæ habet. Qui verò parum habet, ab utraq; ista tyrannide liber est: unde & plures invenit benefaciendi occasiones. Is enim & in carcerem ad captivos facile ingreditur, & ægrotos visitat, & potum aquæ frigidæ præstat. Dives vero nihil horum amplectitur divitiis suis inflatus. Non ergo despondeas animum propter paupertatem. Cœli quippe opulentiā faciliorem tibi facit paupertas. Quod si nihil etiam habeas, habeas autem animum condolentem, apponetur tibi merces vel hujus quoque gratia. Atque ob eam rem & Paulus præcipit flere cum flentibus, & erga vinctos esse tanquam ipsi quoq; vincti simus. Non enim solis flentibus consolationem quandam adfert, si pleriq; fuerint qui condoleant, adfert & his qui aliis premuntur afflictionibus. Fit enim subinde ut compatientis sermo jacentem & afflictum non minus recreet, quam datæ pecuniæ. Propter hoc enim & pecunias egenis dare jussit Deus: non solum ut illorum succurratur paupertati, sed ut & nos doceat condolere proximi malis. Atque ideo avarus non solum ob id odibilis est, quod eos qui in paupertate sunt contemnit: sed quod & ipse ad crudelitatem multamq; inhumanitatem instituitur. Quemadmodum & is qui pauperum gratia pecunias contemnit, propterea amabilis est, quod misericors est & humanus. Et Christus quando beatos vocat misericordes, non eos solos intelligit, qui datis pecuniis misericordiam exhibent: sed & eos beatificat & laudat, qui animi proposito id faciunt. Hanc itaque commoditatem animiq; habitu ad misericordiam præstandam exhibeamus, & omnia bona sequentur. Qui namque animum habet benignum ac misericordem, si pecunias habuerit, proferet: & si in calamitatibus quempiam viderit, flebit & lamentabitur: & si inciderit in aliquem cui facta sit injuria, patrocinabitur: & si calumniis pressum conspicatus fuerit, manum porriget. Thesaurum enim bonorum habens, animum scilicet benignum ac misericordem, omnia ex eo scaturiginis instar pro fratribus effundet: unde & omnibus fruetur præmiis à Deo deputatis. *Homil 9 ad Roman*

Chrysostomus: Sed tu post ista omnia ferocis erga pauperem. Atqui si innumeris etiam malis esset obnoxius: ipsa tamen indigentia ipsaq; fames sufficerent ad animum, nisi vehementer sit obduratus, emolliendum. Tu vero efferatus, leonumq; imitatus furorem, perstas. Quanquam illi mortuorum corpora nunquam degustant. Tu, licet videas tantis attenuatum malis, jacenti tamen insultas, corpusque illius conviciis laceras, atq; adflictionem adflictioni, velut tempestatem tempestati superaddis: fugientemq; ad portum, in scopulum incidere ac naufragium marino gravius pati facis. Et quomodo ad Deum dicis, miserere mei? Quomodo peccatorum tuorum veniam petis, qui eum conviciaris, qui tibi nihil peccavit, pœnamq; pro fame tantaq; necessitate exigis, quavis bestias crudelitate exuperans? Illæ siquidem cogente ventre deputatum sibi cibum attingunt: tu vero nemine impellente, nemine cogente fratrem tuum devoras, mordes, laceras, licet non dentibus, verbis tamen morsibus quibusvis gravioribus. Quomodo ergo sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine rubefecisti? Quomodo pacem das, ore bellis adeo referto? Quomodo sensibili etiam cibo frueris, cum tantam rubiginem tibi concilies? Non succurris paupertati? quid & conteris? Non erigis jacentem? ut quid & dejicis? Non tollis pauperi tristitiam? quid & auges? Non das pecuniam? cur verbis etiam conviciaris? *Homil. 21. ad Rom.*

Chrysostomus: Ne scruteris igitur curiosè pauperum vitam atque negotia: nam extremæ illud insolentiæ est pro uno pene totam hominis miseri vitam curiose inquirere. nam etiam si homicida, si latro, aut aliud hujusmodi fuerit, an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? & tamen dominus tuus illi solem suum producit. *Homil. 21. ad Rom.*

Chrysostomus: Non sufficit eleemosynam dedisse, ad hoc ut accepta sit, quando enim ex necessitate quis & coactè, quando ex injustitia, quando ex vanæ gloriæ studio eleemosynam tribuit, perit omnis fructus. *Homil. 30. ad Rom.*

Chrysostomus: Sunt vinculum divitiæ, vinculum grave iis qui eis uti nesciunt, sævus tyrannus & inhumanus omnia imperans in perniciem eorum qui serviunt. Sed si velimus, acerbam hanc tyrannidem de sede deturbabimus, & efficiemus ut nobis cedat, non autem imperet. Quomodo ergo hoc fiet? cum divitias omnibus distribuerimus. Quando enim Plutus, id est divitiæ, fuerit solus adversus solos, sicut latro quidam in solitudine omnia facit mala. Cum autem in medium adduxerimus, non amplius nos superabit, omnibus eum undiq; alligantibus. Et hæc dico, non quod peccatum sit habere divitias: sed peccatum est eas non distribuere pauperibus, & eis male uti. Nullum enim malum Deus fecit, sed omnia valde bona. Quamobrem bonæ quoque sunt pecuniæ: sed ita demum, si in eos qui possident dominatum non obtineant, & si proximos à paupertate eximant. Neque enim bona est lux illa, quæ non delet tenebras, sed eas auget: neque eas dixerim divitias, quæ paupertatem non adimunt, sed augent. Nam qui est dives, non quærit accipere ab aliis, sed aliis opem ferre. Qui autem quærit ab aliis accipere, nō est amplius dives, sed ipse est pauper. Quamobrem non sunt malum divitiæ, sed pauper animus, qui divitias deducit ad paupertatem. *Homil. 13. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Qui dat, inquit, mendico, fœneratur Deo. Si autem festinas, & non expectas tempus redditionis: veniant tibi in mentem qui hominibus fœnerantur pecuniam. Neque enim illi statim volunt accipere usuras: sed cupiunt longo tempore expectare sortem à manibus ejus cui data est fœnori, dummodo sit certa & tuta redditio, neque suspectus sit eis qui accepit. Hoc ergo hoc quoq; fiat. Ea dimitte apud Deum, ut multiplicatam tibi reddat mercedem. Ne quæras hoc universum. Nam si hoc totum acceperis, quomodo illic accipies? Propterea Deus quoque illic recondit, utpote quod vita præsens sit fluxa & caduca. Dat autem hoc quoque. Quærite enim, inquit, regnum cœlorum, & hæc omnia adjicientur vobis. Sed nos respiciamus ad illam: non festinemus ad omnium remunerationem, ne minuamus mercedem, sed expectemus tempus. Non enim hæ tales sunt usuræ, sed quales à Deo dari est consentaneum. *fine Homil 15. ad Corint 1.*

Chrysostomus: Valde erubesco: quando videro multos ex divitibus gestari equis qui frena habent aurea, & trahunt servos aurum ferentes, & lectos habent argenteos, & ejusmodi extrinsecus apparentem pluritiam habent speciem, quando autem pauperibus dare oportuerit, etiam pauperrimis esse mendiciores. Sed quid est quod ab eis sæpe dicitur? Habet, inquit, commune ecclesia. Et quid hoc ad te? Neque enim si eo dedero, tu eris salvus: neq; si præbuerit ecclesia, tu tua peccata deleviſti. Propterea non das, quia ecclesia debet dare egentibus? Quoniam precantur sacerdotes, tu nunquam precaberis? & quoniam alii jejunant, assidue inebriaberis? An nescis quod non tam propter pauperes de eleemosynā legem tulit Deus, quam propter eos qui præbent? *Homilia 21. ad Corinthios 1.*

D. Chrysostomus: Vult Apostolus eos qui sua erogant in pauperes esse etiam conjunctos & conglutinatos iis qui accipiunt, & non solummodo dare absque ulla commiseratione, sed miserentes inflexosq; & confractos, & consensum habentes doloris cum iis qui egent. nam ideo est etiam eleemosyna à Deo lege constituta. poterat enim Deus alere pauperes etiam absq; hoc, sed ut nos colligaret in charitate, utque inter nos incalesceremus & accenderemur ipsos jussit à nobis nutriri. *Homil. 32. ad Corint. 1.*

Chrysostomus: Vultis & vobis dicam undenam impendere & largiri oporteat, ut hac quoq; ratione facilem eam feriatis collationē? Opifex, utpote calceorum consarcinator, aut sutor, aut faber ærarius aut quivis alius artifex, cum aliquid vendiderit ex iis quæ sua arte fiant, det Deo primitias pretii, tibi parvam partem dejiciat & ex minori parte cum Deo partiatur. Neque enim magnum quid peto: sed tantum quantum Judæorum infantes, & mille malis pleni, tantum nos qui cœlum expectamus, faciamus. Hæc autem vero non legem ferens, neque prohibens ne plus eroges; sed æquum censens, ut non minus deponas quam partem decimam. Hoc autem fac non solum vendens, sed etiam emens. Hanc legem etiam servent, qui prædia possident in proventibus; eam omnes, qui justa colligunt vectigalia. Ad eos enim qui usuras exigunt, à me verba non fiunt neq; ad milites qui concutiunt, & aliis procurant calamitates. Deus enim nihil inde vult accipere. Sed hæc dico eis, qui ex justis laboribus facultates colligunt. Nam si nos ipsos ad eam deduxerimus consuetudinem: nos deinceps pungent conscientia, si hanc deseramus legem, neque rem existimabimus gravem, & paulatim veniemus ad majora, & meditati contemnere pecunias, cum malorum radicem evulserimus: & hoc vitam secure & tranquille agemus, & vitam consequemur futuram. *fine Homilia 43. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Inanis gloria in omnibus rebus fugienda, tum potissimum eleemosyna quandoquidem ne eleemosynæ quidem

nomen

nomen obtinere queat, si hoc morbo laboret; sed ostentationis & crudelitatis. Nam cum ad largiendum non miseratione, sed beneficii evulgandi studio duceris: non modo id eleemosyna non est, sed etiam contumelia. Fratrem quippe traduxisti. Proinde non pecunias tantummodo dare eleemosyna est; sed eo animo dare, qui proximi miseriis cōmoveatur. quandoquidem etiam ii qui in theatris spectant, tum cinædis largiuntur, tum aliis qui in scena versantur; nec tamen ea res eleemosyna est: & qui cum scortis congrediūtur, dant quidem item, nec tamen beneficium atque humanitas id dici potest, sed flagitium & cōtumelia. His porro non dissimilis est, qui gloriæ cupiditate laborat. Quemadmodum enim ille, cum meretrici stuprum intulit, flagitii mercedem ipsi persolvit: ad eundem eu quoq; modum ab eo, qui pecuniam à te decipit, pro mercede contumeliam exigis, tibiq; simul atque illi sinistræ existimationis notam inuris; ac præterea majori, quam dici queat, detrimento teipsum afficis. Ut enim bellua quædam, aut canis aliquis insiliens; ita flagitiosus hic morbus, atq; hæc immanitas bona nostra nobis eripit. Inhumanitas quippe ac sævitia est hæc res, imo etiam crimen ea gravius. Nam qui sævus & crudelis est, egenti quidem nihil impertit: at tu pejus eo facis. Iis enim, qui dare volunt, impedimento es. Nam cum munus tuum jactas, atq; in vulgus effers: simul & accipientis famam & existimationem deles; & eum qui dare parat, si modo ignavi animi fuerit, reprimis. Neq; enim jam ei daturus est; ut qui jam acceperit, nec perinde egeat: quin plerumq; etiam accidet, ut eum insectetur, si postquam à te acceperit, ad te accedat, ac stipem petat; atq; impudentiæ insimulet. Ecqua ergo eleemosyna hæc est, cum & teipsum, & eum qui accipit dedecore afficis, & duplici quoq; nomine eum qui hoc edixit? nempe & quia eo eleemosynæ tuæ spectatore non contentus, oculos quoq; conservorum præter eum requiris, & quia legem ab eo institutam, qua id prohibetur, violas. *Hom. 13. ad Corinth 2.*

Chrysostomus: Eleemosyna tum demum est, quum tu prompto atq; alacri animo, quum large & copiose tribuis: quum teipsum, non dare, sed accipere existimas: quum perinde ac beneficium accipiens, & quæstum faciens, ac non tanquam perdens, largiris. Nam hoc alioqui ne beneficium quidem censendum fuerit. Qui enim misericordia ductus inopiam alterius sublevat, is utiq; læto animo, non gravi & molesto esse debet. An non enim absurdum fuerit, si quum alterius mœrorem discutias, mœreas ipse ac discrucieris? Neque enim ipsi jam eleemosynæ nomen reliquum facis. Nam si idcirco mœres, quod alterius mœrorem depuleris, extremæ cujusdam crudelitatis ac feritatis argumentum edis. Præstat enim non depellere, quam ita depellere. Quid autem omnino est, o homo, quod mœres? An ne aurum tuum minuatur? Si hoc animo es, prorsus ne des quidem. Nisi tibi in cœlis aurum tuum multis partibus augeri confidis: ne tribuas. At hic vicem tibi rependi postulas? Quid ita? Sine eleemosynam, eleemosynam esse, non negotiationem. Sane multis quidem contigit, ut in hac quoq; vita receperint: verum non ita receperunt, quasi hoc nomine superiores iis futuri, quibus vices hic minime relatæ essent. Quin potius nonnulli ex illis, ut imbecilliores, quia futuris bonis haud admodum alliciebantur, hic receperunt.

Et quemadmodum helluones ac rustici homines, ventrisq; mancipia, ad regiam mensam accīti, congruum tempus, puerorum more, minime expectantes, voluptatem suam labefactant, dum antevertentes ipsi vilioribus epulis sese ingurgitant: ad eundem modum hi quoque, qui in hac vita beneficentiæ vice efflagitant & accipiunt, futuræ mercedem minuunt. Itane vero tu, quum pecuniam fœnori das, sortem tuam longo post tempore recipere cupis, ac fortasse ne recipere quidem, ut ex mora ipsa fœnus tibi augeatur: hic contra statim exigis, idque, quum non hic, sed illic, perpetuo futurus sis: non hic judicium subitutus, sed illic causam dicturus? & quidem si tibi quispiam ædes illic extrueret, ubi commoraturus minime esses, contumeliæ id duceres: nunc autem hic dies esse studes, unde ante vesperam quoq; fortasse migrandum tibi est? An te fugit nos in externa atque aliena regione tanquam hospites & advenas versari? An te clam est, ad enas ea esse conditione, ut tum ejiciantur, quum minime id expectant, & opinantur? Id quod nobis in hac quoq; vita usu venit. Ac propterea quicquid extruximus, hic relinquimus. Neq; enim sinit nos Dominus ea nobiscum hinc efferre, sive domos condiderimus, sive prædia emerimus, sive mancipia, sive vasa, sive aliud quidpiam ejusdem generis. Nec vero te dumtaxat minime sinit ea tecum efferre: sed ne mercedem quidem tibi assignat. Prædixit enim tibi ac denuncia it, ne ædifices atq; consumas aliena, sed tua. Quid igitur causæ est, cur relictis tuis, in alienis operam naves, & sumptus facias: ut sic & laborem & mercedem perdas, & extremas pœnas subeas? Ne, quæso, hoc committamus: verum quoniam natura advenæ sumus, animo quoque ac voluntate simus: ne alioqui illic advenæ simus, atque contempti & abjecti.

Nam si cives hic effici in animum induxerimus, nec hic cives erimus, erimus nec illic. Sin autem hic advenæ esse perseveremus, atque ita, ut advenas decet, vitam degamus; civium libertatem ac ĩduciam, & in hac & in futura vita consequemur. Vir quippe justus, etiamsi nullas opes habeat, tamen, & hic, & in omnium bonis, tanquam in suis, versabitur: & ad cœlum profectus, æterna tabernacula sua conspiciet: ac neq; hic injucundi quicquam perpetietur (nec enim quisquam eum, qui terram universam pro civitate sua habeat, exilio mulctare potent,) & patriæ suæ restitutus, veras opes accipiet. Ut igitur, & hujus, & illius vitæ bona lucremur, facultatibus nostris, ut par est, utamur. *Homil. 16, ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: In ventrem quidem, ac temulentiam, & ganeam sumptus faciens nusquam paupertatis meministi: at quum sublevanda cujuspiam paupertas est, quovis egentior existis. Atq; ita affectus es, ut parasitos & assentatores alens, perinde oblecteris, ac si è fontibus sumptus haurires: quum autem pauperem uspiam cernis tum demum tibi paupertatis metus ingruat: Ob eam proinde causam, & à nobis ipsis, & ab aliis tandem condemnabimur, hoc est & ab iis qui virtutis officio functi sunt, & ab iis qui ab eo aberrarunt. Dicturus est enim tibi: Quare in rebus honestis non perinde munificus ac liberalis extitisti: verum ille quidem, quum meretrici daret, nihil horum secum reputabat, tu vero Domino tribuens, qui te anxio & solicito animo esse vetuit; metu ac tremore totus concuteris? Et qua tandem venia dignus esse queas? Nam si homo acceptum beneficium non negligit, verum gratiam rependit: ille utiq; magis Christus gratiam relaturus est. Etenim qui ea benignitate est, ut, ne beneficio quidem ullo accepto, largiatur, an non idem quum acceperit, vicem relaturus est: *Hom. 19. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Ut triticum consitum florentes segetes reddit; ita etiam eleemosyna ingentes justitiæ manipulos efficit, atq; ineffabiles producit segetes. *Homil. 20. ad Corinth 2.*

Chrysostomus: Circumda eas inquit gutturi tuo. Quemadmodum divitum filii decus aureum circa collum gestant, illudq; nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferentes: ita & eleemosynam nobis ipsis circumdemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios qui solem exoriri facit super malos & bonos. *Argum. ad Philippens.*

Chrysostomus: Magnum eleemosyna bonum atq; honorandum est, magnum donum; imo vero magna est bonitas. Si didicerimus pecunias contemnere etiam alia discemus. Vide enim quot hinc existant bona: qui dat eleemosynam quomodo danda est, is discit pecunias contemnere: qui pecuniam contemnere didicit, is malorum radicem excidit. quamobrem non tam facit beneficium, quam accipit. non idcirco solum, quod eleemosynæ constituta est merces ac retributio, verum etiam, quod anima fit philosophica, excelsiq; ac dives. Qui eleemosynam dat, ad hanc disciplinam eruditur, ut pecunias atque aurum minime admiretur: qui vero hac disciplina instituit animum, næ ille præclarum ascendendi in cœlum principium fecit, sexcentasq; pugnæ, contentionis, invidiæ, mœroris occasiones a putavit. Nostis enim profecto, nostis & vos, ex pecuniis mala omnia, ex pecuniis sexcenta bella solere existere. Quamobrem qui illas contemnere didicit: tranquillo in portu seipsum locavit, nec damnum posthac metuit. Ad hanc enim disciplinam illum eleemosyna erudivit: non appetit posthac aliena (quomodo enim cum sua etiam profundat ac donet?) nulla posthac divitiis invidia tangitur, (quomodo enim, cum pauper fieri velit?) ipsumq; animæ oculum ab omni labe purum reddit.

Atq; hæc quidem heic: quorum vero ibi bonorum compos futurus sit, nulla unquam oratio queat exponere: non una cum stultis virginibus foris manebit; sed una cum prudentibus, una cum sponso ipso introibit, splendidas habens lampades. Ita ob hanc ipsam eleemosynam, iis, quæ in virginitate servanda valde laborarunt, lōgo præstabit, expers ipse laborum illorum: tanta est eleemosynæ virtus: alumnos suos magna cum libertate introducit: nota enim est cœli janitoribus, qui sponsi fores custodiunt, nec vero nota solum sed etiam hujusmodi quam revereantur: eosq; à quibus se cultam noverit magna cum libertate introducet, ac nemo contradicet; sed omnes cedunt. Nam si Deum in terram adduxit; idq; ipsi persuasit, ut homo fieret: multo magis hominem in cœlum intromittere poterit. magna est ipsius potentia. Ergo si ex misericordia atq; hominum amore Deus homo factus est, si eo, inquam, adductus est ut servus fieret: multo magis servos in domum introducet suam. Hanc amemus, hanc colamus: non uno aut altero die, sed per omne tempus: ut ipsa nos bene notos habeat. Nam si ea nos noverit, & Dominus noscet: sin ignoret: Dominus etiam ignorabit, ac dicet, Nescio vos. *Argum. ad Philippens.*

Chrysostomus: Non æquale est lucrum quod vos reportatis, atq; illi. Nam vos quidem si dederitis, ea dabitis, quæ paulo post, velitis, nolitis, aliis resignaturi & concessuri estis: at quæ accipitis, permagna sunt, longe inquam, majora. An non hoc animo estis, accipere vos, cum datis. Ego vero, nisi hoc animo estis, ne detis quidem velim; tantum abest, ut pro illis sermonem faciam. Nisi quis antea sibi persuaserit, accipere se magis, quam dare, ingens lucrum facere, beneficio magis affici quam afficere, ille vero ne det: si ita putat, dare, se beneficium accipienti, ne det. Non enim id mihi nunc magnopere curæ est, ut alantur sancti. Nam nisi tu dederis, alius dabit. Quamobrem quod volo hoc est, ut vos peccatis vestris lenem quādam medicinam faciatis. Qui vero hanc in dando rationem non retinet, medicinam non habebit. Non enim dare, sed alacrem dare, sed lætum, sed gratias habentem accipienti: hoc est eleemosynam facere. Inquit enim, Non ex tristitia, aut ex necessitate. & rursus: Hilarem enim datorem diligit Deus. Non det igitur, qui hoc modo hilarem enim datorem diligit Deus. Non det igitur, qui hoc modo non dat. Jactura enim istud est, non eleemosyna. Quare si vobis hoc exploratum est, vos esse, qui quæstum facitis, non illos: exploratū quoq; illud sit, majus etiam lucrum vobis accedere. Nam illis quidem corpus alitur. vobis autem splendescit anima. illis, cum accipiunt, nullum remittitur peccatum: vobis vero multæ offensiones abolentur. communicemus igitur ipsis in laboribus ac certamini-

bus:

bus: ut in magnis quoq; illis præmiis aliquando communicemus. Non defuerunt, qui reges sibi adoptarent, atq; in eo non magis se dare, quam accipere putarent. Tu Christum tibi adopta, tuasq; res in tuto collocabis. *Homil.* 1. *ad Philipp.*

Chrysostomus: Fieri minime potest ut qui in danda eleemosyna singulisq; rebus examinandis diligentiam adhibet, sancto homine aliquando benignè faciat: sed omnium maxime incidit in impostores. Et quo modo istud? ego dicam. Vir pius non hoc affectat ut pius habeatur, neq; hanc sibi personam vult imponere; etiamsi futurum videat, ut despicatui habeatur. Impostor autem, quippe qui rem hanc artis loco habet, eximiæ cujusdam pietatis speciem artificio ad deprehendendum difficillimo præ se fert. Quamobrem fit: ut ille quidem, qui etiam iis, qui non videtur pii, benignè facit, in pios incidat; qui autem eos solos quærit, qui pii existimantur, incidat persæpe in impios. Obsecro igitur ego vos, omnia in simplicitate faciamus. Esto enim, qui ad nos accedit, sit impostor: non tamen jussus es hæc curiosè scrutari. *Homil* 1. *ad Philipp.*

Chrysostomus: Quemadmodum vendentes & ementes inter se communicant, alter ab altero vicissim accipiens, & dans (hoc enim est communicatio,) ita sane & in hac re. Nihil enim, nihil hac negotiatione & mercatura est quæstuosius: nam fit quidem in terra, perficitur autem in cœlo. Et emptores quidem in terra sunt, emunt vero, & paciscuntur ea, quæ in cœlis, terreno deposito pretio. Verum ne desperet quispiam: non sunt cœlestia pecuniis proposita venalia: non illa pecuniæ emunt, sed electio atq; animus hominis pecunias projicientis, sed philosophia, sed superiorem rebus ad hanc vitam pertinentibus esse. sed humanitas, sed misericordia: Cæteroqui, si argento emerentur, quæ duo minuta projecit, nihil sane magnum accepisset: nunc quoniam non argentum, sed electio hanc vim habebat, omnem illa certi animi propensionem afferens, omnia accepit.

Itaque minime dicamus pecuniis venale propositum esse regnũ: non enim pecuniis, sed electioni, ac deliberatæ rationi, quæ per pecunias patefit. Ergo opus est, inquis, divitiis: non divitiis opus est, sed certa voluntate. Si hanc habeas, vel duobus minutis poteris regnum emere: sin minus, neque mille auri talenta tantumdem poterant, ac duo minuta possunt. Cur? quoniam quum multa habens pauciora dedisti, eleemosynam quidem fecisti, sed non tantam, quantam vidua illa. Non enim tantam adhibuisti alacritatem, & animi propensionem, atq; illa. Illa enim omnia sibi abstulit, potius autem non abstulit, sed omnia tibi ipsi donavit: non enim aureo talento regnum pactus est Deus, sed animi propensione, non morte, sed electione: non enim valde magnum est, animam dare. Quid enim est? unum hominem dedit: unus autem homo non par pretium est. *Homil.* 15. *ad Philip.*

Chrysostomus: Eleemosyna non accipientium, sed dantium caussa introducta est: nam illi sunt qui maximum quæstum faciunt. *princ. Homil.* 15. *ad Philipp.*

Chrysostomus: Non pro dolore pauperum hæc dico, sed pro vestra salute, peribunt enim peribunt qui Christum non aluerunt. Qui enim si alis pauperem? sed quamdiu sic luxu & deliciis indulges sunt omnia supervacanea, non enim quæritur multane dederis, sed, cum minus dederis quàm ferant facultates: hoc enim est ludentis. *Homil.* 8. *ad Coloss.*

D. Io. Chrysostomus. Non ex eorum quæ dantur mensura, sed ex vi & potestate, & eorum qui dant instituto & prompta voluntate. judicatur magnitudo eleemosynæ. Ubique enim instituto opus est & libera promptaque voluntate, ubique in Deum charitate. *fine Homil.* 1. *Epist. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Si videris pauperem, ne prætercutras, sed statim cogita quisnam esses, si tu ille esses: Quid non velles omnes facere? Quod, inquit, intelligens, cogita quod est æquè liber atq; tu, & est ejusdem cujus tu communionis, & omnia tibi possidet communia: & sæpe ne par est quidem tuis canibus: sed ille quidem satiantur, hic autem sæpe dormit esuriens: & qui est liber, sæpe tuis servis factus est vilior & abjectior. At illi tibi præstant operam. Quæ nam ea est quam præstant? Bene tibi serviunt. Quid si tibi ostendero hunc longe majorem tibi præstare operam quam illi? Tibi enim aderit in die judicii, & te ab igne eripet. Quid ejusmodi tibi faciunt omnes servi? Quando mortua est Tabitha, quis eam suscitavit? Servi circumsistentes, an mendici? Tu autem ne liberum quidem vis servo parem facere. Est magnum frigus, & jacet pauper pannosus, emortuus stridens dentibus, & qui aspectu & habitu, te potest commoveri. Tu autem calens & ebrius præteris. & quomodo vis ut Deus te eripiat, quando es in calamitate? *Homil.* 11. *ad Hebræos.*

D. Chrysostomus. Non eorum quæ data sunt mensura & quantitate ostenditur magnitudo eleemosynæ, sed ejus qui dat voluntate atq; instituto. Scitis quid fecerit vidua. Tulerunt etiam quidam pilos cum templum construeretur, & ne isti quidem sunt rejecti, Sed si aurum quidem habentes pilos obtulissent, fuissent execrandi, si autem cum hoc solum haberẽt, id obtulerunt, fuerunt accepti. Propterea Cain quoque fuit reprehensus, non quod vilia obtulit, sed quia vilissima omnium quæ habuit. Maledictus, inquit, qui habet masculum, & Deo offert corruptum. Non absolutè dixit, sed qui habet, inquit & parcit. Si quispiam ergo non habet, culpa vacat, imo verò habet mercedem, dum qualiacumq, ejus non æstimantur minoris, quam vituli & aurum. nam quatenus habet quispiam est acceptus, non quatenus non habet. *fine Hom.* 32. *Ep. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Eleemosyna est Deo amica, stat semper & propinqua, pro quibus velit facile petens gratiam, si modo à nobis non ei fiat injuriã. Fit autem injuria, quando eam facimus ex rapina. Quod si sit pura ac sincera, multam dat fiduciam iis qui eam sursum emittunt, & rogat pro iis qui offenderunt. Tantæ sunt ejus vires etiam pro iis qui peccarunt. Ipsa perfringit vincula, solvit tenebras, ignem extinguit, vermem interimit, & expellit stridorem dentium. Ei cum magna securitate aperiuntur portæ cœlorum. Et quomodo ingrediente Regina, nullus ex eis, cui est commissa portarum custodia, audebit examinare quænam sit, & unde, sed omnes eam excipiunt: Ita etiam eleemosynam est enim re vera regina, homines Deo faciens similes. *Hom.* 32. *ad Hebr.*

D. Chrysostomus: Nesciat sinistra tua quid faciat dextra. Quid mille advocas testes? ne servus quidem, si fieri potest, neq; uxor aspiciat. Multæ sunt artes callidi hostis. Sæpe fit ut quæ nunc impedimento fuit, tunc impedire contendat, sive vanitatis, sive alterius cujuslibet perturbationis instinctu. Ergo quantùmlibet quempiam habeamus ut proprium membrum, non illi, nisi summa necessitas sit, aperiamus quid facere velimus. multa enim inde gignuntur incommoda. nam facilè inaniter gloriamur, & aliquo impedimento prohibemur, nisi clam ista fecerimus. *fine Hom.* 14. *ad Tim.* 1.

Chrysostomus: Idcirco nempe pauperes ante fores adstant, ut nemo vacuus ingrediatur, ut misericordia comite securus introeat. Intras ut misericordiam consequaris, prior ipse miserere: qui autem posterior venit, amplius debet. Nam quum cœpimus nos, secundus amplius ponit. Fac tibi debitorem Deum, & ita demum illum exige. Fœnerare primo, tunc repete, ut cum usura recipias. Vult sane ita Deus, nec fœnus solvere renuit. Si cum eleemosyna postules, gratias agit: si cum eleemosyna repetas, fœneraris, usuraq; accipis. Ita obsecro faciamus. Non sola ac simplici extensione manuum exaudimur. Expande manus tuas, non in cœlum modo, verum ad pauperum manus: si ad pauperum manus extendas manum, ipsum cœli cardinem attigisti. Nam qui illic sedet eleemosynam accipit: quod si steriles manus extendas, nihil penitus proficis. Dic enim quæso, si accedẽs ad te rex purpuratus aliquid peteret, nonne prompte & alacriter omnia dares? Non ergo in extensione manuum, neque in verborum multitudine, sed in operis exhibitione nos exaudiri meminerimus. *Homil.* 1. *ad Timoth.* 2.

D. Io. Chrysostomus: Spinæ radix nunquam oleum gignit, sed olivæ tantum. ita nec fit misericordia de rapina. noli eleemosynam sua honestate nudare, noli eam omnium probris exponere. nam si ideo rapis ut eleemosynam facias, nihil est ea miseratione deterius. Quidquid ex rapina provenerit, non est misericordia, immanitas illa est & contumelia, & crudelitas, neq; simpliciter, sed in Deum. Deniq; si Cain, qui deteriora ex suis obtulit, ita offendit, qui aliena offert, quanto magis offendet? Oblatio nihil aliud est quam sacrificium: cumq; sordidis manibus orare non audeas, sordes ipsas atq; immundicias offerens ex rapina, nihil grave esse putas? Ne itaque inspiciamus, quam mundis manib. hostias preceq; offeramus: id potius curemus, ut quæ offerimus munda sint semper. alioquin ridiculam rem faciemus. veluti si quis dilutam diligentius tabulam immundis muneribus impleat, nonne hæc fœda esset irrisio. Sint mundæ manus. non eas aqua solum diluamus, sed justitia prius emundare studeamus. hæc vera mundatio manuum est, quod si pleni injustitiæ simus, quamvis eas millies abluas, nihil inde lucraberis. 2. *ad Timoth. Homil* 6.

Io. Chrysostomus: Fieri omnino nequit, ut ea domus quæ pauperum miseratione fundata sit, mali quippiam patiatur. imò si quid fortè perpessa fuerit, melior eam eventus excipiet, idq; erit familiæ ac domui pro clypeo ac hasta. 2. *ad Tim. Hom.* 7.

Isidorus Peluſiota: Pauperum alimenta non temere ac sine judicio distribuere oportet quibus oportet: verum illud persuasum habere debet is, cui eorum cura & administratio commissa est, quod si quid contra quam opus sit, impensum fuerit, sacrilegii reum seipsum constituit. *lib.* 1. *Epist.* 44.

Isidorus Peluſiota: Pompa, & fastus, atq; inanis gloria, supernum splendorem minimè conciliat: verum mores probi, ac vita honesta & ostentationis expers bonorum communicatio cum iis qui inopia conflictantur. Etenim cum hujus vitæ laudibus beneficii quoq; dati merces una extinguitur. Sin autem quispiam futuram mercedem quærit, ille & nunc primitias accipit, & illic amplum & copiosum præmium refert. *lib.* 1. *Epist.* 197.

Isidorus Peluſiota: Ut ornatus studiosum elegantia vestium decet: ita in te illud Psalmistæ accommodè conferri potest, confundantur iniquè agentes supervacuè. Patefactis enim inanis ac quæstuum faciendorum rationibus, tu quidẽ hoc nomine rationes reddes, aliis autem opes aggeris, quibus quemadmodum & tibi plures cruciatus accumulas. Quocirca si tibi cordi est, & illos, & te ipsum igni eximere, multi te Lazari circundant: In eos pecuniarum flammam excute: & cum his illic refrigerationem ac solatium consequeris. *lib.* 1. *Epist.* 215.

S. Isidorus Peluſiota: Non te solum eã quæ de opibus atque copiis acriter & objurgatoriè scripta sunt, mœrore affecerunt, verum etiam alium ante te, qui ab ipsomet Domino audierat, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cœlo, & veni, sequere me. Quocirca si illius vestigiis insistere cupis, ac facultates tuas ita custodias, ut eas nemini impertias, habes etiam alterum splendidiorem hominem, qui purpura & byssõ vestiebatur, pauperum autem calamitatibus minimè commovebatur. Quem tu imitari cave-

eave: ne te illic socium ac pœnarum consortem accipiat. *lib.* 1. *Epist.* 420.

Isidorus Pelusiota: Si fieri posset, ut opes tuas post discessum è vita tecum asportares, quanquam ne sic quidem pretii cujusquam essent, utpotè à pretiosissimis alterius ævi divitiis obscuratæ, tamen umbram quandam consolationis eæ tibi afferre viderentur. Cum autem id fieri nequeat, possis autem eas, si in eleemosynas insumpseris, in meliorem commutare, quin tu id facis? præsertim cum ne filiorum quidem excusatio, quæ honesti cujusdam prætextus speciem præ se fert, tibi suppetat, nimirum id quod necessitatis est, melius eo esse, quod voluntate animiq; inductione efficitur. Quod si largiri non vis, quin tu saltem, pauperum bona rapiens, erubescis? *lib.* 2. *Epist.* 44.

Idem: Nimirum quod cum eleemosynam singulari quodam amore complecteretur, id tamen studiosè captabat, ut obscura & ignota esset ea benignitas: quod exploratum haberet, eleemosynã in hoc maximè sitam esse. Nam si ostentationis particeps est, ii, qui ea funguntur: non mihi benignitatem exhibere, verum eorum, qui beneficio afficiuntur, calamitates exaggerare videntur, divinumq; opus molestissimo morbo labefactare. Nam dum humani ac liberales vocari cupiunt, aliorum miserias evulgare minime detrectant. At clarus ille vir (nec enim tacere fas est, & item loquendo necesse illud conspicuum fieri, me meritam ipsius laudem minimè consequi) non modo largiendo, sed etiam occultè id faciendo, eos, qui in paupertatis fornace versabantur. velut rore quodam perfusos recreabat. *lib.* 2. *Epist.* 151.

Isidorus Pelusiota: Eleemosynam à probro & cõtumelia puram atq; immunem esse oportet. Nam qui ei hæc adjungunt, fragranti, unguento cœnum admiscent, atq; accipientium animas percutiunt. Quę enim cum probro porriguntur, etiamsi maxima sint, accipientibus minime jucunda sunt, tametsi alioqui necessitate constricti contumelias tacite ferant. Cum autem etiam perexigua sunt, atq; cum contumelia præbentur, intolerandam quandam egentium animis tempestatem pariunt. Nam de iis qui non modo nihil largiuntur, sed etiam pauperes convitiis & maledictis incessunt, ne mentionem quidem facere opus est. Omnem quippe feritatis & crudelitatis immanitatem excesserunt. Eos enim qui ad se, tanquam ad portum, appellunt, pessundant, dum nec ea, quorum penuria laborant, suppeditant, & præterea contumelias adjiciunt. Quo circa pauperib. leniter & placide respondere oportet, ac pro viribus præbere, eleemosynam, tanquam ingenuam quandam & nobilem virginem occultare, ac non omnibus eam propalare. Quod si quis unde supplicis hominis calamitati solatium afferat, non habeat, pacato ac levi animo ipsi respondeat. Est enim: Melior est sermo quam donum: & utrumq; apud virum gratiosum. *Lib.* 2. *Epist.* 214.

Idem: Videris mihi & te ipsum decipere (quod quidem est facilimum) & sacras scripturas falsò ac perperam interpretari. Nam illud, Dare poculum (aquæ) frigidæ, ad eos qui id solum habet, spectat, non ad eos qui divitiis luxuriant, qui vinum quoq; modicum præbere possunt, iis, qui à fame & morbo nuditateq;, velut hostibus quibusdam, obsidetur & oppugnantur. Neque vero mirari debet, si etiam is, qui aquam exhibet, non sine præmio id faciat. Non enim ab ipsa dationis magnitudine vel parvitate, sed ex animi proposito eleemosyna æstimatur, quando quidem etiam sermo approbatione dignus censetur. Ecce enim, inquit, Sermo melior est dono. Sed & hoc dictum est: Utraq; autem sunt penes virum qui pollet gratia: nimirum illum, qui & dare potest. Nam si tantum est id quod datur, quanta copia (dantis) etiam animi propensio & voluntas ejus quæritur. Multi enim reperiuntur, qui de magna copia dent pauca: Et contrà, multi de exiguis facultatibus dant multa. Neque enim tam mensura sive quantitas eorum quæ dantur, quam dantium facultates (& animus) attenditur, & inde judicium sumitur. Quæ causa est, cur vidua quoq; illa, quæ duo minuta inculit (in gazophylacium) omnes etiam qui multa offerebant, longo intervallo post se reliquit. Illi namq; particulam duntaxat (suorum bonorum) offerebant, ipsa verò omnem suam substantiam dedicavit. *lib* 4. *Epist* 118.

Idem: Quoniam per litteras quæsivisti, Qui fieri possit, ut qui eleemosynam exercet, non conspiciatur, ajo, Christum jam animi propositum examinare ejus qui misericordia utitur. Nam quia ab iis, quibus quisq; placere studet, laudem venatur: qui verò placere conatur Deo, ab ipso reportare vult laudem, idcircò hoc dixit. Non enim omnino is qui conspicitur, ideo misericordiæ opus facit ut conspiciatur, sed is demum, qui id operam dat ut videatur, & ob hoc ipsum evulgans arcanum, quod potius tegere atque occultare debebat. Ut ut enim res ipsa neget occultari, tamen ipse qui misericordiam exercet, non debet eam ostentare. Nam qui hoc facit, & accipientes eleemosynam traducit, & suam ipsius mercedem & laudem ebuccinat. *lib.* 4. *Epist.* 227.

¶ Latinorum.

Salvianus: Tanta incredulitas est hominum, & tam gravis infidelium languor animarum, ut cum multi maximas opes heredibus interdum etiam extraneis derelinquant, hoc solum se putant perdere quod pro spe sua dederint ac salute. *præfatione in libr.* 1. *de Avaritia.*

3. *Salvianus:* Nulli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putem, si cum usq; ad mortem flagitiis consenuerit, in obitu bene cuncta dispenset, nisi antea & peccatis renunciaverit, & sordidam illam criminum tunicam lutulentamq; projecerit, & novam conversationis ac sanctimoniæ vestem de manu Apostoli prædicantis acceperit. Alioqui peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantũ facit impossibilitas non voluntas. Qui enim à malis actibus tantum morte recedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus, ac per hoc necessitate excluſus à vitiis, & tunc puto peccat quando ceſſaverit: quia quãtum ad animũ, necdum desiit, qui ad huc velit peccare si possit. Nõ bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte, & ideo se evasurum putat, non quia bonus sed quia dives sit. quasi vero Deus non vitam quærat hominum sed pecuniam, atque à cunctis malorum redimendorum spe male agentibus accipere solos pro criminibus nummos velit, & corruptorum judicum more argentum exigat, ut peccata vendat. non ita est.

Prodesse largitionem plurimum certum est, sed non illis qui ultima futuræ largitionis spe male vivunt, qui fiducia redimendæ immunditatis scelera committunt: sed illis quidem cepti vel lubrico ætatis, vel nubilo erroris vel vitio ignorantiæ, vel postremo lapsu fragilitatis humanę, resipiscere tandem quasi post modum gravissimæ infirmitatis, aut quasi post fluctum turbatæ mentis incipiunt: & sicut ad sensum suũ insani homines post furorem, sic isti redeunt post errorem, in uno tantummodo à se dispares, quod illi gaudent postquam evaserint ægritudinẽ . . ; isti plangant postquam acceperint sanitatem, nec immeritò. illi enim tanto plus gratulãtur quanto plus incolumitatis indeptos esse se sentiunt: isti tanto plus confunduntur, quanto evidentius morbum sui erroris agnoscunt. quo fiat necesse est, ut illi exultent, & isti lugeant: quia illi quod ægrotarunt, imputant valetudini, isti quod erraverint, sibi: ac sic illi læti sunt de remedio, & isti anxii de reatu.

Unde admoneo cum omnes tum præcipue eos quos gravius delictorum terror exagitat, & in quibus infelicior conscientia peccatorum pœnalium recordatione suspirat, primum, ut licet lapsi sint, non commorẽtur in lapsu, nec in volutabris suis sordentium suum more versentur, qui cum æstuantes alvos cœno immerserint, nequaquam sordidis voluptatibus satisfaciunt, nisi tota penitus luto membra convolvant. non ergo horum sequantur illuviem, nec male blandis lapsibus acquiescant, aut in barathro libidinum commorantes in ipsis se sepeliant ruinis suis: sed illico ut concidere consurgant, & elevationem protinus meditentur in lapsu: ac si fieri ullo modo pernicitate pœnitudinis potest, tam velox sit remedium resurgentis, ut vix possit vestigium apparere collapsi. Ergo in hujusmodi caussis hoc primum medelæ opus est, ut morbos suos languentes horreant, curare plagas festinent saucii, & illico è corporibus sagittas rapiant vulnerati. Optime enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur, & citius sibi plagarum caro sociatur quæ non diu hiare permittitur. ulcus enim si computruerit dilatatur, & si plagas cancroma sequitur cancrum necesse est consequatur occasus. Quod si aut tanta vis morbi, aut tanta ægror. in curia, ut valetudinis labem usque ad dies ultimos trahant, quid dicam nescio, quid promittam penitus ignoro. Revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes durum & impium; spondere autem aliquid in tam sera curatione temerarium. sed melius tamen absq; dubio, quamvis diuturna paralysi aridas manus aliquo tamen nisu ad cœlum erigi, quam lethali penitus desperatione dissolvi. melius est nihil inexpertũ relinquere q. nolle curare: maximè quia nescio, an in extremis aliquid tentare medicina sit, certe nihil tentare perditio. & unum scio, quod quicunq; in hanc miseriam longi languoris extrema perduxerit, ineffabile dictu est quantum lamentationis erroribus suis debeat, quia nunquam errata cognovit. Et quid inter hæc fiet? quando lugebit qui dies lugendi perdidit? quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit. Ad jejunia videlicet longa confugiet. est quidem hoc aliquid, sed eleemosynis miscentur, secundum illud; bonum est jejunium cum eleemosyna.

Sed quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur in extremis sito? Cilicio carnes conteret, favilla ac cinere sordidabit: ut mollitiem videlicet præteritę voluptatis, præsentium asperitatum duritie compenset, & reatum longar. deliciarum officio patrocinantis solvat injuriæ. Sed quando hæc tam grandia faciet vicino jam exitu etiam a mediocrium actione disclusus? Cruribus denique diversarum ærumnarum reum in suo corpore hominem index fidei veritas subjugabit, ut indulgentiam scilicet absolutionis ab æternis, præsentis pœnæ ambitione mereatur. Sed fatiscente jam corpore, ubi exercebit districtionis officium censor animus? uti enim severitatis arbitrio judex non potest, quando reus jam sustinet judicari. Unum ergo est, quod amissis omnibus adjumentis, atque subsidiis, perfugium nutanti ac destituto opitulari queat, ut confugiat scilicet, juxta consilium Danielis ad misericordiam Dei, & injustitias suas redimat in miserationes pauperum. utatur medicamento Regi oblato ad sua vulnera, vereatur contumaciæ inobedientis exemplum: cogitet quod ipse sit passurus in morte, cum videat quid rex Assyrius pertulerit in vita, qui seipsum vivus amisit.

Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam; sed offerat cum compunctione, cum lachrimis, offerat cum dolore, cum luctu: aliter quippe oblata non prosunt, quia non pretio sed affectu placent. nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data, nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. Neque enim homo Deo præstat beneficium, sed Deus in his homini

quæ

quæ acceperit; homo, inquam, non suum reddit; Dominus suum recipit. Itaq; offerat homo non præsumptione donantis, sed humilitate solventis; nec absolvere se peccata sua credat, sed alleviare, nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cũ supplicationis officio nec quasi totum debitum reddens, sed vel parvum de magno reddere cupiens; quia etsi tradat quod habet pro modo rerum, nõ reddit quod debet pro magnitudine peccatorum. Dicet aliquis, Totũ Deo oblaturus est quod habet? non offeret totum, si non putat se debere totum. non quæro cujus sit quod offertur, quæro à quo sit acceptum ante quod reddit. hoc dico solum, ne offerat totum, si debere se totum non putat pro reatu. Totum ergo oblaturus est? imo nihil, si non cum fide, si non cum ambitu, si non cum prece, imo nihil, si non hoc animo, ut hoc ipsum inter præcipua Dei beneficia reputet, quod animum offerendi dedit, & plus sibi in his quæ Deo relinquit, præstari æstimet, quam in illis quæ prius habuit, quia hoc quod habetur ab homine temporarium est, quod à Deo relinquitur sempiternum. &c. *lib. 1. contra avaritiam.*

Idem: Noli tantum Deo relinquere quantum: si peccatis tuis necessarium non putas quantum habes. æstima diligentissimè culpas quas admisisti, æstima peccatorũ diversitates: vide quid pro mendaciis debeas; quid pro maledictis ac perjurijs; quid pro negligentiis cogitationum, quid pro impuritate sermonum, quid pro omni denique malæ voluntatis affectu. adde postremo etiam si aliqua de his intra conscientiam tuam sunt de quibus Apostolus dicit, adulteria, fornicationes, impudicitiæ, ebrietates, immunditia Deo exosa, avaritia idololatriæ famula; & post hæc aliqua forte crimina etiã de humani sanguinis effusione contracta: cumq; omnium supputaveris numerum, expende pretia singulorum, & post hæc non quæro, ut pro peccatis Deo tradas quod habes: hoc solum redde quod debes, si potes æstimare quod debeas. addo præter hæc, quod cum tractaveris delicta tua ac taxaveris, tanto plus pro malis tuis debebis, quanto peccata tua vilius æstimaveris. *circa extremum ejusdem lib.*

S. Salvianus: Primum ac sal liberrimum religionis officium esse duco, ut Christianus dives, dum in hac vita est, divitias mundi hujus pro Dei nomine & honore consumat: secundum autem ut si id vel metu vel infirmitate, vel necessitate aliqua forte non fecerit, saltem moriens universa dispenset, &c. *libro tertio contra avaritiam.*

S. Salvianus: Si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam, si cupis videre dies bonos; relinque substantiam tuam indigentibus, sanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus: sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, & illorum refrigeria præmia tua sint, ut illorum refectio te reficiat? Si enim illi de tuo edent, tu saturaberis, si de tuo bibent, sitis tuæ æstum ardoremq; restringues: te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit. Non ergo vile ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris atq; egentib. derelinquas: Christum in illis facies hæredem, & hæreditatis emolumenta percipies: quæcunq; enim Christo relinqueres per Christum omnia possidebis. *lib. 4. contra avaritiam.*

Chrysologus: Quam securus dormit, qui deum suorum meruit habere custodem: quam nescit curas: quam deponit angores: quã non est anxius: quam servorum caret fastu, qui sua patri servanda committit. Quomodo paterna servat affectio, timor non potest sic servare servilis: pater cum dat sua filiis, non minuit commendata filiorum. Quid sit pater nescit: nescit se filium, qui non credit patri. Tineam non excludunt claustra, sed claudunt, & generant, non repellunt: rubiginem nutriunt servata, non vitant: quia quod de re nascitur, non vitatur. Ubi est necessitas, fures deesse non possunt. Qui ergo inter tineas, rubiginem, fures, sua ponit: exponit quæ sua sunt, non reponit. Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, de necessitate fures nascuntur: ita de divitiis avaritia, cupiditas de questu, de habendo habendi ardor acquiritur. Qui ergo vult avaritiam vincere, divitias proroget, non reponat. Præmittamus fratres thesauros nostros in cœlum: sint nectores pauperes, qui possunt sinu suo quę nostra sunt ad superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum tuta est ista translectio, per quam nostra ad Deum deo fide jussore portantur. *Serm. 7. sub finem.*

Chrysologus: Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum. Est jejunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarũ disciplina. Est jejunium ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Est jejunium invictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas jejunii sunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cœlum, sine quibus jacet, & volutatur in terra. Jejunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis, sine pietate jejunium occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis, quia parcitas ista quantum siccatur in corpore, tantum tumescit in sæculo. Jejunium sine misericordia non est veritas, sed figura, ubi autem misericordia, ibi & veritas probante Propheta cum dicit, Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Jejunium sine misericordia non est virtus, sed hypocrisis, dicente domino, Vos autem cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut videantur ab hominibus jejunantes. Qui non jejunat pauperi, Deo fingit, qui jejunans prandium suum non erogat, sed reponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo. Jejunantes ergo fratres prandium nostrum reponamus in manu pauperis, ut servet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Manus pauperis Abrahæ sinus est, ubi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus celi est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum. Thesaurizate, inquit, vobis thesauros in cœlo. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis. habebit alter. *Serm. 8. m.*

Chrysologus: Homo, si in paupere Deo fœneras, testes homines non requiras. fides arbitros non requirit. De accipientis fide disputat, qui sine mediatoribus nil dat. Qui credita diffamaturi verecundia in creditorum. Ergo homo daturus Deo, da secreto ut quod dederis, non sit oneris sed honoris. Ob hoc ad te venit tuus dictator in paupere, ut cum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares. *serm. 9.*

Chrysologus: Elatis eleemosyna hostilis est, non civilis, non misericordiæ dedita, sed clamori: seditionis vernula, non alumna pietatis: ostentationis nundinatio, non commercium charitatis. Eleemosynam quisquis ostentat, insultat. Notat Christus eleemosynam in conventu, in plateis, in triviis, non impensam ad levamen pauperum, sed hominum propositam ad favorem, ut probentur misericordiam vendere, non donare. Fugienda est hypocrisis, fugienda fratres, quæ captiva gloriæ verecundiam pauperum non relevat, sed fatigat: quæ de gemitu inopis pompam suæ gloriationis inquirit, quæ suam laudem dilatat pauperis ex dolore, quæ de miseria petentis famã suæ ostentationis expandit. Sed dicit aliquis, Ergo in conventu, in plateis, in triviis, neganda est misericordia? non præbendus est victus? Plane, & in omni loco, & in omni tempore facienda est misericordia, præbendus est victus, nuditas est tegenda: sed sic quomodo docuit misericordiæ author, ut misericordia non terræ sit nota, sed cœlo: non hominibus insinuata, sed Deo. In plateis, in triviis suum pietas habet secretum: è contra platea, trivium est, cum in secreto facit hypocrita nil secretum: Fratres, Deus monendo sic vota culpat, non loca: sensum, non opera studium, non datorem arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famam: judicat non ubi facias, quando facias, sed qualiter facias: quia Deus de cordibus, non de manibus facta metitur: & de sensu, non de locis operum colligit qualitatem. Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solius est misericordiæ, & remunerator, & testis. *Sermone 9. m.*

Chrysologus: O quid agit amor pauperis! Gloriatur in cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi quod pauperi computatur injuria. Dixisse sufficerat: dedistis mihi potum, sed præmittit, Esurivi, sitivi: quia parvus fuisset amor pauperis quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset. *Serm. 14. m.*

Chrysologus: In die mala liberabit eum dominus. Qui se novit per mala sæculi vitam ducere, eleemosynæ semper secum auxiliũ ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet, in pastu pauperum, largus prorogater exuberet, pauperum frequẽter domum, non trepidet erogando; deficere nescit cui porrigit manum parcus acceptor exhauriri thesaurus is non potest, de quo sufficit nummus. In die mala liberabit eum dominus. In die mala illi Deus liberator assistet, quia à malis pauperem liberarit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cum clamaret, audivit: non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui diem judicii sine advocatione paupertatis intraverit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. Dominus, ait, cõservet eum & vivificet eum. Non dixit, conservat & vivificat: sed dixit, conservet & vivificet. Dixit, non ut denunciantis vox sit ista, sed rogantis. Qui audivit rogantem egenum, ecce audit orbe toto pro se ecclesiã sic rogantem. Dominus conservet eum & vivificet eum. Conservet, ne rapiatur ad pœnam: vivificet, ut resurgat à mortuis, & recipiat vitam. Et non tradat eum in manu inimici ejus. Cujus inimici? nempe diaboli ipse est inimicitiarum princeps: despicit inimicos, qui ipsum inimicitiarum calcarit authorem. Dominus autem adjuvet eum super lectum doloris ejus. Exequitur propheta omnes ærumnas fragilitatis humanæ. Dominus autem adjuvet eum super lectum doloris ejus. Quis est lectus doloris nostri, nisi corpus nostrum? in quo anima jacet, & jacet dolens, & dolet, quæ cœlum repetere cupiens premitur corporis terra. *Serm. 14. m.*

Chrysologus: Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse jejunio: quando jejunium ex misericordia vivit, tunc vivificat jejunantem. Jejunium virtutum navis portat quæstum vitæ: lucrũ salutis advectat. Sed qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum trãsit, præterit littora passionum: misi cito portum pietatis intraverit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Qui se stare novit in huius vitæ lubrico, qui se intelligit carnis viam transire per lapsum, qui se sentit incursionibus ignorantiæ, negligentiæ casibus subjacere: sic jejunium teneat, ut misericordiam non relinquat. Jejuniũ nobis aperit cœlum, jejuniũ nos intromittit ad Deum, sed nisi tunc affuerit nobis misericordia nostrarum patrona causarum, qui de innocentia constare non possumus, securi de venia non erimus. *serm. 41. m.*

Chryso-

Chrysologus: Deus regnum suum fragmento panis vendit quis excusare poterit non emente..., quem tanta vilitas venditionis accusat? *Serm. 41. f.*

Chrysologus: Homo, dando pauperi, das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter, tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis. *Serm. 41 f*

Chrysologus: Quis militans non ad patriā mittit, quicquid bellico sudore cōquirit, ut adolescentiæ labores senectus delicios cōpenset? Et Christianus cui militare est id quod vivit in sæculo, quomodo nō cogitat ut pericula terrena otiis cœlestib. consoletur? *Ser. 54. ante fi.*

Chrysologus: Vigila ergo dives in opere bono, in malo dormi: ut non sit manus tua pauperi vacua, ut tibi plena sit semper. Quia dives quantum largiter profundit, tantum largitur redundat in rebus. Esto ergo dives in misericordia, si semper esse vis dives: & tunc erunt horrea tua majora, tunc plena, si non fuerint largitate vacua, cupiditate inclusa. *Serm. 104. fine.*

Chrysologus: Ne dicat homo, non habet manus mea quod det pauperi: det ipsam manum pauperi, & plus erit manum pauperi dedisse, quam nummum, iter præbuisse pauperi, quam panis dedisse fragmentum. *Serm. 175. m.*

S. Valerianus: Quid juvat differri miserum, si abundantia suppetit facultatum? Ubi vides hominē statim posse benefacere, & eleemosynam procrastinata humanitate differre, solam ibi voluntatem intelligis defuisse. & paullo post: Studendum nobis est misericordiæ, ne cum venerit Dominus cœli ac terræ, inter cæteros animæ errores, pauperū nobis nuditates opponat, & oculis nostris infelicitates ingerat miserorū. Nemo ergo despiciat nudum, nemo conturbet aspero ore mendicū. hæc est inter omnia placita Deo hostia, hic otiosa lutarium officiorū, ut miseris in necessitate subvenias, & ne in infidelitatis notam incidas, compos voti fide tuæ promissionis absolvas.

S. Valerianus. Quid est quod in faciendis eleemosynis non est cujusquam excipienda persona, nec habendum electionis judicium? quia res quæ necessitati servit, erogationis ordinem nō requirit. Quid autem tibi opus quærere est, utrum Christianus an Judæus, utrum hæreticus an gentilis, utrum Romanus an barbarus, utrum liber an servus sit ille qui postulat? ubi incumbit necessitas, non opus est ut personam discutias, ne cum indignos misericordia segregas, Dei filium pariter amittas. unde autem scire possumus, in qua parte terrarum habitet Christus? ubiq; credendus est esse, qui totum noscitur possidere. *Serm. 7.*

S. Valerius. Non est otiosum quod omnibus petentibus eleemosynā Dominus dare jubet, sciebat necessario aliquoties inter bonos etiam malos latere; atq; ideo bonos malosq; commiscuit, ne cum indignos erogatio nimium cauta præteriret, etiā dignus indonatus abscederet. Nulla est discretio postulantis, nec est necessitas explorāda pauperis. dantis non accipientis fructus quærunter. non interest cui petenti eroges, non enim requirit Dominus utrum mereatur ille qui postulat, sed quærit quantum præstet qui donat. Profecto nobis præstamus, quotiescumq; miseris subvenimus. lucrum nostrum est, nostrarū erogatio facultatum. nam si respicias ad spem futura retributionis, fœnori traditur quidquid esurientibus ministratur. *& post aliqua multa*: Ecce hic jejunis faucibus pastum requirit: ille miserabile vestimentum deesse sibi in nuditate testatur. Satis crudelis est & nimirum durus, quem non tangit dolor, cum partem corporis sui aut debilitas aut nuditas aut paupertas stimulat. Parum profectō sibi prospicit, qui non cautiæ alienæ necessitatis intendit.

Nil tibi prosunt divitiæ tuæ, si divitiarum beneficiis non uteris. nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. Nescis quod non recipit fructū qui cumq; non seminat? hæc est igitur exercendæ culturæ ratio, ut quanto plus homo seminum terræ commendat, tanto futuris messibus spes major deferatur. qui non seminat, otiosis manibus alios merentes spectat. nam qui interseminat, otiosis manibus alios merentes spectat. nam qui inter cæteros agricolas plus laboraverit, plus reponet. Quando autem fieri potest, ut horrea sua vacua respiciat qui semina multiplicato jugiter sulco terræ commiserit? Quid tibi prodest congestis incubare divitiis si de his nullum lucrum capis? Videmus deniq; frequenter in veteratam frugum massam vetustate consumi, & viriata temporibus vina nullis in posterum usibus profutura jactari. Illud solum aliquoties domino magis intelligimus profuisse, quid renovandi gratia solet agricola indigentibus cōmodare. Quidquid autem avaritia servaverit, aut ætas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. hoc solum sibi homo reponit, quidquid miserationis causſa expenderit. Prævideamus ergo ne facultates nostras vermis avaritiæ exterminet. præmittamus illic opus nostras, ubi nullus fur irruat, nullus insidiator incendat. commendemus divitias cœlo. *Homil. 8 post medium.*

S. Valerianus Invenimus frequenter hominem, qui cum esurienti semel dederit, mandatum se persolvisse credit. at non unius diei pastu deficientes fame artus refecisse sufficit. sine causſa una die bonus est, qui altera descendit ingratus. nam præcedentis misericordię beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donavit. ille autem apud Dominum integros misericordiæ fructus præmittit, à quo pauper nunquam tristis abscedit. Jugi medicamine opus est medico, ut gemitus alieni doloris excludat: qua infirmitas quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. Sed nec minore curā nobis providendum, ut abundantibus eleemosynis curemus, si quid in nobis cruentum, si quid est sordidum. non enim statim sanantur vulnera quæ semel laveris. Sæpe excisi corporis medicina repetenda est. Nemo autem sibi putet perire, quod pauperibus donaverit. nam sicut mendicitas inhumanitatem sequitur, ita opulentia humanitatis studio comparatur. *Homil. 9.*

S. Valerianus: Nihil est tutius quam in ore pauperum partem recondere facultatum. *Serm. 13. fine.*

Ennodius: Eleemosynis sine retractatione operā dans, quod munus, accipientibus vultu & animo blandissimo cōmendabit: ita ut cui umq; sermonis solius gratiam præstitisset, nequaquam se indonatum putaret abscedere. erat enim summum præmium talem sabbatem vidisse Pontificem. *de Epiphanio cap 22. f.*

Basilius Imp. Limitem mortis etiam movet Eleemosyna, secundum id quid vulgo fertur, vitam quoq; posse emi pecunia: quoniam se muneribus concuti interdum patitur Deus, ad vitam & salutē nobis indignis concedendam. Divitias ergo caducas super terram spargens, immortales tibi coacervas in cœlo: ita tamen ut nihilominus etiam terrenas hic insuper acquiras. Siquidem inexhaustus est beneficentiæ thesaurus: dum enim spargitur, colligitur: & dum donatur, recipitur: neque solum eos qui illum possident, facit hic opulentos, sed illic etiam beatos. *cap. 5.*

Basilius Imp. Largire copiosè misericordiæ stipem egentibus, ut ipse tibi misericordiam allicias à Rege universorum Deo. nam in eo præcipuè versatur pietas, si tua non habentibus benignè impertiaris. Eum ergo tibi diem periisse existimato, in quo neminī benefeceris. Eum ergo tibi diem periisse existimato, in quo neminī benefeceris, pro beneficiis, quæ à Deo illo die acceperis. Exerce igitur eleemosynam liberaliter, ut eam vicissim à Deo recipias. Præbe aures tuas acclives supplicum precibus: & vultu hilari anteverte eorū supplicationes: misereré lachrymarum viduæ, & gemitus orphanorum: cave eos repellas: quæ enim fecerimus, eadem & patiemur: & sicut audiemus, ita & audiemur: & sicut videbimus, ita & videbimur. Qualem ergo precaris habere Deū erga te, talis ipse sis erga subditos tuos: qua enim mensurā mensus fueris, eadem reponetur tibi. *cap 37.*

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Salomon: Eleemosynæ encomia apud Salomonē, hæc sunt. *Beata est. Prov. 14. 21. 22 & 16 6. delet iniquitatem, Prov. 16 4. auget divitias, Prov. 11. 24. 25. Exhortationes ad eam, Prov. 21. 13. & 22. 9 & 28. 27. & 19. 17. Eccles. 11. 1 2.*

Iesus Christus Dominus noster: Quum dabis eleemosynam, inquit, ne curato buccina cani coram te, sicut hypocritæ faciūt in synagogis & in plateis, ut gloriam consequantur ab hominibus. Amen dico vobis eos præceptam habere mercedem suam. Quum vero tu das eleemosynam, ne noverit sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit tua eleemosyna in occulto, Pater autem tuus qui aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo. *Matth. 6. 2 3. 4.*

Idem: Vendite, inquit discipulis suis, bona vestra, & date eleemosynam. Parate vobis crumenas quæ non veterascunt, thesaurum in cœlis qui nunquam deficiat, quo fur non appropinquat, & ubi tinea non corrumpit. Ubi enim thesaurus vester, illic erit & cor vestrum. *Luc. 12. 33 34.*

Idem: Intuitus divites mittentes dona sua in gazophilacium, vidit etiam quandam viduam pauperculam mittentem illuc minuta aureola duo. Et dixit, Vere dico vobis, vidua hæc pauper misit amplius quam omnes. Nam omnes hi ex eo quod ipsis redundat, miserunt quæ donarent Deo: hæc autem misit ex penuria sua totum victum quem habebat. *Luc. 21. 1. 2. &c.*

D. Paulus Apostolus: Illud dico, inquit, Qui parcè serit, parcè etiam metet. 2. *Corinth 9. 6.*

Ne falleminī: Deus non irridetur: quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet. Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum, qui vero seminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam. Porro, ne benefaciendo segnescamus: tempore enim suo metemus, si non elanguerimus. Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maxime vero erga domesticos fidei. *Galat. 6 7. &c.*

Beneficentiæ & communicationis ne obliviscemini: talibus enim victimis delectatur Deus. *Hebr. 13. 16.*

Chrysostomus. Olympias diaconissa Constantinopolitana cum multarum facultatum domina esset, primum quidem, prout sors tulit, petentibus eas distribuit. Quum vero eam sic facere Chrysostomus videret, Consilium sane, inquit, & institutum tuum, o mulier, de vanis hisce mundi rebus admiror. At dispensandi largiendique modum tenere eum oportet, qui ad perfectæ virtutis fastigium contendit. Ac tū quidem, quæ habentibus substantiam tuam tribuis, mari ipsi aquam inferre & mutuam dare videris. Illud autem te maxime spectare decet, quandoquidem tua sponte Deo ipsi bonis tuis cessisti, & domino possessionique pecuniarum renunciasti, ut eas de cætero veluti divini juris factas, rectius majore cum æquitate dispenses, obnoxiamq; te rationi reddendæ, si quid de eis præter rationem factum fuerit esse scias. Itaque liberalitatem, si mihi obsequeris, potentium indigentia metieris. Plures enim hoc modo abundabunt, & misericordiam simul & dispensationis curam, quam in divina pecunia consectari convenit, conservabis, compensationemq; & gratiam consequentem consequeris. *Niceph. eccl. hist. lib. 13. cap. 24. & Sozomeno, lib. 8 cap. 9.*

Atticus: Calliopio Ecclesiæ Nicenæ presbytero Atticus episcopus misit trecentos aureos, simulq; litteras dedit in hanc sententiam. Calliopio Atticus in Domino salutem. Certior equidē factus sum, inopes in vestra urbe fame opprimi, piorumq; egere eleemosyna.

Cum infinitos dico, intelligo multitudinem, cujus certum numerum ostendere nequeo. Quoniam igitur numerum pecuniæ ipse ab eo accepi, qui divitias large & quasi plena manu, eis qui eas probe administrant, suppeditat: usuq; venit ut nonnulli egestate præmantur, quo alii qui opes habent, easq; minime istis largiuntur, penitus explorati sint: tu frater charissime, istos trecentos aureos à me accipe, eosq; in pauperes, uti volueris, impende. Velis autem in eos conferre, non qui ventris causa quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt. Neq; in hac officii parte ullam sectæ aut religionis cujusquam rationem ducas, neque porro respectum ad eos, qui à nobis in fidei sententia dissentiunt, habeas: sed in illud unum incumbas, ut qui fame cruciantur, eos alimentis subleves. *Socrat. hist. eccl. lib. 7. cap. 25.*

Anonymus: Ex fratrib. quidam unicum Evangelii librum in bonis suis habuit: quo & ipso vendito precium ejus ad esurientium alimenta dedit, memoria digno verbo illo addito: Librum vēdidi propter illud oraculum quod dicit, Vende ea quæ habes, & da pauperibus. *Niceph. eccl. hist. lib. 11. cap. 43.*

Ioannes patriarcha Alexandrinus: Is pauperes Dominos suos appellare solebat. Cum vero à divite quodam vile ac sordidum grabatuli illius tormentum miserante, plumeam culcitrā dono missam accepisset: ubi primum ea substrata cubavit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se jacere quam Dominos suos. Cumq; illuxisset, culcitram venundari, pecuniam pauperibus erogari mandavit. At dives ille ab emptore redemtam, iterum misit ad Joannem, precatus ne munus suum ultra venale haberet, sed eo ipse frui vellet. At nullo modo Joannes tenere se potuit, quin rursum itidem faceret, ut prius. Dives autem jam secundo recuperatam eidem referri jussit: videbimus (dicens) uter nostrum citius defatigabitur, tu vendendo, an ego redimendo. Ille modesto admodum risu excipiens, Deo gratias ago, inquit, quod inituri sumus certamen, diviti salubre, pauperi commodum, mihi jucundum. Itaque quoties id muneris missum sibi accepit, toties vendendum curavit. *Marullus. lib. 1. cap. 2.*

Idem: Cum aliquando mendico sibi obviam facto, sex numos dispensatoreni dare jussisset: ille acceptis divertit paululum de via, & progredientium prævertens vestigia, gestu habituq; alium mentitus, alios sex, non quia non agnosceretur accepit: quod icil. talem nactus fuerat datorem, qui etiam deprehensa fraude manum posceenti subtrahere nesciret. Et jam tertio pari astu uso, cum patriarcha duplicatam pecuniam numerari præcepisset, succlamare dispensator in malitiam hominis cœpit. Conversus vero Joannes, Tace (inquit) fili: nam fortasse hic Dominus noster est Jesus Christus, periculum nostri faciens, an tandem offensi crebris repetitionibus, cessaturi simus misereri. Hic quia maximè in dando propensi animi erat, cognomento Eleemosynarius dictus est. *Ibidem.*

Tiberius III. Imperator Christianus: Quum ab initio palatium gubernaret, & diligentissimè provincias curaret, quoniam justus, sapiens, strenuus, & utilis Reipub. erat, omnium commeruit favorem liberalitate & munificentia sua. Nam quicquid longa avaritia Justinus II. contraxerat, Tiberius egentibus largitus, largissimas pauperibus erogavit eleemosynas. Eam ob rem à Sophia Justini uxore aliquando objurgatus: Confido (ait) in Domino, nec deerit pecunia fisco nostro, modo pauperes eleemosynas accipiant, & captivi redimantur. Hi enim sunt thesauri illi nullis obnoxii periculis, quos ipse Dominus (Matth. 6.) colligere jubet. Item, aurum cum lachrymis & querelis subditorum collectum, reique oblatum, adulterinum & venenosum esse dicebat. *Evagrius lib. 5. cap. 13 Paulus Diaconus lib. 17. rerum Rom.*

Pambo: Pambo, monachus Ægyptius, cuidam aureum ad pauperes alendos ei largienti, dicentiq; Numera quod dedi, respondit, Non opus esse numero, sed animo sano rectoq; composito. *Socrat. hist. Eccl. lib. 4. cap. 18.*

Rembertus Episcopus: Xenodochium Bremæ, quod ad sustentationem pauperum ab Ansgario est institutum, Rembertus insigniter auxit: & non modo in suo episcopatu, sed ubicunque erant pauperes, alimoniam illis cum omni vigilantia curavit exhuberi, nobile posteris verbum exhortationis relinquens, Non est, inquit, hæsitandum cunctis subvenire pauperibus: quia in quo sit Christus, seu quando ad nos venit ignoramus. *Alb. Crantzius metropol. lib. 2. cap 11.*

Germanus Episcopus: Divus Germanus Episcopus, quum eleemosynam oraretur, Diaconum dispensatorem suum, quodcunque pecuniarū esset, in pauperes petentes erogare jussit. Diacono autem numorum inopiam causanti, Pauperes, inquit, suos pascit Deus: tu vero, quod habes, pauperibus distribuito. Diaconus è tribus aureis duos erogavit, ut futuræ prospiceret necessitati. Paulo post quidam equites Germano dant ducentos numos. Ergo ad diaconum conversus, Accipe, inquit, quæ traduntur, & recognosce te fraudem fecisse pauperibus: quando, si quicquid tibi erat, inopibus erogasses, remunerator noster trecentos numos hodie reddidisset. Contremuit ille conspicatus clandestinam suam culpam virum sanctissimum latere nequivisse. *Bonfinius lib. 4. hist. Hungar. Decad. 1.*

Iesus Christus: Ad ELEEMOSYNAM trāsitum facimus, quæ ardentium criminum globos bene volentiæ suæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum. Hujus autem præstantiam dignitatemq; paucissimis verbis expressit SALVATOR, dum ad prandium vocatus à Pharisæo, accubuisset: ac intra se reputans Pharisæus diceret, quare non esset baptizatus ante prandium, reprimēs eum in insulsam ejus intentionem mentemq; Dominus, tandem subdidit: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Ita olim pauperum pater Tobias: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. *Luc. cap. 11.*

Zachæus Publicanus: Hæc cum ita sint, quis non excusso tenacis avaritiæ compede ad liberalitatē gradum feret, & de iis saltem quæ suæ superfunt necessitati, aliorum indulgebit inopiæ ZACHÆUS publicanorum princeps, & ipse dives, ante Dominum cōstitutus: *Ecce* ait, *dimidium bonorum meorum do pauperibus.* vere dignus, cujus domui salus facta est à Domino. *Luc. cap. 16.*

Serapion Monachus: Neque hic immemor divinæ promissionis, Qui pronus est ad misericordiā, benedicetur. Cum enim præter tunicam, pallium, & codicem Evangeliorum haberet nihil, duobus pauperib. factus obvius, alteri pallium, alteri tunicā obtulit. cumq; jam nudus sederet, interrogatus, Quis te spoliavit? protento codice quem sub alis gestabat: *Hic*, inquit, *me nudavit.* Alios postmodum conspicatus mendicantes, codicem vendidit, pretiumq; illis distribuit, dicens: *Domini verbum est: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* quod necdum se impleviisse putabat, donec seipsum postmodum in servum venderet Gentilibus, ut eos ita Domino lucraretur, Verè pius ac misericors SERAPION, & merito Seraphicis ordinibus post mortem adscribi dignus. *Pallad. in Vitis PP.*

S. Laurentius Martyr. A Decio tyranno quæstione agitatus, ut argentum indicaret quod Philippum Philippi Augusti filium olim Ecclesiæ obtulisse constabat, protensu in pauperes manu, quibus illud jamdudum erogaverat: *Apud hos*, inquit, *Philippi argentum depositum servatur.* At Decius illudi sibi putavit, qui ubi veræ divitiæ veraque gloria esset, ignoravit. *Ambros. Off. lib. 2. Prudent. Peristeph.*

S. Ioannes Patriarcha Alexandrinus: Quid autem de illo dicam? cui in pauperes innata liberalitas & beneficentia, Eleemosynarii nomen peperere. Ministris enim conquerentibus, quod iis qui peterent eleemosynas, intermiscerent se puellæ quædam compti ac ornatæ, rogarentq; num illis quidpiam dari velletille in omnes æquè benevolus: *Sī*, inquit, *discipuli ac distributores mei & Christi esse vultis, parete divino ejus jussui, qui jubet dari petentibus.* Quod est contra illos qui nimium curiosè inquirunt de vita & statu mendicantium, ut eis quidquam elargiantur. *Sur. com. 1. in Vita.*

Idem: Quin & de eodem illo posteritati relictum, quod, dum in ærarium publicum Reipub. necessitatibus sublevandis referre juberetur, quidquid in pauperum usus indies erogabat, responderit: *Iustum non est, ut qui cœlesti Regi sunt cōsecrata, terreno prodantur.* *Ibidem.*

S. Ludovicus Francorum Rex. Neq; obscurum benignæ liberalitatis exemplar iste. ut enim erat genere, ita & largitate vitæq; innocentia clarissimus: nam quocumq, locorum se conferebat, centū & viginti (duplicato a. numero tēpore quadragesimali) pauperes per singulos dies cibis regiis alebat. quibus etiam, maximè solennibus diebus, ministri & pincernæ officium exhibebat. Quare cum ob id cavillarentur familiares: *Melius*, ajebat, *hos sumptus in pauperes confero, quam in luxum. Hæc enim ratione, opes regnumq; stabilitur. Ionuil. in Vita, cap. 84.*

Vrbanus Pont. Max. Ea autem quę in sinu miserorum recondūtur, in cœlum inferri, palam testatus est URBANUS: à quo cum Cæciliæ martyris thesauri, quos dispensandos acceperat, poscerētur: quoniam indigentibus eos impenderat, ajebat: *Cæcilia thesauros manus pauperum in cœlum sustulerunt.* Faciamus ergo nobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. nam ut bene etiam Martial.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

In histor. Cæciliæ. Marul. lib. 1. cap. 2.

Alexander V Pont. Max. Celebratissimus quoq; hoc in genere ALEXANDER. qui usq; adeo in egenos munificus, ut aliquando vix quidquam sibi supereſſet in usum. Unde & per jocum dixisse commemoratur: *Fui dives Episcopus, pauper Cardinalis, mendicus Pontifex.* Exulabat ergo ab ejus pectore impius habendi error, qui alias cum re & ætate solet accrescere, juxta illud:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Platina in Vita.

Aidanus Lindisfarnensis Episc. Erat Osualdus Angliæ rex, egenorum alumnus inenarrabilis. utpote qui omnes ad palatium confluentes, in atrio sustentabat. Cumq; aliquādo major esset numerus quam apparata cibaria, ne vacuos dimitteret, escaria lance comminuta, argenti fragmentis supplevit, donavitq;. Quam regis liberalitatem AIDANUS (qui forte aderat) miratus, & apprehensam munificā illam dexteram exosculatus: *Tam prompta*, inquiebat, *in dando manus senescere non debet.* At neq; consenuit. ajunt enim eamdem adhuc integram, reliquo corpore absumpto, in tumulo asservari. *Beda hist. Anglic. lib. 3. c. 6.*

Archiepiscopus Anonymus: Memoratu dignus etiam hic, qui, Oeconomo suo conquerente quod plures domi aleret quam necessitas exigeret, omnium nomina, tam eorum qui necessarii, quàm qui inutiles videbantur, separatim scribi mandavit. Illis itaq; visis, ajebat: *Hos dicis necessarios, illos vero inutiles. Alantur igitur hi, quia eorum ego indigeo: illi autem, quia mei indigent.* Sufficientem eam causam pauperum inopiæ sublevandæ ratus, quod nostri indigeant. *Phil. Diez. tom. 2. part. 4. Serm. in Dom. Palm.*

Pius V. Pont. Max. Claudamus inclyto exemplo, quod ætas nostra sensit, & vidit. Lue contagiosa Urbe devastante, crebrius ingentē auri vim PIUS PONTIFEX MAX. ægrorum inopiæ sublevandæ erogabat: cuius etiam tali Pontifice digna audita vox: *Ea nunc tempora sunt, ut & calices aureos & Ecclesiæ thesauros oppignerari velim, quo Christi membris subveniatur. Ribad. in vit. Borgiæ lib 3. cap. 5.*

S. Paula. In eodem sanctitatis genere Fœminæ quoq; æternæ sibi laudis locum vendicant: quæ eodem etiam impulsæ spiritu, hunc affectum Christo in pauperib. exhibuerunt. Te te igitur compello, PAULA: cujus in largiendo profusa benignitas æternum apud Superos trophæum statuit. Tu enim, ne rogantes umquam repulsam paterētur, pecuniam mutuò, imò ad usuram accipere solita, ac prodigalitatis accusata, *Deum testor*, inquis, *me pro illius nomine cuncta hæc agere. Et id unum in votis mihi, ut ipsa mendicans moriar, & alieno sindone hoc meum corpusculum involvatur. Ego enim si petiero quidquam, multos inveniam qui mihi tribuant: mendicus si à me non acceperit, quæ etiā de alieno possum retribuere, & mortuus fuerit, à quo requiratur animæ illius?* Sic lampadi infundens oleum, id est, virginitatis decus misericordiæ operib. exornans, admissa ex adspersi nuptias, ineffabili etiam misericordia sempiternum fruitura. *Hieron. in Epitaph. Paulæ.*

S. Lucia: Et tu etiam in hunc virginum chorum referenda: quæ omnibus bonis ad votum erogatis, cum diis litare compelleris, hoc unicum obmurmuras, & inclamas: *Sacrificium Deo acceptissimum est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Vere beata, quā nunc misericordiæ remunerator Deus inter cœlestes illas sponsas sponsam suam collocavit. *Martyrol. Sur. tom. 6.*

S. Elizabeth Pauperū Mater: Hæc item nondum marito Langravio viduata, ob assiduam in pauperes benignitatem, MATER eorumdem parensq; nominabatur. Quos enim in plebe oppressos advertebat, illis familiariter admodum utebatur. Rogata autem, cur tam nobilis fœmina talibus se conjungeret: *Vt*, inquiebat, *eis subveniendi liberior mihi detur facultas.* Quid? cum esset Regis Pannonum filia, quoties suis ipsa manibus nevit texuitq;, ut de laboris sui peculio eleemosynas largiretur? ita ut non incongruè de illa dici possit: Manum suam misit ad fortia, digiti ejus apprehenderunt fusum, &c. *Contard. Minor. Concion.*

Ioannes Gandiæ Dux: Et ne solis iis qui in sacrato hoc ordine, totam hanc laudem attribuisse videamur: JOANNEM GANDIÆ DUCEM referemus, & hic in egenos paterno animo. cum enim Curiæ præfectus pares eleemosynis rationes facultatesq; non esse expostularet: *Ita*, dicebat, *statuo, mihi potius omnia ad vitam necessaria deesse, quam Christi membris, patiar.* Est sane manus pauperis gazophilacium Christi, & quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, ut accipias cœlum: da micam, ut accipias totum.

Quisquid enim cupidè non expendenda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

In Borgia, lib. 1. cap. 11.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dextera tua sinistra dulce factum nesciat.
Fœneratur is Deo miseretur quisquis pauperi.
Hoc homo sibi reponit, pauperi quod erogat.
Malumus cibum esse blattis, quam dare vestem pauperi.
Malumus vestem perire quam dare ipsam pauperi.
Nemo melius erogat quam qui reservat nil sibi.
Nostra non damus pauperibus, qua damus, Deo damus.
Pauperem qui exaudit, aures aperit cœlorum sibi.
Pauperem si non exaudis, invenis surdum & Deum.
Pauperem vestis resiciscq;? vestis ac reficis Deum.
Pauperi da saltem amictum de vorandum à vermibus.
Pauperi largire, pauperum accipit manu Deus.
Pauperis Deus rogat ore, pauperis capit manu.
Pauperum manu, haud suamet, quod Deo debes, petit.
Quod Deo debes, petitum pauperis venit manu.
Servorum manu mendicis porgito stipem haud tua.
Sunt opes vere tua, olim quos dedisti egentibus.
Ventre egenorum profecto tutius nullum horreum est.

¶ JAMBICA.

Cave manum dimittas sterilem pauperū.
Cultum Deo præstas fovendo pauperes.
Dives manum, eia, porrigas egentibus.
Qui pauperi dat, non magis dat quam accipit.
Qui pauperū miseretur, fœnerat Deo.
Thesaurus ingens stips & ipsa pauperum est.

Elegantiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AD minuta se quoque aptat dives elegantia.
Eleganter acta vita, vita famosissima est.
Eleganter eruditus plura nescit, quam cupit.
Elegantia tenere medium & elegantia est.
Haud quisquam nimis studet grandi absq; malo elegantiæ.
Impleas virum bonum absq; appendice elegantiæ.
Insuperfluus sita omnis rebus elegantia est.
Noxiè, præ quam res patitur, studeas elegantiæ.
Plurimi sunt elegantes absq; omni elegantia.
Proprio lepore dulcis omnis elegantia est.
Regibus pauci esse possunt arbitri elegantiæ.

¶ JAMBICA.

Etiam si vero convenit elegantia
Frugalitatis & sua elegantia est.
Vrbanitas longè it ab elegantia.

Elementorum.

¶ SENTENTIÆ.

Nazianzenus: Quis aerem fudit, uberem, inquam, hunc & copiosum thesaurum, non pro cujusq; dignitate atq; fortunis variè dimensum; non finibus uilis inclusum ac circumscriptum, non pro ætatum ratione distributum, verum, quod olim in manna contigit, quantum cuique sat sit, impertitum, atque æquabilitatis honore decoratum? Quis, inquam, hoc aviū vehiculum, hanc ventorum sedem, hoc, inquam, elementum, quo & animi partes temperantur, & animantur animantia, vel anima potius cum corpore conservatur: in quo lumen, & res lumine perfusæ, atque ipse etiam aspectus per eum fluens? Volve jam animo ea quæ sequuntur. nec enim mihi fas est aeri universum earum rerum imperium largiri, quæ aeris esse censentur. Quæ ventorum promptuaria? qui nivis thesauri? Quis roris glebas, ut cum Scriptura loquar, peperit? E cujus ventre glacies egressa est? Quis aquam in nubibus alligat eamque partim in nubibus figit (ô rem admirandam!) verbo compressam, tametsi naturā suā fluxam & labilem: partim in totius terræ faciem effundit, ac tempestivè & æquali modo spargit: ac neque humidam omnem substantiam liberam & solutam relinquit (sufficit enim purgatio illa, quæ tempora Noe contigit. pactique sui memoriam haudquaquam is abjecit, qui ab omni mendacio est alienissimus) nec rursus omnino inhibet, ne iterum Helia quodam opus habeamus, qui siccitatem depellat. Si clauserit cœlum, inquit Scriptura, quis aperiet? Si autem cataractas aperuerit, quis continebit? Quis enim immodicam, vel pluviam, vel pluviæ retentionem ferret, nisi ille pluviæ parens mensuris suis ac bilancibus omnia regeret ac gubernaret? Quam vero rationem afferes de fulgetris ac tonitruis, tu, inquam, qui è terra excitatos hujus rei causam conferes, eosque nebularum parentes & veluti architectos esse contendes, aut etiam aeris condensationem quandam, vel rarissimarum nubium compressionem & fragorem: ut compressio quidem illa fulgur, fragor autem tonitruum tibi pariat? Quemnam etiam flatum astrictum atque compressum, ac postea exitu carentem, ut & compressione ipsa fulgur, & perruptione tonitruum edat? *Oratione 34.*

D. Grrg. Nyssenus Elementorum naturæ, quæ sunt opus ejus qui fecit omnibus, eodem modo apparent, nullaq; secundum sensum hominibus est differentia in ignis, vel aeris, vel aquæ participatione: sed una est & immobilis in omnibus natura, eodem modo operans, & in nulla re propter eorum qui participent differentias immutata. *Orat. 12. contra Eunomium.*

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 409.

Iupiter beate, inte omnia, & ex te orta sunt:
Sive igitur atheris domicilium supremum, sive etiam ubi ejus
Habitas (hominis namq; impossibile est effatu)
Quali cum amore secreta divisisti,
Ætherem q; fulgidum, & aerem, & liquidam aquam,
Et terram omnium parentem: a se autem invicem singula.
Omnia vero inter se mutuo concordia vinculo
Irrupto colligasti. necessitate autem defixisti
Immota commune sub jugum. neq; enim æther
Absq; aere, neque aer absque aqua, neque etiam aqua
Absque terra est sed in se mutuo nascuntur:
Omnia vero viam unam eunt, easdemq; permutant vices.
Quocirca etiam communibus sibi velut obsides sunt.

Eloquentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Nazianzenus: Dicendi facultas, ut probis & honestis viris virtutis instrumentum ac subsidium est, ita in probis & flagitiosis vitii stimulus efficitur. *Orat. 3. contra Iulianum stelitica. 1.*

D. Nazianzenus: Ipsi porro eloquentiæ studiū accessionis duntaxat ac velut corollarii cujusdam rationem habebat: hoc tantum scilicet ex ipsa fructus decerpenti, ut ejus ope atque auxilio ad

noſtram philoſophiam uteretur: quandoquidem ad explicãda animi ſenſa ipſius vis ac facultas requiritur. mens enim quæ id quod ſentit verbis exprimere nequit, hominum torpore laborantium inceſſui haud quaquam diſſimilis eſt. *Orat.* 20.

D. Nazianzenus: Hæc tu ſublimius exaggerabis propriis nempe calamitatibus, orationis magnitudinem tibi ſuppeditantibus. *Epiſtola 7.*

D. Chryſoſtomus: Quando in ſapientia verborum fuerit demonſtratio, ſæpe etiam meliores ſuperantur à pejoribus, ut qui majore vi dicendi ſint prædíti, & mendacium prætervehitur, & à tergo relinquit veritatem. Hoc autem non ſic. Neq; enim immundam animam ingreditur ſpiritus: & ingreſſus nunquam poteſt ſuperari, etiamſi eum invadat omnis vis dicendi. Nam quæ per opera & ſigna fit demonſtratio, eſt multò apertior ea quæ fit per verba. *Homil. 6. ad Corinth.* 1.

S. Iſidorus Peluſiota: Eloquentem ego hunc eſſe ſtatuerim, qui id, quod animo concepit, perſpicua oratione demonſtrare poteſt, non qui doctiſſimis & ſublimibus verbis, ea etiam quæ clara & dilucida ſunt, obſcurat. Ille ſiquidem, quod latet, in lucem profert: hic, illud etiam quod omnibus perſpicuum eſt, in tenebris occultat. Eoque nomine ille, ut qui auditoribus prodeſſe cupiat, ampliſſimis laudib. celebratur: hic contrà, ut qui gloriæ tuæ cupiditate flagret, honoris ac præmii expers relinquitur. *lib. 3. Epiſt. 42.*

Syneſius Epiſc. Cyrenenſis: Epiſtolarum prolixitas argumento eſt eum à quo perferuntur alienum eſſe. Cæterũ præclarus Acacius, eadem quidem novit, quæ ego, plura autem quam quæ noverit, dicet, partim quia ſummo te amore proſequitur: partim quia linguã habet res ipſas ſuperantem: Ideoq; epiſtolam hanc magis ſalutandi tui officio ac legi, quam neceſſitati conceſſi. *Epiſt. 53.*

Syneſius: Quæ ſint propter quæ amicis opus habeat Diogenes, non ſcribente me legere, ſed eo dicente audire te oportet. nihil enim poſſit eo eſſe qui perpeſſus ſit diſertius. *Epiſt. 119.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Deus bone, in quantos ſe uſus dives lingua diſpergit! Cum voluerit, ſævit ut beſtia, curſit ut fluvius, fluctuat ut profundum: & quamcunq; fucatis verborum imaginibus pingit ſpeciem, veri adſtipulatione repræſentat. *lib 1. Epiſt.*

Ennodius: Deus bone, quam nihil eſt arduum magna curantibus, & qua quiete divinæ mentes viſa deſcribunt! quibus ornantur doctibus loca, quæ lingua dives, & dicendi peritus aſpexerit? *libr. 1. Epiſt. 6. p.*

Ennodius: Non ſic pernix æther acta nervis arundo perſcindit, quemadmodum inventa ingenii veſtri ſermo deſcribit. Nulla langueſcit obice, nullis tardatur obſtaculis. ſit pervia quæcunq; ſe illi difficultas obtulerit: & mirum in modum perallegantis peritiam mutatur natura cauſarum. hoc facis in merito negotium habuiſſe, quod cupias. veritas eſt quodcunq; pro veritate narratis. Hinc cautis non licet repugnare judicibus. minutiſſimi diſcuſſores lucrum æſtiment, ſi ſequantur quo pertrahit oratio imperioſa captivos. *lib. 2. Epiſt. 13. m.*

Ennodius: Animatur ſucceſſibus, etiam cui per conſcientiam nõ ſuppetit Latiaris eruditio. Ceſſantibus ſtudiis ſæpe facundum gaudia reddiderunt. mœroris nubila hilaritas depellit, mox rutilantia per ſudum verba diſcurrunt. Itaq; aut perfectos nos lætitia monſtrat, aut infantes facit adverſitas. *lib. 4. Epiſt. 30 pr.*

Ennodius: Domeſticam origine tuæ facundiam fidelis doctrinæ hæres inſequeris. Non degenerat, ut video, vena linguárum, & peritiæ ſucceſſio illo, quo patrimonia, jure diſcurrit. Putabam ſcientiæ dotes rem tantum ingeniorum eſſe, nõ familiæ: nec duci per ſtemmata, quod labor continuus, & indefeſſus ſudor adipiſcitur. Sed quantum apparet, ordines ſuos ſervat eloquentia, oris pompa, quæ exundavit in veteribus, migrat ad poſteros. concordat ſcientiæ curſus & fluminum: per conſuetos alveos & dicendi unda prælabitur. Venit ad te cum cenſu patris eruditio, & bono ſobolis Aſterium ſepulchra reſtituunt. *lib. 5. Epiſt. 2. p.*

Ennodius: Facilè ejus lucem qui nitet affirmas: nec deeſt ſermo qui commodetur abſolutis. *lib 7. Epiſt. 26. a. m.*

Ennodius: Alexandrum jactet antiquitas, cui famæ opulentiam peperit dos loquentium: ut per adjutricem facundiam videatur creſcere rebus mendica laudatio. *Paneg. Theod. cap. 22. p.*

Ennodius: Num quid fas eſt adverſus Quintilianum niſi pro veritate dicere? aut immemorem ſui loquendi facit aviditas, qui tribuit verba juſtitiæ? Fallentes decet urbanitas, dum periculo tucata mendacii peregrinum decorem laudanda verbo tenus ſumit elocutio. Sane ſolatio oratoriæ artis æquitas adſeratur, eligo pompam, quam probitas defenſa parturiet. procedat contra eloquentiſſimum virum cœleſtium favore munita ſimplicitas. de fiducia partium noſtrarum oritur quod audemus. Vos tantum, principes viri, benignitatem veſtram, ſalva aurium, animorumq; cautione præſtate: ne coturnus ille ſublimior, oris facultate qua prævalet, in poſſeſſione ſua credat eſſe victoriam. Quid eſt aliud adverſus ejus impetus nos juvare, niſi peregrinantem reducere poſt intervalla juſtitiam. *Dictione 21. pr.*

Ennodius: Solet dicendi, affectum multarum rerum ardor exigere: ſi avarus laudis eſt animus & favorem deſiderat ſudore mercari, & per blandimenta gloriæ crucem narrantis ignorat: aut lucri adſtrictus compedibus, linguæ vendit obſequium, ut dum animus habendi cupidine ſubjugatus præſumptum æſtimat jam tenere compendium, ſic ingruentia per ſtrictæ exercitium neſcit timere diſcrimina aut neceſſitate concluſus profert eloquium ſine quacumq; lima captivum & neſcium pudoris frontem monſtrat in medium, ut dum intentioni famulatur, diligentiam decoris abjuret, quia dicendi ornamenta non ſunt negotii, ſed quietis, nec militiæ ſunt picta verba, ſed otii, campus fortem poſtulat, pax profunda redimitũ, qui profutura aſſerit; loquelam, quæ periculo artis eſt colorata, contemnit. *præfat. adverſ Synod ſcrib.*

Ennodius: Quantum fuit acutior verborum quàm ferri lamina, hinc lector agnoſce. expugnavit ſermo, cui ſe gladii ſubduxerant. *Vita Epiph. cap. 51. f.*

¶ Philoſophorum Oratorumque Græcorum.

Halicarnaſſæus: Ingentes ætati noſtræ agendæ ſunt grates, tum propter alias artes, quæ jam multo quam antea melius excoluntur, tum ſane propter civilis eloquentiæ exercitationem, qua vehementer homines ad magiſtratum ineundum promoventur. Nam ſuperioribus antiqua illa doctaq; illa Oratoria facultas deſpecta, & multis affecta injuriis interiit. Jam inde enim à morte Alexandri Magni ſenſim deficiens paulatimq; contabeſcens. noſtra tempeſtate eo pervenit, ut penitus propemodum extincta ſit. alia autem theatrali quadam impudentiâ infamis & contumax in ejus locum ſucceſſit, quæ nec Philoſophiam, nec alias humaniores artes amplexa eſt. at imperitam multitudinem fefellit & decepit, nec ſolum majorem abundantiã, ut majores delicias ſplendoremq; illuſtriorem ſciata eſt, verum ipſas etiam dignitates, urbiumq; magiſtratus (quos doctam illam eloquentiam habere parerat) ad ſe rapuit, & intolerabili ſe faſtu jactans, eo Græciam redegit, ut prodigiis, depravatis & infortunatis familiis eam ſimilem effecerit. Nam quemadmodum in illis ingenua & prudens uxor ſedet; ingloria, cui omni ſupellectilis uſu interdictum eſt, vecors vero aliqua pellex, quæ alterius necem machinatur, omnem ſuppellectilem invadit, ſibiq; illius uſum arrogat, veram dominam vilipendens, & perterrens, ita jam in omni Republica, quin & in bene inſtitutis (quod profecto omnium malorum ſummum eſt) antiqua illa & innata Attica Muſa, propriis bonis privata, infamis facta eſt, nova autem hæc è ſpeluncis nonnullis heri & nuperrime exorta, vel Phrygia Muſa, vel Caricum aliquod malum, aut potius barbarum, aliunde è civitatibus eliminans, indocta ſcil. doctam, ſapientem inſipiens, ipſas Græciæ civitates voluit adminiſtrare. Verumtámen tempus non juſtos tantum viros, teſte Pindaro, ſed ipſas etiam artes & ſtudia conſervat, uti noſtrum hoece tempus egregiè oſtendit, quod, vel Deo quopiam ita dirigente, vel circulo naturæ in antiquum ſuum ſtatum denuo revoluto, vel humana inclinatione multos in idem ſtudium impellente antiquæ & doctæ Eloquentiæ, merita quam prius habuerat dignitatem cum honore reddidit, novæ autem & imperitæ, & in alienis bonis enutritæ, honorem, quem immeritò poſſidebat, ademit. Nec ob unam hanc fortaſſe rem ætatem noſtram hominesve, qui etiam Philoſophiam ſequuntur laudare par eſt, quod meliori parti majorem quam deteriori honorem tribuere inceperint (& ſane bonum initium dimidium totius dici operis ſolet) verum etiam quod tam citâ mutatio, & incrementum per eos factum ſit. *cap. 2 de Oratoribus antiquis.*

Dio Pruſæus: Et ſane quam neceſſarium eloquentiæ ſit ſtudium manifeſtavit abunde Homerus in Phœnice quem præfecit Achilli ut fieret Orator ſermonum & factor operum, in Diomede, in Neſtore, & Ulyſſe. Quum enim jam Græci propter belli prolixitatem, expugnationis difficultatem, præterea etiam, opinor, propter graſſantem morbum, regumq; ſeditionem Agamemnonis & Achillis, & deſpondiſſent animum ad expeditionem: inſuper & inter eos quidam orator ſurrexiſſet, turbaretque concionem, multitudo ruit impetu ad naves, confeſtimq; illis conſcenſis volebant fugere, & nemo eos retinere poterat: ne Agamemnon quidem habebat, quo pacto rebus conſuleret præſentibus. Hic igitur ſolus ipſe potuit eos revocare & immutare Ulyſſes, & tandem, quum concionaretur, adjuncto Neſtore, perſuaſit ut manerent. Itaque hoc factum manifeſtè rhetorum fuit. Apparet autem non ſolum Homerum ita ſentire, ſed & Heſiodum quod nempe philoſophia pariter & Rhetorica vera regi conveniant. At enim in iis quæ ſcripſit de Calliope:

Quæ reges etiam comitatur rite verendos,
Maximi honorarint grata quemcunq; Tonantis
Regibus ex altis, & amico lumine natum
Spectarint. —— *Orat 2. de regno*

Dio Pruſæus: Valde mihi videris ſapere, quod exiſtimes homini rempubl. tractanti opus eſſe peritia & potentia dicendi. Etenim & ad amorem conciliandum, atque comparandam potentiam, & ad honores conſequendos, atque effugiendum contemptum, plurima inde eſt utilitas. Qua enim re homines timidi magis confidunt quam oratione? qua re contumelioſi & elati magis ſubvertuntur, & puniuntur? quo magis moventur ad abſtinendum à cupiditatibus? quemque admonentem mitius fuerunt quam qui oratione delectet? frequenter igitur videre licet in civitatibus, eos qui alios docent acceptos eſſe quidem datos tanquã eorum quoq; ipſorum auctores. Quare etiam poetarum antiquiſſimi, quique à Deis ipſis poeſim acceperunt, neque fortes, neq; pulchros dixerunt aſpici tanquam Deos, ſed ſolummodo diſertos. Quia igitur hæc & animadverti ſti, & conaris agere, laudo te & admiror. *Orat. 18*

Themiſtius: Quemadmodum dicebat eos, qui in agricultura nihil præter umbroſarum platanorum, aut cupreſſorum nemora conferunt,

ferunt, frumento porro ac vineis indigent, voluptati magis, quam alimento studere: Ita plane qui unam in dicendo voluptatem persequuntur, idq; unum quærunt, suos ut auditores demulceant, ea vero, quib. alitur animus, ac seipso melior efficitur, eloqui neq; norunt, neq; conantur. Illos vero negabat esse Philosophos, uti neque Agricolas alias, sed adulatores nimirum, & assentatores, & conditores, ac pro medicis, aut exercitationis magistris, mangones dumtaxat, atq; ornatores appellabat. Cæterum quicumq; præcepta quidem sapientiæ oratione continuare ac memoriter quamlibet egregie proferre possent, actiones vero ipsas, de quibus orationes instituuntur, negligerent, tales qui essent ejusmodi cuipiam similes esse demonstrabat: Veluti si quis corporis sanitatem desiderans, medicamenta, ac herbas colligat, quæcunq; terræ, atq; invicem permixtæ corporis incommoda propulsare possent: adhæc ferramenta quoque medica magno cum studio conficiat, possit item ea omnia cõmemorare, quæ aut Hippocrates Cous, aut Erasistratus, aut Diocles de sanitate monimentis suis præcipiunt. Ubi vero corpus in ægritudinem aliquam inciderit, omnia illo apparata sitedum fuerit: tum ille medicamenta ista, ferramentaq; hæc Hippocratem valere jubeat, & in lectulo tapetibus, ac purpura constrato recumbens, & Siculam sibi mensam apponens, immoderate bibat, atq; epuletur, uicella aliqua Corinthia, aut Jovico puero ministrante. Neq; enim illi quicquam hanc medicamentorum comparationem conducere: neq; quisquis ipsas Philosophorum disputationes animo cõplexus probe meditatus, eas actione comprobare noluerit, magis ad eum Philosophiam attinere, quam ad superiorem illum, Medicinam. Similiter & Athletam illum ridiculum esse, qui Alteras suos ostendans, & Gymnasia numerans, molles nihilominus, & ignavos humeros circumferret, & cervicem præ luxu, ac deliciis frãgeret, postea in stadiũ ad certamen prodire nec posset, nec vellet, sed in balneis, & pueriliis palæstræ certamine residens, lavantibus luctas recenseret. Eodẽ plane modo, & in Philosophia non esse verborum ostentationem faciendam, nec inde discernendum qui multum sit in sapientia progressus: Veluti quod scienter bona dividat, quod virtutem cæterorum omnium bonorum summum esse dicat, longeq; aliis omnibus antecellere, cum iis, quæ corporis propria dicuntur, tum iis, quibus extrinsecus fortuna dominatur, sed si ita quoq; sentiat, atq; in proposito, ac voluntate habeat, & honestam actionem ei semper anteponat, quæ pecunias, aut gloriam atq; honorem conciliet: qui aliter sese haberet, cum putabat lingua tenus Philosophaturum, corde vero nihil minus quam hoc esse facturum. Horum omnium exempla proponebat Socratem imprimis Athenienſem, qui neq; domi à Xantippa convitiis exercitus, nec à Critia, & triginta tyrannis, nisi sententiam mutaret, & præsenti statui accomodaret, mortem, atq; exilium, & extrema omnia minitantibus, pertimuit tamẽ unquam, aut perterritus est, nec ullum aliud periculum exiti avit tam acerbũ, & formidolosum, quam malum ex bono, impium ex pio, & sceleratum fieri. Obid neq; Leontem Salaminiũ duxit, neq; ulla unquam adigi potuit, ut Periclẽ, & Eratinidem, & Diomedontem, aliisq; imperatores sua sententia condemnaret, quanquam adeo ad illũ populus è superiore loco in concione vociferans hortaretur. Sed ne tunc quidem, cum ab Athenienſibus damnatus est, nec cum in nervo detineretur, quicquã infracti, atq; abjecti animi fecit, aut dixit, apud eos socios, qui in carcere convenerant. Verum de animo philosophabatur, deq; iis, quæ apud inferos sunt, disputabat, quanta videlicet illic bona (virtuti) præstolarentur, quanti vitiis cruciatus, atque supplicia. Quamobrẽ non multo post Athenienſes eorũ, quæ in Socratem cõmiserant, pœnituit: & à Melito pœnæ accusationis ipsius repetitæ, & ex urbe Anytus cessit, & postremo eundem propter Socratẽ Heracleotæ qui in Ponto habitant lapidib. obruerunt, hodieq; Anyti sepulchrũ in suburbano, illic ostenditur, nõ longe à mari, ubi ab Heracleotis Anytus est sepulchro conditus. Tale scelus, actioneſque suas omnes Pater meus cõparabat, ut Socraticarũ germanæ prorsus essent, ac similes, eaq; omnia sustinere ac pati non difficulter insisteret, quod Philosophiam non verbis profiteri, sed factis oporteat, *Orat. 2. in patris obitum.*

Aristides: Id est in animo eloquentia, quod in corpore pulchritudo. Quinimo de hac quoq; re dicere quis possit, pulchritudinem quidem temporis spatio corrumpi, atq; ἀφανίζεσθαι cerre vocari: orationes autem simul cum tempore parefieri, quemadmodum virum justum dixit Sophocles tempus solum ostendere ut omittam, quod est majus, eas non modo temporis progressu, sed & mox hominem capere, solasq; pulchritudinem obtinere immortalem. Jam qui divitias habet, si cui vult benefacere, non potest, nisi de suo demat, ita ut minores restent reliquiæ: ac si perpetuo hanc exercere velit magnificentiam, brevi suppeditationem requiret: sed eloquentiæ facultas usu mox consumitur, ac potius, si dicere liceat, augetur plurimum. Etenim ut opes ex metallis, lapicidinis, ac duris operibus acquirimus, sic ab iis eloquentia, quibus ob sua erga nos beneficia nihil perit, ad nos devenit, atq; ita merito divinæ est naturæ sola particeps. Præterea si non essent inter homines morbi, nullus foret Medicinæ usus: quemadmodum nec ei, qui navigare nolit, gubernatore est opus: Rhetorica vero non modo peccatis hominum abolitis, sed nec omnibus bellis sublatis, erit otiosa, vel facultatem suam quasi radice sublata perdet. Conventus enim solemnes & pacis festivitates magis etiam ejus ornamentum requirunt, atq; etiam deorum & heroum honores, & quæ præclaris viris jure debentur laudes. Hæc etenim omnia pervadat & exornat, utique æque decora. *Oratione 1. Platonico.*

Lucianus: Herculem Galli lingua vernacula. Ogmium vocant: sed Deum hunc inusitata prorsus specie depingunt, Decrepitus est apud illos, recaluaster, reliquis capillis plane canis, cute rugosa, & in æterrimum colorem exusta, cujusmodi sunt hi nautæ senes. Charontem potius, aut Japetum quempiam ex his qui apud inferos versantur, & omnia potius quàm Herculem esse conjiceres. At quanquam est hujusmodi, tamen Herculis ornatum gerit, ut qui leonis exuvio sit indutus, & clavam dextrâ teneat, & pharetrâ ab humeris pendent, & arcum tensum læva prætendat. In summa, est Hercules.

Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorum Deorum contumeliam perperam facere Gallos, quum eum hujusmodi fingerent effigie, quo nimirum tali picturâ illum ulciscerentur, quod olim in regionem ipsorum incursasset, prædam abigens, quum Geryonis armenta vestigans, Occidentalium gentium pleràsque regiones pervastaret.

Atqui nondum dixi, quod in imagine erat maximè admirãdum. Senex ille Hercules hominum ingentem multitudinem trahit, omnes ab auribus revinctos. Vincula quib. id facit, tenues sunt catenæ, auro electroq; confectæ, pulcherrimis monilibus assimiles. Atqui cum vinculis adeo invalidis ducantur, neq; fugam meditantur, quanquã commodè possent, neq, prorsus reluctantur, aut pedibus obnituntur, adversus trahentem sese resupinantes: sed alacres sequuntur, & læti, ducentem laudantes, ultro festinantes omnes, & quod antecrtere velint, vinculum laxantes, perinde quasi graviter latari, si solverentur. Neq; gravabor dicere, quod omnium absurdissimum mihi visum est esse. Cum non haberet pictor, unde catenularum summas ansas necteret, videlicet dextra jam clavam, sinistra arcum tenente, perforata summa Dei lingua, ex hac illas trahi fecit: atque hic conversis ad eos quos ducit oculis, arridet. Hæc ego diu constiti intuens, admirans, hæsitans, indignans.

Sed Gallus quidam astans, nostratium literarum non ignarus, id quod declaravit, cum Græcam linguam à primo proferret, gentis illius ut puto Philosophus. Ego tibi hospes, pictura, inquit, istius ænigma explicabo: nam videris adeam vehementer turbatus. Orationem nos Galli, nequaquã arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci: verum illã Herculi tribuimus, propterea quod hic Mercurio lõge robustior exiterit. Nec mireris quod ita fingitur. Sola enim Oratio contigit in senecta absolutũ vigorem ostendere, si modo, vestri poetæ verũ dicunt, *Obduci juvenum densa caligine pectus, Contra senectam posse quiddam dicere. Rudi juventa doctius.* Hinc videlicet apud vos & Nestoris lingua melle profluit, & Trojanorum cõcionatores lirioessam, scilicet floridã vocem emittunt. Nam liria, si bene memini, flores vocantur. Proinde quod ab auribus vinctos ad linguã trahit hic Hercules, nempe Oratio, neq; hoc mireris, cum linguæ cũ auribus cognationem noris. Neq; ipsi pertusa est in contumeliã lingua: memini enim, inquit, me jambos quosdã è vestris comœdiis discere: *Siquidẽ loquacibus, Extrema lingua perforata est omnibus.* Deniq; nos etiam ipsum Herculẽ quicquid egit, id oratione confecisse, ut potè virum sapiente, & pleraq; persuasione sibi subegisse ducimus. Atq; ipsius tela, acutę sunt rationes, missiles, citæ, animasq; vulnerantes: unde vos quoque pennigera dicta, nominatis. Hactenus Gallus.

Ac mihi quidem cum hæc me cõferens mecum perpenderẽ, num decorũ jam esset, ut tam grandis natu, quiq; jampridè ab his doctrinæ speciminibus me abdicasse, rursum me tot judicũ calculis committerem, in tẽpore subiit animum meum ejus picturæ recordatio. Nam antehac verebar ne cui vestrum viderer hæc admodũ pueriliter agere, qualiq; præter ætatem juvenari: deinde Homericus aliquis adolescens hæc verba mihi impingeret.

Iam perijt tua vis, gravis arripuitq; senectus,
Invalidusq; tibi famulus, tardiq; caballi.

videlicet eo scõmate pedes meos notans. Verum quoties senex ille Hercules animo recurrit, adducor ut quidvis faciam: neq; me pudet hæc audire, cũ sim imagini coætaneus. Itaq; robur, celeritas, forma, & quotquot sunt corporis bona, valeant, tuurq; o Teii vates Cupido, invitus me subcano mento, auro rutilantib. alis, si videbitur, vel aquilas prætervolet: neq; laborabit Hippoclides. Imò nunc vel maximè tempestivũ fuerit facundia repubescere, florere, vigere, & quã licet plurimos ab auribus ducere, ac sæpe jaculari, cùm nihil sit metuendum, ne ipsi inscio pharetra vacuetur. Vides quibus modis ætatem meã, & senectam consoler. Ideoq; ausus sum navim jamolim in terram subductã, denuo revellere, nisq; instructã armis medium in pelagus demittere. Contingant autẽ à vobis o Dii, afflatus secundi, quando nunc vel maxime, velâ implente, bono, & amico vento nobis est opus, ut si modo digni videbimus, in nos quoq; dicat aliquis Homericum illud,

Quos profert senior pannis è vilibus armos!

Hercule Gallico.

Basilius Imp. Eloquentiam rerum omniũ humanarũ perfectissimam vide ut diligenter etiam atq; etiam exerceas: per eam enim terreni regni principatus refert quodã modo cœlestium rerum ordinẽ & cõvenientiã. Oratio rebus omnib. humanis præest, quã si tollas, simul & omnia nostra tollas. Da ergo operam ut tibi dicendi facultatẽ pares, non eam quidem mancam aut diminutam, sed perfectam, neq; enim salus navigii gubernatori cõmittitur, nisi bene gubernare didicerit: neq; rei imperio regio uti, nisi facultatẽ dicendi, rem scilicet ad imperandum atq; ad res gerendas accommodatissimam, diligenter exercuerit. Leoni enim regnum in bestias dat robur animi & cor-

poris: aquilæ in aves volatus sublimis & velox: Homini autem super terram imperium dat oratio. *cap. 64.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Modo consilium à Senatu petebam, putaretne debere me si quam haberem in dicendo facultatem, in jugulum innocentis, quasi telum aliquot intendere? *lib. 3. Epist. 9. m.*

Plinius Secundus Iunior: Mos est plerisq; Græcorum, ut illis sit pro copia volubilitas, tam longas tamq; rigidas periodos uno spiritu quasi torrente contorquent. Itaq; Julius Candidus non invenuste solet dicere aut alteri, imo si Marco Antonio, nemihi. hæc vero multis, atque etiam impudentissimo cuiq; maxime contingat. *Epist. 20. lib. 5.*

Plinius Iunior: Scripsit Virginius Mimi ambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissimè. nullum est enim genus, quod absolutum, non possit eloquentissimum dici. *Epistola 21. lib. 6.*

¶ Poetarum.

Ennodius Epigrammate 44.

Respice, qui gressum sinuas per amœna virecta,
Vt discas cultus lucem præferre diserti
Arridet germen, quod lingua pingitur ostro,
Ver habet in bruma, qui flores carmine gignit,
Per glaciem Zephyros exhalant verba tepentes,
Ebria fulgenti maduerunt murice dicta,
Omnibus in rebus sermonum purpura regnat,
Ora ad imperium submittunt colla chelydri.
Algida cum roseo juvenescunt sanguine corda,
Prima vos gelidis ostendit littera membris,
Vertit ad obsequium natura munera doctus,
Ætates, species, mensuras, tempora formas.

127. f. Palladius.

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum,
Atq; amnes tenuisse sagos, sed & alites volantes,
Et surda cantu concitasse saxa
Suavisonaq; modos testudinis arbores secura
Umbram feruntur præbuisse vati.
Scilicet haud potuit quæ sunt sine, permovere sensu:
(Finxere docti fabulam poetæ)
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit.
Doctaque viam voce temperavit.
Iustitiam docuit cœtu quoque congregavit uno,
Moresque agrestes expolivit Orpheus.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate 31.

Nos necat elleborus, capras adipem auget, avisq; :
Idem ignis fomes, & populator opum est.
Insontem & sontem facundia præstat eundem:
Nunc est exitium, nunc medicina salus.

Batillius. 182.

Eloquentia.

Cum laqueis credas studia exercere Diana
Mercurium, & savas velle agitare feras.
Ni quod tantum homines compelli in retia cernis,
Per q; juga & saltus devia que arva trahi:
Nempe illi tantas oris facundia vires
Et linguæ præbent spicula adacta suæ,
Vt possessa hominum silvestria pectora ducat,
Nec renuat illi quo vocet ille sequi.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Mercurio Caduceum in manu affinxit vetustas. quo significatum voluit, Eloqventiæ interventu statim omnes controversiarum cadere tempestates: nam

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Unde dixisse commemoratur Cardinalis Aldobrandinus: *Nullum est imperij vallum firmius, quam quod in eloquentiæ campo est fundatum.*

Addit enim *invalidæ robur facundia causæ,*

ut habet Lucan. *Henr. Farnes. in Apoph. de Princ.*

Idem. Interroganti, quis felicissime regeret: *Non*, inquit, *qui opulentia aut robore plurimum pollet, sed qui eloquio & facundia.* vere Alciatus:

Cedunt arma togæ, & quævis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Ibidem.

Princeps Anonymus: Rogabat hunc quispiam, quænam artes hominem in altissimo honorum culmine collocarent; *Duæ*, ait, *una Imperatoris, altera Oratoris boni.* Nec id malè: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. *Greg. Riebr.*

¶ Monosticha Trochaica.

Callida ingenium ad malas res instruit facundia.
Cernere est multos disertos, eloquentem neminem
Clavus est adres gerendas si renuè eloquentia.
Corpori quod pulchritudo est, id animo eloquentia est.
Essi ax oratio instar est ferax tyrannidis.
Eloquens, licet privatus cum potestate est tamen.
Eloquentia magna vis est, major at vis gratiæ.
Eloquentia animos eorum in quos se conferat, eligit.
Eloquentia auri, exsuperat omnium eloquentiam.
Eloquentiæ ars suprema est, abdere eloquentiam.
Eloquentiæ pars est abscondere eloquentiam.
Eloquentia sophiaq; dulcius quid copula?
Eloquentiam abdere an non maxima eloquentia est?
Eloquentiam occultare, summa item eloquentia est.
Eloquentiam omnes optant, præditis ea, invident.
Eloquij a delectu origo est omnis eloquentiæ.
Est quidem pusilla, vincit, sed tamen lingua omnia.
Est rabulæ non eloquentis insipiens verbositas.
Impetrandum est, Oratore: mittere ut Romam queas.
In locum tali repertus usus eloquentiæ est.
In metu proprio obmutescit ipsamet facundia.
Latis rebus ac tranquillis floret eloquentia.
Mentis a vi pectorisq; manat eloquentia
Misce cœlum terra, orator, dives esse si cupis.
Multa judici haud persuadet eloquens sed eripit.
Nil facit Venus sine ipsa Mercurij præsentia.
Ornamenta non requirunt lingua cognita omnibus.
Pectoris vis, visq; mentis est disertos quæ facit.
Plurimi loquacitatem existimant facundiam.
Plurimos cernas disertos eloquentem neminem.
Quam probis bono est, malis tam noxia eloquentia est.
Quidquid ars habet pavendum, id ars loquendi temperat.
Quod gladium in pugna, hoc in pace præstat eloquentia.
Quod machæra in prælio, in repubica eloquentia est.
Quo mage occultatur hoc est validior eloquentia.
Rebus in malis placere gestit eloquentia.
Rhetori & reo damnato constat eloquentiæ.
Rusticis loqui disertè, est nolle à quoquam intelligi.
Sæpe jus æquumq; vincit ingens eloquentia.
Sanctam malim rusticitatem quam impiam eloquentiam.
Sudabis satis si incæpta cum homine cui eloquentia est.
Tam mala improbis, probis est quam bona eloquentia.
Vincere armis quem nequibas vincias facundia.
Vnus plus suada præstat, mille quam virum phalanx.
Vrbium rector, nec rector est, sine eloquentia.

¶ Jambica.

Admirationis expers non est eloquentia.
Aliquando pro facundia silentium est.
Aliud loquentia, aliud est eloquentia.
Alumna item licentia eloquentia est
Alumna tantum pacis eloquentia est.
Aptus magis foro eloquens quam prælo.
Cuinam objicitur veluti vitium eloquentia.
Decentius rem lingua quam ligno geras.
Disertitudo neutiquam est procacitas.
Est universi vinculum eloquentia.
Et eloquentiam illustrat accusatio.
Etiam familiæ munus eloquentia est.
Etiam quibusdam abest mens eloquentibus.
Et grata item vecordis est facundia.
Et magna magna virtuti eloquentia est.
Finire bellum præstat ore quam manu.
Flexamina res profecto es Eloquentia.
Fortuna non discernit eloquentiam.
Gladios moratur militum facundia.
Haud vultu unus atq; idem eloquentiæ est.
Honos decusq; præmium eloquentiæ est.
Injuriam passis nihil disertum,
Inter bonos mores, vix eloquentia est.
Iustitia si valeat, quid eloquentia est?
Magna est placet quæ in vitis eloquentia.
Male discitur sine moribus eloquentia.
Nulli Imperatorum obfuit facundia.
Pars eloquentiæ, abscondere eloquentiam.
Pars nulla non sacerrima eloquentiæ est.
Pauciss imorum suada labris insidet.
Potentia magnæ magna eloquentia est.
Præcipitat eloquentiam violentia.
Quid aliud innocentia, quam eloquentiæ est?
Rebus in malis placere gestit eloquentia.
Rhetori & reo damnato constat eloquentia.
Statim patet re quid queat facundia.
Stultæ est, egena sapientiæ, eloquentia.
Tacere summa aliquando est eloquentia.
Totius est rectrix vitæ eloquentia.
Venalis est linguæ omnis eloquentia.
Vbi lex viget, floret quoque eloquentia
Vni senectæ debita est facundia.
Vsus magister eloquentiæ optimus.

Emen-

Emendationis.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianus: Ac nos hujus medicinæ ministri & adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus: quibus, cum magnum atq; amplum sit propria vitia morbosq; perspicere, iisq; mederi (quanquam nondum id magnum censeri debet: verum multorum improbitas, ut ita loquerentur, effecit) multo tamen maius & præclarius est aliorum morbos curare, ac scitè repurgare posse, atq; ut utriusq; utile sit, nempe & iis, qui curatione indigent, & iis, qui medendi scientiam profitentur. Itane autem, corporum medici laborem, & vigilias, & curas, quas nemo ignorat, subibunt, atq; ex alienis calamitatibus, ut quidam ex iis, qui apud illos sapientes habiti sunt, pronuncia vit, proprios mœrores carpent, atq; alia quidem ipsi suo labore investigantes & indagantes, alia autem ab alijs corrogantes, & colligentes, ægrotis porrigent, nec quicquam tam parvum ab ipsis vel excogitatum vel prætermissum est (etiam si minimum illud sit) quod non magnum, vel ad salutem, vel ad periculum momentum habere censeatur: idq; quam tandem ob causam? ut homo pluribus in terra diebus vivat, atq; hic ne probus quidem fortasse, sed pessimus & sceleratissimus. cui, utpote malo, jampridem è vivis excessisse fortasse utilius fuerat, ut vitio, morbo omnium maximo, liberaretur: atq;, ut probum honestumq; esse demus, quamdiu tandem victuro? semper ne? aut quid ex hujus vitæ usura lucri facturo, cujus finem exoptare primarium, ut mihi quidem videtur, ac tutissimum bonum est, viriq; haud dubiè sani, & mente præditi: Nobis autem, qui de animæ salute periclitamur, quæ beata & immortalis est, atq, immortalibus, vel suppliciis, vel laudibus, ob vitiũ aut virtutem afficietur, quantum tandem certamen propositum esse, quantaq; arte opus esse existimandum est, ut rectè curemus, aut ipsi curemur, & vitam in melius commutemus, ac terram spiritui addicamus? Non enim eædem rationes, nec iidem animorũ impetus sunt maris & fœminæ, senectutis & adolescentiæ, divitiarum & paupertatis, hilaris & mœrentis, sani & ægrotantis, principum & subditorũ, eruditorum & indoctorum, audacium & timidorum: mansuetorum & iracundorum, munere suo præclarè fungentium, & cadentium. Quod si accuratius rem expendas, quantum intervallum inter conjugatos & cœlibes interjectum reperies? Ex his rursus, quantum inter solitudinis amantes, & eos, qui sodalitio vitæque societate gaudent discrimina erit? quantum inter eos, qui in contemplatione lõgè proceſſerunt, & eos, qui dumtaxat rectum vitæ iter tenent? quantum rursus inter urbanos & rusticos, inter simplices & callidos, inter eos, qui in rebus gerendis versantur, & qui tis studiosos, inter eos, quorum res in deterius mutatæ sunt, & eos, qui prospero cursu feruntur, nec duriore unquam fortuna conflictari sunt? Horum enim singuli cupiditatibus nonnunquam & affectibus magis inter se differunt, quàm corporum figuris & lineamentis, aut si maris, elementorum, ex quibus constamus, mixtionibus & temperamentis: ac proinde nec facilè regi gubernariq; possunt. Quin potius, quemadmodum non eadem medicamenta, nec eadem alimenta, corporibus quibusvis adhibentur, sed alia alijs, habita videlicet vel sanitatis eorum vel adversæ valetudinis ratione: eodem quoq; modo animæ diversa ratione ac disciplina, curantur. Ii porro curationis testes sunt, qui morbis hujusmodi vexantur. Alios sermo ducit: alii exemplo componuntur. Alij calcaribus opus habent, alii freno. nam qui segnes sunt, atq; ad bonum ægrè impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt: qui vero spiritu, quàm par sit, ferventiores sunt, atq; effrenato quodam animorũ impetu feruntur, velut equulei generosi procul à meta currentes, hos utiq; orationis freno coercere ac cohibere præstiterit. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio, utraque videlicet tempestivè adhibita: aut contra detrimento, non tempestivè & cum ratione adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit: alios objurgatio. atq; hæc rursus alios, si palam arguantur, alios, si remotis arbitris admoneantur. Sunt enim qui privatas admonitiones contemnant, publica autem reprehensione ad officium revocentur: sunt rursus, qui liberius reprehensi, pudorẽ omnem abstergant, contraq; occulta objurgatione meliores reddantur, ijsque, quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant. Quidam etiam ad minima usq; ac levissima observãdi sunt, nimirum qui eo quod peccata sua obscura & incognita esse putant (quandoquidẽ id molliuntur tanquam sapientiores animis inflantur) in quibusdam rursum ad nonnulla connivere satius fuerit (ita ut videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui eos nimis crebris objurgationibus tanquam fluctibus obruẽtes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores reddamus. Quinetiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus, non desperantes desperemus: quatenus videlicet eorum natura id requirit. Alii rursus lenitate & humilitate curandi sunt, atq; alacri animo una cum illis meliorem spem induendo. Alios vincere ab aliis vinci plerumque utilius fuerit: atq; aliorum opes & potentiam, aliorum inopiam & calamitatem, vel laudare, vel deprecari. Neq; enim, quemadmodum in virtute ac vitio res se habet, ut illa quidem semper pulcherrima & omnibus utilissima sit, hoc autem turpissimum & perniciosissimum sit, eodem modo medicinæ quoq; nostræ ratio ea est, ut unumidẽq; medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum: verbi gratia acerbitas aut clementia, aut unum quodq; aliorum, quæ modo à nobis enumerata sunt. Verum aliis hoc medicinæ genus bonum atq; ut le fuerit: aliis autem rursum contrarium medendi genus: prout opinor, vel res, vel occasio tulerit, vel ægrotãtium denique mores adduxerint. Quæ quidem omnia sermone distinguere, atque ita exactè perspicere, ut tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile est, quantacumq; cura & diligentia ingenii que sagacitate quisquam polleat: in rebus tamen ipsis & experimentis curatrici rationi & medico perspicua fiunt. In universum autem illud apud nos constat, quod quemadmodum in sublimi & pendulo fune gradientibus, in hanc vel illam partem deflectere, minimè tutum est; nec etiam parva inclinatio parvum periculum affert, verum eorum salus in æquilibrio posita est: ad eundem quoq; modum utramvis in partem quipiam, sive ob vitæ improbitatem, sive ob imperitiam propenderit, haud leve periculum, tum ipsis, tum iis, quibus præest, immjnet, ne in peccatum prolabantur. Quocirca via proculdubio regia ipsis incedendum est, ac circumspiciendũ, ne vel ad dexteram, vel ad sinistram, velut in Proverbijs est, declinent. *Oratione prima, quæ est ad fugam in Pontum.*

D. Nazianzenus: Ecquid tibi probantur sermones mei? Ecquid te flectunt? An longiori oratione mihi deliniendus, ac velut incantãdus eris? Equidem te jamdiu sermonibus meis correptum teneri, nõ conjectura quadam animequor, sed certum & exploratũ habeo, si nulla alia re, literis certè ipsis & doctrina fretus, quæ te facile semper ad optima quæq; ducit, vel tua ipsius sponte incedentem, vel alios sequentem. Hoc enim est, quo sapientes a vulgo differunt. *Oratione nona.*

S. Isidorus Pelusiota: Demus operam sedulo, ne peccemus. Ubi autem fortè peccaverimus, ne per negationem nobismetipsis graviorem pœnam accersamus. *Lib. 4. Epist nona.*

¶ LATINORVM.

Ennodius: Bene magnitudo vestra, dum origini & moribus præstat obsequium, emendationem sine intervallo conjungit errori: & quod peccatum sapienter intelligit, priusquam altero denuntietur, avertit. Quis credit deliquisse in correctione velocissimum? penè non vocandus est sectator excessuum, qui obviam manum ponit in suscriptione culparum. *Lib 5. Epist. 17 pr.*

¶ ORATORVM GRAECORVM.

Philostratus: Voluptates Romanis insitas, oportet meo judicio paulatim auferre. difficile enim est populum ad vitam omnino modestam repente traducere: sed oportet mediocritatem quandam illorum insitibus partim apertè, partim occultè interere, quo facilius illos emendes. *Lib. 5. Apollonij cap.* 13.

Philostratus: Erudiendi populos, præmium mihi erat, ut illi se ipsis meliores evaderent. In his autem omnibus tibi, ô rex, tum gratificatus. Sicut enim boum curatores dum providenr, ne quid illis adversi contingat, boum dominis gratificantur; & gregum pastores oves pinguefaciunt propter possidentium utilitatem; & morbos ab apibus arcent earum curatores, ne domino examen pereat: similiter ego civitatum vitia corrigens, tibi civitates direxi, ut si me Deũ quoque cives putarent, tibi lucro futurus essem eorum error. *Lib. 8. Apollonij cap. 3.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Illud videte, an si aliquem Reipublicæ error, aut fortuna, si quem aut consilium aliquod, aut temeritas merserit, detis locum pœnitentiæ, permittatis emendari, velitis meliores fieri cives. *Declamatione 267. fine.*

Calpurnius Flaccus: Sicut in vita nunquam errare felicis est; ita errorem quamprimum emendare, sapientis. *Controv.* 18.

Symmachus: Inopia, vel potius egestas Ordinis Formiani, etiam curationis impatiens est. Nam sicut affecta diuturno morbo corpora sæviorem medicinam ferre non possunt; ita curia numero & paupertate tenuata, duritia immodicæ emendationis extinguitur. Libens igitur parentis sume consilium, qui non defendit Ordinis culpam, sed correctionis modum postulat. *Lib.* 10 *Epist.* 10.

Symmachus: Roma loquitur: Ad hoc ergo servata sum, ut longæva reprehendar? Videro quale sit quod instituendum putatur. Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis. *Lib.* 10. *Epist.* 54. *in.*

¶ POETARVM.

Aristophanes Vespis. v. 647.

Durus labor est, altum ingenium, & mains quam Comica sit vis,
Morbum veterem medicare, & adherentem radicitus urbi.

¶ APOLOGI.

De Muliere & Nuce.

Mulier quædam interrogabat nucem secus viam natam, quæ à præterеunte populo saxis impetebatur, quare esset ita amens, ut quo pluribus majoribusq; verberibus cæderetur, eo plures præstantioresque fructus procrearet. Cui juglans: Es ne, inquit, proverbii immemor ita dicentis:

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati.
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.
Hæc fabula innuit, sæpè homines propriis jaculis solere se confodere. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius LXXXII. Centuria 4.
Positis nouus exuuiis.
Vt solet exuuias veteres deponere serpens,
Sic scelerum sordes exue; pulcher eris.

¶ Monosticha Trochaica.

Cocus ahenum quando fervet, paulla consutas trua.
Compenses dispendium via, via compendio.
Corrigi frequenter, artis non est; ignorantiæ est.
Corrigi malus pote unus à bonis quam pluribus
Corrigit homines feras q; non rigor sed lenitas.
Cum facultas corrigendi est; bella pœnitentia est.
Est Dei haud peccare: at hominis à peccato corrigi.
Haud multa tuto corrigi possunt simul.
Hunc satietas necessitus q; corrigunt, illum pudor
In malum indurata frangas promptius quam corrigas.
Innocentia accelerata proxima est correctio.
In pravum indurata frangas promptius quam corrigas.
Maximus vel à puello ducitur bos in viam.
Ne cadas primum est; secundum te citò ut solo leves.
Nemo semet emendare quærit; omnes, Caluteu.
Parvulæ haud nocent serpentes: etiam marsuescunt ferè.
Promptius hominem eruditum quam rudem quis corrigat.
Proximus emendationi es si malum sentis tuum.
Vix cecidit, statim qui à lapsu se in pedes rursum erigit.
Vix videtur deliquisse qui statim se corrigit.

¶ Iambica.

Acerrimus rerum emendator est metus.
Annis integris peccata, hora una corrigit
Delicta multa corrigi haud queant simul.
Delicta sæpe connivendo corrigas.
Deos corrigere ipsos, quàm nosmet malumus.
Haud corrigas verbo Phrygem sed verbere.
Haud multa tuto corrigi possunt simul.
Haud tortile unquam rectè lignum corrigas.
Homini imperata exasperat correctio.
Hominis senentus fera jam emendatio est.
Ius est idem sanatibus quod fortibus.
Lapsus priorem subsequentem corrigit
Malis bene uti, nervus est prudentia.
Non corrigas malum malo sed duplices.
Nunquam antecedit crimen emendatio.
Nunquam esse sera homini potest correctio.
Oblata casu etiam ad consilia flecti est.
Pati optimum est quod emendare non queas.
Peccat minus qui mox errorem corrigit.
Plures boni vix corrigant unum malum
Posterius est peccare ipsum quàm corrigi.
Præstat redire serò quam nunquam in viam.
Quod præterit potest reprendi, haud corrigi.
Sensus mali, mali est & emendatio.
Serò melius quàm nunquam, ad recta vertimur
Vita bona exemplo malos sat corrigas.

Emptionis ac venditionis.

Sententiae Patrum.

S. *Isidorus Pelusiota*: Quoniam Esau legitimè quoque vendidit primitiva: absque controversia penes Jacobum fuit victoria. Nam si quis, posteaqua n agrum vendidit, & pretium accepit, & emptorem in possessionem vacuam ejus prædii introduxit, posterius non reddito pretio (quamquam ne quidem si hoc reddat venditor, permittunt leges invito emptori suum prædium auferri: verumtamen sic tēporis causſa fingamus id posse fieri) si quis ergo, ut cœperam dicere, cum non re dat pretium, de possessione illa, (quam vendidit) controversiam emptori faciat, quænam Lex, aut quis judex eam emptori abjudicat, ut ut infinitas ille effundat lachrymas, & miserabiliter conqueratur? Nemo hercle. Jure igitur ac merito non recepit Esau, quæ desiderabat. *Lib. 4. Epist.* 26.

Damascius: Hermias Alexandrinus pater Ammonii & Heliodori, cum imperitus ei librum venderet, & pretium minus exigeret quā is valeret, hominis errorem correxit, pluris que emit. nec semel hanc justitiam, cujus alii homines nullam rationem habent, verum sæpius quoties venditorem debitum pretium ignorare contigisset, ostendit: non aliorum more fortuito delirus lucro; ratus aliquam se injuriam facturum, si volens à volente etiam quovis modo emeret? nam dolum quendam esse in contractu & fraudem, non indicare errorem, sed veritatem occultare; & cum sit injuria non violenta sed fortuita, pleros q; latere, nec furari aliquid instar latronum cum periculo, sed à lege quidem absolvi; justitiam autem corrumpere. *è Bibliotheca Photij.*

Synesius: Priusquam omnia peristria institor distraxerit, aut ea quæ exquisitioris erunt operis (qui enim primi incidunt, non posterioribus, sed sibi utiq; consulere volunt) hospitem ad te vocato, mihique tres aut quatuor vestes coemito. Omnino quidquid in pretium persolveris, cum fœnore tibi à me rependetur. *Epist* 52.

Chrysologus: Qui dant pecuniam, non perdenda comparant, sed servanda. *Sermone* 80 *ante finem.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve.

Xenophon: Jubent rei familiaris administratores boni, tunc emere cum magni quippiam precii licet exiguo comparare. *Lib.* 2. *Memorabil. c.* 38.

Quintilianus Senior: Quæcumque sub conditione traduntur ita demum fieri possunt propria ac peculiaria, si conditio consummata sit. *Declam. ex* 336 *pr.*

Idem paullo post: Quo jure, indicare potes eam rem, cujus pretium non dedisti?

Quintilianus: Qui quanti vult vendit, potest non vendere: Nam, per fidem, si rapere alienum frumentum & pollunt, & volunt, quid ita duplam pecuniam soluunt? Nam quomodo in magna inopia, quidquid enim potest, vile estsita cum possis habere gratuitum, duplo carum est. *Declam.* 12 § 31.

Plinius Iunior: Rogo cures quanti æquum est agellum emat Tranquillus: ita enim delectabit emisse. nam mala empio semper ingrata est; eo maximè quod exprobrare stultitiam domino videtur. *Lib* 1. *Epist.* 24.

Plinius Iunior Quomodo te veteres Marsi tui? quomodo emptio nova? placent agri postquam tui facti sunt? rarum id quidem. nihil enim enim æque gratum est adeptis quàm concupiscentibus. *Lib.* 2. *Epist.* 15.

¶ Poetarvm.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. v. 46.

Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo.
Cetera quæq; volumus uti, Græca mercamur fide.
Cum a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si as habent, dant mercem. eadem nos (Lena) disciplinas timur.
Semper oculata nostræ sunt manus, credunt quod videmus.

Plautus Mostellariæ. 3. sc. 2. v. 127.

Senex ipse te ante ostium eccum opperitur.
Sed mœstus est. sese has vendidisse.
TH. Quid tandem? Torat ut suadeam Philolacheti,
Vt istas remittat sibi TH. haud opinor.
Sibi quisque ruri metit si male empta
Forent, nobis hau haud redhibere liceret.
Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.
Misericordias jam habere haud hominem oportet.

Plautus Persa. 4. sc. 7. v. 2.

Ne hic tibi dies illuxit lucrificabilis!
Nam non emisti hunc, verùm feciſti lucri.

¶ Apologorvm.

Aesopi Debitor Athenis debitor quispiam cum à creditore exigeretur, primo quidem dilationem sibi fieri postulabat, egenum se professus. Ubi vero non persuasit, adductam, quam solam habebat, suem, præsente illo divendidit. emptor adveniens, cum utrum pareret sus percunctaretur, Non solum dixit ille parere, sed & præter opinionem, mysteriis enim femellam, Panatheneis vero masculum eniti. Cui ad hæc obstupenti creditor subjecit: ne hæc mireris, tibi enim illa Dion, siis hœdulos est paritura.

De Coriario emente pellem ursi à venatore nondum capti. Fab. 49.

Coriarius ad venatorem accedens, emit ab eo pellem ursi, pecuniamq; pro ea protulit. Ille sibi in præsentia pellem ursi non esse; cæterum postridie venatum profecturum, ursoq; interfecto pellem illius ei se daturum pollicetur. Coriarius animi gratia cum venatore in silvam profectus, altissimam arborem ascendit, ut inde ursi, venatoris q; certamen prospiceret. Venator intrepidus ad antrum, ubi ursus latebat, profectus, immissis canibus, illum exire compulit, qui evitato venatoris ictu, eum prostravit humi. Tunc venator sciens hanc feram in cadavera non sævire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Ursus naribus admotis olfaciens, cum illum nec naso, nec corde spirantem deprehenderet, abscessit. Coriarius cum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse periculi, ex arbore se deducens, & ad venatorem, qui nondum surgere audebat, accedes, illum ut surgeret, monebat: interrogavit deinde quid ad aurem ei ursus loquutus esset. Cui venator: Monuit me, inquit, ne deinceps ursi pellem vendere velim, nisi eum prius ceperim.

Hæc fabula indicat, inserta pro certis non habenda, Laur. Abstemius.

Mona

¶ Monosticha Trochaica.

Accedente pretio haud est venditio imaginaria.
Contra venditorem ambigua interpretanda oratio est.
Cui venalis est Fortuna, quid non ille venditet?
Diem, aquam, solem, Lunam, noctem: hæc argento non emo.
Emptor persuadere debet venditorem haud cogere.
Erubesce eum punire qui quod emit vendidit.
Hoc emas quod est necesse non emas quod est opus.
In vendibili merce oportet ultro emptorem adducere.
Iudicatur melius auribus quam oculis de venalibus.
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
Probam rem facilè emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.
Proxeneta est non mandare sed laudare nomina.
Quæ bene aut mala empta, ea empta sunt tibi: nil redditur
Quæ non vendat is venalem qui fortunam habet suam?
Quam magis quid proxeneta laudat, hoc credas minus.
Quod male emptum est, possidenti stultitiam quasi exprobrat.
Rusticus vendax oportet ut sit, haud emax bonus.
Tunc emas, ubi are parvo quidq; comparabile est.
Turpiter quid comparabis, pluris ut dein distrahas.
Ubi quid emptum est, vix placere fuevit ut factum est tuũ.

¶ Jambica.

Domino exprobrat stultitiam improba emptio.
Emere aliquid, alij mox ut vendas sordidum est.
Eodem mihi pretio sal perhibetur quo tibi.
Etiam emere vitam possumus pecunia.
Heu quam nihili sunt quæ vita ipsa homines emunt.
Ius gentium est, pretio empta, pretio vendere.
Merx cuius est, & ejus indicatio est.
Nil emeris præstare fundus quod potest.
Nil venditori debet, emit qui bene.
Non id quod est opus, sed quod necesse emas.
Quin quod palam est venale si argentum est, emas.
Quod non opus est, carum est etiamsi asse emeris.
Rogare nemo rem velit, quæ emi queat.
Sine pretio quod fit tuum, non est tuum.
Ubi copia est vendentium, ibi etiam vilitas.
Vendacem oportet non emacem sillicum.

Videatur & titulus *Possessionis, Dominii, Lucri, Quæstus, Permutationis.*

Episcopi.

¶ Sententiæ patrum græcorum.

D. Nazianzenus: Quemadmodum in corpore aliud membrũ principatum tenet, ac veluti præsidet, aliud subest ac regitur: ad eundem quoque modum Deus, vel æquivocatis lege, quę meritum cujusq; perpendit; vel etiam providẽtiæ, per quam omnia inter se devinxit; hoc in Ecclesiis constituit, ut alii pascantur & pareant, quibus videlicet id utilius est, ac tum sermone, tum opere, ad officium dirigantur, alii autem ad Ecclesiæ perfectionem, pastores ac magistri sint; nimirum qui virtute conjunctioneq; & familiaritate apud Deum, vulgo sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes. *Oratione prima.*

Paullo post: Par meo quidem judicio malum est, ac peræque inordinatum, & omnes præesse atq; imperare velle, & neminem id suscipere. nam profecto, si omnes hoc, sive ministerium dicere oportet, sive imperium, defugiant, maxima ex parte claudicabit; nec jam pulchritudinem suam retinebit pulchrum illud Ecclesiæ complementum. Nec vero alienum est aut præposterum, multos ex iis qui divinarum rerum studio dediti sunt, e subditorum classe atq; ordine ad imperium evehi; nec ab usitatis philosophiæ legibus remotum, ac cum probro & dedecore conjunctum: quemadmodum nec probro nautæ proretam esse, nec proretæ qui ventos rectè & cum laude observarit, clavum regendum suscipere: aut, si libet, forti ac strenuo militi præesse cohorti, & ei qui cohorti rectè præfuerit, exercitum ducere, totiusq; belli principatum suscipere.

Nazianzenus: Primum est cavendum, ne admirandæ virtutis mali pictores existamus, aut, ut rectius loquar, pictorum non fortasse malorum, multorum quidem certè malum exemplar: aut à parœmia non longe recedamus, aliis mederi tentantes, cum ipsi ulceribus scateamus. Deinde; ut etiam sese aliquis ab omni peccati labe purum conservet, aut quam maxime, haud tamen scio, idne ei sufficiat, qui alios ad virtutum erudire parat. Neque enim ab eo, qui hanc curam suscepit, hoc solũ requiritur, ut malus non sit (malum enim esse, pleriq; etiam è vulgo turpissimum censent:) verùm etiam ut virtute præstet, juxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere jubemur. Nec ut vitiosas animæ notas dumtaxat expungat, verum ut meliores etiam inscribat: ita ut magis virtute antecellat, quàm honore ac dignitate superet: nec modum sibi ullum honestè vivendi, atq; altius ascendendi constituat, nec lucro potius, id quod arripuit, quàm damno, id quod effugit, deputet: verum quod præ pedibus est, gradum ad id, quod deinceps sequitur, esse arbitretur: nec virtute vulgus anteire, magnopere amplum atque illustre judicet: verum detrimento ducat, si a suscepti muneris dignitate absit. Sicque se comparet, ut, quod ex virtute gerit, ad legis divinæ normam, non autẽ ad alios (sive mali illi sint, sive nonnihil in virtute processerint) expendat: nec virtutẽ, quæ Deo optimo maximo, à quo omnia, & in quem omnia, debetur, exigua lance ponderet. Nec eadem omnibus convenire putet (quemadmodum nec statuæ omnibus eædem sunt, nec ovis lineamenta, nec animantium naturæ, nec terræ qualitates, nec eadem siderum omniũ pulchritudo & magnitudo) verum privati quidem hominis vitium esse existimet, turpia supplicioque digna, & quorum lex dura & gravis domina est, perpetrare: præfecti autem vel Antistitis, non quàm optimum esse, nec novas subinde virtutũ accessiones facere: si quidem virtutis suæ præstantia multitudinem ad mediocritatem tracturus sit, ac non per vim cohibiturus, sed persuasione allecturus. Nam quod vi ac necessitate exprimitur, præterquam quod tyrannicum est, minimeq; laudandum, ne firmum quidem ac stabile est. Solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac planta per vim manibus infiexa, simul ut dimissum fuerit, ad se rursum redire: quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquissimum ac firmissimum esse solet, utpote benevolentiæ vinculis adstrictum atque conservatum. Ac proinde vel maximè id lex nostra & legislator noster sanxit, ut grex non coactè, sed sponte ac libenti animo pascatur. *Oratione prima de fuga in Pontum.*

D Nazianzenus: An vero fieri potest, ut cum in media tempestate jactemur, fluctuumque strepitu undique obtundamur; peritè gregem pascamus? *Oratione sexta.*

Mox: Dic quæ pascua petenda, qui fontes adeundi, ac rursus quæ pascua vitanda, qui latices: qui oves baculo regendi, qui fistula: quo tempore ad pascua ducendus grex, & quo rursus à pascuis revocandus: quomodo bellum lupis inferendum, quomodo non lacessendi pastores, hac præsertim potestate, qua stulte se gesserunt, atq; oves pascuæ dispersernnt; quomodo quod infirmum est roborabo, quod lapsum est erigam, quod oberrat in viam reducam, quod periit cõquiram, quod integris viribus est conservabo: quo, inquam, modo hæc addiscam, atq; ita ut recta pastoralis artis, vestraq; ratio postulat, custodiam; ac non, quod scelerati pastoris est, lac comedam & lana induar, & pinguissima quæq; jugulem aut vendam; reliqua autem bestiis & præcipitiis relinquam, meipsum pascens, non gregẽ.

D. Nazianzenus: Cùm suscepisset ecclesiam ob Antistitis inopiam squalore affectam atq; in vepres redactam; primùm quidem ferinos hominum mores haud magno negotio mitigavit, tum pastoralis artis sermonibus, tum etiam quod se velut spirituale quandam statuam ad optimæ cuiusque actionis pulchritudinem expolitam, ad imitandum proponeret. Deinde in sactarum literarũ meditatione summa cum animi contentione versatus, quamvis serius ad hujusmodi studia sese contulisset, tantum eruditionis brevi collegit, ut nec aliis in rebus quoquam eorum, qui diuturno temporis spatio laboraverant, inferior esset; ac præterea singularẽ hanc à Deo gratiam acciperet, ut orthodoxæ doctrinæ pater & magister efficeretur, non, ut hujus temporis sapientes, una cum temporibus se inflectens, nec fidem nostram medio quodam & artificioso modo defendens, ut ii, qui fidei firmitatem non habent, aut veritatem cauponum more adulterant: quin potius ita se comparans, ut & eruditos pietate, & pios eruditionis laude superaret, aut, ut rectius loquar, ita secundas doctrinæ ferret, ut tamen pietatis primas obtineret. *Orat. 19. in funere patris.*

D Nazianzenus: Affectus primariæ sedis honore Basilius, minimè commisit, ut ulla in re postea, vel philosophiæ suæ, vel eorũ, qui hoc munus ipsi crediderant, spei dedecori esset. quin potiùs, quantum alios prius, tantum quotidie seipsum vincebat, optimè utique ac sapientissimè de his rebus sentiens. Sic enim existimabat, privati quidem hominis virtutem in eo consistere, ut vitio careat, aut quoquo modo probitatem colat: principem autem & antistitẽ, ac præsertim hujusmodi imperium gerentem, improbitatis notam effugere non posse, nisi multum antecellat, ac melior in dies existat, pareatq; dignitati suæ ac throno virtutem afferat. Vix enim esse, ut per summum medium assequatur, ac per exuberantem virtutis amplitudinem vulgus ad mediocritatem pertrahat. Imò verò, ut rectius de his rebus disseram, quod ego in Salvatore prospicio, atque etiam, ut opinor, sapientiorum quilibet, quo tempore nobiscum extitit, id quod supra nos, & nostrum erat, formatus, hoc quoque hic contigisse animadverto. Proficiebat enim, inquit, ut ætate, ita etiam sapientia: non quod hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius esse posset?) sed quod hæc paulatim detegerentur & elucerent. Eodem modo Basilii virtutem eo tempore, non incrementum, sed majorem operationem accepisse arbitror, uberiorem nempe materiam suppeditante potestate. *Oratione 20.*

D. Nazianzenus: Primariæ sedis dignitatem nobis eripient? quam prudentum etiam quispiam aliquando admiratus est: num autem eam fugere, ut mihi quidem videtur, primæ & singularis est prudentiæ. Propter hanc enim res omnes nostræ jactantur ac concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ suspicione & bello flagrãt, eoque surdo quodammodo, ac ne nomen quidem habente. Propter hanc periculum est, ne, qui à Deo creati sumus, hominum fimus, ac magnum illud & novum nomen amittamus. Utinam autem

tem ne ullus quidem sedis principatus esset, nec ulla loci prælatio, & tyrannica prærogativa: ut ex sola virtute cognoscerentur. Nunc autem dextrum hoc, & sinistrum, ac medium latus, & sublimior atq; & inferior gradus, & præcedere, & simul incedere, multas nobis contritiones incassum peperérunt, ac multos in foveam impulerunt, atq; ad hircorum regionem abduxerunt, non plebeiorum tantum, sed etiam pastorum, qui, cùm magistri Israelis essent, hæc ignoravérunt. *Oratione 28.*

D. Nazianzenus : Quemadmodum subterráneæ aquæ, partim in imo prorsus occultantur, partim in angustias redactæ ebulliunt, atq; eruptionem jamjam quidem auribus pollicentur, cæterum adhuc morantur, partim deniq; in altum erumpunt: ad eum modum eorum, qui de Deo philosophantur (ut eos, qui omnino improbi ac perfidi sunt, missos faciàm) alii abditam omnino atq; occultam sibi ipsis pietatem habent: alii à partus doloribus non longe absunt (inimirum, qui impietatem quidem fugiunt, sed pietatem libero atque intrepido animo minimè prædicant (sive consilio quodam in fidei doctrina utentes, sive ob metum atq; ignaviam eo confugientes:) verum omnino quidem & mente sani sunt, ut affirmant, cæterum plebis sanitati minimè consulunt (perinde atq; ipsi sese, non item alios, suæ curæ ac fidei commissos habeant) alii vero thesaurum quoq; in medium proferunt, pietatis fœtum, parturientium instar, retinere nequeuntes, nec, quod soli ipsi salutem consequantur, salutem existimantes, nisi in alios quoq; bonum hoc redundet. Quo in numero utinam ipse colloter, adsi qui mecum laudabili audacia prædíti, piam doctrinam profiteri non verentur. *Orat 32.*

D. Nazianzenus: Lucerna corporis est oculus, non hic tantum qui corpore eo modo cernit ac cernitur, sed is etiam qui spiritualiter speculat & spectatur. Lucerna autem Ecclesiæ est Episcopus. Itaque quemadmodum cum ille pure & integrè se habet, corpus quoq; rectè ducitur; cum autem impurus est, non recte: consimile quoq; ratione utrolibet modo sese Ecclesiæ antistes habuerit; omnino vel periculi, vel salutis participes esse necesse est. *Epistola 22.*

D Nazianzenus: Tu quidem viriliter age & confortare, omniaque ad tuam unius gloriam, quemadmodum fluvii torrentes, trahe: nec amicitiam, nec vitæ consuetudinem ac familiaritatem, virtute ac pietate potiorem habens, nec quæ ex his rebus hominum opinio de te futura sit, quicquam curans, sed uni duntaxat Spiritui te addicens. Nos verò id duntaxat lucri ex amicitia tua capiemus, ut amicis posthac minimè fidamus, nec Deo quidquam præferamus. *Fine Epistolæ 31.*

D Nazianzenus: Si quis est qui putet, Episcopo vivente, alium institui non debere, is sciat ut hac quidem in parte nobis causa superiorem esse. Inter omnes enim constat me non Nazianzi, sed Basilimorum antistitem creatum esse; tametsi in patris reverentiam; & eorum qui supplices hoc a me contenderunt, ad breve tempus præfecturam, quasi hospites suscepimus. *Epist. 42. fine.*

D Chrysostomus: Coepiscopis & Diaconis. Quid hoc? an unius civitatis multi erant episcopi? nequaquam: sed presbyteros isto nomine appellabat. Tunc enim nomina adhuc erant communia; atq; ipse etiam episcopus vocabatur diaconus. idcirco ad Timotheũ scribens, inquit: Diaconatum, id est ministerium tuum imple; cum tamen ille episcopus esset: quod constat ex verbis illis ad eundem scriptis: Manus citò ne cuiquam imposueris. & rursus: Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii: presbyteri verò episcopum non ordinassent. & rursus ad Titum scribens inquit: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi; si quis sine crimine est, unius uxoris vir: quæ quidem de episcopo dicit. Atq; hæc cum dixisset, statim addidit: Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbũ. Antiquitus igitur, quemadmodum dicebam, ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi, & diaconi Christi. Quocirca vel hodie multi episcopi ita scribunt; compresbytero, & condiacono. Procedente verò tempore proprium cuiq; distributum est nomen: ut hic quidem episcopus, ille verò presbyter appelletur. *Homil 1. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Nonne videtis quomodo legatos cuncti circumstant & observant? nos autem Dei legationis munus obimus apud homines. Qui hæc autem effecimus, non sumus nos sed ipse episcopatus? non iste aut ille, sed episcopus. Nemo me audiat, sed dignitatem. Non me contemnis, sed sacerdotium, si me eo videris nudatum, tunc me contemne; tunc nec ego timor imperare. Quamdiu autem in hac sede sedemus, quamdiu habemus præsidentiam, habemus & auctoritatem, & virtutem, etiamsi simus indigni. *Homilia 3. ad Colossenses.*

Chrysostomus: Aequum est ut qui à Deo missi sunt ad homines, tanquam à cœlo nunc venientes legati, magno fruerentur honore. *Hom. 2. ad Thessalon.*

Chrysostomus. Doctorem nihil oportet gravatè facere eorum quæ tendunt ad salutem discipulorum. Nam si beatus Jacob noctu & diu laboraverat in ovium custodia: multo magis eum cui creditæ sunt animæ, etiamsi si opus laboriosum & vile, omnia oportet facere, unum solum spectantem, nempe salutem discipulorum, & quæ inde Deo existit gloriam. *Hom 2. ad Thessalonicens*

Chrysostomus: Necesse est ut qui præest, multas habeat occasiones deprimendi & dejiciendi animi, sicut medici necesse habent in multis esse molesti laborantibus, & cibos & medicamenta parantes quæ voluptatem quidem non habent, sed multam utilitatem, & sicut patres crebro filiis sunt molesti: ita etiam doctores; & multo magis. Nã medicus quidem etiamsi ab ægrotis habeatur odio, ei tamen bene volunt qui ad eum attinent, qui & ipsi non sunt ingrati, & sæpe ei qui ægrotat. Porrò autem pater quoque tam natura quam externis fretus legibus, magna facilitate utitur suo in filios imperio: & si invitũ castigaverit & increpaverit, nemo est prohibiturus, sed nec ille ipse eum audebit ex adverso aspicere. In sacerdote autem magna est difficultas. Atque primum quidem debet imperare ac præesse volentibus ac lubentibus, & qui ei gratiam habeant quòd imperet. Fieri autem non potest ut hoc scito accidat. Nam qui arguitur & reprehenditur, cujusmodicumque sit, omnino mittens habere gratiam, est infensus. Similiter faciet & is cui suadetur, & qui monetur & rogatur. Si itaque dixero, pecunias tuas effunde in egentes, dixi quod grave est & molestum. Si dixero, sedà iram, animi extingue furorem, nefariam compesce libidinem, ex deliciis aliquam partem amputa, sunt omnia gravia & molesta. Etsi castigavero socordem & ignavum aut abduxero ab ecclesia, aut ei communibus precibus interdixero, dolet, non quod ab iis exciderit, sed propter cõmune probrum ac dedecus. Nam hoc quoque est morbi incrementum, quod prohibiti à spiritualibus, non dolemus propter bonorum tantorum privationem, sed propter eorum qui vident pudorem. rem ipsam nõ horremus nec extimescimus. *Hom 10. ad Thessalonicenses.*

Chrysostomus: Deum rogate pro nobis. Atq; id quidem quod sit est pro nobis, pro vobis autem est universum. Adjicit enim quod est vobis utile sumus collocati, & de rebus vestris sumus solliciti. Rogate unusquisq; & privatim & publicè. Vide Paulum dicentem, Ut pro domo nobis dato per multos à nobis agantur gratiæ: hoc est, ut multis det gratiam. Si apud homines, reos condemnatos, & qui ad mortem abducuntur, accedens populus postulavit, & multitudinem respiciens & reverens Imperator, sententiam revocavit: multo magis vestram respiciet & reverebitur; non multitudinem, sed virtutẽ. Acrem enim & vehementem habemus hostem, ut unusquisq; enim vestrum res suas curat & de eis est sollicitus: nos autem simul omnium. Stamus in ea parte belli quæ laborat. Adversus nos diabolus armatur vehementius. In bellis enim, ante alios omnes belli ducem sternere conatur adversarius. Propterea illuc omnes currunt conjunctis clypeis. Propterea magnus est tumultus, unoquoq; conante eum de medio toliere, clypeis illum circumtegunt ac muniunt, illius caput volentes conservare. Audite quid Davidi dicat totus populus. Non David meipsum conferens hæc dico: non ita insanio; sed populi adversus principem ostendere volens benevolentiam. Ne egrediaris, inquit, ad bellum nobiscum; non extinguatur lucerna Israel. Quantum parcebant seni? Vestris precibus valde egeo. *Homilia 4. ad Thessalonic. 2.*

Chrysostomus: Fratres Christi similiter sumus: omnia sunt nobis communia. In quonam ergo exupero? In curis, in laboribus, in solicitudinibus, in eo quod pro vobis doleo. Sed nihil est hoc dolore suavius. Nam & mater dolens pro filio, dolore delectatur: de suis natis est solicita. Lætatur solicitudinibus. Atqui solicitudo quidem per se res est amara: sed quãdo ea fuerit pro filiis, multam habet voluptatem. Multos ex vobis genui, sed postea fuerunt dolores partus. Nam apud patres quidem corporales, prius sunt dolores, & tunc est partus. Hic autem ad ultimam usque respirationem sunt dolores; ne etiam post partum sit aliquid abortivum, idq; ego desidero. Nam etiamsi alius genuit, ego tamen curis dilatior. Neq, enim ex his generamus, sed totum est Dei gratiæ. Si à tem ambo parimus per spiritum, non aberraveris, si & eos qui ex me nati sunt, illius, & eos qui ex illo nati sunt, meos appellaveris. *Homilia 4. ad Thessalonicenses 2.*

Chrysostomus: Cum de Episcopis loqueretur Apostolus, multaq; dixisset, quæ essent in episcopo necessariò requirenda, nusquam cernitur leges de ætate tulisse. Quod si dixerat, alios habentem subditos, & unius uxoris virum: no idcirco ait quasi necessarium sit & uxorem habere, & filios: cæterum si quando forte contigerit ex fecullis hominibus aliquem ad hujusmodi ordinem provehi, talem esse præcepit, qui & domui præesse & filiis, & omnibus reliquis sciret. Nam qui secularis quum esset, in eis inutilis repertus, quæ ad hanc rem familiarem necessario pertinent, quo pacto illi ecclesiæ cura, regimenque permittitur. *Hom 1 ad Timoth 1.*

Chrysostomus: Necessario qui doctoris fungitur munere, pericula sustinet, & multo plura quam discipuli. Percutiam enim, inquit, pastorem, & dispergentur oves. Quoniam igitur ista rei natura est, diabolus vehementius adversus eos armatur, majorique fertur insania: quippe quum ex eorum cæde, gregis quoque detrimenta sequũtur. Nam qui ovem jugulat, gregem quidem imminuit. Porro qui pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem dissipabit: itaq; minori cum labore majora detrimenta molitur, atq; una anima ducta simul perdere, atq; vastare contendit, atq; ideo illis acrius simas inget: quocirca statim ab ipsis initiis ipsius erigit animum. Salvator, inquies, habemus Deum, & Christum spem nostram. Patimur multa, sed magna nitimur spe, pericula insidiasque perpetimur, sed salvatorem habemus, non hominem, sed Deum: Neque igitur qui salvat, infirmus est: Deus quippe est, & quantacunque pericula fuerint, nos superare non poterunt: neq; spes nostra confunditur, Christus enim est. His igitur duobus jam adminiculis maximis freti, pericula ferimus, quod scilicet aut celeriter liberamur atq; salvamur aut meliori spe nutriti, facile cuncta toleramus. *Homilia 1. ad Tim 1.*

Chrysostomus: Quantalibet quisq; animi virtute polleat, cum tamen clavum & ecclesiæ gubernacula suscipit, inseparatis fluctibus quatitur, & variis undiq; negotiis actus, penè submergitur. *Initio Homiliæ 1. ad Timoth. 2.*

Chry-

Chrysostomus: Doctoris sacerdotisque dignitas magna est, atque mirabilis, & quæ revera divina sententia comprobranda sit, ut quis ea dignus adducatur in medium: ita & pridem fiebat, ita nunc quoque fit, quoties absq; humana passione hujusmodi electiones celebramus, quum nihil omnino seculare, nihil temporale intuentes neque ad gratiam, neq; ad odium facimus. Nam & si tanta nobis spiritus plenitudo non adest, sufficit voluntas optima, vel sola, Deum ut ordinationi nostræ concurrat attrahere: quippe ne apostoli quidem tunc spiritus gratiam adepti erant, quum Matthiam elegerunt: sed orationi negotium permittentes, ipsum apostolorum numero adjecerunt: neque enim intuebantur humanæ amicitiæ gratiam: ita nobis quoq; faciendum est: enimvero ubi ea quæ certa sunt, omnibusque manifesta, negligimus, quo pacto nobis Deus revelabit incerta? Si in modico, inquit, fideles non fuistis, quod magnum & verum est, quis dabit vobis? Tunc autem quia nihil fiebat humanum, sacerdotes etiam ex prophetia veniebant. *Hom. 5. ad Timot. 1.*

Chrysostomus: Nunquam eadem vobis repetere desinemus, donec penitus insinuentur cordibus vestris, atque in opus erumpant. Nam summo profecto affectu, & eximia benevolentia in vos istud agimus, partim etiam ob id quod nobis periculum imminet. Quippe tubicinem, etsi nemo ad bellum profecturus sit, tuba tamen canere oportet, suumq; munus implere. Non itaq; ut vobis majorem cruciatum præparemus, si negligatis, hoc facimus: sed ut & nostrum periculum evitemus, & charitatis debito vestris commodis consulamus. *Homil. 6. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Episcopatus ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaq; speculetur. *Initio Homiliæ 10. ad Timot. 1.*

Idem: Irreprehensibilem. Hoc unico verbo genus omne virtutis expressit. Itaq; qui sibi vel levis culpæ conscius est, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit. Non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar Solis cæteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atq; compositam, ut omnes in illum & in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur. *Homil. 10. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Oportet eum qui doctoris officium suscipit, ita se agere, ut despici contemniq; non possit. sed fortasse dicturus es: Ubi modestia ac mansuetudo sacerdotis elucebit, si semper in honore sit, neq, contemptui pateat? In his quidem, quæ ad se pertinent, si contemnatur sane, constantissime ferat: ita enim per patientiam virtus prædicationis ostenditur. Verum in his, quæ aliorum tangunt salutem, contemptui omnino non pateat. Id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ. Nam siquidem injurias in se, si maledicta, si insidias ulcisci velit, rite omnino culpabitur. Verum ubi alienæ salutis negotium agitur, imperio utatur, atq; ex culmine auctoritatis, ne quid noxium immineat gregi, summa cura provideat: neque enim hoc in loco mansuetudine, sed auctoritate opus est, uti ne ecclesiæ utilitas pereat. *Hom. 13. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Si medici infirmos exhortantur, non ut ipsi potiantur sanitate, sed ut illos ægritudine liberent, jacentesque sublevent; multo magis nos ea regula uti debemus, & eos exhortari quos docere debemus. *Hom 16. ad Tim. 1.*

D. Io. Chrysostomus. Magna me tenet admiratio eorum qui ejusmodi onera appetunt. Infelicissime hominum ac miserrime, non aspicis cujus rei desiderio tenearis. nam si solus ac privatus sis & ignobilis atq; obscurus, quantumlibet multa peccaveris, unius absque animæ ratio exigenda erit, hujusq; tantummodo neglectæ ac perditæ pœnas exsolves. At episcopus audi D. Paulum: Obedite præpositis vestris, ipsi enim invigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri. Honoris ac principatus dulcedo te allicit: et quæ nam obsecro, hujusmodi honoris voluptas esse potest; ubi in potestate subjectorum positum est obedire vel non. Imo non ad principatum promovetur talis, sed potius ad servitudum innumeris dominis, qui contraria cupiunt semper & dicunt. nam quod laudabit ille, culpabit alius; rursumq; quod iste vituperabit, alius admirabitur. Quem igitur audire magis, cuive potius obtemperare oporteat, discernere facile non est. Et servus quidem emptitius, etiamsi contraria dominus imperaverit, vel indignari & ferre graviter potest. tu vero si tam multis dominis contraria imperantibus, quo te vertas non habeas, mutusq; sis, hujus quoque rei dabis pœnas, ora in te omnium aperiens. Hoccine quæso honor existimatur, hoc principatus, hoc potestatis insigne? *Ad Titum Homilia prima.*

D. Io Chrysostomus: Is quidem cui Ecclesiæ principatus est creditus, quiq; dignitate episcopatus ornatus est, nisi populo quæ agenda sunt dictet, non erit innoxius. at Laicus quidem nulla hujusmodi necessitate constringitur. *Ad Titum homil. 1.*

Isidorus Pelusiota: Multi te traducunt ut pecuniis, ac non Spiritui, manuum impositionem in sacris initiationibus committentē. Ac siquidem calumniatores agūt, vim numinis ultricem in seipsos attrahunt: siquidem perdet Deus omnes qui loquuntur mendaciū. Sin autem vera loquuntur, nosce quem ad finem tendat hoc malū, quod contumeliam in Deum exiguo lucro cōmutasti. Et quis pro te orabit? Quandoquidem nec pro Ophni & Phinees qui adversus Deum, ipsiusq; sacerdotium peccaverant, inventus est quisquam, qui deprecatoris partes susciperet: verūm in extremum exitium, ut sacerdotii dignitatem prodentes, conjecti sunt. *Lib. 1. Epist. 26.*

Isidorus Pelusiota: Si venerandi altaris Diaconi, Episcopi oculi sint, profecto cum tu Dei permissu ipsius præsis, totus oculus esse debes, quemadmodum animalia illa plurimis oculis prædita (quoniam etiam propinquitatis ad Deum ratione, ea imitaris, non vita, ut audio, sed sola muneris sacri functione) ac non improbis studiis atq; consiliis, & honorandum illum chorum ac sodalitium, & Episcopum tibi temerè ac sine judicio morem gerentem obscurare, divinumque sacrarum per avaritiam contaminare, dum opes tibi ipsi per numariam manuum impositionem aggeris. Dominus enim eos, qui columbas vendebant, flagris à templo expulit. Quamobrem ne tu quoque eodem modo submoueasimilis, desine opes ita augere, ac materiam futuro igni parare. *Epist. 29. lib. 1.*

Isidorus Pelusiota: Speculatorem dedi te, inquit Scriptura: & videbis gladium venientem, & annunciabis. Ac siquidem è somno experrecti sobrium animum præbeant, atq; ad veritatem obedientes excubent, & tibi & illis ea res utilitati ac saluti erit. Si autem aspidum more aures occluserint tu certè, quod partium tuarū est, præstiteris. Considera igitur ne voce sola testari videaris, ac non item rebus ipsis, quippe qui imperii habenas, iis, quos circum te habes, permittas, gratiamq; impiè ac nefariè vendas. Neq; enim manuum impositiones auro committere licet, nec eorum, qui ad sacros ordines adducūtur, vitam ac mores ignorare, nec item alios sceleris authores proferre, in corrupto illo atq; horrendo tribunali. Neque enim Adamum culpa & supplicio liberavit illud de uxore responsū, & causificatio, cùm scilicet excusandi sua causa se ipsius suasu atque consilio interdictum fructum percepisse diceret. *Lib. 1. Epistola 30.*

Isidorus Pelusiota: Non est quorumlibet, vir præclare, Episcopatum appetere: verùm eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur. Quamobrem si illam in teipso sinceritatem perspicis, libenti atque alacri animo ad tanti fastigii ascensum perge. Sin autem ea tibi deest, quoad ipsam adeptus iis, ea, quæ attingere nefas est, minimè attinge. Cave ne ad ignem, qui materiam absumit, accedas. *Lib. 1. Epist. 104.*

Idem: Episcopus, ex ipso nomine, quid ipsius muneris atq; officii sit, perspectum habere debet. Eum enim invisibilium & occultarum ferarum impetus, ecclesiæ ignavias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillorū egestates, altaris suspiciones, Diaconorum morbos, juvenum flagitia, senum mala consilia, speculari oportet, atq; omni ex parte oculum esse, omnia prospicientem, nec quicquam negligentem. Quorum si quid per incuriam prætermittatur, non ipse solus plectitur, sed etiam cum eo universa persæpe ecclesia: ipse nimirum, quod cū hujusmodi moribus esset, divini sacerdotis munus obire minimè dubitavit, tantumque negotium aut sponte suscepit, aut furore atq; amentia percitus emit: hæc autem, quod hujusmodi viro sacerdotium indignè mandavit. *Lib. 1. Epist. 149.*

S. Isidorus Pelusiota: Si invito animo, ac suffragiis & populi contentione, manibusq; coactus, Ecclesiæ curam susceptisti, opitulatorē Deum habebis, omnia ea, quæ ad supernum statum pertinent, tibi ex animi sententia dirigentem. Si autem pecuniis, ut rumore jactatur, thesaurum, quem pretio addicere nefas est, persecutus es, ac Simonis in modum sacerdotium consequi cupiisti, non est tibi pars nec sors in hoc sermone. Nam quæ sequuntur, pro mea erga te indulgentia prætermittam. Illud unum animadverto, quod Caiphas etiam sacerdotium emerat, cùm adversus Christum illud armavit. Quocirca quisquis sacerdotium emercatur, hunc Christi carnificem Caipham esse constat. Nam quæ propter opera vitæq; rationem in fide accipere nequit, ea impiis donis ac largitionibus consequitur. *Lib. 1 Epist. 315.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem oculus universum corpus moderatur, faciemq; exhilarat, & exornat, atq, omnium membrorū lucerna est, propterea velut in regia quadam sede collocatus est, ut qui supernam sedem nactus sit aliisq; sensibus præsideat. Quemadmodum enim Sol in terrarum orbe, sic quoq; oculus in corpore est. Et quemadmodum ille, si extinguatur, omnia perturbabit: sic etiam extincto oculo, & pedes & manus ac totum pene corpus inutile redditur. Quorsum hæc dixi? Nempe quia magister quoque corporis Ecclesiæ oculus est. Quare si hic lucidus fuerit, hoc est virtutum radiis splendeat, totum corpus lucidum erit, utpote quod ab ipso regatur & gubernetur, eamq;, quam par est, curam consequatur. Si autem tenebrosus sit, hoc est, ea, quæ tenebris digna sunt, perpetret, universum propemodum corpus obscuratur. Nam etiamsi quidam sint in membrorum classe, qui rectè valeant, eaque, quæ ipsorū officio consentanea sint, præstent, nec ex magistri improbitate ac nequitia detrimenti quicquam contrahant: at nihil tantum possunt, labe nimirum ac vitio potissimas partes depascente, reliquosq; ad præceptoris imitationē extimulante, ac sanos & incolumes maledica oratione infectante, omniq; ratione, ut ipsos quoq; in morbum conjiciat, moliente. Ob eamq; causam dictum est, Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sint, tenebræ ipsæ quantæ erunt? velut si quispiam dicat Ecclesiæ, tyrannicis cupiditatibus devinctum magistrum habenti: Si is qui aliis prodesse, ac lumen afferre debet; ne illuminari quidem sustinet, verūm eos quoq; qui prodesse instituunt, amolitur, qui sub ipsius imperio sunt, à quo tandem flagitio abstineant? *Libri 2. Epist. 117.*

S. Isidorus Pelusiota: Etsi Chæremon, qui Diaconi speciem gerit, perinde facit, ut si morbus insanabilis potestatem acceperit, nulli rei, quam expetat, parcendi: verū iis, qui sanitatē allaturos sese profitentur, valere jussis, iis cibis, qui mortem accersunt, se pascat: tamē non tam cum, quàm Eusebium, qui divina mysteria ipsius fidei cōmittere

mittere minimè veritus est, totac tantorum malorum authorem se arbitror. Nam qui semina præbuit, is videlicet plantarum etiam causa est. *Lib. 3. Epist. 58.*

Idem: Oculi sitat Episcopi venerandi altaris diaconi. Tu verò cũ horũ iis permissione divinâ princeps, totus oculeus esse debes, perinde ut illa multis oculis prædita animalia, (quę propinquo ad Deũ accessa imitaris, non vita, ut audio, sed sola sacri muneris functione, neq; per improbas actiones offundere tenebras, & venerabili illi sodalitio ac cœtui, & Episcopo, qui tibi absque judicio obsequitur: neq; divinum altare avaritiæ iniquitate contaminare: neq; electiones quæstui habere, ut ex illarum pretio opes ac reditus tibi compares. Nam eos quircoinmbas vendebant, Christus flagellatos ex templo proturbavit. Quare ne tu quoq; unà cum illis expellare, desine tales divitias colligere, & materiam ac pabulum futuro igni sempiterno præparare. *Lib 4. Epist. 8.*

Idem: Nudis autem dicentibus, Hic nobis vi frigoris acerbiorem se præbuit: ægrotis item, graviorem se nobis hic, quàm morbus, exhibuit: pupillis, Nihil ab hoc opis ac præsidii consecuti sumus: viduis, Hic consolatoriam orationem minimè nobis commodavit: in vincula conjectis, Hic nullas commiserationis lacrymas nobis fudit: calamitosis, Hic medicam manum nobis minimè porrexit: ac deniq;, ut summatim dicam, omnibus iis, quorum Episcopus creatus est, eum clamore insectantibus. Quid porro incorruptum illum judicem facturum putas? An non in eum acrius animadversurum, qui ne ex ipso quidem honore melior effectus est? Nemini profecto id obscurum est. Quod si quis meis verbis diffidit, sententiam quoque ipsi recitabo. Dividet enim eum, partemq; ejus cum infidelibus ponet. Hæc igitur cum animis nostris reputantes, divinas res ludibrio ne habeamus. Nam qui privatis etiam rationibus reddendis vix pares fuerimus, posteaquam tot populorum clamores & insectationes nobis ipsis comparavimus, ubi tandem os nostrum ostendemus?

Synesius: Postremo Deum pro me deprecare, pro derelicto enim precaberis, atq; omnibus destituto, taleq; adjumentum desiderante, quoniam pro me ipse Deum compellare vereor. In contrarium enim mihi omnia recidunt ob projectam temeritatem, quod homo peccatis inretitus, extra Ecclesiam educatus, alio disciplinæ genere institutus, ad altare Dei accedere non dubitaverim. *Epist. 67 fine.*

Synesius: Nosti ad certum anni diem mortem mihi prædicta fuisse: fuit ille ipse quo sum Episcopus factus. sensi ego mutationem vitæ, quam cum hactenus perpetua quadam hilaritate, ac velut festiva celebritate traduxissem, cum honores humanos omnemq; animi voluptatem supra eos omnes qui se unquàm Philosophię dederunt essem expertus, non minus ob externa illa bona, quam ob animi statum atq; constitutionem: video me eodem tempore omnibus orbatum, ac despoliatum esse. *Epist. 78.*

Synesius: Ineptus essem si non Ptolomæis ingentes haberem gratias, quod me tantis rebus dignentur, quantis ne ego quidem me ipsum. verum non istud demũ quàm magna offerant spectare convenit, sed quàm sint ejusmodi, à me ut accipi possint. Etenim hominem divinos prope honores capere, siquidem dignus sit qui assequatur, ad animi fruitum accidit suavissimum: sin multum rei dignitate sit inferior, acerbam futuri spem proponit. Neq; enim recens ille mihi metus est, sed cum primis antiquus, ne quam rem in Deum peccans, honorem ab hominibus consequar. Ego verò cum meipsum considero, omnino inferiorem sentio, quàm ut Episcopali fastigio respondere possim. Ac sanè apud te de animi mei motibus disputabo. Neq; enim apud alium, quàm amicissimum tuum, unaq; mecum educatum caput, eo commodius istud facere possim. Te enim æquum est & earundem mecum curarum participem esse, & cum nocte vigilare, tum interdiu cogitare, quemadmodũ aut boni mihi aliquid contingat, aut mali quidpiam evitare possim. Audi igitur qui sit mearum rerum status, quarum pleræque jam, opinor, tibi fuerint cognitæ.

Cum exiguum onus suscepissem, commodè mihi hactenus sustinuisse videor, Philosophiam utrumvis. Pro eo vero, quod non omnino ab ea aberrare videor, à nonnullis laudatus, majoribus dignus ab iis existimor, qui animi facultatem habilitatemque dignoscere nequeant. Vereor autem, ne arrogantior redditus cum honorem admittens, ab utroq; excidam, postquam alterum quidem contempsero, alterius vero non sudo dignitatem assecutus. Sic enim habeto. Duobus hisce tempus identidem distinguo, ludo atq; studiis. Ac cum in studiis occupor, tum mihi uni deditus sum, in divinis præsertim: In ludendo vero, maximè omnibus expositus. Scis enim me, cum à libris oculos avocavi, ad omne ludorum genus esse propensum. Civilis porro curæ ac sollicitudinis & natura & studio penitus sum expers.

At Episcopum divinum esse hominem oportet, utpote qui ab omni ludo peræquè, atq; Deus ipse; alienus, & inexorabilis esse debeat: qui quo vitæ suæ propositum teneat, ab innumerabilibus oculis custoditur, quorum aut nulla, aut perexigua utilitas est, nisi ita sit factus quispiam, ut & ad mœstitiam sit compositus, & ad nullam voluptatem infringi, atq; emolliri possit. In iis autem quæ ad Deum pertinent, non ille sibi uni vacans, sed communissimus omnium esse debeat, ut qui legum doctor sit, & quæ legibus consentanea sunt loquatur. Necesse vero est ipsum tam multa unum negotia sustinere, quam multa cæteri simul omnes. Unus enim quæ omnium sunt, efficere debet, aut criminationibus omnibus obnoxius sit oportet. Quomodo igitur non ingentis cujusdam & maximi animi erit, tantam sollicitudinum molem, pondusq; sustinere, neq; iis mentem obruere, nec in animo restinctam divinam particulam intueri, cum tanta illum studiorum varietas distraxerit?

Nec me præterit fieri istud à nonnullis posse, atq; istiusmodi felicem indolem prædico, ac reipsa divinos illos esse viros censeo, quos assidua humanarum rerum tractatio nihil à divina consuetudine amoveat. Sed ego meipsum intelligo & ad vrbem descendere, & ab urbe ascendere esse solitum, iisq; rebus implicari, quæ ad terrena & infima detrahant: & quantis nemo dixerit sordibus inquinari. Nam ad ipsum, quod privatæ mihi & inveteratæ labes inoleverint, quicquid vel minimum adjectum fuerit, cumulatissimam accessionem facit. Robur autem nullum mihi est, nec quæ intus sunt satis firma, & ad externa sufficere nequeo, longeq; à conscientiæ angoribus ferendis absum. Ac quoties à me aliquis sciscitatur, palam sine ulla cunctatione dico: Episcopum nulla omnino labe pollui debere; multum ut ei superfit, tanquam qui aliorum piacula ac sordes abstergat.

Quinetiam in iis, quas fratri scribo literis, hoc apponi insuper necesse est, Omnino enim plæriq; epistolam hanc lecturi sunt. Nam hujus potissimum eam gratia dicta, i, quo manifeste omnibus constaret me onus istud reformidare; ut quicquid acciderit, & apud Deum & apud homines culpa omni carcam, impriisq; apud Patrem Theophilum. Cum enim mea omnia palam in medium proferam, atque ex omnibus de me illi deliberandi potestatem faciam, quid est, quod ego accusari meritò possim?

Mihi igitur ac Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus vxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico ac testor, neq; me ab ea prorsus sejungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere. Alterum enim nequaquam pium est, alterum illicitum. Sed hoc utique cupiam ac precabor, plurimos mihi & quam optimos esse liberos. Hoc unum ab eo ignorari non oportet, qui creandi vim habet, quod de sodali Paulo, ac Dionysio intelligere potest, quos quidem Legatos à populo electos audio. Illud vero docendus non est, sed in memoriam duntaxat ei revocandum; ac plura sane ea de re disputabo. Etenim cætera omnia si quis cum hoc uno contulerit, parva ac contemnenda censeantur.

Difficile est, vel fieri potius nullo pacto potest, ut quæ dogmata scientiarum ratione ad demonstrationem perducta in animum pervenerint, convellantur. Nosti autem Philosophiam cum plærisque ex pervulgatis iisce decretis pugnare. Etenim nunquam profecto mihi persuasero animum originis esse posteriorem corpore. Mundum cæteraq; ejus partes una interire nunquam dixero. Tritam illam ac decantatam resurrectionem sacrum quidpiam, atque arcanũ arbitror; longeq; abium ab vulgi opinionibus comprobandis. Animus certè quidem Philosophia imbutus, ac veritatis inspector mẽtiendi necessitati nonnihil remittit. Lux enim veritati, Oculus vulgo proportione quadam respondent. Et oculus ipse nõ sine damno tuo immodica luce perfruatur. Acuti opitalmicis caligo magis expedit, eodem modo mendacium vulgo profuisse arbitror, contra nocere veritatem iis, qui in rerum perspicuitatem intendere mentis aciem nequeunt.

Hæc si mihi Episcopalis nostri muneris jura concesserint, subire hanc dignitatem possim, ita ut domi quidem philosopher, foris verò fabulas texam, ut nihil penitus docens, sic nihil etiam dedocens, atq; in præsumpta animi opinione permanere sinens. Sin ita etiam movere se oportere dixerint, ac Episcopum opinionibus esse popularem, ego me illico manifestum omnibus præbebo. Vulgo enim cum Philosophia quid esse commune potest? Divinarum quidem rerum veritatem occultam esse convenit: vulgus aliomodo affectus esse debet. Rursum ego & sæpius dicam, cum nulla necessitas cogat. Neq; arguere, neq; argui sapientis esse duco. Sed si ad episcopale munus vocer, nolo mentiri dogmata. Horum Deum, horum hominem testes facio. Affinis est Deo veritas, apud quem criminis expers omnis esse cupio.

Hoc unum ego non dissimulabo. Cum ludendi appetens sim (utpote cui jam inde à pueritia armorum, atq; equorum immoderatũ studium probro datum fuerit) mœrore quidem afficiar; quomodo enim carissimos mihi canes venationis expertes intueri potero, vel arcus à teredinibus exesos? feram tamen utcũq;, si ita Deus jubeat. Et quanquam à curis alienus sim, non sine molestia quidẽ, sed ridiculas tamen ac negotia sustinebo, munus istud, etiamsi grave, Deo præstans. Dogmata porro mea nequaquam obtegam, neque mihi ab animo lingua dissidebit: Ita sentiens itaq; dicens, placere me Deo arbitror. Nolo autem sermonem de me cuiquam præbere, quasi ignotus creationem illam raptim occupaverim. Sed tanquam rei totius gnarus Deus carissimus Pater Theophilus, ac quemadmodum probè omnia norit perpicuè mihi significans, ita de me deliberet. Nec enim meo me in vitæ statu persistere, ac mecum philosophari permittet, aut judicii de me postea ferendi, neq; ex Episcoporũ numero expungendi locum sibi nullũ relinquet. Cum nis alia omnia consilia si cõ, arentur, meræ nugæ sunt. Veritatem enim scio Deo imprimis acceptam esse. Ac per sacrum caput tuum juro, & quod eo mihi antiquius est, per veritatis prædidem Deum, molestè id quidem fero, (qui enim non debeam, cum me ab uno ad aliud vitæ genus domigrare necesse sit?) sed si posteaquam ista manifesta fuerint, quæ cælari minime volo, in Episcoporum numerum nos adscribat, cui ejus potestas a Deo commissa est, cedam necessitati, ac tanquam divinitus oblatam tesseram accipiam. Ita enim apud me existimo. Si quid mihi aut Imperator præcipiat, aut infelix nescio quis Augustalis, pœnas utiq; dem, nisi mandatis obtemperem. Deo autem ipsi to

obtem-

obtemperandum est. Quod si me muneris hujus administrum repudiet Deus, vel ipso statim initio bonorum enim longe divinissima adamanda veritas est potius, quam contraria maxime ratione, cujusmodi mendacium est, in illius famulatum irrepatur. Quamobrem cura ut hæc à scholasticis intelligantur, & ad illum perferantur. *epistola* 105.

¶ LATINORVM.

Io. Saresberiensis: Episcoporum nomen & officium venerabile est, si tanta impleretur solicitudine, quanta interdum petitur ambitione. Et diligerentur ut patres, timerentur ut domini, colerentur ut sancti, si exactionibus parcerent, & projicerent ex animo quicquid provenit ex calumnia, & omnem quæstum minimè crederent pietatem. Cæterum sibi reverentiam subtrahunt & ambrem, dum honores ambiunt, pecuniam cupiunt, & vel suas faciunt, vel alienas calumnias fovent. Et quidem nescio quomodo notam & pœnam omnem evadant, qui exactionem totius calumnioſi quæstus sibi ad minus bessem vendicant. Nam ut solidum assem usurpant sibi, aut ut multum trientem, dumtaxat archidiaconis & aliis officialibus, ne dicam cum populo, ministris iniquitatis cedunt. Sed nec legati sedis Apostolicæ, manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac si ad ecclesiam flagellandam, egressus sit Sathan a facie domini. Concutiunt angulos domus, ut prosternant filios & filias ejus, qui languores & dolores animarum curavit in cruce. Commovent & conturbant terram, ut videantur habere quod sanari oporteat. Hic tamen non de omnibus sermo est, sed de his qui patris voluntate contempta, serviunt suæ. Constat enim quia in omni officio domus domini, sic relinquuntur quidam, ut alii assumantur. Vidi ego ipse in omnibus his, decanos scilicet, archidiaconos, episcopos, & legatos, tanta solicitudine operari in messe domini, ut merito fidei & virtutis rectè videri posset vineam patris in manu eorum prudenter & utiliter collocatam. At alii sic versantur, ac si ad Thebas in facinus exciturandas mittatur ab inferis Thesiphone vel Megæra. Nam fere ecclesiæ publica officia accesserunt. Apud hos

—— Judicium nihil est, nisi publica merces.
Atque equites in causa quisquet empta probat.

Justificant impium pro muneribus, exultant in rebus pessimis, lætantur cum mala fiunt:

Vixque tenent lachrymas, cum nil lachrymabile cernunt.

Si quidem peccata populi comedunt, & vescuntur eis, & in eis multipliciter luxuriantur. Acceptores personarum, & quasi quidam bonorum mallei hoc didicerunt, ab eis à quibus electi sunt. *Libro quinto capite decimosexto Policratici.*

Io Sariberiensis: Justitiæ quidem liberi sunt, & eo ducuntur spiritu, ut necesse non habeant esse sub lege. Statuat ergo lex quod placuit latori. nam isti privilegii principalis gaudentes beneficio, quicquid ambiunt sibi competere opinantur. Episcopos ad prima beneficia obligant, & de futura successione pacisci non verentur. Restat utique ut tristi pactio repleatur eventu, & illius quisque animetur & armetur in necem, cujus ambit successionem. Si enim cedere moretur, adversantur, vexant, & multipliciter concutiunt possessorem. Possessio namque parit adversarium actioni in rem. Si verò quispiam prælatorum suæ conditionis memor, eis pro voto nó obaudierit, amaras illico audit historias, eo quod indignum, & contumelioſum omnino reputant, si turpis & inhonesta petitio repulsam alicubi patiatur. Interim ergo alarum suarum feruntur remigio, nidificant in provinciis singulis, vix quot nidos habent, vel ipsi sciunt, diurna ad peragendas alicubi orbis plagas eis præparantur hospitia, & in tanto numero, vix hospitiolo uno donatur horridulus comes. Nam si quis hoc fecit, probatæ liberalitatis est. Utiq; & insignis prudentiæ, si quis tot quocumq; modo conquirit altaria, ut quasi ritu Memphitico, quotidianas hostias novis possit altaribus immolare. Nolunt tamen sacerdotio dominari, aut servire altario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam luxurientario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam luxurientur, sed personatos quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta. Et cum Apostolus dicat, qui non laborat, non manducet, qui minimum meretur, plus percipit, & in labores alienos ociosus aut flagitiosus ingreditur. Quis ergo dicat in hac emenda licentia, cum non res sacra sit, sed prophana, simoniam posse committi? Huc enim ut vulgo dici solet, per argenteum pontem transitur à sordibus, quæ transeuntem vel ponte aureo persequuntur. *Libri 7. nugarum Curialium capite decimoseptimo.*

Io Sariberiensis: Pœna repetundarum satis innotuit, & quod nisi in caussa esculenti & poculenti judici à provincialibus accipere non licebat, ita tamen ut accepta nequaquam cederent in muneris rationem. Quis ergo credet, quod patres Ecclesiæ, judices orbes, & ut ita dicam, clarissima lumina mundi, diligant munera, sequantur retributiones, provincias concutiant, ut excutiant loculos, eximiant alienos ut solident suos, verbis prædicent paupertatem, & criminibus ad divitias properent, bonorum spiritualium damnent commercia, ut cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat; id agentes ut omnibus sint terrori, a nemine a nullo, quietem doceant ut faciant rixas, humilitatem indicant & simulent, ut vendicent fastum, alienam pulsantes, & suam foventes avaritiam, dictantes largitatem tenacitati insistentes; denique cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portionem, aut flagitia venditantes in solidum, ut videantur concilium vanitati, iniqua gerentium, in Synagoga ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt, & dextera eorum repleta est muneribus? Absit ut hoc quisquam ausit suspicari! ne cadat in quemquam tantum scelus, ut os suum ponat in cœlum, & Patrum quæ non sunt pudenda denudet. Omnia eorum alba sunt & decora: nihil in eis est quod canino mortui pateat, aut sannam posticam vereatur. Si tamen quisquam hoc præsumpserit, ei uno validissimo respondebitur argumento, cui resistere & contradicere non audebunt omnes adversarii nostri. quo? inquis. Opera, inquam quæ ipsi faciunt testimonium perhibent de eis. Si locum quæris, effectum quo de caussæ sinceritate constet, attende: Cujus enim opus bonum est, ipsum quoq; est bonum. Si auctorem, eum qui ait? A fructibus eorum cognoscetis ipsos, &c. *Cap. 17. Policratici lib. 8.*

Idem: Tu vide in quo gradu ponendi videantur, quibus non sufficit divini juris licentia tondere & devorare pecus, nisi sæcularium legum implorent auxilia, & officiales Principum facti, ea committere non verentur, quæ facile alius quivis publicanus erubescat. Interim voluptati serviunt aut avaritiæ, & qui eos elegerunt vel admiserunt in custodiam sui, depopulantur & premunt, mortemque eorum desiderant, quos fovere oportebat in carne & spiritu. Tenent profecto memoriter illud Propheticum: Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices & plantes: quæ vero plantata invenerunt, nituntur avellere, ut ædificent domum Domini in muneribus manus, aut linguæ, aut obsequii, aut eos substituant explantatis, quos elegit affectio carnis, id est, aut genitos à se, aut sibi ab aliis carnaliter genitos. *Sub finem capitu.*

¶ POETARVM.

D. Nazianzenus de vita sua.

Οἱ γὰρ πεῖσθ' ἑρμῆς καὶ λαοῦ διδάσκαλοι,
Οἱ πνευμάτων δοτῆρες, ὧν ζωὴ θεός·
Θρόνων τ' ἄκρων ἐξηρτυμένων λόγος,
Οἱ πᾶσι κηρύσσοντες εἰρήνην ἀεί.
Φωνῆς πλατείας ἐν μέσοις ἐκλύσιας
Τοσοῦτον ἐμάνησαν ἀλλήλοις πικρῶς,
Ὡς σκύλων τες συλλέγοντες συμμάχους,
Κατηγορεῖν τε κἀπολογεῖν ξυμβροί,
Γηθοῦντες, οἰκτρῶς ἐν πόνοις ἅμα,
Διαρπάζοντες οὓς τύχοι πῶς ἅψασθαι,
Λύσαι φιλαρχίας τε καὶ μοναρχίας
(Γᾶς σκύλον ὧν ταῦτα τοῖς πολλοῖς)
Ἐρρῆξαν ἠὲ πλὴν ὅλων οἰκουμένην.

Etenim magistri plebis atque antistites,
Sancti datores Spiritus, & qui thronis
Fundunt ab altis verba queis paritur salus,
Cunctisque pacem jugiter qui prædicant,
In ede media, vocibus clarissimis,
Tanto furore sæpe unt ipsi invicem,
Tumultuando, contrahendo copias,
Carpendo sese mutuo lingua efferâ;
Saliendo, mentis ut solent sanæ impotes,
Prædando quos quis ante prædari queat;
Rabida imperandi dum tenet mentes furis,
(Quinam ista, verbis & quibus digne eloqui?)
Orbem universum prorsus ut diviserint.

¶ APOLOGI.

De Scurra & Episcopo. Fab. 44.

Scurra quidam Cal. Jan. ad episcopum quendam divitem quidē, sed avarum, accedens, numisma aureum strenæ nomine petiit. Antistes insanire hominem dixit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenam dari. Tunc scurra nummum argenteum efflagitare cœpit. Sed cum ille hoc quoq; nimium sibi videri diceret, æreum quadrātem ut saltem sibi traderet, orabat. Sed cum ne hunc quoque posset ab episcopo extorquere: Reverende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tunc episcopus, flecte, inquit genua, fili, ut te benedicam. At ego, inquit scurra benedictionem istam tuā tam vilem nolo. Si enim nummum æreum valeret, eam mihi nunquam profecto concederes.

Hac fabula contra eos episcopos & sacerdotes conficta est, qui divitias & opes pluris faciunt, quam cuncta Ecclesia sacra atq; mysteria. Laur. Abstemius.

¶ APOTHEGMATVM SACRORVM.

D. Ambrosius: Mediolano Sirmium venerat, anno salutis 379. ad Anamnium episcopum catholicum consecrandum. Ibi Justina Valentiniani II. Imp. mater Ariana, odium suum adversus Ambrosium acrem Arianorum hostem effudit: siquidem cōvocata populi multitudine, ipsum Ecclesia deturbare contendit. Cujus authoritate fulta virgo Ariana, facinus inauditæ audaciæ perpetravit. Nam Ambrosium in tribunal progressum, prehensa veste, ad mulierum partem traducere studuit, ut ab iis cæsus de Ecclesia pelleretur. cui ille dixit: *Et si ego indignus tanto sacerdotio sum, tibi tamen non convenit manum sacerdoti injicere: quare debes Dei judicium extimescere, ne quid tibi adversi contingat.* Quod dictum tristis eventus proximè est consecutus: nam postridie virgo vitam amisit. *Sigonius, li. 8. hist. de Imp. occid.*

Atticus: Quum Atticus Niceæ esset, episcopi ordinandi gratia, ibique Asclepiadem Novatianorum episcopum ætate admodum in-

gravéscente certaret, rogavit, quot annos fuisset episcopus? Cui quinquagintà respondenti: Beatus, inquit, es re verâ qui tanto temporis spatio tam præclarum munus administraveris. *Socrat. hist. eccl lib 7 c 25.*

Chrysostomus. Arcadius Imperator ipso magni sabbathi die, missus ad Chrysostomum quibusdam, ut de throno tandem à duob. Synodis ex autoratis descenderet, significavit. Tùc Chrysostomus, Ego inquit à Seruatore ad munus Episcopale vocatus thronum non relinquam. At si tibi, ô Imperator, hoc ita visum est, vi inde me deturbâ. *Niceph eccles. hist lib.* 13. *c.* 18.

Valentinianus Imperator: Quum de electione cujusdam episcopi ageretur, dixit ad episcopos, Major est episcopatus provincia quã quæ viribus nostris sustineri possit. Proinde, vos episcopi, divinâ repleti gratia multo melius hoc episcopi deligendi negotium transigetis. *Item* Est vobis utpote sacris & divinis literis institutis, explorate cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad episcopatum gerendum delectus: & quod necesse sit gregem suum non doctrina solum verum etiam præclara vivendi ratione moderari, & se cujusque virturis exemplar ei præbere, suæque disciplinæ rectam vitæ morum institutionem testem habere. Quare hominem ita instructum in sede & gradu episcopali jam collocate, ut & nos à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehensionem (nam cum simus homines errore labi necesse est) velut medicinam animorum cupidè amplexemur. *Theodoret. lib.* 4. *eccles. hist. c.* 5

Sisinnius: Cùm episcopus Joannes Sisinnium Novatianorum episcopum argueret, ac diceret, unam civitatem non posse duos episcopos habere, respondit Sisinnius, Nec habet. Cumque Joannes responsum aegrè ferret, diceretque, Video igitur, quod solus vis esse episcopus: tum Sisinnius, Neque hoc dico, inquit, sed quod apud te solum non sum episcopus qui aliis tamen sum episcopus. Joannes responso graviter commotus. At ego, inquit, te à concionando reprimam, nam hæreticus es. Huic facilè respondit Sisinnius: At ego, inquit, tum tibi mercedem dabo, si me tanto onere liberaveris. Quo responso Joannes mitigatus: At ego, inquit, minimè à concionado te reprimam, si te illud munus afficiat molestia. *Socrat. hist. eccles. lib.* 6. *cap.* 20.

Synesius: Sacerdotem, inquit, oportet esse virum divinum, & ad ludum omnem perinde atque Deum difficilem & durum: qui ut propositum institutumque suum teneat, innumeros in se plurimorum conversos habet oculos. Ad quos nulla, aut certè exigua pervenit utilitas, nisi aliquis probè institutus & cordatus sit, ac ab omni voluptate (γλυκυθυμίᾳ) seu animi suavitate alienus. Rem divinam faciens non privatim solus esse potest, sed in communi conventu inter plurimos versatur, quum legis doctor sit, & nihil aliud quam quod legitimum sit sonare debeat. Negotia eum gerere oportet quæ simul omnes tangunt. Quæ enim communia omnium sunt, unum ipsum curare opus est, nisi criminibus omnibus obnoxius esse velit, &c. Quotiescunque me quispiam rogat, dissertis verbis statim dico, Sacerdotem rebus omnibus maximè à probris debere esse alienum, quippe qui aliorum quoque sordes expiet. *Niceph eccl hist lib.* 14 *c* 55.

Alb. Cranzius: De Vulfario Ecclesiæ Mundensis verè episcopo disserens, ostendit eum fuisse virum doctum, doctorem plebis, prudentem ad omnia, quippe qui inter lupos Dominicum gregem servandum accepisset, vocatus ad opus sublime evangelizandi vita & moribus. Deinde graviter & appositè subjicit: Ubi vita defuerit, quid prodest rotunditas ipsa sermonis? Faciens & docens magnus est in regno cœlorum. Nostra feliciora videntur tempora, ubi pontifices Evangelizandi ministerium relegerunt in sacerdotes, ipsi superintendentes. Sic enim sonat Episcopi nomen. Meliora sibi desumunt in decimis, primitiis & oblationibus: equis, armaturis, evectionibus magnificis intenti, curam gregis abjecerunt. Sed hæc in aurem legenda, ne offendantur magnates, & ducamur os in cœlum ponere, dum quæ super nos sunt capere contendimus. Sed finis sit comparationum inter Pontifices veteres & nostros. Illi regna conquisierunt æterna, per summæ pietatis merita: nostri si sua in pace & abundantia rerum transigant tempora, felices se prædicant, & vocantur (dum vivunt) sancti patres: bene etiam, si hoc nomen retinêt in morte. *Lib.* 2 *Metropol cap* 27. Et paulo post, nempe sequenti capite subjicit, Religio & sanctitas olim dona fuere quæ in Pontificibus & quærebantur & amabantur: non alta nobilitas, non armata potestas, non opum affluentia: quippe tum sub religiosis principibus ista non desiderabantur: sua sponte opes provenerant Ecclesiis à Deum timentibus seculi potestatibus. Nunc rerum facta est conversio: nisi enim habeant Ecclesiæ Pontifices qui armis arceant injuriam, non est salva libertas Ecclesiis indulta.

De Impositione manuum.

Antiochus Samosatenus: Samosatenses Christiani cum Antiochum, Eusebij orthodoxi successorem optarent, & ad sacram mensam deduxissent, coegissentque genua flectere, simul ac ille conversus vidit Jovianum Arianum episcopum dexteram sibi imponentem, manum ejus repulit: imperavitque ut à numero eorum, qui ipsum consecrarent, segregaretur: dixitque se nullo modo posse ferre dexteram illam sibi imponi, quę sacra mysteria per blasphemiam consecrata receperat. *Theodoret. eccl. hist lib.* 4. *c.* 14.

Moses monachus: Monachus quidam nomine Moses, Saracenorum episcopus designatus, quum Lucium Arianum sibi manum imponere velle videret: Absit (inquit) ut tua manus me consecret: nam tua invocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit. Cui Lucius, Unde ista conjicis? Non conjicio, inquit, sed certò equidem scio. Etenim pugnas contra Apostolicam doctrinam, & contrariam ipse doces: atq; cum verbis blasphemiæ impia facta conjungis, &c. *Theodoret. eccl. hist. lib.* 4. *c.* 21.

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Iulianus Martyr. Aut nullum esse, aut rarum Episcopum, qui omnia ad tantum ordinem requisita habeat, auctor est lib. 1. adversus Pelag. Hieronymus. Episcopos nihilominus, quod paternam suorum curam gerant, vel faltem ut id agant, seculo incumbere debeant, patres appellabat S. Julianus, percontanti namque Præfecto, num Episcopi illi quos secum aggregaverat, ejusdem disciplinæ effecti essent: respondebat: *Discipuli non sunt, sed patres: per ipsos enim veram natalitatem suscepimus.* Non existimabat itaque indignum cum his patribus ad veram patriam properare. *Sur. tom.* 1. *in Vita.*

S. Amborius: Huic Calligonus, qui Valentiniano à cubiculo, insultabat sæpius, rogabatque, Tu me vivo contemnis Valentinianum? caput tibi auferam & vitam. At ille verus pastor, suo gregi invigilans, *Vinam*, ajebat, *impleas quod minaris. Ego jubeo, parere quod Episcopi: tu facies quod spadones.* Episcopum quippe adversa quævis perpeti potius, quam communi gregi quam paterna sollicitudine, saltem in his quæ necessaria sunt, deesse. *Ambr. Epist.* 33.

Sisinnius Novat. Episcopus: Fuit hic eruditione ac dicendi lepore summus, qui cum Acacium Episcopum invideret, quidam sciscitatus, cur veste Episcopo invicta uteretur; & ubinam terrarum tum reperiret, presbyterum alba veste uti posse. Cui hic, *Tu*, inquit, *mihi attesto, ubinam scriptum sit, Episcopum nigra uti debere.* & adjecit: *Salomon nos cohortatus est: Sint tibi vestimenta alba. & Salvator noster eadem etiam usus, & in ea Moysen & Eliam Apostolis exhibuit.* *Socrat. lib.* 6. *hist. Eccl. c.* 20.

Christianus Archiepisc. Mogunt Quid vero ille? Rogabat eum Guilielmus Imperator, ibi consilio suo in militari negotio subveniret. ad quem Christianus non nominè dumtaxat, sed reipsa; *Episcopi*, inquiebat, *est docere verbum Dei, non pugnare: Christus namque Petro mandavit, ensem cohibere. Brusch. in Episcop. Germaniæ.*

Archiepiscopus Anonymus. Erat in Granatensi regno Archiepiscopus, vir unicè in egenos munificus ac liberalis: quorum etiam familiam domosque visitabat interdum. Rogatus itaque à Ferdinando de Talanera, cur, cum esset Archiepiscopus, in tantum se dejiceret, ut etiam ad populares casas se conferret, præter decorum illius status; respondit: *Tu crede, si fores Episcopus, amplius admirareris quæ non facio, & deberem facere, quam ea quæ nunc præsto. Florest.*

S. Ludovicus Episc. Tolos. Quapropter celebrandus ad extremum etiam iste, qui dum ex longa hujus mundi navigatione in saluus æternæ portum volens libensque properaret; memor occupationum quibus in Episcopali munere fuerat irretitus, *Vero verum est*, inquiebat, *Episcopalem dignitatem non tam grandis esse nomen honoris, quam oneris.* In vita ejusdem, impressa apud Moretum, cxviii.

Constantinus Imperator: Verum Episcopalis muneris dignitatẽ primus inter Christianos Principes Constantinus Magnus agnovit. quem ita ad Episcopos locutum commemorat Eusebius: *Ego communis quidam Episcopus sum, sed vos eorum quæ in Ecclesia: ego vero eorum quæ extra eam sunt, a Deo constitutus Episcopus,* seu speculator & superintendens, *videor.* Quam etiam distinctionẽ in Regum coronatione ipsi Reges ab Ecclesia accipiunt. ita enim, dũ a Pontifice inunguntur, ad eos dicitur: Accipe coronam regni tui, quam sanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas significare: & per hanc te participem nostri ministerii non ignores: ut sicut nos in interioribus pastores & animarum rectores intelligimur; ita & tu contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor existas. ita Pont. Rom. *Euseb. de Vit. Constant. lib.* 4. *cap.* 24. *Th. Stapleton. Dom.* 22 *post Pent. in Prompt. morali.*

¶ Monosticha Trochaica.

Otij expers est ob otium omnium ipse Episcopus.
Haud queant Episcoporum diu latere crimina.
Heu quot urbes everterunt ambitiosi Episcopi!
Non sibi unis vivunt, multis sed populis Episcopi.
Publicæ domus magistra disciplinæ Episcopi est.

¶ Iambica.

Nil clam potest Episcopus delinquere.
Oculeum oportet esse totum Episcopum.
Patres sciant, non dominos se esse Episcopi.
Pauci eliguntur ob virtutem Episcopi.
Seipsum ordinare non potest Episcopus.

Epi-

Epistolæ.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

D. Basilius Leontio Sophistæ: Raræ quidē tibi à nobis redduntur literæ, non tamen rariores, quàm isthinc nobis, idq; cū multi, semperq; è vestra regione ad nos proficiscantur, quibus si omnib. ordine literas cōmitteres, nihil impediret, quominus tecū esse una & quasi præsentes, amicitiæ fructū capere videremur. Sed quid non mittis? quandoquidem nihil aliud q̄. scribere munus est, & officium sophistæ. Quod si manum pigritia detinet, neq; tamen ipsum necesse erit scribere. Nam alius tibi ministrabit: sola vero requiritur lingua, quæ si etiam nobiscū non diuerserit, tamen alicui uni, qui præstò fuerit, loquetur, & si nemo adfuerit, secū ipsa differet, neq; tacebit omnino tam sophistica & attica, non magis quam luciniæ, cum eas ver ad concinendum adhortatur. Nobis vero negotiorum molestia, in qua jam versamur, si fortè quid etiam hoc ad excusandā scribendi raritatem faciet, & quasi sordes orationis ex cōsuetudine tædiosa cum Idiotis, contractæ. non injuriæ me deterrent, ne vos alloquar tantos sophistas. Qui, nisi dignum aliquid vestra sapientia audiatis, molestè patimini atq; ægrè toleratis. Te vero contra quodammodo, quavis occasione arrepta, vocem tuam impertiri par est, qui ad dicendum omnium quos quidem novi Græcorum sis instructissimus.

D. Basilius Olympio: Pauca nobis primum scribere solebas, nunc vero ne pauca quidem, sic ut tua brevitas in loquendo processu temporis obmutuisse prorsus videatur: sed agesis ad consuetudinem redi. Non enim queremur ulterius de Laconismo tuorum scriptorum. Sed & perbreves literas, maximæ benevolentiæ signum, magni faciemus. Tantum nobis mittas.

D Basilius Olympio: Quod amem te, ex eo quod ad te scribo, disce. Quod oderis me, ex silentio tuo cognovi. Scribe saltē in posterū, tuique amantes calamo, atramento, & exigua charta redama.

Idem: Unum vitæ esse judicium, oratio. Sed quomodo supra terram te existimem esse, cum nunquam loquaris. Verum depone silentium, scribe nobis, & te in vivis adhuc manere declara.

D. Nazianzenus: Brevitati ignosce. nam profecto, etiamsi hæc parva, silentio tamen longiora sunt. *Epistola 36.*

D. Nazianzenus: Quoniam ea quæ patimur, deplorare minimè sufficit, verùm medicamentum etiam quoddam, vulneri adhibendum est, hoc invenimus nimirum, ut hanc epistolam scribere audeamus, ac præsentiam per literas adumbremus. *Epist. 45.*

D Nazianzenus: Alii præstanti tua virtute fruuntur. nobis autē hoc magnum & amplum fuerit, si sermonis & congressionis umbram habuerimus, quæ in epistolis continetur. *Epist. 59.*

D. Chrysostomus: Ex subscriptione nominis, manifestæ fiunt literæ eorum qui mittunt. *Homil. 1. ad Thessal 2*

S. Isidorus Pelusiota: Nunc hisce literis, velut præludiis quibusdā, cupiditatem nostram pascimus, præ divina quidem lætitia gestientem & exultantem, atq; ad conspectum tuum properantem, verum ad futurum tempus quiescere nequeuntem, nisi solatium quoddā ex hac epistola consecuta, hinc jam firmæ spei fundamenta jacere videatur, hoc est, futuræ solemnitatis expectationem. Quòcirca festum nobis per adventum tuum & præsentiam quam ocissimè parere matura. *Lib. 2. Epist. 31.*

Synesius: Non accusandus ob id mihi videor, quod epistolæ vos communione sociaveram, sed si animo conjunctos literis disiunxissem, hoc ipsum mihi vitio vertendum fuisset. *Epistola 19.*

Synesius: Scio me longius quàm par est epistolam protulisse, sed quemadmodum coram tecum agendo, sic & scribendo expleri nequeo. Præterea cum me tecum amplius collocuturum diudam nūc quatenus licet desiderium meum expleo. Quanquam si epistolam hanc ad Ephemeridas meas accommodare vellem, quæ cum studio confeci, plurimarum dierum commētarios haberem. *Epist quarta.*

Synesius: Ejusmodi Syrorum luxus est; & cognatorum, & amicorum oblivioſos reddit. Quintus enim hic mensis agitur, ex quo nullis nos literis appellasti; præsertim cum natura tibi non ad necessitatem tantum, sed etiam ad ostentationem atque gloriam, epistolas ut dictitare posses, tribuerit. Sed si & ipse vales, & aurei pueri, & felix ea pro se mater illorum, vel istud nobis sufficiat. *Epist. 23.*

Synesius: Mihi quidem una cum annorum decursu amoris incrementū procedit. Tu vero si eodem modo affectus præ multitudine occupationum me hoc honore literarū tuarum afficiendi otium nō habes; quod semel saltem aliquando fieri par esset, & erga quos maximè par esset, ut publicis rebus tātulum tete temporis subtraheres, quantum ad scribēdum epistolam sufficiat, hoc si inquam modo potes, mihi significato. Sin veram contra te hanc oblivionis suspicionem agnoscis, pœnitendo corrige; teque ipsum nobis restitue. *Epistola 25.*

Synesius: Quod ad Regiam te Civtatem confers, bene facis: Tametsi enim vel inter Isaurorum montes prospera fortuna utereris, nihilominus fœlicitas ipsa propter locum infœlicior est. Mea autem nonnihil privatim interest in ipsa te regia fœliciter vivere, ubi commoratus accipies, & dabis literas, quæ mihi sunt merces omnium quę è Thracia comportantur pretiosissimæ. *Epistola quadragesimaoctava.*

Synesius: *Quod si Erebo Lethæ fanctorum oblivia tangant,*
Illic vel cari potero meminisse sodalis.

Sunt illi quidem ab Homero versus scripti; sed eorum sensus nescio an ab Achille petius de Patroclo, quàm à me de te amicissimo ac benefico capite, usurpari meritò possit. Quandoquidem Deū ego testor, quem philosophia colit, sacri tui ac suavissimi animi inhæxam imaginem medio in corde circumfero, & auribus etiamnum illa sapientissimorum tuorum sermonum vox insonat. Cum autem ex Aegypto in patriam rediissem, ac duorum annorum simul epistolas legissem, magnam equidem in literas vim lacrymarum profudi. Non tam enim quod te per literas quoddammodo fruerer, mihi voluptatem afferebat, quam illud dolore afficiebat; cum ex scriptis tuis literis præsentem ac vivam in animum consuetudinem revocarem, cujusmodi scilicet & amico simul, & vere parente vivo essem orbatus. *Epistola 123.*

Synesius: Audivi aliquando quempiam disertum ac copiosū hominem, qui Epistolarum usum utilitatemq; commendaret. Quodipsum multorum & admirabilium sermonum argumentum sophista ille instituerat. Cæterum ejus rei præconium cum ex aliis multis capitibus, tum ex hoc uno potissimum arcessiebat, quod Epistolam dicere infelicium amorum esse solatium, utpote quæ per absentiam corporum, imaginem quandam præsentiæ referret, eoq; ipso, quod colloqui videretur, animorum desideria satiaret. Ob hæc igitur Epistolarum inventorem laudabat, atq; hoc munus non ab ullo homine profectum, sed à Deo in homines esse derivatum existimabat. Itaq; ego divino beneficio fruor, & ad eum ipsum, quo cum colloqui oporteret, si minus colloqui possum, quoniam scribere possum, sæpius hoc facio, & quoad fieri à me potest, cum eo versor, meisq; delitiis perfruor. Tu vero, nisi id dictum acerbum est, animum una cum loco disiunxisti. Quod si te ab iis abstrahere, qui syncerissimè ac sine fuco adamarunt non desineris, hirundines imitaris, quæ in hominum velut amicitiam cum voce ac clamore sese conferunt, silentio vero demigrant. *Epist. 147.*

Synesius: Tuæ ad nos literæ quotannis afferuntur, quasi is sit etiā tempestatum proventus. Ac est ille quidem mihi fructus fortasse jucundior, quàm qui mensium vicissitudine, & agricolarū labore profertur. Tu vero iniquè facis, qui earum nobis voluptatem subtrahas. Verum fac sententiam mutes, nobisq; hoc saltem anno literarum ubertatem præbeas. *Epist. 152.*

¶ LATINORVM.

S. Salvianus: Etsi scio honestas mentes probi affectus non oblivisci, ideo quia boni in bonis studiis quasi naturam quodammodo suam diligunt; tamen quia quantum in nobis est, augere nos amorem bonorum amicorum officio nostro convenit; admonendum te caritatis olim à me cœptæ, nuper à te auctæ existimavi: ut legens epistolas meas, dum in me studium tui amoris videris, in te mei accenderes. *Epist sexta.*

Ennodius: Multa caritas penè obtinet vices ingrati, & per paginarum abstinentiam intercipitur vis amoris. Absentium animis sola literarum medetur oblatio, quę quodam mentis artificio pingit scriptione quod loquitur. *Lib 1 Epist. 11.*

Ennodius: Nihil præter contemptum monstrat, quoties tacitur. nitas non habet necessitatem. *Lib. 1. epist. 12. m.*

Ennodius: Nunquam sine offensa amicis prosper eventus abscōditur. à commotione evenit longè degentibus tacere quod gaudeas. Procul à moribus vestris malitiæ facetiat obscœnitas, puto bona vestra me meruisse nescire. *Lib. 1. epist. 13 m.*

Ennodius: Perdit affectio valetudinem, silentii debilitata torpore: nec adusum suum diligentiæ cursus exuberat, si nudetur communione colloquii. Multa caritas penè repræsentat speciem non amantis; & odiorum simulacrum est, non aperire quod diligas contestatione sermonis. *Lib 1. Epist 23. p.*

Ennodius: Nunquam inter amantes silentio bene multatur offensa. Gravius inventorem peremit vindictæ novitas quàm errantem. Nefas est pro emendare culparum culpas adhiberi; dum studio curationis, qui medetur ægrescit. *Lib. 2. Epistola quinta pr.*

Ennodius: Imperatoris loco dominatur semel penetralibus cordis infixa dilectio; credens quod non de verborum pondere, vel pōpa capiatur, qui de absentis propinqui est salute sollicitus: nec existimat quod nasci possit offensa de gratia: hoc ad lætitiam tatis esse conjiciens, si optatam nunciet epistola sospitatem. *Lib. 2. Epistola 7 a. m.*

Ennodius: Amantem vestri, frequentibus colite muniis literarū, circa quæ studia pigrum esse, nec diligentem convenit, nec facundum. *Lib. 2. Epist. 7. f.*

Ennodius: Ut tradit quædam eloquentiæ persona sublimis, Lex est in Epistolis negligentia, & auctorem genii artifex se præbet incuria. in quo opere illud subducit gratiæ, quod cruciatuum testis sudor intervenerit. Caminis excocta fabrilibus verba non flagitat salutis suæ nuncius, & quæsitor alienæ. Melius si in his commerciis pura elocutionum fronte congredimur. diadematæ simplex colloquii cultus abjurat. epistolaris communio si quando affectatum decorem fugit, obtinuit. *Libro secundo Epistola decima tertia pr.*

Ennodius: Revixisti apud nos, post dilectionis quem procuraveras obitum, beneficio literarum. vidimus amorem quasi de quadam sepultura surgentem. Inauspicato nobis incolumitatis vestræ nuncius accessit auditu, quam credebamus per contemptum nostrum viventem busta complesse. *Lib. 2 epist. 15 pr.*

Ennodius: Ego in epistolis magnitudinis vestrę diligentiam semper, non verba pensavi: nec adjutricem malitiæ facundiam majus pretium habere censui, quàm simplicitatem; quæ infucata fronte secretum mentis enuntiat. *Lib. 2. Epist. 17. m.*

Ennodius: Dispendium esse credo diligentiæ, nullas commeantium manus literarum dote munerari, quæ solent lectione etiã vultus ad longinqua portare, & carorum imagines officio præsentare sermonis. *Lib. 2. Epist. 24 pr*

Ennodius: Aut alitur, aut sustentatur scriptione diligentia. ministra affectionis est epistolaris confabulatio. muta charitas simulacrum repræsentat ingrati. depretiat genium suum; quæ in vocem non prorumpit amicitia. Bene secretum pectoris reseratur clave sermonis. *Lib. 2 Epist. 26 p.*

Ennodius: Commercia literarum magis sunt lætitiæ quàm mœroris; nec secretum pectoris, aut amicitiæ diligentiam bene in lucem digerit clauda recenti confusione elocutio. *Lib. 3. Epist 2. p.*

Ennodius: Libero pectore lingua vacat officiis: mens confusa gratiam salutationis abjurat. *Lib. 3. Epist. 8. m.*

Ennodius: Posset amicitiarum religio, & adultæ inter nos planta gratiæ, nulla discretarum sentire damna regionum, si quod negatur aspectui, pensaretur alloquijs, & pigro corporum onere divisi, per illam quam è cœlo sumpsimus partem, animis jũgere mur. Index meræ affectionis vota pectorum lingua signaret, si ad desiderij copiam militaret oris officium, & penetrale mentis resignatum teneretur in literis. Tunc nullo caritas neglectu veteresceret: tunc diligenti mutuæ devinctionis usu polita fulgeret; nec scabro memoria vestri tempore læderetur. *Lib. 3. Epist. 10 p.*

Ennodius: Nescio utrum magnitudini vestrę grata sint crebra colloquia. ego tã en semper quod expecto ab amantibus, exhibebo. Patior alijs aliud esse propositum: mihi meo vivendum est more, ut amoris plenitudo referetur clave sermonis. Ego in affectione curiosum subrepere taciturnitatem usu fugiente non profero. *Lib. 3. Epist. 27 pr.*

Ennodius: Quoties sensuum pignoribus verba famulantur, quasi in quodam speculo, ita in paginis sermo sibi amicam pingit effigiẽ, cum qua viva voce colloquitur, & dulci simulacro deliberiis obsequente gratulatur. *Lib. 3. Epist. 29 pr.*

Ennodius: Quamvis epistolarum qualitas pro ingeniis componatur, & sæpe solemnitati militet, nonnunquam affectionis testetur indicia: quas aliquando dictat sinceritas: plerumque fuci similis concinnatio; quæ candorem imaginata diligentiæ, urbanitate qua tegitur innotescit, dum fabricatis nudata tegminibus intra velamen aperitur: ego tamen in paginis speculum puto esse conscientiæ, per quas amicitiam discernere absentia vix præsumit. Clarum est tamen, quid in illis simplex, quid artifex sermo deferat. Scindit nubes eloquii mens dictationis interpres: cito ad intellectum pervenit falcibus suis verborum calle referato. Ergo his valde delector officiis, quibus panditur sinceritas, nec occasio se interserit secura fallendi. *Lib 3. Epist. 31. pr.*

Ennodius: Si ad exequẽdam sufficeret sermo caritatem, si totum infantia explanaret affectum; cui magis quàm vobis paginarum frequentiam præstaremus? & nisi artaret meritum pectoris, nulli dignius militaret sermonis officium. Alii affectum, quem mente nesciunt, ore testantur, & pinguntillecebrosis epistolarum momenta commerciis quando feriatis penetralibus amor totus in lingua est, nec aliud ad interiora perducitur, nisi quantum in scriptione confertur. At meus erga vos animus, eloquii pressus macie, amicitiæ ubertate conticuit. Metuo enim, ne gratiæ terminum ponat mendica confabulatio: ne idem modus putetur esse sermonis & fœderis. Melius est plus æstimationi per silentium dimittere, quam monstrare diligentiæ damna per literas. *Lib 3. Epist. 32.*

Ennodius: Recte creditur enuntiatrix lingua esse penetralium, quæ latentis secreta animæ ad lucem vocat eloquio. nesciretur amor pectorum, nisi illum sermo proditor indicaret. Jure veterum sapientia epistolis usa, quasi clavibus, repositum per eas vulgavit affectum. Tracta est in testimonium scriptionis mens testata diligetiam: mutari caritatem non licuit, quam desiderans pagina interveniente promisisset. *Lib 4. Epist. 17.*

Ennodius: Retinendo paginas, in immensum crevit, quæ hactenus nil valebat divisio. Res eo redit per abstinentiam tabellarum, ut veteris ævi providentia conferat nihil amori. Rancesit caritas, quam verborum avarus despicit ventilare. sine cultura est diligentia, in usum non reducta per pagnas. Stylo frequentia vivaci pabulo insitam pectoribus nutrit amicitiam. *Lib. 4. Epistola decimanona pr.*

Ennodius. Exercetur diligentiæ bonum scriptione multiplici. linguę enimindicio animorum secreta panduntur. Assiduis curam impendit eloquiis, qui otium amore commutat. Hæc sunt officia, per quę tacitus innotescit affectus. Familiaris perlator, nisi reddẽdas culmini vestro paginas accepisset, me oblitum reverentiæ vestræ testaretur. *Lib. 4. Epist. 20 pr.*

Ennodius: Sicut damnum caritatis est primum cupienti non dedicare sermonem: ita promulgatæ scriptioni silentium reddere, nec amicitiæ suadet memoria, nec pudoris. *Lib. 4. Epist. 23 m.*

Ennodius: Vos post Deum anxietati meæ celeri rescriptione succurrite: quia deterius est incerta macerari spe, quàm manifestam desperationem indicio amantis agnoscere. *Lib. 4 Epistola 27. f.*

Ennodius: Liquido confitetur amoris negligentiam, qui cùm possit epistolas, in quibus est affectionis pabulum, non ministrat. error otiosi est, si bene comperta mens per linguæ ferias desideratis attenuetur impasta colloquiis. *Lib 4. Epist. 32. m.*

Ennodius: In usu est viris morum claritate fulgentibus religionem amicitiæ per culturam nutrire colloquii: ut dum gratiæ germina fotu confabulationis animantur, ad messem conjunctio fœderata perveniat. Per hæc enim munia voluit, senior providentia absentiæ nihil licere. *Lib 4. epist. 35 pr.*

Ennodius: An ad aliud attributæ sunt paginæ, nisi ut secreta pectorum clave manifestent. *Lib 5. epist. 23 a f.*

Ennodius: Licet animus in statione sit positus, contristat sermonis abstinentia, quæ vivis imaginibus secretum pectoris oris clave manifestat. Patior quidem, interdum caritatem sub paginarum promulgatione simulari: nunquam tamen credo his muniis abstinere qui diligunt. *Lib. 5. epist. 27 pr.*

Ennodius: Dum magnitudinem vestram alloquor, votivo me æstimo non deesse compectui. *Lib. 6 epist. 7. pr.*

Ennodius: Digresso Domino, sola in consolatione remanserunt solatia literarum. quia dum sermo ad vos dirigitur, aliqua præsentię vestræ desideriis meis imago blanditur. Quod & à vobis ut crebrò faciatis exposco; cogitantes absentiam vestram hac sola posse assiduitate sustineri. *Lib. 6 epist. 11. a m.*

Ennodius: Fecit magnitudo vestra, quod & sanctis suis moribus debet, & sanguini sut propinquitatis memoriam, silentii non patiatur torpore languescere. In quacunq, terrarum parte vivit affinitas: nec separantur regionibus parentelæ catena sociati. Credite mihi, dilectio sancta non deperit; nec ullam patitur per divisionis itinera natura dispendium. *Lib. 6 epist. 18 pr.*

Ennodius: Quamuis jus affectionis, consanguinitatis lege constrictum, regionum prolixitate non pereat, nec catena generis quæ animas nectit, terrarum separatione dividatur: attamen pabulum caritatis est, aut videre, aut officio sermonis appellare quem diligas. nescirentur secreta mentium nisi proditione linguarum. Hæc in usu vocavit antiquitas, ut illa quæ pectoribus clausa sunt non laterent. *Lib. 6. epist. 24 pr*

Ennodius: Cum se per sint literarum inter amantes jocunda cõmercia, & ex his muniis, etiam si Spartana adhibeatur brevitas, gaudia prolixa nascantur; sintque hujusmodi officia remedio absentibus, votiva sollicitis, attamen æger animus super eorum, de quibus pendet, prosperitate jactatur, & hac tantum curatione respirat. quam cum negat anxiis iis, qui nullo labescit incerto, resignat se diligentia non teneri. *Lib 6 epist. 32. pr.*

Ennodius: Sæpe evenit, ut frequenter scribentes minus diligant. nunquam tamen accessit, ut aliquid caritati reservet, qui in perpetua taciturnitate perdurat. Potest nasci de epistolaribus blandimentis ambiguitas: certa fides est, ab eo qui servat silentium, non amari. *Lib 7 epist 11 m.*

Ennodius: Salutis officium dicens, spero ut circa literarum munia frequentiam commodetis; in quo opere assiduitatem & amans exhibet & facundus. *Lib. 7 epist. 13 f.*

Ennodius. Nihil nisi malitiam designat, qui cum possit desideranti verba non tribuit. *Lib. 7 epist. 21. m.*

Ennodius: Fidelius à sublimitate tua vocem suscipiunt aut interrupta montium, aut secreta sylvarum. Præbent hominibus naturæ institutione & muta responsum. redit ad mortales vicissitudo clamosæ solicitudinis. non perit, quod linguæ acceperint vel lustra beneficium. quare istud in magnitudine tua laudis & philosophiæ genus est, nihil dicere, & silẽntii tenere inter declamantium incerta cautione? Homo, quem nec infœcundum natura protulit, nec infabricatum doctrina dereliquit. Sed, credo, me dedignaris affatu; opicis nolens pretiosa dare verba judicio. Quid quod signum est divitis eloquentia viri, nec indoctis sermonum cupita subtrahere? mẽdicus fluminum cursus est, qui tantum nobilissimorum satiare putatur ardorem. ubertas imbrium & nihil peritura saxa perfundit. Liquidæ rationis ordo est, ut paupertatem resignet qui damna formidat. quicquid non procurrit, exile est. *Lib. 7. epist. 22 pr.*

Ennodius: Alius quis negotio illi perenniter incumbat, ad quod descendit invitus? *Lib 7 epist. 23 pr.*

Ennodius: Crescente susceptorum devotione fertur in medium palma sermonis, res quæ nobis amorem vestrum referat, vos extollit. Ut eo eodemque usu & oris pompa multiplicatur, & fides. In pace constituti illam subjectis affectionem putantur impendere, quam loquuntur. Hæc, mi domine, ille occupatissimus pater, & in humana locatus arce custodit. Nam contemptum manifestat, qui in otio degens verba non tribuit. Legisse memini, Sermonis avari nullus honor. *Lib 8 epist 2 á m.*

Ennodius: Post unam epistolam, quam victus crebris scriptoribus emisisti, in continua taciturnitate perduras; & credo necessitate, non studio, servas philosophiam nil dicendi: non respiciens veteres, ut loquerentur melius, in præsentia nil locutos, & illam silentii curam nutricem fuisse sermonis. Tu viceris mihi disciplinas Atticas in muta deliter parte sectari; nolens silentio acquisita vulgare. o.tende post oris ferias, quæ tibi per aurium callem divitiæ commearunt. *Lib. 8. epist. 3 pr.*

Enno-

Ennodius: Qua te devinctione teneam, quam diligentia complectar, ex animi tui potes qualitate colligere. Vix enim amari contigit, nisi quos sinceriter amare constiterit. Congreditur inter se cœlestis vigor animarum, & studia sua mutis sibi pandit affatibus. & ideo vicissitudinem mihi reddere disponis. *Lib.* 8. *Epist.* 12. *pr.*

Ennodius: Insolabiliter amantium ferretur absentia, nisi opem darent remedia literarum, quæ jejunas desiderantum animas pascũt esca colloquii. Bene enim per stylum dilectio amicam sibi pingit effigiem; cum qua sine laboris patientia misceat mella sermonum. *Lib* 8. *Epist.* 41 *pr.*

Ennodius: In remedio desiderii senior providentia munus literarum comparavit, in quo ad vicem præsentiæ formato æstuantibus blanditur alloquio. & licet de ipsis remediis mens ægrescat absentium, & de medicina sollicitudinis cura geminentur: attamen non sunt deserenda, quæ sola sunt. *Lib.* 9. *Epist.* 24 *pr.*

Ennodius: Cœlestis dispensatio epistolaribus beneficiis junctos caritate consociat: dum quos discernit itinerum prolixitas, in remedio sollicitudinis jungit affectio, si sit cura sermonis. *Lib.* 9. *Epist.* 5. *pr.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Diogenes: Crebras autem nobis literas dato: multa namque possunt epistolæ, neq; minorem vim habent, quàm præsens disputatio. *Epistola* 3. *ad Hipparcham.*

Iulianus Imp. Alexandrum Macedonem aiunt Homeri carminibus indormire solitum, ut noctes dieſque in bellicis ejus signis versaretur: at nos cum tuis epistolis tanquam Pæoniis medicamentis dormimus, easque assiduè tanquam recentes ac novas iteramus. Quare si tuarum literarum colloquium, id est tuam imaginem nobis repræsentare vis, scribe, & assiduè scribe, vel potius diis, juvantibus veni, tibique persuade, quamdiu abfueris, nos vita frui non posse dicere, nisi eatenus, quoad literas tuas legimus. *Epist.* 15.

Iulianus Imp. Dædalum narrant pennas Icario è cera finxisse, arteque naturam vincere tentasse: at ego illius quidem artem laudo, prudentiam tamen requiro: quippe cum solus ex omni memoria sit ausus ceræ fluxæ ac fragili salutem filii committere: ego tamen si mihi esset integrum juxta Teii illius lyrici votum, in avem mutari, non mehercule ad Olympum, neque ob amatorias aliquas querimonias, sed in ipsa montium vestrorum cacumina volarem, quo te meam (ut ait Sappho) curam amplecterer. Quoniam igitur natura me in hoc ergastulum corporis inclusit, neque in sublime verba mea explicare concedit, quibus possum alis te sequor, & scribo, & quo licet modo, tecum sum. Homerus certè non alia ex causa dixit verba alata, nisi quia omnem in partem ire possunt, ut velocissimæ aves quocumque volunt, prosiliunt. Veruntamen tu quoque, amice, vicissim scribe. Nam & tibi par est, vel major in dicendo alarum copia, qua & amicos potes commovere, & variè, tanquam præsens esses, delectare. *Epist.* 18.

Iulianus Imperator: Non tam epistolæ prolixitate quam benevolentiæ magnitudine amicorum caritatem amplificandam esse judico. *epist.* 29.

Iulianus Imp. Scribo & literas vicissim expecto. Quod si tam crebris literis tibi injuriam facio, tu mihi vicissim parem injuriam reponito. *epist.* 33.

Iulianus Imp. Ut Sopatrem agnovi, continuo exilui, eumq; complexus, flevi præ gaudio, quod nihil nisi te ac tuas literas augurarer. Quas ut accepi, oculatus sum, & ad oculos admovi, mordicusque tenui, quasi veritus, ne inter legendum imago vultus tui ex oculis meis sensim evolaret. Et quidem statim rescripsi, non ad te solum, sed etiam ad illius filium Sopatrum clarissimum, quasi ludens quod communem amicum ex Apamea tanquam obsidem pro vobis absentibus accepissemus. Ex eo tempore cum hanc ad te scripserim, nullam abs te epistolam accepi, præter istam qua me videris accusare. Ac si ob id nos accusas, ut hac specie accusationis majorem nobis occasionem scribendi præbeas, accipio libenti animo totam accusationem tuam, atque ex his ipsis literis, quas abs te accipio, omnem gratiam & suavitatem decerpo. Sin autem omnino peccatum aliquod meum erga te accusas, quis me miserior, qui per tabellariorum injuriam aut negligentiam tibi satisfacere officio non possum? Quanquam ego certè licet non persæpè scriberem, attamen jure posse mà te veniam obtinere, non propter negotium quod in manibus habeo (absit enim ut adeo sim miser, ut te meis rebus omnibus, sicut Pindarus ait, non anteponam) sed quod ad te tantum virum, cujus vel meminisse sine timore non licet, qui scribere etiam cunctatur, sapientior est meo judicio, quam is qui nimis audet. Nam sicut qui in Solem assiduè suspicere audent, nisi diviniore quadam natura præditi sint, ejusque radios tanquam aquilarum veri fœtus intueantur, neque ea quæ nefas est videre possunt cernere, & quo magis contendunt, eo magis se id assequi non posse ostendunt: sic qui ad te audet scribere, quo plus audere nititur, eo magis timendum esse liquido demonstrant. Tibi vero, vir clarissime, qui ad Græciam totam servandam, ut ita dicam, constitutus es, consentaneum erat, & ad nos crebras literas mittere, & nostram desidiam inertiamque, quantum posses, coercere. Nam quemadmodum Sol (ut iterum ex eodem Deo ad te similitudinem mea ducat oratio) ut, inquam, Sol cum purus totus ac lucidus radiis coluerit, non dispiciens an quod lumini occurrit, sit consentaneum, suum munus perficit; sic te oportebat liberaliter bona tua, tanquam lucem, in universam Græciam effundere, neque eo desistere, quod aliquis metu aut verecundia erga te impeditus, respondere sibi scribendo nõ audeat. Neq; enim Aesculapius mercedis spe homines curat, sed humanitatem suam, tanquam disciplinam aliquam in omnes homines explicat. Item te facere oportuit, cum sis animorum studiosorum medicus, & omnibus in rebus virtutis præceptum servare: ut bonus sagittarius, qui tametsi adversarium non habeat, tamen semper manũ exercet, ut opportuno tempore ea utatur. Nam neq; scopus utrique nostrum idem est, ut nos, videlicet tuis eruditis scriptis fruamur, & tu nostra legas: sed nos quamvis millies scribamus, similiter ut Homerici pueri ludimus, qui juxta littora quicquid è luto finxerunt, arena obrui sinunt: cum interim tua licet parva epistola cuivis fertili fluvio anteponenda sit. Ac sanè epistolam unam Jamblichi malim, quàm totum Lydium aurum possidere. Quod si amatorum tuorum ulla tibi cura est, (est autẽ aliqua, nisi fallor) ne nos quasi pullos negligas, qui cibo tuo magnopere egemus: sed scribe assiduè, neq; tuis bonis pascere nos desine. Quòd si fortè officio defuerimus, ipse utrumque munus præstato, tum ad nos, tum pro nobis vicissim scribendo. Etenim Mercurij facundi discipulum aut etiam alumnum, qualis tu es, virgâ uti decet non ad somnum inducẽdum, sed ad movendum & excitandum, atque hac ex parte maximè illum imitari. *Epist.* 41.

Philostratus: Quia per epistola tyrannidis eversoribus consulere non satis tutum arbitrabatur Apollonius; cum potentiores quosdã servi prodidissent, alios etiam amici atq; uxores: ita ut nihil tutum, nihil secretum, esse posset etiam domi: è comitibus suis prudentiores expediebat ad hunc & illum. *Lib.* 7. *Apollonij cap.* 3.

Procopius Sophista: Pythagoram Samium aiunt, non semper atq; in omne tempus silentium coluisse. Sed definitum erat spaciũ, quod vicissitudinem ad facienda verba adferret, & quo mutarentur. Sed ne illo quidem tempore quo silentium agebant, oportuit nihil à se mutuo scisciari, sed linguam tenebat silentium. At manus inserviebat linguæ, & rursus per literas loquebantur. Vos autem si Pythagoram imitamini, sit etiam terminus quidam ac finis silentii. Merito enim tempore finem accipiet. Sin plus quiddam adfertis duri vos estis & redamare nescii. Atqui Alpheum fama est, cum fluvius sit, & tanto intervallo ab Arethusa disiunctus, usque ad hoc tempus etiam ex Peloponneso Siciliam spectare, & per medium æquor ductum videre ut pulcher sit, & permaneat dulcis ad aquam fontis. Illa vero recipit amatorem defessum, ac præbet seipsam, ibiq; videres peregrinam Venerem fluvij ac scaturiginis. Vos autem neq; sermonibus ad nos accedetis, neq; accedentibus parem gratiam refertis. Sed enim, præbeatis finem criminum nobis. Sin minus. At non dicam, ne vobis offensis discedam. *Epistola tertia.*

Dionysius Sophista: Sane audacem Amicum vobis asciscebatis, cum me in amicitiam reciperetis. Non enim finem scribendi faciã, etiamsi sæpius meam confidentiam accusaveritis. Quid enim etiam faceret amore captus, & qui desinere non posset? *Epistola* 4.

Procopius: Si constituta essent judicia de negligentia erga amicos, & me quispiam in judicium adduceret, atq; hoc ipso nomine accusaret, quod peccarem non mediocriter, pro nihilo ducens amicum: non aliter me causam vincere posse arbitror, quàm si te adhiberem testem, qui nescio quomodo nunc accusatoris personam susceperisti. Adeo præter omnem spem & expectationem hoc mihi abs te contigit, si res nullius momenti te mihi adversarium effecit. Ego vero scio etiam eos qui non sunt amici, frequenter literis interpellere, si latere velint, & eos qui sunt amici, silentium agere, cùm absentium memoria contenti, aliis negotis occupati & districti sunt. Itaq; neq; scribere, in amore; neque tacere, in crimine ponitur, cum non utraq; animo ac sententia statim confirmentur. His igitur omissis, sic animo volve. An me nihil in vestrarum oblivionem possit adducere, an semper oratione & admiratione celebrem, quasi memoria glorians, an Joannis nomen appellans, semper etiam jucundum in oratione apponam, hæc animo considerans magis amabis me tacentem, quã loquentem alium, etiamsi Dodones templum ei cum lingua sonet. Verùm ne hanc te excusationem habere putans, taceas, cave, ne contraria dicamus. *Epistola quinta.*

Procopius Sophista: Longo nobis tempore siluisti, neq; ferre hanc rem possum. Sic enim cogita. Hyems erat, & hercle non mediocriter ferebamus. Apparuerunt hirundines, & cum harum adventu nihil locutus es. Nunc cicadæ canunt, & præter spem nobis tum silentiũ est. Si hæc uti dolorem nobis moveas facis, nescimus quid acciderit, ut dolorem volueris movere. Tamen non arbitror te maius supplicium exigere potuisse. Sin à pristino studio ad negligentiam ac pigritiam conversus es, peccas in cognationis legem, & amicitiæ præcepta transgrederis. Quod si non absurdum dictu sit, fortè quispiam te tui ipsius accusatorem factum esse affirmet. Quæ enim in nostram taciturnitatem, conferre solebas, his ipse jam captus & implicatus esse videris. Et quàm absurdum est orationem quæ loquendũ suaserit, ejus qui persuasus sit silentium in se recipere atque imitari. Sed vide in posterum, ut & sophistam me voces, & orationi jocos ac sales misceas. Nihil hoc omnino molestiæ nobis faceret, & quicquid dixeris feram moderatè, si loquentem solum audiam. *Epistola sexta.*

Idem: Tempus ob tacitũ initatẽ molestum, finẽ habet & desiit aliquando. Ego vero gloriari volens spe tuarum literarum, mecum animo cogito, & præteritorum memoriam repeto. Quantus quantus enim nobis sub te silente exactus est annus totus hyems fuit. Imo

nobis oratiorem etiam veram hyemem facis, quoniam in illa nobis consolationem adfert, quod silentium tēporis necessitati refertur: acceptum æstate vero nobis relinquitur lachrymari, quod nulla à te ratio ducitur tui amantium. Nam abesse necessitatem, te vero tursus tacere, id ejusmodi opinionem affert, ut contemni nos existimemus. Sed ô amores universi quæso ducite hunc in experientiam rerum nostrarum, ut sentiat, quam grave sit, amantem contemni ac negligi. *Epistola septima.*

Procopius Sophista: Si amantibus etiam una dies senium affert, quanto jam tempore me senuisse putas, ita tui desiderio affectum. (Quem enim tua consuetudo non in amorem pellicit.) tanto vero tempore etiam aspectu privatum. Sed rectè facis, qui missis literis molestiam leves, sapientes medicos imitatus, qui cùm sanare non possint, solum mitigant ac leniunt morbum. Talē nobis te præbes, dum pro teipso literas exhibes. Jam igitur vehementes, & planè captos amatores imitor, & amorem per simulachrum ac imaginem consolor. *Epistola 13.*

Procopius Sophista: Accepi vestras literas, quod quidem olim factū oportebat. Attamen tunc factū aliquid gratiæ detraxit. Ejusmodi vim habet amantiū affectus. Si res cadat secus quæ velint, molestū eis videtur, & ferre non possunt. Nacti vero quod cupierant, quasi nihil passi, in oblivionem veniūt priorum laborum. Sed hæc jam hac re cognita, priusquam aliquid a te scribatur, nobis silentio mœrorem ac molestiam adferas. Neq; enim velim iterum multis exhaustis molestiis post recreari ac gaudio affici. Neq; enim Delphi longissimè ab ipsis abesse Pythium velint, quanquam præsente statim festum agunt indigena Apolline. *Epistola 20.*

Idem: Majori dolore me afficis, cum non scribis, quàm commodo ex quo nos juvisti. Itaq; si bonis potiri amicis silentium imponit, video magis amare tarditatem quàm festinationem debere, si optimi discipuli velint, quia non statim gratificantur, crebrius litteras mittere. Hoc igitur ô doctissime facere ne cesses. Neq; hoc mihi adime, quo minus fructibus meis fruar epistolis scilicet vestris. Quid autem de me faciendum sit, committo Deo & vobis, ne videar insolens esse, si de iisdem identidem loquar. *Epist. 23.*

Idem: Opto tibi salutem amicorum optimè & Rhetorū. Sic enim ego de te semper tum vota facio, tum expecto. Et te quidem amicorum memoriam retinere, & omnia nostra causa velle, sunt qui cōtinuo huc nuncient. At his adjice quod deest, & fac ut semper à vobis literæ adferántur. *Epist. 25.*

Dion Idem: Semper meam ad vos epistolam metus præcedit. Eū curat ac tollit mansuetudo quæ in vobis est. Scribo igitur spe in vos infixa, quemadmodum gubernatores, qui ad dirigentem stellam intentos oculos habent. Quandoquidem igitur vos etiam ita splendetis, sic quoque benefacere ne cessetis. *Epist. 27.*

Procopius: Cum epistolam vestram acciperē, magno gaudio sum affectus, cum quē semper capiens memoria ac mēte delectatus fueram, cum per literas etiam videre atq; aspicerem, siquidem animi veræ imagines existunt sermones. Et si mihi permittis, ut dicā major quàm pro mea fortuna videbar esse, cum animo voluerem, quēadmodum in amicorum cœtu me numerares, & literas quæ similē petitione continerent mitteres. In quib. autem mirari videbare, teipsum conspiciendum præbuisti: literis nē quasi sumptis, tua narrās ac recensens, ut ego subridens ad meipsum dicerē, hercle, quàm vera sunt hæc verba si ad eum qui scripsit referantur. Nunc vero dicens etiam latuisti, non qualis ego. Sed qualem esse me oportet, ut hujusmodi laudes merear. Multā tibi bona contingant, tum propter studium tuum, tum propter ingenij mansuetudinem, & amoris memoriam, & quod maximum est, quod etiam non præsens, similimum præsenti te præbueris. *Epistola 30.*

Procopius: Itane tui amantes despicis? Siccine linguæ fluenta cōtines? At mihi etiam vestrum conspectum ac vultum amor describit, & nunc novi vigilāte corpore, somniare. Sed da te nobis literis tenus dumtaxat. Amantibus enim mitigationem præbet, etiam exiguū, ac vile signum amatorū videre. Fac, illorum verborū recorderis, in quibus promissiones inerant, aut cito te rediturum ad nos, aut literarū frequentia, sensum omnem absentiæ tollere. Nunc autem penè te etiam apud Musas in crimen voco, quod sapiens Pancratius summa dicendi vi ac facultate potuerit exprimere, quæ exequi non cogitabat. *Epistola 43.*

Procopius Sophista: Doctissimus Palladius, aurū totum attulit vestram epistolā. Et si mihi Crœsi talenta apportasset, nō ita lubentibus ac benevolis oculis eū aspexissem. Aliis n. rebus, alius gloriatur. Lydus auro. Spartiates hasta, Arion chordis, & pulsationib. Mihi vero jactandi caussam præbent, tui aspectus & literæ tuæ, atq; omne quodcunq; ex vestris frui datur. Itaq; nos juveni precium jure debemus, q̄ non persolvere nos merito pudeat. Precium autē non per Jovem est aurū, neq; Indicæ quædā gemmæ. Neq; enim his abūndo, neq; horum caussa juvenis advenit. Sed neq; orationis elegantia. Non enim ego Musarū fertilis sum. Neq; sermonis Attici delitiis operam do. Sed in his beatorum pueri se jactitant. At si meum donum quale sit, vis considerare, benevolentia ac studium. Horum dominus ego sum, inquit Demosthenes. Reliquarum rerum donationes fortuna & Musæ ad suam voluntatem administrant. *Epistola 48*

Procopius: Cum tuas literas in manus accepissem, ipsum te præsentem gaudere videbar. Ita tuā gratiam totam literis asperseras, & epistolā arridebam crebrius, ac quemadmodum cū te vidi, voluptatem omnib. modis percipiebam. Quod autē meministi amicorū absentium, nihil mirum aut præter spē, sed hoc accidit, quod antea spe tenebamus. Ego vero dormiens etiam tecum loqui videor. Et perpe consurgens dolui, quod tantum somnium fuisset. *Epist 50.*

Procopius: Atqui literarū missionem, ut apparet, homines excogitaverunt, ut absentib. præsentium imitationē referrent, & dicerent aliquid literis, quasi præsentes. Ego vero lecta epistola tua, præ gaudio lachrymavi. Et te præsentem quemadmodū solebas, visus sum audire, atq; suave quiddā spirans, hoc aiebam illud, charissima vox. Sed per amorem ipsum, & illam amicitiam, si hanc etiamnū agnoscis & memoria tenes ne literis etiam peregrineris, neq; ea quæ sola restat consolationē auferas, ne fortassis imiter eos qui ne à principio quidem amant, quos neque hæc patientes lachrymari contingit. *Epistola 52.*

Idem: Iterū venit tempus, literas ad vos efflagitans. Et iterū præclarè nobiscū agi putavimus. Quæ n. possit amplius nobis esse vita, si vobiscum sermones conferendi aut ad vos scribendi potestas erepta sit. Quod si paria vobis etiam à nobis referantur, dii boni, quàm præclarè nobiscum agetur. Itaque ne cunctemini, amorem in opus producere, ne solum amore spreto, tela ipsius experiamini. Potens enim Deus, est, & ad movenda tela & ad sagittas tollendas atq; scopum constituit eos qui aspernantur amantem. *Epist 53.*

Procopius: Probè novit amantium affectionem proverbium. Et si pejerare velint, veniā eis à diis promittit. Nam ecce tibi scripsi, quāvis non scripturum me pollicitus. Ita trahimur amore, & mendax amator evado. Sed scribe sæpius. Et saltem figuram imaginis pro spectaculo amantibus concede. *Epistola sexagesima.*

Dionysius Sophista: Optata mihi res est, epistola vestra, atq; utinā mihi ipsam vocē audiendi facultas daretur, Sic enim majorem voluptatem capere n quemadmodum amator cùm ipsum vultum ejus quem amat, conspicit. At vero etiam imagines eorum quos amamus charas habere solemus, si ipsos videre non possimus, At symbola mihi, festivitatis commoda videntur. Quatenus autem à vobis duplicia jure putabuntur. *Epistola prima.*

Dionysius Sophista: Hoccine est vetus amicus. Hoc Rhetor peritus? Neq; prior scribis, neq; posterius ad scripta respondes. Atqui amantis erat, & ejus qui ea facultate præditus esset, loqui. Testificor enim vobis id cognoscie epistolas mittendo. Cur igitur id facis? Respōdeo per literas nisi etiam hac in re me mulctabis. Sed hic tibi mihiq; pariter injuriam facis. Tibi ipsi, crimen in te collatum non purgans, Mihi vero, quod ne accusationem quidem meam dignam putas contra quam defensionem pares. *Epistola 14.*

Dionysius Sophista: Per teipsum, & veterem consuetudinem nostram, non video impudens esse qui scribam homini, qui ne novisse quidem me vult, literas? Sed adhuc sperans vos animū mutaturos, etiam in præsentia scripsi. Quod si nunc iterum nihil proficero, sciā me impudentem videri. Cum autem Modestus maximas de te laudes vulgo prædicet, necessarium duxi, etiam per ipsum quasi per epistolam vobiscum loqui. *Epistola 16.*

Dionysius Sophista: Non desinam scribere, donec uterq; renunciemus, ego quidem literis, tu vero molestiis quas ex his percipis, ut exactè discam an me de his quæ petivi, spem oporteat conservare aut potius abjicere. *Epistola 21.*

Dionysius Sophista: Qui literas à principio invenerunt, appellandi caussa ac salutandi mihi videntur invenisse. Reb. autem forte fortuna intercedentibus, factum est deinceps, ut ad novum etiam usum illis adhiberetur, deq; iisdem homines per epistolas differerent. Itaq; si res incidant, opus est longis verbis. His autem deficientibus, quo longiora colloquia quispiam amanti tibi largiatur? Voco enim colloquium, etiam literis comprehensum sermonem, cum non multum à consuetudine præsentiā differat. *Epist. 31.*

Idem: Ita ne ô sapientissimi mortalium, facilè acceperim, si vel pecunias petam. Vestram autem epistolam videre cum sæpè optarim, sæpè rogarim, indignus qui impetrem esse videor? Atqui amo ut pauci, colo vero etiam plus quàm pauci. *Epist. 32.*

Dionysius Sophista: Etiam pauca tuæ celsitudini scribens, quod amo & memor sum vestrum, ostendo. At tu quoq; me imitatus, ostendes idem quemadmodum ego. *Epist. 38.*

Dionys. Idem: Oportebat eos qui ad viri virtutē scripturi essent, & temporis longitudinē quærere, & verborum dignam facultatem invenire. Peccatum est enim non tolerandum, ejusmodi res suscipere, quibus & temeritas arguitur, & virtus humilitate verborum injuriā patitur. Hoc igitur nobis & morā injecit, & crimen in opinione positum attulit. Amicorū enim memoriam abjecisse videbamur, quod ne literis quidem ipsis nos videndos præbemus. Cognita igitur caussa si perpendas amicitiam, non planè instabilem meum animū putabis. Etenim ne tu quidem ipse, ut opinor, omnino meum consilium improbabis, quod exiguæ tantum securitatis curam habet. Quamobrem ora pro nobis. Hoc enim & mihi optatum atque salutare, & tibi commodum atque justum. *Epistola 41.*

Amico: Consueto gaudio nos exhilaras domine qui literarū successionem tuam præsentiam nobis perpetuo exhibeas, jamque quod vestram absentiam, præsentia ostenderis, non mediocrem lætitiam nobis attulisti. Nam tuæ dignitatis præclarissima scripta, lætitiæ nobis caussa sunt. Nobis enim domine, tametsi videaris abesse, tamen præstò es & præsens in animis nostris non injuria inscriptus es indeleta memoria, suavissimorum liberorum præsentia, debitorum necessitate, animorum virtute. Nam animo oculisque solennitatis & festi loco sunt literæ. *Ex typo Epistolico.*

Genera Epistolarū cognovimus vnū & viginti. Fortè plura temporis cursus his addiderit. Is enim est inventor artium, ac speculatio-

lium moderator optimus. Nostro verò tempore, præter hos non ferè est alius stylus idoneus, qui in epistolarum rationem cadere possit. Nomen autem singuli ex re formaq; invenerunt.

Amicorum Commendationis, Querendi, Exprobrandi, Consolandi, Increpandi, Adhortationis, Minatorius, Vituperandi, Laudatorius, Consulendi, Deprecatorius, Percontandi, Respondendi, Allegoricus, Æthiologicus, Accusandi, Defendendi, Gratulatorius, Simulativus & Gratiarum actionis. *Ex typis Epistolicis.*

§ Romanorum.

Plinius Iunior: Verebar ne modum, quem tibi in sermone custodire facilè est, tenuisse in epistola non viderer. nam Sermonem vultus, gestus vox ipsa moderatur, epistola omnibus commendationibus destituta, malignitati interpretum exponitur.

Plinius Iunior: Recténe omnia? quod jampridem epistolæ tuæ cessant. an omnia rectè? sed occupatus es tu, an tu non occupatus, sed occasio scribēdi vel rara vel nulla? Eximè hunc mihi scrupulū, cui par esse non possum: eximè autē vel data opera tabellario missō: ego viaticum, ego etiam præmium dabo: nuntiet modo quod opto. Ipse valeo, si valere est, suspensum & anxium vivere, expectantem in horas timentemq; pro capite amicissimo quidquid accidere homini potest. *Lib.* 3. *Epist.* 17.

Plinius Iunior: Epistolarum quas, ut ais, aperto pectore scripsisti, oblivisci me jubes, at ego nullarum libentius memini. ex illis enim vel præcipuè sentio quantopere me diligas, cum sic exageris mecum ut solebas cum tuo filio. nec dissimulo hoc mihi jucundiores eas fuisse, quod habebam bonam caussam: cum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam atque etiam rogo; ut mihi semper eadem simplicitate quoties cessare videbor (nunquam enim cessabo) convitium facias: quod & ego intelligam à summo amore proficisci, & non meruisse me gaudeas. *Epist.* 12. *lib.* 6.

Plinius Iunior: Erat summi amoris, negare veniam brevibus epistolis amicorum quamvis scias illis conitare rationem. *Epistola altera lib.* 9.

Symmachus: Alloquium crebrius cum petimus, sedulo pollicemur. *lib.* 1. *Epist.* 2. *f.*

Symmachus: Ne mihi sit dicti hujus post negatio, en vobis chirographi instar literas. Sponsionem stipulat affectio: neq; enim patiar decipi quos opto complecti. *lib.* 1. *Epist.* 5. *f.*

Symmachus: Scribendi oblivionem peperit res secunda. *lib.* 1. *Epist.* 7. *pr.*

Symmachus: Petis à me literas longiores. Est hoc in nos veri amoris indicium. *lib.* 1. *Epist.* 8. *pr.*

Symmachus: Ausim dicere, uberiorem rebus quam verbis fuisse epistolæ paginam. nam multa erant quæ gaudere deberem; cum essent pauca quæ legerem. *lib.* 1 *Epist.* 8. *m.*

Symmachus: Non minore cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas epistolas susceperis eo annulo; quo nomen meum magis intelligi quam legi promptum est. Nihil autem fuisse quod meruam publicari, decursis exemplaribus judicabis. Nec est ulla inter nos causa secreti. Aperto pectore omnia pura miscemus. Nihil in conscientia latet quod scriptorum cuniculis occultatur. Sed æquum est ut simplicitati nostræ non sinamus illudi. Neque enim diligentia mea debet admittere proditorem, quia cautio præstitit ne timerem. *lib.* 1. *Epist.* 12.

Symmachus: Equidem securus amicitiæ æqui boni facio si quid in me ab amante peccatur. Sed tuos mores quibus nihil deest ad laudem, dedecet officii negligentia. Queri me opinatis quod nihil scribas: & refellere mendacium paras, quia te aliquid scripsisse meministi. Ego verò minimum animi angerer, si tacerem, præsut hoc est quod mihi & patri unas atq; eas oppido breves literas detuliisti. Ita tibi ambo digni singulis paginis non videmur? Tui inquies, honoris interfuit ut jungereris parenti. Alia sunt quæ cum illo nobis vel communia opto, vel paria. amor mihi meo nomine deferatur. Abstine igitur epistolis quæ sunt instar Edicti. Facessat omne studium ex quo nascitur cura compendii. *lib.* 1 *Epist.* 44.

Symmachus: Sive officium sedulum judicas, seu molestum, stat sententia honorem tuum celebrem præstare colloquiis: adeo mihi veteris in te amoris nulla dissessio est. Et meritò: nam amicitiæ operam nusquam locavi æque bene. Propterea silentium tuum coqueror. Facit enim teneriorem affectio, ut sit querela proclivior. Mollis est animus diligentis, & ad omnem sensum doloris quam argutus. Si negligentius tractes, cito marcet ut rosa: si durius teneas, litvet ut lilia. Legisse memini, vultu etiam sæpè lædi pietatem. Quid ille tam serius arbiter super continuo silentio ac dissimulato scribendi munere censuisset? Tecum hæc pensius æstimabis. Mihi religio fuit tegere quæ dolebant. *lib.* 1 *Epist.* 28.

Symmachus: Odi parsimoniam verborum bonorum. Scribendi quippe brevitas magis taedio quam officio proxima est. Nolo literas de summo ore stillantes. Illas petò quæ arescere nesciunt, quæ ex intimo pectoris fonte promantur. Memini brevitatem Spartanam laudi quondam fuisse. Sed ego tecum Romanis legibus ago; & si ita vis, Atticis: quibus tantum decus à facundia fuit, ut mihi videantur Lacones metu collationis inducisum studia destituisse. *lib.* 1. *Epist.* 39.

Symmachus: Sum quidem silentii tui vehementer impatiens. quod genus querelæ amantibus familiare est. Sed proximis literis tuis desiderium meum expletum esse confiteor. Itaque habeo gratiam, multoque opere te obsecro, scriptioni frequenter indulgeas. Hæc enim sola officia nullum faciunt de assiduitate fastidium. *lib.* 1. *Epist.* 76.

Symmachus: Religionis indicium est, quod me taciturnitatis incessis, sed credas velim infortunii fuisse, non voluntatis, quod diu provocatus, officio scriptionis abstinui. *lib.* 1. *Epist.* 77.

Symmachus: Peccari in amicitiæ fidem credidi, si literis mutuum honorem destitissem. *lib.* 1. *Epist.* 80.

Idem: Si facultas ad scribendum sæpe suppeteret, voluntas nunquam deesset officio. Hujus rei evidens certumq; documentum est, quod ubi primum amici communis fida adfulsit occasio, liberis scribendi munus arripui. *lib.* 1. *Epist.* 81.

Symmachus: Dulce certamen est familiaris officii! & ideo jure ambo cavimus, ne alterius vinceremur. Gratulor igitur pares nos esse non solum affectione mentium, sed etiam vicissitudine litterarum. Curabo tamen posthoc ut obsequii mei trutina & libra præponderet, ne videatur inertiæ quoddam esse colludiū semper æquā lancē censeri. Itaque scribam sæpius multò, facultas commeantium non desit aventi. Ità fiet, ut & ipse laudem sedulitatis affectem, & te curis publicis occupatum ad rependenda colloquia assiduitate sollicitem. *lib.* 1. *Epist.* 86. *pr.*

Symmachus: Quoties tua sumo colloquia, quædam ante oculos præsentiæ tuæ imago versatur: atq; ideo uberrorem capio voluptatem, quod & tui officii, & mei meriti sentio vigere momentum. Sed ut promptior circa me hujus muneris diligentia perseveret, etiam ipse curam deferendi sermonis arripui, frequenter experitus dilectum religiosi animi incentivo vicissitudinis promoveri. *lib.* 1. *Epist.* 78. *princ.*

Symmachus: Quod nullas sumpsi literas tuas, scio non fuisse fastidii. nam bonæ & exploratæ amicitiæ, vel si cessat officium, satis tutæ existimationes sunt. Propter taliorem referre vitavi, veritus ne quod tu invitus feceras, ego offensus crederer reddidisse. Longè enim diversa conditio est, fortuiti quam affectati silentii. Res quidem una negligitur: plurimum tamen refert, quis eam quasi occupatus, quis quasi iratus omiserit. *lib.* 1. *Epist.* 89.

Symmachus: Meæ litteræ quoniam acceptæ sunt tibi, crebrius commeabunt, nam ut respondeas non laboro. siquidem videtur injurium flagitare officia, quæ sponte religiosus animus pollicetur. *lib.* 1. *Epist.* 91.

Symmachus: Curabo ut frequentibus literis merear de te similis officii diligentiam. *lib.* 2. *Epist.* 4. *f.*

Symmachus: Quamvis literas meas fama prævenerit, quæ exoneratum te publicis necessitatibus nunciavit: tamen quo fidelior esset assertio, scriptis confirmo rumorem. *lib.* 2. *Epist.* 27.

Symmachus: Reddet tibi litteras meas qui tuas mihi debuit exhibere. Neq; enim eadem nobis silentii excusatio quæ tibi suppetit. Te multiplex actuum pulicorum turba circumsonat: Ego ab omnibus negotiis feriatus triste ocium tero. Et quod tui honoris gratia antè faciebam, nunc meo assumo solatio. Levatur quippe ægritudine animus quoties in officia amica dirigitur. *lib.* 2. *Epist.* 32.

Symmachus: Gratulor novi aliquid oblatum quod mea solito respondendi genere vendicaret. Quousq; enim dandæ ac reddendæ salutationis verba blatterabimus, cum alia stilo materia non suppetat? At olim Parentes etiam patriæ negocia, quæ nunc angusta sunt, nulla sunt, in familiares paginas conferebat. Id quia versis ad ceiū rebus omisimus; captanda sunt nobis plerumq; intentata scribendi semina, quæ fastidium tergeant generalium litterarum. Juva igitur me culpa quam delui, & si non fallor, tibi quoq; viam dedit inusitata referendi. *lib.* 2. *Epist.* 35.

Symmachus: Gratiosa est expostulatio quæ requirit officium. *lib* 2 *Epist.* 54.

Symmachus: In maximis quidem rebus quid mihi studii atq; amoris impendas, frequenter adverti. Sed hæc quoq; crebri sermonis officia, ut pote ex intimo affectu deprompta, complector: quorum assiduitas cultum circa te meum pari lance compensat. jucunditas verò tanta est, ut fatear me alloquio tuo potiùs incitari ad desiderium quam repleri. Ea quippe rerum omnium ratio atq; natura est, ut quæ humanis sensibus blandiuntur, nequeant afferre fastidium. Itaq; cum solvendis atq; agendis gratiis par esse non possim; facio quod solent improbi debitores, qui adhuc alieno ære depressi, cupiunt secundo nexu fœnoris obligari. Quare etsi hi meritæ sint litteræ tuæ, non ut ingratus, sed ut muneris tui cupidus postulo crebriores. *lib.* 2. *Epist.* 56. *pr.*

Symmachus: Brevem necesse est esse sermonem qui properanti repentè committitur. Quare & officio satis est, & brevitati temporis congruit ut circa te salutationis honore perfungar. Vicissitudinis congruit ut circa te salutationis honore perfungar. Vicissitudinis congruit ut circa te salutationis honore perfungar. Vicissitudin

eni n tempus patior ab hoc munere feratum, neq; locorum interce dente di ortio in oblivionem familiaritatis adducor. Quod si me vicissitu linis stimulo faceres promptiorem, numquam profecto lingua desidem continerem. Et tamen enixè meum fungar officium, nec cessationis traducar exemplo. Atqui hoc silentium tuum difficultatibus publicæ occupationis adscribo: quia satis est mihi ad amicitiæ fiduciam, quod me credo redamari. *lib. 3. Epist.* 2.

Symmachus: Hunc scribendi morem superstitio vetusta instituit, ut ad peregrina digressi priorem sibi locum vendicent cum absentibus colloquendi. Sed affectus moræ impatiens, scribendi vices religione mutavit. itaq; rupta lege tacendi sermonem tuum festinatione prævenio. *lib.* 3 *Epist.* 3.

Symmachus: Decet litteras meas frequenter efflagites, nec tamē convenit de silentio grave quippiam suspiceris. Oblitum me tui quod in hanc diem siluerim, censuisti. An ita vel mei animi fides inclara, vel tui eriti angusta momenta, ut huic de me opinioni locus esse debuerit? Quare amicitia communis plus accepit injuriæ ex tua suspicione quam ex meo silentio, Minus est enim necessitate officium deserere quam de voluntate perperam judicare. *lib.* 3. *Epistol.* 4.

Symmachus: Nuncium reditus mei cum primum fida patuit occasio, exhibere non differo. Scio enim te prospera quæque te nobis velle cognoscere. Mihi quoque par cura est de salute atque actibus tuis læta & optata noscendi. Atq; ideo dignaberis quoties fors dederit facultatem, officia circa nos mutuæ affectionis implere. *lib.* 3. *Epist.* 8.

Symmachus: Sit inter nos frequens honor officii, sint assiduę scriptorum familiarium vices. Quippe tacita cōcordia instar odiorum est. Ideo litteras adfabra rerum vel natura, vel industria peperit, ut numquam mutua esset affectio: & si quando absumus, linguæ operam fungerentur, signa verborum. *lib.* 3. *Epist.* 17.

Symmachus: Abundas quidem naturæ bonis & ingenii facultatibus, sed continui silentii culpam tibi quoque purgare difficile est. Quid enim ex vero, vel ex commentato dici potest? Itinera me, inquies, longa tenuerunt: Sed sæpè cessatum, & aliquando perventum est. Vigilem operā publicis rebus impendo, sed vicibus ocii omne negocium distinguitur. Restat, quod minime volo, ut fatearis amicitiæ negligentiā. Nam omnia si plerumq; deferas, occupatio est: Si semper oblivio, crimen. Hoc, si heri posse, tacerem. Illudis ergo patientiæ meæ. Atqui intelliges æquum animum majore præcio remunerandorum. Indignius læditur quem religio non permittit offendi. *lib.* 3. *Epist.* 18.

Symmachus: Crebritas epistolarum tuarum non solum tibi parabit gratiam, verum etiam me faciet promptiorem. *lib* 3 *Epist* 22.

Symmachus: Securus ut video, scribendi ad me vices negligis. Scis enim istiusmodi culpam sine talione cessuram. Quoties minatus sum par silentium si alternis temperasses? Vincor tamen affectione, & delector tali mendacio. Ex quo intelligere potes quam constanter diligam qui tam inconstanter iratcor. *lib.* 3. *Epist.* 26

Symmachus: Ne miteris quod tibi sermo noster sero tradetur, cū aliquid sibi occupationes vendicent, nonnunquam desit facultas, tabellariorum quoq; negligentia susceptam operam plerumq; frustretur. Demine igitur animum nostrum epistolarum severitate metiri, cum rebus potius, quàm verbis spectetur affectio. *libr.* 3. *Epistel.* 28.

Symmachus: Recte valeo, hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. *lib.* 3. *Epist.* 40

Symmachus: Ut sæpe scribas nequaquam mihi orandus es. Efficiet assiduitas literarum mearum, ut mutui admonearis officii. *li.* 3. *Epist.* 44

Symmachus: Meus mos est semper alloqui præstantiam tuam. Qui tuus? Litteris abstinere. Facimus quod solemus. Ego scribo, tu retices. Sed scio in amandis amicis majorem virtutibus tuis inesse constantiam quam in negligendis epistolis voluntatem. Atq; ideo animi tui securus, cultum tibi debitum mente & sermone non defero, nequaquam reposcens ut scriptorum mihi vicissitudo respondeat; cùm in amore reddatur. *lib.* 3. *Epist.* 54.

Symmachus: Ultrò in me arguo culpam silentii, si quando usum officii mei quælibet dierum intervalla remorātur. Nulla enim purgatio suppedit quin cultum familiaritatis publico actui frequenter inter seram Sed idem qui peccat in vitio desidiæ, æquè in scribendo longus esse desino. Nam licet sciam animum tuum nequaquam noxium esse fastidio, adverto tamen pro conditione curarum tuarum, ponendum verbis modum: quia ut desideranti prolixitas grata est, ita displicere non poterit brevitas occupato. *lib* 3. *Epist.* 57.

Symmachus: Nactus copiam scripta duplicavi, haud veritus ne fastidium crearet sermo geminatus. Ex meo quippe animo metior, amicitiam non posse sentire officiorum satietatem: sint quanquam illa crebra & continuis similia, semper tamen ut rara & diu desiderata sumuntur. Huic opinioni meæ fidem faciet assiduitas epistolarum tuarum. Insitum quippe est bonis mentibus, ut quæ copiose ab aliis optamus adipisci, ea ipsi largiter deferamus. *lib* 3. *Epist.* 61.

Symmachus: Literas tuas non minus quam meorum conspectus & verba desidero. *lib.* 3. *Epist.* 63. *f.*

Symmachus: Deprecor ut affectionem quam mihi & præsenti dependere, & absenti dignatus es polliceri literarum munere, quoties usus tulerit, non graveris augere. *lib.* 3. *Epist.* 65 *f.*

Symmachus: Meritorum tuorum justa ratio deposcit, ut familiaribus litteris operam frequenter impendam, expertus quippe non perire officia delata sapientibus. Fungor igitur salutatione quæ sola curam testatur absentium: tuamque oro præstantiam, ut amicitiæ bonum sicuti facere soles, & sermone excolas, & mente custodias. *lib.* 3. *Epist.* 68.

Symmachus: Ad scribendum me relatu vicissitudinis incitasti. Ea quippe rerum natura est, ut officiorum diligentia fructu vicissitudinis incalescat. Sume igitur salutationem, simulq; indicium sospitatis meæ lætus amplectere, redditurus voto atq; animo meo reciproca gaudia similium de tuis actibus nunciorum. *lib.* 3. *Epist.* 70.

Symmachus: Sæpius alloqui præstātiam tuam non piget, quamvis nihil invicem sermonis accepi. Ipse enim mihi pro te sponte respondeo, quod inter castrenses curas locum officia ociosa non habeant. Atq; utinam assiduitas affatuum meorum tibi non videatur obstrepere. Prope est ut referri mihi litterarum gratiam putem, si sciam quæ scribo non afferre fastidium. *lib.* 3. *Epist* 70.

Symmachus: Beari me multis bonis judico, quotiens sermonis tui honorificentia & splendore delector. Idque ut merear, etiam ipse non desero diligentiam frequentis officii. Stet igitur inter nos ut animorum fida synceritas, ita hujus muneris amica certatio. *lib.* 3. *Epist.* 80.

Symmachus: Diu siluisse me fateor, ut fiduciam scribendi tuus sermo præstaret. Sed cum perspicerem necdum ullo invitamento officii provocari, prior in verba salutationis erupi, plurimum rogans ut exempli istius imitator esse digneris. *lib.* 4. *Epist.* 1.

Symmachus: Itane sublimem animum tuum mei cœpit oblivio, ut tamdiu exortem alloqui tui me esse patiaris? An existimas neglectum familiaris officii æquanimiter a me posse toleran? Quin age ut mos est virtutibus tuis, & amicitiam scriptorum celebra, simulq; æstima quam uberior ac promptior litteris tuis à me cura referenda sit, quæ etiam tacenti jugiter exhibetur. *lib.* 4. *Epist* 10.

Symmachus: Sæpe ad te litteras dedi, quas quidem credo suppressas. Quando enim vir servantissimus amicitiæ, multisq; animi bonis præditus, dignationem officii mihi denegasses? Fuerit hoc eorū, quib. in reddendis paginis fides defuit. Nunc eventus optabilis veterum morum sequestrem, scriptis meis præstitit. *lib.* 4. *Epist.* 11.

Symmachus: Inter præcipua gaudiorum numero litteras tuas, scilicet fraterni animi testes, & veræ religionis interpretes: Eas quanto sæpius sumo, tanto impensius uberiusq; desidero. Difficilis est enim satietas bonarum rerum: & tunc maximè animo jucunda quæq; sollicitant cum videntur explere. Scribe igitur ut facis sæpius: nec metuas ne experiaris ingratum quem vides & amoris & sermonis tui tam cupidum. *lib* 4. *Epist.* 16.

Symmachus: Ubi in Campania literas tuas lætis oculis percurri, aucta est apud me celebratorum locorum gratia. Fit enim plerumq; ut ex bonis accidentibus honor & voluptas locorum crescat, & amoris signa præferat. nam nemo flagrantius amicitiam colit, quam qui irascitur negligentiæ. *lib.* 4. *Epist.* 21.

Symmachus: Num etiam commeantium fidem debeo. Cogita in longinqua raras aut occultas hominum profectiones, adde perfidiam mandata frustrantium. Non accusabis absentis, ut spero, desidiam, si consideres & in emittendis paginis alienam requiri occasionem, & in reddendis alienam fidelitatem. *lib* 4. *Epist.* 21. *m.*

Symmachus: Jam vero quid de scriptis meis vel silentio sentias non requiro. Siquidem minus est te frequenter alloqui, quàm de te jugiter loqui. Quid ergo scripta postulas quibus sæpe male creditur? hoc liberius, hoc verius est quod defertur absenti. Itaq; ut vis, gloriari stili frequentia: ego officium vinco judicio. *libr.* 4. *Epistol.* 21. *fin.*

Symmachus: Observatio quædam me adhuc usq; cohibebat, ne litteras primus emitterem. Hunc enim morem quædam institutio vetusta constituit, ut eorum ante recurrat adfatus, quos à proprio lare peregrinatio longa disterminat. Ago itaque atq; habeo uberes gratias præventus officio, quo te languore discusso rectius valere cognovi, & stilo manum quodammodo esse reseratam. *lib.* 4. *Epistol.* 23.

Symmachus: Desideravi litteras tuas adventantib. multis, quos mihi sermonem tuum præsumpseram tradituros. Sed ubi expectationem meam spes ista frustrata est, ultro etiam alloqui studui, ut te exemplo officii ad curam similem provocarem. Quæso igitur, ne amicitiæ vigorem languere & munia frigere patiaris, quæ impatiēter requiro, licet noverim diligentiam circa me tuam, etiā cum scripti abstinens sis, ndo animo contineri. *lib.* 4. *Epist.* 25.

Symmachus: Amplissima redundo lætitia cum video litterariis officiis meis honorem parilem non negari, atq; ideo exercendi tui amore distimulor. Neq; enim fas est torpore studium quod æqua benignitas compensatione gratiæ muneratur. Plura vellem, sed verecundiam tuam nimio laudis excursu non oportet onerari. Vale, & amicitiam, sicuti facies, in exemplum tuere. Nos etsi elegantia sermonis impares sumus, constantia religionis pares esse nitemur. *lib.* 4. *Epist.* 26

Symmachus: Ut desidem scribendi me sæpe accusas. Quid doleam magis nescio. Sermo oriffus negligentiam videtur arguere, parcus inrantiam. Malo tamen ingenio meo convivium quā moribus facias: quibus, quandiu ipse mei sum memor, objicere tui oblivionem non pores. Castigasti item quod te fratribus tuis dicenda salute consocie n. Sum quidem loquendi pauper, & tenax cartulæ. Sed hoc te mihi dare vitio non oportet quod illos constat amplecti. Facit autem lex Curiæ nostræ, ut majoris apud me numeri antistet auctoritas. Quod si vox una ad mensæ genialitatem vocarem? Nolles eo-

dem

dem cum fratribus thoro accipi? Nec invideris, unius epistolæ creditor, quæstum quodammodo de vobis usuræ triplicis exerceo. Nihil enim mihi à singulis pro altero solvitur. Aut cur mea officia dividi postulatis, qui ad exprobrandum vestra conjungitis? *libr.* 4. *Epist.* 27.

Symmachus: Et tamen cum tabellarios tibi plures causæ offerāt, æquè à stilo temperas, nec ulla à nobis expostulatione perstringeris. Facit enim securitas mea, ut diligi me etiam a tacente non ambigā. Ergo amicitiæ nostræ fiducia non ex literis pendeat. Illarum intervalla fors facit. Fides autē utuæ diligentiæ indignatur linguæ assertionem. Ad hoc etiam prolixas epistolas petis, tamquā facturus periculum, quantum in scribendo cana ætate profecerim. Semper quidem similis ardentibus rivulis, laxiores ripas refugi, ut inopiam brevitas affectata celaret: Nunc graves quoqianni, si quid de pectore meo stillabat, ebiberūt. Præterea nihil argumeti suppetit ad proroganda quæ scribimus. Nosti ocium meum, de quo apud te largiter loqui utriusq; fastidium est. Magnis negociis plura verba conveniunt. Nobis idem sit linguæ modus, qui fortunæ est. Mallem, Aborigenū more dictione salutis alternæ ligno aut corticib. scribere. Ægyptus papyri volumina bibliothecis toroq; texuerit. Sufficiat aliquando celebrandæ amicitiæ, Si vales bene est. Opto has ipsas, quas tu brevilo quas quæreris, salutationum vices, dum absumus, inter nos longum manere. *lib.* 4. *Epist* 28. *m.*

Symmachus: Silentii inter nos simile scis esse delictum: atq; ideo injustè mihi culpæ datur, quod utriq; cōmune est. *lib.* 4. *Epi.* 30. *pr.*

Symmachus: Nec tame cum à literis temperares, ullam decessionem diligentiæ in me tuæ factam putavi. Tanta enim est securitas veræ amicitiæ, ut de sua fide æstimationem mi tui amoris assumat. *lib.* 4. *Epist.* 30 *m.*

Symmachus: Delectaris epistolis meis. Credo. Hinc est quod eas & sæpe & ardenter efflagitas. Sed non statim mereor desidis notā, si nequeo tui amoris in me avaritiæ satisfacere. An interlabi amicitiæ memoriā per silentium putas? Cave talia de animis opinari quorū æterna judicia sunt. Habet enim plurimū ponderis fides, & alligata voluntario sacro, stili admonitione non indiget. *Lib* 4. *Epist.* 33. *pr.*

Symmachus: Obrepsisti verecundiæ meæ ut prior scriberes. vadatū me tibi hoc munere velim credas. Sed non fero, ut ædes quodāmodo amicitiæ nostræ novus salutator adisse videaris. Jamdudum virtutes tuas pares fraternis in pectoris mei possessione recepi. Crevisti etiam pro parte legitimæ paternæ in me familiaritatis successionem licet singulis vobis soliditas mei amoris accesserit: bona animi etsi spargi in plures putantur unicuiq; tamē plena & indivisa proveniunt. Præterea cum palatinæ eloquentiæ militares porrexi amicitiæ tuæ dexteram. Quare tot tantisq; pignoribus annexa, non æstimemus de epistolari tyrocinio, charitatis ætatem. Nam ut animus celerior est literis, ita prius fuit amare quam scribere. *lib.* 4 *Epist* 35.

Symmachus: Semper quidem mihi salutatio à te profecta gaudiū creat, sed ea præcipue, quæ familiaribus apportanda committitur. Adjicit enim scriptis digna quæsitu, & de te tradit auditui si quid defuit lectioni. *lib.* 4. *Epist.* 44.

Symmachus: Et cum Mediolani degerem cultum circa te salutationis exercui, & nunc remenso itinere operam sedulam litterario muneri non negavi. Expectas credo ut gratiam rescriptionis petam. Illam plane non mea efflagitatio, sed tua affectio pollicetur. Exigant stili vicem qui animi non merentur. *lib.* 4. *Epist* 49. *pr.*

Symmachus: Sum quidem sermonis tui nimius flagitator. Silentii intervalla non arguo, sed suspicor aliquid amicitiæ nostræ ex alloquii raritate decedere: quum sciam in pectoribus sedem esse religionis, levamen desiderii ex ore proficisci. Priores igitur literæ meæ magis desiderium sermonis tui quam castigationem taciturnitatis habuerunt: & ideo elaborandum tibi non est, ut mihi amoris tui fidem facias: nam tui animi de meo sumo judicium. Siquidem nullus verior æstimator alieni amoris, quam qui de suo sumit exemplum. *lib.* 4. *Epist.* 60. *pr.*

Symmachus: Nemo unquam pervector tuorum apicum vacuus ejusdem muneris ad te revertit: Tamen in frequentiam nobis vitio ducis, & ultro curam tuæ assiduitatis exprobras. Facis hoc amantium more, apud quos officiorum talium, & jam cum redundant, satis magna est. *lib.* 4. *Epist.* 65.

Symmachus: Frequens usus ostentat, & clara animi tui momenta contestantur, exempla veræ amicitiæ de te capienda. Neq; enim quisquam constantiam firmiorem familiaribus impendit officiis, præsertim in tāta publicarum curarum mole, quæ alterius studium posset hebetare, nisi obstrepentes necessitates affectio fraterna superaret. Quod solum igitur verecundiæ convenit, eodo præstantissimæ religioni, neque imparem referendæ vicissitudini pudenter agnosco. Nec vereor, ne diligentia tua tali laude lenescat: quin potius spero benevolentiam (si quid pleno adjicitur) largiorem: quia bonis familiare est studia benigna cumulare, quorum gratiam sentiunt non perire. *lib.* 4. *Epist* 73.

Symmachus: Recte valeo. hoc enim scribendi debet esse principium, quod maxime expetunt vota lecturi. *lib.* 5. *Epist.* 1.

Symmachus: Opulento me afficis bono quotiens amicitiam nostram salutis tuæ indicio muneraris. Deos igitur comprecor, ut te pro tanta in nos religione fortunent. Vicissitudini autem litterariæ parem diligentiam libenter impendo, ut ad officia promptius inciteris, cum videas apud memorem scriptorum gratiam non perire. *lib* 5. *Epist.* 2.

Symmachus: Gaudeo mihi sermonis tui primitias contigisse, & impendio postulo ut humanissimum hoc cœptum religiosa cura, non deserat. his enim maximè nutrimentis amicitiarum cultus adolescit. *lib.* 5. *Epist.* 8.

Symmachus: Jampridem nihil scribis æquum esset huic culpę talionem reponi. Sed arbitror imitanda non esse quæ doleas: & animo persuadeo, alias potius intervenisse causas officii differendi, quam remissam voluntatem. Quamquam vereor ne factum tuum hæc ipsa gravet humanitas. Nam qui mihi pro re satisfacio, ostendo me nihil tale meruisse. Scribe ergo jam sæpius & copiosius. *lib.* 5. *Epist.* 13.

Symmachus: Brevem esse decet sermonem quo reditus indicatur quid enim mandes paginæ, cum omnia quæ scripto committi solent, fabulis potius debeant reservari? *lib.* 5. *Epist.* 17.

Symmachus: Proximè quidem urbe digressus es. Sed ego quasi jam inveterato tui desiderio convenirer, officiose scribendi munus arripui, nec expectato ordine, nec more servato qui solet amicis esse pro lege, ut peregrè locati prius tribuant scripta quam sumant. Et re vera affectio omnis impatiens est etiam justæ ac legitimæ tarditatis. Rupi ergo consuetudinem religione majore quam si servare voluissem. Quæ res si tibi grata est: & mihi fœnus solve colloquii, & perlatori apicum benignus arride. Cui ut nihil magis potui præstare quam literas, ita nihil poteris plus tribuere quam favorem. *lib* 5. *Epist.* 30. *pr.*

Symmachus: Stili imagine jucunditatem vivi sermonis imitamur. *lib.* 5. *Epist.* 32.

Symmachus: Dissimulati officii objurgatione morderis in epistola blandiore qua tibi refero gratiam sermonis accepti: licet cogitarem illa potius amica esse colloquia quæ sponte tribuuntur: at in respondendo referri magis necessariam vicem quam deferri sponte nam scriptionem. Ego tamen ita affectus sum literis proximis, ut nescire me fatear, reddideris hoc munus an dederis. Verum cogita quid paginæ tuæ jucunditatis habituræ sint quas non admonitus exhibebis, quum hæ quoque mihi admodum gratæ sint quas rependis ex debito. *lib.* 5. *Epist.* 44.

Symmachus: Facis ut decet, quod ocium meum scriptorum assiduitate solaris. Siquidem ex tuo amore conjectas jucundum mihi esse munus, quod ex tuo sanctissimo ac luculentissimo ore profluxit Refero igitur vices magis ad testimonium gratiæ, quam ad æquiparandum officium quo me agnosco devinctum. Sed hoc ipse arbitror me digniorem esse colloquio crebriore, quod hanc palmam tibi reddo quasi victus fœnore literarum. *lib.* 5. *Epist.* 45. *pr.*

Symmachus: Amor quidem tuus fecisse ut scriberem, præteuntis festinatio ut pauca dictarem. Quare salutatione contentus quæ etsi non explet officium, tamen contestatur affectum) redde invicem quæ legamus, &, si necesse est, æmulare brevitatem. Nam cum sim nitidissimi tui sermonis cupidus, conscientia tamen hujus tam angustæ paginæ non audeo à te verborum copiam postulare. *lib.* 5. *Epist.* 51.

Symmachus: Aditum mihi ad scribendum sero reseraſtis. Vos enim oportuit inchoare libamina literarum: quia inveterati moris est, ut qui ad peregrina discedit, alternandis epistolis præfet auspicium. Ergo absolutus observantiæ religione, & nunc vobis vicem salutationis rependo, & in reliquum, si iters obtulerit commeantes, assiduitatem spondeo familiarium paginarum: ut vobis possit liquere, non mea culpa sed vestra mora me siluisse. *lib.* 5. *Epist.* 70. *princ.*

Symmachus: Cum ad proximam urbem digrederer, scribendis ad te literis abstinere non debui, ut te observantia prisci moris absolverem. Nam vetere instituto hic usus increbruit, ut ingressi iter, prælibent primitias scriptionis. Quare familiaris officii invitatus auspicio, fraternam religionem quam mihi semper mente exhibes, assiduo sermone testare. *lib.* 5. *Epist.* 73.

Symmachus: Cum sæpe occasionibus ad scribendum utar incognitis, committi in amicitiam puto si domesticis videar abstinere. *lib.* 5. *Epist.* 81.

Symmachus: Non ex officii parcitate amicorum religio & cura pendenda est, plerumque enim scribendi cupidis defit occasio, nec tamen amicitiæ memoria temporali silentio consenescit. Itaque quod huc usque conticui, voluntati non debet ascribi: multa enim studium nostrum fortuita impedimenta frænarunt. Sed ubi tempestivam comperi facultatem, contuli in has litteras mei circa te propositi atq; amoris indicium, compensaturus quod hactenus silui frequentia paginarum, si me incentivo quodam mutui sermonis animaveris. *lib* 5 *Epist.* 89.

Symmachus: Assiduitas epistolarum superiorum scribenda consumpsit. Sola nunc superest salutationis religiosa generalitas. Et sane si qua supperetēt paginis prosequenda, commeanti rectius crederentur. Tunc enim stilo indulgendum est cum recipiendis mandatis proficiscentium persona non sufficit. Nunc si quid scitu dignum putabitis, sine nostri sermonis excursu plenius à commeante discetis. *lib.* 6. *Epist.* 13.

Symmachus: Simul cogites contra interventum tot Antistitum quid possit magis quam quid debeat impetrari. Neq; enim justitiæ & innocentiæ deferri plurimum potest, cum illis reverentia religionis opponitur. *lib.* 6 *Epist.* 29 *f.*

Symmachus: Dictionem salutis antefero, quæ & voto meo supra omnia convenit & literario debetur exordio. *lib.* 6. *Epist.* 37.

Symmachus: Prisca observantia hunc scribendi ordinem fecit, ut

domo

domo profecti officium literarii muneris auspicentur. sed longum visum est operiri unanimitatis tuæ literas, quarum nos arguimus tarditatem, atq; ideo mutato usu in hoc munus erupimus. Supereſt ut libens rependas quæ inchoare debueras, & provocatus exerceas stilum indicem tuæ sanitatis. *lib. 6 Epist.* 60.

Symmachus: Quamquam sperem præfata Dei venia, mox in conspectum mutuum nos esse venturos: tamen literis abstinere non debui, ne quod tempus familiarib. cæreret officiis. Sume igitur prælibatam salutationem, quam tibi boni auspicii gratia adhuc stilo impertimus, sed voce proxime deferemus. *lib. 6 Epist.* 68.

Symmachus: Eleganti commento silentium vestrum purgare voluistis. Allegata est enim cautela tristium nunciorum, quam diu secunda succederent: ut ea quæ intermissio scriptionis ante celaverat, lætioribus indiciis proderentur. Sed nobis & illa per nuncios incognita non fuerunt, & hæc sera admodum visa sunt. Augebat enim rumorum licentiam suspicio cessantis officii. Et tamen succensere non possumus, postquam gratia præsentium litterarum memoriam præteriti doloris exemit. Modò memento curam stili inter præcipua & prima sortiri, ne hujus exempli recordatio majores denuo metus afferat, dum ctedimus sub expectatione meliorum rursus aliqua adversa reticeri. *lib. 6 Epist.* 69.

Symmachus: Nullus absque epistolis meis dies labitur. Quid si affatum mutuum redderetis? Nec tamen pœnitet diligentiæ, quamvis honor vicissitudinis negligatur. Nam quæ ex more fiunt, etiam gratuita delectant. *lib.* 6. *Epist.* 76.

Symmachus: Desideratas proxime amabilitatis tuæ literas sumpsi, quibus indicabatur & sedulitas animi tui, & profectus ingenii. Sola epistolæ brevitas nequaquam paterno desiderio satisfecit. Quod eò scribo, ut intelligas quantum ex sermone tuo cœperim voluptatis, qui queror copiam defuisse. Quis enim optet sacietatem nisi rerum bonarum? Posthac igitur indulgentius scribe, lux mea, ut pleniore stili tui munere legentis animus expleatur. *lib.* 7. *Epist.* 6.

Symmachus: Scintillare acuminibus atque sententiis epistolas tuas gaudeo: decet enim ioqui exultantius juvenilem calorem. Sed volo, ut in aliis materiis aculeis orationis utaris: huic autem generi scriptionis maturum aliquid & comicum misceas, quod tibi etiam rhetorem credo præcipere. Nam ut in vestitu hominum, cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta sumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quandam debet imitari, in forensibus vero quatere arma facundiæ. *lib* 7. *Epist.* 9.

Symmachus: Indicium respiratus vigoris tuarum litterarum jucunditas prætulit. Petis namque ad confirmandam valetudinem stili mei remedia subministrem, Festivitas ista Bajana est. Mimicis salibus te sinus Lucrinus infecit. Estne aliquid in verbis meis quod aures tuas fospitet? quod medicinam sensibus faciat? Credo, consentio. Nam plerumque amara hausta ad salutem valent, & succis tristibus affecta refocillantur. Sed nimium quantum avarus es, qui Flaviano meo præsente quicquam requiris, in quo tanta rerum bonarum deliniamenta sunt, ut mihi quasi apud Syrenas aut Lotophagos hæsisse videaris. Atq; utinam vestro otio jungerer. Plus de vobis carperem salubritatis quam tu desideras, qui à me solas literas poposciti. *lib. 7. Epist.* 16

Symmachus: Longa me deliberatio habuit, an tibi honorem facere sub justa reditus expectatione deberem. Verebar enim, ne festinatione tua solatiis obviis frangeretur. Sed hoc ambiguum solvit ratio contraria, quæ spem dedit has litteras revertendi stimulorum non frænorum instar futuras. Et consultu affecto brevitatem, solam tibi præferens dictionem salutis: ut verborum meorum exiguus haustus efficacior sit ad sollicitandam sitim quam explendam. *lib. 7. Epist.* 22.

Symmachus: Requirunt me, credò, oculi tui: mens adesse non dubitet. Mecum enim diligentia tui peregrinatur, totumq; animi affectione circumfero. Nihilominus exerceo stilo amicitiæ voluptatem. Quod si tu quoq; invicem feceris, veniet ut longum fruar ocii possessione: quia non negabis quod me possit abducere. *lib. 7. Epist.* 23.

Symmachus: Si respondisses epistolæ meæ, levasses onere conscientiam tuam, nunc nostram taciturnitate juvisti. Repensa enim officia lætitiam mihi præstant, negata victoriam. Et scio ex abundanti te posse facere, quod nos multo sudore destringimus. Sed quia invides bona verba lectoribus, ne vim facere existimet avaritiæ tuæ, dispendium meum devoro. *lib. 7. Epist.* 27.

Symmachus: Licet gravissimis febribus impedirer, non potui denegare tibi honorificentiam litterarum, ne religionis negligens judicarer. Nec tamen in multam seriem propagare literas valui: quarum brevitas inculpabilis est, cum ex injuria valetudinis, non ex voluntate descendat. *lib 7. Epist.* 28.

Symmachus: Proximè indicium salutis meæ prætuli, necdum quod invicem de prosperis tuis legerem, reddidisti. Non piget tamen ante solutionem religiosum fœnus iterare. Tanta est enim securitas animi in nos tui, ut repensum putem quicquid ab amante debetur. *lib* 7. *Epist.* 33.

Symmachus Remuneror mihi dictam à te salutem, quamvis diebus proximis ultro amicitiam stili opere frequentaverim: quæ cõmemoratio non exprobrat officia: hujus enim diligentiæ voluptate animus meus pascitur. Est igitur tua optio, an in me velis sæpe litterarum esse munificus, quod quidem maxime cupio. Sed si quando nobis fructus iste deest, eadem mihi gaudia tecum loquendi sermo noster præstabit. *lib.* 7. *Epist.* 44.

Symmachus: Interea quæso ut in epistolis frequentandis morem tuum teneas, nec privatis officiis actus publicos obstare cãseris. Nam multijugis necessitatibus par fuisti: nullumq; experientiæ genus est, cujus magnitudo vel novitas te possit à negotiis amicitiæ debitis avocare. *lib.* 7. *Epist.* 50. *m.*

Symmachus: Sæpe nos, ut condecet, literis muneraris. Obsolescere enim quadam silentii rubigine animorum fœdus existimas. Facis officium germanis studiis animisq; conveniens. Pro qua re vicem tibi sermonis referre non distuli. Cujus ea solutio est, ut me affectui tuo etiam nunc sentiam debitorem. Omnia enim facili vicissitudine & compensatione redduntur. Contractus vero amicitiæ & religionis æternus est. Vale, & ad scribendum diligens esse perseverа. Nos literarum solatia suggeremus, quibus aut animum mulceas occupatus, aut vicem referas otiosus. *lib.* 7. *Epist.* 55.

Symmachus: Onerabat verecundiam meam quod prior scripseras. Continuo altera epistola tua gravatæ fronti duplex fœnus imposuit. Formido quod cupio, ne mihi ante solutionem duorum cõtractuum tertius à te sermo tribuatur. Habet quippe hanc in potentiam quæ in te pollet oris ubertas, ut intervallum vicissitudini neget, & officia nondum compensata præveniat. Una igitur mihi ad satisfactionem via supereſt, ut imparē me stilo fatear, quamvis cultu amicitię æquiparē. Nec cõtumaciter fieri putes quod tibi animi mei diligentiam confero. Alioquin frustra à te diligor, nisi affectione saltim nos patiaris comparari. Quare post hanc professionem meam laudatæ facundiæ donum frequenta: me, si rarior fuero, memento cessisse. *lib.* 7 *Epist.* 60.

Symmachus: Qui sperat brevi se venturum in conspectum amicorum, solet scribendis epistolis abstinere. Mihi vero illa spes visendi te integra est, & fastidium non creat literarii usus officii. Celebro igitur honorem tuum salute dicenda, nec interim pono rescriptum: quia fœnus stili mei fabularum munere, ex proximo repensabis. *lib.* 7. *Epist.* 67.

Symmachus: Cum molestias urbanas retracto, abesse delectat: cũ vos cogitatione cõtemplor, tædet absentiæ meæ. Medium est igitur levamen in literis, quas ideo ad te dedi, ut simul & amicitiæ satisfaciam, & secutus exemplum, tuas mihi epistolas præstes, in quibus vides plus esse solatii. *lib.* 7. *Epist* 70.

Symmachus: Scio & desiderari & expectari à vobis literas meas, quia moris est ut hujusmodi à proficiscentibus inchoet. Auspicium ergo mutuæ salutationis emitto, nequaquam dubitans tamquam signo dato ad respondendum vos desides non futoros. *lib.* 7. *Epistol.* 75.

Symmachus: Subesse aliquas silentio meo causas sponte æstimare potuistis. nam quando omisissem religionis munia, si valerem, nunc paulatim dolore cedente officium salutationis differre nõ potui. Vestri erit muneris referre mutuam vicem, quæ mihi, si dies optata pertulerit, ad convalescendum fomenta præstabit. *Ls.* 7. *Ep* 76.

Symmachus: Affectio in te animi mei non literis æstimanda est. religio enim fide pectoris continetur: in verborum officiis latet plerumq; simulatio. Quare si scribendi rarior videar, nihil amori existimes decerptum. Et sæpe evenit, ut homines tui nec profectionis suæ mihi indicium faciant, & mutuas paginas non reposcant. Sed de hoc loqui largius non oportet: quia sufficit amanti brevis & distractæ purgatio. *lib.* 7. *Epist.* 104.

Symmachus: Cordi est frequenter alloqui vos, ne videatur apud me officiorum familiarium cura tepuisse. Atque ideo salutem votis opto, litteris dico: petens ut si quando stili usus intervallo longiore cessaverit, causam silentii non voluntati aut desidiæ, sed occupationibus applicetis. *lib.* 7. *epist.* 119

Symmachus: Curam de te meam nolo ex epistola metiaris. Pauca enim salutantis verba sunt, sed vota prolixa. Liceat igitur imitari erga te parsimoniam religionum quibus jura amicitiæ conferuntur, & officium pium brevi pagina tanquam parvo ære persolvere. Neq; enim devotio requirit excursum. Tibi autem præscribo stili terminos. Erunt mihi quæ de te scripseris nimis magna, si læta sint. *lib.* 7. *epist.* 129.

Symmachus: Numquam efficies silendo ut me ad parem voluntatem ducat imitatio. Cogito enim non quid temporali causæ, sed quid perenni amicitiæ debeatur. Cumq; sim mei officii severus arbiter, curam tuam casu sæpius quam fastidio credo cessare. Sed ne longa colloquii intercapedo quamvis tui amãtem cogat timere neglectum, quęso constanter munia familiaritatis exerceas. Quo enim pacto intelligere possum grata esse quæ defero, si negaveris quæ reposco? *lib.* 7 *epist.* 131.

Symmachus: Primas literas sponte tribuisti: secundas mea cura debet elicere. Sume igitur salutationē, quam vicissitudine munereris. Polliceor itidem cum responsis tuis paria me facturum. *lib.* 8. *ep.* 4.

Symmachus: Fuerit verecundiæ tuæ quod hactenus nihil nobis alloquii detulisti. nunc sume fiduciam quam ad invitamentum familiaritatis ingerimus, & gratas fuisse literas meas sermonis assiduitate testare. *lib* 8. *epi.* 8.

Symmachus: Scriptionis auspicio fiduciam tuam provoco quare familiaritatis nostræ aditum ingredere securus. Vicissitudo officii tui faciet, ut inchoata per me amicitia convalescat. *lib.* 8. *epist.* 9.

Symmachus: Expectasse te arbitror literas meas ut in mutua officia provocatus erumperes. Sume igitur sermonem cujus sequeris exemplum. Ero posthac in scribendo diligentior, si cœptis nostris vicissitudo respondeat. *lib.* 8. *epist.* 10.

Symmachus: Si unquam brevi intervallo usus literarum cessaverit, ve-

ut, vellim cogites amicitiarum non frigere respectum. Religio enim magis fide animi metienda est, quam ostentatione verborum. *lib.* 8. *Epist.* 12. *f.*

Symmachus: Ex debito venit sermo qui redditur: ex beneficio qui sponte defertur. Secundæ igitur partes mihi relictæ sunt, postquam stylus tuus mea scripta prævertit. *lib.* 8. *Epist.* 15.

Symmachus: Præ cæteris temporum vicibus æstate delector: non quod diurnas horas longior Solis meta producit, nec quod res rationesq; nostræ nova fruge ditescunt: sed quia placata navigatione desideratas mihi literas tuas frequens invehit commeatus. Quid enim vel animi voluptate jucundius, vel ad officium amicitiæ accommodatius præstari potest, quam ut te mei amantem usu crebri sermonis experiar? Ergo dum anni tempus invitat, dum pervium mare est, pabula quædam & nutrimenta mutuæ affectionis, veluti in hyemem congerantur. *lib.* 8. *Epist.* 20.

Symmachus: Nihil inter te & parentem tuum optimum re aut affectione divisum est. Ergo & literas quas ad ejus reverentiam misisti, ut omnium particeps in acceptum referre potuisti. Sed jam colendus es nobis etiam tuo nomine. Præterea cavi ne respondente uno imputaretur mihi vicissim munus duorum. Convenit tamen brevitas huic paginæ, quia velatu digna præcerpsi. Quare sermonem istum tanquam amoris in te nostri vadem tenebis. Verum te in rescribendo decet esse prolixum. Neq; enim par conditio est iterati à me, utriq; autem vestrum singularis laboris. Duos meatus repleri uno fonte difficile est: uni alveo abunde influunt duplicata principia. *lib.* 7. *Epist.* 24.

Symmachus: Dedi ad parentem tuum literas quibus contentus esse potuisti. Nam ut est utriq; vestrum unus animus, ita satisfaciet idem cultus ambobus. Sed metui imitationem, ne mihi alter è vobis duorum vice & ore rescriberet. Quare, ut in honore numinum solet, litationi addo donarium: breve fateor, & quod prolixius esse voluisses. Sed in adjectis mensura non quæritur. Ipse copiam redde brevitati, quia familiares paginas eos oportet extendere quibus non est necesse geminare. *lib.* 8. *epist.* 26.

Symmachus: Auspicium mihi scribendi prior, ut mos est, facere debuisti, cum te hujus diligentiæ domestici tabellarii reditus commoneret. Sed quia nobis vel oblivio vel occupatio religionis tuæ desideratum munus invidit, ego usurpo principium: æstimaturus in reliquum de raritate vel copia tuorum apicum, utrum voluntate literis ordiendis, an magis necessitate defueris. *lib.* 8. *epist.* 32.

Symmachus: Scio me in scribendo tardum fuisse. Consulto stilum distuli, dum refoveo tenuatum itinere vigorem, quo tibi de me læta capienti, voto similis pagina traderetur. Fiat igitur ex optimo nuncio mora compensatio. Certè ego eam diu legem literis amicorum, ut assiduitate illorum animos probent, eum bonitate delectent. *lib.* 8. *Epist.* 33.

Symmachus: Quod sero ad te scribo, amicitiæ tenacis indicium est, cujus memoria repetitis ex intervallo probatur officiis. Ipse quoque silentium tuum non aliter interpretor. Nam cum stili honorificentiam quæro certus fidei tuæ, etiam de tacito amore non dubito. Sed vereor, ne ista sententia tibi suadeat negligentiam scriptionis, & hæc amicitiæ munia judicii mei securus omittas. Hortor igitur quæsoque, ut illam potius cogites partem, quæ assiduitati gratiam parit, non quæ promittit veniam raritati. *lib.* 8. *Epist.* 35.

Symmachus: Proxime penatibus meis redditus, etiam nunc te mente & cogitatione respicio, atq; omnem illam jucunditatem oris tui quam incoram hucusq; capiebam, lectionis voluptate compenso. Cui si mutua cura responderit, cum tantam delata scriptio gratiam tribuat, quanto ampliorem amicitiæ relata præstabit. *lib.* 8. *Epist.* 36.

Symmachus: Quæri de silentio non potes, qui nihil scriptorum mihi hucusq; tribuisti. Sed si similem stili opperiris auspicium, sume exemplum religiosi officii quod debeas æmulari. Ergo deinceps ad exercendum stilum promptior, si me fructu mutui sermonis animaveris. *lib.* 8 *epist.* 39.

Symmachus: Tene, curam circa te meam de numero epistolarum non debere perpendi. Diligentia enim erga amicos jugiter manet: occasionum vero raritas scripta distinguit. *lib.* 8. *Epist.* 42. *m.*

Symmachus: Literas tuas agrorum fructibus jure contulerim. Nam ut illorum proventus non fallit temporis sui debitum, ita fidem nostræ expectationis annuus dignationis tuæ sermo non decipit, hujus nunc mihi per homines nostros advectio satisfecit. *lib.* 8. *epist.* 43.

Symmachus: Redditum mihi est annuum quodammodo sermonis tui debitum. Tibi quoq; gaudiū solemne de nobis hæc responsa præstabunt. Quæ quia propter tantam longinquitatem frequentare non possumus, bona fide certis temporib. exhibemus. Maneat igitur hic usus, & quodam salutis indicio mutua inter nos securitas recondatur. *lib* 8. *epist.* 44.

Symmachus: Diu sanitati pariter ac venustati literarum tuarum, mediocris eloquii conscius respondere dubitavi: sed religio rupit timorem. Malui enim tibi stilo quam superbia displicere. Quicquid igitur hoc est quod tenet pagina, quæso boni consulas, teq; submittas ad mediocritatem scriptorum meorum, ne retundatur officium meum dum desperatur imitatio. *lib* 8. *epist.* 48.

Symmachus: Assiduitatem scriptorum meorum tibi esse fastidio prope asserit tuorum raritas: es enim præter solitum parcus eloquii Sed tueor constantiam diligentiæ, nec à proposita argumentatione deducor. Erit potestas tua, hunc animi mei habitum vel augere silentio, vel literis amoliri. *lib* 8. *Epist.* 50

Symmachus: Servo observantiam quam mos priscus instituit, ut domo profecti literas auspicentur, & salvere me nuncio. Ex debito venit, ut emisso à me muneri solvas amica responsa. *lib.* 8 *epist.* 55.

Symmachus. Opperiris, ut intelligo, litteras meas: quasi ipse familiaris officii præsul esse non debeas. Fortasse allegatione moris uteris: quoniam plerisq; persuasum est auspicium salutationis profectis esse capiendum. Absolvo te consuetudinis observantia, aut lege pigritiæ. Satis erit mihi ad plena satisfactionem, si aversatus scribendi occupare principium, saltem sequaris exemplum. *libr.* 8. *epist.* 59.

Symmachus: Tibi honorem salutationis impendo, nec reposco, quod sponte facturus es, ut nos mutuis alloquaris, cum mihi hanc vicem & religio animi tui, & consuetudo promittat. *lib.* 8 *ep.* 66.

Symmachus: Non sum opinionis ambiguus, exspectari literas meas: nam parem desiderii impatientiam actuis patior. Una igitur est nostri causa sermonis, ut tuum mercar: cujus, ut in potu fontiū, ideo major est sitis, quia sapor dulcior. *lib.* 8. *Epist.* 61.

Symmachus: Certum habeo nihil te literis meis antiquius æstimare: nam mihi quoq; eadem de tui sermonis jucunditate sententia est. Meritò amicitiæ munus arripui. Quod si pari lance reddideris, studium meum incitamento religionis acuetur. *lib.* 8. *epist.* 73.

Symmachus: Juvat animum meum, quod sæpe vitio veteris scribendi ad te negligentiam. Amoris enim tui signum est, viciſſim desiderare quæ prætias &c. *mox*. Nam inter absentes alterna epistolarum decertatio, plerumq; ad odia procedit. *lib.* 9 *epist.* 14.

Symmachus: Facio officium meum si quando te cultu salutationis impertio. Nec dissimulo referre grates, quod invicem me frequentet remuneratio scriptorum tuorum. Sed hæc produci longius non oportet: quia bonæ amicitiæ jactationes refutant. *libr.* 9. *Epistol.* 23.

Symmachus: Multas inter nos officiorum vices scribendi cunctatione perdidimus. Non sinam produci longius commune delictum Assumo igitur mihi religiosi muneris partes priores: & si referre verba distuleris non mutato proposito. Tuæ deliberationis erit intercapedo rescripti: modo memineris, acceleratum gratiæ recursum, voluntatis signa præferre, serum necessitatis. *lib.* 9. *epist.* 32.

Symmachus: Taceas licet, & salutationi respondere dissimules, nunquam me à religioso officio dimovebis. Excudam quandoq; ut hac obstinatione decedas. *lib.* 9. *epist.* 33. *pr.*

Symmachus: Perfectæ sunt ad me literæ tuæ quum in Campania littoribus ociarer. Credo autem te fando an lectione didicisse, quāta sit hujus regionis venustas. Vicit epistola tua appositas voluptates. Spretis igitur cæteris quæ ingerebat loci gratia, totum animum recensendæ paginæ usq; ad memoriam emancipavi. Utinam plura dictasses! Mihi tamen sæpe repetita instar multorum fuerunt. Posthac cave parcius promas quod ex abundantia ingenii tui nascitur: ne me quoq;, cui stilus paupertinus est, in arctum revocet voluntaria tua frugalitas. *lib.* 9 *epist.* 42.

Symmachus Certè nobis nihil antiquius erit quam te legere, quibus blanditias oris tui interim non contingit audire. *lib* 9. *Epist.* 79.

Symmachus: Pro utroq; nostrum causam diutini silentii reddidisti: nam me quoq; fateor scribendi officio hactenus temperasse. Tua igitur purgatione defensus, diluere literis quod commune est, non laboro. Nunc omnium statu in tranquillum reducto, æmulis studiis omissa repetamus. Ita enim demum probabitur temporis fuisse, quod diu intra nos stilus quievit, si reddita facultate mutuam diligentiam frequens sermo reparaverit. *lib.* 9. *epist.* 90.

Symmachus: Etsi à literis temperasti, exempli tamen imitator esse non debeo. Ingero igitur largam salutationem: nec diffido reddenda saltem mihi esse officia, quæ a te fuerant inchoanda. *libr.* 9. *Epist.* 91.

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 4. sc. 8. v. 93.

Verum libet etiam mihi has perlegere denuò:
Æquum est tabellis consignatis credere.

Plautus Bacchid. 4. sc. 7. 10.

Quis homo est qui dicat me dixisse istuc? N. taceo:
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attulisti: hem! hæ te vinciri jubent. C. aha!
Bellerophontem jam tuus me fecit filius:
Egomet tabellas detuli, ut vincirer.

Plautus Curcul. 4. sc. 3. v. 20.

Quid feci? L. *quod mandasti fecisti tui honoris caussâ,*
Tuum qui signum ad me attulisset nuncium ne spernerem.
T. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes.
L. Quem respublica ac privata geritur, nonne iis credere?

Claudianus ad Olybrium.

Quid rear affatus quod non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice docta salus?
Scribendi labor? sed quæ tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Cicerone tonas?
Cedere doctus animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.

Auctarium

An rarus qui scripta ferat? quin tempore nullo
Cessant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cum sit qui dicta reportet,
Quæ, nisi contemnor, caussa relicta tibi?
Despicis ergo tuum, si vas est credere, vatem
Perfidus, & spatio debilitatur amor.
Excidimusne tibi? lucem jam condat Hydaspes,
Et Tarteßiaco sol oriare vado.
Candescat Geticis Meroë conversa pruinis,
Claraq; se vetito proluat Vrsa mari:
Et si jam nostros fastidit ô lybrius ignes,
Constat Orestiam nil valuisse fidem.
Quin age rumpe moras remoraturasq; sodalem
Absens eloquio fertiliore doce.
Crebraq; facundo festinet litera cursu,
Digna tuis animis, insinuanda meis.
Dignatus tenui Cæsar serpsisse Maroni.
Et tibi dedecori scribere? Musa vale.

Claudianus ad Probinum.

Quem precor inter nos habitura silentia finem?
Quando dabit gratas littera nostra vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Convenit, alterius crimen utrumq; tenet.
Transfluxere dies, & dum scripsisse priorem
Pœnitet, æternas itur in usque moras.
Sed quid agam? cepisse vetat reverentia vestris.
Hinc amor hortatur scribere: vincat amor:
Fors juvat audentes, Chij sententia vatis,
Hac duce non dubitem te reticente loqui.
Audax aut si quid penitus peccasse videtur,
Arguar, ingrati non subiturus onus.

§ Monosticha Trochaica.

Absentes homines epistola una præsentes facit.
Corpore absentes reperire est literata epistola.
De silentio an queratur, qui nihil scripsit suo?
Dulcis est, sed dum venit qui misit ipse, epistola.
Est cultissima in qua nullus cultus est epistola.
Gaudij mage sunt quam luctus literæ internunciæ.
Hostium sunt sæpe, amici quas putemus, literas.
Infelicium solamen est amorum epistola.
Mercium instar est epistola è remoto quæ advenit.
Nullus est labor exarare literas Laconicas.
Ossibus boum atq; testis inscribuntur literæ.
Præ pudore homo rubere suevit haud epistola.
Præsentem tenes amicum literas si eius tenes.
Propriæ ipsum perdidere Bellerophontem literæ.
Quos promptum armis pellere est, quid increpes epistolis
Sola epistola est quæ absentes homines præsentes facit.
Sufficit nox una longæ quamlibet epistolæ.
Vis amoris intercipitur pagina abstinentia.

§ Jambica.

Adulterina heu quid non possunt literæ.
Affectionis est minister a epistola.
Amor vetus revirescit epistolis nostris.
Animi simulacrum ipsissimum est epistola.
Domo profecti, usque auspicantur literas.
Epistolaris lex est negligentia.
Hodie quoque fiunt Bellerophontis literæ.
Imaginem præsentiæ vis? epistola est?
In literis speculum exstat conscientiæ.
Manu ac sigillo epistolam deprenderis.
Ne quis sit absens, est epistolæ, gratia
Solamen est epistola infelicium.
Vestigia amici sunt absentis literæ.

Equi, item Equestris Rei.

§ Sententiæ Græcorum.

Xenophon: Arbitror ego vos omnes animadvertere, amici, Persas universos bonis ingentibus collecupletatũ iri, maximisq; adeo nos ceu par est, quorum adquiruntur opera: si quidẽ illis, quæ jam ante nobis in conspectu sunt, potiemur. Verum quo pacto nos his potiri queamus, quum, à nobis ad ea comparanda, non satis virium nobis suppetat, nisi proprium equitatum Persæ habeant, equidem non video. Nam velim vobis in mẽtem veniat, ait, nos Persas instructos iis armis esse, quibus hostes comminus nobiscum cõgressos videmur in fugam vertere posse. Verum ubi jam eos in fugã verterimus, quosnam vel equites, vel sagittarios, vel cetratos, vel jaculatores fugientes aut capere possimus, aut interficere, quum ab equis, destituamur? Quinam itidem contra nos tendere forsnident, ac maleficiis nos infestare, sive sagittarii sive jaculatores, sive equites: quum certo sciant, nihil esse periculi, ne plus à nobis detrimenti accipiant, quam à confitis arboribus?

Quæ quum ita sint, annon perspicuum est, illos equites qui modo nobiscum sunt, existimare universa hæc quę capta sunt, non minus esse sua, quam nostra? Immo profecto magis etiam fortasse. Sic ergo res jam necessario comparatæ sunt. At vero si nos equitatũ paremus, nihil deteriorem horum equitatu, annon clarissime paret omnibus, futurum, ut adversus hostem ea fine his geramus, quæ cum his modo gerimus, & ut hos ipsos erga nos modestiores experiamur Minus enim curæ nobis erit, velintne illi adesse, vel abesse: si nobis ipsis, etiam absq; his, suffecturi nosmet simus. Verum mittamus hæc, meo certe judicio nemo sententiæ huic adversabitur, quin omnino præstet, Persas proprium equitatum sibi parare. Sed vos fortasse, quo pacto conneri hoc possit, cogitaris. Consideremus ergo, si quidem equitatum instituere volumus, quid nobis adsit, & à quo destituamur. Sunt igitur hi nobis equi multi numero, capti in castris sunt frena, quibus ad parandum adsuefiunt: sunt alia quibus opus est ad usum equorum. Quin & illa nobis suppetunt, quibus uti eques debet, nimirum loricæ, muniendis corporibus, & tragulæ, quibus & ejaculandis, & retentis, uti possumus. Quid ergo reliquum? Palàm est, viris esse nobis opus, quod quidem potissimum habemus. Nihil enim adeo nostrum est, atque nosmet nobis sumus.

At enim dixerit fortasse quidam, nos imperitos esse. Ne quidem illorum quisquam profecto, qui jam periti sunt, prius, quam discereret, peritus erat. Forte quis objecerit, eos, dum pueri essent, didicisse. An ergo pueri plus mentis habent ad discendum ea, quæ dictantur, & monstrantur, quam viri? Utris, postquam didicerint, ad exercendum ea, magis idonea corpora sunt, pueris, an viris? Quin etiam tantum nobis est ad discendum opportunitatis & otii, quantum nec pueris, nec aliis virilis ætatis. Non enim sagittandi nobis est ars discenda, sicut pueris, quum hanc jam ante teneamus: neq; jaculandi, quod illam quoq; non ignoremus. Nec item nobis accidit, quod hominibus cæteris: quibus negotium partim agrorum cultura, partim artificia, partim aliæ domesticæ res exhibent. Nobis ad tractandam rem militarem non otium duntaxat est, sed etiam necessitas imponitur.

Præterea non heic est, quod in aliis multis rebus ad bellum necessariis: quæ sunt illæ quidem utiles, sed difficultatem habent. An non equitatio jucundior est in itinere, quam pedes incedere? an non in festinando jucundum est celeriter, si sit opus, amicum convenire: celeriterq; vel hominem, vel feram, si poscat usus, persequendo intercipere? An non est commodum ac leve quodcumque armorum genus ferendum sit, id una gestari ab equo? Nimirum idem est, & habere illa, & gestare. Quod autem maximè quis vereri possit, ne si necesse sit in equo prius nos periculum prœlii subire, quam equitãdi rationem accurate teneamus, tum deinde neque pedites amplius simus, neq; satis idonei equites: hoc ipsum adeo non omnino est explicatu difficile. Nam ubicunq; volverimus, mox nobis licebit, ut pedites dimicemus. Quippe disciplinam equestrem edocti, nihil eorum, quæ pedites sciunt, dediscemus.

Hæc Cyri fuit oratio, quam Chrysantas adprobans, in hunc modum loquutus est: Equidem, inquit, usq; adeo equitandi artem discere cupio, ut existimem, me hominem volatilem fore, si eques factus fuero. Nam modo satis mihi fuerit, si cum aliquo currere pariter adgressus, solo capite antevertam: & si feram prætercurrentem videam, ita contento cursu prævertere possim, ut prius eam vel jaculo, vel sagitta feriam, quam procul admodum evaserit. At eques si factus ero, virum interficere tanto ex intervallo potero, quanto conspectus à me fuerit: & feras persequens, partim eas potero comminus interceptas, partim quasi stantes jaculando ferire. Nam si velocia duo sint, propius ad se delata, quodam modo stare videbuntur. Quo autem nomine, inquit, maxime cunctis ex animalibus hippocentauros, si qui fuerunt, admirari soleo, quod & humana prudentia consilium caperent prius: & quod opus esset manibus efficerent, & equi celeritatem ac robur haberent ad capiendum id, quod fugeret, & prosternendum, quod subsisteret: hæc universa & ipse factus eques, in me conferam. Mente humana providere cuncta potero, manibus arma geram, persequar equo, & ejusdem robore adversarium prosternam. Neq; tamen ut hippocentauri concretus equo adligabor: quod quidem melius est, quam à natura equo adhærescere. Nam hippocentauros equidem ignorasse arbitror, quo pacto plerisque commoditatibus ab hominibus inventis utendum esset: quoq; pacto multis rebus jucundis quas equis natura concessit, frui conveniret. Ego verò si equitare didicero, quum in equo consedero, quæ hippocentauri sunt, faciam: quum descendero, hominum reliquorum more & cœnabo, & vestiar, & dormiam. Quare quid aliud futurus sim, quam hippocentaurus, qui & dividi & rursum componi poterit? Ero præterea hac etiam in parte meliori conditione, quam hippocentaurus. Nam oculis ille duobus prospiciebat, & auribus duab. audiebat. Ego verò quatuor oculis utar in explorando, & auribus quatuor præsentiam. Aiunt enim equum oculis multa prospicientem homini significare, & indicare itidem multa, quæ auribus ipse prius percipiat. Itaq; me illorum in numerum refer, qui equitare cupiunt. Et nos quoq; profecto inquiunt reliqui omnes.

Tum Cyrus: Quid igitur? ait, quando nobis hæc mirifice probantur, legemne nobis ipsis feremus, ut turpe sit quemquam eorum quibus equos ego suppeditavero, peditem in profectione conspici, sive adeo magnum sive parvum iter faciendum sit: ut omnino nos hippocentauros, esse homines arbitrentur? Hoc illo rogante, simul adscensi sunt omnes. Quo fit, ut hoc ipsum inde usq; ab eo tempore Persis nunc etiam in more sit, neq; quisquam ei Persis elegantioribus usquam pedes incedere, sua quidem sponte, conspiciatur *cap. 16. lib. 4. Cyropæd.*

Xeno-

Xenophon: Agesilaus quod in locis campestrib. nec in Phrygia cũ exercitu, propter equitatum Pharnabazi, subsistere posset: visum est ei, copias quasdam equestres instruendas esse, ne inter fugiendum dimicare cogeretur. Itaq; ditissimos quosq; iis in urbibus delegit, qui equos alerent. Prædixit etiam futurum, ut quicumq; suppeditaret equum, arma, & spectata virtute virũ, immunis esset a militia. Qua re fecit, ut hæc quisq; lubenter sibi conquireret. Constituit item, quib. ex urbib. equites parandi essent, quod existimaret ex illis urbibus, quæ equos essent alturæ, mox etiam prodituros quosdam in equestri re maxime animosos. Quin & illud admiratione dignum fecisse videtur, quod equitatum instituerit, qui & robore staim, & rebus gerendis præstat. Ineunte vere, copias universas. Ephesum cogebat, ut eas exerceret. Proponebat a. turmis equestrib. præmia, quæcumq; ex iis equitandi artem optime teneret: itidemq; pedestribus, quæcumq; corporibus esset egregie exercitis. Sic & cætratis, & sagittariis præmia proponebat, quicumq; præclare suis functi munerib. essent. Secundum hæc videre erat gymnasia plena viris scie exercentibus, hippodromum equitibus equos agentibus, jaculatores ac sagittarios per series incedentes. Adeoq; totam Ephesum, ubi tum degebat, spectatu digna ut esset, Agesilaus effecit. Nam forũ omnis generis armis & equis venalib. plenũ erat, & fabri ærarii, lignarii, ferrarii, sutores, pictores, omnes adeo bellica parabant arma: ut revera putasses, urbem belli officinam esse. *cap. 9 Vitæ eius.*

Xenophon: Quandoquidem ex eo, quod res equestrẽ diu nobis exercere contigit, usum ejus aliquem adsequuti videmur: libet amicis junioribus indicare, qua futurum ratione putemus, ut equos recte tractent. Scripsit quidem & Simo de re equestri, atq; idem apprime tractent. Scripsit quidem & Simo de re equestri, atq; idem consecravit equum æheneum Athenis in Eleusinio, ad cujus basim ab se præstita effinxit. In ejus libro quæcumq; reperimus sententiæ nostræ convenientia, nequaquã ex his nostris delebimus; sed eo lubentius cum amicis cõmunicabimus, quo majorem illo quoq; nomine fidem habitura ducimus, quod vir equestris rei peritissimus nobiscum consentiat. Quæcumq; idem prætermisit nos indicare conabimur. Primum vero perscribemus, quo pacto quis in equorum emptione quam minimum circumveniatur. Itaq; pulli adhuc indomiti corpus explorandũ esse, manifesto patet. Nam animi non admodũ certa præbet indicia, qui necdũ conscenditur. At in ipso corpore pricum pedes inspiciendos dicimus. Sicut enim domus nulli fuerit unquam, si superiorib. egregie instructis, non etiã fundamenta convenienter subjiciantur: ita nec equi bellatoris usus fuerit ullus, si pedes vitiosos habeat, licet alia sint in eo præclara omnia. Nec. n. ullis dotibus suis uti poterit. Pedes autẽ exploret quispiam, primum ungulas inspiciendo. Nam hæ spissæ longe tenuibus ad bonitatem pedum præstant. Deinde nec illud negligendum, sintne sublimes ungulæ tam anterius, quam posterius, an depressæ vel humiles. Nam sublimes longe à solo remotam habent testudinem, quam vocant. quum depressæ vel humiles, sic comparatæ sint, ut valgorum more tam introrsum, quam foris spectent, ut valgorum more tam introrsum, quam foris spectent, ut ungularum sonitu bonis præditos pedibus adgnoscas, tradit Simo, ac recte quidem. Nam ungula concava solo impacta, non aliter, atque cymbalum aliquod resonat. *cap. 1.*

Et quoniam hinc orsi sumus, indidẽ ad reliquum corpus adscendendo progrediemur. Oportet igitur ossa, quæ supra quidem ungulas existunt, infra callos tamẽ caninos, quos vocant, sese porrigunt, neq; ni nis esse recta, veluti capræ, (quippe quum solidiora sint, equitem sustentent, & hujusmodi crura citius etiam inflammentur) neq; nimis eadem depressa. Nam calli denudarentur, & exulcerarentur, sive per glebas, seu per lapides equus ageretur. Ossa tibiarum spissa debent esse. Quippe corporis hæc fulcra sunt. Non tamen venas, neq; carnes crassas habeant. Etenim alioquin, dum in asperis locis equus agitur, hæc sanguine impleri necesse sit, & calli existere, atq; ipsa quidem crura intumescere, cutem vero abscedere: quæ laxior sit, usuvenire sæpius solet, ut etiã sura laxata claudicet equus. Cæterum si genua pullus in incessu molliter inflectat, existimare licebit, itidẽ habiturum crura mollia, quum ad equitationis usum idoneus erit. Omnes enim, progressu temporis, flexus genuum molliores consequũtur, qui sane non absre probantur. Nam equus hujusmodi minus & offendit, & fatigatur, quam cruribus rigidis præditus. Femora sub scapulis si crassa sint, & robore præstabunt & elegantia, sicut in virili quoq; corpore. Pectus si paullo sit amplius, magis erit aptum, sive species venustatem, seu robur, sive non per intervalla, sed longo temporis tractu moventem crura celis equum. A pectore cervix non ut verris, prona & præceps enata sit, sed ita recta tendat ad verticem, ut gallinacei: nihilo minus in ipso flexu incurva. *cap. 2.*

Caput osseum, parvas habeat maxillas. Sic enim fiet, ut equi cervix ante sessorem sit, oculus ante pedes spectet. Hæc item contumax esse possit equus hujusmodi, licet admodum sit animosus. Nã equi quoties esse contumaces volunt, non cervicem & caput inflectunt, sed extendunt. Considerandum etiam, teneræ sint an be buccæ, necne, an harum alterutra. Quippe quorum buccę dissimiles sunt, alterutra plerumq; tractabiles duntaxat evadunt. Si exstantes habeat oculos, magis esse videtur vigilax, qua si concavos, ac longiori ex intervallo prospicere. Nares patulæ perspirabiliores sunt compressis & equo formam terribiliorem præbent. Etenim quum vel equus equo succenset, vel in equitatione commovetur, nares magis solito diducit. Vertex major, & aures minutæ, speciẽ capitis equini magis honestam efficiunt. Armorum eminentium sublimitas & cellam equiti tutiorem, & armis atq; corpori firmiorem compagem tribuit, eadem q; duplex simplici commodior est ad inidendum, & delectabilior adspectu. Latera demissiora, ventrisq; respectu turgidiuscula, pariter efficiunt, ut equus & sedem præbeat aptiorem, & robustior sit, & pabulo melius fruatur. Lumbi quo latiores & succinctiores sint, eo facilius partes equus anteriores adiollet, ac posteriores adtrahet. Eadem ratione fiet, ut alvus esse minime vasta videatur, quæ si magna sit, partim deformat equum, partim debiliorem, & minus onerigestando reddit idoneum. Coxas latas esse convenit, & carnosas, ut lateribus & pectori respondeant. Quod si solida sint omnia, magis expeditus ad cursum, & acrior equus erit. Femorũ partes sub cauda si latiore linea discretas habeat, sane fiet, ut crura posteriora longiore tractus intervallo collocet: quod ipsum efficiet, ut incessus equi sublimi insessore terribilior sit, atq; firmior, & omnia sepsis meliora. Licet hoc vel ex hominibus deprehendas. Nam quum aliquid de terra tollere volunt, nemo non id potius cruribus divaricatis, quam compressis, facere conatur. Testes equus non magnos habere debet, quod in pullo perspici non potest. De posterioribus talis sive tibiis, & callis, & ungulis, eadem dicimus, quæ de anterioribus. *cap. 3.*

Lubet etiam scribere, quibus indiciis de magnitudine conjecturam aliquis facere possit, ut minime fallatur. Nam cui pullo recens in lucem edito præaltæ fuerint tibiæ, is maximus evadit. Omnium quippe quadrupedum ut tibiæ, progressu temporis, in magnitudinẽ non admodum excrescunt: ita reliquum corpus ea sumit incrementa, quæ tibiis respondeant. Atq; hoc modo qui pulli formam examinant, maxime nobis aliquem posse consequi videntur, qui & bonos habeat pedes, & robustius sit, & justa carnis, habitudinis, staturæ proportione præditus. Quod si maxime quidam in ipso mutantur incremento nihilo minus hac considenter utendum exploratione. Nam longe plures egregia corpora, quum initio turpes sint, adipiscuntur, quam fœdi de pulchris evadant. *cap. 4.*

Cæterum quo pacto pulli tractandi sint, perscribendum nobis videtur. In urbibus quidem equestris rei cura mandari solet iis, qui & copiis locupletissimi sunt, nec in parte reipublicæ postrema versantur. Longe vero satius est, tum adulescentem bonæ corporis constitutioni, ac rei equestri, vel hac jam percepta, ejusdem exercitiis operam dare, quam pullis domandis intentum esse, tum hominem ætate provectiorem familiæ, amicorum, civilium bellicarumq; rerum curam potius gerere, quã pullis tractãdis occupari. Quod si quis de pullorum educatione necũ in eadem sententia est, haud dubie pullum domandum locabit. Sic tamen locandus erit, ut quasi quũ puer alicuius artificii discendi caussa magistro traditur, literis ipse consignes, quib. rebus institutum pullum reddi tibi velis. Nam ita pullorum domitori pro indiciis erunt, quas ad res equum exercere debeat, si mercedem accipere velit. Id tamen ante curandum, ut pullus domitori mansuetus, & tractabilis, & hominum amans tradatur. Etenim horum pleraq; domitores à curatoribus suis differunt, si quidem hi considerent, pullum etiam quiescente eo posse pervenire, ut esuriat, & sitiat, & iracundus sitiat idẽ ut comedat, ut bibat, ut molestis à rebus liberetur, nõ nisi per homines fieri posse. Quippe si hæc eis eveniant, non diligi duntaxat homines à pullis verumetiã expeti necesse est. Præterea contrectandæ partes corporis, quas in primis equo jucundum est palpari. Sunt autem illæ, quæ pilos densissimos habent, & quibus si molesti quid accidat, equus ipse nullam ferre possit opem. Jubeatur quoq; curator ducere pullum per hominum turbam, & ad species omnigenas omnigenosque strepitus admovere: quorum si qua pullus reformidet, non sæviendo, sed mitigando demonstrari debet, res minime diras esse. Ac de pullorũ quidẽ institutione sufficere mihi videtur, hæc imperito faciunda præscripsisse. *c. 5.*

Quum vero equum aliquis homini ferendo jam idoneum sibi comparat, quas tenere commonefactiones debeat, ne in emtione decipiatur, literis prodemus. Primum non ignoret, quæ sit ætas equi. Nam qui dentes, quos indices vocant, nullos amplius habet, is neq; spe delectat, nec item distrahi facile potest. Quum certo de ætate constat, ignorari rursum non debet, quo pacto frænum ore, eorum verticale circum aures admittat. Ea vero haudquaquam ignorari poterunt, si emtore spectante frænum immittatur, & eodem spectante eximatur. Secundum hæc animadvertendum, qui tergo sessorem accipiat. Nam, equi pleriq; difficulter admittuntur ea, quibus admissis, ad laborandum se coactum iri perspiciunt. Considerandum quoque, num consensus, ab aliis equis digredi velit an ad eos adstantes respectans sese deflectẽdo convertat. Sunt etiam nonnulli, qui propter educationem malam ex ipsis exercitiis equestribus ad secessus domesticos aufugiunt. Altera duntaxat maxilla tractabiles tum ea prodit equitatio, quam co pedem vocant, tum longe magis ipsius in equitatione cursus mutatio. Nam plerique deflectere nolunt ab instituto cursu, nisi maxilla contumax cum inflexione domum versus tendente conveniat. Sciri quoq; debet, an equus laxatus ad celerem cursum, cito inhibeatur, & an reverti velit. Expedit etiam non ignorari, num ictu excitatus, eodem modo velit obtemperare. Nam famuli quidem, & exercitus immorigeri, nullus usus fuerit: at equus inobœdiens non tantum inutilis est, verumetiam sæpenumero facit quod proditor solet. Et quoniam equum bellatorem instituimus emere, periculum eorum omnium faciundum erit, quorum in bello periculum fieri solet. Ea sunt, transsilire fossas, muros superare, in prærupta evadere, de prærupris desilire. Periculum quoq; faciundum equitationi, adclivis, & declivis, & obliquæ. Nam hæc omnia tum animum equi, tum laborum tolerans, tum corpus, an sanum sit, explorant. Neq; tamen rejici debet, qui non valde insigniter hæc præstat. Etenim pleriq, non eo deficiunt, quod præstare nequeant, sed quod harum

verum rudes sint: quas si didicissent, & consuefacti essent, & exercuissent, egregie præstarent omnia modo sani sint, minimeq; vitiosi. *cap. 6.*

Meticulosis quidem equis cavendū. Nam qui valde tepidi sunt ut hostib. de se damnum dari non sinunt: ita sæpenumero sessorem quoq; frustrati, gravissimas in difficultates conjiciunt. Cognoscendum etiam, num ali qua sit in equo vel adversus equos, vel adversus homines sævitia, nunq; sit implacabilis. Nam istæc omnia dominis molestiā creare solēt. Cæterum an frænū admittere, vel accipere sessorem detrectet equus, cum morb. aliis, multo magis etiā perspicere quispiam possit, si equo jam defatigato, rursus facere conetur, quæ ante æquitationē fecerat. Quotquot sane laborib. semel obitis, alios deinde subire non recusant, argumenta satis idonea tolerantis animi de se præbēt. Ad summam, pedib. bonis præditus, & mitis, & satis ad cursum celer, & qui tum velit, tum possit sustinere labores, ac lubenter pareat, eum vero credi par est, minimū exhibiturum molestiæ, ac in primis equiti salutis auctore in rebus bellicis futurum. Quibus aūt vel propter ignaviam frequenti opus est incitatione, vel propter animositatem leniam frequenti blandimento, & operosa tractatione: hi & manibus equitis negotium facessunt, & in periculis animum perturbant. *cap. 7.*

Enimvero quam quis equum jam sibi probatū emerit, domumq; deduxerit, stabulū quidem ea parte domus esse convenit, ubi dominus equū frequentissime sit conspecturus: nec minus utile, sic equile structū esse, ut non magis equi pabulū de præsepi, quam domini cibus è penu subtrahi furto possit. In hoc qui negligens est, mihi quidē seipsum negligere videtur. Etenim manifestum est, dominū in periculis equo corpus situ credere. Neq; dumtaxat habere prodest munitum equile propterea, ne furto pabulū auferātur: verum etiā qp statim deprehendatur, ab equo pabulū non egeri. Quod ubi quis animadvertet, vel os abundās humore, curationis indigere sciat, vel equū fatigatum, requietem poscere, vel crithias in aliumve quempiā morbum surrepere. Sunt autē ut in homine, sic etiam in equo ab initio sanabiliora omnia, quā ubi occalluerint, neglectiq; per errorem morbi fuerint. *cap. 8.*

Quemadmodum vero pabuli & exercitiorū equi gerēda est cura, quo robustum sit corpus: sic etiā pedibus adhibenda diligentia. Stabula quide humida, læviaq;, bonas etiam à natura corrumpunt ungulas. Oportet vero, ne humida sint, declivi habeant, neve sint lævia, lapides conjunctim defossos cōtineant, ungulis magnitudine respondentes. Nam ea stabula, præter indicatos usus, equorū insistentiū pedes quoq; solidiores efficiunt. Deinde curatoris erit, ut equum è stabulo educat, ubi destringendus erit: eā prandio religet à præsepi, quo major cum voluptate vespertinū ad pabulū accedat. Rursus ut stabulum exterius quā optime cōparatum sit, & equi pedes reddāt robusti res, rotundorū lapidū in viis jacentiū, libræq; pōdus habentiū, plaustra quatuor aut quinq; passim substernat, & ferro constringat, ne disiungantur. Super hos insistendo, tanquam in viā lapidea, semper aliquam diei partē obambulet. Neq; vero fieri aliter potest. quin ungulis perinde utatur, ac in incessu, sive destringatur, seu pungatur. Ipsæ præterea pedum teritudines à substratis hoc modo lapidibus solidiores reddūntur. Quemadmodum autem ungularum habēti ratio debet, ut sint firmæ: ita etiam oris, ut tenerum sit. Eædem vero res & homines carnem, & os equi tenerum efficiunt. *cap. 9.*

Cæterum & illud equestris viri nobis esse videtur, ut equorū curatorem habeat, ea callentē, quę tractando sint equo. Primū igitur huic sciendum, numquā ejus fori, quo equus ad præsepe ligatur, nodū id loci faciundū, ubi verticale frēni lorum adplicatur. Quippe equū frequenter equus ad præsepe caput moveat, nisi lorum hoc absq; noxa circumdatū sit auriculis, caussam hulcerib. sæpenumero præbebit. Si vero hæ partes exulcerentur, tā ad frænādum, quam destringendum se dificiliore ut præbeat equus, necesse est. Expedit etiā, curatori datum hoc esse negotii, ut equi stercus atq; strameta cottidie in unum locū exportet. Etenim si hoc faciat, & ipse molestia facile liberābitur, & eadē opera cōmodum equo adiderit. Sciendū vero, debere curatore equo capistrū quoq; circumdare, sive ad destrictionē, seu ad voluta-brum educat. Immo semper, quoties equū sine fræno ducit, capistro eum constringet. Quippe capistrum ut respirationē non impedit, ita mordēdi facultatem adimit, adeoq; circumdatum, equos ab insidiis facilundis revocat. Etiam supra caput adligandus est equus. Nam quidquid tandem ob os molestum equo accidat, sursum jactare caput ductu naturæ solet. Itaq; si caput sic adligatus jactet, magis laxat vincula, quam offendit. *cap. 10.*

Quum destringit equū curator à capite quidē, & à juba incipiat, quod frustra purgetur inferiora, ni partes eæ superiores mundæ sint: deinde reliquo corpore cunctis adcertergendas sordes comparatis instrumentis sit utendū, ut erigātur pili, & pro situ eorum naturali pulvis excutiatur. Spinæ vero pili nullo tangendi sunt instrumento, sed manib. fricandi, molliorisq; reddendi, prout natura se inclinant. Sic enim hanc ipsam velut equi sellam minime curator læserit. Caput aqua debet ablui. Quippe quū sit osseum, si ferro vel ligno purget, equum dolore afficerit. Juba quoq; anterior humectanda est. Nam quum prolixiores ni pili sunt, ut equo cernendi facultatē non impediunt, ita repellunt ab oculis, quę molestiā creare possent. Deos quidem ipsos existimare cōvenit, equo pilos hosce dedisse, magnarum aurium loco, quas asinis & mulis, ad oculos tuendos, concesserunt. Eluenda quoq; cauda cum juba, quū omnino efficiri oporteat incrementa pilorū, caudæ quidē, ut equus hanc quā longissime porriges, res molestas abigat, colli vero, ut amplissimum conscendenti administriculum præbeant. Quin etiam elegantiæ caussa concessæ sunt à diis equo tam colli, quā anteriores jubæ, cū cauda. Argumento est, quod equæ gregales non perinde ad coitum asinos admittant, dum hasce comas integras habet. Ideoq; coitus caussa tondent equas, quicunq; cum eis asinos coire volunt. Cæterum elui crura nolumus. Etenim ut nihil habet utilitatis, sic noxia est ungulis humectatio crurū cottidiana. Nimia quoq; sub alvo nonnunquā intermittenda sordidum abstersio. Nā hæc inprimis equo dolorē adfert, & quanto majores eæ partes fuerint, tanto plura molestiā equo parientia sub alvo sese colligunt. Immo tactissimā gnopere gs laboret in his expurgādis, vix tāme educi potest equus, quin nox immūdis sit similis. Quapropter hæc comitēda sunt. Crura quoq; manib. ipsis destringi, satis est. *cap. 11.*

Indicabimus etiā, quo pacto quis cum minimo discrimine suo, & equi cōmodo maximo, destringere possit. Quippe si eamdē in partē cum equo spectans, crura detergat: erit in periculo, ne tum genu, tum ungula equi ori ejus impingat. Sin adversam in partem oculos dirigat, & inter abstergendum, extra crus ipsum, propter scapulam proeminens, defricet, nec mali quid ipse patietur, & ungulam equi aperiens, habere testudinis curā poterit. Eodem modo posteriora quoq; crura detergat. Scire vero debet is, qui propter equum versatur, tam hæc, quā alia, quæ fieri debent, minime sic faciunda, ut vel in equum adversum, vel aversum eatur. Nam si conetur improbus esse, plus utroq; modo poterit equus, quā homo. Verū si quis à latere accedat, nullo cum discrimine suo equum tractare prolixe poterit. *cap. 12.*

Quum ducendus est equus, ut eum à tergo sequens ducas, propterea non probamus: quod qui ducit equū hoc modo, minime sibi ab eo cavere possit, quū equo maxima facultas sit, quidquid velit, agendi. Rursus equū sic condocefacere, ut ad longū lorum tepræcedente pone sequatur, has ob caussas improbamus. Potest enim equus, in utrā partem velit, nocere: simulq; potest ita se convertere, ut adversum sese ducenti objiciat. Et vero si plures equi hoc modo ducantur, qui fieri possit, ut à se invicē abstineant? At equus à latere duci consuetus, ut minime vel equis, vel hominib. nocere poterit, sic etiā aptissime comparatus erit equiti, si quando conscensionē celere usus postulet. Ut autē recte curator etiam frænū immittat, primum ab equi latere sinistro accedat, deinde habenas capiti circūjectas summis humeris imponat, & lorum verticale dextra sustollat, sinistra lupos admoveat. Quod si equus admittet, manifestū est, adplicanda esse frēni lora. Sin os minime diducat, admoto dentibus fræno, major sinistræ manus digitus equi maxillæ inserendus erit. Nam pleriq;, si hoc fiat, os pandunt. At vero si nec sic quidem frænum admittat, propter eum dentē, qui caninus dicitur, labrū premat. Etenim perpauci frænum non admittunt, si hoc eis accidat. Sciat hæc quoq; curator. Primum, ne umquam ducat equū habenis. Hoc enim efficit, ut equi alterutra maxillarū intractabiles evadant. Deinde, quantū à maxillis frænum distare debeat. Nam frænū si nimis stringat maxillas, sic ori callum obducit, ut sensum omnē amittat. Idem si nimis ad extremū ossiqui demittatur, equo facultatē præbet, ut lupatum mordens, pareē nolit. Et nequaquā equus hujusmodi reb. exacerbandus est, quū laborem subire debet. Quippe tantum in eo momenti situm est, ut equus frænum libenter accipiat, ut nulli sit prorsus usui, qui non admittit. At vero si non solum frænetur, quum subiturus est laborem, verumetiā quum ad pabulum, & quum ex equitatione domum abducitur: non mirum erit, si sponte sua frænum oblatum arripiat. *cap. 13.*

Expedit etiam, scire curatore hominis in equum sublevādi rationem, more Persico: ut tum ipse dominus, si morbo debilitetur, aut ætas ejus ingravescat, homine habeat, à quo facile in equum attollatur, tum alteri, sicui velit, ejusdē opera gratificetur. Unum hoc præceptum ad equos unus hic mos optimus est, equus iracunde numquā tractetur. Nam ita nihil providet, ideoq; sæpenumero designat ea, quorum necesse est alique pœniteat. Itidem quum equus aliquid suspicando veritus, adire noli vult quopiā: ostendendū est ei, nihil esse terribile, præsertim si equus sit animosus. Sin a contrectet eques ipse rem specie terribilē, & leniter equum adducat. At qui verberibus cogūnt, majorem adhuc metum incutiunt. Putant enim equi, si quid molesti tunc eis accidat, id ipsum à rebus, quas suspectas habet, profisci. Cæterum ubi curator equū tradit equiti conscēsuro, non improbamus id quidē, si possit equum ita submittere, quo facilis sit adscensus. sed ipsi tamen equiti putamus in hoc incumbendum exercitatione, ut vel equo se non præbente possit adscendere. Nam equus alias alius offertur, & idem curator alias alii servit. *cap 14.*

Jam quum eques acceperit equū, ceu conscensurus, quid agere debeat, ut in equestri re tam sibi, quam equo plurimū cōmodet, litteris deinceps cōplectemur. Primum ergo lorum ductorium, ab inferiore frēni parte, vel ab annulo religatum, sinistra manu apte prehēdet, ea quidē laxitate, ut nec ad cōscendendum sese sublevans, arreptis propter aures pilis, nec de hasta subsiliens, equum retrahat. Inde dextra prehendat habenas, in summis humeris depositas, una cum juba: ne quoquo modo conscendēs, os equi fræno torqueat. Postea quam sese ad conscensione adlevarit, sinistra corpus libret, ad dextram porrigedo semet adtollat. Quippe si hoc modo conscendat, nec à tergo deformē spectaculum præbebit. Et faciet hæc inflexo crure, nec in equi spinam imponet genu, sed in dextrum latus tibiā transiiciet. Ubi pedem jam circumegerit, tum deinde nates etiam in equum imponat. Sin equus forte sinistra decatenatus, dextra teneat hastam: utile nobis esse videtur, ut etiam à latere dextro sinistra adeat in equū insilire. Nec aliud sane quidquam hoc discedum venit, quam quæ dextris antea corporis partibus faciebat ea nunc ut sinistris peragat: quæq; tunc sinistris, modo dextris faciat. Atq; hanc conscendendi rationem propterea

præterea laudamus, quod simul atq; conscēderit, mox omnino sit paratus, si forte subito cum hostibus sit dimicandum. *cap.* 15.

Posteaquam sive nudo in equo, seu in ephippio consederit, non sessionē velut in curru laudamus, sed eam quæ cruribus divaricatis equitem quasi erigit. Sic enim femorib. equi firmius adhærebit. Et erectus, si quidē usus ita poscat, tum jacula validius emittere, tū ex equo ferire poterit. Debet etiā tibia cum pede remissius a genu demitti. Nam qui rigidū crus gerit, si quā in rem illud impegerit, mox fractum erit. At vero si fluxa sit tibia, tametsi aliquid in eam irruat, ita cedere poterit, ut femur haud quaquā loco moveatur. Propterea sui corporis eam partē universam, quæ supra coxas est, ita consuefacere debet eques, ut quā maxime sit agilis. Nam hoc modo magis ad agendū aliquid cōparatus erit, & si quis eum detrahere, vel impellere volet, minus titubabit. Cęterū ubi resederit, primo cōsuefaciundus est equus, ut tantisper quietus sit, dum, si quid erit opus, eques ad traxerit, & habenas æquales reddiderit, & hastā ita sumserit, ut gestari quam aptissime possit. Deinde brachium sinistrum lateri admoveat. Hoc enim modo pulcherrime compositus erit equus, & maximum manus ipsa robur habebit. *cap.* 16.

Habenas laudamus ejusmodi, quę sint æquales, non fragiles, neq; lubricæ, neq; crassæ: ut hastā quoq;, si sit opus, excipere manus ea possit. Quum equo significatum erit, ut progrediatur: pedetentim id facere incipiat, quod in eo minimū perturbationis sit. Habenas, siquidē equus caput paullo demissio geret, manibus eques sursum teneat: sin erectior fuerit, deorsum. Sic enim formā equi quam ornatissimā efficiet. Secundū hæc si pergat equus incessu sibi a natura indito, absq; ulla prorsus molestia laxabit corpus, & lubentissime se cōferet ad virgæ directæ cursum. Et quoniā a læva initium fieri magis probatur, sic inde potissimū incipietur, si post cōscensionē, equo dextrū ordiente gressum, eques ei significet, ad virgam directā currendum esse. Quippe levum sublaturus, ab eo cursus initium faciet: quumq; ad sinistrā convertetur, inflexionē quoq; sic incipiet. Nam ita comparatus a natura est equus, ut si cōvertatur ad dextrā, a dextris initium faciat: sin ad sinistrā, a sinistris. Equitationis id exercitiū laudamus, quod compedē vocant. Equos enim cōsuefacit, ut utraq; maxilla convertantur. Prodest etiam, cursum equitationis mutari, ut ambæ maxillæ pariter ad equitationis utrumque latus reddantur idoneæ. Laudamus & porrectā in longum compedem potius, quam circularem. Hoc enim modo lubentius se convertet equus, jam recti cursus satur: pariterq; fiet, ut ad cursum directum, & ad inflexionem semet exerceat. *cap.* 17.

Sunt etiā in conversionibus equi retinendi: Quippe nec equo facile, nec tutum est, in illa cursus celeritate paullo momento semet inflectere: præsertim si pavitū sit, lubricumve solum. Quum equum inhibebit, ut eum fræno quā minime in obliquū adiget, sic ipsemet cavebit inprimis, ne in obliquum propendeat. Absq; quo sit, levem occasionē suffecturam sciat; ut humi tam ipse, quā equus procumbat. Postequā conversione facta, directo prospiciet equus, ad celeritatē eum excitet. Quippe manifestū est, in pugnis quoq; cōversiones vel persequendi, vel abscedendi causa fieri. Quapropter expedit, ut conversus ad celeritatē adsuēnat. Ubi jam equus habere satis exercitii videbitur, utile quoq; fuerit, quiete revocatū subito summā ad celeritatē instigari, ab equis tamen aversum, non versus equos: ac rursus a celeri cursu, loco proximo quiete refici: quumq; cōstiterit alisus a celeri cursu, loco proximo quiete refici: quumq; cōstiterit aliquod aliquando tēpus, quod horū utrumq; requirat. Quum descendendū erit, nec inter equos umquā id fiat, nec in hominū cœtu, nec extra cursus equestris spatia: sed ubi laborē equus subire cogitur ibidem & quietē consequitor. Et quia nonnumquā equo currendū erit per loca declivia, montuosa, obliqua, nonnumquā transiliendū nonnumquā ex siliendum, alicubi desiliendum: ad hæc prorsus omnia tam ipse, quā equus institui debet, & exerceri. Nam alter alterutrius hoc modo saluti cōsulet, ac majori esse usui videbitur. *cap.* 18.

Si quis a. bis à nobis eadē dici putat, qui prius exposita nunc repetamus, non hæc bis dici sciat. Etenim in emtione periculū fieri jubebamus, an hæc præstare posset equus: nunc quemq; dicimus instituere debere suum, adeoq; literis prodemus, qua ratione sit instituendus. Debet .n. eques, si rudis omnino sit equus transiliendi, prehenso loro ductorio deorsum abjecto, prior ipse fossam transire. deinde lorū adducēdo, equum urgere, ut trassiliat. Si nolit, cum flagello quispiā, vel baculo, verbera summis virib. inferat: quo fiet, ut nō ipsum dumtaxat spatiū trassiliat, sed etiā ulterius, quā oportet. Neq; deinceps ullis opus erit verberibus, sed si quē a tergo tantum viderit accedentē, saltabit. Posteaquam in hunc modū consuefactus fuerit ad transiliendū, etiam equo consensō pergendum ad fossas, primo minores, mox ampliores. Quumq; insaltaturus est, eques ei subdat calcaria. Consimili modo, quū eum consuefaciet, ut sursum deorsumve saltet, calcarib feriat. Quippe si hæc omnia totius corporis impulsu faciat, cum majore tā ipsius equi, quā sessoris securitate res succedet, quā si vel in transiliendo, vel sursum saltādo, vel desiliendo, posteriore parte corporis deficiat. Ad declivia primum equus in solo colliore cōsuefaciendus est, ac tamdem quum, ejus usum habuerit, multo libentius per declivia, quam adclivia curret. *cap.* 19.

Quod aūt nonnulli metuunt, ne, si agantur equi per declivia, rūpāt animos: animo sint otioso licet, præsertim ubi cognoverint, Persas & Odrysas universos, per declivia cursu certātes, equos non minus sanos habere, quam Græcos. Nec item omittemus, qualē eques ad hæc singula semet exhibere debeat. Etenim ad primū equi repente prorumpentis impetū anterius ei prorumpendū est. Nam minus hoc modo tergiversabitur equus, sessorēve sursum jactabit. Mox quum equus à cursu revocatur, semet erigat. Sic enim minus ipse quassābitur. Quū transilienda est fossa, vel in locū adclivē pergendū: non malum fuerit, jubā arripere, ne simul equus & iniquitate loci, & fręno gravetur. Versus declivia se resupinet eques, ne præceps tam ipse, quam equus, deorsum feratur. Rectum quoq; fuerit, alias in aliis locis, modo longiores, modo breviores decursus equestres institui. Nam minus & hæc ingrata sunt equo, quam si semper in eisdem locis, consimiliq; modo fiant equitationes. *cap.* 20.

Et quoniam eum, qui omnimodo diversis in locis equum citato cursu agit, necesse est ejus recte tractādi peritū esse, nec minus, ut armis ex eo cōmode possit uti: nequaquā vituperanda venit rei equestris inter venandum exercitatio locis iis, quæ tam idonea sunt, tum feras habent. At ubi hæc considerantur, bonum quoq; fuerit exercitium, si ex convento de duobus equitibus alter in equo per loca varia fugiat, hastamq; aversam tenens sese subducat, alter rotundis jaculis instructus, & hasta simile in modum facta, persequatur: ac sicubi fugientē attingat ex intervallo jaculis respondente, istæc in eum rotunda conjiciat, sin intra ictum hastæ, feriat ita deprehensum. Bonum etiam, quum aliquando alter in alterū irruerit, tracto ad se adversario, mox eumdem ab se repente protrudere. Nam ad hominem ex equo dejiciendū hoc pertinet. Faciet etiā is recte, qui trahitur, si equū abigat. Id enim faciens, citius trahentē dejecerit, quā ipse ceciderit. Quod si aliquando contingat, ut dum castra castris objiciuntur, equites alteri adversus alteros prodeant, & tum adversarios persequantur ad hostilem usq; phalangem, tum ad suam usq; refugiat: hoc etiam scire prodest, quā quidem diu quis haud procul à suis abest, recte ac tuto facturū si equo inter primos converso, totis hostes virib. urgeat: verum ubi propius ad eos accesserit, equū in potestate retineat. Nam credi par est, eum hoc modo maximum habiturū facultatem lędendi hostes, à quibus ipse vicissim lædi nequeat. Enimvero Dii concesserunt hominib ut ab homine, quæ fieri debeant, oratione doceantur. Eadem oratione constat equū doceri non posse. Verū si vicissim ei rem gratiā feceris, ubi quid ipse tui ex animi sententia peregerit, ac rursus, quū inobœdiens fuerit, castigaveris: hac inprimis ratione didicerit in iis obsequi, quæ fieri oporteat, Ac breve quidem istud est dictu, sed per universam sese rem equestrē porrigit. Nam frænū equus accipiet lubentius, si eo admisso, commodi quidpiam subsequatur. Idem & transiliet, & saltabit sursum, & in omnibus aliis obsequetur, si, quum imperata fecerit, aliquam requietem exspectabit. *cap.* 21.

Et hactenus quide exposuimus, qui fieri possit, ut minime circūveniatur, qui pullū & equum emit, eumdēq; tractando, minime corrumpat: præsertim si exhibendus sit equus, iis dotib. præditus quas eques ad pugnā desiderat. Opportunū vero fortasse fuerit, hoc quoque perscribi, si cui contingat animosiore uti equo, vel ignaviore, quam oporteat: quonā modo possit utroq; rectissime uti. Primū ergo sciendū, id animū in equo esse quod ira sit in homine. Quemadmodum igitur hominē minime quis ad iram cōmoveat, si neq; verbis proferat aliquid rei molestæ, neq; faciat: ita nec equū animosum *irritabit* ullo modo, qui eū non læserit. Ac statim quidem in ipsa conscensione danda est opera, ut in adscendendo nulla quis equum adficiat molestia. Postea vero, quam conscenderit equo longius ad temporis spatium subsistere jusso, quam fieri cæteroquin soleat, ita deinde placidissimis signis eum promoveat. Hinc ab incessu lentissimo primordia capiens, ad celeriorem ea ratione perducet, ut equus ipse minime sentiat, incitatiore se motu progredi. *cap.* 22.

Si quid equo repente velit, imperare, sciat equum animosum repentinis rebus haud aliter perturbari, ac soleat homo, qui repēte aliquid vel adspexit, vel audivit, vel sensit. Quod si pergentem celerius equum animosum à progressionis impetu revocare volueris, non eum subito retrahere debes, sed placide frænū adducens, ut cōsistat, non cogendo, sed mitigando efficies. Prolixis etiam agitationibus mansuetiores evadūt equi, crebris conversionibus: eædēq; si placidę conficientur, equū animosum longiore spatio demulcent ac mitigant, sine ulla concitatione. Si quis a. existimat, equū se mitem redditurum, si eum celeri & prolixa equitatione fatiget: contrariū statuit ei, quod consentaneū est. In talibus enim vim adhibere nititur equus animosus, & in hac ira, instar hominis iracundi, sæpenumero seipsum & equite gravissimis malis adficit. Retrahendus etiā equus animosus à velocissimo cursu, nec ullo modo permittendū, ut propter alium equū ad certamen adigatur. Nam fere qui maxime concentiosi sunt, ferociissimi evadunt. Lævia quoq; fræna his aptiora, quam aspera. Si tamen & asperū immittatur, efficiendum erit laxitate, ut lævi simile videatur. Expedit etiā, ut aliquis sese consuefaciat in primis ad insidendū equo feroci, absq; corporis motu, atq; ut equum alia parte nequaquam attingat, quam quibus partibus eum tutioris infessus causa contingimus. *cap.* 23.

Sciri autem debet hoc quoque præceptum, (παππυσμὸς hic est) compressorum quidem labiorū sono equos mitigari: clocitatione (κλωγμὸς) vero excitari. At si quis ab initio post clocitationem gratiora, post editum ore compresso sonum molesta quædam exhibeat: sic consuefiet equus, ut ad oris compressi sonum excitetur, clocitatione mitigetur. Eadem igitur ratione tam ad clamores, quam ad tubæ sonitum, sic accedere debes, ut nequaqam equo speciem perturbati præbeas, nec eidem turbulenti quiddam offeras. Immo quantum ejus fieri poterit, & quiesces id temporis, & matutina vespertinaq; pabula, siquidem id fieri liceat, offeres. Optimum vero consilium hoc fuerit, ne

quis equum nimis ferocem ad bellum sibi comparet. De ignavo autem equo satis equidē arbitror hoc fore, si huic omnia contraria faciunda scribamus iis, quæ animoso adhibenda cōsulimus. At si quis equo ad bellum idoneo sic uti voluerit, ut etiā magnificentior sit & spectabilior incessus: is sese cohibere debet, ne vel os fræno contorquear, vel calcaria subdat, vel equū flagello cædat: quibus pleriq; faciundis, magnam se gloriā adipisci putāt. Isti aūt homines animi sui sententiæ contraria faciunt omnia. Quippe dum ora sursum trahūt, equos, qui ante se prospicere debebant, cæcos reddunt: dum calcaria subdunt, & flagellis cædunt, eum terrorē incutiunt, ut nō sine periculo perturbentur: quæ sane ab iis equis fieri solēt, quib, equitatio maxime molesta est, quiq; fœda visu, non præclara quædā faciunt. Verum si quis equū ita condoceferit, ut laxiore fræno incedat, & cervicem adtollat, & eamdē mox à capite recurvet: is facile ab eo impetrabit, ut faciat, quæ cæteroquin cū voluptate, & quidē exsultans facit. Equum aūt ista voluptate facere, hoc intelligi argumēto potest. Mox enim, quū ad alios equos accesserit, ac præsertim ad equas, sublimem admodum cervicē gerit, & maxime caput, trūci cum adspectu, incurvat: crura mollius attollit; caudam sursum porrigit. Quamobrē quum equum ad ea prę standa perducit, quæ ipsemet equus effingendo repræsentat, quoties pulcherrimū sese spectādum exhibet: is nimirum efficiet, ut cum voluptate incedat equus, & magnificentiam præ se ferat, & terribilis sit, & spectabilis. Quæ sane quonā modo putemus effici posse, nunc commemorare conabimur. *cap.* 24.

Primum ergo non pauciora duobus habere frena cōvenit. Eorum alterum læve sit, & rotulas habeat grandiores, alterū rotulas graves ac depressas, cum echinis acutioribus: ut quū hoc prehenderit, asperitatem molestę ferendo, dimittat, quum vicissim lævius illud acceperit, voluptatē ex ejus lævitate percipiat, & prorsus eadem immisso lævi præstet, ad quæ præstanda fræno asperiori adsuefactus erat. Sin lævitate contenta, frequenter in ipsum frænū incumbere velit: non abs re majores addimus lævi rotulas, ut dum per eas os pandere cogitur, lupatum admittat. Potest etiam frænū asperius variari tum implicando, tum extendendo. Quotquot a. fræna fuerint omnia mollia sunto. Quippe rigidum quacunq; parte prehenderit equus, totū maxillis tenet; quemadmodū si verū quispiam quacunq; sui parte prehenderit, totū sustollit. Alterum vero non aliter atq; catena, qua parte tenetur, ea sola non flectitur, quum reliquū pensile sit, atq; id loco cedens, dum semper in ore captat equus, lupatū à maxillis dimittit. Eam ob causam in medio quoq; de ipsis axibus anuli suspendi solent, ut hos lingua dentibusq; prēsans, frænū maxillis corripere negligat. Quod si quispiā ignorat, quidnā mollicies, quidve rigiditas fræni sit, hoc ipsum quoq; perscribemus. Est, n. molle, quū axes cōmissuras ita latas ac læves habent, ut facile flecti possint. Adeoq; omnia quæ axibus circumponuntur, si patula sint, & nō condensa, pro mollibus haberi debent. Si vero quælibet fræni partes difficulter & dissungantur, & vicissim in se redeant: hoc scilicet est, frænum esse rigidum. Qualemcunq; vero sit, cuncta quidem hęc cum eo prę stari oportet, si talem quis equū exhibere velit, qualem diximus. *cap.* 25.

Os equi sursum impellendū, neq; nimis duriter, ut caput sursum jactet, neq; nimis remisse, ut non sentiat. Posteaquam excitatus hoc impulsu, cervicē attollit: mox frænum ei remittendum, atq; in reb. etiam cæteris, quemadmodum perpetuo monemus, sicubi recte obsequatur equus, vicissim ei gratificādum. Ubi quis equū animadvertet delectari tum cervicis elatione, tum illa laxitate: nihil ei molesti exhibebit, quasi ad subeundum laborē cogere velit: sed ita demulcebit, quasi si quietē ei sit concessurus. Sic enim animo confidentissimo ad agitationē celerem accedet. Ac delectari celeritate cursus equum, hoc argumento est. Quippe si fuga evaserit, non pedetentim pergit, sed currit. Sic enim à natura cōparatus est, ut voluptatē hinc capiat, nisi quis forte cogat ultra, quam cōmodum sit, currere. Quod si modum aliquid superet, quidcumq; tamdem illud sit, nec equo, nec homini gratum erit. Cæterum ubi cum splendore quodam productus fuerit ad decurrendum, par est credi, sic eum priori exercitatione consuefactū, ut post inflexiones majore cum impetu prorumpat. Verum si quis equo ad hoc instituto, pariter & frænū adducat, & signum quoddam instigationis edat, fræno quidem pressus ..... at instigationis imperio concitatur. Ac pectus quidē anterius protendit, crura vero præiracundia sustollit altius, non mollia tamen. Nequaquam enim excādescentes equi crura magis habet mollia. Si vero quis equo in hunc modum excitato frænū remittat, ibi præ gaudio, quod respectu laxitatis lupato se liberatū putet, specie quadā exsultabunda, cruribusq; mollib. superbiens fertur, omnino repræsentans camvenustatem, quam erga equos alios præ se ferre solet. Ac talem qui spectant equum, & liberalem adpellant, & spontaneum, & equestrem, & animosum, & superbum, adspectuq; tam jucundum, quam trucem. Et hactenus quidem illis, qui fortassis ea desiderabunt, hæc perscripta sunto. *cap.* 26.

Si quis a. equo ad pompā idoneo, & erigendi se perito, & splendido velit uti: sciat, nō abs quovis equo posse talia præstari, sed requiri, ut magnus in tali sit animus, cū corpore valido. Quod aūt pleriq; putant eum, cui crura sint mollia, corpus etiā posse facilius attollere minime sic cōparatum est: sed potius, qui molles, succinctos, validos lumbos habet, (& lumbos heic dico, nō caudā versus porrectos, sed qui existunt inter latera & coxas, ad ilia:) sub anterioribus non exiguo spatio collocare posteriora crura poterit. Si quis igitur equū pedes ita subjicientem fræno sursum impulerit, partibus illi posterioribus in talos sese flectit, & corpus anterius sic erigit, ut è regione consistentes & aluū, & pudenda conspiciant. Quæ sane quum facit, frænum ei remittendū erit: ut quæ ab equo pulcherrima præstantur, ea tum faciat lubens, tum spectatorum judicio facere videatur. Sunt quidē nonnulli, qui equos ad hæc quoq; cōsuefaciunt, dum partim eos virga sub talos feriunt, partim aliquē ad latus currentē baculo femora verberare jubent. Verum nos optimū hoc esse præceptū arbitramur; ut, quod semper dicimus, ubicumq; voluntati equitis paruerit, vicissim id ppetuo sequatur, ut equo requiescendi copia fiat. Nam quæ p coactionē facit equus, ut Simo quoq; tradit, ea neq; novit ipse, neq; magis decora sunt, quā si quis histrionē flagris, atq; stimulis excitet. Quippe multo plura præter decorū, quā cum laude faciet, tum equus, tū homo, cui quid ejusmodi cōtinget. Proinde q dotes omnino pulcherrimas & splendidissimas habet equus, eas signis datis exhibere debet. Quod si etiam tum, quū exercetur, ad sudorē usq; copiosum agitetur, quū vero, quam honeste semet erexerit, statim descensio fiat, & frænum detrahatur: omnino futurū sciri debet, ut deinceps ad erigendum sese non invitus accedat. *cap.* 27.

Atq; in equis hujusmodi sane tam Dii, q̄ heroes equitantes pingi solent: & homines, qui eis dextre utuntur magnificentiā quandā prę se ferunt. Et vero is equus, qui semet erigit, tantopete sive pulchrum quiddā est, seu admirabile, seu suspiciendū: ut oculos omniū spectatorū, tam juvenum q̄ senum, in se conjectos detineat. Nemo quidē certo vel ab eo discedit, vel spectādo defatigatur, dum præclarā hanc ille speciem suā exhibet. Cæterū si cui talem equū habēti usuveniat, ut vel tribui cum imperio præsit, vel equitū magister fiat: illi non in hoc erit incumbendū ut ipse solus sit splendidus, sed multo magis ut universum agmen, q̄ cum sequitur, spectatu dignū adpareat. Quam obrē si, quod in equis ejusmodi maxime laudatur, præcedat equus quispiā, qui corp⁹ ad insignē altitudinem motu creberrimo sustollens, lente tamen admodū progrediatur: nimirū eveniet, ut equi cæteri pedetentim hunc sequantur. Ex hoc aūt spectaculo quid consequi splendidū possit? Sin equo concitato, neq; nimis celeriter, neq; nimis tarde præcedat, sed ea ratione qua equi maxime fiunt alacres, & truces, & speciem ad laborem obeundū maxime decentē induunt: tum vero necesse est, ut ingens strepitus, ingens equorum hinnitus, & nariū flatus adsit. Ideoq; non ipse tantū modo, sed universus etiam comitatus haud abs re spectabilis erit. Enimvero si quis equum feliciter e nerit, & sic educet, ut labores sustinere possit, & eodē recte utatur in exercitiis ad rem militarē consuefacientibus, in equitationibus ostentationis causa cōparatis in certaminibus deniq; bellicis; quid huic impedimento sit, quo minus equos majoris efficiat pretii quam eos acceperit, neq; dumtaxat equos bonitate celebres habeat, verum etiam ipse propter equestris rei cognitionē in ore sit omnibus, nisi divina quædam vis obstet? *cap.* 28.

Placet etiam perscribere, quonam modo armatus esse debeat, qui aliquod in equo periculum sit aditurus. Primum dicimus, debere loricam sic esse factam, ut corpori respondeat. Aptam quidē hanc corpus ipsum gestat, nimis vero laxam, humeri soli ferunt. Sin valde sit angusta, non armatura, sed carcer est. Et quia cervix quoq; de partiū illarum numero est, quæ lethaliter petuntur, dicimus huic etiam tegumentū ex ipsa lorica se porrigens, esse cōficiundum, quod cervici respondeat. Id enim tum ornamento erit, tum si recte fabricatū sit equitis ipsius faciem ad nares usq;, quum ita libuerit, excipiet. Galeam ducimus optimam, quæ Bœotii sit operis. Hæc enim maxime tegit, quidquid extra lor.cam eminet; nec prospectum impedit. Ipsa lorica sic fabricata sit, ne vel sessioni, vel inclinationi sit impedimēto. Ad inguen & pudenda, & vicinas undiq; partes, tales ac tot pinnæ sunt, ut istæc membra tegant. Et quoniam sinistra quoq; manus inutilem reddit equitem, si læsa fuerit: inventam & huic probamus armaturam, quam manum vocant. Nam & humerum hæc obtegit, & brachium, & cubitum, & quidquid habenis est contiguum: eademq; tum extendi, tum contrahi flexu suo potest. Præterea partem illam sub alis, qua lorica deficit, tegit. Dextrā sustolli necesse est, sive quis telū emittere, sive plagā inferre velit. Quapropter auferri debet à lorica, quidquid heic impedimento futurum est: ejusq; loco pinnæ in nexib. adplicatiles sint, quæ cum manu exporrecta similiter & ipsæ explicentur, cū reducta, claudantur. Quod brachio instar ocreæ solet apponi, rectius ita nobis suffecturum videtur, quam si ad ipsam armaturam sit religatum. Pars dextræ, quæ hac sublata nudatur, juxta loricam munienda vel loreo, vel æreo integumento: absq; quo sit, periculosissima sui parte præsidii nihil habebit. *cap.* 29.

Quia vero si quid equo mali accidat, eques ipse totius periculi sit particeps; necesse est equum etiam frontis, & pectoris, & laterum integumentis armari. Simul enim hæc formalium equiti vicem præstant. Omnium vero maxime tegenda equi sunt ilia, quod eorum, cæteroquin etiam tenerrimorum, valde lethalia sint vulnera. Possunt autem ephippio tegi. Debet illud etiam, quod ephippium constringit & continet, sic esse consutum: ut tutius eques ipse sedeat, & equi tamen sella non lædatur. Ac partibus quidem cæteris hæc tam equi, quam equitis armatura fuerit. Tibias vero, ac pedes, consentaneum est extra femoralia propendere: quibus sua non deerit armatura, si ocreæ de corio factæ fuerint, ex quo soleæ conficiuntur. Sic enim pariter & tibias armabunt, & calceorum loco pedibus erunt. Et hæc quidem arma sunt, quæ nos ita muniunt, modo Deos propitios habeamus, ut non lædamur. Verum ad hostes lædendos, potius machæra nobis, quam ensis, probatur. Nam quum eques in sublimi sit, major vis erit in plaga copidis, quā ensis. Hastæ perticalis loco, quū ea fragilis sit, nec commode gestetur, potius corneas tragulas duas probamus. Nam harum alteram peritus eques ejaculari, altera sic uti potest, ut eam vel in adversum, vel ad

vel ad latera, vel à tergo contorqueat. Præterea firmiores sunt, quam hasta, magisq; portatiles. Ejaculationem teli probamus eam quæ longissimo fit spacio. Sic enim tempus ipsum magis permittit, ut temet avertas aliudq; telum sumas. *cap 30.*

Paucis etiam perscribemus, quænam optima sit emittendi teli ratio. Quippe si quis partes læ, as anterius protendens, dextras autem reducens, ex ipsis femoribus semet erigendo, cuspidem nonnihil arrectam emiserit: omnino fiet, ut impetu vehementissimo, longissimeq; telũ feratur: atq; idem rectissime feriet, si dum emittitur, ipsa cuspis scopum semper spectet. Atque hæc quidem equiti vulgari à nobis monumenta, præceptiones, exercitia, præscripta sunto. *cap. 31.*

Synesius: Par illud voracium equorum qui ad tributum aluntur, adduci ad te impera: nulla his temporibus possessio utilior equo atque opportunior esse potest, nam & procurrere, & speculari, & brevissimo tempore renunciare, omnia hæc facile equus præstabit. *Epistol.* 131.

Lysias: Ego, Senatores, omnes, qui aliquo incommodo gravantur, laborare & studere oportere existimo, ut quã minimo cum dolore partem affectam attrectent: Quorum cùm unus ego sim, qui in hujusmodi calamitatem inciderim, hoc mihi male levamen inveni ad vias æquo longiores. Quod enim in equos ascendo, non mollitiei & insolentiæ, (ut hic dicitat) sed calamitatis imbecillitatisque caussa, hoc signo facillimè licet discere. Si mihi supperterent divitiæ, aliquo profecturus mulo potius uterer, quam alienis equis. Nunc autem cum illum mihi comparare nequeam, alienis equis uti cogor frequenter. Nam quî non videatur absurdum, Senatores, hunc ipsum si me mulo unquã vectum viderit, id tacere. (At quid enim dixerit?) Conari autem vobis persuadere, ideo me esse validum, quod viles jugoq; domitos equos ascendam? Planeq; miror illum in me id quoq; non accusare, quod duobus scipionibus utar, cum alii uno sint contenti, quasi & hoc sit validorum. Atqui ego illis & equis & scipionibus eadem de caussa utor. *cap. 4. Orationis 23. ad delationem &c.*

Libanius: Utinam nulla equi progenies ad homines perveniisset, aut cum accessit, indomita perpetuo nec mansueta unquam apud eos mansisset: pro damnis & miseriis quibus execrandus ille ferus me affecit, pro iis cupedis quas mihi surripuit. Jamdudũ infensum & hostile id jumentum est humano generi. Jampridem strages per equos excitatæ, scenas implevere Tragicas. Non hi Amazonas impulerunt ad mentiendum sexum suum? ac primo conatu genus deturbarunt ac devastarunt. Non auditu accepimus Diomedis equos loco pabuli assueti, humanis corporibus vesci solitos fuisse? Troicas calamitates atq; Ilii excidium, non Equus invexit? *Declam 7.*

Philostratus: Apollonius viso puero tredecim annorũ, qui elephanto insidens acriter stimulis bellua m urgebat, interrogavit Damidem, quodnam boni equitis præcipuũ munus esse censeret? Tum ille: quid aliud quam equo rectè insidere, atq; illi fortiter dominari, & frenis in quantumcunq; voluerit partem, circumducere? non parente autem verberib. plectere: cavere insuper ne in foveam aut voraginem, aut hiatum aliquem deferatur, dum palude cœnumve nitatur evitare? Num aliud ab optimo equite expe- enus, ô Damis? Imo & hoc, per Jovem, inquit Damis, ut declivem locum ascendẽti equo moderatè frena remittat: præcipitẽ vero ac declivem eum non deserat frena, sed magis contrahat. Interdum quoq; crines aut aures manu demulcere, nec semper in ipsum flagellis uti, sapientis equitis esse duco, & eum laudo qui hoc pacto sciat equitare. Bellatorem vero equitẽ, Apollonius, inquit, & qui in præsto versari debeat, quibusnam artibus diceres indigere? Eisdem, inquit Damis, & aliis etiã quibusdam: ut sciret hostem ferire & se protegere, insequi præterea ac refugere, & inimicum pellere, & equum assuefacere ne clypei fonitum, aut fulgentis galeæ splendorem reformidet, neve pugnantium clamorem perhorrescat. *lib. 2 cap 5.*

Heliodorus: Equi ad insuitatam elephantorum speciẽ subito nudatam, & magnitudinem peregrinam ex conspectu formidinem incutientẽ, alii retrorsum fugientes, alii inter se permixti & coarctati, ordinem phalangis celerrime turbarunt. *lib. 9. Æthiop.*

¶ Portarum.

Claudianus de equo Honorii Imp.

O felix sonipes, tanti cui frena merenti
Numinis, & sacru licuit servire lupatu!
Seu tua per campos vento juba lusit Iberos,
Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
Argea lavere nives, seu læta solebat
Thessalus arapido perstringere pascua saltu:
Accipe regales cultus, & crine superbus
E recto virides spumic perfunde smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo:
Nobilis auratos jam purpura vestiat armos.
Et medium te zona liget variata colorum
Floribus, & casta manibus sudata Serena,
Persarum gentile decus. sic quippe laborat,
Materni studiis, nec dedignatur equestres
Moliri phaleras, genero latura decorem.

Oppianus lib. 1. de Venat v. 173.

Equum inter omnes præstantissimum observarunt
Quari equestrium cursuum & armentorum magistri,
Formis qui talibus toto corpore cinctus sit:
Argutum supra cervices, arduum, sublime caput
Erigat, magnus ipse teretibus membris:
Alto capite: extremam autem genam ad collum inclinet:
Amplum sit, latumq; interciliũ: Ex capite autem
Circa frontem capillorum densi quatiantur cincinni:
Oculus ei sit torvus flammeus supercilsis trunculentus:
Lata nares: os autem amplum, aures breves:
Reflexum collum sit cervices hirsutas habentis equi:
Perinde quasi setosa cristam movet galea:
Latum sit pectus, oblongum corpus, lata terga:
Et spinagemina in medio coxas pinguefaciens:
Procurrat vero prolixa à tergo & pilosa cauda:
Femora autem bene compacta ac musculosa sint ut infernae
Recta prolixaq; sint pedum longa tibia,
Et valde graciles, & carne destituta crura,
Qualia sunt longa cornua habentibus & pernicibus cervis:
Et talum incliner: currat vero rotunda ungula
Alte admodum à terra, densa, cornea, firma,
Talis mihi pergat ad acre ferinum prælium,
Animosus, socius laborum, Martius strenuus equus,
Tyrrheni tales, atq; Armenij, & Achivi,
Cappadocesq; inclitis ante Taurum pascuntur.
Miraculum vero in Cappadocibus ingens vidi pernicibus,
Quoad quidem tenellum in ore dentem,
Et lacteum ferunt corpus, sunt imbecilli:
Celeriores autem sunt, quanto magis senescunt.
Illos ad bellum acre armaveris,
Diraque in feras, quia admodum sunt audaces
Ad armis occurrandum confertamq; perrumpendã cohortẽ
Atque adversum feras martias depugnandum.
Quo modo enim in pugna martius audit equus
Sonum classicum longarum hastilem tubarum!
Aut quo modo respicit arretoris oculis
Juvenibus cohortem condensam armatis!
Et as fulgidum, & scintillans ferrum!
Et novit quando manere necesse (sit,) & quando iterum
impetum facere
Et scit exaudire fortium tesseram ducum
Sæpenumero etiam hostilium virorũ ferturin munitiones
Quietus scutatum & pinnatum quando hominibus
Clypeus supra caput verticalem clypeum fulcit,
Quando inducunt animum hostilem urbem excindere,
Et campum extruunt sublimem septem boum tergoribus
Dædalum, cõfertum, umbonibus multis compactum, an ado
verso autem splendor.
Ab are resultas solaris: E vestigio autem retro
Reflexo radio fulgurat multus æther.
Equis quidem eximiè natura largita est artificiosa
Hominum cor, & in pectoribus varium animum.
Semper agnoscunt suum animum gubernatorem,
Et hinniunt intuiti inclutum rectorem:
Et in prælio occumbentem valde gemunt socium.
Equus in pugna rupit olim vincula silentij,
Et natura leges transiliit, & cepit sonum
Humanum, & linguam similem hominibus.
Equus vero Martius Macedonis Regis
Bucephalus adversum arma dimicabat,
Equus supra aristas cucurrit levibus pedibus,
Alius supra mare, neq; ungulam madefecit.
Equus supra nubes Chimæricidam vexit virum.
Et hinniens quondam pullus equi sonis dolis
Constituit Persarum Asianorum regem Darium.
Præcipue porro venerantur naturam: Estq; hoc prorsus inauditum
In sætum (eos) convenisse ad quem nefas sit verũ manere
Integri sceleris, castamq; amant Venerem

¶ Monosticha Trochaica.

Cur sui ineptus est caballus quem sagina detinet.
Dormiunt equis frenatis qui sibi nimis cavent.
Equuleus repente tactu freni exagitantur novo.
Est equis venus pudica, matribus sanè abstinans.
Ex equo fias asellus, non item ex asello equus.
Junge aratro gentem equinam capra terram non colet.
Mas equus venationis melior est quam famina.
Nota cui est ars equestris Musica ne se applicet.
Odit angustum asperumq; plana aperta eques probat.
Quei queat constare vector, vulnerato equo sibi?
Quis viantium haud libenter vectorem secum auferat?
Vti equo, haud signum usq; ditis signum item est imbellis.

¶ Jambica.

Cursus spatiaq; nobiles probant equos.
Equi improbi esse non potest eques probus.
Equis revellos veralis antevonimus.
Equites Senatus dicas seminarium.
Equus indomitus inutilis possessio est.
Et fossæ equis quam vis pusilla noxia est.
Frenandus ante cursum, non in cursu equus.
Freno rebellat si uteris raro servo.

Gaudere equis non pauperum est sed divitum.
In messe eques noli vagari longius.
Minora equo senenti impone pondera.
Omni loco prodest pedes, paucis eques.
Omni loco valet pedes: non omni equus.
Oculus domini, sagina equo promptissima est.
Parat cito Eques, cito eques cedit victoriam.
Qui pauper est, equum altor esse non potest.
Quo plus vorat minus aptus cursui est equus.

Equitum Magisterii.

Xenophon: Primum rem sacram faciens, deos precaberis, ut ea tibi concedant & intelligere, & proferre, & agere; de quibus & diis gratissimum sit imperium tuum, & tibi, amicis, reiq; publicæ cum primis acceptum, & glorioſum, & longe utilissimum. Diis placatis, equites instruendi tibi sunt, tũ ut numerus lege præscriptus compleatur, tum ne jam ante collectæ copiæ minuantur. Quippe si non accedant equites ad priores alii, pauciores semper evadent. Nam alios ob senectutẽ abdicare se necesse est, alios aliis de caussis deficere. Postquam equitatum cõpleveris, adhibenda cura, sic ut equi alãtur, quo perferre lãbores possint. Quippe si laborib. impares sint, nec adtollere se, nec evadere fugâ possunt. Id quoq; curandum, ut ad ũsum idonei sint. Nam contumaces potius hostes, quam suos in prælijs juvant. Etiam illi removendi sunt, qui calcitrant, postquã equitem susceperunt. Qui enim tales sunt, sæpenumero plus mali, quam hostes, inferunt. Haberi debet & pedum ratio, ut etiam in aspera regione agitari possint, quum esse constet in iis locis inutiles, ubi dolorem in agitatione sentiunt. *cap* 1.

Quum equi tales existunt, quales esse debent, exercendi & equites ac primũ ut in equos insilire possint. Nã plerisq; jam salus hinc parta. Alterum esto, ut in locis omnigenis equitare norint, quandoquidẽ & hostes alias in alijs locis existunt. Ubi jam firmiter equis insederint, ejuserit habenda rãtio, ut ex equis jaculã quã longissime vibrẽt, & alia facere possint, quæ facere viros equestres oportet. Secundum hæc armandi tum equi, tum equites: ut ipsi minimè vulnerentur, & hostes dãnnis adficere maximis possint. Hinc efficiẽdum, ut equites morigeri sint. Nam absq; hoc nec equorum bonorũ, nec equitum his recte insidẽtium, nec armorum elegantiũ usus ullus fuerit. Atq; his quidem omnib. ut egregie fiant, præesse cum imperio magistrum equitum par est. Et quia civitas rata difficile quiddã esse, perũci hęc à solo magistro equitum omnia, tribunos ei deligit adjutores, & cõsiliũ adjungit, cummãdato, ut equitatus curã una cum ipso gerat: recte mihi factur⁹ videris, si tribunos sic instruas, ut tecũ ea velint, quę ad equitatus cõmoda pertineant; & oratores idoneos habeas in consilio, qui & dicẽdo terrorẽm equitibus incutiant, melioribũs in metu futuris, & eos in cõsilio mitigent. qui forte plus æquo difficiles se præbituri sint. Ac istæ quidem admonitiones ad ea spectant, quæ diligentiam tuam requirunt. Quo autem modo hęc singula rectissime peragantur, nunc dicere adgredior. *cap.* 2.

Equitum in numerum ex legis præscripto referes eos, qui & facultatibus, & viribus corporis præstent, idq; vel in jus vocando, vel persuadendo. Sum autem in hac ego sententia, ut hos in jus vocandos existimem; quos nisi quis vocet, id quæstus caussa facere videatur. Nam minus potentes statim à recusando dimoveris, si primos cogas, qui plurimũ possint. Præterea videtur hoc modo mihi quispiam & juvenes ad equitationis studiũ adducturus, si splendorẽ equestris rei prædicet, & illos, quorũ in potestate sunt, minus adversantes habiturus, si plane futurum ostendat, ut propter opes alere cogantur equos, si non abs te, saltim ab alio quopiam. Quod si tuis auspiciis rei se dent equestri, te filios eorum à sumtuosis & insanis equorũ emtionibus avocaturum, & operã daturum, ut equestris rei peritiã quãprimum cosequantur. Hæc vero quum dices, etiã præstare conaberis. Equites, quotquot operã navant in præsentia, sic excitatum iri arbitror, ut melius & alant & curent equos; si consilium eis futurũ denũtiet, ut equitationes in posterum duplicentur, & equi rejiciantur, qui pares in itinere alijs esse non poterunt. Etiam hoc utile futurũ arbitror, ut denuntietur, rejectum iri equos violentos. Nam hæc eos impulerit cõminatio; tales ut equos distrahant, & alios prudentius emant. Bonũ quoq; denunciari, futurum, ut calcitrantes in agitationibus equi rejiciãtur. Nequeunt enim tales in acie collocari, sed ubi ducendum in hostem, hos ultimos sequi necesse est. Itaq; ptopter improbitatem equi, nec equitis usus aliquis est. *cap* 3.

Ut autem & pedes equorum sint optimi, si meliorem aliquis, faciliorem q; rationem tenet, ea sane utaturisin minus, equidẽ usu edoctus alio, projiciendos passim lapides e via sumtos, qui minæ pondus (*hoc est libræ fere*:) habeant, plus minusve, atq; in his constituendũ equum ad destrictionem, quum à præsepi removetur. In illis enim lapidibus numquã equus ingredi desinet, sive destringatur, seu pungatur. Qui periculũ hujus rei fecerit, tum aliis, quæ profero, fidẽ habebit, tum pedes equi teretes effici conspiciet. Ubi jam equi fuerint, quales esse oportet: quonam modo equites ipsi futuri sint optimi, nunc cõmemorabo. Junioribus quidem inter eos auctores sumus, ut in equos insilire discant: Laudẽ vero jure mereberis, si quem eis adhibueris, qui doceat. Ætate provectiorib. haud parum profueris, si cõsuefeceris eos, ut more Persico ab alijs in equos sublevẽtur. Ad hoc autem, ut equites omnigenis in locis firmiter equis insidere possint; frequenter educere, quum bellum non geritur, fortasse molestũ fuerit. Itaq; cõvocatis equitib. consulere debes, ut exercitijs utantur; sive rus in equis provehantur, seu alio pergant, è viis declinando; & omnigenis in locis equos celeriter agendo. Nam hoc & parè cum educendo habet utilitate, nec molestiæ tantum exhibet. Commoduin id etiam eis in memoriã revocari, quod civitas in equitatũ ad XL. talenta (XXIIII. ex *auream coronarorũ*) propemodũ quotannis impendere cogãtur: ut si bellum existat, equitatus ei quærẽdus non sit, sed in promptu habeat, quo instructo possit uti. Nam vero consentanu est; equites hæc cum animis suis expendentes, rem equestrẽ diligentius exercituros: ut bellũ si moveatur, non inexercitatis de patria, de honore ac gloria, de vita sit dimicandũ. Bonum quoq; denuntiari equitibus, te nonnunquã eos eductũrũ, ac per omnigena loca præiturũ. In exercitijs etiam contrariatũ provectionũ in alia atq; alia loca nonnumquã educere prodest. Hoc enim & equitib. & equis utilius. *c.* 4.

Ex equis a. jaculari mea quidẽ opinione sic plurimi cõsuescent; si tribunis futurũ denuntiaveris, ut ipsi duces cogantur cujusq; tribus jaculatores ad exercitia jaculandi adigere. Nam excitabũtur ambitione quadam, ceu videtur, ut quisq; jaculatores civitati quãplurimos instruat. Ad id quoq; tribuni plurimum mihi videntur momenti adlaturi, ut equites egregie sint armati, si ipsi tum eis fuerit, multo ad civitatẽ esse glorioſius, splendore tribus ornari, quam suo dumtaxat indumento. Nec difficulter hoc ipsis persuaderi posse crediderim; quum honoris & gloriæ studio tribunatũ ambiverint. Poterunt aut suis arma secundũ legem imperare, sineq; suis impensis equites adigere de præscripto legis, ut arma sibi de stipendio suo cõparent. *c* 5.

Ut vero qui reguntur abs te, libenter pareant, ô leve quiddã, verbis ostendere, quam multa cõmoda contineat obœdientia, sed magnum aliquid in hoc quoq; ; si secundum legẽ reabse potior efficiatur morigerorum conditio, contraq; deterieri loco in omnibus sint contumaces. Vis autem in hoc mihi maxima videtur esse ad impellendos tribunos, ut ambitiose dent operam, quo suam quisq; turmã egregie instructi ducant; si quos circum te præcursores habebis, perelegantes armis ornaveris, maximeq; jaculationũ ad exercitia coegeris, & auctor ad jaculandũ fueris, ipsemet in hoc genere plurimum exercitatus. Quod si quis etiam tribub. eorum omnium præmia proponere possit, quæcunq; in spectaculis exerceri ab æquitatu præclare solent, eum ego facillime eunctos Athenienses ad studia contentionum excitaturũ arbitror. In ludorum id quidem adparatu perspicitur, quam modicorum præmiorũ caussa multi labores; magnique sumtus impendantur. Judices ejusmodi reperiendi sunt; apud quos si victoria potiantur, inprimis exsultent. *cap.* 6.

Ubi jam equites in omnibus exercitati fuerint, etiam ordinis esse peritos oportet, cujus observatione fiet, ut pulcherrimas diis pompas agant, in equitationibus cum laude se gerant, fortissime sic usu poscente dimicent, expeditissime ac minima cum perturbatione itinera conficiant, transitusq; difficilis superent. Quo autẽ ordine utendo hæc mihi rectissime perfecturi videantur, eum declarare nunc adgrediar. Distinctæ sunt in civitate tribus. In his inquã ego debere primũ non sine tribunorũ singulorum jũdicio & sententia decuriones ex illorum numero constitui, qui & ætate vigeant, & ambitione maxima quadam in hoc ferantur, ut aliquid egregiũ & peragãt, & audiant. Hi principes in ordine collocantur. Secundũ eos totide numero deprovectioribus & in primis prudentibus deligendi, qui ultimi sint in hisce decurijs. Nam si comparatione res explicanda, ferrum quoq; sic ferrum maxime scindit, quum eius & anterior & media pars valida, non destituitur ab eo, quod vires ad impellendum idoneas habeat. Quod medios inter primos & ultimos attinet, postquam decuriones sibi proximos delegerint adstites, aliis hos sequentibus, ita par creditu scilicet, quemlibet sibi fidelissimum adstitem habiturum. Ducem sane modis omnibus idoneum constitui oportet. Nam si vir ille fortis sit, sive pergendum aliquando in hostes erit, cohortatione sua robur anterioribus indet, seu recipiendi se tempus adsit, prudenter abducendo tribules haud abs re melius conservaturus videtur. Jam si decuriones numero pares fuerint, plures partes æquales efficient dividendo, quã si fuerint impares. Hic ordo mihi de caussis hisce probatur, quod ita primum omnes principi constituti loco cum imperio futuri. Iidem vero, qui cum imperio sunt; magis ad se quodam modo pertinere putant, ut egregium aliquid gerant, quam si privati sint. Deinde quum aliquid agendum est, multo efficacius est; quod per eos denuntiatur, qui cum imperio sunt, quam quod opera privatorum. *cap.* 7.

His hoc ordine collocatis, quemadmodum ab equitum magistro prædici tribunis solet, quo provehi loco quisq; debeat: sic & decurionibus denũtiatum à tribunis esse oportet, quo loco singulis pergendum. Nam hæc si prius indicata fuerint, longe meliori ordine fient omnia; quam si perinde, ac de theatro, temere fortuitoq; discedentes, mutuo sese offenderint. Etiam paratiores animis ad pugnã sunt anteriores, si ex adverso quid irruat, ubi locum hunc suum esse norunt: nec minus ultimi, si à tergo fiat in eos impetus, quum sciant esse turpe, locum in acie suum deserere. Sin ordo nullus servetur, seipsos & angustijs in itineribus, & locis difficilibus superandis perturbant: nec quisquam est; qui sponte sua se ad pugnandum cum hoste componat. Et in his quidem omnino equites universi prorsus esse debent exercitati, si modo duci operam sine recusatione navaturi sunt. At ipsi equitum magistro hæc esse curæ debent. Primum, ut pro equitatus incolumitate diis rite litet. Deinde, ut ferijs pompas spectatu dignas exhibeat. Præterea

& alia,

& alia; quæ civitati exhibenda sunt, ut quam pulcherrime pro virili exhibeat; tum in Academia, tum Lyceo, & Phalaro, & in hippodromo. quæ quidem admonitiones aliæ sunt. Quo autem modo hæc singula pulcherrime peragi possint, nunc dicam. *Cap.* 8.

Pompas & diis & spectatoribus fore gratissimas arbitror, si quotquot deorum tam fana, quam signa sunt in foro, Mercurialibus à statuis exorsi, undique in honorem deorum cum ipso foro ac fanis circumequitent. Liberalibus autem chori præterea gratificari solent tum aliis, tum duodecim diis tripudiando. Ubi jam circumvecti rursus ad signa Mercurialia pervenerint, tum deinde pulchrum mihi fore videtur, si per tribus equi celerius usq; ad Eleusinum incitetur. Nec de hastis omittam, quomodo illæ neutram in partem minime sibi mutuo illidantur. Debent enim singuli suas hastas inter aures equi tenere, siquidem & terribiles, & distinctu faciles futuræ sint; & speciem multitudinis exhibituræ. Postquam celerior istæc agitatio finem habuerit, pulchrum rursus eos mutata ratione procedere, eadem via, qua prius, ad fana pedetentim revehi: quo quidem modo fiet, ut quidquid est in equo, cui eques insidet, & diis & hominibus exhibitum sit. Nec equidem ignoro, minime ad ista facienda equites adhuc esse: sed nihilo minus hæc & egregia, & pulchra, & spectatoribus jucunda fore judico. Quin & alia quædam ab equitibus instituta certamina nova intelligo, postquam magistri equitum eis persuadere potuerunt, quæ voluissent. Quoties quidem in Lyceo ante jaculationem agitationes instituunt equites, sane pulchrum quiddam fuerit, utraq; tribus quinq; tamquam ad prælium à fronte provehi, ducente magistro equitum & tribunis ordine tali; quo spatii latitudo expleatur. Ubi vero cardinem adversi theatri superaverint, utile visum iri arbitror, si tot simul equites, quot modice satis erit, per declivia provehi posse celeriore cursu ostenderis. Neq; me fugit, libenter eos hæc exhibituros, si concitatius equos agere se posse confidant. At vero si maneant inexercitati, videndum ne hostes hæc eos aliquando facere cogant. Dictum de ordine in lustrationibus, quo pulcherrima institui equitatio possit. Si vero doctor, à valido instructus equo, in exteriore semper serie circumvehatur; ita fiet, ut semper ipse celerius equum incitet; & qui exterius cum eo sunt, concitatius itidem ferantur. Itaq; consilium semper aliquos velocius agitantes inspiciet, & viribus equi non deficient, dum vicissim quies eis concedetur. *Cap.* 9.

Quum autem in Hippodromo spectaculum edendum erit, pulchrum sane sic eos primum instrui, ut a fronte compleatur equis hippodromus; & è medio, qui erunt illic homines, exigantur. Pulchrum & hoc; si dum tribus in adversa provectione se mutuo fugiunt, & celeriter insequuntur, magistris equitum tribus quinque ducentibus; sese mutuo tribus utræque perequitent. In hoc enim spectaculo terribile quiddam est, quod adversis frontibus contra se provehantur; & plenum splendoris, quod hippodromo perequitato, rursus adversi contra se consistant. Itidem pulchrum, ad alterum tubæ signum celerius eos contra se ferri. Quum vero jam constiterint, tertia vice rursus post tubæ clangorem celerrime provehi contra se mutuo debent; & ubi perequitaverint, fine jam ludis imponendo, in phalange cuncti constituti, qui vobis mos est, ad consilium equis advehantur. Horum speciem magis existimo bellicosam, magisque novam visum iri. Minime vero dignum munere magistri equitum, ut ipse tardius tribunis invehatur; & eodem modo cum ipsis equitet. *Cap.* 10.

Quum autem in Academia, loco pavito, instituendæ erunt equitationes; hæc quæ moneam, habeo. Ne ipsi dejiciantur aliquando ex equis, resupinare se inter agitandum debent: ut equi non cadant; in reflexionibus inhibendi & retinendi sunt. In cursu recto celeriter eos agi oportet. Ita consilium & tutam & pulchram agitationem inspiciet. In itineribus vero prospicere semper debet equitum magister, ut & equorum sedilibus in dorso quiete consulat, & equites pedibus incedentes reficiat: quod equitatione mediocri, & pedestri incessu mediocri fiet. Quod si curæ tibi mediocritas erit, haud aberrabis. Nam quisq; sibi motum statuit, ne imprudentes nimio labore graventur. *Cap.* 11.

Quum iter facis, & obscurum est, an hostibus sis occursurus: pervices quiete tribus reficiendæ. Periculosum enim fuerit, tunc advenire propius hostes, ubi ex equis omnes descenderint. Quod si per angustas vias tibi transeundum sit, ita duces, ut aciem in cornu protendi jubeas: sin latas in vias incidas, rursum jubebis tribus uniuscujusq; frontem dilatari: ubi deniq; perveneritis in planiciem, tribus omnes in phalangem constituendæ. Hæc enim & exercitii causa facere bonum est, atq; etiam jucundius, sic itinera conficere; ut profectiones ordinum equestrium varietate condiatur. Quum extra vias per loca difficilia provehimini, perquam utile fuerit tam in hostili, quam pacata regione, quosdam ex adparitoribus cujusq; tribus antecedere; qui si forte in saltus invios inciderint, ad pervia transeuntes equitibus indicent, qua equi agendi sint, ne toti ordines oberrent. *Cap.* 12.

Si periculosum alicubi sit iter, prudentis erit equitum magistri curare, ut ante præmissos etiam præmissi quidam alii præcedant, qui res hostium perquirendo explorent. Etiam utile tam ad invadendum, quam ad cavendum, ut ubi difficiles sunt transitus, alteri alteros exspectent: ne postremi, dum itineris ducem insequuntur, verberibus equos concidant. Ac norunt quidem propemodum hæc omnes, sed pauci curæ laborem tolerare volunt. Oportet itē equitum magistrum adhuc tempore pacis in hoc incumbere, ut peritus sit tam hostilis, quam suorum regionis: ac si nullam earum notitiā ipse habeat, ex aliis sibi singulorum locorum maxime gnaros adjūgat. Magnum enim discrimen est inter ducem peritum viarum, & imperitum: ut etiam is, qui hostibus insidias struit locorum peritus, multum ab imperito differt. Curæ sint & exploratores ante bellum susceptum; ut haberi possint & ex civitatibus utrisq; amicis, & ex mercatoribus. Omnes enim civitates admittere semper eos, ut benevolos, solent; qui aliquid important. Utiles sunt nonnunquam & ficti transfugæ. Nec tamen sic exploratoribus fidendum, ut omittatur cautio; sed ita paratum semper esse oportet, quasi si jam nuntiatum sit, hostes adventare. Licet enim valde fideles sint exploratores, in eo tamen difficultas est, ut aliquid in tempore nuncient; quū multa in bello accidere impedimenta soleant. *Cap.* 13.

Eductiones equitatus minus hostes sentient, si potius eæ denuntientur, quam si præconiis voce, vel per edictum imperentur. Ad hoc igitur, ut eductiones denuntiando fiant, bonum erit constituere decurriones, & cum decurionibus quinionum quoq; duces: tū ut paucissimis unusquisq; denuntiet, tum etiam ut duces hi quinionū suo tempore procedentes, absq; perturbatione frontem aciei exporrigāt. Ubi præcavendum est, equidem occultas semper & speculationes & excubias laudo. Sic enim & excubiæ simul pro amicis habentur, & hostibus simul insidiæ struuntur. Minus etiam speculatores ipsi, quum nihil de eis constat, insidiis hostium expositi sunt; & hostibus hoc modo sunt formidabiliores. Nam scire, quasdam esse collocatas alicubi excubias; sed ubi sint, & quo numero, nescire: id vero fidentibus hostes animis esse prohibet, & habere suspecta cogit omnia loca. Manifestæ vero excubiæ tam periculorum, quam fiduciæ causas apertas habent. Præterea licebit occultas habenti excubias, ut cum paucis manifestis ante illos occultos excubans, hostes in insidias pertrahere conetur: nec idoneum minus venandis hostibus, etiam post occultos cum aliis manifestis nonnunquam excubare. Nam hac quoq; ratione non aliter circumveniuntur hostes, ac prius indicata. *Cap.* 14.

Prudentis etiam ducis est, in periculum ultro se non conjicere; nisi quum manifestum est, potiorem ipsius, quam hostium, conditionem futuram. At hostibus suppeditare caussam voluptatis maximæ, multo justius esse proditio sociorum, quam fortitudo, judicabitur. Prudens id quoq; facinus, illuc progredi, ubi vires hostium debiles sunt, licet intervallo magno distent. Nam minus est in vehementi labore periculi, quam si prælio cum potioribus decertandum sit. Quod si medias inter munitiones & castella tuorum penetraverint hostes, licet longe viribus superiores sint; pulchrum tamen eos hinc adgredi, quacunq; tandem à parte clam hostibus adsis; nec minus honestum, id simul ab utraq; parte fieri. Quum enim alii se recipient, adequitantes ab alterutro latere tui, tum perturbabunt hostes, tum saluti suorum consulent. *Cap.* 15.

Dictum jampridem, bonum esse, dari operam, ut res hostium per exploratores cognoscantur. Ego vero esse omnium optimum existimo, ut aliquis ipse, si de tuto quopiam loco liceat hostes alicunde contemplari; num in aliquo peccent, inspicere conetur. Ac siquidē aliquid eis furtim adimi poterit, ad hoc furtim peragendum idonei quidam mittendi: quod autem rapinæ expositum, mittendi qui rapiant. Si hostibus aliquō proficiscentibus, pars quædam copiarum hostilium debilior à tergo maneat, quam ipse sit, aut sumta fiducia palari ausit: ne hoc quidem ignorare debet, hic tamen, ut manu validiore venetur id, quod est debilius. Potest autem hæc animadvertere, qui mentem eis adhibet, quandoquidem & bestiæ, quibus intelligentia minor est quam homini, puta muli, si quid incustoditū sit, rapere norunt, & prius in tuta se recipere, quam capiantur: & lupi, quæ custodia destituuntur, venari solent, & in obscuris abdita furarantur. Idem lupus, si canis insequens superveniat, viribus inferiorem adgreditur: sin ille superior sit, jugulatis iis, quæ nanctus est, discedit. Ubi vero lupi custodiam contemnere ausi fuerint, ordinatis suis partim ad abigendos custodes, partim ad rapiendum, ita necessaria sibi adquirunt. Quum igitur bestiæ prudenter in agendis hisce prædis se gerant, quomodo non par fuerit eum, qui homo sit, sapientiorem se declarare bestiis, quæ ipsa capi arte ab homine solent? *Cap.* 16.

Hoc quoq; scire vir equestris debet, quonam ex intervallo peditem ceperit eques, & quantum ad intervallum equi tardi celeres effugerint. Itidem ad equitum magistri munus pertinet scire loca, quibus in locis pedites equitibus superiores sint, ac vicissim peditibus equites. Etiam sollerti artificio moliri debet, ut pauci equites, multi esse videantur; & multi vicissim, paucorum speciem habeant: itemq; si præsens sit, ut abesse videatur; si absit, adesse: neq; tantum ut norit hostibus sua furtim præripere, verum equites etiam suos furtim circumveniendo, adoriri hostes de improviso. Egregium & hoc artificium, si possit, quum ipse viribus inferior est, metum hostibus incutere, ne se adoriantur: quum potior ipse viribus, eorundē animis indere fiduciam, ut adgrediantur. Sic enim & ipse minimum detrimenti acceperis, & inprimis hostes in errore deprehendere possis. *Cap.* 17.

Ne vero, quæ fieri nequeant, præcipere videar: prodam sane literis, quomodo & illa fiant, quæ in his difficillima videntur. Itaq; ne quis in conatu vel insequendi, vel abscedendi, offendat: ex eo consequetur, si vires equorum perspectas habeat. Quonam vero modo perspectas habere possit? si animum adtendat in adversis provectionibus, quæ cum benevolentia fiunt, quales & è persequendo, & fugiendo discedant. Quum vero volueris equites multorum habere

speciem, unum hoc primum esto, si liceat, ne prope hostes fraudem aliquam moliaris. Tutius enim, quod è longinquo fit, & ad fraudem aptius. Deinde sciendum, equos catervatim incedentes speciē multorum habere, propter ipsius animalis magnitudinem: quum dispersi, facile numerari possint. Præterea tibi copiosior equitatus adesse videbitur, quàm sit reabse, si curatores equorum inter equites constituas, præsertim hastas, aut hastis aliquid simile tenentes, sive consistentem alicubi equitatum exhibeas, seu traducas. Nam hoc modo necesse est acici molem & majorem, & spissiorem videri. Sin multos velis haberi pro paucis, siquidem ejusmodi loca tibi sint ad manum, in quibus occultare liceat; nimirum in aperto quosdā exhibens, in obscuro quosdam abdens, hac subtractione numerum equitum deminues: si vero locus ipse totus oculis expositus sit, ordinatas in unam seriem decurias ex intervallo traduces; & equites quidem cujusq; decuriæ, qui hostibus ante oculos sunt, hastas tenere rectas debent; ceteri depressas, & minime supereminentes. Licet etiam terrorem hostibus incutere, tum fictas insidias, tum auxilia ficta, fictosq; rumores excogitando. Tum vero confidentissimi sunt hostes, quum adversariis multa negotia, multas occupationes exhiberi audiunt. *Cap. 18.*

His ita descriptis, ipsius jam ducis fuerit id moliri, ut pro re præsenti semper aliquam fallaciam struat. Nam revera nihil adeo fructuosum in bello, atq; fallacia. Quum vero etiam pueri quoties ludunt, prætextu fallendi faciant, quæcumq; possunt, ut paucos habetes, multos habere videantur, & multos habere se præferentes, speciem paucorum exhibeant: quid vetet, quo minus etiam viri, si fraudibus animum adiiciant, hujusmodi artificiis uti possint? Nam si cū animo suo meliores in bello conditiones aliquis expendat, is majorem earum partem, & quidem insigniores fraude captatas, & partas inveniet. Quapropter vel non capessendum imperium, vel ut hoc quoque præstare possit diuinitus præter alia petendum, & ipsimet in hoc adnitendum. Qui mare vicinum habent, iis ad fraudem hoc quoq; commodum, ut dum naves instruunt, aliquid terra gerant: ac vicissim, dum terra insidias se moliri simulant, mari rem adgrediantur. Etiam hoc equitum magistri est, docere civitatem, quā debile quiddam sit equitatus à peditatu destitutus; ut una cū equis, & pedites habeat. Nec minus ad officium magistri equitum pertinet, ut pe litibus acceptis uti possit. Ac licet pedites non tantū certis locis, sed etiam post equos occultare. Nam longe grandior est eques homine pedestri. *Cap. 19.*

Hæc vero equidem universa, & si qua moliri aliquis præterea voleт in conatu hostis aut vi, aut arte superandi, divina cum ope suscipienda consulo: ut numine sibi placato ac propitio, fortunam quoq; prosperam prædicare possit. Nonnunquam & illud aptissimum ad fraudem, si nimis se cautum quispiam simulet, aleæq; belli tentandæ nequaquam cupidum. Hoc enim hostes eo sæpius adigit, ut omisso cavendi & excubandi studio, magis delinquant. Si quis semel visus fuerit adeundi periculi cupidus esse, potest hostibus etiam quiescendo, dū aliquid se facturum simulat, negotia facessere. Sed enim ex animi sui arbitrio nihil formare quispiam possit, si non ea, de quibus aliquid fingendum, ita comparata sint, ut artificis voluntati cedant: nec item ex hominibus absq; numinis ope sic aliqui unquam instructi erunt, ut amore prosequātur illum, qui eis cum imperio præest; nisi eum se prudentiorem judicaverint in iis, quæ ad certamina cum hostibus ineunda pertinent. Hinc quoq; conciliari benevolentiam illorum, qui reguntur, consentaneum est; si comiter aliquis eos complectatur, ac prospicere se declaret, ut & victum habeant, & tuto se recipiant, & idonea muniti custodia quiescant. In præsidiis manifesta debet ejus esse cura de pabulo, & tentoriis, & aquis, & excubiis, & aliis rebus necessariis; itemq; providentia ipsius, & vigilantia pro iis, quos regit. Ubi copia quadam rei alicujus abundat is, qui aliis præest; lucrosum erit, id suis impertiri. Minime vero contemnent eum, qui cum imperio est; si quæcumque, ut paucis rem complectar, suos facere jusserit, ea rectius ipsis facere visus fuerit. *Cap. 20.*

Quapropter exordiens ab inscendendis equis exercere omnia debet ad rem equestrem pertinentia: quo præfectum suum posse videant in equo & fossas tuto trajicere, & muros superare, & de tumulis se demittere, & idoneè jaculari. Nam hæc omnia nonnihil ad hoc conferunt adjumenti, ne contemtui sit. Jam si rerum gerendarum peritum esse norint, & idoneum ad efficiendum, ut hostibus ipsi potiore loco sint, & animis præterea impresserint, eum nec temere, nec absq; numinis ope, nec extis adversantibus in hostes ducturum: hęc scilicet ejusmodi sunt omnia magis ut morigeros præfecto reddant illos qui ejus imperio continentur. Ac prudentem sane quemvis esse convenit, qui cum imperio sit: at populi Athenienſis equitum magistrum longe aliis præstare tum cultu deorum immortalium, tum usu rei militaris oportet; quum ei finitimi sint adversarii, tam equites numero pares, quam pedites sane multi. Si agrum hostilem sine reliquæ civitatis auxiliis invadere conetur, adversus illos ambos ei solo cum equitatu periclitandum erit. Sin hostes in Atheniensium regionem irrumpant, primum aliter non venient, quam aliis ad suos equitibus adjunctis, & cum illis præterea peditum copiis; quibus Athenienses universos impares ad pugnam futuros existiment. Itaque si contra tantam hostium multitudinem civitas tota prodire velit, ut opem regioni ferat spem bonam concipere licebit. Nam & equites Deo juvante meliores, si quis eorum curam convenientem gerat, & pedites numero non inferiores erunt: quorum quidem nec corpora deteriora sunt, & animi longe laudis avidiores, si Deo propitio recte fuerint exerciti. Majores sanè quod adtinet, non minus Athenienses eorum nomine, quam Bœoti, semet efferunt. *Cap. 21.*

Si vero civitas ad rem navalem se converterit, & mœnia tueri satis sibi duxerit, uti tum quoq; factum, quum Lacedæmonij Græciæ universis sibi adjunctis Atticam invaserunt; equitesq; sitis extra muros esse subsidio voluerit, ac solos contrà copias adversariorum omnes periclitari: tum vero primum, mea sane sententia, divino eris opus auxilio firmo, atq; ipsum deinde magistrum equitum esse virum prorsus absolutum conveniet. Nam & prudentia magna contra longe plures, & audacia requiritur, quum occasionis se opportunitas obtulerit. Itidem arbitror eum laboribus perferendis idoneum esse debere. Si enim exercitu tali præsente, cui ne tota quidem civitas se putet objiciendam, periclitari velit: nimirum feret, quidquid illi viribus superiores faciundum statuerint, nullam ad rem peragēdam satis ipse idoneus. At vero si extra muros sita tot equitibus custodiat, quot hostium rebus speculandis sufficient, & iis majori ex parte in tutum subducendis, quibus hoc opus est; sique non minus idonei sunt ad prospiciendum pauci, quam plures: sane tum ad custodiendum, tum ad subducendum in loca pacata non minus erunt opportuni, qui nec seipsis, nec equis tuis satis fidunt. Nam metus in custodiendo socius acer esse videtur. Itaq; rectum consilium capiet, qui de his custodes ac præsidiarios efficiet. Eos vero, qui constituta jam custodia superfuerint, si quis ut exercitum habere se duxerit, sane perexiguus hic ei videbitur. Nam in universum erit inferior ad pugnæ periculum aperto marte subeundum. Sin eis ut prædonibus utatur, satis superque magnas ad hoc institutum copias habebit, uti quidem adparet. Debet autem, meo judicio, paratos semper habere suos, & occultando suas actiones & consilia, num in aliqua re delinquat hostilis exercitus, observare. *Cap. 22.*

Solent vero plerumque milites, quanto plures sunt, tanto magis peccare ac labi. Nam vel ob curam parandi res necessarias, hinc inde disperguntur; vel iter absq; ordine facientes, alii præcedunt, alii longius, quàm par & opportunum sit, à tergo manent. Hujusmodi errores & peccata minime relinquenda sunt impunita, nisi quis regionem totam castra dispersi militis esse velit: & hoc recte providendum, ut debere se sciat, facinore quodam edito, prius abscedere, quā majores hostium copiæ ferendi auxilii causa superveniant. Sæpius etiam, dum iter facit exercitus, ad eas vias pervenit, in quibus multi plus efficere, quam pauci, minime possint. Itidem ad loca transitu difficilia licebit animum adtendenti, ac tuto subsequenti, sic arbitratu suo rem gerere; ut quam multos ex hostibus velit, invadat. Nonnunquam commodum & castra metantes, & prandentes, & cœnantes, & è cubili surgentes adgredi. Sunt enim milites in his omnibus inermes, ac breviori quidem tempore pedites, equites diutius. Speculatoribus & excubiis nunquam insidiari desinet. Nam pauci semper ad hoc constituūtur, & interdum ab exercitus robore procul absunt. Ubi vero satis hostes in his sibi cavent, recte faciet, si ope divina fretus in hosticum occulte cōtendet; ubi prius ei curæ fuerit, quotnam singulis in locis, & qua parte regionis excubias agant. Quippe nulla tam pulchra præda est, ut captarum excubiarum. Et decipi facile possunt excubitores. Nam quidquid exiguo numero viderint, persequuntur: idq; sibi mandatum existimant. In receptu considerandum, ne fiat in eam partem, qua suis opem laturi hostes occurrant. *Cap. 23.*

Qui vero facultatem habituri sint adficiendi detrimento copias longe se potiores absq; discrimine suo, eos haud dubie necesse est adeo præstare ceteris; ut ipsi quidem in equestris rei bellicis operib. exerciti athletæ, hostes vero rudes esse videantur. Potest autē hoc primum ita fieri, si ad prædam exituri, sic equitationi laborando adsueverint, ut tolerare labores militares queant. Qui enim ad hæc & equi & equites studiose non adsuenunt, haud dubie non aliter ac fœminæ contra viros in certamen descendent. Edocti vero & adsuefacti transilire fossas, superare muros, in tumulos saltu evadere, de locis sublimibus tuto descendere, adversus aeclivia celeriter agere; hi scilicet inexercitatis ad ista tantum præstiterint, quantum pedestribus alites: ac rursus illi, quorum pedes laboribus obduruere, tantum iis, qui vias asperas non triuere, quantum sani claudis: gnari deniq; locorum in procursionibus, & receptibus, tantum ignaris præstiterint, quantum videntes cæcis. Hoc quoq; sciendum, equos recte comparatos, non eos esse, qui adeo saginati sint, ut in laboribus sufficere tursted qui sint ad equitationis laborem idonei. Et quia frænis ac ephippiis uti licet, ubi loris concinnata sunt & resectas nunquam his carere magister equitum debet. Nam exiguo sumtu destitutos ab his utiles reddiderit. Si quis autem existimet, multis se negotiis oneratum iri, si res equestris ei sic exercenda sit: is cum animo suo cogitet illos, qui ad ludos gymnicos exercentur, multo plus laboris ac molestiæ sustinere, quam eos, qui rem equestrem studio maximo tractant. Etenim exercitia pleraq; gymnica cum studore suscipiuntur, quum major equestris rei pars cum voluptate conjuncta sit. Quippe quod optare quispiam fortasse possit, ut aliis instar volet: ei nihil in rebus humanis equitatione similius est. Quinetiam in bello victoriam adipisci, multo gloriosius est, quam in fuga. Nam ad ipsam quoq; civitatem ejus gloriæ pars aliqua manat. Ac plerumq; dii per victoriam, felicesq; successus in bello, coronare civitates solent. Itaq; scire equidem nequeo, quænam aliæ res potius exerceri, quam bellicæ, debeant. *Cap. 24.*

Hoc quoque cogitandum, prædones maritimos propterea, quod ad labores adsuefacti sint, victum ab iis sibi parare posse, qui viribus

longe

longe sunt ipsis potiores. Convenit & terra prædas agere, non eos, qui fructus è rebus suis percipiunt: sed qui victu carent. Nam aut opus faciundum, aut victitandum ex iis, quæ labor alienus excoluit. Aliter nec vivere, nec pace potiri, facile. Revocandum & hoc in memoriã, ne quis in superiores se viribus sic invehatur; ut à tergo receptum equis difficilem ob locorum asperitatem habeat. Quippe non par in fuga, & in persequendo impingenti, periculum propositum est. Monere libet, in eo quoque cautionem adhibendam. Etenim quidam in eos pergentes, quibus se superiores esse putant, tã infirmas omnino copias secum sumunt, ut sæpenumero patiantur ea, quæ aliis se illaturos existimabãt: at illos invadentes, quibus se certo sciunt inferiores esse, vires omnes, quas habent, adducunt. Ego vero his adsero contraria plane faciunda, ut quum in opinione ac spe victorię copias aliquis educit, exercitui suo non parcat, quantuscumq; is fuerit. Nunquam enim magnæ victoriæ quemquam pœnituit. Quum autem se multo superiores adgreditur, ac futurũ prospicit, ut tametsi pro viribus omnia gesserit, fugere tamen cogatur: tum longe satius esse ajo, paucos potius, quam multos adduci; sed omnino selectos equos, & viros præstantissimos. Tales enim & efficere aliquid, & tutius se recipere poterunt. Ac si contra se potiores adductis suis omnibus, recipere se velit: necesse est tardissimis equis utentes capi, alios ob rei equestris imperitiam labi, alios ob locorũ difficultates intercipi. Non enim facile est, ad magnum aliquod spatium talem invenire locum, qualem aliquis optet. Quinetiam fiet, ut ob equorum multitudinem in seipsos corruant, & mutuo se non parum impedientes, damnis adficiant. E diverso & equi, & equites boni, è manibus hostium diffugere possunt; præsertim si quis arte quadam per equites, quos superstites habet, formidinem persequẽtibus incutiat. Sunt autem ad hoc utiles insidiæ fictæ. Nec minus hoc quoque commodum, invenire viam aliquam, unde se nostri tuto conspiciendos hostibus exhibentes, impetum persequentium reprimant. Manifestum & illud, multo citius paucos pluribus superiores evadere tum laborando, tum accelerando, quam multos paucis. Neque tamen hoc equidem dico, posse aliquos propterea quod pauci sint, & laboribus magis sufficere, & celeritate vincere: sed esse facilius invenire paucos, quam multos, qui & curam equis debitam adhibeant, & ipsi rem equestrem prudenter exerceant. *Cap.* 25.

Quod si aliquando usuveniat, ut certamen adversus equites pares ineundum sit: mea sane sententia non male quis egerit, si cohortes ex una tribu duas fecerit, quarum uni tribunus ipse præsit, alteram ducat aliquis hominum opinione præstantissimus. Hic vero tribuni cohortem aliquantum à tergo sequatur, atque ubi jam propius ad ventum fuerit, re suis denuntiata, in adversarios cursu prætervehatur. Sic enim futurum opinor, ut majori hostibus terrori sint, & pugna superari difficilius possint. Sin utrique pedites habeant, etiam hi post equites occultari, subitoque prodeuntes, & hostem comminus invadentes, majus mihi momentum ad victoriam adlaturi videntur. Nam inopinata pleraque, si bona sint, majorem hominibus lætitiam adferre video: si dira, plus terroris incutere. Licet hoc inprimis inde cognoscere, si quis secum expendat, quantopere terreantur ii, qui delabuntur in insidias, tametsi numero longe plures sint; & quum hostes hostibus adversi consident, quam ingens primis diebus apud utroq; metus sit. Sed enim hæc ordinari, absq; magna difficultate, possunt: at eos invenire, qui & prudenter, & fideliter, & alacriter, & animose proruant in hostes, id jam boni est equitum magistri. Nam & dicendi facultate præditum hunc esse oportet, & ea faciendi, de quibus illi quos imperio suo continet, tum bonũ esse cognoscant & parere huic, & ducentem sequi, & comminus hostes invadere: tum etiam cupidi sint laudis & celebrationis, ac in sententia constanter perseverare possint. *Cap* 26.

Jam si ali quando vel aciebus ex adverso instructis, vel locis amborum copiis interjectis; faciundæ sint equitibus conversiones, & insequutiones, & receptus: solent quidem ut plurimum in his utriq; lentius post cõversiones provehi, mediumq; spatium celerrimo cum impetu cõficere. Si quis autem his ita prius ostensis, deinde facta conversione celeriter insequatur, & celeriter se recipiat: plurimũ sane dannni hostibus hoc modo inferre poterit, & inprimis securitati suæ proculdubio consulet; dum celeriter insequetur, robori suorum vicimus; & vicissim celeriter ab hostium robore se recipiet. Si quis vero de cohortibus singulis occulte vel quatuor, vel quinque præstantissimos equos, & viros, relinquere posset longe hi potiori essent cõditione ad irruendum in hostes se convertentes. Hæc ut vicibus non multis legisse sufficit, ita quod plerumque se offert, exsequendum; & ejus habita ratione, quod adest, quidquid expedit elaborandum. Omnia vero, quæ fieri oporteat, non magis prodi literis possunt; quã omnia futura sciri. Hoc autẽ inter omnes has admonitiones & præcepta mihi quidem optimum esse videtur, ut quid aliquis bonum esse cognoverit, id uti fiat, diligenter enitatur. Nam quæ recte intelliguntur, ea neq; in agricultura, neq; naviculatoria, neq; imperandi munere fructum aliquem pariunt; nisi quis studium adhibeat, ut perficiantur. *Cap.* 27.

Ego vero futurum adfirmo, ut diis bene juvantibus hoc modo totus equitatus ad mille compleatur longe citius, & minore cum civium molestia; quam si ducentos equites externos stipendio conducerent. Videntur tamen & hi mihi, siquidem accesserint, tum dicto magis audientem equitatem effecturi, tũ virtutis in certamine mutuo laudiš & honoris avidiorem. Nec me latet, equitatum apud Lacedæmonios in existimatione tunc esse cepisse, quum equites suis externos adjunxissent. Itidem ubiq; probari video, & in aliis civitatibus equites externos. Nam usus atq; necessitas ad alacritatem non parum confert. Ad equorum vero pretia pecuniam habituros arbitror & ab iis, qui vehementer ab equitando abhorrent, quandoquidem illi pecuniam pendere malũt, ad quos munus equestris rei pertinet, ut equitare non cogantur; & consimiliter à locupletibus, sed robore corporum destitutis; nec minus à pupillis, mea quidem opinione, quibus opima domi res familiaris est. Advenarum etiam plerosq; si referantur inter equites, liberaliter se gesturos arbitror. Nam in aliis quoq; muneribus honestis, ad quorum societatem à civibus admittuntur, ambitiose nonnullos imperata facere velle video. Peditatus item adjunctus equitatui plurimum mihi videtur effecturus, si talibus è viris institutus fuerit, qui hostibus maxime sint contrarii. Poterunt autem hæc omnia fieri, si divinum suffragium accesserit. *Cap.* 28.

Quod si miratur aliquis, in hoc scripto toties à me repeti, suscipiẽdas cum ope numinis actiones omnes: is minus se miraturum norit, si pericula sæpius adeat, secumque cogitet, adversarios in bello sibi mutuo insidiari, sed raro nosse, quomodo res illorum comparatæ sint, quibus insidiæ struuntur. In his igitur ne quidem inveniri potest, quem in consilium adhibeat aliquis, extra deos. Hi vero norunt omnia, futuraque denuntiant, cui volunt, in extis, auguriis, ominibus, visis somniorum. Et consentaneum sane vero est potius hos agendorum auctores illis esse velle, qui non solum eos, ubi res ita postulat, de agendis consulunt: verum etiam rebus adhuc secundis, pro virili deos colunt. *Cap.* 29.

Erroris.

§ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Hæc mihi ipsi consului. Bis enim ad eundem lapidem impingere, dementibus solum tribuit paræmia. *Epist.* 15 *fine.*

Chrysostomus: Errore nihil est imbecillius, & suis capitur pennis: neq; externa pugna opus est, sed à seipso conngitur. *Homilia* 38. *ad Corinth.* 1.

D. Chrysostomus: Infinitus sit error ejus qui tranquillam fidamque stationem littoris egressus, per devia cœperit vagari. 2. *ad Timot. Homil.* 5.

D. Io. Chrysostomus: Quamvis omni ex parte videatur error invalescere ad tempus, ad finem tamen usq; non permanet. hujusmodi quippe sunt, quæ per naturam bona non sunt, sed bona esse videntur: ad tempus florent, sed cito deprehenduntur. 2. *ad Timoth, Homilia* 8.

§ LATINORUM.

S. Salvianus: Incidere in falsæ opinionis errorem priusquam vera cognoscas, imperiti animi est & simplicis: perseverare vero in eo postquam agnoveris, contumaciæ. *Fine epistola* 7.

Io. Sariberiensis: In multis labi, humana infirmitas est; sicut in nullo aliter sentire quam se res habeat, angelica, vel divina perfectio. *Lib* 2. *c.* 12. *Policratici.*

So. Sariberiensis: Qui errat in minimis, paullatim ad majora prolabitur. *Lib.* 2. *c.* 27. *Policratici.*

§ ORATORVM GRÆCORVM.

Lucianus: Difficile est, homo cum sis fortunæ alicujus offensionem evitare: longe vero difficilius inopinati, di inoque impulsu commissi erroris defensionem invenire. Quod utrumq; mihi nunc accidit. *Prolapsu inter salutandum.*

§ ORATORVM ROMANORVM.

Quintilianus Senior: Est ut sibi aliquis unum casum remittat, & semel lapsus errore se humanæ necessitatis excuset: hic vero qui cõmisit iterum idem quo exilium meruit; nihil verecundiæ suæ adjecit, nihil pudori. *Declamat.* 248 *m.*

Idem: Cur bis damnatum adulterii ignominiosum esse voluerũt? Ut opinor, quoniam una damnatio habebat aliam & suam pœnã. geminatio criminis afferebat ignominiam, neq; immerito. Semel enim errare sanè tolerabile sit: in eadem vero incidere, & ne declamatione quidem compesci, ultra omnia videbatur. *Declamatione* 210. *a. m.*

Plinius Iunior; Erroribus tuorum, etsi non fuerit qui deprecetur, placabilem te præstes. *epistola* 24 *fine. lib.* 9.

§ EMBLEMATIS.

Catsius Emblemate Sacro XLIX.

Fronti nulla fides.

Pyramis excelso dum vertice sidera pulsat,
Spectanti saxo versicolore placet:
Quam procul attonito dum conspicit ore viator,
Exteriora videns, interiora probat.
Ut tamen accessit, quaritque ubi nocte quiescat,
Nil prater cineres hoc habitare videt.
Ah quoties homines extrinseca fallit imago
Dignus erat regno, rex nisi Galba foret.

MONO-

¶ Monosticha Trochaica.

Ambulans in circuitu, proficiscitur: non proficit.
Error alter & ferendus, non ferendus tertius.
Defensare errorem pro consilio, non viri probi est.
Difficile est omnes labi atque errare in multitudine.
Errori haud patrocinatur multitudo errantium.
Error in culpa est, voluntas quam vitio absit crimine.
Est necesse eos errare summa quæ assequi volunt.
Ipsemet se figit error, & telo quidem suo
Ius facit, communis error, vique cuncta fert sua.
Magnus haud est qui ex errore pendet multitudinis.
Minimè est magnus qui ex errore pendet multitudinis.
Neminis patrocinatur multitudo errantium.
Nemo tantum errat sibi, auctor est ut errent ceteri
Nemo uni sibi errat; errat quisque proximo & suo.
Non modo errat plebs, quoq; errant inclyti natalibus
Non videntur consentire quos error suus rapit.
Nullius ferendus error, minime regis omnium.
Nunquam stabili tramite curret, medium iter qui defugit.
Optima est natura quæ errat rebus in paucissimis.
Plus inhærent spinis ipsi quam rosæ præponere.
Quærit diverticula asellus lapsus est cum jam in via.
Quantis referta, heu, vita nostra erroribus!
Qui ignoranter peccat, errore emendatur agnito.
Qui semel bisque errat, insons esse quit, non tertio.
Qui semel recto deerrant præcipiti usque eunt via.
Turpe unum ad scopulum, & telum unum, iterumque iterumque offendere.
Veritas gestæ rei haud fit pejor abs erroribus.
Vnico haud exorbitare proprie convenit Deo
Vt loco se movit error, non potest sisti; ruit.
Vt semel se movit error præceps, currit via.

¶ Jambica.

Ad saxum impingere bis idem dementium est.
Aliquando erratu utilitas sua adsita est.
Circa priores, vel erratur tutius.
Communis error pro tyranno jam imperat.
Despere labi errare oportet quemlibet.
Errata aliorum sapiens ducit pro suis.
Errat excusate quisquis errat publica via.
Erroris ecqua mater est? insciti.
Erroris est unius sat. haud duplices.
Est attributus unicuique error suus.
Fullonem ubi ferire vis, faber cadit.
Honestus error est qui habet magnos duces.
Humanitatis caussa, des lapsis manum.
Immixtus error rebus est hominum omnibus.
In proprio facto error haud præsumitur.
Labi solet quoque omnium justissimus.
Magè fovet errorem solitudo quam fugat.
Nemo sibi errat uni, verùm & proximo.
Noli ire te quocumque duxerint pedes.
Populus erroris est magister maximus.
Quandoque pastor pro lupo canem ferit.
Quis nomen unquam sceleris, errori addidit?
Recti tenet locum error, factus publicus.
Sæpe error ingens sceleris obtinuit locum.
Tandem ipsus error interit telis suis.
Vexant columbas, corvis veniam dant mali.

Eruditionis.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad senectutem viaticum optimum eruditio est.
Copijs opulentijsque potior eruditio est
Disciplinas liberales qua tyrannis sufferat?
Eruditio, possessio omnium pulcherrima est.
Et feris ipsis habent honores eruditionibus.
Et lenamentum doloris unicum Eruditio.
Melior est rudis modestus, quam eruditus improbus.
Ni juvet ingenium, cupidini impar eruditio est.
Nulla anima medicina præstans æquè atque eruditio.
Plura dat regi eruditus, ipse ab ullo quam auferat.
Præstat eruditione excellere quàm potentia.
Principium eruditionis animadversio insciti æst.
Promovet quæ perficitque virtutem eruditio.
Regibus plus eruditus præstat omnis quàm accipit.
Eruditione sera turpior imperitia est.

¶ Jambica.

Ira eruditas mentes præterlabitur.
Morum magistra habenda est eruditio.
Non erudit natos pater quam quos amat.
Noverca eruditionis negligentia est.
Opes eruditionis sunt viaticum.
Quod corpori panis, menti eruditio est.
Studij soror germana est eruditio.
Virtutis alma mater eruditio est.
Virtutis est fons omnis eruditio.

Evangelii.

¶ Sententiae Patrvm Graecorvm.

D. *Greg. Nyssenus*: Aiunt medici lumbricos, & quædam ejusmodi alia animalia, ex malis humoribus intus viva gigni in viscribus, quorum vita est morbus corpori. quod si illa interfecta sint per aliquam medicamenti potionem, rursus ægrotus restituitur pristinæ sanitati. Hæc quæ corpori accidunt, conveniunt & animæ morbis. Quando ira intus fervet, aut per injuriæ acceptæ recordationem enervat animi robur & rationem, aut invidiæ bestiã, aut si quod aliud ejusmodi malum, mala vivendi ratio procreaverit, qui senserit quod intus bestiam alit, ejus anima, opportunè utetur medicamento quod animi vitia interimit. hoc autem est doctrina Evangelii, ut illis enecatis ei qui hoc fecerit adsit sanitas. *Hom. 6. in Ecclesiasten.*

D. Chrysostomus: Evangelii prædicatio communis omnibus proposita est, quæ quidem nec dignitatis differentiam, nec generis excellentiam, nec aliud quicquam id genus novit. sola enim fide opus est, non syllogismis. quapropter admiratione digna esse inprimis debet, non solum quod & utilis, & salutaris, sed quod & facilis, & proclivis, & omnibus susceptu facilis. id quod Dei maximè providentiam arguit sua omnibus communia proponentis. Quod enim in Sole ac Luna, in terra, ac mari, cæterisq; Deus fecit, non divitibus quidem ac sapientibus plus partiens, majoremque copiam faciens, sed æqualem omnibus usumfructum proponens: id & in ipsa, quam dico, evangelii prædicatione fecit. idque tanto etiam magis, quanto ea rebus illis magis est necessaria. *Homilia 2. ad Romanos.*

D. Chrysostomus. Sive quis salutem consequatur, inquit, sive pereat: Evangelio semper virtus sua constat. Et quemadmodum Sol, licet infirmis oculis tenebras offundat; lumen tamen est, etiamsi obscuritatem afferens ac mel, etiamsi ægrotis amarum sit, suapte tamè natura dulce est: eodem quoq; modo Evangelium suavi odore præditum est; etiamsi nonnulli pereant, infidelitate laborantes. Neq; enim illud exitii causa est, sed eorum perversitas. Quin hinc quoque vel maximè ipsius suavitas perspicitur, quod qui improbi ac corrupti sunt pereant. Ac proinde non modo per bonorum salutem, sed etiam per improborum interitum ipsius virtus declaratur. Nam & Sol, quia perquàm clarus est, ea re potissimum infirmorum oculos perstringit. Ac Salvator in multorum ruinam & resurrectionem est: & tamen Salvator manet, quamlibet innumeri cadant. Atq; ipsius præsentia graviores iis, qui à suscipienda fide abhorruerunt, cruciatus accersit: non tamen propterea salutaris esse desinit. *Homilia 5. ad Corinthios 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Exoriente luce, matutina lux abscedit. Claro solo oriente siderum chorus obscuratur. Cum purus ac liquidus dies illuxit, auroræ umbræ finem accipiunt. Cum Evangelii sapientia effulsit, legis puerilis institutio munus suum exercere desiit. Sic nempe vocis usum amittit Zacharias, posteaquam novæ atque admirandæ salutationis lætum nuncium audivit. *Lib. 1. Epist. 257.*

S. Isidorus Pelusiota: Dic ad eum qui tecum altercatus est, atque Ethnicorum dogmata profitetur, contenditq; Evangelium novam quandam, atq; à veteri consuetudine dissidentem vitæ rationem induxisse: vir sapientissime, illud ignorare videris, improbam consuetudinem novitate sola comprimi atq; extingui solere. Qua de causa Evangelii quoq; Dominus huc venit, ac cœleste vitæ genus invexit. Et quidem si ut in pristino statu permaneremus, admoneret, nihil novi moliri necesse fuisset. Sin autem idcirco venit, ut ea, quæ minus rectè constituta erant, reprehenderet, novis rebus profecto erat opus, ut improbitas quæ invaluerat, frãgeretur. Neq; enim fieri poterat, ut eadem turpitudine vires obtinente correctio fieret: verum ei necesse erat, qui vitia emovere, ac de medio tollere cupiebat, ea quæ nondum legibus sancita erant, eorum loco, quæ in detrimentum ac perniciẽ invaluerant, constituere. Quapropter illud potius in cõtrarium admirationẽ haud immerito movere debuisset, si cũ ad res mutandas huc venisset, nihil novi legibus suis sanxisset. Oportet enim & legislatorem, & monitorem, eã quæ in rem futura sint, proloqui, nihil omnino curantem, an sententiis novitatis aliquid insit. Quemadmodum enim eum, qui minimè conducibilia suadet, odisse ac detestari par est, etiamsi consuetudinis vestigiis hærere videatur: sic eũ qui cum optimis atq; utilissimis cõsiliis accedit, laudibus ac plausu prosequi convenit, etiamsi alioqui extra ea, quæ moribus recepta sunt, aliquid consulat. Quocirca si quid quod reprehensionem mereatur, Christi oraculis adjunctum esse perspicis, id ostende: & tibi victoriam concedam. Sin autem cum hoc dicere nequeas, morem atque consuetudinem, tanquam firmum quoddam præsidium, retines, apparet te per speciosum consuetudinis prætextum id quod utile est repudiare. Neque enim grave ac sceleratum est aliquid innovare, cum utilitas novitati adjuncta est. Non enim noxia & utilia temporis diuturnitate perpenduntur: verum id explorandum est, an in antiquioribus rebus vitium inveniatur: an contra in recentioribus virtus reperiatur. Tu porro hac ratione videris

exsti-

existimare, huic, qui à juvenili ætate semper in lustris, & prostibulis sese volutavit, sermonem de pudicitia minimè inferendum esse: nec sicario, de mansuetudine ac morum lenitate. Nam si quisque illorum consuetudinem honestati anteponat, sexcentis malis seipsum involvet, atque transfiget. *Lib. 2. epist. 46.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam quid sibi illud velit, Magnificant Phylacteria, ut tibi exponam, per literas à me petiisti, illud scito, quòd perexigui quidam libelli erant, Legem cõtinentes: quos quidem Judæorum magistri gestabant, quemadmodum etiam nunc fœminæ parva Evangelia. Quandoquidem enim Legislator, ut eos in opus injiceret, atq; oblivionem ab eis amoliretur, illud lege lata promulgarat, Appendes justificationes meas in manu tua: ipsi autem operis quidem nullam curam gerebant, at circa libellorum lora plurimum studii adhibebant, idcirco reprehensi sunt. *Lib. 2. Epist. 150.*

S. Isidorus Pelusiota: Ardens ille verbi amator, Paulus, inquam, Apostolus, non modo adversus seipsum, aliosq; Apostolos sententiam fert, si quid novarum rerum in Evangelica prædicatione comminisci audeant, sed etiam adversus Angelos, nec Angelos simpliciter, sed etiam de cœlo. Non quòd iis, qui hoc facinus perpetrare nec unquam ausi sunt, nec audebunt, contumeliam facere in animũ induceret: verum ut pestiferis dæmonibus fidei viam præcluderet, ne quando arrepta occasione, ut Angeli, prædicationem everterent. Quid enim, inquit, etiam si nos, aut Angelus de cœlo evangelizaverit vobis aliquid præter quam quod accepistis, anathema sit. Nam alioqui Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, ut is etiam, qui ad Cornelium missus fuerat, magistrum indicarit, non autem sibiipsi docendi munus permiserit. *Lib. 3. Epist. 165.*

S. Isidorus Pelusiota: Legales & Propheticæ doctrinæ præparatoriæ sunt ad novam & Evangelicam philosophiam. Ille enim manu, hæc vero animo leges sancit. Et illæ quidem actionem, ista autem cogitationem dirigit & gubernat. Illæ namque grammatistæ seu literatori; hæc vero supremo perfectissimoque philosopho convenit. *Lib 4. epist. 34.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Quando primus homo ab ipsa, ut quis dixerit, linea (stadii atq; curriculi sibi à Deo præscripti) divino mandato neglecto, fraudem (Diaboli) planè ipsum perdere satagentis ei antetulit, tunc & corpus ejus non solum morti, sed & variis perpessionibus subjectum esse cœpit. Multa enim mala atque incommoda, quibus seipso deterior factus est, inde pullularunt, & gravis atq; ad regendum difficilis equus ille evasit. Quoniam igitur & in omnes mortales in gloria atq; infelix ista, omniq; jactura gravior hæreditas transmissa, & abominandum illud patrimonium socordia voluntatis humanæ etiam adauctum est: idcirco Christus in terras veniens corpus nobis levius (atq; ad virtutis actiones expeditius) reddidit per baptismum, ala Spiritus illud excitans atq; erigens. Quæ etiam causa est, cur nobis majora priscis & certamina & præmia sint proposita. Non solùm enim à cæde puros nos esse vult, verum etiam ab ira: neq; solum ab adulterio & scortatione; verùm etiam à libidinoso & incontinente conspectu: neq; solum à perjurio, verum etiam a jurejurando liberos: & juxtà cum amicis inimicos quoque jubet diligere. Sed & in aliis omnibus prolixiora ampliora q; fecit stadia: Et non obedientibus ignem inextinguibilem cõminatus est, ostendens eo ipso, non esse hæc in voluntate & arbitrio posita eorum qui certant, ut est paupertas spontanea nullas possidens facultates, ut item est virginitas perpetua: Ibi enim exhortatione usus est: Si vis perfectus esse: Et, Qui potest capere, capiat. Sed præcisè vult ea impleri. Sunt enim necessaria (non arbitraria.) Quam etiã ob causam hoc dixit; quòd discere voluisti: Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum & Phariseorum: hoc est; nisi tanto intervallo superaveritis eos, qui in veteri (testamento) virtute clari ac celebres fuerunt; (non enim jam loquor de iis, qui pœnas dabunt; sed de illis qui virtutis studio dediti, eoq; nomine clari fuerunt) quanto intervallo distat cœlum à terra, non introibitis in regnum cœlorum. Certaminibus enim merito consequentia sunt etiam præmia. Illi namque honestam & æquabilem vitam colentes, terram & longævitatẽ pro præmio habuere (Honora, inquit, patrem & matrem tuam, ut benè tibi sit, & sis longævus super terram, quã Dominus Deus tuus dabit tibi;) Nobis autem evangelicis decursis stadiis, cœlum, & hujus bona sunt repositã. *Lib 4. Epist. 204.*

S. Isidorus Pelusiota: Est quidem unus utriusq; Testamenti (tam V. quam N.) Legislator, sed lex Judæis, ut hominibus ad regendum difficilibus atq; contumacibus, actiones solas prohibuit: Evangeliũ autem, ut quòd perfectioribus atq; ad philosophandum aptioribus decreta tradat, etiam cogitationes, à quibus actiones enascuntur, tãquam fontes malorum prius obstruit (quàm illæ scaturiant:) non solum peccata cum admittuntur, severè puniens, sed etiam ne admittantur, diligenter prohibens. Quod si vis, etiam ipsa explicemus verba. Optimum autem est ipsam audire scripturam. Dictum est, inquit, antiquis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis: Ne resistite malo. Lex quidem pœnæ mensuram definit æqualitate perpessionis, dum injuria affectis permittit facere, quantum perpessi fuerint, metu videlicet, ne quis similia patiatur iis quæ fecit, cohibens malum antequam fiat (hæc enim expositio profundam legislatoris mentem attingit.) Evangelium verò mansuetudine lenitateq; ejus qui malum patiatur, stitit atque inhibuit improbitatem, ne ad deteriora progrediatur. Quia enim ulciscentium iniquitas juste terminabatur, & ne quid grave & atrox fieret, lex lata erat: imitatio erat similium. Id enim quisque faciebat (in alterum) quòd injuria affectus accusabat. Neq; ea res finem prioribus afferebat malis, sed provocatio quoq; erat graviorum malorum; altero quidem denuo irritato & faciente; altero autem etiam iterato se ultum ire contendente; finem vero malorum nullum sciente; neq; ultione finem, sed initium malorum calamitatum pariente, uterq; in implacabilem contentionem incidebant; & sapiens legis institutum facere nitebantur quasi viaticum nequitiæ, quod (Legislator) in eũ potius finem constituerat, ut peccata è medio tolleret. Quia igitur tot tantaq; mala hinc nascebantur; ideo Evangelium, ipso extincto initio tanquam igne, malum cohibuit ac stirit; ne ulterius procederet: *Lib. 4. epist. 209.*

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate sacro XV.
Igne vetor mergi.

Cui modò turpe lutum, modò futilis alga tegebat,
Et modò fœdabat vilis arena caput.
Cui modò phoca comes, conchisque rigentia cete,
Quantaque sub vitreo gurgite monstra latent,
Ecce sacra tumidis ope Lampadis efferor undis;
Perque fretum salso tutus ab imbre feror.
Fluctibus eripitur, mergi nequit; altior unda est,
Percaluit sancto cui semel igne jecur.

¶ Apothegmatis Sacri.

Iesus Christus Dominus noster: Petro dicente, Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te: respondens Jesus, ait, Amen dico vobis, nullus est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & Evangelii, quin accipiat centuplicia nunc isto tempore, domos & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, cùm persequutionibus, & in seculo venturo vitam æternam. *Marc. 10. 29. 30.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Antonius Eremita: Fortissimus sanctæ Ecclesiæ paries & fundamentum Evangelium sese offert pertractandum. De quo sane etsi nullum esset aliud, præclarum habemus Antonii Eremitæ testimonium. Venerant ad eum jam senem Religiosi, qui vitæ normam præscribi sibi postulabant. Ille sumpto Evangeliorum codice, *Ecce*, ait. *omnia hic, ad bene beateq; vivendum necessaria.* Dicere poterat illud Davidis; Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Balaus Cent. 1.*

S. Bartholomæus Apostolus: Inciderat apud eum mentio de Evangelicæ doctrinæ utilitate & fructu. de quo iste: *Evangelij lex brevis est, & longa.* Notabat autem Evangelij codices numero & litteris paucos & breves: explicatione vero, ac potissimum imitatione, operosos ac longos. *Dion. c. 1. Theol. myst.*

Serapion Abbas: Quin & ille, cùm jam se omnibus indumentis exspoliasset, ut Christi membra contegeret, & nudus sederet; roganti, Quis te pater spoliavit? prolato, quem sub alis habebat, Evangeliorum codice; *Hic*, inquit, *me nudavit.* Propter fidem enim Evangelii, in quò tam præclaræ promissiones Eleemosynis factæ leguntur, ita se exspoliavit. *Palladius.*

Thomas Morus: Rejiciendos verò eos Evangelii interpretes, qui propriis viribus fisi, à communi Ecclesiæ explicatione sponte aberrant, testis est Thomas Morus. Objiciente namque Tindallo (quẽ Morus reprehenderat, quòd vocem *Ecclesiæ* in congregationem, & *Presbyteri* in seniorem verterat) dulcissimum ejus Erasmũ ita vertere, respondit: *Si dulcissimus meus Desiderius prava illa intentione sic vertisset, qua Tindallus; dulcissimus meus Desiderius, ne quidem mihi dulcis esset. Th. Stapler. in vita.*

Eucharistiæ.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Chrysostomus: Si quis regem non temerè nec inconsideratè exceperit: quid dico regem? ne vestem quidem certè regiam temerè, & inconsideratè immundis manibus cõtrectaverit quisquam; etiamsi sit in solitudine, etiamsi sit solus, etiamsi nemo adsit. atqui nihil est aliud vestis, quàm stamen vermium. Sin autẽ tincturam admiraris, ipsa quoq; est sanguis piscis morte affecti: sed tamen nemo eam voluerit aususve fuerit immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis ne ausus quidem fuerit quisquam solum pangere: quomodo Dei corpus qui est super omnia, quòd est mundum & nulli affine reprehensioni, quòd cum illa divina natura est conversatum, propter quod sumus & vivimus, propter quod sractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli; hoc accipiemus cũ tanto probro & contumelia? Ne, rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam: sed cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus: & quando ipsum videris propositum, dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis; non sum amplius captivus, sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlos, & omnia bona quæ in eis sunt; vitam immortalem, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem. *Hom 24. ad Corinth. 1.*

Chryso-

Chrysostomus: Quid dicis, Paulle, benedictionis calicem vocas illum terribilem, & maximè formidandum calicem? Certè, inquit. Nõ est enim parum, quod dictum est. Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam revoco. Nam nos quoq; ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcumq; sumus adepti, ita ipsum offerimus & communicamus; gratias agentes, quod ab errore liberarit hominum genus; quòd cum lõge esse mus, propè fecerit; quod cum spem non haberemus, & sine Deo essemus, suos fratres effecerit & cohæredes. Pro his ergo, & quæcumq; sunt hujusmodi, gratias agentes, ita accedimus *Homilia 24. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Mysterio illo quod in cœlo est omnium pretiosissimum, & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in regia id quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio: sic in cœlis regis corpus. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim angelos, nec archangelos, neq; cœlos & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo dominum. Vidisti, quemadmodum quod est omnium præstantissimum, & maximè honorandum, vides in terra, neq; solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum reverteris. Absterge & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si tibi regis filius cum mundo, & purpura, & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcumq; sunt in terra abjecisses. Nunc autem non hominis regis filium accipiens, sed ipsum unigenitum Dei filium; dic rogo non extimescis, & eorum quæ ad hanc vitam pertinent, non omnẽ expellis amorem, & illis solum mundo gloriaris; sed adhuc terrã amas videre & pecunias, auroq; attonitus inhias? Et quamnam assequeris veniam, quamnam defensionem & excusationem? Nescis quod omnem ad hanc vitam pertinentem magnificentiam subvertatur tuus dominus? Non ideo natus positus est in præsepi? & matrem accepit humile? Non propterea incubat ei qui aspiciebat ad cauponationem, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet? Quid verò? dicit, uli non eandem servabant legem, in pauperum ædibus diversantes; & alter quidem apud sutorem, alter verò apud tabernaculorum contextorem, & apud purpurariam diverte bant? Non enim domus quærebant splendorem, sed virtutes animarum. Eos ergo nos quoq; imitemur, columnarum quidem & marmorũ prætercurrentes pulchritudinem, supernas autem quærentes mansiones: & omnem hanc iactum cum pecuniæ cupiditate conculcemus, altoq; & sublimes concipiamus spiritus. Nam si sapiamus, & sobrii ac modesti simus, ne hic quidem mundus dignus est nobis dignus, nedum porticus & ambulacra. *Fine Homiliæ 24. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: In festis quando maxime non fieri oporteret, post communicationem statim vos excipit ebrietas, & pauperum despicientia: & cum sanguinis fueris particeps; quando est tibi tempus jejunii & sobrietatis, lasciv is, deo accharis, & comessans petulanter insultas. Et si boni quidem quidpiam pransus fueris, tibi caves ne aliquo alio malo cibo priorem corrumpas: cum autem in convivio spiritualis pastus, talia cas induc is delicias. Cogita quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes. An non conversi sunt ad preces, & hymnos canendos, non ad sacras vigilias, non ad sacram illam doctrinam, & plenã multa philosophia? Tunc enim illis res magnas & admirabiles narrabat & præcipiebat, cum abiisset Judas ad vocandos eos qui ipsum acturi erant in crucem. Non audisti, quomodo etia n illa tria millia quæ percepérant communionem, perseverabant in oratione & doctrina, non in ebrietatibus & comessationibus? Tu autem priusquam quidẽ communices jejunas, ut quomodocunque dignus appareas: quando autẽ communicaveris, cum te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis. Atqui non sunt paria, esse sobrium antè & postea. Nam in utroque quidem oportet esse sobrium & temperantem, máximè autem postquam ipsorum accepisti. antea quidẽ, ut sis dignus accipere: postea autem, ne appareas indignus iis quæ tu accepisti. Quid ergo, oportet ne jejunare postquam acceperis? Nõ hoc dico, neq; te cogo. Nam est quidem hoc quoq; bonum, sed non ad hoc tibi vim facio: sed suadeo, ne te deliciis ita implicas, ut sis inexplebilis. Nam si nunquam oportet deditum esse deliciis, idque Paulus significavit, dicens, Quæ in deliciis vivit, est mortua: multo magis tunc morietur. Nam in deliciæ mors sunt mulieri, multo magis viro: & si hoc cum alio tempore nat perdit, multo magis post sacramentorum communionem. Tu autem pane vitæ accepto facis re in mortis, & non horresc is? Nescis quàm multa mala proficiscantur, & subeant ex deliciis? Risus intempestivus, verba insolentia & incomposita, urbanitas & facetiæ exitio plenæ, nugæ inutiles, ea quę nefas quidem est dicere, & hæc facit Christi mensa exceptus, illo die quo dignus es habitus, qui ejus carnes lingua tangeres. Quicumq; sis ergo, ne hæc fiant; nanum tuam expurgata, & castiga linguam, & labra, quæ ingressui Christi fuere vestibula: & apposita mensa sensili, ad mentem illam mentem extende, ad cœnam dominicam, ad vigiliam discipulorum quæ fuit sacra illa nocte. Imo verò, si exactè & accuratè examinaveris, etiam præsentia sunt nox. vigilemus ergo cum domino: compungamur cum discipulis. precationis tempus est, non ebrietatis: semper quidem, maximè autem in die festo. Propterea enim est dies festus: non ut nos indecore geramus, non ut peccata congregemus; sed ut quæ sunt tollamus. *Homilia 27 ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Dicit, vos ipsos tentate, vos ipsos probate; non sicut nos facimus, qui tempore moti magis accedimus quam studio animi. Non enim ea spectamus ut accedamus parati, & malis nostris expiatis, & pleni compunctione: sed ut in diebus festis, & quando omnes accedunt. Sed non sic jussit Paulus: sed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conscientiæ. Si enim mensæ sensilis non fuerimus participes febrientes, & malis pleni humoribus, ne pereamus: multo magis nefas est hanc tangere cum malis cupiditatibus, quæ sunt graviores febribus. Quando autem pravas dico cupiditates: & corporum dico cupiditates, & pecuniarũ, & iræ, & odii, & acceptæ injuriæ recordationis, & omnes, ut semel dicam, pravas. Et oportet eum qui accedit, his omnibus exhaustis, ita illud mundum tangere sacrificium: & neq; segniter & miserè affectum necesse habere propter diem festum accedere, neq; rursus compunctum & paratum prohiberi propterea quod non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum ostensio, & pietas animæ, & vita rectè instituta. Et si hæc habeas, poteris semper diem festum agere, & semper accedere. Propterea dicit: Probet autem seipsum unusquisq;, & tunc accedat. neq; jussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum; faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat testibus. *Hom. 28. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus. Quia sacerdotes ignorant eos qui peccatis obnoxii, indigne mysteria veneranda percipiunt: Deus sæpius id facit, eosq, satanæ tradit. Quoties deniq; morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitatesque contingunt, & alia quælibet hujusmodi, hujus rei gratia fiunt: id Paulus quoq, signanter expressit. Ideo inter vos, inquit, multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi: Et quomodo, inquies, ista perpetimur, quum semel tantum per annum ea sacramẽta sumamus? Hoc nempe est quod universa perturbat, quia non munditia animi, verũ intervallo temporis longiore constare meritum putas, summamq; arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam: ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tãum fiat, te supplicio tradit: digne verò etiamsi sæpe accedas, salute inde conquiris? Non est audaciæ sæpius accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiã toto vitæ tempore accedat. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, ut quum innumera per totum annum scelera perpetremus, nihil ea curemus exuere: cæterum satis arbitramur, si non assidue præsumamus atq; contumelioſe Christi corpus attingere: neq, intelligimus miseri, quod hi qui cruci Christum affixerũt, semel tantum id fecerunt. Non igitur quia semel crucifixerunt, minus idcirco delictum est: & qui Christum prodidit, semel tantum prodidit: nunquid ergo hoc illum supplicio eripuit? Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? Tempestivum accedendi tempus munditia cõscientiæ faciat, nihil habet amplius quod in Pascha consummatur mysteriũ, eo quod continuo celebratur. Unum quippe atq; idẽ est, eadẽ est sancti spiritus gratia, semper Pascha est. Nostis profecto quẽ initiati estis, id quod dicimus, sive sexta feria, sive sabbato, sive dominica die, sive in celebritate martyrum, eadẽ litatur hostia, idẽ sacrificium consummatur. Quotiescunq; enim, inquit, manducabitis panẽ hunc, & calicẽ biberitis, mortem Domini annunciabitis. Nulla observatione tẽporis sacrificium circũscribere voluit. Cur igitur, inquies, tunc solum dicitur Pascha? Quia tũc pro nobis Christus mortuus est. Nemo igitur illo tẽpore aliter accedat, & aliter nũc. Una virtus est, una dignitas, una gratia, unum atq; idẽ corpus. Non illud hoc sacrãtius, neq; istud illo inferius est: atq; hoc vos etiam nostis, qui nihil novitatis inspicitis, præter secularia ista velamina, & multitudinẽ solito læmorẽ. Habent aliquid amplius dies illi, quod scilicet ex illis initium cepit salus nostra, quia in ipsis immolatus est Christus: jam verò, quod ad sacramentum attinet, nihil amplius habent, nullã dignitatẽ, nullum privilegium. At tu quum carnalẽ cibum sumpturus accedis, os antea ac faciẽ lavas: quum verò ad spiritualẽ mensam accessurus es, animam lavare dissimulas, atq; immunditia plenus accedis. Sed non sufficiunt, inquies, quadragesimæ sanctæ jejunia fordẽ illam nostrorum diluere peccatorum? Et quænam obsecro utilitas est, quum quis voluerit unguẽta deponere, si prius emundet locum, deinde quum parum aliquid odoris injecerit, etiam stercus adjiciat? Nonne fragrantia illa omnis abscedit? ita profectò & nobis cõtingit. Digni fortassis evasimus, quũ pro viribus munditiæ studeremus, sed postmodum rursus nosmet inquinare perreximus: hoc & de his qui possunt intra quadraginta dierum numerũ peccata diluere diximus; ne, quæso, negligamus salutem nostram. Homo enim, inquit, qui aversus fuerit à peccato suo, & rursus pergens eadẽ fecerit, veluti canis est, qui ad suum revertitur vomitum. Curemus quantum possumus; nẽ sit labor noster inanis. *Homilia 5. ad Timoth. 1.*

Isidorus Pelusiota: Sunt nonnulli te, cum omnia, quæ divinis legibus interdicta sunt, facere, tum nonnulla etiã nefaria & impia perpetrare: atq; interim tamen manus ad divina mysteria continenter protendere, eaq;, quæ à te attingi nefas est, impudenter percipere. Ae mihi sanè temeritatem atq; impudentiam tuam vehementer admirari subiit, qui, cum dæmonum mensis ad saturitatem usq; cõmunices, Dominicę quoq; mensæ particeps fieri minimè timeas. Vide igitur, ne quis te laqueus corripiat, ut Judã, obtemeritatẽ suam in desperationem prolapsum, simulque & proditionem perpetrantem, & sacrosanctam communionem postulantem. *Lib. 1. Epist. 170.*

S. Isidorus Pelusiota: Vir quidam disertus, atq; & moribus integer, & vitæ splendidus (nam quod etiam ipse luculẽta dignitate ornatus sit, præteribo. Umbra enim hoc est, & insomnium) me convenit, illudq, narravit, se ad venerandum quidem altare accessisse, ut divina mysteria perciperet: at ubi te, hominẽ, ætate quidem senem, dignitate autem presbyterum, libidine autem vigentem, atque omnes,

quorum

quorum impudicitia hominum sermone celebratur, superantem, illic astare conspexit, pedem retulisse: quod scilicet indignam rem esse duxisset, sacrosancta mysteria per impuram ac sceleratam manū suscipere. Ego vero his auditis, quantum animo vulnus acceperim, dicere prætermittam: quibus autem verbis eum gravissimè reprehenderim, exponam. Nullo, inquam, detrimento, vir sapientissime, is, qui suscipit, afficitur, etiam si is, qui tribuit, indignus esse videatur: neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos t

verè dignus eâ laude Princeps, quod ex nobili istâ stirpe, vix ullum pietate & religione parem habuerit, superiorem autem neminem.

Laurentius Medices: Hic quoq; admiratione imitationeque dignus, cui dum fatali lecto decumbenti, SS. Eucharistia toties expetita deferretur; è lectulo quasi exsiliens; *Procul a me absit*, inquit, *ut patiar Iesum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad me venire. tollite hinc obsecro, ut Domino occurram*, dicebat quippe cum Centurione Evangelico: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Ang. Polit. in Epist.*

Eventus.

SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

Isidorus Pelusiota: Eum qui de aliquo bene mereri studuit, nec tamen ei opem ferre potuit; ex eventu ne reprehende: verùm ex animi instituto ac voluntate lauda, atq; honore affice: quoniam etiam naturæ vi ad ea, quæ oportebat, efficienda incitatus est: etiamsi viribus elanguerit, nec quod conabatur, perficere potuerit. *Lib. 1. Epist 335.*

Isidorus Pelusiota: In re militari, cùm pauci admodum pro patriæ defensione multis ad pugnam occurrunt, non hoc, qui mente præditi sunt, petunt, ut ipsi vincant, verum, si non cum dedecore atq; infamia occumbant, admiratione afficiuntur: quod si etiam pluribus, quàm fieri posse videretur, incommodis ac detrimentis hostes mulctent, inter heroas eos collocant. Illud enim forte ac strenuum esse existimant: hoc autem naturâ præstantius. Nec vero, quia illud inextricabilem quandam difficultatem habet, idcirco id minùs faciunt: hoc autem ut præclarum & illustre, laude ac prædicatione efferunt. Victi enim sunt, hominum multitudine oppressi, non fortitudine, animique magnitudine superati.

Atq; hoc ipsum etiam in forensibus controversiis censent, qui artem explorant. Nam veritatem ægrè indagari atq; eò prehendi posse ducunt. Aiunt enim: Si res ita nata sit, ut summo cuipiam Oratori causa ea, quæ plus imbecillitatis habere videatur, obtigerit, an non præclarè agi putabimus, si is à victoria parvo intervallo abfuerit, verum, nisi palmam quoque tulerit, eum reprehendemus? nec eò contenti erimus, si ingentem rerum imbecillitatem dicendi facultate atque copia obvelet: ac robur quoddam iis rebus, quæ imbecillitatis & improbitatis speciem habent, comparet, atq; adversariorum laborem augeat? nec hoc satis esse censebimus, si metum aliquem causa cadendi, iis, qui primo impetu victoriam sese adepturos sperabant, injecerit: verum nisi omnia eorum præsidia everterit, summæ stultitiæ notam ipsi impingemus? An non autem id absurdum fuerit? Dicturus est enim Orator: Verum mole, ô bone vir, obrutus sum: sic tamen ut multis adversarium vulneribus affecerim, eumque, qui se nullo labore superiorem fore confidebat. Ac victoria quidem ob disparem apparatum ab eo stetit: quod autem haudquaquam celerem victoriam assecutus sit, à mea arte profectum est. ita fit, ut quatenus ipsi laborem præter ipsem attuli, superior sim.

Quorsum autem hæc commemoravi? Nempe quia ii, qui sapientes habentur, non ab eventu, sed ab animi instituto & voluntate respondent, ac sæpenumero eos, qui victi esse videntur, laude & prædicatione efferunt: eos contrà, qui victoriam adepti sunt, laudibus haudquaquam afficiunt. Illi enim nihil eorum quæ facienda erant, prætermiserunt, etiamsi aliquin nihil eorum, quæ instituerant, confecerint: Hi autem in sui capitis perniciem plerunque victoriam adepti sunt. Quamobrem tu quoque consultius & humanius feceris, si confusionem minimè inducas, verum hæc inter se disiungas, atq; utrumque seorsim perpendas & explores, hoc est, & voluntatem & eventum: ac ne eum, qui improbè & scelerate vicit, collaudes, nec eũ, cui injuria illata est, ob cladem acceptam insectaris: verùm nec felicitatem virtutem, nec adversitatem vitium esse statuas. Nam si necessario palma properaret, is qui, quod aggreditur, minimè conficit, culpam subiret. Cùm autem eundem hominem, & optima sententia institutoque animi, nec tamen læto fine uti comperias, eum, cujus calamitate commoveri par est, accusare desine.

Atque hæc mihi ad te, qui præter ea quæ in aspectum cadunt, nihil scis, dicta sunt. Nam nos, qui futuram vitam fidei oculis liquidè conspicimus, & bella & trophæa, & laudes ac prædicationes vestras, ut quæ unà cum præsenti vita extinguantur, merito contemnimus. In eo autem bello versamur, quod adversus improbos dæmones, & carnis vitia geritur: eumque, qui pervigili arte ipsos superat, victorem esse asserimus, quam is alioqui ex hac vita ignominiosè excessisse videatur. Siquidem hujus vitæ ignominia nunquam intermoriturum gloriam parturit: & ultro suscepta paupertas cœlestes opes parit. Tum enim apparebunt bona, cùm finem acceperint molestiæ. *Lib. 3. Epist. 205.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Aristides: Jam nec hoc æquum videtur, omissis illorum consiliis, calamitates in quas inciderunt prætexere. nec enim si res ipsis è sententia non successit, improbi exiterunt; verum si non optimis sunt usi consiliis. Ut enim illud est fortunam accusare, ita hoc sententiam refutare. *Orat 1. Platonica.*

Iulianus Imp. Dei vero censebant, virorum consilia & animorum motus in apertum proferri oportere: neque ex eorum gestis de his judicium faciendum; quorum Fortuna maximam partem sibi vendicabat: quæ quidem adfuerat, illos omnes clamore insectans & explodens, præter Octavianum, quem solum benevolo in ipsam animo esse dicebat. *in Cæs.*

Iulianus Imp. Magnentio non patuit aditus, quia nihil unquam sani fecerat. licet enim ab ipso multa egregiè gesta videri possint; quia tamen Dii perspexerunt hæc non à recto & confirmato animi judicio profecta esse, fugientem eum in luctu dimiserunt. *in Cæs.*

Libanius: Probus vir ac virtute præditus, proposito & iis quæ animo præcepit, judicatur; & quamvis eventus consultis rebus dignus non sequatur, nihilominus studiosus est. Etenim hoc à fortuna pendet, hic verò nihil quod ad ea quæ considerata fuerant pertineat, par est omissum fuisse. *Declamatione 21.*

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Germano Taburnio, cui me auxilio esse voluistis, etiam salutis dubius adfuissem, si eorum præsentiam fors dedisset, quos ex usu ejus oportuit conveniri. Satisfaciat igitur unanimitati vestræ animus meus, etsi voti efficaciam negaverit eventus. *Lib 6. Epist. 19.*

Videantur reliqua titulo *Consilij, Exitus, Sententiæ, Voluntatis.*

Eunuchi.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

Nazianzenus: Georgius Cappadox ex proceribus eos sibi pecunia comparat, qui auri amorem, Christi amori præferebant, atq; ex his potissimum muliebres homines, & inter viros minimè viros, sexu quidem dubios, impietate verò apertos & perspicuos: quibus cùm feminarum cura committatur, haud scio quei fiat, ut Impp. Romani eosdem virorum officiis muneribusque præficiant. *Orat. 21 in laudem D. Athanasij.*

D. Nazianzenus: Ne admodum magnificè de vobis sentiatis, qui à natura eunuchi estis. fortasse enim pudicitia hæc minimè voluntaria est. non enim explorata est, nec castimonia periculo facto comprobata. *Oratione 31.*

Chrysostomus: Ubi nunc sunt, qui seipsos audent evirare, simul & apostolicam imprecationem sibi accersentes, & Dei opificium accusantes, & à Manichæis stantes? Nam illi quidem ajunt; corpus insidiosum esse, malæque materiæ. hi verò tactis suis crudelibus illis opinionibus præbent ansam, dum membrum amputant velut insidians & inimicum. Itaque multò magis oportebat excæcare oculos: per oculos enim in animam descendit concupiscentia. Verùm nec oculus, nec ullum aliud membrum est in culpa, sed sola prava animi inductio. Quod si non sustines, cur non & linguam ob blasphemias, cur non & manus ob rapinas, cur non & pedes ad malitiam currentes, denique cur non totum resecas corpus? Nam & aures delinitæ tibia, frequenter effœminarunt animam: & nares accepto suavi odore imposuerunt menti, & ad voluptatem lympharunt. Itaque circumcidamus omnia, & aures, & manus, & nares. Verùm hæc extremæ sunt impietatis, ac satanici consilii. Tantùm oportet corrigere inconditum mentis impetum: Isti verò sua resecant membra. Ita malus dæmon perinde quasi erraverit opifex, persuasit ut instrumenta perderent, semper gaudens cædibus. Quei fit igitur, dicet aliquis, ut saginato corpore efferveſcat concupiscentia? Quoniam hoc ipsum rursus est animi delictum. Nam saginare carnem, non est carnis; sed animi. Nam si vellet extenuare, habet idem omnem potestatem. At tu perinde facis, quasi si quis videns aliquem accendentem ignem, ac lignis impositis domum incendere, omisso eo qui fecit incendium, flammam accuset, quæ correptis multis lignis in altum se sustulerit. Atqui culpa non est ignis, sed ejus qui ignem accendit. Hic enim ad parandos cibos, ad præbendam lucem, adque alia id generis ministeria datus est, non ad conflagrationem ædium. Quemadmodum & concupiscentia ad liberorum procreationem vitæque conservationem data est, non ad adulterium, scortationes ac lasciviam: ut pater fieres, non ut adulter: ut legitimè versaris cum uxore, non ut contra fas eam corrumpas: ut relinquas tuum semen, non ut alienum vities. Siquidem adulterium non est naturalis appetitus, sed contumeliæ præter naturam. Siquidem appetitus ille tantùm desiderat mixturam, non talem mixturam. *Cap 5. ad Galatas.*

S. Isidorus Pelusiota: Magno mœrore afficior, quoniam te paternæ pudicitiæ æmulum haudquaquam esse audio, verùm peregrinam turpitudinem consectari, faciem tuam naturalis honestatis & gravitatis flore spoliantem, eam in muliebrem potius transformãtem. Quod quidem nihil aliud est, quàm eum, à quo effectus sis, accusare. Etenim si contemporaneum perfectionis honorem repudias, imperfectus potius esse studes, in hominum videlicet numero censeri nolens, verùm dubius quidam spado, & esse & videri *Lib. 1. Epist. 463.*

Isidorus Pelusiota: Nemo, ut opinor, qui quidem virilem animum habeat, ac viri nomine dignus sit, eunuchorum spectaculo capietur, qui humanam vitam palam inficiantur, ac tum maximè clari ac celebres sunt, cùm maximè exarserint. *Lib. 2. epist. 82.*

Mitto

¶ HISTORICORUM.

Heliodorus: Persarum regiis aulis, oculi sunt & aures eunuchorum genus; qui cum neque liberos neq; cognatos habeant, quibus eorum animi devincti esse possint, pendent ex eo solo qui se ipsis credidit. *Libri Aethiopicorum octavi fine.*

Heliodorus: Sequatur & hic Bagoas, non tanquam victima, sed tanquam alterius victimæ, virginis hujus, custos, ut nobis casta usque ad tempus sacrificii conservetur. Habet enim quiddam zelotypum eunuchorum genus: quippe quibus ipsum est privatum, ad hæc aliis prohibenda objicitur. *Libro nono Aethiopicorum.*

Simocatta: Versuta mulierecula, duplicis ingenii semivirago, à natura nihil habens perfectum, plectenda est, Lydus eunuchus. Nam omnia membra corporis, linguam habere turpem profitentur. Ego vero secundum Homericum Ulyssem ejus tela non sentio. Nihil enim proficit gens muliebris, si Heroes terrere velit. Cur tibi etiam superbius loquar Diomedem imitatus. Latrare sic & furere Eunuchis convenit. Nam manuum viribus privati, per linguam omnia volunt efficere. Amici vero magnam stultitiam in nobis reprehendunt, quod non ab injurioso pœnas repetimus. Sic enim & Asinum si calcitret, non equidem in judicium vocabimus. Hoc vero recte etiam à Socrate filio Sophronisci disputatum est. *Epist.* 43.

Examinis.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Chrysostomus: Oportet nos vitæ nostræ expensores esse, nec leviter, sed exacta cura probare quæ nobis gesta sunt: videlicet, feciſti boni quidpiam, considera ne forte propter inanem gloriam, ne propter necessitatem, ne in odium, ne per simulationem, ne ob aliam aliquam causam humanam. Sicut enim aurum videtur quidem esse splendidum priusquam mittatur in fornacem: verum ubi traditum fuerit igni, tum vero certo dignoscitur, eo, quod adulterinum est, ab eo, quod est syncerum, separato: sic & nostra opera ubi diligenter examinaveris, tum evidenter vegetentur, videbimusque nos ipsos multis criminibus obnoxios esse. *Cap. 6. ad Galatas.*

Arrianus: Homines observo quid dicant, quomodo moveantur: idq; non malevole neque vituperandi, aut deridendi causa; sed ad meipsum refero, an & ipse sic delinquam? Quomodo igitur desistam? Tunc & ego peccabam: nunc vero non item, gratia sit Deo. *Cap. 4. Libri 4. Epictet.*

Iulianus Imp. Aquilam fingunt fabulæ, cùm veros fœtus explorare vult, implumes eos adhuc, & teneros in cœlum ferre, solisq; radiis objicere, tanquam Deo teste verum patrem à falso atque adulterò sejungat: at tibi nos tanquam Mercurio eloquentiæ Deo scripta nostra offerimus, ut si aures tuas sustinere possint, tu pro arbitrio tuo statuas, an in vulgus evolare debeant: in minus, ea continuo projicias tanquam à Musis aliena, aut si minùs obruas ut adulterina. Sic certè Gallis injuriam nullam facit Rhenus, qui spurios infantes undis abripit, tanquam impuri lecti vindex. quos autem ex puro semine ortos agnovit, in summa aqua suspendit: matriq; trementis manibus reddit, & quasi verum incorruptumque casti & laudabilis conjugii testimonium servato infante persolvit. *Epistola decimasexta.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Utinam sic ipse spem quam tunc Euphrates de me concepit impleverim, ut ille multum virtutibus suis addidit: aut ego nunc illas miror, quia magis intelligo: quanquam ne nunc quidem satis intelligo. Ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex judicare; ità nisi sapiens non potest perspicere sapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate sic eminent & eluceant, ut mediocriter quoque doctos advertant & afficiant. *Lib. 1. Epist.* 10.

Symmachus: Qui amanti nugas suas & deliramenta committit, non debet formidare judicium. commendatur enim religione, quidquid culpari posset examine.

Mox: Et quamvis totius Ordinis suffragia cepisse videamur; in te uno tamen summam testimonii collocamus. *Libro quinto Epist.* 43.

Symmachus: Securus vitæ & militiæ vetus, nunquam refugit examen superiorum. *Lib. 9. epist.* 33.

Videantur plura titulo *Censuræ*, *Conscientiæ*, *Iudicii.*

Excellentiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arduum est belli atq; pacis simul excedere laudibus.
Arte plus una occupatus, raro quid rarum facit.
Claritatis in supremo nemo stat diu gradu,
Concha margaritum, tellus aurum fert, spina rosam.
Et decorus in secundis inque tertiis locus.
Fermè ubiq; adnata summa sunt bonis summis mala,
Ingenium bilis laborat omne atra excellentius.
Involucris fermè obtecta sunt pretiosa vilibus.
Luce differt stella à stella, differt magnitudine.
Magna sunt in re excellenti, quæ sunt proxima optimo.
Mors vetat florere longum quidquid est illustrius.
Multitudo plebis omneis odit excellentias.
Non datum cuiq; est opimum navigare ad prandium.
Omnibus præstare quivis vult, æquus esse vix potest.
Optimis quibusq; rebus insitum quid non bonum est.
Parva laus est ante nanos ire longitudine.
Res item omnium suprema altitudo ipsa attonat.
Siderum gnaculos minutos Solis obruit jubar.
Terminum incrementis unquam fixit ecquis nam suis?
Vix in uno opere eminere summi homo ingenij queat.

¶ IAMBICA.

Adnata summis summa sunt bonis mala.
Aliter olent catelli, aliter olent sues.
Corinthum adire, hominis non est cujuslibet.
Etiam in secundis est honestè conspici.
Etiam potest vir summus extrè è casa.
Et succinum maris inter ejectamina est.
Ignem minorem obscurat ignis grandior.
In eo quod est plus semper inest item minus.
In margaritis una multis Vnio est.
Insigne quidquid est latere non potest.
In Sole cerni sidera ipsa desinunt.
Invidia semper sequitur eminentiam.
Longe alius est Iphicles, alius Hercules.
Lumen lucernæ solis luce offunditur.
Minora lumina obscurat Solis claritas.
Mulier præstat mulieri; vir præstat viro.
Non omnibus fieri licet Catonibus.
Non possunt primi esse omnes, omni tempore.
Obnoxia maximè invidiæ excellentia.
Omnis in gradu sunt mixta pessima optimis.
Præstant alij in sago, alij præstant in toga.
Præstat scientia excellere quam potentia.
Primore digito mel liba, haud cava manu.
Pulchrè in secundis hæreas & tertijs.
Pulchrum in secundis, imo hærere in tertijs.
Qui primus est, non semper est & optimus.
Quod ustpiam præclarum est, Romam transferas.
Vitiore sub figura sæpe Diva delitet.
Virtutum odit vulgus excellentiam.

Exceptionis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Infirmanda exceptione nulla jure ipso actio est.
Qui justam est exceptionem nactus, non est debitor.

¶ IAMBICA.

Nil excipit quicunque eorum nominat.
Non confitetur cui sua est exceptio.

Excommunicationis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

Dio Chrysostomus: Quomodo in uno grege in quo multæ quidem oves sunt sanæ, aliæ autem plenæ sunt scabie, necesse est eas quoque arcerià sanis; ita etiam in Ecclesia. quoniam aliæ quidem oves sunt sanæ, aliæ malè affectæ; per hanc vocem, Sancta sanctis, has arcet ab illis, in omnem partem obiens, &c. *Homilia* 17. *Epist. ad Hebræos.*

S Isidorus Pelusiota: Si fieri possit, ut Zosimus, & Maro, & Eustathius, qui in tot tamque gravibus flagitiis deprehensi sunt, meliore mente recepta eo, unde exciderunt, redeant, hoc quidem melius fuerit. Sin minus, eos, tanquam incurabilia membra, ad virales partes grassantia, excinde. *Lib. 3. Epist.* 194.

Synesius: Hæc igitur eo modo se habent. Lamponianum Jason injuriarum convicit: ille convictionem confessione præveniens, pœnas luit, ab Ecclesiasticis conventibus separatus. Quanquam ex animi pœnitentia illachrymavit, & supplex cum populus condonari sibi petiit, sed ego in iis, quæ semel decreveram persevera: i solvendi autem jus, atq; authoritatem ad Pontificiam sedem rejeci. Tantulū hoc ergo mihi sumpsi, si Lamponiano fatalis necessitas immineret, & præstituta mortis dies adesse videretur: tum omnibus qui eo tempore interessent Presbyteris concessi, ut eum in communionem Ecclesiæ reciperent. Nullus enim quantū in me erit Ecclesiasticis vinculis obstrictus moriatur. Sin convaluerit, rursus iisdem pœnis teneatur, atq; à divina & humanissima anima tua veniæ tesseram expectet. Neq; enim Jason omnino culpa vacat, homo lingua promptus, in hominem incidit manu promptiorem, &, quod dici solet, leviss imæ rei, sermonis gravissimas pœnas persolvit. *Epist* 67.

¶ Apophthegm. Christianor.

Arsenius Abbas: Hactenus de augustissimo illo Ecclesiæ Sacramento: nunc de censoria ejusdem virga, quam Excommunicationem nominant veteres, dicendum. qua qui tacti & notati, Ecclesiæ castris excluduntur, & magni illius Sacramenti, aliorumque benedictione, fratrumque communicatione privantur. Providum illius usum expressit Arsenius: qui in juniores etiam graviter delinquentes, rarius hunc mucronem stringebat. dicebat enim: *Juvenis excommunicatus vinculum illud spernit: provectior vero celeriter ejus dolore corrigitur. Socrat lib.* 8 *c.* 1. *Trip Hist*

Gregorius VII. PP. Hunc merito subnectos; quem nullus aut favor, aut metus, à justa hujus mucronis jaculatione dimovit. Conceperat in animo Henricum IV. Imp. hoc anathematis gladio coercere. obstant magnates, & Regem non ita facilè anathematizandum clamant. Quibus Pontifex: *Dum Petro Ecclesiam suam Dominus committeret, dicens: Pasce oves meas, excepit ne reges?* Non excepit sanè. generalis enim tradita potestas, Quodcunque ligaveris & solveris super terram, &c. *Platina in vita.*

B. Franc Xaverius: Cum autem ii qui hoc Excommunicationis gladio feriuntur, extra Ecclesiæ limen ejiciantur: merito eorum cōmercia colloquiaq; vitanda erunt. Et quidem Franciscum X. verum adsinas pergentem cum rogaret magni nominis vir, Præfectum diris devotum salutaturus conveniret: *Ego*' aiebat, *hominem fidelium communione excusum audeam salutandi causa?* & post pauca: *Me quidem amicum non habebit, quamdiu habuerit inimicum Deum. Hor. Turselli lib.* 3. *c.* 14 *in vita.*

Valentinianus Imp. Neque ab hac mente alieni fuere civilis ordinis viri primates. Quid enim de Valentiniano dicam? Acceperat is à fratre Arriano literas, quibus auxilium contra Gothos efflagitabat. Quibus ille: *Nefas homini bellum gerenti cum Deo opē ferre, cujus potius temeritas meritò coercenda. Theodor. lib.* 4. *hist. Eccles cap.* 28.

Theodosius Imp. Ab Ambrosio Episcopo anathemate ictus, cūm admissum scelus lachrymis ubertim detergeret, venit ad eum Rufinus, tanti doloris causam scisc itatus. Cui Imperator, *Tu*, inquit, *Ruffine ludis, & mea mala non sentis? ego gemo et clamitat eam mea, quia servus & mendicantibus parent templa Dei. & Dominum sui exorantes ingrediuntur. mihi vero ad eum ingressus non patet. insuper & cœli mihi clausi.* An non hic etiam, ut plerique Principes, se vi & armis anathematizanti Episcopo opponere potuit? potuit certè. at divinæ potestati, quam Ecclesiæ suæ in hereditatē reliquit, obsistere nec debuit nec voluit. *Socrat. Trip hist lib.* 8 *c.* 10

Otho Brandeburg Princeps: Quam autem fœda res sit cum Excōmunicatis familiariter uti; etiam ratione carentia animalia exēplo nobis sunt. Anathemate ob delicta percussus à Ludolpho Antistite Otho Brandeburgensis, per ludibrium mensæ allidens, canibus frusta carnium objecit: *Videamus*, inquiens, *an ab excommunicatis* (quod vulgo dicitur) *carnes acceperè recusent canes?* Certè recusarunt. Ille saturitatem causatur, canemq; tridui inedia maceratum adduci jubet. at nec ille carnes objectas attigit. eoque miraculo territus, Ecclesiæ paruit. *Chronic. Magdeburg.*

Excusationis.

Sententiae Patrum. Philosophorum, Oratorum.

Zeno: Infelix culpa est, in qua locum qualiscumq; non invenit excusatio. *Ser.* 3. *de Isaia.*

Io. Sarisberiensis: Non est quod error concurrentium sub prætextu multitudinis excusetur; quia vivendi forma à convivendi multitudine nequaquam trahitur, sed a verbo Dei, in cujus via beati ambulant, & recto calle ad veræ fœlicitatis patriam pergunt. Neq; enim quod à multis peccatur, peccatum non est, sed ideo gravius, quia multum. nec delinquentis culpam socia minuit multitudo; sed prægravat: eo quod viribus suis ne corrigatur obstat: *Cap* 19. *Polycratici lib* 7.

Philostratus: Quod superbus non sum, argumentum est, quia excusationem facturus, adveni. *Lib.* 7. *c.* 9 *de vita Apollonij.*

Seneca pater: Quædam controversiæ sunt, in quibus factum defendi non potest, excusari potest. *Controversia* 25. *l.*

Seneca: Sæpius satius fuit dissimulare quam ulcisci. Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt. facient iterum, si se feciss e crediderunt. *Lib* 2. *de Ira capitis* 33. *initio.*

Quintilianus: Pauper vulnus accepi, quod mihi diutius deflendum apud vos; quam probandum. nam coarguendis quidem criminibus, quis labor est adversus confitentem? Habent divites hoc quoq; contra nos contumelios um; quod non tanti videmur ut negent. *Declamationis* 13 §. 2. *fine.*

¶ Poetarvm.

Plautus Aulularia 4. sc. 10. v. 8.

Fateor me peccavisse, & hanc culpam commeritum scio.
Id adeo te oratum advenio ut animo æquo ignoscas mihi.
E. Cur id ausus facere, ut id quod tuum non esset, tangeres?
L. Quid vis fieri? factum est istud, fieri infectum non potest.
Deos credo voluisse: nam ni vellent, non fieret scio.
E. At ego Deos credo voluisse, ut apud te meum nervo cruscem
L. Ne istud dixis. E. Quid tibi ergo meam, vel invito, tacito est?
L. Quia vini vitio atq; amoris feci. E. homo audacissime!
Cum ista oratione huc ad me adire ausum, impudens!
Nam si istuc usus est, ut sic tu istud excusare possis;
Luce clara diripiamus aurum matronis palam.
Post id si prehensi simus, excusemus ebrios
Nos fecisse amoris caussa nimis vini est venum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune fucere quod libeat licet.
L. Quin tibi ultro supplicatum advenio ob stultitiam meā.
E. Non mihi homines placent, qui quando malefecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse: non attractam oportuit.

Terentius Heautontim. 4. sc. 1.

—— Nescio quid peccati portet hac purgatio.

P. Syrus Mimographus.

Quam miser est, qui excusare sibi se non potest.

¶ Apologorvm.

Aesopi Ursus & Vulpes.

Ursus plurimum gloriabatur quasi animal sum foret humanissimum: Aiunt enim animal hocce cadavera nequaquam gustare. Quod cum audiret vulpes, subridens dixit: Utinam mortuos, non vivos comederes!

De Lupo oves invadere volente, sed impedito. Fab. 142.

Lupus & leo contracta inter se amicitia victum quæritabant, tum lupus audito ovium balatu, confide, inquit, amice, cibus jam aderit. Secutus ergo ovium vocem, cum ad ovile pervenisset, reperit illud optimè munitum, & canes prope dormientes. Reversus igitur ad leonem, non placet, inquit, mihi, quod in præsentia edamus oves, Macilentæ enim admodum sunt, sinamus eas pingues cere, redituri, cum fuerint pingues effectæ.

Fabula eos arguit, qui impediti ne quid faciant se noluisse argumentantur. Laur. Abstemius.

De Leone irato contra Cervum lætum morte leænæ. Fab. 148.

Leo omnes quadrupes ad defunctæ uxoris exequias honestandas invitarat. Cunctis igitur aliis mortem reginæ ineffabili dolore prosequentibus, solus cervus, cui illa nullos eripuerat, expers doloris, nullas lachrymas emittebat. Quod leo percipiens, accersitum ad se cervum, ut illū perimeret, interrogat, cur non cum aliis reginæ mortem fleat? Cui ille, feciss em, inquit, nisi me hoc facere prohibuisset. Advenienti enim mihi, felix ejus anima, ad Elysias sedes proficiscēs apparuit, dicens, ejus discessum non lugendum, quum ad amœna vireta fortunatorum nemorum, sedesq; beatas proficisceretur. Hæc leo audiens lætatus est, cervoque veniam dedit.

Fabula indicat, viri prudentis officium esse, interdum fingere, & sese a potentium furore honesta excusatione tutari. Laur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad culpam levandam, ingenia humana facundissima.
Culpa infelix, excusatio in qua locum non invenit
Est loco excusationis omnis aetas junior.
Excusare vitia nostra quam effugere ipsa malumus.
Excusationem habet quis cum via errat publica.
Excusationis expers in pertinacia est.
Malelim vacare culpa, eam quam deprecarier.
Nescio quid peccati portat secum omnis purgatio.
Non mihi homines placent, qui quando malefecerunt, purgitant.
Nulla culpam avi senentis velat excusatio.
Nulla miseria gravior illa, qua excusari non potest.
Omnia in bello valent, praterquam una excusatio.
Ore quod excusare non est, deprecare lacrymis.
Peccati quid usque secum quaque fert purgatio.
Qui post factam injuriam se expurgat mihi prodest parum.
Sæpe qua libido peccat, excusantur ambitu.
Turpis omnis est amicos inter excusatio.

¶ A u

¶ IAMBICA.

Accepta morti nulla est excusatio.
Delictum oportet adsit excusantibus.
Excusa potius proximum quam judices.
Excusat atas puerum, sexus fœminam.
Haud juris ullum excusat ignorantia.
Ipsum Deo se accusat, qui excusat sibi.
Malus sua vitia excusat; excutit bonus.
Multum juventam excusat ignorantia.
Non posse simulata excusatio est.
Nunquam improbos destituit excusatio.
Qui deprecatur utique injuriam intulit.
Sceleri voluntario haud sua excusatio est.
Servile prorsum est excusare se omnibus.

Execrationis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

APplicat votis parentum serias aures Deus.
Bene equidem tibi dico, quæ te digna ut eveniant, precor.
Concipit contempta diras, non preces, benignitas.
Execratio parentum semper est certi exitus
Imprecatione patris noxius nil filio est.
Nil queunt preces malorum, quam malum ut sibi attrahat.

¶ IAMBICA.

Devotiones nil efficere non queunt.
Et vindicamur imprecationibus.
Exaudiuntur à Deis dira omnibus.
Furia parentum in natos possunt plurimum.
Heu quanta inest vis imprecationibus!
Huc vota mittas, tela quo mitti haud queunt.
Saltem exsecremur quos ulcisci non licet.
Votis malis ira tus pro armis utitur.
Votis parentum aurem applicat piam Deus.

Exempli.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

Clemens Alexandrinus: Non parvi ad salutem momenti sunt exempla. Ulyssis uxorem vide, (ait Tragœdia)

Non eam lero dedit
Telemachus, ut quæ non superduxit viro
Virum, at cubile castum in ædibus colit.

Flagitiosum exprobrans adulterium, pulchram temperantiæ imaginem ostendit, in maritum amorem. Ilotas autem (servorum nomen sunt Ilotes) Lacedæmonij cogentes inebriari, sibi ipsis sobriis, ea quæ faciebat ebrietas, ut hoc quasi remedii loco sibi esset, & ad vitæ emendationem conduceret, ostendebant. Observantes ergo illorum turpitudinem, docebantur ne in idem quod damnabant vitium inciderent, ex ebriorum probro hoc consequentes, quod ipsi nō peccarent. Ex hominibus enim alii quidem aliorum edocti exemplis servantur: alii vero sua sponte virtutem vel amplecti solent, vel quærere.

Optimus ille quidem est, qui percipit omnia per se.

Ipse est Abraham qui Deum quæsivit.

Is bonus est rursus qui paret recta monenti.

Hi sunt discipuli, qui Verbo crediderunt: & ideo ille quidem appellatus est amicus, illi autem Apostoli. Unum & eundem Deum ille quidem magna cura & studio inquirens, hi vero prædicantes: sunt autem ambo populi. Horum autem amborum auditores, ille quidem per inquisitionem commodum consecutus est, hic vero salvus evasit per inventionem.

Sed qui nec per se sapit, & cum recta monetur
Non tamen ad mentem revocat, vir inutilis ille est.

Populus alius est gentilis, inutilis: hic est populus qui Christum non sequitur. Multis tamen modis juvans pædagogus, qui est clemens & benignus, alia suadet, alia exprobrat. Jam vero aliis quoque peccantibus, eorum nobis ostendit turpitudinem, & quod eam consequitur supplicium, simulque & consolans & admonens se esse benignum & clementem ostendit, hoc consilio ut nos à vitio averteret, ea quæ illis evenerunt, ob oculos ponens. Per quas imagines & similitudines, iis qui male affecti erant, remedium attulit: eos verò qui iis similia audebant, prohibuit: alios ad tolerantiam fundavit: alios à vitio repressit, alios vero etiam curavit, per contemplationē ejus quod est simile traducendo ad id quod est melius. Quis enim quempiam in via sequens, non caverit, si prior in fossam ceciderit, ut devitet periculum, peccati consequentiam fugiens? Quis vero athleta, qui viam quæ ad gloriam ducit didicerit, alium que viderit athletam qui eum præcessit præmium habuisse, non contendit ad coronam, ipsum priorem imitans?

Multæ sunt ejusmodi similitudines divinæ Sapientiæ. Unius autē exempli meminero, & paucis exponam quod accidit Sodomitis, & fuit quidem iis qui scelus admisera it judicium, pædagogica autem institutio iis qui audiverint. Sodomitæ cum propter multas delitias in libidinis & intemperantiæ vitium impegissent, adulteria quidem securè committentes, puerorum autem insano amore ardentes, respexit eos Verbum quod videt omnia, quem latere non possunt qui nefaria perpetrant. Neque vero eorum libidini acquievit vigilans humanæ naturæ custos: nos autem ab illorum imitatione avertens, ad suamque moderationem & temperantiam instituens, aliquos interim invadens peccatores, ne si impunita relinqueretur impudicitia, ea fraeretur nimia securitate, jussit comburi Sodomā: providi illius ignis aliquid effundens in intemperantiam, ne si non castigata esset eorum libido, fores nimis aperiret iis qui toto impetu feruntur ad voluptatem. Fuit ergo justum Sodomorum supplicium, salutis bene ab hominibus considerandæ imago. Qui enim non similiter peccarint, ac ii qui puniti sunt, nunquam peccatoribus similes pœnas dederint, ut qui non peccando, pœnam quoque caverint. Volo enim vos scire, inquit Judas, quod Deus qui semel servavit populum ex Aegypto, secundo perdidit eos qui non credidérunt, & Angelos qui non custodierunt suum imperium, sed reliquerunt proprium habitaculum, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine agrestium angelorum custodit. Et paulatim eorum qui judicantur imagines admodum ad docendum appositè explicat. Væ eis quod in via Cain ambulaverunt, & in errore Balaam effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Eos enim qui ferre non possunt libertatem adoptionis filiorum Dei, arcet metus, ne se insolenter gerant, Ideo enim sunt animæ ac supplicia, ut timentes pœnas à peccatis abstineamus. Possum tibi narrare pœnas nimiæ ornatus cupiditatis & inanis gloriæ, non autem solius intemperantiæ: & præterea maledicta afferre in eos qui propter divitias male sentiunt & gerunt, in quibus Deus terrendo prohibet à malecteis. Sed parco prolixitati. *Lib. 3 Pædagogi capite octavo.*

D. Nazianzenus: Etenim quos remotis etiam vitiorum illecebris, à malo avertere, atque à deteriori parte ad meliorem traducere difficile est quis tandem his, ut placidi & moderati sint, persuaserit, cum Deos vitiosarum affectionum duces & patronos habeant; ubi vitiosum esse non modo non turpe, sed honorificum existimatur (utpote Deorum aliquem defensorem ac patronum assumens, qui vitiosa hac affectione laboret) atq; aris & sacris ornatur, legitimaq; libertatem nactum est. Hoc enim omnium indignissimum est, quod quæ legibus vindicantur, ea illi, ut divina venerantur: tanta est apud Ethnicos ipses injustitiæ ubertas atq; amplitudo. *Sub finem orationis 3. stelliteuticain Iulianum prima.*

D Nazianzenus: Si his qui Athanasium ætate præcesserunt, virtutis exemplum ipsi præbuisse, magnum & honorificum est, nō minus certè huic eidem nostro præclarum censeri debet, quod posteris exemplum ipse fuerit. *Oratione 21.*

D Nazianzenus: Machabæi qui sine Christi exemplo tanta virtutis laude floruere, an non multo fortiores esse præbuissent, si cum exemplo periculum adire ipsis contigisset? *Oratione 22.*

D. Greg. Nyssenus: Ut lampade una accensa, in reliquas omnes propinquas lucernas flamma derivatur, neque tamen primus ignis imminuitur, etsi cum iis æqualiter adjungitur, qui ex illa luminis derivatione elucent: ita hujus vitæ gratias ab eo qui illam rectè peregit, in eos derivatur qui proximi sunt: Optimi enim morum sanctitatis fieri participem ei contigit, qui in ipsius curriculo vestigia imprimit. *Cap. 24 de Virginitate.*

D Chrysostomus: Si quidem vulgus hominum, etiamsi innumeras inveniant rationes easque justas, tamen ab eo quod est cognatum magis attrahuntur; cumq; viderint alium hæc agentem, facilius iisdem hærent. *Cap 4. ad Galatas.*

D Chrysostomus: Ad virtutem sequendam is, qui bona & generosa mente præditus est, exemplo eorum qui rectè se gesserunt, adducitur: is vero cui mala mens, eorum exemplo qui virtutis munera non abierunt, ille honore, hic supplicio. 8. *Homilia ad Philippenses.*

D Chrysostomus: Multum profectò confert ad irritamenta virtutis, magistrum luctantem indesinenter aspicere, nec cedentem. 2. *ad Timoth. Homil. 4.*

D. Chrysostomus: Fert magnum discipulo in mari solatium, magnamque fiduciam, quum meminit magistrum ferè naufragium fecisse, & fuisse servatum. Neque enim arbitratur jam fluctibus illos, atque tempestates, ex propria imperitia inscitiaque, sed ex ipsius rei natura contingere. At id permagnum est ratione solatii. Fert item in bellis tribuno, vel cujusvis agminis duci, maxima incitamenta virtutis, quum ipse peratorem viderit vulneratum primo, tum demum evadere ex vulnere: ita & fidelibus quibusque multum affert solatii, quod Apostolum cernunt tolerasse plurima. *Homilia 4 epistola 2. ad Timotheum.*

D. Io. Chrysostomus: Si aliorum exempla sufficiunt ad excitandum auditorem, & adducendum ad æmulationem; quando quispiam habet à seipso exemplum, & jubetur seipsum æmulari; jam simul inducitur id quod potest fieri. *Homilia 8. Epistolæ ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Longa maria trajicientibus ad cursum regendum pro tessera sunt astrorum undequaq; splendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cœlum oculos astrorum motibus aurigans navem, cursumq; per mare cœlesti lumine contorquens fertur in portum. Qui vero vitæ pelagus rectè student percurrere, ac vitæ secundum Deum institutæ desiderant secare fluctus, non astra spectant; sed chorum justorum inspectum eunt, ac eorum vivendi rationibus vestigiisque incumbentes quasi composito gradu suum ipsorum vitam dirigunt. Non enim navigantes tot periculorum assultus circumstant, quot vitæ casus, & incommoda virtutis mercaturam facientes exhauriunt. Quis namq; justorum navigationem hanc tranquille navigavit *Orat. 8 principio.*

S. Isidorus Pelusiota: Divina & immortalis natura omnia supplicium exempla improbis jure ac merito invecta, literarum sacrarũ monumentis emendationis nostræ causa consignavit: ut ejusdẽ pœnæ metu ab iisdem flagitiis deterreamur. Quamobrem, si pœnas metuimus, per dogmata religio cultusq; divinus conservetur. *Lib. 1. Epist.* 467.

S. Isidorus Pelusiota: Illud scito, sacrosanctum caput, exempla non omni ex parte assumi, atq; ad rem, qua de agitur accommodari (nõ alioqui exempla, sed eadem res esset) verũ oportet. nos, selecto eo, quod conducit, & ad quod adhibita sunt, quicquid reliquũ est, valere jũbere. Atq; ut unum aut alterum proferens, ceteris quoq; explanationis viam aperiam, audi quid de Salvatore Patriarcha dicat: Recumbens dormivit ut leo. Numigitur & omnia, quæ leoni insunt, ad Christum accommodabimus? Minimè sanè. Verum in scitũ robur, ac terrorem, regia q; authoritate assumentes, feritate atq; immanitatem, & si quid aliud leoni inest, si rectè facere volumus, transiliemus. Eodem modo cum ait Deus, Occurram eis ut ursa anxia, ultricem duntaxat vim accipiemus, non aliud quicquam ex his quæ ursæ insunt. Atq; ita in reliquis etiam exemplis faciendum est. Da enim sapienti occasionem, & sapientior erit. *Lib. 3. epist.* 267.

S. Isidorus Pelusiota: Pleriq; mortalium (neq; enim omnes accusare fas est) mala quidem etiam sine cujusquam disciplina faciunt, bona autem adhibito quoq; magistro non intelligunt: atq; ea quæ pœnam & cruciatum spirant, sua sponte agere non intermittunt, quæ autem coronas accersunt, ne coacti quidem administrant: atq; illa, tametsi persæpe ne exempla quidem ulla habeant, pariunt: hæc autem, etiam exemplis ante oculos propositis, improbent, nedũ imitentur. Quam ob causam hæc scribam, fortasse non ignoras: nempe quia Zosimi & Maronis vitas comicum in modum proscidisti. *Lib. 3. Epist.* 310.

S. Isidorus Pelusiota: Exempla non per omnia capiuntur: alioquin enim non essent exempla & similitudines, sed res eadem. Etsi enim simplicitatem & morum probitatem, quæ in columba est, imitari nos jussit: tamen stoliditatem ejusdem fugere oportet: qualis est, verbi gratia, confugere ad eos, qui capere fatagunt. Quamquam enim lædere neminem oportet, tamen neq; lethales accipere plagas ab aliis convenit: neque ad eos currere, quibus liberari maximum est lucrum. Quòd si etiam testimonium evidens eorum quæ dixi, accipere vis, audi prophetam, dicentem: Et erat Ephraim ut columba amens, non habens cor. Si vero causam quoq; requiris, ipse eã statim adfert: Ægyptum invocabat, & ad Assyrios profugiebat. Duarum gentium, tyrannide & odio & antiqua avaritia iniquitateq; laborantium, alteram quidem in auxilium advocabat; ad alteram verò confugiebat, quasi salute ibi potitura. Quis ergo, inquit, hoc dementior esse possit, qui ad eos confugit, qui etiam capti, itatem & servitutem ipsius assiduè meditantur? *Lib. 4. epist* 137.

Isidorus: Non exigua ex maximorum præclarissimorumque virtutis operum commemoratione promanat utilitas. Nam & dormientes animas ad virtutem capessendam excusitat; & ignavas ac socordes excitatiores efficit: & vitiis indulgentes erubescere docet, atq; ad pœnitentiam agendam adducit. Idq; ostendens sapiens ille proverbiorum scriptor dixit: Favi mellis sunt sermones honesti. Honestos vocat, eos, qui de pietate ac virtute habentur, non illos, qui ascitia quadam venustate se venditant; sed qui ex seipsis quasi domo adferunt veritatis pulchritudinem: non qui tanquam in curru poetico aut oratorio vehuntur; sed qui nativam atque à Deo datam pedestrem semitam terunt. Et quid tandem hinc redit utilitatis? doce nos, quæso, ô sapiens! Dulcedo autem eorum (inquit) est sanatio animæ. Quoniam igitur constat, priscorum hominum præclara facinora, si crebris usurpentur sermonibus, non exiguam parere utilitatem: assiduè ipsorum egregia facta in cœtibus & colloquiis in medium proferamus. Multi enim morbi animorum, tam latentes quàm manifesti, hinc medicinam appositam & convenientem consequentur. *Lib 4. epist.* 172.

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam per epistolam quæsivisti, quare exempla non per omnia capiantur, & ad rem propositam accõmodentur, respondeo, ut sint exempla, & non rei (ut sic loquar) identitas evadat. Et omissis pluribus quæ hac de re dici possent, id quod dixi illustrare quantum potero, conabor. Sapiens quidam vir, filius inquam Syrachi, Qui sapientiam illam conscripsit, repræsentans Sapientiam velut personam quandam, cùm non inveniret quo pacto per unum aliquod exemplum, aut unam plantam ipsius pulchritudinem & sublimitatem, & suavitatem odoris, & alia quæ Sapientiæ adsunt, exhiberet, vagatus, quantum poterat, per omnia gignentia, & ab unoquoque genere colligens id quod maximè conveniens atque decorum erat ad eam repræsentandam, ita eam hominibus adumbravit, ut ab hac quidem planta pulchritudinem, ab alia sublimitatem, ab alia odoris suavitatem ac fragrantiam quasi mutuatus, & hæc velut in thesauro quodam reposita habens, non omnibus quæ plantis insunt, sed illis tantum, quibus ad imaginem absolvendam opus erat, adsumptis, occasionem lectori præberet aliquid cogitandi quod sapientia dignum foret. *Lib 2 epist.* 228.

S. Asterius: Salvator noster Deus, odium vitiorum studiumque virtutum non solum vetando præcipiendoque mortalibus ingerit, sed claris etiam exemplis certam instituendæ vitæ disciplinam tradit, factisq; simul, & verbis ad eam rectè pieque degendam impellit. *Homiliæ de Divite & Lazaro principio.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Haud difficile est ibi inire pugnam, ubi videas præcessisse victoriam. Cito autem sedet animis quod docetur exemplis. *Homilia 17.*

Zeno: Compendiosum felicitatis genus, alterius periculo discere quid debeas devitare. *Sermone 6. de Esaia.*

Ennodius: Emendatissimi homines, sicut derogari virtutibus suis æstimant, aliquos in diligentiæ testimonio prævios exstitisse: ita ignominiam reputant, negligere exempla. *Lib. 7. epist. 28.*

Ennodius: Ruina præcedentum posteros docet. Cautio est semper in reliquum lapsus anterior. *Vitæ Epiph c. 38 f.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Lucianus: Jam verò æquum est ut duarum rerum gratia de Demonacte verba faciam, ut & quantum in me erit, viri præstantissimi memores sint illius, & generosissimi quique juvenes, & ad philosophiam respicientes, possint non modo ad vetera exempla se componere, sed ab ætate nostra sumptam regulam sibi proponere, illumque imitari, qui omnium philosophorum quos novi præstantissimus fuit. *Principio de Demonacte.*

Aristides Rhetor: Qui scribendi periti sunt, ii literas in tabulis supra caput suspensis, postquam optimè & pulcherrimè depinxerunt, pueris ad imitandum pro viribus cujusq; proponunt, ita Impp. fratres quæcumque sunt inter homines pulcherrima maximis prodidere vitæ suæ exemplis, ut haberent singuli quod pro facultate sua imitarentur, ac in rebus suis gerendis, Regibus tanquam præceptoribus uterentur. *Oratione Panegyrica Cyzicena.*

Aristides Sophista: Solum calamitates reddit leviores exemplum. *Oratione Rhodiaca post terræmotum.*

Aristides Sophista: Hic præteriti percipitur temporis fructus, cum celeberrimis exemplis ad rem præsentem utimur. *Oratione ad Rhodios de concordia.*

Halicarnassæus: Neque apud peritos à copia exemplorum major est fides, sed sufficit eis brevis declaratio. *Cap. 26. de Isæo.*

Simplicius: Tu si nondum es Socrates, at sic ut qui Socrates esse velis, vivere debes. qui vero exemplum aliquod intuetur, & ad ejus similitudinem contendit, non committit qui semper in eo imitando elaboret. *Ad cap. 75. Epict.*

Libanius: Licet vobis ex omnibus hominibus maximè domesticis exemplis instrui, & quod efficitur, lucrari ex adversis casibus: hoc est ut eorum quæ anteverterunt experientia, sciatis cavere, quo minus in eadem incurratis. *Oratione Ulyssis ad Trojanos.*

Libanius: Malis exemplis adhærere minimè honestum est. *Declamat. 14.*

Libanius: Multorum parentes, ait, antea vincti fuere, attamen liberi nulli, pro iis carcerem intrare noluerunt. Quid ergo? si quis bonum aliquod auspicari possit, cunctabitur ne propterea quod inciendum sit, & non sequatur alios priores? Quanto justius esset hos quidem reprehendere, illum vero laudare, quàm hunc impedire ne faciat, quod non præclarè ab illis despectum fuit? in genere vero initium quoddam res singulas induxit. si autem exemplo semper aliquo opus foret, nulla unquam res exordium accepisset. *Declamatione decima octava.*

Libanius: In orationibus veritatem quærentibus, opus est ei qui dilucidè declaret quod libet, exemplis aliquot; quod omnes facere consuevimus: neque vero etiam omnino volenti hoc effugere licet. *Declamatione 29.*

Basilius Imperator: In mente semper habeto patris tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam studiosè componito: neq; enim socordiã vitam ociosè traducimus, neque in rebus gerendis ignaviter versamur: sed ut vita nostra pro viva imagine virtutis tibi proponi possit, sedulo agimus, inertiam in vitio ponentes, & laborem in laude ducentes. Cave autem ne præpostèrè atque importunè rebus utaris: sed ita te compara, ut & præsentis vitæ commodis fruare, ut mortalis: & futuræ bona consequare, ut immortalis. *Cap. 6.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Nunquam prodest malum exemplum: etiamsi in præsenti occasione quadam delectat, in futurum tamen altius nocet. *Declamatione 255.*

Quintilianus: In exemplum facillimè vitia proficiunt. *Declamatione 3 sub principium.*

Quintilianus: Quo ad altiorem quisque honorum gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet. *Declamatione 3. §. 12. f.*

Idem

Idem: Hæc conditio superiorum est; ut quidquid faciunt præcipere videantur: & pernicioſiſſimus eſt malæ rei maximus quiſq; auctor. *Declam.* 3. *S.* 14.

Plinius Iunior: Dices, non omnes Prætores tam ſeveri. falleris, nam vel reſtituere vel reducere ejuſmodi exemplum, non niſi ſeveri: inſtitutum reductumve exercere, etiam lenissimi poſſunt. *lib.* 4. *Epiſt.* 29.

Plinius Iunior: Cum aures hominum novitate lætantur, tum ad rationem vitæ exemplis eruditur. *fin. Epiſt.* 18. *lib.* 8.

Plinius: Perge modo Cæſar, & vim effectumque Cenſuræ tuum propoſitū tui actus obtinebunt. nam vita Principis cenſura eſt, eaq; perpetua. ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt quam exemplo, quippe infidelis recti magiſter eſt metus. melius homines exemplis docentur, quæ inprimis hoc in ſe boni habent, quod approbant quæ præcipiunt fieri poſſe. Et quis terror valuiſſet efficere quod reverentia tui effecit? Populus ille aliquando ſcenici Imperatores ſpectator & applauſor, nunc in pantomimis quoq; adverſatur & damnat effeminatas artes, & indecora ſæculo ſtudia. Ex quo manifeſtum eſt, Principium diſciplinam capere etiam vulgus: cum rem ſi ab uno fiat, leveriſſimam fecerunt omnes. Macte hac gravitatis, gloria Cæſar, qua conſecutus es, ut quod antea vis & Imperium, nunc mores vocarentur. Caſtigaverunt vitia ſua ipſi qui caſtigari merebantur, iidemq, emendatores qui emendandi fuerunt. *cap.* 46. *Paneg. ad Trajanum.*

Nazarius: Optima ajunt eſſe remedia quæ ad uſum corrigendi noſtri ex aliena calamitate naſcuntur, verum animus pravitate velut morbo impeditus delectum boni non habet. *Orat. in conſtantinum Aug. cap.* 2.

Symmachus: Inuſitatum cenſentibus exemplum modo vitandum eſſe reſcripſi, ne res juſto orta principio, brevi ad indignos per ambitum deveniret. *lib.* 2. *Epiſt.* 36.

Symmachus: Orationis hujus edendæ fiduciam favor civium dedit, nam ſpes alitur exemplis, & placiturum eſſe præſumimus, quod aliis jam placuiſſe gaudemus. *lib.* 4. *Epiſt.* 7.

Symmachus: Satisfaciendum videtur exſpectationi quæ crevit exemplis. *lib.* 4. *Epiſt.* 59. *m.*

Symmachus: Princeps nihil tale eſſet aggreſſus, ſi quis ante ſe alius deviaſſet. Corrigit enim ſequentem lapſus prioris, & de reprehenſione antecedentis exempli, naſcitur emendatio. *libr.* 10. *Epiſt.* 54.

¶ Poetarum.

Plautus Captivis 3. ſc. 5. v. 94.

Illic abductus eſt recta in phylacam, ut dignus eſt.
Ego illis captivis aliis documentum dabo?
Ne tale quidquam facinus incipere audeat.

Plautus Epidici 1. ſc. 1. v. 27.

—— Ubi arma ſunt Stratippocli?
T. Pol illa ad hoſtes transfugerunt. E. armane? T. atque quidem cito.
E. Serione dicis hæc tu? T. ſerio inquam hoſtes habent.
E. Edepol facinus improbum. T. at jam ante alij fecerunt idem:
Erit illi illa res honori. E. qui? quia ante alijs fuit

Plautus Moſtellar. 5. ſc. 1. v. 67.

Exempla edepol faciam ego in te. T. quia placeo, exemplum expetis.

Plautus Perſa 4. ſc. 2. v. 70.

—— Te de aliis, quam alios de te ſuavius
Fieri doctos.

Terentius Adelph. 3. ſc. 4.

Domi habuit unde diſceret. DE. fit ſedulo:
Nil prætermitto: conſuefacio: denique
Inſpicere tanquam in ſpeculum in vitas omnium
Iubeo, atq; ex aliis, ſumere exemplum ſibi
Hoc facito. SY. rectè ſane. DE. hoc fugito. SY. callidè
DE, Hoc laudi eſt SY. iſtæc res eſt. DE. hoc vitio datur.
SY. Probiſſimè.

Terentius Heautontim. prologo.

Habet bonorum exemplum, quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecere putet.

Terentius Heautont. 1. ſc. 2.

—— hoc
Scitum eſt periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet.

¶ Apologorum.

Æſopi Fabula Cancri.

Mater ad Cancrum; Quid vero obliqua eſt, inquit, fili, qua incedis via: cum debeat eſſe recta? Reſpondit ille, Præi mater viam, & eam, ut ſequar, annitar. Sed cum recta mater ingredi non poſſet, dementia ejus eluſit filium.

Avienus:

Curva retrocedens quum fert veſtigia cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens procedere greſſu
Talibus alloquiis præmonuiſſe datur:
Ne tibi transverſo placeant hæc devia nate,
Rurſus in obliquos neu velis ire pedes.
Sed niſu contenta ferens veſtigia recto
Innocuos prono tramite ſiſte gradus.
Cui natus, faciam, ſi me præceſſeris, inquit,
Rectaque monſtrantem certior ipſe ſequar.
Nam ſtultum nimis eſt, quum tu præviſſima tentes,
Alterius cenſor ut vitioſa notes.

¶ Emblematis.

Batillius 55.

Ex optimis præſtantiores vitæ magiſtros imitandos.

Iunonis, dicta dignos dum effingere vultus
Vellet, & exactum reddere pictor opus,
Ex Agrigentinis ſelectas quinque puellas
Ante oculos ſertur propoſuiſſe ſibi:
Quarum imitaretur forma quos neſſet honores,
Vna in quaque magis quod q; nitere decus.
Hinc tu quos ſupra ire alios probitate videbis
Exemplar vitæ ſumere diſce tuæ.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Ieſus Chriſtus: Inſtructus redditur animus in futuris, quando præteritorum commovetur exemplis: auctor eſt Caſſianus. hinc Mundi Redemptor tranſiturus ad Patrem, poſtquam abluiſſet pedes diſcipulorum, rogabat eos: *Scitis quid fecerim vobis?* & paucis interjectis: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ille demum magiſter aliorum vocari dignus, qui ſe illis præbet bonorum operum exemplum. *Ioan. cap.* 13.

S. Martinus Epiſcopus Turon. Detinebatur ille vi febrium in lectulo per multos dies: neque tamen ideireo à Dei opere ceſſabat. & pernox in oratione ac vigiliis, fatiſcentes artus ſpiritui ſervire cogebat; nobili illi ſtrato cilicio & cinere recubans. Rogatus autem ut ſaltem vilia ac modica ſtramenta ſuo corpori pateretur ſupponi, *Non decet*, ajebat, *filij, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe pecco.* Vt. Probe ac ſcitè ille:

Sic agitur cenſura. & ſic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipſe facit.

Sulpit. in vita.

Macarius Abbas: Simili etiam modo Macarium reſpondiſſe tradunt. Cum enim apud eum verba faceret religioſus quiſpiam de abſtinentia, eamq; ſibi admodum duram videri diceret, ille, *Confide fili*, ait: *per annos viginti, neq; pane, neque aqua, neque ſomno ſatiatus ſum.* Ita ſuo exemplo alterum ad abſtinentiæ virtutem incitabat. *Socrat. lib.* 8 *hiſt. Trip. cap.* 1.

S. Tranquillinus: Audiverat iſte Zoen uxorē Nicoſtrati pro Chriſto neci dandam, ejuſq; exemplo permotus, *Quid*, inquit, *fœminæ nos ad martyrium præcedant? indignum.* Itaq; ſe Chriſtianum profeſſus, lapidibus obruitur. *Sur tom.* 1. *in vit. S. Sebaſt.*

S Ludovicus F. R. Et de illo memoriæ proditum, quod, cum inquiſiſſet ex quodam aulicorū, lavaretne ſuorum pedes feria quinta majoris hebdomadæ, & ille ſibi hoc indecorū videri diceret, ſubintulerit: *Quid, indecorum? non debes abhorrere quod ſuo nobis exemplo exhibuit Dei filius, qui hoc die diſcipulorū pedes lavit. Quanto minus tu faceres, quod modo Angliæ Rex, qui leproſorum pedes hoc die non lavare tantum, ſed exoſculari etiam conſuevit. Ionvil. vita eius cap* 84.

Religioſus Anonymus: Factam de Ludovico mentionem, haud injuria ſequetur Franciscani cujuſdam Religiosi prudentia. Aperuerat huic Ludovicus Caroli II. Siciliæ Regis filius, dum in Cathalonenſi detineretur cuſtodia, ſe votum Deo feciſſe perpetuæ caſtitatis, & capiendi inſtitutum D. Franciſci. cumq; dubius hæreret, quo tandem loco propoſitam rem exequeretur, pius pater dilationis periculo ob oculos poſito, quantumq; ſuo exemplo ſplendoris aliis allaturus ſit, demonſtrato, *Cogita*, inquit, *quantum exempla bona proſunt: magnorum numq; virorum non minus memoria, quam præſentia eſt utilis. Ex vita S. Ludovici Epiſcop. Toloſ. cap.* 11. *impreſſa apud Ioan. Moretum.*

S. Dorothea Virgo: At in fœmina quoque ſatis illuſtre habemus exemplum. Dicente Sapritio Præſide virgini Dorotheæ, diis ſacrificaret, ni legibus acta amaris, exemplum timoris dare eligeret, hoc reſponſum dedit: *Omnibus dabo exemplum timoris Dei: ut hi qui timent Dominum, homines rabidos non timeant. Sur. tom.* 1. *in vita.*

Franciſcus I. Gall. Rex: Prodeat hic etiam in arenam Franciscus, quem ſolitum dicere iis, qui è Cæſario carcere reducem ad reſtaurandas copias incitabant, auctor eſt Peucerus: *Vos non interfuiſtis prælio ad Papium.* ita ſemper animo ſe offerebat infelicis illius prœlii crudele exemplum. *Peucerus in lect. Chron. anni* 1574.

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; exemplo nec docetur recte quid, nec diſcitur.
Abſq; iniquitate magnum non fit exemplum in reos.
Dædali ſequitur volatus prudens, vitat Icari.
Diſplicet quoq; auctori ipſi quod fit exemplo malo.
Ex aliis facito periculum, ex uſu quod ſiet tibi.
Exemplo rei doceri geſta minimè eſt arduum.
Exemplum bonum circuitu ad facientem revertitur.
Exemplum cape ex amicis quid cavendum ab hoſtibus.

Exemplum omne magnum iniqui quod habet, est bono omnium.
Exemplum patisuum aqua mente quis quaeso neget?
Exemplum sequitur Senatu Eques, Equitis vero tribus.
Magnum omne exemplum aliquid in seipso iniqui habet.
Mente quis recuset aqua exemplum pati suum?
Neminem naufragia aliena absterruere unquam a mari.
Nil docetur absque exemplo recte, nilve discatur.
Nunquam exempla ibi consistunt, unde originem trahunt.
Omne magnum exemplum iniqui quippiam in se continet.
Omnis res anterior normam posteriori praebuit.
Per precepta, longum iter est, per exempla, breve & efficax.
Plurimum praecepta possunt, plus sed exemplum valet.
Plurimum refert bonum inducatur exemplum an malum.
Posteros docet ruina caca precedentium.
Qui dat exemplum, bonorum idem auctor est sequentium.
Quid cavendum, quid sequendum sit probe exemplum docet.
Quidquid exempli est egena e plebe, idem est ignobile.
Qui suum exemplum recusat mente aqua pati, est ferus.
Quod nullo inter homines constat exemplo, a Deo venit.
Regulam ad praxim excitare recta fabrica haud queat.
Tam malum, exemplo malo uti, quam bono haud uti malum est.
Testare exemplo sequenda, si quae verbis asseris.
Tuto ibi fiat periclum visa ubi pedum est via.
Vix sine exemplis perspicue magna res ostenditur.

¶ Jambica.

Accedere exemplis minime decet malis.
Bonus sequitur bonum exemplar, malus malum.
Docere exempla, ratio fidelissima est.
Durant diu mores, exempla diutius.
Exempla honesta mores procreant mali.
Exempla, in eos redundant qui faciunt, mala.
Exempla more hominem excitant domestica.
Exempla quis non aquo animo ferat suis?
Exempla Regum plus nocent quam crimina.
Exemplar testimoniorum obtinent locum.
Exemplum habere res ad omnes quas quas?
Exemplum honestum aliorum ex culpa gignitur.
Extra metum est, quod est sine exemplo malum.
Idoneo quidquid fit exemplo, licet
Mala cuncta exempla, initio orta sunt bonis.
Mala in futurum exempla ladunt alios.
Meum caput contemples siquidem ex re consultas tua.
Minime malo fit, quod fit exemplo tuo
Multa inchoamus absque exemplo pravo.
Non aemulandum exemplar est, nisi optimum
Non invenit magnum exemplum nisi sors mala.
Non judicandum exemplis est sed legibus.
Nullum suo sine exemplo existit nefas.
Nunquam a malis sumuntur exemplaria.
Plus excitant exempla domestica exteris.
Prudens ex alijs sumit exemplum sibi.
Quidquid bonorum exemplo fit facere id licet.
Quidquid fit exemplo, fit excusatius,
Quod est sine exemplo, est sine metu item malum.
Quod fit sine exemplo, esse honestum non potest.
Tu me superbum, Priame, tu timidum facis.
Vix est uti fiant ad exemplum omnia.
Vulnus aliorum nostra fiat cautio.

Exercitii.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Adolescentibus sufficit gymnasium, etiamsi adsit balneum. Etenim ut hæc viri quoq; longe balneis anteferat, forte non malum fuerit, ut quæ habeant aliquid quod juvenibus confert ad sanitatem studiumque ac laudis cupiditatem afferunt, ut non solum bonæ corporis habitudinis, sed etiam animi magnitudinis curam gerant. Quod si fiat ita ut à rebus interim melioribus non abstrahantur, scitum est & non inutile. Neque vero hic sunt abducendæ mulieres à labore corporis, sed non ad luctam & cursum adhortandæ sunt: verum in lana & tela sunt exercendæ, & ut pistrici adsint si opus sit. Præterea autem ipsas per se uxores oportet, ex penu afferre ea quibus opus habemus: & neque eis ad pistrinum aut molendinum accedere turpe est, sed neqsin coquendo obsonio versari, modo id sit marito gratum, mulieri domus custodi & auxiliatrici est dedecus. Jam vero si & per se poterit, vestes stragulas excutere, & sitienti marito potum præbere, cibumque apponere honestissime, seq; ad moderatam sanitatem ita exercuerit: talem mulierem suscipit pædagogus, otiæ cubitos extendit ad ea quæ sunt utilia, manus suas colo fulcit, easdemq; pauperi aperit, carpum vero mendico porrigit, nec, imitatione Sanæ viatoribus succurrere erubescit. Dixit enim ei Abraham: Festina & commisce tres mensuras similæ, & fac subcinericios. Rachel autem filia Laban veniebat, inquit, cum ovibus patris sui. Nec ea sufficerunt, sed docens quam ab omni esset fastu aliena, subjunxit: Ipsa enim pascebat oves patris sui. Alia nobis innumerabilia præbent Scripturæ exempla frugalitatis, laboris, & etiam exercitii.

Ex viris autem alii quidem nudi luctentur: alii verò parvo quoq; globo ludant, eo ludo quem Pheninda dicunt, maximè in sole. Aliis vero sufficit deambulatio rus euntibus, vel in urbē descendentibus. Quod si etiam ligonem tractaverint, non est hæc illiberalis nec sordidus quæstus œconomus, ad agricolam pertinentis exercitii. Cæterum oblitus sum propemodum dicere, quod Pittacus ille rex Mitylenæorum monuit, eo tāquam efficaci utens exercitio. Pulchrum est autem etiam aquam per se haurire, & ligna scindere quibus sit usurus. Jacob autem pascebat oves Laban quæ relictæ fuerant, regale habens signum, virgam styracinam, quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius. Multis quoque quæ alta fit voce lectio, est exercitium. Jam verò lucta quoque: quam admisimus, non assumatur gratia inutilis contentionis & vanę gloriæ cupiditatis, sed ut viriles excernantur sudores. Nec verò laborandum est in ostentando ea in re artificio, sed recta lucta certandum est, collorum, manuum, laterum explicatione & motu. Est enim honestior & virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo exercitio, quæ utilis & cōducibilis sanitatis gratia assumitur. Reliquæ sunt aliæ, quæ gymnasticæ, non liberalium vitæ studiorum meditationem profitentur. Modus autem est ubique attendendus.

Quemadmodum enim est optimum labores cibos præcedere: ita supra modum laborare, est & pessimum & laboriosum, & morborum causa. Neque ergo oportet esse omnino ociosum, neque esse omnino nimis laboriosum. Sicut enim de alimento diximus, ita etiam dicēdum est ubiq; in omnibus. Non ad voluptatem luxuriosamque rationem vita agenda est: nec rursus ad contrariam & quæ nullum habeat temperamentum, sed eam quæ inter hæc medium locum obtinet, estq; temperata ac moderata, & pura ab utroque vitio, delitiarum scilicet & parcitatis. Jam vero, virtus quæ ipsa sibi sufficit, est exercitium à fastu alienum: ut exempli gratia quis ipsi sibi calceos induat, pedes lavet, oleo unctum confricet. Porro autem ei quoque qui fricavit, mutuam dare operam, id quoque est communicativæ justitiæ exercitium: & dormire juxta amicum ægrotantem, quique non potest sibi ipsi ministrare, & egenti ea quæ sunt necessaria apponere. Et apposuit eis, inquit, tribus Abraham prandium sub arbore, & adstitit eis comedentibus. Piscatio quoq;, quemadmodum Petro, si nobis superfuerit à disciplinis ocium. Hæc est autem melior piscatio, quam Dominus largitus est discipulo, qui tanquam pisces in aqua, homines piscari docuit. *lib. 3, Pædagogi cap.* 10.

Chrysostomus: Porro qui exercetur, etiamsi tempus luctaminis deest ipse tamen anxietate non vacat, & quasi in procinctu certaminis positus, omnia gerit, ab omnibus abstinet, totusq; in certamine est, & pulvere semper, sudoreque respergitur. *Homilia* 12. *ad Timoth.* 1.

S. Isidorus Pelusiota: Cum opus omne lucet, si studio & meditatione excultum sit (nam quod studio & exercitatione minime compingitur, facilè extinguitur:) virtus potissimum quotidiana exercitatione colenda est. Nisi enim excolatur, folia abjicit, ac fructum amittit. Quo etiam illud scilicet spectat, quod mihi explicandum proposuisti, Videte ne perdatis quæ operati estis. Languor enim atque inertia labores ante susceptos, quantumvis clari & illustres sint, extinguet: studium autem ac diligentia præcedentem quoq; desidiam & socordiam abolebit. *lib. 2. Epist.* 300.

S. Isidorus Pelusiota: Cum omnes artes usu atque exercitatione confirmentur atq; incrementa capiant, cessatione autem ac desidia intereant, tum præcipue dicendi facultas. Nam cum colitur & irrigatur, maxime crescit: cum autem negligitur, facile abscedit & avolat. Quorsum autem his verbis utar, fortasse minime ignoras, qui divinam sapientiam ac virtutis cultum assiduis incrementis augere atque amplificare debes. *lib.* 3 *Epist.* 96.

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Virtus magna in minoribus semper experimentū capit. Sic rudis miles, prius quam ad pugnam veniat, adversus arborem truncatam robur exercet, & inductæ manus vulnera ludendo componit. nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum cursu ventos imitatur. In tantum denique proficit studium, ut pene minor labor sit vicisse hostem quam exercuisse virtutem. In similibus ergo præludendum nobis est, & aptandus est studiis animus ad fortiora venturus. virtus enim quæ in parvis promitur, facilius in maximis exhibetur. Sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus tolerare. *Hom.* 16. *fin.*

Ennodius: Nisi edomitam terram terque & quater agricolæ ligonibus scripserint triticeā messem pāliurus superabit & lolium. Minus Palladium, & cana nemora bacis plurimis cultura locupletat. India multo sudore, quo se jactat, hebenum nutrit Sabæi virga cespitis manu cessante non proficit. Industria fecit, quod Pæstanicis rosas dumeta pepererunt, quas de spinis, ceu terræ sidera, labor exigit. Felix est operantis instantia, quotiens glebis uberibus manus adhi-

adhibetur. Tunc fessa brachia succo effusæ valetudinis intumescunt, quando integrum fœnus ruriculis arva dissolvunt. nascitur exercitii desiderium de fertilitate telluris. vomerib. agendum est, ut per palmites exuberet dos autumni. Nunquã spumantia labris musta meruit, nisi qui vitium luxuriem curva falce resecavit: & in diversis cultibus pluriquam vini acciperet, liquoris effudit. *dict.* 8. §. 1.

Ennodius. Ad eluctatam reducitur usu dicendi pereunte senectus intantiam. Exercitus Olympicis certaminibus de palma confidit eculeus, & ũ nõ otio debilitetur, in suo jure credit esse victoriam. semper et coronam blandimentis efficacibus spes promittit, nisi velocitati præmium desidiæ languor exeutiat. Artifex jaculandi de triumphis securus optat incerta: & cui occurrit semper in acie gloria, longa pace superatur. poctarum hederas nobilioribus corymbis, & viridanti specie nutrix ingenii comit afflictatas. cessante frequenti probatione mutescunt ora causidici. educatus in populis æquor liquidum sine terrore nauta perluitrat: qui si ad terrenam vitam duxat officia, nec itinera astrs, nec eventus deprehendit auspiciis. Agricola si aliquando vomerem illectus urbanitate contemnat, in devũ bobus dum scribit terga rapietur. Ergo sicut artium in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis est negligentia. *Dictione* 11. *pr.*

Ennodius: Jam illud quo ore celebrandum est, quod Getici instrumenta roboris, dum provides ne interpellentur otia nostra cultoris, & pubem indomitam sub oculis tuis inter bona tranquillitatis facis bella proludere? Adhuc manent in soliditate virium victricia agmina, & alia jam creverunt durantur lacerti missilibus, & implent actionem fortium, dum jocantur. agitur vice spectaculi, quod sequenti tempore poterit satis esse virtuti. Dum amentis ucrilibus hastilia lenta torquentur: dum arcus quotidianæ capitalia neces dirigunt, Urbis omne pomerium sine lacro congressionis atteritur. agit figura certaminum, ne cum periculum vero nascantur. *Panegyr. Theoder. cap.* 23.

Ennodius: Non æqua ad secandum virtus est politæ laminæ, & ejus quam rubigo possederit: nec parem conflictum arius poterit & rorpor assumere. *lib.* 1. *Epist* 15. *a f.*

Ennodius: Semper eruditos & fortes reddidit quotidiana decertatio, quomodo pax prolixior solutos. *Vita Antonij cap.* 10 *f.*

Ennodius: Simile est, rudem instituere, & ad declamationis affectum revocare jam desidem. *Carminus* 6. *fine*.

Io. Sarisberiensis: Artem rei militaris Lacedæmonii tradidisse dicitur. Unde & Annibal Italiam petiturus, Lacedæmonium quæsivit ductorem armatorum. Athenienses ita erant animati, ut vellent militem nondum emeritum, exercitio & labori jugiter assuescere. nam hæc solent in castris sanitatem, & in conflictu præstare victoriam. *libro* 6. *Polic. cap.* 19.

¶ Philosophorum Historicorum Græcorum.

Xenophon: Interea vero, dum hostes adventare quidem illi dicerentur, nec dum tamen adessent: Cyrus & corpora suorum adrobur exercere. utebatur, & ordinum rationem ostendere, & ad res bellicas animos acuere. Ac primum adparitoribus à Caxare acceptis, mandabat, ut abunde militibus singulis omnia, quibus esset opus, parata suppeditarent. Quod quum ita curasset, nihil jam militi reliquum erat, nisi rei militaris exercitatio. Videbatur enim animadvertisse sibi singulis illos in rebus effici præstãtissimos, qui animum & studio rerum plurium revocantes, multarum rerum occupationibus, uni se totos darent. Quin etiam militibus ab arcus & jaculorum exercitiis abstinere jussis, hoc reliquit, ut duntaxat instrui, gladio, crate, lorica, pugnarent. Itaq; statim sic eorum præparavit animos, ut vel cõminus cum hoste congrediendum statuerent, vel fatendum, se nullius in bello momenti socios esse. Id vero fateri grave est illis, qui aliam nullam ob causam annonas accipere sentiunt, quam uti pro illis pugnent, qui eas præbent.

Præterea quum in mentem ei veniret, homines ad illa exercitia multo alacriores esse, quæ cum quibusdã contentionibus suscipiuntur: certamina militibus indixit earum rerum omnium, in quibus exerceri milites, utile judicaret. Erant autem hæc quæ indicebat: Militi gregario præfectis se obœdientem exhiberet, ad labores impigrum, ad subeunda pericula promptum, sed ordinis tamen observantem, peritum rerum militarium, in armis elegantiæ studiosum, & in hujusmodi rebus omnibus laudis avidum. quinario, ut & ipse boni militis gregarii more se gereret, & quinionem, provirili talem exhiberet: decurioni, ut decuriam: manipulario, manipulum: itidemq; præfectõ cohortis, & aliorum præfectorum unicuique, tum ut ipse culpa & reprehensione vacaret, tum daret operam, ut constitutos suo sub imperio duces vicissim sibi subjectos in officio continerent.

Præmia vero proponebat, cohortium quidem præfectis, ut qui cohortes longe optimas reddidisse viderentur, tribuni erent: manipularibus autem, ut qui manipulos effecisse optimos viderentur, eorum in locum succederent, qui fuissent præfecti cohortium: itidem optimi decuriones in manipulariorum, quinarii in decurionũ, gregariorum militum præstantissimi quinariorum in loca substituerentur. Atq; omnes hi præfecti primum hoc habebant, quod à subjectis sibi colerentur. deinde honores etiam alii quos cuiq; par erat tribui, sequebantur. Quin & majores spes laude dignis ostentabat, si qua sequuturo tempore fortuna lautior adfulsisset. Totis etiam cohortibus, totis manipulis, decuriis, quinionibus præmia victoriæ promisit, si præfectis se suis obœdientissimos declararent, & exercitationes demonstratas summa cum alacritate obirent. Præmia quidem erant ejusmodi, qualia multitudini conveniunt. Atque hæc sunt, quæ & ipse indicebat, & in quibus se miles exercebat. *cap.* 7. *lib.* 2. *Cyropædiæ*.

Xenophon: Fortassis autem plerique illorum, qui philosophari se profitentur, dixerint: justum hominem numquam injustum fieri, neque ex modesto petulantem: neque in quoquam illorum, quæ discendo percipiuntur, eum, qui didicit, indoctum posse fieri. Vobiscum mea de his diversa sententia. Video enim perinde, atq; corporis actiones ab iis suscipi non possunt, qui corpora non exercent: sic etiam actiones animi non posse ab iis perfici, qui animum non exerceant. Nec enim ea, quæ faciunda sunt, facere: nec ab iis abstinere, a quibus abstinendum erat, possunt. Quæ causa est, quamobrem parentes filios suos, tametsi modesti sint, nihilominus ab improbis hominibus arceant: quippe quod bonorum consuetudo, virtutis exercitatio sit; malorum autem, ejusdem exitium. In quo quidem nobis etiam poeta testimonio est, qui ait:

Tradent nempe boni bona, sed si vixeris inter
Pravos, amittes quod tibi mentis adest.

quique rursus ait:

Vir bonus interdum male, mox bene se gerit idem.

quibus sane testimonio meo & ipse adsentior. Nam, uti video, perinde atq; illi, qui se non exercent, carminum certa lege compositorum obliviscuntur: sic & præcepta doctrina ab iis oblivioni tradũtur, qui negligentes sunt. Quum autem aliquis illorum præceptorũ obliviscitur, quibus ad virtutem excitatur: eorum etiam oblitus est, quæ dum percipiendo animus adscitu, mentis sanitatem ac modestiam adpetit. Eum vero, qui horum obliviscitur, mirum non est, ipsius etiam oblivisci modestiæ.

Video etiam illos, qui ad potandi studium plus equo profecti sunt, & amoris impliciti, minus ea pote curare, quæ erat necesse, minusq; ab iis abstinere, à quibus abstinendum erat. Nam multi, qui etiam pecuniis parcere prius poterant, quam amarent, in amorem prolapsi jam non amplius id possunt: absumtisq; pecuniis, ab iis luctis, à quibus ante se continebant, quippe quæ turpia ducerent, abstinere nequeunt. Cur igitur fieri non possit, ut qui ante modeste fuerit, deinde non sit modestus: & qui juste agere potuerit, deinde non possit? Equidem omnia bona & honesta comparari exercitatione posse statuo, maxime modestiam. Nam in eodem corpore voluptates animo insitæ persuadent ei, ne temperanter ac modeste se gerat, sed quamprimum & ipsis & corpori gratificetur.

Quamobrem etiam Critias & Alcibiades, quam diu cum Socrate versabantur, quod illum opitulatorem haberent, cupiditates inhonestas vincere poterant: verum postea quam ab eo discessissent. Critias quidem, quum in Thessaliam fuga se recepisset, consuetudine hominum istic utebatur, qui vitam facinorosam potius, quam justam agerent: Alcibiades autem, postea quam eum, ob elegantiam formæ, multæ ac speciosæ mulieres venatæ essent, atq; ipse propter potentiam, quam in urbe, & apud socios obtinebat, à multis hominibus, isq; adsentandi peritis, dissolutior esset, & à populo honorem ei habente coleretur, facileq; primas obtineret: perinde ac athletæ, qui gymnicis in certaminibus facile primas adepti sunt, exercitationem negligunt, sic & ipse seipsum neglexit. Hujusmodi ergo quum illis accidissent, ac non solum ob generis nobilitatem intumuissent, sed etiam propter opes elati essent, inflati præterea potentiam, dissolutiones multorum hominum opera facti, & his adeo vitiis omnibus corrupti, quum etiam longo tempore abfuissent à Socrate, quid mirum erat, eos insolentes, evasisse! *cap.* 9. *libr.* 1. *Memorabil. Socratis*.

Simplicius: Moderata & accommodata viribus exercitatio, ut tuta, ita & efficax est. *ad cap.* 17 *Epict.*

Plinius Major: Abstinere cibo omni, aut potu, aliàs vino tantum aut carne, aliàs balneis, cum quid eorum postulet valetudo, in præsentissimis remediis habetur. his remediis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, ungue fricari cum ratione: vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit: multa admit corpus: auget modica. *libr.* 28. *Natur. histor. cap.* 4 *extremo*.

Libanius: Sic certe res habet: ad virtutis & vitii fastigium exercitiorum studia homines perducunt. *Progymnasmate contra Tyrannum*.

Leo Imperator: Deinceps jam de exercitatione quæ bellica certamina debet anteire, numero & paucis, o imperator, verba faciam, ut per istas exercitationum periclitationes, ad vera pericula eos assuefacias. Imperitia enim ad subitas & irruentes rerum aggressiones cæca & incita esse solet.

2. Hyeme aut alio quovis tempore, quando intermissio belli est, aut excursionum in hostili terra relaxatio, assuefaciendi ad patientiam laborum sunt milites, & bellicosi operosique assiduitate reddendi sunt, neq; in otio & desidia esse sinendi. Etenim otium languida & soluta facit corpora, desidia timidas & effœminatas reddit mentes. Voluptates enim quotidie inescantes fortissimum quemq; corrumpunt. Quando autem longo tempore interpositio ad labores veniunt, neque lubenter sustinent, neque diu durant, sed statim refugiunt priusquam periculum laborum bellicorum fecerint: sin in periculum venerint, facile iterum discedunt, neque ad perferendos labores, neq; ad suscipienda pericula idoneri sunt. Quare bonum ego judico imperatorem, qui tum præparat tum disponit omnes res, omniaq, negotia ad usus bellicos spectantia, quando req

bellicæ

bellicæ nulla neceſſitas urget. Exerceto autem eos his moribus & inſtitutis.

3. Primum, unuſquiſq; miles in aliquo negotio ſit. Graves autē, id eſt, ſcutatos pedites, vel qui univerſam armaturam geſtant, ad ſingulare certamen cum ſcutis & virgis inter ſe exerceas.

4. Ad conjicienda eminus jacula & matzuarbulum, quod nunc dicitur Saliba, vel tzicurim.

5. Levem armaturam exercebis, ad ſagittas celeriter jaciendas, in haſtam aliquam altam eminus defixam.

6. Ad jacula eminus conjicienda & fundas.

7. Equites exercebis ad ſagittas celeriter jaciendas: celeritas enim præparat ſagittam, tum ut facile ex arcu excutiatur, & cum impetu emittatur: quod neceſſarium eſt, & iis qui equis vehuntur in primis conducibile.

8. Atq; etiam ut pedites ſimiliter èminus jaciant ſagittas, ſive in haſtam, ſive in quodvis aliud ſignum.

9. Ut ſagittas in omnes partes equo currente jaciant, antè, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum. In equum ut exilire poſſint.

10. Ut ſagittas contentè jaciant ex equo currente, unam atquè item alteram, & intentum arcum cōfeſtim in corytum ponant, ſi latas ſatis corytus fuerit: ſin minus, in ſemicorytum ad hoc ipſum opportunè factum ponant, & haſtam humeris ſuis geſtatam ſtatim in manus ſumant. Poſteaquam autem arcum in coryto intentum habuerit & ſumpſerit haſtam, in humero iterum haſtam ſtatim ponat, & arcum ſine mora aſſumat.

11. Ut invadant ſe mutuò quo viri, & recedant, & rurſus ingruant & evolvant ſe ad modum paracontarii.

12. Utile vero eſt in ipſo itinere faciendo, ut quidam ex illis ſuis locis ſe exerceant, & conentur hæc ex equis facere, hoc modo ipſum iter expeditum erit, & equi minus atterentur.

13. Si contingat in expedito commorari exercitum, id eſt, in eo loco ubi coactus eſt, omni eo tempore ne unus quidem ex militibus quantum fieri poteſt otioſus ſit, ſed ad laborem ut dictum eſt, aſſuefaciendi omnes ſunt, & interdum prædicto more exercendi, interdum in acie, & inter ſe, interdum in armis ſuis detergendis & nitidandis occupentur. Otium enim non ſolum ignavos & effœminatos facit, ſed etiam ad inania quædam & turbulenta cogitanda animum traducit. Ad voluntarios labores ſi ſe exerceant, facilè etiam coacti labores perferent, & ad imperata facienda aptiores erunt.

14. Nec ſigillatim modo exercebis eos, ſed generātim etiam aſſuefacies ut ſuas ſtationes perfectè cognoſcant, & in illis commorentur. Et aſpectu & nomine familiariter ſe mutuo agnoſcant, & ſub quo præſecto miles unuſquiſq; ſit, in qua cohorte, & quibus cum viris in contubernio collocetur.

15. Cognoſcat etiam celeriter mandata quæ à præfectis dantur. Cum præcipitur ut extendatur acies ſive in longitudinem ſive in latitudinem, vel ut cogatur & contrahatur in denſitatem, vel ut inclinatio fiat in dextram aut ſiniſtram partem, vel ut ordinum commutatio, & intervalla ſtationum à viro ad virum fiant, vel ut ſeparatæ ſingulorum agminum denſitates vel raritates, vel ut mutui occurſus & diſceſſiones ſive adventantium ſive recedentium ſint, & contuberniorum ſive ordinum inter ſe partitiones, ſeparationes, & inſtructiones fiant.

16. Vel ut phalanx, id eſt, univerſa acies aut in arctum contrahatur, aut in longitudinem producatur, vel ut diſtomos, id eſt, anceps acies fiat, hoc eſt, quando κέρατα, id eſt, caudani, poſt univerſam aciem converſi adverſus hoſtes qui circumvallare exercitum conantur, quaſi præſtites pugnant, & a tergo ſimiliter dimidium contubernium ad illos convertunt, vel ut iſtarum commutationum inclinationes & traductiones fiant.

17. Qui ad iſtā aſſuefacti ſunt milites, celeriter, ut ità dicam, & ſua ſponte ad aciem hanc feruntur. Qui iſtarum rerum inſueti rudeſq; ſunt, magno cum negotio & moleſtia ad imminentia pericula in acie conſtitui poſſunt.

18. Ubi exercitum diviſeris, ſive ferreis armis inter ſe committantur, vel cum haſtis ſine cuſpide, vel ſagittis ſimilter, vel, ut prædiximus, pro gladiis utantur virgis vel ferulis, vel calamos pro haſtis tradas. Sin glebas habeat tellus in qua exercentur, conjicere eas jubebis in ſe mutuò inter confligendum: interdum charzaniis vel iis ſimilibus in prælio utantur.

19. Accli ves illis colles monſtrans, jube ut cum curſu conſcendant: & in eos qui jam colles occupant, jube alios quoſvis milites invadere, qui illos ſi poſſint depellant.

20. Ubi milites jam exercueris, illos dimittes, & aliis trades illorum arma, & manentes atq; in hac exercitatione ſtrenuè ſe gerentes collaudabis, eos qui ſocorditer & effœminatè ſe gerunt, exacues, & excitabis ad offenſas illorum corrigendas.

21. Tali enim induſtria ac exercitatione non ſolum ad labores parator eſt exercitus, verumetiam ſanitatem melius tuetur, & cibo potioneque ſuavius fruitur, quanquam vilior ac tenuior fuerit. Et corpus valentius firmius habet, ſi ſudoribus, caloribus, aprication-ibus, frigoribus, tempeſtatibuſq; aſſuefactum fuerit.

22. Similiter exercebis equites, ad decertationes quaſdam & dimicationes, inſectationes, confligiationes, velitationes, & ſagittarum jaculorumq; emiſſiones, & quæcunque deinceps tibi ſuſius exponam.

23. Hæc faciant in locis planis & campeſtribus, & ad montium pedes, & ad aſpera quoq; loca quantum poſſunt accedant.

24. Non modo mihi, verumetiam majoribus noſtris viſum eſt perneceſſariū eſſe, ut cum in campeſtribus & planis locis ad curſum exerceantur equi, tum etiam in editis & condenſis & aſperis locis, ut hæc loca agmine facto tranſeant, atq; etiam ad declivia ſimiliter ſe præparent. Si enim ad hunc modum aſſuefacti fuerint, neq; homines neq; equos ullus locus vel offendet vel lædet.

25. Æſtate ne equum ad crebrò bibendum aſſuefacias. Qua de cauſa minus utile eſt propter fluvium caſtra ponere.

26. Aciem horum inſtruas in aſperis & aviis locis, & cohortem ipſam permittas ita uti eſt inſtructa, agmine facto ea loca conſcendere, atq; iterum deſcendere.

27. Quicunq; ſuis equis parcentes iis exercitationibus abſtinent, hi quantum in ſe eſt ſuam ipſorum ſalutem produnt.

28. Deinceps par eſt, quanquam verecundè, paucis tamen veterum motus bellicos & præcepta explanare, ut in illis quoque exerceas tuos, & illos tum dicto tum facto ad rem bene gerendam, & rem militarem cognoſcendam excites. Nam poſteaquam unumquenque militem tum equitem tum peditem ſeorſim exercueris, unamquanq; etiam cohortem ſive bādum ſeparati etiam ad hunc modum exercebis.

29. Cohorte equitum ex ordinibus ſive contuberniis diſpoſitè & ordinatè conſtituta, narrabit mandator imperata illis ad hunc modum.

30. Ubi conflictatio eſt, nullus anticipet, nullus tardet, donec hoſtes tuos perſequaris. Si extra conſpectum frontis exercitus iveris, intuere in cohortem, perſequere, non quaſi ignavus, ſed quaſi fortis miles, neque ullius exhortationis gratia, aut ulla alia de cauſa ceſſes. Cuſtodi miles ſtationem tuam. Obſerva tu ſigniſer, ubi hoſtem oppugnaveris, ut eum perſequaris. Si extra conſpectum aciei diſceſſeris, ne vehementer in campo curras, ut ne aciem tuam diſſipes.

31. Cohortis equitum exercitatio per ſe talis eſt, ut ordinatè ſe quaſi in acie moveat, vel curſu ad aliquod ſignum contendat, & ibi conſiſtat; & quando ciere cohortem vis, voce vel buccina, vel nutu flamuli ſignificare oportet, & ſic cieto. Quando autem eos conſiſtere vis, vel voce illis ſignificato, Sta: vel ſcuti ſtridore, vel tuba, quæ nunc buccina vocatur, vel ſtaurea. Et hoc unum movendi genus eſt.

32. Aliud movendi genus eſt; ut æquabiliter procedant, laxo quodam diſiuncti intervallo, & tum præcipe his verbis: Æqualiter procedite.

33. Aliud genus eſt, ut ad latus idoneè denſentur, & ad caudam ſimiliter denſentur. Hoc verbum σφίγγεσθαι, id eſt, denſari, ſignificat cogi in unum; ut lateribus atque humeris prope ad ſe mutuò accedant. Præcipe ut ad latus ſe denſent decani ad decanos, quintani ad quintanos, quartani ad quartanos, & denſentur omnes, ut dictum eſt, latera lateribus adjungentes: nequam alteram partem denſent ſe ad medium ſtatorem, id eſt, ſigniferum, ut hinc atque illinc ei adjungantur: breviter enim & ordinate talis denſatio fit. Quemadmodum autem decani æqualiter ſe in fronte contubernii collocant, ſic & quartanos ſive caudanos æqualiter ſe à cauda contuberni conſtituere oportet: illis enim ordine & diſpoſite collocatis, ſi inter confligendum priores ſtationem ſuam deſeruerint, prohibentur tamen ab illis tergiverſari aut retroferri.

34. Aliud genus eſt quando in caudam, id eſt, extremam partem denſantur: non modo enim quod ad latitudinem pertinet denſari acies debet, verumetiam quod ad altitudinem ſpectat, ſæpe humeris ipſis inter ſe adjunctis.

35. Aliud genus eſt, ut poſt perfectam ad latas denſationem, ſic denſati ambulent: & quando ſagittæ conjici incipiunt, tum præcipe, πιπτοι, id eſt, feri, Decanis & Quintanis in anteriores partes inclinantibus, ſua ipſorum capita cum ſcutis ſuis, atque equorum colla aliqua ex parte tegentibus, & haſtas humeris geſtantibus, ſcutis etiam tectas ſuis procedant ordinate cum tripudio, id eſt, mediocri quodam motu, qui calpa dicitur: nec impetuoſe currant, ne contentionis celeritate ante manus conſertas, quod valde periculoſum eſt, perturbetur acies, ſagittariis interim qui à tergo illorum ſunt, ſagittas jacientibus.

36. Aliud genus eſt, ut in curſione interdum perſequantur quaſi curſores, quos nunc proclaſtas nominant: interdum ordinate ut defenſores, quos nunc vindices appellamus: & ſi quaſi curſoribus præcipere oportet, dicendum eſt, δρόμῳ ἴλα, id eſt, curſu contende, & unius milliaris ſpatium incurſionem hanc faciant. Sin quaſi defenſores, præcipiendum eſt hoc modo, μετὰ τῆς πέξεως ἀκολούθει, id eſt, cum acie procedito, & ordinatè ac diſtribute procedant.

37. Aliud genus eſt, ut retrocedant paululum, & rurſus convertantur: & quando illos retrocedere vult, curſor clamet, τύπτε καὶ ὑπαχώρει, feri & retrocede. Ubi autem retroceſſerint ad unum aut alterum ſagittæ jactum defenſores rurſus appellet his verbis, στρέφου ἴλα, id eſt verte, contende: & confeſtim rurſus vertent ſe contra hoſtes. Hos faciant non modo antrorſum, ſed etiam dextrorſum, lævorſum, rurſumque ad ſecundam aciem: neque in ipſa verſione, ſed etiam intervallo interjecto vertant ſe ſæpe, & drungiſti, id eſt, univerſo agmine facto contendant contra hoſtes. Inter exercitandum haſtas ipſas in altum ſublatas, non in latus obliquatas habere oportet, ne equi in exercitatione hac & contentione impediantur.

38. Aliud genus eſt, ut ordinate ſe in lævam aut dextram transferant,

ferant, quod lateranis & corniſtitibus opportunum & commodum eſt, id eſt, iis qui ad circumveniendos & circumcludendos hoſtes conſtituti ſunt. Et ſi in dextram partem traducere eos cupias, iis verbis fiat, μετάφερε πρὸς τὰ δεξιά, id eſt, transfer te ad dextram: ſin lævorſum velis, tum dicas, μετάφερε πρὸς τὰ εὐώνυμα, transfer te ad lævam: itaq; tranſeant, ſi una cohors debeat, una, ſin plures, una parte traducta, reliquæ ſimiliter per cohortes tranſeant.

39. Aliud genus eſt, ut in quibus conſiſtunt locis, in eiſdem interdum ſe vertant, interdum vero frontem aciei commutent. Si repentinus aliquis motus retro fiat hoſtibus à tergo imminentib. præcipe hoc modo, μετάβηθι πάντων, id eſt, cō erte: & in ſtatione ſua cōſiſtentes, ad caudam ſe ſolum convertant, ſigniferis & præfectis ſolis ad caudæ frontem pervenientibus. Sin magna vis hoſtium ingruat, tum præcipe μετάπεσε ὄπισθεν, tranſmuta, & integra tum cohors ſe tranſmutet.

40. Nec vero in longitudinem ſolum inſtruere utile eſt, ſed etiã drungiſti, id eſt, confertim inſtruantur, ut exerceant ſe, & contendant variè in directum per retrogreſſiones & converſiones, per repentinas hoſtium incurſiones, ut quadam cum celeritate poſſint afflictis opem ferre. Si ad hunc modum aſſuefactæ cohortes fuerint, commodè poterunt in curſores, id eſt, proclaſtas ſive propugnatores, & in defenſores ſive vindices, & præſidiarios, ad omnem uſum inſtrui.

41. Talis igitur exercitatio diligenter in plurimis eſt adhibenda, ſiquidem omnia à militibus cognoſcenda non ſunt. Non enim oportet omnia in vulgus efferri, ne ab hoſtibus ea cognoſcantur. Iis autē motibus prædictis ad omnes uſus belli cohortes habiles fiunt, ut tum in lateranos, tum in corniſtites, ubi opus eſt, cooptari aſſumiq; poſſint.

42. Banda autem ſive cohortes quadam conſenſione & inſtructione quaſi in acie ipſa jungenda ſunt. Sed ut ne univerſæ exercitationes & molitiones hoſtibus agnoſcantur, nunquam ante conflictationem ipſam univerſæ copiæ ſimul, id eſt, in primam & ſecundam aciem exercitationis cauſa transferantur, vel ad lateranos, vel ad corniſtites, vel ad eos qui drungiſti, id eſt, confertim & clam adoriuntur, vel ad occultas inſidias: hujuſmodi enim conſilia imperatoria divulgari & in vulgus efferri priuſquam cum hoſte confligas, inutile eſt. Sed ad præſentem rerum uſum ex tempore talia adhibenda ſunt.

43. Par eſt igitur, ſive comitis alicujus bandum, ſive drungus, ſive turma ſcorum exerceatur, ſive in inſtructione magni exercitus collocetur, ut in tres partes exercendi dividantur. Si bandum ſive cohors per ſe exerceatur, maximam partem illorum in curſorum agmine pones: ex equitatus ſimplicibus contubernis hinc atq; illinc æqualia cornua defenſorum loco pones: alios autem paucos equites eminus ante conſpectum illorum pones, ut quaſi ad confligendum cum illis ſe præparare poſſint.

44. Jam cum ſe quaſi ad prælium movent, magno impetu facto curſores ſe à defenſoribus ſeparent, & ubi recta unum atq; alterum milliare excucurrerint, dimidium illius ſpatii revertantur, & interdum dextrorſum, interdum lævorſum ſe currendo obliquent, ſicq; tertio quartoq; faciant, turſuſq; orbiculatè procedant, poſtea ſpatium illud percurrentes quod inter eos & defenſores eſt unde exierant, cum defenſoribus quaſi inſtructis in acie iis occurrant qui antè eos inſequebantur.

45. Drungo, id eſt, integra cohorte milliaria exercitante ſe idem facies, & cohortem in curſores & in defenſores divides, & eos qui curſores ſunt, interdum defenſores facias, interdum contra, ut ad omnem uſum parati ſint.

46. Similiter facies turma aliqua ſe exercente, & acie prima aut ſecunda hoc faciente. Adverte autem potiſſimum orbiculatas curſorum incurſiones, ubi diverſa & varia banda ſive cohortes fuerint, ut in duas ſortes dividantur, & contrario inter ſe motu currant, & obviam ſibi mutuò fiant, altera foris, altera interius currendo, ut ne impedimento equitibus ſint.

47. Deinde latrones ſive lateranos & corniſtites, id eſt, eos qui ad circumdandos à dextra parte hoſtes locantur, ſeparatim cum illis drungiſti, id eſt, convertim & ſimul incurſando exerceas. Sed id prædictis de cauſis quantum potes clanculum facias.

48. Itaq; ſi quaſi adverſus aciem hoſtium eminus exiſtentem, tuos inſtruxeris, accura ut exequentur illis, & non circumveniantur ab eis. In iis quæ cominus ſunt perfice ut hoſtes à tuis circumdentur, paucis equitibus per ſimplicia contubernia uſq; ad unius atq; alterius cohortis multitudinem quaſi hoſtibus præpoſitis, ut adverſum eos ſe tum ad lunandum, tum ad circumveniendum eos, corniſtites dirigant. Deinde ſic qui cum illis verſantur, drungiſti quaſi maza ſimul clanculū ipſi ſoli de improviſo contentione quadam celeri excurrentes, à tergo, id eſt, poſtica parte hoſtium illos invadant.

49. Hæ igitur exercitationes ſimplices ſunt: communiter tamen multas cohortes, & privatim unamquanq; cohortem idoneè exercent, & inimicis acies noſtra minimè aperitur. Iſtæ exercitationum formæ ſcriptis tradendæ turmarchis tuis ſunt, & reliquis cohortibus quæ ſeparatim exercentur.

50. Aſſuefacito ad hujuſmodi exercitationes, non ſolum in campeſtribus, ſed etiam in aviis & aſperis, in arduis & acclivibus, in declivibus & pronis locis: & ipſo æſtus ſqualloriſque tempore, utile eſt ad potentiam laborum exercere milites: nemo enim ſcit quo tempore bellum futurum, & quidnam in bello uſu venturum ſit.

51. Ita exercitatio inſtituenda, quaſi bellum ipſum gereretur. Itaq; utilitatis cauſa ne bellici quidem temporis ſimilitudo prætermittenda eſt: nam hæc aſſuefactio periculorum longè robuſtiores milites facit.

52. Quoniam equeſtrem exercitationem aliqua ex parte attigimus, ſic pedeſtris aciei exercitationem non prætermittemus, quam vel ex antiquis vel ex recentioribus rei militaris ſcriptoribus accepimus.

53. Pedeſtris aciei primum contubernia deſcribantur, quemadmodum antea præcepimus, ut quædam ad lævam, quædam ad dextram cohortis ſive præfecti collocentur: cumq; præfectus ſimul cum ſignifero & mandatore & buccinatore procedit, ſequantur quemadmodum conſtituti fuerant lochagi, id eſt, præſtites & decani ſiniſtri lateris primum, deinde dextri.

54. Ubi in exercitationis ſive inſtructæ aciei loco fuerint, ſtet præfectus, & cum eo ſignifer, & ſi quis alius cum eo eſſe conſuevit, inſtruanturq; contubernia hinc atque illinc, primum quemadmodum explicatum antea eſt, laxiore & rariore intervallo, ut ne à ſe mutuò affligantur: deinde ad ſedecim virorum altitudinem, id eſt, profunditatem. Cuſpides haſtarum ſurſum erectas habeant, ne ab illis impediantur. Ante frontem aciei ambulent mandator & campiductor, id eſt, dux viarum, hic quidem ut vias indaget & eos ducat, ille verò ut ex imperio præfecti mandata det.

55. Si cohors exercenda ſit, cohortis præfectus ante eos cum mandatore & campiductore ambulet. Sin turma exerceatur, nemo anteambulet niſi turmarchus & eques cum mandatoribus duobus, & campiductoribus duobus ſtratore uno & ſpathato uno, id eſt, armigero qui turmarchæ arma gerit, donec prope conflictationem ipſam venerint copiæ, tum certè ad locum ſuum & ſtationem in cohorte & bando ſuo tutò accedat.

56. Neque cum hoſtibus confligat ille, neq; buccina, quamvis complures fuerint, in ullo μέρει, id eſt, trientre exercitus perſonet niſi merarchæ, ſive unam turmam triens habeat, ſive plureis, ut ne tumultu aliquo impediantur mandata exaudire. Et gravis armatura, id eſt, pedites ſcutati, ad hunc modum inſtruuntur.

57. Levis armatura diverſis modis inſtruitur. Qui enim ἀκροβολίσασθαι olim, nunc ſagittarii nominantur, interdum à tergo uniuſcujuſq; contuberni pro multitudinis ratione collocentur, ut ſcutatorum ſingulis contuberniis quaternionibus unus ſagittarius reſpondeat. Interdum in ipſa contubernii altitudine ſcutatus & ſagittarius alternatim ſtent, interdum in contubernis & in cornibus, id eſt, extremis oris copiarum, interius equitibus, ſæpe etiam exterius haud longè cum paucis ſcutatis ad defendendos interiores equites, ſi multa levis ſit armatura.

58. Qui rhictaria, id eſt, jacula vel tzicuria vel barducia habent, ii vel à tergo ſcutatorum, vel in extremis oris aciei, & non in medio, locentur. Funditores omnes in extremis oris aciei. Nunc autem ſagittarios reliquoſq; jaculatores à tergo contuberniorum adverſum eos, qui contraria exercent, vel quemadmodum uſus requirit, collocabimus.

59. Equites in ipſis oris aciei pedeſtris collocabis. Quæcunque autem robuſtiores cohortes ſunt, cum ducibus ſuis in exteriori loco collocentur. Et ſi complures equites fuerint qui duodecim millium numerum exceſſerint, tum ad decem virorum altitudinem fiant: ſin pauciores, ad quinq; virorum altitudinem conſtituantur. Sin autem quidam ſupra juſtum numerum, qui ultra currus à tergo in ſubſidiis locentur, ut ſi à tergo hoſtes invaſerint, occurrant illis: ſin minus, lateribus adjungantur.

60. Laxiore primum intervallo inſtruantur iſti, ut ſi aliqua occaſio exercitus commutandi fiat, minimè impediantur.

61. Præcipies equitibus, ne nimis impetuosè curſent in hoſtes, neq; à pedeſtri acie longo intervallo diſcedant, ne ſi fortè inſidiæ fiant, & hoſtes retro in eos ſe convertant, pedites horum præſidio deſtituti aliquod vulnus accipiant. Si preſſi admodum diſſipatique fuerint, tum retro ad currus ſuos conſervandos, qui à tergo aciei pedeſtris inſtructi ſunt, ſe conferant, nec eos prætereant. Sin ne ſic quidem reſiſtere poſſint, ex equis deſcendant, & pedibus ſe ipſos defendant.

62. Si aciem inſtruere exercitus voluerit, non tamen eo die cōfligere, ſi adverſarii in equites irruerint, & nequaquam ſuſtinere eos tui poterunt, ne præſtolentur eos in aciei cornibus ſiſtendo, ſed retrocedant ad extremas oras aciei & curruum. Quod ſi fiat, majore intervallo opus eſt, ut diſcedentibus jam tum equitibus, cæteri anguſtiis non nimis premantur, ne hoſtium ſagittis lædantur.

63. Hæc tempore prælii maximè fiant: hac de cauſa enim hæ exercitationes maxime ſuſcipiuntur.

64. Iis rebus igitur deſcriptis, præcepta à nobis & inſtitutiones pedeſtris aciei, quemadmodum & equeſtris, explicandæ tibi ac proponendæ ſunt.

65. Quando ad exercitationem omnes inſtructæ aciei cohortes convenerint, hæc illis mandator præcipiat: Cum ſilentio omnes imperata facitote: Ne perturbemini: Stationem veſtram ſervatote: Cohortem ſequamini: Nemo cohortem ſuam deſerat: Inimicos perſequamini. Hac oratione habita, ita quietè & remiſſe ſe movebunt, ut nemo ne ſuſurret quidem.

66. Exercitandi ad hæc ſunt voce vel nutu & ſigno aliquo ut moveant

moveant & ſtent, laxentur, & in altitudinem contuberniorum dividantur, incedant æquabiliter & ordinate, in frontem, id eſt, directe, ac variis modis diverſiſq; ſe contrahant & denſent, tum in longitudinem, tum in altitudinem: phulco ambulent, ſicque quaſi in ipſa prælii acie eſſent, ad eam formam confligant.

67. Exerceant ſe quoque ad hunc modum, interdum cum virgis, interdum cum nudis ſpathis, id eſt, gladiis: dividantur in diphalangiam, id eſt, duplicatam aciem, & rurſus in priſtinam formam redeant: dextrorſum & lævorſum ſe obliquent, & in cornu ſe inflectant, id eſt, dextrorſum procedant, & rurſus priſtinam ad formam redeant: & ancipitem aciem inſtruant, id eſt, ad accipiendos utrinque hoſtes paratam, & rurſus ad priſtinam formam redeant: in dextram & lævam ſe transferant, denſent ſe & dilatent, id eſt, diffundant altitudinem contubernii, à tergo commutentur, & rurſus ad priſtinam formam redeant. Hæ formæ propter varias circunſtantes cauſas exercendæ ſunt.

68. Vocis igitur aut nutus ſigno aliquo movent & conſiſtunt. Quando movere eos vult, buccina vel ſtaurea, vel voce ſua ſignificat Campiductor, & moventur: quando vero conſiſtere eos vult, tuba, id eſt, par a buccina vel voce & nutu manus ſignificat, & conſiſtunt. Propterea autem voci & ſignis aſſuefaciendi ſunt, quia curruum tumultus ingens ſæpe, ſæpe pulvis, ſæpe caligo magna obverſatur.

69. Attenuantur contubernia, quando ſedecim virorum altitudinem habent, & eos in longitudinem aciei potius diducere, vel ornatus cauſa alicujus, vel ut alicui alteri aciei exæquentur, cupis. Præcipies autem iis verbis: ἔξελθε, id eſt, exeas: & exibunt ſtatim unus poſt alterum ſe reparans. Itaque altitudo contuberniorum attenuatur, & longitudini aliquid adjicitur, & altitudo nunc tantummodo virorum octo erit. Si vero quatuor ſolum virorum altitudinem vis eſſe, dic rurſus, ἔξελθε, id eſt, exeas, & exibunt omnes in unam ſolum partem, dextram aut ſiniſtram. Hoc enim diligenter obſervandum eſt, ut omnes unam in partem veniant & exeant.

70. Jubeantur incedere æquabiliter & ordinate. Quando quidam in acie cæteros antevertunt, & inæqualiter eunt, iis verbis præcipites, ἴσον τὸ μέτωπον, id eſt, æqualis ſit frons, & ſtatim æqualis erit.

71. Contrahitur vel denſatur exercitus, quando duobus aut tribus ſagittæ jactibus ab hoſtium copiis cum abeſt, & frontem utriuſq; exercitus committere vult, contractum & denſatum ad medium locum tum longitudinis tum altitudinis eouſq; frontem adducit, ut qui in anteriore parte inſtructi, & qui à lateribus fuerant, intra curruum complexum quaſi contineantur. Hæc forma poteſt eſſe tum ſtante, tum movente exercitu.

72. Præcipiendum quoq; ἐσχάτοις, id eſt, ultimanis ſeu caudanis perſæpe eſt: & eos qui à tergo ſunt impellere oportet, atque ad uſum omnem militarem incitare, ut ne aliqui ex illis tardantes omiſſi ſint.

73. Phulco ambulant, quando junctis copiis hoſtium ſimul & noſtris, ſagittæ conjici incipiunt, & qui in fronte inſtructi ſunt, zabas, loricia, id eſt, galeas non geſtant. Cum præcipitur illis πύκνωσιν, id eſt, denſato, tum qui in fronte inſtructi fuerint, denſant ſcuta ſua donec ſibi mutuo appropinquaverint, ventres ſuos uſque ad ſuras & genua ſcutis ſuis operientes: qui à tergo illorum ſtant, ſcuta ſua ſupra eos traducentes, & in anteriore illorum parte ponentes pectora & vultus illorum tegunt, ſicq; cum hoſtibus confligunt.

74. Quando autem denſata acies ad unius ſagittæ jactum ab hoſtibus abfuerit, & conflictatio futura eſt, dicito, ἐπιμεῖς, id eſt, parati. Alius ſtatim excipiat, & clamet, βοηθεῖ, id eſt, juva: & confeſtim una claraq; voce omnes perſonent, θεός, id eſt, Deus. Ibi tum leves ſagittas altius conjiciant. Scutati qui in fronte conſtituti ſunt, ubi prope hoſtes fuerint, ſi mataxia vel tzicuria vel rhictaria habeant, humilius conjiciant ea: ſin minus, præſtolantes donec cominus venerint, & tum jaculantes vel conjicientes tela, gladios diſtringant, neque retrocedentibus & tergiverſantibus hoſtibus excurrendo, ſed in acie conſiſtendo pugnent. Qui à tergo illorū ſtant, ſuâ ipſorum capita ſcutis ſuis tegentes, anterioribus hominibus cum jaculis ſuis ſuccurrant.

75. Qui in fronte exercitus ſunt ſibi ipſis diligenter provideant, donec cominus ad manus ventum ſit, ne ſi zabas aut chalco tuba, id eſt, ocreas æneas non habeant, ſagittis ab hoſtibus confodiantur.

76. Dividuntur in diphalangiam, id eſt, duplicatam aciem, quando acies inſtructa directe ambulat, atq; ante ac à tergo immineant hoſtes: ibi tum ſi ex ſedecim fiat contubernium, & in conſpectu fuerint hoſtes, & cominus manu cōfligere voluerint, præcipe ut per octo ſe dividant & octo in diphalangiā ſtatim, id eſt, duplicatā phalangē dividantur, ſicq; octo contubernales immoti ſtabunt, alii octo converſi & moventes ſe in contrariam partem, ad duplicatam quaſi aciem ſe dividant, reliqui ad octo vel quatuor altitudinē conſiſtent. Illis præcipiendū eſt, ἐπὶ ἀριστερὰ ἢ τοὶ δεξιὰ ἐπιστρέψαντες οἱ τῆς διφαλαγγίας ἐξέλθετε, i. firmi ſtate ſecundi, & in duplicata acie qui eſtis exite. Secundi autem ſunt qui ἐπισταται, id eſt, aſtites nominantur, qui ſub decani poteſtate ſunt. Hi converſi tam prope ad ſe mutuo accedant, ut paulo amplius veſtigii intervallo diſtent, ne utrinque conjectæ ab hoſtibus ſagittæ, terga utrinque ſpectantium lædant, ſed opportuno aliquo in loco cadant. Deinde ſic illis præcipito, ὑπόστρεφε ψαπε, revertimini: & rurſum, ſi uſus fuerit, converſi ad priſtinam aciei formam redeant.

77. Si, quemadmodum uſu venire plerunque poteſt, majores hoſtium copiæ à tergo, id eſt, poſt inſtructam aciem curribus non ſequentibus invadant, tum ſecundi ſive epiſtatæ, id eſt, aſtites conſiſtant, & primi ſive præſtites, qui lochagi nominantur, contra eos eant.

78. Diphalangiæ, id eſt, duplicatæ aciei uſus eſt, quando currus non ſequuntur, vel ſi ſequantur, ab hoſtibus tamen populantur. hos autem omnino oportet pedeſtrem aciem inſtructam ſequi, niſi fortè equeſtris exercitus cogatur pedibus ire, idq; temporis vel curribus, vel alia quapiam materia à tergo eget.

79. In dextram & lævam partem inclinantur, quando in alteram partem acies obliquatur, vel ut producatur acies, & circumveniat hoſtes, vel ut ne circumveniatur ab illis, vel propter loci opportunitatem, vel propter loci anguſti tranſitum. Si dextrorſum traducturus aciem es, præcipe iis verbis, Ad haſtam declina, eoque ſe armati flectant: deinde præcipe, ἐπιστρέψον, id eſt, convertete, & ad priſtinam formam redibunt. Sin eos ad lævam declinare volueris, præcipe, ἐπὶ κυνοπάλιον πλίνας κίνησον, ad haſtam declinans te move: atque hæc perinde ac ſuperiora faciant.

80. Ἀμφίσταται, id eſt, anceps motus eſt, quando inimicis ſubito ante & retrò invadentibus, non in diphalangiam, id eſt, duplicatam aciem copiæ dividuntur. Præcipiet contuberniis ut ſtationem ſuam cuſtodiant, & dimidii contra eos qui primo veniunt ad ſtandum ſe aptent, dimidii contra ad tergum converſi. Qui in medio conſiſtunt, capita ſua ſcutis tegant.

81. Dextrorſum aut lævorſum mutantur, quando, neceſſitate hoc poſtulante, ad dextram aut lævam transferre vis exercitum. Præcipe iis verbis, μεταφέρεις εἰς τὰ δέξια, id eſt, transferte ad dextram: vel rurſus, μεταφέρεις εἰς τὰ ἀριστερά, transferte ad lævam. Una cohorte tranſeunte, univerſa acies ad eam partem tranſeat.

82. Rarefiunt ſive dilatantur acies, quando denſatam eam dividere volueris, & jubes contubernia ſeparare, & univerſas copias in longitudinem producere. Præcipies autem iis verbis, πλάτυνον τὰς τὰμφότερα μέρη, id eſt, dilata in utranque partem, & diffundantur ſtatim. Hæc forma tum ambulante, tum ſtante exercitu fieri poteſt duobus cornibus externis nutantibus, ſive turma ſit, ſive exercitus.

83. Denſantur vel duplicantur contubernia, quando ad quatuor virorum altitudinem ſtant, & duplicare eum numerum vis, & idonee ad altitudinem contuberni firmare contra hoſtium aciem, dices, εἴσελθε, id eſt, ingredere, & ſtatim octo erunt. Sin eos ſedecim volueris facere, rurſus dices εἰσελθε, & unus poſt alterum euntes ad ſuam ſtationem duplicantur, & fient ſedecim altitudine. Ab uno autem latere ſolum exeant, ſicut antea præcepimus. Sin ad triginta duo virorum altitudinem contubernia, quod minime neceſſe eſt, facere vis, prædicito, τέτραξ ὑπὸ τέτραχυ, id eſt manipulus ſub manipulo: atque ita duplicantur, & acies ipſa denſatur, & longitudo eius contrahitur.

84. Contrahitur, quando ambulante in directum exercitu, non ante ejus conſpectum hoſtes veniunt, ſed à tergo. Tum ſi frontem, id eſt lochagos ſive præſtites ſedecim virorum altitudine ad caudam ſive ultimum agmen transferre cupis, præcipe ad hunc modum, μεταβάλλου τὸν τόπον, id eſt, commuta locum: & altitudinem contubernii tranſeuntes lochagi ſive præſtites, e pluribus eos ſequentibus, frontem novam ex adverſo hoſtium conſtituant. Hoc ante denſationem exercitus ſedulò fiat. Si jam addenſatus fuerit exercitus, & hoc quod ſupra memoratum eſt, commode fieri non poteſt, dicito, μεταχημάτισον, id eſt, converte: & quemadmodum ante ſtabant converſi, ſolum ad tergum extremam aciem reſpiciant, lochago ſive præſtite in anteriorem partem minime ſpectante, ſed ultimano jam in fronte conſtituto, quem ἔσχατον, id eſt, caudanum nominant. Hæ igitur exercitationes, tum ipſo belli tempore militem paratum & idoneum efficere, tum ante tempus belli, ſine ferro, armis aliis ad exercitationem idoneis, ad omnes formas bellicorum motuum, & ad omnem inſtitutionem aſſuefacere poſſunt. Ingenuè, ſine turba & tumultu fiant, diviſis ſic inter ſe cohortibus, ut duas ſibi mutuò acies oppoſitas faciant, ſive ex una cohorte, ſive ex pluribus hæ acies inſtruantur.

85. Non ignoro autem alias quaſdam præceptiones exercitationeſq; motuum ſcriptis ac literis eſſe proditas, tum ab aliis, tum potiſſimum ab Æliano & Arriano, quibus cum cæteri quaſi una voce conſentiunt: ſed ne ad nimiam longitudinem producatur oratio, uno quaſi capite ſolum illa recitabo: de cætero autem propter longitudinem illa eadem prætermittam, partim propter obſcuritatem atq; inutilitatem, partim quia iis diligenter cognitis quę à nobis explicata ſunt, experientia quadam adnibita, facile iſta ab eis ſumi poſſunt. Valde etiam propterea inſciti rudeſq; rerum videremur eſſe, ſi hæc quæ cum claritate quadam & perſpicuitate expoſita ſunt, cum obſcuritate iterum repeteremus.

86. Ab Æliano autem hæc nomina, & hi motus recenſentur: κλίσις, id eſt, declinatio. hanc autem declinationem in duo dividit, alteram ἐπὶ ἀσπίδα, ad clypeum, ſive ad ſcutum, vel ad lævam: alteram ἐπὶ δόρυ, ad haſtam, vel ad dextram. Alius apud illum motus eſt, μεταβολή, commutatio, converſio, reverſio, biflexio, triflexio, jugare, decuriare, dirigere, evolvere, duplicare. Dicitur etiam

inductio,

inductio, dextra traductio, obliqua phalanx, recta phalanx, incurva phalanx, interjectio, præpositio, impositio, suppositio, postpositio. Nomina igitur motuum hæc sunt. Præcepta autem illus hæc trade:

1 ἄγε εἰς τὰ ὅπλα. *Age ad arma.*
2 παρεσῆτε παρὰ τὰ ὅπλα. *Assistite armis.*
3 ὁπλοφορεῖν μὴ ἀπεῖπε τῆς φαλαγγος. *Armatum ne discedat ab acie.*
4 σίγα καὶ πρόσεχε τῷ παραγγελοῦντι. *Sile & attende præcipientem.*
5 ἄνω τὰ δόρατα. *Sursum hastas.*
6 κάθες τὰ δόρατα. *Demitte hastas.*
7 ἔσχατος τὸν λοχὸν ἀπαυθεώτω. *Vltimanus contubernium dirigat.*
8 τήρει τὰ διαστήματα. *Custodi intervalla.*
9 ἐπὶ δόρυ κλίνον. *Ad hastam declina.*
10 ἐπὶ ἀσπίδα κλίνον. *Ad clypeum declina.*
11 πρόαγε. *Procede.*
12 ὄχ᾽ ἔστως. *Istuc serva.*
13 εἰς ὀρθὸν ἄπαγε. *Directè procede.*
14 τὸ βάθος διπλασίαζε. *Altitudinem duplica.*
15 ἀπανάπαυσον. *Recipe te iterum.*
16 τὸν λάκωνα ἐπὶ τὸ δόρυ ἐκπεῖσον. *Laconicum ad hastam trivolve.*
17 ἀπανάπαυσον. *Recipe te. Cap. 7. rei tactica.*

§ Romanorum.

Plinius Iunior: Difficile est tenere quæ acceperis, nisi exerceas. itaq; reducta libertas rudes nos & imperitos deprehendit. *Epist. 14. libr. 8.*

Plinius: Nec vero laudaverim per se magnopere duritiam corporis ac lacertorum, sed si his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad segnitiem luxumq; detorqueant, tunc ego seu montibus seu mari exerceatur, & lætum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor. videor enim jam inde antiquitus maritos Dearum ac Deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis, quam his artibus inclaruisse. Simul cogito, cum sit ista ludus & avocamentum hujus illæ seriæ & intentæ, & à quibus se in tale otium recipit voluptates? sunt enim voluptates, quibus optimè de cujusq; gravitate, sanctitate, tēperantia creditur. nam quis adeo dissolutus, cujus non occupationibus aliqua species severitatis insidat? otio prodimur. An non pleriq; Principes hoc idem tempus in aleam, stupra, luxum cōferebant, cum seriarū laxamenta curarum vitiorum contentione supplerent? *cap. 82. paneg. ad Trajan.*

Nazarius: Magna quidem vis hominum per tota mœnia, sed apud Brixiam pleriq; jam fracti. ut in corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet, sic illius multitudinis portio malè affecta totum exercitum timoris contagio dissiparat. *cap. 25. orat. in Const. Aug.*

Incertus: Magnus Alexander cum præter Macedonas suos cunctæ Græciæ, universo Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquàm tamen majores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quidquid excederet, & turbam potius quam exercitum. Tu vero etiam minoribus copiis bellum multo majus aggressus es: tanto scilicet tua virtute propria potior quāto ille numero instructior. & ille quidem contra leves Medos, & imbelles Syros, & Parthorum arma volatica, & Asiaticos optantes mutare servitium, rem gessit prælii unius eventu: tibi vincendi erant milites, prò nefas, paulò ante Romani, armis omnibus more primæ classis armati, & pro facinorum conscientia nunquam nisi morte cessuri. *cap. 5. Paneg. Constant. Aug.*

Symmachus: Iners desuetudo oblimat ingenium. *lib. 1. Ep. 53.*

Vegetius: Athenienses & Lacedæmonios ante Macedonas rerum potitos, prisci testantur annales. Verum apud Athenienses, non solum rei bellicæ, sed etiam diversarum artium viguit industria: Lacedæmoniis autem præcipua fuit cura bellorum. Primi namq; experimenta pugnarum de eventibus colligentes, artem prœliorum scripsisse firmantur usq; eò, ut rem militarem, quæ virtute sola, vel certè felicitate creditur contineri, ad disciplinam peritiæque studia revocarent: ac magistros armorum (quos ὁπλομάχους appellaverunt) juventutem suam usum varietatemq; pugnandi præciperent edocere. O viros summa admiratione laudandos, qui eam præcipuè artē edisscere voluerunt, sine qua aliæ artes esse non possunt. Horum sequentes instituta Romani, Martii operis præcepta, & usu retinuerūt, & literis prodiderunt. Quæ per diversos autores librosque dispersa, Imperator invicte, mediocritatem meam abbreviare jussisti, ne vel fastidiū nasceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deesset, in parvis. Quantum aute in prœliis Lacedæmoniorū disciplina profuerit (ut omittam cæteros) Xanthippi declaratur exemplo, qui Attilium Regulum, Romanumq; exercitum sæpe victorem, cum Carthaginensibus, nō virtute, sed arte solus ferret auxiliū, prostratus exercitibus, cepit ac domuit, unoq; congressu triumphans, bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam Lacedæmonium doctorem quæsivit armorum: cujus monitis tot consules, tantasq; legiones, inferior numero ac viribus, interemit. Ergo qui desiderat pacem, præparet bellum. Qui victoriam cupit, militem imbuat diligenter. Qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. Nemo provocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse pugnaturum. *prologo lib. 3. de re militari.*

Vegetius: Nihil magis prodesse constat in pugna, quā ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines indesinenter servent, nec ultra, quā expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam ut constipati perdunt spacia pugnandi, & sibi invicem impedimento sunt: ita rariores atq; interlucentes, āditū perrumpendi hostibus præstāt. Necesse est autem statim metu universa cōfundi, si intercisa acie ad dimicantium terga hostis accesserit. Producendi ergo tyrones sunt semper ad campum, & secundum matriculę ordine in aciem dirigēdi, ita ut primò simplex extensa sit acies, ne quōs sinus, ne quas habeat curuaturas: ut æquali legitimoq; spacio miles distet à milite. Tunc præcipiendū, ut subito duplicent aciem, ita ut in ipso impetu is ad quem respondere solent, ordo servetur. Tertiò præcipiendum, est, ut quadratā aciem repente constituāt: quo facto in trigonū (quē cuneum vocant) acies ipsa mutāda est. Quæ ordinatio plurimū prodesse consuevit in bello. Jubetur etiā ut instruant orbes, quo genere cum vis hostium interrupit aciē, resisti ab exercitatis militibus consuevit, ne omnis multitudo fundatur in fugam, & grave discrimen immineat. Hæc si juniores assidua meditatione perceperint, facilius in ipsa dimicatione servabunt. *cap 26. lib. 1. de re milit.*

Idem: Præterea & vetus cōsuetudo permansit, & divi Augusti atq; Hadriani constitutionibus præcavetur, ut ter in mense, tam equites quam pedites, educantur ambulatum: hoc enim verbo, hoc exercitii genus nominant. Decē millia passuum armati instructiq; omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire jubebātur in castra, ita ut & aliquam itineris partē cursu alacriore conficerent. Equites divisi per turmas, armatiq;, similiter tantū itineris peragebant, ita ut ad equestrem meditationē interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent. Non solum autē in campis, sed etiā ni clivosis & arduis locis & ascendere & descendere utraq; acies cogebatur, ut nulla res vel casus prorsus pugnantib. posset accidere, quam nō ante boni milites assidua exercitatione didicissent. *cap 27.*

Hęc fidei ac devotionis in visu, Imperator invicte, de universis autoribus qui rei militaris disciplinam literis mandaverunt, in hunc libellum enucleata congessi, ut in delectu atq; exercitatione tironū, si quis diligens velit existere, ad antiquæ virtutis imitationē facile corroborare possit exercitum. Neq; enim degeneravit in hominib. Martis calor, nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuere Romanos. Nonne Epirotæ armis plurimū aliquando valuerunt? Nonne Macedones ac Thessali superatis Persis usq; ad Indiam bellando penetrarunt? Dacos a. & Medos ac Thraces, in tantū bellicosos semper fuisse manifestū est, ut ipsum Martē fabulæ apud eos natum esse confirment. Longū est, si universarum provinciarū vires enumerare contendā, cum omnes in Romani Imperii ditione cōsistat. Sed longæ securitas pacis, homines partim ad delectionē ocii, partim ad civilia traduxit officia. Ità cura exercitii militaris primò negligetius agi, postea dissimulari, ad postremū olim in oblivionē perducta cognoscitur: nec aliquis hoc superiore ætate accidisse miretur, cum post primum Punicum bellum viginti, & quod excurrit annorū pax, ita Romanos illos ubiq; victores ocio & armorum desuetudine enervaverit, ut secundo Punico bello Hannibali pares esse non possent. Tot itaq; consulibus, tot ducibus, tot exercitib. amissis tunc demum ad victoriam pervenerunt, cum usum exercitiumque militare condiscere potuerūt. Semper ergo legendi & exercendi sunt juniores. Vilius enim constat erudire armis suos, quam alienos mercede conducere. *cap. 28.*

Vegetius: Legionis ordinatione digesta, ad exercitiū revertamur unde (sicut jam dictum est) exercitus nomen accepit. Juniores quidem & novi milites, mane & post meridiē ad omne genus exercebantur armorū. Veteres a. & eruditi sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Neq; enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio: post quanta volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tyro. Idcirco armaturam, quæ festis diebus exhibetur, non tantū, qui sub campi doctore sunt, sed omnes æqualiter contubernales quotidiana meditatione discebant. Nam & velocitas usu ipso acquiritur corporis, & scientia feriēdi præsertim si gladiis comminus dimicetur. Illud vero majus est, ut servare ordines discant, & vexillum suum in tantis permixtionibus in ipsa prolusione comitentur, nec inter doctos aliquis error existat, quamvis in multitudine sit tanta cōfusio. Ad palum quoq; vel sudes juniores exerceri percommodum est, cū latera, vel pedes, aut caput petere punctim cæsimq; condiscunt. Saltus quoq; & ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Missilibus etiam palos ipsos procul ferire meditentur, ut & ars dirigendi, & dextræ virtus possit accrescere. Sagittarii vero vel funditores, scopas, hoc est, fruticum vel stramina fasces, pro signo ponebant, ita ut sexcentis pedibus removerentur à signo, ut sagittis vel certe lapidib. ex frustibalo destinatis, signum sæpius tangerent. Propterea sine trepidatione in acie faciebant, quod ludentes in campo semper fecerant. Assuescendum est etiam, ut semel tantum funda circa caput rotetur, eum ex ea emittitur saxum. Sed & manu sola omnes milites meditabantur libralia saxa jactare: qui usus paratior creditur, quia non desiderat fundam. Missilia quoque, vel plumbatas jugiter perpetuoque exercititio dirigere cogebantur, usque adeo, ut tempore hyemis de tegulis vel scandulis, quæ si deessent, certè de cannis, vulva vel culmo & porticus tegerentur ad equites, & quædam velut basilicæ ad pedites: in quibus tempestate vel ventis aere turbato, sub tecto

tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem etiam hybernis diebus, si nives tantum pluviæq; cessarent, exerceri cogebantur in campo, ne intermissa consuetudine, animi militum debilitarentur & corpora. Sylvam cedere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissimè convenit, ut quotidiani laboris usus in pace, difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio, sive auxilia fuerint, exerceantur assiduè. Nam quemadmodum bene exercitatus miles prœlium cupit, ita formidat indoctus. Postremò sciendum est, in pugna usum amplius prodesse quam vires. Nam si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat à milite. *lib. 2. de re militari cap. 23.*

Athleta, venator, auriga, propter exiguam mercedem, vel certè plebis favorem, quotidiana meditatione artes suas aut servare, aut augere consuescunt. Militem (cujus est manibus servanda respublica) studiosius oportet scientiam dimicandi, usumq; rei bellicæ jugibus exercitiis custodire: cui contingit non tantum gloriosa victoria, sed etiam amplior præda: quemq; ad opes ac dignitates ordo militiæ & Imperatoris judicium consuevit evenere. Artifices scænici ab exercitiis pro laude vulgi non recedunt. Miles sacramento lectus, ab exercitiis armorum, vel novellus, vel jam vetustus cessare non debet, cui pugnandum est pro salute propria, & libertate communi: præsertim cum antiqua sit prudentiq; sententia, Omnes artes in meditatione consistere. *cap. 24.*

¶ Poetarum.

Martialis lib. 7. Epig. 31.

Per varias artes, omnis quibus area servit,
Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

¶ Apologi.

De Gallis inter se pugnantibus. Fab. 160.

Galli duo, ut eorum mos est, inter se de ducatu gallinarum acerrimè certabant. Qui superior in pugna fuerat, alarum plausu, vociscque cantu ne victorem fuisse significans, venere & ocio emarcuit. Victus autem à conspectu gallinarum profugiens, cum cornicibus & pavonibus sese quotidie pugnando exercebat: inferendi, vitandique ictus artem ediscebat: qui ubi se satis instructum vidit, rediens, adversarium ad pugnam provocatum nullo negocio superavit.

Fabula indicat, nihil æque milites enervare, quam nimium veneris usum, desuetudinem q; pugnandi. Absit emim.

¶ Monosticha Trochaica.

Abs q; animo haud movetur corpus, nec animum absque corpore.
Absque exercitatione perfici nihil potest.
Approbat est, ob sanitatem fit q; exercitatio.
Approbat est quæ ob sanitatem sit exercitatio.
Clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio.
Confirmabit artes usus atq; exercitatio.
Corporis curatio optima est exercitatio.
Debilem natura, reddit fortem exercitatio.
Difficile est tenere quæ didicisti nisi exerceas.
Exercendo animi levantur, ingravescunt corpora.
Fortius Deo dilectus, exercetur fortius.
Haud promptum unum eundemque facere aliquid & rarò & probè
Hoc magis corpus laboret quo nutritur amplius.
Ignem habet pyrites in se, at non nisi attrita exserit.
Irrita artium præcepta sunt nisi ipsa exerceas
Lamina aliter secat polita, aliter squalens rubigine.
Mens levatur exercendo, at ingravescunt corpora.
Nutriunt servata non tem exuunt rubiginem.
Optimum genus dicendi non nisi usu discitur.
Otiosum animal, labore exercitato præmium est.
Sana non sunt corpora absque exercitationibus.
Sejaculator etiam exercet quamvis absit amulus.

¶ Jambica.

Ad quæ venit animus præparatus, fortis est.
Cibum anteced at usque exercitatio.
Corpus facit robustum exercitatio.
Exercitatione crescit indoles.
Exercitatione quidvis auferas
Exercitatus animus omnia impetrat.
Ferrum omne inusu contrahit rubiginem.
Ingenia pauci exercent, multi corpora.
Magis putrescit unda stans quam currens.
Nil non potest exercitatio frequens.
Pro corporis exercitio etiam est saltatio.
Pronuntiatio etiam est exercitatio.
Quam nactus es viriliter Spartam excole.
Quamvis parabit artem exercitatio.
Quod quis facit minus sæpè, & minus probum est.
Quo sæpius ferrum exteris, magis nitet.
Virtus in exercendo sese usu valet.

Exercitus.

¶ Sententiæ Græcorum.

Xenophon: Medorum verò quidam, quum partim plaustra rebus exercitui necessariis referta, quæ dudum è castris hostium excesserant, adsequendo reverti coegissent, advehebantur partim intercepta carpenta cum præstantissimis mulieribus, quas vel conjuges legitimas, vel concubinas suas, formæ causa viri secum sumserant, ad castra adducebant. Nam Asiatici quum expeditiones instituunt, sic eas hodieq; suscipiunt: ut res maximi pretii secum sumant. Ajunt enim, se pugnandi avidiores esse, quum eæ res adsunt, quas sibi carissimas habent: quasi has animose defendendi necessitas eis imponatur. Ac fortassis ita se res habet, aut etiã fortassis hæc, ut voluptati indulgeant, faciunt. *cap. 14. lib. 4 Cyropæd.*

Xenophon: Quum jam convenissent omnes, quos oportebat, & silentium factum esset, Cyaxares in hanc sententiam loquutus est: Quia præsens, socii, & Cyro major natu sum, par fortassis est me dicendi principium facere. Videtur autem mihi nunc tempus esse, ut de eo primum disseramus, utrum adhuc sit è re nostra, bellum geri, an copiam dimitti. De hoc ipso, ait, dicat aliquis sententiam suam. Hinc primus Hyrcanius dixit: Equidem nescio, socii, num verbis sit opus, ubi res ipsæ, quod optimum est, demonstrant. Omnes enim intelligimus, plus hostib. detrimenti nos adferre, si maneamus una, quam ipsi accipiamus. Quo vero tempore sejuncti eramus inter nos agebant illi nobiscum, prout ipsis jucundissimum, nobis sane gravissimum erat. Post hunc Caduisius. Nos autem quid dicamus, ait, de eo, ut domum profecti separatim singuli vivamus, quum ne modo quidem militantibus adhuc, ut adparet, conducat distractio? Nimirum non Caduisii, quum non magno temporis spatio seorsum à copiis universis sejuncti militaremus, pœnas dedimus, quemadmodum & vobis constat.

Post hunc Artabazus, qui se cognatum Cyri aliquando dixerat, hæc protulit: Ego vero hactenus, ni Cyaxares, ab his, qui ante me dixere, dissentio. Ajunt hi, oportere nos hic manentes in expeditione versari: ego autem dico me, quum essem domi, in expeditione versatum esse. Nam persæpe succurrendo ferebam opem, quum res nostræ ferrentur & agerentur, atq; etiam pro castellis nostris, uti quibus insidiæ struerentur: sæpe mihi negotium est exhibitum, quũ & metuerem, & in præsidio essem atq; idipsum meo sumptu facerem. Nunc & castella eorum teneo, & ipsos non metuo, & de iis, qui hostium sunt, tum epulor, tum bibo. Itaq; non aliter, ac si vita domestica, militia sit: hæc vero militaria, feriæ: conventum hunc equidem frequentissimum minime dimittendum arbitror. Post hunc Gobryas ait: Ego vero, socii, hactenus Cyri dextram laudo. Nihil enim eorum, quæ promisit, mentitur. At si ex hac regione discesserit, planum est, Assyrium quietem habiturum, nec pœnas earum injuriarum, quas vobis inferre conatus est, nec illorum, quæ in me patravit, luiturum. Ego autẽ vicissim ei pœnas iterum dabo, quod amicitiæ vestræ me adjunxerim.

Post omnes hos Cyrus inquit: Nec ego sum nescius, commilitones si copias dimittamus, nostras quidem imbecilliores futuras, hostium vero res rursus habituras incrementum. Nam quibus eumque ipsorum arma sunt ademta, ii celeriter alia facturi sunt: quicumque spoliati sunt equis, celeriter alios sibi de integro comparabunt: pro interfectis alii pubescent, & iis nascendo succedent: ut mirum adeo videri non debeat, si celeriter nobis rursum facere negotia poterunt. Cur ergo Cyaxari, ut de dimissione copiarum ad vos referret, auctor fui? Nempe quia quod futurum est, metuo. Video enim tendere adversum nos eos adversarios cum quibus nos, in ista tali militia dimicare non poterimus. Nam hyems adpetit, ac tametsi tecta nos habeamus, non tamen equis eã, nõ ministris, non militum vulgo suppetunt: absq; quibus sit, bellum hosti facere non poterimus. Commeatus autem iis in locis, in quæ nos venimus, à nobismet absumtus est. quo non accessimus, nostri metu in munitiones est convectus. Itaque hostes hunc habent, neque his eripi à nobis potest. Quis ergo tam fortis est, quis tam robustus, ut adversus famem & frigus pugnando bellum gerere possit? Quapropter si hoc modo militaturi sumus, ajo nos ultro dimittere potius exercitum, quam invitos à difficultate rerum profligari debere. Sin hac in militia perseverare volumus, censeo sic nobis agendum esse, ut quamprimum loca munita complura hostibus adimere conemur, ac nobismet complura munire. Nam id si fiat, commeatus majorem habituri sunt copiam, qui majorem ejus copiam ereptam alteris recondent: & obsidebuntur, qui fuerint ex alterutris inferiores. Jam quidem nihil inter nos, & in mari navigantes, discriminis est. Quippe navigant illi quidem semper, sed nihilo magis id, quod navigando confecerunt, sibi proprium relinquunt, quam quod confectum navigando non est. At si castella nobis accesserint, ab hostibus ea regionem alienabunt & nobis omnia magis erunt in tranquillo. Quod vero nonnulli vestrum fortasse metuerint, ne procul à solo patrio collocentur in præsidiis, id minime vobis formidandum est. Nos enim, qui sic quoque domo peregrinantes absumus, custodienda recipiemus loca hostibus proxima: vos Assyriæ loca vobis finitima possidete & colite. Nam si nos ea, quæ ab ipsis prope absunt, tueri custodiendo

præsi-

præsidiis nostris poterimus, alta vos in pace, qui loca possidetis procul ab ipsis dissita, victuri estis. Neq; enim, ut arbitror, neglectis malis sibi proximis, insidiari vobis procul remotis poterunt.

Hæc ubi dicta fuerunt, quum alii surgentes, ad ea suas operas & studia promtis animis obtulere, tum etiam Cyaxares. Gadatas vero, & Gobryas, munitionem uterq; se exstructuros ajebant, si potestatem ejus sibi facerent socii: ut etiam illæ à sociis essent. Cyrus ergo, quum videret impigre facturos omnes, quæcumq; dixisset, tamdem ait: Quod si igitur perficere, quæcumq; dicimus, animus est: quam primum conici, quæ usus poscit, necesse est: nimirum machinas ad muros hostium demoliendos, & fabros, qui munitiones nobis excitent. Tum vero Cyaxares machinam se fabricatum & suppeditaturum policitus est, aliam Gadatas & Gobryas, aliam Tigranes: aliam Cyrus ipse curaturum se, uti fieret, dixit. Quæ ubi decreta essent, machinarum opifices conquirebant, & adparabant singuli, quæ ad machinas requirerentur, præfectis etiam nonnullis operi, qui ad hæc curanda maxime viderentur esse idonei.

Cyrus vero, quod animadverteret, hæc sine mora perfectum non iri: eo loco castra metatus est, quem putabat & saluberrimum esse, & propter illa, quæ advehi oporteret, accessu facillimum: & quæcumque munitionis egebant, sic perficiebat, ut quovis tempore qui remanerent in castris, in tuto essent, quamvis exercitus robur aliquando longius à castris abduceretur. Præterea interrogantem eos, quibus locis plurimum emolumenti exercitus capere posset: semper ad quærendum commeatum educebat, tum ut res exercitui necessarias maxima copia pararet, cum ut rectius valeret, & robusti essent, ex itinerum laboribus: tum etiam ut inter ducendum ordinis servandi recordarentur. His rebus Cyri occupata erat opera. *cap. 2. & seqq. lib. 6. Cyropædiæ.*

Xenophon: Vobis autem, commilitones, ita faciendum erit. Posteaquam hinc jam abieritis, tum equorum arma, tum vestra inspicite. Nam sæpenumero exigua re deficiente, & vir, & equus, & currus inutilis redditur. Cras autem mane, dum sacram ego rem peragam, primum & viris & equis vescendum erit: ut quidquid tamdem fieri opportunum fuerit, in eo ne deficiamus. Deinde tu, inquit, Araspa, cornu dextrum obtineto, uti nunc obtines: itidemq; cæteri denum millium præfecti servate, quem nunc locum obtinetis. Nam ubi prœlio congrediundum est, non juncti jam equi ullo in curru commode mutari possunt. Denuntiate vero cohortium ductoribus & præfectis manipularibus, ut in phalange consistant, singulis manipulis densis ad duos. Erant autem isti manipuli singuli militum viginti quatuor. Et quidam è denum millium præfectis, inquit: An videmur tibi Cyre, siquidem in tot ordinati simus, adversus tam densam phalangem sufficturi? Tum Cyrus: Si densiores sint phalanges, ait, quam ut armis ad hostes possint pertingere, quid tibi videntur hostibus adferre damni, quid sociis commodi? Equidem, ait, hos in centenos ordinatos gravis armaturæ milites mallem in decies millenos esse dispositos: Nam hoc modo cum pauciissimis dimicaremus. At quo militum numero phalangis meæ densitas constabit, futurum arbitror, ut tota strenua reddatur, & ad opem mutuo ferendam promta.

Jaculatores quidem post loricatos disponam, & post jaculatores, sagittarios. Quis enim eos in principiis constituat, qui fateantur ipsi, nullam se comminus pugnam sustinere posse? At si loricatos ante se hostibus oppositos habeant, subsistent: & illi quidem tela vibrando, hi sagittas emittendo super omnes ante se collocatos, hosti damnum inferent. Quocumque vero maleficio quis hostem infestat: eo nimirum ipso socios sublevat. Postremos collocabo, qui omnium, ultimi vocantur. Nam quemadmodum domus nec sine lapidum compositione firma, nec absque iis, qui tectum faciant, ullam ad rem utilis est: sic neque phalangis vel absq; primis, vel absque ultimis, si strenui non fuerint, ullus est usus. Enimvero vestros ordines, uti præcipio, instruite: ac vos cætratorum præfecti post ordines horum, vestros itidem manipulos disponite: vosque præfecti sagittariorum, itidem post cætratos. At tu, qui præfectus es ultimis omnium, extrema esto in acie cum tuis, eisq; præcipito, ut quisque respiciendo suos observet, & officium facientes alterius cohortetur, ignaviores minitabundus acriter increpet. Quod si quis tergum vertat, deserendi consilio, morte multetur. Est enim hoc principe constitutorum loco munus, ut sequentes verbis & factis animosos efficiant. Vos autem, qui post omnes estis collocati, etiam metum hostili majorem ignavis incutere debetis. Ac vos quidem hæc facite.

Tu vero Abradata, qui præfectus es machinis, fac ut vehicula jugalia, quæ adparitores ac turres vehunt, quamproxime phalangem sequantur. Tu Dauche, qui præfectus es plaustris impedimenta vehentibus, post turres copias ejusmodi omnes ducito, & adparitores tui vehementer in eos animadvertant, qui vel intempestive præcesserint, vel à tergo manserint. Tu Carduche, qui carpentis mulieres vehentibus es præfectus, postremo ea loco post impedimenta constitue. Nam si hæc omnia sequantur, & multitudinis opinionem præbebunt, & insidias struendi facultatem nobis suppeditabunt, & cogent hostes, si quidem circumdare nos velint, ut majorem ambitum faciant. Quanto autem majus spatium circumdando complectentur, tanto necesse est imbecilliores fiant. Ac vos quidem ita facite. Tu vero Artabaze, & tu Artagersa, mille peditès, quibus singulis uterque præestis, post hos ducite. Tuque Pharnuche, ac tu Asiadata, equites illos mille, quibus præestis uterque ne intra phalangem disponite: sed armis instructi pone plaustra seorsum consistite, ac deinde cum ducibus cæteris ad nos accedite. Sic autem paratos vos esse necesse est, ac si primi prœlium sitis inituri. Tu quoque camelis impositorum præfecte pone plaustra locum tuū obtineto, & quidquid Artagersas imperarit, facito. Vos autem curruum duces fortimini, cuicumq; sors obvenerit, is ante phalangem suos centū currus constituat. De cæteris curruum centuriis altera quidē ad latus dextrum exercitus procedens, phalangem ad cornu sequatur, ad lævū altera. Sic adeo Cyrus omnes disponebat.

Abradatas autem Susorum rex: Equidem, ait, ultro in me recipio, mi Cyre, ut hunc è regione phalangis adversæ locum obtineam, nisi quid aliud tibi videtur. Et Cyrus hominem admiratus dextra prehendit, ac Persas, qui cæteris erant in curribus, interrogat: An & vos hæc concedis? Illis respondentibus, honestum non esse, hæc permittere: sorte ducta rem inter ipsos componit, & Abradatæ sors id concessit, quod ipse in se receperat, & Ægyptiis oppositus fuit. Actum quidem discedentes, curatis iis, quæ prædicta sunt, cœnabant: & constitutis excubiis, quieti se dabant. Postridie mane Cyrus rem divinam faciebat. At omnis exercitus, quum pransus esset, ac libasset, armabat & instruebat se: multas induens elegantes tunicas, multas & elegantes loricas, & galeas: itidemque armabant equos frontium pectorumque tegumentis, & celeres quidem equos illis armis, quæ femora: curribus vero junctos armis aliis, quæ latera tegerent. Itaque totus exercitus ære fulgebat, & florido vestium punicearum colore nitebat. Erat & Abradatæ currus temonum quatuor, & equorum octo pereleganter exornatus. *cap. 22. & seqq lib. 6. Cyrop.*

Lucianus: Quo tempore Bacchus exercitum adversus Indos duxit ferunt ipsum ita ab illius regionis hominibus fuisse initio contemptum, ut accedentem irriderent: imò temeritatem illius miserarentur, ut qui protinus ab elephantis conculcaretur, si adversa acie occurreret. Audiverant enim, opinor, exploratores de ipsius exercitu absurda renuntiantes, Nimirum phalangem ipsi & manipulos constare ex mulieribus insanis & furentibus, hedera redimitis, ceruina pelle amictis, hastas quasdam gerentibus, non ferro, sed hedera confectas, tum scuta quædam levia quæ resonarent: siquis tantummodò attigisset: nam & tympana clypeis assimilabant. Esse præterea paucos quosdam rusticos juvenes nudos, qui cordacem saltarent, caudas & cornua haberent, qualia hœdis recens natis succrescunt. Ipsum vero exercitus ducem, curru vehi junctis pardalib. tracto, penitus imberbem, neque vel tantillum genis pubescentem cornigerum, racemis coronatum, mitra purpurea comam revinctum, aureis cothurnis calceatum.

Secundum vero ab imperatore locum obtinere duos, quorum alter brevis erat statura, senex, crassiusculus, ventricosus, simus, auribus magnis & arrectis, tremulus, thyrso innixus, in asino plerumq; equitans, crocoto indutus, eumq; magnæ authoritatis in ducendo exercitu ipsius collegam. Alter monstrosus homo, qui partibus inferioribus hircum referret, in cruribus crines haberet, cornutus, promissa barba, iracundus, & animosus esset: qui læva fistulam, dextra baculum incurvum attollendo gereret, & universa castra circunsiliret, quem mulieres timerent, & quum accederet, comas vento agitatas quaterent, & clamerent evohe: quo nomine earum dominum vocari conjice. Greges vero à mulieribus esse jam discerptos, & vivas adhuc pecudes dilaniatas. Nam esse crudivoras illas. His auditis Indi eorumq; rex ridebant ut par erat, neq; obviam instructa acie prodire dignabantur. Sed si propius accederent, mulieres in eos immittere statuebant: quod putarent turpe sibi esse, vincere & neci dare mulieres furentes, & ducem effœminatum, & temulentum parvū senem, & semimilitem alium, nudosq; saltatores, ridiculos omnes.

Sed posteaquam nuntiatum est Deum incendio regionem vastare & urbes cum ipsis suis comburere, & sylvas incendere, ac brevi temporis spatio totam Indiam igne impleviisse (nam ignis telum est Bacchi, à patre acceptum, & ex fulmine oriundum) tum diligenter arma sumpserunt, instructis & frænatis elephantib. dorsoq; impositis turribus in eos adverso exercitu prodierunt, etiamdum tamen contemnentes, & irati, & communire properantes ipsis cum castris imberbem illum imperatorem.

Postquam autem propius accesserunt, & in mutuum conspectum venerunt, Indi collocatis in acie prima elephantis, exercitum adduxerunt. Bacchus vero ipse medium tenebat. Silenus cornu dextrum, Pan sinistrum ducebat: manipulorum ductores, & centuriores Satyri erant interpositi: signum omnibus erat. Euohe. Statim percussa tympana perstrepebant, ipsaq; cymbala classicum canebant: unusq; è Satyris accepto cornu orthium occinebat. Tum Sileni asinus Martium quiddam rudit: & Mænades cum ululatu in eos insilierunt, succinæ draconibus, atq; ex summis thyrsis ferrum denudantes. Indi autem, eorumq; elephantes, ilico declinantes nullo ordine fugiebāt, non ausi intra teli jactū venire. Tandē vi capti sunt, abductiq; captivi ab eis quos ante deridebāt: re ipsa experti quā non oportuerit primæ statim fama adductos, peregrinū exercitum cōtemnere. *Vit. Bacchi.*

Aristides Sophista: In exercitu Duces fortissimos quosq; in prima acie constituunt, minus fortes in postrema, imbelles autem & ignavos inter medios referunt. *Hymno in Iovem.*

Libanius: Equidem tametsi amici exercitus adventum solum prohibuissem, non puderit me donum petere. Scimus enim quam difficilia sint ejusmodi facinora, & quantum damni inferant. Et cum exercitui domestico huc accedere volenti, suasissem alia via pergere, jure præmium obtinerem, & hostium obsidione soluta indonatus abibo? *Declamat. 31.*

Onosander: Educat copias Imperator puras, & lustratas secundum ea quæ vel legibus sacris sancita, vel à vatibus præscripta sunt, omnem publicæ alicujus maculæ, aut impietatis conscientiam projiciens.

Procedat universum agmen ordine servato, etsi pugnam Imperator cōmissurus non sit, imò etsi per arduam viam exercitum producturus, & per sociorum amicorumq; regiones, multorum dierum iter facturus, ut hoc pacto adsuefacti milites maneant in ordine, conservent proprias cohortes, ductoresq; suos subsequantur: Maximè verò si per hostile solum incedant, subitariis excursionibus sustinendis ac reprimendis, neve illo temporis momento dum fusi palantesq; divagantur, se ipsos mixtim incurrent, nihil tamē agant, nec præripiant, sed multas interim strages patiantur. Unà igitur omnes, pariterq; progrediantur, ut sint in itinere diligentes, & ad conflictum repentinum accincti. Signa etiam habeant, seseq; invicem recte dispositis ordinibus contueantur.

Curet quoque Imperator, ut exercitus sui ordines artissimè colligati; ut cohibentibus angustiis, non possint per diffusa latera diffluere aut dispergi, aliàs enim toti patent in vulnera, & levi hostium velitatione franguntur, & nequicquam obsistere conantur. Nam sive à fronte, dilatato agmine, hostes occurrant, haud difficulter ejusmodi copias fundunt, quasi in pugna cornu circumdato ac circumvento: Sive etiam per medium exercitum, ad latera impetū faciant, citò distrahant ac dissipant obnitentes. Ac licet sese conferant & contrahant in phalangem pugnaturi, nihilominus invalida erit pugna. Frons enim minus profunda serie non durabit. Sed enim si à tergo quoq; premantur postites, luctuosa demum erit pugna, & præsens objicietur pernicies, nam tenuis hic quoq; series citò turbabitur. Aut si in frontem se audeant convertere, tam infeliciter confligent, quam qui in prima acie collocati, & cingi facillimè infestâ manu poterunt. Hinc etiam eveniet, ut subsidia difficulter aut perperam mitti possint. Etenim si tergiductores antistitibus, aut antistites tergiductoribus, suppetias adferre velint, pluribus stadiis, ac longioribus invicem intervallis dissiti, serò admodum aut nec opportunè, subvenient.

Succinctum vero & quadratum agmen, porrecto atq; oblongo, expeditius omnino tutiusq; est, siquidem in productiore, panici aliquando terrores, vani, ancipitesq; tumultus, cooriuntur. Primi scilicet, postquam è locis montosis, ad nuda & plana devenerunt, postremos adhuc à tergo decurrentes cum intuentur, prima facie videre sibi videntur adventantes hostes, adeoq; congredi gestiunt, immò, & nonnulli jam ad manus concitati veniunt.

Servilia, jumenta, omniaq; impedimenta in medio agmine componenda atq; comportanda curabit Imperator, si retrò non omnia tuta & quieta suspicabitur, imo tunc in postremis fortissimos, præstantissimosq; collocet, nec putet in istis, ad irruptionem subitariam retundendam, minus esse debere momenti, quam in primis.

Præmittat etiam equites, scrutandis explorandisq; viis, maximè cum sylvæ penetrandæ, aut circumseptæ collibus solitudines pervadendæ. Sæpenumero enim struuntur ab hostibus insidiæ, quæ si adversarios fallant, rem eorum universam perimunt, opprimuntq;: si vero subtili aliquantulum Ducis diligentia detegantur, maximum prudentiæ argumentum hostium Imperatori exhibent.

Nimirum, aperta & æquata agri planities, cuivis vel parum prospicienti manifestò se prodit. Nam interdiu pulvis excitatus, hostium commeantium index est: & nocturni ignes collucentes, armatos in proximo esse prænuntiant.

Prælium non commissurus Imperator, castra moveat interdiu: si verò compendii commodive aliquid suadeat, quod faustum ac tutum fore existimet, etiam noctu. At ubi jam ferro decernendum erit, simul ac in hostium contuitum venerit, jubeat agmen progredi suspenso gradu, pedetentim, caveatq; ne huc illucq; currite: Nam plerumq; intempestiva corporis defatigatio, multum de ferido & acri illo militum robore minuit & absumit.

Per socias regiones iter faciens, edicat, ut milites se illis locis abstineant, nihil illorum aut attingant aut corrumpant. Omnis enim exercitus, dum in armis est, immodeste permulta appetere amat, tum præcipuè, cum perpetrasse aliquid licuit: quæque se oculis ultrò subjiciunt commoditates, maximè titillant & alliciunt impotentem habendi cupiditatē, ac sæpe vel levissima datâ occasione abalienati divortunt animi sociorum, immo & infensissimi hostes fiunt.

Hostium autem possessiones funditus perdere, amburere, cædere, depopulari proderit. Damnosa enim clades, & opum fructumq; penuria, belligerandi vires illis adimet, quas abundantia fovebat ac suppeditebat.

Aliquandiu tamen antè comminari debet Imperator, quam facere. nam calamitatis inferendæ metus, periclitātes admittere multa quæ renuebant sæpe cogit, at ubi ea semel illata sæviit, dum se nihil pejus pati posse animadvertunt, cætera omnia quasi pro derelicto habent. Enimvero si diutius in hostili solo habenda castra putaverit, ea tantum deperdat, quæ utilia sibi non fore prospexerit: illis autem, quæ, si integra serventur, suis etiam prodesse poterunt, parcat. Collectis contractisq; omnibus copiis, in fœderatis sociisq; regionibus, diu cunctando, feriatus ne desidet. nam amicos majore quam hostes multaret detrimento. Inde igitur armatam manum si cōmodum est & licet, confestim abducat. nam in hostium agris, si optimi sint & fertiles, opiparè & adfatim vivet: si minus, at certè suos non vastabit, & multa etiam ex alieno agro, quamvis non ita ubere ac lauto, elicet commoda. Erit etiam boni Imperatoris, curare ut mercatoribus liber & securus terrâ mariq; annonæ convehendæ pateat aditus, ut plenâ securitate, impigri, necessarias merces commodius apportent. *cap. 5. & 6. Strateg.*

Idem: Si quando per angustias, aut prærupta & avia loca ducendus exercitus, perutile erit, copias nonnullas præmittere, montium verticibus, angustiarumq; faucibus præoccupandis, ne si prius illic hostes consederint, transitionem arceant. Quod etiam observandum, si hostium metuetur impressio. Nam utile quidem est, aliquid semper in illos moliri ac tentare, sed ab illis quoq; cavere plane necessarium est. Nec solum Imperator invadendis hostium finibus avide imminere debet, sed proinde suos etiam, ne usurpentur, occludere. *cap. 7. Strateg.*

Leo Imperator: Præcipimus igitur dignitati tuæ, ut pro veteri more consuetudineq; tua milites & duces ex iis eligas, quos ad belli usum maximè idoneos judicaveris. Ex omni ditione sub tuum imperium subjecta milites eliges, neq; adolescentes neq; senes, sed fortes, robustos, alacres, divites, ut in expedito & procinctu cum sint, id est, in castris & in ipso cœtu ac multitudine exercitus, quod hodie Fossatum appellamus, ad rem privatam suam & domesticam quasi militiam occupatos domi habeant alios agricolas, & ut armaturam & cætera quæ militi necessaria sunt, subministrare possint: & ut liberas interea ædes ab omni alia publica servitute habeant. Nostrū enim commilitonem (nam sic eum vocamus qui pro nostro regno & Romano hoc Imperio strenuum se in bello gesserit) nolumus ut ullæ cujusq; modi servituti nisi tributo publico subjiciatur.

2. Dividatur igitur universus sub imperio tuo exercitus in tagmata sive banda, id est, cohortes diversas: & subdividatur in decurias: eæ quoq; tribuantur in contubernia: hæc ex quinq; viris conficiuntur, atq; etiam interdum ex decem viris, quæ decuria apellatur, sicq; contubernium interdum unum decuria est, interdum duo.

3. Itaq; exercitus in cohortes & decurias universus describatur. Præficiantur illis duces per banda, & drungos, & turmas, & per alias præfecturas, qui accommodatissimi sunt, & qui fideles sunt & benevoli nostro huic Romano imperio, & qui fortes esse existimantur. Nihil prohibet autem quin & locupletes copiosiq; homines, & qui genere atq; animi virtute nobiles sunt, duces fiant. Ingenuitatem enim habeant, ut in ipso quasi articulo temporis imperata faciant: abundantiam autem divitiarum, ut possint militibus è copiis suis interdum aliquid subministrare. Etenim parvus hic sumptus si à ducibus & præfectis erga milites sibi subjectos fiant, benevolos reddit & amicos illis, & periculosis discriminibus ad vitam profundendam paratos facit.

4. Alii igitur ex iis qui honoratissimi sunt, assessores Imperatoris sint: alii autem adsint, & participes universi cōsilii, sociiq; sæpe, si usus ita ferat, etiā secretissimi & occultissimi consilii sint. Interdū enim fortasse etiā qui optimus est, cogitat secū quid utile sit, & hoc quod ipse invenerit, sine ulla dubitatione optimum esse putat. Sententia enim & consilium uniuscujusq; si singulare & unius solum hominis fuerit, in suum ipsius inventum solum intuetur: aliorum autem hominum consilium si adjungatur, examinatur hoc consilium & quale sit elucescit, & semel à pluribus approbatum, nihil lubricum aut anceps continere creditur.

5. Par est igitur quemvis Imperatorem, (ut rursum tibi eisdem de rebus præcipiamus) neque ita animo incerto esse, ut ipse sibiipsi omnino diffidat, neq; contra ita præfracto & singulari animo, ut nolit ad honesta aliorū consilia attendere. Necesse est enim vel ut omnium consiliis si se det, & nihil sibi ipse tribuat, sæpenumero in crebras offensiones incidat: vel si aliis nullo modo nitatur, sed sibi soli fidat, turpiter sæpe prolabatur. Restat jam ut primo tibi omnium præfectorum simpliciter nomina recensea mus, deinde notas quasdam illorum quam pauciss imis exponamus.

6. Caput igitur omnium Imperator erit: post illum Merarchæ, id est turmarum præfecti: tum Drungarii, id est, tribuni: deinde comites, id est, bandorum sive cohortium præfecti: post hos centuriones: deinde decani, id est, qui præfecti contuberniorum sunt: deinde quintani, quartani, qui quoniam ultimi in contubernio seu ordine juxta altitudinem vel latitudinem instructæ aciei collocantur, κέρκοι, id est, caudani sive ultimani nominantur. Extrema enim totius contubernii pars quasi cauda corpori, sic ea reliquo contubernio adhæret. Atq; ista præfectorum sunt nomina. Sunt autem & alii in unaquaq; cohorte sive bando præfecti separati, ut bandophori, tubicines sive buccinatores, administrari, despotati, mandatores & cohortatores, qui oratione sua milites ad prælium excitent, quos ante nos recentiores artis militaris periti, latinè cantatores vocabant: & alii præterea ad usus rerum emergentes quotidie separati, ut scribones: hæc enim vocabula hoc tempore in hac Reipublicæ forma usitata & recepta sunt, antiquis vocabulis, quemadmodum suo loco dicemus, pene abrogatis.

7. Imperator igitur appellatur, qui universo exercitui præest, & administrator illius qualiq; præsul est. Princeps autē, qui proximum huic locum tenet. Existimo certe majores, eos quos nunc Principes appellamus, Imperatores olim nominasse: quia princeps uniuscujusq; ditionis suæ quasi Imperator est, & hac de causa princeps Imperator appellatur. Imperator autem probe dicitur qui à Rege, ut omnium caput sit, mittitur, sub se principes habens: nunc autem nullus princeps in bello cognoscitur, nisi qui Merarchæ, id est, præfecti turmæ sive Turmarchæ vocantur.

8. Turmarcha turmæ præfectus, qui olim merarcha vocabatur: is μίρεις, id est, turmæ sive partis imperio præponitur.

Drun-

9. Drungarius sive tribunus dicitur, qui uni μοίρᾳ, id est, particulæ sive cohorti milliariæ præest. μοῖρα, id est, pars, quæ etiam turma dicitur, ex tribus μοιρίαις, id est, particulis sive drungis conficitur. μοῖρα, autem, id est, particula sive drungus, est ex cohortibus, sive ex iis hominibus qui comites esse dicuntur, conflata multitudo.

10. Comes est unius cohortis sive bandi præfectus.

11. Centurio est qui centum viris præest, qui sub comitem subjectus est.

12. Decanus est qui præest decem militibus: quemadmodum Quintanus, qui quinq;, qui in medio contubernio constituitur.

13. Quartanus est, qui & custos dicitur, δεκανός, id est, caudanus sive ultimanus, & extremus in contubernio stat. Copiosior enim præfectorum divisio plures in exercitu strenuos viros indicat, plures milites alacres tum ad facilè obtemperandum, tum ad imperata facienda præstat.

14. Et bandophorus, id est, signifer, qui signum cohortis sive bandi gestat.

15. Despotati appellabantur olim qui nunc scribones vel chirurgi dicuntur: hi aciem sequentes sauciatos in prælio curant, quemadmodum Medici, & ad sanitatem revocant.

16 Mandatores sunt, qui mandata à principibus ad milites facilè perferunt.

17. Lochagus, id est, manipuli præfectus, dicitur primus in contubernio juxta altitudinem, qui & Primanus & prætes dicitur.

18. Secundanus est, qui secundus est in contubernio, qui & substes & astes dicitur.

19. Caudanus est qui in extrema parte contubernii, id est, in cauda ordinis stat.

20. Cursores dicuntur vel propugnatores, qui aciem anteeedunt in belli conflictationibus, & qui in fugientes hostes omni dimicatione invadunt, quos vocant proclastas.

21. Defensores sive subsidiarii sunt, qui istos sequuntur, non tamen excurrunt & ordinem & stationem suam deserunt, sed simul & confertim ambulant ad vindicandam sortem cursorum, si forte illos, quod usuvenire plerunq; solet, in fugam verti contingat, quos jure quis vindices vocaret.

22. Censores, qui fossata sive castra metantur, & constituunt, quos mensuratores sive metatores vocant.

23. Anticensores sive metatores alios quosdam antiqui Romani appellabant, quos nunc ut arbitror cum mensuratoribus confundentes, nullo certo nomine appellant. Isti in castris movendis ante eunt, & idoneas vias locaq; exquirunt ad castra ponenda, eaque qualia esse debent advertunt.

24. Scultatores, id est, speculatores, qui res hostium exquirunt & narrant.

25. Πλαγιοφύλακες, id est, latrones sive laterani, qui ad laterum custodiam primæ aciei constituebantur.

26. Cornistites sunt qui ad cornua hostium circundanda constituuntur.

27. Insidiæ nominantur, qui in occultis locis adversus hostium aciem parantur.

28. Tergistites sunt, qui ut post aciem universam eant constituuntur.

29 Tuldum, sive impedimenta, est apparatus universus & utensilia militum, ut pueri & jumenta, reliquaq; animantia, vel si quod aliud instrumentum ad usum castrensem adjungitur.

30. Expeditio quoq; exercitus in quasdam præfecturas dividitur: ut, in cohortis comitem, & in domesticæ ditionis comitem, & omnino in reliquos consuetę expeditionis administros, quos recensere supervacaneum est.

31. Protonotarius ditionis & Chartularius, atque etiam prætor sive ditionis suæ judex, alter urbanarum rerum administrationi qui præest, alter qui exercitus descriptioni & inquisitioni præficitur. Hic controversias eorum qui in jus veniunt, dissolvit. Istos quanquam Imperatori in multis obedire oportet, tamen quod ad privatarum suarum administrationum rationes spectat, ad regnum nostrum pertinere volumus, ut ex eo civilium & bellicarum rerum administrationem & constitutionem tutius cognoscamus.

32. Universum igitur exercitum in diversa tagmina, id est, cohortes Imperator divides, & illis principes præficies, prudentes, fortes, atque accommodatos illis.

33. Ex unaquaque cohorte sive bando centuriones elige, prudentes, fortes atque strenuos: deinde decanos, eosq; strenuos atque invictos, & si id fieri potest, sagittarum jaciendarum peritos. Post decanos, quintanos quartanosq; : tum contubernii custodes, id est, eos qui ad altitudinem contubernii custodiendam constituti sunt, qui ex singulis contuberniis duo sunt, ut ex unoquoque contubernio viri delecti quinq; sint. Eos qui in contuberniis restant sic instrue, ut senes adolescentesq; simul pro ratione & numero exercitus tui inter se conjungas.

34. Ubi istos ad hunc modum constitueris, lectos ac nobiles qui restant variè distribuito, pro uniuscujusq; dignitate seu vi & natura, optimos primo loco, reliquos permiste tum ex tremo tum medio in loco.

35. Itaq; mandatores vigilantes & prudentes eligere oportet, & bandophoros sive signiferos, præterea duos ex unaquaq; cohorte. Talis autem delectus in contubernus adhibendus est.

36. Ubi pueri nulli sunt, ibi quemadmodum par est ex debilioribus militibus ad impedimenta custodienda delectum virum unum, & alium quendam prudentem militem ac idoneum signum aliquod gestantem designabis, quem tuldum, id est, samaria sive impedimenta sequentur.

37. Contubernia omnia describes, & quæ in dextra cohortis, quæq; & quot in læva fiant assignabis.

38. Contubernia in quinq; vel decem, aut in quatuor vel octo vel sedecim distingues, quemadmodum intellexeris pro tempore hoc utile esse, ut consuetudine quadam conjuncti contubernales pro se mutuò in prælio dimicent, & ad pericula suscipienda magis excitentur. Habeat quoque aliquem communem inter se usum unumquodque contubernium, quem admodum antea explanavimus.

39 Prudenter autem feceris si amicos cum amicis, fratres cum fratribus, idque in ipsa prælii acie potissimum conjunxeris: quando enim periclitanti proximus admodum amicus est, necesse est pro eo quem charum habeat animosius atque alacrius dimicet. Alter autem quia non reddere gratiam viro pro se tam fortiter propugnanti erubescit, hunc benemeritum deferere & tergiversari sine rubore non potest.

40. Contubernia autem, ut jam prædiximus, propterea à provectioribus simul & junioribus militum fieri oportet, ut ne provectiores per seipsos collocati debiles atq; imbecilles sint, juniores autem nempe rerum imperiti, perturbatiores reperiantur. Illi enim quanquam senes sunt, tamen experietes sunt: juvenes autem quanquam fortes sunt, tamen inscientes atq; imperiti sunt.

41. Cohortibus igitur sive bandis ad hunc modum distributis, præfecti illis qui comites vocantur eligendi sunt: & unamquamcohortem ex viris trecentis media quadam ratione conficies. Neque quamvis ingentem habeas exercitum, plus quadringentis viris in cohorte collocabis: neque minus ducentis, quantuluscunq; fuerit exercitus.

42. Istas cohortes congregabis in cohortes milliarias quas drungos, chiliarchias sive μοῖρας, id est, particulas, vocabant antiqui. quorum præfectos tribunos sive chiliarchos & drungarios vocabant.

43. Has igitur cohortes milliarias sive drungos conferes in partes sive turmas, & præerunt illis ex electione nostra regia turmarchæ, quos nunc turmarchas, id est, turmarum præfectos appellamus. Illos prudentes, modestos, strenuos esse oportet, experientes, & literarum scientes, atq; eum in primis qui mediæ turmæ præest, quem principem appellamus, qui ubi opus est Imperatoris locum in omnibus supplebit.

44. Has igitur tres turmas constituere oportet, quarum singulis præerunt turmarchæ, unusquisq; turmæ suæ præfectus, ut sit universa Imperatoris exercitus sui divisio in tres æquales partes sive turmas in dextram, mediam, & sinistram. Hæc tria universam aciem continent, quæ sub Imperatoris dominatum subjicitur.

45. Oportet igitur, quemadmodum prædictum est, neq; cohortem sive bandum comitis plus quadringentis tenere, neque cohortem milliariam sive drungum plus tribus millibus, neque turmam plus sex millibus.

46. Si vero contingat majorem numerum esse exercitus quam prædictum est, optimum esset extra turmas eum in secunda acie, id est, post primam aciem in subsidiis collocare, vel ad laterum custodiam, ad tergistites, ad insidias, ad obsidiones hostium transferre.

47. Neque igitur turmæ neq; drungi, id est, cohortes milliariæ, majores sint vel fiant quam prædictum est, ut ne si in aliquem majorem numerum producantur, minus obedientes imperatis & perturbatiores inveniantur.

48. Atque hoc tibi perneccessarium esse existimo, ut omnia banda sive cohortes nequaquam paria numero inter se facias, ne tum numerabilis exercitus tuus confestim fiat, quæ res maximorum sæpe malorum causa est. Hoc tamen perdiligenter observandum est, ut ne plures quadringentis, neque pauciores ducentis in bando sive cohorte collocentur.

49. Quare unamquanque cohortem si duas apparere facias, persæpe ubi confligendum cum hoste fuerit, non inutile ad perterrefaciendos adversarios erit. Oportet autem ab unoquoque bando ad necessarios usus separari, ut dictum est, mandatores vigilantes, prudentes, acres, vocales, & si fieri possit, multarum linguarum intelligentes.

50. Et buccinatores quoque, qui quando occasio fert buccinabunt. Sanitatores, id est, qui omnes acies ferreas exacuunt. Fabros arcuarios & sagittarios, reliquosq; qui ad rerum consuetarum effectionem pertinent.

51. Constitues etiam qui res amissas collecturi, & dominis suis restituturi sint.

52. Quemadmodum enim ad impedimenta equitum gubernanda prætecti constituendi sunt, sic ad impedimenta pedestrium eliges quosdam, quibus qui ad caragum pertinent, obedientes sint.

53. Caragus dicitur ex carris & aliis bellicis rebus munitio ad exercitum defendendum.

54. In unaquaque turma unum summum caragi præfectum esse oportet, & signum aliquod quemadmodum in equis, sic in bobus unicuiq; ordini privatum adhiberi, ut facile cognosci & agi certi à suis possint.

55. Bene autem pedestris aciei mentionem fecimus. Oportet autem hujus divisionem facere, & in ea præfectos & duces majores & minores constituere, & illorum quoque nomina percensere, quemadmodum ab antiquis rei militaris peritis accepimus, & quemadmodum recentiores suam ipsorum instruendæ aciei formam & constitutionem nobis reliquerunt.

56. Antiqui enim multitudine hominum ea abundabant qui olim armati, nunc scutati vocantur: quanquam hoc nomen propter magnam rei militaris atque industriæ bellicæ negligentiam pene ab omnibus ignoretur. Horum igitur scutatorum cohortes ex sedecim contuberniis faciebant, id est, ex viris ducentis & quinquaginta sex, unumquodq; contubernium virorum sedecim quadrata forma & numero. Invenitur autem in illis phalanx peditum quater mille nonaginta sex, quam vocant aciem pedestrem, & præfectum illorum Imperatorem.

57. Perfectam autem aciem faciebant ex cohortibus sexaginta quatuor, contuberniis mille viginti quatuor, hominum sedecim millibus trecentum octogintaquatuor. Levis armaturæ autem, ut sagittariorum, jaculatorum, funditorum octo millia centum nonaginta duo, ut acies levis armaturæ dimidia sit aciei scutatorum vel gravis armaturæ. Equitum autem qui cum his instruuntur, & pedestri aciei admiscentur, quater mille nonaginta sex: & istorum præfectus dicebatur Imperator.

58. Et ista quidem ad hunc modum partiebantur. Cohortes scutatorum in fronte pro prima acie contra hostes collocabant, & hanc in quatuor partes sive turmas dividebant, dextram, sinistram, dextram mediam, sinistram mediam.

59. Levis armaturæ cohortes quia truces & agiles erant, vel ante omnes collocabant ad persequendos hostes, vel ad latera obliquabant, vel ad tergum primæ aciei constituebant, vel quemadmodum usus poscebat describebant, de quibus separatim dicemus.

60. Equites in duas turmas sive partes dividentes, ad latera pedestris aciei collocabant, nempe adjutores & expeditos incurtores hostium.

61. Ut igitur ne omnia percensendo nimis curiosus sim, lochon, id est, manipulorum, & τάξεων, id est, acierum, & eorum qui iis præsunt nomina, propterea quod ex usu militari jam excesserunt, & quia incerta atq; incomprehensibilia omnibus viris militaribus sunt, & ut ne tempus inaniter consumamus, prætermittamus, & hæc quæ magis necessaria ad usum sunt, & ad cognoscendum certiora, & magis compendiaria, persequar. Illæ enim ut videtur equitum acies atq; peditum, pro ratione multitudinis militum fuerant, cum tot strenui ac fortes inveuirentur milites.

62. Nunc vero Imperator cum multo pauciores sint milites in exercitu quam olim fuerant, & non modo æqualem, sed etiam longe minorem numerum habeant, non facile est numerum cohortis neque equitum neque peditum definire, ut ne si vel superes numerum ducentorum quinquaginta sex virorum, otiosi sint, vel rursus si ad alias cohortes adjungantur, quasi inordinati milites inutiles existant.

63. Cohortis tuę numerum facias pro multitudinis tuę ratione, & multitudinem virorum præsentium pro virtute & fortitudine militum tuorum in collocatio. Unumquodq; autem bandum sive cohors præfectum suum comitem habeat strenuum, prudentem, fortem, & manibus consertis ad præliandum habilem.

64. Contubernia vero singula peditum diligenter observare oportet, ut ex sedecim hominibus fiant ad labores prælii suscipiendos idoneis. Numerum autem aciei pro ratione exercitus & multitudinis tui faciat.

65. Hanc vero aciem ex quotcunque fuerit cohortibus & contuberniis, in quatuor (ut supra dictum est) turmas divide: in dextram, cui præest dexter turmarcha: in lævam, cui lævus turmarcha: & in duas medias turmas, in quibus erit Imperatoris cohors sive bandum.

66. Præterea integram hanc aciem oportet etiam paucos quosdam habere scutatos & velites in subsidiis, qui ducem suum peculiarem habeant absente etiam designatum, ut si quando opus fuerit, in extremis oris instructæ aciei extra equites sint, vel inter carros, aut aliis in locis cum suis ipsorum ducibus excurrentes opem ferant.

67. Oportet autem si minor numerus vigintiquatuor millibus peditum sit, universam aciem in tres solum turmas dividere, & in media Imperatoris bandum sive cohortem collocari oportet, cui cætera banda obediant.

68. Prius autem divides velites in homines vel sagittandi peritos, vel certe habiles ad discendum, si qui truces aspectu, & juniores fuerint, & qui per omnia loca ubi velint saltare possint. Si enim supra viginti quatuor millia fuerint, dimidiam illorum partem eliges: si pauciores fuerint, tertiam uniuscujusq; numeri partem assumes, & illos in decurias sive contubernia, ut ante dictum est, divides, illisq; decanos bonos atq, idoneos præficies, unumq; etiam omnium ducem Præfectum sagittariorum nominabis.

69. Reliquarum duarum partium dimidium, octodecim virorum seniorum simul & juniorum contubernia dividas, & duos ex iis octodecim qui debilissimi sunt, seu potius omnes qui supra sedecim sunt, ad carros reliquasque sarcinas servandas operam navare oportet: sedecim autem reliquos in acie consistere, & præesse illis manipulares duces sive decanos oportet strenuos atque idoneos.

70. Octo vero ex istis sedecim qui meliores sunt, primos & postremos contubernii sive manipuli constituere oportet. Nam sedecim virorum contubernium, manipulum antiqui vocaverunt. Constituere autem eos oportet in primo, in secundo, in tertio, in quarto loco, in XVI, in XV, in XIV, in XIII. ut altitudine ad quatuor hominum numerum descripta, firmetur tum frons tum cauda id est, extremum agmen. Reliqui vero octo imbecilliores in medio collocandi sunt.

71. Istos sedecim nominabis seorsim per primos & secundos, vel per præstites & astites. Duo autem ex illis binomines erunt, & primus quidem vocatur lochagus sive manipularis dux primus, sive protostates: alter autem vocatur decarches & secundus sive astes, & deinceps similiter, ut universa acies ex præstitibus & astitibus instruatur.

72. Ut autem obedire facilius possint, & idonee inter se vivere, melius est illos in duo solum contubernia dividere, ut primi sive præstites sint cum præfecto manipulari, secundi autem vel astites sint cum decano: ita fiet, ut quanquam in vitæ cultu separentur, in acie tamen adunati isti sedecim, consilio mandatoque manipularis præfecti obtemperent. Hoc modo acies optimè conservatur, & illi facillimè obedientes erunt.

73. Utile autem est, si id fieri potest, non solum secundum virtutem vel strenuitatem unumquodque contubernium scutatorum ordinare, verumetiam juxta ætatem, ut provectiores ætate si anteponantur, magis parentem atque obedientem manipulum faciant. Ut vero ne omnia vel ad strenuitatem vel ad ætatem referamus, oportet eos qui alacriores & generosiores sunt, in fronte & cauda, id est, extremo contubernio, imbecilliores autem in medio, quemadmodum prædiximus, collocari.

74. Propterea autem antiqui ex sedecim viris peditibus contubernium in militia designaverunt, quoniam hic numerus tum idoneus est, quem transire non oportet, tum in omni militari usu facilè & nullo negotio dividitur & secatur usq; ad unum virum. Atq; hæc quidem de exercitus divisione & constitutione, & de Ducibus huic præfectis tum majoribus tum minoribus, à nobis dicta sint. *cap. 2. Tacticorum.*

Leo Imperator: Belli timore jam imminente, universum exercitum unum in locum coges: non tamen in unam aciem omnes copias tuas, si multæ copiosæque fuerint, instrues, ne propter numeri multitudinem aciem perturbent, & propter vastam ejus magnitudinem minus obedire imperatis tuis possint: sed supervacaneum numerum divide, & secundam aciem ex eo instruc.

2. Qui enim universis equitum copiis pugnat, & unam in aciem adversus hostes omnem exercitum confert, neque in adversos belli atque ancipites casus intuetur, neque procurat quemadmodum aliis copiis, si quid accidat, pugnare cum hoste possit, hic vir mihi videtur admodum imperitus rerum esse, & in manifestum discrimen seipsum conjicere.

3. Neque enim numero hominum, neque importuna audacia neq; sola conflictatione ipsa bella conficiuntur, sed secundum voluntatem Dei arte bellica & imperatoriis factis & consiliis bene administratis, cum quadam exercitus alacritate, bella prospere succedere solent.

4. Prudentia autem ac moribus hæc fiunt, tamen pro ratione temporis, ut diei, noctis, hiemis, serenitatis: vel pro locorum situ, ut insidiarum, angustiarum, subitarum incursionum: vel pro rerum aliarum multarum ratione occurratur hostibus, ut præter commune & publicum bellum, alia ad victoriam consequendam instituas. Hoc enim admodum salutare ac necessarium est, ut intelligentia, prudentia, magnitudine animi, arte militari hostes tuos superes.

5. Atque hæc quidem prudentia factisq; imperatoriis præstabis. Scienter autem bellum geres, si idonea cum acie exercitum varie ac tuto diviseris aut conjunxeris, ac ordine quodam militari hoc feceris, atq; in hostes invaseris.

6. Neque vero teipsum solum ab hostium dolis, incursionibus, consiliis tutum conservabis, sed etiam aliquas adversus eos machinationes servabis. Vnde & majores nostri hoc quasi utile observabant, nempe ordinis conservationem. Ac ideo exercitum in turmas, drungos, id est, cohortes milliarias, tagmata sive cohortes, centurias, contubernia, ac reliquas partes ad usum bellicum idoneas partiebantur atque instruebant.

7. Neq; enim par est in unam solum aciem omnes copias conferre, neque in uno momento dijudicationem & administrationem tantæ æquitum multitudinis ponere, præsertim cum tibi permagna militum multitudo adfuerit. Si autem quemadmodum usus fuerit & tibi commodissimum videbitur, exercitum instruxeris, res varias ac diversas bene administrabis.

7. Multos autem & varios adversos casus videmus contingere, quando in unam aciem universas copias quis cogit, in primis autem eos qui contaria, sive hastas gerunt: nam cum ingens numerus sit eorum qui in exercitu sunt, magnum intervallum spacii occupabunt.

8. Deinde cum multa occurrant inæqualia loca, inæqualem quoq; & haud morigeram aciem, nempe vastam esse oportet, partesq; ejus minimè inter se conspirare, atq; adeo ante pugnam incœptam, perturbatam & dissipabilem inveniemus.

9. Quod si hostibus hoc contingat, ut longitudinem aciei nostræ superent, id est, ad nos circumcludendos subito ad cornu irruant,

acies reliqua quæ à tergo & lateribus est præsidio destituta, nemine jam aciem sublevante, necessario ad internecionem venit.

10. Prælio jam commisso, propter longitudinem aciei videmus sæpe comites cum suis bandis sive cohortibus aciem occulte desererе: quæres cæteris omnibus occasionem adfert miserabiliter fugiendi. Versis enim in fugam illis, nulla intermissio fugiendi, nulla ipes revocandi est. Nemo enim eos à fugiendo repellere, aut ad stationem reducere potest jam ad fugam incitatos.

11. Si vero feliciter se bellum gesturos putant qui unam in aciem se instruunt, & ante se in prælio repulsuros hostes existimant, ubi universa acies dissipatur, & omni impetu fugientes hostes insequitur, si contingat eos iterum se adversus copias tuas dissipatas convertere, aut copias alias subitò ex insidiis intervenire, nulla causa est quin qui insequebantur statim diffugiant, cùm nullos in promptu habeant qui hos de improviso intervenientes repellere aut refutare possint.

12. Unum autem, idq; solum subsidium habere eos existimo, qui universas copias unam in aciem conferunt, ut inimicis videantur eminus perfectæ atq; ingentes copiæ esse. At hæc res speciem solùm utilitatis habet, utilitatem autem nullam continet.

13. Alterum autem subsidium est, quod una hac instructa acie, ad circumfundendos atque intercludendos hostes aptiores erunt, si id artificio quodam & cum decoro fiat.

14. Duplicem instruere aciem, ut una alteri subsidio esse possit; quantum humano judicio percipi potest, multa & magna & præclara bona in se continet. Ac primum sanè est, quod prima acies cum alteram à tergo subsidiariam habet, fortius atq; alacrius cum hostibus dimicat. Deinde extremæ oræ tum dextræ tum sinistræ, latronibus sive lateranis defensæ, majore cum animo ac cupiditate bella gerunt. Maximum autem subsidium est, quod secunda acie à tergo instructa, qui in prima acie stationem suam deserunt, in fugam non vertuntur, veriti secundam aciem, & suspicionem ignaviæ timentes: hoc enim magnam utilitatem in bello adfert.

15. Prima acie, quemadmodum sæpe usu venit, profligata, secunda acies sæpe præsidio illis perfugioq; est, unde rursus adjuti revocatiq; adversus irruentes hostes iterum se convertunt.

16. Atq; etiam quando qui in prima acie sunt, hostes suos strenuè atq; alacriter persequuntur, si, quod fieri solet, vertant se iterum hostes, aut aliunde subitò novi hostes intervenerint, secunda acies occurrens, primam aciem congregat & conservat.

17. Sed, quod absit, si prima acies protinus repellatur, neque revocari ad pugnandum cum hostibus poterit, secúda acies confestim instructa adest, quæ secundum prælium iterum ineat, & de summa rerum etiam decertet, prima acie universa fusa.

18. Necesse est enim aciem hostium, quod post bellum jam commissum, & confertas manus, dissipatam atque aliquantulum inordinatam esse, secunda acie nostra adhuc integra atq; ordinata, quæ certè ad victoriam magna præsidia habet, cùm instructa & perfecta adversus confusam & perturbatam hominum multitudine n dimicet.

19. Neque verò solùm necessaria est copiarum nostrarū in duas acies divisio, quando pares atq; æquales nostræ atq; hostium copiæ inter se fuerint, sed tum in primis cùm majores ac plures nostris ipsorum copiæ fuerint.

20. Sin quis dicat: Quænam tandem hujus secundæ aciei utilitas esse potest? prima enim acie fusa & repulsa, secunda acies facilè tergiversatur, & in fugam se dat. Is secum hoc modo cogitet: Si duabus aciebus instructis bellum lubricum atq; anceps fuerit, quidnā quis existimare debet una solùm acie apparata futurum, cùm præsertim hac rejecta nihil habeat quo juvare se atque recreare possit?

21. Sin iterum objiciat, copias has in duas acies divisas, longiores & tenuiores justo esse: intelligat iis duabus hoc effectum iri, ut cùm moderata magnitudine sint, & prope se adjungantur, nulli à prælio separati, sed formæ acierum mutatæ sint, & alteram antè, alteram retrò locantes, utramque aciem munitiorem firmioremque reddimus.

22. Propterea autem par est equestres copias, sive majores sive minores sint, in plures diversasq; partes dividere, quia necesse est certa quadam definitaque moderatione omnia instituere, cùm adversus hostes dimicas, qui in bello tum artem militarem, tum ordinem bellicum observant.

23. Si poteris, nulla ratione bellum geras cùm hostium plures copias esse intelligis. Primò cognoscendæ diligenter hostium copiæ sunt, tum bellum statim inferendum est.

24. Si pedestrem habeas exercitum, hujusmodi aciem instrues, qualem tibi statim explicabimus in acie pedestri & acie mixta equitum ac peditum instruenda.

25. Sin soli equites fuerint, & adversus equites bellum suscipiendum est, in tres equestres acies universum dividies exercitum.

26. Primam aciem quæ πρωτοχάρ, id est, propugnatrix dicitur, in tres partes divides, unaquaq; parte sive turma in tres μοίρας sive drungos, id est, cohortes milliarias divisa: in media autem parte sive turma ὑποστρατηγόν, id est, principem sive prætorem tuum: in dextra sinistraq; parte, turmarchas suos, in medio drungariorum aut μοιραρχῶν id est, tribunorum collocabis.

27. Has tres turmas constitues ex iis qui ad incursiones valent, quos cursores & proclastas nominant: & ex his qui curiores excipiunt iterum à cursu redeuntes, atq; eos defendunt, quos defensores appellant; ut uniuscujusq; turmæ tertia pars cursores sint, duæ reliquæ partes in medio exercitus defensores sint, qui istos curiores vindicent & defendant.

28. Primam aciem sic instrues. Ad sinistram partem, quam maximè & facillimè circumvenire hostes solent, duas aut tres cohortes ejusdem partis, ut sint πλαγιοφύλακες, id est, latrones sive lateranni; assignabis: cohortem præterea unam aut duas ex sagittariis, qui ὑπερασπιστὰι, id est, cornistites, ad circumdandos hostes & circumvallandos constituuntur. hos ad dextram ejus partem collocabis. Ac primam aciem sic instrues.

29. Secundam aciem, quæ subsidiaria dicitur, sic instrues, ut tertiam partem totius exercitus in se contineat. Eam autem in quatuor partes divides, & unius sagittæ jactu ad latera ejusmodi partes à se mutuo distent. Has partes ancipites & ad utramq; partem inflexas, quas ἀμφιστόμας seu δισσὰς dicunt, efficies, ut qui anteriores sunt, ad frontem custodiendam parati atq; armati sint, ut etiam si à tergo de improviso hostes irruant, convertant se, & ad resistendum hostibus habiles reperiantur.

30. In extremis oris aciei hinc atq; illinc post aciem instructam quasi unius sagittæ jactu, educes ex una cohorte ad aciem tergistitum, quasi ad tertiam aciem instruendam.

31. Ut autem loca sive intervalla quæ in medio secundæ aciei sunt, adunata omnino junctaq; inveniantur, & universa acies quasi unum corpus appareat, neq; in eundo distrahatur, necesse est ad nec intervalla in medio complenda è cohorte aliqua quosdam equites eligere, qui ad duorum vel quatuor potius hominum altitudinem, si magnus fuerit exercitus, instruatur: ut si quando occasio fuerit primæ aciei partes ad fugam inclinatas excipiendi, hæ tres cohortes retrocedentes, & in angustum se contrahentes opportuna loca ad illos excipiendos præparet, simulq; in fugam versos in hanc locorum opportunitatē recipiant, eosq; qui tergiversari volunt, & ad fugiendum se præparant admodum, retineat, & ad tertiam aciem cum tergistitibus juncti, sæpè hostes ad secundam aciē perfringendam incursantes repellant, & quasi indissolubilem secundam aciem efficiant. Atque hæc si magnus fuerit exercitus, abs te fiant.

32. Sin mediocrem habueris exercitum, hoc est, à quinq; millibus hominum ad decem aut duodecim millia, secundam aciem non ex quatuor partibus, sed duabus solis efficies, ut unum solum spacium aut intervallum ad profligatos & repulsos milites habeas.

33. Sin pauciores copias quinq; millibus hominum habueris, secundam aciem ex una solùm parte efficies.

34. Ad hæc omnia præcipiemus tibi, ut tria aut quatuor banda sive cohortes ad insidias hinc atq; illinc exercitus tui colloces, ut alteri ad lævam instructi, insidias ab hostibus susceptas reliquasque molitiones prohibeant: alteri ad dextram constituti, ad insidias incursionesq; hostibus inferendas præparentur, si locorum opportunitas id fieri permittat.

35. Adnotabis etiam eos qui ad latera aciei hostium obliquantur, & quæ à tergo incursiones atque impressiones fiunt: si adversus hostes bene & prudenter instituantur, efficaciores atq; utiliores sunt iis dimicationibus quæ directè coramq; geruntur. Quamvis enim pauciores ii fuerint, hostes tamen subito intercepti & circumclusi, ejusmodi incursionibus magnas offensiones accipiunt. Nam neq; seipsos conservare, quamvis pares numero fuerint, possunt: neq; si plures fuerint à timore tamē & formidine abesse possunt, cum plures longè arbitrentur esse eos qui incursiones faciunt, quam revera sunt.

36. Observandum autem est, haud par esse, sine magna necessitate, ut paucæ copiæ cum magno & instructu exercitu dimicent. Sin fieri non potest quin prælieris, ne aperte & coram invadas, sed vel à tergo, vel ad latera incursionem in illos facias.

37. Etenim valde lubricum periculosumq; est, coràm atq; ex adverso cum ulla ratione præliari, præsertim si pauciores fuerint copiæ quæ ad pugnam instruuntur.

38. Ad summam autem mandamus, ut universæ copiæ equestres in primam & secundam aciem belli tempore distribuantur, tūque maximè cum magnum exercitum habueris: & quemadmodum suprà dictum est, in cursores sive proclastas, qui in acie cæteris antepositi hostes adoriantur: & in defensores sive vindices, qui instructi consistunt, & ad excipiendos cursores, si minus processerint, sed re infecta aut offensione accepta redierint, constituti sunt: tum in lateranos & cornistites, id est, qui ad circumvallandos hostes parantur: & in insidias, & in subsidiarios, qui à tergo constituuntur, eosq; impediunt qui stationem suam deserentes, fugam quærunt: & in tergistites, qui retrò à tergo omnium ad universi exercitus custodiam collocantur.

39. Si ingentem habueris exercitum, & poteris eum in duas aut tres acies aut etiam plures dividere, ut comparatæ ad illos hostium copiæ, pauciores atq; imbecilliores videantur, si simul & confertim in unam ex aciebus tuis irruan, cæteræ acies vel ad insequendos eos, vel ad circumveniendos instituantur.

40. Altitudo aciei equestris, quemadmodum antiqui descripserunt, ad quatuor solum equitum altitudinem constitui debet: plures enim si fuerint, nullam utilitatem aut commoditatem apportabunt. Neq; enim si quid accidat, possunt quemadmodum pedites, aliquā impressionem facere: hi enim etiam inviti à sequentibus incitati, impetum in hostes faciunt: equi autem equos anteriores, sicut pedites faciunt, impellere non possunt. Neq; præsidium aliquod majus erit præstitibus, id est, iis qui in fronte collocantur, sive hi sagittarii, sive hastati fuerint.

41. Hastati enim qui post quartum equitem consistunt, hasta uti in anteriorem partem non possunt. Sagittarii autem tutiùs coguntur

sagittas jacere, propter eos qui ante se consistunt: & ideo si densiores essent, inutiliores in pugna militari sagittæ eorum essent, quemadmodum quotidianus usus experientiaque demonstrat.

42. Ac satis certè esset ad hunc modum descripta nobis quatuor equitum altitudo, sed quoniam sæpè pauciores fortes equites, in cohortibus inveniuntur, qui in prima fronte ad confligendum cũ hostibus, & manus conserendas committuntur, propterea par est, ut pro cohortium viribus altitudinem aciei tuæ describas, ad hunc modum.

43. In fortioribus locis, & in medio collocatis cohortibus, ad aciem προμαχον, id est, propugnatricem, ad sex equitum altitudinem eos collocabis: ad lævam partem propugnatricis aciei, quoniam ibi milites fortitudine præstantes proximi locantur, ad septem virorum altitudinem unamquamque decuriam instrues.

44. Ad dextram rursum, ubi pari fortitudine viri collocantur, ac in lævam partem antea constituebantur, octo equites collocentur: reliquæ & debiliores cohortes ex octo aut decem viris per decurias instruantur.

45. Sin contingat ex deterioribus cohortibus in prima acie collocari, ad octo vel decem illorum virorum altitudinem instruantur. Cohortes autem quæ in secunda acie collocantur, ex electis quinq; militibus, & aliis quinq; administris, ad currus conservandos, efficies ut decem viros unaquæque decuria contineat. Hi autem sic instructi, idoneis in locis constituantur.

46. Ad cursores & insidias, nulla ratione plus decem virorum altitudine acies instruatur, quamvis admodum imbecilles cohortes fuerint: neq; ex electis cohortibus pauciores quinq; viris. Itaq; ad hunc modũ idoneè dividendus tibi est exercitus, & altitudines acierum describendæ, nihilq; de longitudine & numero præstitum aut perparum detrahendum est.

47. Si enim ad decem virorum altitudinem cohortes universas pari modo instruxeris, ab hostium speculatoribus facilè numerabilem exercitum efficies, præstitibus numeratis, universum exercitus numerum colligendo: quod minimè hostibus patefaciendum est.

48. Hac proportione & moderatione conservata, quod reliquum supereſt exercitus in secundam aciem conferendum est.

49. Mandamus autem ut contubernia militum ex majoribus, minoribusq; natu certa proportione fiant, ne senes per se collocati, infirmi debilesq; fiant, neq; adolescentiores perturbati atque intractabiles, nempe imperiti, inveniantur.

50. Aciem tuam ad hunc modum armabis. Præstitem primæ aciei, & qui illi proximè adstat, astitem sive secundum & extremi cõtubernii custodem quem ἐσχατὸν id est, ultimanum sive caudanũ nominant, hastatas facies cum reliqua illorum armatura: reliquos omnes in medio illorum constitutos, qui sagittas jacere sciant, sine hastis collocabis. Neque enim commodè arcum ducere potest ex equo, læva scutum tenens & arcum. Sin sic exerceatur miles, ut quando sagittas jacit, à tergo aptè conjiciat scutum, nequaquam hoc inutile videretur.

51. Ad hæc constituendi abs te despotati quidam sunt ad primam aciem diligenter observandam, qui sauciatorum in prælio curã habeant. Ad unamquamq; cohortem octo aut decem viros constitues agiles atq; expeditos, sine armis, qui centum pedum intervallo suas ipsorum cohortes sequantur, ut eos qui inter dimicandum graviter ac periculosè sauciantur, eosq; qui ex equis cadentes pugnant, & seipsos iterum colligere nequeant, recuperent & conservent, ut ne strenui milites à secunda acie adventante conculcentur, & negligentia quadam jam vulnerati interimantur. Iique despotati quotcumque conservaverint, à quæstore Imperii nostri pro singulis militib. conservatis habeant numum unum.

52. Tales deinde, postquàm versi in fugam hostes fuerint, & secunda acies transierit, spolia quæ in primæ conflictationis loco inventa fuerint, congregent, & præstitibus sive contuberniisui decanis post confectum prælium tradant: cujus laboris & ipsi quoque aliquam mercedem habeant. Hanc enim rerum fortuitarum præstitibus in bello prærogativam justam atq; idoneam esse arbitramur, quia in prima belli conflictatione maxima pericula & discrimina subeunt. Hac ex re, hæc præterea utilitas accedit, quod ad hostes cadentes despoliandos nulli ex equis descendunt, & stationem suam deserunt.

53. Ut verò facilè conscendere equos possint tum despotati, tum milites vulnerati qui ex equis ceciderunt, par est ut despotati duas scalas ad lævam partem sellæ habeant, unam ad emprosthocurbiũ, id est, antilenam: alteram ad opisthocurbium, id est, postilenam, ut quando hi duo equum conscensuri sunt, alter ad scalam anticam, alter ad posticam conscendat. Ferant autem despotati secũ in phlasciis aquam, quia sæpè sauciati animo deficere solent.

54. Belli ipsius tempore, hastæne habeant flamula: in quo enim ad ostentationem & pompam necessaria sunt, in eo ad bellum gerẽdum inutilia sunt. Si enim quis opportunè aliquid conjicere voluerit, sive jaculum sive sagittam, flamulum magno impedimento ad id erit, ut vel propè ad scopum, vel ad spacium aliquod longum projiciatur. Sin sagittarum jaciendarum tempus fuerit, flamula admodum retardabunt sagittarios à tergo sagittas emittentes. Ad excursiones autem omnes, conversiones, reversiones, haud parvo impedimento sunt, itaq; in bello minimè illis utendum est.

55. Ad splendorem aciei honestandum, ut eminus ab hostibus flamula in hastis cernantur, dum hostes intra unum miliare sunt, valent: tum vero retrahant ea, & in thecis suis reponant.

56. Ad hæc præcipimus, ut si fortes ac strenuæ fuerint cohortes, ex singulis cohortibus duo, sin minus, ex singulis turmis octo aut duodecim scutatores & biglevontes, quos speculatores & excubias appellamus, vigilantes, industrii, truces eligantur: qui ante bellum & ipso in bello diligenter usq; ad totius belli exitum, iis in locis in quibus eminus collocantur, diligenter suis turmis & cohortibus prospiciant & speculentur, ne qua ex insidiis incursio aut dolus hostium obversetur.

57. Mensuratores autem totidem esse oportet, qui aplicta, id est, castra anticipare & dimetiri debent, viasq; providere, atque ad castra exercitum ducere. Ac de iis hæc à nobis dicta sunto.

58. Primam aciem sic dignitas tua instruet, ut prope se mutuò ambulent, neque longius intervallum aut spacium interjectum sit, quàm ut ne se mutuò in itinere affligant, ne nimis à se partes distare videantur.

59. Laterani usque dum hostes propè adfuerint, aciei reliquę adjuncti sint: tum autem sagittæ unius jactu, neq; plus eo, ad lævam recedant, idque potissimum quando longitudine hostium acies nostram aciem superaverit. Similiter cornitistes, id est, qui ad circumcludendos hostes collocati sunt, ad dextram partem faciant.

60. Partes sive turmas secundæ aciei ad latera, id est, obliquè, unius sagittæ jactæ intervallo collocabis: à tergo autem sive post primam aciem ambulent. Itaque quandiu hostes longè à loco prælii ad unum miliare aut eo plus absunt, tam longè sequãtur, ut ab hostibus cerni advertique nequeant, ne si advertantur, aliquas insidias molitionesq; advertus eas hostes instruant. Ubi autem hostes jam propè fuerint, & emergente atque in conspectum secunda jam acie adventante, minimè apparare aliquas copias adversum eas hostes potuerint, ad sagittæ quater jactæ intervallum secunda acies accedat, & primam aciem diligenter observet: neq; enim abesse longè ipsius conflictationis tempore acies debet, ut ne omni præsidio destitutam eam relinquat: neq; rursus nimis propè accedat, ne pulvere maximo excitato, ea cum prima acie permista sit, & antequã discesserint, hostes inequi primam aciem putetur.

61. Cohortes quæ post oras secundæ aciei hinc atq; illinc utrinq; locantur, unius sagittæ jactu à cæteris constituantur, atque ita sequantur.

62. Insignia quæ in exercitu sunt, cohortium minora & leviora sint: μονομαχων vel drungariorum seu tribunorum majora & distinctiora: turmarcharum autem insignia admodum diversa à tribunorum suorum insignibus. Principis tui sive proprætoris multùm distincta sint insignia. Tuum autem insigne à cæteris omnibus insignibus diversum esse debere nemo ignorat, ut in rebus perturbationibus in insigne intuentes, revocare eos domum, & ad sua loca trãsferre præfecti possint.

63. Omnibus cohortibus æquabiliter in fronte collocatis, strenuos ex illis milites undeviginti aut viginti eliges, qui ad custodiã uniuscujusque illorum, & administrationem constituentur.

64. Præfectos majores tuto & firmo loco in exercitu collocabis, ne impetu quodam incitati, præcipites in periculum ruant, atq; inde magna perturbatio militibus oriatur. Ex minoribus enim præfectis si quis trucidetur, nemini facilè patefit nisi suæ ipsius solùm cohorti: sin quis ex nobilibus ceciderit, per multorum hominum ora pervagatus rumor, universo exercitui perturbationem afferret.

65. Princeps sive proprætor tuus reliquique turmarchæ in fronte cohortium suarum consistentes, circumspiciant & apparent aciem, usquedum intra unius aut alterius sagittæ jactum hostes fuerint: ubi autem committendæ acies sunt, strenuissimos quosq; ex suis viris ad latus suum instruant, & in illorum conspectum veniant, illosque ad manus conferendas impellant.

66. Dignitati tuæ præcipimus, ut usque ad conflictationis tempus, instruas, perlustres atq; appares exercitum adversus hostiũ impetum: consertis jam manibus ad tuam ipsius cohortẽ venias, non ut ibi prælieris, sed ut speculeris & perlustres tum primam tum secundam aciem, hoc est, ad medium locum secundæ aciei.

67. Multas buccinas concitare atq; inflare belli tempore insciitum atq; inconsultum esse videtur, quia ex eo perturbatio & cõfusio oritur: neq; enim bene imperata exaudiri possunt. Si enim locus æquabilis fuerit, mediæ turmæ buccina utriq; aciei satis fuerit. Sin inæqualis fuerit, aut ventus, quod sæpe fit, turbulentus flet, vel aquarum susurrus vocem clarè exaudiri impediat, haud abs re fuerit in reliquis turmis unam buccinam in unaquaq; turma personare, ut in acie universa tres solùm buccinæ sonent: quanto enim magis silentium servatur, tanto magis adolescentiores firmiori animo sunt, & jumenta magis intrepida, aciesque ipsa hostibus terribilior esse videtur, imperataque celerius fiunt.

68. Itaque ubi exercitus ad bellum procedit, nullam oportet vocem aut sonum à quoquam temerè emitti, sed simul ut è castris ad prælium vadit acies, tacita iter faciat, nihilque temerè loquatur: hoc enim non modo exercitum animosiorem facit, sed & præfectorum cohortes attentius animadverti facit.

69. Modum & formam confligendi res ipsa & commoda densatio, & inimicorum præsentia efficient. Cum verò jam ad conflictationem movet exercitus, consueta Christianis vox usurpanda est, νικητικον τὸ σταυρὸ, Crucis victoria.

70. Manibus jam consertis clamores quam maximos altissimosque edere non inutile fuerit, atq; eos in primis qui à tergo aciei instruuntur, tum ad hostes perterrefaciendos, tum ad suos confirmandos.

71. Can-

71. Cantatorum quoq; munus in prælio negligendum non est: ii sunt qui exercitum universum oratione sua ad prælium incitant, impellunt, consulunt, adhortantur. Si fieri poterit, iidē milites præfectiq; qui ad dimicationem procedunt, ad hoc munus faciendum eligantur. Eligantur autem eloquentes viri, quiq; oratione sua vertere in omnes partes militum animos possent. Societas enim operæ laborumque, magis obedientes atque alacres ad exhortationes approbandas persequendasque facit.

72. Cantatores autem suasoria quædam atque exhortationes tales adhibeant. Primùm commemorent mercedem fidei in Deum: deinde regiam beneficentiam: beneficia antè collata: causam susceptam pro Deo, & ejus dilectione, ac pro universa natione, atque adeo pro fratribus omnibus fidelibus, & si usus ferat, pro uxore, liberis, patria: sempiternam esse memoriam eorū qui strenuè se in bello pro fratrum libertate gerunt. Contra CHRISTI hostes hoc bellum susceptum esse: Nos Deum habere propitium, in cujus manu omne belli momentum ponitur. Illi propter incredulitatem contrario in statu sunt. & si quid tale excogitatum sit, quod illorum mentes ad bellum inflammare possit. Ejusmodi enim oratio commodè habita, animos hominum magis impellit, quàm magnus pecuniæ numerus.

73. Hoc autem prætereundum non est: quoniam hostes facilè pro numero insignium, integram multitudinem exercitus cognoscere possunt, necessarium esse arbitramur duo similia in unaquaq; cohorte esse insignia, unum quidem Comitis nomine, alterum centurionis: & utraq; insignia usque ad diem belli gestentur. Die autem ipso belli, authentica banda sola eleventur, ut ne multis insignibus elevatis omnia misceantur, minusq; cognita sint suis ipsorum militibus: hac enim ratione fiet, ut permagnus exercitus pro numero insignium videatur, & ipso die belli authentica atque omnibus cognita proferantur.

74. Ante belli diem, & aliquot præterea antè diebus, exhortationes quædam fiant ad exercitationes reliquosq; motus bellicos alacriter suscipiendos: unusquisq; enim turmarcha suos advocabit, & apud eos verba ad hunc aut consimilem modum faciet: NON temerè hæc exercitationum genera à majoribus nostris atque etiam ab Imperatoribus tum recentioribus tum antiquioribus instituta sunt. Neq; sine causa hæ artificiosæ acierum instructiones, tum directæ, tum orbiculatæ, reliquiq; motus bellici adinventi sunt. Si enim agrestes feræ, ut lepores, damæ, ac reliquæ contemptæ bestiæ, cùm eas venando consequimur, nō omnino longius in directum aufugiūt, sed in contentionem & impetum venatorum intuentes, sic se accōmodant ut evadere possint: quanto magis homines intelligentia præditos, & de magnis rebus contendentes, attentè & industrie, tum persequendis hostibus, tum declinandis, in prælio operam navare oportet, neq; quasi aqua in hanc aut illam partem jactari atq; effundi, si vel magna aliqua incursio ab illis fiat, vel aliquis à nobis in illos impetus existat, immodicè alterutram in partem ferri, sed omnia sustinere, ut victoriam tandem adipiscantur.

75. Neq; enim ad paruum spacium insequi hostes, & tum dimittere, victoria putanda est: neq; rursus paululum retrocedere, rursusque in eos converti, offensio belli judicanda est, sed ex belli exitu omnia æstimanda, atq; ad eum conferenda sunt. Hæc atq; iis similia turmis suis turmarchæ narrent, singulique præterea militibus suis præcipiant.

76. Tu autem Imperator, post singulorum turmarcharum reliquorumq; præfectorum privatas militum suorum exercitationes atq; adhortationes, semel atq; ad summum iterum universam aciē instrues, similiterque factis ac dictis paratos reddes, atque ad omnem bellicum usum habiles.

77. Præcipies etiam primæ sive propugnatricis aciei præfectis, ut mediæ sūæ turmæ obtemperent, ubi princeps sive prætor, qui nunc suæ ditionis μεραρχης sive turmarcha dicitur, constitutus est, & æquā fronte cum illo incedant, eodemq; tempore prælium committant.

78. Hac acie instructa si vertantur hostes in fugam, cursores statim ad insequendos eos, usquedum ad fossatum illorum pervenerint, omnibus viribus contendant: defensores autem in acie instructi sequantur, & non consistant, ne si hostes convertantur iterum, & illorum impetum cursores sustinere nequeant, propè ad defensores confugiendo rursum seipsos colligant.

79. Sin inter confligendum una aliqua turma aut omnes etiam in fugam vertantur, ad secundam aciem ad unius atq; alterius sagittæ jactum se recipiant, rursumq; se ad invadendos hostes confirment, consuetis & idoneis in principio pugnæ vocibus & cæremoniis adhibitis.

80. Si hostes poterunt in fugam verti, insequendi primò sunt, deinde recedendum iterum ab eis, & ad eos statim vertendum est. Sin semel atq; iterum hoc tentando non proficitur, secunda acie comminus jam adventante confugiant ad eam, & ad opportuna quædā loca intus se recipiant, hocq; intervallo spacii ad extremam aciem iterum se evolvente, simul cum secunda drungisti, id est, confertim ac densè invadant, & si in fugam versi fuerint, omni alacritate eos insequantur.

81. Lateranis etiam præcipies, ut si longius inveniatur cornu hostium esse, conentur ad cornu, id est, ad scutum sive lævam inclinātes, ad eandem quoq; longitudinem produci, ut ne ab hostibus turmæ nostræ includantur. Sin concisius fuerit adversum cornu, lunare eos oportet, & ad semicirculi formam adducere, & intra complexum suum hostes coercere, priusquam turma confligere cum hoste incipiat, hoc est, priusquam consuetæ voces ante manus conserendas usurpentur. Sin æquale fuerit hostium cornu, in sua ipsorum acie quasi defensores stent, & turmam suam adjuvent.

82. Præcipies etiam cornistitibus, quando prope te fuerint hostes, ut duobus aut tribus sagittæ jactibus, clàm dextrum cornu consequantur, una cohorte in anteriore parte ad frontem constituta cū decanis quintanisve suis: qui ad quinq; virorum solùm altitudinem erunt, si strenui fuerint, reliqua cohorte universa drungisti, id est, densè & consertim illud sequente.

83. Banda, id est, capita illorum sive insignia ne sursum erecta teneant, sed inclinata, dum usus poscat ea in lucem educi, ne si erecta in conspectu hostium essent, qui ea gestant magis ab hostibus insidiis appeterentur.

84. Si longius adversum cornu inveniatur, primò ad cornu, id est, hastam sive lævam declinandum est, paululumq; dextrum cornu in procedendo retardet se, & ad dimidium sagittæ jactum producat se, ut adversum cornu longitudine superent, atq; ita declinantes illosq; circumvenientes dicant, ἐξελθε, exi, statimq; à tergo illorum cohors milliaria, quem drungum vocant, de improviso & acri cum incursione invadat.

85. Profligatis hostibus, non statim illos fugientes persequantur, sed confestim qui à tergo steterint, cum reliquis cohortibus procedant. Quod si contractiores hostes fuerint, statim exeant, & lunata quasi forma circumeludant eos: sin æquales fuerint, paululū producant se, & hostium longitudinem superent: hocque modo irruptio in illos fiat.

86. Quòd si cùm cornistites suos producunt, hoc idem facere conantur, invadendi statim illi sunt, dum in hac mutationis perturbatione sunt: nam dum illi ad cornu, id est, lævam convertuntur, dextras illorum nudas esse, & densationem illorum dissolutam esse, necesse est.

87. In hostibus circumdandis non solùm cornitistites, id est, qui dextri cornu propugnatores sunt, elaborare, ne vel nimis retardentur, vel nimis citò incipiant, sed & partis illius, id est, turmæ præfectum, sive is turmarcha, sive alius quispiam fuerit. Itaq; invadentibus eos cornitistibus, & hostibus jam tumultuari incipientibus, adversum eos universa turma incedat.

88. Curæ Præfecto esse debet, ut si fieri possit adversas copias lōgitudine superet: sin minus, saltem exæquet: si enim longior nostra quàm adversariorum acies fuerit, cornistes munus suum sedulo ac fructuosè facient.

89. Cornitistes ideo necessarii sunt, quia in nudis locis incursiones facere opportunius possunt.

90. Secundæ similiter aciei præcipies, ut medium locum, in quo dignitas tua constituta erit, diligenter observet, & sedulo advertat, ut conflictationis tempore duos aut tres sagittæ jactus à prima acie absint, ut si in fugam conjiciantur hostes, quasi propugnatrix atque subsidiaria non consistat, sed aciem sequatur.

91. Quod si quæ cohortes primæ aciei profligatæ fuerint, hanc afflictam partem & perfugium quærentem excipiat, ac etiam cū prima acie ordinatè ac dispositè incedat, neque aciem instructam ante belli exitum, & priusquam se in castra sua receperint, dissolvat, sed sic ad conservationem primæ aciei ordinatè sequatur, non autem ad persequendos hostes confusè ruat.

92. Si anceps prælium primæ aciei fuerit, & persecutiones fugæque fuerint, permanendum est, & exitus rei contemplandus, vocesque ac clamores graves, iterum ac tertio profundendi sunt, tum ad nostros exuscitandos, tum ad hostes exanimandos. Neq; statim cōeris manus conserere, aut ad primam aciem accedere, ne aliqua confusio ac fuga quædam indigna hanc conflictationem sequatur.

93. Sin, quod sæpe accidere solet, secunda acies usq; ad tergistites seu tertiam aciem in fugam vertatur, hæc tertia adventans conetur recuperare eam.

94. Sin insidiis ullis factis à tergo aliqua incursio atque impetus hostiū fiat, si pauci hi fuerint qui adoriuntur eos, tertiaq; acies adversum eos satis est, hæc tertia tum emittatur: sin ea satis non fuerit, cōversis tum ad caudam, id est, ultimam aciem, cohortes cum præfectis ita se præparent quasi ἀμφίσταθαι, id est, anceps acies esset: sic acies cum illis confligat, profligatisq; hostibus tergistites, sive una sive plures cohortes fuerint, quasi cursores in illos immittantur.

95. Si magnus numerus eorum esse videatur qui incursionē fecerint, tum præcipies iis verbis, μετάβαλον, id est, commutate: qua voce decani ad caudam venient, id est, ad posticam partem transferent se cohortes, ut cauda quæ fuit, jam frons fiat.

96. Hæc parvo tempore ante bellum & dimicationem ipsam præcipe, ut quid facto opus sit milites cognoscant. Ipso enim tempore prælii milites harum rerum rudes atq; ignaros, tale aliquid docere haud par est, nisi ea solùm quæ levia sunt, & breviter efficiuntur.

97. Nam si longo tempore ante prælium præcipies, hæc oblivioni mandabuntur: ac propterea paululum ante bellum hæc commemoranda sunt. Præcipies autem omnibus, ut nemo audeat secundam aciem transgredi, quamvis prima acies penitus profligata fuerit, vt ne (nisi ingens atq; inevitabilis aliqua necessitas cogat) vel per inimicos, vel per suos, quasi dignus de vita periclitetur.

98. Quoniam autem ex insidiis etiam cum hostium acie confligendum est, qui in insidiis & occultis latebris sunt, ante omnia exploratores quosdam emittant, vt ne nimis confertim in hostiū impetum de improviso incurrant, vel alias ad latus, vel a tergo, sive post universam aciem insidias sustineant.

99. Sæpe

99. Sæpè inimicorum copiæ in duas acies dividuntur, ac nisi diligenter instructa prima fuerit acies, insidiis magis ex adverso adoriendi sunt.

100. Si hostes in duas similiter acies dividantur, haud sanè par est à tergo, id est, postica parte insidias struere, sed ad cornu aliquod, sive una ex parte incursio futura sit, sive utraque ex parte.

101. Incursionis tempus conjectare tecum oportet, & animo quasi dimetiri, ne vel antevertas aciem, vel retarderis: sed quando duos aut tres sagittæ jactus acies à se mutuò abfuerint, impetus in hostes ex insidiis & occultis latebris faciendus est.

102. Hæc quæ diximus, non ad exercitationem, sed in dimicatione ipsa assumenda sunt.

De turmarchis, cursoribus, defensoribus.

103. Hæc à Dignitate tua præcipienda & distribuenda sunt. Unicuiq; turmarchæ præcipies, aut scripto trades, quæ antè mandavimus, ut suæ ipsius partis sive turmæ constitutionem agnoscat. Unusquisque turmarcha universæ partis suæ trientem in cursores sive proclastas conferat, & hinc atque illinc turmæ suæ eos collocet: bessim autem exercitus in medio, defensores sive vindices, collocet.

De Contariorum flamulis.

104. Contaria, id est, hastæ conflictationis tempore flamula non habeant, sed de hastis detrahant, & in thecas suas conjiciant, quando ad unum miliare jam hostes adventaverint. Antea autem omnino ea hastis habeant.

De differentia bandorum.

105. Banda, id est, insignia comitum minora sint: drungariorum, id est, tribunorum perfectiora & diversa. Turmarchæ insigne diversum longè à reliquis sit, quemadmodum antea à me explicatum est.

De belli tempore.

106. Conflictationis tempore post vocem τῆς τῶν νίκης, id est, victoriæ crucis, magnos atq; altos clamores ædere oportet, atque eos in primis à tergo sunt, ut qui in fronte sunt magis animentur.

De locis præfectorum.

107. Buccinæ multæ prælii tempore ne sonent: turmarchæ enim buccina satis fuerit. Turmarcha in medio turmæ suæ, id est, in medio defensorum collocetur. Drungarii, id est, tribuni in reliquis utrinque turmis, in medio cohortium cursorum.

De locis ante bellum exploradis.

108. Aciei instructæ tempore exploranda sunt loca per mandatores ubi conflictatio futura est, id est, medium spacium inter nostram jam aciem instructam atq; hostium, necubi fossæ, aut putei, aut dolus aliquis ab hostibus molitus sit: quod si tale aliquid invētum fuerit, præstoletur acies nostra dum hostes eum locum tranfierint, & cum hostibus integro in loco ac securo pugnent.

De bando turmarchæ.

109. Bandum, id est, insigne turmarchæ longè diversum distinctumq; forma sit à cætera præfectorum suorum bandis, ut facilè ab omnibus signiferis agnoscatur.

De signis motus hujus bandi.

110. Motu autem aliquo peregrino ac vario etiam bandum hoc distinguatur, vel quod sursum aut deorsum, aut dextrorsum aut sinistrorsum locetur aut continuè inclinetur, id est, demittatur caput hujus insignis, aut crebro directè moveatur, ut omni in confusione ac perturbatione à reliquis insignibus facilè cognoscatur.

Turmarcharum banda inter se differant.

111. Omnium turmarcharum banda unum signum ne habeant, sed diversas notas singulæ turmæ habeant, ad quæ cognoscenda milites antè assuefaciendi sunt. Non modò enim singula ex eo turmarcharum banda adjuvantur, & partem suam facilè confirmant, sed etiam si quando aberraverint, ad suas cohortes facilè redeunt.

Miles in bandum præfecti sui intueatur.

112. Miles si qua ratione contingat à bando suæ cohortis abesse, omnibus modis eo revocandus est, ut acies minimè cōfusa aut perturbata, exercitus salutem ac præsidium præ se ferat.

Separandos alienigenas ab acie.

113. Si in exercitu aliqui populares hostium fuerint, ante diem belli separandi sunt, & ad alia quædam honesta cum causa amandandi.

Drungarij comites quid facient

114. Ac turmarchis ista præcipies. Unicuique autem drungario & comiti etiam mandabis, ut diligenter exquirant ea quæ alicui usui copiis nostris esse possint.

De hymnis canendis.

115. Par est autem sive in fossato versetur unumquodq; bandum sive cohors, sive alicubi castra ponat, manè cum prima luce, ante alia omnia, ut vesperi post cœnam ac Missas, τρισάγιον ὕμνον id est, tersanctum hymnum pro more, cæteraque canere.

De contuberniis.

116. Contubernia sive manipuli, quæ quasi parvæ quædam cohortes sunt, ut antè descripsimus, ex majoribus & minoribus natu simul junctis conficiantur.

De armatura contuberniorum.

117. Primanus & secundanus contubernij, ac præterea etiam ultimanus, hastati sint: tertius & quartus sagittarij: quique in medio sunt, quemadmodum necessitas requirit maxime instruantur.

De flamulis.

118. Flamula hastarum, quemadmodum suprà admonuimus, tempore belli minimè in hastis esse permittantur, ne hastæ tuas qui gestant, tum iis qui à tergo sunt, tum etiam sagittis in acie conjectis impedimento sint.

De despotatis.

119. Despotatos, quos ad conservandos, & recuperandos eos qui in bello sauciati erant milites, antea constituebamus, ex unaquaque cohorte sex aut octo ex debilissimis separari jubebis, ut ubi tempus requirit, qui in bello graviter vulnerantur, ab illis serventur.

De speculatoribus & bandi custodia.

120. Duo speculatores sive exploratores diligentes, vigilantes ac strenui eligendi sunt: duo præterea mandatores: & contuberniis etiam duo viri eligantur, qui belli tempore bandum diligenter custodiant.

De cantatore.

121. Cantator idoneus atque eloquens unus aliquis eligendus est, qui ipso in prælio exacuet atq; incitet militum animos. & suasoria oratione ad alacritatem & cupiditatem bellandi, quemadmodum suprà memoravi, omnes inflammet.

Quando duo banda habenda, & quando unum.

122. Magnis in hostibus duo banda ante belli diem fiant, alterum præfecti cohortis, id est, comitis, alterum primi centurionis. Ipsi autem belli die non duo gestentur aut erigantur, sed comitis solum.

Quid prælij tempore à militibus gestandum sit.

123. Ipso belli die unusquisque miles gestet ad sellam suam secum aquam in phlasciis, & paxamadium, id est, biscoctum in sello pungio, & farinæ unam atq; alteram libram, ut necessario tempore hæc habeant ad refocillationem & recreationem sui atque aliorum, qui in aliquam animi defectionem aut valetudinis infirmitatem incidunt.

Nullum cadaver ante belli finem spoliandum.

124. Tempore prælii ut cognoscant milites ante belli exitum neminem spoliandum esse, sæpius hoc militibus inculcetur.

Tuldum ubi locandum sit.

125. In itinere faciendo, tuldum sive impedimenta cum militibus permiscendum non est, hostibus præsertim imminentibus, sed separatim, & cohortem aliquam post tuldum separatam, aut aliter etiam si quando id usus exigat, quemadmodum in capite de tuldo antea mentionem fecimus. Hæc quæ nos tibi præcipimus, tu iterū singulis comitibus & drungariis, & turmarchæ unicuique cognoscenda & conficienda dabis, atq; etiam ipse quantum potes ad eadem eos exhortaberis & præparabis.

Ex quibus vincuntur hostes, ab ijsdem diligenter cavendum est.

126. Occasione atq; opportunitate in bello idoneè utaris. Primum autem ejusmodi occasiones vitabis, ex quibus offensiones belli esse possunt. Iisdem deinde tu occasionibus adversus hostes utaris.

Hostes confusè non persequendos.

127. Ante omnia ab hostibus molitas ac structas insidias explores, per excubias quatuor in partibus aciei collocatas. Ab omni autem confusa & dissipata insectatione hostium abstinendum in primis est.

128. Temerariæ atq; audaces rerum aggressiones abs te minimè sucipiendæ sunt, sed ab alijs quibusdam idoneis præfectis. Si enim aliqua offensio aut gravis casus illis contingat, aliqua spes est ejus reficiendi: sin præcipuus & nobilissimus in exercitu aliquid hujusmodi pateretur, ejusmodi offensio magnas perturbationes inveheret.

129. Prudens & circumspectus imperator ante bellum in res hostium diligenter intuebitur, & præsidia quibus abundat sedulò vitabit, defectus autem suos quantum potest vexabit: ut verbi causa, si plures quàm tu equites hostis habeat, pastiones omnes vastandæ sunt, ut equi deficiantur pabulo: sin virorum multitudo fuerit, illorum commeatus omnis atq; alimenta circumvenienda tibi & præripienda ab illis sunt.

130. Si diversis ex nationibus hostium copiæ existant, donis, muneribus, pollicitationibus corrumpendi tibi sunt.

131. Sin diversarum partium sententiarumq; fuerint, præcipuos quosque ex illis ad te tuasque partes solicitabis.

132. Hastis si utantur, in aliquam difficultatem asperitatemque locorum illos ad prælium evoca.

133. Si sagittarij fuerint, in planiciem & loca campestria trahantur, ut ibi cominus consertis manibus dimicent.

134. Si negligenter aut solutè die vel nocte ambulent hostes, insidiis de improviso adoriendi sunt.

135. Sin animosè & audacter ad bellum venerint, & ab omni offensione immunes esse videbuntur, præ se feras quasi bellum cum illis statim gesturus sis, rejice tamen bellum ac differto, donec fervor omnis animorum elanguescat, & ubi hic impetus consederit, tum bellum illis inferto.

136. Si peditum numero hostibus præstiteris, ad plana & campestria loca illos deducito, non ut cominus, sed ut eminus jaculis cum illis confligas.

137. Bellicæ enim decertationes, venationibus similes sunt: quemadmodum enim ibi excubiis, insidiis, circuitionibus, atq; hujusmodi astutiis potius quàm viribus fera capitur, sic bellum cum hostibus, sive plures sive pauciores fuerint, gerendum est.

138. Coràm enim ac manibus solùm consertis velle cum hostibus apertè confligere, quando aliqua victoriæ spes illis adfuerit, sine periculo ac gravi offensione belli eventus eius non potest. Temera-

rium

rium autem ac inscitum est, nulla necessitate impellente victoriam talem cum damno quærere, quæ hoc modo parta, nomen tantùm inane atque umbratile magis habebit, quàm ea quæ certissimo ac constantissimo in bellicis rebus judicio suscepta est. *Cap. duodecimo rei tacticæ.*

¶ Romanorum.

Egesippus: Sed Aristobulis fuga redituſq; in Judæam plurimum turbarum excitavit, pleriſq; refluentibus ad eum quos veteris amicitiæ gratia sollicitaverat, aut res ul imæ, quibus remedium ex discordia publica quærebatur, ima summis miscere cupientibus, atque aliæ spes lapsæ fotent. *Lib. 1 c. 20. de excid. Hierosolym.*

Vegetius: Exercitus dicitur tam legionum, quàm etiam auxiliorum, nec non etiam equitum, adgerendum bellum multitudo collecta. Hujus modus à magistris quæritur armorum. Nam cùm Xerxis, & Darij, & Mithridatis ceterorumque regum, qui innumerabiles armaverant populos, exempla relegantur, evidenter apparet, nimiũ copiosos exercitus, magis propria multitudine, quàm hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subjacet amplior multitudo. In itineribus pro mole sua semper est tardior, In longiore autem agmine, etiam à paucis superventum assolet pati. In locis autem asperis vel fluminibus transeundis, propter impedimentorum moras sæpe decipitur. Prætereà ingenti labore numerosis animalibus equisq; pabula colliguntur. Rei quoq; frumentariæ difficultas, quæ in omni est expeditione vitanda, citò majores fatigat exercitus. Nam quantumlibet studiosè præparetur annona, tanto maturius deficit, quanto pluribus erogatur. Ipsa quoq; aqua nimiæ multitudini aliquando vix sufficit. Quod si casu acies verterit tergum, necesse est multos cadere de multis, & illos qui effugerint, ut semel territos, posteà formidare conflictam. Veteres autem, qui remedia difficultatum didicerant experimentis, non tam numerosos, quam eruditos armis habere exercitus voluerunt. Itaque in levioribus bellis unam legionem mixtis auxiliis, hoc est, decem millia peditum, & duo millia equitum, crediderunt posse sufficere, quam manum Prætores velut minores duces, ad expeditionem sæpe ducebant. Quod in magnæ hostium copiæ dicerentur, consularis potestas cũ viginti millibus peditum, & quatuor equitum, tanquam comes major mittebatur. Quod si infinita multitudo de gentibus ferocissimis rebellaret, tunc nimia necessitate cogente, duo duces & duo mittebantur exercitus, cum ejusmodi præcepto, ut providerent Consules alter ambove, ne quid Respublica detrimenti caperet. Deniq; cùm in diversis regionibus contra diversos hostes à populo Romano annis prope omnibus pugnaretur, ideo sufficiebant militum copiæ, quod utilius judicabant non tam grandes exercitus habere, quam armis instructos. Illa tamen ratione servata, ne unquam amplior multitudo sociorum auxiliarium esset in castris, quàm civium Romanorum. *Libri tertij de re militari capite primo.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque exercitatione nil potest exercitus.
Aede in omni talis ordo est, qualis & in exercitu.
Agmen an justum est ubi tot lixæ sunt quot milites?
Aliud est parare exercitum, aliud uti exercitu.
Convenire prohibe sparsos quos sinet intercipi
Copias spernunt pedestres incolentes insulam.
Copiis facit pusillis si loci est angustiæ.
Distrahas fossa pusilla maximos exercitus.
Dux dolis cujus patescit victus est exercitus.
Falsa specie signa vorum vulgus dixeris exercitum.
Ludibrium solo saloque grandes debent copiæ.
Mollibus locis statim ardor interit exercitus.
Nil mage arduum otiosum quam nutrire exercitum.
Nullus usus copiarum grandium in stricto loco est.
Plus nimis alios exerces, ô iners exercitus!
Signum unius exspectatur quamquam in grandi exercitu.
Strenuis paucis vel amplos deleas exercitus.
Turpe tristeque otiosus imperanti exercitus.
Tutus utrisque ubique quadratus est exercitus.
Vis exercitum meliorem? largitiones tollito.
Vota plus prosunt piorum, quam impiorum exercitus.

¶ Jambica.

E perfugis, exercitus firmissimus
Et parva grandes vincit copias manus.
Exercitum ditare quam se pulchrius.
Exercitum haud retineas absque copiis.
Exercitum patientem dux patiens facit.
Exercitum peregrinum ne contempseris.
Exercitus discors sine hoste vincitur.
Exercitus fit exercitationibus
Exercitus is sit qui non est exercitus?
Exercitus minime est, nisi & se exerceat.
Exercitus quando ducem omnis deserit?
Exercitus sequitur sui morem Ducis.
Exercitus stent umbilico sarcina.
Gradatur agmen, hinc turba inde sarcinis.
In auxiliis aliquid, in legione omnia.
Nil ordinato exercitu elegantius.

Nullus leonum est hinc & hinc exercitus.
Regi nequeunt navigia, quæ excedunt modum.
Vires tuas externo robore augeas.

Exercitus ex hostico alendi.

Xenophon: Quia vero animadverteret Cyrus, & corpora militum recte ad labores militares perferendos esse comparata, & animos itidem ad contemnendum hostem: præterea peritos eorum esse, quæ usus armorum in unoquoq; requireret: ac omnes etiam ad parendum præfectis suis paratos esse videret: de caussis hisce jam aliquid eorum gerere cupiebat, quæ adversus hostem suscipi solent. Intelligebat enim, in cunctationibus plerumq; ducibus copiarum etiam, præclare parata labefieri & mutari. Videbat item plerosq; milites ambitione ductos, in iis de quibus erant inter ipsos certamina, sibi mutuo invidere. Quare hac quoq; de caussa quam primum eos in hosticum educere volebat. Nam pericula communia benevolentiam inter commilitones mutuam excitant: ad quæ ubi perventum est nemo aliis, quibus ornatissima sunt arma, nemo gloriæ cupidus invidet: sed potius, & collaudant, & complectuntur hujusmodi sibi similes, quod eos secum in juvanda publica re conjunctos existimant. Primum igitur armatum exercitum, quam poterat pulcherrime & optime, instruxit: deinde duces decem millium, & tribunos, & cohortium præfectos, & manipularios ductores convocavit. Nam hi liberi erant, ut in militarium ordinum numeris non recenserentur. Quumq; vel imperatori parendum erat, vel denuntiandum aliquid, non idcirco pars ulla rectoris expers relinquebatur: sed reliquæ copiæ per duodenum & senum militum præfectos apte instruebantur. Posteaquam vero jam ad ipsum conveniissent, quorum præsentiam res ipsa postulabat, deducebat eos per aciem Cyrus, & ubi recte instructa esset, ostendebat: & qua parte firma essent auxilia singula, docebat. Quumq, in his etiam desidium & amorem gerendi aliquid excitasset, tunc quidem jussit, suos ad ordines irent, & quemlibet suorum edocerent, quæ ab ipso didicissent, & hujus militiæ cupiditatem in omnibus accendere conarentur, ut alacri maxime animo iter omnes ingrederentur, ac mane Cyaxaris ad portam præstò essent. Illi tunc abeuntes, quod jussi erant, fecerunt.

Postridie quum illuxisset, aderant ei de suis ad portam quos oportebat. Itaq; cum eis ingressus ad Cyaxarem Cyrus, hujusmodi orationem orsus est: Scio equidem ea mi Cyaxares, quæ dicturus sum, jam pridem tibi non minus, quam nobis videri: sed fortassis proferre te pudet, ne si mentionem exercitus educendi facias, graviter ferre videaris, annonas abs te nobis dari. Quando tu igitur taces, ego tamen tuo, quam nostro nomine rem exponam. Quippe nobis omnibus videtur, quum parati simus, non tunc demum pugnandũ esse, quum tuos fines hostis invaserit, nec in regione pacata residentibus illum expectandum esse: sed in agrum hostilem quamprimũ eundem esse. Quum enim modo tua in regione simus, multa tuorum per nos etiam invitos detrimentum capiunt. At si hostium in regionem discedamus, agros eorum cum voluptate populabimur. Præterea magno sumtu tuo nunc alimur. Sin tuos extra fines exercitum educamus, ex ipsorum ditione victum habebimus. Jam vero si majus nobis istic periculum, quam heic, immineret: fortassis id quod tutissimum, esset eligendum. Nunc autem & illi futuri sunt iidem sive adeo heic eos exspectemus, seu in ipsorum ditione progressi obviam eis eamus: & nos iidem futuri sumus, sive ipsos advenientes heic excipiemus, seu prodeuntes adversus eos manum conseremus. Verum longe nos militum animos alacriores & firmiores experturi sumus, si adversus hostem contendemus, & in adversariorum conspectum non inviti venire videbimur. Itidem illi multo nos magis metuent, quum nos audient, non ut formidolosos, ipsorum metu percelli, ac domi desidere, sed animadverso eorũ adventu currere, ut quam celerrime pedem conferamus: non idem opperiri, dum regio nostra detrimento adficiatur, sed præcepto ipsorum conatu, terram eorum populari. Atqui formidolosiores ipsos reddi, nos audentiores, in lucro nobis insigni ponendum existimo. Nam equidem statuo, minus hoc modo nobis, hostibus plurimum periculi futurum. Quia & pater meus, & tu dicere soletis, ceteris omnibus adsentientibus: de præliis judicium fieri potius ex animis, quàm corporum viribus.

Hæc Cyri oratio fuit, cui Cyaxares respondit: Mihi quidem, mi Cyre, ac vos Persæ, ne suspicemini esse grave, vos alere. Sed in hostilem tamen agrum ut progrediamur, etiam mihi jã ad omnia melius esse videtur. Quando igitur, ait Cyrus, eadem in sententia sumus, colligamus vasa: & si res divina votis nostris confestim adnuerit, quamprimum egrediamur. Quumq; militi secundum hæc edixisset, ut vasa colligerent: rem sacram Jovi primum Regi, deinde Diis ceteris fecit: additis precibus, ut & propitii benigniq; essent, & exercitui se duces, bonoq; commilitones & socios, atq; etiam rerũ utilium consultores præbere vellent. Præterea Heroas Medorũ terræ incolas, & curatores imploravit. Quum autem ritè litasset, & totus exercitus ad fines sine mora pervenisset: bonis avibus hostile solum invasit. Ut vero primum fines transierat, Tellurem libationibus pro-

bus propitiam sibi reddidit, & Deos atq; Heroas regionem Assyriorum incolentes sacrificiis placavit. Quibus peractis, rursum Jovi patrio rem divinam fecit, nec si quis alius se Deorum offerret, ullum neglexit. His ita rite curatis, statim peditibus itinere non magno promotis, castra metati sunt: equitatu vero ad excursionem usi, prædam ingentem ac variam obtinuerunt. Deinde motis castris, à commeatu abunde instructi, regionem omnem depopulabantur, & hostem exspectabant. Qui quum advenire jam & abesse non amplius decem dierum itinere diceretur, tum vero Cyrus ait: Jam tempus est, mi Cyaxares, ut occurramus: neq; committendum, ut vel hostibus, vel nostris metu prepediri videamur, quo minus adversus ipsos progrediamur: sed palam declaremus, non illubenter nos prœlium inituros. Quæ quum Cyaxari quoq; placerent, semper deinceps instructi tantum cottidie procedebant, quantum ipsis commodū videretur. Et cœnam quidem nunquam non sumebant, dum adhuc luceret, noctu vero ignes in castris nullos accendebant. Ante castra tamen excitabantur, ut ignis adjumento cernerent, si qui noctu accederent, atq; ipsi ab iis contra non cernerentur. Sæpe numero etiam post castra fallendis hostibus ignes accendebant. Itaque nonnunquam exploratores in excubias ipsorum primas incidebant, quod se procul adhuc à castris abesse arbitrarentur, quia post castra ignes excitati essent, &c. *Cap. 20. lib. 3. Cyropædiæ. Videantur seq. titulo. Castrorum.*

Idem. Verum enimvero quia non de Syria solum dimicabimus, quæ & frumenti, & pecudum, & palmarum feracium copiam habet: sed etiam de Lydia, in qua vini, ficorum, olei magna est copia, & quā mare adluit, quo bona plura, quam quisquam viderit, advehuntur: hæc igitur cogitantes, non jam amplius indignamur, sed quam maxime confirmatis animis sumus, ut quamprimum etiam istis Lydię bonis fruamur. Hæc illius verba fuerunt, quibus universi socii delectati, eadem comprobarunt. Et Cyrus: Equidem, ait, arbitror, quā celerrime adversus eos pergendum esse: ut primum ipsos eo veniendo antevertamus, si quidem poterimus, ubi commeatum colligunt. Deinde quanto celerius iverimus, tanto pauciora in promtu habebunt, ac plura desiderabunt. Equidem ita censeo. Quod si quis vel tutius, vel facilius aliquid alia ratione facturos nos sentit, sane id doceat. Quum autem multi sententiis, & ipsi dictis ostenderent, necessarium esse, ut quamprimum in hostem pergerent, ac nemo contradiceret: tum vero Cyrus hujusmodi orationem est orsus: Jamdudum, socii, tum animi, tum corpora, tum arma, quibus utendum erit, ope Dei nobis parata sunt. Nunc vero commeatus ad iter comportandus est, tam nostra, quam jumentorum, quæcumq; habemus, opera: isq, non minor, quam viginti dierum. Etenim ratiocinando reperio, nos plurium, quam 15. dierum, viam habituros, in qua nihil commeatus inveniemus. Nam avectus est partim à nobis, partim ab hostibus, quantum quidem illi potuerunt. Quamobrem conversari necesse est, quantum satis sit cibi: (nam absque hoc sit, nec prœliari, nec vivere possimus,) & vini tantum habere quemvis oportet, quantum satis fuerit ad consuefaciendum nos, ut aquam bibamus. Nam plæraque viæ pars vino caret, in quam si vel plurimum vini comportemus, non tamen illud sufficerit. Quare ne, si subito vinum nos deficiat, in morbos incidamus, sic faciundum erit: ad cibum jam statim aquam bibere incipiamus. Nam id si modo fecerimus, mutationem non magnam sentiemus. Etenim quicumque polenta vescitur, is semper offam aqua mistam: qui pane, aqua subactum panem comedit. Quin & elixa omnia multa cum aqua parantur. Post cibum vero si vini potus accedat, nihilo sequius animus adquiescet. Deinde vinum etiam illud imminui debebit, quod à cœna sumitur, donec consuefaciendo aquam bibere possimus. Nam quæ mutatio paullatim declinando fit, ea facit, ut quælibet natura mutationes ferat. quod quidem Deus ipse nos docet, qui paulatim ab hyeme nos ad perferendum vehementes calores abducit, & ab æstu ad acrē hyemem: quem imitando pervenire ad id, quo necesse est, jam ante condocefacti debemus. Quin & stragulorum pondus in commeatum insumite. Nam tametsi commeatus vobis superet, non tamen erit inutilis: at stragula vobis desint, metuendum non erit, quin suaviter dormituri sitis. Sin autem, in me culpam conferte. Enimvero cui vestis est copia, is sciat hanc permultum & recte valenti, & ægrotanti prodesse. Obsonia convasanda sunt, quæcumq; plurimum acida & acria, & salsa fuerint. Nam hæc ad cibum invitant, & quam diutissime sufficiunt ac durant.

Posteaquam vero ad intacta loca pervenerimus, ubi consentaneum est frumentum nos habituros: manuariæ molæ parandæ deinceps erunt, quibus panem conficiamus. Nam id ex illis instrumētis, quibus fit panis, levissimum est. Præterea conversari necesse est etiam illa, quibus homines infirmæ valetudinis indigent. Nam horum moles per est exigua, & si quid tale usuveniat, maxime requiruntur. Oportet etiam habere: lora. Nam plurima tum hominibus, tum equis à loris dependent & connectuntur: itaq, si adterantur & rumpantur, cessari necesse est, nisi vincula quis habeat. Quod si quis tragulam polire didicit, huic utile fuerit, asciæ non oblivisci. Profuerit etiam limam secum ferre. Nam qui hastam acuit, is animum quoq; præterea nonnihil exacuit. Prohibet enim pudor & verecundia quædam, quominus is, qui hastam acuit, sit ignavus. Etiam lignorum habere copiam & curribus & plaustris convenit. Nam multis in negotiis & operibus, necesse est multa quoq; deficere. Simul ad hæc omnia habere oportet instrumenta maxime necessaria. Non enim ubiq, opifices adsunt. Quod autem toto die suffecturum sit, ad id efficiundum pauci quidam non sufficiunt. Convenit & sarculum & ligonem in curru quovis habere, & in jumēto dossuario dolabram & falcem. Nam hæc & cuiq; privatim usui sunt, & publicē frequenter utilitatem adferunt. Quibus quidem ad cibos opus est, de iis vos duces militum gravis armaturæ illos interrogate, qui vobis parent. Non enim prætermittendum est quidquam horum, quo indigere quivis poterit. Nam alioquin eorum penuria nos ipsos tanget. Quæcunq; vero habere jumenta jubeo, vos impedimētorum præfecti inquirite, & qui non habet, hunc ad parandum ea cogite.

Vos autem, qui vias exercitui sternentibus præestis, habetis à me descriptos eos, qui ex jaculatoribus, & sagittariis, & funditoribus loco moti sunt. Itaq; cogetis rejectos ex jaculatoribus, ut sumta securi lignaria milvent: qui ex sagittariis, ligone: qui ex funditoribus sarculo. Atq; hos ipsos iis instructos, ante plaustra turmatim incedere cogetis, ut si munienda via sit, statim opus adgrediamini: & ipse sciam si mihi aliquorū opera necessaria sit, unde ad usum meū mihi sumendi sunt. Ducam vero nobiscum, & fabros ærarios militaris ætatis, & fabros tignarios, & sutores, cum instrumentis suis: ut si qua in re his etiam artificiis opus sit in exercitu, nihil deficiat. Atq; hi sanè ab armatorum militum ordinibus soluti erunt, & suo constituti loco, mercenarias operas, quarum periti sunt, iis facient, qui eas requirent. Quod si quis etiam mercator sequi castra voluerit, ut aliquid vendat, is illorum dierum, quos ante significavimus, commeatum habere debet. Sin aliquid vendere deprehendatur, omnibus spoliabitur. Posteaquam vero dies hi præterierint, quo pacto volet, vendet: & quisquis è mercatoribus quam maxime rerum venalium forum augere videbitur, is & à sociis, & à me muneribus & honore adficietur. Quod si quis existimat, pecunia sibi ad coemtionem rerū opus esse: is illos, quibus est notus, & fidejussores, quibus recte caveat, se cum exercitu profecturum, adducat: & quā nos habemus, accipiat. Et hæc à me prædicta sunto. Si quis vero aliud quippiam, quod facto sit opus, perspicit: mihi significet. Ac vos quidem hinc digressi vasa colligite, ego profectionis causa rem sacram faciam, atq; ubi perlitatum erit, signum dabimus. Debent autem adesse omnes cum iis quæ prædicta sunt, loco constituto, apud duces suos. Vos vero duces, ubi suum quisque ordinem instruxeritis, ad me omnes convenietis, ut suus cuiq; locus adtribuatur. *Cap. 13. & seq lib. 6. Cyropædiæ.*

Exilii.

¶ SENTENTIAE PATRUM.

Nazianzenus: Exulem vocabunt? Quàm demissè de nobis sentiunt homines verè contumelioſi, & peregrinorum inimici. Estne enim mihi, o viri, circumscripta patria, cui & omnis terra, & nulla terra patria est? Tu vero an non hospes es, & advena? Equidem habitationem tuam haud laudo, si ita animo afficeris: verendumque tibi est, ne à vera patria excidas, ad quam omnis vitæ functio referenda est. *Oratione 28.*

S. Salvianus: Omnes exules, etsi corporibus ablegantur, animis non eliminantur: etsi carne captivi sunt, cordibus tamen si volunt, liberi perseverant. *Libro secundo contra Avaritiam.*

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE. GRÆCORVM.

Isocrates: Ego vero consilium illud vestrum vehementer probo, quod & cum civibus vestris in gratiam reditis, & exulum numerum minuere: civium vero amplificare conamini, & in componenda seditione nostram civitatem imitamini. Sed eam ob caussam maximè laudibus vos dignos quis judicet, quod restituitis rem familiarem, & omnia bona reponitis. Nam in eo declaratis & omnib. planum facitis vos non alienarum opum cupiditate, sed quod Reipublicæ metueretis eos in exilium egisse. At verò si etiam nihil horum decrevistis, neq; quenquam exulum recipiatis, tamen hos reduci ad vestram utilitatem plurimum interesse censeo. Turpe etenim, vestram civitatem omnium consensu doctissimam judicari, & maximè celebres in hac vobiscum versari. Eum vero qui omnes hujus ætatis homines eruditione, doctrinaq, superat, ab hujusmodi Repub. extorrem vivere: & aliis quidem Græcis in more esse florentes honestis studiis eosque peregrinos civitate donare. Vos autem, fœliciter cum alienis agentes, & eandem naturam attingentes, apud alios exulare pati ac ferre.

Atque miror eas civitates, quæ majoribus præmiis eos, qui victoriam in Olympiacis ludis adepti sunt, quam qui prudentia & sedulitate aliquid utile invenere, honorant: neque animadvertunt roboris, & velocitatis vim natura sic esse constitutam, ut una cum corporibus intereant; disciplinas autem & scientias perpetuò consistere, suisque cultoribus omni tempore prodesse. Quæ nos in recenti memoria convenit habere, & plurimi facere eos, qui rectè justeque civitatibus præsunt; deinde qui gloriam & honorem ipsi conciliare possunt. Omnes enim in hos tanquam judicia quædam oculis conjectis ipsorum similes etiam reliquos cives arbitrantur esse. *Mitylenensium principibus.*

Phalaris Autonoæ: Simul ac tuas literas accepi, nulla interposita mora confestim tibi argentum misi, quod putarem temporis conditione non beneficium duntaxat, verum etiam celeritatem requiri.

Tua

Tria igitur talenta tibi conceſſimus, ut perſoluta pro filio mulcta eum ab exilio redimas, neque poſthac amplius oberret. Experientia enim exilii calamitatem & miſerias cognovimus: quantum in eis inſit mali. Tria vero ſeorſim miſimus, quibus publicata proſcriptaque bona recuperes. Cliſthenem vero moneo in poſterum, ut à repub. abſtineat, neque ad ejuſmodi negotiorum tractationem accedat, quorum emolumentum ad univerſam civitatem pertinent, damna vero & incommoda ad præſides & gubernatores redundant. Quod ſi ex propriis calamitatibus ſapere non poteſt: at meis exemplis, qui ſum ejus à matre conſobrinus utatur: quod ipſe quoq; propter inſanias populares, civitate pulſus, Tyrannus cum ſim: tamen redire non poſſum. Nihil vero tam in imperio mihi jucundum eſt, quàm eſt acerbum à patria exulem abeſſe. Hoc autem vobis ſcribo non quod ægrè pecuniam hanc largiar, ſed quod vicem veſtram inſigniter doleam; neque ut ne aliquando iterùm dönem: verùm ut vos non ad mala petatis. ego vero rogatus ad juvandam amiciſſimorum mihi fortunam, promptiſſimè liberalitiſſimeque munera conferam. *Epiſtola 95.*

Plato: Pravus enim à prudentibus viris merito exiſtimari poſſem, ſi potentiæ tuę magnitudine adductus, veterem amicum & hoſpitem meum à te patria pulſum, nullare, ut ita loquar, te deteriorē prodidiſſem atque deſtituiſſem: te vero injuriantem illi ſecutus eſſem: & omnia feciſſem quæ imperares tuarum ſcilicet opum gratia. Certè ſi illum tui gratia prodidiſſem: nemo aliam mutationis meæ cauſam fuiſſe dixiſſet. *Ad Epiſt. 30. Dionyſium Regem.*

Aeſchines. Alias quoq; Cleocrates lautiores nobis aprorum caprearūq; cupedias ex ulterioribus locis ſubminiſtrat: præterea quotidie nobiſcum ipſe verſatur, ſuæque ſapientiæ participes facit, quæ noſtras vires, plurimum ſuperat. Nam quæ ego cum meo maximo damno ſum edoctus, hæc ante damnum ille ſapientia precavet, neque more inſipientum facto periculo diſcit. Non enim in Republica verſatur, & quantum ad Cleocratem, nec civitatem aliam ullam nec homines mihi exoptarim: ſed etiam ipſa calamitate valde delector. Atque mihi vivendi initium videtur gerendæ Reipub. negotiorumq; liberatio. Atq; ſic me præſens rerū ſtatus voluptate quadam incredibili tenet: & quod Ariſtophanem ſenem jam ferunt, omnibus voluptatibus antepoſuiſſe, quaſi a rabido cane, ſic à cupiditate gerendæ Reipublicæ liberari. Quod quoties in mentem venit, ter beatum ego me propter hoc exilium quo punitus ſum judico. Contrà vero cum recordabor atque cogitatio mihi ſubit non modo familiarium, ſed & cognatorum & concionis & Colyſſi, in quo quadraginta quinque annos habitavi, & Aleſichorij, itemque jucundiſſimorum tecum & Philino colloquiorum, ſanguis omnis à viſceribus aliò rurſum transfluit. Atque mihi quidem convitia Demoſthenis, quæ in me conjecit, jucundiſſima videntur, & ſcommata quibus nemo præter Creſiphontem arriſit unquam. At enim ſatis nobis lachrymarum.

Aeſchines: Ego meô Melanope propter leges in has ærumnas conjectum affirmo, nempe legibus opitulari volentem huic damno ſuccubuiſſe, & ſecundum eas ne quis corona donarentur concertantem. Mihi quidem igitur quod infœlicem in Reipublicæ cauſſa ſortitus ſum exitum, cum Themiſtocle, Ariſtide, atque aliis innumeris clariſſimiſque in Republica viris commune eſt. tibi vero, qui heri & recens Theſmothetam egeris, jam proſtitui matrem, patrem ter cuſtodiam expertum eſſe; te vero duobus millibus drachmarum venditum, ætatis florem in ſtupris cum Trimarchi juvenibus perdidiſſe, hæc non cum Themiſtocle vel Ariſtide juſto communia eſſe judico.

Aeſchines: Villas autem duobus talentis emi, atque nunc ejuſmodi quoddam tugurium eximo cujuſmodi ut pauper & parum opulentus inſtitui, nihilominus tamen hic habitaturus, quamvis me hercle non ſuaviter, cum præſertim in orbatione meæ civitatis & talis civitatis, in qua certè minus doloris quiſpiam hauſerit, habitare me recordabor.

Aeſchines Creſiphonti: Scripſit nobis Nicoſtratus à parte matris avunculus, ſe mirum in modum abs te vexari, meque ob acceptam calamitatem probris affici. At ego miror, quibus cauſſis inductus, nobis è patria migrantibus, ita familiariter locutus ſit, ut mihi perſuaderem nihil abs te aut fictum, aut ſimulatum proferri qui tum in miſerias meas intuerer, quæ vel infeciſſimum hoſtem ad miſerandum adigere deberent: tum in ſqualorem & luctum tuum. Quamobrem amicis & neceſſariis meis mandavi, ſi quare foret opus, ut te adirent, atque te non defuturum illis pollicebar. Ipſe quoque literas ad te miſi ut ea mihi conniceres, de quibus Athenis perſæpe ad populum retuliſſem. Nunc vero cum non tibi ſummo impedimento, neque tibi, neque cuiquam ex Athenienſibus negotium faceſſamus, nos inſectaris, ac neque fortunæ, neque ullius humanæ rei rationem ducis: ſed etiamnum oppugnas, exactos patria, orbatos omni deſiderio civitatis, civium & amicorum. Et quæcunque in abſente me convitia recens, tibi fortè non immeritò quandam invidiam & odium conciliabunt, perinde ac ſi quem mortuorum in civitate tam honeſta atque humana criminareris. Ego vero nihilo deterior exiſtimabor: ſi mihi abſenti convitieris: infortunatior quidem, & magis miſerandus fortaſſe putabor: aliquando vero etiam minus. Nunc autem in nullam procumittere vocem, immò ne audire quidem in conjecta in me convitia datur. At verò ſeni moderato & honeſto injuria inferre, cui ſpes omnis ulciſcendi præcepta eſt, quique ſpem ſuam univerſam in nobis poſitam habet, qui nos ipſos non amplius ſervare poſſumus, quomodo id non eſt turpe. Sed per Jovem ne facias Cteſipho, ne tu facias, neque ſi maximè etiam me læſum voluetis. Et ſi te nullum noſtrum damnum explet: ſaltem hanc infamiam tibi tuisque liberis quos alis, ne infligas, quos tu præſidium ſenectutis tuæ fore ſperas. Et memineris, nec Æſchynem putaſſe uſquè eò res ſuas redactum iri, neque alios multos, qui magis in ſua patria floruerunt, multoq; te meq; ſplendidiores extiterunt. Reliqui omnes qui in exilium aguntur, aut precantur cives, ut ſibi redeundi poteſtas fiat: aut ſi non impetratum ſit, calumnias infligunt patriæ tanquam iniquè ſecum agenti. Ego vero, cùm indignè ſim in iis quæ geſſi fraudatus, & dum alios accuſarem ipſe condemnatus, dolore quidem juſto commoveor, attamen nihil ſuccenſeo. Neque enim tam ego ſum rationis expers, ut ex qua civitate Themiſtoclem liberatorem Græciæ videam ejectum & ubi Miltiades, quod paululum Reipubl. deberet, ætate affectus in carcere vitam finierit, ei civitati Aeſchynem Atrometi filium exulem ſuccenſere putem oportere, ſi quid uſitatum Athenis & conſuetum paſſus eſt. At ego non immeritò laudi mihi duxero communicatam cum illis infamiam, ſiquidem poſteri me dignum fuiſſe judicabunt, qui ſimile pœnam ſubirem.

Aeſchines: Poſt hanc vero calamitatem, omnino me non tantum vobis, ſed omnibus etiā Græcis innotuiſſe puto. Quis enim ignorat ſicut vita defunctis hominibus ita quoque patria pulſis accidere, ut tum maximè, quibus moribus fuerint præditi, in lucem veniat. Et quæ prius ipſi texerunt, cum de medio ſublati ſunt, dilucidè conſpiciantur. Nemo enim eſt inimicorum, qui non multò liberius crimina tum in eos conferat, cùm objectis reſpondere non poſſunt. Qui verò tantorum ſceleruin cauſſa patria carent, quod ad hoſtium utilitatem omnia dicta factaque retulerint, prorſus omnium hominum oculis & ſuum ingenium, & animum quem in Repub. regenda geſſerint proponunt, & conſpiciendum præbent. Nam & quemadmodum ferant miſerias, & quo animo ſint in ſuam patriam perſpicuè cernitur. Nunquid igitur cum patriam Philippo prodidiſſem, & legationem falsò contra civitatem obiiſſem, quippe qui Macedonū partes adjuvetam: poſteaquàm à vobis in exilium diſceſſi protinus ad Alexandrum me contuli, ut fructum aliquem pro beneficiis abeo perciperem, & apud ipſum vitæ meæ rectiſſimè proſpectum eſſet. Videbam enim hoſpitia poſſidentem in Bœotia Demadem, & viginti jugerum prædiorum, arantem, aureiſque phialis utentem. Hegemonem vero & Callimedontem Pellæ alterum, alterum in Berthæa tum ampliſſimis muneribus ornatos, tum nobiliſſimarum cōjugio fœminarum decoratos. Atqui nec ad Thebanos nec in Theſſaliam iter mihi à nobis fuit, nec ad ullos alios, apud quos vel meā ipſe patriam infectarer probris, vel amici contumeliis à populo audirem: ſed Rhodum conceſſi, neq; per Jovem infeſtorum vobis hominum, nec alioquin invidorum civitatem. Nam qui ad patriam ſuam proximè ſedes ponant, magis videntur mihi diſſimulantes ludibrio calamitatem habere, quam civitatis amore flagrare. Nam longiſſimè potius erat recedendū, ne quod ob oculos omnino monumentum verſaretur, quod animum in acerbitates conjiceret. Etenim neque Rhodi me permanere ſcitote: ſed ruri quendam exiguū locum delegi arenoſum, & ibi fundos coemi duobus talentis, dignum ſane magnificētia eo, qui primum Philippi, deinde Alexandri mercenarius fuit & phorenſes atque Græcorum libertatem Macedonibus prodidit. Hic ſedeo cum ſeptem famulis, ac duobus tantum neceſſariis, & matre, quæ nata ſeptuageſimum tertium annum, una mecum abnavigavit, ut miſeriarum à vobis mihi impoſitarum particeps eſſet: itemque cum uxore quæ prolubente patre mecum egreſſa eſt, legibuſque manere fortaſſe cogentibus, magis Reipublicæ morum quam legum perita: denique cum tribus liberis, qui nondum etiam ſuum infortunium ſentiunt, neque qualem ipſis in hanc lucem editis patriam Deus Athenienſium urbem dederit, & qualem rurſus, nuper nati amiſerint. Atque alii, quod videmus, liberos ſuos vel in Bœotia vel in Aetolia natos, in veſtram civitatem literarum & eruditionis cauſſa miſerunt. Quibus verò hoc à natura collatum fuerat beneficium, non novi viri, civis, aut turpium ſceleruin condemnati filiis; hi nondum exacta infantia, ſunt in exilium pulſi, & educantur pauperes in ſolitudine fugaque paterna.

De Lycurgi liberis autem Demoſthenes ad vos retulit, & rectè quidem oravit, ut ne paternum crimen fraudi libens eſſet, Atq; vos morem Athenienſium ſequentes & miſericordia moti, hoc eis conceſſitis. Nam & ad inaſcendum pariter, & ad præſtandam rurſus gratiam flexibiles animos gerere conſuevitis. Ego verò meorum ipſius liberorum nomine deprecando non tantum potero, ut impetrem, taceo ne in orbitate tollantur; ſed ne ſimul & orbi & exules à patria abſint, qui nec injuriam adhuc infantes facere potuerunt, & quamvis non damnati, damnationis tamen omnes miſerias pertulerunt. Quamobrem ſubeat aliqua tandem nobis mei recordatio, nunc meis precibus animo ſententiaque favete, voluntatem veſtram re & eventu declarate, patimini vos ad æqua conſuetaq; facienda adduci. Nec enim à conſuetudine recedetis aut civitatis gloriam, quapropter æquitatem & clementiam ſemper omnibus reliquis rebus publicis præſtitit, violatis neq; Melanopus plus proficiet deterrendo vos ab uſitatæ lenitatis & juſtitiæ imitatione, quàm ad eam adhortando: non Aeſchines dicam per Deos immortales: (Non n. ego ſum tantis virib. tantaq; dicendi facultate præditus, ut meam patriā queā perſuadere, maximeq, cum mea nunc agatur cauſa.) Sed mos Reip. nomen veſtrum antiquum, & malorum inſtitutum, quæ ſane magis quam Melanopum adverſus nos quæſtionem ferentem ſequi convenit. *S.P.Q. Athenienſium.*

Lysias: Diogenetus sanè, Judices, calumniis circumventus à quibusdam sycophantis in exilium profectus est. sed ipse cum paucis aliis profugis, neq; contra rempublicam arma sumpsit, neq; Deceliam profectus est, neq; aliquid ab ipso mali vestro populo exortum est, neque post exilium, neque post reditum. *Cap. 3. Orationis 17. de Niciæ bonis.*

Lysias: Neq; illud ignorare decet, Judices, quod ipsi exules, quãplurimos optent cives accusari, & ignominia notari, sperantes eos sibi fore socios, qui à vobis injuria afficiuntur: & accusatores apud vos velint esse gratiosos, quo plurimum in civitate possint. Horum enim nequitiam suam existimant salutem. *Cap. 9. Orationis 24. de popul. statu.*

Dio Pruseus: Quando contigit mihi, ut solum verterem ob amicitiã viri nõ pravi, sed qui tum inter beatos & principes proxime numerabatur: propter ea vero interfecti, propter quæ multis, & propè omnibus beatus videbatur, propter illorum nempe familiaritatem cognationemq; crimini mihi dato, quod illi viro amicus essem, & à consiliis, (mos enim hic est tyrannorum, quemadmodum inter Scythias solent cum regibus sepelire pincernas, & coquos & pellices: ita iis quos ipsi interficiunt, amicos adjungere plures nullam ob causã) tunc igitur, inquam, quia solum vertere decrevissem, considerabam utrum verè res esset difficilis, infaustaq; exilium, juxta multorũ opinionem: an omnib. hujusmodi aliud accideret, quale accidere ferunt mulierib. in delubris circa divinationem: Illæ enim aram quãdam aut lapidem sustollentes, considerant in eo rei super qua sunt interrogatæ, eventum. Et quibusdam quidem earum aiunt levè fieri, quibusdam vero gravem, ut ne movere quidem facile possint: an ne ita quoq; & exiliũ & paupertas & senectus, morbiq;, & omnia talia, his quidẽ gravia & difficilia, illis autem levia faciliaq; appareãt? Illic fortassis, juxta rei differentiam, leve esse pondus Deus efficit: hic autẽ (opinor) tale fit quodq;, qualis est utentis virtus & sententia.

Et protinus recordabar & Ulyssis apud Homerũ, deplorantis frequenter seipsum, viri sanè Heroici, & nequaquam ad multa pertesenda invalidi: indigna tamẽ dicentis & lamentantis interdum apud mare, propter patriæ desiderium. Deniq; vero (ut ait poeta) desiderabat fumum ex sua terra ascẽdentẽ videre, etiamsi oporteret eũ continuo mori: neq; eum priora facta consolabantur, neq; dea pulchra & benigna, quę eũ magnificiebat ut etiam promitteret apud se manenti daturam immortalitatem: sed his omnib. prævaluit patrię desiderium & amor. Rursum quoq; apud alium poetã ex posteriorib. in mentem mihi venit Electrę, interrogantis super fratre animo perturbato, & miserantis eum propter exilium, atq; ita scisitantis:

Vbi gentium fugam ille miseram fert miser?

Ubi ille non minus miserabiliter respondet:

Non urbis unius fixum pereat loco:

Atque illa rursus interrogat:

Victus quotidianus illi num deest?

Et ille dicit:

Habet quidem, sed rarum, ut solum vertens.

Ad hæc quoq;, audacium plurimorum recordabar facinorũ, gestorũq; ab exulibus bellorum, ut domũ redire possent: atq; hoc adversus populos tyrannosq; expulsores, supra quàm illorum ferebat facultas: magnum ducentes, etiamsi in pugna mori oportet in sua ipsorum terra. Universa hæc exterruerunt me, coegeruntque malum existimare & grave, quod mihi accidisset. Postquam vero cogitavi, quod Crœso Lydorũ regi consuluisset Apollo, si quid accideret, fugam sponte capesseret, principatumq; relinquere, nec turpe ducere si eam ob rem ignavus videretur hominib. Ita autẽ habet oraculum:

At mulus quum rex Medos regnaverit inter,
Tunc te mollipedem Lydum fugere inde licebit,
Hermum ad arenosum: maneas neque, consulo, tardus:
Nec tibi sit, si tum ignavus videare, pudori.

Videlicet pudorẽ nominans pro turpitudine, ut moris est poetis: &, ignavũ videri, pro male audire apud multos. Ex hoc (inquã) cogitavi, quòd non omnino exilium noxiũ, neq; inutile: neq; manere in patria, bonum magniq; ęstimandum sit. Non n. alterum utiq; admonuisset & consuluisset Apollo, nẽpe fugere: alterum autem, nẽpe manere, interdixisset palã: præsertim viro vaticinãs, q. diligentissimus erat circa divina, plurimasq; sacrificabat victimas, & maxima donaria Delphos miserat, præ omnib. quæ unq. antea consecrata fuerant.

Hęc mihi cogitãti, visum est eundũ esse & mihi Delphos ad Apollinẽ, ut eo consultore uterer, juxta veterem Græcorum consuetudinẽ. Neq; n. putavi, quum de morbo & prolis defectu, si cui nempe nõ gignerentur liberi, deq; fructibus sufficienter posset consulere: in hoc negocio minus eũ valiturum. Et demum oraculum petẽti mihi, respõdit absurdum & conjectu difficile respõsum. Jussit enim me idipsum in quo essem agere omni alacritate, ut honestã quandam & utilẽ actionem, donec (inquit) in postremã terræ partẽ discesseris. Atqui malum est & circa homines, mendaciis uti, ne dum circa Deum. Ratiocinabar igitur, Quòd si Ulysses post tot errores, non cunctatur est iterum errare remum ferẽs, cõsultore usus Tiresia, homine mortuo, usq; dum in homines incideret, qui ne auditione quidem mare nossent: ego ne hoc nõ faciam, Deo jubente? Ita demum adhortatus memetipsum, neq; metuebam, neq; turpe existimabã negocium: vestęq; humili assumpta, & meipsum attęperans, errabam vbiq;. Homines vero qui me cõveniebant, videbantúe, partim quidem errorẽ me, partim vero mendicum vocabant, quidam autem & philosophum. Inde mihi cõtingit, & paulatim, & nullo meo ipsius consilio, neq; memetipsum aliquid magni reputãti, ut hoc nominis obtingeret, multi siquidẽ qui philosophi appellantur, semet proclamãt, quãadmodum pręcones in ludis Olympicis: at ego aliis de me dicentib. non poteram semper, & cum omnib. pugnare. Forsan autem & nonnihil contigit mihi hac ex fama utilitatis capere. Plurimi n. me conventum rogabant, hoc, utrum bonum an malum mihi videretur? ut coactus sim, de illis reb. cogitare, ut quid respõderem interrogantib. haberẽ. Rursum quoq; productũ in publicũ, jubebant orationẽ habere. Quare etiã illud neęessitatẽ mihi imposuit ea dicendi, q. ad hominũ officia pertinerent, & à quib. utilitatẽ capturi essent mei auditores. Videbãtur mihi autẽ omnes (ut summatim dicã) insipiẽtes esse, & nemo eorum quicquã quæ oportet facere: neq; considerare, qui nam à presentib. malis liberatus, multaq; insicitia atq; perturbatione, moderatius meliusq; vitã ageret. Cõmiscentur autem & feruntur omnes in eodẽ, & circa eadem ferè: circa pecunias & glorias, & quasdã corporum voluptates: nemoq; liberari ab his põt, neq; in libertatẽ suũ ipsius animũ asserere. Quẽadmodum (opinor) incidẽtia in vertices aquarũ, volvuntur & circuvertuntur semper, neq; se liberare possunt à vertigine. Ob hæc & talia cum alios omnes, tũ maxime & primũ reprehendi memetipsum. Interdũ vero ob inopiã, ferebar in sermonẽ aliquem antiquum, dictũ à Socrate quodam, quẽ ille semper & ubiq; solebat inculcare, apud omnes clamãs atq; cõtendens, in palæstris & in Lyceio, inq; judiciorũ locis, & foro, tanquã Deus est machina, ut ait quidã. Non sanè fingebã mecum esse sermonem, sed dicebã illius esse cujus erat: rogabãq; si fortè nõ possem exactè omnia verba, neq; totũ cõmemorare intellectum, sed plus aut minus quicq. dicerẽ, mihi veniã darent: neq;, q. ea dicerem, quæ multos quoq; ante annos essent dicta, propterea animũ minus adverterent. Fortassis n. (dicebã) ita maxime utilitatẽ percipietis. Non n. verisimile est, antiquos etiam sermones, sicut antiqua pharmaca, spiritu exhalato vim perdidisse. Ille siquidẽ, quando videret plures homines uno in loco, miserãs increpansq; clamabat planè viriliter, & absq; dissimulatione: Quo tandem ferimini ô homines, & ignoratis vos nihil facere eorũ quæ oportet? pecuniarũ quidem geritis curam, easq; acquiritis omni modo, ut & ipsi copiã habeatis earum, pluresq; insuper liberis tradatis: ipsos a liberos, atq; prius vos ipsos patres neglexistis similiter omnes, nullã providentes eruditionẽ, neq; exercitium idoneum aut utile hominib. quo eruditi queant pecuniis uti & rectè & justè, & non damnosè ac injustè, & vobis ipsis ad mulctã. Hoc majori dignũ studio existimare deberetis, q. pecunias acquirere: utilioresq; ita essetis hominib. & filiabus uxoribusq;, & fratribus & amicis, & ipsi vobis. An cithara ludere, atq; luctari, literasq; discentes à parentib. & liberos docentes, putatis modestius meliusque vos inhabitaturos civitatem? Verũ si quis cõgregat citharistas, pœctoresque in palæstris puerorũ, & literatores, qui optimè suam quisque norit artem, civitatemque ex ipsis aut gentem cõstituat, sicuti vos quondã Joniam: qualis nã vobis videtur fieri posse civitas, & quo tãdem modo habitari? Nõne multo pejus & turpius, quam in Ægypto civitas caponũ, ubi omnes inhabitantes sunt capones, tã viri quam mulieres? Nõne multo ridiculosius habitabant illi, de quib. dico, vestri nimirũ liberorũq; vestrorum doctores, luctãdi præceptores, citharistæ & literatores, assumptis pariter carminum recitatoribus histrionibus?

At n. quæcunq; discunt homines, eã ob causam discunt, ut quum instãs usus flagitet, ad quẽ unusquisque suũ direxit studium, faciat quod artis est, ut gubernator, quũ navem fuerit ingressus, ut clavo dirigat navem: propter hoc n. didicit navem gubernare. Et medicus, quũ acceperit ægrotantẽ, ut pharmacis, atque aliis ad vivẽdi rationẽ pertinentib. sanet: cujus gratia medicãdi acquisivit experientiã. Proinde & vos (dicebat) quando consulendum est aliquid quod civitati cõmodum sit, cõvenientes in concionem, partim ex vobis surgãt, & cithara canãt, partim luctentur, alii vero legant aliquid Homeri aut Hesiodi, (hæc n. melius scitis quàm aliud) an ex his putatis strenuos viros evadere, & res publicas atque privatas rectè administrari posse? Et nũq; sanè his freti specieb. habitatis civitatẽ, liberosque instruitis, tanquã tales evasuros, qui & sua ipsorũ & publica negocia tractare possint: quib. sufficit, si cithara sciãt canere Palladem urbium populatricem Minervam, aut pede rectè ingrediantur ad lyram: ut vero cognoscatis quæ nam vobis & patriæ sint utilia, & legitime iusteque cum concordia rempublicam geratis atque habitetis, nullã facientes alter alteri injuriã, neque mutuò structes insidias, hoc nunquam didicistis, neque vobis curæ fuit unquã, neque adhuc curatis.

Atqui Tragœdos frequenter videtis in Bacchanalibus, & miseremini hominũ in Tragœdiis nominatorum, propter infortunia: sed tamen nũquam animadvertitis, quod nõ illiteratis, neque musices imperitis, neque luctari ignorantib. ea mala acciderint: neque eo q. quis pauper fuit, quispiam Tragœdiam docuerit. E contrario enim, de Atreis, & Agamemnonibus ferẽ, & Oedipodibus, videas omnes Tragœdias scriptas, qui plurimas possederunt opes auri & argenti, & terræ & pecorum: quin etiam infortunatissimo omnium auream aiunt fuisse ovem. Et quidem Thamyris, optime sciens cithara canere, & cum Musis ipsis cõtendens de harmonia, excæcatus est propter hoc, atque insuper dedidicit artem cithara canendi. Et Palamedi, quòd literas invenisset, nihil profuit ut non injuste ab Achivis, & iis quos ipse docuerat, lapidibus oppressus interficeretur: sed dum erant illiterati & indocti in ea disciplina, vivere eum sinebant: postquam vero & alios docuit literas, & Atridas videlicet primos, atque cum literis quomodo facibus sublatis signa essent danda, numerandaque multitudo (quia prius nescierant recte turbam numerare, ut pastores oves) tum sapientiores redditi, atque meliores, interfecerunt eum.

Quod

Quod si vero (dicebat) rhetores putatis idoneos esse ad consulendum, & ex illorum arte viros bonos fieri: demiror quod non & judicia super omnibus rebus, illi permiseritis, sed vobis ipsis: & qui non justissimos optimosq; esse crediderit is, & pecunias illis permiseritis dispensare publicas. Simile enim faceretis, ac si gubernatores, triremiumq; præfectos crearetis, remiges, aut remigum moderatores. Si quis vero ex civilium rerum administratoribus, rhetoribusq; illi diceret quod hac institutione usi Athenienses, Persas cum tot hominū millibus civitati bellum semel atq; iterum inferentes, atq; aliæ Græciæ, & primum quidem copiis & ducibus à rege missis, deinde & ipso Xerxe adveniente cum omni Asianorū militia, eos omnes vicissent, & ubiq; illis facti essent superiores & consiliis & pugna: verum quomodo potuissent superare tantum apparatum, tantamq; multitudinem, nisi virtute fuissent præstantiores? Aut quomodo virtute præcelluissent, nō optima instituti disciplina, sed mala atq; inutili? Huic tali objicienti dicebat, quod neq; illi venissent ulla instituti disciplina, neq; de negotiis consulere scientes: sed sagittare, equitareq; dūtaxat, ac venari illis curæ fuisset, corpusq; nudari turpissimū existimassent, atq; futuere in propatulo: quæ ne ipsis sibi quidem erant profutura. Proinde nullus erat illorum dux, neq; rex: sed multæ hominum myriades erant inerudite & insipientes, infelicesq; omnes. Si quis autem eos fuit rector habens tiarā, seditq; in aureo throno, ab illo omnes tanq; à dæmone pellebātur ad vim inferendā, partim in mare, partim super mōtes: & flagris cæsi, meticulosiq;, & impulsi, & tremētes cogebantur mori. Quemadmodū si duo homines nescientes luctari, luctentur, & alter dejiciat interdū alterum, non per experientiā, sed fortuna quadam, sæpius autem & bis deinceps idem: ita & Athenienſibus cū Persis confligentibus accidisse. nunc n. Athenienses superiores fuisse, nunc Persas: quemadmodum tandē, quando & mœnia civitatis diruerunt, bellum gerentes adjuvatibus Lacedæmoniis. Possesne a. mihi dicere, num quando Athenienses musicā literasq; minus sciverint: deinde rursus duce Conone, quando navali pugna circa Gnidon vicerūt, melius sint luctati, & cecinerunt? Sic igitur demōstrabat, eos nullā utilem disciplinam adeptos. Hoc a. non solum Athenienſibus, sed ferè omnibus hominib. & ante & nunc contigit.

Atqui ineruditū esse, & nihil scire quæ oportet, nec sufficienter ad vitam instructum esse, & vivere, & agere conari tā magna negocia, ne sibi ipsis quidē placere. Indoctos n. & ineruditos ab ipsis vituperari. Esse autem indoctos, non illos qui texere aut calceos consuere ignorent, neq; qui saltare nesciant: sed qui ea ignorent, quæ honestū bonumq; virum scire deceat. Atq; ita adhortabatur, ut diligentiā adhiberent, animumq; illi adverterent, darentq; operam philosophiæ. Noverat n. qui hoc quærerent, nihil aliud quàm philosophiæ operā daturos. Nam quærere & contendere, ut quis fiat honestus & bonus, & nihil aliud esse, quàm studere philosophiæ. Non ille quidē sæpius ita nominabat, sed tantum jubebat quærere ut boni viri fierēt. Cæterum & ego propemodum hęc vilia atq; antiqua apud multos disputabā. & postq; non sinebat, quum Romæ essem, silentium agere, privatū quidem nullum audebam differere sermonē, metuens ne ridiculus stultusq; viderer, utpote multæ mihi simplicitatis insciitiæque cōscius: cogitabā vero, Age, quid si hunc imitatus, aliquos ita referā sermones, aut de his reb. quas ipsi admirantur, & earum nihil sit bonum, deq; deliciis & intemperantia, & eruditione & magna & bona indigeant: forsitan nō me deridebunt hæc dicentem, neq; fatuum nūcupabunt? Sin minus, potero dicere, hosce sermones illius viri esse, quē & Græci admirati sunt omnes ob sapientiā, quin & Apollo judicarit eum esse sapientem: & Archelaus Macedonum rex, qui multa norat, cumq; multis sapientibus habuerat consuetudinē, promissis donis atq; mercedibus eum vocavit, ut tales audiret differentē sermones. Ita tandem & ego tentavi differere apud Romanos, quum me vocassent, jussissentq; dicere, non duobus aut tribus assumptis in palæstra aut deambulationibus (neq; enim erat possibile in illa civitate, ita eos convenire) sed multis & frequentibus in idē loci conveniētibus, quod indigerent meliore diligentioreq; eruditione, si vellēt revera felices fieri, & non multorum opinione hominum tantum.

Quemadmodum si quis eos hūc excursu revocet, doceatq; sic assumens, quod horum nihil bonum, quibus tanto incūbunt studio, quæq; omni promptitudine possident: eximantq; quanto plura possederint, tanto melius beatiusq; victuros. Hoc illis demū contingere posse, si modestiam & fortitudinē justitiamq; meditentur, animisq; ipsis recipiant, harum alicunde reperitis doctoribus, & aliis omnibus neglectis. Nec referre an doctores sint Græci an Romani, an aliquis apud Scythas aut Indos vir sit, qui ea quæ dixi docere possit, sicuti opinor artem sagittandi & equestrem: aut qui, (per Jovem) ut medicus sciens corporis curare morbos, ita idoneus sit animi sanare morbos. Quisquis igitur ab intemperantia avaritiaq;, & similibus ægritudinib. poterit liberare eos qui ab ipsis possidētur, hunc assumentes, abducētesq;, vel sermone persuasum, vel amicitia (pecuniis n. non poterit ejusmodi vir persuaderi, neq; aliis donis) constituentes eum in arcem, legē promulgare debere, ut adolescentes omneis eum adeant, cumq; eo conversentur: & nō minus etiam seniores, donec omnes facti sapientes, & amantes justitiæ, contēptoresq; auri argēti & eboris, & opsoniorū deniq; & unguēti, & veneris, felices revera habitēt, & principes maxime ac primū sui ipsorum, deinde & aliorum hominū. Tunc n. (inquam) vestra civitas erit magna & fortis, & principatū tenebit in veritate, & hæc in præsentia illius magnitudo suspecta sit, & plane periculosa. Quanto n. (inquam) pluris & justitia & fortitudo modestiaq; apud vos æstimata fuerit, tāto minoris erit argentū & aurum, eboreaq; vasa & electrina & crystallina, & Thyos & Hebenus, & muliebrium mundus, atq; variegationes istæ & tinctūræ: & omnia breviter, q̄ nunc sunt in civitate preciosa, adeptuq; difficilia: & pauciorib. his indigebitis. Quū vero ad virtutis perveneritis fastigium, nullo horum indigebitis: verum etiam ædes minores meliores esq; inhabitabitis, & non tantam aletis turbam ociosorum manciporum. & nulli rei utilium. Deniq; quod omnium est incredibilissimū, quanto pietatis erga Deos studiosiores factioresq; facti fueritis, tāto minus apud vos thuris erit, & thymiamatū, ac sertorū. & sacrificabitis pauciores victimas, minoribusq; impēdiis: & omnis multitudo q̄ nunc apud vos alitur, multo erit minor: totaq; civitas quēadmodum navis, relevata sursū emergeret, multoq; erit levior atq; stutior. Hęc ipsa & Sibylla invenietis, & Bacidē vobis divinasse, q̄ q̄dē boni fuci ut fatidici, vatesq;.

Ut a. nunc præsentia sunt disposita opū & multitudinis gratia, quę omnia undiq; in unum hūc accumulata sunt locū, deliciis dominātib. atq; avaritia: simile est Achillis fano, qui rogum Patrocli exornavit multis lignis, multisq; corporibus & vestimentis, præterea & pinguedine & oleo: deinde advocavit ventos libamimb. pollicitisq; sacrificiis, ut venirent, accenderentq; omnia atq; comburerēt. Nam talia non minus naturaliter solent accendere hominū superbiam, libidinēq;. Non tamen dicebā, difficile fore illes erudiri: quando & alia (inq̄) quum nullo meliores essetis antea, quæcunq; voluistis, facile didiceritis: nimirū artē sagittādi, & equitādi, atq; armaturæ. *Orat. 13.*

Aristides Rhetor: Quid quod multo majus est & glorioſius, ejectū redire, q̄ prorsus non ejici? Nam ut hoc etiām cuilibet contingit, ita illud nō erat omniū. atq; ut hoc fortunæ quis potuisset tribuere, ita nisi reliquis p̄stantior habitus fuisset, illud ei nō contigisset. Ut n. quis ejiciatur ac exulet, invidia facit, vel aliud simile: ut ante tēpus revocetur, nihil p̄ter virtutē efficit, propter q̄ illum & absentem sunt reveriti, & ut adesset, è re sua fore existimarunt: quodq; est omnium maximum, seipsos potius, quam illum, condemnare maluerunt.

Arrianus: Ito in exilium. quo? potestné quisquam exulare extra mundum? non potest: quocunq; abiero, ibi erit sol, ibi luna, ibi stellę, somnia, auguria, colloquia cum Deo. *Capite 22. libro 3 Epicteti.*

Arrianus: Cùm Gyaris fueris noli cōminisci Romanam rationē, & q̄ multæ voluptates illic degēti fuerint: quantæ esse possint reverso. Sed illic ita attentus atq; affectus esto, ut eum decet qui in Gyaris vivit. Gyaris fortiter vivendū est. Romæ cum fueris, noli tibi fingere vitæ rationē Athenienſem, sed id commentare, quomodo Romæ sis mansurus. Deinde loco delectationū illarum omniū hanc substitue, q̄ intelligis te obtēperare Deo: te nō verbo, sed re ipsa boni & sapientis viri officio fungi. Quāti n. est, posse tibi ipsi dicere: Nunc cū cæteri in scholis magnifice loquātur, & admirabilia quędā dicere videātur, ea ego nunc re ipsa præsto: atq; illi sedentes meas virtutes explicāt, & de me disputāt, & me celebrāt: harumq; rerū Jupiter illū à me petere probationem voluit, atq; etiā ipse cognoscere, an legitimū habeat militē? an bonum civem? meq; cæteris hominib. exemplū proponere rerum externarū. Non videtis vos sine causa timere? frustra desiderare ea quæ desideratis? Bona foris nō quærite, sed quærite in vobis ipsis. Alioqui nō invenietis. His de causis me nūc huc ducit, nūc aliò mittit, pauperē ostēdit hominib. sine imperio, ægrotantē, in Gyara mittit, in carcerē conjicit. Non ex odio absit. Quis n. ministrum suum optimū oderit? neq; ex negligentia, quippe qui ne minutissima quidē negligat: sed exercendi mei causa, & per me testificandi cæteris. Ad hoc ministerium destinatus, ut mandata atque edicta illius obirem. *Circa extremum cap. 24. libro 3 Epicteti.*

Libanius. Amplum sane quæstū contempsi, eiq; utilitatem publicā anteposui: atq; unicā salutis viam animadverti, ut nullus civium extra civitatē esset: neq; i qui propter calumniam exulabant, incrementum hostib. magnū accedere sinerentur. *Mox*: Quando a. suis urbs plena fuit; populus videns exules, odii oblivisebatur, ac cives ipsos vocabat. reduces pugnā videre futurā optabant, id operā dantes, ut pro beneficii remuneratione aliacrē ac propensam voluntatē cōferrēt. Cum a. occasio se obtulisset, & hostes in nos iterū incursus facerēt, & majorē nobis dolorem inferre, q̄ acceperant speraret, primi extra portas, primi ex generosis civibus egressi, in aciei frontem constiterunt. eosdē vero solos mei imitatores vides, his mādata dedi, cum his certamen inivi, cum his vici. *Declamat 32.*

Libanius: An ignoras multis exiliū periēpe morte molestius existimari? Nā qui cōdem natus morte subiit; sæpe in terra sua cōditur: si cui vero infelicior est illo, qui in solo suo occubuit. adeo ut parum absit, quin occultē etiā nos cōmendes per ea quib. lædere cōtendis: vis probē tibi quantam postule calamitatem? Primū quidem à sacris & genere, propinquis sejungor? & patriā hanc, & sepulcra majorū & monumēta linquo, & gloriam parentū, & narrationes historicas. nō amplius patrios Deos, sed genios peregrinos & errātes adorabo. Quoties putas me ingemere patriæ desiderio correptū? quoties lamōtari genus inquirendo & cognatos & propinquos? num levior est infamia, vagus error? num hæc tibi benigniora videntur, quàm mors? *Declamatoone trigesima.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Et quod ad animum quidem illius pertinet, satis vobis est, ut existimo probatus: quod quamquam damnatus, quanquam in exilium actus, Reipublicæ tamen non potuit irasci. *Declamatione 254.*

Quintilianus Senior: Cum affectari tyrannidem putaret exul, non dissimulavit: non cum ipse patriam perdidisset invidit; non ultionem putavit, sed venit in civitatem, & susceptit gravissimum laborem, & novas inimicitias, & recentem æmulationem. *Declamatione 254. a. f.*

Quintilianus Senior: Incredibile est, quanto difficilius finibus careant, qui exilium non meruerunt. Amplectebantur miseri pio furto extremum patriæ solum, non mehercule scio, an alicujus insidiis perducti, an aliqua humanitatis facie impulsi &c. *Declamatione 305. a m.*

Quintilianus Senior: Exulem intra fines deprehendisti? occide si potes: sed occide tua manu, sume carnificis animum. Sequetur quādoque te ista conscientia: & quanquam impunitus sanguis, manebit tamen usque ad animum. Quæ sunt istæ deliciæ, ut tu velis inimicos tuos imprudentibus manibus occidere? Exulem intra fines liceat occidere. Si deprehensos detinuisses, injustum supplicium esset. nemo inter pœnas exulis constituit mortis expectationem. Istud quod nutum tum diutius vident, quod arrogantiam ferunt, injustum supplicium est. Non licet tibi gladium supra cervices diu tenere: non licet jugulo necem admovere lentè. Tu eos detineas intra fines, quibus venire non licuit? Occide, vel statim: vel, si differre potes, miserere. *Declamat. 305. med.*

¶ Poetarum.

In Tiberium Cæsarem.

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam;
Et Marium, si vis aspice, sed reducem.
Nec non Antonij civilia bella moventis,
Nec semel infectas aspice cade manus:
Et dic, Roma periit. regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

L. Annæus Seneca.

Corsica, Phocæo tellus habitata colono:
Corsica, quæ Graio nomine Cyrnus eras;
Parce relegato, hoc est jam parce sepulto:
Vivorum cineri sit tua terra levis.

L. Annæus Seneca.

Occisi jugulum quisquis scrutaris amici
Tu, miserum nec dum me satis esse putas:
Defer confossum. Victori vulnus iniquo
Mortiferum impressit mortuus sæpe manus.

Ejusdem querela.

Quisquis es, (& nomen dicam? dolor omnia cogit?)
Qui nostrum cinerem nunc, animæ premis.
Et non contentus tantis subitisque ruinis,
Stringis in exstinctum tela cruenta caput:
Crede mihi vires aliquas Natura sepulcris
Attribuit: tumulos vindicat umbra suos.
Ipsos crede Deos hoc nunc tibi dicere, Livor:
Hoc tibi nunc manes dicere crede meos;
Res est sacra miser, noli mea tangere fata.
Sacrilegas justu abstinuere manus.

Incertus Poëta.

Adspice quem valido subnixum gloria regno,
Altius & cæli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem:
Hic reges Asia fregerat & populos.
Hic gravi servitium jam jam tibi Roma ferebat;
Cetera namque viri cuspide conciderant:
Cùm subitò in medio rerum certamine præceps
Corruit, è patria pulsus in exilium.
Tale Dea numen: tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

Prudentius contra Marcionitas.

Num latet aut dubium est, animas de semine Jacob
Exilium gentile pati, quas Persica regno
Captivas retinent, atq; in sua fædera cogunt?
Illic natali desuescunt vivere ritu
Moribus & patrijs exuta, in barbara jura
Degenerant, linguamque novam, vestemque sequuntur,
Deque profano discunt sordescere cultu,
Nutricemque abolent petulanti è pectore Sion.
Iam patriæ meminisse piget, iam mystica frangunt
Organa, & externi laudant anathemata regni.

¶ Apologi.

De Viro divite illiterato, & inope docto. Fab. 145.

Vir quidam dives, sed illiteratus, virum doctum, sed inopem deridebat, quod ipse sua industria multas divitias congregasset, quum ille, qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: nil mirum, quum tu opibus coacervandis, ego vero doctrinæ comparandæ, quæ longè divitiis præstat, incubuerim. Hæc inter divitem & literatum orta contentio, utrum doctrina, an gaza præstantior esset: componi non poterat, quum uterque multos fautores haberet, sed plures dives. Tandem hoc pacto compertum est doctrinam gaza præstantiorem esse. Discordiis civilibus ambo solum mutare compulsi, cum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent in aliam urbem se contulerunt: ubi vir literatus, magna ad docendum mercede conductus, in magno precio & honore habebatur. Qui vero dives fuerat, panem ostiatim petere coactus inopia, confessus est, se sua opione deceptum.

Fab. indicat, fortuna bona quoniā huc & illuc transeūt, ab animi bonis, quæ propria & perpetua sunt, lōgè superari. Laur. Abstem.

¶ Emblematis.

Ad Sebam. Circulus cum centro, & duplici hinc inde diametro.

Cernis ut hac medium cingat teres undique punctum
Linea, & hinc spatio distet & inde pari?
Scilicet illa refert quod nos tegit undique cælum,
Tellurem hoc punctum quod tenet ima notat.
Cur igitur doleas? quorsum dic, quæso, labores,
Tu, patria pepulit quem pietatis amor?
Cælum si versus tendis, quocunque recedas,
Hinc spatio cælum cernis & inde pari.

¶ Apothegmat. Sacrorum.

D. Cyprianus: Quum Paternus Proconsul eum in Christianæ religionis professione perseverantem sententia exilii à pio animi proposito vellet avertere, respondit Cyprianus, Non erit exul qui Deū in mente habebit: quoniam Domini est terra & plenitudo ejus. *Paulus Diaconus in Vita D. Cypriani.*

Pontius Diaconus: Viderit, inquit, Seculum, cui inter pœnas exilium computatur. Illis patria nimis cara, & totus affectus est in parentes: nos & parentes ipsos, si contra Dominum suaserint, abhorremus. Illis extra civitatem suam vivere gravis pœna est. Christiano, totus hic mundus una domus est. Unde licet in abditum & abstructū locum fuerit relegatus, admixtus Dei sui rebus, exilium non potest computare. Adde, quod Deo integrè serviens, etiam propria in civitate peregrinus est. Dum enim se carnalibus desideriis continentia Sancti spiritus abstinet, conversationem prioris hominis exponens, etiam inter cives suos aut prope dixerim inter parentes ipsos, vitæ terrestris alienus est. Accedit, quod si hæc & talia pœnæ possent videri, in hujusmodi tamen causis atq; sententiis, quas ob approbandæ virtutis experimenta perpetimur, nō est pœna, quia gloria est. Sed esto sanè nobis pœna exilium. Illis ultimum crimen, & pessimū nefas etiā ipsorum conscientia testis adscribat, qui possunt innocentibus irrogare quod putant pœnam. *In Vita D. Cypriani.*

Vid apoph. de Constantia, de Cruce, de Persecutionibus.

¶ Monosticha Trochaica.

Corpore exul patria exit, animo in patria manet.
Dandus usus illi vitæ, vita cui conceditur.
Excipe exules benignè sortis utpote hospites.
Exilia uno alios tenent loco, alios sacerdotia.
Exilium esse ibi putandum est, ubi virtuti deest locus.
Exilium facile toleratur delicata in insula.
Exilium nullum grave est, in quo tutum cum virtutibus.
Exul equus esse quærat qui in patria potest mori?
Exul est fides volucris sorte cum volubili.
Exul est, ignominiose qui patria pulsus suæ est.
Exul est miser tamen, illi quam vis adfluant opes.
Exul omnibus diffidit, abhorret ab omnibus Timon.
Exulem esse, triste cuivis sed magis tamen seni.
Exules fuere, belli pacisque ornatissimi.
Ferre suas secum virtutes licitum est exsulantibus.
Fervidam mentem rege exul: miseriam lenit quies.
Gloriosius est redire, quam non ejici, exuli.
Multi rem suam bene gessere & publicam patria procul.
Non eliminatur exul animo sicut corpore.
Non potest unquam exulare is, mundus est cui urbis loca.
Oculus videre avitas optat extorris domos.
Qualis est fortuna, talis exuli quoque est fides.
Quis queat dici exul, orbis ipse cui patria est loco?
Quem semel Virtus relegat, exulat perenniter.
Regibus regum tuenda maxime exulum est fides.
Sacrosancto inest asylo mancipatus insula.
Sit licet dives profecto exul est miserrimus.
Tristiora sunt cum scelere regna exilijs omnibus.
Vt lux nonque aperta cunctis, sic terra omnis fortibus.

¶ Jambica.

An exulat qui ultro minatur Regibus?
Animos minue exul: tempora aptari decet.
Clarissimi quique ultro patria exsulant.
Crudelis est, nocere velle jam exuli.
E patria ejectis, libertas patria est.
Exulibus igni aquaque interdici potest?
Haud exuli datur exilium quod imperas.
Heu quanta ubique exilij est infelicitas!
Hinc ob vagari & inde quid virum exsulem?
Ibi te putato natum quo exul mitteris.
Igni atque aqua cui interdicitur, exul est.
Mutant ferè cum fortuna fidem exules.
Mutat solum exul corpore, animo domi manet.
Non exulat, propublica re qui exulat.
Nulla exsilium terra est; est patria altera.
Nulli Deo exulesse cura creditur.
Patria exsuli non interdicitur, at locus.
Privatus urbe Theseus est quam condidit.
Quid exilium est, nisi commutatio loci?
Prævia habendus exul ac frater est bonus.

Secum

Secum sua ferunt virtutes exules.
Spes lenta quamvis semper pascit exules.
Rarus sapiens in patria mortuus sua est.

Existimationis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Nazianzenus: At, inquis, tuarum contumeliarum nos pudet. Me vero vestri, quos ob eam rem pudescat. Nam si hæc justè patimur, nobis potius ipsis, quàm vobis nostra causa, erubescendum est, non quia contemnimur, sed quia contemptu & ignominia dignos nos præbemus: si autem iniquè, crimen eorum est, qui contumeliam inferūt: ac proin de illorum potius, quàm nostri causa indignari & stomachari debetis, quoniam ii sunt, quibus ipsi vitio dant. Quod si me, cum malus essem, optimum virum male agitur. Quod si me, cum malus essem, optimum virum existimares, quid mihi faciendum esset? improbiorne ut essem, quo magis tibi placerem? haudquaquam sanè id mihi consilii dedissem. Eodem modo nec si me, rectè & cum virtute incedentem offendere ac labi putes, à recta vivendi ratione propter te desistam. Nec enim tibi magis, quàm mihi ipsi vivo: atque in omnibus rebus consiliarii loco rationem, Deique justificationes habeo: à quibus plerumque, etiam nullo accusante, convincor; & rursum condemnantibus multis absolvor. Atque hoc unum tribunal nemo effugere potest, interdum nempe atque in nobis situm, quandoquidem solum ob oculos propositum habere debemus, ut rectum vitæ iter teneamus. Quod autem ad hominum de nobis existimationem attinet, ita animo comparati sumus, ut siquidem ea contingat, non illibenter acceptu-ri simus (ut humani etiam aliquid dicam) sin autem in contrarium cadat, valere jubebimus, nec quicquam de rei veritate propter hominum opinionem detrahemus. Quisquis enim rei cujuspiam gratia virtuti studet, is profecto neutiquam firmas in virtute radices egit. Simul enim atque res ea efluxerit, recti quoque studium deponet: quemadmodum qui quæstus causa navigat, nisi lucrū præsto sit, navigare desistet. At qui bonum ipsum propter se colit & amplectitur, quoniam rem fixam & stabilem amat, certam quoque & constantem erga illud animi alacritatem habet: adeo ut divinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis uti possit, Ego idem sum, & non mutor. Quamobrem nec ab animo suo migrabit, nec immutabitur atque aliè defecisset, nec cum temporibus ac rebus collabetur, alias alios mores induens, ac novos subinde colores assumens, non secus ac polypi, petrarum, ad quas accesserint, colores referunt: verum idem semper sibique similis permanebit, fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis & fluctuantibus, nō aliter, opinor, ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur, sed etiam incurrantes undas circa se frangit atque absumit. *Oratione 7.*

Synesius: Neque Asini mihi, neque Muli, aut Equi copia est, omnibus ad pabula dimissis, quibus ad te amicissimum mihi caput posse contendere. Pedibus porro iter facere omnino quidem volebam, ac forsitan istud potera n, sed propinqui committendum istud negarunt, ne iis qui occurrerent risum de nobis præberemus. Hos enim, qualescunque demum sint, usqueadeo sapientes esse putant, tantaq; mentis solertia, ut unusquisq; melius quid me deceat, quàm egenus ipse pervideat. Ita multis nos arbitris devinciunt, qui nos hominum famæ existimationiq; servire compellunt. Pervicere autem non admonendo duntaxat, sed majore quadam adhibita vi: quippe cum ego proficiscerer, permittere noluerunt, sed me pallio retraxerunt. Quid igitur reliquum erit, nisi ut vicaria manu mei hanc ad te epistolam mitterem? Qua tibi salutem impertio: tum illud abs te quæro, quid nam è Ptolemaide allatum sit: recentes nescio quos nūtios intelligo, quos ex Prætorio reportare te verisimile est. Præsertim quid sit illud pervulgatum arcanum ex Occidente. Scis enim mea interesse, ita factum, an secus fuerit. Itaq; si quidem literas ad me perspicua omnia significantes miseris, manebo, sin minus, tu me ipse quoque de cursu reprehendes. *Epistola 109.*

¶ Philosophorvm Græcorvm.

Epictetus: Si quid proficere vis, ne recusa quōminus ob res externas, amens & fatuus habearis. Ne quid scire videri velis. quod si quis aliis esse videaris: ipse tibi diffidito. *Cap. 18. Enchiridij.*

Simplicius: Existimatio de nobis, non sita est in nobis, quamvis occasiones quasdam ei præbeamus ipsi, sed in iis qui de nobis existimant. Penes eos enim est, existimare quicquid velint. Itaque sæpe cum numen impie violent: & sibi ipsi & aliis religiosi videntur. Contraque alii, qui honestius & magnificentius de numine sentiunt, & humana quædam & imperfecta de eo pronūciari recusant, à nonnullis impii existimantur, & frugi homines quidam bardos existimant. Ita nec gloria nostri arbitrii est, sed illorum quibus hoc aut illo modo sentire de nobis libuit. *Ad caput 2. Epicteti.*

Simplicius: Multi rebus externis studemus, non modo proventus ergo rerum externarum, sed & ob vitandam apud alios ignaviæ & amentiæ opinionem. At quæ ista ratio est, permanere amantem, ne ab amentibus amens judiceris? *Ad cap. 1. Epict.*

Simplicius: Epictetus inquit, Ne videri velis scire; non, Nihil videaris scire. nam existimatio de nobis, non est nostra, nec in potestate nostra sita: velle autem, nostrum est opus. Quoniam igitur saepe aliquibus aliquid videmur etiam inviti, subjicit; Tibi ipse diffide. id enim adjumento est, ne quis populari se censuræ ubi vitat a cave contentus, discendo exercendoque se, longius non progrediatur. Sibi autem non multum placere, nec magnificè de sese sentire, ad eos qui erudiuntur, pertinere constat. nam ei qui scientiæ compos, de seipso tutò & vere judicare potest, non opus est sibi ipsi diffidere. *Ad cap. 19. Epict.*

Apollonius Decimo: Quod si duplex de me fama jactatur, & in posterum permanebit, quid verò id mirum? Necesse est enim, ut de omni qui vivit in oculis hominum & in excellentiore, fastigio dignitatis cujusquemodi videatur, contrarii sermones exeāt, atq; pargantur. Sic accepimus de Pythagora, de Orpheo, de Platone, de Socrate, non solùm dicta, verùm etiam scripta diversa & repugnantia fuisse: quandoquidem ne de Deo quidem eadem, uno ab omnibus ore pronūciatum est. Sed boni & honesti, veritatem in oratione probant, propterea, quod aliquid cognationis & affinitatis habent, mali vero & improbi contrarium. Atque ho genus hominum rideri rectè potest, nempe pravorum. Tantum in præsenti tempore iustum esse putavi de memetipso tibi in mentem redigere, quoniam de me tanquam divino viro deorum etiam extat testimonium. non modò privatim apud quosdam: verūm etiam publicè coram omnibus promulgatum dictum. Odiosum est igitur plura majoráve de memetipso commemorare. *Epist 56.*

Videantur plura titulo *Decori, Fama, Opinionis, Censura, Sententia.*

Exitus.

¶ Monosticha Trochaica.

Actionum prava recta eventus unus judicat.
Cogitata prospidenter exitu Dei beat.
Cuncta agit voluntas: nil est æstimandum ab exitu.
Exitum raro beatum ingens facit potentia.
Exitum ac sors futuri cæca nubit temporis.
Exitus felix honestos & conatus excipit.
Exitus malis bonorum sunt malis mali, haud boni.
Exitus reis si desit, ad Deos recurritur.
Ex voluntate, haud eventu res sit aut mala aut bona.
Inchoata cum ratione sunt boni quoque exitus.
Nil bonum malumve eventus, meum bonum aut malum facit.
Non statum à primo patescunt exitus exordio.
Nusquam minus respondent eventus quam in bellicis.
Principio mala inchoata, & exitus tristes habent.
Propositum eventus malignum sæpe sortitur bonos.
Sæpe principio exitus sinistro felix venit.
Sæpe quem virtus nequit dare, exitum, vafrus dedit.

¶ Jambica.

Bone vir, non usque sunt boni exitus.
Bonum aut malum consilium eventus efficit.
Eventa rerum hominibus incertissima.
Eventus in re qualibet sit maximus.
Exordium spectares non exitum.
Nimia exitu infelice confidentia est.
Prudentia paucos plures eventus docet.
Rerum omnium est qualem Deus vult, exitus.
Vita bonus bona esse suevit exitus.

Exorcismi.

¶ Sententiæ Patrvm.

Chrysostomus: Si hoc carmen, id est nomen Domini, cum fide cantaveris; & morbos & dæmones fugabis. & si morbum non propulsaris, non id fit propter imbecillitatem, sed eo quod expediat. *Tome Homilia 9. ad Colos.*

Prudentius Martyrio Hemitelii &c.

Cerne quam palam feroces hic domentur Dæmones.
Qui lupino capta ritu devorant præcordia.
Strangulant mentes & ipsas secum miscent sensibus.
Tunc suo jam plenus hoste sistitur furens homo.
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor adsit, ejulatus flebiles.
Scinditur per flagra corpus, nec sit gelidum cernitur,
Crescit & suspensus ipse vinculis latentibus.
Hic modis spurcum lavacrum Martyrum virtus quærit.
Hæc coercet, torquet, urit, hæc catenas incutit,
Prædo vexatus relictis se medullis exuit,
Linquit illas, sam rapinam faucibus siccis fugit,
Unguе ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,
Confitens ardere sese, namgehenna est incola.

Videantur plura titulo *Diaboli, Dæmonis, &c.*

Expectationis.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Io. Chrysostomus: Piscatores, cum sæpe jecerint, nihil sunt assecuti. cùm postea autem jecissent, totum acceperunt. Ita nos quoq; expectamus, quod totum simul repente nobis ostendetis fructum maturum. Nam agricola postquam seminaverit, primum diem & secundum præstolatur, & longo tempore expectat: & repente videt undiq; fructus simul germinantes: hoc in nobis quoque futurum expectemus. *Hom. 10. ad Hebraos.*

Arrianus. Quorum expectatio timetur, horum præsentia dolet. *Circa medium cap. 26 lib 3 Epicteti.*

¶ ROMANORUM.

C. Tacitus: Expectatio publica impatiens est magni secreti. *Libro 1. Historiarum capite 17.*

Nazarius Constantino Aug. Fruimur quidem nos præsentium maxima voluptate, sed lenocinatur his jam futuri ratio, & quę temporibus separata sunt, animorum præsumptione junguntur. quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam vicenalia, & venturi ndem superiorũ felicitate sancimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent: sed in destinatis decenniis jam vota properantia, & spes volucres constiterunt. horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni seriem. Ita omnia quæ ex Principibus nostris prosperè veniunt, continuatos fructus ferunt, nec magis recepta delectant quàm expectata juverunt. *Capite secundo.*

Symmachus: Dilatione expectatio nutritur. *Lib. 1. Epist. 1.*

¶ POETARVM.

Plautus Sticho 5. sc. 1. v. 1.

More hoc fit atque stultè, mea sententia,
Si quem hominem expectant, eum solent provisere:
Qui hercle illa caussa nihilo citius venit.
Idem ego nunc facio, qui provisso Sagarinum,
Qui nihilo citius venit tamen hac gratia.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Est voluptuosa suavis vel rei expectatio.
Et voluptuosa rerum jucundarum mansio est.
Exspectatio futuri temporis longissimum est.
Exspectatio futuri, temporum longissimum est.
Expectatione futuri perdimus præsentia.
Impedimentum vivendi maximum expectatio.
Muneris vix ulla longum fertur expectatio.
Multo gravius exspectare pœnam pœna quàm pati.
Olim exspectata septem veniunt Saturnalia.
Parvulum differt patiaris, an exspectes tristia.
Præter exspectationem quidque gravius accidit.
Quæ non exspectaveramus accidunt molestius.
Qui semper fortunam exspectant facile eam quæ sustinent.
Tam miser est qui extrema quæq; exspectat ac qui sustinet.

¶ JAMBICA.

Cum sis homo, expectes vel absurdissima.
Cuncta accidunt leviora, ea exspectantibus.
Dilatione augetur expectatio.
Dilatione pascitur expectatio.
Dilationis nutrix expectatio est.
Minus nocet malum quod exspectaveras.
Odio beneficium est, expectatum quod diu est.
Pejus malo, mali omnis expectatio est.
Præsens bonum non sentit, qui exspectat malum.
Quidquid diu exspectatum est, levius accidit.
Quisquis meretur, semper exspectat malum.
Semper bonis onerosa est expectatio.
Plus adgravant mala quæ non exspectaveras.

Experientiæ.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Io. Chrysostomus: Quoniam multi homines existiment experientiam esse omnibus fideliorem ad cognitionem, vult Paulus ostendere, quod qui est passus, novit quid patiatur humana natura. *Homilia 5. Epist. ad Hebraos.*

Xenophon: Munus tamen unum abs te accipiens, discedã, pro quo mihi donato ne quidẽ ea, quæ Babylone sunt, tametsi plurima, nec quæ sunt uspiam, lubentius habiturus sim, ac discessurus. Et Gobryas miratus, quid tandem illud esset, ac suspicatus, an filiam diceret, interrogavit: Quid istud est, mi Cyre? Tum respondens Cyrus: Multos arbitror esse homines, ait, mi Gobrya, qui nec impii, nec injusti esse velint, ac sponte sua ne quidem mentiantur aut fallant. Sed quia nemo potestati eorum permittere voluerit, nec pecuniæ vim magnã, nec regnum, nec castella munita, nec amabiles liberos: eo fit, ut prius moriantur, quam quales sint, cognosci possit. Tu vero, quum mihi jam mœnia munita, & omnis generis opes, & copias tuas, & filiam dignam sane, quam sibi quis adquirat, in manus tradideris: fecisti sane, ut apud omnes homines constet, eum me esse, qui nec in hospites impius esse velim, nec pecuniæ cau a injustus, nec in præstãdis pactis, quod me quidem volente sit, fallax. Igitur hujus ego tibi, sat scio, donec vir justus ero, & ob existimationem ejusmodi laudem mortalium promerebor, nunquam oblivisc ar: sed omnibus te rebus honestis, ac bonis vicissim ornare conabor. *Cap. 10. lib. 5. Cyropædia.*

Isocrates: Quidquid earum rerum, quæ regum cognitione digna sunt, certò nosse voles, ad id experientiam & doctrinam adhibeto. Nam ut doctrina viam tibi ostendet, sic rerum gerendarum exercitatione id consequeris, ut res dextrè administres. *Orat. ad Nicoclem.*

¶ ROMANORUM.

C. Tacitus: Multa experiundo fiunt, quæ segnibus ardua videantur. *Libro 15. Annalium capite 59.*

Apuleius Minus hercule calles, pravissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu nova, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitatio is ardua videantur, quæ si paullo accuratius exploraveris, non modo compertu evidentia, verum etiam factu facilia senties. *Libro primo Metamorphos.*

Plinius Iunior: Mauricus multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præteritis providere. *Fine epist. 5. lib. 1.*

Quintilianus: Nec solum hæc ipse debebit docere præceptor, sed frequenter interrogare, & judicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur perfluent aures, sin ulq; ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipsi & intelligant. Sicut de re militari, quanquam sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire quo Ducum quinq; ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter aut contra. Nam in omnibus ferè minus valent præcepta quàm experimenta. *Lib. 2. Institut. Orat. cap 5.*

¶ POETARUM.

Terentius Adelph. 3. sc. 1.

Iam nunc timeat quasi nunquam affueris, nunquam tute pepereris.

E Florilegio.

Nemo quid bene administrat qui nihil scit, aut facit.
Plurimum præcepta possunt: cuncta at usus perficit.
Experire: multa fient, segnibus per ardua.

¶ EMBLEMAT.

Catsius Emblemate ethico 4.

Ab ignotis abstinendum.

Dum ludit tremulis novas flamma per aera gyris,
Et nunquam viso plebs rudis igne stupet;
Pan furit, & flammæ miser inflammatus amore
Oscula festinans, non tenenda, dedit.
Pulchra licet tibi res videatur & utilis, hospes,
Cura sit ignaras abstinuisse manus.
Discat inexpertis sapiens diffidere rebus:
Insidiis nova sæpe fides amica fuit.

¶ APOLOGI.

Aphthonius: Propter æstum ad aquam ibat cervus, ubi eum venisset, dum adstaret aquæ, in ea se vidit. & cornuum quidem nexum miratus, accusavit pedum infirmitatem. dumq; utrinq; naturã laudaret partim, partim vituperaret, venatores supervenere. at ille accusatis quidem aufugit cruribus, laudatis vero capitur cornibus.

Fabula Cervi, admonens ut differatur judicium de aliqua re, prius quam eius factum sit periculum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Experientia magistra qui sapit pol desipit.
Multa fiunt experiundo quæ sunt segnibus ardua.
Nil magis fere docet, aliena quam experientia.
Omnibus potiorem verbis habeas experientiam.
Omnium artium per orbem mater experientia est.
Te de alijs, quam doctos de te ipso alios fieri, suavius.
Verba quem non corrigunt ejus, experimenta corrigant.

¶ JAMBICA.

Magis timemus cuncta ante experientiam.
Minus valet præceptum quam experientia.
Nunquam una nautam fecit navigatio.
Prudentiores reddit experientia.
Sapientius nihil ipsa est experientia.
Sophistica omni potior experientia est.
Rerum magistra præsens experientia est.
Vecordium magistra est experientia.

Explo-

Exploratoris.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Chrysostomus: Exploratores ob nihil aliud ingrediuntur, nisi ut cognitis rebus adversariorum, ipsi facillimum sibi aditum parent ad expugnandum capiendumq; *cap. 2. ad Gal.*

Phalaris Leontinis: Leonidam, quem res meas exploratum, misistis, captum cum occidere possem, vivum servavi, non quidem id in vestram gratiam: sed ne mihi quærendum sit, quis vobis omnem apparatum belli contra vos suscepti significet & denunciet. Mihi enim fideliter sine quæstionibus de vestrarum rerum statu indicavit, omnium rerum penuria vos laborare, fame tamen & metu exceptis. Hæc enim affatim vobis suppetere. *Epist.* 53.

Xenophon: Dabat enim operam Cyrus, ut caperentur aliqui, de quibus nonnihil exquirere posset, atq; etiam mittebat exploratores servorum specie, quasi si transfugæ essent. *cap.* 11. *fine, lib.* 6. *Cyropædiæ.*

Onosander: Si forte exploratores cõprehensi sint, de illis Imp. varie censeat. Etenim si exercitus sui vires hostiũ copiis longè inferiores arbitretur, illicò jubeat speculatores interfici: si verò multo integróq; apparatu consistat in armis, suæq; copiæ bonis validisque, & ad omnia paratis militum corporibus, aut ducibus usu & experientia præstantibus probè instructæ sint, tunc minimè peccaverit, si speculatoribus exercitum ostentet, eosq; dimittat incolumes. Hostes enim si res adversariorum superiores esse resciverint, formidant: contra verò, si inferiores, confidunt, majoresque sumunt animos. *cap.* 9. *Strategici.*

Heliodorus: Bagoas non procul à Syene, in Æthiopicas insidias incidit, ii enim missi, ut essent speculatores, & securitatem itineris toti exercitui explorando præstarent, propter noctem & insciti am locorum quasdam vepres prope fluvium subiere, simul & sibi præsidii, & hostibus insidiarum faciendarum caussa. itaque insomnes ad illam vepr um quasi munitionem excubabant circiter equites mille &c. *lib. 8 Æthiopicorum*

Idem: Speculatores & exploratores ad ea quæ fiunt & dicuntur, cognoscenda missi, ut ejusdem linguæ & sermonis peritos, qua indigenæ & hostes utuntur, secum ducant, necessitate sunt edocti. *eod libro.*

Frontinus: Scipio Aphricanus, capta occasione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lælio servorum habitu tribunos & centuriones lectissimos ire jussit, quibus curæ esset perspicere regias vires. hi ut liberius castrorum positionem scrutarentur, equum de industria dimissum, tanquam fugientem persectati, maximam partem munimentorum circuierunt: quæ cum nunciassent, incendio confectum est bellum.

Q. Fabius Maximus bello Hetrusco, cum adhuc incognitæ forent Romanis ducibus sagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium Cæsonem, peritum linguæ Hetruscæ, jussit Hetrusco habitu penetrare Ciminiam silvam, ante militi nostro intentatam: quod is adeo prudenter atq; industriè fecit, ut transgressus silvam, Umbros Camertes cum animadvertisset, non alieno nomini Romano, ad societatem compulerit.

Carthaginenses cum animadvertissent Alexandri ita magnas opes, ut Aphricæ quoq; immineret, unum ex civibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, jusserunt simulato exilio ire ad regem, omniq; studio in amicitiam ejus pervenire, qua is potitus, consilia ejus nota civibus suis faciebat.

Iidem Carthaginenses miserunt, qui perspeciem legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperentq; consilia nostrorum.

M. Cato in Hispania, quia ad hostium consilia alia via pervenire non poterat, jussit trecentos milites simul impetum facere in stationem hostium, raptumque unum ex his in castra perferre incolumem: tortus ille, omnia suorum arcana confessus est.

C. Marius cos. bello Cymbrico & Teutonico, ad excutiendam Gallorum & Lygurum fidem, literas eis misit, quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præsignatæ erant, ante tempus certũ aperirentur, easdem postea ante præstitutum diem repetiit, & quia resignatas repererat, intellexit hostilia agitari.

Est etiam aliud explorandi genus, quo ipsi duces nullo extrinsecus adjutorio, per se provident. Sicut Æmilius Paulus cos. bellò Hetrusco apud oppidum Coloniam demissurus exercitum in planiciem, contemplatus procul avium multitudinem citatiore volatu è silva conjurre isse, intellexit illic aliquid insidiarum latere, quod & turbatæ aves, & simul plures evolaverant. Præmissis igitur exploratoribus, comperit decem millia Bojorum, excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eaq; alio, quam expectabatur latere missis legionibus, circumfudit.

Similiter Th. amenus Horestis filius, cum audisset jugum ab hostibus natura munitum teneri, præmisit sciscitaturos, quid rei foret, ac referentibus eis, non esse verum, quod opinaretur, ingressus iter, ut vidit ex suspecto jugo magnam vim avium simul evolasse, neq; omnino residere, arbitratus est latere illic agmen hostium: itaque circumducto exercitu elusit insidiatores.

Hasdrubal frater Annibalis, tunc Livii & Neronis exercitum (quanquam hoc illi non duplicatis castris dissimularent) intellexit, quod ab itinere strigosiores notabat equos, & coloratoria hominum, ut ex via, corpora. *lib. 1. Strateg. cap. 2.*

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius 12. Centur. 2.

Nil inexplorato. Monoceros cornu immittens aquæ.

Te quoq; serpentum sibilant mala secta ferarum,
Explora & cautus tetra venena fuge.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Cæcus est surdusq; miles exploratoris carens.
Copias tuas perdere hostis? fac speculatores tuos.
Egreditur cadit que, adventum non explorans hostium.
Explorator æque amandus est duci quam exercitus
Optime portus aditusq; explores per commercia.
Sæpe qui calo putatur est tribunus hostium.
Sæpe qui diversa explorat ne quidem sua ecculit.
Sæpe sub mendico Vlysses explorator delitet.
Sit celer speculator, at nec deditus pecuniæ,
Speculatori deprehenso quid nisi præcidas manus?

¶ IAMBICA.

Persæpe sub calone tribunus latet.
Sæpe explorator sub legato delitet.
Speculator, oculus auris que est exercitus.

Exprobrationis.

¶ SENTENTIÆ GRAECORUM.

Chrysostomus: At non insultantes nactus est, atque exprobrantes; quod quidem omnium maxime nos pungere consuevit, magisq; adeo, quam calamitates ipsæ. Etenim si ubi in malis adsunt, qui nos consolentur, ac dolorem leniant, bonasque nobis spes injiciant, tamen adeo frangimur, atq; animum despondemus, cogita quantum illud fuerit, exprobrantes habere. Si illud, quod propheta cõquerebatur, sustinuit, qui simul cõtristaretur, & nõ fuit: & qui consolarctur, & non inveni, grave atq; intolerabile erat, quantum tandem mali erit pro consolantibus incidere in exprobrãtes? Consolatores, inquit, malorum omnes. *Homilia 8. ad Philippens.*

Libanius: Neque urbis malorum amplius meminisse constitueram, neq; iis qui beneficium acceperant, exprobrare gratiam, cum parvi id esse animi & imperiti inepuiq; putarem, nisi delatio hujus ad id me cogeret. &c. *Declamat.* 32.

¶ ROMANORUM.

Ennodius: Exprobratio ista si per se respicitur aspera est: si origo ejus inquiritur, omni dulcedinis melle condita. Graviter fert circa caritatem negligentiam, qui parentis silentium liber accusat. *lib. 2. Epist.* 15 *a. f.*

C. Tacitus: Augustus paucis ante annis dum Tiberio tribunitiam potestatem rursum à Patribus postularet, quanquam honora oratione, quædam de habitu cultuq; & institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret. *lib.* 1. *Annal. cap.* 10.

Idem: L. Vetus exprobrare videbatur vivendo interfectum esse generum suum: ideoque invisus Imper. Neroni. *lib. 16. Annalium cap.* 10.

¶ POETARUM.

Plautus Amphitr. Prologo.

Sed mos illic numquam fuit patri meo.
Vt exprobraret quod bonis faceret bene.
Gratum arbitratur esse id à bonis sibi,
Meritoq; bonis bona se facere quæ facit.

Plautus Mostellar. 1. sc. 3. v. 142.

Triginta minas pro capite tuo dedi. P. Cur exprobras?
PH. Egone id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quidquam argenti locavi jam diu usquam æque bene.

Terentius Andriæ 1. sc. 1.

—— *Gaudeo*
Si quid tibi feci, aut facio quod placeat Simo, &
Id gratum fuisse adversum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc molestum est: nam ist hæc commemoratio
Quasi exprobratio immemoris beneficij.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

Ludovicus XI Gall Rex: Veluti in quibusdam carpendi reprehendendiq;, ita in aliis mira exprobrandi venustas. quæ sane, si in ullo alio, certè in LUDOVICO XI. emicuit. Intellexerat namq; is Nicolaum Paulinum Burgundiæ Cancellarium, suis opibus hospitale exteris recipiendis erexisse, & dotasse. Fuerat autem ille jejunus admodum in exigendis multis, & (ut vulgò fertur) ad rem familiarem attentus. Quod festivè notans LUDOVICUS: *Hoc, inquiebat, rationi consentaneum, ut qui plures pauperes effecerit, tandem*

tandem illis excipiendæ hospitale instituat. Taxabat simul Judicum in multando rigorem, in pauperum vero causis ignaviam & teporem. *Orozetus.*

Brisæus Præses: Priorem Ludovicus, hic artem arte deludens, ipsum Ludovicum aggressus. Iverat ad venationem exiguo vectus equo, & Præside suo BRISÆO comitatus: cumq; esset proprii & consilii, & cerebri, neque facilè consiliariorum decretis auscultaret, oportunè rogabat BRISÆUS: Unde sereniss. Rex tam robustum nactus est equum? cui Rex: Quomodo hæc tibi in mentem veniunt, cum sit adeò pusillus? *Quæ te,* respondit ille, *& consilium tuum fert. Gaguinus, in vita Ludovici XI.*

Petrus Nanus: Nomine pusillus, magnus ingenio ille PETRUS. Erat apud Canem Scaligerum cum Vguccio, perditis jam Luca & Pisis Italiæ urbibus: cumq; illis esset conviva, & de Edonibus mentio incideret; Ugucciis illato sermone, se juvenem quaternos altiles capos, perdices totidem, & plura ejus generis, unicâ cœnâ absumere solitum narravit. At PETRUS dictum excipiens: *Non est,* inquit, *quod hoc à te juvene comesta admiremur: cum jam maturus, nec planè dentibus instructus, duas urbes uno prandio absumpserit.* Fama quippe erat, Uguccium, si se ab inchoato prandio temperasset, satis temporis habiturum fuisse ad sedanda nascentis tumultus initia, & utramque urbem salvandam. *P. Iovius lib. 1. Elog.*

Anonymus: Audiamus quid etiam ille. Vidit matronam quampiam cultu fastuque tumescentem, ac veste indutam, in quam bonam fundi & agrorum partem absumpserat. cumq; illa conqueretur, quod nimio indumentorum pondere gravaretur: *Quis miretur,* inquit ille, *cum amplius quam quatuor terræ jugera circumferas. In Epigram. Tho. Mori.*

Amalaberga Francia Reg. Et ne ab hac dicendi venere immunes fœminas arbitremur, AMALABERGAM ad calcem damus: quæ indignè ferens conjugis in bello ignaviam, & iniquam sortem, dum forte illustriores aliquot convivas ille præstolaretur, dimidiam ei trielinii partem apparat. Percontanti marito, & ægriùs ferenti, quidnam id rei esset, respondit: *Qui parte regni exuetur, etiam trielinii parte cedat oportet. P. Æmil.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Barbara est, certè haud humana, sortis insectatio.
Commemorandi quæ meministi nimium, offensas voces.
Exprobrari haud indignandum quæ scelerate fecimus.
Fœdiora quo exprobrantur amanti, acconditur acrius.
Nemo debet exprobrantis quidpiam: solvit sibi
Nemo exprobrantis jam obligatur amplius.
Pauperi dans exprobranti, absinthio vel temperat.
Rarus est sibi exprobrari vera qui fatebitur.
Trux ubi est ingratitudo, trux sibi exprobratio est.

¶ IAMBICA.

Aliquando plena laudis exprobratio est.
Beneficij omnis turpis exprobratio est.
Beneficij nulli gratæ exprobratio est.
Beneficium qui memorat est quasi exprobret.
Etiam exprobramus, excusandi formula.
Humana non est, sortis insectatio.
Mordacior calamitate exprobratio est.
Odiosum hominum genus, officia exprobrantium.
Omnis molesta est qua exprobratur gratia.
Probus improbo, tanquam exprobrator, obviat.
Quis unquam apertè homo exprobravit Principi?
Solvit sibi ipsi debitum exprobratio.
Turpe exprobrari est, quod bonis facias boni.
Virtuti iniquè Fortunam malam exprobres.

Expugnationis.

¶ SENTENTIÆ.

Nosander: Magnoperè quoq; profuerit, hoc etiam uti consilio, nimirum, ut tubicines unà cum militibus qui primi murum inscenderint, aturahantur. Hostili enim tubâ noctu de mœnibus exauditâ, obsessorum animi insanum percelluntur, quasi jam vi penitus expugnata sit civitas: & sæpe portas ac propugnacula deserentes diffugiunt. Unde obsidentibus militibus, qui ad muros extra urbem sunt, facilius est vel portas perfringere, nemine hostium arcente, fieriq; hoc modo potest ut urbs aliqua ab uno & inermi etiamne capiatur.

Idem: Imperator si urbem aliquam florentem, & viris viribusq; pollentem vi ceperit, ac fortè metus aut suspicio sit, ne cives colligantur inde turbis convertant sese, atq; irrumpentibus obsistant, aut eminentiora loca arcéve occupent, atq; illic repugnando molestiam adversariis exhibere possint, per præconem edici jubeat: Non occisum iri inermes. Quisquis enim sibi mortem, ti in hostiũ potestatem veniat, perferendam esse cogitat, aliquid prius tentare constituit, & necem alicui, antequam patiatur, inferre. Et vero cives aliquando effusos jam per urbem hostes exegerunt, aut cum hoc minus perficere potuerunt, in arcem munitissimam sese receperunt, & rursus novos labores & ærumnas iis creaverunt, & alteram denuò ac diuturniorem moliri oppugnationem coegerunt: imo & gravibus plerumq; illatis cladibus valdè luctuosam. At si præco, quemadmodum dictum est, adhibeatur, confestim omnes; aut certe quam plurimi, arma abjicient. Nam etsi unusquisq; cæco impetu ad defensionem consurgere velit, veritus tamen ne alia omnia sentiat socius, arma quoq; deponere cogetur. Ac licet omnes id nunquam facere decreverint, nihilominus, ob suspicionem cujusq; se in armis solum deprehendi metuentis, abjicere singuli festinant. Nempe subita illa tempora, nova consilia detegi non sinunt: quiq; sospites esse cupiunt, quandiu nulla salutis spes commonstratur, etsi non consilio, attamen necessitate, ad vim repellendam adiguntur: simulac verò tantulam salutis spem superesse acceperũt; quibus antea infensissimi hostes erant, iis jam supplices obviam ultrò procedunt. Atq; etiam eadem præconis voce auditâ, qui obstinato animo arma sua nunquam deserere decreverant, in aliam adducuntur quoq; sententiam. Porrò militum in bellò mors insolabiliter lugenda nunquam est: eam quippe victoriæ cupiditas intulit. quæ verò victâ jam & captâ urbe infertur, etiam victoribus ipsis lugenda est: & vecordiam potius quam virtutem testatur. Nam etsi devictorum audaciam ferociamque, quâ olim obsidioni repugnaverunt, oblivioni minimè tradiderit Imperator; non ideo tamẽ victoriæ suæ fraudem fieri putet, si obvii quiq; statim trucidati non sint, cum iis deinde captivis, citra periculum, & in otio, deliberare possit, quam dicere multam debeat. *cap. 42 §. 6. & 7. Strateg.*

Frontinus: Scipio Hannibale in Aphricam reverso, cum plura oppida, quæ ratio illi in potestatem redigenda dabat, firmis præsidiis diversæ partis obtinerentur, subinde aliquam manum submittebat ad infestanda ea, novissime etiam, tanquam direpturus civitates aderat, deinde simulato metu, refugiebat: Hannibal ratus veram esse ejus trepidationem, deductis undique præsidiis, tanquam de summa rerum dimicaturus, insequi cœpit: ita consecutus Scipio, quod petierat, nudatas propugnatoribus urbes, per Masiniſſam & Numidas cepit.

P. Cornelius Scipio intellecta difficultate expugnandi Delminium, quia omnium concursu defendebatur; aggredi alia oppida cœpit, & evocatis ad sua defendenda singulis, vacuatum auxiliis Delminium cepit.

Pyrrhus Epirotarum rex, adversus Illyrios, cũ civitatem, quæ caput gentis erat, redigere in potestatem suam vellet, ejus desperatione cæteras urbes petere cœpit: consecutusq; est, ut hostes fiducia velut satis munitæ urbis ejus ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto ipse rursus revocatis omnibus suis, vacuam eam defensoribus cepit.

Cornelius Ruffinus Cos. cum aliquanto tempore Crotonam oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat assumta in præsidia Lucanorum manus; simulavit se cœpto desistere: captivũ deinde magno præmio solicitatum, misit Crotonam, qui (tanquam ex custodia effugisset) persuasit discessisse Romanos, id verum Crotonenses arbitrati, dimisere auxilia, destitutique propugnatoribus, inopinati & invalidi capti sunt.

Mago dux Carthaginensium, victo Cn. Pisone, & in quadam turre circumsepto, suspicatus ventura ei subsidia, perfugam misit, qui persuaderet appropinquantibus, captum jam Pisonem: qua ratione deterritis eis, reliqua victoriæ consummavit.

Alcibiades in Sicilia, cum Syracusanos capere vellet, ex Catanensibus, apud quos tum exercitum continebat, quendam exploratæ solertiæ submisit Syracusanis: is in publicum consilium introductus, persuasit, infestissimos esse Catanenses Athenienſibus, & si adjuvarentur à Syracusanis, futurum ut opprimerent eos & Alcibiadem: quare adducti Syracusani universis viribus Catanam petituri processerunt, relicta ipsorum urbe: quam à tergo adortus Alcibiades desolatam, ut speraverat, afflixit.

Cleonymus Athenienſis Trœzenios, qui præsidio Craterum tenebant aggressus, tela quædam (in quibus scriptum erat, venisse se ad liberandum eorum rempublicam) intra muros jecit: & eodem tempore captivos quosdam conciliatos sibi remisit, qui Craterum detrectarent. Per hoc consilium seditione intestina apud obsessos conciliata, admoto exercitu potitus est civitate. *lib. 3. cap. 6. Stratagematum.*

Frontinus: Phormion dux Athenienſium, cum depopulatus esset agros Chalcidenſium, legatis eorum de ea re querentibus benignè respondit: & nocte qua dimissurus illos erat finxit literas sibi supervenisse civium suorum, propter quas redeundum haberet, ac paulũ regressus dimisit legatos, his omnia tuta & abisse Phormionem renunciantibus, Chalcidenses spe & oblatæ humanitatis, & abducti exercitu, remissa urbis custodia, cum confestim Phormion revertisset, prohibere inexpectatam vim non potuerunt.

Agesilaus dux Lacedæmoniorum, cum Phocenses obsideret, & intellexisset eos, qui tunc præsidio illis erant, jam gravari belli incommodo, paululum regressus tanquam ad alios actus, liberam occasionem recedendi his dedit: non multò post milite rèducto, destitutos Phocenses superavit.

Alcibiades adversus Bizantios, qui se mœnibus continebant, insidias disposuit, & simulato regressu, incautos eos oppressit.

Viriatus, cum tridui iter discedens confeciſſet, idem illud uno die remensus, securos Segobrienses & sacrificio tum cum maxime occupatos oppressit.

Epaminondas apud Mantineam, cum Lacedæmonios in subsidium

dium hosti venisse animad. erteret, ratus posse Lacedæmonem occupari, si clam illo proscctus esset, nocte crebros ignes fieri jussit, ut specie remanendi occultaret profectionem: sed à transfuga proditus, assecuto exercitu Lacedæmoniorum, itinere quidem, quo Spartam petebat, destitit: idem tamen consilium convertit ad Mantinienses, æquè enim ignibus factis Lacedæmonios, quasi maneret fruſtratus, per quadraginta millia passuum Mantinæam revertitur, eamq; auxilio destitutam occupavit. *lib. 3. cap* 11. *Stratagem.*

Externorum

¶ SENTENTIAE PATRUM. PHILOSOPHORUMQUE GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Admiratione quoq; digni sunt Stoici qui dicunt, animam nihil affici à corpore, neque ad vitium à morbo, neq; ad virtutem à sanitate, sed utraque hæc dicunt esse indifferentia. Quanquam Iob quoq; propter insignem continentiam & fidem eximiam, ut qui pauper quidem ex divite, ex illustri abjectus, ex pulchro deformis, ex sano morbidus factus sit, est nobis præclarum exemplar propositus, pudore afficiens eum qui tentaverat, benedicens ei qui formaverat, secunda ita ferens ut prima, recte docens fortuitis omnibus, eum qui est cognitione præditus recte posse uti.

Epictetus: Lepidi homines sunt, qui rebus nostræ potestati non subjectis gloriantur. Ego te, inquit, sum melior. Agros enim multos habeo, tu vero fame conflictaris. Alius ait: Ego sum consularis, ego procurator: alius, ego sum crispus. Equus vero equo non dicit, ego sum te melior, quia multum pabuli habeo, multum hordei? freni mihi sunt aurei, & varia ephippia: sed quia sum te celerior, atque adeo quovis animal suapte virtute aut vitio, vel melius est, vel pejus. Hominis ergo solius nulla est virtus? sed capilli nobis spectandi sunt.

Arrianus: Numquam alibi officium quæritote, alibi profectum. Ubi ergo est profectus? Si quis vestrum externis rebus relictis, ad institutum suum se convertit, ut illud expoliat & elaboret quo naturæ consentaneum hat, altum, liberum, fidele, verecundum, quod prohiberi, quod impediri nequeat: Si quis didicit, eam qui res alienæ ditionis vel expetat vel aversetur, nec fidum esse posse, nec liberum, sed necessario ipsum quoq; una cum illis mutari ac transferri: necessario aliis se subjicere, qui illa vel præstare vel adimere possunt. Si quis jam mane surgens, lavat ut homo fidelis, ut verecundus, comedit eodem modo: pro materia quæ quovis tempore incidit in præcipuis elaborans, ut cursor, more curionis, & phonascus, more phonasci is est qui ubi ere profecerit, & qui non fruſtra peregrinatus sit, is est. *lib. 1. cap.* 4.

Arrianus: Si bonum hominis & malum in ejus voluntate situm est, cætera vero omnia nihil ad nos pertinent, quid adhuc perturbamur? quid adhuc metuimus? quæ res nobis curæ sunt, eas nemo habet in potestate, quæ in aliorum potestate sunt, eas non curamus. cur adhuc negotium nobis ipsi facessimus? Quæris quousq; serare ista rectũ est, ludum q; non dirimere? quoad is concinne actus fuerit. Saturnalibus rex sortitò factus est, visum enim fecit eum ludere lusum. Imperat? tu bibe, tu misce, tu cane, tu discede, tu adesi obs

Atque apud humanos ingloria vivere malim,
Inter cœlicolas dum sit mihi gloria quædam:
Quam terra imperio fulgens procul arce superna
Excidere, atque Deo per sæcula cuncta carere.

¶ Emblematum.

Æba. Homo, dum per glaciem inambulat, illa dissiliente periens.

Adstricti glaciei nisi qui fluminis audet,
Haud raro glacie dissiliente perit.
Hoc sapite exemplo istius quos commoda vita
Innumeris fallunt lubrica cuncta modis.

Batilius. 9.

Fugacia commoda vitæ.

Ceu piscatoris maculoso lubrica tergo
Anguilla è manibus, vix bene capta, fugit:
Haud secus humana vanescunt commoda vita,
Et nil non nobis eripit hora brevis.

Batilius 60. Emblemate.

Bona fortunæ sapiens in bonis non ponit.

Ad Nicol. Vignierium, Barrosequanensem, Medicum & Historicum Regium.

Cui non hic felix, omnis cui census in ipso est.
Aque illa quas non perdere possit, opes?
Detrahat ut multum cui vel fortuna bonorum,
Cui bona vel restent integra tota tamen?
Qualu, qui patria effugiens incendia, nudus
Dicebat secum se omnia ferre sua?
Nempe ea, quæ intra nos, vere hæc sunt nostra, potensq;
Diva in quæ illa queat juris habere nihil.

Camerarius. 97. Centur. 4.

Bene qui latuit.

Exemplo domiporta tibi sit cochlea, quisquis
Exoptas tuto consenuisse domi.

Camerarius 100. Centuriæ 4.

Fert omnia secum. Cochlea.

O felix secum sua quicunq; omnia portat,
Fortuna vivens liber ab arbitrio.

¶ Monosticha Trochaica.

Cæcus non curat caudam insignem, hostia dum pinguis sies.
Cur vocemus nostra, in horas quæ suos mutant heros.
Fortuita qui erubescit, dignus est quo vivat malo.
Nil pretiosum ducas auferre a te quod potest malus.
Non perfectè id est cujusque ex casu auferri quod potest.
Non potest durare, nobis fortuitò quod venit
Nulla mentis per externa nascitur tranquillitas.
Nulla rebus in externis est animi tranquillitas.
Quæ huc & illuc transferuntur, rebus in bonis neges
Quanti margaritum, tanti si vitrum vilissimum.
Quisq; se effert, efferatq; transitoriis bonis.
Quis sibi fortuitorum spondeat constantiam?
Quod miramur, quod stupemus, dum placet, jam transiit.
Quod tibi eripi potest cave esse dixeris tuum.
Rara rebus permanendi fortuitis est fides.
Sic habeto externa cuncta, posse ut eripi putes
Tam vitiorum quam virtutum externa sunt bona organum.
Virtuti ac vitio administras se externa exhibent bona.
Vix bona in diem sunt quæ plebs admiratur ac colit.

¶ Jambica.

Fortuita non faciunt bonum: ergo haud sunt bona.
Id facile abjicitur quod haret extrinsecus.
Incerta pro certis habes? quid stultius?
Interna Numen non externa respicit.
Nave utrum ferar magnâ an parvâ, unus atque idem ferar.
Ne gloriari libeat alienis bonis.
Nihil colosso demit aut addit basis.
Nihil cothurnus adjuvat nani statum.
Nil nostrum eorum est quæ usa, & usa transeunt.
Umbram relicto ne venare corpore.

Videātur plura titulo *Bonorum, Alieni, Fortuna, Propriū.*

FINIS LIBRI QVINTI.

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER VI.

Fabulæ.

¶ Sententiæ Theologorvm.

Synesius: Osiris jam tum à puero audiendi avidus, fabularumq; studiosus erat: fabula enim puerorum studium atque disciplina est. *Orat. 1. de providentia.*

Chrysologus: Sicut peritus magister ad audiendum rudes, ad intelligendum tardos discipulorum sensus vario genere doctrinæ pulsat, suscitat, accendit ingenium: ita Dominus similitudinibus variis, diversis comparationibus, populorum pigros tardosq; animos ad Evangelicum convocat & invitat auditum. Rogo quid tam commune, quid rusticis sit vernaculum, quid proprium sic peritis, quam propositæ similitudinis forma? quæ de generali usu veniens, omnes & verbo instruit, & convertit exemplo. *Sermone 106.*

Ioh. Sarisberiensis: In his, si quid à fide veri longius abest, mihi veniam deberi confido, qui non omnia quæ heic scribuntur, vera esse promitto: sed sive vera sive falsa sunt, legentium usibus inservire. Neque enim adeo excors sum, ut pro vero adstruam, quia pennatis avibus quondam testudo locuta est, aut quod *rusticus urbanum murem mus paupere tecto* susceperit, & similia: sed quin hæc figmenta nostræ famulentur institutioni, non ambigo. *prologo Policratici.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Dionys. Halicarnassæus: Non eos accuso scriptores, qui incredibilia plane & delira scriptis suis immiscuere: quin iis ipsis potius veniæ multum tribuo, si cum in explicanda nationum & locorum historia versarentur, fabulosa figmenta receperunt, quandoquidem apud omnes homines, tum communiter de locis, tum proprie de urbibus, monumenta quædam servabantur hujusmodi, quas dixi, verum, auditione perceptarum: quas filii à patribus acceptas suis deinde posteris ut traderent, elaborarunt, quod si qui literis eas consignare vellent, ab his ut ita plane exponerentur quo modo de veteribus acceperant, dignum putabant. quapropter illos viros, ut locorum descriptiones fabulosis additamentis variarent, atq; distinguerent, necessitas compulit. *cap. 7. de Thucidide Historiæ judicio.*

Philostratus: Interrogante socios Apollonio, An vobis aliquid sermo fabulosus esse videtur? Est profecto respondit Menippus hunc enim laudant & sequuntur poetæ. Æsopum vero quid esse censetis? Poeram, inquit ille, plane fabulosum. Quasnam vero è fabulis sapientes esse putatis? Certe inquit Menippus, quæ poetarum sunt, quia cum fabulæ non sint, tamen ut factæ decantantur. Æsopi vero, inquit Ap. quales vobis videntur esse fabulæ? Ranæ, inquit Menippus & asini, atq; ejusmodi nugæ, pueris aniculisq; obtrudendæ. Ego vero, inquit Ap. accommodatiores ad sapientiam censeo Æsopi quam cæterorum fabulas. Quæ enim de heroibus conficta sunt, de quibus tota est materia poetarum, audientium aures corrumpunt, illicitos ac nefandos eorum amores referentes, ceu fratrum, vel sororum nuptias, & in Deos calumniam, & filiorum esus, atq; illiberales æstus, & mutuas altercationes. Hæc enim cum veluti gesta proferantur à poetis, homines ad amorem & zelotypiam inducunt, divitiarumq; ac regni cupidinem, ad quæ fabulæ incitant. Æsopus autem sapientiæ causa primò quidem talia dicentes non est secutus, sed viam quandam propriam adinvenit. Deinde, tanquam si qui vilioribus cibis pulcrè convivas excipiunt, ex rebus parvis magna quædam intelligi facit, & fabuloso sermone proposito, ex ipso quid agendum sit, aut non agendum, ostendit. Quapropter veritatem magis etiam quam cæteri poetarum videtur attingere. Illi nam-

que

quę quasi per vim probare nituntur vera esse quæ à se dicantur: iste verò sermonem proponens, quem ita ut est, fabulosum esse quisq; novit, aliquid verè dictum de rebus non veris esse demonstrat. Præterea poetæ cum suam narraverint fabulam auditoribus, vera necne sit inquirendum relinquunt. Is verò sermonem falsum quidem referens, & morum præcepta ex eo trahens, alicujus utilitatis caussa loquendi falsitate sensum esse demonstrat. Illud insuper in Æsopo est, quod res orationis expertes loquentes inducit, & quæ serio ab homine agenda sunt operantes, quibus homines à pueritia assueti, atq; ab incunabulis ipsis enutriti, opiniones aliquas jam inde ab initio de singulis animalibus concipiunt, ut sint eorum quasi quædam regalia, quædam stolida, quædam versuta, quædam simplicia. *lib 5. cap. 5.*

Iulianus Imp. in Mesop. Solet senectus etiam tristiores rursus ad juvenile audiendi studium revocare: quam ob causam usu venire arbitror, ut juvenes ac senes æquè fabulis audiendis delectentur.

Iulianus Imp. Vis ut tibi oblectamenti loco fabulam recenseam nonnihil fortasse auditu & cognitione dignum habiturum? An. Næ tu fidenter dixeris, etenim fabulas non minimi facio, neq; prorsus rejiciendas puto, quæ ad rectam vivendi rationem ducunt. Atque ego hâc in re tecum ac cum Platone tuo, vel potius nostro, sentio; à quo multa seria & gravia fabulis sunt pertractata. *initio Cæsarum.*

¶ Poetarum.

Phœdrus lib. 2. præfatione.

Exemplis continetur Æsopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatq; sese diligens industria.
Quicumq; fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & servet propositum suum.
Re commendatur, non auctoris nomine.

Phœdrus lib. 3. præfat.

Nunc fabulorum cur sit inventum genus
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis eluśit jocis.

¶ Monosticha Troghaica.

Absq; magno nulla magna fabula est proœmio.
Aure clausa Sirenarum transeundæ fabulæ.
Exhilares animos legentum fabulis, non instruas.
Fabula ætati tenellæ delicatum ferculum est.
Fabulæ novellæ arrectus omne vidit proœmium.
Fabulæ sunt, corrigatur error ut mortalium.
Gratior cibo est tenellis fabulæ festivitas.
Mentibus damus soporem, dum polimus fabulas.
Quando non pueri audiere fervidâ aure fabulam?
Tam senectus quam juventa delectatur fabulis.

¶ Jambica.

Est præ cibo tenellæ ætati fabula
Et fabula magnæ magnum est proœmium.
Haud fabulis impletur esuriens lupus.
Insomniis præstant remedium fabulæ.
Sedare fletum infantium fas fabulis.
Sermo latet sacer sub formâ fabulæ.
Vinum vetus lauda, novasq; fabulas.

Facetè Dictorum.

¶ Apophtheg. Christianor.

S. Martinus: Si omnia illa persequi voluerimus quę in hunc locũ adduci possent, cũ de ratione Apophthegmatis sit, habere conjunctã faceto acumini gravitatẽ, vererer quod manus scribentẽ deficeret, & solus hic titulus operoso volumini materiem submi-nistraret. Ne tamen hic etiam nostris partibus deesse videamur, è multis pauca libavimus, huic loco propria. Viderat fortè B. Martinus ovem jam recens tonsam, &, *Evangelicum*, inquit, *mandatum ista complevit: duas habuit tunicas, & unam largita est non habenti.* & ad discipulos conversus: *Ita & vos facere oportet. Sulpit. in ejus vita, Dial. 2. cap. 12.*

Idem: Subulcum in veste pellicea conspicatus, *En*, inquit, *Adam ejectus de Paradiso in veste pellicea sues pascit: sed nos, illo vetere deposito, novum Adam potius induamus. Ibid.*

Marcus Episcopus Arethusæ: Quin & in re seria jocati aliquando plures. Marcus quidem Arethusæ Episcopus innumeris cruciatibus ab infidelium turba affectus, & in sublime ferventissimo æstu levatus, ut apum vesparumque configeretur aculeis, in tortores jocatus: *Abjecti vos*, inquit, *qui humi repitis: erectus verò ego, & excelso loco collocatus.* Verè excelsus, quem victrix tolerantia fecerat omni humana crudelitate superiorem *Theod. lib. 3. hist. Eccl. c. 16.*

Ephraim Syrus. Bellè etiam iste. Transegerat jejunio plures dies, cibumque à ministro deferri sibi mandat. at is ollam confringit, & obsonio pavimentum persudit, quem pudore pariter ac timore correptum conspiciens: *Bono animo*, ait, *fili: quandoquidem enim obsonium ad nos venire renuit, age, nos ad illud accedamus.* & ad ollæ fragmenta considens, comedit. *Nicephor. Call. lib. 9. c. 16.*

Nicolaus V. Pont. Rom. Intellexerat hic quosdam in Urbe, qui bonos doctosque versus concinnarent: &, *Bonos*, ajebat, *esse nego. cur enim ad me illi non deferuntur, qui etiam malus pateo?* Molestè ferebat homo sapiens, esse in sua Urbe viros doctos, & à se ignorari. *Hermol. Barbarus, in Præfat. Castigationum suarum in Plinium.*

Ludovicus Crassus F. R. Fastidio ejusmodi narrationum. Quis enim modus, si omnia enumerayero? tamen ut ad politicum latus me conferam, pauca ex illo depromam, & quidem in Francia, vide conferam, pauca ex illo depromam, & quidem in Francia, vide-o Ludovicum Crassum. Hic in prœlio contra Andeo Ludovicum Crassum. Hic in prœlio contra Andeo Ludovicum Crassum. Hic in prœlio contra Andeo

les facetias, etiam rebus graviſſimis inſparſit. *Th. Staplet. cap. 13. Vit. ejuſd.*

[*Nicolaus Florent.* Intuebatur ille equitem plurimis aureorum torquium circa collum ſpiris incedentem, & egregiè ludens, *Hem!* iquit, *cæteri ſtulti unica vinctâ catena tenentur: at hujus tanta eſt inſania, ut plurib⁹ vix queat coerceri. Poggius in Facetiis.*

Anonymus coquus: Hic item cum præ ſenio Mediolanenſium Principi amplius deſervire vix poſſet, unicum ab eo in gratiam omnium meritorum poſtulavit ſibi præſtari, quo rogante, Quidnam illud? *Vt aſinus etiam fiam*, reſpondit, ac ſtultæ petitionis cauſam ſciſcitanti Principi, *Quia*, ajebat, *video eos quos extuliſti adeò ambitione & ſuperbia inflatos ut jam penè in aſinos tranſierint. Ibid.*

Anonymus Mercator: Mare inſuetum peragrabat, & fortè præ nimia agitatione ſtomachum evacuare compellebatur. cui ex adſtantibus alius: *Verè tu gratus es & beneficij memor quod piſces, qui te toties pauere, repaſcas. Th. Morus in Epigram.*

Convîva Anonymus: Ejuſdem lopôris etiam iſtud. Ad convivium vocatus inurbanus quidā, poculum ab altero accepturus, vidit in eo muſcas demerſas. quas dum collegiſſet, hauſto poculo, rurſus eas injecit, mirantur convivæ, & cur id agat inquirunt. ad quos ille: *Ego quidem muſcas numquam ſumo: ſed neſcio, num quis veſtrum eas pro delicijs habeat.* Brevi Epigrammate id complexus eſt *Thomas Morus*:

Muſcas è cratere tulit convîva, priuſquam
Ipſe bibit: reddit rurſus ut ipſe bibat.
Addit & cauſam, Muſcas ego non amo, dixit,
Sed tamen è vobis neſcio num quis amet.

Faciei.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Nos externam quidem ſpeciem, ac veluti picturam, parum admodum curamus: in interno autem homine, multo plus operæ ſtudiiq; ponimus: idq; potiſſimum ſtudemus, ut ſpectatorem ad ea quæ animo cernuntur, retrahamus, qua etiam ratione vulgus magis erudimus. *Orat. 3. ſtelsteutica prima in Iulianum.*

Philoſtratus: Qui apud Indos ad examinandos juvenes eliguntur, multa ex eorum aſpectu conjiciunt. oculi namq; mores hominum pleroſq; indicant; multa etiam in ſuperciliis geniſque poſita ſunt, ex quibus ſapientes & naturæ periti homines imagines velut in ſpeculo aſpicientes, quæ mens illis, quodq; ſit ingenium contemplantur. *lib. 2. Apollonij cap. 12. fine.*

¶ POETARUM.

Ariſtophanes Pluto v. 960.

—— *Hunc ubi viderit balneator*
Hominem, ſtatim intelliget, ipſum eſſe malæ notæ.

Plautus Trinummo 4. ſc. 2. v. 19.

Quam magis ſpecto, minus placet mihi hominis facies.

Terentius Andriæ 5. ſc. 2.

Neſcio quid ſenex modo venit: illum! confidens & catus,
Cum faciem videas, videtur eſſe quanti⁹vis precij:
Triſtis ſeveritas ineſt in vultu, atq; in verbis fides.

Terentius Eunuchi 5. ſc. 1.

Vide amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur. Th. non PY. tum qua ejus confidentia eſt.

Terentius Heautontim 5. ſc. 1.

—— *Vultus quoq; hominum fingit ſcelus.*

Videantur plura titulo *Aſpectus, Oris, Vultus, Hominis, Formæ, Pulcritudinis, Animi, Corporis.*

Factionis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Factio eſt inimica regno: factio omnibus nocet.
Factio ſolum illa honeſta, cedere nemini in bono.
Mutatio quæ amore certat factio optatiſſima eſt.
Paucos patriâ lex pellit, factio quam plurimos.
Quod bonis amicitia eſt, inter malos eſt factio.
Religio lar vatanil eſt, peſtilens quam factio.

¶ JAMBICA.

Bonorum amicitia eſt, malorum factio eſt.
Eſt certa peſtis publica rei factio.
Gaudet dolore factionis factio.
Opulento famam facilè occultat factio.
Periculoſa publico omnis factio.

Facundiæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

A *Riſtides*: Quod ſi etiam cum alia facultate vel arte aliqua ſe junxerit facundia, vix dici poſſit, quantum eluceat. Ut ſi medicus, verbi gratia, Rhetoricam aſſumat, ita demū ipſius gratiam intelliget. Si enim ad alia, quæ per artem novit, perſuaſionis accedat facultas, nihil vetabit, quo minus peritus Rhetoricam multa ſanet, antequam Medicinæ adhibeat inſtrumēta, ſapientiſſimo, ut vocavit quidam, uſus pharmaco. Jam cum arte imperatoris conjuncta multa ejus obire ſolet officia: id quod Homerus etiā ubiq; teſtatur: (Sic fatus, cujuſq; animū vireſq; citavit) & (Sic ait: aſt illi in Græcos magis inde ruebant. &, Mox illis belli conflictus dulcior ipſo In patriam reditu viſus fuit eſſe per altum) ac talia ſemper orationibus ſubjicit. Apertiſſime autem & quaſi cum præcone illud confirmat, cum facit Agamemnonem, poſtquam ſcutis & galeis haſtiſq; acies horrentes præbuiſſet Ajax uterque, omnibus pares animos optare: (Omnia nunc animus pervadat pectora telis:) eo autem, qui optima dederat exercitui conſilia, Neſtore, decem ſimul non pejores cōſultores. (Tales enim, ait, tota decem mihi Græcia conſultores Reddat: confeſtim Priameia tecta domorum A noſtris manibus capta & vaſtata peribunt) tātum præferens arti militari Rhetoricā, quantum decem viri à decies decem hominum millibus numero ſuperātur: nec immerito. Etenim nō longe ſum ſerat fidem: verum ſi Græcos, qui tum ad abitum ſpectabant, & navium fulera jam ſubruebāt, ac mare magna voce clamabāt, oratores iſti duo non cohibuiſſent: quid nam percepiſſent ex aciebus, clypeis, haſtis, navib. turba, opibus ac ſupellectile tota commodi? Quinimo ut ad milites habent ſe lixæ, ita tum revera apparatus omnis ad eam, quæ his omnib. præficitur, Rhetoricam habere ſe viſus eſt. Jam gubernator ſi hujus facultatis partem ſit aliquam nactus, ut & metum poſſit & audaciam, cum tempus requirit, incutere, quantum in officio ſuo præſtabit? Itaque tum privatim, tum ubiq; eſt admiranda Rhetorica, ac tormenti tātum adfert, ad quoſcumq; acceſſerit. Equidem & hoc auſim dicere, ſi pulchritudo cum Rhetorica conjungatur, hujus fore victoriam, nec illorum quemquam viſum libētius quam auditum iri, quod ipſum Homerus quoq; teſtari videtur. (Non ita tum formam demirabamur Ulyſſis,) inquit, ut ſententiarum ac verborum denſitatem, & eloquentiæ ſplendorem: quam quidem portenti loco habet, & in iis, quæ modo citavimus: (Namq; alius forma non præſtat corporis æque, Sed ſpeciem vernante Deus ſermone coronat:) non fruſtra dicens (coronat) verum indicans, eam non defectus modo ſupplere, ſed inſuper victoriam parere, quando quidē hujus eſt ſignum corona. Quocirca cum deformem eloquentem pulcherrimo præfert non eloquenti, cum, qui ſimul & orator ſit & pulcher, merito dixerit ob eloquentiam majori fore admirationi. Pindarus autem eouſq; proceſſit, ut ipſos q; Deos dixerit in Jovis nuptiis, quærente Jove, ſi quid poſtularent, Deos quoſdam ſibi fieri petiiſſe, qui magna opera iſta, totumq; ejus apparatū oratione ac Muſica exornaret. Atq; hæc non poetæ tantum, ſed etiā omne profitetur hominum genus. Alia etenim vel delectationē plerumq;, vel uſum habent: iſtud ſolū utrumq; continet, & cum uſu gratiā habet admirabile. Quapropter & in bellis legatos ab hoſtibus venientes excipimus & remittimus, oratorū genus reverentes, ac ſermonis naturā excipientes, quippe qui ab initio ad ſalutem & cōmunem generis uſum ſit introductus. Et bellica quidem virtus paci inutilis, dicendi vero facultas in bellis non cōtemnitur: verum & civib. eſt utilis, & hoſtibus veneranda, & arma ſæpe armorum tempore cōponit. Mercurium quoq;, hujus artis ducem atque præſide, videntur hac de cauſa poetæ ſolum communi deorum appellare nomine. Nam cum cunctos cōmuniter bonorum datores vocet, huic tamē proprie id nominis ſoli tribuunt. Innocuum quoq; & Utilem egregie appellant, quod mali quidem nihil ejus donū, bona autē omnia conciliet hominibus, in bello, in pace, in mari, in terra, in moleſtiis, in gaudiis, ubique. Quid quod exiſtimo deos quoq; ſi Platoni credimus, qui ab hominibus ad Deos, & rurſus à Diis ad homines nuncios deferant? Itaq; non inepte vinculum Univerſi dixerit quis eſſe eloquentiā. Hoc quoq; de hac facultate dici poteſt maximum, nihil eodem modo ſimul & cum multis eſſe commune, & multorum naturā vireſq; ſuperare: cumq; ſemper, ut ita dicam, inter homines verſetur, difficillime, quod perfectum ſit, inveniri. Sicut enim leones & alię precioſiores animantes natura ſunt rariores, ſic inter homines quoq; nihil eſt oratore vero rarius: ac vix unus & alter inſtar avis Indicæ per Ægyptiacas Solis converſiones naſcitur. *Oratione 1. Platonica.*

Ariſtides Rhetor: At non eſſe inhoneſtā nec ignominioſam, neq; adeo accuſatione vel venia, ſed aliquo majore præmio dignā ipſam dicendi vim, ſi demonſtrare vellem, puderet me Deorū eloquetium, hoc ſaltē dicam (quod ſi quis moleſte fert alius, in me totum avertat neq; ego de fortuna conquerar) vim dicendi cum proba & honeſta vitæ, quam decies millies Dariū Hyſtaſpis filiū fieri, & ejus reſpectu jam omnia mihi videri ſordere. *Orat. 2. Plat. pro Quatuor Viris.*

Cl. Mamertinus: O facundia potens Græcia, omnium tuorum Principum geſta in majus extollere ſola potuiſti, ſola factorum glorias ad verborum copiam tetendiſti, tu navem unam propter aurati velleris furtum, & virginis raptum in cœlum uſq; ſublatum ſiderib.

conſe-

consecrasti, tu puerum inventorem serendi draconum alitum curru volantem semina in terras sparsisse jactasti, &c. *cap.* 8. *Orat. in Iulianum Aug.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 50. Nicobuli ad filium.

Æternam reddunt famam laudemque bonorum.
Sermones literis depicti, itidemque malorum
Dedecere æterno fidissima carmina figunt.
Doctrina est soli viventi haud indiga vita
Atque alium rursus spiranti magna corona
Floribus haud similis vernis, qui lucis ad ortum
Collecti ante diem marcent pereunt q; cadentem
Molibus est ingens animi doctrina medela.
Hac irarum æstus reprimo, qui turbida nubes
Sunt animi, urgentes hac luctus sedo, modumque
Lætitiæ impono, sic scilicet ut neque dura
Me nimis excrucient, nimium nec prospera tollant.
Verum utrique ab utroq; petam medicamina certa
Spem duris adhibens, rebus, lætisque timorem.
Doctrina & lingua ducit facundia reges
Et populos trahit, inque foris epulisq; triumphat.
Prælia compescit rixasque animumque ferocem
Mitigat & verbis emollit stridula blandis
Non secus ac ferrum mollit Vulcanius ignis.
Orphica testudo quid erat nisi sermo disertus
Qui simul & recti utique trahebat amantes.
Quid lyra qua quondam durissima saxa movebat
Amphion, hoc est obdura & saxea corda.
Quidnam illud medicamen erat quo ductor Vlyssi
Mercurius dedit ad Circes cum tecta veniret
Vt socius & ferret opem, qui membra suilla
Induerant, nec porcinis se pasceret escis.
Quid nisi sermo fuit Thonis quod miscuit uxor
Argiva q; Helenæ dono dedit hospita pulchrum
Quot luctus iraque graves tollebat, & omnes
Illico mœstitiæ memori de mente fugabat.
Ac sæpe & miseram stragem sedaq; procellas
Æquoris effugiens placido bene numine quisquam
Has unus servavit opes, quibus amplius ipse
Lætatur qui multa ob commoda gestiat alter.
Quin etiam venerandum hominem facundia reddit,
Id liquido nobis monstrat Laertia proles.
Namq; ille aquoreis vix tandem emersus ab undis.
Nudus, inops rerum, contusus membra, vagusque,
Supplicibus verbis movit variisque puellam
Alcinoo genitore satam, plebiq; patrique
Illa virum ostendit, qui quamvis naufragus esset
Atq; hospes, splendore tamen super extitit omnes
Vincitur eloquio livor quoque, lumine sæva
In multos homines jaciens. nam livor iniquus
Non summa virtute viris indicere bellum
Novit, at his demum, nova quos inopinaq; rerum
Prosperitas tumidos reddit, nimiumque superbos.

Ennodius Epigram. 16.

Eloquium certus natura constituit index,
Perfecti fontem quarere qui sitiat,
Libertas semper studiis reseratur honestis,
Infabricata latet nobilitas studiis.
Captivum cenis servasset terra metallum,
Ni daret inventor quod vocat in medium.
Scrutator fulvum concessit pallidus aurum,
Qui polit, ingenium sic facit esse suum.

Videantur plura titulo *Eloquentiæ, Oratoris, Sermonis.*

Falsitatis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Consilia alia falsitatis, alia sunt negotia.
Ex bonis falsis postremo nascitur verum malum
Falsa de se prædicare, ultima est deformitas.
Falsa formido jam ubiq; falsaque admiratio est.
Falsitas affectioq; nunquam eandem habent domum.
Falsitas verumq; semper dissident hostiliter
Multa falsa, subspicose qua tamen quis arguat.
Occulit pietas nefandum: vera fallacos probant.
Principiis profecta a falsis esse vera non queunt.
Semper a vero accersitur falsitati falsitas.
Tolle larvam falsitati, cernis hostem acerrimum.

¶ IAMBICA.

Apud timentes falsa pro veris valent.
Id quod minime est, se fingit esse falsitas.
Permixta falsis vera, locum veri obtinent.
Semper petitur a vero falsis veritas.
Vultu favoris usque fallit falsitas.

Famæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Ioh. Chrysostomus*: Qui pro aliquo est passus, non solum illi prodest, sed etiam ipse fit præclarior ac perfectior. *Homil. 4. Epist. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Bona existimatione passim sese diffundente, ac terram & mare perlustrante, melius ac præstantius nihil est: nec Crœsi thesauros quisquam cum ea comparare queat. Ac proinde à Proverbiorum autore dictum est, Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super aurum & argentum gratia bona. Atq; Christus item suos ad hunc modum admonebat, Luceat lux vestra coram hominibus. Quæ quidem verba non eo tendunt, ut ad ambitionem vitam nostram ac studia referamus (absit. hanc enim ubiq; funditus evellit, dum jubet, ut nec precationem, nec eleemosynam provulgemus, verum operam demus, ut ne quid ejus, quod factum fuerit, altera manus resciscat) verum ut nemini justam offensionis ansam porrigamus. Ad hunc enim modum, invitis etiam nobis, actionum nostrarum splendor intuentium oculos perstringet, atque ad divinæ gloriæ prædicationem convertet. Nam quod his verbis istud significetur, hinc constat, quod non dictum sit, Ut vos glorificemini: sed ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *lib. 3. Epist. 142.*

Isidorus Pelusiota: Non parvum, vir optime, verum quantum maximum edi potest, virtutis indicium exhibes, qui bonam potius famam colligere, quam ingentes opes cumulare in animum induxeris. Quamobrem si in hac sententia perstiteris, non defuturi sunt, qui te laudibus vehant, ac prudentiam tuam ad omnes mortales perferant. *lib. 3. Epist. 392.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Fama interfecti Neronis prævenerat, more ingenii humani, cui satis est ubi cupita acceperit, cætera non requirere, sed statim dissipare atque inexploratum in vulgus mittere. *initio cap. 21. lib. 4. excid. Hieros.*

Ioh. Sarisberiensis: Memoria Zaleuci qui sibi oculum unum eruit, ne occæcaretur filius, aliorumq; dicto factove insignium fidelius inhæret mentibus auditorum, quam si nebulonum aluissent exercitum: aut mutatori, à vestium imperitæ multitudinis aspectibus ingessisset. Postremo, vel tenui virtutis indicio, sive in verbo, sive in opere fama protenditur, & virtute relicta, quantuslibet sumptus, non tam gloriam quam ignominiam parit. *lib. 8. Policratici cap. 14.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Phalaris Teucro: Nuptias quidem Philodemi filiæ celebrari cœptum esse, citius quam per literas significaris, audivimus, Fama enim, etiam eos qui maximo studio denunciare aliquid statuunt, prævertit, siquidem velocior ipsis eventibus, etiamsi per dissita admodum loca factum deferat nuncia Dea est. Et nos quidem jure cum ea possumus expostulare, qui sic traducti simus, & cum ob alia injustè in hanc tantæ crudelitatis infamiam delapsi, tum etiam non minimè propter eam ipsam. Fert enim nos, omniumq; mortalium auribus undiq; malos venditat. Et ob hanc aliqui jam quibus neq; de facie neque experientia notus sum, quasi ad perniciem hominum natum aversantur & execrantur. Hæc igitur mea detrimenta damnaq; sunt, neque cujusquam alterius. Illam vero domum in qua primum concubuerunt Leon & Theano, tenere eos, quemadmodum habitant, permitte. Neque Hymenæum ab illis penatibus expellas, ubi cantari cœpit. Dignum enim prædicatione donum hoc iis qui sunt accepturi putavimus. Solent enim connubio juncti plurimum ea loca amare, ubi primum pudicitiam & virginitatem exuerunt. Philodemus vero magis invidia, quam misericordia Syracusiis dignus habeatur. Neque enim in sorte beatitudinis quisquam tam fœlix, quam hic in miseriarum & infortunii, invidentibus putetur. Phalarim verò cuncti odio prosequantur. Non enim deprecor odium, in quo damnum non inest sibique ipsis, quanquam aliqui dissimulent, ejusmodi amicitias consequi optent. *Ep. 135.*

Æschines: De vita hominum & oratione & actionibus, vera quidem & minimè fallax ultrò fama per urbem oberrat, & vulgo actiones nunciat, multa etiam de rebus futuris faticinaturi Atq; id quod dico, adeo est evidens, & non commenticium, ut inventuri sitis nostram civitatem & majores nostros, aram Famæ, ut maximæ Deæ, consecrasse; & Homerum in historia Trojani belli, sæpe dicere, antequam aliquid eveniat quod futurum est: φήμη δὲ εἰς στρατὸν ἦλθε: Fama in castra venit. Euripidem item pronunciare, Deum hanc nō viventes tantum posse ostendere quales sint, sed & defunctos, cum ait: φήμη τὸ δ' εὖ θανόντι μᾶλλον ἢ κακῶς ἐλέγχειν χθόνα: Bonum vel imis tartari recessibus vetat latere fama. Hesiodus autem plane Deam illam esse demonstrat. Et hæc poemata laudari ab iis omnibus qui honestè vixerunt reperietis, omnes enim honoris publici appetentes, gloriam se à bona fama consecuturos arbitrabantur. quorum autem vita turpis est, ii non honorant hanc Deam, ut quam immortalem habituri sint accusatricem. Recordamini ergo

ergo qualem de Timarcho famam audiatis. Nonne ſtatim audito nomine rogatis, Quis Timarchus? num impudicus ille? Jam ſi de re aliqua teſtes produxiſſem, crederetis mihi, at nunc ubi Deam produxero teſtem, non credetis? in quam vel ſolam falſi teſtimonii actio non competit. *Orat. in Timarchum.*

Ariſtides: Etenim nec vulgus eſſe negligendum, nec ejus opinionem contemnendam, cum in eo quoq; quædam inſit ſagacitas quę veritatem contingat, ipſe nos docuit Plato, & Heſiodus multis ante ſæculis in his verſibus quos decantant omnes, cecinit: Nulla perit velox populi quam lingua celebrat Fama ſemel: aliquod nimirum eſt numen & ipſa &c. *Orat. 2. Platonica pro Quatuor Viris.*

Ariſtides: Jam ſi viri fortes naturali quodam inſtinctu bonum nomen expetunt, magnam quis eis meritò dixerit injuriam fieri, ſi poſtquam omnia diſcrimina gloriæ cauſſa ſunt aggreſſi, vel eorum partem ſaltem aliquam, poſt finem verborum & factorũ atq; ipſius vitæ, contrariã ſortiantur opinionẽ. *Orat. 2. Plat. pro Quatuor Viris.*

Procopius Sophiſta: Nunc revera cognovi, non rumorem tantum, ſed etiam rem ipſam attuliſſe famam. Et miror legem Atticam, quæ etiam hanc in diis collocavit. Non enim ſolus Heſiodus illam divinis honoribus celebrat, ſed etiam Athenienſes, cum prælium in Mycalem eodem die decreviſſent, ſtatuerunt niſi famam pro Dea haberent ferri non poſſe. *Epiſt. 52.*

Libanius: Qui ab initio bene audire flocci fecerunt, ſi facile in peſſima præcipites ruerent, veniam fortaſſe aliquam obtinerent. nihil enim admodum contrarium iis quæ olim cenſuerant, perficere videntur, & operum conſenſu magnam vituperii partem effugiunt. At qui præclaro & generoſo principio conſtituto, poſtea ſponte ſua aberrant, ſui accuſatores evadunt, iis quæ bene ſe habere judicaverant ſubadverſantia molientes. *Ulyſſis orat. ad Trajanos.*

Libanius: Convitiis angimur, & honores amamus, & in pericula ſponte incurrimus, & vitam exponimus, omnia deniq; facimus, ad unum illud intuentes, quam de nobis vulgo hominum exiſtimationem exhibeamus. *Achillis orat. ad Ulyſſ.*

Libanius: Calumniatorem me vocat, & vos omnes mecum, imo & ipſam Deam, nam famam Deam eſſe à prudentiſſimo poetarum didicimus: & huic credentes alios meliores, alios pejores ducimus: ac hic quidem traditor, alter ſicarius, alius ſepulchrorum effoſſor, alius alio quodam ſcelere infectus viſus eſt principium ab iis quæ facta ſunt accipere: atque ab hacce diva video urbes maximarum rerum potiri: quæ ne acta quidem in denſiſſimis tenebris, latere ſinit: dum omnia in lucem producit, atque hominibus tradit, & omnia molientes patefacit. Servos & ancillas fortuna mihi non dedit: dum pro more ſuo facit: etenim aliis alia tribuit. Itaque nunc famulos teſtes accerſere non poſſum: ſed enim qui pote, cum nulli mihi ſint? ſed voces veſtras appello, & quæ fando audiviſtis ab hoc patrata eſſe apud uxorem meam infortunatam, & ab iſtius opulentia proſtratam. *Declamat. 33.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ego vero te innocentem puto: ac ſi hoc nõ credis, curavi, ſanavi: alioqui te & hodie occidiſſem. Conſtat tibi innocentia: ſed nunquam poteſt conſtare ſibi fama. Vis ſcire quæ inimici noſtri loquantur? &c. *Declamat. 335. m.*

Quintilianus Senior: Dicat iſte quam multa volet contra famãm, dũm tamen conſtat, nihil aliud eſſe ipſam, quàm ſenſum civitatis? *Declamat. 269.*

Quintilianus: Quis neſciat hanc famæ eſſe naturam, ut ſit primo unius hominis audacia? De nulla re locutus eſt continò populus, nec quidquam adeo ſubitò ſtatimque novum eſt, ut in illo pariter omnium ſermo conſentiat. Quam non poſſit movere civitatem, quem non replere populum, ſi quod omnibus nobis narres in ullo non cœtu loquaris, & de re quam tum maximè fingas, jam dicas eſſe rumorem? *Declam. 11. §. 7.*

Plinius Iunior: Magna Iſæum fama præceſſerat: major inventus eſt. *lib. 2. Epiſt. 2. initio.*

Plinius Iunior: Adnotaſſe videor facta dictaq; virorum fœminarumque illuſtrium, alia clariora eſſe, alia majora, confirmata eſt opinio mea heſterno Fanniæ ſermone: neptis hæc Arriæ illius quæ marito & ſolatium mortis & exemplum fuit. Multa referebat aviæ ſuæ, non minora hoc ſed obſcuriora, quæ tibi exiſtimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt, &c. *lib. 3. Epiſt. 16. princip.*

Plinius Iunior: Summam rerum nuntiat fama, non ordinem. *lib. 4. Epiſt. 11 fine.*

Plinius: Tales nos Cæſar crede qualis fama cujuſq; eſt, huic aures huic oculos intende, ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nulliſque magis quam audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus quam ſingulis creditur, ſinguli enim decipere & decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *cap. 62. fine Panegyrici ad Trajanum.*

Symmachus Celebritati famæ juſta narranti ſtatim creditur. *lib. 1. Epiſt. 33.*

Symmachus: Sed mihi opinionum quæ ſine auctore prodeunt nulla curatio eſt. *lib. 1. Epiſt. 43.*

Symmachus: Fama nihil ignorari de conſpicuis viris patitur. *lib. 1. Epiſt. 96.*

Symmachus: Cedo adverſantium voluntati, & invictiſſimo Principi Theodoſio dignare ſuggerere, non pluris apud me divitias valere quam famam. Bonum de me judicium parentis publici cuivis antepono patrimonio. *lib. 2. Epiſt. 30. f.*

Symmachus: Non puto bonis temporibus eam cauſſæ meæ conditionem futuram quæ ſub tyranno fuit. *lib. 2. Epiſt. 31.*

Symmachus: Ex ipſo Romæ geſta cognoſcetis, licet ſcriptum fama prævenerit: neque enim res magnæ & inſperatæ in ſecreto ſe patiuntur. *lib. 2. Epiſt. 38.*

Symmachus: Vera res eſt, Famam eſſe velocẽ, ſed abſentior Mantuano, qui eam putat in malis debere numerari, nam quid hac præclarius, cum lætis nunciis rigat aures & mentes bonorum? mihi certè oppido grata eſt, &c. *lib. 3. Epiſt. 45.*

Symmachus: Fama optima cuiq; pretioſa eſt. *lib. 3. Ep. 69. f.*

Symmachus: Quiſquis amici famam negligit, fide lubrica eſt, hoc ne vitio mihi jure dicatur, etiam in aliorum injuriis pro tua exiſtimatione ſollicitor. *lib. 5. Epiſt. 54.*

Symmachus: De rebus liquidis atque manifeſtis rectius natura quam fama conſulitur. *lib. 6. Epiſt. 1. pr.*

Symmachus: Prævidi quem metum meæ ægritudinis vobis fama poſſet incutere: quæ cum ſoleat ſupra verum de abſentibus loqui, magnitudinem periculi ne fando quidem videtur æquaſſe. *libr. 6. Epiſt. 16.*

Symmachus: Scribenda non deſunt, ſed horret animus loqui dura memoratu. Videor tamen famam rerum urbanarum nequaquam poſſe cohiberi, quæ, ut fieri amat, in majus præſentia nunciabit. Id ne accidat, breviario addito noſcenda decrevimus. *libr. 6. Epiſt. 65.*

Symmachus: Renum dolore diſcrucior. Sed ne major ad veſtras aures fama perveniat, præſentem ſtatum valetudinis breviter indicavi. *lib. 6 Epiſt. 33.*

Symmachus: Omnia quæ ſine auctore jactantur, incerta ſunt. Sed ego in ſacræ virginis famam nihil patior licere ſermonibus. Quare officio Pontificis, fide Senatoris admoneor proferre comperta. Diceris ante annos legibus definitos Vaſtali ſecreto velle decedere. Nondum credo rumori, ſed aſſertionem tuæ vocis exſpecto, quæ opinionis dubium aut agnoſcat aut reſpuat. *lib. 9. Ep. 99.*

Symmachus: Propoſiti atq; ingenii mei eſt: eorum famam curare quos diligo. Tibi autem plus me favoris impendere hortatur affinitas. *lib. 10. Epiſt. 4.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

—— culpa eſt mea, culpa parentis
Atq; mei, majorq; etiam graviorq; parentũ,
Moribus exuperat quanto me albaque ſenecta,
Quæ perſæpe probos etiam dejecit ad ima.
Vera etenim ut multi norunt, ita magna vicißim
Pars hominum famam ſpectat. quod pectore quaſo
Pende pater, nam te cunctos præcellere laude
Omnibus in rebus cupio.

Ennodius Carmine 8.

Fama refert, veterum quæ neſcit perdere geſta,
Quæ loquitur ſemper quidquid in orbe fuit.

Auſonius Ludo 7. Sapientum.

De more Græco, prodeo in ſcenam Solon,
Septem ſapientum fama cui palmam dedit,
Sed fama non eſt judicij ſeveritas.

Auſonius Epiſt. 9. v. 16.

Enumerabo tamen famam teſteſque ſecutus,
Pro ſtudiis hominum ſemper diverſa probantum.

Plautus Moſtellar. 1. ſc. 3. v. 70.

Vt fama eſt homini, exinde ſolet pecuniam invenire.
Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſatis ero dives.

Plautus Trinummo 3. ſc. 2. v. 7.

Bene cum ſimulas facere mihi te, male facis, male conſulis.
LE. Egone? LE. tuna. LI. quid mali facio? LE. quid ego nolo, id cum facis.
LI. Tua rei bene conſulere cupio. LE. tu mihi es melior quã egomet mihi?
Sat ſapio, ſatis in rem quæ ſint meam, ego conſpicio mihi?
LI. An id eſt ſapere, ut qui beneficium à benevolente repudies?
LE. Nullum beneficium duco eſſe id, quod cui facias, non placet.
Scio ego & ſentio ipſe quid agam, neq; à me officiũ migrat.
Nec tuis depellor dictis quin rumori ſerviam.

Terentius Andriæ 5. ſc. 6.

—— more hominum evenit, ego ut quod ſum nactus mali.
Prius reſciſceres tu, quam ego tibi quod evenit boni.

Martialis lib. 1. Epig. 9.

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam:
Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Martialis 1. Epig. 26.

Ante fores ſtantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ pramia ferre tuæ?
Poſt te victura, per te quoque vivere charta
Incipiant. cineri gloria ſera venit.

Martialis lib. 7. Epig. 5.

Certus abeſt auctor: ſed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi verum dicere fama ſoles.

¶ Emblematum.

Had. Iunius Emblemate 60.

Pennata, pennis fulta, sublimem vehens
Calamum aurea inter astra Fama collocat.
Illustre clarus surgit è scriptis decus,
Feritque perpes vertice alta sidera.

Batillius 49.

Famæ invigilandum.

Æternos ignes arcanâ servat in ade
Casta vigil Vestæ virgo ministra Deæ.
Hoc nihil esse aliud quam sacram intellige famam,
Custodes cui nos invigilare decet.

Batillius 125.

Vivit post funera virtus.

Qualiter Assyriis flagrans in odoribus, avi
Postmodo qua reparet, sæcula finit avis:
Desuper aspectans solatur Phœbus alumnam,
Natales quæ sit morte habitura vices,
Iamq; rogo senium positum est, jam pulchrior illa
Altera, jamque eadem prosilit illa rogo:
Haud aliter plenis jam plenus honoribus annis
Helvetia Phœnix conspicuumque decus
Ipse sua & casias sibi quam substraverat antè
Laudis & impositus cinnama odora super
Zuingerus moriens, idem inde renascitur alter,
Fama illi & vitæ tempora restituit.

Catsius Emblemate nuptiali 28.

Nulla reparabilis.

Non vitium tantum, sed quæ vitiosa videntur,
Hæc quoq; si sapiat, hac quoq; Virgo fuge.
Nec satis esse puta quod sis tibi conscia recti:
Tunc quoq; cum mens est integra, fama perit.
Saucia Nux aliqua si parte putamina perdat,
Postea quidquid agas semper hiatus erit,
Si pereat miseris semel integra fama puellis,
Lædatur de sacer virginitatis honos,
Tu licet inde velis fama sarcire ruinam,
Non iterum venit qui fuit ante decor.
Obducat licet usq; cutem, manet usque cicatrix,
Vtq; tegas semper vulnera vulnus habent.

¶ Apophthegmatis Sacri.

Salomon: Fama bona delectat, inquit Salomon, *Prov. 15. 30. & 22. 1. est bonus odor, Eccl. 7. 3. Sordescit in ore proprio 27. 1. quales simus ostendit, Prov. 27. 21. non convenit malis, Prov. 26. 1. 8. & 28. 4. bonos stultitiæ notam infamat, Eccl. 10. 1.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque famæ detrimento scurra qualibet patrat.
Adversus fortes viros telum fama infirmissimum est.
Æque ad famam ignavia profert homines atq; industria.
A felicitate famam quære, virtus quam negat.
Ante hominem natura tollit, quam fama in cœlum vehat.
Appetentior famæ quoque ipsamet Sapientia est.
Assequi famam magnam ac quietem magnam haud fas simul.
Cuncta sunt incerta, fama quæ sine auctore autumat.
Contemnenda fama nulli scævæ multitudinis.
Decipit multos ubiq; de malis fama haud mala.
Dissimulatione famæ aliquandò famam adaugeas.
Est, iniqui ubi æquitatis consequi famam volunt.
Est ratio quidem pecuniæ habenda, sed famæ magis.
Fama cuinam ea est replere ut Orbis ambitum queat?
Fama delitescit, si non invenit parem suum.
Fama diu incerta fluxam præbet auditis fidem.
Fama hominum tunc etiam vivit, cum esse credas mortua.
Fama major fit, popellum si tacere jusseris.
Fama mendax, veritate prodita, statim interit.
Fama nomen incerti est. ubi certum est, non habet locum.
Fama, non suâ vi nixa, vitrea est, potentiæ.
Fama nuntiat in majus res malas absentium
Fama parva est cogitanti ætatis tatem temporis.
Fama quam populus propagat multus, haud prorsus perit.
Fama quamq; rem sinistram semper in majus refert.
Fama queis honesta, sæpe plurima eis adversitas.
Fama si stet hinc, & inde vita, famam malim.
Fama Regibus vix vivis servit, nedum mortuis.
Fama Regum sempiterna est, sive sit bona aut mala.
Fama sæpe jam futura, tanquam facta publicat.
Fama semper fert id ore in orbe gestum quod fuit.
Fama, speculi more, adæque falsa quam vera adhibet.
Fama discrimen cum ipsius vita æques periculo.
Famæ etiam ratio est habenda, non modo conscientiæ.
Fama rerum sta, vetustas si fidem non invenit.
Fama augeri vis? sermones fac populi coerceas.
Gloriosiora facta fama tradit tardior.
Grande vitæ, famæ at hercle grandius periculum est
Haud silentio tegendus est humi præstans labor.
Improbis nullius assis absque re, fama ac decus.
Induunt oblivionem cuncta vate quæ carent.
Inter adversa esse salva fama virtutis potest.
Literis inane nomen fama signat pauculis.
Longius vox vivit actis famæ sua est parens.
Lubrica fide est amici quisquis famam negligit.
Mors manet jam nos secunda, famam ubi & tempus rapit.
Multa falsa in ore famæ, otio credentium.
Nec sis famæ incuriosus aut eandem vendites.
Negligit virtutem & ipsam, negligens fama bona.
Nemo sit licet, quoq; audit omnibus locis malus.
Ne quidem cum vera dicit fama expers mendacij est.
Ne quidem cum vera dicit fama falsis abstinet.
Nominis terrore sæpe perficis quod prælio.
Nomen avum in omne paucis mens propinat igneæ.
Non minus magnâ ex famâ, eheu, quam malâ periculi est
Non omnes fortuna utuntur atq; famâ prosperâ.
Nullam rem citiorem apud homines esse, quam famam reor.
Nulli plebis negligentia de se existimatio est.
Nuntiare famæ rerum summam amat, non ordinem.
Nunciat rerum ipsa summam fama, non & ordinem.
Nunquam facto unius fama publica corrumpi solet.
Omne bellum profligare sola fama, fortium est.
Omnibus statim esse notus vis? perora Olympicis.
Pervenitur ad Dei arcem per bonam famam ac malam.
Plurimorum dignus ore est, corde qui omnium manet.
Principi vix fama vivo servit, nedum mortuo.
Pulcra multa qui patravit, vivit inter mortuos.
Qui bene audit estque dives, cur velit fieri Deus?
Qui facit bene hunc opus est verba consequi bona.
Quidpium quin subsit nasci fama temere non solet.
Quid velis præter bonam famam atq; conscientiam.
Quisq; dedecus rescisci ultimus domus suæ.
Quo minus ad famam venias sæpe ingenium haud facit.
Respiciunt famam scelesti, conscientiam probi.
Sæpe boni famam malus fert, sæpe fert bonus mali.
Sæpe habet malus boni, atq; vir bonus famam mali.
Sæpe quis bonus vocatur omnibus, qui est re malus.
Semper de virtute illustri sermo duplex spargitur.
Sermones prohibe per urbem, plures esse si cupis.
Sunt ferè majora vero fama tradente omnia.
Si bonam mihi servasso famam, dives ero satis.
Tanto plus famæ mereris quanto occultior metuis.
Testimonij honestamentum præferam omni muneri.
Tu malum meum prius rescisces, quam ego tuum bonum.
Vero semper aliquid addit fama rebus & malis.

¶ Jambica.

An esse fama quid potest velocius?
Attende famæ publicæ, sed non nimis.
Beatus est quem fama circumdat bona.
Consulere famæ plus decet, quam affectibus.
Contemne famam: fama vix vero favet.
Cui fama sordet, illi & virtus sordida est.
Cum justa narrat fama, creditur statim.
Et fama judex Principum liberrima est.
Etiam cupido famæ hominem in scelera abripit.
Et nummis fama quid est in publica.
Et fama veri non mendacis pronuncia est.
Existimari vis bonus? fac sis bonus.
Fama anteit cujus vis cursoris gradus.
Fama magis sapiens vir quam ira consulit.
Fama nihil des, conscientiæ omnia.
Fama petitor nullum habet modum sui.
Fama usque major quam virtutis est sitis
Famam antepone cuilibet pecuniæ.
Famam bonam nullis redimas pecuniis.
Famam bonorum temporum colit probus.
Famam meretur alter, alter ipsam habet.
Famam meretur alter, alter obtinet.
Famam sibi bonus mavult, opes malus.
Forti viro telum Fama infirmissimum est.
Haud semper errat fama, aliquando & elegit.
Haud semper est qui talis, qualis dicitur.
Honesta fama auro gemmisque augustior.
Honesta fama è Musis homini nascitur.
Iactura famæ, heu omnium gravissima est.
Id pene non fit, cognitum quod nemini est.
Ignotus est quis? scito item esse ignobilem.
In majus auget fama quævis omnia.
In majus, ex longinquo quæ vis audias.
Integra turpi fama vita prævalet.
Latere per famam diu nequit scelus.
Majora vero semper fama nunciat.
Mors nuda famæ fortibus spreta est viris.
Mortalium immortalis est infamia.
Nec nascitur temerè fama, aut temerè occidit.

Ne quidem cum vera dicit Fama falsis abstinet.
Nocet reo pro mille fama testibus.
Persæpe famæ etiam viri indulgent probi.
Præstat mori, quam audire in publicum male.
Quæ vox populi est, eadem quoque & vox est Dei.
Quam prona veri fama, tam ficti est tenax.
Quandoque falsa fama pro vera valet.
Qui despicit famam, virtutes despicit.
Quis verba factis à malis speret bona?
Renunciantis fama pendet à fide.
Semper bono Fama opibus est antiquior.
Solet ferè spatio ipso fama glisc ere.
Supra bona omnia ad probos fama est bona.
Tam vera quam falsa in majus fama efferat.
Timenda fama, falsa sit licet, mala.
Tunc fama vera est, cum esse veram nolumus.
Validissima est cœpti fama in recentibus.
Vix fama melior vivis servit Regibus.
Vix fama vivis aqua servit regibus.
Unum hoc stude, probatus ut vivas bonis.

Famis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Fames erat, & quidem post hominum memoriam atrocissima. Languebat civitas, nec ulla ex parte auxilium afferebatur, nec ulla calamitatis medicina. Nam maritimæ quidem urbes ejusmodi rerum penurias facile perferunt, dantes mutuum ea, quibus affluunt, ac vicissim ea, quibus carent, à mari accipientes: at nos, qui procul à mari degimus, nec ex iis, quibus redundamus, utilitatem ullam capimus, nec ea, quibus egemus, ulla arte comparare possumus: ut qui nec, quæ habemus, exportare, nec ea, quibus caremus, importare queamus. Sed in hujusmodi malis nihil gravius atque acerbius, quam crudelitas cupiditasq; inexplebilis eorum, qui frumentum habent. Observant enim temporum difficultates, & famem negotiantur, atq; ex aliorum calamitatibus messem faciunt: nec illud audientes, eum, qui pauperum miseretur, Deo fœnerari: nec rursus illud, Eum, qui frumentum abscondit, plebi execrabilem esse: nec denique quicquam aliud eorum, quæ vel benignitate præditis hominibus pollicetur. Scriptum, vel duris & inhumanis comminatur. Verum ad rem avidiores sunt, quam par sit, malequesibi consulunt, ut aliis sua, ita sibiipsis Dei (cujus ope magis scindigere nesciunt, quam alii ipsorum auxilio egeant) viscera præcludentes. Atque hæc quidem frumenti emptores & caupones faciunt, qui nec erga Deum (cujus beneficio ipsi frumentum habent, cum alii opprimantur) grati animi officio funguntur. *Orat.* 20.

D. Gregorij Nysseni: Quemadmodum qui vinum transcolant, non reprobant id quod in eo utile est propter immistos ei furfures, fœcolo superflua excernentes, puri usum non rejiciunt: ita perspicax & solers in examinando atque discernendo ea, quæ à natura aliena sunt. Verbum, subtilitate speculationis famem quidem, utpote vitæ nostræ conservatricem, non exterminavit: superfluitates verò necessario usui connexas & implicitas transcolavit & abjecit, cum dixit: illum se noviss e panem nutrientem, qui verbo Dei naturæ conciliatus sit. *Orat. 4. de beatit.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Et jam gravis fames sævire, atq; amplius seditio grassari cœperat furore ac vesania, frumentum non reperiebatur, nullus panis in publico usu. Sic ubi esse compertum fuerat, illico domus expugnabatur. Jugulabatur ædium Dominus, aut frumenti conditor, quod occultavisset. Rursus non repertis frugibus, quasi diligentius abscondit æ forent, tormenta exercebantur. Optabant pleriq; mortis compendium, cum eos aut fames afficeret, aut crudelitas excruciaret. Denique qui saniores erant occidere dedignabantur, invidentes beneficium mortis, quibus jam vehementior carnifex fames, miserabili macie viscer ibus exesis nuda ossa tenui cute texerat. Spirabant fœmineæ solo adhuc spiritu, atque ægra trahebant cadavera. Sicubi purgamenta holerum vel casu lapsa, vel quasi arida projecta adspexerant, reliqua invalidi corpore, ore lambebant jacentia humi. Aut sicubi internata parietibus visa fuerat herba, rapientes succo infœlici miseram solantur famem. Qui ditiores erant, mensuram tritici toto censu emebant. Quid enim servarent non profuturum? Qui pauperiores, vel ordei: ita ut nemo vendentem vel ementem videret. Hoc enim omni gravius scelere puniebatur. Neq; vero coquēdi panis usus expectabatur, ne mors prœveniret, aut mora proditorem arcesseret. In occultis abditi, incoctum mandebant triticum, quibus ulla vel exigua frumenti copia erat. Nulla mensa, nullum sedile, nulla lux: ne cuis interveniret, atq; improvisos deprehenderet. Si sonus ullus, abscondebantur cibi, suspectæ solitudines, frequentiæ parricidales, inter suos triste certamen. Omnem enim affectum excludit fames, & maxime verecundiam. Esurientib. enim pudor dispendium vitæ, & detrimentum salutis est. Si quis vir, cui mulier esset, aut filii, aut nepotes aliquid esse haberet, vix satebatur: similiter mulieres. Aut cui mitior animus, ubi apposuisset alimoniam, de manibus ejus extorquebatur. Miserabilis erat cibus, esca lachrymabilis, rapiebant parentibus filii, parentes filiis, & de ipsis faucibus proferebatur. Pleriſq; aliorum vomitus esca fuit. Nec marcentia sumere ullus horror, aut verecundia adimere suis vitæ ultimæ stillicidia. Et hæc tam infelicis speciei calamitatis metus erat, ne deprehenderetur. Clausis itaq; foribus exercebatur, ne quis super veniret, qui de ore alieno cibum quæreret, & canum mores vomitus alienos lingua sua lamberet. Sed ne hoc quidem impune: nam ubicumq; fores obseratæ, suspecta fraus alimenti absconditi. Prosiliebant ministri seditionum, clausa expugnabant, intolerabilia & novæ crudelitatis exigebant supplicia. Nec ab ipsis quidem pudendis corporis abstinebatur. Per ipsa quoque pœna transibat, quod in his gravior sensus pœnarum sit. Multi cum jam percussores irrumpentes viderent, paratos rapiebant cibos, ne vel ipsi defraudarentur supremo viatico, vel certe futuram mortem ulciscerentur: & quo gravior videbatur crudelitas, non esuriebant ipsi, qui rapiebant cibos esurientibus. Rapinis enim sibi aliorum opus coacervarant, & alienis conditis pascebantur: cum ipsi qui congesserant, esurirent, jejunioque contabescerent. Si qua materno affectu percita, miserans vagitus infantiæ, secum ciborum ore proprio vellet infundere, pii operis pœnas luebat, suspensoq; à cervice, vel hærente ad mamillas pignore, simul transfigebantur. Plerique etiam beneficium putantes mori, egrediebantur urbem, ut herbas vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditas ad cibi solamina summinist raret, quos invenientes Romani, necabant. At qui hostem evaserat, in ipso portæ ruebat limite, fame tabidus, & ore invalidus, quem jam & ipsa mandendi officia destituissent. Regressos quoq; excipiebat feralior manus, quę de gremiis miserorum summo quæsita periculo, per acerbissimum extorqueret nefas, nec partem reservaret pro mercede saltem periculi. Moriebātur itaq; majore suorum quam hostium impressione. Ea enim quæ hostis indulserat, civis eripiebat: nec rapuisse tamen istiusmodi cibū proderat, quippe non multo post virenti corpore turgescentibus mediis intimorum dolore viscerum quatiebantur: aut alvo soluti deficiebant exhaustis viribus, ut voti pœniteret, quod ad tempus solatio erat, post supplicio: dein lacertis viridibus, cæterisq; serpentum generibus coctis exuviis, pestem addebant. Nam equorum cadevera si forte reperissent, inter se trahentes, prælio gravi decernebant. *cap* 18. *lib.* 5. *excidij Hierosol.*

Egesippus: Præcisa undiq; spes Judæorum, clausisq; se insuderat fames, atq; in ipsas populi medullas descenderat. Personabant omnia gemitibus deplorantium miserabilis mortis supplicia. Repleta erant universa fœminecū cadaverum: & si paululum expectares, intra momentum deficiebant, quos viventes repereras. Ipsi quoq;, qui adhuc spirabant, macie confecti imaginem mortis gerebāt. Exhausti fame, & tabe lurid, nec oculos quidem faciles attollere: quia nullum vigorem naturalis motus, consumpta jejunio substātia, dabat. Figura sola hominis remanserat, usus interciderat. Simulachra cerneres, officia desiderares. Arida cutis siccis hærebat ossibus. Si levis motus viventē proderet, fœtor redarguebat: exiles artus & color ita niger, ut umbram putares. Nec humandi miseris officia suppeditabant, exhaustis primo omnibus, & cōtinuo morituris. Et si cui vires aliquas recentior cibus dabat, cōgestio cadaverum spem ademerat, impossibilitatem incusserat. Pleriq; etiam cōdendis suorum funeribus immorlebantur, & inexpleta supremi muneris officia, suo quoq; obitu derelinquebant. Ruebant super defunctos, quos susceperant muniendos, ut ipse quoq; oneri accederet, cui levando advenerant, indigens ejus ministerio quod alii deferebat. Nec erat ullus dolori locus in cōmuni omnium calamitate, nisi quod autores tantæ miseriæ superviverent, nec tempus querelæ liberis quidē jam vocibus, si loqui possent. Quid enim sibi jam morientes timerent, sed tamen mutis jam sensibus aspicientes templū, quasi inde ultio tam diri exitus depoſceretur. Aruerant si premorū munerum lachrymæ, quia omnem affectum vis mali clauserat. Origuerat animus, sensus hærebat, plusquā lachrymanda tolerantibus: deerat jam terra tumulis, defossis omnib. intra urbem locis quæ potuerunt dare usum sepulchri. Sepultor plerumq; præveniebat sepeliendū, & tumulo eo, quē alij paraverat, includebatur subito exanimis: & lapsus cum defodit, velut quodam studio operis sui, jus vindicabat. Et ubi terra deerat, tabulata innectebātur, ut defunctorum cadavera loculis includerentur. Pleriq; eos sibi ipsi parabant manibus suis, ne deficeret hujusmodi ministerium, atq; in his sese sæpe sponte condebant, suspecti ne mors præveniret, & sepultor deesset. Silebant omnia metu, inedia vocem ademerat, civitas plena mortis, & nullus ejulatus in exequiis totius urbis: & cum sensus quidem doloris interierat, injuria non desistebat. Non deerant etiam in tantis malis, deteriores omnibus, violatores etiam sepultorum. Quid dicam, non horruisse cum illuderent mortuis, & gladiorum suorū aciem in defunctorum cadaveribus prætentarent? Nonnulli etiam viventium adhuc urgēdis corporib. experirentur, si tela sibi acuta forent, & hic tamen usus pleriſq; rogantibus denegabatur, ut miseros ad graviora supplicia fames depasceretur. Nequaquam tamen ultio morituris deerat: nam quod vivi non potuerant, vindicabant se mortui, ultorem sui fœtorem creantes, quo se de latronibus ulciscerentur. Qui graviter sævientes quærentesq; remedium, speciem quandam pietatis induerant etiam ipsi, qui latrocinabantur, ut eos de publico ærario sepeliri juberent. Sed ubi nequitum occurrere, de muro defunctorum reliquias

quias in profunda præcipitia dejiciebant. Itaq; aspiciens Titus præruptos specus plenos cadaverum, saniem de laceratis viscеribus innatantem, alte ingemuit, & manus ad cœlum elevans testabatur, haud quaquam illud sibi asscribendum, qui voluisset veniam dare, si deditio procederet, expectasse se ut pacem rogarent: paratum se ut incolumes servaret, si bellum deposuissent. *lib. 5. cap. 21. excidij Hierosol.*

Egesippus: Profugis quidem Titus misericordiam promissam servavit, sed alia gravior ærumna accidit. Namque ubi data alimenti copia, cœpit oneri esse cibus, qui prius usui erat, desuetisque edendi officiis, ministerium feriabatur. Nulla vis dentium, ut cibum manderent, nulla arteriarum subsistentia, panem arrodere nullo poterant modo. Si quid sane sorbuissent mollioris alimoniæ, intercluſis jam faucium meatibus, strangulabantur. Obriguerant interiora viscerum, obstructi erant ductus ciborum. Arucrant jecoris venæ, quæ cibos attrahunt. Perierat usus, aviditas cumulabatur, virtus defecerat, appetentia manebat. Ruebant supra cibos miseri, & invalidos morsus, more infantium meditabantur. Pleriq; visis alimentis, ipso gaudio deficiebant, atq; inter exoptatos sibi cibos moriebantur: solati miseriam, quod votum impleverant. Sed erat pompa lachrymabilis, cum plures à cibo ad periculum surgerent, quam ad salutem, ut & victus noceret. Inflabantur enim insolito cibo potius corpora, quam reficiebantur, & quasi quodam hydropisis morbo, distenta tute pœnas dabant.

Etsi quibus ulla adhuc virtus edendi, avididas modum nescia, quod ferre non poterant, supra mensuram ingerebat, repentino cibo farti dirumpebantur. Quid enim grave non erat, quibus erat gravis & solus affectus, ut obesset vidisse, quod desideraverant? In capaces enim affectuum per longam famem, oppressit etiam sensus naturæ: & ipse gaudii motus gravavit. Nihil enim mirum, si exhaustis periculo cibus est. Deniq; post biduanum jejunium, si quod avidius sumpseris, statim crudescit. Unde plerisq; moris est, ut succum lactis infirmis viscеribus infundant, eoq; cum melle permixto temperent humorum exasperatam jejuniis intemperantiam, & defectionẽ corporis, velut infantiam quandam, molliore cibo nutriant. Sic ergo nonnulli Judæorum, qui ad Romanos confugerant, poterant evadere, quadam arte pensantes moderamina cibi, donec desueta edendi caro, in suos rediret usus. *lib. 5. cap. 24. excid. Hier.*

Egesippus: Super omnia verò fames tetrior, quæ insidiaretur jumentis alvum purgantibus, & vetusta scrutaretur boum stercora, ut quod visu erat horribile, hoc fieret esca esurientibus. *cap. 25. lib. 5. excid. Hierosol.*

Egesippus: Nuda erat jam templi facies, & sæva hominum fames: insidiabantur sibi invicem, quis cui raperet cibum: & ubi alimẽti suspicio, ibi bellum, inter domesticos pugnabatur pro cibo. Necabantur charissimi, discutiebantur defuncti, ne quis intra amictus eorum cibus lateret. Simulare aliqui mortuos æstimabantur, ne viventes aliquid habere alimenti suspectarentur. Sed ne viventes quidem, aut vitæ fungi munere, aut mortem simulare poterant. Verum aperto ore, sicut rabidi canes, aurarum captantes spiramina, huc atq; illuc circumferebantur inopia duce. Sæpe etiam quasi ebrii in eadem domicilia regrediebantur, ut iterum quæ vacua reliquerant, perscrutarentur. Et cum alia famis solatia non reperirent detrahebant coria scutis, ut cibo essent sibi, quæ præsidio nõ essent. Mandebant calceamentum: nec pudor erat solutum pedibus suscipere ore, & lingua lambere. Vetustæ quoq; paleæ, quæ olim projectæ fuerant, non mediocri studio requirebantur: & si quis repererat, grandi pretio mutuabat. *cap. 39. lib 5. excid. Hieros.*

Egesippus: Defecerant jam omnia, & deliciis assueta, asperiora palearum, vel coriorum dura non emolliebat. Sæva fames intimis se infudit medullis, exasperavit humores, mentem exagitavit. Habebat mulier infantulum quem genuerat. Vagitu ejus excita, cum se & parvulum commaceran videret, tantis victa immanitatibus, atque impar tam atroci calamitati affectum amisit: & pietatis genitalis usu obliterato, dolorem absorbuit, furorem assumpsit. Conversa itaq; ad parvulum jam matrem oblita, & furens animi, sic ait:

Quid tibi faciam parvule, quid faciam tibi? Sæva te circumstant omnia, bellum, fames, incendia, latrones, ruinæ, cui te moritura credam, aut vitæ tantillum relinquam? Speraveram, quod si adolevisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam. Certe si prævenires obitu, quod ego te pretioso tumulo meis manibus includerem. Quid agam misera? vivendi tibi ac mihi nullum subsidium video. Omnia erepta nobis, cui te reservabo? aut certe quo condam sepulchro, ne canibus alitibusve vel feris prædantibus? Omnia, inquam erepta nobis. Potes tamen dulcis meus, & sic matrem pascere, idoneæ ad cibum manus tuæ. O mihi suavia viscera tua, artus jucundi, priusquam vos penitus consumat fames, reddite matri, quod accepistis: redi fili in illud naturale secretum, in quo domicilio sumpsisti spiritum, in eo tibi tumulus defuncto paratur. Ipsa complectar, quẽ genui, ipsa exosculabor: & quod impatientia amoris habet, habeat vis necessitatis, ut ipsa devorem meos artus, non simulatis sed impressis morsibus. Ergo esto cibus mihi, furor latronibus, & vitæ fabula, quę sola deest calamitatibus nostris: Quid faceres fili, si & tu filium haberes? fecimus, quod pietatis fuit, faciamus quod fames suadet. Tua tamen causa melior, & quædam pietatis species, quia tolerabilius est, quod matri dederis cibum viscеribus tuis, quam quod te mater, aut occidere potest aut devorare.

Hæc dicens, averso vultu gladium demersit, & in frusta filium secans igni imposuit partem comedit, partem operuit, nẽ quis supervenire: sed nidor incensi pervenit ad principes seditionis: continuoque odorem sequuti, introierunt mulieris hospitium, minantes necem, quod ausa esset jejunantibus ipsis edere, atq; exortes eos facere cibi, quem reperi et. At illa, partem inquit, vestram vobis servavi, non fui avara nec inhumana: nolite indignari, habetis quod & vos edatis, de meis vobis viscеribus cibum paravi. Considite ocyus, mensam apponam, mirari habetis, & ministerium meum judicare, quod talem nullius inveneritis mulieris affectum, quæ vos nec dulcis filii fraudaret gratia.

Hæc dicens, simul redoperuit ambusta membra, & epulanda obtulit, cum adhortatione hujusmodi sermonis: Hoc est prandium meum, hæc vestra portio, videte diligentius, ne vos fraudaverim. Ecce pueri manus una, ecce pes ejus unus, ecce dimidium reliqui corporis, & ne alienũ putetis, filius est meus, ne alterius opus arbitremini, ego feci, ego diligenter divisi mihi quòd manducarẽ, vobis quod reservarem. Nunquam mihi fuisti dulcior fili, tibi debeo, quod adhuc vivo. Subvenisti in fame, tu munus supremum senectutæ, percussorum repressor. Venerunt necaturi, convivæ facti sunt: habebunt ipsi quod mihi debeant, cum epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum, quid horrescitis animo, cur non epulamini quod mater feci? Possunt & vos delectare, quæ matrem exaturarunt. Non esurio jam, postquam me filius meus pavit, abunde exatiata sum, famem nescio: Gustate & videte, quia suavis filius meus. Nolite fieri molliores matre, infirmiores mulieri. Aut si vos in meo vulnere miseri cordes estis, & non susceptis hostiam meam, atque aversamini holocaustum meum, eo consummabo sacrificium meum, manducabo quod reliquum est. Videte ne vobis opprobrio sit quod fortior vobis mulier reperta sit, quæ absumeret epulas virorum. Ego quidem tales paravi epulas, sed vos sic epulari matres fecistis: me tenebat passio, sed vicit necessitas. Replevit continue totam urbem tanti sceleris nefas, & unusquisque tanquam ante oculos positum, parricidalis convivii ministerium perhorrescebat. Cœperunt & ipsi incentores seditionis examinare posthæc, quos raperent cibos, ne similes escas invenirent, & velut imprudentes sumerent. Cœperunt universi timere, ne diu viverent, & mori vellent. Pervenit etiam ad Romanos hujus facti immanitas. Nam plerique hoc horrore perterriti, ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar, execratus infelicis terræ contagium manus ad cœlum elevans, talia protestabatur: Ad bellum quidem venimus, sed non cum hominibus dimicamus, adversus omnem rabiem beluarum ac ferarum, quid sensibilium loquor? adversus omnem rupium immanitatem decertamus. Diligunt feræ fœtus suos, quos etiam in fame nutriunt, & quæ alienis corporibus pascuntur, à consimilium ferarum abstinent cadaveribus. Hoc ultra omnem acerbitatem est, ut membra, quæ genuit mater voraret. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me absolvo, quæcumque in cœlo potestas es. *lib. 5. cap. 40.*

Chrysologus: Luxuriæ, ventri, gulæ, fames tortor apponitur: ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœnalis reatus exarserat. Fames est facta valida. Ad talem finem semper voracitas tendit, ad talem pervenit terminum fugienda voluptatis effusio. *Serm. 1. m.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Arrianus: Nunc pœnas das neglectæ philosopiæ: tremis, vigilas, cum omnibus deliberas: & nisi deliberationes tuæ omnibus placituræ sint, consilii te pœnitet. Postea famem pertimescis ut ubi videtur. Tu vero famem non times: sed ne desit tibi cocus, ut habeas obsonatorem, ut servum qui tibi calceos induat, alios qui te comitentur, ut in balneo nudus distentus, instar eorum qui in cruces sublati sunt, hinc & inde teraris. Deinde, ut aliptã tibi astans dicat, Transi, præbe latus, caput ejus prehende, exhibe scapulam. Post balneo egressus, domumque reversus clamites, Nemo affert cibum? deinde, Aufer, mensas abstergito. Hoc times, ne non ægroti vitam possis vivere. Vltam eorum qui recte valent cognosce: vide ut vivant servi, ut operarii, ut Germani philosophi. Quomodo Socrates vixit? ac is quidem cum uxore & liberis. Quomodo Diogenes? quomodo Cleanthes? qui simul & studuit, & aquam hausit. Hæc habere si voles, habebis ubique, & vives confidens. Quare? Qua sola confidere licet: eo quod fidum est, quod nec prohiberi nec auferri potest: hoc est, voluntate tua. Cur autem adeo inutilem, adeo nequam teipsum effecisti, ut nemo te inædes suas recipere velit? nemo curam tui suscipere? Atqui vas, integrum & utile foras projectum, quisquis invenerit, tollet, ac lucrum ducet. Itane canis quidem usum præstare potes, nec gallinacei? Talis autem cum his, quid adhuc in vita esse cupis? Timetne quisquam vir bonus, ne victus sibi desit? Cæcis non deest: viro bono non deerit? Non deest qui forti militi stipendium det, non operario, non sutori, & bono viro deerit? Itane Deus sua mandata, suos ministros, suos testes negligit, quibus solis adversus indoctos exemplis utitur, ac se & esse, & recte gubernare omnia, & non negligere res humanas, bonoque viro nihil esse malum vel viventi vel mortuo, probat? Quid ergo, cum victum non præbet? Quid vero, nisi ut Imperator bonus receptui mihi cecinit? Pareo, sequor, collaudo Imperatorem, facta ejus prædico. Nam & cũ illi visum esset, veni: rursus abeo, cũ illi visum est. Meum dũ viverẽ munus fuit, Deum celebrare, tum ipse mecũ, tum apud singulos, tũ apud multos. Non præbet mihi multa: non copiam verũ suppetitat?

Delicate me vivere non vult. Neque enim Herculi suppeditavit filio suo. Nam alius regnabat. Argis & Mycenis: ille vero parebat, laborabat, exercebatur, ac Eurystheus quidem erat qui erat, neq; Argorum, neq; Mycenarum rex, qui ne ipse quidem sui esset: Hercules autem totius terræ & maris princeps & Imperator erat, repurgator iniquitatis & injuriarum, introductor justitiæ & sanctitatis, eaque & nudus & solus faciebat. Ulysses autem cum naufragus esset, num egestas humiliorem eum fecit? Num fregit ejus animos? Quomodo abiit ad virgines necessaria petiturus? *cap. 26. l. b. 3. Epict.*

Philostratus: Aspendi cum veniret Apollonius, nihil nisi ervum & hujusmodi legumina venalia offendit, hisque tantum populum sustentari intellexit, quidquid enim ubiq; erat frumenti, pauci divites & in civitate potentes collectum servabant, ut quo vellent pretio illud populo vendere possent. Multitudo autem cujusq; sexus & ætatis, adversus civitatis principem convenerat, & jam accenso igne viventem crematuros minabantur, quamvis ipse ad asylum confugisset. *lib. 1. cap. 11.*

Libanius: Iterumne Potidææ coercere oportuit, ut feras, & residuos invicem objicere, & quantum fuit reliquiarum generis in se consumere, neminem autem Potidæa excedere, neque calamitatis nuncium, sed dissecare omnes se mutuo donec remanerēt ædificia? sin secus, futurum ut aut à vobis ipsis & manibus vestris divulsi pereant, etenim etiam ipsi mihi videmini lubentes corpora voraturi: idq; vos fortasse solum expleverit, quasi ea quæ nunc fiunt exigua sint cum populus in semetipso nutritur: & omnia ipse sibi, nutriti, quæ nutriunt: esurientes, viscerationes: super mensis alimenta: quisque super mensis cibum petens & dans, aiens, pasce me, iis quorum pabulum est, ejusmodi enim cænarum, quæ Potidææ exhibetur, postulata erant, seipsos infelices vicissim excepere: ac veluti in collectarum contributionibus corporum collectam faciebant, ipsa secādo & dividendo: dum qui forte occurrerat aleret eum qui prævenerat: deinde alium, qui nutritus erat: hunc ille alterū: circulare quoddam ejusmodi epulum circumagentes, donec plures se invicem excepissent, qui porro has cœnas paraverant & apposuerant, isti sunt atq; horum castra. nam qui alimenta foris impediebant intus ingredi, iidem etiā mutuis coegerunt uti alimentis, tales nacta est Potidæa convivatores. nos Eubœam, quæ possessionum assignationes passa fuerat, miserabamur, & Samiorum exilium, & insulas quę vim perpessæ erant: ipsi jam in posterum corpora dividunt & distribuūt, atq, hominum cibos ab urbibus exterminant, ac superinducunt impias epulas, & Græcos consumi à se invicem cogunt, nutrita est civitas, o Ceres, sine alimentis, atq; escæ absque escis inventæ sunt, & victimæ mactatæ victimis non exhibitis: quod enim intus armentum? qui grex ovium? solos habebam se infortunati quam meliores fuisse eis si prius viris vacuam quam cibis urbem reddidissetis. nunc a. esculenta quidem non erant, homines vero in se invicem incidebant, & salutem quærendo interibant. nam famis remediū tale fuit, calamitas. idq; patiebantur Athenienſibus propè absentibus, & deliciantibus. quot vero adnavigabant ipsis alimentorum naves onerariæ? quot victimæ è Thracia convehebantur? ipsius illorum Pallenæ & terræ fructus carpebant: qui autem intus erant moriebantur nullo decore absumpti, parientes & in partes distracti: Deos, opinor vocantes Cererem ipsam & Proserpinam, Eleusinem & Cereum & Bacchum, & Initia: sed sacrorum antistites non misericordia movebantur. *Declamat. 19.*

Libanius: Fuere etiam aliæ tyrannides immittes & acerbæ, Echete & Phalaridis, qui homines dissecabant & mutilabant, si quos punire vellent. verumtamen nec illi tales epulari dabant epulas: neque alimentorum statutū transiliebant: sed canes quidem fortasse, extremitates mutilas gustarunt: hominum verò nullus ne verbo quidem diritatem hanc noverat, atq; illi paucis facinorosis forte an labes admoverunt: Athenienses autem, totas civitates mutilant: non corporum artus concidentes: neq; vivos adhuc pollucentes. verum etiam post obitum. tum cum in terra quis jam situs & conatus est, accessit quidā non ut deploraret, neq; ut sepeliret mortuum: sed cū id ipsum vellet infelix: fames alia docebat, non infodere, nec terræ mandare, verum sibi dare: & corpora sic evanescebant, ac tumultus nullus aggestus est, & lacrymabantur quidem ut miserentes: epulū autem ipsis erant lacrymæ: nam cuncta unum erant, sepulchrū, cœna, in cibis parentalia. omne fas subversum fuit in ærumna: etenim hi vero ipsa quoque corpora, tanquam egregias videbunt etiam sui ipsorum victimas: sic ærumnosus Potidæatarum populus consepultus est, urbes aliæ memorantur, partim eluvione, partim maris æstu atq; impetu deletæ: poetæ montes etiam populis super injecerunt: sed hæ plæræque omnes sunt fabulæ. cæterum piè etiam purorum corpora condita sunt, utinam sunt Potidæa quoque hanc nacta esset calamitatē nunc vero pars nulla tenet mortuos: non mare, non terra: sed quod omnium maxime horribile est, super terra prostrati, nō sunt in terra: neque urbs quæ corpora accepit, detinuit imò cuncta permixta sunt, viventes, fato functi, igitur quos ærumnosiores dicere quis posset, eos qui absumpti sunt, an eos qui absumpserūt? quos liberorum deploraremus, eos qui nutriti sunt, an qui nutrimento fuerunt? horum quidem exitium miseramur, illorum autem salutē: hi certe non sunt ullibi: illi autem nullibi stare possunt, nam quis privatus, quæve civitas, talium piaculorum plenos susciperet? qui porro salem & mensam post Athenienſium mensas communicet? sed enim mihi ne ullus quidem sepulturus ullum videretur, si noverit Potidææ nutritum, atq; id infortunati patiuntur, cum injuriam fecerint nullam: sed istorum iniquitatem ac violentiam sustinentes. quot namq; ante hanc miseriam ipsos molitos fuisse audivimus? quot item eorum quę ad salutem pertinebāt reperisse desertos violenter, dum observarent si qua nimirum ratione clam enavigare posset. naufragium enim quam obsidionem maluissent, alimenta non ad usum usque: sed ad victitandum dimetientes, plerisque perseveratis potentiorum ædes, si cui quid amplius foret, æquam hujus portionem faciebant, nam cujusq; propria sic utiliter dividebātur, tunc ergo præclare nutriebant se invicem: verum uti omnia jam devorata fuissent, propria publica, neq; esset frumentum, nec victimæ: sed prorsus absumpta essent, non tantum quæ immolari solent, sed & quæcunque minimè immolantur: sed enim omne animatum occidebatur, & quodcumq; animal compareret, hoc ipsis erat refugium mali: ac misericordiam sanè aliquam etiam hæc movebant: & multi eorum qui gustaverant, ut super hominibus deplorabant. audacter igitur hæc primum susceptа sunt: sed posteaquam omnium rerum egestas defectusq; fuit, ac fames ipsos sola premebat, salus verò nulla neq; ab istis, neque intus erat: sed alii quidem obsidioni incumbebant: alii egeni anxiiq; erant, alii animam agentes in terram prociderant; tunc profecto istiusmodi escis insidiati sunt: alii in jacentes ut paratos conversi: alii quocumq; modo possent deinceps adoriebantur se invicem: qui plus virium haberent, imbecilliores agressi: ac si quem primum fames incitaret, hic audebat cibum rapere: & qui propiuerat, cunctantem cohibebat, etenim calamitas imperans ad dementiam excitabat, at non satis erat malorum: neque destituerant se invicem, nam omne quod servabatur & effugiebat, eidem casui reservabatur: & nutriti, ad alendum præripiebant gratiam: & pastus aliquis, se ipsum deplorabat. discretio vero nulla erat nec alienorum, nec amicorum: verum quisquis familiarissimus accessisset vicino tanto propius capiebatur: pater à filio: filius à parente: & fratres discerpebantur, fugientes è sinu matrū qualiter nutrierant se, & pariter nutriti fuerunt: quot porro deplorationes fuere? quot omnia & exclamationes, necessitatem obtestantium, protendentium: cœnas lugentium: quæ audiebant isti, qui ærumnæ assidebant. & fumus super muros evectus ad Athenienses perveniebat, prope autem aberant horum mensæ à mensis quæ in urbe erant. *ead. declamat. 19.*

Libanius: Viris quidem vacua urbs tradita est, sed impuritate referta, cùm alios mensis tradiderit epulataq; sit, quæ major pars est, paucos autem viros expulerit; infeliciores quam ii qui consumpti erant, & magis deplorandos, & qui dira in seipsis ferebant, obsessi in ærumnis suis; piaculares, impuri, & cōmunis naturæ hostes. Enimvero mihi ne bellum quidem adversus eos indictum, purum videtur esse. Quin hoc quoque piaculum est istis in manum convenire, tanta imprecatione & pœna referti sunt. &c. *Declamationes decimanona.*

Onesander: Si civitatem obsederit Imperator quam vi expugnari posse desperet, diutinâ tamen obsidione, tandem fame ad deditionem compelli posse arbitretur, quotquot forte captivos interceperit valenti corpore & virenti ætate viros bello utiles; ut ipsi sibi collibitum erit, excipiat. Mulierculas verò, puerulos, & invalidos ac decrepitos senes, ultro in urbem remittat. Illi enim ad belli munia prorsus inepti, civium suorum citius absument cibaria, & hostium magis quam sociorum munus fungentur. *cap. 42. §. 8. Strategic.*

§ Latinorum.

Petronius Arbiter: Accedet huc, quod aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus, neq; enim ulla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur, & stomacho conciliatur adverso. Quod si exemplis vis quoq; probari consilium, Saguntini oppressi ab Hannibale humanas edere carnes, nec hæreditatem expectabant. Petilini idem fecerunt in ultima fame, nec quidquam aliud in hac epulatione capiabant, nisi tantum ne esurient. Cum esset Numantia à Scipione capta, inventæ sunt matres, quæ liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora.

Quintilianus: Alimenta posco, poteram non adjicere, filium pater, sed mendicus hominem, sed juvenem senex. Quis enim magis ex ipsis rerum naturæ sacris venerandisque primordiis descendit affectus? Quid etiam inter liberos ac parentes tam commune, tam publicum, quam ut alicujus famem proximus quisq; depellat? Voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in commune succurrere, & per mutuas auxiliorum vices in altero quemque quod per se timeret allevare. Nondum hæc charitas est, nec personis impensa reverentia, sed similium accidentium providi metus, & communium fortuitorum religiosus horror. In aliena fame sui quisque miseretur. Sic cibos obsidio partitur, sic inopiam pariter navigantium frequenter unius alimenta paverunt. Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulumcumque veneretur aggestu. Parentibus vero liberi non præstatis alimenta, sed redditis: quanto, dii Deæque breviora, quanto minora pro tot infantiæ, tot pueritiæ sumptibus, tam variis vel abstinentissimæ juventutis impendiis? *Declam. §. §. 6.*

Quintilianus: Ne apud inferos quidem ulla pœna est, fame major. *Declamat. 12. §.*

Quintilianus: Non habitant unà pudor ac fames, & cum semel intrarit impotens domina, feras etiam & ingentes belluas subigit. *Declamat. 12. §. 10.*

Quinti-

Quintilianus: Cæteræ reip. partes, quæ ſunt ad uſum populi cõparatæ, & leviore cum damni ſenſu pereunt, & facilè remedium accipiunt, cum reparari poſſit amiſſum. Opera reſtituam, ærarium replebo, naves, arma reficiam: hic vulnus altiſſimè penetrat. hic ipſa vitalia feruntur, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis ſexus ætq; ætas ſemel ſternitur. Exhauſta eſt civitas, & deſolatæ domus, triſte florentis quondam fortunæ indicium, laxi muri. *Declamatione* 12. §. 21. *pr.*

Quintilianus: Felix peſtilentia, felix præliorum ſtrages, denique omnis mors facilis, fames aſpera, vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magiſtra peccandi, duriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum. Hæc ad humile opus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes proſternit, hæc ſæpe ſociorum fidem fregit, hæc venena populis publicè dedit, hæc in parricidium ipſos egit. *Declam.* 12. §. 21. *m.*

Idem: Populum ſeptem diebus perdidiſſes. Auguſtos humani ſpiritus terminos fames facit. morimur, deficimur. feſtina miſericors. §. 22.

Symmachus: Alunt cochleas cum ſitiunt aeris, atque illis de cælo nihil liquitur, ſucco proprio victitare. Ea res mihi uſu venit, qui deſertus eloquii tui paſtu, meo adhuc rore ſuſtentor. *Lib. 1. Epiſt.* 27.

Symmachus: Tenui victu in turbas plebs movetur. *Libro* 2. *Epiſtola* 6.

Symmachus: Præterea ipſius cibi qualitas gignit horrorem, corrumpit valetudinem corporum; graviorque eſt hominibus talis alimonia quàm pœna jejunii. *Lib* 6. *Epiſt.* 14.

Symmachus: Erat quidem pagina Atticis ſalibus aſperſa, & thymo odora, ſed parcior, quæ magis faſtidium detergeret quam famem frangeret. Quid ſi ego Cænas dapales & Saliare convivium, tum viſcerationes atque epulum poſtulaſſem: tu mihi menſas ſecundas, & ſcitamenta exiguæ lancis apponeres? Fac veniat in mentem quid Græca ſuper hoc dicat oratio. Parvis intrimentis, inquit, quamquã à morte defendimur, nihil tamen ad robuſtam valetudinem promovemur. *Lib. 1. Epiſt.* 17. *m.*

Frontinus: Fabius Maximus vaſtatis Campanorũ agris, ne quid eis ad inducian obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumentum quod reliquum habebant, in ſationes conferrent: reverſus deinde renata protrivit, & ad famem redactis potitus eſt.

Antigonus adverſus Athenienſes idem fecit.

Dionyſius multis urbibus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, ſimulavit pacem, petiitque ab eis, ut cõmeatus exercitui ipſius ſubminiſtrarent: quod cum impetraſſet, exhauſto oppidanorum frumento, aggreſſus urbem alimentis deſtitutam ſuperavit.

Idem & adverſus Himeræos feciſſe dicitur.

Alexander oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, prius caſtella, quæ in confinio erant cepit: omneſq; ex his Leucadiam paſſus eſt confugere, ut alimenta inter multos celerius abſumerentur.

Phalaris Agrigentinus, cum quædam loca munitione tuta in Sicilia oppugnaret, ſimulato fœdere, frumenta, quæ reſidua ſe habere dicebat, apud eos depoſuit: deinde data opera, ut tectorum cameræ, in quibus id conferebatur reſciſſæ pluviam reciperent, fiducia conditi commeatus proprio tritico abuſos initio æſtatis aggreſſus inopia compulit ad deditionem. *Lib.* 3. *c.* 4. *Stratagem.*

¶ Poetarum.

Plautus captivis 3. ſc. 1. pr.

Miſer eſt homo, qui ipſe ſibi quod edit quærit, & id ægrè invenit.
Sed ille eſt miſerior, qui & ægrè quærit, & nihil invenit.
Ille miſerrimus eſt, qui cùm eſſe cupit, quod edit non habet.
Non hercle ego huic diei ſi liceat oculos effodiam libens,
Ita malignitate onerávit omnes mortales mihi.
Neque jejunioſiorem, neq; magis effertum fame
Videi neq; cui minus procedat, quidquid facere occeperit.
Itaq; venter gutturq; reſident eſuriales ferias.

Plautus Menæchmis 5. ſc. 5. v. 26.

Dic mihi an, unquam tibi inteſtina crepant, quod ſentias?
M. Vbi ſatur ſum nulla crepitant; quando eſurio, tum crepant.

Plautus Sticho. 2. ſc. 1. v. 64.

Ridiculus æquè nullus eſt quam qui eſurit.

Prudentius lib. 2. adv. Symmachum.

Ergo pyrus menſas ſilvęſtribus implet arator
Pœnus, & avulſas Siculus depaſcitur herbas?
Iamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, jam corna cibus lapidoſa Qutritum?

Oppianus 3. ἁλιευτ. v. 195.

——— *Omnes piſces admodum ſunt*
Sibi mutuo eſcaque grata, & vorax interitus,
Vt nihil eſt fame deterius, neque gravi
Ventre, quæ imperat ſanè inter homines crudelia,
Et gravis domina cohabitatrix, nunquam diſtributionum
Obliviſcens: multos vero deturbatos mente
In noxam conjecit & probris implicuit.
Venter & feris & reptilibus imperat
Aeriſque gregibus: maius autem in piſcibus
Robur habet. Illis enim ſemper exitium eſt venter.

¶ Apothegmatis Sacri.

Ephraim Syrus: Cùm fames urbem Edeſſenorum jam longo ante tempore occupaſſet, Ephraim Syrus è domo, in qua monaſticam degebat vitam, egreſſus, eos quibus ſuppetebant facultates graviter incuſavit: quod videlicet cum minimè oporteret, tribules inopia rerum neceſſariarum confectos negligerent, divitias ſuas ſtudiosè ſervarent, idque ad ſuum ipſorum damnum & cruciatum animæ ſuæ: quam non modo divitiis cujuſque generis, verum etiam ipſi corpori, & aliis rebus omnibus præponendam ſapienter demonſtrabat. quam quidem illos pro nihilo ducere re ipſa planè oſtendit. Illi igitur hominem, & ejus verba reveriti, dixere adhunc modum: Nobis quidem opes minimè curæ ſunt, ſed cui eas diſtribuendas committamus admodum incerti ſumus: præſertim cum omnes ferè lucri cupiditate ardeant, & hanc rem velut mercaturam ad quæſtum faciant. Tum Ephraim ſciſcitatur ab illis, Qualis, quæſo, vobis ipſe videor? Qui cum fidelem, ſpectatum admodum & bonum virum, & talem eſſe, qualem opinio de eo habita oſtendebat, confiterentur: Veſtrum, inquit, cauſa, hoc quicquid eſt negotii mihi mea ſponte ſumo. Atque argento ab illis accepto, circiter lectulos trecentos in publicis porticibus conſtituit: & non eorum ſolum quos fames in morbum conjecerat curam ſuſcepit, verum etiam peregrinos, & eos qui egeſtate rerum ad vitam neceſſariarum coacti, ex agris eo venerant, benignè tractavit. Ubi autem fames extincta eſt, rediit in domum, in qua antea ætatem degerat. *Sozom. eccl. hiſt. lib.* 3. *c.* 15.

¶ Monoſticha Trochaica.

Acrius ſitit qui tantum bibere quam vult non poteſt.
Ad ventrem auribus carentem verba facere eſt arduum.
A fonte abſtrahas bibentem, ſi vis ut ſitiat magis.
Balneo ſitim exſtinguas; ſitimque accendas balneo.
Dies hic ſextus eum nihil legi: die quarto moriar fame.
Dum famet flagella rodit ipſe polypus ſua.
Dum famet hieme urſa in ore vel manus pedes ve habet.
Et fame expugnabis ulla vi occupare quæ nequis.
Et pedum ſuctu priorum ſub brumam urſi victitant.
Et ſitis ſua ebriorum eſt, & fames vomentium.
Excipit famem plerumque ſæva peſtis ſilentia.
Faſcia conſtringe ventrem ſi famere non cupis.
Fonte ſpectato recedas, qui ſquu exerces ſitim.
Fortius fera pugnant quas nulla macerat fames.
Haud fame interit cui navis juxta littus frangitur
Hoſtium famem operiri, fortis indignum milite eſt.
Inter copiam frugalis haud unquam premitur fame.
Inteſtina nulla crepant ſaturo, eſurienti percrepant.
Nemini ſpreviſſe fas eſt, quod fames trux imperat.
Omnem verecundiam illico excludit fames.
Prælio abſque vincit hoſtem triticum qui ei eripit.
Promptius currunt in circo equi fames quos macerat.
Quo mage urbs populo referta eſt, citius ad famem venit.
Tutius vincas fame hoſtes, quam ferro atque prælio.
Vinela cuncta charitatis grandior rumpit fames,

¶ Jambica.

Bellum trahatur, hoſtem ſi premit fames.
Complurium magiſtra eſt artium fames.
Contra faniem atram nulla contradixeris.
Contra famem pugna omnis heu fruſtranea eſt.
Creſcit fames edente coram te altero.
Diſpendium vita eſt famelico pudor.
Eſt dulcis eſca quæ vis eſurientibus.
Eſurientem verba non paſcunt mera.
Etiam fames mutas accendit beſtias.
Et ultimum malorum obſeſſis eſt fames.
Fame in aliena, quiſque miſeretur ſui.
Facillimè inediam ætates media ſuſtinent.
Facillimè ſanum reſtinxeris ſitim.
Famem adſolet te qui atra peſtilentia.
Fames profecto mortium miſerrima eſt.
Famis fere eſt adſecla peſtilentia.
Famem fames finit morte, ut ſitim ſitis
Fames dolorum maximus mortalium.
Fames magiſtra eſt artium pene omnium.
Fames magiſtra multa comminiſcitur.
Fames pudorque haud incolunt ſimul locum.
Feris etiam inſectiſque venter imperat.
Haud flectitur populus prece ulla qui eſurit.
Hominem edi ab homine, alimentum ſævius fame eſt.
Humanus aurem venter ullam non habet.
Humana vincas cuncta prater quam famem.
Inedia hominem die demum aufert ſeptimo.
Melius mori fame ſagina quam gravi.
Miſerrima omnium mortium mors eſt fames.
Mors miſera omnis eſt, at enim miſerrimum fama emori.
Mortis comes terrima omnium fames.
Mortis genus miſerrimum fames.

Natura ſolam non ſinit vinci famem.
Neceſſitas neceſſitatum ipſa eſt fames.
Nemo canina veſcitur citra famem.
Ne vince ferro, vincere ſi potes fame.
Nihil otioſo ventre eſt impudentius.
Niſi deſuper pluat, Græcus malè eſurit.
Non ante edendum eſt ipſa quàm imperet fames.
Non eſt idem famis ingluviæque præmium.
Omnem pudorem grandior tollit fames.
Panem malum reddit ſiligineum fames.
Parvum adde parvo ſi cavere vis famem.
Pudor fameſque eodem non habitant loco.
Quavis ferant obſeſſi præterquam famem.
Quid vis cibum inclemens facit neceſſitas.
Rei magiſtra non unius ſit fames.
Ridiculus æquè nullus eſt, quàm qui eſurit.
Semper ſui meminiſſe ventер exigit.
Solus ſuam prolem ut famet thynnus vorat.
Venter malo gravat dolore plurimos.
Ventrem alloquaris fruſtra: auriculas non habet.
Vinci unicam Natura non ſinit famem.

Familiæ.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Alterum ipſius ſtratagema hoc fuit, ſolumq; ex omnibus cautum & circumſpectum, tametſi alioqui valdè impium, ut à domeſticis & ſatellitum manu, (quod omnibus perſecutoribus familiare,) ſceleris exordiū duceret. Neq; enim fieri poſſe, ut externos aggrederetur, niſi his ſibi conciliatis atq; adjunctis, quemadmodum nec exercitum adverſus hoſtes ducere, cū Imperatore contendentem & diſſidentem. Atq; ob hanc cauſam aulam totam commutat, aliis morte prius ſubductis ac de medio ſublatis, aliis ſubmotis & expulſis, non tam quia benevolo erga magnū Imperatorem animo fuerant, quam quod majori erga majore Imperatorem benevolentia afficerentur, ac proinde utroq; nomine ipſi incōmodi eſſent. Milites etiā, & per ſe ipſe, & per eos qui magiſtratus gerebant, allicit: quos etiam ad perſuadendum faciliores eſſe arbitrabatur, quod partim honoribus dediti eſſent, partim per animi ſimplicitatem abriperentur, nullamq; aliam legem, quàm principis voluntatem agnoſcerent. Imo, ſi rectius loquendum eſt, militū partem non minimam ad ſe pertraxit, & quotquot ex iis ægros & imbecilles invenit, temporiſq;, & tum, & jam antea ſervos, quos vel jam in poteſtatem redegerat, vel redacturum ſe ſperabat. *Oratione 3 quæ ſtelliteutica 1. in Iulianum.*

Chryſoſtomus: Qui quæ ad domeſticos ſuos pertinent non probè inſtituit, difficilius quæ ad alienos ſpectant diſpenſabit: *Principio Homil. 22. ad Roman.*

D. Chryſoſtomus: Tu equum quidem nō deſpicis nec aſinum, ſed nihil nō facis ne mali fiant & vitioſi. Servos autem deſpicis qui ſicut tu ſunt animati. Et quid dico ſervos? cum filios quoque deſpicias & filias. *Homil. 1. ad Corinth. 1.*

D. Chryſoſtomus: Ordinavit Deus primos homines, ut alterum quidem eſſet ſubjectum, alterum vero imperaret, (nam quod eſt par honore, ſolet pugnam inducere) non ſivit ut eſſet populare imperiū, ſed regnum; & ſicut in caſtris, eundem videris ordinem in unaq; domo. Eſt ergo loco quidem regis, maritus: præfecti autem & legati, uxor. Tertium autem imperandi locū ſortiti ſunt filii. Deinde poſtea quartum imperium eſt ſervorum. Nam ipſi quoq; imperant minoribus: & unus ſæpe ex iis præeſt omnibus; locum tenens domini, ſed tanquam ſervus. Et cum eo rurſus aliud imperium; alterū mulierum, alterum puerorum. Et in ipſis pueris rurſus aliud ex ætate, & ex ſexu. non enim in infantibus ſimiliter dominatum obtinet fœmina. Et ubiq; fere Deus frequentia fecit imperia, ut omnia manerent in concordia & pulchro ordine. Propterea etiam priuſquam genus hominum eduxerit in multitudinem, cùm duo ſoli eſſent qui erant primi: alteri quidem juſſit imperare, alteri vero parere. Et ne rurſus eam deſpiceret tanquam minorem, & abſcinderetur; vide quemadmodum eam honoravit, & unum etiam ante creationē. Faciamus enim, inquit, ei auxilium: oſtendens, quod ad ejus uſum facta fuerit; & hac ratione ipſum ei concilians, quæ propter ipſum facta eſt. In ea enim melius & benevolentius affecti ſumus, quæ propter nos facta ſunt. Rurſus autem ne illa efferretur, ut quæ ei data ſit ad auxilium; & hoc abrumperet vinculum: eam facit ex latere; oſtendens, eam eſſe partem totius corporis. Ne autem vir hinc efferretur: non amplius ſinit eſſe ſolius quod ſolius prius fuit, ſed fecit contrarium, ei adhibens liberorum procreationem; in hoc quidem virū præferens, non tamen totum ejus eſſe ſinens. *Hom. 34. ad Cor. 1.*

D. Chryſoſtomus: Quomodo quando ſub duce belli rectè conſtitutus & compoſitus fuerit exercitus, bellum nulla ex parte ingruit: ita in matrimonio quando maritus & uxor, & filii & famuli eadem curant, magna eſt domus concordia. alioqui ſi non ita ſit, ſæpe per unum nequam ſervum, univerſum evertitur & diſſolvitur, & unus ſæpe univerſum delet & perdit. *Homil. 20. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Si habemus uxorem immodeſtā, ſi filios, reddēdæ rationi erimus obnoxii? maximè, niſi exactè & accuratè præſtiterimus quæ ſunt à nobis præſtanda. non n. propria virtus nobis ſufficit ad ſalutem. nam qui unum talentum infodiens nihil eſt lucratus, ſed inſuper punitur, perſpicuum eſt quod virtus propria non ſufficit ad ſalutem, ſed alterius etiam virtute opus eſt. magnam ergo curam geramus, & uxorum & liberorum & famulorum, & noſtri ipſorū, & in nobis ipſis & illis componendis Deum rogemus, ut ad eam rem nobis opem ferat. *Homilia 21. ad Epheſios ſub fine.*

S. Iſidorus Peluſiota. Quando quidem Paulus, vas inquā illud electionis, ille Chriſti ſenſuū promus condus, qui terram ac mare cōpoſuit, qui barbaros ad philoſophicū vitæ genus amplectendū adduxit, Gentilib. deteriores eos eſſe pronūciavit, qui proximos negligunt, his verbis utens, Si quis morū, ac maxime domeſticorum curā non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior: ob eam cauſam ipſe quoq;, ut ad vos ſcriberem, adductus ſum. Quid n. hoc loco per curæ vocabulū ſignificari exiſtimatis? An ciborum ſubminiſtrationē? Equidem n. ipſe animæ curā intelligendam cēſeo. Quod ſi refragemini, ſic quoq; id quod dixi magis cōfirmabitur. Nam ſi de corpore res ita ſe habet, eumq; qui neceſſariam alimoniā proximo minimè porrigit, Gentilibus crudeliorem eſſe pronunciavit, qui quod maius ac magis neceſſarium eſt, hoc eſt animæ curam, aſpernetur, quo tandē loco ponetur. Quamobrem conſilio meo parete, atque è furore veſtro emergite. *Libro 2. Epiſt. 124.*

¶ ITALORVM.

S. Salvianus: At nos omnes iſta faciebant, ſed potentiſſimi quoq; ac ſublimiſſimi. Acquieſcamus hoc ita eſſe. ſed cùm ditiſſimę quęq; ac potentiſſimæ domus turbā faciant civitatis, vides perpaucorū potentium ſacrilega ſuperſtitione urbem cunctam fuiſſe pollutā. Nemini autem dubium eſt, omnes dominorum familias, aut ſimiles eſſe dominis, aut deteriores: quamvis hoc uſitatius ut deteriores. ac per hoc, cùm etiam domini boni ſervos, vel maximè malos habeāt, promptum eſt intelligere, quales illic familiæ omnes fuerint, cùm ſerviles animos jam per ſe malos, etiam dominorum faceret nequitia pejores. *Libro 8. de gubernatione Dei.*

¶ PHILOSOPHOR. ORATORVMQ. GRÆCOR.

Theano: Vobis quidem juniorib. à lege datur poteſtas imperandi famulis ſimul & nubēdi. Diſciplina vero à ſeniorib. proficiſci debet, qui de rectè gubernāda familia ſemper præcepta dent & adhortentur. Bonū eſt n. prius diſcere, quorum ſis rudis & ignara, atq; ſeniorum conſiliū prudentiſſimum optimumq; judicare. In his n. inſtitui adoleſcentē virginis animum oportet. Primùm autē in domo mulieribi imperium eſt, imperiū famularum. At plurimùm ad ſerviendū poteſt benevolentia. Hęc n. poſſeſſio non unà cum corporibus emitur, ſed eam poſtea pariunt atq; cōparant prudentes domini. Hæc acquiritur juſto uſu, ut neq; ob laborem defatigentur, neq; ob imbecillitatem deficiant. Etenim humana ſunt natura præditæ. Nonnullæ vero in lucro quæſtuoſiſſimo putant, famularū infirmitatem, eaſq; premunt onerib. & neceſſariis ad vitam reb. privant. Sic dum obuli lucrū faciunt, maximis mulctis afficiuntur, odiis atq; inſidiis perniciosiſſimis. Tu vero in prōptu habeas menſuram ciborum ad numerū lanicii, quam laborib. quotidianis tribuas. Et quod ad victū pertinet, hoc modo. Quod ad inobedientiā quantum te deceat, non quantū illis utile ſit, eſt efficiendum. Etenim objurgare famulas oportet pro dignitate. Crudelitas n. non adferet animo voluptatē. Odium verò malitiæ nihilo minus ratio ſuppeditat. Quòd ſi ſit incredibilis & immora famularū malitia, exterminanda erit per venditionem. Nam quod alienum eſt uſu, alienetur etiam poſſeſſione. In ea vero te cōſilium ſequaris, quo peccati, veritatem ad condemnationis æquitatē exigas, delictorum verò magnitudinem ad ſupplicii dignitatē. Dominarum autem etiam ſententia beneficiū, ſi meritam pœnam relinquat & cōdonet. Ad hunc modū in tuis reb. decorū conſervabis.

Quædam n. ô amica præ crudelitate verberib. corpora famularū afficiūt, vel æmulatione vel iracundia exaſperatæ, quaſi prodētes acerbitatis nimiā vehementiam. Quædam n. tempore ſunt abſumptę, aliæ ſibi fuga ſalutem quæſiverunt, nōnullæ verò è vita diſceſſerunt, manuq; ſibimetipſis mortē attulerunt. Ita in poſterū Dominæ ſolitudo lugentis domeſticā imprudentiam ac temeritatē, ad deſertam quandam atq; deſperatā pœnitudinem recidit. Sed ô amica, fac ut imiteris organa quæ remiſſā nimium ſonū reddunt, intenta verò vehementius diſrumpuntur. Nam eodē omnino modo res cū ancillis habet. Nimia remiſſio diſſonantiā efficit obediendi. Intētio verò neceſſitatis, diſſolutionē naturæ. Et in eo cogitandum eſt. μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον: Modus in omnibus rebus eſt optimus. *Epiſt. ad Caliſto.*

Epictetus: Si rem familiarem probè adminiſtrari cupis, Spartiatā Lycurgum imitare. ut enim is non urbem mœnibus cinxit, ſed cives virtute muniit: ſic tu ne magnam domum complectere, neq; altis turribus adornato, ſed habitatores benevolentia, fide, amicitia confirma. ſic nihil eam mali ingredietur, etiamſi univerſæ improbitatis turmæ impetum in eam fecerint. *E Stobæo.*

Dio Pruſæus: Puto & corporis aliquā curā eſſe habendā, ex multa continuaq; miſeria defatigati; & rerū domeſticarū oppidò malè diſpoſitarū, quæ tanto perditæ tempore, nullā nactæ ſunt correctionē. Ubi enim peregrinatio Domini pauliſper modò abſentis magnam etiā ſubſtantiam corrūpere poteſt, quid expectādum in tot exilii annis? unde nemo me ſperavit ſervari poſſe præter vos, propter excellentem benevolentiam. *Oratione 40.*

Libanius: At ſi quis difficultate morū, atq; aſperitate adhibita, & domeſticos ſuos in calamitoſiſſimo ſtatu videt, cū auxiliū ferre nequeat, honoris meminit, & claritatē ſibi vindicat: hūc odimus, & culpam, & Diis inimicū arbitramur: nā qui intempeſtivū, vbiq; in culpa eſt. Jā verò nō ſinit infortunatus frater horū opportunitatē adeſſe, nec

pate

pater adversatus; nec populus qui ab illo persuasus est. Sed in foro stare me æreum vellet, fratre non audente in fore conspici? verùm in Prytaneo alieno publico, hoc mensa paterna fraudato? at me talenta accipere, illo mendicante vis? an præconium obtinere abdicato fratre? minimè per Jovem. ne me erga naturam pravum feceris; neq; illius legum contemptorem declaraveris, quę domesticis ut iisdē gauderent, atq; iisdem dolerent præscripserunt. atqui frater in cognatione honoratissimus est. age, si nuper mortuus fuisset, & mortem victoria deprehendisset; & pro munere populus consedisset: nunquid me putas illa magnifica accepturum fuisse, coronam, imaginem, cetera: ac non potius, remunerationis loco, ut tempus aliquod ad luctum acciperem, petiturum? nunc ergo mortuus quidem non est: sed, quod multo gravius est morte, ignominiosus obambulat: imo latet. Quid igitur occasio flagitare hortatur? ignominiæ ipsius participem esse, & non in fratrum temporibus adversis deliciari. omne autem donum pro accipientis voluptate æstimatur. at quidquid dolorem adfert, tametsi alioqui sit è præclaris & honestis ad supplicium confert. quis non statim optaret corona donari ob benevolentiam erga populum? verum, si in luctu considentem excitatum duxeris ad cognitionem, ut prædicatione ipsum ornaturus, honore puniveris. unde tyrannos execramur, quia perturbant statutum de his sancitū. lugeo sanè etiam ipse fratrem expulsum: & coronam à capite fortuna amovet. Nam si sodalium aliquis, quos exercitationum societas benevolentia devinxit, in tale malum incideris, moderatè vobis laturus videret calamitatem; an accessurus ad strenuitatis fructus, in adversitatibus familiarium? pro quo vero nunc obsecrabam, frater est, mi pater: hoc primum justum est. condicipulus: hoc secundum. reveritus me ad extremum usque: hoc tertium. *Declamatione quadragesima prima.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Helvidio nunc unus ex tribus liberis supereſt; domumq; pluribus adminiculis paullo ante fundatam desolatus fulcit ac sustinet. *Lib. 4. Epist. 21.*

Plinius Iunior: Video quam molliter tuos habeas: quo simplicius tibi confitebor, qua indulgentia meos tractem. Est mihi semper ita animo, & Homericum illud πατὴρ ὡς ἥπιος ἦεν, & hoc nostrum, *paterfamilias.* Quod si essem natura asperior & durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zosimi; cui tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget. *Libro 5. Epistola 19. initio.*

Plinius: Est magnificum quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius quod tuos. quanto enim magis arduum est alios præstare quàm se, tanto laudabilius, quod cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. *Cap. 83. panegyrici ad Trajanum.*

¶ Poetarum.

Terentius Adelph. 4. sc. 7.

——— *O Iupiter!*
Haneci me vivam? hoscine mores? hanc dementiam?
Vxor sine dote veniet: intus psaltria est:
Domus sumptuosa, adolescens luxu perditus;
Senex delirans. ipsa si cupiat Salus
Servare prorsus non potest hanc familiam.

Terentius Hecyræ 4. sc. 3.

——— *Odiosa hæc est ætas adolescentulis.*
E medio æquum excedere est. postremo jam nos fabula
Sumus Pamphile, senex atque anus.

¶ Apologi.

De Aquila & Pica. Fab. 26.

Pica aquilam rogabat, ut se inter suos familiares & domesticos acciperet, quando id mereretur cum corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda, linguæ volubilitate. Cui aquila, hoc facerem respondit, ni vererer, ne quæ intra tegulam fiunt, tua loquacitate cuncta afferres.

Hæc fabula monet, linguaces & garrulos domi non habendos. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Catsius Emblemate nuptiali III.

Familia innupti manca.

Tota cohors Anatum, volucris si mascula desit,
Languet, & obscuro murmure stagna secat.
Adde virile decus: facies venit altera rerum;
Totaque festivis plausibus unda sonat.
Cum peregrè pater est, friget focus, anxia mater
Luget, & ancilla pro dape pensa ferunt.
Barba domas columen: meme juvat esse mariti:
Triste cubans vacuo bella puella toro.

Catsius Emblemate amatorio XLIV.

Jam plenus nubilis annus.

Hunc precor, o longo venerabilis Arbor ab ævo,
Corpore da ramum tollere posse tuo.
Cernis, ut inclinans caput in mea vota feratur,
Vtque meo jaciat sarcina grata sinu.
Me duce, mox poterit teneros producere fœtus;
Me duce nil sucris indiget illa tuis.
Vicimus, ô mea Lux! fuimus duo, jam sumus unum:
Quodque unum nunc est, mox duo rursus erit.

¶ Apophthegm. Christianor.

Magnum virtutis morumq; documentum esse probè instructam Familiam, suo dicto testatus est Nicolaus Pontifex ejus nominus Quintus. à quo dum sciscitaretur quispiam, priusquam esset in Pontificem electus, qualis haberetur Eugenius quartus tunc superstes; *Facile id cognitu,* alebat: *qualem enim familiam videbis, talem illius rectorem Principem esse puta.* *Auct. Serm. convival.*

¶ Monosticha Trochaica.

Alterius periculosè judices de servulo.
Cetera a servis, regends sed servi ipsimet ab hero.
Clade sub aliena sæpe plangimus domesticam.
Conscius servus jam servus haud est, est herus tuus.
Cornua erigunt heros in ipsos servos liberi.
Cum probus servis probusque est cum malis herus malus.
Cum servo quisquis jocatur servus eius redditur.
Damnum heris contingere servi gratulantur, non dolent.
Dedecus domus regentes ultimi sciunt suæ
De domo probationes qui arripit, nihil probat.
Dissoluto hero frugalis servus esse quei queat?
Dum domino adprobes opus, quid quæso curas cæteros?
Est heræ excitare ancillas, excitat servos herus.
Est sapienti item curandas res viro domestica.
Ex ancilla moribus dominarum studia judices.
Exemplis heri mali haud fit per niger servus bonus.
Exemplo ac pudore servos, non pavore provoces.
Familia præsente uxorem basiare dedecet.
Familiarem oportet esse hunc qui minitet malum.
Femina sit cura vestis, cura armorum sit viro.
Flagitiosus est dilabi rem familiarem qui sinit.
Haud minus arduum est, suam domum regere, ac provinciam.
In domo improba timori servus est magis quàm herus.
In reatu investigando dominus ne sit persequax.
Ire noli in servitutem; in ipsam sat cito cades.
Magnum animum induunt heredes familiarum ditium.
Nec servas habere remissè, sed nec intentè nimis.
Nemo jam est hero fidelis. servus nemo jam est bonus.
Non suadet familia prosit quod tibi, sed quod sibi.
Nulla est familiaritatis sudiciique copula.
Omnibus domesticarum rerum inest fastidium.
Ordinem ornatumque nacta sit statim domus potens
Pestis adium, adiumque flumina est item salus.
Plus domestico gravamur quàm peregrino malo.
Principio è malo conflata est sæpe familiaritas.
Protegat domum suam mas, curet illam femina.
Qualis est hera eius talis est item canicula.
Quei regat rempublicam male optimus rector domus?
Qui domui nequit præesse, quei curabit publicum?
Qui domum optimè, rem & idem publicam reget bene.
Semet ut ipso qui nescit, serviat, non imperet.
Servi at necesse, qui uti semetipso non potest.
Serviunt pejora semper: imperat præstantius.
Servus est bonus malus ve, ut eius educatio est.
Sit licet tuo emptus ære servus, est homo tamen.
Sunt malis bonis plerumque, sunt boni, servi malis.
Talis est hera catella qualis est hera ipsamet.
Talis esse herus solet quam servi volunt.
Turmaque cuneusque fit è familia fortissimus.
Turpia atque honesta herorum cuncta, servis cognita.
Turpius nil quam bello cum familiari cernere.
Vix probum invenire servum est sub domino merè improbo

¶ Jambica.

Acquirere est viri, servare femina est.
Aede in sceleſta metuit & servos herus,
Ancilla, imago cordis est heræ suæ.
Animum domina de ancillarum habitu judices.
Domi leones, sunt foris vulpeculæ.
Familia servus unus pauperi est hero.
Familia talis est ut esse vult herus.
Filij mares familiæ sunt columnulæ.
Gaudent eisdem, unare dolent domestici.
Hera, haud hera est, quem famulæ è somnis excitant.
Herus suæ familiæ noxiam sustinet.
Iisdem dolent, isdem gaudent domestici.
In laude laudis quæso quid domestica est?
Malis heris magnum est bonum servus bonus.
Nostræ domus novissimi scimus mala.
Peiora semper serviunt melioribus.
Pravus domi, esse quei queat bonus foris.
Quales heri tales famularis est manus.
Quid quæso herus maior minorque differunt?
Rara admodum in dominos servis licentia est.
Res familiaris quemque delectat suus.

Servani

Servanda gravitas domino apud servos sua est.
Servi loco bos atque asellus pauperi est.
Servi loco est bos illicio egentibus.
Servire qui non didicit, haud servit bene.
Servis duo sunt oculi, centum herus gerit.
Servis suis plerusque pejor est herus.
Si sorte domini servus censet, non sua.
Tales catelli sunt ferè quales hera.
Turpissimum certare cum domesticis.
Verè domus oculus domini præsentia est.
Unde in nefanda specimen egregium domo?
Ut esse servus vult herum, esse sic soles.

Videantur alia, titulo *Domini*, *Domus*, *Matris familias*, *Patris familias*, *Oeconomiæ*, *Servorum*.

Familiaritatis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

Nazianzenus: Quis improborum societatem & consuetudinem magis vitavit quàm Cæsarius? quis optimorum virorũ, tum aliorum, tum celeberrimi cujusq; ex patria & nobilissimi, familiaritati sese magis adjunxit? quod videlicet non ignoraret, ad virtutem aut vitium permagni referre, cum quibus quisque consuescat. atq; idcirco quis præsidib. imo quis universæ urbi charior, aut ob temperantiam clarior, aut ob ingenii sagacitatem illustrior? *Oratione decima, in funere fratris.*

D Nazianzenus de Basilio Magno: Illud vero non jam parvi, sed maximi etiam momenti ad gloriam haud immerito existimatur, consuetudinem cum eo aliquando habuisse, aut eum coluisse, aut quidpiam ab eo joco vel serio dictum aut factum monimenti loco ferre: quemadmodum ipse quoq; me hoc nomine sæpe gloriatum esse scio. quoniam quæ ab illo velut obiter fiebant, multò præstantiora erant, quàm ea in quibus alii elaborant. *Sub finem Orationis* 20.

S. Isidorus Pelusiota: Si nec turpibus studiis, nec his, qui eis utuntur, utaris, præclaram hoc tibi apud omnes laudem comparabit. Etenim turpibus studiis deditum esse, turpe atq; ingenuo homine indignum est: non autem iis deditum esse, sed eos, qui his dediti sunt, familiariter adhibere, famæ atq; existimationi labem affert. Providendum enim est, ut ne quidem existimemur ea facere, quæ facere turpe est, nec eos, qui ea faciunt, in familiarium ac necessariorũ numero habeamus. Metuendæ sunt enim vituperationes, etiamsi falsæ sint. Quandoquidem multi, veritatis ignari, ad famam opinionemque oculos conjiciunt, atq; unumquemq; talem esse judicant, quales eos esse conspiciunt, qui cum eo versantur, non à rebus dũtaxat, sed etiam ab iis, qui cum eo consuetudinem habent, calculum ferentes. Si enim virtutem colis, inquiunt, quid causæ est, quod cum improbissimis hominibus vitæ societatem inis? *Lib 3 Epist.* 124.

¶ PHILOSOPHORVM ORATORUMQUE GRAECORUM.

Phalaris Orsilocho: Si quod Pythagoras aliquando venire ad me recusarit cum eum persæpe vocassem, id mihi maximam infamiæ notam, ut tu ipse laudans eum contendisti, inussit, quod meam familiaritatem & consuetudinem fugeret: prorsus illud in laude ponendum erit, quod advenerit, & jam quintum mensem suavissimè mecum unà degat. Certum enim manifestumque est, eum ne momento quidem temporis mãsurum fuisse, nisi me suo ingenio suisque moribus persimilem inveniisset. *Epist* 74.

Xenophon: Hoc quoq; mirum mihi videtur, persuaderi quosdam potuisse, quod Socrates adolescentulos corrumperet; qui primò rerum venerearum ac gulæ, supra omnes homines continentissimus erat: deinde hyemis, æstatis, laborum omnium tolerantissimus: atq; etiam sic ad frugalitatem institutus, ut quum valde modicum possideret, facillime contentus iis esset, quæ habebat. Quo igitur pacto, quum talis esset ipse, reddidit alios vel impios, vel legum violatores, vel luxuriosos, vel in rebus venereis incontinentes, vel molles ad perferendos labores? Imo vero multos ab his vitiis revocavit, utque virtutis essent studiosi, perfecit: etiam injecta spe, futurum, ut si sui ipsorum curam gererent, in viros probos ac fortes evaderent. Neque tamen vnquam hæc se docere velle profitebatur, sed quia constabat eum talem esse, in spem erigebat illorum animos, qui cõsuetudine ipsius utebantur; futurum, ut si ipsum imitarentur, & ipsi tales evaderent. *Lib.* 1. *Memorabil. c* 5.

Xenophon: Tam vero Socrates utilis erat in negotio quovis, atq; omni modo, ut cuivis hoc consideranti, etiamsi vel parum quid intelligat, perspicuum sit, nihil fuisse utilius, quam Socrate familiariter uti, & cum eo ubivis locorum, & quavis de re disserente, versari. Nam ejus etiam absentis recordari, non parum proderat illis, qui ei familiares erant, & qui probabant eum. Quippe non minus ludens, quam serio quid agens, familiaribus suis proderat. *Lib.* 4, *c.* 1. *Memorabil.*

Arrianus: Omnino necesse est, eum qui frequentius cum aliquo colloquitur, aut compotat, aut deniq; familiariter vivit, vel ipsum illi fieri similem, vel illum ad suam rationem traducere. Nã si quis carbonem exstinctum ardenti adjunxerit, aut hic illum, aut ille hũc incendet. Cum igitur tantum periculum sit, indoctorum familiaritate & consuetudine caute est utendum. Satis enim intelligitur, si cum fuligine oppleto verseris, fieri non posse, quin & ipse fuligino-sus fias. Quid enim agas, si de gladiatoribus loquatur? Si de equis, si de pugilibus, & (quod his pejus etiam est) si de hominib. iste malus, iste bonus est: hoc recte factum, illud male. Præterea si quis derideat, si risum excitet, si improbis utatur moribus? Num quis vestrum ita paratus est, ut citharœdus, qui accepta cithara, chordis pertentatis, statim intelligit quæ non concinant, instrumentumque ad usum accommodare possit? Ea vis in Socrate fuit, ut quovis rerum statu familiares ad suum morem traduceret. Unde vobis istud? Imo necesse habetis vos accommodare moribus indoctorum. Cur autem illi vobis potentiores sunt? Quia putida illa ita proferunt, ut sentiunt: vobis vero elegantia ista in labris nascuntur, eaq; de causa infirma sunt & mortua: nec sine fastidio audiri possunt adhortationes vestræ & misera virtus, quæ vobis semper in ore est. Ita vos plebeii vincunt. *Cap.* 16. *lib.* 3. *in Epict.*

Aristides Sophistã: Quin & literatis honorificum erat, ipsius familiaritate usos fuisse, & aliis nobilibus clarisque viris multum ad splendorum conducebat ipsius consuetudo. *In funere Alexandri.*

Aristides Rhetor: Pericles quidem cùm esset Anaxagoræ usus commercio, eum, ni fallor, superavit. Alcibiades autem cùm Socratem habuisset sodalem, exiguum vel nullum potius ex ea re fructum percepit. *Orat* 2. *Platonica pro Quatuor &c.*

Heliodorus: Majori beneficio nos tibi devincies, si effeceris ut seorsim & clanculum habitemus, officium q; pollicitum, scilicet ut pete Arsacæ innotescamus differas, neq; introducas in tam splendidã & illustrem fortunam peregrinam, erroneam, tetricamq; vitam. Notitias enim & familiaritates cum similibus, ut scis, inire convenit. *Libro septimo Aethiopicorum.*

¶ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Quid ultra petitis, aut quid vultis? in conspectu vestro supplices jacent juvenes ingenui, honesti, & quod utroque potentius est, familiaritate vobis aliquando conjuncti. *Satyr.*

Petronius Arbiter: Inhibuimus ferrum post has preces, & prior Ascyltos, Ego inquit finem discordiæ imponam, puer ipse quę vult sequatur: sit illi saltem in eligendo fratre salva libertas. Ego vetustissimam consuetudinem putabam. in sanguinis pignus transisses nihil timui, imò conditionem præcipiti festinatione rapui, commisiq; judici litem: qui ne deliberavit quidem, ut videretur cunctatus, verum statim ab extrema parte verbi consurrexit, fratrem Ascyltos elegit. *Satyr.*

Videantur tituli *Amicitiæ*, *Consuetudinis*, *Societatis*.

Fascinationis.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Heliodorus: Ne mireris, si cùm se Chariclia ostentarit in tanto populi frequentia, attraxit invidum aliquem oculum. Subridens igitur ironicè, Tu quoq;, dixit, vulgi more fascinationẽ esse aliquam fortasse credis? ut aliud quippiam quod maximè verũ sit, inquam. atq; hoc ita existit. Hic aer undiquaq; nobis circumfusus, per oculos, nares & anhelitum, & alios poros intus penetrans, & una secum exteriores qualitates, quibus imbutus est, inferens qualis influxerit talem quoq; affectum iis qui illum exceperunt inseminat. Quamobrem cùm aliquis cum invidia res præclaras est intuitus, simul & circumstantem aerem infesta qualitate implevit, & spiritum à se amarulentia plenum in id quod propinquum est transmittit. ille autem ut tenuis & subtilis, usq; ad ossa ipsa ac medullas penetrat: atq; ita plerisq; fit invidia morbi caussa, qui proprium nomen fascinationis accepit.

Jam autem & illa considera, quam multi dolorem oculorum, & pestis contagionem hauserint, cùm haudquaquam attigissent illis morbis laborantes, imò ne lecti quidem nec mensæ ejusdem, sed tãtum aeris fuissent participes. Argumento tibi sit, si quidquam aliud, tum etiam amorum ortus, quibus objecta visa initium & ansam dant, & tanquam subventaneos affectus per oculos in animas adjiciunt. ac verisimile quidem ratione. Cum enim inter ceteros poros & sensus qui sunt in nobis, aspectus plurimarum mutationum sit capax & calidissimus, facilius recipit affectiones circumstantes, ferventi spiritu transmigrationes amorum ad sese trahens. Quod si opus est, exempli caussa, narrationem aliquam ex libris sacris, à naturæ consideratione sumptam, proferam. Charadrius ictericis medetur: quæ avis si istoc morbo laborans aliquis eam conspexerit, fugit & aversatur eum conclusis oculis non invidentia, (ut quidam aiunt,) auxilii, sed quod adspiciens, & trahit ad sese à natura morbum, veluti fluxum quendam; atq; de caussa declinat aspectum, tãquam ictum. Quod si aliqui & charissimos, ac eos quibus bene volunt fascinant, mirum non est. cum enim natura sint invidi, non hoc quod volunt, sed quod à natura eis est insitum, faciunt. *Libro Aethiopicorum tertio.*

ROMA-

¶ ROMANORUM.

Plinius: In Africa supra Nasamones familias quasdam effascinantium, Isogonus & Nymphodorus tradunt; quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse ejusdem generis in Triballis & Illyriis, adjicit Isogonus qui visu quoq; effascinent, interimantq; quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis: quod eorum malum facilius sentire puberes. Notabilius esse, quod pupillas binas in oculis singulis habeant. Hujus generis & feminas in Scythia, quæ vocantur Bithyæ, prodit Apollonides Philarchus, & in Ponto Thibiorum genus, multosq; alios ejusdem naturæ; quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem. Eosdem præterea non posse mergi, ne vestè quidem degravatos. Haud dissimile iis genus Pharnacum in Æthiopia prodidit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat. Fœminas quidem omnes ubiq; visu nocere quæ duplices pupillas habeant, Cicero quoq; apud nos auctor est: adeo naturæ, cùm ferarum morem vescendi humanis visceribus in homine genuisset, gignere etiam in corpore toto, & in quorundam oculis quoq; venena placuit; ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset. *Libro septimo natural. histor. cap. secundo.*

Idem: Antipathen gemmam contra effascinationes auxiliari, Magi volunt. *Libro 37. cap. decimo.*

Idem: Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus, alii Græcam Nemesin invocantes? cujus ob id Romæ simulachrum in Capitolio est, quamvis Latinum nomen non sit. *Libro 28. capite secundo.*

Idem: Fructiferarum palmarum quibusdam osseum in pomo lignum lunatumq;, dente contra fascinantes religione politum. *Libro 13. capite 4.*

Idem: Hyenæ frontis corinum fascinationibus resistere volunt. *Libro 28. capite 8.*

Idem: Satyrium quod orchis cognominatur, dicitur radice utile esse fascinis. *Lib. 26. c. 10.*

Idem: Despuimus comitales morbos, hoc est, contagia regerimus. simili modo & fascinationes repercutimus. *Libro Natural. histor. 28. cap. 4.*

Idem: Religione mutatur & Fascinus, Imperatorum quoq; non solum infantium custos; qui Deus inter sacra Romana à vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens descendit, medicus invidiæ; jubetq; eosdem respicere. similis medicina linguæ, ut sit exorata à tergo Fortuna, gloriæ carnifex. *Libro 28. capite eodem.*

¶ POETARUM.

Virgilius Ecloga 3. versu 102.

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in arvo:
Idem amor exitium est pecori pecorisque magistro.
ME. His certe neq; amor, causa est: vix ossibus hærent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Fastidii.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absq; tædio est, naturæ quidquid experit salus.
Copiaque exuberanti junctæ sunt fastidia.
Fastidari quam haud timeri acerbius superbiæ est.
Maxima voluptati usque proximum fastidium est.
Mos & assuetudo sensum demit & gustum boni.
Nulla res tam suavis est cui tædium non sit suum.
Perdunt suam vim cuncta consuetudine.
Rarum oportet sit deesse cui velis fastidium.
Sensibus quæ blandiuntur, haud ferunt fastidia.
Tædio est & sors secunda, si constat sibi diu.
Tanta nusquam est, voluptas quin minor fiat mora.

¶ IAMBICA.

A copia omni nascitur fastidium.
Citò voluptas implet, est que tædio.
Fastidio laborat & stultus sui.
Fastidium atque raritas vix sunt simul.
Fastidium parit plerunque copia.
Fastidiuntur usque homini præsentia.
Finit mum voluptati fastidium.
Nil stultius, fastidioso quàm mori.
Odij parens majoris est fastidium.
Prolixitas ubi est, ibi fastidium.
Quidquid necesse est, non habet fastidium.
Rerum omnium est frequentium fastidium.
Stultitia laborat omnis fastidio sui.
Vbi copia est, ibi statim fastidium.
Vbi est voluptas proximum est fastidium.
Vix est amicus amico qui fastidio est.

Fati.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. Chrysostomus: Fatum res est injustitiæ plena, plena insipientiæ & carens ratione, plena crudelitatis atq; inhumanitatis. *Homil. 2. ad Coloss.*

D. Chrysostomus: Nempe si quid habet virium fatum, in his quæ sunt maxima, quantum possit oportebat ostendere, scilicet in virtute ac vitiis, non in opibus ac paupertate. Sed unde, inquies, ille consenescit morbo, ille vero in sanitate perdurat? Unde ille probus, alter vero reprobus est? Unde illi res ex sententia provenit, alii vero innumera quotidie obsistunt impedimenta? A fato remove animum, & hæc omnia diligenter agnosces. Crede Deum esse, qui providentia sua cuncta disponit: & scies ista apertissime. Sed non possum, dices. non enim permittit rerum confusio suspicari providentia res humanas agi. An vero ista Dei opera dicenda sunt? Quo pacto credere possum Deum, quum sit summe bonus, luxurioso, inquinatoque sceleribus, & avaro pecunias largiter dare, & bono cuique subtrahere? Unde vis credam? Nempe enim ex rebus ipsis fides elicitur. Recte tu quidem. Non igitur illa geneses sunt? Ita, inquies. Justæ an injustæ? Injustæ prorsus. At hanc oro quis fecit? Deus? Nō, inquies, sed infecta est. Et quanam ratione infecta quum sit, ista operatur? Hæc enim contraria sunt. Non igitur ista Dei omnino sunt. Inquiramus ergo, qui fecit cælum? Genesis, inquies. Quis terram, quis mare, quis anni tempora, quis denique hæc omnia? An qui in his quæ sine anima sunt, tantum ostendit ordinem tantamque congruentiam fecit: in nobis vero, quorum gratia cuncta creavit, tantam temeritatem inesse instituit? Veluti si quis domum, ut sit præclaro opere atque honesto mirabilis, caute provideat: eos vero qui hanc habituri sunt negligat. Quis successionis seriem servat? Quis naturæ ordinatissimas imposuit leges? Quis diei noctisq; primum instituit cursum? Nonne ista genesi illa superiora sunt? Non, inquies sed ultro atque fortuitò facta sunt. Et qua ratione tantus ordo tam solers fortuito fieri potuit? Unde igitur inquies, divites ac sani, & gloria præstantes? Partim quidem ex immodica cupiditate, partim vero ex hæreditate, partim item vi aliqua adepti. Cur igitur, inquies, Deus ista permittit? Quia non est hujus temporis meritorum retributio, sed futuri. Tunc velim mihi aliquid ostendas ejusmodi. Interim hac in vita mihi, inquies, da, & illic non requiro, idcirco non accipis. Si enim quum extra voluptatis sensum sis, ita ista inquiris, ut illis præferas: quanto magis si voluptate ipsa pura ac liquida fruereris? Ex his igitur admoneris, nihil ista esse, minimumq; expetenda, sed media: nisi enim illa essent media, nunquam profecto & reprobis ea dedisset. Dic enim aut nigrum esse, aut longum, aut brevem, nonne medium est? Ita & divitiæ mediæ dicendæ sunt. Nam profecto in his quæ sunt præstantissima atque optima, ac saluti necessaria, nihil tale reperies, sed æqualiter omnib. indulta sunt: puta habitus idoneus ad virtutem, spiritualiumque distributio munerum. Profecto si Dei beneficia scires, quum ea æqualiter tibi atque illis fruenda data sint, ista rerum, quas medias diximus, non indigne ferens inopiam, neq; earum te cupiditas obtineret, si æqualitatem illam dignissimam, totis animi medullis haurires: quemadmodum enim famulus, qui escas à Domino, & indumenta, & habitacula, & alia omnia æqualiter cum aliis accipit, si quos crines habet superfluos in capite ungueſq; majores, plus aliquid se habere arbitratur: eodem modo qui hujusmodi est, frustra inflatur, magnumque sapit: idcirco clementissimus Deus nos per inopiam hujusmodi à terrenis affectibus separat, ut hanc vesaniam prorsus extinguat, ut humanarum rerum desiderium ad cœlestia transferat. Nos autem ne sic quidem resipiscimus. Sicut enim parvulus si quid habeat puerile, idque rebus necessariis præfert, pater ipsum puerilibus privat, vel ut invitum ad meliora traducat: ita & Deus omnia facit, cunctaq; molitur, ut vota nostra atque desideria ad cœlestia transferat. Cur igitur, inquies, pessimos quosque divitiis permittit affluere? Quia scilicet illas non magnifacit. Quomodo igitur etiam justos ditari permittit? Ut eos etiam per divitias probet, atq; ex illorum largitate cæteri ad miserationis provocentur exempla. Nam ut discas nihil esse divitias, aut sanitatem, aut gloriam, plurimos equidem tibi ostendere possum, qui quum lucrari possent, ea lucra omiserunt: qui quum sani & vegeti essent, corpora sua sponte macerant atq; affligunt: qui quum possent gloria affatim perfrui, omnia gerunt ut despectui sint. Nemo tamen bonus, malus esse studet. *Homilia 1. ad Timoth. 1.*

Basilius Seleuc. Cùm Dei consiliis adversari voluerint homines, concedit Deus libidini obsequantur suæ, sinentque cogitata in lucem venire, mores publicè infamat. Servos suæ intentionis vel invitos facit, ut quæ impedire voluerint, palam conficiant, & per eas artes, quibus moras injecerant, cooperatores reperiantur, quo & bellum simul inferre, & simul servitutem servire comprobentur. Sic Josephi fratres usque ad sanguinem contra somnia pugnantes nundinatione somniа ad effectum perducunt, & inclementes cognati sanguinis nundinatores constituti, post paullò sui concitata commiseratione victus emtores evadunt, & objectos per somnium manipulos exosi, non multo post verorum manipulorum supplices rogatores exstiterunt. *Orat. 8. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Ex his quæ circa mortem regis Achab contigerunt,

tigerunt, admirari licet, quemadmodum ne prædictum quidem fatum effugi possit. Animos enim humanos callidè subit, spe læta iis blandiens, eosque illuc circunducit, ubi eos certò superabit. *Lib.2. Epist 77.*

S. *Isidorus Peluſiota*: Pulchrè feciſti, qui tametsi nos morbi reliquiæ adhuc infestent, citharam tamen situ jam obsitam tractare coegeris, carmenq; canere, si non clarum & exaudibile, at obscurum saltem & quietum. Quamobrem aures tuas atque animum ad intelligendum acue. Neque enim leviter ac demisse canentem audire facile est. Undenam ergo, unde, inquam, carmen auspicabor? Hinc nimirum unde oportet. Hoc igitur aio, hominum esse, mea quidem sententia, nihil boni, nec nunc facientium, nec in posterum expectantium, fatum calculis suis constituere. Ac ne mea sententia esse videatur id quod dico, age, per liquida argumenta, quæq; ad fidem adhibenda adigant, nec ulla vi obteri possint, oratio nostra grassetur, res ipsas expendens, ac verum in apertum proferens. Perspice quippe quotnam hominibus adversentur, & quot bona ex animo suo eliminare studeant, ac vecordiam eorum & amentiam perhorresce.

Deum aut non esse statuunt, aut esse quidem, mundum autem haudquaquam condidisse: aut, si condiderit, minimè gubernare: aut, si gubernet, iis, qui vitium amplexantur, oblectari: aut si non delectetur, imperium aliis concessisse? aut si non concesserit, invito ereptum fuisse, aut si non ei ereptum sit, improbos ulcisci nolle: aut si velit, non posse: aut si possit, otium charius atque antiquius habere: aut si charius non habeat, ab astrorum motu superari: aut si non superetur, inertem ac desidem esse velle: aliaque multa, ne sigillatim loquentes oratiunculam in longum producamus: quorum nihil est, quod extremam stultitiam & impietatem non redoleat. Atq; ita & adversus divinam providentiam linguam instruunt, cælumque sagittis petunt, & item terræ ornamenta profligant, hoc est philosophiam, medicinam, omnesque scientias & artes ac studia, atq; & virtutis præmia, & vitii pœnas. Nam si fatum, quod ab his, quibus divinos honores iniquè tribuunt (astra enim haud scio quonam pacto in deorum numero habeant) conficitur, rerum omnium imperium tenet, nec philosophiæ opera danda est, nec leges condendæ, nec judicandi munus suscipiendum, nec colenda medicina, nec scientia aut ars ulla consectanda, nec meditationi studendum, nec virtus amplectenda, nec vitium fugiendum. Hæc enim omnia, vir beate, sermo ille, qui de fortuna jactatur, evertet, resque omnes honestas ac laude dignas funditùs evellet.

Quis autem eorum, qui mentis ac prudentiæ compotes sunt, hoc ferat? Quis, inquam, ab his omnibus rebus seipsum subducens, res suas fortunæ (ut appellatur) arbitrio permittat, cujus nequitiam ut scriptores ac pictores declararent, parum habuerunt ei fœmineam formam tribuisse (quamvis hoc quoque satis amplum amentiæ ac stoliditatis indicium erat) nisi etiam clavum ipsi in manibus præberent, pedibusq; globum subjicerent, ac deniq; oculis eam orbarent: quo videlicet per hæc omnia ipsius dementiam & stuporem ac cœcitatem, & inconstantiam indicarent. Ecquis igitur dextra ea, quæ omnia gubernat, contempta & pro nihilo habita, cœco & instabili atque improbo spectro seipsum credat?

Quoniam autem quærunt, quinam igitur fiat, ut nonnulli præter rationem opibus affluant: dicant vicissim qui fiat, ut nonnulli quoque meritò atq; modo rationi consentaneo? Quod si rursum quærant, ecquid sit, quamobrem quidam injustè puniantur: exponant velim cur quidam etiam justè. Aut enim injustitia in omnibus rebus dominetur, atq; ita præposterus eorum sermo idem nanciscatur: aut ea, quæ modo rationi consentaneo fiunt, eas quoque, quæ præter rationem fiunt, à ratione vindicet. Melius quippe ac multò congruentius & æquius est dicere, sceleratissimos homines, etiamsi pœnas in hac vita effugerint, in altera tamē omnino daturos: quàm illud affirmare, virtute præditos homines injuria affectos fuisse, quod hic pœnam & cruciatum subierint, nulla autem postea ipsis ultio maneat. Illud enim & verum est, & rationi consentaneum, omniumq; animos ad virtutis & pietatis studium excitat: hoc autem à ratione alienum & impium est, ac rectam omnem vitæ rationem evertit.

Porro qui hæc dicunt, jam nec concinnum nec modulatum astrorum motum appellent, ut qui inconcinnam, & inconditam atque inæquabilem humanam vitam reddat, ac deniq; nihil non absurdi efficiat: atq; nec agriculturæ studeant, nec implorandi auxilii causa ad judicum tribunalia se conferant, nec medicinæ opem adhibeant, nec philosophiam laudent, nec vitium insectentur, nec meditationis opera meliores reddantur, nec ullo alio virtutis genere seipsos exornare studeant, verum fortunæ, quam semper in ore habēt, totos se permittant: quo perres ipsas imbecillitatem ipsius agnoscant, nempe quod non modo divitias non subministrat, verum etiam eos tanquam impuros; & execrandos homines ac communis naturæ hostes ab omnibus explodendos & exterminandos curabit.

Quod si cum hæc omnia faciunt (pudore enim deterrentur, quominus adversus ea, quæ periculam utilitatem habent, linguam suā opponant) adversis rerum successibus offenduntur, illud discant, multis persæpe malè cessisse, in plerisq; rebus id quod cupiebāt consecutos esse. Compluribus enim divitiæ detrimento fuerunt, gladioq, adversus eos exacuto ad hostium manus trāsilierunt: ac principatus & imperium, quod ab omnibus tanto animorum studio atque ardore expetitur, non modò beatam vitam, sed ipsammet etiā vitam sæpenumero eripuit. Quamobrem ne hoc solum spectent, an rebus optatis frustratio adsit: verum nisi paupertas iis, qui ea præditi sunt, divitiis utilior sæpenumero atque conducibilior fuerit, ita demum adversus Providentiam clamores edant.

Nec vero judicandi potestatem atq; arbitrium sibi ipsis præbeant, verum sapientibus viris, quos ipsi laude & prædicatione efferunt. Ecquid enim est, quòd Socrates cicutæ poculo mulctatus injuria se affici haudquaquam existimavit? Plato venditus libertate se dejectū esse minimè ducebat? Diogenes in pannis vivens Persarum rege copiosior ditiorque sibi esse videbatur? Antisthenes squalens ac sordidus in lætitia versabatur, linguamque adversus eos, qui luxui & deliciis indulgebant, tanquam armis quibusdam instruebat? Phocion denique, cum unà cum amicis nonnullis ad mortem duceretur, quidamq; in lachrymas prorupisset, viamq; luctibus & lamentis implevisset, his ad eum verbis utebatur, Quid? an non bene tecum agi putas qui cum Phocione sis moriturus?

Cùm igitur sapientes viros, nec mors, nec servitus, nec paupertas conturbarit, imò potiùs gloriandi materiam præbuerit (norant enim scilicet hanc vitam stadium esse, futuram autem honorum ac præmiorum parentem) quid tandem causæ est, quamobrem isti deliciis & opibus atq; imperio felicitatem definientes, ob eos, qui contrariis rebus conflictantur, adversus Providentiam, quæ, quid expediat, exploratum habet, atq; unicuiq; aut permittit, aut tribuit (ut nimirum & dives voluntatis suæ atque inductionis animi experimentū præbeat, & pauper, ut aurum igne, sic paupertate probatus & exploratus coronam assequatur) linguam suam instruunt?

Quod si rursum omnes tum per opes tum per egestatem explorari oportuisse dixerint, illud respondebimus, primum multos quoque ad hunc modum exploratos fuisse, atque in opibus superbos & insolentes, & in paupertate ignavos & effœminatos sese præbuisse. Quòd si non omnes, maximè quidem per hos reliqui quoq; defendi possunt. Sed tamen nihil hujusmodi dixerim, verùm illud potiùs, ex hujus vitæ cruciatibus probis viris nihil detrimenti afferri, cùm in altera vita ipsis coronæ recondantur: quin potiùs eum deniq; coronam ipsorum imminui, cùm hic præmium aliquod & felicitatem aliquam consequuntur. Quæ cùm ita sint, ne hic omnia exquirant, verum illud cogitent, incorruptum judicium fore, quod, & orationū scriptores, & poetæ & rhetores, & historici prædicant. Quamquam enim certam & exactam ipsius cognitionē minimè consecuti sunt, at ipsum tamen omnino fore docuerunt. *Lib 3. Epist.154.*

S. Isidorus Peluſiota: Si omnia, vir erudite, fatali quadam, ut ais, necessitate fiunt, ac dicuntur, exponas velim, qui fiat, ut ipsa seipsā per nos evertat. Nam si ipsa omnia efficit, eadem nunc est, quæ per nos fatum haud esse prædicat. Quin ergo ipsi, quam esse dicitis, se minimè esse dicenti, idem adhibetis? *Lib. 3. Epist.135.*

S. Isidorus Peluſiota: Qui res omnes permiscent, ac leguminum, ut dici solet, mixturam faciunt, sanæ mentis mihi minimè videntur. Nam si Deus est, fatum non est. Si autem fatum, non dicam quod cum eo pugnat. vertatur enim in eorum capita, qui ut hoc dicatur, procurant, hæc blasphemia. Quod si nemo est qui hoc dicere ausit, sine controversia penes Ecclesiam est victoria. Ac sufficiebat quidem, ut opinor, hæc palma, etiamsi sola esset. Nunc autem aliis quoque per multis innitimur. Si fatum est, lex non est. Si autem lex, fatum non est. Si fatum est, admonitio non est. Si autem admonitio, fatum non est. Si fatum est, judicium non est. Si autem judicium, fatum non est. Si fatum est, non est precatio. Si autem precatio, fatum non est. Si fatum est, meditationes non sunt. Si autem meditationes, fatum non est. Si fatum est, philosophia non est. Si autem philosophia, fatum non est. Si fatum est, medicina non est. Si autem medicina est, fatum non est. Si fatum est, agricultura non est. Si autem agricultura est, fatum non est. Ac multa item alia cùm dicere habeam, nunc prætermitto, rursum autem colligam. Si igitur unius rei cum una certamen esset, dubia fortasse victoria foret. Cum autem una res adversus multas & varias dimicet, extra controversiam, ut opinor, est victoria. Quamvis enim una vicisse videatur, ab aliis tamen vincetur. Idcirco autem dixi, *videbitur*, quoniam non omnes hoc habent, ut syncerè de rebus judicent. Id quod vel ob mentis exiguitatem contingit, vel ob segnitiem, vel ob morum improbitatem, vel ob morti vicinam opinionem præconceptam sive anticipatam, qua priùs eorum animi imbuti sunt. Nam alioqui iis, qui mente præditi sunt, ac rerum judicium opinionibus quibusdam minimè prius occupatum habent, perspicua est veritas. *Libri tertij Epistola 191.*

¶ Latinorvm.

Egesippus: Nullius virtus statutis afferre possit cœlestibus impedimentum. *Fine capitis primi, libri tertij de excidio Hierosolymitano.*

Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Lucianus: Minos: Hic quidem prædo Sostratus, in Pyriphlegethontem immittatur: hic autem sacrilegus à Chimæra discerpatur: tyrannus vero iste Mercurii, juxta Tityum extēsus, hepar & ipse vulturibus præbeat arrodendum. At vos boni in Elysium campum celeriter abite, & beatorum insulas habitate, pro iis quæ justè in vita fecistis. *Sost.* Audi ô Minos, num tibi justa dicere videar. *Min.* An ego denuo nunc audiam? annon convictus es Sostrate, quod & malus fueris, & tam multos occideris? *Sost.* Convictus quidem sum: sed vide an juste afficiar supplicio. *Min.* Ita sanè: siquidem justum est meri-

meritam cuique mercedem rependere. *Sost.* Attamen respondè mihi Minos: breve enim quiddam interrogabo te. *Min.* Dic dummodo non prolixè: ut & alios jam dijudicare possimus. *Sost.* Quæcumque in vita egi, utrum volens egi, an verò à Parca mihi agglomeratum est? *Min.* A parca scilicet. *Sost.* Proinde & boni omnes, & nos qui mali videmur, annon hæc agimus dum illi obsecundamus? *Min.* Ita profectò Clothoni illi obsequentes, quæ unicuique cùm primùm natus est, agenda injungit. *Sost.* Si quis igitur ab alio coactus quempiam occiderit, cùm ei nequeat contradicere à quo vi compellitur: verbi gratia, quum carnifex, aut satelles, ille quidem judici, hic tyranno morem gerens, quemnam cædis istius reum ages? *Min.* Liquet reum agendum judicem, aut tyrannum: siquidem neque ipsum gladium accusare possumus: subservit enim hic, tanquam instrumentum quoddam ad illius explendum animum, qui primò causam hanc præbuit. *Sost.* Benè est Minos, quod hæc etiam exemplo, quasi quodam actuario locupletas. Si quis autem ab hero missus, aurum vel argentum afferat utri habenda est gratia, utri beneficium hoc acceptum est ferendum? *Min.* Ei qui misit; minister enim tantùm fuit, qui attulit. *Sost.* Videsne igitur quàm injusta facias, dum nos supplicio afficis, qui ministri tantùm fuimus eorum quæ Clotho nobis imperavit: & dum hos honore prosequeris, qui aliena bona solùm administrarunt? Nemo enim dicere poterit, possibile esse iis contradicere, quæ cum omni necessitate imperata fuere. *Min.* Multa, Sostrate, & alia videas licet, minimè secundum rationem fieri, si diligenter expendas. Verumtamen tu ex hac quæstione hoc boni consequeris, quod non prædo solùm, sed etiam Sophista quidam esse videris. Solve ipsum Mercurii, nec puniatur amplius. Cæterùm vide ne & cæteros manes similia interrogare doceas. *Dialogus mortuorum.*

Lucianus: Aeacus: Quamobrem Protesilae, in Helenam irruens, illam strangulas? *Prot.* Quoniam ejus causa Aeace, imperfecta domo relicta, & quam nuper duxi, uxore vidua, mortuus, tum. *Ae.* Accusa igitur Menelaum, qui vos omnes pro tali conjuge recuperanda, contra Trojam duxit. *Prot.* Rectè dicis accusandum mihi esse illum. *Men.* Nequaquam me, sed multò justius Paridem, qui hospiti mihi uxorem contra omne jus eripuit. Hic enim non modò abstet, verùm & ab omnibus, tum Græcis, tum Barbaris, merito strangulari debebat, ut qui tam multis mortis causa extiterit. *Prot.* Melius sic: proinde te infœlix Pari, nunquam è manibus dimittam. *Par.* Injuriam feceris Protesilae, idque ei qui eandem tecum artem exercet. Nam & ipse amori sum deditus, & ab eodem Deo tenor. Nosti autem, nobis invitis quædam fieri, & nescio quem Deum ducere quocunque velit, eique repugnare impossibile esse. *Prot.* Recte dicis. Utinam igitur Cupidinem ipsum hic comprehendere mihi liceat. *Ae.* At ego pro Cupidine justa tibi respondebo. Dicit enim ille. Sese quidem Paridi fortassis fuisse causam amandi: mortis verò causam tibi neminem alium, quàm te ipsum fuisse, Protesilae, qui nuper ductæ conjugis oblitus, cùm Troadi appropinquaretis, omni contempto periculo, ac velut dementatus, ante reliquos omnes exiliisti, gloriæ nimirum cupidus, propter quam etiam primus in navium egressu occisus fuisti.

Prot. Ego etiam Æace tibi pro me ipso justiora respondebo. Neque enim horum mihi causa fui, sed fatum, & quòd jam inde ab initio ita prædestinatum fuerat. *Ae.* Rectè. Quid igitur hos accusas? *Dialogus mortuorum.*

Lucianus: Cynisca: Equidem ego Jupiter, tibi non ero molestus, in rebus hujusmodi petendis, divitiis, auro, regnove, quæ vulgo sunt in votis, nec tu facilè præbere potes, unde video te ipsorum precibus aurem non præbere. Atqui ego vellem hoc unum à te facillimum impetrare. *Iup.* Quid hoc est Cynisce? non enim nihil impetrabis; præsertim cùm modica petas. *Cyn.* At respondè mihi ad quæstionem non difficilem. *Iup.* Exigua revera, facilisque precatio. Quare quicquid voles interroga. *Cyn.* En ista Jupiter. Legisti enim aliquando Homeri, & Hesiodi poemata. Dic ergo mihi num vera sint ea quæ illi de fato & Parcis cecinerunt: Inevitabilia nimirum esse quæcunq; cuique nascenti evenerint. *Iup.* Et sanè vera hæc sunt: nihil enim est quod Parcæ non ordinent: sed quæcunque ab illarum fuso vertantur, statim ab initio singula destinatum habent eventum, neque aliter fieri fas est. *Cyn.* Nunquid quum ipse Homerus in altera parte poeseos dicit, *Inferane Parcis invitis regna subintret*, & id genus alia, ipsum videlicet tum nugari dicemus? *Iup.* Maximè. Nihil enim extra Parcarum legem, nihil præter linum fieri queat. Cæterum poetæ quæcunque Musarum afflatu cecinerint, vera sunt: sed quum ab hisce Deabus deseruntur, ac per se carmina componunt, tunc utique errant; & cum prioribus pugnantia disserunt. Idque venia dignum, si homines cùm sint, Veritatem ignorant, quando numen illud abiit, quod quum præsens erat, per ipsos carmina componebat. *Cyn.* At hoc quidem ita se habere dicemus. Illud præterea mihi responde. Nonne tres sunt Parcæ? nempe Clotho, Lachesis, & Atropos. *Iup.* Maxime.

Cyn. Fatum ergo & Fortuna, nam & hæc celebria sunt Numina, quænam sunt, aut quid ipsorum utrumque potest? Utrum paria sunt Parcis, an superiora? Omnes enim affirmantes audio? Fortunâ & Fato nihil esse potentius. *Iup.* Haud fas est omnia te scire Cynisce. Quorsum igitur hæc de Parcis interrogasti? *Cyn.* Si priùs mihi Jupiter & illud exposueris, num & in vos illæ imperium obtineant, & necessum sit vos ex illarum lino pendere.

Iup. Necessum omnino Cynisce. Quid ergo risisti? *Cyn.* Memini illorum Homeri carminum, quibus te in Deorum cœtu concionantem introducit, quum minabaris te catena quadam aurea sursùm omnia subducturum. Etenim dicebas te catenam cœlitus demissurum, quam si detrahere conarentur Dij omnes ex illa pendentes, detrahere non possent: tu vero quum velles, facilè omnes cum ipsa terra, & mari trahere posses. Quare tunc pollere mihi videbaris admirando robore, & audiendo carmina perhorrescebam. Nunc autem te video cum catena, minisque à tenui, ut ais, filo pendentem. Videtur itaque mihi multo justius Clotho gloriari posse, ut quæ te ipsum ex fuso videat pendulum, quemadmodum piscatores vident pendentes à calamo piscículos.

Iup. Nescio quid tibi velis hisce quæstionibus. *Cyn.* Illud nimirum Jupiter, & per Parcas, & per fatum te obsecro, ne asperè, ne acerbè audias me veritatem liberè proferentem. Nam si hæc ita se habent, & Parcæ rerum omnium potiuntur, nihilque à quoquam immutari potest, eorum quæ semel decreverunt, quorsum vobis nos homines sacrificamus, & hecatombas offerimus, à vobis bonorum largitionem precantes? Non enim video, quem ex hac cura fructum percipiamus, si neque malorum aversiones precibus obtinere possumus, neque divinitus boni quicquam consequi.

Iup. Novi unde tibi suppetant argutæ istæ interrogationes; nempe ab execrandis illis sophistis, qui nos rebus humanis providere negant. Itaque illi quæstiones hujusmodi, præ impietate proponunt: alios homines à sacrificando, & votis nuncupandis avertentes, quasi inane sit illud: quandoquidem neque curamus ea quæ facitis, neque in his quicquam possumus quæ in terra geruntur. Verumtamen hæc dixisse dolebunt.

Cyn. Non per colum Parcarum, Jupiter, ab illis persuasus, hæc te interrogavi. Disputatio vero nostra, nescio quomodo eo progressa in hoc ipsum incidit, ac supervacanea hominum sacrificia esse confirmat. Rursus verò, si videtur, paucis te interrogabo: tu verò ne graveris respondere, ac vide ut quàm cautissimè respondeas?

Iup. Interroga, si tibi vacat talia nugari. *Cyn.* Aisne omnia fieri nutu Parcarum? *Iup.* Aio. *Cyn.* Vos verò posse hæc mutare, & revolvere? *Iup.* Nequaquam. *Cyn.* Vis ergo, ut quod sequitur, inducam? sive planum, sive secus illud dixero. *Iup.* Planum utique est. Nam qui Diis sacra faciunt, necessitatis causa non faciunt, sed beneficium compensant, & veluti bona mercantur à nobis, aut alioqui, quod est præstantius, honore prosequuntur.

Cyn. Hoc satis est, si etiam dicis nullius utilitatis gratia sacra fieri: verùm bonitate quadam hominum quod præstantius est, colentium. At si quis ex Sophistis illis adesset, ex te quæreret quo nomine Deos præstantiores esse dicas, cum sint hominum conservi, earundemque dominarum, Parcarum scilicet imperio obnoxii. Non enim sufficiet ipsis ut sint immortales, quò videantur meliores. Siquidem hoc multo est deterius: quoniam hos quidem, si nihil aliud, mors saltem in libertatem asserit. At res vobis in immensum exit, æternaque est vestra servitus, dum longo filo volvitur. *Iup.* At ô Cynisce, hæc temporis perpetuitas, & immensitas, fœliciter nobis cedit, ac vitam bonis omnibus affluentem agimus. *Cyn.* Non omnes, Jupiter. Nam discrimen inter vos extat, multaque inest perturbatio. Nam tu beatus es: regnas enim, & terram ac mare potes tanquam demisso fune attollere. Vulcanus autem, est claudus, mechanicus, & ignipotens. Olim verò cruci affixus est Prometheus. Quid patrem tuum commemorem, quem adhuc in tartaro vinctum esse constat? Quinetiam vos amare, vulnerari, interdum apud homines servire dicunt, quemadmodum fratrem tuum Laomedontem, & apud Admetum, Apollinem. Hæc quidem non plena mihi videtur fœlicitas: sed vestrum alii videntur fortunati & fœlices, alii contrà. Omitto vos perinde atque nos latrociniis & sacrilegiis compilari à sacrilegis, & ex ditissimis pauperrimos momento temporis evadere. Multi etiam vestrum ex auro argentove conflati sunt: quibus erat hoc à fato præstitutum. *Iup.* Vides ut contumeliis nos petis Cynisce, forsan olim tibi pœnitendis.

Cyn. Parce minis Jupiter, cum scias me nihil passurum quin id ante te mihi fuerit à Parca destinatum: quoniam neque illos ipsos sacrilegos puniri video: sed plurimi manus vestras effugiunt, cùm in fatis non esset ut caperentur. *Iup.* Nonne dicebam te ex eorum esse numero qui verbo providentiam tollunt?

Cyn. Omnino Jupiter, metuis ipsos nescio quorsum: proinde quæcunque dixero, illorum doctrinam esse arbitraris. Verum ego unde veritatem, nisi ex te didicero? Cæterùm lubenter ex te quærerem, quænam vobis sit hæc Providentia. Num Parca aliqua, an verò superior his quæpiam Dea, tanquam illarum domina.

Iup. Jam ante dixi, fas non esse ut omnia scias. At tu cùm initio dixisses te unum quid interrogaturum, non desinis hujusmodi nugas mihi proponere. Et jam quò tuæ disputationis tendat summa, perspicio, ut nimirum ostendas in rebus humanis nihil fieri à nostra providentia. *Cyn.* Hoc meum non est: sed tu paulò antè dixisti Parcas esse quæ omnia faciunt: nisi illorum te pœnitet, tuaque dicta revocas, expulsoque fato de suscipienda cura deliberatis.

Iup. Nequaquam: sed Parca per nos facit singula. *Cyn.* Intelligo. Ergo Parcarum famulos & ministros vos esse perhibetis. Sic illæ sunt quæ provident, vos veluti illorum fabrilia instrumenta estis. *Iup.* Quid dicis? *Cyn.* Nempe ceu ascia fabro lignario, & terebrum ad perficiendam artem est adminiculo, nemo dixerit hæc esse artificem: neque navim esse asciæ, aut terebri, sed naupagi opus. Pari ratione Fatum est quod omnia facit: vos terebra, & asciæ Parcarum estis. Atque ut par est, homines qui sacra facere Fato, ab

coque bona petere deberent, vos supplicationibus & honoribus venerantur. Ac neque si Fatum sacrificiis & votis colerent, id rectè facerent. Non enim puto Parcas ampliùs mutare & vertere posse quicquam eorum quæ de quovis ab initio decreta sunt. Proinde æquo animo non tulerit Atropos, si quis Clothus laborem dissolvens, fusum torqueat in contrarium.

Iup. Tu jam Cynisce, neque Parcas ab hominibus colendas esse censes, sed videris malle omnia confundere. Nos vero, etsi nullam aliam ob causam, saltem quia divinamus, & quæcunque à fato sancita sunt, præmonemus, merito colamur.

Cyn. Omnino inutile est, Jupiter, futura præscire, iis qui neutiquam ea devitare possunt, nisi contrà dicas, eum qui præscivesit se ferrea cuspide interemptum iri, mortem se includendo vitare posse. At fieri non potest, nam ad venationem educit illum Parca, & hastæ objiciet. Ac Adrastus emissa in suem cuspide, ab eo quidem aberrabit, Crœsi verò filium necabit, quasi violento quodam Parcarum decreto feratur in juvenem. Quinetiam ridiculum est istud quod Laio dixerunt, Cave dis nolentibus prolem seras. Nam sobole suscepta occidet te filius. Etenim supervacaneam esse puto earum rerum admonitionem, quæ non possunt non fieri. Atqui accepto responso & prolem suscepit, & à filio interemptus est. Quare non video quam ob rem & mercedem exigatis propter vaticinium. Ut interim silentio præteream, quòd obliqua, quæque in utramque partem referri possunt, vulgo respondere soletis, non admodum clarè explicantes, num ille trajecto Hale suum ipsius imperium eversurus esset, an Cyri, utrumque enim potest oraculum.

Iup. Erat ô Cynisce, quædam Apollini in Crœsum iræ causa: quia illum tentaverat, carnes ovillas ac testitudinem unà elixando.

Cyn. Atqui Deo conveniebat non irasci. Attamen ut puto, in fatis erat ut Lydus ille ab oraculo deciperetur. Atque alias, ne futura perspicuè audiret, fatum præstituerat. Itaque & vestra divinatio, pars est illius.

Iup. At nobis nihil relinquis: verùm frustra Dii sumus, qui neque providentiam in res humanas inferimus, neque sacrificus digni sumus, haud aliter revera quam terebra, aut asciæ. Ac sanè videris meritò me contemnere, quòd cùm fulmine armatus sim, sustineo te talia in nos disserentem. *Cyn.* Feri ô Jupiter, si mihi fatale est fulmine feriri. Neque te ictus accusabo, sed Clothonem tua opera vulnus infligentem. Neque enim fulmen ipsum dicam mihi vulneris causam exutisse. Verum illud vos interrogabo, te & Fatum: tu vero mihi ipsius nomine responde. Etenim hoc minis tuis in memoriam revocasti: qui fit tandem, ut omissis tot sacrilegis, latronibus, flagitiosis, violentis, perjuris, quercum aliquam plerumque, aut lapidem, aut navis insontis velum fulmine petatis? Interdum etiam frugi & sanctum viatorem. Quid taces Jupiter, aut fortasse ne hoc quidem me nosse fas est?

Iup. Nefas est Cynisce. Tu verò curiosus es, neque scio unde his mihi comportatis venias. *Cyn.* Proinde neque illud vos rogem, rem nimirum, & Providentiam, & Fatum, cur Phocion ille bonus, in tanta paupertate, & rerum necessariarum penuria diem obierit: & ante ipsum Aristides: Callias vero & Alcibiades juvenes intemperantes, ditissimi fuerint, & sceleratus Midias, & Charops Aegineta, homo cinædus, qui matrem fame peremit. Contra Socrates undecim viris traditus est, Meletus verò non item: & Sardanapalus effeminatus regnavit, Persarum verò tot viri præclari ab ipso crucixi sunt, quia factis ipsius non delectabantur. Atne vobis sigillatim edisseram quæ nunc geruntur; ut pravi & facinorosi felices sint: boni verò rapiuntur & feruntur, paupertate, morbis, & malis sexcentis pressi. *Iup.* Nescis enim, Cynisce, quanta supplicia post hanc vitam ferant scelesti, aut in quanta fœlicitate versentur boni. *Cyn.* Inferos mihi dicis, Tityos, & Tantalos. Ego verò siquid est istiusmodi, perspicuè cognoscam ubi vita defunctus fuero. Quantum ad præsens attinet, velim ut quantumcunque hoc temporis in vivis exigendum est, beatè exigam, & à sedecim vulturibus hepar meum à morte depascatur: sed non in hac vita siti laborans, ut Tantalus, in beatorum insulis cum Heroibus, in Elysio campo constitutus bibam.

Iup. Quid ais? Annon credis esse supplicia, honores, & forum judiciale ubi uniuscujusque vita examinatur? *Cyn.* Audio Minoem quendam Cretensem infra talibus rebus cognoscendis operam dare: de quo mihi aliquid responde num tuus sit filius, ut aiunt.

Iup. Quamobrem verò ista de illo quæris Cynisce? *Cyn.* Quos potissimum afficit supplicio? *Iup.* Pravos nimirum, veluti homicidas, & sacrilegos.

Cyn. Quosnam verò ad heroas mittit? *Iup.* Nempe bonos, sanctos, quique secundum virtutem vixerunt. *Cyn.* Quorsum Jupiter?

Iup. Quoniam alii honore, alii supplicio sunt digni. *Cyn.* Quòd siquis invitus mali quidpiam commiserit, num & hunc supplicio affici justum censet? *Iup.* Nequaquam. *Cyn.* Proinde, neque siquis invitus boni aliquid fecerit, eum honore dignabitur?

Iup. Nequaquam. *Cyn.* Itaque haud convenit illi ô Jupiter ullum neque honore ornare, neque supplicio afficere.

Iup. Quomodo nullum? *Cyn.* Quoniam nihil nos homines spõte facimus, sed necessitate quadam inevitabili compulsi: siquidem vera sunt illa quæ antè confessus es, nempe Parcam esse rerum omnium causam. Jam siquis alterum interemerit, Parca in culpa est. Siquis sacrilegium perpetret, facinus à Parca sibi injunctum admisit. Itaque si Minos rectè uti velit judicio, fatum, non Sisyphum, Parcam, non Tantalum puniet. Quid enim injustè illi egerunt, quum mandatis obtemperarunt?

Iup. Non ampliùs ne respondere quidem convenit tibi talia interroganti: audax enim es, & sophista, jamque abeo te relicto.

Cyn. Optabam equidem hoc etiam ex te quærere, ubi Parcæ degant, aut quomodo res tantas exacta cura absequantur: idque tres cùm sint. Etenim laboriosam, & minimè fœlicem vitam vivere mihi videntur, tot negotia habentes.

Utque verisimile est, hæ fato non admodum bono natæ sunt. Itaque ego si mihi daretur optio, nequaquam cum illarum vita meam commutarem: sed pauperior ævum exigere mallem, quam sedere singula observando dum contorquerem fusum tot negotiis refertum. Cæterùm si tibi non est facile Jupiter, ad hæc respondere, etiam his ad quæ respondisti, contenti erimus. Sufficiunt enim ad sermonem de Fato & Providentia declarandum. Reliqua fortasse in fatis non est ut audiam. *Titulo, Iovis refutati.*

Lucianus: C. Quæ autem à Parcis agglomerata cunctis sunt, etiam ne illa inscribunt? *Tri.* Qualianam? *Cri.* Ea quæ ad fatum pertinent. *Tri.* Die mihi ô optime Critia, de Parcis. Ego verò discere gestiens, ex te libenter audierim. *Cri.* An non Homerus poeta celebris ait:

At fatum effugit nemo (mihi crede) virorum.

De magno autem Hercule, idem ait:

Nec Jovis Herculea Parcam vitâ fugit amaram.
Quanquam dijs charus foret, & Jovis inclyta proles.
Sed fato, atque ira domitus Junonis iniquæ est.

Quin & totam vitam, omnesque in ea mutationes, fato constitutas atque ordinatas esse, idem innuit, quum ait:

—— Vbi ille deinde
Illa fecit, quæcunque Deus, Parcæque maligna
Neverunt genitor cum matris prodidit alvo.

Etiam in peregrino solo retentiones ab eadem illa fieri, ut quum Ulysses ait:

Atque uti susceptum placido rex Aeolus ore
Miserit in patriam sed nondum fata sinebant.

Quare omnia à Parcis fieri, poeta testatus est: Jovem autem neque illum voluisse.

Ab infanda defendere morte,

sed potiùs.

Sanguineas cælo guttas diffudit ab alto,
Ob natum, quem Patroclum prope mœnia Troiæ
Occisurus erat.

Quamobrem, Triephon, ob hæc nihil amplius addere de Parcis volueris, etiamsi fortassis in sublime sublatus fuisses, unà cũ præceptore, & arcanis illis initiatus. *Tri.* Et quomodo ipse ille poeta, ô optime Critia, duplex allegat fatum & ambiguum: ut qui hoc quidem fecerit, talem exitum sortiatur: aliud autem faciens, in alium eventum incidat. Ut de Achille, quum dicit:

Mater ait geminis me ferri ad funera fatis.
Nam si hic persistam, pugnemque ad mœnia Troiæ,
Eripitur reditus mihi: at inclyta fama sequetur.
Sin autem patriam repetam, charosque penates
Fama perit, verùm in longum mihi ducitur ætas.

Sed & de Euchenore ait.

Qui non ignarus fati, conscenderat æquor.
Namque huic sæpe senex, Polyidus dixerat antè,
Aut morbo in patria periturum, & inter amicos:
Aut manibus Teucrorum, atque inter Dorica castra.

An non apud Homerum hæc scripta sunt? aut non ambigua hæc, atque adeo anceps deceptio? Quod si placet, etiam Jovis orationem tibi addam: Annon Aegistho dixit: quod si ab adulterio, & insidiis Agamemnonis sese contineret, fato illi constitutum esse, ut in longum tempus viveret. Si vero in animum induceret, facere ista, mortem effugere non posse? Atque ad eum modum ego quoque vaticinatus sæpe sum. Si occideris proximum morti, condemnaberis judicio, si vero hoc non feceris, vives rectè.

Nec te fas adeo festinam incurrere mortem.

An nos vides quàm minimè correcta aut emendata sunt, quę à poetis dicuntur? quamque item ambigua & obliqua, necdum certa sede stabilita. Quare omnia ista hæc missa fac, ut & te in cœlestibus bonorum libris inscribant. *Titulo Philopatridos.*

Epictetus cap. 77. Enchiridii:

In quovis concepto hæc optanda sunt:
Me Jupiter duc, & Fatî necessitas,
Quocumque vestro destinatus numine.
Sum nam volens sequar quod si minus velim,
Sequar coactus, improbusque & stupens.

Simplicius: Bene Epictetus: Noli velle ut ea quæ fiunt, ita fiant ut tu vis; sed ita velis ea fieri quæ fiunt, ut fiunt: sic facillimè agitabis. Hoc enim disciplinam morum omnem continet, se conjungere cũ universo, & totum cũ eo esse nolle: non autem ab universo sese avellentem, & in angustias, ac potius ad nihilum redactum, universo repu-

repugnare, & velle ut universum partem tam vilem sequatur. *ad cap. 77 Epictet.*

Alcinous: De fato autem talis fere Platonis est sententia. Omnia quidem in fato esse, non tamen omnia fato decreta. Fatum enim cum legis sit instar, non ita tamen agit, ut exempli gratia, hunc dicat hoc facturum, illi rursus hoc eventurum esse (quod quidem in infinitum procederet, cum & infinita nascantur, & his ipsis infinita accidant quotidie: præterea & libertas nostra, tum laudes ac vituperia, & quicquid illis simile est tollerentur.) Sed sic potius: Quæcunque anima talem vitam elegerit, & hujusmodi egerit, hæc consequentur. Liber ergo est animus, ejusque in potestate ut vel agat vel non agat relinquitur, neque ulla cogitur necessitate. Quod autem actionem talem sequitur aut talem, id fato perficitur. Veluti ex eo quod Paris Helenam rapiet, quod quidem in ejus est arbitrio, sequetur, ut Græci cum Trojanis de Helena contendant. Sic & Apollo prædixit Laio:

Si namq; gigni, natus in patrem ruet.

In oraculo quidem & Laius & filii simul comprehenditur generatio: quod vero consequitur, fati est decretum. Ejus autem quod fieri posse dicitur, inter falsum & verum media est natura: cumque ita natura sit indefinitum, id quod in potestate nostra est ei quasi invehitur. Quod verò eligentibus fiet nobis, confestim aut verum erit aut falsum. Id autem quod facultate est, ab eo, quod habitu esse actuque dicitur, differt. Quod enim facultate est, id aptitudinem quandam, in eo videlicet in quo nondum consummatus est habitus, declarat. Sic puer facultate & grammaticus & tibicen dicetur & faber: tum demum autem in habitu unius aut duorum ex illis erit, cum jam didicerit, & consequutus habitum fuerit. In actu vero tunc dicetur esse, cum secundum jam acquisitum operabitur habitum. At quod fieri posse dicimus, horum nihil est. Indeterminatum autem cum sit, quod in potestate est nostra, in utram inclinaverit partem, verum accipit aut falsum. *libro de Platonis doctrina. cap. 26.*

Philostratus: Dixi fatorum legem adeo immutabilem esse, ut si cui alienum regnum aut imperium fata decreverint, isque ob suspicionem ab eo qui regnum tenet, interficiatur, fore ut mortuus etiam suscitetur ab inferis; quo fatorum decreta effectum sortiantur. Dicebam quoque, si cui fata destinarint ut faber Lignarius evaderet, is manus amputaret; fore nihilominus ut sit faber. Eodem etiam modo, si cui in Olympiis currendi victoria à fatis decreta sit; hunc etiamsi crus perfregerit, victoria potiturum & cui in arte sagittandi præstantiam fata annuerint, is ne si oculos quidem abjecerit, à signo aberrabit. *lib. 8. cap 3.*

Heliodorus: Non multos post annos, luminarium cœlestis circuitus fatis definitus, mutat totum rerum nostrarum statum, & oculus Saturnius in domum irruit, in deterius afferens mutationem: quam quidem mihi sapientia præmonstrat, cæterum effugiendi facultatem non dedit. nam fatorum decreta immutabilia, providere quis potest, effugere vero non potest. Lucrum autem, ut in talibus rebus, prospicientia est, obtundens adversorum casuum aciem & ardorem: Calamitates enim quæ inopinato veniunt sunt intolerabiles: at prævisæ æquiore animo perferuntur, illas enim animus metu occupatus reformidat & ægrè fert: has autem consuetudo rationi familiares reddit. *libro Æthiopicorum secundo.*

Heliodorus: Sed quid importunè de calamitatibus divinitus immissis queror? perficiantur & reliqua, quousq; Deis placet. *lib. 6. Æthiopic.*

¶ Romanorum.

Eumenius: Usurpabo illa communia omnium facinorum patrocinia (quæ tamen plerumque etiam à sapientibus asseruntur) neminem hominem peccare nisi fato, & ipsa scelera moralium, esse actus fortunæ, contra autem, Deorum munera esse virtutem, &c. *cap. 14. Paneg. dicti Constant. Aug.*

¶ Poetarum.

Ausonius verbis Solonis:

Certa si decreta sors est, quid cavere proderat?
Sive sunt incerta cuncta, quia timere convenit?

Ausonius Epigr. 10.

Mica Zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem bis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet qui sociata bibet
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ:
Protinus & vacuos alvæ petere recessus,
Lubrica dejectis quam via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodest crudelior uxor:
Et cum fata volunt bina venena juvant.

Prudentius poster. lib. contra Symmachum.

Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem?
Quæ quia constituunt, dicant cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt, ad facinus & ineluctabile mergunt.
Nemo nocens, si fata regunt quod vivitur ac fit.
Imò nocens quicumq; volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est: nec fata reatum
Imponunt homini; sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumq; nefas, & facta perpendit
Impia supplicijs, merito, non sorte, peremptus
Quisque putat fato esse locum, sciat, omnipotentem
Nosse Deum, nulli vetitum fatalibus æstus,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli.
Spirat enim majora animus, seq; altius effert
Sideribus, transitq; vias & nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quacunq; putantur
Figere proposita natali tempore sortem.

¶ Emblematum.

Batilius 8.
Præscriptum inevitabile fatum.

Certum cuique suum est & inevitabile fatum,
Decretam sortem nemo cavere potest:
Testiu, quem perhibent prædictum avertere casum
Cali etiam tuta non potuisse fide.

Iac. Catsius Emblemate ethico 19.
Attrahens, abstrahor.

Sit fatalis apex, scopulus quem conspicis, hospes:
Esto tibi, parva navita puppis, homo
Aspicis ut vastam convellat homuncio cautem,
Inq; levem satagat ducere saxa ratem.
Illa suo stant fixa loco, nec tracta sequuntur:
Qui trahit interea se videt ipse trahi.
Fata reluctantes rapunt, ducunt q; sequentes:
Cedere qui non vult sponte coactus abit.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad fatum suum venêre multi, id ipsum dum timent.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Circuis fatum, atque si quid præteriit diu, reppetit.
Consilio nullo extra fati rumpitur necessitas.
Cuncta prona sunt Dei nihilque fatis arduum est.
Est profecto cui fatorum hominis omni ineluctabilis.
Fata prævisa æquiore perferuntur pectore.
Fata quis queat præscire, sed cavere non queat.
Invenit fatumque Reges quam vis absque insignibus.
Maxime tunc fatum adire est cum cavetur maxime.
Me Deus Fatumque quo sum destinatus ducite.
Mentis obruunt virilem fata promptitudinem.
Ne Deo quidem vertisse netrsum licet colos.
Ne Deus quidem fortuna destinata effugerit.
Ne quidem sibi disponunt fata homines pigerrimi.
Non Deum ira scelera, dictus punit at Fato dies.
Prævidere fata possis sed cavere non item.
Prævidere forte fatum, sed cavere non queas.
Quale Fati regnum, & ipsis imperat quod regibus!
Qui fugit plagas, easdem si placet fato incider.
Quò trahunt retrahuntque fata forti eundum pectore.
Si nihil fit extra fatum, nil divinares levat.
Vir bonus nunquam tremiscit fata, semper cogitat.

¶ Jambica.

Ab avo in avum stant rata leges poli.
Aut invenit fatum omne caussas, aut facit.
Consulta Fati præfer; vertere haud potes.
Differre, non vitare fata dat Deus.
Dum fata fugimus, fata stulti incurrimus.
Excludere ullo non queas fatum loco.
Fas prævidere fatum, evitare est nefas.
Fatale cuique est quid fleat, quid gaudeat
Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.
Fati potestas non facit culpa reos.

Fati profecto vis ineluctabilis.
Fato datur, fato potestas tollitur.
Fato imputes, non nova, quæ casu accidunt.
Fato venit clades, fato victoria.
Haud ignis obstet fato, haud murus arcus.
In fata media multi fugiendo ruunt.
Mortalitatis fata non tangunt pios.
Multi incidere in fata, fata dum timent.
Mutare quis frustra tentet fatalia.
Mutatio loci, haud avertit fatalia.
Nefas moveri quod semel sanxit Deus.
Nemo retinuit unquam fatum aut impulit.
Nunquam sapiens de fato questus est suo.
Phalerata dura verba fatum non movent.
Quicunque sit fato nocens, non est nocens.
Venere multi ad fatum, fata dum timent.
Vltro obvia ipsis panditur fatis via.
Vt nil lacessas, ipsa se Fata explicant.

Favoris.

§ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. Nazianzenus: Primum, quia nos ipsi acciviſtis, idcirco judicio veſtro opem ſubſidiumq; ferre, ac velut prædam veſtrã fovere videmini. Eſt n. ita natura comparatum, ut ſuis quiſq; tã prædiis, quàm literis ac ſermonibus faveat, ultroq; erga eos, quos in medium protulerit, voluntatis inclinatione propendeat. *Orat.* 27.

D. Chryſoſtomus: Non ſunt paria quũ ſis inimicus facere quę ſunt inimicorũ, & quum ſis amicus, ſtare cum inimicis. Iſte eſt inimicis pejor & ſceleratior. Si frater ſibi bonam paravit exiſtimationem, vel dum agit cauſas, vel dum laudatur, vel aliquid recte gerit, eſto particeps laudis & bonæ exiſtimationis. Oſtende eum eſſe tuum membrũ. Et quomodo, ait? ego enim non ſum bonam aſſequutus famã & exiſtimationẽ. Ne hoc verbum dixeris. Cõtrahe labia tua. Si prope me eſſes tu qui hæc loqueris, impoſuiſſem manum labris tuis, ne audiret inimicus. Sæpe inter nos intercedunt inimicitiæ, & inimicis nõ oſtendimus. Tu vero oſtẽdis diabolo. Ne hoc dixeris, ne hoc cogitaveris. Sed contra, eſt meum membrum. ad corpus tranſit gloria. Quid vero quod inquit, nõ ita ſunt affecti qui ſunt foris? Quoniã tu es cauſa. Nã quum viderint te ejus lætitiam alienã eſſe ducentem, ipſi quoq; alienantur. Quod ſi viderint te eã ducentem eſſe propriã, non audent. Sed tu quoq; es ſimiliter clarus & illuſtris. Nõ es dicendo laudem aſſequutus, ſed tu dum ei gratularis, majore es laudẽ adeptus quam ille. Si enim charitas eſt res magna, & caput omniũ, tu eam quę ex ipſa paratur accepiſti coronã. Ille eam quę acquiritur ex arte dicendi, tuea, quæ acquiritur ex vehementi amore. Ille oſtendit vim verborũ: tu perfacta dejeciſti invidiam, & conculcaſti livorem. Quamobrẽ multo magis quã ille fueris coronatus. certamen tuũ eſt præclarius. Non ſolũ conculcaſti invidiã, ſed etiam aliquid aliud feciſti. Ille unã ſolum habet coronam, tu autem duas, & duas illas una ſplendidiores. Quænã ſunt hæ? Unam ſuſcepiſti adverſus invidiã: altera eſt qua fuiſti redimitus ex charitate. Non n. collætari ſolum eſt indiciũ quod ſis mundus ab invidia, ſed etiam quod habeas charitatem quæ radices egerit. Ille ſæpe moleſtiam exhibet humana aliqua animi perturbatio, utpote inanis gloria. Tu autẽ es mũdus ab omni perturbatione animi. Nã ſi inani gloria laborares, non lætareris propter bona alterius. Erexit, dic quæſo, eccleſiam, cœtum amplificavit. Rurſus lauda. Habes duplices coronas, dejeciſti invidiã, charitate es redimitus. Rogo & obſecro, vis etiam tertiam audire coronam? Et applaudunt qui infernę ſunt homines, tibi autẽ qui ſuperne ſunt Angeli. non n. ſunt paria, pulchram & elegantem oſtendere dictionem, & motus animi ſuperare. Hæc laus eſt temporalis, illa vero æterna. Hic eſt ex hominib. ille ex Deo. Hic aſpicitur coronatus, tu autem in occulto coronaris ubi pater tuus te videt. Si disjecto corpore liceret uniuſcujuſq; videre animam, oſtendiſſem tibi hunc eſſe honeſtiorem & magis reſplendentem. *Homilia* 11. *ad Coloſſenſes.*

D. Chryſoſtomus: Non eſt parvũ, quando ſanctos conſolamur & præſentia, & ſermone, & aſſiſtendo, quando ſimul cũ eis affligimur. Cum vinctis n. inquit, tanquam ſimul vincti. Quando illorũ perpeſſiones noſtras eſſe ducimus, in coronis quoq; ſocii erimus. Non es tractus in ſtadiũ, non deſcendiſti ad certamẽ: alius ad luctandum ſe exuit, alius luctatur. Sed ſi velis, tu quoq; eris ſocius. Unge illũ certaturũ, ejus ſis amicus & ſtudioſus. Foris magna voce acclama, excita vires, recrea animũ. Hæc in aliis omnib. fieri eſt cõſentaneum. Paulus n. non opus habebat, ſed illos excitãs dicebat hæc omnia. Tu ergo in aliis omnib. eorum qui volũt vituperare, ora obſtrue, procura ut ſint qui eũ ament. exeuntem officioſe & diligenter excipe. Sic eris particeps ac ſocius coronarũ ejus gloriæ, etiamſi nihil aliud egeris, lætatus ſis autẽ ob ea quæ facta ſunt, ſic quoq; nõ parum fuiſti ſocius. attuliſti enim charitatem, quæ eſt ſumma bonorum omnium. Nam ſi qui flent, videntur eſſe luctus participes, & iis qui lugent multũ gratificantur, & doloris multũ adimunt; multo magis etiã qui lætantur, majorẽ afferunt voluptatẽ. Quantum enim ſit malũ non habere qui ſimul doleãr, audi Prophetã dicentem, expectavi ſi quis contriſtaretur, & nõ fuit. Propterea Paulus quoq; dicit, Gaudete cum gaudẽtibus, & flete cum flentib. Auge lætitiã. Si videbis fratrem eſſe in bona exiſtimatione, ne dixeris, Eſt illius bona exiſtimatio, cur ego gaudeã? Hæc nõ ſunt verba fratris, ſed hoſtis. Si velis, non ſunt illius, ſed tua. Eſt in tua poteſtate eã facere majorem, ſi nõ ſis mœſtus, ſed læteris, ſi fueris alacris exulteſq; & geſtias. Quod hoc autẽ ita ſe habeat, illinc eſt perſpicuũ. Qui invident, non illis ſolis invident qui in bona ſunt exiſtimatione, ſed iis etiã qui bona illorũ exiſtimatione lætantur. Ita ſciunt quod hi quoq; ſint in bona exiſtimatione: & ii ſunt qui maxime ſe jactant & gloriantur. Nam ille quidẽ etiam erubeſcit quũ valde laudatur: iſte etiam cum multa voluptate gloriatur. Non videtis quẽadmodum Athletarum alter quidem coronatur, alter vero non coronatur? Dolor a. & lætitia eſt eorum qui amant, & eorũ qui oderunt. Illi ſaltant, illi tripudiant. Vide quanta res ſit non invidere. Alterius eſt labor, & tua eſt voluptas. Alteri imponitur corona, & tu ſaltas, tu gloriaris. Nam dic mihi quæſo, alius vicit, tu quid ſaltas? Sed illi quoq; recte ſciunt quod commune ſit quod factum eſt. Propterea hoc quidem non vituperant, qui invident, tentant autem deprimere victoriam. *Homilia* 11. *ad Coloſſenſes.*

ORATORUM ROMANORUM.

Quintilianus: Ego vero tunc, non mores liberorum menteſque tractavi, nec mihi in illa triſtiſſima conditione ſuccurrit de comparatione conſilium. ſola quid facerem neceſſitas, ſola juvenum meorũ adverſa ſuaſerunt. Ex duobus liberis, neutrum magis amat qui redimit ægrum. *Declamat.* 5. §. 1. *p.*

Quintilianus: Expectatis, certum habeo, Judices, ut in triſtiſſimę neceſſitatis poſitus abrupto, ad ægrum cõtinuo properaverim. Quis non putet, audita conditione vincula me ſtatim detraxiſſe languẽti? Oderitis licet confeſſionem meam, deliberavi. *Declam.* 5. §. 4.

Symmachus: Promptè favendum eſt honeſtą cupientibus, ut probabiles voluntates alieno etiam juventur adniſu. *Lib.* 5. *epiſt.* 75.

§ POETARUM.

D. Gregor. Nazianzenus de vita ſua.

Καὶ πρὸς γε τοὺς πυκτεύοντας ὁ ἡμῖν ἔλκετο.
Laſis favere ſuevit uſque plebs levis.

Plautus Amphitr. prologo.

Virtute ambire oportet non favitoribus.
Sat habet favitorum ſemper qui rectè facit.
Si illis fides eſt, quibus ea eſt res in manu.

§ APOLOGI.

Phœdrus Fabula 56. Scurræ & Ruſticus.

Prãvo favore labi mortales ſolent,
Et pro judicio dum ſtant erroris ſui,
Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.
Facturus ludos quidam dives nobilis,
Proposito cunctos invitavit præmio,
Quam quisque poſſet ut nobilitatem oſtenderet.
Venere artifices laudis ad certamina,
Quos inter Scurra notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcena verò poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus.
Silentium ipſa fecit expectatio.
Ille in ſinum repentè dimiſit caput,
Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſuæ,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti juberent. quo facto, ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus.
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Ruſticus: Non mehercule
Me vincet, inquit: & ſtatim profeſſus eſt
Idem facturum melius ſe poſtridie.
Fit turba major: iam favor mentes tenet,
Et deriſuri non ſpectaturi ſedent.
Vterque prodit. Scurra digrunnit prior
Movetque plauſus & clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus
Porcellum obtegere, quod faciebat ſcilicet,
Sed in priore quia nil compererat latens
Pervellit aurem vero quem celaverat,
Et cum dolore vocem natura exprimit,
Adclamat populus: Scurram multo ſimilius
Imitatum, & cogit Ruſticum trudi foras.
At ille profert ipſum porcellum è ſinu
Turpemque aperto pignore errorem probans;
En hic declarat quales ſitis judices.

De Fœmina & Fure. Anonymus.

Fœmina dum nubit furi, vicinia gaudet,
Vir bonus & prudens, talia verba movet.
Sol pepigit ſponſam Iovis aures Terra querelis
Perculit, & cauſam cur fovet agra, dedit.
Sole necor ſolo, quid erit ſi creverit alter?
Quid patiar? quid aget tanta caloris hyems?
Hic prohibet ſermo latum prabere favorem,
Qui malè fecerunt, vel mala facta parant.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Abſque divino favore, nil hominum prodeſt favor.
Admodum fortuna curta eſt, qua favet maximi eſt.

Ad populi recta favorem raro quis venit via.
Cui Deus favit, favorem totius mundi tenet
Cui homini Dij sunt propitij, ei non esse iratos puto.
Expedit quaevis sors juncta cum favente Numine.
Fortuna favor alios dat alios frangit spiritus.
Nemo fautor est virtuti quam sequi ipse non potest,
Occupat beatitatis culmen cui favet Deus.
Omnibus beatitatis caussa una est favor Dei.
Optimi Deos faventeis, pessimi iratos colunt.
Plus metuas nimium faventes, quam novercaleis Deos.
Plus mortalium livore Numinum potest favor,
Qui favent stanti, jacentem calcibus primi petent.
Sollicites tui favorem haud obvia modestia.

¶ Jambica.

Animum faventis, votum, haud exitus obligat.
Deo favente, naviges in limine.
Et tum Deos nimis faventeis horreas.
Favere inimico amicus noster haud potest.
Favet fere fortuna vis pejoribus.
Favor popelli plus nocet quam proficit.
Fautorum abunde est nuda cui virtus favet.
Hominum favor, sine divino, parum potest.
Nemo potest nocere ei cui favet Deus.
Nimium faventes qui timet Deos sapit.
Omnes secundat res hominum favor Dei.
Omnis favor pro periclitante militat.
Per multa Regum errata supprimit favor.
Prompte favendum, honeste ultro ambientibus.
Sat habet fautorum semper, qui recte facit.
Semper Dei natura pauperi favet.
Videt favor parum, odium prorsus nil videt.
Vulgi favor, plerisque morte constitit.

Felicitatis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Iob. Chrysostomus: Vides impuros improbosque homines, fortunatos agere, justos autem infortunatos esse, multisq; afflictari incommodis, nec tibi tamen facti hujus ratio constat? dic, ut jumentum factus sum: verumtamen ego semper tecum quod sic cauliam quaeris, cogitato Deum diem constituisse, in quo universum orbem judicaturus est, ita fiet ut ab animo omnem excutias dubitationem, tum enim pro meritis quisque suis mercedem recipiet, ad Lazari ac Divitis exemplum, &c. *Homilia 9. ad Romanos.*

Chrysostomus: Si Paulus agit gratias ob bona aliena, quid iis fiet qui non solum gratias non agunt, sed etiam tabescunt invidia? *Homil. 2. ad Thessal. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Videtur, ut plurimum, humana natura in adversis quidem rebus modestiam colere, in secundis autem petulantem se praebere. Atq; hoc ex iis, quae Hebraeis acciderunt, apertissimè liquet. Transierunt enim mare rubrum, nec periculi quicquam subierunt. Cum autem in terram venerunt, naufragium fecerunt. *lib. 3. Epist. 213.*

Synesius: Commendo amicitiae, patrocinioq; tuo egregium Sosenam, cui quidem inter disciplinas educato & adulto, fortuna nequaquam pro meritis respondet, & patriae quidem infelicitatem incusat: nonnulla illi opinio persuadet, posse fortunam una cum loco mutari: iturus est in imperatoriam civitatem quasi ibi, ubi est imperator, etiam fortuna ipsa resideat, & forsan eum agnitura sit. Si quid ergo in te potestatis est, adjumento sis ei ad id omne quod voluerit. Te enim dignum est & posse plurimum, & qui istud desiderent, meliori fortunae commendare. Si quid ei amicis tuis opus est, tute illis ipsum offeres. *Epist. 102*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Et certe ob ea tantum continentissimi ac modestissimi judicandi erant Vandali, quos non fecisset corruptiores ipsa felicitas quotus enim quisq; sapientū est, quem secunda non mutent, cui non crescat cum prosperitate vitiositas. *lib. 7 de gubern Dei.*

Salvianus: Nemo quidem probrosus potest esse & felix: quia ubi non est vera honestas, non est vera felicitas. *lib. 7. de gubern. Dei*

Ennodius: Vix est ut intentus rebus felicibus adversa praenoscat, velut sinistrum enim animi omen repudiat, si quid de austeritate futurorum intellectu praecedente respexerit. certè ne & alieno tempore amare se misceant, ipsa molestiarum horret cognitio. *libr. 5. Epist. 18.*

Ennodius: Vix respiciunt humiles, quos ad arcem eventus prosper evexerit. Grave est, si spes secundarum rerum caritatis nexus incidat. non debet praejudicare diligentiae, cui secundum vota blanditur. *lib. 8. Epist. 39 pr.*

¶ Regum Philosophorum, Oratorum Graecorum.

Amasis Policrati sic dicit. Jucundum est audire amicum & hospitem bene agere. Mihi vero tui magni successus non placent, qui numen probè novi, quam sit invidiosum. Et quodammodo ipse volo tam mihi quam iis quibus bene cupio, in suis rebus partim favente, partim sinistra fortuna uti, & sic mutatis vicibus ævum transigere, non in omnibus fortunatos esse. Neminem enim me audire memini, qui diversus non male vitam finierit, priori omnium seculo, foeliciter peracto. Tu igitur mihi nunc morem gere, & adversus secundam fortunam ita te compara, & operam da ut si quid nactus erit pretiosissimum, & cujus pernicies magnum animo tuo dolorē allatura sit, & hoc abjice ita, ut non amplius in hominum manus aut conspectum veniat: & si non jam vicissim exinde felicitates ad ejusmodi damnum reciderint, medeare tu tibi subinde eo modo quem subjeci. *Apud Herodotum lib. 3. cap. 40.*

Dio Prusaus: Utrum tibi videtur unquam homo aliquis fuisse felix: aut si non fuisse, an fore quempiam: an impossibile putas hoc accidere posse homini, quemadmodum si quis hominem dicat immortalem? Fortasse in eadem opinione es cū Homero & aliis poetis? Et ubi aliquid de hoc diffinit Homerus? Ubi finxit Jovem ipsum dicentem, non aliud quenquā deorum, quod homine nihil est aerumnosius inter omnia animātia quae super terrā spirant & repunt. Non tibi videtur aerumnā hanc infelicitatem quandā dicere? Mihi prorsus, Alius etiā poeta non ita pridem, sed publicitus in theatro certans, consulit, natum hominē lamentis prosequendum, propter ea in quae venit mala: & rursus, mortuū & absolutum laboribus, cū gaudio & exultatione censet efferri oportere. Est ita, ut dicis. Rectè ergo admonuerunt? Si n. semel deflendi sunt homines propter infelicitatē, & natos convenit lamentari, adventurorū ipsis malorū causa: & mortuos, quod multa & atrocia passi sint: & omnes, quod sint in malis. Itaq; tempus esset, juxta poetam, nunquam cessare à luctu multo magis quā luscinias. Illae enim vere dicūtur lamentari Ityn: homines a. par esset lamentari vere & hyeme. Quanto autē melius, natos sinere consestim perire à malis, & non fatiis involutis & evolutis, & lactatis, tanta adhibere diligentiam, ut miseri fiant? Hostiū enim hoc est, non amicorum, neq; curam gerentiū. Et herele oporteret, ut se quiq; primos liberarent à vita. Propemodum enim juxta hanc rationē soli prudentes fuerunt, qui nati sunt in Colchis ex draconis dentib. quos seminavit Jason. Illi. n. simulac se natos senserūt, cōfestim mutuo se peremerunt, donec nemo superfuit, mutuo sibi videlicet auxiliū ferentes, & ob amicitiam hoc facientes, nō inimicitiam. At in hoc mihi videtur poeta nugas garrire, dictū autem Homeri me cōturbat, quod ita manifeste hanc de hominibus pronunciaverit sententiā. Et quid tandem absurdi dixit? Neq; enim omnes homines miseri sint dixit: sed quod nullum animal sit miserius homine, nempe misero: sicuti & nos utiq; diceremus. Forsitan. n. solus inter alia animalia homo infelix est, quemadmodum & felix quoniam & solus est imprudens, quemadmodum & prudens. Neq; enim injustus neq; immodestus fuerit equus, aut sus, aut leo: quemadmodum neque illiteratus, & musices ignarus.

Recte plane mihi videris correxisse dictū Homeri, & respondisse ad hoc, an arbitrer hominem felicem esse. Nunquid felix bonus est? qui a. bonus est, hunc felicem esse ais, flagitiosum autem infelicem? Prorsus. Genium a. aliter bonum dicis? Quomodo? Quemadmodū hominem. Praeterea autē magis Deū aut Deos, siquidē bonos existimas esse, nonne justos existimans, & prudentes, & modestos, alliisq; praeditos virtutib. sed iniquos & fatuos magis, & intemperatos? Nequaquam equidē. Proinde & Genium, si quē bonum putas, certum est, quod justum putes, & inutilē, & prudentem? Et quo pacto non? Nonne quem malū existimas, pruvū putas eundem esse, & iniquum & fatuū? Necesse prorsus. Quid verò? Non putas unumquemq; hominem secundū suum ipsius Geniū vivere, qualiscunque fuerit, sed secundum alium? Nequaquā secundum alium. Ergo qui nactus est bonum Geniū, eum putas juste vivere & prudenter & modestè: talē enim confiteris esse illius Genium? Prorsus. Qui vero nactus est flagitiosum Geniū, vivere pravè & imprudēter, & fatuè & immodestè? Videntur haec usuvenire ex praedictis. Jam ergo, si quis homo mente praeditus, justus est & modestus, ille felix est, cū bono Genio habens consuetudinē. Quisquis verò libidinosus est, & imprudens & astutus, necesse est eum dicere infelicē, malo genio conjunctū & servientem. Verum Sapientē alium quem vocas, quā prudētem hominem, & justum & sanctū, & fortem: vilē autem & nullius precii, aliū quam iniquū & impium, & timidum? Non alium. Ne ergo amplius admireris dicentes sapientē solum & in omnibus felicē esse, vitiosorum a. neminem non infelicē: quādoquidem & tibi eadē videantur.

Alia quidem videris mihi non praeter opinionē dissensisse: quomodo a. oporteat Genium aliquem pravū existimare, & iniquum & fatuum, haud queo dicere. Quin etiā neq; alioqui vestrum est Philosophorū, si quidem divinū existimatis Genium, hujusmodi credere. At ego in praesentia non juxta meā ipsius opinionē disputavi plurima, praeter hoc ipsum quod mihi videtur omnis & sol⁹ felix esse sapiens: alia autē dicta sunt secundum vulgariū hominum opinionē, ne eos urgere videar. Porro age, si putatis δαίμονα, hoc est Genium omnium esse divinū & bonum, & nullius prorsus mali autorē, quomodo dicitis hominē fieri κακοδαίμονα, hoc est, infelicē? An quū non attendunt obediuntq; Genio qui bonus est? Quemadmodū si existimas omnes medicos esse bonos, artisq; peritos, & eorum neminem pravum medicū, neq; noxiū: inter aegrotantes a. quosdam videmus male habere, damnumq; accipere in morbis, hosce videlicet quos diceremus nolle facere ea quae sunt praecepta: obedientes vero, necessū recte à morbis liberari: & si quid secus fiat, nonne admirabile sit quod ita habeat? Utrū igitur tibi videntur cōtinentes esse, & modesti atq; prudētes, hi qui nō sunt dicto audientes expertis medicis, & utilia praecipientib. an è diverso, fatui & intemperantes? Manifestū, q; intemperantes. Quid vero? bono Genio obedire, & vivere juxta illius pscri-

pta,an esse putas modestorum,& mente præditorum,an pravorum, & fatuorum?Modestorũ. Non obedire vero,neq;attendere,sed contraria Deo & Genio facere,malorum putas esse,& mala mente præditorum? Quomodo aliter dicere mus?Esse autem,obedientes Genio bono,felices:inobediẽtes vero,infelices?Necesse est.Ergo& hic quoque contingit, sapientem quidem & prudentem felicem esse in omnibus,vitiosum autem infelicem: non quia Genius sit malus, sed quia ille non auscultat ei qui bonus sit. *Orat.23.*

Dio Prusæus: Multi homines in universum quidem nihil cogitaverant quales esse oporteat,neq; quid optimũ sit homini, cujus gratia oporteat cætera omnia agere:privatim vero sedulo studuerunt equitare, hi exercitum ducere.illi circa certamina,alii circa agricultura,alii in arte dicendi.Quam autem utilitatem illis præstet horum quodq;aut quod emolumentũ ex iis capi possit neq; sciunt,neq; inquirunt. Quapropter equites quidem boni evadunt nonnulli,& qui student ipsi& ingenioſi sint ad luctãdum, atq; alii aliis magis idonei ad certamen,& cursum,aliaq; certamina, & ut circa semẽtem non errent,& navigantes,ne navem frangant, & circa musicam quidam aliqua melius norunt aliis:bonum autem virum, & prudentem,& hoc ipsum scientẽ quis nam sit bonus vir, & mente præditus, neminem ex his licet invenire. Continuo studuerunt arti dicendi,& multi ex ingenuis, & qui videntur esse liberales:hi quidẽ, ut in judiciis,& ad populũ,concionantes certent, & propter hoc plus aliis valeant,faciantq; quod libeat illi vero propter honorem qui ex negocio obtingere solet,ut eloquentes existimentur:quidam vero ipsam aiunt se desiderare experientiã. Ethorum partim quidem dicũt,partim vero tua tantũ modo scriptis produnt:quę quidam ex superioris seculi hominib.dixit esse confinia philosophorum & rempub.gerẽtium: quid autẽ utile agentib.& cui rei gloria illis sit utilis, aut quod nam hujus experientiæ sit commodum,nõ considerant. Ego autem aio,omnia alia absq; hujusmodi cura & quæstione parvi esse: ei vero qui hoc cogitat,intelligitq; & dicendi exercitium, & rei militaris peritia,& quicquid aliud fecerit, conducibilia esse, & in bonũ cedere. Quoniam laudari per se à fatuis hominibus quale est vulgus,aut posse aliquid,aut jucunde vivere inter ejusmodi, nihil differt a vituperari, nihilq; posse, & laborioſe vivere, quod ad felicitatem attinet. *Oratione 24.*

*Aristides Sophista:*Narrant porrò de heroibus quoq;poetę,quocumq; vitam fortuna bonis ac malis permiscuerit, eos evadere felices:quibus autẽ duntaxat mala tribuerit funditus perire:quam perpetua bonorum possessio non sit inter homines; verum duplex eorum vita sit,alia penitus mala, alia mista. *Oratione Rhodiacapost terræmotum.*

Aristides Rhetor: Felices non temerè sapiunt, quin per fortunam pleriq;deteriores reddantur. *Oratione de pace prior*

*Lucianus:*Videtur autem plerumq; mutatio in melius majorum malorum esse principium. Nam bidui tantum navigatione peracta cum tertius illuceret dies, versus orientem solem repente videmus beluas, & cete:multa etiam alia. Ex quibus unum maximum erat omnium mille circiter & quingentorum stadiorum magnitudine. Adveniebat hians, ac jamdiu mare perturbans, spumaque circumfusum, ac dentes exerens, phallis nostris multo longiores, omnes instar pali acutos, & instar eboris candidos. Itaq; nos ultimum vale vicissim dicentes, & amplexantes præstolabamur. Illud vero jam aderat, & nos absorbens cum ipsa navi deglutivit. *Lib 1. Vera historia.*

*S.Arrianus:*Homines quo ferimini?quid facitis?O miseri,cœcorum instar sursum deorsumq; volvimini.aliam viam itis relicta vera. Alibi quæritis felicitatem & principatũ ubi non est,nec si ab alio vobis demonstretur,creditis. Quidilla foris queritis?In corpore?Nõ est. Si nõ creditis,videte Myronem, videte Ofellium. In possessionibus?Non est. Si non creditis,videte Crœsum,videte hujus temporis divites,quot suspiriis vita eorum plena sit.In magistratu?Non est.alioquin oportebat iterum ac tertium consules beatos esse:non autẽ sunt beati. Quibus hac de re fidem habebimus? Nobisné qui extrinsecus eos aspicitis,& specie illa perstringiminisan illis ipsis?Quid dicunt ? Audite eos cùm suspirant, cùm gemunt, cùm propter ipsos consulatus & gloriam& splendorẽ sibi miseriores esse,& majoribus in periculis versari videntur?In regno? Non est.alioqui Nero beatus fuisset, & Sardanapalus. imò ne Agamemnon quidem beatus fuit; quamvis Sardanapalo & Nerone honestior. ceterum reliquis stertẽtibus,ipse quid facit? Evellit trepido multos de vertice crines. & ipse quid dicit? Aestuo,corq, salit mihi, nec præcordia curas ferre queunt. miser!quid tuarum rerum male habet?&c. *Cap 22 lib.3 Epict.*

Idem mox: In quo ergo bonum est,si in his rebus non est? Ubi nõ putatis, neq; id quærere vultis. Nam si quærere voluissetis, in vobis ipsis id esse invenissetis: neq; foris oberraretis, nec aliena quæreretis tanquã propria. Redite ipsi ad vos:considerate anticipationes quas habetis. Bonum cujusmodi vobis esse videtur? Prosperitas, felicitas omnium impedimentorũ expers. Agite vero:non ipsius naturæ instinctu magnum id esse putatis? Non videtur vobis esse magni pretii?non expers noxæ ? In quali ergo materia quærenda est prosperitas,& impedimentorum remotio? In servili, an liberali? In liberali. Corpusculum igitur liberum habetis,an servum? Nescimus. Nescitis id servire febri, podagræ, oculorum & intestinorum doloribus, tyranno,igni,ferro, cuivis fortiori?Recte sane servit. Quo pacto ergo corporeũ aliquid immune ab impedimentis esse potest? Quo pacto magnũ,aut alicujus pretii,quod est natura mortuum,terra,cœnum? Quid ergo?Nihilne habetis liberum?Fortasse nihil. Quis autẽ coge-re vos potest,ut quod falsum videtur approbetis?Nemo.Ibi ergo videtis aliquid in vobis esse liberum suapte natura. Appetere autẽ aut aversari propendere aut abhorrere,aut parare sese aut constituere aliquid,vestrum quis potest,nisi opinione utilitatis atq; officii adductus? Nemo. Habetis ergo in his etiã aliquid immune & liberum. Id miseri excolite,id curate,ibi quærite bonum.Istud autẽ fieri qui potest,si nihil habeam,si nudus sim,sine lare,sine domicilio,squalidus, servus,extorris? Ecce misit vobis Deus, qui re ipsa ostenderet, illud posse fieri? Ecce me extorrẽ,sine domicilio, sine opibus, sine servis: humi cubo,uxor mihi nulla est,liberi nulli,prætoriũ nullum,præter cœtum& terrã nihil,& unum palliolum.Et quid mihi deest?An non molestia careo?Non sum imperterritus?Nõ sum liber? Quãdo quisquam vestrum me vel voto frustratũ, vel in id quod vitavi, delapsũ vidit?Quando vel Deum vel hominẽ accusavi?quando de ullo questus sum?Nunquis vestrum tristi vultu me esse vidit?Quomodo eos tracto,quos vos & timetis,& admiramini?An nõ ut mancipia? Quis me conspecto,se regem & dominũ suum videre non putat?Ecce istę Cynicæ voces sunt.Ecce character,ecce institutum. *Lib.3.c 22.Epict.*

*Libanius:*Præter meritum secunda fortuna uti sæpe de recto statu mentem dimovet. *Declamat 15.*

Heliodorus: Omnia metuo, inprimis invisam mihi Trachini benevolentiam, quam consentaneum est illi rationem temporis intendere. solent enim successus inopinati ad petulanter agendum provocare. *Libro 5.*

¶ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Omnium calamitatum materia est homo diu felix. Nesciunt stare successus; & quoties prodire felicitas non potest, redit. Mori volo.quid me jam fortuna custodit ? *Controversia 8.*

Quintilianus: O tristior indigniorque semper mensura calamitatum, magna felicitas. *Declamat.8 §.2 p.*

Quintilianus: Est felicibus difficilis misariarum vera æstimatio. *Declamat 9 § 6 pr.*

Quintilianus: Si quidquam tibi humani sanguinis supereſt, nisi nimia satietate alienæ fortunæ cogitatio excidit. *Declamatione 12. §. 8.*

Plinius : Felicitatis est quantum velis posse, magnitudinis velle quantum possis. *Cap 61 panegyrici ad Trajanum.*

Plinius. Nihil magis possum proprie dicere,quam quod tunc dictum est à cuncto Senatu, O te felicem ! quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. est enim demum vera felicitas felicitate dignum videri. *Capite 74. panegyrici ad Trajanum.*

¶ Poetarum.

D. Gregor. Nazianzenus Carm. 16. de Beatitudinibus.

Felix à mundo abstractus,qui vivit eremo
In rigida, & mentem tollit ad astra suam.
Felix,qui multis junctus, non plurima versans
Distrahitur pectus sed dedit omne Deo.
Felix, qui Christum fortunis omnibus emit:
Cunctorumque crucem,quam gerit, instar habet.
Felix,qui purus opibus dominatur amicam
Pauperibusque libens porrigit usque manum.
Felix virgineum chorus est, qui carne repulsa
Non procul à summo numine purus abest.
Felix,qui paulum thalamo,tadaque jugali
Concedens,tribuit plus tamen ipse Deo.
Felix,qui plebem imperio dum rite gubernat,
Humanu placat per pia sacra Deum.
Felix,qui primos inter numerandus ovile
Christicolæ,tacitus se tenet inter oves.
Felix,qui puræ sub vectus acumine mentis,
Prospicit æthereæ lumina sancta domus.
Felix,qui Christum manibus non segnu honorat,
Multisque est vita regula lexque piæ.
Horrea si deres complen hæc omnia cœli:
Quem peperit quas mens,excipiuntur opes.
Diversis diversa bonos nam sedibus infert
Virtus ac vita mansio cuique sua est.
Felix,cujus inops mens criminis omnis & expers
Qui vita in luctu tempora cuncta terit.
Cœlestes quique ore avido suspirat ad escas:
Mite cor innumeras cuique recondit opes.
Quique alijs facilis dominum sibi flectit Olymps,
Quem pax,quem cordis munditiesque juvat.
Denique pro Christo patitur qui multa libenter :
Aeternum in cœlo carpet obidque decus
Quam males,hac perge via si treveris omnes,
Nil melius. Multas?laudis id eximiæ.
Vnam?dum summe gratum id quoque: præmia magnis
Sunt tamen,& parvis digna parata viris.
Et Raab,haud castis pollebat moribus: ipsi
Laus tamen hospitij sparsit in orbe decus.
Et quia non tumidus Pharisæi more Telones
Extitit,hoc uno nomine,plura tulit.

Aristo-

Aristophanes Pace v. 939.

O quam volente cuncta numine, adjuvante sorte
Bene procedunt, aliisque alia
Horum opportuna recurrunt.

Ausonius Ed. II. 2. ubi pater ejus loquitur.

Felicem scivi, non qui quod vellet haberet.
Sed qui per fatum non data, non cuperet.

Cleobulus apud Ausonium.

Felix criminibus nullus erit diu.

Terentius Eunuchi 5. sc. 9.

O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane Dij potestatem suam
Omnem ostendere, cui tam subitò tot congruerint cõmoda.

¶ Emblematum.

Batilius 29.

Majore fortunâ quam sapientiâ.

Huic urbes captas fortuna in retia cogit,
Dum molli ignavus membra quiete levat.
Sic multis mens læva, quibus sunt numina dextra.
Et male res cœptæ, res bene semper eant.

Camerarius Embl. 10. Centur. 4.

Fortunam reverenter habe. Piscis cum annulo Polycratis.

Fortunam reverenter habe. cum summa tenebis,
Subtrahe venturis tum tua colla malis.

Catsius Emblemate ethico 18..

Fortuna vitreâ est.

Sordidus aut fœno nuper vel stramine taurus
Cincta triumphali cornua fronde gerit.
Et levat effusum palearia crassa falernum.
Et strepit argentis tibia festa sonis.
It pecus ac latu mugitibus æthera complet,
Nec stringi cultros in sua colla videt.
Sit suspecta tibi nimio fors lata favore:
Illa fovet multos, ut magis inde premat.

¶ Monostichâ Trochaica.

Ad latus felicius se vertere est Theramenis.
Ad secunda devenire per minus bona, utile est.
A felicitate haud vinci, maxima est felicitas
A felicitate vinci, maximum infortunium est.
Arduum est vitam per omnem rebus uti prospere.
Arduum valde imperitis est onus felicitas.
Contumeliosa semper est repens felicitas.
Cui non est opus felicitate, is felicissimus.
Cum bene est Dei memento: sic erit diu bene.
Cum Deo fundata durat longius felicitas.
Deditus virtuti, etiam in Thalaridis est felix bove.
Est felicior qui nil, quam qui universum orbem cupit.
Est gradus felicitatis primus, haud delinquere.
Felix es? immitte ponto, referent pisces, annulum.
Felix esse non potest, timere qui non desinit.
Felix es si apud te nemo detrahere alteri audeat.
Felix est, non qui videtur esse aliis, sed qui sibi est.
Ferre qui bonum malumq; quit, diu felix erit.
Fors serena elidit omne quidquid in viro est viri.
Haud diu fruitur secundis, ipsis uti qui nequit.
Horridi monstri perennis est loco felicitas.
In longum die parta una porrigitur felicitas.
In locis solummodo horto provenit Felicitas.
In malo nullo esse, vere maxima est felicitas.
Inque honestate haud voluptate omnis est felicitas.
In secundis maximè meditere adversa quæ feras.
Insipiente fortunato haud quidquam intolerabilius.
Maxima felicitatis ardua est concoctio
Nec felicitas est virtus, nec vitium est adversitas.
Nec secunda, nec adverse res ulli sola accidunt.
Nemini felicitatis redditur ratio sua.
Nemini maris perennis adfuit malacia.
Nemo felix est, fuit ve, erit ve unquam mortalium.
Nil eo infelicius cui nil mali unquam contigit.
Nil felicitas est quam proba animi constitutio.
Non licet sese experiri nil cui accidat mali.
Non potest diu esse felix vir sceleratus. mox cadit.
Non vinci a felicitate, maxima est felicitas.
Nunquam erit felix, torquebit alius quem felicior.
Obrui a felicitate, maxima infelicitas
Per voluptatem atque luxum perditur felicitas.
Perseverat quæ plantata est cum Deo felicitas.
Plurimis prudentia expers est potens felicitas.
Posse autem felicem facere, maxima est felicitas.
Quæ a Deo sata est perennat firmiter felicitas.
Quam nequit virtus dare famam, sæpe parit felicitas.
Qui felix, bonus putatur, infelix vero malus.
Qui male utitur secundis, tristium Oceano perit.
Quo felicior es majorem invidiam ubique senties.
Quos putat vulgus felices, sunt infelicissimi.
Raro rebus in secundis mentem Dij cui dant bonam.
Res sibi ferè malæ sunt est ubi felicitas.
Res secunda etiam fatigant animam sapientissimi.
Res secundas hinc superbia ambit, hinc Lascivia.
Res ubi fluunt secundè, scæva nemo cogitat.
Sæpe plus homini secundæ res nocent quam improsperæ.
Sæpe principium est malorum in melius mutatio.
Si genus curent Dij humanum, male malis, bene sit bonis.
Solis ortum. Solis casum, fortunatus non videt.
Stultus etsi sceptra gestet, esse felix non potest.
Temporibus sapiens secundis casus adversos timet.
Ter felix cuicumque mens est præsto opumq; copia.
Testimonium dicit contra Deos felix malus.
Turpius fato omni, inerti colla sorti subdere.
Vela plena Austro secundo prætiment ventos suos.
Vel prodesse possum amico, vel inimicum perdere.
Vera ubi non est honestas, ficta ibi est felicitas.
Vti honestè juste parta quis pote, est felix nimis.

¶ Jambica.

A morte felix quispiam dici queat
Avidos facit nimia homines felicitas.
Corruptiores nos facit felicitas
Cum progredi nequit, redit felicitas.
Demens superbus invidet felicibus.
Diuturna rarò homini nato est felicitas.
Enervat hominem imo & castrat, felicitas!
Est bracteata regibus felicitas.
Est exitus felicitatem qui arguat.
Est personata divitum felicitas.
Etiam domo ipsa promitur felicitas.
Felix homo imprudens, onus gravissimum est.
Felix, priorem mox statum oblivisc itur.
Felix ibi vita est, jus ubi atque æquum viget.
Felicem odisse, calamitas absque remedio est.
Felicitas fit ob locum infelicior.
Felicitas fomes ferè est superbiæ.
Felicitas, hoc fluxior, quo vastior.
Felicitas inopina parens injuriæ est.
Felicitas non stat: vita ipsa est circulus.
Felicitas nulla est sine arrogantia.
Felicitas nulli obvenit nisi a Deo.
Felicitas parens quoque insolentiæ.
Felicitas, premit se nisi se temperat.
Felicitas quæ lenta est, est durabilis.
Felicitas summa, invidere nemini.
Felicitas ubi est, ibi & sapientia est.
Felicitas vitæ huius est perfectio.
Felicitatis assecla est crudelitas
Felicitatis, nulla ratio redditur,
Felicitatis sæpe causa injuria est.
Felicitatis quis sua obliviscitur?
Felicitatem finem ultrò sapiens facit.
Felicitati invidia semper proxima est.
Felicitati magnæ, invidia major est.
Felicitati vivere non licet sibi.
Felicitatem à se præstare quis potest?
Felicitatem difficulter quis regat.
Felicitatem frena: facilius reges.
Felicitatem omnem assequi unus haud potest.
Felicitatem pauci optimam concoquunt.
Felicitatem promere cuique licet domo.
Felicitate an quippiam inconstantius?
Felicitate non eget felicitas.
Felicitate quippiamne fluxius?
Ferri haud potest mali ingenij felicitas.
Humana in eodem non manet felicitas.
Humana nulla perpes est felicitas.
Illæsa non fert ictum ullum felicitas.
Implere nulla hominem potest felicitas.
In valle aprica quæ arbor crevit, cerea est.
In scelere nulli ulla esse potest felicitas.
Informe monstrum perpes est felicitas.
Malus profecto est qui invidet felicibus.
Menti imperare vix potest felicitas.
Mirè secunda res vitiis obtentui.
Munus Dei est mortalibus felicitas
Nemo utitur felicitate perpeti.
Nimia caput homini commovet felicitas.
Noverca virtutum omnium est felicitas.
Nulla absque virtute enitet felicitas.
Nulla est diu malorum expers felicitas.
Nulli Dei sunt hominibus felicibus.
Nulli perennis obtigit felicitas.
Nusquam malorum perpes est felicitas.
O nulla longi temporis felicitas!
Paucis fuit perennior felicitas.
Paucissimis perfecta adest felicitas.

Persæpe mentis non suæ est felicitas.
Quis hæc vitasset? vox nimis felicium est.
Rarissimè invidiam effugit felicitas.
Rarissimum est felix vir atque idem senex.
Raro litat Felicitas modestia.
Rebus secundis pauci adversa cogitant.
Rebus secundis pectus adversis para.
Recens beatum ægris quisq; oculis adspicit.
Se servituti nulla dat felicitas.
Semper litat, felicitas superbia.
Semper sibi quærit parem felicitas.
Sortem secundam homines animo imbelli ferunt.
Spectanda vitæ termino felicitas.
Sua absque face nullibi est felicitas.
Summum diem felix nec optat, nec timet.
Vbi nulla pietas nulla ibi est felicitas.
Vertit ferè in socordiam felicitas.
Vis esse felix? fac lites virtutibus.
Vnde exulat pietas nulla est felicitas.

Feminæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D *Clemens Alexandrinus*: Viris & mulieribus commune nomen homo est. Ea ratione mihi videntur Attici παιδάριον, communiter non solum masculum, sed etiam fœminam vocasse. Si cui fide dignus videtur esse Comicus Mænander in Rapizomena, qui sic dicit: Filiola mea: admodum enim natura humanum est ac benignum παιδάριον. Jam vero ἄρνες quoque, quod agnos significat, est epicœnum nomen simplicitatis, animalis masculini & fœminini. *lib.* 1. *Pædagogi cap.* 4.

Clemens Alexandrinus: Dion Philosophus refert quandam mulierem Lydiam, propter insignem pudorem, se lavasse cũ ipsa tunica: Philotera autem, cum esset ingressura solium, paulatim contraxisse tunicam, quantum quæ nuda erant tegebantur ab aqua: deinde rursus paulatim ascendentem induisse. An non enim tormenta quoque tulit fortiter Leæna Attica, quæ cum esset conscia insidiarũ quæ ab Armodio & Aristogitone parabantur in Hipparchum, nihil omnino est elocuta, etsi valde cruciaretur? Ajunt autem Argolicas quoque, Telesilla poetria duce, Spartanos qui magna erant virtute in rebus bellicis, cum primum se eis ostendissent, fugasse, & effecisse ut illæ mortem nihil extimescerent. De filiabus quoque Danai dicit similia is qui fecit Danaidem:

Iunque cito Danai sumpserunt arma puellæ,
In ripis pulchro lubentis flumine Nili.

& quæ sequuntur.

Canunt autem reliqui Poetæ velocitatem Atalantæ in venatione, & egregiam Anticleæ amicitiam, & Alcestidis in maritum amorem, & Macæriæ Hyacinthidum magnum & excelsum animum. Quid vero? non Theano Pythagorica eo processit philosophiæ, ut ei qui ipsam curiose aspexerat, & dixerat, Pulcher cubitus, respondent, At non publicus. Ejusdem gravitatis fertur illud quoq; dictum: Rogata enim quoto die mulier post congressum cum viro, in sacrum Cereris venire possit, A proprio quidem, statim subjunxit, Nunquam ab alieno. Quinetiam Themisto quoq; Zoili filia Lampsacena, uxor Leontei Lampsaceni, dabat operam philosophiæ Epicureæ: sicut Nyia Theanus filia, Pythagorea, & Arginote, quæ scripsit res gestas Dionysii. Filiæ autem Diodori, cui fuit cognomen Saturnus fuerũt omnes dialecticæ, ut ait Philo dialecticus in Menexeno, quarum hæc feruntur esse nomina, Menexene, Argia, Theogenis, Artemesia, Pantaclea. Memini autem etiam Cynicæ cujusdam. Hipparchia autem vocabatur Maronitis, uxor Crateris, propter quam in Poecile quoq; celebrata fuere Cynogamia. Arete autem Aristippi Cyrenaica, erudit Aristippum qui Μητροδίδακτος, id est, à matre doctus, fuit cognominatus. Apud Platonem etiam Philosophabantur Lasthenia Arcadia, & Axiothea Phliasia. Aspasia autem Milesia, de qua multa quoq; conscribunt Comici, usus quidem est Socrates, ad Philosophiam: Pericles autem, ad rhetoricam. Prætermitto alias, ne sit prolixior oratio, neq; recensens poetrias, Corinnam & Telesillam, Myiam & Sappho, aut pictrices, ut Irenem Cratini filiam, & Anandram Nealcis, ut dicit Dydimus in Symposiacis. Cleobuli autem sapientis & Lyndiorum monarchæ filiam, non pudebat lavare pedes paternorum hospitum. Nam Abrahæ quoq; uxor beata Sara, paravit ipsa Angelis panes subcineritios: & puellæ regiæ pascebant oves apud Hebræos. Unde etiam quæ est apud Homerum Nausica, ad labra iverat.

Velit ergo pudica mulier, primum quidem si fieri possit marito persuadere, ut sit ei socius eorum quæ ferunt ad beatitudinem: si id autem non possit efficere, sola contendat ad virtutem, marito quidem parens in omnibus, ut invito illo nihil unquam faciat, præter ea quæ censentur pertinere ad virtutem & salutem. Sed & si quis aut uxorem, aut etiam ancillam quæ ad tale institutum sine simulatione fertur, ab eo arceat, nihil aliud videtur is tunc facere, quam à justitia quidem & temperantia statuisse abducere: injustam autem simul & intemperantem voluisse domum suam efficere. Fieri ergo non potest, ut vel vir, vel mulier, si in ulla re doctus, qui non fuerit usus disciplina, meditationeq; & exercitatione. Virtutem autem non in aliis, sed vel in nobis maxime sitam esse dicimus. Itaq; alia quidem potest quis arcere bellum gerens, quod autem in nostra situm est potestate, nequaquam, nec si maxime quidem institerit. Est enim donum datum divinitus, & quod non alii subjicitur. Unde intemperantia quidem non alterius videri queat malum, quam ejus qui se gerit intemperanter. Temperantia autem rursus ejus bonum qui potest sibi temperare. Mulierem autem quæ cum honestate amat maritum, describit Euripides, sic monens:

bonisque verbis prosequi
Videri oportet quod maritus dixerit.
laboret serio,
Vt quæ marito grata sint, pronuncier.

Et his rursus utique similia:

Dulce conjugem, mali
Si evenerit quid, cum vero tristarier,
Doloris ut sit gaudiique particeps.

Sic morum mansuetudinem ostendens, & benevolentiam esse vel in calamitatibus.

Deinde subjungit:

Ast ego tibi valenti pessime, partem feram,
Particeps dicar malorum.

Item,

nihil mihi
Nunc est amari: quippe cum aris decet
Beari amicis. hoc amicitia est enim.

Sanctificetur itaq; etiam quod per Verbum perficitur matrimonia, si conjugium se Deo submittat, & cum vero corde administretur in fidei certitudine, sanctificatorum corda à mala conscientia, & abluto rum corpus aqua munda, & habentium confessionem fidei. Fidelis enim est qui promisit.

Oportet autem felix matrimonium, neque unquam divitiis, nec pulchritudine censeri, sed virtute.

nulli quidem (ait tragœdia)
Iungit marito pulchritudo conjugem.

Multis autem virtus profuit. Quævis enim bona mulier, quæ viro adhæret, scit esse temperans. Deinde veluti dans admonitiones, ait:

Hoc adest primum, maritus nempe si turpis siet,
Pulchrum oportet judicare, si qua mente prædita est.
Mens enim non visus, illud optime dijudicat.

& quæ consequuntur. Valde autem proprie dixit scriptura, Mulierem datam esse à Deo adjutricem. Clarum est ergo, quod unicuique ex iis quæ à marito eveniunt molestiis, ratione cum persuasione mederi apud se constituet. Sin autem non obediat, tunc jam conabitur, quoad ejus fieri potest, ab humana natura, vitam nullis peccato affinem transigere: seu cum Verbo mori oporteat seu vivere, talis actionis adjutorem & socium Deum esse existimans, qui revera & adest, & est Servator, & in præsentia & in futuro, illumq; ducem & principem cujusvis actionis constituens, temperantiam quidem & justitiam suum esse munus existimans, religionem autem & in Deum pietatem & amorem, finem suum esse statuens.

Eleganter itaq; Apostolus in epistola ad Titum dicit, anus debere esse in habitu sancto, non calumniatrices, non vino multo servientes, ut erudiant adolescentes, ut virorum suorum amantes, & filios suos diligant, prudentes, castæ & sobriæ, domus curam habẽtes benignæ, subditæ viris suis: ne verbum Dei blasphemetur. Potius autem, inquit, pacem persequimini cum omnibus, & sanctificationem, sine quo nemo videbit Dominum: attendentes, ne quis fornicator aut prophanus, ut Esau, qui pro cibo uno vendidit jus primogenituræ, ne qua radix amaritudinis sursum nascens molestiam afferat, & per eam inquinentur multi. *lib. Stromat.* 4.

Clemens Alexandrinus: Cum fecisset Orpheus, Ὡς οὐ κακίονος ἄλλο γυναικὸς,

Deterius pejusq; aliud quam fœmina nil est,

Homerus apertè dicit: Ὡς οὐκ αἰνότερον κακὸ κακίονος ἄλλο γυναικὸς.

Deterius gravius q;, aliud quam fœmina nil est.

libro Stromatum 6.

D. Nazianzenus: O fœmineam naturam, quæ propter commune salutis certamen virilem naturam superasti: atq; illud conspicuum fecisti, masculum & feminam, corporis, non item animæ discrimen esse. *Orat.* 11. *in funere sororis.*

D. Chrysostomus: Generosas mulieres in virtutis cursu nihil impedit naturæ imbecillitas. *Homil.* 30. *ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Est quidem genus mulierum nescio quomodo sui ornandi studiosum, & hoc est ejus delictũ. Sed in hoc quoq; vos viri vincitis, qui illis æquè delectamini atq; ornatu proprio. Non enim existimo mulierem ita suis aureis ornari ornamẽtis, ut maritum uxoris. Non ita sibi placet ob zonam auream, quam quod uxor aurum gestet. Quare in vos quoque causa est conferenda, qui scintillam excitatis & flammam accenditis. Alioqui autem non est tantum peccatum mulieris, quantum est in viro. Tu es constitutus, ut illam componas: ubique vis habere primas partes. Ergo in hoc quoq; ostende de rebus tuis, quod illius supervacanei sumptus nulla tibi sit ratio. Est magis aptum & conveniens mulieri ut ornetur, quam viro. Quando ergo tu non effugis, quomodo illa effugiet? Habent illæ etiam quandam inanem gloriam: sed hoc quoq; est virorum commune. Sunt iracundæ: & hoc est commune. In quibus autem superant, ea non sunt amplius communia. Gravitatem

dico,

dico, & honestatem, fervorem, in Christum dilectionem. Cur ergo eis interdixit sede doctoris? Est hoc quoque signum quod multum interest inter eas & viros, & quod magnæ fuerint, quæ tunc erant. Paulo enim, dic quæso, docente & Petro, & illis sanctis, mulierem ne ad eam rem prosilire oporteret? Nunc autem eo venimus nequitiæ & improbitatis, ut etiam meritò quæratur, cur non docent mulieres. Usque adeo deveniamus ad earum imbecillitatem. *Homilia* 13. *ad Ephesios.*

Chrysostomus: Omnia mulierum vitia & delicta ferre jussit Deus, dummodo inquit, non sit scortum, cætera omnia fer delicta & vitia, etiamsi sit ebriosa, etiamsi maledica, etiamsi loquax, etiamsi invida, etiamsi sumptuosa, etiamsi consumens facultates, habes vitæ sociam. compone vitam, est tibi necesse: ideo tu es caput, fac quod tuum est. Etiamsi maneat ejusmodi ut non possit corrigi, etiamsi furetur, serva quæ tua sunt. ne illam ideo crucies: si sit loquax, os ei obstrue, hoc est summæ philosophiæ. *Homil.* 15 *ad Ephes.*

D. Ioh. Chrysostomus: Neq; à fidei virtute infirmior sexus excluditur, imò id quoq; divini muneris est, quod hic etiam sexus seculi curis minimè à virtutis proposito impediatur. Neque enim minimam in rebus humanis administrationis partem mulier suscipit, domi sedulo residens, cum absque illa nullæ respubl. constare possint. nam si res familiaris turbis tumultibusq; misceatur, quisq; civium se domi continebit, atque ita respubl. pessimè habebit, itaque nihil minus habet honoris ac rationis, neq; in sæculi curis, neq; in spiritualibus rebus. Ne ab ipsa quidem martyrii gloria hic sexus prohibetur. plurimæ namq; pro fidei confessione glorioßissimè coronatæ sunt. Pudicitiam quoque servare magis etiam quam viri possunt: quippe quas non æquè ut viros libidinis flamma sollicitat. Modestiam item ac sobrietatem perferre, ac sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum, pecunias autem si velint, æque contemnere, & reliqua omnia. 2. *ad Timoth. Homil.* 10.

Basilius Seleuc: Æqua profecto viris & mulieribus est pietatis ratio, & par virtutis consectandæ stadium alteri cum altero apertum est. Nec enim generis discretione fides utitur. Sic Paulus definitè adserit: Neque vir sine muliere in Domino, neq; mulier sine viro, cum naturæ differentiam virtutis cursus nesciat, Scit in fide certamine fœmineum genus viriliter agere: scit in pietatis certamine coronam rapere: quorum enim parem molitus est Deus formationem, ii se in cursura relinqui turpe ducunt. Vide mihi Paulum tertæ habitabilis stadia percurrentem, & cursu pro fide suscepto mundi angustias demonstrantem, mulieres adhortantem, & earum cursum suspicientem: Enodiam rogo, & Syntychen deprecor, & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis. Vides femineum sexum tangi Paulini cursus æmulatione? vides apostolicos sudores in mundi stadio imitatione exprimere? *Serm.* 2. *m.*

Isidorus Pelusiota: Excusationem nescit natura: veniam fœmina non habet. Potest enim fortiter ac strenuè adversus mollitiem impetum facere, cupiditatumq; machinas atq; tormenta firmiter propulsare. Documento sunt, celebris illa Susanna, cum filiæ Iephthe, & admiranda Judith. Quarum prima senum intemperantem libidinem in juvenili ætate superavit. Altera mortem quoq; magno animo suscepit, atque cum virginitate præclarè absceßit. Postrema pro castitatis præmio hoc à Deo accepit, ut tyranno necem afferret. Adde muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est illam omnium laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque è media turbidarum affectionum tempestate tanquam fax accensa, ad portum ab omnibus fluctus immunem appulit. Quocirca si ad hunc modum laudes vestras tanquam præconis voce prædicari cupitis, inextinctas vestras lampades conservate (statim enim sponsus suffuturus est:) neq; committite, ut vos ullus voluptatis somnus deprimat, qui socordes, ac somnolentas extra thalami fores retinet. *Lib.* 1. *Epist.* 87.

Synesius: Mulieres quidem vociferari ac pectus plangere, & comâ vellere, visis, aut nunciatis hostibus, tolerabilius videri potest. Quâquam ne tolerandum quidem existimat Plato, quod instar gallinarum ad pullos tegendos, cuicumq; etiam validißimo sese nolint opponere: sed pessimam humano generi famam aspergant; omnium id esse bestiarum ignavißimum. Te verò eadem illa committere, noctuq; intemperiis ac terroribus agitari, atq; exsilire, & identidem vociferari, sub ipsis præsidii portis adstare Barbarum: (ejusmodi enim de te quædam ad me perlata sunt) etiamne ferri istud potest? *Epistola* 131.

¶ Latinorum.

Orosius ad Paganos: Amazones mulieres patria profugæ Europam atq; Asiam, id est, plurimas fortißimasq; mundi partes intraverunt, pervagatæ sunt, deleverunt, centum penè annis evertendo urbes plurimas, atq; alias constituendo tenuerunt. *cap.* 16. *lib.* 1.

Chrysologus: Feminæ nascuntur lacrimis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inveniuntur infirmæ: & quantum imparatæ sunt ad labores, tantum ad lachrymas sunt paratæ: hinc est quod lachrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt. *Serm.* 79.

Chrysologus: Si Joannes tantus, Joannes talis tanto eremo, separatus à feminis feminarum pericula non evasit; quis est qui inter feminas vivens evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidit, nisi is qui sancto alitur spiritu? *Sermone* 174. *fine.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Xenophon: Tum Socrates: Quum ex aliis rebus, inquit, amici, tum ex iis, quæ puella hæc præstat, perspicuum est: sexus muliebris indolem nihilo deteriorem esse virili, nisi quod & consilium, & robur quoddam eum deficiat. Quapropter si cui vestrum uxor est, fidenter eam doceat, quidquid tandem sit, in quo illam peritam habere cupit. Heic Antisthenes: Cur igitur, ait, qui ea sis in sententia Socrates, non tu quoque Xantippam instituis, quam uxorem habes omnium, quæ sunt & fuerunt, ut arbitror, & deinceps erunt, acerbißimam? Quod, inquit, eos etiam video, qui equestris rei peritißimi fieri volunt, non illos sibi equos comparare, qui lubentißime pareant, sed valdè animosos. Existimant enim se, si tales cohibere possint, facile alios etiam equos tractaturos. Itaq; & ipse quum uti hominum consuetudinem cuperem, hanc mihi quæsivi: quod futurum scirem, ut si eam tolerare possem, facile cum universis hominibus cæteris versarer. *cap.* 5. *Conviv.*

Lysias: Venit nocte ad ædes meas bene potus, & effracto ostio irrupit in mulierum conclave: in quo & soror mea erat, & sororis filiæ, quæ tantâ in verecundia fuerunt educatæ, ut etiam à domesticis conspectæ erubescerent. Aque hic eo contumeliæ processit, ut non prius inde avelli potuerit, quam qui auxilio nobis veniebant, & qui istum comitati erant, vi eundem expellerent, arbitrati graviter ipsum peccare, quod in puellarum virginum & orphanarum cubile intrasset. *cap.* 2. *apologia in Simonem.*

Aristides Rhetor. Ajunt solere mulieres, postquam nihil ipsis è sententia succesßerit, maritis errata & peccata sua tribuere. *Orat. contra criminales quod non declam.*

Lucianus: Menippus: An vero & cæcus sis, Tiresia, non amplius cognitu facile est. Nobis enim cunctis æquè vacui sunt oculi, ac solæ illorum sedes relictæ. Cæterum neq; amplius dicere possis, quis Phineus fuerit, aut quis Lynceus. At vero quod vates fueris, quodque solus utrumque vir & fœmina factus sis, poetis auditis novi. Proinde per Deos, dic mihi utram suaviorem vitam expertus es, an quum fuisti vir, an quum fœmina? *Tir.* Potior multo fuit, Menippe muliebris vita: expeditior enim, virisq; dominantur mulieres, ac neq; in bellum prodire ipsis necesse est, neq; ad propugnacula stare, neque in concionibus dissidere, neque in foro judiciali contendere. *Men.* Annon Medeam Euripidis audivisti Tiresia, qualia dixerit mulierum genus deplorando, quam miseræ sint, & intolerabilem parturiendo laborem sustineant? *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Beatum equidem esset ex Euripidis sapientißimi sententia, si absque illo cum mulieribus congressu, ad sacra, & templa Deorum ventitantes, argento atq; auro liberos à succesßione mercaremur. Necessitas enim gravi jugo nostris cervicibus impositô, imperatis parere nos cogit. Quod pulchrum igitur est, id ratione eligamus, & cedat utilitas necessitati. Quod ad liberorum procreationem attinet, mulieres aliquo sint in numero. In cæteris verò, rebus, apage ne mihi ulla fuerit. Quis enim sanæ mentis sustinere queat, mulierem à summo statim mane ascititiis impostutis sese comentem? Cujus nativa facies, verè turpis est, aliena vero ornamenta, naturæ deformitatem tegunt. Siquis ergo mulieres ad auroram à nocturno lecto videat surgentes, turpiores putabit esse bestiis, quæ ante unam horam male ominatæ nominarentur. Unde diligenter domi sese concludunt, ut ne ab ullo viro conspiciantur. Anus autem, & ancillarum formæ consimilis turba circumstant variis medicaminibus infœlices illas facies inficiendo. Neque enim ubi aquæ mero latice profundam crapulam abluere, protinus ad serium aliquod negotium se conferunt: sed crebræ medicamentorum compositiones, fœdam faciei cutem exornant. Perinde autem ut publica pompa, ancillarum alia aliud administrat, pelues argenteas, gutturnia & specula, utq; in pharmacopolæ officina, pyxidum turbâ, plena multæ infœlicitatis vascula. In quib. dentium vis absterßiva, aut palpebris denigrandis ars comparata reconditur.

Maximam autem partem textura capillorum absumit. Nam aliæ quidem medicamentis rubefaciendi ad solis meridiem vim habentibus, capillos perinde ut lanarum coloribus, flavo inficiunt flore, propriam damnantes naturam. Aliæ verò quibus nigra coma videtur ad formam sufficere, omnes maritorum opes in hanc impendunt, totam penè Arabiam ex capillis spirantes: ferreaq; instrumenta, ignis obtusa flamma calefacta, vi quadam cincinnorum flexus inter se implicant: ac illæ comæ curioßius ad supercilia usque attractæ, breve interstitium fronti relinquunt. Post tergum autem in scapulas usq; demißi capilli superbè succutiuntur. Huc accedunt & variis coloribus tincta sandalia inter carnem pedes ipsos astringentia: & tenuis, prætextu tantum assumpta, vestis ne nudæ videantur. Omnia autem quæ intra ipsam sunt cognitu faciliora quam facies, præter turpiter dependentes illas mammillas, quas semper circunferunt obligatas. Quid opus est mala istis opulentiora recensere? lapillos Erythræos, à fibris aurium multi pretii pondus, suspenßos, aut circumpositos manibus, brachiißve dracones illos, qui utinam pro auro, verè dracones essent. Etiam corona caput in orbem ambit, gemmis Indicis stellata. Pretioßa autem de cervicibus monilia dependent, & usq; ad extremos pedes miserum illud descendit aurum si quid malleoli nudum est, totum revinciens: at æquum erat hæc

religata

religata crura ferro vinciri. Quum verò totum corpus adulterinæ formositatis fallaci elegantia fuerit incantatum, impudentes etiam genas illitis fucis rubefaciunt, ut summè candidum, & pinguem ipsarum colorem, purpureus nitor superadditus, rubere faciat.

Cæterum quæ vita tantum sequitur apparatum? E domo statim egrediuntur, & spectator omnis maritos enecat. Quorum nonnullorum infœlices viri, ne ipsa quidem norunt nomina, Coliadas, si fors ferat, & Genetyllidas, aut Phrygiam illam Deam, & Comum illum, pastorem perditè amantem. Sed arcana sunt sacra, & absq; viris suspecta mysteria. Quid enim attinet & animorum corruptelas complecti? Postquam autem his peractis iterum discesserunt: domi statim longa balnea, & sumptuosa ac suavis mensa, multaq; erga viros simulata recusatio, nam cum satis superq; ingluviem impleverint, neque guttur ipsarum cibi quicquam amplius recipere possit, quasi summis digitis inscribant, singula fercula degustant, noctes ad hæc narrantes, & divorum corporum somnos, & lectum muliebritate refertum, ex quo quisq; surgens, lavacro opus habet. Atq; hæc sunt vitæ constantis argumenta. Verum siquis eorum quæ acerbiora sunt, veritatem vellet particulatim examinare, revera Prometheum execraretur in hanc erumpens Menandri vocem.

Ergo immerentem dictitant Promethea,
Pendere fixum Caucasi de rupibus?
Repertus ignis huic, aliud nihil boni.
Sed quod Deos odisse cunctos credidi,
Invenit idem fœminas, ô Dij boni;
Genus scelestum. Ducit aliquis conjugem?
Clam ducit: & non cupiditates plurima,
Et nuptiali mœchus illudit thoro,
Venena dehinc, insidiæ, morbi, invidia,
Gravissima, ævo fœmina omni quam fovet.

Quisnam hæc bona sectatur? cujus animum adeò infœlix vita demulceat? *titulo Amorum.*

Iulianus Cæsar: Quæ causa esse potest, cur Penelopen, ne de agris quidem aut pecore sollicitam, imperare vero militibus aut concionem habere ne per somnium quidem cogitantem: quin etiam si quando apud juvenes facienda verba forent, Ante genas mulier vittas redimita nitentes, modestè loquebatur: cur inquam illam tam seriò commendet, alias verò reginas paucis versibus attigerit? quod scilicet ex illius virtute ac temperantia cum multa privatim in homines, tum publicè bona deriventur; ex illarum verò ambitione ac splendore utilitas nulla, sed insanabiles miseriæ ac calamitates proficiscantur. ideo sapiens ac divinus poeta meliorem ac justiorem illam prædicationem arbitratus est. *Paneg. 2. ad Eusebiam Imper.*

Heliodorus. Quædam prædicta mulieribus, interdum cunctationem attulerunt: eadem subitò agi cœpta, majore cum audacia plesumque peracta sunt. sequere tantum consilia mea, neque in ea require. *lib. 4. Æthiopicor.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Qui publica consilia enunciaverit, capite puniatur. Possum mirari, judices, hac lege ream esse feminam. neque id eò dico, quoniam non etiam gravius punienda sit, si mentem prodendæ civitatis in hoc sexu deprehenderimus: sed publica consilia quomodo in feminam ceciderint, invenire non possum. *Declamatione 272. pr.*

Petronius Arbiter: Eumolpus multa in muliebrem levitatem cœpit jactare: quam facile adamarent, quam citò etiam filiorum obliviscerentur, nullamq; esse feminam tam pudicam, quæ non peregrina libidine usq; ad furorem averteretur. *Satyrico.*

Quintilianus: Sunt & feminis ad scelera vires, cum habent causas virorum. quin imò si interroges, facilius hæc pectora, metus, odium, ira, corrumpunt. & quoniam non habet roboris tantum unde vitia mentium vincant plerumque facinus infirmitate fecerunt. *Declamat. 2. S. 6.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Novi ego cœlestes animis, & corpore puros
Utroq; in sexu multos. nam femina solum
Robore membrorum cedit: communis utroscq;
Inflammat virtutis amor, communis utriscq;
Est via, quæ celsum rectissima tendit ad æthum:
Hicq; ille est potior, cujus mage prompta voluntas.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Φωνὰς ἔλειπον αι γυναίκες ἐν φόβῳ.
Silere nimius feminas prohibet dolor.

Aristophanes Lysistr. v. 1016.

Nil inexpugnabile est, præut mulier, mulier improba.
Sed nec ignis tam potens, nec fera adeo ulla est impudens.
CH. M. Qui sciebas istuc, qui fit bella mihi ut excites?
Quum me amicam certam habere posses molestè homo.
CH. S Quippe in omnem implacabile odium gero,
CH. M Hoc quidem fac ut lubet, sed nunc misereor tui,
Cum tueor nudum esse, ridendumq; penitus virum
Quin propinquans induam te exomide lacernula
CH. SE. Per Iovem vos istud unum non facitis improbe,
Nam malaxa bulliente depesita vestis est.
CH. MV. Iam videris esse vir, nec ludibrio habendus es,
Sin molestus non fuisses, hanc tibi ego bestiam
Eruissem comprehensam qua tuo oculo sedet.
CH. SE. Hinc premens hinc me atterebat annulus, age aspice.
Excute atque ostende primum quum fuerit eruta.
Namq; bestia illa pungit jamdiu oculum meum.
CH. MV. Hæc ego exsequar licet sis asper homo & improbus.
Iuppiter, quam magna res est qui tibi inerat culex,
Non vides? non hæc rogo est tipulla Tricorysia?
CH. S. Per Iovem multum fuisti commoda mihi adjuva.
Iamdiu me lancinabat, nunc lacrymor adfatim.
CH. M. At te ego abstergam, licet sis vir malus & improbus,
Quin & osculabor. CH. S. auffer oscula. CH. M. imo ingratiis
CH. S. Ne venite, namque novi vos adulanti nimis
Esse natura, & benè illud dicitur vulgarium,
Nec simul cum pessimis sis, sed nec absque pessimis.
Nunc libens tecum paciscor fœderatus, nec malum
Postmodum vobis creare, nec pati à vobis volo.

Plautus Aululariæ 2. sc. 1. v. 16.

Da mihi optima femina manum. E ubi ea est? quis ea
Est nam optima? M. tu. E tu ne ais? M. si negas
Nego. E. decet te equidem vera proloqui.
Nam optima nulla potest eligi: alia aliâ
Pejor, frater est. M. idem ego arbitror, nec tibi
Adversari certum est de istac re unquam, soror.

Incerti.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namque est femineæ tutior unda fide.
Femina nulla bona est: & si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

¶ Apologi.

De Milite & Fœmina. Anonymus.

Dum vir & uxor amant, uxorem privat amasio
Parca viro, nec eam privat amore viri.
Conjugis amplectens tumulum, pro conjuge vexat
Vngue genas, oculos fletibus, ora sono.
Hanc juvat ipse dolor, nequit hac de sedere vellé
Grandine, seu tenebris, seu prece, sive minis.
Ecce reum damnat judex, crux horrida punit,
In cruce custodit, tempore noctis, eques.
Hic sitit, ad tumulum vocat hunc & clamor & ignis
Orat aquæ munus, hac dat, & ille bibit
Ægrum nectareis audet cor jungere verbis:
Hunc vocat ad primum cura timoris opus.
Sed redit, & dulces monitus intexit amaro
Cordi, victa subit castra doloris amor.
Vir metuens furem furis, suspendia furis
Visit, sed viduam tactus amore petit.
Hanc ligat amplectu fructumque ligarit amoris.
Hinc redit ad furem, sed loca fure carent.
Hic dolet, hoc quæstu dolor hic instigat amicam,
Non bene servato fure, timore premor.
Rex mihi servandum dederat, me regius ensis
Terret, & extorrem me jubet esse timor.
Hæc ait, invenit, quæ spem tibi suscitet, artem,
Vir meus implebit in cruce furis onus.
Ista viri bustum reserat, pro fure catenat
Ipsa virum, restem subligat ipsa viro.
Huc merito succumbit eques, succumbit amori
Illa novo, ligat hoc firmus amore thorus.
Sola premit vivosque metu pœnaque sepultos
Fœmina; fœmineum nil bene finit opus.

¶ Emblematum.

Had. Iunius Emblemate 24.

Cernuus armisona prælet Draco colla Minervæ
Domi portam at exterit Venus testudinem.
Virgo sui satagit decoris bene provida: at uxor
Frugi silet, nec limen excedit domus.

Catsius Emblemate nuptiali 35.

Difficilis servatu tumida virginitas,
Castaneas non ante nuces torrete, puella,
Quam pateat tenui vulnere fissa cutis.
Si qua fuit solido qua cortice sustinet ignem,
Dissilit, & rauco tecta fragore quatit.
Torva verecundo qua pectora claudit amori,
Quas Veneri pœnas, quas dabit ipsa sibi!
Æstuat & calidam nequit exhalare juventam,
Clauditur æternum si qua puella domi
Mox tamen erumpens, laxis bacchatur habenis,
Plusq; retenta diu flamma fragoris habet.
Vidi ego quod licitis erat impenetrabile flammis,
Turpiter obscæno pectus amore rapi.

Mono-

Feminæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad malitiam docta in una femina omnes sunt schola.
Ad scelus quodcunque semper sunt parata femina.
Ædium tempestas nulla retrior quam femina.
Æquor est ingens malorum in scelesta femina.
Allocuturus mulieres lumina in terram jace.
Apageſis, negotij quantum in muliere est unica.
Apis or vir ad virtutis munia est quam femina.
Caupo si propè adsit, atra tota bilis femina est
Censen' te invenire posse culpæ expertem feminam?
Contumelioſius nil uſpiam est quam femina.
De qua nil boni malive scitur, femina optima est.
Decernit quidem Senatus verbo, re sed Livia.
Docta ad malitiam omnes ludo sunt in eodem femina.
Efficax valde est orator vestis expers femina.
Est hiems viro est & imber femina ingens improba.
Et figura sub muliebri cor virile delitet.
Fallitur facillime muliebrium imbecillitas.
Femina ignis est, aduris quem sive odit, sive amat.
Femina omnia imprudenter dicit, omnia item facit.
Femina, ut sexu viris, sic animo est delicatior.
Femina clam dicta, crede dicta publicè in foro.
Feminæ citò senescunt, maxime quæ adsunt viris.
Femina cui blandiuntur plurimi, ferri nequit.
Femina cui cunq; grande dat decus silentium.
Femina dum moliuntur, dum comuntur, annus est.
Femina est caput maritus, at viri est caput Deus.
Femina est, magnocenatu, nugas magnas dicere.
Femina insecendent maritos, esse ut ceperint pares.
Femina mens cui corrupta, esse integrum corpus nequit.
Femina nil non agunt bene præter id quod expedit.
Femina nolunt ubi velis, ubi nolis ultrò volunt.
Feminæ omnes æquè eadem studentq; nolunt q; omnia.
Feminæ pauca, omnes faciunt digna ut videantur male.
Femina quod dictum in aurem est, publici est præconij.
Femina tractate lanam, cura belli erit viris.
Feminam domo prodire vix ferunt negotia.
Feminam imperare turpe nationi liberæ.
Feminarum etiam absq; formâ laudatur festivitas.
Feminarum etiam virtutes ipsa fabulas parant.
Feminis ad scelera vires sunt, cum habent causſas virium.
Feminis mares servirent, nata nisi satias foret.
Feminis quædam est voluptas ni. sani invicem obloqui.
Feminis ubi foris sunt nil videtur mundius,
Feminea natura menti plurima vitia addidit.
Haud facul, ut ait Pacuvius, femina invenietur bona.
Illecebris tam corrumpas feminam, quam præmiis.
Im, udentius per orbem nuſpiam nil feminis.
In gradu sexuque quovis tam mali sunt quam boni.
In tenebris sunt eadem, pulcra, turpis, femina.
In viros item sub armis pugnâ vere femina.
Inter feminas verbum aliquod unum iram concieveris.
Ipsamet natura fecit sumptuoſas feminas.
Ipsamet natura non fert imperare feminam.
Labitur ratione sexus sapiuſcule femina
Maximum mulieri vitium est cum nimis placet sibi.
Melius, petus, nil vident mulieres nisi tunc cum lubet.
Mulier omnis intrà pectus celat virus pestilens.
Mulieri nimio malefacere melius est onus, quam bene.
Nulla ab unguiculo ad capillum mulier festivissima est
O virum verè misellum, cui gulosa femina est.
Omnes mulieres æque studentque volunt eadem omnia.
Omnia insciens imprudensque mulier dicit ac facit.
Quæ per se nequeunt per alios exsequuntur feminæ.
Qua vacat pudore, pugnax admodum hercle femina est.
Quod viro esse odio videat, odio & sibi habeat femina.
Sæpe femina in figura mens virilis delitet.
Sæpe nil gerit muliebre, præter corpus, femina.
Seritis viros à rebus femina multum avocant.
Servitus muliebris salvis exuitur nunquam
Si vir natus es, rem noli feminarum tangere.
Sonticam cauſſam esse oportet quamobrem perdas femina.
Subruit domos & urbes femina æmulatio.
Turpiter cadit quicumque fraude femina cadit.
Versipelles esse cunctas experimur feminas.
Vulturum gens non habet marem, undiquaque femina est.

¶ Jambica.

A femina differre credis feminam?
A femina nil nocte differt femina.
Ad cuncta quæ aptus est vir, apta & femina est.
Alia alia pejor femina, nulla est optima.
Ament, amentur; feminæ spoliant viros.
An invenitur feminas inter fides?
Auſer lucernam, erit eadem omnis femina.
Cicada mus canit tacente femina.
Cui nil præter pretium dulce est, mulier mala est.
Cum feminis bellare, non est maſculi.
Eadem mulieris quæ lea crudelitas.
Et feminas amamus uſque ad ſaxeas.
Etiam in virum potest converti femina.
Impar ferè corpus doloris femina est.
In femina tactu quoque est periculum.
In occipitio, oculos quoque habet, quæ peſtima est.
Inſida res est admodum omnis femina.
In servitutem cuncta redigunt femina.
Invictior muliere, nulla bellua est.
Irata quæ scelus facit, ſummum facit.
Irretiuntur & viri per feminas.
Malis videre quam videri femina.
Mulier magis mulieri ubique congruit.
Mulier profectò nata est ex ipsa morâ.
Mulier tacere nunquam quidquam est quod queas.
Muliebris animus maxime est in lubrico.
Ne femina credas, quantumvis mortua.
Nil est movere quod non poſsit feminam.
Nil peius est muliere, ipsa etſi sit proba.
Non alia virtus est viri quam femina est.
Oracula à ſpeculo requirunt femina.
Par femina vigor cuicunq; qui viris.
Qualis leæna, talis ira femina est.
Quandoq; inest animus virilis femina.
Qui feminam miratur, miratur lutum.
Qui noverit mulierem unam, omnes noverit.
Quod fucus est api, hoc viro q; femina est.
Quod subsidium est in eo, regit quem femina?
Semper ſuis ſalvis ſunt ſervæ feminæ.
Superba non est ulla quæ neglecta est.
Tam mobile nil est quam voluntas femina.
Turpe imperare maſculis est feminam.
Valde arduum est tractare poſse feminas.
Virtutis est capax vir: est & femina.
Voluptuoſum femina est viris malum.
Vtinam hac carere poſsemus moleſtia!

Ferociæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Causa malorum malorum est impotens ferocia.
E ferociore pullo equum ars facit longè optimum.
Est ferox fera, est & ignis? femina est ferocior.
In coloniam feroces mitte, vel bello obere.
In formidinem mutata sæpius ferocia est.
Nemo magis dolo opportunus, quam ferox.
Non flagello castiganda ſed freno ferocia est.
Pace quos cernis feroces, cernes bello profugos.
Quæſo Strato, ferox eone es quia habes imperium in bellua?
Quamlibet quacumq; fraude verteris ferociam.
Vidi equidem ex jumentis domita fieri, atq; alias bellua.
Vix alienas fert animo æquo contumelias ferox.

¶ Jambica.

Abante corpore animi labit ferocia.
Adjuncta castis viribus ferocia est.
Equos domamus, non jugulamus, efferos.
Est fortitudo aliud, aliud ferocia est.
Etiam sagina pullus fit nimia ferox.
Felicitatis & comes ferocia est.
Ferocit instio imprudens, fine deficit.
Ferox juventus maxime exitio est ſibi.
Fraudi patet cuilibet ferocia.
Ius omne fert in armis gens ferocior.
Rebus ſecundis mater est ferocia.
Tempus locuſque hominum mutat ferociam.

Fertilitatis.

¶ Sententiæ.

Rosius: Universæ regioni Pentapoli bonis malè intenti, abundantia rerum, cauſſa malorum fuit. ex abundantia enim luxuria, ex luxuria fœcundę libidines adolevere: adeò ut maſculi in maſculos operantes turpitudinem, nec conſideratis quidem locis, conditionibus ætatibuſq; prorueruntur. *lib. 1. contrà Paganos cap. 5.*

Ariſtides Rhetor: Atq; exiſtimo equidem & ſacerdotes, & quiſquis alius Athenis preces faciebat, merito tum quidē publicè quotannis, hoc fuiſſe inter alia orāturos, ut aliquis apud ipſos Themiſtocli ſimilis naſceretur, & inter cæterum proventum hoc etiam bonum terra produceret: nec enim minorem videntur mihi fructum fuiſſe percepturi, quam ſi omnia cum centeſimo, vel etiam majore fœnore regio protuliſſet. *Orat. 2. Platonica.*

Feſtina-

Festinationis.

¶ SENTENTIÆ GRAECORUM.

S*Implicius*: Rectè cavet igitur, ne ii qui eruduntur, vehementi propensione & aversione, appetitione item & declinatione, præ alacritate modum excedendo, & quasi septa transiliendo, vires enervent. Hoc enim in plerisq; & animi vigorem habetat, & corpora ante tempus consumit. At multis hoc jam accidit, qui importuna & immodica alacritate sunt exercitationem aggressi. Nam paucæ tum corporum, tum ingeniorum naturæ sunt, quæ subito à deterioribus ad meliora transire possint. Id quod Diogeni, Crateti, Zenoni, & similibus contigit. Plerique autem & labi paulatim, & erigi paulatim solemus, tam animis quàm corporibus. Via enim media constantior & tutior animi vim & alacritatem cohibet, tuetur, paulatimq; auget. Quare propendere & abhorrere leviter & remisse jubet, καὶ μὴ ὑπὲρ ἀκρισίαν: hoc est, sic ut nonnihil laxetur, & non ad summum extendatur appetitus & declinatio, propensio & aversio. Nam qui à petulanti vita ad frugalitatem traducitur, non statim ad summam tenuitatem & jejunium prosilire debet, sed paulatim à priore victu subducere sese, & ut Aureorum carminum auctor monet,

Cedendo molire fugam, ne talia vincant. cap. 6. in Epict.

¶ ROMANORUM.

C. Tacitus: Festinatio multos bonos pessum dedit, dum spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. *lib. 3. Annal. cap. 66.*

C. Tacitus: Festinatione Artabanus rex, prævenit inimicorum astus, amicorumq; pœnitentiam. *lib. 6. Annal. cap. 44.*

Idem: Festinatione nihil tutius in discordiis civilibus; ubi facto magis quàm consulto opus. *lib. 1. Hist. cap. 38. & 61.*

Plinius Iunior: Indulge precibus meis, obsequere consilio: & ante omnia, si festinare video (in petitione quæsturæ pro Basso) ignosce: quia votis suis plerumq; amor præcurrit: deinde quod in ea civitate in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur; quæ legitimum tempus expectant, non matura, sed sera sunt, in summa, quod rerum quas assequi cupias, præsumptio ipsa jucunda est. *lib. 4. Epist. 15.*

Frontinus: T. Quintius Cos. victis acie Equis & Volscis, cum Antium oppidum expugnare statuisset, ad concionem vocato exercitu, exposuit quam id necessarium & facile esset, si non differretur eoque impetu, quem exhortatio concitaverat, aggressus est urbem.

M. Cato animadvertit, in Hispania potiri se quodam oppido posse, si inopinantes insideret: quatridui itaque iter, biduo per confragosa & deserta emensus, nihil tale metuentes, oppressit hostes: victoribus deinde suis causam tam facilis eventus requirentibus, dixit: tum illos victoriam adeptos, cum quatridui iter biduo arripuerunt. *lib. 3. cap. 1. Stratagemat.*

¶ APOLOGI.

De Olea tardè, & Cucurbita citò crescentibus.

Olea admirabatur cucurbitam juxta se natam brevi tantùm crevisse, ut se esset longe altior, quæ annos quamplurimos in eodem fuerat loco. Sed quum adventante hyeme cucurbita exaruisset, minime, inquit olea, cito crescentibus est invidendum, quibus tam citò est paratus interitus.

Fabula indicat, nimium festinata non esse diuturna. Abstenimus.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

Nicolaus III. Pont. Max. Rem oportune aliquando & nulla interposita mora aggredi, admodum utile judicabat NICOLAUS III. PONT. utpote qui vacantibus Ecclesiis pluribus, in id incumbebat assiduus, teis de viris timoratis prospiceret. causamq; tantæ celeritatis interrogantibus, *Magnum*, dicebat, *tum in mora est periculum, cum non desunt, qui divina etiam cupidissimè occupata diripereut.* Summa itaq; in agendo erit prudentia, si rerum temporumq; qualitati res nostras accommodemus. *Platina.*

Petrus Aldobrandinus Card. Hujus quoq; non minus egregium dictum. Inquiebat autem: *Vbi urget temporis angustia, acceleranduin non est, sed maturandum.* Illud enim inconsiderati est animi, hoc verò prudentis. *Henr. Farnes. in Apophth. de Princ.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Approperato, ne post tempus praeda praesidium pares.
Dum nihil differt, Philippi cuncta vincit filius.
Festinatio prodest ubique, non contatio.
Fructus haud potest diuturnus esse item ac praecox simul.
Non gradu usq; uno est eundum, usq; est eundum una via.
Perficit vis multa, verum plura festinatio.
Quam mage es festinus hoc rem tardius perficis.
Quam magis homines festinant tanto absolvunt tardius.
Qui minus lente festinat, idem absolvit sursus.
Sape festinatione melior ipsamet mora est.
Sic equos admitte ceu sit, usq; currendum tibi.

¶ IAMBICA.

Absolvit omnia serius festinatio.
Animo cupienti, nil festinatur satis.
Auxilia sape tardat festinatio.
Cacos parit catellos festinans canis.
Factum satis cito est, quod est factum bene.
Fortuna, quem raptim effert, raptim destruit.
Homines fefellit sape festinatio.
Laudabilis haud ubiq; festinatio est.
Laudanda non ubiq; festinatio est.
Melius pigrasse quam properavisse est nefas.
Multos bonos pessundat festinatio.
Nimium properanti longior quavis mora est.
Non est sui compos sat festinatio.
Oblivioso plus sat festinatio est.
Periculosa aliquando festinatio est.
Periculum sape auget festinatio.
Properatio aliud, aliud est festinatio.
Res magna raptim ac temere confici nequit.
Studio pio non est praevenire rubor.
Tarda in tumultu & ipsa festinatio est.

Videantur alio titulo, *Celeritatis, Cunctationis, Procrastinationis, Morae.*

Festorum sive Feriarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D*Nazianzenus*: Fratres, festum celebremus, non corporis nitore, non vestitus mutatione ac magnificentia, nō comessationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitiàs esse didicistis: nec floribus vicos cingamus, nec unguentorū turpitudine mensas, & vestibula ornemus: nec visibi lumine splendescant domus, nec tibicinum cantu plausibusq; personent: hoc enim more Gentiles novæ Lunæ festum celebrant. At nos ne committamus, ut ad hunc mōdum Deum honōremus, ac præsens tempus iis rebus quæ minimè decent, extollamus: verum animi puritate & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est divinis contemplationibus & cogitationibus quæsuper sanctum candelabrum excitentur, atq; universum terrarum orbem luce perfundant. Parva meo quidem judicio, si cum hoc lumine comparentur, ea omnia lumina sunt, quæ homines, qui festos dies agunt, privatim publiceque accendunt. *Orat. 4. quae stelleutica in Iulianum est altera.*

D. Nazianzenus: Qua autem ratione consequemur festum non mundanum sed supramundanum nativitatis Christi? nempe si nec domus vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui lenocinemur, nec tactui gratificemur, promptis inquam illis ad vitium viis, & peccati januis; nec teneris & circumfluentibus vestibus emolliamur, quarū quod pulcherrimum est, nulli usui est, nec gemmarum splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificiis nativam pulchritudinem ementientibus, atq; adversus divinam imaginem excogitatis: nec comessationibus & ebrietatibus, quibus cubilia & impudicitias adjuncta esse scio, quandoquidem malorum magistrorum malæ doctrinæ sunt, vel potius malorum seminum malæ segetes. Nec thoros altos figamus, ventri delicias sternentes. Nec fragrantia vina, coquorum lenocinia; ingentis sumptus unguenta in pretio habeamus. Nec terra & mare pretiosum nobis stercus dono offerant. (hoc enim honore delicias afficere soleo.) Nec alius alium intemperantia superare contendamus. Mihi enim intemperantia est, quidquid superfluum est, ususque necessarios excedit: idq; esurientibus aliis, atq; inopia laborantibus: iis inquam, qui ex eodem luto & temperamento constant. Verum hæc Gentilibus, ac Gentilitiis pompis, festisq; relinquamus: qui etiam iis, quos sacrificiorum nidor oblectat, Deorum nomen tribuunt, apteq; proinde divinum numen ventre colunt, mali utiq; malorum dæmonum & fictores & sacerdotes, & cultores. At nos, à quibus Verbum adoratur, si quid deliciis dandum est, in sermone deliciemur, atq; in lege divina, & narrationibus, cum aliis, tum iis præsertim, quæ præsenti festo consentaneæ sunt. *Orat. 38.*

D. Nazianzenus: Salutem nostram per baptisma nacti, eam lætitia prosequi conveniebat, ac multo quidem magis, quam carnis amici dies eos quotannis celebrant, quibus vel nati, vel matrimonio juncti sunt, vel nomen acceperunt, vel certe inter juvenes censeri cœperunt, vel locum aliquem primum incoluerunt, vel quacunq; tandem alia de causa mortales festum diem agunt. *Orationis quadragesima principio.*

D. Nazianzenus: Festos dies Judæos etiam agit, verum juxta literam. Legem enim corpoream consectans, ad spiritualem legem

non

non pervenit. Festos quoq; dies Gentilis agit, verum juxta corpus deosq; suos & dæmones: quorum alii vitiosarum affectionum affectores atq; architecti sunt, quemadmodum ipsimet asserunt, alii ex vitiosis affectionibus honorem consecuti sunt. Ac proinde modus etiam ille, quo festa celebrant, cum vitiosis affectionibus conjunctus est: ut hoc ipsum quod peccant, in Dei honorem cedat, ad quē, vitium, quasi res quædam honesta & prædicanda, confugit. Festos dies nos quoq; agitamus, verum ut Spiritui gratum est. Gratum est porro eam à nobis rationem iniri, ut eorum, quæ in rem sunt, vel aliquid dicamus, vel agamus. Nec feriarum nostrum quicquam est aliud, quam animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma & stabilia sunt, ac manibus tenentur, non autem suffugiunt & dilabuntur, leviterq; dumtaxat sensum demulcent, magna autem ex parte, meo quidem judicio, labefactant, noxamq; inferunt. Sufficit enim corpori malitia sua. Quid flāma ampliore materia opus est aut belluæ copiosiori alimento, ut effrenatior reddatur, ac ratione violentior? Quocirca nobis spiritualiter feriandum est. *Initio quadragesimæ quartæ.*

D. Gregorius Nyssenus: Hodie universum orbem terrarum videre licet, perinde ac si una domus esset, in unius rei de more fieri solitæ consensum ac quasi consonantiā coiisse atq; coaluisse, unoq; signo, quasi tessera accepta ad studium orationis traductum: viæ publicæ viatoribus carent: mare hodie à nautis & vectoribus desertum: agricola aratro ac ligone projecto in habitum feriātis compositus & exornatus est: cauponæ à quæstu vacant: strepitus tanquam hyems appetente vere cessant: tumultus, turbæ, vitæ procellæ paci & quieti dici festi decesserunt: pauper ut dives exornatur: dives solito splendidior conspicitur: senex perinde ac juvenis accurrit, ut particeps lætitiæ fiat: infirmus quoq; vim morbo adfert: puellus infans mutatione vestis sensu externo festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest: virgo in animo suo vehementer lætatur, quod suæ spei recordationem adeo splendidè honorari cernit: materfamilias cum toto grege domus, nemine familiārum atq; domesticorum absente, festum celebrans lætatur: nunc enim ipsa atq; maritus, & liberi, & servi, omnesq; domestici lætantur. Ac veluti novum ac recedens editum examen apum ex latibulis primum & alveariibus simul coactum atque confertum in aerem ac lucem evolans ramo alicujus arboris sese applicat & considit: haud aliter in hoc festo integræ familiæ ad sedes quæque suas confluunt. *de paschā & resurrectione.*

D. Gregorius Nyssenus. Quemadmodum enim, quum regem qui sub eo sunt exercitus magnifica pompa comitari atque producere parant, auro tectos atque delectos esse, & formæ illius clarissimè expressam imaginem præ se ferre atque gestare convenit eos, qui ad satellitium & custodiam corporis ejus collecti sunt: eodem modo necesse est, ut nos renovatione mentis & animi nostri nosmetipsos transformantes, & veterem hominem deponentes, & quoad homines id assequi possunt, divinæ imaginis similitudinem in nobis circumferentes atque gestantes, ita tandem in salutaribus & spiritualibus diebus festis prodeamus & conveniamus, ut redingāntur nobis, juxta Prophetæ orationem, jejunium quartum, jejunium quintum, jejunium septimum, & jejunium decimum in lætitiam & bonos dies festos. ubi jejunium sublimiore nimirum atque excelsiore ac mystico sensu intelligendum est, versā atq; translata significatione ad temperantiam & continentiam ab omnibus tum carnis tum spiritus sordibus & inquinamentis. Nam per quaternarium & quinarium numerum, itemque per septenarium & denarium omnis carnalis, eaq; quæ sensibus deceptioni ac fraudi obnoxiis & opportunis familiaris & addicta est, atq; cum præsenti mundo cōcluditur, species ac repræsentatio significatur. *Orat. de occursu Domini, &c.*

D. Chrysostomus: Cum dixisset festum celebremus, non dixit: Quoniam adest pascha, nec pentecoste: sed ostendens quod omne tempus est tempus diei festi Christianis, propter summa bona quæ data sunt. Nam quod non extitit bonum? Filius Dei propter te homo factus, à morte te liberavit, in regiam vocavit. Qui ergo talia assecutus es & assequeris, quomodo non debes tota vita diem festum agere? Nemo sit ergo tristis propter paupertatem, & morbum, & insidias. Nostri enim festi est totum tempus. Et ideo dicit Paulus: Gaudete in Domino, gaudete, iterum dico gaudete. In diebus festis nullus sordidis est indutus vestibus. Nec vos ergo. Factæ sunt enim nuptiæ, nuptiæ spirituales, Simile est, inquit, regnum Dei homini regi, qui voluit facere nuptias filio suo. Ubi autē Rex facit nuptias, & nuptias filio suo: quidnā fuerit majus hoc festo? Nemo ergo ingrediatur pannis obsitus. Non agitur à nobis de vestibus, sed de immundis actionibus. Omnibus enim splendidis indutis vestibus, unus solus inventus in nuptiis vestes habens sordidas, ejectus fuit cum ignominia. Cogita, quam exactam puritatem & munditiam postulat ingressus ad illas nuptias. *Homil. 15. ad Corinth.* 1.

Isidorus Peluſiota: Illud autem ne sis nescius, Deum beneficiorum suorum monimenta festis & olim, & nunc astrinxisse: ut qui festos dies agitant, eorum memoriam auribus suis insonantem habentes, non ad temulentiam, sed ad gratiarum actionem & virtutem sese convertant. *lib. 2. Epist.* 116.

S. Isidorus Peluſiota: Quo tempore justitiæ sol ad homines beneficiis afficiendos è cœlo huc accessit, tum denique, velut in quadam rerum reciprocatione ad sanctitatem omnia migrarunt. Nam cum prius festivo ornatu carerent, ac festorum quidem nominibus exultarent, cæterum vitii tragicis actionibus infamarentur, ad divinam ac cœlestem solennitatem conversa sunt, illud edocta, verum festū existimare pietatem, ac præsertim cum à virtute tāquam à pia quadam sacrifica colitur. *lib. 3. Ep.* 286.

S. Asterius: Hæc publici festi lex est, primum ut certus sit ac manifestus ejus scopus, deinde ut cōmunis omnium lætitia, non ut aliqui in gaudio sint, cæteri in victores exultare lætitiaque sese efferre, victos cladem suam ac calamitatem deplorare. *Homilia in festum Kalendarum.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Nos ecclesiis Dei ludicra anteponimus, nos altaria spernimus & theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus: solus nobis in comparatione omnium, Deus vilis est. deniq; præter alia quæ id probent, indicat res præsens si quando enim evenerit, quod sæpe, ut eodem die & festivitas ecclesiastica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conscientia, quis locus majores Christianorum copias habeat, ludi publici, an atrium Dei, & templum omnes magis sectentur, an theatrum? dicta Evangeliorum magis diligant, an thymelicorum, verba vitæ, an verba mortis, verba Christi, an verba mimi? non est dubium quin illud magis amemus quod anteponimus. Omni enim feralium ludorum die, si quælibet ecclesiæ festa fuerint, non solum ad ecclesiam non veniunt qui Christianos se esse dicunt: sed si qui inscii forte venerint, ecclesiam derelinquunt. Spernimus Dei templū, ut concurratur ad theatrum: Ecclesia vacuatur, circus impletur: Christum in altario dimittimus, ut adulterātes visu impurissimo oculos ludicrorum turpium formicatione pascamus. *lib. 6. de gubernat. Dei.*

¶ Philosophorum Oratorumque Graecorum.

Apollonius Nomotheta: Festa morbos pariunt. Labores enim remittunt, & ingurgitationem augent. *Epist.* 29.

Halicarnassæus: Panegyris, solennis scilicet quinquennalium ludorum celebritas sive conventus, est inventum & donum Deorum, ad requiem majorum rerum quæ ad vitam attinet, tradita (sicuti quodam in loco inquit Plato) cum Dii humanum genus ad laborem natum miserati essent. Coacti autem fuerunt à sapientissimis hominibus conventus, & à civitatibus publicè communi decreto, ad reficiendos recreandosq; animos, ac ad oblectationem atq; solatium spectantium constituti. Tributus vero ad hos mutuo celebrandos, est à divitib. suppeditandarum quidem pecuniarum sumptus, à principibus circa hoc ornatus ad magnificentiam apparatus rerumq; ad id commodatum opulentia. Panegyrim athletæ corporum robore ornant plurimum, & Musarum ac Apollinis sectatores musica, quæ in ipsis reperitur. *cap. 1. de orat. panegyr.*

Libanius: Festos dies amant homines, tum quia faciunt ut ludant, epulentur, & jucundissimè degant. Festum vero aliud familiæ est, aliud civitatis, aliud gentis. Unum novi commune omnibus quicunq; sub imperio Roman. vivunt, hoc autem altero anno exacto, altero ineunte celebratur. Ac primum instat, res est usq; adeo omnibus flagitata, ut plerisq; hominibus tempus longum & serum videatur: quin properant festum prævertere: ut terram exoptant qui navigant. Porro cum accedit, impensas facere appetunt, tam is qui pecuniis abundat, quam is qui pauxillulum nummorum unciatim de demenso suo comparsit. hic vestis sordes eluit; ille mutuatur, ab iis qui agros possident & eorum cultioni dant operam, omnia quæ profert ager adferuntur. cum alia, tum omnis generis aves innumeræ, tam cicures & mansuetæ, quam agrestes & feræ; aliis vero qui manibus victum sibi comparant, quæ apud caupones & tabernarios prostant, sufficiunt. Tunc enim maxime videre est forum refertum. Pridie igitur Kal. dona feruntur per urbem, quæ mensam onerare & ornare possit. hæc ab optimatibus mutuo se honore afficientibus: alia ab inferioribus mittuntur ad patronos: atque à clientibus ad illos: cum hi quidem colant illorum potentiam, illi vero cultores suos deliciarum suarum participes faciant. Et cum serus vesper venit, nimium quidem dormitur. Sed pleriq; toti sunt in canticis, saltationibus, jocis & cavillis. Sunt etiam qui in officinis morantes impetunt & fores imperiose pultant, ac lasciviunt: nec sinunt frui somno. Atq; hi quidem succensent ob ea quæ audiunt: aliis id risus est. neq; vero quisquam tam tetricus est qui præteriens culpet ea quæ fiunt: neq; tam abstinens à risu, ut non rideat. Diluculo instante, & gallo canente, hi quidē lauri ramis, aliisq; coronarū generibus ante fores & hostes ædium suarū exornant: illi vero splendidis, magna ex parte purpureis, vestibus amicti, equorum altorem virum ad fana & sacra deducunt: & faculæ multæ lumen exhibent. Equidem sequuntur ministri spargentes argentum in populum. Ibi labentem excipere eum ministri spargentes argentum in populum. Ibi labentem excipere eum qui propulit vicinum, res est certe suavissima. quin gaudent eo loci pedibus calcati. Ubi autem sacris operati fuerint & victoriam à Diis postularint, qui equos alunt ad certamina, pergunt ad magistratus, eorum ministris & accensis nummos aureos dantes. Curia præsens hæc videt, & præstat, nam ex magistratuum manibus ad apparitores perveniunt. Quinetiam Patronus ipse clientē deosculatur, cum modo hunc nummum aureū dederit, modo huncacceperit. Funditur quoq; aliis aurum undequaq; quando hi quidē Patronos imitātur: alii vero simul & semel largiuntur, è quorū certe etiam numero sunt qui sapientiæ studio operam dant si quidem statuunt tunc temporis mercedē hujusmodi in festi gratiā. Orto autem die quib. festi caput esse videtur indulgere potui, hi nocturnas compotationes immodicas temulentia produnt, ut necesse sit ipsos jacere sopitos: Qui vero honestiores cautioresque sunt, curæ habent munerum missionem.

ac pleriq; eorum per porticus & anfractus dona conferunt, ex quibus hic maiorẽ partem remittit: alius nihil omnino. Jam qui omne profundit remittve, magis oblectat eum qui dedit. Atq; hæc quidẽ Novilunii acta sunt. Postridie Kal. numerum missitatio non obtinet, sed lex est domi manendi, atq; talis aleæq; incumbunt promiscue heri & famuli nec segnities tunc servo damnosa est, quin si q̃s ebrius ac temulentus fuerit, crimine liberatur: festo die id permittente. quandoquidem ne ludi quidem magister plagosus, tunc ferus est: nec doctor querulus & molestus, tum morosus est, verum æquam omnibus libertatem, tempus illud tribuit. Et flagra cessant & plagæ: ac plena sunt omnia pacis, libertatis & voluptatis: nemoq; adeo inops est, qui non lautiori cibo ad satietatem usq; vescatur. scatet enim ex his omnibus ea tempestas, & in omniũ manibus sunt: perinde ac si terra effunderet. Tertio die junguntur quidem currus ad concertandum, magnumq; dissidiũ oritur de victoria: multiq; conveniunt ad Hippodromum, à quo lanacra adeunt: & ab his ad mensas itur, in quibus appositi tali. ut nonnullis contentio circa hæc exorta, cum die noctem etiam consumat, neq; tamen labori est lucubratio. Dies quartus vigorẽ festi vitatis elidit. Prorsus vero festi gaudium extinguere ne quinta quidem lux potest, sed ut tenuis quædam aura adspirans, homines levioribus oblectationibus affectos detinet, ut vix, ægrè & cunctanter opera, velut equi, qui post aliquod tempus iterũ sub jugum mittũtur: & simulatq; ad opus & pensum redeunt, ut idẽ festum sibi rursus intueri liceat, precantur. *Descript. Kalendarum.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus de vita sua.

Diluxerat jam, nox at urbem presserat
Subeunte Phœbi circulum nube horrida.
Alterna certe tempori quæ res erat.
Nil namq; festi sic amant cœtus, dies
Vt claritate praditos. hinc hostibus
Mens læta, &c.

Plautus Aulularia 2. sc. 8. v. 10.

——— *Festo die si quid prodegeris,*
Profecto egere liceat, nisi pepereris.

¶ Apophthegmatvm Sacror.

Nehemias: Dies sabbathi à Deo verbis expressis institutus quum variis modis per vendentes & ementes Hierosolymis violaretur, Nehemias dixit primariis, *Quæ est res pessima hæc, quam facitis, quod profanatis diem sabbathi? Annon cum ita fecissent majores vestri, induxit Deus noster super nos totum malum istud, & super civitatem hanc: & vos augetis æstum iræ contra Israelem, profanando sabbathum.* Et propolis rerum venalium minatus est, ita ut à violatione diei Deo sacri abstinerent. *Nehem. 13. 17. 21.*

Gr. Nazianzenus: Festa celebremus, inquit, non corporis nitore non vestitus mutatione ac magnificentia, non comessationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias esse didicistis, &c. Sed animi puritate, & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est divinis contemplationibus & cogitationibus quæ super sanctum candelabrum excitentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant. *Oratione 4. adversus Julianum.*

Nicephorus: Sanctis Apostolis, inquit, Consilium illud propositum non fuit, ut sibi de diebus festis judicium sumerent, aut de eis leges ferrent: sed potius Deo gratam vitam, virtutem, & veram erga Deum pietatem traderent atque inducerent. *Eccles. histor. lib. 12. cap. 32.*

¶ Apophthegmatvm Christianor.

Thomas Morus: Deos genus hominum miseratos dicebat Plato, quod remissiones laborum illis statuerent, solemnia videlicet Festa. At Christianis alio in usu eorum institutio: ut iis videlicet omnium largitori Deo gratiæ agantur, aut ii quos apud eumdem patronos habemus, digna veneratione celebrentur, unde tanta religione eadem observasse dicitur Thomas Morus, ut iis etiam, dum in carcere solus degeret, vestibus melioribus sibi allatis induceretur, Mirantibus vero, cur solus cum esset, id faceret, respondit: *Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colo, & honeste induor.* Volebat certe non interno mentis tantum, sed & externo corporis splendore dies festos celebrari. *Thom. Staplet. in Vitâ.*

Idem: Neq; prætereundum, quod cum accepta mortis sententia, diutius ab ejus executione quam vellet detineretur, tandem instante festo Translationis S. Thomæ Canturiensis, *Cras,* ajebat in Vigilia, *vehementer gestio ad Deum migrare: esset enim ille dies mihi admodum conveniens.* eumque quem optabat diem, suo Martyri Deus suavissimè concessit, in quo & Patroni, cujus nomen gerebat & sancti Apostoli (incidit enim illud festum in Octavam S. Petri) pro cujus primatu sanguinem fundebat, celebris memoria in Ecclesia fieret. *Thom. Staplet. in Vita, cap. 19.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad laboribus quietem festa homini præbent dies.
Feria caussa quietis instituta, haud litium.
Feriæ jucundiores sunt quæ fungunt plurimos.
Feriarum requie tergere est laboris tædium.
Feriis agit perennes vir probus coram Deo.
Feriis serviis laboret litibus liber vacet.
Festum agas diem absq; luxu: sic licitas Deo ac tibi.
Nemo oblitus feriarum est suæ pueritiæ.
Rusticis profecto bruma feriata maxime est.
Tergere veteres fossas fas, novas facere haud fas feriis.
Vt durare vita posset sunt reperta feriæ.

¶ Jambica.

Deducitur que vel sacro risus die.
Festo die qui prodigit profesto eget.
Festos dies etiam oculto sobrie
Festum diem usq; & usq; agit bonus.
Hilare ac modeste agunto Saturnalia.
Mersare oves suos die fas flumine est.
Mutata sæpe festa infestis cædibus.
Nudum viros caput decet non feminas.
Nutriculæque sunt morborum feriæ.
Quem vis diem profesto habet vir improbus.
Tollis dies festos, sacrificia si abrogas.
Usura nullas sola nescit feriæ.

Fidei Christianæ.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Jam vero Plato quoq; omni ostentatione demonstrationis, quod ubiq; fide opus sit, celebrans simul pacẽ. Fidelis enim & syncerus in seditionibus nunquã fuerit, absque omni virtute. Pugnaces autem & in bello mori volunt permulti mercenarii, quorum pleriq; fere omnes sunt audaces & injusti, insolentes, & prudentiæ expertes, paucis admodum exceptis. Si hæc autem recte dicuntur, quis is legislator, qui est alicujus momenti ad maximam virtutem maxime respiciens, ferat leges. Ea est autem fidelitas, qua in omni tempore opus habemus, & in pace, & in bello, in alia universa denique vita: videtur enim alias simul comprehensas continere. Quod optimum est autem, non est bellum, nec seditio: iis enim opus habere deprecandum fuerit. Pax autem inter se invicem & benevolentia, res est longe optima. Ex his quidem constat, maxime esse optandum pacem habere, ex Platonis sententia: maxima autem mater virtutum est fides. Merito ergo dictum est apud Salomonem: Sapientia est in ore fidelium. Nam Xenocrates quoq; in libro de prudentia, sapientiam dicit esse scientiam primarum causarum, & essentiæ quæ percipitur intelligentia: existimans esse duplicem prudentiam, unam quidem quæ versatur in agendo, alteram quę in contemplando, quam quidem esse dicit humanam sapientiam. Quocirca sapientia quidem est prudentia, sed non quævis prudentia est sapientia.

Ostensum est autem, principii universorum esse eam quæ fide habetur scientiam, non autem demonstrationem. Absurdum enim fuerit, Pythagoræ quidem Samii sectatores, negantes eorum quæ quærebantur demonstratione, illud, Ipse dixit, fidem facere arbitrari, & ad ea quæ audierunt confirmanda, hanc vocem satis esse ducere: eos autem qui contemplandæ veritatis tenentur desiderio, fide digno magistro soli Servatori Deo fidem non habere, sed velle eorum quæ dicuntur probationes ab eo exigere. Ille autem, Qui habet aures ad audiendum, audiat dicit. Et quis is? Dicat Epicharmus: Mens videt, mens audit: alia autem sunt surda & cœca. aliquos incredulos arguens Heraclitus, dicit: Audire nescientes, nec dicere. Adjutus utique à Salomone dicente: si dilexeris audire, susceipies, & si inclinaveris aurem tuam, eris sapiens. Domine quis credidit auditui nostro? inquit Esaias. Fides enim est ex auditu: auditus autem per Verbum Dei, inquit Apostolus. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Quemadmodum scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium bona. Vides quomodo per auditum, & prædicationem Apostolorum fidem ad Verbum Domini & filium Dei attollit? Nondum intelligimus demonstrationem esse verbum Domini.

Quemadmodum ergo sphæræ lusus, non solum dependet ab eo qui mittit ex arte sphæram, sed ei etiam eo opus est qui illam numerose excipiat, ut ex sphæræ legibus peragatur ludi exercitatio: ita etiam doctrina fide fit digna, quando fides eorum qui audiunt, quæ est ars, ut semel dicam, naturalis, confert ad disciplinam. Adjuvat itaque terra quoque fertilis ad seminum dejectionem. Neque enim optimæ doctrinæ est aliqua utilitas, nisi adsit ejus qui discit susceptio: neque prophetiæ, nisi adsit obedientia eorum qui audiunt. Aridæ enim festucæ, quæ sunt paratæ ad suscipiendam urendi facultatem, facilius accenduntur: & lapis qui vulgo jactatur, ferrum trahit propter cognationem, & lachryma succini attrahi festucas & electrum movet paleas. Eis autem parent quæ trahuntur, qui dici non potest tacta spiritu, non ut principales causæ, sed ut adjuvantes.

Cum sit ergo duplex vitii genus: unum quidem, quod cum fraude & clanculum, alterum autem quod cum vi fert & trahit, divinum Verbum clamavit omnes simul vocans, eos quidem vel maxi-

me cognoscens qui non erant pariturí: & tamen quoniam est in nostra potestate parere & non parere, ut nulli possint causari prætextũ ignorantiæ, justam fecit vocationem. Quod autem præstare possunt uniuscujusq; vires, exigit. Nonnullis enim simul adest & velle & posse, ut iis qui per exercitationem eo pervenerint & purgati sint. Alii autem etsi nondum possint, jam tamen habent velle. Est autem velle quidem, munus animæ: agere autem, non sine corpore: neq; vero solus finis res dimetitur, sed eæ etiam uniuscujusq; electione dijudicantur: si facile elegit, si peccatorum suorum ductus est pœnitentia, si propter ea in quibus lapsus est eum remordet conscientia, & errorem recognovit, quod est, postea cognovit. Est enim tarda cognitio pœnitentia. Cognitio autem, est prima à peccato cessatio. Fidei ergo officium quoq; & opus est pœnitentia. Nisi enim crediderit esse peccatũ quo prius tenebatur, non dimovebitur: & nisi crediderit, ei quidem qui delinquit, impẽdere supplicium paratam autem esse salutem ei qui ex præceptis vivit, ne sic quidem mutabitur.

Jam autem spes quoq; consistit ex fide. Definiunt itaq; fidem sectatores Basilidis, animæ assensionem alicui eorum quæ sensum nõ movent, propterea quod non adsunt. Spes autem est boni acquirendi expectatio. Fidelem autem necesse est esse expectationem. Fidelis autem est, qui citra transgressionem ea servat quæ sunt ei tradita. Nobis autem traduntur quæ de Deo dicuntur, & verba divina: nempe mandata, cum executione præceptorum. Hic est servus fidelis qui laudatur à Domino. Cum autem dixerit, Fidelis Deus, cui nam pronuncianti par sit credere significat: iis autẽ declaratur Verbum ejus, & is fuerit Deus fidelis. Quomodo ergo, si credere est opinari aut existimare, quæ ab ipsis dicuntur philosophi firma esse existimant? Non est enim opinio aut existimatio, ea quæ est voluntaria demonstrationis præcedentis assensio, sed alicui valido ac potenti assensio. Quis autem Deo fuerit potentior? Infidelitas autem, est, ejus quod oppositum, imbecilla enunciativa opinio seu existimatio: quemadmodum credendi difficultas quæ dicitur δυσπιστία, est habitus qui fidem difficiliter admittit. Et fides quidem est voluntaria existimatio, & anticipatio prudentis præcognitionis. Expectatio autem est opinio futuri. Aliorum autem expectatio, est incerti opinio. Fiducia autem est firma de aliquo apprehensio.

Quare ei credimus in quo fiduciam habuimus in gloriam divinã & salutem. In solo autem Deo fiduciam habuimus, quem scimus non transgressurũ ea quæ sunt pulchre nobis promissa, & ideo creata, & ab ipso benevole nobis data. Est autem benevolentia, bene velle alteri illius ipsius gratia. Ille enim nullius indiget. In nos autem desinit beneficentia, & quæ est à Domino benignitas, cum sit divina benevolentia ad hoc ut bene faciat. Si autem Abrahæ qui credidit reputatũ est ad justitiam, semen autem Abrahæ sumus nos, per auditum quoq; nobis est credendum, Israelitę enim sumus nos, qui non per signa, sed per auditum credimus. Propterea lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama, inquit, quæ non parturis, quoniam multi sunt filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum. Vixisti in circuitu populi, benedicti sunt filii tui in tabernaculis patrũ tuorum. Si autem eædem mansiones à Prophetia & nobis & rursus Patriarchis annunciantur: ostenditur unum esse Deum utriusq; testamenti. Subjungit itaq; manifestius: Hæreditasti testamentum Israel, dicens ei quæ est ex gentibus vocationi, quæ erat aliquando sterilis hujus viri, qui est verbum, quæ prius fuerat desperta à sponso. Justus autem ex fide vivet, quæ est in testamento & præceptis, quoniam hæc duo, nomine & tempore, ætate & profectu, data œconomicè, cum potestate quidem unum sint, illud quidem novum, hoc vero vetus, per filium ab uno Deo suppeditantur. Qua ratione dicit etiam Apostolus in Epistola ad Romanos, Justitia enim Dei in ipso revelatur ex fide in fidem unam, quæ ex Prophetia perficitur in Evangelio per unum & eundem dominum docens salutem. Hoc, inquit, præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerant, quoniam quæ à Deo venit conscientiam polluerunt infidelitate. Non est ergo amplius fides merito temere reprehendenda, ut & facilis & vulgaris, & quæ sit quorumlibet. Si humanum enim esset studium, ut existimabant Græci, etiam extinctum esset. Sin autem augetur, non est ubi non est.

Dico ergo fidem, sive fundata sit à charitate, sive etiam à timore, ut dicunt accusatores, esse divinum aliquid, ut quæ neque ab alia mundana amicitia divellatur, neque à timore præsente dissolvatur. Charitas enim, ea, quæ illi cum fide intercedit amicitia, facit fideles. Fides autem est basis ac stabilimentum charitatis, vicissim inducens beneficentiam, quando etiam legis pædagogus timor, propterea quod credatur, timor quoq; esse creditur. Si enim in operãdo, quod is sit ostenditur. Qui autem facturus est & minatur, non autem operans & præsens creditur, non ipse fidem procreat, qui esse fide dignus est ab ipsa probatus. Divina ergo est tanta mutatio, ut qui ex infidelitate fidelis factus fuerit, spei quoq; credat & timori. At prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet, post quam timor & spes & pœnitentia, cum continentia & tolerantia proficientes, nos ducunt ad charitatem & cognitionem. Merito ergo Barnabas Apostolus, Ex qua parte, inquit, studui paulatim ad vos mittere, ut cum fide vestra perfectam etiam habeatis cognitionem. Fidei ergo nostræ coadjutores sunt timor & tolerantia: quæ autem nobis opem ferunt, sunt longanimitas & continentia. His ergo, inquit, in iis quæ ad Dominum pertinent, caste manentibus, una cum eis lætantur sapientia, intelligentia, scientia, cognitio. Cum itaq; prius dictæ virtutes sint elementa cognitionis, evenit ut fides sit magis elementaris, quæ ei qui est cognoscendi potestate præditus, est æque necessaria, ac ei qui in hoc mundo vivit, ad vivendum respiratio. Ut autem absq; quatuor elementis non possumus vivere, ita nec absque fide possumus assequi cognitionem. Hæc est ergo basis veritatis. *lib. Stromat. 2.*

Ibidem: Cum sit autẽ duplex fides, una quidem quæ est ex scientia, altera vero quæ ex opinione: nihil obstat quo minus duplex nominetur quoque demonstratio: una ex scientia, ex opinione altera: quandoquidem cognitio quoque, & præcognitio duplex dicitur: una quidem quæ accuratam & exactam habet suam naturam, altera vero quæ mancam. Nunquid autem ea sola quæ est apud nos vera fuerit demonstratio, ut quæ ex divinis suppeditetur Scripturis, quæ sunt sacræ literæ, & ex ea quæ à Deo docetur sapientia, ut ait Apostolus? Disciplina ergo, & parere præceptis, quod est Deo credere, & fides Dei potentia, quæ est vis veritatis. Statim autem dicit: Si habeatis fidem ut granum sinapis, montem transferetis. Et rursus: Secundum fidem tuam fiat tibi. Et unus quidem curatur, suscepta per fidem curatione: mortuus autem resurgit per vim ejus qui crediderat quod esset resurrecturus. Quæ est autem ex opinione demonstratio, est & humana, & fit ex argumentis rhetoricis, vel etiam dialecticis syllogismis. Suprema enim demonstratio, quam ex scientia esse demonstravimus, fidem inserit per allationem & apertionem scripturarum, animis eorum qui discere cupiunt, quæ quidem fuerit cognitio. Si enim quæ assumuntur ad id quod quæritur, vera sumuntur, ut quæ sunt divina & prophetica: clarum est utique quod quæ etiam eis infertur conclusio, vera inferetur, & recte nobis demonstratio fuerit cognitio. *lib. 2. Stromat.*

Clemens Alexandrinus: Fidem ergo non otiosam & solam, sed cum inquisitione ostendere oportere dicimus. Non hoc enim dico, non oportere omnino quærere. Quære enim, inquit, & invenies,

Quod autem quæritur,
Capi potest, quod negligitur vero effugit.

ut ait Sophocles. Similia autem dicit etiam Menander Comicus.

quicquid quæritur,
Egere cura, maximi viri autumant.

sed perspectivam quidem animæ facultatem ad inventionem oportet dirigere, & quæ impedimentum afferunt expurgare: & rursus contentionem, invidiam, & ipsam litem pessimè perendam abjicere. Pulcherrime enim scribit Timon Phliasius:

Pernities hominum resonans lis venit inane,
Cur soror & socia est faciens contento cades,
Cunctas res alias quæ circumvolvitur: at dein
Cervicem obfirmans, hominem ad spes trudit inanes.

Deinde paulo inferius subjungit:

Quis pugnaturos lite hos commisit acerba?
Concurrens cum Echo turba indignata, silentes
Vita viros morbum immisit, multiq; cadebant.

De oratione falsa negante, & ceratine & latente, & crocodilino, & sorite præterea, & de ea quam detectam vocant, & de ambiguitatibus & sophismatibus. De Deo ergo quærere, si non ad litem, sed ad inventionem tendat, est salutare. Scriptum est enim in David: Comedent pauperes, & implebuntur, & laudabunt Dominum qui quærunt ipsum, vivet cor ipsorum in seculum seculi. Qui enim quærunt vera inquisitione, laudantes Dominum, implebuntur dono quod à Deo proficiscitur, hoc est, cognitione, & vivet anima eorum. Anima enim per allegoriam dicitur cor, quæ vitam suppeditavit, quoniam pater per filium cognoscitur.

Sed nec omnibus qui impudenter & temerè dicunt & scribunt, oportet aures præbere. Nam calices quoque à multis corripiuntur auribus, hoc est ansis, aures quidem amittunt, præterea autem etiam ipsi excidentes confringuntur. Eodem modo ii quoq; qui multis nugis fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem jam tandem obsurdescentes, & inutiles fiunt, & in terram decidunt. Non ergo temere pueris præcipimus, ut apprehensis auribus amicos osculentur, hoc utique tacite significantes, ingenerari per auditum sensum dilectionis. Deus autem est dilectio, qui cognosci potest ab iis qui diligunt, sicut Deus est fidelis qui fidelibus traditur per disciplinam, & oportet nos ei effici conjunctos ac familiares per divinam dilectionem, ut simili contemplemur simile, pure & citra fraudem verbum audientes veritatis, instar puerorum qui nobis obediunt. Hoc autem erat quod tacite significabat, quicunq; is fuerit qui inscripsit in aditu templi in Epidauro:

Esse decet castum, sancti qui limina templi
Ingreditur.

Castitas autem est, sancta cogitare. Quod si non facti, inquit, fueritis ut hi puelli, non intrabitis in regnum cœlorum. Hic enim Dei templum tribus cernitur fundatum fundamentis, fide, spe, charitate. Atq; de fide quidem satis testimonium adduximus earum quæ sunt apud Græcos scripturarum. *lib. Stromat. 5.*

Clemens Alexandrinus: Quare quando audierimus Fides tua te salvã fecit, non accipimus eũ dicere absolute eos salvos futuros qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint cõsecuta. Jã vero Judæis solis hanc dicebat vocẽ, qui legẽ tenebant & vixerãt absq; reprehensione, quibus sola fides restabat in Dominũ. Non ergo fuerit fidelis cum intemperantia, sed etsi à carne exierit, necesse est ut vitia

quoq; deponat, ut possit ad propriam pervenire mansionem. Plus est autē cognoscere quam credere: sicut etiā quam salvum esse, majus est postquā salvus factus est, supremo honore dignum esse habitum. Cum ergo per multam disciplinam vitia exuerit qui est nobis fidelis, transit ad maximum supplicium quod est melius priori mansione, inferens proprietatem pœnitentiæ eorum peccatorum quæ admisit post baptismum. cruciatur ergo adhuc amplius, cum vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Præterea autem Pudore afficitur ob ea quæ deliquit, quæ quidē sunt fideli maxima supplicia. Bona est enim Dei justitia, & justa est ejus bonitas. Quod si forte cessaverint cruciatus in implendis quas luunt pœnis, & expiandis quæ admissa sunt ab unoquòq; delictis, habent tamen maximum permanentem dolorem, quod cum sint inventi digni alio ovili, non una sint cū iis qui sunt gloria affecti propter justitiam. *Libro Stromatum sexto.*

Clemens Alexandrinus: Est fides aliquod bonū intrinsecus positum & quæ absq; eo quod Deum quærat, Deum esse confitetur, & tanquam qui sit glorificat. Vnde oportet ab hac fide eductū & in ea auctum, gratia Dei, quo ad ejus accipere cognitionem. Dicimus autem cognitionem differte à sapientia quæ est per doctrinam: nā quatenus quidem est aliquid cognitio, omnino est etiam sapientia: quatenus autem est aliquid sapientia, non est omnino cognitio. In sola enim sermonis qui profertur cognitione, nomen sapientiæ visione apprehenditur. Verum enimvero de Deo nō dubitare, sed credere, est fundamentum cognitionis. Est autem utrunq; Christus, fundamentum, inquam, & ædificium, per quem est & principium & finis. *lib. Stom. 7.*

D. Nazianzenus: Nihil tibi necesse est in cœlum ascendere, ut Christum illinc trahas: nec in abyssum descendere, ut hinc eum à mortuis extrahas, nimirum vel primam ipsius naturam curiosius investigans, vel postremam carnis assumptæ dispensationem. Prope te, inquit, verbum est: mens & lingua thesaurum hunc habent, illa videlicet credendo, hæc confitendo. Quid his divitiis compendiosius? Quid hoc beneficio facilius & expromptius? Confitere Iesum Christum, eumque à morte ad vitam rediisse crede: & salutem consequeris. Etiam justitia quidem est, vel solum credere: at plena numerisque omnibus absoluta salus in eo sita est, ut etiā confiteamur, ac cognitioni dicendi libertatem adjungamus. Tu majus aliquid salute quæris, nempe alterius vitæ gloriam & splendorem: mihi vero salutem consequi maximum est, & futuras pœnas vitare. Tu viam minime tritam & in accessam ingrederis: ego tritam atque calcatam, & qua multi ad salutem pervenerunt. Nihil fide nostra, fratres, iniquius fingi posset, si in eruditos tantum dicendique facultate ac logicis demonstrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, ut auro & argento, aliisq; omnibus rebus, quæ hic in pretio habentur, atque à plerisque avidissime expetuntur, sic hac quoque frustraretur, ac Deus id, quod altum & excelsum est, atque ad paucos pertingit, gratum acceptumque haberet, contra, quod propinquius est, nec vulgi captum superat, aspernaretur & rejiceret. Nam ne in moderatiores quidem homines hoc cadit, ut non, quales ipsis haberi honores possunt, exigant, sed excellentibus tantum eximiisque delectentur, nedum in Deum: qui, cum multis nominibus admirabilis nobis & suspiciendus occurrat, nihil tamē tam proprium habet, quam omnes beneficiis afficere. Vsitata ne spernas, novitatem ne capies, ut nominis splendorem tibi apud vulgus concilies. Eruditatte consilio Salomon: Melior est, inquit, exigua pars cum securitate, quam magna cum infirmitate & incertitudine. Et, Melior est pauper ambulans in simplicitate sua (nam insignis quoque & erudita est hæc paræmia) & qui sermonis ac scientiæ inopia laborat, simplicibusque verbis innititur, atque in illis tanquam in parva & tenui rate salutem assequitur, quam fatuus labiisque perversus, qui disputationibus & argumētis ineptè atque imperitè confidit, ac Christi crucem, rem omni sermone sublimiorem, per disserendi facultatem evacuat, ubi probationis & argumentorum infirmitas veritatem imminuit & labefactat. Quid in cœlum provolas, cum pedes sis? Quid turrim extruis, cum iis rebus careas, quæ ad eā perficiendam requiruntur? Quid ipse quoque manu aquam metiris, & cœlum palmo, terramque omnem pugillo, elementa magna, & ejusmodi, ut ea Creator solus dimitiri possit? *Oratione 26.*

D. Chrysostomus: Obedientiam fides exigit, non curiositatē: & quando Deus præcipit morem gerere oportet, non curiose inquirere. *Homilia 27. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Est pereuntium non agnoscere ea quæ ferunt ad salutem. Ne ergo Perturbemini. Non est alienum quod fit, neq; præter expectationē, ut quæ sunt magna subsanentur ab iis qui sunt emotæ mentis. Iis autem qui sic sunt affecti non licet per humanā persuadere sapientiā: sed etsi sic volueris persuadere, facies cōtrariū. Nam quæ exuperant rationem, sola fide indigent. Nam si velimus persuadere rationibus, quomodo Deus factus sit homo, & ingressus sit uterum virginis: et non rem fidei permiserimus: illi magis irridebunt. Qui ergo quærunt rationibus, ii sunt qui pereunt, Et quid dico de Deo? Nam si in rebus quoque creatis hoc fecerimus. multus sequetur risus. Sit enim homo qui vult omnia discere rationibus & tētet tua persuaderi ratione quemadmodum lucem aspicimus: tu autē tenta ei persuadere ratione, sed non poteris. Nā si dixeris quod sufficit apertis oculis aspicere; non modum, sed id quod fit dixisti. Cur enim, inquit, non videmus auribus et oculis audimus? Cut enim non naso audimus, & auribus non odoramur? Si ergo eo de his dubitante, non possimus de his reddere rationē, ille est risurus, non nos magis irridebimur? Nam si utraque habent principium ex uno cerebro et utraque membra sunt intet se vicina; quomodo non possunt eadem facere? sed non poterimus dicere causam, neque modum ineffabilis & variæ operationis. Quamobrem hoc Dei virtuti & infinitæ relinquentes sapientiæ silebimus. Ita ergo, si res Dei velimus externa ostendere sapientia, multus sequetur risus, non propter rerum imbecillitatem, sed propter hominum amentiam. Res enim magnas ratio nulla potest ostendere. *Homilia 4. ad Chorinthios 1.*

Chrysostomus: Qui sunt valde stulti, ii sunt qui maxime permittunt rationibus quæ non licet invenire, nisi per fidem. Quomodo enim si cum faber ærarius candens ferrū è fornace extrahit, iste manu contendat hoc facere, eum extremæ damnabimus amentiæ: ita etiam philosophi, qui hæc per se invenire cōtenderint, fidem probro affecerunt. Propterea nihil eorū, quæ quæruntur, invenerunt. *Homilia 5. ad Chorinthios 1.*

Chrysostomus: Quomodo si quis magister cum docuisset discipulum sequi quò duceret, vidisset autem præveniisse & velle omnia ex se discere, sinens eum aberrare, & ostendens quod sibi non sufficit ad discendum, tunc quod suum est affert: ita etiā Deus ab initio, jussit sequi per rerum creatarum illuminationem, postquam a noluerūt, ostendens per experientiā quod sibi ipsis non sufficiant, tunc eos ad se aliter adducit. Pro tabula dedit mundum: neq; tamen in iis meditati sunt philosophi, neq; ei parere voluerunt, neq; ad ipsum ea venire via qua ipse jussit, aliā itaq; induxit viam priori manifestiorē, persuadentē quod ipse homo sibi solus non sufficit. Nam tunc quidem licebat & movere rationes, & externa uti sapiētia ductis per res creatas. Nunc autem nisi quisquam factus fuerit stultus, hoc est nisi omnem rationem & omnem exinanierit sapientiam, & se fidei tradiderit: nulla ratione fieri potest, ut sit salvus. *Homil 5. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Quo sunt manifestiora & magis necessaria quę fiunt, tanto magis minuitur fides. *Homil. 6. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: In fide oportet omnes esse iidem. Nam fides nō est una fides. In virtute a. vitæ non possunt omnes esse iidē. Nam fides non est alia quide minor, alia vero melior ac præstantior, sed est eadem omnium qui verè credunt. Ad vitam autē possunt alii quidem esse alacriores & diligentiores, alii autem socordiores & negligētiores; & alii quidem exactiores, alii vero minus exacti: & alii quidem res majores, alii vero minores gerunt: & alii quidem gravius, alii vero minus delinquunt. *Homil. 9. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Quemadmodum in moneta regia, qui paululum aliquid amputaverit de impressa imagine, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. *cap. 1 ad Galatas.*

Chrysostomus: Qui addiscere cupit, obtemperare debet, non corrixari: credere, non ratiocinari: per fidē enim veteres omnes Deo placuisse docentur, absq; illa cuncta solvuntur in nihilū. Et quid de cœlestibus dicam? etiā si terrena scrutemur, inveniemus ea fide tanquā vinculo contineri: neq; enim commercia ulla, neq; artes, neq; aliud quippiam sine illa esse potest. Sin vero hic, mendacii plena sunt omnia, ea opus est: multo magis in illis, quæ divina sunt. Hanc igitur arripiamus omnes, huic studeamus: ita enim omnia pernicioſa dogmata ex anima nostra procul eliminabimus, genesin scilicet ac fatum. *Homil. 1. ad Timoth. 1.*

D. Chrysostomus: Fidei hoc proprium est, quantumlibet contraria promissis contingant, nunquam penitus decidit, aut omnino turbatur. *Homil. 1. ad Timoth. 1.*

Chrysostomus: Qui naufragiū facit, nudus, omnibusq; destitutus evadit: ita & qui ex fide exciderit, nihil jam habet ubi figatur, nō habet ubi seipsum recipiat, non habet vitam quæ ipsi prodesse valeat: Quippe capite perdito, atq; corrupto, quænā reliqui corporis utilitas est? Si enim fides absq; operibus mortua est, multo magis absq; fide nihil proderūt opera. Si Deus propter nos quæ sui sunt despicit, longe magis nos oportet nostra ipsius gratia spernere: ita enim est, quum quis exciderit fide, nusquā consistit, sed alias aliter natat, donec rursus in profundo mergatur. *Homil. 5 ad Timoth. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Videris (ô quonam te nomine dignè appellem) ea ignorare, quæ etiam puerulis nota & perspicua sunt. Neq; enim hoc existimes, quod fides (si tamen fides dicenda est, quæ operib. tuis refutatur) salutē tibi afferre possit. Et enim fides ea, quæ primum justificavit, consentaneas sibi actiones exegit, quibus remotis nemo salutem consequi potest. Nam eum, qui per gratiam assumptus est, propriis quoque virtutum dotibus exornari convenit: ne alioqui ingrati animi notam incurrat. *lib 3. Epist. 73.*

S. Isidorus Pelusiota: Fides, vir eximie, operibus potius quam sermonibus prædicari debet. Quodq; hoc verum sit, tum externi testātur, cum ajunt, Sermone monstrat clarius, quod vult, opus: tum etiā efficacius. Apostolus his verbis, Confitentur se nosse Deum, factis autem negāt. Deniq; divinum oraculum clamat, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Frustra autem colunt me. Ex operibus enim, ac non ex sermonibus, ea, quæ abdita sunt, indicari debent. *lib. 3. Epist. 158.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum rectis dogmatib. vitæ probatæ studium conjungere oportet, siquidē illud verum est, ut certè est, fidem sine operibus mortuā esse. Quod si ambæ permisceantur, ac quodāmodo copulentur, tum deniq; perfecta & suprema gloria elucet, pietate nimirum & virtute in unum concurrentibus. *lib. 3. Epist. 403.*

Basilius Imperator: Amplectere syncerā in Christum fidem, quæ vitæ totius initium & fundamentū inconcussum est. Adora Patre & Filium

Filium & Spiritum Sanctum: Trinitatem substantialem, indivisam atq; inconfusam: unum videlicet ac solum Deum: & crede verbi Dei in humana carne inter homines conversationem, per quam ab hostili jugo peccati mundus liberatus est, sicut Ecclesiæ matris docet institutio. Hæc est fides bonorum omnium summa, hæc virtutum omnium perfectio. Hanc habe penes te quasi depositum quod nulla vi tibi eripi sinas. Ea te ab ipsis incunabulis educavit, ejus ego ipse tibi magister extiti. Ne me quæso patrem amantem pudefacias. Debent enim pictores quidem corporum lineamenta, filii autem regum, quasi vivæ imagines, patrum virtutes referre. *Cap.* 2.

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Fides omnibus semper ornatibus ornamento est: quia sine hac nihil tam ornatum est, quod ornare possit. *Epistola prima.*

S. Zeno: Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet quantum credit. *Serm. 3. de Abraham.*

Zeno: Sola fides deambulat inter gladios tuta, inter esurientes feras amica, in ignibus frigida. *Serm. 3. de Abrah. fine.*

Chrysologus: Habes homo unde credere debeas, corde creditur ad justitiam: habes unde debeas confiteri ore, confessio fit ad salutem. Et quid dicam? Totum in se habet homo, qui se habet: ipse autem se habet, qui Deum habet: Deum vero habet, qui eum suum credit, & confitetur auctorem. Signate vos. Fides quæ capitur auditu, corde creditur: ore promitur ad salutem, in secreto mentis est collocanda: & ipsis est nostri pectoris committenda vitalibus, ne dum chartis, & atramento describitur incautè, non reservetur credulis ad vitam, sed prodatur perfidis ad ruinam. In te homo custodire debes, quod tibi extra te positum poteris deperire. *Sermone 56. fine.*

Chrysologus: Sol lippientibus oculis non lucem tribuit sed tenebras: vinum vires febrientium non reparat, sed enervat: sine medico vitæ poculum fit lethale. Sic perfidis perniciosum est sine fide fidei sacramentum. *Serm. 60. f.*

Chrysologus: Sicut nimio dolore & infirmitate longa luminibus obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux: certe cum solis sit condito lux oculis, solis sit oculis lux amica, per quos utique reliquo corpori vel traditur, vel negatur ita diurno perfidiæ morbo contenebratis mentibus, nisi paulatim fuerit fidei claritas restituta, subito ipso fidei splendore magis perfidiæ crasse scit caligo, longo usu aut producitur, aut obtunditur semper natura. Hinc est quod dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus jam cæcatis, ut irradiaret partus virginei sacramentum, desperatæ & annosæ sterilitatis ante præmisit conceptum: ut qui videbat post tenebrarum longam arida membra reviviscere, & transacto curriculo jam vitæ veteranæ in primam reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam in occiduam ætatem ad nascentis servi insignia suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, virginitatis claustra manere post partum posse crederet, posse auctore ipso ex utero procedente servari. *Serm. 87. pr.*

Ennodius: Fides & integritas omnibus, qui Deum timent, facit acceptos. *lib. 3. Epist. 8 f.*

¶ Poetarum.

Prudentius Psychomach. 1.

—— contra Idololatriam

Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.
Nam repentinus laudis calor, ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fidens valido, membrisq; retectis,
Provocat insani frangenda pericula belli.

Prudentius Passione Romani.

Christus paterna gloria splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps,
Spondet salutem perpetim credentibus:
Animæ salutem, sola quæ non occidit,
Sed juge durans dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur.
Christum secuta patris intrat gloriam.
Disiuncta Christo mancipatur Tartaro.

Prudentius contra Homuncionitas.

Credidit, atq; ideo concepit credula Christum:
Credentes nam Christus adit, dubitabile pectus
Subtitubante fide refugo contemnit honore.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate sacro 5.

Tenera pietatis principia.

Indimus arboribus, tenui dum cuspide, carmen
Vix teneram signat parva litura cutem?
Incrementa tamen vix intellecta videbis,
Dum peragit tacitis passibus annus iter.
Enthea non hederam pietas imitatur Iona,
Ferre cui patulas nox dedit una comas:
Parva fides primo, crescit sensim & sine sensu,
Paulatimq; sacrum Spiritus implet opus.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Rahab: Quum hospitio excepisset & abscondisset duos exploratores a Josua immissos, ascendens ad eos super tectum, dixit, Novi Jehovam dedisse vobis terram hanc: cum quia irruit terror vestri super nos: tum quia diffluxerunt omnes habitatores istius terræ metu vestri. Audivimus enim quomodo arefecit Jehova aquas maris algosi, propter vos, cum exiretis ex Ægypto, & quæ feciistis duobus regibus Emoræorum, quos internecioni devoviistis. Quod audientibus nobis liquefactum est cor nostrum, neque constat animo quisquam amplius metu vestri: Nam Jehova Deus vester, est Deus in cœlis supra, & in terra infra. Nunc itaq; jurare mihi, quæso, per Jehovam, qui exercui benignitatem erga vos: sic exercituros vos quoque benignitatem erga familiam paternam meam, &c. *Iosue 29 &c.* Apostolus *cap 11. epist. ad Hebræos*, Per fidem, inquit, Rahab meretrix illa non perit una cum iis qui non obedierant, quũ pacifice excepisset hospitio exploratores. *Vide totum istud undecimum caput epistolæ ad Hebræos.*

Iosaphat Rex: Exeuntibus Judæorum turmis in desertum Tekuæ ex Dei mandato, adversus Moabitas, consistens Josaphat dixit, Audite me Judæi, & habitatores Hierosolymorum, firmè credite Jehovæ Deo vestro, & confirmabimini: firmè credite Prophetis ejus, & prosperabimini. *2. Chron. 20. 20.*

Iesus Christus Dominus noster, & Centurio: Ingressum Iesum in Capernaum adiit Centurio precans eum, & dicens, *Domine puer meus projectus est domi paralyticus, & vehementer torquetur.* Tum ait illi Iesus: *Ego quum venero, sanabo illum.* Et respondens Centurio dixit: *Domine, Non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris: sed solum loquere, & sanabitur puer meus.* Etenim ego sum homo sub potestate constitutus, & habeo sub me milites: & dico huic, proficiscere, & proficiscitur: & alteri, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit. Hæc autem quum audisset Iesus, miratus est: & ait sequentibus. *Amen dico vobis, ne in Israel tantam fidem inveni.* Prædicta deinde Gentium vocatione & Judaicæ gentis rejectione, dixit Centurioni, *Abi, & ut credidisti fiat tibi.* Sanatusque est puer ejus eo ipso momento. *Matth. 85. 6 &c.*

Idem, & Mulier sanguinis profluvio laborans. Mulier sanguinis profluvio laborans à duodecim annis, accedens a tergo Iesu, tetigit fimbriam vestimenti illius. Dicebat enim apud se, *Si solum tetigero vestimentum eius, liberabor* Iesus vero conversus, & intuitus eam, dixit, *Confide filia, fides tua te servavit.* Et liberata fuit mulier ab eo momento. *Matt. 9. 20. 21. 22.* Nullum est tam inveteratum vel insanabile malum quod Christus vera fide, tanquam manu vel levissime attactus, protinus non sanet.

Idem, & duo Cæci: Duo cæci sequuti sunt Iesum clamantes, & dicentes, *Miserere nostri, Fili David.* Quum autem venisset domum, adierunt eum cæci illi, & dicit illis Iesus. *Creditis me hoc posse facere?* Dicunt ei, *Etiam Domine.* Tunc tetigit oculos eorum dicens, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Et aperti sunt oculi eorum. *Matt. 9. 27. &c.*

Idem & mulier Chananæa: Quum Iesus secessisset in partes Tyri & Sidonis, ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamavit, dicens ei, Miserere mei Domine, Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Ille verò non respondit ei quicquam. Tunc accedentes discipuli ejus rogarunt eum, dicentes, Dimitte eam: nam clamat post nos. Ipse verò respondens dixit, non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel. Ille autem venit, & adoravit eum, dicens, Domine, succurre mihi. Ipse verò respondens dixit, Non est bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis. Ipsa autem dixit, Etiam Domine: etenim catelli vescuntur micis quæ cadunt è mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesu dixit ei, O mulier, magna est fides tua: fiat tibi ut vis. Et sanata fuit filia ejus ab eo momento. *Matt. 15. 22. &c.*

Idem: Interrogavit discipulos suos, dicens, Quem me dicunt homines esse, Filium hominis? Illi vero dixerunt, Alii quidem Ioannem Baptistam, alii verò Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit eis, Vos autem quem me dicitis esse? Respondens Simon Petrus dixit, Tu es Christus ille Filius Dei viventis. Tunc respondens Iesus dixit ei, Beatus es Simon bar-jona: quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Sed & ego tibi dico, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non superabunt eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, &c. *Matt. 16. 13. 14. &c.*

Idem: Incredulitatem discipulorum suorum postquam arguisset, Amen (inquit) dico vobis, Si habeatis fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, Transgreditor hinc illuc, & demigrabit, & nihil impossibile vobis erit. *Matt. 17. 20.*

Idem: Amen, inquit, dico vobis (discipulos suos alloquens) Si habueritis fidem, neq; hæsitaveritis, si monti isti dixeritis, Tollitor & projicitor in mare, fiet: & quæcunq; precando petieritis, si credideritis, accipietis. *Matth. 21. 21. 22.*

Basilius Magnus: Valens Imperator Galaten filium ægrotum sanari cupiens, Basilium accersit, & quo illius faceret periculum, sic illum alloquitur: Si vera sunt tua de fide dogmata, precare ut filius meus non moriatur. Tum Basilius, Si (inquit) credis Imperator, quemadmodum ego, & efficis ut Ecclesia ad concordiam

reducatur, vivet puer. Cui cum Imperator, Arianæ sectæ pertinaciter addictus, minimè consentiret: ideirco infit Basilius de puero fiat voluntas Domini. Basilium cum hæc dixisset dimitti jubet: puer statim post exit è vita. *Socrat. hist. eccl. lib. 4. cap. 21.*

Agapius martyr. Quum Agapio martyri libertas ab Imperatore promitteretur, si modo diis sacrificaret, magna voce palam testatus est, non turpis & nefarii criminis causa, sed pietatis in Deum, omnium rerum opificem, libenter & cum voluptate omnia supplicia, quæcunq; sibi imponerentur, se tranquillo & pacato animo subiturum, atque hoc elocutus, dicto citius factum exequitur, & ursо in illum dimisso, ex adverso veluti curriculo factus obviam, seipsum libentissimè vorandum dat, &c. *Euseb. lib. 8. histor. eccles. cap. 16.*

Iustinus: Prima, inquit, hominibus salus est, ingenua veræ fidei confessio. *Euagrius eccl. hist. lib. 5. cap. 4.*

D. Hieronymus: Melius est, inquit, panem mendicare quam fidem perdere. *Epist. ad Apronium.*

D. Martinus: Diabolus in itinere, humana specie assumpta, quum se B. Martino obvium tulisset, quò tenderet, quærens, & id à Martino responsi accepisset, se quò Dominus vocaret, intendere: ait ad eum, Quocunq; ieris, vel quæcunq; tentaveris, diabolus tibi adversabitur. Tunc ei prophetæ verbis respondit. Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Statimq; è conspectu ejus inimicus evanuit. *S. Severus lib. de vita B. Martini.*

Petrus Majumenus: Is Chartularius erat, & de publicis tributis rationes conficere solebat. Amplectabatur doctrinam Christi, & aversabatur Mahumeti superstitiones. Sed vim metuens, ea quæ sui muneris erant curabat, & Arabum convicia tolerabat. Cum ad eum ægrotantem venissent primores Arabum: Testamenti mei, inquit, quod tale est, testes vos esse volo: *Omnis qui non credit in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, consubstantialem, & divinam in monade Trinitatem, mortuus est anima, & æterno tormento dignus. Talis est Mahumet pseudopropheta vester & antichristi præcursor. Discedite ergo ab illius fabulatione.* Cum ex infirmitate convaluisset, majori cœpit voce clamare, *Anathema Mahumetus, & cuncti qui credunt ei.* Gladio igitur percussus est. *Paulus Diaconus, lib. 22. rerum Rom.*

Blucherus Raceburgensis Episcopus: Fertur de ipso, quod granarium suum plenum farina & frumento totum in manus pauperum exhausit, ita ut nihil sibi ac familiæ suæ reservaret. Supervenere pauperes, qui eleemos, nam efflagitarent. vocato procuratore jussit ut pauperibus consuleret, dans quicquid superesset: erat enim annonæ caritas insignis, & fames valida super terram. Procurator sciens granarium evacuatum, respondit nihil superesse, quo pauperes cõsolaretur, sed omnia in similes usus esse dispensata. Fiducia plenus dixit illi Episcopus, Vade, & vide, si fortè vel modicum supersit, ut non vacui discedant pauperes. Vade in nomine Domini & da eis. Fortè arbitratus, quod dispensator timidius consuleret futuro tempori, cum revera nihil supereset. Mira res, & veterum miraculis meritò comparanda. Granarium aperuit, & frumento atq; farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitur. Ubi innotuit res episcopo, Deo omnium largitori gratias persolvit. *Alb. Crantzius, Metropolit. lib. 8. cap. 29. Refer hoc dictum ad Apophtheg. De fame.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Fidei Fidelitatisque bonum exequimur, sine quo nulla inter homines, imò & Deum ipsum, consistere potest aut debet societas. Cumq; Fides alia Theologica sit, Moralis alia: de utraq; nobis sermo. Priorem autem crebris in locis insigni sua commendatione exornavit Salvator. & quidem à se postulantibus cælestem cibũ, *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum.* quod alias etiam Marthæ insinuavit, cum diceret: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Verè Christiani ædificii fundamentum & basis est Fides, per quam Ecclesiæ auctoritas integritasq; firma & stabilis perseverat. *Ioan. cap. 6.*

Idem: Quærentibus quibusdam, Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit, dixitque: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Opus ergo divinum est, credere. Præclare Augustinus Sermone 18. sup. Ioan. Ambula per fidem, ut pervenias ad speem: spes non ædificabit in patria, quem fides non consolatur in via. *Ioan. cap. 6.*

Idem: Dicenti sibi Marthæ, cum Lazarum suscitaturus advenisset, Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est: respondebat: *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* Ioan. cap. 11.

S. Paulus Apost. & Sila. Quid autem illi? Servabantur Philippis in custodia, viditq; carceris custos utrumq; divina ope vinculis exutum: & mente mutata in melius, procidens ad eorum pedes, *Domini,* inquiebat, *quid me oportet facere ut salvus fiam?* qui dixerunt *Crede in Dominum Iesum, & salvus eris, tu, & domus tua,* Act. cap. 16.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad fidem trahas mutandam quemq; damno rei suæ.
An quis armis aut fide ante Germanos mortalium est?
Ante acta vita pignus est fidei vel maximum.
Arduum est eum invenire tutò cui credas tua.
Auribus quidem credendum est, sed oculis multo magis.
Comis esto cunctis, at è mille fide nemini.
Consuetudo, amor, pudorque, ne fidem frangas monent.
Crede Fortunæ obsequenti, lenius, levis Dea est.
Cui rei quod perdat est nil, nulla ei certè fides
Cum innocentia periclo nemo cui debet fidem.
Est fides intenta æternis, non & temporalibus.
Est quidem fides habenda, at haud promiscuè omnibus.
Et Deus spondet salutem perpetem credentibus.
Et fides cui à sorti maximæ pusillima est.
Firmamentum societatis maximum humana, fides.
Haud fides manui sinistræ habenda, habenda dextera.
Haud ibi fides speranda est servitus ubi viget.
Iam facis tuarim, nulla apud te sit tuis fides.
In fide quid senseris perpende, non quid dixeris.
In mala re non fides, sed vera pervicacia est.
In rebus minus quam honestis qui fidem servat, ruit.
Infidelibus servare fidem, haud fides, amentia est.
Innocentia periculo nemini debes fidem.
Iupiter nondum creatus, cum creata erat Fides.
Iupiter quidem ipse princeps, prima sed Deum est Fides.
Male fidem servando etiam fidem abrogas meritis nihil.
Maximi fidem qui faciunt, maximos facit fides.
Ne fides sit vera sancti, facere vir mendax solet.
Nil geret rei præ altæ, nemini qui habet fidem.
Noli habere fidem tuis de rebus adversario.
Nomine ipso vix superstes, nedum ut extet re fides.
Nulla dictis improbo, nisi quatenus expedit, fides.
Nulla erit latrocinantum secta si desit fides.
Nulla stat hominum, fortuna si titubat, fides.
Omnia experiri profide, haud profecto est omnium.
Per fidei commissa illudunt sæpius homines legibus.
Pertinax fides tandem merum in furorem vertitur.
Pertinacis atq; stulti est perspicuis non credere.
Plurimum in regnis momenti est: plus tamen valet fides
Præstruit fidem in parvis fraus, fallat ut inde in grandibus
Promptius fidem secundis commodamus quam secus.
Quæritat fortuna semper, nunquam at invenit fidem.
Quantum habet nummorum in arca, tantam habet miser fidem.
Quemlibet suspectat is qui nemini servat fidem.
Qui fidem fregit terque bis, nil eo contemptius
Quisque natus est potissimum ut fidem servet suam.
Res sacra fides tuas que civitates hæc facit.
Rebus in magnis servare maximum est decus fidem.
Regium est fidem servare vel fide indignissimis.
Sæpe magna eis fides est, parva queis substantia.
Sanctam habe fidem privatim, sancte habe que publice.
Semper est fides servanda, certe servanda hostibus.
Si bonis fidem habere non vis; omnino credes malis.
Si fortuna stat, fides stat; si cadit, cadis fides.
Stet animo fidem tueri, vel libenter emori.
Summa item jam fracta crebris deficit malis fides.
Vera si qua est, hac periclis exserit semet, fides.
Verba crede ei, credidisti cui prius pecuniam.
Vita cur vitalis ulli, qui fidem omnem perdidit?
Vix hodie fidei fides sit sine fidei dispendio.
Vnumquemque habet suspectum is nulli qui servat fidem.

¶ Jambica.

Acerrimus fidei est exactor perfidus.
An inter homines majus est pignus fide?
Commissa fidei circumspecte servias.
Cui non fides sit utilitate antiquior?
Cum Fors vacillat nulla stat diu fides.
De regio ore rara nascitur fides.
Decus Deumque hominumque est omnium Fides.
Deus videri per fidem solam potest.
Ecquando non polluta barbaris fides?
Eheu, nullane in re esse homini cuiquam fidem,
Est præferenda semper perfidiæ fides.
Etiam inter hostes res sacerrima est fides.
Fides bonis vim majorum adhibet quam metus.
Fides etiam servanda, nostro cum malo.
Fides maligno haud hospitatur pectore.
Fides quidem est habenda, sed non omnibus.
Fides supremum vinculum est mortalium.
Fidei ægrius quam damna sortis sarcias.
Fidem alba vestis; variegata non decet.
Fidem colendo firmiter, jurant Scythæ.
Fidem tene illam natus es in qua puer.
Fulget quidem aurum sed magis multo fides.
Generis humani maximum est bonum fides.
Habita fides plerumque ipsam obligat fidem.
Haud est fides; certe tyranni haud est fides.
Homo Deis quæ jungitur sola est Fides.
Hominem fidelem facies, si putaveris.
Iam nota terris nomine ipso vix fides.
In reparum honesta aut æqua non datur fides.
Labat fides sub Marte prospero minus.
Lucet fides, sed maxime in periculis.
Majora veris monstra vix capiunt fidem.

Male religio fidem adstringit, bene veritas.
Malo mihi successum deesse quam fidem.
Minimè arduum. fidem servare in prosperis,
Nemo fidem unquam perdidit quam perfidus.
Nihil fide ipsa sanctius mortalibus.
Non patitur ut bis idem exigas fides bona.
Nulla est fides prava in re, pervicacia est.
Nunquam redit fides semel quæ perdita est.
Paucis fides dilectior pecuniâ.
Paucissimis, heu, fidei obstinatio est.
Perdit fidem quicunque, perdit omnia.
Perdit fides hominem æque ac differentia,
Plerumq; fracta deficit fides malis.
Præstanda etiam fides vel perfidissimis.
Pretio parata, vincitur pretio fides.
Prius acta vita, pignus fidei maximum.
Qui negligit Deum, fidem equidem negligit.
Quid est fides, nisi quod non cernis credere?
Quis non fidem mutaverit cum tempore?
Raro ultima experitur quisquam pro fide.
Regi fidem servato, sed magis Deo.
Serva omnibus fidem, vel ipsis hostibus.
Servanda cunctis est sua in rebus fides
Servis novis quis res statim credat suas?
Si deficit spes, deficit simul fides.
Sperandanon est, servitus ubi est, fides.
Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Summum est nefas aliquem interimere post fidem.
Suspecta semper pauperis viri fides.
Velamina alba vestiant canam Fidem.
Venalis heu quam ubiq; jam ferè est fides!
Verbo fides jactatur, opera deficit,
Violantibus fidem irascuntur Numina.
Vitam abjicit citius vir quam fidem bonus.
Vix ulla nunc cuiquam est fides, nisi cum expedit.
Vtilitatúmne sola servanda est fides?

Fidei ac Fidelitatis.

¶ Sententiæ Theologorum.

D. *Chrysostomus:* Si in rebus quæ ad virtutem pertinent esse fidelem, est laus & præconium, multò magis in rebus spiritualibus. *Homil.* 14. *ad Corinth.* 1.

Egesippus: Hircano quoq; Pompejus principatum Sacerdotii dedit, prompta ejus opera usus in obsidionis necessitate. nam etsi infidus suis, Romanis tamen fidelis, ut sua patria expugnaretur. Sed puto neminem dici fidelem posse, qui suis fuerit infidus. *lib.* 1. *cap.* 17. *de excidio Hieros.*

Chrysologus: Grandis dementia est hoc, hominem nolle credere, quod sibi desiderat evenire. *Serm.* 74. *f.*

S. Chrysologus: Sicut fides servos promovit in amicos, ita perfidia filios in pœnalem redigit servitutem. *Serm.* 102. *m.*

Ennodius: Heu fides ab universis proturbata mortalibus, & quod hactenus numinibus homines jungebat expulsum. *Dictione* 28. *m.*

Ioh. Sarisberiensis: Exigit fidelitatis forma, quæ necessario fidei sunt inserta, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile: ne cui fidelitate tenemur adstricti, incolumitatem lædamus corporis, aut munitiones quibus tutus est detrahamus, aut præsumamus committere, unde honor illius aut utilitas minuatur. Sed neq; id quod facile est, difficile fieri licet, aut quod possibile est, impossibile. Præterea qui beneficium ab eo, cujus fidelis est, possidet gerendis ejus auxilium & consilium debet. Unde quantum omnium domino debeatur, Sole clarius lucet, si tantum debetur his, quibus sola fidelitate tenemur adstricti. *lib.* 6. *Policrat. cap.* 25.

¶ Regum Ac Philosophorum, Græcorum.

Phalaris Polytimoni: Si tuos mores intuens & considerans non satis mihi credis, prudentiæ meæ non malitiæ insimulas. sin meos, ignoratio mei te in errorem impulit. Tantum enim abest, præterire me fidem solere, ut ex meo ingenio conjecturam faciens, & plus æquo reliquis confidens, quasi majoris æstimantibus fidei religionem, persæpe deceptus falsusq; sim. Quamobrem ad me venias & tibi persuadeas, extra dolum & insidias te fore. Nam & nihil periculi experieris, & apud omnes postea testimonium perhibebis, fidem à Phalari contemptam non esse. *Epist.* 42.

Xenophon: Posthabita cura interrogandi Deum de iis, quib. mihi esset opus, periculum feci, an vera responderet posset. At vero non dicam Deus, sed homines etiam honesti ac boni, quum fidem non adhiberi sibi animadvertunt, haud amant diffidentes. *lib.* 7. *cap.* 16. *Cyropædiæ.*

Dio Prusæus: Utrum ergo credere prodest iis quibus creditur: atq; ejusmodi est, quale ditescere, & bene valere, atq; honorari: quæ honoratis & bene valentibus atque ditescentibus ipsis, aliquam adferunt utilitatem? De hoc autem dico, ut si cui à sua vel alia civitate credatur exercitus, aut pecuniæ, aut mœnia, sicut jam compluribus talia sunt cõmissa, nonnullis aut & ipsæ civitates cum pueris & mulieribus, tam in pace quàm bello interdum ingruente. Atq; hercle, si cui à rege aut tyranno credatur aurum aut argentum, aut naves, aut arva, aut totum imperium: quemadmodũ Leptines quidẽ à fratre sæpius accepit Syracusas, Philistus aut à juniore Dionysio, Magi autem à Cambyse Persarum regalia, quando in Ægytum cum exercitu profectus est, à Dario verò Mithranes Sardensium accepit arcem, Perseus quoq; ab Antigono Acrocorinthum: longe autem ante hosce, Atreus ab Eurystheo acceperat Argos, quando Eurystheus exercitum contra Athenas duxit, quum Athenienses tradere nollent Herculis filios. Filius quoq; ejus Agamemnon quando ad Trojam navigabat, musico homini crediderat uxorem atque domum.

Hoscene omnes quibus creditum est, dicere debemus boni quid à fide ipse reportasse, similiterq; eos quibus à privatis crediti sunt uxores & liberi, aut totæ facultates: quẽadmodum opinor multi tutores & curatores relinquunt, partim peregrinationem suscipientes, partim morientes: alii autem deposita dant absq; testibus, nihil metuentes ne sibi auferantur: nonnulli legibus interdicentibus, ne relinquant hæredes quos ipsi velint, alios relinquunt, cum mandatis, ut pecunias restituant ipsorum necessariis? His ne ergo omnib. dicere debemus rem prodesse, opinionemq; quam de illis habent qui sua illis committunt: maxime vero postremis, quibus inique videtur credi: an è diverso, talem rem esse dicendum, multorumque negotiorum atque curarum causam, nonnunquam & periculorum maximorum.

Licet autem hæc statim considerare in iis qui maximi habentur. Hi enim necessario sua ipsorum negligunt, & pecunias & liberos, atque rebus attendunt publicis, atq; toti in iis sunt, & frequenter à civitatum insidiatoribus aut hostibus, aut civibus quibusdam perduntur, frequenter etiam ab ipsis civitatibus, inique accusati. Hi enim facultatibus sunt spoliati, illis autem contigit ut & probra nanciscerentur, furti condemnati, alii ejecti sunt ex patria, alii denique & interfecti sunt. Quemadmodum dicunt Periclem quidem furti condemnatum apud Athenienses, qui honestissimè atq; optime præfuerat civitati, Themistoclem autem ejectum ut proditorem, qui eos acceperat, ne solum quidem patriæ habitare valentes, sed ipsis hostibus concedentes civitatem atque templa, & non modo hæc restituerat, sed etiam insuper Græciæ fecerat principes, principatu à Lacedæmoniis ablato, qui antea hoc honoris possederant. Miltiades vero qui primus solis adjutus civium copiis barbaros vicerat, Persarumq; quam habuerant arrogantiam, quasi omnibus essent meliores, destruxerat: is non multo post ab ipsis in carcerem conjectus est. Atq; insuper etiam filius ejus Cimon ignominiosus fuisset perpetuo, nisi sororem Elpinicen nuptum dedisset homini humili, sed pecuniosо, qui pro eo mulctam solvit, quinquaginta nempe talenta. Quanquam Cimon postea Athenienses Cyprum acquisivit, & pedestribus simul copiis & navibus barbaros circa Pamphiliam superavit: attamen licet talis vir esset, & tali natus parente, nisi pecunias nactus esset, ignominiosus mansisset in civitate.

Phocionem autem supra octoginta annos natum, quum horum multis exercitibus præfuisset, civitatemq; custodivisset in difficillimis temporibus, atq; ab illis ipsis appellatus esset benignus, non satis putarunt tantum interficere, sed neq; mortuum permiserunt jacere in Attica, sed extra terminos ejecerunt. Nicias quoq; ille Nicerati filius, eo quod ipsi crederetur à civibus, tametsi nosset qualis futura esset expeditio in Sicilia, & à Deo, & quod ipse expenderet, tamen coactus est eam ob fidem suscipere expeditionem ægrotans. Atque amisso exercitu, aut ejus parte, salvus evasit: qui si domum esset reversus, haud dubie periisset. Quia autem hoc noverat, omni modo in bello perseverare contendit: captusque ab hostibus, id ipsum passus est.

Et hæc mihi de una dicta sunt civitate, deq; iis qui una in civitate rempublicam gessere: neq; de iis tamen omnibus si autem eos recitare velim, qui apud tyrannos fideles habiti sunt, qualique usi sint forte, multis fortasse mihi plane diebus opus foret. Vere enim ut gavisi sint illi, impossibile est. Hi enim si præbeant adversum sese accusatione, tanquam crimen admiserint, propterea pereunt, nullamq; licet nanciscì veniam: illi vero si strenui appareant viri, quiq; credita custodire queant, statim quidem aliquem nanciscuntur honorẽ: at non multo post ob invidiam aut suspicionẽ pereunt. Non enim monarchis utile esse videtur, quẽquam bonum virum versari apud ipsos, quiq; videatur magni fieri apud multitudinem.

Porro quæ creduntur à privatis, minora quidem pericula fortasse habent, quia & negotia sunt minora: occupationes autem sexcentas atque labores: atque sæpius nulla penitus gratia comitatur. Frequenter etiam contingit, ut ab ipsis quibus benefecerunt, accusentur quod non justè neque syncere omnia restituerint. Quam vero ob causam hæc ego recitavi? Non sane te admonens, aut adhortans, ne fidelis sis. multo enim essem Zetho pejor, si ob talia quempiam objurgarem: ut ille objurgavit fratrem, non philosophi debere putans, neque musicæ operam impendere, omissis rerum propriarum cura, dixitque eum absurdam absque inutilem introducere musicam: quemadmodum & te quis dicere queat hujusmodi instituisse actionem, non ociosam quidem, neque ullo modo vitiosam, attamen quę pecuniarum propriarum non magnam fortasse curam gerat: atque hercle illum dicat versum.

Ob qua licebit incolere vacuas domos.

Oratione 73.

Libanius: In ejusmodi contentionibus, in quibus verisimilia

maximam vim habent, exornationem eorum quæ magis credibilia sunt, facere decet, ex iis quæ ut plurimum accedere solent. hæc enim potissimum ad fidem adhibendam impellunt eos qui audiunt; quando eadem apud se reputantes ac speculantes Judices, facile in aliis quoq; fieri posse credunt. *præfat. Declam. 44. ipso fine.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ego publicam appello fidem, quæ inter piratas sacra est, quæ inter armatos hostes inducias facit, quæ deditarum civitatum jura conservat. *Declam. 267. f.*

Quintilianus Senior: Age, quid si ancilla cognoscit? Est quidem humilis persona, & ei fortuna gravitatem detrahit. sed sæpe magnorum fides ex non magnis venit. *Declam. 388. m.*

Quintilianus Senior: Fides supremum rerum humanarum vinculum est. sacra laus fidei inter hostes, sacra, quod nuper comperi, inter piratas; tantæ etiam apud malos auctoritatis, ut cum tradere mihi filiam nolles, negare aperte non sustinueris. *Declamatione 343. a. f.*

Quintilianus: Non est quod mihi supplicia, quod omnem mortis apparatum mater opponas. Facinus est, id tantum hominibus bene credere quod expedit: & actum est de rebus humanis, si sola servatur utilitatium fides. *Declam. 16. §. 8. f.*

Quintilianus: Non habet caussam loquendi, cui non potest credi. *Declam. 19. §. 15. f.*

Plinius Iunior. Conjectabis ex his quantas contentiones, quantas etiam offensas subierimus, duntaxat ad breve tempus. nam fides in præsentia eas quibus resistit offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturq; circa finem. *Ep. 9. lib. 3.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 62.

Υσχις πίστιν ἔχειν ἐν χρώμασι, μὴ κραδίηισι,
Ρεῖά κεν ἐκπλυτ' ἔοι, βάπτος ἐμοι γε φίλον.
Non fuco simulanda fides, sed corde tenenda est.
Eluitur fucus: pectoris ima petet.

Ennodius fine Paræneseos didascal.

Non facit ad mores credentem fallere sanctos.

Plautus Bacchid. 3. sc. 3. v. 87.

Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas; ne scias!

Plautus Pœnulo 4. sc. 2. v. 68.

——— *Male credam, & credam tamen.*
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. M. fidei non melius creditur.
Loquere: locus occasioq; est liberè: hic soli sumus.

Plautus Trinummo 4. sc. 2. v. 112.

An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummûm crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre jussit ad natum suũ,
Atque ad amicum Callicles, cui rem ajebat mandasse hic suam,
Mihi concrederet, nisi me ille & ego illum nossem approbe?

Versu 117.

——— *Quem ego qui sit homo nescio,*
Neq; oculis ante hunc diem unquam vidi, eine aurum crederem,
Cui si capitis res siet, nummum nunquã credam plumbeũ?

Terentius Andriæ 1. sc. 5.

——— *adeon' me ignavum putas?*
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Vt neq; consuetudo, neq; amor, neque pudor
Commoveat, neq; commoneat, ut servem fidem?
MY. Vnum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.
PA. Memor essem? o Mysis, Mysis! etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio.

Terentius Phormione 1. sc. 2.

——— *abs sis insciens!*
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere ei verba credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallere.

Terentius Phormion. 5. sc. 7.

Quid ad me ibatis? ridiculum! an veremini
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus! quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 10. Lupi, Vulpis, Simii.

Quicumque tristi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc atteſtatur brevis Æsopi fabula.
Lupus arguebat Vulpem furti crimine:
Negabat illa se esse culpæ proximam.
Tunc judex inter sedit illos Simius:
Vterque caussam cum peroraſſent suam.
Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris perdidisse quod petis:
Te credo surripuisse quod pulcrè negas.

De Mure, quæ cum Fele amicitiam contrahere volebat. Fab. 67.

Mures complures in cavo parietis commorantes contemplabantur felem, quæ in tabulato capite demisso, & tristi vultu recumbebat. Tunc unus ex eis, hoc animal, inquit, benignum admodum & mite videtur. Vultu enim ipso sanctimoniam quandam præfert, volo ipsum alloqui, & cum eo indissolubilem nectere amicitiam. Quæ cum dixisset & propius accessisset, à fele captus, & dilaceratus est. Tunc cæteri hæc videntes, secum dicebant: Non est profecto, non est vultui temere credendum.

Hæc fabula innuit, non ex vultu, sed ex operibus homines judicandos, cum sub ovili pelle sæpe atroces lupi delitescant. Laur. Abstemius.

De Vulpe capta, & à Gallo prodita. Fab. 138.

Vulpes rustici laqueis, cujus plurimas gallinas occiderat, capta, rogavit gallum, à quo solo visa fuerat, ut aut cultellum, quo laqueũ scinderet, sibi afferret, aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus utrunq; pollicitus, dominum properè adiens, narrat vulpem casse detineri: quem clava armatum ad se perdendum venientem vulpes conspicata: Infelix, inquit, & stulta ego, quæ credidi gallum mihi fidum fore, cujus tot uxores occideram.

Fabula indicat, iis, quos insigniter læsimus, nunquam fidendum. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Adeod. Seba. Spectatores mensæ opiparæ.

Nil spectasse dapes, nil degustasse juvabit,
Hæc nisi ventriculi cuncta calore coquas.
Sic cœtus spectasse pios divinaque verba
Audisse attenta nil licet aure juvat.
Hæc nisi percipiat, fides imoque reposita
Pectore, divino freta calore coquat.

Batillius. 179.

Fides tecta.

Ista suo ipsa fides constringit pignora signo,
Cui medias velat candida lana manus;
Sic commissa alieni animi sine fraude tuenda,
Pectoribus tacitis atque tegenda docet.

Camerarius 9. Centur. 3.

Sustinuere diem.

Vt sobolem ingenuam ad Solem Iovis æstimat ales,
Cernitur adversis rebus amica fides.

Camerarius 30. Centur. 3.

Fidem servabo genusque.

Non necat accipiter, tenuit quem nocte voluerem;
Sic servare solet mens generosa fidem.

Camerarius 54. Centur. 3.

Mutatur natura fide. Diomedææ aves.

Quæ semel est promissa fides, servanda perenni
Fœdere, & est ipsa sanguinitate prior.

Camerarius 43. Centur. 4.

Belli discrimina ubiq;. Murenæ polypus esca.

Nusquam tuta fides, sunt undiq; tristia bella
In terris, cœlo, maximo & Oceano.

Camerarius 59. Centur. 4.

Clarescunt athere claro. Concha margaritam pariens.

Perfunde ô Veræ fidei me Christe liquore,
Tunc mea in æternum vita serena fluet.

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Martha: Contendunt etiam cum his Fœminæ, & quidem in prima acie. Soror Lazari Martha roganti Domino, crederétne ea quæ de fidei firmitate & resurrectione paulò antè dixerat; *Vtique*, ajebat, *Domine, ego credidi, quia tues Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.* Joan. cap. 11.

S. Zoe Martyr. Sed dicet fortassis quis veritatis calumniator, facile fuisse mulierculam spe resuscitationis fraternæ in hanc vocem erumpere: alia proinde adducēda exempla. Quid igitur Zoe Christi sponsa, & martyr? Orabat in Natali Apostolorum ad confessionem S. Petri, & ab improbis paganis circumvēta, ad Præfectum ducitur. Instat hic, & Marti sacrificet, compellit. Cui illa: *Mulierem Marti sacrificare compellis, ut ostendas Martem vestrum, utpote libidinosum, fœminis oblectari. At vero si ille potuit impudicissimæ Veneri pudorem eripere, mihi certe Trophæum fidei in fronte gestãti prævalere non poterit.* Quis non hic cum Ecclesia concinet,

Fortem virili pectore
Laudemus omnes fœminam.

Sur. tom. 1. in vita S. Sebast.

Flectius Conimbricæ Præfectus: Ad civilia exempla vela damus, & ea quidem quæ non Theologicam illam uti prima, sed moralem fidem, quam & fidelitatem dicimus, repræsentant. Primum suggerit Hispania in Flectio viro nobili, arci Conimbricæ atq; urbi à Sanctio Rege Præfecto. At Sanctius improvide regnũ administrabat, ita ut Pontifice (is Innocentius fuit) auctore, cura tutelaq; regni ad Alphonsum ejusdẽ fratrẽ transferretur. Constans & fidelis suo regi Flectius, & oppugnationẽ & arma Alphonsi excipit, nec flectitur, donec Sanctiũ in exsilio Toleti mortẽ obiisse renuntiatũ. Incredulus tamen in-

men inducias postulat, quò Toletũ ipsus ire, & corã arbitrari valeat. impetrat. Cum ergo venit, Regemq; suum fato functum sepultumque videt, tumulo aperto, cum suspiriis, ipsas urbis Conimbricensis claues in manus demortui Regis dat, hæc verba miscens: *Quamdiu te tuere ô Rex judicabã, quidquid a fideli homine, & in tua verba jurato, exigi exspectariq; potuit, id præstiti. Vnum superest, ut clauibus tuæ urbis tibi redditis, solutum me juramento omnibus denuntiem.* Ita abiit, & legitimo pro Rege Alphonsum agnovit. *I. Lipsius Mon. Polit. lib. 2. cap. 13.*

Emanuel Portugaliæ Rex: Ille quoq; seditionis in Castellæ Regem excitatæ auctores, cum suis rebus diffidentes suppetias poscerent, acriter redarguit. Cumque ipsum regnum offerrent, dicebat: *Nunquam nullum imperij additamentum, fide & officio antiquius habiturum me scitote.* Oson. lib. 12. de reb. Emanuel.

Triumpara Rex Cocini. Vestra pace, Christiani Principes, hominem gente quidem & solo, at non animo & mente barbarũ, vobis adjungo: Regem orientalis Indiæ TRIUMPARAM. Venerant ad eum Lusitani, cum quibus etiam fœdus pacemq; panxit. Mox in suspectam gentem conspiratio, omniumq; una mens, Regẽ Conici pertrahere, Lusitanos quos suæ fidei creditos acceperat, traderet necandos. Ille vero obniti, palàm negare, dicereque: *Omnia se potius, quam fidem amissurum.* Vitæ enim ajebat, *spacium breve ac definitum: perfidiæ macula sempiterna est.* Iamque ob id victus pulsusque, cum antiquum fortunæ statum rursus offerrẽt; hac lege, si eos traderet; abnuit dicens: *Sceptrum & vita eripi potest, fides non potest.* Verus fidei amator & cultor noverat, quod ante eum Seneca, Fidem sanctissimum esse humani pectoris bonum; quodque nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur. *I. Lipsius Mon. Polit. lib. 2. cap. 13.*

Theodoricus Africæ Rex. Quid præterea hic? Domesticum habebat, quo familiariter utebatur, magnum fidei cultorem. qui cum Regi gratificari se posse confideret, si ejusdẽ cum eo Religionis normam acciperet, ad Arrianos defecit. Quo cognito, Rex amicum suum ultimo supplicio affici mandat, dicens: *Si Deo tuo fidem servare recusas, quomodo mihi, qui homo sum, eam servabis?* Theodor. lib. 2. Collectaneorum. Cedrenus in Anastasio.

Franciscus primus Galliæ Rex: Claudamus inclyto & memorabili exemplo, quod magnus ille Galliarum Rex FRANCISCUS nobis donet. Ille Carolum Quintum Cæsarẽ in turbidos Gandenses properantem, comiter ac regulariter deduxit, sola fide Regis, & sua fortuna nixum. Mirantibus Galliæ proceribus Regis sui comitatem, quod tam bellam occasionem recuperandi Mediolanensem Ducatum præterlabi passus esset, hominemque à quo rei summa dependebat, ita dimisisset, in celabri convẽtu cum multa in sui defensionem adduxisset, adjecit: *Etsi omnis fides toto orbe exularet; tamen Regibus tenenda erit: qui ea sola, & nullo merito vique astringi possunt.* Notatu digna vox. & res sic habet. Alios Lex aut Pœna coercet, Principes Pudor & Fides. *I. Lips. supra. Idem de Carolo V. commemorat Guil. Zenocarus in vita ejusd.*

Rudolphus Dux Schevicæ: Tenet me ne aliò degrediar RUDOLPHUS, & illustribus viris si non inseri, annumerari tamen postulat. Dederat fidem Heinrico IV. Imp. à quo cum descivisset postmodum, & in prœlio quod contra eum ante Mersburgum gerebat, dextram amisisset; jamque ex vulnere langueret; ostensa sibi manu, conversus ad eos qui ejus prœlij auctores, ac fidei datæ memor; *Ecce*, inquit, *hac est manus qua fidẽ Heinrico domino meo dedi: nunc tandem considerate, num juste ab ejus obedientia defecerim.* Strigelius 2. Sam.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Fac fidelis sis fideli: cave fidem struxam geras.
Maxima hercle simpliciter fiducia est amantium.
Multitudinem invenire nullibi est fidelium.
Ne putes tibi fideles quos pecunia allicis.
Non potest dici fidelis, qui suis infidus suis.
Nunquam erit sibi fidelis, infidelis alteri.
Opera multa, verba pauca sufficit fidelitas
Optimum quemque esse puta aut vel fidelem maxime.
Pauci amico sunt fideles in necessitatibus.
Principum fidele nomen non habent unquam domus.
Proximo suo infidelis, nec fidelis est Deo.
Qui Deo non est fidelis, nec fidelis proximo.
Satin ut quem tu habeas fidelẽ tibi aut cui credas, nescias?
Vt quis q; optimus est, idem est putandus fidelissimus.

¶ JAMBICA.

Dici nequit fidelis, infidus suis.
Fidelis est quisquis nihil maỽult mali.
Fidelem amicum facies si putaveris.
Malim fidelis esse quam viderier.
Nemo esse sat fidus potest ei quem timet;
Neque dedi, neque do, infideli cuiquam fidem
Opprobrium est hominum, vita infidelium.
Quis sit fidelis in malu agnoscitur.

Fiduciæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Arrianus: Quid absurdi pronuntiant Philosophi, si fiduciam ad eas res quæ nostri arbitrii non sunt: ad eas autem quæ penes nos sunt, cautionem adhibendam esse censent? Nam si in mala voluntate malum est positum, in iis solis utendum est cautione quæ nostri juris sunt. Sin ab arbitrio nostro remota, & in nostra potestate aliquà non sunt, atque ad nos nihil attinent, ædea est adhibenda fiducia. Atque ita simul & cauti erimus, atq; ad eo propter cautionem fidentes. Nam quia vera mala cavebimus, fiet, ut in iis quæ mala non sunt, imperterriti simus. Nunc idem quod cervis nobis accidit, qui cum volucres fugiunt, quo se convertunt? quo abeunt, ut in tuto sint? Ad retia, atque ita pereunt, permutatis iis quæ timenda, & forti animo toleranda erant. Sic & nos, ubi timemus? In iis quæ nostri arbitrii non sunt. Contra, quibus in rebus ita nobis fidimus, quasi nihil sit periculi? In iis quæ nostræ potestati parent. Itaque decipi, labi, errare, impudens aliquid appetere, nihil nostra interest: modo ne in iis, quæ penes nos non sunt, fallamur. Vbi vero mors, ubi exilium, ubi labor aut ignominia proponitur: ibi fuga, ibi perturbatio oritur. Itaque uti par est eos, qui maximis in rebus errant, fiduciam naturalem in audaciam, in desperationem, in temeritatem, in impudentiam convertimus: naturalem autem cautionem & pudorem, in timiditatẽ & humilitatem, timorum & turbarum plenam. Nam si quis eò cautionem transtulerit, ubi voluntas & voluntatis officia sunt: simul ac cavere voluerit, statim, & in se positã habebit declinationem. Sint eo, ubi ea sita sunt quæ voluntati nostræ non parent, & ea quæ voluntate nostra remota, quæ penes alios sunt, aversetur: necessario timebit, trepitabit, perturbabitur. Non enim mors aut labor est terribilis, sed timor laboris aut mortis. Propterea laudamus eum qui dixit: Mori non est malum sed turpiter mori. Opponenda igitur morti erat non fuga, sed opinioni de illa concepta, neglectio alacritas et constantia. Has res Socrates recte larvas nominabat. Vt enim pueris larvæ horribiles & metuendæ propter imperitiam videntur: ita & nobis in rebus accidit, ob nihil aliud, nisi quod ut pueri, ita & nos larvis quibusdã movemur. Quid enim est puer? Insciti a. Quid est puer Ignorãtia? Nã quatenus illa puer novit, non est deteriore quã nos cõditione. Mors quid est? Larva. Inverte, & ita esse cognosces. Vide ut non mordeat? corpusculum separari oportet ab animula, ut prius etiam separatum fuerat, aut nunc, aut post. Quid ergo ægre fers, si nunc? Nam si nunc non, post, Quamobrem? Vt mundi circuitus compleatur. Opus enim ei est aliis qui surgant, aliis qui surrecturi sint, aliis qui pensum suum absolverint. Labor quid est? Larva. Inverte eam ut cognoscas. Aspere movetur caruncula, deinde rursus molliter. Quod si tibi non expedit: janua patet. Si expedit, fer. Ad omnia enim januam patere oportet. Ita nihil habebimus negotii. Quis igitur harum opinionum fructus est? Is qui, ut decet, & pulcerrimus est, & iis qui revera eruditi sunt dignissimus, constantia, metu liber animus, libertas. *lib. 2. cap. 1 Epict.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior. Sed forsitan & incautiorem illum faciat hæc ipsa fiducia, quod pro filio pater timet, tanquam pugna imparem. *Declamatione 271. a. f.*

Symmachus. Scias fiduciam de simplice affectione surgentem, genus esse virtutis. *lib. 3. Epist. 29.*

¶ POETARVM.

D. Nazianzenus carmine 62.

Ος τις ἀπειχομένοισι καὶ ἐχομένοισι, πέποιθε
Ρεύματι πιστεύει, οὐ ποτε ἱστάμενῳ.
Fidere qua veniunt rebus, fugiuntq; vicissim,
Fluminis est rapidi fidere semper aquis.

APOPHTHEGM. SACROR.

Abia Rex: Is Deo confisus, Ieroboamum & Israelitas primum gravi oratione increpavit, deinde manu armata feliciss me oppugnavit. Summa autem dictorum ejus est, Regnum super duodecim tribus tributum esse Davidi in perpetuũ, Ieroboamum, ideo esse rebellem, Israelitas esse apostatas & nequissimos homines: frustra Israelitas gloriari de sua multitudine, idolatria, Schismatica confusione, *Nos autem*, inquit, *habemus Iehovam Deum nostrum, quẽ non dereliquimus: sacerdotes autem ministrantes Iehovæ sunt filij Aaronis, & levita sunt in opere suo: observamus observationem Iehovæ Dei nostri: vos autem dereliquistis eum. Quare ecce nobiscũ est in principiis Deus ipse, & sacerdotes ejus cum tubis clangoris ad clangendum contra vos.* deinde addit, *Filij Israelis ne pugnetis contra Iehovam Deum majorum vestrorum: non enim secundaremini.* Pergentibus autem Jarobeamo & Israelitis in pervicaci illa apostasia, sequutum est atrocissimum prælium, in quo ceciderunt confossi ex Israelitis quingenties mille viri delecti: & Jeroboam deinceps nullam vim obtinuit, sed plaga affectus à Domino mortuus est. *Vide 2. Chronic. cap. 13.*

Hanani Propheta. Quoniam Asarex Jehuda Syrorum opem

ad impediendum regem Israelis adhibuerat, Hanani dixit ad eum, Quandoquidem innixus es rege Syriæ, ac non innixus es Iehoua Deo tuo: idcirco propterea effugit manus regis Syriæ ne sint ad manum tibi. An non Æthiopum illorum & Lybium erant copiæ numerosæ curribus & equitibus quamplurimum? tamen cum innitereris Iehouâ tradidit eas in manum tuam. Cum oculi Iehovæ discurrant per totam terram, vt firmum se exhibeat erga eos quorum animus integer est erga ipsum: stulte egisti in hac re: nam porro futura sunt cõtra te bella. Tunc indignatus Asa contra Videntem illum tradidit eũ in carcerem, &c. 2. *Chronic.* 16. 7.

D. Bernardus. Fiduciam in Deum, & nostri diffidentiam commendans solebat dicere, sibi quidem ipsi fidere non fidei, sed perfidiæ est: nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis in semetipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sit perdens animã suam, ut in vitam æternam custodiat eam. *Serm. 5. in Vigilia natiuit. Christi.*

Fridericus Saxo: Fridericus Secundus, cognomẽto placidus, Dux Saxoniæ, qui mortuus est anno 1464. aliquot annos ante obitum Friderico antistiti, Madenburgio, è Comitib. Beichlingii nato bellum facturus, exploratorem misit, qui de apparatu & consiliis eius cognosceret. Is renuntiavit, nihil bello oportunum parari, nec ullum conscribi militem: antistitem præterea dixisse, causam se commissurum Deo qui pro servo suo arma sumeret. Id ut Elector audivit, alius (inquit) insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se Deũ defensorem habiturum. Laudandus antistes, qui Dei patrocinio fisus est: laudandus princeps, qui Deum veritus arma deposuit. *G. Fabricius hist. de electoribus Saxoniæ.*

D. Bernardus. Graui morbo afflictus, cum extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ, ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem & Satan ex adverso, improbis cũ accusationibus pulsans. Vbi vero ille fuerat omnia prosequutus, & viro Dei fuit pro sua parte dicendum, nihil territus ait: Fateor, non sum dignus ego, nec possum propriis meritis obtinere regnum cælorum. Ceterũ duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conventus ille solutus, & homo Dei in se reversus est. *Author Vitæ, lib. 1. cap. 13.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Hugo Episcopus Lincoliensis. Fidei ut agnata est FIDUCIA; ita non incongrue ejusdem tractationem, illius subsequetur explicatio. Nocte quadam gravibus infestatus curis HUGO LINCOLENSIUM PRÆSUL, cum eas excutere non posset, turbari animo cœpit. ac primo mane ad se reversus, graviter ingemiscens, *Heu!* inquiebat, *deliqui, quod non uti hominem Christianum decet, omnem curam super Dominum, juxta Prophetæ monita, jactavi.* Sur in vita.

S. Antoninus. Præclarus vir, vocaverat ad prandiũ amicũ quendam: cumq; panariæ cellæ præfectus ejus jussu omnes panes in egenos distribuisset, bile actus quod hospitem adduxisset, nihil prandio superesse dixit. at Præsul, *Ne diffidas, ait, nã qui jumentis oportuno tempore escam tribuit, is certe nos homines pascere non tardabit aut negliget.* F. Vincent. Mainordus in vit. Sur. tom. 2.

P. Franciscus Borgia. De hoc traditum est, cum Hispali moraretur, accidisse, ut nec cibum domi nec pecuniam haberet. datoq; signo, cum in triclinium convenirent, ille paululum se colligens, Deum præcabatur: moxque hilariore vultu, *Deo fidite,* inquit: *illi curæ sumus.* Dixerat: & ecce pulsans ad ostium, ciborum canistrũ defert. quem is conspicatus, *Discite,* ait, *filij Deo fidere: cujus si gloriam quærimus, animis corporibusq; nihil umquam defore, pro explorato habeto te.* Ribadin. lib. 2. vitæ ejusd. cap. 10.

Philippus Augustus F. R. Ducebat item ille copias adversus Othonem Imp. causa Ecclesiæ tuendæ. cumque suos ad fortiter pugnandum invitaret, ajebat: *Viri comilitones, spem capimus rei bene gerendæ, præsertim cũ adversus sacris interdictos & Ecclesiæ spoliatores dimicemus. Nos enim etsi per humanæ fragilitatis tenuitatem peccatores sumus; communionem tamen tenemus fidei & religionis catholicæ.* Grandis fiducia: Deum non defore iis, qui pro sui nominis gloria dimicant. *Gaguinus lib. 6. de reb. Gall.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; tarditate raro grandis est fiducia.
Arrogantis tarditatis est parens fiducia.
Militem omnem incautiorem reddit & fiducia
Ocyus junctis redit legionibus fiducia
Pernimiam persæpe vulnus accipis fiduciam.
Pessima est contubernalis impietas fiducia.
Qui cum prabitate vivit fidere audet nemini.
Sæpe belli fœdus raptum est uniusfiducia.
Sæpe plus est in loco quam viribus fiducia.
Sub muros acriem struunt queis virium fiducia est.
Vana stulti, at providentis utilis fiducia est.
Virium cui plus est, e fiducia inest & tarditas.

¶ Jambica.

Aliud temeritas, aliud est fiducia.
Cernes fere usque incuria est fiducia
Et tarditatis mater est fiducia.
Familiaritatis filia est fiducia.
Periculo fiducia proximissima.
Repar vula magnam excites fiduciam.
Tandem in metum atrum vertitur fiducia.
Timor in studijs decet magè quam fiducia
Virtute in ipsa plurimum fiducia est.

Filii, Filiæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus:* Filius patrem contumelia adficiens, indignus est qui famulorum probatorum ministerio fruatur. *Homilia* 18. *ad Romanos.*

Chrysostomus: Facile adduci nequeunt parentes, ut quãvis improbos filios aspernentur; verum eos quoq; lacrimis & luctu prosequuntur. *Homilia 3. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Si quis cum filium inprimis charũ habeat, qui gangrena putredinosa laboret, eumque secare & urere cogatur; utroq; nomine dolet: tum quod is æger sit, tum quod eum secare necesse habeat. *Homilia 4. ad Corinth. 2*

D. Chrysostomus: Filium vocat charissimum. Cum vero ea charitas à natura non proficiscitur, ex virtute omnino materiam sumit. qui non ex nobis nati sunt, non virtutis tantum gratia, sed etiam ex naturæ necessitate charissimi sunt *initio Homil. 1. ad Timoth 2.*

D. Ioh. Chrysostomus: vides, quod non possit esse filius qui non castigatur? Nam quomodo in familiis adulterinos filios despiciunt patres, etiamsi nihil discant, etiamsi non sint gloria insignes: de legitimis autem filiis timent ne se dedant otio & socordiæ. Si est ergo adulterorum non erudiri, gaudere oportet ob disciplinam, siquidẽ ea adhibetur in germanis filiis. *Hom. 29. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum per liberorum procreationem parentes salutem consequuntur, si liberorum vita ipsis curæ sit: eodem modo contra illis contiget, si eorum curam atque custodiam neglexerint. Ridiculum enim fuerit, equuleis quidem, tum quod ad incessum, tum quod ad cibum & potum, atque omnẽ rectitudinem attinet, ingentem, jam inde à prima ætate, curam ac solicitudinem impendi, quorum tamen & utile precium est, & usus mediocris, & celer interitus: homines autem, quos Deus effinxit, atq; imagine sua honestavit, ac rursum in seipso renovavit atq; instauravit, feroces & insolentes relinquere, eosque temerè, quo libeat, ferri sinere, quoque lubrica juventus haud intelligit. Si hæc tibi utilia esse videntur, da operam, ut omni honestatis & gravitatis custodia filios tuos obfirmes ac communias. *lib. 1. epist. 316.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Sed parendum paulum verbis est: quia etiam in bona causa humilis esse, in quantum res finit, filii apud parentes debet oratio *Epistola quarta,*

Zeno: Detestabilis certe filius, quem pater pius, quem pater donat invitus. *Sermone 3. de Isaia.*

Chrysologus: Revera filium se nescit, visceribus caret, naturã negat, ingratus est patri qui auctorem vitæ suæ non obsequiis placat, non devincit cultu, muneribus non honorat. *Sermone 10.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Mihi nimirum venumdari quæstus foret ô pater, si quidem id facere posset, ut melius tecum ageretur. quid dico vendi? imo mori millies vellem hac tanta mercede. *Declam. 18. Cimonis.*

Libanius: Quinam labores circa patrem à me per omne tempus susceptisint; quid opus est sigilatim commemorando tædium parere, cum ad morum meorum probationem, patris testamentum sufficiat? non enim nisi & patris amantem agnovisset, & disciplinæ studiosum, & voluptatibus superiorem, & seniores observantem, & mitem ac laboriosum, & æque remotum à sumptu supervacaneo, atque a turpilucro: nisi horum, inquam, conscius fuisset, atq; aliorum omnium in genere, quæ bona sunt, haudquaquam hæredẽ ex asse instituisset. verum enimvero quem nunquam reprehenderat, nunc exhæredat: tametsi nihil ejusmodi habeat dicere, quale cum nonnulli jam dicerent, meritò visi sunt indignari. Etenim ego aliquem jam id perpessum intuitus, scitabar ab aliquo vicinorum in quo deliquisset: respondit ille, Meretrices alit, despiciens patrem. Alio idem perpesso rursus percontabar; & ait quipiam; multũ meri occasionem dedisse. Alius quidam ingressus vociferatus est, In avibus & aleis filius meus tempus terit, ferias actiones negligens, & æqualibus suis molestus est; & obvios quosque ferit. fuit etiam abdicationis causa odium in fratrem. quidam etiã filium expulit, quia senserat jucundissimum illi fuisse, quod fratrem mortuum vidisset. in quo igitur horum delinquo; aut quid his assimile? istorum certe nihil, inquit: sed cum alia vellem, ita alia scripsisti: & duos unius loco hæredes fecisti, & te & fratrem. *Declamat. 40.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Ergo non omnia necesse est facere liberis quæcunque patres imperant. multa sunt quæ fieri non possunt. & ideo

ideo judicium constitutum est adversus abdicantes; quoniam recipiebat natura, ut etiam patres aliquando, aut errarent, aut injuste imperarent. Si imperes filio, ut sententiam dicat contra quam existimat; si testimonium jubeas dici ejus rei quam ignorat; si sententiam in Senatu, hæc magis civilia, & in medio posita. Si ex nostra libertate argumenta repetenda sunt; Si Capitolium me incendere jubeas, arcem occupare; licet dicere; hæc sunt quæ fieri non oporteat. *Declamatione* 271.

Quintilianus Senior: Felices qui possunt omni vita sua parentibus dicere, Quid feci? *Declamatione* 290. *m.*

Quintilianus: Nemo unquam volet innocentem filium videri, quem voluerit occidere. *Declamat.* 17. *§* 1.

Plinius: Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos, tollere libeat, expediat. Nemo jam parens filio nisi fragilitatis humanæ vices horret, nec inter insanabiles morbos ira principis numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum, majus tamen in spem libertatis, in spem securitatis. atque adeo nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat, non alat dum non occidat, nec deerūt qui filios concupiscant. Contra, largiatur & auferat; alat & occidat; me ille in tam brevi tempore effecerit, ut omnes non posteros modo, sed sui parentumque pœniteat. Quocirca nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, neq; à te liberi civium ut ferarum catuli sanguine & cædibus nutriuntur; quodq; gratissimum est accipientibus, sciunt dari quod nemini est ereptum, locupletatisq; tam multis, pauperiorem esse factum principem tantum; quamquam nec hunc quidem. nam cujus est quidquid est omnium, tantum ipse quantum omnes habet. *cap. 27. panegyr. ad Trajan.*

De Filiis, & Filio Dei.

¶ APOPHTHEGM. SACRORVM.

Salomon: De filiorum officio scite disserit, Proverb. 6. 20. 21. 22 & 23. 22. *De bonorum benedictione*, Prov. 10. 1. *&* 13. 1. *&* 17. 25. *&* 23. 24. *&* 27. 11. *De vituperio, castigatione, maledictione & supplicio malorum*, Prover. 13. 24 *&* 19. 13. 18. 26. *&* 22. 6. 15. *&* 23. 13. 14. 25. *&* 29. 15. 17. *&* 30. 17.

Iesus Christus Dominus noster: Coactis Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens, Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt ei, Davidis. Dicit eis, quomodo ergo David per Spiritū vocat eum Dominum? dicens, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, usquedum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est? *Matth.* 22. 41. 42. *&c.*

Apostoli: Quum quæsivisset Christus à duodecim illis quos elegerat, num vellent cum aliis desertoribus abire, respondit ei Simon Petrus, Domine ad quem abibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & novimus te esse Christum illum Filium Dei viventis. *Iohann. 6. 68. 69. Vide Matth, 16. 16.*

Amphilochius: Quum Imperator Theodosius Eunomium, hæreticum Filii Dei Patri ὁμοούσιον esse negantem, convenire & audire cuperet, quadam die episcopis nonnullis palatium frequentantibus, ut Imperatorem salutarent, etiam senex quidā, nomine Amphilochius, cum his unà venisse dicitur, ignobilis oppidi sacerdos, simplex, ac nullo rerum usu tritus, sed in divinis apprime cordatus. Cum autem cæteri candide admodum ac religiose Imperatorē salutàssent, etiam sacerdos senex ipsum consimiliter salutavit: filio vero Imperatoris, qui patri assidebat, æqualem honorem non exhibuit, sed propius accedens, veluti puero, Salve (inquit) fili. simulque caput illi digito demulcebat. Commotus ira Imperator, & quasi ob injuriam filio factam indignatus, quem ille non æqualiter honorasset cum patre, foras exturbari cum contumelia senem jussit. Ille vero cum raptaretur conversus: Ad hunc, inquit, modum Imperator existima & cœlestē quoque Patrem excandescere in eos, qui Filium cum Patre non æqualiter honorant, & genitore inferiorem nuncupare audent. Delectatus hoc dicto Imperator, senem revocat, & veniam precatus vere illum loquutum esse confitetur. *Sozomenus eccles. histor. lib. 7. cap. 6.*

Finis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCOR.

Chrysostomus: Quanto propius regis imminet adventus, tanto paratiores esse oportet. quanto brabium propius pertigeris, tanto ad certandū fortius excitari convenit. nam & cursores idem faciunt; cum ad cursus finem præmiique captationem in propinqua jam sitam devenerunt, nimirum tum magis excitantur. *Homilia 24. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Priusquam positum sit principium, vanum est disserere de fine priusquam prima elementa didiceris, est supervacuum & inutile ad finem venire. *Homilia 2. ad Colossenses.*

D. Io. Chrysostomus: Non solum exordia oportet habere præclara, sed finem etiam præclariorem. Nam, dic mihi, an nō orator studet ea facere præclara quæ sunt in fine orationis. ut cum plausu recedat? Non quæ sunt in numeris publici exitu sunt, ostenduntur splendidiora? Athleta si non certamina ostendat præclariora, & ad finem usque vincat, si vel omnibus victis fuerit victus ab ultimo, nūquid omnia sunt ei inutilia? Gubernator si totum mare transmiserit, nave in portu fracta, nonne totum priorem laborem amisit? Quid vero medicus, si ægroto liberato, quum eum perfecte esset liberaturus, tunc interitum afferat, an non totum perdidit? Ita etiam in virtute, qui non initio consequentem finem imposuerunt, consonantemque & convenientem, plane perierunt. Tales sunt qui ab ipsis quidem carceribus præclari superbique & elati prosilierunt, postea autem dissoluti ignaviaque & remissi fuerunt. Quamobrem & præmio sunt privati, & à Domino non sunt agniti. *Homilia 24 ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Neque qui mare tangit nauta, periculi securus est ob tranquillitatem, sed qui passis navigii velis Dominum maris invocat, ut ventum det in puppim, dum maris transmisso curtu navem in portus appellat. *Oratione 15. p.*

¶ LATINORUM.

Egesippus. Omnium rerum exitus plus negotii, quam principia habere, nulli incognitum est fortissimi comilitones, quia consummatio suscepti munens majorem quærit laborem: siquidem toto libera mari currit navis, etsi non semper à puppe ventorum aspirent flamina, gubernator tamen obliquat velorum sinus, & sine refragio scinditur fretum, Sed ubi ad portum venitur, opportuna aurarum temperies necessaria est; & angusto ingressus navium coercetur limine. Major itaque periculi curia, ubi spes propinqua: ædificantibus quoque plana exordia fundamentorum, sed ardua celsorum opera fastigiorum. Et plerumq; in ipso operis claudendi fine, mercedis suæ munere defraudatur miserandus faber, aut culminis lapsu obrutus, aut instabili deceptus vestigio, ut ad inferiora decidat. De agricola quid dicam, cui procinctus laboriosior messis quam segetis, vindemiæ quam putationis. & adultis fructibus graviora semper metuenda pericula? Nihil ergo novum, si adhuc nos in ipso portu consūmandi cursus periculum manet. *cap. 27. lib. 5. excid. hier.*

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE GRÆCORVM.

Xenophon: Majores ego nostros nihilo nobis deteriores fuisse animadverti: quippe qui se numquam non in iis, quæ virtutis studia ducuntur, exercuerint. At cujus boni, quum tales essent, vel Persarum civitati publice, vel privatim sibi auctores extiterint perspicere nequeo. At enim, mea sane sententia, nullam homines virtutem exercent, ut postquam in viros bonos evaserunt, nulla re sint inertibus superiores. Qui à voluptatibus oblatis in præsentia abstinent, non hoc agunt, nullam ut unquam voluptatem percipiant: sed ut in posterum propter hanc continentiam multiplici gaudio fruituri, ita sese comparant. Qui excellere dicendi vi studeant, non hoc consequi suis illis exercitiis volunt, ne umquam bene dicendi finem faciant: sed fore sperant, ut bene dicendo multis hominibus suam in sententiam adductis, multorum magnorumque commodorum auctores existant. Qui res item bellicas tractant, non in his laborant propterea, ne umquam pugnare desinant: sed hi quoque se, peritiam rei militaris adeptos, multas opes, multam felicitatem, & magnos etiam honores quum sibi, tum patriæ conciliaturos existimabant. Quod si qui studiose in his versati, sua negligentia viribus in senecta destituti fuere prius, quam fructum ex eis aliquem perciperent: illis ejusmodi quidpiam accidisse mihi quidem videtur, ac si quis agricola peritus esse studeat, & semina recte spargat, & stirpes recte conserat: ac si quis esse peritus agricola studuerit, sementem faciat, tum plantet: ubi vero fructus ex his capiundus est, eumdē non collectum rursus in terram decidere patiatur. Aut si quis pugil tantum jam laboris hauserit, ut justam victoriæ spem adeptus sit, ac deinde nullum unquam certamen subeat. Quippe nec is mihi quidem jure liberandus dementiæ culpa videtur. *cap. 34. lib. 1. Cyropædiæ.*

Libanius: Maxime vellem neminem eorum qui huc appulerūt, infectum bellum relinquere. si quidem turpe est inchoatis operibus laudandis, antequam finis impositus sit, cessare: in hoc præsertim bello quod decimum ad annum perductum est. Verum si omnibus aliis visum esset quiescere, trophæo nondum erecto, eo minus certe hoc te deceret facere; quanto plura à te majoraque peracta sunt. nam quibus minor est potētia, & pro ratione roboris actiones sunt, iis minus est jure desiderium victoriæ; cum celebritatis & claritatis minorem partem se referre cogitant. tu vero pluribus quam viginti oppidis agro Trojano mulctato, duodecim quidem navali prælio, pedestri autem undecim; cum armis tantum damni illatum sit, si discesseris, Troja ut se habet relicta, ob quam tres & viginti urbes subegisti, simile quiddam videberis facere; ut si Menelaus optaret omnes interficere Trojanos præter Alexandrum. *Declam. 4.*

¶ POETARUM.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Nec tranquilla malis cum prospicu omnia, rectum
Desereiter: justos nec cum mala plurima vexant,
Te sævus dolor excrucet mentemq; perurat.
Hi vitæ lusus hæc fallax alea mundi.
Quocirca extremos rerum vigil inspice fines.

¶ Emblematum.

Camerarius 83. Centur. 4.

Finis ab origine pendet. Anguis caudad ore tenens.

Rebus in humanis adeo in se cuncta recurrunt,
Finis ut unius sit caput alterius,

Catsius Emblemate Ethico 37.

Ex fine judicium.

Mille foraminibus dum linteа virgo decorat,
Filiaque distinctus inserit ordinibus
Rusticus ista videns, vati stulta puellula! clamat,
Candida ferrata lintea perdis acu.
Vulnus ut infligat tetrica cum fronte notarii,
Vulneris auxilium, rustice, nonne vides?
Materiam fatuo risus dedit ille popello,
Qui, cui summa manus deficit, edit opus.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Fridericus Imperator: Erat dux Witenbergensis supra modum animosus, & vehementior quã æquitas aut ratio postulabant hunc Fridericus vir summa modestia cohortabatur aliquando, temperatius & moderatè ageret, cumq; is monita negligeret, solitus erat dicere Fredericus: *Cujus finis bonus, ipsum est bonum.* insinuans eam vehementiam (uti accidit) Duci aliquando nocituram.

Sic Græsum quoque vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.

Phil. Camer. 3. part. Medit. hist.

¶ Monosticha Trochaica.

A Deo ritè ordiare: finias ritè in Deo.
Ad metam cum equi propinquant cursitant alacrius.
Arduum haud est invenire finem, invento exordio.
Aurea vitæ, coronis imponenda & aurea est.
Carceres exisse nil est, qui tenet metam vir est
Fine fors ferè nec opinio cuncta mundi terminat.
Fine inexpectato humana terminare sors amat.
Ne diuturnum quid est in quo quid est & ultimum.
Non bene inchoata finem sortiuntur & malum.
Non statim rei finem conspexeris cum exordio.
Optimum finem auguramur optimis exordiis.
Principio invento, invenire finem non est arduum.
Quamlibet ferè actionem finis ipse judicat.
Quid juvat rectè inchoasse rem, si eam finis male?
Quo propius quis abest a fine, hoc instat & ferventius.
Seminis vitium totius est item vitium arboris.
Sunt bona omnia ante acta, si modo finis bonus.
Terminus vitæ ponendus dignus est virtutibus.
Trahere vim totam videtur id quod postremo additur.
Turpia atq; honesta fine discrepant sui.

¶ Jambica.

A fine pendent omnia, haud à limine.
Ad terminum qui accessit, cur flectat retrò?
Ambiguo initio sæpe finis latior.
Aqua putei exhausti, omnium suavissima est.
Et fine turpi egregiam macules gloriam.
Fac fine uti respondeas exordio.
Finis beat, parum est in omni exordio.
Finis suo respondet usque exordio,
Finem rei considera ante exordium.
Fines aliquando studia habent contrarios.
In vita hominum solummodo finis quæritur.
Malus prope ipsam cursor metam deficit.
Natura finem fecit ad certum omnia
Nec est chari finis, nec est exordium.
Nil est bene inchoasse nisi rem finias.
Præclara cœpta raro habent finem suum.
Provide habendum est omne quod finem accipit.
Quodcunque cœpit esse, & esse desinet.
Sine principio minime finem cognoscere est.
Stultum inchoare quod finire non cupis.
Sunt judicanda à fine res bonæ ac malæ.
Turpissime quis summo in clivo deficit.

Fisci.

¶ SENTENTIÆ ROMANORUM.

Basilius Imperator: Majorem in molem evehendæ Reipublicæ causa quæ suscipies, eorum gratiam facere ne dubites. Rem autem publicam optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curã diligentem habebis, eiq; justis rationibus colligendæ studebis, non ex oppressione, neq; ex lachrymis subditorum corradendæ. Pecunia enim si juste cogitur, possidenti multum offert emolumenti, & nervos imperio addit: quæ vero ex lachrymis subditorum atq; ex iniquitate corrasa fuerit, etiam justè collectam dissipabit: attrahet enim Deum, qui justitiæ leges condidit, ad vindicandam injuriam. Ignis vero non ita celeriter paleam consumit, ut male & injuste cõgestæ opes, etiam jure partas in perniciem secum abripiunt. *cap. 17.*

Plinius: At forsan non eadem severitate fiscum qua ærariũ cohibes. Imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis. dicitur actori atque etiam procuratori tuo, In jus veni; sequere ad ad tribunal nam tribunal quoque excogitatũ est principatui par cæteris; nisi illud litigatoris amplitudine metiaris. sors & urna fisco judicẽ adsignat. licet reiicere, licet exclamare; Hunc nolo, timidus est, & bona sæculi parum intelligit: illum volo, quia Cæsarem fortiter amat. eodẽ fõro utuntur principatus ac libertas: quæque præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquã est, nisi sub bono Principe. *cap. 36. Paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Nunquam principibus defuere qui fronte gravi & tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. Et erant Principes ipsi sua sponte avidi & rapaces, & qui magistris non egerẽt; plura tamen semper à nobis contra nos didicerunt. Sed ad tuas aures, cum ceteris omnibus, tũ vel maxime avaris adulationibus obstructus est aditus. *cap. 41. panegyrici ad Trajanum.*

Symmachus: Intelligit clemẽtia vestra, quod non metu familiaris causæ, quæ legibus tuta est, sed temporum amore soliciret; ne ad innocentiam fisci vestri, infructuosa tantum recurrat invidia. *lib. 10. Epist. 47. f.*

Symmachus: Absint ab ærarum vestri puritate ista compendia; fiscus bonorum Principum, non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur. Ullum ne lucrum compensat invidiã? *lib. 10. Epist. 54. m.*

¶ Monosticha Trochaica.

Causa fisci cum triumphat subjugatur civitas
Causa fisci nunquam iniqua est quam bono sub Principe.
Corpore pinguefit splen vivo; mortuo illo, intercidit.
Quod Deo aufers, hoc fisco infers cum jactura nominis.
Fiscus exhaustus, replendus innocentium bonis.
Fisci ararij araneantes, devorant regem probum
Lacrimis fiscus repletur civium, haud pecuniis.
Nec replet deplet ve fiscum jure rex iners bono.
Quod negas Deo eripis ve, fiscus inde devorat
Sub tyranno causa fisci semper est justissima.

¶ Jambica.

Fisci tumor reipublicæ est inanitas.
Gravare fiscum sanctius, quam singulos.
Hoc fiscus aufert abstulisti quod Deo,
Macra tumet sub plebe fiscus Principum.
Periclitari fiscum, Regis gloria est.
Plus lacrimarum in fisci quam pecunia est.

Plura huc cumulanda è titulo *Aerarii, Tributi, Quæstoris.*

Fluminis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Nazianzenus: Spontaneis, ut dici solet, pedibus accurri, Spiritu scilicet me fluvii cujusdam in modũ agente, qui per acclivia quidem non nisi coactus fertur, per prona autem & declivia celerrime labitur. *Oratione 28.*

¶ Latinorum.

Ægesippus: Quid loquar Alexandreiam, quæ septa fluminis muro nescit obsidionem quod universorum amnium maximus, diffuso per spatium terrarũ alveo, & obsidionis submoveat impedimenta, & invehendis quæ necessaria sunt ad usum rerũ ministrat? *cap. 9. lib. 2. excidij Hierosolim.*

S. Valerianus: Respicite ad eorum studia, qui peregrinos aquas bibunt, & fontes longe positos sitientes inquirunt; & videtis quantum gratiæ habeat suis aquis mundata possessio. Aestimati autem non potest, quantum patrimonio utilitatis accrescat, si quãdo quod alibi ambitiose quæritur, in propria possessione nascitur. *Homil. 15.*

Chrysologus: Fons per tenues venarum primitus erumpit meatus atque angustos sensum serpit in rivulos, donec digno successu in totam se fluviorum latitudinem prorumpat, & valenter effundat. *Sermone 39. pr.*

¶ Historicorum, Oratorumque.

Simocatta: Fluvius Chrysippus agri nostri bonã partem abduxit, & tuo rure adjunxit. Stolide faciens & insipienter, alienum promittit: sed si judiciorum onus ferre humeris non potes, ne fluminis dona admittas. Sin aliena concupiscis, non multo post, etiam tuis privatus lugebis. *Epistola 53.*

Claudius Mamertinus: Quod autẽ majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione? qua primus omnium Imperatorum probasti Romanii imperii nullum esse terminum, nisi qui tuorũ esset armorum. Atqui Rhenum antea videbatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limine Romanæ provinciæ ab immanitate barbariæ vindicarentur: Et quis unquam ante vos Principes non gratulatus est Gallias

eas illo amne munitas quando non cum summo metu noſtro Rheni alveum minuit diu ſerena tempeſtas? quando non cum ſecuritate noſtra illius diluvia creverunt. *Cap. 7. paneg. in Maximinianum.*

Vegetius: In tranſitu fluviorum gravis moleſtia negligentibus frequenter emergit. Nam ſi qua aqua violentior fuerit, aut alveus latior, impedimeta, pueros, & ipſos interdum ignaviores ſolet mergere bellatores. Ergo explorato vado, duæ acies equitum, electis animalibus ordinantur, intervallis competentibus ſeparatæ, ut per medium pedites & impedimenta tranſeant. Nam acies ſuperior, aquarum impetum frangit: inferior, qui rapti ſubverſique fuerint, colligit atque tranſponit. At cum altior fluctus nec equitem nec peditem patitur, ſi per plana decurrat, ductis multifariam ſpargitur foſſis, divituſque facile tranſitur. Navigeri vero amnes, haſtilibus fixis, ac ſuperpoſitis tabulatis pervii fiunt: vel certè tumultuario opere colligatis manibus cuppis, additiſque trabibus tranſitum præbent. Expediti vero equites faſces de cannis aridis vel ulva facere conſueverunt, ſuper quos loricas & arma, ne prodentur, imponunt: ipſi quique natando tranſeunt, colligatisque ſecum faſces pertrahunt ſarcinis. Sed commodius repertum eſt, ut monoxylos, hoc eſt, paulò latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excavatas, pro genere ligni & ſubtilit: te leviſſimas, carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter & clavis ferreis præparatis. Ita abſque morâ conſtructus pons, & funibus (qui propterea habendi ſunt) vinctus, lapidei arcus ſoliditatem præſtat in tempore. Sed inſtant adverſarii ad tranſitus fluminum, inſidiaſque vel ſuperventus facere conſueverunt. Ob quam neceſſitatem in utraque ripa collocantur armata præſidia, ne alveo interveniente, diviſi opprimantur ab hoſtibus. Cautius tamen eſt, ſudes ex utraque parte præfigere, ac ſine detrimento, ſi quæ vis illata fuerit, ſuſtinere. Quod ſi pons non tantùm ad tranſitum, ſed etiam ad recurſum & commeatus neceſſarius fuerit, tunc in utroque capite, percuſſis latioribus foſſis, aggereq; conſtructo, defenſores milites debet accipere, à quibus tam diu teneatur, quàm diu locorum neceſſitas poſtulabit. *Cap. 7. lib. 3. de re militari.*

Frontinus: Publius Servilius Iſauram oppidum flumine (ex quo hoſtes aquabantur) averſo, ad deditionem ſiti compulit.

C. Cæſar in Gallia Caduceorum civitatem amne cinctã, & fontibus abundantem, ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis avertiſſet, & fluminis uſum per ſagittarios arcuiſſet.

L. Metellus in Hiſpania citeriore, caſtra hoſtium in humili loco poſita, fluvium ex ſuperiore parte immiſit: & ſubita inundatione turbatos, per diſpoſitos in hoc ipſum inſidiatores cecidit.

Alexander apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate dividebatur, foſſam pariter & aggerem inſtituit, ut in uſum ejus exiſtimarent hoſtes egeri terram, atque ita ſubitò flumine averſo, per alveum veterem (qui ſiccatus ingreſſum præbebat) urbem intravit.

Semiramis, adverſus eoſdem Babylonios eodem Euphrate averſo, idem feciſſe dicitur.

Cliſthenes Sycionius ductus aquarum in oppidum Criſeorum ferentem rupit: mox affectus ſiti reſtituit aquam elleboro corruptam, qua uſos profluvio ventris decipiens, cepit. *Lib. 3. Capite 7 ſtratag.*

§ Monostichа Trochaica.

Alvei culpa non fontis tenuiter rivus fluit.
Alveos in plures amnem diduc, lenior fluet.
Amnes derivandi ab ipſis fontium primordijs.
Culpa fontis eſt non alvei, parcè rivus ſi fluit.
E ſolo flumen repente emergit ut juvet bonos.
Ex communi fonte unuſquiſque hauriat quod ſufficit.
Fontium amniumque origo debita Oceano mari.
Flumina num ſtatim majorum fontes navigabiles.
Frugibus fecunda aqua eſt nivalis, homini noxia eſt.
Lympha plus calet marina, quam fluenta fluminum.
Major hoc ſitu eſt aquarum quo ſapor jucundior.
Non caret periculo amnis per muros ſi urbi influit.
Per muros periculoſe flumen urbis inducitur
Potus amnis inſalubris ille eſt limum qui vehit.
Publicus uſus eſt riparum, ſicut eſt & fluminis.
Quo longinquius fluunt hoc ſunt majora flumina.
Tam malum eſt vicinus amnis, quam malum eſt amnis procul.
Terra ſit liquor, ſuis ſit ut fluviis perennitas.

§ Jambica.

E montibus ferè eſt origo fontium.
Flumen ſub alta bruma tegmine onychino eſt.
Fontes veneno nemini corrumpito.
Frequens nebula eſt circa lacus ac flumina.
In flumen idem nemo bis deſcenderit.
Incendium amne abrumpitur ſilvaticum.
Minimo ſono labuntur amnes maximi.
Præſtat viam amnis grandior commerciis
Quæ fontis unda haud purior rivo ſuo eſt?
Quam ſit bona fons vena flumen indicat.
Quo fons magis purgatur hoc ſit clarior.
Stolidus omiſſo fonte quærit rivulos.
Sunt magna regni munimenta flumina.
Tollitque flumen qui obſtruit fontis caput.
Tranſire flumen qui cupit ſeſe exuit.
Vicarius eſt Aegyptiis Nilus loco.
Vicina flumen tranſit, longinqua irrigat.

Foederis.

§ Sententiae Graecorum.

Xenophon: Præſtiterat Ageſilao ſacramẽtum Tiſſaphernes, ſi ſecum induvias pangeret, donec nuntii, quos ad regẽ mitteret, reverſi eſſent: impetraturũ ſe ipſi, ut oppida Græci nominis in Aſia ſui juris & libera eſſe permitterentur. Ageſilaus ab altera parte juraverat, ſervaturum ſe indutias ſine fraude; tribus menſibus ad eam rem conficiundam definitis. Verum Tiſſaphernes iuſiurandum præſtitum mox violavit. Nam pro eo, quòd pacem ſe confecturum policitus erat, ingentes copias arceſſebat à rege, quas cum iis conjungeret, quibus jam ante utebatur. Hæc tametſi animadverteret Ageſilaus, nihilominus in ſervandis indutiis perſtitit. Quamobrem mihi primum hoc feciſſe præclare videtur, quod dum Tiſſaphernẽ perjurum eſſe declararet, ſuſpectam ejus apud omnes fidem reddiderit. Contra, dum ſe conſtanter & ſacramento confirmata ſervare demõſtraret, & fœdera minime violare: perfecit, ut omnes tam Græci, quã barbari, fidentibus animis cum eo fœdus inirent, ſi quod ei viſum eſſet inire. Ubi vero Tiſſaphernes elatus ob eas copias, quæ à rege deſcenderant, bellum Ageſilao denuntiaſſet, ni Aſia exceſſiſſet: ceteri quidem ſocii, cum Lacedæmoniis, qui aderant, omnino ſe angi declarabant: quod Ageſilaum minores in præſentia copias habere putarent, quam quæ adparatui regio reſponderent. Ageſilaus autem hilari admodum vultu renuntiare legatos Tiſſapherni juſſit, habere ſe magnam ipſi gratiam, quod perjurio Deos ſibi quidem infeſtos reddidiſſet, Græcis vero belli ſocios. *Cap. 4. Vitæ eius.*

Xenophon: Tanta erat in Ageſilao rerum divinarum reverentia, ut etiam hoſtes ſacramenta ejus & fœdera majorem mereri fidem arbitrarentur, quam ipſorum inter ſe amicitiam. Et ſuis quidem cum hominibus ad eundem locum convenire reformidabant, at Ageſilao in manus ipſimet ſe tradebant. Ut autem nemo ſit, qui fidem mihi non habeat: lubet eorum nomina recenſere, qui fuerunt inprimis illuſtres. Spithridates Perſa, quum Pharnabazum ſciret id agere, ut filiam regis uxorem duceret, ac ipſius filia ſine legitimis nuptiis potiretur: ratus hoc inſigne ſibi fore dedecus, ſeipſum cum uxore, liberis, facultatibus in manus Ageſilao tradidit. Et Cotys Paphlagonũ princeps, regi quidem dextram mittenti non paruit, veritus ne, ſi cõprehenderetur, vel magnis pecuniis, vel etiam morte multaretur: verum idem Ageſilai fœderibus fidem quum adhibuiſſet, in caſtra ejus venit, initaque ſocietate, cum Ageſilao militare maluit, quum quidem equites mille, bis mille cetratos haberet. Præterea Pharnabazus quoque cum Ageſilao in colloquium venit, aperteq; profeſſus eſt ſe, ni totius exercitus fieret imperator, defecturum à rege. Sin imperator ego creer, inquit, mi Ageſilae, fortiſſime bellum adverſus te geram, quam quidem diu potero. Atq; hæc quum diceret, futurum credebat, ut ipſi contra fœdera nihil accideret. Tanta, tamque præclara res eſt, quum in aliis univerſis, tum in imperatore: religioſum eſſe, ac fidei ſervantem, talemque cognitum eſſe. *Cap. 29. Vita eius.*

Lyſias: Non enim propoſita ſolvuntur fœdera, ſi Andocides privatorum ſcelerum pœnas luat, ſed ſi quis publicarum calamitatum gratia, privatim puniat quemquam. *Cap. 12. contra Andocidem.*

Philoſtratus: At noſter Indus compoſito fœdere cum eo, qui tunc in his locis regnabat, cùm ille mulierem contra jus omne faſq; ei abſtuliſſet, fœdera tamen violare noluit, quod tam ſanctè pieq; ſe juraſſe diceret, ut ne injuriam quidem paſſus, detrimenti quippiam illi vellet adferre. *Lib 3. Apollonij capite ſexto.*

§ Apologorum.

Aeſopi Fabula Ovium.

Lupi ad Oves; Quid vero tam durum & implacabile ſemper cum nobis bellum geritur? in cauſa equidem ſunt peſſime feriati iſti canes, qui nos cum ſupervenimus allatrant, & cum nihil intulerimus mali, invadunt: ſed ſi illos removeatis, fœdus inde nobis & induciæ ſancientur, dixerunt ut fallerent. at illæ, obedientes ſtatim, & canes pepulere: & ipſę, cum cuſtodia orbatæ forent, ſunt occiſæ.

De Cervo, Ove & Lupo. Anonymus.

Cervus ovi præſente lupo ſic intonat, amplum
Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic jubet eſſe lupus: paret iſta timore jubentis;
Namque die fixo debita ſpondet ovis.
Fit mora; Cervus ovem vexat de fœdere; cerva
Inquit ovis, non ſtant fœdera facta metu.
Me decuit quacunque Lupo cogente fateri.
Me decuit fraudem pellere fraude pari.
Cum timor in pacto ſedit, promiſſa timoris
Arent; nil fides verba timentis habent.

§ Emblematis.

Batillius CLXXX.

Firmitas fœderum.

Stans Jovis ante aras, puraque in veſte ſacerdos
In fœdus teſtes ſic jubet eſſe Deos,

Si prvdens fallat *sic illum Dii quoque perdant,*
Vt pecudis saxo tempora summa ferit:
Non tremitis Reges falsa perjuria lingua,
Fœdera perque datam jam Violanda fidem?
At veniet tempus quo Iuppiter ille reposcat,
Et lasum numen vindicet ipse suum.

¶ Apophthegm. Christianor.

Fredericus III. Elect. Imp. Nulla fœderũ societas diuturna. multa siquidem incidunt quibus destruitur: animis præsertim vera benevolentia non coalescentibus. Dicebat Fredericvs III. *In omni fœdere illos esse loco deteriore, qui fœdera servarent* Cur ita? quod eos durissimè plecti videamus ab hominibus, qui arctissimè fœdera custodiunt. *Strigelius in Chronico part. 5.*

Alciatus: Percontanti cuinam fœdera comparari possent, *Testudini*, respondit: *in qua cum una solummodo chorda discrepare incipit, tota harmonia turbatur. Ibidem.*

Iacobus Sturmius: Fieri autem ut sociorum vel nova semper cõfœderatorum accessione major fiat voluntatum disiunctio, testatus est suo dicto Iacobvs Stvrmivs. Intuebatur ille Principes se undequaq; fœderibus munire, eorumq; fiducia multa attentare. at videns quantum ea parerent voluntatum & opinionum dissensum; *Quò magis*, inquiebat, *accrescit numerus confœderatorum, eo magis etiam decrescit unio voluntatum, ex qua omne robur & quies speranda. Peucerus in lect. Chron.*

¶ Monosticha Trochaica.

Fœdera absque æquitate nunquam æqualiter manent.
Fœdera rex servat acta, quatenus regno expedit.
Fœderis fide obligantur Principes quam diu placet.
Fœderis major vetusti quàm novi reverentia est
Hostem eundem, eundē amicum habere, fœdus optimum est.
Hostibus quæcumque juras sanctiter semper tene.
Nil potest boni obvenire fœderum ruptoribus
Pacta non servant dolosi, quam cum eis venit bono.
Publico bono reperta sanctitas est fœderum.
Publico juri privata haud derogat conventio.
Religio profecto summa fœderum est Quiritibus.
Sæpe & agros fœderatos atterit necessitas.
Sæpe plus damni inferunt, quàm ferro pactis perfidis.

¶ Iambica.

Auctor violati fœderis scelus expiat.
Haud fœdus ullum est inter agnos ac lupum.
Nec fœdera ullam admittunt negligentiam.
Periculosè fœderamur exteris.
Positis quoque armis fœdus hostes iciunt
Servanda & hosti jurisjurandi fides.
Violantibus Dii sunt infesti fœdera.

Videantur plura titulo *Fidei, Iurisiurandi, Pacti.*

Fœnoris.

¶ Sententiae Patrvm Graecorvm.

D. *Greg. Nyssenus:* A pauperibus qui exigis reditus & augmenta tuarum divitiarũ, similiter facis ac si quis ex agro calore ingenti exsiccato vellet frumenti acervũ, aut uvarũ multitudinẽ ex vinea post immissam grandinẽ, vel liberorum proventũ ab infœcundo ventre, vel lactis nutrimentũ à feminis quæ nõ pepererũt. Nullus conatur ea quæ sunt præter naturã & impossibilia: nã præterquã quod nihil efficeret, aliis etiã risui ac ludibrio esset. Solus Deus adeo est omnipotens, ut ex reb. desperatis ac depositis elicere possit non parũ emolumenti: quippe qui faciat ea, quæ præter omniũ spẽ & exspectationẽ esse solent: modo quidẽ imperans, ut ex rupibus aqua profluat, rursus ex cælo quasi pluviã demittens panẽ insolitũ & novũ; iterumq; dulcẽ efficiens aquam amarã. Hæc solius omnipotẽtis dextræ sunt opera. Tu vero æris & auri, rerũ parere non solitarũ, ne quære fœtũ, neq; cogẽ paupertatem ea præstare quæ sunt divitũ, neque usuras eum pendere, qui sortem petit. *Orat. contra fœnerat.*

D. Greg. Nyss. Nõ tantopere lętantur patres generatione filiorum, quantũ fœneratores fine mensiũ. Quin & scelus suũ pulchris obvelant nominib. humanum censum seu quæstũ appellantes, Ethnicorũ instar, qui Deas quasdã, odio in cunctos inflãmatos, humanumq; interfectrices nominãt Eumenides. Itáne vero, humanus census est, qui domos evertit, divitias dissipat, efficitq;, ut qui honesto ac nobili loco nati sunt, deteriorẽ vitam vivant, quã servi; quæ quidẽ initio nõnihil delectat, posteriores vero vitæ partes acerbo dolore cõplet. Quẽadmodum n. aves quibus insidiantur aucupes, delectãtur principio quidẽ sparsa ipsis esca, ea frequentant loca, in quib. uberem & copiosum cibũ reperiunt, paullo post a. retibus captæ intereũt: sic & qui fœnebrẽ pecuniam accipiũt, perbrevi temporis spatio abundãt, postea vero paternis sedibus excidũt. Ceterũ omnis misericordia exulat ab usurariorũ perditis & sceleratis animis: cumq; ipsã debitoris domũ venalem prostare adspiciũt, non moventur ulla cõmiseratione, quin potius venditionẽ importunius urgent, ut citius argẽto accepto aliũ quendam miserum fœneris nexibus adstringãt, more insatiabiliũ piscatorum, qui uno gurgite retibus circumdato, omnib. qui in eo latẽt piscibus captis, ad vicinos gurgites nassas trãsferunt, & ab hoc ad aliũ semper, donec omnia loca piscatione sua peragrarint. Qualibus ergo oculis tu qui talis es, in cœlum suspicis? quomodo petis remissionem peccatorum. *Oratione eadem.*

D. Greg. Nyssenus: Quàm multi ob usuras laqueo sese interemerunt, vel præcipites in fluvios dejecerunt, rati mortẽ tolerabiliorem, quàm fœneratorem, relictis filiis orphanis, quib. paupertas noverca haud benigna & facilis esse cœpit. At vero præclari isti usurarij, ne orbæ quidẽ domus miserentur, sed trahũt rapiuntq; heredes, quib. forte præter laqueũ hereditatis nihil obtigit, aurũq; poscunt eos, qui victũ sibi ex aliorum liberalitate cõparant. Cum a. debitoris mors eis, ut par est, exprobratur, cumq; nõnulli ut erubescãt laquei mentionẽ faciunt, nullo penitus pudore ob hoc facinus afficiũtur, neq; animo expaveſcunt, sed potius ex pectore exulcerato verba fundunt plena impudentiæ; & Nũ moribus nostris, aiunt, adscribetur, si miser ille & impos mẽtis, infelici sidere natus, necessitate fati cõpulsus, violẽtas manus sibi intulerit? Philosophantur n. usurarij quoq;, & mathematicorũ discipuli fiunt, cum opus est ut apologiã instituãt pro piaculis & exsecrandis facinorib. & homicidiis suis. Taliter igitur cõpellandus est: Tu ille infaustus ortus es, & illa infelix siderũ necessitas. si n. curam levasses, & partẽ quidem partis dimisisses, partẽq; accepisses cũ remissione, nõ utiq; odisset lucem tanquã odiosam, neq; sui ipsius exstitisset carnifex. Et quibusnã oculis tempore resurrectionis intueberis interfectũ. venietis n. ambo ad Christi tribunal, ubi non usuræ cõputabuntur, sed vitæ ratio acta judicabitur. Ecquid respondebis cõvictus feciſſe te contra legẽ, Prophetas, Evangelicas præceptiones? omnes audiisti simul una voce ingeminantes charitatem. Tunc sera erit pœnitẽtia, tunc nec aurum tibi aut argentum patrocinabitur. amarior erit felle fœneris acceptio. *Adhuc ead. oratione.*

D. Greg. Nyssenus: Fœnus qui aliud latrocinium & parricidiũ nominaverit, nõ procul ab eo quod decet, aberraverit. quid n. refert an clanculum perfossis muris, prædonis more, aliena habeas, & prętereuntis cæde te eorũ quæ habeat dominũ constituas; an fœnoris necessitate acquiras ea quæ ad te nõ pertinent? O malũ vocabulũ, fœnus sit nomen parricidii! ô acerbas nuptias! ô improbã conjunctionẽ, quam natura quidem nõ cognovit, avarorum a. morbus inter inanima innovavit. ô graves & molestos cõceptus, ex quibus ejusmodi fœtus enascitur. Solũmodo in reb. quæ sunt, discernitur animatũ per discrimen sexus masculini & fęminini. Auri autem fœtus, ex quonã cõsistit matrimonio? ex quanam perficitur cõceptione? Ceterum ex Propheta didici, quę sit hujus fœtus cõceptio. Ecce parturiit injustitiã, concepit laborem, & peperit iniquitatem. Hic est ille partus, quẽ parturiit quidẽ Avaritia, parit a. Iniquitas, & obstetricatur Inhumanitas. qui enim semper celat opes, & juratus affirmat se non habere, cùm viderit pressum necessitate, tunc ejus crumena prægnans cernitur, tũc lucri desiderio sceleratũ parturit fœtum, & spem fœnoris misero ostendit, quæ infortunio ingerit materiã, quomodo is qui oleo extinguit flãmam. non n. calamitati fœnore affert remediũ, sed eam magis auget: & quomodo in locis aridis, & incultis terra sua sponte producit spinas; ita etiã in calamitatibus eorum qui premuntur angustiis, avarorũ fœnora luxuriant. deinde manum porrigit cũ pecunia, sicut arundo hamũ esca tectum. hians a. iste misellus ad præsentem copiam, etiamsi quid occultũ habebat repositum, cum attracto hamo simul evomit. fœnoris ejusmodi sunt beneficia. Et si quispiam alicujus quidẽ viaticum vi abstulerit, aut clam subripuerit, raptor, & fur, etsi quæ sunt ejusmodi dicitur. Qui a. etiam adhibitis testibus se injustè & acerbè gerit, & pactis cõventis suam confirmat iniquitatẽ, benignus dicitur, & beneficus, & servatur, & nominibus, quæcumq; sunt, appellatur. & quod ex ablatione quidẽ paratur lucrum, dicitur furtum: qui a. hujusmodi necessitate cõpulsum spoliat Christianũ; blando benignitatis vocabulo lenit acerbitatẽ: miserorum enim hominum damna ita nominant. *Homilia 4. in Ecclesiasten.*

S. Chrysostomus: In fœneraticiis pecuniis id usu venire videmus, ut fœneratores libentius hic expensum ferant, qui quod mutuo accepertnt, longo post tempore soluturi sint. nam qui protinus resolvit, is fœnoris cursum interrumpit: qui autem in solvendo serus est, is quæstum majorem efficit. *Homilia 7. ad Romanos.*

¶ Latinorvm.

Zeno: Fœnerando pauperibus, omnes copias avaritiæ subactas, vestrum sine invidia transfertis incensum: quid enim esse potest ditius homine, cujus profitetur Deus se esse debitorem? *Fine 2. Sermonis de Avaritia.*

¶ Oratorvm Græcorvm.

Alciphron: Maximum malum sunt urbani fœneratores. Ego enim nescio quid passus, cùm ad te aut ad alium habitantem ruri vicinum ire necesse esset, cùm opus haberem pecuniis, volens propter jugum, emere prædium, ducente me quodam urbano ad Martii domum veni. Deinde invenio senem aspectu curvum, contractis superciliis vetustam quandam chartam, & putridam à vermibus & tineis semiesam in manu tenentem. Statim igitur vix me allocutus est, jacturam existimans si me appellasset. Deinde cum interessor me pecuniis egere diceret, quot talentis interrogavit. Cum autem ad tantam summam ego obstupescerem, statim despuit, & perspicuis notis suam indignationem significavit. Attamen dabat & literas petebat. Imposuit igitur summæ gravem usuram, & intra mensem totum caput exegit. Magnum quoddam malum sunt qui in calculis & digitorum flexionibus versantur. Ne mihi contingat ô præsides agrestium dæmones, vt lupum aut fœneratorem videam! *Agelarchides Pytholao Epist. 26.*

Lati-

¶ LATINORUM.

Ausonius: Ut avidus fœnerator, improbum nummum malui occupare quàm condere. *Præfatione Edyllij 4e.*

¶ POETARUM.

Aristophanes Nubibus.v.744.

Habeo commentum, quo usuras fraudavero;
Si Thessalicam mihi quandam emam veneficam,
Et nocte Lunam ipsam deripiam coelitus;
Atq; in rotundum loculum concludam, velut
Speculum; ac postea sic asservans custodiam.
S. Quid vero hoc commodaverit tibi, ST. quia
Si Luna nusquam terra oriatur amplius;
Nulli persolvam usuras S. quid istic, senex.
ST. Quia argentum secundum mensem fœneras.

Plautus Curcul.4.sc.2.v.20.

Eadem pono vos quæ lenones pariſsimos estis ijs
Hi saltem in occultis locis prostant; vos in foro ipso.
Vos fœnore, bis male suadendo, & lustris lacerans hominem.
Rogationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis; aliquam reperistis rimam:
Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges.

Plautus Curcul.5 sc.3.pr.

Argentarijs male credi qui ajunt, nugas prædicant.
Nam & bene, & male credi dico. id adeo hodie ego expertus sum
Non male creditur, qui unquam reddunt, sed prorsus perit.

Plautus Mostellar.3 sc.1.v.73.

Cedo fœnus, redde fœnus, fœnus redde.
Daturis' estis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. T. fœnus illic, fœnus hic.
Nescit quidem nisi fœnus fabularier
Veterator. neque ego terriorem belluam
Vidisse me unquam quemquam quam te sensi heri.

Ibidem v.83.

—— Obsecro hercle te, jube
Obĕci argentum huic os impuro bellua.
TH. Jubeam? T. Iube homini argento os verberarier.
D. Per facile ego ictus perpetior argenteos.

Deinde v.127.

Nullum edepol hodie genus est hominum tetrius,
Hac nisi unum bono cum jure quam Damasticum.

Plautus Persa 3.sc.3.v.26.

Jam omitto iratus esse adhuc tibi me, quia
Quia te negabas credere argentum mihi
D. Mirum, quin tibi ego credere rem ipse idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarij.
Vbi quid credideris, ecce extemplo a foro
Fugiunt, quam exporta ludo cum emissi sunt lepus.

Versu 37.

Mirum quin citius jam a foro argentarij
Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Alphonsus Arag. Rex: Æqui cultor egregius, intemperatam illam habendi libidinem, quæ per iniquas usuras suo ævo dominabatur, detestatus, rogabatur quidnam sibi videretur FŒNUS; *Nihil aliud*, inquiebat ille, *quam anima fœnus*. ita enim ante eum Ausonius:

—— Sic turpia lucra
Fœneris, & velox inopes usura trucidat.

Panorm. lib.3 de Gest. Alphonsi.

Idem: Percontanti, quo apud eum honore essent Fœneratores; *Eodem*, dicebat, *quo Harpyiæ*. Illæ enim ex rapto vivunt, sicuti & isti. *Panorm. lib.4*

¶ MONOSTICHA TROGNAICA.

Absq; lucro est qua tenetur sæcula pecunia.
Absque testibus ferebat, quod sit cum mensariis.
Calamitatum est humanarum campo Dardanarius
Exige ab hoc usuram crimen quem non est occidere.
Fœcundissima una usura est omnium mortalium.
Fœnerat sibi quicunque pauper largè erogat.
Fœnerator condemnandus quadrupli, fur sed dupli.
Fœnerator est benignus nomine, at re ipsa latro.
Fœneratoris tenera nascit uno as sæculo.
Fœneratori debebis usque si debes semel.
Fœneratorum impotentia, & leges discordia est.
Gratiosi cujus ordini omnes argentarij
Inter funus atque fœnus aut parum aut nil interest.
Mensium dies parentes tetricæ sunt fœneris.
Morsui assidue par omnis nummus usurarij est.
Non stat, usq; sed jactatur, unda nigræ fœneris.
Perfidus mendax, & factus quæstus est caussa fœneris?
Piscibus quod hamus, est id fœnerator pauperi.
Plurus æstimare nummos quam eosdem, usurarij est.
Sæpe ob usuras majores sortem & ipsam perdimus.
Scindit usus vestem, usura scindit patrimonia.
Si dupli fur, est damnandus fœnerator quadrupli.
Tanto fœnoris reponis plus tibi quanto erogas.
Vix plantata, & jam fœnebris pullulat pecunia.
Vt mare omnes, sic danista absorbet omnium reculat.

¶ IAMBICA.

Alia damna danista lucrum facit suum.
Echidna quadam fœnebris pecunia est.
Et mortuos danista tenet propignore.
Et sortis usuram esse partem existimes
Etiam antequam concepit fœnus parturit.
Fœnus frequenter liberos servos facit.
Fœnus parit gignitque eodem tempore.
Fœnus fera est anima, fœnus pecuniæ.
Harpyia cui vis terna fœnus pauperi est.
Hominum artuatim interficit qui fœnerat.
Invisa etiam in usura quibus ea est opes.
Multi metu non fœnerant dispendij.
Pugnare vis contra Hydram? fœnori accipe.
Quodcunque sorti accedit usuram autuma.
Se vendit ipse qui danista se obligat.

Formæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Xenophon: Tum Critobulus: Ergo & ipse dicam, ait, quib. de caussis ob formæ elegantiā me efferā. Dic, aiunt. Atqui si formosus nō ero, quemadmodū puto, merito vos fraudis pœnā sustinueritis. Nā semper jurejurando cōfirmatis, formosum esse me, neminē id à vobis exigēte. Ac fidē vobis equidem habeo, quos esse bonos & honestos viros arbitror. At si revera formosus sum, ac vobis idē ergo me accidit, quod mihi erā illū, quem formosum esse puto: Deos omnes testor, nolle me regis imperiū potius, quam formæ præstantiā. Quippe Cliniā modo spectato lubentius, quam cetera universa, quæ pulchra sunt in reb. humanis: & alia quod adtinet omnia, cœcus esse malim, quā ejus adspectu solius revera carēre. Nocti etiā, somnoq; succenseo, quod eū non video: diei vero, ac soli gratiā habeo maximam, quod Cliniam mihi spectandum exhibeant. Æquum est etiam, ut nos formosi propter hæc quoq; simus animis elatis, quod eū, qui viribus polleat, laborando adquirere bona necesse sit, & fortem, pericula subeundo, & sapientem, dicendo: atqui formosus est, etiāsi quiescat, omnia tamen perficere potest. Equidem tametsi norim opes esse possessionē gratam: lubentius tamē ea, quæ mea sunt, Cliniæ donarem, quā alia ab altero acciperem: lubentius servus, quam liber essem, si Clinia mihi velit imperare. Nā facilius esset mihi Clinię laborare, quā quietem capere: ac periculū ejus nomine lubentius adirē, quam expers periculi viverem. Si tu deniq;, Callia, magnopere te effers, quod homines possis justiores facere; multo æquius est me ad omnē virtutē homines perducere. Nā quia nos formosi quiddam amori deditis inspiramus, id efficimus, ut quod pecuniā adtinet, sint liberaliores: in periculis laborū & honesti studiosiores: verecūdiores etiā, ac modestiores: adeo quidē, ut etiam illa, quibus maxime indigent, eloqui vereantur. Insani sunt autē, qui nō formosos imperatores eligunt. Equidē cum Clinia vel per ignem incederē, neq; dubito vos idē meeū facturos. Quamobrem non est, quod dubites amplius, mi Socrates, an formæ venustas in me bono alicui sit hominibus.

Ne hac quidē in parte forma vituperāda venit, quod cito flos ejus prætereat. Nā ut puer, ita & adolescentulus formosus est, & vir, & senex. Ejus rei argumentū est, quod Mineryæ Thallophori deligantur ex senū numero formosissimi quiq;, quasi forma sit omni ætati comes. Quod si jucundū est à volentibus impetrare, quib. aliquis indiget: sat scio, mi Socrates, me nunc quoq; citius vel tacentē huic puero puellæq; persuasurū, ut me osculētur, quam tu possis; tāetsi multa sapiēter proferas. Quid hoc est? ait Socrates. Jactitas hæc tu, quasi etiā me sis formosior. Profecto, inquit Critobulus, cetero quin omniū Silenorum satyricorū essem turpissimus. Erat autē Socrates his perquā similis. Age vero, subjecit Socrates, memineris habendū esse judiciū de forma, ubi sermones hi, quos instituimus, circūierint. Ferat a judicium de nobis nō Alexander ille Priami filius, sed hi ipsi quos tu osculādi tui cupidos esse putas. At Cliniæ, Socrates, judicium nō permiseris? Et ille: Nō tu Cliniæ meminisse desines? At si eū non nominē, an propterea minus me putas ipsius meminisse? Nū ignoras, tā illustre me simulacrum ipsius habere in animo, ut si vel fictor, vel pictor essem, nihilo minus ei similē exprimerem, si simulacrum, ac si ipsum intuerer. Ejus sermonē excipiens Socrates: Quamobrē igitur, ait, quum simulacrum ei tam simile habeas, mihi negotium facessis, eoq; ducis, ubi eū videas? Propterea, mi Socrates, ait, quod vultus ejus esse mihi voluptati potest: simulacri vero species, ut delectationem nullam adfert, ita desiderium excitat. *Cap.14. Conviv.*

Basilius Imperator: Impotēti cupiditate formosi corporis vide ne unquam capiaris: nam illud qualecumq; est quod tibi placet, tantūdem terræ est: & quod modo tibi speciosum videtur, post paulo exiguū pulveris erit. Ergo neq; generositate corporis laudibus efferas, neq; infelicitatē despicias, neq; deformitate avertaris: sed animi pulchritudinē intuere, & mēte animū ama; ille n. demū verus est amor & immortalis, qui non simul atq; potitus fueris, abit evanidus, sed quo plus potiaris, eo adolescit magis. *c.9.*

¶ ROMANORUM.

Plin. Iunior: Adhæc, proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens & cana barba, quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. *Lib.1. Epist.10.*

Plinius Iunior: Ac primum conspicuus forma, omnes sermones malignorum, & puer & juvenis evasit. *Epistola 24. libri 7.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 64. in muliebrem cultum.

Πᾶν μὲν κάλλος ἁρμοί, βαιὰ χλιδὴ εἶπε γυναιξὶ,
Καὶ χρυσὸν καὶ πορφύρας ὀλίγην ἐλάτινης.
Ἡ νῦσις μὴν ἐστὶ μύθων ἀμέλγου, ἢ χθονὸς αἰνὸς
Ὠλένας, πεπλάσθαι δὲ κύκλα φέρουσι τέων.

Omnem forma elegantiam mihi brevis ver affert;
Eamque hiemis asperitas protinus extinguit.
Aut enim eam præmaturè morbus frangit ac debilitat;
Aut ipsa certè senectus delet atque obliterat.

¶ Apologorum.

Phœdrus Fab. 43. Lanii & Simii.

Pendere ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque obsonia.
Quæsivit quidnam saperet: sum Lanius jocans,
Quale, inquit caput est, talis præstatur sapor.
Ridiculè magis hoc dictum quàm verè æstimo;
Quando & formosos sæpe invenis pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Dumus & Abies. *Avienus.*

Horrentes dumos abies pulcherrima risit,
Quum facerent formæ jurgia magna suæ;
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus consociaret honos.
Nam mihi deductum surgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in astra comas.
Puppibus & patulis media cum sede locamur
In me suspensos explicat aura sinus.
At tibi deformem quod dant spinea figuram,
Despectum cuncti prætereunt viri.
Ille refert, nunc læta quidem bona sola fateris,
Et nostris fruerie imperiosa malis.
Sed quum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas!
Nemo sua caruus nimium lætetur honore
Nec vilis factus post sua damna gemat.

¶ Emblematum.

Seba. Anulus pretiosa gemma ornatus.

Qualis qua fulvo circumdata cernitur auro
Gemma nitens, radios splendidiore micat:
Talis formosè splendens in corpore virtus,
Nescio quod prodit conspicienda decus.

Batillius CLXVI. Forma flamma.

Ut Satyrus tremulæ flammam fulgore micantem
Conspicit, in flammæ totus it ipse novæ,
Atque ratus Nympharum aliquam furialiter ardens
In Nymphæ amplexus protinus ire parat.
Protinus at medios sensit delapsus in ignes,
Ac nec inoffensa rettulit inde manus.
Fallaci nimium lusi nec credite formæ,
Noxia tam formæ est, quàm speciosa placet.

¶ Apophthegm. Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Etiam in Principe, præter virtutum splendorem, externam corporis formam suam habere laudem asserebat illustriss. Cardinalis Aldobrandinvs. dicebat enim: *Etsi faciendum sit de Principe judicium ex moribus: habet tamen Principis formæ & decor non minimum ad majestatem ponderis. Henricus Farnas. in Apophth. de Principe.*

Franciscus Borgia Dux: Et quis hic Dvcem Borgiam transeat, verum humani generis delicium? Viderat Isabellæ Augustæ cadaver: (quod à Cæsare jussus in regium monumentum efferri curabat) omnino deforme, & pædore obsitum. ac ingemens, cum secum tacitus præsentia præteritis adunaret, tandem erupit: *Nimirum hæc rerum humanarum vicissitudo. I nunc, fragile illud formæ bonum demirare.* Hæcce tanti spectaculi consideratio ita ejus mentem cõmovit, ut deinceps non nisi de interiori animæ forma cogitaret. Eleganter & doctè Ovid. lib. 2. Amor.

Formæ bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Ribadin. lib. 1 Vitæ ejus, cap 7.

¶ Monosticha Trochaica.

Aedium frons eximiarum semper extra splendicat.
Arbitranda forma non est: pulchra mens, pulcherrima est.
Aut amat cupitve amari cura formæ cui suæ.
Conficit mixturam raram forma cum sapientia.
Corpus quam mage exercetur, hoc fit & formosius.
Corporis cui pulchra forma est, mentis est rarò bona.
Delectat quidem, haud retentat, forma moribus malis.
Dulce formosam intueri, tangere sed periculum est.
Erubescit vir placuisse dote formæ serius.
Femina affectanea vix est forma, nedum ut sit viro.
Femina forma improbè, at non fama item sit publica.
Femina nec formam oportet, nec famam esse publicam.
Feminis pleriisque è forma petitur commendatio.
Forma corporis, fere index mentis aut prava, aut probæ est.
Forma, cui modesta mens est adsita, acceptissima.
Forma, morbo ut defloresci sic senecta exstinguitur.
Forma nil est quam sepulchrum purpura fucoque illitum.
Forma nil juvat simentis dote privatis bona.
Forma nulla est, tertiana quam febris non destruat.
Forma queis fata est ferè sunt perpudicæ femine.
Forma ubi immutata amica, alio animũ amantes conferũt.
Forma amor frangit generosos, frangit altos spiritus.
Formam oculis uxor mariti si approbat suam sat est.
Gratior robusta virtus in venusto corpore est.
Formâ amator, at meretrix tangitur pecuniâ.
Illecebras absit, si offensa ipsa forma gratia est.
Maximè sua illubescit quæque forma bellua.
Mentis est index coruscæ corporis formositas.
Morum honestamenta summum corpori præstant decus.
Morum honestamentis ornes gratiam fac corporis.
Moribus censeto quemque: formamentem non probat.
Nil potest contra senectam forma, nil contra necem.
Non modo ver, etiam autumnus formosarum est pulchrior.
Non trahit quem forma, visus allicit lascivior
Omnia in se forma habet: forma bona adsunt omnia.
Omnis ætas, omnis ordo nil prius forma autumat.
Optima sub forma sæpe mens Thersitæ delitet.
Perdidit Trojam beatam pulchra femina una.
Pessima ô utinam perisses forma quæ me perdidit!
Privilegium est Dei omnis forma, at haud durabile.
Quisque formam neme mentem conjugis censet sua.
Sæpe nulla mens formoso delitet suo corpore.
Verticem suum vix effert, cum senecta adest rosa.

¶ Jambica.

Augusta multum forma de cœlo trahit.
Contra senium morbosque forma nil valet.
Diu latere forma pulchra non potest.
Egregia forma diu latere non potest.
Est forma morbi ac temporis ludibrium.
Et pulchritudo forma commendat viros.
Et robori ipsi alma imperat formositas.
Facit insolentes forma conscientia.
Florem decoris singuli carpunt dies.
Florum rosa est flos obfugax formæ decus.
Forma ac senecta unius non sunt corporis.
Forma haud trahit adulteras, trahit scelus.
Forma atque pudicitia rara est concordia.
Forma decus vix vernuli instar floscul est.
Formosa facies diu celari non potest.
Formosa mulier plena res superbiæ.
Formosa semper spiritus altos gerit.
Formositate in orbe nil augustius.
Formositate nulla non virtus prior.
Formosus est, exspectet paullum, & non erit.
Formosus etiam nascitur inter barbaros.
Haud mente semper est bona, forma bonus.
Iam consenescit quæque Rosa, ut nascitur.
Intra pudicitiam quoque est formositas.
Iucunda forma mentis ornatus bonæ est.
Mixtura formæ rara cum sapientia est.
Morbo ac senecta forma mox consumitur.
Non est, amantes ut de forma judicent.
Non semper idem floribus est vernis honos.
Ob formam amatur capta vel victoribus.
Ob pulchritudinem in vida omnis femina est.
Quid his superbis, febre quæ levi occidunt?
Quis esse possit cæcus ad formas bonas?
Semper fuit formosis pœna fabula.
Vrbana vestis anima, forma fœmina est.

Fortitudinis.

¶ Sententiae Patrvm Graecorvm.

D. *Chrysostomus:* Tres illi pueri ignem sunt ingressi, & neq; regẽ affecerũt contumelia, neq; everterũt statuam. Virũ enim fortem oportet esse talem; moderatũ & lenem, & maximè in periculis: ne videatur ira & inani gloria talia adire certamina, sed magni & excelsi animi virtute & moderatione. nã qui adit quidem afficiens contumelia, venit in suspicionem illorũ criminum: qui autem patiens, & tractus, & cum lenitate & mansuetudine decertat, non solũ in admiratione habetur tanquam fortis ac magnanimus, sed non etiam minus prædicatur ob moderationem & lenitatem. *Homil. 18. ad Corinthios 1.*

Chrysost. Nõ si firmũ ac robustum corpus habeamus, fortes proinde sumus. is demum hac virtute præditus est, jaceat licet in lecto, qui

internis viribus pollet: quibus demptis etiamsi alioquin tanto corporis robore quispiam præditus sit, ut vel montem avellere queat, haud tamen illum puella vel misera anu firmiorem dixerim. *Homil. 19. ad Cor. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui turbulentarum animi commotionum tyrannidem, quam plerique nulla vi frangi posse existimant, tyrannicè premit ac subigit, hic & ut fortis & strenuus celebrandus est, & ut tyrannicida. *Lib. 3. Epist. 148.*

¶ Latinorvm.

Egesippus: Quid agitis viri virtute insuperabiles? non enim ex eventu victoriæ, quæ frequenter incerta est, sed ex propositi constantia virtus spectatur. unde conjicere licet, quia hostem subjicere fortis est, non mutare mentem virtutis esse. jure igitur insuperabiles vos dixerim, si nullus adhuc vos mortis vicerit metus, &c. *Capite 52. libri 5. de excidio Hieros.*

S. Valerianus: Neminem tam fortem invenies, ut non egeat auxilio fortioris. *Homilia decima quinta.*

Zeno: Fortitudo, quæ hominibus est cum veritate communis, omne jus in viribus habet. quod facere prævaluerit, æstimat rectum: adeo quod sine ulla reverentia divinæ atq; humanæ religionis, delet abruptè igni ferroque cum sua sibi tota substantia incolas, civitates, & rura; nihil omnino metuens amicæ mortis fiducia. *Serm. de Iustitia.*

Ennodius: Novimus virum fortem dici non posse, quem vicerit indignatio: *in Vita Epiphanij. 25 f.*

Io. Sarisberiensis: Virium affectatio, etiã libertatis & celsitudinis videatur afferre suffragium, à veritate utriusq; pernicioſius abducit errantem. hæc est enim quæ pernicioſissimam inducit pestem, & tyrannidis procurans ortum, compagem quietis & pacis, qua nihil salubrius est, molitur extinguere. *Capite decimosexto libro 8. Policratici.*

Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Xenophon: Rursum interrogatus Socrates, num fortitudo adquiri doctrinâ possit, an esset naturâ? Equidè arbitror, ait, perinde ac corpus aliud alio robustius à natura est ad perferendos labores, sic & animum animo firmiorem esse naturâ ad subeunda pericula. Nã video illos qui eisdem legibus ac moribus sunt educati, longe inter se audacia differre. Idem tamen existimo, naturam omnem doctrina & exercitatione ad fortitudinem proficere. Nam patet omnino, Scythas ac Thraces non ausuros sumtis clupeis ac hastis adversus Lacedæmonios dimicare: contraq; manifestum est, non etiam Lacedæmonios vel adversus Thraces cetris ac jaculis, vel adversus Scythas arcubus depugnaturos. Atq; equidem in aliis etiam omnib. consimiliter homines: ideo natura inter se differre, ac studio multũ proficere. De quibus patet, debere omnes, sive sint præstantiori à natura indole præditi, sive hebetiores, ea discere ac meditari, in quibus excellere velint. *Cap. 4. lib. 3. Memorabilium.*

Xenophon: Ergo tu fortitudinem non ad minima utilem esse statuis? Certè utilem ad maxima existimo. Num igitur tibi utile esse ad terribilia & periculosa videtur, ea ipsa ignorare? Minime, inquit. Ergo qui ejusmodi non metuunt propterea, quod nesciant, quid sint, non sunt fortes? Nõ sunt profectò, ait. Nam ceteroqui multi homines insani & timidi fortes essent. Quid autem illi, qui non terribilia metuũt? Multo minus, inquit. Qui ergo boni sunt ad terribilia & periculosa, hos fortes esse putas; qui verò mali, timidos? Omnino, inquit. An verò putas ad talia quosdã alios etiã bonos esse, quam qui eis uti rectè possint? Non, ait, sed hos ipsos. Malos autè, qui his malè utantur? Et quos alios putem? inquit. Ergone utuntur singuli, ut oportere se arbitrantur? Qui aliter? inquit. Sciuntne qui nõ possunt rectè uti, quo pacto utendum sit? Nequaquam. Igitur qui norunt ut sit utendum, illi etiam possunt? Imo soli possunt, ait. Quid? si qui nõ aberraverunt ab eorũ usu, num male his utuntur? Nõ arbitror, inquit. Ergo qui male utuntur, aberrant? Consentaneum est, ait. Qui igitur & terribilibus & periculosis rectè uti sciunt, sunt fortes; qui verò ab hoc aberrant, timidi sunt? Mihi quidem esse videntur, inquit. *Libro 4. Memorabilium cap. 32.*

Simplicius: Ad res porro laboriosas & molestas eruditis fortitudo præstò est, quæ dolorem ne ad vestibulum quidem animi accedere patiatur, sed omnia aspera tãquam exercitationis ergo sibi objecta, sine molestia & afflictatione perferat. Iis autem qui cruciutur tolerantia succurrit, abjectis molestus generosè resistens, atq; efficies ne animus concidat, sed pugnet & propulset, doloris ictus. Nam acris tolerantiæ adversatio victoriam rationi confert, perturbationi cladem. Quæ si sæpe admibita cum prudentia fuerit, perturbatio assuescit parere rationi, & non aversari: quippe jam erudita. Neq; jam opus est, ut cum molestia toleretur aliquid. Neq; enim qui talis est, adhuc dolet. Neq; enim apperit quicquam, neque frustratur ulla re, neq; declinat quicquam in quod incidit. Omnis autem dolor hisce de causis excitatur. *Ad Epict. c. 15.*

Libanius: Fortitudo expendi debet rebus adversis, non secundis. nam illis etiam futilioribus existimatio augetur: his videmus resistere non nisi aliis præstantes. *Comparatione Achillis & Diomedis.*

Libanius: Hoc est strenuorum virtutis iudicium, captivos abducere & famulas, hominum infelicium liberos. *Oratione Orestis super matricidio.*

Libanius: Hic certè ensis, quando mihi antea hostes, & jam & me ipsum occidat. Cum gloria semper vixi: ideo ignominiam istam ferre nequeo. Fortes enim aut vivere cum honore, aut mori oportet. *Ajax seipsum jugulaturus.*

Basilius Imperator. Robur corporis magni facito, atque in pretio habeto, si cum prudentia conjunctum est: quantũ enim prodesse cũ prudentia, tantum nocere absq; ea solet iis qui sunt eo præditi. Vis enim consilio temperata, hominẽ figurat: si verò amentiæ comes est, bestiam ratione carentẽ depingit & format. Proba ergo eos qui prudenti robore, non eos qui vesano utũtur: siquidem vis cum amentia conjuncta temeritas, cũ prudentia vero fortitudo appellatur. *Cap. 13.*

¶ Romanorvm.

Quintilianus Senior: Non tam admirabile est cùm fortiter facit juvenis: hoc ætas postulat, hoc robur juventæ poscit. penè turpe est, non feciſſe. Hoc est honore dignius, vicisse annos, & ultra ætatem durantes agere virtutes. Eo tempore fortiter feci, quo cogi non possem ut militarem. *Declamat. 158.*

Quintilianus Senior: Incredibile est quid non ausura fuerit libertatis & salutis necessitas. *Declamatione 329 m.*

Quintilianus: Quid me aliud notabilem fecit in bello, quàm quod non pareo cædibus, cruore non satior, exsultans superstratorum corporum strages, palpitantibus adhuc cadaveribus alacer insisto? Virtutis sunt ista cum hostis contigit. Pax est quæ nos deprehẽdit; & cùm justa grassandi materia consumpta est, in facinus necesse est otiosus ardor erumpat. Ecce jam Reip. præbita est quies: mihi tamen plurimum est cum gladio meo. totis diebus tracto ferrum. ad arma respicio: tela mea laudo, admiror, alloquor. *Declam. 4. §. 18 f.*

¶ Poetarvm.

Martialis lib. 6. Epigr. 25.

Ille vetus pro te patriusque quid optat amicus,
Accipe: & hæc memori pectore verba tene.
Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor
In medios enses sæva que tela ferat.

P. Syrus Mimus.

Fortior, cupiditates, quam qui hostes subjicit.

¶ Emblematvm.

Camerarius VI. Centur. 2.

Nihil decentius. Leo cujus collo circumvolutus serpens,
Provida magnanima si adsit prudentia dextra,
Dic mihi quæ rerum pulchrior esse queat?

Camerarius VII. Centur. 2.

Nec cæsus cedam.
Nunquam, cæsa licet, linquit canis Inda leonem,
Nec, licet accisus facta decora bonus.

Camerarius XIX. Centur. 3.

Spiritus durissima coquit. Struthio edens ferrum.
Magno animo fortis perferre pericula suevit,
Ullo nec facile frangitur ille metu.

Camerarius LXVIII. Centur. 4.

Securè. Vitulus marinus.
Nec pelagi fluctus, nec cæli fulgura curo,
Frangitur haud fortis sorte in acerba animus.

Fortitudinis piorum.

¶ Apophthegm. Sacrorvm.

Nehemias: Judæorum hostes cùm cœptam urbis instaurationem primùm ludificarentur, deinde propter operis successum conspirarent, Nehemias Dei auxilio implorato, disciplinam militarem instituit, & surgens dixit ad primarios & ad residuũ populi, *Ne timete te ab istis, Dominum maximum & summè reverendum recordamini, & pugnate pro fratribus vestris filiis filiabus, uxoribus & domibus vestris. Opus hoc multum & amplum est: ideoque nos dispartati in muro longinqui sumus alter ab altero. In locum ubi audietis sonum tubæ, illuc congregamini ad nos: Deus noster pugnaturus est pro nobis. Nehem. 4. 14. 19. 20.*

Mattathias: Quum urgeretur ab administris regis ut sacrificaret idolis, dixit voce magna, Si omnes gentes regni, & quæ in domo regis sunt, auscultent ipsi, deficientes quisque à cultu majorum suorum, & consenserint mandatis ejus: ego vero & filii mei ac fratres mei ambulabimus in fœdere majorum nostrorum. Propitius sit nobis Deus, ne derelinquamus Legem & statuta ejus. Sermoni regis nõ auscultabimus, ut transgrediamur cultum nostrum, ad dextram aut sinistram deflectentes. *1. Machabæorum. 2. 19. 20. 21. 22.*

Iudas Macabæus: A suis derelictus, & 800. viris tantùm comitatus, animoque quodammodo attritus, tamen seipsum colligens, eis qui fugam maturare suadebant, dixit. Absit à me, ut faciam facinus istud, & fugiam ab istis: nam si prope est tempus nostrum, moriamur viriliter propter fratres nostros, ac ne relinquamus quicquam quod gloriæ nostræ crimini verti possit. Deinde fortiter pugnans, & ingravescente prælio, hostibus multis confossis, ipse cæcidit, & cum maximo omnium Israelitarum desiderio, & planctu in monumento majorum suorum sepultus est. *1. Machab. 9. 10. &c.*

Ignatius: Antiochenæ Ecclesiæ minister, quũ Romam duceretur bestiis objiciendus, Christianis Romæ degentibus literas scripsit hoc

pacto: Ex Syria Romam versus iter instituens, terra, mariq́ue, noctu, interdiu, cum bestiis confligo, decem leopardis arctè colligatus: hoc est, satellitibus, qui ad me asservandum apponuntur. Qui sanè multis à me beneficiis affecti multo fiunt deteriores sævioresque. Eorum injuriis, quibus me afflictant, in dies magisque erudior, verum ne ob id quidem justificatus sum. Optarem jam bestiis illi frui, quę ad me dilaniandum paratæ sunt. Mihi est in votis eas reperire brevi, quas planè blandè compellabo, ut me carptim & absq; mora devorent, neque à me dentes abstineant, ut à quibusdam, quos metu perculsæ non auderunt attingere. Quod si illæ recusent me adoriri, ego ipse eas instigabo. Date vos mihi veniam. Quid mihi sit profuturum equidem non ignoro. Jam incipio Christi discipulus esse: facessat à me rerum omnium sive oculis subjectarum, sive earum quæ visus aciem fugiunt admiratio, ut Jesum Christum assequar. Ignis, crux, bestiarum conflictationes, ossium distractiones, concisiones membrorum, totius corporis tanquam molitæ farinæ attritiones, omnia deniq; supplicíorum genera à Diabolo excogitata, in me coacerventur, ut Jesum Christum duntaxat adipiscar. *Eusebius libro tertio Ecclesiasticæ historiæ, capite trigesimo.*

Romanus martyr. Puer & Mater eius: Irruerat Galerius cũ præfecto Asclepiade in Antiochenorum urbem, eo proposito, ut omnes ibi ad abnegandum Christum armis & vi cogeret. Fortè tum Christiana plebs in cœtum convenerat. Illico accurrit Romanus, nuntians adesse eos qui impetum in Christianos essent facturi. Adhortatur ne trepident, aut imminenti periculo cedant. Asclepiades in equuleo eum suspendi & eviscerari jussit. Sed quia vir erat primarius, quem tali affici supplicio non licet, flagris & plumbaris cædi mandat. Ille inter ictus gaudens hymnum dicit, ac nequaquam sibi nobilitatis nomine parci jubet: *Absit*, inquit, *ut me nobilem sanguis parentum præstet, aut lex curiæ generosa Christi secta nobilitat viros.* deinde ingenti animo & libertate in præfectum invectus, & deos Ethnicorum risu exagitans, Deum Christianorum solum, verum, pia & prolixa oratione prædicavit. Qua vehementer offensus Asclepiades, latera ejus mucronibus scindi jussit. Sed Romanus: *Gratias*, inquit, *ago tibi, ô præfecte, quòd amplioris mihi ornatus fecisti meatus, quibus Christum prædicare possim. Tot ecce laudantora, quot sunt vulnera.* Repressus hac constantia præfectus, à torturis quiescere lictores jussit, & ignem minatur, illud addens: Christum recentem esse, cùm gentium dii vetustate commendentur. Nactus hinc occasionem Romanus, longa oratione de æternitate Christi, de assumpta natura humana, de morte & satisfactione Christi disputavit: & ad pueri septennis judicium provocavit, quæ ætas nec odiis nec vitiis aliis obnoxia est. Asclepiades è turba statim pùerum accersitum in Romani conspectum sistit. Quæritis, Dic mihi, utrum tibi videatur verum esse & congruens, unum ne Christum, & in Christo Patrem colere, an adorare deos infinitos? Respondet puer: *Illud certè, quicquid est, quod Deum esse homines perhibent, unum esse necesse est, quod cum uno unicum sit: cumque Christus hoc sit, Christum esse verum Deum necesse est. Plures enim Deos nec nos pueri credimus.* Stupens ad hoc Præfectus, quærit, quo ista auctore didicerit? Respondet ille, ex matre, à qua simul cum lacte hausisset, Christo credendum esse. Asclepiades puerum in sublime arripi mandat, & matre spectante loris durissimè cædi. Sola mater de filio datum spectaculum sine fletu intuetur: quin & aquæ haustum poscentem filiolum objurgat: *Calicem eum expectaret, quem occisi in Bethleem olim bibissent infantes, lactis & papillarum immemores: Isaacum respiceret, qui cùm immolandus aram & ensem aspexisset, ultrò colla præbuisset.* Interea cutem cum capillos à vertice tortor revellit. acclamat mater: *Patere fili, mox enim ad eum venies, qui caput nudatum nunc tuum per contumeliam, regio vestiet diademate.* Ad hæc & alia, matre monente, puer lætus virgas & dolores vulnerum ridet. Præfectus, quia nullis tormentis puerum vinci cerneret, in carcerem eum concludi præcepit, Romanumq; tanquam mali hujus auctorem acerbius torqueri jussit. Ducuntur tandem ad supplicij locum simul. Romanus ait: *Appello ab ista tua, præfecte impie, crudelitate, ad Christum meum: non quòd mortem metuam, sed ut probetur, quàm nihil hoc sit quod tu judicas.* Perventum ad cædis locum est: puerum, quem in complexu mater foras extulit, carnifex poscit, dat illa, præter osculum nihil morata. Et, *Vade*, inquit, *nate dulcissime.* Cervicem eum ense carnifex ferit, accinit illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ecce servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Hæc ubi dixisset, caput amputatum pueri in pallium explicitum excipit, & pectori applicat. In altera parte pyra ingens construitur, in quam injectus Romanus, futurum dixit ut non cremaretur. Imber coortus ignem extinxit. Carnifex linguam Romano exsecat: loquitur ille nihilominus. *Christum*, inquit, *loquenti lingua nunquam defuit.* Tandem tum martyris animositate, tum miraculis Præfectus victus, abripi eum in carcerem & strangulari jussit. *Prudentius in hymno* Περὶ στεφάνων.

Barlaam martyr. Barlaam nobilis & illustris martyr sub Diocletiano, flagella lictorum ad torporem usq; sustinet, & laceration-em, nervorum resolutionem, laterumque perfossionem. Ad quæ tormenta omnia cum invictus staret, lictores eum ad aram, cui impositus esset ignis ad sacrificandum dæmonibus, adducunt: & thus ardens manui dextræ, quam firmiorem adhuc habebat, imponunt, ad ignem eam admoventes: fore arbitrantes, ut ignis vi dextra expugnata, thus ardens in aram excuteret. Flamma manum quidem ambedebat, non lædebat, cum Barlaam recitaret illud, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.* Psalmo 144. referente id *Basilio Magno in sermone de Barlaam martyre.*

Mauritius & Thebæ legio: Maximianus Imperator, anno 285. cũ exercitu à se conscripto in Galliam contra rusticos tumultuãtes, Bacaudas dictos, profectus, ac Thebæa legione se subsequi jussa, Pœnino saltu superato, in campos ad oppidum Octodurum descendit. Ibi, uterat veteri deorum cultui deditus, atq; imprimis Herculi, auctori (ut præ se ferebat) generis sui addictus, exercitum omnem lustrare ex Ethnicis Christianisq; constantem cupiens, singulos milites adesse ad dicendum sibi sacramentum præcepit, daturos se operam, ut iisdem animis Christianos Deorum suorum inimicos, atq; Bacaudas imperii hostes ulciscerentur. Cujus mandatum cum reliqui exhausissent, sola Thebæa legio detrectavit. Hi erant Orientales milites, Christiana disciplina ab Episcopo Hierosolymitano imbuti, & postquam Romam venerant, ab urbis episcopo in fide usq; adeo confirmati, ut religionem bellicæ fortitudini, fidem armis omnibus anteponerent. Itaq; ne tam impio se jurejurando astringerent, Octodurum prætergressi, Agaunum prodierunt, insignè ei loco Christiani martyrii famam in omnem seculorum memoriam relicturi. Erant in ea legione Mauricius primicerius, & Exuperius signifer, viri bellicis laudibus nobiles, sed eximia in Christũ fide nobiliores. Hi cum Octodurum ad jusiurandum concipiendum repetere jussi essent, respondere pro universa legione non dubitarunt, *se Christianos esse, atque ut militiæ munera pro imperatore non recusare sic religionis ejus sacrilegia detestari.* Quo responso Maximianus exacerbatus, quod una & disciplinam militarem solvi, & sacra sua contemni ejusmodi imperij detrectatione videret, ac cæteros supplicii exemplo terrendos censeret, decimum quemque jugulari militari more præcepit, ac reliquos se referre Octodurum mandavit: quos Mauritius primicerius loquutus, primum gratulatus est, quòd, cum socios suos indigna sterni cæde conspicerent, manus ab eis vindicandis abstinuissent: deinde eos ad constantiam fidei retinendam præclaro illorum exemplo accendit: atq; omnium nomine *se prius mortem millies oppetituros, quàm ut ei mandato parerent*, respondit. Itaq; novo Maximiani edicto 11. Calend. Octobris cum cæterorum decimo quoque peremptus est. Reliquorum inde, cum item Octodurum repetere juberentur, causam sucepit signifer Exuperius: qui correptis signis, & Mauricio verbis plurimis egregie collaudato, subjecit, se Imperatori quidem militiam, at verò Deo integritatem debere: neque Christianos, ut persequantur, in animum inducere posse. Quibus rebus Maximianus eo vehementius efferatus, iter exercitui indixit, atq; occultè legionem circumfuso exercitu sepsit: eamq;, ut erat ingenio asper, ac propè immanis, militibus trucidandam, ac pro arbitrio spoliandam objecit. Unde Agaunensium Martyrum immortalis in Ecclesia gloria dimanavit. Postquam in Galliam venit, subitò partem exercitus, in quo multæ quoq; è Thebæa legione erant centuriæ, secundo Rheno ad eam opprimendam immisit. Post autem, sumpto ad Agaunum de majore ejus leigionis parte supplicio, reliquos etiam, ubicunque terrarum essent, interimi jussit. Qui verò huic negotio præfecti fuerunt, Cassium & Florentium apud Veronam, civitatem tum in ripa Rheni fluminis sitã, cum septem aliis assequuti jugularunt: Gereonem verò ac trecentos octodecim socios ad Coloniam: Victoremq; demum cum trecentis triginta ad oppidum Francorum nomine Xanthum, VI. Idus Octobris fœdissimè trucidarunt: quos omnes satis constat mortẽ ac cruciatus omnes constantissimè subiisse. *Sigonius lib. 1. hist. de Occidentali Imperio, ex historiis Ecclesiasticis.*

Melania. Marcelli Consulis Rom. filia floruit anno Domini CCCLXXVII. quæ cùm marito nondum humato duos simul amisisset filios, incredibili fortitudine ab omni dolore ita sibi temperavit, ut ne fleverit quidem, sed devoluta in pedes tantùm dixit, *Expeditum tibi servitura sum, Domine, quia tanto onere me liberasti.* Relicto igitur unico filio, tunc prætore urbano, eidemque tota concessa possessione, Hierosolymam navigavit, ibiq; tanto virtutum, præcipuè humilitatis, claruit miraculo, ut Tecla cognominata fuerit. *Hieronymus in Chronico.*

Victorianus: Is Adrumetinus civis, honesto loco natus, Carthagini dignitate Consulari excelluit. Quem ob prudentiam, & in rebus gerendis dexteritatem, industriamq, singularem, Hunericus rex magnis honoribus affecit, & familiariter eo usus, blanditiis ipsum ad blasphemum Arianorum dogma amplectendum persuadere conatus est. Cui magno animo Victorianus, *Extrema quævis*, inquit, *adversum me experire, tormentis me eneca, flammis injectum in cinerem me redige, bestiis me objice, quævis tamen scitò me pati malle, quàm pactum quod cum Christo servatore in sacro Baptismo inij, deserere.* Quibus verbis exardescens tyrannus, verberibus eum defœdatum, totoque corpore laceratum, & omnibus tormentorum generibus excarnificatum occidit. *Victor. lib 3. histor. de persecut. Vandal.*

Monachi Christiani: Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Rusticus Subdiaconus, Servus Subdiaconus, Rogatus, Septimus & Maximus Monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti, primum blanditiis ad Arianam perfidiam sollicitati sunt. Illi verò uno ore & animo suam coram omnibus confessi sunt fidem, dicentes, unus Deus, una fides, unum baptisma: nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Evangelii semel dari præceptum est: quia qui semel lotus est, non necesse est ut denuo lavetur, sed mundus est totus. Satius est momentanea perferre supplicia, quàm æterna subire tormenta. Supplicio ignis adjudicati, magna cum fiducia cantabant, Gloria in ex-

in excelsis Deo: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Dei nostri supplicia perferemus ne acquisitæ fidei indumentum amittamus. *Victor, lib 4 Vandalicæ persecutionis.*

Bonifacius Episcopus: Quum in finibus Austriæ juxta fluvium Bornam, festum Neophytorum Bonifacius celebrare constituisset, in quo per impositionem manuum recens baptizati confirmabantur, subitò à Gentilibus circundatus, bono animo esse jussit fideles qui aderant, dicens, *Dies redemptionis jam adest: confortamini in Domino, & gratiam nobis promissam grato amplectimini animo. Sperate in Deum, ut animas vestras liberabit. Magno estote animo: nec vobis metuatis ab iis qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere sed exultate in Domino.* His & aliis verbis cum fideles esset consolatus, rabido impetu Gentiles in eos irruerunt, & obvios quosvis interfecerunt. Hi latrones deinde ab aliis Christianis, quos etiam Bonifacius ad fidei veritatem adduxerat, ad internecionem cæsi & deleti sunt. *Gaspar. Hedio. lib. 6 hist. c. 21.*

Conradus Imperator: Adversus Turcas in Oriente dimicaturus, aciem obiens milites ad fortiter præliandum hortatus est. Inter cætera autem scite prolata, dicebat, Cognoscant Barbari quantū Christus magister noster, & præceptor seductorem Prophetam Mahumetem & impiæ religionis antistitem superat: tanto & nos rebus omnibus esse superiores. Quum igitur castra sancta simus, & divinitus collectus exercitus, ne turpiter vitam amemus, nec obitū memorabilem pro Christi charitate formidemus. Si enim Christus pro nobis mortuus est, quanto justius nos pro illo oppetemus? Honestè huic expeditioni, etiam finis honestus imponatur: Christo freti pugnemus, cum spe certa facilis victoriæ: Neq; enim quisquam, ut confidimus, impetum nostrum tolerabit, sed omnes primæ aggressioni cedent. Sin (quod absit) occubuerimus: honesta sepultura erit, ubicunq; pro Christo occubuerimus. Me sagittarius Perla pro Christo feriat: cum spe bona moriar, eaque sagitta tanquam vehiculo, ad requiem illam perveniam. quod mihi potius erit, quàm si morte in gloria in peccatis opprimerer, &c. Illustrem tunc fortis Imperator de Turcis & Persis reportavit victoriam. *Nicetas Choniates, lib. 1. de Annal. de rebus gestis à Manuele Comneno.*

Fortitudinis animi.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S *Vincentius:* Animosum nunc & apertum nivei pectoris robur pertractandum. cujus dum exempla persequor, se primùm offert B. VINCENTIVS. qui Daciano gravia tormenta minitanti, ni idolis litaret, *Hæc*, ait, *sunt quæ omnibus vobis mihi cupio offerri. Frustrà fatigaris Daciane; non poteris tam crudelia parare tormenta, quam ipse paratus non sum sustinere. August. Serm 12. & 13. de SS. stem Surius in Vita.*

S Laurentius. Quis te martyrum clarissime LAVRENTI hoc loco prætereat? qui craticulæ superimpositus, ac penè tostus, Tyrannum illudis, &, *Versa*, inquis, *& manduca.* O stupendam, & nullis sæculis auditam fortitudinem! *In Vita apud Sulpitium.*

S. Dionysius Episcop. Alexandr. Hic etiam, dum impiissimorum hominum insultus fortiter pro Christo sustineret, ad torto.es conversus; *Quid*, inquit, *inspectando laboratis? Caput meum pro quo tantopere fatigamini, & vulsum cervice, tyranno vestro domo mittite. Euseb. lib. 6 Hist. Eccl. c 30.*

Macedonius, & Theodulus, & Tatianus: Et hi eodem igne cum prioribus accensi, dum noctu in delubrum irruunt, & simulacra cōfringunt, jussu Amachii, Iuliani præfecti, cratibus ferreis impositi, lento igne torrentur. Tosti aliquantulum, non secùs ac S. Laurentius, tyrannum compellant: *Amachi, assum desideras? Convertito nos in alia latera, ne semiassati palato tuo minus sapidi videamur.* & ita urbanè jocantes, Christi martyres efficiuntur. *Suidas.*

Ioan. Fischerus episc. Roff. Illa prioris ætatis, hoc nostræ. JOAN. FISCHERVS vir eruditione & pietate vix ulli pari, quòd Henrici VIII. primatum Ecclesiasticum nollet confiteri, morte mulctatus; cum supplicii locum intueretur, abjecto cui senex innitebatur baculo, *Eja*, inquit, *pedes officium facite parū itineris jam restat. N. Sand. de Schism. Anglic. lib. 1.*

S. Christina: Prosequamur etiam infirmioris sexus fortitudinē animi & robur. CHRISTINA, pietate non minùs quàm genere nobilis, cujus tolerantiam mirabor facilius, quàm laudabo; patris, qui Tyri Italiæ opidi Præfectus, idola confregerat. Qui eam dum blandimentis minisq; à vera fide removere conatur, & scopulo videret immobiliorem, ungulis discerpi imperat. at illa, laceri corporis partem in os patris injiciens: *Satiare miser*, ajebat, *carnibus, quas genuisti: filiam comedere potes; at certè impietati tuæ consentiat, facere non potes. Vinc. Spec. lib. 2. c 82. Sur tom. 3. in Vita.*

S Agatha: Et hæc, dum Quintiano jubente in mammilla distorqueretur, ad illum conversa, exclamabat: *Impie, crudelis, dire Tyranne: nō te pudet in me amputare, quod in matre suxisti: at nihil proficis: habeo quas avellere non potes interioris fidei spesque mamillas: quarum alimento in me reparatur sustinendi virtus. Sur. tom. 1.*

S Agnes Virgo & Martyr. Quis hunc virginitatis & martyrii florem pro dignitate explicet? fulgebat in tenellis annis cana virtutum omnium effigies; in puerili pectore plus quàm virilis animus delitescebat. Nam cum multa in Idolorum contemptum coram Sympronio Præside sapienter dixisset, & ille; Patior te, diceret, deos blasphemantem, quia tuos annos infra sensum adspicio: *Fides*, aiebat, *non in annis, sed in sensibus invenitur: & Deus magis mentes comprobat, quam ætate. Sur tom. 1. in Vita.*

Eadem: Non sic ad thalamum nupta properaret; ut ad supplicii locum, læta successu, gradu festina, hæc VIRGO processit. Quo non terrore egit Carnifex, ut timeretur; quibus blanditiis, ut suaderet: quantorum vota, ut sibi ad nuptias proveniret? At illa, *Et hæc sponsi injuria est*, inquit, *exspectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. quod percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo.* Stetit, oravit, cervicem inflexit. & ita una hostia duplex martyrium subiit, pudoris & religionis. *Ambr. de Virginib. lib. 1.*

S. Theodora Virgo & Martyr. De hujus etiam fortitudine dixisse, detraxisse est. quis enim a memoria sæculorum similem huic audivit aut legit aliquando? Trahitur ad lupanar VIRGO, à milite imminuenda, & ecce de martyrio contendit uterq;. Judicatur miles ut reus pro VIRGINE: at illa ad locum supplicii accurrens, inclamare cœpit: *Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optavi. In me lata est ista sententia, qua pro me lata est. Moriar certè innocēs, nec moriar nocens. Nihil hic medium: hodie ero aut rea tuus sanguinis, aut martyr mei. S. Ambros. in Vita, lib 2. de Virgin.*

Ludovicus XII Gall. Rex: Admirationis etiam plena exempla habet Civilis Ordo. In quo principatum obtinet LVDOVICVS XII. Gall. Rex. monitus quippe Mediolanensi bello tormentorum ictus vitare; *Ecquem*, ait, *Gallicarum Regem, unquam plumbo necatum accepistis? Qui metuit, me clypei loco utatur. Coroz. et.*

Carolus V. Imp. Paris fortitudinis CAROLVS V. cum enim in Germania ad Ingolstadium copias haberet, cinxissentque eum ingenti exercitu fœderati hostes, & æneorum tormentorum copia ferream grandinem in castra ipsa non sine gravi pernicie immitterent; monentibus sibi prospiceret, immutato vultu & loco, arridens dixisse fertur: *Confidite, nullus unquam Imperator tormenti ictu interijt.* Dignum memoriâ ac laude sæculorum. *I. Lipsi. Monit. Polit. lib. 1. cap. 7. num. 10.*

Idem: Cum in Hispaniam profecturo, sedatis jam fluctibus, pestem in locis maritimis magis invalescere nuntiaretur; quasi nihil ducens, *Eundum*, ait, *nec prætermittenda bona tempestas: pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum ullum nunquam attigit. Franc. Robertel. in Orat. sua funebri.*

Ludovicus Bavarus: Detinebat hunc in vinculis Albertus Marchio Brandeburgensis, cumque multa ab eo peteret, & nihil impetraret, minas adjecit; ni pareat, tradendum in manus sui hostis, cui LVDOVICVS: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modo ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est; animum vero mihi, non tibi obnoxium invenies. Aen. Syl. lib 3. Comm. de Gestis Alph.*

Thomas Morus: Egregium quoque fortitudinis decus THOMAS MORVS. Ille namque ad locum supplicii, certaminis glorioſi palęstram, deductus, recitato Psalmo 50. ac finita prece, dum veniā Carnifex de more peteret, ei osculum & Angelotum aureum porrexit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficij præstiturus es, quod hactenus nemo mortalium aut præstitit, aut præstare potuit.* quidnam illud? hoc sanè, quod ad auctorem suum anhelans properaret spiritus ex hoc mundi carcere, ad lucidas illas sedes.

Ver ubi æternum, tepidumque præbet
Iuppiter brumas. ——

Thom. Stapleton cap. 20. in Vita.

Mulier anonyma: Digna hæc, quæ cum prioribus sui sexus decertet. Otho IV. Imp. equitē, qui falsò fuerat accusatus, nomine tētatæ pudicitiæ Imperatricis, capite plecti jussit. Uxor mariti caput gremio gestans, Imperatorē adit, &, Qua pœna injustus Judex multandus? rogat: Morte, ait Imperator. Illa subintulit: *Tu ergo Imperator morere, qui maritum meum innocentem occidisti. Innocentem fuisse ferro ignito quod innoxiè manibus meis contrecto, probabo.* animose profectò, & supra sexum fœmineum. *Bern. Corius in Vita Othonis.*

Fortitudinis Bellicæ.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

I *Oannes Ziska Dux Hussitarum:* Nunc illum virtutis actum proponimus, cujus ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti, in BELLICA FORTITVDINE consistunt. nec me præterit, ZISCA Dux inclyte, principatum tibi in hac saltem scena assignari oportere. Erat Dux Hussitarum bellicosissimus, licet utroque oculo privatus: cumque jam morti proximus rogaretur, quomodo vellet tumulari; ille: *Pellem de mortuo demite ex eoque tympani operimentum conficite. Hostes enim, ut vivētis adspectum ferre non potuerunt, ita nec mortui sonitum ferent. Aeneas Sylu. lib. 3. Comment. de Gestis Alphonsi.*

Carolus IX. Franc. R. Illi proximus CAROLVS; qui, cæso in acie Montmorantio, cujus erat ensem Regi præferre, quibusdam eum honorem ambientibus respondebat: *Satis virium mihi est adgestandum ensem. Annal. Franc.*

Carolus V Imp. Exiturus erat iſte ad prœlium contra hoſtes: ſtabatque in acie intra vallum & ſtationes armatus. at hoſtis magna baliſtarum vi eum repellere conatur. monentibus autem ſuæ ſaluti proſpiceret, id ſolum obmurmurabat: *Canes qui latrant non ſunt extimeſcendi: neque eſt quod timeatis, cùm præſidio Dei ſatis vallati ſimus.* *Franc Robertellus in Orat. funeb. habita Bononiæ.*

Petrus Sabaudiæ Comes: Hic autem feudum apud Othonem IV. petiturus, duplici ante eum habitu comparuit. Latus dextrum auratis veſtibus, ſiniſtrum armis inſigne. Othoni vero, quid inuſitatus hic veſtium habitus moduſq; portenderet, ſciſcitanti, *Aurum*, inquiebat, *geſto in dextra, ad honorandam majeſtatem Imperatoriã: arma autẽ lævа ſuſtinet, ut contra ejuſdem malevolos ad extremum uſq; ſpiritum dimicem.* *P. Camer. medit. Hiſt. c. 6.*

Ludovicus XII. Gall. Rex: Ejuſdem virtutis & fortitudinis iſte. Pergebat cum exercitu Mediolanum, & in itinere nuntium accipit, hoſtem oppidulum quod in tranſitu ſitum occupaſſe; tardiuſque adventare hoſpitio inibi deligendo. At ille: *Ego ſuper corpora eorum hoſpitium accipiam, vel illi in meo. Corozetus de Dict. memor.*

Stephanus Contarenus: Claudat hoc totum de bellica virtute CONTARENUS, natione Venetus. Hic Senatus judicio rei maritimæ in Benaco lacu præfectus, dum quippiam adverſi nuntiatum eſſet, domum properans, evocata de ſuperiori ſuarum ædium parte conjuge; *Scias*, ajebat, *me Benacenſi ora præfectum, Senatu jubente. Tu itaq; intra paucos dies, aut latum à me partæ victoriæ nuntium exſpectato, aut mortis meæ literas; quibus hoc meum cadaver à vita ſepultura mandes.* *Ioan. Bapt. Egnat. lib 6. c. 4.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Belluis ſua eſt ſimulque fortitudo infantibus.
Dextera eſt Deus, telumque miſſile, imperterritũ.
Conſilium bonum antecedit mille fortium manus.
Fortis eſt, fortuna invita vivere, invita mori.
Fortis eſt viri, voto quoque mortem honeſtam quærere.
Fortis ille eſt qui non in ſe fortis eſt ſed in Deo.
Fortis ipſo ſe fit major maximis in cladibus.
Fortis in mortem cogatur, non cogatur in preces.
Forti ſunt manus & arma tantùm, atque in his omnia.
Fortium hercle anguſta magnis corda nunquam ſunt malis.
Fortium nullo libertas eſt venalis præmio.
Fortium virtutes ſunt & hoſtibus miraculo.
Fortibus fortuna fermè cedit in ſapientiam
Fortibus fortuna præſto eſt: fortibus ſemper favet
Fortibus virus propritim æreus fecit tripus.
Fortior ferrum & ignes pectore adverſo excipit.
Fortiter caſus ſiniſtros ſuſtinent nati bene.
Fortitudo haud fortitudo eſt, cui juſtitia deficit.
Fortitudo nacta vires ſit repentè audacia
Fortitudo naturæ propriè haud ulli data eſt.
Fortitudo ne vetetur ſi vacat prudentia.
Fortitudo temperantia juncta à nullo vincitur.
Fortitudini inſidiatrix clanculum eſt imbellia.
Fortitudinem explorare non eſt quam in periculis.
Fortitudinem haud ſecundis, verum adverſis æſtimes.
Haud requiras omnes ſe eſſent juſti fortitudinem.
Mortem ubique vir decoram exequi fortis poteſt.
Non annos numerat ſuos vir fortis, aſt victorias.
Non timet pericla fortis, ſed probrum ſed dedecus.
Nulla vis eſt, nulla ſana mens, Dei abſque numine.
Perdidit totum Milonem virium fiducia.
Plures fortes diſciplina facit, natura quàm creat.
Primus omnium virorum fortium quis? Hercules.
Procreat natura fortes paucos, plures educat.
Quem verecundum videbis, fortem eundem item æſtimes.
Quod ſcopulus mari, fortunæ fortis eſt imprœſperæ.
Robur corporis nocet ſi haud anſtra eſt prudentia.
Sæpe aberrat fortitudo, nec quæ amat cuncta obtinet.
Segnitas metuſque ſeſe fortibus nunquam adplicat.
Totus orbis proſepulcro fortiori ſtat viro.
Triſtibus haud frangi, virorum eſt cui Gradivus
Vulnerum vis magna magnam fortitudinem notat.

¶ JAMBICA.

Aliquando & ipſum fortitudo vivere eſt.
Aliquando, & vivere ipſum, eſt facere fortiter.
Annos iners numerat, fortis victorias
Armatus oportet ſit, quem fortis oderit.
Cura exitus etiam decori fortibus.
Eſt facere forti promptius quàm dicere.
Et fortitudini eſt comes audacia.
Et fortitudini eſt comes modeſtia.
Etiam hominis eſt perſtrenui palleſcere.
Feciſſe rectè, pectori magno ſat eſt.
Forti viro ſpes omnis in ſe ipſo ſibi eſt.
Fortes mage mortem ſpernunt, quàm vitam oderint.
Fortes timenda ſuſcitant diſcrimina.
Fortes viri nunquam ignorari ſe ſinunt.
Fortes viros rebus quoque ſubitis terreas.
Fortuna fermè fortiorum eſt adſecla.
Fortuna tantum fortibus datur viris.
Haud fortitudo eſt quæ rationis indigeat.
Haud fortis eſt ſtatim fortuna cui favet.
Honeſta mors forti viro vita altera eſt.
In fortibus nunquam animi robur conſenuit.
In fortiorem ſæpe fortis incidit.
Invictus eſt qui cedere hoſti non poteſt.
Latere facta in paucis fortia non queunt.
Major metus vita eſt quàm mortis fortibus.
Mortalium omnis fortitudo eſt à Deo.
Nec bella fortes provocant, nec pratiment.
Nec provocat pericla fortis, nec timet.
Nemo ante fortes appetit nomen bonum.
Neſcit trepidare fortis ubi non eſt timor.
Non eſt opus bile ulla fortitudini.
Nullum malum eſt, quod ferre fortis non queat.
Optare fortem quod velit juſtiſſimum eſt.
Patrare fortia ac pati Quiritium eſt.
Qua vulgus horret, ſæpe fortis provocat.
Plus morte fortis turpitudinem fugit.
Quemcunque fortem grandior facit metus.
Qui fortior plerumque item eſt iniquior.
Quiritum ferro aurum ſervit Pannonum.
Summuſque mutat ſtrenuam mentem pavor.
Summum eſt, Deoque proximum, non concuti.
Vir fortis æquat ſolus omnium decus.
Vir fortis eſt quem nullus inceſſit timor.
Vir fortis exit e vita, ignavus fugit.
Virtus in aſtra tendit, in mortem timor.
Virtus virum fortem ulla nunquam decipit.
Vna creari nocte vir fortis poteſt.

Fortunæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

S. Iſidorus Peluſiota: Quandoquidem multos probos viros laudibus efferens, Fortunæ quoq; mentionem feciſti, lubens ex te quærerem, quonã pacto ambo hæc in unum convenire queant. Siquidem laudatio ad voluntatem ſpectat: Fortuna vero probum virum laudari non permittit: quin autem felix ac fortunatus prædicetur, minimè prohibet. Permultum enim, etiam de veſtra ſententia, qui Gentilium religionem colitis, inter felicitatis prædicationem & laudationem eſt diſcriminis. Illa quippe à Fortuna, hæc à voluntate animiq; inductione oritur. Scribas igitur ad me velim, vir erudite, quonam pacto ei, cujus laudes prædicantur, Fortunæ ſermo conveniat, aut quonam modo ei, qui Fortunæ beneficio, ut dicitis, talis extitit, laudatio congruat. Alterum enim adverſus alterum pugnat. Nam ſi minimè ſponte talis eſt, ne laudetur: ſi autem ſponte, nullus Fortunæ ſit locus. Si trophæum ſtatuit, præconis voce celebretur: ſi autem Fortuna hoc præſtitit, laudem ne conſequatur. Si dimicavit, corona donetur: ſi autem non pugnavit, ne laudetur. *Libro tertio Epiſt. 102.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Quam dura eſt humanarum rerum conditio, quę quoties deſideriis aliquo ſapore reſponderit, mox & in foribus conceſſa permutat. *Lib 2. Epiſt. 27. a.m.*

Io Sarisberienſis: Decet ſapientem, ita mentem componere, ut ad omnem fortunæ impetum, querelis excluſis ſcutum rationis, quaſi volubile prætorium philoſophantis opponat. qui enim cum ſtatus ſui qualitate rixatur, niſi forte de peccati corruptione languidus ingemiſcat, nondum philoſophantis ingreſſus eſt viam. *Capite primo Policratici libro ſeptimo.*

¶ PHILOSOPHORUM, ORATORUMQVE GRÆCORUM.

Dio Pruſaus: Homines videntur erga fortunam affecti eſſe, quemadmodum qui navigant, erga ventos vehementes. Libenter enim in curſu perſeverant, & quibus ventus aſpirat, illi eò quo volunt perveniunt, qui vero à vento relinquuntur in pelagi medio, fruſtra lamentantur. Sic etiam præſente fortuna, gaudent & lætantur homines, abſente vero, in ægritudine ſunt, & deſperatione, omniaque ex hoc Genio fiunt. Nam & impeditum expeditum videtur facere, & infirmum firmum, & turpe honeſtum, & paupertatem divitias. Si fortuna in mari favet, navis proſpere navigat, ſi in aere, fortunatus ſit agricola, animaque gaudet exculta à Fortuna. Si vero fortuna relinquat, in corpore circumit tanquam in ſepulchro. Neque enim, ſi quis dicat, nomen clarum conſequitur: neq; ſi quis quid agat, fructum percipit: neq; ulla eſt utilitas bonæ indolis, relinquente Fortuna. Nam hac non præſente, non contingit eruditio, neque aliud bonum. Quin etiam virtus tunc factorum gratia admirationi eſt, ſi adfuerit Fortuna. Si vero ea ſola dimittatur, ſermo eſt honeſtæ rei inefficax. Ipſa enim bella gerentium eſt victoria, & pacem agentium concordia, & nuptias contrahentium benevolentia, & amantiũ voluptas; & breviter, bonus in omni re ſucceſſus. Terra, quando reliquerit

querit Fortuna, movetur & tremit: quæq; super eam sunt bona, dejicit. Atq; hic terræ morbus est, non præsente fortuna. Unde enim navis temerè fertur, citoq; submergitur gubernatore spoliata, utq; muri concidunt fundamentis vitiatis: ita & civitas ad corruptionem tendit, fortunæ inopia. Athenæ quondam à rhetoribus in calamitatem sunt deductæ, duce Demosthene, quum haud amplius Athenas respiceret Fortuna. Mihi videntur & homines habere Fortunã, si serenitatem & non tenebras habeat.

Cernere autem oportet, quàm facile ea quidvis efficiat. Jam enim è navi quidam se in mare ejiciens, in vita est conservatus, veniente Fortuna. Porro dignum est dictu, & quod à Fortuna accidit Apelli pictori. Nam ferunt, quod equum non ab opere, sed ex bello venientem faciebat. Excelsius erat cervice, & insurgens, & auribus erectis, & oculis acutis, tanquam ex bello veniens, atque adhuc conceptum ex cursu furorem in visu retinens. Pedes autem in aere ferebantur, paululum modo terram attingentes. Aurigantem frena retorquebat, & bellicum equi impetum habena stringebat. Quum jam imago omnia haberet convenientia, deerat adhuc spumæ color, qualis fieret ex humido & sanguine mixtus, juxta contiguam mixtionem, persequente anhelitu oris humiditatem, spumanteq; à labore spiritu, & sanguine insperso spumæ ex freni vexatione elicito. Non ergo poterat pingere equi spumam, defatigati in certamine. Hæsitans vero aliquandiu, tandem dolore permotus, incussit circa picturæ frena spongiam: quæ quum multis esset infecta coloribus cruentatæ spumæ similibus cõgruum impressit picturæ colorem. Quod videns Apelles, gavisus est, ob Fortunæ in desperatione beneficium: picturamq; absolvit, non per artem, sed per Fortunam.

Quid vero aliud Herculem fecit maximum? Ille enim & Leonem fauces obturans suffocavit, & animalia volucria in aere est persecutus, & paludis hydram sustulit contritis ipsius capitibus nec extimuit Erymanthium aprum, atq; ad hæc in Occidentem venit, fructumq; plantæ illius terræ retulit, Geryonisque boves abstulit pulchras, & Diomedem Thracem castigavit, ut equis frumentum daret, non homines ad edendum: & Amazonas redarguit, quod essent mulieres. Omnia vero hæc confecit, adjuvante ipsum fortuna. Nec male habent circa eam & veterum ænigmata. Hi enim eam super novaculam statuerunt, illi vero super sphæram, alii illi dederũt clavum in manus. alii porro melora pingentes; Amaltheæ dederunt cornu, plenum & exuberans omnium temporum fructibus, quod Hercules in pugna Acheloo defregit. Novacula quidem felicitatis præcisionem notat, sphæra vero, quod facilis illius sit mutatio, semper enim in motu est, quod divinum est, Clavus autem, quod hominum gubernet vitam Fortuna. Amalthææ vero cornu, indicat bonorum datione m atque felicitatem. Ne nominemus igitur malam aliquam Fortunam. Neque enim virtutem quispiam dicit malam: neq; omne quod bonum est, malum esse. *Orat 64.*

Dio Chrysostomus: Quæ ab hominibus Fortunæ crimina impinguntur, ea ego maxima illius censuerim præconia. Incertas rerum mutationes illi ascribunt: & si quid peccarunt in rebus consilio inchoatis, iis se spoliari putant à Fortuna, ut quæ omnia illis acquirere possit, si velit. Audias autem accusantes eam agricolas & mercatores, & divites propter pecunias, & speciosos propter corpora, & Panthiam propter virum, & Crœsum propter puerum, & Astyagen propter cladem acceptam, & Polycratem, propter captivitatẽ. Porro & Persæ reprehendebant Fortunam, post Cyri necem. Quin & quosdam proprios casus Fortunæ ferunt acceptos; ut Medæa amorem, Midas votum, Phædra calumniam, Alcmæon quod errabat, Orestes quod furore corripiebatur.

Dicam autem vobis, si vultis, & Cyprium sermonem. Protulerunt superiora secula etiam claras mulieres: Rhodogunen bellicosam, Semiramim regiam, Sappho musicam, Timandram formosã: sic etiam in Cypro Demonassa fuit rerum publicarum condendarũque legum perita. Ea tres tulit Cypriis leges. Prima, ut adultera rasa prostitueretur. Illius filia in adulterio deprehensa est: quæ & secundum legem, coma abrasa, prostituta est: Ut is qui semet occidisset, insepultus projiceretur. Hæc est secunda lex Demonassis, Tertia: Ne licet occidere bovem aratorem. Quum autem illi duo liberi essent masculi, quorum alter eo quod bovem occidisset, capite damnatus est: alterum autem, quum sibi mortem conscivisset, non sepelivit. Ea hanc calamitatem aliquo usq; sustinuit, orba existens, & condens leges. Quum vidisset autem bovem pro vitulo perdito mugientem, ibi suam ex aliena calamitatem intelligens, in æs liquefactum insilivit. Eratq; ibi turris antiqua, æneam habens statuam, in æs liquefactum immissam, & ad securitatem statuæ, & ad facti memoriam. Inscriptum est autem in columna quadam propè:

Sapiens eram quidem, sed haud in omnibus
Felix. ——

At ergo, ne Fortuna quasi deserta causa condemnetur, defendamus eam, neq; metuamus accusatorum tumultum: fortasse enim & ipsa nobis ad bene dicendum tulerit suppetias.

Videntur artifices primum apparatus modo illius potentiam designasse. Primum enim posita est, ut prompta ad opera: deinde in dextera manu clavum tenet, &, ut quis dicere possit, navem regit. Quid vero hoc erat? An quod maxime navigantes indigeant fortuna: an quod vitam nobis quasi navem magnam gubernet, omnesq; salvet navigantes? Assyrios quidem usq; ad Sardanapali delicias, Medos vero usque ad adultam Cyri ætatem, Persas usque ad transitum in Asiam, Athenienses usque ad captivitatem, Crœsum usquè ad Solonem?

Erat Oedipus homo faustus antea satis.

Fortuna enim illi, efficiens ne quid pateretur, dederat ignorationem casuum: id quod perinde erat, ac si nihil pateretur. Deinde simul & felicitatem amisit, casusq; suos cognoscere cœpit. Ego & illius cœcitatem, felicitatem voco. Usq; ad finem enim liberos viderat Cydippe & Aeolus, & si quis alius felix fuit pater. Oedipus verò ex cœcitate hoc lucrifecit, ne turpia cerneret spectacula. Altera autem manu dea paratos collectosque tenet fructus, indicans bonorũ quæ ipsa dare soleat multitudinem. Hoc igitur erat aureum illud genus, & beatorum insulæ quædam, præsentes gratis habẽtes escas, & Herculis cornu, & Cyclopum vita quia iis qui victum laboribus quærunt, dextra manu declaravit, ultrò in posterum bonorum abũdantiam accedere. Tantalus autem usque in senectutem utique ẽgnis erat: propterea usq; ad labra erit felix, & oculis duntaxat erat fortunatus. Omnia autem illà perierunt, & lacus & fructus, & esca & potus, à Fortuna tanquam a vento direpta.

Nominata verò est fortuna multis quibusdam inter homines nominibus. Aequale enim ipsius nomen est Nemesis: incertum autẽ, Spes: necessarium verò, Fatum: justum autẽ, Fas. Dea prorsus multorum nominum, multorumq; morum. Huic indiderunt agricolæ Cereris nomen, & pastores Panos, & naturæ Leucotheæ, & gubernatores Dioscurorum.

Nam facilè quemvis hominem sustollit in altum:
Et facilè elatum deponit ad infima rursus:
Et facilè insignem minuit, decus addit & atro:
Et facilè pravum regit, exicatque superbum:

Jupiter ergo ille erat Fortuna, tenens quidem dextra scutum, lævâ autem sceptrum, quia bellicosis hominibus & regnum tribuit. Deinde Euripides, nautam reprehendit intempestivè lati fluctus ponti trajicientem: atque in sequentibus castigat, dicens quod

Sese bus & sua parvulu credunt nimis.

O fili Mnesarchidæ, poeta duntaxat fuisti, sapiens verò nequáquã. Neq; enim pici homines suam vitam, neq; funiculis committunt, neq; eos trium digitorum lignum piceæ salvos conservat: sed ferei committunt & firmæ & magnæ, nempe Fortunæ. Imbecilles enim sunt divitiæ, si Fortuna non adsit: instabilis est amicitia, si Fortuna non adjuvet. Ea salvum conservat ægrotantem in extremis, & natantem in mari, & Agamemnonem in mille navibus, & Ulyssem super rate vectum. Quid metuis ô timide? Num maris longitudinem reformidas? Videbitte quidem Neptunus, & advocabit ventos, accipietq; tridentem, & omnes commovebit procellas, non te tamen occidet, Fortuna enim non vult.

Sic mala multa ferens errabis per freta, donec
Mites convenias homines, Saturnij alumnos.

Hic autem sermo habetur à Fortuna, superato illo. Certè horum & vestrorum majorum antiquum fuit genus, indigenarum (inquam) & primorum Athenienssium, qui matrem quidem suam gloriabantur esse Terram, nutricem autem Cererem, cognominem autem & adjutricem Minervam.

Ex illis vero primis Athenienssibus Fortuna coloniam deduxit in Eubœam: quos illic manentes, neq; mare delectare, neq; terra alere poterat. Neque facilè illius rei ferebant turpitudinem, quod ex habitatoribus continentis facti essent insulares. Fortuna secundo melius consuluit. Venusta enim est Eubœa verè: sed quis nostrum ferre posset, ut in terra habitaret aspera, & vicinum haberet angustum mare, multasq; toleraret rerum mutationes, quæ in fluxu rerũ plures accidere solent? Nunc enim illos oportebat ferre Bœotos, & illam Thebanorum stupiditatem: deinde Athenienses, qui jam non ut cũ liberis, sed ut cum servis agebant. Propterea vos deduxit, atq; hunc in locum posuit, expansis manibus machinata navigationem, atque dirigens: fructus vero copiosè dans, donansq;. Cæterorum sanè sententiam conjicere difficile est.

Ego autem ô Fortuna (ad te enim meritò fortassis sermo verteretur) si quis me excelsum planè atq; sublimem ferret, vel in alato Pegasi dorso, vel in alato Pelopis curru, ostenderetque universam terram, omnesque civitates, non mihi unquam eligerem Lydorũ delicias, non frugalitatem Atticam, non paupertatem Laconicam, neq; Crotonem (sunt enim pauperes) neq; Sybarim, quia non laborant: neq; Scythas, quia terram non colunt: neque Aegyptios, quia alius colunt: neq; Libyen, ubi agni statim cornuti sunt pastorum felicitate: non Thebas Aegyptias,

Portis insignescentum, & servare ducentos
Aiunt quasque viros, cum curribus atque caballis.

Equisonum hæc vita, & janitorum. Neque opes.

In Delo quanta sunt Phœbi altaria circa.

Non sufficit mihi ara, non habenti unde sacrificem. Non sufficiunt mihi plantæ, quum me alere non possint:

Aspera, sed nutrix juvenum bona,

Neque aspera ipsa, nec altrix juvenum,

O domina cunctarum, & colenda civitas
Athenienssium. ——

Ne dicas ô homo. Non jam illa domina est. Pulchrum sanè illius apparet navale: at post Hellespontum atque Lysandrum turpe est. Pulcher est & Piræus,

Adhuc videlicet eum cum mœnibus cernis.
Qua mulier altera, nemora habuit talia
Unquam? ——

Habuit

habuit sanè: quum autem evasisset, comam abrasit, tanquam in calamitate:

Cœlique, ut aiunt, in loco degit bona.

Quomodo ergo hi fame, illi morbis laborant: & multo major hominum pars ab aere perit, quàm ab hostibus? Et ne quis molestè ferat, quod ita patrum feci mentionem: neq; enim prima præmia cõsequi poterimus, nisi certemus cum primis. Sed & antiquus quidam miles, tanquam esset patre melior, se jactabat. Quare neque Athenienſibus, licet sint patres, turpe fuerit à filiis superari. Vestræ enim virtutis participes erunt, licet juxta suam ipsorum vincantur. Et quomodo non pro his omnibus Fortunæ haberetis gratiam?

Fuit, qui illi ob genus ageret gratias, quod nempe esset Pallenensis: atq; ob status mutationem, quod ex pauperibus oriundus, dives esset factus. Socrates sanè ob multa se beatum duxit, quod animal esset ratione præditum, & quod Athenienſis. Diogenes autem, canis agrestis, & prorsus rerum civilium expers, fortunatus erat. Quãquam Fortuna multa illi tela ceu scopo immitteret, non poterat tamen vulnerare. Haud fero philosophum tam temerarie loquentem. Ne quæso mentiaris contra Fortunam. Non te quidem telo vulnerabit, quia non vult: volenti autem fortunæ, ubique facile est. Et ego quidem dicta illa brevia non dico, nempe Laconica, Servientes Persis; &, Dionysium Corinthi; & Socraris condemnationem, & Xenophontis exilium, & Pherecydis necem, & felicitatem Alexandri, sed illum ipsum difficilem tactu scopum, quot sagittis percussit? Exulẽ fecit, Athenas duxit, Antistheni conciliavit, in Cretam venundedit, præterea tanquam cæcum baculo & pera instruxit, adde his & tenuẽ & simplicem victum. Habe tamen & pro his fortunæ gratiam: Illius enim beneficio philosopharis.

Fuit autem & Timotheus dux Athenienſium, qui in omnibus felix erat, atque cavillis morsus non ferebat. Is tamen quum aliquãdo quid contra Fortunam temere dixisset, cœpit infelix esse, Quis unquam speraſſet Indis imperaturum mulionem? super Lydos regnaturum pastorem? atque Asiæ dominaturam mulierem? quodq; Herculem interfectura foret tunica atque mulier? atq; Alexandrum servus & calix? Habet enim in se plurimum semper regii ingenii, eosq; qui contra naturam elati sunt, deponit. Multa sanè Alexander temeraria designavit facinora. Non ferebat audire Philippi filius, Jovem mendaciis onerabat, Dioscuros contemnebat, Dionysium convitiis incessebat, tametsi abundè illius donis uteretur. Occidit autem & Clitum sapientem, & Philotam formosum, & vicinum Parmenionem, & præceptorem Callisthenem, & Aristotelem occisurus erat, deq; Antipatri nece deliberaverit. Eum ergo viventẽ adegit, ut confiteretur se hominem esse. Nam vulneratus, ad amicos. At hoc, inquit, quod effluit, nõ est divinus humor, sed verus sanguis. Moriens autem plane confessus est, Fortunam magnam esse deam. Ille igitur quum effugisset, & Thebanorum gravem armaturam, & Thessalorum equestres copias, atq; jaculatores Aetolos, Thracesq; machæris accinctos, & bellicosos Persas, invictumq; Modorum genus, & magnos mõtes, & flumina & præcipitia insuperabilia, & Darium & Porum, atq; alia multa gentium regumq; nomina, in Babylone absq; pugna & vulneribus mortuus est.

Quid autem dicendum est de regni illius successoribus, deque iis qui illos sunt secuti? deq; arrogantibus eorum nominibus. Appellabant enim sese fulmina, & urbium expugnatores, & aquilas, atque Deos. quorum hoc quidem mors redarguit, is vero excelsiorem invenit fortunam, tametsi jocari sibi videretur. Demetrius autem urbium expugnator, captivus factus à vino atq; ebrietate, ignominiosè mortuus est, à fortuna expugnatus. Quid igitur tyranni gloriantur de mœnibus? Quid Amphion canebat? Quid Deioces laborabat? Quid Semiramis ædificabat? Quid Apollo mercede serviebat? Quid deniq; Myles cum Leone mœnia circumibat? Obtinebit enim Medos Cyrus, & Babylonios Zopyrus, & Sardeis Mardonius, & Troiam equus. Magnum enim momentum, immo totum (ut quidam dixit) Fortuna est. Ipsa & Pindarum invenit expositum in Bœotica, & Telephum in Arcadia, & Romanorum reges in Italia, & huic quidẽ submisit opes, illis autem pastores, Telepho vero cervam, Cyro autem vel canem vel mulierem. Eumenes erat agitatoris filius, attamen rex factus est. Hercules Alexandri filius erat, non tamen regnavit, sed insepultus Olympiadi allatus est, cumq; eum luxisset, & ipsa mortua est, illa Dei mater. Darii autem mater & Alexandrum adoravit, & quod est indignius, Hephestionem. Quid verò Libyorũ rex? Nonne quingentas Romanorum civitates populatus est? sublatamq; tunicam suam civibus ostendit Romanorum annulorũ plenam, quos habuit ex hostium spoliis ab ipso interfectorum? Hic autem omnibus confectis, ignominiosè mortuus est, multum frustra reluctatus Fortunæ. Ideo mihi videntur homines etiam alia omnia fortunæ committere, & sorte tradere principatus, & exercituum præfecturas, & fratres ita suas dividunt possessiones. Et Polynices recte feciſſet, sortibus permittens disceptationem de regno cum fratre. Nunc autem & ipse mortuus est fratremque una perdidit, quum rem ætati, non Fortunæ, permitteret,

Sortem mittite, ut unus
Sorte legatur ad hoc, nam cui sors cesserit, ille
Haud dubiè referet ocreatis commoda achivis.

Atq; attulit etiam, qui sorte datus erat, Hector vero victus est, quum rem consilio, non Fortunæ credidisset.

Quippe Jovis duo stant in limine dolia, donis
Plena Deum. ——

in quibus videlicet hominum thesauri à diis repositi sunt. Promit eos autem fortuna, prout competere cernit & rhetori & imperatori, & pauperi & diviti, & seni & juveni. Crœso dat aurum, Candaulę uxorem, Peleoensem, Nestori scutum, Pterilæ auream comam, Nisi capillum purpureum, Alcibiadi pulchritudinem, Socrati prudentiã, Aristidi justitiam, Lacedæmoniis Athenienſium mare. Deinde vicissim his aufert, atq; dat aliis. Et nihil mihi videtur hominum vita differre à pompa, in omnibus quæ nobis accidunt mutationibus. *Oratione 65.*

Dio Prusæum: Qui valde Fortunæ crediderunt, ejusq; præsentia efferuntur, mihi optime ei videntur patrocinari atque efficere, ne quis eam, si se in diversum transferat, jure accusare queat. E diverso enim cuncti eos quos Fortuna suis amplectitur donis, ob cõveniendi difficultatem molestè ferunt, eorumque oderunt injurias: quum vero quenquam eorum relinquit, laudant, jureq; iis aiunt res esse mutatas. Oportet autem prudentes homines ita bonis uti adventiciis, ut si ea adsint, nemo accuset eos: si vero recedant aliquando, nemo iis insultet, Omni enim ex parte satius est, ut quis inopia pressus diligatur, videaturq; omnibus præter meritum Fortuna ab eo recessisse: quam è regione, ut felix aliquis odio habeatur, atque etiam insuper causam præbeat ut malè audiat Fortuna, quasi malignos pro benignis, beneficiis studeat afficere. Multi namque homines, eos qui superbè Fortunæ donis abutuntur, pravos quidem esse dicunt, bonisque indignos: at non infortunatos soliti sunt nominare. Mihi autem è contrario hi videntur omnium infortunatissimi effecti. Ex iis enim quæ bona existimantur, nihil boni percipere, sed convicia atq; odium acquirere, atque adeo suam ipsorum pravitatem omnibus reddere notiorem, quomodo non magna sit atque manifesta infelicitas?

Quamobrem opinor stultis utile esse parte ab omni, ut inopia laborent, & neq; potestatem, neq; divitias, neq; hujusmodi ulla bona consequantur. Quum enim sunt humiles, latere possunt alios, cujusmodi moribus sint præditi: in altum vero sublati à Fortuna, insignem faciunt suam pravitatem. Quemadmodum iis qui corporis aliquod habent vicium, melius est, ut in occulto se exuant, & nunquam in publico, ut neminem habeant turpitudinis & verecundiæ testem: Eodem arbitror modo iis, qui animum habent illiberalem atque flagitiosum, omnino prodesse, ut vitæ ignorantia tenebrisq; Fortunæ tecti transeant.

Iniquè enim mihi videntur pleriq; hominũ Fortunam accusare, quasi nihil habeat firmi & certi: sed cito eos quos foveat, relinquat, seq; transferat ad alios. Nam siquidem videre liceret, eos qui acceperunt, bonis Fortunæ plurimum rectè uti, & non è diverso statim superbiæ & inhumanitatis ferociæque esse plenos, non hercle recte faceret, si non apud eos permaneret: nunc autem, opinor, cupit unumquemque beneficio afficere tanquam bonum, atque suis donis dignum. Postquam autem malum senserit, & abjectum, & dedecore afficientem benevolentiam quam ab ipsa accepit, merito deficit, quæritque rursus alium, an humaniorem forsan possit reperire.

Quum autem plurimi sint pravi, atque humana natura raro aliquem proferat, qui idoneus sit ad felicitatem perferendam, necessario continuas habet mutationes: multo autem magis propter nostram, quàm ipsius naturam. Est vero absurdum, si nostrum quisque perferre nequit aliquos feliciter agentes, sed paulisper cum illis versatus recedit, mavultq; suam paupertatem quomodocunque fieri possit ferre, quàm morosos fatuosque tolerare mores, Fortunam autem, quæ dea est, velit cum illis ipsis vivere perpetuo, frequenterq; magnis affectam injuriis apud nullius mancipium precii permanere. A divitibus enim quæ in homines fit injuria, tales sunt contumelioſi, vituperatio, derisio, & plagarum frequens impositio: in Fortunam autem ipsam, superbia, morositas, parcitas. Proinde iniquissimè mihi pleriq; videntur reprehendere Fortunam. Nunc enim eã accusant, tanquam infidam, nihilq; habentem firmi. Nam si semper apud eosdem permaneret, fieri non posset, quin majore atq; justiore digna foret accusatione, Quando enim nunc videtis beate viventes, ita pravos & superbos, præsertim quum futurum sit incertum: quãtæ putatis eos superbiæ ferociæque plenos fore, si in universum nullam mutationem pertimescerent.

Multi aiunt Fortunam nullum nosse discrimen, & pravos fovere homines, bonos autem negligere: & maxime quum videant eos, qui ipsius bonis dignati sunt, insuaves esse, & inutiles, atq; degeneres. Videtur mihi autem Fortuna illis juste respondere posse, quod quum natura sit hominibus benevola, semper nostrum quibusdam præsto sit, neque dignos neque pravos deligens. Ad qualescunque autem accedat, tales eos esse semper redarguat. Oportere eos igitur suam ipsorum culpare naturam, nõ illius, quod tales facti sunt. Itaq; qui nonnihil laborat inopia, statim dignum esse videtur, & optimum ut is liberetur, qui vero illius possidet bona, flagitiosus apparet. Est enim simile, ut si multa vasa sint, & nullum integrum, videatq; quis infundentem, atq; moneat, Effluit, nec implere poteris, diceret enim, At omnia sunt hujusmodi: dum autem vacua sunt, latet illorum vicium.

Præterea admiror, quomodo tandem pleriq; fortunam dicant lubricam & periculosam esse, nullumq; illius donorum esse constans. Illa enim postquã alicui dat sua bona, utpote pecunias, robur, gloriam, honores; hisce neminem uti prohibet justo modo, immo ne in tutum quidem reponere locum. Hoc autem dico, non ut intro in domum recondant, aut promptuarium, aut claves aut repagula objiciant; his enim nullum illius donum custoditur: sed in hominum benevolentiam, in beneficia patriæ, in amicorum auxilium. Nunquam

quàm ergo Fortuna quicquam abstulit ab iis qui semel possederũt, atque hoc recondiderunt pacto. hi enim sunt thesauri stabiles, omnibusq; manifesti, pro iis bonis quæ ultro accesserint. Si quis vero accepta abjiciat, atq; hercle male collocet, ostiis, sigillis & clavibus cre..ens, non jam opinor per illam pereunt. Vehementer autem & hoc absurdum.

Ad hoc enim quod maledicis eam sermonibus insectantur, fictores quoq; atq; pictores illi conviciantur: hi quidem ut insanientem atq; res temere projicientem pingentes, illi autem sphæræ insistentem. quasi non tuto neq; absq; periculo consistat: quũ oporteret nos ipsos ita fingi atq; pingi, qui ita attonite atq; male omnibus utimur: neq; per Jovem sphæræ, sed dementiæ insistimus: & non Fortunam frustra accusare.

De omnibus quidem, ut breviter dicam, pleriq; homines non recte sentiunt, maxime tamen de Fortuna falsam & erroneam habent opinionem. Aiunt enim, dare eam quidem hominibus bona, facile autem auferre: & propterea ut infidam atque invidam cõviciis prosciindunt, Ego vero non dare aio Fortunam horum quicquam, eo quo multi putant modo. Quo enim quisq; facultatum dominus sit, & per quod duntaxat bona possidere tutum est, id illis non dat cum pecuniis & gloria, potentiaq;. Hoc autem est, quo sine neq; aliud quicquam possidere licet vere, sed tantum putare atque decipi. Quemadmodum neq; nos, quum quẽpiam in ædes introducimus, aut alicui prædium aut instrumenta quædam præbemus, confestim eum illorum dominum constituimus; si non id cum securitate fiat quadam, aut literis. Sic etiam & Fortuna neminem facit dominum eorum quæ ipsa dedit: si non accedat, ut quis cordate atq; prudenter ea accipiat. Et pleriq; homines beatos statim prædicare solent, quibus Fortunæ dona suppetere viderint: quemadmodum navigantibus congaudent, si ventum viderint urgentem: nescientes, an ille ad cursum illorum faciat, atq; an gubernatorem habeant expertũ. Ego vero arbitror tunc demum beatos esse judicandos, qui copiose fortunæ bonis sunt ditati, quum illis adfuerit & prudentia. Juxta hæc enim ipsa certum est, quod fatuis periculum & calamitatem sint allatura. *Orat.* 65.

Aristides Rhetor: Itaq; neq; robur corporis, nec magnitudo, nec equorum præstantia, nec cujusquã celeritas est aut pulchritudo cujusquam propria, si diis aliter videatur. Quocirca sive amicis sive opibus vales, sive gloriam inter cives es consecutus, noli te extollere, nec plus tibi, quam liceat, tribuere. Ut omnia tibi suppetant, à Fortuna vinceris. Hæc sibi vult certamen istud: hæc Homerus dicit. Nihil est in rebus humanis securum, nihil æquabile, nihil sibi sufficiẽs: verum, cum tempus ferret, fortem vincet i..becilliore, Babylon una cum mœnibus capietur, Persas rursum populabuntur alii. Hęc enim omnia vicissim in orbem feruntur. Nec aliter tuum quoque illud, Plato, hominem esse Dei ludicrum, comprobatur. Etenim cum auriga de curru decidit, in quo prius firmiter constiterat, & gubernator ignorat, quomodo navem servet, quod jam sæpe fecerat, ac potẽtior ab imbecilliore cogitur æstuare, [celerem tarduſq; prehendit,] atq; omnia sursum ac deorsum feruntur: tum dictio tua locum habet, tũ oraculi vicem habere videbitur illud, Dum & Fortunam cuncta moderari, res autem nostras esse plane ludicras. Quod si gubernatores omnes cunctos vectores salvos præstarent, ac medici omnes cũctos sanarent ægrotos, & majores ac potiores vincerent, atque hi omnes semper florerent, nec quisquam eorum, qui recte cœpisset agere, erraret, neque votum à facultate quicquam differret: immortales forent res omnes humanæ, nec precibus fortassis opus esset, neq; nos, ut nunc, dolium alterum perfudisset. Nunc vero poetæ cum in aliis rebus multis prosunt, tum heic nobis imminent, ac naturæ nostræ semper nos admonent, & diurnos atque humi repentes vocant, atque arrogantiam quovis modo tollunt, ne quis, etiam qui sibi felix videatur, efferat se, nec alteri, qui quid offenderit, temere fortunam objiciat.

Epictetus: Quid est fortuna? nobilis matrona quæ in servos se impingit: sine judicio proxima meta: alienorum bonorum casus: ad quem venit, splendorem ostendit; à quo recedit umbram facit. Quot sunt autem fortunæ? Tres. una cæca, quæ ubilibet se impingit: & alia insana; quæ concedit, citò aufert: tertia surda, quæ miserorum preces non exaudit. *Altercat. cum Hadriano Aug.*

Libanius: Vivere præclarum est eum qui fortunæ munere munitur: sed illa bellum movente in eo ipso in quo succurrere videtur, cedendum est: neq; hoc ei concedendum ut denuo male faciat. At enim si illa in vivos dominatur, mortuum certè tristitia non potest. *Declamat.* 10.

Libanius: Quid ergo prudentis viri est? non stabilem deæ fortunæ societatem ducere; cujus munus est à victoribus ad victos transire, atq; eosdem extollere & deprimere. idcirco metuendum est, ne quorum nunc captivos teneo, eos paullo post Macedoniam tenentes videam. *Declamatione* 13.

Simocatta: Perterruit Macedoniam Alexander, Bucephalo equo vectus. Equum aiunt frenis non obedire solitum, neque solitis manuum palpationibus leniri. Etenim mansuetum ac ferum est animal, & quidem ferè non erat equus, sed inaccessus, & his qui inciderent, magno cum detrimento obviam ibat. Cum sed lorem Alexandrum sortitus esset, immanitatem quasi mansuetudine temperavit, permutans feritatem modestia. Et erat videre moderatum qui ante fuerat effrenis. Non enim fas erat repugnare Alexandro. Sis igitur Aristarche tu quoq; fortunæ obediens. Non enim Alexandro, sed fortunæ Bucephalus obtemperavit. *Epist.* 46.

§ Latinorum.

Quintilianus Senior. Fortiorem me faciet & Fortuna. Solet fatigari, solet posteaquam nimium indulsit, in fine deficere. *Declamatione* 271.

Quintilianus Senior: Est videlicet hoc quoque in potestate fortunæ, ut in contrarium bona ipsa convertat. *Declam.* 333 *pr.*

Petronius Arbiter: Quod non expectas ex transverso fit, & super nos fortuna negotium curat. *Satyrico.*

Calpurnius Flaccus: Ter consulatum gessisti, ter triumphasti. licet jam velit fortuna mutari, in illius potestate non est fuisse. Quis timeret fortunam nisi prodesset? *Controversia* 8 *f.*

Calpurnius Flaccus: Fortuna suis ipsa muneribus invidere solet. *Controversiæ 41 principio.*

Calpurnius Flaccus: Fortunæ, inquit, fuit. Quousq; fortunam facimus humanorum negotiorum ream? Esto. fortuna fecit ut caperem: quis fecit ut nemo redimeret? *Declamatione* 50.

Plinius junior: Valerius Licinianus heic modo inter eloquentissimos causarum actores habebatur nunc eo decidit, ut exul de Senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in præfatione dixit dolenter & graviter: Quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex professoribus Senatores, ex Senatoribus professores. *Libro quarto Epistola* 11.

Latinius Pacatus: Etsi per te, Imperator confeceris quæ volebas, per fortunam tamen plus adeptus es quam volebas. *Cap 41. Paneg. Theodosio dicti.*

Symmachus: Falso creditur, judicij nesciam esse fortunam. Illa vero & præteritorum memor, & præsentium diligens, & prudens futuri, tibi rependit quicquid cæteris præstitit. Non ergo vana, neque erratica est: à qua scimus alios donum cœpisse, te præmium. *Lib.* 1. *Epist.* 32 *pr.*

Symmachus lib. 1. *Epist* 34. Fortunæ licentia interdum optimos decolorat.

Symmachus: Fors versat humana, nec semper ex voto destinata succedunt. *Lib.* 2. *Epist.* 57.

Symmachus: Principibus maximis gratias ut absolutus egisti, & de sola fortuna ut innocens conquestus es. *Lib.* 3 *Epist.* 45.

Idem: In eum militiæ gradum labore venisti, ut Benedicti fortunam debeas adjuvare, quem nulli obnoxium crimini fortunæ iniquitas loco depulit, & honore privavit. *Libro* 4 *Epist.* 53.

Symmachus: Plerumque fors dispositã conturbat. *Libro* 7. *Epistola* 39.

§ Poetarum.

Plautus Asinariæ 3. sc. 3. v. 37.

Vt consuevere homines, Salus frustratur ac Fortuna.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 83.

Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.
Eo nemulta quæ nevolt eveniunt, nisi fictor malus est.
Multa est opera opus fictura, qui se fictorem probum
Vita esse agenda expetit.

Terentius Eunuchi 5. sc. 9.

—— *Quid commemorem primum, aut quem laudem maximè?*
Illum qui mihi dedit consilium ut facerem, an me, qui id ausus sim
Incipere? un fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit.
Quæ tot res, tantas, tam opportunè in unum conclusit diem?

M. Terentius Varro.

Nemini Fortuna currum à carcere intimo semel
Missum, insolensum per æquor candidum ad calcem subit.

P. Virgilius Maro.

Aspice quem valido subnixum gloria regno
Altius & cœli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem:
Hic reges Asiæ fregerat, & populos.
Hic grave servitium tibi, jam tibi Roma ferebat.
Cetera namque viri cuspide conciderunt:
Cum subito in medio rerum certamine præceps
Corruit, è patria pulsus in exilium.
Tale Dea numen, tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit.

C. Laberius Mimus.

Fortuna immoderata, in bono aquè atque in malo.

Petronius Arbiter. loquitur Pluto.

Rerum humanarum divinarumque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,
Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
Ecquid Romano sentis tepondere victæ?
Nec posse ulterius perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes male sustinet. aspice latè
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.
Ædificant auro sedesque ad sidera mittunt.
Expelluntur aquæ saxis: mare nascitur arvis;
Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea regna petunt. perfossa dehiscit

Molibus

Molibus insanis tellus. Jam montibus haustis
Antra gemunt; & dum varios lapis invenit usus,
Inferni manes cælum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta placatum in prælia vultum,
Romanosq; cie. & nostris da funera regnis.

Lucianus in Fortunam.

Multa potest fortuna, velinsperata, potentes
Dejicit, ac tenues subvehit illa viros.
Illa supercilium tibi protinus auferet, & si
Auriforo madeat flumine tota domus.
Ventus enim malua, limosaque abstinet ulva,
Sed veteres ornos exagitare solet.

Ausonius de Minervio Rhetore.

Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit & rapuit.

Ausonius de Marcello Grammatico.

Nec te Marcello genitum Marcelle silebo,
Aspera quem genetrix urbe, domo, pepulit.
Sed fortuna potens citò reddidit omnia & auxit.

Mox versu 10.

Sed nunquam iugem cursum fortuna secundat,
Præsertim prauis nacta virum ingenijs.

Ausonius in Monosyllabis.

Res hominum fragiles alit, & regit, & perimit fors.
Fors dubia, aternumq; labans, quam blanda fovet spes.

Ausonius Epig. 135.

Fortuna nunquam sistit in eodem statu.
Semper movetur, variat, & mutat vices.
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Joan. Sarisberiensis præfatione Policratici.

Quod fortuna dedit, & quod dabit, est alienum:
Auferet hoc totum cum volet illa tibi.
Retia pennatis nequeunt prævisa nocere:
Tu quacunq; vides, retia mentis habe.
Retia sunt quacunque vides, hominemque ligatum
Ad miseram mortem per mala quæque trahunt.

Guntherus lib. 1. Ligur. v. 5.

Atque tibi toties conatam illudere frustra
Fortunam, vulgare paro, monstrique biformis
Ambiguos vultus, motusque volubilis orbem
Frenatum virtute tua; casusq; sinistros
Exceptos habitu, quo prospera, mentis eodem.

Guntherus lib. 8. v. 108.

Sensimus, ut multi, mortalia quæque regentem,
Nos quoque fortunam.

Ibid. v. 119.

Mutavit fortuna fidem, dextramque retraxit,
Atque nova longum compensat clade favorem.

¶ Apologorvm.

De Anu dæmonem accusante. Fab. 33.

Volunt homines ut plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit adversi, in fortunam vel in dæmonem culpam conferre, ut se crimine exuant, adeò omnes sibi indulgent. Hoc dæmon ægrè ferès, cùm videret anum quandam arborem ascendentem, ex qua illã ruituram, & in se culpam collaturam prævideràt, accitis testibus dixit: Videte anum illam absq; meo consilio arborem ascendentem, unde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei nõ suasisse, ut soleata illuc ascenderet. Mox anus cecidit, & cum interrogaretur, cur soleata arborem ascendisset, dæmon, inquit, me impulit. Tunc dæmon adductis testibus, probavit id ab anu absq; suo factum esse consilio.

Fabula indicat, homines minimè venia dignos, qui cum liberè peccent, fortunam vel dæmonem accusant. Abstemius.

De Viro qui se felicitatis suæ causam, infelicitatis verò fortunam esse dicebat. Fab. 198.

Vir quidam avaritiæ deditus, cum audiret; nihil mercatura esse lucrosius, divenditis paternis bonis, navigare cœpit, prosperaq; usus fortuna, brevi maximas divitias cõgregavit. interrogatus autem ab amico, quomodo tam parvo temporis curriculo tot opes coacervasset, mea, inquit, industria. Sed quũ non contentus tot ac tantis, quas paraverat divitiis, ditior navigatione fieri vellet, bis, terq; naufragio facto amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus quid eum paulò antè tantis rerum omnium copiis affluentem ad tantam paupertatem redegisset? fortuna, respondit. Quod fortuna audiens, vehementer indoluit, ingratum eum appellans, qui bonorum se causam, malorum verò volebat esse fortunã.

Fabula indicat, improbè eos facere, qui felicitatis causam suæ industriæ, adversitatis autem fortunæ adscribunt. Abstemius.

¶ Emblematvm.

Had. Junius Emblemate xxvi.

Stare loco nescit certo Sors lubrica, sedes
Quærere docta novas.
Hinc pedibus mutilam, & subnixam remige penna
Smyrna Deam posuit.

Batillius. lviii.

Impavidum ferient ruinæ.

Illæsam ut tectis crepitans salit horrida grando
Cum fremitu, tectis nec tamen illa nocet.
Sic fortuna minis sapientem oppugnat & urget,
Inque illum bruto fulmine cassa ruit.

Batillius cxxxv.

Fortuna sedens.

Cur fortuna sedens hæc est depicta tabella,
Qualis Apellæis olim erat in tabulis?
Num quod stare nequit semperque volubilis errat,
Et variam alternans fertque refertque vicem?

Batillius clxvii.

Fortuna etiam potens in amore.

Floridam Amalthea gestat fortuna corollam,
Proximus atque illi pervigil astat Amor,
Scilicet ut nil non sibi vult fortuna licere,
Ipso etiam illa sibi ius in Amore facit.

Sapiens supra Fortunam. Embl. ix.

En qua ira solet per Universum
Cunctis dicere Sors; hic illigatur:
Nimirum sapientia recoctus
Extra se nihil expetens bonorum
Sortem sub pedibus premit superbam.

Florentius Schoonhovius.

¶ Apophthegm. Christianor.

Villegisus Archiepiscopus Moguntin. Volubilis Fortvnæ rotas volumus, & simul in eis admirandam in magnis viris mutationem eamq; licet iniquam quandoq;, æquo tamen fortiq; pectore toleratam. Videamus ergo quot beneficiorum gradibus Villegisvm beatrirerum domina Fortvna. Patre rhedario natus, ab Othone III. derepente primus inter Electores adoptatur. ne autem repentinus ille honor, eũm suprà id quod erat, efferret, sæpius ructabat: *Vide quis sis, memento quis fueris.* Unde & rotas suo Musæo appingi curavit, iisq; subscribi: *Villegisi prioris tui* Fortvnæ *memor, quis nunc sis considera.* Hæc rota postmodum insigne Archiepiscopatui Moguntinensi fuit, atq; ab Henrico II. Imp. confirmatum. Observabat ergo hic illud Ausonii:

Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Ioan. Zieglerus de Viris illust. Ioan. Naucler. gener. 32. Bruschius de Episc.

Benedictus XI. Pont. Max. Ille etiam genere obscuro ortus, ac tenui fortuna, virtute ad Pontificatus apicem evectus, primævæ paupertatis memor erat. Venerat namq; ad eum mater: quam splendidiori cultu, ac tali filio digno, ornaverant matronæ Rom. quæ, ubi in conspectum ejusdem venisset, dissimulavit Põtifex se eam agnoscere. ac monitus adesse matrem, *Egon'*, ait, *tam speciosõ amictu matrem esse credam? non agnosco. matrem enim & pauperem scio, & ignobilem.* Erubuêre cuncti, matriq; eductæ pannosas exuvias reddidere. quibus indutam, reducunt. Tunc genitricem amplexatus, *Hoc*, inquit, *habitu matrem reliqui, & talem libenter agnosco, recipioque. Crantz. lib. 8. Metrop. c. 46.*

Franciscus primus Franc. R. & Carolus V. Imp. Horum uterque maxima Fortunæ luctatio fuit. omnes enim illius insultus fortissimè & cõstanter sustinuêre. Captus à Cæsarianis Francisvs apud Ticinum amnem, custodiæ in Hispaniis traditur. quo perductus, advertit muro palatii, quod ei carceris loco erat, inscriptum illud Caroli symbolum, *Plus ultra.* & studio id factum suspicatus, ut nempe suæ conditionis memor esset, variam & ancipitem belli aleam cõsiderans, eodem characte re subjunxit: *Hodie mihi, cras tibi.* quod intuitus post dies paucos Carolus, firmum se formatumque ad omnes rerum eventus contestatus, laudabilem illam sententiam subjunxit: *Homo sum, nihil humani à me alienum puto. Auct. Serm. memorab Peucerus de Divinit. Richt in Axiomat.*

Gelimeres Vandalorũ Rex: Quid verò huic simile ætas nostra aut sensit aut vidit? Ducebatur jam victus & vinctus unà cũ conjuge, liberis, familia regia, à Justiniano Imp. in triumphum: & non tactus iniquæ sortis casibus, pleno & cachinnabili risu defluxit. cumque eum ob nimium dolorem mente alienatum existimarent, dicebat: *Rideõ Fortuna vicissitudines, ut qui modo Rex suorum, jam serviam.* Et ita obtinet illud Lyrici;

Fortuna lato sæva negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Philipp. Camer in Oper. succes. cap. 12.

Rex anonymus: Gelimeris exemplum aliud illi par non indecorè sequetur, quod Nicephorus posthumæ ætati cõsecravit. Erat Sesostris Ægyptiorum Rex illustris, & felix, qui Reges quàm plures & maximas nationes suo imperio subjecerat. Verum ex eo successu in proteruam arrogantiam sublatus, currum aureum & gemmatum construxit; in quo considens, quattuor ex devictis Regibus qui eum protraherent, jugo imposito adhibuit. quod cum crebriùs fieret, factum ut celebri quodam die unus è quatuor istis Regibus, oculis conversis, assiduè volubilitatẽ rotæ intueretur. Quem cùm Sesostris rogasset, cur tam frequenter oculos in rotam cõjiceret; respõdisse ferunt: *Admiror, & cum stupore rotã considero; dum eam instabili modo volui, & nunc quidẽ sublimia demittentẽ, rursus autẽ demis-*

demissa sublimantem conspicor. Movit ea responsio, & magis cujus illa index erat, rerum humanarum vicissitudo, ne illi deinceps curtũ traherent: & Fortunæ inconstantia, Sesostri suspecta, & despecta esse cœpit.

—— Sic omnia versi
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has, sic magna fuit censuque virisq́;,
Perq́; decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avarum.

Niceph. lib. 18. cap. 26. P. Joan. David. in Orbita Probitatis, cap. 18.

Anonymus: At nostri sæculi & soli est quod subjicio. Occuparat Alexander Farnesius Parmæ Dux, urbium Christiani orbis ocellum Antuerpiam: cum à viro nobili admoneretur Marti valediceret, gloriam suam ad summum apicem attigisse. & inquiebat: *Solet Fortuna, cum ad summum venit, rotam volvere: &, summa imis commutans, numquam diu stare.* Quis vaticinium illud verum fuisse negabit, qui subsecutam ejus fortunam mente complectitur? *Iansonius lib. 5. Mercurij Gallo-Belg. pag. 500.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absq́; fortuna esse nemo fortis aut clarus potest.
Ad bonos Fortuna eventus vertit & incommoda.
Ad fortunæ omnem projecti contumeliam sumus.
Admodum brevis fortuna est, qua favoris maximi est,
Bruta sors dignum atq́; indignum non quit internoscere.
Caca fortuna est eosq́; quos fovet cacos facit.
Caca non es ô Fortuna: caci sunt qui in te incidunt.
Caca Fors est efficitq́; cacos quos complectitur.
Cacu ob eam rem sors est quia non cernat quo sese applicet.
Caca sors humana versat, ut pilam volubilem.
Cæca sors venena dulci melle tecta temperat.
Consilium fors subministrat saps quod ratio haud potest.
Contra fortunam obsequentem cauta parum est mortalitas.
Contubernium Fortunæ, Stultitia ac Superbia est.
Crede fortunæ obsequenti parcius, levis Dea est.
Crimen est fortunæ, iniquis cum bene est, male at probis.
Cuiq́; tantum fors minatur quantum item permiserat.
Cum manus Fors porrigit, comprendere pinnas haud sinit.
Dejicit de mente hominem sors præter merstum prospera.
Dum juvat fortuna tolli, dum tonat mergi cave.
E malis fortuna suevit magna facere gaudia.
Efficax virtus sed illa fortuna efficacior.
Est soror Fortuna Suada, nata at Providentia.
Ex fortuna plus minusve fas privato sumere est.
Fac adores queis Fortuna mater est: quid vis queunt.
Fingitur fortuna cuiq́; moribus semper suis.
Firmiter renebis angues foliis in flexuosis.
Fors dominatur, nulla nec vita ulli in vita propria est.
Fors fortuna in unum summa vertit, & versa erigit.
Fortibus cum fors resistit vis nec ars quid quam valet.
Fortuna ad bonos eventus vertit & incommoda.
Fortuna immoderata in bono æque atq́; in malo est.
Fortuna nulli fidendum, certe haud fidendum optimæ.
Fortuna nulli minus bene credas, quam prosperrima.
Fortuna rebus secundis moderandum vel maxime.
Fortuna rotationes fortiter qui fert sapis.
Fortunam ducem libenter non sequi turpissimum.
Fortunam expectare multo quam movere tutius.
Fortunam insanam esse, & cacam, & brutam perhibent Philosophi.
Fortunam plerumq́; mores cuique conciliant suam.
Fortunam probare noli, ubi haud habet virtus locum.
Fortunam suam fatigat quisque eampse onerat nimis.
Heu mala heu fortuna, ut omnia in me conglomeras mala!
Hoc mage veritas elucet quo ad manum sapius venit.
Illico fortuna vitus exteros subit nova.
Fraus cavenda ubi renidet fors sereno vultu hera.
Illico sua fortunam pœnitet indulgentia.
In bono maloq́; transit semper ipsa fors modum.
In malos fortuna nulla, sed bonos iniquitas.
In malos fors nunquam iniqua, iniqua sæpe est in bonos.
Lata fors de more plumbi, cuncta qua tangit premit.
Lubrica est fortuna ut anguis: hanc manibus pressu tene.
Maximam natura habet vim: habet fortuna proximam.
Moribus suis cuique fors fortuna fingitur.
Nec modum Fortuna servat in bono nec in malo.
Nec navi aura usq́; est secunda, nec fors usq́; latior.
Nemo sortem ad obsequentem cautus est homo satis.
Nemini potest nocere fors cui non profuit.
Nemini fortuna ab ipso carcere ad metam bona est.
Neminem occupat fortuna, nisi harentem antea sibi.
Nil potest fortuna, quivis ipsa fortuna est sibi.
Non modo fortuna caca est, cacat quos complectitur.
Nulla re major fortuna invidia fit, quam animo bono.
Nulla sors homini perennat quam cui malum additum.
Nulla stat hominum fortuna si titubat dus fides.
Nullus est locus venire quo fortuna non queat.
Nunc agit fortuna matrem, nunc novercam sufficit.
Nunquam eodem fors diu fortuna stat vestigio.
Nunquam judicio Sors quenquam diligit mortalium.
Nusquam quam Præneste Fors Fortuna est fortunatior.
Optima est fortuna homullis, cum putatur pessima.
Optime fortunam utramq́; perferunt viri probi.
Ordinat suam sagax vir ipse fortunam sibi.
Parcius crede obsequenti Fortunæ: levis est Dea.
Parcius tribuit secunda Fors, adversa largius.
Parte saltem in aliqua fortuna aderit multa audentibus.
Pauculis fortuna mater est, noverca at omnibus.
Plurimis non fortitudo, sed fortuna deficit.
Plurimos fortuna pœna liberat, nullum metu.
Plurimum in re militari sors fortuna deficit.
Plus discriminis in secunda cuiq́; re quam turbida.
Ponderosior fortuna quovis plumbo prospera est.
Præterit rates Fortuna, in alto quærit suppara.
Promptius mala Fortuna vela quam bona regat.
Promptius malam fortunam quisq́; quam bonam regat.
Promptius sortis sinistra vela quam dextra regat.
Promptius sortem novercam quam parentem quis ferat.
Qua dedit fortuna, tollit, eadem reddit qua abstulit.
Quales ex malis humanis fors ludos facis tibi!
Quam facile influunt fortuna dona, tam facile effluunt.
Quem fortuna non decepit, casuum incerta haud cogitat.
Quem nigrum Fortuna scripsit nulla at am alba vertit.
Qui supra fortunam est, esse quidnam supra eum potest?
Quid queat sors? quisq́; sortis qui cupit, faber sua est.
Quidquid est datum a fortuna, tanquam abiturum possida.
Quo benignior sors est, hoc minus abuti ea decet.
Quo fortuna quaq́; major est, ipsi hoc credas minus.
Quo saxum impulerit globosum fors Fortuna, eo cadit.
Quod repentè fortuna effert & repente destruit.
Rara fortuna bona, bonaq́; mentis copula est.
Raro virtus ac fortuna sedem eandem possident.
Rarus est fortuna utatur qui perenne prospera.
Res plerasque agitat Fortuna propria ex libidine.
Rebus è mere miscellis plurimos sors evehit.
Rebus elato secundis, si, sapis, ne arrideas.
Res tenent ferè secunda, res adversa distrahunt.
Sæpe principium malorum sors fit fortunatior.
Sæpe sors favet pejori, præterit que idoneos.
Sæpe sors hominum bona ipsa vertit in contrarium.
Sæpe sors tristis secunda fecit impetu locum.
Sæpe virtutem quoq́; ipsam decolorat sors hebes.
Semper expectari mavult fortuna ipsa quam regi.
Solvit in luxum homines nimia sortis indulgentia.
Sors nocet minus noverca quam parens mortalibus.
Sors potest auferre gazam, auferre virtutem haud potest.
Sors quibus secunda semper, virtutem minimi putant.
Sors quod est desistit esse, sede si una permanet.
Sors suam malignitatem cum facit palam optima est.
Sors via diversa magnas destruit potentias.
Sortis aut nil, aut pusillam intervenit sapientia.
Stultus est sibi fortunam qui ipsemet facit malam.
Stultus est sorti venienti qui ultrò non pandit sinum.
Sunt manus Sorti atq́; penna, non habet famem pedes.
Temporis fortuna puncto res decernit maximas.
Vir sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.
Vix sapientius secundam sortem, quam tristem ferat.
Vix Fortuna malignitatis oblivisc tur sua.
Vnius est fortuna magna facere gaudia è malis.

¶ Jambica.

Etiam suos fortuna alumnos prodidit.
Eventus omnis fortunæ incertissimus.
Euripus est fortuna, nec loco manet.
Formidolosos neutiquam Fors adjuvat.
Fors dominatur, neque vita in vita propria est.
Fors est mare, uno quod manet nunquam statu.
Fortem adjuvat fortuna, inertem dejuvat.
Fortuna caca quos fovet cacos facit.
Fortuna cum virtute bellat perpetim.
Fortuna cum vult, probrum cedit gloriæ.
Fortuna donat alijs, aliis eripit.
Fortuna eadem fronte raro cernitur.
Fortuna eodem non diu stat vestigio.
Fortuna, etiam bona vertit in contrarium
Fortuna felix, quos ornat, & premit.
Fortuna fingit arctat que humana, ut lubet.
Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
Fortuna gnata est liberatoris lovis.
Fortuna immoderata in bono æque at q́; in malo est.
Fortuna Justitiaq́; Suadaq́; est soror.
Fortuna juris in hominis animum nil habet.
Fortuna lata, ut plumbum quavis deprimit.
Fortuna longo parva crescit tempore.
Fortuna magna, belle major fit malis.
Fortuna major aut minor fit tempore.

Fortuna amator quisque, iracundissima est.
Fortuna matrem agnoscit providentiam.
Fortuna minime caussa contingentium est.
Fortuna multis supra fortitudinem est.
Fortuna non consilium humanas res regit.
Fortuna nos vincit, nisi tota vincitur.
Fortuna nulli præbuit certam fidem.
Fortuna nullum jus inopes animi obtinet.
Fortuna nullum perpeti amplexu fovet.
Fortuna opes auferre, non animum potest.
Fortuna parva, humana versat omnia.
Fortuna parvo magna durat tempore.
Fortuna plus consilio humano potest.
Fortuna pro hominum moribus bona aut mala est.
Fortuna quæ dat, sunt insidiæ, haud munera.
Fortuna quando non eadem mutat suam.
Fortuna quavis est ratione potentior.
Fortuna quavis virtute efficacior.
Fortuna quem repentina, invisa & gravis.
Fortuna quem diu tulit, tandem abjecit.
Fortuna quemque refugit ignavissimum.
Fortuna quo se, eodem hominum inclinat favor.
Fortuna quo stabilior hoc est stultior.
Fortuna rara viro sapienti intervenit.
Fortuna raro cuique adest pro moribus.
Fortuna sæpe commutatur cum loco.
Fortuna sæpe pro culpa innocentia est.
Fortuna sæpe virtutem sequi solet.
Fortuna se cum moribus nostris novat.
Fortuna semet sæpe mutat cum loco.
Fortuna semper omnia intra stat probum.
Fortuna semper vindicat jus gentium.
Fortuna si vult, rhetor es de Consule
Fortuna si vult, consul es de rhetore.
Fortuna sibi quærit pares fortissimos.
Fortuna timidos deserit, fortes juvat.
Fortuna ubi melior ruit, rara est fides.
Fortuna vel momento optima concidit.
Fortuna, vel naturam corrumpit suam.
Fortuna vix celit virtutem prosperam.
Fortuna volvis fusces ea summo retro.
Fortuna ut artem, ita ars fortunam diligit.
Fortuna utramque paginam nobis facis.
Fortuna inane nomen est prudentibus.
Fortunam adversam sublevos industria.
Fortunam aliquando criminis pudet sui.
Fortuna eadem nemo semper utitur.
Haud sortis unquam simplex indulgentia est.
Inter beneficia & fortunam timeas sua.
Inter beneficia sors metuenda etiam sua est.
Invita Fortuna, heu, teneri non potest.
Magna fortuna vel servitus vel maxima est.
Malam bona præferre fortunam licet.
Mores cuique fingunt fortunam sui.
Multum juvat fortuna fortitudinem.
Necesse sortem perpeti mortalibus.
Nil sors potest. fortuna quivis est sibi.
Non est locus fortunæ, nil ubi est sui.
Nunquam sapiens fortuna duxerit mala.
O sors fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!
Pati bonam fortunam qui potest, ferat.
Pauci patrocinia, plures fortunam fovent.
Persæpe sortem criminis pudet sui.
Pressa tene manibus Fortunam: lubrica est.
Qua exegeris, præstare Fortuna imperat.
Quacumque sors cito influit, cito effluit.
Quando suam fortuna non mutat fidem?
Quis influentis dona Fortunæ abnuat?
Quo blandior fortuna, eo fallacior.
Quo major est sors hac ei credas minus.
Quo major est fortuna, eo tuta est minus.
Quod non dedit fortuna, non eripit.
Rara est fides fortuna ubi melior ruit.
Se sæpe dat fortuna quisquis multa agit.
Secundas fortunas decent superbia.
Sors re secunda maximè frenis indiget.
Sortem movere, quam expectare intutius.
Sortem potest cavere, ferre qui potest.
Statim redit Fortuna ad pœnitentiam.
Stultus movet fortunam, expectat providus.
Suspectam habe Fortem, Deæ est levissima.
Sua regit fortuna lege tempora.
Tandem sui fortunam criminis pudet.
Tantundem in heros ac servos fortuna licet.
Tolli potest fortuna, virtus non potest.
Trahit malos fortuna, præcedit bonos.
Transfert cito sua fors fortuna munera.
Tristem facilius sortem quam lætam ferat.
Tristem regas fortunam, lætam non regas.
Virile non est terga fortunæ dare.
Virtutis esse caussa fortuna haud potest.
Virtutis ac fortunæ rara copula est.
Vitam regit fortuna, non sapientia.
Vnus duorum fortunam animus non capit.
Vt Luna sic sors fronte eadem haud permanet.

Fratris aut Sororis.

§ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Fratres autem esse nos tanquam unius Dei & unius magistri, videtur utiq; Plato quoque testari hoc modo: Nam estis quidem omnino, qui estis in civitate, fratres, ut iis dicemus narrantes fabulas. Sed Deus dum fingeret quicunq; ex vobis erant apti ad imperandum, aurum eis commiscuit in generatione, & ideo sunt præstantissimi & maximi precii; quicunq; autem erant auxiliatores, argentum: ferrum autem & æs, agricolis & aliis opificibus. Unde dicit, fuisse necesse ut amplecterentur & amarent, ii quidem ea propter quæ est gloria. Fortasse autem divinat electam hanc naturam quæ desiderat cognitionem: nisi forte tres aliquas ponens naturas, describit tres formas reipublicæ, ut quidam existimarunt: & Judæorum quidem, argenteam: Græcorum autem, tertiam: Christianorum autem, quibus aurum regale est admixtum, nempe sanctus spiritus. Et vitam Christianam ostendens, his verbis scribit in Theæteto: Dicamus vero de iis qui sunt summi & præcipui. Quid enim dixerit quispiam de iis qui male versantur in philosophia? ii autem nec viam norunt in forum, nec ubi sit prætorium aut curia, aut aliquis alius communis conventus civitatis. Leges autem & scripta decreta, neque vident neque audiunt. Sodalium autem studia & congressiones, & quæ cum tibicinis fiunt comessationes, ne in somnis quidem eis venit in mentem exercere. Bene autem an male factum quid sit in civitate, aut quodnam sit malum quod factum est à majoribus, magis eos latuit quàm qui maris dicuntur choes: & hæc nesciunt quidem se nescire, sed revera jacet quidem humi ejus corpus, & cum populo versatur: ipse autem, ut ait Pindarus, & terram, & cœlum supervolat, astrorum motus quærens, & universam naturam omni ex parte indagans. *lib. 5 Stromatum.*

D. Nazianzenus: Fraternus amor, nescio an laudem ullam mereatur. *Orat. 10. in funere Cæsarij fratris.*

Chrysostomus: Si fratris consuetudine uti nescis, quando unquam poteris externi hominis usum recte ferre? si membrum nescis contrectare tuum, quando unquam alienum illicere, & tibi ipsi coaptare poteris? *Homil. 8. ad Roman.*

Chrysostomus: Quando frater cum fratre judicio contendit, intelligentia & solertia non est opus litis arbitro, cum affectio & cognatio magnam opem adferat ad solvendam hujusmodi contentionem. *Homil. 16. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Delictum est quod judicia habetis inter vos. Non, inquit, dico, aliquis injuriam patitur: jam eo ipso quod judicio contenditur, uterque male audit, & in hoc non est alius alio melior. An autem justè judicio contendat, hoc est alterius disputationis. Ne dicas ergo, Quis fecit injuriam? hinc enim te condemno, nempe ex eo quod judicio contendas. Si est autem crimen, quod ferre non possit eum qui facit injuriam; etiam injuriam facere, quanta dignum est criminatione? crimen enim est duplex, fortasse autem & triplum & quadruplum. Unum quidem, ne jure ferre cum injuria sit affectus. Secundum autem, etiam injuriam facere. Tertium autem, iniquis de his permittere cognitionem. Quantum autem, hoc facere fratrem. Neque enim similiter judicantur peccata, quando admittuntur in quemlibet, & in membrum proprium. hoc enim à majore admittitur impudentia: & illic quidem est conculcata sola rei natura, heic autem etiam personæ qualitas. *Homil. 16. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Si quid tibi reverentiæ erga patrem, si qua educationis, si qua pietatis erga me, si qua honoris, quem ex me es consecutus, si qua benevolentiæ memoria, rogo te ne sis inimicus fratri. *Homilia 5. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Qui fratrem admonet, non hoc facit publicè, non probrum in publicum traducit, sed hoc facit privatim, & cum magna attentione, & dolens, & ægrè ferens, & lacrimans & lamentans. *Homil. 5. ad Thessal.*

Isidorus Pelusiota: Quid naturam abjuratis, aut vocationem ignoratis? Nam illa ex uno eodemque ventre vos protulit: hæc autem per unam & eandem spem vos regeneravit. Quamobrem aut prior nativitas vos pudore quodam commoveat: aut posterior metu afficiat: atque ad concordiam sive naturæ sive vocationis fœdus sancite. *lib. 1. Epist. 171.*

§ LATINORUM.

Egesippus: Herodem Archelaus deprecabatur, ut naturæ contemplatione molliret iram, fratrique ignosceret, supra vindictam constituens jus naturæ. Nec miruni, si in maximis regnis, tanquam in magnis, corporibus sæpe aliqua membra ferveant, quæ non incidenda,

denda, sed mollioribus sint curanda medicamentis. Sibi quoq; multo graviores compositas à germano insidias: sed remisisse se necessitudini, quod debebatur dolori, ut quò magis pœnam levaret ingrati, eo amplius causam gravaret. *lib. 1. cap. 14.*

Chrysologus: Fratri invidus animus, gratus esse non potest patri: & paternæ largitatis memor non est, qui est fraternæ immemor charitatis. *Serm. 4. m.*

Ennodius: Fas est germanitatis semper fidele consortium etiam partubus anteferri, datur participem originis sic haberi, ut nec consideratio sanguinis negligatur, & descendens à merito laudetur examen. *lib. 4. Epist. 4. m.*

¶ Philosophorvm Oratorumque Graecorum.

Apollonius Fratri: Si rerum omnium præstantissima ac preciosissima est Philosophia, & omnino nos bonaq; cum fide in Philosophia versamur, non sane fratrum oblivisci debemus: quum illa vero amur, non sane fratrum oblivisci idq; ob causam illiberalem & turpem jure me quis appellarit. Pecuniarum enim causa nata suspicio est. Eas verò prius etiam, quam ad studium Philosophiæ nos retulissemus contemnere cepimus: sic ut satius & convenientius fuisset, aliam causam intermissionis literarum proferre. Cavendum enim ne si vera scripsissem in arrogantiæ opinionem incurrerem, sin falsa, in odium & contemptum abirem, quorum æque utrumq; scelestum est tum in fratre, tum etiam in quolibet amico. Nunc verò id etiam ostendo. Fortassis enim hoc mihi fortuna concesserit, ut cum ad amicos in Rhodum me contulero, paulò post illinc ad vos exeunte vere revertar. *Epist. 53.*

Xenophon: Cæterum animadvertens aliquando Socrates Chærephontem & Chærecratem fratres, familiares suos, inter se dissidere, quamprimum Chærecratem vidit: Dic mihi mi Chærecrates, ait, & tu ex eorum es hominum numero, qui utiliorem esse pecuniam putant, quam fratrem; quamquam illa mente careat, hic prudentia sit præditus: illa ope indigeat, hic opitulari possit: denique pecuniæ multæ sint, frater autem unus? Mirum hoc quoque posse quem fratres suos sibi detrimento esse putare propterea, quod non etiam fratrum facultates possideat; at cives sibi detrimento non esse arbitrari, quod civium bona non habeat: sed posse homines hac in parte ratiocinari, quod longe præstet, ut aliquis cum multis habitans secure, quæ sufficiant, habeat; quam si solus civium facultatibus fruens, magno eas cum periculo possideat; in fratribus idipsum ignorare. Ac servos quidem emunt, qui possint, ut laborum socios habeant: amicos parant, quod opitulatoribus egeant: fratres autem negligunt, quasi ex civibus amici fieri possint, ex fratribus non possint. Atqui multum ad amicitiam momenti adfert, ex iisdem natum esse, multum communis educatio. Nam & feris quoddam eorum, quæ una cum ipsis nutrita sunt, desiderium innascitur. Præterea cæteri quoq; homines honore majori adficiunt illos, qui fratres habent: quam eos, qui à fratribus destituuntur, ac minus illos adgrediuntur.

Tum Chærecrates: Enimvero mi Socrates, ait, si non magnum sit dissidium, fortasse ferendus sit frater, neq; ob exiguas causas fugiendus. Quippe fratrem, si talis sit, qualem esse convenit, in bonis rebus pono: quemadmodum tu quoq; dicis. At vero si plane desit officio, & sit quidvis aliud potius, quam frater: quamobrem quis ea, quæ fieri nequeũt, conetur? Et Socrates: Utrum vero mi Chærecrates, inquit, nemini Chærephon placere potest, sicut & tibi non placet an sunt nonnulli, quibus egregiè placeat? Hac ipsa de causa mi Socrates, ait, æquum est illum mihi esse odio, quod aliis equidem placere possit, mihi vero ubicumq; adest, verbis ac factis detrimẽto potius, quam commodo sit. Ergone, ait Socrates, perinde atq; equus homini imperito, qui uti eo conetur, damno est; sic & frater, quum quis eo vult uti, qui nesciat, est detrimento? Quonam modo erga fratrem, inquit Chærecrates, recte me gerere non norim, quum & verbis & facto benignus in alium esse possim qui verbis itidem ac facto benignus erga me est? Contra verum tantum abest, ut in eum qui & verbis & facto mihi molestiam ut exhibeat, dat operam, benigne me gerere verbo factove possim: ut id ne quidem in animum inducturus sim. Et Socrates: Mira vero narras, inquit, mi Cherecrates, te, si canem ovium habeas idoneum custodiæ, atq; is pastoribus quidem blandiatur, in te vero adeunte sæviat, omissa iracundia mal le benefaciendo eniti, ut eum mitiges: fratrem vero, quem magnum quoddam bonum ais esse, si se gerat, ut decet, non te operam dare, ut longe tibi optimum efficias? præsertim quum declarandæ verbis & facto benignitatis artem scire te fatearis.

Vereor equidem, ait Chærecrates, ne tanta sit in me sollertia, mi Socrates, ut Chærephontem erga me talem reddere possim, qualem esse oportebat. Atqui, subjecit Socrates, nihil artificiosi, neq; novi, ut ejus causa excogites, opus est, mea quidem sententia. Nam existimo eum illis artibus, quas tu non ignoras, allectum abs te, plurimi te facturũ. Dic mihi prius, inquit, an me quasdam illecebras nosse senseris, quas ipsemet scire me ignoraverim? Tu vero mihi dicito, inquit Socrates; si quem familiarium eo deducere velles, ut ubi rem sacram facit, ad cœnam te vocaret, quid faceres? Nimirum prior hominem, ipse rem sacram faciens, invitarem. At si velles amicorum quemlibet impellere, ut te absente peregre, rerum tuarum curam gereret, quid faceres? Nimirum prior operam darem, ut per ipsius absentiam res ipsius curarem. Si velles ab hospite impetrare, ut te exciperet ad se venientem, quid faceres? Nimirum hunc quoq; prior excciperem, venientem Athenas: atq; etiam si vellem efficere alacrem ad ea mihi conficiunda, quorum causa hominẽ adirem, necesse foret, ut ipse prior eum officio tali obstringerem. Ergo tu quũ omnes illecebras, quibus homines conciliantur, jamdudum noris, eas ipsas celabas? An cunctaris, inquit, principium facere propterea, ne turpis videare, si prior beneficio fratrem adficias? Atqui maxima vir laude dignus esse videtur, qui hostes, lædendo; beneficiis exhibendis, amicos antevertit. Quare si mihi videretur Chærephon ad hanc amicitiã auspicandam aptior esse, operam in illo persuadendo collocarem, ut prior amicitiam tuam conciliare sibi studeret. Nunc tu mihi videris, si rem ordiare, rectius confecturus.

Et Chærecrates: Absurda dicis, mi Socrates, inquit, minimeq; tibi cõvenientia, qui me minorem ætate jubeas initium facere: quum apud omnes homines contrarium quiddam in more positum sit, nimirum ut ætate provectior in omni dicto factoq; principium faciat. Qui hoc? ait Socrates, an non ubique receptum more est, ut junior grandiori occurrenti de via cedat, & sedens adsurgat, & lecti mollioris honorem tribuat, & inter colloquendum cedat? Ne cunctaris, inquit, vir optime, sed hominem mitigare tenta, qui quidem celeriter admodum tibi obœdiet. Non vides, quam cupidus honoris, quam liberalis sit? Homunciones enim futiles alia ratione nulla facilius allicias, quam aliquid largiendo: virtutis & honesti studiosos, si cum eis amanter agas, maxime tibi reddideris obnoxios. Et Chærecrates: Quid si, ait, me hoc agente nihilo fiat ille melior? Quid aliud pericu-li fuerit, inquit Socrates, quam ut tu declares, te quidem virum bonum fratrisq; studiosum esse, illum vero nullius momenti, & indignum beneficio? Sed horum nihil futurum arbitror. Nam existimo ipsum, posteaquam animadverterit se ad certamẽ hoc abs te provocari, magna contentione conaturum, ut te verbis ac re ipsa superare beneficẽtia possit. In hoc quidem tempore sic inter vos adfecti estis, ac si manus ambæ, quas Deus idcirco creavit, ut mutuo se juvent, hoc omisso, ad impediendum sese invicem converterent: vel si pedes ambo, qui divino consilio mutuas ad operas conditi sunt, hoc ipso neglecto, sibi invicem impedimento essent. Annõ magna fuerit insciția, magnaq; infelicitas, iis ad detrimentũ uti, quæ ad mutuam utilitatem facta sunt? At enim fratres duos, mea quide sententia, cõdidit Deus majorem ad utilitatem mutuam, quam manus utrasq;, quam pedes, quam oculos, quam cætera, quæcumq; natura voluit in hominibus esse germana. Quippe manus, si eas necesse sit illa simul agere, quæ longiori spatio, quam unius orgyæ distent, nequaquam id poterint; pedes, ne ad ea quidem, quæ orgyæ distent inter se spatio, simul accesserint: oculi, qui pertingere qualongissime putantur, ne propiora quidem à fronte simul & a tergo videre possint. Fratres autẽ si amici sint inter se, tametsi magno disiuncti sint intervallo, nihilominus agere possunt ea, quæ cum utriusq; sint utilitate conjuncta. *lib. 2. cap. 16. & seqq Memorabilium.*

Phalaris Adimanto: Audio tibi cum fratre tuo, controversiam, esse uter vestrum sit deterior cum tu illum nominas, ille rursum te. Ego verò in ea sum opinione, immò recte persuasum habeo, reliquis omnibus eum antecellere nequitia, te vero neque ab illo, neque ab alio ullo hominum superari. Vale. *Epist 45.*

Epictetus: Unaquæq; res duas habet ansas, unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non ea prehende qua facit injuriam, ea enim ejus ansa non est tolerabilis: sed illa potius, esse fratrem, esse una educatum: sic prehendes eum qua est tolerabilis. *cap. 65. Enchiridÿ.*

Simplicius: Si frater te læserit, tu adversus fratrem naturalem affectionis ordinem conserva, & pactionem universitate rerum teste & arbitra initam, quæ tibi hos, & non alios parentes fratres atq; cognatos destinavit. Illud etiam considera, ut ille te vel æque vel inique tractet, non esse penes te: tuum vero munus esse penes te. Quare non esse considerandum, quomodo is te tractet: sed quid tu facias ut naturæ congruenter vivas. Neq; enim illius dominus es, sed illud ut tui officii munus exequare. In eo enim & detrimentum, & emolumentum situm est. Nam ille quidem utcumq; se gesserit, te non lædet, si utilitatem & damnum in te ipso quæsieris. Sin ista in externis rebus collocaris, id damnum non frater, sed tu ipse tibi dederis. Atq; etiam considerandum, si lenitate & caritate tua fratrem amicũ tibi feceris: binas affectiones permistas, mirabilem effecturas esse conjunctionem. *ad cap. 37. Epict.*

Lucianus Apollo: Numquid Bacche dixerimus fratres esse Cupidinem, Hermaphroditum, & Priapum, cum sint forma & studiis dissimiles? Ille enim est omnino formosus & jaculator, nec parva potestate munitus, omnibus imperat. Hic autem effœminatus, ac semivir, & ambigua facie, ita ut dignoscere nequeas sit-ne adolescens, an virgo. Tertius autem Priapus, etiam supra modum vilis est. *Bac.* Ne mireris Apollo: non enim hujus rei causa est Venus, sed parties qui diversi fuere: quandoquidem & ii qui eodem patre, eademque matre nascuntur, sæpenumero alius mas, alius fœmina, quemadmodum & vos nascuntur. *Apo.* Ita sane. Sed nos similes sumus, iisdemque studiis tenemur: sagittarii enim ambo sumus. *Bac.* Quantum ad arcum attinet, eadem exercetis, Apollo: sed similia non sunt illa: quod Diana hospites mactat apud Scythas: tu vero vaticinaris, & ægrotantibus mederis *Apo.* An tu putas sororem delectari Scythis: quæ quidem se adornavit, si quis Græcus aliquando in Tauricam advenerit, ut cum eo inde enaviget, perosa mactationes illas? *Bac.* Recte sanè illa. *in Dialogis.*

Philostratus: Dum pater nobis superstes fuit, erat qui nos errantes moneret, & bonis moribus imbuere posset. illo nunc defun-

defuncto, tu mihi relictus es, & ego tibi: decet igitur si quid deliquero te mihi consulere, & mea delicta corrigere. quod si quid forte contra peccaveris, non grate monitus meos perferre debes. his rationibus, non secus ac pullorum infrenum domitores facere solent, paulatim ei persuasit, ut solutam vitam mutaret in melius. *libr.* 1. *cap.* 10.

Libanius: Jam nonnullos vidi qui in fratrum morbis sponte ab omni cibo abstinuerint, & quantum fieri poterat, molestiarum participes fuerint, atq; hinc optimam famam retulerunt; vel potius, si verum dicere par est, pejorem effugerint. At enim qui in genus suum probus non est, quisnam in populum & civitatem fuerit? hoc etiam nunc mihi domum omnibus ostendere vult, quod probus esse non negligo, neque terrere tantum hostes didici, sed etiam cum fratribus ærumnosis condolere. quamobrem, si prædones quoque cum nos in potestatem suam redegissent, hunc quidem in compedibus tenerent, me vero convictorem facerent, & fratrem opprimerent; at mihi delicias concederent: atque huic quidem omnem exhiberent molestiam & nauseam, mihi autem omne voluptatis genus suggererent: obsecravissem ipsos ne me jucundis illecebris cruciarent, neve dulci ministerio tædium adferrent: verum si illum vexarent, etiam me vincirent, & pro munere, dolorum ac tristium societatem darent. nunc easdem apud te, mi pater, voces profero. expulisti fratrem, me nondum: illum inopiæ tradidisti, mihi rerum copia suppetit: siquidem tuum in illum odium irreconciliabile est, permitte etiam me idem cum illo bellum sustinere: ne prohibeas quo minus populus donum largiatur, per quod indicabo me naturam honore afficere. At improbus, inquit, ille extitit; & dignus qui hæc pateretur. Equidem si ob expulsionem increpaturus surrexissem; tum hisce verbis uterer, Calumnia mihi, cives, fratrem profligavit: pœnas dedit, cum nullam injuriam fecerit: acer & promptus ad iram pater est; ab omni peccati labe puros vellet esse liberos, quæ res fieri non potest. & clamor, & tumultus involuerit justos, infelix certè est adolescentulus: sed minime perversus. In summa, si defensionem sibi propositam haberet hæc actio nostra: etiam tunc accusare, alienum à tempore non fuerit, quod si crimina non diluo, & manere sino: sed cum fratre male rem gerere jucundius esse statuo, quàm solus bonis potiri. *Declamat.* 41.

Themistius: Fraternus amor & amicitia, quæ cum cognatis & consanguineis intercedit, signum est benignitatis erga homines, vel quasi principium quoddam & elementum benevolentiæ in genus humanum. Etenim natura quæ multo pluris hominem fecit, majoriqué in pretio habuit quam reliquas animantes, jam olim nos cum toto genere nostro copulans, è propinquioribus & domesticis quasi à Vesta, fundamenta & exordia dedit. Itaque consequens est, ut qui fratris amans fit, idem domesticis curus sit; & domestiorum amans sit amator patriæ, & patriæ amans comis & benignus existat. Porro fieri non potest, ut qui in vestibulo & quasi limine naturæ captus est, non eidem progredienti morigerum se præbeat. Verum tamen quid opus est inde paulatim ac figillatim inferre eosdem fratrum & hominum amantes esse? Huc adeste, ô beati, huc adeste, verum parentem recognoscite; illius prolis fœcunditatem, & universum fratrum cœtum. Non sunt quinquaginta soli quot Ægyptus procreaverat, & quot Poetæ numerant Priami liberos, sed tot numero, quot inest patrius character, orationis communio, & corporis cum ratione congruens conformatio. Hi omnes consanguinei & germani fratres vobis sunt, & inter se mutuo. En, indicium inspicite. An non cognitu facilius & annulis tutius est pignus? Et vero Pelopidis quidem latis erat vel particula quædam circa humerum ebore expressa, ad cognationis demonstrationem: vobis autem integrum corpus non sufficeret ad unum satorem & auctorem monstrandum? Et tamen quanto clarior est corporis per animum cognatio & similitudo: quando saltem, ut à natura insita est, conservatur? Omnes de virtute cõtroversamur: vitium fateri erubescimus: destituti ab aliis, non perseveramus: invenimur, in eos invicem in tumultibus: non accersiti concurrimus ad pericula. Una nutrix nos educat: commune pol edimus patrimonium, terram, & mare, & aerem, & aquam, & stirpes, & animalia. Atq; illa quidem possessionum genera divisimus inter nos: hæc autè nondum distributa sunt. Omitto cætera. Non soli ex iis, qui è terra orti sunt, patris sensum habemus, aut clarius, aut obscurius. Nam tametsi in cæteris dissidemus; in illo saltem parente omnes innitimur. Quamobrem sapientissimus Homerus non aliud agebatur, nec fictè loquebatur, cũ in versibus identidem celebrat unum eumdemque.

——— *divumque hominumque parentem.*

Eccur vero ipsum dici: equorum parentem, neq; medius fidius, canũ aut leonum? Quoniam cum aliis, opinor, omnibus animantibus ne particula quidem ulla procreatoris communicata est. Proinde neq; illius cognitionem adepti sunt, neq; sese mutuo norunt. Ad solos autem homines attinet secundi poculi defluxus: & rationis participem esse, aliud nihil est, quam divini satus communionem habere jam vero Bœotius Poeta Homeri sententiæ adjungit suam.

Unum Virorum est atque Deum genus:
Sacra parentis progenies sumus
Unius ambo.

Hic præclarè nos non ex patre tantum, sed etiam ex matre conjunctos, ac devinctos facit. Quare si omnes ex eodem patre eademque matre procreati sumus, atque ex parentibus sanctioribus orti, nullum omnino inter fraternam amicitiam & humanitatem videtur esse discrimen. Nunc vero angustos admodum & cancellis quibusdam circumscriptos limites huic virtuti statuentes, Oedipodis quidem filios detestamur in Tragœdiis, ut portenta & probra naturæ: insidias autem & odia quibus nos mutuo prosequimur, Tragœdia non dignas existimamus. Neque nos ulla parentis verecundia tenet: si nunquam ipsum oblectemus concordia & pace mutua. Verum id nobis quidem minime ferendum, Imp. sed quoniam communis vos generis auctor ut maximos natu & maximè honorandos reliquis ejusdem gentis præfecit, ne in vos invicem aliter affecti sitis, neq; erga nos, quam ut Pater constituit. cõstituit autem pacifice & leniter & benigne: & quomodo se habet erga alios qui ab ipso generis sui principium duxerunt. *Orat.* 16. *ad Valentinianum & Valentem Impp.*

Heliodorus: Quod me fratrem tuum esse, finxisti apud Thyamum forma tua captum, perquam sapiens inventum est, & procul eum abducens à zelotypia nostri amoris, atq; efficiens ut nobis una esse tuto liceat. *lib. Æthiopicor.* 1.

Heliodorus: Cæterum quo modo iis quæ sunt præ manu uteris? neque enim simplex hostis, sed frater tibi objectus est. Ille autem recte, inquit, ego enim vincere annuente Deo, non interficere decrevi. absit enim ut tantopere ira & indignatio propter ea quæ antea sum passus, in me effervescat, ut cum sanguine fratris & germani cæde & contaminatione vindictam injuriæ præteritæ, honorem autem futurum commutare velim. Generosi hominis verba sunt, inquit, Theagenes, & naturæ vim egregie intelligentis. *lib.* 7. *Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Sine dubio etiam si certa utriusque nominis fides esset, neminem vestrum præteriret quantum præferri fratrem amico oporteret. Nam quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? Certe quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. Adeo inane etiam nomen, & umbra quædam naturæ videtur simile amicitiæ nomen imponere. *Declamatione* 321.

Quintilianus Senior: Rursus solida fraternitas, imo hercule major, altiorq; conjunctio post pœnitentiam. Nesciunt homines quãtum boni fraternitas habeat, qui nunquam dissiderunt. Ut dulcius serenum post tempestates est, ita nostris animis laceratis, & domi castigatis, velut portus ille fraternitatis occurrit. Amabamus enim in præteritum: nec charitas fuit illa, sed satisfactio. *Declamatione* 321. *med.*

Quintilianus Senior: Equidem, judices, admirari me confiteor, aut constitutas esse de tantis sceleribus leges, aut ullos inveniri potuisse mortalium in quos caderet ista suspicio. Fratrem suũ potuit aliquis occidere? non obstitit tacita natura? non sanguinis jus? non sceleribus manus suas objecit, quæcumq; est illa, quæ certe creditur esse, pietas, fratrem occisuro? non succurrit communis uterus? non eadem causa vitæ? non una primordia? non illa consuetudo, quæ alienos etiam ac nulla necessitudine inter se conjunctos componere & astringere affectib. potest? consuetudo actæ pariter infantiæ, puerilitiæ studia, lusus, tristitia, joci? Membra hercule inter se citius pugnaverint, & si qua in nobis natura geminavit, diversos ceperint affectus. Nam quid est aliud fraternitas, quam divisus spiritus? & quæ ad tuendos nos natura concessa sunt multiplicata, eo quidem felicius, quod diversis etiam assistentibus locis, esse iidem, ac plura simul obire possumus. *Declam.* 321. *a. m.*

Quintilianus Senior: Circumscripsisti fratrem, nec difficile fuit, minorem. *Declamat.* 336. *pr.*

Quintilianus: Non tantum sanguinis nos jura conjungunt: aliquid & ipsa necessitas, aliquid & ipsa societas. *Declam.* 336. *fine.*

Quintilianus: Fratres inquit, & gemini erant, ideoq; credibile est illis eundẽ fuisse languorem. Rogo, quis in ullo mortalium ferat ignorantiam paritet & affirmationem? quisquis nescit quod genus languoris sit, non potest scire an idem sit. Nihil, judices, in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod nõ aliqua proprietate secerneret. Quid refert an ex iisdem prima illa duorum corporum animorumq; compago seminibus oriatur? Sibi quisq; firmatur, sibi quisq; componitur, & duo pluresve fratres nascuntur fato singulorum. Hanc ipsam indifferentiam quam miratur occursus, stupent civitatis oculi, parentum tamen agnitio dignoscit, separat notitia nutricum, & fallentibus notis, est rursus quod faciat ipsa similitudo dissimile. In plerisq; quamvis sit indiscreta facies, invenitur tamen alius oris sonus, habitus, incessus: & ut ipsa consentiant, diversa mens, contrarii mores, & vitæ genera rixantia. Quid quod non eandem esse naturã geminorum probat etiam fortuna dissimilis? Hunc pressit paupertate perpetua, illum insperatis opibus excoluit. Illius per titulos & honores, hujus per ignobiles obscurasq; fordes totam duxit ætatem. Simile est quicquid accipiunt ex homine gemini, dissimile quicquid ex fato. Nec enim tam pariter in lucẽ de maternis exiluere visceribus, ut illos eadẽ origo signaverit. Quãtum putas interfuisse temporis, dum primũ uteri pondus egeritur? Dum parumper exonerata vitalia, altero rursus homine laxantur? Breve fortassis exiguumq; videatur mortalibus oculis: sed si terrena mente perspicere velis orbis hujus vastitatem, scies multum esse quod inter duas transcurrat animas. Volvitur super nos hæc cœli siderumq; cõpago, & præcipiti per pclive decursu, totius diei noctisq; brevitate emensus oriëtis occidentisq; cursus, diversorũ siderũ primo statim ortu, rotato se rursus axe cõsequitur. Hoc tu parvũ credis esse spatiũ,

quod

quod diversis pariter rebus impletur? Quantum inter illa transcurrentis horæ momenta nascitur, perit? Igitur quando unquam peregrinati sunt unà, militavere pariter? quid non diducti separatique fecerunt? quando illos languor, quando suprema junxerunt? Et quandoq; sit necesse est aliter, ex geminis quod pariter languerunt, non sic accidit quomodo fratribus, sed quomodo duobus. Non eodem fato languere geminos, quemadmodum vultis brevius probem, quam quod nec uterque occisus est, nec uterque sanatus? *Declamat. 8. §. 12.*

Claudius Mamertinus: Dividere inter vos, Impp. Dii immortales sua beneficia non possunt, quidquid alterum præstatur amborum est. Obstupescerent certè omnes homines admiratione vestri, etiamsi vos idem parens eademq; mater ad istam concordiam naturæ legibus imbuissent. At enim quanto hoc est admirabilius vel pulcrius, quod vos castra, quod prælia, quod pares victoriæ fecere fratres? dum virtutibus vestris favetis, dum pulcherrima invicem facta laudatis, dum ad summum fortunæ fastigium pari gradu tenditis, diversum sanguinem affectibus miscuistis, non fortuita in vobis est germanitas, sed electa. Notum est sæpe, eisdem parentibus natos dissimiles, certissimæ fraternitatis est, usq; ad imperium similitudo. *cap. 7. genethliac. Maximiani.*

Symmachus: Fratrum negotia velle cognoscere, pia & honesta curatio est. *lib. 2. Epist. 3. pr.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Οὐ φθόνος, ὦγάς ἔοικε κασιγνήτοισι μιγαίρειν.
Haud equidem invideo: fratrum nam commoda fratres
Invidia haud debent stimulis agitare cruentis.

Plautus Aululariæ 2. sc. 1. v. 8.

Verum frater hoc unum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihique item esse te,
Ita æquum est, quod in rem utriq; esse arbitremur,
Et mihi te, & tibi me consulere & monere,
Neq; occultum id haberi, neque per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.
Eo nunc ego secretò te huc foras seduxi,
Vt tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

Plautus Cistellariæ 1. sc. 1. pr.

Cum ego antehac te amavi, & mihi amicam esse crevi,
Mea Gymnasium, & matrem tuam, tum id mihi hodie
Aperuistis, tu atque hæc soror si mea esses,
Quei magis potueris, mihi honorem tibi habitum,
Nescio nisi, ut meus est animus, fieri
Non posse arbitror: ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dedistis, eò ego vos
Amo, & eò à me magnam inistis gratiam.

Terentius Phorm. 4. sc. 1.

Te mihi fidelem esse æquè atq; egomet sum mihi,
Scibam.

Petronius Arbiter.

——— *infulis stabant sacri*
Phrygioq; cultu gemina nati pignora
Lauconte, quos repente tergoribus ligant
Angues coruscis parvulas illi manus
Ad ora referunt, neuter auxilio sibi,
Vterq; fratri transtulit pias vices:
Morsq; ipsa miseros mutuo perdit metu.

Incertus.

Venerat Eoum quatiens Antonius orbem,
Et conjuncta suis Parthica bella gerens,
Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo:
Hinc Capitolino sistra minata Iovi.
Hinc invicto Deo fidebat Cæsare Roma:
Quæ tunc pene suo pondere Lapsa fuit.
Deserta est tellus, classis contexerat æquor,
Omnia permisti plena furoris erant.
Fratribus heu fratres, patribus concurrere natos
Impia sors belli, fataque sæva jubent.
Hic generum, socerumq; petit, minimeq; cruentus
Qui fuit, hic sparsus sanguine civis erit.
Mavius a castris miles melioribus ausus
Hostilem saltu præcipitare ratem
In damnum, felix, & victor, ut impius esset
Nescius, occiso fratre superbus erat.
Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit,
Fraternos vultus, oraque mœsta videt.
Quod fuerat virtus, factum est scelus, hæret in hoste
Miles. & è manibus mittere tela timet.
Ille ferox, Quid lenta manus nunc denique cessat?
Iustius hoste tibi qui moriatur adest.
Fraternam res nulla potest defendere cædem.
Mors tua sola potest, morte levanda tua est.
Scilicet ad patrios referens spolia ampla penates,
Ad patrem victor non potes ire tuum.
Sed potes ad fratrem, nunc fortiter utere telo.
Impius hoc telo es, hoc potes esse pius.
Vivere sic poteris? potuisti occidere fratrem.
Nescisti, sed scii. hæc mora culpa tua est.
Viximus adversis, jaceamus partibus iisdem.
Dixit: & in dubio est, utrius ense cadat.
Ense meo moriar maculatus cade nefanda?
Cui moveris, ferrum quo moriare, dabit.
Dixit, & in fratrem fraterno concidit ense
Victorem. & victum concidit una manus.

Incertus de Mævio fratris in bello Actiaco occisore.

Siccine componis populos, Fortuna, furentes?
Vt vinci levius, vincere sit gravius?
Occisum credens gaudebat Mævius hostem.
Infelix, fratris sanguine lætus erat.
Nec licuit non nosse scelus dum membra cruenta
Nudat, in exuvias incidit ipse suas.
Et scelus, & fratrem pariter cognovit: & amens
Hoc age, ait, majus nunc ubi restat opus?
Vincere victorem debes, defendere fratrem.
Cessas? ad facinus quam modo fortis eras?
Terram, jura, Deos, bellum jam polluit ipsum.
Quod civile fuit, fit quoque culpa gravis.
His manibus patriæ tu jam pia signa requiris
Miles, in Antonij dignior ire rates
Eripuit virtus pietatem. reddere virtus
Debet. quam rapuit, hac reparanda via est.
Quid moror absolvi? dixit: gladioque cruento
Incubuit, jungens fratris ad ora, sua.
Sic, Fortuna, regas semper civilia bella,
Vt victor victo non superesse velit.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum pauci germani sunt animo atque corpore.
An potest ulla esse fratres inter invidentiæ?
Cur non sese frater fratris opponat periculis?
Fortior muro omni, vita fratrum concordantium.
Fratrum ab exemplo parentis, nascitur concordia.
Fratribus, diversa castra quos tenent, nulla est fides.
Gentium communi jure, frater heres fratris est.
In propinquitate frater omni honoratissimus
Ne fratres quidem in auctione hostis hasta dividit
Sæpe charitate fratrem patruelis anteit.
Vix fratrum paria ulla & una visa sunt senescere.

¶ Jambica.

A fratre amari malim quam supplici.
Cain triumphat morte fratris illius.
Dissidere fratri: rara fratrum gratia est.
Dilectior parenti, invisus fratribus.
Fraternitas, nil quam divisus spiritus.
Fratri invidere neutiquam fratrem decet.
Fratrem minorem facile est circumscribere.
Fratremque fratris decolorat dedecus.
Fratres sibi ipsi gignere, nec mos est feris.
Fratrum impiorum eventus sunt improsperi.
Fratrumque justis invidemus laudibus.
Heu quam soror diversa Antigona à Tullia est!
Meum esse credo, quidquid est, frater, tuum.
Natura fratres nulla fecit impares.
Ne fas quidem est fratri nocere noxio.
Nulla est bona caussa inter fratres: omnis mala est.
Pacem quietam diligat germanitas.
Qui diligit fratres, parentes diligit.
Quicunque fratrem vidit, is vidit Deum.

Fraudis.

¶ Sententiæ Patrum

D. *Chrysostomus:* Nihil est quod æque pariat inimicitias atque decipi & falli. *Homil. 14. initio ad Ephes.*

Chrysologus: Et nos interdum nostris parvulis pe entibus noxia ingerimus salutaria sub specie noxiorum: fallentes insipientiam, non decipientes affectum. *Serm. 25. a. f.*

¶ Poetarum.

D. Gregor. Nazianzenus de vita sua.

Debebat esse tota gens mortalium
Aut sceleris expers, multiplex aut & vafra,
Sic laderentur nam minus justi à malis,
Si dissiderent aut coirent moribus.
At præda nunc sunt improbis recti viri.
Quæ tanta nostri generis est confusio?
Proh quam Deus nos dispari junxit modo!
Quis deprehendet pessimum vir optimus,
Frandes dolosq; dum struit, dumque artibus
Se mille mores, ac suos, vafre occulit.
Nam quisquis omne facilis in crimen ruit,
Observat ille sedulus cuncta, & notat
Graviora quæque: promptus ut qui est ad bonum,

Ad ſuſpiciendum ſegnis eſt aliquid mali.
Sic ſæpe fraudi noxia bonitas patet.

Prudent. Pſycomachia 4.

Sed cadit in foveam præceps, quam callida fortè
Fraus interciſo ſuffoderat æquore furtim.
Fraus deteſtandis vitiorum è peſtibus una,
Fallendi verſuta opifex.

Ariſtophanes Nubibus v. 1149.

Euge, ô fraudem, reginam omnium.

Guntherus lib. 3. v. 288.

Et fateor, pulcram fallendi noverat artem
Veris falſa probans: quia tantum falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: veri ſub imagine falſum
Inſluit, & furtim deceptas occupat aures.

Guntherus lib. 4. v. 419.

Caſſa fuit miſeris infanda machina fraudis,
Et magno ventura malo: nutuque ſuperno
Incidit in foveam quam foderat improbus hoſtis.

¶ Apologorum.

Phœdrus Fab. 60.

Non ſemper ea ſunt quæ videntur, decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.
Muſtela cum omnis & ſenecta debilis,
Mures veloces non valeret adſequi,
Involvit ſe farina, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus eſcam putans,
Adſiluit, & compreſſus occubuit neci:
Alter ſimiliter dein periit, at tertius
Alios venit ſecutus, rete territus
Qui ſæpe Laqueos & muſcipula effugerat,
Preculque inſidias cernens hoſtis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es qua jaces.

De Vulpe & Ciconia. Anonymus.

Vulpe vocante venit, ſperatq; ciconia cœnam.
Fallit vem liquidus vulpe vocante cibus.
Cum bibit illa cibos ſolum bibit illa dolorem.
Hic dolor in vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parva dies, dixis inquit, habemus
Fercula quæ ſapiunt, dulcis amica veni.
Hæc venit, hæc vitreo vaſe bona fercula condit,
At ſolam recipit formula vaſis vem.
Laudat opes oculo vaſis nitor, has negat ori
Formula, ſic geminant viſus odorq; famem.
Sic vulpes jejuna redit, ſic fallitur audens
Fallere; ſic telo laditur ipſe ſuo.
Quod tibi non faceres, alii feciſſe cavero.
Vulnera non faciæ, quæ potes ipſe pati.

De Vulpe capta à Cane, dum ſe mortuam ſimulat. Fab. 146.

Vulpes ſimulans ſe defunctam, ut aves ad ſe tanquam ad cadaver accedentes, interciperet, luto oblita in quodam agro reſupina jacebat, expectans cornices, cervos & hujuſmodi rapaces volucres, quas devoraret, quum ſuperveniens canis, eam mordicus captam cœpit dentibus lacerare. Quod ille animadvertens: digna, inquit, patior: nam dum fraudibus aves capere ſtudeo, ab alio captaſum.

Fabula indicat, qui aliis inſidias moliuntur, moleſte ferre non debere, quod ipſi quoq; capiuntur. Abſtemius.

¶ Emblematum.

Batillius. x c.

In bilingues.

Altera fert undam, geſtat manus altera flammas:
Quid niſi vel fraudes illa vel illa parat?
Diſſimulant multi verbis, vultuq; benigno
Blanditias ſimulant, diſſimulantque dolos.

Camerarius. 23. Centur. 2.

Violenta nocent.

Vt favus exitio eſt Vrſo, ſic ſæpe malorum
Autorem illaqueant viſq; doluſque ſuum.

Camerarius 25. Centur. 2.

Terror & error Boves Hannibalis.

Fraudem fraude, aſtum non fallere dedecet aſtu,
Sæpe timore timor truditur, arte dolus.

Camerarius 40. Centur. 2.

Nullis fraus tuta latebris. Cervus halitu extrahens cavernis colubras.

Diſperat fraus ficta dolis, candorq; triumpher.
Tandem illa opprimitur, cœu latebris coluber,

Camerarius 58. Centur. 4.

Inſidiis capior proprijs. Pinna cirris ſuis alliciens piſces.

En qua piſciculos capere inſidioſa ſolebam,
Sum Pinna inventis mox peritura meis.

Camerarius 96. Centur. 4.

Ne jurato quidem.

Non niſi deſecta credam tibi, Scorpio, cauda,
Armaq; ni ponas, fœdera nulla dabo.

Camerarius 67. Centur. 4.

Devorat & plorat.

Non equidem ambigui dictis mihi fidere amici,
Certum eſt, ut lacrimis nec Crocodile tuis.

Apophthegm. Sacror.

Simſon: Quum Philiſthæi ab ejus ſponſa adjuti ænigma quod propoſuerat de melle & leone ſolviſſent, dixit eis, Niſi araſſetis vitula mea, non inveniſſetis ænigma meum, id eſt, niſi ut ruſtici juvencæ opera arando quæ ſub terra latebant retegunt, vos ſponſæ meæ opera quæ in animo meo latebant ſcrutati fuiſſetis, inveniſſetis, &c. allegoria, quæ perſtringit ſponſæ perfidiam, & illorum fraudem. *Iudic.* 14. 19.

Salomon: In contractibus fraudem frequentem eſſe dicit, Prover. 10.10. & 20. 14. *Non eſt inpiis*, Proverb. 12.20. *Non ſuccedit*, Prov. 12.27. & 17. 20. & 20. 17. & 22. 8. *errare facit*, Prov. 16. 29. 30. *Pire non ſtruenda*, Proverb. 24. 15. *fraudulenti turpi nomine appellati*, Proverb. 24. 8.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad dolos ſe confert, armis qui deſperat vincere.
Adſitus bonis humanis fraus doluſq; eſt omnibus.
Crimen omne tranſit is qui per fidem fallit ſuos.
Fallere alterum, haud profecto fallere ipſum ſe, arduũ eſt.
Fraus doluſque, honeſta ſceleri nomina obtendit ſuo.
Fraus doluſq; obſcura ſunt, eoque cavere vix queas.
Fraus etiamſi nota verum dicit, amittit fidem.
Fraus ſceluſq; plus quam virtus, profuere nemini.
Fraude decipi hoſtis turpe, fraude amici non item.
Fraude fas uti quacunq; ubi belli facta indictio eſt.
Fraude non poteſt carere res citra quæ ſit modum.
Heu nimis fœcunda fraudum tota gens mortalium eſt!
Illico fraus expugnatur turpis, ut agnoſcitur.
Multa vis aperta, ſed fraus plura operta perpetrat.
Murus juſtitiæ, quam obliqua fraudis, eminentior.
Ne contemne callidos, ſed de iis exiſtima male.
Nemo tam eſt vafer qui aliquando non magis vafro obviet.
Nil tam a Deo remotum eſt quam dolus fraus q; improba.
Nocte fraus plus patrat una, vis quam aperta annis novem.
Non modo ex eventu, etiam fraus ex conſilio noſcitur.
Non poteſt timere fraudes, cui perire nil poteſt.
Nulla fraus tam occulta quam non veritas tandẽ extrahat.
Prodit imbecillitatem virium uſus fraudibus.
Pumilus quis mente vafra vel gigantа occiderit.
Quam mage eſt fraus involuta veſte, eo magis patet.
Quam nimis heu fœcunda fraudem tota gens mortaliũ eſt.
Quo magis fraus palliatur, hoc magis pellucida eſt.
Subdolum eſſe licet inimico, amico eſt inſipientia.
Vis Leones uſque quaque, fraus decet vulpeculas.
Vis valet multum, ſed aſtus multò ea eſt potentium.

¶ Jambica.

Æque utilis fraus pace, quam eſt bello utilis.
Deum propitiat qui ſe à fraude continet.
Et fraus timeri, tempore exiguo poteſt.
Fraus, cauta quam vis, tandem ſeipſam detegit.
Fraus imbecillis convenit, vis fortibus.
Fraus quid ſit, haud ſciunt aurum qui neſciunt.
Fraudes ſtruunt virtute qui ſunt impares,
Frons explicata ſæpe fraudes occulit.
Haud prabet anſam fraudi qui nihil timet.
Haud ſemper eſt eventus fraudis latior.
Malis egeſtas eſt mala, at bonis bona eſt.
Nil aſtu agis, cui virium fiducia eſt.
Nil eſt facilius ipſum ſe quam fallere.
Pelli Leonis, pellis vulpis additur.
Quandoque fraus virtutis eſt pleniſſima.
Quod non potes vi, fraude tentes adſequi.
Suſpecta fraudum eſt, cura diligens nimis.
Trudit alia aliam fallaciam fallacia.
Vbi eſt opus fallacia, opus ſilentio eſt.
Verſuta fraus amat tenebris obregi.
Verſuta nulla fallitur nunquam Deus.
Virtute partum ſæpe fraude amittimus.
Virtute quod nequit malus, fraude obtinet.

Videantur alia titulo *Deceptionis, Aſtutiæ, Doli, Inſidiarum, Mendacij.*

Fructus.

¶ Sententiæ Græcorum et Latinorum.

D *Chryſoſtomus:* Agricola totum annum laborat: atq; ad finem ipſam diuturnorum laborum fructu ſæpenumero excidit. Rurſus & navis gubernator, & miles. ad extremam usq; ætatem in

tem in bellis & laboribus versati, sæpe ita hinc excedunt: nt & ille mercium suarum opibus labatur, & hic vitam una cum victoria amittat. Ecquam ergo, te rogo, excusationem habituri sumus, qui cum in rebus fluxis & caducis ea quæ cum labore conjuncta sunt præferimus, ut parumper conquiescamus, vel ne parumper quidem (dubia quippe hæc spes est) in spiritualibus contrario omnino modo faciamus, ac propter exiguâ ignaviam, ejusmodi, qui nullis verbis explicari possint, cruciatus nobis attrahamus. *Homil. 9. ad Cor. 2.*

Chrysologus: Quod latet in herba manifestatur in spica: & quod celatur in gramine, aperitur in fructu: sic quos credentes putamus pares, fide dispares, invenimus: sic judicii prodit messis, quod Ecclesiæ germen occultat. Juxta illud dictum dominicum, Ex fructibus eorum, cognoscetis eos. Flores multitudinem fructuum pollicentur, sed examinati ventorum flabris ad fructum pauciss imi perseverant: sic credentes in Christo multi Ecclesiæ videntur in pace, ubi autem persecutionis procella perflaverit, pauci martyrii reperiuntur in fructu. *Serm. 97. ante medium.*

Chrysologus: Quis ante ad fructum pervenit, quam terræ laborem sentiat & sudorem? Quis ante poma carpit, quam plantæ suam tribuat & impendat industriam? *Serm. 142. ante med.*

Arrianus: Potestne quispiam prodesse aliis, qui nullum ipse fructum è doctrina cœperit? non neque enim qui faber non est, ex arte fabrili, neque è sutoria, qui sutor non est. *cap. 23. libri 3. Epicteti.*

Libanius: An quæstum feci ex iniquitate tyrannica? Adeo ne ærumnosus quisquam est, ut negotii impietatis particeps, in quo jucundissimis quibusq; perfrui poterat, societatem vitaret? Quemadmodum si quis, cum alius effosso muro, timorum partem sustineret; quando jam integrum fuit securè supellectilem deprædari, ob quam prædam omnia pericula fuerat aggressus, nollet. Quid ergo, infortunate, nequiquam flagitium patrabas? cur in arduis moleistisque societatem inis, & non usque ad lucrum contendis? itane socios negotiationis, judices, facientes cernitis? An mare quisquam sustinuit, & illius mala expertus, cum ad portus appulerit, domum vacuis manibus reversus, aliis fructus concedit? an ego solus hominum tyrannum instituam, ut nulla parte gaudiorum tyrannidis potirer? ecquisnam crederet? nam magis rationi consentaneum esset, nulla opera ad principatum erigendum collata, stabilito potiri velle, quam exantlatis laboribus, in re persequenda, in ipso fruitionis tempore communionem fugere. *Declam. 28.*

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus in vita sua.

Θερίζομεν γὰρ ἃ πεφυτεύκαμεν.
Nam quale semen, talis est messis quoque.

¶ Emblematis.

Camerarius 78. Centur. 1.

Non metentis sed serentis.

Pigra face esse manus, plenam ne collige messem:
Commoda frumenti qui petit, ille ferat.

¶ Monosticha Trochaica.

Alteri quod fructuosum est, turpe quis sibi putet?
Arborem bonam pomorum agnoscas ex dulcedine.
Colligas fructus iniquè de arbore alter quam colit.
E bono fructum bonum fers semine, è malo malum.
Fructuum provectus, annis raro fallit debitum.
Inseris vites ut uvam proferat, non pampinum.
Mala arescunt usq; ad ipsos quæ flores perdenerant.
Nemo non fructus laboris colligit libens sui.
Nemo quid expetit, cujus fructum ante non prospexerit.
Nil petit quis, cujus ante fructus haud prospexerit.
Non de flore sed de fructu planta facta noscitur.
Nil potest sibi esse messis, nil ubi à quoquam satum est.
Non potest seges bona esse quæ malorum est seminum.
Non statim fructu beatur qui plantavit arborem.
Nullus esse idem diuturnus fructus ac præcox queat.
Planta præstat, multum fructus parvo qua fert tempore.
Post flores omnino non est ulla fructuum mora.
Post labores quis maturam messem prudens negligat?
Qui maturitatis fructum quærit, flores despicit.
Quid mirum, stante arbore ipsa poma si ejus decidunt?
Quis laboret frustra in illis quæ nihil fructus ferunt?
Quisque uti facit sementem, sic dein messem metet.
Quod latebat in radice, fit manifestum è fructibus.
Rarus est fructus virtutum qui uberrimos ferat.
Seminis plus terra reddit fertilis quam acceperit.
Semine è bono fructum bonum, è malo legas malum.
Solatur suos labores fructuum spe villicus.
Vere ut feceris sementem rursus autumno metes.
Vulpium fraus fructibus magè invidet quam floribus.

¶ Jambica.

Durare fructus vix potest præcox diu.
Flores quidem ipsos, poma sed plus diligas.
Fructus bona arbor ferre non potest malos.
Fructus res est, vel dare licere pignori.
Fructu beari malim quam frondibus.
Jam prodeunte fructu flores decidunt.
In flore odor requiritur, in fructu sapor.
Ita quis metet, veluti sementem fecerit.
Non quod operi est adversum, adversum & fructui.
Parata sunt ad fructum hominum in mundo omnia.
Peculiaris cuique fructus semini est.
Qui non serit multum segetis, parum merit.
Qui suppetit radicem, & auctor fructuum est.
Quicunque parcè seminat parcè metet.
Quod fructuosum est, & bonum puta veris.
Ut feceris sementem ita inde post metes.

Videantur alia titul. *Prædæ, Lucri, Utilitatis, Acquisitionis, Periculi, Rapinæ, Laboris, Sterilitatis, Fertilitatis.*

Frugalitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Delitiæ autem quæ in voluptatibus vagantur, grave sunt ac periculosum hominibus naufragium.

A vero enim honesti studio, & quæ viro bono conveniunt voluptatibus, aliena est hæc jucunda, & gloriæ ac laudis expers multorum vita. Homo enim est natura excelsum & erectum animal, & quod veri quærendi ac inveniendi desiderio tenetur, ut qui unius opus sit & effectum. Ea autem quæ in ventrem incumbit ejus vita, nihil habet augusti, cum sit digna opprobrio, & fœda & ridicula. A divina autem vita nihil tam alienum est, quam libidinis voluptatisq; studium: utpote, similiter quidè vesci ac passeres, coire autem similiter, ut hirci & sues. Voluptatem enim bonum existimare ejus est qui plane quid honestum sit ignorat. Porrò autem nimia divitiarum cupiditas hominem à recta vitæ ratione dimovet, persuadens ut adres turpes omnem planè pudorem exuat, si modo ei sicut feræ liceat quibusvis vesci, & quælibet similiter bibere, & in rebus venereis suam quacumq; ratione libidinem explere: & ideo rarissimè regni Dei fit hæres. Quorsum ergo tot parantur obsonia? an non ut unum ventrem impleant, Quam res sit immunda ingluvies, arguunt sterquilinia, in quæ ventres nostri exputunt reliquias convivii. Quorsum ergo tot pocillatores congregant, cum calice uno possint impleri? quorsum autem vestium arcas? quorsum vasa aurea? & quorsum ornamenta? Compilatoribus & sceleratis hominibus hæc parâtur, & oculis qui satiari nequeunt: Eleemosynę autem & fides, inquit Scriptura, te non deserant. Ecce igitur Heliam quoq; Thesbitem habemus pulchrum exemplum frugalitatis cum sedit sub rhamno, & Angelus ei affert alimentum. Erat subcinericius panis ordeaceus, & amphora aquæ: ejusmodi prandium ad eum misit Dominus. Prodeuntes ergo nos ad veritatem, accinctos esse oportet. Ne portetis, inquit Dominus, crumenam, non peram, neq; calceamentũ: hoc est, Ne possideatis divitias quæ solum in crumena recondantur, ne vestra implete horrea, tanquam sementem in pera deponentes, sed iis etiam qui egent impertite. Ne de jumentis & famulis sitis nimium solliciti, quæ cum onera portent, calcei divitum in itinere allegoricè dicuntur.

Abjicienda est ergo vasorum multitudo, & pocula aurea & argentea, & famulorum turba, cum pulchras & venerandas pedisequas à pædagogo accederimus, qui dat nobis ut per nos operari & parvo contenti esse possimus. Jam vero ita incedendum est ut convenienter Verbo ingrediamur: & si cui adsit uxor & filii, comus nequaquam est onus, quæ cum prudenti viatore migrare didicerit. Uxor quoq; quæ virum diligit, coercenda est & componenda, ut similiter ac maritus iter ingrediatur. Pulchrum est viaticum viæ quæ ducit ad cœlum, si frugalitatem una cum moderata gravitate jungamus. Mensura autem sicut pes calcei, ita etiam uniuscujusque possessionis est corpus. Quod autem superabundat, qualia sunt, inquit, ornamenta & supellex divitum, non sunt ornatus corporis. Oportet autem vi in cœlos conscendere, & pulchrum baculum, beneficentiam scilicet, circunferre, & iis qui affliguntur, elargiendo veram quietem percipere. Fatetur enim Scriptura, animæ redemptionis præcium esse proprias divitias: hoc est, si ditescat, salvus erit per elargitionem. Quemadmodum enim quicunque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram revertuntur: ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitientibus communicans, rursus augetur & repletur, quemadmodum ad ubera, quæ suguntur vel etiam mulgentur, solet lac confluere. Est enim minime indigens, qui Deum Verbum habet omnipotentem, & nullo eorum quibus opus habet unquam eget: Verbum enim possessio est cui nihil deest, & est causa omnis copiæ.

Si quis autem dixerit se sæpe vidisse justum cui panis deerat, hoc quidē rarum est, & id ubi non est alius justus. Sed tamen illud quoq; legat: Non in solo pane vivet justus, sed in verbo Domini, qui est panis verus, panis cœlestis. Vir ergo bonus numquā laborat inopia, quamdiu habuerit salvam in Deum cōfessionem licet enim ei pete-

re & accipere ea quibus indiget à Patre universorum, & propriis frui, si filium servant. Hoc quoque adest, nullam sentire indigentiam. Hoc nostrum Verbum fungens munere pædagogi, dat nobis divitias, nec ditescere ulla est invidia iis qui per ipsum tantum possident ut nullius egeant. Qui has habet divitias, hæres regni Dei fiet. *lib. 3. Pædagogi cap.* 7.

D. Nazianzenus, de Basilio Magno: Inopiam quispiam laudat, vitamque supellectilis expertem & supervacaneis rebus vacuam? Illi vero quid unquam fuit præter corpus, ac necessaria carnis integumenta? Divitiæ autem illi erant nihil habere, & crux, cum qua sola ipsius vita versabatur, & quam majori in pretio habebat, quam ingentes pecuniæ acervos. Neque enim quemquam, etiam si maximè cupiat, omnia adipisci posse: at omnia contemnere posse, sicque omnibus rebus præstantiorem suplimioréque se præbere. Hac porro mente præditus, atque ita comparatus, ara quidem opus nō habuit, nec inani gloria, nec publico illo præconio, Crates Cratetē Thebanum libertate donat. Non enim optimus videri, sed esse studebat. Nec vero in dolio, atque in medio foro habitabat, ut apud omnes luxum ac delicia sibi compararet, inopiam in rerum copiam novo modo convertens: verum pauper erat ab omni gloriæ cupiditate alienus, atque omnibus facultatibus, quas unquam habuerat, æquo animo projectis, leviter facileque vitæ pelagus transmittebat. Admiranda res est continentia, & parvo contentum vivere, nec à voluptatibus superari, nec à ventre, tanquam à sævo & sordido domino superari! Quis unquam tanta inedia fuit, pene etiam dixerim quis tam carnis expers? Nam voracitates & saturitates ad eos abjecerat, qui ad brutorum naturam propius accedunt, quorumque servilis atque in terram prona vita est. Ipse autem nihil eorū, quæ post guttur pari deinceps honore sunt, magnum esse censebat: verū necessariis tantum cibis, quam diu licebat, vitam tolerabat, atq; hunc solum luxum norat, nempe à luxu abstinere, ob eam causam pluribus rebus indigere: sed lilia & aves (quibus simplex atque artificii expers pulchritudo est, & victus facilis atque ex tempore quæsitus) ob oculos habere, quemadmodum Christus meus monet, qui carnis paupertatem nostra causa subiit, ut nos ipsius Divinitate locupletemur. Hinc illi tunica una, & pallium unum, & stratus humi lectulus, & illuvies, & vigiliæ (qui eius decora & ornamenta) & sua ipsissima Cœna & obsonium, panis & sal, novum inquam illud condimentum, & potio sobria & uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt. *Oratione* 20.

S. Isidorus Peluseota: Etiam si sexcentas opum vias aperias, tamen, non dicam satietatem, sed ne vias quidem, quas illæ peragrāt, invenies. Siquidem eos odio habent, qui inexplebili aviditate pecunias consectantur, nec ad eos venire sustinent. Contra omniū maxime illos amant qui parcimonia & frugalitate vitam suam ornant, lubenterque ad ipsos ventitant. *lib. 2 Epist. 265.*

S. Asterius: Hæc oratio eos notat ac traducit, qui nec recte divitias habent, & ad inanes immodicosque sumptus abutuntur. nam & purpuræ color valde precio sus est, planeque supervacuus; & byssi item usus minime necessarius. His autem qui vitam sectantur moderatam & frugi, proprium ac familiare est cum rerum usum necessitate metiri, tum inane vanæ gloriæ studium fallacemque voluptatem, tanquam vitiorum parentem vitare. *Homilia de Lazaro ac divite, principio.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Parum est quo caro eget, quod natura exigit, quod sufficit vitæ avaritia causa est, quod homo magna & multa recondit, non sibi sed aliis, ad suum plane præsentem, vel posterum cruciatum. *Sermone* 122. *m.*

Io. Saresberiensis: Tenuis parcus impletur facile, & facilime exinanitur prodigus dives. Arca sane capacissima fundū habet, & brevi exitu congestarum aquarum quantalibet copia defluit, fontisque abundantia tollitur, scaturientis venæ fœcunditate sublata. Exilii plerumque meatu incluso egerit urna liquorem. Sic minutissimis, dum frequentibus & continuis sumptibus ampliſſimæ exhauriuntur opes, & brevium subtractione minutiarum, maxima hæreditas expilatur: nisi forte prodigus pecuniam inveniat redivivam.

Est luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Illis ergo parcendum est, quorum necessarius imminet usus, & aliquid adiiciendum est quātitati, quæ jugi partium deductione decrescit. Et licet usu dafluant unciolæ patrimonii, gratum est diligēti patrifamilias, si vel ratiocinii calculo teneantur, peritque dupliciter, quod elabitur nescienti. Ad hæc

Lucri bonus est odor ex re Qualibet.

Illa tuo sententia semper in ore versetur, Diis atque ipso Jove digna, poetæ,

Vnde habeat quærit nemo, sed oportet habere.

lib. tertii nugarum Curialium cap. 12.

Io. Sarisberiensis: Mihi ab insulsis ineptè viventibus, & indiscretè loquentibus, illlud Publ. Clodii subsanando ingeritur, quia frugalitas boni rumoris inserta est. Hi sunt qui dum luxuria vitare nolunt, vel nequeunt, quicquid pro virtute dicitur, avaritiæ patrocinium putant. Secus quidem est, luxuriam per se turpem nemo ambigit, & licet frugalitas sit tanquam virtutum, bonorumque operum origo laudabilis, non tamen omnibus placet, nec credunt avaritiam malitiæ fomitem posse vitari, nisi & fugiatur. Nempe indoctorum hæc opinio est. Vt enim ait Ethnicus,

Dum vitant stulti vitia in contraria currunt,

recedentes à medio vitiorum, quæ regia virtutis est. Sunt tamē quibus frugalitas est inhibenda, ut quorum natura proclivior est ad avaritiam. Sunt tamen quibus est indicenda calcatius, ut qui sua prodigunt, & ratione contempta effundunt, non discernentes quid usus sit vel abusus. quo quidem temperamento usum esse Servium Opidium Canusinum in ultimo elogio, cum filios peste contraria videret occupatos, refert Horatius. Simpliciter tamen constat frugalitatem in bonis numerandam; utpote illam, quæ Saturno regnāte regna aurea temperavit, & eorundem omnia despensavit officia. Hæc est quæ Astream, & pudicitiam in terris diutius tenuit, donec eas invalescente luxu, regnante Jove ad superos contigit evolasse. Nos hæc fabula respicit, ut sciamus sine frugalitate non posse justitiam, aut pudicitiam conservari. Siquidem necessitas exercendi luxus excludit justitiam, & exercitii voluptas pudicitiam propellit. Ait enim, qui festinat ditari, non erit innocens. Illud tamen Clodii nequaquam denigrat frugalitatis honorem, sed videtur potius commendare decorem. Constat enim nequaquam malum esse, quod in patrocinium, & excusationem siniſtri rumoris assumitur. Sic fuscus color nigrum extenuat; & quod turgidum est, nomine plenitudinis honoratur. Est autem frugalitas virtus moderatrix utendi, & abutendi ignara. Nihil gelidè ministrat aut timidè, sed ei tamen ratio constat impensæ. Rebus quidem, sed sibi magis parcit. Nihil autem minimum subtrahit usui, sed luxuriæ nihil omnino indulget. Siquidem diligentissima est. *lib. 8, Policratici cap.* 12.

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Crates: Asuescite ut paucis vobis opus sit. Hoc enim proxime ad Deum accedit, quia contrarium abest longissime, & vos sequetur medios cōstitutos inter Deum quædam divina similitndo ut genere meliore & non secundum proportionem deteriore similes evadatis. *Epist. 11. ad Amicos.*

Xenophon: Existimabat rex Persicus se, si ampliſſimas pecunias haberet, omnia redacturum in potestatem suam: ideoque quicquid esset inter homines auri, quidquid argenti, quidquid maximi pretii rerum, id totum ad se colligere nitebatur. At Agesilaus contra, sic domum suam instituerat, ut horum nullo egeret. Quod si quis fidē nobis non habet, is velim aspiciat, qualis ei domus suffecerit, atque etiam fores intueatur. Nam suspicari quis possit, has adhuc illas ipsas esse, quas Aristodemus Herculis filius, in patriam reversus exstruxerit. Idem domesticam supellectilem contempletur. Quo pacto in sacrificiis epularetur, secum ipse cogitet. Audiat eum Amyclas in canathro civico profectum esse. Enimvero quum hoc modo sumtus ad proventus accommodaret, non cogebatur injusti quidquam pecuniarum causa facere. *cap.* 44. *Vitæ ejus.*

Xenophon: Antipho enim, quum aliquando familiares Socratis ab eo vellet abducere, ad Socratem accedens, ipsis etiam præsentibus, hac usus est oratione: arbitrabar ego, Socrates, eos, qui philosopharentur, feliciores fieri oportere. at tu mihi videris contraria quadam ratione fructum ex sapientia tua percepisse. Sic enim vivis, quo pacto si vel quivis servus sub domino victitaret, non maneret. Veteris cibo potuque vilissimo, neque tantum veste vili, sed eadem quoque per æstatem & hyemem indueris, & semper calceis tunicaq; careas. Præterea pecuniam non accipis, quæ & comparantibus est voluptati, & iis, qui jam compararunt, liberalius jucundiusque vivēdi causam præbet. Quamobrem si, quemadmodum reliquorū studiorum magistri discipulos suos imitatores sui efficiūt, tales tu quoque familiares tuos reddes: putare debes, infelicitatis te magistrum esse. Ad ea Socrates: Suspicari mihi videris, inquit, Antipho, tam ærumnosam me vitam degere, ut quidē persuasus sim, malle te mori, quam meo more vivere.

Age igitur dispiciamus, quid in mea vita acerbi deprehenderis. An quod necesse sit eos, qui pecuniam accipiunt, hoc ipsum præstare, cujus causa mercedem accipiunt, quum mihi mercedem nullā accipienti necesse non sit ad eum differere, quem nolim? An vilem victum esse meum putas, qui minus salubribus vescar, ac tu, quæq; minus roboris uppeditent? An quod ea comparatu difficiliora putas esse, quibus ego vescor, quam quibus tu vesceris, quod & rariora sint, & majoris pretii: An ea, quæ tu paras, tibi jucundiora esse dicam, quam mihi? Num ignoras, quod qui suavissime vescitur, minime indigeat obsonio? qui summa cum voluptate bibit, minime potum absentem desiderat? Vestes quidem qui commutāt, frigoris eas æstusque caussa commutare nosti; & calceis pedes muniunt, ne propter illa, quæ pedes lædunt, iter facere prohibeantur. Tu vero an unquam sensisti me vel propter frigus magis quam aliquem [alium] domi manere, vel propter æstum cū aliquo de umbra pugnare, vel propter pedum dolorem non pergere, quo veli? An nescis eos, qui à natura sunt corporibus maxime imbecillis prediti, posteaquam se exercuerint, in iis, ad quæ se exercuerint, robustissimos quosque, qui exercitationes neglexerint, ita superare, ut ea facilius ferant?

Me vero non putas corpus meū exercendo consuefacere, ut quæcumque semper acciderint, patienter ferat; ideoque cuncta me facilius perferre, quam te, qui te non exerces? An vero causam tu aliā veriorem esse putas, quod gulæ, somno, lasciviæ non servio, quam quod his alia quædā habeo suaviora, quæ non solum in necessitate constitutum exhilarant, verum etiā hoc ipso, quod commodi perpetui spem faciant? Præterea scis eos homines, qui nihil prospere si-

bi suc-

bi ſucceſſurum exiſtimant, non eſſe lætos: quum illi, qui præclare ſibi vel agriculturam. vel naviculatoriam, vel quid aliud, quo occupatiſunt, ſuccedere putant, quaſi qui rebus utantur propſeris, voluptatem capiant. Tu ne vero de his omnib. tantum voluptatis percipi putas, quantũ ex eo, quod aliquis ſeipſum meliorẽ reddi putat, & amicos meliores conſequi? quod equidem nunquã nõ de me ſtatuo. Jam ſi vel amici juvandi ſint, vel ipſa civitas, cuinam plus otii fuerit ad ea procuranda? ei ne, qui ut ego, victitat; an qui illo modo, quem tu prædicas? uter facilius militiam perferat? Isne, qui nequit abſque ſumptuoſo victu vivere, an cui ſatis eſt id, quod adeſt? uter citius expugnabitur? isne, qui quod inventu difficillimum ſit, requirat: an qui eorum uſu quæ facilime obvia ſunt, abunde contentus eſt? Videris, Antipho, felicitatem delitiis ac ſumptuoſo adparatu metiri. Ego vero arbitror, nulla re indigere, divinũ eſſe: quã pauciſſimis, proximum dei naturæ: ac divinum quidem quod ſit, præſtantiſſimum eſſe: quod autem divino proximum, id etiam à præſtantiſſimo proximum eſt. *cap. 26. lib. 1 Memorabilium.*

Lucianus. Lycinus: Quid tu tandem? barbam quidem habes, & comã, tunicam non habes, nudus cõſpiceris, ac ſine calceis, delecta nimirum vaga, inhumana, ferinaque vita: tum proprio corpore, cõtra quam faciunt cæteri, ſemper uſus incommode, nunc huc nunc illuc circumis, & inarido ſolo cubans, adeo ut plurimum ſordium, tritum iſtud palliũ referat: alioqui nec ipſum tenue, nec molle, nec ſpecioſum. *Cy.* Neque enim indigeo. Siquid eſt hujusmodi ut cõparetur facilime, dominoque minimum exhibeat negotii, id inquã mihi ſufficit. At tu per Deos dic mihi, putaſ-ne eſſe in luxu vitium? *Lyc.* Admodum. *Cy.* Contra in frugalitate virtutẽ? *Lyc.* Admodum. *Cy.* Cur igitur cum me videas viventẽ frugalius quam vulgò faciũt homines, eos vero ſumptuoſius me, non illos arguis? *Lyc.* Quia non frugalius, per Jovem, videris niihi, ſed egentius vivere, imo vitam omnino egenam atque inopem. Nam tu nihil a mendicis differs, qui cibum mendicant in diem. *Cy.* Vis ergo videamus (quandoquidem huc proceſſit oratio) quidnam inopia ſit, quidq; copia? *Lyc.* Si tibi videtur. *Cy.* Nunquid ergo ſatis id cuique eſt, quicquid ipſius explet neceſſitatem? an aliud quippiam dicis? *Lyc.* Eſto iſtud. *Cy.* Indigentia vero quicquid cujuſquã uſui deeſt, nec eo quo ſit neceſſe, pervenit? *Lyc.* Scilicet. *Cy.* Nihil igitur meis in rebus deeſt. Nihil enim in his eſt, quod neceſſitatem non expleat meam. *Lyc.* quo pacto id ais? *Cy.* Scies ſi conſideres in quem uſũ eorum quodque paratum eſt, quorum egemus, ut domus: annon tegumenti gratia? *Lyc.* Maximè. *Cy.* quid veſtis? cujus gratia? annon tegumenti & ipſa? *Lyc.* Sanè. *Cy.* At ipſo per Deos tegumẽto, cujus rei gratia indiguerimus, nonne ut melius ſe habeat id quod tegitur? *Lyc.* Mihi quidem ſic videtur. *Cy.* Vtrum igitur tibi pejus ſe habere videntur pedes: *Lyc.* Neſcio. *Cy.* Atqui hoc pacto dideris: quodnam pedum officium eſt? *Lyc.* Ingredi. *Cy.* An deterius ergo ingredi pedes tibi videntur mei, quam aliorum? *Lyc.* Iſtud vero fortaſſe non. *Cy.* Non igitur ſive deterius ſe habent, ſive non, ſuum officium non præſtant: *Lyc.* Fortaſſe. *Cy.* Pedibus ergo nihilo pejus quam alii affectus videor? *Lyc.* Non videris. *Cy.* Quid vero corpus meum? num deterius quam reliquorum? Nempe ſi deterius ſe haberet, eſſet imbecillius: corporis quippe virtus, robur eſt. An meum ergo debilius? *Lyc.* Non videtur. *Cy.* Neq; pedes ergo tegumento viderẽtur egere, neq; reliquum corpus: quippe ſi egerent, male haberet. Egeſtas etenim omnino mala, ac pejus habere ſe facit, ea quibuſcunque adiuerit. At ne ali quide deterius videtur corpus meum quod quibuslibet cibis alitur. *Lyc.* Id manifeſtum eſt. *Cy.* Neque bene valeret, ſi male alieretur, mala ſiquidem alimenta corpus labefactant. *Lyc.* Hæc ita ſe habent. *Cy.* Quo pacto igitur, dic mihi, his ita ſe habentibus, me aiguis, vitamque improbas meam, ac miſeram prædicas? *Lyc.* Ideo per Jovem, quod cum natura (quam tu colis) ac ſuperi terram in comm ni ſtatuerint, ex ea multa nimirum ac bona ediderint, ut omnia nobis abunde ſuppeterent, non in neceſſitatem modo, verum in voluptatem quoque: tu tamen horum omnium, aut maximæ ſaltem partis expers es, nec eorum quoquam frueris, nihilo certe magis quam feræ. Nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ: comedis vero quicquid offenderis, quemadmodum canes, tum cubile nihilo melius canibus habes, ſiquidem tibi ut & illis gramen ſufficit, palliu præterea circumſers nihilo decico decentius. Quanquam ſi tu his contentus recte ſapis, tum Deus profecto neutiquam recte fecit, primũ quod oves fecit lanatas, deinde vites dulcis vini feraces, ac reliquũ apparatum varietate mirabilem, & oleũ, & mel, & reliqua omnia, ut nos edulia quidem omnigena haberemus, haberemus potum dulcem, haberem ſpecunias, haberemus mollem lectum, haberemus pulchras domos, & reliqua omnia mirum in modum comparata.

Nam & ipſa artium effecta, Deorum ſunt dona. At vivere omnibus hiſce bonis privatum, miſerum eſt, etiamſi ab alio priveris: quẽadmodum hi qui ſervantur in vinculis. Longe vero miſerius ſiquis ipſe ſeſe omnibus bonis priet. & hoc manifeſta jã eſt inſania. *Cy.* Et recte quidem fortaſſe dicis. Verum iſtud dic mihi: Siquis divite alacriter, humane, ac benigne conviviu m præbente, tum hoſpites excipiente, & multos ſimul, & omnigenos, alios quidem imbecillos, alios autem robuſtos: deinde apponente multa, & omnigena, omnia rapiat, omniaque edat, non propiora tantum, ſed etiã remotiora, videlicet invalidis præparata, ipſe tamen valens, quum unum duntaxat ventrem habeat, pauciſque ut nutriatur, opus habeat, diutius tamen quam alii multi immoretur, hic vir cujuſmodi tibi videtur eſſe? num cordatus?

Lyc. Non mihi quidem. *Cy.* Quid vero, num temperans? *Lyc.* Ne id quidem. *Cy.* Quid vero ſiquis ejuſdẽ menſæ particeps, multa illa ac varia negligat, uno quopiam ex his quæ proxime apponuntur, electo, cum ſatis in ſuam habeat neceſſitatem, id decenter edat, eoque ſolo utatur, cætera illa ne reſpiciat quidem, annon hũc illo temperantiorẽ, & meliorẽ virum putabis? *Lyc.* Ita certe.

Cy. Vtrum ergo intelligis, an me opportet dicere? *Lyc.* quidnam? *Cy.* Quod Deus illi præclare hoſpites excipienti ſimilis eſt, ut qui appoſuerit multa ac varia, omnigenaque, ut eſſent quæ cuique convenirent, alia valentibus, alia ægrotantibus, alia robuſtis, alia invalidis, non ut omnibus utamur omnes, ſed ut his utantur ſinguli, quæ ſuæ cujusque naturæ conveniunt, & ex his ipſis, quacunquere maxime quemque indigere contigerit. At vos illum qui per inſatiabilitatem, atque incontinentiam omnia corripit, refertis, ut qui rebus uti pelitis omnibus, & undecunque patris non ſolis cõtenti qui ſunt apud vos, non terram, non mare proprium ſufficere exiſtimantes, ſed importantes ab ipſis terræ finibus voluptates, patriiſque rebus peregrina præferentes, ſumptuoſaque frugalibus, & paratu difficiliora, parabilibus. In ſumma, moleſtias, malaq; potius eligentes, quam moleſtiis carentem vitam. At iſti quidẽ plurimi ac pretioſi, beatique apparatus, quibus exultatis, per magnam ad vos miſeriam, ærumnamque perveniunt. Aurum ipſum tam opratum, argentumque, ſi libet, conſidera: conſidera domus ſumptuoſas, conſidera veſtes operoſas, conſidera reliqua omnia, quanto negotio emuntur, quot laboribus, periculis, imo ſanguine, ac cæde, quantoque hominum interitu: non ſolum, quia dum navigant, propter ita pereunt complures, ac dum quærunt, parantque, gravia perferunt. Sed ob id quoque, quod digladiationes multas pariunt, quodque ob ea inſidiantur invicem, amicis amici, parentibus liberi, conjuges maritis. Sic opinor etiam Eriphylen auri gratia prodidiſſe maritum. atque hæc quidem omnia fiunt, quum tamen veſtes illæ variæ nihilo magis calefacere queant, nec aurata illa ædificia magis tegere: nec pocula illa argentea potui conducant: nec aurei eburneique illi lectuli ſomnum ſuaviorem præbeant. Imo videbis frequenter in eburneo lecto, ſumptuoſiſque ſtragulis, beatis illis ſomnum contingere non poſſe. præterea omnigenæ illæ circa edulia curæ, nihilo magis alunt, quin tabefaciunt potius corpora, iiſdemque morbos ingenerant. Quid autẽ dicere attinet libinis gratia quantas moleſtias homines & faciunt & patiuntur? Quanquam facile eſt iſti cupiditati mederi, niſi quis indulgere vult deliciis. At ne hæc quidem inſania corruptelaque videtur ſufficere mortalibus, ſed jam rerum etiam uſum pervertunt, ſingulis rebus ad id utentes, ad quod minime paratæ ſunt: ut ſi quis lecto currus loco velit uti, tanquam curru.

Lyc. Quisnam is eſt? *Cy.* Vos inquam qui hominibus tanquam jumentis utimini. Nam eos jubetis, ut lecticas tanquam currus cervicibus ferant. Ipſi vero in ſublimi reſidetis delicati, atque illinc homines tanquam animos aurigamini, imperantes ut hac non illac eãt: & ii qui hæc facitis maxime, iisdem maxime beati videmini. Tum hi qui piſcium carnibus non tantum ad alimentum utuntur, ſed etiam quaſdam ex his tincturas moliuntur, eos dico qui purpurã tingunt, nonne & hi præter naturam his utuntur, quæ a Deo præparata ſunt. *Lyc.* Non per Jovem, ſiquidem tingere etiam poteſt, non comedi tantum purpuræ caro.

Cy. At non in id tamen eſt nata, nam & cratere quiſpiam, ſi præter naturam deterqueat, ollæ loco poſſet uti, nec in id tamen paratus erat. Sed quo pacto poſſet quiſpiam omnem illorum infœlicitatem percurrere, quæ tanta eſt? Tu vero me accuſas, quod particeps ejus eſſe nolo. Vivo autem ſicuti modeſtus ille, his veſcor quæ mihi apponuntur, ac frugaliſſimis utor: variis autem omnigeniſq; illis non inhio. Ac deinde cum paucis egeam, nec multis utar, ferinam tibi videor vitam vivere: Dii autem in periculum veniunt, ne & ipſi feris ſint deteriores, qua ratione loqueris, quippe qui nulla re indigent. Verum ut exactius intelligas cujuſmodi ſit horum utrumque, cum paucis, tum multis egere: conſidera quod pluribus egent, primum pueri quam adulti, deinde mulieres quam viri, ægroti quam valentes: in ſumma, inferiora quælibet præſtãtioribus plurium indigẽt. Proinde Dii omnino nullius indigent rei, qui vero ad Deos accedunt proxime, quam minimis egent.

An Herculem putas omnium hominum præſtantiſſimum, quippe divinum virum, Deumque recte creditum, miſerum tunc fuiſſe, cum circumiret nudus, pelle duntaxat indutus, harum rerum noſtrarum nihil deſiderans? At ille miſer profecto non erat, quippe qui miſeriam ab aliis propulſabat: neque rurſus pauper, qui terra, mariq; dominabatur. Nempe quoq; intendiſſet impetũ, omnes quaquaverſum ſuperabat, nec in quenquam ſui temporis incidit ſibi vel æqualem, vel præſtantiorem, quoad ex humanis exceſſit. An tu illi ſtragula putas, calceoſque defuiſſe, tantumque virum ob id mundum obambulaſſe? Dicendum profecto non eſt. Sed continens erat ac fortis, & moderate vivere volebat, non indulgere deliciis.

Quid Theſeus ejus diſcipulus? annon rex erat Athenienſium omnium, ac filius etiam, ut ferunt, Neptuni, ſua certe tempeſtate fortiſſimus? Attamen ille voluit ſine calceis eſſe, nuduſque ingredi, barbamque & comam habere placuit ei: nec ei ſolum placuit, ſed & veteribus omnibus: nempe meliores erant quam vos: atq; adeò ne ſuſtinuiſſet quidem eorũ quiſpiã aliquid hujuſmodi, nihilo profecto magis, quam leo quiſpiam ſeſe tonderi. Siquidem carnis molli-

tiem aclævorem decere mulieres existimabant: ipsi vero sicuti erat, ita viri quoque videri volebant: ac barbam quidem cultum viri docebant, ut & equorum jubam, & leonũ barbam, quibus Deus quædã ad splendorem & ornatum apposuit: sic & viris barbam apposuit.

Illos igitur ego æmulor, veteres inquam illos imitari volo: hujus vero sæculi homines nõ æmulor mirabilis hujus fœlicitatis nomine, quam in epulis & vestibus habent, dum poliunt ac levigant singulas corporis partes: ac ne secretiorum quidem ullam, ita ut instituit natura, se habere sinentes. Opto autem, ut pedes mei ab equinis ungulis nihil differant, quales Chironis fuisse ferunt. Tum ut ipse non egeam stragulis, ut leones, nec cibo egeam magis exquisito, quam canes. Contingat præterea mihi, ut terra quævis cubile mihi sufficiat: domum vero existimem, mundum: tum alimenta deligam paratu facillima. Aurum vero, argentumque ne desiderẽ unquam, neque ego, neque amicorum quisquam. Omnia nanq; mala inter homines ex horum cupiditate nascuntur, seditiones, bella, insidiæ, cædes. Hæc omnia fontem habent plus habendi cupidinem. At hæc à nobis abscedat procul, ne unquam plus satis appetam: minus ergo cum habeam, ferre æquo animo valeam. Equidem talis ego sum: multumq, à vulgi sententiis dissentio.

Neque quicquam ergo mirandum est, si ab his differimus habitu, à quibus tantum differimus instituto. Sed te miror qui tandem cum tuam quandam citharœdo vestem tribuas, cultumque, atq; adeo tibicini sum: bono viro cultum, vestemq; propriam nullam existimas, sed eandem ei cum vulgo habendam censes, idq; cum vulgus malum sit. Quod si bonorum cultus proprius debet esse ullus, quisnam deceat magis quam hic meus, qui luxuriosis sit maxime pudendus, quemq; illi maximẽ aversentur?

Cultus ergo meus hujusmodi est, squalere, hirsutum esse, tritum pallium habere, calceis carere. Vester vero, cultum cinædorum refert, à quibus nemo vos dignoscere possit, neq; colore vestium, neq; mollitie, neque tunicarum numero, neq; lacernis, neq; calceis, neque capillorum cura, neq; odore. Nam & redoletis ut illi, vos qui estis locupletissimi potissimum. Et quidem quid facias, quum vir eundem cum cinædis odorem oleat? Etenim in ferendis laboribus nihil illis præstatis: voluptatibus vero nihilominus quã illi superatis. eãdem comeditis, eodem modo dormitis, atq; incedit is: imo incedere non vultis, sed gestari tanquam sarcinæ, alii ab hominibus, alii vero à jumẽtis. At me pedes ipsi gestant, quocunq; sit opus: atq; ego & frigus tolerare sufficio, & calorem pati, quæq; Dii obtulerint, non moleste ferre, ideo quia miser sum.

Vos vero propter hanc felicitatẽ, fortuna nulla contenti estis, sed de quavis cõqueri mini: ac præsentia ferre non potestis, absentia desideratis, hyeme quidem optantes æstatem, æstate rursus hyemem, in calore frigus, in frigore calorem, prout ægroti morosi semper & queruli: quod in illis facit morbus, id in vobis faciunt mores. Atq; hæc ita cum sint, jam nos in vitam vestram traducere æquum centetis, nostramq; corrumpere, quum sæpe malẽ consulta sint, quæ facitis, ipsiq; vestris in negotiis minime circunspecti sitis: nihilq; eorum judicio, ac ratione, sed consuetudine cupiditatis faciatis.

Quamobrem nihil differtis vos, ab his qui torrente feruntur: illi quippe quocunq; flexus intenderit, eo rapiũtur, & vos itidem quocunq; libidines. Ac similiter quidem vobiscum agitur, ut cum quodam qui equum insanum conscenderat. Equus virum correptũ abstulit. Hic vero non amplius descendere, equo currente, poterat. Tũ quidam obvius, rogavit quonam tenderet: Hic respondit, quocunq; huic videtur, equum demonstrans. Quod siquis vos roget quo feramini, si verum vultis dicere, dicetis in universum quidem, quocunque videatur affectibus: sigillatim vero, interdum quocunq; voluptati, interdum quocunq; ambitioni, interdũ quò lucri studio. Quin interdum ira, interdum metus, interdum aliud quidpiam hujusmodi vos auferre videtur. Neq; enim vos unum duntaxat equum, sed multos insilientes, alias alios, omnes furiosos, avehimini. Auferunt ergo vos in barathrum, ac prærupta. Vos tamen priusquã cadatis, casuros vos esse nescitis. At detritum hoc pallium quod irridetis, & coma habitusque meus tantam habet vim, ut vitam mihi quietam præbeat, utq; agam quicquid volo, versẽrq; cum quibus volo. Nempe ex indoctis, atq; ineruditis hominibus nemo me, ob hunc habitum, adire voluerit. Molles autem, etiam procul admodũ me declinant. Sed conveniunt fortissimi, & modestissimi, & virtutis cupidi: hi potissimum me conveniunt, quia ipsorum consuetudine delector. Eorum verò fores qui homines vocantur, non obtero: coronas autem aureas, ac purpuram pro fastu habeo, hominesq; derideo. Atut cultum hunc intelligas, non bonos modo viros, sed ipsos etiam Deos decere, atq; eum deinde, si libuit irrideas, Deorum statuas considera, utrum videantur vobis an mihi similiores. Neq; Græcorum solum sed Barbarorum etiam templa circumspicias, utrum ipsi Dii, ut ego, comati barbatiq; sunt, an quemadmodum vos rasi linguntur, atq; pinguntur. Quin plurimos etiã sine tunicis conspicies, ut me nunc esse vides. Quo pacto igitur audeas posthac hunc habitum vitio dare, quum Deos etiam decere videatur? *ut Cynici.*

Epictetus: Quæ corpori serviunt, eatenus adhibeãtur, quatenus animo sunt usui, veluti cibi, potus, amictus, ædes, servitium. quidquid autem ad ostentationem aut delicias attinet, repudiato. *ca 46. Enchiridij.*

Simplicius: Fortasse præclarum esse, nulla re egere hominem, qui sit animus rationis particeps. Sed quia mortalis corporis instrumẽto utitur: satis est ei offerri necessaria, nec ad luxuriem delabi. Sicut enim fabro satis est in curanda bipenni, emicere ut ista sit magnitudine, figura & acie prædita: nec eam auro bracteare cupit, aut gemmis exornare, quod & sumptibus exhauriretur, & contra rationem artis curaret instrumentum, atque inutile redderet: ita & nos adversus nostrum instrumentum affecti esse debemus, nec illi nisi ea quæ usus & necessitas postulat offerre: è cibis & potionibus, ea quæ secundum naturam corpus humanum alunt, parabilia & naturæ convenientiora deligendo. Hæc enim etiam puriora deprehenduntur, & tenuiora, & salubriora. Victu enim opus est animanti: sed non tali aut tali victu, ciborumque varietate. Neq; enim Theorionibus & Paxamonibus & natura nos conciliavit, & culinariis impostoris: sed victui, quo id quod decesserit instauretur. Atque hoc ita se habere, ii declarant, qui ob inopiam uti naturali victu cõguntur, multo delicatis & luxuriosis saniores, ut agricolæ civibus, servi dominis, pauperes divitibus. Nam supervacanea & arte conquisita naturam onerant, ut dolosa & aliena, & ex genere venenorum quodammodo. Quare flatus & fluxiones inde generantur pernitiosæ. Est igitur & multitudo & qualitas ciborum ac potionum naturali usu instrumenti metienda, ne & parandi sumtu supervacaneo vexemur: & secus ac recta ratio præscribit, instrumentum cuiremus, idq; ad usum ineptius reddamus. Magnæ autem felicitatis est, ab ineunte ætate enutritum esse, & assuefactum. Sic enim corpori tolerabilis & accommodata & suavis erit, naturalis illa & tenuis & simplex diæta. Eadem & in vestitu ratione uti bonum est. Socrates certe vestibus iisdem & hyeme & æstate usus perhibetur. Iis vero qui Socrati collati delicate vivunt, satis erit adversus caloris & frigoris intemperiem, lino è terra nato & usitatorum nobis animalium lana & velleribus uti. At vero flumina Occidentis perscrutari, & quæ in iis sunt animalia excoriare, & Serum orientalium egere opera, & fila vermium pretiosissimis & firmissimis apud nos rebus auro atq; argento redimere: magni fuerit & luxus, & inconsiderantiæ. Eadem & domiciliorum ratio esse debebit. Nam Crateti quidem domum idoneam præbuit dolium, quamvis pulcram Hipparchiam uxorem habenti. Nobis autem sit sane domus, sed ad usum accommodata, tam magnitudine quam ornatu, quæ & virorum & mulierum distincta habeat conclavia: quamvis & hæc fortassis supervacanea fuerint, ea quidem esse magnitudine ut triginta lectulos capiat, aut parietib. & pavimento marmoreo ac tessellato & picturato sit, aut singulis mẽsibus diversoria distincta habeat, nihil esse necesse. Neq; enim vel usus ista postulat: & miserum est, hujusmodi assuetum, cæteras habitationes omnes improbare. Neq; jam dico, qui his impense delectetur, eum felicitatem etiam in hisce collocare, suimet ipsius prorsus oblitum. Qui si his exciderit, (quod quidẽ multis de causis accidere potest) plorare necesse erit, & lamentari, seq; infelicem tum judicare. Enim vero tum infeliciores eramus, cum hisce delitiis circũfluerimus. Consimili ratione servorũ etiam eo numero est utẽdum, qui sit ad usum & rei familiaris copias accommodatus, ut & necessaria eis præbeantur, & peræ exigantur tum diligentes, tum tolerabiles. Qui enim multos circũducunt anteambulatores & pedisequos, quorum id unum munus est: hi non animadvertunt, se molestos sui custodes & observatores circumducere, ut neq; suo arbitratu quoquam abire, neq; privatim & clanculum cum ullo colloqui, necea quæ visa fuerint, agere clam famulis possint. Sunt iidem & aliis hominibus molesti, res in foro venales partim furando, partim rapiendo, atq; impune verberando & insultando, conservorum subsidio freti. His igitur rebus & ignavo otio prorsus corrupti, pleriq; profecto sunt inimici & hostes dominorum, qui quo istorum delitias & elegantias & luxuria valant, quos labores, quas vigilias tolerare? quam multis item adulari & servire necesse habent? & quod malorũ caput est, ut vita naturæ humanæ cõvenientẽ deseiscere? Homo a philosophus, etiã servitiis ad necessariũ usum accõmodatis utetur. Hic vero exiguus est, tum ob rei familiaris angustias, tũ q̃ suis ipse ministret; alioquin pleraq; administrat, ut ei famulo sit opus aut ægrotanti, aut cũ res adjutore desiderat, aut ob rerũ meliorũ occupationẽ: sicut & admirandus hic Epictetus, cum magnã ætatis partẽ solus exegisset, fero tandem mulierculam nutricem ascivit puero, quem ab amico quodam suo, propter inopiam exponendum, ipse susceptum educavit. Nunc singulis rebus necessariis nominatis, in genere subjungit, supervacanea ubique esse repudianda. *ad cap. 46 Epicteti*

Philostratus: Frugalitas sapientiæ ac veritatis magistra est: quam si laudaveris procul dubio sapiens videberis. *lib. 6. Apoll. cap. 5.*

Philostratus: Si juxta Herculis judiciũ electionem feceris, frugalitatem nunquã contemnes, & eam quæ secundũ naturam est parsimoniã non rejiciens, multos læones superasse diceris, multasq; Hydras obtruncasse, Geryonas quoq; & Nessos vicisse complures, & alia quæcunq; de illo prædicantur certamina. *lib. 6. Apoll. cap. 5 fine.*

Libanius: Ita egi vitam, ut quotidie aliquid aut minus aut majus fortunis adderem, iq imprimis curæ habui, proinde uxorẽ duxi locupletiorẽ, potius quã formosam: noverã. n. nullum ex pulchritudine proventũ esse: sed pecunias quidẽ progressu temporis augeri: formã vero consumi, ut facultates à prodigiis. In nuptiis a. ipsis vidistis q̃ patris monitorũ memor fuerim, numero lampadũ: cõvivarũ numero, modulo esculentorũ, quid enim opus erat luculento igne ubi mediocris sufficiebat? cur ad epulas dotis nõ exigua pars impenderetur? atq; illos quidem, suburratos dimittere, postea vero subducendo rationes, dolere. quin etiã ad hæc uxorẽ induxi, & ut domesticorũ obliviscereturmorum: & ut mariti mores imitaretur persuasi. Hi verò fuerant, argentum magnum existimare bonum, neque in capillis, neq; in facie, neq; in vestitu ullum inanem sumptum facere: antea tamen gestare monilia permisi: atq; his & collum & manus & pedes exornare. Nam ceruſa, inquiebam, & id genus alia eluuntur: & opus est iterum aliis, aliaque impensa: aurea vero qualia sunt permanent: neque

neque hæc quidem ornamenta eadem pati convenit, neque conteri, quæ aliis vestimentis contingunt. Ancillas quoque ipsius instituebam: nam parvis famulæ, ab illo optimæ effectæ fuerant. omnes itaque in operibus assidui erant; hiberno quidem tempore, diebus non parva noctis portione adjecta: æstate autem nulla sopori hora concessa. ac leve istud quidem servis erat negotium, quod etiã nos laborum consortes essemus. hæc porro facile ferebamus, quia non gravabamur carnibus & potationibus & coquorum artificio. nam è terra orta & arboribus sufficiebant, ficus, uvæ, olera, parum vini, multum aquæ. quod vero ex ipsis fiebat argentum erat: pulchra cõtinentiæ merces: jam verò cum ex amicis quidam piscem & avem misissel, cum voluptate comedebam: major autem gaudii occasio fuit in eo, quod dapes inemptas edere haberem. Ob hæc postea male audii à luxuriosis & temulentis, qui ne recta quidem stare poterant, & ea quæ acceperant conservare noluerant, & propterea iis qui rem suam auxerant, invidebant. & aliquis utique ita profatus est, Hunccine ditescere & tot ac tanta possidere par est? hunccine quotidie argentum referre oportet? qua in re urbem injuria afficientem, suavissime rerum? adde enim, si quidem potes: sed neutiquam possis. Etenim neque sacra deprædans, neque mortuos lædens: neque muros effodiens, neque publica diripiens, neque adversus patriam munera sumens: neque alio pravo quæstus genere ullo hæc ob quæ vos dirumpimi, acquisivi. Verum obolum obolo addendo & drachmæ drachmam? & corporis libidinibus nunquam indulgendo: sed dum alea ludentes insanire existimarem; atque desipere etiam qui lupas alunt: itemque insanos esse eos qui affatim edunt: neque cum animo reputant, quod satius est aurum in marsupio servari, quam per ventrem velle perire. quæ sæpe numero corpori magnum quidē & insanabile malum reliquerunt: eadem multos paternis bonis expulerunt: hæc eadem non paucos inopes effecerunt quibus lex eripit fiduciam, cum eos vita privare, tanquam patriæ proditores existũt. An mirum si cui pecuniæ apud me esse videntur, ideoque suffocatur? Cur ergo non est imitatus? ut sic è locupletum numero potius foret quam egenorum. Quoties isti peregre proficiscebantur ad ludos spectandos, & spectatores ad cænam cogebant: & apparebãt ac vocabantur illustres: tunc ego domi considens, lenticula & cœpis prandium sæpe sum demensus. Deinde illi quidem revertebantur loco argenti multam infructuosam narratiunculam adferentes, pugillatus cujusdam, aut luctæ: ego vero pro inani spectaculo obolos habebam. quando isti apud vos adulatores epulo accipiebant; tunc ego cum uxore & liberis ea solum cænabam, quæ non interire vetarent.

Quid autem hoc amplius quis mente præditus requirat? At enim non illo quidem modo vitam degentibus integrum est ad senectutem pervenire, aliis vero frugi prius obire necesse est: verum ut plurimum his potius quam illis senectutem attingere cõvenit. præterea illi quidem quæ ex agris vix annus suggerit, temporis momẽto dissipant, & si quis fallens eorum aliquẽ laudarit, exit tanto pretio quantum volebat accepto: sed ego me plusquam deceptores amo: & certe quæstum facere non ex aliis tantum vellem, verum etiam e rosis pauxillulis, & violis. non enim hos flores naribus admovendo marcere sino neque projicio in mensas & pateras: sed fruor fragrantia quam flores in stirpibus vigentes exhalant. attonsos vero ferre ad forum jubeo ut pecunias mihi pariant: isti vero pedibus calcant fatui, quæ fas est vendere. Alii quidem juga alunt equorũ voracium, quorum beneficio oleastrum ipsis tribuitur, & paulo post fames. Ego autem ne rus quidem equo vehor. Nam quid opus est negotium habere pugnando sæpe cũ oris contumacis, & proni capitis equo, & excutiente herum. hic vero super tot ac tantis malis etiam deliciari vult. verum annus optimus mihi satis superque est ad me ferendum, & centones, & cum illis puerulum & farcinnas eius: & cũ laboravit, hordea non poscit neque farra: sed paleæ non multæ sufficiunt, & gramen alicubi apparens: mox rure decedo nulla re ex agris decerpta, non e gregibus caprarum, nec ovilibus nec haris ullo fœtu dempto, neque porculo ad vegetam ætatem venire prohibito.

Atqui è vobis (quingentiviri) plerique vice luporum sunt pecudibus, rus profecti, & prædonum acta in seipsos exercent, & interdum jugalib. etiam mularibus implent præsepia quæ illic sunt: postea convicianimini agris quasi nihil largiantur, dimissis vobis ipsis, qui nesciv istis conservare. atqui ego novi. & de arte, quæ in his versatur, partim audivistis, partim etiam audietis. quando enim, Senatores, fuerant indicta tributa magnis bellis cogentibus, impreebar sane: hostibus, & oratoribus quos juvant hostes: nihilominus partem quæ mihi appetit inferens, injucunde quidem (nam me verum dicere par est) nunquam tamen quicquam à vobis decretorũ defugi. hoc porro genus impensæ complevi genio defraudato, victuque assueto, quantumvis modicus ille sit: id tamen operam dedi ut per ventrem quod insumebatur referrem, cum nec ipse interdiu comederem, neque id uxori nec famulis permitterem: Verum cum aliquando hæc uxor stomacharetur, & vicini munificentiam suspiceret, eumque beatum appellaret: quam ob rem? inquam, an propter voluptatem? prorsus, inquit illa. & putas inquam voluptatem illam prope abesse à nostra? ac non cernis ut illa quidem diurna hæc sit, vero perpetua, qua argentum suppetit ad vivendũ? probavit dictum, & istud concessit, & aliud quiddam præterea, lateres & argillam quæ apud me erant & marmoribus & tabulis quæ alibi erant præstare. Nam in illa intuentes sæpe, inquiebam, fæneratoribus obnoxii sunt: nec tantum ex his oblectationis, quantum ex illis horroris percipient. At nobis aurum in arcis conditum omnẽ, quæ è lateritiis structuris prodit, insuavitatem eripit: quanto igitur melius est auro quã picturis & lapidibus oblectari: tanto nos majore quam illi jucunditate fruimur. annuit iterum mulier, & nihil de moribus meis conquerebatur. *Declamatione decima.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: In hoc egò vitæ meæ secreto, remotus à tumultu civitatis, ignobile ævum agere procul ab ambitu, & omni majoris fortunæ cupiditate constitui, et dum molesta lege naturæ transiret ætas, vitam fallere. Hoc mihi parvulum terræ, & humilis tugurii rusticum culmen, æquitas animi regna fecerat, satisque divitiarum erat, nihil amplius velle. *Declamatione 13.*

Plinius Iunior: Veniam ad cœnam: sed jam nunc paciscor; sit expedita, sit parca: Socraticis tantum sermonibus abundet, in his quoque teneat modum. erunt officia antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit: quem tamen C. Cæsar ita reprehendit, ut laudet. describit enim eos quibus obviam fuerat, cum caput ebrii retexissent, erubuisse. deinde adiicit: Putares nõ ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. potuit ne plus auctoritatis tribui Catoni, quam si ebrius quoque tam venerabilis erat? Nostræ tamen cænæ, ut apparatus & impendii, sic temporis modus constet; neque enim ii sumus, quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi ut simul laudent. *Lib. 3. Epist. 12.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus carmine 1. de rebus suis.

Non me uxor, non me pellexit serica vestis;
Nec vero impensis convivia facta superbis
Suspexi, variis qui cibis differta, vorasti
Indulgens ventri: quibus exitiosa libido
Gignitur, & fœdi veneris nascuntur amores:
Nec magnas habitare domos, & splendida tecta.
Nec jucunda meam demulsit musica mentem.
Nec mea femineo maduerunt membra liquore.
Quin aliis etiam nummos aurumque reliqui
Pondera, quæ dulce est animos consumere curis,
Immensis fixos opibus: brevis atque voluptas
Æruma multa comites habet. At mihi cordi
Est parvo rigidus, mihi grata obsonia præbet
Sal purum, simplex nulloque instructa labore
Mensa, dein lactes mihi sobria pocula fundunt.
Ha mihi divitiæ summæ, Christusque salutis
Auctor, qui nostras vehit ad sublimia mentes
Sidera frugifera non pinguia jugera terræ,
Non nemus umbriferum, nongrex pinguedine curvus,
Non tardorum armenta boum, non magna catervæ
Servorum mihi congesserunt, quos prisca tyrannis
Desecuit, nomenque duplex infausta creavit,
Ingenuos servosque, pari tellure profectos,
Aurique fœmenta Dei, sed iniqua secuta
Lex hominum juris fregit decreta supremi.
Nec vero laudes hominum famamque caducam,
Quæ levibus ventis citius dilabitur, unquam
Appetii, nec Cæsarea sublimis in aula
Insignis florere gradu, Iudexque severus
Splendidus in solio residere. & corpore majus
Ferre supercilium, & latas pollere per urbes
Imperio, & reliquos præcellere robore & ære,
Somnia vana sequens (quæ nunquam firma subinde
Nunc hos nunc alios adeunt, pariterque recedunt)
Fulmina vel manibus prater labentia carpens,
Aut umbram tanquam solidam arripiens, digitosque
In nebulam stulte mittens, nil præter inane
Umbram complecti manibus, nubemque fugacem.
Tale etenim genus est hominum, talis quoque mundi
Prosperitas curva referens vestigia puppis,
Ante impressa quidem, verum delera retrorsum.
Sola meum ardentis pectus stimulavit amore
Doctrina, Argolica quam gloria gentis Athena
Quesivere mihi solique occasus & ortus:
In qua multum opera posui, durosque labores
Tempore non parvo subii, sed & hanc quoque Christi
Atque pedes humilem pronamque jacere coegi,
Divino verbo cedentem, quod sinuosa
Et varia humanæ mentis regit omnia verba.

Lucianus in sufficientiam.

Vtere divitiis velut jamiam moriturus:
Census victurus, tu quoque parce tuis.
Ille sapit vere, qui res perpendit utrasque:
Parsum erit certo tempore, largus erit.

Ausonius de Minervio professore.

Mensa nitens, quam non censoria regula culpet;
Nec nolit frugi ipse vocare suam.

Pla-

Prudentius lib. 2. adversus Symmachum.

Sed nec magno opus est frugi viventibus, & cum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia sensu
Solvimur, inque lucrum studio exultamus avaro,
Nam quibus aternum spes informatur in avum,

¶ Emblematis.

Camerarius 26. Centur. 2.

Quantum mutatur ab illo. Taurus cui in collo corona caprifici.

Corniger ut blandus fit amictus fronde: at inertem,
Frugi vix facias, ni bene pressus eat.

¶ Apophthegmatis Sacri.

Otho Episcopus: Otho Bambergensium episcopus nunquam ad satietatem comedit in episcopatu panem. Cum aliquando ejus procurator lucium piscem apposuisset, emtum duobus solidis, dixisse fertur: Absit ut miser Otho solus tot denarios hodie absumat. Defer igitur ad quendam ægrotum. Ego enim ad huc firmo corpore hoc pane reficere possum. *Auctor Vitæ, lib. 1. cap. 22.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aconita nulla vase fictili bibis.
Frugi homo admodum molestum est prodigo spectaculum.
Is perit, quam spes relinquit frugi ut fiat bona.
Lana, plusq; sunt natura frugi opes sacerrima.
Liberalitatis os fons unicus frugalitas.
Non sibi sed alteri aque commoda est frugalitas.
Nullo eget Deus, Deoq; proximus pauciss mis.
Proximis Deo est qui rebus indiget pauciss mis.
Qui frugi est ei res vertunt quos agit frugaliter.
Sanctitas ubi est pudoris, est ibi & frugalitas.
Vis genus voluptatum omne? vivito frugaliter.
Vita frugi, egena ne sit, verum egena proxima.
Vtiles bello utilesque pace fert frugalitas.

¶ Jambica.

A se petit frugalis omnia qua cupit,
Aut esse oportet frugi hominem, esse aut Cæsarem.
Diutius vivit vir frugi, quam nepos.
Et sanitatis est parens frugalitas.
Frugalitas bonum, luxuria enim malum.
Frugalitas paupertas est spontanea.
Frugalitas probis indiget pauciss mis.
Frugalitas, virtutis specie decipit.
Frugalitatis & sua elegantia est.
Frugalitatis nata certe es sanitas.
Frugalitatem excludit omnem luxia.
Frugalitate in orbe nil salubrius.
Homines frugi utique recte faciunt omnia.
Luxus animum solvit, firmat frugalitas.
Magistra veritatis est frugalitas.
Nec sumptuosa vir frugi mensa indiges.
Pro redditu, paupertati est frugalitas.
Quid vos sat est frugalitati: nunquam eget.
Quicunq; homo est frugi facit recte omnia.
Sim sordidatus quamvis, sum frugi tamen.
Virtutis omnis mater est Frugalitas.

Fuci Muliebris.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Non externi ergo hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est. Dici potest, ornandam quoque esse carnem ornamento continentiæ. Istæ autem non animadvertunt, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse plane inculta, horrida & sterilia: cujusmodi sunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorumq; porticus, vestibula ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent; ita ut nihil desit: ædes autem auro, argento, & electro collucent, & ex India ac Æthiopia variis fulgentibus lapillis: adyta vero intextis auro obumbrantur peplis.

Sed si penetralia templi ambitus subieris, & ad ejus quod est præstantius spectaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæsieris, sacerdos quispiam ex iis qui in templo sacrificant gravi & venerando vultu aspiciens, & Ægyptiorum lingua pæanem concinens, cum veli aliquantum contraxerit tanquam Deum ostensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi numinis: neq; enim intus invenitur Deus qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua ejusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro speluncæ, ac cœno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur. Ita etiam mihi videntur fœminæ quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis ungendis oculisque pingendis & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, septum hoc carnale ornantes, & vere Ægyptios imitantes, infelicis amatores attrahere.

Sed si quis veli templum aperuerit, vittam inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, & quæ eis intrita & incrustata sunt, hoc est, velamentum quod ex eis contextum est, tanquam illic veram inventurus pulchritudinem, recte scio cum esse abominaturum. Neque enim Dei imaginem intus inveniet habitantem, quam est consentaneum: sed loco ejus fornicatrix & adultera animæ occupavit adytum, & vera esse bestia convincetur, fuco scilicet intrita & incrustata simia: & seductor ille serpens, qui menus exedit intelligentiam, per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam, & cum omnia exitialibus venenis implevert & erroris sui virus eructaverit, mulieres in meretrices transformat hic Draco, fungens lenonis officio: non est enim mulieris sed meretricis, illud nimium sui ornandi studium. Quæ quidem mulieres, domus apud maritos servandæ, administrandæq; familiæ curam gerunt exiguam, sed soluta mariti crumena, quę eis suppeditantur, convertunt in suas cupiditates, ut pulchræ esse videantur, illiusq; rei multos habent testes: & ornandi artificio toto die dantes operam, ære emptis vacant mancipiis.

Carnem ergo tanquam condimentum, mollem & suavem reddunt: & interdiu quidem in thalamis versantes, arti ornandi affixæ deprehendantur: vespere autem tanquam ex antro ad lucernam prorepit hæc adulterina pulchritudo. Nam & ebrietas, & lux exilior & paulo obscurior, incrustationi earum opem ferunt. Atque eam quidem, quæ suos pilos reddebat flavos, Menander Comicus domo arcet:

At nunc abi ex his adibus: nam fœminam
Turpe est pudicam facere flavos pilos.

Sed & genas fucare, & oculos depingere. Non intelligunt autem miseræ, se propriam perdere pulchritudinem, dum externam inducunt. Summo itaq; mane se lacerantes & extendentes, variisque ac confusis mixtionibus effingentes, vivum quidem cutis colorem refrigerant, carnem autem venenis effodiunt, cutiosisq; ac superfluis abstersionibus proprium decoris florem corrumpunt & marcidum efficiunt. Quocirca à cataplasmatibus quidem pallidæ cernuntur, à morbis autem facilè arripiuntur, ut quæ adumbratam carnem venenis jam liquefactam habeant: hominum opificem contumelia afficientes, tanquam qui pro meritis non fuerit eis largitus pulchritudinem. Jure ergo quod ad domum servandam, & administrandam familiam attinet, ignavæ fiunt, ut quæ edocat, veluti depictæ ad spectaculum, non natæ ad domus custodiam familiæve administrationem. Et ideo apud Comicum circumspecta ait mulier,

Quid providi fecerimus nos fœmina,
Vel splendidi, qua tot colorum floribus
Sparsa sedemus, liberalis fœmina
Typum ac figuram destruentes funditus,

domorum eversiones, & nuptiarum perniciem, & liberorum in se accusationes concitantes. Hac etiam ratione Antiphanes Comicus in Malthaca irridet meretriciam mulierum consuetudinem: dicens verba omnibus communia, adversus illam earum fricationem & intritionem. Venit ipsa, transit, accedit, non transis, venit, adest, abstergitur, accedit, smegmate saponeve purgatur, pectitur, ejecit, teritur, lavatur, se contemplatur, componitur, unguentis perfunditur, ornatur, ungitur, & si quid non habeat, enecatur. Ter enim non semel dignæ sunt quæ pereant, quæ Crocodilorum excrementis utuntur, & spuma sæpiarum unguntur, & supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt.

Quæ ergo vel Poetis ethnicis erant odio propter mores, cur non magis à veritate rejiciendæ fuerint? Alius itaque comicus eas reprehendens, Alexis, ejus enim verba afferam, quæ curiosa & supervacanea rerum explicatione, perpetuam & immutabilem earum impudentiam pudore afficiunt: neque enim erat quantum credo, tam superflua. Me autem puderet fœminis quæ usq; adeo in comœdiis punguntur, ferre auxilium velle. Deinde vero marito quoq; affert exitium: primum quidem in lucro, & in spoliandis proximis: omnia enim alia opera ab eis fiunt obiter. Est aliqua parva, super in calceis insuitur: longa est aliqua, tenues gestat soleas: caput in humerum demittens egreditur. Hoc ei detrahit de longitudine: depressiores coxæ & femora sunt alicui, eis aliquid assuit, ut qui ingrediuntur eam pulchras habere nates exclament: mollem ac prominentem habet ventrem, ut Comicorum nutrices, appositis nonnullis eum erigit: depressior est venter, veluti contis quibusdam adhibitis efficit ut is anterius procedat: supercilia flava habet aliqua, depingunt fuligine: alicui ut ea nigra sint contigit, tollit cerussa nigrorem: sunt alicui nimis alba, unguento ei rei facto deterit alborem: habet aliquam corporis partem candidam, eam nudam ostendit: bellos habent dentes, rideat necesse est, ut præsentes videant quam sit ei os venustum: & quamvis læta non sit, toto tamen die ridet, in labris habens tenuem myrsinæ tabellam, ut velit nolit ea tandem cogatur diducere. Hæc ad dehortandum nimium sui ornatus studium ex mundana adduxi sapientia, cum velit omni ratione nos cõservare verbum: mox autem divinis quoque Scripturis id muniam. Solet autem qui non latet, propter reprehensionum dedecus abstinere à peccatis.

Quemad-

Quemadmodum autem cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem: ita fucati, tincturæ, & colores illeti, animam intrinsecus ægrotare significant. Ne ad alienum autem fluvium accedamus, nobis suadet pædagogus: per alienum fluvium, alienam uxorem libidini deditam allegoricè significans, ut quæ ad omnes dimanet, & per meretriciam intemperantiam in omnium voluptatem effundatur. Ab aliena, inquit, aqua abstine, & ex fonte alieno ne biberis: titillantis sensum delectationis fluentum nos vitare admonens, ut longo tempore vivamus; adjiciantur autem nobis anni vitæ, sive alienam voluptatem non venantibus, sive etiam hæreses declinantibus: atque ebriosum quidem esse & vinosum, etsi sint magna vitia, non tamen tantum quidem esse & vinosum, etsi sint magna vitia, non tamen tanta est, aurum suffecerit: neque mare Tyrium, nec quæ ab Indis & Æthiopibus deportantur onera: sed nec Pactolus, cujus sunt fluenta aurea: sed nec si quis eorum Midas fortè evaserit, impleri potuerit, sed adhuc pauper erit alias opes desiderans: sed & una cum auro vel commori parati sunt. Quòd si cæcæ sunt opes, ut revera cæcæ sunt, quomodo non cæcæ sunt quæ eas stupent, & admirantur, & in eas affectæ sunt? Dum ergo cupiditatis limites sibi non constituunt, in impudentiam impingunt. Eis enim opus est & theatro, & pompa, & spectatorum multitudine, & errore in sacris, & diuturna mora in triviis, ut eæ sint manifestæ omnibus. Ornantur enim ut alijs placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Sicut enim notæ inustæ fugitivum, ita etiam floridi colores adulteram indicant: nam etsi coccino induaris, & aureo ornamento orneris, & oculos tuos ungas stibio, frustra est pulchritudo tua, dicit Verbum per Hieremiam.

An verò non absurdum est, equos quidem, & aves, & alia animantia, ex herba & pratis surgere ac colore proprio contenta ornamento, jubis & colore naturali, & pennis variis, mulierem verò inornatam, ut perinde ac si sit bestiis inferior, se esse adeò deformem existimare, ut externa, emptitia & adumbrata pulchritudine egeat? Vittæ certè, & earum permultæ differentiæ, & curiosæ ac supervacaneæ capillorum plicaturæ, & criniu innumerabiles figuræ, & pretiosæ speculorum structuræ quibus se componunt, dum venantur eos qui puerorum more insipientium formas admirantur, sunt fœminarum quæ omnem pudorem exuerunt: quas qui meretrices vocaverit, is non aberraverit, ut quæ ex vultibus suis personas faciunt. Nobis autem suadet sermo, non ea considerare quæ videntur, sed ea quæ non videntur. Quæ enim videntur sunt temporalia: quæ autem non videntur, æterna. Quo autem nihil dici aut fingi potest absurdius, fictæ istius suæ formæ, perinde ac si res ab eis bene gesta & confecta sit, specula excogitarunt, cùm huic fraudi esset potius admovendum operculum. Neque verò (ut est in Græcorum fabulis) formoso Narcisso rectè successit, quòd suæ fuerit contemplator imaginis. Quòd si Moses præcipit hominibus, nullam facere imaginem, quæ Deum arte repræsentet; quomodo hæ rectè fecerint mulieres, quæ fallaci personæ fictione suas per reverberationē imitantur imagines.

Cæterum prophetæ quòque Samueli, cùm mitteretur ut ungeret in regem unum ex filiis Jesse, & vidisset ejus filium natu maximum, pulchrum & magnum; quando eo lætatus Samuel chrisma protulit, dixit, inquit, ei Dominus: Ne respexeris ad aspectum ejus, & altitudinem magnitudinis ejus; quoniam repuli eum. Homo enim respicit ad oculos, & Dominus ad cor. Et non unxit eum qui erat pulcher corpore; sed eum qui pulcher erat animo. Si ergo naturalem corporis pulchritudinem minus quam pulchritudinem animæ æstimat Dominus, quid sentit de adulterina; qui quicquid falsum est omninò expulit? Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Apertissime ergo docet Dominus per Abraham, & patriam, & cognatos, & possessiones, & omnes divitias contemnere eum qui Deum sequitur, cùm eum fecit advenam. Et ideo cum appellavit Amicum, ut qui suas facultates habuisset contemptui: erat enim honesto loco natus, & valde dives. Trecentis itaque & octodecim suis famulis quatuor reges subegit, qui Loth captivum abduxerant. Solam Hester juste invenimus ornatam: mystice ornabatur mulier regi suo, sed ejus pulchritudo pretium invenitur, quo liberatus fuit populus qui interficiebatur.

Quod autem cultus faciat mulieres meretrices, viros autem androgynos seu effœminatos & adulteros, testis est nobis Tragicus, sic narrans:

Ex Phrygibus ille cum appulisset, qui Deas
Dijudicavit, Graia ut inquit fabula,
Lacedæmona, cultu discolore vestium,
Et Barbarorum texu & auro splendidus,
Amans amantem si recessit auferens
Helenen ad Idæ caulam, abesset cum domo
Menelaus.

Ad adulteria incitantem pulchritudinem Græciam evertit barbarum sui ornandi studium, & effœminatæ delitiæ: Laconicam pudicitiam corrupit vestis, & luxus, & pulchra species: Barbaricum sui ornandi studium meretricem probavit Jovis filiam. Non erat eis pædagogus qui rescinderet libidines, nec qui diceret, Non mœchaberis: nec qui diceret, Non concupisces, nec ad adulterium iter ingredieris per concupiscentiam; sed neq; appetitiones inflammabis per immoderatum tui ornandi studium. Sed hæc cujusmodi consecutus est exitus, & quot mala senserunt qui nimium sui amorem prohibere noluerunt? Propter effrænatas voluptates Græcia & Asia commotæ sunt. A barbaro adolescentulo omnia agitantur. Tota Græcia navigat, mare in arctum cogitur terras ferens, longum bellū excitatur, & vehementiā erumpunt prælia, campiq; implentur cadaveribus, classi insultat Barbarus, dominatum obtinet iniquitas, & ficti illius Jovis oculus Thraces respicit, & fluviorum fluenta sistuntur mortuis corporibus, pectora pulsantur planctibus, & luctus terram possidet. Idæ autem multis fontibus irriguæ omnes cōcutiuntur pedes, & omnia cacumina, Trojanorum urbes & Achivorū naves. Quo fugiemus, ô Homere, & ubi consistemus? Ostende nobis terram quæ tumultus hujus sit expers.

Puer ne habenas tetigeris qui es insciens,
Currumque agendi ignarus haud ascenderis.

Duobus aurigis cœlum lætatur, quibus solis ignis agitur. Mens enim à voluptate abducitur, & rationis integritas, quæ Verbo pædagogo non utitur, labitur in libidinem: lapsus autem mercedem recipit, quod excidat. Harum rerum tibi sunt indicio Angeli qui Dei reliquerunt pulchritudinem, propter pulchritudinem quæ flaccessit, atque adeò è cœlis in terram ceciderunt. Quinetiam Sicimitæ puniuntur, qui lapsi sunt, sanctæ virgini probrum inferentes. Sepulchrum eis est supplicium; & pœnæ monimentum nos ducit ad salutem. *Lib 3. Pædagogi capite secundo.*

Ibidem: Eousque ergo processit luxus, ut non solum fœminæ inani hoc studio laborent, sed etiam viri hoc vitium sequantur. Qui enim à corporis cultu puri nō sunt, ii nequaquam sani sunt: ad mollitiem autem declinantes, plane effœminantur; illiberali quidem tonsu ac meretricio se tondentes: subtilibus autem ac pellucidis vestibus induti, gloriose undequaq; obeuntes, Mastichen rodentes, & unguenta olentes. Quid de iis dixerit qui piam, qui tanquam Metoposcopus, ex figura divinat; cū eos vident, adulteros, androgynos atque effœminatos, utrique Veneri deditos, pilis infestos, glabros, florem virilem abhorrentes, comas autem non secus ac mulieres ornantes? in nefariis autem & audacibus cœptis improbi ac scelerati viventes, stolida admittunt atque improba facta, ait Sibylla. Propter eos plenæ sunt civitates iis, qui effœminatos hos picant, radūt, & vellunt. Officinæ autem ubique constructæ & apertæ sunt, & hujus meretriciæ fornicationis artifices multum pecuniæ lucrantur ab iis qui seipsos pice oblinunt, & pilos vulsoribus quoquo modo præbent vellendos, quos nec eorum qui vident, nec eorum qui accedunt, nec tuliptorum qui viri sunt pudet. Tales sunt qui turpes & illiberales sequuntur perturbationes, & quorum corpus violentis pilis vulsionibus totum glabrum est & leve. Nihil est certe quo possit ulterius progredi talis impudentia. Si enim nihil ab eis infectum relinquitur, nec silentio est à me prætereundum. Quendā ex iis quos vere degeneres vocare possis merito, pædagogi ritū increpans Diogenes, cum venderetur, magno & forti animo dixit: Veni adolescēs; eme tibi virum! incipiti oratione meretriciū ejus animum castigans.

Eos enim qui viri sunt radi ac levigari, quomodo non est turpe ac plane illiberale? Pilos autem tingere, & canos ungere ac coloribus oblinere, quibus perditi androgyni effœminatiq; homines utuntur, muliebresq; pexus omnino prætermittendi sunt. Putant enim se, sicut serpentes, posse senium capitis exuere, dum seipsos pingentes transformant ac renovant: sed & in pilos callidè circumscribant, rugas tamen non effugient: sed neq; mortem latebunt, etsi tenuerint pilos, attem ementiantur. Non enim malum est, non est malum; senem videri, cùm hoc quod sis celare non possis. Quo ergo magis homo festinat ad finem, tanto est verè venerabilior, ut qui Deum solum habeat se seniorem. Nam ille quoque est æternus senex, qui est iis quæ sunt antiquior. Antiquum dierum illum vocavit prophetia. Et capilli capitis ejus tanquam lana pura, ait Propheta. Nullus autem alius, inquit Dominus, potest album pilum facere, vel nigrum. Quomodo ergo opus Deo contrarium fabricantur, vel potius ei per vim adversantur impii; qui pilum transmutant qui ab eo canus factus est? Senum autem corona, inquit Scriptura, est multa experientia: & vultus ejus canities; flos est multæ experientiæ. Illi vero eum qui canos eorum tingit unde illis præcipua reverentiæ prærogativa; dedecore afficiunt. Fieri autem non potest, non potest, inquam, fieri, ut veram ostendat animam, qui caput habet adulterinum. Vos autem non sic, inquit; Christum didicistis, siquidem ipsum audistis, & in ipso docti estis, sicut est veritas in Jesu, ut deponatis secundum priorem conversationem veterem hominem: non canum, sed eum qui corrumpitur secundum desideria deceptionis. Renovemini autem (non tincturis & cultibus) spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.

Eum autem qui vir est, pecti & tonderi, crines componentem ad speculum, genasq; radi, velli, ac deglabrari; quomodo non est planè muliebre? & certè nisi quis eos nudos viderit, mulieres esse putaverit. Etsi enim eis aurum gestare non sit permissum, per muliebrē tamen libidinem, quasdam auri fimbrias, & quasdam fila foliis circumplectentes, vel ex eadem materia sphæricas nescio quas figuras facientes, tales appendunt, & erecto collo gestant. Quod est inventum structorum hominum, qui pertrahuntur ad gynæceū, ancipitis vitæ & ad libidinem propensiorum bestiarum. Hęc est fornicatoria & impia insidiarum ratio: Deus enim voluit fœminam quidem esse glabram ac lævem, sola cōma, sicut equum juba, sponte naturæ exultantem: virū autem cùm sicut leonis barba ornasset, virilem etiam fecit hirsuto pectore, quod quidem est roboris & imperii indicium. Ita etiā gallos qui pro gallinis decertant, cristis tanquam galeis ornavit. Hos autem pilos Deus tanti facit, ut eos simul cum prudentia jubeat a-

esse hominibus: atq; adeo honestate delectatus, gravitatem honoravit veneranda canitie. Prudentia autem & accuratæ exactæq; rationes, canæ intelligentia, unà cum tempore ad summum suum vigorem perveniunt, & intensis multæ experientiæ viribus senium confirmant ac corroborant, amabilem venerandæ prudentiæ florem ad fidem jurè faciendam proferentes, scilicet canitiem.

Hoc viri signum, barba scilicet, per quod vir apparet, est Eva antiquius, & signum melioris naturæ. Eum Deus æquum censuit hirsutum esse oportere, & per totum viri corpus pilos disseminavit: quicquid autem ejus erat læve ac molle, à latere abstulit, ad seminis susceptionem tractabilem fœminam fabricatus, ut & generationis & domus custodiæ esset opitulatrix. Ille autem (quod læve enim erat projecerat) & vir mansit, & virum ostendit, & ei agere, quemadmodum illi pati, concessum est: sunt enim natura hirciora & calidiora, quæ sunt hirsuta, lenibus. Quocirca & masculina fœminis, & coleata exectis, & perfecta imperfectis, & hirsutiora sunt & calidiora. In eo ergo violando, quod est virilis naturæ signum, eo scilicet quod est hirsutum, contra legem facere est impium. Lævoris autem aut glabritiei ornamentum (ipsum enim verbum me accendit) si in viros quidem, est mulierculæ: si in fœminas autem, adulteri: utrunq; autem est à nostrâ republica longissimè relegandum. Quinetiam vestri quoq; capitis omnes capilli numerati sunt, ait Dominus. Sunt autem etiam pili in barba numerati, atque adeo etiam quæ sunt in toto corpore: non est ergo aliquid vellendum præter Dei institutum, quod in voluntate ejus annumeratum est. Nisi vtiq; vos ipsos non agnoscitis, inquit Dominus, quòd Christus Jesus est in vobis: quem si inhabitantem nobis scivissemus, nescio quomodo ipsum probro afficere in animum induxissemus.

Picari autem ac velli, vereor dicere quàm sit indecorum & turpe factu. Aversos, incurvatos, & arcana naturæ apertè denudantes, exilientes, & coxarum vertebras propemodum luxantes, & cùm erubescendæ sint eorum figuræ, ipsos non erubescentes, in ipso juvenũ cœtu & medio gymnasio ubi virtus virorum exercetur, se indecorè gerentes, hoc præter naturam persequi exercitium, quomodo non est extremæ intemperantiæ? Qui enim in aperto hæc faciunt, vix ullos domi fuerint reveriti. Quæ in publico autem est intemperantia, testatur eam quæ est in obscuro in summâ licentia libidinem. Qui enim in manifesta solis luce, virum abnegat, clarum est eum noctu convinci mulierem. Non erit autem, dixit Verbum per Mosen, meretrix ex filiabus Israel, & non erit scortum ex filiis Israel. At pix juvat, inquiunt: imo verò facit ut quis malè audiat. Nemo aute qui sapit, vellet scortum videri nisi eo morbo laboraret, & studere ut pulchra imago vituperetur. Si eos enim qui sunt vocati secundum propositũ Deus præscivit conformes imagini sui filii, propter quos, ut vult Apostolus, præfiniit ac prædestinavit beatitudinem, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quomodo non sunt impii, qui conforme domino corpus injuria probroq; afficiunt? Ei autem qui pulcher esse velit, quod est in homine pulcherrimum, ornandũ est, nempe mens, quam oportet quotidie pulchriorem & magis decoram ostendere. Vellendi autem sunt non pili, sed cupiditates.

Ego verò eorum etiam qui, ab iis qui mancipia venundant, veneunt, pusionum misereor: & tamen probro & injuria non à seipsis afficiuntur, sed jussu alieno ad turpem quæstum miseri ornantur. Qui autem sua sponte, lubentesq; ac volentes ea faciunt, quæ si cogerentur, morte vindicarent, quomodo non exsecrandi? At nũc quidem vita eò processit intemperantiæ, insultante & lasciviente iniquitate, & quicquid est impudicum & libidinosum, diffusum est in civitatibus, & jam pro lege habetur. Apud ipsos stant in fornice mulieres, carnem suam ad probrum voluptatis venundantes: & pueri docti abnegare naturam, mulieres simulant. Omnia immutavit luxus: hominem probro ac dedecore affecit: mollis & luxuriosa & superflua curiositas quærit omnia, omnia aggreditur, naturam coercet, homines patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturã viros agunt, & nubunt uxoresq; ducunt fœminæ: nullus est meatus ad quem nõ pateat aditus impudicitiæ. Jam verò eis quoq, communis venus publicatur, domestica est luxuria. O miserandum spectaculum, ô nefandum studium. Hæc civilis nostræ intemperantiæ ostenduntur trophæa: hæ flagitia arguunt, quæ prostant in fornicibus. O quanta est hæc iniquitas.

Sed neq, intelligunt miseri quantas sæpe tragœdias excitet incertus coitus. Cum meritorio filio & meretricibus filiabus, sæpe patres coeunt, expositorum filiorum immemores: & viros fieri eos qui genuerunt, efficit nimia libidinis licentia. Hæc sapientes lege permittunt: licet autem eis peccare ex lege, & nefandam voluptatem appellant facilitatem: esse se ab adulterio liberos existimant, qui naturam adulterant. Eos autem consequitur eorum quæ flagitiosè ab eis perpetrata sunt, ultrix justitia: & in seipsos inevitabilem attrahẽtes calamitatem, parvo nummo mortem emunt. Harum mercium miseri mercatores, navigant, tanquam frumentum, tanquam vinũ, fornicationem importantes: alii autem longè miseriores, tanquam panem, tanquam obsoniũ, voluptates comparant. Et nec illud quidem Mosis eis venit in mentem: Nõ prophanabis filiam tuam, ut eã facias meretricem: & non fornicabitur terra, & terra implebitur iniquitate. Hæc olim propheticè dicta sunt. Est autem manifestus exitus. Omnis jam terra & fornicatione & iniquitate plena est.

Suspicio autem & admiror veteres Romanorum legislatores: ii muliebre & effœminatum vitæ studium odio habuerunt, & corporis cũ fœmina cõsuetudinem præter naturæ legem, terræ infodi ex lege justitiæ æquum existimarunt. Nefas est enim barbam vellere, quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo generosa & ingenua.

Primo barbatum: namque hæc gratissima pubes.

Deinde inungitur, dum barba delectatur, in quam unguentũ descendit Propheticũ, dum Aaron honoratur. Oportet autem eũ qui à pædagogo rectè instituitur, super quem pax habitavit, etiam cũ pilis suis pacem agere. Quid nõ igitur admiserint fœminæ ad libidinem propensæ, dũ vident viros talia audere? Imò verò ii nõ viri, sed Batali & fœminelli dicendi sunt, quorum voces sunt cõpressæ & graciles, vestis autem cùm tactu tum tinctura ipsa est effœminata. Ex morib. autem externis apertè arguuntur hi homines, ex amictu, calceatu, figura & habitu, tõsu, aspectu. Ex aspectu enim vir cognoscetur, inquit Scriptura, & ex occursu hominis homo agnoscetur. Vestitus viri, & gressus pedis, & risus dentium de ipso annunciabit. Ii enim etsi aliis pilis maximè cani sint, eorum qui sunt in capite solummodo curam gerunt, vittis, non secus ac fœminæ, comas propemodum alligantes. Atq; leones quidem de hirtis suis pilis se jactant, sed in pugna eis armantur. Apri quoque ipsi gloriantur juba, sed eos pilis inhorrescentes pertimescunt venatores.

Lanigeræ quoque oves denso sunt vellere onustæ.

Atqui eorum quoq; pilos multiplicavit benignus Pater in tuũ, & homo, usum, dum te vellera tondere docuit. Et ex gentibus quidem Galli & Scythæ comam nutriunt, sed nõ se immodicè colunt: & terribile quidem quid præ se fert densum barbari capillitiũ, & flavus ille color bellum minatur, ut qui videatur cognationem habere cum sanguine. Ambo hi barbari luxum odio habent. Apertos testes proferent, Germanus quidem Rhenũ, Scytha verò plaustrum: quanquã nõ nunquam quoq; evenit, ut Schyta plaustrum contemnat. Divitiæ barbaro, ejus esse videtur magnitudo, & relictis delitiis vitã agit frugalem, Domum sufficientem, & plaustro agiliorem, equum scilicet acceptum cõscendens Scytha, eum ducit quò vult. Fame autẽ laborans petit ab equo alimentum: ille verò præbet venas, & quem solũ possidet sanguinem domino suppeditat. Porrò autẽ equus quoq; Nomadi est & vehiculum & cibus. Inter Arabes autem (sunt hi alii Nomades) qui ad pugnandum apta sunt ætate camelos cõscendunt; prægnantes hi camelos educunt. Illę verò simul & pascuntur & currunt. Dominosq; suscipientes unà quoque cum eis domum ferunt. Quòd si potus quoq; barbaris defecerit, lac mulgent: exinanito autẽ nutrimento, ne sanguini quidem parcunt, ut fertur de lupis rabiegitatis. Illę verò barbaris mansuetiores, etiã injuria affectę, mali accepti nõ recordantur, sed solitudinem confidenter percurrũt, dominos simul portantes & alentes. Pereant ergo immanes belluæ, quib. est cibus sanguis. Neq; enim hominibus fas est tangere sanguinem, quib. corpus nihil est aliud quàm caro exculta sanguine. Verbi particeps fuit humanus sanguis, & gratię per spiritum habet cõmunionem. Si quis eũ injuria affecerit, nõ latebit: licet ei, etiam si sit nudatus figurâ, ipsum alloqui Dominum. Barbarorum autẽ probo frugalitatem: expeditam vitę rationem deligentes, reliquerunt delitias. Tales nos vocat Dominus nudos à fastu & arrogantia, nudos à vana gloria, avulsos à peccatis, solum vitę lignum ferentes, solam salutem obtinentes. *Lib. 3. Pædagogi capite tertio.*

D. Greg. Nazianz. Ut impudentes arinatores virorumq; nomine indigni, larvâ primũ faciem tegunt, atq; ita deinde sequũtur quę inhonestę rei conveniunt, saltationes sc. ac turpis mẽbrorum solutio, stultis hominib. gratissima: ad eundẽ modum fœminæ quoq; postẽ alienam formã. externè induerint (scenicum nempe, non sacrũ pudoris integumentũ, ita demum ut picta illo & fucata forma dignum est, movẽtur. His fores laborãt, his claves, speculo, pigmenta, pictrices: nec tecũ quidẽ ipsum tremoris est expers. Atq; hęc affert inanis formę pictura. Pictura a. & incõpta pulcritudine nil minus laboriosũ. Quod si ob ascitiã formam ita insolescis; nunq; certe pudicũ animũ habebis, utpote qui fucũ aversatur. Esther se pinxit quidem; sed quo fructu? Totius Israeliti gẽtis salus. Jesabel quoq; oculos pinxit: ceterùm meretricio cruore meretrices perfudit. Tibi a. nec regiæ iræ sedãdæ negociũ incumbit, nec inter meretrices pars est. Itaq; nil obstat quo minus pudicitię tuę parcas. Nõ sacerdotes extimescis, dum caput, ceu larvã quandã oppositis inter se formis lucentẽ illis submittis, nõ horrescũt manus, cùm eas ad mysticũ cibum extẽdis, quibus tu luctuosã pulcritudinẽ pingis. Jam quomodo martyrib. quibus populus, in pretiosi sanguinis honorẽ & venerationẽ choreas agminatũ instituit, faciem vulgus inescantẽ geris, non secus ac forum quoddã in medio urbiũ populares attrahens, aut velut ferarũ ostensores, qui serpentes è tenebrosis cubilibus suis trepida manu protrahunt. At mulier, sermonibus nostris obtempera; nec tibi mens manus ad faciem ducens vulnus infligat. Cave ô filia ne cum talib. mulieribus vel naviges, vel consilium ineas, vel deniq; contubernii necessitudinem contrahas. Aliis supervacanea relinque: tu verò etiam virorum ore celebrari erubesce. nam in hoc mulierum gloria sita est. *Carmine de ornatu muliebri.*

D. Chrysost. Deũ in anima glorificat qui non se libidini subjicit, q minime inebriatur, qui ventri ac gutturi nõ studet, qui exteriorem nõ quęrit ornatũ, qui tantũ curę circa se ostẽdit, quantũ ad sanitatẽ sufficere põt, qui nõ mœchatur: q unguentis delibuta nõ pergit, quę faciem nequaq; fucis atq; colorib. pingit, quę Dei cõtenta opificio, nihil ex se addere quasi arte molitur. Quid n. studiũ tuũ, quid artẽ consummato à Deo opificio admovere plumis? Atq; ad auctoris injuriã ornaris, ut post te greges juvenũ trahas? Et quid, inquies, ipia facere possum? Neq; enim ego hęc volo, sed viri gratia facere ista compellor. Adamari non potest quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, ut in hoc ipse laudetur, admirationique sit opificium suum, non ut injurias patiatur. Noli ipsi hujusmodi referre vicem, verũ pudicitia atque verecundia te ornare contende. Pulchram ideireo te creavit

Deus,

Deus, ut virtutis tibi adderet præmia: neq; enim idē est, speciosam & quę amari à plurimis possit, studere pudicitiæ, & quę hujusmodi careat, nulliq; sit expetēda, castitatē servare. Audi deniq; quid de Joseph scriptura dixerit. Erat, inquit, speciosus ac decorus aspectu. Quid nobis profuit audire decorum fuisse Joseph? ut scilicet ipsius magis admiremur speciē, honestatēq; laudemus. Speciosam te creavit Deus: quid igitur teipsam deformē facis? Velut n. si quis aureæ statuæ illiniat lutū, ita sunt quæ fucis utuntur, terrā tibi illinis partim candidā, partim rubicundā. At, inquies, hoc merito faciunt q̄ deformes sunt. Cujus rei gratia? Ut scilicet deformitatē occultēt. At profecto incassum laborant. Quando n. id quod naturale est, cujusvis opificis studio atq; arte superatur? Cur a. deformitas ipsa mœrori sit, si probro careat? Audi deniq; sapientis cujusdam viri sententiā: Ne vituperes, inquit, virū in aspectu suo, neq; item laudaveris virum in specie sua. Deum igitur admirare solum opificē optimum, nō illius opus, neq; n. pulchrū ipse se fecit. Quid enim lucri decor ejusmodi parit? Nihil profecto, verū certamina magis intendit majoreiq; calumnias, atq; pericula, suspicionesq; quā plures. Ea deniq; quā non hujusmodi decor illustrat, suspicione carebit: quæ vero formosa est, nisi magno studio, & nimia utatur cōtinentia atq; honestate, opinioni protinus pessimæ locū dabit, virq; ipse ejusmodi semper zelo mordetur. Quo quid dici gravius possit? Neq; n. tantū ex aspectu ipso voluptatis habet, quantum ex suspicione mœroris. Illa n. consuetudine solet extingui, at vero ubi lasciviæ, libertatis, atq; impudicitiæ opinio manare cœperit, ipsius quoq; animæ intima penetrat, atq; penitus insitis sordibus squalescit in dies. Ecce quib. incommodis pulchritudo subjecta est. Porro eā quę decore caruerit, impedimentis plurimis liberā facile inveniemus: neq; n. illi infesti sunt ejusmodi pulchritudinis aucupes, sed veluti agnus simplex in quiete atq; in silentio pascitur, lupo nullo perturbante ipsius otium, sed semper sibi assidēte pastore, & ab hujusmodi incursibus protegēte: ita nihil profecto habet amplius quę formosa fuerit, quā deformis: neq; hāc illa ullo privilegio superat, sed ea merito plus habere dicitur, quę merito virtutis excellit. Nam, quæso, quænā oculorum virtus est? Num quod liquentes, atq; versatiles, rotundiq; ac cerulei sunt, sive potius quod acutissimo vigeant lumine? Hoc equidem reor, quod inde constabit. Quænam oro lucernę virtus, quod clare fulgeat, omnemq; illustret domum, an quod pulchre ficta atq; rotunda? At nemo hic dubitat, lucisq; claritas judicio omniū obtinet: cætera n. media sunt, atq; cōmunia: idcirco etiā semper ancillulæ dicere solemus, cui lucernæ cōcinnandæ officium sit, lucernam male præparasti, adeo lucernę illuminare propriū est: itaq; & oculus qualiscunq; fuerit, si officii sui ministerium implere sufficiat, differentia nulla est. Sicuti etiam malus oculus dicitur, quum obtusi aspectus fuerit, & naturalem compositioné minime perfectam in se habuerit. Quippe & eos qui apertis oculis non vident, malis esse oculis dicimus. malū enim omne, quod proprium nō implet officiū appellare cōsuevimus. atq; ista de oculis. Quænam vero narium virtus est? An quod recte, atq; ad lineā utrimq; formatæ sint, suaq; proportione nō careant: an quod olfactu vigeant integro, ac cerebro subministrēt? At nemo qui dubitet: nam ut exemplo utar, ea instrumenta quib. aliquid rapimus, quænā dicemus optime fuisse cōdita: eane quæ diligenter rapere, atq; contingere possint, an quæ decore fuerint fabricata? Illa scilicet quæ usui cōmodiora sunt. Quid a. dentes, quales esse dicemus optimos, eosne qui mādere & cōcidere cibum facile possint, an eos qui pulchre, atq; ad lineā compositi sunt? Illos scilicet, qui rectius, quod sui est muneris, faciunt: prorsusq; in toto corpore, qui diligenter inquirat, eandē sequetur rationē, inveniemusq; omnes sanos, pulchros merito dici, dū mēbra singula possunt propria officia persequi: ita & vasa singula, & animalia, & arbores, non ex forma, aut ex colore prædicamus, verum ex ministerio, atq; ex officio proprio: ita & servum vocamus pulchrū eum, qui nobis apte ministrat, nō qui speciosus atq; mollis est. Vides quomodo pulchra possit evadere. Quā igitur his quæ sunt maxima & præstantissima, pariter & formosa fruatur, atq; deformis, nihil altera possidet: puta mundum hunc similiter cernimus, solē, lunā, stellas, spiramus pariter aerem, humoris atq; nutrimenti pariter participes sumus, sive formosi fuerimus, sive deformes. Imo ut aliquid mirabilius loquar, saniores sunt quæ forma hujusmodi carēt, quā speciosæ. Illæ n. ut quibus speciem servare studium sit seipsas minime laborib. tradunt: sed otio, atq; deliciis, quib. ex rebus membrorum officia obtusiora penitus fiunt: hæ vero, ut quæ nulla hujusmodi distundantur cura, passim laborare non desinunt, atq; ob id saniores vegetioresq; fiunt. Glorificamus igitur Deum, portemus ipsū in corpore nostro, nō exteriorem quæramus ornatū. *Ho. 4. ad Tim. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Mulieres eæ, quæ muliebres morbos occultare nequeunt, si formosæ sunt atq; opibus circunfluunt, splendidis ac summi pretii lapillis auro intextis gloriantur: si autem deformes & inopes, fucis quibusdam & oculorum pigmētis, adscitiam pulchritudinem comminiscuntur. Quæ autem honestatis ac pudicitiæ existimationem habere cupiunt, naturæ quidem pulchritudine cōtentæ sunt: eam autem in melius excolere non repudiant. At verò eæ, quæ verè pudicæ sunt, in animæ cura studium omne suum positum habentes, corpus quidem, ut animæ organū, mediocriter curare minimē defugiunt: at ipsum exornare ac delinire haudquaquā dignantur (ne quod natura servum est adversus animā, cui principatus attributus est, impudenter insurgat) verum illud ordinem suum agnoscere docent, nec libidinis igniculum ac materiam, tanquam escam, proponūt. Quin potius ignis hujusce materias, quoad ejus fieri potest, eximunt. Quo in genere, commemorandam, ac memoria dignam historiam à quodam viro minimè mendaci accepi: quam etiam uxori tuæ narrare operæpretium esse existimavi. Cum aliquando juvenis quidam ad libidinem propensus, ac mulierū servus, pulcherrimam virginem conspexisset, ejusq; amore captus fuisset, atq; quo cupiditate sua frueretur, nullam non machinam movisset, illa principio quidem ejus postulatum repudiavit. nam & nobilis, & casta erat, seq; & animum & corpus ab omni libidine intactum servaturam esse Christo promiserat. Ut autem certior facta est, eum propterea furore ac rabie præcipitem agi, rationem excogitavit, per quā & pudicitiam suam incolumem retineret, & ipsius ignem extingueret. Attonso enim, vel, ut rectius loquar, abraso universo criniū suorum ornatu & elegantia, facieq; sua cinere aqua permixto delibuta, eum ad se accivit: eiq;, cum ingressus esset, dixit: Túne hāc deformitatem amas? Ille vero tanquam ex furore revocatus, nō modò libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti postea castitatis amore flagravit. Itaq; ipse quoq; admone tuam uxorem (præstat n. futurorum malorum aversionem invenire, quàm eorum, quæ jam acciderint, supplicium sumere) ascititio ornatu minimè uti, nec igni vi naturæ insito fuci ac præposteri ornamenti materiam adjungere, ne gravissimorum lapsuum causæ sint. *Lib. 2. Epist 53.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Xenophon: Secundum illa Ischomachus: Quum igitur, inquit, aliquando eam cōspexissem, mi Socrates, multum infricasse sibi cerussæ, ut candidior etiam videretur, quam esset: multum item rubricę, ut quam esset reabse, rubicundior adpareret, atq; etiam calceos habere altos, ut procerior, quā esset à natura, videretur: Dic mihi mea uxor, inquam, utro modo me cōsortem facultatum amore digniorem judicares: num si eas ipsas tibi demōstrarem, ac neq; gloriarer ampliores mihi esse, quam essent, neq; quidquam celarem: an vero si fallere te conarer, narrādo plura mihi bona esse, quam essent, ac adulterinū argentum ostendendo & monilia, quib. materia subesset lignea, vestesq; purpureas coloris evanidi, veras esse prędicarem? Tū illa continuo sermonem meum excipiens: Bona verba quæso, inquis, ne tu mihi talis sis. Non n. te, si talis esses, ex animo cōplecti possem. Ergo, inquam ego, mea uxor, sic cōvenimus, ut inter nos etiā corporū esset cōmunicatio? Sic homines aiunt, inquit. Utro igitur modo, inq̄ ego, etiam corporis particeps viderer amore dignior, num si corpus meū conarer tibi studiosè curando sanū ac validū exhibere, ac reipta bono tibi colore præditus essem: an vero si oblitus minio, & oculis purpurisso sublitis tibi me ostentarem, atq; ita tecū versarer, ut te decipiē, cutisq; loco minium tibi spectandum & adtrectandum prębe rem? Equidem, respondit illa, neq; minium lubentius adtrectarem, q̄ te; neq; purpurissi colorem lubentius, quam tuum adspicerem; neq; tuos oculos sublitas intuerer lubentius, quā sanos. Itaq; me etiā putato, dixisse se narrabat Ischomachus, mea uxor, neq; cerussæ, neq; rubricæ colore magis, q̄ tuo delectari: sed quemadmodū dii fecerūt, ut equis equi, bob. boves, oves ovibus gratissimę sint: sita etiā homines purum hominis corpus esse jucundissimum putarit. Atq; hę fraudes possint illæ quidem aliquo modo extraneos sic fallere, ut nō cōvincantur: verum eos, qui semper una versantur, si decipere se mutuo conētur, deprehendi necesse est. Nam vel quum de lecto surgūt, deprehenduntur ante, quam ornentur, vel coarguūtur à sudore, vel per lacrumas explorātur, vel per lavationē prorsus oculis prodūtur. Quæso te per Deos immortales, inquā ego, quid ad hæc respondit? Quid aliud dicam? ait, nisi quod ex eo tēpore nihil ejusmodi unquā instituerit, sed puram ac decenter ornatā conata mihi sit semet exhibere? Quærebat etiam ex me, nū quid ei dare consilii possem, ut esset reabse pulchra specie, neq; tantum esse videretur. Itaq; mi Socrates, inquit, hoc ei cōsilii dedi, ne perpetuo serviliter sederet, sed cum ope Deum eniteretur herilem in modum ante telam adstādo, quidquid aliis rectius sciret, docere: quod autem minus, addiscere: prętera pistorem inspicere: promæ aliquid emetienti adsistere: circumeuntem spectare, nū suo quæq; loco sita sint. Hæc n. mihi videbatur simul & diligētia quædā esse, & obambulatio. Ajebam quoq; bonū esse exercitiū, macerare ac subigere farinam, vestes, & stragula exeutere atq; componere. Atq, hoc modo exercitam jucundius sumturam cibos dicebam, & valetudine commodiori usuram, & revera cum colore venusto adparituram. Etiam facies ipsa si purior sit, ac decentius amicta, in cōtentione cū ancilla, nōnihil incitationis habet; præsertim si malit ea spōte gratificari, quam coacta obsequi. Quæ vero mulieres perpetuo quadam cū gravitate desident, eæ faciunt, ut non aliter de ipsis judicetur, atq; de illis ornatis, ac fraude utentibus. Ac meam quidem uxorem mi Socrates, ait, scire debes ita nunc instructam vivere, quemadmodum ipsam ego docui, ac modo tibi commemoro. *Cap. 39. lib. 5. Oeconom.*

Philostratus: Mulier quæ mundo ac ornamentis dat operā, excolit id quod deficit, metuens ne deprehendatur, quod nō habet. Quā vero natura pulchram finxit, nihil opus habet accessorus & alcitiis, ut contenta sibi tota atq; absoluta perfectione. Oculorum autem delineationes, & comarum appositiones, atq; picturæ maxillarum, labrorumq; tincturæ, & si quod est elegantiæ medicamentum, & si quis ex fuco existens dolosus flos inventa sunt ad deficientium emendationem. Simplicitas autem expers comptionis, revera est venusta ac elegans. Itaq; si maximam in teipsam spem & fiduciam ponis, ob eam causssam magis meus in te amor exardescit, & incuriam quasi testimonium puto confidentiæ formositatis. Non enim pingis vultus, neq; in Cerearum mulierum numero censeris, sed in his quę remoto omni dolo, formosæ sunt, quemadmodū majores etiā fuerunt, quarū amore capta sunt, etiam aurū, & bos, & aqua, & aves, & dracones. At Fucus Cera Tarantinū, fructiferi angues, & aureę pedicę, sunt Thaidis & Aristagoræ atq; Laidis medicamēta. *Vxori Ep 40.*

Simocatta: Naturale tibi ornamentum præteriit, & ad rugas appropinquat elegantia. Tu vero obscurare veritatem conaris fictitio ornatu, atq; amatores pro nihilo habes. Obedias tempori anus. Nõ enim decent prata in autumno flores. Memineris etiam mortis cui vicina es, & modestiam ex necessitate colere disce. Nam & senium & juventam afficis injuria. Hanc enim promittens frustraris. Illam vero possidens adulterasti. *Theano Eurydicæ Epist. 3.*

Petronius Arbiter: Color arte compositus inquinat corpus, non mutat. *Satyrico.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Concionant. v. 1060.

At quæ res est precor hæc?
Nunquid simia repleta fucatione,
An anus resurgens à mortuis?

Aristophanes Pluto v. 1066.

Ex re tua sit, si quis te anum probe luat.
C. Minimè ex re sit. quia nunc fucata est anus:
Quod si cerussa hæc eluatur, tum palam
Videas faciem ejus, detritam atque flaccidam.

S. Plautus Mostellar. 1. sc. 3. v. 91.

Cedo mihi speculum, & cum ornamentis arcam actutum; Scapha,
Ornata ut sim cùm huc veniat Philolaches voluptas mea.
S. Mulier quæ se suamq; ætatem spernit, speculo ei usu est:
Quid opus est speculo tibi, quæ tute tibi speculo speculum es maximum.
P. Suo quidq; loco, vide ut capillus satis cõpositus est cõmodè.
S. Vbi tu commoda es, capillum commodum esse credito.
P. Cedo cerussam. S. quid cerussa opus est? P. nam qui malas oblinam.
S. Vna opera ebur atramenta candefacere postules
P. Tum igitur cedo purpurissum. S. non ro. scita es tu quidè:
Nova pictura interpolare vis opus lepidissimum.
Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere,
Neq; cerussam, neq; melinum, neq; ullam aliam effuciam.
Cape igitur speculum

Mox versu 115.

P. Etiam' ne unguentis ungendam censes? S. minimè feceris.
P. Quapropter? S. quia ecastor mulier rectè olet, ubi nil olet.
Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles
Vetula, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant,
Vbi se sudor cum unguentis consociavit, illico
Itidem olent; quasi cum una multa jura confundit cocus.
Quid oleant, nescias; nisi id unum, ut male olere intelligas.
PH. Vt perdoctè cuncta callet? nihil hac docta doctius.
Verum illud est, maximaq; pars vestrorum intelligit,
Quibus anus domi uxores sunt, quæ vos dote meruerunt.
P. Agedum, contemplam aurum & pallam, satin hæc me deceat, Scapha?
S. Non me curare istuc oportet. P. quem obsecro igitur? S. eloquar
Philolachem, is ne quid emat, nisi quod placere censeat.
Nam amator meretricis mores sibi emit auro & purpura.
Quid opus est, quod suum esse nolit, ei ultrò ostentarier?
Purpura ætas occultanda est, auro turpe mulieris.
Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata pulchrior.
Postea, nequiquam exornata est bene, si morata est male.
Pulchrum ornatum turpes mores pejus cæno collinunt.
Nam si pulchra est, nimis ornata est.

Martialis lib. 3. Epigr. 43.

Mentiris juvenem tinctis, Lentine capillis;
Tam subitò corvus, qui modò cygnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

¶ Apologorum.

Aphthonius: Pulchritudinis erat certamen, & ad Jovem, ut disceptaretur hæc controversia, omnes iverunt volucres: ac Mercurio quidem diem præfiniente, fluvioq;, & lacus omnes petiere, deformibusq; pennis abjectis, elegantiores nitidabant. At cum à naturâ decori nihil haberet graculus, quæ reliquis exciderant, inde se ille exornavit. Sola tamen noctua, cum nollet, id quod suũ erat à graculo auferebat, ac ut reliquę idem facerent, persuasit. His autem ab omnibus ita exutus graculus, nudus omnino venit ad judicium Jovis.

Res ascititia, pudori tandem est habentibus.

De Musca, quæ quadrigis insidens, pulverem se excitasse dicebat. Fab. 16.

Quadrigæ in stadio currebant, quibus musca insidebat: Maximo autem pulvere tum equorum pedum pulsu, tum rotarum volutatione exorto, dicebat musca: Quam magnam vim pulveris excitavi.

Hæc fabula ad eos spectat, qui cum ignavi sint, alienam tamen gloriam suis magnificis verbis in se transferre conantur. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Catsius Emblemate sacro xxxii.

Auferimur cultu.

Scurra pudicitiam ne quis tibi voce lacessat,
Consilium poscis sæpe, Tryphæna, meum.
Adsit, ubique pudor, castique modestia vultus;
Hac lasciva manus sistitur arte proci.
Multa vagatur apis, denso strepit agmine crabro,
Dum rosa purpureo flore superba nitet.
Condat opes; alio mox turba molesta volabit,
Et sua mellea rosis intemerata manent.

Catsius Emblemate Ethico viii.

Non bene olet, qui bene semper olet.

Quem situs infecit Phyllis tegit arte colorem;
Quod micat aurato stamine, menda fuit.
Quod picti fictique juvant mendacia vultus?
Hanc natura fugit quæ petit artis opem.
Crimen habet formosa nimis. quæ spirat odores
Crede mihi, vitium quod tegit, ore gerit.
Non nativus honor, sed victa videtur imago.
Semper ubi roseo vernat honore cutis.

¶ Monosticha Trochaica.

Fuci apum vorant labores, sed vorant injuriè.
Fucus est juventa, fucus est senecta injurius.
Fucus in vidusque gaudent de labore non suo
Gemma vera difficulter à notha dignoscitur.
Impudica es, esse vel vissi linis fucogenas.
Nil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.
Picta fuco vix pudica, imo impudica, femina est.
Quo magis vicina nobis, turpior fuco lita est
Si volupest habere vespas, quare apum alvearia.
Vt sepulchra, splendidi extra cernimur, intus fœtidi.

¶ Jambica.

Decus alterius sibi clam adscribit improbus.
Ecquando versa est in fucum senens apis?
Fraus atque fucus temporis puncto perit.
Fucata prostat, aut prostare discupit
Fuco venusta femina corrumpitur.
Fucis adumbrant veritatem femina.
Haud cognitu pronus vir est fuco oblitus.
Merces malas plerumque fucus arguit.
Nunquam rei fucum sectatur veritas.
Nunquam viro fucat suo se femina.
Perfusa fuco non placet severitas.
Sectata non est unquam fucum veritas.
Vultus colorant probra animæ fuco improbæ.

Fugæ.

¶ Sententiae Graecorum.

Nazianzenus: Marcus cùm populum adversus se incitatum, nec moderati quicquam vel cogitantem, vel comminantem videret, primum conscisc endæ fugæ consilium init; non tam ignavia fractus, quàm præcepto illo permotus, quo è civitate in civitatem fugere, & persecutoribus cedere jubemur. Neq; enim Christianos, quantumvis fortes, ac singulari tolerantia præditos, sui tantum rationem habere oportet; sed persecutoribus quoq; consulere, ut ne, quantum in ipsis est, ad hostile periculum ex seipsis aliquid conferant. At postquam multos sua causa duci atq; abstrahi, multos etiam ob persequentium crudelitatem in animæ periculo versari intellexit; tum vero alios ob cautionem suam periclitantes ne gligere minimè sustinuit; ex fuga rediit, seq; ultro plebis arbitrio tradit, adversusq; temporis difficultatem velut aciem instruit. *Orat. 3. stelliteutica prima.*

D. Nazianzenus: Malis igitur temporibus cedit Cæsarius, in eoq; legi nostræ obtemperat, quæ hoc sancit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus; quamdiu autem licet, pericula ipsa ne provocemus, sive animarum nostrarum metu, sive ut iis consulatur, qui periculum nobis inferunt. *Orat. 10.*

Xenophon: Assyrii vero, quorum & princeps, & cum hoc fere fortissimus quisq; occubuerat, universi magno erant in mœrore: multi etiam fuga noctu è castris dilabebantur. Quæ quum Cræsus, & reliqui socii, viderent, animis angebatur. nam erant omnia dira: præsertim vero maximum mœrore universis adferebat, quod ea natio, cujus in exercitu principatus esset, nec animis nec consiliis amplius sibi constare videretur. Itaq; nocturna fuga castra deserunt. Quum vero illuxisset, & solitudo in castris hostium cerneretur: mox Cyrus Persas primos eo traduxit. Reliquerant autem hostes permultas oves, & boves multos, & multa multis bonis referta plaustra. Deinde Medi etiam, qui erant cum Cyaxare, omnes transierunt, & hostium in castris prandium pararunt.

Quo peracto, Cyrus convocatis suis cohortium præfectis in hunc modũ loquutus est: Qualia, milites, quantaq; bona divinitus nobis oblata,

oblata, dimittere videmur! Nam videtis ipſi, metu noſtri perculſos hoſtes fuga ſibi conſuluiſſe. Qui autem munitionibus, in quibus erant, deſertis aufugiũt: hos quonam modo poſſit exiſtimare quiſquam ſubſtitutos, ubi nos in planicie viderint? Qui nos item minime ſuſtinuerunt, quum nec dum experti nos eſſent: quo pacto nũc ſuſtinebunt, quum & victi ſunt, & multis à nobis incommodis adfecti? Quorum fortiſſimi quique ceciderunt, quomodo viliſſimi pugnare nobiſcum velint? Heic quidam: Cur igitur non quam celerrime, inquit, eos perſequimur, quum tanta nobis bona manifeſte offerantur? Et Cyrus: Equis ad hoc nobis opus eſſet, ait. Hoſtium vero qui præſtantiſſimi ſunt, & quos eſſet jam opportunum maxime vel capere, vel occidere, domum equites redeunt. Eos deorũ ope nos in fugam quidem vertere potuimus, at idonei non ſumus ad capiendum eos perſequendo.

Cur igitur, inquiunt, non Cyaxarem accedis, atq; hæc ipſi exponis? Vos vero ait, omnes una me ſequimini, ut omnibus nobis hæc placere videat.

Itaq, univerſi tum Cyrum ſequebantur, & quæ viderentur ad rẽ, quam poſtulabant, accommodata, dicebãt. Cyaxares partim, quod ipſi primi de hoc retuliſſent, quaſi ſubinvidebat: partim, quod recte ſe forſaſſe facturum exiſtimaret, ſi rurſum periculo ſe non exponeret, (nam & ipſe hilaritati tunc indulgebat, & complures Medos idẽ facere videbat) in hunc modum reſpondit: Inter homines ceteros Cyre, vos Perſas maxime hoc operam dare, ut immodice nulli voluptati addicti ſitis, equidem & oculis & auribus cognovi. Mihi vero multo magis expedire videtur, ut in maxima voluptate cõtinentiam aliquis ſuam declaret. Quid vero voluptatẽ hominibus majorem conciliaverit, quam fortuna proſpera? quæ quidem hoc tẽpore nobis obtigit. Si ergo quum res nobis ſecundæ ſint, prudenter hanc cõſervemus: fortaſſis in vita beata ſine periculis ſeneſcere poſſimus. Sine ejus nullã nos capiet ſatietas, ſed aliam ex alia perſequi conabimur: videte, ne idẽ nobis accidat, quod accidiſſe multis in mari dicitur, ut elati fortuna proſpera ſanem navigandi facere nollent, donec interirent: itidemq; multis, qui victoriam adepti, dum alteram expectarent, priorẽ quoq; amiſerunt. Nam ſi hoſtes, qui ſunt in fuga, pauciores nobis eſſent, fortaſſe tutũ eſſet pauciores perſequi. Nunc vero conſideres velim, cum quantula ipſorũ parte nos omnes prælio congreſſi, vicerimus. Ceteri pugna abſtinuerunt, quos ſi ad pugnandum nõ cogemus, & noſtrum & ſui ipſorũ ignari, propter imperitiam, & animi molliciem, diſcedent. Sin animadvertent, nihilo ſe minus in periculo fore, ſi abeant, quam ſi reſiſtant. vide, ne cogamus eos, ut præter animi ſententiam fortiter ſe gerãt. Nam ſcite debes, non tã illorum uxores ac liberos capiundi te cupidum eſſe, quã illi ſervandi ſint cupidi. Etiam ſues cogitã, poſteaquam conſpectæ ſunt, cum ſubole ſua fugere, tametſi multæ numero ſint. At ſi quis ſuboleм venetur, non jã amplius, ne ſi una quidẽ ſit, fugit: ſed eum, qui capere conatur, invadit. Nunc quidẽ intra munitionem occluſi, poteſtatẽ nobis fecere velut è penu quodam promendi, & pugnandi cum tanto ipſorum numero, quanto nobis viſum eſſet. At ſi lata in planicie cum ipſis congrediemur, diviſiſq; copiis diſcẽt partim nobis à fronte, quemadmodum modo accidit, obſiſtere: partim ab latere uno, partim ab altero, partim deniq; à tergo: vide, ne cuiq; noſtrum multis & oculis & manibus futurum ſit opus. Præterea nolim, inquit, Medos equidem quos nunc hilaritati indulgere video, ſurgere juſſos ad periculoſum iter cogere.

Cujus ſermonem Cyrus excipiens: Neminẽ vero coegeris, ait; ſed illos mihi tantũ concedito, qui lubentes ſequentur. Fortaſſis etiã ita redibimus, ut & tibi, & amicis hiſce tuis ſingulis adferamus ea, quæ grata omnibus futura ſint. Nos enim totas hoſtium copias nõ perſequemur. nam quo pacto poſſimus eas adequi? verum ſi quid vel avulſum ab exercitu nacti erimus, vel à tergo relictum: id ad te redeundi adducemus. Enimvero tu quoq; cogita nos rogatu tuo veniſſe longo itinere, ut tibi rẽ gratam faceremus, Itaq; te vicißim nobis gratificari æquum eſt, ut & ipſi aliquo cum emolumento domũ redeamus, & omnes ad theſaurum tuum nõ reſpiciamus. Heic Cyaxares: Si quis, inquit, ſponte ſua te ſequatur, equidem tibi gratiam quoq; habiturus ſim. Mitte igitur mecum quendam de tuis hiſce fide dignis, ut quæ tu juſſeris, exponat. Age vero, inquit, quemcunq; horum volueris, accipe. *Cap. 3. lib. 4. Cyropædiæ.*

Idem: Aſſyrii jam ante pranſi, audacter è caſtris prodibant, & in aciem præſentibus animis ſe componebant. Inſtruebat a. eos rex ipſe curru vectus & verbis hujuſmodi cohortabatur: Nũc vos, Aſſyrii viros eſſe fortes oportet. Jam n. & de vita certamen propoſitum vobis eſt, & de ſolo, in quo eſtis orti. de domiciliis, in quib. educati. de uxorib. liberis, bonis, quæ poſſidetis univerſis. Nam ſi victoria potiemini, horum omniũ, ut antea, domini futuri eſtis: ſin victi fueritis, certò vos ſcire volo, hoſtibus iſtæc omnia vos eſſe prodituros. Itaq; ſtandum vobis, & pugnandum erit, quotquot apiſcẽdæ victoriæ ſtudio flagratis. Quippe ſtultum eſt eos, qui ſuperiores eſſe velint, cæcas corporis partes, & armis ac manib. deſtitutas, per fugã hoſtibus obvertere. Stultus idẽ, quicumq; vitę cupidus fugæ ſe committit. quum ſciat victores ſalutẽ conſervare, ac fugientes citius interire, quã reſiſtẽtes. Eſt & is ſtultus, qui opum cupiditate accenſus, vinci ſe patitur. Nam ſi quis ignorat, & ſuas res ſalvas eſſe victorib. & eoſdem præterea fortunis illorum, quos vicerint, potiri? quum victi & ſe ipſos, & omnia ſua ſimul amittant. *Cap. 25. lib. 3. Cyropædiæ.*

Xenoph. Sed hoc primũ nobis dicite, quantũ diſtet hinc is locus, ubi hoſtium magiſtratus, & totæ copię ſunt? Reſpõderunt illi, paullo maius intervallũ eſſe parasanga. Heic Cyrus: Agite ergo, inquit, vos Perſæ, Medi, Hyrcanii, (nam vos etiam modo tanquã auxiliares & ſocios adpello) plane ſciendum nobis eſt, eo res noſtras eſſe loco, ut ſi moviter & remiſſe agamus, graviſſima quæq; mala nobis eventura ſint. non n. ignorant hoſtes, quarum rerum cauſſa huc advenerimus. ſin totis viribus irruẽtes, fortiter animoſeq; hoſtẽ aggrediemur: illico videbitis eos, ſervorum fugitivorum more, qui reperiuntur, alios ritu ſupplicum uti, alios aufugere, alios ne ad hæc quidẽ poſſe animos intendere. Nã victi nos adſpicient, ac nihil minus exiſtimabunt, quam nos adventare: nõ in ordines diſpoſiti, non ad pugnam parati deprehendentur. Quamobrem ii ſuaviter & cœnare, & noctẽ hanc exigere, & vivere deinceps volumus: nec ſpatium eis conſultãdi cõceſſerimus, nec parãdi, quod ipſis ex uſu ſit, adeoq; ne animadvertendi quidẽ, quod homines ſimus: ſed non niſi crates, & copidas, & ſecures, & ictus ac vulnera veniſſe putent. Et vos quidẽ Hyrcanii, ait, vosmet nobis prætendendo anteriore loco pergite, quo veſtris armis conſpectis quam longiſſimo tempore hoſtes fallere poſſimus. Verum ubi ad hoſtium ego copias pervenero, cohortem equitum apud me ſinguli relinquite, quib. ipſe apud exercitũ manens utar, ſicubi opus fuerit. Vos a. qui principes eſtis, & ætate provectiores, ordinib. ſervatis catervatim procedite, ſi ſapitis; ne in confertas hoſtium copias delati, per vim repellamini: junioribus perſequendi poteſtatem facite, qui hoſtes obtruncent. Nam id tutiſſimum hoc tempore fuerit, ut ex hoſtib. quã pauciſſimos ſuperſtites relinquamus. Quod ſi accidat id, quod multis uſuvenit, qui rerum potiuntur, ut everſamus ipſorum fortunam; cavendum erit, ne ad prædam nos conferamus. Nã qui hoc facit, nõ miles & vir eſt, ſed ſarcinarius calo: quẽ uti mancipium tractare cuivis licet. Illud a. ſciamus oportet, victoria nihil eſſe quæſtuoſius. Nam qui victor eſt, is ſimul omnia corripit, viros, mulieres, opes, regionem univerſam. Adhæc unicum illud videdum, ut victoriam conſervemus: quippe qua etiã raptor ipſe continetur. Deniq; memineritis inter perſequendum, ut ad me, dũ adhuc lucebit, redeatis. Poſtquam enim tenebræ acceſſerint, neminem admiſſuri ſumus. Hæc loquutus unumquemq; ſuos ad ordines dimiſit. *Cap. 10. lib 4. Cyropædiæ.*

Idem: Quum autem illuxiſſet, hoſtium alii ad ea, quę cernebãtur, obſtupeſcebant: alii jam quid ageretur, animadvertebant: alii nũtrabant: vociferabantur alii: alii ſolvebant equos: alii vaia colligebant: alii de jumentis arma dejiciebant: alii ea induebant: alii in equos inſiliebant: alii fræna eis injiciebant: alii vehiculis uxores imponebãt: alii res maximi pretii ſumebant, tanquam eas conſervaturi: deprehendebantur alii, qui hujuſmodi defodiebant: maxima vero para fugam inibat. Etiam alia multa variaq; feciſſe tunc eos exiſtimare licet, extra illud unum, quod nemo pugnabat, ſed ſine prœlio peribant. Crœſus Lydorum rex mulieres, quod ætas eſſet, noctu carpẽtis præmiſerat, ut in frigore facilius iter facerent: ipſe cum equitatu ſubſequebatur. Eadem feciſſe perhibẽt etiã Phrygem illum, qui ſitæ ad Helleſpontum Phrygiæ imperabat. Verum ubi fugere quoſdam, & ad ſe jam pervenire ſenſerunt: comperto quid fieret, etiam ipſi ſumma virium contentione fugerunt. Cappadocum regem, & Arabum, qui prope adhuc erant, & abſq; laboris reſiſtebant, Hyrcanii trucidant. Itidem qui interficiebantur, maxima ex parte Aſſyrii & Arabes erant. Nam quod ſuam in regionem veniſſent, perquam lente progrediebantur. Dum Medi & Hyrcanii patrarẽt hujuſmodi quædam inter perſequendum, qualia conſentaneum eſt victores facere: Cyrus equitibus apud ſe relictis mandat, ut circum caſtra obequitarent, ac ſi quos armatos exire viderent, eos occiderent: remanentib. per præconẽ edicebat, ut quicumq; milites hoſtium vel equites eſſent vel cetrati, vel ſagittarii: arma colligata adferrent, equis ad tabernacula relictis. Hæc quicumque non faceret, mox capite plecteretur. *Cap. 11 ejuſdem libri.*

Lyſias 1 Ego ſanè omnibus liquere arbitror, eos fugere qui ſibi metuunt: eos autem perſequi, qui aliquid mali meditantur. *Apologiæ in Simonem cap. 10.*

Iulianus Cæſar: Cum ex impeditis & ſalebroſis locis in campos exultantem ãtque imprudentem compulit: qui quod fiebat verè fieri non ſimulatè atq; ex compoſito putabat. unde accidit, ut quemadmodum aves & piſces caperetur retibus. *Paneg. 3. in Conſtantiũ Imp.*

Libanius: Magis multo eſt ad gloriam, adverſarium ad fugã impellere, quàm interficere manentem. ſiquidem hoc eſt à fortuna lædi, fortis viri partes explendo: illud autem, manus ſcilicet nõ conſerere, excuſationẽ habet nullam, præterquam timiditatis. pejor mehercle, excuſationẽ habet nullam, præterquam timiditatis. pejor mehercle, qui ſemper interimit, terrorem qui præſtantior eſt, ſolus incutit. *Achillis oratione ad Vlyſſem Agamemnonis legatum.*

Libanius: Etenim, non fugam arripui, quod dudum ſibi conſcius feciſſet; neq; formidavi ſi remanerem, ne interficerer; neq, ſolam in commigrando ſecuritatem collocandam eſſe duxi, tametſi irruerent jam in tyrannum, & libertatem recuperarent, & ferveret opus. *Declamatione 28.*

Onoſander: Multæ ſunt & variæ in orbe univerſo locorũ ſpecies, incertumq; eſt quonam in loco erit ſingulis in acie decertandum. Et ſuæ quidem regionis loca experti noſſe poterunt, non autem alienæ & extraneæ.

Præterea ſæpenumero Imperatori, hoſtis unius diei itinere abeſſe, renuntiatur. Ille mox, receſſum ex compacto ſimulantes, quaſi, fugientes ac territos inſequitur, donec ad anguſtias tandẽ ac rupes adductus, dũ incautus acriter urget, circũvenitur: aut dũ exercitũ in illa loca immittit, occupãt hoſtes anteriora, & occludũt tũm ſitus, ac undiquaq; ſuperiora cingũt, tandẽq; velut cavea cõprehẽſos adverſarios includũt. Ille igitur Imperator cæco impetu rapitur, putatq; ſe fugien-

tibus hostibus imminere, nec satis, dum progredi festinat, animadvertit; postillà vero circumspiciens, ante & post se, & à lateribus hostes permultos instare videt. Itaque vel illic unà cum exercitu telis circumquaq; missis conficitur, aut dum pugnare nequit, pudetq; sese dedere, fame secum suos omnes enecat, aut si deditionem tandem impetret, hostibus concedit potestatem in se vitæ ac necis. Quamobrem hostium discessiones semper suspectæ, nec unquam susq; deque habendæ. Et considerandi potiùs locorum quàm hostium situs; nec solùm qua via ducatur exercitus prospiciendum, sed etiam ut eadem reduci possit providendum. Et vel copias non immittat, sed coerceat ac reprimat, vel si immittat, caveat diligenter; & montium cacumina, angustiarumq; fauces, relictis custodibus, occupari à suis curet, ut tutum iter receptui præstetur. Et hæc de meditandis adversus hostes dolis, deq; iisdem evitandis, utramq; in partem dicta sint. Pulchrè quidem eveniet, si hoc modo Imperator adversarios deceperit, sed necessario cavere quoque debet, ne ipse decipiatur. *Capite 10. Strategici.*

¶ Romanorum.

Chrysologus: Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris: potens quando se subducit infirmo, insequentem non pavet, sed foris producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam: occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum sæculis vult triumphum. Secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt. Hinc est, quod Christus fugit ut cedat tempori, non Herodi: neq; enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam: neq; humanas insidias expavescit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire versutias: neq; tunc timuit, quando infans, & secundum hominem timere nescivit; & secundum Deum potuit non timere. Christus fratres, si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas: non virtus fuerat, sed infirmitas: necessitas fuerat, non potestas: & innocentiæ fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset. *Sermone 150. m.*

Egesippus: Sequenti die Cestius cum hostem relinqueret, in sese armavit, ut discessionis ejus causam metum arbitrarentur. Circumfusi itaq; latrones à lateribus, à tergo postremos cædere, incedentem jaculis exercitum infestare; in confertos missa telorum vis haud facile frustrari. Si quis referire audebat, patere vulneri: si quis convertere sese ad infestantem à suis relinqui; ab hoste clausi. Munitior enim semper est qui sequitur, quam qui præcedit; quia hic pectus tegit, ille hosti terga sua detegit. Vehementer igitur Romani urgebantur, tanquam obsessi, &c. *Cap. 15 lib. 2. exc. Hieros.*

Symmachus: Si facere ex sententia religionis tuæ antea voluissem, & vitassem periculosa quæ post secuta sunt, & exspectatio mei plus dignitatis habuisset. Sed una fuit hujus consilii ratio, ne quibusdam loco pulsus viderer, & verecundâ discessio verteret in notam timiditatis. *Lib. 6. Epist. 66.*

Frontinus: Gallipugnaturi cum Attalo, aurum omne & argentum certis custodibus tradiderunt, quibus si acie fusi essent parceretur, quo facilius colligenda præda hostem impeditum effugerent.

Triphon Syriæ rex victus, per totum iter fugiens, pecuniam sparsit: eaque sectantes Antiochi equites moratus, effugit.

Quintus Sertorius pulsus acie à Quinto Metello Pio, ne fugam quidem sibi tutam arbitratus, milites dispersos abire jussit, admonitos in quem locum vellet convenire.

Viriatus dux Lusitanorum copias nostras, locorumque iniquitatem evasit eadem, qua Sertorius ratione, sparso exercitu, deinde recollecto.

Horatius Cocles urgente Porsennæ exercitu jussit suos per pontem redire in urbem, eumque (ne casu sequeretur hostis) intercidere. Quod dum efficitur, in capite ejus propugnator ipse insequentes detinuit. Audito deniq; fragore pontis abrupti, dejecit se in alveum: eumque in armis, & vulneribus oneratus tranavit.

Afranius in Hispania ad Ilerdam cùm Cæsarem fugeret, instante eo castra posuit: cùm idem Cæsar fecisset, & pabulatum suos dimisisset, ille signum repentè itineri dedit.

Antonius, cùm ex Parthis sibi instantibus reciperet exercitum, & quoties prima luce moveret, toties urgentibus Barbarorum sagittis infestaretur, abeuntium agmen in quintam horam continuit: suisq; fidem constantiorem fecit: qua persuasione digressis inde Parthis, justum iter reliquo die sine interpellatione confecit.

Philippus in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerēt, induciis ad sepeliendum eos, qui cæsi erant, impetravit: & ob id remissioribus custodibus evasit.

Publius Cl. navali prœlio superatus à Pœnis, cum per hostiū præsidia necesse haberet erumpere, reliquas viginti naves tanquam victrices jussit ornari, atq; ita Pœnis existimantibus superiores fuisse acie nostros, terribilis excessit.

Pœni classe superati, quia instantem avertere Romanum studebant, simulaverunt, in vada naves suas incidisse, hærentesq; imitati, effecerunt ut victor eorum timens casum, spacium ad evadendum daret.

Comminius Atrebas, cum victus à D. Julio ex Gallia in Britaniam fugeret, & fortè ad Oceanum secundo vento quidem, sed æstu recedente venisset, quamvis naves in siccis littoribus hærerent, pandi nihilominus vela jussit. Quæ cum persequens cum Cæsar ex longinquo tumentia, & flatu plena vidisset, ratus prospero sibi eripi cursu, recessit. *Lib. 2. c. 13. Stratagematum.*

Barca dux Pœnorum, in Sicilia Lilybæum nostris terra mariq; obsidentibus partem classis suæ procul armatam jussit ostendi, ad ejus conspectum cum evolassent nostri, ipse reliquis, quas in occulto tenuerat navibus, Lilybæi portum occupavit. *Lib. 3. c. 10. Stratagem.*

¶ Poetarum.

Plautus Menæchmis 1. sc. 1. v. 3.

Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis servis indunt compedes,
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.
Namque homini misero si ad malum accedit malum,
Major libido est fugere, & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti anulum lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavum, nugæ sunt ea.
Quem tu asservare rectè ne aufugiat voles,
Esca atque potione vincirs decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deligat.
Dum tu illi quod edit, & quod potet præbeas.
Suo arbitratu & affatim quotidie,
Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit.
Facilè adservabis, dum eo vinclo vincies;
Ita istæc nimis lenta sunt vincla escaria.
Quam magis intendas, tanto astringunt arctius.

Guntherus lib. 10. v. 80.

Ac ne clausa satis faciant munimina tutos,
Quos bello vinci murus, vallumque vetabat,
Molitur superare dolo, Ticinaque prudens
Agmina, præcipuos Ligurini nominis hostes,
Præcursare jubet, prædaque patenter abacta
Deceptos clausis educere mœnibus hostes.
Ipse suos secum secreta in sede latenter
Collocat insidias, & eos hunc vertere cursum
Hoste premente jubet. nec lusit opinio Regem.
Nam postquam refugo simulatam pulvere eandem
Convertere fugam, tacitas improvidus hostis
Incidit insidias, circumfususque tumultu
Horruit: ac veluti celeres in retia cervi
Sæpe cadunt, resonantque gravi collisa fragore
Cornua, clamosique canes venator in illos
Concitat, & cadit gaudens impune rudentes.
Sic postquam telis hostilibus undique septi
In medium cecidere viri, nec tela movere,
Nec cessisse licet, gladiis impune necantur
Cominus, arctatique loco breviore laborant.
Hic quinquageni ferro, centumque perempti,
Sexcenti duras collo subiere cathenas.
Quos autem rapidus involvit proximus amnis,
Submersitque vadis, seu quos lethalia passos
Vulnera, vix tandem trepidos urbs mœsta recepit,
Nec breve, nec promptum numero comprendere certo.

¶ Apologi.

De Canibus urbanis villaticum insequentibus. Fab. 32.

Canes complures urbani, quendam villaticum præcipiti insequebantur cursu, quamdiu ille fugit, nec repugnare ausus est. At ubi ad insequentes conversus subsistit, & dentes ipse quoque ostendere cœpit, omnes pariter substiterunt: nec aliquis urbanorum illi propinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui fortè ibi aderat, ad suos conversus milites: Commilitones, inquit, hoc spectaculum nos admonet, ne fugiamus, cùm præsentiora fugientib. quàm repugnantibus videamus imminere pericula. *Laur. Abstemius.*

¶ Emblematis.

Camerarius XLI. Centur. 2.

Hinc dolor inde fuga. *Cervus fixus sagitta & fugiens.*
Omnem tolle metum, mentem nec anxius urge,
Læsus enim frustra spicula fixa fugit.

¶ Apophthegmatum Christianor.

D. Athanasius: Saluti per fugam oportunè aliquando consulendum, confirmavit prudentissimus Athanasius: qui ab Alexandriæ Præfecto crebris insidiis petitus, necessarios suos de ejusmodi procellis alloquens, *Secedamus*, ajebat, *ad tempus. Nubecula est, quæ citò evanescet. Socrat. lib. 3. hist. Eccl. cap. 12. & Theod. lib. 3. c. 8.*

Idē: Probro illi dantibus hæreticis quòd fugeret, dicebat: *Si fugere mihi turpe; vobis, innocentem me persequi turpius. Socrat. lib. 3. hist. Eccl. cap. 6.*

¶ Monosticha Trochaica.

Effugere hos est, effugere illos; te tamen non effugis.
Haud Laconicum est fugatum longius hostem insequi.
In cubile de cubili cur fugis cuniculè?
In fugam actos ne tene hostes; munti eisdem imò viam
In fugam dedisse certam perduelleis sufficit.
In fugam veram datum urges si inimis, vincis cupis.
In fuga ponunt salutem, non in armis, debiles.

In fu-

In fuga victoriaque quisnam numerat copias?
Miles in fuga postremus, primus in periculo est.
Mucius quem manu armata non quit exuta fugat.
Neminem fuga tenacem persequi solet Laco.
Noctis obscurum fugaci semper est obtentui.
Non fugæ modò hosti dandæ, muniendæ etiam via est.
Non fugit semper, qui terga versa præbet hostibus.
Nonne morte pejor omni turpis est mortis fuga?
Obstruit viam fugienti tyro, munit fortior.
Persequendus admodum cautè hostis est qui jam fugit.
Plus nocet fugientibus hostis, quam quibus statio est sua.
Potione escaque vince, cui cupis fugam eripi.
Pro vera valet quæ à clade fingitur statim fuga.
Quæ salutem homini tuetur minima turpis est fugæ.
Quæsit fuga salutem ex prælio Demosthenes.
Qui fugit pulam hostem eo ipso se minorem prædicat.
Qui pedem refert videtur præparare se fugæ.
Quis vitare honesta morte dedecus nolit fugæ?
Quisque se fugit, sed æquus quæso item ille est qui effugit?
Sæpe miles terga vertit, hostem moveat ut gradu.
Scuta jacere fugere q; hosteis; more habet licentiam.
Strenue magis pugnamus cum in fuga periculum est.
Struthiolapidum insequentes imbre crebro submovet.
Timiditas simulata sæpe parturit victoriam
Turpe non est, dum rursum instes, cedere hostibus loco.
Turpiter fugit qui in acie terga obvertit hostibus.
Vasa epulasque deserentem suspice: haud semper fugit
Vis tuis fugum abstulisse: subrue a tergo viæ.

¶ JAMBICA.

Ah nulla lethi est aut magno aut parvo fuga.
Aliquando lædit fuga hominem diserimini.
Cui sunt manus, à pedibus auxilium petat?
Dementia fugere est, sine cum quem retro.
Deum improbus fugit quidem, at non effugit.
Difficile nimium effugere naturam suam est.
Est stantium haud fugientium victoria.
Et tela dorso spargit hystrix ut fugit.
Exul paterna sedis, haud sese fugit.
Fit & fuga æstu sæpe, non formidine.
Fœdissima armis quæ fit abjectis fuga.
Formido major pedibus alas admovet.
Fuga irritus conatus stultitiam indicat.
Fugi quidem potest Deus; non effugi.
Gravis insequi armatura fugaces non potest.
Haud persequi hostes jam fusos Laconicum est.
Hosti fugienti pontem substerne aureum.
Ignarus est Spartanus in pugna fugæ.
In omnium perenne vivitur fugâ.
Ita fugias, ut ne fugias præter casum.
Longe fugit profecto qui fugit suos.
Magis patet qui avet sus est periculis.
Metus fugam moratur, qui cogit fugam.
Miles fugax nunquam obtinet victoriam.
Mors est honesta, quæ fuga aufert dedecus.
Mulci fugiunt ipsos se; nullus effugit.
Multum in fuga prodest loci peritia.
Nemo in fuga hinc vel inde, numerat copias.
Nemo usquam fuga salutem repperit.
Nudus in acie fugam non pugnam cogitat.
Nulla in fuga salutis est fiducia.
Parma relicta fugit & Demosthenes.
Pugnans timet hostem; fugiens, & hostem & suos.
Quire vocedit, hosti fugere creditur.
Quid si fides frustra a fugitivo quæritur.
Quocunque unus fugit, potest alter sequi.
Res tuta non est, persequi hostem longius.
Rerum omnium ebeu vivitur mera fuga,
Rerum omnium est rapina: vivendum est fugâ.
Se damnat ipsum sponte qui fugam arripit.
Sæpe impedit fugam potentum dignitas.
Sæpe in fuga hostis urbem intrat cum civibus.
Servat secundo se, qui fugit prælio.
Simulat fugam hostem miles ut vita exigas.
Simulata fraudi sæpe locum parat fuga.
Terrentibus Diis & Hector fugerit.
Turpis fuga est, relictis quæ fit sanctis.
Vel nominatus in fugam hostem det Deus.
Vno comitante facilius occultes fugam.

Funeris.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Fabro admodum recens est ades expers funeris.
Funus omne triste, sed nil tristius domestico.
Funeris mœror, quam charus urbi fueris indicat.
Funere haud honesto, mortem prohibeas spontaneam.
Lachryma omnis falsa regum qua rigantur funera.
Nullum funus tam lugubre, quam funus domesticum.
Omne funus est acerbum, quod suus sequitur parens.
Rarus sese amicum jactat post suprema funera.
Voce festa funerale munus exequi impium est.

¶ JAMBICA.

Funus tacitum molestiarum habet minus.
Impensus homini quando in inferias homo est?
Lugubre nullum funus quam domesticum est.
Marcelli etiam celebravit funus Annibal.
Nupta recenter haud sequuntur funera.
Plerique amicitiam cum amico una efferunt.
Plures amicum diligunt à funere.
Sanguis Deorum funere exstingui nequit.

Furiarum.

¶ SENTENTIAE ROMANORVM.

Cicero. Nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpe videtis, eos qui aliquid impiè sceleratèq; commiserint, agitari & perterreri Furiis ardentibus. Sua quemq; fraus, & suus terror maximè versat. suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit. suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terrent. hæ sunt impiis assiduæ domesticæq; Furiæ; quæ dies noctesq; parentum pœnas à conscelleratissimis filiis repetant. *Pro Amerino c. 24.*

Cicero. Me tamen fugerat, Deorum immortalium has esse in impios & conscelleratos pœnas certissimas. Nolite enim putare, ut in scena videtis; homines impulsu Deorum terreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemq; fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate ac mente deturbat: hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ fáces. *Oratione in Pisonem capite 20.*

Cicero: Neq; est quisquam qui arbitretur, illis inclusis in Republ. pestibus, diutius hæc stare potuisse. Itaq; eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reipubl. pœnas Furiæ quædam incitarunt. *Oratione pro Sulla c. 27.*

Cicero: Furiæ Deæ sunt, speculatrices credo & vindices facinorum & sceleris. *Lib. 3 de natura Deorum c 18.*

Cicero: At scelerum in homines atq; impietatum nulla expiatio est. itaq; pœnas luunt non tam judiciis (quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sunt tamen, persæpe falsa sunt) quàm ut eos agitent insectanturq; Furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu. *Lib. 1. de Legibus cap 14.*

Videantur hujus rei exempla apud eundem Tullium. *Lib. 4. Academ. 1. quæst. cap. 18.*

Quintilianus Senior: Quid supereſt? per dementiam confessus est. At mihi pro causa mea tutissimum videtur argumentum ipsa dementia; etiam si confessus non esset. Non sine causa videlicet vetus illa & antiqua ætas tradidit, eos qui aliquod commiserunt scelus, furiis agitari, & per totum orbem agi. Ut nomina mentita sint, ut aliquid fabulæ fingant: ab aliquo tamen exemplo ista experimenta venerunt. Factum esse aliquid necesse est, ut hoc credibile videretur: sive istud Dii immortales, qui non judiciis falli, non gratia circumveniri, non ignorantia decipi possunt, constituerunt, Ego vero gratulor mortalitati. Colite homines innocentiam, & nullam spem impunitatis ex secreto scelerum conceperitis. licet nulli hominum prospexerint oculi, licet nulla cujusquam mortalium scientia intervenerint: sub cælo tamen feciſtis, & ille sursus per omnes rerum naturæ partes spiritus, adfuit: erat illic potentior testis. Non quidem artibus, sed loquetur ore vestro. Tu forsitan cùm miserum patrem trucidares, tollentem ad sidera manus risisti. Inane hoc supra nos, vacuumq; cura cœlestium putabas. Sunt illa vera quæ extremo miseri spiritu dicebantur, Dabis mihi scelerate, pœnas: persequar quandoq; & occurram. Et quod ad me quidem pertinet, judices, non aliam hujus dementiæ putem fuisse rationem quæ cœpit post absolutionem. Nec tamen illa mihi vana quorundam videtur esse persuasio, qui credunt, nõ extrinsecus has furias venire, nec ullius Deorum impulsu hanc mortalibus incidisse dementiam: sed nasci intus: conscientiam esse; quæ torqueat: animum esse, qui urat. Iterum gratulor. Bene herculè factum est; quod etiam si omnes fefellerimus, effugere non possumus nos. Ite nunc, & dicite, Demens erat cum confessus est: At mihi videtur demens fuisse cum occidit. Ergo quodcumq; illud furoris genus, aut pœna à Diis immortalibus constituta, aut confessio quædam nocentis animi videretur. *Declamatio 314.*

Quintilianus Senior: Nihil variatum, nihil ex more aliorum insanientium mutatum, Ego te pater occidi, longa confessio est, repetita toties confessio est. Ecquid concipitis animis imaginem illam, quę hoc coegit? Stabat profecto ante oculos lacératus, & adhuc cruẽtus pater, ostendebat effusa vitalia: totus ille ante oculos locus, totum scelus mente & cogitatione perflexum. *Declamat. 314. fine.*

Quintilianus Senior: At præmium mihi debetur: meo enim beneficio & sacrilegium illud inventum est. Immo herculè etiam illa cædes, beneficio suo: ex quo semel manus inquinavit, insecutæ sunt

illæ protinus furiæ, ut hunc hominem palàm occideret, ut reus deferretur, ut damnaretur, ut torqueretur, ut confiteretur. An vero tu illum, quod sacrilegium à se commissum esse dixit, præstitisse ignibus quos nos subjecimus, aut flagellis putas? nihil illa tormenta ad confessionem sacrilegii pertinebant, non de hoc torquebatur. Numen erat profecto, numen illud, quod subjiceret faces, quod acrioribus stimulis agitaret. Vos de cæde torquebatis: ille de sacrilegio confitebatur. *Declamatione* 324.*f.*

Furoris.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Io. Chrysostomus: Qui furore corripiuntur, nihil consistere putant. verùm non ex eorum quæ cernuntur natura, sed intuentium infirmitate contingit. quia enim instabiles sunt pavore attoniti, & oculos vertentes, terram quoq; verti sub pedibus suis jugiter putant. At non vertitur illa, sed stabilis firmaq; persistit. quippe ex illorum vitio suspicio hujusmodi gignitur: nonid facit elementi ulla mutatio. *Homilia* 3. *Epist. ad Titum.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum qui incurabili furore correpti sunt, præ doloris magnitudine sensum quoq; doloris amittũt: sic etiam qui cò prolapsi sunt, ut nullo jam dolore tangantur (quorum numerum Zosimus quoq;, ut scripsisti, auget) quodammodo etiam in stupore atq; insensibilitate sunt, ne illud quidem scientes quo in malo versentur. *Lib.* 2. *Epist.* 244.

Salvianus: Voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. *Libro sexto de gubernatione Dei.*

Xenophon: Qui furiosi sunt, partim quæ sunt terribilia non metuunt, partim etiam non metuenda metuunt. *Lib.* 1. *Memorab Socrat. cap* 3.

Chrysologus: Furor in se sævit quoties in alterum tendit: se punit dum percelluit insontem: sibi lethalis est totus, cum erga justum lethalis existit.

¶ POETARUM.

Plautus Casinæ 3. sc. 5. v. 6.

—— *Abscede*
Abi sta, obsecro, ne quid in te male faxit ira pereita.
Eripite isti gladium, quæ sui est impos animi.

Mox versu 31.

—— *Gladium hei misero mihi.*
Cur habet? P. Insectatur omnes domi per ædes, nec quemquam
Prope ad se sinit adire: ita omnes sub arcis, sub lectis
Latentes metu mußitant. St occidi, atque interij! quid illo
Objectum est mali tam repente? P. insanit.

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius x i x. Centur. 2.

Currenti cede furori. *Vrus & Venator post arborem.*
Quis furor est cœco temerè se offerre furori?
Cede, parum exspecta, nec mora, victor eris.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Crimen an habet voluntas ipse ubi peccat furor?
Est vini mala, at furoris pejor temulentia.
Ne committe te torrenti; quidquid obvium est trahit.
Nemo dat pœnam furoris; ipsius pœna sat sua est.
Non habet crimen voluntas, ipse ubi peccat furor.
Non modò privatus, est heu publicus paßim furor.
Semper in se, in alterumque semper armatur Furor.
Tam furor promptè popelli exstinguitur quàm nascitur.
Tibi à audità, non omnes, sed Galli tantùm furunt.

¶ JAMBICA.

Anima manet in furiosis, mens exstinguitur.
Coerceas vulgi furorem, non domes.
Domi furiosum proximi custodiant.
Furiosa res est in tenebris impetus.
Homo furiosus semper absentis loco est.
Iam non modò furimus privatim, at publicè.
In se ipse sævit; hoc habet proprium furor.
Insanunt furentibus sanißimi.
Iræ quis est ingentis exitus? furor.
Lethale telum est quidquid arripit furor.
Mater furoris ipsa Desperatio est.
Negotium nullum furiosus contrahit.
Non membra Furia, Furia mentem vulnerant.
Nunquam furori deficit telum suum.
Quæ per furorem gesta sunt, sint irrita.
Qui cum furente non furit, furit.
Vbi quis furit, crimen voluntas non habet.

Furti.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Clemens Alexandrinus: Age ipsos Græcos furti in seipsos admissi testes adducamus. qui quæ sunt eorum propria tam evidenter à se invicem suffurantur, se quidem fures esse confirmant: vel inviti autem ostenduntur à nobis acceptam usurpasse veritatem, & eis qui erant sui generis clanculum tradidisse. Qui enim ne à seipsis quidem abstinent, à nostris vix abstinebunt. Ac tacebo quidem eorum dogmata in philosophia, cum scriptis fateantur ii qui in sectas distribuuntur, ne ingrati animi criminis convincerentur, se decreta præcipua accepisse à Socrate. *Lib* 6. *Stromatum.*

B. Clemens Alexandrinus: Atq; furti quidem Græcorum, quod attinet ad sententiam, species cum sint ejusmodi, sufficiant ad exẽplum evidens ei qui potest perspicere. Jam vero quod non sententias solum & dictiones suffurati & paraphrastice enũciaverint, satis planum est, & ostendetur. quin & furta commisisse integra arguentur. Nam cùm quæ erant aliorum, tota omnino surripuissent, enunciarunt tanquam propria: ut Eugamon Cyrenæus, ex Musæo librũ integrum de Thesprotis, & Pisander Camireus Pisini Lindii Heracleã, & Panyasis Halicarnasseus à Cleophylo Samio Oechaliæ captivitatem. Homerum quoque invenias magnum illum Poetam, illos versus,

Atque ut vir nutrit ramum virentis oliva, & quæ deinceps consequuntur, ad verbum transtulisse ex Orpheo de extincto Bacho. Et quæ ab Orpheo in Theogonia facta sunt de Saturno,

Atque is obliquus crassa cervice jacebat,
Vt quem cuncta domans jam somnus ceperat,

ea Homerus transtulit ad Cyclopem, Hesiodus autem facit de Molampode:

Facta autem à superis quæ sunt audire libenter
Par homines: prava atq; boni clarissima sunt hæc Signa.

& quæ deinceps consequũtur, quæ ad verbum accepit à Musæo poeta. Aristophanes autem in primis Thesmophoriazusis versus trãstulit ex Comœdia Cratini, cui nomen Empipramени, id est, Exusti. Plato autem Comicus & Aristophanes in Dædalo, sua sibi invicem surripiunt. Cocalum autẽ qui aptè factus fuerat à Poeta Aristophane, Comicus Philemon, cum eum paulum immutasset, egit in Comœdia quæ Ὑποβολιμαῖος inscribitur, id est, Suppositus. Hesiodi autem carmina cùm in solutam transmutassent orationem, ediderunt tanquam sua, Eumelus & Acusilaus historiographi. A Melesagora a. est suffuratus Gorgias Leontinus & Eudemus Naxius historici, & præterea Bion Proconesius, qui etiã veteris Cadmi res gestas transcripsit, easq; in compẽdium redegit, & Amphilochus & Aristocles, & Leandrius, & Anaximenes, & Hellanicus, & Hecatæus, & Androtion, & Philochorus. Dieuchidas a. Megaricus, orationis principium ex Hellanici Deucalionia traduxit. Taceo Heraclitum Ephesiũ, qui plurima ab Orpheo accepit. A Pythagora autẽ immortalem esse animã traxit Plato: illi vero ab Ægyptiis. Multi quoq; Platonici scripta literis mandavere, quib. ostendunt, & Stoicos, & Aristotelẽ plurima & præcipua dogmata sumpsisse à Platone. Quinetiam Epicurus à Democrito præcipua surripuit decreta. Atq; hæc quidem ita se habeant: vita enim me deficiet si velim sigillatim persequi Græcorum furta quæ à nimio sui amore profecta, & quemadmodum pulcherrimorum quæ sunt apud ipsos decretorum sibi vendicant inventionem, quam à nobis acceperunt. Jam vero non solùm convincũtur à barbaris dogmata surripere sua, sed & imitari quæ apud nos divina virtute ab iis qui sancte vixerunt dum nostri curam gerunt, fiebant admirabiliter & præter opinionem, eaque tanquam Græcas fabulas prodigiosè narrantes. *Libro 6. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Post hanc autem sequitur de furto præceptum. Quemadmodũ ergo qui alienа furatur, cùm magnã faciat injuriam, in ea quæ meretur mala meritò incidit: ita qui divina opera sibi vendicat per fingendi vel pingẽdi artem, & dicens seesse effectorẽ animantium & plantarum: & similiter qui veram imitantur philosophiam, sunt fures: sive fuerit quis agricola, sive pater filii, est minister dejectionis seminũ. Deus autem præbens omnium augmẽtum & perfectionem, adducit ea quæ gignuntur ad id quod est secũdum naturam. Plurimi autem, unà cum *Philosophis*, augmenta & mutationes tribuunt astris principaliter, quod in se est, universorũ patrem privantes sua indefessa & inexhausta potentia. Elementa autem & astra, hoc est, potestates quæ administrãt, justa sunt ea exequi quæ pertinent ad divinam œconomiam, eaq; parent, & aguntur ab iis quæ sunt eis imperata, quò ea duxerit verbum Domini: quandoquidem divinæ inest potentiæ ut omnia occultè operetur. Qui ergo dixerit se aliquid excogitasse vel fecisse ex iis quæ pertinent ad creationem, impii & nefarii incœpti dabit pœnas. *Libro Stromatum sexto.*

D. Chrysostomus: Qui furatur, cum mentiri ac pejerare necesse est. *Argumento ad Philippenses.*

Orosius: Fabius Censorinus Fabium Buteonem filium suum furti insimulatum interfecit: dignum scilicet facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret, quod ne leges quidem, nisi mulcta pecuniæ, aut ad summum exilii, circa quemlibet hominum censuerunt. *Fine cap. 13. lib. 4. adversus Paganos.*

PHILO-

¶ Philosophor. Oratorvmqve Græcorvm.

Aristides Rhetor: Hactenus dicunt furta esse convincenda, donec in manibus res furtiva deprehendatur. *Orat. Ægypti aca de Nilo.*

Simplicius: Qui furatur, dum ad opulentiæ simulacrum, ut rem appetendam, fertur, rem fugiendam tali opulentiæ adhærentem, quę animum cum primis injurium facit, neq; novit neq; veretur. captivitatem porro & supplicium, quam solam in hac appetitione calamitatem censet, ob fervorem cupiditatis rejicit: illud vero amplectitur, multos qui talia faciunt, non deprehendi. *Ad c. 1. Epictet.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Tradiderunt memoriæ qui res priscas loquuti sunt, in judicium quendam vocatum, quod Aricia tenus precarium de amico cantherium mutuatus, ulterioris clivi ardua præterisset. Fuerit hæc parsimonia & diligentia pauperis sæculi, at prætervectus decretum locum, commiserse in amicitiam diceret. At ego non vereor, jumenta quæ dederas demoratus, ne in tantis fortunæ tuæ copiis & animi benevolentia, usurpationis arcessar. Assumpsi igitur quod amor tuus ingerebat; tantumque absum à metu succensionis tuæ, ut sperem ultro bonam fiduciæ meæ gratiam. Necesse est enim probes quod ipse fecisses. *Lib. 7. Epist. 60.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Ranis 613.

Nonne hoc indignum est, qui furto aliena abripit,
Vt reverberet? X. indignum est, here, supra modum.
Æ. Imo flagitiosum est & turpe.

Aristophanes Pluto v. 2042.

At tu cùm vasculum aliquod surripueres hero,
Facebam ego, ne quis te in furto deprehenderet.
C. Hoc ideo faciebas, perfossor parietum,
Quod sperares te furti participem fore.

Plautus Aulularia 4. sc. 10. v. 42.

Dic bona fide, tu id aurum non surripuisti? L. bona.
E. Neq; scis qui abstulerit. L. istuc quoq; bona. E. atque id si scies
Qui abstulerit, mihi indicabis? L. faciã. E. neq; partem tibi
Ab eo quiqui est inde poscies; neq; furem excipies? L. ita.
E. Quid si fallis? L. tum me faciat quod vult magnus Iupiter.
E. Sat habeo.

Plautus Aulular. 4 sc. 10. v. 10.

Cur id ausus facere, ut id quod non tuum est, tangeres?

Plautus Epidico 1. sc. 1. v. 10.

Minus jam sum furtificus quam antehac. E. quid ita? rapiò propalam.

Plautus Rudente 4. sc. 3 v. 16.

—— Audi! furtum ego vidi
Qui faciebat; noveram dominum id cui fiebat. post ad
Furem egomet devento, feroq; ei conditionem hoc pacta:
Ego istuc furtum scio cui factum est. nunc mihi si vis
Dare dimidium, indicium domino nõ faciam. is mihi nihil
Etiam respondit. ecquid inde æquũ est dari mihi dimidiũ?
Volo ut dicas. G. imò hercle amplius: nam nisi dat, domino
Dicendum censeo. T. tuo consilio faciam.

Ausonius Epistola 4. ad Theonem v. 23.

An majora geres, toto regione vagantes
Persequeris fures? qui te postrema timentes
In partem prædamq; vocent: tu mitis & osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis;
Errorem q; vocas, pretiumq; imponis abactis
Bubus, & in partem scelerum de judice transis.

¶ Apophthegmatum Christianor.

D. Ludovicus F. R. Furari dicébat pessimum; & pænè inter vitia supremum, rogatus autem causam; *Quia*, inquiebat, *res ablata justo domino restituerè, ita molestum est; ut verbum ipsum dum profertur, os & linguam exulceret.* Alludebat autem ad verbum Gallicum (*rendre*) quod propter consonantiam duplicis *r*, dissonum & duriusculum redditur. *Jonvil. in Vita ejus, c. 94.*

Fredericus Dux Saxoniæ: Et de hoc ferunt, quod monitus, Quæstoribus ampliora stipendia constitueret, ne cogerentur aliquando præ inedia discerpere ex alieno, respondérit: *Libẽs ego eis majora stipendia assignavero, si certum mihi foret eos a furtis cessaturos* Ita Nazianzenus elegantissimè dixit, plures ex iis qui præsunt, rapere ex facultatibus publicis, Briarei manibus: fuit enim (juxta Poetarum commentum) Briareus Gigas, cui centum erant manus. *Philip. Camer. in Postil. part. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Clancularius fur hoste peior est statario.
Commodatum equum qui ducit longius, furtum facit.
Creditor furti tenetur pignore ipse qui utitur.
Cuilibet furi patet qua non habet notam pecus.
Et res furti est, minoris rem qui emit quam ultro valet.
Fur vocari non meretur qui solt aufert res suas.
Furis est direscere ære publico passim ac citò.
Fustuarium meretur furta miles qui facit.
Impium est minus furari mortui amictum quam libros.
Lancea una commodè alere non potest fures duos.
Non sinit latere furtum lux dolis contraria.
Nesbe fur ingressu ades impunite occiditur.
Poma jam matura non est custodire à furibus.
Publici fures ætatem in auro agunt & purpura.
Quod nullius est futurum iniquè auferetur omnibus.
Quod tibi adsumas, detrahere de aliquo ius ac fas vetat.
Si receptatores tollis, omne furtum tollitur.
Soli domino in re furtiva competit condictio.
Tam fur est qui rem furtivam recipit, atq; is qui clepsit.
Tam malum clã quid furari, auferre quàm palã malũ est.
Veniam habere potest à furto qui cessat, non gloriam.

¶ Jambica.

Aperta transit fur, rimatur condita.
Convincitur furti cum re qui prehenditur.
Deposita quæ non à te sunt, ne tollito.
Fieri potest furtum quoque fundi & ædium.
Fugit vester qui monstrat, haud furtum facit.
Fur non laborat rebus in superfluis.
Fur notus est furi, ut saga nota est saga.
Furare multa: pauca da; serva aberis.
Furantur omnes qui faciunt quod non licet.
Fures duos vix saltus unus nutriat.
Fures vigilant potestates dum dormiunt.
Furtiva res ferè sub ala absconditur.
Furtum esse non potest, ubi victoria est.
Id omne furtum est, quod patrare non licet.
Qui furem agit, mentitur idem & pejerat.
Signata furem non nimis pecus timet.
Successionem non tenet furti actio.
Vel mente sola animoque furtum perpetres.

Futuri.

¶ Sententiae Graecorum.

S. *Isidorus Peluſiota*: Multarum quæstionum turbam cõpendiosè solvere conabor. Ajo igitur, investigationem cognitionis earũ rerum, quæ nobis in hac vitâ aut agendæ aut eventuræ restant, quantumvis, ut inquiebas, eam assequi atq; comprehendere possemus, ut inutilem tamen omninò & periculosam esse. Nam si vitari nequeunt, præscientia illa aufert nobis eam, quæ adversus casus qui nobis accidunt, fortiter ferendos instrui debet, virtutem. Nihil est enim rerum omnium, quod tàm bene disponere soleat aut possit inopinatos casus, quàm virtutis exercitatio. Nam qui omnem spẽ bonam ex animo suo expulerint, nihil eorũ quę oportet agere paratierunt ob præcognitionem futurorum eventuum. *Lib. 4. Epist. 132.*

Phalaris Gorgiæ: Quod ad reliquam tuarum literarum partẽ attinet, omnia rectè scripsisse mihi visus es, adhortationẽ futuri tẽporis unam maximè supervacaneã esse arbitror. Ego enim neq; mortem, neq; genus ullum mortis formido, & id me sapienter facere statuo. Fatum n. non sub hominum leges statutaq; cadit. Et omnino, quicunq; vel inquirit hæc diligentius, vel acerbius metuit, eum ego stolidissimũ judico. Si quis aut præcognoſci futura credit, aut si præcognita sint, caveri posse. Sin cognitionem non tollit: sed cautionẽ evitationemq; removet, quid in cognoscendo futura operam ponit, quod & ignorantẽ, & scientem eodem modo tãgit? At vero, neminem tam impudentem esse puto, qui confirmare audeat, non modò sciri verùm etiã caveri, impendentia ne contingant; & ordinari atq; dispensari loco præcogniti mali, fortunatiorem alium exitum & eventum posse. Hoc enim Dei nõ hominis est opus. Quod si quis ab Jove descendentes Acacum, Mino & Rhadamanthum aliosq; semideos, neq; immortales extitisse, neq; aliter, quàm cujusq; fatũ tulit, mortem obisse cõsideret, atq; idem Parcas, aut mortem ægro animo ferat, aut sollicitè timeat, ecquid ille tibi rationis compos esse videtur. Quare in primis operam dabis, ut in his rebus ejusdem sis sententiæ, nullamque de iis curam suscipias. Nos enim omni sollicitudine vacare scias. *Epistola 37.*

Phalaris Aristæneto: Non mihi senectus molesta est. Non n. Tyrannidis vis & robur consenuit, sed Phalaris. Tu vero mihi nimis es molestus, qui plus æquo mihi melius. Fatũ enim certo veniet, etiãsi Aristænetus, plus quàm par sit, sollicitudinis capiat. Multa vero satius est non metuentem, quàm metuentẽ venturi periculi procellas subire: ut tibi etiam cum exemplis poeticis scribam. *Epistola 87.*

Halicarnassæus: Ignotum est hominib id quod futurũ est, ac fortuna quidem sententias nostras quæ de futuris sunt, ad præsentium rerum statum convertit. *Cap. 54. de judicio hist. Thucydidis.*

Libanius: Ergo temporis ratione injuriam recepi. ubi n. quod futurum est æquale exitit ei quod factum est. *Declamat. octava.*

¶ Latinorvm.

A Gellius: Favorinus, deterrere volens ac depellere adolescentes à genethliacis, & aliis qui prodigiosis artib. futura omnia dicturos se pollicentur, nullo pacto adeñdos esse consulendosq; esse, hujusmodi argumento concludebat: Aut adversa, inquit, eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera & fallũt; miser fies frustra expectando. si adversa dicunt & mentiuntur; fies miser frustra timendo. Sin vera respondent, eaq; sunt non prospera; jã inde ex animo miser fies, antequã è fato fias. Si felicia promittunt, eaq; eventura sunt, tum planè duo erunt incõmoda: & exspectatio te spe suspensum fatigabit: & futurum gaudii fructum spes tibi jam præfloraverat. nullo igitur pacto utendum est res futuras præsagientibus. *Libro 14. Noctium Atticarum cap. primo.*

Apo-

¶ Apologi.

De Asino, qui obiens vinum effudit. Fab. 154.

Vir quidam pauper, cui præter vini dolium & asinum nihil erat, filiam unicam cuidam spoponderat adolescēti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex vini & asini precio (constituerat enim hæc venundare) contrahere posse arbitrabatur. Sed sequenti, qua sponsalia facta sunt, nocte asinus obiit, & inter moriendum, fracto calcibus dolio, vinum effudit.

Fabula indicat, nullam in rebus caducis spem habendam. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius l. Centur. 4.

Tumidis non mergimur undis. *Echinus arena saburratus.*

Discе meo exemplo casus prænosse futuros;
Prævisa ante minus namque periclа nocent.

Futura latent. Embl. ix.

Dum gravis apricis in collibus Æschylus errat,
Concipiens cedro carmina digna lini;
Decidit ex Aquila rostri Testudo; sacrumque,
Heu, miseri Vatis contudit illa caput:
Nescia mens hominum Fati, dum plurima fingit
Sæcula, mors ipsas sæpè stat ante fores.

Florent. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Daniel Propheta: Sciscitante Nebucadnezare, an Daniel ea esset facultate præditus, ut notum faceret somnium quod viderat rex, & interpretationem ejus: respondit Daniel, arcanum quod rex petit, non sapientes, astrologi, magi, haruspices, possunt indicare regi: sed est Deus in cœlo revelans abscondita, qui notum facit regi Nabucadnezari id quod futurum est consequentibus temporibus. *Daniel. 2. 27. 28.*

Antonius. Res futuras prænoscere Antonius monachus nō in numero virtutum duxit: & propterea dedit consilium ne in ea temere quisquam operam & laborem collocaret. Nam neq; res futuras ignorantem, quia eas ignoraret, quenquam daturum pœnas: neque qui eas præsciret ideo beatum, aut afficiendum admiratione censuit. Siquidem veram beatitudinem in Deo sanctè colendo, & ejus servandis legibus, positam esse. Quod si hujus rei (inquit) cura cuiquam sit, animum omni labe purget. nam illud solum potest eum perspicacem efficere, & rerum futurarum scientem: Deo videlicet, quod futurum sit, præsignificante. *Sozom. hist. eccl. lib. 1. c. 13.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cuncta mox futura facta sunt priore sæculo.
De futuris conjectura ex ante factis sumitur.
De futuris è præteritis conjecturam sumito.
De futuro cura nulla est perpetrantibus scelus.
Difficile est frui futuro & bonis præsentibus.
Ex futuro usq; usq; perdet, cui præsens est irritum.
Hæc futura quis putasset? clausula imprudentium est.
Heu, quod quisque non futura sed tractat facta respicit!
Ignoratio futuri, utilior est scientiâ.
Ne futura perscrutere, vivas ut tranquillius.
Ne quidem futurorum hominis est utilis scientia.
Non curant pueri futura, vix spectant præsentia.
Omne futurum incertum est, atq; ad deteriora certius.
Omne quod futurum est, jam factum in priore sæculo est.
Quæ ferat dies futura scire nemini datum.
Quid pariat super venturа nescimus homines dies.
Quod modo speras futurum tam juvat, quàm quod jā adest.
Scire fas non est quid ætas homini volvat crastina.
Scire quisque vult futura cùm periclum ei imminet
Solius Dei est futuris providere commodis.
Tædio placent futurorum anxiis præsentia.
Ter quaterque eum delectant qui futura scit bona.
Tu quidem meum animum gestas, scis quid acturus sim.

¶ Jambica.

Accidere possunt quæ acciderunt omnia.
Ad deteriora omne est futurum certius.
Angi futuro quid nisi est dementia?
E præteritis futura exemplis discimus.
Ex ante factis de futuris judices.
Futura nunquam cognitat malignitas.
Futura præfert fracta spes præsentibus.
Futura scire res supra omnes est volup.
Nescius futurus scire quid vesper vehat.
Obscura sunt futura semper omnibus.
Præsume futura, nulli tyro eris malo.
Quidquid potest fieri, ut futurum prospice.
Quidquid potest venire, ceu præsens time.
Quidquid potuit fieri olim, & post fieri potest.
Speres tibi accidere, alteri quod accidit.
Stultus futura haud spectat, ast præsentia.
Suspenditur è futuro præsens cui irritum est.
Ventura quæ sunt omnia, in incerto jacent.

Videatur titulus *Divinationis, Augurij, Dictionis.*

FINIS LIBRI SEXTI.

POLYANTHEÆ TOMI SECVNDI LIBER VII.

Garrulitatis.

¶ Sententiae Graecorum.

Io Prvsævs: Fortassis senum est multa loqui, & nullum facile repudiare incidentem sermonem. Senibus autem forsan propè accedunt & circulatores, seu peregrini. In caussa autem est, quod senes ferè multa sunt passi, quorum non sine jucunditate recordantur. *Oratio Orationis septimæ.*

Libanius: Nonne mulier ista tibicen Arabica est, vel etiam quid importunius? turture loquacius, pica, luscinia, cicada. Dodonæū superat æs. illud enim admoto quidem à vētis flagello resonat, tranquillo aere silet. atqui hujus linguam nihil potest cōpescere; non bruma, non æstas, non ventus, non sereni.

Mox: Domi locum quiete & tranquillitate præditum reperire nequeo. Atqui iis quidē qui bellum gerunt, excogitata est quædam requies, quod interdū fiat induciæ. mihi vero cessatio ab æruminа nusquam datur. Nam quoties mulier ægrotat, cetera quidem quib. non angit, ei dolent, oculi, manus, venter, pedes: sed scelestа vox incolumis est usquequaq;, fortior omnino quàm ut ægrè se habeat. guttur ravi non laborat; exulceratio nulla linguam subit, nullus defluxionis impetus uvam tumefacit; nihil denique eorum quæ eloqui prohibent, incubuit ipsi. *Declamatione sextа*

Libanius: Cum animo meo agito, quàm volubilis ejus lingua futura sit, cum prægnans & inciens fuerit, cum parturierit, postquam parturierit. Quod si sæpe etiam partum ederet, & proles matri similis foret, illamq; proderet, quid loqueretur? imo quid non loqueretur? *Declamatione 6.*

¶ Romanorum.

Ennodius: Amica est homini ad genitale solum revertenti semper hilaritas; dum metus quoscumq; ei peregrinanti mens anxia peperit, quasi præfinitos, & cœlo gravante dispositos se evasisse confidit. Debetur ergo vox serena lætitiæ, ne muta gaudia mœroris imaginem sortiantur. Cui enim pateat exultantis animi secretum, nisi oris clave reseratum? Reduces etiam cycnos alis ludere Mantuanus asseruit. *Carmine 6.*

Io. Sarisberiensis: Res ardua desiderat attentionem, & virum gravē decet consilia meditari, ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit pro consilio homini sapientiam affectanti. Est a. oris circumcisi illa proferre quib. nihil liceat demi vel apponi. Est autem viro gravi turpissimum, si jugiter se fabulis & nugis admisceat, & inter congarrientes perstrepet, velut rabulus anser immixtus oloribus, & omnem materiem credat aptam litigiis.

Ambigitur quid enim Castor sciat, an docilis plus
Brundusium Numici melius via ducat, an Appij.

Præterea quę abundant, sui copiositate vilescunt, & cum multiloquio peccatum non desit, pauca prudenter loquentis sermo est pretiosus. Unde Socrates quærenti quomodo quis famam optimam compararet: si gesserit inquit optima & locutus fuerit pauca. *Lib. 5. Policratici cap. 6.*

Symmachus: Loquacitas mea non cohibetur exemplo; & est otium ad verborum copiam nimis commodum. *Lib. 3. Epist. 82. pr.*

¶ Poetarvm.

Plautus Aululariæ 2. sc. 1. pr.

Quonquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
Nam multum loquaces meritò omnes habemur.
Nec mutam profectò repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in sæculo.

Plau-

Plautus Cistellariæ 1. sc. 2. pr.

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Qua hunc quæstum facimus: quæ ubi saturata sumus,
Largi loquæ ex templo sumus.

Et versu 7.

Quin ego nunc quia sum onusta mea ex sententia,
Quia q. adeo me comple vis flore Liberi,
Magis Libera uti Lingua collibitum est mihi.
Tacere nequeo misera quod tacito est opus.

¶ Emblematvm.

Camerarius XXVIII. Centur. 3.

Loco & tempore.

Mira fides, Palamedis avis lapide obstruit ora,
Tu quoq. ne noceat garrula lingua cave.

Jac. Catsius Emblemate ethico 11.

Ubi percontator, ibi & garrulus.

Muta sub obscuris habitat et callibus Echo,
Ni foret alterius garrulitate loquax.
Illa silet, quoties presso silet ore viator;
Discit & à populo prætereunte loqui.
Ora loquax premeret, nisi percontator adesset:
Hoc duce tentat opus lis vida lingua suum.
Probra creat qui multa rogat, qui commodat aurem:
Turpia, si nescis furta receptor alit.

¶ Apophthegm. Christianor.

Senex religiosus anonymus: Cornicem à Pallade repulsam trādūt veteres, quod meditationum pervigilio infesta sit, mentisq; agitationem sua garrulitate obturbet. Eadem de causa repulsum hoc Garrulitatis vitium à Religioso quodam viro maturo, accepimus. Hic namq; cum fratribus pergens ad S. Antonium, sempertacebat; illis mirum in modum garrientibus. ventum tandem ad Antonium, qui prævia salute, Mi Pater, ait, admodum facundos & bonos, ut video, nactus es comites. Cui ille: *Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet januam: quicumq; vult, intrat in stabulū, & solvit asinum.* Indicabat autem eos supra modum loquaces, quidquid in buccam venerit effutire. *In Vita S. Antonij.*

Adrianus VI. Pont. Mirum in modum facetus hic fuit. Venerat enim ad eum quis ex clericis domesticis, homo intemperatæ linguæ, postulans Archiepiscopatum de Calliard in Hispaniis. Cui ille ad postulata alludens, (calliar enim tacere Hispanis est) *Quomodo,* inquit, *eam dignitatem tibi conferri desideras, cui tu omnino contrarius es, & impar?* Ingeniosè nimiam ejus in dicendo libertatem reprimens. *Floresta.*

Alphonsius Arag. Rex: Considerabat etiam ille in multiloquio nō deesse peccatum. hinc garrulos intuitus, *Videte,* ajebat, *has vesicas.* Vesicæ siquidem humoribus infusis distenduntur & tumescunt, donec eum respuant: ita loquaculum illud genus. *Panorm. lib 4.*

Anonymus: Quidam jactabat se apud omnes maximum φιλολόγον. cujus ostentationem de audientibus unus reprimens, *Non,* inquit, φιλολόγου te, *sed λογοφίλου conspicor:* pulchre ejus loquacitatem mutato nomine redarguens. *Theat. vitæ hum.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aliud est loqui multa, aliud id loqui quod expedit.
Garriunt cor vitiata omnia alitem ad dium lovis.
Garrulo levissimam ob rem summa pœna penditur.
Garrulo non respondere maximum est convicium.
Commodum haud est aut honestum, unum in convivio loqui.
Largius jam Libero usi, Lingua item sunt libera.
Ne quidem si vera dicant creditur loquacibus.
Omnium rerum tacere garrulo gravissimum est.
Otium quibus profundum est, lingua perquam garrula est.
Parmeno plenus rimarum est, hac atque illac perfluit.
Perforata extrema lingua est omnibus loquacibus.
Plurimi cùm nesciant loqui, & tacere nesciunt.
Plurimum facere, & minimum de se loqui, viri optimi est.
Plurimum fere loquuntur, qui minimè sciunt loqui
Quo die amorem, multiloquium eodem homini legat Venus.
Sicicadam alà prehendes usque & usque tinnies.
Tandem uliquando tacere disce qui nunquā didicis loqui
Ventum ubi est ad verba, prorsum est alba amussis garrulus.

¶ Jambica.

Adversitatis lingua perquàm garrula est.
Aliud loqui multum est, aliud loqui est benè.
Balbutientes plus loquuntur cæteris.
Fere nequit loqui, tacere, qui nequit.
Et perforata lingua cuivis garrulo est.
Gaudet venus loquacitate perpeti.
Loquacitas linguæ deambulatio est.
Loquacitatis finis infortunium est.
Loquacitati adest & curiositas.
Morbus loquendi quem tenet nunquam tacet.
Nil suspicax est amoribus loquacius.
Nil quidpiam est insomno loquacius.
Non effugit vim criminum verbositas.
Nunquam tacet morbus loquendi quem tenet.
Periclitatur in multiloquio veritas.
Perit omne, servo quod committis furi.
Qui magna gaudet, parva haud contentus loqui est.
Qui multa dicit multa oportet audiat.
Qui multa dicet, opportuna haud dixerit.
Rarissimè idem & verbis & factis valet.
Semper loquuntur garruli, nullum audiunt.
Sermone multo magna virtus pascitur.
Valde est loquax & curiosa femina.

Gaudii.

¶ Sententiae Patrvm Graecorvm.

Chrysostomus: Pusillum esse videtur, si quis unà cum gaudentibus gaudeat; sed tamen id permagnum sanè est, ac tale ut animum philosophicum postulet: permultosq; invenias qui molestius illud officium cùm præstent, leviori tamen hoc fungi nō possint. nam multi unà cum flentibus flent quidem & ipsi iidem tamen non etiam cum gaudentibus gaudent: quin potius aliis gaudio exilientibus, illacrimantur. quod ipsum sanè est invidentia ac malignitas. *Homilia 7. ad Romanos*

Chrysostomus: Illud ipsum majore Philosophia opus habet, nimirum gaudere cum gaudentibus, quam quod flendum dicit cum flētibus. illud enim & ipsa natura ultro facit. nemo siquidem adeo lapideus est, ut eum qui in calamitatibus est non defleat. illud vero valde generosam mentem requirit, ut non solum non invideat ei qui clarus est ac celebris, sed & congaudeat. *Homilia 22. ad Romanos.*

Chrysostomus: Sunt permulti qui amicorum quidem calamitatibus commoveantur; at non perinde de eorum gloria & splendore gaudeant, verùm invidia tangantur. *Homilia 14 ad Corinth. 2.*

¶ Latinorvm.

Chrysologus: Votiva gaudia & cum data fuerint vix creduntur: optata cum perveniunt dant stuporem. *Sermone 81 f.*

Chrysologus: Quantum post tenebras gratior lux, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem. *Sermone 84 m.*

Chrysologus: Neq; prospera adversis, neq; gaudiis miscenda sunt tristia. *Sermone 175 a. m.*

Ennodius: Natura rerum est, ut quælibet lætitia vel modici amoris collatione superetur. *Lib 4 Epist. 31. m.*

Ennodius: Magna sunt gaudiorum imperia. expers est continentiæ hilaritas, & in vocem gestit erumpere. *Lib 5. Epist. 16. pr.*

Ennodius: Solet prosperorum indicia dispergere sermonis jocunda festivitas: dum quicquid boni facundis accesserit, germana gaudiorum per populos voce discurrit. Facilius est ignem in pyras animatum lingua comprimere, quàm silentium inter optata servare. Humanitatis lex est & naturæ imperium, hilaritatem mentis opibus scriptionis effluere. Emanant enim vel si arcentur secunda conclavibus. *Lib. 7. Epist. 16 pr.*

Ennodius: Quamvis tenui effectu petitionis surgit eloquium. & conciliant, & dotant facundiam res secundæ. in qualibet verborum saturitate paginæ si repudientur, ab impetratione jejunant. plus felicibus epistolis debetur laudatio, quàm peritis. Jure loquitur verbis nitore sublimibus, qui summates viros dicendi venustate captivat. quodvis oratorium schema sinistra sors dissipat. ditescit enim lingua nutrita beneficiis. *Lib. 8. Epist 37.*

Ennodius: Manca est sine sermone hilaritas; & simulacrum mœroris est, occultare quod gaudeas, & afflictionis imitatio, vocem in lætitia non habere. *Dictione prima, S. 1. f.*

Ennodius: Quisquis feriata lingua successus meliores susceperit; ostendit se quod attulit prosperitas non amare. *Fine Dictionis 10.*

Ennodius: Nesciunt intrare de altero gaudia hominem pro se timentem. *Dictione 21. S. 1.*

Io. Sariberiensis: Difficillimum aut impossibile asserunt sapientes in præsenti gaudere cum mundo, & in æternum exultare cum Christo. & planè miserrimum est torqueri cum mundo, & in æternum cum Diabolo flagellari. *Libro septimo Policratici capite vicesimosecundo.*

¶ Oratorvm.

Heliodorus: Ac illa quidem, Redditus es mihi Theagenes? hîc autem vivis mihi Chariclia? sæpius dicebant. Postremò in solum subito labuntur, & mutuis amplexibus cohærebant, nullam vocē præter mugitum quendam edentes: parumq; aberat quin exanimarentur. Sæpius enim magna lætitia in mœrorem desiit, & immodica voluptas dolorem genuit, à nobis ipsis accersitum. *Libro Aethiopicorum secundo.*

Heliodorus: Natura humana, meram & non temperatam lętitiam capere non potest. *Libro quinto Aethiopicarum rerum.*

Heliodorus: Persina repente de throno desiliit, amplexamq; lacrimabat, & propter magnitudinem gaudii, mugitus cujusdam similem ejulatum edebat. Etenim lętitię excellentia etiam luctum interdum gignere solet. *Libro decimo Aethiopicorum.*

Quin-

Quintilianus: Nihil est difficilius quàm differre gaudium quod scias te non mereri. *Declamat* 2 § 14.

Plinius: Testis ipse es, quæ in omnium ore lætitia. non amictus cuiquam, non habitus quem modo extulerat. inde resultantia vocibus tecta, nihilq; tantis clamoribus satis clausum. quis tunc non è vestigio suo exiluit? quis exiluisse sensit? multa fecimus spōte, multa instinctu & imperio: nam gaudio quoq; cogendi vis inest. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? quanto magis à te reprimebamur exarsimus; non contumacia Cæsar: sed ut in tua potestate est an gaudeamus, ita quantum, nec in nostra. Comprobasti & ipse acclamationum nostrar. fidem lacrimar. tuar. veritate vidimus humescentes oculos tuos, demissumque gaudio vultum, tantumq; sanguinis in ore quantum in animo pudoris. *Cap. 73. panegyrici ad Trajanum.*

Eumenius: Magna est profecto vis post diuturnam ægritudinem atq; mœstitiam surgentium gaudiorum. Caluit in nobis ultra vires animus ad lætitiam, & quodam præsagio venturæ felicitatis eluti, tanta te exultatione susepimus, quasi jam indulgentiam quam daturus eras haberemus. *Capite octavo gratiar. actionis Constantino Aug.*

Nazarius Panegyrico dicto Constantino Aug. Sentio nullam eloquentiam nec optari nec concipi posse, quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut vestris studiis facultatē. jactat quippe se nunc cùm maximè alacris omnium ac beata devotio. Nec operta mentium rimari necesse est: extat in vultu cujusq; hilaritatis publicæ decus, & in serenis frontibus animorum judicia perleguntur. non enim se capit exundantis lætitiæ magnitudo; sed dedignata pectorum latebras, ita multa & candida foris prominet, ut intelligatur non ingentior esse quàm verior, nec enim mediocribus bonis gaudent, qui exultandi modum non habent. *Initio ipso orationis.*

Nazarius Orat. in Constantinum Aug. In experimendo Senatus populiq; Romani maximo gaudio, ingrata nisi & ipsa lasciviat oratio. *Capite trigesimo.*

Nazarius in Constantinum Aug. Quónam modo te potens Africa, quanto lætitiæ fremitu, quam insolenti voluptate jactasti? nihil quippe est immoderatius, quam post longam tristitiam repens gaudium. impetu suo fervet, nec ut primùm liberum, continuo defæcatum statimve purum est. nam ut fistulæ cū diu intersептæ sunt, exitu dato quo largiores eō crassiores aquas evomunt; sic vota hominum metu intercluſa turbidè aliquia egerunt, cùm cumulata eruperunt. *Capitis trigesimi secundi extremo*

Cl. Mamertinus: Vidimus attonitos admirantium vultus, multiformes lætantium status, varios corporum motus clamores incondi os profundebat laudandi effusa libertas. tripudiabat crebris saltibus multitudo. Nimiæ lætitiæ decori sunt & gravitatis immemores. illa jactatio togarum, illa exultatio corporum, nescientibus penè hominibus exci abatur. omnem modestiam populi omnem verecundiam tui gaudia effrena superaverant. *Cap. 29. Orat. in Iulianum*

Latinus Pacatus: Cùm per se vivax sit recordatio calamitatum, tum mihi metus hanc gaudiorum præsentium lucem tristium commemoratione fuscare. *Capite tertio Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

Latinus Pacatus: Fingit quidem, ut scimus, & timor gaudium: sed ita animos mentis affectus proditor vultus enunciat, ut in speculo frontium imago extet animorum. velut illa civitas à longa obsidione respirans, tanta se & tam simplici exultatione jactabat, ut ni esset vera lætitia, nimia videretur. Ferebant se obviæ tripudiantium catervæ: cuncta cantu & crotalis personabant, &c. *Cap. 73. Panegyrici Theodosio Imp. dicti*

Symmachus Solet facunda esse lætitia, & angustias clausi pectoris aspernabat gestire. *Lib 1. Epist. 7 pr.*

Symmachus Lætitia loquax res est atq; ostentatrix sui: adeo magnæ parti hominum ab hoc morbo nulla cautio est. Patere igitur quæ ad laudes tuas pertinent obloquentem. *Lib 1. Epist 31.*

Symmachus: Gaudii de te mei, nec ipse ostentator esse per verecundiam possum, nec testem alterum cito. Sufficit enim quod amorem meum de tua mente mentiris. Debeo tamen lætitiam confiteri, quæ Præfecturæ habenas ad bonam transtulit voluntatem. *Lib. 7. Epist 50. pr.*

Symmachus: Hanc omnibus humanis gaudiis natura legē dixit, ut naturæ voluptate sequantur. Natæ soboles primò parentes hilarant: mox pii metus brevem gratiam fugant. Honorum exordiis lætus est, dehinc animos laborum æstus ingreditur. *Lib. 4 Epist 34.*

Symmachus: Exultans animus gloriatur, & ostentatione sui non potest abstinere. *Lib. 8. Epist. 5 in.*

§ Poetarum.

Plautus Epidici 5. sc. 1. v. 44.

Quod boni est id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.

Plautus Pseudolo 4. sc. 5. v. 10.

Nunc ego Simonem mihi obviam velim,
Ut mea lætitia lætus promiscam siet.

Terentius Andriæ 5. sc. 5. fine.

—— *Davom video! nemo est quem mallem omnium*
Nam hunc seso meæ solidè solum gavisurum esse gaudio.

Terentius Eunuchi 3. sc. 5.

Num quis hic est? nemo est. num quis hinc me sequitur? nemo homo est.
Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? Proh Iupiter!
Nunc est profectò interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aliqua ægritudine.
Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur, quoq; eam rogitando obtundat, enecet,
Quid gestiam, aut quid lætus sim; quò pergam, unde exeram, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram sanus sim, an insaniam?
A. Adibo atq; ab eo gratiam hanc, quam video vehe imbe.
Charea! quid est quod sic gestis? quid sibi hic vestitus quærit?
Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satine sanus? quid me aspectus? quid taces? CH. ô festus dies hominis! amice
Salve: nemo omnium est, quem ego magis nunc cuperem videre.
A. Narra istuc quæso quid siet? CH. imo ego te obsecro hercle ut audias.

Terentius Heauton. 4. sc. 1.

Quid faciam Syre mi? gaudio fer me. S. fero hercle verò,
CL. Deorum vitam adepti sumus.

Terentius Heautont. 4. sc. 2.

Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hac lætitia obortа est.

Petronius Arbiter.

O fallax natura Deum! quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.

§ Apologi.

Æsops Navigantes: Conscensa nave quidam navigabant: cum verò jam in altum processissent, en tempestate vehementi orta nevis ferme demergebatur. ènavigantibus autem unus exclamans, patrios invocabat Deos, gemitu & ejulatu multo; munera pollicitus si servarent. sedata tempestate cum malacia rursus esset, ad epulas conversi tripudiabant, exultabantque, utpote qui præter expectationem periculum evasissent. Durus verò gubernator cùm esset, ô amici, inquit, sic nos lætari oportet quasi rursus, si fors ferat, oritura tempestate.

§ Emblematum.

Catsius Emblemate sacro XVIII.
Post gaudia luctus.

Taure quid exuvijs te cornua nexa coronis?
Quid vejuvant agili tympana pulsa manu?
Mox lanius rigida feriet tibi colla securi,
Parvaq; perpetuæ gaudia nocte lues.
Quid rosa, quid lusit tibi, quid homo, blanda libido roderit? & vasto quidquid in orbe placet?
Heu! leve & brevis est mundi vel summa voluptas,
Et premit ereptum mors sine morte jecur.

Catsius Emblemate Ethico XLII.
Gaudendum cum gaudentibus.

Apta chelys tremulo testatur gaudia motu,
Ut socia simile sentit inesse sonum.
Barbarus est, si quis mortalia corda flagellat,
Alterius lata conditione, dolor
Disce tuas lacrimas lacrimis miscere sodalis,
Quisquis es, alterius gaudia disce sequi.
Nec satis hoc: sed sponte juva. sed provehi cœpta,
Et facilem placidis vultibus adde manum.

§ Apophthegm. Sacrorum.

Iacob Patriarcha: Cum ei renunciarent filii ex Ægypto reversi, Adhuc Joseph vivit, quin etiam ipse dominatur in tota terra Ægypti: defecit animus ejus, non enim credebat eis. Sed cum elocuti essent omnia verba Josephi, quibus erat allocutus eos, vidissetque plaustra quæ miserat Joseph ad deportandum ipsum, revixit spiritus Jacobi, & dixit, *Sufficit, adhuc Joseph filius meus vivit: ibo & videbo eum antequam moriar* Genes. 45. 26. &c. Quum autem Joseph se aspiciendum obtulisset ei, irruit Jacob in collum ejus, fleque ad collum ejus diu. Et dixit ad Josephum, *Moriar hac vice: quandoquidem vidi faciem tuam, cum tu adhuc vivas.* Genes. 46. 29. 30.

Iesus Christus Dominus noster: Ad eum reversi cum gaudio septuaginta discipuli, dicentes, Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis per nomen tuum, ipse dixit eis, Spectabam Satanam, ut fulgur, è cœlo cadentem: ecce do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones. & supra omnem vim inimici, & nihil vos lædet. Sed de eo ne gaudete, quod spiritus vobis subjiciantur: gaudete verò potius, quod nomina vestra scripta sint in cœlis. *Luc. 10. 17. &c.*

§ Monosticha Trochaica.

Antequam marcescant, ejaculemur coronemus rosis.
Corda delicatis eodem plura vinis est gaudio.

Deal-

De altero gaudere nescit ille qui pro se timet.
Est voluptas inhumana alienis latari malis.
Exercere læta & tristia unus animus non valet.
Gaudium falsum omne, honestas cui vel unicum unguem abest.
Gaudium laboris exors obtigit paucissimis.
Gaudium majus molestia ubiq; major antevit.
Gaudium malum est, si non inde unde debet gaudeas.
Gaudium metumq; quisquis contrahit semper, sapit.
Gaudium multo facilius dissimulatur quam metus.
Gaudium mutum mœroris dicit tant imaginem
Gaudium repens post longa tristitiam, spernit modum.
Gaudium, tegas pusillum, grandius tegi haud potest,
Gaudium, timor, dolor, spes, mentem frenat nubilam.
Gaudium ubi est dolor ve, linguam quisq; adfert & manum
Gaudium vix differas, te quod mereri non scias.
Gaudio malim imperare quam dein doloribus.
Gaudio mœror miscetur & mœrore gaudium.
Gaudiorum extremitatem Pœnitentia excipit.
Gaudiis ferè ex supremis & suprema sunt mala.
Haud novum est præferre vultu gaudium mente anxia.
In sinu gaudere præstat, quam esse lætum publicè.
Inter anxios & usu gaudij omnis interit.
Interest humanitatis eloqui quid gestias.
Lætus est angustè, lætus qui tantum est præsentibus.
Lætus in præsens, aliena ne quidem desiderat.
Latius gaudet qui alterius pascitur etiam bonis.
Magna gaudentem difficile est parva contentum loqui.
Magna gaudenti necesse est magna item ore proloqui.
Mœroris simulacrum habendum est, si regis quo gaudeas.
Multi aliorum plus malo lætantur, quam suo bono.
Nemo gaudia illa differt immerenti qua incidunt
Nemini fere laboris gaudium expers obtigit.
Nil diu gaudere, tanti est, ne quid dein timeas diu.
Nil fere est quam ingratitudo, mutua gratulatio.
Non cadunt in hominem eundem, gaudium, & silentium.
Non potest gaudere verè lingua quam cus garrula est.
Non potest quis esse lætus cui timori nullum est malum.
Nulla est ægritudo quæ non gaudio intercesserit.
Optimus laboris actis temperator gaudium est.
Pictoris clausi aspernatur gaudium omne angustias.
Plurimum in te pone, & intra te omne gaudium pete.
Plus apud animum socordem gaudium cura valet.
Prospere comes factorum sueverit esse gaudium.
Qualis æer est talis & gens item mortalium est.
Quandoquidem bene hoc successit, hilarem hunc sumamus diem.
Quemq; contrahunt dolores, quisq; gestit gaudio
Quis queat silere lætus? omne gaudium est loquax.
Quod boni est, id tacitus tute tecum & gaudeas.
Quod primum dedit Natura gaudium, primum rapit.
Quomodo ore læta promet cui cor obsitum est malis?
Re gesta bene est potare facinus lepidum, non scelus.
Sæpe gaudium laboris plus parit quam acer dolor.
Tanti est, nil diu gaudere, ne quid formides diu.
Tibias inflare non est, cum furit ventis mare.
Tristia ea obliviscamur læta dum sunt præ manu.
Vita mors est viva, cuncto destituta gaudio.
Vix diu diuque constans rebus in lætis fides.
Vt diem nox, sic natura gaudium excipit dolor.
Vt mœrore contrahimur sic & gestimus gaudio.

¶ Jambica.

Angusta sunt, paucorum quæ sunt gaudia.
Cogendi inest vis, etiam invitos, gaudio.
Communicare gaudium suum, amentia est.
Durum, immerenti prolatare gaudium.
Est gaudiorum difficilis patientia.
Est omne mancum sine sermone gaudium.
Et gaudium nostrum est, amici gaudium.
Etiam parentes nimium exanimat gaudium.
Et gaudij usum omittas inter anxios.
Et gaudio quandoque injicitur & stupor.
Externat æque gaudium mentem ac dolor.
Frenum decori grande gaudium excutit.
Frons asseverans sæpe gaudium tegit.
Gallus silet jam victus, ut vicit canit.
Gaudere lætarique cuivis obtigit.
Gaudere quarunt omnes, multi nesciunt.
Gaudet quidem, sed in sinu arcano sophos.
Gestare mos non est coronas in malis.
Hami instar est vita hujus omne gaudium.
In possidendo sola nunc sunt gaudia.
Lætantium mœror, vero est jactantior.
Luctus parens fit gaudium excellentius.
Luxum excipit luctus, dolorque gaudium.
Magnum ac repens animo male capitur gaudium.
Metus futuri gaudium omne strangulat.
Mœroris est simulacrum tectum gaudium.
Mihi crede, res severa est, verum gaudium.
Mutis subest mœroris imago gaudiis.
Ne multa agas si vis vere vis cum gaudio.
Nil arduum æque est quam differre gaudia.
Nunquam diu spes improba est cum gaudio.
Paucis laboris gaudium expers obtigit.
Perenne præsta sola virtus gaudium.
Persæpe lætitia obstrepit facundia.
Post calamitatem gaudium est jucundius.
Qui magna gaudet, parva haud contentus loqui est.
Quisquis nimis gaudet, statim nimis dolet.
Quodcunq; fingit gaudium timor, tremit.
Rebus bonis lætare, dole contrariis.
Res admodum est severa verum gaudium.
Sapiens tacito sinu coercet gaudia.
Sapientia propago verum gaudium est.
Sermone destituta hilaritas, marcida est.
Summi doloris caussa summum gaudium est.
Virtutis est res continere gaudium.
Vix invenire expers laboris gaudium.

Gemmæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Difficulter Gemmas veras à falsis discreveris.
Gemma clusa auro excludatur: vindicari non potest.
Nulla fraus quam fraus gemmarũ vita hominis lucrosior.
Quamque gemmam castitatis comparas dispendio.
Illico exspirans unguenta: margarita heredem habent.

¶ Jambica.

Adamante gemmas quaslibet scalpas bene.
Sculptura plus sæpe ipsa gemma quam valet.
Preciosa ab auro gemma non fit: dat decus.

Generationis.

¶ Sententiæ Graecorum.

D. *Greg. Nyssenus*: Cujus propria essentia in generando, in partes distribuitur? Essentia enim in hominibus est humana natura. In rationis expertibus generaliter quidem natura rationis expers, specialiter in bobus & in ovibus, & in omnibus belluis quæ secundum proprietatum differentias spectatur natura. Quid igitur horum per partum sive fœtum suam essentiam partitur? Nonne per successionem eorum quæ enascuntur in unoquoq; animaliũ semper integra manet natura? Præterea homo dum ex se hominem gignit, non suam naturam distribuit: sed & in eo qui genuit atq; in genito tota est, neq; ex hoc ad illum dividitur, neq; discedit, neque in eo mutilatur: cum in illo perfecta sit, atq; omnis in eo consistat, & omnis in illo inveniatur. Siquidem priusquam ex se hominem generaret, erat animal rationis particeps, mortale, intelligentiæ & scientiæ capax. Idem postquam ex se talem genuit hominem: ita ut omnes naturæ proprietates, in illo demonstrentur: neque homo qui ex se hominem genuit, id quod ipse est amisit, sed quod erat ante, & post permansit: neque quicquam propter eum quem ex seipso genuit hominem, de sua natura diminuit. homo quidem ex homine generatur, neq; ejus qui generat in partes diffunditur natura. *Orat. 1. contra Eunomium.*

S. Isidorus Pelusiota: Malam quidem temperaturam corporum, ad adspectum deformes morbos à luxuria parentum multis provenire credibile est: At non vice versâ luxuriam libidinum omnino à malo temperamento existere. (Nam utrum leprosus procreet leprosum, & fluxu laborans seminis gignat etiam seminifluum, certò affirmare non possum: Quod autem podagricus podagricum procreet, omnes consentiunt.) Quocirca legislator, ut mihi quidem videtur (non enim de rebus obscuris præcisè aliquid asseverare oportet, sed audituris permittere judicium) sollicitè curabat de incontinentia libidinum, ne quovis tempore in cœtum convenirent conjuges, ut qui scirent, noxam in suos liberos transituram. Quod autem non sit hoc, quod dixi impertineas, aut à scopo aberret, argumento est, quod podagrici à sacris castris & conventibus non arceantur. Nam ipsi quidem, qui ab initio (& primi in sua familia) hoc malo laborare cœperunt, non ab infelici temperamento, (quod malè nati essent,) sed à parva victus ratione, & deliciis, & inertiâ atque ignaviâ hoc contraxerunt: unde etiam per id puniti sunt. Qui vero ex ipsis nati sunt (podagrici,) ii sacris interesse cœtibus minimè prohibentur. Nam parentum suorum mali temperamenti, non autem incontinentiæ libidinum necessarios extiterunt hæredes. Alteri vero (qui ex parentum luxurioso concubito nati sunt) libidinis parentum notas in suis corporibus impressas habentes, non quidem puniti sunt (neque enim ipsos lapidibus obrui jussit, quia malum ipsis nolentibus contigerat) ignominia tamen affecti sunt, idque ad emendationem parentum.

Quod si quis est qui sic existimat, hoc nullâ bonâ ratione sancitũ fuisse, quid ille dixerit de morte, quod cum una peccârit femina (Evam intelligo) totum genus humanum, quod ab eâ descêdit, morte damnatum est? cum tamen multi laudabiliter vixerint, & peccata primorum parentum non fuerint sequuti. Si vero ibi radice mortuâ necessario etiam rami, tanquam scilicet hæredes sententiæ damnatoriæ, ejusdem mali particeps facti sunt: quid est quod adeò miretur, si quoque propter radicem ramus ignominia notatus est, necessario etiam in ipsam radicem id malum transmittens? Nam ramo ignominia affecto non minor radicem cruciatus affligit. Radix enim, quæ in votis habet, ramum quam optimum videre, ubi animadverterit, ex sua intemperantia hoc malum in ipsum transisse ac propagatum esse, in præsenti quidem ita propriis cogitationibus (animi male sibi conscii) lacerabitur; in altero autem seculo etiam judicio affligetur.

An autem Deus etiam præscius ipsos malos futuros esse, hisce velut vinculis quibusdam ante cohibuerit, ac refrenarit his malis, de eo nihil certe habeo dicere. Illud autem confidenter contenderim, tales morbos multis etiam coronarum causas aut occasiones extitisse.

Quod si lex (Paulo teste) umbram habuit, futurorum bonorũ, & non ipsam imaginem rerum: puto, quod sub persona leprosi designatum hominem varium & vafrum atque maleficum; per semifluum, scortatorem & impurum; per immundum in anima hominis, hoc est per eum qui tetigit corpus mortuum, eum qui animam peccatricem ope & auxilio adjuvat; denique per lugentem, eũ qui de calamitatibus suis querulus & lachrimosus est, ex sacro cœtu inculpatorum hominum & ab Ecclesia exterminari præceperit. *lib. 4. Epist.* 140.

Philostratus: Fides adhibenda non est, dicentibus catulos leænæ nasci laniatis visceribus patentis, constat non generatis ad generantia naturalem quendam amorem inesse, ut per eum species in rerum natura conserventur. *lib. 1. Apollint cap. 16.*

Generositatis.

¶ APOPHTHEG. SACROR.

Eleazarus Judæus. Is ex primoribus Scribis, vir jam provectus ætate, & aspectu faciei pulcherrimus, dum cogeretur ab Ethnicis carnes suillas (contra Legis divinæ præscriptum) comedere, dixit, Non hac ætate nostra dignum est simulare, ut multi juvenes statuẽtes Eleazarum nonagenarium transiisse ad alienigenarũ ritus, illi quoque propter simulationem meam, & propter paululã istam & momentaneam vitam seducantur per me, & abominandã maculam senectutis comparẽ. Etenim si ad præsens extrahar è supplicio humano, at omnipotentis manus neque vivus neque mortuus effugiturus sum. Quapropter nunc quidẽ viriliter vitam commutans morte, cum hac senectute dignus videbor, tum juvenibus exemplum nobile reliquero, ut alacriter & generose pro gravibus & sanctis legibus mortem oppetant honestam. Atque his dictis confestim ad tormentum venit. Cum autem plagis moriturus esset, ingemiscens dixit, Domino, qui sanctam cognitionem habet, manifestum est, me, cum potuerim liberari à morte, duros perferre corpore dolores flagellarum, animo vero libenter propter reverentiam ipsius hæc pati. 2. *Macab.* 6. 18. 24. 25. &c.

Fratres septem, & Mater eorum. Fratres septem cum matre præhensi, Judæ Macabæi seculo, ab Antiocho rege, ut illicitas escas comederent flagellis cogebantur. At qui primus illorum causam dixit ita locutus est, Quid (ô rex) rogare vis & dicere à nobis? nam parati sumus mori quam patrias leges transgredi.

Illo crudelibus suppliciis sublato, secundus eadem animi generositate impium mandatum contemnens, cum extremum in tormẽtis ageret spiritum, dixit, Tu quidem scelestе ex hac præsente vita nos eximis: verum rex mundi nos pro suis legibus mortuos suscitabit in æternam resurrectionem vitæ.

Tertius, cum lingua ab eo posceretur, eam cito protulit, & manus audacter protendit, dixitque generose, Hæc à Deo cœli possedi, atque hæc despicio propter ejus leges, ut qui hæc ab ipso spero me de integro reportaturum esse.

Quartus, cum prope esset ut moretur, dixit, Optabile est mutari expectationes quæ sunt ab hominibus, & quæ à Deo sunt expectare, nos iterum resurecturos per ipsum: etenim tibi (ô rex) resurrectio ad vitam non erit.

Quintus, quem lictores crudeliter cædebant, respiciens in regem dixit, Potestatem inter homines habens, cum sis corruptioni infestus, facis quod vis: verum ne putes genus nostrum à Deo derelictum esse: sed tu expecta, & contemplare magnam ejus potentiam, ut te & semen tuum cruciaturus est.

Sextus, moriturus dixit, Ne erres frustra, Nos enim propter nos ipsos perpetimur hæc, cum peccaverimus in Deum nostrum, atque hæc digna admiratione facta sunt: tu vero ne putes impunitum te fore, qui oppugnare Deum aggressus es.

Septimus minimus natu blanditiis à rege pellectus est, ut à fratrũ generositate deflecteret, sed à matre sua confirmatus, dixit, Quid expectatis? non sum obediturus regis præcepto: sed audio præcepta legis quæ majoribus nostris per Mosen data est, Tu autem (ô rex) qui omnis mali in Hebræos inventor es, nequaquam effugies manum Dei. Non enim propter nostra ipsorum peccata patimur. Quod si increpationis ac eruditionis gratia Deus vivens in nos paulisper iratus est, at iterum conciliabitur servis suis. Sed tu, ô impie & omnium hominum flagitiosissime, ne frustra extollaris fremens, & incertis expectationib. fretus in cœlestes pueros attollentes manum nondum enim omnipotentis inspectoris Dei manum effugisti: etenim jam hi fratres mei, qui brevem laborem sustinuerunt, divino fœderi vitæ æternæ acciderunt, tu vero judicio Dei justas pœnas illius superbiæ reportaturus es. Ego autem, sicut fratres, illi corpus & animam trado pro legibus patriis, invocans Deum ut brevi sit propitius huic genti, utque tu per quæstiones & flagella ad confitendum abducaris ipsum solum Deum esse. In me vero & fratribus meis sistatur omnipotentis ira, quæ in universum genus nostrum juste adducta est.

Mater prolis adeo generosæ supra modum admirabilis fuit, dignaque memoriæ optimæ, quæ sub tempus unius diei simul videns perire septem filios, forti ferebat animo, propter spes quas in Deo posuerat: & unumquemque eorum hortabatur voce patria, generoso animo impleta, fœmineamque cogitationem masculo animo excitans dicebat eis, Nescio quomodo in utero meo comparaveritis, neque ego spiritum vitamque largita sum vobis, neque primariam cujusque informationem ego coaptavi. Igitur conditor ille mundi qui finxit hominum ortum, & omnium naturam invenit, spiritum & vitam vobis pro misericordia iterum redditurus est, quãdoquidem nunc vos ipsos despicitis propter leges ipsius. Ad minimum natu autem conversa dixit, Fili, miserere mei, quæ novẽ menses te in utero circumtuli, quæ lactavi te triennium, quæ educavi te & perduxi ad ætatem hanc usque, & quæ molestias educationis pertuli. Peto à te, fili, ut respiciens in cœlum & terram, ut videns omnia quæ in eis sunt, agnoscas Deum hæc fecisse ex iis quæ non erant, & humanum genus ita factum esse. Ne timeas carnificem istum, sed esto dignus fratribus tuis, mortemque suscipe, ut eadem misericordia cum tuis fratribus excipiam te.

Fratres autem, cum matre, alii alios hortabantur ante supplicium, ad generose obeundã mortem, dicentes, Dominus Deus inspicit, & revera de nobis consolationem accepturus est, quemadmodũ declaravit Moses (Deut. 32. 36.) dicens, Et de suis servis consolationem accipiet. *Vide totum cap. 7. secundi libri Macab.*

D. Cyprianus: Paternus proconsul Carthaginensis ad D. Cyprianum coram tribunali suo accersitum dixit, audivi quod tu deorũ cultum pro nihilo ducas: unde hortor ut consulas tibi, & deos honores. Cyprianus respondit, *Christianus ego sum, & nullos alios deos novi, nisi unum & verum Deum, qui creavit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Hunc Deo Christiani servimus, hũc nocte diequeque deprecamur pro omnibus, etiam pro Imperatoribus.* Proconsul dixit, Si in hac voluntate perseveraveris, pessima morte peribis. Cyprianus respondit, *Bona voluntas est quæ Deum timet: & ideo non potest immutari.* Proconsul dixit, Quia in hac voluntate permanes, secundum præscripta principum exilio deputandus es. Cyprianus respondit, *Exul non erit qui Deum in mente habebit: quoniam Domini est terra & plenitudo ejus.* Dixit Proconsul, Antequam proficiscaris, Dic ubi sint presbyteri qui in hac civitate esse dicuntur, vel similes tui. Respondit Cyprianus, *Bene atque viriliter legibus vestris sanxistis, nullos delatores fore debere: iccirco à me prodi non debent, sed à vobis inveniantur: quia & hoc censuistis, ut nullus sponte offerret.* Dixit Proconsul, Ego à te cum tormentis eos exquiram. Respondit Cyprianus, *Per me non prodentur.* Proconsul dixit, Præceptum Principum est, ne qui Christiani conciliabula faciant, vel cœmiteria ingrediantur: & si quis hoc violaverit, gladio animadvertatur. Cyprianus respondit, *Fac quod tibi præceptum est.* Cum ergo videret animum ejus immutabilem in religione divina, misit eum in exilium.

Mortuo Paterno Galerius Proconsul Cyprianum exilio reversum interrogavit dicens, Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus respondit, *Ego.* Proconsul dixit, Tu es quem Christiani Papam suum nominant? Respondit, *Ego.* Jusserunt (inquit Proconsul) tibi principes nostri adorare deos. *Non faciam,* inquit Cyprianus. At Proconsul, Melius facies, ait, si salutituæ consulas, & deos non contemnas. Cui Cyprianus, *Salus mea & virtus mea Christus Dominus est, cui sine fine servire desidero.* Tum Proconsul, Vicem tuam dolco &, vellem consulere tibi. Cyprianus respondens, *consultum,* ait, *mihi melius non esse quaro, quam ut Deum meum adorans, ad ipsum totamentis & viditate festinem: quoniã non sunt condigna passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Morti adjudicatus, spiculatori jussit à suis dari viginti aureos: & prostratus in terram, oravit cum lachrymis: cumque esset sententia recitata, ut gladio ferretur, statim respondit, *Amen,* & cervicem offerens gladio temporalem vitam finivit, recepturus à Deo sine fine perpetuam. *Paulus Diaconus in vita D. Cypriani.*

Bona mulier. Mulier quædam Africana, Cypriani temporibus, nomine Bona, tracta à proprio marito ad sacrificandũ, conscientia non commissi, sed quia tenentes manus ejus ipsi sacrificabant, sic ipsa cœpit dicere contra: *Non feci, vos fecistis.* Ideo extorris facta est. *D. Cyprian. lib. 5. epist. 15.*

Gentilis.

¶ SENTENTIÆ GRÆCOR.

Chrysostomus: Infideles quando audieris, ne existimes eosdem ubique dici; sed aliquando eos qui morbo laborant incurabili

curabili, & manent ejusmodi ut non possint corrigi, aliquando autem etiam eos qui possunt mutari. *Homil.* 36. *ad Corinth.* 1.

Isidorus Pelusiotæ: Quis te comicis salibus non perstringat? Quis te non commisereatur, qui cum in Philosophiæ discipulorum Domini tranquillitate sedeas Gentilium historicorum & poetarum tumultum atq; æstum tecum trahas? Quid enim, dic quæso, apud illos est, quod religioni nostræ sit præferendum? Quid non mendacio ac risu scatet, ex iis quæ magno studio consectantur? An non divinitates ex vitiosis affectionibus? An non fortia facinora pro vitiosis affectionibus? An non certamina pro vitiosis affectionibus? Quamobrem ipsam quoq; fœditatis & obscœnitatis lectionem fuge (nam ea miram ad aperienda vulnera jam cicatrice obducta vim habet:) ne alioqui vehementiore cum impetu spiritus improbus revertatur ac deteriorem & perniciosiorem tibi priore ignorantia aut negligentia cladem inferat. *lib.* 1. *Epist.* 63.

Isidorus Pelusiotæ: In viam Gentium minime abire, idem est quod animo & affectu cum ipsis minimè convenire. Atque eodem modo in Samaritanorum civitates introire prohibetur, non hoc ei imperatur ut ab eorum contubernio abstineat, sed ut ne ipsorum impietatem & improbitatem attingat. *lib.* 7. *Epist.* 153.

Isidorus Pelusiotæ: Optime vir, ex iis quæ evenerunt, majora tibi perspicere licet. Ethnicismus enim multis & temporibus & laboribus, & opibus, & armis, & sermonibus corroboratus ex oculis evanuit. Nostra autem religio plebeiis & illiteratis, & pauperibus atq; abjectis hominibus demandata brevi temporis spatio fulgetræ in modum quoquo gentium pervasit, non oculos duntaxat atq; aspectum, sed etiam mentes illuminans: quoniam videlicet ille ex commentitiis fabulis constabat: hæc autem ex cœlestibus dogmatibus compacta erat. *lib* 1. *Epist.* 270.

Dio Prusæus: Absq; invidia est, quod cum Græcus esset Homerus voluerit suis quoquo modo prodesse & hoc stratagema apud multos est in usu. nam ego virum Medum audivi dicentem, quod Persæ nihil eorum fateantur quę feruntur apud Græcos de victoriis eorum &c. *sub finem Orat.* 11.

¶ Latinorum.

Io. Sarisberiēsis: Si quid apud Plutarchum à fide dissentit aut moribus; tempori potius quam viro adscribatur. Si enim Virgilio licuit aurum sapientiæ in luto Ennii quærere, quæ invidia est, ea quæ ad eruditionem nostram à gentilibus scripta sunt, nostris communicare? *Prologo Policrat. lib.* 5.

Geometriæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCOR.

Xenophon: Socrates geometriam eo usq; discendam ajebat, donec quis posset, si usus ita ferret, terram vel recta metiendi ratione accipere, vel tradere, vel distribuere, vel opus designare. Atq; hoc tam posse disci facile, ut qui animum ad dimensionem advertat, is & scire possit, quanta sit ipsa terra, & cognita metiendi ratione discedat. Verum in geometria dicenda progressum ad descriptiones usq; intellectu difficiles, improbabat. Nec enim, quid eæ res usus haberent, videre se dicebat, licet illarum minime rudis esset: posse vero ajebat eas omnem hominis vitam absumere, ac ab aliis multis utilibusq; disciplinis avocare. *cap.* 34. *lib.* 4. *memorab.*

Synesius: Geometricas definitiones verissimas esse puta, cum cæteræ etiam disciplinæ glorientur, quoties exiguum aliquid ad suas demonstrationes ex geometria corrogaverunt. Est autem nimirum ratio quædam inter illas, quæ ratio eadem inter se definit esse oportere, quæ eadem cum uno eodemq; fuerit. *Epist.* 130.

Gloriæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Indorum Philosophi dicunt Alexandro Macedonum: Traduces quidem corpora de loco, animas autem nostras non coges facere quæ nolumus. Ignis est hominibus maximus cruciatus, eum nos contemnimus. Hic Heraclitus unam gloriam omnibus præposuit: profitetur autem se vulgo cedere, ut se expleant tanquam pecora.

Multi labores gratia sunt corporis:
Hoc tecta propter & domos invenimus.
Effodere argentum, seminare autem solum.
Aliaque, queis nos nomen imposuimus.

Vulgo ergo inanis hic labor videtur expetendus. *lib.* 4. *Strom.*

D. Nazianzenus: Valeant throni, principatus, opes, splendores, elationes, casus, vilis hæc & despicabilis gloriola, ex quæ plus dedecoris quispiam capiat, si animo efferatur, quã si irrideatur, valeant, inquam, magnæ hujus scenæ ludicra, nugæq; theatricæ. *Epist.* 63.

D. Nazianzenus: Deus quantus est nec cogitari nec animo informari potest, non ut inde ipsius, qui plenus est, honori gloriæq; quidquam accederet, ut videlicet ex eo quod ad ejus cognitionem mortales provenire nequeunt, major ad ipsum honor ac veneratio redeat. Sophisticum enim est plane atq; alienum, non dicam à Deo, sed ab homine mediocri saltem probitate candoreq; prædito, atq; ingenuæ cujusdam honestatis sibi conscio, prohibendis aliis principatum sibi arrogare. *Orat.* 34.

D. Chrysostomus: Ubi requies ibi non omnino gloria: ubi autem gloria, ibi omnino requies. *Homil.* 14. *ad Roman.*

Idem: Hinc & invidia initium suum habet, hinc quoq; malorum omnium mater pecuniæ cupido oritur. multitudo quippe famulorum, aurigeri barbati, parasiti adulatores, vehicula argento conspicua, aliaq; istis vaniora, neq; voluptatis neq; necessitatis cujuspiam sed solius vanæ gloriæ gratia fiunt. *eadem ad Rom. Homil.*

D. Chrysostomus: Quid gloria sumptuosius? Quid illa turpius? quidnam poterit esse difficilius? Quod enim hic morbus æquo sumptuosior sit, ex iis patet, quæ theatris, quæ equorum certaminibus aliisq; ejusmodi intempestivis ambitionib. frustra & inaniter insumuntur, ut sunt eorum etiã qui splendidas & pretiosas domos ædificant, aliaq; omnia quæ ad abundantiam inutilem faciunt, studiose cõparant quæ quidem singula sermone jam complecti propositum non est. Quod autem oporteat eum qui adeo sumptuoso prodigoque morbo laborat, rapacem & avarum esse, omnibus modis clarũ est: ut enim habeat unde venatorem alat, in aliorum substantias manus injicit. Et quid dico substantias? Neque enim pecunias solum, sed & animas hic ignis devorat, non solum præsentem, sed & futuram mortem parans. Mater enim gehennæ est inanis gloria, ignemq; illum vehementer accendit, vermemq; pestiferum confovet. Videre est illam & in mortuis vires obtinere, qua re quid poterit fieri pejus? Aliæ siquidem passiones morte finiuntur: ista vero & post mortem violenter instat, naturamq; suam, etiam in emortuo jam corpore, ostendere contendit.

Quum enim splendida sepulcra omnemq; ipsorum substantiam consumentia morientes sibi erigi curent, atq, ut in sepultura multus antea luxus adhibeatur, affectent: cumq; viventes quidem pauperes ipsos pro obolo & pane uno accedentes contumelia afficiant, morientes vero tam sumptuosam mensam vermibus præbeant: quã quæso, aliam quæres in hoc morbo tyrannidis excellentiam? Ab hoc etiam malo absurdi nascuntur amores. Multos siquidem, neq; faciei venustas, neq; commixtionis concupiscentia, sed quod habeant unde glorientur, & dicant, hanc & hanc ego decepi, in adulterium conjecit: & quid opus est reliqua mala quanta hinc pullulent recensere? Elegerim potius innumerorum barbarorum servitutem, quam semel unius inanis gloriæ. Neq; enim captivis illi tuis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista jubendo mandat. Omnium, inquit, servus esto, sive fuerint te splendidiores, sive etiam viliores. Animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem tuam destruito: &, si bonum quid feceris, non ad hoc facito, ut Deo placeas, sed ut multis ostentes, & coronam quæ benefacientes manet, perdas. Etsi eleemosynam dederis, aut jejunaveris, laborē quidem sustineto, lucrum vero perdere studeto. Quid, quæso, poterit hisce præceptis crudelius fieri? *Homil.* 17. *ad Romanos.*

Chrysostomus: Vanæ gloriæ cupidus, similis illis est, qui tempestates ferunt, semper tremens, semper timens, innumerosq; dominos observans. Qui vero extra illam est tyrannidem, recte comparatur iis qui in portu constituti, integra jam libertate potiuntur. Alius vero non item, sed quam multis est cognitus, tam multos habet dominos, omnibus servire coactus. Quomodo ergo ab hac dura servitute liberabimur? Si aliam gloriam adamaverimus, nempe eam quæ vera est gloria. Quemadmodum enim eos qui corpora amant, alia splendidior facies visa a priore separat: sic & eos qui gloriam hanc depereunt, splendida illa cœlestis gloria conspecta si fuerit, ab ista abducere poterit. *Homil* 17. *ad Rom. circa finem.*

Chrysostomus: Et quomodo non est hoc extremæ stultitiæ, hominum mente adeo corruptorum, & temere omnia agentium gloriam quærere? cum oporteat ad oculum qui semper est insomnis confugere, & ad illius sententiam adspicientes omnia facere & dicere. Nam isti quidem etiamsi laudaverint, nihil nos juvare poterũt. Illi autem, si ea quæ fiunt fuerint ei accepta, & heic reddet claros & illustres, & in die futuro impertietur bonis ineffabilibus. *fine Homil.* 12. *ad Corinthios* 1.

Chrysostomus: Qui est in servitutem redactus inanis gloriæ, non poterit videre, non solum quod aliis, sed etiam quod sibi est utile. *Hom.* 35. *ad Corinth.* 1.

Idem mox: Tanta ejus est tyrannis, ut dominetur etiam in contrariis. Nam & ob temperantiam aliquis inani gloria afficitur, & rursus alius ob adulterium; & hic quidem ob justitiam, & alius ob injustitiam, & ob delicias, & ob jejunium, & ob lenitatem, & ob audaciam, & ob divitias, & ob paupertatem. Nonnulli enim ex externis, cum liceret accipere, ut in admiratione haberentur, non accipiebant.

Statim post: Alius quidem frustra & temere omnes suos facultares in mare demergebat, fatuos imitaris & eos qui sunt emotæ mentis: alios autem sinebat omnes suos agros depasci ab ovibus. Sic omnia ad ambitionem referebant.

Chrysostomus: At honoribus & gloria pollere dulce est. Nihil vero hac servitute acerbius & amarulentius excogitari potest. Nam qui ita affectus est, ut inanis gloriæ cupiditate captus, vel infimis quibuslibet homuncionibus placere studeat: mancipiis quibusvis abjectior est atq; cõtemptior. Qui autem eam sub pedibus positam ac protritam habet, nec aliorum de se judicia laudesq; moratur: is vero omnium excelsissimus habendus est. *Homil.* 9. *ad Corinth.* 2.

Chryſoſtomus: At multos cernere eſt, qui cum acerba omnia contempſiſſent, à gloria ſuperati ſunt. *Homil. 12. ad Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Quid vero? an in gloria verſari non fortem ac ſtrenuum animum requirit? fortem planè ac peringentem, ut ne is qui ea fruitur in arrogantiam prorumpat. *Homil. 12. ad Cor. 2.*

Chryſoſtomus: Gloria ſæva eſt bellua, horrendus dæmon, peſtis orbis terræ, venenata vipera. Quomodo. n. illa beſtia unguibus uterum matris diſcerpit, ita etiam hoc vitium parentem dilacerat. *ibid.*

Chryſoſtomus: Fieri non poteſt, ut quiſquam magnus & excelſus ac ſtrenuus ſit, qui non ab inani gloria immunem ſe præſtet, verum humi ſerpat ac multa labefactet neceſſe eſt, dum ſceleſtæ dominæ ac quovis barbaro crudeliori ancillatur. Ecquid enim ea truculentius eſſe queat, quæ tum maxime ſævit & efferatur, cum maxime colitur atq; obſervatur. Atqui hoc ne feræ quidem habent, ſed multo obſequio deleniuntur. at contra prorſus inanis gloria, contempta enim miteſcit, honore affecta exaſperatur, atque adverſus eum à quo honore afficitur arma ſumit. *Homil. 29. ad Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Si gloriam adipiſci ſtudes, gloriam repelle. Quod ſi eam aucuperis, ea excides. Ac, ſi lubet, hunc ſermonem in iis quoque, qui promiſcuum hujus vitæ genus ſequuntur, ventilemus. Ecquos enim cavillis inceſſimus? An non eos qui ipſam expetunt? Itaq; ipſi maxime ſunt, qui ea carent: ut qui innumeras reprehenſiones habeant, atq; ab omnibus contemnantur. Ecquos rurſus, dic quæſo, ſuſpicimus ac prædicamus? An non eos, qui hanc ſpernunt ac pro nihilo putant? Ergo hi ſunt, qui gloria afficiuntur. Quemadmodum enim is demum dives eſt, non qui multis rebus, ſed qui nulla re indiget: ſic clarus ille ac celebris eſt, nō qui gloriæ cupiditate æſtuat, ſed qui eam contemnit ac nihili ducit. Umbra enim gloriæ eſt hæc gloria. Nemo enim picto pane conſpecto, etiamſi millies fame teneatur, picturam attinget. Eodem igitur modo tu quoque minime committe, ut umbras conſectēris. Gloriæ enim umbra hoc eſt non gloria. Atque ut hoc ita ſe habere intelligas, illud tecum recepta, quod res iſta apud homines crimini vertitur, quod fugienda atq; aſpernanda omnibus videtur, atq; adeo iiſmet ipſis, qui eam concupiſcunt, quod deniq; is, qui eam habet, aut habere expetit, pudore ſuffunditur, quum ab ea appellatur. Unde igitur hæc cupiditas, inquies? Et quonam pacto exiſtit hic affectus? Nimirum ab animi imbecillitate (neque enim dumtaxat accuſare opus eſt, ſed etiam corrigere) ab imperfecta mente. à puerili ſententia. Quocirca pueritiam deponamus, ac viros nos præbeamus, atque ubique, hoc eſt in opibus, in voluptate, in deliciis, in gloria, in potentia. veritatem ac non umbras ſequamur. Ita fiet, ut & hic morbus, & plurimi alii comprimantur. Vmbras enim ſequi, hominis eſt infamia laborantis. *Homil. 29. Corinth. 2.*

Chryſoſtomus: Quemadmodum inter febres illę potiſſimum acerbæ atq; incurabiles ſunt, quæ ſolidas corporis partes attingunt, atq; intus in nervis ipſis ebulliunt, & in venis diliteſcunt, ad eundem modum inanis gloriæ inſania: quandoquidem intus in ipſo animo flagrat, eumq; pervertit ac labefactat. *Hom. 49. quaſi extremo, ad Cor. 2.*

Chryſoſtomus: Sed video, inquit, eum honore fruentem, & moveor æmulatione. Hoc eſt quod omnia ſurſum ac deorſum agitat, & non ſolum orbem terræ, ſed etiam Eccleſiam innumerabilibus implet tumultibus, & quomodo qui in tranquillum portum ſævi & vehementes venti exadverſo irruerint, eum reddunt periculoſiorem quam quævis rupes & quodvis factum: ita ſi in vaſerit amor gloriæ, omnia evertit & confundit. Interfuiſtis ſæpe magnarum domorum conflagrationi. Vidiſtis quomodo in cœlum aſcendat fumus: & nemine accedente ad malum extinguendum, ſed unoquoq; quod ſuū eſt ſpectante, ignis quietè omnia depaſcitur: & ſæpe quidem in orbem circumſiſtit tota civitas, circumſiſtunt multi malorum ſpectatores, non ad opem ferendam ſocii & adjutores. Et licet videre multos circumſtantes nihil facere, ſed unumquenq; eorum manum extendere & ei qui recens ad locum venerit oſtendere, aut per feneſtram aſſiduè exilientem lampadem, aut trabes quæ dejiciuntur, aut integrum ebrium qui ædes fulciunt & ſuſtentant ambitum avulſum, & in terram ruentem.

Sunt autem etiam multi audaces, & ad adeunda pericula præcipites: qui audent prope ardentia ædificia accedere, non ut eis manum porrigant & malum extinguant, ſed ut ſit jucundius ſpectaculum, ex eo quod ipſi poſſint omnia prope conſpicari, quæ ſæpe latent eos qui ſunt foris. Quod ſi etiam fuerit, ſplendida & magna domus, miſerandum videtur eſſe ſpectaculum & dignum multis lacrymis. Et re vera licet videre ſpectaculum miſerandum, columnarum capita in pulverem redacta, multas quoq; ex eis perfractas, alias quidem igne id efficiente, alias vero ſæpe tradentibus manibus eorū, qui ipſas ædificarunt, ne igne præberent plus alimenti. Licet autem etiam videre imagines quæ ſteterant cum magno ornamento tecti impoſiti, detectas tecto ablato, & ſtantes ſub dio cū magna deformitate. Quid verò? Quis recenſuerit divitias quæ erant intus repoſitæ? veſtes aureas, vaſa argentea, & quo vix ingrediebatur dominus cum ſua conjuge, ubi multarum veſtium, aromatum, & pretioſarum gemmarum arcanum erat repoſitorium: omnia uno rogo accenſo viderunt, & balneatores, & ſtercorarii, & fugitivi, & omnes reliqui: & quæ erant intus, erant omnia aqua, & ignis, & lutum, & pulvis, & ligna ſemiuſtulata. Cur autem hanc imaginem extendi fuſius, non volens ſolum domus deſcribere incendium?

Quid enim eſt hoc mihi curæ? Sed volens oculis veſtris ſubjicere, quoad ejus fieri poteſt, mala eccleſiæ. Re vera enim tanquā incendium aut fulmen aliquod ab alto cadens, irruit in ipſum tectum eccleſiæ. & neminē excitat: ſed domo paterna ardente, profundū quendam ſomnum & nihil ſentientem dormimus. Quem enim non tetigit hic ignis? quas non imagines quæ ſtant in eccleſia? Eccleſia enim nihil eſt aliud, quam domus ædificata per noſtras animas. Hæc autē domus non eſt tota par honore: ſed ex lapidibus quidem qui ad ejus extructionem cōferunt, alii ſunt ſplendidi & nitidi, alii vero illis inferiores & obſcuriores. Eſt a. multo melius ex illis videre heic multos, qui auri locum tenent; auri, inquā, quod ornat tectum. Licet etiā videre alios, qui ornamentū exhibent & exiſtit ex imaginibus. Multos licet videre, qui ſtant tanquā columnæ. Scit enim etiā homines appellare columnas: quæ nō ſolum poteſtate, ſed etiā pulchritudine multum præbēt ornamenti, & quæ aurata habēt capita. Videre etiam licet multitudinem, tanquā late patens ſpatium & latitudinē ambituum & ſeptorum. Magna enim multitudo tenet locum lapidū, qui ædificant parietes. Eſt a. magis veniendum ad ſplendidiorem imaginem. Hæc eccleſia eſt ædificata nō ex his lapidib. ſed ex auro & argēto & lapidibus pretioſis: & multū auri eſt ubiq; diſperſum. Sed proh dolor! Hæc. n. omnia exuſſit tyrannis inanis gloriæ. Omnia exedens eſt hæc flamma, & nemo eā rem ſuperavit. Sed ſtamus quidē flammā admirantes, malum a. nondum valentes extinguere. Quod ſi etiam ad breve tempus extinxerimus: poſt duos aut tres dies tanquam ex quodam cinere accenditur ſcintilla, quæ evertit omnia, & ea facit quæ prius. Sic etiam heic fit.

Nam in incendio quoq; ſolet hoc accidere. Cauſa a. eſt: ipſarum eccleſiæ columnarū ſuſtentacula nos effugerunt, qui tectū ſuſtinebamus, & prius cōtinebamus omne ædificiū, & igne circumdederunt. Propterea ad cæteros parietes facilis fuit excurſio. Non in ædificio quando ligna quidē apprehēderit, magis armatur adverſus lapides: quando a. columnas peſſumdederit & humi dejecerit, non amplius opus habet flamma ut cætera cōficiat. Nam cū ea decidunt quæ ſuperiora ſuſtentant & fulciunt, illa quoq; ea ſequuntur cū magna facilitate. Ita etiā nunc uſuvenit in eccleſia. Ignis omnia deprehēdit. Honores quærimus ab hominib. & amore gloriæ accendimur. Nec audimus Jobū dicentē. Si cum peccaverim, voluntarie averſatus ſum multitudinē. Vidiſti animā virtute prædītā. Non me puduit, inquit, corā univerſa multitudine dicere voluntaria peccata. Si a. illum nō puduit, multo magis nos oportet hoc facere. Dic, inqt, prior iniquitates tuas, ut juſtificeris. Magna fuit hujus mali vehementia: omnia ſunt everſa & deleta. Honoris ſervi factiſumus Deo dimiſſo. Nō amplius poſſumus increpare eos qui à nobis reguntur, cum ipſi quoq; eadem febre teneamur: & ipſi egemus medicina, quos Deus poſuit, ut aliis mederemur. Quænam autem jam reſtat ſpes ſalutis, cū ii ipſi qui medentur, aliorum manu indigent? *Homil. 10. ad Epheſ.*

Chryſoſtomus: Præſentis temporis gloria & nulla eſt, & inſtabilis fluctuat: & ſi aliquandiu permaneat, repente tandem exſtinguitur. *Homil. 3. ad Timoth. 1.*

Mox ſtatim: Vera gloria nō de exterioribus, ſed ex interiorib. manat: puta nō illam pretioſa veſtis, non famulorū, atq; obſequentium multitudo, nō habitus gloria facit illuſtrē. ſed abſq; his omnib. ipſe vir gloria eſt indutus. Nūc enim ſi iſta ſubducas, gloria videbitur nudus: nempe. n. in balneis nudos cernimus divites atq; in honoros, intuemur a. & malos: at vero in foro plurimi ſæpe perichitati ſunt, quū eos ſervi caſu aliquo deſeruiſſent: illic autē gloria noſtra ſemper nos ubiq; comitatur. Et quemadmodū Angeli ubicumq; apparuerint, ſecum gloriā habēt: ita & ſancti. Imo vero quemadmodum Sol nō indiget veſtibus, non aliis aliquib. opus habet, ſed ſimul atq; illuxit, gloriam ſui fulgoris oſtendit: ita & tunc erit.

D. Chryſoſtomus: Viſibilia contemnamus omnia, ut cœleſtia adiſci mereamur imo ſi fuerit his intenta mēs, & omne ſtudium noſtrū exemplo Pauli mortalē quoq; gloriā conſequemur: atq; eo excellentius, quo illam majori ſtudio atq; acriori intentione fugerimus, ſoliſq; cœleſtibus & æternis inhiaverimus. *2. ad Tim. Hom. 4. fine*

D. Io. Chryſoſtomus: Quemadmodū venti quidem feri & immanes quum in ſerenū irruerint pelagus, ipſum totum à fundo perturbant, adeo ut & arena ſæpius undis immiſceatur: ita & hæ perturbationes, quum in animam irruperint, cuncta permiſcent & quæ ſuperiora erant ad infima detrahūt, exęcantq; mentis clariſſimū lumen, atq; in primis gloriæ inſana cupido. Nā pecunias quidē facile quiſq; cōtemnet, dum id inſtituerit. Porro honoris eſſe negligentem, laudemq; nō affectare multorū, maximo labore indiget. Magnæ philoſophiæ, & animæ cujuſdā angelicæ, & quæ ipſum verticē cardinis cœleſtis attigerit, certū argumentum. Nullum. n. profecto pernicioſius vitium eſt, nulla magis violenta perturbatio, & quæ ita ferme omnib. in locis obtineat, alibi amplius atq; alibi minus, ubiq; tamen. Quomdo igitur ipſam ſuperare poterimus, & ſi nō penitus, tamen & parte aliqua? Si in cœlū ſemper noſtros deſiganus obtutus, ſi Deū habeamus ante oculos, ſi cogitationes, ſenſumq; noſtrū terrenis omnib. celſiorē facere ſtuduerimus. Quoties te gloriæ deſideriū tangit, finē cōſidera, & eam nihil eſſe reperies. Inſpice quantum in ſe habeat detrimenti, quantis qualibuſq; privet bonis. Nam labores quidē ſubiſti, & pericula, dum eā conſequereris: cæterū fructibus, præmiiſq; caruiſti. Intuere quod ingens ſit turba malorū, eorumq; gloriā deſpice, unūquemq; recogita quiſnā ſit, & videbis ridiculā penitus rem: animadvertas eam contuſionem potius eſſe, quam gloriam. Poſt hoc, in cœlum attolle animum, atque ad cœleſtes choros cogitatione ſubvehere, & quum boni aliquid agis, animadverte quod & hominibus id oportet innoteſcere, utilitatis ipſorum gratia, non ipſe tamen id appetas quod & hominibus id oportet innoteſcere. Et quos, oro, inquiris inſpectatores operis tui? Quoties videri cupis, attende

tende quod hæc Deus omnia inſpicit, & protinus omnis illa conſpiſcentia extinguitur. Attollere ab humo, cœleſte verſa animo theatrum. Homines etſi impræſentiarum laudent, poſt modicum vituperabunt, invidebunt, carpent: & ſi hoc minimè fecerint, nihil tamen illi penitus perderunt, quem laudant. At non ita Deus, gaudet ille profectò quum juſtitias noſtras actuſq; collaudat. *Homil. 2. Epiſt. ad Titum.*

D. Ioan. Chryſoſtomus. Nihil profecto humana gloria vilius, nihil abjectius. Die enim obſecro, ſi videre contingat multitudinem parvulorum, eorum ſcilicet qui ſubjecti uberibus ſint: nunquid ab his gloriam cupis? ita te neceſſe eſt gloriæ cauſa ad omnes homines agere, idcirco nempe ea res inanis gloria dicitur. Non aſpicis ut in ſcena ſibi perſonas imponunt hiſtriones, quam præclaras, quam honeſtas, quam ad extremam, quam ad exactiſſimam formæ diligentiam effictas? Poteſne hujuſmodi aſpectū mihi verum eſſe monſtrare? Minime ſane. Quid igitur? Non eas aliquādo adamaſti? Non. Cur id? Quoniam inanes ſunt, imitanturq; decorem, ſed nullus ſibi ſolidus decor: ita & gloria inanis eſt, imitaturq; gloriam, non vera gloria eſt. Illa quippe ſola permanet, quæ naturalis eſt, quæ in intimis conditur: porro hæc quæ extrinſecus adhibetur, occulit deformitatem, ſed id apud homines, & uſq; ad veſperam. Cæterum ſoluto theatro, ſublatiſq; perſonis, unuſquiſq; quod eſt, id quoque videtur. non igitur veluti in ſcena atque ludo, veritatem arripiamus. Die enim, quæſo, quid in ſe præclari habet à multitudine inſpici? Inanis eſt hæc gloria, nihilque in ſe habet ſolidi, atq; veri. Nam ubi te receperis domum, ſoluſq; fueris, id omne prorſus effluxit. Irrupiſti in forum præſentium oculos in te convertiſti, quid amplius? Nihil extincta eſt penitus ejuſmodi gloria, abſceſſit, atq; in fumum reſoluta eſt. Rem igitur adeo inſtabilem amare quo pacto inducimur: quam magnæ eſt iſtud amentiæ, quantæ ſtultitiæ? Unum igitur intueamur ſolum, ad id tota noſtra dirigatur intentio, quo ſcilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Sic hoc intentè inſpiciamus, humana ſemper ea ſi adſint deſpicere, non ſecus quam lutum in auri comparatione renuentes. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis: & ſi vituperet quiſpiam, nihil omnino te læſit: ſive enim laus, ſive vituperatio, ex Deo tantum aut emolumentum habet, aut detrimentum. Cæterum humāna omnia ſunt prorſus inania, atq; in hoc Deo æquales evadimus. Ille quippe mortali non indiget gloria. *Homil. 2. Epiſtola ad Titum.*

D. Io. Chryſoſtomus: Fieri non poteſt, ut homo mancipium gloriæ, non ſit omnium ſervus: imo omnib. ſervis abjectior. neq; enim talia noſtris imperamus ſervis, qualia illa his qui ab ipſa capti ſunt. Turpia confuſioniſq; pleniſſima, & loqui, & facere, & perpeti jubet: ac tum maximè intenditaugetque mandata, cum eos ſibi obedire conſpexerit. *Homil. 2. fine ad Epiſt. ad Titum.*

Iſidorus Peluſiota. Eſt hoc apud multos homines in conſuetudine poſitum, etſi alioqui à divinis legibus alienum, ut aut generis, aut prudentiæ, aut opum, aut pulchritudinis, aut dignitatis nomine glorientur. Quanquam nihil hoc ipſis ad ſuperbiam utilitatis affert, qui è terra orti ſunt, & rurſus ad eam revertuntur. Harum autem rerum nullam omnino tibi ineſſe, ne ipſe quidem inficias iveris. Quocirca cum omnibus his rebus, quæ hominum animos inflant, ac ſuperbos & inſolentes reddunt, careas (quippe qui & ignobili genere ſis, & pauper & tardi ingenii, & indoctus ad modum ac deformis) quid, tanquam omnium mortalium clariſſimus, per urbem inſolenter, atq; obvium quemq; ſubmovendo, graderis, multorumq; ipſi tumultuum cauſam præbes? Quamobrem aut te ipſum noſce, ac mores vilitati tuæ conſentaneos collige: aut adverſus labores & pericula te inſtrue: quibus te ii, qui potentia præditi ſunt remunerabuntur. Nam auro cares, quod adverſarum rerum & flagrorum aſperitates plerumq; planas reddit. *lib. 1. Epiſt. 99.*

S. Iſidorus Peluſiota: Aſſentator faſtus, & ſicca atq; inanima ſuperbia, & inanis ac terrena gloria de medio à nobis tollatur. Virtutum enim, & dator, & cuſtos exemplum nobis relinquens, his verbis utitur: Gloriam ab hominibus non quæro. Dei namque munus gloria eſt: etiamſi nominum effictores hujus vitæ umbræ vocabulum illud impoſuerunt. *lib. 1. Epiſt. 374.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Rogandus ſemper eſt Chriſtus, ut in nobis bona nutriat, & exorandus ut nutrita cuſtodiat: atq; ita intelligentiæ noſtræ corda componat, ut omnia quæ bona ſunt gloriæ cœleſtis poteſtatis adſignet. Stultitiæ genus eſt, ut homo ſuū eſſe judicet quod laboravit, qui in alterius poteſtate conſiſtit. Ecce, hic modo divitiis exultat, modo paupertate ſuſpirat, ſi in manu noſtra ſunt bona noſtra, quare non cum volumus aut penuria ceſſat, aut opes perſeverant? Hic modo ſanitatis vigore attollitur, modo infirmitatis dolore vexatur. ſi in poteſtate hominis eſſet vitæ noſtræ ſalus, nunquam periclitaretur mendicus, nec moreretur infirmus. Requirat unuſquiſq; initia vitæ ſuæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formaverit, quis membra compoſuerit, quis terrenam materiem in humanum uſum fecerit vegetare, nonne hæc omnia Dominus Sapientia procurante conſtituit?

Cum ergo non ſit noſtrum quod ſumus, quomodo noſtrum eſt quod habemus? Stultitiæ genus eſt, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi adſcribas ornamenta virtutum. Ecce hic honore extollitur, ille ſibi de corporis integritate blanditur: hic divitias labori ſuo imputat, ille ſcientiam doctrinæ vigiliis adſignat. nec nos negare poſſumus, ornamenta religioſæ vitæ vigilantiæ ſtudio comparari: ſed ibi Deus, ubi integræ religionis eſt animus. Satis ibi vacillat humanum ſtudium, ubi non requiritur Dei auxilium nam non dubiè periclitatur fides, ſi non muniatur patrocinio divinitatis. noſtrum eſt igitur bonum velle, Chriſti vero perficere. *Homil. 11.*

Idem: Totum perdidit quod laboravit, qui propriis virtutibus fructum ſanctitatis adſcripſerit. *fine illius Serm.*

Io. Sarisberienſis: Si quempiam inanis gloria ſtimulat, neceſſe eſt ut per abrupta vitiorum præceps ruat: hoc eſt autem quod nobile cenſetur vitium adeoq; humānæ frugalitatis demulcet ingenium ut vix ſit vel à præclaris mentibus alienum, nam & ortum nobilem habet, ſuiq; diſpendii proceſſum neſcit antequam à faſtigio corruat quod optavit. nam & de ſe invicem vitia oriuntur. at inanis gloria etiam in virtute originis ſuæ figit radicem, in quo enim quiſque præ cæteris pollet, in eo niſi adſit moderatrix gratia, facilius intumeſcit. Vix tamen eſt, qui vanæ gloriæ non inſiſtat, & eam quæ ab hominibus eſt, non concupiſcat laudem. Ad hanc alii virtute, alii virtutis imagine, alii naturæ aut fortunæ beneficio proficiſcūtur ex his enim tribus locis placuit oratoribus laudis eſſe materiam. nam ab animo, aut corpore, aut ab extra poſitis peti debet. porro animi bona aut corporis, aut naturaliter inſita ſunt, aut ſtudio comparata, aut cauſaliter & caſualiter acceſſerunt. Et in his certi ſunt gradus pro dignitate eorum in quibus conſiſtunt, & quibus petuntur. Primus commendationis gradus eſt qui ab animi dote provenit, ſecundus & medius qui corporis valetudinem approbat, & venuſtatem, tertius idemq; noviſſimus, qui exteriorum continet laudem.

Et laus quidem animi vera eſt ſæpeq; perfecta, ſi tamen ei tenaciter bona quæ ut ipſo commendantur inhæſerint, adeo quidem ut ſint inſeparabilia: certum eſt enim quia invito auferri non poſſunt, alias quidem vera fortaſſe, ſed perfecta eſſe non poteſt. Corporis autem veroſimilis eſt commendatio, ſed perfecta nunquam: nam bona ejus ſemper poſſunt auferri invito, natura enim ejus & debilitari poteſt jugiter & corrumpi. Adventitiorum vero perfunctoria gratia eſt, & nec veram nec perfectam habent laudem, imo nec vero ſimilem ſufficiat eis ſi vel probabilem imitentur: ii quidem in utramque partem flectuntur facile, & niſi poſſidentium juventur uſu, non tam ad laudem ſunt quam vituperium proniora. nam divitiæ & potentia & gratia, cum plurium vitium dent, in utramq; partem certiſſimum faciunt experimentum morum, fitq; poſſeſſor horum ab eis quandoq; melior, interdum pejor.

Cæterum opera ipſa mentis aut corporis, etſi ſimpliciter vel bona vel mala ſint, vituperationem interdum aut laudem contrahunt, pro arbitrio judicantis. Unde & intereſſe plurimum putat Ariſtoteles ubi quidq; laudetur aut vituperetur nam plurimum refert qui ſint audientium mores, quæq; publice recepta perſuaſio: & docet in Rhetoricis, aut illa maxime, quæ probent eſſe in eo qui laudabitur publice credant, aut in eo contra quem dicitur, eaq; omnes oderunt, eritque quoties quid fieri poterit, ſingulorum ducenda utilitas quod enim expedit omnes approbant, etſi honeſtum aliud aliis videatur.

Studia literarum minus honoris merentur Lacedæmonæ quam Athenis, forte plus patientia ac fortitudo. his rapto vivere honeſtū eſt. aliis cura legum, frugalitas apud Sybaritas fortaſſis odio foret. veteribus Romanis ſummum luxuria crimen. Ejus quoq; qui laudatur habenda eſt ratio, cum operibus neceſſariis gratuita recte facta laudem præripiant, & pro ratione perſonarum, res plerumque habeatur vel honeſta vel turpis. Si ergo recta via, id eſt virtute ſibi quis laudem conciliat, ſuo laudis innititur fundamento, ſi vero aliunde gloriam quærat, plane deſipit, neq; ad eam quam videtur affectare pertinget. Atinter ipſa virtutis opera cenſentur gloriæ amphoris, quæ de liberalitatis aut magnanimitatis fonte proveniunt: ea enim favore populari clarius efferuntur, & videntur eſſe præcipua quæ magis ardua ſunt, vel quæ pluribus proſunt. in his tamen longe liberalitas anteceſſit, quæ & animi indignationem mitigat, detrahentium linguas obtundit, cohibet item manus hoſtiles, & operit multitudinem peccatorum. Qui ergo linguas hominū aut captant, aut metuunt, effundunt patrimonia ſua, mittunt in vulgus miſſilia, convivia extruunt, puſillis & majoribus adulantur, & pleriq; porcū potius agentes quam hominem, comeſſationibus & ebrietatibus inſiſtunt, mimos & hiſtriones fovent, nequiſſimas artes remunerant, admittunt nebulones, maledicorum excitant linguas ad implendam procacitatis ſuæ malitiam, dum ſilentium eorum, aut virulenta dicacitas, male merito donatur præmio.

Sunt qui in his maximū & fere ſolum divitiarū reputant uſum, ſi multiplicent ollas carniū, cōviſcerationes exerceant quotidianas, ſi nec modū convivii nec numerū noverunt cōvivarum, nec aliquam habeant familiæ regendæ rationem. quam ſi forte videris convenisſe, forum convocatū credas, nō prudentiū aut cœnantium turbam. Hoc tamen apud ditiſſimos licet & manus inferior pro modulo ſuo præpotentium veſtigia imitetur. Quiſquis enim famæ petitor eſt, vires ſuas excedit, & non quid poſſit, ſed quid aliis placeat, attendit & illud feſtinat implere. Sed eſto, ut ad famam potius quam ad conſcientiam quis liberalitatem exerceat, quia nulli virtuti præcludenda eſt via, mimos tamen & profeſſiones obſcenas fovere beneficiis illicitum eſt & infame, &c. *cap. 2. lib. 8. Policrat.*

Io. Sarisberienſis: Intereſt ſane inter cupiditatē gloriæ humanæ, & cupiditatis ardorem. Nam licet proclives ſint ut qui humana gloria nimium delectantur, etiam damnari ardenter affectent; tamen qui veram licet humanarum laudum gloriam concupiſcunt dant operam bene judicantibus non diſplicere. Refert enim,

plurimum quis, cui, & unde placeas. Nec est ab eo laudari gloriosum, cujus familiaritas ignominiâ redolet. Laus unius studiosi multis perfecit, & suffecit ad gloriam: & multorum sæpe commendatio, infamiam peperit. In rhetoricis locus est celebris à convictu, morumque similitudinem indicat: & ab ea amicitiæ & commendationis manare originem, sæpe traditum est. Nolo, inquit sapieris, ab his laudari, quorum laus vituperium est: nec ab his culpari vereor, quorum criminatio laus est. Cum ergo histriones, mimi, parasiti, & hujusmodi ineptiæ hominum nihil indice vita laudabilium probent, nonne perspicuæ desipientiæ est, illorũ, ut quis fulgeat, aucupari favorem, qui sordibus obsiti sunt, & quorum gratia nisi per turpia acquiri non potest? Hujusmodi monstris hominum amplissimum patrimonium Pompeii, & fere totius orbis opes contulit M. Antonius; & tamen eorum præconiis non clarescit, sed eo sordidior occurrit posteritati. Si unius sapientis, si scriptoris egregii gratiam meruisset, aliquid celebre illi manasset ad posteros. Virgilius, Marcelli citra magna virtutum merita perpetuavit gloriam, & poetica licentia fidem pervertens historiæ, Didonem licet pudicissima fuerit, hospitis quem ex ratione temporum videre non potuit, incesto amore posteris persuasit fuisse correptam. Nisus & Eurialus nostrã non attigissent ætatem, nisi eos oblivioni divina Maronis carmina subduxissent. Implet adhuc promissi fidem, & nomina eorum situ non patitur aboleri.

Vivite felices, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Quid est ergo quod qui scurrarum, viliumque mancipiorum ignominiæ tanto sumptu conducunt gratiam, honestis viris peritiq; & maxime scriptoribus placere non appetunt? Nunquid suas ineptias transmitti nolunt ad posteros? Ignotos esset Lucilius, nisi eum Epistolæ Senecæ illustrarent. Laudibus Cæsareis plus Virgilius, & Varus, Lucanusq; adjecerunt, quam immensum illud ærarium, quo urbem & orbem spoliavit. Nemo prudentiam Ithaci, aut Pelidæ vires agnosceret, nisi eas Homerus divino publicasset ingenio. Unde nihil mihi videtur consultius, viro ad gloriam properanti, fidelium favore scriptorum. Nihil stultius, quam captare Tigellium, qui nec suam potis est redimere famam.

Sunt autem multa in moribus bona, de quibus multi bene judicant, quamvis ea multi non habeant, & quo rariora, eo præclariora sunt. Per ea ergo nituntur quidam ad gloriam, ad imperium, ad dominationem. Quisquis autẽ sine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene judicantibus displicere, dominari atq; imperare desiderat, etiã per apertissima scelera quærit plerumq; obtinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis & fallaciis contendit, volens videri bonus esse, quod non est. Et ideo virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriã, quia contemptus ejus in conspectu Dei est, judicio autem non aperitur humano. In laudatorib. autem suis quamvis parvi pendat quod eum laudant, non tamen parvipendit quod amant. Nec eos vult fallere laudantes ne decipiat diligentes. Ideoq; instat ardenter ut potius ille laudetur, à quo habet homo, quicquid in eo jure laudatur. Qui autem gloriæ contemptor, dominationis est avidus, bestias superat sive crudelitatis vitiis, sive luxuria. Tales quidem, teste magno patre Augustino, Romani fuerunt. Nam cum eorum vitia percurruntur, gens nulla deterior; cum virtutes, nulla potior invenitur. Alias tamen gentes nõ crudeli domino, sed mansueto subjugaverunt imperio. Et quod moderatio acquisivit, aut crudelitas aut luxuria perdidit. Non enim existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt.

Sed hujus vitii summitatem, & quasi arcem quandam, Nero Cæsar primus obtinuit. Cujus tanta fuit luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si esset ignotus. Nemo eo gulosior, nemo cantorum & histrionum similiumq; magis gaudebat consortio, nemo luxuriosior. Siquidem ut se vindicaret à cultu & liberalitatis imagine, nullam vestem bis induit. Quis tamen adeo perditus est, ut ipsum laudet? Demosthenes ante quam virtus eloquii ejus innotuisset, cultus operosiores dicitur appetisse nitorem; sciens quia purpura causidicum vendit. At postquam notitiam & famam allecutus est eloquentiæ, toga contentus est, dicens se velle sibi à se potius, quam à nitore vestium, aut cultu exquisito constare gloriam.

Omnis Aristippum decuit color, & status & res,
Quolibet indutus celeberrima per loca vadit.

Quem enim proprius attollit honos, vilitas aliena non deprimit. Emendicatum laudis videtur esse suffragium, quod ab extrinsecis pendet. Profecto unius egregiæ virtutis titulo quisque magis claresci, quam splendidissimo luxuriæ instrumento, & omni lenocinio vanitatis. *lib. 8. nugarum curialium cap. 14.*

¶ Philosophorvm Oratorvmqve Græcorvm.

Isocrates: Hæc audientes me rogarunt, admonerem te, instigaremque ut in hisce constanter perseverares, quod nunquam vel honestiores, vel utilius Græciæ, vel tempestivus commodiusq; in postremum res ullas geri posse existimarent. Quare si eandem adhuc illam vim facultatemq; tenerem quam antea, neq; prorsus essem defatigatus, non sane per literas te alloquerer: sed præsens ipse te ad has res suscipiendas excitarem & adhortare. Nunc autem, pro virili parte, te moneo, ne quid ociosius agas, priusquam his finem imposueris. Ad hæc in reliquis rebus omnibus, nimium studium cupiditasque in vitio est. nam mediocritatem omnes laudant & admirantur. Gloriam vero præstantem & insignem concupiscere, nec unquam expleri, competit his, qui se cæteris excellentius gerere student. Quod itidem ad tuum officium pertinet. Tunc autem arbitrare te insuperabilem tuis rebus gestis dignam consecutum esse, cum Barbaros Græcorum servituti subjeceris, præter eos, qui tibi societate juncti sunt, & eum regem qui nunc magnus cognominatur, tibi dicto audientẽ esse coegeris. Hæc autem multo facilius est perficere in præsenti tempore, quam in posterum ab initio regni potentia gloria longius progredi. Nec enim restabit quicquam amplius, quam ut in Deorum numero reponaris. *Epist. ad Philippum Regem.*

Diogenes: Si contra gloriam pugnare vis, quæ inimicorum fortissima, plus quam Thraces & Pæones te offendit, abjectis hominum affectibus, me accerse: possum enim hanc subire militiam. Verum si quid adhuc adversus homines tibi faciendum relinquitur, & hoc fermè bellum non sentis, sine nos Athenis esse, & Alexandri milites ad te accersito, quorum opera & auxilio, & Illiricos, & Scythas subegit. *Epist. 6. ad Perdiccam.*

Theophrastus Ethicis Character: Μικροφιλοτιμία, quam possis Latine dicere ineptam ac circa res parvas versantem ambitionem: ea est honorum ac gloriæ cupido illiberalis. Homo vero ineptè ambitiosus is est, qui ad Cænam vocatus, convivatori ipsi studeat assidere: qui filium Delphos abducat, ut ibi comam ponat: qui operam det ut pedisequum habeat genere Æthiopem: qui etiam si minam argenti velit solvere, labores ut reddat in aspero. Et si bovem sacrificarit, solet anteriorem capitis ejus partem magnis redimitam sertis pro foribus in ipso introitu figere: ut intelligant quicumque ingredientur, esse ab ipso bovem mactatum. Atque ubi pompam cum aliis equitibus duxit, reliquis omnibus puero traditis, qui ea domum referat, ipse trabeatus in forum pergit, & ibi deambulat. quumque illi parvulus aliquis canis fuerit mortuus, monumentum ei faciet, adscriptis etiam in columella his verbis, Soboles Melitensis. Jam cum æreum annulum Æsculapio consecrarit, appensis subinde novis coronis totum conteret: atque adeo ipse quotidie unguentis oblinitur. Sane etiam, quæ pertinent ad curam magistratus: quos prytaneos vocant, ipse diligenter curare solet: quo possit, ubi litatum fuerit, rem populo renuntiare. Itaque assumta veste splendida, coronam gestans in concionem prodit, & infit, Nos prytanei, ô Athenienses, Matri Deûm sacra ritè fecimus, litavimus: vos igitur omnia fausta exspectate. His ita renunciatis, domum revertitur: deinde uxori narrat sibi prosperè supra modum res succedere.

Apollonius Euphrati: Heraclitus Physicus, inconcinnum esse secundum naturam & proportione carere hominem affirmavit. Quod si hoc est vero consentaneum, quemadmodum est verum, obscurandus dejiciendusque est omnis, qui inani gloria floret & extollitur. *Epist. 18.*

Lucianus: Ignoscendum Ajax, si homo cum esset appetivit gloriam, rem dulcissimam, cujus gratia quilibet etiam nostrum obire pericula sustinet: siquidem & te devicit, idq; Trojanis ipsis judicibus. *Dialogo Ajacis & Agamemnonis*

Lucianus: Infœlix ille Peregrinus, aut, ut ipse cognominare se ipsum gaudebat, Proteus, id ipsum passus est quod Homericus ille Proteus. Nam cum omnia gloriæ causa factus esset, & innumeris mutationibus se transformasset, postremo ignis quoq; factus est: tanto amore gloriæ tenebatur. Et nunc optimus ille in carbones est redactus, prout Empedocles, nisi quod ille quidem conatus est clam in crateres Ætnæ præcipitem se dare. At generosus iste, observato Græcorum conventu frequentissimo, constructa quam maxima pyra, tot testibus conscriis insiluit, postquam orationes super hac re habuisset ad Græcos, non multis ante hoc ausum diebus.

Videor igitur mihi videre te multum deridentem senis hujus arrogantiam: aut potius audio exclamantem, qualia par est te exclamare, O insipientiam! ô ærumnosam gloriam! aliaque quæ de illis dicere consuevimus. Quæ quidem tu procul, & longè tutius: ego vero prope ignem ipsum, quinetiam prius in magna auditorum multitudine dixi: nonnullis quidem graviter ferentibus, qui senis illius dementiam admirabantur. Sed erat etiam aliqui qui deridebant ipsum. At ego propemodum à Cynicis discerptus sum, velut Actæon à canibus, & consobrinus ejus Pentheus à Bacchis. Atque omnis hujus rei apparatus, erat hujusmodi. Nosti qualis poeta fuerit, quam multas tragœdias per totam vitam ediderit, Sophocle, & Æschylo major. Ego vero quum primum in Elidem veni, illorum gymnasio illectus, Cynicum quendam simul inaudivi magna & aspera voce consueta hæc, ac virtutem ex trivio inclamantem, omnesque nullo discrimine convitiis incessentem. Tandem in Proteum desiit ejus vociferatio. Atq; ego illa pro virili, prout dicebantur, tibi commemorare conabor. Tu vero hæc plane ita se habere cognosces, quippe qui sæpe vociferantibus illis adstitisti.

Proteum, inquit, audet quispiam ambitiosum appellare, ô terra, ô sol, ô fluvii, & mare, & patrie Hercules? Proteum qui in Syria vinctus est, qui patriæ quinq; millia talentorum remisit, qui ex urbe Roma ejectus est, qui sole est insignior, qui cum ipso Olympio certare possit. Sed quia per ignem è vita educere se decrevit, quidam hoc ad vanam gloriam referunt. Nonne sic fecit Hercules? nonne Æsculapius, & Bacchus fulmine periit? nonne & postremum Empedocles in crateres se præcipitem dedit? Hæc cum dixisset Theagenes (nam

sic vocabatur ille qui clamaverat) quendam ex adstantibus interrogavi, quid hoc de igne, aut quid Hercules, vel Empedocles ad Proteum attineret. Tum ille, brevi, inquit, in Olympia, seipsum cremabit Proteus. Quomodo, inquam, & quorsum? Deinde cum rem mihi exponere conaretur, ita clamabat Cynicus, ut alium audire non possem. Verum exaudiebam reliqua, quum verba funderet, ac mirificis laudibus Proteum extolleret. Etenim Sinopensem illum, aut præceptorem ejus Antisthenem, ne conferre quidem cũ illo dignabatur, sed neque ipsum Socratem. Jovem autem provocabat ad certamen. Deinde cum ipsi visum esset pares ipsos servare, orationi, finem imposuit.

Duo hæc, inquit, visa sunt in hominum vita, opificia præstantissima, nempe Jupiter Olympius, & Proteus. Plastæ vero, & artifices fuerunt, illius quidem, Phidias, hujus autem, Natura. At nunc ab hominibus ad Deos abibit hæc statua, igni vecta, pupillos nos relinquens. His multo cum sudore pronuntiatis, admodum ridiculè flebat, & capillos vellebat, subparcens tamen, ne penitus avelleret. Postremò Cynici quidam illum interim singultientem consolantes abduxerunt.

Post hunc alius ilico conscendit, non cunctatus donec multitudo dilaberetur: sed priorib. sacris ardẽtibus libamina infudit. Ac sub initium quidem effuse ridebat, idque ex imis præcordiis facere videbatur. Deinde sic exorsus est. Postquam scelestus ille Theagenes nequissimæ orationi, more Heraclitι lachrymando, finem imposuit: ego contra à Democriti risu exordiar. Et rursus risum profudit, ita ut plerosq; nostrum ad similem risum pertraheret. Deinde conversus, Quidnam aliud, inquit, ô viri nobis faciendum est, adeo ridiculas orationes audientibus videntibusque senes vilissimæ gloriolæ gratia, tantum non in medio saltantes in caput? Vt autem ejatis qualis sit hæc statua quæ cremabitur, audite me, qui mentem ipsius ab initio observavi, & vitam animadverti. Nonnulla etiam à civibus ejus accepi, qui non potuerunt ipsum non accuratè nosse. Nam hoc Naturæ figmentum, & opificium, Polycleti canon, cum inter viros censeri cœpisset, in Armenia in adulterio deprehensus, non paucas accepit plagas, ac tandem de tecto desiliens aufugit, natibus raphano oppletis. Deinde constuprato adolescente formoso, tribus nummorum millibus à pueri parentibus, qui tenuis erat fortunæ, redemit scelus, ne ad Asiæ præfectum duceretur. Hæc & similia videntur mihi prætermittenda. Nam erat adhuc informe lutũ, & nondum perfecta nobis statua. Quæ autem in patre perpetravit, ea commemoratione digna puto. Quanquam scitis omnes, & audivistis, ut senem suffocavit, quem non sustinebat supra annos sexaginta jam senescere. Postea quum scelus hoc divulgatum esset, arreptaque fuga seipsum condemnasset, errabat terram rerrã commutando. Quo tempore mirabilem Christianorum sapientiam didicit, circum Palæstinam cum sacerdotibus & scribis ipsorum conversans. ac brevi illos præse pueros esse ostendit, cũ propheta, sodalitii princeps, & synagogæ socius, denique omnia solus ipse esset. Præterea libros alios ipse enarrabat, & declarabat: & plerosque ipse conscribebat: ipsumque ut Deum illi perhibebant, ipso legumlatore utebantur, & præfecti titulo cohonestabant. Itaque etiamnum magnũ illum hominem colunt, qui in palæstina crucifixus est, quia novã hanc religionem in vitam introduxit. Tum vero etiam comprehẽsus ob hoc Proteus, in carcerem est conjectus.

Quod etiam non exiguam authoritatem ipsi ad vitam sequentem conciliavit, & ad præstigias, auræque popularis captationem, quas amabat. Postquam igitur in vincula est conjectus, Christiani rem hanc pro ingenti calamitate ducentes, omnia moverunt, ipsum eripere conantes. Deinde cum id fieri non posset, omnia saltem alia officia, non perfunctorie, sed sedulo præstabant. Ac mane quidem ilico videre erat juxta carcerem præstolantes anus, viduas aliquas, & pluerulos orbos. Ipsorum autem primores cum ipso intus dormiebant, corruptis custodibus. Exin variæ cœnæ inferebantur, eorumque sermones sacri dicebantur. Et optimus ille Peregrinus, sic enim adhuc appellabatur, novus Socrates ab illis nominabatur.

Quin etiam constat ex Asiaticis urbibus, venisse aliquos à Christianis missos ex publico, qui opem ferrent, patrocinarentur, & cõsolarentur virum. Incredibile autem est quantam celeritatem ostendant, si quid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino tunc multæ pecuniæ mittebantur ab ipsis vinculorũ prætextu. quem non exiguum provectum duxerunt. Etenim persuaserunt sibi miseri illi, se omnino immortales fore, & perpetuo victuros. Idcirco mortem contemnunt, & multi ultro se occidendos tradunt. Deinde legislator primus ipsis persuasit, alios aliorum omnes esse fratres, quum semel à nobis desciscentes, Græcorũ Deos abnegaverint, & crucifixum illum præceptorem ipsorum adoraverint, & vitam secundum leges ejus instituerint. Proinde omnia ex æquo contemnunt, & communia putant, citra fidem accuratã talia recipientes. Si igitur aliquis ad ipsos veniat præstigiator, & versutus homo, rebusque gerendis appositus, brevi admodum ditescit, simplicibus hominibus inhians.

Cæterũ Peregrinus ab eo qui Syriæ tum præfectus erat, viro Philosophiæ studioso est dimissus. Qui cum illius amentiã intellexisset & eũ mori velle, quo inde gloriã relinqueret, eũ dimisit, ne supplicio quidẽ digni ratus. Tum ille domum reversus, cõperit exæstuãtem adhuc paternæ cædis indignatione, multos qui accusationem intenderent. Ipsius autem possessionum direptæ fuerant pleræque dum peregrinabatur, & soli superant agri, ferme quindecim talentorum. Nam omnis substantia, quam senex ille reliquerat, triginta ferè talentorum erat, non quinque millium, ut modis omnibus ridiculus Theagenes ajebat. Tanti enim neque tota Parianorũ urbs, tametsi quinque vicinas civitates sibi adjungeret, una cum ipsis hominibus, & pecudibus, reliquaque supellectile venderetur. Sed adhuc accusatio, & crimen fervebat: & aliquis brevi in ipsum insurrecturus videbatur: & potissimum populus ipse indignabatur, senem illum bonum, ut ajebant ij quibus fuerat visus, lugentes, quod tam impiè occisus fuisset.

Sed videte quid adversus hæc omnia commentus sit callidus hic Proteus, & quomodo periculum declinarit. Progressus in Parianorum concionem (jam vero comam nutriebat, sordido amictus pallio, pera ex humeris suspensa, & baculum in manu habebat, denique admodum tragico cultu instructus erat) cum talem se conspiciendum præbuisset ipsis, concedere se ait, ut universa substantia sibi à beatæ memoriæ parte relicta, publica fieret. Hoc audito populus, pauperes homines, & ad distributionem inhiantes, protinus exclamarunt, unicum esse Philosophum, unicum amantem patriæ, unicum Diogenis, & Cratetis æmulum. At inimici os obturbant: & si quis paternæ cædis mentionem facere conaretur, lapidibus ilico petebatur. Itaque iterum vagaturus abiit, satis viatici in Christianis habens, à quibus stipatus, in omni rerum copia versabatur.

Et sic quidem aliquandiu victitavit. Deinde cum & aliquid in ipsos commisisset, siquidem visus erat, ut opinor, aliquid ex interdictis comedisse, non amplius recipientibus illis, magna rerum difficultate perplexus, mutata sententia putavit sibi repetendas esse facultates à civitate: & datis literis, voluit eas jussu regis recipere. Tu missis à civitate contrariis legatis, actum nihil est: sed jussus est stare rebus, quas nemine cogente semel statuerat.

Tertiam præterea peregrinationem instituit in Ægyptum ad Agathobulum, ubi admirandam disciplinam exercebat, abraso cãpitis dimidio, & facie luto illita. Multa autem in corona populi pudenda contrectebat, & hæc indifferentia vocans, ostentabat: deinde nates ferula verberabat, & verberabatur, aliaque multa juveniliora præstigiatorum more factitabat. Inde autem ita comparatus, solvit in Italiam, & egressus è navi, protinus omnes convitiis insectatus est, & regem in primis, quem mitissimum & clementissimum esse norat: adeo ut illud tuto auderet. Regi enim, ut verisimile est, convitia parum curæ erant, neque æquum censebat, quenquam ex ijs qui Philosophiæ se tradidissent, ob verba supplicio afficere: & potissimum qui convitiandi rationem in artem convertissent.

Hinc Peregrini hujus gloria crescebat, saltem apud idiotas & simplices, & propter hanc astutiam erat admirationi, donec Reip. procurator vir sapiens, eum dimisit cum hac arte insolentius uteretur, dicens civitatem tali philosopho non indigere. Quinetiam hoc celebre, & omnium in ore erat de ipso, Philosophus ob loquendi licẽtiam, nimiamque libertatem ejectus. Et tunc temporis profectus est ad Musonium, & Diogenem, & Epictetum, & siquis alius hujusmodi causa fuit afflictus. Sic utique in Græciam profectus, nunc Eleos convitiis insectabatur: nunc suadebat Græcis ut contra Romanos vicissim arma sumerent, nunc virum eruditione & authoritate præstantem, quod præter alia, quibus erat de Græcis bene meritus, aquam adduxisset in Olympiam, & siti pereuntem conventum liberasset, maledictis incessebat, ut qui Græcos effœminaret, cum oporteret ut Olympiorum spectatores sitim perferrent: ac per Jovem etiam multi ex ipsis perimerentur, morbis vehementibus, qui tunc ob loci siccitatem in magno cœtu scatebant. Atque hæc dicebat ille, de eadem aqua bibendo. Vt autem omnes facto impetu, cum lapidibus propemodum obruerunt, tunc ad Jovis simulachrum confugiendo generosus ille, mortis effugium adinvenit.

Porro sequenti Olympiade, orationem per quatriennium, quod interfluxerat, compositam ad Græcos habuit in laudem ejus quã aquam adduxerat, & in fugæ tunc à se arreptæ defensionem. Jam autem ab omnibus negligebatur, nec amplius erat perinde admirationi: siquidem exoleta erant omnia, nihilque novi amplius moliri poterat, quo eos quibuscum sibi erat commercium obstupefaceret, seque admirandum & suspiciendum redderet, cujus retecti amore ab initio flagrabat. Postremum hoc ausum de pyra excogitavit, & famam vulgat, it inter Græcos statim à præcedentibus Olympiis, fore ut sequentibus cremaret seipsum. Et nunc hæc ipsa præstigiis adornat, follam, ut ajunt, fodiendo, & lingna componendo, ac miram tolerantiam promittendo. Verum mea sententia, erat illi mors omnino expectanda, nec è vita profugiendum. Sed si prorsus decrevisset mori, non igni, non tragico aliquo obitu fuerat utendum, sed cum innumeri sint mortis modi, alio selecto, è vita erat migrandum. Quod si tamen igne, tanquam re quapiam Herculea delectabatur, cur tandem non tacitè electo monte multis arboribus consito, in eo se solus cremavit, unum aliquem, utpote Theagenem hunc, Philoctetem assumendo? Sed hic in Olympia, frequente conventu, solum non in tabernaculo, torrebit seipsum, mehercle non immeritus, siquidem oportet ut parricidæ, & impii suorum flagitiorum dent pœnas. Sed hoc modo admodum serò id facere videtur, quem jamdudum oportebat conjectum in Phalaridis taurum, meritas pœnas luisse: at non semel habitu ad flammam diducto, momento expirare. Etenim hoc mihi plerique affirmant, nullum alium mortis modum esse velociorem, quam qui igni infertur: siquidem aperto duntaxat ore, anima efflatur protinus.

Hoc utique spectaculum comminiscitur, ut augustum, ut in sacro loco comburatur homo, in quo ne alios quidem defunctos sepelire liceret. Audivistis puto, ut etiam olim quidam cum celebris

vellet, nec alio modo voti compos fieri posset, Ephesiæ Dianæ templum incendit. Tale quid & iste excogitat: adeò inexpiabili amore gloræ tenebatur: quanquam ajebat se hominum gratia id facere, ut eos mortem contemnere, & res adversas fortiter ferre doceret. Ego autem libenter interrogarem non illum, sed vos, an etiam improbos velletis ejus discipulos fieri, qui tolerantiam hanc & mortis cõtemptum, & ærumnam, & id genus metus non horrere disceretis. At hæc sat scio nolletis. Quo pacto igitur discernit hoc Proteus, & viris bonis est profecturus, improbos verò periculorum amantiores, & audaciores non redditurus? Esto sanè ad hoc tantùm concursuros esse eos qui sunt ad utilitatem spectaturi.

Proinde vos iterum interrogabo, Cupitisne liberos vestros illius æmulos fieri? haudquaquam dicetis. Et cur hoc quærebam, siquidem neque ullus ex discipulis ejus ipsum imitari vellet? Quare hoc potissimum Theageni vitio verti potest, quòd cùm in aliis virum æmuletur, præceptorem non sequatur, & comes eat ad Herculem, ut ajunt, profecto: siquidem posset brevi fœlicissimus evadere, etiam se in ignem conjiciendo. Neque enim in pera, & baculo, tritòq; pallio sita est æmulatio: sed hæc tuta sunt, facilia, & cujusvis: finem ipsum, & caput æmulari oportet, & pyra ex truncis ficulneis, quàm maximè viridibus constructa, à fumo suffocari. Ignis enim ipse non solùm Herculi, & Æsculapio est proprius, sed etiam sacrilegis, & homicidis, quos ad eum judicio damnari videre est. Itaque satius sit per fumum mori: nam hoc vobis solis esset proprium. Præterea Hercules, si tale quid est ausus, morbi impatientia fecit, cum à Centauri sanguine, ut testatur tragœdia, exederetur. Sed hic quam ob causam seipsum in ignem conjicit? Per Jovem ut suam tolerantiam ostentet, veluti Brachmanes. Illis enim se Theagenes volebat assimilare: quasi verò non inveniantur etiã apud Indos, homines stulti, & inanis gloriæ cupidi. Attamen illos imitetur licet. Illi enim nõ insiliunt in ignem ut Onesicritus Alexandri gubernator, cum Calanum, ut ajunt, conflagrantem Vidisset: sed postquã rogum construxerint, immoti propè stantes, se assari patiẽter ferunt: deinde ordine dignitatis ingressi, uruntur, ne tantillum quidem ab accubitu se avertentes. Sed iste quid magni præstet, si ab igne in quem se conjecerit, correptus moriatur? Non à spe non resiliturum ipsum, & se miustum, nisi, quod ajunt, moliatur ut etiam in fovea, profunda fiat pyra.

Sunt quoque qui ipsum mutatum iri dicunt, & somnia quædam narrare, tanquam Jupiter non sit passurus ut sacrum locum contaminet. At bono sit animo quantum ad hoc attinet. Ego enim jurare non dubitarem, nullum ex Diis ægrè laturum si malè pereat Peregrinus. Enimvero non facile ipsi fuerit amplius emergere. Nam Cynici qui cum ipso versantur, incitant & impellunt in ignem, animumque succendunt, non sinentes formidare: ex quibus si duos secum in pyram irruens traheret, lepidum hoc solum faceret. Quin etiam inaudivi, eum nolle Proteum amplius appellari, sed Phœnicem se transnominasse, quod Phœnix avis Indica, senio confecta rogum conscendere dicatur. Sed & verba serit in vulgus, & prisca quædam oracula recensет, adeò ut necesse sit, ipsum noctis custodẽ Deum evasisse.

Jamque liquet eum aras cupere, & aureas sibi erectum iri, sperare. Ac per Jovem, absurdum non est inter tot stolidos repertum iri aliquos qui dicant se ipsum quartana liberatos, & noctu in Deum illum noctis custodem incidisse. Porrò execrandi isti ejus discipuli, etiam oraculum & adytum, opinor, supra pyram molientur, quia & Proteus ille Jove natus nominis hujus propater, vates erat. Testor etiam certò futurum ut sacerdotes illi constituantur, flagellorum, vel cauteriorum, aut cujuspiam hujusmodi monstrosæ rei: aut ut nocturna sacra, per Jovem, in ejus gratiam, & facis gestatio ad pyram instituantur. Cæterum Theagenes nuper, ut mihi quidam ex sociis retulit, etiam Sibyllam ait de his rebus esse vaticinatam: atque ipsos versus commemorabat.

Ast ubi jam Proteus Cynicos longe optimus inter,
Igni succesſo Iovis altitonantis ad ædem,
Inflammam insiliens, magnum concendet Olympum,
Tunc omnes quotquot fructu vescuntur agrorum,
Noctivagum, summumq; colant heroa jubemus,
Et cum Vulcano simul Alcidáq; sedentem.

Hæc quidem Theagenes ex Sibylla audisse se dicit. At illi Bacidis responsum super his referam. Ait autem ad hunc modum Bacis, admodum bene subdens.

Quum vario Cynicus cognomine proruet acrem
In flammam, à furiis vanum ob compulsus honorem,
Extincti tum sæva lupi, hunc quicunque sequuntur,
Vulpicanes alios imitari fata decebit.
At quicunque metu trepidus vitaverit ignem,
Protinus hunc saxis populus contundat Achivus,
Ne dum friget iners, teneat fervere loquela,
Usuram exercens, auri prædive pera,
In Patria numosus habens ter quinque talenta.

Quid vobis videtur viri? num deterior Sibylla vates esse Bacis? Sed jam tempus est admirandis Protei discipulis, circumspiciendi ubi se in aerem convertent. Nam hoc combustionem vocant. Cum hæc dixisset, exclamavit omnis circumstantium corona, Jam urantur, igne digiti. Atque hic quidem, descendit ridens. Porrò Nestorem, nempe Theagenem non latuit vociferatio: verùm audito clamore, venit illico. Cum ascendisset, vociferabatur, eumque qui descenderat innumeris maledictis insectabatur. Non enim scio quodnam illi optimo esset nomen. Cæterum ego relicto illo qui se vociferatione rumpebat, abibam visurus athletas. Jam enim certaminum judices in Circo esse dicebantur. Et hæc quidem acta sunt in Elide.

Postquam autem Olympiam venimus, plenum erat posticũ jacusatorum Protei, aut ejus instituti laudatorum: adeò ut plerique ipsorum venerint ad manus: donec adveniens ipse Proteus comite innumera multitudine, retro præconum certamen, quandam de se orationem habuit, narrans quomodo vixisset, quibus in periculis versatus esset, quotque molestias Philosophiæ causa pertulisset. Et multa quidem disseruit, verum audivi pauca præ circumstantium multitudine. Deinde metuens ne in tanta turba comprimerer, cum plerisque id accidere viderem, abivi, longum valere jubens sophistam illum mori gestientem, suiq; funeris epitaphium ante mortẽ recitantem.

Verum tunc magnum hoc audivi: quod diceret velle se aureæ vitæ, auream coronidem imponere. Par esse ut qui Herculeam vitam vixisset, Herculeam mortem oppeteret, & cum acre misceretur. Et volo, inquit, hominibus prodesse, ostendendo ipsis quo pacto mors sit contemnenda. Itaque oportet ut omnes homines Philoctetæ mihi fiant. Quare stultiores homines, flebant, & clamabant, serva te Græcis incolumem. Sed cordatiores exclamabant, perfice quæ decrevisti. Quibus ille senex non mediocriter est turbatus, cum speraret fore ut ab omnibus cohiberetur, nec eum in ignem immitterẽt, sed invitum in vita retinerent. Sed cum ipsi ex insperato accidisset, ut quæ decreverat, essent peragenda, magis expalluit & cũ jam mortui colorem præ se ferret, Per Jovem etiam subtrepidavit. Itaque finem dicendi fecit. Quantum autem ego riserim, opinor, conjicis. Neque enim commiseratione dignus erat homo ita miserè supra omnes gloriæ cupidus, quotquot hac pœna exagitantur. A multis tamen deducebatur, & gloria saturabatur conversis ad multitudinem admirantium oculis, nescius miser ille, multo plures sequi eos qui ad crucem ducuntur, & à carnifice tenentur.

Et jam olympia finem habebant, quæ quatuor illorum quæ vidi Olympiorum fuerunt pulcherrima: quum ego (non enim multis simul abeuntibus currum habere licebat) invitus relinquebar. Ille verò semper differens, noctu tandem prænonuit, se combustionẽ sui spectandam exhibiturum. Et cum quidam ex sociis circa mediã noctem experrectum me assumpsisset, ad Harpiam, ubi erat rogus, recta contendi. Erant integra viginti stadia, ab Olympia per hippodromum, ad auroram euntibus. Et quumprimum advenimus, deprehendimus pyram in profundo congestam ad ulnæ circiter modum profundam. Crebræ inerant faces, eratque sarmentis referta, ut citissimè conflagraret. Et postquam exorta est luna, quam etiam pulcherrimi hujus facinoris spectatricem esse oportebat, prodit ille eo quo semper solebat modo exornatus, & cum ipso Cynicorum agmina: & potissimum generosus ille Patrianus, facem tenens, nõ malus secundarum partium actor. Facem quoque gestabat Proteus: & accedentes, alius alia ex parte, ignem maximum, utpote ex facibus & sarmentis accenderunt.

Hic vero, & jam mihi mentem penitus adverte, depositа pera, lacero pallio, herculeaque illa clava, stetit in amiculo plane sordido. Deinde postulato thure, quod in ignem injiceret, acceptum à quodam, injecit, & ad meridiem respiciens (etenim meridies etiam ad tragædiam hanc pertinebat) dixit O materni, paternique dæmones, excipite me propitii. Quibus dictis in ignem insiliit: nec visus est amplius, sed à flamma, quæ se magnam attollebat, est circunfusus. Iterum video te ridentem, egregie Cronie, fabulæ catastrophe. Ego autem per Jovem, non magno vertebam vitio ipsi quod maternos dæmonas inclamaret. Sed quando patrios quoq; invocavit, recordatus eorum quæ de cæde patris dicta sunt, non potui risũ continere. Porro Cynici rogum circumstantes, non flebant quidem: sed silentio mœrorem quendam præse ferebant, ignem inspiciẽtes, donec odore male affectus, abeamus inquam ô stolidi. Non enim jucundum est spectaculum senem torrefactum videre, cum nidore malo impleatur. An expectatis dum adveniat pictor qui vos depingat, quales in carcere Socrati amicos appingũt? Illi autem indignabantur, meque convitiis proscindebant: nonnulli etiam ad fustes venerunt. Sed postquam minatus sum me correptos aliquos conjecturum in ignem, ut præceptorem sequerentur destiterunt, & pacem egerunt.

Ego autem revertens, variis modis, amice, apud me cogitabam de gloriæ amore, qualis ille sit reputans, quam solus hic amator sit inevitabilis, etiam iis qui admirãdi esse censentur: nedũ illi viro, qui inter cætera stolidè & insipiẽter vixit, & ita ut igne nõ esset indignus. Exinde in multos incidebam qui spectatum ibant, cum putaret fore ut eum adhuc vivum invenirent. Nam hoc pridie divulgatum erat, cum salutato sole oriente, quemadmodũ Brachmanas factitare dicunt, pyram conscensurum. Itaque plerosq; illorum ab incepto itinere averti, dicens rem omnem esse jam confectam: quibus ne hoc ipsum quidem diligentia dignum erat, vel ut locum ipsum viderẽt, & aliquas ignis reliquias invenirent. Hic amice, infinita negotia habebam, dum omnibus inquirentibus, & accuratè percontantibus differebam.

Quod si gratum aliquẽ vidissem, eorũ quæ gesta erant, vel tenuissima, quemadmodũ tibi, exponebã. Sed stupidis, & narrationi inhiantibus, tragicũ aliquid cõminiscebar, ut postquã incensa est pyra, seq; in ignẽ conjecit Proteus, magno rerræ motu prius orta cummugitu, vultur è media flamma subvolãs, in cœlum abiit, magna voce

humana

humana dicens, Reliqui terram, in Olympum commigro. Proinde obstupescebant illi, & subhorrescentes adorabant: & querebant ex me, utrum an ad ortũ, ad occasum subductus esset vultur: ego verò quicquid succurrebat, iis respondebam. Porro profectus ad celebritatem, incidi in virum canum, ac per Jovem cui vultus authoritatem pariebat, ob barbam, reliquamque gravitatem, quique inter cætera de Proteo narrabat, se postquam conflagrasset, conspexisse eum paulò antè alba veste amictum, & nunc reliquisse ambulantẽ hilari vultu in Heptaphono Stoa, & oleastri corona redimitum. Postremo addidit, vulturem dejerans, se ex pyra subvolantem conspexisse, quem ego paulo ante volare omisi, stultos, stupidòsque deridentem.

Cæterũ considera, quæ propter ipsum verisimile est futura. Quales apes locum non sunt frequentaturæ, quæ cicadæ non accessuræ, quæ cornices non advolaturæ, quemadmodum ad sepulchrum Hesiodi, & similia? Imagines enim ab Eleis ipsis, cæterisque Græcis, quibus etiam scripisse dicebat, scio multas protinus erectum iri. Ajunt autem ipsum omnibus ferme celebrioribus civitatibus epistolas misisse, testamenta quædam, admonitiones, & leges. Et quosdam ex sociis ad hæc legatos designavit, quos mortui nuntios, & Orci cursores appellavit. Hic finis fuit infœlicis illius Protei, viri, ut paucis perstringam, qui veritatis rationem nullam unquam habuit: sed ad gloriam, laudemque à vulgo reportandam omnia semper dixit, & fecit, adeo ut in ignem quoque insilierit, tum quum neque laudibus erat fruiturus, dempto illi à morte sensu.

Uno adhuc tibi narrato, finem faciam, quo habeas unde abunde rideas. Illa enim jamdudum nosti, siquidem me, quumprimum ex Syria veni, narrantem audivisti, ut à Troade cum ipso navigarim, aliaque inter navigandum delitias, & formosum adolescentem, cui persuasit ut Cynicæ sectæ se addiceret, videlicet, ut esset etiam ipsi Alcibiades: utque noctu perturbatus fuerit medio in Ægæo, caligine oborta, & fluctum ingentem excitante, utque cum mulieribus plorarit admirandus ille, & qui morte potior videbatur. Sed paulo ante obitum, dies circiter novem, cum plus æquo, ut opinor, commedisset, evomuit noctu, & febre admodum vehementi est correptus. Quæ mihi medicus Alexander narravit, ad eum visendũ accersitus. Ait ergo se illum semet humi volutantem invenisse, atque æstum non ferentem, & frigidam magno desiderio postulantem, se autem non dedisse: at ipsi dixisse, si omnino mortem optaret, illam ultro ad januam esse venturam: ita ut rectè haberet eam sequi, igne nihil indigens. Eum autem respondisse, hunc mortis modum, cum sit omnibus communis, non fore perinde gloriosum. Hæc quide Alexander. Cæterum ego, neque ipse ante paucos dies vidi ipsum acri pharmaco unctum, ut lachrymas cieret, Viden: Non omnino exercutientes Æacus admittit. Perinde ac si quis in crucem ascenturus, digiti vulnusculo medeatur. Quid tibi videtur facturus fuisse Democritus, si hæc vidisset? meritò virum irrisisset. Quanquam unde tantus illi risus suppetivisset? Proinde, amice, ride tu quoque: & tum maximè quum audies alios eum admirantes. *De morte Peregr.*

Dio Prusæus: Plurimorũ hominũ animi ita nimis gloria sunt corrupti, ut magis cupiant celebres esse vel maximis calamitatib. quã nihil perpeti mali, & in obscuro esse. Ipsosq; puto Argivos non aliter velle facta esse ea quæ de Thyeste, & Atreo & Pelopidis narrantur: verùm vehementer excandescere, si quis redarguat Tragœdiarum fabulas, dicens, neque Thyestem rem habuisse cum Atrei conjuge, neque illũ occidisse fratris liberos, neque detruncatis membris convivio excipisse Tyesten, & Orestem propria manu peremisse matrem. Hæc omnia si quis diceret, ægrè ferrent, quasi convitiis prosciss. Hoc ipso vero non & Thebanos affectos fore reor, si quis ea quæ apud eos accidisse dicuntur infortunia falsa demonstret, nempe qui neque Oedipus occiderit parentem, neque cum matre concubuerit, neque semet excæcaverit, neque illius nlii mutua ante muros cæde mortui sint: neque Sphingem advenisse, atque illorum liberos devorasse ostendat. Verum lætantur contrarium audientes: nempe Sphingem ipsis immissam Junonis ob iram, & Laium à filio interfectum, & Oedipodem iis factis passisque cæcum errasse: & antea, alterius ipsorum regis, civitatisque conditoris, Amphionis filios omnium hominum formosissimas, sagittis occisos ab Apolline & Diana. & eos qui hæc vel tibia, vel voce. apud ipsos canunt in theatro, sufferunt; proponuntque præmia eis qui quam miserabilissimè dixerint de his, aut tibiis cecinerint. dicentem autem, nihil horum factum esse, eiciunt. huc insaniæ quamplurimi pervenere, atque ita prorsus eorum fastus obtinuit. Concupiscunt enim quamplurimos de se fieri sermones: quales autem tandem, nihil eis curæ est. Interea tamen ipsi atrocia pati nolunt ob timiditatem, reformidantes mortes & dolores: quasi autem passi sint, commemorare magni æstimant. *Oratione undecima, qua ostendit Trojam non esse captam.*

Dio Prusæus: Metuo, nec quando frustra de me socii hanc opinionem videantur suscepisse, quasi optimus sim, & sapientissimus Græcorum Et quidem quæ, qualiusve ea sapientia atque prudentia est, ob quam quis cogatur plus quam alii Græci, laboris capere, communi pro salute & victoria: quum liceat unum existimatum e vulgo, nullo optimatum minus, in his obtinere? At difficile est invenire magnanimos ita, atque gloriæ cupidos viros, qui non magis & arduis in rebus versari velint. Claros enim, inq; magnis suscipiendis audaces, ferè omnes admiramur, & revera viros existimamus. Qua gloriæ cupiditate & ego adducor, ut plura habeam negocia, vitamq; laboriosius, quam quivis alius: semper novum aliquod aggrediens discrimẽ, ne celebre ob gesta nomen disperdam, *Orat. 60.*

Dio Prusæus: Sunt qui avaros, aut gulosos, aut vinolentos, aut circa mulieres atq; pueros attonitos, luxuriosos atque infelices appellent: atq; hoc cujusq; maximum existimant opprobriũ, ambitiosos autẽ, & gloriæ cupidos, è contrario laudent ut splendidos. Itaq; & illorum quisq; qui gulæ, aut compotationib. aut cujusquã amori indulget, erubescit, operitq; incontinentiam: gloriæ vero deditus, atq; ambitiosus, hominum neminem vult latere, sed in medio hæc facit. Quisq; enim ex vulgo talen morbum laudibus prosequitur, existimans ipsi profuturũ. Et publice omnes propemodũ civitates escas repererunt omnifarias pro fatuis, nempe coronas, primos locos præconiaq;. Quapropter quosdam jam hæc concupiscentes, miseros atq; pauperes effecerunt, quũ nihil magnum porrigerẽt, neq; admirandum, sed quosdam fronde viridi circumducerent tanquam oves, vel coronam aliquam aut mitram injicientes. Proinde hujusmodi homo, quum sibi liceret sexcentas gratis habere coronas, non solum ex oliva aut quercu, sed etiam ex hedera atq; myrto, nõ nunquam domum suam tradit & prædia, deinde circumit famelicus, viliq; tectus palliolo. At præconiis, ajunt, celebratur a civibus. Sed quemadmodũ perditum mancipium. Quare meritò utuntur ad electiones fronde oleo, eo quod natura sit amara. Gloriæ avidos plebes ex agris ejiciunt clamore atq; strepitu quemadmodum opinor sturnos ejiciunt agricolæ. At hi quidem ad modicum tempus ceduntillis autem in sua nullus patet reditus, sed circumeunt paulo post mẽdici, quos nemo videns amplius compellaverit, ex his qui antea tantum non laudando sunt dirupti.

Tanta est fastus vis, ut à barbaris emas duabus aut tribus minis pulchram purpuram, si vero eam publicitus velis, multis plane talẽtis venalis est. Et mitras ex foro paucis drachmis mercari possis: at vero ex concione, totis nonnunquam facultatib. Et eos qui in foro prædicantur, cuncti censent esse miseros, qui vero in theatro, beatos. Et illos quidẽ prædicari dicunt, has aut deprædicari, videlicet ut propter unam syllabam sit differentia. Ita valde aũt homines à superioribus contempti sunt, cõspecta eorum stoliditate, aut maximis pro laborib. & plagis, folia proposuerint. Attamen sunt, qui horum gratia mori proponant, Caprarum autem nulla fecisse daret præcipitem oleastri gratia, ne tum quidem, quum nulla supperterent alia pascua. Quanquam oleaster non injucundus est capris, homo autem edere non posset. Et Isthmicam pinum, nihil aliis viridiorem, cum multo labore magnisq; malis auferunt, plurimum nonnunquam argenti expendentes, atq; hoc, quum illa plantula nullam habeat utilitatẽ: neq; enim umbram facere, neq; fructum reddere potest, foliumq; ejus est acutum & fumosum. at pro Megarensi pinu primo se verteret. Et si quispiam alius caput non contractum fasciis obligaret, derideretur, regib. autem id decorum putant, multaq; hominum millia occubuerunt pro illo linteolo. Sane quod propter auream ovem vastata sit tanta Pelopis domus, Tragœdi dicunt. Et jugulati sunt Thyestæ liberi, cum Pelopia vero pater rem habuit, & procreavit Ægysthum. hic a. cum Clytemnestra occidit Agamemnonem, Achivorum pastorẽ, illos vero Orestes filius, quo facto, statim furore correptus est. Hæc a. non æquũ est nõ credere, quæ & à Iris scripta sunt non vulgarib. Euripide atq; Sophocle, & in mediis dicuntur theatris. Præterea videre licet & aliam domum contritam, locupletiorem illa propter linguam, atq; hercle adhuc aliam periclitari.

Quum autem talia circa gloriam versentur, aliaq; sexcẽta absurdiora, quomodo non omni à parte difficiliorem habet cõditionem qui ei inhiant, quam qui ad aliud quodcunq; obstupescit? Ganeonẽ unus piscis implet, nemq; eum inimicorum lætari prohibuerit, similiter qui erga pueros misere affectus est, si in Romanum incidas, unus eum sanare poterit, frequenter etiam propemodum occidit. Vinolentus una Thasii amphora impleri potest, atque bibens dormit, Endymione jucundius. Gloriæ autem cupido nemo laudans sufficerit, immo interdum ne mille quidem. Quod quidem facilius sit vel sævissimum adolescentulum vincere, quam modestissimam plebem, quis non dicat?

Quanto enim magis processerit glorię studium. tanto magis somnum capere non datur, sed quemadmodum phrenitide laborantes, ita hic semper est suspensus noctu atq; interdiu. Atque hercle illorum unumquemq; videre licet circa vinum & amicas atq; propinas versari, tali autem nonne necesse est multa emere obsonia, multumq; vini, tum tibicines & mimos, & citharistas & præstigiatores congregare, insuper & pugiles & pancratiastas, & jaculatores & cursores, & hujusmodi gentem, si quidem multitudinem non male neque sordide convivio excepturus est? Talis enim nullus unquam ganeo fuit, qui concupiverit Leonem agrestem, aut tauros centum.

Qui vero vulgo placere volunt, non hæc solum concupiscunt, sed quantum ne dici quidem potest. Non enim paucis (ut ajunt) funiculis, neque duabus aut tribus meretricibus neque decem Lesbiis capitur gloria, totaq; plebs ad persuasionem amcitiamque ducitur, quum sexcenti adversentur, sed necesse est ut civitatis intemperantiam habeat, canticorum & chorearum amantem. & potatorem atque helluonem, atque omnia talia, non ut unum virum, sed decem aut viginti, aut centum millia, aut injuriam sibi factam dicent ab amatore civitatis. Semper ergo apud hujusmodi hominẽ deprehendas tibiarum atque fistularum sonum, hominumque tumultum, præstoque sunt mensę plenę cibi & carnium, vinum autẽ in crateribus afferunt pocillatores, domusq; renidet & circumgemit aula, noctu quoque cum castis conjugibus nunquam dormiunt, etiam si admodum multos tapetas substernant.

Itaque

Itaque puerorum amatores vehementer puto semetipsos censere beatos, quum se gloriæ comparant amatoribus, quum ipsi quidem coturnices, aut bonosas, aut luscinias nidum quærant: gloriæ verò amatoribus necesse sit vicissim pullum quærere, aut quempiã Olympicorum victorem quinque conducere talentis. Et illi quidem aut pædagogum aut famulum pascunt: hi verò nisi minimum quotidie centum magnifice convivio accipiant, nullam consequũtur utilitatem. Aegrotantes ut silentium habeant, procurant medici, ut dormire possint. gloriæ autem amatoribus si contigerit silentium, tunc maximè somnum non capiunt.

Qui igitur pecunias aut clarum genus nacti sunt, aut aliquod corporis aut animi donum, aut loquentiam aliquam acquisiverũt, quasi elati tantum non ad astra tolluntur, oratoresq; & hospitum exceptores sophistæque appellati, plebes & satrapas & discipulos venantur. Aliorum autem qui nihil possunt erogare, atque eodem tamen morbo detinentur, unusquisq, circumit ad alterius vivens nutum, & quid quisque de se loquatur curans. Et si quis laudaverit (ut ipse putat) beatus est & alacris: sin minus, humilis & mœstus: talemque se esse arbitratur, qualem quisque dixerit. Et si judicium arbitrarium aut legitimum cum quoquam habeat, non dignũ putat arbitrium aut judicem fidem civitatis habere testibus, sed semet pro se fide dignissimum arbitratur. Quid vero infelicius hominibus qui aliis inituntur, & quemvis obvium, dominum habent, ad quẽ respicere illis est necesse: & cujusque vultum cõsiderare, quemadmodum servis dominorum.

Omnis quidem servitus difficilis est: qui vero forte fortuna in eadem domo serviunt, in qua duo vel tres sunt domini, præsertim ætate & natura differentes, ut senex liberalis, & hujus pueri adolescentes, bibere & dilapidare volentes, quis non eos cæteris servis cõfiteatur esse miseriores, quum tot oporteat dominis inservire, & horum, cuique aliud quid volenti atque mandanti? Si vero quis publicus sit servus senum & adolescentum, pauperum & divitum, prodigorum & avarorum, qualem tandem hujusmodi servum esse oporteret?

Arbitror autem, si quis pecunias habens, in tali civitate cogatur degere, ubi liceat omnibus rapere quæ vicinus habeat, idque nulla prohibeat lex, confestim haud dubie illum pecuniæ defecerint, etiamsi avaritia omnes qui unquam vixerunt superasset. Hoc autem jam circa gloriam contingit. Permittitur enim cuique volenti damno circa eam afficere quemlibet, & civi & hospiti & inquilino. Ignominia notatis, rationabiliter vita invisa esse videtur, multoque magis mori eligunt quam vivere: hanc dantes pœnam, quod cuilibet volenti ipsos verberare licet: & nulla herele pœna est constituta lacessentibus. Atqui gloriæ cupidũ omnibus licet verberare multoque sævioribus plagis quam quæ corpori infliguntur. Quanquã ignominia notatos haud facile invenias à quoquam id pati. pleriq; enim Nemesin atque invidiam metuunt, postremo ab infirmioribus nullum illis est periculum. At male dicere iis qui maxime videtur glorioso, nemo parcit: neque tam invalidus quisquam est, qui non verbum dicere possit. Quapropter modestus quidam ex antiquis, assidue quodam tales proferente sermones. Nisi quieveris male audies à me: Et ego (inquit) pro te male audiam. Melius autem fortasse erat, etiamsi quid dixisset, initio dissimulare.

Servum sæpenumero remissum & ludentem, herus superveniens plorare facit: eum autem qui gloriam aucupatur, omnis qui vult ab animo deiicit uno verbo. Si quis incantationes ejusmodi nosset aut acceptas à Medea, aut à Thessalis, ut vocem emittens quoscunque vellet homines plorare faceret, & doloribus adici, nullo malo præsente, nonne videretur tyrannis esse illius potentia? At adversus gloria inflatum, nemo est qui non hanc habeat potentiam. Duo enim aut tria dicens verba, in calamitatem & tristiciam iniicit. Quinetiã si quis tale corpus à Genio quodam habeat, ut quum quis ipsum execraretur, statim febri laboraret, aut doleret caput: hic certe miserrimis esset miserior. Si quis etiam ita infirmum habeat animum, ut ad cujusque convicia statim commoveatur, ut non sit apud se, quomodo non homini hujusmodi fugienda esset vita? Si quis etiam quotidie judicum sententiis esset obnoxius de quacunque re, aut de vita, aut de pecuniis: nonne omni ex parte satius eam amittere, & non amplius in posterum periclitari, si de pecuniis, pecunias: sin vero de vita, vitam? quid ergo? Gloriæ certamen nonne semper fatuis hominibus instat, qui non semel tantum in die, sed sæpius judicantur: neque à declaratis judicibus, sed ab omnibus simpliciter, & his injuratis, neque testium neque indiciorum curam habentibus. Neque enim scientes, neque audientes, neque sortientes judicant, nihilque illorum refert an bibentes an lavantes sententiã ferant: & quod omnium est acerbissimum, quem hodie absolvunt, cras condemnant. Proinde necesse est hoc morbo laborantem, sententiis omnium obnoxium circumire, & attendere unicuique, metuereque ne quem nolens aut volens offendat, & præcipue promptum aliquem, aut facetum. Nam si vel modicum (qualia multa usuveniũt) quempiam offendat, is statim molestum emittit verbum: atque id dicens, si quidem aliquo modo non tetigit, minus conturbat: sin vero tetigit vivum, confestim jugulavit. Multi enim ita affecti sunt, ut ab omni subvertantur atque laxentur. Quin etiam interdum alia super aliis plus valent: sicuti, opinor, puerorum quisque suo modo terriculamenta metuit, atque timere assuetus est. Qui enim natura timidi sunt, ob unumquodque tanquam terribile ostensum, clamant. Veruntamen super hæc majora, jam aliqua verba sunt in usu contra quosdam. Mendicum enim arrogantem, viderique volẽtem Crœsum, de mentis statu dejicit Irus: & neque Odysseja legit, propter illud,

Natus ad hæc cunctis venit mendicus in urbe.

Eum autem qui natus est ex servis, Cecrops: eum qui simplici est facie, vultque esse pulcher, Thersites. Nam si in gulosum aut avarum velis invehi, aut cinædum, aut omnino pravum, dicasque. Hic est qui ob temperantiam comam nutrit, virtutemque sibi habet addictam, totum perdidisti. Perseus caput Gorgus circumferens, idque inimicis monstrans, lapides faciebat: multi autem ob unum verbũ, quod audiunt, lapides fiunt: atque hoc non opus est in pera custoditum circumferre.

Verum age: si & avium voces intelligeremus, nempe corvorum, graculorum, atque aliorum animantium, nempe ranarum aut cicadarum, haud dubiè & horum vocibus animum animadverteremus, quidnam de nobis diceret graculus volans, aut pica, & quam de nobis haberent opinionem. Felicitas ergo quædam est, quod nõ intelligimus. Quot vero homines ranis sunt insipientiores, & graculis? illorũ nos tamen verba movẽt, prorsusq; male afficiunt.

At sanè qui sese manu misit, non curat vulgi nugas, sed illius loquacitatem deridet, jamque olim ad omnes dixit illud.

Non curo prorsus: mihi sed tua plaga perinde est.
At me jaceret mulier, demensue puellus.
Namque viri ignavi, precipitesque ad prælia planè
Nullius, haud ladit telum. ——

Herculem illum Jovis filium, quot putas esse execratos? Atque ab his quidem furem, ab illis autem violentum, ab aliis vero adulterũ aut parricidam dictum? Attamen nihil horum illi curæ fuit: neque fortasse quispiam talia propalam dixit, quia statim utique dedisset pœnas. Ergo & tu, nisi contemptis aliis, tibimet ipsi credideris, nunquam cessabis infeliciter agere: sed semper miseram vives vitam atque difficilem, omnibus subjectus qui te volent urere: atque ita juxta proverbium, leporis vitam ages. At illi quidẽ canes & plagas & venatores metunt: tu vero sermones formidans atque tremens & circumibis, nulla te custodia munire valens, quicquid etiam facias, quomodocunq; etiã vivas. Verũ si assidue veneris ad forũ, audies forensis & sycophanta: sin autẽ contrariũ studueris, atq; vitaveris illud, magisq; domi manseris, & apud tuos, timidus & plebeius, & nullius precii audies. Si vero eruditionem ambieris, stolidus & mollis: sin tead opificiũ verteris aliquod, cerdo. Sin ocii egeris, petulãs & segnis, si vestitũ sumpseris molliorem, arrogans & delicios̃us, si nudus incesseris in palliolo, dicent te insanire. Socratẽ dixerunt corrumpere iuvenes, & impiũ esse adversus Deos, & non solũ hæc dixerunt (minus enim hoc fuisset damni) verũ etiã occiderũt eum, pœnas sumentes, quod nudis pedibus incessisset. Aristidem ostracismo ejecerunt Athenienses, tametsi optime scirent justum esse.

Quid opus est gloriam concupiscere, quam etsi frequenter nactus sis, non bene frequenter tamen cedit, sed eam sæpe vitare convenit, quamvis facile alicui obtingere queat? Bioni visum est, fieri non posse ut quis multis placeat, nisi placenta fiat aut vinum Thasium, fatue, ut mihi videtur. Sæpenumero enim in decem hominum cœna, placenta non omnibus placuit, sed hic eam esse dicit frigidam, ille vero calidam, alius minus dulcem. Nisi hoc vult Bion, quod eum fieri oporteat placentam & frigidam, & calidam marcidamq;. In universum autẽ res ita non habent, neq; in placenta. cur ita? quoniam etiam unguentum oportet & tibicinas eum fieri, & adolescentulum formosum, & Philippum scurram. Unum autem fortasse deest quod eum fieri oporteat, qui multis velit placere, nempe argentum. At ne si argentum quidem quis fiat, statim placet, sed perturbari oportet, & morderi. Quid igitur amplius persequeris ô infelix, rem incomprehensibilem? Neq; enim unguentum, neq; corona, neque vinum unquam fieri poteris, neq; argentum. Et si argẽtum quis fiat aurum tamen precios̃ius est, & si aurum, coqui oportebit. Hoc enim quo quisq; divitum excellit, simile est numismati. Nam & hoc laudat quidem nemo, utitur autem quisq; qui accipit, deinde ac utentibus atteritur, & postremo inter reprobata numeratur. Ita ergo & gloriæ cupidus tandem inter pauperes & reprobatos collocatur, nemoq; talem amplius convenit qui prius sunt admirati. sed neq; huc redactus, gloriæ abjicit cupiditatem.

Tragœdiorum furiis gloria par est: nam, quod in ea clarum apparet, simile est lampadi; flagellum autem, plausibus quis opinor & clamori vulgi comparare queat, serpentibus autem, eos qui interdum sibilant. Frequenter ergo aliquem quietum, atq; omni malo liberum, rapit, & flagello insonans, in cõventum aliquem aut theatrum injicit. *Orat. 66. quæ est de Gloria prior.*

Dio Prusæus: Quanam re tibi maxime videtur vir temperatus & philosophus, à vobis plebeis & impetu ad quævis raptis differre? Mihi quidem, si ita utiliter atque insciter pronunciandum est, veritate videtur, atque scientia differre philosophus, non solum à vulgo, sed etiam ab admodum paucis qui beati existimantur. Revera sane hoc dictum & utile & insc̃itum est. atque hoc mihi dicas per Deos, alia ne re quadam philosophum differre ais ab aliis? Hoc quoque, quod singula juxta veritatem, non juxta opinionem consideret. Malo enim, ô bone, canone prorsus id faceret, & usquequaque curuo, atque per Jovem non unã tantum flexurã habenti, sed sexcentas, easque omnes contrarias, si res statera opinionis conare-

conaretur examinare. Utrum igitur alia quidem omnia ad veritatem considerat, opinionem nusquam adferens, ut mendacem videlicet, & quæ ponderari non possit, observatq; canonem talem, qualem modo dixisti: ipse autem se metipsum hac regula, hocque perpendiculo examinari indignum putat? Non hercle. Nequaquam. Manifestum enim quod nequaquam se metipsum cognosceret, si ita consideraret. Neque enim seipsum noscere posset. Itaq; jam non pareret Delphico oraculo, præ omnibus jubenti Seipsum cognoscere? Quomodo enim pareret? Proinde neq; aliam rem ullam cognoscet, seipsum ignorans; neq; poterit ad veritatem examinare quicquam, in præcipuo delinquens? Omnino sane. Valere ergo sinet honores & ignominias, & vituperium & laudem, à stolidis hominibus sive multi fuerint, sive pauci quidem, sed fortes atque divites.

Gloriam autem, quæ dicitur, arbitrabitur nihil ab umbra differre, cernens à magnis parvam fieri, atq; à parvis magnam: frequenter etiam ab isdem modo majorem, modo minorem. Non prorsus male mihi videtur assimilare. Si quis igitur foret talis homo, qui viveret ad suam umbram, nempe ut ea aucta efferretur atq; gloriaretur, diisque sacrificaret ipse, & juberet amicos: breviore autem facta cõtristaretur, dejectioriq; videretur animi, tantoq; magis, quãto ea minor fieret, quasi ipse deficiens, admirabilem opinor exhiberet conversationem. Haud multo utiq; esset Margite sapientior, qui ducta uxore, nesciebat ea uti oportere. Eadem enim die nunc quidem mœstus esset, nunc autem gauderet. Mane quidem quum umbram videret matutinam valde prolixam, atq; cypressis turribusq; in mœnibus ferè majorem, haud dubium quin gauderet, quasi ipse repentè compar factus esset Aloidis, atq; in forũ vaderet, & in theatra, inq; omnia civitatis loca, quo ab omnibus conspici posset. Circa meridiem vero inciperet mœstior seipso fieri, atq; secederet. At in meridie erubesceret ab ullo homine conspici, domique maneret clausus, conspecta in pedibus umbra. Postea vero circa crepusculum, rediret ad se, fieretq; superbior semper ad vesperam. Prorsus mihi videris absurdã affectionem, virumq; effingere stolidum. Quare is qui gloriæ animum advertit, nihil est melior, sed multo miserior. Nonnunquam enim die sæpius immutaretur: neq; quemadmodũ ille in certis quibusdam horis, sed etiam mane, & circa crepusculum, nihil prohiberet, quo minus hominum esset infortunatissimus. Nunc enim impetu ferretur, volaretq; altius nubibus, si qui testimonium illi perhibuissent, illumq; laudassent: nunc autem contraheretur, abjicerẽtq; animum. Multoq; plura incrementa atque decrementa illius susciperet animus, ut mihi videtur, quam luna. Nonne ergo miseriore sortem, fatumq; sortitus est multo infelicius, quam ajunt Meleagrum illum Altheæ & Oenei filium sortitum fuisse, cui torrem quendam dicunt fuisse repositum, pro vitæ tempore: & dum ille luceret, ignisq; in eo duraret, tanti per vixisse illum, ac viguisse: rabescente autem torre, & Meleagrum defecisse ægritudine & angore: atq; tandem extincto, in fata concessisse? *Orat. 67. quæ est alter de Gloria.*

Dio Prusæus: Quibuscunq; vulgares student omnes, & quæcunq; sectantur, nihil eorum sciunt quale sit, quamq; habeat utilitatem, sed ab opinione, aut voluptate, aut consuetudine ad ea ducuntur. Neq; rursum à quibuscunq; abstinent, quæq; vitant facere, ideo vitant quod noxia sciant, aut quod damnum soleant dare, sed quia alios vitare cernant, aut ex consuetudine eo sunt adducti ut vitent, aut quia existiment injucunda sibi fore, & laborem habere aliquem aut laborem attinet, omnibus commune est: sed hi quidem minus, illi vero magis afficiuntur, quod autem ad opinionem, dissimile est, & non idem omnibus. Unde hi quidem hæc, illi vero alia laudant & vituperant, nonnunquam & contraria. Verbi gratia, dolet Indus & Lacon, vulneratus aut ustus, & Phryx & Lydus: sed illi quidem dolori non cedunt, eo quod sint exercitati: hi vero cedunt, quod & infirmi atq; inexercitati sint. Rursum delectari quidem rebus Venereis, ac cibis potibusq; suavius necesse est. Jonem & Thessalum atq; Italum, & Getam & Indum atq; Spartanum: sed hi quidem non admodum curant suavia, principia autem ne tentant quidem absentia: illi vero majore pro delectatione etiam mori eligerent.

Opinionis autem res maxime varia esse videtur, & plurima atque maxima in hac est differentia. Et propterea in nullo animantiũ genere invenias tantam seditionem, neq; sibi adeo adversum ullum genus: nempe equorum aut canum, aut Leonum aut cervorũ, sed nutriuntur similiter, & generant & alunt, atq; eadem appetunt, atq; ab iisdem abstinent. Unum enim suave sectantur fere, & tristia fugiũt. Homo autem prudentia præditus natura est, ea autẽ destitutus propter perversitatem atq; socordiam, opinionis & erroris intus plenus est, atq; in omnibus inter se dissident, & de vestitu & de cibo, & de venereis, deq; honore, deq; ignominia, gentes & civitates. Pari modo & in civitate quisq; sua habet studia, hic quidem ut terrã quam plurimam possideat, ille autem argẽtum, alius mancipia, alius vero hæc universa, atq; hic quidem studet ut ob dicendi vim sit admirationi, atq; ideo plus aliis valet, ille autem rursus hoc solum ut eloquens sit, atq; experientiam circa rem amat, alius vero ob aliud aliquid multũ valeat. aliis autem quam plurimis deliciis dat operam. Horum igitur (ut dicebam) nihil recte facere possunt, ne hi quidem qui optimis studere existimantur. Non enim quicquã eligunt scientes quid melius aut pejus sit, aut utile. Quisquis autem concupivit prudentiam, idq; statuit, quod oporteat ipsum sui cura habita, atq; disciplina aliqua eruditum, bonum fieri virum, vulgoq; præstantiorem: hunc ego ajo, bonam nactum esse indolem, animumq; consimilem. Spes enim est, quærentem disciplinisq; vacantem, inventurum id quod oportet, simulq; ad aliquid oculos habentem intentos, spectantemq; cujus nam gratia cætera omnia facere conveniat, atq; administrare.

Qui autem hoc intelligit, omnia jam bene conficeret, & quæ magna videntur, & quæ parva: & sive equestris rei studeat certamini, sive Musicæ, sive agriculturæ navet operam, sive exercitum regere velit, aut aliis fungi magistratibus. aut alia ad rempublicam pertinentia in civitate facere, rectè omnia fecerit, in nulloq; erraverit. Absq; hoc autem, juxta opera quidem singula interdum & sibi & aliis apparere poterit optime facere, ut si agriculturæ studens fructus acquirat copiosos, aut equitãs aliis peritior sit, sive in Musica satis doctus, certansq; possit adversarios vincere, in universis autẽ utiq; erraret ad nullum bonum, neque ex operatione ullam perciperet utilitatẽ.

Non igitur quis est feliciter agere, absq; cognito scopo: quemadmodum neq; bene navigare quis potest, nesciens quo naviget, sed frustra in pelago huc illuc capitur, nunc quidem recte eunte navi, si ita fortuna ferat, nunc vero declinante, & nunc quidem secundo ferente vento, rursus autẽ contrario. Convenit autem, quemadmodũ in lyra medio sono aptato, deinde ad hunc alios faciunt congruere, sin minus, nullam unquam harmoniam ostentant, ita etiam in vita optimo intellecto, eoq; designato termino, ad eum omnia facere, sin minus, incongruam ipsis & dissonam fieri vitam par est. *Orat. 68 quæ est tertia de gloria.*

Libanius: At dicet, omnia cedere gloriæ: cæterum in corona gloriam sitam esse. Fastu inflatorum, fili mi, hæc verba sunt, hæ superbientium voces; hæc dicta sunt inani gloria tumentium, in quibus nihil, præter buccas inflatas, repereris: intus autem jejunam famem. illi hæc te docuerunt, propter illos mente captus es. hoc ærumnosos quoq; athletas profligavit: qui cum audivissent oleastrũ aliud quiddam esse quam oleastrum, tumoribus ac vulneribus gravati revertuntur: ac paulo post mendicantes sordide victitant. Quid autẽ gloria ridiculũ magis? quã ne oculis quidẽ cernere licet, ne manib. contrectare? Agedum, ut ostendo tibi argentũ, & statueres, & omnẽ omnino supellectilẽ quam domi habere licet, & peregre euntẽ transferre: sic indica mihi in qua crumena gloriã cõstrictam teneat, & quidnam venalium hac emere posses? qualẽ bovem? qualem textorem? qualem spondarum fabrum? Ecquã penderes collectam, inde conferendo? quænam ergo gloriæ vis est, cujus nullus est usus in societatibus? verum appetebas coronã? quid igitur populo, cœtu, & decretis opus erat? Ego tibi decem ejusmodi avulsos ab oleis ramos dedissem, & si charioribus indiguisses rosis facillimum fuit inde cõtetas, tibi circumdare: tu vero pro nulla ejusmodi corolla populũ coegisses: & perspicere noluisti munus quæstũ habens, cum emolumẽto ornamentũ adferre: quapropter licet argento accepto abiisses, te ut strenuum accepisse constitisset. sed quidquid sit, amabas coronã. eamq; decreto constitutam? probè. Igitur par fuit auream esse coronam, ut aurũ quidem lucro esset, corona dignitati: videsne etia populum ita à confœderatis honoratum, & non oleaginum ramum ipsi ab iis qui conservati sunt mitti? Nam ramus oleæ contumelia est. verum infensus es pecuniis, ut scilicet infelix quidem: si tamen hoc animo es, pete victum è publico: & non tibi tantum, sed & mihi patri, allevaremus certe domum è publico nutriti. *Declam. 37.*

Libanius: Si hic bonorum meorum hæres constitueretur, subitò mea aliorum forent. nam quisquis gloriam peculium censet, haud quaquam bonus verarum possessionum custos est; sed qui accessit & adulatus est, abiit aliqua re accepta; qui strenuum appellavit, dicti mercedem habet. deinde ex iis alii quidem aurum auferunt; hic autem dissimulationem ac fictionem. *Declam. 37. fere extremo.*

Libanius: Operum bellicorum gloria ad Principes transfugit. *Orat. Patrocli ad Achillem.*

Simocatta: Hæc vilis & abjecta gloriola pro falso insomnio à sapientibus putatur, & fictis fabulis monstrosior atq; deterior, inconstans, efferens, ludicrũ fremitibus ac spiritibus inanius. Hæc absens parit molestiã, & postquam accessit, vehementiorem dolorem adfert. Paulò enim post amatoribus suis ingrata est. Et antequam fiat, ad nihilum ac vanitatem transcurrit. Ne te fortunæ flatus efferant. Deludit enim homines pro libito. Imagines enim imaginum sunt res hominum. *Epist. 76.*

Basilius Imp. Juventutem tuam exorna, non coronis & ludicris certaminibus, aut corporum exercitatione quæsitis, sed moribus virtute excultis: neq; naturã tuam sinas simul totam dissolvi: etsi enim corpus morti obnoxiũ sortitus es, at animum mortalitatis expertẽ habes. Connitere ergo ut per boni nominis memoriã immortalitatem consequaris: gloriosam autem nominis tui memoriam relinques, si eos qui talem reliquerunt imitaberis: ita ut mediteris semper bona dicere, & consuescas similia facere: & quæ sapere dictis indicaveris, eadem factis exercere curaveris. *cap. 49.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Ingenit? honestis animis gloriæ amor. *Decl 6. § 25.*

Plinius: Magnum est differre honorem, gloriam majus. *cap. 56. panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Probate, casibus adversus gloriam nihil licere. *lib. 10. Epist. 25. f.*

¶ Poetarum.

Cleobulus apud Ausonium.

Majorum meritis gloria non datur
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Thales apud Ausonium.

Vita perit, mortis gloria non moritur.

C. Cassius

C. Cassius Parmensis.

Non levis adscensu, si quis petit ardua sudor
Plurimus hunc tollit, nocturnoq; exsomnis oliva
Immoritur jactat, quod mox laudaverat in se,
Qui cupit aternæ donari frondis honore.

Ausonius in Monosyllabis.

Quippe & ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

Prudentius contra Marcionitas.

Hic qui ventosæ scandit vestigia famæ,
Inflaturq; cavo pompæ popularis honore,
Qui summum solidumq; bonum putat ambitionis
Crescere successu, præconum voce trementes
Exanimare reos, miserorum in corpora fasces
Frangere, terribiles legum exercere secures,
In laqueum jam colla dedit, (Diabolo) jam compede dura
Nectitur, & pedibus servilia vincula limat.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 3. Graculus & Pavo.

Tumens inani Graculus superbia,
Pennas Pavoni quæ deciderant, sustulit,
Seque exornavit: deinde contemnens suos,
Immiscuit se pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi
Fugantque rostris male mulcatum Graculum
Redire mœrens cœpit ad proprium genus,
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

De Cuculo & Accipitre. Fab. 7.

Irrisus ab accipitre cuculus, quod cum sibi & corpore par & colore non absimilis esset, præ angustia animi potius vermibus terrenis, quam suavibus aliarum avium carnibus vesceretur, vidit paucis post diebus accipitrem à rustico, cujus columbas insectabatur, captum, & motu cæterorum ex alta turre pendere, cui cuculus: Quam melius tibi, inquit, amice fuisset vermes venari, quam alienas aves impetere.

Hac fabula indicat eorum vitam tutiorem esse, & magis probandam, qui suis rebus sine periculo contenti sunt, quam illorum, qui aliena appetentes, adeunt magna vitæ discrimina. Abstemius.

¶ Emblematum.

Seba. Diverso itinere incedentibus, alteri umbra à tergo alteri contra.

Sectantes velut umbra fugit, fugientibus instat,
Addita corporibus scilicet umbra comes,
Sic fugit immeritæ captantes præmia laudis,
Demissis contra Gloria juncta comes.
Et tamen haud falso trutinatæ examine, quidnam
Laus hæc omnis erit? scilicet umbra levis.

Batillius 128.

Virtutis comes gloria.

Per radios Solis velut præcedit euntes
Umbra vel invictos, subsequiturque comes,
Sic præcedentem sequitur, sic prævia & anteit
Gloria virtutem duxque comesque tuam.

Batillius 132.

Crescens gloria invidiæ fumo obnoxia.

Aspicis, irritat viridi dum cortice flammas,
Hasque genus nixus suscitat ore puer,
Atra illi ut subitus surgens caligine fumus,
Involvatque oculos, & premat ora vapor?
Tales paulatim quæ sese gloria tollit
Invidiæ fumos excitat ipsa sibi,
Sed tenues qui mox soleant evanescere in auras,
Fulgor & è tenebris surgere lucidior.

Batillius 139.

Pestilens immodica gloriæ sitis.

Dum cupit Empedocles Deus immortalis haberi,
Ætnæos ignes insiluisse ferunt.
Quo non ambitio mortales improba, quo non
Perducit miseros laudis inanis amor?

Camerarius 61. Centur. 1.

Nunquam languescimus.

Impavidum invictumq; animum signas amarante:
Et vegetis senibus grata corona tua est.

Camerarius 17. Centur. 2.

Nec meta nec onus.

Sternit humi, immensum quod pondus iterq; Camelum:
Sternitur haud fortis laudis amore labor.

Had. Junius Emblemate 3.

Tortilis & caudam ore tenens hic termite laurî
Ambitur anguis, & ligonem circuit.
Gloria continuos nunquam moritura labores
Sequitur, virensq; in ore vivit perpetim.

Had. Junius Emblem. 52.

Quo fugitiva ruis, quemve auersata relinquis
Gloria clara virum?
Desero suffultam pluma, Veneriq; ministrum,
Mancipiumque gulæ.

Gloria post obitum major. 33. Emblem.

Sæpe comes radios per Solis euntibus umbra est,
Hæc etiam nostra dux aliquando via:
Gloria viventes etiam sectatur, at illa
Major ab exequiis semper in ora venit.
Florent. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Anonyma: Nurus Heli sacerdotis prægnans, proxima partui, cum audiret famam de capta arca Dei à Philistæis, & mortuo socero suo ac marito suo, incurvavit se ut pareret, quia irruerant in eam dolores ejus: cumque, quo tempore moriebatur, dicerent quæ adstabant ei, Ne timeto, nam filium peperisti: non tamen respondit neq; apposuit animum suum. Indiderat autem nomen puero ipsi *Icabod.* (i. non gloria) dicendo, *emigravit gloria ab Israele*, propterea quod capta esset arca Dei. 1. *Sam.* 4. 21. 22.

David: Audita prosperitate Obed. Edomi in cujus domo arca Jehovæ considebat, David duxit eam in suam civitatem cum lætitia. Dum autem arca intraret in civitatem Davidis, Mical filia Saulis prospectans per quandam feneſtram, & videns regem Davidem cõtentissimè saltantem coram Jehova, sprevit eum in corde suo, & ei revertēti obviam facta dixit, Quam gloriosus fuit hodie rex Israelis, qui retexit se hodie ante oculos ancillarum servorum suorum, prorsus ut retegit se unus quispiam è vanissimis hominibus, Dixit vero David ad Micalem, Coram Jehova, qui elegit me præ patre tuo, & præ tota familia ejus, instituendo me antecessorem super populum Jehovæ, super Israelem, præ lætitia gestui, & gestiam coram Jehova. Quo abjecero me adhuc amplius, & fuero humilior ante oculos meos, eo apud istas ancillas, de quibus locuta es, & apud illos, gloriosior ero. 2. *Sam.* 6. 21. *&c.*

Terentius: Valens Imperator, orthodoxæ Ecclesiæ hostis, quum Terentio, ducum omnium præstantissimo, pietateq; supra alios ornatissimo, à victoriis in Armenia reportatis reverenti, optionem sua sponte obtulisset, ut à se quod vellet peteret: atque ille auro, argento, præfecturis, provinciis, rebus deniq; aliis omnibus posthabitis, unum quiddam rationi consonum & pium postularet, ut scilicet Antiochiæ unum saltem Ecclesiæ Catholicæ propugnatoribus templum concederet: ipse petitionis libellum lectum laceravit, & aliud illum petere jussit. Tum Terentius libelli partibus collectis, Habeo, inquit, ô Imperator, & donum teneo, neq; aliud petam. Consilii enim mei judex erit qui judex est omnium. *Niceph. eccles. histor. lib.* 11 *cap.* 49.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Antonius Sylveria Lusit. Deniq; non parvas animo dat Gloria vires: quæ etiam arripuit attraxitq; Antonium Sylveriam, arcis Diensis Præpositum. Viderat ad eam expugnandam copiosam Turcarum classem adventare; & ad nobiles suos serenâ fronte conversus, *En*, inquit, *viri, tempus nunc, acceptam à majoribus gloriam bellicam, debitamque tum Deo tum Regi nostro fidem, nobis ob oculos ponendi, quæ si intueamur, omnes hostiles apparatus periculaq; pro nihilo ducemus.* Profuit præsens Ducis animus ad palmam de tanta classe obtinendam. *P. Maff. hist. Ind. lib.* 11.

Hieronymus Olgiatus: Non illum perinde fax honestæ mentis accenderat, sed eum imitatus qui Dianæ Ephesinæ fanum exusserat, in Galeatium Sfortiam Mediolanensem Ducem sicarii munus obivit. Rogatus autem, qui tantum facinus attentare ausus; *Solo*, inquiebat, *gloria & nominis postumi desiderio permotus.* Cumque jam suo corpori gladium admoveret carnifex, paululum se colligens; *Age*, dicebat, *Hieronyme, stabit vetus memoria tui facti, mors acerba, fama perpetua.* Quam doctè & vere Juvenalis:

——— *Patriam tamen obruit olim*
Gloria paucorum, & laudis titulis q; cupido
Hasuri saxis cinerum custodibus.

Egnat. lib. 8. cap. 15.

Comes Dossuna Hisp. Non minimus vanitatis hujus auceps iste. Obvius namque cuidam è regio palatio venienti, Quisnam, ait, de me in palatio sermo? alter pudore & rubore pariter suffusus, Nullus, respondit, neque qui ad laudem facit, neque qui adversus eam. Audit ille, & indignatur propter adstantes, qui eum virum magnum reputabant, & in omnium labris: ac innocentem fustibus excipi, deinde 50. aureis donari mandat, dicitque: *Iam tibi materies laudis & vituperij: utere, & adhibe in palatio.* Floresta.

Sebastianus de Fleckenstein: Fuit hic nobilitate, reique militaris peritia, insignis. cui dum inter dimicandum Turca quidam sacculum nummis plenum, velut redemtionis pretium, objecisset; eum tamquam victoriæ remoram ex equi sella dejecit; *Ad Ditem vestrum*, inquiens, *abite divitia. non enim hic aurum, divitias, aut alia malorum irritamenta quærimus: sed virtutis præmium potius & gloriam militarem.* Melch. Soiterus de bello Pannonico, lib. 2.

¶ Monosticha Trochaica.

A virtute si qua manat perfidelis gloria est.
Absq; virtute, heu, servilis tota mundi gloria est.
Arduum æque est conservare quam parare gloriam.
Arduum est differre honorem, gloriam arduissimum.
Arduum est virtute vera præterire gloriam.
Arduum non est tenere, ast invenire gloriam.
Assecla est Opum alma virtus, assecla alma gloria est.
Auctior quo, quoque major gloria, hoc est pulcrior.
Auctior redit frequenter spreta in tempore gloria.
Campus gloriæ atq; honoris, cuiq; cui virtus, patet.
Carus omnibus minime est qui gloriæ omnes auteit.
Civitatum primi aluntur gloriæ choragio.
Copiosior redit spreta ipsa in tempore gloria.
Corpori quod umbra, id ipsis gloria est virtutibus.
Cursus est vitæ brevis, sed sempiternus gloriæ est.
Desinu securus esse, ut factus auceps gloriæ es.
Difficillimum est virtute præterire gloriam.
Divinam minime assequitur qui humana servit gloriæ.
Dulce gloriam majorum posteris relinquere.
Equus amplius quid optet glorioſum post decus?
Esse haberi quod cupis, compendium est ad gloriam.
Esse quaris glorioſus? gloriam omnem despice.
Floris instar solstitialis tota humana gloria est.
Fortibus cujusq; gesta præmium rei gloria est.
Futile admodum est inanis gloriæ choragium.
Gloria æmulatioque segnem hominem esse non sinit.
Gloria, ah, fera es capitumque plurimorum bestia.
Gloria alterius decusq; summum, Achillis est iter
Gloriæ est caduca valde quæ haud habetur cum modo
Gloria est postrema mentes quæ eruditas deserit.
Gloria illico Africano comparavit æmulos.
Gloria improbo labore comparata, gloria est.
Gloriæ ambitio, virorum morbus est felicium
Gloria, umbræ adinstar usq; usque est comes Virtutibus
Gloriæ cupido hominibus exuitur novissima.
Gloriæ cupidinem ipsa morte vix ponunt Sophi.
Gloriæ est ubi cupido, circus invidentiæ est.
Gloriæ magis paranda vis est quam pecuniæ.
Gloriæ gradibus suprema fas polorum adscendere.
Gloriæ quicunque servit, servit mille mille heris.
Gloriæ qui servit in mari usq; & usque naufrago est.
Gloriæ quo quisque habet plus hoc & plus desiderat.
Gloriæ servire mentis non nisi abjectissimæ est.
Gloriæ servire, si non servus omnium es, nequit.
Gloriæ servus nihil recte inchoat vel perficit.
Gloriæ vanæ litatur diva ubi Pecunia est.
Gloriæ umbra est, parva magnis, sed pusillis maxima.
Gloriam citius penuria excites quam opulentia.
Gloriam contra eruditam cæsibus licet nihil.
Gloriam fuge, insequetur: insequere ipsam, te fugit.
Gloriam indigne consumas, ubi ostendi non potest.
Gloriam magnam aucupanti, vita res vilissima est.
Gloriam qui vicit, hostes vicit omnes, seq; item
Gloriam quoq; aucupamur plebis abjectissimæ.
Gloriam regum per orbem vox dispensat musica.
Gloriam si à plebe quæris invenis infamiam.
Gloriam venari non est futili atque frivolo.
Gloriam veram meretur quisquis haud veram fugit.
Gloriam ut virtus parit, parit sic gloria æmulos.
Gloriosis præponenda ubique necessaria.
Haud potest unquam vir acer interire à gloriâ.
Heu quam multi nec majorum recte utuntur gloria.
Illico est egens bonorum, pro bonis cui gloria est.
Imbre latior laboris irrigatur gloria.
Indecore infamia amici gloriam augeas tuam.
Indolis nota est honestæ, duci amore gloriæ.
Insequenda facto, non verbo arcessenda gloria.
Insolens est si juventam absorbet æstus gloriæ.
Ipsa virtus per se amara & aspera absque gloria est.
Magna cum labore magno gloria crescit seges.
Magna res differre honorem, major ipsam gloriam.
Menti honestæ innatus ardor usquequaq; gloriæ est.
Mentibus magnis adharet sacra gloriæ fames.
Multa carè emuntur, at nil gloria ipsa carius.
Nemo à Gloria manu unquam mittitur nisi mortuus.
Nemo inanius laborat, quam aucupator gloriæ.
Nemini servire vis? servire noli gloriæ!
Nil aliud consentiens quam laus bonorum gloria est.
Nil miserabilius datum homini in orbe vana gloria est.
Non ita exedit rubigo æs, vana uti cor gloria.
Nulla gloria est cui non plus nominis sit quam rei.
Nomen absq; re probrosum, gloriæ res notæ est.
Non datum est cuicunq; habere gloriam ipsam cum modo.
Non modo cælum sed terra gloriam narret Dei.
Non potest quis esse magnus mancipatus gloriæ.
Nunquam agit tranquillus alta captus umbra gloria.
Obviam prudens admittit, non sectatur gloriam.
Omnibus quam, eheu! timendus scopulus omnis gloria.
Per quod ornere id ornare magna prorsus gloria est.
Pertinet quoque ad sepultos posterorum gloria.
Plures invenias mage avidos quam capaces gloriæ.
Postridie semper dolet pridiæ occupatus gloriæ.
Præmia omnium virtutum vana tollit gloria.
Promptius parare cuivis quam servare gloriam.
Qui supra omnes sunt, supra omnes appetant & gloriam.
Quo mage adversaris, hoc mage ingerit se gloria.
Res celerrima est, & Orbem pervolat mox gloria.
Sæpe se matura vertit in livorem gloria.
Sæpe sudore irriganda est quei perennet gloria.
Sal cui est, sæpe in se verbis gloriam alienam transmovet.
Servare id per quod servaris, magna plane gloria est.
Si compendio assequi vis gloriam, contemnito.
Sapius donum Fortunæ quam Virtutis gloria est.
Vana gloria à Livore nunquam abit latum pedem.
Vel malo noti esse quarunt gloriæ vana aucupes.
Vera sat superq; merces prælianti gloria est.
Verbulo uno glorioſum deprimas vel elevες.
Vitam agit leporis quicunque vanus auceps gloria est.
Virtuti laborat uni rarus, multi gloriæ.
Universis singulisq; servus servit gloria.

¶ Jambica.

A morte demum vera prodit gloria.
Ad gloriam majus nihil patientia.
Ætatis arctæ spatium extendit gloria.
Amara per se virtus absque gloria est.
Antiquior possessione gloria est.
Avidissima est quoque gloriæ sapientia.
Corona nil est gloriæ quam pustula.
Crumena nulla, nulla Zona gloriæ est.
Cui quæso non innatus ardor gloriæ est?
Cuncta occidunt, sed Gloria omnium ultima.
Cum dignitate nexa semper gloria est.
E vilibus vilis paratur gloria.
Cur fictilem utrem inanis inflat gloria?
Est avitas nunc parva, at ingens gloria.
Est omnium servus qui servit gloriæ.
Etiam voluptas gloriæ est lucæ bovi.
Facile haud paratur, sed retinetur gloria.
Fortunæ alumnus, gloriam ex culpa invenis.
Hoc gloria ipso major est, quo serior.
Hominem juvat mage lata, quem ingens gloria.
Infructuosa vanius nil gloria est.
Labore firma comparatur gloria.
Labore parta florida usque gloria.
Labore parta mortis exors gloria est.
Laus, atq; honos alimenta inanis gloriæ.
Magna ex duobus antelati gloria est.
Malit carere gloria adeptus gloriam.
Merces laborum fortium una gloria est.
Multis profecto & ipsamet obest gloria.
Multos habet dominos alumnus gloriæ.
Ne generi tribuas, sed virtuti gloriam.
Nemo non ultra verum gloriam tulit.
Nemo suæ unquam refragatus gloriæ est.
Nil casibus licitum est adversus gloriam.
Nil difficilius quam calcare gloriam.
Nil invium aut remotum avaræ gloriæ est.
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.
Non omnis avidus etiam gloriæ est capax.
Nunquam senectæ damna sentit gloria.
Opes honestas; gloriam ingentem para.
Paucis donata, vita, & mors, cum gloria.
Persæpe gloria ut adquiratur spernitur.
Plerumque comes rectè factorum gloria est.
Plus gloriæ aufert quisque, quo minus petit.
Pro gloria vitam pacisci splendidum est.
Quidquamne amore gloriæ est inanius?
Sequenda potius, quam appetenda gloria.
Sequitur fugientes gloria, sequentes fugit.
Si gloriam vis adsequi, ipsamet fuge.
Sit cura vitæ, sed magis sit gloria.
Sudoris expers nulla crevit gloria.
Sudori honesto gloria campus patet.
Terram omnium subit postrema Gloria.
Vbi est scelus loco, esse gloria haud potest.
Veneranda res est, verum instabilis gloria.
Vir gloriam fortis præponit spiritu.
Virtutem, ut umbra, usq; usq; sequitur gloria.
Vis glorioſus esse? teme gloriam.
Vis gloriam obtinere? sperne gloriam.
Vt flamma sic facile fovetur gloria.

Gloriæ vanæ contemptus.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

Iesus Christus: Quamvis justam gloriam, quæ veræ virtutis honestissimus est fructus, repudiare levis sit animi: inanem tamen aucupari rumorem, umbrasq; falsæ gloriæ (quæ bonorum spiritualium latro, secundum Basilium) consectari, non minor levitas judicanda est. Talis autem est ea omnis quæ humanæ opinioni & laudi innititur. Hæc erat mens, hæc doctrina Mediatoris nostri CHRISTI. quem dum admirarentur Judæi super eruditione & doctrina sua, dicerentque: Quomodo hic scit litteras, cum non didicerit? verus humilitatis magister; *Mea*, inquiebat, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Ita quoties admiranda quædam opera fuerat exsecutus, semper ne cui dicerent vetabat. nos instruens, ut si gloriari velimus, in Domino gloriemur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus est. *Ioan. cap. 7.*

S. Marcellus Abbas: Sui magistri verus discipulus MARCELLUS, cum Energumenos exorcismo & precibus curaret, dæmonemque possessam mansionem relinquere compelleret, clamaretq; ille; Jube nos exire, quia in nos accepisti potestatem, nihilominus in oratione perseverat. Siscitanti autem, cur dæmonibus cessuros se confitentibus, nihil præciperet; *Quoniam*, ait, *dicentes me in eos accepisse potestatem, non agebant aliud, quam ut me vana gloriæ laqueis implicarent.* In vita ejus apud Sur.

S. Dominicus: Quid? nonne & DOMINICUM inanis hæc aura afflavit? Non afflavit certè cum enim Tolosæ plures ad Christi fidem convertisset, tamen Carcosiæ figebat domicilium. Rogatus cur non potius Tolosæ moraretur; *Quia*, inquit, *plures ibi me honorant: hic verò me omnes impugnant.* Maluit vir sanctus se persecutionis quam inanis gloriæ stimulis conficiendum exponere. *In vita ejus, lib. 4. cap. 10.*

S. Antonius Abbas: Quin & hunc tradunt Martiano militū præfecto, pro filia quā nequitiæ spiritus possederat supplicanti, respondisse: *Ne me opem poscas, nam & ipse peccator sum: si in Christum credas, eidem pro filia tua supplex fiam* Unica responsione tria simul expressit bona: humilitatis observationem & gloriæ fugam, fidei virtutem, infirmitatis remedium. *Athan. in vita.*

S. Ioan. Canonicus Regul. in Anglia: Et de illo memoriæ proditum, quod cum Inclusam visitaret, ut spiritualibus ejusdem frueretur alloquiis; illa quasi primis verbis se visionem habuisse diceret, aquilæ videlicet circumvolantis, adderetque: Tu pater illa aquila es, pro excellentia meritorum tuorum. Quo audito ille recessum parat, dicitque: *Nos eo fine accessimus ut mutuis sermonibus Dei gratiam conciliaremus. At video, malus dæmon vitiorum nostrorum sagax explorator, per has inanes laudes aditum sibi in animos nostros parat.* Ita virgines illæ, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt; veluti fatuæ, in vasis suis oleum habere noluerunt. *Sur. tom 5. in vita ejusd.*

S. Pacomius Abbas: Erat quoq; hic admirabilis sanctitatis & prudentiæ: cum namque adverteret quemdam ex suis duas parvas storeas à se uno die factas (cum reliqui non nisi unam confeciſſent) ex adverso sibi posuisse, ut ab eo laborantis prædicaretur industria, dixit adstantibus gemens: *Frater iste à mane ad vesperam usque laborans, totum suum opus dæmoni consecravit.* ac rogantibus ejus rei causam, respondit: *Quia nihil sibi fructus ex eo opere reliquit, cum plus amarit gloriam hominum, quæ contemnenda erat, quam Dei largitoris, quæ maximè diligenda.* Quare cum severè puniens, conceptæ vanitatis vitium præsenti medicina sanavit. *Ibid. tom. 3. in vita.*

Sara Abbatissa; Etiam fœminis hic sua lans. SARA quidem Abbatissa, Deo devota, cum dæmonis suggestione diu vexata, tandem eam repressisset, eique humani generis hostis apparens diceret: Fateor, tu me vicisti: *Non ego*, inquiebat, *te vici, sed Dominus meus Christus.* In vitis PP.

Ludovicus XII. Gall. Rex: Addamus, quamquam ævo dissitum, sensibus & huic loco tamen assitum, LUDOVICI ejus nominis duodecimi exemplum. Qui rogatus causæ Benedicti Scaligeri adversus Venetos patrocinaretur (illi enim Veronam aliaq, opida Scaligeris extorserant) *Non his*, respondebat, *mihi opus, qui pro divitiis titulos & tumulos avorum demum ostentare soliti sunt.* innuens vanam illam & sine re esse ostentationem, ac de eâ gloriari, stultum & stolidum. Hinc acutè nobilem quemdam, & desidiosum adolescentem redarguens Persius, ita loquitur:

Hoc satiù? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censorem ve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. ——

P. Æmil. in vita.

Gloriæ Cœlestis

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Iesus Christus: Inani illa præmissa, supereſt ut VERAM ÆTERNAMQUE GLORIAM nostræ menti infigamus. Cujus non immemor Petrus Apostolus, ad eam anhelans, ejusdem retributorem DOMINUM rogabat: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? qui scintillam aliquam illius Gloriæ præfigens; *Amen dico vobis*, ait, *quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. cap. 19. Mar. 10. Luc. 3.

S. Franciscus: Mirum in modum hujus Gloriæ ardore succensus FRANCISCUS. Cum enim interrogaretur quomodo tam tenui amictu hiemalis algoris asperitatem temperaret; respondit: *Si superna flamma patriæ per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur* Sur. tom. 5. in vita.

Idem: Dum ob assiduas lachrymas oculorum imbecillitatem adeptus esset, ab eisq; sibi temperandum dicerent, ni corporei visus usu privari vellet: *Non est*, inquiebat, *ob amorem luminis quod nobis cum muscis commune est, visitatio lucis æternæ vel modicum repellenda: non enim propter carnem spiritus, sed propter spiritum caro lucis beneficium accepit.* Ibid.

S. Fulgentius Episcopus Russensis: Fulgebat quoq; hoc CÆLESTIS GLORIÆ amore FULGENTIUS: qui Arrianorum persecutionem juxta Christi mandatum fugiens, Romæ cum peregrinaretur; visa urbis magnificentia, ad collegas versus, in hæc verba prorupit: *Quam speciosa esse potest Hierusalem cœlestis, si sta fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quanam præstabitur sanctis diligentibus veritatem?* Magna certè, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. *Sur. tom. 1. in vita.*

S. Porphyrius: Similis etiam sententia est, quam in re non omnino dissimili protulit PORPHYRIUS Gazæorum Episcopus. dum namq; ex causa quadam Constantinopoli existens, Theodosii junioris infantem ingenti cum pompa ad sacrum Baptismatis fontem deduci cerneret: Nos (inquit vitæ ejus scriptor) mirati tantam gloriam, admirantibus autem dicebat S. PORPHYRIUS: *Si ea quæ paulo post evanescunt, tantum gloriæ splendorem habent, quantū habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt sanctis & electis Dei?* Cōsideratione dignum quod ait S. Augustinus, Soliloq. cap. 21. & Enarrat. in Psal. 85. Peccatoribus dat Deus cœlum, terram, fontes, fructuum ubertatem. Qui autem talia peccatoribus largitur, quid eum putabis servare suis fidelibus? *Sur. tom. 1. in vita Th. Stapl. Domin. Septuag. in Prompt. morali.*

Iulianus Abbas: Videbat & is socios sua domicilia ampliare: &, *Vereor*, inquiebat, *ô viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœlestia: atque hæc nobis ad modicum tempus conveniunt, cœlestia verò æterna.* In Vitis PP.

S. Ludovicus Episc. Tolos. Erat is Caroli Regis Siciliæ ex Maria Hungariæ Regina filius, de quo frequens nobis & illustris sermo. Hic terrenum regnum splendidam servitutem vocitabat: &, *Si domum*, inquiebat, *ac paternum regnum contemplor, parvum id est contemplanti ingentia illa spatia, quæ sursum sunt: in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit supra se.* Ex membr. vetusta in Biblioth. Fratrum minorum Lovan.

S. Dorothea Virgo & Martyr. Prosequamur etiam ardens hujus Gloriæ in infirmiori sexu desiderium. DOROTHEA VIRGO, à Fabricio Præfecto aliquamdiu torta, cum jam ad capitale supplicium duceretur; *Gaudeo*, inquiebat, *me ad sponsum pergere, cujus Paradisus omnium florum ferax amœnius vernat, quam dici possit.* Verè non erit ibi amplius neq; luctus, neq; clamor, sed nec ullus dolor: quæ prima abierunt. *Sur. in vita, tom. 1.*

S. Maria Oegniacensis: Illi comitem se præbet hæc. rogata enim, num ex laudibus humanis, aut divinis revelationibus, se vanæ gloriæ stimulis titillari aliquando sentiret; respondebat: *Comparatione veræ gloriæ quā ego exspecto, nihil est, aut æstimari potest omnis humana gloria, aut prædicatio.* Sur. in vita.

Gloriationis,

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Curta gloria est alienis gloriari de bonis.
Gloriamur aliquid passi pro charissimis.
Gloriari nemo debet quam de eo quod est suum.
Gloriari vel ignavis est licitum in victoria.
Gloriatio importuna, proxima est insaniæ.
Nulla caussa gloriandi est sorte pressis aspera.
Sæpe fama gloriatur optimi viri improbus.

¶ JAMBICA.

Animi stupet qui gloriatur in malo.
Et gloriari plurimum arci tenens solet.
Haud gloriandi caussa felicibus,
In scelere quoque absurda gloriatio est.
Innata semper magnis gloriatio est.
Malus numerat scelestè facta in gloriam.

Gram-

Grammaticæ.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Arrianus: Quis vero est qui scripsit, principium eruditionis esse, vocabulorum considerationem? num Socrates non ita dicit? De quo ergo scripsit Xenophon, auspicatum eum esse à consideratione significationis vocabuli cujusque. *cap.* 17. *libr.* 1. *Epict.*

Simplicius: Una Grammaticæ pars est, scriptorum enarratio. *ad cap.* 73. *Epict.*

¶ POETARUM.

Lucianus in Grammaticos.

Grammatice, inventrix victus, & Musa faveto:
Quæ fers Maonio carmine dulcis opem.
Quam tibi debuerant offerri splendida dona,
Aranei non usquam destituenda sacris.
Nanque tui, plenæq; viæ, pontusq; refertus,
Littoraque, ô cunctis commoda Grammatice.

Ausonius Epigr. 128.

Felix Grammaticus non est sed nec fuit unquam.
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.
Aut si quis felix prater fatum extitit unquam,
Is demum excessit grammaticos canonas.

Gratia Dei.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

D. *Nazianzenus*: Tametsi divina gratia in indignos minimè influat, nec in malum ac nulla ex parte concors organum; tamen ob humanæ habitudinis & naturæ mutabilitatem & inconstantiam, non minoris, ut quidem ipse existimo, negotii est, dignitatem suam concordiamq; tueri ac conservare, quam à principio ad concordiam recte perduci, ac dignitatem consequi. quippe cum sæpe gratia ipsa (ut dicam quod omnium malorum nostrorum miserrimum est, maximeq; mirandum) fastum nobis & elationem pariat, sicq; à Deo, ad quem non ut decuit accessimus, exturbet ac dejiciat, atq; ita dum extollimus, corruamus. *Orat.* 7. *ad patrem suum Gregorium.*

Chrysostomus: Neque enim nos juvat, si cum omnibus pacem agamus, adversus Deum autem belligeremur: sicut nec nos lædit si bello appetamur ab omnibus, cum Deo autem pacem agamus. Et rursus nihil nos juvat si ab omnibus approbemur & commendemur, dominum autem offendamus: quomodo nullum est periculum si nos omnes aversentur & oderint, Deo autem accepti simus & chari. Nam quæ vere est gratia, & quæ verè est pax, à Deo est. Nam qui eorum quidē quæ à Deo procedūt habet gratiam, neminem timet, etiā si mala patiatur innumera, non dico hominem, sed nec ipsum diabolum, qui autem eum offenderit, omnes habet suspectos, etiam si videatur esse in tuto. Est enim instabile genus hominum & nec amici solum & fratres, sed jam etiam patres mutati sæpe parvā ob causam eum quem genuerunt, quem suo semine procrearunt, magis quam omnes hostes ejecerunt, & filii patres expulerunt. Considera autem David apud Deum habebat gratiam, Absalon habuit gratiam apud homines. Quemnam autem habuit alter finem, & quis fuerit magis probatus, scitis. Habuit Abraham gratiam apud Deum, Pharao autē apud homines, ei enim gratificantes, justi uxorem prodiderunt.

Quis autem fuerit præclarior, & quis beatus, est cuivis perspicuū. Et quid loquor de justis? Habebant Israelitę gratiā apud Deum, odio autem habebantur ab omnibus Ægyptiis; eos tamen qui ipsos odio habebāt superarunt, & cum insigni quā scitis gloria vicerunt. In hoc ergo omnes studiū ponamus: & si quispiam sit servus, hoc precetur dominum, ut apud Deum gratiā inveniat: & si sit mulier, priusquā mariti, à servatore Dei petat gratiā: & si sit miles, priusquā regis & principis, supernam quærat benevolentiam. Sic enim eris etiā amabilis apud homines. Quomodo autem inveneris gratiam apud Deum? Quanam alia ratione quam humilitate? Deus enim, inquit, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et: Sacrificium Deo spiritus contritus: & cor humiliatum Deus non despiciet.

Si enim apud homines res adeo desiderabilis est humilitas, multo magis apud Deum. Sic & gratiam invenerunt qui erant ex gentibus. Ira etiam Judæi exciderunt à gratia. Justitiæ enim Dei non fuerunt subjecti. Humilis is est & gratiosus & jucundus omnibus, & cum pace perpetua alitur, & belli nullam habet materiam & occasionem. Nam etsi eum contumelia affeceris, & maledictis appetieris, & quodlibet dixeris: tacebit, & leniter feret. Et tantam & apud omnes aget pacem, quanta ne dici quide potest. & etiam apud Deum. Sunt enim Dei mandata pacem agere apud homines: & sic tota vita apud nos recte agitur, si inter nos pacem agamus. Nonenim quisquam Deum injuria afficere poterit. In illam enim naturam non cadit interitus, & est superior quavis affectione. Nihil Christianum facit tam admirandum quam humilitas. *Homilia* 1. *ad Corinth.* 1.

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam per literas ex me sciscitaris, ecquid sit, quamobrem Dei gratia non ad omnes advolet, illud scito, vir admirande, hoc idcirco fieri, quod ea primum animi institutum expendat, atq; ita deinde accedat. Etsi enim gratia sit, non tamen temerè ac citra discrimen ullum effunditur, sed mensuras, ab iis qui eam accipiunt, sumens, tantum influit, quantum fidei vas sibi oblatum invenerit. Nam nisi ea, quæ nostrarum partium sunt, primum requireret, ad omnes profectò advolasset. Quoniam verò voluntatem animiq; inductionem explorat, atq; ita demum accedit, (quemadmodum in fortissimo etiam Paulo contigisse videmus: Vas enim electionis, inquit, mihi est hic) ob eam proinde causam ad quosdam se confert, atq; apud eos permanet: à quibusdam autem recedit: ac denique ad quosdam ne omnino quidem descendit. *lib.* 3. *Epist.* 271.

¶ APOPHTHEG. SACROR.

Iesus Christus Dominus noster: Conversus ad discipulos, privatim dixit eis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis multos Prophetas & reges cupivisse videre quæ vos videtis, nec vidisse: & audire quæ auditis, nec audivisse. *Luc.* 10 23.24.

Idem: Unus ex maleficis qui erant suspensi, convitiabatur Jesu crucifixo, dicens, Si tu es Christus ille, serva teipsum & nos. Respondens autem alter objurgavit eum, dicens, Ne Deum quidem times, quod in eadem sis damnatione? Et nos quidem justè: (nam digna factis recipimus) iste verò nihil insolens fecit. Dixitq; Iesu, Domine memento mei quum veneris in regnum tuum. Tum dicit eis Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. *Luc.* 23 39.40. 41. 42. 43.

Gratiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

Chrysostomus: Qui pro alienis successibus gratias Deo agunt, multo magis id pro suis faciunt. *Homil.* 2. *ad Cor.* 2.

Chrysostomus: Pro omnibus quæ accidunt oportet gratias agere? certe, etiamsi sit morbus, etiamsi sit paupertas. Si enim in veteri suadebat quispiam dicens: Omne quod tibi applacitum fuerit lubenter accipe, & in mutationibus humiliationis tuæ esto longanimis: multò magis id fieri oportet in novo. Etsi ergo rationem nescias, age gratias. hoc enim est revera gratiarum actio. Sin autem cum sis beneficiis affectus, opulentusque & locuples, resq; tuas bene geras, & omnia tibi prospere succedant, agas gratias: non est magnum, nec admirandum. Quod quæritur autem est, ut gratias agat qui est in afflictionibus. In doloribus & in rebus secundis nihil dicas ante hoc verbum, Gratias ago tibi Domine. Et quid dico pro iis quæ hic sunt afflictionibus? Pro ipsa gehenna oportet Deo agere gratias, pro pœnis & suppliciis quæ sunt illic. ea enim res valde juvat eos qui animadvertunt. Pro freno metus gehennæ imponatur cordibus nostris. Ne ergo pro manifestis beneficiis, sed etiam pro iis quæ non sunt manifesta, & quibus vel inviti afficimur, agamus gratias. Multa enim nos nolentes & nescientes beneficio afficiunt. *Homil.* 19 *ad Ephes.*

Chrysostomus: Quod est aliud Dei opus quam hoc, nempe hominum genus afficere beneficio, & per supplicia & per otium ac recreationem? Non solum agamus gratias, dum sunt nobis res secundæ. Non est enim hoc magnum. Et hoc novit diabolus, ideoque dicebat: Num Iob gratis colit Deum? Non circumvallasti quæ sunt ejus intus, & quæ foris? Aufer omnes ejus facultates, certè in faciem tibi benedicet. Sed scelerato illi nihil ex eo lucri accessit, & absit ut de nobis ei lucri aliquid accedat. Sed & quando fuerimus in paupertate & quando in morbis, & quando nobis insultabitur maledictis & calumniis: tunc intendamus gratiarum actionem. Gratiarum, inquam, actionem; non verbis, neque linguis, sed rebus & factis, & cogitatione & corde. Tota anima ei agamus gratias. Magis enim nos diligit, quam qui nos genuerunt. & quantum interest inter pravitatem & bonitatem, tanta est differentia dilectionis Dei à dilectione patrum nostrorum. *Homilia* 19 *ad Ephes.*

D. *Chrysostomus*: Gratias agamus in omnibus. Atque in rebus quidem secundis hoc agere, non est magnum: ipsa enim rerum natura nos ad hoc impellit. Quando autem quum ad extrema ventum est, gratias agimus, tunc est admirandum. Quando enim propter ea quæ alii maledictis infectantur & ægre ferunt, gratias agimus, vide quanta sit Philosophia. Primo Deum exhilaras. Secundo diabolum pudore afficis. Tertio & quod factum est nihil esse pronuncias. Simul atq; enim tu gratias agis, & Deus dolorem amputat, & recedit diabolus. Nam si ægrè tuleris, is ut qui quod volebat effecerit adest, & Deus, ut qui sit blasphemia & maledicto affectus, relinquit, malum intedit & auget. Sin autem gratias egeris,

ut qui nihil proficiat recedit: & Deus ut qui sit honore affectus, honorem rependit. Nec fieri potest ut homo qui propter mala agit gratias, mala sentiat. Lætatur enim anima, ut quæ recte se gerat: statim læta est conscientia, & suis gestit & exultat laudibus. Quæ læta est autem, non potest esse tristis. Illic autem cum calamitate urget etiã flagellans conscientia. Hic autem coronat & tanquã præconio proclamat. Nihil est anima illa sanctius qui in malis Deo agit gratias. Revera ea nihil distat ab anima martyris. Similiter & ipsa & ille coronatur. Nam eam quoq; urget lictor qui cogit Deum negare per blasphemiam, instat & diabolus cogitationum urgens carnificinis, & tenebras offundens animi ægritudinibus. Sic ergo dolores tulerit, & gratias egerit, coronam accipit martyrii. *Homil 8. ad Coloss.*

Chrysostomus: Quemadmodum ignis indiget lignis, ita & gratia divina alacritate nostra opus habet, ut fervere perpetuo possit. *Homil. 1. ad Timoth.* 1.

Isidorus Peluſiota: Non modo pro acceptis beneficiis, sed etiam pro eo quod injuriam inferre prohibitus es, gratiam te Deo habere convenit. Nam hoc quoque, etiamsi tibi mirum atq; ab hominum opinione alienum videtur, maximum beneficii genus est. *lib. 3. Epist. 244.*

Isidorus Peluſiota Est hoc revera turpe, vel potius turpissimum, quod non solum insita nobis per naturam semina virtutis enecamus, (quæ accuratius etiam exculta sunt hodie, quam antiquis fuere temporibus) sed etiam illud auxilium omni oratione præstantius, quod Christi in carnem adventus afferre nobis potuit, prodimus. *lib. 4. Epist. 187.*

Latinorum.

Ennodius: Sicut gratuitum munus, & opes, & animum indicat largitoris: ita accepta denegari, avaritiam & impudentiam referat supprimentis. *Dictione 12. pr.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Lysias: Sanioris consilii est post bene merita gratias referre. *cap. 7. Orat. 30. contra Philonem.*

Apollonius Seleucensium optimatibus. Civitas, quæ hoc pacto est affecta erga Deos, homines laude & memoria dignos, tum ipsa fœlix & beata: tum aliorum virtutem auget atq; illustrat. Beneficium igitur inchoare, res est neq; difficilis, & omnium inter homines præclarissima. Remunerationem vero atq; gratiam non solum facile: sed prorsus etiam parem rependere, supra vires humanas est positũ. Quod enim ordine secundum locũ obtinet, id natura primum tenere nunquam potest. Itaq; dii sunt invocandi ut gratiam referãt his qui non facultate solum, verum etiã re atq; opere præstiterunt. Hominum enim nemo tanta consequi & efficere potest. Quod vero me vobiscum esse cupitis, id quoq; vestræ in me munificentiæ est attribuendum, quemadmodum & ego esse vobiscum optarim. Legati vestri tanto gratiores & honorabiliores, quod etiam sunt amici, Hieronymus & Zeno. *Epist.* 12.

Aristides Sophista: Nec Deo putarim gratiores agi posse quam per orationes gratias; nec orationum nos usum posse meliorem reperire. *Orat. in Æsculapium.*

Aristides Sophista. Divina igitur pompa cõmeatum in omnes regiones, tanquam pecuniam theatralem dimittunt, perfecto illo Cereris alumno quodã, cui & alatum currum attribuit fama, quoniam spe citius omnia loca peragrabat, neq; ei quidquã arduũ erat aut invium, verum quasi per purum aera ferebatur: illud præterea ostendentes, Gratias esse natura veloces, posteaquam beneficiis suis egentium cupiditatem prævenerunt. *Orat. Panathenaica.*

Dio Prusæus: Nihil gravius est, neque majori usura fœneratum, quam gratia, & hoc est impudens illud & acerbum fœnus, quando (opinor) tarditate gratia in debitum mutatur: quod omni modo acerbius exigunt qui silent, quam qui clamant. nihil enim ita potest debitoribus vestris talia in memoriam revocare, ut nostra oblivio. *Orat.* 40.

Libanius. Gratiam quam concedis, non admitto. nam non video cur eam accipere oporteat, qua minime egeo: quin etiam gratia, opinor, hæc nulla est, quã invitũ capere oportet. cui enim rei molestia cõjuncta est, ea multa natura distat à gratia. Veluti si quis è strenuo facinore redieris, peteret obtinere aliquid, & populus id non concederet, sed jugera quædam terræ, aut aliquid ejusmodi: nõne meritò tibi videretur recusare agrum? quod si cogeretur; utrimq; dolore affectum iri, tum ob repulsam, tũm quod necessitate adigeretur, id capere quo plane non indigeret? Sed enim liquido sic suppliciũ quoddam est, quod non ex animi sententia alicui fit. *Declam.* 21.

Themistius: Non immerito apud nos Imperator se effert, ac de rebus gestis gloriatur, & innumera Trophæa, atq; egregia facinora demonstrarer, tanquam apud eos, qui vere atq; ex intimo corde gratulentur. Qui enim communem maxime cum eo secundarum rerum fructum habent, eos maxime cum secundæ illi res fuerint gaudere, atque exhilarari necesse est. Civitas ipsa porro, quem ab eo sibi honorem tribui animadvertit, cum vicissim deferre, atq; iis bonis exornare nititur, quæ illius beneficio consecuta est, sicut homines iisce Deum hostiis, ac donis cohonestare invicem solet, quæ ab illo prius acceperint. Itaque secundum unamquamq; victoriam, atq; unumquodq; Trophæum curribus Circus refertus est: & ob felicium nunciorum multitudinẽ inter ludos, ac festos perpetuo versamur. Quo fit ut id solis nobis eveniat, minime diebus festis quiescere, sed per eos quiete potissimum indigere. *Orat.* 13.

¶ Latinorum.

Plinius Iunior: Ut in cæteris rebus, ita in audiendi officio, perit gratia si reposcitur. *lib.* 1. *Epist.* 13 *fine.*

Plinius Iunior: Nec me præterit Regulum esse δυσπαλαίστον. est enim locuples, factiosus curatur à multis, timetur à pluribus, quod plerunq; fortius amore est? potest tamen fieri, ut hæc concussa labãtur. nam gratia malorum tam infida est quam ipsa. *lib.* 1. *Epist.* 5. *ante finem.*

Plinius Iunior: Exillo, Domine, mensuram beneficii tui penitus intelligo, cum tam plenam indulgentiam cum tota domo mea experiar: cui referre gratiam parem nec audeo quidẽ, quamvis maxime debeam. itaq; ad vota confugio, Deosq; precor, ut iis quæ in me assiduè confers non indignus existimer. *Epist.* 12. *lib.* 10.

Plinius: Sciamus nullum esse neq; sincerius neq; acceptius genus gratiarum, quam quod illas acclamationes æmuletur, quæ fingendi non habent tempus. *cap. 3. Paneg. in Trajanum.*

Mox Idem: Merenti gratias agere facile est: non enim periculum est, cum loquar de Principis humanitate, exprobrari sibi superbiam credat, cum de frugalitate luxuriam; cum de clementia crudelitatem cum de liberalitate avaritiam; cum de benignitate livorem, cum de continentia libidinem, cum de labore inertiam, cum de fortitudine timorem.

Eumenius: In agendis gratiis ostẽdere oportet id quod indultum est, non fortuitæ felicitati, sed justæ fuisse clementiæ. *cap. 2. gratiar. actione Constantino Aug*

Cl. Mamertinus: Nunc si tibi parum ampla, nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quæso obtestorq; te, meæ id naturæ potius, quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum. *cap. 3. orat. ad Iulianum.*

Cl. Mamertinus: Absit, Auguste, & istud sancta divinitas omen averta, ut tu à quoquam mortalium exspectes vicem beneficii: veruntamen, quod solum vel accipere potest ista fortuna, vel à nobis opibus tuis tribui, immortalitatem munerum tuorum colam officiis sempiternis. *cap. 32 ad Iulian.*

Symmachus: Qui Dominorum beneficio potiuntur optatis, venerari coram ipsos datores bonorum, gratiæ instar existimant: ut nunc frater meus Pæonius, vadatus optimo testimonii tui munere, adire properavit parti honoris auctorem. *lib. 2. Epist. 45. pr.*

Symmachus: Ego benefactis nuda oratione respondeo. Sed, ut res est, præclara mens tua perinde paginas sibi existimat fructuosas: & ideo hanc operam perseveranter advigilo, quam sciam apud te pro magno ære censeri. Interea Domino & Principi nostro, ejusq; in me beneficentiæ agi per epistolã gratias, verbis fortasse exiguas, sed affectione animi copiosas. Quas si eximia unanimitas tua, & probata mihi amicitiæ fides, jucunda atque opportuna insinuaverit lectione, non videbor ingratus, quum probaverit, sicuti opto, invictissimus Princeps, beneficia hujusmodi apud memoriam se collocasse. *libr. 5. Epist. 49.*

Symmachus: Principe loco salutationis tibi solvo reverentiam. Dehinc postulo, ut pro me gratias agas votivæ largitatis auctori: quæ jucundior erit si ei commendationem prosecutio opportuna præstiterit: & quod verecundia mea vix potis esset, oris tui affabilitas exequatur. Spero enim ex mensura affectionis qua de te mereor, quod nostræ gratulationis magnitudinem cumulatissime implebis. *lib. 7. Epist. 59.*

Symmachus: Agendis Comiti gratiis par esse nõ potest mediocritas verborum meorum. Tibi igitur hoc munus injungo, ut habitum mentis meæ apud eum plenius exequaris. *lib. 7. Epist. 105.*

Symmachus: In agendis Consuli gratiis pro beneficio suo nostrã sortire personam, eo affectu quo amicorũ tibi gaudia vendicas. Sed, ut scio, luculentiorib. verbis, & propter ingenii tui magnitudinem, & fine adulationis pudore absentis gaudium prosequeris. *lib. 7. Epist. 122. m.*

Symmachus: Tanto igitur in nos amore, Deorum benignitas te muneretur. Etenim cum ipse me non solvendo dignum arbitror, ad vicem meæ gratiæ favorem tibi præsidii cœlestis exopto. *lib. 8. Epist. 5. f.*

Symmachus: Vestræ in nos beneficentiæ grates referrẽ, si se amor sperat us & ex mutuo debitus lactari laude pateretur. *lib 7. Ep 57.*

Symmachus: Prolixior agendis gratiis sermo etiam nunc competeret, ni vererer ne simul totum videar expendisse quod debeo. Impatiens est accepti beneficii, qui nexu properat liberari: nec videtur mutuam operam quasi amicus accipere, si erubescit ad moram gratiæ. Alia mei ingenii ratio est. Pecuniæ fœnus accelero persolvere: officiorum vices diu opto debere. *libr. 9. Epist. 104. m.*

Symmachus: Nunc legite Senatus ac populi fausta suffragia: licet sciam plus inesse animis quam vocibus explicari: & quædam libabamina publici in vos amoris accipite. Si parva adhuc sunt dicta, munerum vestrorum imputate miraculis. Nam magnitudo stuporis, locum multis plausibus non reliquit. *libr. 10. Epistola 22. fin.*

Ausonius: Ago tibi gratias, Imperator Auguste. si possem, etiam referrem, sed nec tua doctrina desiderat remunerandi vicẽ, nec nostra suggerit restituẽdi facultatem. Privatorum ista copia est, inter se esse muniſi-

munificos, tua beneficia, ut majestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago: verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius quam loquendo: atque non in sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo & pavore venerabili, raro eundem animum præstat & vultum: sed usque quaq; gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, & cum voce patui, & cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, & tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuo tam grata profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi. Quis enim locus est, aut dies, qui non me hujus aut simili gratulationis admoneat? admoneat autem? ô inertiã significationis ignaviæ! quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? nullus, inquam, Imp. Auguste, quin admiranda in specie tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu cum terribile acceperis, amabile præstitisti, non forum & basilica, olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis. nam de sua, cui non te imperante securitas? non curia, honorificis modo læta decretis, olim sollicitis mœsta querimoniis: non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari: non domus, commune secretum, lectus ipse ad quietem datus, beneficiorũ tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas adfert. Ipsa autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio ex qua mediocritate posuisti? quoties à me cogitatur, vincor magnitudine, & redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus: ades enim locis omnibus, &c. *Paneg. ad Gratian.*

¶ Poetarum.

Plautus Bacchid. 3. sc. 3. v. 29.

—— Nequam hominis ego parvi pendo gratiam.

Plautus Mostellar. 1. sc. 3. v. 63.

Eundem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi,
Atq; olim priusquam id extudi, cum illi subblandiebar.

Plautus Rudente 5. sc. 3. v. 35.

Si sapis, tacebis: tum te mihi benignè itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiam. L. nempe pro meo
Iure oras. D. Mirum quin tuum jus meo periculo abs te expetam.

Plautus Trinummis 1. sc. 1. v. 12.

Nimioq; hæc plures pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum, quam id quod prosit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratia.
Quæ in multis obstant, odiosæque sunt,
Removamq; faciunt rei privatæ & publicæ.

Terentius Andriæ 2. sc. 1.

Ego Charine neutiquam officium esse liberi puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.

Terentius Heautontim. 5. sc. 1.

Obe, jam desine Deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatã nisi illos tuo ex ingenio judicas.
Vt nil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

Ausonius Epigram. 81.

Gratia quæ tardi est, ingrata est. gratia namq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Idem Epigr. 82.

Si bene quid facias, facias cito nam citò factum
Gratum erit ingratum gratia tarda facit.

¶ Apologi.

Phædrus Fab. 41. Pantheræ & Pastorum.

Solet a despectis par referri gratia
Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Vidêre agrestes: alij fustes congerunt,
Ali onerant saxis: quidam contra miseriti,
Peritura quippe quamvis nemo læderet,
Misêre panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est, abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie:
At illa vires ut saltu refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans sævit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui fera pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant:
Et illa, Memini qui me saxo petierint,
Quis panem dederit: vos timere absistite,
Illis revertor hostis qui me laserunt.

¶ Emblematis.

Batillius. 160.

Beneficiorum gratiæ.

Vna rosas dextra gestat, fert altera talos,
Tertia sed virgo myrtea serta gerit.
Blanda ultro, ad casus omnes semperq; parata,
Quæ viret & semper, gratia grata mage est.

¶ Monosticha Trochaica.

Admodum interit citatim mortuorum gratia.
Damna nulla sentit ævi quod dicatur Gratiis.
Dona qui celant Deorum, gratiam illis non habent.
Dulce nil latumve terris aut polo absq; Gratiis.
Eloquentis magna vis est: major at vis gratiæ.
Est Deo cura ne virtus maneat expers gratiæ.
Gratia illico senescit, tardiusque injuria.
Gratia omnis sit volucris, tarda est, injuria est.
Gratiæ doni omne demis quidquid adjicis morã.
Gratiæ tyranno habenda non modo ob fas sed nefas.
Gratiam bonus bonorum captat: omnium improbus.
Gratiam bonus referre desinit nec mortuis.
Gratiam debes nulli, uti quod potes rebus tuis.
Gratiam pro merito an ullus Regibus satis refert?
Gratiam duplam meretur non rogatus qui dedit.
Gratiam meretur ultro non coacte res data.
Gratiam quando voluntas nuda Principis adserit?
Gratiam referre nescis? illam habere at nil vetat.
Gratiam si quis reposcit, hoc eam omnem strangulat.
Gratia sunt nudæ amictum nemo eis quod injicit.
Gratias Deo ecquis unquam dixit esset quod bonus.
Gratias Dius advenientes, pro meritis agere addecet.
Gratias qui agit remotis arbitris, ingratus est.
Gratior suo est altori, quam Deo est homo, canis.
Haud vocanda gratia est, cui addita est molestia.
Maximum vitæ præsidium est gratia relatio.
Nemo gratiam deberi censet infelicibus.
Nemini floret perennis mens Deo absq; Gratiis.
Nonne angusta est, nec loco ullo circumscripta gratia.
Non datum omnibus videre posita veste Gratias.
Nulla adorea est virtutis fortunæ ubi gratia est.
O quam suave est perlitare Musis atq; Gratiis!
Omne dulce est, omne latum est, quod venit de Gratiis.
Pars pietatis est referre gratiam merentibus.
Quis benefactori immolavit, præter Pyrrhiam, bovem?
Quis siti fameq; macras hodie curat Gratias?
Quisquis imputat donata gratiam omnem destruit.
Quo diutius videtur plus amatur Gratia.
Quod bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet.
Quod necessitas extorsit omnis exsors gratia est.
Rebus in malis agenda gratiæ magis Deo.
Sæpe gratiæ pendet grata oratio vicem.
Sæpe virtuti refertur inficeta gratia.
Sanctius nil est honore, sanctius nil gratia.
Semper plena cista argenti, semper inanis Gratia est.
Sub tyranno Diis aguntur grates publicum ob malum.
Tam parum fida est malorum, quam sunt ipsi, gratia.
Turpe regi si privato debet homini gratiam.
Vllam quis putat deberi calamitosis gratiam.

¶ Jambica.

Beneficia Orbem continent & Gratiæ.
Bona gratiæ aut sequitur pietatem aut anteit.
Bonus nequam hominis parvipendit gratiam.
Captes bonorum gratiam, non omnium.
Debere quis vult gratiam ullam mortuo?
Est gratia omnis exors pœnitentiæ.
Et dicere impedimur verum gratiæ.
Et gratia aliam gratium semper parit.
Et gratiæ aguntur Regibus pro injuria.
Etiam expetunt beneficia minima gratias.
Etiam quoque ipsæ gratias referunt feræ.
Et gratiam minuit quod extorquet necessitas.
Fere solet putere merx ultronea.
Grates Deo vel maxime agenda in re mala.
Haud intrat unquam Gratiarum hortos Hyems.
Ignorat omnem Gratia pœnitentiam.
In debitum mora mutatur gratia.
Inter malos profecto nulla gratia est.
Nemo invidere potest, & agere gratias.
Nil consenescit tam cito quam gratia.
Nil gaudij feracius est quam gratiæ.
Nil usquam absq; Gratiis amabile est.
Non cum bonis cadit bonorum gratia.
Non omnium est litare posse Gratiis.
Nunquam choros ducunt Dei absque Gratiis.
Odio est animus invictus contra gratiam.
Offensa nasci non potest de gratia
Pecuniam qui haud reddit, reddet gratiam.
Potentiori quis resistat gratiæ?
Quod imperio non cogas, gratia impetres.
Rerum malarum gratia interdum est sua.
Se gratia una prabet omnibus Deus.
Si quam reposcis, illam perdis gratiam.
Simulatq; nata est jam senescit Gratia.
Vbi est Amor, ibi quoque ipsa Gratia est.

Vestita nunquam, semper nuda Gratia est.
Vetus sepulta est gratia, vix præsens juvat.
Vile imperium est & noxium absque gratia.

Gratitudinis.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Neque solum pro propriis, sed & pro alienis successibus, ac rectè factis gratiæ agendæ. quod quidem animam ipsam ab invidentiæ ac malignitatis morbo liberat, ac Deum magis allicit ad eos amandos, quos grato erga se animo esse cognoverit. *princ. Homil. 2. ad Rom.*

Chrysostomus: Gratias agere convenit non divites modo, sed & paupertate oppressos: non sanos, sed & ægrotantes: non eos quibus prospera omnia, sed & eos, quibus adversa contingunt. Deo enim tum gratias egere, quum secundo cursu res feruntur, nihil mirum fuerit. at vero quum ingenti suborta tempestate, jactata undiq; navis periculum incurrerit, tum demum magna existit patientiæ, æquanimitatisq; probatio. Quo certè nomine & Iob hinc coronam reportavit, & diaboli impudens os obturavit: planum faciens, se, quum fœlix esset, non ob pecunias, sed ob multam erga Deum charitatem gratias agere. *Ibidem.*

Chrysostomus: Nihil est æquè Deo gratum atq; grati esse animi, & gratias agere tam pro se quam pro aliis. *Orat. 2. ad Cor. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Ubi penitus hæserit animo, nos multa præter meritum percepisse beneficia, tunc maxime angimur, si fuerimus grati. *Homil. 2. Epist. ad Philemonen.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui iis, à quibus primum beneficio affecti sunt, etiamsi illi minime æqua petant, omnibus tamen in rebus obsecundare satagunt, meo judicio peccant, quamvis dum iniquæ rei participes se præbent, culpam suam altero jure obvelare videantur, nempe quod iis, à quibus beneficium acceperint, gratiam rependāt. At vero convenit, ut qui beneficio affectus est, ita beneficium referat, ut in bonis atque honestis rebus eum, cujus beneficio usus est, remuneretur, non autem in malis operam ipsi navet. Hæc enim non remuneratio est, sed injustitia. *lib. 3. Epist. 328.*

Synesius: Quandiu beatus Theodorus vixit, fuit ille quidem communis Pentapolitarum omnium hospes, præcipue vero parentes sibi nostros devinxerat & singulari in omnibus studio, & linguæ copia, ac suavitate. Quamobrem multorum illius jucundissimorum meritorum gratiam in consobrinum Ammonium conferamus. Atq; ego quidem quod mearum erat partium præstiti. Quod enim aliud absentis erat officium quam præsentibus hominem cōmendare? Ut autem non molesta illis sit commemoratio, vestrum est providere. *Epist. 20.*

Synesius: Quod tu mandatis tuis obtemperare nos arbitraris, ita enim scripsisti, rectè facis, & ut æquum est, de nobis existimas, atque ejus rei gratia plurima tibi bona eveniant: quoniam hoc pacto etiam me abs te officii debitum accepisse puto, si quod juniori à majore fratre officium debeatur. Quod nequaquam in animum meum induco. Nobis vero istud mercedis loco sufficit, si nostrum institutum non ignoretur, nimirum soli nos tibi mortalium esse obstrictos. *Epist. ad fratrem 94.*

¶ LATINORUM.

Salvianus: Igitur quoties in metu, in angustiis, in periculis sumus, cum aut civitates ab hostibus obsidentur, aut provinciæ populatione vastantur, aut quibuscunque rerum adversitatibus Reipubl. membra cæduntur, & opem cœlestis manus votis precamur, si quo sacræ miserationis auxilio aut servatæ urbes fuerint, aut finita populatio, aut hostiles exercitus fusi & metus omnis dono divinitatis ablatus, quid statim post hæc omnia facimus? Compensare credo, Domino Deo nostro, cultu, honore, reverentia, beneficia quæ ab eo accepimus, adnitimur, hoc enim est consequens, atq; id etiam usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia fœneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes. Ita ergo nos forsitan facimus, atque humanis saltem cum Deo nostro retributionibus agentes, cum ab eo bona accepimus, bona reddimus, ad domos dominicas statim currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudiis supplicamus: illustramus donativis sacra limina aras muneribus: & quia ipsi dono illius festi sumus, templum quoque ipsius vultu nostræ festivitatis induimus, aut certe quod ei non minus est prioribus, ex ipso corde vitiis renunciamus, operum bonorum victimas cædimus, & pro gaudiis novis novæ conversationis hostias immolamus, omnibus, denique immunditiis bellum sanctum indicimus, circorum insanias fugimus, fœditates theatralium ludorum execramur, vovemus Domino novam vitam, & ad obtinendam ejus perpetuo protectionem, nosmetipsos Deo sacrificamus. Imò, ad ludos protinus curritur, ad insanias convolatur, in theatris populus diffunditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille nobis ad hoc bona præstat, ut boni simus: nos è diverso quoties bona accipimus mala nostra cumulamus. ille nos beneficiis suis vocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem, vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem. præclarè videlicet sacris muneribus respondemus, præclare dona ejus vel agnoscimus, vel honoramus; qui quantum ab eo beneficii accepimus, tantum ei injuriar. reperiamus, &c. *lib. 6. de gubern. Dei.*

Salvianus: Officiosiores absque dubio Deo esse debuerant, quos specialiter Deus abundantissima beneficiorum suorum dote ditavit. Quid enim rectius aut quid dignius quam ut, quibus per munera sua dominus quasi specialiter videbatur placere voluisse, iidem quoq; specialius Domino cultu ac religione placuissent. præsertim cum à nobis Deus nil onerosum nil grave exigat. non enim nos ad aratra, aut ad ligones vocat, non ad scindendas terras, neque ad vineas pastinandas; non denique illa exigit asinis servis quæ nos exigimus à nostris: quid præstari sibi à nobis jubet, nisi fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, quæ utique omnia non onerant nos sed ornant adeo vitam præsentem, ut futurum plus ornare possint, &c. *initio lib. 7. de gubernatione Dei.*

S. Salvianus: Natura ipsa hominum consuetudoque communis hac generali cunctos lege constringit, ut à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus. arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. ante usum enim ac munificetiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficior. fœnore non gravatus: coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores. Ita ergo & Deo hoc majora debemus, quod ab eo cuncta percepimus. *lib. 4. contra avaritiam.*

Zeno: Magna gloria est ornare, per quod orneris, servare per quod & ipse servaris. *Serm. de pudicitia.*

Ennodius: Quamvis nondum in me ad florem venerit matura facundia, & pressus onere gratiæ solvendi deferar facultate: committo tamen cymbam tenuem placido mari, quia parum ab ingratitudine differt muta gratulatio. *lib. 2. Epist. 7. m.*

¶ PHILOSOPHORVM ORATORVMQVE GRÆCORVM.

Anacharsis: Canis animo præclarum animal beneficiorum memoriam conservat, domumq; benefactorum amat, & æquitatem ad mortem usque custodit. Tu superaris à cane beneficiis, cum ratiocinatione hominibus possis æquari. Quærit itaq; meus hic sermo quam iram promerearis, si leonis animum erga benefactores geras. Quare da operam, ut familiaritatem quæ nobis tecum intercessit tuearis. Etenim ejusmodi vir bonam spem alere potest. *Epistola 8. Thrasylocho.*

Xenophon: Reliquias illas pecunias & opes tecum avectas servato, donec tantum habere me videris, ut remunerando te non sim inferior. Quod si ita abeas, ut plura mihi des, quam à me acceperis: nescio profecto, quo pacto facere possim, ut pudore non adficiar. *cap. 36. lib. 5. Cyropæd.*

Iulianus Apostata: Neque agricolam illum gratum esse dixeris, qui cum seminariū instituere vellet, vitigineos surculos ab vicinis petierit, tum ubi vineam excitare cœperit, ligonem, ac dolabram, ac demum arundinem petierit, qua vitem alligare ac fulcire posset, ut & hæc sublata, & suspensi racemi glebam minimè contingant. Cæterum postquam quæ vellet obtinuerit, Bacchi se munere solum repleat, neq; ex racemis, aut musto quicquā iis offerat, quos ad agriculturæ subsidium liberales ac prolixos habuerit. Neq; porro vel pastorem, vel bubulcū, vel deniq; caprarium probum quispiam ac gratum dixerit, qui per hyemem, cum & ipse tecto & herba pecus indigeret, amicos in se benignos ac liberales expertus sit, qui quamplurima sibi dederint, & abunde pabulum ac diversoria suppeditarint: simulatq; vero ver, aut æstas appetierit, bene de se meritorum penitus obliviscatur, nec lactis aliquid, vel casei, vel rei alterius iis impertiat, per quos peritura alioqui pecora servata fuerint. *Paneg. 2. in Eusebiam Imp.*

Idem paulo post: Sed Thales ille potius nobis imitandus est, sapiētum facile princeps; à quo cum multa præclarè ac cum laude dicta ac facta, tum illud audivimus. nam cum interrogaret quispiam, quantam mercedem pro eo quod didicerat persolveret? tu si à me, inquit, didicisse fatebere, mihi præmium persolveris. Quamobrem qui tametsi non docuerit ipse, aliquid tamen ad discendum contulerit, plane injuriam accipiat, nisi vicissim gratiam & accepti muneris agnitionem ab altero reportet: id quod vir ille sapiens postulasse sibi videtur.

Heliodorus: Præmium, inquit, quodnam erit? In præsentia quidem, ait ille, gratitudo, viro sapiēti pulcherrimum munus, multosq; novi qui hoc donum tanquam thesaurum in animo reposuerunt. Quod si in patriam revenerimus, hauries opes quam maximas. *lib. Æthiopicon altero.*

Procopius Sophista: Ii qui Deis thure sacrificium faciunt, nō prodignitate gratiam, sed pro virili parte, ut grati esse videantur, comparant. *Epist. 16.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Terentium quem, inter cæteros captivos, secundo Punico bello Scipio Africanus vinculis exuerat, memoriæ tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testante in triumpho ducis esse conspectum. Et ille quidem majoris momenti accessione publicam senserat felicitatem, privatim tamen debere se putavit victoriæ beneficium. *Declam. 9. §. 27. f.*

Plinius Iunior: Est omnino Artemidori nostri tam benigna natura,

ura, ut officia amicorum in majus extollat: inde etiam meum meritum, ut vera, ita supra meritum prædicatione circumfert. *lib.* 3. *Epist.* 11. *princip.*

Plinius Iunior: Tanto turpius gratiam non referre, quanto honestior causa referendæ. *Epistola* 12. *lib.* 8.

Symmachus: Quæ igitur verba tantum munus æquabunt? Conjungite, oro, vos nobis ad referendas præclaro viro gratias. Nam cum singuli vincamur rei magnitudine; opus est laudatoribus multis, ut numerus major impleat onus debiti. Et sanè dominus pectoris mei, à quo profectum est beneficium, non ex alterius verbis sed ex gaudio conscientiæ mensuram facti sui colligit: nec ignorat talia esse quæ præstat ut vincant spē solutionis. Nos tamen gratiæ, vicem fidæ amicitiæ & observantiæ rependemus: damusq; huic rei obsides animos quibus satisfaciunt liberi lucis auctoribus. Piis enim contractibus amor sufficit. *lib.* 7. *Epist.* 103.

Symmachus: Si divinæ clementiæ tuæ merita cogitantur: nullæ opes, quas aut natura sufficit, aut fortuna circumfert, gratiam nostri erga te amoris æquabat. D. Imperator. Sed, ut mea fert opinio, publicum de optimo Imperatore judicium non est muneribus æstimandum. Senatus tamen promptus obsequi, omnes officiorū partes ultro arripit, quibus indicantur affectio: & salutare numen tuū precatur, ut in hac Oblatione, quæ non nihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum; ne sub te minus posse videamur. *lib.* 10. *Epist.* 26.

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 1 sc. 1. v. 26.

——— *Numero mihi in mentem fuit,*
Deū advenientem gratias pro meritis agere, atq; alloqui.
Ne illis adepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mihi advenienti os oscillet probè.
Quoniam bona quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.
M. Facit ille, quod vulgo haud solent, ut quid se sit dignum sciat.

Plautus Captivis 2. sc. 2. v. 107.

Quod bonis beneficit beneficium gratia ea gravida est bonis.

Plautus Menæchmis 5, sc. 9. v. 8.

Non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat quæ velis.

Ibidem versu 41.

Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis quin impetres.
Tanquam si me emeru argento, liber servibo tibi.

Aul. Septimius Serenus.

Inquit amicus ager domino: fere; plurima reddam:
Si bene mi facias, memini tibi reddere grates.

Guntherus lib. 7. v. 325.

Cum mihi devoto tantos adstitere catu
Aspicio proceres, quorum me munere regna
Accepisse juvat, studiis retinere laboro.
Nam neque me tanti mea gloria muneris unquam
Immemorem faciet: Vestrique favoris egentem
Vivere dum potero, bello seu pace fatebor.
Sunt impressa meis suffragia vestra medullis,
Quoque magu recolo, magis hæc recolenda videtur.
Immemor officii non sat memor extitit ante!
Nec bene gratus erat, qui gratus desist esse.

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 8. de Lupi & Gruis.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat:
Impune abire deinde quia jam non potest.
Os devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jurejurando Grus,
Gulæque credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum facto flagitaret premium:
Ingrata es, inquit, ore qua nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

Babrias Περὶ Ἐλαφ. καὶ Ἀμπέλ. fab. 1.

Ἐλαφον ἐξήλωσαν αἱ κώνωπες,
Ἡ πᾶς δυσείμις ἀμπέλοις ἀπηρύβη,
Τὰ φύλλα βιβρώσκουσα δὴ τῆ ἀμπέλου,
Κωνωπες ὧδε ἐσθίουσιν ἐνθρώπους.
Ἐπιμυθιον.
Πρὸς τὰς κακοποιοῦντας τὰς ὠτᾶν εὐεργέτας.

De Cerva & Vite.

Cervam persequebantur venatores,
Quæ densis in vitibus delituit
Sed folia vitium quum comederet,
Venatoribus jure præda fuit.

Affabulatio.

Adversus eos, qui male faciunt benefactoribus suis.

De Leone & Spina. Anonymus.

Solicitus præda currit Leo: spina Leonem
Vulnerat, offendit in pede mersa pedem;
Fit mora de cursu; levitas improvida lapsum
Sæpe facit, læso stat pede turba pedum.
Vix ægrum sinit ille dolor, saniemque fatetur
Vulnus idem loquitur vulneris ipse dolor.
Cum ladit miseros fortuna, medetur eisdem.
Hoc est cur medicum plaga Leonis habet.
Nam Leo pastorem reperit; pastorque Leoni
Pro dape præbet oves; respuit ille dapes.
Supplicat, & plagam pranso pede monstrat, & ejus
Orat opem, pastor vulnera solvit acu.
Exit eum sanie dolor, & res causa doloris,
Hic blando medicam circuit ore manum.
Sospes abit, meritique notas in corde sigillat:
Tempore deleri gratia firma nequit.
Hinc leo vincla subit? Romana gloria præda
Hunc habet, & multas miscet arena feras.
Ecce necis potum pastori culpa propinat,
Clauditur in mediis, & datur esca feris.
Hunc fera præsentit, petit hunc, timet ille, timentē
Hac fera blanditur; sperat, abitque timor.
Nil feritatis habens luait fera, caudare fultat:
Dum fera mansuescit se negat esse feram.
Hunc tenet, hunc lingit, pensatque salute salutem
Nulla sinit fieri vulnera nulla facit.
Roma stupet, parcit que viro, parcitque Leoni.
Hic redit in silvas, & redit ille domum.
Non debet meritum turpis delere vetustas,
Accepti memores nos decet esse boni.

Æsopi Aquila & Draconis.

Draco & Aquila convoluti inter se, pugnarunt: & quidem Draco; cum ligatam detineret aquilam, videns id rusticus, soluta draconis spira, liberam dimisit aquilam. quare iratus draco, venenum immisit in servantis potum. hausturo verò; quod ignoraret, rustico; advolans aquila, ex manibus rustici calicem decussit.

De Viro benefico, qui in latrones inciderat. Fab. 161.

Vir beneficus, & in cunctos liberalis, peregrè profectus, incidit in latrones: qui circumstantes quum eum interimere vellent, exclamavit unus ex eis: Ne interficiatis hunc virum bonum, & de me bene meritum. Quippe qui me non solum olim benigne suscepit hospitio, verum etiam ægrotum fovit, medicoque curandum tradidit. Quibus verbis moti socii, illum illæsum abire permiserunt.

Fabula indicat, quoad possumus, beneficia in cunctos conferenda.
Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Camerarius 32. Centur. 2.

Grato servisse patrono.

Gratus equo ut fuerit, victor docet ille Darei:
Ornat honore novo; condidit huic tumulum.

Camerarius 98 Centur. 2.

Acceptum redditur officium.

Vel trochili meritis Crocodili gratia constat,
Præclare meritis tu quoque redde vicem.

¶ Apophthegm. Sacror.

Anna mater Samuelis: Quum Elkana & Anna adducerent Samuelem admodum puerum ad Heli sacerdotem; dixit Anna, *Attende ad me Domine mi, ut vivit anima Domine mi, sum mulier quæ stabat tecum hic supplicando Iehovam. Pro puero isto supplicabam: præstitit q; mihi Iehova petitionem meam, quam petebam ab eo. Quamobrem ego quoque commodatum restituo eum Iehovæ omnibus diebus quibus fuerit, ipse commodatus est Iehovæ.* Cui incurvavit se ibi Samuel. *1. Sam. 1. 26. 27. 28.*

David: Audiens Nabalem esse mortuum, dixit, *Benedictus Iehova, qui egit causam oppropri mei a Nabale, & servum suum subtraxit a re mala: malum autem Nabalis convertit Iehova in caput eius.* 1 Samuel. 25. 39.

Theodosius Imperator: Postquam & victoria de Johanne tyranno reportata, ludis Circensibus renuntiata est, ad populum vociferans, Agite inquit, si ita videtur; ludicro hoc omisso, in ædem hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum agendarum auctori victoriæ Deo concinnamus. Hæc ubi dixit, spectaculum neglectum est. *Niceph. eccl. hist. lib.* 14. *cap.* 7.

Elesbaan rex Aethiopum: Post victoriam insignem de crudeli hoste reportatam, belli dux Elesbaan, vir pius, quum se sociū auxiliatoremque habuisse rerum omnium Deum, cujus manu Christianorum hostem confecisset, probe sibi et conscius: Equidem, inquit (facie & voce in cœlum intenta) summe Imperator, quod tibi pro mihi submissa ope reddam, ut par est non habeo. Quod vero mihi est regnum (id quod apud omnes habetur charissimum) tua gratia hodie depono. His dictis, purpuram diademamque abiecit, & solitariam vitam, ut liberius Deum coleret, amplexus est. *Niceph. eccl. hist. lib.* 17 *cap.* 6.

Alfonsius rex. Quum Alphonsum regem Neapolitanum convenisset Johannes Orator Pontificius, ac de pace Tusciæ ageret, inter alia pie & sapienter dicta: Scio me, inquit, postquam regnare cœpi, quamplurimos homines è modica fortuna ad magnas opes ac potentiam evexisse, qui postea benefacti immemores extiterunt. Ea vero res mihi minimè admirationi est cum & ipse eodem ingratitudinis vitio laborem. Nam quis plura ex optimo maximoque Deo quam ego beneficia accepit, qui natus ex regibus amplissima regna

hæreditario jure sum consecutus, nec minora mihi ipse armis comparavi? Pauci me reges inter Christianos antecedunt. Ingeniū mihi natura non obtusum dedit, memoriam non infirmam, corpus salubre, vitam longiorem, ac morbis ferè inoffensam. Opes mihi, delitiæ, voluptates abunde suppetunt: literarum quoque nonnullā cognitionem adeptus sum. At ubi mea gratitudo? quid ego aut feci pro tot tantisque divinæ clementiæ muneribus? Intelligo me certe ingratum esse, eoque pœna tanto majore dignum, quanto gravius est Deum quam hominem fallere. Verum si mihi vita contigerit, est animus, quod hactenus neglectum est, abunde præstare. Injurias enim quas crudelissima gens Turcarum Jesu Christo vero & maximo Deo nostro nunc in Græcia, nunc in Asia quotidie infert, ultum ire decrevi, atque ad id jam naves, jam viros & arma comparavi. Itaque nihil est cur me Tusciæ pacem quovis pacto turbaturum existimes. *Æn. Sylvius lib. 4. de dictis & factis Alphonsi.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Tranquillinus Martyr: Optima beneficiorum custos est ipsa eorumdem memoria, & perpetua gratiarum confessio. unde contendentem Agestium Præfectum, Solem summo jure pro numine habendum; Tranquillinus hoc modo compescuit: *Num*, inquit, *navibus tibi alimenta ferentibus gratias agenda potius quā Regibus? Si ergo Regibus asportata adscribitur annona; quanto magis uni Deo gratiæ agendæ, cujus nutu omnia elementa nostris usibus deserviunt.* Sur. tom. 1. in vita.

S. Saba: Hic Cœnobiorum multorum pater, Agarenis per cellam transeuntibus, apposuit melagriorum & arundinum radices. neq; enim aliud ei in cibum. Illi regressi, cascos & dactilos referunt. Tum Saba, *Heu mihi!* inquit, *Barbari isti, Parvi nostri beneficii memores, referre gratiam munifice studuerūt: nos, qui bonis creatoris fruimur indies, nullam ei studemus referre gratiam per mādatorum observationem. Quæ venia? quæ excusatio?* Sur. tom 6. in vita.

S. Rumoldus Archiepisc. Contendebant apud illum parentes, heroinam stemmate illustrem in conjugem, & simul Scotiæ adscisceret gubernacula. At ille soli Deo vacans, *Quid*, inquiebat, *Imperium, quid mulierum amplexus, mihi propediem emigraturo profutura sunt? cum nihil tunc sim habiturus, quod gratitudinis loco Deo, omnium bonorum largitori, queam referre.* Ex vita ejusdem.

B. Ignatius Lojola: Cum linguæ Italicæ puritati nequicquam incumberet, & vix ulla profectus spes superesset; *Ego*, ajebat, *a bonorum largitore non plus accepi, conferam tamen in ejus laudem hoc quicquid est, quod ut Deo redderem, ab ipso accepi.* Ribadin. in vita lib. 3. cap. 3.

Theodosius Imp. Spectabilis insuper in Theodosio hæc gratitudo fuit. Exhibiturus erat suo populo Circenses ludos, & nuntiū accipiebat, Tyrannum Joannem in Occidente interemptum: cœptoque desistens, populo qui spectatum advenerat, denunciat: *Relinquamus hoc propositum, & ad Ecclesiam properantes, Deo gratias agamus, cujus manus Tyranni præsumptionibus obviavit.* Dixerat. & ecce fit frequens ad Ecclesiam concursus, gratiæque ter maximo Deo redduntur. *Socrat. Trip. hist. lib. 11. cap. 18.*

Alphonsus Arag. Rex: Ille etiam hac gloria illustris, sæpius ad amicos dixisse commemoratur: *Deo tribus potissimum de causis incessanter gratias ago: quod me rationale animal esse dederit: quod Christianum: quodque inter Christianos, Regem.* An non merito Platoni, præferendus? qui, cum etiam sibi de Primo gratularetur; adjecit, se diis gratias habere, quod civis esset Atheniensis, ac Socrate magistro usus. *Æn. Sylv. de dict. Alphonsi.*

Carolus V. Imperator: Conquerebatur apud eum domesticorum quispiam, quod cum suæ Majestatis obsequio omnem operam impendisset, minus tamen sibi de celebriori officio provideri, quam cæteris. At Carolus, *An nescis*, ait, *quo Soli Luna est vicinior, eo minus ab illo accipiat luminis?* Significabat autem id Magnatibus usu venire, ut qui illis officio aut ministerio propinquiores, sint è promotione remotiores. *Chyt. in Orat. de vita Caroli.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cogitatione quis fit gratus; at manu magis.
Gratitudo Benignitasque mutuas volunt vices.
Gratitudo ubi est, inde omnis arrogantia exulat.
Gratuitum omne est hominibus à Deo quod obvenit.
Gratus est famæ malignus, conscientiæ bonus.
Munus ecquod majus ulli gratitudine est merâ?
Ne putes fortem probumve gratitudo cui deest.
Si bonis quid fit, idem esse & grave & gratum solet.
Solus Olympicis sepulchra constituit Cimon equis.

¶ Jambica.

Cum moritur, esse maxime gratis libet.
Et gratus est, beneficium in mentem cui venit.
Grato esse animo nihil potest honestius.
Magis referre paria meritis arduum est.
Plus quam recepit seminis reddit solum.
Plus quam accipit refundit fundus fertilis.

Gravitatis.

¶ Sententiæ Græcorum et Latinorum.

Nazianzenus: si non lepidus quispiam & facetus erat, nec circumforaneus, nec ex eo quod omnibus omnia fieret, plerisq; gratus & acceptus, quid tum? nonne eandem laudem potius quam reprehensionem etiam accusandum putet, quod non simiæ vultum, sed torvum quendam & horridum ac regium præferat, cujus ipsæ quoq; saltationes fortes & generosæ sunt, & cum admiratione jucundæ: nisi quis etiam histriones ut suaves & humanitatis plenos admiretur, quoniam populi voluptatibus inserviunt colaphosq; sibi invicem in malam impingendo, strepitum ciendo, risum ei movent. *Orat. 20 de Basilio Magno.*

Isocrates: Urbanus esse studeas & gravis: quorum hoc principatum decet, illud congressibus est aptum. Sed hoc rerum omnium difficillimum. nam eos qui gravitatem affectant, plerumq; frigere, qui vero urbani esse student, eos humiles & abjectos comperies. Est autem utraq; hac ratione utendum, & finitimum utriq; incommodum effugiendum. *Orat. ad Nicoclem.*

Plinius Junior: Severitatem pari jucunditate condire, summæq; gravitati tantum comitatis adjungere, non minus difficile quam magnum. *lib. 4. Epist. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Condias severitatem comitate, aut dispices.
Dissipat frons voluptuosa linguas detrahentium.
Familiaritas gravitasq; sedem eandem haud incolunt.
Fronte ne supercilioſa sis, sed moribus.
Heu, quam multos barba grandis, fronsq; austera decipit!
Nemo non gravis infrunito Regi est adversarius.
Non potest urbanus esse vir gravis, sit simia.
Nulla tam capax est arca, cui fundus non sit suus.
Vir gravis refert leonem: comis instar simiæ est.
Voce vir gravis vel una plebis iram comprimat.

¶ Jambica.

Haud se gravitati facile sociat comitas.
Morositas simul est & intractabilis.
Morum graves extra intus sunt levissimi.
Suos ubique mores vir retinet gravis.

Graviter Dictorum.

¶ Apophthegm. Christianor.

Alphonsus Arag. Reg. Ut facete & jocosè dictum suum lepore & venustatem, ita graviter prolata suam etiam energiā habent & gravitatem. Durante inimica illa cōtentione, quæ erat inter Franciscum Sfortiam & Nicolaum Picinium, sciscitabantur Matricienses Legati ex Alphonso Aragonio, utrum illorum sibi in amicitiam adsciscere vellet? Quibus ille: *Utrosque tamquam amicos habeo: & ab utrisq; velut hostibus cavendum mihi existimo.* Sentiebat quippe perdifficile ita unius familiaritate uti, ut alter [illegible] hostiliter insidiatur, offensam non incurras. *Panorm. li.* [illegible]

Dux Venet[illegible] [illegible]liud à Venetorum Duce exspectandum? Galli[illegible]rum Rege[illegible]ium capto, factum ut ejusdem Orator, subtristi vultu Regis sui cladem nuntiaturus, adveniret in Palatium: quo tempora etiam Imperatoris Caroli legatus Ducē præstolabatur, lætus admodum, obtentæ jam palmæ deferens nuntium. conspicatusq; utrumque Dux (ut erat prudentissimus) quo se in neutram partem inclinari testaretur; *Faciam*, inquiebat admodum graviter, *juxta mandatum Apostoli: Gaudebo cum gaudente & flebo cum flente.* Eoque dicto utriusq; animum placavit. *Auct. Serm. memor. Corozet.*

Gubernationis.

¶ Apophtheg. Christianor.

Sigismundus Imperator: Velut is qui in puppi sedens flectit gubernacula, simul navem ipsam flectit reflectitque: ita ad Reipublicæ clavum constitutus, eam regit dirigitque. Quis illud ipsum intellexisse Sigismundum inficiabitur? apud quem dum quispiam gloriabundus urbanos Magistratus despiciendos diceret, militumq; tribunos extolleret, excandescens, *Tace*, inquiebat, *ô Thraso: nulla nobis militia foret opus si suas quisque civitates & imperia juste rectèque gubernaret.* Significabat bellorum fomitem Prælatorum discordiam: adeoq; nihil verius, quam illud Horatii:

Quid

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.
Æn. Syl. de Dict. Alph.

Franciscus Borgia Dux: Quare prudenter dixisse fertur iste: *Qui ceteris præesse volunt, non una omnes qui parent regula metiri oportet: sed bonos milites imitari; qui fistola captu, machinam bellicam sulphureo pulvere implent, ne dissiliat.* Ribad. lib. 4. vitæ ejus, c. 8.

Alexander Severus Imp. Tempora confundimus, sed in re eadē. Suspectos habebat SEVERUS IMP. eos, qui ultro honores ambirent, eosque Reipub. pernicioſos existimabat. Itaque cum urbi suæ Præfectum designasset, isque fugam capesseret, ne publico isti muneri deserviret; retractum, reluctantem, & invitum eodem nihilominus ornavit, dicens: *Invitis, non ambientes in Rempublicā collocandi.* Æl. Lampridius.

Petrus Aldobrandinus Card Dignitate & ordine ceteris prior, non item ævo ille. rogatus, quisnam benè gubernaret: respondit; *Qui vim habet nullam.* Sensit autem cum Homero, neminē rectè gubernare, nisi ex dono Dei. *Henricus Farnes. in Apophth. de Principe.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Adsidens clavo magister plus agit omni navita.
Æquum est à præstantiore quidquid est pejus regi.
Arduum est malo imperare: sed bono facillimum.
Ars primum primi magistri tempestate quæritur.
Aura blandiente navem nautarum ultimus regat.
Bellicis civilibusq; præsidet rebus Deus.
Corpori atq; animo imperare aliorum, haud est cujuslibet
Cymbulam in portu qui evertit, in mari Argo quis regat?
Destituta nautis holcas præda certè fit maris.
Difficile imperium in malos est: facile est imperiū in bonos:
Ducitur quo vult equus qui sistere ipsum non potest.
Est gubernator qui curat ne mergatur quos vehit
Est necesse paruerit aliquando qui bene imperat.
Fertur incerte us q; currus qui suo auriga caret
Gens servire si qua nescit, imperare nec potest.
Imperare dignis tas non est modo, ars sed artium.
Imperare vis, à sanguine abstine innocentium
Imperare vis secure? judices statue optimos.
Imperent cervis leones, non cervi leonibus.
Imperium stabile est, non quod vi, sed amicitia adjungitur.
Imperium us q; ad optimum quemq; à minus venit bono
Imperij mora coalescit regulorum audacia.
In mari gubernatores æstima, non in lacu.
Indicat gubernatorem non malacia verum hyems.
Indicat gubernatorem tunc ubi sævum est mare.
Ludus est cuicumq; ventro trabs gubernaclo carens.
Iure ex omnibus legatur, dominaturus omnibus.
Maxime ars gubernatoris tempestate cernitur.
Maximum imperium imperito dedecus sit maximum.
Naturale est imperium sequi ultro præstantissimi.
Navita, aura blandiente, velpuer puppim regat:
Ne quidem in minimis errare fas hominum rectoribus.
Nemo fert se regi ab ullo regere qui seipsum nequit.
Multis regno sunt iniqui; pauci regno sunt boni.
Nescit imperare, ferre qui imperium alterius nequit.
Non potest bene imperare, qui male ante servijt.
Non potest bene imperare qui parere non potest.
Non potest caput perire corporis sine exitu.
Non queunt bene imperare servierunt qui male
Non regit navem magister vi mera, at leni manu.
Nullum animal tam forte, voce terreatur qua in heri.
Nullius usui navis est cui rector haud adest suus.
Omnibus qui quis præst, idem indiget quod q; omnibus.
Optime imperas, tuos si contines bono, haud malo.
Omnium optime gubernat, cum gubernat ipse est Deus.
Optime omnium gubernat dux cui via est Deus.
Optimos gubernatores juvat & remigium manus.
Parce utare imperio, eodem semper uti quei queas.
Post habenda semper sunt quæ serviunt ijs quæ imperant.
Proditō gubernatore, tota navis perdita est.
Promtius parva at q; pauca, magna & multa quam regas:
Qui caret rectore currus ante carceres ruit.
Qui domum nequit tueri, regna quei tuebitur?
Qui non ante servierunt, regere recte quei queant?
Qui non est servire doctus, imperare quei sciat.
Qui paret modeste, dignus est aliquando qui imperet.
Qui prius non servierē regere recte non queant.
Quilibet gubernatorem tranquillo dederit mari.
Quisquis imperat recenter, non satis bene imperat.
Quod nequid regi, durare non potest item diu.
Rheda metam non tenebit, cui deest rector suus.
Roma reges simul habere fratres non potuit duos.
Sat probo gubernatori, clavum rectum si tenet.
Sapientia gubernandam navem tenet, non valentia.
Semper imperant molesta servo herus, nato pater.
Si diu imperare quæris, leniter fac imperes.
Si diu vis imperare; amore utare non metu.
Si minus sanum est cerebrum, ceteris membris male est.
Summa lex gubernatorum est, posse somnum vincere.
Tam malum est regnare multos quam regnare neminem.
Turbido mari ipse nutu laditur gubernio.

¶ JAMBICA.

Aliter tumet pelagus aliter piscicula
Alios regit feliciter qui & se regit.
Asperrime vir se regi fert pessimus.
Bene imperant, qui non libenter imperant.
Clavum tenere rectum haud est cujuslibet.
Currum gubernat non robur, sed Fors hera.
Difficilis est ars regere rectè publicum.
Etiam ferocit imperator bellua.
Expertus utrum q; regi quam regere malelit.
Homini imperare, impiorum onerosissimum.
Homini imperare non est ars, ars artium est.
Infirmiori us q; imperat potentior.
Invisa nunquam imperia retinentur din.
Invenem facilius quam seniorem rexeris.
Magnus guberna & scisso velo navigat.
Male imperat, qui haud ante imperium pertulit.
Mari quieto quilibet gubernio est.
Minime reget suos, se regere qui nequit.
Molestius nil imperare quam malis.
Multa ars regit, Sors plurima, cuncta sed Deus.
Navim duabus fulcias recte anchoris.
Nemo imperat sicut cupit, sed ut potest.
Neptune nunquam hanc navem nisi rectam hauseris.
Nil difficilius imperare quam bene.
Perenne imperium Virtus at q; Fors facit.
Præesse res pulcerrima est volentibus.
Præstat regi quam regere non prudentibus.
Quale est caput, talis q; corporis sapor.
Qui se nequit, quo ceteros reget modo?
Qui vult amari, languida regnet manu.
Quis non habere in alios imperium cupit?
Qui rexerit se, totum item orbem rexerit.
Quivis quietos fit gubernator mari
Rectorem accipere, servitutis est genus.
Rectorem quisq; asperrime fert pessimus.
Regendi inhabile est, quidquid excedit modum.
Regere potest nemo, nisi qui potest regi.
Regi à Deo unico omnium utilissimum.
Regi potest nemo, nisi regere qui potest.
Regnare nescit, odia qui nimium timet.
Regnare nescit qui prius non servivit.
Regnare nolle, cum queas, regnum merum est.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.
Regnare non vult, esse qui invisus timet
Rei caput dare cuiquam difficillimum est
Scire imperare, res vel difficilima est.
Servire qui non didicit, haud bene imperat.
Sibi imperare, maximum imperium omnium est.
Sueti imperare servitutem non ferunt.
Torquet navem sapientia haud valentia.
Vere imperant ij qui imperant volentibus.
Vectoribus nauclere si pares, peris.

Gulæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORUM.

Greg. Nyssenus: Voluptas quæ gustatu percipitur, antiquior quodammodo, quasiq; vitii mater videtur. quæ enim e cibo atque potione existunt voluptates, cum modum plus justo excedant, gravium malorum necessitatem corpori imponunt: quoniam immoderata cibi satietas, multos admodum cupiditatis morbos mortalibus parit. Ergo ut corpus tranquillum maneat, continentior ritæ disciplina quædam diligenter est procuranda; necessario in singulis delectationibus constituto modo ac termino: ita tamen ne propter oblectationem necessitatem rejiciamus, neq; voluptatem principaliter persequamur. *cap. 21. de virginitate.*

Chrysostomus: Quæ in delitiis degit, vivens est mortua. Quamobrem? quoniam circumfert corpus tanquam sepulcrum, colligatū malis innumerabilibus. Si autem corpus ita perit: quomodo afficietur anima; quanto tumultu, quantis fluctibus, quanta tempestate erit referta? Propterea quidem certe ad omnia fit inutilis: & nec dicere, nec audire; neq; consultare, neque aliquid agere eorum quæ decet facile poterit. Sed sicut gubernator, si tempestas vicerit artem, cum ipsa nave & victoribus submergitur: ita etiam anima cū corpore demergitur in gravem abyssum sensuū egestatis: & sicut quādam molam Deus nobis ventrem indidit; data facultate justa symmetria ei conveniente, & certa constituta mensura quā ipsū quotidie oportet molere. Si quisquam ergo plura injecit, ea non confecta

universo exitium afferunt. Hi morbi & imbecillitates, & deformitates: & non solum morbidam, sed & turpem faciunt delitiæ eam quæ est pulchra. Quando enim injucunda assiduè eructat, & putridum vinum spirat, & plus quam par sit rubescit, & qui mulieri convenit numerum corrumpit, & omnem perdit decorem & honestatem, & flaccida quidem sit caro, sanguinea autem & intensa supercilia, & major quam par sit crassitudo, & supervacanea carnis excrescentia: cogita quanta hinc sit insuavitas & molestia. Audivi quoque medicos dicentes; quod multis impedimento fuerunt deliciæ, ne assurgerent in altitudinem. Nam cum intersecetur spiritus multitudine eorum quæ dejiciuntur, & occupetur in iis conficiendis: quod oportebat ad augmentum procedere, id in supervacaneorum consumitur confectione. Quid dixeris de pedum doloribus, de rheumate quod oberrat in omnes partes, quid de aliis morbis qui hinc oriuntur, & aliis abominandis? Nihil est enim æque injucundum & insuave, ut mulier quæ multa comedit. Propterea in pauperculis videris majorem formæ pulchritudinem: dum consumuntur excrementa, & non temere ac frustra allinuntur instar luti supervacanei. Nam quotidiana exercitatio, & labores, & afflictiones, & mensa moderata, & tenuis vitæ ratio; multam eis præbent bonã habitudinem, & hinc quoque multam pulchritudinem. Si autem dicas deliciarum voluptatem, eam invenies solum usque ad gulam. Nam simul atque linguam præteriit, avolat multas immittens molestias. Ne mihi enim solum accumbentes videas eos, qui vivunt in delitiis; sed quando eos videris surrexisse, tunc sequere: & videbis magis esse ferarum & brutorum corpora, quam hominum. Videbis enim capite gravatos, pandiculantes, colligatos, lecto opus habentes, & stragulis, & multa quiete, & tanquam in multis undis jactatos & perturbatos, & iis qui servent opus habentes, & cupientes in illo esse statu in quo erant priusquam disrumperentur. tanquam enim gravidæ mulieres, ita gravati ventres circumferunt: & vix ingrediuntur, & vix aspiciunt, & vix loquuntur, & vix omnia. Quod si contigerit eos parum dormire: absurda rursus vident somnia, & referta visis innumerabilibus *sine Homilia 30. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Quod mannam colligentibus accidebat, hoc etiã videre licet in iis quæ nunc superabundant. Quid autem tunc accidebat. Ex eo quod superabundabat, scatebant vermes. Hoc quoq; nunc fit in his. Alimenti enim mensura eadem est omnibus. Unum enim ventrem implemus: apud te autem, qui expleris delitiis, est plus stercoris. Et quomodo illic in domibus qui plus colligebant quam erat constitutum, non manna congregabant, sed plures vermes & putredinem: ita etiam in delitiis & in superabundantia, non plus corruptionis congregant, qui ventri indulgent & inebriantur. Sed tamen qui nunc sunt tanto sunt illis deteriores: quod illi quidem hoc semel passi, fuerunt castigati & sibi temperarunt. isti autẽ quotidie hunc vermem, illo multo graviorem, in domos suas introducentes; neque sentiunt, neque satiantur. Nam quod hæc illis sint similia, quod ad inanis laboris attinet rationem (supplicio enim hæc sunt multò graviora) hinc cõsidera. In quo enim differt dives à paupere? Non unum alit ventrem? In quo ergo plus abundat? In solicitudinibus, in consumendo, in eo quod Deo non pareat & obediat, in eo quod carnem corrumpat, in eo quod animæ exilium afferat. Hæc enim sunt ea in quibus plus habet quã pauper. Nam si multos impleret ventres, haberet fortasse aliquid quod diceret: nempe quod pluribus est opus, & sumptus major est necessitas. At nunc quoque, inquit, habent quod dicant: quod plures implent ventres, nempe famulorum & ancillarum. Sed hoc non fit propterea quod egeant, neque propter benignitatem & humanitatam, sed solũ propter fastum & superbiam. *Hom. 40. ad Corinthios. 1.*

Chrysostomus: Ventrem accepisti, ut nutrias, non ut distendas, ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi inserviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inservias, non ut fines transilias. Non tot maiorum causa est mare fines supergressum: quot venter corpori, animæque nostræ. Omnem illud terram, in quam se effuderit, obruit; venter vero universum corpus. Pone illi terminum, quod naturæ satis est; quemadmodum mari Deus posuit littus. Ac si æstuaverit, atque excanduerit; increpa illum potestate, quæ in te sita est. Vide quanto honore te affecerit Deus, ut ipsum imiteris? Tu verò minime vis, sed vides illum erumpere, totamque naturam corrũpere, atque obruere; nec tamen audes cohibere, ac moderari. *Homilia 10. ad Philippenses.*

Chrysostomus: Quid quæso, ventrem satietate distendis? Quid inopem contemnis inedia? Considera, quæso diligentius, quinam sit escarum finis, quis ciborum exitus, in quod illi vertantur, quid fiant. Nonne vel ad solum indignaris auditum? Quid igitur, ut stercora plura conficias, elaboras? Nihil profecto aliud est ciborum illa superflua cura, quam exaggeratio stercoris. Habet quippe natura modos suos, quos si quis excedat, & amplius quam illa velit, vitiat: non jam cibus ille alimentum, sed pernicies fit. Enutri sane corpus, non eneca. Idcirco enim alimenta hæc dicimus, non ut eis corpus perimamus, sed ut alamus. Ideo ut reor, esca ipsa fine tam abjecto concluditur, ne simus deliciarum amatores. Nam nisi illa hoc fine deminiret, neque in pernitiem corporis immodicam verteretur, etiã invicem voraremus. Si enim totum capere quod immitteretur, venter tutò posset, atque inde corpori subministrare vires: quis bellorũ, pugnarumque finis? Nam si modo quoque quum partim in stercus evertitur, partim in sanguinem inutilem pituitamque convertitur: sic quoque delitiis insistimus, & sæpe subitaneas integras una mensa consumimus: nisi hujusmodi deliciarũ finis esset, quo non erumpet nostra vesania? Majore nos in dies fœtore implemus, quum deliciis magis instamus, corpore nostro instar utris defluente: & dum quispiam hujusmodi satietate distentus, crebris ructib. etiam cerebrum violat, vapores undiq; ex corpore tetri exhalant, veluti ex fornace quadam calore intrinsecus fervescente, ut est sapientum sententia. Quid si & hi qui forinsecus sunt, ita indignantur, & graviter ferunt: quid pati existimas cerebrum extrinsecus, dum jugiter ejusmodi vaporibus quatitur? Quid item ferventis sanguinis rivos, nec evaporare valentis? quid lacunas illas, jecur ac lienem? quid ipsa receptacula stercoris? Et quod deterius est, latrinas caute curamus, ut ne obstruantur, stercusq; ad superiora exhalet, atq; omnia hujus rei gratia facimus impellentes contis & instrumentis reliquis ad id negotii accommodatis, ventris autem nostri latrinas non emundare curamus, verum obstruimus atq; opilamus, & fumo ipso ad supernа ascendente, ubi rex ipse sedem habet, cerebrum scilicet, desidemus, nullaque movemur cura. Cur id, quæso? Nempe quia ipsum non ut regem honestum ducimus, sed veluti immundum quempiam canem. Idcirco namque Deus membra illa longe secrevit, ne qua ex eis pernicies emanaret: sed minime permittimus nos, qui omnia, modum non servando, corrumpimus. Taceo enim incommoda reliqua. Nempe enim si latrinarum meatus obstruas, pestem videbis protinus gigni. Quod si extrinsecus imminens fœtor pestem gignit: is qui intrinsecus est, & undique obstructus angustiis corporis, non habet unde evaporet: non innumeros & animæ, & corpori morbos induet? Quodque acerbissimum omnium est, non desunt, qui in Deum cõtumelias referant, dicentes. Quidnam hoc est? Stercoris nos receptacula fecit, quum ipsi id potius augeant. At ideo Deus ita constituit, ut vel sic deliciarum usu arceret immodico, ut vel ita persuaderet non affigi secularibus rebus. Cæterum nos ne sic quidem deliciis temperamus, sed ad fauces usq;, & usq; ad mensæ, tempus, imo neq; tamdiu voluptate perseverante, deliciis tamen dediti sumus. An vero non simulatq; præteriit linguam atque fauces, voluptas omnis extincta est? Sensus quippe omnis in gustu est. Cæterum post hæc ubi voluptas illa pertransiit, magna prorsus tristitia linquitur, sive stomacho per crudelitatem oppressio, sive qualibet alia difficultate laceſſente. Merito igitur ait, quæ in deliciis est, vivens mortua est. Nihil enim vel loqui, vel audire convenienter potest deliciis obsessa anima: efficitur namq; mollis, ignava, imbecilla, illiberalis, timida: interdum vero audaciæ, assentationis, imperitiæ plenæ indignationis, iracundiæ, malorumq; omnium receptaculum, bonis virtutibusque omnibus destituta. *Homil. 13. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chrysostomus: At Voluptatem habet, inquit, indulgere genio & delitiis: sed non tot quot molestias. Alioqui autem voluptas est usque ad gulam, usque ad liguam. Mensa autem ablata & cibo devorato, perinde es atque si non fueris ejus particeps: imò verò lõge deterior, ut qui inde auferas gravedinem, distensionem & pandiculationem & crapulam, & somnum morti similem, sæpe verò etiam vigiliam, ex saturitate, & obstructione. Et millies quidem vẽtrem potueris execrari, quum execrari oporteat intemperantiam & immoderationem. Ne corpus ergo impinguemus, sed audiamus Paulum dicentem, Carnis curã ne gesserit, ad cõcupiscentias. Quomodo enim si quis cibos acceperit & in cloacam perierit, ita etiam qui in ventrem ingerit: imo vero non ita, longe peius. Nam hic quidem cloacam facit absque suis malis: illic autem & morbos procreat innumerabiles. Nam quod nutrit est sufficientia, quod etiam potest conficere & concoquere. Quod autem usum superat, & est plus quam par sit, non solum non nutrit, sed illud quoq; affert noxiã: sed nullus hæc videt propter anticipatam opinionem & intempestivam voluptatem. Vis corpus nutrire? amputa quod redundat, da quod sufficit & quantum potest confici & concoqui. Noli ipsum gravare, ne obruas. Quod sufficit est & alimentum & voluptas. Nihil enim adeo efficit voluptatem, ut cibus recte confectus & concoctus. Nihil adeo afficit voluptatem, nihil adeo acumẽ sensuũ, nihil est quod morbum æque propulset. Nam q̃ sufficit est alimentũ & voluptas & sanitas. Quod vero est plus quam par sit, est & damnum, & molestia, & morbus, & facit etiam saturitas, atque adeo graviora. Nam illo quidem paucis diebus abducit & liberat hominem: hæc vero corpus arrodens & putrefaciens, longo tradit morbo, & deinde morti gravissimæ. Nos autèm famam quidem rem ducimus abominandam: ad saturitatem verò & nimiam repletionẽ currimus. Vnde hic morbus? Unde hæc insania? Non dico ut nos cruciemus, sed ut tantum comedamus, quod & voluptatem habeat quæ verè est voluptas, & possit corpus alere, & id reddere aptum & concinnatum, compactumque recte & compositum ad animæ operationes. Quando autem fuerit nimium in id ingestum nutrimentum, non potest, ut ita dicam, clavos & commissas compages retinuere propter redundantiam. Ingressa quippe redundantia totum dissolvit & diffundit. Carnis, inquit, curam ne gesseritis ad concupiscentias. Recte dixit. Alimentum enim est materia obscœnis cupiditatibus. Etiamsi is qui indulget deliciis sit omnium maximè Philosophus, necesse est ut ipse afficiatur à vino & à cibis: necesse est ut diffũdatur, necesse est ut majorem inferat flammam. Hinc stupra, hinc adulteria. Non potest enim amorem parere venter esuriens, imo vero nec is qui utitur eo q̃ sufficit. Qui verò parit obscœnas voluptates, ille est qui indulget deliciis. Et quomodo terra valde humida procreat vermes, & sim⁹ q̃ madescit & multũ habet humoris: cõtra a terra quę est ab illo humore libera, fert multos fructus, quũ nihil habeat q̃ modũ excedat. Nã etsi

non

non colatur, emittit herbam. Sin autem colatur, fructus. Ita nos quoque, si carnem non reddamus inutilem, neque noxiam, sed in ea plantemus utiles fructus, & arbores frugiferas: eas dissolvamus delitiis. Ille enim putrefactæ pro fructibus vermes emittunt. Ita etiam innata cupiditas, si eam malefeceris, procreat turpes voluptates, atque adeo turpissimas. Hanc itaque luem auferamus, ut possimus bona promissa consequi. *Homil. 29. ad Hæbræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum tu illud exploratissimum habeas, saturitatem vitiosos affectus parere, gulamque ad libidinem & lascivias pertrahere, nihil necesse fuit, quamobrem ex me scisciteris, quænam horum verborum explanatio sit; Ne quis fornicator, aut prophanus, ut Esau: cum scriptura sacra eum primogeniorum juris proditore ob ventris ingluviem ac voracitatem fuisse convincat. Nam cum eum gulæ deditum fuisse ostendisset, unà quoque fornicatorem & prophanum fuisse, satis habuit demonstrasse. *libro 1. Epist. 320.*

Isidorus Pelusiota: Ne Paulus quidem ipse, cœlestium ac divinarum rerum exactissima cognitione præditus, te docet, ventrem, præposteroseque ipsius appetitus destrui atque aboleri pronuncians: verum mensarum lautitiis totus addictus es, solum ventrem splendide mulcens ac deliniens, Deumque existimans. Quocirca si omnia unà cum hac vita extingui putas, præclare decertas, cibis corpus distendes. Sin autem aliquid post hanc futurum credis, opera tua ad exitum præpara. *lib. 1 Epist 336.*

S. Isidorus Pelusiota: Ciborum ministeria, gulæ atque ingluvei occasionem multis accersiverunt. Neque enim omnes sobrio ac vigilanti animo ad hujusmodi certamen accedunt. Quamobrem ab hospitibus inserviendi munere Ambrosium fratrē remove: ne per illud eum abs te removeas. *lib. 1. cap. 392.*

S. Isidorus Pelusiota: Vide ne per ingluviē in libidinem incidas, atque à duobus ad frænum contumacibus equuleis abreptus invenaris, qui te in exitii voraginem præcipitem agant. *libro 1. Epistola 423.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatē. Corpus, inquit, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Vnde & Dominus: Attendite, ne graventur corda vestra crapula & ebrietate. Vacuandus est ergo venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus possit ad alta pertendere conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger pervolare. *Sermone 2.*

Chrysologus: Sicut terræ nubes caligant cœlum, sic obscurant animas intemperata convivia: sicut ventorum turbines elementa cōfundunt, sic fercula congesta stomachum conturbant: ut navem fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium. *Serm. 41.*

Ennodius: Exigit commessatio magno quæsita dispendio, etiam bonorum damna meritorum; & uno calle, morum veniunt detrimenta, vel censuum. *Paranesi didascalica.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Julianus Imperator in Misop. Gravis quidam & stultus error jam inde à puero me induxit ut ventro bellum facerem. neque enim eum permitto epulis expleri. itaque rarissime omnium mihi contigit volvere: & memini id mihi accidisse ex quo Cæsar sum factus semel tantum; neque id cibi copia, sed casu.

Procopius Sophista: Tua quidem dona ejusmodi. Nostra vero etiam ipse laudaveris, & ita ventri gratum feceris. Etenim cum sis gulosus, & curando ventri operam naves, atque cupidiis summam fœlicitatem metiaris, si quid suave coneris adipisci, linguā protendis, quemadmodum Ajax quispiam magnum scutum. Et testimonium perhibet tempus illud quo placentam aliis surripuisti, & repēte totum in os immisisti. *Epistola 42.*

¶ Poetarvm.

Aristophanes Acharnes. v. 73.

Excepti hospitio, vinum prædulce ac merum
E poculis vitreis, & aureis scyphis
Bibimus pro viribus. O hirsuta civitas
Non tu legatorum sentis ludibrium?
P R. Nam barbari solos hos fortes judicant,
Qui potare & vorare possunt plurimum.
D. At nos cinædos & pathicos præponimus.

Oppianus lib. 2. v. 205.

—— Noctuam piscem noxa
Ventris inconsulti mala sortitur, neque enim cibi
Aut satietatem aut ullum modum novit, sed inexpletum
Rabiem semper voracem invadens ventre servat.
Neque unquam desiderit esca præsente,
Donec ipsi alvusque media tota disrumpatur,
Ipseque extentus cadat supinus, aut quis alius
Occidat ipsum externa saburratum esca,
Signum vero tibi istud ventris semper voracis dico:
Si quis enim ipsum captum piscationis causa tentet,
Manum cibum præbens: ille accipiet, donec ipsum
Voracissimum ad os redeat usque cibus.
Audite secula hominum, qualis exitus sit stultitiæ
Gulosæ, quantus dolor voracitatem sequatur.
Quocirca quis inertiam injucundam procul arceat,
Et à corde, & à manu: servetque aliquam mensuram cibi
Neque luxuriosis animo delectetur mensis.
Multi enim sunt tales etiā inter homines, quibus soluta sus
Habena: ventrique omnes indulgent funes:
Sed aliquis intuens, fugiat exitum Noctuæ.

Ennodius paræneſi Didascalica:

Pinguia nam tenuem suffocant corpora sensum,
Et male sorta suas conculcant viscera mentes.

¶ Emblematum.

Camerarius 54. Centur. 2.

Nescit gula modum.

Qui plenas lautasque dapes sectatur & ambit,
Hunc similem brutis, vel superare reor.

Camerarius 60. Centuria 4.

Falsa ossa momordit.

Ostrea mus petulans arido consumere morsu
Dum cupit, ecce refert præmia digna gulæ.

Catsius Emblemate sacro 33.

O prodiga rerum luxuries!

Dum satur ad fulvas Nili crocodilus arenas
Turpiter eructans littora vasta quatit;
Regulus ore trahens harentes dentibus escas,
Reliquias pratium vile laboris habet.
Nonne foret melius nulli servire tyranno,
Perque nemus victu liberiore frui?
Turpe ministeriū Satanæ prastamus & orbi.
Vah pudeat! solus præmia venter habet.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque libidine avaritiaque vix potest stare gula.
Absque morum censuumq; labe non constat gula.
Admodum multos Fames, at plures crapula abstulit.
Crapula cliens gulaq; sanus esse vix potest.
Cursui ineptus est caballus quem sagina detinet.
Deditus ventri gulaque hostis ipsemet sibi est.
Improbum ventrem tyrannis gentium tributo alit.
Mensa lautior corrumpit & simul corrumpitur.
O virum vere miserum, cui gulosa femina est!
Plus habet molestiarum quam voluptatum gula.
Plus molestiæ oritur homini quam voluptatum à cibo.
Qui vorat potatque multum, sensibus valet male.
Quidquid es ventri daturus, id latrinæ destinas.
Savus est à matre fœtum qui gulæ causa abripit.
Ventre pleno mus foramen per tenue egredi haud valet.

¶ Jamaica.

Cui venter est capax, ei mens est brevis.
E ventre morborum omne nascitur genus.
Edacitas teritcibos, oculos vorat.
Etiam suis quadam est oculis gulositas.
Haud causa venter crapula est. Verum gula
Intolerabilior cruditas quavis fame est.
Non nosse ventris turpe mensuram sui est.
Non sentit asinus fustis ictum, ubi esurit.
Perdit repente venter quidquid accipit.
Quo plus vorat minus aptus cursui est equus.
Quavis cloaca fœdior servus gula est.
Raro vomit quicunque crapulam inperat.
Servire ventri morbus est turpissimus.
Turpe est homo si ventri serviat ac gulæ,
Venter mola est: supra modum nil injice.
Venter suus summum est Numen Cyclopibus.
Ultra gulam voluptas nulla permeat.

Gymnicæ Rei.

¶ Sententiæ Græcorum.

Georg. Nyssenus: Non aliter currēdo quis vincere potest, nisi post se reliquerit eum, qui simul currit. *Oratione 8. de Beatitudinibus.*

Lucianus: Hæc vero, Solon, cur faciunt, vestri juvenes? quorum alii sese mutuo supplantant amplexi: alii alios præfocant & verberant, seque cœno immiscent, perindeque ac sues volutantur. Nam initio statim depositis vestibus (quod videbam) oleo sese unxerūt, & placide admodum alter alterum rasit vicissim. Deinde nescio qua de causa, depresso vultu alii alios pulsant, & frontes arietum instar collidunt. En autem ille sublatis cruribus alterum humi prostravit, eumque incumbens caput erigere non sinit, in cœnum deorsum adigens: tandem vero ventre cruribus circundato, & subjecto gutturi cubito, miserum præfocat. Hic vero plausu ad humerum facto, supplicat opinor ne penitus præfocetur. Sed neque olei causa parcūt sibi, ne inquinentur. Verum deleta unctione, obductoque cœno, mihi risum pariunt quod sudore multo perfusi, velut anguillæ è manibus

tibus elabuntur. Rursus alii in atrio hoc ipsum faciunt: atque hi quidem non in luto: sed profundam arenam in fossa subiicientes, alii alios conturbant: ipsique ultro gallorum instar pulverem aspergunt, quominus ut puto, incomplexibus effugiant, arena dementé lubricitatem, & firmiorem in arido præbente comprehensionem.

Atque hi stantes erecto corpore pulverulenti, se invicem irruentes, percutiunt, & calcitrant. Hic igitur dentes videtur expuere infœlix, adeo illi os totum & arena & sanguine oppletum est, pugno vides in maximam illisò. Sed neque hic præses ipsos sejungit, & pugnam dirimit (Etenim ex purpura conjicio hunc esse ex præsidibus quempiam) sed & incitat, & laudat eum qui percussit. Porro alii passim pulvere implentur, ac veluti currentes, subsiliunt eodem in loco manentes: & in altum una salientes, aerem calcibus lacessunt.

Quocirca scire velim cui bono hæc faciant. Nam hæc actio mihi potius videtur esse insania: neque me quisquam ab hac sententia dimoveat, hos qui ista faciunt, desipere. *Solon.* Nec immerito Anacharsi, quæ fiunt, tibi videntur hujusmodi, peregrina cum sint, multumque à moribus Scythicis abhorreant. Quemadmodum & vobis verisimile est esse multas disciplinas, & studia, quæ nobis Græcis aliena esse viderentur, siquis nostrum, ut tu, iis superveniret.

Verum ô bone bono sis animo. Neque enim insaniæ sunt hæc quæ fiunt: neque per contumeliam hi se mutuo percutiunt, & in luto volutant, aut pulverem aspergunt. Sed hæc res quendam habet usum non injucundum, neque exiguum vigorem corporibus affert. Quare si in Græcia, quod re facturum puto, commoreris, brevi tu quoque unus ex iis eris qui lutum aut pulverem colligunt: hoc usque adeò volupe & utile tibi videbitur.

Ana. Apage Solon. Hæc sint vobis utilia & jucunda. quod ad me attinet, siquis vestrum tale quid mihi proponat, intelliget me non frustra acinace accinctum esse. Verum dic mihi quod nomen huic rei indidistis, aut quid ipsos facere dicamus?

Sol. Locus ille, Anacharsi, à nobis vocatur Gymnasium, & est Lycii Apollinis templum: Cujus vides simulachrum, eum qui est super columna reclinatus, qui quidem manu sinistra tenet arcum: cujus vero dextra, super capite reflexa, Deum tanquam ex longo labore quiescentem ostendit. Cæterum horum exercitiorum, aliud quod illo in luto fit, Lucta vocatur. Illi vero in pulvere quoque luctantur. Quod vero se invicem erecto corpore percutiunt, Pancratio decertare dicimus. Sunt præterea & alia nobis ejusmodi gymnasia, pugilatus, disci, & saltus. quorum omnium certamina proponere solemus: quorum qui palmam adeptus fuerit, judicatur omnium præstantissimus, & reportat præmia. *Ana.* Quænam verò sunt ista præmia?

In Olympiis corona oleagina, in Isthmiis pinea, in Nemeis ex apio concinnata, in Pythiis poma Deo sacra. Cæterum apud nos in Panathenæis oleum ex oliva Minervæ sacra. Quid risisti Anacharsi? an quia hæc tibi visa sunt exigua?

Ana. Non: sed omnibus modis præclara præmia percensuisti, digna ob quæ, qui ea instituerunt, munificentia glorientur, & quibus consequendis certatores gnaviter operam dent: adeo ut pomorum, & apii causa tantum laborem perferant, & periclitentur, dum alii ab aliis præfocantur, & distorquentur, cum non liceat sine negotio potiri malis, siquis cupiat, aut apio coronari, aut pinu, quin ipsi luto illita facies, & venter calcibus ab adversariis percussus fuerit.

Sol. Atqui ô optime, non ad tenuia dona respicimus. Etenim hæc signa sunt victoriæ, & indicia quibus victores cognoscuntur. Cæterum quæ hæc comitatur gloria, quavis re digna est victoribus: pro qua iis honestum est calcibus percuti, qui claritatem ex laboribus venantur quoniam citra laborem non obtingit: sed oportet ejus appetentem, multas molestias initio perpessum, utilem & jucundũ finem ex laboribus expectare.

Ana. Hunc finem ais, ô Solon, utilem & jucundum, quod ab omnibus coronati conspicientur, atque ob victoriam laudabuntur, quorũ nemo ante, ob plagas quas accipiebant, est misertus: quodque fœlicitate perfruentur, pomis & apio pro labore acceptis. *Sol.* Rerum nostrarum adhuc es imperitus. Verum paulo post aliter de iis senties: quum ad celebritates profectus, videbis collectam hominum tantam multitudinem ad horum spectaculum, multisque virorum millibus theatra plena: & certatores laudari: eumque qui vicerit, Deo parem existimari.

Ana. Hoc ipsum, ô Solon, est longe miserrimum, quod non paucis præsentibus, sed tanta spectantium, & testium contumeliæ corona hæc patiuntur: qui videlicet fœlices eos prædicabunt, quos viderint sanguine conspersos, aut ab adversariis ferè præfocatos. Sunt enim hæc fœliciſſima illa, quæ victoriam ipsorum comitantur. Sed enim Solon, apud nos Scythas, siquis civem aut percusserit, aut impetu facto humi fuderit, aut vestem discinderit, gravem mulctam senes ipsi irrogant, quamvis id paucorum testium præsentia acciderit: non autem in tam amplis theatris, qualia tu narras, in Isthmo, & Olympia. Enimvero certatores miserari mihi subit, eorum quæ patiuntur nomine. Spectatores autem, quos dicis undiquaque præstantissimos ad hosce conventus venire, omnino miror quod omissis rebus necessariis, hisce vacant. Neque enim illud possum comprehendere, jucundum esse ipsis, conspicari homines qui se mutuis ictibus cædant pugnentque, & humi tundant, comminuantque.

Sol. Si jam tempus esset Anacharsi, aut Olympiorũ, aut Isthmiorum, aut Quinquatrium, res ipsa te docuisset, quam non frustra rerũ studiosi simus. Nemo enim oratione sic te impulerit ad voluptatem ex iis quæ ibi geruntur perspiciendam, ut si ipse in mediis spectatoribus videas virorum virtutes, & corporum formas, & firmitates habitus admirandas, & præclaram experientiam, & robur in expugnabile, & audaciam, & æmulationem, & animos invictos, & indefessum victoriæ consequendæ studium. Sat enim scio, te ista spectantem, nullum laudandi, acclamandi & applaudendi finẽ facturũ.

Ana. Et per Jovem, ô Solon, etiam ridendi, & subsannandi. Nam quæcunque enumerasti, virtutes, corporum bonas habitudines, & pulchritudines, audaciam, nullius magnæ rei gratia vobis perire video, cum neque periclitetur patria, neque regio devastetur, neque amici, aut domestici ad injuriam rapiantur. Itaque hoc magis risu digni videntur, quod viri illi, cum sint optimi, ut ais, mala tanta nequicquam patiantur, & labores ferendo, formamque & proceritatem corporis arena fœdando, & fugillationibus: ut parta victoria, pomo vel pinu potiantur. Semper enim erit mihi jucunda taliũ certaminum recordatio. Verum dic mihi, omnes-ne certatores accipiunt ea præmia? *Sol.* Nequaquam: sed unus ex omnibus, qui cæteros vicerit.

Ana. Ergo-ne Solon pro obscura, & ambigua victoria tam multi laborem suscipiunt, præsertim cum sciant, fore ut unus ex omnibus victor declaretur, victique sint complures, quorum alii verbera, alii vulnera miseri acceperint?

Sol. Videris Anacharsi, nihil unquam de republ. bene instituta intellexisse. Non enim pulcherrimos mores vituperares. Sed siquãdo tibi curæ erit nosse, tum qua ratione optime sit administranda resp. tum qua ratione cives ejus evadere possint optimi, tunc has exercitationes, nostramque in his æmulationem laudabis: quin etiam intelliges eas multum utilitatis habere cum laboribus permixtum, quanquam nunc iis inanem operam dare videntur.

Ana. Atqui Solon, non alia de causa veni ad vos ex Scythia, tãtum emensus itineris, magno & tempestuoso Euxino trajecto, quã ut Græcorum leges perdiscam, moresque vestros cognoscam, & optimam reipub. institutionem calleam. Quapropter te potissimum ex omnibus Athenien sibus, & peregrinis, amicum elegi famam sequutus: siquidem audivi te legum optimarum esse scriptorem, morumque præstantissimorum inventorem, & institutorum utilium authorem: denique reipub. cujusdam concinnatorem. Itaque non tam sis diligens me docendo, tuumque discipulum faciendo: quam ego libenter, impastus & impotus tibi assidendo, quoad tu dicendo pareris, inhians inaudiam te de repub. & legibus differentem. *Sol.* Omnia quidem, amice, non sit facile paucis persequi. Sed singula particulatim ingressus, cognosces: quid de Diis, quid de parentibus, aut de nuptiis, aliisve rebus præcipiamus, quid etiam de juvenibus decernamus, & quo pacto illis utamur, ubi primum cæperint sentire quid sit melius, corpore roborati, & labores sustinere: hæc ego jam narrabo tibi: ut intellgas quorsum has exercitationes ipsis proponamus, & corpora laboribus durare cogamus: non solum propter certamina, ut præmia queant consequi, quæ paucis ex omnib. contingunt: sed quia majus quoddam bonum universæ reip. atque ipsis hinc comparamus. Siquidem aliud quoddam commune omnibus bonis civibus certamen est propositum, & corona non ex pinu, non ex oleastro, aut apio contexta, sed quæ in se hominum fœlicitatem complectitur: nimirum libertatem privatim uniuscujusque, patriæque communiter: præterea divitias, gloriam, & festorum patriorum fruitionem, & necessariorum salutem. Denique pulcherrima quæque quæ quivis sibi à Diis dari optaret. Hæc omnia cum corona quam dico, contexuntur, & ex illo certamine accedunt, ad quod istæ exercitationes, & labores ducunt.

Ana. At tu, Solon admirande, cum tot tantaque præmia mihi percensenda habeas, poma, apiumque commemoras, ac virentem Sylvestris oleæ ramum & pinum. *Sol.* Atqui, ô Anacharsi, ne illa quidem tibi videbuntur exigua, ubi quæ dicturus sum, intellexeris. Eodem enim consilio fiunt illa, suntq; plane partes quædam exiguæ majoris illius certaminis, atque coronæ per omnia fœlicis, quam descripsi. Nescio vero quo pacto nostra oratio transgressa ordinem, horum prius meminit, quæ in Isthmo, Olympia, & Nemea fieri cõsueverunt. Veruntamen nos, siquidem vacat, & tu, ut ais, audiendæ es cupidus, ad principium facile recurremus, ac commune illud certamen, cujus causa hæc omnia instituta esse dico.

Ana. Ita præstat Solon. Nam oratio recta via nobis magis progredietur: & his forte persuadebor, ne quem posthac amplius subsannem eorum quos aut oleastro se efferentem, aut apio coronatus conspexero. Sed si videtur, ad locum illum umbrosum profecti, in sedibus consideamus, ne nos interpellent, qui luctantibus acclamãt. Quinetiam, ne quid dissimilem, neque solem facile fero, eũmque acutum & ferventẽ, nudo capiti imminentem. Etenim pileum è domo demere visum est, ne solus apud vos uterer habitu peregrino. Et jam anni tempus est, quo sidus illud ferventissimum, Canis à vobis dictum, omnia perurit, & sicum calidumque aerem reddit, quãdo sol meridie capiti impendens, intolerabilem ejusmodi fervorem corporibus inducit. Itaque demiror qui fiat ut tu homo jam annosus, ad æstum non sudes quemadmodum ego, neque ab eo infestari videaris, neque locum umbrosum exploras, quem subeas, sed solem facile toleras.

Sol. Inanes illi labores, ô Anacharsi, assiduæque in cœno volutationes, & quos sub dio in arena sustinemus labores, nobis hoc præstant

præstant præsidium adversus radios solis, neq; amplius egemus pileo, qui ipsos caput ferire prohibeat. Abeamus igitur. Noli vero iis quæ dicturus sum tanquam legibus mentem adhibere, ut illis per omnia fidem habeas, sed ubicunq; aliquid non recte dici videbitur, statim contradicito, meaq; verba corrigito. Etenim ab horum altero utro non prorsus aberrabimus: aut constanter tibi persuasero, quum ea quibus est contradicendum effuderis: aut ego de novo discam me non recte de his statuere. Quo nomine omnis Athenienſium civitas, non satis magnas gratias agere possit. Nam quum me docueris, & ad meliorem sententiam transtuleris, illi maximę utilitatis author fueris. Neq; hoc eam celabo, sed statim in medium proferam: & stans in Pnyce, omnibus dicam, Ego vobis, Athenienses leges conscripsi, quas civitati fore utilissimas putabam. Sed hospes iste, te digito commonstrans Anacharsi, quanquam est Scytha, sapit tamen, & me aliter docuit, aliaq; præcepta, & instituta præstantiora tradidit. Itaq; hunc de vobis esse bene meritum literis prodatur; æneamq; statuam illi erigite prope civitatis proceres apud Minervã. Prope vero scias fore ut nequaquam cives Athenienses pudeat, ea quæ sunt ex rep. usu, ex barbaro, peregrinoq; viro discere.

Ana. Hoc erat sane quod de vobis Athenienſibus inaudieram, vos esse in sermonibus irrisores. Unde enim ego agrestis & erro, qui vitam in plaustris egi, subinde solum solo permutans, qui in nulla unquam civitate habitavi, neq; alias ullam nisi nunc primum vidi, de administranda repub. verba facerem, atq; adeo indigenas homines docerem, qui urbem hanc antiquissimam bonis legibus instructam tanto jam tempore incoluerunt? potissimũ vero te, Solon, cui hoc, ut perhibẽt, ab initio fuit institutum ut nosses quo pacto posset respub. optime administrari, quibus etiam legibus utens, fœlicitate frueretur. Verũ & in hoc tibi ut pote legum latori est credendũ. Contradicã a. siquid minus rectè dicere videberis, ut firmius addiscam. Et eccè jam declinato sole in umbra sumus: sedesq; perjucunda, & opportuna super frigido lapide præsto est. Dic igitur ab initio exorsus, quamobrẽ statim à pueris juvenes exerceatis laboribus, & quomodo viri præstantissimi vobis ex cœno illo evadant, & his exercitationib. & quid pulvis, quid saltationes in caput ipsis ad virtutem cõferant. Nam hoc in primis ab initio audire cupiebã. At reliqua in posterũ, suo tempore singula me docebis. Hoc a. inter dicendum memineris. Solon, te apud barbarum hominem verba facturum. Id dico ne orationem implices, & producas. Vereor enim ne prima mihi excidant, si multa post hæc affluant.

Sol. Tu hoc Anacharsi, longe melius cõstitues, ubicũq; parũ perspicua tibi videbitur oratio, aut procul agari temere fluendo. Interim enim quicquid voles, interrogabis, & prolixitatem ejus recides. Quanq; ubi non erunt extra rẽ, nec à scopo distabũt quæ dicã, nihil obstabit orationẽ longius pgredi. Siquidem etiam Areopagitico Senatui, qui capitales causas judicat, in more est ita facere. Quũ enim in Areopagũ ascenderũt, & cædis, aut vulneris ex destinato inflicti, aut incẽdii causam cognituri cõsederunt, utriq; disceptantiũ dicendi datur copia, & dicũt ingillatim, nempe accusator, & reus: aut ipsi per se, aut causidicos pro ipsis dicturos cõducunt. Illi ergo, quandiu ea quæ ad rẽ attinent dixerint, à Senatu auscultante cũ silentio perferuntur. Sed siquis proœmio exordiatur, ut Senatorũ animos erga se propensiores reddat, aut miserationẽ, aut exaggerationẽ extrinsecus rei inducat, qualia permulta oratores in judices moliuntur, prodiens præco, protinus imponit silentiũ, non permittẽs ut apud Senatũ negetur, & rem verbis involvat, quominus Areopagitæ rem uti gesta est, nudam videant. Itaq; te, Anacharsi, Areopagitam in præsens constituo: ac juxta Senatus legem à me conditam, attende, mihiq; silentium impera, si te orationis dulcedine mulceri censeris, ita ut nõ habeas liberum judicium. Quandiu vero quæ ad causam attinent, dicentur, orationem extendere licebit. Neque enim amplius sub sole colloquemur, ut longiorem orationem graviter feras: sed & umbra est densa, & otio abundamus.

Ana. Æqua sunt quæ dicis, Solon. Atq; ob hæc tibi magnam habeo gratiam, quod hac digressiuncula, me docueris ea quæ fiunt in Areopago, miranda certe, & bonorum Senatorum, veritati suffragantium recta ratio. Jam ergo de his differe. Ego vero quem constituisti Areopagitam, pro hujus consilii more, te audiam.

Sol. Proinde paucis tibi prius est audiendũ, quid de civitate, civibus sentiam. Nos civitatẽ nõ ędificia putamus esse, cujusmodi sunt muri, & fana, & porticus ad mare ædificatæ: sed tanquã firmum atq; immobile quoddã corpus, in quod incolæ urbis ad securitatem recipiuntur. Sed omne arbitrium in civib. ponimus: quoniã hi sunt qui implent, ordinant, & perficiunt singula, servantque, quali in nobis singulis gubernãdi officio anima fungitur. Quod cum intelligamus, corpus civitatis, ut vides, curamus, ipsum ornando, ut pulcherrimũ habeamus, sit intrinsecus ædificiis instructum, atque extrinsecus his mœnibus firmissimis circunseptum. Cum primis vero hoc providemus, ut cives mente boni & corporibus robusti evadant. Quoniam qui sunt ita comparati, in cõversatione civili pacis tempore recte se gerunt, à bello verò civitatem liberant, liberamq; & fœlicem conservant. Itaq; primam illorum educationem, matribus, nutricibus, & pædagogis cõmittimus, ut disciplinis liberalibus eos imbuant atque educent. Quum a. res præclaras intelligere cœperint, & pudor, verecundia, metus, rerumq; optimarum cupiditas ipsis innata fuerit ipsaq; corpora laboribus obeundis idonea visa fuerint, firmiora facta, & majori robore constantia, tunc jam illos assumptos docemus, propositis quidem aliis animi documentis & exercitiis, aliter autem ad labores corpora assuefacientes.

Neq; enim existimamus satis esse ut tantum ita se habeat quisq; prout à natura est comparatus, sive corporis, sive animi ratione: sed etiam eruditione, & præceptis ad eos informandos opus habemus: quorũ adminiculo bona indoles adaugeatur, mala vero in bonam transformetur. Cujus rei petendum est ab agricolis exemplum, qui quandiu plantæ sunt humiles & teneræ, eas tegunt & circunsepiunt, ne à ventis lædantur. Postquã vero auctus est ramus, tum superflua circuncidunt, easq; ventis movendas, & agitandas permittentes, fructuosiores efficiunt. Itaq; mentem Musica primum, & Arithmetica excitamus, literasq; pingere, & eas exactè pronuntiare docemus. Deinde jam adultioribus, sapientum virorum sententias, factaq; priscorum, utilesq; sermones versibus exornatos, quo tenacius memoria teneant, ipsis occinimus. Tum illi auditis fortium virorũ factis & actionibus memorabilibus, paulatim istiusmodi appetunt, & ad imitationem excitantur: ut & ipsi celebrentur, & posteris sint admirationi. Cujusmodi multa nobis ab Hesiodo & Homero scripta sunt. Postquam vero se ad remp. applicarint, jamq; obeunda erunt publica officia, quanquã forte hæc sunt extra rem, non enim qua ratione illorum animos exerceamus, ab initio dicendum proposuimus: sed cur hujusmodi laboribus eos exercendos arbitremur. Itaq; ipse mihi silentium impero, non expectato præcone, neq; te Areopagita, qui præ verecundia, ut puto, me tanta extra rem toleras nugantem.

Ana. Dic mihi Solon, cur in eos qui ad rẽ ptinentia non dicunt in Areopago, se silẽtio prætereunt, nulla mulcta à Senatu est destinata?

Sol. Cur hoc ex me quæsivisti? Nondũ liquet. *Ana.* Quia reb. pulcherrimis, & mihi auditu jucundissimis, quib. exornatur animus, omissis, min' necessaria, nẽpe exercitia, & corporis labores percẽsere cogitas.

Sol. Eorũ, ô generose, memini, quæ ab initio sum præfatus, nec à via sermonem avocare volo, ne dilabens tuam memoriã conturbet. Verum hæc quã pauciſſimis perstringã: siquidem harũ rerum accurata disputatio, ad alium pertinet sermonẽ. Ergo mentes eorũ componimus, cõmunes leges perdocendo: quæ majusculis elementis scriptæ omnib. publicè legendæ proponuntur, quæ facienda, quæ fugienda, præcipientes. Tum etiam proborũ virorum cõvictu utendum, à quibus opportune loqui perdiscunt, tũ justa facere, tum ex æquo inter se cõversari, neq; turpe quicquã appetere, sed rebus honestis se addicere: nihil per vim facere. Atq; hi viri probi, Sophistæ & Philosophi à nobis appellantur. Præterea productos ipsos in theatrum publicè docemus Comœdiarũ, & tragœdiarum actionibus, priscorum hominum virtutes & vitia spectantes, ut ab his avertantur, ad illa verò propere contendant. Porro Comœdis cavillandi, & probris insectandi permittimus potestatem, eos cives, quos turpia & civitate indigna studia sectari cognoverint: cum ipsorum in gratiam, quia sic objurgati meliores evadunt: tum multorum causa, ut similium facinorum reprehensionem evitent.

Ana. Vidi Solon, quos dicis Tragœdos, & Comœdos: siquidem illi sunt, qui graves altosq; calceos induunt, vestemq; gerunt aureis tæniis variegatam, & prorsus ridiculas magnumq; hiantes larvas habent. Ipsi vero intus magnum clamorem edunt, & nescio quomodo tuto in his calceamentis incedunt. Et nisi fallor, tunc civitas Dionysia celebrabat. Porro Comœdi cæteris erant breviores, & pedestres, atq; humaniores, minusq; vociferabantur, sed larvas multo magis ridiculas habebant, quos universum theatrum risu excipiebat. Altos vero illos nemo non mœstus audiebat, commiseratione prosequens, quod tantas pedicas traherent.

Sol. Non illos ô bone, miserabantur, sed forte pocta priscam aliquam calamitatem spectatoribus repræsentabat, & miserabiles orationes in theatro tragice pronunciandas tradebat, quibus ad lachrymas pertrahebãtur auditores. Verisimile etiã est te tunc audisse tibicines aliquos, alios q; simul canẽtes, qui circunstabant. Qui carminũ, Anacharsi, & tibiarum cantus non sunt inutiles: sed istis omnibus, atq; ejusmodi reb. juvenum mentes exacuuntur, unde illi meliores fiunt. Cæterum corpora (quod potissimũ audire cupiebas) ad hunc modũ exercemus, exutis, ut dixi vestimentis, quũ non amplius sunt mollia, prorsusq; imbecilla, primum ad aciẽ assuefacimus, ea singulis tempestatibus accommodantes, ne vel æstum molestè ferant, vel ad frigus deficiant. Ea deinde oleo perungimus, & emollimus, ut habiliora reddantur. Absurdum enim esset, si quum putamus emollita oleo coria ruptioni minus esse obnoxia, & diutius duratura, quæ jam sunt emortua, corpus quod etiamnum vitæ est particeps, non melius olei unctione reddi, existimaremus.

Hinc excogitatis variis exercitiis, & singulorũ magistris cõstitutis hunc pugilatu, illũ pancratio certare docemus, ut laborib. tolerãdis assuefiant, plagisq; nõ cedant, nec metu vulnerũ terga dent. Atq; hæc exercitatio duo in ipsis utilissima præstat. Nã & animosos ipsos reddit ad subeunda pericula, facitq; ut corporibus non parcant, præterea ut bene valeant & sint robusti. Quotquot autem illorum dejecto in terram vultu luctantur, & securè excidere, & promptè exurgere eadem opera discunt, præterea propellere, tenaciter amplecti, & contorquere, & præfocare posse, & in altum sustollere adversarium. Quæ sane non sunt inutilia exercitia, sed quibus unum illud primũ maximumq; citra controversiam comparant. Nam magis inoffensa, & robustiora fiunt ipsis corpora quum laboribus durantur. Alterum vero, non est exiguum: cum hinc peritiam consequantur, si quando hæc præcepta in armis ad usum sint revocanda.

Manifestum enim est, fore ut vir hujusmodi hostem complexus, supplantando citius dejiciat: & prolapsus ipse, quam facillime exurgere sciat. Hæc enim omnia, Anacharsi, ad illud certamen quod in armis peragitur, comparamus, nosq; ita exercitatis, melioribus usu-

ros putamus, poſtquam prius, illorum nuda corpora emollita, & exercitata effecerimus validiora, & robuſtiora, præterea levia, & habilia eademque adverſariis gravia. Intelligis enim, ni fallor quod hinc ſequitur, quales eos in armis eſſe par ſit, qui nudi terrorem hoſtibus incutient, non ſegnem & albam obeſitatem, aut pallidam gracilitatem præ ſe ferentes: qualia ferè ſunt mulierum corpora ſub umbra tabefacta, trepidantia, ſtatimq; multo ſudore manantia, & ſub galea anhelantia, maximè ſi ſol, ſub meridiem, ut nunc, ferveat. Quem enim præberent uſum hi qui neq; ſitim, neq; pulverè ferrent, quique ſi ſanguinem viderent, ſtatim turbarentur, priuſq; exanimarentur, quam intra teli jactum, atq; ad manus cum hoſtibus veniſſent? Sed hi noſtri juvenes ſubrubri à ſole nigriores redditi, vultu maſculo, multum animi, coloris, viriliſq; vigoris præ ſe ferentes, tamq; bene habito corpore fruentes, neq; ſunt rugoſi, & aridi, neque granditate graves, verum juſto modo formati: dum inutilem ac ſuperfluam carnium molem ſudorib. abſumunt: illud autem quod robur præſtat & vigorem, citra mali mixtionem relictum, fortiter conſervant. Nam quod qui triticum ventilant, hoc in corporibus exercitia nobis præſtant, quæ paleas, inaneſq; ſpicas flatu diſpellunt purum verò fructum ſeparant, & accumulant. Quo fit ut bene valeant, & diutiſſimè in laboribus perdurent. Quinetiam talis ſero ſudare incipit, & raro ægrotare videtur.

Quemadmodum ſiquis allatum ignem injiceret ſimul in triticum ejuſq; ſtipulas, & paleam (nam ad ventilantem regredior) citius, ut opinor, conflagrarent ſtipulæ, triticum verò paulatim, neq; magna flamma exurgente, neque uno impetu, ſed ſenſim ſuccenſum, poſtea longo tempore ipſum quoq; combureretur. Ita neq; morbus, neq; defatigatio corpus hujuſmodi correptum, facilè preſſerit, nec ſuperarit. Nam internæ partes ipſi bene ſunt comparatæ, ad eaſque externæ validæ admodum ſunt munitæ, ut nihil noxæ intus penetret, neq; ſolem ipſum, neq; frigus in detrimentum corporis admittat. Ad perdurandum autē in laboribus, multus calor intus influens, veluti multo ante præparatus, atque in uſum neceſſarium repoſitus, præſtat ilico tolerantiam vigore irrigans, redditq; ut plurimum infatigabiles.

Nam præmiſſi labores & laſſitudines, non abſumunt, ſed augent vires, quæ excitatæ, fiunt majores. Quinetiam eos curſu exercemus, & ut longo ſint pares, aſſuefaciendo, & ut eum quam celerrimè brevi exigant, leviores reddendo. Nec curſus inſtituitur in ſolido, duroque loco, ſed in profunda arena, ubi neq; firmiter infigere, neq; fulcire plantam facile eſt, cum ea cedente pes ſubtus trahatur. Foveam quoq; tranſilire, ſi opus ſit, aut ſi quod aliud objicitur impedimentum: qua in re exercentur, plumbea pondera plenis manibus tenentes. Deinde haſta in longum projicienda decertant. Vidiſti quoq; alium quendam globum æneum & teretem, quale ſcutum parvum anſa carens, & loro: quem in medium jacentem expectatus es: iſq; tibi viſus eſt gravis, & propter lævitatem prehenſi difficilis. Eum in aerem ſurſum projiciunt, inq; longum contendentes, quis quam longiſſimè emittat, alioſq; ſuperet. Qui labor illorum humeros roborat, & lacertis rigiditatem indit.

Cæterum lutum, & pulvis, quæ initio tibi perquam ridicula viſa ſunt, audi ô præclare, quorſum luctantibus ſubiternantur. Primum ne in duro loco labantur, ſed in molli tuto cadant. Deinde ſudantes ſæpius in luto lubrico lapſu cadere coguntur, quod tu anguillis comparabas. Neq; id inutile eſt, & ridiculum: ſed ad robur & firmitatem non parum confert, quando ad hunc modum lactantes, alii alios fortiter apprehendere coguntur, & elabentes retinere. Nam rapere ſublimem in luto ſudantem, cumq; oleo excidere, & è manibus effluere conantem, ne parvi momenti eſſe putes. Et hæc omnia, ut ante dixi, ad bellum conferunt, ſi opus ſit ſaucium amicum, nullo negotio ſublatum ſubducere, aut ſurreptum hoſtem ſublimem efferre. Eam ob rem ſummopere ipſos difficilioribus propoſitis exercemus, ut minus difficilia multo facilius ferant. Verum arenam diverſa ratione utilem eſſe putamus, ne manum conſerentes elabantur. Poſtquam enim in luto exercitati fuerint id quod præ lentore elabitur, retinere: ipſi etiam capti è manibus effugere aſſueſunt: idque quum inevitabili vinculo tenentur. Quinetiam ſudorem videtur cohibere pulvis, quum affatim mananti aſpergitur, & efficere ut diu ferendo labori pares ſint vires, atq; impedimento eſſe ne à ventis offendantur, in rarefacta & aperta corpora irruentibus. Præterea ſordes abſtergit, & virum nitidiorem reddit.

Atq; ego lubenter unū ex albis illis qui ſub umbra ſemper eſt verſatus, & quemcunq; ex iis eligeres qui in Lyceo exercētur, huc ſiſtere, qui pulverē & lutū eluerit, ac te interrogare viri ſimilis eſſe optares. Sat ſcio te primo ſtatim obtutu, tametſi neutri vitæ periculu feceris, electurum potius ut cōpactus & accinctus eſſes, quam deliciis frangereris, & difflueres, atq; albeſceres penuria ſanguinis intra fugientis. Hæc ſunt Anacharſi, quib. juvenes exercemus, rati eos nobis cuſtodes optimos civitates evaſuros, noſq; eorum opera in libertate victuros, vincendo hoſtes, ſi nos adoriantur, & vicinis terribiles nos præſtando, adeo ut nos pertimeſcant, & pleriq; ipſorū tributū nobis pendant. Porro in pace meliorib. illis utimur, de nulla re turpi contendētibus, neq; ſe præinertia ad contumeliā inferendā cōvertentib. ſed circa iſta verſantibus, iiſq; perpetuo vacātibus. Et quod dixi, cōmune bonum, ſummamque civitatis felicitatē hoc eſt dicere quum juventus rebus pulcherrimis ſtudio incumbens, cum ad pacem, tum ad bellum optime præparata videtur.

Ana. Proinde Solon, ſi quando hoſtes vos invadant, oleo perunctī, & pulverulenti prodire ipſi pugnis adverſus eos munitū. Et illi videlicet vos pertimeſcunt, ac metuentes fugiunt, ne ipſis hiantibus pulverem ori inſpergatis: aut circunſilientes à tergo adorti, ipſorum crura circum ventre implicetis, & ſubjecto galeæ cubito ſuffocetis. At per Jovem, hi ſagittas, & jacula contorquebunt. At vos, quemadmodum ſtatuis, non attingent tela, quippe ad Solem denigratos, & multo ſanguine abundantes. Neq; enim vos aut ſtipula, aut ſpicæ eſtis, ut quamprimum plagis ſuccumbatis: ſed admodum ſero, vixq; profundis confecti vulneribus, paululū ſanguinis ſubmonſtrabitis. Talia enim dicis, niſi exemplum perperā audivi. Aut univerſam illā Comœdorum, & Tragœdorum armaturā aſſumetis. Et ſi vobis conſtitutum fuerit in aciē prodire, galeas illas hiantes imponetis, ut ſitis formidabiliores adverſariis, illos larvis territantes: altos etiam illos calceos induetis, qui ſi fugiendum ſit, ſunt leves, ſi contra inſequamini, hoſtibus erunt inevitabiles, cum eos adeo magnis greſſib. adeatis. At vide ne iſta quibus induſtriā ineſſe putatis, ſint potius nugæ, & ludicrum etiam, & inertium, ignaviæq; deditorum juvenū exercitia. Sed ſi omnino liberi & fœlices eſſe vultis, aliis gymnaſiis, veraq; in armis exercitatione vobis erit opus. Et tunc non ludicrum alii cum aliis certamen inibitis, ſed periculoſum bellum adverſus hoſtes ſuſcipietis virtutem exercentes.

Quapropter pulvere & oleo relictis, docete ipſos ſagittas, & jacula contorquere. Nec levia detis jacula, quæ venti flatu ferri queant: ſed eſto gravis haſta, quæ cum ſibilo torqueatur, & lapis prægrandis, gladiuſq;, & ſcutū in ſiniſtra, lorica, & galea. Nam quales nunc eſtis, mihi videmini Dei cujuſpiam benignitate ſervati, qui nondum à paucis levis armaturæ militibus vos aggreſſis, perditi eſtis.

Ecce vero ſi ſtricto gladio quo ſum accinctus, omnes in veſtros juvenes ſolus irruam, ipſo clamore gymnaſium capiam, fugientib. illis, ac nullo ferrum obtueri audente. Sed circumſtatuas ſtantes, aut circum columnas latitantes, riſum moverent mihi lachrymantes, & trementes permulti. Tunc verò videres illos corpore non amplius rubeſcentes, cujuſmodi nunc ſunt: ſed protinus omnes palleſcerent, mutato præ metu colore. Eo vos animo profunda pax reddidit, ut non facile, vel hoſtilis galeæ criſtam intueri ſuſtineretis.

Sol. Non hæc dixerunt, Anacharſi, Thraces, quotquot Eumolpū ſequuti bello nos laceſſierunt: neq; mulieres veſtrę, quæ duce Hyppolyta adverſus hanc civitatē equitarunt: neq; alii quotquot nos armatos ſunt experti. Nos autē, ô beate, quanquam ita nuda juvenū, corpora exercemus, non ideo etiam inermia in periculum producimus. Sed ubi in his ludicris optimi evaſerint, deinceps cū armis exercentur, quibus melius utuntur ad hunc modum ante inſtituti.

Ana. Et ubi eſt veſtrū illud, quod eſt in armis gymnaſium? Nullum enim hujuſmodi vidi in urbe, quanquam univerſam obambulavi. *Sol.* At videbis, Anacharſi, ubi diutius nobiſcum fueris verſatus, & permulta unicuiq; arma, quibus utimur quum opus eſt, & criſtas, & phaleras, & equos, & equites quartam ferme civium partem. Sed arma ſemper geſtare, & acinace accinctum eſſe, id in pace ſupervacaneum putamus. Atq; ei qui in urbe ferrum geſtat, ubi nihil opus, aut arma in publicum effert, mulcta irrogatur. Vobis ea condonandum, quod ſemper armati vivitis. Nam in loco immunito habitare, inſidiis eſt obnoxium: multaq; ibi bella vigent. Incertum etiam quando ſuperveniens quiſpiam dormientē è plauſtro pertractū jugulet.

Quod etiam alii aliis ultro diffidunt, nec ullis legibus obſtrictam civitatem unà incolūt, facit ut ferrū ſemper ſit neceſſarium, ut ſiquis vim inferret, ad propulſandam injuriam præſtò eſſet. *Ana.* Ergo Solon, ferrum geſtare nulla neceſſitate adigente, ſupervacaneū vobis videtur eſſe: armiſq; parcendum putatis, ne manibus attrectata corrūmpantur: ſed repoſita cōſervatis, quibus urgente neceſſitate utamini. Juvenum ea corpora, nullo urgente periculo, verberib. conficitis, ac ſurdibus conficiendo, vires ipſorum ad neceſſitatem non expromitis, ſed temere in cœno & pulvere effunditis.

Sol. Videris Anacharſi, de corporis robore ita ſentire, ac ſi vino, aut aquæ, aut alii cuipiam rei humidæ ſit ſimile. Itaq; vereris, ne tanquam ex vaſe fictili clanculum in laboribus effluat: deinde nobis corpus inane & aridum relinquat diſcedendo, cum nulla re intus denuo impleatur. Atqui non ita res ſe habet: ſed quanto plus laboribus exhauſeris, tanto copioſius influit, juxta hydræ fabulam, ſi unquam audiviſti, ei pro uno capite præciſo, alia duo ſemper renaſci ſolita. Cæterum ſi ab initio inexercitatum, ignavumq; fuerit, nec ſatis ſubjectæ materię habuerit, tunc laboribus læditur, & marceſcit, ut in igne & ligno uſu venit. Etenim eodem flatu, & ignem accendere, & brevi majorem facere potes, ſpiritu inflammans. Ac lychni lumen extingues, cui non ſatis materiæ ſuppeditetur, quę adverſo flatui par eſſe poſſit. Neq; enim ab altius acta radice productum fuerat.

Ana. Hæc quidem, Solon, non plane intelligo, Argutius enim iſta tibi dicta ſunt, quam ut anequi queā quæ accurata cōmentatione, & perſpicaci mente indigent. Porro id mihi dic omnino, quorſum non etiam in certaminibus Olympicis, & Iſthmiacis, & Pythiacis, aliiſq;, quando multi, ut dicis, certaturos juvenes ſpectaturi conveniunt, in armis certamen ineundum proponitis, ſed nudos in mediū productos, calcibus, & verberibus ſe mutuo cedentes oſtenditis. & victoribus mala, & cleaſtrum datis. Æquum enim eſt me ſcire, cujus rei gratia id faciatis.

Sol. Quoniam opinamur, Anacharſi, majorē ad exercitia alacritatem ita juvenum animis innaſci, ſi eos qui re bene geſta excelluerint in iis, honorari viderint & in Græcorum medio præconis voce proclamari. Ideoque tanquam in eorum conſpectu veſtes depoſituri, bonam habitudinem curant, ne denudati pudore afficiantur: & ſe quiſq; victoria digniſſimum effecit. Ac præmia, ut ante dixi, exigua non

non sunt, nempe spectatorum laudatio, & clarissimum esse, & ostendi digito, cum qui sit visus æqualium præstantissimus. Itaq; multi ex spectatoribus, quorum ætati convenit exercitatio, hinc abeunt virtutis & laborum amore non mediocriter inflammati. Etenim, Anacharsi, siquis gloriæ amorem è vita expelleret, quid boni amplius nobis obveniret? aut quid præclari facere quisquã expeteret?

Ex his nunc possis cõjicere, quales in bello pro defensione patriæ liberorum, uxorum, & sacrorum sint futurri, quum arma præ manibus habebunt, qui pro oleastro, & pomis tanta alacritate ad victoriam consequendam nudi feruntur. Ecquid sentires, si coturnicum, & gallorum gallinaceorum certamina videres apud nos, quib. non mediocre studium impertimus? Rideres videlicet: ac potissimum, si intelligeres non legis jussu id facere, omnibusq; juvenibus, ut interfint, imperatũ esse, quo videant aves usq; ad extremã animi defectionem pugnantes. At neq; hoc est ridiculum. Subit enim sensim animos incitatio ad pericula, ne gallis ignaviores, minusq; audaces videãtur, ne-ve vulnerati, aut fessi, aut alia molestia affecti deficiant Sed eos in armis experiri, & videre saucios, apage. Nam ferinum est illud, atq; admodum crudele, præterea inutile præstantissimos jugulare, quorum opera melius adversus hostes uteremur.

Quia vero ais, Anacharsi, te reliquam quoq; Græciam esse peragraturum, memineris siquando Lacedæmonem veneris, ne illos quoq; irredeas, ne-ve putes eos inutilibus laboribus vacare, quum pro pila in theatro congressi, se mutuo percutiunt: aut locum ingressi aqua circumseptum, in phalangem distributi, hostiliter alii in alios se gerunt, nudi & ipsi, donec acies altera alteram circunsepto loco expulerit, videlicet L. curgi milites Herculis socii: aut contra in aquam compulerit. Nam exinde pax sequitur, nec ullus amplius ferire ausit. Maximè verò si videas ipsos flagris cædi ad aras, & sanguine manare, patribus matribusq; præsentibus, non ut his quæ fiunt, affligantur, sed ut minentur, nisi verbera perferant, atq; ut orent quam diutissimè labori tolerando sufficiant, & dolorem æquo animo ferant. Quare multi in certamine mortui sunt, indecorum rati ob oculos necessariorum animum despondere dum vivũt; aut corporibus cedere: quos etiam statuis publicè à Spartanis cohonestatos videbis. Quum ergo hæc intueberis, ipsos nec putes nec dicas furere, quia nulla necessaria de causa malis conflictantur, neque opprimente tyranno, neq; imminentibus hostibus. Diceret enim tibi Lycurgus pro horum quæ ipse legibus præscripsit, defensione, multa rationi consentanea, quibus causis impulsus eos verberibus affligat, quanquam non inimicus, neq; id per invidiam facit, neq; civitatis juventutem temere consumit: sed optat fortissimos, omnique malo potiores esse eos qui patriam sunt defensuri.

Etsi vero nihil dixerit Lycurgus, ipse tamẽ animadvertis, hominem hujusmodi, qui in bello fuerit captus, nunquam Sparta indignum quicquam dicturum quum ab hostibus cædetur flagris: sed ipsos dum cædetur, irrisurum, certando cum cedente, qui prior animo deficiat.

Ana. Num Lycurgus quoque, Solon, in juventute loris cædebatur? an vero jam intempestiva ad hoc certamen ætate, tutò & confidenter talia commentus est?

Sol. Cum jam esset provectæ ætatis, leges ipsis, condidit è Creta reversus, cum apud Cretenses hospes vixisset, quoniam ipsos, quibus leges tulisset Minos, optimis legibus instructos audiverat.

Ana. Cur ergo non etiam tu, Solon, imitatus es Lycurgum, juvenesq; flagris cædis? Nam hæc instituta sunt pulchra, vobisque digna.

Sol. Quoniam nobis Anacharsi, sufficere videntur hæc gymnasia, quæ sunt domestica: neque æquum admodum sentimus æmulari peregrina.

Ana. Nequaquam: sed intelligis opinor quidnam sit nudum flagris cædi, manus sursum attollentem, nullius aut privatæ, aut publicæ utilitatis causa. Itaq; si quando Spartam venero, quo tempore ista factitant, existimo me ab ipsis publicè lapidibus obrutum iri, quod irridebo singulos, quos videbo verberari tanquam fures, aut grassatores, aliusve facinoris reos. Nam certe helleboro mihi videtur indigere eorum civitas, quæ in se ipsam res agit adeo ridiculas.

Sol. Ne indicta causa, ô generose, neq; viris absentibus, tequum solus dices, superaturum putes. Neq; enim deerit, qui pro illis verisimilia Spartæ respondeat. Verumenimvero siquidem ego tibi nostra recensui, quæ tibi non admodum placuisse videntur: videor mihi non iniqua postulaturus à te, ut vicissim mihi narres, quo pacto vos Scythæ vestros juvenes exerceatis, quibus gymnasiis educetis, & quomodo viri fortes evadant.

Ana. Æquissima sunt, ô Solon, quæ postulas. Atq; ego Scytharum instituta narrabo, forte non admodum gravia, nec quæ vestris respondeant. Nos enim ne in maxillam quidem alicui plagam illidere auderemus, meticulosi cum simus. Verum qualiacunque sunt ego dicam. Quanquam si videtur, ea de re colloquium in crastinum differemus. ut & quæ dixisti quietius apud me revolvam: & quæ sunt dicenda, memoria percurrens colligam. In præsentia vero his dictis abeamus. *Lemmate de Gymnasiis, sive Anacharsidis.*

¶ Monosticha Trochaica.

Corpori servit, animo dominatur ars athletica.
Et cito athletarum ægrotant, & senescunt corpora.
Femina omnis usq; abest Gymnico certamine.
Fortiores sunt suis athletæ incitatoribus.
Fortitudinis, cædi atq; vincere, est athletica.
Gymnasium ac palæstra totam effeminavit Græciam.
Non edat quod vult athleta sed lanista ipsi exhibet.

¶ Jambica.

Arena quidnam Athleta possit detegit,
Athleta fatiscit illico robustus nimu.
Athleta vincit multus absque verbere.
Bello, cursor quam athleta, accommodatior.
Etiam abstinent Veteris gerere omni athletici.
Medicina facit sanos, firmos Gymnastica.
Non omnibus robur statim est athleticum.
Post musicam exercenda jam gymnastica.
Viro ferè domi palestra femina est.

Videantur plura titulo *Certaminis.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER VIII.

Habitus

¶ Sententiæ patrvm Græcorum.

Isidorus *Pelusiota*: Ovinarum pellium lumbaria solis iis, qui carnem suam enecarũt, imprimuntur, ut pote quæ mortificationis signa sunt. Quod si quis cum vitiosis affectibus vivat, ejus tamẽ, qui eos extinxit, arma gestat, iis similis est, qui in scena habitus alienos per ludum gerunt: quos spectatores rident, ut qui res eas, quæ specie ac gestu exprimuntur, minime in se agnoscant. *lib. 1. Epist.* 428.

¶ Philosophorum Græcorum.

Dio Prusæus: Nunc enim quidam fortasse suspicantur, ex sapientibus me quempiam esse, omniaq; scientibus ridiculo & absurdo usi judicio, quod comam nutriam. Quod, si causa virtutis foret & modestiæ, nulla indigerent magna neq; difficili virtute res humanæ. Verum ego metuo, ne nulla sit stultis utilitas in coma, sicuti neque est, neq; si cor ipsum habeant pilosum, quemadmodũ Aristomenem illum Messenium habuisse ajunt, qui plurima Lacedæmoniis negotia exhibuit: & frequenter captus, aufugit ab illis. Hoc postquam tandẽ decesserat, ita esse inventũ est. Ajo igitur nullam esse utilitatem militib. hisce nudis & levis armaturæ, si scutati fiant, quo sane ad justitiam & modestiã verã, prudentiamq; attinet: neq; si adhuc magis sese exuant, circũsitentq; hyemem nudi, aut Medorum aut Arabũ stolam accipiãt: quemadmodũ neq; tibiis canere scient, etiamsi vestimenta tibicinũ induant. Neq; enim ex asinis equi fieri possunt, etiamsi adhuc magis illis nares dissecẽtur, mentoq; perforato armillas illis injiciant: neq; si quis auferat statuas, sed rudẽt ante mœnia valde magna voce, aliaq; sibi cõvenientia facient. Itaq; nemo me habitus gratia ab ullo differre existimet, neq; hoc fretum dicere, sed contrarium quiddam videre. *Orat.* 35.

Arrianus: Omnis habitus & facultas cõsentaneis operib. retinetur & augetur: deãbulationis deambulando, cursionis currendo, Si cupis legẽdo valere, legito: si scribẽdo, scribito. Sin triginta ppetuos dies nihil legeris, sed aliud quippiã egeris: intelliges qd fiat. Ita si post decẽ dierũ cessatione iter longi⁹ ingressus fueris, videbis ut crura tua fatigẽtur. In genere igitur, si qd facere volueris, habitũ ej⁹ tibi cõparato.

Si quid facere nolueris, omitto, teq; consuefac aliud quippiam potius ejus loco agere. Ita se animorum etiam affectiones habent. Si iratus fueris, non id dumtaxat mali tibi accidisse scito : & habitum te auxisse, & tanquam igni sarmenta subjecisse. Si victus è quopiam in congressu fueris, noli unam cladem considerare : sed & incontinentiam tuam te auxisse scito, & aluisse. Neque enim fieri potest, quin à consentaneis factis & habitus & facultates partim inserantur, cum prius non affuerint: partim augeantur, & corroborentur. Sic fere philosophi morbos etiam suboriri dicunt. Nam si semel pecuniam concupieris, siquidem ratio adhibeatur, quæ justum mali sensum afferat: tum & cupiditas sedata erit, & princeps animi pars suam auctoritatem recuperarit. Sin nullum remedium admoveris, suum locum tueri desinit: ac rursus à consimili viso irritata, celerius quam prius redaccenditur ad cupiditatem. Quod si continenter fiat, tandem callum ducit ægritudo, & confirmatur avaritia. Nam qui febricitavit, quamvis desierit, non tamen ita se habet ut ante febricitatem, nisi penitus fuerit curatus.

Consimile quippiam etiam in affectionibus animi contingit. Vestigia quædam & vibices in eo relinquuntur, quas nisi probe deleveris, flagello rursus in easdem impacte: non jam vibices, sed ulcera contrahes. Si igitur iracundus esse non vis, irascendi habitum ne alito, nequid ei adjicito quo augeatur. principio quietus esto, & dies numerato, quibus iratus non fuisti. Irasci quotidie solebas, nunc alternis diebus, deinde post triduum. Quod si & triginta dies intermiseris rem divinam facito. Habitus enim primum remollescit, deinde penitus etiam tollitur. Hodie non dolui, neq; cras dolebo, neq; deinceps bimestri & trimestri: sed me cohibui, cum quædam quæ irritabant, incidissent. Agnosce belle tecum agi. Hodie cum formosum aut formosam vidissem, non ipse mihi dixi, Utinam. Quis cum ea concubuit? Et: Beatus maritus ejus. Nam qui hoc dicit, mœchum etiam beatum dicit: neq; reliqua depingo, adesse eam, & exsuere vestes & accumbere. Demulceo verticem meum, & dico: Euge Epicrete elegantem cavillatiunculam solvisti, multo elegantiorem ea quā Dominantem vocant. Si vero, cum muliercula & voluerit, & annuerit, & accersierit, atq; etiam attrectarit & appropinquarit, abstinuero & vicero, hæc jam cavillatio & Mentientem superat, & Quiescentem.

Et hac re gloriari est operæ pretium, non interrogatione de Dominante. Quo pacto igitur fiet hoc? Velis tandem ipse placere tibi, velis pulcer videri Deo: desiderato purus cum te ipso puro esse, & cū Deo. Deinde si quod tibi visus ejusmodi inciderit, Plato ire jubet ad prodigiorum expiationem, & ad Deorum qui mala aberuncent fana, supplicem proficisci. Satis etiam fuerit præstantium virorum alicujus consuetudinem te consectari, apud illum esto, teque cum eo comparato, seu viventium quempiam habeas, seu defunctorum. Abi ad Socratem, cum Alcibiade cubantem vide, & venustatem ejus eludentem, cogita qualem ille se victoriam victisse intellexerit? qualia Olympia? quotus ab Hercule evaserit? ut eum Mediusfidius jure salutes: salve admirande. Apage putidos istos pugiles, & quin querciones, & similes his gladiatores. Hæc si opposueris, vinces illud visum, nec ab eo traheris. Primum tamen vide. ne illi temere assentiaris, sed dic: Visum exspecta me paululum: sine videam quid sis, & qua de re: Sin te explorem.

Deinde ne permittas ei, ut progrediatur, & reliqua depingat. Alioquin te secum rapiet quo volet. Imo aliud potius introducito, pulcrū & generosum visum, ac sordidum rejicito. Quod si te ita consuefeceris, videbis quales futuri sunt humeri, quales nervi, quale robur. Nunc solæ sunt oratiunculæ, neque quicquam ulterius. Hic est homo revera exercitatus, qui cum hujusmodi visis congreditur. Exspecta miser, noli assentiri temere: ingens est certamen, divinum facinus, regnum agitur, libertas agitur, felicitas agitur: vacuitas perturbationum agitur. Dei memento, illum adjutorem advocato, & commilitonem, ut Castorem & Pollucem qui intempestate navigant. Nam quæ major tempestas est, quam quæ è firmis oritur visis, & rationem eludentibus? Ipsa enim tempestas quid aliud est quam visum? Nam sublato mortis metu, quot voles tonitrua & fulgura afferto: intelliges in principe animi parte serenitatem esse, & tranquillitatem. At si semel victus dixeris: Post vincam, deinde iterum denuo, scito te tandem ita male habiturum, ita infirmum fore, ut postea ne in mentem quidem veniat, te peccare. Sed & defensiones rei afferre incipis, & Hesiodiæ sententiæ veritatem confirmabis: Differ opus, nunquam non conflictabere damnis. *cap. 18. lib. 2. Epict.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Isæus ad tantam ἐξιν studio & exercitatione pervenit. nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. *lib. 2. Epist. 2.*

C. Tacitus: Habitus Romani honor, & frequens toga apud Britannos. *cap. 21. Agricolæ.*

C. Tacitus: P. Egnatius cliens Sejani, tunc temporis ad opprimendum amicum auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus: cæterum animo perfidiosus & subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. *libr. 16. Annalium cap. 32.*

L. Apuleius: Dives non intelligit, homines æque spectari solere, ut equos mercamur, neq; enim in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur si ex argento & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependent, si plena artus ornamenta capiti & collo circumiacent, si frena cælata, si ephippia fucata, cingula aurata sint: sed istis omnibus exuviis amotis, equum ipsum nudum, & solum corpus ejus & animum contemplamur, ut sit ad speciem honestus, & ad cursum vegetus, & ad vecturam validus, &c. *Videatur locus sub finem libri de Deo Socratis.*

¶ Apologorum.

Phædrus Fab. 74.

Barbam capella cum impetrassent ab Iove,
Hirci mœrentes indignari cœperant
Quod dignitatem femina æquassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestræ fortitudini.
Hoc argumentum monet ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sint virtute impares.

De Lupo ovis pelle induto, qui gregem devorabat. Fab. 76.

Lupus ovis pelle indutus, ovium se immiscuit gregi, quotidieq; aliquam ex eis occidebat. Quod cum pastor animadvertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autem cæteris pastoribus, cur ovem suspendisset, ajebat: Pellis quidem (ut videtis) est ovis, opera autem erant lupi.

Hac indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus judicandos, quoniam multi sub vestimentis ovium lupina fuctunt opera. Laur. Abstemius.

De Equo inculto, sed veloci, & cæteris eum irridentibus. Fab. 88.

Equi complures ad Circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter unum, quem cæteri ut incultum, & ad hujusmodi certamen ineptum irridebant, nec unquam victorem futurum opinabantur. Sed ubi currendi tempus advenit, & dato tuba signo, cuncti è carceribus exiliere, tum demum innotuit, quanto hic paulo ante irrisus, cæteros velocitate superaret. Omnibus enim aliis post se longo intervallo relictis, palmam assecutus est.

Fabula indicat, non ex habitu, sed ex virtute homines judicandos. Laur. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Calceus rectus demonstrat pulchritudinem pedis.
Lasciva diversus habitus exprobat petulantiam.
Sustineas habitu tibi esse similes, virtute impares.

¶ Jambica.

Animi insolentia, habitus sequitur superbiam,
Externa hominis interiora ejus detegunt.
Habitu similes sunt, qui sunt virtute impares.
In corporis statu habitus mentis cernitur
Ne præfer habitu, verum animo sapientiam.
Periculo haud caret habitus corporis optimus.
Positio cœli corporibus habitum dedit.
Qualis quis animo est, talis incessu venit.

Hæreditatis.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Nazianzenus: Et frater cum fratre expostulat, quoties ab eo æqua portione fraudatur. *Orat. 25. contra Arrianos*

D Io. Chrysostomus: Quando videris juvenem absq; laboribus paternam accepisse hereditatem, & mansisse malum; certo scias quod ei augetur pœna, & intenditur cruciatus : quando autem in paupertate, non item. *Homil. 20. Epist. ad Hebræos.*

D Io. Chrysostomus : Sæpe dolemus & ægrè ferimus, quod liberos non susceperimus. Non habemus cui nostras domos tradamus & deinde cruciamur quod laboremus aliis. Sæpe autem etiam ad nostros inimicos nostra pervenit hereditas, non solum cum nos excesserimus, sed etiam nobis adhuc viventibus? Quid est ergo miserius, quam laborare inimicis, & ut illi in quiete degant ac deliciis sibi peccata congerere? Hujus rei multa exempla cernuntur in civitatibus: & nisi molestia afficerem eos qui sunt privati suis, quosdam ex eis nominatim dicerem; & multa possem narrare, & multas vobis domos ostendere, quæ acceperunt dominos inimicos eorum qui in iis fabricandis & ornandis laborarunt. nō solum autem ædes, sed & mancipia, & tota sæpe hereditas pervenit ad inimicos, tales sunt res humanæ. *Homil. 32. Epist. ad Hebræos.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Flemus & indignamur illū ominino hominē inveniri aut esse posse, qui decurso infelicis vitæ istius brevi spatio in ipsa extremitate jam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quidquā aliud cogitet præter finem suū, quidquā aliud præter exitum suum, quidquam aliud præter periculum suum : & neglecta spe sua atque anima,

animæ cui opitulari aliquatenus vel in ultimis suis omni studio, omni usu, omni re ac substantia sua debeat, hoc solum cogitet, hoc solum animo volvat quam lautè heres suus res suas comedat. Miserrime omnium, quid sollicitus es, quid æstuas, quid auctorem tepsum rerum perturarum facis? an times forte ne desint qui te mortuo quod dereliqueris vorent? nolo metuas, nolo vereris. utinam tam facile tu salvus esses quam tua omnia deperibunt. O infidelitas, ô perversitas! etiam vulgo dictum est, omnes sibi melius velle quã alteri. novum hoc monstri genus est, cuilibet quenquam velle consulere, tantum ne sibi. Eece iturus es ad examen sacrum, ad tremendum illud judicium, ubi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodo bona conscientia, nisi sola tantum innocens vita, aut, quod proximum est bonæ vitæ, misericordia: ubi reo nullum est adjutorium, nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa, & eleemosynæ copiosæ, quasi manus validæ: ubi denique pro diversitate meritorũ, aut summum bonum invenies aut summum malum, & tu de locupletandis quibuscunq; hæredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum cognatorumq; suspiras quem potissimum ditiorem patrimonio tuo facias, cui supellectilis varia ornamenta transcribas, cujus apothecas copiis tuis repleas, cui majorem servor. numerum relinquas. Intelicissime omnium! cogitas quam bene alii post te vivant, non cogitas quam male ipse moriaris? Dic mihi quæso ô miser, ô infidelis cum multis patrimonium tuum dividas, cum multos facultatibus tuis dites, numquid de solo te es tam male meritus, ut tibi nec inter extraneos locum facias hæredis. Ecce exspectat te jam egressurum de vita ista officium tribunalis sacri, exspectant tortores angeli, & immortalium tormentorum terribiles ministri, & tu futuras post te hæredum mundialium voluptates animo volutas? tu delicias aliorum mente pertractas? quam bene scilicet post te heres tuus de tuo prandeat, quibus copiis ventrem expleat, quomodo usq; ad nauseam redundantem viscera exsaturata distendat? Infelicissime omnium, quid tibi est cum mœniis, cum deliramentis, cum stultitia hujus erroris, quid cum perditione istius vanitatis. Numquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is qui res tuas prodige comedit lautus & pransus bene eructarit? aut etiam ut tibi cui devoranda tua omnia tradidisti, redundanti eruditate plus præstet si bene vomuerit. Hoc specialiter dico, & peculiariter admoneo, ne ullum omnino aliquis, quamvis carissimum pignus, animæ suæ præferat. neque enim iniquum est, ut quilibet Christianorum etiam legitimis hæredibus in hoc sæculo consulat, dũmodo sibimet in æternitate succurrat, multis modis: quia & facilius est, hic deesse filiis quippiam, quam parentibus in futuro, & multo est levior præsens tenuitas, quam æterna paupertas, maximè quia cum illic non egestas tantum, sed etiam mors ac pœna timeantur, facilius est utiq; hic hæredibus deesse quippiam de patrimonio, quam illic testatoribus de salute: idq; & ipsi quibus hæreditas relinquitur, si modo pietatis aliquid in se habent, specialiter velle debeant, ne illi percant qui relinquunt. quod utiq; si nolunt, multo minus digni sunt quibus aliquid relinquatur: quia non injustè testator sapiens non relinquit, quod heres impius non meretur. Itaque optimum est ut unusquisq; sibi consulat, & animæ ac saluti suæ omnia derelinquat, sint quamvis interdum non filii tantum, quibus videtur naturaliter plus deberi, sed etiã pignora alia, ejus vel meriti vel conditionis, ut eis ad impartiendum quiddam ac largiendum justitia ipsa ac Dei cultus patrocinetur, &c. *lib.* 3. *contra avaritiam.*

Chrysologus: Facultates unitatem scindunt, fraternitatem separant, cognitionem spargunt, parentum violant & perdunt charitatem. *Serm.* 1.

Chrysologus: Hæreditas mundana ante posteris infert jurgia, quã conferat censum: antequam dividat facultates, scindit hæredes: antequam debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna. & hæc noverca filiorum est, non facultas. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimam charitatem. *Serm.* 162.

Ennodius: Nunquam bene hæreditas quæsita est hærede contempto. *lib.* 3. *Epist.* 15. *m.*

¶ Oratorum Græcorum.

Julianus Cæsar: Etenim qui de tãti momenti negotiis cõsultaret, eundem nihilo inferiores tulisse partes videri sibi, ex eo quod plus habere fratribus suis concederet, maximum illud moderati atq; excelsi animi indiciũ esse potest. At nunc si quis centum talentorum patrimonium cum fratribus dividens, aut si libet ducentorum, unica cæteris minus acceperit, idque patienti animo ferat, & exiguam hanc pecuniam cum pace ac concordia commutatam velit, honore ac commendatione dignus habeatur, perinde ut homo minime cupidus, ac consultus, &, ut uno verbo dicã, vir probus atq; honestus. Quæ cum ita sint, age qui de orbis terrarum Imperio tam generosum, ac moderatione plenum consilium ceperit, ut concordiæ, ac communis Romanorum inter se pacis, atque otii studio, cum majorem sibi ex cura, ac sollicitudine laborem imponeret, tum fructibus Imperii ac vectigalibus sponte cederet, quantis eum laudibus dignum esse judicabimus. *Paneg.* 1. *in Constantium Aug.*

Julianus Imp. in Cæs. Nihil alioqui quicquam novi moris hac in re introduxi, in more enim positum est, ad filios omnia sua per successionem deferre: & hoc omnes in votis habent. Ergo his, quæ à multis fieri solent, conjunctissimos privare, proximè ad iniquitatem accessisse. *loquitur Antoninus Philosophus.*

Libanius: Quo, inquit animo occidissem, cum hereditatis compos facta essem? ut nimirum firmiorem ejus possessionem, ac tutiorem facultatum copiam acciperes, ac nullam in posterum patris consilii mutationem metueres. noveras quippe, noveras illius mentem, & singularem erga nos benevolentiam, propter quam sæpenumero pro nobis tibi consilium dabat: unde flagitabat, ut nostri curam haberes aliquam, atque insidiando absisteres, ac matris potius quam novercæ propositum ostenderes. his argumentis impulta, testamentum suspectum habebas, animo lævum quiddam agitabas, patris de hereditate voluntatem plane cognoscebas, propterea cædem perpetravisti: idcirco patri meo violentas manus intulisti, cum immotum de hereditate consilium permanere velles, & illius mutationem in melius morte subsecare: ac novi consilii tẽpus adimere. non enim ignorabas, ut patre quidem superstite, opinione tantum tenus hereditatem possideres: sed dum ille viveret, verior suorum dominus esset atque ut cum ad fatalem vitæ summam perveniset, filio hereditatem relinqueret, honesti simul & æqui ratione habita: eo vero de medio sublato, nullũ jam mutationis mentis metum esse: pecuniarum autem possessionem fore firmiorem, & in posterum hereditatem extra periculum futuram, eo qui rursus eripere posset, interempto. porrò una opera integrum tibi fore ea quæ studeres assequi, ac licere privignum in miserias insanabiles conjicere, eo orbo, destituto, necessariis rebus egente constituto. *Declamat.* 44.

¶ Romanorũm.

Symmachus: Statuerat receptus in cœlum germanus numinis vestri, cum Martianus dudum Protector, Aggariæ bona tanquam vacantia postulasset, ut si ea hæreditas scriptum successorem vel legitimum non haberet, in jus fisci tanquam domino nuda concederet. *lib* 10. *Epist.* 55.

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carmine 1. de rebus suis.

—— At vero satiasti lumine cassus
Multorum ora canum, qui me latratibus urgent
Undiq; cingentes miserum: nec ferre propinqui
Auxilium fracto curarum mole laborant.
Nec mihi se multi veros testantur amicos,
Hostibus haud multo meliores. Namq; prius quam
Accipiant, magno me complectuntur honore:
Verum odij virus, simul ut cepere profundunt.
Non secus ac magna quercus, quam perculit ingens
Vis Borea, quivis festinat tollere ramos:
Vrque jacet culta penitus cum dirua vitis
Maceries, parcit gravidis jam nemo racemis:
Atque etiam hanc truculentus aper, sociumq; perosus,
E nemore egrediens populatur dente recurvo.
At mihi luctificus labor est, satiare nec ultra
Omnes jam valeo, nec pellere viribus ullis.

Plautus Curcul. 5. sc. 2. v. 37.

—— Quæso ut mihi dicas, unde illunc habeas annulum.
M. Pater meus habuit Periphanes. Planesium:
Is prius quam moritur, mihi dedit tanquam suo,
Vt æquum fuerat filio. PL. Proh Jupiter.
M. Et iste me heredem fecit.

Terentius Hecyræ 3. sc. 5.

—— Cedo, quid reliquit Phania
Consobrinus noster? P. sane hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum heredem
adjuvant.
Sibi vero hanc laudem reliquit: vixit, dum vixit, bene.
L. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
P. Quidquid est id quod reliquit, profuit. L. Imo obfuit.
Nam illum vivum & salvum vellem. P. impune optare istuc licet.
Ille revivisset jam nunquam: & tamen utrum malis, scio.

P. Syrus Mimus.

Heredem ferre, honestius quam quarere.
Heredis fletus, sub persona risus est.

Ausonius Edyllio 3.

Salve heredium majorum regna majorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam senior properata morte relinquit.
Eheu! nolueram tam cito posse frui.
Justa quidem series patri succedere: verum
Esse simul dominos, gratior ordo pius.
Nunc labor & cura mea sunt, sola ante voluptas
Partibus in nostris, catera patris erant.

¶ Apologorum.

De viro avaro sacculum numorum alloquente. Fab. 100

Vir quidam avarus, qui ingentem aureorum acervum male partum relicturus moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi jusserat afferri, quibus voluptatem esset allaturus. Cui sacculus, hæredibus, inquit, tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos, in scortis & conviviis profundent, & dæmonibus, qui animam tuam æternis suppliciis mancipabunt.

Hac indicat fabula, stultissimum esse in his laborare, quæ aliis gaudium, nobis autem sint allatura tormenta. Abstemius.

De Porcello & testamento patris. Fab. 185.

Porcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat: Sed quũ lectis testamenti tabulis, magnum glandis acervum, multosq; farinæ modios sibi relictos cognovisset, obticuit. Rogatus, cur non amplius fleret: farina, inquit, & glandes os mihi occluserunt.

Fabula indicat, amplas hæreditates hæredum dolori facile finem imponere. Abstemius.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate sacro 29.
Quod capis alter habet.

Ecquid adhuc atris caput abdis, homuncio, lustris
Ecquid adhuc tristi pectora condis humo
Tu viverra tuis, tu mente manuq; laboras,
Et mox qui præda gaudeat alter erit.
Alter erit, qui vina cadis depromat avitis,
Vah! dabitur capiti trita lacerna tuo.
Si sapis ergo putri tandem caput exere terra,
Quaq; rapi nequeant præmia, disce sequi.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Iacob Patriarcha: Cum prope essent dies Jacobi ut moreretur, accersens filium suum Josephum dixit ei, Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, pone quæso manum tuam sub fœmore meo: & exercето erga me hanc benignitatem & fidem: ne quæso sepelito me in Ægypto. Sed cum occubuero cum patribus meis, reportato me ex Ægypto, & sepelito me in sepulchro eorum: qui dixit, ego faciam secundum verbum tuum: Dicente autem Jacob Jura mihi, juravit ei. Tunc incurvavit se Jacob ad cervical lecti sui. *Genes.* 9. 30. 31. *Vide cap. Epist. 11. ad Hebræos.* Terra Cena hæc fuit Jacobo & Israelitis vitæ æternæ typus & symbolum. Ideoque de sepultura sua Jacob, & postea Joseph, diligenter cavit, non sua tantum sed suorum etiam causa: ut etiam mortuus eos doceret non esse animum eorum Ægypto (sicut nec nostrum Ægypto spirituali, i. mundo) affigiendum ad promissam terram. ut cœlestis hæreditatis symbolum. *Vide Gen.* 50. 21. 25. *& Act.* 7.

¶ Monosticha Trochaica.

A bono tantum patre heres scribitur Princeps malus.
Dotibus potentibusq; rarus heres est suus.
Dividat paterna frater major, eligat minor
Divites habent heredes, verum heredes quos timent
Divitiæ quas flent heredes lacrimæ sunt aureæ.
Exteris opes relinquas, filiis scientiam.
Filiis opes relinquas, verum item scientias.
Iuris heres est ejusdem, cujus defunctus fuit.
Hostis Augustus suismet filio herede animam exuit.
Iam morienti tum suprema nemini vox excidit
Nemo heredi plus relinquit quam ipse habebat commodi.
Nolle adire hereditatem non videtur, qui haud potest.
Non opes magis relinquas natis quam scientiam.
Occupat non notus heres scelere quæsitas opes.
Quam Deus custos tuetur, in tuto est hereditas.
Quamdiu heres est puer, quid differt quæso a servulo?
Quamdiu vivunt parentes non succedunt liberi.
Qui censum invadit pereuntis, voluit ægrotum mori.
Qui voluptati obsequuntur, haud multum herdē adjuvāt.
Quo gradu heres substituatur liberis, nil interest.
Vir probus de hæreditate bilis expers litigat
Vna item cum hereditate nascitur sapientia.
Vultur est, hereditatis causa amico qui adsidet.

¶ Jambica.

Alterius expectare opes miserrimum est.
Contempto hærede hæreditas male quæritur.
Dimitte opes Christo; mori is nunquam potest.
Hereditas est nulla quæ usu potest capi.
Miserrimum exspectare alterius est opes
Multum reliquit, qui nil retinuit sibi.
Nihil petere ultra hereditatem quis queat.
Odit paterni inique hæres fit filius.
Paterna habere, quam exspectari malumus.
Plus gaudet hæres morte quo plus accipit.
Quam sæpe inimicum inviti heredem linquimus!
Raro obtigit cui sine sacris hereditas.
Rex omnium heres, inimicus idem est omnium.
Superstites relinquere quisque avet suos.
Vni duo esse heredes pro solido haud queunt.

Hæreseos

¶ Sententiæ Patrvm Græcorum.

Clemens Alexand. Sũt qui ne quidẽ in animũ inducũt audire eos qui hortãtur ad veritatẽ. Quin etiã nugari aggrediuntur, verba in veritatem maledica effundentes, sibi rerum maximarum vindicantes agnitionem, cum nec didicerint, nec quæsierint, nec invenerint consequentiam. quorũ misereatur potius aliquis, quam odio habeat, propter talem vitæ eorum rationem. Si quis est autem medicabilis, qui tanquam ignem vel ferrum ferre possit libertatem veritatis, secantem & utentem falsas opiniones, præbeat aures animæ. Hoc autẽ fiet si non otium & socordiam amplectentes extrudãt veritatem, aut gloriã desiderantes, res novas magna vi persequãtur. Sunt enim socordes, qui, cum liceat ex ipsis scripturis, divinis scripturis convenientes colligere demõstrationes, id omnino nõ faciunt, sed quod eorũ voluptatibus suffragatur eligũt. Gloriæ autẽ tenẽtur desiderio, qui ea quæ ex sua natura cõveniunt, sermonibus divinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrũpunt, per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes divinæ traditioni, ut hæresin cõstituãt. Nam inter eos viros qui tãti erãt in ecclesiastica cognitione, quid testabat dicendum à Marcione, verbi gratia, aut Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi recta via? *lib. Strom.* 7.

D. Nazianzenus: Incurabili morbo laborantes aversemur; ne alioqui morbum ante eorum contrahamus, quam illis sanitatem nostram impertiamus. *fine orationis duodecimæ.*

D. Nazianzenus: Negabant tributum Hæreticis pendendum esse. quisquis enim molestiam exhibebat in hæreticorum numero habebatur. *Orat.* 20 *de morte Basilii Magni.*

S. Isidorus Pelusiota: Et apud Gentiles (quamvis etiam eos in potestate ac ditione sua habens, ac pro libitu suo agens ac ferens) & apud Judæos (tametsi etiam eos velut rabido quodam furore percitos ad idolorum cultum atque homicidia impulisset) multas hæreses Diabolus procreavit. Quod si apud Christianos quoque multo plures perpetit, nemini mirum istud videatur. Nam cum ante carnalem Christi adventum ac presentiam omnes utili temulentia laborare, nec ullum, ut ita dicam, pure atque integrè sobrium esse conspiceret, idcirco pauca contentionis semina injiciebat. Postquam autem salutare Verbum cœlitus venit, nobis quidem cœlestis vitæ generis documenta ferens, Diabolo autem, per eas minas quas in peccatores intendebat, pœnam, quæ ipsum manebat, prænuncians (dicebat enim, Ite in ignem qui paratus est Diabolo & angelis ejus) tum verò communis ille omnium hostis, tũ quod genus nostrum sensum ac paulatim vitium excutere, ac virtutem admittere, atque impietatem ablegare, ac pietatem amplecti perspiceret, tum quod condemnationis tuæ decretum audiisset, acrius adversum nos flavit, atque hæreses in lucem protulit. Nam cum pietati jam oblectari nequeat, in id omni animi contentione incumbit, ut per ipsius nomen plerosque ad impietatem ducat: atque pietatis specie atque obtentu veritatem evertere conatur: eosque, qui optimæ vitæ laude persæpe excelluerunt, per corrupta dogmata obterit. Etenim unicum hoc illi opus, unicumque studium est, ut omnes ad unum, sive per vim, sive per adulterina dogmata, in exitii pelagus secum præcipites agat. Hæc igitur hæresum princeps cogitantes, adversus veritatem semina jacere desinant, illud secum reputantes, quod ipsi præ cæteris in summo periculo versantur. Desinant etiam illorum auditores anticipatæ duadaxat opinioni servire, atque adversus veritatem impetum facere: ne alioqui magnum omnique sermone præstantius Salvatoris facinus, quantum quidem in ipsis est, inane atque infrugiferum reddant. Designant item ii, qui rectis quidem dogmatibus gloriantur, verum per vitæ segnitiem ea facere convincuntur, quæ eos nothos ac spurios pietatis discipulos esse coarguunt: atque ad rectam fidem optimam vitæ rationem adjungant. Sic enim futurum est, ut omnes Dominicam vocem laudes nostras prædicantem audiamus. *libro secundo Epistola* 90.

Isidorus Pelusiota: Aut ex ambitione, aut ex anticipata aliqua opinione, duabus expugnatu difficilimis affectionibus, hæreses & sectas natas esse arbitror. Nam qui in subditorum classe vivere æquo animo non potuerunt, neque imperium excipere, novæ doctrinæ sementem sparserunt, in iis, quæ constituta essent, permanere dedignati. *lib.* 4. *Epist.* 56.

Isidorus Pelusiota: Quid adeo miraris, si etiam post Salvatoris in carnem adventum multæ hæreses enatæ sunt, Diabolo quippe qui jam perspicue ac diserte audivisset, omnino se judicio & damnationi subjectum iri & pœnas daturum, eas disseminante, ut videlicet multos supplicii rum socios atque participes habeat? cum ante ipsius quoque adventum non paucæ extiterint hæreses. Nam partim hominum ne quidem esse Deum putarunt: partim esse quidem aliquod divinum numen, sed providentia rerum humanarum non esse præditum: partim vero, procurationem id quidem habere sed cœlestium duntaxat rerum: alii autem non solum cœlestibus rebus, sed etiam terrenis providere, non tamen omnibus, verũ duntaxat excellentibus: ut regum ac principum. Et alii quidem omnia temerario ac cæco casu ferri dixerunt; alii contra omnia fatali quadam necessitate fieri: alii denique ut fors tulit, omnia agi asseruerunt. Et alii quidẽ idola adorare fas piũq; esse existimarunt; alii verò matrũ conubia probarũt; alii humanas hostias; alii animaliũ cædes: alii boũ mactationẽ, alii cãelorũ: alii mutuã hominũ devorationẽ. Sed si omnia in medium proferre velim, fortassis fidem non invenero, nec tamen falsum dixisse argui queam. Quare si semper inter homines fuerunt contentiones atq; dissidia, nec eadem omnibus fuit sententia (nam pro temporum varietate homines novarũ rerum & novorum morum cupidi, aut etiã seditiosi, præsentia quidem

dem cõvellerunt, novas autem pro ſuo ingenio leges tulerunt) quid miraris, ſi nunc quoque circa negotium (religionis Chriſtianæ) divinum & ratione humana ſuperius contentiones affectant, & diſſident, animis homines ab ambitione tamquam furore bacchico agitati. *lib. 4. Epiſt. 57.*

¶ LATINORVM.

Salvianus: Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſint, nullus poteſt ſcire niſi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare: maximè cum ſciat, eos ea facere quæ neſciũt; noſtros autem negligere quod credunt; ac per hoc illos magiſtrorum peccare vitio, noſtros ſuo; illos ignorantes, noſtros ſcientes; illos id facere quod putent rectum, noſtros quod ſciant eſſe perverſum, & ideo juſto judicio illos patientia Dei ſuſtinet, & nos animadverſione caſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt; contemptus veniam non meretur. Utrumque ad unam rem vult proficere, ut & caſtigatio in Catholicis peccandi refrenet libidinem, & quandoque hereticos patientia Dei faciat plenam fidei cognoſcere veritatem: maxime cum ſciat eos forſitan catholica non indignos fide, quos videat Catholicis vitæ comparatione præſtare. *nox*: Vnde intelligere poſſumus quid mereatur omnis Romana reſpublica, cum pars Romanorum offendat Deum vita, pars & infidelitate pariter & vita: ſalvo eo quod etiam ipſæ quondam hereſes barbarorum de Romani magiſterii pravitate fluxerunt; ac perinde etiam cor noſtrum eſt crimen, quod populi barbarorum heretici eſſe ceperunt. *lib. 5. de gubernat. Dei.*

Ennodius: Gravius eſt deguſtata bona quam intacta calcaſſe. Nihil defenſionis ſupereſt homini, poſt dulcem juſtitiæ Saporem, ad mortifera ſchiſmatum venena redeunti. *Dictio. 6. fine.*

¶ APOPHTHEGM. SACROR.

Prophetæ: Eorum qui Eccleſiam Dei à Deo avertere variis commentis & dolis conantur characteres extant in ſanctis libris. Jeſaias deſcribit eorum *avaritiam, artes, res geſtas, malitiam, mentis cæcitatem*, cap. *56.* 3. & *59.* 5. 6. 7. *8.* Jeremias, *turpis lucri cupiditatem*, cap. 6. 13. *confuſionem diſſimulationem*, 6. 14. *deſperatam cõtumaciam*, 6. 28. *falſam doctrinam*, 23. 16. 17. *impios conatus*, 23. 27. *erroris efficaciam*. 23. 32. Ezechiel, *audaciam*, cap 13. 3. 9. 10. *crudelitatem*, 23. 25. Hoſeas, *fraudulentas adulationes*, cap. 7. 3. Michæas, *rapacitatem*, cap. 2. 2. *ambitionem fallacem*. 2. 11. *Ventris curam*, 3. 5. *Avaritiam*, 3. 11. *Ingenium* 7. 4.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Sub Phariſæorum & aliorum ſectariorum qui hoc ſeculo Eccleſiæ hoſtes operti erant nomine, hæreticorum omnium quiſequentibus ſeculis vixerunt, & vivent uſq; ad mundi conſumationem effigiem exhibet. Traducit autem eorũ *hypocriſin*. Matth. 6. 2. 5. *Fictam manſuetudinem*. Matth. 7. 15. *Superſtitionem impiã*, Matth. 15. 3. *&c. Vanam religionẽ*, Matth. 19. *Tyrannidem*, Matth. 23. 4. *Impietatem, deteſtandam, pietatis ſimulationem, periculoſas concurſationes, iniquitatem hypocriticam*, Matth. 23. 13. 14. 15. 27. *Ementitum nomen ſpecioſum, ut facilius ſeducant*, Matth. 24. 5. *Oſtentationem ridiculam*. Luc. 11 43. *Fraudem latentem*. Luc. 11. 44. *Inſanabilem pervicaciam*. Joan. 6. 41. *Superbiam*, Joan. 12. 43.

D. Paulus: Vivam hæreſiarcharum *faciem* proponit, Rom. 16. 18. *Avaritiam, & terreſtrium curam* Philipp. 2 21. *&* 3. 18. 19. *Audaciam*, Coloſſ. 2. 8. *Ferox ingenium*, 1 Theſſal. 2. 15. *Studia & occupationes*, 1. Timoth. 1. 4. *Vaniloquentiam*, 1. Timoth. 1. 5. *Impudentem ignorantiam*, 1. Timoth. 1. 7. *Falſam doctrinam*. 1. Timoth. 4. 1. 2 3. *Inſaniam*, 1. Timoth, 6. 3- 4. 5. *Inanem gloriationem*, 1. Timoth. 6 20. 21 *Profanos clamores* 2. Timoth. 2. 16. *Quæſtiones ineruditas*, 2. Timoth. 2. 23. *Hypocriſin*, 2 Timoth. 3. 5. *Mentem reprobam*, 2. Timoth. 3. 8. 9. *Conditionem peſſimam*, 2. Timoth. 3. 13. *Perverſitatem*, Tit. 1. 10. 11. *Conſcientiam cauterio reſectam*, Tit. capite tertio, verſic. 10. 11.

D. Petrus: Hæreſiarcharum *apoſtaſiam* depingit, 2. Epiſt. 2. cap. verſic. 1. *erroris efficaciam*, 2. Pet. 2. 2. *Avarum negotiationem*. 2. Pet. 2. 3. *horrendum exitum*, Ibidem. *Vitam impuram, mentis cæcitatem, luxum, fraudes, turpitudinem, artes, Avaritiam deploratam, impiam maledicentiam, Vanitatem, ambitionem noxiam, falſam jactantiam, miſeram conditionem*, Ibidem. *Scripturæ ſacræ depravationem*, 2. Petr. 3. 16.

D. Iohannes: Eorum *Antichriſtianiſmum* deſcribit 1. Joann. 4. 3. *noxias concurſationes, furioſam audaciam, & metuendum impetum*, Apocal. capite nono, verſiculo tertio. 17. 19.

Iudas. Dogmata & mores impiorum hæreticorum depinguntur in Epiſtola S. Judæ, cujus teſtimonia cum D. Petri dictis conſentiunt.

D. Ioannes Apoſtolus: Olim Joannes Apoſtolus (inquit Iræneus lib. 3. cap. 3. ex Polycarpi relatione) in balneum lavandi ſui cauſa ingrediens, cum certior factus eſſet Cerinthum hæreticum intus eſſe, actutum ex eo loco reſiliit, & ſe proripuit foras, illudque tectũ ſubire omnino non ſuſtinuit. Atque ad hunc modum comites ſuos hortatum ferunt: fugiamus extemplò, ne balneum in quo Cerinthus veritatis hoſtis moratur, ſubito concidens nos opprimat. *Euſeb. lib. 3. Eccleſ. hiſt. cap. 22.*

Ignatius: In Epiſtolis ad Trallianos, Magneſianos, Philadelphienſes, Smyrnenſes & Epheſios hæreticorum exprimit ingenium. Inter cætera, *Epiſt. 5.* hæc dicit, Sunt nonnulli vaniloqui & ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſtempori: fraude circumferentes illius nomen, adulterantes verbum Evangelii, & erroris venenum allinentes dulcibus alloquiis, velut mullum aconito miſcentes, ut ſuaviſſimo ſapore deceptus guſtandi ſenſus, incautè mortem hauriat. *Epiſt. 6.* Speciem quidem pietatis habent, virtutem vero ipſius abnegant, ſub Chriſti nomine & prætextu mercatum exercentes, verbum *Dei* adulterantes, Jeſum vendentes, corruptores, alieniq, appetentes, & pecuniarum violentiſſimi ſectatores.

Polycarpus: Relinquamus, inquit, multorum (*i. hæreticorum*) vanitates falſaſque doctrinas, & ad illud quod traditum eſt nobis à principio verbum revertamur. *Inepiſt ad Philipp.*

Martialis: Venient, inquit, præſumptores, abſque gratia Dei loquentes, quorum gratia labiorum procedit ex ſuperbia. Hi docebunt doctrinam quæ aliena eſt à Deo, amica autem diabolo: per quam ipſe ſpiritus erroris animas poſt ſe trahere feſtinabit. *Epiſt ad Burdegal.*

Irenæus: Quum tale, inquit, ſit principium doctrinæ ipſorum quam neque Prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, de qua gloriantur ſe, luſquam alii de rebus univerſis cognoviſſe, quum ex iis quæ ſcripta non ſunt pro. uncient, ac ſtudeant, ut vulgo dici ſolet, ex harena teſtes connectere, conatur ad faciendam fidem iis quæ dicta ſunt, accommodare aut parabolas Domini, aut dicta prophetica, aut ſermones Apoſtolorum, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur. Qua in re tranſiliunt ordinem & ſeriem ſcripturarum, ac (quantum in ij ſis eſt) diſſolvunt membra veritatis. Transferunt enim & transformãt, & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt ſapientia male compacta ex dictis Domini quæ errori ſuo aptant. *Libro 1. adu. hæreſ. cap. 1.*

Clemens Alexandrinus: Seipſos, inquit, erigentes, calumnias verbis addere contendunt, contentioſas comparantes quæſtiones, diſtinctiuncularum venatores, puſillarum quarundam artium æmulatores & jurgiorum conſarcinatores. Ob hanc efferentes ſe ſophiſtæ infelices, canoris quibuſdam ſuis nugis garrientes, cum in nominum delectu & certa dictionum compoſitione & connexione tota vita laborent, cicadis apparent loquaciores. *Stromatum, lib. 1.* Vide multa de hæreticorum notis eodem libro 6. apud eundem.

Tertullianus: Multa dixit quæ hæreticos ad vivum exprimunt. Ex multis pauca hæc.

De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes ſi in bene valentem iidem incurrant. *De præſcript cap.*

Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi. *Adu. Hermogenem, capite octavo.*

Ex conſcientia infirmitatis nunquam ordinariè tractant. *De reſurrect. carnis, cap. 2.*

Arnobius: Ne ſuæ artes, inquit, intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant jam ratis, ſi quando rem venire in invidiam compereunt, indignantur, declamirantque, in templis jam raritas ſumma eſt. Jacent antiquæ deriſui ceremoniæ, & ſacrorum quondam veterini ritus religionum novarum ſuperſtitionibus occiderũt: meritò humanum genus tot miſeriarum anguſtiis præmitur, tot laborum excruciatur ærumnis, &c. *Lib 1 adu gentes.*

Lactantius: Horum levitas inſtructa dicendi facultate & copia, incredibile eſt quantas mendaciorum nebulas excitaverit. *Inſtit. adv. lib 1 cap. 15*

Vide ejuſdem *libri 5. capite 9. & libri 6. capite 6. & libri. 7. cap. 7.*

D. Athanaſius: Sequentium Apoſtolicorum virorum dicta de hæreticis & eorum artibus deſcribere noluimus: loca tantum deſignare viſum eſt, in ſtudioſi & pii lectoris gratiam.

Videat igitur, qui volet D. Athanaſ. orat. contra idola, epiſt. ad Epictetum contra hæreticos, ad Adelphium contra Arianos, Orat. 1. ad Epiſcopos Ægypti contra Arianos, & Orat. 2. Serm. Item 3. & 4. contra eoſdem Arianos. epiſt. adu. rian. de ſententia Dionyſii Epicopi Alexand. & epiſt. de decretis ſynodi Nicenæ, & Serm. in illud, Profecti in pagum.

Baſilius Magnus: Quod mirum eſt, inquit, Scripturæ quæ juvant eos qui per fidem valent, officiunt iſtis qui circa quæſtiones ac inutiles contentiones ægrotant. Item. Quærunt, non ut fidem, ſed ut infidelitatem inveniant. *Lib. 5. adu. Eunomium*

Curioſa, inquit, iſtorum hominum circa ſyllabas ac dictiones obſervatio, ſi ſimplex alicui videri poſſit neque tendens ad malum: ſed profundum atque obtectum habet adverſus pietatem conſilium. *de Spiritu S. ad Amphilochium, cap. 2.*

Vide quæ de hæreticis ſpargit cap. 3. 6. 7. 10. 11. ejuſdem libri: itẽ epiſt. 73. 80. & 141.

Gr. Nazianzenus: Hereticos pinxit in *apologetico de fuga, ſeu orat. 1* his verbis, Ob imperitiam, &c. *Item*, Veritatis doctrinam adulterant, &c. *Et orat 2. de pace*, Res noſtras, tam bene quã male ſe habentes, &c. *Item*, Suorũ quidẽ manſuetı & placidi judices, &c Et *Orat. 25 Arianos. & de ſeipſo*, Paupertatem nobis exprobrant, Eccleſiam multitudine definiunt, &c. Et *Orat. 33.* quæſt. 1. *de Theologia*, Sunt quidam quibus non aures duntaxat, &c. *Item*, Summo ſtudio res noſtras explorant, &c. *Item*, Aranearum telis infirmiores illaqueant.

D. Ambroſius: Vide Serm. 7. ejuſdem tomi. Item, tom. 4. ſerm. 11. in 118. pſal.

Multi sunt hæreticorum qui prætendere volunt corporis continentiam, ut assertionis suæ fidem testimonio sobriæ carnis acquirant. *Lib. de Næ & arca, cap.* 14. Vide eundem tom. 5. lib. 7. commentar. in cap. 10. Lucæ.

D. Hieronymus: Vide *Epist. ad Rusticum* monachum, ubi impostorum etiamnum hodie Europam vastantium viva imago adumbratur, his verbis, Vidi ego quosdam, &c. *Et Epist. ad Paulinum,* Nihil est grande, &c. *Item,* Quem senseris, &c. *Et Epist.* ad Eustochium, Postquam nobilium, etc.

Tom. 2. lib. contra Iovinian. Hi sunt fontes &c. *Item,* Ne gloriaris quod multos discipulos habeas, &c. *Item,* Semper dulcia pollicentur, &c. *Et epist. 55. ad Riparium,* Nobis melius, &c. *Et lib. 2. ad Ruffinum,* Quidam eorum, &c. Et *lib. 3* Istæ sunt machinæ eorum, ut convicti de perfidia ad maledicta se conferant. Et *lib. 1. Dialog. adu. Pelagium,* Grustra servis Dei, &c. Vide item *epist. 79. ad Alip. & August. & epist. 61. ad Pammachium, & lib. 3. adu. Ruffinum.*

Tom. 3. epist. ad Paulinum, Si forte ad scripturas sanctas, &c.

Tom. 4. in 1. 5. 10. 13. 16. 18. 19. 28. 52 44. 57. cap. Isaiæ. Et in *3.* 10. *18* 23. 29, cap. Jeremiæ, & lib. 1. Commentar. in 2. cap. lament. Et in 7. 16. 34. & *38.* cap. Ezechielis. Item in 5. 9. 10. cap. Ecclesiastis.

Tom. 5. in 1. & 5. cap. Amos & in 2. 7. ac 12. cap. Oseæ & in 5. ac 7. cap. Micheæ. Item, in Abdiam. & in 3. cap. Abacuc.

Tom. 6. in 16. & 24. cap. Matthæi. In 1. cap. epist. ad Titum.

Tom. 7. in psalm. 5. in psal. 63. 107. 143. 149.

D. Augustinus. Ex cujus scriptis & disputationibus adversus sui seculi hæreticos Donatistas, Manichæos, Pelagianos, &c. ingens volumen facile colliget, studiosus lector de notis & versutiis sectariorum hujus seculi. At quos in præsentia illud lib. ultimo contra Julianum, cap. 13. dirigatur. *Quando animositatem qua tenentur vicerint, tunc veritatem poterunt tenere qua vincuntur.*

Aliorum Apostolicorum virorum seu veterum Theologorum adversus hæresin & hæreticos sententias, quoniam cum superioribus fere conveniunt ne prolixiore repetitione lectores vexarentur, prætermisimus. Pauca quædam alia ex eccl. hist. scriptoribus collecta addemus.

Eusebius: Qui traditiones humanas, inquit, Ecclesiæ Dei obtrudunt ut Verbi scripti autoritatem elevent, aut sacras & divinas scripturas à Spiritu sancto dictatas non credunt, & ita sunt infideles: aut seipsos Spiritu S. sapientiores esse dicunt: quod plane quid aliud est quam tanquam dæmone exagitatos insanire? *Euseb. lib. 5. hist. Eccl. cap.* 27.

Constantinus Imperator: Intestina seditio, inquit, in Ecclesia Dei conflata multo plus molestiarum & acerbitatis, quam quodvis bellum pugnave mihi videtur in se complecti. Atque istæ res ad animū pertinentes, longe plus quam quæ corpus spectant, doloris adferre videntur. *Euseb. de Vita Const. lib. 3. cap.* 12.

Theodosius Imperator: Demophilo Arianæ sectæ episcopo orthodoxam fidem recipere, & populum ad concordiam traducere abnuenti, Theodosius imperator dixit, si pacem & concordiam fugis, te ab Ecclesiæ templis fugere mando. *Socrat. hist. eccl. lib. 5 cap.* 7.

Chrysostomus: Gainas, dux Scytha, Arianæ sectæ fautor, quum ab Arcadio imperatore postulasset unum ex sacris templis sibi dari: Imperator respondit se de ea re capturum consilium, & unum ei curaturum promittit. Itaque D. Joanne Chrysostomo accersito, ei postulatum Gainæ exponit, commemorat ejus potentiam, moliri tyrannidem indicat, ut templo donato, furentem ejus animum placet. Cui Chrysostomus, Ne, inquit, istud ei polliceare, neque sanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum Verbum sancte & auguste laudibus ac hymnis celebrant, expellantur è sacro templo, idemque tribuatur eis qui contra Deum Verbum loquuntur blasphemias. Atque ne Barbarum illum metuas, ô Imperator, sed me & illum in unum locum convoca, tuq; cum silentio, utriusque nostrum sermoni ausculta. Ego certe me hominis linguam refrenaturum spero: persuasurumq; ne postulet quod ei concedi non tribuat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, & postridie ejus diei utrumque recerlit. Gainas tunc promissum exposcit. magnus autem Joannes respondet illi ex adverso, Nō licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temere moliri. Cui iterum dicenti, templum sibi dari oportere, respondet Joannes, Templum sacrum apertum esse, neminemq; eum prohibere quo minus in eo, si libeat, preces Deo fundat. Tum Gainas. At ego, inquit, aliam sectam amplector, & cum hominibus ejus sectæ unum sanctum templum habere postulo. Atque istud quidem non immerito peto, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Joannes, tibi propterea tributa labores tuos longe superant. Nam dux es & honore consulari dignatus: quinetiam tecum debes considerare, quis fueris olim, & qui jam sis: quæ etiam præterea tua inopia, & in qua jam abundantia vitam degas: quibus quoque vestimentis prius indutus esses, quam Istrum trajeceris, & quibus jam opertus. Complectere igitur animo quam pauci sint labores, & quam ampla præmia: atque noli erga eos qui tibi hunc honorem detulerunt, ingratus esse. Hac oratione habita, Joannes os obturavit Gainæ, atque adeo obmutescere coegit. *Theodoret. eccles. histor. lib. 5. cap.* 31.

Dionysius Alexandrinus: Tametsi, inquit, hæreticorum libros & traditiones perlegebam, meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodamodo inquinare videbar: hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modo eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem: sed multo vehementius in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero presbyterorum me vetaret, deterretque à legendo, ne turpi pravitatis & perversæ eorum doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui asseruit) cumque vera, meo quidem judicio, diceret visio quædam cœlitus ad me demissa, me confirmavit: & vox ad aures allapsa, manifesto præcepit ad hunc modū, Omnes libros, quos sumis in manus, evolue sedulo. Nam satis habes viriū & infirmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda, &c. *Euseb. lib, 7. Eccles. histor. cap* 6.

Eulogius: Modestus, Valentis in Urbe Edessa præfectus, quum Eulogium episcopum juberet cum Arianis episcopis communionem habere: ille respondit, Ego quidem senex sum, & pastoris non expers, cujus vocem ut germanam quidem intelligo, & doctrinam sequor, neque mihi tam pernitiosa & pestifera herba opus est. *Niceph. eccl. hist. lib. 11. cap.* 23.

Alexander Alexandrinus: Neminem volunt (de hæreticis loquens) ex antiquis patribus sibi comparari, neque illis quibus nos ab ineunte ætate usi sumus præceptoribus, se pares existimari sinunt: imo vero ne unum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent: sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectantes, solos dogmatum inventores, & sibi soli ea doctrinæ patefacta esse mysteria quæ in nullius unquam sub sole cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. *Theodoret. eccl. hist lib. 1. cap.* 4.

Habetdeus episcopus: Sub Hunerico rege Vandalorum, Antonius Arianus episcopus cum Habetdeum orthodoxum episcopū nulla suppliciorum magnitudine adducere posset, ut ad Arianismum diverteret, obstructo ore, ligatisque manibus ac pedibus, in rebaptisationis balneum vi immersit: ac ei persuadere postea conabatur, quod hac lotione suæ hæreseos consors esset factus. Verum ille constanti confessione hoc ipsum strenue pernegabat, inquiens: *O impie Antoni, non est hac ad mortem damnatio, voluntatis non accedit assensus. Ego fidei meæ tenacissimus quæ credo & credidi voce sum professus, & clamando defendi. Sed & postquam cathenis vinxisti, & ore obstructo loquendi facultatem ademisti, intra pectoris mei penetralia arcanam fidei meæ confessionem, & tua istius in me violentia gesta, Servatori meo legenda transmisi, angelis mihi quoque subscribentibus.* Victor hist. de persecutione Vandal. lib. 3.

Eusebius Vercellensis Episcopus. Quum in Catholica Ecclesia & doctorina & moribus in magna existimatione haberetur, à Constantio Imperatore Ariano Mediolanum ad concilium vocatus est. Audiens autē, arte multos Catholicos episcopos, in primis vero Dionysium episcopum Mediolanensem, eo compulsos esse, ut damnationi Athanasii, & Niceni Concilii derogationi subscriberent: perspicerer etiam quam graviter per eam scripturam vera Christi fides læderetur: quæ etsi ab iis, qui subscripserant, revocari poterat: tamē ostenta, dubiam factura erat catholicam fidem: novo astu evertere eam cogitavit. Itaque nomen suum inscribere non recusavit. Postquam autem condicillum inspexit, & in principio Dionisii nomen scriptum vidit, se vehementer commotum esse finxit, quod primariu in locum juniori tradidissent, dicens: Vos Ariani affirmatis Filio Patrem majorem esse, & Dionysium, qui ætate atque doctrina me minor est, mihi proposuistis. Idcirco peto, ut nova scriptura conficiatur, & in ea servato gradu omnes suum nomen inscribant: quod si à vobis fiet, ego vobis morem gerere no recusabo: ut tandem, quæ inter vos esse videntur contentiones finiantur. Ariani vera hominē locutum arbitrati, superbiaque impulsum requirere, ut in scriptura Antistitum ætatis atque dignitatis gradus servarentur, exusta prima scriptura, cui plerique jam subscripserant, novam confecerunt. Quæcum ad Eusebium perlata esset, ut nomen suum apponeret, rem magni esse momenti asseruit: exigereque ejus magnitudinem, ut ante diligenter super ea re disputaretur. *Fulgosius lib. 7. cap. 3. ex hist. Eccl.*

Nicephorus: Originem seu fontem schismatum & hæreseon aperiens dicit, Privatæ clericorum, tempore quolibet, inimicitiæ: maximo detrimento affecerunt Ecclesiam, & religionem in multas sectas dilecuerunt. *Niceph. eccl. hist. li 11. cap.* 12.

Alamandurus: Severus episcopus hæreticus volens Alamandurum principem Agarenorum, nuper Christianam religionem amplexum ab orthodoxa fide abducere, duos episcopos ad ipsum misit qui duas Christi naturas in unam confusas docerent, ut ex eo divinitatem juxta ac carnem passam sequeretur. Alamundurus tunc subornavit familiarem quempiam suum, qui impiis illis episcopis præsentibus, in aurem sibi aliquid diceret. Quo facto Alamandurus frontem contraxit, ingentemque tristitiam simulavit. Illius vero tristitiæ causam percunctantibus, respondit, Nunciatum sibi, archangelum Michaelem esse mortuum. Cum episcopi multis comprobassent Angelum non posse mori, Alamandurus respondens, Si igitur inquit, Angelus mori non potest, quomodo vos sentitis divinitatem & passam & mortuam fuisse, quandoquidem carni commixtam eam & confusam, atque ita naturam unicam extitisse opinamini? Prudentiam hominis episcopi admirati, abjecta omni spe traducendi eum in suam sententiam, discesserunt. *Zonoras, Cedrenus, Cuspianus*

Ioannes Gerson. Is, Cancellarius Parisiensis, dicere solebat, Temeritatis notam esse, viros sapientiæ gloria conspicuos vel statim erro-

ris inſimulare: vel quod temporata reſolutione placari poterat, ſubvertere velle. id in eos compegit vagabundos & audaculos Cenſores, qui neſcio unde emergentes, tam pertinaciter ſua monſtroſa placita & præcoces opiniones (habentes plus admirationis quam utilitatis, plus famæ quam ſoliditatis, quarum autores opinone vulgi aliquandiu magnos humana magis fecit gratia quam divina) in ſpecie vanæ mentis ipſorum conceptos, magno cum ſcandalo bonorum contra ſuam conſcientiam obſtinate defendunt, aliiſque omnibus etiam invitis, de quibus ipſimet hæſitant, & inter ſe digladiuntur, rejectis vel neglectis prudentiorum ſcriptis, & monitis ſalutaribus, obtrudere ſatagunt. *D. Philippus Camerarius in meditat. hiſtoricis, cap. 43. ex Laſij lib. 2. de orig. juris.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Agathon Abbas: Infandam humani generis luem perniciemque cum formidine attingimus. qua infecti, veluti caupones peſſimi (ut eſt apud Hieronymum in cap. 1. Iſaiæ) faciunt ex vino aquam, cum è converſo Chriſtus aquam mutarit in vinum. Vere monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen omne tam divinum, quam naturale ademtum: Deo inimicum, bonis omnibus inviſum, & inter illos Agathoni Abbati. Cui dum varia per calumniam imponerentur crimina, & ille Humilitatis ergo omnia in ſe libens agnoſceret; poſtremum eum Hæreſis labe pollutum objiciunt. Tum ille: *Abſit hoc malum ab anima mea.* Quærentibus autem, cur ad Hæreſis nomen commoveretur, alia vero crimina tam æquo animo ſuſtineret, *Quia*, ait, *peccatorem me ſcio: hæreſim autem qua à Deo ſeparat, non fero.* In vitis PP. de patient. & humilit. Part. 2.

Aphraates Monachus: Ille hanc peſtem minimè in ſemetipſo: at neq; in aliis hic ſuſtinebat. Cum namq; Valens Imp. Antiochenos crudeli modo divexaret, quod Arrianum dogma ſuſcipere recuſarent, Aphraates eos confirmaturus, celeri gradu proceſſit. Vidit eum Imperator è porticu; & quo properaret, rogat. *Oratum* ait ille, *pro tuo imperio.* At hoc domi factum oportuit, inquit Valens. *Recte dicis*, ſubdit Aphraates, *& vere feci, donec Chriſtianis in pace eſſe licuit. Tu autem nunc turbatis Eccleſiis ignem injeciſti. quem pro viribus reſtinguere conabor.* Hujus ignis (pro dolor!) nimis evidens & frequens teſtimonium exhibet Belgicum hoc ſolum in quo vix pedem ponas, qui non ilico exuſtas exeſaſq; templorum machinas contingat. *Theod. lib. 4. cap. 26.*

Paphnutius Monachus: Cum ergo tam nefanda peſtis ſit Hæreſis, quis non eam velut colubrum fugiet, & ut ſummam perniciem ſummo etiam conatu deteſtabitur? Viderat Paphnutius Maximum Epiſcopum inter hæreticos quadam occaſione conſediſſe; & aſſurgens, manq; cum trahens, *Haud patiar*, inquit, *venerabilem Epiſcopum in cathedra peſtilentiæ ſedere, & cum impuro hoc grege verbo communicare.* Hic erat antiquus ille fervor & Zelus primorum Athletarum: qui ſimul etiam cum illis pene interiit abiitque. *Sozom. lib. 2. cap. 24.*

Moſes Abbas: Quid vero hic? Miſſus à Valente Imp. rogatu Maviæ Saracenorum Reginæ Alexandriam, ut Epiſcopali inſula inſigniretur; vidit Lucium Arianum paratum ſibi imponere manus. cui Moses: *Abſit, ut tua manus me conſecret. Tua mamq; invocatione Spiritus ſancti gratia in neminē deſcendit* Cui Lucius: Unde iſthæc conjicis? *Non conjicio*, inquit alter, *Sed certiſſimum id mihi. pugnam etenim contra doctrinam Apoſtolicam, eique cōtrariam proponis, verbisq; blaſphemiæ impiæ facta conjungis.* Inſignis caſtigatio, & ab omnibus laudata. *Theod. lib. 4. cap. 21. Sozom. lib. 6. cap. 8.*

SS Alexander & Cajus: Illi item capite damnati, dum una cum Marcioniſtis ad ſupplicii locum ducti eſſent, unicum illud deprecabantur, ut ſeparatim ab iis occiderentur. Ne, inquiebant, *ſanguis noſter cum illis miſceatur, qui parum recte de Catholica fide ſuerūt opinati.* Tam timoratæ per ea tempora fuerunt Chriſtianorū mentes, ut ne mortui quidem hæreticis ſe commiſceri ſuſtinerent. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 3.*

S. Antonius: Quid autem, ceteris ſi non præferendus, merito tamen adjungendus, Antonius? qui ne verbis quidem Manichæos unquam dignatus. dicebat enim: *Talium amicitiæ atque ſermones, non niſi mera animæ pernicies.* ac de Arrianis aliquando ita ſentiebat, ut ſerpentibus deteriores diceret eorū conciones. *Athan. in Vita.*

Franciſcus I. Franc. Rex: Lubebat his etiam annectere priſcum illum Chriſtianorum Principum fervorem, & quidem Chriſtianiſſimi Regis Francisci; qui, quamvis fœdus cum Heinrico viii. Angliæ Rege inierat, nunquam tamen à Sedis Apoſtolicæ obediētia ſe ſubtraxit. quin Heinrico per Oratores contra Rom. Pontificem ſuppetias poſtulanti, reſpondit: *Aliis in rebus fraternum animū exhibiturum ſum; ſed in his quæ Religioni adverſantur, nullime aſſociabero.* Vere digna tali Rege vox, & à Polo, qui tum ſuperſtes, non parum laudata. *N. Sanderus, 2 de Schiſm Anglic.*

Idem: Quin æternæ memoriæ conſecrari dignum, quod ſæpe adſtante Procerum conventu, in hæc verba proruperit: *Si ſcirem brachium meum hareſi factum, reſcinderem, & comburerem* Vtinā nihil ab illo mutati Regni illius ſucceſſores! *Auctor rerum Memorab.*

Pueri Anonymi: Habeat & hic ſuum locum Pueriles ætas, & exmplum præbeat bonæ laudatæque indolis, & cum hac hujuſce virtutis. Narrat Theodoretus, Pueros quoſdam Chriſtiana fide imbutos, in tantum hæreticos abhorruiſſe, ut cum forte pila in foro luderent, eaque è manibus prolapſa; ſub Lucii hæreſiarchæ aſinum tranſiret, ejuſque calcem tangeret; eam contrectare noluerint, ſed inclamaverint: *Contaminata eſt. polluta eſt; neque, niſi per ignem expietur, contrectanda.* Lib. 4. hiſt. Trip. cap. 14.

¶ Monosticha Trochaica.

Aut opinio ambitio ve ſectarum omnium eſt parens.
Chriſtianum eum negato hereticum quem dixeris.
Hæreſes auferre cunctas ſi cupis tolle ambitum
Hereſes refutat ortum quisquis ad ſuum vocat.
Nos hereticos docemus eſſe fugiendo hæreticis.
Pertinax opinio, omnis eſt parens hæretici.

¶ Jambica.

Erroris omnis eſt parens prox ambitus.
Hæreticus vitium ſuum alteri objicit.
Hereticum neca veris non viceris.
Hæreticorum haud pejus eſt concordia.
Hæreticorum mater eſt ſuperbia.
Nunquam fatetur id quod eſt hæreticus.
Tolle ambitum cunctas q; tollis hareſes.

Heredipetarum.

¶ Sententiæ Græcor.

Syneſius: Compendioſiſſimam ditandi ſui viam iniit Athanaſius: congrediendum eſſe ſibi decrevit cum moribundis, illisq; quicquid poſſet quo jure, qua injuria faciendum. Itaque nemo illum lateat publicus ſcriba ad teſtamentum accerſitus, ſed una irrumpit. *Epiſtola 35.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Lucianus. Pluto: Senémne noſti, ſenio confectum illum dico, divitem Eucratem, cui liberi quidem nulli ſunt: hæreditatis autem captores quinquageſies mille. *Merc.* Etiam, illum Sicyonium dicis. Sed quid poſtea? *Pl.* Vivere illum quidem ſine Mercuri, ſupra annos nonaginta quos exigit, additis totidem alteris, ſi poſſibile ſit, atque etiam pluribus. Adulatores autem ejus Charinum juvenem, & Damonem, aliosque ordine omnes huc abripe. *Merc.* Atqui abſurdum hoc videri queat. *Pl.* Nequaquam; ſed juſtiſſimum, quorſum enim illi eum mori optant niſi quia pecuniam illius capiant, nulla propinquitate juncti? Quod autem omnium ſceleratiſſimum eſt, dum talia precantur, tamen in propatulo colunt: & quæ ipſo ægrotante conſultant, nemo ignorat. Attamen ſacrificaturos ſeſe promittunt, ſi convaleſcat: in ſumma, illorum hominum varia quædā eſt adulandi ratio. Idcirco hic quidem eſto immortalis, illi vero ante ipſum fruſtra hiantes abeant. *Merc.* Ridicula patientur, ſcelerati cum ſint. Ille etiam ſæpe admodum ſcite ipſos lactat, & ſpe inani paſcit. Deinde morienti ſemper ſimilis, juvenibus eſt multo valentior. Illi autem hæreditate inter ſe diviſa, paſcuntur, vitam beatam ſibi animo præcipientes. *Pl.* Proinde ipſe exuta ſenectute, quemadmodum Jolaus ille, repubeſcat. Illi autem in ipſa media ſpe, relictis divitiis illis quas per ſomnium poſſidebant, mali malè mortui jam huc veniant. *Merc.* Ne cures Pluto: illos enim ordine ſingulatim tibi accerſam: ſeptem autem, opinor, ſunt. *Pl.* Deducas licet. Ille autem ſingulos præmittat, ex ſene iterum adoleſcens factus.

Statim poſt idem Terpſion: Juſtum ne hoc eſt, ô Pluto, me triginta annos natū è vita migratq;. Thucritum vero ſenem illum plus q̄ nonagenarium in vivis adhuc eſſe? *Pl.* Juſtiſſimū utiq; Terpſio: ſiquidem hic vivit, nullius amicorum mortem votis expoſcendo. Sed tu omni tempore hæreditatem expectans, ipſi inſidiabaris. *Terp.* An non operæprecium erat, cum ſit ſenex, nequeatque ſuis uti divitiis amplius, eum dato juvenibus loco, è vita migrare? *Pl.* Novas fers leges Terpſio, ut qui non amplius uti poteſt divitiis ad voluptatem, excedat è vivis. Sed hoc aliter & Parca, & natura ſtatuit. *Terp.* Eam proinde ob hunc ordinem iniquitatis poſtulo. Rem enim hanc ordine fieri par erat, ut ſenior, prius: deinde poſt eum qui ætate ſequeretur, obiret: nequaquam autem præpoſtere: ut qui decrepitus eſſet tres reliquos dentes haberet, vix videret, quatuor famulis initeretur, qui nares gravedine, oculos lippitudine plenos haberet, nihil denique jucundi noſſet, & tanquam animatum ſepulchrum à juvenibus derideretur, is viveret? Contra formoſiſſimi ac robuſtiſſimi adoleſcentes morerētur. Nam hoc perinde eſt ac ſi flumina ſurſum ferantur. Vel denique ſcire oporteret, quando ſenum quiſque moriturus eſſet, ne quos fruſtra delinirent. At nunc tritum illud accidit. Currus ſæpe bovem ducit. *Pl.* Hæc quidem Terpſio, prudentius fiunt quam putes. Vos autem quorſum rebus alienis gaudetis, & ſenibus prole carentibus voſmet tantopere in adoptionem traditis? Idcirco ab ipſis ſepulchriſum concitatis. Idq; plurimis fit perjucundum. Nam quando magis ipſos mori peroptatis, tāto jucundius eſt omnib. vos ipſis præmori. Etenim novā artem hanc excogitaſtis, anus & ſenes quū amatis, preſertim ſi liberis careant: Inamabiles vero vobis ſunt, qui liberos habent. Atqui ex iis qui amantur plurimi, minime ignari veſtri aſtus in amando, etiamſi liberos habeāt, ſe odiſſe ipſos ſimulant, ut & ipſi amatores habeant. Deinde in teſtamentis excluſi ſunt qui olim munera contulerunt. Liberi vero & natura, ut juſtum eſt, omnibus potiuntur: at illi dolore macerati, dentibus frendent. *Terp.*

Hæc

Hæc vera ſunt quæ dicis. Quantũ enim meorũ Thucritus devoravit, cum ſemper mori videretur? & quoties ad eum ingrediebar, ſuotus ingemiſceret, & internum quiddam, perinde atque ex ovo pullus aliquis immaturus ſubcrocitaret? Itaque cum exiſtimarem ipſum quamprimum in ſepulchrum venturum, multa mittebam, ut ne rivales munerum magnitudine me ſuperarent. Sæpe etiam præ ſolicitudine inſomnis jacebam, ſingula numerans & diſponens. Illa igitur, vigiliæ & curæ mortis cauſa mihi fuere. Ille vero devorata mihi tanta eſca, pridie cum ſepelirer irridens mihi adſtabat. *Pl.* Fuge ô Thucrite, vivas diutiſſime, divitiis ſimul affluens, & hujuſcemodi homines deridens: neque tu prius morieris, quam omnes iſtos aſſentatores præmiſeris. *Terp.* Hoc ſane Pluto, jam mihi jucundiſſimum fuerit, ſi & Chariades ante Thucritum vita decedat. *Pl.* Bono ſis animo Terpſio: etenim Phidon & Melantus, & denique omnes iiſdem confecti curis ipſum præcedent. *Terp.* Hæc probo: vivas diutiſſime Thucrite.

Idē adhuc Zenophantes: At tu Callidemides quo pacto interiiſti? Nã me, cum Diniæ paraſitus eſſem, immodica ingurgitatione præfocatũ noſti: aderas enim morienti. *Call.* Aderã Zenophantes. Mihi vero, inopinatum quiddam accidit. Nam tibi quoq; notus eſt Ptœodorus ille ſenex. *Zen.* Orbum illum liberis, ac divitem dicis, apud quem te ſæpe verſari conſpiciebam? *Call.* Illum ſemper colebam, id mihi forte pollicens ut meo bono quamprimum moreretur. Verum cum ea res in longum proferretur, & ſupra Tithonum ſenex viveret, compendiariam quandam excogitavi viam, qua ad hæreditatem pervenirem. Empto namque veneno, pocillatori perſuaſeram, ut ſimul atque Ptœodorus potum poſceret (bibit autem abunde) præſentius in calicem injectum in promptu haberet, ipſiq; porrigeret. Quod ſi faceret, jurari me illum manumiſſurum. *Zen.* Quid igitur accidit: Nam inopinatum quiddam narraturus mihi videris. *Call.* Cum loti veniſſemus, puer duobus paratis poculis, altero cui venenum inerat Ptœodoro, altero autẽ mihi, neſcio quomodo errans, mihi venenum, Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille quidem bibit, at ego protinus humi porrectim ſtratus ſum, ſuppoſititium illius loco cadaver. Quid hoc rides Zenophantes? Atqui non convenit amici malis illudere. *Zen.* Rideo: nam lepide tibi hæc res accidit. porro quid ad hæc ſenex ille? *Call.* Primum quidem repentino caſu conturbatus eſt: deinde ſimul atque intellexit id quod acciderat, riſit & ipſe quod pocillator fecerat. *Zen.* Verum non oportuit ad compendium illud divertere: ſiquidem tibi veniſſet populari via tutius, etiamſi paulo ſerius.

Statim Cnemon: Hoc illud eſt quod vulgo dici cõſuevit. Hinnulus leonem. *Dam.* Quid ſtomacharis Cnemon? *Cn.* Quid ſtomacher rogas? Hæredẽ invitus reliqui miſer aſtu deluſus, iis præteritis quos mea habere maxime cupiebam. *Dam.* Quinã id accidit? *Cn.* Hermermoleam illum inſigniter divitem, liberis orbum, iminẽte morte captabam: neque ille meum officium injucunde admittebat. Interim ſcitum illud mihi viſum eſt ut teſtamentum publice proferrem, quo illum rerum omnium mearum hæredem inſtituerem: nimirũ ut ille idem faceret, meo profocatus exemplo. *Dam.* At quid tandem ille? *Cn.* Quid ille ſuo in teſtamento ſcripſerit, id quidem ignoro. Cæterum ego tecti ruina oppreſſus è vita repente diſceſſi. Et nunc res meas poſſidet Hermolaus, lupi cujuſpiam in morem ipſo hamo cum eſca pariter avulſo. *Dam.* Non modo hamum, ſed etiam ipſum te piſcatorem abſtulit. Itaque dolum iſtum, in tuũ ipſius caput ſtruxeras. *Cn.* Ita videtur, ideoque lugeo.

Continuò Simylus: Veniſti tande & tu Polyſtrate ad nos, cũ annos vixeris haud multo pauciores centum opinor. *Pol.* Nonaginta octo Simyle. *Sim.* Sed quinam triginta iſtos annos egiſti, quibus mihi ſuperſtes fuiſti? nam te ferme ſeptuagenario perii. *Pol.* Quam ſuaviſſime, & ſi hoc mirum tibi videbitur. *Sim.* Mirum vero, ſiquidem tibi ſeni, atque invalido, præterea liberis orbo, quicquam poterat eſſe in vita jucundum. *Pol.* Primum nihil erat quod non poſſem: præterea pueri formoſi complures aderant, tum mulieres venuſtiſſimæ, ungenta, vinum fragrans, poſtremo menſæ vel Siculis lautiores. *Sim.* Nova hæc: nam te parciſſimum eſſe ſciebam. *Pol.* Atqui vir præclare, ab aliis bona mihi ſubſcatebant: tum diluculo protinus quamplurimi ad fores meas ventitabant: ſimulque ex omni rerum genere, quæ terrarum ubivis pulcherrimæ reperiuntur, munera mihi deportabantur. *Sim.* Num me defuncto regnũ geſſiſti? *Pol.* Minime: verum amantes habebam ſexcentos. *Sim.* Nõ potuum non ridere: tune tam longævus, cui ſuper eſſent quatuor dentes, habuiſti amantes? *Pol.* Per Jovem civitatis optimates habui, illique me ſenem, & claudum ut vides, præterea lippitudine & gravedine laborantem jucundiſſime colebant, adeo ut is fœlix videretur, quemcumque vel aſpexiſſem modo. *Sim.* Num tu quoque, ut & Phaon ille, Venerem è Chio tranſuexiſti, ut optanti tibi illa dederit juveneſcere, ac denuo formoſum atque amabilem fieri? *Pol.* Nequaquam, quin cum talis eſſem quale dixi adamabar tamen. *Sim.* Ænigmata narras. *Pol.* Atqui notiſſimus eſt hic amor cũ ſit vulgo frequens, nempe erga ſenes dites qui liberis carent. *Sim.* Nũc, vir egregie, tua forma unde tibi profecta fuerit, intelligo, nimirum ab aurea illa Venere. *Pol.* Verum ô Simyle, non paucas commoditates ab amantibus tuli, propemodum adoratus ab illis. Porro ſæpius illis illudebam, interdum & aliquos ex ipſis excludebam. Tum illi inter ſe de certabant, & in ambiendis primis apud me partibus, alius alium anteire nitebatur. *Sim.* Sed quid tandem de tuis facultatibus ſtatuiſti? *Pol.* Palam quidem affirmabam, me eorũ unumquemque relicturum hæredem: quod cum quiſque crederet, certatim ſe quiſque adulantiorem præbebat. Sed alias veras illas tabulas quas habebam reliqui, in quibus omnes illos plorare juſſi. *Sim.* At poſtremæ illæ quem hæredem habebant? num è cognatis quempiam? *Pol.* Non per Jovem, imo novitium quendam ex formoſis illis adoleſcentibus, natione Phrygem. *Sim.* Quot circiter annos natum Polyſtrate? *Pol.* Ferme viginti. *Sim.* Jam intelligo qui bus obſequiis ille te devenerit. *Pol.* Attamen illis longe dignior erat qui hæreditate acciperet: quanquam barbarus ac perditus erat: quem jam ipſi optimates colunt. Is igitur mihi extitit hæres, jamque inter patricios numeratur, ſubraſo mento, barbaroque cultu ac lingua: Codro autem generoſior, Nireo formoſior. Ulyſſe prudentior prædicatur. *Sim.* Non curo, vel totius Græciæ ſit Imperator, ſi videtur, dummodo hæreditate illi non potiantur. *Dialogus Mortuorum.*

Lucianus. Crates: Mœrichum illum divitem noraſne Diogenes, illum inquam inſigniter divitem, illum Corintho profectum, cui tot erant naves onuſtæ mercibus, cujus conſobrinus Ariſteas, ipſe etiam dives? Homericum illud in ore habere ſolebat. *Aut me confice tu, aut ego te. Diog.* Cujus rei gratia ſeſe invicem captabant Crates? *Crat.* Hæreditatis cauſa uterque, cum eſſent coæqui. Et palam teſtamenta publicaverant ambo, in quibus Mœrichus, ſi prior moreretur, Ariſteam omnium rerum ſuarum dominum relinquebat: Mœrichum viciſſim Ariſteas, ſi prior è vita decederet. Hæc igitur cum eſſent in tabulis ſcripta, ille ſeſe invicem colebant & adulatione ſuperare contentebant. Porro divini, ſive futurum ex aſtris conjectarent, ſive ut Chaldæi ex ſomniis: quin & Pythius ipſe, nũc Ariſteæ, nunc Mœricho victoriam præbebat, & modo ad hunc, modo ad illum trutina propendebant. *Diog.* Quid igitur tandem evenit Crates? nam audire eſt operæpretium. *Cra.* Eodem die ambo ſunt mortui: cæterum hæreditates ad Eunomium ac Thraſyclem devenerunt, quorum uterque illis cognatus erat: quibus hæc obventura nunquam prædictum fuerat. Etenim cum Sicyone Cirpham verſus navigarent, medio in curſu, obliquo orto Japige, peſſundati ſunt. *Diog.* Recte factum. At nos cum in vita eſſemus, nihil ejuſmodi alter de altero cogitabamus: neque unquam optavi ut moreretur Antiſtes, quo nimirum illius baculus ad me rediret hæredem: validum autem ex oleaſtro factum habebat. Neque tu Crates opinor, cupiebas me mortuo in poſſeſſionum mearum ſucceſſionẽ venire, puta dolii, ac peræ, cui inerant duæ lupinorum chœnices. *Crat.* Neque enim mihi quicquam, imo ne tibi quidem Diogenes rebus iſtis erat opus. Nam quæ ad rem pertinebant, ea nimirũ longe majora & ſplendidiora quam Perſicum imperium, tu ab Antiſthene, ego à te tanquam jure hæreditatis accepi. *Diog.* Quænam ſunt iſta quæ dicis? *Crat.* Sapientiam, inquam, frugalitatem, veracitatem, loquendi audaciam, vivendi libertatem. *Diog.* Per Jovem memini me in iſtiuſmodi opum hæreditatem Antiſtheni ſucceſſiſſe, tibique eas multo ampliores reliquiſſe. *Crat.* Verum reliqui mortalitũ hoc poſſeſſionum genus aſpernabantur: neque nos ob ſpem potiundæ hæreditatis quiſquam ob ſe ad aurum omnes intendiq; enim habebant, quo facultates ejuſmodi à nobis traditas acciperent, quippe qui tanquam putria marſupia, deliciis diffluebant. Quo nebat, ut ſi quando quis in illos infunderet vel ſapientiam, vel dicendi libertatem, vel veritatem, excideret illico & efflueret, cum id continere fundum non poſſet. Cujuſmodi quiddam accidit Danai filiabus virginibus, quę in pertuſum dolium aquam important. At iiſdem aurũ dentibus, & unguibus, omnique vi ſervabant. *Crat.* Proinde nos noſtras opes hic quoque poſſidebimus: illi obolum, eumque ad portitorem uſq; tantum ferentes redient. *Dialogus Mortuorum.*

¶ Oratorum Romanorum.

Petronius Arbiter: Crotoniates ſtatim opes ſuas ſummo cum certamine in Eumolpum congeſſerunt: certatim omnes muneribus gratiam Eumolpi ſollicitant.

Petronius Arbiter: Matrona inter primas honeſta, Philomela nomine quæ multas ſæpe hæreditates officio ætatis extorſerat, tum anus & floris extincti, filium filiamque ingerebat orbis ſenibus, & per hanc ſucceſſionem artem ſuam perſeverabat extendere. Ea ergo ad Eumolpum venit, & commendare liberos ſuos ejus prudentiæ, bonitatiquæ credere ſe & vota ſua illum eſſe ſolum in toto orbe terrarum, qui præceptis etiam ſalubribus inſtruere juvenes quotidie poſſet. ad ſummam, relinquere ſe pueros in domo Eumolpi, ut illũ loquentem audirent, quæ ſola poſſet hereditas juvenibus dari. Nec aliter fecit ac dixerat, filiamque ſpecioſiſſima cum fratre ephebo in cubiculo reliquit, ſimulavitque ſe in templum ire ad vota nuncupãda. Eumolpus, qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer &c.

Quintilianus Senior: Non tamen iſta noſtri animi culpa fuit, niſi quia vitium eſt humanæ mentis nimia cupiditas. Hi ſunt qui conjunctos ſeparant animos, qui ſummæ concordiæ virus ſuum interponunt, qui hereditates captant, qui ſe teſtamentis parant: qui ita demum ſpem aliquam in poſterum vitæ habent, ſi eos quos amicos appellaverunt, cariſſimis pignoribus, abduxerint. Quis fecerit illud inter nos, ſic quærite. Nullam iſte ſpem hereditatis habuiſſet, ſi nunquam diffidiſſemus. Hoc igitur primum veluti mentium animique tentati veneno ſumus. ſed Dii melius. neque longum iſtud fuit, neque quicquam ex eo ſecutum eſt, quod emendari non poſſit. *Declamatione 321. am*

Plinius Junior: Domitius Tullus longe melior apparuit morte quam vita. nam cum ſe captandũ præbuiſſet, reliquit filiã heredem, quæ cũ illi fratre communis, quia gentiam ſtatre adoptaverat. proſecutus

secutus est nepotes plurimis jucundissimisque legatis, prosecutus etiam pronepotem. in summa, omnia pietatis pleniſſima, ac tanto magis quoniam inexpectata. Ergo varii tota civitate sermones. alii fictũ, ingratum, immemorem loquuntur, seque ipsos dum insectantur illum turpissimis confessionibus produnt, qui de illo uti de patre, avo, proavo, quasi orbi, querantur. alii contra hoc ipsũ laudibus ferunt, quod sit frustratus improbas spes hominum; quos sic decipere pro moribus temporum, prudentia est. Addunt etiam, non fuisse ei liberum alio testamento mori: neque enim reliquisse opes filiæ sed reddidisse, quibus auctus per filiam fuerat. *lib. octavi Epistola decima octava.*

¶ Apologi.

De Asino ægrotante & Lupis visitantibus. Fab. 64.

Asinus ægrotabat, famaque exierat, eum cito moriturum, ad eũ igitur visendum, cum lupi canesque venissent, peterentque à filio, quomodo pater ejus se haberet. Ille per ostii rimulam respondit: Melius quam velitis.

Hac indicat fabula, quod multi fingunt moleste ferre mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Emblemate Junii 10.

Cervina potitur rabidus Leo: suspicit catellus,
Captatq; rictis prædam inops opimam.
Sic hæredipetis aliena vorantibus, sedore
Sicco, evenit, quos funeri trahit spes.

Camerarius 36. Centuria 3.

Quam cupidè expecto.

Vultur prædæ inhians est captatoris imago.
Heu quam plena etiam sunt fora vulturibus!

Historiæ.

¶ Sententiæ Theologorum.

D. *Nazianzenus*: Hæc tibi à nobis columna, Herculeis columneis sublimior, ac splendidior. nam illæ uno tantùmodo loco fixæ sunt, ab iisque duntaxat qui eò se conferunt, conspici possunt: hæc autem fieri non potest quin motu prædita, ubiq; atque omnibus nota ac clara sit: quam etiam futurum tempus, mihi crede, suscipiet, te tuaque scelera proscindentem, ceterosque omnes, ne hujusmodi quandam adversus Deum rebellionem aggrediantur, erudientem & admonientem: ne alio qui eadem perpetrantes, eadem quoque recipiant. *fine orationis 4. stelliteutica 2. in Iulianum.*

Ennodius: Ut præliantes assurgunt buccinis; ut equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce provocatur: ita dum majorum virtus sollicitat, ingenia novella confortat. Qui cana exercitia, & veterum gesta relegit, ad disciplinarum frugem propositis laudum præmiis inardescit. Imago præcedentis gloriæ, ut ad posteros veniat, linguarum catena retinetur. non licet per ætates perire, si quid lectio serenis actibus amica susceperit. Itaque eloquentiæ diuturnitas, mortalis naturæ sine congressionis periculo vincit angustiam; per quam optimorum conversatio, ipsis decidentibus, nescit occasum. Restituetur quidem corpus origini, & destinatus à superis spiritus ad proprium recurrit auctorem: quorum tamen probitas libris mandata fuerit, eorum vitalis est obitus. *Vitæ D. Antonii capite primo.*

Io. Sarisberiensis: Nec moveat, si qua eorum quæ heic scribuntur, alter inveniantur alibi; cum & historiæ in diversis gestorũ casibus sibi invicem reperiantur contrariæ, sed ad unum utilitatis & honestaris proficiunt fructum. *Prologo lib. 7. Policratii.*

¶ Oratorum Historicorumque Græcorum.

Halicarnassæus: Historiam consecratam volumus retinendæ veritatis causſa. *cap. 9 de Thucydidis hist. jud.*

Halicarnassæus: Historiam narrationem perpetuo veluti file ductam, & colligatam oportet esse; præsertim ubi res exponuntur & multæ & hujusmodi quæ cognosci ac percipi non facile queant. *cap. 10. de judicio Hist. Thucyd.*

Idem: Historiæ disponendæ laus non minima in eo sita est, si & principium, quo non aliud fit prius, capiatur, & eo fine, cui nihil videatur deesse, comprehensa narratio terminetur. *cap. 11. de jud. historiæ Thuc.*

Halicarnassæus: Primum officium esse puto, & id vel maxime omnibus necessarium, quires gestas hominum, monumentis annalium mandare studeant, materiam eligere pulchram & jucundam, ac eam quæ animos legentium voluptate afficiat atque perfundat: quod Herodotus mea quidem sententia melius vidisse & expressisse videtur, quam Thucydides. Ille enim Græcorum & Barbarorũ historiam conscripsit; ne & res gestæ majorum oblitterarentur, & ne eorum facta & alia quæ enumerat interciderent, atque ex hominũ memoria tolleretur. idem enim est ipsum proemium, idem exordius & finis historiæ. Thucidides autem unum tantum modo bellũ scriptura persequitur, & id neque fortunatum, & quod nunquam geri oportuit: sin minus, oblivioni & silentio traditum à posteris ignorari debuit. Quod autem malam materiam sibi sumpserit, etiam ipse in exordio planum facit. *cap. 12, ad Cn. Pomp. de Platone &c.*

Idem: Secundum munus est ejus qui facta memoriæ mandare volet, scire unde principium sumendum est, & quousque progrediendum; qua in re Herodotus longe prudentior Thucydide &c. *capite decimo tertio.*

Idem: Tertium munus est historici, considerare quæ res illi in historiam referendæ, quæ silentio prætereundæ sint. qua etiam in re postremas mihi partes ferre videtur Thucydides. Nam cum Herodotum non præteriret, omnem narrationem quæ longitudine quadã sermonis prædita esset, si respirationes & moras quasdam reciperet, animos auditorum summa suavitate perfundere: sin autem in eodem rerum staru permaneret, etiamsi res maxime succederet, auribus tamen quandam satietatem parere: Homerum secutus in omnem partem effusam, ac summa varietate conditam emcere voluit scriptionem. Libros enim ejus cum in manus sumimus, neque ad extremam syllabam suspicimus, & semper nescio quid magis requirimus. Thucydides autem unum bellum & aliquot pugnas sine ulla interspiratione persequitur, pugnas pugnis, apparatus belli apparatibus, orationes orationibus congerens & coacervans: ita ut mens & cognitio eorum qui audiunt, laborare cogatur. Satietatem enim gignit, ait Pindarus & mel, & dulces res venereæ. *cap. 14.*

Halicarnassæus: Est etiam munus historici, in partes tribuere, & unumquodque eorum quæ exponuntur suo loco collocare *capite 14. m.*

Idem: Unam adhuc notam in rebus positam commemorabo; quod non minus quam quæ recensuimus, in historiis requirimus; animum inquam scribentis, quo in rebus conscribendis utitur. Herodoti quidem animus in omnibus lenis & mansuetus est, & qui bonis quidem collætatur, malis vero condolet. Thucydidis vero animus, natura sua quadam rigidus & acerbus est, ac patriæ exulii recordatione offensus. peccata enim accuratissime persequitur: eorum vero quæ ex animi sententia gesta sunt, omnino non meminit, aut velut invitus. Atque ob hæc in ea parte quæ ad res pertinet, vincitur ab Herodoto Thucydides. *cap. 16.*

Halicarnassæus: In his bellis neq; magnam poetis qui res plerunque extollunt, fidem adhibui; neque historicis, qui se totos in rebus non optime examinatis, ad demulcendas aures magis, quam ad veritatem tradẽdam, composuerunt: quarum quidem rerũ maxima pars propter temporis diuturnitatem in fabularum naturam abiit. *cap. 24. de judicio hist. Thucyd.*

Idem: Res vero in bello gestas, non quas à quocumq; audivi, historia dignas existimavi, nec ut mihi libitum esset, sed eas quibus ipse interfui, quasque ex aliis quam potui diligentissime perquisivi nec facillima fuit inventio: propterea quod qui singulis gerẽdis rebus affuerant, non eadem de iisdem affirmabant; sed ut quisq; aut in alterutram partem studio propensior erat, aut reminiscebatur. Et auditu quidem, ut quæque pars fabularum expers in ipsis est, ita minus jucunda fortasse videbitur. quicunque autem & præteritas res & quantum humano consilio licet, etiam futuras, præteritis similes, considerare, planeque inspicere voluerint, his, dum illa utilitatem pariant, satis erit; emolumentumque potius, quod semper idẽ sit quam spectaculum, quod in præsenti tantum oblectet, in scribendo cogitamus. *cap. eod. 24.*

Halicarnassæus: Equidem neque squalidam & incomptam, aut rudem in historia tractanda orationem probo, sed talem, quæ poeticum quiddam habeat, neque vero omnino sit poetica, sed tamen paulo extra communem usum evagetur. nihil enim est molestius, nihil satietate injucundius. modus autem rebus in omnibus utilis est. *cap. 65. f. de judicio hist. Thucyd.*

Dio Prusæus: Quicunque autem hæc non credit, propter anticquam opinionẽ, sciat se ab errore liberari non posse, neque falsum dignoscere a vero. Aliquid enim credi multo tempore ab stolidis hominibus nihil habet roboris, neque quidem mendacia dicta sunt apud superiorum seculorum homines: quandoquidem & de aliis non paucis discordant, contrariasq; habent opiniones, ut statim de persico bello. Hi enim dicunt, navalem pugnam circa Salaminã, post eam in Plataeis factam esse: illi, a. gesta in Patæis omniũ postrema esse, & quide ita scripta sint quasi postrema. Perpauci enim res norunt exacte, sed rumore duntaxat audiunt, atq; hoc, qui eo sæculo vixerunt; posteriores vero, & tertii, plane sunt ignari. Et si quis quid dicat, amplectuntur facile: quin & agmen Scyriten nominatum apud Lacædemonios, nunquam fuisse dicat, ut Thucydides: Armodium autem & Aristogitona præ omnibus maxime Athenienses honorant, ut qui civitatem in libertatem asseverint, tyrannumque interfecerint. Et quid opus est res humanas commemorare; ubi persuadent, audentque dicere, Cœlo exacta esse virilia à Saturno, & Saturno à Jove? Quum enim primus aliquis anticipaverit (ut solet fieri) jam videtur absurdum non credere. Volo autem & pro Homero defensionem adferre, non sit indignum astipulari illius mendaciis. Primũ quidem, nõ multa minora ea sunt mendacia, quæ de diis mentitus. Deinde adferebant quoque utilitatem quandam illius seculi Græcis: ut ne perterreretur, si illis bellum incideret cum Asianis, quemadmodum expectabatur. Absque invidia autem est, quod quum Græcus esset, voluerit suis quovis modo prodesse. Et hoc stratagema apud multos est in usu. Nam ego virum audivi Medum, dicentem, quod Persæ nihil eorum confiteantur, quæ feruntur apud Græcos: sed Darium quide dicunt, adversus Naxon & Eretriam copias misisse cum

Dati

Dati & Artapherne, eosque captis civitatibus illis ad regem revertisse. Quum autem stationem haberent circa Eubœam, paucas naves esse dispersas ad Atticam regionem, non plures viginti, & pugnam iniisse nautas cum illius loci incolis. At post hæc quum Xerxes cum copiis adversus Græciam profectus esset Lacedæmonios ab eo victos ad Thermopylas, illorumque regem Leonidem occisum. Cumque Athenas occupasset, eas diruisse; quique non effugissent cives, vendidisse. atque his factis, tributoque Græcis imposito, in Asiam rediisse. Quod hæc falsa sint, non est obscurum. quia tamen verisimile erat, regem jussurum superiorum regionum gentibus, ut in militiam proficiscerentur, non erat impossibile ea dici, credique, ut ne perderentur. Si igitur & Homerus hoc fecit, venia dignus est. *Oratione* 11.

Dio Prusæus: Historicos propter multa necessarium est studiose legere homini rempublicam tractanti: quia & fine orationibus experientiam habere rerum atque infortuniorum, non solum secundum rationem, sed etiam præter rationem hominibus civitatibusque accidentium, valde necessarium est homini politico, & rempublicam gerere destinanti. Qui enim plurima noverit quæ aliis evenerunt, is optime ea quibus ipse manum admovet, conficiet, quantumque licuerit tutissime. Et neque in rebus secundis ultra modũ vehemens erit, adversos vero casus omnes tolerabit generose, eo qui neque in secundis rebus inscius erat, posse omnia in contrariũ mutari. *Oratione* 18.

Lucianus: Abderitis ajunt Lysimacho jam regnante, morbum, optime Philo, hujusmodi quendam incidisse, videlicet primum omnes in tota civitate febri correptos fuisse, eaque à primo statim die valida, & continua. Circa septimum autem diem, aliis multã sanguinis è natibus fluxionem, aliis copiosum sudorem obortum, febrim solvisse. Cæterum ridicula quædam perturbatio mentes illorum obsedit. Omnes enim ad tragœdiæ actionem permovebatur, & jambos recitabant, & vociferabantur. In primis vero Euripidis Andromedam flebiliter canebant, & Persei sermonem concinne referebant. Plenaque erat civitas pallidis omnibus, macillentisque septimanis illis tragœdis, illudq; *ô tu Deorum, tu tyranne hominum Amor*, aliaque magna voce clamantibus, idqueper quamdiu, donec hyems magno cum frigore oborta delirium ipsorum compescuit. Causam vero ejus rei mihi videtur præbuisse Tragœdus Archelaus, illo tempore celebris, qui media æstate multo æstu Andromadæ fabulam ipsis egit. Ita ut multi ex theatro redirent febricitantes, & sequenti die mentibus eversi in eandem tragœdiam delaberentur, illorum memoriæ suaviter inhabitante Andromeda, ac Perseo una cum Medusa singulorum animis adhuc obvalente.

Ut igitur, alterum, quod ajunt cum altero comparetur, Abderiti cum illud malum etiam hoc tempore plerosque doctorum invasit: non ut ipse quoque tragœdias agant, nam in hoc minus delirarent, alienis jambicis, iisque haud malis occupati. Sed ex quo res præsentes moveri cœperunt, puta bellum istud contra barbaros, & acceptum in Armenia vulnus, & continuæ illæ victoriæ, nemo non historiam conscribit. Imo vero Thucydides, Herodoti, & Xenophontes nobis facti sunt omnes. Et ut apparet, verum fuit illud, Bellum omnium pater est, quandoquidem historiarum scriptores tam multos una hac plaga procreavit. Hæc igitur, amice, videnti & audienti mihi Sinopensis illius factum in mẽtem venit. Quando enim Philippus cum exercitu jam adventare ferebatur, perturbati & operi intenti omnes Corinthii, alius arma adornabat, alius lapides comportabat, alius muros subistruebat, alius propugnaculum suffulciebat, alius aliud quod ad rem pertineret subministrabat. Quæ cum videret Diogenes, & nihil haberet quod ageret, nulla enim in re quispiam ipsius ministerio utebatur, pallio succinctus, ipse enim dolium in quo habitabat, magna per Cranium sedulitate sursum ac deorsum volvebat. Acrogante quopiam ex familiaribus, cur hoc facis Diogenes? Meum etiam dolium voluto, inquit, ne solus inter tot laborantes otiari videar. Quare Philo, ego etiam ne solus tam loquaci tempore sim mutus, neque velut Comicum satellitiũ, hiansve silentio prætervehar, recte facturum me putavi, si quo ad possem dolium volutarem, non autem historiam conscriberem, nec res gestas narrarem: non equidem adeo sum temerarius, neque etiam hoc de me timeas licet. Novi enim quantum hoc sit periculum, si quis per saxa voluat. tale inprimis quale meum est doliolum, ne valide quidem saris factum, adeo ut si vel ad exiguum lapidem offenderit, illico testulæ sint colligendæ.

Quid igitur decretum mihi est? & quomodo in belli partem veniam et narrandi jactum constituam? Dicam equidem tibi. A fumo & fluctu, & curis quæ scriptorem historiæ circumstant, abstinebo me ipsum. sed parvam admonitionem, hasque præceptiones paucas scribentibus subministrabo: ut ædificationi saltem illis adsim, etiãsi abinscriptione abfuero, summo digito lutum attingendo, Quanquam neque admonitione plerique opus esse sibi ad hanc rem putant, non magis quam aliqua arte ad vadendum, aut videndum, aut edendum: sed plane facillimum ac promptum, & cujusvis hominis esse existimant, historiam scribere, siquis modo verbis exprimere possit quod in mentem venit. Cæterum ipse nosti, amice, istud neq; esse ex facilimis, neque ex iis quæ componi negligenter possunt: sed siquid aliud ex iis quæ oratione traduntur cura opus habet, hoc certe habere, siquis ut Thucydides ait, historiam quasi perpetuam possessionem adornet.

Scio equidem fore ut paucos admodum ab errore revocem, nonnullis etiam molestus videar, quibuscunque in primis opus jam est absolutum, & historia in publicum edita. Quod si ab iis quitũ audierũnt, etiam est laudata, insania profecto fuerit, spetare illos aliquid immutaturos, aut trãscripturos esse eorum, quæ semel rata facta sunt, & veluti in regiam aulam relata. Sed tamen non abs re fuerit, etiam ipsos admonere: ut si bellum aliud Celtæ contra Getas, vel Indi contra Bactrianos aliquando committant (nemo enim jam subjugatis omnibus contra nos movere ausit) melius componere possint, adhibita hac regula, si recta videatur ipsis: sin minus ipsi etiam tunc, eodem quo nunc cubito rem metiantur. Medicus autem non admodum ægre feret, si omnes abderitæ Andromedam ultro agant.

Cum autem duplex sit consilii opus, & alia eligere, alia vitare doceat: age primum dicamus quænam fugienda sint ei qui historiam scribit, & à quibus maxime purum se tueri debeat. Deinde quibus rebus utendo non aberraverit à recta via, & eo quo tendit ducente: nempe quo exordio incipiendum, quo ordine res inter se sint componendæ, quis modus singulis adhibendus, quæ silentio prætereunda, quibus immorandum, & quomodo exponenda & coaptanda, quæ percurrere est satius. Atque hæc quidem, & his similia posteriore loco tractabimus. Nunc autem ea vitia commemorabimus, quæ sequuntur male scribentes.

Quæ igitur communia sunt orationum vitia in voce, in concinnitate, in sententia, cæteri sque insite compositis, longum esset persequi, & ab instituto præsenti etiam alienum. Nam communia, ut dixi, omnium orationum sunt vitia in voce & concinnitate verborum. Quæ vero in historia quidam peccant, talia comperies observando, qualia mihi sæpe audiendi sunt visa: maxime vero si omnibus illis patulas aures præbueris. Sed non intempestivum fuerit, quædam interim exempli causa commemorare, ex iis quæ jam ita conscripta sunt.

Ac primum quidem illud, quantum peccent, consideremus. Quũ plerique ipsorum, neglecta rerum gestarum narratione, in laudibus Imperatorum, & ducum immorantur, suos quidem in cœlum extollentes, hostes vero præter modum deprimentes, nescii historiam non angusto isthmo, sed magno intergerino muro distinctam & divisam esse ab Encomio: quodq; ajunt Musici bis per omnes chordas inter se distare. Siquidem is qui Encomium scribit, hoc unum curat, ut quovis modo quem laudandum suscepit, extollat & oblectet: ac parvi pendit, si mentiendo finem assequatur. At historia nihil falsum, neque pauxillum quidem inseri sibi permittit, non magis quam medici dicunt tracheam seu asperam arteriam, absorptum in se quicquam recipere. Hi præterea videntur ignorare poetices & pœmatum alios esse promissiones, regulasque proprias, historiæ autem alias. Illic enim est mera libertas, unaque lex, quod poetæ visum fuerit. Etenim fanaticus est, & à Musis afflatus: & sive equos alatos currui jungere voluerit, sive superaquã alios, aut supersummas aristas cursuros conscendere faciat, nemo vetat. Neque quum Jupiter ipsorum, una catena suspensam simul terram, ac mare attraxerit, metuũt ne dirupta illa conterãtur præcipitata omnia. Quinetiam si Agamemnonem laudare velint, nemo prohibet quominus capite & oculis Jovem, pectore voro fratrem ejus Neptunum, balteo Martem referat. Atque omnino illum Atrei, & Aeropes filiũ ex Diis omnibus quiddã compositũ esse oportet. Neque enim sufficit Jupiter, neq; Neptunus, neq; Mars, ut pulchritudinem ipsius singuli compleant.

At vero historia siquã hujuscemodi adulationẽ recipiat, quid aliud quam pedestris quædam poetice redditur, ista grandiloquentia carens: reliquam vere loquacitatem prodigiosam versibus nudam, ideoq; manifestiore, prodens? Magnum igitur, imo plus quam magnum hoc malum, siquis nesciat ea quæ historiæ, & poetices sunt propria separare, sed introducat in historiam alterius ornamenta, fabulam nimirum, & laudem, eosque qui his insunt excessus. Non secus ac siquis validum ac vehementer robustum athletam purpura alioque meretricio ornamento induceret, & faciei fucũ accerussam illineret, hercle quam ridiculum illum faceret, illo ornatu defœdatum?

At non hoc dico quasi non sit aliquãdo in historia laudandũ: sed convenienti tempore laudandum, eique rei modũ adhibendum esse censeo, ne qui eadem in posterũ legent, molestia afficiantur. Et in summa, hæc ita sunt moderanda quasi posteris scribantur, ut & paulo post ostendemus.

Porro qui historiam in duo recte dividi putant. In Jucundum, & Utile, & ob id encomium etiam in eam asciscunt, tanquã sua jucunditate legẽtes delectans, vides quantum à vero aberrent? Primum quidem, quũ falsa divisione utuntur. Unum historiæ opus, unusq; finis est Utilitas, quæ ex veritate colligitur. Jucundũ vero melius erit, si illã, ut forma athletã sequatur. Sin minus, nihil vetat ab Hercule prognatũ esse Nicostratum Isidoti filiũ, cum sit generosus, & utroq; colluctore fortior si ipse facie turpissimus videatur, Alcæus autem formosus ille Milesius ipsius Nicostrati amasius, cum eo colluctetur. Proinde historiam si jucundũ auctarii vice haberet, multos à quibus scriberetur alliceret. Sed quatenus propriam habet dũtaxat perfectionem, veritatis dico patefactionem, pulchritudinem parvi pendit.

Hoc quoque dici meretur, rem valde fabulosam, quodque in laudẽ maximopere inclinat, utrinq; audientibus non esse jucundũ: dum non de fæce hominũ & promiscua plebe hoc intelligamus, sed de iis qui judicantiũ, ac per Jovem, sycophantarũ more auscultant: quos nihil subterfugere potest, utpote acutius Argo, & toto corpore

pore intuentes: mensariorum autem more singula quæ dicuntur explorantes, ita ut adulterina protinus abjiciant, proba & legitima, atq; ad verum typum expressa recipiant. Ad quos respiciat oportet qui historiam conscribit: alios vero parum curet, quanvis laudando distrumpantur. Sed si hisce neglectis historiam præter modum fabulis, laudibus, aliisq; blanditiis jucundam reddas, celerrime simile vidisse verisimile est, pictū eā efficies Herculi Lydio. Quem te alicubi depictū illū Omphalæ servientē, atq; alieno admodum ornatu indutum: Illam videlicet leonina ejus pelle vestitā, clavam manu tenentum: Illam videlicet leonina ejus pelle vestitā, clavam manu tenentē, coq; Herculē præ se ferentē. Ipsum vero crocoto purpuraq; amictū, lanificio incumbentē, ac sandalio Omphalæ vapulantē. Quodque turpissimum est spectaculum, vestis à corpore abhorrens, nec ei habilis, partemq; Dei virilem indecore effœminans.

Ac multi quidem fortassis etiam hæc tua laudabunt, pauci vero illi quos tu contemnis, suaviter admodum, & ad satietatem usq; ridebunt, aspicientes indoctam, dissonam, maleque cohærentem rei compositionem. Nam quod uniuscujusq; rei proprium est, id pulchrum est. Quod si mutaveris, id ipsum deforme ad usum redditur. Omitto dicere, laudes uni fortasse, ei puta qui laudatur, esse jucundas: in primis si ingentes hyperbolas habeant: quales plerique faciunt, dum eorum quos laudant, benevolentiam captant, iisq; immorantur, donec omnibus manifestam adulationem reddant. Neq; enim secundum artem id facere norunt, neq; assentationem tegunt, sed irruentes confertā omnia, & incredibilia, nudaque exponunt. Quare non consequuntur, quod maxime intendunt. Nam qui ab illis laudantur, oderunt potius, & aversantur ut adulatores: idq; recte: & maxime si generoso animo sint præditi.

Quemadmodum Aristobulo accidit, qui singulare certamen Alexandri & Pori conscripsit. Eo enim legente hunc potissimum locum quo pugnam hanc describerat (putabat enim se maximam gratiam apud regem initurum, falsō assignatis illi rebus quibusdam præclare gestis, effictisq; factis veritate majoribus) Alexander librum accepit (tum autem in flumine Hydaspi navigabant) eumq; præcipitem in aquam projecit: & te, inquiens, eodem modo decebat Aristobule præcipitari, qui talia pro me singulari certamine pugnaveris, & elephantos sagitta interfeceris. Et certe ita fuerat indignaturus Alexander, ut qui nec architecti illius audaciam ferre potuerit, pollicentis se montem Atho ad illius imaginem effecturum, montemq; ipsum ad regis similitudinem transformaturum: nec eo homine quem adulatorem agnovit, adres cæteras amplius ut antea sit usus.

Ubi igitur in hisce est jucundum? nisi siquis ita sit amens, ut hujusmodi laudibus oblectetur, quarum in promptu est confutatio: quēadmodum deformes homines, potissimū vero mulierculæ, quæ pictoribus mandant, ut se quam pulcherrimas pingant. Arbitrantur enim melius habituram sibi esse faciem, si pictor ipsis & plurimum ruborem illinat, & pigmento multum candoris immisceat. Tales hodie sunt pleriq; scriptores, qui propriæ utilitati, quam ex historia speraverint, inserviunt. Quos odisse convenit, ut qui in præsens manifesti adulatores, & inertes sint: in posterum vero, suspectam ob veritatis excessus rem totam reddant. Quod si quispiam omnino putat toti historiæ jucunditatem esse permiscendam, præstet cætera illa, quæ veritate comite delectabilia sunt inter reliqua orationis ornamenta: quibus pleriq; neglectis, ea quæ nihil ad rem, ingerunt atque involvunt.

Ego vero etiam narrabo quæcunq; memini nuper audire me, cū in Jonia, ac per Jovem in Achaia, quosdam historiarum scriptores idem hoc bellum exponentes auscultarem. Ac per Gratias nequis fidem à me dicendis deneget: siquidem vera illa esse jurejurando affirmarem, si commentario jusiurandum inserere urbanum foret. Unus quidem ex illis statim à Musis exorsus est invocando Deas, ut Vides quam concinnum principium, quam in promptu historia, quam tali orationis speciei conveniens? Deinde paulum progressus Achilli nostrum Imperatorē, Thersitæ Persarum regem comparabat: ignorans meliorem ipsi futurum fuisse Achillem, si Hectorem potius quam Thersiten interfecisset, & si prior fortis quispiam fugeret, eum autem fortior persequeretur. Deinde in encomium addebat, dignum esse se qui res adeo splendidas scriptis mandaret. Indeq; jam profectus patriam suam Miletum laudabat: addens se Homero melius agere, qui patriæ non meminit. Deinde in fine procemii plane ac dilucidè pollicebatur, sese res nostras in majus evecturum: barbaros contra quoad posset debellaturum. Atq; hunc quidem in modum est orsus historiam, simul & causas unde id bellum cœpisset, commemorando. Nam sceleratissimus ille & pessimè perditus Vologesus hac de causa bellum movere cœpit. Atque hic quidem in hunc modum.

Alter vero summus Thucydidis imitator, valde similis archetypo, cum suo nomine principium duxit ut ille, festivissimum illud principiorum omnium, animumque Atticum spirans. Vide enim, Creperius Calpurnianus Pompeii civis conscripsit bellum Parthorum, & Romanorum, quo pacto illud inter se gesserunt ab eo moto statim exorsus. Itaque post istiusmodi principium, quid dicam tibi cætera quæ in Armenia peroravit, Corcyrensem illum oratorem repræsentans? aut qualem pestem Nisibenis immiserit, qui Romanorum partes sequi noluerant, omnia prorsus à Thucydide mutuatus, excepto Pelasgico solo, longisque muris, in quibus habitarunt, qui tunc peste laborabāt. Cæterum ab Æthiopibus etiam cœpit: quare in Ægyptum etiam descendit, & in magnam illam regis terram, in qua, idq; recte, mansit. Ego itaq; relicto illo miseros Atheniēses Nisibe sepeliente, abii, satis sciens etiam eā quæ me digresso dicturus erat. Nam rursus abunde illud suppetit, putare hoc Thucydidi similia dicere, si parum reveritus, ea quæ sunt ipsius diceret quispiam, parva & illa, ut ipse dixeris etiam. Non ob eam causam per Jovem, & parū abfuit quin illa prætermiserim. Nā idē hic scriptor multa quoq; armorū & tormentorum genera iisdem nominibus quib. illa Romani vocant, perscripsit, & fossam, itidem ut illi, & pontē, & similia dixit. Ac mihi cogita quanta hæc historiæ dignitas, & quàm Thucydidi conveniens, inter Attica vocabula, Italica ista interponi tanquam ornantia purpurum eique decora & consonantia.

Alius vero quispiam ipsorum nudum rerum commentarium in scripta relatum: admodum pedestre, humiq; serpens composuit: perinde ac siquis miles, aut faber, aut caupo, qui cum exercitu circumvagaretur, ea quæ quotidie geruntur, annotaret. Verum modestior est hic privatus, qui qualis sit, statim apparuit atq; alteri cuipiam, qui sit gratus, & historiam possit aggredi, materiam subministravit. Hoc unum in eo reprehendere velim, quod ita tragice suos libros inscripsit, magis quam pro scriptorum ipsorum fortuna, Callimorphi medici hastatorum legionis sextæ, historiarum Parthicarum: & subscriptus erat unicuiq; libro numerus. Ac per Jovem, procemium etiam plus quam frigidum fecit, ita colligens, Medici proprium esse historiam conscribere, siquidem Æsculapius est Apollinis filius, Apollo Musarum dux, & omnis eruditionis princeps. Deinde quod & Jonica lingua exorsus scribere, mox nescio qua sententia de repente ad communem transiit, ἰατρεῖλω dicens, & πίζλω, & ὀγόσα, & νοῦσι. Cætera vero cum vulgo communia, plurima etiam ceu ex trivio desumpta.

Quod si oportet me sapientis viri meminisse, nomen quidem in obscuro sit positum, sententiam autē dicam, scriptaq; Corinthi nuper edita, omni spe meliora. Statim enim à principio, in prima exordii periodo, quæstionem lectoribus proponebat, sermonem omnino eruditum exhibere properans, quod soli sapienti historiā scribere cōveniret. Deinde paulo post syllogismus alius sequebatur deinde alius. Deniq; in omni figura quæstionib. scatebat ipsi procemium ad satietatem usq; adulatorium. Molesta quoq; valdeq; scurrilia encomia, syllogistica tamen, & disputatoria, & contracta illa. Quinetiā illud perq; ineptum mihi videbatur, & viro philosopho, & barbacana, promiinaq; minime dignum, quod in procemio diceret, Principem nostrum hoc præter cæteros eximiū habiturum, quod ejus res gestas etiam philosophi memoriæ jam prodere dignarentur. Nam istud, siquidem tale erat, nobis cogitandū potius relinqui, quam ipsum dicere par erat. At vero neq; fas est illius oblivisci, qui hoc exordio est usus. Venio dicturus de Romanis & Persis. Et paulo post. Necesse enim erat Persis male evenire. Et rursum fuit Ostroes, quē Græci Oxyroen nominant: aliaq; id genus multa. Similis hic illi, nisi quod illo quidem Thucydidem, hic vero Herodotum bene admodum referebat.

Alius quispiam dicendi facultate celebris, ipse etiam Thucydidi similis, vel paulo melior ipso, omnes civitates, omnes montes, & campos, & fluvios, quam planissimè & validissimè, ut sibi videbatur, est interpretatus. Sed quod in hostium capita vertat malorum averruncator Hercules: tanta frigiditas inerat, ut Caspias nives, & glaciē Gallicam superaret. Clypeus quidem Imperatoris vix toto libro illi descriptus est, & Gorgon in umbone, ejusq; oculi ex nigro, albo, & cæruleo cōpositi. & iridi similis balteus, orbisq; & cæsariei in modū implicati dracones. Nam Vologesi bracca, aut frænū equi Hercle, quot millia versuum unūquodq; horum cōtinebat! Et qualis erat Ostroæ coma, per Tigrim natantis: & in quale antrum effugit, tectum hedera myrto, lauroq;, quæ eodem loco creverant, illudq; accuratè umbrosum fecerant. Considera igitur quam hæc ad historiam sint necessaria, & quam nō absq; his, ea quæ illic gesta sunt scire poteramus. Nam præ imbecillitate cognitionis utilium, & præ ignorantia dicendorum, ad hujusmodi locorum & antrorum descriptiones divertuntur.

Ac quoties in multa præclare gesta inciderint, similes sunt famulo recens ditato ex domini hæreditate, qui non novit quo pacto sit induenda vestis, neq; ut ex lege cœnandum est: sed in mensam sæpe irruens, quanvis appositæ sint gallinaceæ, suillæ, leporinæ carnes, pulmento aliquo sic impletur, ut inter edendum distrumpatur.

Hic igitur quem ante dixi, descripsit vulnera plane incredibilia, & atrocia mortis genera, veluti, ut quidam in majore pedis digito vulneratus, illico decessit, & ut inclamante solum exercitus duce Prisco, septem & octo hostes occiderunt. Præterea & in occisorum numero etiam contra quam in Imperatorum epistolis scriptum continetur, hoc mentitus est. Nam circa Europum hostium septuaginta millia cum ducentis triginta sex cecidisse dicit. Romanorum vero duos tātum, novemq; fuisse vulneratos: hæc haud scio an sanæ mentis quisquam ferre queat.

Quinetiam illud, non exiguum quidem, est dicendum. Num præ nimio studio Atticæ elegantiæ, utque quam accuratissime voces puras redderet, voluit eodem pacto, & Romanorum nomina efferre, & in Græca transcribere: veluti Cronon: Saturnium dicere, Phrontin, autem, Frontonem, Titanium, Titanum, & id genus alia multo magis ridicula. Hic ipse præterea de Severini morte scripsit: quod cæteri quidem omnes decepti sunt, qui putarunt ipsum gladio interfectum esse, cum tamen inedia perierit. Hæc enim mors omnium minime molesta ipsi visa est, cum ignorarit trium fuisse dierum, opinor, totum id malum: multos vero ad diem usque septimum inediam perferre. Nisi si quis

hoc putet Osroen astantem expectasse, dum Severianus fame esset enectus: & ob hoc cum per septem dies in aciem non eduxisse.

Porro eos qui & poeticis vocabulis, optime Philo, in historia utuntur, quonam loco ponamus? eos qui dicunt, ἐλέλιξε, STRIDOREM DEDIT machina, & murus cadens, vehementer ἐδόβησε, FRAGOREM DEDIT. Et in altera parte præclaræ hujus historiæ. Edessa igitur ita περιεμαργάριτο CIRCUMSTREPEBAT armis, & ὀπλοβόης & κτύπος SONUS ac STREPITUS erant illa omnia. Et Imperator ἐμερμήριζε ANIMO VERSABAT, quo pacto potissimum muros invaderet. Deinde inter hæc tam vilia nomina, plebeia, & inopia multa infarta erant, veluti ἐπέστειλεν ὁ στρατοπεδάρχης τῷ κυρίῳ SCRIPSIT CASTRORUM PRÆFECTUS DOMINO. Item οἱ στρατῶται ἠγόραζον τὰ ἐγχρήζοντα. MILITES EMERANT NECESSARIA. Item ἤδη λελαμπροὶ καὶ αὐτὸς ἐγίγνοντο JAM LOTI AD IPSOS VENERANT: similia. Quare mihi res hæc videtur esse similis tragœdo, qui altero pede, in alto cothurno incedat, altero subligatum sandalium ferat.

At vero alios etiam reperias, qui procœmia splendida, tragica, & summopere prolixa componãt, quo speres te, quæ sequuntur omnino miranda, esse auditurum. At corpus ipsum historiæ parvũ & ingenerosum subtexunt. Ita ut hoc simile sit puero, sicubi Cupidinem vidisti ludentem, personam Herculis permagnam, vel Titanis induentem. Statim igitur auditores inclamant ipsis illud, PARTURIVIT MONS. Decet aut non ita, sed similia, ejusdem coloris omnia esse, & capiti reliqui quum corpus respondere, ut nõ aurea sit galea, thorax planè ridiculus, ex pannis alicunde vetustis, aut putridis pellib. consutus. Item vimineus clypeus, & tibialia ex corio porcino facta.

Videas enim perquam multos hujusmodi historiarũ scriptores, qui Rhodii Colossi caput, pumilionis corpori imponant. Ut rursum alios qui corpora sine capite inducant, absq; procœmiis, & statim à rebus ipsis incipiẽtes: qui etiam in societatem ascisc unt Xenophontem, qui sic orsus est. Darii & Parysatidis duo filii nascuntur: atq; veteres alios: cum nesciãt, potestate quædam esse procœmia, quæ multos latent: ut in aliis ostendemus. Quanquam hæc omnia tolerabilia sunt, quæcunq; elocutionis, aliusve dispositionis sunt vitia.

At vero in locorum descriptione mentiri, non parasangas modo, sed totas etiam mansiones, cuinam honesto comparabimus? Unus igtur tam ignaviter res ipsas collegit, quam qui neq; in Syrum incidit, neq; quod dici solet, eos audivit qui talia in tonstrinis fabulantur. Quare sic de Europo locutus est. Europus sita est in Mesopotamia, duabus mansionibus ab Euphrate distans: eam autem coloniam deduxerunt Edessæi. Neque hoc satis illi fuit: sed & patriam meam Samosata, generosus ille, in eodem libro sublatam una cum ipsa arce, & muris in Mesopotamiam transtulit, ita ut terminaretur utroque flumine, quæ utrinq; proxime præterveh untur, & muros propemodum alluunt. Hoc etiam ridiculum esset, Philo, si nunc apologiam tibi contexerem, quod neq; Parthus, neq; Mesopotamitã sim, inter quos relatum me, egregius iste scriptor collocavit.

Quin & illud per Jovem admodum credibile idem dixit de Severiano, appositio etiam juramento, quod audivisset ex eo ipso opere aufugerunt: neq; gladio illum mori voluisse, neq; venenum bibere, neque laqueo collum innectere, sed mortem quandam tragicam, & audacia mirandam excogitasse. Etenim cum haberet ingentia vitrea, pulcherrimo ex vitro pocula: & mori decrevisset, maximum omnium fregisse, unoque ejus fragmento ad sui cædem usum esse, quo guttur incidit. Ita neque gladiolum, neq; lanceam nactus est, quo virilem & heroicam mortem sibi inferret. Postea autem quoniam Thucydides funebrem orationem habuit pro iis qui primi eo in bello occubuerunt, ipse quoq; talem pro Severiano habendam esse censuit. Omnibus enim ipsis cum Thucydide, qui nequaquam in culpa fuit eorum malorum quæ in Armenia acciderunt, est contentio. Severiano igitur magnificè sepulto, ad tumulum adducit Afranium quendam Silonem Centurionem, æmulum Periclis, qui talia ac tanta pro ipso peroravit, ut per Gratias, præ effuso risu abunde lachrymarer, in primis quum rhetor iste Afranius, sub perorationem cum miserabili affectu lachrymans, sumptuosarum cœnarum & propinationum illarum mentionem faciebat. Deinde Ajacis coronidem imposuit. Nam gladio admodum generose è vagina educto, idque ut Afranium decebat, omnium in conspectu, super tumulo se ipsum jugulavit, non indignus per Martem qui multo ante mortuus fuisset, si talia declamasset. Atq; hoc dixit, præsentes omnes quid viderunt, miratos esse, summisq; laudibus Afranium extulisse. Ego vero etiam cætera damnabam, ut qui tantum non offarum, & ollarum meminisset, & memoriæ placentarum illachrymaretur. Hoc vero maxime reprehendi, quod non scriptore ipso, & actore fabulæ hujus ante se jugulato, mortuus sit.

Multos autem etiam alios his similes, amice, enumerare possem tibi, cum tamen paucos commemoraverim. Verum ad alteram promissionis partem jam transibo, puta ad consilium, quo pacto quis historiam melius conscribat. Sunt enim quidam, qui rerum gestarum maximas, & memoria dignissimas, prætermittunt, aut percurrunt. Præ imperitia autem, & ineptia, & ignorantia cum eorum quæ dicenda, tum quæ tacenda sunt, res minimas admodum prolixè & laboriosè immorando persequuntur. Non aliter ac siquis Jovis Olympici pulchritudinem universam, quæ tanta est ac talis, nec videat, nec laudet, neq; etiam iis, qui de ea nesciunt, quicquam narret: sed subsellii rectitudinem, & expolitionem, & crepidæ concinnitatem admiretur, & hæc plane magno studio exponat.

Equidem audivi quendam, qui pugnam eam quæ ad Europum commissa fuit, ne totis quidem septem verbis percurrit: viginti autem mensuras aut etiam amplius, aquæ consumpsit in frigidam, & nihil ad nos pertinentem narrationem: ut Maurus quidem eques nomine Mausacas præsiti per montes errans, Syros quosdam agrestes prandium apponentes deprehenderit, utque primum illi formidarint ipsum: deinde hominem, ubi ex amicis esse intellexissent, receperint, & cibum præbuerint. Nam illorum forte quidam in Mauritaniam aliquando profectus fuerat, cum frater ipsius ea in terra militaret. & narrationes, & ipse in Maurusia venatus sit, utq; multos elephantos eodem in loco simul pascentes viderit, utque propemodum à leone devoratus fuerit, & Cæsareæ magnos pisces emerit. Et egregius hic historicus, omissis tot cædibus circa Europum factis, tot hostium impetibus, & fœderibus necessariis, & custodibus inter se oppositis, usque in profundam vesperam substitit aspiciens Malchionem Syrum Cæsareæ scaros ingentes ementem. Et nisi nox ipsum occupasset, forte etiam scaris jam apparatis cum ipso cœnasset. Quæ nisi ille tam diligenter historiæ tradidisset, res magnas, ignoraturi eramus: & damnum hoc Romanis intolerabile fuisset, si Mausacas iste sitiens, potum non invenisset, sed incœnatus ad castra rediisset. Atqui quam multa alia longe magis necessaria, volens ego nunc prætereo? ut & tibicina quædam ex propinquo vico ad eos venit, utq; alter alteri dona dederunt, nempe Maurus hic Malchioni lanceam, ille Mausacæ fibulam: atque alia id genus multa, ipsa certè præcipua capita pugnæ in Europo commissiæ. Proinde merito dixerit quispiam, tales scriptores, rosam quidem ipsam non videre, spinas autem quæ juxta radicem enascuntur, accurate contemplari.

Alius, ô Philo, hic etiam admodum ridiculus, qui ne alterum quidem pedem extra Corinthum extulerat unquam, neq; ad Cenchreas usque profectus fuerat, nedum Syriam, Armeniam ve viderat in hunc modum exorsus est. Memini enim. Aures quam oculi minus fide dignæ sunt. Quare scribo quæ vidi, non quæ audivi. Atque ita diligenter omnia viderat, ut diceret Parthorum dracones (signum autem hoc multitudinis est ipsis, mille enim dracones vivos draco producit) ingentes esse, & in Perside generari paulum supra Iberiam: hos autem longuriis antea illigatos, in altum attolli, & procul adventantibus, metum incutere. In ipso vero prælio, quando congrediuntur, solutos ipsos in hostes immittunt. Nimirum multos nostrorum hoc pacto devoratos esse: alios vero ipsis transfixos, fuisse necatos & confractos. Se autem astitisse, & vidisse, cum in tuto ab arbore excelsa spectaret. Et recte sane fecit, quod cum hisce bestiis congressus non sit. Neque enim nos tam egregium scriptorem nunc haberemus, qui manu ipse hoc in bello magna & præclara gessisset. Etenim multa pericula subjit, & vulneratus est juxta Suram, cum à Cranio videlicet Lernam iret. Atque hæc Corinthiis audientibus recitabat, qui probe sciebant ipsum ne in pariete quidem vidisse depictum bellum: ac neque arma novisse, neque quales sint machinæ, neq; qualia aut acierum, aut ordinum nomina. Prorsus enim ipsi curæ fuit, obliquam quidem, phalangem vocare: dicere autem cornua instruere, quod est exporrecta fronte educere.

Quidam etiam optimus, quæcunque à principio ad finem usque gesta fuerunt in Armenia, in Syria, in Mesopotamia, ad Tigrim, in Media, quingentis non integris versibus complexus, conscripsit: quo facto historiam à se scriptam ajebat. Inscriptionem vero propemodum libro longiorem inscripsit, his verbis. Antiochiani Apollinis sacri certaminis victoris (Dolichum enim puer vicerat) eorum quæ in Armenia, Mesopotamia, & Media à Romanis nunc gesta sunt, historica narratio.

Jam & quendam ego audivi, qui futura scripserat, cum Vologesi expugnationem, tum Osroæ cædem, ut leoni objiciendus erat: postremo triumphum illum nobis exoptatissimum. Ita vatis in morem se habens, jam ad finem scribendi properabat. Quin & civitatem in Mesopotamia idem jam condidit, magnitudine maximam, & pulchritudine pulcherrimam. Adhuc tamen deliberat, an eam Nicæam à victoria nominari conveniat, an vero Homonœam, an etiam Irænem. Et hoc adhuc est anceps, manetque nobis sine nomine ime nomine præclara illa civitas, multis nugis, & fastu historico referta. Quæ autem apud Indos agentur, ea se jam scripturum promisit, & maris exterioris circumnavigationem. Neque tantum hæ sunt promissiones: sed Indicæ historiæ procœmium jam est compositum, & ordo tertius. Et Galli parsq; exigua Maurorum, hi omnes cum Cassio fluvium Indum trajecerũt. Cæterum quid facturi sint, aut quomodo elephantorum incursus excipient, non multo post egregius ille scriptor, à Muziride vel Oxydradis ad nos scribet.

Multa hujusc emodi præ insciti nugantur, quæ sunt digna viru non videntes, neque si videant, ea pro dignitate exponere scientes, sed excogitantes, & effingentes, quicquid (ut ajunt) temere in linguam venerit: etiam librorum numero, maxime vero inscriptionibus superbientes. Etenim hæ prorsus sunt ridiculæ ut istius nescio cujus, Parthicarum victoriarum tot libri. Rursum, Parthidos primus, secundus, ut Atthidos scilicet. Alius etiam multo urbanius. Nam legi. Demetrii cujusdam Sagalacensis Parthonicica. Non quod irrideam & caviller historias adeo præclaras, sed utilitatis causa hæc commemoro: ita ut quisquis hæc & similia fugerit, is bonam partem historiæ recte conscribendæ jam consequutus sit. Imo pauca adeo etiam illi desunt, si modo verum illud est quod Dialectica tradit, nimirum eorum inter quæ nullum est medium, altero elevato, alterum contra deprimi.

Ar

At vero dicat aliquis, area ipſa jã probè purgata eſt, ſpinæ quotquot erant & rubi ſunt exciſi, aliorum vero jam exportatæ ruinæ: & ſiquid olim fuit aſperũ, planum jam eſt. Quare jam tempus eſt ut ædificium aliquod conſtruas ipſe, quo oſtendas te non ſolũ alienis eruendis eſſe generoſum: ſed etiã propriis cõminiſcendis aptum: quæ nemo, ne ipſe quidem Momus queat reprehendere. Ajo igitur eum qui optimè hiſtoriã conſcribere volet, domo debere hæc duo præcipua afferre, Prudentiã politicam, & exponendi facultatem. Quorum alterum nulla doctrina traditum, naturæ quoddam eſt donum. Exponendi a. facultas, exercitatione multa, labore aſſiduo, & priſcorũ imitatione cõparanda eſt. Atq; hæc quide extra artem ſunt, neq; me conſultore indigent. Neq; enim prudentem & acutum reddere eum, qui non fuerit natura, talis meus hic libellus pollicetur: ſiquidẽ magni faciendus, imo potius cuivis anteferẽdus foret, ſi res hujuſmodi transformare & immutare poſſet. Puta vel ex plumbo aurum facere, vel ex ſtanno argentum, vel ex Conone Titormum, vel ex Leotrophide Milonem efficere. Verum artis, & conſilii hæc eſt utilitas, non ut ſuppeditent ea quæ adſunt, ſed ut illis convenienter uti doceant. Quo pacto nimirum & Iecus, & Herodizes, & Theon, & ſiquis alius palæſtræ magiſter, pollicerentur tibi ſe acceptum Perdiccam (ſi hic ille eſt qui novercam amavit, ex eoq; contabuit, at non Antiochus Seleuci filius Stratonices illius amore captus.) Olympionicen reddituros, & vel Theageni Thaſio, vel Pol damanti Scotuſſæo æquiparandum: quum materiam eximiam à natura datam, ad palæſtræ exercitationem ſuſcipiendam, multò præſtantiorem arte redderent. Quare à nobis abſit hæc promiſſionis invidia, ut artem aliquam rei adeo magnæ & difficili nos inveniſſe dicamus. Neq; enim quemvis acceptum, hiſtoriæ ſcriptorem nos reddituros aſſerimus: ſed ei qui ſit natura prudens, & in dicendo optimè exercitatus, viam aliquam rectam, ſi qua talis apparet, oſtenſuros, qua utendo citius ac facilius, ad propoſitum ſcopum perveniat.

Neq; enim dixeris eum qui fuerit intelligẽtia præditus, arte & doctrina earum rerum quas ignorat, opus non habere: quoniã ſi abſq; doctrina citharam pulſare, & tibia canere poſſet, etiã omnia ſciret. Nunc autem non edoctus nihil eorum manus pulſare poſſet: ſed docente aliquo facillime diſceret, & rectè per ſe ipſum adminiſtraret. Proinde nobis quoque nunc talis diſcipulus tradatur, qui neq; ad intelligendũ, neq; ad dicendum ſit ignavus, ſed acutũ tueatur, poſſitq; rebus uti, ſi cõmittantur illi, ac mil tarem animum habeat, & cũ prudentia politica, Imperatoriam experientiam. Deniq; per Jovem, in caſtris etiam ſit verſatus, & milites ipſos, ſeu quũ ad prælia exercentur, ſeu quum in aciẽ educuntur, viderit, & arma, & machinas aliquas norit, & quid ſit diductis cornib. quid exporrecta fronte aciem inſtruere: quomodo cohortes, & turmæ ordinentur, unde & quid equum emittere, quid obequitare. Deniq; non ſit ex iis qui domi deſident: neque ſolum iis credat qui renuntiant.

In primis vero, & ante omnia, libero ſit animo, ac neq; quẽquam metuat, neq; quicquam ſperet: quoniam ſimilis eſſet malis judicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium accepta mercede ſentẽtiam ferunt. At non curet, neq; Philippũ oculo ab Aſtere Amphipolitano ſagittario ad Olynthum orbatum: ſed talem oſtendat qualis tunc erat. Neque ipſi ſe excruciet Alexander ob Cliti cædem crudeliter in convivio perpetratã, ſi plane ſit depingendus. Neq; ipſum deterreat Cleon, quod in concione ſit præpotens, & tribunal contineat, quominus ab eo pernicioſus, & inſanus homo pronuncietur. Neq; tota civitas Athenienſium, ſi clades in Sicilia acceptas memoret, captum Demoſthenem, mortuum Niciam dicat, quomodo ſiti laborarunt, qualem aquam biberunt, & ut pleriq; potu perierunt. Nam quod eſt juſtiſſimum, nemo ſane mentis exiſtimabit, eum in culpa eſſe, ſi quæ infœliciter, aut ſtultè geſta ſunt, ut geſta ſunt, narrabit: ſiquidẽ talium non eſt author, ſed nunciator. Quare ſive prælio navali ceciderint, non is eſt qui eos ſubmerſit: ſive fugiant, non is eſt qui perſequitur, niſi optandum erat, ne quid prætermitteret. Quandoquidem ſi ea tacendo, aut in diverſum narrando, corrigi poſſent, facillimum fuerat Thucydidi uno ac tenui calamo, munitiones Epipolarum invertere, Hermocratis triremem ſubmergere, & execrabilem iſtum Gylipum confodere interea dum vias obſtruit, & foſſis intercludit: deniq; & Syracuſanos in lapicidinas conjicere: Athenienſibus vero copiam facere, tum Siciliam, tum Italiam, cum prima illa Alcibiadis ſpe circumnavigandi. At puto, quæ facta ſunt, neq; Clotho revolvat denuo, neq; Atropos immutet. Proinde hiſtorici unum eſt opus ut res prout geſtæ ſunt, exponat. Hoc autem facere non poterit, donec vel Artaxerxem metuerit, qui ejus eſt medicus, vel ſperaverit Candyn purpureum, vel torquem aureum, & ex Niſæis equis aliquem ſe eſſe accepturum, videlicet laudum ſcripto inſertarum mercedem.

At neq; Xenophon illud faciet, juſtus ſcriptor, neq; Thucydides: ſed ſive privatim aliquos oderit, id quod publicũ eſt, magis neceſſarium putabit eſſe, veritatẽq; pluris faciet quam inimicitiã: ſive amaverit, tamen non parcet illi, quiſquis peccaverit. Unum enim hoc, ut dixi, hiſtoriæ eſt proprium: ac ſoli veritati immolandum, ei qui ad ſcribendam hiſtoriam ſe contulerit: cætera vero negligenda omnia. Una deniq; ulna, certaq; menſura eſt, ut non ad præſentes auditores aſpicias, ſed ad eos qui in poſterum, in legendis ſcriptis hiſce verſabuntur. At ſiquis continuò benevolentiam captat, merito in adulatorum parte recenſebitur: quos olim hiſtoria ſtatim ab initio eſt averſata, non minus quam comendi artem, gymnaſtice. Alexandri igitur hoc quoq; dictum infertur. Libenter, inquit, in vitã redirem, Oneſicrates, poſt mortem, ut cognoſcerem quo pacto hæc legerent homines qui tum erunt. Quod ſi nunc ea laudant, & amplectuntur, mirum non eſt: putant enim iſto non parvo illectamento quiſq; ſibi ſe benevolentiam meam conciliaturos. Itaq; Homero, quamvis multa fabuloſa de Achille ſcripſerit, aliqui adducuntur ut credant, ſolum hoc ad demonſtrationem veritatis magnum exiſtimantes argumentum, quod non de vivo illo ſcripſit. Nullam enim cauſam reperiunt, cujus gratia mentiretur.

Talis igitur mihi Hiſtoricus eſto: ut metu careat, muneribus non corrumpatur, liber ſit, dicendi libertatem ac veritatẽ amet: & quemadmodum ait ille Comicus, ficus ficus, ligonem ligonem nominet, nihil odio, nihil amicitię tribuens, non parcens, aut miſereſcens, aut erubeſcens, non verecundans: æqualis judex ac benevolus omnibus, ita ut alterutri plus æquo nihil tribuat, peregrinus in libris, civitate carens, ſuis legibus vivens, nulli regi ſubjectus: non quid huic, illive ſit placiturum, cogitans, ſed id quod actum eſt, exponens. Thucydides igitur hoc bene admodum lege ſancivit, & virtutes ac vitia hiſtoricorum inter ſe diſcrevit, cum videret Herodotum in maxima admiratione eſſe, adeo ut Muſæ vocarentur ipſius libri. Nam ſatius eſt, inquit, poſſeſſiones in perpetuum, quam certamen in præſens conſcribere: nec amplecti fabuloſa, ſed poſteritati relinquere veritatem. Deinde & utilitatem addit: & quem quiſque prudens orationis finem ſtatuere debeat, ut ſi quando ſimilia rurſus accideren, ad hæc, inquit, deſcripta reſpicientes, rebus civitatis recte uti poſſent.

Ac hujuſmodi ſententiæ ſcriptor ad me veniat, vocem autem & expoſitionis vim, illam quidem vehementem & aſperam, ac periodis continuam, & argumentationibus rotundam, præterea reliquam oratoriam facultatem non afferens, ne admodum acuminatus ſcribendi initium faciat, ſed ſedatiorem ſe præbeat. Sententiæ autem inter ſe cohæreant, ac ſolidæ ſint: dictio vero perſpicua & civilis, quã ſignificantiſſimè materiam explanans. Nam ut menti ſcriptoris hoſce ſcopos propoſuimus, dicendi libertatem, & veritatem: ita & voci ejus unus hic eſto ſcopus, ut rem planè aperiat, & quam lucidiſſime declaret, verbis neq; obſcuris, neq; ab uſu remotis, neq; etiam vulgaribus hiſce & tabernariis, ſed quæ vulgus intelligat, & eruditi laudent. Quinetiam figuris ornetur non moleſtis, & non affectatis: ſiquidem illud orationem condimentiſſimilem reddit. Ac ſententia ſit particeps, & affinis etiam poetices, quatenus grandiloqua eſt illa, & in ſublime elata: idq; in primis quoties aciebus, & pugnis, navalibuſq; prœliis concurrit. Opus enim tunc erit poetico quopiam vento, qui ſecundo flatu vela impleat, ac ſublimen, perq; ſummos fluctus ſublatam navem provehat. Ac dictio tamen humi incedat, cum pulchritudine quidem, ac magnitudine eorum quæ dicuntur ſublata: & iis quam maxime aſſimilata: ſed nihil peregrini præ ſe ferat, nec intempeſtivè exultans, quaſi quodam furore concitetur. Periculum enim eſt, ne quod maximum eſt, de ſtatu mentis emoveatur, & in iſtum Corybantem poetices impingat. Quare maxime tunc fræno credendum, & ratione utendum: illud ſcientes, quod & in verbis non mediocre malum eſt inanis gloria ſeu hippothyphia. Proinde ſatius fuerit ſententia ſuper equo incedente, pictionem humi currere, ephippio adhærentem, ne à vehementia curſus ſuperetur. At vero temperata, mediaq; compoſitione vocabulorum eſt utendum, ut neq; nimium diſtrahas illa & diſſocies: id enim foret aſperum, neq; quod pleriq; ſtudent, numeroſe connectas: alterum enim vitioſum eſt, alterum auditoribus injucundum.

Res autem ipſæ non ſunt temere conſtruendæ, ſed ſæpe de iiſdem magno ſtudio & labore interrogandus, ille in primis qui præſens fuerit & teſtis oculatus: ſin minus iis advertendus animus qui narrabunt incorruptius, & quos putaveris minimum ad gratiam, vel odium rebus geſtis detracturos vel addituros. Jam etiam hic eſto aliquis ad id quod probabilius erit, tum conjiciendum, tum componendum habilis. Ac poſtquam omnia, vel maximam partem collegerit, primum ea in commentarios regerat, & corpus adhuc rude & informe componat. Poſtea ſuperaddito ordine formam inducat, dictionis colorem adhibeat, rebus explicandis numeris aptandis vacet. Deniq; Homerico illi Jovi ſimilem ſe præſtet, qui nunc equeſtrium Thracum, nunc Myſorum terram aſpicit. Eodem enim pacto & ipſe, nunc ad Romanorum, nunc ad Perſarum res ſeorſim reſpiciat, & quales ſibi ex alto deſpicienti apparuerint, nobis exponat: deinde utroſq; ſi pugnaverint, contempletur. At vero in ipſa acie, ne ad partem unam, neq; ad equitem unum, aut peditem oculos convertat, niſi Braſidas fuerit, qui de navi proſiliat, vel Demoſthenes qui deſcenſum in terram prohibeat.

Ac primum quidem duces intueatur, ac ſiquid juſſerint, illud audiat, & quomodo quaque ſententia & conſilio aciem inſtruxerint. Poſtquam autem manus conſertæ fuerint, communis eſto contemplatio, ac tum, velut in trutina examinet ea quæ geruntur, ſimul etium perſequatur, ſimulque fugiat. Et omnibus hiſce modus adhibeatur, ne ad ſatietatem uſque ne inepte, ne juveniliter, ſed facile abſolvatur. Atque his hic ſubſiſtere juſſis, ſi feſtinet, ad illa tranſeat: deinde ſolutus redeat, quum illa revocaverint. Ac ad omnia properet, & quatenus fieri poteſt, idem tempus habeat: tranſvoletque ex Armenia in Mediam: hinc autem uno impetu in Iberiam, inde in Italiam, ita ut nullam occaſionem prætermittat. Præcipue autem ſpeculo ſimilem mentem præbeat, liquido nimirum & ſplendido, quodq; accuratum centrum habeat, & quales operum formas receperit, eaſdem etiam tales ſpectãdas exhibeat: at nihil perverſum, nihil colore, nihil ſpecie diverſum reddat. Non enim perinde atq; oratoribus ſcribunt, ſed hæc quidem ſunt, quæ dici debent, & dicentur, ſiquidem jam facta ſunt; verum ea collocare ordine, & exponere

oportet. Quare, non quid dicant, ipsis est quærendum, sed quomodo dicant.

Prorsus autem putandum est, eum qui historiam scribit, Phidiæ, aut Praxiteli, aut Alcameni, aut alii cuipiam illorum similem esse oportere. Neq; enim illi aurum, vel argentum, vel ebur, aliamve materiam faciebant. sed ea præexistebat, & suppeditantibus Eleis, vel Athenienſibus, vel Argivis, præparata erat. Illi vero fingebant tantum, & secabant ebur, & poliebant, & conglutinabant, & concinnabant, atque auro incrustabant. Et hoc illorum artis erat, commode materiam exædificare. Hujusmodi etiam est scriptoris opus, ut quæ facta sunt, rectè disponat, eaq; quam fieri potest, clarissime proponat. Ac quando auditor, se ea quæ narrantur, audire putaverit, ac postea laudaverit, tum demum opus hoc erit absolutum, propriamq; laudem historico illi Phidiæ, seu artifici suo reportarit.

Porro jam adornatis omnibus, aliquādo etiam sine proœmio exordietur, scilicet quum res non admodum urgebit, ut opus præfatione aliqua præparetur. Potentia vero etiam tunc proœmio utetur, quo dicenda declaret. Quum autem proœmium adhibebit, à duab. tantum rebus exordietur, non more rhetorum à tribus: sed omisso benevolentiæ loco, attentionem & docilitatem parabit auditoribus. Ipsi enim animum advertent, si de magnis rebus, aut necessariis, aut ad ipsos pertinentibus, aut utilibus, se dicturum ostenderit. Intellectu autem facilia, & plana posteriora faciet, si causas præmittet, & rerum gestarum summa capita præfiniet. Proœmiis hujusmodi optimi historiarum scriptores usi sunt. Herodotus quidem, ne res gestæ longinquitate temporis interirent, magnæ adeò, atq; admiratione dignæ, idque cum victorias Græcorum, & clades barbarorum declarent. Thucydides autem, quod magnum etiam ipse bellum illud futurum existimaret, & memorabile maxime, & ante gestis majus, cum in eo magna damna contigissent. Magnum autem erit proœmium, quod rebus proportione respondebit, seu longum, seu breve fuerit.

Transitio autem ad narrationem mollis & placida sit. Omnino enim omne reliquum historiæ corpus, longa est narratio. Quare & virtutibus orationis exornetur, leviter & æqualiter procedens, sibi simillis, ita ut neq; extet, neq; hiatus habeat. Deinde & perspicuitas efflorescat, dictione, seu dixi, & complexione rerum adornata. Absoluta enim & perfecta omnia reddet: & primo ad finem perducto, mox secundum inferet, illi continuatum, & in modum catenæ coaptatum, ut nihil interruptum inlit, neque multæ sint narrationes mutuò sibi adjacentes: sed semper quod primum est, secundo non vicinum sit modo, sed etiam cum eo communicet, & per extrema commisceatur. Brevitas in omnibus est utilis: & maxime si rerum dicendarum inopia non fuerit: & hanc non tam à nominibus & verbis, quam à rebus ipsis suppeditari oportet. Dico autem si parva, minusq; necessaria percurras, magna autem copiose exponas. Quin potius multa prætermittenda. Neque enim si convivio accipias amicos, omniaq; fuerint apparata, ob hoc inter media bellaria, & aviculas, & patinas tam multas, & capros, & lepores, & lumina, saperdam quoque apponens, & pulmentum, si illud etiam fuerit apparatum. Sed quæ viliora sunt, negliges.

In primis vero sibi temperandum in descriptionibus montium, vel murorum, vel fluminum, ne vim orationis ineptè ostentare videaris, & omissa historia tuum ipsius negotium agere. Sed quum illa paulum attigeris, utilitatis & perspicuitatis tantum gratia, mox inde digrediaris: evitato quod in illa re est glutino, omnique hujusmodi ganea, veluti magnanimum Homerum facere vides: qui quāquam est poeta, Tantalum, Ixionem, Tityum, alioſq; percurrit. At si Parthenius, vel Euphorion, vel Callimachus eadem tractaret, quam multis putas versibus aquam ad labia usque Tantali adduxisset? Deinde quam multis idem Ixionem volutasset? Quin & Thucydides ipse modice hac orationis specie usus, vide quam citò ab ea recedat, sive machinamentum exponat, sive necessariam atque utilem obsidionis speciem declaret, aut etiam civitatum formas, aut Syracusanum portum describat. Quum enim in pestis narratione longior esse videtur, tum res ipsas considera: sic enim brevitatem cognosces, ac celeritatem: & ut rerum multitudo fugientem ipsum apprehendit.

Quod si quando quispiam orationem habens erit introducendus, convenientia personæ, reiq; propria, eaq; quam planissimè dicantur: nisi quod licet tibi tunc rhetorem agere, & gravitatem orationis ostentare, Etenim laudes, aut vituperia parce, circunspectè (ita ut calumnia vacent) præterea cum demonstratione, & celeriter ac tempestivè adhibenda sunt: siquidē hæc à foro sunt aliena. Alioqui in eadem eris culpa qua Theopompus, qui plurimos odiose nimis accusat, & eam rem in studium quoddam vertit, ut accuset magis, quam res gestas historiæ tradat. Jam vero & fabula: si qua fortè incidat, dicenda quidem erit, non tamen confirmanda, sed in medio ponenda iis qui ut volent, de ea conjecturam facient. Tibi vero sit extra periculum, & in neutram partem inclinet.

In universum autem illud memineris: sæpius idem dicam. Ne ad præsens tempus duntaxat respiciens, scribas, ut qui nunc vivunt te laudent & colant: sed ad universum ævum cogitationem intendens, ob posteritatem potius historiam componas, & ab illis mercedem scriptionis deposcas, ut & de te aliquando dicatur: Ille sanè vir fuit liber, & ad dicēdum fiducia plenus: nihil adulatorium, neq; servile, sed veritatem in omnibus secutus. Qui sapiet, hoc supra spes præsentes, quæ adeo sunt momentaneæ, ponat. Annon vides Cnidium illum architectū ut fecerit? Cum enim extruxisset illam in Pharo turrim, maximum, atq; pulcherrimum omnium operum, ut ex eā accensæ faces magno maris spatio navigantibus illucerent, ac ne in Parætoniam, locum, ut ajunt, omnino periculosum, & inextricabilem, si quis in scopulos inciderit, deferrentur. Postquam igitur hoc opus exædificasset, intus in saxis suum nomen inscripsit: quo calce illitā occultato, nomen ejus qui tum regnavit, superinscripsit, ratus, id quod etiam evenit, fore ut brevi admodum, literæ illæ cum illita calce caderent: hoc vero appareret: Sostratus Cnidius, Dexiphanis filius, Diis servatoribus pro salute navigantiū. Hoc pacto neq; temporis illius, neq; brevis suæ vitæ rationem habebat: sed ad præsens, perpetuumq; tempus respiciebat, quod dum turris illa staret, sua ars etiam maneret. Quare sic etiam cum veritate potius ad spem futuram, quam cum adulatione, ad eorum qui nunc laudantur voluptatem, historia est cōscribenda. Hæc tibi historiæ justæ regula & amussis: ad quam si qui perpendant, bene se res habet, & commodum hæc à nobis scripta sunt: sin minus, volutatum est in Cranio dolium.

Quomodo conscribenda sit historia.

Philostratus: Otiosus quidam invidusq; cætera quidem Damidis de Apollonio scripta probabat, id vero improbabat, quod minima etiam dicta operi suo inseruisset, catellos imitatus, qui cænantibus dominis, micas de mensa cadentes colligunt. Rectè, inquit Damis: nam convivium hoc Deorum est, & convivæ Dei, quorum famulis maxima cura est, ne qua etiam minima ambrosiæ particula, si forte ceciderit, pereat. *lib. 1. cap. 13. fine.*

Libanius: Enimvero quando qui in dicendo excellunt, literarum monimentis inserunt actiones aut pejores aut meliores, necesse est has immortales permanere. Nonne videtis hunce dira perpetietem in scena, & domum ipsius per Pasiphaes libidinem dedecore fœdatam? hæc tamē multos homines latuissent, nisi ubiq; gentium Tragœdiæ sermonem sparsissent. Jam vero quia ille cum civitate acerbe molesteq; se gesserat, cum in mari principatum haberet, per poetas etiam post obitū punitur. Quapropter cavete ne linguas in vos multas concitetis: neve negotium elevantes hostes civitati feceritis. *Declamat. 29.*

Basilius Imp. Evolvere ne unquam cesses historias veterum: ibi enim reperies sine labore, quæ alii magno cum labore congesserunt: atq; inde bonorum virtutes, & improborum vitia cognosces: & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones: mundi hujus instabilitatē, & imperii ad cadendum pronitatem disces. Breviter malefactorū pœnas & bonorum præmia leges: quorum illa fugies, ne ultionis quæ inde sequitur severitatem patiaris: hæc autē amplecteris, ut præmia quæ ex eis manant consequi merearis. *cap. 56.*

¶ Romanorum.

Plinius Junior: Collegi epistolas, non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam) sed ut quæq; in manus venerat. *lib. 1. Epist. 1.*

Plinius Junior: Petis ut tibi avunculi mei exitū scribam, quo verius tradere posteris possis. gratias ago, nam video morti ejus, si celebretur à te, immortalem gloriam esse propositam. quamvis enim pulcerrimarum terrarū, ut populi, ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus, occiderit: quamvis ipse plurima opera & mansura condiderit, multū tamen perpetuitati ejus, scriptorū tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quib. Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda. beatissimos vero quib. utrumq;, horū in numero avunculus meus & suis libris, & tuis erit. quo libentius suscipio, depoſco etiam, quod injungis. *Epist 16. lib. 6.*

Plinius Secundus: Auguror (nec me fallit augurium) historias tuas immortales futuras, quo magis illis (ingenuè fatebor) inseri cupio nam si esse nobis curæ solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare, ut operibus nostris similis tui scriptor prædicatorq; contingat? Jucundum igitur mihi futurum, si factum meum, cujus gratia periculo crevit, tuo ingenio, tuo testimonio ornaveris. *lib. 7 Epist. 32.*

Plinius Junior: Hæc utcunq; se habent, notiora, clariora, majora tu facies. quanquam non exigo ut excedas actæ rei modum. nam nec historia debet egredi veritatem, & honestè factis veritas sufficit. *fine epistolæ ultimæ lib. 7.*

Plinius unior: Suades ut historiam scribam, & suades non solus: multi hoc me sæpe monuerunt; & ego volo: non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas nisi expertus) sed quia mihi pulcrum imprimis videtur, non pati occidere quibus æternitas debetur, aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil æque ac diuturnitatis amor & cupido sollicitat; res homine dignissima, præsertim qui nullius sibi conscius culpæ, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito, si quā me modo possim tollere humo; id enim voto sufficit: illud supra votum, victorq; virum volitare per ora. quamquam ô! sed hoc satis est, quod prope sola historia profiteri videtur. Orationi enim & carmini parva gratia, nisi eloquentia sit summa. historia quoquomodo scripta delectat sunt enim homines natura curiosi, & qualibet nuda rerum cognitione capiuntur: ut qui vermunculis item fabulisque ducantur. *Epist. 8. lib. 5.*

Plinius Junior: Quanta potestas, quanta dignitas, quanta majestas, quantum denique numen sit historiæ, cum frequenter alias, tum proxime sensi. Recitaverat quidam verissimum librum, partemq; ejus in aliam diem reservaverat: ecce amici cujusdam orantes obsecrantesq; ne reliqua recitaret: tantus audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus faciendi quæ audire erubescunt. & ille quidem præsti-

permittit quod rogabatur: sinebat fides. liber tamen, ut factum ipsum manet, manebit, legeturq; semper, tanto magis quia non statim: incitantur enim homines ad agnoscenda quæ differuntur. *Epist. 27. lib. 9.*

§ Poetarum.

Foca Grammaticus.

O vetustatis memoranda custos
Regios actus simul, & fugaces
Temporum cursus docilis referre
Aurea Clio.
Tu nihil magnum sinis interire,
Nil mori clarum pateris, reservans
Posteris prisci monimenta sæcli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed aperta quicquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice linguæ.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ:
Militat Virtus tibi te non ante
Crimina pallens.
Tu fori turbas, strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu.
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.

Guntherus lib. 4. v. 603.

Non est exigui de tanto Principe vatis
Scribere: magnificum desiderat ille Poetam,
Nos animo tenues, & nullo robore fulti,
Sudamus facilem magno sub fasce laborem.
Adde quod absenti de multo panca referre,
Remq; verecundo leviter perstringere tactu
Sufficit: hi solidè possunt describere gesta,
Quos oculata fides, simul & præsentia factis
Instruit, & notus falli non sustinet ordo.
Nos procul absentes, regalia cernere facta
Cæsaris indigni, vulgata superstite fama,
Paucula de multis tenus suscepimus aure.

§ Apologi.

Venator & Leo. Avienus.

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis, atque Leo.
Hi quum perpetuum cuperent in jurgia finem,
Edita continuo forte sepulchra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuisse viri.
Scilicet adfirmans pictura teste superbum
Se fieri, extinctam nam docet esse feram.
Ille graves oculos ad inania signa retorquens
Infremit & rabido pectore verba dedit:
Irrita te generis subijt fiducia vestri.
Artificis testem si cupis esse manum.
Quod si nostra novum caperet solertia sensum,
Scalperet ut docili pollice saxa Leo.
Tunc hominem aspiceres oppressum murmure magno,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

§ Apophthegm. Christianor.

Fredericus Saxoniæ Dux: At quæ non utilitas ex historiis? Cubabat sibi præscribi historiarum epitomen Elector Fredericus, quam etiam in gravissimarum rerum deliberatione adhibebat: nec raro dicebat: *Haud voluptatis ergo tantum historiarum cognitione oblector, sed potissimum, quod ea ad bene beateq; vivendum vivæ exempla & commonefactiones ob oculos ponant.* Historia namque merito hoc encomio gaudere debet,

——quod gestis præsit custodia rebus,
Et det, quod caveas, quodq; sequaris iter:
Priscaq; ne veteris vanescat gloria sæcli,
Gaudeat invisis eruere è tenebris:
Et sua virtuti dare præmia, & impia rursum
Sedula famosis mittere facta notis.

Georg. Richt. in Axiom. Oeconom.

§ Monosticha Trochaica.

Fabula est non historia, alma Veritas cui non præest.
Historia, ut speculum, aque turpia atq; pulcra detegit.
Historiam haud malam putato regnat in qua Veritas.
Historicus minime intuetur quos videt sed posteros.
Historicus ne quare quidnam scriptites sed quomodo.
Historicus non ad præsentes respicit sed posteros.
Historicus solummodo uni Veritati supplicat.
Historico libertas adsit, Historico adsit Veritas.
Præmium boni, pœnam mali, historia omnis indicat.
Recti exempla Historia præbet, aut mali solatia.
Tota publicis ex actis eruatur Veritas.

§ Jambica.

Cura vacet Historicus ac negotio.
Historia in omne hominum beneficia exstat genus.
Historia non scribenda odio, sed ex fide.
Iustissimum est animo historia omnis pabulum,
Philosophiæ totius historia est parens.
Secura ubique historia est experientia.
Sine veritate historia, animal sine lumine est.
Sub Principe omnis lubrica historiæ est fides.

Homicidii.

§ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus*: Homicida, tametsi facinus ejusmodi valde interdictum sit, tamen ab animo ac voluntate sæpe laudem est adsecutus. *Hom. 24. Cor. 2.*

D. Io. Chrysostomus: Quamdiu nos alter alteri insidiabimur, sicut feræ & sicut pisces? Imò verò feræ non parant altera alteri insidias, sed iis quæ sunt diversi generis. Ut puta ursus ursum non confestim interimit: neq; serpens de medio tollit serpentem, ut qui revereatur quod sit ejusdem generis. Tu autem eum qui est ejusdem generis, & quo cum jura habes innumerabilia, cognationem, rationem, Dei cognitionem, vim naturæ & alia innumerabilia & qui est ejusdem naturæ, particeps, perimis, & in mala injicis innumerabilia. Quid tum enim, si gladium non adigis, neque in collum dexteram immergis? Alia facis hoc graviora, in perpetuas injiciens molestias. Nam si hoc fecisses, à perpetua liberasses sollicitudine. Nunc autem injicis in famem, servitutem, ægritudines, & multa peccata. *Homilia 25. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Quod Christus viros sanguinum abominetur, nec eos dumtaxat, verum etiam omnes qui cum ipsis degunt (quod scilicet eorum flagitia & scelera minimè ulciscantur) in Herode ostendit. Etenim post nefariam Baptistæ cædem, relicta regione secessit. Quocirca, nisi & teipsum, & omnes cives, Herodis fatum subire vis (cum quibus & domus tua, & liberi de medio tollentur) immanem istum furorem comprime. Quid frustra in malam pestem, & exitium festinas? *lib. 1. Epist. 233.*

Isidorus Pelusiota: Quid insolenter per urbem graderis, homo arrogans? Quid quietam ac pacatam vitam turbas? Quid mansuetudini bellum infers, nec Deum metuens, nec flagitii tui pudore suffusus? Nam quia probum virum necasti, multæ te linguæ proscindunt. Quoniam autem, perinde atque improbo quodam viro de medio sublato, hujusmodi cæde gloriaris, plures te rursum tragicis verbis insectantur. Animadverte igitur, ô stolide, num ut Moses cædem perpetraris: aut, ut Phinees, zelo exarseris: aut, ut Samuel, divinam injuriam ultus sis: aut, ut Elias, impietatis vindicem te præbueris: ac tum ob admissum facinus magnifice de te senti. Quod si nec lex ulla te designavit, nec belli ordo armavit, nec divinum oraculum te ad tribulis tui profundendum sanguinem immisit, quod potius cum inimicis caritatem sancire præcipit: satius tibi nunc fuerit, ut imbutas cruore manus tuas expies, cruorem tuum effundendum dedas, quam ut animo scelus retineas, ac futuræ vitæ tribunalibus ad sempiternum cruciatum serveris. *lib. 1. Epist. 297.*

Isidorus Pelusiota de Baptista: Cum Herodes timori suo quasi quoddam velum obtendisset jurisjurandi religionem, suæque improbæ voluntati præstruxisset periculum quod ex eo impenderet, si perjurium committere videretur, ad cædem processit. Neque enim figuram ac strepitum judicii, sicut à multis (in caussa simili) factum est, proposuit; neque accusatores constituit: neque testes mercede conduxit aut subornavit. Norat enim, se non eum hominem punire qui iniquè ageret, sed qui injustitiam insectaretur. At ipse quidem eo fine, ut reprehensionem occultaret, improvide & absq; judicio scelus illud perpetravit: Ioannes autem non tacuit, sed clarius multo prædicat. Nam hodieq; per omnem terrarum orbem, ubicunque Sol splendet, clamat: Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui. *lib. 4. Epist. 96.*

§ Latinorum.

S. Salvianus: Non sunt longe ab occidentibus, qui animo occisionis oderunt. *ante fin lib. 8. de gubern. Dei.*

Ennodius: Hunc debitum exitum sequitur: nec à jugo supplicii erit alienus, qui humano sanguini non pepercit. Misericordia est circa facinorosos servata districtio. *Vitæ Antonii cap. 8.*

§ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Lysias: Dionysidorum & alios multos, cum Triginta illi imperarent, occidit, judicem se contra illos professus. quæ cum faceret, & me privatim, & omnes vel affinitate vel cognatione illis conjunctos graviter læsit: Rempublic. vero universam, exceptis ipsi talibus viris, ut ego existimo, non parum afflixit. *cap. 1. contra Agoratum.*

Lysias: Si Agoratum hunc absolvitis, non hujus tantũ causſam expeditis, ſed etiam viros illos, quos veſtri ſtudioſos fuiſſe contemini, hac eadem ſententia condemnatis. Dum enim hunc qui cauſſa mortis eorum extitit crimine liberatis, nihil aliud ſtatuitis, quam illos jure ab hoc eſſe interfectos. *cap.* 24. *Orationis contra Agoratum.*

Simplicius: Et Deus & leges & homines prudentes conſiliũ & voluntatem intuentes, ut quæ in noſtra poteſtate ſint, peccata rectèq; facta diſcernunt, non autem ipſas actiones quæ in noſtra poteſtate non ſunt, quæque conſiliis ac voluntatibus diſcernuntur. Nam cædi non voluntariæ, ut quæ non conſulto neq; arbitratu noſtro facta ſit, quæq; in noſtra poteſtate non fuerit, venia datur. Qui vero jure meritoq; aliquem occiderit, etiam laudatur. Ita non ipſæ actiones laudem aut vituperationem in ſeſe continent: ſed conſilio & voluntate, quæ in nobis ſitæ ſunt, diſtinguuntur. *ad cap.* 1. *Epict.*

Philoſtratus: Quænam ſapientia eſt, eum quem coronari oporteret, etiamſi illum conſulto interfeciſſet, ne involuntaria quidem cæde, quæ tamen pro ipſiſmet patrata ſit, expiaſſe? *lib.* 6. *Apollonij cap.* 3.

Libanius: Leges volunt omnium quæ in homines perpetrantur, homicidium facinus eſſe deterrimum: ideoq;, ne menſa, inquit lex, cum homicida communicator, ne libatio, ne crateres, ne forum: & in judicium ſi adductus ſit, mortis pœna afficitor. Præclariſſimum eſt & maximorum bonorum, participem eſſe arcanorum ſacrorum: ſed & ab his ipſis ſacris homicidam leges repellunt. Ac ne per imprudentiam quidem factis cædibus, prorſus illæ veniam dant: verum per prudentiam factas odio proſequuntur majore, his tamen & ipſis pœnam conſtituere, exilio præfinito, in quo domeſticis commodis ſit carendum. Uſq; adeo autem execrabiles & Deis inviſos eſſe homicidas credidere; ut ſi quis forte teſtum ſubjiſſet, ſub quo huic facinori obnoxius degeret, eum cenſerent in ſceleris communitate: quiq; cum auctore illius congreſſus eſſet, eum non multo innocentiorem eſſe *Progymnaſm. contra Homicid.*

Libanius: Enimvero multæ res per ſe conſideratæ videbuntur diræ atq; horridæ, tametſi vitia inſignia non habeant, & æqua ratione & occaſione aſſumpta, ob quam factæ ſunt, quod ante crimini tribuebatur, ad commendationem transferunt: ut ſi quis eum in graſſatores inciderit, & irruentes in ſe antevertens occiderit, cædem ab eo factam non eſſe nemo negaverit. num ergo ob id par eſt eum qui patravit pœnas dare? minime gentium. nam jus additum rei, actionem laude dignam reddit. Item ſi quis hoſtem trucidaverit dum defendit ſe, rem ita geſtam per ſe examinatam nullus cædis accuſaverit: ſed ejus conſilio perſpecto, ut ſtrenuum virum potius admiraretur. Jam quod maximi momenti eſt, ſi quis adulterum cum uxore deprehenſum, juſta excandeſcentia ulciſcatur: atq; eum aliquis in jus vocatum, ut in actione cædis, accuſationem inſtituat: nonne qui in diſcrimen vocatur, juſtè ſe defenderit his verbis? Equidem iſtum judices, leges contemnentem deprehendi, & inſultantem cõtinentiæ: & quæ mihi preti ſiſſima erant depravantem, uxoris conjugium, (quam bona ſpe fretus duxeram, at ab iſto deceptus ſum:) & liberorum mihi ſatum non purum efficientem, & familiam meã ſurſum deorſum ſubvertentem: non tuli facinus dirum: perturbatus ſum aſpectu: & actionem diis conjugalibus decoram peregi, & caſtitati & legibus congruam, hoc nefario interempto, huic etiam adjuncta muliere; & ſimul ambo peccantes communis excepit ineritus. Si per Deos hæc diceret, non ob ea admirationi foret? nonne mihi quoq; hercle talia dicere conveniet? *Declam.* 5.

¶ Romanorum.

Quintilianus: Non continuo occiſus homo ad crimen & ad damnationem pertinet, cum hoc interim legibus facere liceat. Quotiens autem licet, etiam oportet. Exulem occidere intra fines licet. Id jus dupliciter efficitur. Aut enim redit cui omnino licet, aut non redit niſi licet. neſcio an ex iis duobus etiam juſtius videatur occidi cum redit contra leges, qui aliquando jure rediturus ſit. illum enim ſane cupiditas patriæ & ultima deſperatio cogat aliquando furtum facere juri. Præterea cum aut ita revertantur exules tanquam in hoc fallant, aut ita tanquam his facere liceat, aliquando magis ii occidendi ſunt qui palam contra jus reverſuntur. Illis enim remiſſum furtum non utiq; nocet in exemplum, neq; is qui ſe agnoſcit contra jus reverti, diu intra fines manſurus eſt. Is vero qui contra legem ſciens redit, tentat jura vincere, & in impudentia ſua perſeveraturus. *Declamat.* 248. *p.*

Quintilianus Senior: Nullus eſt tam vilis hominis ſanguis, ut non manus inquinet. *Declam.* 291. *a. m.*

¶ Poetarvm.

Guntherus. lib. 4. v. 172.

——— *Quiſquis jura tuetur*
Eccleſiæ, regnive decus, ſi forte cruorem
Fuderit humanum, non eſt homicida ſed ultor.
Hoc ſiquidem bellum, quod juris amore, coacto
Milite ſuſcipitur; moratum non culpa vocatur.

¶ Apologi.

Æſopi Homicida: Homicidam quidam occiſi cognati perſequebantur. Ad Nilum autem fluvium cum veniſſet, occurſante ei Lupo timore perculſus, arborem ad fluvium conſitam conſcendit & in ea latuit. Inibi vero Draconem contra attollentem ſeſe intuitus, in fluvium deſiluit, ſed in eo eum Crocodilus diſcerpſit.

¶ Apophthegmatum Sacror.

David: Quum Joab & Abiſai dolo interfeciſſent Abnerum fortiſſimum belli ducem, David non conſcio tanti ſceleris, id poſtea David audiens, dixit, Inſons ego ſum, & regnum meum apud Jehovam uſq; in ſeculum à ſanguinibus Abneri filii Neri. Maneant ſuper caput Joabi, & ſuper caput totius domus paternæ ejus: neq; deficiat à domo Joabi fluxum patiens, &c. Deinde ſepulto & deſiderato non ſine maximo luctu Abnero, & reipſa teſtante David quam ægrè tuliſſet indignũ iſtud facinus, dixit ſervis ſuis, An neſcitis principem & quidem magnum cecidiſſe die hoc in Iſraele? Ego autem hoc tempore infirmus ſum, homines vero iſti, nempe Joab & Abiſai firmiores ſunt me: rependet Jehova ei qui fecit hoc malum ſecundum maleficium ejus. Ut poſtea accidit, nam juſſu Davidis ſub Salomonis regno Joab expreſſo Davidis morituri mandato interfectus eſt. *Vide* 2. *Sam.* 3. 28. *&* 1. *Reg.* 2.

David Rex: Morte Saulis per Amalekitam quendam nuntiata, qui ſe interfectorem Saulis fuiſſe profitebatur, dixit ad eum David, quomodo non timuiſti extendere manum tuam ad perimendum unctum Jehovæ? vocanſq; unum ex pueris ſuis dixit, Accede, incurre in eum, qui percuſſit eum ita ut moreretur: cum dixiſſet ad eum David, Cædis tuæ cauſa eſt ſuper caput tuum: nam os tuum teſtatum eſt contra te dicendo, Ego morte afficci unctum Jehovæ. 2. *Samuel.* 1. 14. 15. 16.

Salomon: Quum Joab multiplici homicidio pollutus, juſſu Salomonis ad juſtum ſupplicium raperetur à Benaja, & è tentorio Jehovæ nollet exire, dicens, Hic moriar, & retuliſſet Benaja rem Salomoni, dixit rex, Fac quemadmodum locutus eſt, & irrue in eum, deinde ſepeli eum: ut amoveas culpam ſanguinis immeriti, quem effudit Joab, à me & à domo patris mei: & retorqueat Jehova ſanguinem ejus in caput ejus, qui irruit in duos homines (Abnerum & Amaſam) juſtiores & meliores ſe, & occidit eos gladio, patre meo David ignorante. Sic reverſus cædibus eorum in caput Joabi, & in caput ſeminis ejus in ſeculum: David, id eſt ſemini ejus & domui ejus, ac ſolio ejus ſit pax uſq; in ſeculum a Jehova. Itaq; aſcendens Benaja irruit in Joabum & morte affecit: deinde ſepultus eſt domi ſuæ in deſerto. 1. *Reg.* 2. 31. &c. Neceſſe eſt authores injuſtæ cædis è medio tolli, ut regna & reſpublicæ florere poſſint. Sunt enim homicidæ piacula, id eſt, res tales quæ, niſi tollantur, totas gentes polluunt, & iram Dei adverſus regna & populos irritant. Quamobrem pœnæ homicidarum non ſolum utiles ſunt reipublicæ, ſed etiam neceſſariæ.

Idem: Deſcribit & damnat per os Salomonis Deus juſtus judex homicidas, eorum organa, & qui illis conſentiunt, *Prov.* 1. 11. uſque ad 20. Homicidæ gladio peribunt, *Prov.* 28. 17. Injuria item & vis ac omnis crudelitas damnatur, *Proverb* 3. 30. & 17. 11. & 24. 15. Nec malum pro bono reddi vult. *Proverb.* 17. 13. *&* 20. 22. *Vide Ira & Iracundia.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Audiſtis, inquit, dictum fuiſſe à veteribus, Non occides: quiſquis autem occiderit, tenebitur judicio. Ego vero dico vobis, quicunque iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur judicio: quicunque vero dixerit fratri ſuo Raca, tenebitur conſeſſu: quiſquis autem dixerit, Fatue, tenebitur gehenna ignis. *Matth.* 5. 21. 22.

Idem: Petro diſcipulo ſuo, ſine vocatione, intempeſtivo zelo, & imprudenter admodum gladio abutenti, quum percuſſiſſet ſervum Pontificis, nomine Malchum, ejq; auriculam amputaviſſet, dixit Ieſus, Cõverte gladium tuum in locum ſuum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. *Matt.* 26. 52.

Idem: Judæis dira quæque in eum molientibus, ſanguinarium animum exprobrans dicebat, Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis adimplere. Homicida erat ab initio, &c. *Ioann* 8. 44.

Stephanus Martyr. Cauſam veritatis agens coram Judæis adverſariis, amentiamque illorum (qui patrum impiorum ſequebantur veſtigia) perſtringens, dicebat eis, Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Occiderunt eos qui de adventu Juſti prænunciabant, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis. *Actor.* 7. 52.

Macedonius: Propter novam pecuniarum exactionem quum ſeditio Antiochiæ orta eſſet, & oppidani ſtatuam Placillæ imperatricis deturbaſſent, & per urbis plateas traxiſſent, Theodoſius quoſdam militum præfectos eo miſit qui populum variis ſupplicüs afficerent. Hos autem Macedonius monachus, vir pietate & vitæ ſanctitate illuſtris tali oratione compellavit: Chariſſimi viri, hæc verba Imperatori referte, Non ſolum Imperatorem eum eſſe, verumetiam hominem. Itaque ne oculos tantummodo ad Imperium adjiciat, ſed ſuam ipſius naturam mente complectatur. Nam cum homo ſit, illis imperat, qui ſunt ejuſdem naturæ participes. Humanam autem naturam ad imaginem & ſimilitudinem Dei fabricatam eſſe. Quare ne tam crudeliter & inhumane imaginem Dei è medio tolli jubeat. Nam bilem movet opifici, cum ejus imaginem contumelioſè tractet. Conſideret enim, quam iniquo animo tulerit ipſe æneam conjugis imaginẽ contumelia affectam eſſe: ſe tamen in imaginem Dei cõtumelioſum eſſe non dubitare. Ac quantum interſit inter imaginem inanimam & animatam,

tam, vivam & rationis expertem, omnibus mente præditis perſpicuum eſt. Illud præterea ſecum cogitet, nobis perfacile eſſe pro una æneâ imagine multas fabricare: ſed eum non poſſe omnino facere vel pilum unum illorum qui interfecti ſunt. *Theodoretus eccleſiaſt. hiſtor. libro quinto, cap. 19.*

¶ Monosticha Trochaica.

A cruore beſtiarum ventum ad hominis ſanguinem eſt
Attulit profecto mortem, cauſſa qui mortis fuit.
Etiam digitulis duobus elidas alicui gulam.
Fortitudinis non eſt, ſe tollere, at dementiæ.
Ipſemet interimas, an mortis cauſſam præbeas, idem eſt.
Longe ab occidente non eſt, mens cruore cui madet
Longe ab occidente non ſunt, mens quibus cruentior.
Mens cruenta ab occidente queſo dic quid differat?
Mors eſt omnium, ſed non niſi peßimorum homicidium
Nec loquendum nec bibendum cum truci cadis reo.
Non tam facile occidere homini eſt probo quam perdito
Nunquam hominem necabit, ante qui haud necavit beſtiã.
Particeps parem ſibi peſtem qui alteri exitium parat.
Qui perituro non ſuccurrit cum poteſt, eum necat.
Qui poteſt auferre letho quem, nec id facit; necat.
Sapius vocem pereuntis inſtans conſumpſit metus.
Si de marte liberare quem potes nec fit, necas.

¶ Jambica.

Etiam eſt homicida homicidæ qui ſubit domum.
Etiam eſt homicida qui puellum interfecit.
Gladio peribit quisquis gladium ſumpſerit.
Haud omnis eſt cadis reus qui quem necat.
Homicidam habe qui hominem abſq; lege interficit.
Homicidii radix ab iracundia eſt
Hominem necat cui non ſuccurrit cum poteſt.
Inter homicidam atq; invidum parum intereſt.
Irritat ipſe adſpectus animum ſanguinis.
Non omnis eſt cadis reus quiquem necat.
Occidere eſt, vetare cupientem mori.
Occidere & ictu uno virum mulier poteſt.
Occidit is qui haud ſubvenit cui, cum poteſt.
Perturbat animum homicidii cogitatio.
Qui dat furenti enſem, furentem interfecit,
Qui inimicus eſt, non protinus interfector eſt.
Quicunque ſanguis, hominis inquinat manus.
Virum neces ferro, an verbo, nil intereſt.

Homicida Sui.

Videatur Biothanatu.

Hominis Generatio.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

Clemens Alexandrinus: Et cum de informatione agunt hominis quæ facta eſt ex pulvere, terreum quidem eſſe corpus philoſophi ſigillatim pronunciant. Homerus autem non vereatur ponere loco execrationis:

Omnes in terram ſed vos redeatis & undam.

ſicut Eſaias, dicens: Et conculcare ipſos tanquam lutum. Callimachus autem ſcribit dilucidè:

Erat q; tempus cum volucrium ſæcla,
Et quadrupes, & quicquid occulit pontus.
Vocem efferebat, & lutum Prometheum.

Et rurſus: idem,

Si te ipſe Prometheus
Finxit, & ex alio non dedit eſſe luto.

Et Heſiodus dicit de Pandora:

Vulcanum inſignem juſſit mox pulvere limpham,
Miſcere, vna hominis q; illi præbere loquelam
Et mentem. lib. Stromatum quinto.

¶ Latinorum.

Zeno: Hominis vultus uſq; adeo eſt incertus, ut idem in duobus per orbem totum non poſſit inveniri terrarum. *Sermone 4. de Geneſi. med*

Chryſologus: Sollicitaret me accerbi partus ſubita & confuſa tempeſtas, & immatura germinum me pullulamenta turbarent, niſi crebro diſruptis temporum moris, & rudi latrocinia, & fractis iſcerum clauſtris, repentina vivendi lucra quærerent, & parerent naſciturl. Hinc eſt, quod homo ſæpe menſis decimi deſpiciens terminum, ſeptimo menſe anguſtus primæ domus, & arctas uteri abiicit & deſerit manſiones, ut præliator novus ante ſe tempus eviciſſe gaudeat, quam dependat ipſe ſuam temporibus ſervitutem. *Sermone 56. Principio.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Alcinous: Cum hæc fabricata eſſent, tria animantium, quæ quidem mortalia futura eſſent, reſtabant genera; volatile, aquatile, & pedeſtre: quorum generationem filiis mandavit ſuis: ne ſi hæc quoque ab eo eſſent facta immortalia non minus eſſent quam reliqua. Illi igitur à prima materia particulas quaſdam ad definitum mutati tempus, mortalia finxerunt animantium genera. Quoniam vero de humano genere, utpote diis proximo, tum patri omnium, tum etiam natis cura erat, animas illorum aſtrorum pares numero, ipſe eorum artifex in terram diviſit. Cumque quamlibet cognato impoſuiſſet aſtro, tanquam vehiculo, ſingulis, legislatoris inſtar, fatales leges pronunciavit, uti extra culpam eſſet ipſe. Futurum nimirum ut affectus è corpore naſcerentur mortales: primo quidem ſenſus, tum voluptatem & dolorem, metumque, & iram: quos quæ ſuperarent, neque vim ſibi inferri permitterent juſte victuras; & in cognatum redituras aſtrum denique. Quæ vero ab injuſtitia ſuperarentur, ſecundo ortu vitam ducturas fœminæ. In quas ſi ab improbitate nondum ceſſarent, in brutorum tandem naturam migraturas eſſe. Finem vero laborum tunc demum futurum, cum innatos vicerint affectus, & ad proprium jam habitum redierint.

Dii autem præcipue quidem ex terra & igni, aereque, & aqua finxerunt hominem, quaſdam quæ aliquando redderentur partes, a materia mutuati, quas occultis ita inter ſe junxere vinclis, ut ex omnibus corpus conficerent unum. Partem vero animæ cœlitus immiſſæ præſtantiorem locaverunt in capite, cui tanquam agrum excultum, ſubjecere cerebrum. Circa autem faciem inſtrumenta ad miniſteria ſenſuum diſpoſuerunt idonea. Ac medullam quidem ex levibus ac ſine inflectione triangulis, ex quibus elementa creata fuerant, compoſuerunt; genitalis futuram ſeminis originem. Os autem ex medulla condidere & terra, iiſque irrigatis crebroque quaſi aqua & igne ſubactis Nervos item ex oſſe & carne. Ipſa autem caro, ex ſalſo & acuto, quaſi fermento quodam eſt compacta. Ac medullæ quidem oſſa circumdedere, nervos autem oſſibus, loco vinculorũ, ut per hos inflectiones eſſent faciles, conjunctionesque articulorũ. Quibus tegminis loco ipſa caro adjecta eſt, quæ alba partim, partim nigra, cum ad decorum, tum ad uſum viventis eſt tradita. Ex iis præterea interna contexta ſunt viſcera, uterque & circa ipſum inteſtina undique revoluta. Superne autem ab ore arteria & gula, quarum hæc quidem in ſtomachum, altera in pulmones defertur. Cibi porro in ventre ſpiritu ſimul digeruntur & calore quo ſcinduntur quaſi & conficiuntur: atque inde in corpus diſtribuuntur totum, ſecundum mutationes ſingulis proprias. Duæ autem venæ per dorſi comeantes ſpinam, contrario modo caput connectunt, obviæ ſibi invicem, atque inde in partes ſcinduntur plurimas. Poſtquam ergo Dii fabricarunt hominem, animamque illius tanquam dominam impoſuere corpori, partem animæ ipſius principem cujus eſt ratio, collocarunt in capite: a quo medullæ nervorumque origo deducitur: cujuſque pro affectione diverſa, mentis quoque ſequitur alienatio. Sed & ſenſus, capiti tanquam rationis adjidere ſatellites, una quæque cum ratione & judicandi vim & contemplandi. eas vero partes animæ, quæ perturbationibus moventur inferiori collocarunt loco. Iraſcendi vim in corde, concupiſcendi circa abdomen eaſque quæ umbilico partes vicinæ ſunt: de quibus poſtea diſſeremus.

Cum ergo luciferos in facie collocaſſent oculos, lumen illis incluſere igneum. Quod cum læve & quodamodo eſſet denſum, diurno futurum lumini cognatum exiſtimarunt. Hoc cum paſſim per oculos, maxime tamen per pupillas erumpit quod in eo puriſſimũ eſt maximeque ſincerum. Idque ipſum quia cum externo, utpote ſimile cum ſimili, conſentit, videndi præſtat ſenſum. Ideoque noctu, cum vel evaneſcit vel obſcuratur lumẽ, non amplius aeri ſe propinquo permiſcet hic noſter radius: ſed contra ad interiora ſeſubducens, eos qui in nobis ſunt motus lævigat & diffundit, atque ita ſomnum inducit: quo fit ut & palpebræ claudantur. Ac ſi plurimũ quidem quietis induxerit ſomnus, ferre ſine inſomniis ſurrepit. At ſi motus reſtent adhuc aliqui, crebra nobis viſa oboriuntur. Atq; hoc pacto phantaſiæ ſeu veræ ſive falſæ directe naſcuntur. Ab his non abſcendunt imagines, quæ in ſpeculis vel aliis translucentibus lævibusq; videntur corporibus, quæ quidem haud aliter quam per reflexionem exiſtunt Quatenus enim vel concavum vel convexum vel oblongum eſt ſpeculum, eatenus viſu diverſa intuentibus apparebunt: dum ad alias partes reflectuntur lumina, quæ in concavo quidem reſiliunt, in concavo vero coeunt. In quibusdam enim dextra atque ſiniſtra contrario apparent modo, in nonnullis æqualiter, in nonnullis contra quæ inferiora ſunt, transferuntur, & contra.

Ad perceptionem vero vocis datus eſt auditus: exoriens enim a motu, qui circa caput efficitur, ad hepatis ſedem deſinit. Vox autẽ, quæ per aures tranſiens cerebrumq; & ſanguinem, ad animam penetrat: & acuta quidem, quæ movetur velocius, gravis quæ tardius: magna quæ plurimum, parva quæ parũ. Poſt hæc narium facultas ſequitur quæ ad percipiendos nata eſt odores. Odor autem eſt affectio quædam, quæ a venis narium ad umbilici uſque deſcendit loca. Hujus præter duas quæ communiores ſunt, ſpecies, deſtituuntur nomine: fragrans odor dico, & graveolentia: quæ moleſti & jucundi appellationem habent. Odor porrò omnis aere craſſior, aqua eſt ſubtilior. Proprie namq; in iis aliquod odoris ſtatuitur genus, quæ mutationem nondũ ſuſceperunt perfectam, ſed communione quadam conſtant aeris & aquæ cujuſmodi ſunt quæ ad fumũ accedũt, & caliginem. His enim in ſe invicem abeuntibus, odorandi efficitur

ſenſus. Guſtum deinde variorum judicem ſuccorum Dii formarunt: venas quippe ab illo ad cordis porrexere ſedem, quibus diverſi examinari ſapores poſſent. Hæ ſiquidem dum dilatantur varie atque contrahuntur, prout illis offeruntur ſapores, eorum diſcernunt differentias. Sunt autem ſaporum differentiæ ſeptem, dulcis, acutus, acerbus, acris, aſterus, ſalſus, amarus. Et dulcis quidem natura reliquorum omnium contraria: ſiquidem humorem linguæ vi ſua perfundit atque delinit: cum reliqui aut perturbent eum & diſpellant, ut acuti: aut calefaciant, & ad ſuperiora ferantur, ut acres: alii vehementer abſtergant, atq; ita liquefaciant, ut amari: alii ſeorſim purgent abſtergantque, ut ſalſi. Ex aliis vero meatus contrahunt, ac adducunt: & illi quidem qui hoc aſperius faciunt, acerbi: qui lenius, auſteri appellantur. Tangendi poſtremo ſenſus à Diis formatus eſt, ut calida, ac frigida, mollia & dura, levia & gravia, lenia dignoſcat & aſpera, ac de ſingulorum judicet differentiis. Cedentia autē corpora dicimus, quæ tactum recipiunt: reſiſtentia, quæ minime cedunt. Hoc autem circa corporum ipſorum baſes evenit. Quæ enim amplas eas habent, ſtabilia ſunt ac ſolida: quæ contra exigua nituntur, cedentia ſunt ac mollia, facillimeque mutantur. Aſperum eſt, quod inæquale ac durum. Læve, quod planum ſimul & denſum. Cum vero calidæ affectiones & frigidæ maxime ſint contrariæ, diverſas quoque habent cauſas Nam quod acumine ac aſperitate partium ſecat, calidam affectionem id gignit: frigidam vero, quod ingreſſu denſius: dum tenuia quidem expelluntur, & in illorum ſedes craſſiora penetrare coguntur. tunc enim concuſſio quædā tremorque oritur, & quæ hinc in corporibus naſcitur affectio, rigor eſt.

Grave & leve per ſuperiorem & inferiorem locum definire non decet: nihil enim aut ſupra eſt aut infra. Nam cum omne cœlum ſit rotundum, & extremitate ſua convexa exæquatur, non oportet aliquid ſuperius, aliquid inferius nuncupare. Cæterum grave dicendum id eſt, quod difficile in locum à natura ſua alienū trahitur: leve vero quod facile. Item grave quod ex plurimis, leve quod ex pauciſſimis conflatum eſt partibus.

Reſpiramus autem hoc pacto. Cingit nos aer externus plurimus: qui per os nareſque cæteroſque ratione tantum cognitos influit meatus corporis. In quibus calefactus, ad extremum cognatumq; refluit aerem. Qua vero ex parte effluxit, externū rurſus ad interiora cogit aerem. Atq; hujuſmodi nunquam ceſſante ambitu, inſpiratio & expiratio efficitur.

Morborum autem cauſas conſtituit plurimas. Primam quidem, elementorum defectum atque exceſſum, locorum qui naturæ non conveniunt mutationes. Secundum vero, præpoſteram cognatarū partium ordinem: veluti ſi ex carne ſanguis, aut bilis, aut pituita fiat. Hæc enim omnia nihil aliud quam colliquationem & putrefactionem eſſe. Pituitam enim eſſe recentis carnis colliquationem. Sudores autem & lachrymas quaſi ſerum quoddam petuitæ. Et pituitam quidem in externis ſi intercipiatur partibus, vitiligines inducere, albas nigraſque. Intus vero deprehenſam, & cum atra bile commiſtam, comitialem qui ſacer appellatur procreare morbum. Acutam vero & ſalſam eas gignere affectiones, quæ in rigore conſiſtunt. Omnia enim à bile inflamata id pati neceſſe eſt corpora. Quippe innumeros ac varios bilis ac petuita gignit morbos. Febrem continuam ſi abundet ignis, quotidianam, ſi aer, quartanam ſi terra evenire putat. Reſtat ut de anima, facto hinc exordio, dicamus: etſi fortaſſe metuendum ſit nobis, ne bis idem dicere videamur.

Animam quippe hominum quæ immortalis eſſet, à primo accipientes Deo, Dii mortalium generum conditores, mortales illi dabas, ut dicemus, adjunxerunt partes. Verum ne vis ejus immortalis ac divina, delitiis inficerentur mortalibus, in ipſa corporis arce ſedem ei utpote principi omnium dederunt. Ille enim domicilii loco caput aſſignarunt: quod eandem cum hoc univerſo habet figuram. Reliquum vero corpus huic ad miniſterium quaſi vehiculum ſubjecerunt. Quin & duabus partibus mortalibus propria ſingulis quaſi domum aſſignarunt. Iracundiæ quippe in corde: cupidini vero locum medium inter umbilicum atque diaphragma: ibique vim eam veluti furioſum quoddam & agreſte animal conſtrinxerunt. Pulmonem gratia cordis mollem atque exanguem, fiſtuloſum præterea ſpongiæque ſimilem machinati ſunt, ut cor iræ ardore nonnunquā exæſtuans, illa quaſi refrigeratione mitigaretur. Jecur autem ad excitandam concupiſcentiam animæ, rurſuſque ad ſedandam eandē, dulcedinis ſimul & amaritudinis particeps eſt. At eas præterea divinationes illuſtrandas, quæ per ſomnia offeruntur. In eo ſiquidem propter levorem, denſitatem ac nitorem, eam quæ ex mente vim procedit, elucere. Splenem vero jecoris ipſius gratia, ut & purget ipſum, nitidumque efficiat. Itaque eas quæ ex morbis nonnullis circa hepar naſcuntur, eo delabi putredines.

Triplicem vero eſſe animam ejuſque partes ſecundum proprias potentias, ſingulaſque eas partes locos quoque ſingulos ex præſcripto rationis ſortitos eſſe, vel hinc licet diſcere. Inprimis enim, quæ natura ſegregata ſunt, ipſa quoque diverſa ſunt. Natura vero diſtinguitur paſſivum, & quod rationi natum eſt. Quorum alterum circa intelligibilia, alterum circa moleſta verſatur vel læta: ut omittam partem paſſivam brutis quoque datam eſſe. Cum ergo hæc duo natura ſint diſtincta, locis etiam diſtingui debent: quoniam plerunq; inter ſe diſſident hæc duo & pugnant. Nihil autem idem ſecum pugnare poteſt: neque quæ inter ſe contraria ſunt, circa idem, eodem tempore, conſiſtere ullo modo queunt. Videtur autem in Medea ira cum ratione pugnare:

Nec hoc latet me, quanta moliar mala:
Sed iramentem corde totam expectorat.

In ipſo etiam Lajo, Chryſippum cum raperet, cupiditatem rationi videmus adverſari: ſic enim inquit:

Heu majus illud crimine humano malum,
Si quis bonum non meſcit, & ſpernit ramen.

Sed & aliud quid eſſe rationalem facultatem à paſſiva, ex hoc patebit, quod diverſo utrimque modo curetur. altera nempe diſciplina, altera autem vitæ morumque conſuetudine.

Animam autem his rationibus immortalem eſſe demonſtrat, & in modum hunc deducit. Anima cuicunque adeſt, vitam affert illi, utpote naturaliter ſibi inſitam, quod autem vitā confert alteri, mortem non admittit unquam: quod autem hujuſmodi eſt, immortale eſt. Jam ſi immortalis eſt anima, incorruptibilis quoque erit. Eſſentia enim eſt incorporea, quæ ſecundum ſubſtantiam mutari non poteſt, ſed & intellectu ſolo percipitur non oculis, & uniformis eſt. Quare & concretionis expers erit, nec diſſolvi unquam aut corrupti poterit. Corpus vero contra habet, nam & ſenſibus uſurpatur & oculis, & quemadmodum compoſitum eſt ita & diſſolvi iterum poteſt, & eſt multiforme. Præterea anima, cum per corporis ſenſus ad illa quæ ſenſibilia ſunt deſcēdit, vertigine quaſi agitatur & perturbatur, nec ebrio homini eſt diſſimilis. Cum autem iis quæ percipiūtur intellectu adhæret, conſiſtit atque quieſcit Jam illi cujus prætentia turbatur ſimilem eam eſſe non poſſe certum eſt: quare ei quod ſub intellectum venit, magis eſt ſimilis. Id vero neque diſſipatur natura neque interit. Accedit quod natura præſit corpori anima, non contra: quod autem naturā ſua regit & imperat, divinitati eſt cognatum: quapropter anima Deo proxima, immortalis erit nec corruptioni obnoxia. Item, quæcunque ſine medio contraria ſunt, neque ex ſe ipſa, ſed ex accidenti quodā, ſic natura comparata ſunt, ut alterum eorum naſcatur ex altero: id vero quod vivere dicunt homines, illi quod mori dicuntur, contrarium eſt. Quem admodum ergo mors eſt animæ à corpore ſeparatio, ſic vita animæ cum corpore congreſſio eſt, quæ quidem anima ante corpus extiterat. Quod ſi & fuit ante, & poſt mortem erit, conſentaneum videtur ut ſit ſempiterna. Neque enim ultra quicquam à quo corrumpatur excogitari poteſt.

Adde quod, ſi diſciplina reminiſcentia quædam eſt, immortalē eſſe animam ſit neceſſe. Eſſe vero reminiſcentiam ſic adſtruimus. Neque enim aliter diſciplina poſſit conſiſtere, quam per recordationem eorum quæ quondam novimus. Nam ſi ex ſingulis univerſa intelligimus, quonam pacto per ſingula cum infinita ſint, diſcurremus, aut ex paucis univerſa percipiemus? Deciperemur enim perinde, ac ſi judicaremus, id ſolum animal eſſe, quod reſpirat. Vel quomodo rationem principiorum obtinebunt notiones ipſæ? Reminiſcendo igitur, ex pacis quæ animo concepimus, cætera intelligimus: & à quibusdam ſigillatim incidentibus, ea recordamur, quæ cognoveramus olim, quæque oblivioni tum tradidimus, cum primum in corpora deſcenderunt animæ.

Præterea, ſi anima à proprio non corrumpitur malo, neque ab alieno nec ab ullo ſimpliciter deſtruetur malo. Cumque ſit talis, incorrupta manebit. Item quod ſeipſo movetur, utpote motus in iis quæ moventur principium, ſemper movetur: quod autem tale, immortale eſt. Anima autem à ſe ipſa movetur: & quod à ſeipſo movetur: motionis omnis ortuſque eſt principium. Principium autem ingenitum & interitus expers Quapropter & humanus & univerſi ipſius talis erit animus: cum ejuſdem miſtionis particeps ſit uterq;. Per ſe mobilem autem ait animam, quoniam innatam habet vitam ſemper ſua vi operantem.

Animas ergo rationales eſſe immortales, ex Platonis licet aſſeverare ſententia. Utrum vero & irrationales, ambiguum eſſe videtur. Probabile tamen eſt, eas cum ſola phantaſia ducantur, nec rationis facultate præditæ ſint aut judicii, nec contemplentur quicquam aut ex eo colligant, neque cogitationibus rerum explicatis utantur, ſed in univerſum non intelligant quicquam; neque ejuſdem qua cætera quæ intellectu ſunt prædita & ratione, naturæ eſſe, ſed tales ut & mori poſſint & corrumpi. Ex eo autem quod immortales ſint, ſequitur ut inſervantut corporibus, ita ut fœtuum formatrici adhæreant naturæ, & in corpora plura, tum humana, tum alia, vel ad numeros quoſdam præſcriptos, quos exſpectant, vel Deorum voluntate tranſeant: vel propter vitæ intemperantiam, vel corporis amorem. Quippe corpus & anima cognationem inter ſe quandam habent, qualem ignis & bitumen. Quin & Deorum anima dijudicandi, quæ & cognoſcendi dici poteſt, eſt adepta facultatem: ſed & ad agendum aliquid impellendi, quam auxiliatricem facultatē dixeris, & conciliandi. Quæ quidem facultates cum humanis etiam inſint animis, poſtquam tamen venerint in corpora ſolent permutari. Conciliandi quidem in concupiſcendi, impellendi autem in iraſcendi facultatem. *lib. de doctr. Platonis cap. 14. & ſeq. 8.*

Lucianus: Jam vero ſequitur tempus dicendi deplaſtice, & de hominibus a me formatis. Quod cum geminam contineat accuſationem, cujuſnam culpæ Mercuri me primo rerum agas, non ſatis compertum habeo. Utrum, quod nequam homines fieri oportebat, ſed ſatius erat eos terræ rudis inſtar non moveri? an vero quod eos efformari quidem oportuerit, ſed aliam ab ea quam induxi inducendam fuiſſe formam judicarit? Equidem de utroque hoc capite verba faciā. Ac primum quide, Deos nihil detrimenti accepiſſe hinc, quod homines in vitam adducti ſint, demonſtrare conabor. Deinde etiam, longe magis in utilitatem & commodum ipſis id vertere,

quam

quam si deserta, & hominibus destituta terra permansisset. Erat igitur olim (Sic enim facilius palam fiet, numquid ego deliquerim in hac formæ humanæ renovatione) solum divinum, & cœleste genus numinum. Terra vero inculta & informis, tota sylvis iisq; squalidis horta horrescebat: Deorum nullæ erant aræ, aut templa. Unde autem statua aut simulachrum, aut alia id genus, qualia multa undiquaq; omni studio coli constat? Ego vero, cum semper aliquid in cōmune bonum consilio provideam, ac dispiciam quomodo res Deorum augeri possint, aliaq; omnia decoris & venustatis incrementum capere. Nihil satius esse animum induxi, quam in pusillum luti accipere, & inde animantia componerem & effingerem, quę forma nobis Diis essent assimilia. Illud enim naturæ divinæ deesse putabā, quod nihil esset ipsi oppositum, ex cujus collatione facta disquisitione, eā beatiorem esse constaret: veluti modo, si numen cum homine conferas qui mortalis est, quanquam ingenio, prudentia, & rerum optimarum notitia plurimum pollet. Quare juxta poetæ dictum, Terra cum aquā pinsita & subacta homines efformavi, Minervam precatus ut opus mecum aggrederetur. Hæc sunt magna illa facinora quibus Deos offendi. At quanta sit mulcta vides, eo quod ex luto animantia fabricavi, & quod tum erat immobile ad mobilitatem adduxi: & quemadmodum videtur ab eo tempore, Dii minus sunt Dii, quoniam mortalia quædam animantia in terris nata sunt. Sic enim stomachari videtur Jupiter: ac si viliores Dii ex hominum procreatione sint redditi. nisi forte hoc veretur ne defectionē moliantur homines, & ut olim Gigantes, bellum Diis inferant. Patet itaq; vos à me, meisq; operibus nulla injuria læsos. Au tu vel minimum quid profer, & ego has meritò pœnas vobis daturus conticebo. Quod a. hic Diis accedat utilitas, ita comperies, si inspexeris quam non amplius squalida ac deformis sit terra, sed urbibus, agricultura, & mitibus plantis exornata, ut jam mare navigetur, insulæ incolantur, undiq; aræ, victimę, templa, festivitates statuantur adeo ut viæ passim, & hominum conciones Jovis sint omnes plenæ. Nam si mihi soli possessionem hanc comparassem, plus utilitatis caperem. jam vero ut communi bono cōsulerem, vobis ipsis homines composui. Hinc & Jovi, & Apollini, tibi quoq; Mercuri sacra delubra ubiq; videre est: verum Prometheo, nullibi. Vides ut rei privatæ cōmodā specto: remp. vero prodo, & imminuo?

Præterea illud expende Mercuri, Num tibi videatur bonum sine teste, sive illud sit possessio, sive opus, quod nemo intueatur, nemo laudet, æquè jucundum & delectabile futurum possidenti, atq; quod testibus abundat? Quod ideo dixi, quia nisi essent homines, universi pulchritudo testibus careret, & divitias possideremus, quas ipsimet non tanti faceremus, si earum admiratione nemo caperetur. Neque enim quicquam deterioris extaret sortis cum quo ipsas conferremus: nec intelligeremus quanta beatitudine fruamur, nisi quospiam nostrorum bonorū expertes videremus. Magnum enim hoc pacto, magnum videri possit, si cum parvo comparetur. At vos cum mihi prō bene consulto facinore honorem debeatis, cruci me affixistis, at quę hujusmodi gratiam pro commento rependistis. Verumenimvero, flagitiosi sunt inquis, inter ipsos, qui mœchantur, bella gerunt sorores connubio sibi jungunt, parentibus insidiantur. Quasi vero apud nos hujusmodi scelerum multitudo non vigeat? Num idcirco ullus cœlum & terram culparit, quod ex iis prognati sumus? Quin & hoc forte dixeris, necessum esse ut eorum cura nobis facessat negotium. Ideo igitur gravetur pastor qui gregem habeat, quod ejus curam gerere sibi necesse sit. Cui si sit hoc operosum, est etiam jucundum, & hæc nō insuavis solicitudo quandam habet exercitationem. Nam quid faceremus, si nihil esset cui provideremus? Desideremus tantum & nectar biberemus, & ambrosia saturaremur in ocio degentes. Sed quod me maxime torquet, hoc est, quod qui conqueriminī homines à me fuisse formatos, in mulieres inprimis invehi soletis, quas tamen impendio amatis: nec desinitis descendere modo taurorum, modo satyrorum, modo cygnorum specie assumpta, & ex ipsis Deas facere dignamini.

Verum oportebat, fortè dices, alio modo quam ad nostri similitudinem homines effingi? Quodnam aliud exemplar isto melius, quod prorsus eximium noram, mihi proposuissem, nisi intelligentiæ expers, belluinum, & agreste animal fuisset componendum? & quomodo aut victimas Diis immolassent, aut alios honores vobis tribuissent, nisi sic facti fuissent? Cæterum vos, quum hecatombas offerunt, impigrè proficiscimini, & si vel ultra Oceanum ad inculpatos Æthiopas sit eundum: & me qui hujuscemodi honorum, & victimarum vobis sum author, crucifixistis. *titulo Prometheo.*

Philostratus: Quod sit hominibus cum Deo quædam affinitas, per quam solum in omnibus animalib. Deum cognoscit, & de propria natura philosophatur, & in quo divinitatis est particeps, formaque, ut ajunt, Deo similis est, sicut fingendi pingendiq; ars nobis ostendit; quodq; à Deo virtutes hominibus provenire creditur, & illarum participes homines Deis proximi censentur, horum inquam omniū, non Athenienses dicemus auctores, quamquam Justorum, Olympiorum, & hujusmodi cognominū primi impositores extiterunt, quæ diviniora forte videntur, quā ut hominib. conveniant: sed Apollinē Pythium inventorem comperimus. Venit enim in ejus tēplum Spartanus Lycurgus qui nuperrime leges tulerat, quibus Lacedæmoniorum est constituta respublic. hunc igitur cum salutaret Apollo in principio statim orationis, quid de illo sentiret ostendit, dicens dubitare se, utrum hominem an Deum appellari eum oporteret. procedens autem ejus oratio sententiam suam declarat, cum illi divinum cognomen manifeste decernit, tanquam viro bono, atque omni virtute perfecto. *lib. 8. Apollonii capite tertio.*

Philostratus: Generationis & substantiæ rerum omnium, Deum opificem esse sciendum est. quod a. ipse talia producere cogitaverit, caussa est bonitas ejus. Quoniam igitur cognata sunt hæc, rationem ita concludo, ut asseram, viros bonos Dei particulam quandam habere: mundum autem qui opifici Deo adjacet, omnia quæ in cœlo terra, mari, sunt existimare debemus, cujus etiā homines præter fortunæ rationem sunt participes. Est autē in bono viro mundus quidam sapientiæ mensuram non excedens, quem tu etiam, ô rex, fateberis indigere viro, qui Deo sit similis. Verum hujus mundi figuram inordinatæ animæ furiosius attingentes omnia perturbant, & varias leges sibi ipsis fingentes, temperantiam minime servant.

Quapropter Deos meritis honoribus non venerantur, & garrulā loquacitatē, & vivendi delicias sectantur, ex quibus otium nascitur, cujuslibet operis perversus consiliarius: animæ a. quasi ebriæ factæ ad multa nefanda prosiliunt; nec illarū cōpescere lasciviam aliquid potest, etiamsi omnes potiones ebibāt, quæcunq; velut mandragora somno inducendo putantur accōmodatæ: sed viro opus est qui gubernet eum, quem circa ipsas diximus etiam esse mundum. nunc a. à sapientia quasi Deum factum esse oportet. Is itaque sufficiens erit ab amoribus revocare, ad quos impetuosius feruntur quam cōmunis consuetudo patiatur. ab avaritia quoq; deterrebit, ob quam satis se habere nunquam dicunt, & affluentibus divitiis os nunquam occludunt. cohibere autem ne se cædibus inquinēt, tali viro fortan impossibile non erit: purgare autem ab ipsis atq; expiare, neq; mihi impossibile est neq; omnium rerum opifici Deo. Et hæc est opinio Indorum Ægyptiorumq;. *lib. 8. Apollonij cap. 3. Apolog.*

¶ Romanorum.

Julius Firmicus: Deus ita corpus hominis, ut mundi, ex quatuor elementorū commixtione composuit, ignis scilicet, aquæ, aeris, & terræ, ut omnium istorum conjunctio temperata animal ad formā divinæ imitationis, ornaret, & ita hominem, artificio divinæ fabricationis exposuit, ut in parvo corpore, omnium elementorum vim, atq; substantiam, natura cogente, conferret, ut divino illi spiritui, qui ad sustentationem mortalis corporis, ex cœlesti mente descendit licet fragili, simile tamen mundo, pararet hospitium. Hac ex causa, hominem, quasi minorem quendam mundum, stellæ quinque, Sol etiam, & Luna ignita, ac sempiterna agitatione sustentant, ut animal, quod ad imitationem mundi factū est, simili divinitatis substantia gubernetur. Quare illi divini viri, atq; omni admiratione digni, Petosyris, Necepsoq;, quorum prudentia, ad ipsa secreta divinitatis accessit, etiam mundi genituram, divino nobis scientiæ magisterio, tradiderunt, ut ostenderent, atq; monstrarent hominem ad naturam mundi, similitudinemq; formatum, iisdem principiis quibus ipse mundus regitur, & continetur, perenniter perpetuitatis sustentari comitibus. *lib. 3. Astronom. præfat.*

¶ Monosticha Trochaica.

A Deo, à Fortuna, à Tempore, hominum aguntur omnia.
Absq; sui creatoris notitia homo omnis est pecus.
Aut ridenda sunt humana, aut certe sunt flenda omnia.
Carior cœlestibus quibus vis quam sibi est homo.
Carior mortalu est gens Numini, ipsa quam tibi.
Condita est rerum ob hominem unum inclita universitas.
Consilio vis mista figurat hominem, at amens belluam.
Cuncta mundi elementa parvo corpore humano vigent.
Fit Deus, dum rite pendet quam caduca res homo est.
Fœnum omnis caro, sicut q; flos fœni ejus gloria est.
Gentis humanæ suprema pestis est alter homo,
Immortalitate sola cedimus homines Deis.
Inter se hominum vinculorum maximum est humanitas.
Invenire nullam non est ipso in homine belluam.
Lupus est homo homini, non homo, cū qualis sit ignarus est.
Mortalis nemo est quem non attingat morbus ac dolor.
Multa bellua est morosa, nil homine at morosius.
Multa humanitus præter fatum atq; naturā accidunt.
Non licet hominem esse sape ita ut vult, si res non sinit.
Non potest homini nocere homo qui naturæ obtemperat.
Nudius est homo creatus cuncta ut illi serviant.
Nulla pestis tanta est quæ non homini ab homine nascitur.
Nulla virtus est in qua non homines vincant belluæ.
Num plus in nobis creavit quam est necesse, Dei manus.
O quam homo contēpta res est, se nisi supra homines erigat.
Optimum non nasci homullis, vel statim natos mori.
Ora hominum gerimus vultus q;, sed ferarum pectora.
Patriæ, patri, atq; amicis quisq; natus est suis.
Pendula è filo hec renello tota fors mortalium est.
Plura semper instant homini incommoda, quam commoda.
Pluribus mortale vincunt bestiæ rebus genus.
Quisquis est homo, necesse est multa perferat mala.
Societate homo ac Ratione animalium fortissimum est.
Sortis humanæ interrumpit, cu metus, commercium.
Spes metusq; in vitam humanā omnem obtinent tyrannidē.
Stultius nihil homine est, homine est nihil sapientius.
Subdidit vi venia homini cuncta Deus, hominem sibi.
Transeunt nos nostra cuncta, ceu volantes alites.
Virtute atque relligione bestias homo anteit.
Vita hominum hoc in Orbe jam non est, sed vita piscium.

Vitam

Vitam agas sic semper, ut tete esse hominem usq; sis memor.
Vnius proles parentis sunt homines una ac Deo.
Vnius sumus luti omnes: ex q; eisdem exordiis.
Vultu homo erecto est, cognatum ut norit se coelestium.

¶ Jambica.

Ab homine homini quotidie periculum est.
Æterni imago solus est homo Dei.
Alias homo est melior, alias pejor est.
Aliud hominis ratio est, aliud felicitas.
Cum sis homo & ad humana semper te para.
Cum fit homo Deus fit, cum fit sit fera.
Deus pila instar versat humanum genus.
Emorimur hercle spissius quam nascimur
Enim vero Dijnos, quasi pilas, homines habent,
Eripere vitam nemo non homini potest.
Et homini homo Deus est: & homini homo est lupus.
Etiam sibi homines queis carent bona astrunt.
Fortuna clavum hominis cujuslibet regit.
Generata hominum omnes gratia sunt bestiæ.
Genus institutum humanum ut paucis serviat.
Haud mipiam est quod non in homine item est malum.
Heu, quam recessus altos vita hominum tenet?
Heu quot scatemus intus homines belluis!
Homo à fero una abit figura corporis.
Homo absq; homine, ullo vivere haud queat modo.
Homo animalium omnium animal, heu, miserrimum est
Homo animal est cacum, atq; ipsum se nescions.
Homo homini Deus est, si suum officium sciat.
Homo homini lupus est, officium si negligat.
Homo omnibus feris est pernicioſior.
Homo optimus animalium, idem q; pessimus.
Homo Orbis hujus quilibet compendium est.
Hominem domare difficillimum omnium est.
Homines quidem pereunt: humanitas manet.
Homines sumus natura, vita bestiæ.
Hominum paternam suscipit curam Deus.
Hominibus etiam consulunt Dij singulis.
Humana aguntur Deo, Fortuna, Tempore.
Humana pendent de putrifilo omnia.
Humana quæ sunt, perferas humanitus.
Humana virtus absq; Numine est iners.
Humana vita nil profecto est quam mare.
Humanitus quod fit ferendum humanitus.
Imaginantis nil homo est quam somnium.
Impune nasci nulli adhuc vivo obtigit
In belluam transit qui homo esse desinit
Mens atq; Sermo disparat nos à pecu.
Minus Deo aquus est homo, homini quam canis.
Mortalis es? fac cogites mortalia.
Mortalis es? ne spires immortalia
Mortalis, heu merum Dei ludibrium est.
Mortalis ullus quei sit exors tristium?
Mortalium nemo expers vivit criminis.
Mundi instar est humani fabrica corporis.
Nil aliud est mortalis quam ludus Deum.
Nil aliud est homo quam Dei ludibrium.
Nullum aque animal ut homo uspiam est mutabile,
Nullum est animal quod homine sit morosius.
Parvum videre mundum aves? hominum vide.
Plantam videre vis cœlestem? hominem adspice.
Primum bonum non nasci; obire cito, alterum est.
Pro homine est habendus, quisquis hominem te putat.
Quamplurima ipso homini omni ex homine sunt mala
Rapacis hora præda mortales sumus.
Ratione cunctas anteit animantes homo.
Res gratiosa homo est, homo esse si studet.
Res nulla longa miseris est mortalibus.
Vel mense decimo uascimur vel septimo.
Verbo atq; numero vita hominum plane indiget.
Vivendum homini est, non ut libet, sed ut licet.
Vt natus est homo, natum item bellum est simul.

Hominis Miseria.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

D. Greg. Nyssenus: Ne cum brutis quidem animalibus comparandi aliquo modo, sed & illis quoque inferiores sumus, cursu nos equi canes aliaque multa præcedunt: viribus item cameli ac multi: notatione vero viarum, asini nobis antecellunt: & acumen visus & acies oculorum, qua capreæ præditæ sunt, in oculis nostris non reperitur. *Orat. 3. de Christi resurrect.*

D. Greg Nyssenus: Etenim plantarum & animalium diversorum, atque ipsorum adeo hominum vita nos edocet, quod nihil eorum, quæ generationi & corruptioni obnoxia sunt, in eodem statu subsistat, sed in alium subinde vertatur atque mutetur. Ac primum quidem, si placet, eam, quæ in ætatibus nostris fit, mutationem perpendamus & consideremus. Puellum lactentem, qualis sit, haud difficulter agnoscimus. Exiguo spacio temporis præterito, vires adrependum adipiscitur, ac nihil à parvulis catulis differt, nisu quaterno sese sustentans. Circa annum tertium accidit, ut erectus & arduus ingrediatur, & vocem aliquo modo vel balbutiētem vel blæsam, & titubantem impeditamque emittat: deinde articulatè atque perfecte verba pronunciat, & lepidus adolescentulus & pusio fit: ex illa ætate in impuberem adolescentem evadit: lanugine vero maxillas ac mentum vestiente, barbatus & hirsutus paulatim, & alius ex alio: deinde jam plene adultus vir, asper laboriosusque existit. Cum autem præterierint anni quadraginta, initium flectionis adest, canitiesque paulatim caput dealbat, & robur ad infirmitatem declinat, & tādem senectus accedit, externa virium abolitio. Corpus autem flectitur & ad terram curvatur, quemadmodum spicæ, quæ nimium exaruerunt: quod exporrectum ac læve fuerat, rugosum & contractū efficitur, & is qui quondam vigore ætatis ac virium præstabat, infans rursus evadit, balbutiens, ineptiens, delirans, manibus ac pedibus similiter, ut olim, repens. Hæc omnia quid tibi esse videntur? an non alteratio? num variæ mutationes? num diversæ novitates, quæ mortale animal etiam ante mortem transformant? *Oratione 3. in Christi resurrectionem.*

D. Greg. Nyssenus: Quidnam ex vitæ malis primum dicemus? omnia eundem honoris gradum inter se obtinent, omnia primas tenent in malorum excellentia, omnia præbent parem luctus occasionem. Quid enim miseriæ magis deflebis, & qua ex parte magis quereris de natura? vitæ brevitatem & laborem, incipere à lacrimis, & desinere in lacrimas; miserabilem infantiam, in senectute delirium, juventutis inconstantiam, constantis ætatis laborum perpessionem, onera matrimonii, celibatus solitudinem, in liberorum orbitate deficere radicem, divitiarum invidiam, papertatis molestiam. Taceo multiplicem morborum differentiam, damna, mutilationes, putrefactiones, sensuum orbitates, a dæmonibus vexationes, quæcunq; in se continet natura, quæ quidem homo quilibet potestate habet, cum ea accidant in natura. Mitto autem amoris insaniam, & male olens cœnum in quo volutatur ejusmodi rabies: nec loquor de nutritini conjuncta per excretionem molestia; ne videar ratione omnino inveni in vitam, stercoris effectricem ostendens esse nostrā naturam. His omnibus prætermissis, illud dico maxime dignum esse lacrimis, quod sciant omnes cum hæc umbrosa vita præterierit, nos manere expectationem judicii, & telum ignis devoraturi adversarios. Qui ergo hæc & quæ sunt hujusmodi reputat, an non semper vivet cum luctu & lamentatione? *Homilia sexta in Ecclesiasten, sub finem.*

D. Greg. Nyssenus: Fieri non potest, ut vel homo valeat, si alimentum sufficiens vires non confirmet & sustinet, vel absque comestione cibo repleatur, vel sine appetitu nutriatur. *Initio orationis 4. de beatitud.*

D. Chrysostomus: Testâ nihilo melius sese habet naturæ humanæ fragilitas; adeo offensionibus patet, ac morte, & morbis, & cœli intemperiis atque innumeris aliis incommodis facile dissolvitur. *Homilia 9. ad Corinthios 2.*

D. Io. Chrysostomus: Quando dicimus, Homo nihili, Homo terra, Homo cinis, ab eo quod est deterrimum illum vocamus. Quando autem dicimus, Immortale animal homo, & cognatum supernorum, ab eo quod est melius rursus totum vocamus. *Homilia 1. Epist. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Non arbitror mundum capere posse eos, qui de divinis miraculis conscribi possint, libros, Evangelista pronunciavit. Quoniam brevis ac contractus mundus homo est, ut qui omnium elementorum, ex quibus mundus velut omnibus suis numeris absolutus est: idcirco miracula ea, quæ, ut natura præstantiora, & divina, & iis omnibus, quæ unquam edita fuerant, sublimiora, homo, utpote magna ex parte insçius & absurdus, minime capiebat, a mundo capi non posse conjecit. *lib. 1. Epist. 259.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud, homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis, non acriter & vehementer adversus homines declamans, genusque rationē præditum insectans, divina Scriptura dixit: verum admodum etiam parce atque indulgenter. Nam si rem accurate atque exacte perpendere velimus, non jumentis duntaxat, sed etiam truculentis feris comparari posse videtur. Imo etiam eas superat, qui turpium affectionum ac libidinum amator est. Quodque mirum, atque ab hominum opinione alienum est, quæque fera uni tantum vitio servit: at qui hominis speciem habet omnibus vitiis in unum congestis & cumulatis, ultra eorum temeritatem & amentiam progreditur. Ac ne me hyperbolice loqui putes, res ipsas incorrupta mente perpendamus. Cum enim quispiam ut taurus subsultat, ut asinus calcitrat, ut salacissim⁹ equus in fœminas hinnit, ut ursus voracitati studet, ut mulus corpus saginat, ut camelus injuriarum memoriam retinet, ut leo irascitur, ut lupus rapit, ut scorpius ferit, ut serpens subdolus est, improbitatis venenū ut vipera conservat, opes deniq;, vel, ut recti⁹ loquar, peccata cumulat, ut scarabeus scarabeas, quonam pacto quispiam hunc belluino animo præditum, inter homines recensere poterit, cum mitis ac placidæ natura lineamenta in eo minime perspiciat, verum Scyllæ cujusdam & Chimæræ, atq; Hydræ (juxta externas fabulas) fœtorem cernat? Quod si quæras, Quidnam igitur faciendum est? illud respondebam, spirituale specillum-

lum, hoc est, sacras scripturas in quibus & proborum virorum historia, & salutares leges a Deo positæ continentur, perpetuo in manibus habendum esse. Hoc enim speculum non modo deformitatē ostendit: sed etiam, si velimus, incredibilem quandam pulchritudinem immutat. *lib.* 2. *Epist.* 135.

¶ Latinorum.

Chrysologus: Homines sumus, sub incerto viventes, & nescimus quid pariat superventura dies. *Sermone* 10. *f.*

Chrysologus: Omnis homo dum sui corporis pulchritudinē concupiscit, procærum se esse exoptat. Sed cogitare homo hoc potest, per se obtinere non potest. *Sermone* 163. *m.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Dio Prusæus, Verbis Charidemi morientis: Ait enim, quod è Titanico sanguine simus nos omnes homines procreati. Ut igitur illi Diis fuerunt inimici, bellumque adversus Deos gesserunt: ita neq; nos iis amici sumus, sed punimur ab ipsis, & ad suplicia facti sumus. Qui igitur jam diu fatisque fuerunt in custodia, solvuntur & liberantur. Esse autem hunc locum quem mundum nominamus, carcerem a Diis fabricatum, sævum, & aere pestilente plenum, nunquam eandem complexionem aeris & statum custodientem: verum nunc quidem frigidum & gelidum, vento & luto & nive & aqua implicatum, nunc vero rursus calidum & æstuosum. modicum quoddam omnino anni tempus mediocriter dispositum: dicere tamen etiam in eo fulmina exurentia, ventosque impetuosos innasci, atque interdum totum funditus commoveri. Hæc autem omnia esse pœnas acerbas. Homines enim ab ijs, si quando accidunt perterreri semper, & metu affici. Adhæc, quum sustinere aeris vicia & mutationes nequeamus, alios rursum nos excogitare parvos carceres, nempe domos & civitates, lingna & lapides componentes. quemadmodum si quis in magno carcere angustiores inædificet. Et hæc nascētia, & fructum hunc è terra idcirco provenire, ut durare queamus, tanquam vinctis cibum præstitum, injucundum & vitiosum. Nos tamen alioqui eum magnifacere, propter necessitatem & indigentiam. Quippe & iis qui a nobis puniuntur, quæcunque quis præbeat ob famem consuetudinemque suavia videri. Et cibaria hæc in veritate quidem prava & corrupta esse. Manifestari autem corruptionem, ex corporum infirmitate: deinde, quæ non sunt in promptu, neque omnibus abunde suppetunt, sed cum immensis laboribus & afflictionibus acquiruntur. Nos autem compositos esse ex iis quæ nos torqueant, nempe ex anima & corpore. Illam enim desideria & ægritudines, & iras & timores, curasq;, & sexcentas tales in se habere affectiones, atque dies noctesque semper ab his distendi & rotari. Etenim quicunque etiam moderatius affectus est, in universum tamen ab horum nullo plene absolutus est: sed quemadmodum feras intus habet inclusa, vi pariter & suadela quadam coacta quiescere. Si vero vel modicum cesset in cantando & attendendo, continuo tū valde ea moveri. Corpus autem vertigenes & spasmos, & morbos comitiales, atque alias habere ægrotationes, quantas nemo sermone consequi queat: ut quod sanguinis & spiritus plenum sit, præterea & excarnibus & nervis & ossibus constet, ex mollibus & duris, ex humidis & aridis, & breviter ex diversissimis. Et cibaria, ut dixi, quum sint permixtiosa, & aer varie dispositus, in corporibus alios quidem morbos intendere, alios autem excitare qui prius non videbantur inesse, inerant autem in corporum natura. Et hæc quidem mala in nobis ipsis premere: alias autem pœnas extrinsecus accidentes, si quis comparet, ex natura orientibus esse leviores. Ignis enim & ferri natura, & plagarum & aliorum, acute & cito sensum primit, si quis vel paululum modum transcendat. Morbi autem nonnunquam sensum extendunt in longum tempus.

Talibus ergo & tantis compressos homines in hac custodia & hoc carcere, manere præfixum unumquemque tempus neque ante discedere plurimos, quam alium ex se procreatum relinquant cruciatuum successorem, partim unum, partim plures. Manere autem eos non sponte, sed una omnes catena vinciri, & corpora & animas, sicuti nostro seculo videre licet in una catena multos ex ordine vinctos, hos quidem parvos, illos vero magnos: & hos quidem deformes, illos autem formosos. Nihilo vero minus omnes ex æquo in eadem necessitate teneri. Similiter autem & fortunis, & gloriis, & honoribus alterum ab altero superari, quemadmodum corporibus. Esse enim hos quidem reges, illos autem privatos: & hos quidem divites, illos autem egenos. Et nihil saue propter hoc minus affligi, teneri eodem vinculo eos, qui beati vocantur, quam pauperes & ignobiles: sed magis illos etiam, quam hos. His enim, quum sint macriores, vinculum relaxari, & remissius cuique circumdatum esse. Reges autem, & tyrannos, utpote inflatos animo, & admodum bene habitos, magis premere, & arcta esse illis: & quemadmodum contingit qui corpore vincti sunt. Crassos enim & tumidos magis, quam tenues & inediam passos, vinculum constringit. Quosdam sane, & hos admodum paucos, remissionē quandam habere a Deo: & vinctos quidem esse, sed leviter, propter moderationem, de quibus postea dicemus.

Antea autem dictu dignum est, ut ego olim puer ab homine circulatore audivi, qualem dixerit esse catenam, non hisce similem ex ferro & ære factis, sed multo fortiorem: verum quod ad formam conexionemque attinet, haud dissimilem. Quemadmodum enim istæ ex quibusdam annulis sunt fabricatæ, mutuo immissis, & hoc à principio usque ad finem: ita & illam habere, qua diximus homines à diis vinciri. Compactam vero eam totam ex voluptate atque ægritudine, & hæc sibi invicem jugiter implicari, jucundum & molestum, & alterum alteri ex necessitate semper cohærere, quemadmodum (opinor) annuli catenæ. Sequi autem post magnas voluptates, magnas ægritudines: post parvas vero, minores. Et maximam tandem in fine esse voluptatem, nempe mortem atque propterea ante ipsam, & ægritudinem contingere maximam. Manifestum enim, qui homini nulla major ægritudo neque dolor accidere possit, quam is qui trahit ad mortem.

Dicebat autem & viritim alia esse vincula, his quidem minora illis autem majora circundata, tanquam compedes: vocari vero ea à nobis Spes. Quemadmodum igitur compedes essent in infima corporis parte, & circa extrema membra: ita & spes in infimo esse, & circa extremam vitæ partem, & maxime in ditionem redigere homines, coegereque omnia pati & sustinere. Stultis igitur & stolidis, valde tumidas eas esse compedes, & percrassas: industriis vero, relaxatas esse & tenues circudatas. Et sane etiam assimulavit limæ alicui, admodum viriliter imaginem sequens: hanc enim solos ajebat invenire industrios & acutos. Reconditam quippe esse plane diligenter: quemadmodum si quis in carcere limam abscondat, ne quis ea captivorum reperta, semetipsum solvat. Ergo honorum & laborum cupidos, vix quidem eam, sed tamen invenire. Eam vero ab ipsis vocari Rationem. Simulac igitur invenerint, & uti, & limare vincula, & facere catenæ partem, quæ eos tenet, quantum fieri potest tenuissimam & firmissimā, donec fieri possit ut abrumpant & voluptates, tristiciasque. Tarde autem hoc fit. Vix enim ea ratio, utpote solidas & adamantinas, attingit, & paulatim abedit. Omnino vero eas absumere & dissecare haud possiet. Cuicunque hoc pharmacum innatum fuerit, atque industrie eo fuerit usus noctesq; diesque, quantumcunque potuit, facile is jam custodiam tolerat, & circumambulat ad alios tanquam solutus: & fato instante facilere cedit, ut qui haud amplius vi detineatur, neque constringatur. Ex his quosdam dii nunquam assessores sibi faciunt, propter virtutem & sapientiam, plane à suppliciis liberatores Hæc dixit vir mea sententia morosus, multisque afflictus molestiis in vita, seroque veræ eruditionis sensum accipiens: at hæc vera non sunt, neque Deos docent. Est autem melior hoc alius sermo, quem ego multo dixerim promptius. Audivi vero eū ex homine agricola in agresti rhythmo & cantico: verum hoc quidem fortasse nihil nos oportet imitari, intellectum vero conabor memoriter recitare.

Dicebat autem, laudibus celebrans Jovem & alios Deos, quod boni essent, nosque amarent, utpote qui essemus illorum cognati. A diis enim creatum esse ajebat humanum genus, non à Titanibus neque a Gigantibus ortum. Quando enim omnia habebant in manu, sicuti coloniam quandam suam ita homines in terram desertam deduxerunt, collocaveruntque sub minoribus quidem honoribus & opibus, paribus autem juribus & legibus quemadmodum magnæ & felices civitates minores faciunt in habitari. Et mihi videbatur dicere, haud apponens ipsa nomina, ut Athenienses Cythinos aut Seriphios, aut Lacedæmonii Cytherios antiquitus sub iisdem legibus deduxerunt: & eorum imitamina apud horum quoq; licet, in deorum cultu & republica, quam conditores habent, infirma autem omnia & deteriora. Differentiam vero non æqualem esse. Hos enim ut homines ab hominibus differre, deorum autem excellentiam erga nos infinitam quandam esse. Donec igitur vita fuit recenter adhuc instituta, Deos ipsos advenisse, & misisse a se tanquam præceptores & principes, qui rerum hominumque curam gererent, ut Herculem & Dionysum & Persea, atque alios, quos partim deorum filios esse audiamus, partim eorum nepotes apud nos natos. Deinde eos tandem permisisse nostro arbitrio res gubernare, ut possemus, Atque tum peccata & iniquitates evenisse.

Cecinit vero & aliud canticum. Quod mundus, domus sit valde pulchra & divina a diis instructa quemadmodum ab appellatis felicibus divitibusque hominibus domos quasdam videmus postibus & columnis auroque & picturis ornatas, fastigia quoque & muros januamque fabricatos. Similiter etiam factum esse mundum ad diversorium & leticiam hominum, speciosum & varium astrisque & sole & luna, terraque marique & plantis, quæ ex deorum divitiis & arte illorum sunt comparata. Advenire vero homines in mundum hunc, tanquam ad diem festum a deorum rege invitatos, ad convivia & dapes splendidas, omnibus fruituros bonis. Recumbere autem alios alibi, sicut in cænis: hi quidem meliorem regionem, illi autem viliorem sortiti.. Esse autem omnia similia iis quæ apud nos fiunt in diversoriis, præter quam quod parvis & ignobilibus divina & magna comparamus. Lucem enim apud nos a diis præberi duplicem perluminaria quædam, nunc quidem multam, nunc vero minorem hanc noctu, illam interdiu. Appositas quoque esse mensas omnium bonorum plenas, & frumenti & pomorum, partim sponte nascentium, partim ex cultura: præterea & carnium mansuetarum & ferarum, quin etiam animantium ex mari. Mensas autem esse dicebat, (valde rustice) & prata & campos & saltus & littora, in quibus hæc quidem nascerentur, illa autem pascerentur, alia vero venatu apprehenderentur. Alia porro aliis plura suppetere, ut in qua quique mensa recubuissent. Hos enim ad mare, hos vero in cāpis, alios denique in montibus recumbere. Ministrare vero ajebat Horas, ut minimas natu dearum, bene vestitas, aspectuque pulchras, non quidem auro exornatas, sed omnium florum coronis Distribuere eas autem & flores ipsos, atque alia curara quæ ad con-

vivium

vivium pertinent: hæc apponentes, illa auferentes opportune. Haberi autem & chorœas, & aliam omnem jucunditatem. Locum vero hunc quem habere videmur, agricultura & venationibus & plantationibus talem esse, ut accumbentibus unumquodque porrigat, manuque carpere faciat.

Quod autem dixit alium alibi accumbere, huic & aeris complexio causam præbet. Hos enim primos, illos vero ultimos magis quã alios esse: atque hos in frigore, illos in aeris temperie. atque hos luci propinquos, illos procul à luce. Lætitiæ igitur & convivio non omnes similiter, sed unumquemque juxta suam uti naturam. Luxuriosos enim & incontinentes neque videre neque audire quicquã omnium, sed cervos commedere, sicuti in hara porcos, deinde somnum appetere. Porro quosdam eorum non esse contentos præsentibus, sed ad longinqua manus extendere: veluti, quum sint mediterranei, pisces appetere, multaque habere negocia. Alios autem esse inexplebiles & miseros, metuendo ne quando ipsis desit: atque ideo ad se congregare & coacervare quæcunque possunt. Et posthæc, quum illis abeundum sit, ire nulla re assumpta, sed valde egenos, & derelinquere illa aliis. Neque enim licet quicquam secum auferre. Hos ergo esse deridiculo, seque inhoneste gerere. Alios autem tesseris, alios talis ludere. Esse autem tesseras talosque non quales nos nominamus: sed hos quidem aureos, illos vero argenteos, quam nos monetam appellamus, pro qua dissident, conaturque quisque plus habere. Maximum vero tumultum & dehonestamentum hos præbere aleatores, & videri convivarum esse molestissimos. Non nunquam enim eos pugnare cominus, & vulnerare mutuo. Maxime autem ebrios hoc designare. Inebriari vero eos à vino, sicut apud nos, sed à voluptate.

Hunc enim potum in convivio præberi à deis, ad redarguendos unijuscujusque mores. Duos autem astare pincernas: alterum masculum, alteram fœminam. Nominari autem apud eos, illum quidem animum, hanc autem incontinentiam. Prudentes ergo masculum habere pocillatorem, eosque ab illo dunta xat accipere, id q; raro, & parvis calicibus, & potum admodum tuto temperatum. Præsto enim esse unum creatorem, nempe Modestiæ. Stare enim multos in medio, gustu valde differentes, ut multorum vinorum. Eos autem esse aureos & argenteos, præterea & extra animantia in circuitu habere, & flexuras quasdam, & tornaturas. Illum vero Modestiæ & lævem esse, & non magnum, & ut quis conjicere queat, æneum. Inde igitur frequenter sumentes & commiscentes, oportet modicum quid voluptatis bibere. Quibus autem est Animus pocillator, ille infundit metuens, animadvertens que ne qua in temperatura peccet, offendatque convivam, & decipiat. Porro Incontinentiam plurimis quidem infundere meram voluptatem, & ne moderatum quidem modestiæ admiscere: aliis vero omnino modicũ quid, rationis gratia. hoc vero continuo dilutum fieri, & nusquam apparere. At vero bibentes non interquiescere, sed eam hortari ut properet, juberetque citius ad ipsos eat, & unumquemque poculum præripere. Illam autem festinare, & discurrere anhelantem, & sudore diffluentem. Proinde illius convivas irasci, & volutari, alter in alterum irruentes in medio, & pugnare & clamare, qualia faciunt qui à vino sunt ebrii. Verum hi quidem paulisper & modice. Paulum enim illis sufficit dormire: deinde melius se habent, utpote levata ebrietate. Qui vero à voluptate capita habent aggravata, ut à fortiore potu oppressi, per totam vitam hæc faciunt, & vivi liberari non possunt, nisi moriantur. Hic enim somnus est hoc modo inebriatorum, & solus illis prodest. Multi quoque vomunt ob repletionem: fit autem cum lacerationẽ, tristiciaque extrema, voluptatis ejectio. Quicunque autem prævaluerit, relevatur, & facilius degit in posterum. Hoc vero roro contingit: ut evomere quis velit, sed multo magis bibere volunt. Neq; enim a siti desinunt, sed semper habent vehementiorem.

Hi quidem hujusmodi sunt, turpitudineque & injuria deorũ donum officiunt. Temperati vero & moderati voluptate leniter fruuntur, & per certa tempora cum timore. Quemadmodum enim homo liber vocatus a quibusdam majoribus, vel rege vel dinasta, edendi quidem & bibendi negligens est, nisi quantum flagitat necessitas: animadvertit autem ea quæ intus fiunt, & iis delectatur: ita & illi ebrietatis quidem & tesserarum & talorum curam non habent, spectant vero quomodo interiora habeant, & virorum diætam in qua recumbunt, admiranturque & inquirunt quomodo facta sit, & omnia quæ sunt in ea tanquam picturas quasdam speciosas & pulchras contemplantur, insuper & aliam structuram & ordinem & horas, quam bene docteque universa faciant, & attendunt illis, & soli demum pulchritudinem sentiunt. Magnæ autem illis curæ est, ut ne videantur tanquam cæci & surdi horum participes fuisse, sed ut reddentes habeant quidem de his dicant, si quis percontetur quæ nam viderint, quæque cognoverint. Atque hæc curantes, & prudentem cocinneque voluptatem participantes degunt, alter aum altero disputantes, vel bini vel terni, similes. Porro interdum magno clamore facto & tumultu ab ebriis, etiam illuc respiciunt, deinde statim ad se revertuntur.

Et quando abeundum fuerit, luxuriosi quidem & continentes a pedissequis feruntur & trahuntur cum doloribus & ægritudinibus clamantes & deplorantes, nihilque scientes, neque qua præterierint, neque quomodo convivio sint accepti, etiamsi quis illorum longũ valde tempus maneat. Illi autem recti & tuto suis ipsorum pedibus abeunt, appellantes amicos hilares & læti, ut qui se nulla in re indecore gesserunt. Hæc igitur Deus speculans, & omnia videns ut in domo propria, qualiter se quisque in convivio gesserit, optimos sine per ad se vocat. & si quem nactus fuerit qui valde placeat, illic manere jubet, convivamque & amicum facit, atque ille jam deinde nectar bibit. Hoc autem simile est quidem modestiæ potui: longe vero eo pellucidius est, & purius, ut quod sit (opinor) divinæ & veræ modestiæ. *Orat.* 30.

Epictetus: Quid est homo? balneo similis prima cella tepidaria, unctuaria infans natus perungitur. secunda cella sudatoria, pueritia est. tertia cella assa, perferentaria juventus. quarta cella frigidaria, senectus, omnibus æquat sententiam. Quid est homo? pomo similis: poma ut in arboribus pendent: sic corpora nostra, Aut matura cadunt, aut cito acerba ruunt. Quid est homo? Sicut lucerna in vento posita. Quid est homo? Loci hospes. legis imago. calamitatis fabula. mancipium mortis, vitæ mora: quo fortuna sæpe suos ludos facit. *altercat. cum Hadriano.*

Arrianus: Quid habet homo homini terribile, sive conspiciatur, sive colloquatur, aut etiam una vivat? nihilo magis quã equus equo, aut canis cani, aut apis api: sed res cuique formidabiles sunt; quas cum quis alteri conferre aut auferre potest, tum & ipse fit formidabilis. *cap. 26. lib. 3. Epitecti.*

Arianus: Neque igitur ad hominem constituendum nasus satis est, & oculi. sed decreta humana requiruntur. Hic non audit doctrinam: cum arguitur, non intelligit. Asinus est. Hujus verecundia est mortua. Inutilis est, & quidvis potius quam homo. Hic quærit quem obvium mordeat, aut calcibus petat. Itaque neque ovis, neque asinus est. Sed quid tandem? Fera bestia. Quid ergo? Vis me cõtemni? A quibus? Ab iis qui te norunt? Quomodo autem qui te norunt te contemnent, cum sis mansuetus, cum sis verecundus? At ab iis qui te ignorant. Quid ita tua refert? Neque anim alius artifex ignaros artis suæ curat. At multo magis exagitabunt me. Quid dicis, me? Potestne quisquam voluntatem tuam lædere: aut prohibere, quo minus objectis viris, ut natura fert, utaris? Nequaquam. Quid ergo adhuc tur aris, & formidabilem te præbere studes: non autem progressus in medium, proclamas, tibi pacem esse cum omnibus hominibus, quicquid illi agant: & eos in primis deridere, qui se tibi nocere putant? Mancipia ita sunt: ignorant quis sim, ubi mea bona & mala posita sint nesciunt: non patere sibi aditum ad meas opes ignorant. Sic qui munitam incolunt urbem, hostilem obsidionem rident. Nunc isti quid fidi frustra facessunt negotium? tuta sunt nostra mœnia: commeatum in longum tempus habemus: omnibus aliis rebus instructi sumus. Hæc sunt quæ civitatem munitam & inexpugnabilem faciant. Hominis vero animum nihil aliud nisi decreta. Nam quis murus adeo firmus est, aut quod corpus adeo adamãtinum, quæve possessio tam certa & propria, aut quę dignitas ita insidiarum expers? Omnia ubique mortalia sunt, fluxa, caduca, expugnatu facilia: quib. qui ullo modo adjungit animum, hunc turbari omnino necesse est, male sperare, timere, lugere, irritas habere appetitiones, in ea quæ nolit incidere. *cap. 5. lib. 4. Epict.*

Libanius: Felicius fuerit ab initio non natum esse: aut quoniam necessarium fuerat, ut talis in lucem venirem, aliud quoddam animal sed non hominem esse. Quid enim homine sceleratius? Quid? Nonne mite quidem animal verborum tenus est: sed rebus ipsis agreste & effrene? Nam quænam leonum est adversus leones expeditio? quod bellum inter ejusdem generis belluas? quod apud illas est perjurium, cedo? quæ pactorum violatio? Quæ perfidia tãta, & avaritia? quod apud illas aurum & opulentia & pecuniarum amor? quas commessationes aut crapulas? quæ norunt adulteria? liberum est ab omnibus ejuscemodi malis, brutorum genus. vestrum vero, thesaurus (ut quis merito diceret) deterrimorum est. Vos sane Deos cognoscere & adorare fingitis: nihilominus perieratis facilius quã loquimini. ac victimas quidem altaribus admovetis: quæ quidem paulo post rursus evertitis. totam vero vitam vestram bellorum plenam & ærumnarum feciistis. exorsi autem à turpissimis, vitam diris maxime horrendisque studiis finitis, primordia ætatis vestræ, scorta, adulteria & fœdissima quæque complent. florem & statum, cædes, deprædationes, sacrilega, omne quod quis dixerit flagitium: senectæ vero munia, pacifica sunt illa quidem; nullumque excessum miseriarum continent. etenim vos excipiunt prætoria: eoque dum obtinetis, calumniis incessentes, dirumpimini: pro drachmis pauciissimis, deos, leges, jura, pietatem, omnia venditis. Hæc porro non adversus omnes omnino, & communem naturam. Nam perinde ac mali contagione quadam referti, eodem omnes laboratis morbo. deformis apparet quis? facies ipsi probro vertitur. formosus est? scortatur, adulter est. alius item forma insigni, formices & lupanaria frequentat. fortis est aliquis? ad prædandum natura abutitur. dicendi peritus est? etiam calumniandi, litigandi, muneribus corrumpendi: hic adjuncta sunt perjuria, quæque perjuriis adhærent. Sapientiæ studium aggreditur? incantator evadit, & cælestia curiose indagat. *Declam.* 9.

Libanius: Socrates dicebat precioſissimum in homine animum esse, secundo corpus, tertio fortunas: ideoque quæ natura secunda erant, melioribus anteponere nolebat. *Declamat.* 19.

Procopius Sophista: Cupiditati meæ scribendi hactenus, ut Socratice loquar, dæmonium quoddam obstitit, morbis nos aliis post alios implicans, quemadmodum contingit, ut præsenti vita nos fruamur. Innumera enim turba malorum nescio quomodo vitam hominum sortita est. Et alium paupertas, afficit molestia. Alium affectiones torquent. Alii corpus male affectum est. Alius quod filium non habet lachrymatur. Alius dentes luget, & quid opus est recensere uxorum

xorum & liberorum amissionem, quæ nobis non quemadmodum oportebat, per experientiam cognoscenda dedit experientia, & longum foret oratione complecti, quæ sunt omnium oculis proposita, & ostendit nobis in ipsis rebus vita, sic agitante nos Deo, mea quidem opinione, ut incidentes in malorum multitudinem, nequaquã ad res terrestres animum adjiciamus quæ nihil habent constans, & immotum, sed relicto calamitatum pleno loco, ad aliam vitam contendamus, ad ipsum cœlum cogitatione evolantes, etiamsi adhuc corpus manere cogitur. Neq; lugeamus eum qui ex his vinclis excessit, vix jam liberum factum.

Laudo enim eum qui dixit: (quemcunq; tandem hoc dictum habuerit autorem:) Principio non nasci hominibus optimum, cum vero quis natus est celerrime ad inferni portas trajicere, quo scena abstracto, oportere non dicit in conventibus prodeuntes natum lugere, quod in tanta mala ingreditur. Quid igitur etiamnum luctu nos conficimus, præmissis ex hac tempestate in tutum locum charissimis, antequam hæc mala experirentur? Quid autem cum videatur nobis divinum esse, præterea volumus, cum hoc bonum sit judicandum, quod numini videtur? Ejusmodi erat qui Pythagoram illum in omnibus sequebatur, qui bene imprecandi causam ipsi dixerat: Det tibi Deus, quicquid volueris, respondit bona verba inquiens, at velim, quæ etiam dat. Multa enim sæpenumero nobis optamus atcum non impetravimus, tum demum cognoscimus ex eventu nos perperã fecisse. Multis vero enim secundum animi sententiam impetratis, paulo post fortunã incusavi, quod non recte hęc contigerant. Sic exigua spectantes homines, non habent naturam sufficientem & quæ semel futura sunt, conducere nescimus. Itaque meliori cedendum est, qui sapienter nostras res administrat, etiamsi nos dogmata ignoremus. *Epist. 47.*

Heliodorus Quoddam numẽ, ut plurimum res humanas in ludibrii & lusus loco collocat, neq; suavissimis tranquille frui permittit. *lib. 5. Æthiop.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carmine 1. de rebus suis.

Heu miser, heu quam pestiferis, graviterq; luendis
Mens mea criminibus lasa est! heu gloria inanis
Perfusum mortale genus fastuque protervo!
Quam vere levibus conferri possumus auris,
Quam sumus Euripo similes, namque illius instar
Volvimur in terra vano splendore tumentes.
Nec res ulla manet stabilis mortalibus usquam:
Non virtus, non improbitas: calleque propinqui
Inter se existunt, ut nec qui crimine mentem
Polluit, hoc certo norit, quisnam exitus ipsum
Expectet, nec qui studium amplexantur honesti,
Virtutem exam teneant certamque futuri.
Vtque metus vitium pellit, sic livor iniquus
Virtutem exagitat.

D. Nazianzenus Carm. 14. de hominis vilitate.

Iam nostrum mihi cerne genus, dicesque profecto:
Debile gente hominum nil magis esse queat.
Fluxus me genuit, mater me protulit egre:
Nutrit ingenti cumque labore diu.
Vlnis me primum gestavit (dulce onus) at post
Non sine tormento pes mihi rasit humum.
Tellurem hinc quadrupes trivi: mox corpore recto
Expandi tremulis gressibus ipse manus.
Obscure ostendit vox hinc incondita mentem:
Vim fletu exerui: post duce sermo suam.
Quina quater firmum robur mihi contulit ætas.
Ac pugilis duri plurima more tuli.
Altera nunc patior: fluxerunt altera: vita
Altera, trajiciens mens freta sæva, feres
Nam velut adversum studeo transmittere flumen:
Atque maris fluctus, quos gravis aura quatit.
Ac mea me multum exagitat dementia: rursum
Multa vehit damon, qui mihi bella movet.
Nam si cum latis perpendes tristia vita,
Ac libra lances æquus utrasque trahas:
Protinus in terram verget depressa malorum
Lanx: jucunda tenens rursus at alta petet.
Pugna, mare, & tellus, durus labor, atq; latrones:
Tristia quique gravi voce tributa legunt:
Causidici, libri, præfectus, judex iniquus:
Hæc secum infelix ludicra vita trahit.
Dulcia jam numera: ingluvies, & cantica, risus,
Vrna nitens fadis plena cadaveribus:
Dos, hymen, extincta repetitaque tæda priore:
Mœchus, qui mœchi sanguine tangit humum.
Edita progenies turbat cruciatq; parentem:
Ipsiusque animum suspicione premit.
Insidium illicium decor est: ignobilis autem
Forma malum est, omne quod caret usque metu.
In cura est, soboles quem fecit pulchra parentem:
Qui genuit pravos, hunc dolor acrus habet.
Fastum divitiæ, mœrorem gignit egestas:
Spharula, qua pueris mittitur atque redit.
Hæc igitur cernens, crucior, vita optima cuiquam
Si censetur, habet quæ mala plura bonis.

Martialis Spectac. Ep. 18.

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris, ab Hircanæ gloria prima jugo,
Sæva verum rabido laceravit dente Leonem,
Res nova non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil silvis dum vixit in altis:
Post quam inter nos est plus feritatis habet.

Ausonius.

Pernicies hominiq; maxima? solus homo alter.

¶ Apologi.

Æsopi Prometheus & Homines. Prometheus pro Jovis imperio homines finxit & bruta. Jupiter vero, cum multo plura videret esse bruta, jussit ut bruta nonnulla destruens inde homines efformaret. Dum id mandatum exequitur, accidit nonnullos ex illis effictos, forma quidem esse humana, mente vero & anima ferina.

¶ Emblematum.

Batilius. 5.

Homo pomo similis.

Cruda ut adhuc ramis alieno tempore poma
Ni vellantur, humi putria lapsa, jacent:
Præcipiti fato sic aut rapiuntur acerba,
Aut effœta annis corpora nostra cadunt.

Batillius 72.

Animi & corporis pugna.

Alatam incudem mire hic depinxit Apelles;
Signa sed en vates digerit illa tibi:
Nempe quod, ut volucres librantur in aera pennis,
Subsidit moles pondere pressa suo,
Sic animus cœli spatio propiore feratur,
Sic se non possit tollere corpus humo,
Nec prius absistant studia in contraria duci,
Quam capiant animum sidera, corpus humus.

Camerarius 36. Centur. 1.

Vulnere vulnera sano Balsami liquor ex vulnere corticis.

Die age cum proprio tua vulnere vulnera sanem,
Stipite cur hominum durior hostu homo es?

Camerarius 98. Centur. 1.

Hoc omnis caro.

Quisquis es hunc fœni qui spectas fortè manipulum,
Respice te: Fœnum es: pone supercilium.

Camerarius 24. Centur. 4.

Propriis non parcit alumnis.

Lucius in proprium ut sua viscera congerit alvum,
Sic ipsi sese conficiunt homines.

¶ Apophthegm. Sacror.

Canutus, Rex Angliæ: Laudandum est memorabile Canuti Angliæ regis potentissimi factum ac scite dictum, quo assentatorem, qui omnia ad regis vultum & nutum converti asserebat, memor instabilitatis fortunæ, & humanæ fragilitatis, repressit. Sedile suum in littore maris, quum ascenderet, statui jussit. Dixit autem mari ascendenti: Tu meæ ditionis es, & terra in qua sedeo mea est, nec fuit qui impune meo resisteret imperio. Impero igitur tibi ne in terram meam ascedas, nec vestes nec membra dominatoris tui madefacias Mare verò de more conscendens pedes regis sine reverentia madefecit. Ille igitur resiliens ait, *Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam regum esse potentiam, nec regis quempiam nomine dignum præter eum, cujus nutui cœlum terra, mare, legibus obediunt æternis.* Nec unquam postea coronam sibi imposuit. *Guil. Camdenus in sua Britannia.*

Iesus Christus Dominus noster: Pilatus dicebat ad Iesum, Mihi non loqueris? Nescis me potestatem habere crucifigendi te, & potestatem habere te absolvendi? Respondit Iesus, Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi hoc tibi datum esset superne, &c. *Ioann. 19. 10. 11.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Isocasius Quæstor Leonis Imp Imbecillitatis fragilitatisq; exemplum Hominem producimus, & simul Isocasium Quæstorem qui, traditus ab Imperatore Leone ob certa quædam flagitia Judici examinandus, cum in habitu condemnati ad prætorium duceretur, percontanti, Viden' quo in statu sis? *Video*, inquit, *neque novum id mihi, si homo cum sim, humanis casibus subjiciar.* & hic, ut quondã ille, nihil à se humani alienum existimabat. *Zonar. lib. 3. Annal.*

Æneas Sylvius: Antequam primo illo honore præfulgeret, audiebat differentes quosdam de humanæ sortis fragilitate. &, *Comœdia*, inquiebat, *est vita, cujus ultimus actus in morte agitur. nemo bonus poeta habetur, nisi ad finem usq; omnes actus prudenter explicet.* Præclare pariter & docte monet Ethnicus:

Discite que ô miseri, & causas cognoscite rerum.
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, humanâ quâ parte locatus es in re.

Lib. 3. Comm. ejusd. de Reb. Alphonsi.

Ferdinandus Imp. Ille etiam humanæ conditionis memor. Ho-

NEM cœlo, terra, mari, arboribus brutisq; dicebat longe inferiorem. & sciscitanti causam, *Quia omnia hæc* inquiebat, *tempestatem præsentiunt, solus homo mala sua nec sentit, nec prospicit.*

Nam genus hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta sui.
Stygias ultro quærimus undas.

Chron. German. Imp.

Franciscus Borgia Dux: Hanc Ferdinandi considerationem nulla convenientius quam FRANCISCI BORGIÆ subsequetur sententia Graviter eum affligebat Tertiana, ita ut pene ipsas medullas suo æstu concoqueret. cumq; vi morbi debilior factus jaceret, se recolligens, *Heu!* suspirabat, *quam jam dudum nihil esse in humanis perpetuum.* Quod idem mente aliquando complexus Justus Lipsius V. C. Epitaphio suo, quod Lovanii visitur, ipse inseruit:

HUMANA *cuncta fumus, umbra, vanitas,*
Et scena imago, & verbo ut absolvam, NIHIL.

Ribadin. in vita Borgiæ.

Thomas Morus: Quin, quod tota hæc vita nostra nihil aliud sit, quum ad mortem damnatorum, in hoc mundo tamquam in carcere positorum, continua expectatio, quo alii ocyus, serius alii evocãtur hac hypothesi docuit vir & sapientia & sanctitate celebris THOMAS MORUS. dicebat enim: *Velut qui è carcere ad patibulum ducitur, quo duæ quidem viæ ducunt, una brevis & recta, per circuitum altera, nescit quanam ducatur, nec longiorem sibi viam promittit propter alterius viæ incertitudinem: ita juvenis, etsi videat senem per circuitum duci ad mortem, & ignoret an eo ipse ducatur, longiorem tamen ob id sibi vitam promittere non potest.* Quis enim inter homines

——tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri?
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

In vita Th. Mori, cap. 12. apud Staplet.

Hominis Præstantia.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

D. *Greg. Nyssenus*: Sermone rationeq; nos longe corpore imbecilliores, fortiores fortioribus existimus, & omnia servituti mancipamus, ac usui nostro jubemus obsecundare. ita tauros domamus, & jugo subjicimus, terramque aratris proscindere apparamus, ac celerem equum frenis comprimentes obedientem habemus, & tardum asinum fustibus compellentes facimus celeriorem, duraq; multas vehicula trahere oneraque bajulare cogimus: elephantorum vero effusam corporis molem, ac camelorum magnitudinem ad id quod placet facili arte traducimus. Hinc etiam maris profundum trajicimus, & exiguo ligno ratione gubernante pelagus immensum lustramus, & cum itineris illius indicibus amotis è conspectu terræ abjimus, cœlestibus signis tuto proficiscimur, ac nauta ea duce iter facit, ut stella Magi ducebantur. Cœli autem latitudines & formationes repertæ sunt, & stellarum multitudo, & qua quæque sit magnitudine, quoq; intervallo, itemq; lunæ figura, & quid Soli accidat, quod certis quibusdam temporibus radium abscondat. jam vero de terra quoque commota philosophamur, quique fiat ut naturalibus soluta firmamentis ipsaque subsiliat, & incolas quæque adjacent concutiat ex signis observatis & æstus perspicimus, & imbres futuros prædicimus. præterea ad ea quæ terra parit rationem admoventes, naturas herbarum perquirimus, & hanc saucio salutarem decernimus, alteram somno non dormienti conciliando idoneam, aliam recinori sanando, & aliam lienis tumoribus comprimendis. Omitto scientias, artes relinquo, tum necessarias, tum quæ ad delicias omnigenas attinent, varium quoque studiorum orbem. *Oratione adversus eos qui castigationes aegre ferunt.*

D. Chrysostomus: Deus ea inter omnia quæ videntur, homine nihil majoris æstimat: propter quem videlicet & cœlum & terram & mare fecit, in quo ipso sane inhabitare magis gaudet quam in cœlo. *Homil. 14. ad Roman.*

D. Ioh. Chrisostomus: Quod Deus est in cœlo, hoc est homo in terra, quod attinet ad principatum. & sicut homo dominatum obtinet in omnibus quæ sunt in terra, ita Deus dominatum obtinet in omnibus quæ sunt in cœlo ac terra. *Homil. 2. ad Hebr.*

Basilius Seleuc. Una divinitas unum sui secundum simulacrum erexit. Quamobrem quẽ imaginis dignitate cohonestavit, pari quoque formationis paratura exornavit. Cætera namq; animantia aut toto corpore terram verrunt naturæ lege progrediendi, sed reptandi vim sortita, aut ad terram inclinantia, quod nullum in cœlo jus hæreditatis habeant, ipsa figura contestantur. At solus homo, ostentat fictionis suæ modo nobilitatem; dum rectus in cœlum adsurgit: pedibus ille quidem terram tangit, dum tantisper in ea versatur, verum ore ad cœli fornices sustollitur, & extentis manibus cœlestem patriam animo repræsentat, Pauliq; vocem elatè ante Pauli tempora effert: Nostra conversatio in cœlis est. Ac velut in throno considens actionum dignitate creatoris imaginem præ se fert, sacris quasi coloribus eum imitans. Nam & hic ad creationem rerumq; molitionem desiderium & manus affert, ædificat, navigia extruit, lectos sternit, mensas compingit, quæ ludibundus dum facit, manum creatoris imitatur. Item homo fit pater, & filius progignitur divinis solus ornatus honoribus & nominibus, intemporalem patrem tempore imitatur, & appellatione, & filius post partus dolores agnominatur, filium, qui sine passione est repræsentans, dum patitur. Deinde rex verus, & legislator Deus, cui decem millia myriadum Angelorum ministrant, & decem millia myriadum parent imperanti. Et potestatis suæ specimen dat in subjectos, legibus exercitum coercet, jura dicit super hominum peccatis homo, & rationem expromit, & sententiæ dictione gloriatur, deniq; rerum gestarum, umbra veri regis habitum gerit. *Orat. 1. fine.*

¶ LATINORUM.

Zeno: Homo quemadmodum Dei imaginem portat. cujus vultus passibilis, omni conversioni subjectus momentis omnibus demutatur labore, ætate, languore, ira, gaudio, tristitudine, totq; induat vultus, quot animi fuerint motus: nullusq; prorsus dies, quo jugiter sibi similis esse videatur? Cum hæc aliter non sint: ergo ne Dei imaginem non habemus? Habemus plane: & quidem manifestam ex eo ipso, quod non est nobis portantibus nota. Incomprehensibilis enim Dei imago invisibilis sit necesse est. Deniq; oculis non est subjecta carnalibus. Nam neq; cum ingreditur corpus nostrum, neq; cum de corpore egreditur, a quoquam deprehendi potest: tantumq; potestatis habet, ut, cũ sui domicilii septo teneatur, tamen quicquid voluerit, omnibus momentis illustret. Non ergo carnale hoc domicilium imaginem Dei debemus accipere: sed cœlestis hominis spiritualem: quam in se credentibus Dominus ætherea natiuitate renovatis plenitudinis suæ vio de fonte largitur per dominum nostrum Iesum Christum. *Serm. 2. de Genesi.*

Zeno: Omne tibi cedit animantium genus: quod per convexa montium, vel prærupta rupium, aut opaca silvarum, omne, vel quod a quis tegitur, vel præpetib. pennis in aera suspenditur, omne, inquam, quod hujus mundi est, servitio, & subjectioni tuæ liberalitas munifici conditoris indulsit. Nonne tu tibi sensu rationabili suggerente diversitates artium reperisti? Nonne tu urbes condere, omneq; earum reliquum usum perneccssarium viventibus invenisti? Nonne tibi per rationem, quæ in te est, mare pervium fit? terra, flumina, fonteq; tuis, vel usibus, vel voluptatib. famulantur? Nonne aer hic, & cœlum ipsum, atq; omnes stellarum chori vitæ mortalium ministerio cursus suos, atq, ordines servant? Quid ergo deficis animo, & deesse tibi aliquid putas? Si non tibi equus producitur phaleris exornatus, & spumanti ore mandit argentea frena: sed sol tibi producitur veloci, rapidoq; cursu ardentes tibi faces caloris simul, ac luminis portans. Non habes aureos, & argenteos discos: sed habes lunæ discum purissimo te, & blandissimo splendore radiantem. Non ascendis currum, nec rotarum lapsibus veheris: sed habes pedum tuorum vehiculum tecum natum. Quid ergo beatos censes eos, qui aurum quidem possident, alienis autem pedibus indigent ad necessarios commeatus? Non recubas eburneis lectis: sed adjacent tibi fœcundæ cespitis viridantes, & herbidi thori florum varietate melius quam fucatis coloribus Tyrii muricis picti: in quib. dulces, & salubres somni nullis curarum morsibus effugantur. Non te contegunt aurata laquearia: sed cœlum te contegit ineffabili stellarum fulgore depictum. *de præcepto. Attende tibi.*

Chrysologus: Est Habitus, Sermo, Scientia, Ratio, Judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt. *Serm 5.*

Chrysologus: Quidquid cœli micat, radiat, & splendet ornatus, quicquid terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostro amore factum, nostræ addictum est servituti. Sed quamvis magna, parva tamen sunt ad supernę in nos dilectionis indicium. Nobis principatus cœlorum, nobis ætheriæ potestates, nobis supernæ dominationes, nobis angelorum officia excubiis militant indefessis. Sed ista adhuc asserendæ in nos divinæ necessitudinis parva sunt, & minora, tantumq; infima, quantum creatore suo minor est creatura Deus vultu incontemplabilis, visu imperspicabilis, inaccessus mente, ne ipso quidem ad plenum notus auditu, quoties, qualiter, quam variè, quam diverse se humanis aptavit obtutibus? quam se communioni, quam se familiaritati præstitit, & concessit humanæ. *Serm. 60. pr.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Aristides Rhetor: Primus noster, sicut & universi hujus, ortus a Deo est: vitæ quoq; conservatio, artes, leges, & quod mortales cum simus, immortalitatem successione per partes imitamur: quin & quod hisce rebus ratiocinamur, ex Dei dono totum procedit. *Hymno in Iovem.*

Arrianus: Si quis illud infigere posset animo, ut decet, nos omnes a Deo præcipue esse factos, ac Deum patrem esse hominum & Deorum: eum nihil abjectum aut humile de seipso cogitaturum arbitror. Atqui si te Cæsar adoptasset: quis supercilium tuum ferret? ubi autem cognoris, te Jovis esse filium, non effereris? Nunc id non facimus: sed cum duo hæc in ortu nostro permista sint, corpus commune cum cæteris animantibus, ratio & mens cum Diis communis: alii quidem ad cognationem illam inclinant infelicem & miseram, pauci autem ad hanc divinam & beatam. Quoniam ergo necesse est, quemlibet ita singulis rebus uti, ut de iis existimarit: pauci illi, qui se ad fidem natos esse putant, & ad verecundiam, & ad tutum

visorum

viforum usum, nihil humile aut abjectum de seipsis cogitant: vulgus autem contra. Quid enim sum? misellus & homuncio, & calamitosum corpusculum. Vere quidem illud calamitosum, sed & præstantius quiddam corpusculo habes. Quid ergo illo omisso, isto affixus es? Ob hanc deflexionem fit, ut alii lupis similes simus, infidi insidiatores, noxii: alii leonibus, agrestes, feroces, immanes, pleriq; autem in vulpeculas degeneramus, & monstra quædam vel inter bestias. Quid enim aliud est maledicus & subdolus, quam vulpes? aut aliquid aliud abjectius & infelicius? Videte igitur & cavete, ne tale aliquod monstrum evadatis. *cap. 3. lib. 1. in Epict.*

Arrianus: Etsi animalia sint opera Deorũ, nõ tamẽ prẽcipua sunt, neq; Deorum partes: tu vero principale quiddam es: tu aliquid es à Deo avulsum: tu habes in te aliquam Dei partem. Cur ergo nobilitatem tuam ignoras? Cur nescis unde veneris? Non meminisse vis, cum edis, qui sis, qui edas, & quem alas? Cum uxoris consuetudine uteris, qui sis, qui utaris? Cum colloqueris, cum exerceris, cum disputas? An nescis te Deum alere, Deum exercere, Deum te circumferre miser ignoras? Num me argenteum extrinsecus aut auratũ aliquem dicere putas? In te ipso fers, teq; cum inquinare non animadvertis, cum impuris cogitationibus, tum sordidis actionibus. Nam Dei quidem simulacro præsente non auderes quicquam eorum facere: quæ facis: ipso autem Deo intrinsecus præsente, & omnia tum intuente, tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere, ignare naturæ tuæ & Diis invise?

Quid ergo jam timemus, cum adolescentem è schola ad actiones aliquas obeundas ablegamus, ne quid secus faciat, ne indecore edat ne se libidinibus polluat: ne se vel abjecte gerat pannis obsitus, vel in vestitu luxuriet? Nunquid is suum Deum ignorat? An nescit quo comite abeat? Estne ferendus, cum aliquem comitem optat? Nunquid ibi Deum non habes? An cum illum habeat, requiris alium. An is alia tibi dicet quam hæc? At si Phidiæ statua esset, sive Minerva, sive Jupiter: cum tui opificis meminisses, tum (si quem haberes sensum) operam dares. ne quid indignum vel eo qui te fabricasset, vel temetipse admitteres: neve indecoro habitu ab iis conspicereris, qui te spectarent.

Nunc quia te Jupiter fecit, eone qualem te demonstres non curas? Quæ autem est inter artificem & elaboratum ejus opus, inter fabrum & fabricam similitudo? Cujus artificis opus ejusmodi est, ut statim eas in se vires habeat, quas per fabricam demonstrat? Nonne lapis est, aut æs, aut aurum, aut ebur? Nam Phidiæ quidem Minerva, semel porrecta manu, in eamque victoria recepta, sic per omnem stat ætatem: Dei autem opera moventur, spiritum habent, utuntur visis, probant, improbant. Cujus opificis cum fabrica sis, pudore illum afficis.

Quid porro, quod te non modo fecit, sed in sua dona tibi soli credidit, penes te deposuit? Ne hoc quidem recordabere: sed & in fidei commisso ignominiam suscipies? At vero si quem pupillum tradidisset, itane eum negligeres? Tradidit tibi temetipsum, aliumq; se habuisse te fideliorem negat. Hunc, inquit, mihi consreva talem, qualis sua natura est, verecundum, fidelem, sublimen, imperterritum, perturbatione tumultuq; vacuum: Tu vero non conservas. Ac dicent, unde nobis iste supercilium attulit, & vultus gravitatem præ se fert? Nondum tantam, quanta me decebat: nondum enim iis quæ didici, quæque probavi, sum fretus: adhuc imbecillitatem meam timeo.

Etenim sinite me paululum sumere animos: tum videbitis vultum qualem decet, & habitum qualem decet: tum vobis ostendam statuam, cum absoluta fuerit, eum exsplenduerit. Quid putatis? Supercilium esse hoc? Absit. Nec enim Jupiter Olympius supercilium attollit, sed oculus ejus constans est: ut ejus esse decet, qui dicturus sit. Non mea verba teguat fraudem non illa retracto. Talem me præbebo vobis fidelem, verecundum, ingenuum, perturbatione vacuum. Num ergo immortalem? Num senectutis, aut morborum expertem? Non. Sed eum qui divinitus moriatur, qui divinitus ægroter. Hæc habeo, hæc possum. Reliqua nec habeo, nec possum. Ostendam ne vobis nervos philosophi? Quales nervos? Appetitum frustrationis expertem: aversationem casibus non obnoxiam affectionem convenientem: propositam accuratum: assensionem consideratam. *lib. 2. cap. 8.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior; Homo animal Deo proximum, & in contemplationem omnium quæcunq; mundo contigerunt, constitutum. *Declamat. 260. m.*

Symmachus: Rectè Cæcilius Comicus; Homo, inquit, homini Deus est, si suum officium sciat. Hanc ego in te dixerim sententiam convenire, qui nostris negotiis curam vigilem præstitisti. *lib. 9. Epist. 104.*

¶ Poetarum.

Oppianus lib. 5. ἁλιευτ. principio.

Hinc deinceps audiens considera, Domine orbis,
Quam nihil sit hominibus difficile neq; in terra
Matre effectu, neque per sinum latum maris:
Sed aliquis revera similem superis progeniem
Homines produxit imbecillius vero robur attribuit:
Sive laperi proles multa consilii Prometheus
Comparandum Diis elaboravit genus, aqua terram
Jungens, cor autem Deorum illevit unguento:
Sive etiam cruore definisuo prognati sumus
Titanum. Non enim quicquam est superius hominibus,
Exceptis Diis: solis autem concedemus (Diis) immortalib.
Quantas quidem in montibus vim imperterritam habetes
Feras animosus homo extinxit? Quot autem secula
Avium in nubibus & aere commorantia
Cepit humile licet ipse habens corpus neq; leonem (vit
Libera vit animus elatus quo minus caperetur: neq; serva-
Aquilam ventosus alarum motus: sed & Indam
Belluam nigra cute praditam, vastam molem, vi
Flexerunt onerantes, sub jugis autem posuerunt
Mulorum, ut difficilem sustinerent laborem trahendi,

Prudentius hymno ante cibum.

Quod generosa potest anima,
Lucis & atheris indigena,
Solvere dignius obsequium,
Quam data munera si recinat
Artificem modulata suum?
Ipse homini qui cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu.
Quæ polus, aut humus, aut pelagus,
Aere, gurgite, rure, creant,
Hæc mihi subdidit, & sibi me.
Callidus illaqueat volucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
Illita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt & abire vetant.
Ecce per aquora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt.
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristifera segetis,
Heic ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna, ubi bacca viret.

¶ Apophthegm. Sacror.

Salomon: De homine differens, dicit *Spiritum humanum* mirum esse, & à Deo ad quem revertitur, corpore per mortem diruptо. Proverb. 20. 27. Eccles. 12. 7.

Peccatorem esse hominem, Eccles. 7. 22, 31. & 9. 3.

Cogitationem ejus esse vanam, Prov. 19. 21.

Conditionem ejus describit, Eccles. 1. 11. & 3. 18. 19.

Et sortem communem omnium hominum, Eccl. 9. 1. 2. 3.

Sozomenus: Ea est humana natura, ut cum despecta est, obstinatione insolescat, & tum contentionis, tum rerum novandarum studio flagrare incipiat: at cum partes fert *æquales, soler se moderatè gerere*, & intra eosdem rationis velut cancellos manere. *Sozom. eccl. hist lib. 6. cap 25.*

Sulp. Severus: Officium, inquit, hominis est, perennem potius vitam, quam perennem memoriam quærere, non scribendo, aut pugnando, vel philosophando, sed pie, sanctè religioseq; vivendo. *S. Severus, de vita B. Martini.*

Honestatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Debent ipsa quoque rerum honestarum significationes & species turpitudine vacare. *Orat. 23.*

D. Gregor. Nyssenus: Quod ex se, & per se, & in se honestum est, hoc sane est semper honestum, neq; aliquando non fuit, aut aliquando non futurum est, sed perpetuo se uno eodemq; modo habet, neq; omnino augeri, neq; amplificari, neq; ulla per mutationem mutari potest. *cap. 11. de virginitate.*

D. Greg. Nyssenus: Cum ab omni studio quod in vero bono consistit, se abduxerint homines, partim in carnis amorem delapsi sunt, partim in inanimatam pecuniarum vim cupiditatibus prolapsi inciderunt: plerique vero in honoribus, in gloriæ splendore, in opibus & potentia honestum posuere: nonnulli autem sunt, qui in atrium scientiarumque disciplinis stupore quodam affecti tenentur: qui vero sunt his abjectiores vilioresque, hi in gula, ac ventre sedem honesti collocant. Verum qui à rebus sub sensum cadentibus, & ab animi affectionibus ad eas res propensis, quæ speciem aliquam præbent, sese abduxerint, simplicem ipsius honesti indagarunt naturam quæ materiæ expers est, nullaq; figura exprimitur, neq; in diligentis iis aberrarunt, quæ maxime optabilia sunt, neq; hujusmodi sunt erroribus ita circumventi, ut neq; perspecta voluptatis, quæ in iis est, brevitate, ad ejusmodi rerum despicientiam deducti venerint. Hæc igitur nobis quidem via est, qua ad ipsius honesti inventionem ducimur, ut cæteraomnia, quibus hominũ trahuntur cupiditates, quæve honesta putantur, ea cum pro nihilo habeamus, quasi humilia

ſint, ad tempuſque maneant, nullam in his ſane appetitionis noſtræ vim nos conſumamus. *cap.* 11. *de Virginitate.*

D. Gregor. Nyſſenus: Nobis id agendum eſt, non ut in animum inducamus appetere res bonas & honeſtas, hoc enim ſponte inſitum eſt humanæ naturæ, ut ad honeſtatem propenſa ſit: ſed ne erremus ac fallamur in judicando ac diſcernendo, quid bonum & honeſtum ſit. in hac enim maximè vitæ parte vita noſtra peccat: nempe in eo, quod plenè intelligere non poteſt, quid natura bonum & honeſtum ſit: quid falſo tale putetur. nam ſi nuda vitæ propoſita malitia nequitiaq; , & non honeſti quadam imagine obducta ac decolorataq; eſſet, genus humanum ad eam non transfugiſſet. quare intelligentia atq; prudentia nobis eſt opus ad propoſiti dicti cognitionem, ut edocti qua ſit vera inſiti intellectus pulcritudo, ad eum formemur: *Orat. 5. de beatitudinibus.*

S. Iſidorus Peluſiota: Novi ego quoſdam, qui cupiditate alterius cujuſdam luxurioſæ voluptatis temperantiæ ſtuderent: Alios autem, qui inſita naturæ vi ad eam partem cogitationes ſuas inclinarent. Et alios quidem, qui copiæ rerum felicitatiſque impetrandæ cauſſa Deum invocarent; alios vero qui ſolius pietatis ergo ſanctimoniam colerent. Et alios quidem, qui quamvis ad injuſtitiam eſſent intenti, tamen juſtitiam tanquam velum quoddam iniquitati obducerent: alios vero, qui inclinationi propenſioniq; ad juſtitiam ducem præficerent rationem. Si igitur ego, cum ſim homo vilis, & ad intelligentiam tardus, potui animadvertere, quod multi mortales honeſtatis radices non in virtute vixerũt, ſed ad aliud quippiam reſpicientes honeſtatem coluerunt: quid de illa ineffabili ſapientiâ (divinâ) exiſtimabimus? num illa indicibilis intelligentia, quæ omnes res novit antequam exiſtant, ſuſtinebit calculos ferre ex ramis tantum, radice contrarium in modum affecta? Equidem non ſic exiſtimo; ſed & radices, & primitias fructuum, & impetus motuſq; & inclinationes animorum ad accuratum adducens examen, ex proprio ſuo, eoq; incorrupto judicio calculum feret. Jam expoſitum tibi ſatis arbitror apoſtolicum illum abs te propoſitum locũ. Itaque nolite ante tempus judicare. Intellige, aut de rebus obſcuris, quæ nec facile poſſunt inveſtigari: aut de rebus indifferentibus, verbi gratia cibis: de quibus etiam Romanis ſcribens, multum verborum fecit. Nam de rebus manifeſtis & judicavit Paulus, & judicare nobis præcepit: & ejecit ex Eccleſia, & ejicere mandavit. At de rebus occultis expectare juſſit, quoad venerit Dominus Abſurdum enim eſt, judicis dignitatem ac munus arripere atq; invadere velle, & calculum abſque judicio ferre, & non permittere eum regulæ veritatis. *lib. 4. Epiſt. 94.*

¶ Latinorvm.

S. Salvianus: Si vis probus, ſi vis potens, ſi vis magnus eſſe, & honeſtate debes cæteros, non malignitate ſuperare. *fine libri 5. de gubernatione Dei.*

¶ Oratorvm Græcorvm.

Ariſtides Rhetor: Qui nati ſumus Athenis, non tam quid patiamur, quam quid honeſte faciamus, videre decet. *Oratione Siculà priore.*

¶ Romanorvm.

Plinius Iunior: Quotocuiq; eadem honeſtatis cura ſecreto quæ palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur. *libr. 3. Epiſtola 20. med.*

Nazarius: O quam æger eſt ad honeſtatem recurſus his, qui jam gradum ex nequitia protulerunt! Vocas ad ſocietatem, appetitum tuum; refugit, adverſatur, horreſcit; nihil ſibi putat tecum commune, quia nihil ſimile eſt. *cap.* 10.

¶ Monosticha Trochaica.

Cui domi ſic cura honeſti eſt, cura honeſti ut eſt foris?
Cuncta honeſta ſunt, eorum quamdiu uſus eſt bonus.
Eſſe nil poteſt honeſtum à juſtitia quod avocat.
Eſt quidem iſtuc hercle honeſtum, ſed mage alterum expedit.
Graci omnes ſciunt honeſta, ſoli at Spartani colunt.
Improbis nil eſt honeſtum quod vacuum pecunia eſt.
Latius multo eſt honeſtum, magno cum conſtat ſibi.
Nemini cura eſt honeſti, cura quam qui ipſi eſt Deo.
Nil honeſtum eſt quam quod juxta regulam geritur Dei.
Non poteſt non eſſe honeſtum, factum amore quod Dei eſt
Non probanda tantum honeſta, ſunt ſequenda maxime,
Non quia utile, eſt honeſtum, ſed quia honeſtum eſt utile.
Nulla cura eis honeſti eſt, quos affectus occupant.
Nullum aliud bonum quam honeſtũ, nec quam turpe, aliud malum,
Nuncium remitte honeſto, ſi cupis diteſcere.
Nunquam honeſti aquique defit improbis ſuus color.
Optimis cedas honeſta, morbidis neceſſaria.
Particeps id eſt honeſta, juſtitia quod particeps
Pauci honeſtis eruditi ſunt miſcere & utile.
Pauci ſunt ipſum qui honeſtum propter honeſta percolunt.
Pro ratione perſonarum res honeſta, vel ſecus.
Qua viris ſunt turpia, honeſta eſſe non queunt Deo.
Quare ubi vivas honeſtè, non ubi tutiſſimè.
Quid poteſt deſiderare cui omne honeſtum contigit?
Quiſq; honeſti imaginem ore, corde rarus exprimit,
Quo tibi conſtat majoris hoc honeſtum eſt latius.
Sola bona æſtimes quæ honeſta ſolaq; mala quæ turpia,
Tam licet mendico honeſte quam monarchæ vivere.
Vera ubi non eſt honeſtas vera abeſt felicitas
Vivere haud poteſt honeſte negligens vita ſua.
Vix honeſta curat ortus educatuſq; improbe.
Vnicum bonum eſt honeſtus, cætera ſunt bona in diem
Vt velint honeſta mentes, plauſus & ſcena excitat.
Vtilitatis ratio habenda verum honeſtatis magis.

¶ Jambica.

Amicum id omne eſt unica honeſti quod beat.
Agentem honeſta ſemper adjuvat Deus.
Aufervoluptatem, omne honeſtum extinxeris.
Bona eſt honeſto juncta delectatio.
Etiam invenias qui honeſta in mercedem colant.
Facilius eſt, probare honeſta quam ſequi.
Factis honeſtas colitur, haud ſermonibus.
Factis honeſte nuda veritas ſat eſt.
Honeſta cedunt rebus utilis ultimis.
Honeſta multa, morte mulctat Rex malus.
Honeſta non occulta quæruntur bonis.
Honeſta nulla creſcunt ullo tempore.
Honeſta vita honeſtum nomen comparat.
Honeſta vita princeps eſt ſapientia.
Honeſta vix fidem merentur debitam.
Imitare honeſta: permanebit optimus.
Nil eſt honeſtum quod non ſit & utile.
Nil ex honeſto turpe progigni poteſt.
Pretium rei omne honeſta in ipſa clauditur.
Quod cuiq; è re ſua eſt, honeſtum dicitur.
Quod eſt honeſtum, id unum imo unicum eſt bonum.
Quod non honeſtum eſt, utile eſſe quei queat?
Rerum omne honeſtarum eſt in ipſis præmium.
Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.
Sectare honeſta, & judicabere optimus.
Se jungi honeſtum ab utili quei nam queat?
Simplex honeſtas, turpitudo multiplex
Sola merito honeſtas lucrum à legibus capit.
Sufficit honeſte factis nuda veritas.
Turpia facilius, quam ipſum honeſtum intelligas.
Vbique honeſti cura quam utilis minor.
Vile illi honeſtum eſt, cui corpus carum eſt nimis.

Honoris,

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

Nazianzenus: Qui eum debito honore fraudat, non magis ipſum, per quod id tribuit, honore afficit, quam per id quod eripit, ignominiam ei inurit, utcunque res ea honoris ſpeciem atq; obtentum habeat. *Orat. 13.*

D Nazianzenus: Non ideo latebras petimus, ut quæramur, neque ut præſtantiori honore digni cenſeamur: quemadmodum qui eximias quaſdam formas paullum oſtenſas ex oculis ſubducunt. *Orat. 27.*

D. Chryſoſtomus: Ego quendam honeſtavi, ille autem ſi honorem à ad ſe delatum recuſavit, hoc nomine incuſandus non ſum, neque ea ſane honoris deprecatio benignitatem erga illum meam labefactat, ſed illius ſtupiditatem arguit. *Serm. 7. ad Roman.*

Chryſoſtomus: Neq; enim rege ſuffragio ſuo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio ſuo decernente, ſuſtinebit ſubditorum quiſquam contradicere. *Homil. 14. ad Rom.*

Chryſoſtomus: Si quem propter Chriſtum honore: etiam ſi ſit ultimus, ſit autem fidelis; dignus eſt qui honoretur. Nam ſi cum & dux exercitus, & miles levis armaturæ acceſſerint, ſintq; ambo chari regi, tu domum ambobus aperuiſti: per quemnam viſus es regem magis honorare? Perſpicuum eſt quod per militem. Nam dux exercitus, etiam abſq; amicitia regis, multa habebat quæ poſſent perſuadere, ut ei illum exhiberes honorem: miles autem nihil aliud quam regis amicitiam. Propterea & claudos, & mancos, & qui non poſſint gratiam referre, Deus nos juſſit invitare ad cœnas & convivia. quoniam hæc ſunt beneficia quæ proprie fiũt propter Deum. Sin autem magnum aliquem virum & illuſtrem hoſpitio exceperis: non eſt quod a te fit adeo pura eleemoſyna, ſed partem aliquam apud te ſæpe ſibi vendicat inanis gloriæ, & quod beneficio ſis affectus, & quod multis propter illum tuas inſignior. multos quidem certè poſſum oſtendere, qui propter ea obſervant inſigniores ex ſanctis, ut apud principes majorem aſſequantur confidentiam, & rebus ſuis & familiis hinc fiant utiliores, & à ſanctis illis ejuſmodi multa exigunt beneficia: quod quidem facit ut eis pereat merces, hoſpitalitatis, quãdo hoc animo virtutem perſequuntur. Et quid hoc opus eſt dicere de ſanctis? Qui enim hoc quærit à Deo mercedem laborum quos ſuſcipit, & propter præſentia virtutem perſequitur, mercedem ſuam minuit.

minuit. Qui autem integras illic exigit coronas, existit longe admirabilior. *Homilia 20. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Quando videris ex servis & humili loco natis eos qui parum hic laborarunt, throni regii esse particeps, non ea erunt tibi pejora punitione? Nam si nunc eos videns approbari, & in bona esse existimatione, etiamsi nihil mali patiaris, ex eo tamen magis peris quam ex quovis supplicio, & te ipsum luges & lachrymaris, & te mortibus mille dignum esse censes: quid tunc patieris? Nam si non esset gehenna, ipsa de regno cogitatio an non sufficeret ad perdendum & ad afferendum interitum? Quod autem res ita sit se habitura, satis discipotest ex rerum experientia. *Homil. 4. ad Ephesios in fine.*

Chrysostomus: Solemus omnes quando ab humili admodum & abjecta conditione ad contrarium & ei ex adverso respondentem aut etiam majorem evecti fuerimus honorem, ne priorum quidem meminisse, ut qui in illa nutriamur gloria. *Homilia 5. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Quemadmodum is qui non sibi traditum à Deo honorem usurpare præsumit, culpari dignissimus est: ita & qui traditum sibi repellere, & à se arcere molitur, aliorum est criminum reus infidelitatis scilicet atque inobedientiæ. *Homilia 1. initio ad Timoth. 1.*

D. Chrisostomus: Qui fruitur honore mortali, ingentemq; ab hominibus consequitur gloriam; præter id quod majorib. debitis obnoxius sit, in arrogantiæ sæpe tumorem atq; inanem gloriam tollitur, efficiturq; hominum servus. Deinde cum ejusmodi dominatus increverit, plurima jam agere cogitur, quæ non vult. Scientes igitur hoc illo esse præstantius, longeq; nobis plura conferre, non quæramus honores, imò eos cum oblati fuerint, repellamus, & abjiciamus à nobis, & istiusmodi concupiscentiam exstinguere modis omnibus studeamus. 2. *Homil. in Epist. ad Titum.*

D. Io. Chrysostomus: Nolito ipsum te contumelia afficere, alterum afficiens contumelia. tibi parce, non illi. te ipsum honora, non illum. An non est ejusmodi proverbium? Qui honorat, seipsum honorat. Audi quendam sapientem dicentem, Fac animæ tuæ honorem juxta ejus dignitatem. *Hom. 25. Ep. ad Hebræos.*

Isidorus Pelusiota: Cum infidelitatis atq; inconstantiæ vitio labores, nec futura in mente habeas, non mirum est te incertis atque infidis hujusce vitæ rebus prorsus addictum esse, hoc est, opibus atque inani gloriæ. Quamobrem aut ista, ut terrena contemne: aut ad tolerantiam te exerce, ut, cum fugient, patientiam adhibeas. *lib. 1. Epist. 276.*

S. Isidorus Pelusiota: Demiror equidem, quonam pacto ii, qui animi insolentiam ac fastum & tumorem ex eo conceptum, quod antistitii honore præ aliis affecti sint, minimè astringunt, sublimius, quam par sit, de se sentiant, ac ne ipsum quidem jam relinquere velint, probro scilicet atque contumeliæ ducentes à jure & æquo superari. *lib. 3. Ep. 68.*

S. Isidorus Pelusiota: Reddendus est, honor ei qui honore dignus est, & ita quidem ut nec adulationem adhibeamus, neq; illius benevolentiam captemus: (metuendum est enim, ne quis per hæc in vilitatem & contemptionē incidat, & assentationem quandam scurrilem exercens semetipsum probro afficiat) sed cum decoro conveniente id quod decet unicuiq; tribuendum est. Fieri enim potest, ut debitum non convenienter, nec ut decet, reddatur. *lib. 4. Ep. 16.*

§ Latinorum.

Egesippus: Filios tres quos ego vobis hodie reges constituo, ita honore congruo prosequimini, ut neque immoderatus neq; infimus honor sit: Aliud inflat; aliud exasperat, quod cuique portionis suæ meritis suppetit impartiatur. Non enim tantum quis delectat eum, quem supra mensuram honorat, quantum lædit eum, cui debitum negat. Et plerumque uterq; eorum offenditur, ubi prælationis adulatio est. Sum certe omnib. pater. Honor filiorum haud dubie patris gloria est. Si tamen supra modum quis liberos meos excolat, reus est mihi etiam pro liberis meis, quibus auter prolaptionis est: Nimius enim cultus audaciæ sumptus est. Numquid invideo liberis meis? Absit: sed malo eos minus cum gratia posse, quam plurimum cum seditione. Quod enim superbiæ vel rapinæ est, cito labitur: quod gratiæ diu tenetur. *lib. 1. cap. 38.*

S. Salvianus: Pedissequa plerisque novi honoris est arrogantia. *Epist. 2. ad Eucherium.*

Ennodius: Videtur mihi non longe ab honestate descifeere, qui colit emendatos, dum creditur quicumque sectari posse qui diligit. *lib. 7. Epist. 27. f.*

§ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Æschines: Qui adolescens ob turpes voluptates, gloriam honestatis neglexisset, eum non censuit legis auctor, ætate provectiore ullum oportere honorem consequi. *Orat. in Timarchum.*

Claudius Senatui Tyanensium: Apollonium vestrum, civem, Philosophum Pythagorium, qui Græciam magna cum laude peragravit, & juvenibus nostris plurimum contulit, dignis honoribus & donis ornavimus, quibus decet afficere viros honestos, & veros sapientiæ doctores ac præsides. Benevolentiam itaque nostram vobis declarare planamq; facere per literas volumus. *Epist. 61.*

Lacedæmonij Apollonio: Ad honorem tibi tributum confirmandum, has literas misimus obsignatas publico sigillo, ut certum videre posses. *Epistola 60.*

Aristides Rhetor: Cum vivendi ratio sit communis, tum honores ad optimum quemque deferantur, quis non, ob eam rem liberā vocabit hanc urbem Athenarum, in qua & vivere cuique pro arbitrio liceat, & honor atque potentia nemini, nisi fuerit approbatus, tribuatur? *sub finem Panathenaicæ orationis.*

Epictetus: Est tibi prælatus aliquis in convivio, aut salutatione, aut dandi consilii officio? si quidem ista bona sunt, gratulari debes illi cui ea contigerunt: sin mala, ne doleas te in ea non incidisse; sed memento, cum ea non agas quibus illa parantur quæ in nostra potestate non sunt, fieri non posse ut eadem tibi tribuantur. nam quei valebit tantum is qui fores non frequentat, atque is qui frequentat? qui non assectatur, atque is qui assectatur? qui non laudat, atque is qui laudat? Injustus igitur eris & inexplebilis, si non numerato eo pretio quo illa væneunt, gratis ea consequi te postules. Age; quanti væneunt lactulæ? ponamus obolo. si quis igitur obolo dato lactucas acceperit; tu autem pretio non numerato non acceperis; ne te deteriore conditione esse putes eo qui accepit. ut enim lactucas habet ille, sic tu obolum non dedisti. Ad eundem modum & hic se res habet: non invitatus es ad conviviū alicujus? nec dedisti quātum vænit convivium vendit autem id convivator laudatione, vendit obsequio. dato igitur præcium quanti venit, si e re tua est. quod si nec illa vis præstare, & hæc accipere, avarus es & vecors. Nihil igitur cænæ vice habes? imo habes: non laudasti quem noluisti; non toleraſti ejus insolentiam in ingressu. *cap. 32. Enchiridij.*

Arrianus: Cur vim non facis cubicularijs? quia novi ingressis aulam Imperatoris nullum bonum distribui. Sed cum aliquem fortunatum judicari audiero, quod à Cæsare honoretur: dico, Quid ei contingit? Provincia. Num etiam decretum quale oportet? Prætura. Num illud etiam, ut recte utatur illo munere? Quid adhuc turba premio? Quid ingredi nitor? Aliquis ficus & nuces projicit: pueri rapiunt, & inter sese certant: viri vero non, parvum enim id ducunt. Si quis autem testas projiciat, nec pueri quidem rapiant. Provinciæ distribuuntur. Viderint pueri. Argentum. Viderint pueri. Prætura, Consulatus: viderint pueri, excludantur, vapulent, deosculentur manus servorum largitoris. Mihi vero ficus & nuces sunt. Si frustratus fueris illo projicite, ne curato. Sin ficus in sinum tuum inciderit, sublatam devora. nam ficum etiam tanti facere licet. Si vero me inclinato, & alium evertero: aut ab alio eversus, si ingredientibus, adulatus fuero: tanti neque ficus est, nec quicquam eorum quæ bona non sunt, queque philosophi mihi persuaserunt in bonis non esse habenda. *cap. 7. lib. 4. Epicteti*

Simplicius: Non cujusvis honor est admittendus, sed prudentum tantummodo, quorum testimoniis tuto credi potest. *fine cap. 29. ad Epict.*

Hierocles. Est in ea tota vis honoris posita, ut eorum qui honorantur, natura non ignoretur: ab eaque licet optime quod apud eos, quibus honor tribuendus est, vel dicere, vel facere conveniat invenire. Quei enim quis cum eis sermonem habeat, quos ignorat? quei rursus illis munera offerat, quorum ipse est dignitatis atque præstantiæ ignarus? *cap. 2 carm. Pythag.*

Hierocles: Omnino enim rebus, quæ sunt humana natura inferiores, eum, qui amore Dei teneatur, quique dignitatem suam præsentiat, non decet honorem deferre. Immo vero nec hominem quidem ipsum altero à præstantioribus honoris gradu locabimus; nisi sit & ipse præstantioribus similis, divinoque choro adjunctus. Quinam igitur istorum etiam futurus honor? Legitima, inquit, facere; id est, jis obedire præceptis, quæ nobis reliquerunt; nec ab eorum scriptis, non minus quam legibus, recedere, eandemque vitæ rationem inire, cujus illi, dum viverent, nos fieri partisipes non solum nobis non inviderunt; sed velut immortalem quandam, & paternā hæreditatem posteris cōservare, atque relinquere magno labore sategerunt, ipsa nimirum virtutum elementa, veritatisque regulas in communem omnium utilitatem conscriptas, atque editas: quibus qui obsequatur, & ad eorum normam vitam suam dirigat, veriorem illis honorem detulerit, quam si autoribus ipsis libamina offerat magnificentissima, profuseque parentet. *cap. 3. carm. Pyth*

Imp. Iulianus: Reliquis quoq; Deis omnibus præparata erant sedilia, in quibus pro cujusque antiquitate accumberent. Neque vero inter eos ullum fuit dissidium. Etenim, quemadmodum recte finxit Homerus ab ipsis Musis, opinor, edoctus, unicuique Deorum proprius, ubi ipsum consistere fas est, attributus est locus, quo privari aut moveri nulla unquam ratione potest. quamobrem cum venienti patri assurgunt, id citra tumultum & sedium confusionem faciunt, neque quisquam assignatum locum transgreditur, aut alter alterius rapit & occupat. Siquidem quæ sibi conveniunt, eorum nemo non novit. *in Cæsaribus.*

Libanius: Si honor quidam est administratio reip. & non principatus, justum est, ut in magistratibus, alios in alios incurrere; uti omnes in orbem hoc potrantur habendi insatiabili voto. *Declamatione 16.*

Libanius: Ecquid præclarius honoribus à populo delatis, a quibus necessitas abest? quos solos æquum est honores appellare. Tyrannus enim adulationes audit, sed minime honoratur. Nam quei inter honoratos cum aliquis collocaret, quem adorans execraretur. *Declamat. 28.*

Libanius: Pleriq; magis in more positū habent, eum qui ægrè de

ipſis bene meritus eſt honorare, quam eum qui libenter aliquid largitus eſt. *Declam.* 31.

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Perdidi ſine dubio honorem, prætioſiſſimum pauperum cenſum: perdidi virginitatem filiæ meæ, & cui modo ſacerdotium ſperabam, difficile inventurus ſum jam maritum. *Declam.* 252.

Plinius Iunior: Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, niſi te ſcirem ſponte facturum, ut dignitate à me data modeſtiſſime utare. nam ſolicitus cuſtodiendus eſt honor, in quo etiam beneficium amici tuendum eſt. *lib.* 1 *fine Epiſt.* 19.

Plinius Iunior: Sit licet Cornutus Tertullus ab omni ambitione longè remotus, debet tamen ei jucundus eſſe honor ultro datus. *lib.* 5. *Epiſt.* 15.

Plinius Iunior: Ut quorundam magnam fœdamq; avaritiam, & negligentiam parem, ita Claudii Pollionis ſummam integritatem, ſollicitam diligentiam inveni. poſtea promotus ad ampliſſimas procurationes, nulla occaſione corruptus, ab inſito abſtinentiæ amore deflexit. nunquam ſecundis rebus intumuit, nunquàm officiorum varietate continuam laudem humanitatis infregit, eadem firmitate animi laboribus ſuffecit, qua nunc otium patitur. &c. *lib.* 7. *Epiſt.* 31.

Plinius Iunior: Egregiam quidem pulcramque rationem, ut exemplo Pallantis, ad ſtudium q; æmulationis cæteri provocarentur. ea honorum vilitas, illorum etiam quos Pallas non dignabatur. Inveniebantur tamen honeſto loco nati, qui peterent cuperentque quod dari liberto, promitti ſervis videbant, &c. *lib.* 8. *Epiſt.* 6. *ſub finem.*

Plinius Iunior: Neq; enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos cupio: quibus videor à meo tuoq; latere pronum ad honores iter, & audita latius nomina, & non ſubitas imagines relicturus naſcuntur modo. *ſine Epiſt.* 10 *lib* 8.

Plinius. Sed quid ego iſtud admiror? cum eos quoq; honores, qui tibi à nobis offeruntur, aut delibare parciſſime, aut omnino ſoleas recuſare. Nihil ante tam vulgare, tam parvum in Senatu agebatur ut non laudibus Principum immorarentur quibuſcunque cenſendi neceſſitas accidiſſet. De ampliando numero gladiatorum, aut de inſtituendo collegio fabrorum conſulebamur: & quaſi prolatis imperii finibus nunc ingentes arcus, exceſſuroſq; temporum faſtigium titulos, nunc menſes etiam, nec hos ſingulos, nomini Cæſarum dicabamus. Patiebantur illi, & quaſi meruiſſent, lætabantur. At nunc, quis noſtrum, tanquam oblitus ejus de quo refertur, cenſendi officium Principis honore conſumit? Tuæ moderationis hæc laus; conſtantiæ noſtræ quod tibi obſequimur, & in curiam non ad certamen adulationum, ſed ad uſum munuſque juſtitiæ convenimus: hanc ſimplicitati tuæ veritatiq; gratiam relaturi, ut te quæ vis velle, quæ non vis, nolle credamus. Incipimus inde, deſinimus ibi à quo incipi, in quo deſini ſub alio principe non poſſet. nam pleroſque ex decretis honoribus & alii non receperunt, nemo ante te tantus fuit, ut crederetur noluiſſe decerni: quod ego titulis omnibus ſpecioſius reor, quando non trabibus aut ſaxis nomen tuum, ſed monumentis æternæ laudis inciditur. Ibit in ſecula, fuiſſe Principem cui florenti & incolumi nunquam niſi modici honores, ſæpius nulli decernerentur. Et ſanè ſi velimus cum priorum temporum neceſſitate certare, vincemur. ingenioſior eſt enim ad excogitandū ſimulatio veritate, ſervitus libertate, metus amore. ſimul cum jampridem novitas omnis adulatione conſumpta ſit, non alius erga te novus honor ſupereſt, quam ſi aliquando de te tacere audeamus. Age ſi quando pietas noſtra ſilentium rupit, & verecundiam tuam vicit, quæ qualiacunque decernimus nos, tu non recuſas? ut appareat non ſuperbia & faſtidio te ampliſſimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. Pulcrius hoc Cæſar, quam ſi recuſares omnes. nam recuſare omnes ambitionis, moderationis eſt eligere parciſſimos, &c. *cap.* 54. *&* 55. *Panegyr. ad Trajan.*

Plinius: O prava & inſcia veræ majeſtatis ambitio, concupiſcere honorem quem dedigneris, dedignari quem concupieris, &c. *cap.* 63 *Paneg. ad Trajan.*

Plinius: Nihil magis prodeſſe candidato debet ad ſequentes honores, quam peractus optimè magiſtratus. magiſtratu magiſtratus, honore honor petitur. Volo ego qui provinciam rexerit non tantum codicillos amicorum, nec urbana conjuratione eblanditas preces, ſed decreta coloniarum, decreta civitatum alleget, ut ſuffragiis Conſularium virorum urbes, populi, gentes inſerantur. Efficaciſſimum pro canditato genus eſt rogandi, gratias agere. *cap.* 71. *Paneg. ad Trajan.*

Plinius: Non poteſt non nimium eſſe privatis quod Principi ſatis eſt. *cap.* 78. *ſine Panegyr. ad Trajan.*

Plinius: Obtulerat illis Senatus cognomen Augustarum. quod certatim deprecatæ ſunt. quæcunq; illis ratio tantam modeſtiam ſuaſit, hoc magis dignæ ſunt, quæ in animis noſtris & ſint & habeantur Auguſtæ, quia non vocantur. quid enim laudabilius feminis quam ſi verum honorem, non in ſplendore titulorum, ſed in judiciis hominum reponant, magnaſq; nominibus pares ſe faciant & dum recuſant *cap.* 84 *fine Paneg. ad Trajan.*

Plinius: Intelligo etiam atq; etiam enitendum mihi P.C. ut hunc conſenſum veſtrum complectar & teneam, & in dies augeam Conſul. etenim memini tunc veriſſime judicari meruerit quis honorem nec ne, cum adeptus eſt. *mox*: Ego reverentiæ veſtræ ſic ſemper inſerviam, non ut me Conſulem, & mox, Conſularem, ſed ut candidatum Conſulatus putem. *ipſo fin. Paneg. ad Trajan.*

Cl. Mamertinus: Nemo nemo uſpiam poſt homines natos ampliora præmia à regib. atq; imperatoribus conſecutus eſt, nulli plus oneris impoſitum. non abnuam præfecturas & conſulatus multis eſſe delatos, ſed iis poſt immenſos labores honos quaſi debitus eſt reſtitutus: mihi cum honorem jam adeptus ſim, nunc demum ut merear laborandum eſt. verſa ratione temporum, permutata munerum vice, modo enitendum eſt, ut præmio dignus exiſtimer, cum jam præmium ceperim. O mihi feſtinæ tuæ benevolentiæ graviſſimum pondus! vereor ut aperte exprimere difficultatum mearum ordinem valeam. facilius eſt, Imperator, bonis artibus mereri Conſulem fieri, quam induſtria & labore perficere, ut videaris meruiſſe cum factus ſis. *cap.* 31. *Orat. in Iulianum Auguſtum.*

Latinus Pacatus: Pari benignitate cum plures afficere honorib. velles quam bonorum loca admitterent, & anguſtior eſſet materia voluntate, nec mentem tuam quamvis diffuſum caperet imperium, quem nondum aliquo provexiſti gradu, tamen dignatione es ſolatus? ille cohoneſtatus eſt affatu, ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt. ita omnibus qui te Principe ſibi jure confiderent, aut proceſſit dignitas, aut ſatisfecit humanitas, tam clara in Imperatore quam rara. *cap.* 20. *Paneg. Theodoſio.*

Auſonius: Iſta quidem adeptus es: ſed effare quo merito? Quid me oneras ſciſcitator? rationem felicitatis nemo reddit. Deus, & qui Deo proximus, tacito munera diſpertit arbitrio, & beneficiorum ſuorum indignatus per homines ſtare judicium, mavult de ſubditis dediſſe miraculum. *Panegyr. ad Gratianum.*

Symmachus: Bene ac ſapienter majores noſtri, ut ſint alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemellus junctim locarent: commenti, quod in te videmus, ibi eſſe præmia honoris ubi ſunt merita virtutis. Etiam pene propter, Camœnarum religio, & ſacri Fontis advertitur: quia iter ad capeſſendos magiſtratus ſæpe literis promovetur. Hæc parentum inſtituta Conſulatus tui argumenta ſunt, cui morum gravitas & diſciplinarum vetuſtas curulis ſellæ inſigne pepererunt. *lib.* 1 *Epiſt.* 15. *pr.*

Symmachus: Vetus ſententia eſt, artes honore nutriri. Eam noſtræ ætatis uſus confirmavit. nemo enim belli notus aut domi clarus exſortem præmii ſenſit induſtriam. Ita cum dignis fructus tribuitur, eandem viam capeſſentibus ſpes paratur. *1 Ep.* 3.

Symmachus: Scis bonas artes honore nutriri, atq; hoc ſpecimen eſſe florentis Reipubl. ut diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. *lib.* 1 *Epi.* 73.

Symmachus: Germani vicaria poteſtate gaudeo, tanquam mihi decus honoris acceſſerit. *lib.* 3. *Epi.* 19.

Symmachus: Fortunæ tuæ gaudia in meo ære duco, atque hujus ſententiæ te nobis judicem capio, qui animum meum ſpectatum habes, cum tuum conſulis. Debebatur hoc teneris temporum bonis, ut concilio publico vir laudatus accederes. Ergo quia res ſeſe ex voto omnium dedit, perge operam judicio tanti Principis congruentem. Urget te expectatio bonis ſemper onerosa. Nam & ſi dignos reſpicit, periculo tamen proxima eſt, dum amplius ſibi pollicetur. Habes ſæculum virtuti amicum, quo niſi optimus quiſque gloriam parat, hominis eſt culpa non temporis. Vides certe, ut ille ipſe qui Romanis rebus antiſtat, ad bonum publicum natus eſt. Non tibi adverſo nunc amne nitendum eſt. Secundo, ut ita dicam, curſu probæ artes & virtutes feruntur. Sed hæc tibi plenius tuus animus quam ſtilus noſter expediet. *lib.* 3. *Ep.* 43. *pr.*

Symmachus: Sed quod ais excluſis improbis, ſpem bonis redditam; non ut inſolitum vel inchoatum recens gratulor. Nam ſolemne eſt Domino noſtro Theodoſio in ſuos exercere cenſuram, morumque agere delectum, & ſingulos ut novos ſemper expendere, nec conſuetudini condonare judicium. Inde eſt quod ſinceriſſimos mores tuos benignius recipit, quos ſeverè & diligenter inſpexit. Quid quod etiam longe intendit oculos, & per immenſum requirit venas bonorum, nulloſque avidius trahit, quam nihil deſiderantes? Ut Flavianum meum atq; adeo tuum nuper excivit; quem adhuc verecundia tegeret, niſi clara merita prodidiſſent. *Libr.* 3. *Ep.* 81. *med.*

Symmachus: Agendis tibi gratiis pro Flaviano filio meo, uſquequaque imparem me ſentio. Et quum ſint verba rebus faciliora, beneficii tui magnitudinem dictis æquare non poſſum. Neque enim mea tantum gratulatio eſt, quod cum illo honor amiſſus revertit in gratiam. Senatus bonique omnes, hanc inter ſe lætitiam partiuntur. Quocirca arduum eſt, ut unius ſermo compenſet quod tantorum affectio contraxit. Dabis igitur veniam pro re pauca dicenti. Majus quiddam eſt honorem reſtituere quam dediſſe. Illud enim fieri fortuna conſentit, hoc contra ipſa præſtat humanitas. *lib.* 4 *Ep.* 7.

Symmachus: Etſi ſecundum mores ac natales tuos honorum culmen indeptus es, nec dum tamen perfectum præmium debitamque mercedem tibi fortuna reſtituit. Quæ etſi in te magna contulerit, numquam tuum æquabit meritum. *lib.* 4 *Ep* 23 *m.*

Symmachus: Paullus amicus meus jamdiu ærario ſacro militat, ſed non pro gradu militiæ ſpectandus tibi eſt. Nam probitate morum ſuorum mediocritatem vincit officii. Nec deſpexeris hominem, ſi numerum ejus ſtipendiorum exa[illegible]mines. Tardiores habet proceſſus verecundia, quæ facit ut intra merita ſui honoris hæreat. Non tamen pœnitet longum ſtetiſſe. tuo enim judicio reſervatus eſt, ſub quo emergere maximum moræ pretium. Cum

igitur

igitur illi vitæ integritas, militiæ ætas suffragium ferat: dignum est ut ad debitos fructus me precatore, te auctore perveniat. *libr.* 4. *Epi.* 37. *pr.*

Symmachus: Supra modum gaudeo redditum esse meritis tuis pervetus debitum. Jam dudum enim Rempubl. virtutibus obligasti: quæ nacta divina fidei Principem, sibi quodammodo Consulatum quem tibi solveret, impetravit. *lib.* 5. *Ep.* 38. *pr.*

Symmachus: Optato igitur lætare processu, & præparatos tibi annos vitæ atque honoris interpretare. longiora enim fiunt quæ differuntur. Nec dubites utrique nostrum prospexisse fortunam, ut & tuus magistratus juvetur præsentia patris, & festorum tuorum voluptate coram defruar. *lib.* 7. *Ep.* 1.

Symmachus: Hoc eo scribo, ut noveris nos pro tuo honore agere æterno Principi gratias, & te idem facere pro illius securitate debere. *lib.* 7. *Epi.* 50.

Symmachus: Honores quidem semper vitæ ac litterarum splendore gessisti. Sed bonorum nunc omnium gratulatio est, etiam publicum tibi decus esse delatum. Opto igitur ex sententia partis fruaris insignibus, & provectus in cumulum gloriæ magnitudinem judicii Imperialis æquipares. *lib.* 7. *Epi.* 90.

Symmachus: Video Flaviani filii mei honorem propterea hucusque jacuisse ut ei testis melior evenirèt. Inciderat in tyranni justitium, judicio bonorum temporum reservandus. *lib.* 7. *Epi.* 103. *princ.*

Symmachus: Beatum te qui honorum emeritus otiaris. nos in patriæ salo vivimus, & fortunæ fluctibus verberamur. *lib.* 7. *Epist.* 14.

Symmachus: Compertum habeo quolibet honorum culmine animum tuum non solere mutari. Quidquid bene meritis honestatis accedit, id solutum magis videtur esse quam præstitum. Et ideo mirari me & stupere confiteor, cur tanta virtute atque humanitate præditus, jam pridem circa me munere literarum abstineas. *lib.* 8 *Ep.* 1.

Symmachus: Interfuit publicæ utilitatis ut tibi majora negotia crederentur. Quare prolixa non debet esse gaudii mei attestatio, ne adulationis suspitio devenustet judicii veritatem. Opto igitur, tibi suscepti officii cursus arrideat. Quamvis dubitare non possim, nec mutari probitatem, & bonas artes stimulo præmiorum felicius incitari. *lib* 8. *Ep.* 30.

Symmachus: Nunc primum honoris limen ingressus, nimis immature adventum successoris exoptas. Agnosco impatientiam Græcis deliciis congruentem, à qua velim toto anni orbi dissimules, ac te migrasse in tribus Romuleas recorderis. Quid enim dignum conquestione percussus es? Nondum te militares contumeliæ perculerunt, nondum catervas mulierum scilla veste fugisti, nondum ante januas eminentium potestatum vigilem noctem salutator expertus es; & jam delicato fastidio renuis magistratum? Commuta si vales animum, teque in annum vel biennium obdura. *lib.* 8. *Ep.* 41.

Symmachus: Perveniisse arbitror famam, quæ te absolutum non modo honoris, verum etiam curarum fasce vulgavit. Si ita est, ero tibi nunc confirmator boni olim desiderati. *libro octavo Epist.* 13.

Symmachus: Macte primi honoris auspiciis, & in uberiorem felices tende conatus, ut tibi ad celsiores gradus januam pandas & Romanum nomen claritudine administrationis illumines. *lib.* 9. *Epist.* 62.

Symmachus: Amicæ voluntatis indicium est quod adeptus amplissimum Consulatum, cognitionem mihi & societatem tanti gaudii præstitisti. Quare hujus tibi apud me muneris optima laus est; quando ita securus es mei animi ut tuis prosperis scias nos posse lætari. Quid quod etiam Consulari negotium fuit honoris tui nuncium latius promovere? Gaudia enim quibus pauci fruuntur, angusta sunt. Dehinc ipsius æterni Principis beneficium celebrius ata; ornatius reddidisti cui sub occasione talium litterarum apud multos gratias videris egisse, quam benigne animadvertat officia. *lib.* 9. *Ep.* 80.

Symmachus: Expectare non debui litteras tuas quibus indicium mihi faceres honoris accepti. Itaque verecundiam tuam gratulatione prævenio, & opto adaugeat gratum meritis jure delatum continuata felicitas. Restat stili assiduitate acuas inter nos amicitiæ diligentiam, vincasque officiis prosperos fortunæ successus. Ille enim vere incrementis suis major est, quem sublimitas parti honoris inclinat. *lib.* 9. *Ep.* 86.

Symmachus: Ita natura comparatum est, ut omnes sibi delatum decus judicent, quod dignus acceperit. *lib* 9. *Ep* 102

Symmachus: Quietò mihi, & jam pridem à desideriis honorum remoto, Præfecturam multis cupitam, sponte tribuistis. Ago gratias tot bonorum circa me Principum voluntati. Sed intelligo, quanto plus sollicitudinis habeat magistratus qui ex judicio, quam qui ex gratia venit. Ille enim ut meritis datus, spem sui debet æquare: iste ut per beneficium quæsitus, à periculo spectationis alienus est, D. Imperator. Quis ergo me huic oneri parem faciet? Scilicet vestra dementia, cujus interest ne temere electus existimer. Mihi ad conscientiam satis est, non affectasse publicam curam. Jam qualis inveniar, in manu temporum est. Bonos enim magistratus favor Principum facit, semperque de moribus vestris virtutes judicum fluunt. Facite ut omnes intelligant, si forte desit Rectoribus integer vigor & justa conscientia, hominis culpam esse non sæculi. Non sum voti immodicus, cum honorem meum commendo auctoribus suis. Quantum est enim, quod ego numini vestro ago gratias? Facite ut vobis etiam Respublica pro me grata sit. *lib.* 10. *Epi.* 15.

Symmachus: Præfectos sæpe feciistis, & immensa ætate facietis: sed quos assiduitas & usus ingesserit. Me dudum Proconsularem virum, cedentem jam diu potentium moribus, ante capere magistratum quam expectare voluistis? Nunc vos oro atq; obsecro, ut favore perpetuo factum vestrum juvetis. Amabile est præesse civibus: sed placere difficile. Multum enim & inter agnitos semper dura constantia est. Quid quod plerumq; evenit, ut aliqui longo potentiæ usu, jam nesciant honorem meum? Non deseruerint, qui dederunt. Ego enitar ut potero, ne dementiam vestram fefelliisse de me prior fama videatur: vestri numinis erit communem causam tueri. Nam in bonis magistratibus majorem gloriam quærit temporum fama quam judicium, *lib.* 10. *Ep.* 16. *m.*

Symmachus: Difficile factu est, ut honor angustis rebus addatur. *Auctuario Epist.* 2.

¶ Poetarum.

Aristophanes Ranis v. 338.

Senum senum movetur:
Dolor omnis hinc fugatur,
Sensumque inertis ævi
Removetur.

Plautus Trinummo 5. sc. 2. v. 28.

——*Charmidem socerum suum*
Lysiteles salutat. C. Dij dent tibi Lisiteles quæ velis.
CA. Non ego sum salute dignus? L. Imo salve Callicles.
Hunc priorem æquum est me habere. tunica propior pallio est.

In C. Cæsarem.

Gallos Cæsar in triumphum duxit, inde in Curiam,
Galli braccas deposuere, latum clavum sumpserunt.

Claudianus de Palladio, in epithalam. v. 66.

Per cunctos ijt ille gradus aulaq; labores
Emensus, tenuit summa fastigia sedis,
Eorum stabilis moderatus jure Senatum.

Ausonius Edyll. 2. ubi pater ejus loquitur.

Ipse nec affectans, nec detrectator honorum,
Prafectus magni nuncupor Illyrici.

Populonii in statuæ basi.

Ille ego sum Proculus, totus qui natus honori,
Aut dic quis sit bonos, quem mihi inesse negas.

¶ Apologorum.

Phædrus Fabula 7. Vulpis ad personam tragicam.

Personam tragicam forte Vulpes viderat,
O quanta species, inquit, cerebrum non habet?
Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit. sensum communem abstulit,

Phædrus Fab. 82.

Demetrius qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo:
Vt mos est vulgi, passim & certatim ruit,
Feliciter succlamant ipsi principes,
Illam osculantur qua sunt oppressi manum;
Tacite gementes tristem fortunæ vicem.
Quin etiam residęs & sequentes ocium
Ne defuisse noceat, repetunt ultimi.

Babrias Κύπελις καὶ Δύλη. Fab. 44.

Ανδρὸς πόδον μετῆλθεν εἰς δύλου Κύπελις.
Ἠδ' ὡῦγ' ἐτίμα τὸν θεὸν καθ' ἡμέρην.
Ἐῶς καθ' ὕπνους φησὶν μὴ λίμα σύμε
Τὸν ὦὐδρα πημαίνω γὰρ, ἁ ποδῶ σίγε.

Επιμύθιον.

Οφείλομεν τὸ ὦῆπον φυλάξαν.

Venus & Ancilla.

Hominu amorem traduxit in servam Cypri.
Illa vere colebat deam singulis diebus.
Donec in somnis dixit, Ne colas tu me.
Virum lado enim, te non amo.

Affabulatio.

Oportet causam considerare.

Æsopi Asinus ferens statuam. Asinum imposita Dei alicuius statua, ducebat quispiam, multi obviantium eam adoravere. Asinus inaniter superbiens, se adorari à rusticis arbitratus, saliens Deum fere excussit. sed eum ligno trusitans herus dixit, Asinus es Deum gestans, diis in honore nequaquam par.

De Viro, qui ad Cardinalem nuper creatum gratulandi gratia accessit. Fab. 23.

Vir quidam facetus admodum & urbanus, audiens amicum suum ad Cardinalatus dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit: qui honore tumidus, amicum veterem agnoscere

dissimulans, quisnam esset interrogabat. Cui, ut erat ad jocos prōptus: Misereſco, inquit, tibi, cæteriſque, qui ad hujuſmodi honores perveniunt: quamprimum enim dignitates ejuſmodi eſtis aſſequuti, viſum, auditumque, & cæteros ſenſus ita amittitis, ut priſtinos amicos amplius non recognoſcatis.

Hæc fabula eos notat, qui in altum ſublati, ceteros deſpiciunt ac contemnunt. Laur Abſtemius.

§ EMBLEMATUM.

Battillius 134.
Nimius honor multos evertit.

Vt, niſi ſit ſtabili fundamine fulta, ruinam
Vaſta trahit moles pondere victa ſuo,
Sæpe & quos injuſtus honos evexit in altum
Præcipites lapſus ſic graviore ruunt.

Battillius. 138.
Honores mundi.

Aſpicis hic pueros paſſim huc illucq; vagantes
Sectantes plumas papilionis agi,
Dumq; intercipiant in nulla ſede morari,
Tota & luce vagos ferre referre pedes,
Quaſe cumq; inſert, gemmatesq; aureus alas
Explicat, & pictas pandere gaudet opes?
Aſpicis ut capite hic ſua tegmina lapſa relinquat,
Pronus ut in media concidat ille via?
Alter ut hic curſu ſtudioq; incautus eundi
Non viſam infelix decidat in foveam?
Suſpenſo digitis tacitant veſtigia greſſis
Ille ferat, pradamjamque tenere putans
Non teneat? poniſq; ablatus ut volet ales,
Sic ſpem captandi danſq; negansq; ſui?
Aſpicis at captum quando clamore ſequantur,
Quanto tum plauſu latitiaq; fremunt:
Pithœe, hi mihi ſunt ſplendens quos fucus honorum
Fulgore & vana gloria vana trahit.
Queis quæſita aque via & ludicra laborum
Præmia, certamen tam puerile movent.

Camerarius 67. Centuriæ. 2.
Erigor ut erigar.

Arduaſectaris ſcanſurus culmen honorum,
Vt lauri capra ſumma petunt folia.

§ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Abbas de Baigne Anonimus: Virtutem velut umbra ſequitur HONOR: cujus proinde appetitus ſi moderationis fines non tranſilit, reprehenſione caret. Habuiſſe eum quemdam ABBATEM DE BAIGNE meminit Corozetus ſuis Memorab. à quo cum Ludovicus 11. peteret, Abbatia cederet; ſubtiliter & modeſte, *Quadraginta*, inquiebat, *annis vacavi, ut priores alphabeti literas A B addiſcerem: at jam totidē requiro, ut ſubſequentes C D ediſcam.* Significabat autem, ſe demum annum poſt ſuæ profeſſionis quadrageſimum in Abbatem electum, & vellē annis totidem eodem munere perfungi, priuſquam cederet.

Rex Anonymus: Quam vero apud quoſdam illud obtineat, Honores mutant mores, at raro meliores, docet is quem ſubnectimus. Erat filius Carbonarii homo humili loco natus, qui populi ſui ſuffragiis in REGEM deligitur: quo audito pater accurrit lætus, natumque ſplendore regio conſpicatus, cum ſe ab illo non videri exiſtimaret. An, ait, me cognoſcis fili? cui ille, *Quid*, inquit, *pater, ego meipſum non cognoſco, & quomodo te cognoſcam?* Gotſcal. Serm. 17. Part. æſtivalis, lit. C.

Anonymus: Aliud inſuper adjiciam. Dum electus eſſet in Archiepiſc. Toloſanū Franciſcus Simnez, amico, quem ſummum habebat, felicem ſuarum rerum ſucceſſum nunciavit. Cui ille: *De ſucceſſu* reſpondit, *qui tibi ex animo evenit, gaudeo plurimum: & ſimul non parum doleo, me amicum nunc amiſiſſe.* reſpiciebat namque ad vulgatum illud, Honores mutant mores. Hinc laudatur illud poetæ:

Natura celas vitia, es dum pauper: at illa
Imperium nactus conſpicienda dabis.

Floreſta.

Honoris Contemptus.

S. *Petrus Apoſtolus:* Claro illuſcente Sole, minor umbra corpori comes: ita, quo plures quibuſdam virtutum radii, eo minorem honorem umbram ſibi comitem deſiderant, in ſolum virtutum omnium largitorem Deum, quidquid eſt honoris & gloriæ, referentes. Præſtolabatur Cornelius vir juſtus B. PETRUM ad ſe accerſitum, eique obvius factus, & ad pedes procidit & adoravit. At PETRUS eo ſe honore reputans indignum, eumq; manu elevans, dixit: *Surge, & ipſe homo ſum.* Actor. cap. 10.

S. *Malachias Epiſc. Hibernia*: Hunc etiam honoris tituliq; contemptum in MALACHIA habemus. qui vocatus & compulſus ad onus Archiopiſcopale, omnibus quibus potuit modis, renuit. Anathema vero, ni pareat, minitantibus: tandem acceptavit, dicens: *Ad mortem me ducitis, ſed obedio ſpe martyrij.* O virum inſignem! nec honorem affectantem, neque mortem pro Chriſto formidantem. *Sur. tom. 6. in vita.*

S. Franciſcus: Et quid verus pauperum & humilitatis pater FRANCISCUS? Rogatus à domino Hoſtienſi (qui ordinis ejuſdem protector, ac poſtmodum ſub nomine Greg. IX. Pontificatum adminiſtravit (utrum ſuos fratres etiam ad Eccleſiaſticas dignitates vellet promoveri; dignam FRANCISCO vocem reſpondit: *Meno resideo vocati ſunt fratres mei, ne majores fieri præſumant.* Sur. tom. 5. in vita.

S. Antonius Eremita: Hic item frequentibus litteris à Conſtantino Imperatore vocatus, venire recuſavit: ne majori honorum pondere gravaretur. dicebat autem: *Siquidem ad imperatorem venero, Antonius ero: ſin minus, Abbas Antonius.* Niceph. Calliſt. lib. 8. Eccleſ. hiſt. cap. 40.

Franciſcus Borgia: Memorabilis etiam illius contra omnes honorum inſultus conſtantia. abdicato quippe illuſtri Ducatu, undique pompa pro nihilo habita, ſæpius oblatum Cardinalatus honorem recuſavit. dicebat autem: *Deum precatus ſum, ut mihi vita prius abire liceat, quam titulis iterum boniſq; onerarer invitus.* Erat tamen ille, cujus, ſi ullius alterius, virtuti meritiſſimos debebatur honos. Quam bene & vere Poët.

Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes honores ambiant,
Vt cum falſa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoſcant bona.

Ribadin. in vita lib. 2. cap. 3.

Idem: Venerant ad viſendum eum officii cauſa Dynaſtæ. cumque ſpecioſis nimium titulis uterentur, tædio affectus, rogabat titulis temperarent; *Ne*, inquit, *Deo exprobaſſe videamini, quod in me eximium vocationis beneficium contulerit: neve pluris facere videar quæ abjeci, quam quæ aſſumpſi.* Idem cap. 8. lib. 2.

Idem: Ulyſſiponam dum ingreſſus; Ioan. III. Rex miſit, qui eū ſalutaret. Hic cum, feſſusne de via eſſet, interrogaret; & (Domini) nomen iterum repeteret; FRANCISCUS ſepiſſime reſpondit: *Feſſus quidem ſum de via: ſed magis (Domini) qua me oneras potius quam honoras, appellatione.* Idem libro 4. cap. 1.

Benivolus Quæſtor: Claudat hunc ordinem ille. Vocabat eum Juſtina Valentiani mater, religione Ariana, & mandabat, legem contra Catholicos promulgaret. id recuſantem, majoribus cingulis invitat. Ille vero ſe diſcingens, balteum ante pedes Auguſtæ projecit, dixitque: *Neque hunc honorem, neq; majorem expeto pro impietatis mercede.* Tripart. hiſt. lib. 9. cap. 20.

Godofredus Bullionius: Et quis hunc pro merito laudaverit? Erant ejus conſilio & armis expugnatæ Solymæ: unde Chriſtiani principes, ſuis humeris ſubvectum, uno ore Regem proclamarunt. Hic vero regni titulum rogatus non abnuit, auream autem coronam ſuo capiti ſuper imponi omnino noluit, dicens: *Indignum eſt, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex regum* CHRISTUS *pro hominum ſalute ſpineam portavit.* Platina in vita Paſchalis ſecundi Pont.

Carolus Martellus Brab. Dux: Neque hoc ullum incrementum habuit regni titulique libido. Nam cum in regem Franciæ poſt mortem Chilperici expeteretur, renuit, inquiens: *Imperare Regibus, quam Rex eſſe malo.* Unde hoc ei Epitaphium inſcriptum:

Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum.
Dux Dominuſque Ducum, Regum quoque Rex foreſſpre vit,
Non vult regnare, ſed Regibus imperitare.

Barland. in Duc. Brab. pag. 16.

Carolus Magnus: Eſt hic etiam illuſtris CAROLUS. deletis Saxonibus, & finitimis populis debellatis, cum admodum metuerent ne tandem Imperator factus, ſe de illis totaque gente vindicaret, ad eum proſtrati veniunt, ſeque obſequio ſuo lubentes devovent. quib. ille in brachio acceptis; *Nolo*, inquit, *vos mihi ſervire, ſed Deo.* Vera Chriſtiani Principis vox. *Seb. Munſt. libro nono Coſmog. cap. decimo nono.*

Wenceslaus Bohemiæ Rex: Non minoris animi WENCESLAUS. Rudolpho Auſtrio vita functo, illi Romanum deferebatur imperium. ſed qua virtute promeruit, eadem modeſtia recuſavit, aſſerens; *Satis ſuperque mihi laboris eſt, paternam ditionem aquis legibus gubernare: externis libens abſtineo, eiſque me dignioribus cedo.* Munſt. de Germ. lib. 3. cap. 499.

Franc. SFortia Dux Mediol: Non parum etiam laudis meritus eſt SFORTIA, cum Mediolanenſium & totius pæne Lombardiæ parto imperio, urbem Mediolanum eſſet initurus. præparatum enim ſibi eum triumphali honore auratum currum conſcendere detrectavit, dicens: *Ejuſmodi ornamenta Imperatoriam majeſtati debentur.* Quo facto, victoria illa, quæ rara erat, & hoſtes, & inſolentis animi affectus, qui plerumque victoriam comitantur, ſuperavit. *Fulgoſ. lib. 2.*

¶ Monosticha Trochaica.

A petitione honorum lex absentes submovet.
Abstinere honore, ambitio sapius præpostera est.
Ædem honoris pande Virtuti: obsera Pecuniæ.
Alteri habere honorem nescit, ipse qui haud habet sibi.
Altiorem quis quo spernit, hoc fit altior.
Anteponit lucrum honori plebs vel excelsissimo.
Creditorem cum veneratur, execratur debitor.
Debuit sibi sua omnia incrementa Tullius.
Detrahit juventa honorem qui virtuti denegat
Dignior quo quisq; honore est, hoc eum minus petit.
Dignior quo quisq; honorum est, hoc honorum habet minus.
Dignus honore, honore quem premunt, non sublevant
Duplicat sibi ipsi honorem honore cedit qui alteri.
Durat ætatem modestus, minus honor diem.
Ecquis est laboris expers quem ambiat, lux vita, honos?
Evehi ad sedem curulem expiscium alveo, insolens
Experire quemq; honores ante quam oggeras.
Firmius est honor, non ore sed qui corde pervenit.
Fit caprarius quicunq; maximi Mendelii.
Germen est honos virtutis, ut honoris vanitas.
Haud statim aptus est honori vestem honoris, qui induit
Honor ætatis, anteit honorem gentis & pecuniæ.
In petendo honore, captus annus propleno valet.
Ipsa turpas ornamenta quando honore ornas malos.
Laus honorq; nimius ipsam etiam efferat modestiam,
Maxime appetunt honores qui recusant maxime.
Maximo quamvis honori majus est onus comes.
Maximum est honorum, honorem posse vel contemnere.
Moribus mage æstimandus est honos, quam insignibus.
Moribus pauci coli meruere, plures fascibus.
Multi adepti honoris nomen qui ipsum honorem nō habent.
Multi honores consequentur si velint, sed respuunt.
Multitudo Regem honorat quem timet nimis aut amat.
Nemo dignus honore, qui non melior iis queis imperat.
Nemo livet ejus honori, cujus vim non extimet.
Nemo nisi exploratum promove ad potentiam.
Neminem nisi exploratum promove ad potentiam.
Nil honori abest, catenis vinctus es modo aureis.
Nil honoribus licet, ubi fervida est affectio.
Non erunt honores unquam fortuitis muneris.
Non diu durant honores candidati perperi.
Non pretium ambitione, vita sed probata provehit.
Nulla gloriosa honori dissimulatio est sua
Nullus est honor, popellus quem lucro non post habet.
Nulli honore digni habentur pauperes, sed divites.
Nusquam est merces honoris, & voluptas otij.
Obligas bonos tibi omnes cum bono uni das decus
Omnem honorem parvipendo qui non à Sapientia est.
Omnibus datum putatur, quod datum est digno, decus.
Ordine indignus majore est, è minore qui excidit.
Pessime gerunt honores ferre honorem nescij.
Petere honorem pro flagitio, more habet licentiam.
Plurima mora ad honores, sunt verecundissimis.
Præripit bonorum honores flagitator impotens.
Præstat haberi honorē indignis, quam ipsos dignos negligi.
Proneceſsitate, aliquando honoris æmulatio est.
Qui se honorat ipsum, is omnis expers contumeliæ est.
Qui virtuti aufert honorem, eam aufert adolescentia.
Quis labores, quis periclatentet absque præmio?
Quis sibi arrogare honorem quem potest dat alteri?
Quisq; se accepisse credit omne digno quod datur.
Quisquis justum honorē habet patri, idem habebit patriæ.
Rarum est minime honore abuti ad proximorum injuriam.
Rex honore dignum honestat, indignum congiario.
Sæpe honores deferuntur, victimis ut insulæ.
Sæpius fortuna munus est honor quam judicum.
Sæpius jacet non digno margaritæ vis locō.
Saltuatim nulli honores sed gradatim deferas.
Sanctius quovis honore multitudini lucrum est.
Sic Cato gaudet repulsis, ut datis honoribus.
Singulus est honor ipsa post sepulchra vivere.
Sobrium profecto honorem pœnitet nunquam sui.
Suavis honor, non qui venit à servo sed libero.
Turpior quo quisque honori est, hoc honoris plus habet
Vanitas avida est honoris, sed potiundi nescia.
Verus est honos qui habetur jam sepultis regibus
Virtuti negans honorem, eam juventa detrahit.
Virtuti sapiens honorem, præmium, haud prædam petit.

¶ Jambica.

Alimentum honos virtutis est uberrimum
Ambitur ultro is, ultro honore qui abstinet.
Anteiri honore à deterioribus grave est.
Auferre honores turpius quam non dare.
Belle invicem Virtus jugantur atq; honos
Bonis honos semper debetur a bonis.
Decus omnibus datur, quod dignus accipit.
Difficilius est honorem reddere quam dare.
Dignum videri honore, dignus est honos.
Est gratius, defertur quod absentibus.
Etiam absq; honore sufficit virtus sibi.
Etiam adhibendus est honoribus modus.
Etiam malos honore mutes in bonos.
Expers honoris vita, vita prægravis.
Gratum omne habe quod honoris gratia datur.
Habere honorem paucis; plurimis nocet.
Haud est Deorum honorem fructu vendere.
Haud pœnitet unquam honorem sobrium sui.
Honorat ipsum se qui honorat alterum.
Honos habendus est bonis, non improbis.
Honos honori digno, at indigno est onus.
Honos laboris subsequa, haud ante ambulo est.
Honos priorum crescit ex injuriis.
Honor vanescit. si donatur pluribus.
Honoris æquor omnibus patet bonis.
Honoris erga vera Virtus nil facit.
Honorem amici ponat ante quis suo.
Honore gaudet dives, haud is qui sapit.
Immodici honores fastum immodicum procreant.
Incumbit æque honori iners quam strenuus.
Iucundus est honor cuicunq; ultro datus.
Largire honores gratis; venda nemini.
Magnis animi magni fiunt honoribus.
Malos honor pejorat, melliorat bonos.
Mandare honores non potes nisi optimo.
Maximus honos, & maximum est negotium.
Mediocrem honorem, avum auget, nimium destruit.
Metiendi honores sunt cujusque moribus.
Multi coluntur sæpe caussa temporis.
Minime illi honor cordi est, cui non cordi est labor.
Nemo nisi dives honore dignus creditur.
Non omnibus Salaminia triremis patet.
Novelli honoris assecla arrogantia est.
Novi pedisequa honoris arrogantia est.
Nulla est honoris gaudiiq; copula.
Nunquam induit senectam honoris ambitus.
Onerosior hoc honor omnis est, quo est amplior.
Patent honoris omnes omnibus via.
Pejorem honore fieri non nisi improbi est.
Potentum honor, non est honor; assentatio est.
Præsens honor negligitur, absens quæritur
Quidam fugiunt honorem ut honoribus obvient.
Qui sorte honos contingit, ambitu caret.
Quis non sui assurgat præstantioribus?
Quis veritatem non Honori præferat?
Quo plus honoras quemq; plus sibi arrogat.
Quo rarior est honos. hic glorioſior.
Quo spes honorum, vita eo tendit labos.
Quod das decus digno, bonis das omnibus.
Quos vis honores consequare industria.
Reddit superbum honoris continuatio.
Rei cuiq; habendus est honos suus.
Sub velo honoris, sæpe contumelia est.
Vbi est honor, ibi quoq; arrogantia est.
Vbi haud honor suus est, ibi est contemptio.
Vel maximum est honorum, honorem spernere.
Virtutis atq; Honoris ades unica est.
Virtutis est signaculum, haud merces honor.
Virtutem honor sequi debet. ne expeti.
Virtute honores ambias non gratia.

Horæ Canonicæ

¶ Apophthegm. Christianor.

S. *Hugo Lincolien. Episcopus:* Horarias preces, celeri eorum pensum, statuto tempore & ordine persolvisse, Deo gratum esse, & acceptum, suo exemplo docuit Lincolienſiū Antistes Hugo. qui etiam in itinere constitutus, numquam ab hac debita persolutione cessavit. quin, cum aliquando ceteri comites primo mane abire vellent, ille: *Quonam ibimus, Horis matutinis nondum recitatis?* quibus eas differentibus, & inter accelerandum ne latronibus præda fierent asserentibus; Hugo, *Vos quod lubet facite,* inquit. *Ego sane hinc non exeo, donec solito more preces persolvam.* Mira res! solus ille postmodum subsecutus, liber transiit: aliorum vero hi capti, illi spoliati, in prædonum manus devenerunt. *Sur. tom. 6. in vita.*

S. *Ludgerus Primus Episc. Monaster.* Memorabile illud factum dum recolo, aliam Ludgeri viri sanctissimi pietatem nec obliviſci possum, nec prætereundā censeo Evocatus hic à Carolo Magno Imp. dum sub vesperā venisset, primo diluculo ab Imperatore accersitur: ea ipsa hora persolvēdis de more Canonicis horis insistebat. cumq; hi, expletis venturū se respondisset, & jā tertiū à Cæsare nuntiū acciperet, tandēin conspectum Caroli venit qui, cur venire distulisset, subiratus rogat. Ille vultu & mente intrepida; *Ego Imperator, tuum mandatum ita in omnibus exequendum putavi, ut*

Deum

Deum tibi ubique præferendum non dubitarem. Quo reſponſo delectatus Imperator, gratias egit, quod talem eum expireretur, qualem eſſe crediderat. *Thom. Staplut. in Vita Thomæ Mori. Sur. in Vita.*

Thomas Morus: Hic etiam iſto in genere pietatis admodum fuit liberalis: qui pro more, Sacerdoti, ſupercilio indutus, concinebat: monitus autem hunc humilitatis modum Regi minime placiturũ, tamquam dignitati ejus minus congruum, reſpondit: *Domino meo Regi diſplicere non poteſt, quod ipſius Regis Domino obſequium impendo.* Ibidem apud Staplut.

Hoſpitalitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Greg. Nyſſenus*: Hæc eo ad familiares dicente, Muſonius vir genere divitiis inter primos, ut vidit multos idem officium deferre paratos, & id agentes, ut in ſuas ædes virũ reciperẽt, cum ceteros antevertiſſet, gratiã præripit, rogans magnum illum virum, ut ſuo hoſpitio uteretur, & introitu domum honeſtaret, quo & anguſtior & inſequenti ſeculo celebris & memorabilis ea evaderet; etiam ad poſteros memoriam ejuſmodi honoris tranſmittẽte. Cum autem multi etiam alii. concurrerent atque eadem rogarent, æquum eſſe judicans gratificari ei, qui tempore prior indeferendo officio fuiſſet, cum cæteros benigne ſalutatos verbis honorificis invicem proſecutus dimiſiſſet, ad priorem devertit. *Oratione de Vita Gregorii Thaumatur.*

Chryſoſtomus: Prædones ſalem eundem ſimul comedentes, prædones eſſe deſinunt, duntaxat adverſus eos quorum convictu uſi fuerint; menſa eo uſque illorum mores immutante, ut qui feris immaniores eſſent, eos ovibus manſuetiores reddat. *Homilia 8. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Ne expectemus egenos donec ad nos veniant, ſed adipſos curramus & ſecte ur. Sic Loth fecit, ſic braham. Totum namque diem in hoc conſumebat, bonam expectans venationem: & ſi quando quempiam videbat, inſiliebat, occurrebat, ad terram ſupplicando procidebat, dicens: Si gratiam inveni in conſpectu tuo, nẽ tranſeas ſervum tuum. Non quemadmodum nos: qui cum peregrinum aut pauperem viderimus, ſupercilia attollimus, neque dignos æſtimamus quos alloquamur. Et ſi quando innumeris ſupplicationibus vix tandem molliti, modicum argenti per famulos dari juſſerimus: univerſum quod ad beneficium attineat, probe nos præſtitiſſe putamus. Abraham vero non ita: ſed ſumptam famuli perſonam induit, tametſi ignoraret quoſnam ſuſcepturus eſſet. Nos autẽ licet manifeſte ſciamus, quod in pauperibus Chriſtum ſuſcipiamus, neque ſic tamen manſueti reddimur: ſed cum ille contrario & obſecret, & ſupplicet, & procidat; nos nihilominus accedentes conviciis obruimus. Et Abraham quidem omnia per ſe ipſum & uxorem adimplebat obſequia, nos vero neque per famulos. Si vero & menſam cognoſcere voles, quam ille peregrinis parabat. multam & illic libertatem videbis, non quam exhibebat ipſa ciborum copia, ſed potius abundans animi promptitudo. *Homilia 21. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Suſcipiamus ſanctos, ut ſplendeat domus, ut liberetur à ſpinis, ut portus fiat domicilium ſuſcipiamus itaque & pedes eorum lavemus. non es. Sara melior, neq; generoſior, aut ditior, etiamſi regina fueris. trecentos illa & octodecim, vernaculos habebat, quando & duos pueros habere, divitiæ erant quid dico univerſum orbem in ſemine & divinis promiſſionibus poſſidebat, amicumque Dei habebat virum; Deum autem ipſum tutorem, id quod omni regno majus erat. in tanto tamen ſplendore ac gloria, ipſa & farinam miſcebat, & reliqua adminiſtrabat omnia, veſcentibusque rurſus inſtar famulæ ſervitura adſtabat. tu quoque non es generoſior Abraham, qui poſt trophæa illa, poſt victorias, poſt honorem quem illi detulerat rex Ægypti, poſt inſecutionem regum Perſarũ, poſtque illuſtria illa erecta trophæa, quæ famulorum erant faciebat. neque reſpicias quam viles apparent ſancti illi, & pauperes, & pannoſi, qui ſæpe ad te deferuntur, ſed vocis illius momento: Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſti; &, Ne contemnatis unum expuſillis iſtis, quoniam angeli eorum ſemper vident faciem patris noſtri qui in cœlis eſt. Suſcipe ergo illos cum alacritate, qui innumera tibi bona per ſalutationes pacis adferunt. *Homilia 30. ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Quis vero ſit adeo infelix ut erubeſcat manum Chriſto porrigere? Iſtud revera hoſpitalitas eſt, iſtud vere de amore Dei proficiſcitur: cæterum ſi ſuperbe cæteris inferre miniſteriũ imperes, quantalibet hoſpites humanitate foveantur, nequaquam hoſpitalitas ea res eſt. Ingenti nempe hoſpes eget obſequio & ne ſic quidem ille fiduciam ſumit. Ea quipperei natura eſt, ut erubeſcat cui infertur hoſpitalitatis officium, nimioque ad eam tollendã verecundiam eſt opus obſequio, ut & ſigno, & verbo oſtendamus inter iſta officia beneficium nos non inferre, ſed referre, plusque longe recipere, quam demus. In hunc modũ, ex alacritate noſtra quod agimus, incrementa ſuſcipiet. Sicut enim qui detrimenti nomine, id officium cenſet, omnia perdit, & qui beneficium ſe putat inferre mercedis multum amittit: ita & qui ſe accipere beneficium dum exhibet, exiſtimat, fœcundi oribus ſucceſſibus gaudet. Hilarem enim datorem diligit Deus. Gratias magis pauperi debet, quia dignatur accipere. Niſi enim eſſent pauperes, peccatorum difficile ſarcinam ponerent. Medici illi ſunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præſtant. Non ita medicus ut medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet, ut pauper abs te ut accipiat, porrigens manum. dediſti pecuniam, & peccata ſimul exuiſti. Hujuſmodi & ſacerdotes: Peccata enim populo comedunt. Majora igitur recipis, quam largiris; beneficiumque potius accipere, quam ferre probaris, Deoque non hominibus fœneraris, divitiasque non minuis, ſed auges: minuis autem illas niſi eroges, niſi indigentibus des. Si inquit, hoſpitio ſuſcepit, ſi ſanctorum pedes lavit. Quorum obſecro? eorum ſcilicet, qui in tribulatione ſunt, non ſanctorũ ſimpliciter: poſſunt enim eſſe ſancti, ſummoque obſequio ab omnibus foveri. Noli hos proſequi copia rerum affluentes, ſed afflictos, incognitos, & quia à multis ignorantur. *Homilia decima quarta ad Timoth 1.*

Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum pectoris motus ex verbis cognoſcuntur: eodem modo quiſnam domus ſtatus ſit, ex Antiſtite conſtat. Cur hoc dicam, audite. Quidam ad me adeuntes, hoc mihi narrarunt, ſe hora meridiana æſtu ac ſiti correptos ad veſtibuli domus veſtræ umbram confugiſſe, atque in canem potius ac crudelem lupum, quam in hominem incidiſſe, hoc eſt in eum cui hoſpitalitatis munus à vobis commiſſum eſt: ut eos vehementer cædendo abegerit. Ita, cum inſcientes quidam hoſpicio angelos acceperint, vos, non incognitos, ſed cognitos angelos expellitis. *libro 1. Epiſt. 150.*

S. Iſidorus Peluſiota: Illud, qui recipit Prophetam in nomen Prophetæ, mercedẽ Prophetæ accipiet, utpaucis cõplectar, tale eſt: Nõſi quis, ô bone, alterius cujuſdam utilitatis aut prætextus cauſa honeſtatem dignatur honore & cultu, jam ſtatim etiam gloriæ ejus particeps fiet, quæ honeſtati debetur: ſed is demum honeſti gloria decorabitur, qui ipſum honeſtũ propter ipſum coluerit. Multi enim Prophetas aut juſtos honore afficiunt, aut propter gloriam humanam, aut lucri alicujus gratia ad hanc vitam redundantis. Sunt enim qui talia exercent, & pecunias elargiuntur, quos nemo dixerit, mercedem Prophetæ accipere. Si quis autem abſque hujuſmodi velamentis nuda anima ad bonum ipſum reſpiciens ſanctos honore afficerit, talis unacum ſanctis merito gloria perfruetur. *lib. 4. Epiſt. 135.*

¶ LATINORUM.

Chryſologus: Habet hoc Adelphi antiſtitis ſanctus animus, & plena pietate dignatio, ut dives pauperis ſe ponat ad menſam, & humilibus ſe faciat eſſe communem, quem divitiæ, poteſtas, honor fecit & reddidit ſingularem. Inter maximas enim virtutes numeranda eſt iſta voluntas, quæ contempto obſequii ſuo faſtu, deſpecta magnificæ domus reverentia, calcato etiam ſuæ faſtigio poteſtatis, & abjecta opum ſuarum interna conſcientia, unde rumor maximus humanis ſemper dominatur in mentibus, ad viliſſimas inopis ſe inclinavit anguſtias, ut ſuo paupere in contubernio ſublimaret. Beatus plane iſte animus, & ab omni morbo arrogantiæ remotus, qui ad hoc pauperis diverſorium primus intravit: ut ante humanitatis debitor, quam largitor exiſteret. Imitari Deum evidenter iſte geſtivit, qui ante humana in corpore ſuſcipit obſequia, quã beneficia homini divina concederet, quod pontificem Dei ſummi præſentem Adelphum feciſſe conſpicimus: qui cum ſit verbo dives, ſcientia copioſus, magnus ingenio, loco primus; egeni cenſus, & mediocris eloquii noſtri audientiam concupivit. *Serm. 136. pr.*

Io. Sarisberienſis: Britannia quoq; noſtra produxit Albanum ab officio hoſpitalitatis inſignem, qui ſe ipſum maluit tyrannorum exponere telis, quam hoſpitem quem ſuſceperat Chriſtianum. Quid de fidelibus loquor? cum & infideles conſueverint, etiam adverſus hoſtes, & proprio periculo patrocinari, quos infra quatriduum hoſpitio ſuſcepiſſent. Criminis enim contrahebat notam, quiſquis ante quintum diem hoſti, id eſt, peregrino humanitatis patrocinium denegabat. Autore ſiquidem Cicerone, ob æquitatem hoſpitibus exhibendam, hoſtis dicebatur antiquitus, quem modo dicimus peregrinum. Cui quiſquis fuerit inhumanus, de jure antiquo iniquus eſt. Declarant hoc legum tabulæ & titulus juris, Qui eſt ſtatutus dies cũ hoſte. Qui vero humanitatẽ exhibet hoſpiti, & charitatẽ implet, nihil eorũ ſubtrahit, quæ ratio permittit exponi. Effũditquidẽ in hoſpites viſcera ſua: ſed memor officii, ſi diſcretus eſt, ad turpia non impellit, nec urget quempiã in id, in quod ſe nollet urgeri. Eſt itaq; in hoſpitẽ peregrinũ omnis humanitas, & ſobria liberalitas exercẽda, & indigenæ hoſpiti gratiã pleniorem referre debet, tenaci beneficiorũ memoria peregrinus. Hunc quoq; gratiã nec adverſæ religionis, nec præcedẽtis inimicitiæ titulus perimit. Nã & beatus Gregorius Neocæſarienſis epiſcopus, cũ urgente tẽporis & procellæ anguſtia, in alpibus interceptus, in fanũ Apollinis, qui ibi ab indigenis colebatur, divertiſſet, & à ſacerdote loci licet profano, officioſiſſime exceptus eſſet hoſpitio, memor officii & hoſpitii, Apollinẽ quẽ ſuſpenderat à reſponſis, & ludificationibus animarũ, ſacerdotis precibus relaxavit. Siquidem apud Euſebiũ Cæſarienſem in Eccleſiaſtica hiſtoria poterunt hæc plenius inveniri. Eoque referente conſtare quod ſacerdos querulus beatum Gregorium proſecutus, & agens adverſum eum ingratitudinis, & exprobrans humanitati ſuæ iniquo pondere eſſe repenſum, hanc à ſancto viro, & Apollinem ſuum epiſtolam reportavit. Gregorius Apollini: Permitto te redire ad locum tuum, & agere quæ conſueviſti. Cum ergo idolo ſacerdos epiſtolã reddidiſſet, ſolutus dæmõ reſpõſis more ſolito ludificare

ſcare cœpit. Unde ſacerdos admiratus illius majeſtatem, cujus ſervi humiles poſſunt ſic etiam diis gentium imperare, & verbo ſuſpendere & torquere, contempto Apolline ſuo, frequenſque Gregorium adhæſit eis factuſque eſt diſcipulus Chriſti, qui ſacerdos Apollinis fuerat, ita in fide & religione profecit, ut beato Gregorio creditur in regimine Neocæſarienſis eccleſiæ ſucceſſiſſe. Et ſic quidem ſedulitas hoſpitis humane prius, deinde ſalubriter remunerata eſt. Poſtrema etſi urbanitatis in hoſpites exercendæ apud Ethnicos nulla regula eſſet, beatus Benedictus in capitulo de hoſpitibus, frugalem humanitatem non modo religioſe, ſed etiam comiter & urbane videtur exprimere. Hoc tamen quod in libro conſuetudinum Ciſtercienſium apud plerosq; legitur & tenetur, quod ad duos articulos ſpectat hoſpitalitatis inſtituendæ, ab omni civilitate, ne dicam humanitate, alienum eſt. Si tamen verum eſt, hoc in tantæ perfectionis conſuetudinibus inveniri, ut nec carnes apponantur hoſpitibus, nec propter eos aliquid ematur, cum ipſa jejunia propter hoſpitem perfectio ſolvat, & in multis de rigore ſuo plurimum indulgeat charitati. Ethnicus quoque in eo fidelius & familiarius videtur inſiſtere virtuti, quod ſtatuit, ut ea quæ intus ſunt, hoſpitibus hilari modeſtia apponantur,

Quodq; domi non eſt, & habet vicinus, ematur.

Crediderim ſatius eſſe & perfectius, ut ſe ipſam paululum virtus ſolvat, modeſteque deſipiat. Nam & in loco deſipere, ut ait ethicus, interdum dulce eſt, & tam virtuti conſentaneum quam humanitati. *lib. 8. Policcratt cap. 13.*

¶ Philosophor. Orator. Historicorumque Græcorum.

Brutus Trallianis: Allatum eſt ad me, Menodorum civem veſtrum, hoſpitii jure & amicitiæ cum Dolobella noſtro hoſte conjunctum & antea vobis, ne caſtra metari illum in veſtra regione prohiberetis, perſuaſiſſe, & nunc ut tum ipſum, tum ipſius exercitum urbe recipiatis, efficere cónari. Ergo vero mihil profuturum Dolobellæ, etiamſi hæc aliaque facere à Menodoro adducamini, aut ſi quis alius perſuaſerit, non ignoro. Neque vero Menodorum amicitia, hoſpitiumque Dolobellæ juvabit. At vero non ut aliquos puniam ſpectans, ſingulorum criminibus advigilandum cenſeo, verum ne quid pœna dignum perpetrare cogamini. Atque nunc jubeo Menedorum ut in exilium pellatis, privati emolumenti cauſa: ſi quidem illi patriam vendere commodo bonoque fuit. Dolobellam vero non ſolum intra muros non recipere, verum etiam ex terra depellere: ſin vim objiciat, propulſare: ſin in his non mihi morem geſſeritis, non à Menodoro vos adhæc patranda adductos fuiſſe putabo, ſed vos ultro ac voluntarios occaſionem Menodoro obtuliſſe. *Epiſt. 55.*

Trallianorum ad hæc reſponſio: Non Menodorus, ut Dolobellam & excercitum ejus in urbem reciperemus nos impulit: quemadmodum nec antea, ut caſtra metari pateremur, autor aut ſuaſor nobis extitit. Sed neque cum hæc facta ſint putamus nos occaſionem tam ſalubris, & utilis conſilii Menodoro dediſſe videri. Citius enim ſocietatem quæ nobis cum Romanis eſt fatebimur, quam tu noſtris hoſpitium Dolobellæ exprobres. Quibus etiam ſi mutua conſpiratio conſenſuſque nullo commodo fuerit, at certe magni eſt, conſtãs & fide fundata conſcientia. Armis autem & exilio nihil ad rem opus eſt. Menodorus enim una cum Dolobella diſceſſit, non hercle quod proditionis patriæ ſit reus factus: ſed non injuſte ſe ſtatim ab initio facturum putans, ſi amicum in comparandis rebus neceſſariis adjuvaret: Tu vero ſi putas egregium & laudabile eſſe quemadmodum eſt, non differre pœnam & ultionem, donec vis tibi & injuria fiat, multo magis id cogita non eſſe nimis mature rem aggrediendam, ob calumnias hominum ſed de eventu quod ſit futurum judicium, cõſiderandum. Non enim quibus de cauſſis quibuſvis crimen intẽdis, his te provocatum ad offenſionem odiumque, ſed erga quos odium geris, his te crimina putabunt intendere. *Epiſt. 56.*

Brutus ijſdem: Omnes pecunias, quotquot Dolobella apud Hermodorum hoſpitem ſuum aut etiam ſi quid aliud depoſitum reliquit, adempta filiis ejus, qui facultates poſt fugam ejus poſſederũt, ad me mittenda curate. Sin horum nihil ſupereſſe dicetis, omnes viros totius familiæ, cum liberis & uxoribus. Non enim juſtum foret, meorum hoſtium amicis & hoſpitibus, non ſolum nihil detrimenti, ſed etiam emolumenti plurimum mea benignitate accedere. *Epiſt. 57.*

Trallianorum ad hæc reſponſio: Neque Dolobellam iis temporibus quæ maximos & ampliſſimos ſumptus ad bellũ poſtularent, depoſitum alibi reliquiſſe veritati conſentaneum eſt, neque Metrodorum eſt veriſimile, viaticis & levaminibus exilii domi relictis, è patria diſceſſiſſe. Remittere igitur ad te vel pecunias quæ nullæ ſunt, vel homines innocentes, partim eſt contra naturam & fieri non poteſt, partim eſt injurioſum & contra leges. Non enim eſt pulchrum, ut noſtris civibus, propter tuos hoſtes uſque ad extremam etiam calamitatem officiat & obſit, noſtra, ſi obſecundemus, deditio. *Epiſt. 58.*

Simplicius: Eſt etiam affectio quædam adverſus peregrinos, qui ad nos veniunt, ab hoſpitum curatore Deo conciliata. Eſt igitur & his ſuum tribuendum tum ob curationem eorum Deum, tum propter incrementum humanitatis noſtræ, quæ non ſolius neceſſitudinis & cognationis rationem habere, ſed ad univerſum hominum genus porrigi debet: tum vero, ut & nos cũ fiducia ſupplicemus Hoſpitali Deo, divinaque providentia & ipſi ea conſequamur, quæ hoſpitibus tribuimus. Tenendum enim eſt quemque ſuam rectam voluntatem & bonas actiones mutare Deo, eaſque magna cum uſura, & uberiore quam homines ſolent menſura ab eo rependi. Nullo autem modo violandus eſt hoſpes: ſed ſi ab aliis violetur, ſumma vi defendendus. Eum enim ope humana deſtitutum, curator hoſpitũ Deus magis & reſpicit & ulciſcitur. Eſt & in eo negotio cujus conficiendi cauſa venit, adjuvandus ab eo qui poteſt, & victus egenti præbendus pro facultatibus: & in morbo juvandus eſt hoſpes, quantum licet, & in reditu ad ſuos quoad poſſis. *circa finem capite 37. Epiſt.*

Philoſtratus: Admiſſo Appollonio rex, præ ſe tulit magis eo lætari, quam ſi Perſarum aut Jndorum opes divitiis ſuis adjeciſſet, ſibique hoſpitem fecit, aulæ regiæ participẽ eſſe juſſit. Tunc Appollonius, Si te inquit, ô rex, in patriam meam Tyana venientem, rogarem ut mea domo deverſares, num id eſſes facturus? Certe per Jovem ait, etiamſi minus amplam habitaturus eſſem, quam quæ ſatellites corporisque cuſtodes, & me ipſũ pro dignitate accipere poſſet. Eadem igitur mea nunc ratio eſt, inquit Ap: ſi eum domũ conditioni meæ imparem habitavero, prave vitam degerem omnis enim exceſſus majorem affert moleſtiam ſapientibus, quam vobis magnis defectus. Me igitur pravatus quiſpiam ſuſcipiat hoſpitio, æqualia mihi poſſidens. ego autem quantumcunque volueris, tecum ſum futurus. Permiſit igitur hoc ei rex, ne quid forte afferret ei moleſtiæ, inſtituitque ut apud virum Babilonium bonum oppido & perhumanum hoſpitaretur. *lib. 1. cap. 21.*

Libanius: Quis ignorat Jovem hoſpitalem eſſe, eamque principem eſſe Dei appellationem? ut quovis donario gratius illi ſit, hoſpitii munera recte ſe habere: contrà omni ſacrilegio gravius, ſi quid vel injucundum hoſpiti contingat ab eo qui cum benevolentia acceptus eſt. *Orat. Vliſſis ad Troianos.*

Libanius: Ut paris Spartam ingreſſus eſt, præter alia, præcipue mira in obvium quemque comitate utebatur, non mediocrem probitatem, atque modeſtiam adſimulans: deſiderabat autem hoſpitalitatem, atque modeſtiam adſimulans: deſiderabat autem hoſpitatem, atque modeſtiam adſimulans: deſiderabat autem hoſpital

Plautus Bacchid. 2. ſc. 3. v. 17.

Heu! cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Iſtius hominis ubi ſit quæq; mentio.
Tunc hoſpitem illum nominas, hoſtem tuum?

Plautus Pœnulo 4. ſc. 3. v. 58.

—— Obſecro hercle hortamini,
Vt deſertamur ad me in hoſpitium optimum.
A. Neq; nos hortari, neq; dehortari decet
Hominem peregrinum, tuam rem tu ages, ſi ſapis.
Nos tibi palumbem ad aream uſq; adduximus:
Nunc te illum melius capere, ſi captum eſſe vis.

Plautus Milite 3. ſc. 1. v. 144.

Nihil me pœnitet jam quanto ſumptui fuerim tibi.
Nam hoſpites nullus jam in amici hoſpitium divorti poteſt.
Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odioſus fiet.
Tametſi dominus non invitus petitur; ſervi murmerant.

Plautus Milite 3. ſc. 1. v. 154.

Commodulũ obſona, nec magno ſumptu mihi quid vis ſatis
PE. Quin tu iſtanc orationem hinc veterem & antiquam amoves.
Nam proletario ſermone nunc quidem, hoſpes, utere,
Ii ſolent quando accumbuere, ubi cœna apposita, dicere,
Quid opus fuit hoc hoſpes ſumptu tanto noſtra gratia
Inſane viſti hercle: nam idem hoc hominibus ſat erat decem.
Quod eorũ cauſſa obſonatũ eſt, culpant & comedunt tamẽ.
PA Fit pol illud ad hoc exempl. ut docte ut perſpecte ſapis!
PE. Sed ĩdem homines nunquam dicunt, quando appoſitum eſt ampliter;
Iube illud denuo tolli. hanc patinam remove. paternam nil moror.
Auſer illam offam penitam: orobus hic conger frigidus:
Remove, abi, auſer. neminem eorum hac aſſervare audias.
Sed percellunt ſe & procumbunt dimidiati, dum appetunt.
P V. Bonus hercle ut malos deſcripſit mores!

Plautus Pœnulo 5. ſc. 2. v. 44.

Fortaſſe medicos nos eſſe arbitrarier.
A. Si ita eſt, nega eſſe. nolo ego errare hoſpitem.

Mox. v. 70.

Servum hercle te eſſe oportet & nequam & malum
Hominem peregrinum atq; advenam qui irrideas.

Plautus Rudente 2. ſc. 7. v. 23.

Tibi ego nunquam quidquam credam, niſi accepto pignore.
Tu vel ſuda, vel peri algu, vel tu agrota, vel vale:
Barbarum hoſpitem mihi in ades nihil moror: ſat litiũ eſt.

Plautus Rudente 2. ſc. 3. v. 75.

Neq; digniorem cenſeo vidiſſe unum me quemquam,
Cui Deos atq; homines cenſeam benefacere magis decere.
Vt lepide, ut liberaliter, ut honeſte, atq; haud gravate
Timidas, egentes, humidas, ejectas, examinatas
Accepit ad ſe: haud ſecus quam ſi ex ſe ſcimus nata.
Vt eapſe ſic ſuccincta aquam calefactat, ut lavemus.

Terentius Andriæ 4. ſc. 6.

—— nunc me hoſpitem
Lites ſequet, quam hic mihi ſit facile atq; utile.
Aliorum exempla commonent.

Oppianus lib. 3. ἁλιευτ. v. 210.

—— Piſci anthia parata.
Percas illico objecit inter fluctus, aut corvos
Piſcator, primæ prabens Xenia eſca.
At ille raptim latabundus epulatur
Epulum gratum: adulatq; fraudulentum piſcatorem.
Qualiter autem hoſpitalis viri domum appellit
Clarus vir, vel manus operibus vel animi,
Libenterq; ipſum videt hoſpes, beneq; eum muneribus
Benè etiam eum epulis & benevolentia excipit
Omnis generis: ambo autem gaudentes cerea menſam
Oblectatur crater amutuis poculis:
Sic piſcator quidem gaviſus ſpe
Ridet: cœnisq; novis delectatur piſcis.

Ovidius lib. 1. Faſtor. v. 787.

Hoſtis ut hoſpes init penetralia Collatini.
Comiter excipitur, ſanguine junctus erat.
Quantum animis erroris inest! parat inſcia rerum
Infelix epulas hoſtibus illa ſuis.
Functus erat dapibus: poſcunt ſua tempora ſomnum:
Non erat, & tota lumina nulla domo.
Surgit, & aurata vagina liberat enſem,
Et venit thalamos nupta pudica tuos. &c.

¶ Emblematis.

Camerarius 57. Centur. 2.

Quod petis alter habet. Vulpes taxi cavernam percacans.

Quæ tua ſunt ſerva, ne fors hæc occupet alter,
Nec temere excipias quemlibet hoſpitio.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Lot Abrahami nepos: Videns Sodomæ cives vim parare hoſpitibus duobus quos perhumaniter exceperat, egreſſus ad oſtium januam clauſit poſt ſe, & dixit, Ne quæſo, fratres mei, malefaciatis iſtis. Ecce jam mihi ſunt duæ filiæ quæ non ſunt expertæ virum, educam quæſo illas ad vos, & facite illis prout bonum videbitur in oculis veſtris: tantummodo hominibus iſtis ne faciatis quicquã, quandoquidem ingreſſi ſunt ſub umbram tabulati mei. *Geneſ. 19. 7. 8. 9.*

Rehuel Præfectus Midianitarum ſocer Moſis: Cum Rehuel à filiabus ſuis audiviſſet Moſem (quem Ægiptium vocabant) eas eripuiſſe é manu quorundam paſtorum, etiamque adaquaviſſe greges, dixit ad filias ſuas, *At ubi eſt ille? quamobrem reliquiſtis virum illum? Vocate eum ut ſumat cibum.* Acquievit tandem Moſes ut maneret cum hoc viro, qui dedit Sipporam filiam ſuam Moſi uxorem. *Exod. 2. 19. &c.*

Senex Gibeanus: Levita quidam exteram concubinam a ſe profectam repetens, ex Bethlehemo cum ea deinde revertens opprimente nocte Gibeam Benjamis divertit. Ibi ſenex quidam peregrinus ab opere ſuo ex agro veſpere veniens, videns levitam viatorem in platea civitatis, dixit ei, quo abis, & unde venis? deinde, Pax eſto tibi, quicquid deficit te, incumbat tantũ mihi: tantummodo in hac platea ne pernoctato. Eis autem introductis in domum ſuam neceſſaria ſuppeditavit. Et quum viri civitatis illius vim nefariã ac turpiſſimam intentare Levitæ conarentur, ſenex dixit ad eos, Ne fratres mei, ne malefacite quæſo: quandoquidem ingreſſus eſt vir iſte domum meam, ne facite flagitium iſtud. *Judic. 19. cap.* Quæ ſequuntur de ſcelere Gibeanorum, Levitæ querelis, & Beniamiticæ tribus excidio horrenda ſunt.

¶ Monosticha Trochaica.

Ceu doloſa etiam caveto, munera hoſpitalia.
Fit tibi hoſpes hoſtis ut jam bello ferveat patria.
Hoſpes hoſpitis fortunæ proſperæ haud unmq; invidet.
Hoſpes es ſapiſq; nullis te implica negotiis.
Hoſpitis frons lata ſi abſit, lauta quorſum ſercula?
Hoſpitem haud decet clamor, ſilentium ac quies decet.
Hoſpitem noſtrum putamus ſæpe, qui hoſtis eſt merus.
Hoſpitum Deis figura civitates viſitant.
Hoſpitum neceſſitudo bello ceſſat publico.
Hoſpitum ſub forma ſæpe luſtrant urbes Numina.
Hoſpitumq; ſupplicumq; vindex ipſe es Jupiter.
Hoſpitalitatis eſt dos prima cultus latior.
Inſanum eſt malum devorti in hoſpitium ad Cupidinem.
Jura & hoſpiti debentur cuncta eadem quæ ſupplici.
Latrones etiam veneramur menſæ communis ſalem.
Lecto eodem cœnavere Scipio q; & Annibal.
Magna civis eſt habẽda ratio? major hoſpitis
Parricidæ eſt, haud latronis, enſe tollere hoſpitem.
Patria hoſtis & meus ſit, quamvis hoſpites audiat.
Peccat in Jovem hoſpitalis ruptor omnis teſſeræ.
Plus merere laudis hoſpes pauperis quam divitis.
Poſt parentem adſis pupillo, dein clienti atq; hoſpiti.
Poſt parentes ſunt pupilli, inde hoſpites & proximi.
Prodi ab hoſte turpe non eſt: turpe prodi ab hoſpite
Si mihi ac turba mea eſſe par potes, cedam loco.
Si vocatus voce multa eſt, hoſpes eſto principis.

¶ Jambica.

Et hoſpitalis menſa piratæ ſacra eſt.
Haud ſprevit Hecales tenue Theſeus prandium.
Hirundinem ne tecto admitte erroneam.
Hoſpitibus ignis atq; tectum ſufficit.
Hoſpitium adverſo pauci præſtant tempore.
Impune visus nullo ab hoſpite eſt Cyclops.
Injurioſus hoſpiti, bis eſt latro.
Menſa hoſpitalis & ſacra eſt latronibus.
Menſam hoſpitalem qui violat, violat Jovem
Nocere ſupplici hoſpitiq;, par ſcelus!
Non ſemper hoſpitem eſſe oportet hoſpitem.
Occaſione læſito nulla hoſpitem.
Præcipua virtus ubilibet hoſpitalitas
Quam maxime hoſpiti expedit moderatio
Sæpe abitus eſt trux hoſpitis ſuaviſſimi.
Unum diem hoſpes gratus es: ergo abi altero.

Hoſtilitatis.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

D. Nazianzenus: Gravia ſunt inſuper quæ nunc & cernimus & audimus, patriæ funditus everſæ, innumerabiles copiæ cadentes; terra ſanguinis mole laborans; extera natio alienam regionem veluti ſuam percurſans, ac populans; non ob defenſorum ignaviam (neque enim eam quiſpiam accuſet: nam illi ipſi ſunt, qui univerſum pene terrarum orbem bello atque armis ſubegerunt) ſed ob improbitatem noſtram, vigentemque adverſus Trinitatem Impietatem. *Oratione 14.*

D. Chryſoſtomus: Senſibilem quidem hoſtem facile declines: at invisibilem, niſi undique armati fuerimus, difficile evitare poſſimus; & qui-

& quidem ob id potissimum, quod recta ille depugnare non novit. alioqui enim è vestigio à nobis victus caperetur. verum amicitiæ identidem specie, crudelitatis venenum ejaculatur. *Homilia* 10. *ad Romanos.*

Synesius: Atqui ego primo statim diluculo, quam fieri longissime potest obequitans, auribus atq; oculis de Abactoribus iis, quæ possum, inquiro. Neq; enim hostes appellaverim, sed latrones ac grassatores, aut si quod aliud abjectius nomen est, qui neminem fortius invadentem sustineant, sed timidos atq; attonitos duntaxat jugulant tanquam pecudes ac despoliant. *Epist.* 131.

Latinorum.

S. Zeno: Nisi quis hostem à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis suis poterit uti securus. *de Genes. Serm.* 1. *pr.*

Chrysologus: Tolerabilis est hostis cum muros arietat extrinsecus, cum foris positus cedit aliquando conflictu: cui vero est intus inimicus, cujus adversarius in ipsis penetralibus jam desævit, iste se intelligit, & sentit oppressum: iste se & captivum perdit, & deplorat iste suus expugnator esse non potest: suus esse non potest liberator: alienum requrit auxilium: quærit alterum defensorem. *Serm.* 171. *sub finem.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Xenophon: Arbitror, inquit, amici me nequaquam in consiliis de hoc bello meis aberraturum: si vos, homines fidos, eis adhibeam. Vobis enim magis etiam cogitandum esse video, quam mihi, ne superior nobis Assyrius evadat. Nam me quod attinet, si frustratus in his fuero, fortassis aliud est quo me vertam: à vobis, si superior hic evaserit, omnia quæ possidetis, alienatum iri video. Etenim meus hostis est, non quod me oderit: sed quod sibi non expedire arbitratur, nos magnos esse: eaq; una causa est, cur bellum nobis faciat. At vos & odit, & adfectum se à vobis injuria ducit. *cap.* 14. *lib.* 5. *Cyropædiæ.*

Apollonius Sardianis. Crœsus prætergressus Halyn, Lydorum imperium amisit, vivus captus est, in vincula connectus, ad ignem attractus flammam incensam ob oculos vidit atque in altum assurgentem: vivus tamen permansit. Videbatur enim à Deo punitus esse. Quid igitur postea, vester simul atavus ille & idem rex? qui tanta passus erat indigne, hostis etiam mensæ particeps est factus. Consiliarium se gessit bene, olum, & fidelem amicum. Vobis autem sunt omnia fœdifraga, illegitima, crudelia. Item scelerosa atq; impia, erga parentes, erga liberos. Amicis, cognatis, tribulibus, inimici facti estis, nec Halyn transgressi, nec extraneo quopiam, recepto. Attamen vobis terra fructum producit? injusta sane tellus! *Ep.* 63.

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Quid vos putatis opem ferre? multa enim quæ utilia sunt hosti, & inviti & imprudentes facimus, ideoq; hoc non complexa lex est; sed adversus eum se distrinxit, qui opem tulisset: illud ut opinor tale, qui auxilio juvisset, qui armis, qui commeatu. Animus, ut opinor, ejus punitur, qui hosti prodesse voluit. adversus proditorem, adversus hostem reipubl. conscripta lex. Si cum aliquid facerem pro universa republ. utile etiam hosti fuit, non opinor damnis contendendum fuit. *Declam.* 323. *med.*

Nazarius: Narravit utique qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, facilis supplicanti. *cap.* 37. *Orat. in Constantinum Aug.*

Eumenius: Affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant, nihil veritus gentis illius odia perpetua, & inexpiabiles iras, cur enim ullam reputet justæ severitatis offensam, Imperator, qui quod fecit tueri potest? Tua clementia est quæ parcit inimicis, & sibi magis prospicit quam ignoscit. Te vero, Constantine, quamlibet oderint hostes, dum perhorrescant. hæc est enim vero virtus, ut non ament & quiescant. Cautior licet sit qui devinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen est qui calcat iratos. Renovasti, Imper. veterem illam Romanorum fiduciam, quæ de capitis hostium ducibus vinctam morte sumebat. tunc enim captivi reges cum à portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur. Unus Perseus, ipso Paullo qui dedentem acceperat, deprecante, legem illius severitatis evasit. cæteri omnes in vinculis luce privati, aliis regibus dedere documentum, ut mallent amicitiam colere Romanam, quam exasperare justitiam. adeo & hoc boni confert pœna hostibus irrogata, ut non solum inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensius revereantur. *cap.* 10. *Panegyr. ad Constantinum Aug.*

Cl. Mamertinus: Tunc Pœno ex summis Alpibus viso, Italia contremuit, statim pascua agriq; deserti, omnes familiæ rusticanæ silvas & ferarum cubilia petivere. quo nuncio accepto, omnibus oppidis matres Italæ pensa è manibus abjecere, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt. ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat: vario planctu ploratuque futuris cladibus omnia dabant: Thrasymenum & Cannas dolore præsago præcanebant. *cap.* 10. *genethliaco Maximini Imp.*

Cl. Mamertinus: Quomodo dicam in eo etiam imperii vestri felicitatem, quod undique se barbaræ nationes vicissim lacerent & excidant; alternis dimicationibus & insidiis clades suas duplicent & instaurent; Sarmaticas vestras & Rheticas & transrhenanas expeditiones furore percitæ in semet imitentur. Sancte Jupiter, & Herculeles bone, tandem bella civilia ad gentes illa vesania dignas transtuliistis, omnemque illam rabiem extra terminos hujus imperii in terras hostium distuliistis, &c. *cap. decimoquinto genethliaco Maximini.*

¶ Poetarum.

Aristophanes Acharnens. v. 314.

Hoc grave est verbum, meumq; animum perturbat plurimum,
Si tu ad nos ausis loqui pro nostris perduellibus.

Guntherus lib. 4. v. 143.

—— commercia rerum
Indignus afflicto non sperat miles ab hoste.

¶ Apologorum.

De Asino & Apro. Anonymus.

Audet asellus aprum risu temptare protervo,
Audet iners forti dicere, Frater ave.
Vibrat aper pro voce caput, nam verba superbis
Reddere sed dentem vix tenet ira trucem.
Sus tamen ista movet, vilem dens nobilis escam
Spernit: desidia tutus es ipse tua.
Non debet stolido laedi prudentia risu,
Nec stolidus doctum debet adire jocis.

De Homine & Securi. Anonymus.

Quo teneatur eget, nil ausa secare securis.
Armet eam Lucus, vir rogat, ille favet.
Vir nemus impugnat, lassans in cade securim,
Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait pereo, mihimet sum causa pericli:
Me necat ex dono rustica dextra meo.
Unde perire queas, hostem munire cavebis:
Qui dat quo pereat, quam juvat hoste perit.

Babrias Περὶ λέοντος, καὶ ἀκάρεως καὶ Γυπῶν. Fab. 3.

Λεων μάχλω ἐστησατο ποτὲ ἀκάρεϊ,
Γύπες δ' αὖωθεν ἐσκόπουν τὸν ἔλεον,
Βρῶσιν γὰρ ἠλπιζον ποιήσειν πολλὰ.
Φίλως δ' ὁρῶντες ἠπάτων τὸν ἐλπίδων.

Επιμύθιον.

Οπου δεῖ ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐπιχαίρειν.

De Leone & Apro & Vulturibus.

Leo pugnam aliquando paravit adversus Aprum,
Vultures vero desuper speculabantur litem.
Ut devorarent statim, qui vinceretur.
Sed amicis iisdem visis frustrati sunt spe.

Affabulatio.

Quod non oporteat alienis malis latari.

De Avibus Scarabeos timentibus. Fab. 37.

Magnus timor aves incesserat, ne scarabei arcu pilarii eas occiderent, a quibus magnam pilarum vim in sterquilinio summo labore fabricatam audierunt. Tunc passer, nolite, inquit expavescere. Quomodo enim pilas in nos per aeravolantes jacere poterunt, cum eas per terram magno molimine vix trahant.

Hac fabula nos admonet, ne hostium opes extimescamus, quibus deesse videmus ingenium. Abstem.

¶ Emblematum.

Batillius 32.

Dimidium victoriæ hostem noscere.

Quantum vis savos poteris frænare leones,
Injecta his oculos si modo veste tegas.
Sic quorum ingenium vires que expenderis ante,
Post facile oppressos & superare queas.

Camerarius 22. Centur. 1.

Ingentia marmora findit.

Quamvis dura, tamen caprificus marmora findit
Contemnas hostem, si sapis, ipse cave.

Camerarius 67. Centur. 1.

Ut prosit. Apis unicuiq; flori insidens.

Felix qui potuit solerti mente, vel hoste
In sua conversо commoda rite frui.

Camerarius 68. Centur. 1.

Leviter si tangis, adurit.

Laditur is merito parvum qui negligit hostem.
Fortiter urticas qui premit, ille sapit.

Camerarius 70. Centur. 2.

Nunc noscito vires. Ovis Tarquinii apud Accium.

Hostem quid spernis? Quamvis abjectior ille,
Saepe irritatus maxima damna dedit.

Camerarius 79. Centur. 2.

Cautius ut pugnet.

Obfirmet fortis prudentia pectus in hostem,
Mustela veluti ruta dat antidotum.

Camerarius 89. Centur. 2.

Captivam impune lacessunt. Mures circa felem incavеatam.

Hostem qui captum rides, fuge robur habentem:
Perrumpet felis carcere clausa diu.
Camerarius 23. Centur. 4.

Officiosa aliis, exitiosa suis. Salmo femina capta, attrahens masculos.

Hostis apertè, ast clam falsus nos perdit amicus,
Nec quisquam est structis tutus ab insidiis.

¶ Apophthegm. Christianor.

Rudolphus Imp. Austriacus: Magna profecto ea virtus est; quæ, ut infinitam gloriam, ita & summum amorem laudemque apud omnes meretur;

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Bene igitur Rudolphus dicenti cuidam, se Ottacarum Bohemiæ Regem è medio sublaturum, si facto præmium apponeretur, respondebat: *Etsi noster hostis sit, non efficiet tamen, ut justitia & moderationis fines transeamus.* Æn. Syl. lib. 3. Comm. de Reb. Alphonsi.

Ioan. Imperator: Pari clementiæ justitiæq; zelo efferbuit Joannes. Cui dum insinuaret quidam se facile Henricum suum ad regnum Bohemiæ competitorem veneno sublaturum, ajebat: *Si me inscio hoc perpetrasses, & subornasses fugam ad me, Crux tibi merces futura: & tu me modo hujus sceleris auctorem petis?* vere imitatus Vatis Regii mansuetudinem, qui etiam suorum hostium interfectores numquam est passus esse inultos. *Ibid.*

Sigismundus Imp. Objurgatus à suis, quod fugatos hostes non insequeretur, comprehensos vero occideret; *Satis*, dicebat, *vicit, qui hostes fugavit.* Utinam & nostri orbis Monarchis persuaderi posset, illam tum demum esse victoriam, quæ sine sanguinis effusione contingit. *Æn. Syl. lib. 2. de Gestis Alphon.*

Alphonsus Arag. Rex: Age. Alphonsi Aragonii clementia, quam clarum quamq; memorabile exemplum haberi debet? Cum namq; expugnato Stephato, Centuriones ac milites, qui Regi maledixerant, mira cum humanitate excepisset, quos tamen morte mulctandos judicabant alii; respondebat: *Malim ex clementia & humanitate erga hostes, quam ex victoria laudem paciscI.* Quæ illa vox? egregia sane, & vere regia: ac dignus qui eam protulit, eo elogio celebretur, quo Augustum Ovidius olim extulit, quod

——*nec* Alphonso *Deus est moderatior ullus,*
Iustitiâ vires temperat ille suas.

Panorm. lib. 3. de Gest. ejusd.

¶ Monosticha Trochaica.

Adversarij cognovisse animum grandis cautio est.
Alea Martis memento dubia, & pares hostibus.
Arbores nec cedito hostis, nemini certe nocent.
Arma habentibus, liberi hostium capita, impium est.
Arma quem non frangunt, frangunt sapius vitia hostium.
Attrahit magnes ferrum, hostes jus & aquum adte
Communem hostem submoveto viribus communibus.
Cum noto hoste & sæpe victo congrediendum est acrius.
Cunctis circa hostilibus quis sacramentum haud exuat?
Desit ut foris tibi hostis, nascitur domi in sinu?
Dona præbeant amici, manubias hostes dabant.
Est quid, ense vincere hostem, plus at eloquentia.
Filio hostis interempto belli tollis semina.
Fortioris est invadere hosticos quam pellere.
Fraude tecta vincito hostem: Mars apertus plus nocet.
Gloria illico obsolescit sordidis in hostibus.
Gratius prodesse amicis est nocere quam hostibus.
Haud justum modo est, sed & laudabile hostem fallere.
Haud sat est tuam rem firmes, infringenda & hostium est.
Hostis est, adesse nobis contra hostem quisquis negat.
Hostis est qui posse plusquam leges ipsemet cupit.
Hostis nullus admonenti auscultat oscitantius.
Hoste non victo, secure non potes frui tuis.
Hostis sæpe humanitatem timida habet pro ignavia.
Hoste sumpta ab imprudenti suavis est prudentia.
Hostem habe foris, rex ipsum mox habebis aut domi.
Hostem si coire non vis, haud uno impetas loco.
Hostium agris parce si vis, fieri nam queunt tui.
Hostium delicta vertas commodum pulcre in tuum.
Hostium fructus tollendi, haud arbores, nedum domus.
Hostium delicta vertas sæpe gloriam in tuam.
Hostem etiam apparatu fallet splendidi convivii
Hostium malis gaudere jus ac fas nullum vetat.
Hostium per tela tutus it reditq; vir pius.
Hostium perpende vires, sed magis tamen tuas
Hostibus quid pejus optes mutua discordia.
Hostibus Romani habere non solent suis fidem.
Hostibus subinde bellum eisdem inferre noxium est.
Hostibus superveniendis, nox illunis, optima est.
Improbum dele hostem, cives improbos metu tene.
In fidem cum armis venito, sis ut hosti sanctior.
In perpetuum vincit hostem, cui moderatio militat.
Interemptum denudare fas armis, non vectibus.
Interest nil, hostis nostrone occubet ferro an suo.
Invisibilem qui hostem vincit, a visibili haud vincitur.
Mars minus laudi est apertus, quam Mars clanculârius.
Mentem oculosq; morte pascas tristis adversarij.
Mortui corpus ne habeto pro hoste, at ejus pro domo.
Mortuis noli intumere: animo jam non sunt hostico.
Multa vivi possunt, at ne mortui mordent quidem.
Multi non valent virtute, verum aliorum imbellia.
Munera hostium atrociora sunt quam eorum vulnera.
Ne imperet, resistere armis qui suo hosti non potest.
Ne melior sis contemnendis quam cavendis hostibus.
Negligenter audienda verba non sunt hostium.
Nocte amicorum suspecta sint, nedum hostium, loca.
Nolis habere hosti fidem etsi credibilia disserat.
Non rogat quales sint hostes, verum ubinam sint Laco.
Non potest cuiquam hostis esse, qui jam non est amplius.
Non tam promptum est continere hostem tuum quâ vincere
Nulla lex est quæ vetet malum dare hostibus.
Nuntiis quoq; ac promissis hostium tentes fidem.
O saltem fortuna præstes hostium discordiam!
Omnium non est, in hostes vertere a se instans malum.
Patria hostes vince ferro, perditos virturibus.
Pauperis quamvis victoris dives hostis præmium est.
Peccat in rem pubicam hostem qui non tollit publicum.
Per ludum jocumq; hostem arcet, occupans angustias.
Plurimo sub hoste Virtus tota floridissima est.
Plus apud bonos virtutis vis valet quam hostilitas.
Præstat parcere hosti ob ipsum quam Deos offendere.
Pronæres palam professum vincere adversarium.
Publicum fers quisquis hostem, sol ve pœnam sanguine.
Qui confert beneficia in hostem, ab eodem exspectet, re mala
Qui nimis subito recedit, judicat formidinem.
Qui suo benignus hosti est, est benignus sibimet.
Qui suo juravit hosti, Curia excidit suæ.
Quid timet præsentes, hostis fiet in absentia.
Qui timetur inter hostes, vix amatur a suis.
Qui timendum hostile summo stante pro nobis Deo?
Quod per hostium vim factum est, esse non debet ratum.
Sæpe ea est virtutis, hostis ut delectet, gratia.
Sæpe major vis in bello est Numinis quam hostium.
Sæpe virtus comprobatur hoste in adversario.
Sanctior vis esse & hosti? in fidem cum armis veni.
Si tibi cavere summo vis ab hoste, te cave.
Spretus hostis ceu favilla est: crescit in flammam arduam.
Strenui modestia, hosti præstat unctas ferias.
Summa virtus est mucrone ladere hostem proprio.
Temporis plus sæpe terret, hostium quam iniquitas.
Tam bonũ est deludere hostes, quã malum ab illis decipi est.
Tam populatione vexes quam malo hostem prælio.
Tollito non hostes victos, hostium at proterviam.
Vi dolove utendum in hostem, sed dolo potissimum.
Vine vincas an dolo hostem strenuum, nil interest.
Vincis hostem si ante vertis occupanda angustia.

¶ Jambica.

Acerbius nil est servire quam hostibus.
Adversus hostem esto æterna auctoritas.
Æquos habet quoque hostes, qui bene imperat.
Aliud in hostes, aliud in cives licet.
Alloquia sæpe plus quam arma hostium, nocent.
An hostis est, armis tuetur qui sua?
Cito obsolescit turpi in hoste gloria.
Consilia hosti ignota, sunt tutissima.
Consilia fida quæ sint quæ sunt hostium?
Contemptus hostis absque cæde vincitur.
Credas veneno munera illita hostium.
Cum stante pugna, est præteritur qui jacet.
Etiam capi potest ab hoste fortior.
Etiam error hostium in consilium vertitur.
Etiam fides ipsis servatur hostibus.
Etiam hoste ab ipso discitur prudentia.
Etiam in mari, imo post mare, hostem inquirimus.
Etiam sine hoste homines patimur hostilia.
Etiam tubarum fallas hostem murmure.
Facile ex inopia hosti facias discordiam.
Fiant q; fidi amaris socij ex hostibus.
Fieri ve potest pons è cadaverum strue?
Haud glorioſum est fallere hostem, at vincere.
Hosti esse amicus quam diu in vita est nequis.
Hostem mora omnis præferocem fregerit.
Hostes cruentos moribus domes suis.
Hostes apertis occultis magis nocent.
Hostilis animos efferos tenet metus.
Hostile nomen interit cum corpore.
Hostilia qui faciunt, hostilia pratiment.
Idem esse nemo civis atque hostis potest.
Ignoscere in bello hosti sufficit semel.
Illis revertere hostis qui te læserant.
Illudere hosti ludus est suavissimus.
In hoste sæpe formidatur vastitas.

In hostium ipsa acie invenis manus tuas.
In rem tuam hostis vertas imprudentiam.
Laudari ab hoste apex supremus gloriæ est.
Laudat satis superque te hostis si tacet.
Laudatur & fides amorque in hostibus.
Licitari, quam vis justi hostis caput, impium est.
Lucrum omne justum est rebus ex hostilibus.
Multi hostibus melius quam sibimet consulunt.
Ne crede, sunt dolosa consilia hostium
Nec hostis hosti fidit infido suis.
Nec hostium trascare jure liberis.
Nihil novi est, si hostem male hostis excipit.
Non est leve cum hoste commori solatium.
Non indecorum est facinus hostem perdere.
Nunquam sine hoste regna magna sunt suo.
Quis deprecatur hoste pro suo Deum?
Quis vera, quæso crimina hostium autumet?
Quod hostis aufert, haud unquam fuit tuum.
Quod non potes vi, fraude tentes adsequi.
Resistere hosti fas die vel Sabbathi.
Securitatis agro in hostico parum est.
Servanda item ipsis est fides sua hostibus.
Socordia crescit nostra, fama hostium.
Spargi necesse est ob vagum hostem copias.
Suo docere ab hoste nullus est pudor.
Suspecta jure amica oratio hostium.
Tuto nihil quocunq; in hoste spernitur.
Valentior fit hostis negligentia.
Verenda & hosti sunt sepulcra fortium.
Virtutis etiam in hostibus admiratio est.
Virtutem in hoste etiam osculantur adprobi.
Vlciscere hostem, sed tua absq; noxia.
Vocandus hostis nemo Marte desito.

Humanitatis.

¶ APOPHTHEGMATUM SACROR.

Hebed-Melec. Cum audivisset Hebed-melec Ægyptius, vir aulicus qui erat in domo regis Sedeciæ, conjectum esse Jeremiam in lutosam quandam foveam, dixit regi, Mi Domine male fecerunt homines isti in omnibus quæ fecerunt Jeremiæ prophetæ, eo quod conjecerunt eum in istam foveam, &c. *Ierem. 38. 7. &c.*

Theodosius: Quum aliquando Constantinopoli in amphitheatro Theodosius Imperator venationis spectaculum præberet, & populus exclamaret, adversus gravem feram, generosum aliquem periclitatorem, qui cum ea congrederetur, mittendum esse: An nescitis, inquit, nos humanioribus spectaculis delectari solere? & deinceps populum ejusmodi spectaculis uti vetuit. *Niceph. lib. 14. c. 3.*

¶ APOLOGI.

Phædrus Fab. 55. Cicadæ & Noctuæ.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit superbiæ.
Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, solita victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est ut taceret, multo validius
Clamare cœpit. rursus admota prece
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, & verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia non sinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar quod Pallas mihi
Nuper donavit, si non fastidis, vens,
Vna bibamus. illa, quæ ardebat siti,
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. noctua egressa cavo
Trepidantem consectata est, & leto dedit.
Sic vita quod negarat, tribuit mortua.

P. Syrus Mimographus.

Humanitatis optima est certatio.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius 82.
Humanitas.

Dum tua cymba tibi pacata per æquora fertur,
Intenditque tuos aura secunda sinus,
Naufragio ejectis ultro succurrere disce,
Per freta jactatis neve negare manum,
Ante tuo quam te doceat fortuna periclo,
Quam tibi sit pariter nec via tuta mari.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Absque literis sibi ipsi vix placet humanitas
Absq; Musis gratisq; barbara est humanitas.
Aliud est humanitati, aliud est homini satis.
Certus adversum fortunam portus est humanitas.
Deridere quam deflere vitam utique est humanius.
Eruditionis expers nusquam est humanitas.
Esse malim humanus, amplas quam obtinere urbis opes.
Flet quoq; ad punitionem justiorem humanitas.
Heu ubi nunc literarum reppersunda humanitas?
Iam politior reliquit quemq; civem humanitas
Imperitis servitutis pars ferè est humanitas.
Interit male, humanitati qui se non accommodat.
Invenire humanitatem, res in homine uno ardua est.
Mollit corda mansuetudo, indurat corda austeritas.
Mansuetudinis laus summa est, cum ira quā justissima est.
Mansuetudo dulcis est sibi, utilisque cæteris.
Nomine ipso adhuc superstes, reperiit humanitas
Non potest non esse humanus cui favet large Deus.
Quanto ditior quis est, hoc est & inhumanior.
Servitus quod est, putatur barbaris humanitas.
Terminos servire nescit officiosa humanitas.
Tolle humanitatem, homo ipse & universum tollitur.
Versa in ipsam immanitatem tota ferme humanitas.
Vis perire humanitatem? vim fac in scientia.

¶ JAMBICA.

Etiam sua est in bellicis humanitas.
Doctrina ubi est, ibi quoq; est humanitas.
Emollit & crudelitatem humanitas.
Homo sum, humani a me nil alienum puto,
Humani animi character est humanitas.
Humanitas miseratur agentes re in mala.
Humanitas ubi est, ibi homo meminit sui.
Humanitatem tollit qui scientiam.
Humanitas contra Deum, est imanitas.
Humanitati adversatrix crudelitas.
Humanitatis laudem infringit dignitas.
Iam rara in homine quopiam est humanitas
In homine rarum jam bonum est humanitas.
Vel prima virtutum omnium est humanitas.
Virtute parta perpetuat humanitas.
Virtute parta regna humanitas tenet.
Vix invenitur hodie in homine humanitas.

Videantur plura titulo *Clementiæ, Benignitatis, Bonitatis, Misericordiæ.*

Humilitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Naz. ianzenus: Jam quis magis, aut fastum coercuerit, aut humilitatem amavit, eamq; nō ficte ac superficiariè, quemadmodum plerique ex his, qui nunc philosophos se profitentur, atque in speciem sciti & elegantes sunt, stultissimis utique mulierculis haud dissimiles, quæ nativa pulchritudine destitutæ, ad colores confugiunt, atque honeste quodammodo & ornatè tanquam in theatris se ostentant, ob venustatem invenustæ, atque ob fœditatem deformiores. Non enim in veste, sed in animi constantia, humilitas ipsi sita erat, nec colli depressio, aut vocis demissio, aut vultis inclinatio, aut promissa barba, aut capitis ad cutem usque vasi exornatio, aut certus incedendi modus humilitatem effingebat (quæ ut ad breve quoddam tempus exprimi possunt, ita quam celerrime sese produnt: nihil enim simulatum constans ac diuturnum est:) quin potius idem, & vita maxime sublimis, & animo perquam humilis erat: cujusque ad virtutem nemo aspirare poterat, ad ejusdem congressum perfacilis omnibus aditus patebat. Cumque vulgari & usitato vestitus genere, à fastu scilicet ac sordibus æque abhorrens, ratione tamen interni splendoris supra multos assurgebat. Et cum ventris morbum atque inexplebilem aviditatem, ut si quis alius, domaret & comprimeret, ita tamen se gerebat, ut hoc minime facere videretur: alterum, ut se purgaret, alterum ne animo efferretur, rei novitate gloriam captans. Etenim hominis quidem in Republica versantis esse arbitrabatur, dicta factaque sua omnia huc referre, ut gloriam & splendorem apud exteros assequatur, quippe qui præsenti vita nihil beatius esse ducat: spiritualis autem & Christiani, unam tantum salutem ob oculos sibi proponere, atque ea, quæ ad hanc ducant, plurimi facere, quæ autem ad eam nihil adjumenti afferant, ut vilia, nulliusque pretii, aspernari, ob eamque causam, id, quod in aspectum cadit, pro nihilo putare, id autem unum spectare, atque in eo elaborare ut interna optimo & pulcherrimo statu sint: eaque magni æstimare, ex quibus

& ipſe quam optimus futurus ſit, & alios exemplo ſuo ad optima quæque pertracturus. *Orat.* 19.

D Greg. Nyſſenus: Nemo putet nullius negotii rem eſſe, ac facile effici poſſe, ut quis animo humili atq; demiſſo ſit. Imo contra, nihil ex omnibus, quæcunq; per virtutem aguntur & exercentur, æque laborioſum & operoſum atque ejuſmodi res eſt: *ſub finem Orat. 1. de beatitudinibus.*

Baſilius Seleuc. Humilitatis plantam deligamus; cujus fructus cœlum. *Orat.* 28. *fine.*

D. Chryſoſtomus: Adipiſcamur ergo eam quæ per humilitatem paratur magnitudinem. inſpiciamus rerum humanarum naturam: ut futurorum incendamur deſiderio. non poteſt enim aliter fieri humilis, niſi per divinarum rerum deſiderium & præſentium rerum deſpicientiam. Quomodo enim ſi quis regnum ſit aſſecuturus: deinde pro illa purpura ei privatum aliquis quempiam exhibuerit honorem, eum nihili faciet: ita nos quoq; irridebimus præſentia, ſi honorem illum concupierimus. Non videtis pueros quando ludẽtes ſtruxerint aciem, & ordinarint milites, & eos præcedunt præcones & lictores, & puer incedit in medio loco Imperatoris, quam ſint ea quæ fiunt puerilia? Tales ſunt res humanæ iiſq; viliores & abjectiores; ut quæ ſint hodie, cras non ſint. Simus ergo his altiores: neq; eas ſolum non concupiſcamus, ſed etiam pudore afficiamur, ſi quis eas nobis offerat & exhibeat. Ita enim earum expulſo amore, divinum illum amorem habebimus, & gloria fruemur immortali. *ſine Homil. 1. ad Corinth. 1.*

Chryſoſtomus: Quo quis ſe humiliorem fecerit eo magis extollitur. Quomodo enim in aqua, quo magis eam infra detuleris, eo magis in altum effertur, & quo ex majori ſpatio fueris jaculatus, eo magis aſſequeris; ita etiam in humilitate. *Homil 11. ad Epheſ.*

Chryſoſtomus: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Non abſolute quamlibet humilitatem, ſed intentionem quãdam humilitatis ob oculos poſuit, nam quemadmodum in corporibus quod contritum eſt, nunquam ſolido corpori reluctabitur, ſed quotquot gravia patiatur, prius ipſum interibit quam in alterum irruat, ita & in anima: eliget enim potius perpetuo male accepta mortem etiam obire, quam irrumpere & ulciſci. *Homil. 5. ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus. In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Hem quomodo plenum Philoſophię dogma, & ad noſtram ſalutem mirabiliter conducens expoſuit: ſi exiſtimaris, inquit, illum te majorem eſſe, idq; tibi ipſi perſuaſeris; aut potius, ſi non ſolum dixeris, ſed etiam perſuaſionis iſtius plenus, honore quoq; illum fueris proſecutus. Quod ſi tu ipſe honorem tribuas, minimè ſuccenſebis, ſi ipſi ab alio tributum videas. Igitur non tantum exiſtima illum te majorem eſſe, ſed etiam ſuperiorem (voce enim iſta ὑπερέχειν Paulus magnam quandam præſtantiam voluit indicare) & non admiraberis, neq; dolebis, ſi illum in honore eſſe videas: & ſi contumeliam intulerit, generoſe feres: ipſum enim majorem te exiſtimaſti: & ſi convitiis appetierit, non excandeſces; & ſi malefecerit, tacitus feres. quando enim ſemel hoc ſibi anima penitus perſuaſerit, illum eſſe majorem: non impellitur ad iram, ſi ab ipſo male accipiatur; non ad invidiam: iis enim qui valde præſtant, nemo inviderit. Hæc omnia præſtantiæ illius eſſe putat conſequentia. His igitur verbis te docet talem animum ſuſcipere: quod ſi viciſſim ille tanto abs te honore affectus, inquit, eundem erga te animum ſuſceperit, facile jam eſt intelligere, duplici quaſi muro fultam eſſe æquanimitatem & lenitatem. Quamdiu enim uterq; utrunq; honore dignos putatis, nihil unquam accidere moleſti poteſt. Nam ſi hoc vel ab altero dumtaxat præſtitum ſatis eſt ad omnem cõtentionem tollendam: quandocunq; ab utriſq; præſtetur, quis hanc munitionem perrumpet? ne ipſe quidem diabolus triplici enim & quadruplici muro, atq; eo amplius ſulta eſt arx. Omnium enim bonorum cauſa eſt humilitas. *Homil. 5. ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus: Quid animi humilitas eſt? humilia ſentire. humilia autem ſentit; non qui ex neceſſitate eſt humilis; ſed qui ſeipſum humiliat. Planius id exponam. Qui cum magnos ſpiritus ſumere, ac ſublimia ſentire poſſet, humiliter tamen ſentit, hic animo humilis eſt. Quicunque vero idcirco humiliter ſentit, quoniam magnifice non poteſt; is profecto humilis animo non eſt. Imperator, exempli cauſa, ſi legato ſe ſubjiciat, humilis animo eſt; quoniam de ſublimi illo gradu deſcendit: quod ſi idem legatus faciat, non ideo humilis animi officio fungetur. Quomodo enim fungatur, cum non ſe ipſe de ſublimiori gradu demiſerit: Omnino humili iſti ſenſu locus non eſt, ubi poteſtas non adeſt. Non ſi quis etiam invitus neceſſario humiliatur; jam hoc rectum factum non interni ipſius ſenſus ac voluntatis eſt, ſed neceſſitatis. τὸ ταπεινοφρονῶν autem inde dicitur; quod eſt τῷ φρονήματος τὸ ταπεινωσις, id eſt, animi atq; interni ſenſus humiliatio ac demiſſio. Dic mihi, ſi quis, cũ tyrannide ac regno potiri nequeat, privatus manſerit, hunccne tanquam otii ſtudioſum laudabimus? minime. Ergo neq; hoc etiam loco. Laus enim, ô homines hominum in doctiſſimi, non in eo verſatur, quod ab iſtis rebus abſtineatur, ſed in bonis officiis obeundis. Non illud quidem virtuperationis expers eſt; ſed non eo pervenit, ut laudem aſſequatur: hoc autem encomiis & laudationibus dignum eſt. *Homil. 6. ad Philippenſ.*

Chryſoſtomus: Magnam partem homines arbitrantur ſi humiliter ſe geſſerint, forte ut propriam amittant dignitatem, & minoris habeantur, atq; ad humiliorem locum deſcendat. *Hom. 7. ad Philip.*

Chryſoſtomus: Quamobrem nos etiam minimè de ſtatu dignitatis noſtræ dejici exiſtimemus, cum nos ipſos humiliaverimus. Tunc enim potius vere in ſublime ferimur: tunc maxime digni ſumus qui ſuſpiciamur. Quod enim ſublimis ſit humilis, humilis vero ſublimis ſufficit ad finẽ faciendam vel una Chriſti ſententia hoc pronuncians. Verum tamen ipſam quoq; rei naturam perpendamus. quid eſt humiliari? an non vituperari? an non accuſari & calumniis peti? quid vero exaltari? nonne honorari, laudari in magna gloria eſſe? Videamus igitur quomodo ad hæc perveniatur. Angelus erat Satan: ſeipſum exaltavit, quid igitur? nonne omnium maxime eſt humiliatus? nonne ſedes ipſius terra eſt? nonne ab omnibus accuſatur, omniũq; criminationi patet? Homo erat Paulus: humiliavit ſeipſum quid igitur? an non ſuſpicitur? an non laudibus atq; encomiis celebratur? an non Chriſti amicus eſt? an non majora illis edidit, quæ Chriſtus fecerat? an non ſæpe diabolo tanquam mancipio imperavit? an non veluti lictorem circumduxit? an non ludibrio habuit? an non contritum illius caput ſuis ſubjecit pedibus? an non aliis etiam hoc idem magna cum fidentia à Deo precatus eſt?

Quid hæc affero? Extulis ſeipſum Abſalon: dejecit ſeipſum David uter tandem poſitus in excelſo eſt? uter gloria circumfluxit? Quid enim verbis hiſce humilius, quibus beatus hic Propheta erga Semei uſus eſt? cum ita diceret: Dimitte eum, ut maledicat mihi: Dominus enim præcipit ei. Humiliavit ſeipſum publicanus (quanquam ne animi quidem humilitas erat) ſed tamen quam modeſte & verecunde dicebat! Extulit ſeipſum Phariſæus. Sed, ſi libet, omiſſis perſonis res ipſas examinemus. Statuantur duo aliqui, ambo & divitiis & honoribus abundantes; ac tum ſapientiæ tum potentiæ, & cujuſvis alius in mundanis bonis præſtantiæ nomine de ſeipſis magnifice ſentientes. deinde alter quidem honores ab omnibus petat, & niſi accipiat iraſcatur, ac pluſquam opus eſt exigat, ac ſeipſum extollat: alter vero totam rem deſpiciat, nemini hac de cauſa ſuccenſeat, delatumque ſibi honorem repudiet. Uter, dic mihi, major eſt; an qui honorem non accipit, quamvis petat, an qui delatum etiam deſpicit? perſpicue hic qui contemnit: & jure quidem Gloriæ enim conſequendæ, alia ratio non eſt, quam gloriam fugere.

Quam diu enim ipſam perſequimur, fugit nos: cum vero eam fugimus, ipſa nos perſequitur. Si vis in gloria eſſe, gloriam ne concupiſcas: ſi vis celſus eſſe; ne te ipſe in ſublime efferas. Atque alia etiam cauſa eſt; quamobrem homines colant honoris non appetentem, conſectantem vero averſentur. Inſitum enim hoc quodammodo eſt hominum generi, contentionis eſſe cupidum, & cum aliorum deſideriis luctari. Itaque deſpiciamus gloriam: ita enim poterimus humiles fieri, vel potius celſi. Ne teipſum extollas; ut ab alio extollaris. Qui à ſeipſo extollitur, is ab aliis non extollitur: qui ſeipſum dejicit, is ab aliis non dejicitur. Magnum arrogantia malum eſt. Satius eſt ſtolidum eſſe, quam arrogantem. nam ibi quidem ſtultitia ſola mentis infirmitas atque inopia eſt: heic vero ſtultitia deterior eſt, & ſtultitia quidem cum furore conjuncta. Stolidus ſibiipſi nocet: arrogans vero aliorum etiam pernicies eſt. A dementia hic morbus procreatur, fieri minime poteſt, ut quis de ſe magnos ſpiritus ſumat, niſi ſtultus ſit: qui vero valde ſtultus eſt, is arrogans quoque eſt.

Audi ſapientem quendam ita dicentem: Vidi hominem ſapientem ſibi videri: magis vero illam ſpem habet inſipiens. Vides, non me temere dixiſſe, gravius eſſe hoc malum ſtoliditate? Magis enim, inquit, illo ſpem habet inſipiens. Propterea Paulus etiam dicebat, Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. In corporibus, dic mihi, quænam valere dicimus? utrum valde humida, ac multo intus referta flatu, & aqua? an depreſſa, & contractam habentia ſuperficiem? ſine dubio hæc. Ergo & in anima idem evenit: quæ humet, graviorem hydrope morbum habet: quæ vero depreſſa eſt, omni caret perturbatione. Quot igitur bona parit nobis animi humilitas? Quid quæris? nonne hinc illa exiſtunt; malarum rerum eſſe tolerantem, iracundiæ expertem, humanum, ſobrium, attentum, atq; alacrem? Hæc, inquam, omnia bona ab humilitate proficiſcuntur; contraria vero ab arrogantia. *Homil. 7. ad Philipp. 4.*

Chryſoſtomus: Humilitatem animi lucra quidem ferre ingentia cernimus; verum ea non facile invenitur: ſed humilitatem quidem verborum plurimam, & ultra quam ſatis ſit, abſque difficultate reperies; animi vero humilitatem difficillime. *Initio Homil. 3. ad Timoth. 1.*

D. Io. Chryſoſtomus: Eſt ea ars profecto diabolica, ut quemadmodum plures, eo quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inanius: ita & quia ſe humiliaverunt, extolluntur. Verbi gratia: Venit quiſpiam frater, aut etiam ſervus, ſuſcepiſti eum, laviſti pedes, continuo magna ſapere cœpiſti. Feciſti quod nemo, humiliratem conſequutus es. Ea te cogitatio extollit, imo alto potius dejicit. Unde igitur poſſit quis ſolide in humilitate perſire? Si præceptum Domini ſemper animo verſet, quo ait: Quum feceritis omnia, dicite ſervi inutiles ſumus. Et rurſus, ſi orbis magiſtrum dixiſſe meminerit, Ego me non arbitror comprehendiſſe. Ille ſolus humilitatem animi vere conſequutus eſt, qui

ſibiipſi

bi ipſi perſuaſit quantumlibet peregerit, nihil ſe magnum geſſiſſe, qui nec ad finem perveniſſe arbitratur. Complures ex humilitate in ſuperbiam elati ſunt, ſed nos ne, obſecro, id patiamur. Feciſti aliquid humile, noli magnum ſapere, alioquin omnia perdidiſti. Ejuſmodi fuit pharisæus ille elatus, intumuit, quod pauperibus decimas daret, totumque amiſit. Non ſic publicanus ille, qui quoniam ſe humiliter agnoſcebat, juſtificari præ illo meruit. Audi rurſus dicentem Paulum: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Vides quam ſe non extulerit, ſed modis omnibus preſſerit, atque humilior evaſerit, idque quum ad ſupremum virtutis culmen perveniſſet. *Homil. 2. Epiſt. ad Philemonem.*

D. Io. Chryſoſtomus: Humilis es & cunctis abjectior? noli idcirco inflari, neq; exprobres cæteris, ne perdas gloriam tuam: ideo nempe te humilias, ut arrogantiam fugias. ſi per hanc in arrogantiam corruas, melius fuerat non humiliari. *Homil. 2. Epiſtola ad Philemonem.*

Poſtea: Quoties tibi ſubrepit elata cogitatio, quod quaſi humilitatis culmen occupaveris, conſidera quonam unde deſcenderit Dominus tuus, & tunc deſines te ipſum admirari ac laudare: imo te & tua omnia ridere cogeris, cum ex collatione dominicæ humilitatis, nihil te omnino profeciſſe cognoveris, debitorem te ſemper exiſtimans.

D. Io. Chryſoſtomus: Humilis & qui viſione ac phantaſia magna de ſe non apprehendit, fit diligentior & melior, quando charisma de ſe non apprehendit, ſit diligentior & melior, quando charisma acceperit, tanquam qui præter dignitatem accepit, nec ſe exiſtimat eſſe dignum, arbitrans ſe eo nomine obligatum. *Homil. 3. Epiſt. ad Hebræos.*

D. Io. Chryſoſtomus: Multa fecit Deus, ut noſtram amputaret arrogantiam. Et præterea excelſa manus quam multis nos circumdedit caſibus, ut ſublimes & elatos reſecet ſpiritus: quam multis in orbe cinxit beſtiis? Quando enim dicunt aliqui, Quid hoc? Quorſum hoc? hæc dicunt præter id quod Deo videtur. In tanto te ſtatuit metu, & ne ſic quidem de te humiliter ſentis: ſed ſi quando aliquis fauſtus tibi evenerit ſucceſſus, & rem tuam bene geras, ad ipſum vique cœlum elatus tuus pervenit ſpiritus. Propterea celerrimæ fiunt mutationes, converſiones, & caſus: & ne ſic quidem caſtigamur. Propterea frequentes mortes & immaturæ, nos autem tanquam immortales ſuperbe de nobis ſentimus, tamquam nunquam morituri. Ita rapimus, ita in aliorum bona avarè invadimus, tamquam hic ſemper nunquam reddituri rationem. Ita ædificamus tanquam hic ſemper manentes, & neque Dei verbum, quod quotidie in noſtris inſonat auribus, neque res ipſæ erudiunt. Non licet videre diem nec horum in qua non aſſidue videri poſſint multa efferri funera.

Sed fruſtra omnia, nec quidquam ad noſtram pertingit duritiem. Neque in alienis caſibus poſſumus effici meliores, imo vero nolumus. Et ſi ſoli lugemus, tunc contrahimur: & ſi Deus manum remiſerit, rurſus nos manum extollimus. Nemo mente agitat quæ ſunt cœleſtia: nemo deſpicit terrena, nemo ad cœlum aſpicit, ſed ſicut porci proni terram ſpectant, in ventrem inclinati, in cœno volutati: ita etiam multi homines teterrimo cœno ſe inquinantes, non ſentiunt: melius enim eſt immundo luto pollui quam peccatis. Nam qui illo eſt inquinatus, brevi tempore abluitur, & redditur ei ſimilis qui nec ab initio in illam incidit voraginem. Qui autem cecidit in barathrum peccati, accipit inquinamentum quod aqua non mundatur, ſed multo eget tempore perfectaque pœnitentia, lacrymiſq; & planctibus, majoriq; & vehementiori lamentatione quam quæ propter chariſſimos oſtenditur. Nam hæ quidem ſordes ad nos extrinſecus adveniunt: & ideo eas cito deponimus. Ille autem oriũtur intrinſecus: & ideo vix eas abluentes emundamus. *Homilia 12. Epiſt. ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Animo atq; affectu potius quam verbis humilem te præbe, ne in propinquo res habeas quæ ſermones accuſent: verum potius res per verba oſtendas, opera pro ſermonib. habens, ac non contra, per opera ſermones evertens. *lib. 1. Ep. 342.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quandoquidem ingens eſt humilitatis faſtigium, ac contra ingens arrogantiæ ruina, idcirco te moneo, ut illud amplectaris, in hanc autem minime incidas. *lib. 3. Epiſt. 69.*

S. Iſidorus Peluſiota: Equidem ipſe humilitatem ab animo magno & excelſo, ſuperbiam autem à vili & abjecto proficiſci exiſtimo. Atq; hoc confirmant, Deo charus Abraham, & Phariſæus. Etenim ille divino colloquio fruens, terram ſeſe ac cinerem appellabat: hic autem etiam à nemine commotus efferebatur, animumq; arrogantem gerebat, ac ſeipſum univerſo orbi anteferre conabatur. *lib. 3. Epiſt. 188.*

¶ Theologorum Latinorum.

S. Valerianus: Blanda eſt & officioſa ſemper humilitas: in amicitiis grata, in contumeliis otioſa: non extollitur proſperis, non mutatur adverſis: non indicit ſervitium, non extorquet: officio prior ad ſalutandum, tardior ad ſedendum: non ſe ab adulantium grege expectat deduci, non ſe ambitioſe deſiderat ſalutari: non laudis ſtudia poſtulat, non favorem vocis expectat: odit acclamantium choros, quia non ſine verecundia laudatur bona conſcientia. Non requirit voces adulantium, niſi qui ſe laudatione novit indignum. verecundius autem ſemper laudatur amicorum ſtudiis, qui meretur. verum ubi indignitas dominatur, notari actus ſuos æſtimat, ſi illaudatus abſcedat. Circumſpecta eſt humilitas bonitate. ut facere injuriam neſcit, ita à contumelia non requirit. Vir humilis in contentionibus magis vult tacere quam vincere: in judiciis acquieſcit imperitus videri, quam impudens judicari: non in verbis promptus, non ad reſpondendum paratus. Citatus vero & facilis eſt ſuperborum ſermo, plenus contumeliis, & refertus injuriis; nunquam ſine vulnere miſſus, nunquam ſine dolore jaculatus; cujus inſanabilis plaga eſt & irremediabilis macula. Ubi autem pervenerit verborum culpa, mox per ſatisfactionem ſequitur medicina. *Homiliæ 14. fine.*

S Valerianus: Sicut magnum eſt ſemper ſerviſſe melioribus, ita utile eſt & glorioſum humiliori perſonæ reverentiam præſtitiſſe. quia in quantum homo dignitate præditus humiliatur, attollitur. *Homil. 19. ſub finem.*

Ennodius: Præcelſi honorum tuorum apices hæc ſola accipiunt augmenta, quæ de humanitate naſcuntur. *lib. 2. Epiſt. 28.*

Ennodius: Qui faſtum in ſublimitate caſtigat, docet ſe meruiſſe quæ adeptus eſt. *lib. 4. Epiſt. 7. m.*

Ennodius: Cum eminentiſſimos attollat caſtigatio ſua, & honorum plenitudo ſæcularium hoc ſolo artificio patiatur augmenta, conſiderandum eſt quid abjectis detrimenti pariat ſtatus anguſtia non metiti. *lib. 3. Epiſt. 3. a. m.*

Ennodius: Solent inauſpicata felicitate ſuperbarum mentium colla molleſcere, & rigidioris propoſiti novo gaudio ſupercilia temperari. Nam benignitatem ſeminat quidquid votis obſequitur: nec plus aliquid humiliat potiſſimos quam optata ſublimitas. Indicium communionis & obſequii eſt, ad apicem perveniſſe. *lib. 9. Epiſt. 35. pr.*

Ennodius: Chriſti milites ſudore ſuo honorum ſibi incrementa parturiunt, dum conceſſa faſtigia celſiore humilitate caſtigant: inde laudum cumulos mercaturi, unde indepta culmina ſublimi parcitate moderantur. *Apolog. pro Synodo.*

Io. Sarisberienſis: Diſcat rex timere verba Legis, nec elevetur cor ejus in ſuperbiam, ſuper fratres ſuos. Quod præcipue neceſſarium eſt, ſæpius replicat, eo quod humilitas nunquam ſatis videtur commendata principibus, & difficillimum eſt ut gradus honoris tumorẽ non pariat in animo imprudentis. Superbis utiq; reſiſtit Deus & humilibus dat gratiã Proinde rex orat ne veniat ei pes ſuperbiæ, quia in eo ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerunt ſtare. Non utiq; ſuperbiat ſuper fratres; ſed cum fratrum meminerit, fraternum ſubjectis omnibus impendat affectum. Et quidem prudenter humilitatem cum diſcretione & charitate indicit principibus, quia ſine iſtis omnino ſubſiſtere non poteſt principatus. Quiſquis ergo gradum propriæ celſitudinis amat, humilitatis cultum minoribus diligentiſſime teneat Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis ſuæ faſtigio, tumoris pondere cadit.

Obtinet enim perpetuo, quia qui ſe humiliat exaltabitur, & vice verſa, qui ſe exaltat deprimetur. Regem Romanorum nobiliſſimum Tarquinium fecit eſſe ſuperbia, & ei ab humilitate magis neceſſarios ſubſtituit magiſtratus. Deniq; quem ſuperborum legiſti regnare diutius? Eorum namq; qui per ſuperbiam ceciderunt, hiſtoria copioſa eſt. Nec tamen eatenus ſuperbiam vitet, ut incidat in contemptum quia ſicut elatio, ita & abjectio declinanda eſt. Unde & in jure Romano cautum eſt, ut qui jus reddit, ſe quidem in adeundo facilem præbeat, contemni tamen non patiatur. Mandatis quoq; adjicitur, ne Præſides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant, eo quod ex converſatione æquali contemptio naſcitur dignitatis. Veneretur ergo in publico populi majeſtatẽ, & apud ſe privatæ conditionis ſtatum pariter metiatur. Hæc ego magiſtratibus generaliter perſuadenda arbitror, ut in ſplendore publicæ dignitatis memores ſint propriæ conditionis, & ſic attendant propriæ conditionis ſtatum, ut non devenuſtent publicæ dignitatis gradum, ſic etiam collati ſibi honoris integritatem ſervet, ut aliorum non minuat dignitatem: & ſic privata quiſque polleat dignitate, ut non fiat injuria publicæ poteſtati. *lib. 4. Policrat. cap. 7.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Philoſtratus: Non multum abfuit, quo minus Apollonium Græcia tanquam Deum adoraret; propterea maxime illum admirantes, quod ab ea quæ geſſerat, nihil ſupra cæteros elatus videbatur. *lib. 8. cap. 6. fine.*

¶ Poetarvm.

Prudent. Pſycomachia 4.

—— Luxuria, ſultuq; & voce minatur,
Adverſum ſpectans cuneum, quem milite raro
Et paupertinis ad bella coegerat armis
Mens humilis, Regina quidem, ſed egens alieni
Auxilii proprio nec ſat conſiſa paratu.
Spem ſibi collegam conjunxerat, edita cujus
Et ſuſpenſa ab humo eſt Opulentia diſcite regno.

Prudent. Pſycomachia 4.

Et proſtrata in humum, nec libera judice ſeſe
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.

Terentius Hecyræ 3. ſc. 3.

Mater cõſequitur: jam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrimans miſeria: miſeritũ eſt. profecto hoc ſic eſt, ut puto,
Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.

¶ Apologi.

Aphthonius: Cum quercu lis erat arundini, hæc enim admirata ſuum robur, perinſolenter jactat reſiſtere ſe poſſe ventorum furiis imbecillitatis autem accuſabat arundinem, quaſi nulli non vento eſſet morigera: ac vento vehementius inſpirante, hæc quidem radicitus evulſa cecidit, illa vero integra & incolumis, ut quæ flexa vento ceſſerit, remanſit.

Qui tempori cedit, ſervabitur.

¶ Emblematis.

Camerarius. 73. Centur. 1.

Humilibus dat gratiam.

Alta cadunt vitiis, virtutibus infima ſurgunt.
Hoc te mons ſteriliſ, valliſ amœna monet.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Heli Sacerdos: Quum apparuiſſet Deus Samueli, Heli rogavit quid illud fuiſſet. Itaq; Samuel indicavit ei omnes illos ſermones quos à Deo audierat. *Tunc* Heli, *Iehova* (inquit) *eſt, Quod bonum videtur in oculis ſuis faciat.* 1. *Sam.* 3. 18.

David: A filio Abſalomo Hieroſolyma & regno pulſus, cum Sadoc & omnes Levitæ cum eo ferentes arcam fœderis Dei collocaſſent eam, aſcendente etiam Ebjatharo, donec populus tranſiret è civitate, edixit rex Sadoco, *Reduc arcam Dei in civitatem: ſi invenero gratiam in oculis Iehova: utiq; reducet me, & faciet ut revisam ſe & habitaculum ſuum. Quod ſi ita dixerit; Non delector te, ecce me: faciat mihi prout bonum videtur in oculis ſuis.* Ita reverſi ſunt Hieroſolymam cum arca Dei Sadoc & Ebjathar, conſederuntq; ibi. 2. *Sam.* 15. 25. *&c.*

Salomon: Commendatur & benedicitur humilitas à Deo, teſte Salomone, Prov. 3. 34. 35. eſt præferenda honori, Prover. 15. 33.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Quis veſtrum, inquit, habet ſervũ arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro, dicat ſtatim, Prodi, & diſcumbe: Imo nonne dicet ei, Para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi uſque dum edero & bibero: & poſtea edito tu & bibito. Num gratiam habet ſervo illi quia fecit quæ ipſi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos quum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite Servi inutiles ſumus: nam quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* 17. 7. 10.

Theodoretus: Sicut in vita, ita etiam poſt mortem frugalitatis & ſimplicitatis curam gerunt cives cœlorum. neque cum vivunt in animum unquam inducunt ut eis res ulla magnos ſpiritus faciat, & morientes non curant honores hominum: ſed totum amorem in ſponſum transferunt: non ſecus ac pudicæ mulieres quæ à ſolis conjugibus ſtudent & amari & laudari, laudes aliorum contemnentes. Ea de cauſa ſponſus, eos, etiamſi nolint, reddit claros & inſignes, hominumq; gloria ex redundanti quadam copia coronat. Cum enim quis divina perſequens, petit cœleſtia, una cum illis multa quoq; alia Deus adjicit, multiplicatas largiens petitiones. *Theodoret. hiſtor. Sanctorum Patrum, vita* 15.

Flavianus: Romani Pontifices Theodoſium Imperatorem, quod Flavianum Antiochenum epiſcopum pro eorum voluntate non coerceret, multis modis perſtrinxerunt: itaque illi accito Imperator Romanæ profeſſionis ſuſcipiendæ neceſſitatem impoſuit. Ille poſtquam venit Conſtantinopolin Chriſtiana libertate dicendi apud Imperatorem uſus: Siquidem, ô Imperator, inquit, aliqui religionem meam, tanquam minus rectam, aut vitam etiam, velut epiſcopali muneri non convenientem, arguunt & reprehendunt, accuſatores ipſos judices accipio: in ſententia quam illi laturi ſunt, vel invitus, acquieturus. Sin throno & cathedra his eſt, nihil opus eſt judicio. ſtatim namq; cuivis cedam, & me à præſidendi honore longiſſime ſejungam, &c. *Niceph. eccl. hiſt. lib.* 12. *cap.* 24.

Valentinianus Imperator: Cum Divus Ambroſius valde libere apud Imperatorem verba faceret, reſq; nonnullas tanquam minus recte à magiſtratibus adminiſtratas coargueret: reſpondit Valentinianus, Novi jampridem tuam in loquendo libertatem. Qua explorate cognita, non modo non tuæ in epiſcopum ordinationi reſtiti, verum etiam ſuffragatus ſum. Quare ſicut divina præſcribit Lex, noſtrorum animorum erratis medicinam facito. *Theodor. eccl. hiſt. lib.* 4. *cap.* 6.

Carolomannus: Carolomannus rex Francorum: anno ſalutis 746. relicto regno fratri Pipino Romam veniens, monachus factus eſt. Cæterum pertæſus frequentiam ſalutantium, uno ſolo comite clam noctu in montem Caſſinum profectus, homicidii cauſa ſe è Francia pulſum excipi petiit. Suſceptus & culinæ miniſterio addictus, cùm per imperitiam in multis offenderet, à coquo ſemel & iterum colaphis cæſus, hoc unum reſpondit, O frater, condonet tibi Dominus, & Carolomannus. Quum tertio cæderetur ab impotente coquo, comes ejus arrepto piſtillo coquum atrociter percuſſit, inquiens, At tibi, nequam, neq; Deus, neque Carolomannus parcat, qui virum te multo meliorem & nobiliorem tam indignis modis exceperis cauſam tantæ audaciæ è vinculis dicere juſſus, Carolomannum prodidit. Monachi ergo omnes agmine facto Carolomannum adeunt, genibus ejus advoluti veniam deprecantur. At ille viciſſim ſerio rogare, ne mendaci crederent. Sed tandem certioribus indiciis cognitus, in ſumma apud omnes veneratione fuit. *Rhegino libro ſecundo.*

Anonymus: Romanus quidam Imperator, cum in monaſterio, quo à filiis regnandi cupiditate ardentibus detruſus erat, à monachis, quod domum verteret, redargueretur, reſpondiſſe fertur: Luculentius regnat, qui ſervorum Dei humilitatibus deſeruit, quam qui potentibus mundi peccatoribus imperat. *Luitprandus lib.* 5, *cap.* 11.

Anonymus: Melior eſt infirmitatis conſcientia, virtutum vanitate. Deo enim in humilitate ſerviendum, non in ſignis & virtutibus gloriandum. *S. Severus dial.* 1.

D. Bernardus: Reliquos monachos humilitatem docuit, ut quanvis nihil ſibi eſſent conſcii, tamen non propterea ſeſe juſtos exiſtimarent. Deum enim ipſum judicare eos quos juſtificat, & perfectiſſimum quemq; diſtrictum divini judicii examen ignorare. Eodem modo addidit: Sub timore Dei ſic ſtate, ut nec vos quempiam judicantes aliquando extollamini, nec aliorum curantes judicia excidatis in nugas: ſingula vero proſequentes, vos ſervos inutiles reputetis *Auctor vita.*

Villegiſus I. Vangionum Archiepiſcopus: Is Elector Imperii plauſtrarii fabri filius, ut ſuorum natalium humilitatem ſemper ob oculos haberet, paſſim per omnia ædium ſuarum conclavia rotas depingi & affigi curavit; ſæpe illud repetens, Villegiſe, quis ſis, quis fueris, memento. *Naucl. & Bruſchius de epiſcopatibus.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Ieſus Chriſtus: Exempla etiam eorum percurramus, qui à jactantiæ vitio remoti, virtutum omnium alumnam, veramq; cuſtodem, toto conatu ſectati ſunt, qui tanto majores in conſpectu Dei apparuere, quanto ſe apud homines reputarunt minores. Ut autem Salvatoris noſtri ſummam humilitatem taceamus, certe præclara ejuſdem de hac virtute dicta judiciaq; nullatenus erunt prætereunda. Cum perſoluto ſtatere, à diſcipulis inquireret, quanam de re inter ſe altercarentur? accedentes rogabant: Quis putas major eſt in regno cœlorum? & advocans Ieſus parvulum (quem alii fuiſſe Ignatium Epiſc. Antiochenum exiſtimant; alii verius Marcellum Pont.) ſtatuit eum in medio eorum, dicens: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis*, ſcilicet ab hac ſtulta contentione & ambitione, *& efficiamini ſicut parvuli*, nempe quoad ſinceritatem, qua alter ſe alteri non præfert: *non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumq; ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte*, videlicet humiliter de ſe ſenſerit per virtutem, ut ille per ætatem, *hic major eſt in regno cœlorum* Hinc præclare Ambroſ. Quiſquis cupit divinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur. *Matt. cap.* 18.

S. Hilarius: Miræ humilitatis vir. Venerat revocatus ad Synodũ, Leonis papæ auctoritate coactam, ſed tardius quam oportuerat: vetuit Leo ne quis aſſurgeret venienti. Ille conſpicatus ſibi locum non dari inter Epiſcopos, nihil moleſte ferens, humi reſedit; inquiens. *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Herm. Gigas.

S. Franciſcus: Ille etiam hanc virtutum omnium altricem mirifice coluit. cum namque menſæ accumberet, & qui ex ordine refectionis tempore legebat, de Virginis Deiparæ anguſtiis quædam in medium proferret, continuo aſſurrexiſſe dicitur, ac humi provolutus, dixiſſe: *Numquid ego peccator ad menſam ſedere debeam, cum Dei genitrici in diverſorio locus denegatus fuerit?* Marulus lib. 1. Exempl. cap. 8.

Fr Ægidius Comes S. Franciſci: At quanta humilitatis vis ſit & efficacia, non minus pie quam acute Fr. Ægidius hoc ſimili explicavit: *Humilitas*, inquiebat, *mihi fulminis inſtar eſſe videtur, quod ferit quidem, ſed nulla poſt ſe ſui veſtigia relinquit.* Ita ſane Humilitas omne peccatum non odit ſolum, verum etiam diſſipat, & tamen ut homo in oculis ſuis nihil ſit, efficit. Libet hic attexere, quomodo humilitatis vim complexus ſit Jac. Billius in Antholog. ſacra; ubi ait:

O Deus! ô quantis vita eſt humana periclis
Subdita! quis tali vitet ab hoſte necem?
Quoquo oculos verto, ſubeunt diſcrimina mille,
Tenſa anima cerno retia mille mea.
O Deus! ecquiſquam fugiet tot retia? Vano
Mens ea qua faſtu libera ſemper erit.

Surius tom. 7. in vita. Th. Staplut. Dom. IV. Advent. in Prompt. Morali.

S. Hugo Lincolnien. Epiſc. Admirabatur ſummam ejus humilitatem Guilielmus Lincolnienſium Cancellarius: ac dubitare cœpit, num qua mẽtem ejuſdem attigiſſet elatio. dixitq;: Domine, S. Martinus leproſum oſculo ſanavit; cur & tu leproſos quos oſcularis, nõ ſanas? cui incunctanter ille: *Oſculum Martini leproſum ſanavit, oſculum autem leproſi animam meam ſanat.* Illa eſt vera humilitas, ait in moralibus Gregorius, qua quis de ſe parva æſtimat, & bona alterius ſine livore commendat. *Sur. tom. 6. in vita.*

S. Gregorius Magnus: Quid tantopere priores illos miramur? Ipſe Gregorius ad ſupremum honoris apicem præter voluntatem evectus, & dictis & factis in tanta dignitate humilitatem ſervavit maximam, ita ut aliis de ſe præclara teſtimonia ferentibus diceret ſcriberetque: *Ego nihil ſum aliud, quam ſervus ſervorum Dei.* Quo nomenclaturæ titulo deinceps gaviſi ſummi Pontifices. *Ioan. Diac. lib.* 2. *cap.* 1. *Marul. lib.* 1. *cap.* 5.

B. Ignatius Loiola: Et ille ſumma ſpectantibus, ab imis ſuadebat incipiendum: neve altum ſaperent, ſed humilitate ſibi viam ad excelſa munirent. dicebat autem; *Tum demum ædificium ſtare poterit,*

potavit, si humilitatis fuerit fundamento constitutum. Ribadin. lib. 5. vitæ ejus, cap. 3.

Franciscus Borgia. Hic quoq; virtutum omnium & humilitatis potissimum cultor, quo die Hebdomadis majoris Christum discipulorum pedes abluentem Ecclesia recolit, ad Tyrones verba faciens; *Nullum*, inquiebat, *in mundo locum reperi. Sextum enim jam annum ad Iudæ pedes illum mihi fingebam; nunc dum Christum attente considero iŭ advolutum, lavare, tergere, osculari, nullū mihi inde expulso relictum video locum.* Idem lib. 4. cap. 11.

Idem: Quin & de eodem meminit præfatus auctor, quod, cum in Præpositum generalem adscitus esset, electores collegas suos obnixe rogarit, se orationibus & consilio juvarent; *Iumentum* inquiens, *factus sum apud vos. Si oneri ferendo par non sit, onus cum clitellis tollitur. Idem vos facite, imperium tollite, si tanto oneri impar videar.* Ibid. lib. 3. c. 1.

S. Maria Mater Dei: Nunc ancillarum Christi humilitatem referamus: eo enim nomine se dignam dumtaxat reputabat DEI GENETRIX. ab Archangelo namque salutata, & Altissimi mater nūcupata, nullatenus eo titulo elata fuit; sed innatam humilitatem professa, *Ecce* inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. cap. 1.

S. Paula: Graccharum hæc stirpe nobilis, humilitate nobilior; cū omnibus propter Christum exuta, hominum tamen aculeos evadere non potest, seque stultam à pluribus reputari intelligeret, in hāc vocem erupit: *Theatrum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. nos stulti propter Christum. sed stultam Dei sapientia est hominibus.* Marcul. lib. 5. cap. 2.

Romanus Imperator: Neque fuit ab hac virtute alienus ROMANUS. qui cum in cœnobio, in quod à filiis dominandi libidine accensis fuerat detrusus, argueretur à fratribus quod domum mundaret, respondisse fertur: *Luculentius regnat, qui servorum Dei humilitatibus deservit, quam qui potentibus mundi peccatoribus imperat.* Bene in eumdem fere sensum Horatius:

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas: & uterq; Panus
Serviat uni.

Luitprandus lib. 5. cap. 1.

Carolus V. Imp: Sed & invictissimi Cæsaris nostri insigne ad humilitatem documentum est. Postremo ejusdem ex Germania recessu, cum Ulissinge ventos navigationi propitios expectaret, factū, ut cum Seldio Ferdinandi fratris Legato in seram noctem de rebus seriis ageret. Jam & nox & lumina somnum postulabant: signoque nolâ dato, nullo è ministris somno vinoque sepultis accurente ipse CAROLUS candelam arripit, Seldio quovismodo renitenti præfert: eique per gradus ad quietis locum deducto; *Hoc tibi monumentum*, ait, *Cæsaru illius* CAROLI *habeto Seldi, tot exercitibus & satellitibus quondam stipati. quem nunc solum, & a familia etiam desertum vides, & cui tot annis servivisti, ille tibi servit, & lumen pratulit.* Quid hoc Principe humilius? quid modestius? Sane

—— quo fortuna altius
Exuit ac levavit humanas opes,
Hoc se supprimere magis felicem decet.

Cythr. Orat. de Carolo V.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Altior quanto quis est hoc se gerat submissius.
Altior virtute quo quis, hoc animo est submissior.
Altius quo fors levavit, hoc magis te supprimas.
Cum submissione summa. summa item est sublimitas.
Hoc humilis solum est superbus; spernit omnem gloriam
Humilitas animi est ingentis, parvuli superbia est.
Humilitas in paupere grata, gloriosa in divite est.
Humilitas verborum ubiq; est; animi nusquam obvia est.
Invident multi speciosis, qui parent humilimis.
Maxime omnium est abjectus qui nimis sibi arrogat.
Mens humilis calum penetrat, mens superba plumbea est.
Non statim ut cui flexa cervix, animus illi flectitur.
Nunquam humilis cadit, custq; quippe semper subjacet
Omnium humilitas bonorum est alumna, imo parens.
Quæ gerit sese minorem gens Deo, hoc ipso imperat.
Se quis honeste ei submittit, cui fortuna subjacet.
Turpior superbia est sub humilitate qua latet.
Vita merito magni simus, humilitate at infimi.
Voce multa, mente nulla, rara vel submissio est.

¶ IAMBICA.

Anteambulo submissionis gloria est.
Est humilitatis dissimulare cognita.
Magni atq; humiles, ut res se dant, omnes sumus.
Nil humilitate fucata superbius.
Nunquam cadet qui semper est sub omnibus.
Nunquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.
Potentem humilis suspiciat, nec tamen tremat.
Qui deprimit se, altissimo sit altior.
Sola humilitate fas invidiam vincere est.
Sublimat omnis humilitas altitudinem.
Submissione conteras superbiam.
Submissione livor una vincitur
Tota humilitas nostra est, seipsum cognoscere.

Humilis Sui Æstimatio.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

S. *Ioannes Baptista.* Subjiciamus magnæ huic virtuti suum effectum, qui est contemptus sui. Humilis enim hoc solo superbus (ut habet Bernardus Serm. 16. in Cant.) quod laudes cōtemnit. Ita Dominici adventus præcursor & prænuntius, cum bene admodum & præclare apud omnes audiret, & Judæi mitterent Hierosolymis Levitas, qui prædicationis ejus excellentia permoti, scisciterentur quis esset, tamen neque se Christum, neque Eliam, aut unum e Prophetis confidens, ajebat: *Ego vox clamantis in deserto.* Cumque instarent illi, quanam potestate baptizaret, protestatus suum baptisma non esse tantæ excellentiæ, ac futurum erat illud novæ Legis à Christo instituendum; subjiciebat: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Joan. capite. 1. Mat. c. 3. Luc. cap. 3.

Centurio Evangelicus: Quis illius humilitatem pro merito admiretur, quam ipse Salvator noster tantopere admiratus perhibetur? miserat quippe ad eum amicos, seniores Judeorum, qui super infirmitate filii deprecarentur. per quos etiam dicenti Domino, Veniam & curabo eum, ipse responderi jussit: *Domine noli vexari non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te; sed dic verbo, & sanabitur puer meus.* Luc. cap. 7. Matth. c. 8.

S. Petrus Apostolus: Ille quoque conspicatus se ad Domini præceptum concludisse multitudinem piscium copiosam; procidens ad genua ejusdem, ajebat: *Exi a me, quia homo peccator sum Domine.* Luc. cap. 5.

S. Franciscus: Quid de isto dicemus? quem, dum rogabatur quā de se ipso opinionem conciperet, respondisse tradunt; *Maximi peccatoris.* inferentique alteri, tua ipsum conscientia id asserere non posse, inquit: *Si quantumcunq; sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo me gratior exstitisset.* Sur. tom. 5. in vita, & Bonavent. cap. 5.

Ægidius Comes S. Francisci: Huic id unum curæ, sui magistri prævis insistere vestigiis. Rogabatur aliquando, Quidnam agis pater? ille: *Vix quidquam, nisi malum.* at Quo pacto, ait alter, cum sis Minorita? quem iterato compellans ÆGIDIUS, *Vter*, inquit, *paratior est: Deume ad dandam, an homo ad percipiendam gratia?* Dicente illo, Deus proculdubio ad dandam. *Ergo*, subintulit, *vidē, me vera dixisse, male me facere, qui Dei gratiam etiam paratam, non semper recipiam; nec in ea, uti par est, ambulem.* Sur. in vita tom. 7.

S. Ludovicus Episc. Tolos: Utebatur religioso quodam consultore LUDOVICUS TOLOSANUS ANTISTES, priusquam sacro ordine & habitu S. Francisci esset initiatus: dumque mature cum eo deliberaret, & humilitatis sibi vestigia præfigeret, tandem ita orsus: *Scio nihil tam gratum Deo, quam si vita merito magni, tamen nō magni, sed humilitate infimi videamur: cum tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum est vilior sibi.* Ex Vita ejusd. cap. 11. impressa apud I. Moretum.

Sylvanus Episc. Trojanus: Erat hic vir sanctissimus, qui admirāda à Deo orationis virtute impetraverat. Et ecce importunè eum sollicitant incolæ, ut navem onerariam, quæ immobilis permanebat, in mare suis precibus deduceret. Ille humili vultu voceque, quasi indignabundus, *Absit*, inquit, *a me, qui peccator sum. istud postuletis: neq; enim id attentare est mearum virium, sed justi alicujus.* Ita humiliter de se sentiunt veri Dei ministri, quo inanis gloriæ inquietos stimulos evadant. *Tipart. histor. lib. 12. cap. 8.*

Franciscus Borgia: Priores illos minus admirabitur, qui mentē oculosque in BORGIAM conjecerit. Venerat de via fessus, & hospitium extra opidum subire compellitur, ac in illo stramineū thorum accubat cum eo Bustamantius, qui tota nocte imprudens emisso phlegmate (laborabat enim tussi) collegam fædabat primo diluculo, comperto quod res erat, veniam precatur. Cui humilis pater: *Non est quod ea ex re labores: nec enim dignior usquam me locus sputo aspergi aut fœdari potuit.* in vita ejusd. lib. 4. c. 5.

Idem: Acceperat impostorem quemdam triremibus addictum, quod se Franciscum Borgiam simulasset, jactasseque. quo intellecto; *Si*, ait, *triremibus addicitur, qui meum nomen sibi vendicat; quid de me fieri par est, qui non inane nomen porto peccatori?* Ibidem cap. 1.

Hyemis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECOR.

D *Greg. Nyssenus*: Hyeme & quæ germinarant, marcescunt, & arborum pulchritudo, quæ naturaliter suam venustatem ac decorem accipit à foliis & miscetur terræ: musicarum avium silet concentus, fugit luscinia, torquet hirundo, à nido peregrinatus

grinantur turtur, imitantur omnia triſtitiam mortis: interit germē, moritur herba; & quomodo oſſa ſeparata à carnibus, ita rami nudati foliis deforme evadunt ſpectaculum, pro ſpecie & decore quæ aderat ex germinibus. Quid attinet enumerare quæ in mari hieme accidunt, quemadmodum ab imo everſum & tumefactum ſcopulos amitatur & montes, in tectam figuram inſtar verticis aqua faſtigiata? quemadmodum in terram irruit, non ſecus atque hoſtis erūpens ultra fines ſuæ habitationis, & frequentiam undarum ictibus, tanquam aliquibus machinarum inſultibus, ipſam quatiens. *Homilia 5 in Cant. Canticorum.*

D. Greg. Nyſſenus: Quis vobis huc veniendi adeò ſeriam & quaſi præſtitutam neceſſitatem impoſuit? hocque tempore hiemis, quo & a bello quies eſt, & miles armaturam amovet, & nauta gubernaculum ſupra fumum ponit, & agricola aratores boves in præſepio curans quieſcit? *Initio Orationis in laudem Martyris Theodori.*

D. Baſilius Simpro. Quemadmodum reliqua ſuo tempore ſingula vigent atque matureſcunt, vere, flores: æſtate, ſpicæ: autumno, poma: Sic hyemis fructus ſunt orationes & literæ.

D. Baſilius: Ego vero ò Libani ut effuſiſſimum tibi riſum moveam, ſub cortina nivium deliteſcens, hanc epiſtolam exaravi, quam ſi tibi redditam attigeris cognoſces, frigidulam eaque oſtendet autorem in latibulis perſeverantem neque extra ædes audentem pedē proferre. Nam ut ſepulchris ita domibus utuntur, donec ver accedat, & mortuos nos ad vitam reducat, atque ut eſſe poſſimus, tanquam plantis largiatur.

¶ Monosticha Trochaica.

Bruma quanta eſt, bella ceſſant, ſuntq; ferta maris
Horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur nives.
Informes hiems reducit ſummovetq; Iupiter.
Non viget hieme ulla claſſis, torquet & exercitus
Vix exercitum hieme ſæva retineas ſub pellibus.

¶ Jambica.

Bellare cogit & bruma neceſſitas.
Brumalium caduca florum gratia eſt.
Etiam cibos hyemi ipſa animalia præparant.
Etiam ſua ſæva eſt hiems victoriæ.
Hiems domando militi una ſufficit.
Hiems ſit ubi Auſter acerſi vult Notum.
Hiems ſatis Aquilonia utiliſſima.
Hieme requiſcere ſæva bellorum ſolent.
Perſæpe hiems nocet plus quam hoſtis militi.
Rebus gerendis maximè aſpera eſt hiems.
Rigente bruma commode bellum haud geras.
Vigente bruma ventilabrum fabrica.
Vrbs obſideri vix poteſt, ubi eſt hiems.
Vrbem obſidere miles per brumam nequit.

Hypocriſis,

¶ Sententiæ Patrum Latinorum.

Zeno: Hypocrita dicitur, qui in theatro perſona vultui ſuperimpoſita, cum alius ſit, alius eſſe ſimulatur. verbi cauſa: interdum regis perſona utitur, cum ſit ipſe plebejus: aut etiam domini, cum forte ipſe ſit ſervus. Ita ergo in hac vita quam plurimi hominum, tanquam in theatro ſimulatis perſonis utuntur, & fictis: & cū ſint intrinſecus aliud, aliud ſe eſſe hominibus oſtendunt. *Serm. de jejunio.*

Chryſologus: Hypocriſis ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus: tinea ſanctitatis. Adverſa omnia nituntur viribus ſuis, armis ſuis pugnant palam: unde & caventur tam facile, quam videntur. Hypocriſis ſecura ſimulat, fallit proſpera, curioſa mentiūtur: & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, miſericordiā miſeratione proſternit. Hypocriſis cognata febris frigido populo propinat ardorem. Quod corporibus eſt hydrops: hypocriſis, animabus: hoc eſt hydrops bibendo ſitit, hypocriſis inebriata ſitit. *Sermone 7.*

Ibidem: Hypocrita: ſit licet tibi facies inculta, neglecta cutis: triſtis vultus: exterminatus aſpectus: nec ab hominibus inveniſti laudem: & apud Deum fructum jejunii perdidiſti. Hypocrita: elaboraſti jejuniis: ut labor tibi jejunii non prodeſſet. Hypocrita abſtinentiæ fluctus intraſti: continentiæ concendiſti jejunii pelagus: & in ipſo portu jejunii naufragaſti: quia comparaſti lucram: ſed mercatus es vanitatem: qui de Dei credito humanum negotium perfeciſti. Hinc eſt quod Deo redditurus es rationem: quæ ab hominibus percepiſti miſere fraudis uſuram. Fratres fugiendum eſt virus: peſtilentia cavenda: quæ de remediis creat morbos: conficit de medicina lāguorem: ſanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione diſcrimen. Hipocriſin qui fugerit, vincit: qui incurrerit, cadit. Fugiamus hypocriſim, fugiamus fratres ſit noſtrum de ſimplicitate jejunium, de innocentia ſit ſanctum, de puritate purum, de ſyncritate ſyncerum, ſit hominibus occultum, ignorum diabolo, Deo notum. Theſaurum qui non abſcondit, prodit: virtutes proditæ non manebunt. virtutes ſicut proditores ſuos deſerunt: ſic ſuos inſtant cuſtodire cuſtodes.

Chryſologus: Agricola ſi non inpreſſerit cultrum: ſi ſulcum non defoderit: ſi non exciderit ſentes: ſi gramina non evulſerit, ſi intuto ſemina non locarit, ſibi mentitur, non terræ, nec terræ, facit damnum, ſed ſibi non facit fructum, & ita ſe vacuat, ita decipit, impugnat ira, qui terræ manu fallaci mentitur. Quid faciet? quid habebit? quid inveniet? qui deo, eſuriente carne, hypocriſi luxuriante mentitur? *Sermone 7. anteſinem.*

Ennodius: Nemo cautius malus eſt quam qui abſconditur ſub appellatione pietatis. Tutum eſt iniquitatis exercitium, quod honeſtatis tegitur indumento. *Dictione 14 pr.*

Io. Sarisberienſis: In clericis omnibus & fideles inveniuntur & reprobi; neq; id religionis aut profeſſionis veritas deformatur. quæ enim profeſſio eſt. aut quæ legitur unquam fuiſſe ſocietas, in quam macula non irrepſerit? Angelum apoſtatam leginus, in primis fratribus parricidium, prophetam reprobum, Apoſtolum proditorem, diſcipulos Chriſti per dos; nec tamen corrumpitur puritas perſiſtētium Angelorum, aut minus ſancta eſt ſocietas invicem diligentiū fratrum, aut prophetiæ gratia in electis culpabilis, aut apoſtolatus in fidelibus contemptibilis, aut diſciplina Chriſti per varios errores aberrantium eſt infamis. Sicut ergo Satanæ angelus transfigurat ſe in Angelum lucis, & pſeudoapoſtoli ad auctoritatem apoſtolicam aſpirabant potius quam ad vitam: ſic & hypocritæ ad ſupercilium Phariſæorum confugiunt, dilatantes phylacteria, & magnificantes fimbrias; & quæ in lege Dei ſcripta ſunt nolunt contingere digito, niſi ut videantur ab hominibus, à quibus honoris aut ulterius remunerationis mercedem expectant. Inde eſt quod facie pallorem oſtētant, profunda ab uſu trahunt ſuſpiria, artificioſis & obſequentibus lacrimis ſubito inundantur, ob ſtipo capite, luminibus intercluſis, coma brevi, capite fere raſo, voce demiſſa, labiis & oratione mobilibus, inceſſu tranquillo, & quaſi greſſu quadam proportione compoſiti, pannoſi, obſiti, ſordes veſtium & affectatam vendicant vilitatem, ut eo facilius aſcendant, quo ſe ſtudioſius videntur in locū noviſſimum dejeciſſe, & qui ſponte ſua decreſcunt, creſcere compellantur inviti.

Hi ſunt qui, ſi quid maculæ inhæſit Eccleſiæ dum peregrinatur, publicis aſpectibus detegunt, ut ipſi ab omni macula habeantur immunes. hi ſunt qui beneficia quæ nec dum ſanctis collata ſunt, prædicant auferenda. hi ſunt qui poteſtatibus perſuadent, ut propter vitia perſonarum jure ſuo priventur Eccleſiæ: decimationes & primitias eccleſiis ſubtrahunt, eccleſias ipſas accipiunt de manu Laicorum Epiſcopis inconſultis. hi ſunt qui prædia avita ſubtrahentes indignis, vicos & pagos redigunt in ſolitudinem, & in ſuos uſus vicina quæque convertunt. Eccleſias diruunt, aut in uſus revocant ſeculares quæ domus orationis fuerat, aut efficitur ſtabulum pecoris, aut opilionis, aut lanificii officina.

Et quidem majora impune faciunt, & quaſi cornibus geminæ poteſtatis, Eccleſiam in cujus ſinu quieſcunt, & proteguntur umbra, ventilare non ceſſant. Ad Eccleſiam namq; Romanam confugiunt, quæ mater pietatis, religioni conſuevit providere quietem. implorant opem ejus, protectionis impetrant clipeum, nec cujuſquam poſſint malignitate vexari? & ut ſe poſſint plenius exhibere, & charitatis implere manus, ne decimas dent, Apoſtolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo ſibi plura impune liceant, à jurisdictione omnium eccleſiarum ſe ipſos eximunt, & efficiuntur Romanæ eccleſiæ filii ſpirituales, ita tamen ut pro foro rei ubique conveniant, ſed tamen conveniri non poſſint niſi Romæ vel Hieroſolymis. deinde ſæcularium implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur, fiuntque mediatores Dei & hominum, & eos qui venia indigent ſuis aggregant ſocietatibus, confeſſiones excipiunt & claves Eccleſiæ uſurpantes aut ſurripientes Petro, ligare præſumunt aut ſolvere; & Domino prohibente falcem mittunt in meſſem alienam.

Potentiores tamen & ditiores, favore vel mercede recepta faciliūs exorant, & præcatis alienis humeros ſupponentes, jubent abire in tunicas & veſtes pellas, quidquid illi ſe commiſiſſe deplorāt, Amplificant miſericordiam Domini, qui neminem vult perire; quam ſicut apertum & patentē pœnitentibus, ſic ſolis deſperantibus præcluſam eſſe pronunciant, indulgent interim his, criminibus ardentius & tenacius involvuntur, peccare in ſpe, dum tamen ſibi in redemptionem eorum aliquid prærogent, & audacter promittunt veniam; eo quod ſicut aqua ignem, ita eleemoſyna peccatum extinguit. Pœnitentia quoque nunquam ſera eſt, ſi tamen vera. conſentiunt ergo moribus iniquis & popularem provocantes affectionem, allentationibus obturant aures hominum, ne increpationes audiant prælatorum.

Adhuc rumuſculos inquirunt, tumultibus gaudent, diſſidentium ſecreta explorant, & eadem nunc ad amicos perferunt, nunc ad hoſtes, utriſque graci, utriſque perfidi. magis tamen ad iſta videntur idonei, quia ab imagine religionis minus habentur ſuſpecti. Quid in pallatio, quid in foro, quid in agris expediat, quid in caſtris, ſoli creduntur noſſe; quia univerſa hæc præ ceteris videntur curare qui iſtis jugiter immiſcentur. Si conveniāt patres in curia, cives in foro, milites in expeditione; ſi deniq; cōcilium aut ſynodus convocetur, præcipuam ſedium partem præoccupat umbratilis iſta religio clauſtrorū fracta credas repagula, exhauſta prochia vel xenodochia, & à locis venerabilibus examinata conviventium evolaſſe: adeo quidem ſe religionis ſpecies turbis & publicis aſpectibus ingerit.

Primas

Primas cathedras, recubitus primos, primas salutationes usurpant, & si eas differas, vehementissime indignantur. Si eis obloqueris, religionis inimicus. & veritatis diceris impugnator. Feras igitur patienter si injurias & damna intulerint, qui licentiam omnium Apostolica & regia auctoritate obtinuisse videntur. nam & hoc meritis eorum deberi creditur.

Sane qui resistit potestati; Dei ordinationi resistit; neque ego Apostolicæ majestati & regiæ arbitror obluctandum: miror tamen, quidnam sit, quod decimas & jura aliena, usurpare non erubescunt. Inquient forte, religiosi sumus.

Plane decimas solvere religionis pars est, & eas adeo populus dūtaxat religionis exigit. at qui eas exigunt irreligiosi sunt. vos autem quis constituit judices super eos. aut qui estis, ut exerceatis judiciū in servos alienos. unusquisque sub domino stat aut cadit. Stabunt autem Sumus, inquiunt, tuti Apostolico privilegio. Cur beneficio de nutrimentis animalium & laboribus nostris decimas retinemus. Nempe Apostolicis omnia licent! sed omnia ab Apostolicis fieri nequaquam expedit. Esto quod illi vobis hoc licenter concesserint, vos an recte petieritis, videatis. Nempe qui petit, ut quod debet nō faciat, justitiæ spotaneus non obedit &c. *cap.* 21. *Policratici libro septimo.*

Io. Sarisberiensis: Licet populi temeritas, ut licentia potestatum, præceptis legitimis, & divina institutione reprimi possis, ambitio tamen do nari non potest. Si enim in manifesto non audet, clanculo sperait, & fraudulenter ingreditur. Si fores Ecclesiæ muneribus non aperiat, si nec sua, nec aliena violentia referantur, confugit ad artes fallaciæ suæ, omnia quæ libertatem impugnant, quæ doctorum statuta convellunt, & quæ religioni contraria sunt. tota libertate spiritus detestatur. Simonem, ut simplices & credulos circumveniat, miraberis rediisse. Simulat & dissimulat, &

astutam gerit sub pectore vulpem,

Stoico quo is liberior est, Catone rigidior. Est quoq; interdum simplicior, Paulo doctore gentiū solicitior, ferventior Petro; & ei vivere Christus est, & mori lucrū: nec gloriatur in aliquo, nisi in cruce Christi, quā jugiter portat in corpore, ut spiritus salvus sit, dissolvi duntaxat cupiens, & esse cum Christo. Mortificat ergo carnem cum vitiis & concupiscentiis; & non sicut ceteri hominum, cum hominibus degens, vitam agit Angelicam, & in cælestibus conversatur. Jejunant hi continuè, sine intermissione orant, clare tamen, & ut audiat hospes, asperis & sordidis vestibus induuntur, & populum increpant. Arguunt clerum, de moribus corrigendis sollicitant principatus & potestates, testimonium sibi acquirentes justitiæ, si vitæ detrahant alienæ.

Ut vero fraus sub honestatis specie convalescat, laudabilium virorum collegia expetunt, arduas subeunt professiones, ostentant difficilia, & familiarius sibi propitii, possibilia & quæ humaniora sunt, exequntur. Sic ergo Basilii, Benedicti, Augustini, aut si parum est, Apostolorum & prophetarum fatentur successores; vestes Carthusiensium, Cisterciensium, Cluniacensium, induunt, & qui dignātur esse canonici, gloriantur in lancis tunicis, & pellibus agninis. Veniunt enim in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: sed, ut ait Dominus, evidentissime cognoscuntur à fructibus suis. Non tamen à fraude istorum, religionis veræ diminuitur gloria. Nam indubitanter omnibus constat, quia nomina quæ profitentur, & quorū pollicentur officia, honestissima & fidelissima sunt. Nam religio in his adeo vera, adeo probata cōsistit, ut nullius reprehensionis aculeos reformidet. *lib.* 7. *nug. Cural. cap.* 21.

Io. Sarisberiensis: Ea quæ alias meritum virtutis habent & fructum, dum inanis gloriæ causa fiunt, inutilia sunt auctori. Justus enim remunerator hypocritas spernit, & solius veritatis in bono cultū acceptat; cujus oculi nullo fuco, nulla malitia perstringi possunt; quia videt in abditis, & cordium profunda scrutatur. species discernit à rebus,

Ne qua subarato mendosum tinniat auro,

unde & hypocrisis nomen accepit, quæ quidem Epicureorum indubitata species est. *fine capitis* 22. *lib.* 7. *nugar. Curial.*

¶ Apophthegm. Sacror.

Samuel: Saul divinitus jussus Hamalekitas penitus excindere, ducto in eos exercitu, lenius quam pro mandato cum eis agit, deinde reversus cum præda Gilgalem, Samueli occurrenti, benedictus inquit, esto Jehovæ, præstiti verbum Jehovæ. Cui Samuel, Quid ergo sibi vult vox pecudum istarum in auribus meis, & vox ista armentorum quam ego audio? Refutatis deinde Saulis cavillationibus, & ostensa Dei benignitate subjecit, *An delectatur Iehova holocaustis & sacrificiis, ut cum auscultatur voci Iehovæ? ecce auscultare est melius sacrificio: attendere, adipe arietum. Quin sicut peccatum divinationis est rebellio, & sicut superstitio & idolum est repugnantia: quia sprevisti verbum Iehovæ sprevit simil ter ne sis rex.* Item, *Lacerāvit Iehova regnum Israelis a te hodie, ut det ipsum proximo tuo, qui melior est te. Nam Aeternitas Israelis* (1. Deus æternus, & qui æternum se populo suo usquequaque exhibet, ac proinde in æternum te de regno dejicit, & Davidem firmo decreto evehit) *non committet mendaciter, neq; pœnitebit eum: non enim homo est ut pœniteat eum.* Vide 15. cap. 1. Samuelis.

Salomon: Simulationem pietatis & pietatis contemptū esse hypocrisin dicit Salomon, *Proverb.* 20 25. & 21. 29. & 28. 13. esse maledictam, odiosam & damnosam, *Proverb.* 10. 10. & 11. 9. non obtinere remissionem peccatorum, *Proverb.* 28. 3.

Iohannes Baptista: Quum vidisset multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis vobis præmonstravit ut fugeretis à futura ira? Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ. Et ne putate vobis dicendum apud vos ipsos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis Deum etiā posse ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo. Iam vero etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur. *Matth.* 3. 7. 8. 9. 10.

Iesus Christus Dominus noster: Scribæ quidam & Pharisæi quum suscitarentur à Jesu cur discipuli ejus transgrederentur traditionem seniorum, non lavantes manus suas qum ederent panem, respondit eis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionē vestram? &c. Hypocritæ, bene de vobis prophatavit Isaias, dicens, Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum. *Matth.* 15. 3. 7. *&c.*

Idem: Quum accessissent Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum ut signum è cœlo ipsis ostenderet. Ipse vero respondens dixit eis, Quando serum est diei, dicitis, Serenitas erit: rubet enim cælum Et mane, hodie erit tempestas: rubet enim cælum triste Hypocritæ, faciem quidem cæli nostis discernere: signa vero tem porū illorum non potestis? Gens mala & adulterina signum requirit: sed signum non dabitur ei, nisi signum illud Jonæ Prophetæ. Et relictis ipsis abiit. *Matth.* 16. 1. 2. 3. 4.

Idem: Pharisæis, sannis verba ejus excipientibus, eo quod essent avari, dicebat, Vos ii estis qui justificatis vos ipsos in hominum cōspectu, Deus autem novit corda vestra: quia quod apud homines sublime est, abominationi est in conspectu Dei. *Luc.* 16. 15. Ostendit Christus hypocritas & justitiæ carnis sectatores, multis erroribus intricatos hærere, atque id tum maxime testari, quando cachinnis homines avari excipiunt sententiam veram, quæ statuis pietatē finceram & avaritiam in eodem homine esse non posse: istos item seipsos justificando coram hominibus, abominationi esse cordium scrutatori Deo,

D. Hieronymus: Hypocritas sui seculi vivis coloribus depingit, quos exhibemus, quandoquidem cum novis hypocritis, quorum Europa etiamnum scatet, mire conveniunt:

Vidi ego quosdam, qui postquam renunciavere seculo, vestimētis duntaxat, & vocis professione, non rebus, nihil pristina conversatione mutarunt. Res familiaris magis aucta, Eadem ministeria servulorum, idem apparatus convivii. In vitro & patella, fictili aurum comeditur, & inter turbas & examina ministrorum nomen sibi vendicant solitarii. Qui vero pauperes sunt & tenui substantiola, videnturque sibi scioli, pomparum ferculis similes procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. Alii sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, ut si præconem addideris, putes incedere præfecturam. Sunt qui honore cellarum immoderatisque jejuniis, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus a ribus suis personant, vertuntur in melancholiā, & Hippocratis magis fomentis quam nostris monitis indigent. Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum, eadem exercent commercia: non victum & vestitum, quod apostolus præcipit, sed majora quam seculi homines emolumenta sectantes. Et prius quidem ab ædilibus vendentiū coercebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nunc autem sub religionis titulo, exercentur injusta compendia, & honor nominis Jesuitici Christiani fraudem magis facit quam patitur. Quodque putet dicere (sed necesse est ut saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus) publice extendentes manus, pannis aurum tegimus: & cōtra omnium opinionem plenis sacculis morimur: divites, qui quasi pauperes viximus. *Hieronymus Tom.* 1. *Epistola ad Rusticum monachum.*

Antonius Eremita: Convenerant apud Antonjum eremitam fratres aliquot in Thebaide eremo, & quæstione proposita, Quænam virtus Christianum hominem in officiis pietatis recte conservaret? alii aliter responderunt, quisque pro suo captu. Senserunt enim alii, id commode jejuniis vigiliisque fieri, alii vero nuditate & contemptu rerum externarum alii etiam conducere ad hoc vitam solitariam, quidam etiam id per charitatis officia erga hospites fieri posse censebant. & cum dissentirent inter se opinionibus patres, respondit tandem Antonius, inquiens: Omnia quidem quæ dixistis utilia sunt Christianis, sed his principalis gratia tribuenda non est. idque plurimorum fratrum casus confirmant, qui versantes in his observationibus decepti sunt, eo quod in bono quod acceperāt, modum & discretionem non tenuerunt. Constat, sine discretionis gratia & modo nullam perfici vel stare diu virtutem posse. Addidit & exemplum Herois senis monachi, qui perpetuo intra cellam latitavit, & magna quadam severitate animi immutabilem jejuii continentiam exercuit, adeo etiam ut nec in die Paschæ rigorem abstinētiæ solveret. Tandem præsumptione sua deceptus, semetipsum in profundissimum puteum præcipitavit, persuasione Satanæ, qui sese in angeli cœlestis formam commutaverat, eique consuluerat, hanc esse voluntatem Dei, ut hoc modo suæ virtutis magnum meritum probaret, si inde illæsus exiret. Sed vix semivivus ex puteo cum ingenti fratrum omnium dolore extractus est, & trjduo post vitam finivit: & id quod deterius est, ita in deceptionis suæ pertinacia remānit, ut nullis verbis sibi passus sit persuaderi, se Satanæ calliditate

fuisse

fuisse delusum. Alius quidam monachus longo tempore Diabolum in Angeli claritate susceptit, cum per omnes noctes in ejus cellula lumen absque ullius lucernæ officio præberet. Ad extremum jussit eum filium, qui cum eo pariter in eodem monasterio manebat, offerri victimam Deo, ut scilicet hoc sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cujus persuasione ille seductus, hoc cœpit tentare: & sacrificasset filium, nisi per occasionem puer de cella ex ejus manibus elapsus celeriter aufugisset. *Cassianus.*

Anonymus: Venit aliquando Constantinopolin Alexandrinus Patriarcha, vir gravis, & Imperatori Andronico Palæologo percharus. Is cum videret, quanti Athanasium patriarcham Constantinopolitanum Andronicus faceret, quantopere nomen ejus admiraretur, adeo ut non bene notum hominem, scenæ servientem, D. Chrisostomo compararet: festive admodum magniloquentiam & ostentationem ejus taxavit his verbis: Erat inquit, sutor quidam, qui felem albam habebat, unum quotidie murem domi capientem, quæ aliquando in vas atramento sutorio plenum delapsa, tota nigra evasit. Proinde mures eam monastico habitu sumpto carnibus deinceps abstinere velle rati, sine ullo metu vagantes coria roserunt. Illa vero tãta multitudinem conspicata, capere omnes non poterat, sed duos comprehensos devoravit. Et cæteri quidem fuga sibi consuluere, vehementer mirantes, quod sumpto monasticho habitu crudelior evasisset. Vereor etiam inquit, ne & Athanasius hic, jam sedem patriarchicam consecutus, priorem asperitatem posteriore deleat. *Niceph. Gregorias lib. 2.*

Alphonsus rex: Erat inter purpuratos aliquando orta quæstio, cur hypocritæ naturâ superbi essent, Publicani vero mansueti. Et quum alii aliud, ut fit, sentirent, Rex demũ definiens dixit, Publicanorum vitia ut plurimum manifesta esse, puta luxuriam, gulam, illiberalitatem, & cætera hujusmodi, quæ quoniam hominum oculis subjecta forent, solverentur in ruborem, verecundiam & humilitatem: Hypocritarum vero vitia in occulto latere, utpote odium, invidiam, malevolentiam, iniquitatem, quæ cum in arcano diutius tolereri non possint erũpãt in superbiã necesse est, irã item, arrogantiã & fastum. *A. Panormit. de dictis & factis, Alphons. lib. 1.*

Ludovicus XII. *Galliarum Rex*: Quum pontifex diras in ipsum evomeret: Atqui (ait rex) precandi ille non imprecandi causa pontifex constitutus est, repetens eam laudabilem vocem sacerdotis, quæ adduci non potuit, ut Alcibiadem execraretur, quemadmodum testatur Plutarchus. *Arnold. Ferron. libro tertio de rebus gestis Gallorum.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Deduxit me scribendi æstus ex salutifera humilitatis valle, ad impios subdolosque omnis nequitiæ vertices, Hypocritas. quorum conversatio congregatioque, quia noxia & sterilis, ideo eos tanta diligentia & cura a nobis eliminandos, toties insinuavit Dei Filius: & luculenter quidẽ, pluribus concurrentibus ad audiendum eum, *Attendite*, dicebat ad discipulos, *a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* ejusque naturam & conditionem, alio in loco, præsertim Matth. cap. 23. late deduxit. Provide etiam monet Ethnicus:

Cedamus patria, vivat Arturius isthic,
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertant.

Luc. cap. 12.

Eugenius Card, Quapropter non male sensisse dicendus est iste. Percontanti enim, quosnam Ecclesiæ maximos reputaret hostes; *Hypocritas*, replicavit. Quid ita? illi enim falsis veri imaginibus, velut quadam Gorgone armati, cuncta evertere moliuntur: quamvis interim cælum ipsum ne corruat, humeris sustinere videantur. *Auct. dict. Memorab.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cui queat bona esse vita sub scelestis moribus?
Duplicem pœnam meretur qui specie boni est malus
Esse malo quam videri vir probus, vir innocens.
Esse si curas quod audis, usque recte vixeris,
Fallat & pastorem villa pelle conditus lupus.
Ficta non durant, cum ætate quod maturuit manet.
Fucus est ubiq; ubiq; mimus est; nusquam fides.
Fuco Apiq; haud inconveniens corpus, & par est color.
Graculi deformitatem deteget vel noctua.
Mens bona est talis, videri qualis orbi postulat.
Mentis ac linguæ perennis vix cuiquam concordia est.
Nemo ferme recti amore limitem rectum secat.
Nemo non malus videri vult, male ubi facit, bonus.
Non statim, bonus videri qui cupit, revera est bonus.
Optimum esse quam videri, quis neget præstantius?
Obvios fucata fallunt: at patent sagacibus
Pelle multi sub leonis simiam circumferunt.
Pauci homines præstant reapse semet, omnes nomine
Pelle sub pulcra leonis sæpe asellus delitet,
Pessimi sunt qui cum habeantur optimi, haud sunt optimi.
Qualis quisq; sit, non qualem velit habere se, vide.
Qui bonus cupit videri nec quoq; est, fit pessimus.
Quisq; aliter vivit popello, quisq; aliter vivit sibi.
Quisq; vult bonus videri: sed quotus quisq; est bonus?
Qui quis appetit videri quod non est, hypocrita est.
Sæpe honestas ficta laudem veræ honestatis rapit
Sactitatis recta velo sæpe flagitia latent.
Ter peccat qui se bonum illi simulat cui facit male.
Vita quæ pari cum verbis ambulat gradu, adproba est.
Vix aliquem offendas qui aperto vivere ausit ostio.
Vulturem eminus tueris? esse aquilam ipsum dixeris.

¶ Jambica.

Aliter homines loquũtur, aliter victitant.
Aliter homines vivunt popello, aliter sibi.
Aliter homo vivit foris, aliter domi.
Aliter populo unusquisq;, aliter vivit sibi.
Bonus videri si studes, esto bonus.
Durare mores haud queant ficti diu.
Est à severis fraus timenda hypocritis
Exercet omnis mundus histrioniam.
Nativa longe ubiq; fictis prævalent.
Nil turpius calvo aucupatur qui comam.
O vita fallax! abditos sensus geris.
Obrepere hominibus si potes; Deo haud potes.
Persæpe quis Nero intus, est foris Cato.
Præstat bonum esse, quam bonum videri.
Pudor impudentem celat; audacem quies.
Quidquid videri vis, ut idem sis stude.
Quotus est malus, qui dici item velit malus?
Recti induit semper speciem impotentia.
Refert bonus sis, an velis videri.
Sermone potior vita sanctimonia est.

FINIS LIBRI OCTAVI.

POLY-

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER IX.

Iactantiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

DIvus *Chysostomus*: Præstantem virum non modo de iis quæ ipsi desunt, gloriari non cõvenit, sed ne de iis quidem quæ habet. *Homilia 23. ad Corint. 2.*

Chrysostomus: Si ob ea quæ vere bona sunt, gloriari stultitiæ est, multo certe magis ob ea quæ nullius prætii sunt. *Homilia 24. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Non æque animus noster attollitur, cum nos ea scimus, & cum ad alios efferimus. neque enim recte factorum natura fastum atq; arrogantiam afferre consuevit, sed vulgi testimonium atque cognitio. *Homilia 26. ad Cor. 2.*

Basilius Seleuc: Etsi primario multa de se liceat abjecto loqui: infimo tamen sumblime, & grande quidquam de se efferre fas non est. Cum enim illud à Christo sit, nec non discipulorum infirmitatẽ pro causa habet: tum ut ad humilitatem inducantur utque se carne circumvestiri sciant: tum ut audientes doceantur de se nihil: item, ut à Deo veniſse putetur, nec ad solvendam legem veniſse suspicentur. Item ad sedandam audientium invidentiam, & quod sæpe in veteri testamento inculcatur, corroborandum: Dominus Deus tuus, Deus unus est. Humilis autem animi qui fuerit, excelsum aliquid de se loquendi causam aut reapse, aut in speciem probabilem nullam habet: sed superbia tantum erit, & impietas, & non ignoscibilis audacia. *Oratione 42. ante med.*

Isidorus Pelusiota: Si Pharisæus cum ea feciſſet quæ jactabat, propterea condemnatus quia se jactavit, quid te jactas, garriens duntaxat, ac non item boni aliquid faciens: teque graviori pœnæ obnoxium reddens, quam qua Pharisæus mulctatus est: cum tamen nihil dignum admisisset, verum hoc unum illi crimini datum fuisset, quod de probis actionibus gloriaretur. *lib. 1. Ep. 88.*

S. Isidorus Pelusiota: Pietatis ac justitiæ norma in eo sita est, ut ea quidem quæ recte ac ex virtute gerimus, occultemus, tum quia finis incertus est, tum ne audientibus graves ac molesti simus: In solicitudine autem atque angore versemur, tum ob naturæ nostræ in vitium propensionem, tam quia auditores ad fidem & assensionem vitiis adhibendam promptiores sunt. Pauci enim virtutibus, multi vitiis fidem accommodant, non modo quia ex eis quæ in se agnoscunt ad idem de aliis pronunciandum adducuntur: verum etiam quia insectandis & accusandis aliis id se assequi putant, ut peccata sua obtegant. *lib. 3. Epi. 162.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM.

Xenophon: Est etiam operæpretium, comitatem Agesilai silentio non præterire, qui quum honore, potentia, regno, eoq; sine insidiis, omnium cum amore potiretur: à nemine obnoxius esse jactantiæ visus est, quum eum suorum amantissimum, & in amicis colendis studiosum esse, quivis vel aliud agens, animadvertere posset. Perlubenter haberi secum verba de amoribus ferebat, atq; itidem amicis in rebus seriis operam dabat, sicubi opus esset. Et quia bona spe plenus erat, alacriq; & hilari animo efficiebat, ut multi eũ familiariter convenirent, non tantum ut aliquid impetrarent: sed uti jucundius diem exigerent. Præterea quum longissime abesset à jactãtia, nihilominus haud gravatim audiebat eos, qui seipsos prædicarent: quod eos nulli esse damo putaret, potiusq; polliceri, se viros fortes futuros. *cap. 41. de vita Agesilai.*

Epictetus: In familiaribus congressibus, absit factorum tuorum aut periculorum prolixa & immodica commemoratio, nec enim ut tibi jucundum est tuorum certaminũ meminisse; sic & aliis suave est ea quæ tibi acciderunt, audire. Absit illud etiam ne risum moveas. nam is ejusmodi locus est, è quo proclivis sit in plebejum morem lapsus, eamq; vim habet, ut sui observãtiam facile apud familiares diminuat. Periculosum etiam est, ad orationis obscœnitatem progredi. Cumigitur tale quippiam inciderit, aut (si ferat opportunitas) objurgabis eum, qui sermonem illum injecerit, aut taciturnitate saltem, & rubore, vultuq; ostendens eam orationem tibi displicuisse. *cap. 53. Enchiridÿ.*

Simplicius: Sua facinora aut pericula non prolixe atq; immodice commemorare, fastidium tollit: molestę enim ferunt homines eos qui sese laudant, quasi ipsi verbis iisdem accutentur, & per collationem probris afficiantur. Simul etiam ea res foras prominẽtem animum, & gloriæ cupidum contrahit. *ad cap. 53. Epict.*

Arrianus: Si quis aquam bibit aliave quapiam re sese exercet, omni studio id omnibus dicit. Ego inquit aquam bibo. Num quid eo tantum aquam bibis? Homo, si tibi aquam bibere expedit, bibito: sin minus, ridicule facis. Sin aquæ potores molestę ferunt, quid ergo istis ipsis placere studes. *cap. 14. lib. 3. Epict.*

¶ ROMANORUM.

Symmachus: Amicitia postulabat, ut apud amantem tui nævum jactantiæ non timeres. *lib. 10. Epi. 1.*

¶ APOLOGORUM.

Æsopi Lucerna: Oleo ebria lucerna lucens, gloriabatur quasi præ sole splenderet clarius. At venti spiraculo confluente, statim extincta est. Rursus autem accendens quispiam dixit. Luce Lucerna, & tace: astrorum lux nunquam deficit.

Phædrus Fab. 80.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Erat q; in terris maxima expectatio.
Quid ille pareret: at ille murem peperit,
Murem peperit pusillimum: Hoc scriptum est tibi,
Qui magna cum imminaris, extricas nihil.

Babrias. Περὶ ἀνθρώπου καὶ λιθίνου Λέοντος. Fab. 1.

Ἀνδρὸς ποσὶν πατεῖτο πέτρινος Λέων.
Καὶ τις Λεόντι φησι, τλῶ ἰχνὼ βλέπεις,
Ἀλλ', εἰ Λέοντες ἦσαν, ἠδήσαν γλύφειν,
Πολλοὺς ἂν εἶδες ὄντας ἀνθρώπους λίθους.

Ἐπιμύθιον.

Οὕτω' ἀρετῆ δ' ὀφείλει σεμνύνεσθαι.

De Homine & Leone lapideo.

Viri pedibus calcabatur lapideus Leo.
Et quidam Leoni, Robur, inquit, intueris?
At si Leones, ait ille, scivissent scalpere,
Multos vidisses esse homines lapides.

Assabulatio.

Quod non oporteat inflari virtute.

Babrias. Περὶ δειλοῦ Κωμῳδοῦ καὶ Ποιμένος. Fab. 56.

Δειλὸς Κωμῳδὸς ποτὲ τὸν εἶπε ποιμένα,
Εἰπὲ λέοντος ἴχνη εἴδες, μοι φράσον.
Σοὶ τοῦτον εἶπεν, ἐθέλεις δείξω πέλας
Ἰχνος, Κωμῳδὸς εἶπεν, ὃ ζητῶ πλέον.

Ἐπιμύθιον

Πρὸς ἀνδρώπους δρασεις ποτὲ λόγους, ὃ ποτὲ ἔργα δειλούς.

De Venatore timido, & Pastore.

Timidus Venator Pastori cuidam ait,
Sicubi Leonis vestigia nosti, dic mihi,
Tibi ipsum, ait vis ostendam prope
Vestigium. Venator ait, Non quaro amplius.

Assabulatio.

Adversus homines audaces verbis & factis timidos.

De Mula & Musca. Anonymus.

Mula rapit cursum, nam mulam mulio cogit
Mulæ musca nocet, vulnere, sive minis:
Cur pede sopito tempus currumque moraris?
Te premo, te pugno, pessima curre levis.
Mula refert, quia magna tonas, vis magna videri:
Nec tua facta nocent, nec tua verba mihi.
Nec te sustineo, sed eum, quem sustinet axis,
Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit.
Audet in audacem timidus, fortiq; minatur,
Debilis, audendi dum videt esse locum.

Nimbus & Testa. Anonymus.

Impulsus ventis & pressa nube coactus
Ruperat hybernis se gravis imber aquis.
Quumque per effusas stagnaret turbine terras,
Expositum campis fictile pressit opus,
Mobile namque lutum tepidus prius instruit aer,
Discat ut admoto rectius igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina testæ:
Immemor illa sui, amphora dicor, ait:
Nunc me docta manus rapiente volumina giro,
Molliter obliquum jussit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat constare figura.
Nam te subjectam diluit imber aquis.
Et simul accepto violentius amne fatiscens
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix qua magna sibi cognomina sumens,
Ausa pharetratis imbribus ista loqui.

Hac

Hæc poterunt posthac miseros exempla monere,
Subdita nobilibus ut sua fata gemant.
De Pavone à milite pennis spoliato. Fab. 177.

Pavo apud militem, qui galeam multis strutionis pennis ornaverat, gloriabatur se multo pulchriores pennas habere, utque id verum esse approbaret, caudam in gyrum explicuit: Miles illarum pulchritudine illectus, avem capiens, eam tanto privavit ornatu, conũque galeæ insignivit. Tunc secum pavo: miserum & stultum, inquit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.

Fabula indicat, pretiosarum rerum ostentatione multos ad rapinas concitari. Abstemius.

¶ Emblematis.

Batillius 103.
Iactantia secura:

Sæpe etiam cleris implent latratibus auras
Ignavaq; fremunt ore minace canes,
Atq; domi vacuis viscerum pellibus instant,
Qua viso in silvis dent sua terga lupo:
Sic quibus haud virtus, animusq; in pectore præsens
Si cubi vel virtus poscitur aut animus,
Hos videas inter sæcura pocula mensa,
Vana tumescentes omnia magna loqui.

¶ Monosticha Trochaica.

Continere in dignitate se nequit jactantia.
Decoquit multum pudoris impotens jactantia.
Fortitudinis viaticum eximium est jactantia
Glorias jactant parentum, gloria qui egent sua.
Grandius flumen minore, quam minus fluit sono.
Majus est se non jactare, quam feciſſe maxima.
Nævum apud tenelle amantem quis timet jactantia?
Ne quidem jactationes ipsa virtus fert sui.
Nemo opes jactare suevit quam qui egenus maxime est.
Nil recuses ob metum; ob jactantiam nil appetas.
Omnium virtutum hostis turpis est jactantia.
Oris expetunt hiatus non leves res maximæ.
Qui se jactat, vult sperari de se impositorum optime.
Succinit non tempestiva insania jactantiæ.
Transilit semper decori terminos jactantia.

¶ Jambica.

Arista inanis, recta, curva est plenior
Bellator ore, re ferè ignavum est pecus
Decurrit altus cum minore amnis sono.
Et literatis adsita est jactantia.
Iactantia atra succinit dementia.
Iactatio virtutis nimia, displicet.
Ignavus ut quisq; anima ita etiam ore est procax
In honore se non continet jactantia
Mens famæ avara obnoxia est jactantiæ.
Multum pudoris decoquit jactantia.
Mus nascitur pusillis ut mons parturit
Nil falsitate ipsa usquam est jactantius.
Odiosa laudes in proprias jactatio est.
Ovum natet si inane est, plenum desidet.
Pars ipsamet voluptatis jactatio est.
Plerumq; flaccet opere qui strepitu viget.
Quo quid mage est inane hoc valdius sonat.
Ventosa risus est parens jactantiæ.
Vituris expers, verbis jactat gloriam.
Virtutibus hostis omnibus jactantia.
Vt parturit mons, illico mus nascitur.

Idololatriæ.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

B. *Clemens Alexandrinus:* Olim quidem moderatis hominibus voluptatis involucrum erat nox tacita: nunc autem iis qui initiantur, est incontinentiæ sacra nox loquens: & ignis qui lucet in facibus, vitia & animi perturbationes arguit. Extingue ignem ô sacerdos; reverre lampades ô tu qui faces geris: tuum Jacchũ lux arguit. Permittas nocte cælari mysteria, & orgia honorentur tenebris. ignis non dissimulat, & arguit, & punit quæ jubetur. Hæc sunt impiorum, & qui sunt plane sine Deo, mysteria. Impios autem eos & sine Deo jure voco, qui eum quidem qui est vere Deus ignoraverunt, puerum autem qui discerpitur à Titanibus, & lugentem mulierculam, & partes revera præ pudore minime dicendas impudenter colunt, duplicique tenentur impietate: priore quidem, qua eum qui est Deus ignorant, eum inquam qui vere est Deus non agnoscentes: altera & secunda, qua per eum errorem eos qui non sunt, esse existimant, & eos deos nominant qui non sunt vere, imo vero ne sunt quidem, sed solum nomen obtinent: Propterea certe nos quoque arguit Apostolus: Et eratis, dicens, alieni à testamentis promissionis, spem non habentes, & sine Deo in mundo.

Multa bona regi Scytharum eveniant, quicunq; fuerit Anacharsis. Is civem suum, qui Matris deorum sacra quæ fiunt apud Cyzicenos, in Scythia imitabatur, & tympanum perstrepens, cymbalum resonans, ut Mengyrtes aliquis, collo appensum habebat, sagittis confodit, ut qui & ipse effœminatus evasisset apud Græcos, & fœminium morbum alios in Scythia doceret. Qua de causa (nullo enim modo celandum est) venit mihi in mentem admirari, quonam modo Evemerum Agrigentinum, & Nicanorem Cyprium, & Diagoram, & Hipponem Melium, & illum post hos Cyrenæum, cui nomen erat Theodorus, & multos alios, qui moderate ac continenter vixerunt, & reliquis hominibus acrius hunc de diis istis errorem perspexerunt, impios & ἄθεους, hoc est, absq; Deo, cognominarunt; etiamsi veritatem ipsam non consideraverint, sed errorem quidem certe suspicati sint: quod quidem non parvum exoritur semen ad excitandam scientillam intelligentiæ veritatis. Ex quibus unus quidem præcipit Ægyptiis: Si existimatis deos, ne ipsos lugeatis, neq; plangatis: si autem lugetis, ne eos deos esse putetis. Alter vero, cum Herculem ex ligno cepisset efformatum (aliquid autem domi forte coquebat, ut verisimile est) age ô Hercules, inquit, nunc jam tẽpus est, ut sicut Euristheo, nobis quoque in hoc tertio decimo decertando certamine inservias, idque Diagoræ pares: & ipsum tanquam lignum in ignem injecit. Extrema itaq; ignorantiæ sunt, Impietas & Superstitio, extra quæ studendum est manere. *Protreptico ad Græcos.*

Idem post pauca: Erat autem quædam antiqua, naturaliter hominibus ingenerata, cum cœlo societas; ignoratione quidem obscurata, sed quæ tamen repente ex tenebris exilit & emicat; ut illud ab aliquo dictum est:

Hunccne intueris undiq; immensum aëra
Fulnisq; terram cor qui tenet madentibus.

Et illud,

Cui terra plaustrum, cui sedes terrestria,
Qui sis, videre neutiquam facillimum est.

Et quæcunque hujusmodi alia canunt Poetæ. Perversæ autem sententiæ, & quæ declinarunt à recta, vere pernitiosæ, hominem, qui est planta cœlestis, diverterunt à cœlesti vivendi ratione, & humi prostraverunt, persuadentes humanis figmentis attendere. alii enim statim in cœlo contemplando decepti, & soli visui credentes, motus astrorum contemplantes, admirati sunt, & deos esse censuerunt; astra deos (nempe θεοὺς ἀπὸ τοῦ θεῖν, hoc est, à cursu) nominantes: & solem adorarunt, ut Indi: & lunam, ut Phryges. Alii autẽ, eorum quæ ex terris nascuntur mites fructus carpentes, Cererem frumentum, ut Athenienses: & Bachum vitem, ut Thebani, appellaverunt. Alii cum considerassent vitii pœnas, eas in deos referunt, adorantes pœnas & calamitates. Hinc Furias & Eumenidas, & quos ποιναμυωπας & στρεπτωπας vocant, ceu averruncatores & malorum dipulsores: & præterea ἀλάστορας, id est, cacodæmones seu malos genios, finxerunt Poetæ scenici.

Iam vero quidam ex philosophis, ipsi quoque post Poeticos, earum quæ sunt in nobis affectionum figuras & simulacra constituunt; nempe metum, & amorem, & gaudium & spem: sicut certe priscus quoque Epimenides, qui Contumeliæ & Impudentiæ Athenis erexit altaria. Alii autem ipsis profecti rebus ab hominibus in deos referuntur, & instar corporis effinguntur; Iustitia quædam, Clotho, & Lachesis, & Atropos, & Parca, & Auxo, & Thallo, Atticæ. Sextus modus quo introducta, & paulatim nata est hæc fraus Deorum, secundum quem Deos numerant duodecim. Quorum etiam Theogoniam, seu Deorum ortum, canit Hesiodus, & quæcunque de diis theologice disserit Homerus. Restat postremus (sunt enim hi omnes septem modi) qui proficiscitur à divino in homines beneficio. Nam cum beneficio afficientem Deum non intelligerent, effinxerunt quosdam servatores, Castorem & Pollucem, & Herculem ἀλεξίκακον, id est, in malis adjutorem, & medicum Æsculapium. Hæc quidem sunt lubricæ & exitiosæ à veritate digressiones, quæ hominem à cœlo detrahunt, & in baratrum pessundant.

B. Clemens Alexandrinus: Et quando melius Ægyptii, qui vicatim & per oppida, bruta coluerunt animantia, quam Græci, qui tales Deos adorarant: illa enima etsi sint feræ, non sunt tamen adultera, stupro ac fornicationi dedita: hi autem quales sint, quid opus est amplius dicere, cum satis eos convincerimus? Porro autem Aegyptii, quorum nunc feci mentionem, dispersi sunt in varios cultus ac religiones. Ex his, Evenitæ quidẽ colunt piscem Phagrum. Mæoten autem (est vero hic quoque alius piscis) colunt qui habitant Elephantinam. Oxyrinchitæ piscem similiter, qui ab eorum dictus est religione. Præterea Ichneumonem Heracleopolitæ: Saitæ autem & Thebani, ovem: Lupum autem Lycopolitani: Canem vero Cynopolitani: Apim Memphitani: Hircum Mendesii.

Vos autem qui estis Ægyptiis omnino meliores, vereor autem dicere deteriores, qui non cessatis Ægyptios ridere quotidie, quales estis in bruta animantia? Ex vobis enim ciconias honore affecerunt Thessali, propter consuetudinem. Thebani autem mustelas propter ortum Herculis. Quid vero? an Thessali dicuntur colere formicas, quoniam didicerunt Jovem assimulatum formicæ, cojisse cum Eumedusa filia Cletoris, & genaisse Myrmidonem? Polemo autem refert eos qui habitant circa Troadem, colere mures qui

sint in his regionibus, quos ipsi appellant σμινθεῖς; quoniam arrodebant chordas arcuum suorum hostium: & Sminthium Apollinem ab illis moribus appellarunt. Heraclides autem dicit in ædificationibus templorum in Acarnania, ubi est Actium promontorium, & templum Actii Apollinis, bovem priùs sacrificari mos fuisse. Neq; vero obliviscar Samiorum, qui ovem colunt, ut dicit Euphorion. Sed nec eorum qui colunt Phœniciam Syrorum, quorum alii columbas, alii vero pisces tam impensè colunt, quàm Elei Jovem.

Age verò, quoniam, non sunt Dii quos colitis, mihi rursus videtur considerandum, an sint revera dæmones, in hunc secundum, ut vos dicitis, relati ordinem. Si sunt itaque dæmones, ligurritores & scelerati, possunt etiam apertè inveniri in civitatibus dæmones indigenæ, qui honores sibi vindicant. Apud Cythnios quidem Edemus, apud Tenios Callistagoras, apud Eleos autē Anius, apud Lacones Astrabacus. Colitur & quidam heros Phalereis in puppi. Et Pythia constituit, ut sacrificarent Platæensibus Androcrati, & Demócrati, & Cyclæo, & Leuconi, cùm vel maximè tunc vigerent Medica certamina. Possunt alii quoque permulti reperiri dæmones, ei qui potest vel parum perspicere.

Dæmonum decies ter habet nam millia tellus
Immortalia, quis hominum custodia cessit.

Quinam sunt hi custodes. O Bœotie, ne te pigeat dicere. An manifestum est, hos esse, & qui sunt his honoratiores, magni dæmones, Apollo, Diana, Latona, Ceres, Proserpina, Pluto, Hercules, ipse Jupiter? Sed ne fugiamus, nos custodiunt fortasse ô Ascræe, aut fortasse peccemus, qui peccatis non sunt utiq; affines. Hic usurpare illud licet, quod proverbii loco dici solet, Pater qui non potest corrigi, corrigit filium.

Si autem non sunt hi quoq; custodes, non sunt propter eam quæ sunt in nos affecti benevolentiam, sed nostrum urgentes exitium, instar adulatorum adhærescunt vitæ, fumo inescati. Ipsi certè Dæmones ingluviem fatentur suam, ut qui dicant, *Nidoru, hac nobis debita sors est.* Quamnam aliam vocem ederent, si vocem acciperent dii Ægyptiorum, nempe feles & mustelæ, quàm Homericam & Poeticam, cui placet nidor & condimentum obsoniorum? Tales quidem sunt apud vos & dæmones & Dei, & si qui semidei, tanquā semiasini muli vocati sunt. Neq; enim est vobis nominum egestas ad impietatis compositiones.

Age vero hoc quoq; adjiciamus, quod inhumani & homines ódio habentes Dæmones sunt vestri Dii, & non solùm lætitiam ex eo capiunt quod hominum mentes offendant, sed etiam ex hominum cæde fruuntur voluptate; nunc quidem ad aras in stadiis contentiones, nunc autem innumerabiles de laude in bellis decertationes, sibi præbetes materiam voluptatis, ut vel maximè possint humanis affatim expleri cædibus. Jam vero cum civitates & gentes, tanquā pestes invalissent, sæva postularunt libamina. Et Aristomenes quidem Messenius, Ithometæ Jovi trecentos mactavit, se tot & tales hecatombas ritè sacrificare existimans. in quibus etiam Theopompus, rex Lacedæmoniorum, erat præclara victima. Tauri autem populi qui habitant circa Tauricam Chersonesum, quoscunq; hospites apud se ceperint, ex iis qui in mari aberrarunt, Dianæ Tauricæ eos statim sacrificant. Hæc tua sacrificia Euripides in scena tragicè decantat. Monimus autem in Collectione rerum mirabilium refert, in Pella Thessaliæ Achæum hominem sacrificari Peleo & Chironi. Lycios autem (sunt hi verò gens Cretensium) itidem Anticlides in Reditibus, Jovi mactare homines: & Lesbios Baccho simile offerre sacrificium dicit Dosiadas. Phocenses autem (neq; enim eos præteribo) scribit Pythocles in tertio De Concordia, hominem in holocaustū offerre Dianæ Tauricæ. Erechtheus autem Atticus & Marius Romanus sacrificarunt suas filias, quorum ille quidem Persephone, ut Demaratus in primo Rerum tragicarum, hic autem, nempe Marius, Diis Averruncis seu malorum depulsoribus, ut Dorotheus scribit in quarto Rerum Italicarum. Hominibus quidem bene velle ex his rebus ostenduntur dæmones.

Quomodo ergo non sunt sancti, qui sunt cultui dæmonum ac superstitioni dediti? quorum alii quidem dæmones ut servatores bonis verbis prosequuntur, alii vero salutem a salutis insidiatoribus petunt. Dum ergo existimant se eis rite sacrificare, non animadvertunt se homines occidere. Non enim ex loco fit cædes hostia: neq; si quis Dianæ & Jovi in sacro loco, magis quàm ita & avaritiæ & aliis similibus dæmonibus in altaribus, vel in viis hominem occiderit, sacram appellans hostiam, id sacrum est, sed est cædes & homicidium tale sacrificium. Quid ergo, ô homines aliorum hominū sapientissimi, alias quidem feras fugimus, & sicubi in ursum vel leonem incidimus, divertimus?

Improvisum aspris velut qui sentibus anguem,
Pressit humi nitens, trepidusq; repente refugit.

Dæmonas vero pernitiosos & exitiales insidiatores, hominumque hostes & prædones, cum esse senseritis & intelligatis, non declinatis, non aversamini?

Quidnam autem veri dixerint improbi, vel quamnam attulerint utilitatem? Quin ego possum tibi ostendere hominem vestris diis, nempe dæmonibus, meliorem: Sicut Apolline vate, Cytum & Solonem. Munera diligit vester Phœbus, non homines. Prodidit Crœsum amicum, & mercedis oblitus, adeò erat gloriæ cupidus, ut Crœsum ad rogum deduxerit per Alym. Ita dæmones quos amant deducunt ad ignem. Sed tu ô homo, qui es Apolline hominum ámantior & verior, miserere ejus qui est vinctus supra pyram. Et tu quidem Solon vaticinare veritatem. Tu autem Cyre, jube pyram extingui. Tu postremo ô Crœse, fac ut sapias, cum tuo malo id dideris. Est ingratus is quem adoras: capit mercedem, & auro accepto mentitur. O Solon vide rursus finem: nunquid non dæmon, sed homo tibi dicit? Non obliquâ vaticinatur Solon, eum bene intelliges: verum solum o Barbare responsum hoc in pyrâ experieris.

Unde mihi venit in mentem admirari, quibusnam tandem opinionibus abrepti homines qui sunt decepti, superstitionem & dæmonum cultum induxerint hominibus, sceleratos dæmones colere lege lata, jubentes. Seu Phoroneus ille fuerit, seu Merops, seu aliquis alius, qui eis posuerunt templa & altaria, etiam sacrificia eis primi obtulisse fabulosè dicti sunt: nam posteriotibus quidem certè temporibus, finxerunt Deos quos adorarent. Hunc certè Amorē vel Cupidinem, qui dicitur esse inter Deos antiquissimos, nemo ante Charmum coluit, postquàm adolescentulum quendam dilectū sibi obtinuisset, qui cupiditatis suæ compos aram in Academia elegantiorem erexit. Ita morbi intemperantiam appellarunt Amorē, & salacem cupiditatem in deorum numerum retulere. Athenienses autem ne quis esset quidem Pan noverant, priusquàm eis diceret Philippides. Meritò ergo dæmonum cultus, cùm alicunde cepisset principium, fons fuit stolidi vitii. Deinde cùm non fuisset rescissus, sed accepisset augmentum, & magno fluxisset alveo, multos dæmones constituit, sacrificans hecatombas, & conventus celebrans, & imagines erigens, & templa ædificans. Quæ quidem (nam nec ipsa præteribo) specioso quidem nomine templa dici, fuisse autem sepulchra, hoc est, sepulchra ipsa vocata fuisse templa.

Vos autem vel nunc saltem dæmonum cultus & superstitionis obliviscamini, sepulchra colere erubescentes. In templo Minervæ Lariſsæ, in arce est sepulchrum Acrisii. Athenis autem in arce, Cecropis, ut ait Antiochus in nono Historiarum. Quid verò Erichthonius, nonne in Poliadis templo fuit sepultus? Immatus autem filius Eumolpi & Dairæ, non fuit sepultus in ambitu Eleusinii, quod est sub arce? Filiæ autem Celei, non sunt sepultæ in Eleusine. Quid tibi enumerem uxores Hyperboreorum? quæ Hyperoche & Laodice sunt dictæ, in Artemisio autem sunt sepultæ. Id verò est in templo Delii Apollinis. Leandrius autem dicit, Clearchum fuisse Mileti sepultum in Didymæo. Sed nec Leucophrynes monumentum ex autoritate Myndii Zenonis hic prætermittendum est, quæ in templo Dianæ sepulta est Magnesiæ. Sed neq; Apollinis ara quæ est in Telmisso, quam ipsam quoq; scribunt esse monumentum Thelmissis vatis. Ptolomæus autem filius Agesarchæ, in primo eorum quos scribit de Philopatre, in Paphio, in templo Veneris sepultum esse ait Cyniram, & ejus nepotes. Sed mihi persequenti sepulchra quæ adorantur, ne universum quidem tempus suffecerit. Vos autem, si non eorum quæ audetis aliquis vos pudor subeat, planè mortui, verè mortuis credentes circumcursatis.

O miseri, unde malum hoc vobis caligine vestra
Cinguntur capita. Quod si præter hæc, ipsas vobis imagines subjecero considerandas, si rem recte examinetis, inuenietis nugas esse consuetudinem, ut qui manuum hominum opera colatis insensibilia.

Ac Scythæ quidem antiquitus adorabant acinacem: Arabes autem lapidem: Persæ verò fluvium: & ex aliis hominibus, ii qui erant adhuc antiquiores, ligna erigebant insignia, & columnas ponebant ex lapidibus: quæ etiam appellabantur ξόανα, eo quod raderentur & expolirentur ex materia. In Icaro certè, imago Dianæ lignum erat non laboratum: & Cithæroniæ Junonis Thespiæ, truncus excisus: & Samiæ Junonis, ut ait Aethlius, prius quidem erat tabula, postea autem Archonte Procleo in formam statuæ efficta est. Postquam autem statuæ formari hominibus cœperunt, βρέτη, dici cœperunt. Romæ autem antiquitus statuam Martis fuisse hastam ait Varro, cū nondum perveniſsent artifices ad hoc speciosum quidem, sed improbum artificium. Postquam autem ars floruit, auctus est error. Quod itaq; ex lapidibus & lignis, & ut breviter dicam, materia quavis imagines hominibus similes feceritis, quarum formæ pietatem subjecistis, veritatem involventes mendacio, ex his quidem jam patet.

Verum enimvero cum locus indigeat aliqua demonstratione, nō est id recusandum. Ac Jovem quidem Olympicum, & Poliadem Athenis, ex auro & ebore effeciſse Phidiam, quivis novit. Junonis autem Samiæ statuam factā esse Euclidis scalpro, in Samiacis Olympicus refert. Ne ergo dubitetis, quin severarum quæ Athenis vocātur Deārum, duas quidem fecerit Scopas, ex lapide qui vocatur λυχνίς. Calos autem eam quam narrantur habere mediam, Polemonem in quarto eorum quæ scripsit ad Timæum ostendere aiunt. nec qui in eas quę sunt in Pataris Lyciæ, Jovis & Apollinis, Phidias rursus, sicut & leones qui cum eis dedicati sunt, fecerit. Quod si, ut nonnulli dicunt, artem Bryxis referunt, non contendo, habes eum quoq; statuarium: utrum eorum velis inscribe. Quinetiam Thelesium Athenienſem, ut ait Philochorus, Neptuni & Amphitrites, quę adorantur Tenī, novem cubitorum statuæ artificem agnoscunt: Demetrius autem in secundo Argolicorum, statuæ Junonis Tirynthię, & materiam, pirum, & artificem fuisse scribit Argum.

Multi autem fortasse admirabūtur, si didicerint Palladium quod appellatur Diopetes, ut quod cœlitus sit delapsum, quod Diomedes quidem & Ulysses ferunt Troja abstuliſse, deposuisse autem apud Demophoontem, Pelopis ex ollibus factum esse: quemadmodum

Olympium ex aliis belluæ Indicæ. Atqui Dionysium hujus reiautorem in quinta Cycli parte afferre possum. Appellas autem in Delphicis licit duo fuisse Palladia, ambo autem fabricata esse ab hominibus.

Sed ne quis existimet me propter ignorationem prætermisisse, hæc quoq; adducam: Morychi Dionysi statuam fuisse quidem factã ex lapide, qui vocatur Phellata, esse autem opus Siconis cognomine Eupalami, ut dicit Polemo in quadam epistola. Fuerunt duo alii, Cretenses, ut arbitror statuarii; Ecyles & Dipœnus nomine. Qui & imagines Castoris & Pollucis quæ sunt Argis, & effigiem Herculis quæ est Tirynthe, & Munichiæ Dianæ in Sicyone statuam fecerunt.

Sed quid his immoror, cùm liceat vobis magnum illum Dæmonem ostendere quisnam fuerit, quem per excellentiã audimus cultu & veneratione dignum ab omnibus esse habitum? Eum nõ esse manu factum ausi sunt dicere. Aegyptium nimirũ Sarapim. Alii enim scribunt eum fuisse munus missum à Sinopensibus ad Ptolemæum Philadelphum, qui eos fame laborantes misso ex Aegypto frumento obligavit. esse autem effigiem Plutonis, qui acceptam statuã posuit in promontorio, quod nunc appellant Racotim, ubi & Sarapidis colit templum. Est autem prædium iis locis vicinum. Blistichin autem pellicem mortuam Canopi, translatam Ptolemæus, in eo, cujus ante memini, sepeliit templo. Alii autem Ponticam imaginem dicunt esse Serapim, translatam autem fuisse honorificè Alexandriam à frequenti hominum conventu. Isidorus solus, à Seleucensibus, qui sunt propter Antiochiam, statuam fuisse traductã, qui ipsi quoq; penuria frumenti laboraverant, & nutriti fuerant à Ptolemæo.

Cæterùm Athenodorus filius Sandonis, cùm vellet Sarapidis ostendere antiquitatem, nescio quomodo eo est prolapsus, ut factam fuisse statuam argueret. Sesostrim quippe ait Aegyptium regem, cũ plurimas Græcorum subjugasset gentes, reversum in Aegyptum, artifices adduxisse multas. Osirim itaq; à quo genus duxerat, jussit magnifice affabreq; variatum effingi. Eum autem Bryaxes fecit opifex, non Atheniensis, sed eodem appellatus quo Bryaxes nomine, qui ad opus faciendum mixta & varia usus est materia. Habebat enim ramentum auri, & argenti, & æris, & ferri, & plumbi, stanni deniq;, nec ei ullus lapis deerat Aegyptius, nec Sapphiri & Hematitis fragmenta, sicut nec Smaragdi & Topazii. Hæc ergo omnia levigata tritaq; ac commixta cœruleo imbuit colore. Qua de causa nigrior est color imaginis. Et cùm pharmaco ex sepultura Osiridis & Apis relicto, omnia permiscuisset, duplicavit Serapim, cujus nomen quoq; significat & funeris societatem, & opus quod factum est ex sepultura. ut quod compositum ex Osiride & Api, factum sit Osiapis.

Novum autem alium in Aegypto, & qui vel ab ipsis propemodum colitur Græcis, retulit in numerum Deorum, Imperator Romanorum, amasium suum, inter formosissimos numerandum, Antinoum: quem ita consecravit, ut Ganymedem Jupiter. Non enim facilè arcetur cupiditas, quæ caret metu. Et sacras Autinoi noctes nũc adorant homines, quas turpes sciebat amator qui simul vigilaverat. Quid mihi refers in numerum deorum, eum qui stupro fuit honoratus? Quare autem & jussisti lugeri tanquam filium? Aut quare ejus quoq; refers pulchritudinem? Turpis est pulchritudo, quæ per contumeliam & probrum emarcuit. Ne tyrannidem exerceas ô homo in pulchritudinem, ne probrum afferas florenti adolescenti. Ipsam mundam conserva, ut sit pulchra. Pulchritudinis rex esto, non tyrannus. Liber maneat. Tunc tuam agnoscam pulchritudinẽ, quoniam mundam conservasti imaginem: tunc veram adorabo pulchritudinem, quæ est exemplar pulchrorum. Jam vero sepulchrum amasii tui est: templum est Antinoi & oppidum. Sicut autem templa, ita etiam sepulchra habẽtur in admiratione, Pyramides, & Mausolea, & Labyrinthi. Cæterum templa mortuorum, sunt quod illa sepulchra Deorum. Vobis autem magistram adducam vatem Sibyllam:

Non sunt responsa hæc Phœbi mendacia, stulti
Quemque Deum dixere homines, falsoque vocarunt
Vatem: sed vox ista Dei similem simulachris,
Quem haud fecere manus hominum sermonis egenis.

Hæc quidem ruinas prædicit templorum, fore significans, ut templum Dianæ Ephesiæ terræ hiatibus & motibus absorbeatur, his verbis:

Abjecta autem Ephesus tristisque in littore flebit,
Et templum quærens, quod tunc non incolet ullus.

Templum autem Isidis & Sarapidis in Aegypto diruendum dicit, & exurendum:

Isi dea in Nili tu undis infausta manebis
Sola, & voce carens, mœnasque Acherontis arenis.

Deinde subjicit:

Tuque Sarapi erecta ingens cut saxea moles,
Magnus in Aegypto misera impendit tibi casus.

Sed si tu non audis prophetissam, at tuum audi philosophum Heraclitum Ephesium, quod sint insensiles, exprobrãtem imaginibus. *Et his vota faciunt imaginibus, perinde ac si quis loquatur cum ædibus. An non enim sunt prodigiosi qui lapides adorãt? Deinde vocum & præforibus eos statuunt, perinde ac vivos & efficaces? Mercurium tanquam Deum adorant, sed & Aguieu, hoc est, via vicinia & præfectum janitorem statuunt. Si enim tanquam insenses injuria afficiunt, cur adorant ut Deos? Si vero existimant eos esse sensus participes, cur eos janitores constituunt?*

Romani autem qui res maximas & præclare gestas Fortunæ attribuunt, & eam esse deam maximam existimant, insterquilinio eam dedicarunt: dignum Deæ templũ, secessum tribuentes. Verum enimvero insensili lapidi & ligno & diviti auro nihil penitus curæ est, nec nidor, nec sanguis, nec fumus, quo dum honorantur & suffimigantur, nigrescunt: Imo nec honor, nec injuria. Sunt autem hæ imagines quovis animali viliores.

Et quomodo cum sensu destituantur divino affici honore cœperint, sæpe dubitare subiit, & errantium, utpote miserorum, misereri amentiæ. Nam si quædam animalia non habent omnes sensus, ut vermes & erucæ, & quæcunq; statim à primo ortu manca & mutila nascuntur, sicut talpæ & mus araneus, quem cæcum & surdum, ait Nicander, his statuis & imaginibus quæ sunt surdæ penitus sunt meliores: habent enim unum certe sensum; verbi gratia, auditum vel tactum, vel qui adoratui ac gustui proportione respondet: simulachra autem omni prorsus destituuntur sensu. Sunt autem multa animantia quæ nec visum habent, nec auditum, neq; vocem, cujusmodi est genus ostreorum, vivunt tamen & augentur, & præterea una cum Luna afficiuntur. Statuæ autem ociosæ, inefficaces, inutiles & insensiles, alligantur, & clavis configuntur, & compinguntur, funduntur, limantur, secantur, eraduntur, cælantur. Ac surdam sane terram vexant ac indigne excipiunt statuarii; dum naturam illis propriam adulterant arte, eaque adorare aliis persuadent.

Adorant autem ii qui Deos faciunt non Deos & Dæmones, mea quidem sententia, sed terram & artem, quod quidem est imagines. Vere est imago, mortua materia formata manu artificis. Nobis autem non est sensilis imago materiæ sensilis, sed quæ percipitur intelligentia. Deus qui solus vere est Deus, intelligentia percipitur, non sensu. Ac rursus cum in ipsis casibus & infortuniis re ipsa didicerint superstitiosi lapidum adoratores, destitutam sensu non colendam esse materiam, ex egestate discant, à superstitione tamen abripiuntur; & tamen simulachra contemnentes, nec volentes omnino videri contemnere, ab ipsis Diis convincuntur, quibus sunt dedicatæ imagines.

Dionysius enim tyrannus junior cum auream vestem Jovi abstulisset in Sicilia, jussit eum indui lanea, facetè dicens eam esse aurea meliorem, ut quæ esset & æstate levior, & hyeme calidior. Antiochus autem Cyzicenus cùm egeret pecuniis, Jovis auream statuam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi jussit, & ex alia viliori materia statuam illi similem, laminis inauratam, rursus reponi. Hirundines autem, & multæ aves sæpe advolantes, inquinant imagines, ratione nulla habita, nec Olympii Jovis, nec Aesculapii Epidaurii: sed nec Minervæ Poliadis, vel Sarapidis Aegyptii, à quibus ipsis necdum sensu destitutas esse discitis imagines. Sunt & improbi interdum prædones, vel hostes, qui facta irruptione, turpis lucri gratia, sacra sunt depopulati, & dirupuere donaria, vel ipsas etiam fuderunt statuas. Et si Cambyses alius quis, vel Darius, vel alius insaniens, quædam ejusmodi fecerit, & Aegyptium quis Apim occiderit, rideo quidem quod Deum ipsorum occiderit: indignor autem, si propter lucrum peccavit. An vero temere hoc maleficium obliviscar, & eo ipso solam avaritiam, non vero idolorum simul impotentiam convinci existimabo?

Sed nec ignis nec terribiles terræmotus Dæmonas imaginesque pertimescunt aut reverentur, non magis quam calculos qui sunt ad littora accumulati fluctibus. Scio ego ignem posse convincere, & mederi superstitioni. Si cessare ab amentia velis, ignis te ad lucem deducet. Hic ignis, & templum quod erat Argis, combussit unà cum sacerdote Chryside, & id quod erat Ephesi, Dianæ, secundum post Amazones, & Romæ sæpe depopulatus est Capitolium. Sed nec abstinuit à templo Sarapidis Alexandriæ. Liberalis autem Dionysi Athenis templum diruit, sed & Delphici Apollinis prius rapuit procella, deinde ignis sapiens temperansq; delevit. Hoc tibi ostenditur proœmium eorum quæ polliceatur ignis.

Qui autem fabricantur statuas, nonne eos admonent qui ex vobis sapiunt, ut materiam contemnatis? Athenienſis quidem Phidias, qui in Jovis Olympii digito scripsit Παντέρκης καλός, Pulcher omnes adjuvans. Non erat enim ei pulcher Jupiter, sed is qui ab eo amabatur. Praxiteles autem, ut declarat Posidippus in libro de Cnidio, Cnidiæ Veneris effingens imaginem, Cratinæ quam amabat, formam in ea expressit, ut adorarent miseri amicam Praxitelis. Cùm floreret autem Phryne meretrix Thespiaca, pictores omnes Veneris imagines ad Phrynes pulchritudinem referebant: sicut lapicidæ ad Alcibiadem Mercurios Minervæ. Restat ut nunc ipse judices, utrum adorare velis meretrices.

Hinc puto moti, Reges veteres, has fabulas despicientes, liberè, propterea quod ab hominibus nullum impenderet periculum, seipsos Deos pronuntiarunt: ea ratione docentes, illos quoque per gloriam factos esse immortales. Ita Ceyx filius Aeoli, Jupiter ab uxore Alcyone est dictus. Sicut viciſſim Alcyone, Juno à marito. Ptolemæus autem quartus, vocabatur Dionysius, & Mithridates Ponticus ipse quoque Dionysius. Volebat & Alexander filius videri Ammonis, & cornutus à statuariis effingi, pulchrum hominis vultum cornu dedecorans. Neque vero solum reges, verum & privati divinis sese jactant nominibus: ut Menecrates Medicus, qui fuit cognominatus Jupiter. Nam quid opus est referre Alexarchum? Is cum fuisset scientia Grammaticus, ut scribit Aristus Salaminius, seipsum effinxit in Solis effigiem. Quid opus est etiam

meminisse Nicagoræ? Erat Zelites genere, natus tempore Alexandri, Mercurius appellabatur Nicagoras, & usus est Mercurii veste:

* * * cum etiam integræ gentes, & cum ipsis viris urbes, adulatione utentes, fabulas de Diis viles & contemptas reddant, homines seipsos efficientes, Diis æquales, inflati à gloria, immodicos sibi honores decernentes. Nunc quidem Macedonem Pellæum, Amyntoris filium Philippum in Cynosarge adorandum decernentes, cui & fractus erat jugulus, & fracta tibia, cui fuerat exectus oculus: & rursus Demetrium ipsum quoque Deum vocantes, & ubi ex equo descendit Athenas ingrediens, est templum Demetrii καταβάτου, hoc est, Descensoris. Ubique autem aræ & nuptiæ Minervæ ei parabantur ab Athenien sibus. Ille autem Deum quidem despiciebat, cum non posset nubere imagini: cum Lamia autem meretrice ascendit in arcem, & in Minervæ thalamo volutabatur, veteri virgini, meretricis juvenis figuras & habitus ostendens.

Neque est ergo Hipponi invidendum, immortalitate mortem donanti suam. Monumento quippe is suo elegiacum hunc versum jussit inscribi.

Hic est Hipponis tumulus, quem lumine cassum
Aeternis fecit Parca parem esse Deis.

Recte quidem, ô Hippo, humanum errorem nobis ostendis. Si enim tibi vel loquenti non crediderunt, fiant mortui discipuli. Hoc est oraculum Hipponis: ipsum perpendamus. Qui à vobis adorantur, homines cum prius fuerint, deinde mortem obierunt. Affecit autem ipsos honore & fabula & tempus. Solent enim, nescio quomodo, ea quidem quæ sunt præsentia, despici propter consuetudinem: quæ autem sunt præterita, quia propter incertitudinem temporis arguiac convinci non possunt, in honore esse propter figmentum: & alia quidem non credi, alia vero etiam haberi in admiratione. Ita veteres mortui longo erroris tempore se venditantes, à posteris Dii esse existimantur.

Harum rerum fidem vobis faciunt vestra mysteria, celebres conventus, vincula & vulnera, & Dii lachrymantes.

Hei mihi, quod qui hominum est mihi vel charissimus unus,
A Patroclo statuunt Sarpedona fata domari.

Superata est Jovis voluntas, victusque luget causa Sarpedonis Jupiter. Merito ergo vos ipsi idola & Dæmonas eos vocatis, cum & Minervam ipsam & alios Deos, qui eos improbè honoravit, Homerus, ita appellavit.

Illa autem conscendit Olympum,
Ad Iovis Aegiferi, reliquosq; ad Daemonas, aedes.

Quomodo ergo sunt adhuc Dii simulachra & Dæmones, vere abominandi & immundi spiritus, quos omnes terrenos & lutulentos, fatentur qui circa sepulchra & monumenta ipso pondere depressi versantur & volutantur? circa quæ etiam apparere solent: spectra scilicet evanida & exilia forma, umbris similia. Hi sunt vestri Dii, simulachra, umbræ, & præter hos claudæ illæ & rugosæ & strabis oculis Litæ, quæ sunt potius filiæ Thersitis quàm Jovis. Quare mihi videtur Dion facete dixisse, quomodo homines prolem formosam jure petierint à Jove, quam ipse sibi præbere non potuit?

O impietatem! Essentiam corruptionis immunem, quoad ejus fieri à vobis potest, defoditis, idque quod intemeratum est & sanctum, obruistis, ea quæ vera est essentia spoliantes Deum. Quid ergo iis qui non sunt Dii munera tribuistis? Cur relicto cælo, terram honoraftis? Quid est autem aliud aurum, vel argentum, vel adamas, vel ferrum, vel æs, vel ebur, vel lapides pretiosi? an non terra, & ex terra? An nõ autem unius matris terræ sunt fœtus hæc cuncta quæ vides? Cur ergo, ô stolidi & inanium rerum dediti cogitationi (rursus enim revertar ad institutum) cœlestem locum maledictis incessentes, pietatem ac religionem in solum detraxistis? cur terrestres Deos vobis fingentes, & hæc genita ante Deum ingenitum persequentes, in profundiorem incidistis caliginem? Pulcher est lapis Parius, sed nondum erat Neptunus. Pulchrum est ebur, sed nondum est Olympius. Materia semper arte indiget. Deus autem est nullius indigus. Præcessit ars, adjecta est figura. Materia & essentiæ opes, ad lucrum quidem deducunt, sola autem sunt figura venerandæ. Aurum est tua statua, est lignum, est lapis, est terra, quæ si ab initio consideraveris, formam accepit ab artifice. Ego autem terram calcare didici, non adorare. Non est enim mihi fas unquam rebus inanimatis credere spes animæ.

Verum ad ipsas quàm proxime id fieri potest imagines est accedendum. Nam qui est proprius earum error, vel ex aspectu convincitur. Dæmonum enim perturbationem imagines vel apertissime exprimunt. Si quis enim picturas & imagines obediens contemplatur, ex turpibus ignominiaque ac dedecore plenis figuris, vestros Deos statim agnoscet: Bacchum ex amictu, Vulcanum ex arte, Cererem ex calamitate, Inô ex vitta, Neptunum ex tridente, Jovem ex cygno. Herculem autem ostendit pyra: & si quis nudam viderit depictam mulierem, auream Venerem intelligit.

Sic Pygmalion ille Cyprius eburnea n amavit statuam: erat ea simulachrum Veneris, & erat nudum. Movetur figura Cyprius, & coit cum imagine. Quod quidem Philostephanus testatur. Venus autem alia in Cnido erat lapis, & erat pulchra: alius eam amavit, & cum lapide Veneris habet consuetudinem, ut refert Posidippus: prior quidem in opere de Cypro, alter verò in opere de Cnido. Tantum mars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in barathrum. Vim quidem efficacem habet ars opificis: sed cum qui est ratione præditus, non potest decipere, nec eos qui vixerunt ex ratione. Per picturam enim, propter adumbratam similitudinem, columbi advolarunt ad columbas, & equabus recte pictis equi adhinnierunt. Puellam aiunt amasse imaginem, & pulchrum juvenem simulachrum Gnidium: verum spectatorum visum ars deceperat. Neque enim cum Dea congressus esset aliquis, neque sepultus esset aliquis cum mortua, neque dæmonem amasset & lapidem aliquis, qui fuisset sanæ mentis. Vos autem aliis præstigiis ars decipit, etiamsi non inducens ad amandum, verum ad colendum & adorandum simulachra & picturas. Atqui similis pictura est: laudetur ergo ars, non decipiat vero hominem, ut si esset veritas. Quietè stetit equus, columba minimè est perturbata, & penna stetit otiosa. Vacca Dædali, quæ ex ligno confecta fuerat, cepit taurum agrestem, & coegit bestiam ars, quæ eam deceperat, amantem inire mulierem. Tantum œstruan artes quæ improbo utuntur artificio, attulerunt insipientibus.

Jam illi quisimias nutriunt & exercent, quod nec cereæ, nec luteæ similitudines quam is ornamenta accedant, eos fallant, mirantur. Vos autem vel similis deteriores eritis, dum lapideis, & ligneis, & aureis, & eburneis imagunculis & picturis animum adhibetis. Tot vobis pernicioforum ludibriorum opifices, lapicidæ, & statuarii, pictoresque, & fabri, & Poetæ, multam similium turbam inducunt: in agris quidem Satyros, per sylvas autem nymphas Oreades & Hamadryades quinetiam in aquis & fluviis & fontibus Najades, & in mari Nereides. Magi autem se jam suæ impietatis gloriantur ministros habere Dæmones, ut qui eos in suorum famulorum numerum adscripserint, & necessitate adactos servos fecerint suis carminibus. Deorum itaque nuptiæ, & liberorum procreationes, & puerperia, & adulteria quæ canuntur, & convivia quæ à Comicis recitantur, & risus qui in potu inducuntur, impellunt me ut exclamem, etsi velim tacere: O impietatem! Scenam cœlum fecistis, & Deus vobis factus est actus, & quod sanctum est, Dæmoniorum personis in Comœdia ludificati estis, verum Dei cultum ac religionem, per superstitionem, vestra Satyrica petulantia proscindentes.

Sed pulsans citharam pulchre is præludere cœpit.

Cane nobis, ô Homere pulchram illam cantilenam:

Furtivum pulchra Venerisque & Martis amorem,
Vulcani in tecto ut fuerit congressus amantum
Primum, & per multa incestarit dona cubile,
Vulcani regis.

Finem cantico impone ô Homere: non est pulchrum, docet adulterium. Nos autem ne aures quidem stupris ac fornicationibus inquinare volumus. Sumus enim nos, sumus, qui Dei imaginem circumferimus, in hoc vivo, & quod movetur, simulachro, homine, simul habitantem imaginem, consulentem, colloquentem, contubernalem, & quæ nostris movetur perturbationibus, & est perturbationibus omnibus superior. Nos Deo donati & dedicati sumus pro Christo. Nos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui, ut ait Joannes, non sumus ex iis qui sunt inferius, sed ab eo qui venit superne, omnia didicimus, qui Dei œconomiam seu carnis susceptæ dispensationem mente comprehendimus, qui ut in vitæ novitate ambularemus nos exercuimus.

Sed hæc non cogitat vulgi magna pars, sed pudore & metu omni abjecto, domi depingunt turpes Dæmonum in Venerem pruritus & titillationes. Pictis enim quibusdam tabellis iisque in alto suspensis, mentem adhibentes, thalamos ornarunt impudicitia, intemperantiam existimantes pietatem: & in cubili decumbentes, in ipsis amplexibus Venerem illam nudam respiciunt, quæ vincta est propter complexus: & ad Ledam advolantem avem, qui ob hoc ipsum quod effœminata sit, probantes picturam, in palæstrali exprimũt, & conveniente Jovis intemperantiæ sigillo utuntur. Hæc sunt mollis & delicatæ vitæ vestræ exemplaria. Hæ sunt Theologiæ probri & petulantiæ plenæ. Hæ sunt Deorum, qui unà vobiscum fornicantur doctrinæ. Nam quod quilibet vult, hoc etiam putat, ut ait orator Athenien sis. Cujusmodi autem sunt aliæ quoque vestræ imagines? Pantici quidam, & nudæ puellæ, & ebrii Satyri, & membrorum erectiones, quæ picturis nudantur, quæ ab ipsa intemperantia arguuntur. Jam verò totius libidinis & impudicitiæ figuras aperte descriptas publice intueri, non erubescitis, sed potius positas erectasque custoditis, perinde ac si Deorum vestrorum imagines impudentiæ columnas domi consecraveritis, figuras gestusque Philænidis æque depingentes, atque certamina Herculis.

Horum non solum usus, sed etiam aspectus & auditus deponendam esse memoriam vobis annunciamus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi, & quod est magis novum, ante complexum vestri adulterium admiserunt aspectus. O qui homini vim attulistis, & divinitatem figmenti probro convulsistis, omninò incredduli estis, ut vestras sequentes animi perturbationes, vacetis delitiis: & creditis quidem simulachris, eorum quærentes intemperantiam: Deo autem non creditis, modestiam non ferentes & continentiam. Ita quæ præstantiora, odio habuistis: quæ verò deteriora, honore affecistis, ut qui virtutis quidem sitis effecti contemplatores, vitii autem athletæ. Beati ergo uno, ut semel dicam, consensu sunt soli illi ex Sibyllæ sententia, quicunque

A se ipsa Deum qui omninò templa negabunt,
Surdorum & lapidum quæ sunt altaria, sedes:

Ex lapide & manibus simulachra effecta virorum,
Cæsorum quæ sunt animato infecta cruore,
Quadrupedum, bipedum, volucrumque, & cæde ferarum.

Nobis enim est apertè vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cœlo, & quæcunque sunt in terra infra. Revera enim Cererem Praxitelis, & Proserpinam, & Jacchum mysticum Deos existimaremus, vel Lysippi artes, vel manus Apellis, quæ divinæ existimationis figuram præbuere materiæ. Sed vos quidem ut statua fabricetur quàm pulcherrima valde adlaboratis, ne autem propter insensilitatem efficiamini imaginibus similes, non curatis. Valde certe dilucide & breviter arguit Propheticus sermo consuetudinem, dicens, quod omnes Dii gentium sunt idola Dæmoniorum: Deus autem cœlos fecit, & ea quæ sunt in cœlo.

Hinc itaque factum est, ut quidam errantes, nescio quomodo, divinam quidem artem, sed non DEVM adorent, Solem & Lunam, & alium chorum astrorum, eos præter rationem Deos existimantes, cum sint instrumenta temporis. Verbo enim ejus firmati sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Sed ars quidem humana, & domos, & naves, & urbes, & picturas fabricatur, Deus autem quomodo dixerim quæcunque facit? Vide universum mundum. Illius est opus & cœlum & Sol, & angeli: & homines sunt opera digitorum ejus. Quanta est autem Dei potentia? Ipsius Dei solum voluntas, est mundi creatio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque est solus vere Deus. Sola voluntate operatur, & ejus solum velle, factum esse consequitur. Hinc evertitur chorus Philosophorum, qui factum quidem esse hominem ad cœlum contemplandum pulcherrimè confitentur, sed quę in cœlo cernuntur & visu comprehenduntur, adorant. Etsi enim humana opera non sunt ea quæ sunt in cœlo, at hominibus tamen sunt fabricata. Nec adoret quis vestrum Solem, sed solis effectorem desideret: neq; mundum Deum faciat, & ut Deum colat, sed mundi quærat opificem. Ei ergo qui ad portas venturus est salutares, solum restat, ut videtur, refugium divina sapientia. Hinc tanquam ex sacro aliquo asylo, nullus homo potest amplius educi à Dæmonibus, qui magno studio contendit ad salutem.

Persequamur autem, si velis, sententias quoque philosophorum, quas de Diis jactitant, si forte ipsam quoque inveniamus philosophiam, propter inanem gloriam, ex materia idola constituentem, forte etiam Dæmonia quædam divino honore afficientem, ideoque tanquam in somniis videntem veritatem, ostendere possimus. Principia itaque à se laudata reliquerunt Thales Milesius aquam, & Anaximenes, qui ipse fuit Milesius, aerem, quem Diogenes Apolloniates est postea consecutus. Parmenides autem Eliates introduxit Deos ignem & terram. Ex his autem alterum solum Deum existimarunt ignem, Hippasus Metapontinus, & Ephesius Heraclitus. Empedocles autem Agrigentinus, cùm multitudinem admisisset, præter hæc quatuor elementa, Contentionem enumerat & Amicitiam. Sunt autem hi quoque impii, qui insipida quadam sapientia adorarunt materiam: & lapides quidem vel ligna non honorarunt, terram autem eorum matrem ut Deam esse colendam putarunt: & Neptunum quidem non effingunt, ipsam autem aquam colunt. Quid est enim aliud Neptunus, quam humida quædam substantia, quæ ἀπὸ τῆς πόσεως, hoc est, à potu, Græcè vocata ποσειδὼν, sicut certè Mars bellicus ἄρης Græcè dictus est, ἀπὸ τῆς ἀρσεως καὶ ἀνδρώσεως, id est, ab insurrectione & interfectione. Qua ratione mihi videntur quoque valde multi, cùm solo ense apposito, tanquam Marti sacrificare. Est autem hoc Scytharum, sicut dicit Eudoxus in secundo de ambitu. Ex Scythis autem Sauromatæ, ut Iceſius ait, in opere de Mysteriis adorant acinacem.

Hoc etiam usu venit Heraclito & ejus sectatoribus, qui ignem tanquam ortus rerum principium colunt. Hunc enim ignem alii nominarunt ἥφαιστον, id est, Vulcanum. Persarum autem Magi ignem coluerunt, & multi ex iis qui Asiam incolunt. Quinetiam Macedones, ut ait Diogenes in primo Persicorum. Ne Sauromatas recensеam quos refert Nymphodorus, in libro de Legibus Barbaricis, ignem colere, aut Persas & Medos & Magos? Hos autem dicit Dinon sacrificare sub dio, solas Deorum imagines ignem & aquam esse putantes. Neque vero eorum celaverim insciti am: nam etsi se maximè existimant fugere ab errore, in alium tamen labuntur errorem. Deorum quidem imagines ligna & lapides non existimarunt, ut Græci. Sed nec ichneumonas & ibides, ut Aegyptii, sed ignem & aquam, ut philosophi.

Multis tamen postea annorum curriculis, eos imagines hominum formæ similes coluisse ostendit Berosus in tertio Chaldaicorum, cum hoc Artaxerxes Darii, filii Ochi, qui cum primus Veneris Tanaidis imaginem erexisset Babylone, & Susis, & Ecbatanis, & Persis, & Bactris, & Damasco, & Sardibus, eam ostendit esse colendam. Fateantur ergo philosophi suos magistros fuisse Persas, vel Sarmatas, vel Magos, à quibus didicerunt impietatem venerabilium sibi principiorum, principem omnium effectorem, & ipsorum principiorum opificem ignorantes, Deum, qui caret principio: hæc autem egena & infirma, ut ait Apostolus, quæ ad usum hominum ministeriumque facta sunt elementa adorantes.

Ex aliis autem philosophis, qui elementis præteritis, quid excelsius & præstantius indagarunt: alii quidem ex ipsis laudarunt infinitum, ex quibus fuit Anaximander Milesius, & Anaxagoras Clazomenius, & Atheniensis Archelaus. Atque hi quidem ambo infinitati præfecere mentem. Leucippus autem Milesius & Chius Metrodorus, ipsi quoque, ut videtur, duplicia reliquêre principia, plenum & inane. Ab his autem duobus mutuata adjecit simulachra, seu rerum species, Democritus Abderitanus. Alcmæon vero Crotoniata, astra deos esse putabat; ut quæ sint animata. Sed nec eorum silebo impudentiam. Xenocrates (fuit hic Carthaginensis) septem quidem deos Planetas, octavum vero, qui ex his omnibus constat, mundum tacitè significat. Sed nec prætermittam Stoicos, qui omnem quantumvis vilem & abjectam materiam dicunt Deum pervadere, qui apertè suam philosophiam afficiunt dedecore.

Sed nec molestum fuerit, ut arbitror, cùm ad hunc locum pervenerim, meminisse etiam Peripateticorum. cujus quidem sectæ qui est pater, nihil de eo patre qui supremus est intelligens, putat esse animam universi: hoc est, mundi animam Deum esse existimans, ipse à se ipso confoditur. Qui enim usque ad Lunam ejus definit providentiam, deinde mundum Deum esse existimat, evertitur, ut qui eum, qui est Dei expers, Deum esse arbitretur. Eresius autem ille Theophrastus, familiaris Aristotelis, alicubi quidem cœlum, alicubi vero spiritum, Deum esse existimat. Nam Epicuri quidem solius vel lubens obliviscar, qui Deo dicit non esse curæ res humanas, impiè se gerens per omnia. Quid vero Heraclides Ponticus? ut ipse quoque alicubi ad Democriti abripitur simulachra? Magna mihi affluit hujusmodi turba, inducens veluti quandam larvam dæmoniorum, absurdas exterorum fabulas, nugis anilibus adumbratas. Longè abest ut viris permittamus audire ejusmodi fabulas, qui ne lachrymantes quidem, ut dicitur, filios narrando fabulas solari assuescimus, tumentes ne unà cum eis nutriamus impietatem, quam sane hi profitentur, qui sibi videntur sapientes: cum veritatem non magis noverint quàm pueri.

Quid enim, ô per veritatem, eos qui tibi crediderunt, fluxui & interitui misere & inordinate efficis obnoxios? Cur vero vitam reples simulachris, vel ventos, vel aërem, vel ignem, vel terram, vel lapides, vel ligna, vel hunc mundum Deos eminges? & de Diis aliis, nempe stellis errantibus, apud homines qui verè aberrarunt, per hanc vulgo jactatam astrologiam, non astronomiam, sublimia loquens & nugans? Desidero Dominum spirituum, Dominum ignis, mundi opificem Deum quæro, qui præbet Soli lumen, non autem Dei opera.

Quemnam autem à te inquisitionis accipiam adjutorem? Non enim Platonem, si velis, omnino repudiamus. Quanam ergo ratione est Deus perscrutandus, ô Plato? Universi enim hujus patrem & effectorem & invenire est difficile, & cùm inveneris, fieri non potest, ut eum enuncies. Cur nam vero o per ipsum? Nequaquam enim est dicendus. Rectè ô Plato attigisti veritatem, sed ne te pigeat laboris, unà mecum suscipe boni inquisitionem. Omnibus enim, simpliciter hominibus, maximè autem iis qui versantur in doctrina & literis, instillatus est quidam divinus influxus. Qua de causa vel inviti quidem fatentur unum esse Deum ab interitu alienum & ingenitum, qui in cœli vertice, in sua propria specula verè sit semper. Dic autem, quisnam Deus est mihi cogitandus?

Qui cuncta cernit, ipse sed non cernitur,

Ait Euripides. Nam errasse mihi quidem Menander videtur, cum ait:

O sol! Deorum nam te adorare addecet
Primum, Deique per quem videntur cateri.

Neque enim Sol unquam ostendet verum Deum, neque verum Verbum, qui est Sol animæ, per quem, si solum intus sit exortus, in profundo mentis, ipsius quoque mentis illustratur oculus. Unde non improbabiliter Democritus ait, paucos ex doctis hominibus manus sustulisse, hic quem nunc Græci vocamus aerem, omnia Jovi attribui, quòd ipse omnia norit, & det, & auferat, & is sit rex omnium. Hac ergo ratione Plato, quoque de Deo cogitans, regem omnium significat. Est ille omnia causa omnium bonorum. Quisnam ergo rex est Deus universorum? Eorum quæ sunt mensura veritatis. Sicut enim ea in quæ cadit dimensio, mensura comprehenduntur: ita etiam eò quòd Deum cogitemus, venit in dimensionem & comprehenditur veritas. Verè autem facer Moses: Non erit, inquit, in tuo marsupio statera magna vel parva, sed statera vera & æqua, stateram & mensuram & numerum omnium Deum esse existimans. Injusta enim & iniqua simulachra, domi in marsupio, & in sordida, ut semel dicam, anima sunt abiecta. Quæ est autem sola justa mensura? qui solus est verè Deus, semper æqualis, & semper eodem modo se habens, omnia metitur, & ponderat tanquam trutina justitia, universorum naturam in æquilibrio continens & sustinens. Deus ergo, sicut vetus est sermo, omnium quæ sunt, principium & finem & media continens, recta semper secundum naturam circumfertur. Illum autem semper consequitur justitia, quæ de iis pœnas sumit, qui à lege divina deficiunt.

Undenam, ô Plato, veritatem conjicis? Undenam abunde suppeditata rationum copia, pietatem & verum Dei cultum vaticinatur? His, inquit, sunt sapientiores barbarorum gentes. Novi tuos magistros, etsi eos celare velis. Geometriam discis ab Aegyptiis, Astronomiam à Babyloniis, rectas & sanctas incantationes accipis à Thracibus. Multa etiam Assyriis te docuerunt. Leges autem quæ-

cunq;

cunq; veræ sunt, & de Deo opinio, suppeditata tibi sunt ab Hebræis, qui non vanis erroribus, nec hominum opera,

Qui non fallaci studio, mortalia facta
Ex ebore argentoque, ex auro deniq; & ære,
E saxis lignoq;, hominum simulachra peremptorum
Horrent, & quæcunq; alii vanissima turba.
At contra puras tollunt ad sidera palmas.
Mane ubi membra levant strato, quæ virgine lympha
Perfundunt: unumq; colunt qui cuncta gubernat
Vsque, immortalem.

Nec mihi ô Philosophia unum hunc Platonem, sed multos etiam alios cura, ut in medium adducas, qui unum vere Deum, solum vocant Deum, sicubi per ejus inspirationem veritatem apprehenderint. Antisthenes enim non hoc quidem Cynicum cogitavit, sed ut qui esset Socratis familiaris, dicit Deum nulli esse similem: quare nemo eum potest discere ex imagine. Sed & Xenophon Atheniensis ipse quoque apertè scribit de veritate, testimonium dicturus ut Socrates, nisi ipse timuisset pharmacum: sed nihilo secius tacite significat: Qui, inquit, omnia movet & quieta efficit, magnus quidem est & aperte potens: sed cujusmodi nam sit forma, non apparet. Sed nec Sol, qui omne ex parte videtur esse lucidus & conspicuus, ipse seipsum videre permittit: sed si quis ipsum impudenter fuerit contemplatus, visu oculorum privatur. Undenam igitur Grylli filius illud didicit? Num ab Hebræorum prophetissa scilicet, quæ hoc modo vaticinatur?

Quæ caro cœlestem poterit verumq; tueri?
Humana sortis qui expers in vertice cœli
Est Deus. Adversos radios neq; cernere Solis
Mortales possunt homines, lucemq; micantem.

Cleanthes autem Pisadæus, Stoicus Philosophus, qui non Poeticam Theogoniam, sed veram ostendit Theologiam, non celavit quidnam de Deo sentiret. *Si quale verum sit bonum quæras, habe. Est ordinatum semper, & justum, & pium: Sanctumque & utile, & probum, & compos sui: Durum est, sibique constat, & nulli nocet, Carens metu curaque, commodum, & procul Dolore, gratum: tutum, amicum atque sui est. Honore dignum est, evidens, laudis potens. Vehemens, remissum, curam amat, festum fugit, Notumque: semper permanet: nunquam perit. Illiberalis, quisquis intentus stupet. Opinionem, vel bonum ex illa petit.* Hic, ut existimo, aperto docet qualisnam sit Deus, & quod communis opinio & consuetudo, eos qui ipsas sequuntur, sed non eos qui Deum quærunt, in servitutem redigunt.

Nec est silendus Pythagoras, qui dicit: Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra mundi administrationem, sed est totus in ipsa, in toto circulo, speculator totius generationis, universorum contemperatio, qui semper est, & suas facultates deducit ad opus, omnium operum in cœlo illustrator, pater omnium, mens & animatio totius circuli, omnium motus. Atque hæc quidem sufficiunt ad Dei agnitionem, quæ ab ipsis quidem Deo inspirante scripta, à nobis autem selecta sunt ei, qui vel parum potest perspicere veritatem.

Accedat autem (non sufficit enim philosophia) ipsa quoque poetica, quæ in falso quidem omnino occupata, vix tandem aliquando testatur veritatem, vel potius Deo fabulosam confitetur transgressionem. Accedat autem quicunq; velit primus è poetis. Ac Aratus quidem Dei potestatem omnia pervadere intelligit.

Atque ut sint omnia firma,
Primo & postremo præbent hunc sacra precesque.
O mirande pater, salve, valde utilis orbi.

Æscræus quoq; Hesiodus Deum eadem ratione tacitè significat:

Ipse suo regno ditioneq; continet omnes,
Nec tenet imperium hoc ex immortalibus ullum.

Jam vero in scena quoque veritatem aperiunt.

Unus quidem,

In ætherem polumque cum suspexeris,
Eum vide tu censeas vere Deum,
ait Euripides.

Sophilli vero filius Sophocles:

In veritate est unus, est unus Deus,
Qui machinam cœli soliq; condidit,
Pontique fluctus cæsii, & vehementiam
Ventorum: at ipsi, avari gens mortalium
Et recreantes qui incidunt casus graves,
Imagines & æneas & ligneas
Et lapideas posuimus atque eburneas:
Diisq; sacra facimus, & festos dies
His dedicantes, esse dicimus pios.

Qui quidem audacter & non sine periculo propemodum veritatem auditoribus introduxit in scenam. Thracius autem sacrorum simul interpres & poeta, Oeagri filius Orpheus, postquam Orgiorum sacra fuit effatus, & simulachrorum expositis Theologiam, veritatis inducit recantationem, vere sacrum, quanvis sero, tamen canens sermonem.

Effabor quis fas est, aures claude prophane
Quisquis es, illustri Musæ sed edite Lunæ,
Audi, vera loquar, nec quæ olim visa fuere
Pectoribus, charæ te privent lumine vitæ.
Verbum est aspiciens divinum, assistere nunquam
Huic cessat, mentemq; tuam & cor dirige, recta
Atq; via ingredere, mundi autem respice Regem,
Solum immortalem.

Deinde ulterius pergens, diluciḍè ait,

Ex se unus genitus, & genita & sunt omnia ab uno.
Versaturq; in eis ipse: ex mortalibus ullus
Nec videt hunc, contra sed cunctos aspicit ipse.

Sic quidem Orpheus: & cum aliquandiu oberrasset, tandem intellexit:

Ast homo consilio ne tu cunctare sagaci,
Sed propera placare Deum, mox ipse reversus.

Si enim Græci vel maxime quasdam verbi divini quasi scintillas acceperunt, veritatis pauca quædam sunt elocuti, vim quidem ejus nō occultam testantur, seipsos autem imbecillitatis convincunt, ut qui finem non attigerint.

Jam enim existimo cuivis esse manifestum, quod qui absque Verbo veritatis operantur aliquid vel loquuntur, sunt similes iis qui conantur ingredi absque pedibus. Te quoque pudore quodam moveant ad salutem, Deorum vestrorum reprehensiones, quibus à veritate coacti Poetæ vestri, eos insectantur in comœdiis. Menander certè Comicus in Auriga, in dramate quod dicitur Suppositius:

Nullus, inquit, mihi placet Deus foris vagans
Anus sodalis, quaslibet petens domos,
Aut Metragyrtes cum tabella.

Tales enim erant Metragyrtæ. Unde eis mendicantibus merito dicebat Antisthenes: Non alo matrem Deorum quam dii alunt. Rursus idem Comicus in dramate cui titulus, Sacerdos, ægrè ferens consuetudinem, impiam erroris arrogantiam conatur refellere, sapienter eloquens:

Nam si Deum
Quo cuique libitum est, quisq; cymbalis trahit,
Hoc qui facit, certe is Deo est potentior.
Audacia hæc vitaq; sed reperta sunt
Hominibus instrumenta.

Neque vero solus Menander, sed etiam Homerus & Euripides, & alii permulti poetæ Deos vestros arguunt, nec verentur eos maledictis vel tantillum proscindere. Jam Minervam κυνομυΐαν, id est, musco caninam, & Vulcanum ἀμφιγυήεα, id est, utroq; pede claudum appellant. Veneri autem dicit Helena,

Neve tuis pedibus posthac redeas in Olympum.

De Dione autem seu Baccho apertè dicit Homerus:

Et qui nutrices Bacchi quandoque furentis
In dium immisit Dionysum, quæ simul omnes
Thyrsum jecerunt sævo impellente Lycurgo.

Socratica schola vere dignus est Euripides, respiciens ad veritatem, & spectatores despiciens. Aliquando quidem Apollinem,

qui tenet
Terræ umbilicum, certa dans oracula,

Arguens.

Illo manente matricida nunc vocor.
Eum putate non pium, atque occidite.
Peccavit ille non ego, minus sciens
Iusti atque honesti.

Aliquando autem Herculem inducens furiosum, & alicubi ebrium & insatiabilem. Quomodo enim non erat ejusmodi, qui in convivio virides vicus comedebat cum carnibus, multa inepta, latrans, & quæ vel barbaro talia viderentur. Jam vero in dramate cui nomen est Jon, capite nudo Deos in theatrum inducit.

An hoc videtur, qui datis mortalibus
Leges, ut ipsi criminis sitis rei?
Quod si (futurum quod quidem nunquam reor)
Reddenda vobis ratio sit stupri & probri:
Neptunus, & tu, rexque Iupiter poli,
Templis relictis jure abibitis foras.

Tempus est itaque, postquam alia ordine à nobis jam sunt præstita, ad scripturas ut veniamus propheticas. Prophetarum enim responsa, materiam nobis aperte præbentia ad Dei cultum & religionem, veritati fundamentum subjiciunt. Divinæ autem scripturæ, honestæq; & moderatæ vitæ institutiones, viæ compendiosæ, nudæ à verborum fucis & ornamentis blanditiisq; & illecebris, hominem à vitiis jam suffocatum suis erigunt, casus eorum quæ ad victum pertinent contemnentes, una & eadem voce multa remedia afferentes, à damnosa quidem fraude nos dehortantes, ad prævisam autem salutem aperte adhortantes. Prophetissa itaque Sibylla nobis prima canat canticum salutare.

Omnino en clarus, nulloque errore vagatur.
Dimissis tandem nebulis tenebrisque venite.
Solis lux grata aspectu clarissima fulget,
Figaturq; animis præstans sapientia vestris.
Est mittens imbres Deus unus, fulgura, motus.
Fulmina, pestes, atque fames, & tristia cuncta,
Et glaciem, atq; nives. Quid opus tibi singula dicam?
Est cœli princeps, Dominus terræ is quoq; verè est.

Divinè profecto errorem quidem tenebris assimilans, Soli autem & luci cognitionem Dei. Utrunque autem inter se contendens, docet electionem. Falsum enim non per solam veri collationem exterminatur, sed per usum veritatis vi ejectum fugatur. Hieremias autem Propheta sapientissimus, vel in Hieremia potius sanctus Spiritus, Deum ostendit: Deus appropinquans ego sum, inquit, & non Deus procul. Si fuerit homo aliquis in occulto, & ego non videbo ipsum? An non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Rursum autem per Esaiam: Quis metietur, inquit, cœlum palmo, & terram omnem pugillo? Vide Dei magnitudinem, & admirare. Eum adoremus, de quo dicit Propheta: A facie tua montes liquescent, sicut cera à facie ignis. Is est, inquit, Deus cujus cœlum est thronus, terra autem scabellum pedum ejus, qui si cœlum aperuerit, terror te apprehendet.

Vis autem etiam audire quid hic Propheta dicat de simulachris? Traducentur, inquit, coram Sole, & erunt eorum mortuinæ escæ volucribus cœli & bestiis terræ, & putrefient à Sole & Luna. Ipsi amaverunt ea quibus ipsi etiam servierunt, & civitas eorum incendetur. Dicit autem fore, ut etiam elementa & mundus cum eis pereant: Terra, inquit, veterascet, & cœlum præteribit, verbum autem Domini manet in æternum. Quid vero quando Deus rursus voluerit seipsum per Mosen ostendere? Videte videte quod ego sum, & non est alius Deus præter me. Ego occidam & vivere faciam, percutiam & ego medebor, & non est qui eripiet è meis manibus. Visne autem audire & alium responsa dantem? Habes universum chorum Propheticum, eos qui una cum Mose concinunt. Quid eis dicit Spiritus sanctus per Osee Prophetam? Non verebor dicere: Ecce ego firmans tonitru, & creans spiritum, cujus manus cœli quoque fundarunt militiam. Præterea autem per Esaiam hunc quoque tibi vocem redigam in memoriam: Ego sum, inquit, Dominus, ego sum qui loquor justitiam, & annuncio veritatem, congregamini & venite. Simul consultate qui servamini à Gentibus. Non cognoverunt qui tollunt lignum, sculpturam eorum, & Deos orantes qui eos non servabunt. Deinde paulo inferius: Ego, inquit, Deus, & non est præter me justus, & servator, non est excepto me. Convertimini ad me, & salvi estote qui estis ex finibus terræ: Ego sum Deus, & non est alius, per meipsum juro. Idololatris autem indignatur dicens: Cui assimilastis Dominum, aut cui similitudini assimilastis ipsum? Num imaginem fecit faber, aut aurifex auro fuso ipsum auro illivit? & quæ deinceps consequuntur. Non amplius ergo, ô vos idololatræ, sed nunc quoque minas cavete. Ejulabunt enim sculptilia, & quæ manu facta sunt, vel hi potius qui fiduciam eis habuerunt. Est enim materia insensilis. Præterea, inquit, Dominus concutiet urbes quæ habitantur, & manu comprehendet universum orbem terræ tanquam nidum.

Quid tibi annunciem sapientiæ mysteria & verba, ex erudito adolescente Hebræo? Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua, & Dominus dat sapientiam, & à facie ejus cognitio & intelligentia. Quousque piger jaces? quando autem somno excitaberis? Sin autem fueris impiger, veniet tanquam fons messis tua, verbum paternum, bonus lychnus, Dominus qui inducit lucem, fidem omnibus & salutem. Dominus enim qui fecit terram in virtute sua, ut ait Hieremias, erexit orbem terræ in sapientia sua. Nos enim qui procideramus ad simulachra, sapientia, quæ est Verbum ejus, erigit ad veritatem. & hæc est prima à lapsu resurrectio. Unde ab omni idololatria dehortans divinus Moses, pulcherrime clamavit: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est; &, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Nunc, ô homines, intelligite, ex sententia beati illius Psalmographi David, apprehendite disciplinam: ne aliquando irascatur Dominus, & pereatis de via justa, quando exarserit velociter furor ejus. beati omnes, qui confidunt in ipso.

Jam vero nostri mirandum in modum miserens Dominus, nobis tradit modum salutarem, veluti rythmum quem vocant ῥυθμιστήριον. Filii hominum usquequo gravi eritis corde? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Quænam est ergo vanitas? & quid est mendacium? sanctus Domini Apostolus Græcos reprehendens, tibi exponet, quod cum Deum cognovissent, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & mutaverunt gloriam Dei in similitudinem carnis corruptibilis hominis, & servierunt creaturæ potius quam creatori. Atqui hic est Deus, qui in principio fecit cœlum & terram. Tu autem Deum quidem non intelligis, cœlum autem adoras, & quomodo non te impie geris? Audi rursus Prophetam qui dicit: Deficiet quidem sol, & cœlum obscurabitur, resplendebit autem omnipotens in æternum, & movebuntur cœlorum virtutes, & cœli convolventur ut pellis, ut qui extendantur & contrahantur (hæ enim sunt voces propheticæ) & terra fugiet à facie Domini.

Possim tibi scripturas afferre innumerabiles, quarum ne apex quidem unus præteribit, qui non perficiatur. Os enim Domini, Spiritus sanctus, ea est elocutus: Ne amplius ergo, inquit, fili mi negligas disciplinam Domini, neque defatigeris cum ab eo corriperis. O insignem humanitatem! non ut magister discipulos, neque ut ministros Dominus, nec ut homines Deus, sed ut pater, quam benigne admonet filios! Deinde fatetur quidem Moses, se timere ac tremere cum de verbo audiret. Tu autem verbum divinum audiens, non times? non es anxius? non simul & revereris & studes discere? hoc est festinans ad salutem, timens iram, diligens gratiam, spem amplectens & admirans, ut declines judicium. Venite venite ô meorum juvenum cœtus: nisi enim efficiamini rursus ut pueri, & regeneremini, ut ait Scriptura, eum qui vere est pater non recipietis, neque unquam in regnum cœlorum intrabitis. Quo modo enim peregrino permissum sit ingredi? Sed quando, ut puto, inscriptus fuerit, & civis effectus, & patrem acceperit, tunc erit in numero filiorum patris, tunc dignus habebitur qui sit hæres, tunc germano & dilecto regnum paternum impertiet. Hæc est enim primogenita Ecclesia, quæ constat ex multis bonis pueris. Hi sunt primogeniti, qui descripti sunt in cœlis, & una cum tot angelorum millibus diem festum celebrant. Primogeniti autem non filii, qui sumus Dei alumni, qui primogeniti sumus germani amici, qui primi ex aliis hominibus Deum intelleximus, qui primi à peccatis avulsi, qui à diabolo primi sumus: separati. Nunc autem sunt tanto quidam magis impii, quanto est benignior Deus ac humanior. Deus enim ex servis vult nos fieri filios, illi autem etiam filii effici contempserunt.

O magnam arrogantiam: Dominum pudore afficitis. Libertatem pollicetur, vos autem aufugitis in servitutem. Salutem gratis largitur, vos autem ad hominem descenditis. Vitam donat æternam, vos autem supplicium expectatis, & ignem præstolamini, quem paravit Dominus diabolo & angelis ejus. Propterea beatus Apostolus: Testor, inquit, in Domino, ne amplius ambuletis sicut & Gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati cogitatione, & alienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, propter cæcitatem cordis ipsorum: qui quidem seipsos tradiderunt indurati impudicitiæ & avaritiæ. Tali teste fellente hominum ignorantiam, & Deum invocante, quidnam restat aliud incredulis, quam judicium & condemnatio? Non negligit autem Dominus, suadens, terrens, adhortans, excitans, admonens. A somno quidem certe excitat, ab ipsis tenebris eos qui aberraverunt facit surgere. Expergiscere, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus dominus, Sol resurrectionis, qui ante Luciferum gignitur, qui largitus est vitam propriis radiis. Ne quis ergo Verbum despiciat, ne seipsum imprudens despicetur. Dicit enim alicubi Scriptura. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri in probatione. Quænam est autem probatio? Si velis discere, exponet tibi sanctus Spiritus: Et viderunt, inquit, opera mea quadraginta annis. Quare infensus fui generationi huic, & dixi: semper errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas. Itaque juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Videte minas, videte adhortationem, videte honorem. Cur ergo gratiam adhuc mutamus in iram, & non patientibus auribus Verbum suscipientes, in castris animis Deū hospitio excipimus? Est enim magna gratia ejus promissionis si hodie vocem ejus audierimus. Illud autem, hodie, augetur in unoquoq; ejus die, donec nominatur hodie. Usq; ad consummationem, & hodie, & doctrina permanet, & tunc, quę vere est hodie, quæ non deficit dies Dei, una cum sæculis extenditur. Semper ergo audiamus vocem Verbi divini. Hodie enim est imago æterni seculi, lucis vero signum ac symbolum est dies. Lux vero est Verbum hominibus, per quod Deum contemplamur.

Merito ergo iis qui crediderunt & obediunt, superabundabit gratia. Iis autem qui non crediderunt & errant corde, & vias Domini non cognoverunt, quas rectas facere & parare jussit Joannes. Iis infensus fuit Dominus & minatur. Quin & minarum quoque finem acceperunt ænigmatice veteres Hebræorum errones. Non dicuntur enim ingredi in requiem, propter infidelitatem, priusquam ipsi Mosis successorem consecuti, sero tandem dicant se non posse aliter esse salvos, quam si Iesu crediderint. Dominus autem cum sit benignus, omnes homines ad veritatis agnitionem adhortatur, qui mittit paracletum. Quænam est ergo agnitio? pietas ac Dei cultus. Est autem pietas ad omnia utilis ex Pauli sententia, habens promissionem vitæ præsentis & futuræ. Quanti, ô homines, profiteremini vos esse empturos, si salus æterna venderetur? Ne si Pactolum quidem, qui totus aureo, ut est in fabulis, fluit fluento, quis dederit, pro salute justum pretium numeraverit. Ne igitur defatigemini: licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate & fide vitæ, quod quidem est justum pretium. Hoc pretium Deus lubenter accipit. Speravimus enim in Deo vivo, qui est servator omnium hominum, maxime autem fidelium. Alii autem qui mundo adhæserunt, ut marinis petris alga, contemnunt immortalitatem: sicut senex Ithacensis, qui non veritatem & cœlestem patriam, eamque quæ vere est lucem, sed fumum optabat. Pietas autem, quæ Deo hominem quoad ejus fieri potest assimilat; convenientem sibi magistrum adscribit, nempe Deum, qui vel solus potest pro dignitate hominem Deo assimilare.

Hanc doctrinam Apostolus cum sciret vere esse divinam, Tu autem, inquit, ô Timothee, ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem in Christum. Sunt enim

vere

vere ſacræ literæ, quæ ſacros faciunt & deificant. Ex quibus literis & ſacris ſyllabis compoſitas ſcripturas & opera, idem conſequenter Apoſtolus appellat divinitus inſpiratas, ut quæ ſint utiles ad docendum, ad arguendum, ad erigendum, ad inſtruendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne bonum opus inſtructus. Non adeo autem admirabitur quiſpiam aliorum ſanctorum adhortationes, ut ipſum Dominum, qui eſt benignus ac humanus. Nullum enim aliud eſt ei præterquam hoc ſolum opus, ut homo ſalvus fiat. Clamat ergo ipſe urgens ad ſalutem: Appropinquavit regnum cœlorum. Convertit homines timori appropinquantes.

Eadem quoque ratione Apoſtolus Domini adhortans Macedonas, ſit divinæ vocis interpres, dicens: Appropinquavit Dominus, cavete ne deprehendamur vacui. Vos autem qui eſtis adeo egeni, vel potius increduli, neque ipſi Domino credentes, neque Paulo, & maxime roganti pro Chriſto, guſtate & videte quod Chriſtus eſt Deus, fides introducet, experientia docebit, Scriptura inſtituet: Venite dicens, ô filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Deinde ut iis qui jam crediderunt, breviter ſubjungit: Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Nos ſumus, inquiemus, qui ſumus boni adoratores, qui bonorum æmulatores ac ſectatores. Audite ergo qui eſtis longè, audite qui propè. Nullis celatum eſt Verbum, lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus. Nullus eſt in Verbo Cimmerius, feſtinemus ad ſalutem, ad regenerationem. Ut in unam multi cogamur dilectionem, per monadicæ eſſentiæ unionem, feſtinemus beneficio affecti, convenienter perſequamur unionem, bonam exquirentes unitatem. Quæ eſt autem ex multis unio, cum ex vocum multitudine & diſperſione divinam ceperit harmoniam, unus ſit concentus, unum chori ducem ſequens & magiſtrum Verbum, in eadem acquieſcens veritate, dicens, Abba pater. Hanc Deus veram vocem amplectitur, eam primam à ſuis filiis percipiens.

At, inquitis, non eſt fas nobis evertere conſuetudinem traditam à patribus. Cur vero non primo alimento lacte utimur, cui certè in lucem editos nutrices nos aſſuefecere? Cur vero paternas facultates augemus aut diminuimus, & non æquales, ut accepimus, conſervamus? Cur autem non amplius in ſinu paterno vomimus, vel etiam alia, quæ dum infantes faceremus, & aleremur à matribus, riſum movimus, non amplius facimus? ſed nos ipſos, etiamſi pædagogos minime habuimus, correximus. Deinde in perturbationibus quidem exceſſus, etſi ſint damnoſi & periculoſi, dulces tamen accidunt: in vita autem, non improbam perturbationibuſque obnoxiam ac impiam relinquentes conſuetudinem, etſi patres ægre ferant, declinabimus ad veritatem, & eum qui vere Pater eſt inquiremus, tanquam letifero aliquo veneno ejecta conſuetudine?

Hoc ipſum enim eſt pulcherrimum argumentum, ad vobis oſtendendum, quod ex inſania & hac longè infeliciſſima conſuetudine odio habita eſt pietas & Dei cultus. Nunquam enim eſſet odio habitum vel recuſatum tantum bonum, quo generi hominum nullum à Deo datum eſt præſtantius, niſi abrepti à conſuetudine, deinde occluſis auribus, ut equi duræ cervicis habenas detrectantes, & ore frænum mordentes, fugeretis rationes, veſtrę vitæ aurigas nos excutere è vita cupientes: ſed vos ipſos præ inſcitia præcipites dantes in exitium, ſanctum Dei Verbum duceretis execrandum. Veſtræ itaq; electionis vos conſequuntur præmia, ex Sophoclis ſententia:

Mens nulla, & auris irrita, irritus labor.

Et neſcitis hoc eſſe longe omnium veriſſimum, quod boni quidem & pii bonam conſequentur remunerationem, ut qui bonum honorarint: qui autem contra ſunt mali, ſupplicium conveniens. Ac etiam vitii principi imminet ſupplicium. Ei certe minatur Zacharias. Increpabit te qui elegit Hieruſalem. Non ecce hoc eſt ut torris evulſus ex igne? Quænam ergo adhuc ineſt hominibus appetitio mortis voluntariæ? Cur vero ad mortiferum hunc torrem cõfugerunt, cum quo comburentur, cum liceat recte ex Deo vivere, non ex conſuetudine? Deus enim vitam largitur. Mala autem conſuetudo poſt exceſſum ex hac vita, vanam pœnitentiam affert cum ſupplicio. *Paſſus novit quoq; ſtultus*, quod perdit dæmonum ſuperſtitio, & ſalutem dat verus Dei cultus.

Videat veſtrum aliquis eos qui adorant ſimulachra, ſordida coma, veſte ſenta & lacera deformatos, à lavacris quidem omnino abſtinentes, excreſcentibus autem unguibus efferatos, & multos etiam pudendis privatos, re ipſa oſtendentes, templa idolorum eſſe quædam ſepulchra vel carceres. Hi certe mihi lugere Deos non colere videntur, ut qui ea paſſi ſint, quæ ſunt potius miſericordia digna, quam Dei cultu ac religione. Et hæc videntes vos adhuc cæcutitis, nec ad univerſi Dominum reſpicietis? Nec ex iis qui hic ſunt carceribus fugientes, ad eam quæ eſt ex cœlis confugietis miſericordiam? Deus enim ex multa benignitate & clementia hominem retinet & complectitur, ſicut cum pullus è nido excidit, mater avis e nido advolat. Si quando autem ſerpens pullo devoraturus inhiet, mater circumvolat, *natos chariſſima pignora deflens.* Deus autem pater & ſuum quærit figmentum, & ei quod lapſum eſt medetur, & feram perſequitur, & pullum rurſus in nidum recipit, ut rurſus advolet incitans. Et vero canes, qui jam aberrarunt ſagacibus naribus quærentes, Dominum inveſtigant: Novit autem, inquit, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non novit. Quid ergo Dominus? Injuriæ acceptæ obliviſcitur, adhuc miſeretur, adhuc poſtulat pœnitentiam.

Volo autem vos rogare, an non vobis videtur abſurdum, vos ipſos qui eſtis Dei figmentum, & ab ipſo animam accepiſtis, & omnino Dei eſtis, alii ſervire Domino, & præterea colere quidem pro rege tyrannum, pro bono autem malum? Quis enim, ô per veritatem, ſanæ mentis, bonum relinquens verſatur cum vitio? Quis eſt autem qui Deum fugiens, vivit una eum dæmoniis? Quis cum poſſit eſſe Dei filius, delectatur ſervitute? Aut quis cum cœli poſſit eſſe civis, erebum perſequitur, cum ei liceat colere paradyſum, & cœlum circumcirca obire, vitalisque & puri eſſe fontis particeps, per lucidam illam in aëre ſuis veſtigiis ambulando nebulam, & contemplando, ut Helias, ſalutarem pluviam? Illi autem, inſtar vermium, in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus & ſtultis paſcuntur delitiis, ſuilli homines. Sues enim, inquit, cœno magis delectantur quam aqua munda: & in congeſtæ paleæ verſari cumulo, eſt quædam inſana eis delectatio, ut ait Democritus. Ne ergo, ne evadamus mancipia, neque porcis efficiamur ſimiles, ſed ut germani filii lucis intueamur lucem & ſurſum aſpiciamus, ne nos eſſe adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum ſol aquilas.

Ducamur ergo pœnitentia, & ex ignoratione traducamur ad ſcientiam, ex imprudentia ad prudentiam, ex intemperantia ad temperantiam, ex injuſtitia ad juſtitiam, ex impietate & nulla religione ad Deum. Pulchrum eſt periculum ad Deum transfugere. Multa alia poſſumus bona conſequi nos juſtitiæ amatores, qui æternam ſalutem perſequimur. Quinetiam eorum quæ Deus ipſe tacite ſignificat, loquens per Etaiam, eſt hæreditas iis qui colunt Dominum. Eſt pulchra quidem certe & amabilis hæreditas, non aurum, non argentum, non veſtis, in qua ſunt tineæ: nec res terrenæ quas ſubit latro in divitiis terreſtribus cæcutiens, ſed theſaurus ille ſalutis, ad quem oportet eos contendere qui Verbi fuerint amatores. Hinc autem nobiſcum abeunt bona opera, & veritatis pennis ſimul evolant. Hanc nobis hæreditatem æternum Dei tradit teſtamentum, donum æternum ſuppeditans.

Hic autem amore noſtri præditus noſter pater, vere pater, non ceſſat adhortari, admonere, docere, diligere. Neque enim ceſſat dare ſalutem. Conſulit autem ea quæ ſunt optima. Efficiamini juſti, ait Dominus. Qui ſititis, ite ad aquam: & quicunque non habetis pecuniam, ite & emite, & bibite abſque pecunia. Adhortatur ad lavacrum, ad ſalutem, ad illuminationem, propemodum clamans & dicens: Do tibi, ô fili, terram & mare, & cœlum, & quæ in eis ſunt tibi omnia largior animantia. Solummodo ô fili patrem ſitias. Deus tibi gratis oſtendetur. Non cauponatur veritas, dat tibi & volucria & naturalia & terreſtria animantia. Hæc tuis cum gratiarum actione ſumendis voluptatibus pater eſt fabricatus: quæ pecunia quidem emet qui eſt adulterinus, & filius perditionis, cujus inſtitutum eſt ſervire mammonæ: tibi autem tua permittit, legitimo dicit filio, qui amat patrem, per quem adhuc operatur, cui etiam ſoli promittit, dicens: Et ad ſtabilimentum extendetur terra. Interitui enim ſeu corruptioni non confirmatur. Mea eſt enim univerſa terra: ea autem tua quoque eſt, ſi Deum receperis. Unde iis qui crediderunt, merito annunciat Scriptura: Sancti autem Domini, erunt hæredes Dei gloriæ & potentiæ. Quænam eſt, dic mihi ô beate, gloria? Quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, & lætabuntur in regno Domini ſui in æternum. Amen.

Habetis ô homines divinam gratiæ promiſſionem: audiviſtis etiam alias ſupplicii minas, per quas dat ſalutem Dominus, & gratia & metu hominem inſtituens. Quid cunctamur? cur non ſupplicium effugimus? Cur non donum ſuſcipimus? Cur non eligimus ea quæ ſunt præſtantiora, Deum malo, & idololatriæ præferentes ſapientiam, & vitam morte commutantes? Ecce, inquit, ante faciem veſtram poſui mortem & vitam: tentat te Dominus ut vitam eligas. Conſulit tibi ut pater, Deo obedite. Si enim me, inquit, audieritis & volueritis, bona terræ comedetis. Obedientiæ eſt gratia. Sin autem mihi non obedieritis, neque volueritis, gladius vos & ignis devorabit. Inobedientiæ judicium. Os enim Domini hæc locutum eſt, Lex veritatis, Verbum Domini.

Vultis ego vobis bonus ſim conſiliarius? Sed vos quidem audite, ego autem, ſi fieri poſſit, oſtendam. Vos quidem oportebat, ô homines, de ipſo bono cogitantes, teſtem à natura inſitum & eum fide dignum adducere, nempe fidem, quæ per ſe apertè eligit id quod eſt optimum ac præſtantiſſimum, nec quærere aut laborare an ea ſit perſequenda. Etenim an aliquem inebriari oporteat, verbi gratia, dubitare oportet? Vos autem inebriamini, priuſquam conſideraveritis. Et an injuria ſit facienda, non valde eſtis ſoliciti, ſed quamprimum injuriam facitis. ſolum autem an Deus ſit colendus quæritis: & an ſapiens, hoc eſt, Deus & Chriſtus ſit ſequendus, hoc conſultandum & conſiderandum eſſe cenſuiſtis, cum ne quidem adhuc quid ſit id quod Deum decet, cogitaveritis. Credite nobis, ſi vos invaſerit ebrietas, ut ſobrii & moderati ſitis. Credite, ſi affecti eſtis injuria, ut vivatis. Si autem vultis credere evidentem virtutum fidem ſuſpicientes, ex redundanti quadam copia vobis adducã de Verbo perſuaſionem. Vos autem (patrii enim mores adhuc vos præoccupatos abducunt à veritate) jã quomodo ſe habeat id quod ſequitur, audite. Neq; vero hujus nominis pudor afficiat, qui viri. affert damnũ maximum, à ſalute divertens.

In veritatis ergo stadio, nos apertè exuentes, germanè ac legitimè certemus, designatore quidem Verbo sancto, certamen autem ac præmium certaminis agonotheta proponente Domino universorum. Non enim parvum nobis certaminis proponitur præmium immortalitas.

Non curetis ergo, nec si vobis detrahant qui forensium rabularum quisquiliæ, superstitionis impium ducentes chorum, amentia & insania in ipsum deturbati barathrum, simulachrorum factores, & adoratores lapidum. Illi enim ausi sunt homines in Deos referre, tertium decimum Macedonem Alexandrum in Deorum numerum adscribentes, quem Babylon arguit mortuum. Divinum itaq; admiror Sophistam: nomen ei erat Theocritus. Is post mortem Alexandri vanas hominum irridens opiniones quas de diis habebant, dixit ad cives: O viri, inquit, bono estote animo, donec videtis Deos mori ante homines. Hos autem Deos qui sub aspectum cadunt, & horum qui sunt geniti, promiscuam qui adorat colluviem, eisque associatur, is est dæmonibus illis longe infelicior. Deus enim nullo modo est injustus ut Dæmones, sed quam fieri potest justissimus: neque est illi quicquam similius, quam qui ex nobis fuerit quam justissimus. Ite in viam omnis qui illiberalem manuum artem exercet, populus, qui Minervam Jovis filiam Gorgopin & Ergatin statutis ventilabris colitis; stulti lapidum opifices iidemque adoratores. Veniant Phidias vester & Polycletus, & rursus Praxiteles, & Apelles, & quicunque illiberales & sordidas tractant artes, qui sunt terreni terræ operarii. Tunc enim, inquit quædam prophetia, res hic se habebunt infeliciter, quando crediderint statuis. Veniant rursus (non enim desinam vocare) viles abjectique artifices: nullus utique ex his spirantem fabricatus est imaginem, sed neq; ex terra mollem carnem effecit.

Quis liquefecit medullam? aut quis fecit ut ossa concrescerent? quis nervos distendit? quis venas inflavit? quis in ipsis sanguinem infudit? aut quis cutem extendit? ubinam autem quis eorum oculos fecit videntes? quis inspiravit animam? quis donavit justitiam? quis promisit immortalitatem? Solus universorum opifex Pater, cujus est ars longe optima ac præstantissima, talem animatam imaginem, nos, nempe hominem fecit. Olympius autem vester, imago imaginis, longe à veritate discrepans, est surdum opus manuum Atticarum. Est enim Dei imago ejus verbum. Et filius mentis legitimus divinum illud Verbum, lucis lux archetypa. Verbi autem imago est homo. Vera mens est quæ in homine est, qui ad Dei imaginem & similitudinem propterea factus esse dicitur, prudentiæ quæ est in corde, divina ratione assimilatus, & ea ratione Verbi rationisque particeps. Hominis autem terrigenæ, qui videtur, terrena imago, sunt quæ viri similitudinem referunt effigies. Procul à veritate cernitur id quod est ad tempus expressum ac efformatum. Nihil ergo aliud nisi furore plena mihi facta esse vita videtur quæ tanto circa materiem versatur studio.

Permissa est autem à vana opinione consuetudo, quæ vos quidem fecit gustare servitutem, curamque super acaneam & à ratione alienam. Legum autem iniquarum & fallaciam imitationum ignorantia, cum jam generi humano fati exitialis & imaginum execrandarum causa extitisset, multas Dæmonum excogitando formas, iis qui eam sequuntur longæ mortis impressit maculam. Rationalem ergo aquam accipite. Lavamini qui estis polluti. Veris vos aspergite guttis & emundate à consuetudine. Mundos homines cœlum oportet conscendere. Homo es, quære id quod est maxime commune, eum qui te est fabricatus. Filius es, id quod est maxime proprium, agnosce, patrem. Tu autem adhuc permanes in peccatis, extabescens & liquescens voluptatibus? Cui loquetur Dominus? Vestrum est regnum cœlorum, vestrum est, si velitis, liberam animi voluntatem ad Deum dirigendo, si tantum velitis inquam credere, & compendium sequi prædicationis. Quam cum audivissent Ninevitæ, expectatam captivitatem per germanam syncerámque pœnitentiam egregiâ salute commutavere. Quomodo ergo inquit, cœlos conscendam? Via est Dominus, angusta quidem, sed ex cœlis: angusta quidem, sed quæ mittit ad cœlos: angusta, quæ despicitur in terra: lata, quæ adoratur in cœlis.

Deinde qui Verbum quidem non audivit, ei venia datur propter ignorantiam. Qui autem haurit auribus, & animæ sua sponte infert incredulitatem, quo videbitur esse prudentior, tanto magis nocebit ei intelligentia ipsius, quia accusat eum prudentia, quod id quod optimum est non elegerit. Est enim alioqui homini à natura ingeneratum, ut ei quædam intercedat cum Deo conjunctio. Quemadmodum ergo equum non cogimus arare, neque taurum venari, ad id autem quod natura aptum est animal unumquodq; trahimus sic certe hominem qui natus est ad cœli contemplationem, & vere est planta cœlestis, ad Dei cognitionem adhortamur, id quod ejus est proprium, eximium, & peculiare sumentes, & sufficiens sæculorum viaticum, pietatem & Dei cultum comparet, consulentes. Terram cole, dicimus, si es agricola: sed cognosce Deum, terram colens: & naviga, qui teneris amore navigationis, sed cœlestem assumens gubernatorem. Te militantem deprehendit cognitio. Audi Imperatorem qui tibi justa significat.

Tanquam ergo crapula gravati & ebrietate, redite ad sobrietatem, & apertis oculis, parum cum animis vestris cogitate, quidnam sibi velint qui à vobis adorantur lapides, & quæ vano studio in materiam expenditis. In ignoratione & facultates & opes, sicut etiam vestram vitam, in morte consumitis, cum vanæ vestræ spei hunc solum finem inveneritis, nec vestrum possitis misereri. Sed nec ut iis qui miserentur vestri erroris credatis, apti estis, mancipati malæ consuetudini, à qua pendentes, vestra sponte usque ad extremum spiritum itis ad interitum. Lux enim venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, cum liceat ea amovere quæ saluti impedimentum afferunt, fastum, divitias, & timorem, proferendo hoc poeticum: *Quo tandem nummos hos defero, & ipse quoque erro?* Si vultis ergo, his inanibus abjectis phantasiis renunciare ipsi consuetudini, dic vanæ gloriæ, *Valete falsa (nil sui-ſſis) somnia.* Quid enim, ô homines, existimatis Typhonem, & Andocidem, & Mercurium, & Amyetum? an non cuilibet utique manifestum est lapides esse eos sicut Mercurium?

Ut autem non est Deus area, & ut non est Deus iris, sed sunt aerum & nubium quædam affectiones: & quemadmodum dies non est Deus, neque mensis, nec annus, neq; tempus, quod ex his completur: sic neque Sol, nec Luna, quibus definitur unum quodque eorum quæ prædicta sunt. Quis itaque sanæ mentis, pœnam, & supplicium, & justitiam & Nemesin Deos esse putaverit? Nam neque Furiæ, nec Parcæ, nec fatum: quoniam nec respublica, nec gloria, nec Plutus, id est, divitiæ, quem & pictores cæcum depingunt. Si autem Verecundiam & Amorem & Venerem in Deos refertis, eos consequantur pudor & appetitus, & pulchritudo. & coitus. Non ergo amplius jure dii apud vos Gemelli existimabuntur, Somnus & Mors, cum ea sint affectiones quæ naturaliter animalibus eveniant? Sed neque Fatum, nec Parcas, Deos merito dicetis. Si autem lis & pugna non sunt dii, nec Deus est Mars, nec Enyo. Præterea autem si fulgura & fulmina & imbres non sunt dii, quomodo sunt dii ignis & aqua? Quomodo autem quæ διαιωνιτες, hoc est, aerem percurrentes dicuntur, & Cometæ, qui ex affectione aeris existunt? Qui Deam autem dicit fortunam, Deam quoq; dicat actionem.

Si ergo nullum ex his censetur esse Deus, sed nec ex illis insensilibus & manu factis figmentis: cernitur autem quædam in nos divinæ potentiæ providentia: restat nihil aliud quam ut hoc confiteamur, quod solus verè sit & consistit, qui vere est solus Deus. Verum enimvero hominibus qui mandragoram, vel aliquod aliud pharmacum biberunt, stulti sunt similes. Deus autem vobis concedat, ut ex hoc somno aliquando excitemini, & Deum intelligatis: neque aurum, vel lapidem, vel arborem, vel actionem, vel affectionem, vel morbum, vel timorem, ut Deum effingatis. Vere enim sunt in alma terra tres Dæmonum myriades, non immortalium sed neque mortalium: nam neque sunt sensu præditi, ut mortis sint quoque participes, sed lapidei & lignei, hominum domini, qui vitam hominum violant & injuria afficiunt per consuetudinem. Lomini autem, inquit, est terra & plenitudo ejus. Deinde cur in iis quæ sunt Domini, voluptati & delitiis indulgens, audes ignorare Dominum? Relinque meam terram, inquiet tibi Dominus, ne tangas aquam quam tibi dono, ne sis particeps fructuum quos ego colo. Alimenta, ô homo refer Deo accepta, agnosce tuum Donum, proprium es Dei figmentum. Quod autem est ejus proprium, quomodo jure fiat alienum? Quod est enim abalienatum cum privetur proprietate, privatur veritate.

An non enim quodammodo ut Niobe, vel ut magis mysticè ad vos loquar, instar uxoris viri Hebræi (eum Loth appellabant veteres) evasistis omni sensu vacui? Hanc mulierem factam esse lapidem accepimus, quod Sodoma amaret. Sodomitæ autem erant athei & qui versabantur adhuc in impietate, duro corde & stolidi. Has tibi existima voces dici divinitus. Num existimas lapides esse templa & ligna & aves & serpentes, non autem homines? Imo contra, vere quidem sacros homines existima, feras autem & lapides id quod sunt. Miseri enim & felices homines per corvum quidem & graculum existimant Deum clamare, per hominem autem tacere: & honore quidem corvum afficiunt, ut Dei nuncium: Dei autem hominem persequuntur, non crocitantem, nec clocitantem: sed, proh dolor, è ratione loquentem, benigniſque & humanis vocibus alios instituentem, inhumanè conantur occidere, dum vocat ad justitiam: neque quæ superne descendit gratiam recipientes, neque supplicium declinantes. Deo enim non credunt, neq; ejus ediscunt potentiam.

Cujus autem est ineffabilis humanitas, ejus est improbitatis odium quod aptum transcendit. Alit autem ira suppliciunt propter peccatum: bene facit autem humanitas propter pœnitentiam. Dei autem privari auxilio est longe miserrimum. Oculorum certe orbitas, & aurium surditas, majori dolore afficiunt, quam cætera maligni commoda. Illa enim aspectu cœlesti est privata: hæc vero, orbata est cœlesti doctrina. Vos autem, qui quod ad veritatem quidem attinet, estis manci, & mente quidem cæci, surdi autem intelligentia, non doletis, non ægre fertis, non cœlum videre & cœli effectorem desideratis, nec universorum opificem & patrem audire & discere quæsistis, institutum & liberam animi voluntatem saluti conjungentes? Nullum enim ei qui ad Dei cognitionem contendit, impedimentum obsistit, non liberorum orbitas, non paupertas, non ignominia, non egestas possessionum. Neque quispiam eam, quæ vera verè est, sapientiam optat excindere, & ære ferrove commutare. Id enim elegit potius, quam quidvis aliud. Christus est ubique salutaris. Qui enim justi est æmulator, ut qui est amator ejus qui nullius est egenus, paucis indiget, ut qui non in aliquo alio, quam in ipso & Deo, beatitudinis thesaurum reposuerit, ubi non est tinea,

nitea, non fur, nõn pirata, sed bonorum æternus dator. Merito erãgo similes serpentibus illis estis, qui clausas habent aures incantatoribus. Animus enim eis, inquit Scriptura, est ad similitudinem serpentis, tanquam surdæ aspidis & aures suas obturantis, quę non exaudiet vocem incantantium. Sed vos quidem reveremini sanctitatem, miteque nostrum verbum suscipite, & virus letale expuite, ut vobis quoque interitum, sicut illis senium, exuere concedatur. Audite me, nec aures obstruite, nec auditum obsepite, sed menti ea quæ dicuntur imprimite. Immortalitatis pulchrum est medicamentum. Reptiles ac serpentinas tandem conversiones sistite. Inimici enim Domini terram lingent, inquit Scriptura: à terra in ætherem extollamini, respicite in cœlum, admiremini, desinite insidiari calcaneo justorum & viam veritatis impedire. Estote prudentes & innoxii: fortasse Dominus utique vobis dabit pennam simplicitatis, (vult enim pennis induere eos qui è terra sunt nati) ut relictis lustris cœlos habitetis. Solummodo extoto corde ducamur pœnitentia, ut ex toto corde Deum capere possimus. Sperate in ipsum, inquit, tota populi congregatio, effundite coram ipso omnia corda vestra. Iis dicit qui sunt recentes ab improbitate, miseretur, & implet justitia. Crede homo homini & Deo. Crede homo Deo viventi, qui passus est & adoratur. Credite servi mortuo, omnes homines credite ei qui solus est Deus ex omnibus hominibus, Credite, & mercedem accipite salutem Quærite Deum, & vivet anima vestra. Qui quærit Deum, est de propria salute sollicitus. Invenisti Deum, habes vitam. Quæramus ergo, ut etiam vivamus. Merces inventionis, vita est apud Deum.

Exultent & lætentur in te omnes qui te quærunt, & dicant perpetuò, magnificetur Deus. Pulcher hymnus Dei homo immortalis, qui justitia ædificatur, in quo sunt insculpta eloquia veritatis. Ubi enim est alibi quam in anima temperanti ac moderata inscribenda justitia? ubi charitas? ubi autem pudor? & ubi mansuetudo? Oportet, ut existimo, ut qui his divinis sunt scripturis obstignati, existiment eos esse optimos carceres à quibus emittatur sapientia, ad quamcunque vitæ partem ii conversi fuerint, & eundem salutis portum nullis agitatum fluctibus putent sapientiam: per quam sunt quidem boni patres filiorum, qui ad patrem confugerunt: boni autem sunt filii in parentes, qui filium intellexerunt: boni autem mariti uxorum, qui sponsi meminerunt: boni autem famulorum domini, qui sunt ab extrema servitute liberati.

O errore qui est in hominibus bestiæ beatiores, quæ quidem in ignorantia ut vos versantur, veritatem autem nequaquam falso imitantur ac simulant. Non sunt apud eas genera adulatorum. Pisces dæmones non colunt superstitiose, aves non adorant simulachra. Unum cœlum solum stupent, quoniam Deum non possunt intelligere, ut quibus non sit concessa ratio. Deinde non erubescitis, quod vosipsos feceritis piscibus minus participes rationis, qui per tot ætates contriti estis in impietate? Fuistis infantes, deinde pueri, deinde puberes, deinde viri, boni autem nunquam. Senectutem saltem reveremini, cum in vitæ sitis occasu. Respicite, moderatique ac temperantes, vel in fine vitæ evadite. Deum agnoscite, ut vobis vitæ finis suscipiat initium salutis. Contenuistis in falsa dæmonum religione, venite juvenes ac recentes ad Dei cultum veramque religionem. In numerum puerorum simplicium vos referat Deus.

Leges quidem Solonis sequatur Athenienssis, & Argivus leges Phoronei, & Spartanus Lycurgi. Si autem ipsum Deo asseribis, cœlum quidem tibi est patria, Deus autem legislator. Quænam autem sunt leges? Non occides, adulterium non committes, puero stuprum non inferes, non furaberis, non dices falsum testimonium: diliges Dominum Deum tuum. Horum autem sunt etiam implementa leges rationes, & verba sancta, si in ipsis inscribantur cordibus: Diliges proximum tuum sicut teipsum, &, tibi percutienti maxillam, præbe etiam alteram. Non concupisces: sola enim concupiscentia admisisti adulterium. Quanto est melius hominibus ab initio ea quæ non oportet nolle concupiscere, quam assequi ea quæ concupieris? Vos vero salutis sustinere non potestis acrimoniam. Quemadmodum autem cibis dulcibus delectamur, eos pluris facientes propter jucunditatem voluptatis: curant autem & sanant amara, quæ sensum quidem exasperant: cum eos qui sunt imbecillo stomacho, confirmet medicamentorum acrimonia, sic delectat & jucundo quidem sensu titillat consuetudo. Sed illa in barathrum deturbat consuetudo, in cœlum autem deducit veritas, quæ aspera quidem primum est, sed bona puerorum educatrix: & honestum ac venerandum ejus est cubile, prudens autem moderatusque fenatus.

Neque vero ea est aditu difficilis, neque ejusmodi ut sit eam accipere difficile, sed est proxime in nostris domibus: quemadmodum occulte sapientissimus innuit Moses, in tribus nostris degens partibus, manibus, ore, & corde. Hoc quidem verum est ac germanum signum veritatis, quæ in summa tribus completur, consilio, & actione, & verbo. Neque vero verearis, ne multa ac jucunda animo volventem abducant à sapientia. ipse lubens consuetudinis transilies nugas, sicut etiam pueri, cum ad virilem ætatem pervenerint, abjiciunt ludiera. Celeritate quidem inexuperabili, & quæ facilem aditum præbet benevolentia, divina quæ terræ illuxit potentia, implevit universum salutari semine. Non enim tantum opus in tam parvo tempore absque divina cura & providentia perfecit Dominus, qui visu est despectus, reipsa autem adoratur, qui expurgans, & salutaris, benignusque & clemens est: Verbum divinum qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum domino exæquatus: quoniam erat ejus filius: & Verbum erat in Deo, neque quando est primum prædicatus non creditus, neque quando suscepit personam hominis, nec quando carne formatus egit salutarem actum humanitatis, ignoratus. Fuit enim verus ac germanus decertator, & suæ creaturæ propugnator. Celerrime autem omnibus hominibus traditus, cum Sole celerius ortus esset ex ipsa paterna voluntate, facillime fecit ut Deus nobis illucesceret, undenam ipse esset, & quis esset, per ea quæ docuit & demonstravit, ostendens; fœderis initor & reconciliator, & Servator noster, Verbum, fons vivificus, pacificus, qui per universam terræ faciem diffunditur, per quem, ut semel dicam, effecta sunt omnia, pelagus bonorum.

Parumper autem si velis ab alto repetens, intuere divinum beneficium. Primus homo quando in Paradiso erat, ludebat solutus, quoniam erat Dei puer: quando autem subjecit se voluptati (Serpens allegorice dicitur voluptas, super ventrem repens, malitia terrena, innutrita materiis) illectus est puer cupiditatibus, vir effectus per inobedientiam, & cum patrem non audiisset, Deum affecit ignominia. Quantum virium habet voluptas? Homo qui erat solutus propter simplicitatem, inventus est alligatus peccatis. Eum rursus Dominus solvere à vinculis voluit. qui carne indutus, (ô mysterium divinum!) hunc serpentem subegit, & tyrannum redegit in servitutem, nempe mortem. Et quod maxime est præter opinionem, illum hominem qui seductus fuerat à voluptate, & qui interitui erat alligatus & corruptioni, extensis manibus efficit solutum. O mysticum miraculum! Inclinatus quidem est Dominus, homo autem surrexit, & qui ceciderat ex paradiso, maius obedientię præmium, cœlos accipit.

Quamobrem, ut mihi videtur, quoniam ipsum Verbum ad nos venit cœlitus, non est nobis amplius eundum ad humanam doctrinam, Athenas, & cæteram Græciam, quinetiam Joniam, adinquirendum curiose. Si est enim nobis ille magister, qui implevit omnia sanctis potestatibus, opificio, salute, beneficio, legislatione, prophetia, doctrina, omnia nunc instruit magister, & universum jam Athenæ & Græcia factum est Verbo. Non enim poeticæ credo credidistis fabulæ, quæ Minoem scribit Cretensem usum esse familiari Jovis consuetudine: nobis autem non credetis Dei nos fuisse discipulos, qui eam philosophiam, quæ revera vera est, suscepimus? Quam nec summi per somnium viderunt Philosophi, Christi vero comprehendere & prædicavere discipuli. Atque universus quidem, ut semel dicam, Christus non dividitur. Neque est Barbarus, nec Judæus, nec Græcus, nec masculus, nec fœmina: est autem novus homo, Dei sancto Spiritu transformatus.

Deinde alia quidem consilia & admonitiones, & molestæ sunt, & sunt de iis quæ sunt singularia, an ducenda sit uxor, an sit gerenda respublica, an procreandi filii. Generalis autem sola, & quæ ad totam scilicet spectat vitam in omni tempore, in omni eventu, & ad id quod est præcipuum, vitam dirigit, est pietas ac Dei cultus. Qua ratione solum quoque vivere necesse est, ut semper vivamus: Philosophia autem, ut dicunt veteres, est diuturnum sapientię consilium, quod æternum ambit amorem. Præceptum autem Domini lucidum illuminans oculos. Suscipe Christum, suscipe visum, suscipe lucem, *Ut recte simul agnoscas hominemque Deumque.*

Dulce est verbum, quod nos illuminavit super aurum & lapidem pretiosum: desiderabile super mel & favum est. Quomodo enim non est desiderabile, quod mentem in tenebris defossam, operantem effecerit & efficacem; & animæ luciferos acuerit oculos?

Quemadmodum enim si sol non esset; quod ad alia quidem astra attinet, nox essent omnia: ita nisi Verbum cognovissemus; & eo illuminati essemus, nihil differremus ab avibus quæ pascuntur, ut qui pingueſanius in tenebris, & morte nutriamur. Capiamus lucem, ut Deum capiamus, capiamus lucem; ut simus Domini discipuli. Hoc certe Patri quoque est pollicitus. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Lauda; & narrabo tibi patrem tuum Deum. Salvum faciunt tuæ narrationes. Docebit me canticum, quod huc usque erravi quærens Deum. Quoniam autem ad lucem me deducis Domine, & Deum invenio per te & Patrem accipio abs te, fio tuus cohæres, quoniam fratris te non puduit. Auferamus ergo, auferamus oblivionem veritatis, ignorantia tenebrisque, quæ sunt impedimento oculis perinde ac caligo remotis, eum qui vere est Deus contemplemur; hanc ei primum vocem in hymno acclamantes: Salve lux: quoniam lux nobis è cœlo exorta est, qui defossi eramus in tenebris, & inclusi in umbra mortis: lux, inquam, sole purior, & vita quæ hic est jucundior. Illa lux vita est æterna, & vivunt quæcunque eam participant. Nox autem veretur lucem, & propter timorem occidens, cedit diei Domini. Fiunt omnia lux quæ sopiri non potest, & occasus credidit orienti. Hoc nova voluit creatura. Qui omnia enim obequitat sol justitiæ, æque obit humanitatem, imitans patrem qui æque super omnes facit oriri solem suum, & rorem instillat veritatis. Is occasum traduxit in orientẽ, & mortem in vitam cruci affixit: ab exitio autem abreptum hominem, in æthere suspendit, corruptionem in id quod, corruptione caret, quasi transplantans: & terram mutat in cœlum Dei agricola.

Prospera significans, populosq; ad munia bona excitans, veram vitam in memoriam redigens, & vere magnam, & divinam, & quæ auferri non potest nobis hæreditatem largiens, cœlesti doctrina homi-

hominem Deum faciens, dans legem in mentem ipsorum, & ea scribens in corde.

Quasnam scribit leges? Quod omnes scient Deum à magno usque ad parvum. Et propitius, inquit Deus, ero ipsis, & peccatorum eorum non recordabor. Suscipiamus leges vitæ, pareamus Deo exhortanti. Discamus ipsum, ut sit propitius. Reddamus illi, licet non egenti, gratam mercedem, affectus bene compositos, & veluti inhabitatæ domus mercedem, pro nostra quæ est hic inhabitatione, Deo pietatem ejusque cultum demus.

Aes pro auro pondusque novem, pro pondere centum,
Taurorum. ——

Pro modica fide dat tibi tantam terram quam colas: aquam, ut bibas, & aliam, ut naviges: aerem, ut respires: ignem, ut opereris: mundum, ut inhabites. Hinc tibi concessit in cœlos mittere coloniam. Hæc tot & tanta magna opera & munera modica fide locavit.

Ac illi quidem qui præstigiatoribus credunt, amuleta & incantationes accipiunt ut salutares. Vos autem ne ipsum quidem Verbum cœleste, qui est servator, alligare vobis vultis, & Dei credentes incantationi, liberari quidem a vitiis & perturbationibus, quæ sunt morbi animi: avelli autem à peccato. Est enim peccatum mors æterna. Estis plane edentuli & cæci sicut talpæ, & nihil aliud quàm comedentes, degitis in tenebris, circumfluentes interitu & corruptione. Sed est veritas quæ clamat. Ex tenebris lux lucebit. Luceat ergo lux in occulto hominis, nempe in corde, & exoriantur radii cognitionis, eum qui intus est occultus, hominem manifestantes & illustrantes, discipulum lucis, qui est Christi familiaris & cohæres: maxime quando pio & bono filio, maxime honorandum & colendum boni Patris nomen venerit ad cognitionem, imperantis lenia, & filio jubentis ea quæ sunt salutaria. Qui autem ei paret, in omnibus magna commoda percipit, sequitur Deum, paret Patri, se errare cognoscit, Deum diligit, diligit proximum, implet mandatum, quærit præmium, postulat promissum. Deo autem semper est propositum servare gregem hominum. Et ideo pastorem bonum, bonus misit Deus. Verbum autem explicata veritate, ostendit hominibus altitudinem salutis, ut vel salvi fierent ducti pœnitentia, vel judicarentur, si non obediissent. Hæc est prædicatio justitiæ, iis quidem qui parent, evangelium, seu bonus nuncius: iis autem qui non obedierint, judicium.

Sed terrifica quidem tuba classicum canens, congregavit milites, & bellum denuntiavit. Christus autem qui pacificum carmen in fines terræ inspiravit, non congregabit suos milites pacificos? Collegit quidem, ô homo, sanguine & Verbo cruentum exercitum, & regnum cœlorum eis tradidit. Tuba est Christi, ejus Evangelium. Is quidem tuba cecinit, nos autem audivimus. Armemur pacificè, induentes thoracem justitiæ & fidei clypeum assumentes, & galeam salutaris imponentes, & acuamus gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Ita nos Apostolus ordinat pacifice. Hæc sunt arma nostra invulnerabilia. His armati, confligamus instructa acie adversus malum, ignita mali jacula extinguamus aqueis, à Verbo tinctis cuspidibus, beneficia remunerantes gratis benedictionibus, & Deum verbo Divino honorantes. Adhuc enim loquente, dicet, inquit: Ecce adsum. O sanctam & beatam hanc potentiam, per quam Deus versatur unà cum hominibus. Melius est ergo & præstantius imitatorem simul & cultorem optimæ ac præstantissimæ eorum quæ sunt essentiæ fieri. Non poterit enim quis Deum imitari, nisi eo quod sanctè colat: neque colere ac venerari, nisi eum imitetur. Qui est enim cœlestis amor & vere divinus, hac ratione accedit hominibus, quando in ipsa anima id quod vere est honestum, à Verbo divino excitatum, pulcherit effulgere. Et quod est maximum cum germana ac syncera voluntate una concurrit salus, simul, ut semel dicam, conjugatis libera animi electione & vita. Proinde hæc sola veritatis adhortatio fidelissimis similima est amicis, permanens usque ad extremum spiritum, & bona dux ac comes toto ac perfecto spiritu animæ, iis qui tendunt ad cœlum.

Quid autem te adhortor? Urgeo ut talvus nas. Hoc vult Christus, uno verbo tibi vitam largitur. Et quodnam est hoc? Discepauducis. Verbum veritatis, Verbum incorruptionis, quod hominem regenerat, ipsum reducens ad veritatem, stimulus salutis, qui abigit interitum, qui mortem persequitur, qui ædificavit templum in hominibus, ut in hominibus Deum collocet. Fac ut templum sit castum ac mundum, & voluptates & delicias, tanquam caducum & brevem florem, relinque vento & igni. Temperantiæ autem ac moderationis sapienter fructus cole, & Deo teipsum consecra primitias, ut non solum sit opus, sed etiam Dei gratia. Decet autem utrumque, & Christo familiarem videri, & dignum regno, & regno esse dignatum.

Fugiamus ergo consuetudinem, fugiamus tanquam scopulum difficilem, aut Charybdis minas, aut fabulosas Sirenes suffocat hominem, à veritate avertit, abducit à vita, est laqueus, est barathrum, est malum ventilabrum consuetudo. Ait quidem ille,

Nam inter fumum hunc recta fluctumque coerce.

Fugiamus, fugiamus ô socii, hæc unda ignem eructat, mala est insula, ossibus & cadaveribus plena. In ea autem canit formosa meretricula, Voluptas, quæ publica oblectat musica:

Gloria Græcorum veni, age huc illustris Ulysse,
Siste ratem, divina audire ut carmina possis.

Laudat te, ô nauta, & celebrem te dicit & illustrem, & Græcorum gloriam sibi vindicat meretrix. Sine eam possidere cadavera, fert sibi opem divinus spiritus. Prætergredere, voluptatem abige:

Atque cave meretrix te fœmina fallere compta
Possit, dulce loquens, quærens te evertere nido.

Præternaviga cantum: mortem operatur. Si solùm velis, vicisti interitum & ligno alligatus, eris solutus ab omni exitio. Gubernabit te Verbum Dei, & ad portum cœlorum te adducet Spiritus sanctus. Tunc meum Deum intueberis, & sanctis illis initiabere mysteriis, iisq; quæ in cœlis sunt recondita, quæ mihi sunt servata, quæ neque auris audivit, nec in cor alicujus ascenderunt.

Videre soles duplices videor mihi. Duasque Thebas, dicebat quidem bacchans idolis, mera ebrius ignorantia. Ego vero ejus misertus fuerim debacchantis, & eum qui sic desipit, ad moderatam temperantemque salutem adhorter: quoniam Dominus quoque pœnitentiam peccatoris & non mortem desiderat. Veni ô vesane, non thyrso innixus, neque hedera redimitus. Abjice mitram, abjice nebridem, sis temperans ac moderatus. Ostendam tibi Verbũ, & Verbi mysteria, narrans convenienter tuæ similitudini. Hic est mons Deo dilectus, qui non tragœdiis quemadmodum Cithæron, argumentum dedit: sed est dedicatus veritatis actibus; mons sobrius, castis umbrosus sylvis. In eo autem bacchantur, non fulmine rectæ Semeles sorores, Mænades, quæ in incesta visceratione carnium initiantur, sed Dei filiæ, pulchræ agnæ, quæ veneranda Verbi orgia concelebrant, chorum moderatum congregantes. Chorus sunt justi. Canticum est hymnus Regis omnium, psallunt puellæ, glorificant. Angeli, Prophetæ loquuntur: editur sonus musicæ, curru Thiasum persequuntur, magno studio festinant qui sunt vocati, patrem cupientes recipere. Veni tu quoque mihi ô senex: relictis Athenis, divinatione abjecta & arte Bacchica, ad veritatem deducere. Ecce do tibi lignum quo innitaris. Festina Tiresia, crede. CHRISTUS illuminabit visum sole splendidius, per quem cæcorum oculi respiciunt: nox te fugiet, ignis perterrebitur, mors peribit. Videbis cœlos ô senex, qui Thebas non aspicis. O vere sancta mysteria. O puram lucem. Præferunt mihi faces, cùm cœlos & Deum aspexero: sanctus fio initiatus. Sacrorum autem interpres est Dominus, & mystam obsignat illuminans, & Patri commendat eum qui credidit, qui servatur seculis.

Hæ mysteriorum meorum debacchationes sunt. Si velis, tu quoque initiare, chorumque cum Angelis circa eum qui ingenitus est, duces, & ab interitu alienus, & qui solus est vere Deus: una hymnum nobiscum canente Deo Verbo. Æternus hic est, JESVS unus, qui magnus pontifex, & unius Dei qui idem quoque est pater, orat pro hominibus, & hortatur homines. Audite gentes innumerabiles, vel potius quicunque ex hominibus estis ratione præditi, & Barbari & Græci, omne genus hominum voco, quorum ego sum opifex voluntate Patris. Venite ad me sub uno Deo collocandi, & uno Dei Verbo: nec expertia rationis animantia sola ratione superate, sed etiam ex universis mortalibus duo fruenda vobis immortalitatem. Volo enim, volo vos hac quoque impertiri gratia, plenum & integrum præbens beneficium. Ut ab omni vindicemini corruptione. Sed & Verbum vobis largior, Dei scilicet cognitionem, perfectum meipsum largior. Hoc sum ego, hoc vult Deus. Hoc est consensio, hoc est concentus & harmonia Patris. Hoc Filius, hoc Christus, hoc Verbum Dei, brachium Domini, potestas universorum, voluntas Patris. Quorum olim quidem imagines, sed non omnes similes. Volo vos corrigere ad exemplar, ut fitis mihi quoque similes: unguento fidei vos ungam, per quod interitum exuitis & corruptionem: & justitiæ nudam ostendam figuram, per quam ad Deum ascenditis. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quod ego sum mitis & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum est suave, & onus meum leve. Festinemus, curramus ô religiosi, & Dei verbi similes, ô homines, imagines, festinemus: curramus, tollamus jugum ejus. Admittamus per incorruptionem præclarum aurigam hominum Christum. Diligamus pullum, cum veteri duxit sub idem jugum, & juncta hominum biga, currum dirigit ad immortalitatem, contendens ad Deum, ut enter impleat quod tacitè significaverat: prius quidem in Hierusalem, nunc autem agens in cœlis. Pulcherrimum est Patri spectaculum filius æternus, victor.

Magno ergo studio & contentione feramur ad honesta, & efficiamur homines pii ac religiosi, & maxime eorum quæ sunt aliena ab affectionibus & perturbationibus, Deum & vitam acquiramus. Est autem Verbum adjutor: bono animo simus, & in eo ponamus fiduciam. Nec nos unquam tantum auri & argenti, & gloriæ subeat desiderium, quantum ipsius Verbi veritatis. Neque enim Deo gratum est, si nos ea quidem quæ sunt maximi pretii, minimi facimus: amentias autem, & ignorantias, & socordias, ac voluptates, & cultus simulachrorum, manifesta probra ac dedecora, & impietatem extremam pluris faciamus. Non absre enim philosophi, quæcunque stulti faciunt, ea impiè gerere, & impios esse existimant. Quinetiam, dum ipsam ignorantiam tanquam insaniæ describunt genus, nihil aliud quàm multos fatentur insanire. Non est ergo dubitandum, inquiet Verbum, utrum sit eorum melius, sapere ac moderatum esse, an insanire. Oportet autem veritati fortiter adhærentes, Deum sequi totis viribus, moderatè se gerentes, & exi sti-

existimare omnia ejus esse sicut sunt. Præterea autem nos quoque cum dicerimus esse rem pulcherrimam ejus possessionem, seipsos Deo permittere, Dominum Deum diligentes, & hoc nostrum esse munus per totam vitam existimantes. Si autem sunt communia ea quæ sunt amicorum (est autem homo religiosus, & Dei amicus Verbo intercedente) sunt omnia hominis, quia sunt Dei omnia: & sunt omnia amborum amicorum communia, Dei & hominis. Nobis ergo hoc nunc refert, ut dicamus, eum solum qui est pius ac religiosus, esse Christianum, & divitem, & temperantem, & generosum, & & ea ratione Dei imaginem cum similitudine, & dicere & credere justum est & sanctum, ut qui à Christo Jesu factus sit cum prudentia, atque adeo jam quoque Deo similis. Non celat itaque Propheta gratiam, dicens: Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes. Nos enim, nos adoptavit, & noster tantùm vult esse pater, non eorum qui fidem non habent. Res ergo nostræ ita se habent, qui Dei assecle sumus. Qualia autem sunt consilia, tales quoque sunt sermones: quales autem sunt sermones, tales etiam actiones: & qualia sunt opera, vita talis. Bona est universa hominum vita, qui Christum cognoverunt. *Protrepti. ad Græcos.*

Idem Clemens. Quinetiam Trasybulo, qui exules ex Phyla reducebat, & latere volebat, dux fit columna, & Thrasybulo noctu per loca non trita ingredienti, cum nec luceret Luna, hybernumq; cœlum esset & caliginosum, videbatur ignis præcedens, qui cum eos citra ullam deviasset offensionem, detexit ubi nunc est ara τῆς φωσφόρου, id est Luciferæ. Vel ex hoc ergo fiunt nostra Græcis credibilia, nempe quod facere potest Deus omnipotens ut columna ignis Hebræos noctu præcedat, quæ etiam dux sit eorum itineris. Porro autem dicitur etiam in quodam responso:

Exhilarans Bacchus Thebanis esse columna.

Ex ea quæ est apud Hebræos historia. Quinetiam Euripides dicit in Antiopa:

Bubulcum hic in cubilibus
Hedera comantem, ornamen Euij Dei.

Significat autem columna, Dei non posse effingi imaginem. Illuminata autem columna, præter hoc quod significat non posse effingi imaginem, Dei quoque stabilitatem significat ac firmitatem, & immutabilem ejus lucem, quæque non potest figurari. Prius itaq; quam accurate perfectæq; e tenerentur imaginum habitus, veteres columnas erigentes, eas colebant tanquam statuas. Atque ideirco sic scribit qui fecit Phoronidem.

Callithoe clavem regina gestat Olympi,
A qua Iunonis serto pulchraque corolla,
Argiua quondam primum exornata columna est.

Quinetiam qui fecit Europiam, significat eam quæ est in Delphis Apollinis imaginem, esse columnam, per hæc:

Vt decimamque Deo primos fructusque dicemus,
Sedibus ex sacrosanctis celsaque columna.

Apollo quidem certe, qui mystice ex privatione multorum intelligitur, est unus Deus. Quinetiam ignis ille qui columnæ erat similis, & ignis qui ingrediebatur per loca invia, & ad quæ non patebat aditus, est symbolum ac signum sanctæ lucis, quæ transit per terram, & in cœlum rursus recurrit per lignum, per quam etiam datum est nobis videre per intelligentiam. *Lib. primo Stromatum.*

Idem Clemens: Annon recte & vere nullo loco circumscribimus eum qui non potest circumscribi, neq; in templis manu factis concludimus eum qui omnia continet? Ædificatorum autem & lapicidarum, sordidæque & illiberalis artis quodnam fuerit sanctum opus? Non sunt iis meliores qui aerem & id quod continet, vel potius totum mundum & universum, existimarunt esse dignum Dei excellentia? Ridiculum enim fuerit, ut ipsi dicunt Philosophi, hominem qui est ludus Deorum, Deum efficere, & ex ludicra arte Deum fieri: quoniam id quod fit, sit idem & simile ei ex quo fit, ut quod fit ex ebore eburneum, & quod ex auro aureum. Quæ autem à vilibus & sordidis hominibus conficiuntur imagines & templa, fiunt ex vana & inutili materia: quare ipsa quoq; fuerint vana, inutilia, materialia, & profana, & ut artem perfeceris, sordes semper participant & illiberalitatem. Non sunt ergo utiq; sacra & divina artis opera. Quidnam vero poni & collocari possit, cum nihil sit quod non sit positum & collocatum, quoniam omnia sunt in loco? Jam vero quod ponitur & collocatur, ponitur & collocatur cum prius positum & collocatũ non esset. Si ergo Deus ponitur & collocatur ab hominibus, fuit aliquando non positus, & non locatus, & nec omnino quidem erat. Id enim erat non locatum & positum, quod non erat: quando quidem quicquid non est, non ponitur & collocatur: quod autem est, poni & collocari non poterit ab eo quod non est, sed nec ab ullo alio. nam ipsum quoque vere est: restat itaq; ut à seipso. Et quomodo aliquid ipsum seipsum generabit? aut quomodo ipsum quod est, seipsum esse ponet & collocabit? Utrum cum prius non esset positum & collocatum, prius seipsum posuit & collocavit? Sed ne sic quidem fuisset, quoniam id quod non est, poni & collocari non potest. Et quod existimatum est esse positum & collocatum, quomodo id esse quod prius habuit, hoc seipsum postea fecerit? Cujus autem sunt ea quæ sunt, quomodo hoc aliquo adhuc opus habuerit?

Sed & si Deus est homini forma similis, perinde ac homo opus habebit nutrimento & tegumento & domo, & aliis quæ consequenter accidunt. Nam qui eandem habent formam & easdem affectiones, eodem quoq; victu egebunt. Si autem sacrum accipitur duobus modis, nempe & Deus ipse, & id quod est constructum in ejus honorem, quomodo non proprie eam quæ in Dei honorem per agnitionem sancta facta est ecclesiam, Dei sacrum dixerimus, quod est magni precii, & non sordida & illiberali arte constructum: sed neq; manu præstigiatoris ornatum, sed voluntate Dei templum effectũ? Non enim nunc locum, sed electorum congregationem, appello ecclesiam. Melius est hoc templum ad accipiendã Dei dignitatis magnitudinem. Animal enim quod est magni precii, ei qui est omni precio dignus, imo cujus precio nihil omnino respondet, consecratum est propter insignem sanctitatem. Erit autẽ magni precii is qui est cognitione præditus, qui est in honore & precio apud Deum, in quo Deus est collocatus, hoc est, de Deo cõsecrata est cognitio. Hic divinam inveniemus effigiem, & sanctam imaginem in justa anima, quãdo ea quidem fuerit beata, ut quæ est præpurgata, beata autem efficiat opera. Hic est & quod collocari potest, & quod est collocatum: hoc quidem in iis qui possunt fieri, etiamsi nondum sint digni Dei scientiam accipere. Nam quicquid est creditum, jam tanquam fidelis & Deo posita in honorem imago, virtute prædita, Deo est dedicata.

Quemadmodum ergo Deus loco non circumscribitur, neq; animalis figuræ unquam assimilatur: ita nec in eum similes cadunt affectiones, neq; alicujus indiget, sicut quæ sunt nativa, ut sacrificium instar alimenti propter famẽ concupiscat. Quæ tangit affectio, in ea omnia cadit interitus, & ei qui nõ nutritur, cibum præbere est stultitia. Porro autẽ Comicus quoq; ille Pherecrates lepidè in comœdia quæ inscribitur Fugitivi, fecit Deos cum hominib. expostulantes de sacris, quod cum Diis sacrificarent, primum secerneretur id quod eorum dedecori assignaretur, cum dicit: Nonne cum femora ad inguen usq; valde circumlinxistis, & lumbos satis attenuastis, ipsam deinceps spinam tanquam limatã distribuistis nobis quasi canibus? Deinde cum vos vestri invicem pudeat, multis modis celatis. Eubulus autem qui est ipse quoque Comicus, hoc modo ipse quoque scribit de sacrificiis:

Diis quippe caudam consecratis & femur,
Tanquam scelestis nempe apud conibus.

Et in comœdia Semele introductum Bacchum facit disceptantem: Primùm quidẽ quod mihi sacrificant quidam sanguinem & vesicã, cordis autẽ ne superficiem quidem. Ego enim neq; dulci vescor victima, nec femoribus. Scripsit autem Menander: Cùm summos lũbos, bilem, & quę comedi non possunt ossa Diis imposuerint, ipsi cõsumunt alia. An non enim à nidore sacrificiorum vel bestiis est abstinendũ? Sin autem revera nidor est munus deorũ qui sunt apud Græcos, cur non prius quoq; coquos in Deos referunt, qui æquali dignãtur beatitudine, & nõ ipsum adorant caminum qui est huic venerabili nidori propinquior? Quinetiam Hesiodus dicit Jovem decepti. um à Prometheo in divisione carnium, accepisse

Arte mala ossa bovis nitida pinguedine tecta.
Hinc fit ut ossa viri sacras adolere per aras
Assueti, veteris imitentur originis usum.

Sed nequaquam dixerint, quæ ex indigentia oritur cupiditate vexatũ nutriri Deum. Eum itaq; efficient plantæ similẽ, ut qui nutriatur absq; appetitione: & bestiis quę latent in cavernis. Eas quidẽ certè dicunt aut ab ea quæ est in aere crassitudine, aut etiã ab ipsa propria corporis exhalatione nutriri, & citra offensionẽ augeri. Atq; si citra ullam egestatem eis Deus nutritur, quid est opus nutrimento ei qui nõ indiget? Sin à gaudet honorari, cum naturã nullius indigeat, non absque nos Deum precib. honoramus, & hoc sacrificium optimum & sanctissimũ cum justitia emittimus, justissimo verbo eũ honorantes, per quẽ accipimus cognitionem, ea quę didicimus per eum glorificantes. Est ergo quod est hic apud nos altare, terrestris cõgregatio eorum qui sunt dedicati orationib. qui veluti unam vocem habent cõmunem & unam mentem. Quæ per adoratũ autem accipiuntur nutrimenta, etsi sint diviniora iis quę per corpus, significant tamen respirationem. Quid ergo de Deo dicunt, utrùm perspirat sicut genus dæmonum? an inspirat solùm, ut aquatilia per brãchiorum dilatationẽ? an circumspirat, ut insecta per cõpressionem incisionis pennarũ? Sed nulli ex his, si sapiant, Deum assimilaverint. Quæ autẽ respirant per pulmonis ad thoracem objectam dilatationem, ea attrahunt aerem. Deinde si Deo dederint viscera & arterias, & venas, & nervos, & partes, inducent eũ nihil differentem. Conspiratio autem proprie dicitur in ecclesia. Est n. ecclesia sacrificium, verbum quod à sanctis exhalatur animis, cùm sacrificiũ simul aperitur & tota mens Deo. Sed anti quissimã quidem aram in Delo sanctam vulgò jactatũt. Ad hanc autẽ solam dicunt etiam accessisse Pythagoram, cædẽ & mortẽ minimè inquinatã: aram autem verè sanctam esse justã animam: & qui ab ea emittitur suffitum sanctã orationem, nobis dicentib. non credent? Esus autẽ carnium, ut arbitror, pretextu, excogitata sunt hominib. sacrificia: licebat autẽ alioqui absq; tali cultu simulachrorũ, ei qui vellet, vesci carnib. Quæ n. ex lege fiunt sacrificia, allegoricè nostram significant religionem: ut turtur & colũba quæ offeruntur pro peccatis, emundationẽ partis animæ quæ caret ratione, Deo esse acceptã significant. Si quis a. ex justis esu carnium animam nõ onerat, satis consentanea utitur ratione: non qua Pythagoras & ejus assecle, somniantes animæ transmigrationem.

Videtur autem Xenocrates seorsum tractans de nutrimento ex animalib. & Polemon in opere de Vita secundum naturam, apertè dicere, esse inutile quod fit per carnes nutrimentũ, jã confectum & assimilatũ animis bestiarũ. Ea ratione Judæi quoq; maximè abstinent à carne suilla, utpote quod hoc animal sit maximè scelcratum & execra-

execrandum, quoniam maximè inter alia fructus effodit & corrumpit. Sin autem dicant hominibus data esse animantia: nos quoq; id confitemur, sed non omnino ad comedendum: sed neq; omnia, sed quæcunq; non laborant. Quocirca non malè Plato Comicus in Comœdia quæ inscribitur Festa, dicit: Ex quadrupedibus autem nullũ deinceps oporteret nos occidere, præter sues: carnes enim habẽt suavissimas, & nihil ad nos redit ex sue, præterquam setæ & lutum & clamor. Unde etiam dicebat Æsopus, maximè clamare sues, quia quando trahuntur, intelligunt se ad nihil aliud esse utiles quam ad sacrificium. Quocirca Cleanthes quoq; dicebat eos pro fale habere animam, ne carnes putrescerent. Alii ergo eo non vescuntur, ut qui sit inutilis, alii vero, ut qui fructus perimat: & alii eo non vescuntur, quod sit animal proclive ad coitum. Ea ratione neq; hircum lex sacrificat, præterquam propter solam malorum ablegationem, quandoquidem voluptas est vitii metropolis. Jam vero hircinarũ quoque carnium esum dicunt conferre ad morbum comitialem: dicunt autem & maximum augmentum fieri ex carnibus porcinis. Quocirca iis quidem qui corpus exercent est utilis, iis autem qui ipsam conantur augere animam, propter eam quæ ex esu carnium ingeneratur hebetudinem, non utique.

Fortasse autem ex iis qui sunt præditi cognitione, exercitationis quoq; gratia abstinuerit à carnibus aliquis, & ne caro nimis luxuriet, & nimio impetu feratur ad rem Veneream. Vinum, enim, inquit Androcydes, & carnis ingurgitationes, corpus quidem robustum efficiunt, animam vero debiliorem: est ergo impium, & à religione alienum hoc nutrimentum ad perfectam intelligentiã. Quocirca Aegyptii quoq; in iis quæ eorum ritu fiunt sanctificationibus, nõ permittunt Sacerdotibus vesci carnibus: & aviculis utũtur quàm leviss imis: & pisces non tangunt, cum propter alias quasdam fabulas, tum maximè quòd ejusmodi cibus carnem reddat humidam. Jam vero animantia quidem terrestria & volucria, eundem quem nostræ animæ, aerem inspirantia, nutriuntur, ut qui ejusdem generis cum aere habeant animam. Pisces autem ne hunc quidem dicũt inspirare aerem, sed illum qui cum aqua fuit contemperatus statim in primo mundi ortu, sic etiam cum reliquis elementis, quod etiam est indicium materialis permansionis.

Oportet ergo Deo offerre sacrificia, non sumptuosa ac splendida, sed quæ sunt pia & ei accepta, & sufficit illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis & vocibus in oratione, vel potius qui ex diversis gentibus & sexibus per donum testamentorum cõstruitur in unitatem fidei, & in laudibus congregatur, mente quidem pura, justa autem & recta vitæ institutione, ex sanctis operibus & justa oratione. Nam quis adeo stultus, ut ait lepor Poeticus, & tam ignavi est animi,

Tam credulus quis est, ut autumet Deos,
Tostaque bile, & ossibus tantum meris,
Quæ forte rodant nec famelici canes,
Lætari et sibique munus poscere hoc.

& iis qui hæc faciunt gratiam reddere, quasi sint piratæ, aut latrones, aut tyranni? Nos autem dicimus ignem sanctificare, non carnes, sed animas peccatrices: ignem dicentes non eum edacem & fumo sordidum, sed prudentem, & qui pervadit animam per ignem transeuntem. *Libro Stromatum septimo.*

D Nazianzenus: Etenim Deum, ac principem rerum causſam, natura quidem omnis rationis particeps, appetit, ceterum ob imbecillitatem suam, aliaq;, minime assequitur. Languens ergo desiderio, ac male omnino affecta, ægerrimeq; hoc damnum ferens, secunda m, ut dici solet, navigationem init, ut scilicet, vel ad res eas, quæ sub oculorum sensum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioso utiq; errore labens (quid enim in omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, eo, à quo cernuntur excelsius & divinius est, ut illud adoretur) hoc vero adoret?) vel per aspectabilium rerum pulchritudinem & ordinem, Dei cognitione assequatur, atq; ad ea percipienda, quæ oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis utatur, non autem per earum rerum, quæ oculis subjectæ sunt, magnificẽtiam, Dei jacturam faciat. Hinc alii Solem, alii Lunam, alii siderum multitudinem, alii cœlum quoq; ipsum una cum illis (quibus pro motus qualitate vel quantitate mundi gubernationem administrationemq; tribuerunt) alii rursus propter necessarium usum terram, aquam, aerem, (ignem, quod his sublatis humanæ vitę incolumitas constare nõ possit) alii deniq; quicquid ex rebus aspectabilibus temerè ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæq; eorum, quæ cernebant, pro Diis sibi constituentes. Nec defuerunt, qui statuas ac figmenta divinis honoribus affecerint, primùm quidem propinquorum & necessariorum, ii videlicet, qui vehementiori luctu afflictabantur, corporeisq; rebus addictiores erant, atq; homines vita functos monumentorum honore prosequebantur: post autem alienorum quoq;, nempe ii, qui multis post eos seculis extiterunt, ignoratione videlicet primæ illius naturæ, ac serie per manus ipsis à majoribus traditi cultus, quasi justi & necessarii. Consuetudo enim, temporis longinquitate confirmata, pro lege habita est. Nonnullos etiam fuisse arbitror, qui summam alicujus potestatẽ omni observantia colentes, & corporis robur laudibus efferentes, ac formæ venustatem admirantes, eum tandem, quem honorabant, in deorum numerum ascripserint, ad hujusmodi imposituræ subsidium & patrocinium fabulas quasdam assumentes. Jam vitiosissimi quique vitia ipsa fœdosq; affectus deos esse censuerunt, aut certè sub deorum nomine coluerunt, iram nimirum, cædem, libidinem, temulentiam, reliquaq; ejus generis, non æquam nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atq; eos partim in terra reliquerunt, partim infra terram occultarunt (hoc unum satis consultè) partim in cœlum evexerunt: ô ridiculam hæreditatis partitionẽ! Ac deinde pro erroris libertate & licentia figmento cuiq; nomen aliquod, vel deorum, vel dœmonum indiderunt, statuasq; insuper erexerunt, easq; adeo magnificas & excellentes, ut pretio ipso vulgo animos inescarent. Adhæc per cruores, & carnium nidores, quidam etiam per actiones in primis fœdas, hoc est furores ac cædes, hujusmodi numina rite coli existimarunt. Tales quippe talibus diis honores haberi conveniebat. Eo etiam amentiæ quidam proruperunt, ut colendis avibus, & quadrupedibus, & reptilibus, atq; horum turpissimis quibusq; maximeq; ridiculis, seipsos contumelia afficerẽt, iisq; Dei gloriam attribuerunt: ut non sit facile constituere, utri magis contemnendi sint, iine qui adorabant, an qui adorabantur. Quãquam fortasse multo majore contemptu atq; ignominiâ digni erãt, qui res hujusmodi adorabant: quoniam, cum ratione præditi essent, Deiq; gratiam accepissent, deterius meliori prætulerunt. Atq; hæc fuit pravi illius calliditas & impostura, rei honestæ specie ad malum abutentis: qualia sunt pleraq; illius versuta facinora. Nam cum eorum cupiditatem ad Dei conquisitionem oberrantem accepisset, ut principatum ad se transferret, ac desiderium eorum eluderet, quasi cœcum viæ cujusdam cupiditate flagrantem manu ducens, alios alio præcipites egit, atq; in unum quoddam mortis exitiique barathrum dispersit. *Orat. 24.*

D Nazianzenus: Omnium malorum extremum ac primum est, idolorum cultus, adorationisq; à Creatore ad creaturas translatio. *Oratione trigesima octava, iterumque quadragesima secunda.*

D. Chrysostomus: Sic etiam idolorum cultus primum robur atque imperium obtinuerunt: quum nimirum homines, ampliori, quam æquum esset, admirationi haberentur. Sic Romanorum Senatus Alexandrum decimumtertium Deum esse censuit. Is enim hãc potestatem habebat, ut Deos crearet atq; conscriberet. Quippe, quum res omnes à Christo gestæ nunciatæ sunt, Romam misit is, qui Judæorum nationi præerat, sciscitans ex ipsis, num eum quoq; Deum creare placeret. Id vero illi facere recusarunt, quòd iniquo atq; infenso animo ferrent, ante decretum suum atq; sententiam, Crucifixi potentiam effulgentem, universum orbem ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc porro vel invitis ipsis ita divinitus procurabatur: ut ne humanis suffragiis atq; sententiis Christi divinitas promulgaretur, atq; unus è multis illis ipse esse censeretur, qui ab ipsis creati ac designati fuerunt. Nam & pugiles pro Diis habuerunt: atque adeo cinædum illum, quem Adrianus in deliciis habebat. Unde etiam urbs Antinoi appellatur. *Homilia 26. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Qui mammonæ serviunt, seipsos expulere à Dei servitute. qui autem ejus negarunt dominium, & auro inani serviũt, est perspicuum eos esse cultores idolorum. At non feci, inquit, idolum, neq; aram statui, neq; oves sacrificavi, neq; vinum libavi; sed ecclesiam sum ingressus, & manus extendi unigenito Dei filio, & sum particeps mysteriorum, & precum habeo societatem ac communionem, & aliorum omnium quæ conveniunt Christianum. Die mihi, undenam judicas militem, an ex eo quòd ut satelles stipat Regem, & ab eo alitur, & ejus appellatur, an ex eo quod ejus tuetur partes, ineum bene affectus? præ se ferre ab illius esse partibus, & ab eo stare, & rebus ejus favere & ipsum defendere, inimicorum autem res gerere, grávius esse dicimus, quam si abrupto jugo servitutis se illis dedidisset. Et nunc Deum contumelia afficis tanquam idololatra, non uno ore tuo, sed innumerabilium quibus facta est injuria. quando enim dicunt Græci, Christianus iste, iste avarus, tunc nõ ipse solus, probro & contumelia afficit per ea quæ facit, sed & eos quibus facta est injuria sæpe cogit hoc dicere. Quid est aliud idololatra? an non ipse quoq; sæpe adorat affectionem & animi perturbationem? ut qui illi non imperet & ei dominetur. Ut exempli causa, quando dicimus eum adorare idola. Non, inquit, sed Venerem, sed Martem. Et si dixerimus, Quænam est hæc Venus? Qui sunt ex eis graviores & honestiores dicunt, Voluptas. Et quis Mars? Ira. Ita etiam tu Mammonam. Si dixerimus, Quænam est Mammona? Avaritia. & tu eam adoras. Non adoro, inquit. Quare? Quoniam non teipsum inflectis & incurvas? Multo magis adoras per facta & res ipsas. Hæc enim est major adoratio; & ut discas, vide in Deo. Quinã eum magis adorant? iine qui solùm stant in precibus, an qui faciunt ejus voluntatem? Ita etiam in Mammona, qui faciunt ejus voluntatem, magis eum adorant. Atqui illi qui adorant affectiones & animi perturbationes, sæpe ab illis sunt remoti. Videris enim cultorem Martis, iram sæpe vincere ac reprimere. In te autem non ita habet, sed te in servitutem redigis tuæ affectionis & animi perturbationis. At oves non jugulas: sed jugulas homines & animas ratione præditas; has quidem fame, illos vero maledictis. Hoc sacrificio nihil est magis bacchicum, nihil magis insanum. Quis unquam vidit jugulare animas? Execranda est ara avaritiæ. Nam ad hanc aram idolorum si veneris, videris eam olere sanguinem caprarum & boum: ad avaritiæ autem aram si veneris, videbis eam graviter spirantem humanam sanguinem. Si huc steteris, non videbis ardere alas avium, nec emitti vaporem & fumum, sed perire corpus humanum. Nam alii quidem se præcipites dejiciunt: alii aptant laqueum: alii per guttur ensem transadigunt. Vidisti crudelia & inhumana sacrificia? Vis his videre graviora? Ego tibi ostendam, non hominum corpora, sed animas illic mactari. potest enim mactari anima & cæde, quæ illi convenit: sicut est mors animæ. *Homilia 18. ad Ephesios.*

S. Isido-

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam discendi cupiditate flagrans etiam erūditione plenus esse vis, hoc quoq; exponam, ne videar in mœrore te conjicere. Qui apud Græcos (infideles) simulacra conficiebant, ii volentes spectatoribus terrorem incutere, dictitabant, illa de cœlo ab Jove esse demissa aut devolasse, omni videlicet humana manu artificioq; præstantiora. Quam etiam ob causam διοπετῆ, quasi dicas à Jove volās & cœleste βρέτας appellarunt. Βρέτας autem inde simulacrū vocarūt, quod homini (quem βροτὸν græci vocant) simile esset. Ea autem res non sic se habebat: Sed statuariis vel in exiliū expulsis, vel etiam è medio sublatis, ne quisquam dicere posset, quod manufactum esset illud simulacrum, hanc famam inerrare hominum auribus, faciseè passi sunt: quæ tunc quoq; Ephesiorum civitati imponebat, quæ etiam causa fuit, cur scriba ipsorum hoc ipsis diceret, Quidam itaq; ajunt, de Dianæ statua dictum esse. Hoc est magnæ Dianæ signum. Verum autem esse quod dixi, solere antiquitus statuarios aut occidi aut deportari, testimonio est quod non ita pridem Alexādriæ in urbe Aegypto adjacente evenit. Nam cùm rex Ptolomæus artifices collegisset, qui Dianæ statuam fabricarent, opere perfecto ingētem scrobem fodi jussit, & parato lectulo occultatoq; dolo, jussit ipsos cœnare. At illi cœnantes in foveam illam delapsi, mortui sunt, mea quidem opinione justas dependentes pœnas, quod fingere aggressi essent statuas ad deceptionē eorum, qui in eas incidérent, Ptolemæus tamen ideò hoc fecit, quòd vellet ex oculis removere artifices illos, ut ille qui vocabatur Deus, non manufactus videretur, quem etiam ἀχειροποίητον appellavit, q. dicas, manibus impollutū. Sed non latuit. Nam cum factum in notitiam hominum pervenisset, quotannis eos qui sic exstincti fuerant, lamentationibus prosequebatur. *Lib. 4. Epist. 207.*

¶ Latinorum.

Zeno: Igitur Gentium sacrificium quàm execrabile est, tàm inane est: colunt enim vani vana figmenta in quaslibet formas, vultus, texus, ætates auri, argenti, detrimento matris limæ moderato dente figurata. Quæ est ergo ista dementia? sacrificium nescientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non spirantibus concremare, allegare preces surdis: ab his custodiam petere, quos fur non timet involare: *Sermone med. de Psalmo 49.*

Chrysologus: Kalendis Januariis gentiles Deos suos fœditatibus exquisitis excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores Deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt, quos faciunt non videndos. Quæ vanitas, qualis dementia, quanta cœcitas, fateri Deos, & eos ludibriis infelicibus infamare? Irrisores sunt, cultores nō sunt, qui Deos quos venerantur illudunt: injuriis afficiunt, non honorāt, qui Deos à quibus se formatos existimant sic deformant: confundunt, non gloriāntur, qui eos de ipsa confusione componunt. Verè, sicut ait Apostolus, quia non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt: quando eis quib. humana abrogant, dant divina: quando eos judicant dignos cœlo, quādo ipsos faciunt terra ipsa nō dignos: verè dati sunt in reprobum sensum, & non est hoc judicii divini, est hoc sapientiæ Dei, ut ipsi sint injuriarum Dei vindices, qui injuriæ probantur auctores. Quæ ira, quæ ultio, sic in Deū de idolis exequetur offensam, ut eos quos vetustas aris, incenso, victimis, gemmis, auro, Deos esse mētita est, posteritas turpi cultu homines fuisse turpissimos judicaret, & eorum vitam, mores actus, ipsis eorum signa ret in vultibus, ac doceret tales fugiendos esse potius quàm colēdos? Deflcamus fratres, & eos qui talia sunt secuti, & nos evasisse talia cœlitus gaudeamus. Quorū formant adulteria in simulachris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum titulant incœsta picturis, quorum crudelitates commendant libris: quorum parricidia tradunt sæculis, quorum impietates personant tragœdiis, quorū obscœna ludunt, hos qua dementia Deos crederent, nisi quia criminum desiderio, amore scelerum possidentur, criminum Deos exoptant habere criminosos? Qui peccare cupit, peccatorum colit, & veneratur auctores. Hinc est quòd Veneri adulter inservit, hinc est quod se Marti crudelis addicit. *Serm. 155 p.*

Ennodius: Roma, quæ per multa tempora famosis cultum delubris exhibuit: quæ diu venerata est in imaginibus dœmonum, quem laborante censu indiderant manus magistra terrorem: quæ suspexit potestatem numinum emptam pretio metallorum. cui tubli mores Deos peperit exercitatior manus artificis: & divinitatem, quam homo per fabricam contulit, apud homines Dei habuit forma majorem. Ecce jam, Christo propitio, ad novas fornaces simulacra rediērunt. ecce jam de obsoleta superstitione usus vester accipit, quod lætetur: dum de veteri Tonante nova meritò vascula præparantur. *Apolog. pro Synodo.*

Ennodius: Ubi sunt figilla Numinum, votis imaginata facientiū? quorum facies in potestate pependit artifices? quibus pretium, aut sollicitudo peperit operantis, aut metallum. ubi sunt Dii, quibus potentiam dederunt homines fulgore gemmarum? *Dictione 52. §. 1.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Dio Prusæus: De deorum autem natura in genere, & maxime omnium rerum præsidis, primum quidem & in primis opimio & consideratio est communis, totius generis humani, tam Græcorum quàm barbarorum, necessaria & insita, in omnique ratione prædito animanti innata secundum naturam absque mortali magistro & initiatore, absque errore & anfractu: cùm propter hominum cum il-

lis cognationem, tum plurima hujus veritatis testimonia, quæ non sinant somno indulgere, curamque abjicere maximos natu & antiquissimos: utpote qui non procul, neque extra divinam naturam sint collocati, sed in illa media naturaliter creti, & omni modo ei adhærentes, non potuerunt diutius illius naturæ intellectu carere, quum alioquin etiam intellectum rationemque de illa accepissent, utpote splendore undique circumdati divinorum & magnorum luminum, cœli & siderum, præterea Solis & Lunæ: haberentque usum noctis & diei variarum & dissimilium specierum, visionesque immensas viderent, & voces audirent omnigenas, ventorum, sylvarum, & fluminum, marisque insuper, & animalium cicurum & ferorum, ipsique sonum suavissimum clarissimumque ederent, sibilgerentque humanæ vocis superbiam commoditatemque ad docendum, nominaque imponerent omnibus quæ sensibus possunt percipi, ut quicquid intelligi queat, facile etiam nominetur & efferatur, infinitarum rerum memoriam & excogitationes assumentes. Quomodo ergo ignorantes manere poterant, nullamque habere opinionem, de eo qui ipsos & seminasset & plantasset, servaretque & enutriret, undique impleti divina natura perque visum perque auditum, perque universos planè sensus? Quum habitarent quidem super terram, de cœlo autem lucem viderent, escas vero haberent copiosas, acquisitas & præparatas à parente maximo, Deo.

Et escam quidem primam primi illi è terra editi, terrestrem habuerunt, quum limus tunc adhuc mollis & pinguis esset, terram tanquam matrem lambentes, quemadmodum plantæ etiam nunc ex ea humorem trahunt. Secundam autem consequentes habuerunt à fructibus sponte sua natis, herbisque non asperis, sed simul cum rore dulcibus, & fluentis Nympharum poculentis. & jam demum ad res præsentes compositi, & nutriti sunt, continuo rerum affluxu aerem humidum trahentes, tanquam infantes pueri nondum deficiente lacte, semperque nutrice incumbente. Hanc enim justius ferè primam dici: us fuisse escam & prioribus & posterioribus simpliciter. Postquam enim è ventre ceciderit languidus & imbecillis infans, eum quidem terra suscipit, vera mater: aer autem inspirans & refrigerans, statim erigit humidiori cibo lactis, vocemque emittere facit. Hanc meritò primam natura diceretur præbere in lucem editis mammam. Hæc ergo quum paterentur & considerarent, non potuerunt non admirari & amare divinam naturam. Ad hæc, quum sentirent temporum vicissitudines, quod nostræ salutis causa fiant, sintque admodum diligenter & moderatè ad utramque hyperbolen temperatæ. Præterea, quum & hoc peculiare haberent præ cæteris animantibus, deorum munere, quòd ratiocinari & cogitare de omnibus, deq; diis possent. Resque fere similiter habet, ut si quis homo Græcus aut barbarus, traderetur ad initiandum, in mysticum quoddam templum, pulchritudine magnitudineq; præstantissimū, illicque multa videret arcana spectacula, multasq; audiret tales voces, apparentque vicissim illi lux & tenebræ, cæteraque plurima fierent, præterea & si (quemadmodum consueverunt initiantes facere initiandis) in throno collocatus circum saltantes videret. An hunc virum nihil animo affici verisimile esset, neque suspicari quòd ea quæ fiunt, consilio & apparatu fiant sapientiori: etiam sit ex remotissimis & innominatis barbaris, nullumque habeant expositorem & interpretem præsto, sed animum duntaxat humanum? An non hoc esset impossibile? Communiter autem quum universum hominum genus, integra & revera perfecta initiatione initiatur, non in parva domuncula, ad brevis turbæ susceptionem præparata: sed in hoc mundo, vario & sapienti opificio, quàm plurimis semper rebus mirabilibus apparentibus: præterea non hominibus sui similes, sed diis immortalibus homines initiantibus, nocteque & die, & luce & astris (si fas est dicere) manifeste circumsaltantibus assidue: potestne fieri, ut horum omnium nullum sensum aut suspicionem accipiat? Et maxime principalis illius rerum omnium præfecti, dirigentis totum cœlum & mundum, tanquam sapiens gubernator navem regat bene prorsus & sufficienter instructam?

Non est hominum hæc stupiditas: & si accidet, admirari jure aliquis queat. Quin etiam hujus notitia quodammodo & usque ad bestias pervenit, voce & ratione carentes, ut illæ cognoscant honorantque Deum, & promptissimè juxta illius vivant leges præterea non inconvenienter, ipsæ quoque eam habere dicuntur plantæ, quibus nulla ullius rei inest cognitio, sed sunt inanimæ & mutæ, & simplici quadam natura gubernantur, quòd demum & illæ sponte fructum adferre velint cuique convenientem. Ita prorsus manifesta & expositа est hujus Dei voluntas & potentia. Sed nuncubi valde ridiculi antiquariique videmus in sermonibus propinquiorem esse dicentes hujusmodi intelligentiam bestiis & arboribus, quàm nobis inexperientiam & ignorationem? quando homines quidam sapientiores effecti, quàm ipsa est sapientia universæ, non cera auribus infusa, quemadmodum fecisse aiunt (opinor) nautas Ithacenses, ut ne Sirenarum exaudirent cantica: sed plumbi cujusdam, molli pariter impenetrabilique à voce natura, insuper & multis (opinor) tenebris nebulaque oculis objecta, à qua Homerus ait comprehensum prohiberi à Dei cognitione, contemnunt divina unamque erigiunt deam, pravas & jucundas delicias quasdam, aut socordiam magnam, & languidam incontinentiam, Voluptatem appellantes: atque ita muliebrem revera Deam colunt atque honorant præ cæteris, cymbalis quibusdam & strepitibus, & tibiis in tenebris concinentibus.

Propter convivia sane nemo illis invidet, quandoquidem omnis illorum sapientia in cantando consistit: at ne Deos quidem nobis auferant, jubeantque in alias migrare regiones, ejus-

nes, ejicientes è sua ipsorum civitate & principatu, imo ex toto hoc mundo in regiones quasdam absurdas, & sicuti homines infelices in quasdam desertas insulas. Aiunt enim, hæc universa consilio & sapientia & domino carere, nullumq; habere principem & quæstorē, neq; præfectum: sed errare temere, & ferri, & neminem ne nunc quidem providentiam eorum habere, neq; prius omnia ab aliquo esse facta: neq; tantum diis concedunt, quantum pueri rotis, quas quum prius ipsi moverint, deinde sinunt à semetipsis currere. Hæc accusavit sermo, digressus paulum à se. Forsan enim difficile est philosophi mētem & orationem continere, ne quo fert impetus feratur, quum id quod occurrit semper utile esse appareat, necessariumq, audientibus: eam præsertim orationem, quæ non sit instituta ad aquam judiciariamq; necessitatē (ut quidam dixit) sed quæ utarur potestate, libertateq;. Igitur recurrere non est difficile, quemadmodum in navigatione idoneis naucleris, qui non adeo multum deviarunt.

Opinionis igitur circa divinam naturam, credulitatisq;, primum apertè diximus esse fontem, insitam omnibus considerationem ex ipsis ortam operibus atq; veritate, non vulgi tantum commēdationem habens, neq; fortuitam, sed vehementer robustam, & semperfluam ex omni retro tempore, & apud omnes gentes cœptam & permanentem, & penè communem publicamq; generis humani. Alterum autem fontem dicimus possessum, neq; per alia insitū animis, quàm per sermones & fabulas, & consuetudines, partim incerti autoris, & absq; scripto, partim autem scriptura promulgatas, atq; valde notos habentes autores. Hujus autem credulitatis, aliam quidem voluntariam & consultoriam dicimus: aliam autem necessariam & præceptoriam. Dico autem, voluntatis, & consilii esse, eam quę traditur à poetis: necessitatis verò & præcepti, eam quæ traditur à legislatoribus. Porrò harum neutra valere potest, nisi illa prima subsit, propter quam volentibus, & quodammodo præscientibus hominibus data sunt præcepta & consilia. Et aliqua quidem enarrant poetæ, legumq; latores, rectè conformiterq; veritati atque cognitioni, in quibusdam vero aberrant & discordant. Ex ambabus autem, utram seniorem tempore dicamus apud nos Græcos, an poesin, an legum lationem, non possem in præsentia contentiose dicere. Decet autem fortassis ut indemnis & poetica antiquior sit, quam ea quæ mulctā arrogat, præcipitq;. Hactenus igitur ferè similiter procedunt hominibus, ea quæ primi immortaliq; sunt parentis, quem nos omnes in Græcia habitātes appellamus Jovem: & ea quæ mortaliū & humanorūm sunt parentum. Etenim erga illos benevolentia & cultus inest prognatis. Prima quidem a natura & beneficentia absq; doctrina ineſt, ubi id quod gignit & nutrit & amat, statim redamatur à genito, mutuisq; colitur officiis, quantum fieri possit. Altera autē & tertia, poetarum & legislatorum est. Ubi illi quidē adhortantur, ne fraudetur gratia id quod sit antiquius & cognatum, atq; insuper vitæ sit causa & essentiæ: hi verò cogunt, pœnamq; minantur inobedientib. absq; respectu & enucleatione quales nam sint parentes, & quibusdā benefactoribus debitam usuram jubent non sinere insolutam. Hoc autē erga utrosq; fieri, magis videre licet in sermonibus fabulisq; de diis. Cerno equidē ego in multis ubiq; diligentiam. considero autem nihilo minus, quomodo se habeāt sermones. Sunt n. quibus sermonis longitudo duntaxat curæ est, nihil prædicētes, neq; distinguentes de negocio, neq; quod sint orationis sumpturi principium: horum(quaiunt) illotis pedib. differunt manifestissima, nudissimaq;. Et à pedibus quidem illotis non magnum est detrimentū, perq; lutum multaq; piacula incedentibus: à lingua verò indocta, nō parva venit auditoribus jactura. Sed n. par est, ut eruditi, si quē inchoarint sermonē, pro dignitate ad finem perducant, atq; elaborent: donec quasi ex anfractu quodā & locorum difficultate, in rectam viā sermones perducamus. Tribus igitur propositis generationib. credulitatis de divina natura apud homines, insitæ, poeticæ & legitimæ, quartam esse dicimus, quę à figulis & opificibus oritur, iis nēpe qui divinas statuas ac imagines affingunt. Dico autē de pictorib. & statuariis & lapidicinis, & simpliciter omni, qui sese divinæ naturæ imitatorē ex arte dignatur demōstrare: sive umbratili pictura, valde tenui fallaciq; advum colorum mixtura, & linearum terminis fere maxime necessaria cōplectente; sive lapidū sculpturis, sive statuarū excisionib. ubi paulatim superflua per artē resecantur, donec ea quæ illis videatur species relinquatur: sive arte cōflatoria æris & similium preciosorū, per ignē ductorum, aut fluentium in quasdam formas: sive ceræ formationibus quæ facillime artē sequitur, facilemq; dat locum pœnitentiæ. Qualis fuit Phidias & Alcamenes & Polycletus, præterea etiam Aglaophō, & Polygnotus, & Zeuxis, qui; eos præcellit Dędalus. Nō n. sufficit his circa alia suæ industriæ & sapiētiæ specimen exhibere, verū ētiam Deorum imagines, & omnigenas dispositiones privatim & publicè exhibentes, sumptus à civitatib. acceperunt, multaq; & varia de divina natura opinione homines repleverunt. Atq; hi non omnino dissonāt à poetis & legislatoribus; tum ut ne viderētur legum trāsgressores, impositisq; mulctarētur pœnis: tum quòd viderent se præoccupatos à poetis, esseq; antiquiorē illorum simulacrorum fictionem. Quāre noluerūt vulgò videri mendaces & injucundi, nova cōfingentes. Plurima igitur fabulas sequētes, poetisq; patrocinantes finxerūt: quædam autem & à semetipsis introduxerunt, æmulatores & sectatores ejusdem artificii facti quodāmodo cū poetis, ut quod illi per auditū exhibuerunt palam, idipsi per visum: & enarraverunt divina plurib pauperibusq; spectatoribus. Porro hæc omnia robur habuerūt ā primo illo principio, ut honoris & gratiæ agēdę causa videlicet faceremus divinæ naturæ. Atqui præter simplicē & antiquissimam de diis noticiam, atq; ex cognatione omnibus hominibus unà cum ratione innatam, ad alias tres interpretes & magistros, nempe poetas, legis latores, & opifices quartum necesse est assumere, nusquam segnē, neq; existimatum rerum divinarum esse imperiū: dico autem hominem Philosophum, aut sermonum recitatorē, & prophetam immortalis naturæ, veracissimū fortasse & absolutissimum. Et legislatorem quidem omittamus in præsentia in judiciū trahere, hominem austerū, & qui ipse alios in judiciū trahat. Oporteret autem eum sibiipsi parcere, nostrisq; negōciis. De cæterorū autem unoquoq; conabimur cōsiderare, qui sit supremus, & num quā utilitatem aut detrimentū attulisse videantur pietati erga Deos, suis operibus aut sermonibus: & pariter in quibus consentiant, quibusq; à se differant, & quis illorum veritatem maxime sequatur, primę illi & minime fallaci sententiæ consentiens. Omnes igitur hi concinnūt, tanquam unū vestigium sequentes, idq; conservantes: hi quidē manifestè, illi autem obscurius. nō enim fortasse consolatione indigetis, qui verè philosophus est, si cum factoribus statuarum & carminum cōparetur, præsertim in celebri mercatus turba, quando judices illis favent. Nam si quis Phidiam primum inter Græcos in judicium vocet, sapientem illum & divinum artificem venerandi pulcherrimiq; operis, judices constituens eos, qui hujus Dei certaminibus sunt præfecti, imo magis commune in. icium universorum Peloponnesium, prętereaq; Bœotiorum & Jonum, & aliorum ubicunq; sunt Græcorum, in Europa vel Asia, non pecuniarum rationem posces, neq; sumptuum in statuam, quot nempe talentis aurum sit emptum & ebur: neq; cupressi & sulphuris adhibiti, ut materia ad operādum durare possit, sitq; incorruptibilis: neq; ciborum aut mercedū impensas, operariis nō paucis, neq; breve tempus datas, aliisq; non vilibus opincibus, & maximā deniq; atq; amplissimā pro arte mercedem Phidiæ (horum enim Elæis cōvenit rationem ponere, qui abundanter & magnifice fecerunt expētas: nos autem pro alia re dicemus Phidiæ propositū esse certamen) si quis ergo ita ad eum dicat:

O optime atq; excellentissime artificum, quod tu quidem jucundum & acceptum spectaculum, immensamq; delectationem visus feceris omnibus Græcis & barbaris, quicunq; huc unquam venerunt multi sæpenumero, nemo cōtradicit. Revera n. & brutorum hoc stupefaceret animantiū naturam, si modò possent aspicere, & taurorū, qui semper ad hanc aram ducuntur, ut voluntarie perferāt victimarum cædes, si quam exhibituri sunt gratiam Deo. Præterea etiam aquilarū & equorum & Leonū, ut immani ferociq, extincto animo, magnum silentium agant, delectati spectaculo. Ex hominib. verè, etiam si quis fuerit omnino afflictus animi, multas exantlatus calamitates, ægritudinesq; in vita, neq; somnum admittens dulcē, is mihi videtur è regione stans hujus imaginis, oblivisci omniū posse quę humanæ vitæ atrocia & difficilia accidere solent: Tale tu quidem reperisti, & machinatus es spectaculum, verè luctus expers & bilis, malorumq; omnium inducēs oblivionē, tanta lux tantaq; illi gratia ex arte addita est. Neq; ipsum Vulcanum verisimile est hoc opus reprehēdere posse, judicantem ad voluptatem oblectationēq; humani visus. An autem rursus decētem speciem, dignamq; Dei naturā formā cōposueris, & cur materia delectabili usus, viri feceris formam pulchritudine quidem magnitudineq; præstantem, nisi quod viri, aliaq; feceris sicut fecisti, cōsideremus in præsentia. Pro quibus si te sufficiēter coram prætentib. defenderis, eisq; persuaseris, quod propriū & decorū, quod ad habitū & formam primi & maximi Dei attinet, inveneris, mercedem alterā, quam ab Elæis accepisti, majorē amplioremq; accepturus es. Vides n. hoc certamen atq; periculum nobis nō modicum esse. Prius enim, utpote nihil clarè scientes, aliā aliter finximus speciē omne morti obnoxium genus juxta suam ipsius vim & naturā quiq; indagantes & somniantes vel alicubi parvas quasdā & ignobiles superiorum seculorum artificum affectiones, quib. neq; prorsus credidimus, neq; attēdimus animum. At tu artis eminentiā vicisti, & cōgregasti primum Græciam, deinde alios, quod huic spectaculo adeo divinam splēdidamq; formam addidisti, ut nemo jam plebeiorum amplius aliā facilè opinionem cōcipiat. Num verò putas Aphitum & Lycurgum, atq; Elæos veteres, propter pecuniarū inopiam, certamen quidem & victimas cōstituisse Jovi decentes, nullā autem statuam reperisse pro nomine habituq; Dei, quū ferè nō nihil præstarēt posteris: an magis timuisse, ne forte non possent sufficiēter mortali arte summam illā & absolutissimam exprimere naturā?

Ad hæc fortan sic diceret Phidias, utpote homo nō elinguis, neq; ex elingui civitate oriūdus, præterea quoq; familiaris & amicus Periclis. Viri Græci: Præsens certamē, omnium quæ fuerunt unquam, maximū est. Nō enim de principatu, neq; præfectura unius civitatis, aut navium multitudine, aut peditū exercitu, utrū rectè an secus gubernata sint, in præsentia ratione reddere jubeor: sed de omniū imperatore Deo, & illius facta similitudine, an cōvenienter & honestè facta sit, neq; deficiat ulla in re ab hominib. passibili ad divinæ naturæ expressionē, an sit indigna indecoraq;. Animadvertite autem, quod ego nō primus fuerim enarrator & doctor veritatis. Nondum n. natus erā, quū à principio Græcia haud manifesta firmaq; haberet dogmata de his: sed quū antiquiore quadā de diis jā persuasa esset ratione, eamq; firmissimè legib. sanxisset. Et quæcunq; fuerunt lapidicidarū opera, aut pictorū, vetustiora mea arte, inter sese congruunt: præterquam quod ad artis consummationem attinet, id supersedeo dicere.

Opiniones autē vestras deprehendebā, antiquas, immobiles, quibusq; adversari nemo poterat: aliosq; opifices circa naturā divinam, nobis seniores, & qui multò videbantur esse sapientiores poetas: his quidē in omnē excogitationē ducere per poesin valentib. illis autem ad nostra talia opera una hanc idoneam habentibus imaginationem. Divina enim spectacula (dico autem Solis & Lunæ, & totius

oculi,

cœli, & siderum) ipsa quidem per se, quum apparēt, prorsus sunt admiranda: illorum autē imitatio simplex est, & arte caret, si quis velit lunæ figuras exprimere, aut solis circulum, præterea quoq; motes atq; animos. Ipsa quidem illa talia se ostendunt cum cæteris omnibus, in expressionibus verò nihil tale possunt repræsentare: quod fortasse ita à principio à Græcis existimatum est. Mentem enim atque prudentiam ipsam per se neq; quispiam figulus, neq; pictor exprimere potest. Nemo enim prorsus hæc spectare potest, neq; enarrare. Ad illud vero in quo hæc nascuntur, non suspicantes, sed scientes confugimus, atq; ita humanum corpus, prudentiæ rationisq; vasculum, Deo attribuimus, inopia videlicet penuriaque aliarum rerum: neque apparenti atque ad effingendum possibili, id quod effingi nequit, neque apparet, exprimere conantes, in consilium adhibita potentia. Atq; hoc melius, quàm quod aiunt barbaros quosdam animalibus divinam assimilari naturam, ex parvis & absurdis motibus occasionibus. Qui autem plurimum præstat artis pulchritudine ac gravitate, magnificentiaq; ferè, ille longe optimus opifex est divinarum statuarum.

Neq; enim melius esse, nullam prorsus extare statuam, deorumque apud homines imaginem nullam demonstrari, quisquam dixerit: neq;, quod ad sola cœlestia visum oporteat intendere. Hæc enim universa quidem is qui mente præditus est, veneratur, Deos esse putans beatos, procul licet aspiciens: propter animum autem erga divinitatem, valde cupiunt omnes homines cominus honorare, colereq; divinam naturam, accedentes & contrectantes, cumque fiducia sacrificantes atque coronantes.

Plane enim quasi infantes pueri à matre aut patre abstracti, vehemens desiderium & cupiditatem habentes porrigunt manus nō præsentibus interdum, somniātes: ita etiam Deos jure cum propter beneficentiam, tum cognationem, homines diligunt: omnique modo huc incumbunt, ut cum illis conversentur & colloquantur: Quare multi barbari ob paupertatem, artisq; inopiam, montes appellarūt Deos, & arbores inertes, lapideisq; ignobiles, nequaquam forma diis familiariores. Si autem apud vos reus sum ob formam, cur nō prius Homero potius irascimini? Is enim non formam solum propinquissimè ad opificum rationem imitatus est, Dei cæsariem nominās, præterea & mentum, statim in poeseos principio, ubi inquit supplicasse Thetin pro honore filii: sed ad hæc, diis attribuit colloquia, & consultationes, & opificia: præterea, recursus ex Ida ad cœlum & Olympum, somnosq; & convivia & concubitus, valde quidem excelse omnia exornans carminibus, attamen ad mortalem similitudinem accedentia. Quinetiam ausus est aliquando Agamemnonem comparare Deo, in præcipuis partibus, dicens:

Et caput atque oculos torquenti fulmina gnato
Saturni similis. ——

Mea autem opera nemo, ne insānus quidem, cuiquam assimilaverit mortali, nedum si ad pulchritudinem magnitudinemq; Dei examinentur, Deo. Unde si non Homero melior multo modestiorq; poeta videar, qui tamen vobis divina præditus esse videtur sapientia, multam præstare paratus sum, quamcunq; volueritis. Dico autem, juxta id quod arte mea effici potest. Exuberans enim quædam res est Poesis, & omni ratione dives, suiq; juris, simulq; linguæ ministerio & verborum copia idonea perse, ad manifestandas omnis animi sententias. Et quemcunq; excogitaverit habitum, aut opus, aut affectum, aut magnitudinem, nunquam illi deerit nuncius vocis, valde manifeste unaquæque significantis:

Nam lingua est hominum in partem mutabilis omnem;
Sermonesque serit multos sine fine modoque:

Ut ait ipse Homerus:

Et varia huc se lex verborum flectit, & illuc.

Propemodum enim humanum genus omnium potius rerū penuria laborat, quam vocis & dictionis. Harum enim tantum admirabiles quasdam possidet divitias. Nihil igitur relictum est non voce prolatum, signatumq; eorum quæ ad sensus perveniunt, sed confestim imponitur rei intellectæ manifestum nominis signū. Sæpenumero quoq; multas voces uni eidemq; rei, quarum unāquæq; si proferatur, intellectū quendam præbet, non multō infirmiorem, quam verum nomen. maxima igitur potestas, & vis homini inest circa sermonem, ad demonstrandum id quod astat.

At ars poetarum valde contumax est, & incorrigibilis: & maximè Homeri, plurima utentis libertate, qui non unū dictionis elegit characterem, verum omnino Græcorū linguam hactenus separatam cōmiscuit: Deorum & Jonum, insuper quoq; Athenienſium, eas in unum temperans magis quam colores ab infectoribus solent, haud sui tantū seculi, sed etiam superiorum verbis utens: & si quod usquā erat verbum exoletum, & illud recepit, veluti antiquam monetam ex thesauro alicunde domino carente, ob pecuniarū cupiditatē. Multa quoq; barbarorū recepit, à nullo abstinens nomine, quod voluptatē modo, aut vehementiā illi habere visum est. Ad hæc quoq;, trāsfert nō vicina solum, neq; à propinquis, sed valde distantia, tantū ut auditorem mulceat, cū itupore eum incantans. Neq; ea tamē in regione sinit manere, sed hæc quidem producit, illa autem contrahit, alia verò aliter subvertit. Deniq; se demonstravit esse non carminū solū fictorem, sed etiam verborum: partim quidem simpliciter nomina ponens rebus. partim autē propriis alia superaddens, velūti sigillum sigillis imprimēs manifestū, magisq; notū. A nullius sono abstinet: sed breviter, & fluminū imitatur voces, & sylvarum, & ventorum, & ignis, marisq;, insuper quoq; æris & lapidis, & universorū simpliciter animalium & instrumentorū, nempe ferarum, & avium, & tibiarum, & fistularū, κεναυλὰς & βόμβους & κατύπον & δοῦπον & ἄρβαβον, primus invenit, nominavitq; flumina μορμύροντα, & sagittas, κλαγγόντας, & fluctus βοῶντας, ventosq; χαλεπαίνοντας, & alia hujusmodi vehementia & absurda revera miracula, multam injicientia animo perturbationem & tumultum. Itaq; nō illi erat inopia speciosorum jucūdorumq; nominum, neq; etiam lenium & asperorum, & mille alias habentium differentias, inq; resonantiis atq; intelligentiis: ex qua carminum faciendorum facultate, poterat quemcunq; vellet in animo excitare affectum. Nostrum verò genus opificiis manuumq; laboribus se sustentans, nulla ratione pervenire potest ad similem libertatem. Sed primum quidem materia indigemus, quæ ut secure permanere possit, multum sumit laboris, nec facilè potest acquiri: præterea & non paucis adjutoribus. Accedit, huc quod cujusq; imaginis necesse sit unam tantùm figuram elaborari, eamq; immobilē & mānentem, ut in eā omnis Dei natura & vis cōprehendatur. Poetis autem licet multas quasdam & varias formas efficere: quia facile possunt poesi cōprehendere, motionesq; & quietem illis apponere, sicuti decere putaverint: tum opera & sermones, & insuper (puto) ea quę ad errorem tempusq; pertinent. Uno enim studio animiq; impetu poeta incitatus, magnam quandam copiam effundit, tanquam si aqua ex fonte abunde scateat, antequam eum derelinquat & effluat imaginatio, excogitatioq; quam concepit. Quod autem nostra arte efficitur, laboriosum & tardum est, vix & paulatim procedens, utpote in saxea & solida sudans materia. Et quod omnium est difficilimū, necesse est opifici imaginem in animo permanere eandem semper, donec absolverit opus, nonnunquam etiam multis annis. Et sane id quod dicitur, oculis magis credendum esse quàm auribus, fortasse verum est: multo siquidem minus ad credendum inducere possunt, majoreq; opus habent efficacia. Nam visus ipsis visis concurrit, auditum autem non est impossibile elevare & decipi per immissa verba, & quasi incantata carminibus atq; sonis. Atqui quæ nostræ artis sunt, necessariam habent mensuram, quod ad multitudinem magnitudinemq; attinet: poetis autem licet, & ea quantumcunque velint, augere. Quocirca Homero quidem facile fuit magnitudinem Cōtentionis dicere, quod caput fixum habeat in cœlo, & pedib. gradiatur super terram. Ego verò contentus sum, si quo modo locum ab Elæis aut Athenienſibus monstratum, implere possim.

Tu igitur dices sapientissime poetarum Homere, & vi poeseos & tempore longe præstantissime (primus enim ferè Græcis illius speciem edisti) cū aliorum deorum, tū quoq; maximi Dei multas & pulchras imagines: quasdam quidem placidas, quasdam verò terribiles & atroces. Noster autem hic Deus pacificus est, & ubiq; mansuetus, tanquam quietæ & concordis Græciæ speculator: quem ego mea arte, & civitatis Elæorum sapienti bonoq; consilio erexi, placidum & gravem, in jucundo habitu tam victus quàm vitæ, omnium datorē bonorum, cōmunem hominum & patrem & salvatorem ac custodē, quantum mortali possibile erat excogitare, imitariq; divinum & immensum animum. Cōsidera autem, an non omnibus cognominib. Dei hāc imaginem cōvenientem invenias? Jupiter enim solus Deorum pater & rex unus nominatur, & πολιεύς & φίλιος, & ἑταιρεῖος, & ad hæc, ἱκέσιος & ξένιος, & ἐπικώμιος, & multas alias habet appellationes, bonas omnes. Rex quidem dicitur, propter principatum, ac potentiam: pater verò, propter curam & mansuetudinem: πολιεὺς autem, propter legem & cōmunem utilitatem: ὁμόγνιος verò, propter generis cōmunionem diis & hominibus: φίλιος autem, & ἑταιρεῖος, quòd omnes homines cōgreget, velitq; inter se esse amicos, nullū autem ullius hostem aut inimicū: ἱκέσιος autē, quòd sit exorabilis supplicantibus: φύξιος, quòd malorum præstet effugium: ξένιος, quòd ne hospites quidem oporteat negligere, neq; exterum existimare ullum hominē: κτήσιος autem, & ἐπικώμιος, quod sit causa fructuū, divitiarūq; dator, & potentiæ: neq; ostendere quis possit, ubi non his appelletur nominib. Nunquid non satis, quantum per arte fieri potuit, expressus? Principatū enim habere, regemq; esse, fortitudo speciei demōstrat, pariter & magnificentia. Patrem verò esse, & curā gerere, mite illud, & amicabile. πολιεὺς verò esse, atq; legitimum, gravitas & austerum illud. Hominum porrò & deorum cognatione, similitudo ipsa formæ, & unius symbolum speciei. Porro φίλιος & ἑταῖρος, & ξένιος & φύξιος, & omnia hujusmodi summatim, humanitas, mansuetudo atq; bonitas declarant. Effigurat vero κτήσιος & ἐπικώμιος, & simplicitas & animi magnitudo, manifestata per formam. Plane enim danti donantique bona maxime consimilis est.

Hæc quidem quantum potui, arte expressi, utpote quæ nominare poterā. Continenter vero fulgurantem, propter bellum, multitudinisq; exitium, aut imbriū immensam vim, aut grandinis aut nivis, pluentem, aut extendentem nigrum arcum belli signū, aut mittentem stellā, & assiduas scintillas, atrox ostentum nautis militibusq;, aut immittentem diram contentionē Græcis & Barbaris, indesinentemq; belli & pugnæ inspirantem amorem afflictis hominibus atq; desperatis, aut statuente in trutinam hominum semideorū fata, aut totorū exercituum voluntaria declinatione dijudicanda, nō poterā per artē imitari: neq; si potuissem, voluissem unquā. Tonitrui enim simulacrum mutum, aut fulguris fulminisve imaginē obscuram, ex hisce terrenis metallis, quale tandem fieri posset? Præterea & terram quassatam, motumq; Olympum, brevi superciliorum nutu, aut aliquā nubium circum caput coronam. Homero quidē dictu facile, & multa ad hujusmodi omnia libertas est: nostræ autem arti omnino impossibile, è propinquo habenti manifestum visus indicium.

Quod si verò quispiam materiæ ignobilitatem, non arbitratur esse ex Dei dignitate: hoc verum est, & rectè putat: sed neque eam

dantes, neq; accipientem & approbantem jure quis reprehendat. Nõ n. erat altera natura melior, neq; splendidior ad visum, quæ in manus hominum venire posset, & ab artificio tractari. Nunquid enim aut ignem aliquis tractet, formetq; abundantem aquarum fontem quibusdam mortalibus instrumentis? Quamq; in omnibus his solida res efficiatur? Dico autem, noh auri, neq; lapidis (hæc enim parva sunt, & vilia) sed omnem naturam fortem & gravem, privatimq; unumquodq; discernentem, implicantemq; in idem, animalium genus aut plantarum? Hoc verò ne omnibus quidem diis possibile est, aut ferè hoc solum. Quod valde pulchre alius poeta dixit, Jovem alloquens:

Dodonæe omnipotensque pater, & artifex
Oprime. ——

Hic enim est primus & absolutissimus opifex qui expensarum suppeditatorem artis suæ accepit non Elæorum civitatem, sed omnẽ universi materiam. A Phidia verò, aut Polycleto, nihil meritò plus requiretis: imo & hæc majora sunt, graviora q;, quàm quæ queant à nostro manuario artificio postulari. Neq; enim Vulcanum Homerus scripsit in aliis experientiæ suæ specimen dedisse: sed artificem Deum quidem nactus ad scuti fabricam, materiam verò aliam non potuit invenire. Ait enim ita:

Mox æs robustum, stannumque injecit in ignem,
Eximiique aurum pretij, argentumque refulgens.

Hominum ego quidem nulli concesserim, ut me hac in arte superaret: opifici autem omnium rerum, nullus cõparandus est mortalis. Hæc igitur dicentem, hisq; se defendentem Phidiam, merito mihi videntur Græci coronare debuisse.

Forsan autem vulgares homines latet, quibusnam de rebus hæc oratio habita sit: & sane magis (ut mihi videtur) eam philosophos convenit, quàm multitudinẽ audire. Dictum est autem de statuarũ erectione, quomodo nempe oporteat erigere & de poetis, an melius aut pejus senserint de diis: præterea quoq; de prima deorum consideratione, qualis nam & quemadmodum in hominib. orta sit: multa autẽ (opinor) & de Jovis potentia dicta sunt, & cognominib. Quod si vero omnia dicta sunt cũ laude hujus statuæ, & qui eam erexerũt, multo melius est. Revera enim talis nobis apparet ex aspectu: valde nimirum benevolus, & curam nostri gerens, ita ut mihi propemodum & loqui velle videatur. *Orat. 12.*

Lucianus: Ne susurretis amplius, ô Dii, neq; ad angulos coacti, ad aurem colloquamini indignantes pleroq; indignos nostri symposii esse participes. Sed quandoquidem his de rebus habebitur concilium, quisque palàm dicat suam sententiam, & deferat. Tu vero Mercuri, præconium ex lege pronunciato. *Merc.* Audi: tace. Quis ex summis Diis, quibus id licet, in concione vult verbà facere? Deliberatio futura est de inquilinis, novisque habitatoribus. *Mo.* Ego Momus, ô Jupiter, si mihi dicendi copiam feceris. *Iup.* Hoc tibi jam concedit præconium. Itaque nihil opus est ut permittam. *Mo.* Dico igitur nonnullos nostrum malè facere, quibus non sufficit, ut Dii ex hominibus facti sint. Sed nisi suos pediseq uos & famulos honore nobis adæquaverint, nihil magni, nihil præclari præstitisse se putant. Posco autem, ô Jupiter, ut mihi liberè loqui concedas: neq; enim aliter possim. Imo sciunt omnes quàm libera sim lingua, nihilque eorum quæ malè geruntur silentio præterire soleam. Arguo enim omnia, & palàm dico quæ sentio, neminem reformidans, nec meam sententiam præ verecundia celãs. Itaq; molestus videor plerisque, & natura ad calumniandum propensus, publicusq; accusator ab ipsis appellor. Sed quandoquidem licet, proclamatumq; est, tuq; das, ô Jupiter, ut liberè loquar, nihil præ metu reticebo. Multi, inquã, non contenti quòd communis consessus sint participes nobiscum, & ex æquo epulentur, idq; cùm sint dimidia ex parte mortales: suos quoq; ministros, & sodales in cœlũ evexerunt, & numero Deorum adscripserunt. Nunc autem æquali sunt conditione, & victimarum participes, quanquam colonarium nobis non persolverunt. *Iup.* Nequid obscurè dicas, ô Momẽ, sed dilucidè, & apertè, etiã addito nomine. Nunc enim ita orationem in medium projecisti, ut multi per conjecturam, alias alii tua dicta accõmodent. Oportet autem eum qui liber est in loquendo, nihil præ metu reticere. *Mo.* Euge, ô Jupiter, siquidem me ad loquendi libertatem cohortaris: quod abs te fit animo prorsus regio, & magnifico. Quare dicam etiã nomen. Generosissimus ille Bacchus, semihomo, nec materna stirpe Græcus, sed mercatoris cujusdam Syrophœnicis, nempe Cadmi ex filia nepos, posteaquam immortalitate donatus est, qualis quidem ipse sit, nõ dico, neq; mitram, neq; ebrietatem, neq; insessum. Videtis enim omnes, opinor, quàm mollis sit, & effœminatus natura, semi insanus, statim à summo mane merum spirans. Hic sodalitium universum nobis ascivit, & adducto choro adest; Deosq; fecit, Pana, Silenum, & Satyros, agrestes quospiam, & caprarios multos, saltatores homines, & forma horribiles. Quorum hic quidem cornutus dimidiaq; corporis inferiore parte capram referens, barbaq; promissa, partim ab hirco differt. Ille vero, glaber senex, simo naso, qui plerũque asino vehitur, Lydus iste. Satyri autem, acutis auribus, & calui ipsi, cornigeriq;, qualia ferè recens natis hœdis nascuntur cornua: hi gẽte friges, caudas habent etiã omnes. Videtis cujusmodi Deos nobis faciat generosus ille? An mirũ, si homines nos contemnant, cùm tã ridiculos, mõstrososq; Deos videant? Nam omitto quòd duas etiam mulieres adduxit, alteram quidẽ quam amat, nempe Ariadnẽ, cujus etiam coronam astrorum choro inseruit: alteram verò Icarii agricolæ filiam. Quodq; ô Dii, est omnium maximè ridiculum, Erigones quoq; canem adduxit, ne doleret filia si non haberet in cœlo familiarem illam, habitamq; in deliciis caniculam. Annon ista vobis videntur in nostri contumeliam, injuriam, & irrisionem facta? Audite etiam alios. *Iup.* Nihil dicas Momo; nec de Æsculapio, nec de Hercule. Vide enim quò tuæ orationis impetu rapiaris. Horum quidem alter agit medicum, & morbis levat ægrotos estq; multis aliis anteferendus. Hercules autem, qui meus est filius, non paucis laboribus immortalitatem est adeptus. Itaq; ne ipsos accuses. *Mo.* In tui quidem gratiam tacebo, Jupiter, etsi multa dicenda habeam: atq; si nihil aliud, adhuc habent signa igne inusta. Porrò si liceret, & adversum te libertate loquendi uti, multa haberem dicenda. *Iup.* Atqui in me maximè tibi licet dicere. Nunquid me ut inquilinum in jus vocas? *Mo.* In Creta nón tantùm hoc audire licet: verum aliud quoque de te dictitant, tuumque sepulchrum ostendunt. Ego verò neque illis credo, neque Achivorum Aegiensibus subditium te esse affirmantibus. Sed hæc dicam, quæ potissimùm reprehendenda duco. Etenim delictorum hujusmodi principium, & causam cur noster consessus nothis abundet, tu Jupiter præbuisti, quum te mortalibus mulieribus commiscuisti, & alias alia forma ad ipsas descendisti. Ita ut metueremus, ne quis te comprehensum sacrificaret, cùm taurus esses: vel aurifex aliquis te conficeret, cùm aurum esses: & pro Jove nobis aut monile, aut armilla, aut inauris fieres. Sed enim hisce semideis cœlum implevisti, neque enim aliter possum dicere. Relíque planè ridicula est, siquis ex improviso audierit Herculem quidem inter Deos relatum? Eurystheum autem, qui imperabat ipsi, mortuum esse; ac prope Herculis templum, qui famulus, Eurystheique sepulchrum, qui herus erat. Rursus Thebis, Bacchus quidem Deus est: ejus autem consobrini, Pentheus, Actæon, & Learchus, omnium hominum fuerunt miserrimi. Ex quo autem semel tu Jupiter rebus hujusmodi fores aperuisti, & ad mortalium consuetudinem te convertisti, omnes te imitantur: nec solùm masculi Dei, sed quod est turpissimum, etiam Deæ fœminæ. Quis enim ignorat Anchisen, Tithonium, Endymionem, & Jasonem, aliosque? Itaque hæc omittenda censeo, quæ reprehendere longum esset. *Iup.* Nihil Momo, de Ganymede dicas. Irascar enim, si adolescentem illum, exprobrato genere, molestia afficias. *Mo* Proinde neque de aquilâ quicquam dicam, quòd & illa in cœlo versatur, regio sceptro insidens, ac tantùm non super tuo capite nidificans, & Deus videtur? an illam Ganymedis causa omittemus? At ô Jupiter, Attis & Corybas, & Sabazius, unde nobis accersiti sunt? aut etiam Mithres ille Medus, qui candyn, & tiaram gestat, nec Græcam vocem sonat: adeò ut siquis ei præbibat, non intelligat. Itaque & Scythæ hæc videntes, nobis longùm valere jussis, ipsi immortalitate donant homines, suisque suffragiis, quoscunque libuerit, Deos creant, eodem modo quo Zamolxis conditione servus, adscriptus est, nobis nescio quomodo insciis. At sane hæc omnia, ô Dii, sunt mediocria. Cæterum tu canino vultu Aegyptie, qui sindone es amictus, quisnam es, ô optime, aut quomodo dignum te censes qui sis Deus, cùm latres? Quid & sibi vult Memphites ille taurus, versicolor, qui adoratur, edit oracula, & prophetas habet? Pudet verò me recensere cicionias, simias, hircos, & alia his longe absurdiora, quæ nescio quomodo ex Aegypto in cœlum se inserierunt. Illa vos, ô Dii, qui sustinetis videre æquali vobiscum honore, aut etiam majore adorari? Aut tu Jupiter, quo fers animo, quòd arietis cornua tibi plantarunt? *Iup.* Turpia profectò sunt quæ dicis de Aegyptiis. Attamen pleraque illorum ô Momẽ, sunt ænigmata, non omnino à profanis deridenda. *Mo* Plane nobis, Jupiter, opus est mysteriis, ut Deos, Deos esse cognoscamus, & cynocephalos eos, quibus canina sunt capita. *Iup.* Missas facito, inquam, res Aegyptiorum: alias enim de his per otium deliberabimus: tu autem de aliis dicito. *Mo.* De Trophonio, Jupiter, quodque me potissimùm angit, de Amphilocho: qui quanquam sceleste hominis & matricidæ est filius, in Cilicia præclarus ille vaticinatur, multa mentiens, & pro duobus obolis præstigiatorem agens. Proinde Apollo, non amplius celebraris: sed jam lapis omnis, omnisque ara vaticinatur, quæ sit oleo perfusa, & coronas habeat, cuique vir præstigiator suppetat, quales multi sunt. Jam etiam Polydamantis athletæ statua medetur febricitantibus in Olympia, & Theagenis, in Thaso. Quin Hectori quoque sacra faciunt in Ilio, & Protesilao, è regione in Cherroneso. Ex quo autem in tantum numerum excrevimus, auctum magis est perjurium, & sacrilegium: & nos omnino despicere cœperunt, idq; meritò. Atque hæc quidem de nothis, & factitiis Diis. Cæterùm ego peregrina nomina jam audiens, quorundam qui neq; sunt apud nos, neq; omnino consistere possunt, ô Jupiter, ea prorsus irrideo. Ubi enim gentium est illa multum jactata virtus, & natura, & fatum, & fortuna, nova rerum vocabula, quæ consistere nequeunt, à stolidis hominibus, nimirum philosophis excogitata? Quæ quanquam ex tempore facta sunt, ita simplices ad credendum adduxerunt, ut nemo velit nobis sacrificare, cùm persuasum habeat, fore ut etsi infinitas hecatombas nobis obtulerit, fortuna tamen nihilo secus faciat, quæ fato decreta sunt, & cuique à principio destinata. Quare libenter ex te quæsiverim Jupiter, an alicubi videris aut virtutem, aut naturam, aut fatum. Nam hæc te in Philosophorum disputatio nibus audire scio: nisi ita surdus es, ut clamantes ipsos non audias. Quanquam multa habeo dicenda, dicendi tamen finem faciam. Nam video plerosque qui me dicentem molestè ferunt, & exibilant: sed illi præcipuè quos orationis libertas perstrinxit. Tandem si vis Jupiter, decretum de his jam conscriptum legam.

Iup. Lege: neque enim omnia citra rationem reprehendisti. Et sane multa ex iis cohibenda sunt, ne amplius augeantur.

Decre-

Decretum bona fortuna.

Consilio legitimè coacto, septima die mensis ineuntis, Jupiter summus erat administrator, præsidebat Neptunus, præerat Apollo, noctu Momus scribam agebat: & Somnus sententiam tulit. Quoniam peregrini multi, non solùm Græci, sed & barbari, etsi nequaquã mereantur nostræ reip. participes esse, adscriptitii nescio quomodo, & putatitii Dii, cœlum impleverunt, ita ut plenum sit symposiũ tumultuosa turba, garrulorum quorũdam & convenarum: defecit autem ambrosia & nectar: ita ut mina jã ematur sextarius, propter bibentium multitudinem. Illi verò præ arrogantia, pulsis veteribus, verisq; Diis, semetipsos præter omnem patriæ consuetudinem primis accubitibus dignos cẽsent, & priores in terris honores sibi arrogant: visum est Senatui, & populo ut concilium in Olympo cogatur circa solstitium hybernum, & eligantur perfecti Dii septem arbitri, tres quidem ex veteri curia Saturni temporibus constituta, quatuor autẽ ex duodecim illis: interq eos Jupiter. Qui arbitri sedeant præstito legitimo juramento, per Stygem: Mercurius autem proclamato præconio, cunctos congreget, quicunque in consessum admitti volunt. Veniant autem illi adductis testibus juratis, certisq; sui generis indiciis. Atq; hi quidem hinc sigillatim transeant: arbitri autem expensa causa, vel Deos esse pronunciabunt, aut ad sua sepulchra, majorumq; loculos ablegabunt. Si verò quispiam ex rejectis, semelq; arbitrorum judicio secretus, comprehendatur in cœlum ascendens, ille præceps in Tartarum detur. Præterea quisq; satagat rerum suarum: nec medeatur Minerva, nec vaticinetur Aesculapius, neq; tam multa solus faciat Apollo, sed uno quopiam delecto munere, aut vatẽ, aut citharœdum, aut medicum agat. Porrò Philosophi moneantur, ne vocabula nova fingant, neq; de rebus ignotis nugentur. Quicumq; autem templis jam, & sacrificiis digni habiti sunt, illorũ simulachra subvertantur, quorum loco vel Jovis, vel Junonis, vel Apollinis, vel cujuspiam ex aliis substituatur. Illis verò civitas sepulchrum aggeret, & aræ loco cippum erigat. Quòd si quis præconio non paruerit, & ad arbitros venire noluerit, ille indicta causa condemnetur. *Iup.* Justissimum equidem, ô Mome, est hoc decretum: & qui ita sentit, manum protẽdat. Atqui potius ita fiat. Complures enim novi, qui sua suffragia non sunt adjecturi. At in præsens abite. Cæterùm in concionem accersiti à Mercurio, venite, & afferte quisq; indicia manifesta, certasq; probationes, patris, matrisq; nomen, & undè ac quomodo factus est Deus tribumq;, & tribules. Quæ quicunq; non præbuerit, parum curæ erit arbitris, tametsi ille magnum in terris templum habeat, ipsumque homines Deum esse putent. *Concilio Deorum.*

Philostratus: Tum Apollonius, De Deis, inquit Aegyptiorũ primum interrogabo, quanam ratione impulsi, tã absurdas ridiculasq; Deorum imagines, præter admodum paucas, vestris hominibus colendas præbueritis, sanè in admodum paucis sapientiæ divinitatisq; conspiciamus vestigium: in ceteris templis irrationalium animaliũ atq; infamium potius, quam Deor. effigies colantur. Ad hæc indignatus Thespesion; Dic, inquit, apud vos, quales coluntur Deor. imagines? Quales respondit Apoll. pulcherrimas & sibi gratissimas Deos elaborasse credendum est. Jovem Olympium forte dices, inquit Thesp. aut Palladis simulacrum, aut Guidiæ Veneris, aut Argivæ Junonis, aut alia hujusmodi, quæ summa arte, summaq; pulchritudine plena dicuntur. Non de his solum, inquit Apoll. sed in communi de omnibus dico, eam quæ apud alios est, statuariam artẽ rationi magis cõsentaneam esse: vos auderidere magis, quàm venerare Deos videri. An igitur, inquit ille, vestri Phidiæ aut Praxiteles cœlũ ascendentes, atq; illic effigies Deor. fingentes, eas postmodum ad artem attulerunt; aut est aliquid aliud, quod eos fingere aut sculpere docuit? Aliud est profectò, inquit Apol. & quidem sapientia plenũ. Quidnam id est, insit ille? nihil enim præter imitationem dicturũ te puto. Phantasia, inquit Apol. hæc perfecit, artifex procul dubio sapiẽtior quam imitatio. hæc n. solum quod videt operatur; phantasia verò etiam quod nunquam vidit. Proponet enim sibi idipsum quod nõ novit, ad ejus quod est relationem. Imitationem præterea ut plerumq; impedit, phantasiam verò nihil ipsa n. impavida fertur ad id quod ei subjici diximus. Oportet autẽ qui Jovis contemplatur effigiem cum Cœlo, cum Horis & Astris ipsum imaginari; sicuti Phidiæ tunc venit in mentem; Palladem vero fingere cogitantem, exercitus cõsilia & artes meditari, & quomodo ex ipso Jove prosiliit. Sin vero accipitrem aut noctuam, aut lupum vel janem fingens in templo deferendo, pro Mercurio, Pallade, aut Apolline; feras avesq; honore simulacroq; dignabimini; Deos autẽ procul ab illor. gloria cõstituetis. Tunc Thespesion: Videris, inquit, incuriose nimis res nostras perscrutari. sapientis enim est, si quidquam sapienter excogitatum est, apud Aegyptios inprimis exprimatur; non audere contra Deorum effigies aliquid aggredi, sed mente consilioq; illas excogitatas esse censere. sic enim ipsas venerabiliores futuras videri putarunt. Ad ea subridens Apoll. Ergo, inquit, venerabilior vobis & Deorum imaginibus similior esse videbitur, aut canis, aut ciconia, aut hircus, quàm aliæ Deorum effigies? at quid in illis venerationis insit aut terroris, non video. Perjuros enim & sacrilegos, & qui scurrilitate in Deos utuntur, contemnere magis quam timere ejusmodi templa consentaneum est. Quod si propterea venerandæ hæc esse videntur, quia sub ipsis aliud mente concipi & subintelligi possit; venerabiliores utiq; fuisse Deos arbitrarer, si eorum nullum extaret simulacrum, sed Theologiæ modo quodam alio, & magis, arcano uterentur. Poterant enim templa construere, & in his altaria erigere; tum etiam quid sacrificare liceret, instituere, & quibus diebus quippiam facere aut dicere opus esset, præmire: nullum autem in templo simulacrum habere, sed Deorum effigies illis relinquere excogitandas qui sacrificatum accederent. mens enim describit & formatat aliquid, omni sculptura picturave præclarius. Vos autem hoc etiam à Deis sustulistis, ne quis tanquam pulchros mente videre aut excogitare illos posset. Tum Thespesion: Fuit Socrates quidam Athenienſis senex, fatuus ut nostis canem, anserem, platanum, Deos putans, per eos jurare consuevit. Minimè verò, inquit Apoll. fatuus habitus est, sed divinus quidam vir, & verè sapiens: jurabat autem per ea quæ dixisti, non tanquam Deos, sed ne per Deos juraret. *Lib. 6. cap. 9.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 61. ad Nemesium.

Haud decet, haud fas est hominem, qui numinis ingens
Est opus, & superi verbi immortalis imago,
Prædita mente, capax superarum gnaraque rerum,
Altigrada, idolis sese substernere vanis
Horum quæ tellus habet, & quæ pontus & aer,
Materia fluxa simulacris vilibus, arte
Atque manu factis, cujus rubigo laborem
Conficit, atque illo tineæ pascuntur edaces.
Quorum pars summo colitur pro numine, rursum:
Pars in honora jacet. sed nec cœlestibus ipsis
(Quæ quamvis insigne habeant decus, haud tamen ipsa
Numina sunt, supero sed tantum à numine facta)
Lunæque & Phœbo atque astris, quæ nobile cœlo,
Quod motu nunquam cessante agitatur in orbem
Atque intus variis ornatibus undique fulget,
Eximia præco celebris, tacitus licet, artis,
Omnia quæ fecit, nexu quoque junxit amico:
Ut mortale genus per res, quas lumine cernit
Corporis, hæc rapiat quæ sunt fugientia visum.
Namque etiam quisquis magnas conspexerit ædes,
Extructorem oculis sibi protinus objicit ille:
Auctoremque suum celebrat sine voce carina.

Prudentius libro priore contra Symmachum.

Tantum posse omnes illo sub tempore reges
Indocilis fatui ducebat inertia vulgi,
Ut transire suis, cum sordibus induperator
Posset in æternum cœli super ardua regnum.
Regia tunc omnis vim majestatis, & omnis
Parva licet, cœli imperium retinere potestas
Credita. Thure etiam Ducibus parvoq; sacello
Impertitus honos: quem dum meretur, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris processit in ævum
Mos patrius, cœpit falsæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes:
Tum quia quæ vivis venerati oregibus ante
Contigerat, functis eadem jam munere lucis
Cessit, & ad nigras altaria transtulit umbras.
Inde puellarum ludibria pignora partus,
Et furtivus amor juvenum, & deprensa fugalis
Corruptela tori: quoniam regalibus aula
Fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
Divorum soboles sancti meminisse pudoris.

Idem paulo post.

Ut semel obsedit gentilia pectora Patrum
Vana superstitio: non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus. tener horruit heres
Et coluit, quidquid sibimet venerabile cani
Monstrarant atavi, puerorum infantia primâ
Errorem cum lacte bibit, gustavit inter
Vagitus de farre molæ, saxa illita ceris
Viderat, unguentoq; lares humescere nigros:
Formatum Fortuna habitum cum divite cornu,
Sacratumq; domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremq; illic pallere precantem:
Mox humeris positus nutricis, trivit & ipse
Impressis silicem lubris, puerilia vota
Fudit, opesq; sibi caca de rupe popposcit;
Persuasumq; habuit, quod quis velit inde petendum;
Nunquam oculos animumq; levans rationis ad arcem
Rettulit; insulsum tenuit sed credulus usum,
Privatos celebrans agnorum sanguine Divos.
Iamq; domo egrediens; ut publica festa diesq;,
Et ludos stupuit, celsa & Capitolia vidit,
Laurigeros q; Deum templis astare ministros;
Vera ratus quacunq; Senatu auctore probantur,
Contulit ad simulacra fidem, dominosq; putavit
Aetheris, horrifico quæ stant ex ordine tristo.

Prudentius lib. poster. adversus Symmachum.

—— *ipsum*
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longe
Non multos coluisse Deos, rarisque sacellis
Contentum paucas posuisse in collibus aras.
Immumeros post deinde Deos, virtute subactis

Vrbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas,
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiua domum, generans ceu Numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi:
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis:
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies, quasdam domitis Ammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties Ducis inclita currum
Plausibus excepit, toties altaria Diûm
Addidit, & spoliis sibimet noua numina fecit;
Numina quæ patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.

Prudentius passione Romani.

Sed pulcrares est forma in are sculptilis!
Quid imprecabor officinis Græcia
Quæ condiderunt gentibus stultos Deos?
Forceps Myronis, malleus Polycleti,
Natura vestrum est atque origo Cœlitum.
Miror quod ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum & aras ipse Phidias habet,
Fabri Deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Iupiter conflatilis.
Non erubescis, stulte pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia;
Quæ Dijs ineptis obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus sartagines,
Fracta & liquata contulerunt vascula.

¶ Apophthegm. Sacrorvm.

Moses Dux Israelitarum: Idololatriam grauissimum esse peccatum, & diuinæ majestatis læsæ horrendum crimen testantur sequētia Dei & Mosis dicta. Quum enim post aureum vitulū ab Israelitis conflatum, Jehova edixisset Mosi, Abiens descende, nam corrupit se populus tuus quem eduxisti è terra Aegypti. Recesserunt celeriter ab ea via quam præcepi illis, fecerunt sibi vitulum fusilem, & incurvantes se sacrificaverunt ei, ac dixerunt, Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt è terra Aegypti. Vidi populum istum, quod ecce populus dura cervice est. Nunc igitur sine me, ut in eos accensa ira mea consumam eos; efficiam vero te in gentem magnam. Moses autem deprecans faciem iratam Jehovæ Dei sui, dixit, Quare Jehova accēderetur ira tua in populum tuum, quem eduxisti è terra Aegypti, virtute magna & manu forti? Quare loquerentur Aegyptii dicendo, Malo animo eduxit eos, ut occideret eos in istis montibus, & consumeret eos è superficie terræ? converte te ne accendatur ira tua, & pœniteat te istius mali quod proposuisti contra populum tuum. Recordare Abrahami, Isaaci, & Israelis servorum tuorum, quod jurasti eis per te, & promisisti eis, Multiplicabo semen vestrum tanquam stellas cœli: & totam hanc terram quam promisi dabo semini vestro, ut possideant in seculum. Ad Josuam servum suum, qui sonum belli in castris esse putabat, dixit, Non est sonus quo strenui clamant, neq; est sonus quo debiles clamant: sonum cantantiū ego audio. Deinde abjectis è suis manibus & fractis tabulis testimonii, exuto & comminuto vitulo aureo, cujus pulverem in superficiem aquarum dispersam jussit Israelitas bibere, dixit ad Aaronē, Quid fecit tibi populus iste, quod induxeris super eū peccatum maximū? Et ad Levitas, Sic ait Jehova Deus Israelis, Apponite quisq; gladiū fœmori suo: transite & redite per castra, de porta in portam, ut occidatis quisq; fratrem suum, & quisq, amicum suum, & quisq; proximum suū. Consecrate manum vestram hodie Jehovæ (nam consecranda est cuiq; contra filium suum & fratrem suum) ut imponat vobis hodie benedictionem. Cæciderunt autem de populo illo, eo ipso die, ad tria millia virorum. Postridie autem dixit ad populum, Vos peccastis peccato maximo. nunc itaq; ascendam ad Jehovam, fortè expiationem faciam pro peccato vestro. Et iterum ad Jehovam, Utiq, peccavit populus iste peccato maximo, cum fecerunt sibi Deos aureos. Attamen nunc an condonare vis peccatum eorum? nam si non ita est, dele me nunc de tuo libro quem scripsisti. *Exod 32. vers. 7. 8. & cæt.*

Iosue: Israelitis dicebat, Ne conveniatis cum gentibus istis quę reliquæ sunt vobiscum, & nomen deorum (idolorum) earum ne recordemini, neq; adoretis, neq; colatis eos, neque incurvetis vos eis, &c. *cap. 23. 7.*

Nunc timete Jehovam, & colite eum integrè & fideliter, & amovete Deos, quos coluerunt majores vestri, in regione trans flumē illud & in Aegypto, & colite Jehovam. *Item*: Amovete Deos alienigenarum qui sunt in medio vestri, & inclinate animum vestrum ad Jehovam Deum Israelis. *Cap. 24. 14. 23.*

Ioas Pater Gedeonis: Altare Baalis postquam dirutum & lucus excisus fuisset à Gedeone, dixerunt homines civitatis ad Joaschum, Produc filium tuum ut moriatur: quia diruit altare Baalis, & quia succidit lucum qui erat juxta illud. Dixit verò Joas omnibus qui instabant apud ipsum, Vósne contendetis pro Baale? an vos servabitis eū? qui contenderit pro eo, hocipso manè mortū tradetur: si Deus est, contendet pro se adversus eum qui diruit altare ejus. *Iud 6 31.*

Samuel: Dixit Israelitis, Si ex toto animo vestro vos convertimini ad Jehovam, auferte Deos alienigenarum è medio vestri, & comparantes animum vestrum ad Jehovam, colite eum solum, & eripiet vos è manu Philistæorum. *1. Sam. 7 2.*

Anonymus: Accensus ira Deus in Amaziam regem Jehudæ, quòd idola Edomæorum constituisset sibi Deos, misit Prophetam qui diceret ad eum, Cur quæris deos istius populi, qui non eripuerunt populum suum è manu tua? Fuit autem cùm alloqueretur ipsum, ut diceret illi rex, An cōsiliarium regi tradiderunt te? desiste, quare percūterent te? itaq; destitit Propheta, cùm dixisset, Agnosco, Deum iniisse consilium de perdendo te, quandoquidem facis hoc, ac nō auscultas consilio meo. *2. Chronic. 25 15. 16.*

Prophetæ: Mosis & Prophetarum innumera ferè dicta extant cùm adversus idola & idololatriam, tum adversus idolorum cultores, quos Apostolus, 1. Corinth. 6. regno Dei excludit. Hæc testimonia autem quum passim occurrant, & ad dogma controversum de sincero Dei cultu referenda sint, selectiora apophtegmata quædam hic proponere visum est.

D. Paulus Apostolus: Quum ethnici Paulum & Barnabam veluti idola sua colere vellent, Apostolus & Barnabas idololatriam illam detestati, diruptis palliis suis insilierunt in turbam clamantes, & dicentes, Viri, cur ista facitis? nos quoq; sumus homines, iisdem quib, vos affectionibus obnoxii, annunciantes, ut à vanis istis rebus, (idolis) convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. *Act. 14 13. &c.*

D. Ioannes Apostolus: Filioli, inquit, cavete vobis ab idolis. *1. epist. c. 5. vers 21.* Idola vero Deo opponit Joannes, ut hoc veluti sigillo suæ epistolæ (quæ doctrinam de Dei & proximi dilectione complectitur) summam obsignaret.

Constantinus Imperator: Lege cavit, inquit Eusebius, ne ipsius effigies in idolorum templis poneretur: ne ipsa tabella, vel minima lineamentorum parte, propter vetitorum idolorum errorem, labem aliquam contraheret *Euseb. de vita Constant. libro quarto cap 16.*

Wolffredus Anglus: Is divini amoris instinctu adversus superstitionem sacrilegam Suuetiæ se opponens, dignum & optatum invenit sancti martyrii exitum, in concione populi vociferās: Si, inquit, potens est vester Deus Tostan, se vindicet: & arrepta securi, simulachrum in frustra concidit. Mox ab astantibus, mille petitus gladiis confoditur: frustatimque concisus, pœnas, ut ajebant, dedit violato numine gentis. *Alb. Crantzius, metropol. lib. 4. c. 8.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Iulianus Martyr: Dæmonia Gentivm Deos pertractamus: de quorum superstitiosa vanitate quia alio in loco egimus, unicum dūtaxat utriusq; sexus exemplum in præsenti proferemus, quo clarè nobis pateat, quàm liberè eam aspernati olim viri sancti. Et quidem compulsus iis litare Jvlianvs, abdicato veri Dei cultu, hac voce Præsidem compellabat: *Dij vestri lapidei sunt, aut arei. Si arei, meliores ex is sunt cucumæ quæ ad hominum usus è metallo conflātur. Sin' lapidei, respuendi sunt: quia ex ipsis sternuntur plateæ ad vadendum lutum. Sur. tom. 1. in vita.*

S. Cæcilia: Nec minùs prudenter & animosè sponsa Christi Cæcilia. quæ jussa ab Almachio Præfecto idolorum acerræ thus imponere, *Nescio*, ajebat, *ubinam tuos oculos amiseris: nam quos tu deos dicis, ego & omnes qui sanis oculis sumus, videmus esse lapides, æs, & plumbum.*

Heu miseri! qui vana colunt, qui corde siniſtro
Religiosa sibi sculpunt simulachra suumque
Factorem fugiunt, & quæ fecere verentur.

Idem tom. 6. in vita.

¶ Monosticha Trochaica.

Aethera hunc, habeto summum divum, hunc perhibeto Iovem.
Aethiops Phœnica vivum, mortuum Aegyptus colit.
Astra pro Deis coluntur, sed tamen non sunt Dei.
Forma plures quam virtutes cetera fecit Deas.
Nulla virtus plureis fecit, Forma quam una, Calites.
Qui Deum humani figura fingit oris, destruit.
Sacra facta sunt, adsumpta quæ fuerant solatia.
Sancta quæ sint quæ profanæ artificum absolvunt manus?
Stultis Græcia officina gentibus condunt Deos.
Thessali colunt formicas, numenque ijs ciconia est.

¶ Jambica.

Argentum & aurum Idola cuncta gentium.
Et fœtor hirci pro Deo est Mendesiis.
Genera Deorum multa, nec pueri putant.
Gentes eosdem non colunt cuncta Deos.
Nil interest Deos infames an neges.
Omnes Deos creavit assentatio.

Ieiu-

Ieiunii.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Greg. Nyssenus: Est jejunii & abstinentiæ genus, quod à corpore & materie sejunctum est: cumq; animum duntaxat respiciat, ea re perficitur, ut à vitiis temperemus. atq; hujus quidem jejunii gratia, etiam illud indictum est, ut à cibis abstineamus. Quod cum ita sit, à malitia jejunate, cohibete rerum alienarum cupiditatem, à turpi & injusto quæstu vobis temperate. Nam si vino & carne temperantes, obstructos vitiis animos habuerimus, nihil quidquam nobis, cum aliter animo quàm extrinsecus, affecti simus, aut aquam, aut olera, aut mensas sine sanguine structas, pro futura testificor. Propter munditiem animæ sunt indicta jejunia: quæ si tum voluntate tum factis coinquinatur, quid frustra, quam bibimus, aquam insumimus? cur ingens hoc cœnum, quod elui expurgarique non potest, excolitur. Quid confert jejunium corporis, nisi mens pura mundaq; sit? nihil enim prosit currum validū, ac strenuis quadrigis instructum, si auriga insaniat? Jejunium virtutis fundamentū est. Ut autem navium carinæ, & fundamenta domus, licet ingentia subjicias, inutilia tamen aq; sint, nisi reliquas item partes perite & sciēter exædificaveris; sic istius abstinentiæ nullum erit emolumentum, nisi aliæ justitiæ partes accesserint. Timor Dei erudiat linguam ea quæ decet loquistacere contraria; temporis occasionem animadvertere, modum observare, fari necessaria, aptè respondere, modestè dicere, ne verborum veluti grandine colloquentes obruat. Idcirco enim & tenuis illa membranula, quæ cum ipsa lingua mentum inferius devincit, frenum dicitur, ne ineptè loquatur & inconcinnè. Laudibus igitur non convitiis utatur, cantibus non maledictis, cōmendationibus non obtrectationibus. Manus petulans, Dei memoria, tanquam catenavincta cohibeatur. has enim ob causas jejunamus. *De amand. paup.*

Isidorus Peluſiota: Nihil eos, qui sanis decretis animum minimè adjiciunt, Jejunium juvat. Quantò enim anima corpore præstantior est: tanto quoque pietatis dogmata vitæ anteponuntur. *Lib. 1. Epist. 244.*

S. Isidorus Peluſiotæ: Et pictores & textores qui sericas pelliculas expoliunt multis coloribus ac filis opera sua variare consueverunt, ut perfectam imaginem, aut omnibus partibus absolutam veltem reddant. Eodemque modo progressus Deo gratus haudquaquam simplex uniusq; modi est. Omnes enim virtutes ad perfectionem requirit. Quamobrem ciborum jejunium nihil iis utilitatis affert, qui omnibus sensibus minimè jejunent. Nam qui in agone certat, ab omnibus se abstinet. *Lib. 1. Epist* 403.

S. Isidorus Peluſiota: Si à cibis abstines, quid convitiis & maledictis tanquam carnibus veseris? Præstiterat enim illis ingurgitari, quàm his contaminari. Quod si ab illis abstinens, his inficeris & cōspurcaris, ei similis es, qui parum precatur, magna autem ex parte Deum impiis & contumeliosis vocibus incessit. *Lib. 1 Epist.* 446.

S. Isidorus Peluſiota: Si Monasticam vitam legitime colitis, jejunantes à fastu alienos vos præbete. Sin autem hoc nomine intolescitis, carnes potius edite. *Lib. 1. Epist* 474.

¶ LATINORVM.

Zeno: Sicut sæpe videmus in pueris, austerioribus medicamentis vel poculis, collectas intrinsecus exstingui besticolas: ita in interioribus animæ nostræ vivificata peccata jejunium exstinguit & enecat. *Serm. de jejunio.*

Zeno: Non ad judicia, neq; ad lites jejunetis: in his enim jejuniorum diebus quàm plurimi vacant, ut magis videantur idcirco cortpori subtrahere cibum, ut noxiis calumniarum dapibus animam sagināent: & ob hoc solum esuriunt à cibis, ut litibus satientur. hanc ergo abjiciens jejuniorum formam Dominus per prophetam denuntiat, Non tale jejunium elegi, dicit Dominus, cum humiliat homo animam suam: sed solve omne vinculum iniquitatis: confringe esurienti panem tuum ex animo: nudum, & sine tecto introduc in domum tuam: & tunc subitò oriet r, sicut mane lumen tuum: & sanitas tua, sicut meridies. quod nihilominus Dominus quoque in Evangeliis perfectius, & divinius reformans, sicut & cætera quoque mandata, repetit, & dicit: Vos autem, cum jejunatis, nolite effici tristes, sicut hypocritæ faciunt, exterminantes facies suas: sed tu, cum jejunas, unge caput tuum, & lava faciem tuam. Tali ergo affectu suscipiamus jejunii gratiam, sicut Dominus docet: & nō tristes, & mesto vultu, tanquam horre.centes necessitatem dierum: sed læti, & hilares, & cum exultatione rem gerere debemus, quæ nobis causa victoriæ, & salutis existit. Et quis est, qui tristis coronetur? quis mœstus, & demerso vultu triumphet? præsto est enim per jejunia carnē vincere: & de ejus vitiis post victoriam triumphare. Quis unquam tristis est, quòd sanus efficitur? aut quomodo non probrosum est, majorem de ciborum castigatione recipere mœrorem, quàm gaudium de animæ sanitate? qualis illa mens est, quam plus contristat interitus libidinis, quam lætificat vita virtutum? quæ dolet subtrahi aliquid de ventris stercore? (in hunc enim thesaurum omnes ille ciborum copiæ reconduntur) & addi quantulumcunq; cœlestib. continentiæ thesauris, quos tinea non consumit: & ubi fures non effodiunt, & furantur. *Serm. de jejunio.*

Zeno: Duo Dominus simul præcepit, neq; ostentationis causa, & laudandi studio jejunium celebrari: neq; simulare religionem vultu, & habitu, & mente, atq; operibus agere subversionem: sed abstinere quidem à corporalibus cibis: bonum enim, & utile est humiliare carnem, refrænare libidinem, cohibere lasciviam, luxuriam resecare: multò vero clarius est inquietos, & inconditos motus animæ continere: nam & anima luxuriat, cum inique aliquid concipit: cum ultra mensuram erigitur, & superbit: cum invidiæ stimulis agitatur: cum sua negligens, quæ cœlestia sunt, terrena, & caduca, quæ à se aliena sunt, quærit: quibus singulis modum, ac terminos jejuniorum sobrietas statuit competenter recipi. *Serm de jejunio.*

Chrysologus: Fratres, esurit jejunium, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod nō miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum, ita misericordia toto jejunii semina producit in florem, in cœlestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas, sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere, sic pietas facit splendere jejunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna nosci tur esse jejunio. Sicut jubar solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem, sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus a corpore, anima cum recedit, ita mors est jejunii largitatis abscessus. *Sermone 8.*

Chrysologus: Jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophęum. *Sermone 12 m.*

Chrysologus: Inveterata jejunia jactantur verbis, pallore proponuntur, venditantur defe.. u: placent humanis oculis, non divinis. *Sermone 27 m.*

Chrysologus: Jejunium est singulare sanctitatis aratrum; colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentem messem. *Sermone 32. m.*

Chrysologus: Sicut utres pellium ab omni squallore purgantur, & pigmentis liniuntur adoratis, ut saporem vini possint inviolabilem custodire: ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum squallore purgantur: & fiunt utres divinis torcularibus apti: ut de prælo crucis accipiant vinum novum: & incorruptam novitatem conservent. *Sermone 32. ante finem.*

Chrysologus. Abstinentia est hominis prima medicina, sed ad plenā curam misericordiæ requirit expensas. Abstinentia extinguit febrē, sed arefacta membra longæ febris incendio, nisi largo infundātur unguento, nisi blandissimis rigentur fomentis, nisi juventur medicinę sumptu, ad integram sanitatem redire non possunt: sic jejuniū quam vis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat: tamen sine misericordiæ unguento, sine pietatis rivo, sine eleemosynę sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. Jejunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia non emundat. *Sermone 41. m.*

Chrysologus Est ager cultus sine semine, sine miseratione jejunās: Ager cultus caret sentib. vitat gramina: evadit totū quod est negligētiæ: quod est squaloris: sed sicut sine semine fit sterilis, ipso cultu fructū non dat, dat laborem, & ad bonam frugem nō valet pervenire: jejunans ita excolit animā, purgat sensus, cor mundat, abscindit vitia, eradicat crimina, dat meti cultu.., corpori dat decorem, sed fine misericordia ad fructū vitæ non pervenit, ad salutis præmium non vadit. Quod est sine rege aula regia, hoc est, sine largitate jejunium. Aula regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, levatur culmine, amœnatur viretis, ipso terribilis est secreto: sed non ergo honorem non habet, caret gloria, est vacua solitudo, est clausa cremus, est horribilis solitudo: sic jejunium lucet innocētia, radiat castitate, fulget actu, pingitur moribus, incessu micat, sanctitatis toto magnificatur ornatu: sed sine misericordia gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam supplicandi, impetrandi meritum non capescit. *Sermone 42. pr.*

¶ POETARVM.

Plautus Mercatore 3. sc. 3. v. 12.

Perversè facies. D. quod ne ames? L. tanto minus.
Ieiunii atis plenus, anima fœtida
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Vt ne advenienś vomitum excutias mulieri?
D. Sciopolte amare, cùm istæc præmonstras mihi.
Quid si igitur, unum factum hoc si censes, coquum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic usq; ad vesperum? L. hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loquere atq; amatorie.

Prudentius hymni jejunantium.

Adeste castis Christe parsimonijs
Festumq; nostrum rex serenus aspice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profectò purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur lividi,
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam,
Obstrangulata mentis ingenium premat.

Hinc subjugatur luxus, & turpis gula,
Vini atq; somni degener socordia,
Libido sordens, in verecundus lepos,
Variaq; pestes languidorum sensuum,
Parcam subacta disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu ac cibo,
Iejuna rite membra non coerceas,
Sequitur frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusq; pigris stertat ut pracordijs.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Deterса ut intus emicet prudentia;
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.

Paulo post.

Placet frementem publicis jejunijs
Placare Christum mos edendi spernitur
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proq; gemma & serico
Crinem fluentem sordibus spargit cinis.
Squallent recincta vestе pullati patres,
Setas plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus
Nigrante vultum contegit velamine;
Iacens arenis & puer provolvitur.
Rex ipse Coos æstuantem muricem
Lenam revulsa dissipabat fibula.
Gemmas virentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.
Nullus bibendi, nemo vescendi memor.
Iejuna mensas pubes omnis liquerat.
Quin & negato lacte sagientium,
Fletu madescunt parvulorum cunula,
Succum papilla parca nutrix denegat.
Greges & ipsos claudit armentalium
Solers virorum cura; ne vagum pecus,
Contingat ore rorulenta gramina;
Potum strepentis ne vefontis hauriat,
Vacuis querela personant præsepibus.
Mollitus his & talibus brevem Deum
Iram refrenat, temperans oraculum
Propere sinistrum prona nam clementia
Haud difficulter supplicem, mortalium
Solvit reatum fitq; fautrix flentium.

Prudentius Hymno jejunantium.

Perfusa non sic amne flamma exstinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Vt turbidarum scabra culparum seges,
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe & illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus;
Vnam paremq; sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisque dextram porrigit,
Laudis rapacem prodigam pecuniæ;
Cujus sinistra dulce factum nesciat.
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatq; fructus fœnerantem centuplex.

¶ Apophthegm. Sacrorvm.

Ester Regina: Quum audito regis Assueri de Judæorum cæde decreto Mardochæus graviter lugens Esteræ reginæ nepti suæ illud per internuntios indicasset, eam sui officii serio admonens, edixit Ester referri ad Mardochæum, I, congrega omnes Judæos, qui præsto sunt Susis: & jejunate pro me, & ne comedatis, neq; bibatis tribus diebus noctu & interdiu: similiter ego quoq; cum puellis meis jejunabo: ita demum ingrediar ad regem, quod non est secundum jus (i. secundū leges Persarum:) & cum perierim periero. *Ester.* 4. 16.

Anonymus: Joannes Abbas superstitione motus soli contemplationi se absq; cibo vacare posse confidens, per vastam solitudine per septem dies vagatus, die tandem septimo, fame urgēte, rediit: & cum cellæ fores occlusas offendisset, contubernalē suum quem ibi reliquerat, ut sibi aperiret, invocavit, se Joannem esse contestans. At ille, *Nequaquam*, inquit, *Nam Ioannes in Anglū mutatus est, nec cibo illi opus est nec cum hominib cōmorari necessarium.* Tali exprobratione taxatum dimisit, passus cum nocte sub dio jacere. Manè verò concesso aditu, cū longa inedia lassum refecisset, fraterna charitate monuit se hominem esse meminisset, cibo egentem, ut sufficere posset actioni spirituali: proinde laborem monachis communem detrectaret. *Moral. lib 3. cap. 9.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Ardentes dæmonum sagittas Ieivnii frigore jejunij exstinguendas, dicebat Hieronymus; eoq; corporis passiones certo certiùs sanandas, si debito modo adhibeatur. Et quidē discipuli Joannis accesserunt cum Pharisæis ad Iesvm, rogantes. Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? audierant enim dicentē eum, se cum peccatorib. versari, ut eos ad pœnitentiam vocaret: unde quasi inferunt, Quare ergo non doces discipulos tuos jejunare? quib. ille, ex congruentia tēporis argumento sumpto, *Non possunt*, ait, *filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus: Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt* Significabat autem præsentiam suam esse causam lætitiæ & hilaritatis sequentibus: non luctus aut doloris, cujus index est jejunium. *Matth c. 9.*

Sylvanus Abbas: Hic in deserto Scythiæ unà cum Zacharia discipulo die jejunii iter faciēs, ad cœnobium quoddam divertit: ubi comiter exceptus, manducavit. cumq; inde secederet, discipulum in via bibentē reprehendit, quod eo potu jejunium solveret. qui, Jā uterq; illud solvimus in cœnobio, ait. cui Sylvanvs: *Minimè*, inquit: *nam illud non jejunij solutio, sed charitatis communicatio fuit.* Existimabat itaq; posse aliquid prægustari in sodalitio exterorum eumq; morem Aegypti monachis celebrem fuisse, auctor est Cassianus. *Sabellicus lib. 2. Ebor. de Castig corp.*

Anonymus Anachoreta: Venerant ad eū Cassianus & alii quidā, quos admodum liberaliter accepit. Rogatus a. cur in fratrum susceptione regulā jejunii more Palestinæ non observaret, respōdit: *Ieiunium semper mecū est, Vos verò nō semper. & quāvis ieiunium res sit utilis & necessaria: in nostra tamē voluntate est. Charitatis autem plenitudinem lex Dei exipit à nobis. in vitis PP. cap. de Hospital.*

Anonymus: Ejusdem mentis iste. Diverterant ad eum quoq; duo Eremi illius incolæ: quos, licet ipse vesperè de more cibum non caperet, humaniter ad cellam & mensam deduxit, dicebatq;: *Ieiunium suam mercedem habet. Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet: quoniam propriam voluntatem à se abdicat, & mandatum implet, reficiens fratres. Ibid.*

Marcianus Anachoreta: Neq; minori admiratione dignum reor Marcianvm: qui cum Anitum se invisentem ad vescendū hortaretur, & is recusaret quòd ante vesperam cibū non sumeret, *Nos quoq;*, inquit, *eandem quam tu viam amplectimur & vitam: ieiuniū cibo præferimus. quo etiam ante vesperam non utimur: at charitatē resumto præstantiorē scimus, utpote quā lege Divina præcipitur, cùm illud sit nostri arbitrij & voluntatis. Theod. in hist. Sanct. Patr. c. 3.*

S. Bernardus: Arguebatur aliquando hic, quod ad hospitum adventum extra ordinem cœnasset ait, *Non ego*, inquit, *sed charitas cēdit & bibit. Aen. Sylu. lib. 2. Comm. in Panorm.*

S. Leo Pont. Quantæ verò utilitatis sit cum bona rectiq; conscia mente jejunium, crebriùs inculcatum à Leone accepimus. cui in ore ea vox: *Parū fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.* Hinc in quadragesimāli Hymno canit Ecclesia

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet ut mens sobria,
A labe prorsus criminum.

In vita eiusd.

S. Hieronymus: Ille etiam Salviam ad hanc corporis castigationem cohortatus, *Melius*, inquiebat, *est stomachum tuum dolere, quam mentem: imperare corpori, quam servire: gressa vacillare, quam pudicitia. In Epist. ad eandem.*

Ypericius Abbas: Hic autē percontanti, quid esset Jejunium; *Frænum*, ajebat, *Monachis adversus peccatū. Qui autem illud abjecit, velut equus furens desiderio fœmina rapietur. In vitis PP. part. 2.*

Thomas Morus: Valet autem in Jejunio, quod in aliis virtutū operibus locum habet, illud. Fides libenter accipit quidquid arduum videtur incredulis; ut de Quadragesimali jejunio scripsit Augustinus. at nostri temporis Politici & hæretici, juxta Persarum & Aegyptiorum institutum, non nisi propter modestiam quandā, & carnis infrenatæ dominium abstinent, quocumq; tandem die. quibus non minus sapienter quàm facetè respondit Thomas Morvs, Christi martyr celeberrimus; *Hoc si ita est*, inquiens, *nec cōiugati facilè ieiunabunt, qui facilius remedium in promptu habēt: neq; etiam virgines, ne impudici iuvenes eas à carnis illecebris titillari advertant: deniq; nihil hoc aliud est, quam ut suam quisque libidinem prodat. Th. Staplet. in vita eius, c. 12.*

¶ Monosticha Trochaica.

Aurum, manuum, pedū, linguæ, oculorū & ieiunium est.
Corporis ieiunium nil absq; mente proficit.
Cruditate dissilimus: ieiunio est mors lenior.
Flagitia interdicit omnia, indicit qui ieiunia.
Misericordia ac pietas geminæ alæ sunt ieiunij.
Proficit parum absq; mente corporis ieiunium.
Disputare est facile ventris pleno de ieiunijs.

¶ Jambica.

Embamma summum longius ieiunium est
Et sanitatis est parens ieiunium.
Fortissimum in pane atq; aqua ieiunium est,
Ieiunio restinguas & libidinem.
Ieiuniis alitur cibus scientiæ.
Ieiunus omnis plus sitit, minus esurit.
In orbe nil antiquius ieiunio est.
Magno usui ieiunium est mortalibus
Potum magis ieiunus quam cibum adpetit.

Igne.

Ignaviæ.

¶ SENTENTIAE PATRVM.

S Isidorus Pelusiota: Quoniam quæ nobis adesse volumus, eadem quoq; vera esse existimamus, molestarum autē rerum memoriā facilè propellimus, huic nimirum rei, quam fieri nolumus, plus tribuētes: idcirco iis rebus, quę jucunditatis speciem habēt, frui spērantes, eas quæ cum molestiā & acerbitate conjunctæ sunt, vitaturos nos esse arbitramur: ac præsertim cum res secundæ tristium minas consolantur. Socordia quippe oblectamento roborata, ipsius quoq; naturæ oblivionem quodammodo affert, atq; extra ipsius terminos jaculatur. Quod si quis socordiam extinxerit, rectas cogitationes, quæ & jus, & judicium confirment, pullulantes statim conspiciet. *Lib. 2. Epist. 197.*

B. Chrysologus: Infructuosa arbor intricat cespitē, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentē: ac sic excidere istam lucrum est; est istam commodum non habere. Sic homo utiq; qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellētiam sensus, judicium, mentis, artus industriam, culturæ bonum, per steriles atq; inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor si fuerit in vineā, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deses, ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis: dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplo. *Sermone 106.*

¶ ORATORVM GRÆCORVM.

Aristides: Ignavia in reb. divinis est nefaria. *Initio Hymni in Iovē.*

Libanius: Ignaviæ comitem esse mollitiem, & mollitiei horum omnium impatientiam necesse est; ut nec fames scilicet feratur, nec æstus, nec frigus. *Declamatione 29.*

¶ ROMANORVM.

C Tacitus: Ignavi strenuiq; in victoria idē audent. *Lib. 1. Hist. c. 14.*

C Tacitus: Ignavi & imbelles corpore, & infames apud Germanos, cæno ac palude; injecta insuper crate mergūtur. *c. 12. Germania.*

Idem: Ignavos & industrios pax in æquo tenet. *Lib. 12. Anal. c. 12.*

Simocatta. Quoniam multis & egregiis rationib. te adhortati Penelopes telam videmur texere, agendum age fabulosos etiā sermones, incipiamus. Forsitan enim animum tuum perpulerunt, quę dicemus. In germinantibus jam arboribus, insidens cicada, æstivo tēpore canebat, atq; suum ipsius cōcentum audiens delectabatur. Formica verò messoribus aderat; & juxta aream opus faciebat atque in terræ gremiis suum victum recondebat, quod formica cicadā, prudentia anteiret. Discessit igitur sol ex aquilonaribus plagis præterit autumnus, & jam hyemis terræ ingruebat. Mare tranquillitatis fœdera rupit. Navigantes portus quasi salvatores amplectebantur; & rusticus ad focum confugiebat. Ibi tū formica in cavernis terræ suis laboribus parto victu fruebatur. Rogābat autem laboriosam formicam cicada, ut sibi de servatis opibus impertiret. At illa cantoriē cum magno pigritiæ derisu à suis januis ablegavit; & æstivos concentus in memoriam ei revocavit. Itaq; huic quidem famem attulit cātus, illi verò labor delicias. Convenit in te Fabula Lysistrate. Etenim piger cum sis, miseriores febricitante, frustra duplū comedens. Missam igitur fac pigritiam optime. Etenim naturæ dona pudescis, qui tantum robur ac vires corporis inexercitatas sinis, neq; laborum scientia vis excolere atque erudire. *Epistola 61.*

¶ EMBLEMATIA.

Morā nocet. Embl. 28

Natura Echini talis est, ut indies
Differre tentet horridum partus diem,
Tandemque spinis prolis excrescentibus
Magno gravique cum dolore parturit:
Ignava mens mortalium & cœlisui
Oblita differt indies vitam suam,
Sibique semper blandiens malis mala
Coacervat, & sic pressa diffidit sibi,
Aut cum labore maximo sese explicat.

Florent. Schonhovius.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Claritatis conve ire non potest cum ignavia.
Dedecus nullum labor est, dedecus est ignavia.
E voluptate ac timore procreata ignavia est.
Filia est Timoris atque Desidiæ alba Ignavia.
Ignavus labor est miseria; pro voluptate otium est.
Ipsa ne sibi invideatur, recte cavet ignavia.
Lassus illico est asellus; porta ut extulit pedem.
Lenitate nil a pingui expresseris ignavia.
Morti honesta qualemcunque præfert vitam Ignavia.
Nemo factus immortalis qualicumque ignavia est.
Non sibi soli sed multis noxia est ignavia.
Nullius pulchri aut honesti mater est ignavia.
Omnium longe antecedit feminina ignavia
Pace nil ignaviores differunt a strenuis.
Quisquis virtutem induit simul exuit omnem ignaviam.
Vix labore damna multo sarcias ignavia.

¶ IAMBICA.

Desidia quas vis artes nostra perdidit.
Deus juvat gnavos, ignavos deserit.
Dissolvit & juveniles animos Murcia.
Est omnium mater malorum ignavia.
Et disjecit prudentiam omnem ignavia.
Etiam ipsam acuit Necessitas ignaviam.
Fortem virum illibenter ignavum videt.
Fortes labor reddit, putres ignavia.
Frigus fames q; pretia sunt ignaviæ.
Ignavus esse idemque clarus non potes.
Injustitia causa omnis est ignavia.
Inops erit semper qui chœnici insidet.
Lassus statim est caballus ad clivum ut venit.
Mendicitatis equæ alumna? ignavia.
Nefaria est erga Deos ignavia.
Non imminet fortuna ulli unquam ignaviæ.
Non imminet fortuna inerti ignaviæ.
Nunquam eriget trophæum ullum vecordia.
Opulentiæ hostis est atrox ignavia.
Patientia ubi est ibi exulas ignavia.
Periculosa cuncta sunt ignaviæ.
Queis linguava docta, ignava fermè dextera est.
Quid vis mali parit nutritque ignavia.
Quod vis malum est in proximo oscitantibus.
Terretur & citra omne bellum ignavia
Spinam timet quicunque, non carpet rosam.

Ignis.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Ne in ignis nostri lumine ambulemus, & in flamma quam accēdimus. Ignem purgantem novi, ad quem mittendum Christus in terram venit, qui & ipse per anagogē ignis appellatur. Hujus porrò ignis ea vis est, ut crassiorē materiam vitiosamq; animi cōstitutionem absumat, eumq; proinde celerrimè Christus accēdi vult. Cupit n. nos quamprimum beneficio affici. utpote qui nobis quoq; ignis carbones auxilii causa porrigat. Est alter ignis non purgans, sed scelerum vindex, sive Sodomiticus ille, quem sulphure & procella permixtū Deus in peccatores omnes fundit: sive ille, qui diabolo ejusq; angelis paratus est, sive etiam ille, qui ante faciē Domini procedit, & in circuitu inimicos ejus inflammat: sive deniq; ille omnib. his formidabilior, qui cum insomni illo vermē conjunctus est, nec unquam extinguitur, verùm in sceleratorum hominum pœnam perēnis est & sempiternus. Hi enim omnes eā vim habēt, ut perdant ac deleant: nisi tamen hoc quoq; loco quispiam ignē mitius, atq; ut Deo vindice dignum est, intelligēdum putet. Quemadmodū porro duplex ignis genus est, ita duplex quoq; lumē est: alterum quo princeps animi nostri pars illustratur, ac nostri secundū Deum gressus reguntur: alterum fallax & curiosum, veroq; lumini oppositum, atq; interim tamen illius speciē præ se ferens, ut nos externa specie fallat, & in fraudē impellat. Hoc, & caligo est, & meridies esse videtur, hoc est, clarissimā luminis pars. Sic enim illud Scripturę audio, Semper in meridianis tenebris fugiunt. Hoc, & nox est, & splēdor existimatur, his utiq; qui deliciis & voluptatum illecebris corrupti sunt. Quid n. ait David? Nox me miserum circumstabat, & nesciebam: delicias enim lumen esse arbitrabar. Atq; illi quidē tales sunt, animoq; ita affecti: nos verò scientiæ lumen nobismetipsis excitemus, quod quidē nobis hac ratione continget, si ad justitiam seminemus, & vitæ fructum vindemiemus (actione quippe speculatio cōparatur) ut cum alia, tum hoc quoq;, nempe quòd verum lumen, quod rursus fictum & emētitium, sit; intelligamus, nec in malum, tanquā in bonum, per imprudentiam labāmur. Lumen efficiamur, ut Discipuli à magno lumine vocati sunt, his verbis, Vos estis lux mūdi. Efficiamur luminaria in mundo, verbum vitæ sustinentes, hoc est, vitalis aliis hominibus vis & facultas. *Oratione quadragesima.*

D. Gregorius Nyssenus: Quid mihi prodest curiosè & anxiè perquirere ignis naturā, quomodo oblatam materiā avidè rapiēs, non prius abscedit, quàm quod subjectum est, exhauserit & absumpserit, quomodo latet in venis silicis abstrusa scintilla, quomodo ferum cum sit tangētibus frigidū, flammam elicit & generat? quomodo ligna inter se attrita ignē accendunt? quomodo in sole aqua resplendens ignem facit? & lationis sursum quæ nt, causam & vim semper mobilem, & omnia ejusmodi curiosè indagare, & anxiè inquirere prætermittentes, tantum quod ex ipso emolumentum capi potest, ad vitam nostram cognovimus. *12. contra Eunomium.*

Chrysostomus. Non vides ejus immodestiam & insolentiam? quomodo quando domos apprehenderit, nusquam se sistat, sed si aliquā tenuerit; omnia diruat, & nisi fabrorum aut aliquorum aliorum manus furorem ejus exstinxerint, non amicos novit, non hostes, sed omnibus similiter utitur. *Homilia 12. ad Ephesios.*

S Isidorus Pelusiota: Quid causæ est, inquis, cur omnia ferè divina ignis appellatione notentur? Ignis enim dictus est Deus: & Angeli ignis flammeus, & apparuerunt in Apostolis linguæ tanquam ignis: & Spiritu ferventes? Arbitror igitur id fieri, primum propter

copiam

copiam invidentiæ expertem & divitias, cùm ab uno lychno infinitas accendat lampades, nec tamen minuatur; sed ipse quoq; denuo ac proporrò alias totidem numero, vel etiam plures, accendere possit. Quod autem ad corporum rationem attinet, sursum fertur quod solus ex rebus terrenis ignis loca superiora appetat ac persequatur. Nam cùm cætera (elementa aliaque corpora,) terram ipse cœlum desiderat. Et illa quidem motum deorsum norunt; iste verò sursum affectat iam. Quemadmodum enim lapis, & aqua sursùm ferentem viam ignorat, ita è contrario ignis deorsum ferri non sustinet. *Lib. 4. Epist. 66.*

¶ Philosophorum.

Lucianus: Jam verò si videtur, ad ignem, probrosumq; hoc furtum transeamus. Ac per Deos ad hoc sine mora mihi respondè. Nũ de igne quippiam amisimus, ex quo est apud homines? id minimè dixeris: quando sic natura comparatum est, ut ignis nihilo fiat minor, etiamsi quis cum alio communicet: non enim extinguitur accensa re quapiam. Quare manifesta est invidia, quempiam impedire quominus egentibus usum earum rerum impertiat, quas citra noxam concedere potestis. Atqui Deos omnes oportet esse bonos, bonorum largitores, & ab omni invidia alienos: quandoquidem, & si totum hunc suffuratus in terram detulissem, adeò ut nihil prorsus reliqui vobis fecissem, non magnam injuriam intulissem. Neq; enim apud vos ullo est in usu, qui neq; frigetis, neq; ambrosiam coquitis, nec artificioso lumine indigetis. At hominibus cum ad alia ignis usus est necessarius, tum maxime ad sacrificia, quo possint cõpita nidore perfundere, thuris suffitus perficere, & pecudum coxas in aris adolere. Video autem vos fumo maxime gaudere, hocq; jucundissimum epulum existimare, quando cum fumo volutatus nidor ad cœlum pervenit. Quocirca nostræ cupiditati plurimum contraria fuerit hæc querimonia. Miror autem vos solem non impedivisse quominus ipsis affulgeret: atqui hic illius ignis est divinior, magisq; micat: aut eum non reum feciſſe, utpote qui bona vestra dilapidet. *Prometheo crucifigendo.*

¶ Poetarvm.

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 54.

Facile est inventu: datur ignis tametsi ab inimicis petas.

P. Syrus Mimus.

Ignis suum calorem etiam in ferro tenet.
Ignis probat aurum: miseria fortem premunt.
Latè lucere ignis, ut nil urat, potest.
Nunquam ubi diu fuit ignis deficit vapor.

Ignobilitatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Carnis nobilitate mentis ignobilitas gignitur.
Nobilis qui sibi modo uni est, prorsus est ignobilis.
Nullus est de face plebis absque avo, nedum patre.
Quam minus cupit videri tam mage est ignobilis.
Quid fuerint, jam non meminere. summa quos sors extulit.
Quisquis est virtute præstans non potest esse ignobilis.

¶ Jambica.

Ignobilis nemo est magis quàm nobilis.
Ignobilis verè qui notus nemini est.
Ignobilitatem qui suam operit, arguit.
Qui literas nescit merè est ignobilis.
Qui nobilem se jactat, haud est nobilis.

Ignominię.

¶ Sententiae Patrum.

Zeno: Apud sapientes & honestos gravius est aliqua nota confundi, quam mori.

Egesippus: Eques quidem Romanus poposcit se ad Simonem duci, allegans se habere quæ insinuaret. sed perductus ad eum, cùm vana quædam attexeret, perimi jussus, dum percussor moratur, clausis jam fasciola oculis, se proripuit ad Romanos. qui cominus prœliantes suscepere fugientem; perductumq; ad se Titus, quasi dignum morte qui ab hoste vivus potuerit capi; exutum armis jussit dimitti; reservans ei quod per hostis ignaviam non amiserat, & auferens militiæ sacramentum, quod captus prodidit, fugitivus dehonestavit. id illi majori supplicio fuit: apud viros enim graviora militiæ probra, quam mortis vulnera. *Capite 47. Libri 5. de excidio Hieros.*

¶ Oratorvm Philosophorum Græcorum.

Isocrates: Cum eædem mulctæ in tabulas publicas referuntur, nõ omnes iisdem de rebus in periculum vocantur. nam divitum quidem pecunia agitur; inopum verò, qualis ego sum, dignitas; cujus jacturam exilio acerbiorem duco. multo enim miserius est, apud suos cives ignominiosè vivere, quam apud alios agere inquilinum. *Oratione de bigis, in fine.*

Isocrates: Apud Spartanos, qui mortem oppetere in præliis dubitant, ignominiosiores habentur, quam qui deseruerunt ordines, aut clypeos abjecerunt. *Fine Orat. de Pace.*

Lysias: Atq; tam multis jam periculis pro vobis defunctus, tam bene de republica meritus, nunc oro, non ut præmium, sicut alii, recipiam, sed ut meis facultatibus non spolier. Neque tam me movet rerum mearum jactura, quam ignominiæ nota, quæ subeunda erit. *Cap. 5. orationis apologeticæ 20.*

Lysias: Nunc ergo agite, Judices, & Epicratem condemnatum extremo supplicio afficite, neque ubi sententia prolata ipsos iniquos declaraveritis, impunitos dimittite; quo postea aut odium, aut litium calumnias ab ipsis expectetis: neque ita agite, quasi contumeliam hi, & non pœnam curent. *Capite 5. Orationis 26. in Epicratem.*

Simplicius: Si à rebus externis foroq; recessero, Quod solet exornare viros illustribus actis, ut Homerus ait: sine honore vivam, nulloq; numero ero. Hoc argumentum hac ratiocinatione solvit: Ignominia malum est: Malum in nobis situm est, ut & bonum. Quod vero in nobis situm est, id nobis nec ab alio, nec per alium accidit. alioqui enim haud situm in nobis esse jam diceretur. Ignominia igitur quoties adfuerit, in nobis sita, & in nobis ipsis inest: sive nos alii nullo, sive aliquo honore dignentur. Non igitur ignominia aliorũ est pertimescenda, ac ne ignominia quidem judicanda: siquidem ignominia, si malum sit in nobis erit. Sed jam etiam propositiones videamus, quam vere sint adhibitæ. Ignominia, inquit, malum est. Nam si bonum honorabile est, in quo consentimus omnes, ignominiosum & ipsa ignominia malum erit. Nam si bonum esset, honorabile esset, & non ignominiosum. Adhæc bonum est honos, quia bonis omnibus convenit Nam & Deo, & geniis, & bonis hominib, convenit honos. Qua de causa cum bonus sit, carere honore malum esse constabit. Nam si contraria una exsistunt una etiam tollentur. Contrarium autem est honori, carere honore: ut bono malum. Bonum verò nostrum, qui libera voluntate prædili sumus, & malum in nobis & nostra opinione esse situm, neq; contra voluntatem nostram ullum vel bonum vel malum nobis accidere. Si ergo ignominia in nobis sita est, & in nobis ipsis inest, cum adest: nõ honore carebimus, quamvis res externas plane despexerimus. Nam si in nobis situm non est, adipisci magistratum, aut in consilium adhiberi, aut invitari ad convivium: non consequi hæc, malum nostrum haud fuerit. Itaq; ne ignominia quidem nostra, si quidem ignominia, malum est. *Ad cap. 31. Epict.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Ignominioso ne qua sit actio injuriarum earum quæ facta sint posteaquam ignominiosus esse cœpit; fecit injuriam aliquis ei? fecit frustra ignominioso. videtur minus peccasse quàm si aliquem cui integer status esset, læsisset. *Declamat. 250. a. m.*

Quintilianus Senior: Plurimum interesse existimo, utrum quid facere liceat, an vindicare non liceat. Non enim continuò si ignominioso actio non datur, licet adversus ignominiosum facere quod quique velit. Tale est ignominiosum pulsare, quale furtum sine teste facere: ut damnari quidem non possit, admittere tamen non debuerit. *Declamatione 265. a. m.*

Idem: Non autem jus peccandi adversus ignominiosos dari? uno & brevi & manifesto videor argumento probaturus. Quem pulsare licet, occidere licet, atqui ignominiosum si quis occiderit, cædia lege tenebitur. Quare? quia actio hujus necessariò ad Rempublicam pertinet.

Mox: Nunc ut injuria non sit aliquo loco pulsasse ignominiosum, injuria tamen est in templo pulsare, &c. *Ibidem.*

¶ Poetarum.

Juvenalis Satyr.

Atq; ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere. ——

¶ Fabvla.

Æsopi Canis. Clam mordebat canis; ei herus tintinnabulum appendit, ut innotesceret omnibus; Ille tintinnabulum quatiens in conventu canum superbiebat; Cui vetula, Quid gloriaris ô canis? non virtutis præmium hoc gestas, sed occultæ tuæ nequitiæ indicium.

¶ Monosticha Trochaica.

Heu, quàm atrociter punitur, à virtute qui excidit.
Improbus mortem horret, horret dedecus magis probus.
Improbus probus se aliis habeare ne contemnito.
Maior est bono viro ignominia quam mortis metus.
Non ferunt ignominiam vita acta queis cum gloria est.
Quem non ignominia, nulla pœna dein coerceat.
Quisq; de se quid loquatur, dissolutus negligit.
Tu nisi probrum omnium alia indelicta esse æstimes.

¶ Jambica.

Cum feceris bene, malè audire regium est.
Est ignominia ambulo proteria.

Falsi

non me perpetiar probri.
nominisam quam necem.
Plus in dedecore quam in dolore inest mali.

Ignorantiæ.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

Nazianzenus: Quemadmodum leonum cæterorumque animantium non iidem sunt motus atque impetus, nec virorum & mulierum, nec senum ac juvenum, verum & ætatum & generatum haud exiguum discrimen est: sic nec præfectorum & subditorum. Nam plebeiis hominibus, qui per errorem id admiserint, ignoscendum fortasse fuerit, quibus illud plerumque saluti est, quod animum è curiosa exploratione alienum habent. At doctori quo tandem modo idem concedemus, qui aliorum etiam inscitias emendat, nisi id falsò sibi nomen arroget. Nam cum Rosmanorum legem nemini, quàm libet rustico & indocto, ignorare liceat, nec lex ulla extet, quæ criminibus per ignorantiam commissis opem ferat: nonne absurdum est salutis doctores & antistites salutis principia nescire, etiamsi alioqui simpliciores sint, hebetioriq; animo? Verum his sane ignoscatur, qui impiis dogmatibus per ignorationem alienum præbuerunt. *Orat. 21.*

D. Nazianzenus: Vitæ quidem actionibus referendis dum demum obnoxii esse incipiunt pueri, cùm & ratio ad plenum accrevit, & mysterium didicerunt. ætatis enim beneficio hoc habent, ut peccatorum quę per ignorantiam admiserint, rationem reddere minimè cogantur. *Oratione quadragesima.*

D. Gregorius Nyssenus: Nemo ignoti boni jacturam deploraverit &c. videanturq; ibi aliquot similitudines. *Orat. tertia de beatitudinibus.*

D. Chrysostomus: Circumspectis singulis, quæ ad nos pertinent, videamus ne cuiquam vel modicam mali ansam præstemus. Stadium quippe præsens hæc vita est, & innumeros oculos quos circumquaque dirigamus habere oportet, neque putandum ad apologiam sufficere ignorantiam: erit enim, erit, inquam, quando & ignorantiæ pœnas dabimus, quando scilicet & ipsa ignorantia veniam non habebit. Nam & Judæi ignorarunt, sed ea ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quòd si ea ignoraveris quæ scire non possunt, præter culpam erit: si verò quæ scitu & possibilia sunt & facilia, extremas pœnas merito dabis. N. si enim vehementer pigri negligentesque fuerimus: sed quæcunq; ad nos pertinent, simul attulerimus: & in his quæ ignoramus, manum porriget Deus. *Homilia 26. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Omnino necesse est uteui tam multa sunt curæ, & ignoret; & peccet ex ignoratione. Nam si unusquisque vestrum habens domum, uxorem quę & filios & servos quos regat, alius quidem plures, alius verò pauciores, in tam paucis tamen & numeratu tam facilibus; multa peccare non ut vult cogitur, aut nescions, aut volens aliquid corrigere: multo magis nos qui tanto præsumus populo. *Homil 4. ad Thessal 2.*

Chrysostomus: Eum qui ignorat, non male pati nec accusari æquum est, sed discere quæ ignorat. *Homilia 13 ad Ephesios.*

¶ LATINORVM.

Ennodius: Visum mihi est, non esse in hominum numero computandus, quem hominum potissimus ignoraret. Et planè illi nec mores suggerunt fiduciam nec natura, qui in arce locatis absconditur. *Lib. 7 Epist 19 in.*

Ennodius: Secundis rebus proximum est, quæcumque aceesserint mala nescire *Dictione 24. pr.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORVM.

Arrianus: Illud dico, eum qui nesciat quid sit, & cur natus sit, & qui sit mundus hic, & ii qui in eo versantur; quæ item bona, quę mala sint; quæ honesta & turpia; qui nec orationem & demonstrationem adsequatur, qui nec quid verum sit, nec quid falsum intelligit, aut discernere possit; eum neque appetiturum, neque declinaturum, neque concitatum iri, nec aggressurum, nec assensurum, nec refraraturum, nec denique nec repressurum assensionem ex naturæ præscripto. surdus & cœcus vagabitur; & nullus erit cum aliquis esse videatur. Numquid nunc primum hoc ita esse cœpit? an non ex quo genus hominum est, ex eo omnia peccata, omnes calamitates per ignorationem sunt invectæ. Agamemnon & Achilles inter se istam ignorationem sunt invectæ. Agamemnon & Achilles inter se: nonne hac de causa dissentiebant, quod quæ utilia quæ inutilia essent ignorabant? *Cap. 24 lib. 2. Epict.*

Arrianus: Perturbationis omnis causa est, quod in hoc loco inexercitatus sum. siquidem omnis scientia contemnit ignorantiam & ignorantes, nec scientia solum, sed artes etiam. Produc quemvis sutorem: is quod ad suum opus attinet, vulgus deridet. produc quevis fabrum, idem deridet. *Cap. 12. lib. 4. Epicteti.*

Hierocles: Cùm meliora ignorantur, deterioribus servire necesse est. *Cap. 1. in carmina Pythagoræ.*

Hierocles: Omnino enim cum quid simus ignoramus, & illa etiam, quorum curam ipsi agimus, non intelligimus; quorum libet magis, quàm nostri ipsorum curam gerentes; quorum prima atque præcipua cura deberet existere. Si enim quod corpore utitur, animus est; sique instrumenti loco corpus habet; instrumenti autem gratia, alia etiam, propter fluxam ejus naturam, in subsidium inventa sunt: certum est ejus, quod omnium princeps sit, atque caput, curam primam, atque præcipuam, esse debere: secundam autem, ejus, quòd primum sequitur. Quo fit, ut valitudinis ratio sapienti minimè negligenda sit; non ut corpori primas tribuat: sed ut ipsum animi usibus accommodet; quo ipsius operationibus nullo repugnante obtemperet: tertio verò loco eorum curam susciplat, quæ tertiâ sunt, eaque præstet, quæ foris sunt, ad instrumenti ipsius conservationem. Animi igitur, tanquam principis, atque adeo solius fortasse, curam habebit: si rerum cura, quæ ipsam sequitur, ad ejus commoda referatur. Est verò id omne, quod præter virtutem est, eo ipso significatum, quòd tibi non sit utile, postulat. *Capite 25. Carm. Pythag.*

Hierocles: Eo ipso quod rerum natura ignoratur, accidit, ut ea etiam sperentur, quæ speranda non sunt; & agitentur rursum, quæ fieri non possunt. ut, si quis, cum homo sit, immortalium Deorum naturam, vel heroum illustrium speret: nescit iste quibus terminis natura distinguatur: neque rursum, quæ prima in rebus, quæ media, & quæ ultima. Et rursum; si quis animum suum cum mortali corpore, ignoratione immortalitatis, quæ inest animis nostris, arbitratur interire: ea expectat, quæ nec debent fieri, nec possunt. Similiter etiam, qui feræ corpus induturum se sperat; & fore, ut malitia rationis expers animal evadat; aut planta, sensus ignavia: idem quoque contraria illis ratione, qui hominis naturam, in superiora genera commutant; eam trudit ad inferiora deceptus & ipse, atque ignarus formæ essentialis, quam habet hominis animus mutationis expertem. Semper enim homo permanens, virtutis atque vitii vicaria possessione, Deus aut fera, fieri dicitur; cum natura neutrum existat; sed similitudinis habitudine cum utroque. Et re vera, qui singulorum quæ sunt, præstantiam ignorat: sed ipsam vel superat in aliquo; vel non assequitur; vanæ sibi opinionis, aut falsæ spei occasionem istam amplectitur. Qui verò de singulis ita sentit atque judicat, ut sunt ab opifice edita; quique præterea cognoscit quæ existût, qua ratione facta sunt; qui Deum denique sui ipsius cognitione metitur: ille maximè & Deum sequitur, & mensuram novit optimam; nec fraude ulla vinci potest, atque separari. *Cap. 52 carm. Pythag.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus Senior: Quædam ignorare, simile non passi est, tunc liberos perdidi, cum perdidisse me sensi. *Declamat. 256. in.*

Quintilianus Senior: Ne ignorantia quidem defendi potest: id quod accidit, denunciatum est. *Declamat. 350 pr.*

¶ APOLOGI.

Aesopi Canis. Ova volare solitus Canis, cochleam cùm animadvertisset, hianti ore & impetu multo absorbsit eam, ovum esse arbitratus. Illa autem dolens, ægerque dixit, merita patior, qui orbiculata omnia ova esse credidi.

¶ APOPHTHEGMATUM CHRISTIANOR.

Comes Avionensis: IGNORANTIA, quæ, Boetio teste, miseros tramite devio abducit, pluries in seipsis laudasse accepimus; neque expendisse illud Senecæ in Octavia:

Inertis est nescire quid liceat sibi.

Ita Ludovicus Franciæ Rex, non ille quem pietas & doctrina commendavit, COMITEM AVIONENSEM in cœnobio S. Martini de Turri, inter canonicos in choro Psalmos decantantem, scommate & risu excepit. qui non minus liberè, quàm eleganter subintulit: *Rex indoctus, est asinus coronatus. Corozetus.*

Anonymus: Venerat ad presbyterum illiteratum, & ignarũ quispiam homo (ut apparet) facetus. qui dum multa ex eo inquireret de Scripturarum explicatione, alter se nescire fassus, hunc locum in medium attulit; *Littera occidit.* quod scitè excipiens ille: *Bene cavisti,* ait, *mi Domine, ne te littera occideret; quia nullum calles.* De quo ita lusit Th. Morus in Epigramm.

Magne pater, clamas, Occidit littera: in ore
Hoc unum, Occidit littera semper habes.
Cavisti bene tu, ne te ulla occidere posset
Littera: nam nulla est littera nota tibi.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Exitialium malorum causa es, ignorantia.
Flumen omne, credit esse pontum mediterraneus.
Ignorantia bona turpi melior est scientia.
Ignorantia infirmitatis, sunt peccandi exordia.
Impudentiæ tegmen velat ignorantiam.
In malis levat nosse quo molesteris malo.
Insciens plus sæpe fecit quàm sciens boni.
Maximè sese prudentem putat ignorantia.
Maximè vacant dolore, qui sua ignorant mala.
Multi faciunt rectè, rectè facere quæ se nesciunt.
Nemo id ipsum quod ignorat appetit fideliter
Nil tenent boni verique qui haud tenent summa capita.
Non pusillum hominis est levamen nosse quo pereat malo.
O beatum qui ipse noscit hæreat quanto in malo.

Omnia

Omnia gravia sunt dum ignorer: facilia ubi cognoveris.
Omnis caussa pravitatis est, sui ignoratio.
Pœna nulla, carnifexq; nullus ignorantiæ.
Præstat excusationem non notham ignorantia.
Quam multis ebeu communis recti est ignorantia!
Sub communiore priva tegitur ignorantia.
Transit ad stultos tenetur qui sui ignorantiæ.
Ultimi ferè rescimus dedecus domesticum.
Unicum bonum scientia, ut malum ignorantia est.

§ Jambica.

Audire miseri miserias properant suas.
Facillimè turbatur ignorantia.
Fons omnium vitiorum est ignorantia.
Incredula est quam maximè ignorantia.
Ioculatium in malum insciens penè incidas.
Ipsa nihil sapientius ignorantia est.
Malorum iners remedium est ignorantia.
Multa obstruuntur aures ignorantia.
Nil Socrates scit, quam unicum hoc quod nil sciat
Nostra domus probrum rescimus ultimo
Plus insciens quis fecit, quàm prudens boni.
Quocumque morbo pejor ignorantia est.
Tantum ijs nocet quibus inest ignorantia.
Tantum nocet suo hospiti ignorantia.
Unum in malis bonum est, mala si nescis tua.

Ignoti.

§ Monosticha Trochaica.

Amplius quam est suspicamur res prius non cognitas.
Ante conatum admiramur, quæ ridemus cognita
Cum meliora nota non sunt, fervit iis pejoribus.
Non sta arbitrere, simo si hunc hominem noris satis.
Non potes prævaricator esse rei non cognita.
Nota nulli magno constat, nota sed nondum via,
Omne incognitum vero esse suspicamur amplius.
Plus malo quo vis timemus omne quod latet malum.

Imaginis.

§ Sententiae Patrum.

Basilius Seleuc. Qui priscorum hominum contemplantur imagines, epigrammatum ope animam cujusque venantur; & quorum frequenter ætas memoriam exstinxit, ars colorum admistione inveterascentem naturam refringens, eam juvenescentem oculis subjicit. *Sermone 3. m.*

Zeno Si inclitic ujusquam regis hominis tamen vultus quivis ulla violaverit ratione, nonne continuò veluti sacrilegii commissi capitales pœnas luit? quanto magis in Dei caussa fortius præcavendũ est, quem solum veretur quidquid in virtutibus naturæ à regibus ipsis quoque metuitur? *De Spe, Fide Char. med.*

Zeno: Falso colit imaginem, qui ejus non diligit veritatem. *Serm. 15. de Exodo.*

§ Oratorum Philosophorum Græcorum.

Xenophon: A statuenda corporis imagine abstinebat, Agesilaus multis in hoc ei gratificari volentibus: animi vero monumenta nunquam elaborare desinebat. Arbitrabatur enim illud statuarii, hoc sui muneris esse: ac rursus illud divitum, hoc bonorum. *Cap. 52. Vitæ eius.*

Æneas Sophista: Reliquis amatoribus, si etiam calceum amati videre liceat, satis est ad dandam amori consolationem. Tu vero, & animi, & corporis imagines requiris. Sermones igitur mentem perspicuè explicantes, ipsum animum apertè describunt, & quasi videndum subjiciunt. Hujus igitur ipsius rei caussa ad vos profecti sumus. Ego vero certum constitutumque habebam nondum imaginis imaginem inscribere, sed tamen amore vestro ac reverentia motus, accersito eo qui pingit animalia, & ex adversum sedens quieto vultu planè serio tacens, & meipsum componens, permisi ut artem naturæ conjungeret, atque meam formam arreptam pictoris dextera: coloribus formet, & nunc est apud te, ut possis & colloqui & videre, neque minus habere iis quæ mihi præsto sunt. Inseruit nobis optimus Euthymius, & ejus caussa, lubenter & cum voluptate mare tolerat, quod rivalibus, arduum esse videtur, sed observatione & cura labores ei mitigamus & quasi occultabimus. *Epist. 12.*

§ Latinorum.

Sallustius: Sæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere: cum majorum imagines intuerentur, vehementissimum animum sibi ad virtutem accendi. scilicet noverant, non ceram illam neque figuram, tantam vim in se habere, sed memoriam rerum gestarum: eam flammam egregiis viris in pectore crescere: neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. *Capite 4. historiæ Iugurthinæ.*

S. Plinius Iunior: Multum ubique Silio librorum, multum statuorum, multum imaginum, quas nõ habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus natalem religiosius quam suum celebrabat; Neapoli præcipuè, ubi momentum ejus adire ut templum solebat. *Lib. 3. Epist. 7. medio.*

Plinius Iunior: Placuit Regulo lugere filium; luget ut nemo: placuit statuas & imagines quamplurimas facere; hoc omnibus officinis agit: illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit. *Lib. 4. Epist. 7.*

Plinius Iunior: Quod superest; rogo, ut si qua existimabitis addenda, commutanda, omittenda in iis quæ scripsi de filio vestro, indicetis. mihi difficile est hucusque intendere animum in dolore: difficile & vobis. sed tamen ut sculptorem, ut pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis quid exprimere, quid emendare deberet: ita me quoque formate, regite, qui non fragilem ac caducam, sed immortalem (ut vos putatis) effigiem conor efficere. quæ hoc diuturnior erit, quo verior, melior, absolutior fuerit. *Fine Epist. 10. libri 3.*

§ Apophthegma.

Macedonius: Quum Antiochiæ seditio excitata, statuaque Imperatricis deturbata fuisset, duces quidam missi sunt qui adversus cppidanos internecionis ferebant sententiam. Macedonius autem, celebris eremita, è monte quem incolebat descendens, duces in foro cum reverenter salutantes jussit, ut hæc Imperatori referrent. Tu homo es, ejusdem naturæ cum iis qui re contumelia affecerunt: natura jubet iram metiri, quam tu immoderatam esse finis: pro tuis imaginibus imagines Dei trucidas: pro ære statuarum, morti corpora tradis. At nobis quidem æneas rursus conflare facile est. Tu autem, quamvis Imperator, non potes occisa corpora ad vitam reducere. Quid dico corpora? Neque enim unum potes effingere pilum. *Theodoretus, historia Sanctorum patrum, vita 13.*

§ Monosticha Trochaica.

Contra depictam pugnare imaginem, facillimum est.
Haud diu Deus quærenda imago: imago homo Dei est.
Nulla imago veritatis assequi potest decus.
Pulchra corporum, sed morum pulchrorum egalmata.
Quilibet lympharum in speculo simulacrum videt suum.
Simulacra hominum quandoque pro veris valent.
Veritatis umbra imago est, ipsa non est veritas.
Vis statuas tibi perennes: demere plurimos.

Imbecillitatis.

§ Monosticha Trochaica.

Carpitur damno malóque tempore omni, imbellia.
Fortior necessitas nulla hercule est quam imbellia.
Imbecillitatis index perpetratio mali est
Lex bona imbecilliorum tradit fortioribus.
Propter imbecillitatem pisci apua est cui vis cibus,
Quid juvet cui nec est consilij auxilive copia?
Quomodo alterum juvabit se juvare qui nequit?
Raro quisquam haud aliquam habet partem imbecillam corporis.
Sanitas est expedita; laciniosa imbellia est.
Si qua ovis gregem relinquit, certa præda fit lupo.
Tardius quamcunque suevit rem exequi imbecillitas.
Vis vitam æstimare? humanæ fragilitatis sis memor.
Ut quis imbecilla tangit, læsa se statim putant.

§ Jambica.

Admota mors, etiam dat animum imbellibus.
Cave graves murum, qui ventrem tam facit.
Imbelliam fortem facit necessitas.
In fragili corpore omnis odiosa offensio est.
Potentiori obnoxia imbecillitas.
Omne imbecillum est à se quod improbum est.
Incumbit usque imbellia insolentia.
Ubique cito Samiam vas confringi solet.

Imitationis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECOR.

Clemens Alexandrinus: Deum oportet imitari, quoad ejus fieri potest, eum qui est cognitione præditus. Mihi autem videntur poetæ quoque electos appellare θεοειδεῖς, id est, Deiformes, & θείους, id est, dios, & ἀνθρώπους, hoc est Deo æquales, & θεοῖς ἐναλίγκια μηδὲ ἔοικότας, hoc est, quorum similis prudentia divis: & θεοεικέλους, id est, Deo similes, & illud, Ad imaginem & similitudinem quasi arrodentes. Euripides itaque, In meo, inquit, tergo sunt pennæ aureæ, & aptantur grata Sirenum talaria, lboq; in immensum sublatos æthera, Jovem conventurus. Ego autem Christi spiritum oraverim, ut me in meam sustollat Hierusalem. Dicunt enim Stoici quoque, cœlum quidem proprie esse civitatem, quæ autem sunt hic in terra, non esse civitates: dici enim, sed non esse. Res enim bona est civitas, & populus, honestus aliquis cœtus, & multitudo hominum quæ regitur lege, sicut verbo ecclesia, civitas quæ non potest circumsideri, nec opprimi t, rannide. In terra divina voluntas, in terra sicut in cœlo. Hujus autem civitatis imagines poetæ quoque condunt, scribentes: Hyperboreæ enim & Arimaspiæ civitates, & campi Elysii, sunt Respublicæ justorum. Scimus autem Platonis quoque Rempublicam esse positam in cœlo ut exemplar. *fine lib. 4. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Non exiguam affert laudem viris probis, summorum virorum vel parva imitatio. *Orat. 20. in funere D. Basilij.*

Idem eadem paullo post: Tanta ipsius virtus gloriæq; præstantia fuit, ut multa etiam ex parvis illius virtutibus, atque adeo ex corporeis defectibus ab aliis ad gloriam nominisque claritatem parandam excogitata sint. Cujus generis sunt, pallor, barba, certus incedendi modus, tum etiam ad loquendum minime promptum esse, sed ut plurimum cogitabundum atque intro collectum (id quod multi non recte imitantes, nec animadvertentes, in odiosam quandam tristitiam inciderunt) vestis etiam genus, & lectuli species, & cibi sumendi modus: quorum nihil ille dedita opera, sed simpliciter ac fortuito factitabat. Ac multos jam Basilios specie tenus videre licet, statuas nimirum in umbris: multum enim fuerit si repetitam Echus vocem esse dixero. Nam illa quamvis postremam dumtaxat vocis partem, expressius tamen effingit: hi autem longius ab eo distant, quam quantum accedere concupiscunt.

Chrysostomus: Videamus quemadmodum ipse Christum est imitatus. Ipsa enim imitatio non eget tempore, nec arte, sed sola liberi animi electione. Nam in statuarii quidam ingressi officinam, non poterimus imitari imaginem, etiamsi eam millies viderimus: hunc autem vel ex auditu solo licet imitari. *Homil. 13. ad Corinth. 1.*

¶ LATINORUM.

Ennodius: Facessat à proposito meo imitari quod factum doleo. *lib. 3. Epist. 10. m.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Apollonius Oesophis: Si quis meum discipulum se profitetur, dicat etiam se domi semetipsum continere, ab omni balneo prorsus abstinere, necem animalibus non adferre, neque carnes comesse, intactum & vacuum esse ab invidia, malevolentia, odio, calumniis, inimicitia, ex liberorum genere se nominari: aut plasmata fictamque speciem fert morum & ingenii doctrinæq; falsæ, ad confirmandam alienæ vitæ fidem. *Epist. 51*

Halicarnassæus: Duo sunt modi, quibus antiquorum imitatio poterit dignosci & distingui: quorum unus naturalis est, multo exercitio & lectione collectus: alter præcipi potest & tradi præceptis artis. de primo quidem quid tandem quis dicat? de secundo vero illud dicere queat, quod omnibus archetypis & exemplaribus naturalis quædam venustas & gratia conveniat: iis vero quæ ad horum imitationem dein facta sunt & expressa, quamvis ad summam imitationis excellentiam perveniant, affectatum quiddam, & non naturale accedat. Atque hocce præcepto non Oratores modo alios Oratores dignoscunt, sed & pictores tabulas Appelleas ab iis quæ ad ejus imitationem efformatæ sunt, fictores opera Polycletica, & sculptores Phidiana. *cap. 7. de Dinarcho.*

Arrianus: Cur ergo si omnes ita nati sumus, non omnes aut plerique fiunt viri celebres? equi enim celeres nascuntur omnes; canes item sagaces in odorando omnes? Quid ergo? cum ingenio caream cone curam ejus abjiciam? Absit. Epictetus Socrate præstantior non est? Modo ne deterior. hoc mihi satis est. neque Milo sum futurus, & tamen corpus non negligo: neque Crœsus, & tamen rem familiarem tueor. nullam deniq; curationem, ob eorum quæ summa sunt desperationem relinquimus, *cap. 2. lib. 1. in Epict.*

Aristides Rhetor: Est sapientis, quæcunque se recte habent deinceps etiam imitari studere, ac diligentissime conservari: quæ nullo modo facta oportebat, sequi minime. Neque enim tam insuper peccare, quam initio quæ recta sint statuere, laudi ducitur, inter quæ medium est, si quid peccatum fuerit, pœnitentia duci. *Orat. de Societate posteriore.*

Libanius: Nihil grave est Ulysse Apollinem imitari quin extimæ profecto virtutis est, Deorum æmulatorem esse. *Achillis oratione ad Vlyssem Agamemnonis ablegatum.*

Libanius: Ego minime idem faciam cum illo, nam absurdum esset, si quæ non pulchre facta esse assevero, imitarer. *initio Declamationis 23.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Regulus ait, timere se ne animo penitus hæreret, quod aliquando dixisset, Satrius cui est cum Cicerone æmulatio, & qui contentus non est eloquentia sæculi sui. Respondi, nunc me intelligere, maligne dictum, quia ipse confiteretur: cæterum potuisse honorificum existimari, est enim inquam mihi cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus eloquentia sæculi nostri. nam stultissimum credo ad imitanda non optima quæque proponere. *lib. 1. Epist. 5. post med.*

Plinius Iunior: Invenio apud sapientes honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint. *lib. 5. Epist. 7. med.*

Plinius Iunior: Equidem adolescentulus, cum tu jam fama gloriaq; floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus intervallo, & esse & haberi concupiscebam. & erant multa clarissima ingenia; sed tu mihi (ita naturæ similitudo ferebat,) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod si quis de studiis sermo una nominamur, quod de te loquentibus statim occurro; nec desunt qui uni, ut utriq; nostrum, præferantur sed nihil interest mea quo loco jungimur: nam hoc ego primus, quia tu proximus. *med. Epist. 20. lib. 7.*

Plinius Iunior: Bonum animum mihi facis, qui libros meos de ultione Helvidii, orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers, quam sane cum componerem illos, habui in manibus, non ut æmularer, improbum enim ac penè furiosum, sed tamen imitarer & sequerer, quantum aut diversitas ingeniorum, maximi & minimi, aut caussæ dissimilitudo pateretur. *lib. 7. Epist. 30.*

Incertus Panegyristes: Neq; enim ignoro quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. si quidem Latine loqui ac disertè illis ingeneratum est, nobis elaboratum: & si quid forte commode dicimus, ex illo fonte ac capite facundiæ imitatio nostra derivat. *cap. 1. Constantino Aug.*

Cl. Mamertinus: Hoc tu, sive cognitum secutus es, seu te auctore feceris, utrumque pulcherrimum est, neq; enim minorem laudem magnarum rerum æmuli quam ipsi merentur auctores. quinimo quamvis optimum intentatæ rei consilium fortunæ committitur, iteratum vero idem atq; repetitum, ad certam judicii gloriam pertinet. *cap. 8. Panegyr. in Maximian.*

¶ APOLOGI.

Æsopi Fabula graculi: Aquila cum agnum rapuisset, inde pasta est. quod conspicatus graculus aliquis, idem tentavit, & cum advolasset ad gregem maximum omnium arietem molitus est rapere. sed complicatis in lana unguibus, captus potius est, quam capere potuerit.

Æsopi Fabula Milvorum & cycnorum: Qualem cycnis natura cantum, talem antea quoq; milvis dederat. Sed cum equos hinnientes audirent, & hinnitus amore capti, conarentur imitari etiam ea quæ habebant cum iis amisere, quę studebant discere. Ita nec hinnire didicerunt, & canere sunt obliti.

¶ EMBLEMATIS.

Batillius. 54.

Exitus κακοζηλίας.

Threicii vatis (postquam furialiter illum
Sacrilega Ciconum diripuere nurus)
Sumpserat hic citharam, qua se quoq; ut Orpheus alter
Sperabat motas ducere posse feras.
Indocte sed dum pertentat pollice chordas,
Stridentem misere sollicitatq; chelyn,
Horribili excitti coeunt modulamine cantus,
Insulsum vatem dilaniantque canes.

Immortalitatis.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

AD decus juvet periclis ire: mors vita altera est.
Ah! vocatur mors id ipsum quo exuitur mortalitas.
Annus ac dies monet hominem sperat ne immortalia.
Crimen Alexandro æternum mors erit Callisthenis.
Cui voluptates propria sunt, parta ei immortalitas.
Cuncta agant ferantq; Mars, Mors, Ars in æternum manet.
Etsi obeunt boni, at bonorum vivit usq; gratia.
Gloriose gestu, fine non tenentur temporis.
Gratia artium bonarum consecrantur & mali.
Immortalia ut cognoscat, homo mortalis est nimis.
Immortalis esse si vis, juste agas, agas pie.
Mors est vitalis est quos Musa cœlo consecrat.

Mors lugenda non est quam consequitur immortalitas.
Mortales juvat, beari si immortalitate dives.
Nomen avum in omne paucis mens propinat ignea.
Præmium virtutis aliud nullum est quam immortalitas.
Publica pro re mori, est immortalitas mera.
Qui se patriæ impenderunt, semper vivunt gloriâ.
Quid manus, quæso, mortales immortales fecerint
Quis queat lugere mortem parta qua immortalitas?
Semper acerba mors eorum est, qui immortale quid parant.
Singularium interire sanguis heroum nequit.
Vita honesta, mors honesta: vera es immortalitas.

¶ JAMBICA.

Didicitque Achilles, & Dea natos mori.
Fortes viros non tollit mors, sed consecrat.
Haud cogitanda mors, sed immortalitas.
Honesta mors famam meretur perpetem.
Iacturam vitæ, pensat immortalitas.
Longæ vitæ melior immortalitas.
Mortalitatis fata non tangunt pios.
Ne cogitet Princeps nisi immortalia.
Nil in Deorum sanguinem Mortis licet.
Nulla absq; termino est suo immortalitas.
Pro publico perire, est immortalitas.
Qui per virtutem peribat, non interit.
Sola ingenii memoria vivit perpetim.
Solum beata dives es Immortalitas.
Summum bonum sola ipsa es Immortalitas.
Virtus ad immortalitatem provehit.

Impatientiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ignavi comes mollitia, mollitiæ impatientia.
Nil est impatientius, quam invidia cum infortunio.
Qui malorum ferre nil quit, nil bonorum item feret.

¶ JAMBICA.

Clamosa semper & querula impatientia est.
Impatiens est quem prospera res obsident.
Parum a furore distat impatientia.
Queinam alterum ferat, pati se qui nequit?
Quid vis pati pauper potest, dives nihil.
Rationis expers omnis impatientia est.

Imperitiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arrogans inscitia omnis, omnis imperitia est.
Esse non potest disertus quis in eo quod nesciat.
Haud moras fert ullos, semper properat imperitia.
Imperitiam fateri summa vel peritia est.
Imperitus est perito maximum viaticum.
Imperitus ignavus q; numero quovis vincitur.
Imperiti nil norant quam id quod oculis ultro incidit.
Nemo quid bene administrat qui nihil scit aut facit.
Nil putat rectum imperitus quam quod ipsemet facit.
Omnis imperitus audax, at peritus tardipes.
Promptius idiotas est convincere quam compescere.
Qui se ait primum scire omnia, is solus novit nihil.
Sape qui scit cuncta, solus cuncta nescit, est q; ovis.

¶ JAMBICA.

Audacius nil quidpiam imperitia.
Ferre imperitos maxima est peritia.
Frontem imperitia induit Superbia.
Homo imperitus bellua immanissima est.
Homine imperito nil minus tractabile est.
Res est ferenda nemini imperitia.
Vir imperitus, terræ onus gravissimum.

Imperii atq; Imperatoris.

¶ SENTENTIÆ PATRVM GRÆCORVM.

Clemens Alexandrinus: Est itaq; noster Moses propheticus, legum ferendarum peritus, ordinandæ & instruendæ aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, politicus & philosophus. Ac quomodo quidem fuerit propheticus, post hæc dicetur, quando de Prophetia tractabimus. Ordinandæ autem aciei peritia, fuerit pars artis imperatoriæ seu ducendi exercitus. Ars autem ducendi exercitus, est pars regnandi scientiæ. Et rursus legum ferendarum peritia, regnandi scientiæ pars fuerit, sicut etiam judicandi facultas. Regnandi autem scientiæ una quidem pars fuerit divina, cujusmodi est quæ est ex Deo & sancto ejus filio, à quibus & quæ ex terra bona sunt, & quæ externa & perfecta suppeditatur felicitas. Petite enim, inquit, magna & parva vobis adjicientur. Secunda est autem regni species post eam administrationem quæ rationalis pure est ac divina: ea, inquam, quæ animosa seu iracunda animæ parte solum in regnando utitur, per quam speciem Hercules quidem Argivorũ, Alexander vero rex fuit Macedonum. Tertia est, quæ unum solum concupiscit, nempe ut vincat & evertat. Ut malo autem vel bono sit victoria curam gerere, ei minime inest: quo quidem usi sunt Persæ cum bellum gererent adversus Græciam. Ita enim, una quidem pars est solum contentiosa, quæ quærit potentiam ut dominatum obtineat: altera vero boni & honesti studiosa, ira utente anima ad id quod bonum est omnium pessima, quæ statuitur ex cupiditatibus, ut regnum Sardanapali, & eorum qui hunc finem sibi proponunt, ut plurimum indulgeant suis cupiditatibus. Regnandi autem scientiæ, tam quæ virtute vincit quam quæ vi, instrumentum est aciei ordinandæ scientia. Alia autem in alia natura & materia.

In armis quidem & pugnacibus animalibus, per animata & inanimata, anima & mens est id quod ordinat. In animæ autem perturbationibus, in quas virtute dominatum obtinemus, ratiocinatio est id quod est ordinandi potestate præditum, ut quæ continentiam, & temperantiam cum sanctitate, & bonam cognitionem cum veritate obsignet, finem ad pietatem Deiq; cultum referẽs: sic enim virtute utentibus prudentia est quæ ordinat: divina autem, sapientia: humana vero, politica, seu regendarum civitatum scientia. Omnia autem, scientia regnandi. Rex itaque is est qui imperat ex legibus, qui est præditus scientia imperandi volentibus, cujusmodi est Dominus, qui eos qui in ipsum & per ipsum credunt admittit Deus, & omnia Christo subjecit, regi nostro, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus Christus, in gloriam Dei Patris.

Strategema autem, seu ratio ducendi exercitus, tribus continetur speciebus, cautione, audacia, & quæ ex utrisq; mixta est. Unaquæque autem earum componitur ex tribus, aut per orationem, aut per facta, aut per utrunq; simul. Hæc autem omnia licebit efficere, vel persuadendo, vel cogendo, vel injuriam faciendo in iis ulciscendis quibus expedit, vel faciendo id quod justum est, vel mentiendo, vel vera dicendo, vel etiam simul utendo aliquibus eorum eodem tempore. Hæc autem omnia, & quomodo oporteat uti uno quoque eorum, cum Græci accepissent à Mose, non parvam accepere utilitatem. *lib.* 1. *Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Semper ergo convenit ei quod est secundum naturam melius ac præstantius, ut præsit ei quod est deterius, & ejus quod non potest aliquid rectè regere, ei detur administratio. *lib.* 7. *Stromat.*

D. Nazianzenus: Profecto ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex. Id porro quispiam perspexerit, si animarum curandarum rationem cum corporum medicina contulerit. Etenimvero medicus, & regiones, & tempora, & ætates, & animi partes, cæteraq; hujus generis inspiciet, medicamenta etiam exhibebit, victusq; rationem præscribet, ac noxia observabit, ut ne ægroti cupiditates arti obsistant. ignem etiam interdum & ferrum, atq; asperiora remedia nonnullis adhibebit. Quæ tametsi perquam laboriosa ac molesta esse videantur: nihil tamen eorum perinde arduum. ac difficile est; ut mores & affectus, & vitas, & studia institutaque, & si quid aliud eorum quæ in nobis sunt, iis simile est, conspicere ac medicari, atq; quidquid agreste & ferinum est à conjunctione nostra expellere; quidquid autem mansuetum ac Deo carum est, inducere & confirmare, atque animæ & corporis caussam justè disceptare, sic nempe, ut id quod præstantius est deterioris imperio premi (quæ justitia omnium maxima est) minime patiamur: verũ ut ei, quod imperiũ ac principatum tenet, id ei quod natura inferius est, subjiciamus, quæ quidem lex divina est, rebusq; in omnibus ab ipso conditis, tam quæ aspectu sentiuntur, quam quæ oculorum sensum fugiunt præclarissimè constituta. *Orat.* 1. *de fugâ in Pontum.*

D. Nazianzenus: Quum etiam illud mecum considero, quod ea omnia, quæ modo enumeravi, ut quæ medico observentur, ut natura se habent, sic manent, nec contra quicquam versutè moliuntur, atq; iis, quæ ab arte admoventur, subdolè sese opponunt: quin potius materiam ipsam medicina colligit: nisi forte ægroti culpa, aliqua & temeritas incidat, quam etiam ipsam cavere ac reprimere haud magni negotii fuerit. At nobis sagacitas, & præposterus nostri amor, & quod facile cuiquam cedere, nec scimus, nec sustinemus, plurimum ad virtutem impedimenti affert, ac velut instructa quædam acies adversus eos, qui nobis opem ferunt, existit: quantumq; studium à nobis adhiberi conveniebat, ut morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in nostram perniciem fortes sumus, & adversus sanitatem nostram periti. Aut enim servilem in modum peccatum suffuramur, non secus ac malignum quendam & sub putridum morbum in intimis animæ receſſibus occultantes, perinde ac magnum quoque Dei visque, illius ultricis, oculum fugituri, si homines fefellerimus: aut excusationes in peccatis excusamus, verborum patrocinium vitiis nostris

noſtris exquirentes: aut etiam obſtructis auribus, inſtar aſpidis ſurdæ, obturantis aures ſuas, obſtinato ſtudio in hoc incumbimus, ut ne incantantium voce audiamus, ac ſapientiæ remediis, quibus animæ morbus depelli ſolet, curemur: aut poſtremo (de iis loquor, qui majore inter nos animo atq; audacia ſunt) ad peccatum hujuſque medicos frontem apertè perfricamus, nudo capite, ut eſt in proverbio, in flagitium omne prorumpentes, (ò inſignem ſtuporem, aut ſi quo alio aptiori nomine hujuſmodi affectus appellari poteſt?) quoſq;, ut præclarè de nobis merentes, amore proſequi decebat, eos ut hoſtes ulciſcimur, odio eos, qui nos in portis corripiunt, habentes, ac ſanctum ſermonem abominantes: eaq; demum ratione futurum exiſtimamus, ut homines nobis amicos & benevolos magis oppugnemus, ſi noſmetipſos plurimis graviſſimisq; malis affeceri-mus, iis profecto non diſſimiles, qui carnes ipſimet ſuas commordent, cum alienas abſumere ſibi videantur.

Atq; hæ cauſæ ſunt, quæ me, ut noſtram medicinam corporea medendi ratione longe difficiliorem, ac proinde præſtantiorem, exiſtimem, impuleruńt. Huc accedit, quod ille pauca omnino ex iis, quæ in intimis corporis partibus ſunt, inſpectat, magnaque ex parte circa ea quæ in aſpectum cadunt, occupatur. At nobis circa occultum & internum hominem curatio omnis & ſtudium verſatur: atq; cum eo hoſte dimicandum habemus, qui nos internè oppugnat, & certamine laceſſit, ac nobiſmetipſis, (quo nihil miſerius eſt) tanquã armis in perniciem noſtram utens, peccati morte nos afficit. Ergo adverſus iſta, tum magna perfectaq; fide opus eſt, tum majori Dei auxilio, nec parva, ut mihi quidem perſuadeo, contentione noſtra quæ partim ſermone, partim opere ſpectetur, atq; etiam adhibeatur: ſi quidem id nobis propoſitum eſt, ut animæ, quibus nihil præſtantius habemus, probe curentur atque purgentur, maximique ſint pretii.

Jam quod ad utriuſq; medicinæ fines attinet illa nihil aliud ſpectat, quam ut ſanitatem, aut bonam carnis habitudinem, vel præſentem conſervet, vel abſentem revocet: quorũ nondum certum eſt an aliquid iis profuturum ſit, qui ea conſecuti fuerint (quippe cum res contrariæ majorem plerumq; dominis ſuis utilitatem afferant) quemadmodum opes & paupertas, gloria & ignominia, ſplendor & humilitas, cæteraq; alia, quæ ſuapte natura in medio poſita, nihiloque magis in hanc, quam in illam partem propendentia, ex dominorum uſu, animiq; inſtituto, vel virtutis, vel vitii nomẽ accipiunt. Huic contra ſcopus eſt, animæ pennas addere, ac Mundo eam eripere, Deoq; dare, divinamq; imaginem aut manentem conſervare, aut periclitãtem fulcire, aut dilapſam in priſtinũ ſtatum revocare. Chriſtumq; per Spiritum ſanctum in pectoris domicilium admittere: atque, ut ſummatim dicam, eum, qui ſupernagminis ſit, Deum afficere, ac ſupernam beatitudinem ipſi comparare. *Orat. 1. de fuga in Pontum.*

D. Nazianzenus: Primum quidem Juliani arrogantiæ atq; audaciæ facinus fuit, quod ſibi ipſe diadema impoſuit, magnoq; nomine ſeipſum ornavit; quod non fortunæ prædam, ſed virtutis præmium, vel tempus, vel Imperatoris calculus largitur, vel ut moris priſci fuit Senatus judicium: nec honoris modum ad Imperatoris arbitrium revocavit. *ſteliteut. 1. orat. 3.*

D Nazianzenus: Etſi paternis laboribus ſuccedere dulce eſt, ac noto & familiari grege præeſſe jucundius, quam externo & alieno, addam etiam Deo charius, niſi me amor fallit, & ſenſum furripit conſuetudo: non tamen conducibilius eſt, nec tutius, quam ut volentes volentibus præſint. Quandoquidem neminem vi duci vult lex noſtra, coactoq; ac non ſponte gubernari. Hoc enim modo ne alia quidem imperia contineri ac conſervari poſſunt (quod ita natura comparatum ſit, ut quidquid vi tenetur, arrepta occaſione ſtatim ſe in libertatem aſſerat:) nedum noſtrum, non dicam imperium ſed magiſterium: quod nulla re æque, ac voluntatis libertate, conſervatur. Volentium enim, non coactorum, pietatis ſacramentum eſt. *Orat. 8.*

D. Nazianzenus: Inter poſtremos apud Deum cenſeri, ſatius & ſublimius eſt, quam apud terrenum Imperatorem primas ferre. *Orat. 10. in funere fratris.*

D. Nazianzenus: Imperatores, purpuram vereamini. nam ſermo veſter legislatoribus quoq; leges ſtatuet. cognoſcite quantum ſit id quod veſtræ fidei commiſſum eſt, quantumque circa vos myſterium. Orbis univerſus manui veſtræ ſubjectus eſt, diademate parvo atq; exiguo panno retentus. Supera ſolius Dei ſunt: infera autem veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris Deos vos præbete, liceat enim audacius aliquid dicere: Corregis in manu Dei eſt, ut ex Scriptura audimus ac credimus. Heic imperium veſtrum ſit, non autem in auro & in exercitibus. *Orat. 27.*

Gregor. Nyſſenus: Paucorum eſt regnare, præeſſe, imperare, jus dicere, poteſtatem pecuniarum adminiſtrandarum, aut alterius rei cujuſquam diſpenſationem habere: multitudo vero ac vulgus in numero ſubditorum, & eorum qui reguntur ſunt. *Orat. 4. de beatit.*

D. Greg. Nyſſenus: Equidem non ægre feram, quaſi animo novũ quid paſſus, ſi è diſcipulis meis contumaciores indignentur. eſt enim ea hominum peculiaris quædam affectio, ab initio ad finem uſq; vitam comitatur: ac qui aliis imperat, is in totum parentib. moleſtus ac gravis eſt; imo etiã ſceleratis iniquis odioſus. quiſquis enim peccatum prohibet, ægritudinem parit. Quis Moſe paſtor præſtantior, quis princeps ita moderatus ac lenis? qui omnia in populi gratiã factus, nutritor, imperator, ſacerdos, verus pater, in bello ſervans, in deſerto nuſquam aut ſata, aut aratro culta bona ſuppeditans, jus aperè dicens, ſine errore dux viæ: & tandem tamen ſeditionibus ut injurius agitatus eſt, convitiis ut lædens petitus, ut latrones & fraudatores murmure turbatus, maledictis ut imperitus ac malus præfectus laceſſitus. Quin uſq; adeo populi præfectura res eſt offendiculis obnoxia, ut Moſi ne frater quidem ſororve pepercerit; atq; imperii onus importunum, naturalem concitavit benevolentiam, & amiciſſimos quoſq; viro laborioſo ut inſurgerent fecit. Verum nihil ad hoc ille: liquidem erat perpetuo Moſes, & nihil ſeipſo deterior evadebat &c. Ita & ego, velut pater aut mater tuas inſolentias exacerbationeſque amplector. *de caſtigatione.*

D. Chryſoſtomus: Quoniam honoris ac cõditionis æqualitas pugnas ac diſſidia plerunq; inducit, multos fecit principatus, multaſq; ſubjectiones: utpote viri ex uxoris ſuæ, filii & patris, ſenis & adoleſcentis, ſervi & liberi, principis & ſubditi, præceptoriſq; ac diſcipuli. Et quid miraris quod in hominibus iſtud fecit, quando idem & in corpore noſtro fecit? Neq; enim heic paris honoris omnia fecit, ſed hoc quidem minus, iſtud vero melius. & hæc quidem reliquis membris imperantia, iſta vero ſubdita. Idem & in beſtiis videre eſt, ut in apibus, in gruibus, in gregibus ovium agreſtium. Quin & mare ab iſta diſciplina deſtitutum non eſt, ſed illic quoq; multa piſcium genera ſub uno reguntur ac militant, longaſq; ita peregrinationes exequuntur. Libertas enim illa diſſoluta ac moderamine carens, ubiq; mala, confuſionisq; cauſa eſt. *Homil. 23. ad Roman.*

D. Chryſoſtomus: Quam eſt hoc ridiculum & quam pudendum? nos locum tenemus capitis, & vincimur à corpore. conſtituti ſumus ut eis imperemus, nec ut imperemus ſolum, ſed imperemus in virtute. nam qui imperat, hoc maxime debet imperare quod vincat virtute. ſin autem ſuperatur, non amplius imperat, nec tenet principatum. *Homil. 13. ad Epheſios.*

S. Iſidorus Peluſiota: Homines plerunq; opum atq; imperii cauſa, & quia his rebus nemini cedere ſuſtinent, venia omni ac ſupplicio graviora perpetrant. Nam & cum ea quærere & adipiſci ſtudent, per innumera mala ea acquirunt: & amittendi metu multo graviora aggrediuntur. Quoniam enim gravius eſſe cenſent ea amittere, quam nunquam quæſiiſſe, idcirco graviora quoq; moliuntur. Quapropter vitioſæ affectiones in ipſis præludiis frangendæ ſunt, ne alioqui tandem inſanabili morbo laborare deprehendamur. *lib. 3. Epiſt. 212.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quibus imperium contigit legitimum, iis etiam bene procedet. Bene autem tunc demum ſuccedet, ubi obtinuerit pietas, quæ eſt omnium bonorum ſupremum, & divinorum mandatorum caput ac ſumma: quam conſtituit recta de divino numine opinio, & ſincera incorruptaq; confeſſio, & oſtendit timor atq; dilectio Dei, & erga cognatum genus charitas atq; affectio: quib. ex rebus tota lex & Prophetæ omnes pendent. Quod etiam in magiſtratibus eſt ſupra mundanum quiddam & excellens & præſtantiſſimũ. Hæc legitima eſt præfectura, & omnium ſubditorum utilitatis procuratio: ſicut ex contrario Tyrannis eſt dominatio quæ ipſa ſibi lex eſt, quæq; nihil niſi propriam Tyranni utilitatem conſectatur. Quibuſcunq; igitur hoc imperium ſorte obtigit adminiſtrandũ, illi quaſi coronam aureã ex lapidibus pretioſis compactam ſibi impoſitã habentes pietatem, & juſtitia tanquam purpura induti, in Deo imperare, & principatum admodum juſtũ obtinere ſtudebunt. Oſtendunt enim in ſemetipſis veriſſimum ſacrum oraculum, quod ſic ait: Per me reges regnant, & potentes deſcribunt juſtitiam. Sciunt enim, Injitium eſſe viæ bonæ juſta agere. *lib. 4. Epiſt. 142.*

¶ Latinorvm.

Ennodius: Nullum genus dominandi eſt ſublimius quam illud quod amori nos ſubjicit. nulla ſunt culmina à jugo charitatis immunia. quicquid in orbe libertatis eſt, tali non ſubtrahitur ſervituti. *lib. 3 Epiſt. 30. m.*

Egeſippus: Non votorum ſpecies, ſed poſſibilitatis ratio penſanda. lex nempe naturæ eadem omnibus hominibus, volatilibus, feris, beſtiis infuſa, ut unuſquiſq; cedat potentiori. taurus leoni, cervus urſo, leopardo caprea, aquilæ accipiter, accipitri columba, ipſi tauro juvenci inferiores, arieti ovium greges, hirco caper, ne diverſi generis eſſe videatur aliqua diſtantia, vos potentioribus. *cap. 15. lib. 5. de excidio Hieroſolymit.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: An vero & eorum mi fili, oblitus es, quæ aliquando inter nos argumentando concludebamus? Sat magnum hoc ſcilicet ac præclarum hominis opus eſſe, ſi perficere ſtudio ſuo poſſit, ut & cum laude vir bonus evadat, & ut tam ipſi, quam familiæ rerum copia neceſſariarum ſuppetat. Jam vero quũ hoc tanti fieri mereatur, etiam ſcire hominibus aliis præeſſe, ut res neceſſarias omnes affatim habeant, & univerſi tales ſint, quales eſſe convenit: id nobis ſane quiddam admiratione quoq; dignum eſſe videbatur. Profecto memini, mi pater, ait, hoc quoq; te dicere. Itaq; mihi tunc idem, quod tibi, videbatur: ingens & arduum opus eſſe, recte imperare. Ac nunc etiam eadem in ſententia perſiſto, quum ipſum imperandi munus apud animum conſidero. Quum vero ad alios reſpiciens, quomodo illi ſe imperio gerant, & quales eos adverſarios habituri ſimus, cogito, per mihi turpe videtur hujuſmodi quoſdam foridare, ac non ad pugnandum adverſus eos progredi: quos equidem animadverto, vel ab amicis hiſce noſtris initio facto, hac eſſe in ſententia, ut qui principem oportere ſtatuant à ſibi ſubjec-

ſubjectis in eo differre, ut ſumtuoſius cœnet, domi plus auri habeat, diutius dormiat, omnino minore cum moleſtia laboreq; degat, quã ſubditi. Ego autẽ ſic arbitror, non deſidis vitæ ratione præſtare ſubditis debere principem: ſed alacri ſtudio rebus eorum proſpiciendo, ac laboribus tolerandis. *cap.37 lib.1. Cyropæd.*

Xenophon: Merito ego vos, Perſæ, tuq; itidem Cyre, benevolentia cõplector utroſq;. Nam uti rex vobis ſum, ita tu Cyre mihi filius es. Quamobrem æquum eſt me, quæcumq; animadvertere videbor ex re veſtra futura, in medium proferre. Quod enim attinet præterita, vos Cyrum auxiſtis, exercitu tradito, & hoc ejus imperatore conſtituto. Cyrus ducis munere fungens, Diis adjuvantibus, vobis quidem Perſæ apud omnes homines celebritatem nominis, gloriamq; peperit, & honorem per Aſiam univerſam conciliavit: præſtantiſſimos autem eorum, qui ejus ſigna ſequuti ſunt, opulẽtos reddidit: vulgo militum de ſtipendiis & victu proſpexit. Quin & Perſarum equitatu inſtituto perfecit, ut etiam loca plana & cãpeſtria ſibi vindicare poſſint. Itaq; ſi deinceps quoq; hac in ſententia perſtiteritis multorum magnorumq; bonorum auctores invicem vobis eritis. Sin a. vel tu, Cyre, propter res modo proſperas elatus animo, perinde Perſis imperare tui cum captatione cõmodi connabere, ut cæteris: vel vos, ô cives, poteſtati hujus invideritis, atq; idcirco imperium ipſi abrogare tentaveritis: certo ſcitote, voſmet ipſos mutuo vobis in multis & præclaris rebus futuros impedimento. Quapropter ut hæc nobis nõ accidant, ſed bona potius contingant: viſum eſt mihi, poſteaquam rem ſacram ſolemni ritu fecerimus, Deoſq; fuerimus teſtati, ſic paciſcendum nobis eſſe: ut tu quidẽ Cyre, ſi quis vel in terrã Perſidem copias hoſtiles ducat, vel leges Perſarũ convellere conetur, omnib. viribus opem feras: vos vero, Perſæ, ſi quis vel imperiũ Cyro adimere, vel ſubditorum aliquos ad defectionem impellere adgrediatur, tum vobis ipſis, tũ Cyro, prout denuntiarit, ſubveniatis. Atq; dum equidem vixero, meum eſto in Perſas imperiũ: verum ubi vivendi finem fecero, planum eſt, illud Cyri fore, ſi vivet: qui quidẽ in Perſiam quũ veniet, religioſe fecerit, ſi pro vobis hoſtias cædet, quemadmodũ ipſe jam ſacra procuro. Ubi vero peregre aberit, recte veſtra ſe res habebit, ut arbitror, ſi is ex familia noſtra, qui vobis optimus eſſe videbitur, rem divinam perfecerit. Quę Cambyſes quum protuliſſet eadem tum à Cyro, tum à Perſarum magiſtratibus, decreto communi facto, ſunt adprobata. *cap.42. lib.8 Cyropæd.*

Xenophon: Eſt enim jus, qui cum imperio eſt, ut non modo vir ipſe fortis ſit: ſed etiam ſtudioſe efficiat, ut illi, quibus præeſt, longe optimi evadant. Hæc quum Cyrus dixiſſet: gaviſi ſunt omnes: quod ſe plures habituros in pugna ſocios arbitrarentur. *cap. 4. lib. 2. Cyropædiæ.*

Xenophon: Videbatur etiam mihi familiares ſuos ad exercendam tolerantiam in cibi, potus laſciviæ, ſomni adpetitu, itemq; ad tolerantiam frigoris, æſtus, laboris impellere, quoties hujuſmodi diceret. Quippe quum de familiaribus quemdam in his intemperantius ſe gerere accepiſſet: Dic mihi, ait, Ariſtippe, ſi te duos aduleſcentes, tibi traditos, inſtituere oporteat, alterum, ut ad imperandum ſit idoneus, alterum ut imperare numquam cupiat: quo pacto utrumque inſtitues? vis hac de re diſpiciamus ita, ut ab educatione, tamquam ab ipſis elementis, ordiamur? Cui Ariſtippus: Nimirum mihi videtur, ait educationem eſſe rei principium. Nam ne quidem quis vixerit, ſi nutriendo non educetur. Ergo conſentaneum eſt, utriſque accidere, ut tibi tempus adeſt, cibum ſumere velint. Eſt hoc ſane cõſentaneum, ait Ariſtippus. Utrum igitur horum conſuefacere poſſimus, ut potius eligat confectionem rei neceſſariæ atque urgentis, quam gratificationem, quæ gulæ fit? Eum profecto, inquit Ariſtippus, qui ad imperandum inſtituitur, ne ipſo gerente imperium, negotia ciuitatis haud expediantur. Ergo ſubjecit Socrates, etiam quũ bibere volent, eidem hoc imponendum, ut ſitim perferre poſſit? Omnino vero, ait. At in ſomno capiendo temperantem eſſe, ut & ſero quieti ſe dare poſſit, & primo diluculo ſurgere, & vigilare, ſi poſcat uſus, uti dabimus? Etiam hoc eidem, ait. Quid vero, inquit, venereis in rebus continentem eſſe, ut per eas non impediatur, quo minus id agat, quod opus ſit? Etiam, hoc eidem, inquit. Quid autem? labores non fugere, ſed ſponte ſua perferre, utri attribuemus? Hoc itidem illi ait, qui ad imperandum inſtituitur. Quid? ſi qua diſciplina ſit adhoc idonea, ut adverſariis ſuperior aliquis evadet, utri ea magis convenit? Multis profecto, ait, modis ei, qui ad gubernationem educatur. Nam neq; aliarum rerum uſus, ullus eſt, abſq; hujuſmodi diſciplinis. Ergo qui ſic inſtitutus eſt, minus tibi videtur ab adverſariis poſſe capi, quam animalia cætera? quorum ſcilicet quædam à gula inescata, tametſi valde timida ſint, nihilominus veſcendi cupiditate ad eſcam ducta capiuntur: aliis per potum inſidiæ ſtruuntur. Prorſus ita eſt, inquit. Itaq; alia prælaſcivia, quorum in numero ſunt coturnices ac perdices, ad femellæ vocem cupiditate ſpeq; rei venereæ agitata, & omiſſa cogitatione de periculis, in caſſes incidunt. Quum his etiam fuiſſet adſenſus: Ergo tibi turpe homini videtur, inquit, ſi idẽ accidat ei, quod animalibus longe imprudentiſſimis? ſicut ipſemet adulteri carceres adeunt, quum ſciant & periculum ea perpetiendi, quæ lex minitatur, adulterium committenti propoſitum eſſe, & inſidias ſtrui, & captum contumeliis adfici. Tanta quum adultero mala, quum dedecora tanta immineant, multaq; ſint, quæ à rerum venerearum cupiditate liberare poſſint: nihilominus adulter in pericula præceps fertur. An non igitur hoc omnino hominis à malo genio perciti? Ita mihi videtur, ait.

Jam quum plurimæ ſint, maximeq; neceſſariæ res ſub dio peragendæ hominibus, cujus generis ſunt res bellicæ, agricolarum, aliæquæ non paucæ; multos interim ad frigora & æſtus exercitos non eſſe, non tibi magna eſſe videtur deſidia? Heic etiam quum adſenſus eſſet Ariſtippus: Ergo tibi videtur, inquit Socrates exercendus is, qui velit imperare, ut haud difficulter hæc quoq; toleret? Omnino ait. Ergo ſi homines horum omnium tolerantes eorum in numerum referemus, qui ad imperandum comparati ſunt, nonne illos, qui hæc præſtare non poſſunt, ad eorum ordinem referemus, qui de capeſſendo imperio ne cogitaturi quidem ſint? Hoc etiam conceſſit Ariſtippus. Quid igitur? quandoquidem utriuſq; generis ordinem noſti, jamne aliquando conſideraſti, utrum ad ordinem horum merito teipſum referre poſſis? Vero, inquit Ariſtippus. Quippe nequaquam eorum in ordinem me refero, qui imperare volunt. Etenim hominis plane fatui eſſe mihi videtur, non eo contentum eſſe, ut ſibi ipſi neceſſaria comparet, quod quidem magnum quiddam eſt: ſed hoc etiam addere, ut aliis præterea civibus ea ſuppeditet, quibus indigeant. Itidem multis egere, quæ cupiat aliquis, ac principem in civitate locum obtinẽtem, ſi non omnia perficiat, quæ civitas velit, pœnæ ſubjectum eſſe, non hoc ingens eſt amentia? Nam civitates æquum cenſent, ut perinde magiſtratibus ipſæ ſuis, atq; ego mancipiis meis, utantur. Nam & ego æquum eſſe cenſeo, ut famuli mihi quidem abunde magnam rerum neceſſarium copiam parent, ipſi vero nihil horum attingant: & civitates, ut ita ſe magiſtratus erga ipſas gerant, volunt; quo maximam eis bonorum copiam comparent, à quibus tamen ipſi prorſus abſtineant. Quapropter equidem eos, qui magnam velint negotiorum habere copiam, eaq; tum ſibi, tum aliis exhibere, ſic inſtitutos eorum in numerum referam, qui ad imperandum idonei ſunt: me vero inter illos collocabo, qui quam facillime ſuaviſſimeq; vivere cupiunt.

Tum Socrates: Vis ergo, inquit, hoc etiã conſideremus, iine ſuavius vivant, qui ſunt cum poteſtate: an qui aliorum imperio ſubjecti ſunt? Placet omnino ait. Primum igitur ex iis nationibus, quæ nobis cognitæ ſunt, in Aſia Perſæ imperant; Syri vero, ac Phryges, ac Lydi, eorum imperio ſubjecti ſunt: in Europa penes Scythas eſt imperium, Mæotæ parent: in Lybia, Carthaginenſes dominantur, Lybies obtemperant. Horum igitur utros vivere jucundius arbitraris? Vel inter Græcos, in quibus es tu quoque, utri jucundius tibi videntur vivere: iine, qui rerum potiuntur, an qui aliis ſubjecti ſunt? Ego vero, ſubjecit Ariſtippus, ne ſervorum quidem in ordinem me refero: ſed eſſe mihi videtur via quædam inter hæc media, qua equidem incedere conor, neq; per imperium, neq; per ſervitutẽ, ſed per libertatem, quæ maxime ad beatitatem ducit. Enimvero, ſubjecit Socrates, ſi hęc via non etiam per homines duceret, quemadmodum neq; per imperium, neq; ſervitutem tendit: fortaſſe quid diceres. Verum ſi eſſe inter homines vis, ac neq; imperare, neq; imperio ſubeſſe, neque magiſtratus ſponte colere: videre te arbitror, ſcire ſuperiores, quo pacto inferiores tum publice, tum privatim, ad ejulatum uſque multatos, ſervorum loco habeant. An ignoras, aliis ſementem facientibus, arboreſq; ferentibus, quoſdam eſſe, qui & fruges reſecant, & arbores cædunt, omnibuſq; modis inferiores, ſeq; colere nolentes, oppugnãt; donec illos eo deducant, ut ſervire q̃. bellum adverſus potẽtiores gerere malint? An etiam privatim neicis viros fortes ac potentes in ſervitutem imbelles effœminatoſq; redigere, ac fructum ex eis percipere? Ego vero, ait Ariſtippus, ut id mihi non accidat, ne quidem meipſum in rempublicam concludo, ſed ubiq; ſum hoſpes.

Et Socrates: Sollertis vero, inquit luctatoris artificium oſtendis. Nam hoſpites ex quo Sinuis, & Sciro, & Procruſtes interfecti ſunt, injuria nemo amplius adficit. At enim qui hoc tempore reſpublicas patrias adminiſtrant, etiam leges ferunt, quibus ſe lædi vetant; ac præter illos, qui neceſſarii vocantur, alios quoſdam amicos ſibi cõparant, quorum ope utantur; & urbes munitionibus cingunt, & arma parant, quibus ſe adverſus lædentes tutentur; ac præter hæc omnia, quoſdam alios etiam aliunde ſocios ſibi quærunt. Nihilominus ab his omnibus inſtructi, læduntur. Tu vero, quum horum nihil habeas, ac in viis, ubi plurimi læduntur, multo jam tempore verſeris; & quamcumque in urbem venias, civibus omnibus inferior ſis, adeoque talis, quales maxime adgrediuntur ii, qui lædere volunt: nihilominus propterea quod hoſpes ſis, futurum putas, ut non lædaris? An idcirco fidenti es animo, quod civitates tibi ſecuritatem præconio publico policeantur tam adventanti, quam diſcedenti? An quod talem te ſervum eſſe putas, qui nulli domino proſit? Nam quis hominem habere domi velit, qui laborare quidem omnino recuſet; at nihilominus adparatu victuque ſumptuoſiſſimo delectetur? Quin illud etiam conſideremus, quo pacto ejuſmodi ſervos domini tractent. Annon eorum laſciviam fame caſtigant? non occludendo ea, unde aliquid poterant ſumere, quo minus furentur, cohibent? non vinculis coercent, quo minus aufugiant? non deſidiam verberibus expellunt? aut quo pacto tumet te geris, quando de ſervis aliquem talem eſſe animadvertis? Suppliciis, inquit, omnibus adficio, donec eum ſervire cogam.

Verũ, mi Socrates qui ad regnandi artẽ inſtituuntur, q̃ tu mihi videris pro beatitate ducere, quid ab iis differtur, qui neceſſitate coacti cum incõmodis cõfligantur, ſiquidã eſurient, ſitient, frigebunt, vigilabunt, & alias omnes ærumnas ſponte ſua perferent? Nam equidem haud ſcio, quid diſcriminis ſit, utrum cutis eadem volenti, an nolenti flagris cædatur: vel omnino corpus idem his omnib. vel volenti, vel nolenti prematur. Etenim quid tamdem eſt, ſi non inſania eſt, ultro, quæ dolorem habeat, velle perpeti? Quid ais Ariſtippe? ſubjecit Socrates, non tali quodam modo differre tibi videntur ea, quæ

tā, quæ ſponte fiunt, ab iis, quæ nō ſponte, quatenus qui ſponte ſua eſurit, comedere poteſt, quum vult, & qui ſponte ſitit, bibere poteſt, idemq; in cæteris: at qui neceſſitate coactus hæc perfert, non poteſt, ubi vult nihil eis imponere? Deinde qui ſponte perfert ærumnas, bona ſpe fretus lætatur, quemadmodum qui feras venantur, ſpe capiundi perlubenter laborant. Atq; hujuſmodi ſane laborum præmia non magni pretii ſunt qui vero in hoc incumbunt, ut amicos bonos parent, vel hoſtes in poteſtatem ſuam redigant, vel probatis corporum animorumq; viribus, familiam ſuam cum dignitate adminiſtrent, amicis proſint, patriā beneficiis adficiant: hos num debere ignoras & labores in hujuſmodi rebus lubenter ſubire, & cum lætitia vitam agere, ſui primum animi adprobatione fretos, deinde laudatos, feliceſq; prædicatos ab aliis? Præterea molles vivendi rationes, nulloque negotio paratæ voluptates, neq; corpori bonam parere conſtitutionem poſſint, uti gymnaſiorum magiſtri loquuntur, neq; indunt animo ſcientiam ullam, quæ alicujus pretii ſit. At vero per tolerantiam exercita ſtudia faciunt, ut ad honeſta præclaraq; facinora perveniamus, quemadmodum egregii viri prædicant. Ait alicubi & Heſiodus,

Agmine cum multo facilis ſe ignavia cuivis
Offert. plana via eſt, aditus brevis ejus ad ædes.
At virtutis iter ſudore Dij obvallarunt
Longa quidem pariter, viaq; ardua ducit ad ipſam,
Aſperitate graves aditus quæ fronte recludit
Prima: ſed levis eſt, ſuperato vertice, tamdem.

Atque hoc etiam Epicharmus his verbis teſtatur,

—— Laboribus
Dij cuncta protinus nobis vendunt bona.

Idem alio quoque loco inquit:

—— heus ignave tu,
Non aucupere mollia, ne dura accidant.

Quin & Prodicus ille ſapiens in libro, quem de Hercule ſcripſit, & plurimis recitare ſolet, eadem ratione de virtute pronuntiat: hoc quodam modo, quantum equidem memini, dicens. Herculem ait, poſteaquam exacta pueritia pubertatis iniret curſum, in qua jam adulescentes ſui juris fiunt, ac indicia prębent, virtutiſne via perrecturi ſint ad vitam, an vero ignaviæ, egreſſum in tranquillum locum ibidem conſediſſe; ambigentem, ad utram ſe viam cōverteret. Tum mulieres duas, eaſque grandi ſtatura, eſſe viſas ad ipſum accedere; quarum altera eſſet eleganti ac liberali vultu prædita, cujuſq; corpus à natura munditie ornatum eſſet, oculi verecundia, geſtus modeſtia, veſte candida: altera educatione reddita obeſa & tenera, ſic ornata, colorem quod attineret, ut candidor ac rubicundior videretur, quam eſſet: forma procerior viſa, quam eſſet à natura: oculis apertis: veſte tali, ex qua venuſtas maxime pelluceret. Eamdem ſæpius ſe contemplatam eſſe, ac num aliquis ipſam ſpectaret, conſideraſſe: ſæpenumero ad umbram quoq; ſuam reſpexiſſe.

Poſteaquam ad Herculem veniſſent propius, inceſſiſſe illam, de qua prius diximus, eodem modo: alteram vero, quæ vellet hanc antevertere, curſu ad Herculem ſe contuliſſe, ac verbis his eum compellaſſe: Video te, mi Hercules a nibigere, quanam via te ad vitam conferas. Quapropter ſi me tibi amicam adjunxeris, ducam te ad iter jucundiſſimum ac facillimum: ut eorum, quæ ſuavia ſunt, nihil nō guſtes, ſimulq; omnis expertem moleſtiæ vitam exigas. Nam primum tibi neq; bella, neq; negotia curanda erunt; ſed diſpicies, quēnam tibi gratum vel cibum, votum invenire poſſis: quid vel adſpectu, vel auditu, vel odoratu, vel tactu te delectare poſſit: quib. amoribus fruens, plurimum gaudeas: quo pacto quam molliſſime dormias: qui abſq; labore minimo poſſis hæc omnia conſequi. Quod ſi aliquando illa defectura, de quibus hæc percipies, ſuſpicio ſit: nihil eſt quod metuas, ne eo te deducam, ut hæc tibi laborando, variiſq; tum animi tū corporis ærumnis perferendis, paranda ſint: ſed aliorum laboribus tū frueris, nec ab ulla re abſtinebis, de qua capi aliquid lucri poſſit. Nam equidem iis, qui mea utuntur conſuetudine, poteſtatem facio, ut undecumque poſſint, utilitatem capiant. Hæc quum audiſſet Hercules: Quod eſt, inquit, tibi nomen mulier? Illa vero: Amici mei, ait, felicitatem me adpellant: at qui oderunt obtrectando vocant ignaviam.

Quum interim altera mulier acceſſiſſet: Ego quoq;, inquit, ad te venio, mi Hercules, quæ & parentes tuos novi, & quæ tua eſſet natura, in inſtitutione animadverti. De quibus equidem in eam ſpem venio, ut ſi ea, quæ ad me ducit, via inceſſeris: egregie tu præclaras & honeſtas res geras, atq; ego longe honoratior, bonorumq; gratia illuſtrior videar. Neq; vero te decipiam voluptatis proœmiis, ſed ex inſtituto divino res ipſas vere commemorabo. Nam quæcumq; bona ſunt ac præclara, eorum nihil ſine labore ac ſtudio Dii hominib. largiti ſunt: omninoq; ſive Deos eſſe propitios tibi vis, colendi ſunt tibi: ſeu ab amicis vis diligi, beneficiis amici ſunt adficiendi: ſive ab urbe aliqua vis honorem conſequi, neceſſe eſt aliquid illi utilitatis adferas: ſeu apud univerſam Græciam virtutis nomine vis eſſe in admiratione, de hac ut bene pro mereare, conandum erit: ſive terram tibi fructus uberes ferre vis, colenda erit: ſeu à jumentis opes tibi quærendas putas, neceſſe eſt jumentorum curam habeas: ſive bello res tuas amplificare deſideras, eamq; poteſtatem conſequi vis, ut & amicos in libertatem vindices, & hoſtes tibi ſubjicias, non ſolum artes bellicæ tibi ab earum peritis diſcendæ fiunt, ſed etiam percipiendum exercitatione, quo pacto ſit iis utendum. Deniq; ſi etiam corpore vis eſſe robuſtus, neceſſe eſt corpus adſuefacias ad parendum animo perq; labores ac ſudorem exerceas.

Tum ejus ſermonem excipiens ignavia, quemadmodum Prodicus ait: Videſne, inquit, mi Hercules, quam longam ac difficilem viā ad delectationes hæc tibi mulier exponat? ego vero facili brevique ad beatitatem itinere te ducam. Et virtus: Miſera vero tu, ait, quid boni habes? quam delectationem noſti? quum nihil horum cauſſa facere velis? quum jucundorum adpetitum non expectes, ſed prius etiam, quam adpetas, omnibus repleare? priuſquam eſurias, comedis: priuſquam ſitias, bibis: atq; ut ſuaviter comedas, obſoniorum ſtructores excogitas: ut ſuaviter bibas, magno ſumtu vina tibi comparas, ac per æſtatem nivis quærendæ cauſſa circumcurſitas: ut ſuaviter ſomnum capias, non ſtragula tantum mollia, ſed etiam lectulos, lectulorumq; fulcra paras. Non enim propter labores ſomnum adpetis, ſed quia nihil eſt tibi quod agas. Venerem vero prius, quam ea indigeas, omni conatu & arte impellis, & tam fœminarum ad hoc opera, quam virorum uteris. Sic enim amicos tuos inſtituis, noctu ſtupris polluens: & utiliſſima diei patre ſomno obruens. Quumq; ſis immortalis, à diis quidem rejecta es, ab honeſtis autem hominib. probro adficeris. Jam quod omnium auditu jucundiſſimum eſt, tuā ipſius laudem nullam audis: nec quod ſpectaculum jucundiſſimum eſt, ſpectare potes. Quippe nullum umquam honeſtum facinus tuū vidiſti. Quis vero tibi aliquid dicenti fidem habeat? Quis rei alicujus egenti quidquam ſuppeditet? Quis mentis compos tuæ ſodalitatis cœtu contineri audeat? quum tui, ſi juvenes ſint, corporibus ſint debiles; provectiores facti, animis deſipiant. Dum juvenilis ætas adeſt, abſq; labore nitidi victitant: cum labore ſqualidi, ſenectam ætatem tranſeunt: anteactorum eos pudet, agendorum onus haud ſuſtinent jucundis in juventute curſu quaſi peragratis, in ſenectutem moleſta reſervant.

Ego vero cum diis verſor, cum hominibus honeſtis verſor: nec ullum præclarum facinus, ſive divinum, ſeu humanum, abſque me perpetratur. Maxime omnium à diis, & hominibus, quib. par eſt, honoribus adficior, artificibus cara laborum ſocia, fida domorū cuſtos heris, opitulatrix benigna ſervis, in laboribus pace curandis adjutrix egregia, conſtans in negotiis bellicis auxiliatrix, amicitiæ conſors optima. Perceptio cibi & potus ut amicis meis delectationē adfert, ſic elaborati nihil habet. Exſpectant enim, donec adpetant. Iidem ſomnum capiunt ſuaviorem, quam otioſi; ac neq; excitatos ſe moleſte ferunt, neq; ſomni cauſſa, quæ agenda neceſſario ſunt, omittunt. Juvenes ſenum laudibus gaudent, ſenes juvenum honoribus delectantur. Iidem rerum olim geſtarum memoriam jucunde repetunt, nec minori cum voluptate præſentia curant, quum quidē mea cauſſa diis accepti ſint, amicis cari, magno apud ſuam quiſq; patriam in pretio. Deniq; quum finis à fato præſtitutus adeſt, non inhonorati jacent, oblivioni traditi: ſed ita florent, ut cum memoria ſui poſteritatis æternæ laudibus fruantur, perpetua ſui memoria celebrati florent. Hujuſmodi, mi Hercules, parentum ſuboles fortium, laborib. exantlantis: licet ea felicitate potiaris, quæ ab omnibus tantopere prædicatur. Hoc quodam modo Prodicus, Herculē à virtute inſtitutū fuiſſe cōmemorat. Sententias quidem ipſas multo magis magnificis verbis, quam ego nunc fecerim, ornavit. Quamobrem, mi Ariſtippe, te quoq; æquum eſt hæc cum animo tuo perpendentem id operam dare, ut etiam futuri vitæ temporis curam aliquam habeas. *lib. 2. Memorabil. cap. 1. & ſeqq.*

Xenophon: Et Socrates: Num fortaſſis illam expetis virtutem, ait, mi Euthydeme, per quam homines rerum civilium & adminiſtrationis domeſticæ periti fiunt, & ad imperandum idonei, & utiles quum cæteris hominibus, tum ſibimetipſis? Heic Euthydemus: Vehementer, inquit, hac virtute mihi, mi Socrates, opus eſt. Ergo tu, ait Socrates, virtutē profecto pulcherrimā, artemq; maximā expetis. Nam regum hæc propria eſt, ac regia vocatur. *cap. 7. lib. 4. Memorab.*

Arrianus: Si pædotribam emiſſet, numquid in palæſtra miniſtro illo, an domino uteretur? Si medicum eodē modo; eod. modo ſi architectum. Atq; ita in quolibet genere peritum imperito imperare omnino neceſſe eſt. Qui igitur in univerſum vitæ degendæ, ſcientia inſtructus eſt, eum quid aliud eſſe oportet, niſi dominū? quiſenim in navi dominatur? Gubernator. Cur? quia non obtemperat damnum facit. Sed flagris cedere me poteſt? Numquid abſq; damno? Sic quidē & ipſe judicabam: ſed quia non abſq; damno, propterea non licet. nam abſq; damno injuſtè facere nemo poteſt? quod vero damnū facit qui ſervum ſuū in vincula conjicit. Cujuſmodi eſſe illud ipſum in vincula conjicere cenſes? Cujuſmodi & ipſe id eſſe confitebere, ſi hominem non eſſe feram, ſed cicur animal defendere volueris. Nam quando male cū vite agitur? Cum aliter q̄ ejus natura poſtulat agitur. Quando cum gallo gallinaceo? Eodē modo. Ergo etiā cum homine. Quæ vero eſt natura hominis? Mordere, & calcitrare, & in carcerē conjicere, & decollare? Non: ſed bene facere, adjutare, favere votis. Tum igitur male cū eo agitur, velis nolis, cum perperā agit. Ergo cum Socrate non male actum eſt? Non, ſed cū judicibus & accuſatoribus eius. Neq; Romæ cum Helvidio? Nō, ſed cum interfectore illius. Quo pacto iſtud dicis? Quo & tu de gallo gallinacco. Non dicis male actum eſſe cū victore & vulnerato, ſed cū integro & victo. Neq; canē beatum prædicas, qui nec perſequitur, neq; laborat. ſed cū ſudantem videris, cum ejulantē, cum rumpendum curſu. Non admirabilia quę dam loquimur, ſi cujuſq; malum id eſſe dicimus, quod naturæ illius repugnet. Hoc quid habet admirabile? Nōne & tu de omnib. aliis illud idē uſurpas? Cur vero in ſolo homine aliter ſentis? An cū māſuetā eſſe dicimus hominis naturā & ſociabilem & fidelē, id admirabile eſt? hoc quidē. Quomodo ergo? Quia cū vapulat, cū in vincula cōjicitur, cum capite plectitur, nihil illi accidit mali? Quæqui generoſo animo

fert, ſic diſcedit ut etiam luctum faciat, & fructum capiat. Ille vero læditur & miſerrima perfert, ac turpiſſima quæque, qui hominis loco in lupum, in viperam, aut crabronem evaſerit. Age ergo, percurramus ea quæ in confeſſo ſunt. Homo qui prohiberi non poteſt liber eſt: cui res in promptu ſunt, ut vult. Qui autem vel prohiberi, vel cogi vel impediri poteſt, vel invitus in aliquid conjici: ſervus eſt. Quis vero prohiberi non poteſt? Qui nihil alienum deſiderat. Quæ vero ſunt aliena? Quæ penes nos non eſt vel non habere, neq; qualia aut quemadmodum affecta eſſe vellemus. Igitur corpus alienũ: item partes ejus alienæ ſunt. Quorum ſi quid tanquam proprium te delectarit, pœnas dabis, ut eum decet qui res alienas concupiſcit. Hæc ad libertatem via ducit, hæc ſola eſt manumiſſio & liberatio ſervitutis: ſola hæc id præſtat, ut tandem toto animo dicere queas,

Me Iupiter duc, & Fati neceſſitas,
Quocumque veſtro deſtinatus numine,

Libri tertij cap. 26. in Epict.

Arrianus: Cum ergo nihil eorum timuero quæ facere mihi poteſt, nec deſiderabo quicquam eorum quæ largiri poteſt: quid adhuc eum admiror? quid adhuc ſtupeo? quid timeo ſatellites? quid gaudeo ſi me humaniter fuerit allocutus, & approbarit? Cur aliis dico, ut mecum ſit locutus? Num enim Socrates eſt? Num Diogenes, ut ejus laus ſit demonſtratio mei? Num mores ejus admiror? Sed ut ludum tueat, accedo illum, eiq; miniſtro, quoad me nihil ſtultum nihil indecorum juſſerit. Si vero mihi dicat, abi ad Leonem Salaminium: dico ei, Quære alium, ego enim non amplius ludo. Abduc in carcerem. Sequor per jocum. At caput tibi auferetur. An vero illius ipſius manet? Veſtrum item, qui obtemperatis? At inſepultus abjicieris. Si ego ſum cadaver, projiciar: ſin diverſus à cadavere, loquere civilius, neq; me terreto. Pueris iſta terribilia ſunt, & ſtultis Si quis autem ſemel ſcholam philoſophi ingreſſus, ignorat quid ipſe ſit: is dignus eſt qui terreatur, & aduletur aliis, ſi nondum didicit, ſe non eſſe carnem, neq; oſſa, neq; nervos: ſed id quod illis utatur, quod gubernet & ſequatur viſa. Eſto. At iſta verba contentores legum efficiunt. Quæ vero verba legibus obedientiores reddunt? Lex non eſt quæ fertur à ſtultis. Et tamen vide, quomodo efficiant etiam ad illa paratos? Quæ quidem doceant, nihil ab illis eſſe flagitãdum, in quo nos poſſint vincere. Docent cedendum eſſe corpore liberis, parentibus, fratribus: omnibus his cedendum eſſe: omnia miſſa facienda. Sola decreta excipiunt, quæ ipſe etiam Jupiter eximia cujuſque eſſe voluit. Quæ hic eſt legum violatio? quæ improbitas? Ubi potentior es & fortior, ibi tibi cedo Viciſſim ubi ego ſuperior ſum: tu mihi cede. Res enim hæc curæ mihi fuit, tibi non fuit Tibi curæ eſt, quomodo in palatiis habites: quomodo pueri & clientes tibi miniſtrent: quomodo veſtem conſpicuam geſtes: ut venatores multos habeas, ut citharœdos, tragœdos. Num iſta mihi vendico? Num decreta tibi curæ ſunt? Num tua ipſius oratio? Num ſcis è quibus partibus conſtet? Quomodo conjungatur? Quæ ſit ejus diſtinctio? Quas habeat vires, & quales? Quid ergo indignaris, ſi alius in his te ſuperat, qui illa meditatus eſt? Atqui hæc maxima ſunt. Quis vero ea te tractare prohibet, & curare? Quis vero inſtructior eſt libris, otio, magiſtris? Tantum inclinato tandem ad hæc, vel exiguum tempus tuæ rationi impendito: conſidera cur tandem habeas, & unde profectũ, id quod reliquis omnib. utitur, quod cætera omnia probat, quod eligit, repudiat. Quoad autem in externis rebus verſaberis, eas habebis quales nemo alius: hanc vero qualem habere vis, ſordidam & neglectam. *cap. 7. lib 4. Epict.*

Apollonius Scopelianus: A Barbaris abſtinendum, nec eſt eis imperandum. Non enim fas eſt, ut Barbari cum ſint, beneficio juventur. *Epiſt. 21.*

Dio Pruſæus: Timotheum quondam illum tibicinem ferunt, quum primum Alexandro regi artis ſuæ ſpecimen exhiberet, cecinisſe juxta illius mores admodum peritè atq; muſice, non mollem neque reiniſſam cantionem, neq; ejuſmodi quæ ad ignaviam deſidiamq; duceret: ſed ipſum, opinor, rectum, qui Minervæ appellatur, νόμον. Et Alexandrum confeſtim exiliviſſe ad arma, tanquam numine afflatum: ita vehementer illum fuiſſe incitatum ex cantu muſices, atque modulatione tibiæ. Cauſa vero hujus eſt, non adeo Muſices vis, ut regis animus incitatus atque iracundus: quoniam Sardanapalum nunquam certe ex cubiculo à mulieribus ſuſcitaſſet, non ſolum Timotheus, aut alius quiſpiam ex junioribus, ſed neque Marſyas ipſe, aut Olympus. quin etiam mihi videtur, quod ne Minerva quidem (ſi fieri poſſet) eundem νόμον percurrente, ille unquam arma erat correpturus, ſed longe prius ſurrecturus ad ſaltandum, aut fugiendum: uſque adeo miſere affectus erat ob poteſtatem, deliciaſque. Quare convenit, ne nos noſtro in opere pejores fiamus homine tibicine, minus viriles atque magnanimas inveniamus orationes, quam illius fuerunt ſoni: neque uni tantummodo congruentes, ſed eaſdem & vehementes & mites, bellicas atque pacificas, legitimaſque, multaque opus habeat & audacia, multaque pariter humanitate. Timotheus ergo, ſi, quemadmodum bellicum noverat νόμον percurrere quendam, ſic etiam noviſſet juſtam cantionem, animum prudentem, atque temperatum, humanumque reddere valentem, neque ſolum ad arma ruentem, ſed etiam ad pacem atque concordiam, decorumque honores ac hominum curas, omnino dignus erat qui verſatus eſſet apud Alexandrum: eique occinuiſſet non ſolum ſacrificanti, ſed etiam alias, quando ſe luctibus præter dignitatem ac decorum mancipaſſet, aut puniviſſet acerbius quam leges aut æquitas ferret, aut ſuis indignatus eſſet amicis atque ſodalibus, aut mortales veroſque parentes deſpexiſſet. At enim non omnem medelam, neque ſolidam moribus utilitatem adferre poteſt muſices ſcientia atque habitus. Neque enim hoc (ut ait poeta) Æſculapii diſcipulis dedit Deus. Sola autem prudentium ſapientiumque oratio (quales multæ habitæ ſunt à majoribus) ſufficiens atque perfecta dux eſt, adjutrixque tractabilis & bonæ naturæ, ad omnem dans conſilia virtutem, ducenſque diligenter.

Idem mox: Age ergo dicamus & mores atque animi diſpoſitionem boni regis, brevibus quantum licet rem comprehendentes. Sic eſt apud Homerum Iliad. B.

Haud eſt multorum bona res dominatio, verum
Vnus ſit dominus, rexq; omnibus imperet unus,
Cui ſceptrum, legeſq; dedit Saturnius ipſe,
Vt juſte præſit populis, ac conſulat æqua.

Bene prorſus, cum aliis pluribus, mihi Homerus videtur & hoc dixiſſe, quod non omnes ſceptrum habeant à Jove, neque hunc principatum, ſed boni duntaxat, neq; alio jure, quam ad conſulendum, adque curam gerendam ſubditorum, non ut quis laſciviat, aut intemperanter prodigat, plenuſq; ſit dementiæ, contumeliæq; ac ſuperbiæ, omniſque iniquitatis, hiſq; ac eo ſuum ipſius ſemper repleat animum, perturbatum iris & ægritudinibus & timoribus, atque voluptatibus, cupiditatibuſq; cunctis, ſed quantum fieri poſſit, animũ attendat ad ſuam atq; ſubjectorum felicitatem, paſtor & opilio vere effectus populorum, non convivator aut conviva (ut ait quidam) ut ne ſomnum quidem per totam noctem capere ſe debere putet, ut cui nullum ſit ocium ad ſocordiam. Hæc enim dicit & Homerus pariter, & alii ſapientes veraceſq; homines, quod nemo unquam pravus, aut libidinoſus, aut avarus, neq; ſui ipſius poſſit fieri princeps & dominus, neq; alterius cujuſpiam. Neque talis unquam erit rex, etiamſi omnes Græci atq; Barbari, & viri & mulieres affirmarent, neque eum homines ſoli admirarentur, eiq; obedirent, verum etiam aves in aere volantes, feræq; in montibus haud ſecus quam homines eum accederent, exequerenturq; mandata. *Orat 1. de regno.*

Dio Pruſæus: Non igitur videtur Homerus auri geſtationem approbare, & præſertim in bellum, armillarum & torquium, inſuper & aurearum phalerarum & frenorum, quibus ſummopere Perſas ſtudere ajunt. Neq; enim habent correctorẽ rerum bellicarum Homerum. Ex his autem ſtudiis, principes fecit bonos, & multitudinem bene compoſitam. Progrediuntur enim cum ſilentio, timẽtens præfectos: barbari vero cum magno tumultu & ordinum perturbatione, gruibus ſimiles. Quod hoc præcipue ſalutare & victorioſum ſit in periculis, ſi milites timeant præfectos, & quicunq; ſuos duces non timeant, illi oceaniſſime reformidaturi ſint hoſtes. Quin etiam vincentes Achivos per ſilentium ait caſtrametari: apud Trojanos vero, ſi quid viſi ſunt ſuperiores, ſtatim eſſe per totam noctem tibiarum & fiſtularum ſonum, hominumq; clamorẽ, ut & hoc ſufficiens ſit vitii ſignum atq; virtutis, ſi qui moderate felicitates, aut cõtrarium. haud cum contumelia ferant. Mihi igitur, ô pater, ſufficiens eſt corrector Homerus: & qui huic animũ advertere conatus fuerit, fortiſſimus & optimus evadet rex. Ipſe enim ſubjicit manifeſte duas rege digniſſimas virtutes, fortitudinem, & juſtitiam, ubi inquit.

Vtrumque, & bonus eſt rex, pugnatorq; animoſus.

Quod cæteræ virtutes haſce comitentur. Neq; ego regem duntaxat excellere oportere puto fortitudine atq; gravitate, ſed neq; alios audire tibia aut cithara ludentes, neq; cantantes languida & delicioſa cantica, neq; corruptorum ſermonum malas incitationes amplecti, ad voluptatem indoctiſſimorum inſtitutas: cæterum omnia talia, primum quidem & præcipue ejicere quam longiſſime, & ablegare ab ſuo ipſius animo, deinde à civitate cui præeſt, riſus intemperantes, & hujuſmodi riſus autores poetas, cum ſcommatibus, ſive carmine ſcripſerint, ſive oratione ſoluta. Ad hæc ſaltationes tollere libidinoſas, & formas meretricias mulierum in protervis ſaltationibus, occentioneſq; acutas, atque illegitimas modulationes, confractaſq; cantiones, inconcinnis compoſitas flexuris, & multarum vocum varietate. Unum autem cantum & canet & amplectetur, qui ſcilicet Marti conveniat, fortem & penetrantem, non voluptatem aut ſocordiam afferentem audientibus, ſed immenſum timorem atq; tumultum, quali & ipſe Mars uſus eſt,

Hortans Trojanos ſuprema per urbia acutùm.

Et Achilles vocem duntaxat emittens, priuſquam conſpiceretur, in fugam vertit Trojanos, & viris duodecim cauſa mortis præbuit, circa ipſorum currus & arma. & qui factus eſt à Muſis in laudem victoriæ, qualemq; juſſit Achilles Achivis pæana canere, quum Hector traheretur ad naves, ipſe incipiens,

Nunc agite Argivi pariter pæana canentes,
Ad naves redeamus, eoq; trahamus & iſtum,
Gloria magna eſt parta, occidimus Hectora dium.
Quem plebs Dardanidum ſicut Deum in urbe colebat.

Inſuper etiam puto cantum adhortatorium (ut ſunt Laconum Embateria) ualde congruentem reipublicæ Lycurgi, illiuſque ſtudiis:

Nunc agite ô juvenes, cives animoſa creantis
Corda virum Spartæ, clypeos opponite læva,
Fortiter ac torquete haſtas & ſpicula dextra,
Nemo ſuæ parcat vitæ: nam dedecet iſtud
Præclaram patriam ——

Tripudium autem & choros ſecundum proportionem his conſentientes, non vacillantes, neq; intemperantes, ſed quantũ fieri poteſt, fortes

fortes & modestos, cum oportebit inducere in constituta modulatione: nempe saltationem armatam, quæ simul & diis primitias solvat, & meditatio sit rerum bellicarum, cujus non imperium poeta dicit Merionem esse; scripsit. enim Trojanorum quendam dicere.

Merione, cito te, quamvis saltare peritum,
Hasta mea a pugna fixum sedasset, utrinq;
Si non errassem. ——

An tu putas eum dicere, aliam noviſſe Moli filium, commemoratumque inter Achivum fortiſſimos, ſaltationem, quam illam armatam, quæ dicitur Curetica, quæque erat vernacula Cretenſibus? Illam inquam celerem & levem motionem, ad facile dijudicandum & virandum telum? His comitatur, quod regem neque eodem quo alios modo deos precari deceat, neque deos invocare, ſic precantem quemadmodum Jonum poeta Anacreon.

O rex, cui domitor cunctorum, acrisq; Cupido,
Nigroculi & Nympha semper, rubicundaq; Cypris
Colludunt, montisq; cacumina celsa peragrant,
Iucundi tecum comites, te quaso benignus
Adsis jam nobis, atq; audi vota precesque,
Consiliumq; dato Cleobulo mite bonumque,
At meum effice ut is non aspernetur amorem.

Neque hercle temulenta Atticorum cantica, laudatoriæque optiones, reges decent, ſed plebejos potius, tribuleſque bonos, atque vehementer molles.

Iu chra lyra fierem utinam, ò Dei, ac eburnea,
Ferentq; formosi puelli me in chorum,
Bacchi. utinam & aurum plurimũ, & coctum & bonum,
Fierem, & puella pulchra me ferret sibi.

Multo magis autem (ut Homerus ſcripſit) decet ita optare omnium Græcorum regem.

Iuppiter inclyte, maxime, qui cœlestia nigra
Nube tegis, puroque locus tibi in æthere sedem,
Præstat, ne sol cadat, tenebræque tenebræ,
Quam prius flammis altum dejecero tectum,
Hostilesque igni crepitantis incendero portas,
Hectoris & tunicam circa corrupero pectus
Ferro, circa ipsum sociorum & millia multa
Mordicus appendant prostrati in pulvere terram.

Hoc autem præcipue in Agamemnone, quando primum ordinat exercitium, aliosque ductores omnes enumerat, & naviũ multitudinem. Illic enim, nullum prorſus de bonitate certamen cum eo ulli Heroum reliquit, ſed quantum taurus præcellit armentum robore & magnitudine, tantum præcellere ait regem, ita dicens.

Taurus ut armentis præstat longe omnibus unus
Ille, boves alios qui inter præcellit agrestes:
Illa talem Agamemnona fecit luce videre
Iuppiter, heroasque inter præcellere multos.

Hoc autem non ſimpliciter mihi dixiſſe videtur, fortitudinem ejus duntaxat laudare & demonſtrare volens (nam ſic & leoni comparans, bene eum videretur aſſimilaſſe) verum & naturæ manſuetudinem oſtendens, proq; ſubjectis providentiam. Taurus enim non ſolum ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine utitur, quemadmodum leo & aper & aquilæ, perſequentes cætera animalia, ſuique devincentes cibi gratia: quare potius quis tyrannidis eos dicat quam regni exemplum eſſe. Taurus autem manifeſte & in aliis (ut mihi videtur) ad regni regisque imaginem factus eſt. Cibus enim ei paratur & facilis, in ſilentio paſcitur, ut nullum neceſſe ſit vi opprimere, aut circumvenire illius cauſa: ſed quẽadmodum beatis regibus, abſque defectu atque copioſe ſemper ſuppetunt quæ ſunt neceſſaria. Regnat autem & principatum gerit inter ſui generis animantia, cum benevolentia (ut aliquis dicere poſſet) & ſollicitudine: cum quod præcedat ad paſcua, tum quod beſtia apparente non fugiat, ſed pro toto armento propugnet, & infirmis auxilio ſit, & provideat quo pacto multidudinem à ſævis & feris beſtiis conſervet: quemadmodum & principem facere decet, & eũ qui revera rex ſit, & non indignus maximo inter homines honore. interdum quidẽ alio armento conſpecto, certamen init cum illius ductore, victoriæ cauſa, ut & ipſe melior appareat, meliusque eſſe ipſius armentum. Atqui in hominum poteſtate ſitum eſt, ne bella gerant.

Cæterum quũ inter inſipientia animalia homo & optimus, principatuique aptiſſimus, à natura factus ſit, admittat tamen melioris imperium, & robori quidem & furori atque vi nullius ſuccumbat, rationi vero & prudentiæ voluntarie ſe ſubjiciat: quomodo non & hoc quis cenſeat pro diſciplina eſſe, regalique decreto modeſtis regibusq; oporteat, hominibus ſimilibus genere imperare qui optimus eſſe videatur, juſteque eum & ſecundum naturam habere imperium, & multitudinem quidem ſubditorum ſervare conſiliis proſpicientem, & bellum gerentem quum opus ſit, cuſtodientemq; à feris & iniquis tyrannis? Adverſus alios autem reges, quicunq; ſint, certamen ſuſcipere oporteat eũ de virtute, & quærere (ſi fieri poſſit) ut omnes ubicunque ſint homines, ſibi utilitatis publicæ gratia ſubjiciat? Deos autem meliores ſequi, ſicuti boves (puto) paſtores, & præſtantiorem atque beatiſſimã naturam honore afficere, ſuos dominos & principes illos exiſtimantem & in maximi & primi regis Dei declarantem eſſe profeſſione, primum quidem ſemetipſum ut precioſiſſimum, deinde alios quoque ſub ſe conſtitutos? Siquidem, quemadmodum modeſti paſtores faciunt, quando taurus ſævus & ferus factus, imperat petulanter & præter naturam, ſuum quidem ipſius deſpiciens armentum & damno afficiens, exteroſque inſiliantes reformidans, protrudens ad pericula imbellem multitudine, & quum nihil difficultatis adſit, injuria afficiens, & audaciam oſtẽtans nunc quidem acute & minaciter mugiendo, nunc autem infeſtis cornibus feriendo non reſiſtentem, & oſtendens robur adverſus inferiores & non repugnantes, boum autem multitudinem non ſinens paſcere quiete propter terrorem & timorẽ: tum domini & paſtores talem removent & occidunt, ut qui idoneus non ſit, neq; cõmodus, ut imperet armento. Qui autem mitis eſt erga ſequentes boves, animoſus autem & imperterritus adverſus feras graviſque & magnificus, quique poteſt tueri & præcedere armentum, paſtoribus ceditq;, eum ſinunt præeſſe uſq; ad noviſſimam ſenectutem, etiamſi jam gravior corpore factus ſit. Similiter etiam dii, & ille magnus rex regum, utpote communis curator & pater hominum atque deorum Jupiter, ſi quis hominum factus fuerit violentus, injuſtuſque & iniquus princeps, fortitudinem oſtendens non hoſtibus, ſed ſubditis & amicis, inexplebilis voluptatum, & inexplebilis pecuniarum, velox ad ſuſpicandum, ad iram provocatus implacabilis, acutior ipſa calumnia, imperſuaſibilis ſermonibus, aſtutus, inſidiator, abjectus, contumax, malos in altum tollens, melioribus invidens, non intelligens eruditionem, neminem exiſtimans amicum, neque habens, ut rem ipſo inferiorem: illum procul abjicit, removetque, ut qui ſit indignus ut regnet, & particeps ſit ſui honoris cognominisque: removetque cum dedecore & vituperio. quemadmodum puto Phalarin, atque Apollodorum, & alios multos horum ſimiles. At fortem, & humanum, & benevolum ſubjectis, honorantemque virtutes, ſimulque certamen inſtituentem ne quid bonis deterior videatur, & iniquos cogentem reſipiſcere, bonis autem ferentem ſuppetias, eum propter virtutem approbatum plerũque perducit ad ſenectutem. ſicut audimus Cyrum, & Diocem Medum, & Agathyron Scytham, & Leuconem, & multos Lacedemoniorum reges, atque etiam Aegyptiacorũ ſuperiorum aliquos. Porro ſi fati neceſſitas properet ſenectutem, attamen bona fama & favore apud omnes dignatur: quemadmodum (dicebat Alexander) noſtrum anteceſſorem, eum qui exiſtimatus eſt propter virtutem Jovis filius, Herculem. *Oratione altera, de regno.*

Apollonius Quæſtoribus Romanorum: Magiſtratum primarium geritis. Quod igitur ſi imperare noſtis, quomodo fit, ut veſtri cauſa, civitates deterius habeant. ſin neſcitis, primum oportebat diſcere, deinde imperare *Epiſt.* 30.

Idem Moderatoribus Aſiæ: Quid prodeſt, agreſtium arborum, quarum damnoſa eſt pullulatio, ramos quidem incidere, radices vero relinquere. *Epiſtola* 31.

Ariſtides Rhetor: Jam tantum cum ſit ac tale imperium, certa poſſeſſione tamen quam ambitu majus videtur. nam nec Myſi regno potiuntur, nec Thraces, nec Piſidæ, nec alii intermedii qui partim vi ſedes occuparint partim capi poſt defectionem non potuerint: nec ita dicitur eſſe regis terra, ut eam interim quicunque poſſint, occupent; nec inter ſe ſatrapæ, quaſi rege careant bellum gerunt, neque urbes hæ ad hos, illæ ad illos inclinant, & in alias præſidia mittuntur, ex aliis ejiciuntur. ſed aulæ perpurgatus ambitus, ita orbis univerſus quovis choro exactius ſecum conſentit, & imperii hujus æternitatem exoptat: quandoquidem ab hoc coryphæo Principe pulcherrime gubernatur. Æ quali autem ubiq; regitur imperio; adeo ut & qui montes incolunt, imorum camporum cultoribus humiliores ſint quantum ad obedientiam attinet, & qui fertiles agros ſortiti ſunt veſtri ſint agricolæ: neque inſula quidquam à continente differt, verum ut una regio continua & gens eadem, cũcta placide parent. omnibus etiam mandatis ac nutibus, citius quã digitum moveris, obtemperatur, & mox atque aliquid decretũ datur. Qui autem in urbes & provincias mittuntur cum imperio, ſinguli ſuis præſint; ita inter ſe omnes æqualiter parent, & eo videntur à ſubjectis differre; quod primi rationẽ parendi tradunt: adeo magnum & omnia gubernantem Imperatorem omnes metuunt quapropter eum tum quidquid agunt, melius ſe ipſis ſcire arbitrantur, tum magis quam dominum famulus præſentem, inſtantem & jubentem referentur: nec eorum quiſquam tantæ ſibi dignitatis videtur, ut vel nomine duntaxat audito poſſit quieſcere, quin aſſurgens laudet ac colat; ac duo ſimul vota concipiat. alterum Deis pro illo, alterum illi pro ſe. Sin alicubi circa judicia vel rogationes tam publicas quam privatorum, ſi qui forte digni habeantur, paulluni labãtur, ad illum mox referunt, & ab eo quid agendum ſit, non ſecus ac chorus à miniſtro, expectant. Quocirca nihil eum opus eſt imperium totum miſere pervagari, nec variis commeatibus ſingula ſtabilire terram callando; cum poſſit Orbem totum commodiſſime per epiſtolas regere quæ mox ut ſcriptæ ſunt velociſſime tanquam ab avibus deferuntur. *Encomio Romæ.*

Ariſtides Sophiſta: Cum populus Athenienſis potentia ſua imperium eſſet ab initio adeptus, per humanitatem ultro dimiſit, ac ipſe pene ſibi criminum eſt auctor factus. nam cum maxima erga omnes humanitate atque moderatione uſus eſſet; eosque magis inreip. ſocietatem quodammodo vocaſſet, quã principatus jure cohibuiſſet; idem fere paſſus eſt quod ſolet benignis dominis accidere; ut non propter ceteram æquitatem gratioſus eſſet, ſed cũ quid poſtularet, aperte vim facere videretur &c. *Oratione Panath.*

Ariſtides Rhetor: Jam quis hoc ignorat, facilius duos vel tres, quam tot ſimul regi ac Juvenes quidem quam adultos, & omnium deinceps ætatum homines. *Oratione* 2. *Platonica contra Quatuor Viros.*

Philoſtratus: Ego Nervam omni imperio, omnique laude dignum judico: poſſe autem eu multis curis negotiisque animum intendere nequaquam puto. corpus enim morbo diſſolutum, mentē quoq; angoris plenam reddit; ita ut quæ domi ſunt agenda, curare non poſſit. *Mox*: Quomodo igitur credibile cuiquā videbitur, Nervam imperium affectare, qui bene ſecum agi putaret, ſi domum ſuam gubernare poſſet? *lib. 8. cap. 3. in Apologia.*

Julianus Imp. Illud quidem adſecutus es, ut Romanis tuis dominareris, ſed ut ab eis ex animo diligeris, obtinere non potuiſti, licet ad multam humanitatem, ut in fabula & in ſcena, omnibus turpiter adulans te, effinxeris & ſimularis. Num inquit, à populo dilectus videor, qui Brutum & Caſſium ſit perſecutus? Haud equidem propterea quod te occiderant, inquit Silenus; ob id enim populus eos ſuis ſuffragiis creavit Conſules; ſed numniorum gratia, ſimul atque tuum teſtamentum audierunt, & ad ſcriptam non vulgarem mercedem ſingulis quibusque qui eos odio hoberent, perſpexerunt. Poſtquam & hic ſermo quoque finitus eſt, Octavianum deinceps Mercurius interpellabat. Et ut nobis non dicis quid pulcherrimum eſſe duxeris. Et ille pulchre imperium adminiſtrare. Quid vero illud eſt, pulchre explicato, ô Auguſte? inquit Silenus, quandoquidem & idem profiteri peſſimis quibusque licet. Etenim ſe quoque pulchre regnare exiſtimabat Dionyſius. & illo ſceleratior Agathocles. *in Caſſ, ubi Silenus Iul. Cæſarem ridet.*

Julianus Imp. Bellis vero civilibus ſæpenumero in extremum diſcrimen adductam rem Romanam ſic compoſui, firmavique, ut in poſterum, ô Dii, noſtra opera adamantina fuerit. Nec enim immoderatis cupiditatibus morem gerens, omnia undique parare & dominio ejus adjungere ſuſcepi, ſed duos imperio noſtro limites, tanquam à Natura fixos & datos, Iſtrum & Euphratem ſtatui. Deinde repreſſis & domitis Thracum & Scytharum gentibus, vobis mihi largientibus imperii tempus ſatis diuturnum, non bellum aliud ex alio ſu n commentatus, ſed in Juris deſcriptione, & eorum, quæ bellis civilibus depravata erant, correctione, otium traduxi. Qua in re ita me geſſi, ut non deterius me publicæ utilitati conſuluiſſe exiſtimem, quam quiſquam alius eorum, qui ante me fuerunt: imo melius, ſi verum audacter dicere oportet, quam omnes, qui unquam hujuſmodi imperia geſſerunt & gubernarunt. Alii enim in exercituum adminiſtrationibus obierunt, & cum liceret in poſterum à militia quietem agere, bella tamen ex bellis, non ſecus quam litigoſi homines lites meditantur & excogitant, ſibi præcarunt. Alii vero ad bellum incitati ſe totos ad voluptatem & vitæ luxum contulerunt, turpeſque illecebras & mollitiem, non ſolum gloria, quæ ex bello quæritur, ſed etiam propria ſalute, potiorem duxerunt. Quæ cum ego animo perluſtro & conſidero, non infimo me loco dignum reputo. *in Caſſ. loquitur Auguſtus.*

Julianus Imp. Poſtquam & hic ſermo quoque finitus eſt, Octavianum deinceps Mercurius interpellabat: Et tu nobis non dicis quid pulcerrimum eſſe duxeris: & ille, pulcre imperiū adminiſtrare. Quid vero illud eſt, pulcre, explicato, ô Auguſte, inquit Silenus: quandoquidem & idem profiteri peſſimis quibuſque licet. Etenim ſe quoq; pulcre regnare exiſtimabat Dionyſius, & illo ſceleratior Agathocles. *in Caſſ.*

Julianus Imp. Accuſabat autem Marcum Silenus, quod imperiū filio commiſiſſet. De filio reſpondit habeo Jovis ſententiam. Pridē inquit te fulmine præcipitem dediſſem, niſi quia meus es filius te amarem. Neque ego alioqui unquam filium meum tam improbum futurum ſuſpicatus ſum. Quod ſi adoleſcentia magnis in utramque partem inclinationibus agitari ſolita, ad deteriora flexit; nondum ſane corrupto & depravato imperium demandavi. contigit autem ipſum poſt acceptum imperium perverſum fieri. *in Caſſ.*

Themiſtius: Tu cum neceſſitate compulſus ſine cruore, integrum ſtatim Imperium accepiſſes, melius conſervaſti, quam qui generis ſucceſſione illud erant antea conſecuti. Cauſa autem hæc erat, quod neminem infenſum ribi arbitrarere, nec tanquam digniorem metueres: atque ita ex duabus Platonis ſententiis, alteram confirmaſti; tunc ſcilicet, pacata, ac tranquilla imperia fore, cum iis mandarentur, qui ad id idonei maxime eſſent, & minime tamen concupiſcerent. Poſtquam enim non ita primo ex ordine ad ſummum, atque ampliſſimum pervectus es, non te aut æqualium tuorum oblivio cepit, aut livor erga eos, qui tum honore præceſſerant, aut eos poſtremo, qui tum erant dignitate inferiores, aſpernatus es: ſed quuamvis tantopere fortuna antecelles omnibus; in eodem erga omnes animo, ac voluntate præſtitiſti: utpote præclare iſtud intelligens, non felicitatis eminentiam Imperium eſſe, ſed virtutis. *Oratione 12*

Themiſtius: Ita revera Conſtantinus Imp. Philoſophus eſt, ut etiam collegam ſibi Philoſophum adſciverit, non quod generis neceſſitudine ſibi convinctus, ſed quod virtute eſſet animi propinquus. *ſine Orationis 14.*

Themiſtius: Jam pridem benevolentia & cognatio regia majeſtati cum philoſophia exiſtit; atque ad uſum eundem utramq; Deus in terram emiſit; ad curam & emendationem generis humani: atque hanc quidem ad ea quæ bona ſunt edocenda; illam autem quæ ſuggereret & ſuppeditaret. *Orationis 16. principio.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Imperator in bello ſummam habeo poteſtatem. Ante omnia non id tempus, quo judicia exerceri, quo leges retinere vim ſuam poſſint, iſta pax ſpectat, & diligentiorem rerum inquiſitionem ſecuritas habet. non vocat in bello curam agere ſingulorum. At hanc rationem accedit illud quoque, quod adminiſtrare non poteſt bellum, niſi tantam poteſtatem habuerat imperator, tot millia conſcriptorum militum in aciem educere: aſſignare loca interim periculoſa, tuendos cives, expugnanda hoſtium caſtella nō poteſt ſola ratio, opus eſt & metu Quid ſi pleraque accidunt, in quibus præſenti pœna caſtigare neceſſe eſt eos, peccaverunt? Ad hæc igitur omnia proviſum atque prolatum eſt, ut imperator ſummam poteſtatem haberet. Quid tamen à nobis exigi oportet? bonam, bonam voluntatem. Erraverim ſane ſi id ſatis probationi exiſtimavi, ſi hoc ad utilitatem civitas pertinere credidi. Quis damnaverit eum, qui duabus potentiſſimis rebus defenditur, jure & mente? quid ſi etiam ratio hoc faciendi fuit. *Declamatione 348. pr.*

Plinius Junior: Ut in corporibus, ſic in imperio, graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur. *lib. 4. Ep. 22. fine.*

Plinius Junior: Cænabat Nerva cum paucis inter quos & Mauricus. de Catulli Meſſalini nequitia ſanguinariiſq; ſententiis in cōmune omnes ſuper cænam loquebantur. tum ipſe imperator, quid putamus paſſurum fuiſſe ſi viveret? Et Mauricus, nobiſcum cænaret. *lib. 4. Ep. 22. circa finem.*

Plinius: Quantulum refert deponas an partiaris imperium? niſi quod difficilius hoc eſt. *c. 8. panegyr. ad Trajanum.*

Plinius: Ubi deinde diſciplina? ubi mos à majoribus traditus, quodcunque Imperator munus injungeret, æquo animo paratoque tubeundi? quid enim ſi provincias ex provinciis. ex bellis bella mādaret? eodem illum uti jure poſſe putes, cum ad imperium revocet, quo ſit uſus cum ad exercitum miſerit? nihilque intereſſe ire Legatum, an redire Principem jubeat; niſi quod major ſit obſequii gloria in eo quod quis minus velit. *ſine capitis 9. Panegyr. ad Trajanum.*

Idem: Nerva eo ipſo carus omnibus ac deſiderandus, quod proſpexerat ne deſideraretur. *cap. 10. ſine.*

Incertus Panegyriſtes Maxim. & Conſtantino Augg. Gravitas tuæ tanta maturitas eſt, ut cum tibi pater imperium reliquiſſet, Cæſaris tamen appellatione contentus, expectare malueris; utidem te illum declararet Auguſtum. ſiquidem ipſum imperium hoc fore pulcrius judicabas, ſi id non hereditarium ex ſucceſſione creviſſes, ſed virtutibus tuis debitum à ſummo Imperatore meruiſſes. *capitio 5. extremo. 4.*

Incertus Panegyriſtes Max. & Conſt. Augg. An ſi maximus quiſque natu gubernator, eſt certiſſimus ad ſalutem; non is eſt optimus qui uſu peritiſſimus, imperator? *cap. 9.*

Incertus Panegyriſtes Max. & Conſt. Augg. Quando ſi Publius Sorpio bellum Punicum ſuſcepit adoleſcens, ipſum poſtea ſuperaturus Annibalem: ſi Marius à factione Syllana Urbem recepit ſenex; idque magno intervallo temporum memorabile eſt: quam facile nunc omnes metus ponet Romana reſpub. quæ defenditur conjuncti imperii duabus ætatibus, pariterque utitur virtute juvenis & maturitate ſenioris. *cap. 14.*

Latinus Pacatus: Illud tamen præ cæteris mirum, quod cum omnia faceres ut ſi imperare deberes, nihil tamen faciebas ut imperares. Argumento eſt dies ille communis boni auctor, quo tu cum ad ſuſcipiendam rempubl. vocabaris, oblatum imperium deprecatus eſt, nec dans ſpeciem tantum, ut cogi videreris; ſed obnixe & diu, & velut impetraturus egiſti. quippe aberat cauſa fingendi: nō enim te princeps ſolus & domi, & tanquam tentaret ambibat, ſed publice & in comitio, & ut aliud jam facere non poſſet. &c. *cap, 11. Panegyr. Theod. Imp. dict.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 11. ad Epiſcopos, de Diabolo.

Ille odia injecit ducibus rixasq; furentes
Nam labente cadit totum duce protinus agmen:
Ac facile exertis acuam rectore carinam,
Aut ſævi allidit ſcopulis vis aſpera venti:
Atq; domos, urbesq; etiam, currusq; chorosq;
Lanigerosq; greges, armentaq; pinguia perdit.
Qui regere hac neſcit.

Plautus Amphit. 1. ſc. 3.

Quid iſtud eſt, mi vir negotii, quod tu tam ſubito domo
Abeas? IVp. edepol haud quod tui me neq; domi diſtædeat.
Sed ubi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,
Citius quod non facto eſt uſus fit, quam quod facto eſt opus.

Terentius Eunuchi 3. ſc 2.

—— *Haud convenit*
Vna cum amica tre imperatorem invia.

Rufi Virginii epitaphium

Hic ſitus eſt Rufus; pulſo qui vindice quondam,
Imperium aſſeruit non ſibi, ſed patriæ.

Auſonius de Imp. Claudio.

Claudius irriſa privato in tempore vita,
In regno ſpecimen prodidit ingenii.

Idem de Galba Imp.

Spem fruſtrate, ſenex, privatus ſceptra mereris
Viſus es, imperio prodistus infelior.
Fama tibi melior juvenis. ſed juſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe prius.

Idem de Vitellio Imp.

Vita ſors, mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres cæſar: ſic ſibi fata placent.

Vmbræ

Umbra tamen brevis imperij. quia præmia regni
Sæpe indignus adit: non nisi dignus habet.

Idem de Vespasiano Imp.

Olim qui dubiam privato in tempore famam,
Par aliis Princeps transtulit in melius.

Idem de Tito Imp.

Felix imperio, felix brevis itate regendi:
Expers civilis sanguinis, orbis amor.

Idem de Hadriano Imp.

Ælius hinc subijt, medijs præsignis in actis:
Principia & finem famæ notat gravior.

Idem de Severo Imp.

Tuq; Severe pater, titulum ne horresce novantis:
Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

Claudianus de Celerino. in epithal. Serenæ.

Qui quondam Meroen jussus Nilumq; tueri,
Cum sibi post domitos & Parthica fulmina Carrhas,
Sceptra daret miles, rebusq; imponere vellet,
Desiexit fremitus, & prætulit otia regno.
Respuit ingestum, quod si quod poscere ferro
Posthabita pietate solent, tum purpura primum.
Inferior virtute fuit, metuitque repulsam
Obvia majestas. doluit fortuna, minorem
Se confessa viro. magnum delata potestas,
Majorem contempta probat.

¶ Emblematis.

Camerarius 1 Centuriæ 3.

Cuique suum. Aquila.

Læva tenet fulmen, sed olivæ dextera ramum,
Vt pace & bello sim memor officij.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Leo Magnus Imperator: Et hujus cœleste dictum. Dum quidam ab eo urbis præfecturam petiisset, eaque alteri contra spem data esset; apprehensa Imperatoris purpura, *Qui*, inquiebat, *tali purpura ornatur, mentiri non decet.* Cui Imperator: *Sane hoc quoque Imperatorem decet nemini cedere, aut subditum esse, maxime ubi id cum Reipub. incommodo fieret.* Cedrenus in Leone.

Michael Imp. Quid autem iste? Hortabantur eum amici, se fortiter Leoni opponeret, remque armis experiretur. At is ægre ferens se ad bellum civile incitari, misso ad Leonem diademate & purpura, ultro imperio regnoque cessit, dicens: *Malim vitum propriam amittere, quam vel unam Christiani sanguinis guttam effundere, aut meo nomine effusam cernere.* Cedrē. in vita.

Theophilus Imp. Ejusdem Cedreni auctoritate constat, Theophilum Imperatorem contemplatum quandoque è vestibulo palatii navem onerariam plenis velis portum petentem, rogasse cujus ea esset: dicentibus quibusdam, Theodoræ tuæ conjugis; Quid, inquit, *nescitis me devinitus in Imperatorem avectum, uxorq; mea nauclerum me facit? Anne ulla umquam reperta est Augusta, quæ maritum suum viderit mercatorem?* jussitque è vestigio navem cū mercibus & armamentis flammis tradi. *Ibid.*

Valentinianus Imp. Quamvis autem eximia laude non careat recta imperii regnique administratio, suas tamen difficultates habet & pericula. ita ut verissimum sit illud, Honores onera. Contemplatus est id Valentinianus Imperator à quo dum Salustius quidam, pro navata in ejusdem electione opera, eam gratiam poscceret, ut præfecturæ oneribus qua perfungebatur, liberaretur; *Ideone*, ait, *hanc mihi molem imposuisti, ut ne digito eam attingeres.* Zonar. tom. 3. Amal.

¶ Monosticha Trochaica.

Ars citius defuerit civem regere quam hostem vincere.
Degenerant à servitute qui dominantur femina
Disciplina est imperandi, amare quod cuique expedit.
Displicent Deis ad imperium hominem qui impium vehūt.
Ex quo se orbi dedicavit Cæsar, eripuit sibi.
Exeuntem ignavum videas de imperio, fortem trahi.
Exitiosus Sejanum sternere est quam Cæsarem
Haud semper penes eundem vis sq; honosq; est imperij,
Hoc habes plureis quoq; hostes, imperas quo latius.
Impera ventri, impera somno, impera iræ, ac luxui.
Imperantium laus posita est in quiete publica.
Imperare assentienti quam coacto tutius.
Imperare nunc honos est. quondam onus erat grave.
Imperare, pulchrares; rectè imperare, pulcrior.
Imperare vis? cruore ab innocentium abstine.
Imperare vis mundo omni? servias uni Deo?
Imperat precario omnis, tantum honesta cui licent.
Imperatorem esse, aliquid posse imperare est amplius.
Imperatorem transcursim quidpiam agere non decet.
Imperatorum labores ipse sublevat honos.
Imperatorum magè ficta quam vera est clementia.
Imperium à minus bono transfertur semper ad optimum
Imperium cliens quo gaudet omnium est firmissimum.
Imperium est levius quod vi quam quod amicitia adjungitur.
Imperium haud tenet sed illico asterit crudelitas.
Imperium iis facile retinetur, queis paratur artibus
Imperium illico omne amittit, qui transfert in alterum.
Imperium lacerant quibus jam nulla cura imposterum est.
Imperium novum inchoantis & utilis clementia est.
Imperium vis alteri dare: auferas prius tibi.
Imperij bonum instrumentum sunt, amici non mali.
Imperij vis haud diuturna est ulla quam premit metus.
Imperso felicior, Galba, es alieno quam tuo.
Imperio longo fundatam haud è facili evertas domum.
Imperio nondum acquisito cur trahis segne otium?
Imperio quisq; insolescit, sit licet vile in pecu
Imperio tantum ministrant arma Batavi ac Viros.
In possessione imperij socios quam hostes malim.
Jungitur fere privato dedecus imperij probro.
Majus imperio, imperium ipsis mancipare legibus.
Maximum imperium, imperare non sibi, verum suis.
Mutato imperio mutata conditio haud Medis tamen
Nil medium imperium ambiendi: vel ruit vel fit caput
Non ignavia: arma virumque, imperia magna continent.
Non potes dici imperator, si imperas precario.
Non potest bene imperare, qui non anteparuit.
Numquam agat. sed semper optet imperator otium.
Omnibus vis imperare rebus? impera tibi.
Pejus est cum cuncta cunctis, quam cum nil cuiquam licet.
Perdit imperium voluptas: quærit imperium labor.
Qui bonum justumque sese fert, imperat feliciter.
Qui sibi imperare nescit, quomodo alteri imperet.
Qui sibi imperat, beatum id reddit omne quod regit.
Quidnam ad Cæsarem, si Hipparcho millies sestertium est?
Quomodo alteri imperabit qui sibi non imperat?
Semet uti qui ipse nescit, serviat, non imperet.
Septimanam vix bene implet imperium Saturnium.
Serviunt pejora semper; imperat præstantius.
Si dat imperium Deus, nec abnuas, nec appetas.
Summa imperia, etiam quietem gentibus externis volunt.
Tam fœmum nil est cui non ab invalido periculum est.
Tam mala imperij est magistra, inopia quam tenacitas
Terreno imperio haud tenetur militant cui sidera.
Turpiter aliis præest, sibi imperare qui nequit.
Tutius volentibus quis, quam coactis imperat.
Vna & unica imperantis est salus, prudentia.

¶ Jambica.

Aucto imperio, privata adolescunt etiam opes.
Aut universi, aut pauci, aut unus imperant.
Cum sis bonus ipse, etiam optimis fac imperes.
Decet timeri Cæsarem; at plus diligi.
Est majus imperio coli atque diligi.
Facile exolescit imperij recens favor.
Frustra imperatur impetrari quod nequit.
Id demum est imperio uti, facere injuriam.
Ignaviam non fert Roma imperantium.
Illustre nil est, nisi sub oculis Cæsaris.
Imperium adeptus, dignum te imperio geras.
Imperium etiam ignavi odio est ignavissimis.
Imperia magna haud contineas ignavia.
Imperia magna semper abundant hostibus.
Imperia magna multis sunt sub casibus.
Imperia pretio quolibet constant bene.
Imperia sæva injustaq;, & in servum improbes.
Lætantur omnes ferme ad imperium novum,
Lingua imperes facile; animo non facile imperes.
Male audientes dicto fiunt qui imperant.
Male imperanti, bene parere quis queat.
Male imperatur, cum regit vulgus Duces.
Melius bono serves imperium, quam malo.
Nec abnuendum est, si dat imperium Deus.
Nec amorem, nec odium, imperio quisquam impere.
Nec appetendum est, si negat imperium, Deus.
Nemo arte eadem imperium, qua petit, geris.
Nil juris Imperator in divina habet.
Noli imperare quod non ipsus impleas.
Non expedit videre & audire omnia.
Non imperas, nisi imperas volentibus,
Nulli modum satietas imperij facit.
Olim imperare officium erat, hodie potentia est.
Periculosum est imperium omne prægrave
Plus quam capitale scrutari fata Cæsaris.
Quisq; imperet libentius, quam serviat.
Sane timet legem Imperator Iuliam!
Semper molestus qui imperat parentibus.
Sibi imperare, vere imperium maximum est.
Tandem exolescit imperij recens favor.
Timet timentes qui suis dure imperat.
Tutum imperium est, quod munit bene volentia.
Vbi consilium verum, ibi & imperium prosperum est.
Vbi imperant plures, ibi neme imperat.

Vbi Ire-

Vbi Imperator est, Romam esse ibi puta.
Vbi Imperator est, ibi urbs & Romula est.
Vbi imperator, Fortuna etiam illic agit.
Vbi Imperator, ibi & fortuna lautior.
Vere imperare, est imperare adfectibus.
Vera imperat, sibi uni quicunque imperat.
Violenta nemo imperia continuit diu.
Virtute, non casu, imperat mundo Quiris.
Vis imperij est in consensu parentium.
Vis nulla ladit imperij formam boni.
Vivus videnq; suum Imperium amisit Nero.

Impetrandi.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Deo impetrant, gementes corde, cuncta pauperes.
Cum gemunt è corde egentes plurimum à Deo impetrant.
Gratuito haud impetramus, impetramus quod prece.
Non dare, aſt negare oportet noxia impetrantibus.
Reſpuit vim, amatq; ſuadam proſpera interceſſio.
Tardius merito concedas, quod non adimitur datum.
Tempore ac labore quidvis impetrat trahax Amor.
Turpiter preci impudenti dent victas manus probi.

¶ JAMBICA.

Amica voto cuncta, nemo unquam impetrat.
Amore quidvis obtines; parum metu.
Dolet ac pudet rogaſſe inefficaciter.
Homines boni ſunt, dum impetrant ſibi quod volunt.
Nemo eſt facilius cui neget quis quam ſibi.

Impetus.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Bono parente natis impetus decent boni.
Impetus frenare primos arduum eſt affectibus
Impetus juxta metum eſt; mora eſt proprior conſtantiæ.
Impetus tandem quieſcit conſilio aut inertia.
Impetu ſcelus valeſcit, conſilium bonum mora.
Lævus mens adſcribit aſtris impetum cordis mali.
Multa bella evanuere per moram, valida impetu.
Principio valent, nec ultra capta inconſulti impetus.
Quæ impetu placent, relata ad manum præſtant minus.
Sæpe fortitudo fertur impetu lymphatico.

¶ JAMBICA.

Conſilia ſæpe perdit optima Impetus
Exordio acri, ſine languet impetus.
Furioſa res in tenebris impetus.
Iuvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum.
Metu redit, ſedatus eſt ut impetus.
Nunquam ipſe mentis abſq; adſenſu eſt impetus.
Parvo riget momento ut fulmen impetus.
Quibus impetus eſt, non eſt perſeverantia,
Siſte impetus, & quanta tentas, cogita.
Solo ad affectus rapimur omnes impetu.
Vincuntur ipſo ſæpe conſilia impetu.

Impietatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

Nazianzenus: Certi homines aſcenſiones in corde ſuo ponunt, non confeſſionis ſed blaſphemiæ. alius enim alio in impietatis operibus liberaliter ac profuſior eſt; perinde atq; non id metuant, ne impiis erroribus ſeſe conſtringant, ſed ne hac in re moderatiores atque humaniores ſint, quam ceteri. *Orat.* 13.

D. Nazianzenus: Solers & ingenioſa eſt ad excogitanda mala impietas; atque ad aliquid aggrediendum mirè audax. quonam autem modo hominibus parcerent, qui divinitati non pepercerant? *Oratione.* 21.

D. Nazianzenus: Perſæpe impiorum manibus ac poteſtati viri juſti deduntur; non ut illis honor habeatur, ſed ut horum virtus exploretur. Et quamquam mali in morte atrociſſima ſint, deridentur tamen in hac vita pietatis cultores, tantiſper dum Dei benignitas occultatur, ac magna earum rerum promptuaria, quæ in poſterum utriſque reconduntur, tum cum & ſermo, & actio, & cogitatio, juſta Dei trutina, expendentur: cum ſcilicet ipſe ad judicandam terram ſurrexerit, conſiliũ & opera colligẽs, atq; ea quæ apud ipſum condita & obſignata ſunt, detegens inq; medium proferens. *Orat.* 21.

¶ PHILOSOPHOR. ORATORUMQUE GRÆCORUM.

Lyſias: Ferunt Periclem aliquando admoniſſe vos, ut adverſus eos, qui in Deos impiè ſe gerunt, non iis tantum quæ ſcriptæ ſunt adverſus ipſos, verum etiam quæ ſcriptæ non ſunt, ſecundum Eumolpidarum interpretationem; quas nullius unquam auctoritas convellere potuit, quibus nullus contradicere auſus eſt, licet ipſum Legislatorem ignorent. *cap.* 3. *contra Andocidem.*

Lyſias: Ac ſevetiores, ô Athenienſes, præbere vos debetis civibus, quam peregrinis ſacra pollicentibus: quod horum quaſi alienum videatur peccatum; illorum vero domeſticum & inteſtinum. *cap.* 6. *contra Andocidem.*

Lyſias: Quare per Jovem, nequaquam oportet ſive ſeniores, ſive adoleſcentiores impietatis Andocidæ conſcios, ideo à religione alieniores eſſe, quod ipſum videant é multis evaſiſſe periculis incolumem. cogitare enim debemus, quod medium vitæ tempus feliciter ac ſine dolore tranſactum, ævo ſit calamitoſo (quale hujus fuit) licet altero tanto longiori, præferendum. *capite decimo contra Andocidem.*

Lyſias: Placet igitur referre quæ Diocles Zacori æditui filius avus noſter vobis ſuaſit deliberantibus, quomodo cum viro quodã Megarenſi ſacra violanti, agendum eſſet. Nonnullis enim ſuadentibus, ut indicta cauſa illico occideretur: Judici ſiſtendum eſſe monuit, hominum cauſa; ut qui audiſſent & vidiſſent, moderatius ſe gererent: Deorum vero cauſa, unicuique ſecum domi meditato, quas pœnas debeat luere impius, accedendum eſſe ad tribunal. *cap. ultimo Orationis in Andocidem.*

Hierocles: Ut virtutum mater eſt pietas in Deos; ſic vitiorũ omnium dux ejuſdem contemptus. *c. ſp.* 17. *Carm. Pythag.*

Libanius: Qui fieri poteſt, ut Deos non metuat, qui multas, jam expertus eſt ærumnas ob numinis contemptum. Nam qui ſæpe impiè ſe geſſit, neque ullas unquam pœnas dedit, minus à peccando ſibi caverit, impendentis delinquentibus ſupplicii à Deis illati ignorantia. *Orat. Patrocli ad Achillem.*

Libanius: Eos non admirari, quos quis honoribus dignos non exiſtimat, ignorantiæ cauſam habuerit: ſed in verecunde ſe gerere in eos quos Deorum loco celebrat, nihil ab impietate differt. *Declamatione* 14.

Libanius: Protagoræ per præconem exilium, recte & dicenter denunciaviſtis, Athenienſes; quod de Deis quæreret, an eſſent, an non eſſent. Et qui Diagoram interficeret, mercedem polliciti prudenter eſtis: ſiquidem Eleuſinia ſacra & arcanas ceremonias ludibrio habebat. *Decl.* 29.

¶ EMBLEMATIS.

Batillus. 21.

Cælum ipſum petimus ſtultitiâ
Quanam hominum facie hæc immania monſtra, draconũ
Parte ſui caudam poſteriore trahunt?
Montibus atq; alios alijs ſuperaddere montes
In cælum q; parant ædificare gradus?
Horrendas jactant q; minas & mille lacertos,
Mille & indigenas rela parata Deos?
Vulgata non eſt mendoſa licentia famæ,
Titanas q; alios nunc quoq; Terra creat.
At tu iracundos ignes, at tu ægida ſume,
Pro cæloq; iterum, Iupiter, arma cape.
Si bene non illis primum defenſa fuiſſet,
Nec bene Majeſtas nunc tua culta foret.

¶ APOPHTHEGM. SACROR.

Eliſæus Propheta: Quum reges Judæ, Iſraelis & Edomæorum aſcendiſſent ad Eliſæum, ut de eventu belli ſui adverſus Moabitas & liberatione ex præſenti anguſtia eum conſulerent, dixit Eliſæus ad regem Iſraelis, *Quid mihi tecum eſt? Abi ad Prophetas patris tui, & ad Prophetas matris tuæ.* Cui reſpondit rex Iſraelis, Ne iſta dicito, quandoquidem vocavit Jehova tres reges hos, ut tradat eos in manum Moabitarum. Tum dicit Eliſæus, *Vivit Iehova exercituum, ante quem adſto, niſi perſonam Joſaphati regis Iudæ ſuſciperem, non intuerer te, neque aſpicerem te.* 2. Reg. 3. 13.

Iehu Propheta: Revertente Joſaphato regu Jehudæ domum ſuũ, cum pace Hieroſolymis ex bello illo adverſus Syros, in quo opem tulerat impio Achabo regi Iſraelis, prodiens in conſpectum ejus Iehu filius Chanani videns, dixit ad regem Joſaphatum, An improbo auxiliari & oſores Jehovæ diligere te? at propter hæc incumbit tibi fervens ira à Jehova. Verumtamen res bonæ inventæ ſunt apud te: quod removiſti lucos è terra, & conſtituiſti animum tuum ad quærendum Deum. 2. *Chronic.* 19. 2. 3.

Eliezer Propheta: Joſaphat rex Jehuda conſociato ſibi Achazia rege Iſraelis, una fecerunt naves ad obeundum Oceanum. Quapropter prophetavit Eliezer filius Dodavæ Marechanus contra Joſophatum dicendo, *Quandoquidem conſociaſti te cum Achazia, diſrumpit Iehova opera tua.* Et confractæ ſunt naves, neque obtinuevim obeundi Oceanum. 2. *Chronic.* 20. 37.

Anonymus: Quum Amazia rex Jehuda mercede conduxiſſet ex Iſraelis centies mille valentes robore centum talentis argenti, vir Dei venit ad eum, dicendo, O rex, ne venito tecum exercitus Iſraelitarum: non enim Jehova cum Iſraelitis, neque cum ullo Ephraimitarum.

mitarum. Sed procede tu, age, confirma te ad hoc bellum: facturus eſſet Deus ut impingas coram hoſte: nam eſt vis in Deo ad auxiliandum, & ad faciendum ut impingas. Dicenti vero Amazia, quid ergo faciendum centum talentis, quæ dedi turmæ Iſraelitarum? dixit vir Dei, Eſt Jehovæ dare tibi amplius ea. Separavit itaq; eos Amazia, &c. 2 *Chronic.* 25. 6. 7. &c. Turmarii vero illi quos remiſerat Amazia ne procederent ſecum in bellum, omnino irruerunt in civitates Jehudæ, quas direptione magna diripuerunt, cæſis 3000. hominibus. Et hæc fuit merces regis Amaziæ & populi impios homines ad opem ſibi ferendam acceiſentis.

Zerubbabel, & alij: Hoſtes Judeorum ex Babylone deportatorum cum ædificare templum ſe velle fingerent, dixit eis Zerubbabel, & Iehoſua, cum reliquis primoribus paternarum familiarum Iſraelis: Non eſt veſtrum nobiſcum ædificare domum Deo noſtro: ſed nos qui una ſumus ædificabimus Jehovæ Deo Iſraelis, ſicut præcepit nobis Cyrus rex Perſidis. *Eſræ.* 4. 3. Vide etiam. *Nehem. capite* 2. *19.* 20.

Marù: Julianus apoſtata quum Maris Chalcedonis epiſcopum orthodoxum, propter viſus corporei cæcitatem irrideret, & Chriſto, ſicut ſolebat, faceret convitia, dicens, Non te Galilæus, Deus tuus, ſanabit. Maris reſpondit, At ego gratiam Deo meo habeo quod cæcus ſum: ne te, qui à pietate excideris, oculis aſpiciam. *Sozom. eccl. hiſt. lib.* 5. *c.* 4.

Anonymus: Libanius ſophiſta impius cum à pio quodam Antiochenſi ludi magiſtro ſciſcitaretur, quid rerum gereret Fabri filius (Chriſtus) interea dum Julianus apoſtata bellum Perſis inferret: hujus inquit, univerſitatis opifex Deus, quem tu per riſum Fabri filium nominas, loculum Juliano fabricat Quod eventus paulo poſt abunde comprobavit. *Theodor. eccl. hiſt. lib.* 3. *c.* 18.

Antiochenſes: Poſt interitum Juliani apoſtatæ, Maximum Philoſophum, ejus præceptorem, Antiochieni convitiis proſciderunt, illud accinentes, Ubi divinationes tuæ, ſtulte Maxime? Vicit Deus & Chriſtus ejus *Niceph. eccl. hiſt. lib.* 10. *cap.* 35

Valentinianus Imperator: Valens, à Gothis oppreſſus, auxilium petiit à Valentiniano fratre, qui reſcripſit, nefas eſſe homini bellum gerenti cum Deo opem ferre, imo ejus temeritatem merito eſſe coercendam. *Theodoret. eccl. hiſt. lib.* 4. *cap.* 28.

Avitus Epiſcopus: Aruernenſium Judeorum ſynagogas, cum ab impiis ſuis erroribus ad Chriſti fidem traduci non poſſent, in die aſſenſionis Domini, anno Tiberii Græci Imperatoris ſecundo. populuſque ſolo æquavit Paulo poſt epiſcopus Avitus, legatis ad eos miſſis, (inquit) ego vos Filium Dei confiteri non cogo: ſed tamen prædico, & ſalem ſcientiæ trado veſtris pectoribus. Paſtor enim ſum gregis Dominici. quamobrē, ſi vultis credere, ut ego, eſtote meus grex: ſin minus, diſcedite loco. Non pauci ex illis conſilio habito, baptiſmum ſuſceperunt: reliqui in Judaiſmo perſeverantes, & urbe pulſi Maſſiliam profecti ſunt. *Gregorius Turonenſis, lib.* 5. *hiſt. c.* 11.

¶ Monoſticha Trochaica.

Ad cujuslibet motum umbræ ſerio impius tremit.
Ad preces quascunque ſurdus usq; & usq; eſt impius.
Confer impietati obulum meum; contuliſti & omnia.
Difficile eſt, ſuis ut parcat, qui Deo eſt injurius.
Impius circa Deum, circa homines eſt injurius:
Impius Deo; opera eadem eſt in homines injurius.
Impius gaudere neſcit: aut timet crucem, aut habet.
Impij ſunt qui ſe fieri ſcelere quarunt nobiles.
Ladere aut Deum aut ſeipſum, ſumma ſunt duo mala.
Ne impiorum potior ſit pollentia quam innocentium.
Neminem toto orbe magni ſpretor æſtimat Dei.
Nil magis periculoſum eſt impio proſperrimo.
Quamlibet virum ferocem ſub jugum impietas dabit.
Quod libet, licet docere: impio eſſe non licet.

¶ Jambica.

Spernentibus Deum omnia adverſa accidunt.
Pietatis genus, impium eſſe pro Deo.
Suumq; lambit ſanguinem Impietas ferox.
Vllum ne telis impios Numen petit?

Importunitatis.

¶ Sententiæ Patrum

Ennodius: Acta eſt cauſa deſiderii mei beneficio querelarum meruit impudentia quod negabat urbanitas. diligentiam ſancti pectoris, quam artifex ſilentium tegebat, elicui. taciturnitatem, quæ ad fomenta ardoris mei parata fuerat, terminavi: propagando viles paginas pretium vincentis accepi. Sic uſuram cultori vexatis reddit terra ceſpitibus, & fœturam nobilem ſingularibus parturit gleba germinibus. ſic ad vocem unius hominis montium ſecreta reſpondent, & dum auguſtus clamor vincitur, valetudinem ſuam elementa manifeſtant. Eva gelicis tali facto obſecutus oraculis, fructum de præcepti ſui veritate ſortitus; cujus declarat inſtructio, quod pulſanti ſæpe ſurgat Deus, & tribuat, ſi non propter meritum, vel propter importunitatem. Faceſſat poſthac infidelium male cauta diſcuſſio: integritati ſententiæ periculis præſentibus idoneus mihi teſtis adſtipulor. Frequenti oratione optata promeruit conceſſum eſt precum aſſiduitati quod negabatur examini. *libro* 1. *Epiſt.* 3. *p.*

Ennodius: Importunum me facit aliena neceſſitas; quia debeo pro deprecante ſermonem. lex propoſiti interceſſionis refutat avaritiam. nam ad conſcientiæ meæ ſarcinam jungitur, ſi reſpuam ſupplicantem. *lib.* 6. *Ep.* 13. *pr.*

Ennodius: Natura rerum eſt, ut etiam idoneus ore vel pectore poſſit de præſumptione culpari. quia omnis verborum commoditas humilitatis terminos egreſſa calcatur & ſicut habenda ſunt quæ exiguntur in precio, ita ingeſta vileſcunt. Importunitas cum facundos opinionis nobilitate diſpoliet, dedecore veſtit indoctos. Sed hac me ratiocinatione ſuſtento; quia eſt quidem audax, ſed amabile prævium præſtitiſſe ſermonem: & ſicut vicinum temeritatis, ita proximū diligentiæ ad charitatem pertinens iter aperire. Inter Eccleſiarū homines nunquid reatus eſt, ſi pari amore contenderint diſpares dignitate? aut excedunt modici honoris anguſtiam, qui deſiderant ſuffragio gratiæ ſummatibus comparari? Non habet ſuperbi conſcientiam, qui ſe tantum in affectionis muniis non metitur. Præſumo dicere, directus ſubditorum error eſt, qui in hac re præcedentes antevenit. *lib.* 9. *Epiſt.* 30. *pr.*

Videantur plura titulo *Commendationis, Interceßionis.*

Impoſsibilitatis.

¶ Sententiæ Græcorum.

Chryſoſtomus: Si ſcis malam eſſe libidinem, cur quod malum eſt non fugis? Non poſſum inquis. Sed alii qui majora recte geſſerunt, te accuſabunt, & ex magna abundantia os tibi obturabunt. Nam tu quidem fortaſſe, etſi ſis cum uxore, non es caſtus ac temperans. Alius autem, etſi abſque uxore, ſinceram & integram conſervat caſtitatem. Quamnam habes excuſationē ſi modum non ſervas, cum alius ſepta tranſiliat? At non eſt, inquis, mea ejuſmodi corporis natura. Quid vis, non quia potes. etenim oſtendo omnes eſſe aptos ad virtutem. Nam quod non poteſt quiſpiam facere, ne urgente quidem neceſſitate facere poterit. Si autem urgēte facit neceſſitate, qui non facit, non facit præter librum arbitrium. ut exempli cauſa dico: Ut ſurſum volet & ad cœlum tollatur qui corpus habet grave, omnino fieri non poteſt. Quid ergo ſi rex juſſerit hoc facere, & mortem minatus ſit, dicens. Homines qui non volāt, jubeo excindi, & uri, aut aliquid pati ejuſm odi; obedierit ne aliquis? Nequaquam. Non enim hoc capit natura. Sin autem hoc ipſum fiat in temperantia, & juſſa ediderit, ut qui libidinatur caſtigetur, uratur, flagris cædatur, innumerabilibus tormentis afficiatur: an nō multi edicto paruerint? Non, inquit. Nam nunc quoque eſt lex, quæ jubet non mœchari nec parent omnes. non quoniam debilis eſt metus: ſed quoniam multi ſperant fore ut lateant. Quod ſi libidinem impleturis adeſſet legislator & judex, poſſet metus expellere libidinem. Nam etſi aliam hac minorem impoſuero neceſſitatem, & vinctum incluſero: poterit ferre, & nihil grave pati. Ne ergo dixeris: Iſte eſt natura bonus, ille natura malus. Nam ſi eſt natura bonus, nunquam poterit fieri malus: & ſi natura malus, nunquam fiet bonus. Nunc autem videmus celeres mutationes, & ab his in alia mutari, & ab illis in hæc tranſire. *Homilia* 2. *ad Corinthios* 1.

S. Iſidorus Peluſiota: Maxime quidem ſi quiſpiam à quodam veritati calumniam ſtruere conanti interrogaretur, omnia ne Deo poſſibilia ſint, illeque reſpondeat, ita: ac deinde ipſe inferat, ergo etiam mala, dignus erit cujus inſcitia meritò rideatur, non qui reſpondit, ſed potius qui interrogavit: Neque enim inter ea omnia, quæ Deus poteſt, mala recenſetur. Nam ubi Deus nominatur, bonum firmiter ac certò ſequitur. Nec quiſquam ſana mente præditus illud unquam in animum admiſerit, mala Deo poſſibilia eſſe: nec quiſquā imbecillitatem appellarit, mala perpetrare non poſſe. Imbecillitas enim proprie eſt, malorum perpetratio. Unde etiam Paulus, qui hæc compertiſſima habebat, peccata infirmitates appellabat, his verbis utens: Si enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt. Atque etiam Pſalmiſtæ ſermo hoc ipſum confirmat. Multiplicatæ ſunt enim, inquit, infirmitates eorum, hoc eſt, peccata. Quin ne illud quidem inferens quiſpiam ei qui Deo poſſibilia omnia eſſe ait, mentis compos eſſe cenſebitur. Quidnam tandem hoc? Nugari enim ſolent, ac dicere. Num etiam hoc in Dei poteſtate ſitum eſt, ut quod factum eſt, infectum reddatur? Nam hoc rurſus caſſum atque irritum eſt. Nihil porro caſſum & irritum in divina potentia uſurpatur Supervacaneæ itaque & ſunt & demonſtratæ ſunt eæ calumniæ, quæ adverſus hujuſmodi ſermonem intentantur. Cæterum, ut ne has rurſum excitare, atque audientium aures labefactare poſſint, ſi ex nobis quæratur, an omnia Deo poſſibilia ſint, reſpondeamus eum omnia hæc poſſe, quæ ipſius naturæ conſentanea ſunt: atque ita inutilis omnis quæſtio ſoluta erit. poteſt enim omnia: vult autem optima. *lib.* 2. *Ep.* 117.

Lucianus: Cujuſmodi vox aures noſtras pepulit ō Socrates, eminus à littoribus, & illo promōtorio? quā jucunda auditu! Quodnam eſt vocale illud animal? Muta enim ſunt ea quæ in aquis degunt. *Soc.* Marina quædam eſt avis, ō Chærephon, nomine Halcyon, multum lugens & lachrimās: de qua jam olim homines hanc fabulam commenti

menti ſunt. Ajunt Aeoli Græci filiam olim deſponſam, juvenem maritum, jugalis amicitiæ deſiderio proſequi, Ceycem Trachinium, Heoſphori Aſteris filii, pulchri patris pulchrum filium. Deinde divino quodam conſilio alitem factam, in morem avis maria circumvolitare, illum quærendo, quem per univerſam terram vagata non potuit invenire. *Char.* Eſt vero halcyon hoc quod dicis? nuſquam antea vocem hanc audivi: ſed tanquam revera peregrina in me incidit. Itaque lugubrem profecto ſonum emittit illud animal. Quantum autem ſit dicito Socrates. *Soc.* non magnum tamen à Diis honorem accipit, ob amorem quo virum eſt proſequuta. Nam quo tempore nidulatur & ovis incubat ſuis. dies quos vocant halcyonios, homines feſtivitate celebrant, media hyeme ab aliis ſerenitate differentes. Quorum hodiernus dies omnium maxime eſt unus. Nonne vides ut ſerenum eſt cœlum, placidum & tranquillum omne pelagus, ſpeculo, ut ita dicam ſimile? *Char.* Recte dicis. Omnino enim videtur hodiernus dies eſſe halcyonius: tum etiam heſternus talis erat. Sed per Deos, quomodo priſcis hominibus habenda eſt fides, ex avibus mulieres, aut ex mulieribus aves factas eſſe? Hæc enim quavis alia re videtur magis impoſſibilis.

Soc. O amice Chærephon de poſſibilibus & impoſſibilibus rebus prorſus hallucinantes judices eſſe videmur. Quippe rerum cauſas pro humana facultate expendimus, quæ illas nec noſſe, nec credere, nec cernere poteſt. Inde permulta facilium difficilima, & non arduorum ardua nobis apparent: multa quidem propter imperitiam, multa quoque propter mentis infantiam. Revera enim omnis homo infans eſt, maxime vero ſenex, quoniam omne vitæ noſtræ tempus eſt exiguum, ac fere nihil aliud quam infantia ad univerſum ævum comparatum. Quid autem ô bone, qui Deorũ ac dæmoniorum poteſtates ignorant, certi dicere poſſint? utrum quid poſſibile ſtorum ſit an impoſſibile? Vidiſti Chærephon, die ab hinc tertio, quanta tempeſtas ſævierit? quam animo repetens, horreſco. Vidiſti & fulgura illa, & tonitrua, & inuſitatos ventorum flatus? Suſpicatus fuiſſet quiſpiam totam terram corruituram. At paulo poſt mirabilis quædam cum ſerenitate oborta eſt tranquillitas, quæ in hoc uſque tempus perduravit. Utrum igitur majus atque operoſius exiſtimas, ex intolerabili procella & turbine orbi univerſo talem inducere ſerenitatem, an mulierculæ formam tranſmutatam, in avis ſpeciem traducere? Nam & noſtrates pueruli, qui ex luto aut cera formas ducere norunt, ex eadem materie in manus ſumpta ſine negotio multas ſpecierum naturas tranſformando effingunt. Cæterum Deo magna, nec cum noſtris viribus comparabili præſtantia prædito, facilia & plana ſunt iſtiuſmodi omnia. Numnam quanto totum cœlum te ipſo tibi majus videatur, dicere poſſis?

Char. Ecquis hominum, ô Socrates intelligere poſſit & explicare quippiam horum? Neque enim humana voce iſta explicari poſſint. *Soc.* Proinde hominum inter ſe comparatorum magnos quoſpiam exceſſus exiſtentes in potentijs, atque impotentijs contemplamur. Virilis enim ætas, ad pueros omnino infantes, à nativitate quinquennes, aut decennes, mirum quantum diſcrimen habeat roboris & imbecillitatis in omnibus ferme quæ ſunt in vita actionibus, tum in his, quæ per ingenioſas illas artes, tũ in his quæ corporis & animi viribus operantur. Perſpicuum enim eſt, hæc pueris, ut dixi, ne in mentem quidem venire poſſe: & adultæ ætatis viri unius magnitudinem virium, immenſam ad illa præſtantiam obtinere. Siquidem horum multa millia unus vir facile ſubigeret. Etenim pueritia in totum omnium expers eſt, ac ſub initium ipſo naturæ ductu, invalida homines conſequitur. Quando igitur homo homini, ut videtur, in tantum antecellit, quid putabimus univerſum cœlum noſtris viribus collatum appariturum ijs qui hæc contemplando aſſequuntur? Itaque multis credibile videtur, quanto mundi magnitudo Socratis aut Chærephontis ſpeciem ſuperat, tanto & ipſius potentiam, ſapientiam, & cogitationem ſimiliter à ratione noſtra differre. Quare tibi, mihique, atque aliis noſtri ordinis hominibus pleriſque multa ſunt impoſſibilia, quæ aliis facilima. Quoniam & tibia canere canendi imperitis, aut legere aut ſcribere illiteratis impoſſibilius eſt, dum neſcient, quam mulieres ex avibus, aut aves ex mulieribus fingere. Cæterum natura ipſa in favo propemodum ſine pedibus atque alis animantem aſſimulans, ſuppoſitis pedibus, & adjectis alis, pulchraque & omnigena colorum varietate exornans, ſolertem apem, divini mellis opificem abſolvit. Ex ovis autem mutis & inanimatis, multa volatilium, pedeſtrium, & aquaticorum animalium genera effingit, ad quæ divinis quibuſdam, ut ſermo eſt, magni ætheris artibus abutitur. Proinde Deorum immortalium virtutes quæ magnæ ſunt, nos qui mortales & parvi omnino ſumus, & neque magna, neque etiam parva perſpecere poſſumus, ſed in pluribus hæſitamus quæ nobis accidunt, nihil certi ſeu de halcyonibus, ſeu de luſciniis dicere quæamus. Præclaram vero hanc fabulam, qualem à patribus accepimus, talem liberis meis, ô avis lamentationum modulatrix traditurus ſum de tuis hymnis. Ac tuam cum pietatem, tum amorem erga maritum, uxoribus meis Xantippæ, & Myrtoni ſæpe celebrabo: cum alia multa, tum in primis, quem à Diis honorem conſecuta es, commemorando. Nũquid & tu Chærephon tale quid mecum facturus es? *Char.* Sic facere convenit, ô Socrates. Et quæ à te dicta ſunt, exhortatione duplici ad æquabilem converſationem viros & uxores impellunt. *Soc.* Salutata igitur halcyone tempus eſt ut è Phalarico ad urbem nos recipiamns. *Char.* Ita plane faciamus. *titulo Halcyonis ſeu de transformatione.*

¶ Latinorum.

Apulejus: Sed & præterea quid viatori de ſumma pauperie latrones auferre poſſunt? An ignoras, inepte, nudum nec à decem pälæſtritis deſpoliari poſſe? *Metamorphoſ. lib.* 1.

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Pace v. 1085.

Ουποτ' ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν
At nunquam recte efficies incedere cancrum.
Οὐδέ ποτ' ἰνδικὸν λίθον τὸν τραχὺν ἐχῖνον
Non facies unquam ut leuis ſit aſper echinus.

Plautus Aſinariæ 1. ſc. 1. v. 78.

Me defraudato. L. maximas nugas agis.
Nudo derrahere veſtimenta me jubes.
De fraudem te ego? age ſis, tu ſine pennis vola.
Tene ego defraudem, cui ipſi nihil eſt in manu,
Niſi quid tu porro uxorem defraudaveris?

¶ Monoſticha Trochaica.

Adſequi negat ſe quiſquam velle, qua adſequi nequit.
Credibile haud putamus, ipſi quod nequimus aſſequi.
De natura etiam triumphat eſuries pecuniæ.
Magna cum horres, poſſe fieri quæ haud putes, metuis tamẽ.
Perfici quæ non putaris poſſe, tempus expedit.
Quæ fieri minime queunt, ea facere cupiunt Principes
Quod negat natura nemo perficit feliciter.
Quod negat quis aſſequi ipſe, factum ab altero haud putat.

¶ Jambica.

Deo poteſt fieri, fieri quod non poteſt.
Etiam volunt naturam vincere principes.
Impoſſibile nil eſt, niſi quod non vult, Deo.
Nemo appetit quæ non queunt contingere.
Nil non poteſt audacia ac prudentia.
Quæ poſſe fieri non putes, metuas tamen.
Quod quis nequit facere, poſſe id fieri negat.
Sorbere nemo ac flare quit ſimul.

Impoſturæ.

¶ Sententiæ Græcor.

D. *Nazianzenus*: Facile impoſturam facit quidquid delectat, ac prompte alicui perſuadeas, quod etiam cupit. *Oratione 4. ſteliteutica altera.*

Chryſoſtomus: Varia multiplex & confuſa quædam res eſt impoſtura. veritas autem una. *Homil. 3. ad Roman.*

Chryſoſtomus: Cum alii qui impoſturam faciunt, largiri atque aſſentari ſoleant, iſti contra fallunt & accipiunt, contumeliamque inferunt. *Homil. 24. ad Corinthios 2.*

Xenophon: Ego vero non hanc ob cauſſam me effero, inquit. Propter quam igitur? profecto propter homines ſtultos, ait. Nam illi propterea, quod ſpectent imagunculas meas, quæ fidiculis tentæ moventur, me alunt. Nuper etiam, ſubjecit Philippus, idà diis precarite audiebam, ut ubicunque eſſes, ibi fructuum quidem magnã copiam largirentur, ſapientiæ vero ſterilitatem. *cap. 21. Conviv.*

Lucianus: Tu quidem chariſſime Celſe, levem forte quandam ac facilem provinciam mandare putas, quum injungis ut Alexandri Abonotichitæ impoſtoris vitam, & commenta, facinora, præſtigiaſque libro complexus tibi mittam. Verum ſi quis accurate ſingula perſequi velit, hoc non minoris eſt negocii, quam Alexandri Philippi filii res geſtas conſcribere: tantus fuit ille ſcelere, quantus hic virtute. Attamen ſi cum venia lecturus ſis, & quod deerit narrationi, ſuppleturus, hunc laborem ſubibo. Et Augiæ bubile, ſi non omne, ſaltem pro mea virili repurgare nitar, paucis ailquot elatis cophinis, ex quibus conjicias, quantus quamque immenſus fuerit fimus univerſus, quem ter mille boves multis annis reddere potuerunt. Sed interim tibi, mihique ipſi à vituperio metuo. Tibi quidem qui velis memoriæ literiſq; mandari virum longe ſceleratiſſimum. mihi vero qui operam collocem, in ſcribenda hujuſmodi hiſtoria, rebuſque geſtis hominis, quem à viris eruditis legi non deceret, ſed in frequentiſſimo, ampliſſimoque theatro ſpectari à ſimiis, aut vulpibus diſcerptum. Quanquam ſi quis hoc crimen nobis impegerit poterimus ipſi exemplum ſimile producere. Etenim Arrianus ille Epicteti diſcipulus, vir inter Romanorum primarios habitus, & per omnem vitam in literarum ſtudio verſatus, cum ſimile quid fecerit, pro nobis reſponderit. Nam is quidem Tillibori latronis vitam deſcribere non cenſuit indignum.

Nos vero latronis longe crudelioris mentionem faciemus, quippe qui non in ſylvis & montibus, ſed in urbibus ipſis eſt latrocinatus: nec Minyã tantũ & Idam pergraſſatus, neque paucas quaſdam Aſiæ, eaſq; deſertiores partes depopulatus, ſed univerſam, ut ita dicam, Romanorũ ditionem ſuo latrocinio cõplevit. Primum autẽ hominẽ tibi verbis depingã, formã ejus quam proxime repræſentans: etſi non ſim pingendi admodum peritus. Corpore igitur, ut tibi etiam hoc indicem, procerus erat, & aſpectu decorus, plane divina

ſpecie

ſpecie, cándido, barbá non admodum hirſuta, coma tectus partim nativa, partim appoſititia, ſcite admodum effícta, quam aſcititiam eſſe vulgus ignorabat. Oculi adverſatiles illi divina quadam acie refulgebant: vox ſuaviſſima erat, pariterq; clariſſima. In ſumma quoad iſta, nulla ex parte poterat improbari. Hæc quidem illius forma erat. Cæterum mens atq; animus, ô malorum depulſor Hercules, & averſor hoſtium Jupiter, ſervatoreſq; Dioſcuri: in hoſtes potius contingat incidere, quam cum ejuſmodi quopiam habere cõmercium. Siquidem ingenio, ſolertia, jacumine longe præſtabat cæteris. Tum curioſitas, docilitas, memoria, & ad diſciplinas ingenii fœlicitas, horum unum quodq; ſupra quam dici poſſit, illi ſuppetebat: quibus tamen peſſimam in partem eſt uſus. Et egregiis hiſce inſtrumentis inſtructus, ilico omnium qui ſceleribus eſſent nobilitati, facile ſummus evaſit, ſuperior Cercopibus, ſuperior Eurybato, vel Phrynonda, vel Ariſtodemo, vel Soſtrato. Qui cum Rutilliano genero aliquando ſcriberet, ac de ſe modeſtiſſime loqueretur, Pythagoræ ſemet aſſimilabat.

At vero ſit mihi propitius Pythagoras, vir ſapiens, & mente divina: ſed ſi ætate hujus vixiſſet, puer, ſat ſcio, præ hoc fuiſſet. Sed heus tu per Gratias, cave putes hæc in Pythagoræ contumeliam me dicere, quaſi velim eos ſimilitudine rerum geſtarum committere. Verum ſi quis deterrima quæq; & probroſiſſima, quæ de Pythagora per calumniam feruntur (quibus equidem haudquaquam fidē perinde ut veris habuerim) ſiquis tamen conferat in unum, ea omnia non fuerint Alexandrinæ verſutiæ pars minima. Prorſum enim imaginare mihi, & cogitatione finge, quam maxime variam ingenii temperaturam, ex mendacio, dolis, perjuriis maleficiis compoſitam promptam, audacem, præcipitem, efficiendis ea quæ excogitaſſet, ignavam, appoſitam ad perſuadendum, fide dignam, ad ſimulandū optima quæq; aptam, & conſilio contraria præ ſe ferentem. Nemo igitur cum illo primum congreſſus, non diſceſſit quin hanc opinionem de illo ſuſceperit, ut eum mortalium omnium optimū, æquiſſimumq;, præterea ſimpliciſſimum, minimeq; fallacem judicaret. Accedebat ad hæc omnia grandium rerum conatus, cum nihil pusillum cogitaret, ſed ad maxima ſemper animum appelleret. Itaq; cum eſſet adhuc adoleſcens, venuſtus admodum, ut licebat ex ſtipula conjicere, & ex iis audire qui narrabant, promiſcuè ſcortabatur, & rogantibus ſui copiam mercede faciebat.

Inter alios autem, accipit ipſum amans quidam præſtigiator, ex iis qui magias & miras incantationes profitentur, tum artes ad conciliandam in amoribus gratiam, ad immittenda in inimicos mala, ad eruendos theſauros, ad hæreditates ſuſcipiendas. His cum eximiæ indolis puerum conſpexiſſet, & ad miniſtrandum ſuis actionibus propenſiſſimum: ut pote qui non minus illius amaret maleficium, quam ipſe hujus formam: erudivit eum, ſemper deinceps adjutore & miniſtro eſt uſus. Atq; is apud populum medicinam profitebatur: & norat quemadmodum Thonis Ægytii conjux Pharmaca mixta, ſalubria multa, & noxia multa. Quorum omnium hæres hic & ſucceſſor fuit. Porro doctor ille & amator, natione Tyaneus erat, ex iis qui cum illo Apollonio Tyaneo verſati erant, totamque illius tragœdiam pernoverant. Vides quanam è ſchola tibi hominem refero? Verum ubi jam barba plenus eſſet Alexander Tyaneo illo ita defuncto, ad egeſtatem redactus, cum oris gratia defloruiſſet, unde victum parare poterat, nihil poſtea parvum agitabat animo. Sed inito commercio cum Byzantino quodam annalium ſcriptore, omnium qui in certamina deſcendunt, ingenii longè ſceleratiſſimi: Cocconas autem cognominabatur ut puto: circumibant impoſturis ludificantes, ac pingues homines (ſic enim illi peculiari magorum lingua vulgus appellant) detondentes. Inter hæc, Macetin mulierem opulentam nacti ſunt, exoleta jam forma: ſed quæ etiamdum amabilis haberi ſtuderet.

Ab hac victus copia ſuppeditabatur, quam ex Bithynia in Macedoniam uſque ſunt ſequuti. Pellæa autem erat illa, qui locus olim floruit ſub Macedonicis regibus: nunc à paucis, iiſq; humilibus incolitur. Ibi cum immani magnitudine dracones conſpicerent, cicutes ac manſuetos, adeo ut à mulieribus alerentur, & cum pueris cubarent, & ſe conculcari ſuſtinerent, neq; ſe premi indigne ferrent, denique infantum more lac è papilla ſugerent (quales apud illos ſunt permulti, unde veriſimile eſt olim illam de Olympiade fabulam increbuiſſe, quando concumbente cum illa hujuſmodi putò quopiam dracone, Alexandrum conceperat, unum ex his ſerpentibus, qui eſſet pulcherrimus, paucis obolis emunt. Atque ut Thucydidis utar verbis, hinc jam bellum oritur. Nimirum cum duo facinoroſiſſimi, magnaq; audentes, neque non ad maleficia promptiſſimi, ſocietatem iniviſſent, facile perpenderunt hęc duo potiſſimum in hominum vita tyrannidem obtinere Spem, atq; Metum, quorum utroque ſiquis commode uteretur, fore ut illico diteſceret. Nam utrique, Metuenti ſcilicet, & Speranti, maxime neceſſariam atque optatiſſimam eſſe præſcientiam videbant: atq; hac via Delphos olim ditatos, factoſq; celebres: præterea Delum, Clarum, & Branchidas: nimirum hominibus per hos quos dixi tyrannos Spem, ac Metum, ad tempus confluentibus, ac futura prædiſcere cupientibus, ideoq; hecatombas immolantibus. aureoſq; lateres dedicantibus.

His inter ſe verſatis, atque ultro citroque agitatis, oraculum, & cortinam conſtituere ſtatuerunt. Etenim ſi res ea proceſſiſſet, ſperabant ſe protinus divites ac fœlices fore. Quod quidem negotium primam ipſorum expectationem longe ſuperavit, & ſpe melius evenit.

Hinc deſpicere cœperunt, primum quem locum deligerent, deinde qua ratione cœptum auſpicarentur. Cocconas igitur Chalcedonem idoneam eſſe cenſebat, ut pote regionem mercatoribus frequentem, Thraciæ, Bithyniæq; confinem, neque ab Aſia, Galatiaq; longe diſſitam, cunctis item imminentibus populis. At è diverſo patriam ſuam præferebat Alexander: dicens quod res erat: ad res hujuſmodi incipiendas opus eſſe pinguibus & ſtolidis hominibus qui admittant, cujuſmodi Paphlagones affirmabat eſſe hos qui ſupra murum Aboni habitant, nempe ſuperſtitioſos pleroſq; & ſtolidos: qui ſiquis tantum apparuerit, tibicinem, aut tympāniſtam, aut cymbala pulſantem adducens, cribro, quod ajunt, vaticinans, ilico vehemēter in illum omnes inhient, & perinde ut cœlitum quempiā intueantur. Qua de re cum nonnihil inter eos controverſiæ fuiſſet, tandem vicit Alexander. Igitur cum chalcedonem veniſſent (nam id oppidum viſum eſt hac parte nonnihil illis conducibile habere) in Apollinis templo, quod eſt apud Chalcidonios antiquiſſimum, tabellas æreas defodiunt, quæ dicerent, brevi admodum Æſculapium una cum patre Apolline in Pontum adventurum, abq; Aboni murum inhabitaturum. Eæ tabellæ cum eſſent de induſtria repertæ, facile effecerunt ut hi rumor in omnem Bithyniam, & Pontum dimanaret: multo autem ante alios in Aboni murum. Nam illi ſtatuerunt protinus templum erigere: jamque locum fundamentis effodiebant. Relictus hic in Chalcedone Cocconas, ancipitia quædam atque ambigua, obliquaq; conſcribit reſponſa. Deinde poſt, vipeperæ, ut opinor, morſu necatur.

Accerſitur in hujus locum Alexander jam comatus, cæſarie promiſſa, purpuream tunicam albo diſtinctam indutus, ſupra eam candida veſte amictus: falcem tenens more Perſei, à quo ſe maternum genus ducere prædicabat. At perditiſſimi illi Paphlagones, quanquam ambos illius parentes norant obſcuros atque humiles, credebant oraculo ita canenti:

Perſides genere, gratus Phœbo iſte videtur:
Divus Alexander Podalirii ſanguine cretus.

Hic nimirum Podalirius libidinoſus erat, ac natura mulieroſus, adeo ut à Tricca ad Paphlagoniam uſq; in Alexandri matrem ſit incitatus. Repertum eſt aliud oraculum quaſi Sibyllæ prædivinantis.

Ad marū Euxini littus, juxtaq; Sinopam,
Tyrſide erit quidam Auſonia de gente ſacerdos:
Qui prima ex monade, ac decade ex triplici reſerabit,
Quinque alias monades, vicenaq; ter repetita,
Quadrorbem numerum, referentem nomina divi,
Qui veniet laturus opem mortalibus agris.

Alexander itaque multo poſt in patriam cum hujuſmodi tragœdia ingreſſus, conſpicuus erat ac ſplendidus, cum ſeſe nonnunquam afflatum numine ſimularet, ore ſpuma pleno. Id quod ille lanarię herbæ ad tingendum aptæ radice commanducata facile efficiebat. Cæterum illis divinum quiddam ac formidandum ſpuma illa videbatur. At multo antea ſibi finxerant, paraverantq; à linteis confectum draconis caput, ſpeciem humanam præ ſe ferens, lineis notatum, planeq; expreſſum, quod pilis equinis os aperiret, & clauderet. Tū lingua, ſicut eſt draconum, biſulta atra prominebat, quæ & ipſa trahebatur à pilis. Porro Pelleus ille draco jampridem erat in promptu, domiq; alebatur, ab illis cum res poſtularet, oſtendendus, unaque partem tragœdiæ acturus, vel princeps potius hujus fabulæ futurus.

Jam vero cum eſſet incipiēdum, tale quiddam machinatur. Cum noctu veniſſet ad recens effoſſa templi fundamenta, in quibus conſtiterat aqua, ſive quod indidem aliunde confluxerat, ſive quod ex æthere deciderat? Illic anſerinum ovum prius excavatum deponit, quod ſerpentem recens editum occultabat. Id cum alte demerſiſſet in abditis luti cavernas, rurſum illinc diſceſſit. Mane vero cum nudus in forum proſiliiſſet niſi quod ſubligari, eoq; inaurato circum pudenda tectus erat, cumq; falcem illam ferret, ſolutamq; comam ſimul quateret eorum more qui à Cybele Deorum matre afflati cõveniunt, cõſcenſa ſublimi ara concionabatur, eamq; civitatem beatam prædicabat, quæ mox Deum propalam eſſet oſtenſura. Porro qui aderant (nam concurrerat univerſa prope civitas una cum mulieribus, ſenibus, pueris) admirabantur, vota faciebant, & adorabant. At ille voces ignotas ſonans, quales ſunt Hebræorū aut Phœnicum, attonitos eos reddebat, ut qui non intelligerent quid diceret: niſi ſolum hoc, quod Apollinem & Æſculapium paſſim admiſcebat.

Deinde ad deſignatum templum curſu contendebat, accedenſq; ad foſſam, illumq; fontem oraculo præſtructum, ingreſſus aquam, magna voce canebat laudes Apollinis & Æſculapii, invitabatque Deum ut bonis avibus in urbem veniret. Poſtea cum poſtulatam phialam quiſpiam dediſſet, eaq; facile immerſiſſet, una cum aqua lutoq; haurit & ovum illud, in quo nimirum ille Deum concluſerat, cujus operculi commiſſura cera alba & ceruſſa erat ferruminata. Id cum manu cœpiſſet, affirmabat ſeſe jam tenere Æſculapium. Interim illi intentis oculis aſpiciebant quid accideret, multo prius admirati ovum in aqua repertum. Poſtquam autem eo fracto, ſerpentis illius fœtum in cavam manum recepit, quiq; aderant movētem ſeſe eum conſpexerunt, ac digitis circumvolventem, exclamare cœperunt, & ſalutare Deum, & civitatem beatam prædicare. Tum votis affatim quiſq; implebatur, theſauros, opes, ſanitatem, aliaq; id genus bona flagitando.

Hic ille rurſus curſim ſeſe domum abripuit, una ſecum aſportans modo editum in lucem Æſculapium, bis natum, cum ſemel alii naſcantur homines, idq; non ex Coronide per Jovem, hoc eſt, non ex cornice, ſed ex anſere progenitum. Populus autem univerſus ſequebatur,

batur, omnes à Deo afflati, & ob ſpes animo conceptas furore correpti. Ergo interdiu domi ſe continebat, ſperans fore, id quod & evenit, ut fama permoti, Paphlagonum pars maxima ſtatim concurreret. Poſteaquam autem redundavit hominibus, quibus omnibus jam ante cerebrum, & cor eſſet exemptum, quiq; nulla ex parte ſimiles eſſent viris pane victitantibus, verum qui præter ſolam figuram nihil à pecudibus diſtarent: in quibuſdam ædiculis, in lecto ſedens eo cum ornatu qui vatem mire deceret: accipit in ſinum Pellæum, illum Æſculapiũ, qui ut dixi, maximus erat & pulcherrimus. Quem cum ſuo collo totum circumvolviſſet, caudam foras prominere ſinens (erat a. ingens adeo, ut non ſolum in ſinu ipſius effunderetur) ſolum caput ſub ala abditum tenens, illo ferente omnia, caput illud draconis ex linteo confectum, altera ex parte tunicæ oſtendebat, ac ſi illius, qui apparebat, omnino eſſet.

Jam mihi cogita non admodum illuſtres ædiculas, neq; luminis ad ſatietatem uſq; capaces, tum hominum cõvenarum turbam, qui tumultuentur jam ante ſpebus referti & erecti: quibus ingreſſis viſa res eſt, ut par erat, portentoſa, videlicet ex modo puſillo ſerpente, intra paucos dies tam immanem extitiſſe draconem, humana ſpecie, & inſuper manſuetum. Protinus autem ad egreſſum accelerabantur, & priuſquam accurate eſſent contemplati, expellebantur ab iis qui novi ſemper ingrediebantur. Eratq; è regione januæ patefactum aliud oſtium ad exeundum: cujuſmodi ægrotante Alexandro Macedones in Babylone feciſſe ferunt: cum illi graviſſime affectũ ipſum, obſeſſa regia intueri, & ſupremum alloqui cuperent. Atq; hoc ſpectaculi ſceleſtus hic non ſemel, verum crebrius exhibuiſſe dicitur. maxime ſi qui divites novitii adveniſſent.

Hoc loco, mi Celſe, ſi verum fateri oportet, æquum eſt veniam dare Paphlagonibus ac Ponticis illis, craſſis & ineruditis hominibus, ſi draconem tangentes deluſi ſunt. Nam hoc quoq; largiebatur Alexander iis qui voluiſſent: cum viderent in obſcura luce caput nimirum illius nunc aperire, nunc claudere os tanto artificio, ut res plane Democritum aliquem requireret, aut certe Epicurum, Metrodorum ve, aut quempiam alium, qui adverſus hæc & ſimilia mentem haberet adamantinam, ut non crederet, ſed quid res eſſet, conjiceret: quanquam modum invenire non poſſet: idque ſaltem ante perſuaſum haberet, ſe modũ ignorare præſtigiaturæ: cæterum quicquid id eſſet falſum eſſe, ac fieri non poſſe. Brevi ergo confluxit tum Bithynia, tum Galatia, & Thracia, eorum qui renunciabant unoquoque, ut fit, affirmante ſeſe naſcentem vidiſſe Deum, deinde paulo poſt eundem contrectaſſe factum jam grandem admodum, vultu etiam homini aſſimilem. Accedebant ad hæc picturæ, imagines, ſigna Deum referentia, partim ærea, partim argentea. Poſtremo nomen etiam inditum: nam Glycon appellatus eſt: idq; juſſu divino carmine prodito. Nam ſic eloquutus eſt Alexander.

Ex Iove vetertia ſtirps, Glycoſum, ille ſalutifer orbi.

Et cum jam ferret opportunitas, ut cujus rei gratia erat omnia machinatus, ſcilicet reſponſa daret petentibus, divinaretq; accepta anſa ab Antilocho qui in Cilicia vatem egerat: nam is quoq; poſt patris Amphiarai obitum, & ipſius apud Thebanos interitum, domo pulſus, atq; in Ciliciam profectus, haud incommode rem geſſit, cum futura prædicens Cilicibus, binos obolos pro ſingulis reſponſis acciperet. Inde igitur arrepta anſa prædicit Alexander omnibus qui advenerant, fore ut Deus ipſe reſponſa daret, cujus rei diem certum indicit. Juſſit autem ut quiſque quod requireret, & maxime diſcere vellet, id in libello conſcriberet, quem conſutum, cera vel luto, vel ſimili re quapiam obſignaret. Ipſe vero receptis libellis in adytum ingreſſus (jam enim extructum erat templum, & apparata cortina) ordine per præconem ac Theologum, vocaturus erat eos qui tradidiſſent: cumq; à Deo ſingula eſſet edoctus, libellos redditurus, ita ut traditi fuerant, obſignatos, ſubſcripto illis reſponſo, pro cujuſq; argumento, Deo nimirum reſpondente, quacunque de re quis eſſet ſciſcitatus.

Erat autem hic dolus homini, cujuſmodi ſum ego, manifeſtarius & cognitu facilis. Verum idiotis, & quibus obſitæ muco eſſent nares, prodigioſum, planeq; incredibile quiddam eſſe videbatur. Nam ille varias artes reſignandi ſigilla commentus, quæ quiſq; ſciſcitabatur, ea legebat: tum quæ viderentur, ad interrogata reſpondebat. Deinde rurſum complicatos, obſignatoſque libros reddebat, non ſine ſumma admiratione eorum qui recipiebant. Hinc illud apud eos frequens erat: Unde nam iſte ſcire potuiſſet, quæ ego illi tradidi, ſignis imitatu difficilibus obſignata tuto admodum, niſi quiſpiam eſſet Deus qui omnia revera noſſet?

Forſitan igitur quæres ex me quænam ſint artes iſtæ. Accipe, quo videlicet impoſturas ejuſmodi deprehendere queas. Prima hæc erat. Celſe chariſſime. Jam ceræ partem quæ ſigillo ſubeſt acu candefacta liquefactam diducebat: tum ubi legiſſet, ceram acu rurſum calefactam, eam quæ infra filo ſuberat, quæq; ſigillum ipſum tenebat, facile coagmentabat. Porro ſecundus modus conſtat per id, quod collyrium vocant. Conficitur ex pice Berytria, bitumine, & perſpicuo lapide trito, cera, & maſtiche. Confectum igitur ex his omnib. collyrium igni calfactum, inuncto prius exungia ſuilla ſigno, applicabat, ac ſimboli figuram excipiebat. Tum eo protinus exſiccato, commode reſignabat libellos, quos cum perlegiſſet, impoſita cera, idem ſigillum ad archetypi ſimilitudinem ſcite effictum, tanquam ex lapide reformabat. Tertiam aliam rationem præter hanc accipe. Calce in gluten quo libros agglutinant injecta, atque ex his veluti cera confecta, mollem adhuc eam ſigillo admovebat, ſtatimque detrahebat. Nam illico ſicceſcit, adeo ut cornu, vel potius ferro reddatur ſolidius. Hac ad imprimendum ſignum uti conſueverat.

Alia præterea multa ad id illi ſunt excogitata, quorum omnium meminiſſe non neceſſe eſt, ne ineptus videar, maxime cum in his quos de magorum artibus conſcripſiſti commentariis tum pulcherrimis, tum utiliſſimis, quiq; modeſtos reddere queant lectores, abunde multa retuleris, & his multo copioſiora. Reddebat igitur oracula & divinabat nõ mediocri ad eam rem utens ingenio, arteq; negocium reddens probabilius: dum aliis obliqua quædam & ambigua, aliis penitus obſcura reſpondebat ad ea quæ proponebantur. Quandoquidem & hoc oraculis ille cõvenire judicabat. Alios dehortabatur, prout ſibi magis conducere conjectaſſet. Nonnullis remedia morborum vitæq; rationes præſcribebat, cum ſciret, ut initio diximus, complura atq; efficacia pharmaca. Maxime autem ab ipſo probabantur Cytmides, remedii contrà laſſitudiné, adipe ſuillo confecti, confictum nomen. Porro ſpes, rerumq; profectus, & hæreditatum obventus ſemper in aliud tempus rejiciebat hoc addens, Cuncta hæc tum obtingent quum volam, quumq; meus vates Alexander me rogabit, proq; vobis vota faciet. Merces erat unicuiq; reſpõſo præſtitura, nempe drachma cum obolis duobus. Ne vero puſillũ & exiguum fuiſſe putes amice, hunc quæſtum, cum in annos ſingulos ſeptem aut octoginta millia congereret, hominibus uſq; adeo avidis ut ſinguli decem, vel quindecim rogationes traderent.

Cæterum iis quæ accipiebat, non utebatur, ſolus, nec ad congerendas in theſaurum opes reponebat: ſed multos ſecum habebat adjutores, miniſtros, exploratores, tum qui verſibus oracula conderent tum qui reſponſa ſervarent, qui ſubſcriberent, qui obſignarent, qui interpretarentur, quorum unicuiq; pro merito lucrum impartiebat. Jam & emiſſarios aliquos in regiones alienas emandarat, qui oraculi famam in gentes inferrẽt, affirmarentq; ipſum prædicere, invenire fugitivos, fures ac prædones indicare, theſauros effodiendos oſtendere, ægrotos curare, quoſdam etiam vita defunctos in vitam revocare. Undiquaq; igitur cum conflictatione concurrebatur: victimæ, donaria, duplicatæ veſtes prophetæ diſcipuloq; Dei offerebantur. Jam enim & tale quoddam oraculum exierat,

Muneribus decorare meum vatem, atq; miniſtrum,
Præcipio: nec opum mihi cura, at maxima vatis.

Verum ubi jam pleriq; prudentes homines, velut ex alta ebrietate emergentes in ipſum conſpiraſſent, maxime Epicuri ſectatores: & in urbibus omnis præſtigiatura, fictuſq; fabulæ apparatus deprehenderetur, quendam ipſis terrorem incutit, dicens, impiis, & Chriſtianis impleri Pontum: à quibus audacter maledictis peſſimis impeteretur. Quos juſſit lapidibus expellerent: ſi Deum habere propitium vellent. Porro de Epicuro, hujuſmodi prodidit oraculum. Sciſcitanti cuipiam quid ageret apud inferos Epicurus: plumbeis, inquit compedibus vinctus, in cœno ſedet.

Et adhuc miraris ſi magnopere crevit oraculi celebritas, cum videas interrogationes adeuntium, quam ſunt prudentes, quamq; eruditæ? Omnino autem ſævum & implacabile cum Epicuro illi erat bellum, idque jure optimo. Nam cum quo tandem juſtius bellum gerat, homo præſtigiator, portentorum amans, verique inimiciſſimus, quam cum Epicuro qui rerum naturam perſpexit, quiq; ſolus quid iis veri inſit, apprime novit? Verum Platonis Chryſippi, & Pythagoræ amicus erat, altamq; cum illis pacem colebat. At intractabilis ille Epicurus (ſic enim eum nominabat) erat illi plurimum inviſus, nec immerito, quippe qui hæc omnia ridicula & ludicra duceret. Quam ob cauſam inter urbes Ponticas Amaſtrim in primis oderat: quoniam ſciebat eos qui cum Lepido erant, alioſq; his conſimiles, complures in urbe verſari. Nec unquam Amaſtriano cuiquam oraculũ reddidit quin ubi cõaretur fratri Proconſulis reſpondere, deridiculè diſceſſit, cum nec ipſe inveniret quemadmodum idoneum oraculum fingeret, nec haberet qui ſibi in tempore poſſet componere. Nam cum illi de ſtomachi dolore conquerenti, vellet præſcribere, uti ſuillum pedem cum malua præparatum ederet, hunc in modum ait.

Maluacaporcorum ſacra cum inato Sipydno.

Sæpe, quidem ut dixi, oſtendit draconem iis qui vellent, non totum, ſed caudam potiſſimum, & reliquum corpus. prætendens, caput ne videretur abditum in ſinu ſervabat. Cumq; magis attonitam vellet reddere multitudinem pollicitus eſt ſeſe exhibiturum ipſum Deum loquentem, ac ſine interprete reſponſa dantem. Deinde non magno negotio gruum arteriis contextis, & per illud arte aſſimilatum caput inſertis, alio quopiam per has foris inſonante, ad interrogata reſpondebat, voce per Æſculapium illum linteo confectum ad aures promanante: quæ reſponſa ipſius voce reddita vocabantur: neque quibuslibet, neq; paſſim dabantur: verum ſplendidis, opulentis, ac municis. Itaq; quod Severiano redditum eſt, ſuper expeditione in Armeniam ſuſcipienda, erat ex Autophonis. Adhortans enim illum ad regionis illius invaſionem, ſic ait,

Parthis, Armeni ſq; citato Marte ſubactis,
Romam urbem repetes, & claras Tybridis undas.
Vertice ſerta gerens radiis diſtincta ſerenis.

Deinde poſteaquam vecors ille Gallus, incurſione facta, cum exercitu ab Othryade furiſet exſus, hoc oraculum ſuſtulit à monumentis, aliudq; ejus in locum ſubſtituit hujuſmodi.

Agmen in Armenios ne duc: neq; enim expedit iſtud.
Ne tibi fœmineis vir amictus veſtibus, arcu
Exitium immittat, vitaq; ac lumine privet,

Siquidem & hoc callidiſſime cõmentus fuerat, ut priora oracula quę

perperam

perperam, maleq; eveniſſent, poſterioribus emendaret. Sæpius enim ægrotis priuſquam morerentur prædixerat fore ut convaleſcerent: quibus morientibus alterum oraculum ilico paratum erat, quod ſuperiori diverſa caneret.

Poſt hac deſine opem lethali quærere morbo.
Mors etenim manifeſta, nec evitare licebit.

Porro cum non ignoraret, qui in Claro, ac Didymis, Malloque reſponſa dabant, ipſos quoq; hujuſmodi quadam arte divinandi celebres haberi, eos ſibi reddebat amicos miſſis ad eos pleriſque conſultoribus, his verbis.

Nunc Claron ito mei vocem patris auditurus.

Et rurſus,

Branchidica accedas adyta, atq; oracula quæras.

Et iterum,

Mallon abi, Amphilochi quærens oracula vatis.

Et hactenus quidem de iis quæ intra patriæ fines uſque ad Joniam, Ciliciam, Paphlagoniam, Galatiamq; deſignavit. Ut vero & Italiam oraculi fama pervaſit, & ad ipſam Romanorum urbem pervenit, nemo non eo certatim properabat: alii ibant ipſi, alii mittebant, potiſſimum hi qui potentia, & authoritate plurimum in Repub. pollebant: quorum princeps caputq; fuit Rutillianus, vir alias quidem honeſtus ac probus, tum compluribus in præliis Romanorum ſpectatæ virtutis: ſed qui in his quæ ad Deos pertinent, parum ſane ſaperet, & de iis abſurda crederet: adeo ut ſicubi lapidem vel inunctum vel coronatum conſpexiſſet, continuo procideret, atq; adoraret, ac diutius advolutus vota faceret, bonaq; ab illo peteret.

Hic igitur audita oraculi fama, parum abfuit, quin relicto exercitu, quem tenebat, in Aboni murum avolarit. Alios autem poſt alios eo legabat. Porro qui mittebantur, imperiti quidam famuli facile decepti, domum redibant, alia quidem viſa, alia vero tanquam viſa & audita narrantes, atq; his plura accumulantes, quo fierent domino commendatiores. Itaq; ſenem infelicem inflammabant, & in vehementem inſaniam impellebant. Hic vero, ut qui plurimis, ac potentiſſimis erat amicus, eos adibat narrans cum ea quæ à ſe miſſis acceperat, tum ea quæ ex ſeſe effinxerat. Quare urbem hic implevit & & concitavit: & pleroſq; ex aulicis expavefecit: qui de ſuis etiam rebus aliquid audire compulſi ſunt. Porro Alexander advenientes comiter excipiebat, ac xeniis, aliiſq; magnificis donatos muneribus, ad eum remittebat: hoc agens uti non ſolum renuntiarent oracula, verum etiam Dei laudes canerent, ac portentoſa quædam de oraculo, deq; ipſo mentirentur. Excogitat etiam ter ſceleſtus ille quiddam neutiquam inſcitum, & ingenioſius quam ut vulgari latroni conveniat. Etenim reſignatis ac perlectis libellis, ſi quid inveniſſet quod cum interrogantis diſcrimine ac periculo conjunctum videretur, apud ſe detinebat, neq; remittebat, quo videlicet ſibi māciparet, ac ſolum non ſervos redderet ob metum eos qui miſerant, quum illis in mentem veniret, quibus de reb. conſuluiſſent. Intelligebat autē ut veriſimile eſt, eos qui opibus ac potentia præcellerent, ejuſmodi rogationes proponere. Ab his munera quam plurima ferebat, quippe qui non ignorarent ſeſe intra caſſes ejus teneri. Libet autem aliquot ex his reſponſis cōmemorare, quæ Rutilliano reddidit. Huic ſciſcitanti de filio, ex uxore priore ſuſcepto, jam ad diſciplinas maturo, quem præceptorem in literis illi inſtituendo adhiberet, reſpondit,

Pythagoram, egregieq; canentem prælia vatem.

Deinde paucis poſt diebus extincto puero, ipſe quidem hærebat, nec habebat, quod incuſantibus reſponderet oraculo videlicet ita re præſenti confutato. At Rutillianus optimus ultro occupans, defendebat oraculum affirmans Deum portendiſſe hoc ipſum, cum juſſiſſet neminem è vivis adoleſcentulo deligi præceptorem, ſed Pythagoram potius, atq; Homerum jam olim defunctos, quibuſcum credibile eſſet eum jam verſari. Quid igitur Alexandro vitio vertere cōvenit, ſi cum homunculis hujuſmodi verſari optavit? Rurſus eidem percontanti cujus tandem animam eſſet ſortitus, ait,

Principio fueras Pelides, deinde Menander.
Deinde is qui nunc es, poſt fax phœbea futurus.
Octoginta annum, & centum produxeris annos.

At hic ſeptuagenarius ex inſania interiit, haud expectato Dei promiſſo: quanquam hoc quoq; oraculum ex Autophonis erat. Eidem etiam aliquando de uxore ducenda percontanti, diſerte reſpondit,

Ducito Alexandro natam, Lunaque puellam.

Siquidem jam olim rumorem diſſeminarat, filiam quam habebat, è Luna ſibi ſuſceptam fuiſſe, quæ ſui amore capta fuiſſet, quum dormientem aliquando conſpexiſſet: cum ipſi ſit familiare formoſos dormientes adamare. Tum Rutillianus vir prudentiſſimus, nihil cunctatus, protinus accerſit puellam, nuptias conficit ſexagenarius ſponſus, & concumbit, ſocrum ſuam ſtolidis hecatombis Lunam placans: ſeq; ex cœlitibus unum evaſiſſe putans. At hic rem in Italia ſemel aggreſſus majora in dies excogitabat, & in omnes Romanæ ditionis partes, qui perferrent oracula, dimittebat: prædicens civitatibus cavendam eſſe peſtilentiam, incendia, terræ motus: ſe certa remedia traditurum, ne quid horum accideret, pollicebatur. Unum etiam oraculum Autophonum ipſum per gētes omnes graſſante peſte divulgavit, unico carmine comprehenſum.

Intonſum nubem peſtis depellit Apollo.

Quod carmen videre erat pro foribus ubiq; ſcriptum: tanquam adverſus peſtilentiam remedio futurum. Sed ea res contrarium apud plurimos eventum eſt ſortita. Nam neſcio quo caſu eæ potiſſimum domus inanitæ ſunt, quibus carmen erat inſcriptum. Neq; vero putes me dicere carmen fuiſſe in cauſa ut interirent. Quin hoc caſu quodam ſic accidit, cum forte pleriq; freti carmine, negligentius & ſegnius vixerint, nihil adverſus peſtem præter oraculum adhibentes quaſi ſyllabas pro ſe pugnantes, & intonſum Apollinem telis peſtem propellentem haberent. Exploratores etiam ex ſua conjuratione quamplurimos Romæ conſtituerat, qui ſibi qua quiſq; mente eſſet indicarent, ac priuſquam oraculum adiiſſent, illi ſignificarent quidnam eſſent percontaturi, quidque potiſſimum cuperent, ut priuſquam veniſſent qui mittebantur, ille jam ad reſpondendum eſſet paratus.

Atque hæc quidem & id genus alia machinamenta, adverſus Italicas urbes præſtruxerat. Nam & initiationes quaſdam inſtituerat, tædarum per manus tradendarum geſtationes, & ſacrorum cæremonias, quę quidem tribus ex ordine diebus continenter peragerentur. Ac primo quidem die, Athenienſium ritu, denunciatio fiebat hujuſmodi. Siquis impius, aut Chriſtianus, aut Epicureus myſteriorum explorator acceſſit, diſcedat. Sed qui Deo credunt, fœliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur, illo præeunte ac dicente, Foras pellantur Chriſtiani. Tum multitudo acclamabat univerſa, Foras pellantur Epicurei. Dehinc Latonæ puerperium agebatur, & Apollinis nativitas, tum Coronidis nuptiæ, demum naſcebatur Æſculapius. Secundo die Glyconis ortus, Deiq; nativitas. Tertius dies Podalirii, & matris Alexandri erant nuptiæ, Qui Dadis appellebatur, à facibus quæ accendebantur. Poſtremo Lunæ & Alexandri amor, ac naſcens Rutilliani conjunx. At vero facem geſtabat myſteriaq; agebat Endymion Alexander, qui dormiens in medio jacebat: atque in cum è recti faſtigio, tanquam è cœlo, Lunæ vicem agens deſcendebat, Rutillia quædam formoſiſſima, cujuſdam à Cæſareæ domus præfectis uxor, quæ nimirum Alexandrum amabat, & ab illo viciſſim amabatur. Tum ob oculos perditiſſimi illius mariti, oſcula in propatulo, & complexus fiebant. Quod niſi complures tædæ fuiſſent, forſan nonnihil eorum quæ ſub ſinu fieri ſolent, patratum fuiſſet. Paulo poſt rurſum introibat ornatu ſacerdotali, multo cum ſilentio. Deinde ipſe primus clara voce ſonabat, Io. Glycon. Allonabant autem egregii cantores, & præcones quidam Paphlagones, carbatinis calceati, plurimum alii nidorem ructantes. Io. Alexander.

Porro ſubinde inter geſtandas tædas, atque inter myſticas ſaltationes, femur illius de inguinis regione renudatum, aurū apparebat, pelle ut conjicio, inaurata circumdata, & ad tædarum ſplendorem relucente. Itaq; cum inter duos deliberanter ſapientes de eo orta eſſet quæſtio utrum ob femur aureum, animam Pythagoræ haberet, an aliam Pythagoricæ illi ſimilem, & hanc controverſiam ad ipſum Alexandrum retuliſſent: rex Glycon oraculo dubium ſolvit.

Pythagoræ mens emoritur quæ, oriturq; ſuperſtes.
Vatis at eſt animus divina è mente profectus.
Hunc pater auxilio miſit juſtiſque, piiſque.

Et rurſum.

Tecta Iovis repetet, Ioviali fulmine tactus.

Porro cum denunciaret omnibus, ut à puerorum concubitu abſtinerent, ceu re nefaria, vir ille egregius hujuſmodi dolum excogitavit. Ponticis ac Paphlagonicis urbibus imperabat, ut tertio quoq; anno mitterent oraculorum conſultores qui Dei laudes apud ſe canerent. Et ſpectatos, ſelectoſq; illos, nobiliſſimos, ætate florentiſſimos, formaq; eximios mitti oportebat. Quibus incluſis perinde ut emptitiis ad libidinem abutebatur, modis omnibus in eos debachari ſolitus. Præterea legem condiderat nequis major annis octodecim ſeſe admoto ore complecteretur, neve cum baſio ſaluta et: ſed reliquis manum duntaxat oſculandam porrigens, ſolis formoſis oſculum dabat: quibus inde cognomen inditum, ut intra oſculum conſtituti dicerentur. Hunc in modum perpetuo ſtolidis illudebat, uxores impune ſtuprabat, & cum pueris conſueſcebat.

Quin magnum quiddam, omnibuſq; optandum videbatur, ſi cujus uxorem vel aſpexiſſet modo. Si quam etiam oſculo dignatus fuiſſet, nemo non proſperam fortunam affatim in ſuam domum exiſtimabat influxuram. Multæ præterea ſe ex ipſo etiam peperiſſe gloriabantur, eaſq; verū dicere mariti teſtabantur. Lubet etiam dialogum tibi referre Glyconis & Sacerdotis, viri cujuſdam Tianei, cujus ſapientiam cognoſces ex iis quæ ſciſcitatus eſt. Hunc equidem legi aureis literis Tii deſcriptum, ipſis Sacerdotis in ædibus. Dic mihi, inquit, domine Glycon quiſnam es? Sum, ille inquit, novus Æſculapius. Num alius ab illo priore? quid ais? haud fas eſt ut iſtud audias. Quot vero annos oracula dando permanſurus es? Ad milleſimum tertium. Deinde quo demigraturus? Ad Bactra, atq; in eas regiones: ſiquidem oportet etiā barbaros mea præſentia frui. At reliquæ ſortes, quæ in Didymis, Claro, Delphiſq; redduntur, utrum ab authore proficiſcuntur Apolline, an vana ſunt quæ illic redduntur oracula? Ne iſtud quidem ſcire cupiveris, nefas enim. Cæterum ego quis tandem poſt hanc vitā futurus ſum? Camelus, deinde, equus, poſtea vir ſapiens, nec inferior Alexandro vates. Hujuſmodi fuit Glyconis cū Sacerdote colloquium. Poſtremo & oraculum carmine reddidit: cum non ignoraret ipſum eſſe Lepidi amicum.

Ne pare Lepido, namq; huic fatum inſtat acerbum.

Etenim ut ante dixi, metuebat Epicurum, ut pote ſapientem ſuis artibus atq; impoſturis infenſum. Itaq; ex Epicureis quempiam, autſum multis præſentibus ipſum coarguere, in diſcrimen non parvum adduxit. Nam is illi magna voce dictum venit. Tu nimirum Alexander Paphlagoni cuidam perſuaſiſti ſuos apud Galatiæ præfectum capitis accerſeret, ut qui filium ipſius qui Alexandriæ erudiebatur, occidiſſent

Atquí vivit adoleſcens, incolumiſq; reverſus eſt, famulis ſupplicio jam affectis, qui tuo impulſu beſtiis traditi perierunt. Porro iſtiuſmodi quiddam acciderat. Cum adoleſcentulus in Ægyptum amne adverſo navigaſſet, provecto ad inundationem uſq; navigio, perſuaſus etiam eſt ut in Indiam uſq; navigaret. Cumque diutius abeſſet, infœlices illi ipſius miniſtri, rati vel in Nilo navigantem interiiſſe adoleſcentem, vel etiam à latronibus (nam id temporis permulti graſſabantur) eſſe peremptum, reverſi ſunt domum, renunciantes eum è medio ſublatum eſſe. Deinde proditum oraculum, damnati famuli, poſt hæc adeſt adoleſcens, qui ſuam peregrinationem enarrat. At Alexander indignatione percitus quod coargueretur, nec veritatem exprobrationis ferens, eos qui aderant juſſit ut lapidibus illum impetrent, alioqui & ipſos impios futuros, atq; Epicureos appellandos. Verum ubi petere cœpiſſent, Demoſtratus quidã qui verſabatur in Ponto, primus hominem amplexus morti ſubduxit, propemodum lapidibus obrutum, idq; jure optimo. Quid enim attinebat unum inter tot inſanientes, ſanum eſſe, atq; à Paphlagonum ſtultitia malum ſibi accerſere.

Et hæc quidem illi evenerunt. Cæterum advocatis ex oraculorum ordine conſultoribus (quod fiebat pridie quam reſponſa redderet) præcone rogante an vaticinari veller, ſi cuipiam ex adyto reſpondiſſet, in malam rem, neq; tectum amplius hominem hujuſmodi excipiebat, neq; ignis aquæ-ve particeps fiebat? verum erat illi ſolum aliud alio vertendum, tanquam impio, & Epicureo: quod quidem probrum erat omnium graviſſimum. Quare unum quid ridiculum deſignavit Alexander. Nactus proprias Epicurei opiniones, librum, ut ſcis, longe pulcherrimum, ſummatim Epicureæ diſciplinæ decreta complectentem, medium in forum deportavit, ac lignis ficulnis exuſſit, tanquam videlicet authorem ipſum exurens: cineremq; in mare projecit, edito inſuper eam in rem oraculo.

Edico decreta ſenis comburere caci.

Haud perpenderat ſceleſtus ille, quantum is liber commoditatum lectoribus afferret, quantamq; ipſis pacem, tranquillitatem, libertatemque pareret, propterea quod à pavoribus, ſpectris ac prodigiis liberaret, tum ſpes inanes, atque immodicas adimeret cupiditates, mentem ſanam, ac veritatem inderet, planè luſtraret animum, non tæda, & ſcilla, aliiſq; id genus nugamentis, imò recta ratione, veritate, ac loquendi libertate.

Accipe jam facinus quoddam hominis ſceleratiſſimi, unum inter omnia multo impudentiſſimum. Cum jam non mediocrem in Regiam, aulamq; Cæſaream aditum ſibi patefeciſſet, ingreſſumq; ad Rutilanum inter cives celebrem: vigente Germanico bello mittit oraculum, quando divus Marcus cum Marcomanis, & Quadis confligebat. Illo jubebat ut duos leones in Danubium immitterent, cum multis aromatibus, magnificiſque victimis. Sed præſtat ipſum oraculum referre.

Gurgitibus fluvij turgentia ad imbribus Iſtri,
Immiſiſſe duos Cybeles edico miniſtros,
Monte feras alitas: tum quantum alit Indicus aer
Florum atq; herbarum bene olentum: moxq; futura eſt
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

His factis ut præſcripſerat, leones cum in regiones hoſtiũ enataſſent, barbari tanquam canes, peregrinoſve lupos, fuſtibus confecerunt. Tum protinus noſtrorum magna ſtrages eſt edita, viginti ferme millibus ſimul extinctis. Deinde ſecuta ſunt ea quæ in Aquileia contigerunt, quum parum abfuit quin illa urbs caperetur.

At is ad id quod evenerat Delphicam illam defenſionem, Crœſoq; redditum oraculum, frigidè detorſit: dicens Deum quidem prædixiſſe victoriam, haud tamen explicuiſſe, utrum Romanorum eſſet futura, an hoſtium. Tandem cum jam plurimi confluerent, premereturq; civitas eorum multitudine qui ad oraculum ventitabant, neque ſuppeditandis rebus ad victum neceſſariis ſufficeret, oraculi genus comminiſcitur, quod nocturnum appellabatur. Siquidem acceptis libellis indormire ſe ajebat, & tanquam divinitus in ſomnio edoctus reſpondebat: nihil certi tamen, ſed ambigue plerumque ac confuſim, maxime ſiquidem libellum accuratius obſignatum conſpexiſſet. Nam citra reſignandi periculum, quicquid temere in mẽtem veniſſet, ſubſcribebat: ratus & hoc ipſum convenire oraculis. Erant autem ad id nonnulli conſtituti interpretes, qui mercedem non exiguam colligebant ab iis qui hujuſmodi capiebant oracula, ut ea enarrarent, explicarentq;. Atq; hoc illorũ munus erat conductitium. Nam interpretum quiſq; talentum Atticum pendebat Alexandro. Nonnunquam etiam cum neq; conſuleret, neq; miſſus eſſet quiſpiam, imo cum neq; eſſet hujuſmodi quippiam, oraculum edebat ut ſtultos homines obſtupefaceret, quale illud.

Illum quære, tua qui clam te ſcandit apud te
Conjugis in thalamum, vultuq; oculiſque decoræ.
Primigenum, cui tu credebas omnia, vernam
Ejus enim florem libaſti, hoc dedecus ille
Nunc tibi compenſans, cum conjuge dormit heriſi.
Verum, quid faciant, ne audire, & cernere poſſis.
Illi lethiferum tibi adornavere venenum.
Invenieſq; tuo ſub lecto, tum prope murum,
Ad caput: eſt illis tua conſcia ſerva Calypſo.

Quis Democritus auditis accuratè nominibus & locis, non commotus fuiſſet? Verum cognita eorum arte, ilico deſpuiſſet. Quinetiam barbaris non raro reſpondit, ſiquis patria lingua, puta Syriacè vel Gallicè ſciſcitaretur, quoties difficile erat invenire conterraneos eorum qui rogationem propoſuiſſent. Proinde multum temporis intercedebat inter libelli donationem, & oraculi redditionem, quo videlicet interim per ocium poſſet & tuto ſolvere libellos, & nanciſci qui cuncta poſſent interpretari. Quale fuit hoc oraculum Scythæ cuidam redditum. Morphi ebargulis in umbram chnenchicranc, relinquet lucem. Alias rurſum cum nec adeſſet quiſpiam, nec omnino tale quid eſſet, citra carmen elocutus eſt. Redito unde veniſti. Nam qui te miſit, à vicino Diocle hodie eſt interemptus, cum Magnus, Celer, & Bubalus latrones adveniſſent, qui comprehenſi jam detinentur in vinculis. Nunc etiam accipe pauca quædam quæ mihi ipſe reſpondit. Cum ſciſcitarer eſſetne calvus Alexander: & libellos accurate & palam obſignaſſem reſponſum nocturnũ ſubſcribitur, Sarbardalachi Malach Attis alter erat. Rurſum cũ diverſis libellis eandem rogationem propoſuiſſem, Cuias eſſet poeta Homerus, idquã alio atq; alio nomine, alteri quidem ſubſcripſit, à puero meo deceptus, qui interrogatus quorſum veniſſet, ut remedium, inquit, petam, adverſus lateris dolorem.

Cytmide te jubeo, & Latona rore perungi.

Alteri vero, quoniam à me miſſum conſultorem audiverat ſciſcitantem, utrum mihi in Italiam navi, an pedibus contendere ſatius eſſet, reſpondit, nihil quidem quod ad Homerum attineret.

Carpe tum pedibus, rate ne ſulcaveris undas.

Multa id genus adverſus ipſum ſum machinatus, quale & illud, quum propoſita unica interrogatione, pro more inſcripſi libro, cujuſdam rogationes octo, nomen aliquod emẽtitus, miſſis octo drachmis, quodq; ad eas præterea accedit. Sed hic perſuaſus miſia mercede, & libri inſcriptione, ad rogationem unam, quæ hæc erat quando deprehendendus eſſet impoſtor Alexander, octo miſit oracula, quæ neq; cœlum, quod ajunt, neq; terram attingerent, verum inſulſa, & difficilia intellectu omnia eſſent. Quod cum poſtea perſenſiſſet, præterea me Rutillianum à matrimonio dehortari conatum eſſe, & ſuaſiſſe ne ſuas ſpes in divinatione prorſus reponeret: odio me proſequebatur, ut par erat, ſibiq; acerrimum hoſtem judicabat. Et Rutiliano de me aliquando percontanti, reſpondit.

Nocti vagis gaudet ſcortis, ſpurcoque cubili.

In ſumma, jure me inviſiſſimum habebat. Proinde cum me in oppidum adveniſſe ſenſiſſet, illumq; Lucianum eſſe cognoviſſet (adduxeram autem milites duos, alterum lancea, alterum conto armatum, quos à Cappadociæ præſide mihi tum amico acceperam, quo me ad mare uſq; deducerent) accerſit ilico, comiter admodum, magnaque cum humanitate. Ego cum adveniſſem, complures apud illum reperio.

Porro mecum etiam milites, quod bene vertit, adduxeram. Tum ille manum mihi porrigit oſculandam, ut vulgo conſueverat. Ego admotus, tanquam oſculum daturus, acri morſu corripio, ita ut parum abfuerit, quin mancam illi manum reddiderim. Itaq; qui aderant, ſtrangulare me, & cædere conati ſunt, ut ſacrilegum: prius etiam indignati, quod Alexandrum illum, non autem prophetam, compellaſſem. Sed id oppido quã generoſe ferẽs, compeſcebat ipſos, meq; placidum facile redditurum pollicebatur, virtutemq; Glyconis oſtenſurum, qui ſæviſſimorum etiam hominum amicitiam ſibi conciliat. Moxque ablegatis omnibus, mecum expoſtulavit, aſſerens ſe ſcire quæ Rutilianо ſuaſiſſem: ecquid me læſiſſet ut iſta in ſe facerem, cum ſua opera poſſem apud illum magnas ad res promoveri. Quam equidem humanitatem accipiebam libenter, perſpiciens quo in periculo conſtitutus eſſem: & paulo poſt factus illi amicus prodivi. Neq; iis qui videbant, res ea parũ ſtupenda videbatur, quod tam facile fuiſſem cõmutatus. Poſtea cum navi diſcedere ſtatuiſſem miſſis xeniis, doniſq; multis (ſolus autem cum Xenophonte eram, patre cum reliquis meis in Amaſtrim præmiſſo) pollicetur & navim præbiturum ſeſe, & remiges qui nos aveherent. Quod quidem animo ſimplici, atq; officioſe fieri cenſebam.

Sed ubi jam in medio mari eſſemus, videremq́ue lachrymantem gubernatorem, & nautis neſcio quid contradicentem, non bene de rerum mearum eventu ſperare cœpi. Erat autem ipſis ab Alexandro mandatum, ut in altum provecti, nos in mare præcipites darent. Quod ſi factum fuiſſet, facile quod mecum gerebat bellum confeciſſet. Sed is qui lachrymabatur, connautas flexit, nequid in nos gravius patrarent. Et ſic me eſt alloquutus. Annos natus, ut vides, ſexaginta, cum antea tam vitam inculpatè, & piè exegerim, nolim in ætate tam grandi, præſertim cum uxorem & liberos habeam, homicidio manus inquinare: indicans videlicet, cujus rei gratia nos ſuſcepiſſet, quæque ſibi mandaſſet Alexander.

Expoſitus autem nobis in Ægialos, quorum etiam egregius Homerus meminit, iter relegit. Ibi forte nactus præternavigantes legatos quoſdam Boſporanos, Eupatoris regis nomine in Bithyniam proficiſcentes, ut tributum annuum deportarent, periculũ quod me circunſtetterat narravi: tum ſeſe cõmodos & faciles præbuerunt: quorum in navim receptus, in columis in Amaſtrim perveni, poſtquam parum abfuiſſet quin periiſſem. Exinde adverſus eum arma ſumebã omnemq; movebam funem, quo hominẽ ulciſcerer, quem jam ante ſtructas inſidias operam, proq; ſummo hoſte ducebã, propter morum impietatem. Jamq; ad accuſationem intenderam animum, no paucis mecum facientibus, & maxime qui erant ex Timocratis Heracleotæ ſcola philoſophi. Verum qui tum Bithyniæ Pontoque præſidebat nos cohibuit, pene ſupplicans & obſecrans ut deſiſteremus. Etenim ob neceſſitudinem quæ ſibi cum Rutilliano intercederet, nequaquam poſſe ſupplicio afficere, nec ſi manifeſto in crimine deprehendiſſet. Atq; ita quidem ab iracundia deſtiti, meq; repreſſi, rem æquam, apud judicem hoc modo affectum, aggredi nõ auſus.

auſus. Sed quid? annon & hoc inter alia facinus audax Alexandri: à principe Romano poſtulare, ut Aboni murus, commutato vocabulo Jonopolis appellaretur, utque numiſma novum ſignaretur, altera quidem ex parte, Glyconis imagine, altera vero Alexandri, qui inſignia avi æſculapii, & Perſei, unde maternum genus ducebat, falcem teneret?

Cæterum cum edito oraculo de ſe prædixiſſet, fatis decretum eſſe ut annos centum & quinquaginta viveret, dehinc fulmine ictus moreretur: interitu maxime miſerando, nondum ſeptuaginta natus annos, interiit, videlicet (uti convenibat Podalirii filio) pede ad inguen uſq; putrefacto, & vermibus ſcatens. Quo tempore etiam deprehenſum eſt, quod eſſet calvus, cum medicis caput humectandum præberet, ad mitigandum cruciatum: quod haudquaquam, niſi detracto galericulo, facere potuiſſent. Hunc habuit exitum Alexandri tragœdia, atq; hæc fuit totius fabulæ cataſtrophe: ut videri poſſit providentia quadam res eſſe geſta, quanquam caſu ſic evenit. Reſtabat illud, ut & epitaphium vita acta dignum illi fieret: nec non certamen aliquod ſtatueretur, ut qui oraculo conjurarant, & quot-quot inſignes impoſtores erant, ſeſe ad Rutilianum arbitrum conferrent, à quo pronunciaretur quis eſſet præferendus ad ſucceſſionem oraculi ſuſcipiendam, quis ſacerdotali, propheticaque corona redimiendus.

Inter hos erat Pætus, profeſſione medicus, jam canus, qui iſta nec medico, nec homini cano decora faciebat. At certaminis arbiter Rutillianus, eos dimiſit incoronatos, ipſi ſibi divinationem ſervans, poſtquam hinc demigraſſet. Hæc amice, ex multis pauca, exempli gratia ſcribenda putavi, ut tibi gratificarer, viro familiari & amico, & quem ego omnium maxime ſuſpicio, & propter ſapientiam, veritatiſq; ſtudium, morumque manſuetudinem & moderationem, atque ob vitæ tranquillitatem, & erga familiares humanitatem tuam. Tum etiam, quod tibi fuerit jucundius, ut Epicurum ulciſcerer, virum vere ſacrum, ingenioq; divino, quique ſolus quæ vere ſunt honeſta noverit, & tradiderit, liberoſq; reddiderit eos, qui ſecum haberent conſuetudinem. Denique arbitror fore ut iis qui legerint, nonnihil utilitatis afferre hic libellus videatur: dum quædam redarguit: quædam in mentibus eorum qui bene ſentiunt, ſtabilit. *in Pſeudomant.*

¶ Poetarum.

Plautus Pœnulo 5. ſc. 3. v. 5.

——*Ecce autem mala!*
Præſtigiator hic quidem Phœnus probus eſt,
Perduxit omnes ad ſuam ſententiam.

¶ Apologorum.

Aphthonius: Aſinus cum vellet videri leo, nec naturam permutare poſſet, ſchemate quodam deſiderio ſatisfaciens, ac leonina indutus pelle, quaſi leo ruſticorum vaſtabat labores. cumque vehementior aliquando ſpiraret ventus decuſſiſſetque tegmen, ruſtici quorum labores corruperat, cum viderent aſinum eſſe fuſtibus cæſum necaverunt.

Mores aſciti, utentibus adferunt periculum.

Phædrus Fab. 11. Aſinus & Leo venantes.

Virtutis expers verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.
Venari Aſello comite, cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul
Ut inſueta voce terreret feras.
Fugientes ipſe ut exciperet, hic auriculas
Clamore ſubito tollit totis viribus,
Novoque turbat beſtias miraculo:
Quæ dum paventes, exitus notos petunt,
Leonis adficiuntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum vocat,
Jubetq; vocem premere: tunc ille inſolens,
Qualis tibi videtur opera hac voce mea?
Inſignis, inquit, ſic ut niſi noſſem tuum
Animum genuſque, ſimilis fuiſſem in metu.

Phædrus Fab. 14. Ex Sutore medicus.

Malus cum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi,
Rex urbis ejus experiendi gratia,
Scyphum popoſcit, fuga dein ſimulans aqua
Miſcere antidoto illius ſatoxicum,
Bibere juſſit ipſum poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis ulla medicum ſe prudentia.
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hac addidit:
Quanta putatis eſſe vos dementia,
Qui capita veſtra non dubitatis credere
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitia quæſtus imprudentia eſt.

¶ Emblematis.

Camerarius 81. Centur. 3.

Quod ſis eſſe velis. Cornix ornata plumis non ſuis.

Mutatis de te narratur fabula verbis,
Qui ferre alterius parta labore ſtudes.

¶ Monosticha Trochaica.

Dum Leo videri aſellus vult, corio & ſuo excidit.
Haud diu ſua arte gaudet impoſtura ſtultior.
Impoſtura, bullæ ad inſtar ut tumet, ſic rumpitur.
In loco uno præſtigiator ſi manet diu proditur,
Non diu terret leonis pelle aſellus, ſi rudit.
Qui facit cuiq; impoſturam, dignus eſt & eam pati.

Impotentiæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Impotentia pauperias depravavit neminem.
Impotentius ſuperbo nil eſt cum potentia.
Pace amicis inſultamus, belli tempore hoſtibus.
Quiſnam amicus aut inimicus eſſe quærat improbo?
Tuta ubiq; ſed ſecura nuſpiam impotentia eſt.

¶ Jambica.

Deſiderat ſcenam omnis impotentia.
Miſero cave inſultare: ſors communis eſt.
Muliebris impotentia, impotentia eſt.
Pro lege habet ſuam impotens lubidinem.
Quantum nocet, tantum timet quoq; impotens.
Ubi impotens, ibi quoque eſt potentia.
Ubi potens ibi quoque impotentia.

Imprecationis.

¶ Sententiæ Patrum

Synesius: Honeſtum eſt enim & iis bene precari, qui ſtreune ſeſe gerunt, & iis qui ſecus, imprecari. *Epiſt.* 5.

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus de vita ſua.

——*rurſus in mare*
Feror, parentis anxios gemitus timens,
Amoris in me ne loco diras preces
Conciperet, ut ſit cum furit benignitas contempta.

Improbitatis.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

Nazianzenus: Minime jam ex parte morbum animo clauſum tenere, nec impietatis fraudem prorſus ſecum ipſe ſolus meditari poterat. Quin potius, quemadmodum ignem in materia latentem, etiamſi nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen ſcintillæ quædam, aut fumus è profundo ſubindicant: aut, ſi mavis, quemadmodum fontes illi, qui per ſpecus quoſdam cum flatu volvuntur, ac deinde arctiſſime compreſſi, nec liberum exitum habentes, multis terræ locis vaporem in ſublime mittunt, tacitumq; ab ima parte ſtrepitum edũt, à flatu quidem ſurſum impulſi, cæterum à ſuperna vi retenti & coerciti: eodẽ quoq; modo ipſe, tametſi ob temporis incommoditatem, ejuſq;, qui rerũ potiebatur, authoritatem atq; diſciplinã, majorem impietatis partem occultaret, (nondum enim impietatem aperte profiteri tutum erat,) interdum tamen iis, qui impietate quam prudentia acutiores erant, mentis arcanum aperiebat, tum in diſputationibus quas cum fratre habebat, plus, quam æquum erat, pro Ethnicis contendens, hoc quidem prætextu quaſi inferiore doctrinam exercitationis cauſa tueretur: cæterum re vera adverſus veritatem ſe ipſum exercens: tum omnibus iis rebus gaudens, quib. morum impietas quaſi certiſſimis quibuſdam notis exprimitur. *Orat. 3. ſtelit. 1 contra Iul.*

D. Nazianzenus: Sed profecto res quædam conſiderationis expers eſt improbitas, nec ulla ratio iniri poteſt, qua homines nequam & improbos quiſquam meliores efficiat. quippe cum iſte Julianus, quibus ex rebus majorem benevolentiam concipere erga Conſtantium Imp. ac ſi quos improbitatis ſigniculos habebat, eos exſtingue re debebat, ex his ad majus odium incenſus ſit, idq; ſpectarit ut bene de ſe meritum ulciſceretur. *Orat. 3. ſtelit. 1.*

D. Nazianzenus: His verbis diſcipulum Julianum permovet, ac motum ad exitii voraginem ducit. nec mirum videri hoc debet. Improbus enim promptius ac libentius malum ſequitur, quam a bono cohibetur. *Orat. 3. ſtelitent. 1.*

D. Nazianzenus: Improbitas res eſt facilis expugnatu, atq; undecunq; ſecum ipſa pugnat. *Orat 3. ſtelit. in Iulian. 1.*

D. Nazianzenus: Viperæ virus non eſt improbitas, ut ſimul atq; ictus fueris, doloribus crucieris, aut etiam intereas, ob eamq; cauſ-

sam tibi, bestiam fugienti aut interimenti, venia parata sit. Verum si quid à te fieri potest, eum quoq; morbo libera; sin minus ipse certe ita demum in tuto versaberis, si improbitatis illius particeps nequaquam factus fueris. *Orat.* 26.

D. Chrysostomus: Ut virtute nihil purius est: sic improbitate nihil turpius atque obscœnius. Illa enim sole splendidior est: hæc Ceno fœtidior. Atq; hoc suomet testimonio comprobare illi queant, qui in Ceno volutantur, atque in tenebris versantur, si modo quispiam effecerit, ut vel tantillum cernere queant. Quamdiu enim secum ipsi sunt, atq; hoc affectu, tanquam temulentia quadam laborant, velut in tenebris degentes, fœde atque indecore, & cum summa turpitudine jacent, sentientes illi quidem tum quoq; quo in statu sint, sed non plane atq; exacte. At quum ab aliquo eorum, qui recte atque ex virtute vivunt, sese coargui viderint: vel etiam dumtaxat eum conspexerint, tum demum miseriam suam apertius agnoscunt: ac velut immisso quodam Solis radio fœditatem suam contegunt, atque conscriorum ora erubescunt, etiamsi alioqui hic servus sit, ille liber, hic subditus ille rex. Sic nempe Achab ad Eliæ conspectum pudore suffusus est, tametsi nullum ille verbum adhuc emisisset, solo videlicet ipsius prospectu convictus: ac silente accusatore, sententiam, qua facinus ipsius damnabatur, ferebat: ut qui eorum qui criminis convicti sunt, verba proferret, ac diceret, Invenisti me, hostis meus. Tanta videlicet animi libertate ac fiducia Elias tyrannum illum tunc alloquebatur. *Homil. 28. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Quod prorsus inutilis sit improbitas atq; & in præsens mala contubernalis, & in futurum acris ac vehemens accusatrix, ex multis intelliges. Quid igitur hanc amplecteris ac foves, ô Cacobule potius quam Eubule? Quam si fugias, ut bonis omnibus inimicam & infestam, & apud homines clarus ac celebris existes. *lib. 1. Epist. 261.*

S. Isidorus Pelusiota: Refugit mihi quidem calamus ea scribere quæ nec scire vellem. Quoniam autem eos quoq;, qui ad extremum improbitatis gradum processerunt, ad meliorem mentem revocare oportet, idcirco scribo, ac moneo, ut ea perpetrare desinatis, quę ipse, ne linguam commaculem, dicere nolo: vos autem, haud scio quonam pacto, facere minime dubitatis. *lib. 1. Epist. 295.*

S. Isidorus Pelusiota: Perditæ aç profligatæ improbitatis esse mihi ille videtur, non qui eum, à quo injuriam atq; contumeliam accepit, ulciscitur, (sæpe enim illi venia impertitur) verum qui meliorem, atq; omnium laudibus celebratũ odio & cavillis insectatur. Ille enim, etsi ad philosophiæ fastigium minime ascendit: at justam tamen odii causam habere videtur. Hic autem, cum nulla causa subsit, non tam cum homine quam cum virtute bellum gerit, ac bona omnia funditus evellere conatur. Quod si Eustathius hoc facit, aut ab hujusmodi odio reprimendus est, aut ut impurus ac nefarius abdicandus ac proscribendus. una enim demum hæc virtus est, absurdæ improbitatis hominem semper fugere: ac præsertim cum nihil turpe ac fœdum existimat, nisi castum ac temperantem esse. *lib. 2. Epist. 114.*

S. Isidorus Pelusiota: Quod improbus homo secunda omnia habeat, ac cõtra vir probus, atq; omnibus laudibus, quæ in hominem cadere po unt, cumulatus, in acerbissimis malis versetur, res profecto est conjectu atque comprehensu difficilis, atq; humanæ naturæ modulum quam longissime excedens. Id enim divinis judiciis permittere necesse est. Ac si recte sentire velimus, soli sumihæ illi atq; ab omni labe alienæ menti consilii hujusce cognitione appensa relictaq; ad ea, quæ in manibus nostris sunt (quæ etiam vix à nobis reperiri solent) nos conferemus. *lib. 2 Epist. 137.*

S. Isidorus Pelusiota: Improbis & acribus viris obviam ne procede, verum aliquantisper cede, cum nullo ex ea re detrimento virtus afficitur: atque eorum insidiæ confestim extinguentur. *lib. 2. Epist. 283.*

Isidorus Pelusiota: Magno animi dolore afficior, te cum ad pessima quam acute cernas, ad virtutem caligare: & cum tererimorum scelerum amans & studiosus sit, novorum adhuc criminum inventorem extitisse. Quocirca si & me mœrore, & te cruciatu liberare vis, ratione vitæ statum commuta, illud pro certo habens, quod qui virtutis sacris minime initiatus hinc excesserit, in flammis jacebit: qui autem omnibus virtutum numeris perfectus ac repurgatus ad alterum ævum venerit, una cum divinis ac cælestibus virtutibus choros aget. *lib. 2. Epist. 298.*

S. Isidorus Pelusiota: Audio te ob ea quidem quæ probri speciem habent vehementer angi: ob ea autem, quæ vere probrosa sunt, non modo nullo pudore suffundi, sed etiam gloriari. Nam quod servo patre ortus sis (quod voluntatis institutiq; animi minime probrum est, nec ullo modo curandum est) majorem in modum discruciaris. At interim eos, qui te ad virtutem hortantur, tantum reprehendis, quantum eos condemnare oportebat, qui te ad inertiam & languorem inducant. *lib. 3. Epist. 90.*

S. Isidorus Pelusiota: Ut quidam ajunt, improbitas in mundo regnum obtinens resistit bono, nunquam non id unum agitans apud se, ut primas ferat ac supernatet. Quæ causa est, cur optimo viro vir improbus bellum moveat & adversetur, sed cito ac facile capiatur. Nam ut quæ omnia per se manifesta sunt, unico tantum exemplo declarem, Regi justitiæ (Christo) cum in terris apparuisset, injustitiæ satellites ac propugnatores (Judæi) sunt adversati. Sed adeo capti extinctiq; sunt, ut ipse quidem ubivis terrarum celebretur & cantetur: Illi vero, qui vitam ejus otiosam ac nihil esse rebantur, omnibus calculis atq; suffragiis succumbant. *lib 4. Epist. 96.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Improborum natura est, hoc sentire de omnib. quod merentur, & in malis solatium, nusquam videre innocentiam. Tormenta sunt maculatæ conversationis, non sibi credere esse participes. *lib 2. Epist. 12. in.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Quemadmodum nulli, equi velocitas, si imperitus ille sit, utilis esse potest, neq; quisquam ita est infelix, ut bestiam tam inutilem parare velit: ita neq; viri usus esse potest improbi, quamvis bello clarus sit. plus enim nocuerit, quam lucri conciliarit. *Vituperio Achillis.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Ne in ejus noxam labores, quem vides abundare peccatis ipse causas dabit, quas non videatis optasse. *lib. 1. Ep. 59.*

¶ Apologorum.

Rusticus & Juvencus. Avienus.

Vincla recusanti dedignantique juvenco.
Aspera mordaci subdere colla jugo,
Rusticus obliqua succidens cornua falce,
Credidit insanum desremuisse pecus.
Cautus & immenso cervicem innectit aratro,
Namq; erat hic cornu promptior, atq; pede:
Scilicet ut longus prohiberet vulnera remo,
Nec ictus faciles ungula sæva daret.
Sed postquam irato detrectans vincula collo,
Immeritum vacuo calce fatigat humum,
Continuo versam pedibus dispergit arenam
Quam ferus in domini ora sequentis agit.
Tum sic informis squallentes pulvere crines
Discutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum natura decorat iniqua,
Quæ fieri posset cum ratione nocens.

De Filio Hortulani puncto ab Urtica. Fab. 125.

Filius olitoris punctus ab urtica, quæ paternis in hortis creverat, conquestus est patri, quod herba domestica, ne heri quidem sui filio pepercisset. Cui pater, fili, inquit, huic innatum est omnibus eandem esse.

Fabula indicat, virum natura malignum, ne à domesticorum quidem injuriis abstinere. Laur. Abstemius.

¶ Emblematum.

Camerarius 38. Centur. 2.

Haud mutabitur unquam.

Callida si varios sibi Pardalis exuit orbes,
Exuet & mores mens scelerata malos.

Camerarius 79. Centur. 2.

Noxa nocenti, Basiliscus in speculo se intuens.

Improbitas solet esse sibi justissima merces,
Auctores interitus sic Basilisce tibi.

Camerarius 92. Centur 3.

Vni salus, alteri pernicies.

Vt rosa mors, scarabæe, tibi est, apis una voluptas:
Virtus grata bonis, est inimica malis.

Camerarius 19. Centur. 4.

Me malus abstulit error. Sciana, vel Mugil.

Ridiculum ô caput abscondis, credisq; latere,
Præcipitans toto corpore in insidias.

¶ Monosticha Trochaica.

Æthiops est: quidquid ipse lixivia infecitur perit.
Armatura permaligna est improbitas contra improbum.
De improbis viris auferri præmium & prædam decet.
Ferrum olent, nec molliuntur improborum viscera
Res quando aliqua bene succesit, hilarem eum sumas diem.
Improbe vivens expectat semper omne id quod meret.
Improbus differt offensas: has omittit vir probus.
Improbus potentia auctus, publicum infortunium est.
Improbus quacumq; jurat, in Noto scribe inque aqua.
Improbus quamvis beatus est tamen miserrimus.
Improbi Deos iratos dejurant, boni invocant.
Improbi flamma antequam urit, dat notas sui improbas.
Improbi regem nec ullum ferre, nec legem volunt.
Improbi sacrum profanum, publicum privatum habent.
Improbum diri usq; circa pectus excubant metus.
Improbum tam nil est cui non & voluptas sit sua.
Improbos nimis nec ad se Orcus ipse recipit.
Improbos suo necesse est ire more præcipes.
Integra improbis libertas, est mera, heu, licentia.
Mortuus vivusq; pœnas usque dat vir improbus.
Mortui pœnas rependunt, vivi quas effugerant.
Mortuo impio, scelestæ vitæ fœtor reliquust.
Nemo se fatetur ore, re licet sit, improbum.
Nil boni humani ne exspectes ingenio unquam ab improbo.
Non jubar Sol lippienti, sed tenebras sufficit.

Nullus

Nullus uſus improbi: omne quod facit vel peſſimum eſt
Omnibus gravis, moleſtus omnibus eſt improbus.
Peccatis orationem qui probam improbo adplicat.
Plus malo gaudet alieno, quam bono ſuo improbus.
Quod ſpeculum turpi, hoc occurſus cuivis eſt probi improbo.
Scorpius repoſtus aureo vaſe, ſcorpius manet.
Vincere improbos facillimum, arma contra ſe ferunt.

¶ Jambica.

A morte nemo fautor eſt vere improbis.
Ab improbis probi vocantur peſſimi.
Animo quieto eſſe improbus nunquam poteſt.
Deus moderatus exſecratur improbos.
Extincta ubi eſt lucerna, fœtor naſcitur.
In pauperum diteſcit exitium improbus.
Laudata improbitas, res eſt intollerabilis.
Malum malo plerumq; curant improbi.
Nec pace nec bello utilis vir improbus.
Nemo ſuo abſq; detrimento eſt improbus.
Noctu diuq; mens laborat improba.
Nulli Deus ſeſe improbo communicat.
Pœna ſatis eſt improbitas ipſamet improbo eſt.
Probo adfricare ſuam improbitatem amat malus.
Securus ecquis luſerit cum vipera?
Tandem revelat peſſimam mentem improbus.
Virgulta ab aura impulſa terrent improbum.

Improviſæ rei.

¶ Sententiæ Græcor.

Socrates: Solent plerique non ita commendare ac venerari laudatis patribus natos, ut eos qui patrum ſævitiam & immanitatē nulla ex parte imitantur. Quidquid enim boni mortalibus præter exſpectationem offertur, id omnibus in rebus longe gratius eſt, quam ea quæ uſitata & legitima ratione contingunt. *Epiſtola 7. ad Thimotheum.*

Libanius: Hoſtes armati ſupervenerant! nobis vero multitudo incuſtodita, præſidiis adhuc carens & imparata erat; cum præter ſpē obſidio contigiſſet, & noſtra iners incuria ad ſocordiā duceret: quod uſu venit quieſcentibus, ut non facile ſuſpicentur quidquam moleſti, ex propoſito ſuo alieni conjecturam facientes. *Decl. 31.*

¶ Romanorum.

Ennodius: Cautius à prudentibus nota quam inopinata fugiuntur. *Dict. 9. § 3.*

Tacitus: L. Apronius Cattis adeo improviſus advenit, ut quod imbecillum ætate aut ſexu, ſtatim captum aut trucidatum ſit. *libro primo Annalium cap. 56.*

Idem: Hoſti ſonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto majora offunduntur: cadebantque ut rebus ſecundis avidi, ita adverſis incauti *lib. eodem Annalium cap. 68.*

Eumenius: Etiam immenſam Bructeris vaſtationem feciſti, Imperator invicte. in quo prima conſilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto inopinantes adortus es; non quo aperto Marti diffideres, ut qui palam congredi maluiſſes, ſed illa natio perfugiis ſilvarum & paludum bellum ſolita fruſtrari, fugæ tempus amitteret. cæſi igitur innumerabiles, capti plurimi. *cap. 12. Panegyrico Conſtantino Aug.*

Ammianus Marcellinus: Conſtantius ſuper navium foros ponte contexto Iſtrum tranſgreſſus, populandis barbarorum incubuit terris. qui itinere feſtinato præventi, nec ſpirare auſi, nec ſtare, ſed vitantes exitium inſperatum, ſemet omnes effuderunt in fugam. ſtratisque plurimis quorum greſſus vinxerat timor, ii quos exeruit celeritas morti, inter latebroſas convallesmontium occultati, videbant patriam ferro pereuntem. *lib. 17. cap. 24.*

Idem: Attuarios adortus ſubito nihil metuentes hoſtile, nimiūque ſecuros, quod ſcrupoſa viarum difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiiſſe meminerant Principem, ſuperavit negotio levi Julianus: captisque plurimis & occiſis, orantibus aliis qui ſuperfuere, pacem ex arbitrio dedit. *lib. 10. cap. 25.*

Symmachus: Quæcunque ſubito, nullo opinante proveniunt; nec ad culpam Judicis referri poſſunt; & populum rationis ignarū, inſperata novitate perturbant. *Epiſt. 26. Auctuario.*

¶ Poetarvm.

Terentius Phorm. *1.* ſc. *5.*

Incertum eſt quid agam, quia præter ſpemata & incredibile
hoc mihi accidit.
Ita ſum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum in-
ſtruere.
Quamobrem omnes, cum ſecunda res ſunt maximè, tunc
maximè
Meditare ſecum oportet, quo pacto adverſam aruminā ferāt.
Pericla, damna, exilia, peregre rediens ſemper cogitet.
Aut filij peccatū, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc, fiere poſſe: ut ne quid animo ſit novum:
Quidquid præter ſpē eveniat, omne id deputare eſſe in lucro.
G. O Phædria, incredibile eſt, quanto herū ante eo ſapientia.
Meditata mihi ſunt omnia mea incōmoda. herus ſi redierit,
Molendū uſq; in piſtrino. Vapulandum. habendæ compedes.
Opus ruri faciendum. horum nil quidquam accidet animo
novum.

Imprudentiæ.

¶ Monosticha Trochaica.

Damna cuiq; plurima infert curſus imprudentia.
Imprudentiam fateri, ſumma vel prudentia eſt.
Pleraq; in præceps trahit, etiam ſe quoq; imprudentia.
Præcipitat quacunq; ſecum territa imprudentia.
Sæpius quis plus imprudens, quam ſciens fecit boni.

¶ Jambica.

A ſatuo differt voce imprudentia.
Falli ferè conſuevit imprudentia.
Non eſt ſapientis dicere, Non putaveram.
Stultitia paſſim quæſtus imprudentia.

Impudentiæ.

¶ Sententiæ Patrvm Græcorvm.

S. *Iſidorus Peluſiota*: Ne eum, qui ſolers aliquid feciſſe viſus eſt, accuſes: verū eum, qui ne tanta quidem facilitate ac manſuetudine melior factus eſt. Nam ille, quod exiſtimaſſet eum, qui in manifeſto crimine deprehenderetur, in impudentiam converſum iri, ultro ac ſponte ei latendi poteſtatem dedit. Hic autem ſapientiā ſtultitiam eſſe arbitratus, quod ſe minime deprehenſum eſſe exiſtimaſſet, impudentiam ſuam aluit, hominem de ſe bene meritū contumeliis remunerans. *lib. 2. Ep. 118.*

S. Iſidorus Peluſiota: Congreſſus mecum vir quidem præclarus, atque & nobilitate, & moribus ornatus cum lacrymis mihi expoſuit, quoſdam quibus virtus haud parvæ curæ eſt, in privato confeſſu hæc de vobis verba habuiſſe: Quid turpium ac tacendorum vitiorum iſti clam perpetrare verebuntur, qui cum tam perſpicue immodeſti ac petulantes ſint, non erubeſcunt? Quid obſcuriorum ſcelerū non admiſerint, qui etiam de manifeſtis gloriantur? quonam pacto conſiliis ullis caſtigari ac meliores effici queant, qui etiam prudentes viros irrident? Quonam pacto reprehenſi ſceleribus ſuis finem imponant, qui etiam reprehendentibus obtrectant, eoſque maledictis lacerant? Quonam pacto divina oracula vereantur, qui eas fabulas etiam & figmenta eſſe ducunt? Quonam pacto judicium pertimeſcant, qui per opera ſua ne illud quidem eſſe proclamant? Quonam pacto Chriſti verbis optemperabunt, qui per ea, quæ perpetrant, Epicurum prædicant? *lib. 2 Ep. 253.*

S Iſidorus Peluſiota: Jocari potius, quam ſerio loqui videris. Ut ut autē libeat (dicam enim quod verum eſt, nec reticebo) quandoquidem quotidie quæris, Quid igitur faciendum eſt? Ego viciſſim ex te quæram, quid igitur dicendum eſt? Nam ſi nec ab inertia, nec à luxu abſtineas, nec a communibus rebus manum abſtineas, nec pecunias congerendi, atque ex alienis calamitatibus commoda tua comparandi, atque, quæ pauperum ſunt, avertendi finem facias, quid dicam non habeo, Sin autem vere ac ſerio pœnituerit, ut intelligas, hæc quæ facis facere deſine: atque ita facilius & citius improbitatem depoſueris. *lib. 2. Epiſt. 185.*

S Iſidorus Peluſiota: Audio vos, cum ea vitia, ad quorum magnitudinem nihil accedere poſſit, palam deſignetis, flagitia tamen veſtra voluntate minora exiſtimare: & cum non audenda facinora audaci animo perpetretis, timidos tamen vosipſos atque ignavos eſſe cenſere, propterea quod id omne quod voluptas veſtra fert, operibus conſpicuum facere nequeatis. Quapropter ſi verus hic rumor eſt, ab hujuſmodi animi inſtituto abſiſtite, ne aliqui furiæ quædam, aut demones, humanam formam gerentes, eſſe exiſtimemini. *lib. 3. Ep. 221.*

¶ Philosophorum.

Theophraſtus Ethicis Character: Impudentiam definire licet, fame neglectum turpis quæſtus gratia. Impudens autem is eſt, qui ſolet pecuniam mutuo rogaturus ad eum accedere cujus aitqui per fraudem detineat: deinde quum ſacra diis facit, carnes victimæ ſuæ ſale aſperſas, condit, ipſe apud alium Cenans: atque ibi pediſſequū ſuum compellans, ſublatis de menſa carnium fruſtro, & pane, in omnium auribus, Tu, vir honeſte, inquit, epulare hilariter. In macello quando obſonatur, lanium meminiſſe jubet, ſi nulla unquam in re fuerit de eo bene meritus: deinde autem trutinæ aſſiſtens, principio quidem carnes: ſed ſi id non poſſit, os ſaltem aliquod in lancem injiciet: quod ſi auferre queat, id optime: ſi non, tum ille è menſa vel aliquod inteſtinorum fruſtrum rapiet, & cum riſu diſſidet. Jam ſi peregrinis apud ſe divertentibus locum in theatro ad ſpectandum

emerit, ipse quoque nullo pro capite suo dato ære spectatum veniet: quinetiam liberos suos cum pædagogo eodem secum postero die ducere non dubitabit. Quæcunque autem parvo empta ferentem aliquem viderit, sibi quoque communicari jubebit. Et ubi ad ædes alienas venerit, vel ordeum, vel si ususita tulerit paleam mutuaturus, eos coget à quibus acceperit, id quod dederint domum sibi apportare. Sæpe etiam in balneis ad aënum accedens postquam arytænam mersam replevit, sese ipse, non sine magno balneatoris clamore, perfundit: dein discedens, Lavi inquit: & ad balneatorem conversus, Ego vero, ait, gratiam tibi nullam.

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus 1172.

Vt lator, cum primum colorem hunc intuor
Tuum. nam mihi videris ad negandum ita,
Et contradicendum instructus: & in tepalam
Illud populare verbum effulget: quid tu ais:
Quid est? alicui videare pati injuriam,
Quam tu infers alteri: & damnum accipere aut malum.
Quod tu das alteri: plane hoc scio, quod probe
Possis: nam ipso è vultu aspectus micat Atticus.
Nunc ergo ut me, quem perdideras, serves, vide.

Aristophanes Equitibus v. 322.

Nonne primo statim
Impudentiam tuam
Exeruisti? quæ unica
Omnium est dux rehtorum
Hac tu fretus, fructuosos
Decerpis nunc hospites.

Plautus Truculento 4. sc. 2. v. 52.

Nihili me. perdidi omne quod fuit: fio impudens.

Terentius Andronæ 5. sc. 3.

—— ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat?

¶ Emblematis.

Had. Junius Emblemate 45.

Pernix accipiter, piscis, Nili incola dirus
Equus, quid ordine harent?
Symbolon hoc loquitur Phariatria verbula genti,
Deus odit impudentes.

¶ Monosticha Trochaica.

Impudens ubi senecta, juventa est impudentior.
Impudentia ignorantes veritatem existimant.
Muscane sis: turpius nil ejus impudentia.
Non dolet factum obscelestum turpis impudentia
Os habet quidem sed expers janua, impudentia.
Publice malum ac privatim maximum impudentia est.
Sero præstat ire quam nunquam obviam impudentiæ.

¶ Jambica.

Dux maxima est, ad turpia impudentia.
Haud morbus exstat major impudentia.
Homine impudente an quidpiam confidentius?
In impudentem quodlibet cadit scelus.
Ipsa nihil citiosius impudentia est.
Mirum vero impudenter mulier si facit.
Multi beati sunt ob impudentiam.
Per sape quæstus stultitiæ impudentia est.
Qui perdidit omne quod fuit, fit impudens.
Senum nepotes impudentiam imbibunt.
Tegitur quoq; ignorantia impudentiâ.

Impudicitiæ.

¶ Sententiæ Græcorum.

Chrysostomus: Quando concreta defluxio in unum locum cogitur membrum fit mortuum, & sensu defectum; & sive usseris, sive secueris, sive quidvis feceris, non sentit: ita etiã illi qui se semel dederunt impudicitiæ, etiamsi instar ignis, etiamsi instar ferri orationem eis applicaveris, nihil eos tangit, nihil ad eos pervenit. est enim plane mortuum eorum membrum & nisi eis ademeris sensus vacuitatem, ut membra sana tangas, frustra facis omnia. *Homilia* 13. *ad Ephesios.*

S. Salvianus: Quis nescit Africam totam obscenis libidinum tædis semper arsisse? non ut terram ac sedem hominum, sed ut Ætnam putes impudicarum fuisse flammarum. Nolo assertionibus meis credi; quis non omnes Afros impudicos generaliter sciat, nisi forte ad Deum conversos? sed hoc tam rarum est ac novum, quam quemlibet ganeonem non esse ganeonem, aut quemcumque sævum non esse sævum. tam infrequens enim hoc, impudicum non esse Afrum, quam novum & inauditum Afrum non esse Afrum. ita enim generale in eis malum impuritatis est, ut quicunque ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur. *lib. 7. de gubern. Dei.*

Salvianus: Difficile est impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata: & difficile est pudicitiam verbo exigi nisi fuerit exacta. quod Wandali scientes sic impudicitiam summo verunt, quod impudicas conservaverunt, non interficientes mulierculas, infelices, ne vitiorum curam crudelitate respergerent, & dum peccata auferre cuperent, in peccatorum resecatione peccarent. Sed ita errantes emendaverunt, ut factum eorum medicina esset, pœna non esset: jussere siquidem & compulere omnes ad maritalem thorum transire meretrices, scorta in conubia verterent; ut quia cohiberi incontinentia sine hac carnalis usus permixione non posset, ita legitimum usum calor corporalis acciperet, ut peccatum incontinentia non haberet. in quo non id modo provisum est, ut viros feminæ haberent quæ sine viris esse non possent; sed etiam ut per conservatores domesticos salvæ essent quæ se ipsas servare nescirent, & adhærentes jugiter tabernaculo maritali, etsi ad improbum eas facinus consuetudo anteactæ impuritatis illiceret, conjugalis custodia ab improbitate prohiberet. addidere quoque severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes &c. *subfinem lib. 7. de gubernatione Dei.*

Zeno: Impudicitia discurrit vesana per populos: hominumque lubricas mentes libidinum flagrantibus stimulis præcipitat in furorem, non sexui parcens, non ætati, non pietati, non sibi: quia pudorem alienum qui appetit, primo suum perdit. Pure non nox illi, diesque succedit: semper enim cænosi gurgitis sui procella submergitur, dum semper exæstuans libidinis turpitudo aut veritate, aut imagine perpetratur. præmia aut tradit, aut accipit: corrumpit, aut corrumpitur: injicit amorem paulo post odium de amore factura. Seminat illicitos hæredes: crimenque nescens nominibus pietatis excusat. proprios aut negat, aut denudat affectus. Nihil prorsus existimat turpe nec pati, nec facere, dummodo in effectu conata succedant. Veruntamen in ipso fructu suo, quo expugnati pudoris alieni labe gaudere consuevit, semper infelix est. Deinde post negotium perpetratum odit & seipsam cum illo, quem vicerit. Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum. hæc aliquotiens robusta regna subvertit. hæc aut sub turpibus, aut sub crudelibus factis subjugatos thalamos triumphavit alienos. hæc viros ardore vesano femineo stipendio ipsis feminis sic incognito inopinate dispungens suam docuit expugnare naturam. Hæc libudinis mercedem vel maxime parentum, filiorum, maritorum, uxorumque in mortibus posuit. Hæc nomina pietatis nonunquam concubitu prodigioso delevit, pudicos quidem persequens, sed impudicos tantum congruenter occidens. Hæc, inquam, per momenta & parit omne, quod malum est, & peperit omne, quod pejus: nam in idolis dea est: in cultoribus vero eorum ministra. Venerandam se procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuscunque secretis.

Lasciva non linguis, non oculis, non auribus parcens, jocatur, sperat, ambit, obsequitur, Zelatur, insanit, armatur precibus, armatur & ira, similiter nonnunqam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinum commutatione varia gaudet semper, & pœnitet, ad satietatem nunquam lubrica utilitate perveniens. Desiderat facere, quod timeat publicari. totum prorsus tentat, ut sibi vendicet totum. Novum prodigii genus est. odit pudicitiam: & tamen hoc cupit videri, quod illa est. Interea miris excolit artibus sese, faciemque suam in se, quam non habet, quærit. Pingit se in seipsam: & lenocinante vario magistri medicaminis fuco vultum suum vultibus vestit alienis, hoc futura, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictaverit. nunc emendat, nunc delet, quas amaverat species: nunc subiit alias: nunc parturit novas. Manibus suis facta hydra formarum procax semper incedit: quia erubescere alienis sub coloribus nescit: non domesticis, non affinibus, non maritis nota, nõ sibi: quia nõ potest esse notum, nec verum, quod est semper incertum. *Sermone de pudicitia,*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Ense à tyrannica petulantia filium eripui, quando aliter non licuit. Etenim si prædones me & illum insequentes, cogitassent eum capientes ejusmodi protervia dedecorare: tunc etiam ad idem subsidium, prius quam prehensio facta esset, venissem. Nam è legibus talia edocti sumus & à Repub. hoc pacto etiamsi nullum publico lucrum cædes attulisset, pro ipso certe qui de externis periclitabatur necessario facta fuisset. Nam si pro temperantia moriendum ei fuit, & ne ab hac exciderer, nonne majora minoris pretii rebus emerentur? *Declamat.* 27.

¶ Romanorum.

Calpurnius flaccus: Raptus est mihi frater pessimis comitibus & perditis. duce namque luxuria, & subremigante, seu potius velificante, nequitia, in illos nequitiæ scopulos, & ipsa famæ suæ naufragia delatus. *Controversia* 20.

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 3. sc. 2. v. 22.

—— Potin ut abstineas manum?
Nam certo si sis sanus, aut sapias satis.
Quam tu impudicam esse arbitrere & pradicas,
Cum ea tu sermonem nec joco, nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissimo.

Mono-

¶ Monosticha Trochaica.

Citius alii septem elephantos quam cinadū unum eceulas.
Collo erecto est impudica: casta oculos non elevat.
Filiam vovet pudicam mater impudicior
Impudica non distinguit à marito adulterum
Impudicus & virile perpetravit scelus.
Impudici minime attendunt formas animarum, ast corporū.
Impudicorum quoq; cœtus fortem exolliat virum.
Mater impudica castam sic tamen vult filiam.
Maximus mulierum amator est spado, sed nil potest.
Nulla tam est incesta castam quin velit natam parens.
Parturit impudica qualibet die malum.

¶ Jambica.

Animos virorum eunuchus haud unquam exurit.
Bis impudica est, quæ pudica est legibus.
Corrumpit impudicitia aut corrumpitur.
Inter mares mulier, mas inter feminas.
Mater pudicam non pudica natam vovet.
Mens impudicam facere, non casus solet.
Sat impudica supplicij est, professio.

Impunitatis.

¶ Sententiæ patrum Græcorum.

D. *Greg. Nysseni*: Necessitas ipsa nos cogit, ut inposterum & ipsi nostra causa consilii quippiam capiamus, vel potius illiusmet causa. Nam quod ejus institutum, in illis quæ accidere prius, impeditum non fuerit; id vero hominem tam immodicum ad fastum provexit. Quamobrem ut se ipso reddatur melior, convenit forsan à nobis quoque nonnihil suspici, ut se hominem esse discat, qui nullam adversus eidem addicto sententiæ, dignitateque parcs, injuriæ vel ignominiæ potestatem habeat. *Epistola ad Flavianum.*

D. Chrysostomus: Etsi unius, inquit, est peccatum, si tamen negligatur, potest totum corpus ecclesiæ corrumpere. nam quando is qui primus peccavit pœnam non dederit, cito alii quoque idē admittent. sicut enim fermentum etiamsi sit modicum, totam massā in se transmutat; ita iste quoque si fuerit dimissus impunitus, nec in ejus peccatum juste fuerit animadversum, corrumpet & perdet ceteros. *Homilia 15. ad Corinthios 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne consequendæ veniæ atque expectatione perpetuo pecca, verum à peccato abstinendo securitatem tibi compara. Multi enim veniæ spe multis sceleribus admissis veniam minime assecuti sunt: ut qui nec ad meliorem frugem se receperint, nec veniam impetrarint. *lib. 2. Epist. 123.*

¶ Oratorum Græcorum.

Lysias: Qui in magistratu constituti aliorum tolerant crimina iniqui sunt; & ipsius impietatis auctores. *capite quinto in Andocidem.*

Libanius: Quis non erit iterum Ægysthus, ex iis qui natura quidem sunt pravi, sed propter leges modestiam colere coguntur: quādo à vobis securitatem, ô Iudices, profectam videbunt, in quorum potestate situm est, ut leges civitatum ratæ sint, vel secus. Non ergo tam ego in discrimen vocor, quam vos examen subitis, utrum improbitas odio vobis sit, & an continentiæ amatores admittatis, imo ut semel dicam; hac una sententia jura civitatis periclitantur, ut stēt valeātque vel concidant. *Orat. Oresti super matricidio.*

¶ Romanorum.

Eumenius: Nam & accesserat diuturna sceleris impunitas, quæ desperatorum inflarat audaciam, ut illam inclementiam maris quæ victoriam vestram fatali quadam necessitate distulerat, pro sui terrore jactarent; nec consilio intermissum esse bellum, sed desperatione omissum crederent. *capite duodecimo Panegyrici Constantino Cæs. dicti.*

Symmachus: Moribus scævis familiare atque cognatum est armare spiritus impunitatis exemplo. Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris evasit? *lib. 10. Ep. 44. pr.*

¶ Poetarvm.

Terentius Phorm. 5. sc. 2

Nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.
Ita fugias, ne prater casum ajunt. nonne id satius erat
Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum ei,
Vt sit qui vivat, dum aliquid aliud flagitij conficiat.
C. Planissime. Dis nunc pramium est, qui recta prava faciunt.

Guntherus lib. 1. v. 478.

—— Plus sape nocet patientia regis,
Quam rigor: ille nocet paucis; hac incitat omnes
Dum se ferre suos sperant impune reatus.

¶ Apologorum.

Phædrus Fabula 34.

Laceratus quidam morsu vehementis canis
Tinctum cruore panem immisit maleficis.
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Æsopus; noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent.
Cum scierint esse tale culpa pramium.
Successus improbum plures allicit.

Phædrus Fab. 44.

Successus ad pernitiem multos devocat.
Æsopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. assem deinde ei dedit.
Sic prosecutus: plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere possis monstrabo tibi:
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies pramium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit:
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprensus namq; panas persolvit cruce.

De Philosopho Cynico, qui percussori suo argentum dedit, Fab. 172.

Philosophus Cynicæ sectæ in jurgio colapho percussus, non solū commotus non est, verum etiam percussorem argenteo numo donavit. Quod quum omnes, qui aderant, admirarentur, dicerentq; cum dignum iterum cædi: nescitis nunc, inquit quid egerim: Scitis autem post ea. Haud longo tempore percussor ille volens quendam alium cædere (sperabat enim aliquid fortasse lucrari) letale vulnus accepit. Mortem igitur sibi imminere sentiens: Quanto melius, inquit, mihi fuisset, colapho à Cynico repercuti, quam numo etiam aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatem peccandi potius, quam pœnam interdum nocuisse. Abstemius.

¶ Emblematis.

Had. Junius Emblmate 42.

Insultant pavida hic natio musculi
Clausis muscipula carcere felibus.
Sublatoq; metu forte periculi
Crescit tunc animus degeneri insolens.

¶ Monosticha Trochaica.

Difficile iis supere est, impune quævis facere quein licet.
Iam locum haud habere pœnæ, impunitatis est genus.
Maxima illecebra delinquendi est impunitas.
Nil reliquit impunitum dextra providentia.
Premio, imo impunitate nullum non acuas maluxa.
Summa peccandi illecebra est, pestilens impunitas.

¶ Jambica.

Absente fele, musculi ducunt choros.
Impune quidvis facere, vere regium est.
Impune etsi peccas, non lates Deum.
Impunitas cujusq; nutrix criminis:
Impunitas nutricula impudentiæ est.
Impunitas parens est impudentiæ.
Invisa quæ sunt ne impunita dixeris.
Magna usq; abest impunitas conatui
Malefacta cuncta impune aufert potentia.
Nihil Dei impunitum providentia est.
Nutricula est scelerum omnium ipsa impunitas.
Quidvis mali parit fovetq; impunitas.

Impuritatis.

¶ Sententiæ Græcor.

Theophrastus Ethicis Character: Impuritatem vero definire non est difficile: Est siquidem jocus ludusve nimis ac flagitiosus. Impurus vero is est qui si in liberas mulieres incidat, veste subducta pudenda illis ostendat. In theatro reliquis tacentibus, ipse plaudit: & quos alii libenter spectant, ipse sibilis consectatur: & toto theatro ad spectandum intento, ipse resupinato corpore ructat, ut qui sedent oculos avertere necesse habeant. Ac quando maxime frequens est forum, ad nuces, mala, & reliquos omnis generis fructus accedens, ibique stans, de iis comedit, sermones interea cum eorum venditore sereus. Non etiam dūbitat prætereuntium aliquem, nulla sibi familiaritate junctum, nominatim compellare: & si quem aliquo properantem videat, jubebit expectare. Solet etiā ad eum qui in grandis pecuniæ judicio causa cecidit, redeuntem è

judicio

judicio accedere, & ei gratulari: quumque sibi obsonia emerit, & tibicinas conduxerit, ut cuique obvius fuerit factus, obsonia illi ostēdere, & ad ea invitare. idemque ad tonstrinā aut tabernam unguentariam astans, narrat velle se mox ad ebrietatem usque bibere. Vinum vendens, etiam amico dilutum dabit. Ad ludos quando maxime spectandum est, liberos suos ire non sinit: tunc sinit, quando gratis per theatrorum redemptores licet spectare. Si legatus peregre proficiscatur, relicto domi viatico quod publice accepit, à legationis sociis mutuo rogabit. Moris etiam habet famulum itineris comitem, onerare quidē sarcinis supra modum, victum vero ei suppeditare anguste nimis & infra modū. Lautia si cum aliis acceperit, suā portionem petit, ut eam statim vendat. In balneis lavans, puerulo appellato, Nam hercule tu, inquit, oleum nimis rancidum mercatus es: & simul alieno se injungit. Quod si quos pueri nummulos æreos, ut fit, in via repererint, partem inde sibi poscet, illud usurpans, Mercurium esse communem. Ejusdem hominis sunt hæc quoque. Phidonia mensura si quid metiatur, eam adhibet, cujus sit fundum collusum & introrsus adactum: domesticis suis demensum ipse per quam studiose radens metitur & si triginta minas solvere habeat, ut quatuor tamen drachmæ de solido deesse rentur, operam dabit. quando etiam tribuleis convivio accipit, solet pueris suis obsonia è communi postulare: dimidiatos vero raphanos, si qui forte de mensa tollantur, annotat, ne eos pueri ministrantes capiant.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Iesus Christus Dominus noster: Advocata turba, dixit eis, Audite & intelligite, Non quod ingreditur in os, polluit hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem. Quicquid enim ingreditur in os in ventrem cedit, & in latrinam ejicitur. Quæ autem proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa polluunt hominem. Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, obtrectationes. Hæc sunt quæ polluunt hominem: illotis autem manibus vesci non polluit hominem. *Matth. 15. 10. 17. &c.*

¶ Monosticha Trochaica.

Cuncta ceu sunt pura puris, sic impuris alterum est.
Inquinato è vase puri nulla gutta profluat.
Melle vas repletum amaret guttula una absinthij.
Pura purus tange: qui non purus est cuncta inquinat
Puras si in vas ingerantur fadidum, amittunt decus.

¶ Jambica.

Purgare alios impurus ipse quei queat?
Purum est attingere impuro nefas.
Purum vel impuri afflatu inquinaveris.
Purum, vel impuri ipso odore, fert notam.

Incantationis.

¶ Sententiæ Patrvm

Nazianzenus: Discedebat in quoddam adytum plerisque inaccessum & horrendum (quemadmodum utinam in infernum quoque, priusquam in hujusmodi scelera prorumperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est hominem in hujusmodi rebus sapiētem, vel potius sophistam. Nam hoc quoque apud ipsos divinationis genus est, ut in caliginoso quodam specu cum subterraneis dæmonibus ob res futuras congrediantur: sive quia tenebris magis oblectantur (ut qui ipsi tenebræ quoque sint, ac tenebrarum vitii artifices) sive quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem & congressum fugiunt, ex iisque infirmiores redduntur. Ut autem egregium virum progredientem, terrores adoriri cæperunt, ac subinde plures & formidabiliores (sonos quosdam insuetos, ajunt, tetrosque odores, atque ignea spectra & nescio quas nugas & deliramenta) rei novitate perculsus (harum enim rerum studium sero amplexus fuerat) ad crucem vetusque remedium confugit, hocque se adversus terrores consignat, eumque, quem persequebatur, opitulatorem ascisc it. Ac quæ sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. *Oratione seliscentica in Iulianum prima.*

Chrysostomus: Amuleta, etsi de iis millies philosophentur qui ex iis rem faciunt, dicentes, Deum invocamus, & nihil amplius facimus, & quæ sunt hujusmodi, & Christiana est, inquit, vetula & fidelis, ea res est idololatria. Es fidelis, signa te. dic, hæc arma habeo sola: hoc medicamentum, aliud autem nescio, Die mihi, si quis accesserit medicus, & medicinæ dimissis medicamentis incantet, eumne dicemus medicum? Nequaquam. Medicinæ enim non videmus medicamenta. ita nec hic Christianismi. Alii autem rursus applicāt nomina fluviorum, & alia audent innumerabilia. Ecce dico & prædico vobis omnibus, quod si quispiam fuerit deprehensus, non parcam iterum, sive amuletum, sive incantationem, sive hujus artis aliquid aliud faciat. Quid vero? moriretur, inquit, infans. Si sic vixerit, tunc morietur. Sin autem absque illis mortuus fuerit, tunc vivit. Nunc autem si videris quidem filium versantem cum meretricibus, optas eum in terra infossum & dicis, Quid ei prodest vivere? Videns autem eum venire in periculum salutis, vis videre eum vivum? Non audivisti Christum dicentem, qui perdidit animam suā, inveniet eam. Qui autem invenit, perdet eam? Credis iis quæ dicta sunt, an tibi videntur esse fabulæ? Dic mihi, si quis dixerit, Duc in templum idolorum, & vivet, patieris? Non, inquit. Quare? Quia cogit colere idola: hic autem non est idololatria, sed solum, inquit, incantatio. Hæc est cogitatio Satanica, hæ sunt diabolicæ insidiæ, tegere impostūram, & in melle dare venenum. Quoniam novit se illa non persuadere, hac via est ingressus ad amuleta & aniles fabulas. Et erux quidem affecta est ignominia: literæ autem in majori honore sunt habitæ. Christus fuit ejectus, & introducitur anus ebria & delirans. Conculcatum est nostrum mysterium & choros ducit fraus diaboli. *Homilia 8. ad Colossenses.*

Io. Sarisberiensis: Quid de necromaticis, dicam, quorum impietas Deo auctore, per se ipsam ubique jam voluit: nisi quod morte digni sunt, qui à morte conantur scientiam mutuare? *lib. 2. Policratici cap. 27.*

¶ Philosophorum Græcorvm.

Lucianus: Tychiades. Potes mihi Philocles dicere, quidnam id tandem sit, quod multos in mentiendi cupiditatem adducit, ut pariter gaudeant, quum & ipsi nihil sani loquuntur, & his qui talia narrant, maxime animum intendant? *Phil.* Multa sunt, Tychiade, quæ nōnullos mortales mentiri compellunt, quia in rem vident conducere. *Tich.* Nihil ad rem hæc, ut ajunt, neque enim de his rogabam, qui quum usus postulat, mentiuntur. venia nimirum hi imò laude plerique eorum sunt digni, quicunque vel hostes fefellerunt, vel ad salutem tali pharmaco in periculis usi sint: qualia multa Ulysses etiam fecit, ut & vitam suam & sociorum reditum redimeret. Sed de illis vir optime dico, qui nulla necessitate veritati mēdaciam anteponunt, ipsa re delectati, in eaque sine ullo prætextu idoneo versati. Quare scire velim cui bono isti illud agant. *Phil.* An alicubi tales aliquos jam deprehendisti, quibus insita sit hæc mentiendi libido? *Tych.* Et complures quidem sunt istiusmodi. *Phil.* Quid aliud ergo in causa sit, quod mentiuntur, nisi dementia? siquidem rem pessimam optimæ loco præoptant. *Tych.* Hoc nihil est, nam ego tibi multos ostenderim ad cætere prudentes, ac sapientia mirabili: nescio quo pacto tamen hoc malo captos, mendaciique studiosos, adeo ut ego certe moleste feram, quod viri tales, cæteris omnibus in rebus optimi, gaudent tamen & se, & eos in quos inciderint, fallere. Nam veteres illi, quod tibi notius quam mihi esse debet, Herodotus, Cresiasque Cnidius, & ante hos poetæ, & ipse Homerus viri celebres, mendatiis scriptis usi sunt, ut non solum eos fallerent, à quibus tunc audiebantur, sed ad nos etiam mendacium per manus traditum perveniret, in pulcherrimis versibus, metrisque servatum.

Me ergo sæpe illorum versuum nomine subit pudor, siquando cæli sectionem, ac Promethei vincula recensent, gigantumque rebellionem, atque omnem illam de inferis tragœdiam. Et ut ob amorem Jupiter in taurum, & cygnum versus sit: atque mulier mutata in avem, vel ursam. Præterea Pegasos, Chimærasque, & Gorgonas, & Cyclopas, atque id genus omnia, admodum absurdas monstrosasque fabulas, & quæ puerorum mentes afficere queant, qui larvam adhuc, laminamque metuunt. Atqui poetica forte sunt tolerabilia. Jam vero & urbes, & gentes multas, una voce publiceque mentiri, qui non sit ridiculum? Veluti quum Cretenses Jovis sepulchrum ostendere non pudet: Athenienses Erichthonium editum é terra ferunt: primosque illos homines in Attica olerum morte ex terra emersisse. Hi multo verecundiores quam Thebani, qui ex dentibus serpentis, sativos quosdam progerminasse narrant.

Quod si quis hæc, cum sint ridicula, non pudet esse vera: sed ea prudenter examinans, Corœbi cujuspiam, aut Margitæ existimet esse credere Triptolemum in alatis draconibus per aerem vectum esse, aut Pana Marathonem suppetias ex Arcadia venisse, vel Orithyā à Borea raptam esse, impius nimirum hic, atque insanus videatur eis, quippe tam manifesta, veraque non credat, usque adeo obtinet mendacium.

Phil. At Poetis Tychiade, urbibusque fuerit fortassis ignoscendum. Nam illi delectationem illam quæ ex fabula proficiscitur, us quæ maxima sit illecebra, poematibus suis immiscent, qua potissimum erga auditores opus habent. Athenienses vero & Thebani, & siqui sunt alii, patiræ suæ plus majestatis ex his figmentis cōciliant. quod siquis fabulas auferat è græcia, nihil obstiterit quominus earum explanatores fame intereāt, cum nullus sit hospitum qui veritatem gratis audire velit. At siqui nulla tali de causa, gaudent tamē mendacio, hi omnino ridiculi merito videantur.

Tych. Recte dicis: nam ego protinus ab Eucrate illo celebri venio, ubi multa incredibilia ac fabulosa cum audissem, imo vero medio in sermone discessi non ferens narrationem tam supra fidem: sed me velut furiæ quædam abegerunt, dum monstrosa multa atque absurda referret.

Phil, Atqui Tychiade, vir gravis est Eucrates: & nemo certe crediderit illum tam prōmissa barba virum sexagenarium: & qui præterea sit plurimum in philosophia versatus, sustinuisse ut aliū quenquam audiret se præsente mentientem, nedum ut ipse tale quicquā audeat.

Tych. At nescis amice qualia referebat, tum ea quam constanter asserebat, præterea quam sancte in plerisque jurabat, admotis etiam filiis: adeo ut ego quum eum respicerem, varia mecum cogitarem: interdum quidem illum insanire, neque animo constare: interdum

terdum vero fuisse me, quod impostor esset, actantum temporis sub leonis pelle ridiculam simiam circumtulisset: adeo absurda narrabat.

Phil. Quænam illa, perlares, sunt Tychiade? Nam cupio cognoscere quamnam præstigiatutam sub tam longa barba occultuerit.

Tych. Solebam Philocles, & alias ipsum adire, si quando otio abūdarem. Hodie autem, cum esset mihi res cum Leonticho, qui ut scis, meus est amicus, edoctus à puero, eum se ad Eucratem mane contulisse, ut ægrotantem viseeret: amborum nomine, nempe ut Leontichum convenirem, & Eucratem viderem, quem ægrotare nesciebam, ad eum pervenio. At Leontichum ibi jam non invenio: nam paulo ante, ut dicebant, exiverat: alios vero confertos reperio, in quibus erat & Cleodemus Peripateticus, & Dinomachus Stoicus, & Jon: nosti virum, qui ex Platonis doctrina magnam sui admirationem expectat, ut qui solus mentem viri deprehenderit, quique ejus oracula aliis enarrare possit.

Vides quos tibi viros nomino, nimirum omni sapientia, omnique virtute præditos: utpote ipsum ex quaque secta caput, reverēdos hercle omnes, atque aspectu propemodum terribiles. Aderat præterea medicus Antigonus, ob morbi puto necessitātem vocatus: & melius jam habere se videbatur Eucrates, eratque morbus ex consuetis. Nam ei rursus humor in pedes descenderat. Ergo Eucrates me sibi in lecto assidere jussit, voce ob debilitatem paulum inclinata, quum me conspiceret: quanquam interim dum ingrederer, vociferantem eum, & vocem intendentem audieram. Tum ego diligenter cavens ne pedes ejus tangerem, ubi me vulgaribus istis verbis purgaveram, quod eum ægrotare nesciverim, quod ubi resciissem, curriculo venerim, adsedi prope. Atque illis quidē sermo erat de morbo: & quædam jam ante dixerant, quædam vero etiam tunc narrabant: præterea medicamenta quædam quisque proferebat. Cleodemus igitur, Si quis, inquit, siniſtra manu, tollens homo mustelæ dētem, sic interfectæ, ut ante dixi, in leonis recens excoriati pellem alligaverit, ac deinde circum crura posuerit, ilico sedatur dolor. Non in leonis pellem, inquit Dinomachus, ut ego audivi, sed in cervæ potius fœminæ, virginis adhuc, & nondum initæ, & res hoc quidem pacto est credibilior. Velox enim cerva est, maximeque valet pedibus: & leo quidem fortis est, pinguedoque ejus ac manus dextra, pilique qui recti è barba prominent, magnam vim obtinent, siquis iis cum proprio cuique carmine, uti noverit: at pedum curationem minime pollicetur. Et ipse quoque, inquit Cleodemus, olim sic putabam cervina pelle utendum, quia veloxest cerva. At nuper vir quidam Libycus horum peritus contra me docuit, cervis dicens velociores esse leones: quippe qui eas, inquit, etiam persequendo capiunt. Laudabant qui aderant, tanquam recte dixisset Libycus ille.

Tum ego, Putatis, inquam, incantamentis aliquibus sedari talia? aut foris admotis appendiculis, cum malum intus grassetur? Riserūt hunc sermonem meum: & palam in me magnam amentiam damnarunt, quires apertissimas ignorarem, & quibus nemo sanæ mētis contradicat, quin ita se habeant. At medicus Antigonus delectari mihi visus est hac interrogatione mea. Jam dudum enim negligebatur, opinor, cum opem Eucrati ex arte ferre vellet, denuncians videlicet vino ut abstineret, & oleribus vesceretur, denique vigorē minueret. Tum Cleodemus, subridens simul, Quid dicis, inquit, Tychiade? Incredibile tibi videtur esse, ut ex rebus hujusmodi parentur quædam adversus morbos remedia? Mihi certe videtur, inquam ego, nisi naribus adeo sim mucosis, ut credam ea quæ foris applicantur, nihilque cum his communicant, quæ morbos intus excitant, per verbula tamen ut dicitis, ac præstigiaturam operari: & quum appenduntur sanitatem immittere: quod fieri nequaquam possit, nec siquis vel in Nemei leonis pellem sedecim mustelas integras alligarit. Ego profecto leonem ipsum præ doloribus sæpe in universa sui pelle claudicantem vidi. Nimium idiota es, inquit Dinomachus. Neque unquam tibi curæ fuit, ut discerēs quonam modo admota morbis prosint. Ac mihi videris ne notissima quidem ista recipisse, periodicarum videlicet harum febrium profligationes, tum serpentum demulsiones, ac bubonū sanationes, & cætera quæcunque anus ipsæ jam faciunt. Quod si illa fiunt omnia, cur tandē non putabis hæc rebus similibus fieri? Infinita, inquam, congeris Dinomache, clavumque ut ajunt, clavo extrudis. Neque enim constat ea quæ commemoras, ejusmodi vi fieri. Quamobrem nisi allata ratione persuaseris natura fieri posse, ut febris tumorque vereatur aut nomen aliquod divinum, aut dictionem aliquam barbaricam, ob idque ex inguine fugiat, aniles adhuc fabulæ sunt quæcunque retulisti.

Tu mihi videris, inquit Dinomachas, quum ista dicis, ne Deos quidem esse credere: siquidem putas fieri non posse, ut per sacra nomina remedia morbis adferantur. Hoc, inquam ego, vir optime ne dixeris: nihil enim prohibet, etiamsi Dii sint, quominus ista sint vana. Ego vero & Deos colo, & medelas eorum video, & levamenta quæ laborantibus conferunt, pharmacis videlicet, atque arte medica restituentes. Itaque Æsculapius, ejusque posteri salutaria pharmaca admoventes medebantur morbis: non leones aut mustelas circumligantes. Mitte hunc, inquit Jon. Ego vobis mirabile quiddam narrabo. Eram adhuc adolescentulus, annos ferme quatuordecim natus, quum quidam ad patrem meum venit nuncians ei, Midam viris cultorem, servum in rebus etiam aliis robustum & industrium, circa plenum forum, à vipera morsum jacere jam putrefacto crure. Etenim dum ligaret palmites, ac vallis circumplicaret, adrepentem bestiolam maximum ei pedis momordisse digitum. Tum illam quidem illico aufugisse, & sese rursus in latebram condidisse, illum vero doloribus pereuntem ejulare. Hæc ergo cū nuntiarentur, jam Midam ipsum videbamus lectica domum à conservis adportari, totum inflatum, lividum, ac superficie putrescentem, vix jam spirantem. Ergo patri mœrenti, amicorum quispiam, qui rum forte aderat, Bono animo es, inquit, ego enim virum quendam Babilonium ex Chaldæis, quos vocant, protinus huc adducā, qui sanabit hominem. Et ne diem narrando conteream, venit Babylonius, ac Midam restituit, fugato ex corpore veneno quadam incantatione, & ad pedem ejus appenso virginis defunctæ lapillo, quē è columna exciderat. E hoc quidem forsitan mediocre fuerit. Tum Midas ipse sublato, in quō allatus erat, scabello, discessit in agrum: tantum potuit incantatio, & columnaris ille lapis. At idem Babylonius alia præterea plane divina fecit. Nempe in agrum profectus mane, pronunciasset sacra quædam ex vetusto codice septem nomina, sulfure ac face lustrato loco, in orbem ter ambulans, serpentes omnes excivit, quicunque intra eam regionem erant. Veniebant ergo tanquam ad incantationem tracti serpentes multi, aspides, viperæ, ceraſtæ, jaculi, phrenes, physali. Supererat unus draco, annosus, qui, ut opinor, ob senectam prorepere non valebat, nec dicto audiens fuerat. At magus, non adsunt omnes, inquit. Tum unum quendam ex serpentibus, eum qui natu minimus erat selectum, ad draconem misit legatum, ac paulo post venit etiam ille. At postquam jam collecti constitussent, Babilonius in eos spiritum emisit: atque omnes protinus flatu inceſi sunt: quod nos admirabamur.

Tum ego, dic mihi, inquam, Jon. serpens ille legatus, juvenem illum dico, utrum manu deduxit draconem, qui jam, ut ais, senuerat: an ille baculū gestans initebatur? Ludis tu quidem, inquit Cleodemus. At ego qui & ipse quoque olim minus talia credebam quā nunc tu: putabam enim nulla ratione fieri posse, ut ea crederem: tamen volantem primum conspicerem peregrinum illum barbarum (erat autem ex hyperboreis, ut ajebat) credidi, & victus sum, postquam diu repugnassem. Quid enim fecissem, quum eum cernerem in aëre volantem, idque interdiu, ac super aquam ingredientem per-que medium ignem incedentem. idque lente ac sensim? Tu-ne inquam ego, ista videbas, nempe Hyperboreum volantem. aut super aquas ambulantem? Et maxime, inquit ille, carbatinas indutum, quo potissimum calceamenti genere illi utuntur. Nam minutula ista, quid attinet referre, quæcunque fecit, quo pacto amores immiserit, ac dæmones exegerit, mortuosque marcidos in vitam revocarit, atque Hecatem ipsam conspiciendam exhibuerit, lunamque è cœlo detraxerit? Quin ego vobis referam, quæ ab eo fieri conspexi in Glaucia Alexiclis filio. Glaucias hic cum patris nuper defuncti facultates suscepisset, Chrysidem Demæneti filiā amabat: ac me quidem præceptore in disciplina utebatur: ac nisi amor ille à studio deduxisset eum, universam Peripateticorum doctrinam perdidisset: qui cum esset annos natus octodecim, analyticam tenebat, & physicam auscultationem ad finem usque percurrerat. Amore tamen victus, rem omnē mihi significat. Ego quemadmodum par erat, quippe qui præceptor eram, hyperboreum illum magnum ad eum duco, conductum quatuor minis in manum ilico datis: quiddam enim erat ad sacrificia præparandum: tum sedecim, si Chrysidē potiretur. Ille vero crescentem observans Lunam (nam tunc ut plurimū hujusmodi sacra peraguntur) fossam cum effodisset in aperto quodā loco domus sub dio, circa mediam noctem evocavit nobis, primum quidem Anaxiclem Glauciæ patrem, ante septem menses defunctū. Succensebat autem ob amorem senex, atque indignabatur. Tandem ei permisit, ut amaret. Postea vero Hecaten quoque eduxit, adducentem una Cerberum. Tum Lunam detraxit, multiforme quoddā spectaculum, & quod alias aliud apparebat. Primum quidem muliebrem formam referebat: deinde in vaccam formosam vertebatur: postremo vero catula videbatur. Hyperboreus ille tandem, cum finxisset quendam è luto Cupidinem: Abi, inquit, atque huc perducas Chrysidem. Tum protinus lutū evolavit: paulo post adfuit illa pulsans ostium: quæ ingressa Glauciā complectitur ut quæ ipsum insanissime deperiret: cum quo versata est, quoad gallos canentes audivimus. Tum vero Luna subvolavit in cœlum, Hecate terram subiit, cæteraque spectra disparuerunt: & Chrysidem ferme circa diluculum dimisimus. Hæc si vidisses, Tychiade, non amplius dubitasses, multa in carminibus esse commoda.

Bene dicis, inquam, ego credidissem equidem, si vidissem ea: nunc vero ignoscendum mihi puto, si qualia vos videtis, acute perspicere non possum. verumtamen Chrysidem illam, quam dicis, novi, mulierem meretricem ac facilem. Nec video sane cujus gratia ad illam luteo illo legato, magnoque ex Hyperboreis, ipsaque luna egueritis, quippe quam viginti drachmis in Hyperboreos usque ducere potuisses. Mirifice enim huic incantationi se dedit mulier, & contrarium his spectris habet. Nam quidem audito æris ferri-ve sono fugiunt: etenim vos hæc dicitis: illa vero sicubi argentum sonuerit. Præterea ipsum etiam magum admiror, quod cum ditissimas mulieres in sui amorem possit pellicere, ab iisque solida talenta accipere, is quatuor minarum, tantilli lucri avidus, Glauciam amoris compotem fecerit. Ridicule facis, inquit Jon, qui nihil credis. Ego igitur libenter te rogarim quid de his respondeas, qui dæmoniacos liberant terroribus, adeo manifeste spectra illa carminibus expellentes. Atque hæc non opus est me dicere, verum omnes noverunt, Syrus ille ex Palestina, qui harum rerū artifex est, quam multos suscipiat qui ad Lunam concidunt, oculosque distorquent, spumaque os opplent: quos tamen erigit, ac sanos remittit,

mittit, magna accepta mercede, diris eos malis liberans. Etenim quũ jacentibus supervenit, rogavitq; unde in corpus ingressi sint, ægrotus quidem ipse tacet, sed dæmon respondet, Græca, vel barbarica lingua, vel patria loquens, quomodo, & unde in hominem intravit. Ille vero adjurans eum, ac ni pareat, minitans etiam, abigit dæmonem. Quin ego quoque dæmonem, nigrum, & colore fumidũ exeuntem vidi. Non magnum erat, inquam ego, talia Jon te cernere, cui ipsæ etiam apparent Ideæ, quas vestræ familiæ parens ostendit Plato, rem spectatu tenuem, quantum ad nos homines luscioſos. Ita-ne solus Jon, inquit Eucrates, istiusmodi vidit? annon alii etiã multi inciderunt in dæmones, alii noctu, alii interdiu? Ego profecto non semel, sed millies talia jam conspexi: ad quæ primum quidem turbabar: sed nunc ita sum assuetus ut nihil prodigiosi videre mihi videar: maximeque nunc ex quo annulum mihi dedit Arabs, ex ferro de cruce sumpto, factum: carmenque docuit multis nominibus constans: nisi forte ne mihi quidem fidem sis habiturus Tychiade. At, inquam ego, qui non crediderim Eucrati Dinonis filio, viro inprimis sapienti, ac libere quæ sibi videntur domi privatæ cum authoritate dicenti?

Illud ergo de statua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui sunt domi, singulis noctibus apparet, tum pueris, tum adolescentibus, tum senibus: hoc non à me duntaxat audieris, verum etiam à nostris omnibus. De qua statua, inquam ego? Non vidisti, inquit, cum ingredereris, statuam quandã in atrio collocatam, perquam pulchrã, opus Demetrii, hominum fictoris? Non illam dicis, inquam, quæ discum jacit: quæ inclinata est ad emissuri gestum, reflexa in eam quæ fert discum, altero pede paulum inflexo, quæque se erecta videtur una cum jactu? Non, inquit: nam unum est ex Myronis operibus, ille disci jactator, quem dicis. Sed nec eam juxta ipsum positã dico, qui caput tæniis est victum, formosam illam, nam id Polycleti opus est, Verum eas quæ à dextra sunt egredientibus, omitte, inter quas & illi stant tyrannicidæ, Critiæ Nesiotæ plasmata. Tu vero annon ad aquam illam quæ influit, quampiam vidisti, ventre prominulo, calvam, seminudam, cujus quidam barbæ pili agitantur, insignibus venis, vero homini similimam? illam dico. Videtur esse Pelichus dux Corinthius. Per Jovem inquam ego, vidi quandã ad Saturni dextram, tænias & coronas aridas habentem, cui pectus est foliis inauratum. Ego, inquit Eucrates ea deauravi, cum me sanasset triduo algida febre pereuntem. Erat-ne etiam medicus, inquam, optimus iste Pelichus? Est, neque cavillare, inquit Eucrates: alioqui in te statim rruet homo. Novi ego certe quantum valeat, hæc quam tu rides statua. Annon ejusdem putas esse immittere febres in quos voluerit, quando quidem potest ejicere? Propitia, inquam, & benigna mihi sit hæc statua, quæ tantum valeat. Quid vero aliud facientem videtis omnes qui domi estis? Quumprimum nox est, inquit, hæc é base descendens in qua stat, in orbem totam domum circumambulat, omnesque ipsi interdum etiam canenti occurrunt, nec est quisquam quem unquam læserit divertere enim tantum oportet: illa vero præterit, nihil intuentes infestans, quum & lavat sæpe, & tota nocte ludit, ut strepentem aquam audiamus. Vide inquam ego, ne forte non Pelichus hæc statua sit, sed Talus potius Cretensis, qui fuit Minois Nam erat æneus ille, Cretæ circuitor. Quod si non ænea, sed lignea esset Eucrates, nihil eam prohiberet, quin non Demetrii opus, Dædali machina esset. Eubase nanque, ut ais, ista fugit. Vide, inquit, ô Tychiade, ne te posthac istius scomatis pœniteat. Novi quidem ego quid illi acciderit, qui obolos surripuit, quos ei quoq; novilunio pendimus. Prorsus atrocia, inquit Jon, oportebat accidere: quippe qui sacrilegus erat. Quomodo ergo illum ultus est, ô Eucrates? Nam audire cupiõ, etiamsi quam maxime Tychiades iste diffisurus est. Multi, inquit ille, ad pedes ejus oboli jacebant: item alia numismata, quædam argentea ad crus ejus affixa cera, ac laminæ quoque argenteæ: vota cujusdam, aut merces sanationis eorum qui febre fuerant liberati ab eo.

Erat autem nobis servus quidam Libycus sceleratus, equorũ curator, qui noctu aggressus est ea auferre omnia, abstulitque digressam jam cum observasset statuam. At cum primum reversus intellexit sacrilegio se compilatum Pelichus, vide quo pacto sese ultus est, atq; furti prodidit Libycum. tota nocte artium in orbem miser obambulabat, exire non valens, tanquam in labyrinthum incidisset: quoad orta die deprehensus est, ea tenens quæ furto abstulerat: ac tum quidem comprehensus plagas non paucas accipit: nec diu superstes malus male periit, vapulans singulis noctibus, ut dicebat, adeo ut postridie apparerent in corpore vibices. I nunc, & post ista quoque Tychiades Pelichum ride, ac me tanquam Minoi coætaneũ puta delirare At ô Eucrates, inquam ego, quandiu æs erit æs, operisq; plastes Demetrius Alopecensis fuerit, non Deorum, sed hominum fictor, Pelichi statuam, nunquã timebo, quem neque si viveret, mihi minantem timerem. Ad hæc medicus Antigonus, Et mihi ô Eucrates, inquit, est Hippocrates æreus, magnitudine ferme cubitali, qui duntaxat extincta lucerna, totam domum in orbem ambit, strepens & pyxides evertens, & pharmaca commiscens, & ostium subvertẽs, inprimis si sacrificium differamus, quod ei quotannis facimus. Postulat ergo, inquam ego, etiam Hippocrates medicus jam ut sibi sacrificetur, indignaturque nisi in tempore justorum sacrificiorum epulis accipiatur? quem boni consulere oportebat, si quis ei libaret, aut mulsũ infunderet, aut caput coronaret. Audi ergo, inquit Eucrates, istud certe etiam testibus probavero, quod ante annos quinque vidi. Cum esset ferme vindemiæ tempus, ego in agrum circa meridiem vindemiatum dimissis operariis, in silvam solus abibam, cogitans interim quiddam ac considerans. Ac postquam in saltũ perveni, canum primo latratus insonuit. Ego vero Mnasona filium meum cum æqualibus venientem, ludere, venarique pro more, conjiciebam. At res non sic se habebat: verum paulo post facto terræ motu, sonoque velut è tonitru, mulierem advenientem videoterribilem, proceritate ferme dimidii stadii, quæ facem in sinistra, gladium viginti circiter cubitorum habebat in dextra: erat inferne pedibus serpentinis: superne vero, Gorgoni similes, vultu diro, & horrore aspectus: pro coma draconibus, tanquam cæsarie circumcincte, aliis collũ amplectẽtibus, aliis etiã per humeros sparsis. Videtis amici, inquit, quo pacto inter narrandũ exhorrui? & simul hæc dicẽs Eucrates, ostendit omnibus brachii sui setas metu erectas. Jon ergo, Dinomachus, & Cleodemus vehemẽter inhiantes auscultabãt eũ viri senes, tanquã naribus traherentur, adorãtes sese tã incredibilem collossum, sẽmistadialem mulierem, gigantem terriculum.

Interim ego cõsiderabam, cujusmodi erant hi, qui cum juvenibus nomine sapientiæ versantur, vulgoque in admirationc habentur, cũ sola canitie & barba differant ab infantibus, quibus ipsis ad credenda mendacia sunt doctu faciliores. Tum Dinomachus, dic mihi, inquit, Eucrates, illi Deæ canes quanta magnitudine erant? Elephantis, inquit ille, proceriores Indicis, nigri & ipsi, hirsutique, sordido, squalidoque villo. Ego igitur cum viderem, restiti, inverso protinus in interiorem digiti partem, quod Arabs mihi dederat, sigillo. Hecate autem percusso draconicis pedibus solo, hiatum effecit maximum, æque magnũ atque est Tartarus. Deinde in eũ paulo post desiliit. Ego vero præsente animo porrecta cervice incitatus, inspexi, adprensa arbore quapiam, quæ vicina stabat, ne obortis mihi tenebris & vertigene, in caput præceps caderem. Tum omnia quæ sunt in inferis, conspexi, Pyriphlegethonem, lacum, Cerebrum, manes, adeo ut quosdam etiam eorum agnoscerem. Patrem enim apprime vidi, iisdem adhuc amictum, quibus ipsum sepelivimus. Quid agebant, inquit Jon, ô Eucrates animæ? Quid aliud, inquit ille, quam per tribus, familiasque cum amicis cognatisque versantur in Asphodelo collocati? Contradicant ergo etiam nunc, inquit Jon, Epicurei sacro Platoni, ejusque de anima rationibus. Tu vero num Socratẽ etiam ipsum, Platonemque inter manes vidisti? Socratem, inquit, vidi: neque tamen evidenter, nisi quod inde conjeci, quoniam calvus, ac ventricosus erat: Platonem vero non cognovi: nam apud amicos verum fateri oportet. Ergo simul atque omnia conspexi, & hiatus coijt, & ex famulis meis quidam quærentes me, atque in his Pyrrhias hic, supervenere hiatu nondum plene clauso. Dic Pyrrhia annon vera narrem. Per Jovem, inquit Pyrrhias, & latratum audivi per hiatum, & ignis à face mihi suffulgere videbatur. Atque ego risi, teste latratum & ignem in cumulum addente.

Tum Cleodemus, haudquaquam nova ista, inquit, aliisq; invisa vidisti Nam & ipse haud ita pridem cum ægrotarem tale quiddã conspexi. Visebat me & curabat Antigonus hic: ac septima dies erat, febrisque, ô qualis! incendio certe vehementior. Omnes ergo me relinquetes solum, clausis foribus foris manebant: sic enim jusseras Antigone, si quo pacto possem obdormiscere. Tum igitur mihi vigilanti juvenis quidam astitit, pulcher admodum, veste candita amictus: qui me erectum, per quendam hiatum ducit ad inferos, sicut ilico cognovi, Tantalum cum viderem ac Tityum, Sisyphumque. At cætera vobis quid commemorem? Postquam vero ad tribunal perveni, ubi erat Æacus, Charon, Parcæ, Erinnyes: quidam velut rex (Pluto certe mihi videbatur) assedit singulorum nomina percẽsens, qui morituri erant, quos diem vitæ præscriptum jam præteriisse contigerat. Illi adductum me juvenis exhibuit. At Pluto tunc incanduit: eiq; qui me ducebat, nondum istius completum est stamẽ, inquit, Abeat ergo. Sed tu fabrum Demylum adduc: jam siquidem ultra colum vivit. Tum ego lætus recurrens, ipse quidem jam febre liber eram: omnibus vero denunciabam Demylum esse moriturum. In vicinia autem nostra habitabat, ipse quoque ægrotans, ut renunciatum est. Ac paulo post eorum à quibus lugebatur, ejulatũ audivimus.

Quid miri est, inquit Antigonus? Ego enim quendam novi, post vigesimum diem, quam sepultus est, resurexisse. Nam hominem & antequã moreretur, & postquam resurexit, ipse curavi. Et quo pacto, inquam ego, in diebus viginti neque putruit corpus, neque præterea fame corruptum est, nisi forte tu quempiam Epimenidẽ curasti? Hæc cum diceremus, protinus ingressi sunt Eucratis filii, è palæstro redeuntes: quorum alter jam ex ephebis excesserat, alter natus erat annos circiter quindecim. Tum salutatis nobis, juxta patrẽ in lecto sederunt, ac mihi quidem sella allata est, tum Eucrates tanquã è conspectu filiorum admonitus: sic his frui mihi contingat, inquit, simulque iis manum injecit, ut tibi Tychiades, vera narrabo. Fœlicis memoriæ uxorem meam horum matrem noverunt omnes, quo pacto dilexerim. Nam declaravi his rebus quas in eam feci, & dum viveret, & postquam vita functa est. Quippe qui mundum ejus universum, vestemque qua delectabatur, dum viveret, in rogum illius injecerim. Septima vero post mortem die, cum uti nunc, huic lecto incumberem, luctum meum commitigans: legebam enim tacitus Platonis illum de anima libellum: ingreditur interim Demænete ea ipsa, juxtaque assidet, uti nunc Eucratides hic, minorẽ designans filium. Hic vero ilico tremuit admodũ pueriliter, ac dudũ ad narrationem pallebat. Ego vero, inquit Eucrates, ut conspexi, amplexus eam, singultim lachrymabar. Illa vero me vociferari non patiebatur, verum incusabat me, quod cum ei fuissem in reliquis omnibus gratificatus, è sandaliis aureis alteram non cremaveram: idque esse

dicebat,

dicebat, quod sub arca ceciderat: ideoq; non invento illo, alterum tantum cremaveramus. Nobis autem adhuc differentibus, sceleratissimus quidam caniculus, qui erat mihi in deliciis, sub lecto cubans, allatravit: tum ea ad latratum evanuit. At sandalium sub arca repertum est, posteaq; à nobis incensum. An hæc etiam, Tychiades, recusabis credere, cum tam sint evidentia, quotidieq; observentur? Per Jovem, inquam ego, digni fuerint, quibus aureo sandalio, puerorū more nates feriantur, si qui ista non credant, atq; usq; adeo impudenter vero resistant, Interim Pythagoricus intrabat Arignotus, comatus ille ab aspectu venerabilis, Noiti illum doctrinæ nomine celebrem, qui cognominatur Sacer. Quo conspectu respiravi: hoc ipsum quod proverbio dici solet, advenisse mihi ratus: nēpe securim quandam adversus mendacia. Occludet, inquam, iis ora vir sapiens, adeo monstrosa narrātibus. Atq; prorsus juxta vulgatum illud adagium, repente Deum hunc mihi à fortuna esse immissum putabam.

Hic postquam, assurgente ipsi Cleodemo, edit: primum de morbo percontatus est, seq; audisse dicebat, Eucratem jam melius se habere. At quidnam inquit, inter vos philosophamini? Nam ingrediēdo subauscultavi, mihiq; certe videmini de re quapiam pulchra disertare. Quid aliud inquit, Eucrates, quam ut huic adamantino persuadeamus, me demonstrans, ut credat esse aliquos dæmonas, & phantasmata, mortuorumq; animas super terram obābulare, & sese quibus voluerint ostendere? Ego Arignotum reveritus erubui, vultumq; dejeci. At ille, vide inquit, ô Eucrates, num hoc dicat Tychiades. Eorum tantum qui violentam mortem obierint, animas oberrare: veluti siquis suffocatus, aut capite truncatus, cruci-ve suffixus fuerit, aut tali quopiā modo è vita discesserit: nequaquam autē eas quæ fatali naturaliq; morte discesserint? Nam si hæc dicat, non usq; adeo absurda dixerit. Per Jovem, inquit Dinomachus, ne esse quidē hujusmodi, nec præsentia cerni putat. Quid ais? inquit Arignotus me torvè intuens, nihil horum tibi videtur fieri, præsertim cum omnes, ut ita dicam, videant? Ignosces, inquam ego, mihi, si non credo, nam solus omnium non video: quod si vidissem, sicuti vos, profecto credidissem. Atqui, inquit ille, si quando Corinthum veneris, roga ubi sit Eubatidæ domus: eaq; tibi circa Craneum indicata, ingressus dic janitori Tibio, velle te videre, unde dæmonem effossum Pythagoricus Arignotus abegerit, ac deinceps domum habitabilē reddiderit. Quidnam hoc erit Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula. Quod siquis inhabitasset, expavefactus ilico fugiebat, à quodam horrendo terribiliq; spectro exactus. Jamq; concidebat, & rumpebatur tectum: deniq; neq; quisquam erat omnino qui in eam ingredi auderet. Ego vero ubi hæc audivi, libellos sumens, sunt autem Ægyptii mihi de talibus rebus admodū multi, veni domum circa primum somnum, dehortante hospite, ac ferme detinente, quia didicerat quōnam irem, in manifestum, ut putabat, exitium. At ego sumpta lucerna solus ingredior: atq; in vastissimo atrio collocato lumine, humi sedens, tacitè legebam. Supervenit ille dæmon, cum quopiam è vulgo se congressurum ratus, ac me quoq; quemadmodum, alios perterriturum, squalidus, hirsutus tenebrisq; nigrior. Atq; hic adstans, undiq; me adsultim petens tētavit, si quâ posset expugnare, ac modo in canem, modo in taurum, modo in leonem vertebatur. At ego correpto in manum, quam maxime horrendo carmine, simulq; vocem Ægyptiam imitatus, eum incantatum in domicilii tenebrosi angulum quendam compuli. Ac cum animadvertissem ubi se in terram condiderat, tum destiti. Mane autem desperantib. universis, ac me quemadmodum & alios mortuum reperutros putātibus, præter omnium spem progrediens, Eubatidem adeo fœliciter illi annuntians, quod purā sibi ac spectris liberam domum jam liceret incolere. Atq; illum assumens, alioſq; multos, qui hujus inopinatæ rei gratia sequebantur, cum ad locum adduxissem, ubi condentem se dæmona conspexeram, jussi ut sumptis ligonibus, & rutris suffoderent. Quo facto, inventum est fere ad passum defossum cadaver quoddam marcidum, ossibus tantum humana specie cohærentibus: quod effossum sepelivimus: postea vero domus spectris turbari desiit.

Hæc ubi narravit Arignotus, prodigiosa vir sapientia, omnibusq; reverendus: nemo erat ex iis qui aderant, qui non multam imputaret mihi desipientiam, qui talia non credam: narrāte præsertim Arignoto. Ego tamen nihil veritus, neq; comam, neq; illam quam de eo habebant opinionem. Quid hoc, inquam, Arignote? Etiam tu talis eras, sola mihi spes veritatis, fumo plenus ac simulachris? Illud ergo, quod dici solet, in te nobis evenit: ut thesaurum quem speravimus, carbones offenderimus.

At tu, inquit Arignotus, si neq; mihi credis narranti, neq; Dinomacho, aut huic Cleodemo, neq; ipsi Eucrati, dic age quemnam digniorem, cui de his rebus fides habeatur, existimas, qui nobis dicat contraria? Per Jovem, inquā ego, virum apprime mirabilem, Abderitam illum Democritum, cui tam firmiter erat persuasum, ejusmodi nihil in rerum natura esse posse, ut cum se in monimento extra portas clausisset, ibiq; degeret dies noctesq; scribens & componens: ac juvenes quidam eum illudere & terrere cupientes, nigra veste cadaveris in modum ornati, ac personis in capitis adfictis circunsilirent, crebro subsilientes: hic neq; ipsorum simulationem timuerit, neq; ipsos omnino respexerit: sed inter scribendum dixerit, Desinite ineptire: adeo firmiter crediditanimas nihil esse postquam è corporibus exierint. Hoc dicis, inquit Eucrates, dementem virum fuisse Democritum, qui sic existimarit.

Ego vero vobis etiam aliud referam, quod mihi ipsi contigit, non ab alio acceptum. Nam tu quoq; id audicas Tychiades, veritate narrationis ad credendum adduceris. Cum in Ægypto degerem, adhuc adolescens, à patre doctrinæ gratia missus, cupivi navigio Coptum profectus, illinc Memnonem adiens, miraculum illud audire, eum videlicet sonum edentem ad orientem solem. Illum igitur audivi nō hoc vulgari modo quo audiunt alii sonum quempiam inanem: sed mihi oraculum etiam edidit Memnon ipse aperto ore septem versibus, quos, nisi id esset supervacaneum, vobis recenserem. Navigationis autē fuit socius vir Memphiticus, quidam ex sacris illis Scribis, mirabili sapientia, & qui universam Ægyptiorum doctrinam callebat. Dicebatur autem tres ac viginti annos in adytis subterraneis mansisse, Magiam interea doctus ab Iside. Pancratem dicis, inquit Arignotus, præceptorem meum, virum sacrum, rasum, lineis indutum, doctum, pureq; lingua Græca loquentem, procerū, simum, labiis promissis, cruribusq; gracilibus. Illum ipsum, inquit ille, Pancratem, ac primum quidem quis esset ignorabam. At postquam vidi eum, si quando in portum appulissemus, cum alia multa miracula facientem, tum crocodilis insidentem, & cum feris versantem: illas vero eum reverentes, caudisq; adulantes, agnovi sacrum quempiam virum esse, paulatimq; comitate mea me in ejus amicitiam & familiaritatem insinuavi, adeo ut omnia arcana communicaret. Ac tandem mihi persuadet, ut famulis omnibus in Memphide relictis, se solus sequerer, neq; enim defuturos nobis ministros. Atq; ex eo tempore sic vitam duximus. Cum in diversorium quodpiam venissemus, homo accepto januæ vecte, vel scopis, vel pistillo, vestib. implicans, cum in id carmen dixisset, effecit ut ambularet, utq; aliis omnibus homo videretur. Illud ergo abiens, & aquam hauriebat, & cœnam parabat, instruebatq;, atq; in omnibus commode subserviebat, ministrabatq; nobis. Deinde postquam satis erat ministratum, scopas denuo scopas, pistillum denuo pistillum reddebat, aliud carmen recitans. Hoc ego vehementer conatus, ex ipso discere non poteram. Nam id mihi invidebat, quanquam in aliis erat facillimus. At quadam die in tenebroso angulo clam illo delitescens, incantationem illam propius auscultavi. Erat autem trissyllaba. Tum ille cum pistillo mandasset quæ erant agenda, abiit in forum. At ego postridie illo apud forum occupato, acceptum pistillum cum ornassem, si llabas illas simili modo pronuntians, jussi ut aquam hauriret: & postquam plenam amphoram attulisset, desiste inquam, neq; aquam haurito amplius, sed rursus esto pistillum. At illud mihi jam non amplius volebat obtemperare, sed aquam assiduò hauriebat, quoad hauriendo totam domum nobis impleret. At ego cum huic rei resistere non valerem (timebam autem ne Pancrates reversus, id quod etiam evenit, iraſceretur) correpta securi pistillum in duas partes dissecо. At utraq; pars amphoram sumens hauriebat aquam: jamq; unius loco duo mihi ministri esse cœperunt. Interea Pancrates supervenit: ac re intellecta, illas rursus in ligna convertit. ut erant ante carmen. At ipse me clanculum relicto, nescio quonam profectus è meo cōspectu evanuit. At possis istud etiam nunc, inquit Dinomachus, hominem ex pistillo facere? Per Jovem, inquit ille, dimidia ex parte scio. Nam in priorem formam à me restitui non potest, postquam semel aquarius fuerit: sed domus aqua referta, erit nobis claudenda. Non desistetis, inquam ego, hujusmodi monstra narrare viri senes? Alioqui horum saltem adolescētum gratia, incredibiles istas, ac terribiles fabulas aliud in tempus differte, ne clam nobis, terroribus ac prodigiosis fabulamentis impleantur. Parcendū ergo illis, nec talibus audiendis sunt assuefaciēdi, quæ eos per totam vitam comitantia perturbabunt, atq; ad omnē strepitum meticulosos reddent, posteaquam eos omnigena superstitione impleverint.

Recte admonuisti me, inquit Eucrates, quum superstitionē dixisti. Nam quid tibi Tychiade, de rebus hujusmodi videtur? De oraculis loquor, ac vaticiniis, & quæcunq; quidam numine afflati proclamant, quæq; ex adytis audiuntur: aut quæ virgo numeris eloquens prædicit. An videlicet nec talia credis? At non dico me sacrum annulum habere, cujus sigillum exprimit Apollinis Pythii imaginem: nec mecum loqui Apollinem: ne videar ad gloriā meam res incredibiles narrare. Cæterum quæ apud Amphilochum audivi in Mallo, heroe mecum diu differente, Deumq; meis de rebus consulente, tum quæ ipse vidi, volo vobis referre. Deinde ex ordine tum quæ vidi in Pergamo, tum quæ audivi in Pataris. Cum ex Ægypto redirem domum, audiremq; illud in Mallo oraculum apertissimum simulq; esse verissimum, & sic evidenter responsa dare, ut ad verbum respondeat iis, quæcunq; prophetæ quispiam in schedulam inscripta tradiderit: recte me facturum putavi, si dum præternavigabam, experirer oraculum, Deumq; de futuris quidpiam consulerem.

Eucrate hæc adhuc dicente, cum viderem quā longe res esset processura, eumq; non brevē de oraculo incepisse tragœdiā, ratus nō expedire, uti solus cōtradicerem omnibus, relinquens eum ex Ægypto adhuc in Mallum navigantem (nam intelligebā molestam illis esse meam præsentiā, ut pote qui dissentirem, refelleremq; ipsorum mēdacia) Atqui ego ab eo, inquam, quæsiturus Leonticium, cum quo mihi opus est, ut colloquar. Vos aūt, si quidem putatis res humanas non sufficere, ipsos etiam Deos vocate, qui vobiscum fabulosas narrationes capessant. Atq; hæc simul atq; dixi, discessi. Illi vero alacres jam libertatem nacti, ut est verisimile mutuis epulis sese excipiebāt, ac mendaciis ingurgitabant. His Philocles, apud Eucratem auditis venio, per Jovem, ut qui musto sunt poti, inflato, ventre, opus vomitu. Libenter autē magno alicunde pharmacum emerim, quod mihi oblivionem induceret eorum quæ audivi, ne me nonnihil earum rerum inhærēs lædat memoria. Nempe monstra, dæmones, & Hecatas mihi videre videor. *Philoc.* Quin mihi quoq;, ô Tychiade, tale quid-

dam ex tuo sermone percepi. Ajunt enim non solum in rabiem verti, & aquam formidare, quoscunq; rabidi canes momorderint: sed etiam siquidem homo morsus momorderit: eum quoque morsum nō minus canino valiturum: illumq; eodem modo formidaturum. Tu ergo videris apud Eucratem à multis mendaciis morsus, mihi quoq; morsum illum communicasse; adeo mihi mentem dæmonibus implevisti *Tych.* At bono animo simus, amice, cum magnum adversus hujusmodi, res remedium habeamus, Veritatem, rectamque in rebus omnibus rationem: qua si utamur, nullis hujusmodi vanis, stultisq; mendaciis turbabimur. *Philopseudes.*

Philostratus: Incantatores, quos ego omnium hominum infortunatissimos judico, partim torquendis idolis, partim barbaris insuetisq; sacrificiis, partim cantibus, aut unctionibus quibusdam vacantes, res etiam fato constitutas permutare se asserunt: multiq; eorum accusationibus obnoxii, tali sapientia se prædites esse confessi sunt. *lib. 5. Apollonii cap. 4.*

Philostratus: Si incantator sum, subjecit Apollonius, quomodo ad judicium veni? sin autem veni ad judicium quomodo incantator sum? nisi calumniatores tantas vires habere dixeris, ut ab incantatoribus etiam vinci non possint. *lib. 7. cap. 9.*

Philostratus: Athletæ incantationes expetūt & certatores omnes, propter vincendi cupiditatem, quamvis ad victoriam conferre nihil possunt. Vbi enim à fortuna quandoq; victoria provenit, tunc infelices homines ab ea laudem auferentes, huic arti ipsam attribuūt nec etiam suis cupiditatib. fraudati, fidem adhibere eisdem desinunt & secum ipsi excusationes hujusmodi meditantur, si hos aut illos vapores incendissem, non caruissem profecto victoria. atque hæc & verbis afferunt, & omnino sic esse opinantur. Ad mercatorum etiam fores hæc ipsa accedit incantationum opinio. nam eorum plerosq; comperimus pecunias ex mercatura quæsitas computare, ut incantatoribus congruas partes impendant, & adversitates si quæ contingant, aut ex pecuniarum parsimonia, sive quod non ut oportuit sacrificarint, evenire arbitrantur.

Maxime vero amatores attingere ars hujusmodi videtur, qui cum tam deceptibili morbo laborent, ut aniculis etiam pro eo levando fidem adhibeant, mirandum non est si ad hujus artis professores sophistas accedentes, eorundem præceptis obtemperent, qui & baltheū ipsis ferendum præbebunt, & lapillos, aut ex terræ visceribus defossos, aut ex astris lunave, aut ajunt, direptos, aromata etiam quęcunque in hortis indorum nascuntur: pecuniam etiam grandem horum caussa afferri jubent, prosunt autem nihil. Si enim quæ amantur, quacunq; de caussa erga amatores afficiuntur, aut muneribus allecti eisdem obsequantur in amoribus: tunc ars ipsa laudatur, tāquam ad omnia sufficiens: sin vero eos fefellerit experientia, in aliquod omissum culpa refertur: dicunt enim talem vaporationem, aut sacrificium libationemve defuisse: hoc autem magnum quiddam & arduum, & impervium esse. Hi ergo modi, per quos divina signa, & alia quævis portenta procurant, quæq; à cachinnonibus & hujus artis derisoribus scripta sunt, ego quoad fieri potest, occulendos censui, nec inter adolescentes de eis quidquam loquendum, ne illis etiam ludi caussa assuescant. *lib. 7. Apollonii cap. 16.*

Philostratus: Quin de his ipsis rebus in templo palam sum locutus: incantatores vero Deor. templa evitant, tanquam hujusmodi artibus inimica. noctē enim & locorum obscuritatem sectantes, non sinunt dementes homines oculorum auriumque uti judicio. Sum etiam privatim locutus patri tuo cum Dion & Euphrates nobis colloquentibus interessent. Quis coram sapientibus viris, aut item sapientiæ simulatoribus cum incantatore loqui vellet? aut quis non tam coram amicis quam inimicis caveret ne malus esse videretur? *lib. 8. Apollonii cap. 3.*

Philostratus: Quis incantationum amator tibi visus est unquam, Deo tribuat quod ipse fecerit? aut quæ artis miracula quærit is, qui si quid admirabile factum sit, à Deo fatetur processisse? Quis autem incantator Herculem invocasset? talia namq; infelices homines sacra in terræ barathris faciunt, & terrestribus Deis sacrificant. *lib. 8. Apollonii cap. 3.*

Philostratus: Omnium artium quæ ab hominibus inventæ sunt varias habent diversasq; operationes, cunctæ vero comparandis divitiis, hæ quidem parvis, illæ autem majoribus intendunt. nonnullæ etiam victus duntaxat quærendi caussa laborant, neq; solum sordidæ artes hoc faciunt, sed aliæ quoq; tam sapientes quam sub sapientes, præter illam quæ vere est philosophia. Sapientes artes voco, ceu poesim, musicam, astronomiam, sophistas & rhetores non circumforaneos, sub sapientes dico, pingendi fingendiq; peritiam, insuper statuariam, gubernatoriam, agricultoriam, quatenus aliquod agendi tempus & rationē observat. hæ namq; artes non multum à sapientia distare videntur. Sunt etiam artes quædam, o rex, falso sapientes, & circulatorum seu præstigiatoriæ, inter quas divinandi peritiam nolim enumeres: est enim plurimi facienda si recte & cum veritate procedat. utrum autem ars appellanda sit, nondum scio. Incantatores autem omnes falso sapientes voco, quæ enim non sunt, esse, quæ sint, tanquam non sint mentiuntur: hæc vero omnia quæ decipiunt, imprudentiæ attribuo. nam quidquid sapientiæ isti arti inesse videtur, id totum in eorum, qui talia aspiciunt qui que ab illis falluntur, dementia positum est, omnes enim pecuniarum amore tenentur, & ea in quibus se maximè jactant, mercedis caussa ab eis inventa sunt, ideoq; pecuniarum abundantiam affectantes, eorum sectatores utcunq; libet seducunt, quasi omnia quæ cupiunt præstare sufficientes. Quas igitur apud me divitias aspiciens, falsæ hujusmodi sapientiæ peritum me esse judicare potes? *libro 8. Apollonij cap. 3.*

Incendii.

¶ SENTENTIÆ PATRVM

Greg. Nyssenus: Vos interim qui hactenus immunes à tanto malo fuistis, ignavi scilicet estis in extinguēda flamma quæ viciniam vestram depascit: cum ii qui rebus suis recte consulunt, vicinorum incendium magno studio restinguant, & opem vicinis ferendo sic prospiciant sibi, ut in eventus similibus aliorum opem non requirant. *Epistola ad Flavianum.*

S. Valerianus: Invidia percussum est cor eorum. isti sunt qui adversus se pugnas instituunt, & domos suas proprio igne incendunt. *Sermone 13.*

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Nicomediæ vastissimum incendium multas privatorum domos, & duo publica opera, quamquam via interjacente, absumpsit. est autem latius sparsum, primum violentia venti, deinde inertia hominum; quos satis constat otiosos & immobiles tanti mali spectatores perstitisse. & alioqui nullus usquam in publico sipo, nulla hama, nullum denique instrumentū ad incendia compescenda. & hæc quidem ut jam præcepi parabantur. tu, Domine, despice an instituendum putes collegium fabrorum, duntaxat hominum centum quinquaginta: ego attendam ne quis nisi faber recipiatur, nec jure concesso in aliud utatur: nec erit difficile custodire tam paucos.

Trajanus Imp. Plinio: Tibi quidem secundum exempla complurimum in mentem venit posse collegium fabrorum constitui: sed memineris provinciā istam ab istiusmodi factionibus esse vexatas. quodcunque nomen ex quacunque causa dederimus iis qui idem contracti fuerint, hetæriæ quamvis breves fient. Satius igitur est cōparari ea quæ ad coercendos ignes auxilio esse possint, admoneriq; dominos prædiorum ut & ipsi inhibeant, ac, si res poposcerit, accursu populi ad hoc uti. *Epist. 42. & 43.*

¶ POETARVM.

P. Syrus. Mimus:

Stultum est vicinum velle ulcisci incendio.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Est miserrimum ruina quod obruit incendium
Facile est in ventu: datur ignis tametsi ab inimicis petas.
Non refert quam magnus ignis ipse sit, sed quo incidat.
Nulla laus est extinxisse incendium quod feceris.
Parvula è scintilla grande suscitas incendium.
Reperit ignis artes omnes, omnes artes sustinet.
Si male obrutum est, resurgit illico omne incendium.

¶ IAMBICA.

Alimenta tolle, incendium quę exstinxeris
Amentis est extinguere igne incendium.
Et ignis ex lignis aquis quę prosilit.
Etiam ignis atq; flamma ventis seruiunt.
Exstinguit ignem qui fomenta subtrahit.
Fumo comburi nihil potest; flamma potest.
Luxum insolentem puniunt incendia.
Nocet sibi, ignem qui mucrone dividit.
Nullum addito igne exstinxeris incendium.
Nullus suo ignis absq; pastu permanet.
Obruitur urbis parte vastum incendium.
Pice atq; oleo non restingues incendium.
Plus urit ignis sub Nepa, quam sub Cane.
Quem vis aceto ignem illico restinxeris.
Vento secundo plurimum ignis proficit.

Incestus.

¶ SENTENTIÆ ROMANORUM.

Tacitus: Incestus spretus, metuitur ne erumpat in malum publicum. *libro 12. Annalium cap. 5.*

C. Tacitus: Incesta nobis, concessa apud Judæos. *libro 5. Historiarum cap. 4.*

Quintilinus Senior: Corrumpere fratris uxorem ausus est: istud incestus est. Sed forsan dices, amavi adolescens eam quæ domi erat; cujus conversatio continua etiam invitos ad se oculos poterat deflectere. ignoscamus amori &. *Declamatione 291. a. m.*

Quintilianus: Sane sit aliqua publici sermonis autoritas in illis, ad quæ fas est populi pervenire notitiam. Video cur adulteria proferantur in fabulas: explicantur per misteria, per conscios. habent inconsulta gaudia. Pars voluptatis videtur esse jactatio. Facinus vero, cui si fas est, ut illud humanæ mentis capit audacia, circumdatur undiq; nox densior caligo profunda, tenebrarum, quod nocentes suis quoque oculis fatetnur: non servo, non creditur, one illæ. Quid inter nunciis, quid opus est mini-

steriis?

ferlis? sufficit animus duorum, explicat omne filius materq; secretum. Incestum tanto incredibilius est, quanto & de illo plures loquuntur. O misera conditio sexus, cujus ipsæ plerumq; virtutes, fabulas parant. *Declamat. 18. §. 9.*

Quintilianus: Filius possidet cuncta tempora, universos occupavit affectus, filius matris tota jactatio. Rogo, nunquid adamavit? Mihi credite, non est nefandorum ista simplicitas. da ut sit hæc inter matrem & filium conscientia, parcent osculis palam, abstinebunt coram patre complexibus, omnis familiaritas subtringetur in publico sermones, occursus, coram servulis libertisq; vitabunt, & maximi sceleris ardor captabit affectare gravitatem. Eligé parricida quod voles, incestum diligens suspectum non erit, negligens deprehendatur. *Declamat. 18. §. 10.*

Quintilianus: Speciosus, inquit, fuit. Non magis hoc facinus in matre est, quam crimen in filio. Speciosus fuit. Vt hoc objici possit, ut debeat, adjice, & adulter, & raptor, in illa matrona maritali dolore pene perculsus, in illa virgine publica subclamatus invidia: quanquam hæc quoq; intra notos discurrunt juventutis excursus. Quis dis? ab incesto libidines cœperunt? hoc primum unquam juvenis admisit? hoc solum argumentum sumis ex forma? Dic potius, deprehendi juvenem mihi venena miscentem, in necem meam conscientia sceleris est armatus. Infinitum est quantum debeat ante fecisse filius, ut de illo incestum pater sibi credat. *Declam. 18. §. 12.*

Quintilianus: Non est opus, nocentissime senex, ad hoc nefas charitate, sed amentia. sed furore. Ut in juvene suo mater possit concupiscere quod formosus est, oderit oportet quod filius est: & adeo sacris affectibus non adjuvatur in facinus, ut ad illud nisi per oblivionem sui transire non possit. Quid quod & incredibilius est, quod parem duorum poscit insaniam? & ad incestum opus est ut adametur solum. Ab utro deinde vultis incipere preces, venire sermonem? audebit hoc rogare filius matrem? mater hoc impetratum se sperabit à filio? *Declam. 18. §. 14.*

§ Poetarum.

Claudius de Polycaste & Perdice.

Quid non sævus amor flammarum numine cogit?
Sanguinis affectum mater amare timet.
Pectore dum niveo miserum tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes jam fovet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone Cupido.
Consule jam Veneri: forsan & ipsa dolet.

§ Monosticha Trochaica.

Despit homines Deumq; qui suis non abstinet.
Est equis Venus pudica, matribus sane abstinens.
Liberos stupro coire cum parentibus nefas.
Quisquis est incestuosus odio habet hominem ac Deum.

§ Jambica.

Ægyptius se jungit & sororibus.
Cognationis intellectus est equis,
Fera quoq; ipsa Veneri vitant nefas.
Incesta etiam est sine stupro, stuprum qua cupit.
Natus inhoneste vivere honeste quei queat?
Nullum putant nefas creati per nefas.
Porta ingredi nefas ea qua exieris.
Prope est ab incesto, incestum quisquis timet.

Inconstantiæ.

§ Monosticha Trochaica.

Ante vesperam improbamus approbata Lucifero.
Horum nulla quin probemus improbemusq; omnia.
Quam mere constans humanis rebus inconstantia!
Quanta rebus in divinis perplexa inconstantia est!
Semper est bonus idem, in horas sæpe mutatur malus.
Turpis est ætate in omni morbus inconstantia.
Vix manent decreta nostra de mane usq; ad vesperam.

§ Jambica.

Eadem probamus, eadem modo reprehendimus.
Et summa verti brevibus momentis solent.
Omne instabile est, fortuito quod evenit.
Pauciſsimi volunt hodie eadem, quæ heri.
Mortalium rerum omnium inconstantia est.
Nemo id probat senex probavit quod puer
Probata mane ipso improbamus vespere.

Incredulitatis.

§ Sententiæ Patrum Græc.

Clemens Alexandrinus: Sed ad cælandas quidem cognitionis profunditates, bona est incredulitas ex sententia Heracliti: non cognosci enim, suum habet refugium ad incredulitatem, *lib. 5. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Hunc sermonem piis auribus commendabo, nam apud profanas animas nihil pulcri fidem invenire potest. *Oratione* 19.

D. Nazianzenus: Fit fere, ut quod quispiam assequi non potest id ob invidiam ne credibile quidem esse putet. *Orat. 19. in funere patris.*

D. Io. Chrysostomus: Sæpe nascitur incredulitas, non solum ex spei egestate, sed etiam ex pusillanimitate, & ex eo quod non sis leni & patienti animo, & non ex eo qui promisit. *Homil. 10. Epi. ad Hebr.*

S. Isidorus Pelusiota: Ea quæ dammodo animi propensione sum, ô amice, ut maximis quidem virtutibus fidem adhibeam, ingentib. autem peccatis abrogem. Ex quo efficitur, ut eos, qui illa commemorant, laudibus afficiam: iis autem, qui hæc narrant, si possum, silentium indicam, sin minus, tristem vultum præferendo reprimam. Quamobrem, si hosti quoq; tuo, qui infanda quædam adversum te prolocutus fuerat, os obstruxi, ne mihi, sed Deo, qui mihi hanc animi inductionem dedit, gratiam habe: atq; ut illum, per ea quæ agis, coarguas, enitere. Nam ita demum ego gratiam tibi habiturus sum, si non tua, sed veritatis causa verba fecisse comperiar. *lib. 3. Ep. 312.*

§ Oratorum Græcorum.

Dio Prusæus: Scisne quosdam damnū accepisse ab inimicis? Prorsus. Quid vero ab his qui dicuntur amici, & familiaribus, aut etiam à cognatis quibusdam: nonnullos quoq; à proximis fratribus, aut filiis, aut patribus? Multos equidem scio. Quid igitur causæ, quod non solum inimici inimicos injuria afficiant, sed etiam qui dicuntur amici inter se, atq; hi non pauci, atq; inter adeo necessarios? Perspicuum, quod hominum malitia in causa est, ex qua quisque opinor & ipse maximus est sibi. Ab omnibus ergo oportet amicis æqualiter metuere: neque ideo cuipiam plus credere, quod quis amicus aut familiaris aut consanguineus videatur? Ab omnibus, juxta hunc sane sermonem. Recte proinde scripsit, qui hos versus scripsit.

Esto sobrius, atque nemini
Credere memento. nam inimica
In animis mortalium harent. ——

Recte fortasse. Quinetiam hic poeta non loquitur de inimicis, sed de iis qui censentur amici. Neq; enim quispiam iis contrà tedederit nocendi facultatem, quos sibi noris esse inimicos. Quomodo ergo præciperet non credere iis, quibus nemo credit?

Age vero & illud videamus, à quibus nam plures perierint: an à confessis inimicis, an è diverso à simulatis amicis? Ego enim video, ex capitis civitatibus plures à proditoribus perditas, quam vi captas ab hostibus: atq; hominū plures omnino adversum amicos atq; familiares conqueri, quā accusare inimicos, propter calamitates. Præterea adversus hostes omnibus sunt mœnia & prepugnacula comparata, atq; horum interdum multis annis nullus est usus: adversus a. eadem versantes in republica, & eorūdem participes templorum, sacrificiorum atq; nuptiarum, quiq; inter se sunt tribules & populares atq; cognati, judicia atq; fora, legesq; & prætoria & similia loca nunquam quiescunt. Mixtæ igitur semper sunt civitates accusantibus & defendentibus, judicantibus & judicatis: & neq; in mensium feriis, neq; fœderibus, à mutua læsione abstinere possunt. Alias igitur leges ponunt de injuriis in feriis commissis, easq; sacras vocant, quasi nomen prodesse possit. At malitiæ bellum continuum est omnibus adversus omnes, absq; fœdere & denunciatione: maxime vero, continuatur propinquis contra se mutuo.

Quisquis ergo in pace vitam vult agere, cum q; securitate quadā, eum vitare oportet hominum commercia & societates: nosseq; hominum naturam promptā esse ad cōmunicandum aliquid malitiæ, neq; credere cuiquam, etiamsi millies se amicum esse dicat. Neq;. n. apud eos est solidi & veri quicquam: sed quem præcunctis honoraverint, habuerintq; vel ita ipsa (si ita contingat) chariorem, paulo post pro inimicissimo cēsent, sæpiusq; ne à corpore quidem illorum abstinent. Amator igitur amatum occidit, propter nimium (ut putat) amorē, exacerbatus ex levi causa. Alii semetipsos occidunt, partim quidem inviti ob incontinentiā: partim vero sponte, quum nihil illis absurdi vitam perturbet, præter suam in animis prāvitatē. Alia enim nocumenta quæ sibi quisq; infert, manifestum est recitari non posse. Quæ igitur, fides, aut quæ securitas cum hominib. hujusmodi? Aut quomodo me diligeret, qui neq; seipsum diligit? Quod enim ad Athenienses dictum est, quando extremis pressi calamitatibus, aliquid orabant de Samo: bene etiam ad eos diceretur, qui cum pernicioſis amicitiam ineunt. Qui ipse sese non amat: quomodo alium amabit, aut hospitem, aut filium, aut fratem?

Quid igitur faciēdum, quum quis se amice insinuat, perq; omnia sacra jurat, & tantum non dilacerare se sit paratus? Hi quidem jam audiendi sunt necessario, atq; hercle etiam iis annuendum: at sciendum interea perspicue, nihil eorum esse solidum. Electra Orestem videns lachrymantem, ipsiq; adductum, aliquando quidem ei remissionem furoris obtigisse putabat: ut vero illi usquequaque crederet, longe aberat. Quum vidisset igitur eum paulo post commoveri, dicebat:

Turbantur oculi, frater, heu rursus tui,
Transiocyus rabiem.

Mare interdum ita tranquillum videre licet, ut & timidissimus, opinor, possit contemnere. Quid ergo? An propterea illi credendum est, & neq; anchoras, neq; clavum, neq; alia ad salutem necessaria assumere oportebit, qui sit soluturus? Videbis enim (si ita fors ferat) paulo post incumbente vento, tempestatem fortem, & fluctus ma-

gnos, immenſoſq;, montibus pares, curvos, albeſcentes. Ita quoq; eum qui modo tibi viſus eſt manſuetus, magnamq; præ ſe ferre erga te benevolentiam & ſtudium, levi cauſa incidente invenies ferum atq; ſævum, & nihil non mali facere paratum.

Quoties putas Medeam Deos rogaſſe pro filiis, quotieſq; quum morbis laborarent trepidaſſe, aut quoties optaſſe pro illis mori: Attamen ſua illos manu interfecit. At hercle dicet aliquis, ira percita & zelotypia. Vulgus autem zelotypia laborare non putas? Quid? non invidia? Quid? non ſpe commoveri? Semper enim fere & aſſiduè in his ſunt. Ne credes ergo iis qui ſe dicunt eſſe benevolos: ſeq; amicitiam tecum initam nunquam relicturos. Quemadmodum enim faſciæ quæ ventum indicant, ſemper juxta venti ſtatum attolluntur, nunc quidem ſic, rurſus vero in alteram partem, eo modo & malorum animus ad omnem impetum affectus eſt.

Servis nemo credit paciſci volentibus, eo quod ſui poteſtatem non habeant: multo magis non credendum eſt horū pactis. Omnino enim longius abſunt à libertate homines, propter malitiam. Minoribus tot annis lex non concedit contractum facere tanquam infidis: neq; mulieri apud Athenienſes, niſi uſq; ad ordei modiū, propter conſilii infirmitatem. Atqui à valde minoribus nihil differunt mali, immo neq; ab infantulis, niſi potentia & aſtutia: unde minus his credendum eſt, quā illis, Beata res foret, ſi quemadmodum puerum & adoleſcentem atq; juvenem ſenemq; tempus facit, ita etiam prudentem & juſtum fidumq; faceret. Quin etiam malis mulieribus nihilo ſunt meliores viri pravi. Nam corpore differunt ab illis, non animo. Sicuti igitur lex eas ad nullas res majores accedere ſinit, ſed definivit, quo uſq; conveniat: eodem opinor modo cum vulgaribus hominibus in minimis ſocietas habenda eſt: in actionibus autem majoribus aut ſermonibus neceſſariis, aut vitæ ſecuritate, nūquam. Etenim ſi quando à maleficiis abſtinēt ob quamcunq; cauſam, proclivis tamen ad naturam reditus eſt. Quemadmodum feræ ſæpenumero quieſcunt, ſuntq; manſuetæ dormientes, aut ſaturatæ, ſuam ipſarum tamen naturam non abjecerunt: ſimiliter & illi aliquod tempus nihil nocuerunt, deinde accidente occaſione, & uſuram (ajunt) & ſortem pravitatis perſolvunt.

Lacon quidam in colloquio quorundam paciſci volentium cum ipſo, atq; jubentium quamcunq; vellet fidem acciperet pro amicitia: unam eſſe fidem dixit, ut ſi nocere velint, non poſſint: omnem autem aliam fidem ſtultam eſſe, & poſtremo infirmam. Hanc unam ab homnibus fidem accipere convenit, aliam autem nullam. Quæ enim ex ſermonibus & familiaritate & jurejurando atq; ex genere accipitur, ridicula eſt. Atreus frater erat Thyeſtis, ejuſq; liberorum patruus, eos tamen occidit. Eteocles & Polynices non ſolum fratres erant ſecundum legem, ſed etiam ex filio & matre nati propinquiſſimis: ut ſi quid confert genus utilitatis, hi omnium maxime ſe mutuo debuerint diligere: attamen alter alterum fidem habentem ejecit, privavitq; patria, atq; poſt hæc mutuo ſe interfecerunt. Theſeus Hippolytum, pater licet, & Neptuni eſſet filius, calumniis perſuaſus, occidit devotionibus. Priamus antea felicitate præſtans, tantorumq; populorum, taliſque loci rex.

Quot Lesbos ſupra locupletum grata virorum
Concludit ſedes, quot & in regione morantur
Dite Phrygum infra, & quot magnus tenet Helleſpontus,

Propter filium, ejuſq; incontinentiam, omnium miſerrimus effectus eſt. Et hi quidem ſunt inſignes. Quantam autem putas in quaque civitate eſſe multitudinem obſcurorum & plebejorum Atreorum atq; Thyeſtarum, qui partim clanculo occidant, partim vero in aliis ſtruant inſidias? Æropas ſanè, & Clytemneſtras atq; Sthenebœas nemo dixerit.

Cæterum quæ ex genere atq; familiaritate oriuntur, talia ſunt. Videamus & de jurejurando. Pandarus juraverat Menelao, quemadmodum & cæteri Trojani: ſed nihilominus vulneravit eum. Tiſſaphernes vero nonne juravit iis qui circa Clearchum erant? Quid vero rex? Nonne etiam regios Deos, dextramq; ſuam miſerat? Philippus quoq; Macedonum rex, nonne ſemper perjuriis ad bella uſus eſt, ſicut alia re ad bellum commoda: duobuſq; his cœpit civitates, fœdera non ſervando, & proditores comparando? Atq; omni pacto, familiarius illo utebatur? Nam proditoribus neceſſe erat dari argentum: diis autem propter juſiurandum nihil volebat dare. Lyſandrū Lacedæmonium hanc ſententiam pronunciaſſe ajunt, quod pueros quidem talis atq; globis fallere oporteret, viros autem jurejurando & pecuniis. Aſtuta ſane vulpes. Porro reſponſum quod Glauco datum eſt, non etiam antea putas multos homines dediſſe?

Iura, quandoquidem letum quoq; corripit atrum
Et bene jurantem. ——

Atque hos quidem prædictos, alioſque hujuſmodi, propter clades contigit celebres fieri: at vero amborum, nempe Pandarorum atq; Glaucorum,

Plena hominum pariter fora ſunt, & compita plena.

Quare neque Apollinis neque Minervæ conſilio opus habent ad pejerandum.

At familiaritas homnibus magnam parit juſtitiam, nequid noceant: ſimulq; ſtudia & menſæ. Eurytum interfecit is, qui ab ipſo exceptus erat hoſpitio.

Impius haud diūm curam reverens, neq; menſam
Appoſitam, verum poſt paulum occidit & ipſum.

Atq; hic diis charus habitus eſt, qui neq; deorum conſiderationem neq; menſam reveritus eſt: delectatur in cōvivio, matrimonio junctā habens pulchris talis conſpicuam Heben. Archilocho nihil profuerunt ſal & menſa ad nuptiarum pactum, de quibus ipſe ſcribit. Lycon fatuus ſecundo incidens in Achillem, quum ipſum oporteret aut ſtrenue pugnare, aut ocyus fugere, menſæ maluit recitare communionem pro conſervanda vita, ita dicens:

Obſecro te miſerere mei, reverereq; Achilles.
Nam tibi jam ſupplex adſum ò divine, & apud te
Ante cibum ſumpſi, Cereris venerabile munus.

Quapropter antea quum nondum ſumpſerat apud eum eſcas, venundatus in Lemnum ſalvus evaſit: tunc autem captus occiſus eſt. Tantum illi profuit Ceres. Anates & Perſicas non ante mactamus, quam apud nos paſtæ fuerint. Ægiſthus ad cœnam invitatum Agamemnonem interfecit, ut bovem ſuper præſepi. Et à Trojanis quidem nihil mali undecim annis paſſus eſt, quib. cum bellum geſſit, & nunquam illorum ædes ingreſſus eſt: in ſuas autem ædes quū poſt tantum tempus eveniſſet, diiſq; ſacrificaſſet, ſuamq; ipſius ad menſam ſediſſet, à propria uxore ita crudeliter occiſus eſt. Atq; poſt hæc apud inferos convento Ulyſſe, reprehendit Clytemneſtram, quod neq; oculos morientis clauſiſſet: atq; præterea admonet, nunquam credere mulieri, neq; reconditi quidpiam patefacere. Atqui Clytemneſtra non quatenus mulier erat, hæc illi fecerat, ſed quatenus prava: atque nihilo magis mulieri blandiendum non eſt, quam viro.

Verum opinor unuſquiſq; in quæ indicit, atq; quib. aliquid mali paſſus eſt, ea maxime metuit, prædicitq; aliis vitanda: ut percuſſus à vipera, ſerpentem: qui à ſcorpio, ſcorpium. Quem autem canis momordit, ſemper videas baculum circumferentem. Ita multis quoque res erga homines. Cui enim quid acerbi à muliere contigit, ita exclamavit:

O Iuppiter, cur improbum hominibus malum
In hoc mulieres collocaſti Apollinis
Iubar? ——

Alium ſuſceptus hoſpes contriſtavit: ut Alexander, qui Menelai pecunias atq; uxorem abſtulit. Ergo talis malam paravit famam hoſpitibus alius fratribus alius filiis. Res autem aliter habet. Neq; enim frater, neq; cognatus, neq; hoſpes naturaliter lædere ſolet: ſed pravus homo, quales fere omnes ſunt. Cæterum tu ſi ſapis, omnes caveto. Eſt aliquis hoſpes caveto: modeſtus eſſe fertur, magis etiam caveto. Hæc tibi lex ſit immobilis. At hercle præ ſe fert dextri cujuſdam benevolentiam. Hunc ergo approba, diis habens gratiam: atq; etiam illi, ſi vis. ob ea autem quæ futura ſunt, illum cave.

Quod enim quidam de Fortuna dixit, multo magis de hominib. dici poſſet: nempe, neminem ſcire de quoquam, an talis in craſtinū uſq; manſurus ſit. Tranſgrediuntur igitur contractus ipſis factos, atque aliud conſulunt: aliudq; prodeſſe cenſentes, alia ſciunt. Unde quando quis ex credulitate in aliquem inciderit moroſum, ridiculus eſt, ſi illum accuſat, & non ſemetipſum, ſiq; Deos inclamet interdum, ab homine deceptus amico atq; familiari. Dii autem deridebunt, ſcientes quod ſemetipſum deceperit, atq; immerito aliis imponat. Qui offendunt in viis, aut hercle in lutum aut foveam incidunt, non iraſcuntur lapidibus aut luto: nam planè eſſent attoniti, quum ſeſe accuſare debeant, quod non attenderint.

Quid ergo? dicet aliquis: num ferarum vita eligenda eſt, vivendumq; in ſolitudine? Non ferarum, ſed viri prudentis, & qui tuto vivere norit. Multo enim tutior meliorq; ſolitudo eſt, quam ſocietas cum hominibus, niſi abſq; timore contingat, & participū attentione. Et quemadmodum navigantib. utilius eſt pelagus quam terra, ſi quis in tranquillitate naviget, & clare norit loca: in pelago enim haud ſæpe frangitur navis, ſed apud littora, circaq; promontoria videntur naufragia. Quaproprer quum tempeſtas apprehenderit, unuſquiſq; inexpertorum quidem deſiderat terram, gubernator autem quam longiſſimè fugit. Quanquam portus quis inveniat tranquillos, quibus facile naves credere poſſit quantuſcunq; etiam conſurgat ventus: homines autem modeſtiſſimi, æſtivis ſunt ſimiles ſtationibus quæ præſentia ſpectant: ita & illorum quiſque ad unam quampiam in vita rem manſuetus eſt, haud æque etiam ad alia. Propter pecunias ſanè haud te affecerit injuria (ſed forſan, ſi eū ira aut ambitio corripiat, non agnoſcere poſſis immotū fidumq; ſed tanquā à maxima affectione excitatum, ob quam quis haud firmiter illi credere queat. Quare talibus quantum adigit neceſſitas, & plane modicum utendum eſt: plurimumq; quiſq; vigilet, cuſtodiatq; ſe, ut Hectorem ſe ab Achivis cuſtodiſſe poeta ait,

—— Aſt hic belli haud ignarus acerbi,
Taurino latos humeros ſub tegmine ſcuti
Texit, ſtridoremq; ita telorumq; ſagittarumque
Exiit, & ſtrepitum. ——

Similiter etiam in vita oportet prudentiam ſcientiamq; opponere, eaq; tectos fugere, evitareq; hominum malitiam atque technas, inſidiaſq; quibus uti conſueverunt.

In ſumma autem admirabile eſt, ſi ejuſdem cōmunionem menſæ obſtaculū malitię fore putamus, atq; etiā hercle ejuſdem poculi atq; unius lucernæ uſum: ejuſdem aūt Solis aſpectum, atq; ejuſdē nutritionē terrę, nemo pravorum cogitat: ſed diverſoriū publicū, aut hercle alia domus ex lapidibus ligniſq; conſtructa, dijudicat homines, atq; amicitiam perducere poteſt. quemadmodum Ulyſſes rogat,

At vos quaſo domus moveat reverentia, namq;
Omnes ſub tecto pariter verſamur eodem.

Ita tectum reverentia dignum arbitratur, præſertim ex lignis in hoſtium regione natis factum. Univerſum autem cœlum, ſub quo omnes agimus à principio, nihil confert ad concordiā, neq; omniū

ſocietas

societas divinorum atq; maximorum bonorum, sed è diverso rerum modicarum atq; vilissimarum societas. Suus cuiq; pater, frequenter nullius precii senex, multum confert ad justitiam; ut ex eodem genere procreati sibi mutuo non insidientur: communis autem omnium hominumq; Deumque pater, ex quo omnes procreati sumus, non Lachetis aut Simonis similis, non potest inhibere aut prohibere hominum iniquitatem.

Et quidem quod sermonibus super amicitia credendum non sit (hoc enim restat) manifestum est videlicet. Ridiculum enim, si credens aliquibus argentum, haud facile soli sermoni fidem habet, sed indiget testibus & literis, atque hæc tamen complures transgrediuntur: in amicitia ineunda, omnium maxima, periculosissimaque, solis verbis credere. Quid? (dicet aliquis) nonne jam quidam ex veteribus facti sunt amici? nempe illi semi dei, omnibus divulgati, Orestes & Pilades, Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus? Ut quis etiam hanc de his opinionem concedat veram esse: manifestum tamen foret, tres solas fuisse amicitias in tanto tempore, quanto Solem sæpius dicas defecisse. *Orat.* 74

¶ Romanorum.

Plinius: In universitate generis humani prodigiosa aliqua & incredibilia multis visum iri haud dubito: Quis enim Æthiopas antequam cerneret credidit? aut quid non miraculo est, cum primum in notitiam venit? Quam multa fieri non posse, priusquam sint facta judicantur? Naturæ vero rerum vis atque majestas, in omnibus momentis fide caret, si quis modo partes ejus, ac non totam complectatur animo. *lib.* 7. *natural. Hist. capa.*

Apulejus: Tu vero crassis auribus, & obstinato corde respuis, quæ fortassis verè perhibeantur. Minus hercle calles, pravissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu nova, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videantur: quæ si paulo accuratius exploraveris, non modo compertu evidentia, verum & factu facilia senties. *lib.* 1. *Metamorph.*

Sallustius. Vbi de magna virtute atq; gloria bonorum memores, quæ sibi quisq; facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea, velut ficta pro falsis ducit. *cap.* 3. *Catilinar.*

¶ Poetarum.

Oppianus lib. 1. de piscat. v. 217.

Miraculum lubricæ Echeneidis deprehenderunt
Nautæ: non sane quisquam in animo crediderit
Audiens. semper enim inexpertorum mens virorum
Expugnatu difficilis, neq; volunt etiam vero fidē adhibere.

¶ Emblematis.

Batillius 106.

Confœderatorum insidiæ.

Dum sacramentitus, completaq; hostibus alvo
Trojana muros scanderet arcus equus,
Clamabat Teucris non unquam credita Cates,
Vera tamen vanis vaticinata sonis.
Vrite Troes equum subjectis urite flammis,
Aut pelago nulla præcipitate mora
Nec fallax animos habeat fiducia vestros,
Credite nec Danaum dona carere dolis:
Vestra hoc inclusi illabuntur mœnibus urbi,
Obductumque tegit castra inimica latus.
Quem moveat veteres repetens Cassandra querelas?
Fœtum armis iterum Troja receptat equum.

¶ Apophthegm. Sacror.

Iesus Christus Dominus noster: Quum venisset in patriam suam, & verbum Dei efficaciter proponeret, tamen offendebantur conterranei ejus in eo, ad consanguineos ejus respicientes. Ideo dixit eis Iesus, Non est propheta inhonoratus, nisi in patria sua & domo sua. Neque edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem eorum. *Matth.* 13. 54. 57.

Indignationis

¶ Monosticha Trochaica.

Animo sui suspectu est omnis indignatio.
Iusta in indignatione quis sibi ipse temperet?
Non potest vir fortis dici, vicit quem indignatio.
Omnis in suum tormentum fertur indignatio.
Quanta opus indignatione est, ubi dolendum pro omnibus?
Quod negat natura, confert tristis indignatio.
Valdius re fas pro amici quam sua excandescere.

¶ Jambica.

Compendio fere absque ullo indignatio est.
Etiam vel osicula erumpat indignatio
Expers quietis omnis indignatio est.
Haud fortis est quem vincit indignatio.
Injuria ubi est, ibi est & indignatio.
Liberrima est sapientium indignatio.
Nulla est ibi quies ubi indignatio.

Indolis

¶ Sententiæ Græcorum.

Libanius: Atque indolem sane meam ipse quoq; laudabat; & magistrum dicebat admirari, ut magna excogitaturam negotia, & quæ aliquam præ se ferret generositatem: jam vero quod ingenium ita comparatum non possit quiescere, sed necessario more generosorum equulorum facere: hoc est, quod cōsiderare noluit. Quid ergo illorum proprium est? saltant, resiliunt, exagitant & fastidiunt jugum, quassant aurigam, transgrediuntur præstituta: verum non mœret dum hæc fiunt auriga, neq; inutiles judicatos: quin hæc ipsi sunt indicia futuræ virtutis: quare fert equulos immorigeros meliorum spe adductus, sed supinos & sopitos & caput non attollentes, neq; turbantes rectorem, non mites, neq; modestos, sed tardos reputat. Et in equis id facientes sapere existimabimus: filiis vero si præ bonitate naturæ laxentur, domum alienam cōstituemus? atque rationi magis consentaneum est segnes expellere, celeres, & promptos amplexari, quam illos diligendo his quasi improbis adversari. *Declamat.* 24.

Libanius: Nihil obscœni subterfugit indoles prava, quæ leges negligit, audax, omnia perpeti & exequi: unde fit ut consentiant cum meretriculis, & prout visum est, rerum appellationes commutent, atq; incontinentiam quidem facilitatem morum, temperantiam rem immitem ducant. *Declam.* 25.

Heliodorus: Quod ad alia attinet, etiam voto melior est Charichia, tanta celeritate Græcum sermonem didicit, tam celeriter ad florem, tanquam ramus aliquis præclare florens pervenit. *lib. Æthiopicor.* 2.

¶ Romanorum.

C. Suetonius: C. Octavius per infestas hostibus vias pauciss imis comitibus, naufragio etiā facto, subsecutus avunculum Julium Cæsarem, magnopere demeruit, approbata cito etiam morum indole super itineris industriam. *cap.* 8. *Vita Augusti.*

Plinius Iunior: Artemidorum jam tum cum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idq; primū non nullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum simillimumq; sapienti, intelligere sum visus. *lib.* 3. *Epist.* 11.

¶ Poetarvm.

Aristophanes Nubibus v. 874.

Ne sis sollicitus, sed doce: ingeniosus est.
Suapte natura nam tantillus cum adhuc
Puer esset, adificabat hic intus casas,
Naves sculpebat, & plostella scortea
Fingebat: etiam ranas faciebat sibi
E punicorum malorum putamine.

¶ Emblematvm.

Camerarius 29. Centur. 2.

Etiam præclara minatur.

Fortis equi virtus primis se prodit in annis,
Nec latet excelsi vis generosa animi.

¶ Monosticha Trochaica.

Arboris generosæ planta cum fructu statim est suo.
Arte natura adjuvatur, non docetur indoles.
Degeneri trepidatione comminuitur indoles.
Experiri singularem fas statim morum indolem.
Indoles præva aucta honore, publica est pestis rei.
Indolis prudentia arte est millibus multis prior.
Laudium dulcedo calcar indoli ingens est bona.
Literis se armis ve prodit indoles politior.

¶ Jambica.

Alia ingenua est, alia est servilis indoles.
Ex voce non raro indoles cognoscitur.
Fructum latura planta se prodit statim.
Raro diurnat indoles præcox nimis.

Videantur plura titulo, *Adolescentiæ, Industriæ, Ingenii, Virtutis, Studii.*

Induciarum.

¶ Sententiæ

Onosander: Inducias Imp. si fecerit, nullam interim impressionem fieri jubeat. Sed nihilo minus custodiis positis sibi caveat. Ac tranquille & placidè cum hostibus velut in pace degat, providè tamen & caute subitis casibus velut in bello prospiciat. Eum enim nec pacta fœderaque violare, nec impium aliquid moliri ac tentare decet, sed oculatissimum esse, & à subdolis hostium fraudibus discavere: nec enim eorum quibuscum fœdera sanciuntur, penitus explorati animi sunt. Certum quidem Imperatori sit, pietatem colere, & injuriam hostibus interea temporis nullam inferre, mores tamen illis hostiles, mentemque infidam inesse semper suspicetur. Ita enim in tuto esse

poterit, ut etiam pacta violare cupientibus hoſtibus occaſio adimatur. Qui vero acceptæ cladis injuriam ab Diis vindicandam eſſe ſibi fingunt, religioſa ſane cogitant, at nequaquam tuta. nimiæq; amentiæ eſt, fœdifragos à numine ſolo ulciſcendos ſperare, nec ullam periculorum curam ſuſtinere velle: quaſi ſalvi ipſi futuri ſint, ſimul ac hoſtes perfidiæ pœnas luerint. Tunc igitur eorum impietatem experiri oportet, poſtquam propriè res ſtabilitæ ſunt. Qui enim hac utuntur prudentia non facile decipi ſolent: & manifeſtam perfidiam hoſtium, qui injuriam, ſi licuiſſet, intuliſſent, arguunt. *cap. 37. Strategici.*

Indulgentiæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

S. *Iſidorus Peluſiota*: Sæpenumero eos miratus ſum, qui Dei lenitatem in vitii occaſionem vertunt. Nam pro eo quod oportebat eos, tanta benignitate vigente, vitium minime adaugere, verum poſteaquam miſericordiam & veniam conſecuti eſſent, hujuſmodi beneficio commoveri, atq; à vitio quidem abſtinere, virtutem autem amplexari, ipſi contra nefaria quoq; ſcelera perpetrare minime dubitant. Sciant igitur illi, ſe pœnam haudquaquam vitaturos. Clamat enim divinum oraculum, Ipſe reddet unicuiq; juxta opera ſua. *lib. 2. Epiſt. 160.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ne committas, optime vir, ut fœlicitas, quæ tibi divinæ lenitatis beneficio commiſſa eſt, id tibi afferat, ut ab officio excedas, atq; extra naturæ terminos exilias. Quin potius id cura, ut ea ad eorum cogitationem te ducat, atque intra ea te concludat, ne alioqui immaniter peccans, immanes quoque pœnas perſolvas. *lib. 2. Epiſt. 190.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quod quidem Deus ad humanitatem & miſericordiam propenſus ſit, perſpectiſſimum habeo. Quod autem acerbiſſimas etiam ab iis, qui ipſius miſericordiam contemnunt, pœnas exigat, tum ſacræ Scripturæ docent, tum res ipſæ teſtantur. Quiſnam enim diluvium induxit? Quis Sodomiticam terram una cum incolis concremavit? Quis Hieroſolymam perſecutus eſt? Quis Judæos in captivitatem redegit, atq; in omnes terræ regiones velut fugitivos ac verberones ſervos circumegit? Quamobrem ne benignitate ac miſericordia ſola freti peccemus: verum juſtitiam quoq; cogitantes, reſipiſcamus: quo illic quoq; benignum ac facilem ſe ipſe nobis præbeat. Siquidem animi reſipiſcentia æquam judici facilitatis ac miſericordiæ viam aperit. *lib. 3. Epiſt. 71.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ex incomparabili Dei lenitate ac patientia ſocordiæ materiam arripere minime oportet: ne alioqui majora, quam quibus ignoſci debeat, peccata utroq; nomine perpetrare deprehendamur, hoc eſt, dum & ſtulte deſidia & inertia laboramus, & divinam benignitatem ſtultius contemnimus. *lib. 3. Ep. 196*

Chryſologus: Quis arguit medicum jacentibus conjacentem, niſi humanæ ſalutis inimicus? quis paſtorem ſubnixum lanio peccori reprehendit, niſi qui lucroſi gregis amore neſcit? quis judicem de pietate judicat, niſi ille qui fuerit deſperatus; quis communionem Dei, niſi ſacrilegus ſpernit? indulgentiam quis, niſi crudelis horreſcit. *Serm. 30. med.*

¶ POETARUM.

Terentius Adelph. 5. ſc. 4.

——re ipſa repperi,
Facilitate nil homini eſſe melius, neq; clementia. id
Eſſe verum, ex me atq; ex fratre cujus facile eſt noſcere.
Vitam ille ſuam ſemper egit in otio, in convivio
Clemens, placidus, nulli os ladere, arridere omnibus,
Sibi vixit, ſibi ſumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agreſtis, ſævus triſtis, parcus, truculentus, tenax
Duxi uxorem, quam ibi miſeriam vides? nati filij,
Alia cura. porro aliud: illis dum ſtudeo ut quam plurimũ
Facerem, contrivi in quærendo vitam, atq; ætatem meam:
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore abs tero.
Odium ille alter ſine labore patria potitur commoda.
Illum amant, me fugitant: illi credunt conſilia omnia,
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo, ego deſertus ſum.
Illum ut vivat optant, meam aũt mortẽ exſpectant ſcilicet:
Ita eos meo labore eductos maximo, hic fecit ſuos
——*Paullo ſumptu. miſeriam omnem ego capio: hic potitur gaudia.*
Age, age, nunc experiamur contra hæc ecquid ego poſſiem
Blande dicere, aut benignè facere, quando eo provocat.
Ego quoq; à meis me amari & magni pendi poſtulo.
Si id fit dando, atq; obſequendo; non poſteriores feram.

¶ EMBLEMATIS.

Camerarius 21. Centur. 1.
Obſequio, non vi.
Evangere vi malus, quam lente flectere ramum?
Eſt tractare homines molliter artis opus.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Corporis mentiſq; nervos frangit Indulgentia.
Duleis eſt querela quæ ortum debet indulgentiæ.
Et delicta item quandoque emendat indulgentia.
Nil magè principes commendat quam bonum indulgentiæ.
Non infamiam ſed pœnam donat indulgentia.
Rariore proſequendi liberi indulgentia.

¶ JAMBICA.

Indulgeas quæque alteri, at nihil tibi.
Morum in modum laus dum vitatur quæritur.
Peccata lenis nutrit indulgentia.
Regem celebrat maxime indulgentia.

Videantur plura titulo *Clementiæ, Comitatis, Lenitatis, Impunitatis, Licentiæ, Parentum.*

Induſtriæ.

¶ EMBLEMATUM.

Had. Junius Emblemat. 58.
Fiſtucas auro triplices, monumenta laboris
Continui, ſemper Suſia gens coluit.
Aſſiduus labor, & ſollers induſtria, quid non,
Edomat: huic cedunt omnia, dura licet.

Batillius 56.
Prudens multis admirandus artibus.
Quaris cur triplici fingatur Geryo vultu,
Cur ſenoſque pedes, totque habuiſſe manus,
Vno cuncta animo gerere atque quod omne ſoleret
Conſilium in rebus conſociare ſuis.

Camerarius 74. Centur. 2.
Aſtu ſolertia major. Mulus amnem tranſeunt.
Lana ſalis haud eadem eſt, neq; ſpongia merſa ſub undas,
Quæque aſinus neſcit cernere ſcit ſapiens.

Camerarius 88. Centur. 2.
Vincit ſolertia vires.
Exiguus tranat ceu flumina magna ſciurus,
Res gerimus magnas ſæpe ſolertia ingenii.

Camerarius 38. Centur. 4.
Induſtria propria nutrit.
Fallax limoſas piſcatrix rana paludes
Obſidet, incautos piſciculoſque capit.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Arduum nil eſt in terra homini, arduum nil in mari eſt.
Beſtia ſe vi tuentur: ſufficit homini induſtria.
Claritas parva à natura eſt deſtituta induſtria.
Cuncta perficit tentando multiplex ſolertia.
Etſi homini abſint alæ, alata præda ei fiunt aves.
Hamus ingentem è profundo piſcem parvus extrahat.
Impetrabit ſumma quæq; pertinax induſtria.
Indoles morum latere ne quidem in puero poteſt.
Natura nulla ars imitari queat ſollertiam
Nil poteſt, niſi & ſua adſit vis loquax, ſagacitas.
Nondum adhuc Sagacitatis cum Stupore nuptiæ.
Optima homini induſtria eſt, ut peſſima eſt ignavia.
Paullulum intereſt, ex animo faciaſne, an de induſtria.
Suppleas ſolertia unius plurium imprudentiam.

¶ JAMBICA.

Ambitio turpis, ſera eſt ſenum induſtria.
Et ingenii ſua barbaris ſolertia eſt.
Formicæ apeſque exempla ſunto induſtriæ.
Fortuna lapſa eſt: ſubleves induſtria.
In occidente Solis ortus quæritur.
Induſtrio ſuma eſt viro ſuperbia.
Induſtrioſus fingat è luto aurea.
Induſtrium, atq; ignavum in æquo pax tenet.
Natura præſtat arti, utriq; induſtria.
Nil non queat fieri mortali induſtria.
Præcipitio vocitatur hodie induſtria.
Præſtantior violentia eſt induſtria.
Præſtantior vero cordis induſtria eſt.
Quid vis patrat comes laboris induſtria.
Quod naſcitur cunctis, meæ ces induſtriæ eſt.
Sagacitati frater eſt Dolus bonus.
Veniæ memoria ſtimulus eſt induſtriæ.
Vix eſt, vigilax fallatur ut ſagacitas.

Videantur alia titulo *Artis, Indolis, Curæ, Ingenii, Solertiæ, Studii.*

Inertiæ.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Ante mortem adhuc vivã infert ſe ſepulcro inertia.
Cauſa multorum es malorum ſomnolenta inertia.
Deſtruit rem, deſtruitq; dignitatem inertia.

Etiam

Etiam qui quietem edere diligunt inertiam.
Est item sua pertinaci auctoritas inertia.
Famam iners alienam credit esse dedecus suum.
Multi inertiam simulant, dum temeritati fit locus.
Quanquam primo invisa, amatur at deinde inertia.
Tantum inertiæ contemptus quantum odium superbiæ est.
Tuta iners sectatur, ipsa virtus summa quærtat.
Vita pro sale, ut sui, sic & data est inertibus.

¶ Jambica.

Aliquando pro sapientia est inertia.
Forti in viro pudenda res inertia est.
Inertia aque invisa quam superbia.
Nil luce dignum perpetratum inertiæ.
Per alta virtus it, sectatur tuta iners.
Teterrimum forti vitium est inertia.
Virtus senescit blando inertia malo.

Infamiæ.

¶ Sententiæ Patrum

S. *Isidorus Peluſiota*: Si nec gehennæ, nec cæleſtis regni cura ullâ te afficit, id ſaltem te operam dare æquum fuerit, ut præſentis vitæ dicteria propulſes. *lib.* 3. *Epiſt.* 1.

Zeno: Pene pro infecto habetur apud incredulos, quod non diffamatur. *Serm.* 4. *de Iſaia.*

¶ Oratorum Græcorum.

Iſocrates: Veteres Athenienſes gravius eſſe putabant male audire à civibus, quam honeſte pro patria occumbere: & magis erubeſcebant, ſi quid publice delictum eſſet, quam nunc privatim pecaſſe pudeat. *Panegyric.*

Libanius: Ignominia affectis, non licet orationem habere. quis autem magis infamis quam condemnatus, & iis qui poſtularunt deditus. *Declamat.* 16.

¶ Romanorum.

Seneca: Claritas bonorum virorum opinio eſt, nam quomodo fama, non eſt unius ſermo, nec infamia unius mala exiſtimatio, ſic nec claritas uni viro placuiſſe. *Epiſt.* 111.

C. Tacitus: Infamia inſignior fuit capite, quod humani diviniq; juris ſciens, egregium publicum, & honeſtas domi artes dehoneſtaviſſet. *lib.* 3. *Annalium cap.* 70.

C. Tacitus: Infamiæ, apud prodigos noviſſima eſt voluptas. *lib.* 10. *Annalium cap.* 26.

¶ Poetarum.

Auſonius Edyll. 2. ubi pater ejus loquitur.

Famam quæ poſſet vitam lacerare bonorum,
Non finxi, & veram ſi ſcierim, tacui.

¶ Emblematis.

Camerarius 53. Centur. 2.
Jam parce ſepulto.

Atro qui lacerat jam caſſum lumine dente,
Defunctum tumulum turpis hyæna fodit.

¶ Monoſticha Trochaica.

Eſt aliquid communem habere cum magni infamiam.
Eſt minor probo ipſe mortis quam metus famæ malæ.
Infamia etiam tum vivit, cum credas eſſe mortuam.
Lex quidem timenda civi, ſed mage hercle infamia.
Mortuus malim eſſe, de me quam quis ut male autumet.
Mors mala eſt, ſed morte pejor vomica eſt infamia.
Nemini nocet qua ſalvus ſit nummis infamia.
Non poteſt fieri quid id quod ſit, aliquando cæperit.
Non poteſt fieri ut miſer ſit, qui virtute eſt praditus.
Præmium multis peccandi, eſt ipſamet infamia.
Quanquam in vaſeris periclum non vitas infamiam.
Sæpe quem juſtum eſſe oportet inſigni cum infamia.
Sentiat quid quiſq; de ſe. diſſolutus negligit.
Stultus eſt fama jugillat qui ſua famam alteri.
Tam bonum malum vide nil eſt, quin male aut bene audiat.
Tandem item contemptui ipſa eſt improbis infamia.
Tu, niſi probrum, omnia alia indelicta exiſtimes.
Vivit tum quoque eſſe credas mortuam cum infamiam.
Vitam infamem ſere inhoneſto fœdant impuri exitu.

¶ Jambica.

Vtiles non ſunt opes quibus adſita eſt infamia.
Acerbior quacunq; morte infamia.
Acerbius quacumque morte, dedecus.
In morte minus pœna eſt, quam in ipſa infamia.
Infamia vix ablui poteſt nota.
Infamibus permiſſa nuſquam concio eſt.
Ius concionis haud ſuum eſt infamibus.
Latiſſime Regum patent infamia.
Laudare & infamare eundem eſt improbi.
Magiſtra turpium actionum infamia eſt.
Malit mori quam notari vir probus
Nil tam cavet vir fortis atque infamiam.
Probroſa apud ſuos pati miſerrimum eſt.
Probis timori tantum fama eſt improba.
Præſtat mori, quam audire in publicum male.

Videantur plura titulo *Ignominiæ, Impudentiæ, Famiæ, Celebritatis, Contumeliæ.*

Infantium,

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Greg. Nyſſenus*: Prodiit homo per nativitatem in vitam: hauſit aerem: à genitu vitam inchoavit: lachrymas naturæ muneris vice impendit: primitias vitæ ſolvit, & libamina fecit de fletu, priuſquam alicujus rei in vita jucundæ particeps fuiſſet, priuſquam ſenſibus vegetatus & firmatus eſſet: etiam nunc membrorum compage atq; coagmentatione ſolutus, tener ac diffuſus, inarticulatus, artubus nondum compoſitis atque formatis, & ut ſummatim dicam, priuſquam homo factus eſſet (ſiquidem hominis proprium donum rationis eſt: at hic rationis nondum capax erat) hoc qui nihilo plus habebat, quam is, qui materno utero cõtinetur, præter quam quod in aere fuit, in ea ætate cum ſit per mortem ſolvitur, vel expoſitus, vel ſuffocatus, vel ſponte per infirmitatem vivere deſinens, quid de eo cogitare oportet? quomodo itẽ de iis, qui hunc exitum vitæ habuerunt, ſentire? an illa quoq; anima judicẽ videbit? tribunali cum aliis ſiſtetur? ſubibit actæ vitæ judicium? accipiet pro merito retributionem & compenſationem: vel igni purgata, juxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata atque refocillata? Sed haud ſcio quomodo hæc de hujuſmodi anima cogitare oporteat.

Nomen enim retributionis & remunerationis aliquid oportere prorſus ante præbitum eſſe ſignificat: at ei, qui omnino non vixit, materia aliquid præbendi prærepta eſt. In quibus autem datio non eſt, nec compenſatio quidem & retributio proprie nominabitur. Ubi autem retributio non eſt, neq; bonum neq; malum, quod vel ſperetur, vel metuatur, propoſitum eſt. Id enim nomen eorum, quæ in alterutram partem intelliguntur, compenſationem & retributionem promittit: quod autem neq; in bono neq; in malo invenitur, in nulla re prorſus eſt: ſine medio eſt enim ejuſmodi oppoſitionis contrarietas, boni & mali inquam, quorum neutrum continget ei, qui non alterius exemplum & ſpecimẽ præbuerit. Quod igitur in nulla re eſt, ne eſſe quidem prorſus aliquis dixerit: Quod ſi quis tale & eſſe, & in bonis eſſe, dicat, Deo bona talibus dante, non reddente: quam hujus attributionis cauſam afferet? ubi juſtitiam in hac attributione ſimul in eſſe oratione demonſtrabit? quomodo autem hanc opinionem cum Evangelicis vocibus concordantem oſtendit? Illic quidem tanquam & negotio contracto regnum eos, qui digni habentur, conſequuturos eſſe dicit, Quoniam enim hoc & hoc, inquit, feciſtis, æquum eſt, ut regnum loco remunerationis accipiatis.

Hic vero cum nullum neq; factum neq; voluntas ſubſit: qua ratione & occaſione quis dicet, etiam his à Deo contingere id, quod ex retributione & compenſatione ſperatur? Quod ſi quis ſine ulla excuſſione & examinatione hujuſmodi opinionem amplectetur, quaſi prorſus in bonis futurus ſit is, qui hoc modo prodierit in vitam, ex hac opinione meliore conditione beatiorq; eſſe videbitur, qui vitæ particeps omnino non eſt, quam qui vivit, ſi quidem ille proculdubio bonorum particeps erit, etiamſi barbaros parentes habeat, & juſtis legitimiſq; nuptiis conceptus non ſit: illius autem vitæ, qui id, quod natura capit atq; conſuevit, vivendo tempus exegerit, prorſus vel major vel minor coinquinatio vitioſitatis admiſcebitur: aut ſi penitus à communione mali vacuus erit, multis ei adhoc ipſum ſudoribus & laboribus opus erit. Non enim abſq; negotio, qui virtuti ſtudent, eam aſſequuntur: neq; abſq; labore hominibus contingit, ut à malis voluptatibus alieni ſint: ideo ut prorſus oporteat eum, qui diutius in vita futurus ſit, altero ex duob. moleſtis implicatum conflictari, vel nunc in laborioſo exercitio virtutis decertantem, vel tunc propter vitam per malitiam & nequitiam tranſactã, inretributione triſtium & acerbarum rerum cruciatus & dolores tolerantem: in præmaturis autem nihil eſt ejuſmodi. Sed protinus eos, qui immatura ætate ex hac vita translati ſunt (ſi modo vera eorum, qui ita ſuſpiciantur & credunt, opinio eſt) bona ſors atq; conditio excipit. Ergo ex conſequenti rationis carentia etiam ipſa ratione eſſe præſtantior & optabilior oſtenderur: & virtus nullius pretii per hæc apparebit. Nam ſi nullum damnum ac detrimentum, quantum ad uſum & participationem bonorum attinet, accidit ei, qui particeps virtutis non fuit, vanum & in utile ejus ſtudium fuerit, quum ſtatus & ordo rationis expers priores partes in judicio Dei obtineat. *Orat. de infantibus præmaturè mortuis.*

D. Greg. Nyſſenus: Si pro eo quod juſtum eſt, Sonorum remuneratio fit, in quibus verſabiturus, qui infans in tenera ætate vitam finivit, neq; boni in hac vita neque mali quidem conatus & exorſus, ut per hæc ei pro merito retributio fiet? Cui reſpondebimus: quod

bonum, quod expectatur, ſecundum naturam quidem humani generis proprium eſt: dicitur autem ſecundum quendam intellectum idem etiam retributiõ. Similitudine ſenſus hic explicabitur. Ponantur duo quidam, qui in morbum quendam inciderint oculorum, quorum unus majori ſtudio ſe curationi permittat, omnia quæ ab arte medica adhibeantur, quantumvis etiam dolorem facientia, ſuſtinens; alter vero à balnes & nimio vini uſu ſeſe minus abſtinere poſſit, nullum medici conſilium quod ad ſanitatem oculorum pertineat, admittens. Dicimus igitur, ad finem & eventum utriſq; ſpectantes, utrumq; ſuæ voluntatis dignos recipere fructus, hunc quidẽ privationem, illum uſum atq; fruitionem lucis. quod enim neceſſario ſequitur, id per abuſionem, retributionem & compenſationem nominamus.

Hæc etiam ad ea quę de infantibus quæruntur, dici poſſunt, quod illius vitæ uſus atq; fruitio, propria quidem humanæ naturæ ſit. ſed cum ignorantiæ morbo omnes propemodum qui in carne vivunt correpti ſint, qui quidem idoneis & competentibus curationibus ſeſe expurgaverit, & veluti lippitudinem quandam à perſpectiva vi animæ ignorantiam quaſi derivaverit, abluerit, & ſuſtulerit, dignum ſtudio lucrum conſecutus in ea, quæ ſecundum naturam eſt, vita verſatur. qui a. ea quæ per virtutem adhibentur, purgatoria fugit remedia, curatuq; difficilem ſibi per fallaces voluptates ignorantiæ morbum efficit, per naturam diſpoſitus & affectus alienus eſt ab eo, quod ſecundum naturam eſt, & expers ſit ejus vitæ, quæ nobis proprie convenit & accommodata eſt.

At puellus infans ſimplex omniſq; malitiæ expers, nullo etiam nunc oculorum animi morbo participationi lucis officiente, in eo quod naturale eſt verſatur, ſanitate quæ per purgationem contingit non indigens, quippe nec ab initio quidem prorius in animũ morbum admiſit. Ac mihi præſens vitę ratio per quandam convenientiã ac proportionem affinis ac propinqua eſſe videtur ei vitæ quam expectamus. Ut enim prima infantium ætas mamma ac lacte nutrita educatur, deinde alius conveniens ei cui adhibetur, excipit cibus, qui idoneus ac proprius ſit ejus qui enutritur, donec ad perfectam perveneri ætatem: ita opinor etiam animã per ea quæ ſemper competẽtia ſibi atque accommodata ſint, ordine ac conſequentia quadam participem fieri ejus vitæ, quæ ſecundũ naturam eſt, quantam capit ac poteſt de iis quæ in beatitudine propoſita ſunt, partem capientẽ &c. Quemadmodum igitur dici non poteſt, in ſimilibus ei virum, & infantem, etiamſi neuter eorum morbo aliquo implicetur (quo pacto enim in paribus deliciis verſari poſſint, qui earundem rerum participes nõ ſunt?) ſed morbo quidẽ nullo affligi, & in hoc & in illo ſimilter dicitur, quãdiu paſſionis & afflictionis uterq; expers eſt: ſed fructus deliciarum nõ amplius ab iiſdem ſimiliter percipitur. (Nam huic quidem licet vel orationibus delectari, vel rebus præeſſe, vel cũ laude ac gloria magiſtratus gerere, vel benefaciendo hominibus egentibus clarescere, vel ſi res ita tulerit cum uxore, quæ cordi ſit, matrimonio junctum eſſe, ac domui prę eſſe: ac ſi qua alia per hanc vitam una cum his jucunda licet invenire, tum acroamata, tum ſpectacula, venationes, lavacra, gymnaſia, convivales animi delectationes, ac ſi quid aliud ejuſmodi eſt.

At infanti delitiæ ſunt? lac, nutricis ulnę quieta ac placida motio, quæ ſomnũ invitet & demulceat. nã imperfectæ ætatis ea natura eſt, ut quæ ſuperet hanc, oblectationẽ non capiat) eodem modo, qui per virtutẽ in hac vita animas nutriverunt, & ut inquit Apoſtolus, mentis ſuæ ſenſuum inſtrumenta exercuerunt, ſi ad incorporeã illam vitam traducãtur, pro oratione habitus ac potentiæ, quæ in ipſis inſit, divinarũ deliciarũ participes erunt, vel majorem vel minorẽ, ſecundum præſentem cujuſq; potentiã propoſitorum partẽ capientes. At anima, quæ virtutem nondũ guſtavit, eorum quidẽ malorũ, quæ ex improbitate ac nequitia oriuntur, ut quæ ab initio prorſus in malitiæ morbũ non inciderit, expers manet: illius a. vitæ, q̃ Dei tum cognationẽ tum participationẽ eſſe, oratio ſupior definivit, tantã in initio partẽ capit, quantæ capax eſt, id q̃ enutritur. quo ad tanq̃ cibo quodam convenienti & accõmodato ad cõtemplationem ejus, qui revera eſt, grãdis effecta majoris partis capax efficiatur, largiter & abunde p̃ arbitrio partẽ capiens ejus qui revera eſt. Ad hæc reſpicientes malorum quidẽ, quæ ex improbitate ac nequitia & exiſtunt, pariter expertem animã eſſe dicimus tum ejus, q̃ per omnẽ virtutẽ, p̃greſſus facit, tum ejus, q̃ ne vitę quidẽ penitus particeps fuit. non tamen in eodem ſtatu atq; conditione pari utriuſq; horũ converſationẽ vitæq; traductionẽ eſſe intelligimus. hic. n. cœleſtis, ut ait propheta, narrationes, p̃ quas gloria Dei annuntiatur, audivit, & per creaturã ad cõſiderationẽ Domini creaturæ deductus eſt, & ad cognoſcendã eã, quæ vere ſapientiæ eſt, magiſtra uſus eſt ea ſapiẽtia quæ in reb. univerſis cõſideratur, & in eſſe intelligitur: atq; hujꝰ loci pulchritudine animadverſa, per cõvenientẽ ſimilitudinẽ ac p̃portionem, veræ lucis pulchritudinẽ cõſideravit & intellexit: & per ſoliditatẽ ac firmitudinem terræ ejus, qui fecit eam, didicit immobilitatem ac ſtabilitatem.

Immenſa quoq; cœli magnitudine animadverſa, ad infinitã & indeterminatã potentiã res univerſas in ſe continentẽ deductus eſt, cõſpectiſq; radiis ſolis ab tantis altitudinib. ad nos uſq; pertinentes, p̃ ea quæ apparent, p̃videntiæ divinæ efficientiis facultatem nõ deeſſe credidit, ut ab altitudine Deitatis, ad unumquemq; noſtrum deſcendat. Nam ſi unũ luminare & cõmuniter quicquid ſubjectum, eſt illuminatrice vi occupat & cõprehendit, & omnib. utentibus atq; fruentibus ſeipſum impertiens, totus unicuiq; & indiviſus adeſt, quanto magis luminaris fabricator, & omnia in omnibus, ut Apoſtolus inquit, exiſtit & unicuiq; adeſt, tantum ſeſe exhibens, quantũ ſubjectũ capit. Quinetiã ſi quis vel ſpicã ſuper terram conſpexerit, vel ex plana germen enatum, vel racemũ maturum, vel autumni pulchritudinem, tum in fructibus tum in floribus, vel ſponte proveniẽtem herbam, vel montem ad ætheream altitudinem à cacumine pertinentem, & fonteis in locis depreſſis uberum in modum ex lateribus & hiatibus montis affluentes: tum amnes per concava loca fluentes, tum mare, quod & omnia undique flumina excipit, & in ſua menſura manet, fluctusque littoribus terminat, & non ultra cõſtitutos fines in continentem mare erumpens: hæc & hujuſmodi ſi quis conſideret, quo pacto non omnia ratione comprehendat, per quæ theologis cognitio exiſtit ejus, qui eſt? nunquid parvam ſibi vim ad participationem illarum deliciarum comparavit? ut omittam interim diſciplinas, quibus mens ad virtutem acuitur, geometriam, aſtronomiamque & eam, quæ per numerum contingit, cognitionem veritatis, atque omnem rationem ac viam demonſtrativam eorum, quæ ignorantur & confirmativam eorum, quæ comprehenſa & intellecta ſunt: adhæc item divinæ ſcripturæ philoloſophiam, quæ perfectam iis, qui per eam divina fuerint edocti myſteria, affert purgationem.

At is, qui harum rerum nullius cognitionem adeptus eſt, neque permundum ad cognitionem ſupra mundanarum rerum quaſi manu ductus eſt, ſimplex adeo, tener & inexercitatus mente que inculto vitam tranſiens, non in iiſdem verſetur, in quibus ſuperiorem illum verſaturum oratio demonſtravit, ut idcirco non amplius juxta prolatam à nobis oppoſitionem beatior eſſe oſtendaturis, qui vitæ particeps ejus fuit, eo qui præclare particeps ejus fuit. Nam eo quidem, qui cum vitio nequitiaque vixit, non modo ſimplex, vitiique ac malitiæ expers, verumetiam is forſitan, qui nec prorſus quidem ab initio prodiit in vitam, beatior fuerit. Tale enim de Juda quoque per Evangelicam vocẽ didicimus, quod in talibus is qui penitus in rerum natura non eſt, eo qui cum vitioſitate provenit in rerum naturam, meliore conditione ſit. Nam illi quidem ob profunditatem innatæ vitioſitatis in infinitum prorogatur ea, quæ per purgationem fit pœna; cum vero, qui non eſt, quomodo dolor attingere poſſit. *Orat. de infantibus præmature mortuis.*

D. Chryſoſtomus: Poſt matrimonium ſi natus fuerit infans, heic quoque rurſus videbis amentiam. Et cum infantem vocari oportuerit; mittentes eum vocari à ſanctis, ut veteres primo faciebant, accenſis lucernis, & eis nomina imponentes; afficiunt ut ea quæ diutiſſime duraverit, eodem nomine appelletur quo infans: hinc conjicientes futurum, ut diu vivat. Deinde cum ſæpe contigerit, eũ mortem ſubire immaturam; ſæpe autem contingit: ſequetur multus diaboli riſus, quod eos tanquam ſtultos pueros ſit ludificatus. Quid dixeris de amuletis, & de manu appenſis crepitaculis, & ſtamine coccineo, & de aliis magna repletis ſtultitia; cum infanti nihil aliud ſit adhibendum, quam crux ad cuſtodiam? Nunc autem is quidem deſpectui eſt habitus, qui convertit totum orbem terrarum, & certum vulnus inflixit diabolo, & ejus omnem evertit potentiam: ſubtegmini autem, & ſtamini, & aliis amuletis creditur pueri tutela & euſtodia. Dicámne aliquid hoc magis ridiculum? Lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices & ancillæ, cum digito unxerint, imprimunt in fronte pueri. Et ſi quis roget; quid ſibi vult lutum, quid cœnum? Malum, inquit, avertit oculum, faſcinationemque & invidiã. Papæ. quanta vis luti, & quanta virtus cœni? tanta quidem ut totã diaboli aciem fundat ac fuget. Non præ pudore veſtro vultus tegetis? Non tandem diabolicos laqueos aſpicietis? Quomodo ab ineunte ætate paulatim ſuas machinas adhibet diabolus? Nam ſi hoc efficit lutum: cur in tua quoque fronte hoc non facis; cum ſis vir, plenaq; & perfecta habitudine, plures habeas qui tibi invident quã infans? Cur non totum quoque corpus luto illinis? Nam ſi tantam vim habet in fronte, cur non te quoque totum luto inungis? Hæc ſunt riſus & comœdia ſatanica: quæ non ſolum ad irriſionem, ſed etiam ad gehennam evertit eos qui decipiuntur. Et quod hæc quidẽ fiant apud Græcos, non eſt mirum. Quod autem apud eos, qui crucem adorant, & ſunt myſteriorum arcanorum participes, & tot & tanta philoſophantur, hæc vigeat turpitudo: hoc eſt valde luges dũ. Deus te unguento honoravit, tu autem te probro & dedecore afficis: & cum oporteret fronti crucem imprimere, quæ certam & indubitatam præbet tutelam; tu his dimiſſis ad ſatanicam deturbaris amentiam? Si quibus autem hæc videntur eſſe parva: diſcant quod ea ſint cauſæ magnorum malorum. *Hom. 12. ad Corinthios 1.*

D. Chryſoſtomus: Multi gentium mores apud noſtros aliquot ſervantur, ſortilegia, auguria, omina, ac dierum obſervationes, ſuperſtitioſa ſuper geneſim cura & omnis impietatis plenæ literæ quas puerorum, protinus ut natiſunt, magno malo capitibus imponunt; ab ipſo protinus exordio docentes, illos virtutis adipiſcendæ ſtudiũ abjicere, & ad fallacem fati tyrannidem, quod quidem in ipſis eſt, illos adducentes. *cap. 1. ad Galat.*

D. Io. Chryſoſtomus: Infans non poteſt malum & bonum cibum diſtinguere. Sæpe quidem certe & pulverem in os injicit, & quod eſt noxium accipit, & omnia facit cura diſcretionem. *Homilia 8. Epiſt. ad Hebraos.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Infantes quoque omnes quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum panchreſta atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. *lib. 6. de gubern. Dei.*

Chryſologus: nato parvulo mox coævum præparat ſuccum Natura; eſcam commutat in potum, & ſtupentes adhuc fauces torquen-

teſque

tesque internorum meatus, ad usum Solidioris cibi longa lactis infusione componit. *Sermone 39. pr.*

Chrysologus: Consuetū est & solēne semper, parvulos ovū petere; & parentes ovum pusillis petentibus non negare. *Serm. 55. f.*

Chrysologus: Infantia semper obtinet: quæ plus lacrimis quā virtū ratione contendit. neque enim tantum vultus & sudor fortiū, quantum possunt lacrimæ parvulorum: quia ibi oculi, hic corda frangūtur. ibi mentis judicia vix moventur, hic tota pietas inclinata deficēdit. *Sermone 128. f.*

Chrysologus: In cunabulis jam natus homo in homine est, sed latet: est corpus, & non est: membra videntur, & non sunt: vivunt quæ non vigent sensu, inclinatur pietas, desudat industria, ars laborat: & ut plenius dicam, quot membra hominis, tot magisteria ut hominem perficiant, elaborant. Et quid plura? cuncta quæ natura generat vel producit, pietas nutrit, industria excolit, ars decorat. *Serm. 132. pr.*

Chrysologus: Infantia quam barbariem non vincit, quā non feritatem mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non cōpescit furorem, quam non potestatem deponit, quem non intelligit rigorem, quam duritiam non resolvit, quid non amoris expostulat, quid non affectionis extorquet, quam non imponit gratiam, quam non imperat charitatem? Hoc ita esse sciunt patres: matres sciunt: probant omnes: viscera humana testantur. *Sermone 158. pr.*

¶ Oratorum Romanorum.

Quintilianus Senior: Quantum ad te pertinet, non habet Respublica virum fortem: aut illum feræ laceraverunt, aut aves diripuerunt, aut aliquis (quod multo sit indignius) sustulit leno aut lanista. *Declamat. 278. a. f.*

Quintilianus Senior: Huic quidem quantum fuerit materni nominis cupiditas, non illis tantum argumentis probabo, quod concepit, quod sustulit: sed quod maritus numquam mandat exponēdum, nisi educaturæ. *Declamat. 306. a. f.*

Quintilianus Senior: Rarum igitur est, ut expositi vivant. Caducum circa initia animal, homines sumus. Nam ferarum pecudūque fœtibus est statim ingressus, & ad ubera impetus: nobis tollendus infans, & adversus frigora nutriendus. sic quoque inter parentū manus, gremiumque nutricis, sæpius labitur. Unde nobis tantam felicitatem, ut ad infantem mors accersita non veniat? Vos ponite ante oculos puerū statim neglectum, cui mori domi expediret: inde nudum corpus, sub cælo, inter feras & volucres. Video moveri, mulier, lachrymas tuas. Nemo tibi mortaliū posset ignoscere, nisi jussa fecisses. Illa tamen conditio est eorum, quibus obvium patrē quærit exponentium paupertas. Ille relinquitur loco celebri: tunc & libet custodire longe, & spectare fortunam. Aliter abdicatur, quem jussit exponi, qui relinquere poterat heredem. *Declam. 306.*

¶ Poetarvm.

Plautus Trucul. 2. sc. 1. v. 10.

Puero opus est cibū, opus est matri autem quæ puerū lavit.
Opus nutrici autem, utrē ut habeat veteris vini largiter,
Vt dies noctesq; potet: opus est igne, opus est carbonibus:
Fascijs opus est, pulvinis, cunis, incunabulis:
Oleum opus est, farina puero opus est, opus est totum diem.
Nunquam hoc uno die efficietur opus, quin opus semper siet.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Iesus Chrystus Dominus noster: Quum offerrentur pueruli, ut manus eis imponeret, & precaretur, discipuli autem objurgarent eos, Jesus dixit, sinite puerulos, & ne prohibete eos ad me venire: talium enim est regnum cælorum. *Matth. 19. 13. 14. 15.* Docet sacrum illud Christi apophthegma ipsos etiam infantes ingratuito Dei fœdere comprehendi.

Idem: Scribæ & sacerdotes indigne ferentes quod pueri clamarēt in templo, & dicerent, Hosanna filio David, dixerunt Jesu, Audis quid isti dicant? Jesus autem respondit eis, Etiam. Nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? *Matth. 21. 15. 16.*

¶ Monosticha Trochaica.

Filius infans hominem omnem, ceu parentem, respicit.
Lac dato pannumque nato jam recenti: sufficit.
Lac et panisque, quisque in lucem exit, sufficit.
Pusiones a vagitu exterreas crepitaculis.

¶ Jambica.

Æternas tenera omne refugit simile sordido.
Ignorat infans ipse quidnam sit dolor.
Infantium nil moribus tenacius.
Quis non adhuc memor suæ est infantiæ?

Inferni.

¶ Sententiæ patrum graecor.

D. *Nazianzenus*: Quidam extremas dumtaxat eorum plagas pœnasque in hoc sæculo persolutas deplorant, nimirum ii, qui hujus vitæ rationem habent, nec ad futura supplicia mente penetrant, nec ullam rerum in hac vita gestarum censuram atque mercedem fore arbitrantur, sed brutorum animantium ritu in diem atque in præsens semper vivunt, ac sola hujus vitæ trāquillitate beatitudinem metiuntur, contraque adversis rerum casibus infelicitatē definiunt. Mihi vero gravius eos lugere subit ob sequentis vitæ cruciatus, eaque, improbos & sceleratos manent, supplicia. Nondum enim quod maximum est dico, nempe hoc ipsum, à Deo ejici, quam dura & acerba illis pœna sit. *Oratione 3 stelit. 1.*

D. Chrysostomus: Quod si audito gehennæ nomine, irrides, ac fidem non habes: illum ignem recordare Sodomorum. Vidimus enim vidimus, & in præsenti quoq; vita gehennæ effigiē. quādoquidem enim multi futuri erant, qui iis fidem minime habituri essent, quæ post resurectionem futura sunt, nunc cum iidem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudivit. tale est igitur Sodomorum incendium, & vastatio illa: id quod sciūt ij, qui ad ea loca profecti, plagam illam divinam, ac cœlestium fulminum opus oculis subjecere. Cogitato quam grave illud sit peccatum, ut quod ipsam gehennam etiam ante tempus existere coegerit. *Homilia 4. ad Romanos.*

Chrysostomus: Dicis, Non punit Deus, quia benignus est: si punierit, reperietur nequaquam esse benignus. Vides in quæ verba vos ducat diabolus. Quid ergo monachi, qui occupatis montibus maximum pietatis studium exercent? Num sine coronis abibunt? nam si mali non puniuntur, neque ullius est retributio: eadē ratione dixerit alius quispiam, neque bonos coronari. Etiam, inquies: nam Deo istud decorum, ut regnum illius tantummodo sit, gehenna nō sit. Scortator itaque & adulter, quique innumera mala operatus est, iisdem potietur, quibus qui modestiam & sanctimoniam vitæ conservavit: stabitque cum Nerone Paulus: imo & diabolus ipse juxta Paulum consistet. Nam si gehenna non est, omnium autem futura est resurectio: quid aliud relinquitur, quam ut mali eadem consequantur cum bonis? Quis istud dicet, licet vehementer insanus? Imo quis dæmonum hoc asseret? Nam & illi gehennam confitentur. *Homilia 25 ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Ubi sunt qui gehennam esse nolunt? Si enim non eisdem præmiis potientur justi omnes, sicubi vel modice alii aliis excelluerint: differt enim stella à stella in gloria, inquit Apostolus: quomodo cum justis eadem gloria fruentur peccatores? hanc enim confusionem ne homo quidem quisquam faciet, multo minus Deus. *Homilia 31 ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Et ubi, inquies, & in quo loco erit ipsa gehenna? ut quid istud curas? Quæstio siquidem est, non ubi recondita sit, & in quo loco. Nonnulli quidē fabulantes dicunt quod in valle Josaphat, quod de bello quodam præterito dictum est, gehennā trahentes: scriptura vero hoc non dicit. Sed in quo loco, inquis, erit? Alicubi, quantum ego puto, extra omnē hunc mundum. Quemadmodū enim regum carceres & metalla porrò distant: ita alicubi extra hunc orbem erit gehenna. Ne quæramus igitur ubi sit, sed quomodo illam sane fugiamus. *Homilia 31. ad Romanos.*

Idem mox: Si gehenna non est, quomodo judicabunt Apostoli duodecim tribus Israēl? Quomodo dicit Paulus: An ignoratis, quod angelos judicaturi simus, multo magis secularia? Quomodo Christus dixit: Viri Ninivitæ exsurgent, & judicabunt generationem istam: & tollerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii. Quid igitur ludis in rebus non ludicris? Quid te ipsum seducis ac decipis? Quid benignitatem Dei expugnas? Propter hoc ipsum quippe illā & paravit, & minatus est, ne in illam incidamus, timore illius meliores facti. Itaque qui sermonem de istis è medio tollit; nihil aliud facit, quam quod hac deceptione in eam ipsam gehennam impellit & conjicit. Ne dissolvas itaque manus illorum, qui pro virtute laborant: neque socordiam illorum qui obdormiunt adaugeas. Si enim multi crediderint gehennam non esse, quando malitiam relinquent? ubi vero justitia apparebit? Non dico de peccatoribus & justis, sed de peccatoribus & peccatoribus.

Quamobrē aliquis quidē heic punitus est: alius vero, licet eadem aut certe majora quoque deliquerit, punitus non est? Si enim gehenna non est, nihil poterit ista reprehendentibus responderi. Hortor igitur ut ab istis ridiculis cessantes, obturemus ora illorū, qui nobis in hujusmodi contradicunt. Erit enim tam in peccatis quam in rectè factis etiam minutissimorū exacta exquisito. Oculorum quoq; impudicorum pœnas dabimus, & verbi ociosi, & simplicis convitiis. ebrietatis quoque supplicia patiemur: atque poculi aquæ frigidæ mercedem accipiemus, imo & solius gemitus. Pone siquidē, inquit, signum in faciebus gementium & lugentium. Quomodo igitur audes dicere, quod simpliciter & frustra gehennā minatus sit, qui nostras actiones tāta diligētia exquirit? Noli, obsecro, noli & teipsum, & eos qui tibi credunt vanis spebus perdere. Si nostris sermonibus diffidis; inquire Judæos, Græcos, hæreticos omnes. Omnes veluti uno ore respondebunt: & judicium, & retributionē fore. Sed nō sufficient homines? interroga vel dæmonas ipsos, & audies clamantes: Quid venisti huc ante tempus torquere nos?

Chrysostomus: An non hos lictores conspicis, qui præfectis administram operam navant, quomodo fontes trahant, quomodo vinciant, quomodo flagris afficiant, quomodo latera perfodiant, quomodo ignem in tormentis admoveant, quomodo secent? Atqui hæc cuncta merus ludus ac risus sunt, si cum illis suppliciis in contentionem veniant. Etenim hæc tormenta temporaria sunt: illic autē nec vermis moritur, nec ignis extinguitur. Corpus quippe tale jam est, ut interire ac corrumpi nequeat. *Homilia 9. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Justus est Deus; omnes fatemur, & Græci, & Judæi, & hæretici, & Christiani. At hinc multi, qui peccarant, abierunt impune: multi, qui ex virtute vixerant, tum demum, abierunt cum sexcentas subjissent calamitates. Ergo si justus Deus: ubinā his quidem

quidem præmia, illis vero supplicia tribuet; si nō est gehenna, si non est altera vita? Hanc igitur rationem & illis, & vobis ipsis semper canite: nec sinet vos de resurectione dubitare. Qui vero de resurectione non dubitat: is sedulo atq; latēte vitam suam curavit, ut sempiterna bona consequatur. *sine Hom. 6. ad Philippenses.*

D. Chrysostomus: Quando videris aliquid bonum & magnum in præsenti vita, cogita regnum, & id nihil esse existimabis. quando terribile, cogita gehennam, & irridebis: quando te invaserit cupiditas corporalis, reputa & ipsius peccati voluptatem, quod nullius sit pretii, quod ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hic sunt latæ, metus tantam vim habet ut nos à proavis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna. Si metus Regis terreni à tam multis nos abducit malis, quanto magis metus æterni regis? Quomodo ergo poterimus assidue metum habere? Si perpetuo audiamus scripturas. Nam si mortuus, si solum videatur, animum nostrum ita reprimit: quanto magis gehenna & ignis qui nequit extingui. Quanto magis qui non moritur? Si gehennam semper cogitemus, non cito in eā incidemus.

Propterea supplicium minatus est Deus. Si eā cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non eam jam minatus esset Deus: sed quoniā ejus recordatio valet ad res magnas recte gerendas, propterea tanquam salutare aliquod medicamentum, ejus minas nostris insevit animis. Ne despiciamus tantum lucrum quod inde nascitur, sed eā assidue versemus, in prandiis, in cenis. Nam de rebus quidē jucundis sermo nihil juvat animā, sed cā reddit imbecilliorē. Sermo autē de rebus tristibus & molestis, amputat quicquid ejus diffunditur & diffluit, eāque dissolutā convertit & contrahit. Qui de theatris & mimis disputat, nihil ei prodest, sed magis incendit, magisq; temerariā reddit & petulantiorē qui aliena curat & curiose scrutatur, etiam pericula illi ex ea curiositate sæpe numero infligit: qui vero de gehenna sermocinatur, is neque periculum aliquod habebit, & animā castigatiorē reddit. At verborum times importunitatem. Num si fileas, gehennam extinxeris? Num si dixeris, accenderis? Seu dixeris, seu non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, ut nunquam in eā incidas? Fieri non potest ut anima de gehenna solicita cito peccet.

Audi enim optimam admonitionem. In memoriam revoca novissima tua, & in æternum non peccabis. fieri non potest ut anima quæ timet de reddendis rationibus, ad delicta non sit tarda. Metus enim vigens in cogitatione in ea nihil dimittit mundanum. Nam si quæ de ea verba fiunt, eam ita dejiciunt & comprimunt; ratio & cogitatio quæ perpetuo habitat in animis, an non magis purgat animam quam quivis ignis? Regni non ita memineribus ut gehennæ. Metus enim majorem vim habet quam promissio. & scio quod multi bona despicati essent innumerabilia, si liberati essent à supplicio: quum nunc quoq; mihi sufficiat non esse punitum, non esse castigatum. Nullus ex iis qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis qui gehennam despiciut, effugi & gehennam. Quomodo enim apud nos, qui timent quidem judicia, non comprehenduntur à judiciis: qui autem illa despiciunt, ii sæpe qui in ea maxime incidunt. Ita hic quoque.

Si non eversionem timuissent Ninivitæ, fuissent eversi Quoniam vero timerunt, non fuerunt everti. Si temporibus Noe timuissent diluvium, non fuissent obruti diluio. Et si timuissent Sodomitæ, non fuissent exusti. Magnum est malum minas negligere. Qui despicit minas, per res ipsas sentiet experientiam. Nihil est æque utile atque de gehenna disserere. Quovis argento puriores nobis efficit animas. Audi enim Prophetam dicentem, judicia tua coram me sunt semper. Porro autē secundus quoque de ea disserit Nā etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maxime. Talia enim sunt omnia quæ ꝓsunt. Nā & medicamēta & cibi ægroto prius sunt molesti, & tunc afferunt utilitatem. Si a. non ferimus verborū gravitatem, est perspicuū fore ut feramus per rerum experientiā. Si nemo fert verba quæ fiunt de gehenna, est perspicuū quod si comprehēderit persequutio, adversus ignē in ferrū nemo restiterit. Aures nostras exerceamus ne molliamur. Inde enim etiā ad res veniemus. Si assuescamus audire terribilia, etiā terribilia ferre assuescemus. Sin a. simus adeo dissoluti & enervati ut ne verba quidē feramus, quomodo rebus resistemus. *Homilia 2. ad Thessalonicenses 1.*

Chrysostomus: Rogo, autem nutrice acceptos infantes ne Græcis fabulis assuefaciamus, sed ab ineunte ætate discant quod sit judiciū. Quod sit suppliciū, infligatur eorū animis. Hic metus si radices egerit, magna bona facit. Anima enim quæ ab ineunte ætate didicerit ea expectatione concuti, hunc metū non cito amovebit. Sed sicut equus quidam qui freno facile regitur, habens insidentem gehennæ cogitationem ordinate ingrediens, & loquetur & dicet utilia: & neque juventus, neq; divitiæ, neq; orbitas neq; quidquā aliud ei nocere poterit, quū adeo validā habeat rationē, & quæ potest omnibus resistere. His verbis & nos ipsos comparamus, & uxores, & servos, & filios, & amicos, &, si fieri potest, etiā inimicos. Cum his enim verbis possumus multa peccata resecare, & melius versari in rebus molestis quā in jucundis. Est a. illinc perspicuū. Nam dic mihi, si veneris in domū in qua celebrantur nuptiæ, aliquantisper quidē spectaculo es delectatus: postea autē quū recesseris, dolore extabescis, quod tam multa non habeas. Sin a. ingressus fueris domū lugentiū, etiamsi sint valde divites, quū recesseris magis quiesces: non enim inde accepisti invidiam, sed consolationē ob tuā paupertatem. Per res ipsas vidisti quod nullū bonum sint divitiæ, nullum malū paupertas, sed res sint indifferentes. Ita nunc quoque si loquaris de delitiis, magis feris animam, ut quæ forte non habet quo delitiis indulgeat. Quando autem adversus delitias, etiā de gehenna sermones in medium injeceris, reste delectat, & magnam pariet voluptatem.

Quando enim cogitaveris quod delitiæ adversus illum ignē nihil poterunt opis ferre eas non requires. Sin a. reputaveris quod ipsum quoq; magis solēt accendere, non solū non requires, sed etiā aversaberis & repelles. Ne fugiamus sermones de gehenna, ut gehennā fugiamus. Ne fugiamus pœnæ mentionē, ut non puniamur. Si dives ille illum ignem cogitasset, nō peccasset. Quoniā a. ejus nunquā meminit, ideo in eū incidit. Dic mihi ô homo, quū sistendus adsis tribunal Christi, quævis potius quam de eo loqueris: & quū sit tibi lis apud judicem, sæpe verbis tenus, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, sed perpetuo de re illa. De tota autem tua vita rationē redditurus & judicium subiturus, ne eos quidē toleras, qui hoc judiciū tibi in mētem revocant? Propterea ergo omnia perierūt & sunt perdita & profligata, quod ad humanum tribunal sistendi, pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent, omnia movemus, quemlibet rogamus, assidue de eo sumus soliciti, omnia pro eo agimus: ad Christi autem tribunal non multo post venturi, nihil nec per nos, nec per alios agimus. Judicem non rogamus, quamvis nobis longū det diem præstitutū, & nos non rapiat in mediis peccatis, sed permittat ut ea exuamus, & nihil eorū quæ ad ipsum pertinēt prætermittat illa bonitas & benignitas. Sed nihil amplius efficit. Propterea majus est supplicium. *Homilia 2. ad Thessalonicenses 1.*

S. Chrysostomus: Si ergo non est gehenna, ubi est justitia? Ubi est quod dicitur, non esse respectum personarum? Atqui multorū ejusmodi eos insimulant, quod sabbatha non custodiant rursus quidā alius Acham filius fuit Charmi anathema sufluratus cum toto genere obrutus fuit lapidibus. Quid vero, nemo ex illo tempore fuit sacrilegus? Saul rursus, qui præter id quod Deo videbatur pepercit, tantum sustinuit suppliū. Nullus ergo ab illo tempore pepercit? Utinam quidē ita esset, & non nos magis quam feræ, alter alte ū comederemus, contra quā Deo placeat & nemo in bello cecidit. Rursus filii Eli, quoniam comedebant ante incensum gravissimas pœnas dederunt cum patre. nullus ergo pater negligens & indulgēs in filios, neq; filii improbi & scelerati? At nemo dedit pœnas. Quando ergo debuit, si non sit gehenna? Rursus potueris recensere innumerabilia. Quid vero Ananias & Sapphira, quoniam suffurati erās ex iis quæ Deo obtuleraut & consecrarant, puniti sunt. Nullus ergo hæc fecit ex illo tempore? Quomodo ergo non easdē luerūt pœnas? Tibi-ne persuademus esse gehennam, an pluribus tibi opus est exēplis? Veniemus ergo etiam ad ea quæ non sunt scripta, quæ nunc fiunt. Necesse est enim hanc notionem undiq; nobis colligi, ne temere nobis indulgentes, nos ipsos lædamus. Non vides multos in calamitatibus, corporibus, mancos ac mutilatos, mala pati innumerabilia, alios a. florere & in bona esse existimatione? Quare? Alii quidem dant pœnas cædis: alii vero non. Audi Paulum dicentē, quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, quorundam a. subsequantur. Quam multi evaserunt qui eadem fecerant? Quam multi sepulcrorū effossores? Sed hæc missa fiant. Quot sunt quos non vides gravi puniri supplicio? Alii quidem gravi morbo traditi sunt affligendi: alii vero perpetuis tormentis: alii a. malis innumerabilibus. Quando ergo videris quempiā qui eadē quæ ipsi admiserit, & multo plura, & non dat pœnas, an non vel invitus gehennam suspicaberis. Elige eos qui hic ante te sunt graviter puniti, cogita quod Deus personas non respicit, nec earum habet rationē, & quod quum mala feceris innumerabilia, nihil ejusmodi passus es, & tibi in mentem veniet gehenna. Ita enim nobis Deus eam inievit, ut nemo unquam hoc ignoraverit. Nam & poetæ, & philosophi, & fabulorum scriptores, & omnes ut semel dicā, homines, de remuneratione quæ illic fit sunt philosophati: & multos dixerunt puniri apud inferos. Si illa a. sunt fabulæ, sed non ea quæ sunt apud nos. *Homilia 8. ad Thessalonic.*

S Isidorus Pelusiota: Scire debes, bone vir, quod nemo latebit illustrissimū illū ac pervigilē oculum, ne quidem si in occultissimis penetralibus aliquid patrarit. Aperta enim ac nuda ipsi sunt omnia, quantūvis operta & abdita esse videātur. Quamobrē etiam peccantes neq; respicientes excipient fluvii quidā perpetui, ignē terribilem ebulientes, quorū flumina nihil sunt aliud quam flammæ ad supplicium fluctuantes. Metuamus igitur divinū numen: (est enim formidabile) & idē quoq; venerabundi colamus: (Est enim bonū atq; beneficū) & petamus ab ipso talia quarū & datio ipsum deceat, & nobis salutaris sit acceptio (ad talia enim danda pronum est) & lapsi in peccata resipiscamus. (nam & beneficium est, & vere resipiscentes ac serio recipit) nullo a. modo negligentes aut securi simus (quia potens est, nec deceptionibus obnoxiū:) Sed toto pectore ipsum diligamus. erga eos enim qui obtemperant ejus verbis, dictoque audientes sunt, benignum est. *lib. 4. Epist. 47.*

Isidorus Pelusiota: In hac quidē vita, optime vir, fieri non potest ut concurrant utraq; vehementia dico suppliciorū & duratio. Alterū enim alteri repugnat, quod natura corporis, quæ est corruptioni obnoxia, concursum illorū non ferat. In altera a. vita, ubi expers corruptionis conditio introducta fuerit, & corruptionē expulerit, tunc etiam hujus pugnæ finis erit: ut vehementia cruciatū neq; expellat animā ex corpore, neq; corpus in nihilum redigat. *l. 4. Ep. 199.*

¶ LATINORVM.

S. Valerianus: Nemo a. illum homicidii crimen evasisse existimet,

net, quē excusatum sæcularis judicii corrupti sententia absolverit. nec ille adulteri facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus evasit. nemo cum sanā dexterā videt falsitatis reo, debita jure supplicia judicet fuisse concessa. defunctus corporibus salva sunt crimina, nisi fuerint prius apud Deum lacrimarum intercessione purgata. Expectat enim reū suū gehenna debitis armata supplicijs. Ad confusionē magis præsentis vitæ, non ad absolutionē criminis, pertinet auctoritas sententiæ sæcularis. Illa ergo nobis sunt ante omnia cogitanda supplicia, ubi homo vivit durate pœna, ubi nec tormenta corpori, nec desunt membra tortori. *Serm.* 1.

S. Valerianus: Cui unquam difficilis fuit ad inferiora descensus, ubi homo onere suo trahitur, & fascis sui victus mole portatur? multa sunt a. quæ viā prosperæ salutis impediant, in quo loco illos speciaiter mortis injuria persequitur, quibus vanitas & credulitas dominatur. concurrunt præterea in præ judicium vitæ, dissensiones, æmulationes, lites, rixæ, sacrilegia, adulteria, homicidia, fraterna odia, parricidalia consilia, falsitatibus armata perjuria: quæ non solum ascendentē impediunt, sed etiam in profundum Tartari mergunt. Quando ergo fieri potest, ut ille homo facile ad superiora perveniat, quem tanta vitia impediunt? *Homilia 2. de arcta via.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Lucianus. Croesus: Non possumus ferre, Pluto, Menippum hunc Canē accolam. Itaq; aut illum alibi colloca, aut nos alio cōmigrabimus. *Plut.* Ec quid ille mali vobis facit, vobiscum pariter mortuus cum sit? *Cr.* Quoniam nos ploramus, & ingemiscimus, ea recordates quæ apud superos habuimus, ut pote Midas iste aurum, Sardanapalus multas delicias, ego thesauros, irridet, eaq; exprobrat, mancipia, & piacula nos vocitando. Interdum etiam cantando, gemitus nostros conturbat: atq; modis omnibus est molestus. *Pl.* Quid ista dicunt Menippe? *Men.* Vera Pluto. Ignavos enim illos ac perditos odi quibus male vixisse, non satis fuit. sed etiam mortui, insuper recordatione, illis quæ sunt apud superos, inhærent. Delector itaq; ægre ipsis faciendo. *Pl.* Sed non decet: rebus enim non exiguis privati dolent. *Men.* Etiam tu deliras Pluto, qui tuo calculo gemitus istorum approbas? *Pl.* Nequaquā: verum vos mutuō discordare nolim. *Men.* Atqui Lydorum, Phrygum, & Assyriorum pessimi, ita sentite de me, ut qui nunquam sim desiturus: nam quocunq; iveritis, eodē sequar, ægre faciendo, occinendo, atque irridendo vos. *Cr.* Annon hæc contumelia est? *Men.* Minime, sed illa contumelia erant, quæ vos faciebatis, quum adorari volebatis, & liberos homines ludibrio habebatis, mortisq; prorsus immemores eratis. Proinde omnibus illis privati nunc plorate. *Cr.* Multis certe ō Dii, magnisq; possessionibus. *Mid.* Quanto quidē ego auro! *Sar.* Quāta vero ego voluptate! *Men.* Euge iic facite: vos quidē lugete: ego vero tritu illud, Nosce te ipsum, identidē connectendo, vobis occinam. Id enim hujusmodi gemitibus accingere convenit. *Dial. mort.*

Lucianus: Menippus. Quid fles Tātale? aut quid stagno imminēs tuam fortunam deploras? *Tan.* Quoniam siti pereo Menippe. *Men.* Usq; adeo piger es ut non vel pronus incumbens, vel sane cava vola hauriens, bibere noris? *Tan.* Nihil profecero si procumbā, fugit enim aqua simul atq; me propius admoveri sensit. Quod si aliquādo hausero & ori admovero, prius effluxit quam summa rige labia: atq; inter digitos effluens aqua, haud scio quo modo rursus manum meā aridā relinquit. *Men.* Prodigiosum quiddā pateris Tantale. Verum dic mihi, quorsum opus est bibere? corpus enim non habes, idq; quod esurire & sitire poterat, in Lydia sepultū est. Tu vero cum sis anima, qui postea sitire queas, aut bibere? *Tan.* Atqui hoc supplicii genus est ut anima sitiat, ac sit corpus. *Men.* Sed hoc ita habere credamus, siquidem affirmas te siti puniri. Quid ergo acerbi hinc tibi accidere poterit? Num metuis ne potus inopia moriare? At equidem haud video alteros inferos, neq; locum alium in quē morte demigres. *Tan.* Recte quidē dicis. Verum hoc suppilcii genus est, sitire cum nihil sit opus. *Mēn.* Despis Tantale: & uti verum tibi fatear, non alio potu, quā veratro mero, videris indigere. Nam tibi contrarium accidit atq; iis quos rabiosi canes momorderint, ut qui nō aquā, quemadmodū illi, sed sitim horreas. *Tan.* Ne veratrum quidē recusarim bibere, Menippe, si liceat modo. *Men.* Bono sis animo Tantale, pro comperto habens, neq; te, neq; mortuorū quemquā bibiturum. Nec enim fieri potest: quanquā non omnibus, quemadmodū tibi: pœna irrogata est ut sitiant, aqua illos non expectante. *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Diogenes: Heus tu Car, quare es insolens? teq; dignū censes qui nobis omnibus anteponare? *Mau.* Primum regni quidē nomine ō Sinopēsis, quippe qui Cariæ universæ rex fruerim, & Lydiæ gentibus aliquot imperaverim: tum & insulas nonnullas subegerim, Miletum usq; pervenerim, pleriscq; Joniæ partibus vastatis. Adhæc formosus eram ac procerus, & in rebus bellicis prævalidus. Postremo, quod omnium est maximū, in Halicarnasso monumētum erectum habeo, singulari magnitudine, quantum nemo alius defunctorū, neq; pari pulchritudine coditū possidet, viris & equis pulcherrimo ex saxo, ad vivam formā absolutissimo artificio expressis: quale sanum nemo facile inveniat. Num injuria tibi videor has ob res efferri? *Diog.* Ob imperium ais, ob formam, & sepulchri molem. *Mau.* Per Jovem, ob hæc inquam.

Diog. Atqui formose Mausole, neq; vires illæ, neq; forma tibi amplius adest: adeo ut siquem formæ arbitrum elegerimus, dicere nequeam, quamobrem ab illo tua calvaria meæ præferatur: ambæ enim calvæ sunt & nudæ, & dentes pariter ostendimus, arq; oculis orbati sumus, simisq; naribus deformati. cæterum sepulchrū & sumptuosa illa saxa, Halicarnasseis forsitan jactare libebit, & hospitibus gloriæ causa ostentare, tanquā qui magnificā apud se structurā habeant. Verum quid hinc commoditatis ad te redeat, vir egregie nequaquam video, nisi forsan illud commodum vocas, quod plus oneris atque nos sustines, sub tām ingentibus saxis pressus. *Mau.* Ita-ne nihil illa mihi conducunt omnia? planeque pares erunt Mausolus ac Diogenes? *Diog.* Minime pares, generosissime: minime inquam. Nam Mausolus ingemiscet, quoties earum rerum meminerit, ob quas beatum esse se in terris existimabat: Diogenes vero irridebit ipsum. Atque hic quidem, sepulchrum sibi Halicarnassi ab uxore Artemisia, & sorore paratum memorabit: Diogenes vero, de suo corpore ne id quidem novit an habeat sepulchrum: neque enim erat id ipsi curæ. Verum apud viros excellentissimos sui famam reliquit, ut qui vitam exegerit viro dignam: tuo monumento, Carum abjectissime, celsiorem, ac tutiore in loco substructam.

Idem. Nireus: Ecce profecto Menippus hic judicabit uter nostrū sit formosior. Dic Menippe, annon tibi videor forma præstantior? *Men.* At prius quinā estis? nam hoc opinor scito est opus. *Nir.* Nireus, & Thersites. *Men.* Uter Nireus, uter Thersites? nondum enim hoc satis liquet. *Th.* Jam unum hoc obtineo quod tibi sum similis, neque tantopere me præcellis, quantopere te cæcus ille Homerus extulit, omnium formosissimū appellans: verum ille ego fastigiato vertice, & glabro, nihilo te deterior visus sum judici. Jā vero tempus est Menippe ut pronuncies utrum altero formosiorem putes. *Nir.* Nirum me Aglaja & Charope prognatum, qui pulcherrimus Ilium veni. *Men.* Atqui non item sub terram, ut puto, pulcherrimus venisti: verum ossa tua aliis sunt similia. Porro calvaria hoc uno insigni à Thersite calvaria dignosci possit, quod tua delicata est: molliculam enim ac neutiquam virilem hanc habes. *Nir.* Attamen Homerum percōtare, qua specie tum fuerim, cum inter Græcorū copias militarē. *Men.* Somnia mihi narras: ea vero quæ nunc habes ego spectо: cæterum illa norunt, quid id temporis vivebant. *Nir.* Quid igitur tandem? annon hic formosior ego sum Menippe? *Men.* Neq; tu, neq; alius est formosus hoc in loco: siquidē apud inferos est æqualitas, similesq; sunt omnes. *Th.* Mihi quidem vel hoc sat est.

Idem: Menippus: Equidem inaudivi Chiron, te, Deus cum esses, mortem tamen optasse. *Ch.* Vera hæc sunt quæ audivisti Menippe: & mortuus sum, ut vides, cum potuerim immortalis esse. *Men.* At quænā te mortis cupido tenuit, rei vulgo nimirum inamabilis? *Ch.* Dicā tibi viro non imprudenti. Non erat amplius mihi jucundū immortalitate frui. *Men.* Quid? an injucundū erat vivere & lucē tueri? *Ch.* Erat Menippe. Nam quod jucundū vocant, varium illud, & neutiquā simplex esse duco. verum ego cum semper viverem, iisdemq; fruerer, sole, luce, cibo: tum eādem horæ, & quæcunque in vita cōtingunt, ordine singula recurrunt, atque aliis alia per vices succederent, eorū cepit me tædium. Neq; enim in eo voluptas est sita, si semper ijsdē fruare, sed si omnino permutes: *Men.* Probe loqueris Chiron. Verum quo animo fers ea quæ apud inferos habes, posteaquā ad hæc tanquā ad potiora te contulisti? *Ch.* Non injucundo Menippe: siquidē æqualitas res est prorsum popularis: nihilque interest, utrū in luce quis agat, an in tenebris: præterea neque sitiendū est nobis, quemadmodū apud superos, neq; esuriendum: sed ejusmodi rerū omnium indigentia vacamus. *Men.* Vide Chiron, ne tibi contradicas, & eodē tibi contradicas, & eodē tibi recidat oratio. *Ch.* Quamobrem istuc ais? *Men.* Quoniam si illud tibi fastidio fuit, quod in vita semper ijsdem similibusq; rebus utendū erat, cum hic itidem similia sint omnia, eodem modo tibi parient aliqua status commutatio, migrandū, id quod arbitror fieri non posse. *Ch.* Quid igitur faciendū Menippe? *Men.* Illud nimirum, ut cū sis sapiēs, quemadmodum opinor, vulgo prædicant, præsentibus rebus sis contentus, boniq; consulas quod adest, nec quicquam in his esse putes, quod ferri non queat. *Dialogus mortuorum.*

Lucianus. Diogenes: Ocium nunc agimus Anthistenes, & tu Crates. Quare, cur ambulatum non imus ad Orci fauces, ut ibi videamus quinam sint qui descendunt, & quid quisq; eorum agat? *Ant.* Eamus Diogenes. Etenim spectaculum hoc jucundū fuerit videre ut ipsorū alii lachrymātur, alii supplicant ut dimitantur: nonnulli etiā ægre descendunt, & cervicem impellente Mercurio, tamen reluctātur, & nulla necessitate resupini obnituntur. *Cr.* Ego vero etiā exponam vobis quæ in via vidi cum huc descenderem. *Diog.* Expone Crates, videris enim quædā risu omnino digna dicturus esse.

Cr. Cum alii multi nobiscum descendebant, tum inter ipsos insignes, Ismenodorus ille dives ex nostris, & Arsaces Medorū præfectus, & Orœtes Armenius. Ismenodorus igitur (occisus enim fuerat à latronibus circa Cithæronē, quando Aleusinē, ut arbitror, proficiscebatur) & gemebat, & vulnus in manib. habebat, tenellos liberos quos reliquerat identidē vocando, sibiq; ipsi ob audaciā succēsendo: qui cum Cithæronem transiret, ac loca illa circa Eleutheras deserta, belliq; vastata peragerent, duos tantū servos adduxisset, idq; cum phialas quinq; aureas, & quatuor cymbia secum haberet.

Arsaces autē (senior enim jā erat, & per Jovē pro arbitrio illo ritu facie non inhonesta) graviter ferebat, atq; indignabatur, quod pedibus incederet, sibiq; equum adduci volebat. Nam & equus una cum eo mortuus erat, ambobus una plaga transfossis à Thrace quodam scutato, in eo prælio quod cum rege Cappadocum ad Araxem fluvium commissum fuerat. Nam Arsaces infesto cursu in hostem ferebatur, longe ante alios, ut ipse narrabat evectus. Thrax vero illum

lum expectando subsistens, ac scutum obtendens, Arsacis hastã excussit: ipse autem submissa sarissa, ipsumq; & equũ transuerberat. *Ant.* At Crates, quomodo hoc una plaga fieri potuit? *Cr.* Facilime, Antisthenes. Hic enim viginticubitalem contum prætendens cursu ferebatur: Thrax vero, ubi pellta objecta plagam excussit, ipsumq; cuspis præteriit, in genu procumbens, venientis impetum sarissa excipit, ac equum sub pectore vulnerat, qui præ furore ac vehementia cursus se ipsum transadegit. Tum etiam eadem hasta per inguina utrinq; ad nates penetrare Arsaces transfoditur. Vides quale hoc fuerit? non viri, sed potius equi opus. Verumtamen indignabatur ille, quod non ampliore quam alii honore habeatur: volebatque eques huc descendere.

Orœtes autem privatus quispiã erat, pedibus admodum mollis, quippe qui neq; humi stare, nedum incedere poterat. Medis autem omnibus hoc prorsum accidit, ut postquam ab equis descenderint, veluti qui super spinas ingrediuntur, summis pedum digitis ægre incedant. Quamobrem cum humi sponte prostratus jaceret, neque ullo pacto resurgere vellet, optimus Mercurius sublatum ipsum ad cymbam usq; portavit: ego vero ridebam. *Ant.* Ego vero, quum huc descendebam neque me cæteris admiscui, sed relictis plorantibus illis, ad cybam accurrendo, locum præoccupavi, quo commodius navigarem. Inter navigandum a. alii quidem flebant, alii vero nauseabant. Ego autem inter ipsos sedens valde oblectabar.

Diog. Tu quidem Crates, & tu Anthistenes in hujusmodi comites incidistis. Mecum autem Blepsias ille fœnerator ex Piræo, & Lampis Acharnan mercenariorum militum ductor, & dives ille Chorinthius Damis, simul descendebant. Quorum Damis, à puero veneno interemptus fuerat: Lampis ob Myrtii meretricis amorem, se jugularat. Blepsias fame miser periisse dicebatur, & adhuc supra modum pallidus, & exquisitissime tenuis apparebat. Ego vero quãquam id noram, interrogabam tamen quo pacto quisque mortuus esset. Ac Damidi quidem accusanti filium: non injusta, inquam, ab illo passus es, qui cum talenta mille haberes coacervata, atque ipse in deliciis vivere: annos nonaginta natus, adolescenti illi octodecim annos agenti quatuor tantum obolos suppeditabas. Tu vero Acarnan (gemebat enim & ille ac demovebat Myrtium) quid amorem incusas, non te ipsum? qui hostes quidem nunquam perhorrueris, sed te ultro periculis ogerendo, ante alios in prælium descenderis: à puella vero vulgari illa, fictisque lachrymis ac suspiriis generosus ille tu captus fueris. Nam Blepsias ipse sese ob nimiam stultitiam accusabat, quod pecuniam hæredibus nulla necessitudine sibi conjunctis custodierit, stolidus ille ratus se perpetuo victurum esse. Cæterum mihi non vulgarem voluptatem gementes isti præbuerunt.

Sed jam ad fauces sumus. Aspicere nos oportet, & longinquo contemplari advenientes. Papæ multi certe, & varii, omnesq; lachrymantes præter puerulos istos, & infantes. Sed & senio confecti lugent, quid illud est? num aliquo vitæ philtro tenentur? Hunc igitur decrepitum interrogare lubet. Quid ploras, optime idq; cum senex adveneris? an rex eras? *Mend.* Haudquaquam. *Diog.* An vero satrapa? *Mend.* neq; illud. *Diog.* An igitur dives fuisti: ideoq; ægre tibi est mortem obiisse relictis multis deliciis? *Mend.* Nihil tale: sed annos circiter nonaginta natus fui, vitam autem inopem egi, arundine & linea victum quæritans, summopore egenus, & liberis carẽs, præterea claudus, hebetiq; visu. *Diog.* Et vivere cupiebas, talis cum esses? *Men.* Etiam. Dulcis enim erat lux, mori autem grave & horrendum. *Diog.* Deliras ô senex, & te adversus necessitatem juveniliter geris, idque cũ huic portiori sis coævus. Proinde quid jam de adolescentibus dicamus, quando decrepiti isti tantopere vivere cupiunt? quos mortem sectari decebat tanquam remedium eorũ malorũ quæ secũ fert senectus. Sed abeamus, ne quis & nos suspicetur fugam moliri, quum nos nos hic circa fauces oberrare viderit. *Dialogis mortuorum.*

Lucianus: Jam inferorum pleraque patebant, & lacus, & Pyriphlegethon, & Plutonis regia. Cumq; per hiatum descendissemus, Rhadamanthũ metu prope extinctum reperimus. At Cerberus quidem latravit, & in furorem est versus. Sed cum ilico lyra pulsassem, cantu extemplo delinitus obdormivit. Postquam vero ad lacũ venimus, tranare fe.e non licuit. Jam enim onustus erat, & ejulatu plenus ponto: omnes vero saucii navigabant, hic femur, ille caput, alius alio quopiam membro luxatus, adeo ut ex bello quopiã adesse mihi viderentur. At optimus Charon cum leonis videret exuvias, esse meratus Herculem, recipit, libensq; transuexit, quinetiam egressis viam commonstravit. Tum quoniam in tenebris eramus, præibat quidem Mithrobazanes, ego autem pone ipsi adhærens sequebar, quoad in pratum quoddam maximum, & asphodelo consitum pervenimus. Ibi nos stridulæ mortuorum umbræ obibant.

Tum paulo longius progressi ad Minois tribunal accessimus. Hic autem in sublimi quodã solio sedebat: abstabant autem illi Pœnæ, infesti dæmones, Erinnyes. Ex altera vero parte adducebantur ordine multi longa catena vincti qui dicebantur adulteri, leones, publicani, adulatores, sycophantæ, atq; istiusmodi turba quidvis in vita turbantium. Seorsum autem divites ac fœneratores prodibant, pallidi, ventriosi, & podagrici, quorum unicuiq; trabs, & corvus duorum talentorũ pondo incumbebat. Nos igitur astantes, & quæ fiũt omnia conspicimus, & quæ ad defensionem dicuntur, auscultamus: accusabant autem novi quidam atq; admirabiles oratores.

Ph. Quinam hi sunt per Jovem? ne te pigeat hoc quoque dicere. *Men.* Nosti-ne umbras istas, quas corpora soli opposita reddunt? *Ph.* Omnino sane. *Men.* Hæc igitur nos vita functos accusant, testimonio suo convincunt, & quicquid in vita peccavimus redarguunt, atq; ipsarum nonnullæ fide valde dignæ videntur ut pote quæ nobiscum semper versabantur, nostrisq; à corporibus nusquã digrediebantur. Itaque Minos diligenter examinans, quemliber in sedes impiorum relegabat, dignas ausis pœnas subiturum: eosq; maxime suppliciis exercebat, qui divitiis & dignationibus superbierãt, quiq; adorari se fere expectabãt, brevẽ eorum superbiã, fastumq; detestãtus: quippe qui non meminissent morales ipsi cum sint, sese bona quoq; mortalia consequtos. At nunc isti splendidis illis omnibus spoliati, divitiis inquã, genere, imperils, nudi, demissoq; vultu steterunt, tanquam somnium quoddam, humãnam hanc fœlicitatem recogitantes.

Quæ cum conspicarer, sumopere gaudebam. Et si quem ipsorum nossem, tacite ad ipsum accedens, qualis in vita fuerat memorabã, quantumq; tunc turgeret quum multi mane fores obsiderent egressum ejus expectantes, pulsi interim excluſiq; à famulis. At ipse vix tandem illis exoriens, purpureus, aut aureus, aut versiculor, fœlices & beatos salutantes se facturum putabat, si pectus dextram-ve porrigens dare osculandam. Illi vero audientes ista moleste ferebant.

At Minos unum quoddam judicium ad gratiam pronuntiavit. Quippe Dionysium Siciliæ tyrannũ multis & atrocibus criminibus à Dione accusatũ, & Stoicorũ testimonio convictũ, Aristippus Cyrenæus interveniens (illum enim honore prosequuntur inferi, plurimumq; ibi valet ejus authoritas) propemodum Chimæræ alligatum, à pœna liberavit, asserens, illum nonnullos eruditorum adjuvisse pecunia.

Tum nos à judiciali foro digressi, ad supplicii locũ perveniemus. Ibi certe multa erant auditu, visuq; miserabilia. Nam & flagrorũ sonus simul audiebatur, & ejulatus hominũ in igne flagrantũ, & tormenta, & catenæ, & rotæ: Chimæra dilaniabat, Cerberus lacerabat: simulq; puniebantur omnes reges, servi, satrapæ, pauperes, divites, mendici, & scelerum omnes pœnitebat. Et quosdam qui nuper é vita discesserant, conspicati agnovimus. Illi vero se occulebant, & avertebant, aut si aliquando nos respiciebant, id serviliter admodum & adulatorie faciebant: idque, quam putas in vita molesti erant & fastosi? At pauperibus dimidium malorũ remittebatur: cumq; interquievissent, rursum cruciabantur. Sed illa quoq; fabulosa vidi, Ixionẽ, Sisyphum, maleq; affectum Phrygem Tantalũ, & terra genitum Tityum. Quantus hercle erat! integrum enim agri locũ stratus occupat.

Præteritis etiam hisce, in campum Acherusium irrumpimus: ibique cum semideos, tum heroinas, aliamq; simul mortuorum turbam ingentes tribusq; dispositam invenimus: alios quidem vetulos ac marcidos, utq; dicit Homerus, evanidos: alios vero juvenes, & integros, maxime quidem Ægyptios, propter illam condiendi efficaciam. Verum quemlibet dignoscere, nequaquam erat facile adeo nudatis ossibus omnes erant sibi invicem similes: nisi quod vix tandem, diuq; contemplantes ipsos cognoscebamus: quippe cõferti jacebant obscuri atq; ignobiles, nihilq; amplius decoris illius qui est apud nos asservantes. Cum igitur ossa simul multa eodem in loco jacerent, omnesq; inter se similes essent, terrificũ quiddã vacuis oculorum orbibus intuentes, denteſq; nudos ostendentes, animi pendebam quonam signo Thersiten à formoso illo Nireo discernerem, aut mendicum Irum à rege Phæacum, aut ab Agamemnone Pyrrhiam coquum. Quippe quibus jam nihil veteris indicii permãsit, sed inter se similia sunt ossa, incognita, titulis carentia, nulliq; unquam dignoscenda.

Hæc igitur spectanti mihi, hominum vita longæ cuipiam pompæ persimilis videbatur, cui fortuna præsit, & singula disponet, iisque qui pompã agunt, diversos varioſq; habitus accommodet. Alium siquidem fortuna deligens regiis ornat insignibus, imposita tiara, additis satellitibus, & capite diademate revincto Alium vero servi habitu amici: hunc autem forma ornat, illum contra deformem & ridiculum fingit: nam omnigenum, ut opinor, oportet esse spectaculum. Quin habitus quorundam plerunque in media etiam pompa demutat, non sinens quo prodierant ordine eodem ad extremũ progredi. Sed ornatu cõmutato Crœsum quidem coëgit, servi captiviq; vestes assumere: Mæandriũ a. olim inter servos incedentẽ, Polycratis data tyrãnide viciſſim vestivit: eoq; cultu aliquãtisper uti sivit. Verum ubi pompæ tempus præteriit, tum quisq; apparatũ reddens, & amictũ cum corpore exuens, qualis erat ante, efficitur, nihil à vicino differens. At nulli præ insciti, quum instãt fortuna ornatũ repetit, ægre ferunt atq; indignantur, tanquã propriis quibusdã privati, at non ea reddentes quibus ad exiguum tempus utebantur.

Exiſtimo a. etiam in scena vidisse te plerunq; histriones istos tragicos, qui in fabularum usum modo Creontes, modo Priami fiunt, aut Agamemnones. Idemque si fors tulerit, paulo ante tam graviter, Cecropis aut Erechthei formam imitatus, paulo post servus, poeta jubente progreditur. Cumque jam fabulæ finis adfuerit, & ipsorum unusquisque vestem illam auratam exuerit, personam deposuerit, & ex cothurnis descenderit, pauper & humilis obambulat: nec amplius Agamẽnon Atrei filius, nec Creon Menœtio prognatus, sed Polus Chariclei Suniẽsis, aut Satirus Marathonius Theogitonis filius nominatur. Sic se hominũ res habẽt, ut mihi tum spectãti visũ est. *Ph.* Dic Menippe, isti qui sumptuosa excelsaq; sepulchra habent in terris, & columnas, & imagines, & titulos, nihilone apud inferos plebeiis defunctis sunt honoratiores? *Men.* Heus tu nugaris: si.n. Mausolũ vidisses, Carẽ illũ dico, sepulchro percelebrẽ, p-

bè ſcio ridere nunquam deſiiſſes: tam deſpectim in abſtruſum antrum projectus eſt, in reliqua mortuorum turba delitescens: hoc tãtùm commodi meo judicio percipiens ex hoc monumento, quòd impoſito tam gravi pondere preſſus laborat.

Poſtquam enim, ô amice, Æacus unicuique locum dimenſus eſt (dat autem cui maximum, non plus quàm pedem) neceſſe eſt eo cõtentum jacêre, ſeſeque ad loci modum contrahere. Riſiſſes autem, opinor, multo magis, ſi vidiſſes reges noſtros & ſatrapas, apud eos mendicantes, & urgente inopia vel ſalſamenta vendentes, vel prima elementa docentes, & ut à quolibet contumeliis afficiuntur, atque in faciem cæduntur, tanquam viliſſima mancipia. Ego igitur Philippum Macedonem conſpicatus, continere me non potui: oſtenſus eſt mihi calceos attritos in angulo quodam mercede reſarciẽs. Multos etiam alios videre erat in triviis mendicantes, Xerxes aio, & Darios & Polycrates. *Ph.* Admiranda hæc ſunt, ac propemodum incredibilia, quæ de regibus narras. Quid autẽ Socrates faciebat, & Diogenes, & ſi quis eſt ſapientum alius? *Men.* Socrates quidem ibi omnes redarguens obambulat: verſantur autem cum illo Palamedes, Ulyſſes & Neſtor, & ſi quis alius defunctorum eſt garrulus: quinetiam adhuc ipſi inflata ſunt & tumida crura ex veneni hauſtu. At optimus Diogenes, accola eſt Aſſyrii Sardanapali, & Midæ Phrygis, & aliorum quorundam ex ſumptuoſis illis, quos quum ejulantes audit, veteremque fortunam recenſentes, & ridet, & delectatur, & ſæpe ſupinus jacens, admodum aſpera & immani voce cantat, ejulatus illorum obſcurans, adeo ut id viri illi moleſtè ferant, cumque Diogenem ferre non poſſint, de mutanda ſede deliberent. *Ph.* De his quidem ſatis. Cæterum quodnam illud decretum eſt, quod initio dixeras contra divites eſſe ſancitum? *Men.* Bene certè admones. Neſcio enim quo pacto cùm hac de re dicere propoſuiſſem, ab inſtituto ſermone procul aberravi. Dum igitur ibi verſabar, magiſtratus concionem advocarunt pro reipublicæ commodis. Cùm ergo multos concurrere viderem, ego me quoque mortuis immiſcens ilicò unus fui eorum qui in concione aderant. Aliis igitur etiam de rebus eſt actum: poſtremo vero negotium de divitibus: quibus poſtquam objecta fuiſſent multa crimina, eaque atrocia, violentia, ſuperbia, faſtus, injuria, ſurgens tandem ex populo primas quidam, hujuſmodi decretum legit.

Decretum: Quandoquidem iniqua multa divites in vita perpetrant, rapientes, ac vim inferentes, omnique modo pauperes deſpicientes, Curiæ, populoque vitum eſt, ut quum obierint, eorum quidem corpora, ut & aliorum ſceleratorum puniantur, animæ verò ſurſum in vitam remiſſæ, in aſinos demigrent, donec in tali ſtatu quinquies ac vicies decem annorum millia tranſegerint, aſini ſemper ex aſinis renati, onera ferentes, & à pauperibus agitati. Dein ut liceat illis, vita excedere. Sententiam hanc pronunciavit Calvarius, patre Aridello, patriâ Manicenſis, tribu Stygiana. Lectum hoc ſuffragium approbaverunt principes, ſcivit plebs, adfremuit Proſerpina, allatravit Cerberus: ſic enim rata authenticaque fiunt, quæ inferi ſtatuunt. Hæc quidem in concione gerebantur. Ego verò Tireſiam adeo, cujus gratia veneram, & re ut erat narrata ſupplicavi, ut mihi diceret, quodnam optimum vitæ genus putaret. Hic verò ſubridens, eſt autem vetulus quiſpiam cæcus, pallidus, voce gracili, ô fili, inquit, tuæ perplexitatis cauſam ſcio à ſapientibus iſtis profectã, non eadem interſe ſentientibus. Verùm haud fas eſt id tibi proloqui: nam à Rhadamantho eſt interdictum. Nequaquam, inquam, ô patercule: ſed die quæſo, neque me contemnas, qui in vita te cæcior oberro. Is igitur abducto mihi, & procul ab aliis abſtracto, leniter ad aurem inclinans, optima inquit & ſapientiſſima eſt privatorum vita. Quamobrem ab hac vaniſſima rerum ſublimium conſideratione deſiitens, mitte principia & fines ſpeculari: & vafros hoſce ſyllogiſmos deſpuens, atque id genus omnia nugas ducens, hoc ſolum in tota vita perſequere, ut præſentibus contentus, plerumq; ridens, nulliuſque rei ſatagens prætercurras. Sic locutus iterum in aſphodelorum pratum ſeſe corripuit. *Titulo Necyomantiæ.*

¶ Poetarvm.

Ariſtophanes Ranis. v. 145.

Tum verò cœnum & ſtercus deſuper innatans:
In quo jacent ſcelerati: ut cum quis hoſpitem
Injuria affecerit, aut puerum quempiam
Subagitatum pecunijs fraudaverit,
Aut matrem pulſarit ſuam, aut colaphum patri
Infregerit, aut perjurium commiſerit,
Aut verbulum unum tranſcripſerit è Morſimo.

Prudentius contra Marcionitas.

Præſcius inde Pater liventia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasq; bitumine foſſas
Infernalis aquæ furvo ſuffodit Averno,
Et Phlegethontea ſub gurgite ſanxit edaces
Perpetuis ſcelerum pœnis inoleſcere vermes.
Norat enim ſtatui ex proprio vegetamen ineſſe
Corporibus noſtris, animamq; ex ore perenni
Formatam non poſſe mori, non poſſe viciſſim
Pollutam vitiis rurſum ad convexa reverti,
Merſandam penitus puteo ferventis abyſſi.
Vermibus, & flammis, & diſcruciatibus ævum
Immortale dedit, ſenio ne pœna periret
Non pereunte anima, carpunt tormenta fovent q;
Materiem ſine fine datam. Mors deſerit ipſa
Æternos gemitus, & flentes vivere cogit.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Abbas Olympius: Subeat nunc animum inextinguibilis ille ignis, in Dei furore (ut loquitur Scriptura) ſuccenſus: qui ſuccenſione non indiget, & ardore quo impios adurat, non caret: cujus vel ſola cogitatio peccati libidinem refrenat, & in Dei amore proficiamus, impellit. Ita Abbas Olympius, cum cellulam perexiguam incoleret, quam & æſtus impetebat, & cyniphum aculeata turba, rogatus, qui in ea tanto tempore moraretur; *Libens*, reſpondebat, *iſta tolero, ut futuris cruciatibus eripiar. Cyniphes quippe perferro, ut immortalem effugiam vermem; ignem verò, ſempiterni ardoris ſupplicia, perhorreſcens. Climac. in Prat. Spirit. c.* 141.

Alexander Abbas: Venerat ad eum quidam è fratribus Eremitis querulus quòd acedia animiq; torpore infeſtaretur: ideoque locum mutare ſe velle affirmabat. Cui Alexander: *Filii ſignum eſt te neq; cælorum neq; inferorum regnum in mente habere: nam qui iſta concipit, crede, acediam non ſentit. Ibid. c.* 142.

Franciſcus Borgia Dux Gand. Et quis Borgiam non eloquatur? Tertiana laborabat gravi & ardente: cumq; alterno ac novercali die recurrente, ignis medullas concoqueret; *Ecquanam*, inquiebat, *illos flamma urunt, qui ob flagitia apud inferos æternas pœnas ſuſtinent: quiq; expiant igne, cum certa beatitudinis ſpe purgantur. Ribad. in Vita c.* 5.

Thomas Morus: Prodeat hic etiam Morvs: vir, ſi alius ullus, religioſus & timoratus. qui percontanti, quænam expeditum magis ad Inferos iter redderent; dicebat: *Luxus & libido.* quod etiam hoc diſticho, Progymnaſmatibus ſuis inſerto, indicavit:

Si quis ad infernos properat deſcendere Manes,
Huc iter accelerant Balnea, Vina, Venus.

In Epigramm. Th. Mori.

Senex anonymus: Res mira quam refert venerabilis Beda. Senex quidam vitæ reſtitutus in Eremum conceſſit: ubi ſupra hominem auſteram & religioſam vitam duxit. Increpabant vicini, quod ſe enecaret. quibus ille in lacrymas ſolutus: *O utinam vobis datum ea videre, quæ ego vidi! certo certius adfirmo, has pœnas nihil eſſe ad æternas illas, quæ mihi viſa. Beda de Geſt. Angl.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ante oculos qui habes gehennam ſemper, haud eam incidet.
Cogitans ſemper gehennam, vix in illam unquam cadet.
Improbos nimis nec ad ſeſe Orcus ipſe recipit.
Nil remittit inferum à ſe Numen, omnia accipit.
Nos fide bona Orcus nudos tollet in Catonium.
Prona omnis via inferorum eſt; ardua calos adis.

¶ Jambica.

Oculiſque clauſis inferos in veneris.
Vna undecumque ad inferos ducit via.

Infirmitatis.

¶ Sententiæ Patrvm.

Salvianus: Si Deus in hac præſenti vita omnia regit, cuncta diſpenſet, qua ratione fortis ac ſanus eſt homo quem peccatorem ſcio, & tu infirmus quem ſanctum eſſe non ambigo? Quis tam profundi cordis vitium non admiretur, qui merita religioſorũ atq; virtutes tam magnis retributionibus dignas, ut in præſenti hac vita carnes atq; fortitudines corporum, præmia putet eſſe debere ſanctorum? Reſpondeo igitur non unius tantùm religioſi nomine, ſed univerſorum. Quæris qua ratione infirmi ſint ſancti viri? quia ideo ſancti viri infirmiores ſe eſſe faciunt, quia ſi fortes fuerint, ſancti eſſe vix poſſent. Opinor enim omnes omnino homines cibis ac poculis fortes eſſe; infirmos autem abſtinentia, ariditate, jejuniis. non ergo mirum eſt quod infirmi ſunt, qui uſum earum rerum reſpuunt per quas alii fortes fiunt. Et eſt ratio cur reſpuant, dicente Apoſtolo de ſe; Caſtigo corpus meum, & ſervituti ſubjicio. Si infirmitatem corporis appetendam ſibi putat Apoſtolus, quis ſapienter evitat? ſi fortitudinem carnis Apoſtolus metuit, quis rationabiliter fortis eſſe præſumit? Hæc ergo ratio eſt qua homines Chriſto dediti, & infirmi ſunt, & volunt eſſe. Abſit autem ut hoc argumento religioſos putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari. Nimirum quia repugnante corporis fortitudine, quæ captamus facere non poſſumus, infirmanda nobis caro ut optata faciamus. Infirmitas enim carnis vigorem mentis exacuit; ut affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum; non turpibus flammis medullæ æſtuent, non maleſanam mentem latentia incentiva ſuccendant, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſciviant: ſed ſola exultet anima, læta corpore affecto, quaſi adverſario ſubjugato. *Lib. 1. de gubernatione Dei.*

Chryſologus: Fragilitas dũ ſerpit in carne, iuvenis æſtuat, intrat oſſa cõditur in medullis, fervet in ſanguine, in vitiorum phreneſim ſic erumpit. Fragilitas febris naturæ, languorum mater, genitrix paſſionum fragilitas eſt, quæ nobis jus neceſſitatis imponit: & ubi

necessitas, non voluntas: ubi extat de conditione captivitas, judicium de potestate non constat. Fragilitas est per quam vadit homo, non quo invitat voluntas, sed quo necessitas ducit, audi Apostolum dicentem, Non quod volo hoc ago. Fragilitas dum parat homini necessaria, facit illum ad non necessaria pervenire: dum parat cibū, perducit ad crapulam: ebrietatem suadet, dum potum ministrat: offert somnum, ut inertiam tradat: cura ventris onerat: ut salutis auferat curam: dat carni totum, ut animæ nil relinquat: facit corpus passionum pompam: facit ut sit homo sua mors vita vitiorum. Unde si se homo taliter sentit ægrotum, medico se cœlesti tradat, securè ejus monitis acquiescat, à cibis se temperet, mensuram servet in potu, ut possit sic frugalitatis superare languorem, fragilitatem fugere passionum, febrim ac phrenesim vitare vitiorum. Abstinentia est hominis prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requirit expensas. *Sermone* 41.

¶ Oratorvm Romanorvm.

Nazarius: Quam faciles lapsus infirmitas habet, cum eam intempestiva movit audacia. *Oratione in Constantinum Aug. Cap. Vigesimo quinto.*

¶ Monosticha Trochaica.

Non possunt simul diu esse Robur atq; Infirmitas
Quidquid infirmum est ad ictum digituli quoq; ingemit.
Signum est certum infirmitatis indigere pluribus.
Vapulat sub insolentia omne quod minus potest.
Vis ubi est, palam vix audet hiscere ipsa infirmitas.
Vix gradum in plano figit firmum alto lapsu culmine.

¶ Jambica.

Formidinis nunquam expers est infirmitas.
Infirma quæ sunt serviunt, non imperant
Infirmiores simus omnes tempore.
Infirmitas succumbit usque robori.
Infirmitatis signum egere pluribus.
Infirmitati caussa qualibet nocet.
Infirmitatem robores concordia.
Infirmitatem disciplina robores.
Infirmitate facinus peragunt femina.
Injuria cuivis infirmitas patet.

Infortunii.

¶ Sententiae Graecorum.

S. *Isidorus Pelusiota*: Qui non solum difficilimo laborat morbo, (vitium dico,) sed ne quidem eo liberari cupit; imò insuper etiam eos, qui tali morbo liberati sunt quasi infelices deplorat: is omnium mortalium est miserrimus atq; infelicissimus, quantumvis ipsemet sese per incurabilem socordiam beatum prædicare non erubescat. *Lib. 4. Epist. 191.*

Aristides Sophista: Superstites multa manent pericula, nec pauci sæpe præter omnem spem atq; dignitatem sunt à quibuslibet prostrati; quorum ante sincera, nec ulla spe minor extiterat gloria. *Oratione Rhodiaca.*

Heliodorus: Sed haud fieri potuit, quin (ut dicitur) semel infelices, non semper adversa fortuna laborarent. neq; in solitudine turbis & molestiis caruit forma Charicliæ. *Lib. 5. Aethiopic.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carminis 1. de rebus suis extremo.

Ut si quis sævum cupiens vitare leonem,
Vagisibus occurrat furibunda protinus ursa,
Atque illam rursus fugiens, adesque libenter
Ingressus, paries dum languida brachia firmat,
Præter spem infelix diro feriatur ab angue:
Sic mihi, cum variis agiter quatiarque procellis,
Nulla tamen miseros sanat medicina labores.
Immo etiam quicquid postremum occurrerit, illud
Intima pervellit graviori corda dolore.

Plautus Aulular 4. sc. 10. v. 71.

——— *Perij oppido!*
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se agglutinant.

¶ Apologorvm.

Phædrus Fab. 59. Asini & Gallorum.

Quin natus est infelix, non vitam modò
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas,
Is cum labore & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox à quodam delioso suo,
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore,
Ecce alia plagæ congeruntur mortuo.

De Asino laborum finem non inveniente. Fab. 66.

Asinus hyberno tempore plurimum angebatur, quod nimio afficeretur frigore, & durum palearum haberet victum. Quare vernam temperiem, & teneras herbas optabat. Sed cum ver advenisset, cogereturque a domino, qui figulus erat, argillam in aream, & ligna in fornacem, indeq; lateres, imbrices, tegulas ad diversa loca deferre, pertæsus veris, in quo tot labores tolerabat, æstatem omnibus votis expetebat, ut dominus messe impeditus eum quiescere pateretur. Sed tunc quoque cùm messes in aream, & inde domum triticū ferre compelleretur, nec quieti locus sibi esset, autumnum saltem laborum finem fore sperabat: Sed ubi ne tunc quoque malorum terminum adesse cernebat. cùm quotidie vinum, poma, ligna portanda essent rursus hyemis nives, & glaciem efflagitabat, ut nunc saltem aliqua sibi requies à tantis laboribus concederetur.

Hac fabula indicat, nullas esse præsentis vitæ tempora, quæ non perpetuis sint subjecta laboribus. Abstemius.

De Divite petente à fortuna, ne plures sibi daret divitias. Fab. 101.

Vir quidam admodum divitiarum, & opum suarum pertæsus, mendico homini centum aureos obtulerat, si ad Fortunam suā accedens, quæ in remotis orbis partibus morabatur, eam nomine suo rogaret, ne plures divitias sibi concederet. Pauper longo itineris labore deterritus, primò abnuit. Sed quum deinde consilii pœnitens se iturum polliceretur, dives non plus quàm nonaginta dare velle se dixit. Pauper hanc parvam tanti laboris mercedem ratus, renuit primò, sed quum paulo post nonaginta peteret, dives vix ut octoginta daret, poterat adduci. Sed quum mendicus hunc quoque numerum recusaret, postea vellet, semper dives ex numero oblato decem detrahebat, donec ad denarium numerum perveniisset. Mendicus tandem qui centum recusarat aureos, inopia urgente, aureis decem acceptis, ad Fortunam se contulit, multis eam rogans precibus, ne in divitem plures vellet conferre divitias, quæ illi molestę & graves admodum erant. Sed in se potius vellet esse benigna, qui à teneris annis in perpetua vixerat inopia. Tunc Fortuna, constitui, inquit, diviti illi, qui te misit, etiam nolenti duplicare, imo triplicare divitias. Te autem in summa mendicitate perpetuò vivere faciam. Decem autem, quos accepisti aureos, nunquam habuisses, nisi tunc arctissimus me oppressisset somnus.

Fabula indicat fortunam infelici homini semper adversam, fortunato autem etiam nolenti semper esse propitiam. Abstemius.

De Lupo in fossam lapso, & Vulpe irridente. Fab. 141.

Lupum in fossam lupariam delapsum, vulpes conspicata irridebat, & circum oras & fossæ marginem lætabunda saltitabat, stolidū animal illum appellans, qui hominum fraudes non animadvertisset. Dum sic ergo lasciva gestiret, subsidens terra eam traxit in præceps: quam delabentem lupus conspicatus: maximum, inquit, nunc mortis meæ solatium ad manes feram, videns vulpem, quæ me irridebat, mecum pereuntem.

Fabula indicat, aliorum calamitatibus nunquam insultandum, quum in easdem nos quoque incidere possimus. Laur. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius VI. Centur. 4.

Nec aura, nec unda. Hirundines marinæ, & piscibus & avibus pabulum.

In nos nempe omnis cœli pelagique rapina est.
Et fatale rapit, quem manet, exitium.

¶ Monosticha Trochaica.

A felicitate vinci, maxima infelicitas.
Exigere infelicitatis pœnas à se, amentia est.
Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.
Haud ferre infelicitatem, summa est infelicitas.
Haud multum in viros sapientes fortuna licet mala.
Infelicibus sua innocentia est felicitas.
Infelicitas aliena haud quenquam felicem facit.
Infelicitas palam effert quidquid occulti est mali.
Infelicius nil illo, cui mali nil obtigit.
Infelicius nil illo cui nil adversi accidit.
Invidere non felici pravitatum maxima est.
Longa fortuna vertenti vita multos præbuit.
Magnitudinem virtutis infortunium approbat.
Nil eo infelicius cui nil mali unquam contigit.
Optima infelici habentur quorum tempus effugit.
Prosperæ statim fatuellis res fiunt improsperæ.
Qui malam nequit fortunam ferre, nec feret bonam.
Sæpe sors postrema prima præbuit sorti locum.

¶ Jambica.

Communia esse credito infortunia.
Et summa virtus infortuniissima est.
Felicitatis gnata est infelicitas.

Mille

Mille atque mille sunt viæ infortunij.
Munit viam infortunio proteruia.
Occulta mala patefacit infelicitas.
Omnis sui ipse caussa homo infortunij est.
Persæpe currit ultrò infelix ad necem
Præclara item obtenebrat infelicitas
Quis sponte conscisçit sibi infortunium?
Quos sapè vexat durat infelicitas.

Ingenii.

§ SENTENTIAE PATRVM.

Ennodius: Peritorum est medicorum invenis deprehendere vires corporum, & de successu hominis digitos interrogare. Nec aliter incipientium possunt ingenia cognosci, nisi ut qui non debent teneræ adhuc ætati robustas declamationes, inquirentes de futura ubertate lætificant, & messem peritiæ in radice manifestent. *Lib.1.Epist.12 f.*

§ PHILOSOPHORUM GRÆCORVM.

Arrianus: Molles adolescentes exhortari non est facile: neq; enim caseus tenellus hamo capitur. Ingenioſi autem tametsi eos dehorteris, magis etiam eruditioni inhærent. qua de caussa Rufus eos plerunq; dehortabatur, eaq; tanquam regula ad deprehendendos ingenioſos & stupidos utebatur. Ut enim inquit lapis, quamvis surſum eum jeceris, suopte nutu deorsum feretur: sic etiam ingenioſus; quo magis repulsus fuerit, eo magis inclinabit illuc quo à natura ducitur. *Cap.6.3 Epict.*

§ ROMANORUM.

Petronius Arbiter: Quare, poeta non humillimi spiritus, tam male vestitus es? Propter hoc ipsum, inquit. amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit,
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro:
Vitis adulator picto jacet ebrius ostro:
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atq; inopi lingua desertas invocat artes.

Non dubio itaq; est, si quis vitiorum omnium inimicus, rectum iter vitæ cœpit inspicere, primum propter morum differentiam, odium habet: quis enim potest probare diversa? deinde qui solas extruere divitias curant, nihil volùt inter homines melius credi quàm quod ipsi tenent. Jactanturitaq, quacunq; ratione possunt literarum amatores, ut videanturilli quoq; infra pecuniam positi.

Mox: Nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas.

Plinius Iunior: Sicut ἀμαθία μὴ θρασος, λογισμὸς δὲ ὀκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia; perversa confirmat audacia. Exemplo est Regulus. imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua; tardissima inventio, memoria nulla; nihil denique præter ingenium sanum. & tamen eo impudentia ipsoq, illo furore pervenit, ut plurimis orator habeatur. 4. *Epist.7.*

Symmachus: Ingeniorum video inter nos esse certamen in eo negotio, quod ratio, amicitia, tempus, abolere debuerat. Modum igitur expostulationibus mutuis facio; ne amarissimæ scriptionum vices sine fine procedant. *Lib.9.Epist.13.*

§ POETARUM.

Plautus Milite 3.sc.1.v.37.

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.

Plautus Mercatore 5.sc.4.8.

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo
Suapte culpa degeneres abeunt; genus ingenio improbant.

Martialis lib.8.Epig.68.

Quid non ingenio voluit natura licere!
Autumnum sterilis ferre jubetur hiems.

C.Cæcilius Plinius Secundus.

Vt laus est cera mollis, cedensque sequatur
Si doctos digitos; jussaque fiat opus:
Et nunc informet Martem, castamque Minervam:
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Vsque sacri fontes non solùm incendia sistunt;
Sæpe etiam flores, vernaq; prata juvant:
Sic hominum ingenium flecti, duci que per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

§ APOLOGORVM.

Aphthonius: E Senectute decumbat leo, nec amplius ad venandum suppetebant vires. Itaque cum pasci vellet, ægrotare simulavit, & prætextu morbi, escam sibi comparavit. Nam animalium plurima, quæ ad invisendam venerant, hunc ante excipiens, ut escam in promptu habens, devoravit. Multis tandem captis, vulpes intellecta fraude cum & ipsa veniret, e vestigio leonem salutavit: quia captorum vestigia pestem arguebant.

Ita sapientia dolos & fraudes longè superat.

Cornix & Urna. Avienus .27.

Ingentem sitiens Cornix aspexerat urnam;
Qua nimiam fundo continuasset aquam:
Hanc enisa diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret inde sitim:
Postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate dolos:
Nam brevis immersis adcrescens sponte lapillis,
Potandi facilem præbuit unde viam.
Viribus hæc docuit quàm sit prudentia major;
Qua cœptum volucris explicuisset opus.

Vulpes & Pardus. Avienus. 40.

Distinctus maculis & pulchro pectore Pardus
Inter consimiles ibat in arva feras.
Et quia nulla graves variarent terga leones,
Protinus his miserum credidit esse genus.
Cætera sordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat;
Hunc arguta novo gaudentem vulpes amictu
Corripit, & canas, comprobant esse notas.
Vade ait & pictæ nimium confide juventæ;
Dum mihi consilium pulchrius esse queat.
Miremurque magis quos munera mentis adornant.
Quam qui corporeis emtuere bonis.

De Lepore sese vulpi præferente, ob pedum velocitatem. Fab.73.

Lepus sese dignum reputabat, qui vulpi præferretur, quoniam longe illam pedum pernicitate superabat. Tunc vulpes: At ego, inquit, ingenium sum sortita præstantius, quo sæpius, quam tu pernicitate tua canes eludo.

Hæc indicat fabula, corporis velocitatem, & vires ab ingenio longè superari. Laur. Abstemius.

De Leone à Vulpe edocto, ut possit è vinculis exire. Fab.170.

Leo comprehensus laqueo, totis viribus vincula dirumpere conabatur, quò autem majori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes illac iter habens, cum hoc esset intuita: Non viribus, inquit, mi rex, istinc evades, sed ingenio: Relaxandus enim laqueus, & dissolvendus, non trahendus est. Quod cum leo fecisset, statim soluto laqueo, quo erat astrictus, liber evasit.

Fabula indicat, ingenium viribus longè esse præstantius. Abstemius.

§ EMBLEMATIS.

Batillius XXXIV.

Quod viribus nescis; arte superatur.

Pondera quod vectis valeat tam vasta movere
inque altum tanta tollere molis onus,
Quanto hominum nulla valeant subsistere vires;
Quanto junctorum non juga plura boum;
Ars operum inventrix Natura operosior ipsa,
Viribus ipsa suis ingenioſa facit.

Camerarius XCII. Cent.I.

Vita tamen supereſt. Aloe & Sempervivum laquearibus appensum.

Vivacis succi ut plantam hoc mirantur, & ornant:
Sic homines præstant dotibus ingenij.

Camerarius XXXIV. Centur.2.

Inspicit & perspicit.

Et muros penetrant fulgentia lumina Lynci,
Et secreta acies perspicit ingenij.

Camerarius LXXIX. Cent.3.

Ingenio experiar. Corvus saxis hydriam implens:

Mira est ingenij vis & solertia corvi,
Natura aut doceat quam sit ubiq; potens.

§ MONOSTICHA TROCHAICA.

Alius esse non potest ingenio, alius animo color
Exhibet ingenia hominum vultus, sed tamen mage oratio.
Femina puerique aliquando ingenia etiam sunt in viris.
Ingenium bonos malosque nos facit; minime locus.
Ingenium bonum malorum nulla vis perverteris
Ingenium latere summum sub cute qualibet potest.
Ingenium omnium a labore proclive ad libidinem est
Ingenium placere nullum, si veniam demas, potest
Ingenium nullum magnum absque mixtura dementiæ est.
Ingenium si indocile flecti non potest, frangi potest.
Ingenium vinumque eodem ritè quis probat modo.
Ingenii es pusilli vana & parva habet miracula.
Ingenii malignitatem frangere est, haud flectere
Ingenii vires opimas magna fortuna haud gravat.
Ingenio bonus malusve quisque sit suo, haud loco.
Ingeniis donanda non sunt monstra, verùm crimina.
Ingeniis nunquam herclè. magna cara in corpore est mora.
Iudicii plerunque egeni sunt, ingenio qui valent.
Magna ingenia, magna vitia, magnas virtutes ferunt.

Nil in orbe est ingenio hominis effici quod non queat.
Non potes tibi ipse formam fingere; ingenium potes.
Nulli non ingenij laude difficulter cedimus.
Pulchrum est ingenio mereri Regis indulgentiam.
Quale quisque ingenium habet, sua judicio est oratio.
Qui concludit ingeniorum, extenuat elegantiam.
Sæpe amor suggerere suevit, ingenium quod denegat.
Vultu, incessu, veste, mores ingeniumque prodimus.

¶ Jambica.

Amor ingenij homines pauperat, pro divitat.
Amor ingenij, nullum unquam fecit divitem.
Asiaticorum ingeniis nil inanius.
Doctrina non ingenia fingit, sed polit.
Etiam ingentis sæpe utimur male optimis.
Facilius ingenia opprimas quam revoces.
Hominum ingenijs subjiciunt artes Numina.
Fere ingenium breve est in amplo corpore
Ibi ingenij sua vis valet, ubi intenditur.
Ingenia antistant ingenua servilibus.
Ingenia mala erroribus nunquam vacant.
Ingenia vana incerta pro certis petunt.
Laude ingenij nemo alteri cedit libens.
Locorum ubique Ingenia performat situs.
Magnis apertum est omne ingenijs sæculum.
Mala, ut secunda ingenium non mutant bona.
Multum quibus est ingenij, cordis est nihil.
Natura idem non tribuit ingenium omnibus.
Nemo ingenij magni est, qui non item est boni.
Per sæpe magna pars est ingenij dolor.
Quale ingenium habeas, indicio est oratio.
Raro placent ingenia populo maxima,
Totidem ingeniorum formæ sunt, quot corporum.
Vt sæpe summa ingenia in occulto latent.

Videantur plura titulo *Artis, Indolis, Industriæ.*

Ingratitudinis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Isidorus Peluſiota: Qui rerum earum cauſa ob quas gratiã habere debent, alicui crimen intendunt, omnes ingratitudinis, terminos excedunt. Nam cum, ſi rebus ipſis nequeant, grata ſaltē oratione vicem rependere teneantur, ipſi contrà crimina concinnant. *Libri primi Epiſtola* 194.

S. Iſidorus Peluſiota: Efferas belluas eos appellare fas eſt, qui ne beneficiis quidem meliores redduntur. *Lib 3. Epiſtola* 44.

S. Iſidorus Peluſiota: Quibus jam oculis amicos tuos (ſi tamen amicos ullos habes) aſpicies, qui homini de te bene merito atque amico inſidias comparaſti? Nam ille, ut audivi, ſecuriori animo tecum verſabatur: quòd nihil ſe abs te ex inſidiis perpeſſurum exiſtimaret, ut qui hujus rei certiſſimum pignus ſibi habere videretur, benevolentiam ac beneficii in te collati magnitudinem. Tu verò ipſas quoque feras immanitate atque crudelitate ſuperaſti (ſunt enim inter eas, quæ bene de ſe meritis gratiam habere ſciant:) atque etiam ob hujuſmodi ſcelus gloriaris. Ecquando igitur animam mergere deſines, cui hanc perpetuò neceſſitatem affers, ut in præceps feratur? *Lib. 3. Epiſt 59.*

¶ Philosophorum Graecorum.

Phalaris Megarenſibus: Captas triremes veſtras dimiſi manifeſtò contra me navigantes, omni excluſa ſpe gratiam à vobis me recepturum aliquam. Si enim reddendi beneficii vobis in mentem veniſſet, non hoc obliti eſſetis, quod ter antea vobis penè mortuis caritate, annonæ, ſalutem opemque attuli. *Epiſtola* 52.

Xenophon: Nemo unquam ab Ageſilao ſe ulla re ſpoliatum eſſe queſtus eſt, quum multi multa faterentur ab eo ſe accepiſſe beneficia. Cui vero volupe eſt, ſua hominum ad utilitatem largiri, quinam is aliena rapere velit, quo male audiat? Nam ſi pecuniarum cupidus ſit, multo minori fit cum negotio, ut ſua quis ſervet, quam ut aliena rapiat. At qui non vult in iis ingratus eſſe, quibus pœnæ nullæ conſtitutæ ſunt, ſi quis gratiam non referat: quonam modo in aliis ille gratias non referat, in quibus lex ingratum eſſe vetat? Ageſilaus autem non tantum injuſtum eſſe judicabat, non referre gratias: ſed hoc etiam, ſi is, qui plus poſſet, non majores quoq; gratias referret.

Julianus Cæſar: Ecquid tandem de iis exiſtimandum eſt, qui cum magna nomina magniſque de rebus contraxerint: (non jam aurum, aut argentum loquor, ſed de omni omnino re, in qua quiſpiam ab alio beneficio ſit affectus) nihilominus gratiam pro iis perſolvere nec contendant, nec poſſint, ſed ea, quæ præſtare queunt referenda, ac diſſolvendum debitum negligentes ſe ac remiſſos præbeant? nonne illi jure mali atque improbi habendi ſunt? Neque enim ullum puto crimen eſſe, quo ingratitudinem homines minus oderint, minuſque exprobarent aliis, cum accepto beneficio ingrati in benè de ſe meritos videntur. Eſt autem is ingratus non modo qui mali nihil viciſſim facit, aut dicit, ſed etiam qui tacet, ac diſſimulat, & alterius in ſe meritorum obliviſcitur, atque eorum memoriam extinguit.

Ac ferinæ hujus, & inhumanæ improbitatis exigua admodum & rara ſunt exempla: plerique vero ſunt qui beneficio ſe aliquo affectos eſſe videri nolint ac diſſimulent. In quo quid ſibi velint non video: verùm ita dicunt, à ſe aſſentationis & illiberalis adulationis falſam exiſtimationem vitari.

Ego vero tametſi nihil eos ſani dicere certiſſimè ſcio, nihilominus prætermitto, atque id illis concedere volo, effugere eos, quemadmodum putant, falſam adulationis famam; cum interim multis ſimul animi pravitatibus ac turpiſſimis & illiberalibus morbis obnoxii videantur. Nam aut beneficia percipientes ſenſu admodum eorum deſtituti ſunt, quorum carere ſenſu nullo modo oporteret: aut ſi id intelligant, eorum memoriam omni eſſe tempore retinendam: ac meminerint quidem, ſed quibuſcumque tandem de cauſis in agendis gratiis negligentes ſint, timidi ſunt, & invidi natura, atque omnino omnium hominum inimici: qui ne erga bene meritos quidem ſuos faciles ſe, ac benignos exhibeant: interim ſi quando convitiari ac mordere ferarum inſtar neceſſe ſit, iratis & micantibus oculis aſpiciunt: Veram autem ac ſinceram laudem tanquam impendii majoris, ac ſumptus aliquid evitantes, neſcio quo pacto egregiorum facinorum prædicationem vitio vertunt: cum id unum inquirere ac ſcrutari poſſint, utrum veritati ſtudeat, atque eam ſequi malit, quam in laudando captare velle cujuſquam gratiam videri.

Non enim dici illud poteſt, inutile quiddam eſſe prædicationem vel his quorum in gratiam inſtituitur, vel aliis qui æqualem vitæ gradum atque ordinem ſortiti, eandem recte factorum virtutem ac dignitatem aſſequi nequeant. Illis enim jucundus hic auditus eſt, eoſque ad eximia & illuſtria facinora promptos & alacres efficit. Hos vero ad illorum æmulationem adducit, ac neceſſitate quadam impellit, cum illud videt, ne à ſuperiorum quidem virtute, quoſdam abhorruiſſe, quòd unum in conſpectu omnium honeſte dare atque accipi poteſt. Nam pecunias palam atq; aperte largiri ac circumſpicere, ut quamplurimi quod donatum ſit ſciant, inepti cujusdam eſt hominis; ſed neque in omnium oculis manus tendere quiſpiam ſuſtineat, niſi pudorem omnem penitus, ac morum probitatem exeuſſerit.

Arceſilaus vero, cum daret aliquid, latere eum etiam ſtudebat, qui acciperet: & is ex ipſo facto bene de ſe meritum intelligebat: laudum vero auditores invenire quamplurimos tametſi optādum eſt, vel paucis tamen contenti eſſe poſſumus. Ac Socrates adeo, & Plato, & Ariſtoteles pleroſque collaudarunt. Xenophon vero etiam Ageſilaum Regem, ac Cyrum Perſam, non illum tantum veterem dico, ſed & eum, quo cum è Græcia profectus expeditionem ſuſceperat, neque hujus laudes in conſcribenda hiſtoria diſſimulavit; *Initio Panegyrici 2. ad Imperatricem Euſebiam.*

Julianus imp. Omnium malorum ipſe mihi auctor ſum, cum in animos ingratos beneficia mea contulerim. Meæ igitur ſtultitiæ, non veſtræ libertati hoc attribuendum eſt. *Fine Orat. ad Antiochenſes.*

Libanius: Non eos qui ducere nolunt uxores, leges oderunt; ſed eos qui benemeritis gratiam referre nolunt. beneficium ab illa accepimus: in quo unum hoc fortaſſis mirificum eſt, quod ſit compenſatione maius. at enim expendamus, ſi videtur. renunciaverat aliquis nos, ut audio, primum mortuos eſſe, cum in prædones incidiſſemus. illa fidem non adhibuit: nam quod nolebat: hoc non exiſtimabat; ipſe poſtea litteras ad eam miſi, quibus ſervitutem meam ſignificabam. illa non diſſeruit ſecum de altero viro, & tamen multas ſcimus primo quoque prætextu ad alios maritos tranſilire cōſuetas.

Pater mihi auxiliari cunctabatur: hæc vero anteverſit patris propenſam voluntatem: vendidit mundum ſuum, quem amāt maximè mulieres: conſcendit ſcapham; audiens plenum eſſe mare piratis: tulit ventorum turbines, ac procellas: fluctuum impetus ſuſtinuit: inſpexit obſcenam undis navem expoſuit vitam pro nobis: delata eſt ad littus miſerabili forma. ſatis fuit nobis etiam poſt obitum, ad ſolutionem obtinendam. fabularum incredulitatem ſuſtulit, cum actis ſuis, quæ olim vulgiore verſabantur, confirmavit. Super his me nuptiarum curam habere jubes? at enim vivens adhuc, & nunc ſolem intuens, injuriam facturus non videbor, & quis nos alloquetur? quis nobiſcum paciſcetur? quis negotiorum & conſiliorum participes faciet? quis popularis? quis tribulis? quis inquilinus? ſi tu quidem injungeres, ego autem in his parerem? egrégiam vero populus in nobis expectationem haberet, honoreſque tribueret, ſi nos ita affectos erga neceſſarios videret.

Nam qui in ſuos improbus eſt, haudquaquam in communibus melior fuerit. quis porro nobiſcum omnino, mi pater, ut hoc etiam dicam, affinitatem contrahere volet! quis filiam ſuam ad tam apertas voragines collocabit? neſcis homines ex iis quæ prius contigiſſe vident, poſteriora judicare: ut præterita futurorum documenta ſint? equidem illas à patre rationes requiſivi fieri. ſi quæ me conjugii cogitatio ſubiiſſet, Fili mi, ab humana, deſertor, defeciſti natura, belluarum feritatem es æmulatus: repente è veſtigio oblitus es naufragii uxoris, nunc vis ducere aliam: non piget te conjugii, & nomē ipſum non horres? & quibus oculis cognatos prioris aſpicies? an illos quidem lugere vis, ipſe autem laſcivire? atq; illa quidē propter te omnia fuerit auſa; ipſe verone tantillum quidem continere voles, ut illi

ut illi gratum facias? aliquis olim admisso generoso equo, alterum non emit ob tristitiam de priore conceptam. at tu mulieris interitu palam servatus, contra illam salute abusus es. Hi senem decerent sermones, quibus juvenem admoneret jam verò pater, ut apparet, cõtinentiam servantibus succenset. Nam liberos, inquit, ex te volo natos, & successores esse generis. *Declamatione trigesima octava.*

Si nunquam occasio tibi oblata est, pro beneficiis gratiam rependendi: etiamne hoc ab officio tuo alienum esse censuisti? quæ collata in te officia, semper in recenti memoria habere. Sed & sermones in nos graves obtrectatoriosque contulisti. Te igitur non accuso, qui tali sis ingenio, sed nosmetipsos, quoniam in te ejusmodi malitiam perspicere non potuimus. *Ex typo Epistolari.*

¶ Romanorum.

Symmachus: Minus grave est debitorem, quam ingratum deberi. *Lib. 9. Epist.* 107.

¶ Poetarum.

Lucianus in Ingratos.

Rimarum plenus perdit tua dona sceleste:
Si sapis, integro vina reconde cado.

Plautus Bacchid. 3. sc. 2. v. 10.

Nam pol quidem meo animo, ingrato homine nihil impensius est.
Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficium.
Nimio præstat impendiosum te quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni; hoc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me caussa, magis cum cura esse ac obvigilare opus est.
Nunc Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur;
Si sine nec ne, ut esse oportet, malus, bonus, cujusmodi,
Justus, injustus, malignus, largus, commodus, incommodus.
Cave sis te superare servum si veris faciundo bene.
Vt ut eris, moneo, haud celabis.

Terentius Hecyræ 5. sc 4.

—— Egone qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,

Ausonius Ep. 132. ex Menandro.

Nil homine terra pejus ingrato creat;
Vicinus, hospes, notus, ignotus, cliens,
Et si quagenera sunt id civium genus,
Si quid petenti promptus opis impertias
Vt misereare; gratia actutum perit.

¶ Apologorum.

Æsopi Lignatores & Quercus. Quercum conscindebant Lignatores factis ex ea cuneis. Illa verò dixit, non tantum conscindentem me culpo securim, quantum cuneos qui ex me nati sunt.

Æsopi Viatores & Platanus. Viatores æstate meridianis horis æstu defatigati; ut platanum videre, ad eam profecti, ejus sub umbra recubantes, quievere. Sursum vero spectantes in Platanum, invicem sic colloquebantur. Quam inutilis arbor hæc hominibus & sterilis? Quibus Platanus, ô ingrati! respondit; meo beneficio usi, inutilem me & infrugiferam jactatis.

¶ Emblematum.

Batillius CXLIX.

In Ingratos.

Assiduos latices pertusa in dolia portant
Belides, hisque opera hac semper inanis erit.
Ingratæ menti nihil est feciisse benignè,
Debita & officio gratia vana perit.

Batillius CLI.

Beneficium morte repensum.

Parvula ut colubri sua ceu sint, incubas alis
Cristata, & plumis molliter ova fovet;
At simul hæc fuerint materno excussa tepore,
Pullorum infestis dentibus icta perit:
Sic populus Regi, cui se suaque omnia debet,
Regum actus meritis auctus & usque novis,
Bella ciens, sitam mortis jam dote rependit,
In dominos veterem deserere ausa fidem.

Camerarius XIII. Centur. 3.

Bis pereo.

Ipsa suis pennis aquila interit icta: refertur
Scilicet hæc hodie gratia pro meritis.

Scilicet hæc hodie gratia pro meritis. Embl. 14.

Ingratis servire nefas.

Serpentes hederæ nequeunt consistere per se,
Sed duce populeo stemmate summa petunt;
Et tamen hoc vitæ tandem complexibus orbant;
Obsequijs vinci mens malè grata nequit.

Florent. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Christianor.

Castrutius Ludovici Imp. Præfect. Quemadmodum nihil ratione conformius, quàm beneficium beneficio compensare: ita nihil magis ab ea remotius, quàm beneficiorum acceptorum oblivisci, & gratiam ingratitudine præmiari. Conquerenti apud Pisas coram Ludovico Imp. de Castrutio, quod se probris affecisset, Guido Tarlato, eique ingratitudinem objicienti, germano sermone respondit Castrutius: *Bestiæ calcaribus & fustibus opus suum exequũtur: nec de ingratitudine credendum ei, qui nunquam fuit gratus.* Imperatore verò in cachinnum soluto, Tarlatus, eo non salutato, equum conscendit, & abiit. *Auct. Serm. Convival.*

Franciscus Borgia Dux: Hujus item frequens illa vox, præsertim cum aucupio vacaret: *Carnivoras feras agreste ingenium exuere, atque mansuetas reddi, quis non miretur? hominem verò rationis & orationis participem, tot tantisq; beneficijs ornatum, adeo ingratum, ut vocanti Deo parere nolit?* *Ribad. in Vita, libro primo capite 5.*

Anonymus: Quidam multis beneficiis affecerat hominem rusticum & agrestem: qui tamen benefactorem suum miris modis lacessere non cessi ebat. quod intuitus ille, *Hem*, inquit, *quam verum est commune adagium:*

Si ungis pungit; si pungis, rusticus ungit.

Auct. Serm. convival.

Alphonsus Aragonius: Quid? jam ingratitudinis limites emensum revocat me & reducit Alphonsvs. qui offensus cujusdam, de quo optimè meritus erat, ingratitudine, hoc se dicto repressit: *Quarè ego isti succenseo? cum Deus ampliora in me beneficia contulerit, & ego longè Deo ingratior sum, quam hic erga me fuit?* Ita hæc virtus in magnis & heroicis animis elucet: cùm indomitæ mentis sit, indomitæ etiam iræ laxare frænos. *Ioan Strigelius.*

Thomas Morus: Videbat vir inclytus & summus, hominẽs tam facile beneficiorum oblivisci, tarde autem maleficiorum. & ait; *Beneficia pulveri; si quid mali patimur, marmori insculpimus.* *Thom. Staplet. in Vita, c. 11.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; animo ingrato vix ullum facinus ingens nascitur
Damnosa est apud nos fœda apud exteros ne gratia est.
Esse rum in plerasq; gentes crimen ingrati cadit
Est boni vitare turpem mentis ingratæ notam.
Etiam invisa memoria est, tempus post quam meriti præterit.
Hercule, miserũ est, ingratũ esse homini id quod facias bene.
Heu quam acerbũ est, pro benefactis cũ malis messem metis!
Immemor beneficij, hostis est communis pauperum.
Irrita aut; ingrata habemus quæ Dei in nos faciunt bona.
Nimio præstat impendiosum te quam ingratum dicier.
Nullum adhuc facinus fuit grande absq; ingratitudine.
Plus ferè colimus, bene nobis qui agrè, sponte quam facit.
Qui beneficij est oblitus, omnium ingratissimus est.
Quis beneficium pro maleficio summum inimico reddidit?
Res eo redit; si quis quid reddit, agenda gratia est.
Sumere improbus beneficium scit, sed nescit reddere.
Turpe sero quacunque crimen gente ingratitudinis.
Vix facinus magnum ullum accrevit absq; ingratitudine.

¶ Jambica.

Caussam gravat supplicium ingrati qui levat.
Genus inficiandi est furtive agere gratias.
Haud quidquam homini ingrato usquam est impensum.
Ingrata patria! ne quidem ossa habes mea.
Ingratitudo criminum omnium est parens.
Ingratitudo affinis est superbiæ.
Ingratitudini adsit a impudentia est.
Ingratus ac blasphemus unum est atque idem.
Ingratus aliis, ipse iniquus est sibi.
Ingratus est qui quod scit scire se negat.
Ingratus est quicunque gratus est metu.
Ingrato ab animo grande quod vis est scelus.
Nil terra monstro pejus ingrato parit.
Nunquam expedit rei ingratitudo publicæ.
Satiare nullam ingratitudinem queas.

Inimicitiæ.

¶ Sententiae Patrvm Graecorvm.

Nazianzenus: Ubi sunt igitur, qui res nostras, tam bene, quàm malè se habentes, studiosè ac diligenter observant, non ut judicent, sed ut improbent: nec ut nobis gratulentur, sed ut insultent, atque ut bona calumnientur, & mala tragicis verbis exaggerent, atq; ab alienis lapsibus excusationem vitiis suis quærant? Quæ etiam ipsa utinam saltem æquâ lance ponderarent. Essent enim aliqua etiam bilis utilitas, ut est in proverbio, si inimicorum metu cautiores efficeremur: nunc autem cum odio & animi improbitate, quæ rationi tenebras offundit, & ob quam ne vituperatio quidem ullam authoritatem habet, ad judicandum accedunt. *Oratione 13.*

D Nazianzenus: Attonite ac versipellis, dixerit quispiã, & pravi illius, ac vitii architecti figmentum, quispuis es qui ita aniceris, aut, ut verius loquar, amentissime, hic tibi hesterno die pius erat: quonã igitur pacto hodie impius est, cũ nec verbo, nec re, qui quam vel addiderit, vel detraxerit, sed in eadem fidei sententia hæreat, eundem

aerem exhalet, iisdem oculis eundem solem inspiciat; aut, si mavis, tanquam de numeris aut mensuris interrogatus, idem planè respondeat? At etiam hodie libidinosus & scortator tibi est, qui hesterno die Joseph erat, (huc enim usq; contentio progreditur, quasi flamma quædam per stipulam currens, ac finitima comprehendens) & Judas hodie vel Caiphas, qui heri Elias, aut Joannes aut alius quispiam ex his, qui ad Christi partes sè adjunxerunt, & eadem zona accincti, sunt, atq; eodem, vel fusco, vel atro pallo contecti, quale vita sancta & gravis, mea quidem lege ac sententia, prætendit. Quin etiam pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est pallorem, aut compositam & quietam loquendi rationem, aut incessus gravitatem cũ mansuetudine conjunctam, heri philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appellamus, atq; eandem adversus malos spiritus aut morbos potentiam, nunc Jesu, nunc Beelzebub adscribimus; & iniqua rerum harum regula, hoc est contententione atq; iracundia, utimur. Et quemadmodum eadem terra sanis quidem ac minime læsis fixa & stabilis est, iis autem, qui circumaguntur ac vertigine laborant, movetur, nimirum aspicientium vitio ad rem aspectam transeunte: aut si mavis, quemadmodum idem columnarum intervallum, his, qui propius maius, iis autem, qui longius remoti sunt, minus videtur, aere nempe ob interstitium velut surrepto, ac visu, ea, quæ crassiora sunt, connectente: ad eundem nos quoq; modum ob inimicitiã facilè decipimur, nec de iisdem rebus eadem, amantes, & non amãtes, judicamus: ac tempus multos sanctos, & multos atheos nobis facilè designat, vel potius omnes miseros. *Oratione decimaquarta.*

D. Nazianzenus: Lassus sum, dum & cum sermone atq; invidia, & cum hostibus, & cum nostris pugno. Illi pectora feriunt, & minus quod cupiunt assequuntur. nam qui apertas inimicitias gerit, facile cáveri potest. hi autem terga observant, & magis molesti sunt. nam qui minimè suspectus est lethalius vulnus infert. *Oratione tricesimasecunda.*

D. Chrysostomus: Cave ne ullum in oratione verbũ emittas, quod dominum irritet; vel in hostium horum perniciem ipsum adeas. Nã si vel hostes habere, probro non caret: cogita quantum malum sit adversus eos orare? Pro eo, atq; oportebat veniam petere, quòd hostes habeas; tu contrà eos quoq; accusas. Et quam tandem veniam obtinere queas; cùm eo quoque tempore aliis obtrectes, quo ingenti ipse misericordia opus habes? Etenim eò accessisti, ut pro tuis peccatis orares. Ne igitur alienorum peccatorum recorderis: ne alioqui tuorum ipse memoriam refrices. Nam si dixeris, Hostem percute; os tuum obstruxisti: jam linguæ fiduciam præcidisti. Primum nempe, quia ab ipso statim initio dominum ad iracundiam incitasti: deinde quia contraria postulas, quàm oratio ferat. Nam si pro peccatorum remissione Deum convenis: qui fit, ut pro supplicio verba facias? Quin contrà potiùs faciendum erat: nimirùm ut pro ipsis quoq; preces funderes, quò pro te quoq; cum fiducia obsecrares. Nunc vero judicis sententiam per tuam occupasti, dum petis, ut de peccantibus supplicium sumat: quod quidem omnem tibi veniam adimit. Contrà si pro ipsis orandum duxeris: etiamsi pro peccatis tuis nullum verbum feceris, rem tamen to am confecisti. Cogita quotnam in lege sacrificia sint; sacrificium laudis, sacrificium confessionis, sacrificium salutaris, sacrificium purgationum, ac sexcenta alia. Atq; interim nullum est adversus inimicos, sed pro propriis peccatis aut etiam rectè factis. Num etiam alium Deum adis? An non ad illum accedis, qui dixit, Orate pro inimicis vestris? Quonam igitur modo adversus illos clamitas? quonam modo Deum, ut legem suam infringat, rogas? A supplicis persona istud alienum est. Nemo supplicat, ut alius pereat, sed ut ipse salutem consequatur.

Quid igitur supplicis quidem personam geris, interim tamen accusatoris verba habes? Ac quidem cùm pro nobis ipsis oramus: scabimus nos, & oscitamus, & in sexcentas cogitationes labimur: cum autem adversus inimicos, attenti ac vigilantes hoc facimus. Quoniam enim diabolus illud exploratum habet, quod in nostrum ipsimet pectus gladium impellimus: idcircò tum nos minimè distrahit atq; avocat, quòd videlicet hac ratione majorem nobis perniciẽ afferat. At, inquies, læsus sum, & affligor. Ergo adversus diabolum ora, qui omnium maximè nos injuria afficit. Hoc etiam dicere præciperis, Libera nos à malo. Nimirum etiam ille implacabilis hostis est: at homo, quidquid tibi faciat, amicus ac frater est. Quocirca omnes adversus illum irascamur: adversus eum Deum obtecremus, dicentes, Contere Satanam sub pedibus nostris. Ille enim inimicos quoq; nobis parit. Quod si adversus inimicos preceris; id precaris, quod ipse quoq; in votis habet: quemadmodum videlicet, si pro inimicis, adversus eum precaris. Quid igitur relicto vero hoste membra tua mordes. atq; hac ratione feris etiam ipsis atrociorem & immaniorem te præbes? At, inquis, contumeliam mihi intulit, ac bona aderit. Et quem tandem luctu prosequi convenit; eúmne qui injuriam accepit, an qui intulit? Hunc profectò: quia pecunias lucratus à Dei benevolentia seipsum excluſit, pluraq; perdidit quàm accepit; ac proinde ipse est, qui læsus est. Ob idq; non adversus eum, sed pro eo potius orãdum est: ut Deus propitium ac placidum se illi præbeat. *Homilia 5. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Nolite locum dare diabolo. Inter se ergo bellum gerere, est locum dare diabolo. Nam cùm oporteret omnes simul esse constipatos & condensatos; & adversum illum stare: solutis quę sunt nobis cum illo inimicitiis, jubemus ut alter in alterum convertamur. Nunquam enim locum sic habet diabolus, ut in inimicitiis. Hinc mala nascuntur innumerabilia. Et quomodo quandiu quidem sunt condensati, & benè compacti lapides, neq; quidquam habent vacuum, stant infracti: sin autem cõtigerit solius acus fieri perforationem aut rupturam, quæ unius pili solum locum tencat, hoc omnia dissolvit & perdit: Ita etiam in diabolo; quandiu quidẽ fuerimus conjuncti condensatiq; ac bene compacti, nihil omninò infert ex iis quæ suasunt: quando autem nos parùm laxaverit & mollierit, tanquam torrens quidam influit. Ei enim semper solo opus est initio. & hoc est quod difficulter ab eo geritur, nec facilè ei succedit. Hoc autem facto ipse sibi omnia dilatat. Deinceps autem aures aperit calumniis: & iis qui falsa dicunt major adhibetur fides. Nam disceptantes habent inimicitias, non judicantem veritatem. Et quomodo si sit amicitia, etiam vera mala videntur falsa: ita etiam si sint inimicitiæ, etiam falsa videntur vera. Alia est mens, aliud judicium, non ex æquo audiens, sed cum magna inclinatione, & in alterã partem propensione. Quomodo enim in libra plumbum additum totum trahit: ita heic etiam pondus inimicitiarum, cùm sit plũbo gravius. Quamobrem rogo agamus omnia, ut ante Solis occasum extinguamus inimicitias. Nam si primo & sequenti die eas tenueris, sæpe etiam ad unum usq; extendis: & de cetero ipsæ seipsas augent inimicitias, nec aliquo indigent: & quæ aliter dicuntur aliter suspicari facientes, etiam gestas habitusq;, & quod libet efferant, & efficiunt ut pejus se habeant quàm furiosi neque nomen dicere nec audire sustinentes, sed ex maledictis & convitiis loquentes omnia. *Homilia 14 ad Ephesios.*

Chrysostomus: Deum imitari, est diligere inimicum. cogita, quod non inimico benefacis sed tibi. non illum ditigis sed Deo obedis. *Homil. 7. ad Ephes.*

Chrysostomus: Sunt quidam sicut canes mordentes latenter, qui accedenti quidem non allatrant, neq; eum ægrè ferunt, blandientes autem, & lenitatis & mansuetudinis ostendentes speciem, cùm non sibi cavente apprehenderint, eis dentes infigunt. Ii sunt graviores, quam qui apertas suscipiunt inimicitias. Quoniam ergo sunt homines quoq; canes, neq; clamantes, neq; irascentes, nec ægrè ferentes, minantur: sed clàm dolos consuentes, mala struentes innumerabilia, & rebus ipsis & factis ulciscentes, hos quoq; tacite significavit. Tollatur, inquit, à vobis cum omni malitia. Ne verbis quidem parcas, factis autem ulciscaris. Ego ideò linguam castigavi, & ejus clamorem amputavi, ne vehementiorem rogum accenderet. Si autem etiam absq; clamore eadem facis, & intus alis rogum & carbones, quid tibi prodest silentium. *Homilia 15. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Hoc semper versemus animo, quod qui inimicum benedicit, seipsum benedicit; & qui illi maledicit, in se ipsum maledicta detorquet. & qui pro inimico orat, pro se magis quam pro illo orare cognoscitur. *Hom. 6. sine ad Timoth. 1.*

Basilius: Post Goliath surgit in Prophetam hostis longe acerbior, regis invidentia victoti inimica, ac prostrato Goliath tanto gravior, quanto Goliath inimicus visus, & hostis cognitus armorum ostensione legitimam in aciem voce vocabat: hic verò hostis latet in insidiis, cogitatio inimica ejus animo tegitur, est crudelis, malevolentiæ plenus, amicitiæ larva loricatus, ex improviso in eum telum jaculans, qui per imprudentiam nudus fuerit. *Orat 15. m.*

Basilius Seleuc. Cognatio non solvit inimicitias, neq; naturæ vinculum dissipavit invidentiam. *Oratione 16. m.*

S. Isidorus Pelusiota: Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quãprimum obliteretur: amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma & immota conservetur. Quod si is, quem tu a te dissidere ais, contrà facit, hoc animum tuum minime conturbet, tanquam proinde in corona detrimentum accepturum. Neq; enim, ne odio simus (hoc quippe nostri arbitrii haud est, ac fortasse ne fieri quidem potest: omni enim modo præstantissimi quique viri improbis invisi sunt: ac propterea sancti viri hujusmodi odium subierunt) sed, ne homines, verùm improbitatem, qua laborant, odio habeamus, nobis imperatum est. *Lib. 3. Epist. 211.*

S. Isidorus: Illud quidem minime fieri posse arbitror, ut inimicos probi viri non habeant: ut autem inimicitiam rectè atque commodè tractent, fieri potest. Nam si in philosophiæ vitæ curriculo non offendunt, sibiipsis quidem prosunt, illos autem ulciscuntur: si autem offendunt: ab inimicis utilitatem capiunt. Persæpe enim obortum maledictum, animi morbum, aut ignoratum, aut neglectum curavit. Siquidem probi & clari viri aut veris amicis, aut acribus & inflammatis inimicis opus habent. Illi siquidem admonendo, isti verò conviciando à peccatis avertunt. *Lib. 3. Epist 280.*

S. Isidorus Pelusiota. Videris ignorare, quod nova (Evangelii) philosophia sublimior sit veteri illa præceptione, quæ tanquam infantibus edita est. Nam illud dictum, quod tibi admirationi est: Si esurierit inimicus tuus, ciba eum: si sitierit, potum illi præbe: non est adeò res præclara & eximia, sed ejusmodi, quæ magis optanda sit, ut contingat. Nam cum ille in tantam incidit necessitatem, ut ei opus sit etiam inimici commiseratione, id verò quavis equidem calamitate & quovis adeò supplicio acerbius & gravius esse ajo. Atque ita vulgus hominum sibi id persuasum habet, cum dicit: Ne eo redigar, ut ab inimicis meis cogar stipem accipere. Quod si igitur id quod dictum est, ejusmodi est, ut facientibus quidem optabile, iis verò qui patiuntur supplicii loco sit: quid est quod mireris? maxime, cum nec simplex sit beneficium, sed majus quoq; afferat supplicii. Hoc enim faciens, carbones ignis coacervabis supra caput ejus. Si igitur ipsa per seferes supplicii locò cedit, causa quoq; ob quam fit, alterius pœnæ gratia fit. Nam illis, qui dicunt (sic accipi ea verba oportere) calefacias ipsius principem animæ partem, & efficies, ut ad sobrieta-

brietatem redeat: non est valdè auscultandum. Nam (si hoc voluisset intelligi) non adjunxisset necessitatem famis; sed quovis tempore addidisset benè se habere. Non igitur equidem miror, & magni facio eos qui hoc faciunt; sed illos potius, qui cum rebus secundis affluentes videant inimicos suos tamen non solùm non indignantur (super ea felicitate) sed etiam laudant eos, & pro ipsis orant, id quod nova (Evangelii) Philosophia præcipiens ait: Diligite inimicos vestros: bene facite iis, qui oderunt vos. Orate pro infestantibus vos & persequentibus vos. Illic enim necessitas frangere solet (animum:) Istic autem nuda est voluntatis exploratio. Quòd si Apostolus quoq; veteri illa exhortatione usus est: at omnibus liquet, ipsi sermonem cum imperfectioribus fuisse. *Lib 4. Epist.* 11.

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam ex me per epistolam quæsivisti, cur Paulus non simpliciter dixerit: Cum omnibus hominibus pacem colite; sed addiderit: Si fieri potest: rescribo tibi: Quia est ubi fieri non possit, nempe, quando pietatis negotium agitur, quando de justitia alicujus rei, quando de temperantia, & breviter quoties de omnibus virtutibus. Nam quo pacto pius cum impio pacem colet? justus cum injusto? aut temperans cum libidinoso? qui sæpenumerò non solum aliorum, sed etiam suam ipsius formam corrumpere velit. Quod si hæ tibi meæ tantum ratiocinationes esse videntur, ipsum mihi Paulum vide, an cum omnibus pacem coluerit. Si verò etiam altius oratione assurgere placet, vide Christum, an cum omnibus concordiæ fœdus fecerit. In tantum igitur furorè acti sunt Judæorum principes, ut cruci quoq; ipsum affixerint. Quid est igitur quod ait. Si fieri potest? Hoc vult dicere: Tu quidem nemini præbueris ansam inimicitiæ, cave quoq;, ne quem jure & probabiliter habeas inimicum. Sin autem illi sine justa ratione tibi infensi erūt, hoc nullatenus te lædet. Nam & Christus, qui dixit: Oderūt me gratis, non præcepit, ne inimicos ullos habeamus (id enim non est in nostra potestate) sed ne cuiquam faciamus injuriam: ne seminemus radicem belli maximeq;, tum quando nullum pietati detrimentum infertur? Quod si improbi bonos odio prosequuntur, nolite mirari. Nam & Pseudoapostoli veros Apostolos, & Pseudoprophetæ prophetas odio habent. Quod ipse quoq; Paulus cum disertè cognitū perspectumq; haberet scripsit: Sectare a. pacem cum omnib. qui invocant Dominum ex puro corde. Ne itaq; culpam confer in eum qui inimicos habet, sed qui sibi ipsi inimicos conciliat. Quòd si luci cum tenebris non benè convenit (neq; enim potest hoc fieri) nihil hoc ad lucem: Si non vult impius pietatem amplecti, nihil hoc ad pium: si non vult libidinosus castitatem colere, nihil hoc ad hominē temperantem & castum; si non vult injustus desistere ab injustitia, nihil hoc ad justum, sed ad eos pertinet probrum, qui suæ improbitatis reprehensionem esse aliorum circa se hominum virtutes arbitrantur. *Lib. 4. Epist* 220.

Synesius: Ego tum cùm licebat inimicitiarum denunciationem accepi. nunc autem nec licet, nec volo. nam & ætas ipsa præclare faciens, ambitionem omnem restinguit; & sacræ, ut ajunt, leges istud prohibent. Præterea venit mihi in memoriam communis educationis & institutionis, commorationisq; Cyrenis nostræ, quæ omnia Sabbatii litibus fortiora æstimanda sunt. Age ergo amicitiam tuere, rem præstantissimam. *Epistola sexagesima.*

Synesius Episcopus: Utilitatem ex inimicis capi posse, nunc re ipsa est comprobatum. Quid enim non ad gloriam nobis atq; existimationem confert? Quicunique laudare nos nititur, cùm invenire quid dicat aliud nihil potest, hoc primùm, & unum, & maximū profert: Julium de illo detrahere; hoc autem uno verbo quæ non bonorum copia continetur? Siquidem nequitiæ generi omni adversari nihil aliud est, quam esse generi omni virtutis affinem. Atq; ego sanè nihil ejusmodi in me esse intelligo, sed hoc ille ipse dicit. Nam dum contraria omnia dicit, fidem illius adstruit: adeo ut vel gratiam ei habeam. Per sacrum tuum caput, & liberorum salutem juro, nihil esse in quo melius de me, quam cōviciis ac probris lacessendo mereatur. Nam & apud Deum, & apud homines præclarum hoc mihi erit, atque amplissimum.

Quinetiam mali animi pœnas dabit mihi quidem nequaquam: fortassis enim non ut maximè possem, vellem: omnino vero non si vellem, possem. Quid enim apud eum posset, qui modo præest Provinciæ, tam infelici homo conditione, ut patriis sedibus vagus, ac profugus erret, necreditus spem ullam habeat; cùm meis in prædiis hostes castra sua collocaverint, eaque tanquam arce, ac præsidio adversus Cyrenem utantur? Cuinam igitur, cuinam pœnas dabit? Justitiæ ipsi: ita enim procul dubio fore polliceor, quòd præclarè scire videor. Nam illum meo & communis patriæ nomine ulciscetur, pro qua diversas in administrando partes tenuimus, & propter quam mutuas offensiones, atq; inimicitias suscepimus. Non enim ullius mearum rerum causa suscepimus: neq; id dicere ille potest. *Epistola 94.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Nulli sunt tam feri, tam inhumani qui non vel desperatos jam atq; morientes adversarios suos persequi desinant. isti seipsos etiam in morte positi persequuntur, &c. *Libro 2. contra avaritiam.*

Idem: Leviores vobis inimici vestri sunt, quam vos ipsi. omnis siquidem inimicitia morte dissolvitur. vos contra vos ita agitis, ut inimicitias vestras nec post mortem evadatis. *Fine lib. 2. contra avaritiam.*

S. Valerianus: Diligite inimicos vestros. longè autem minor fructus est, si amantem te diligas. alienis enim moribus servit qui non amantem. Ad illum necessario caritatis gratia pertinet, qui inter duos prior affectum amoris exhibuit: qui amantem diligit, debitum reddit. nam non est novum meritum. ubi alterius præcedit officiū, nec perfectioni adscribendum est, ubi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Nūquid dixit, si esurierit amicus? tu inimicum tuum pasce: nam amicus sibi ipse præstat ut non esuriat. quid autem ibi operatur tua eleemosyna ubi amicum pascit amicitia? Videamus quid interfit inter eum qui indigentem amicum pascit, & eum qui esurientem inimicum reficit. ille gratiæ reddit debitū: hic exhibet miserationis & virtutis exemplum. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere; sed fortius est inimico in necessitate posito subvenire. Diligite inimicos. Forte illi quem recens pulsat injuria videantur ista non convenire rationi. sed respiciat, quicunq; est, ad vitæ suæ quietem, & intelliget quia inimicum dilexisse, vicisse est. Infinitum autem est quantum periculum homini incumbat, cum duos æmulo furore consimiles ad pugnam magister litium Diabolus armaverit; cujus est consuetudinis ad instigāda odia amaros portare ac reportare sermones. quando ergo autem ut ille diem sine tribulatione transigat; vel quando est, ut ab illo nox sine impia cogitatione discedat, quem ira indignatione stimulat? nunquam profectò sine suspirio vitā ducet, cui est semper necesse cogitare & timere quem læserit. Summa itaque cura sunt dolores asperi blando verborum medicamento tēperandi, quatenus & duritia cordis pacis studio castigata mollescat. in quo loco beatos illos judico; qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt; & memores cœlestium mandatorum, alienæ vocis contumeliam non requirunt. cessant enim odia, ubi non reputatur injuria; nec habet ullam virtutem iracundia, si desit unius in cōtentione persona. ita duplex patientiam manet victoria; hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos. Scimus quidem, quod aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant: sed ipse sibi injuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit: ipse se maculat quæ alterius dicta quæritur in se fuisse collata. plena victoria est ad clamantem tacere, & non respondere provocanti. habes enim mercedem & de tua patientia, & de fratris medela, si oblivioni deputetur injuria. ubi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. Sicut nihil est deformius respondere furiosis, ita nihil utilius respondere provocatis. nā sic accrescunt inimicitiæ, si cum alter se verbis defendit, alterius dicta alter accusat. nullus autem est finis inimicitiis, nisi ad te tempus obtemperemus iratis. *Homilia* 12.

S. Valerianus: Sint tibi cum inimico tuo semper blanda, sed pura colloquia, cessent obtrectationes, & cessant lites. sic est, ut à te diligatur inimicus, si non addas cauſſas quibus semper inflammetur iratus. *Fine Homiliæ* 12.

S. Valerianus: Diligite inimicos vestros. Forte aliquantis videtur absurdum, contumeliam amore pensare. Non estim possibile inimicum diligere, si partium tuarum utilitatem cogites. Nemo sub hoc mandati titulo æstimet se aliquod inimico præstare beneficiū. qui inimicum diligit, se diligit. si enim pepercit, qui latrocinantis dextram magni muneris præda cōpescuit; & suum corpus texit, qui armato hosti precibus obviavit, negotio quodam conatus servare reverentiam pugnatori. nam partem constat esse victoriæ, prælium oblato auri pondere redemisse. Hoc est inimicos diligere, odiis non respondere, accepta contumelia patienter ferre, donare injuriam aut manu factam, aut verborum stimulis excitatam. *Homil.* 13.

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum:

Phalaris Teeonico: Reliquorum simultates & inimicitiam; quotquot mihi damnum dederunt, facilè, tua autoritate oblivioni mandaverim. Mortales enim cum simus, sempiternam iram, ut quidam aiunt, tenere non debemus: at Pythonis odium non modo vivus; sed ne mortuus quidem, quod tamen omnibus è vita discedentibus contingere solet, è memoria delevero. Is enim est, qui gravissimis omnium injuriis malisq; me afflixit, qui post hanc meam fugā, Erythiæ uxori quod me prosequi, neque illi nubere vellet, veneno mortem obtulit. *Epist 51.*

Arrianus: Bene fit Lesbio, quod indies insciti am meam coarguit. *Capitis 20 fine libri 3 Epicteti.*

Simplicius: Inimicus judicatur qui nocet. nemo vero ei nocet, cui ab aliquo noceri non potest. *Ad cap. 4 Epicteti.*

Iulianus Imp. Alios tanquam æmulos, postquam sæpius inimico animo egerant, & me appetierant, cum ulciscebar, nihil me iniqui facere existimabam. *Loquitur Alexander Magnus.*

Heliodorus: Gaudebant illo nuncio Theagenes cum Chariclia, Deos magnos & Justitiam invocantes: neque se quidquam acerbi passuros esse deinceps, etiamsi asperrima ipsos fortuna excepisset; arbitrabantur, inimicissima feminarum illis jacente. Sic omnino suave quibusdam est vel perire, dummodo inimicorum internecione pereundum sit. *Libro octavo Aethiopicōr.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Non oportet immortales esse inimicitias; & ita demum tutum perpetuumq; erit humanum genus, si amor ac fides nullam habuerint oblivionem: ea rursus quæ aliquo incommodo commutantur, brevi morte deficiant. *Declamat. 257. a. f.*

Quintilianus Senior: Dicitur occidisse fratrem inimicum. non dico illa, Non protinus, si causæ sceleris sint, scelus quoque constat. Utinam enim ita composita esset natura rerum, ut omnia facta causas superarent. Plures erant propter quas non occideret. nam erat occidendi, quod inimicus est: non occidendi, quod frater est: non occidendi, quod periclitaturus: non occidendi, quod ita per se innocentia satis justas rationes habeant. Ergo non continuò sequitur, ut si quis odio aliquo concitatus est adversus alium, hunc etiam ferro extincturus sit. an verò innocenter inimicitias geri vel inter alienos, vel inter extrarios fas non est? Quotidianis jurgiis forum strepere, assiduas lites videmus. quis non dies convitia, quis non maledicta affert? Scelus ex natura mentis oritur. Huic verò etiam ad causas metuendi sceleris, accessit, quòd jurgium ei cum fratre palàm fuerat. Cauta sunt hujusmodi scelera & circumspecta. Neque enim est quisquam tam perditus, tam inutilis sibi, non ut ista cõmittat proposito negandi. Et mehercule quam hoc ipsum repugnat, quod ab accusatore pro potentissimo ponitur, quod in cubiculo suo occisus est, quod in lecto suo? Nihil minus commisisset percussurus, quàm ut hoc ei objiceretur. Latrones longè à receptaculis suis spoliant. Ferarum quarundam dicitur hæc esse natura, ut procul à cubilibus rapiant. Fratrem discordem in domo, in cubiculo occidit, ut qui neget. *Declamat.* 328 *p.*

Quintilianus Senior: Reo cædis quid objicitur? petulantia, improbitas, circumscriptio? Ista ne pauper quidem objecit: nec potuit latere anteacta vita sub ejusmodi inimico, quem usque eo vehementem dicitis, ut mea manu esset jugulandus. Sed inimicum occidi. Quem? pauperem, qui nihil in curia, nihil in contentione poterat. Inimici sunt ex pari. Sed puta inimicum fuisse. statim ad cædem confugiendum est? verborum contentiones armis finiuntur: etiam hostibus parcitur. Cæsar Catoni voluit ignoscere. Deinde mea manu occido. Tam efferati animi sum? non venenum est, non percussor, & dives sum. *Declamat.* 379.

Petronius Arbiter: Hæc Eumolpo dicente, mutabam ego frequentissimè vultum, injuriis scilicet inimici nostri hilaris, commodis tristis. *Satyrico*

Quintilianus: Sed inimicus, inquit, meus est. Nam quis nos tam opere laudaret pater, si hoc amico præstaremus? Hæc est celebranda virtus, hæc animi suscipienda moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque meminisse hominis. Ut Fabio Maximo immortalem attulit laudem ereptus ex hostium manibus inimicus: ut Tiberium Gracchum admirata civitas est, Scipione in carcerem duci prohibito: te quoque similis animi magnitudo memoriæ dabit. *Declamat* 9. § 2. *p.*

Plinius Junior: Norbanus Domitiani tẽporibus usus est, ut multis electusq; tunc à provincia Bætica ad inquirendum, non tanquam bonus & fidelis, sed tanquam classici inimicus. erat ab illo relegatus. *Lib.* 3. *Epist* 9.

Plinius Junior: Sepe te monui, ut libros quos vel pro te, vel in Blateram, imo & pro te & in illum (ita enim materia cogebat) composuisti, quam maturissimè emitteres: quod nunc præcipue morte ejus audita, & hortor & moneo. Quamvis enim legeris multis legendosq; dederis, nolim tamen quemquam opinari, defuncto demũ inimicos quos incolumi eo peregisti. Salva sit tibi constantiæ fama. erit autem si notũ æquis iniquisq; fuerit, non posse inimici mortem scribendi tibi natam esse fiduciam, sed jam paratam editionem morte præventam. Simul recitabis illud

Οὐχ ὅσιον φθίμενοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι:
Fas non est adversus mortuos homines exsultare.

nam quod de vivente scriptum, in defunctum quoque, tanquam viventem adhuc editur, si editur. *Epistola primâ libri noni.*

Symmachus: Metui tibi hujusmodi indicio lætus videri. Scimus humanitatis hanc esse rationem; ut parum probatis, & ante discordiosis, ad vicem doloris quem mors incutere solet, reverentiam saltem silentii deferamus. *Lib* 3. *Epist.* 88 *m.*

¶ Poetarvm.

Aristophanes Avibus. v. 371.

An aliquos puniemus alios his inimiciores amplius?
EP. Si autem natura quidem inimici, mente autem sunt amici,
Et docturi aliquid huc venerunt vos utile
CHO. Quomodo autem hi nos aliquid utile docebãt unquã,
An dicent existentes inimici illis avis meis?
EP. Sed ab inimicis certè multa discunt sapientes,
Hic enim metus salvat omnia: a quidem igitur amico
Non discas nihil, hic autem inimicus ipse cogit.
Statim civitates à viris didicerunt inimicis, & non amicis,
Facereq; altos muros, navesque fabricare longas.
Hæc autem doctrina hæc salvat filios, domum, pecunias.

Plautus Amphitr. 3. sc. 2. v. 19.

Quonam te avertisti? A. Ita ingenium meum est,
Inimicos semper osa sum obtuerier.

Terentius Heecyræ 2. sc. 1.

Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?

Terentius Hecyræ 2. sc. 1.

—— *Nostra amicitia utere, ut voles.*
Aliter si facis. sed reprimam me, ne ægrè quidquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum: qualis sim amicus, aut quid possiem:
Potius quam inimicus, periculum facias. B. faciam sedulò.

¶ Apologorvm.

Aesopi Leo & Aper. Æstatis erat tempus cum ardor siti vexat, ad angustum fontem Leo & Aper potaturi, ubi concurrissent, quis prior biberet certabant. Hinc ad mutuam cædem insurrexere; mox ad inspirandum conversi, vultures animadvertere expectantes, ut qui coram caderet devorarent. ideo inimicitias solventes dixere, melius est nos amicos esse quàm vulturibus & corvis escam fieri.

Aesopi Pastor & Canis. Caulam intus ducens oves Pastor, Lupum inclusurus erat: nisi canis hoc intuitus Pastori subjecisset, Quomodo gregem servare cupiens, Lupum intromittis?

Phædrus Fab. 28. Vulpis & Aquila.

Quam vis sublimes debent humiles metuere:
Vindicta docili quia paratur solertia.
Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoq; posuit pullis escam ut carperent.
Hanc persecuta mater, orare incipit,
Ne tantum misera luctum importaret sibi.
Contempsit illu tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamq; flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

De Porco læto morte inimici. Fab. 193.

Porci duo erant cuidam subulco, tam immortale inter se odium, & perpetuas inimicitias habentes, ut quotidie sese dentibus lacerarent. Quum autem dominus unum ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur lætitia, videns inimico suo jamjam esse moriundum. Paucis autem post diebus, quum ipse quoque ad necem traheretur, sese afflictabat, dicens, heu me infelicem cur inimici mei cæde lætatus sum, quem tam citò eram eodem exitu secuturus.

Fabula indicat, neminem debere inimici quidem morte lætari, quum exploratum sit cunctis esse moriendum. Abstemius.

¶ Emblematis.

Camerarius LXXVIII. Cent. 3.

Implacabile bellum.

Non tenebricosis, non luce est nocua tuta,
Alterius saevo hostis ab insidijs.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Henricus IV. Imp. Non parum solatii mortem Inimici etiam cũ gloria obitam adferre, paucis confirmabimus. Vita functo Rudolpho Imp. cum ejus cadaver mirifico apparatu tumularetur, quidam Henrici IV. assentatores id haud æquo animo tulêre, eò quòd vix unquam inter eum & Imperatorem convenisset. At Henricvs; *Sinite*, inquit. *Quam velim omnes qui mihi adversantur, hoc cultu fastuque tumulari.* *Mart. Castrii. de heroic Virt. Princip.*

Carolus IX. Franc. Rex: Nec multum dissimili modo hic. Conspicabatur in furca suspensum Gasparis Colignii cadaver; & comitatui fœtorem non ferenti, *Hostis*, inquiebat, *mortuus bonus est odor. Annal. Fr.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ægrius maledicta inimici quàm male facta concoquant.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?
Cum sis mortalis inimicitiam immortalem ne geras.
Diligit quicunque inimicum, alieno servit morbus.
Differat licet credenda nolis inimico credere.
Dormientem inimicum, an vigilem vincam, nil interest
Heu quàm mors, quæ inimici ante oculos properatur, miserrima est!
Inimicitia professa suspecta mendacij.
Invidere malum, inimicos mihi, quam me inimicis meis.
Litium cum fine raro inimicitia finis sua est.
Mente tota lauda inimicum si patravit inclyta.
Mille dat pœnas inferre qui unam inimico cogitat.
Morte proximus inimicus nullus est: quivis homo est.
Mortuo inimico moritur ira, oritur vis misericordia.
Multi in hos telis utuntur à quibus ante acceperant.
Ne quis ullis absque inimicis sit, haud eius in manu est.
Objicienda inimico nulli defecere crimina.
Perfacile est cavere inimicos, at amicos arduum est.
Personata inimicitia est, amicitia est apertior
Pravitatis stant in arce qui inimici sunt optimis.
Regibus numerum inimicorum tollendo auget carnifex.
Res miserrima huc & illuc arbitrio alterius trahi.
Sæpe quos ipse aluerus tibi invenis contrarios.
Sana corporis non curat musca, adhæret ulceri.
Scribe inimicitias in unda amicitias æri inferas.
Stant in arce pravitatis qui sunt inimici optimis.
Sub persona summi amici sæpe inimicus delitet,
Vel beneficijs inimicum vel quiete facinum.

Jam

¶ IAMBICA.

Beneficium petere ab inimico quis velit?
Cum morte inimici jure odium ejus interit.
Etiam inimicitias innocenter quis gerat.
Figura humana, inimici ardore ignescitur.
Gens inimicorum pessima est, laudantium.
Inimicitia tradenda non sunt posteris.
Inimicitiæ vivunt cùm inimicus mortuus
Inimicitiæ ex honore non sint exstinguibiles.
Inimicitias depone publica causa rei.
Inimicitiarum honestus usque occasus est.
Inimicus esse nemo quærit divitum.
Inimicus etiam in scirpo nodum quæritat.
Inimicus factis, non dictis cognoscitur.
Inimico inimici nomen auribus grave est.
Inimicum ab amico forma non discreveris.
Inimicum habere, etsi imparem, molestia est
Ius fasque cade inimici lætari amuli.
Mors ante oculos inimici, mors tristissima.
Nulla inimicitia est morte quæ non solvitur.
Nulli nocent inimici amicus qui Deo est.
Nunquam caret prætextu inimicus criminis.
Peccata primi nostra inimici sentiunt.
Placare inimicos præstat quàm compescere.
Reges necando inimicorum augent copiam,
Pereant amici, dum una inimici intercidant.
Potior salus tibi sit tua, quàm inimici exitus.
Qui nullum inimicum habet, is nec ullum amicum habet.
Rebus dubiis, inimicos omnes extrahas.
Inimicos semper ossa sum obstruerier.
Tradenda nulla est inimicitia posteris.
Vera esse optamus inimicorum crimina.
Vis claudere os inimici? ante ôs claudas tuum.
Vulnus potest referre qui quis abdidit.

Iniquitatis.

¶ SENTENTIAE PATRVM GRAECORVM.

D. *Chrysostomus:* Si quis diligenter inquirat, aspiciet ingentem iniquitati amaritudinem inesse; eamq; non modo patientibus, verum & agentibus, imò his maximè esse perniciosissimam, nihil modo de futuris, sed interim de præsentibus loquimur. nonne hujus germina sunt lites, rixæ, judicia, reprehensiones, accusationes; invidiæ. quid verò his omnibus dici amarius potest? nonne hæc inimicitias, bella odia, gignit? nonne conscientiam, quæ nos jugiter flagellis cædat ac mordeat? Vellem si fieri posset iniqui animam in corpore exutam, omnibus in conspectum cernendam dare. videres eam profecto pallidam, trementem, rubore & confusione plenam, anxiam, semetipsam condemnantem. Quamlibet. *Videseq. tit. de Conscientia*

D. Chrysostomus: Ut alia ejus amaritudine plena non sunt; nonne iniquum hominem omnes carpunt, omnes oderunt, omnes detestantur, ac belluis omnibus stultiorem immanioremq; arbitrantur, etiam iniqui ipsi. nam si seipsos conscientiæ impulsu damnãt, multo magis alium ejusdem criminis reum raptorem illum, & cupidissimum perditumq; appellãtes. Quid ergo habet amplius? nihil profecto aliud quam sollicitudinis cumulum, & molestissimam cũram ad ea servanda quæ rapuit. quanto enim quis pecuniarum plus acquisierit, tanto majores sibi vigilias, acrioremq; sollicitudinem parat. Quid maledicta eorum memorem, qui opprimuntur injuriis? *2. ad Timoth. Homil. 5.*

S. *Isidorus Pelusiota:* Quoniam quæris quidnam causæ sit, cur Zacharias iniquitatem super mensuram plumbi sedentem viderit, respondeo, hoc ideirco contigisse, quia plumbum peccati pondus & gravitatem designat. Nequę enim quicquam peccato gravius, atque onerosius est, quippe quod ad ima inferni eos, quos ceperit, deturbet. Per mensuram autem, divinæ erga eos, qui peccarunt, lenitatis & patientiæ finem, pœnæque principium significatur. Neque enim absque mensura, nec semper vitiis indulgere permittetur, verum jam jamque acerbissimis suppliciis mulctabuntur. *Lib. 3. Epist. 33.*

S *Isidorus Pelusiota:* Quanquam ut scripsisti, quidam est, qui animum suum cupiditate rerum alienarum ad vecordiam titillat, nõ solùm iniquè agere ac defraudare alios, verùm etiam (ad defensionem facti ejus) nugari certum ac deliberatum habens: scriptum est. (inquit) Quare non magis injuriam patimini? tamen audiat, si modo aures habet, nec has avaritia obstruxit: Quamvis mihi hoc scriptum sit, at tibi non est scriptum aut præceptum, ut me, alios, re defraudes. Quare ne tibi iniquitatis prætextus fiat apostolica admonitio. neq; ideò, quia mihi auctor fuit, ut æquo animo paterer me defraudari, tu tibi locum esse datum iniquè agendi existima. Nam ut mihi salutem affert injuriam æquo animo tolerare: ita è contrario tibi defraudatio supplicium parit. *Lib 4. Epist. 95.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Nemini malo atq; damno æque est iniquum quàm sibi.
Nulla iniquitas manebit impunita: crux sibi est.
Pœna iniquo ubiq; præsens: carnifex ipse est sibi.
Quidquid est iniquum, id uno vix die est durabile.

¶ IAMBICA.

Florere semper non potest iniquitas.
Iniquitas armata quid vis est.
Iniquitatis impatiens quisque est bonus.
Iniquitatis turpitudo præmium est.
Iniquitatem item exsecrantur qui patrant.

Initii.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECORUM.

D. *Chrysostomus:* Initio indulgendum erat, postea autem non item. Hunc morem videre est, & medicum, & magistrum observare. neq; enim medicus cum iis qui in morbi adhuc sunt initio, & iis qui ad valetudinis finem jam declinarint. neq; magister cum discentibus ab initio pueris, & cum iis qui perfectioris doctrinæ indigeant, eadem ratione agit. *Præoemio ad Romanos*

D. Chrysostomus: Quando res initium acceperit & bonum fundamentum, validumq; & honestum, omnia deinceps via & lege procedunt cum multa facilitate. est enim difficile jacere fundamentum, & basim subjicere validam. *Homilia 21. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Hæc igitur initia fidem mihi faciunt vos usq; ad finem tales fore. vix enim fieri potest, ut principium adeo splendidum exstinguatur atq; evanescat, sed magnos quoq; ac præclaros exitus præstet. *Hom 1 ad Philippens.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum à vitio abstinueris tum de virtute quoque consideratione abs te iniri æquum fuerit. Si enim illud propulsaris, tum etiam quodnam virtutis genus arripere debeas, considerare licebit. Priusquam autem fundamenta rectè jacta sint, de fine atque fastigio verba facere supervacaneum esse judico. *Lib. 3. Epist. 49.*

¶ LATINORVM.

Chrysologus: Omnia quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis. *Sermone 175. pr.*

¶ PHILOSOPHORUM GRÆCORVM.

Lucianus: Omnia ea quæ ex integro ad decorem exercitatione provehuntur, plus honoris consequũtur, quàm ea quæ præsenti necessitate opus habent. Atque omnino honestum necessario est præstabilius. Itaq; quandiu rudis fuit hominum vita, nondum quotidiana experientia, quod melius est, per otium quærendo: æquo animo in rerum necessariarum usum se contrahebat: cum melioris vivendi rationis, urgens tempus, inventionẽ non suppeditaret. Postquàm verò urgentes rerum necessariarum usus finem capiebant, ac posterorum cogitationes à necessitate liberatæ, occasiones captabãt res meliores comminiscendi, exinde paulatim scientiæ accreverunt. Cujus rei argumenta ex absolutissimis artibus capere licet. Primi homines ut primum creati fuere, contra famem quotidianam remedium quærebant. Tum præsenti indigentia compulsi, cum per inopiam consilii, quod melius erat, eligere non liceret, trita herba vescebantur, modo molliores radices effodiendo, modo plerumque quercus fructum comedendo. At posterior ætas, hæc brutis animãtibus edenda abjecit. Sationem autem frumenti & hordei agricolarum diligentia invenit, reperta ratione, qua quotannis illa renascerentur. Ac neque insanus quispiam dixerit quercum esse aristæ præstantiorem.

Quid autem? nonne ab ipso vitæ initio homines tegumento indigentes vellera, feris excoriatis, induerunt, & speluncas montium, quas contra frigus subirent, excogitarunt? aut olim radicum, plantarumve siccas cavitates? Sed sumptam ab his imitationem, in melius semper provehentes, vestes sibi texere, & domos ædificare cœperunt. Sensim verò artes illæ quæ circa hæc versantur, tempus magistrum nactæ pro vili panno, pulchriorem vestem variegarunt: proq; vilibus domunculis altas ædes, lapidumq; magnificentiam fabricarunt, nudamque parietum deformitatem floridis colorum tincturis depinxerunt. Verum unaquæq; harum artium & scientiarum, muta cum sit, & oblivioni profundæ subjecta, tanquam à parvo occasu, paulatim in proprios exorta est radios. Unusquisque enim à se aliquid repertum, posteriori tradidit: tum ista accipientium successio, semper aliquid iis quæ antea didicerat, apponendo, quod deerat explevit.

Idem mox: Sed vetera quidem studia, putamus necessaria: sed quę postea ratiocinationibus vacans hominum vita adinvenit, ut illis meliora, in pretio sunt habenda. *Titulo Amorum.*

¶ ROMANORUM.

Quintilianus: Nemo inde cœpit, quo credibile est perveniſſe. *Declamat. 1. § 4.*

C. L. Mamertinus: Illum tamen auspicalem consulatus tui diem tacitus præterire nullo modo possum, quo in solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videretur, tunc primum potuerit sufficere peragendis; unoq; Sol curriculo suo eoque brevissimo, & officiate comulis inchoa-

tem videret, & Imperatoris implentem, &c. *Cap. 6. paneg. Maximiano dicto.*

¶ Emblematis.

Camerarius XLII. Centur. I.
Neglecta virescunt.

Emergens virtus nova aspernitur, ut rosa bruma:
Expecta: Flores fota Calore feret.

¶ Monostichia Trochaica.

Absque Numinis ope nauci est omnis auspicatio.
Auspicem dicti atque facti cujusvis habe Deum.
Cogitata, dicta, facta, uno auspiceris à Deo.
Culpa non est alvei sed fontis si unda turbida est.
Cuncta, qua inquis cogitasq; semper incipe à Deo.
Inchoare qua piget, propere sequi mortalium est.
Inchoat opera honesta voluntas, perficit q; occasio.
Inde nemo cæpit, quo venisse vix fidem impetrat.
Iustitia est quid perfecisse. id inchoasse haud sufficit
Linea una in pulvere ducta non facit geometram.
Multa gravia sunt dum incipias, ubi cognoris non gravant.
Ne togam speres prætextam pullo viso exordio.
Nil est omnium sui quod perfectus primordio.
Nil est rem probè inchoasse naviter niti perficis.
Non potest fieri quin id quod sit, aliquando cæperit.
Non potest res inveniri; perficique una simul.
Non statim à primo patescunt exitus exordio.
Omnium rerum inchoemus à Deo ipso exordia.
Ortu aqua exclusa, undam sicces vel profundi gurgitis.
Partes minima sunt eorum qua progignunt semina.
Per Deum bene inchoata, ad exitus ducper Deum.
Rerum origo lenta surgit & latentibus modis.
Rebus in cunctis momenti maximi est primordium
Semine è bono fructum q; fers bonum, è malo malum.
Semper imperfectum adhuc & informe est quod incipit.

¶ Jambica.

A pelle nunquam uncta absterrebitur canis.
Auspicia rerum semper sunt acerrima.
Benè inchoasse, facti dimidium obtinet.
Bono initio bonum speres quoque exitum.
Exordium quale est talisque clausula est.
Exordij mali exitus quoque est malus.
Exordio bono finis quoq; est bonus
Exorsa laudum multus obsidet labor.
Fac inchoes rem: dimidium in exordio est.
Fervenți initio, finis imminet tepor.
In flore stirpis fructus multus interit.
Initia rei cujusque sint justa acpia.
Malorum initijs obstruenda sunt via.
Medere initio: finis curari nequit.
Nihil est incipere, sed perficere gnaviter.
Nullum inchoes, quod non & tinias, opus.
Præclara multis incipiunt, rari finiunt.
Præscinde venam fontis, arent rivi:
Præstat redire, infaustum iter quam persequi.
Prioribus firmatis, alia tum inchoes.
Pro fine habenda non est præparatio.
Quam sit bona fons vena flumen indicat.
Rectè inchoata & exitus rei est bonus.
Res nulla consummari dum incipit potest.
Sapiens initium spectat, excors exitum.

Videantur reliqua Titulo *Principii, & Parvi.*

Iniuriæ.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Clemens Alexandrinus: Non constituit Apostolus eum qui est præditus cognitione, ex hoc solùm quod magis injuria afficiatur, quàm afficiat: sed & docet eum etiam obliviſci acceptæ injuriæ, ne permittens quidem malè precari ei qui fecit injuriã. Scit enim Dominum quoq; apertè jussisse orare pro inimicis. Dicere enim eum qui est affectus injuria judicio contendere apud injustos, nihil est aliud quàm velle videri vicem reddere, & velle injuriã referre. quod quidem est ipsum quoque similiter facere injuriam. Quod autem dicit velle se aliquos apud sanctos judicio contendere, ostendit eos qui petunt precibus, ut iis qui fecerunt injuriam par pari referatur: & esse quidem prioribus secundos meliores, sed nondum planè obedientes, nisi injuriæ perfectè obliviscentes, ex doctrina Domini precentur etiam pro inimicis. Pulchrum est ergo quod bonam mentem ex ea quæ est ad fidem pœnitentia acceperint. Nam etsi veritas eos videatur habere inimicos qui invident & æmulantur, ipsa tamen nulli est inimica: nam & Deus facit solem suum oriri super justos & injustos. Quinetiam ipsum Dominum misit ad justos & injustos, & qui contendit Deo assimilari, per maximam injuriæ acceptæ oblivionem, remittens septuagesies septies, utpote per totam vitam & universam mundi conversionem, quæ hebdomadibus quæ numerantur significatur, est benignus & clemens in quemlibet, etiamsi quis hoc universum in vita vivens tempus, injuria afficit eum qui est præditus cognitione. Non enim solam possessionẽ vult virum bonum aliis permittere ex iis qui ipsum affecere injuria, sed etiam vult justum ab illis judicibus petere remissionem peccatorum, iis qui in ipsum peccarunt.

Et meritò, siquidem in eo solum quod est externum, & in eo quod pertinet ad corpus, quamvis usque ad mortem procedatur, detrimẽto afficiunt ii qui conantur facere injuriam: ex quib. nihil est quod sit proprium ejus qui est præditus cognitione. Quomodo autẽ Angelos qui defecerunt judicabit quispiam, qui ipse defecerit ab illa lenitate, & acceptæ injuriæ oblivione, quam præscribit Evangeliũ? Cur non ergo potius, inquit, injuria afficimini? Cur non potius fraudamini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, eis scilicet qui per ignorantiam peccant, precantes male: & fraudatis Dei clementia & bonitate, quantum est in vobis, eos quibus malè precamini & fratres: dicens non eos solos qui sunt in fide, sed etiam proselytos. An enim is qui nunc est inimicus sit postea crediturus, nos nondum scimus. Ex quibus apertè colligitur, etsi non sint omnes, at nobis quidem ipsis videri esse fratres. Jam vero omnes quoque homines qui sunt unius Dei opus & una imago, una circumdati substantia, etiasi sint alii aliis magis obscurati, solus cognoscit is qui scit etiam per creaturas operationem, per quam rursus Dei adorat voluntatem. An nescitis quod injusti regnum Dei non possidebunt? injuriam ergo facit qui refert injuriam, seu facto, seu verbo, sive ipsa voluntatis cogitatione, quam post legis pædagogiam circumscribit Evangelium.

Et hæc quidem eratis: tales scilicet quales, adhuc sunt quibus ipsi non ignoscitis. Sed abluti estis: non absolute ut reliqui, sed cùm per cognitionem abjecistis animæ affectiones, ut pro viribus assimilaremini bonitati Dei providentiæ, & per tolerantiam, & per acceptæ injuriæ oblivionem. Super justos & injustos, Verbi & operum benignitatis lucem, sicut Sol, emittentes, sive hoc animi magnitudine, hoc sibi vendicabit is qui est præditus cognitione: sive imitatione ejus quod est melius. Tertia est autem causa, Remitte & remittetur tibi, veluti cogente mandato ad salutem propter insignem bonitatem. Sed sanctificati estis: is enim qui ad hunc venit habitum, sanctum esse convenit, ita ut in nullam animi cadat perturbationem, sed perinde ac si carne careat, & sine hac terra sanctus evaserit. Quãobrem justificati estis, inquit, nomine Domini, facti estis, ut ita dicã, ab ipso, ut justi essetis sicut ipse: & spiritui sancto, quo ad ejus fieri potuit, commixti & contemperati estis. An non enim omnia mihi licent? Sed non in potestatem redigar, inquit, ut aliquid faciam vel cogitem vel loquar præter Evangelium.

Escæ autem ventri, & venter escis, quas Deus destruet, hoc est, eos qui sic cogitant & vivunt, tanquam nati sint ut comedant, non autem comedunt ut vivant quidem per consequentiam, cognitioni autem attendant principaliter. Et nunquid eos esse dicit veluti carnes sancti corporis? Corpus autem allegoricè dicitur Domini Ecclesia, spiritalis & sanctus chorus, ex quibus ii qui vocantur solùm nomine, vivunt autem non ex ratione, sunt carnes. Hoc autem corpus spiritale, hoc est sancta Ecclesia, neque cum fornicatione, neque ab Evangelio defectione, quæ deceat vitam gentilem, ullo modo oportet inire consuetudinem. Fornicatur enim in Ecclesiam, suumq; corpus, is qui gentiliter vivit in Ecclesia, sive facto, sive verbo, sive etiam ipsa cogitatione. Qui huic adhæreret meretrici, ei inquã quæ est præter testamentum operationi, fit aliud corpus, non sanctum in carnem unam, & vitam gentilem, & spem aliam: qui autem adhæret Domino in spiritu, corpus spiritale; diversum genus congressionis. Filius hic totus, homo sanctus, impatibilis, cognitione præditus, perfectus, formatus doctrina Domini, ut cum facto & verbo, & ipso spiritu Domino adhæserit, recipiat illam mansionem quæ debetur ei qui sic vir evasit. *Libro Stromatum. 7.*

D. Basilius Candidiano: Homo quidam præfractus nobiscum in Agricis habitans, servo meo vita defuncto, dicens sibi cum illo commercium quoddam interceſſisse, nulla mei conventione, nulla accusatione, nulla repetitione, ut ultrò redderem, nullis denique minis, se, si non darem, vi rapturum, cum quibusdam sui similibus desperatis hominibus, in domum meam irruptionem fecit, mulieres, quæ custodirent, verberibus affecit, januam perfregit, atq; omnia exportavit, partim sibi conservans ipse, partim diripienda quibus libitum esset, proponens. Quare ne simus extremus nos imbecillitatis terminus, & quibuslibet, ad eludendum propositi esse videamur, iterũ atque iterum te rogo, ut quam in omnibus nostris rebus diligentiã adhibuisti, eam nunc etiam præstes. Solùm enim hoc modo sine cura poterimus salvi esse, si tecum fortissimo strenuoque viro in acie collocabimur. Satis autem magnam pœnam luerit nobis, si comprehensus à Pygargo per aliquod tempus in custodiam tradatur. Neq; enim ob acceptam injuriam tantùm doleo, quàm, ut in posterum securitate munitus atque septus sim, postulo.

D. Nazianzenus: Quidnam tandem aliud majus ac præstantius daremus, si cum Deus mortem ipsam nostræ salutis causa pertulerit; nos contra ne leves quidem offensas & injurias æqualibus nostris remittamus? *Orat. 25. adversus Arrianos.*

D. Nazianzenus: Majorem horum partem ignoratis? & meritò sanè propter rerum gestarum multitudinem, miramq; in faciendo voluptatem. At is qui patitur, tenaciore memoria esse solet. *Orat. 25. adversus Arrianos.*

D. Nazianzenus: Qui nec in canum ordine manserunt, nec pastores facti sunt, nisi ut lanient & dispergant, atquè aliorum labores infringant. Quandoquidem facilius semper est labefacere ac perdere, quàm conservare: & labore quidem homo gignitur, quemadmodum ait Job, & navis extruitur, & domus ædificatur, interficere autem, aut evertere, aut incendere quivis facilè potest. Ac proinde ne nunc quidem insolentiùs sese efferant, qui canes adversus gregem concitarunt, qui ne oviculam quidem unam proferre possunt, quã adduxerint, vel conservarint. nec enim rectè facere didicerunt, cum improbitatem studiosè coluerunt. Quod si gregem perturbant, idē & parva tempestas efficere potest idem & exiguus morbus, idem & bestia una repentè ingruens. *Orat. 28.*

D. Nazianzenus: Ii demum doloris socios se præbent, qui injuria simul afficiuntur. *Orat. 28.*

D Nazianzenus: Mihi adversus eos, qui injuriam intulerunt satis gravis pœna est, referenda injuriæ potestas. *Orat. 32.*

D. Nazianzenus: Hoc omnium quę patimur maximè ridiculum est, vel potius miserandum, quod iidem & injuria afficiuntur, & accusantur. *Epistola trigesimaprima.*

D. Nazianzenus: Quietè & tranquillè philosophamur. hoc nobis injuriæ intulerunt, qui nostri odio flagrabant. Atq; utinam alia quadam hujusmodi injuria nos afficiant, ut pluribus beneficiis nos ipsis obstrictos esse agnoscamus! Multa enim sunt, in quibus ii qui lædi videntur, beneficium accipiunt, & contra, ii qui beneficium accipere putantur, injuria infertur. *Epistola 59.*

D. Greg. Nyssenus: Gravior injuria nobis accidit ab amicis, quem si ab hostibus proficiscatur. *Epistola ad Flavianum.*

Chrysostomus: Sub finem: Sæpe fit ut qui philosophatur, nihil incommodi ab iis patiatur, à quibus in contumeliam trahitur; multo magis de Deo id sentiendū nobis est, cujus natura neq; lædi, neq; verti; cujus gloria neq; immutari, neq; moveri potest. Etenim homines hac potissimum in re similes Deo efficiuntur, quoties mali nihil patiuntur ab iis, qui ipsis incommodare volunt: quoties nihil læduntur ab iis qui lædunt: nihil vapulant ab iis qui verberant: nihil irridentur ab aliis ipsos irridentibus. Dices, Id verò qui fieri potest? fieri, fieri admodum potest: quum ille videlicet factis non indoluerit. qui verò fit, inquis, ut ille minimè indoleat. qui? datur quidem & non indolere. Etenim, quæro ego ex te: Si te infantulus tuus contumelia afficeret, ecquid contumeliam existimares? quid autem? doleret tibi? nequaquam: sin autem doleret, tum esses risu dignus. Ad eundem modum erga proximos afficiamur, sic fiet ut molesti nihil patiamur. nam qui nos injuria afficiunt, sunt infantulis dementiores: neq; tamen quæramus, ut injuria afficiamur, verùm ut injuria affecti, forti ac generoso animo feramus. quid ita? quoniã hoc, nempe injuriam fortiter ferre, in manu tua positum est: illud, nempe injuriam inferre, in alterius. Nonne vides adamantem, dum feritur, percutere? At natura hujus, inquis, ita habet. & tibi quoq; ab ipsa voluntate accidere illud idem potest, quod à natura illi accidit. *Homilia 3. ad Romanos sub finem.*

Chrysostomus: Id in primis admirandum est, quod injuria nequaquam afficiemur si sapimus, sed vel ab iis injuriis quas nobis intulerint alii, beneficium feremus. rem porro considera. Injuria te quispiam affecit? potes ipse præstare, ut ea injuria laudi tibi cedat. si enim injuria injuriam remensus fueris, probrum per te accrescet: at si injuriæ illatorem laudaveris, tum videbis eos omnes qui aderunt & lauream tibi imponere, & præconio laudes ad cœlum tuas efferre. Cùm igitur ad te adiens quispiam tibi dixerit, quidam te injuria affecit, neq; finem facit de te apud quosvis obloquendi: tum demum laudato obloquentem, apud eos qui tibi recitant quæ ex illo audierint. hac certè ratione, si illum ulcisci volueris, poteris de eo pœnas sumere etenim qui rem exaudient, ut sensu etiam maximè careant, te solum collaudabunt: illum contrà, utpote quavis noxia fera deteriorem, odio habebunt, quòd ille quidem nulla provocatus injuria, molestus tibi fuit, tu è diverso vel malè ab illo habitus, beneficiū pro injuria reposuisti: sic fiet, ut perficias sanè, quæ in te ille maledicta conjecerit, ea omnia ut futilia esse videantur. Siquidem qui suggillatur mordeturq;, is cum propterea dolet, palam facit criminationis objectæ conscium se esse: qui vero ridet, is profecto risu ipso apud eos qui rei testes consciiq; sunt, seipsum omni suspicione liberat. Expendito ergo quot quantaq; inde bona decerpis. Primum eximis te à tumultuatione ac commotione: deinde (sed hoc ipsum potius primas obtineat) licet criminibus objectis non careas, & hæc tamen eluis, ad publicani exemplum Pharisæi criminationem æquanimiter ferentis. His adde quod hac exercitatione philosophi cum tibi ac constantem animum comparas: tùm autem mirifice à circumstantium corona collaudaris, postremò omnem amoves à te criminationis suspicionem. Qui si illum ulcisci cupis, & hoc quoque plus satis subsequetur, partim Deo crimniationis in te intentatæ pœnas ab eo exigente, partim constantia tua, vel ante eas pœnas, illi tanquam letale vulnus infligente. Nihil enim tam eos, à quibus lædimur, urere solet, quam injuriæ illatio risu excepta. Quemadmodum igitur per eam quam dico constantiam, totcantaq; tibi aderunt bona: sic à pusillanimitate contraria omnia contingent. nã & ipsi nos infamamus, & obnoxii affinesq; criminationi apud eos qui audiunt, videmur, & animum tumultuatione implemus, & Deũ ipsum irritamus, & peccatis prioribus veluti corollarium addimus. *Homilia 12. ad Romanos, circa finem.*

Chrysostomus: Magnum est, non male pati (hoc enim est omniũ commune) sed patientes non angi nec ægrè ferre. Nos autem non solum non ægre ferimus, sed exultamus. Hujus autem est indicium; quod qui nobis male faciunt, eos remuneramur contrariis. Quòd autem hæc facerent, audi quæ sequuntur. Maledictis appetimur, & benedicimus. Persecutionem patimur, & sustinemus. Blasphemamur, & consolamur. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. Hoc est, stulti propter Christum. Nam qui est male passus, & neq; ulciscitur, neq; dolet; stultus esse videtur apud externos; & infamis, & infirmus. *Homil. 13 ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Quando ab aliquibus injuria afficimur & despicimur; ea quæ pro ipsis passi sumus in medium adducere solemus. *Homilia 13. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Quodis qui injuria afficitur, magis vincit quam qui non patitur injuria affici, hoc vobis planum faciam. Nam qui non fert injuria affici, si eum in judicium traxerit, & si eum superaverit, tunc est maxime victus. Nam quod nolebat passus est: eum enim coegit adversarius & dolere, & judicio contendere. Quid enim quod vicisti? Quid quod universas recepisti pecunias? Quod nolebas interim sustinuisti, ut qui sis coactus judicio contendere. Sin autem tuleris injuriam; vincis pecuniis quidem privatus, nequaquam autem victoria quæ est ob hanc philosophiam. Neq; enim ille coegit te facere quod nolebas. Et quod hoc sit verum, dic mihi quæso quis vicit? Qui jacebat in sterquilinio. Quis victus est? Jobne cui ablata sunt omnia, an qui omnia abstulit diabolus? Est perspicuum, quod diabolus qui omnia abstulit. Quemnam admiramur ob victoriã; diabolúmne qui percussit, an Job qui fuit percussus? Est perspicuum quod Job. Atqui pereuntes pecunias non potuit retinere, non suos servare liberos. Et quid dico pecunias & liberos? Corporis sui salutem non potuit adipisci. Sed tamen hic vicit, qui res omnes amisit. Pecunias quidem retinere non potuit; exactissimè autem & accuratissime tenuit pietatem. At pereuntibus liberis non opem tulit. Et quid tũ? Eos clariores reddidit quod accidit. Sibi quoque convitiis & contumeliis appetito sic opem tulit. Si autem non male passus, & à diabolo injuriis affectus esset: non præclaram illam victoriam fuisset consecutus. Si malum esset Injuria affici, non hoc nobis jussisset Deus. Mala enim non jubet Deus. An non est ipse Deus gloriæ? nec nos voluisset in probrum ac dedecus, irrisionemque, & damnum, ac noxiam conjicere; sed ea quæ sunt contraria cõciliare. Propterea jubet nos injuria affici: & nihil non facit, ut nos abducat ab iis, quæ ad hanc vitam pertinent; & persuadet quid sit gloria, quid dedecus, quid damnum, & quid lucrum. At grave est injuria affici, probrisq; & contumeliis appeti. Non est, non est grave, ô homo: aliquantisper ad præsentia stupes & es attonitus. Nam si grave esset, Deus non jussisset. Considera autem. Qui fecit injuriam, abiit habens pecuniam; sed malam etiam habens conscientiã. Qui est autem injuria affectus; abiit quidem pecuniis privatus, sed habes apud Deum fiduciam: quæ est possessio omnibus thesauris pretiosior. Hæc ergo scientes libero animi arbitrio philosophemur: nec eadem nobis accidant, quæ stultis; qui tum non existimant se injuria affici, quando hoc eis acciderit à judiciis. contrà autem universum est plane damnum maximum; quando non nostra sponte, sed inde superati, philosophamur, nihil lucri referre superatum à judicio: est enim hoc necessitatis. Quænam est ergo præclara victoria? Quando tu despexeris: quando judicio non contenderis. Quid dicis? Ablatæ sunt, inquit, omnes meæ facultates. & jubes silere? Probris & cõtumeliis sum appetitus, & me placide ferre jubes? Et quomodo potero? Facillime quidem; si cœlum suspexeris: si hanc videris pulchritudinem; & ubi pollicitus est Deus te susceperturũ, si generoso & forti animo feras injuriam. Hoc fac: & cœlum suspiciens cogita; quod factus es similis ei, qui sedet super Cherubim. Nam ille quoq; contumeliis est affectus, & tulit: & probris est appetitus, & non est ultus: fuit verberatus, & non est persecutus; sed etiam eis rependidit contraria, ut qui eos qui hæc fecerant innumerabilibus affecerit beneficiis: & nos jussit sui esse imitatores. Cogita quod egressus es nudus ex utero matris tuæ, & nudus reverteris, & tu, & qui te affecit injuria; imò verò ille cum plagis innumerabilibus, quæ vermes pariũt. Cogita quod præsentia sunt ad tempus. Considera majorum sepulcra. Disce aperte quæ facta sunt: & videbis, quod te fecerit fortiorem qui tibi fecit injuriam. Suam enim affectionem reddidit graviorem, nempe avaritiam & pecuniæ cupiditatem; tuam autem imbecilliorem, ablato bestiæ alimento. Ad hæc accedit quod te liberavit à sollicitudinibus, ab animi angore, ab invidia calumniatorum, à turba & tumultu, & perpetuo metu: & malorum colluvionem in suũ caput congessit. Quid vero? inquit, si cum fame colluctet cum Paulo hoc pateris, qui dicit. Ad hanc usq; horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. At ille propter Deum, inquit. Et tu propter Deum. Quando enim non persequeris, propter Deum hoc facis. At is qui fecit injuriam, in deliciis degit cum divitibus, vel potius cum diabolo. Sed tu coronaris cum Paulo. Ne famem ergo timeas. Non enim fame necabit dominus animas justorum. Et alius rursus dicit: Jacta in dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Nam si patieres agri nutrit, quomodo te non nutriet? Ne simus ergo modicæ fidei, neq; pusillanimi, ô dilecti. Nam qui regnum cœlorum est pollicitus, & tam multa bona, præsentia quomodo non dabit? Ne superflua appetamus, sed sufficientiam; & ea esse contentum mordicus teneamus: & semper erimus divites. Tegumenta quæramus & alimenta: & omnia

appre-

apprehendemus; & ea, & iis multo majora. Si autem adhuc doles, & deorsum incurvaris: vellem tibi ejus qui fecit injuriam post victoriam ostendere animam, quomodo fiat cinis. Res enim ejusmodi est peccatum. Quandiu quidem est in operatione, aliquam præbet voluptatem. Quando autem fuerit perfectum: tunc parva recedit voluptas, succedit autēm ægritudo animi. Hæc etiam patimur, quādo aliquos contumelia affecerimus: postea quidem certè nos ipsos accusamus. Ita etiam quando per fraudem plus quàm oporteat acquisierimus, lætamur: postea autem pungimur à conscientia. Vides apud istum aut illum domum pauperis? Defle nō illum qui est privatus, sed eum qui accepit: Non enim dedit, sed accepit malum. Nā illum quidem privavit præsentibus, seipsum autem ejecit à bonis ineffabilibus. Nam si is qui non dedit egentibus, abit in gehennam: quid patietur is, qui bona accipit egentium? Et quid est, inquit, lucri, cum male fuero passus? Magnum quidem certè lucrum. Non enim supplicio ejus qui malè fecit tibi, sistit ac retinet Deus remunerationem: nam nihil esset magnum. Quid enim juvat; si ego fuero malè passus, & ille male patiatur? Atqui novi multos hanc maximā existimantes consolationem, & arbitrantes se totum accepisse; quādo viderint puniri eos qui insultabant. Sed tamen Deus in his suam non sistit remunerationem. Sed vis scire quàm multa bona te sint exceptura? Totum tibi cœlum aperit: te sanctorum facit civem, & ut in eodem cum eis sis choro efficit: à peccatis absolvit, justitia coronat. Si enim qui remittunt iis qui peccaverunt, assequuntur remissionem: ii qui non solum remittunt, sed etiam abunde eis largiuntur, quam non assequentur defensionem? Nē ergo pusillo & abjecto animo feras: sed etiam preceris pro eo, qui fecit injuriam. Nam pro te ipso hoc facis. Accepit pecunias tuas; sed etiam peccata. Quod quidem & in Neeman, & in Giesi usuvenit. *Homilia 16. ad Corinthos 1.*

Chrysostomus: Quemadmodum qui clavos calcibus impetunt, eoque nomine gloriantur; hujusmodi furoris ergo commiseratione ac lacrymis digni sunt: eodem modo qui eos lædunt, à quibus nihil injuriæ acceperunt, multis lamentis ac fletibus potius, quàm execrationibus digni sunt; ut qui suas ipsimet animas feriant. Neq; enim quidquam sceleratius est anima malum imprecante, nec impurius lingua hujusmodi sacrificia afferente. Homo es: ne aspidum virus evomas. Homo es: ne in belluam degeneres. Ob eam causam os tibi datum est, non ut mordeas, sed ut aliorum vulneribus medearis. Recordare quid tibi præceperim, inquit Deus; remittere nēpè ac condonare. Tu verò mecum etiam agis, ac me obsecras, ut socium me tibi ad evertenda præcepta mea adjungām: ac fratrē corrodis, & linguam cruentas; non secus ac furiosi propriis carnibus dentes cruore perfundunt. Quanta diabolum voluptate affici, quāto risu diffundi existimas; cum ejusmodi preces audit? quàm contrà Deum irasci, teq; aversari ac odisse; cum talia rogas? quo quid gravius esse queat? Nam si nefas est eum ad mysteria accedere, qui inimicos habet: an non is, qui non tantùm hostem habet, sed etiam pestem ei imprecatur, ab ipso quoq; templi ambitu arcendus est? *Fine Homilia 5. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Nihil grave, nihil molestum hæc lex habet. Quæ tibi fieri vis, inquit, hæc ipse facito. Aeque sunt vices. Nec vero dixit, Quæ non vultis vobis fieri, hæc ne quidem ipsi facite. sed quod majus est. Illic enim à malis tantum abstinetur: hic vero bona quoq; efficiuntur: atque hujus complexu illud etiam coercetur. Ad hæc non dixit, Hæc vos quoq; velitis: sed, Facite illis. Quidnam autem illinc fructus existit? In hoc lex sita est & Prophetæ. Misericordiam tibi adhiberi vis? Adhibe ipse. Veniam vis impetrare? Ignosce ipse. Non vis male audire? Male ne dixeris. Laudari expetis? Lauda ipse. Non vis tua tibi per injuriam extorqueri? Aliena ne eripe. Vides quemadmodum virtutem naturale quoddam bonum esse ostenderit, nosque externis legibus ac magistris minime opus habere? In his enim, quæ nobis à proximis nostris, vel accidere, vel non accidere volumus, nobismetipsi legem imponimus. Quamobrem si, quod tibi fieri nolis alteri facias, aut si quid tibi fieri velis, quod ipse minime facias, tuo met ipse calculo te condemnas, nec jam quicquā habes, quod peccatis tuis prætexas, velut, quæ facienda sint, ignorans. Quæ quum ita sint, operam quæso demus, ut hanc per nos ipsos in animis nostris legem excitantes, ac perspicuas hasce, & compēdiosas literas pervolventes, tales nos erga proximos nostros præbeamus, quales eos erga nos esse volumus. Sic fiet, ut & præsenti tranquillitate fruamur, & futura bona consequamur. *Homilia 17. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Quid hoc ad pauperes, inquies? sane quidem multis hoc quoq; voluptati est, excruciatum eum cernere, à quo injuriam acceperint. *Homil. 23. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Deum quidam vellent esse vehementem in iis in quibus injuria afficiuntur, & ejus accusant lenitatem ac patientiam. quando autem injuria afficiunt, non itidem. *Homilia 7. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Quando is qui est affectus injuria rogat pro eo qui fecit injuriam, magnam habet fiduciam. *Homilia 11. ad Ephesios.*

Idem: Qui condonat peccata, & suam juvat animam, & illius qui veniam est consecutus: hoc enim modo non solum seipsum; sed illum quoq; facit mitiorem & modestiorem. non enim ita eos qui injuriam fecerunt persequentes, ut eis condonantes, eorum mordemus animos pudorem incutientes. *Homil. 16. ad Eph.*

Chrysostomus: Nemo injuriarum sit memor, nisi in se ipsum velit esse injurius. non enim tantum molestiæ illi afferet non remittens; quantam sibi ipsi inferet. nam te quidem illum judicio persequenter, non persequitur Deus: te vero dimittente, aut persequitur Deus, aut tua tibi dimittit peccata. Quomodo autem nisi tu remittas proximo, ad regnum aspiras. *Fine Homiliæ 4. ad Philip.*

Chrysostomus: In nostra est potestate ut vel nos ipsos injuria afficiamus, vel non: in nullius autem alterius. Et si vultis, in ipso furto rem agitemus. Fur murum perfregit: thalamum est ingressus, vasa exportavit aurea magni pretii, & gemmas auro pretiosiores, &, ut semel dicam, integrum amovit thesaurum: nec fuit comprehensus. Grave quidem est quod factum est: & damno esse res videtur, nondum est autem. Sed in te situm est ut id sit tibi vel damno vel lucro. Et quomodo, inquit, potest hoc esse lucro? Ego tentabo ostendere quomodo. Te volente erit magnum lucrum, & si nolueris, maius damnum quam quod fuit. Nam sicut in artificibus, subjecta materia, is quidem qui est peritus artis, ea ut oportet utitur: imperitus autem perdit & corrumpit, & ut sibi damno sit efficit: ita etiam in rebus. Quomodo ergo erit lucrum? Si Deo gratias egeris. Si non lugeas nec ejules. Si Jobi verba dicas, Dominus dedit, Dominus abstulit. *Homilia 3. ad Thessal.*

Chrysostomus: Lugeamus eos qui injuriam fecerunt; ne eis irascamur: sunt enim revera digna lachrymis, quod seipsos reddant indignos ut supplicio & damnationi. *Homilia 4. ad Thessalon. 1.*

Chrysostomus: Hæc major est Philosophia, non solum mala malis non rependere, sed bonis. hæc enim re vera est ultio, & illi damnū afferens, & tibi utilitatem. imo illi quoque magnam, si velit utilitatem. *Homil. 10. ad Thessal. 1.*

D. Io. Chrysostomus: Qui à magno aliquo premitur, nonnihil solatii videtur admittere, quod persona sit eminens, a quo id patitur. Qui autem à vili atque abjecto: majore afficitur mœstitia. *2. ad Timoth. Homil. 10.*

Io. Chrysostomus: Nostis profecto omnes, ut nos nō similiter mordeant illatæ nobis contumeliæ, sed multo vehementius anguntacriusq; conficiunt, quas ab eis patimur, qui majori nobis benevolentia conjuncti videbantur, multisq; nobis beneficiis conjuncti erant. *Homilia 4. Epistola ad Titum.*

D. Io Chrysostomus: Centum denarii sunt, quidquid in hoc sæculo admitti in nos potest: quæ vero in Deum peccavimus, ipsa decē millia talenta sunt. Nostis enim peccata etiam pro personarū qualitate discerni. Exempli caussa. Non æqualiter peccat qui privatum, & qui principem injuriis violat. eo quod major offensa sit, quo is qui contumeliam patitur principibus ceteris eminet; ac longe gravior, si is fuerit rex. Atqui injuria quidem eadem est; ceterum augetur pro dignitate personæ. Quod si is qui in regem injuriosus est pro excellentia personæ intolerabiliter cructatur; qui in Deum peccat quantis afficiendus est pœnis? Itaq; etsi eadem in Deum peccavimus quæ in homines, ne sic quidem ulla peccati parilitas est: sed tanta est utriusq; culpæ differentia, quantum inter Deum & hominem distat. *Homil. 1. Epist. ad Philemonem.*

D. Io Chrysostomus: Neque enim si rege præsidente, exastantibus satellitibus jussus sit quispiam vincire aliquem è cohorte, & ei vincula injicere; ille autem non solum eum repulerit, sed etiam vincula contriverit; estne satelles qui affectus est contumelia, non multo magis rex qui jussit? *homil. 5. Epist. ad Hebræos.*

D. Io. Chrysostomus: Quando aliquis quidem per se probris afficitur molestum sane est, sed multo magis, quando coram omnibus. *Hom. 21. Ep. ad Hebræos.*

D Io. Chrysostomus: Eum qui malefacit, nihil adeo pudore afficit, quàm quod nos fortiter feramus ea quæ inferuntur; & neque verbo neq; facto nos ulciscamur. Hoc & nos reddit magis philosophos, & majorem conciliat mercedem, & illos juvat. Nempe affectus contumelia, inferentem bonis verbis prosequere, multa lucratus. malum enim extinxisti: mercedem tibi conciliasti: illum pudore affecisti, nihil es passus grave. *Homil 30. Epist ad Hebræos.*

Basilius Seleuc. Auget injuriam cognatio. A quo enim naturæ debita exspectabatur benevolentia, apud eum majora sunt quæ accusentur crimina.

Basilius Seleuc. Optabilius est injuriam ferre quam inferre. *Oratione 42. med.*

Isidorus Pelusiota: Præclarissimarū omnium rerum cognitionem natura habet. Nam quæ perpeti nolumus, eadem ne quidem facere docemur. Ergo & virtutum cognitionem in animis nostris insitam habemus, & eam ex divina lege perspicuè discimus. *Libro 1. Epist. 350.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui præclaram ac luculentam victoriā adipisci studet, acceptas injurias & contumelias non modò forti ac strenuo animo ferre debet: verum etiam plura ei, à quo iniuria affitur, præbere, quàm ipse accipere cupiat, improbæque cupiditatis ipsius metas liberalitatis suæ copia superare. Quòd si hæc tibi ab hominum sensibus & judicio remota esse videntur, à cœlis sententiam feremus, illineq; hanc legem recitabimus: Neq; enim dixit Salvator, Si quis in dextram maxillam alapam tibi impegerit, forti animo id patere ac conquiesce (hoc enim nullis etiam præceptis & consiliis instructi quidam philosophiæ laude clari atq; insignes homines, atq; ex lege ipsis à natura insita vitam moderantes, præstiterunt:) verum illud adjecit, ut alteram quoq; ac excipiendam plagam prōptam ac paratam habeas. Nam in hoc demum præclara & splendida victoria

victoria sita est. Illud enim philosophicum est: quod natura præstantius, & cœleste. *lib. 2. Epist. 6.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Quod acceptam injuriam ulcisci minimè injustum sit, assentiar. Quod autem ne philosophicum quidem quisit, concedi abs te æquum fuerit. Quanquam si id facile ac sine multis molestiis fieri posset, sermo tuus ratione aliqua niteretur. Cum autē ante eum qui pœnas daturus est, is qui eas exposcit, sexcentis seipsum calamitatibus convulneret, satius fuerit minime cōmittere, ut cum eo quod læsus ipse sis, alia quoq; mala experiaris. Quod si obscurū tibi ac perplexum videtur quod dictum est, id perspicuum reddere conabor. Cōsidera enim, si quis illatā sibi injuriam ulcisci velit, quotnam acerbitates perferat. Primum furore perfunditur. Deinde ab ira interrumpitur. Primū enim ebullit affectus: deinde ad vindictę cupiditatē extimulatur. Tertio infinitos fluctus excitat. Quarto mille cogitationū vias ingreditur. Quinto metus subit, ac tremor, animiq; angor, iracundia nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud secum agitat, quonam pacto quod cupit assequatur, acceptamq; injuriam vindicet. An non videtur tibi hujusmodi homo ante eum, qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemtus est. Ac sane meritò. Nam hoc in ipsius arbitrio situm est: atq, ipse totum absolvit. Ille autem alter, non item. Verum & temporis commoditate opus est, & loco, & fraude, & versuta improbitate, & armis, & machinis, & adulatione, & servitute, & hypocrisi. Videsne quemadmodum difficilis quædam res sit vitium, facilis autem virtus? atq; illud quidem tumultibus scateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota sit? ut enim vir nequam & improbus tot ac tanta perpetitur: ita probus ac virtutis studiosus, tranquillitatem obtinet. Atq; is quidem qui ulciscendæ injurię studet, infinitam inimicitiam reddit: qui autem patientia utitur, eam quam ocyssimè opprimit & extinguit. Unde importunum etiam ac sævum hominem mitigat, atq; ad amicitiam allicit. *lib. 2. Epi. 67.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Apud homines par culpa esse videtur, iis, à quibus beneficium acceperis vicem non rependere, & hostes minime ulcisci. At apud divinam Philosophiam illud quidem obtinet ut bene de nobis meritos remuneremur: at non item illud, ut injurios ulciscamur: verum omnino quidem patientiam adhibeamus: si autem fieri possit, eos etiam beneficiis prosequamur. *lib 2. Ep. 259.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Acceptarum injuriarum memoriam retinere, haud generosi animi est, verum improbi ac miseri. Quoniam autem non omnes de iisdem rebus eandem sententiam ferunt, verū alii, si is, qui contumeliam accepit, confestim curetur hinc ipsum ea, quæ dicta sint, agnoscere conjiciunt: alii contra, ipsum ea minimè agnoscere hoc argumento colligunt, prudentem virum sapientiores potius sequi, eorumq; judicium certum ac firmum existimare convenit. Illud autem est, ut medicinam quam celerrime admittat. Nam falsum probrum non ultra aurem progreditur. Quoniam autem scripsisti, Quid igitur, si nulla eum, qui contumeliam infert, satietas capit, verum ejus, quem contumelia affecit, patientia pejor atq; insolentior redditur? respondeo, primum incredibile hoc esse: deinde hujusmodi hominem, tanquam indomitam belluam, aversandum & fugiendum esse. Nam quod abs te scriptum est, tanquam à quodam dictum sit, Et cum eo versor, & patientiam adhibeo: majorem enim mihi laudem conciliat, est quidem magni viri, (verè enim loqui oportet) si modo rebus ipsis atq; operibus philosophetur, at qui tamen præstantium virorum virtutem minimè superarit. Apud nos enim sancti viri coronas suas ex alienis calamitatibus texere minimè volunt: verum plerunq; commoda sua negligunt, ut aliorum errata corrigant. Non enim, ut majorem sibi gloriam comparent, alios in præceps agunt: veruni, si prodesse queant, admonent: sin secus, aufugiunt, ne illi in majorem voraginem prolabantur. Non enim laudis atq; honoris studio, sed ut hominum saluti consulant, ea agunt, quæ agunt. *lib. 3. Epist. 7.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Non iis qui injuriam accipiunt, optime vir, sed iis, qui inferunt, periculum omne impendet; eosq; trepidare atque contremiscere oportet. Quod si ita est, injuriam perpeti malum non est, sed eam inferre, nec illatas injurias perferre scire. *lib. 3. Epistol. 100.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Permulti homines invito animo injuria afficiunt, timiditatis & ignaviæ, ultro autem ac voluntario animo lædi, maximum suavitatis ac patientiæ argumentum esse ducunt. Qui autem rectè de rebus judiare norunt, vel, ut rectius loquar, qui divinis Scripturis fidem habent, ne eos quidem, qui quamvis injuriam inviti accipiant, vel mercedibus privant, vel laudibus fustragante maximè Paulo, atque his verbis utente, Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, scientes vos habere meliorem substantiam in cœlis, ac manentem. Quod si dicas, Quid enim facere poterat, cùm à potentiore læderetur? respondeam, Clamoribus ac maledictis insectari, diris devovere, traducere, molestiam forensem exhibere. Qui igitur cum hæc omnia facere posset, non tamen fecit, ei, qui ultrò lædi appetiit, si non par, suppar certe haud immerito existimari queat. Atque etiam, si dicendi vi ac facultate uti, ac syncere loqui oportet, illum quoque fortasse superarit. Neque enim ille, nisi voluisset, injuria affectus fuisset. Qui autem, cum injuria affici nollet, illatam tamen tulit, nec quicquam eorum, per quæ eum, à quo læsus fuerat, ulcisci poterat, fecit: huic utique, ut qui extremæ cujusdam patientiæ documentum dederit, luculentior corona haud immerito texi queat. *lib. 3. Epist. 225.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Si percuti, & injuriâ affici, esset succumbere, neque Christus neque Paulus unquam contraria dixissent. Dominus enim præcepit percutienti in dextram maxillam, præbere etiam alteram: Apostolus autem admonuit in hæc verba: Quare non potius injuriam patimini? Nova namque hæc est lex certaminum, quandoquidem magis etiam novus est præmiorum modus, videlicet non oleaster, & cibatio in prytaneo, neq; æneæ statuæ auro fulgentes: (misera ac vilia sunt ejusmodi præmia) sed regnum cœlorum & vita finem nesciens. Noli igitur putare, te dum cedis & Christiani meditationi das operam, succumbere ac vinci; sed potius persequere victoriam, quæ in eo ipso, dum succumbere videmur, sita est. Quod si miraris id quod dictum est, exemplo manifestum faciam quod dico. Perhibent, regem quendam, cum vellet pugnam navalem adversus hostes pugnare, vidisseteq; hostium naves longe plures quam suas, cedentem hostibus invadentibus, dixisse: Non fugio, sed potius utilitatem persequor retrò sitam. Si igitur etiam hac in vita (interdum) in eo dum quis superatur & cedit, utilitas & victoria consistit: ne paribus passibus procedamus cum iis qui nos percutiunt aut injuria afficiunt; sed potius ipsis concedamus. Hæc enim etiam cœlestium certaminum Lex est & ratio. *lsbr. 4. Epistola 175.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Etsi enim similia forte quis Christo perpessus est (detur enim ita esse) attamen hoc dissimiles & impares ostendit perpessiones, quod illi qui perpessi eas sunt, non à pari dignitate descenderunt. Non enim est idem, injuria afficere regem, & hominem privatum: neque dominum & servum: sed quæ adversus regem quidem committuntur quantumvis per se exigua sint, magna tamen ut judicentur, ejus qui talia patitur, dignitas efficit. Quæ vero in aliquem privatum perpetrantur, utut maxima sint, tamen iram minorem habent, & sæpe ad veniam spectant. *lsbr. 4 Epistola 179.*

Synesius: Ego & tui curam, & illius habeo: tui ne injuriam facias; ne accipiat, illius: Jam si cum Platone sentis; injuriam inferre, quam accipere multo esse deteris, melius de te quam de illo mereri videor, cum pro illo deprecor, à quo pœnæ ejus, quod non commisit, criminis repetuntur. *Epist. 30.*

Synesius: Quamobrem scribe obsecro, & edicto præcipe ne cui simile quicquam facere liceat. Nam & magno me beneficio devinxeris, & eos mecum qui tranquilliori animo sunt, & oppressis subvenies, & multo ampliori beneficio eos ipsos affeceris, qui injuriam faciunt, majus bonum sit majore à malo liberari, majus autem malum est inferre quam perpeti injuriam: illud enim proprium malum est, hoc alienum. *Epist. 67.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Admoneo ne ullum penitus culpæ genus quod ad contumeliam Dei pertinet cuiquam leve esse videatur. si enim illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet, & si quis exhonoraverit, decretis legalibus reus sistitur & iniuriarum auctor jure damnatur: quanto utiq; majoris piaculi crimen est, injuriosum quempiam Deo esse? semper enim per dignitatē injuriam perferentis crescit culpa facientis: quia necesse est quanto major est persona ejus qui contumeliam patitur, tanto major sit noxa ejus qui facit. Huic levia facientes contra mandatum sacrum severissime puniti sunt: quia etiam quod videbatur exiguum culpa, grande id faciebat divinitatis injuria. *lib. 5. de gubern. Dei.*

S. *Salvianus*: Sacrilegii genus est, Dei odisse cultores. sicut enim si servos nostros quispiam cedat, nos in servorum nostrorum cædit injuria: & si à quoquam filius verberetur, in supplicio filii pietas paterna torquetur; ita & cum servus Dei à quoquam læditur, majestas divina violatur. *Lib. 8. de Dei gubernat.*

S. *Valerianus*: Quicunque es quem alienæ insolentiæ inquietat, injuria, & dolor contumeliis excitatus stimulat; si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce, & à patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude. aut certè si tantum vindicare desideras, miserere ab his qui ignorant salutem animæ in hac dilectionis perfectione pendere. Fortè odiis odia compensentur, & ad compensandum facinus vicaria injuria. Provocasse quidem ad iracundiam fratrem injuria est, sed provocatum non cessasse, deforme est. ita enim odiorum semina abundantissimos iniquitatis fructus reddunt, & scelerum pœnas operantur: & cum auctor litis erubescit fratri satisfacere, & læsus justo, quantum ipse putat, judicio vindictam illati requirit criminis. *Homil. 12.*

Zeno: In omni quam perpetimur, injuria alterius opus alterius instinctus est. Et non sib efficit quisquis aliud per turbulentæ voluntatis impetum gerit. Non ergo his irascendum est, a quibus aliqua perpetimur: sed quotiens per contumelias ad iracundiam provocamur, quotiensque per convitia ad lites excitamur, quotiensque ad dolorem, & impiam damni querelam per rapinas, & furta compellimur, aut in corporis voluptates alendas adhortationis solicitamur instinctu, agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum, ac dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis, sed potius in his detestandi officii interceptio fœda miseranda est, quod sint vasa diaboli, satanæ ministerium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ, ac nequitiæ paritores.

Egesippus: Reliquendum asserebat populum, usu simulacrorum insensibilium & statuarum de marmore, nihil jam sentientem. Muta enim animalia referre solent vindictæ vicissitudinem, sentire injuriam, incitari aculeo, declinare verbera. qui ergo nec excitatur, nec declinare novit quod nocet, similis est non sentientibus. *cap. 2. lib. 5. de excidio Hierosol.*

Ennodius: Semper innocentib. gloriam adversa pepererunt, provident defensores fortissimos mediocris impugnatio. *lib. 4. Ep. 1. a.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Æschines: Vale fœliciter, neq; solum ab universa Repub. sed etiam Leptine abstine, tum quod nostro nomini parum favet, tum quod cæteris in rebus est ejusmodi, ut eum vincere non admodum glorioſum, vinci vero turpissimum etiam habeatur. Atq; potissimũ hoc te hortor, ut vites ejus commercia. Quod si forte fortuna rursus in eum incideris, & contra nos aliquid dixerit, cura quantum potes ut taceas & rideas. Ille vero satis acerbam pœnam omnibus mortalibus luit in eo, quod risu simul & odio dignus existimatur.

Diogenes: Audio, quam iniquo animo feras, quod Athenienses ebrii me verberarunt: & gravibus contumeliis affici sapientiam cõquereris. Certo tamen scias velim, Diogenis corpus ab ebriis verberibus affectum, Virtutem vero minime: quippe quæ neq; honestari possit à pravis, neq; vituperari. Diogenes igitur nullam accepit injuriam, sed Athenienſis populus, ex quo nonnulli virtutẽ contemnere videntur. Itaq; propter unius amentiam, publicè insipientes perẽt, cum quæ nulli omnino usi sunt, consulant: & exercitum parent, ubi quietè vivere oporteret. Quod si à principio suam cohibuissent stultitiam, nunquam in hujusmodi mala incidissent. *Ep. 20. ad Melesip.*

Lysias: Omnibus promptior & acrior creditur ira, ob privatas quã publicas calamitates. *cap. 1. Orat contra Eratosthenem.*

Lysias: Vulgo dicitur, quod injuriæ memoria longè altius animo insideat, quam beneficii. Et quis amplius volet esse probus, si, ab iis qui male de nobis merentur, beneficii pessundentur? *cap. 11. Orationis pro Polystrato.*

Dio Prusæus: In præsenti Malotæ vobiscum dissident, ipsi quidem injurioſi & audaces in omnibus, quia vero imbecilles sunt, multoq; semper inferiores, in eorũ hunc potius ordine qui injuriã patiuntur. Quidam. n. non considerant quæ faciant, sed qui sint: neq; injuriam facientes, neq; violentiã passos volunt examinare plerũq; sed quib. verisimile sit injuriã fieri ab iis qui plus valent. Si igitur à vobis tale quid factũ esset, quale ab illis nunc factũ est, vastare videremini civitates, & defensionis præbere principiũ, & belli, & exercitu adversum vos opus esse. Ergo intolerãda patimur, dicet aliquis, si illis quidẽ licet facere quodlibet, atq; ita sua fruuntur solitudine: nos a. si dumtaxat moveamur, in periculo sumus. Esto sanè intolerandum & iniquũ. Sed non, siquid iniqui solet fieri, vos adversus illud instituta cõtentione, aliquo absurdo irretire oportet, sed magis providere & cavere. Quod. n. hic accidit, simile est ei, q̃ accidit circa athletas, quantũ minor cõtra longe majorẽ pugnat. Hic enim nihil licet præter legẽ: quinetiam si quid invitus delinquat, flagris ceditur: illum vero nemo, omnia facere quæ potest videt. Quare & illic modesti viri officium est, & in veritatẽ melioris, virtute superare. Has autem cupiditates, si vos prudẽtes fueritis, plane amittetis, justoq; potius & æquo, civitatisq; magnitudine superabitis invidentes: ira autem & indignatione commoti, nihil facietis. *Orat. 34.*

Lucianus: Deinde &, τὸ τῆ ὕβρεως de contumelia, qua te affectum à me dicis: si non hoc pacto dicam, sed εἰς σὲ dicam proprium, ego quidem dicere non possum? Quoniam αὐβείζειν est contumelioſe excipere corpus tuum, aut plagis, aut vinculis, aut alio modo. Sed dicitur εἰς σὲ, quando alicui tuorum contumelia fit. Nam qui uxorẽ tuam contumelia afficit, in te est contumelioſus, & qui puerum, & amicum, & qui servum. *Solœcismo.*

Aristides Rhetor: Ut omnino nemo se fert injuria affici, ita si ab iis id à quibus oportebat minime fiat, implacabilem iram excitat. *Orat. Leuctrica 2.*

Epictetus: Quod si corpus quidem tuum aliquis obvio cuipiam permitteret, indignareris: tu vero qui animum tuum cuilibet permittas, ut si convitia tibi dixerit, perturbetur & mœreat, non erubescit. *cap. 34. Enchir.*

Epictetus: Cum tibi quispiam vel malefecerit, vel male dixerit; memento eum opinatum esse, id ex officio sibi fuisse faciendum & dicendum, neq; vero fieri potest, ut id sequatur ille quod tibi videtur sed id quod sibi, qui si male judicat, damnum ipse facit qui decipitur nam verũ connexum si quis mendaciũ judicet, non ipsum connexũ lædetur, sed ille qui deceptus fuerit. Sic igitur instructus, æquo feres animo cõvitiatorẽ. nã ad singula dices, ita visum esse illi. *c. 64. Ench.*

Arrianus: Ex omnibus calamitatib. fructus capi potest, etiam è conviciatore. Quid vero pugili fructus adfertis à quo exercetur? plurimum. Etiam hic me exercet ad tolerantiã, ad mansuetudinem, ad clementiã? Non: sed ille quidem collum meũ contrectat & lumbos, & humeros; quæ dum corrigit, me juvat. An alipta recte dicit; Tolle utraq; manu in altũ, & quanto gravius est pondus, tanto magis ego juvor. Si quis vero ad mansuetudinẽ me exercet, non juvor? Istud est nescire fructũ capere ex hominibus. Malus vicinus est? Sibiipse, mihi vero bonus: exercet moderationẽ, exercet æquitatem meam. Malus pater est? Sibiipse, at mihi bonus, hæc est Mercurii virgula: hac inquit quidquid attigeris aureum erit. Non ita: sed quidvis adfer, idq; ego bonum faciã. affer morbũ, affer mortem, affer egestatem, affer convicium & discrimen capitis, omnia hæc virgula Mercurii utilia reddentur. De morte quid facies? quid vero aliud, nisi ut ea te ornet, aut per te reipsa demonstret, quid sit homo si naturæ voluntatem sequatur? De morbo quid statues? ostendã ejus naturã, excellam in eo tranquillius ero, bene me. ũ agi putabo, medico nõ adulabor, morte non optabo. Quid requiris amplius? quidquid mihi dederis, id ego efficiam beatũ, prosperũ, honorabile expetendũ, &c. *c. 20. lib. 3. Epict.*

Hierocles: Legem quã male agendo mortales denegant, eandem appetunt, cum injuriã patiuntur. Verbi gratia; Cupit Deum nõ esse qui facit injuriã, ut vindictam, quæ veluti Tantali saxũ semper imminet, minime patiatur. At eundẽ vult esse qui injuria afficitur, ut ejus auxilio adversus ea, quæ patitur potiatur. Oportet igitur eos, qui injuriã inferunt, injuriæ calamitatẽ experiri, ut quod in inferenda, avaritiæ morbo occæcati non viderant; id ipsum patiendo addiscãt, detrimẽti molestia edocti, siquidem recte multã subeant. Sin autem protervitate improbitatem tueantur adhuc; minus quidem ipsi fortasse proficiũt; sed exemplo suo, eos proculdubio, qui sapiunt, quiq; ejusmodi morborum causſas nosse queunt, erudiunt. *cap.* 17.

Maximus Tyrius: Vtrum justitiæ murus sublimior sit, an vero fraudis obliquæ, ut mortale genus, in dubio, ut verum fatear, mens mihi fluctuat. Tu quidem Pindare tecum de justitia & fraude dubitas, nec metuis cum auro æs componere. Nec mirum, poeta enim eras, cujus in eo laus omnis posita fuit & industria, ut odam aliquam choro componeres, regumq; victorias lyra tua celebraret. Itaq; de vocabulorũ mensura, deq; concinna versuũ harmonia, & numerosa orationis forma sollicitus eras. Homini vero qui chorum odasq;, totamq; eam quæ è carmine petitur voluptatẽ, eo loco habet quo crepundia sua pueri; potiusq; de animi sui mensura numerisq; cogitat, nec aliud curat, quã ut concinne & decore actiones suas totamq; vitam instituat, ne in mentem quidem unquã veniet hæc quæstio: *utrum justitiæ murus sublimior nec ne.* Sed contra carmen mutabit tuum, dicetq;: *Est profecto justitiæ murus sublimior, quam obliquæ fraudis, ut eo mortale ascendat genus.* Plane enim inaccessa fraudi justitia est, non secus quã Aloidis cœlũ, quos nihil juvit Ossa Olympo imposita aut Pelio Olympus, quo minus à cœlo tãtum abessent, quantum à justitia fraus abest. Ergo probi justitiam sibi vindicant, improbi fraudem: sicut proba & germana res est justitia, adulterina fraus. illã valida, hæc debilis, illa utilis, hæc cõtra. Quicunq; ergo justitiã colet, & illo Pindari muro munitus stabit, num optabit injuria affectus par pari referre? Quid a. dico? cum fortasse ne injuria quidẽ affici possis. Si enim afficere injuria & affici, ut ferire & feriri, scindere & scindi, dicitur, nihil obstat quo minus idem & faciat injuriam & patiatur. Sin contra in illis naturæ quadam cõmunione, idem actionem simul passionẽq; recipit, contra injuria afficere & affici dicitur, ut videre & videri (quicquid enim videt simul etiã videtur, non contra quicquid videtur etiam videt) videamus ne tale sit inferre injuriã & pati, ut arguere & argui. Arguit enim qui veritatẽ novit, arguitur qui ignorat. Jam sicut neq; ejus est argui, qui veritatem novit, neq; arguere ejus qui ignorat: ita neq; injuria afficere & affici ejusdem est. Si ergo non ejusdem est, sed alterius, probus a. alter est ab improbo, utrum utri tribuemus? Anne improbo ut injuria afficiat, probo ut afficiatur? An vero alterum quidem dabimus, improbi nimirum esse injuriam inferre, de altero adhuc dubitabimus, utrius sit pati? Quod ita videamus.

Injuria est boni ereptio. Bonum autem quid sit aliud quã virtus? Atqui virtus eripi non potest. Sequitur ergo, aut illum qui virtutem habet, affici injuria non posse, aut injuriam qui facit, non eripere bonum. quia nullum bonum eripi, amitti, tolli, aut spoliari potest: Ponamus ergo hoc. Ne ab improbo quidẽ affici injuria potest probus, quia nihil habet quo privari possit. Restat ergo, aut neminem injuria affici, aut improbũ ab improbo tantum. Atqui nullius boni ereptionem esse injuriã. Qui vero nõ habet quo privari possit, ne habet quidem quo injuriam patitur. Nisi forte non ex privatione ejus qui afficitur, sed ex animo illius qui intulit injuriã, ipsa metienda sit injuria. Atq; ita improbus injuria afficitur ab improbo, quamvis bonum eripi non possit. Accipio equidem solutionẽ hanc, quæ improbo instituto injuriam ascribit potius quam actionis successui. Sicut mœchum lex punit, nõ qui mœchatus est tantũ, sed & qui voluit: & furem qui tentavit furtum, licet deprehensus fuerit: & proditorem qui animum habuit, sine eventu. Efficietur rursus id omne quod volumus: ut nec afficiat nec afficiatur injuria vir bonus. Non afficit, quia ne vult quidẽ: non afficitur, quia virtute est præditus. Improbus contra afficit injuria, non afficitur. Afficit quia improbus est, non afficitur, quia bono caret. Etiam hoc accedit: quod si virtus solummodo bonum est, nec præter virtutẽ aliud, improbus quia virtute caret non habet quo injuriã patiatur: sin præter hanc etiam alia quæ corporis bona dicuntur, & externa quæ fortuna suppeditat, bona sunt, tamẽ si virtus absit, etiam hæc abesse præstabit. Itaq; ne sic quidem injuria afficietur improbus, si iis privetur quib. nõ recte utitur. Ergo afficiet injuria non afficietur, siquidẽ ex animo metienda est injuria. Ut jam de improbo concludamus. Inferre vult injuriã improbus, nec potest tamẽ. Porro cum velit, necesse est, aut similẽ sui petat, aut se meliorẽ. *** Quid vero aget melior? An injuria certabit cũ improbo? Atqui illud inquo locũ habet injuria nõ habet: quatenus. n. bonum non habet, malus est. Ergo, nec reipsa vir prudens injuriã referet improbo, quia quo injuriam patiatur non habet: neq; voluntate, quia non magis improbe agere vult cum sit probus, quam imperite inflare tibiam tibicen peritus. Præterea si simpliciter injuriam inferre improbum est, etiã referre injuriã, huic simile est. Etenim si improbior est, qui infert injuriam, quod incipit: improbitate ei certè æquatur, qui hoc

hoc ipsum reddit. Et si is qui injuriam facit, malè facit: qui malum malo compensat, non minus male facit: quanvis malum ulciscitur. Nam ut qui beneficium reddit ei à quo accepit prius, nihilominus bene facit, quanvis acceperit prius: ita qui remuneratur malum, nō minus male facit, quanvis prius acceptus sit. Et quis erit obsecro finis mali? Si enim perpetuo qui injuria effectus est, malum malo compensat, necesse est ab uno ad alium transire, & quasi transilire malum: atq; ita injuriam excipiet injuria. Quoniam quo jure permittis ei qui injuria affectus est, ut injuriam injuriæ autori reddat, eodem jure redit iterum ad eundem vindicta. Eadem enim juris in utroq; ratio est. Vide præterea, per Jovem, quid facias, qui jus constituis ex injuriis.

Quousq; quæso se diffundet hoc malum? ubi desinet? Non vides quid facias? perennis improbitatis fontem excitas: legem que fers, quam primam malorum causam totum universum agnoscat. Nec est aliud profecto, quod mala omnia hominibus invexit. Hinc Græcæ primum Barbaræq; classes mare transiniserunt. Hinc impetum aliæ in alterius terrā facere, atq; omnia vastare cœperunt: dum semper præsenti injuriæ priorem obtendunt. Phœnices Argivis regiam puellā ereptùm eunt: Græci Colchis Barbaram. Phryges è Peloponneso Laconicam mulierem rapiunt. Vides seriem malorum, vices belli causas, & per ordinem scelerum cumulatum scelus. Non alia sunt quæ perdidêre Græciam: quam injuriæ propriæ æstimatio, quę in finitimos quoq; erupit, quam furor implacabilis, ira immortalis, vindictæ cupido, juris ignorantia: Etenim si omnes, quos prius injuria invasit, hoc persuadere sibi potuissent, injuriam ipsam iis qui inferunt malum esse maximum, eamq; vel bello, vel direptione murorum, vel populationibus terrarum atque incendiis, vel cujuslibet tyrannidis eversione, pœnam graviorem esse, nunquam tot tantisq; calamitatibus redundasset Græcia. Potidæam Athenienses obsident: permitte hoc illis Spartane: brevi post eos cœpti pœnitebit. Noli malum hoc imitari, noli eandem incurrere infamiam. Quia si prætextum hunc amplecteris, & Platæas petis, peri t tibi Melus vicina insula, periit amœnissima insularum Ægina, periit Sicyone ubs socia. Pro una quam cepisti urbe, multas evertes. Nam ut illi qui lucri causa maris periculo se committunt, magno fœnore se obstringunt: ita qui in vindicando iræ indulgent, maximo se calamitatum fœnore involvunt. Rursus tibi, Athenieñs, dico: Sphacteriam expugnasti, captivos Spartanis redde: dum sors favet, modestiam in consilium adhibe: sin minus, homines servabis, triremes amittes. Lysander ad Hellespontum feliciter rem gerit, nec Sparta se capit. Vide ne Thebas tangas, sin minus, adversam circa Leuctra fortunam lachrymabis, apud Mantineam calamitatem plorabis.

O occultam instabilemq; fortunæ potentiam! Hanc ob causam Aristophani non succensebat Socrates, nec indignabatur Melito, nec Anytum vindicabat, sed alta voce exclamabat, Vitam eripere fortasse Anytus & Melitus mihi possunt, lædere non possunt. Non enim ab improbo detrimentum potest accipere vir bonus. Hæc ipsa justitiæ vox est: quæ si ab omnibus eodem modo usurparetur, nulla tragœdia extaret, nullam scenæ calamitatem ostenderent, vasta illa ac multiplex malorum seges, ab humanis exularet rebus. Nam ut in corporum morbis ii maxime nocere constantemq; medici opem requirere solent, qui ulterius serpant; ut quod adhuc est immune, servetur: Ita cum in familiam aut Remp. vel leviſſima injustitiæ scintilla incidit; cohiberi continuo debet, ut id quod supereſt, vindicetur. Hoc est quod Pelopidas evertit, quod Heracidas sustulit, quod totam Cadmi familiam, quod Persas, quod Macedonas, quod Græcos delevit.

O morbum continuum, & qui tot jam sæcula, terrarum orbem fatigat! Non dubitabo equidem dicere, si quidem altera altera major sit injuria, magis improbum esse eum, qui illatam ulciscitur, quā qui infert. Qui enim ex ignorantia juris injurius est, delicti sui præmium in infamia habet: at qui injuriam reddit, cum non minus injurius sit, infamiam illam in se derivat. Nam ut qui fuligine imbutū tractat, aut cū eo luctatur, necesse est corpus inficiat. ita qui cum improbo congreditur, & quasi volutatur, necessario mali fit particeps, eadem imbuitur fuligine. Ego athletam qui cum athleta ex æquo concurrit, ferre possum, neq; studium utriusq; reprehendo. Video enim parem indolem, parem curam, parem in utroq; victoriæ ardorē. At vero quoties cum improbo probus concurrit, non ex eadem palæstra, neq; sub eodem ad luctam edoctus, nec iisdem luctationibus innutritus, nec ejusdem coronæ cōpetitor aut præconii, infelix hæc meo judicio pugna est, & congressus impar. Quid enim obstet, quo minus superior in hoc stadio evadat improbus, ubi & scelesti spectatores, & iniqui sunt judices?

Hic enim vir bonus & ab arte destituitur, & à scientia: neq; diffidentia aut sutelis aut dolis aliisq; instructus accedit artibus, quibus confirmatur ac robur assumit improbitas. Ut nihil aliud quā risum excitaturus sit, qui cum improbo manum conferat, nec ingenio, nec arte, nec exercitatione par. Sed hac ipsa de causa supplantatur vir bonus, dicet aliquis, calumniis sycophantiisq; differtur: facultatib. exuitur, in vincula cōjicitur, relegatur, infamia notatur, morti addicitur. Quid tum postea? Quid si pueri alibi pro tribunali sederent, ac leges ferrent: atq; ex earum legū præscripto hominem aliquē in judicium vocarent, quē peccasse dicerent: & mox inter pueros suos infamem esse juberent, ejusq; crepundia aliquot, ut puta talos, & si quæ ejusmodi essent, hastæ subjicerent, quid facturū hunc hominē putas? Anne aliud quā ut suaviter rideat, ipsosq; judices cum calculis suis & suffragiis cachinno explodat? Ita Athenienses ridebat Socrates, non aliter q̄ pueros, qui suffragio suo hominem mori juberēt, quem natura jam ante jusserat mori. Neq; aliud facturus est quilibet bonus probusq; vir, quā ut risum rideat suaviſſimū, quoties improbos scrio ad se ire videbit, quasi rem gesturos maximam, cum tamen nihil possint. Sed & in media eorū contumelia illud Achillis exclamabit:

——*haud regi superum contemptus abibo.*

Quod si facultates quoq; ejus auferre parent: eas ille non secus quā si crepundia eripiant aut talos, demissurus est. Nec aliter si res ferat, morietur, quam si morbo aliquo, febri puta aut calculo, moriēdum esset, neq; mortis autoribus succensebit. *Dissertat.* 2.

Libanius: Servi est, tacite ferre: liberi autem lacessitum ulcisci. *Orat. Achillis contra Vlyssem ab Agamemnone missum.*

Paulo post: At enim munera, inquis, alia quidem impertitur, alia vero pollicetur. His quoq; petulantiā ejus agnosco, nocendiq; voluntatē: si pecunias me accepturū & infamiā recepturū credidit: ecquid ꝓhibeat hunc etiā ipsum quemq; locupletū intrepide procaciterq; offendere, si quidē satis pœnæ sit pecunias pendere, ad placandum animū eorum qui læsi sunt? Egregiū vero, opes ex injuria colligere, & rem facere exponendo se iis qui uti ꝓtervia in te volunt! utrum tandē hæc dona appellare licēt, an servitutis initiū? Non. n. sane priusquā apertū fuisset, an iram pro pecuniis cōmutarem, ita facile erat Agamēnoni me illudere: cum a. cognitū perspectumq; ipsi fuerit omnia me pecuniarū causia sustinere, verecundiā adhibebit apud eum quē integrū est emere. In summa si quidē injustè irascor, quę do nandi opportunitas est? At si jure succenseo, cur æquū cēses me jus munere prodere? Est quod mirer, si Chrysen qui multa atq; admirāda redemptionis pretia adferebat, propemodū peremit: nos a. vellet circa tripodes attonitos stupere, quasi in penuria educatos etiam si servus fuissem, Ulysses facultatū, liberū erat in Phthia agenti mihi deliciis abundare: Nunc autē gloriæ cupiditate domesticas opes despexi: desierūt vero mihi in dedecus labores. Agedū, si ante infamiā Agamemnon polliceretur se munera daturū, si libidinose convitiātem tolerarē, nunquid mihi consuleres tam honesta pacta conficere? minime gentiū. Nunquam sic loquereris. Deinde contumelia quidē affici spe donorū, mu. tam irrogat ignominiā: injuria vero accepta pecuniis delinitū iram placare, præclarū quiddam est? Attamen accepto dono mitigare animū, perinde est, atq; rumpā perpeti ad farciendā crumenā. utrumq; enim viri est viā aditumq; patefacientis ad turpe convitium & proterviam. *Orat. Achillis contra Vlyssem.*

Libanius: Esto sane Menelaum contentū esse, si Helenā recuperet & bellū non fore: nihilo tamen potius hæc mihi facienda sunt. Quid ita? quia primū Menelaus ab alienigenis offensus est, & quibus natura immortale cum Græcis inimicitiā constituit: ut minor sit animi æstus, quia id ꝙ par erat, evenit. Deinde Alexander non in benemeritū peccavit. Nō enim cum illo Menelaus navigationē susceptt, neq; expeditionem communem duxit, & laborē una sustulit, neq; simul obiit negotia, neq; dormienti victoriā de hostib. referre dedit. Non ergo aniam habuit ad vehementiorē iracundiam. Ego vero Græcus à Græco injuriam accepi: comes navigationis, una imperans, pro iis quæ illius interfunt, vexatus: particeps quidē cōsiliorum, res autem belli & armorum solus tolerans: cōmoda verò in medium proferēs. Quanto igitur bene merendo gravius cruciatus sum: tanto acerbius doleo. Ac nihil mirum non æqualib. donis conciliari eos, qui non æqualia passi sunt. Cur ergo dolor exiguus est, huic accipere, facile ac mediocre est: Cui autem ingens mœror est, ei recipere non satis est. *Orat. Achillis contra Vlyssem Agamemnonis legato.*

Libanius: Ergo quæ ab Athenienſibus facta sunt, talia sunt, ut omnes homines ad accusationem advocent, & neminem abesse ab hac causa deceat, neq; Græcorum neque Barbarorum, nam quæ in communem naturam iniquè commissa sunt, communi opinor, & subsidio & accusatione indigent. *Declamat.* 19.

Dionysius Sophista: Ego & tui & Timothei curā gero. Tui ne inferas injuriam, Timothei, ne injuriam accipiat. Quod si etiam cum Platone putas, Injuriā inferre gravius malum quam accipere, equidem tibi magis quam illi gratificari videor, cum pro illo rogem ne pœnas dependat, cum nihil peccarit. *Epist.* 33.

Simocatta: Injuriam quidem nemo patitur. At omnes injuriis afficiunt sponte quilibet semetipsum. Virtutis enim & malitiæ sumus imperatores. Eripuit tibi Leonides prædiū. Hoc est extraneum neq; tuum animum ulla pernicie affecit. Damnum tibi dedit Philippus & annulum furatur. Nullam injuriā tu accepisti. Quod enim accessorium est, non est nostrum. Filium tuū Barbari vita privarunt. Nihil incōmodi passus es. Non enim sempiternū filium habuisti. Nuper cum non haberes, tibi natus est, & rursum non est, quoniā quidē non erat, sed natus erat. An non igitur inferunt injuriam, non accipiunt homines. Et Homericum Cyclopem admiror. Neminem enim se lædere per injuriam ajebat, & erat pastori negationis loco veritatis affirmatio. *Epist.* 40.

Heliodorus: Non is qui injuriam fecit, sed qui injuriæ fructū habet, reddere justè debet. cum igitur tu ipse habeas, redde. *lib.* 10. *Æth.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Scriptum est, ut qui civem servaverit, honoretur: numquid potest præmium accipere qui se servavit? aut injuriarum damnari, qui se pulsaverit? *Declam.* 284. *m.*

Quintilianus Senior: Lex est: qui pulsaverit aliquē injuriarū teneatur. Nemo tamen tenebitur qui se ipse pulsaverit. *Declam.* 328.

Quintilianus Senior: Scio, judices quam difficile sit alienorum

malorum imaginem capere, sic tamen, quantū cogitatione permittitur, unusquisq; se illo loco ponat, ac primum, &c. *Declam.* 347 *f.*

Calpurnius Flaccus: Ubi quid futurum est, denuntiatur, culpa patientis est. *Controversia 5. fine.*

Petronius Arbiter: Vile est quod licet, & animus errore lentus injurias diligit. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Sine me suavitate Attilii, sine leporibus perfrui: neq; enim possum tristem videre, cujus hilaritas me tristem esse non patitur. In summa, nosti facetias hominis, quas velim attendas. ne in bilem aut amaritudinem vertas injuria quam vim habeat offensus, crede ei quam in amore habet, non ferret magnum & liberum ingenium cum cōtumelia damnum. verum ut ferat ille, ego meum damnum, meam contumeliam vindicabo. *Epist.* 8 *lib* 6.

Plinius Iunior: Injuriam ut indigniorem, sic etiam notiorem viri claritas facit. *fine. Epist.* 10 *lib.* 6

Ælius Lampridius: Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu Cæsaris, aut virgis, aut condemnationi, aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis, cum diceret; Visne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? clamabatq; sæpius quod à quibusdam sive Judæis, sive Christianis audierat, & tenebat, idq; per præconem cum aliquem emendaret, dici jubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* quam sententiam usq; adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus præscribi juberet. *cap.* 51. *Alexandri Severi.*

Nazarius: Sed natura affert ut injuriæ ejus quem diligas, etiamsi re ipsa graves sunt, fiant tamen amore graviores. *Orat. in Constantinum Aug. initio cap.* 11.

¶ Poetarvm.

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 4.

Quod est facillimum facis. L. quid id est? amico injuriam.
M. Neq; meum est, neq; facere didici. L. indoctus quam docte facis!
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi?
Qui bene cum simulas facere mihi te, male facis, male consulis.

Terentius Adelph. 4. sc. 3.

Ego in hac re nihil reperio, quamobrem laudes tantopere, Hegio.
Meum officium facio: quod peccatū à nobis ortū est corrigo.
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri injuriam si quam fecere. ipsi ultro expostulant,
Et ultro accusant. id quia nō est à me factum, agis gratias?
HE. Ah minimè! nunquam te aliter, atq; es, in animum induxi meum

Terentius Eunuchi 4. sc. 6.

Scio istuc sed tu quod cavere possis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta injuria.

¶ Apologorum.

Æsopi Fabula Capræ: Capram aberrantem à grege longius, congregare rursus volebat caprarius, ut vero vocibus & fistulationibus usus nihil profecit; misso lapide, & cornu fortè percusso, rogabat ne apud dominum se deferret. At illa, Amentissime, inquit, caprarie cornu sonabit, etiamsi ego taceam.

Æsopi Hyænæ: Hyænas ajunt annuatim naturam mutare, & modo masculos modo femellas fieri, aliquando igitur Hæna masculus præter naturam erga femellam affectus erat, cui illa subjiciens ait, sed heus tu, illa minime facias, ut pote eadem mox passurus.

Babrias, Περὶ Τράγου καὶ Ἀμπέλου. Fab. 15.

Τράγῳ ποτ' ἔσθοντι ἀμπέλου βλάστας σὺ μὲ
Κείρων τὰ φύλλα, μὴ γὰρ οὖκ ἔχει χλόην,
Ὅσον γὰρ αὖ βλάστειας εὑρήσω τέρα
Πρὸς θυσίαν σὸν εἰς θεὸς οἶνον βλίσομ.

Epimythion.

Ὅτι πολλάκις θέλων τὶς ἀδικεῖν τινα, ὠφελεῖ αὐτόν.

De Hirco & Vite.

Hircum vitis alloquuta est, Offendis tu me
Tondens folia. numnam non est herba?
Quam vis etiam nocueris, invenies statim
Admastationem tui erga Deos, vinum ut scaturiat.

Affabulatio.

Quod plerumq; volens quis aliquem injuria afficere, ipse eum.

Babrias Περὶ Αἰετοῦ τε καὶ οἰστοῦ. Fab. 27.

Βέλει τὸ σῆθος Αἰετὸς τρωθὲν πτίλαις,
Ἀλγῶν ὃ λοιπὸν ἦσο πολλὰ δακρύων.
Βλέπων δ' ὀϊστὸν εἶπεν ἐπτερωμένην,
Βαβαὶ, πτερὸν μὲ τὸν πτερωτὸν ὠλύει.

Epimythion.

Πρὸς τοὺς ἐκ τῶν ἰδίων κακῶς πάσχοντας.

De Aquila & Sagitta.

Sagitta pectus Aquilæ vulnerata est olim.
Dolens autem posteà sedebat admodum plerunq;
Videns autem sagittam pennatam, ait,
Papæ, penna me pennatam occidit.

Affabulatio.

In eos qui à suis mala patiuntur.

Babrias Περὶ Χελιδόνος καὶ Κεστηρέως. Fab. 29.

Πηξὶς Χελιδὼν νεοσσοῖσιν Κεστρεύς.
Ἰωξ ἔφην, ἡσσᾶς τὴν γονὴν βλάπτει δρεπάνων.
Ἠλίᾳ αὐτ' ἔφησεν, ὦ πολυφάνης τύχης,
Ὅπου γὰρ ἐνδίκησις, ἐξαλεῖται μόνη.

Epimythion.

Πρὸς τοὺς παθόντας κακὸν ἀπὸ καλῶν αὐθρώπων.

De Hirundine & Prætorio.

Hirundo fixit nidulum super Prætorio.
Cujus prolem ladit Serpens.
Hæc autem dixit, O ingemiscendam fortunam:
Ubi enim ultio est, sola offensa sum.

Affabulatio.

In eos, qui malum a bonis patiuntur.

Fabula Vitis Aphthonius: Vitis uvis onusta stabat, & jam florebant prope fructus cum caper ecce quidam injuriosus, plurimum ambedit vitem, & corrupit florem, ad quem tum illa, Manet, inquit, te latæ injuriæ pœna. Non enim multo post tu sacrificaberis inter victimas, ego vero contra ad eam rem libabo de vino meo.

Qualia quis facit etiam patietur.

De Urso & Apibus. Fab. 38.

Ursus ictus ab ape, tanta ira percitus est, ut alvearia, in quibus apes mellificaverant, tota unguibus discerperet. Tunc apes universæ, cum domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari viderent, facto impetu aculeis ursum invadentes, penè necavere. Qui ex earum manibus vix elapsus secum dicebat, quanto melius erat, apis unius aculeum tolerare, quam tot in me hostes mea iracundia concitare.

Hæc fabula innuit, longe melius interdum esse, injuriam unius sustinere, quam dum unum punire volumus, multos nobis inimicos comparare. Abstemius.

De Viro lapidato, qui resurrexit. 137.

Vir quidam lapidibus occisus à populo, resurrexit, qui interrogatus à quodam, quid sibi in ea lapidatione molestius fuisset: nihil, inquit, lapide, quem quidam jecit, quem mihi amicum esse credebam, quamvis non fuerim illo percussus.

Fabula indicat, mala quæ ab amicis inferuntur, graviora videri, quam quæ nobis inferunt inimici. Abstemius.

De Hydro ranam devorare volente. Fab. 165.

Hydrus in quadam palude ranam persequebatur, quem quum illa evadere non posset, conversa dicebat: Ne me devora hydre, quæ nulli unquam nocui. Cui hydrus: clamor tuus, inquit, minæq; quibus die noctuq; obstrepis, te maleficum animal esse testantur. Quod autem non noceas, impotentia causa est, dentes enim non habes.

Fabula indicat, multis non animum nocendi, sed vires deesse. Abstemius.

De Ove capta à cane vociferante, quod à lupo capta non faciebat. Fab. 176.

Ovis comprehensa à cane gregis custode, maximos edebat ejulatus, capta autem à lupo nullam emittebat vocem. Interrogata à pastore, cur ita faceret: molestius, inquit, mihi est à cane, qui mihi custos & amicus esse debet, lædi, quam à lupo, quem natura perpetuum mihi genuit inimicum.

Fabula indicat, graviores nobis domesticorum, quam externorum esse injurias. Abstemius.

¶ Emblematis.

Batillius 95.

Levium injuriarum contemptus.

Non culicis morsus Elephas aut vulnera curat,
Nullam in quo faciant tela vel ipsa notam:
Excelsos animos levis haud injuria turbat,
Et tangunt illos verba proterva parum.

De Iniuriarum oblivione.

¶ Apophthegmatum sacror.

Apollonius: Apollonius monachus & martyr, quum in carcere detineretur, & Philemon Choraules omnibus eum opprobriis oneraret, suspirans: Fili, inquit, misereatur tui Deus, & nihil horum quæ modo in me obloquendo effudisti, reputet ad peccatum. His verbis ille corde compunctus, & fidem quam persequebatur, suscepit, & non recusavit martyrium. *Maruli lib 1. cap 3.*

Theodosius Imperator: Iram adeo in potestatem habuit Theodosius, ut neminem unquam eorum à quibus læsus fuisset, ultus sit, neq; eum quisquam succensentem viderit. Atq; aliquando ex familiarib. cuidam dicēti, neminem ab eo illorum morte mulctatum esse, qui injurii ei fuissent, respondens: Utinam, inquit, eos in vitam revocare possem, qui jam dudum mortui sunt. Ad alium quendam eadem prope referentem, dixit, Nihil esse novi, si quis, homo quum sit, è vita excedat. Unius autem Dei esse, cum qui semel mortuus sit per pœnitentiam ad vitam revocare. *Nicephorus eccl. histor. lib 14. cap. 3.*

Gr. Nazianzenus: Quum Orthodoxi nonnulli Gregorium Nazianzenum

Nazanzenum hortarentur ut molestiis hæreticos à quibus fuerat graviter afflictus afficeret, respondit, Non hæc, ô grex, Christus postulat: non ita nos, Evangelium docet. Hoc tempore aberrãtes in viam reducere convenit. Curandum ut peccata sua intelligãt, Domini pedibus advolvantur, impietatem renuntient, gregiq; admisceantur. Hoc ego pro ultione habeo, ut ii, à quibus injuria lacessiti fuimus, salutẽ consequantur, præclaraque ea esse confiteantur, quæ non ita pridem insectabantur. Animi æquitatem adhibete, filii. Vir animi æquitate prẽditus affluit prudentia. Beneficio afficite eos qui vos oderunt, iisq; delicta perfectè condonate. Quod si nimium ira inferveſcit, nec coerceri ulla ratione potest: quod secundũ est, præstate. Christo hæc relinquite, atq; ad futurum tribunal transmittite. Mihi enim vindictam ego retribuam, dicit Dominus. Hac illi oratione permoti conquieverunt. *Gregorius Presbyter, in Vita Gregorij Nazianzeni.*

D. Bernardus: Venit ad Bernardum abbatem Clarevallensem presbyter monasticam vitam professurus. Monitus ab eo posse quidem & alibi eum proficere, si velit: ceu repudiatus Bernardum pugno percussit. Qui aderant, confestim fuissent ulti injuriam, nisi ejus qui erat injuria affectus, intercessisset auctoritas, vim inhibentis. Oportet (inquit) eum aliis ignoscere, cui toties à Deo ignoscitur. *Marullus lib. 5. cap 2. & Auctor Vita lib. 3. cap. 6.*

¶ Monosticha Trochaica.

A quo multa bona accepisti, ejus quoq; fer injurias.
Ad minorum injurias nimis efferuntur divites.
Amplitudinem bonorum illustrat & injuria.
Amplius terret formido injuria quam injuria.
Alteri nocere non est arduum, est cujuslibet.
Commoveri alieni injuriâ honestius quam propria.
Cordis ad secreta repit, auriumq; injuria.
Dum doles injuria una, pluribus te ipsum objicis.
Exstinguenda injuria æque est illico atq; incendium.
Ferre malim omnem usquequaq; quam patrare injuriam.
Ferre vim grave est, ferre injuriam grave est magis.
Finis effrenis potentia ecquis est? injuria.
Hæret altè animo beneficium, verum injuria altius.
Hamo tua absq; injuria nullam vindices injuriam.
Heu quam multi in benefactores sunt suos, injuriæ!
Magnanimi sunt non qui faciunt, sed vetant injurias.
Itur ad aram, ad arbitrumq; ut est inlata injuria.
Major hoc injuria est, quo à viliore contigit.
Majore animo injuria non agnoscitur, quam ignoscitur.
Maximum malum è pusilla sæpe natum injuria.
Mens injuriam parit, casus parit infortunium.
Mente pro inferentis, major est injuria aut minor.
Minimè miror, qui insanire occipiunt ex injuriâ.
Multi quam ipsimet fecere fieri injuriam putant.
Multum est non injurare, plus arcere injuriam.
Nemo injuriam fatetur sese, cum est vel maximè.
Nemo non cui nocebis, mox nocebit & tibi.
Nemini sua videntur simplices injuria.
Nil eo prius quam qui fert plurimas injurias.
Non diu durat propinquum quidquid est injuria.
Non idem est injurias inferre, atque has repellere.
Non minus mali est referre, quam ipsam inferre iniuriam.
Non nisi à malis tentatur in bonos iniuria.
Non potes alteri esse quin sis & tibi unà iniurius.
Non sentire se percussum, vera est magnitudinis.
Nulla adducit ad sensum sui animum magnum iniuria.
Objicis te iniuriis mille, ante quam unam vindicas.
Omnis a mente inferentis pendula est iniuria.
Omnibus minatur, uni qui facit iniuriam.
Pessimum est pati nec posse vindicare iniurias.
Plurimum est indignitatis in muliebri iniuria.
Plus mali est in irroganda quam ferenda iniuria.
Præstantissimum bonum est iniuriarum oblivio.
Prætorquete iniuria collum prius quam ad vos pervenerit.
Quam potes vetare, patras ni vetes iniuriam
Qui post factam iniuriam se purgitat, prodest parum.
Qui suæ memor naturæ est nil mali infert alteri.
Quisquis uni iniuriam infert, hanc minatur pluribus.
Quod manifestum est jure factum haud esse, id est iniuria.
Sæpe quis fit & sibi, est iniuriosus dum alteri.
Sæpe maiori fortunæ iniuria stravit locum.
Satius est vinci bono, malo quam iniuria vincere.
Semimas est ac cinædus alteri clam qui nocet.
Si recognoscat se virtus, facile iniuriam solverit.
Tam ladit qui iniuriam non vindicat, quam qui facit.
Tam malum est referre, quam fecisse iniuriam malum est.
Vindicas iniuriam unam? mille aliis te ipsum objicis.
Vix erit alteris æquus in suos iniurius.
Vtitur suo qui iure, iniuriosus nemini est.
Vultu hilari potentiorum suffer, eia, iniurias.

¶ Jambica.

Acerbat omnem iniuriam cognatio.
Ægrè ferimus vim, iniuriam sed ægrius.
Aliud facere est iniuriam, aliud reponere.
Anno utili actio iniuriarum tollitur.
Audire præstat male, patrare quam malum.
Bono si quid malefacis, ætatem expetis.
Cavens potius iniuriam quam vindices.
Chari Deo sunt qui odio habent iniurias.
Et postmodum orta gratia post iniuriam est.
Fecisse, facta pœna iniuria maxima est.
Haud vindices iniuriam, aquius quam persequis.
Impunè ferre iniuriam, ignavissimi est.
In ære iniuria, in aqua beneficium scribitur.
Index scelesta mentis, lingua iniurians.
Inferre amico iniuriam facillimum est.
Iniuria eis qui ipsam inferunt, summum est malum.
Iniuria rem est aliena, eampse qui non vindicat.
Iniuria in virum sapientem non cadit.
Iniuria non est, qua antè feceris, pati.
Iniuria adquiesse, Marte vincere est,
Iniuria Deorum, cura sunt Deis.
Iniuria duplum infert, quisquis vindicat.
Iniuriæ fiunt lucris omnes gratia.
Iniuria imputantur iis qui plus valent.
Iniuria omnis auctor est repletio.
Iniuria omnis una saties est parens.
Iniuria promptissimè exsolvas vices.
Iniuria rependas iure iniuriam.
Iniuriam auget extenuatve dignitas.
Iniuriam cavens potius quam vindices.
Iniuriam ferre est quam inferre optatius.
Iniuriam intulisse pejus quam pati.
Iniuriam multi æstimant potentiam.
Iniuriam passo nil eloquentius.
Iniuriam patitur bonus non ingerit.
Iniuriam potius patiaris quam inferas.
Iniuriam propulsat fortis, haud facit.
Iniuriam quicumq; mentitur, facit.
Iniuriam quis non reponit cum potest?
Iniuriam tuam, bene dones publico.
Iniuriarum memoria mutua optima est.
Iniuriarum non meminisse fortium est.
Iniurias qui ferre novit, optimus.
Iniuriatus de ultione cogitat.
Iniuriosis semper instat ultio.
Iniurius nemo alteri est quin sit sibi.
Iniurius nemo est Deo, quisque est sibi.
Interpretando iniurias accenderis.
Ipsi suas Dij vindicant iniurias.
Latissimè Regum patent iniuriæ.
Levat futuri spes præsentem iniuriam.
Magnum malum ortum è parvula est iniuria.
Magni est animi despicere posse iniurias.
Maius malum est iniuriam facere quam pati.
Minime inferas iniuriam quibus potes.
Nil suavius quam iniuriarum oblivio.
Nulla est, nisi profecta à consilio iniuria.
Pleraque iniurias qui nescit non accipit.
Sæpe ex iniuria postmodum orta gratia est.
Sæpe oritur ex iniuria commendatio.
Sanare præstet, ulcisci quam iniuriam.
Si non lacessis, ne quidem serpens nocet.
Similis Deo est qui iniuria haud irascitur.
Vim inferre quisq; malelit quam iniurias.
Stultus dolet, spernit sapiens iniuriam.
Vim promptius quis perferat quam iniuriam.

Injustitiæ.

¶ Sententiae Patrum Græcorum.

Dnazanzenus: Injustitiæ dominanti nonnihil concedendum est; utiq; cum se justa indignatione commotam ulciscitur. *Orat. 3. steliteut. 1.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Quod Martinianus, & Zozimus ac Maro, digni, ut abs te dictum est, Eusebio discipuli, & eum apud omnes, & omnes apud eum criminentur, perspicuum est. Quod autem vis illa scelerum ultrix nec illum nec istos semper toleratura, verum dignas iis quæ perpetrarunt atq; nunc perpetrant pœnas ab ipsis expetitura sit, id quoque liquet Nemo enim injustè agens, divinam justitiam latuit: verum alii in hac vita, alii in altera pœnas perpenderunt. *lib. 2. Epist. 276.*

¶ Philosophorum.

Philostratus O Dii! qualemnam me esse dicam? malus quidem profecto non sum, utrum vero bonum me existimari oporteat, nescio: nam injustè nihil egisse, nulla est laus. *lib. 3 Apoll. cap. 3.*

Philoſtratus: Cum me jactarem quod vectores meos non prodidiſſem piratis, Indi me deriſere, dicentes non eſſe juſtitiæ opus ab injuſtis abſtinere. Recte, inſit Theſpeſion: neque enim prudentiæ opus eſt ſtultà aliquid non cogitare, neq; fortitudinis aciem non relinquere, neque temperantiæ in mœchorum turpitudines non incidere: nec omnino laude dignum eſt, quod non eſſe malus videaris. omne enim quod æque ab honore pænaque diſtat, virtus non eſt. Numquã apud Athenienſes aut Lacedæmonios ſcripta ſententia eſt, Hunc aut iſtum eſſe coronandum, quia ſcortator non eſt, aut hunc eſſe donandum civitate quia non eſt ſacrilegus. Quis igitur erit juſtus, aut quid faciens talis appellabitur? neminem enim juſtitiæ cauſa coronatum agnovi; neque eſt qui pro viro juſto ſentẽtiam ſcripſerit, quod hunc oporteat coronari, quod talia aut talia operatus, juſtus eſſe videatur. Cogitanti enim quæ apud Trojam Palamedi, aut Socrati Athenis evenere, male fortunata apud homines apparebit juſtitia. injuſtiſſima enim hi paſſi ſunt, cũ eſſẽt ipſi juſtiſſimi. Quin etiam per injuſtitiæ opinionem damnati ſunt, cum præter omne jus lata ſententia fuiſſet. Ariſtidem quoq; Lyſimachi filium, ea ipſa juſtitia olim perdidit: ac talis vir ob talem virtutem in exilium miſſus eſt: equidem ridiculam juſtitiam haberi cognoſco. A Jove enim & fatis ordinata, ut hominibus non afferetur injuria, nuſquam ſibi ipſi, ne quis injuraretur providit. Mihi autem Ariſtides ipſe ſatis eſt ad oſtendendũ quis nõ injuſtus, quisve juſtus ſit dicendus: Dicas namque velim, numquid hic Ariſtides ille ſit, quẽ vos ex Græcia venientem ad inſulas dicitis navigaſſe tributorum componendorum cauſa? quæ cum ille æqua ratione conſtituiſſet, eadem veſte, & quidem vili, ac ſemilacera amictus rediit. Iſtemet eſt, inquit Apollonius, ob quem & paupertatis amor quandoque floruit. Si igitur, inquit Theſpeſion, oratores duo fuiſſent Athenis, qui redeuntem à ſociis Ariſtidẽ voluiſſent laudare; & is quidem in hũc modum ſententiam ſcriberet: Corona dignum eſſe Ariſtidem quoniam divitias non accepit, neq; ſui victus cauſa meleſtiam cuiquã attulit; ſed cum antea pauperrimus Athenienſium omnium ſemper fuiſſet, tunc quoque ſe ipſo rediit pauperior. Alter vero decretũ hoc modo proferret: Quoniam Ariſtides non præter vires ſociorũ, ſed commode pro cujuſque facultatibus tributa diſpertiens, concordiæ ipſorum erga Athenienſes curam geſſit, effeciſſetq, ut non dolenter illa perferent, videri ſibi juſtitiæ cauſa ipſum coronari debere. Nonne cenſes priori ſententiæ ipſum etiam Ariſtidem contradicturum, quaſi rebus à ſe geſtis non congruenti; eum pro quibus injuſte non egiſſet, honorem peteret; hanc autem eſſe laudaturum, cum mente repeteret quid illis agendis fuerit meditatus. Reſpiciens enim ad Athenienſium ſociorumq; utilitatem, mediocritatem tributorum inſtituerat; quod ſane poſt Ariſtidem magis apparuit. nã poſtquam Athenienſes, ipſius judicium tranſgreſſi, graviora tributa inſulis impoſuere, ablata eſt ipſis navalis potentia, qua maximè terribiles erant, omnes autem maritimæ vires ad Lacedæmonios tranſiere, cum omnes ſocii ad res novas moliendas animos erexiſſent; unde rerum ſecuta eſt converſio, Si igitur, ſecundum re ã rationem contemplari voluerimus, Apollini, non is eſt juſtus qui injuſta non operatur; ſed qui & ipſe juſta operatur, & alios ne injuſte quid ãgant inſtituit. Naſcentur autem ex ipſa hac juſtitia virtutes aliæ complures, maxime autem judiciaria, & legumlativa. Judicabit enim vir talis, & quidem rectius, quam qui ſuper ſectis carnium fruſtis juramenta concipiunt; & leges feret perinde ac Solones & Lycurgi. nam & iis leges ferentibus, juſtitia princeps & dux fuit *lib. 5. cap. 11.*

¶ Apophthegm. Sacror.

Ludovicus XII. Gall. Rex: Cum ſæpe perageret edictis ſuis Julius Pontifex, Eccleſiæ ſervandæ gratia bellum Ludovico regi fuiſſe indictum, laudabat rex id vetus prudentis hominis, Platonis videlicet, qui capitaliorem dixit injuſtitiam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt ut boni videantur. *Arnoldus Ferron. de reb. geſt. Francorum, lib. 3.*

Anonymus: Judei conventum celebrem habuere in Viſſenfelde, oppido Miſnenſis Marchiæ, circa annum ſalutis 1384. ex longinquis terris convenere publica ſecuritate per itinera à Principibus impetrata. Quidam militares per inſidias captis omnibus, quibuſdam etiam cæſis, ingentem prædam abſtulere, ad quinque millia ſexagenarum degroſſis. Accuſati illi apud Principes, interpoſita fide publica venere ad reſpondendũ. Unus ex eis promptior, Jure, inquit, divino eccleſiaſtico, non diſcrepante imperatoria lege, hoſtis eccleſiæ & ejus violator nulla debet immunitate gaudere. Quis autem neſcit quales ſint Judææi Eccleſiarum hoſtes? Et quoniam hoſtis terreni mei principis, hoſtis quoque meus jure optimo cenſeri debet: multo magis hoſtis æterni principis (quem etiam Patrem invocamus) debet mihi hoſtis publicus haberi Si quid ergo ex hoſte publico retuli, optimi principes, inter juſta debet ſpolia computari: nec ad cujuſquam, præter paſſi, pertinere debet injuriam. Delectati principes facato militaris viri reſponſo illum abſolverũt, Judæis cum irriſione dimiſſis. *Cranzius lib. 9. Vandal. cap. 17.*

Iacobus Carrienſis Princeps Patavinus: Paulo ante quam exiret è vita, & noviſſimũ ſpiritum penè agens, facta ſui poteſtate omnibus quicunque queri de ſe vellet, laxatis foribus liber aditus patebat, ut ſi forte aliqua in re quempiam defraudaſſet, præſens ipſe indicaret, redditurus quicquid injuſte acceperat. Interim quum omnes ejus dicta factaque maxime approbaſſent, quidam arroganter petiit, pecuniam ob remiſſam ſibi capitis damnationem teſtitui, tanquã indebitè ſolutam, Cui Jacobus generoſo ſpiritu, ſed exili voce (animam enim exigua vitæ ſpe jam trahebat) Si tunc juſtitia in te reddita fuiſſet, reſpondit: nunc, quod juſte facit, queri de me non poſſes. Nam capitalis criminis reus eras factus, & ejus pœna in pecuniam, non in tuam, neque in meam, ſed in Reipub. gratiam commutata eſt. Quare abi, bone vir, & qui hactenus malus fuiſti, mutatis in melius moribus, vir bonus eſto: cum, ſi pecunia reddatur tibi, tu quoque caput (quod æquum eſt) pariter reddas neceſſe ſit. Id enim ea pecunia redemiſti. Nullius ego mihi peccati propterea male conſcius ſum, niſi forte quod mitius quam mereberas, mulctatus fueris. Hæc referuntur à *Bernardino Scardeanio, lib. 3. claſſ. 13. deſcript. Patavij*. Huc referti etiam poteſt, quod cuidã ex regibus Galliæ morio quidã reſpondit. Quum enim rex de quodã conqueretur, qui homicidii veniam petebat, & diceret, Atqui jam tertium homicidium eſt: Quid ais, inquit, Domine? imino duntaxat primũ homicidium perpetravit: tu ſecundum & tertium. Nam ſi primi veniam illi non dediſſes, unicum illud commiſiſſet. *Vide D. Philippi Camerarij meditationes hiſtoricas, cap. 100.*

¶ Monosticha Trochaica.

Abſq; pœna nemo injuſtus degit conſcientiæ
Facta injuſta, ut non auctori, at perculsum omnibus
Iuſtus injuſtusve quis ſit, tempus unicum indicat.
Maximè juſto trascuntur perpetrant quæ maxime.
Nemo juſtus nemo injuſtus eſt niſi unicum ob lucrum.

¶ Jambica.

Injuſta ab juſtis impetrare non decet.
Injuſta quivis execratur, & facit.
Injuſte agens eſt in malis pereuntibus.
Injuſtitia eſt probroſa, ſed lucro adſiet.
Injuſtum alium trahere, & alios lædere.
Injuſtus eſt qui ſeipſum juſtum judicat.
Lucroſa nulli injuſtitia fuit diu
Sine juſtitia ipſa injuſtitia eſſe non queat.

Innocentiæ.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

Baſilius Seleuc. Mortali vita per cædem juſti privantur, ſpe tamen bona per mortem non deturbantur quinimo mortis patrocinio fulti contra eum, qui injuria affecit, plus poſſunt: quodque omnium eſt maximum, liberationem à morte, & reſurrectionis ſenſum hominibus fauſtè denuntiant. *Sermone 3. de Abele.*

¶ Latinorum.

Salvianus: Augmentum reatus eſt, innocentiam jactare poſt culpam. *Epiſtola 3.*

Chryſologus: Innocentia nunquam nuda eſt: & reatus ſemper refugit ad velamen. *Sermone 78 f.*

Ennodius: Non illis erat divinus ſplendor in vultibus, non quæ officium nunciaret hilaritas. Neſciunt inter adverſa turbari, quibus in ſeculi tempeſtatibus de innocenti conſcientia portus occurrit. Vidimus afflictores cæteris trepidantibus, quibus nuda nomina lex ridenda concedis. Quis remanſit locus in mœnis, ſi ſacramentum iſtud ſolo reſtat in titulo? Dici credo aliud, aliud eſſe Pontificem. Vidi ſæpe ante confectas jejunis facies directa in jugulum tela cecidiſſe, & retuſos ab inermibus gladios rigentem perdidiſſe naturam. Si creditis religioſa dicturo, non fuit templorum miniſter, qui inter quælibet diſcrimina humano eget auxilio. Sed ſuperemus arbiter poſſeſſionem ſuam nova luce veſtire. Non latet cœleſtis illa permiſtio & quamvis humanæ fragilitatis tunica veſtiatur, effulgorat. *Dictione 32. a. f.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Iulianus Imp. Etenim breve tempus bene & innocenter actum, peccanti immortalitati anteponendum eſt. *Sive Epiſtola 1.*

¶ Romanorum.

Quintiltanus Senior: Fortaſſe ita vixeras, ita multa petulanter, multa temere, multa cruente commiſeras. Turpiſſimo hominis argumentum eſt, innocentem poſſe damnari. non enim dicit corruptum eſſe judicium, non verſatam pecuniam. Ita non erubeſcis? homicida viſus es. Tu porro tantum accuſare traiceris? non idem de te judices ſenſerunt? non omnium ſententiæ? *Declamationis. 313. ſub finem.*

Calpurnius Flaccus: Vetus dictum eſt, ut aurum igne, itidem innocentiam judicio ſpectari ſolere. *Controverſia 31.*

¶ Poetarum.

Lucianus in Fœlices.

Si non delinques, tibi diiq; hominesq; favebunt,
Præſtabunt facilis quaq; precatus eris.
Aſt ubi peccaris, ceſſat favor, omnia plena
Sunt odij, facta & ſors aliena tibi.

Plauru

Plautus Pseudolo 1. sc. 5. v. 45.

Satum vide hominis Calipho, quasi basiliscum.
C. Bene confidenter q3 abstitisse intelligo.
P. Dicit innocentem qui sit, atq3 innoxius,
Servum superbum esse apud herum potissimum.

P. Syrus Mimus.

Nocens precatur, innocens irascitur.

¶ Apologorum.

De lupo & Agno. anonymus.

Est lupus, & agnus: sitit hic, sitit ille: fluenti
Limite non æquo, quærit uterq3 viam.
In summo bibit amne lupus, bibit agnus in imo.
Hunc timor impugnat, verba monente lupo.
Rupisti potumq3 mihi, rivoq3 decorem
Agnus utrumq3 negat, se ratione tuens.
Nec tibi nec rivo nocui: nam prona supinum
Nescit iter, nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore lupus, mihi damna minatis?
Non minor, agnus ait; cui lupus, imo facis:
Fecit idem tuus ante pater, sex mensibus actis.
Cum bene patrisses, crimine patris obi.
Agnus ad hæc tanto non vixi tempore: prædo
Sic tonat, an loqueris furcifer? hunc q3 vorat.
Sic nocet innocuo nocuus, causamq3 nocendi
Invenit: hi regnant qualibet urbe lupi.

De Accipitre columbam insequente. Fab. 3.

Cum accipiter columbam præcipiti insequeretur volatu in villam quandam ingressus, à rustico caprus est; quem blande, ut se dimitteret, obsecrabat. Non enim te læsi, dicens. Cui rusticus, nec hæc, respondit, te læserat.

Fabula indicat, merito puniri, qui innocentes lædere conantur.
Laur. Astemius.

¶ Emblematum.

Camerarius 24. Centur. 1.
Invidia integritatis assecla.

Quàtum pulmæ hydri possunt ranaq3 nocere:
Tantundem invidia virus obesse probis.

Camerarius 86. Centur 2.
Nil moror ictus *Echinus in pilam convolutus*
contra canes.

Integritas, virtusq3 suo munimine tuta.
Non patet adversa morsibus invidiæ:

Camerarius 25. Centur 3.
Nil fulgura terrent. *Odor.*

Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri;
Fortunæ insultus despicit integritas.

Camerarius 69. Centur 4.
Candidè & sincerè.

Ambulat en medios Salamandra illæsa per ignes,
Nempe illæsa manet semper & integritas.

Camerarius 76. Centur. 4.
Præda minor majori.

Majoris minor esca feræ, velut esca Draconis
Serpens. Ergo potens opprimit innocuos.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Ioseph Patriarcha. Quum commodam interpretationem edidisset somnii illius quod pincernatum præfecto dormienti fuerat ob latum, subjecit ad eundem. Si memor eris mei apud te cum bene erit tibi, tunc exercetо quæso erga me benignitatem: aut mentionē facito mei apud regem, & fac ut exeam ex hac domo. etenim omnino per plagium surreptus sum è terra Hebræorum: atque adeo hic non feci quicquam cur conjicerent me in hanc foveam. *Genes.* 40. 14. 15. Philo, de carcere Josephi ita loquitur: Joseph in carcere tanta virtutis specimina edidit, ut etiam facinerosis esset miraculo, ad suæ calamitatis solatium credentibus sibi contigisse hunc hominē. Jamque locus ille non tam erat carcer, quam disciplinæ meditatorium, eo quod tum præceptis, tum exemplis Josephi utilissimis erudirentur. Nam ille vitam suam virtutibus plenam, velut tabulam bene pictam, in medio proposuit, & convertit etiam eos, qui videbantur insanabiles, affectos inveteratis animi morbis, ita ut jam damnarēt vitam suam præteritam, exprimentē has voces resipiscentia: Ubi tātum bonum tam diu latuit, à quo pridem aberravimus? Ecce jam affulgente hoc tanquam in speculo, nostra dedecora videntes, erubescimus. De liberatione Josephi ex carcere vide Genes. 41. Psal. 105. & Sapient 10. De eodem Josepho pulchrē scripsit antiquitas in hūc modū, Joseph servus est, sed pravis suæ dominæ cupiditatibus servire nescit: venditur hero, non tamen est Satanæ vel peccati, sed Dei & virtutis mancipium: decorus facie, sed pulchrior mente: corporis formam oculi heræ contemplabantur, sed ad casti cordis speciē non penetrabant, neque summum decus ei adimebant. Ferrum in carcere transfodit animum ejus conscientiam peccatum non sauciavit.

Achimelec Sacerdos: Conjurationis cum Davide initæ accusatus, & immerito, dixit Saūli accusanti, At quis est inter omnes servos tuos sicut David fidus, & gener regis, & incedens in tui obedientia, ab honoribus in domo tua. An eo die cœpi consulere pro illo Deum? absit mihi: ne imponat rex servo suo quicquam, aut ulli è familia patris mei: nam non fuit conscius servus tuus in toto hoc negotio rei parvæ aut magnæ. At neglecta Achimeleci defensione Saul jussit eum cum aliis sacerdotibus morte affici. 1. *Sam.* 22. 14. 15.

David. Saul cum copiis ad Davidem intercipiendum profectus, cum itinere alvum purgaturus solus speluncam ingreditur, imprudens in Davidem incidit, qui clementia erga hostem usus, & à vindicta prorsus abstinens, Saulē intactum abire permisit, & egressum reverenter alloquutus est innocentiæ suæ patrocinio susceptо, dicens, Domine mi rex, quare auscultas verbis cujusquam dicentis, Ecce David quærit malum tuum? Ecce hoc die viderunt oculi tui, Jehovam tradidisse te in manum meam in ista spelunca. Atqui pepercit oculus meus tibi: dixi enim, Non extendam manum meam in Dominum meum. Imo, pater mi, etiam atque etiam vide alam pallii tui in manu mea: ex eo quod, excindendo alam palii tui, non interfeci te, agnosce & vide non esse in manu mea malum aut defectionem, neque peccasse me in te: quamvis tu persequaris vitam meam, ut intercipias eam. Judicabit Jehova inter me & inter te, & ulciscetur me Jehova de te: at manus mea non erit contra te. Quemadmodum dicitur sententia illa aut quorum, Ab improbis prodeat improbitas: at manus mea non erit contra te. Post quem processit rex Israelis? quem tu persequeris? persequeris canem mortuū, persequeris pulicem unum. Sed erit Jehova vindex, & jus dicet inter me & inter te, cognoscet, inquam, agetque causam meam, & vindicabit me è manu tua. Hac innocentiæ Davidis justa defensione permotus Saul culpam agnoscit, & pro sua posteritate apud Davidem intercedit, deinde abit domum suam. *Vide* 24. *cap.* 1. *lib. Samuelis.* Item cap. 26. ejusdem libri, in quo innocentiæ suæ orationem fere eandem David ad Saulem denuo interceptum instituit.

Ieremias propheta: Alloquutus est omnes Principes Jehudæ & populum, dicendo, Jehova misit me ad prophetandum contra domum hanc, & contra civitatem hanc omnia quæ auditis. Nūc ergo bonas efficite vias vestras & actiones vestras, & auscultate voci Jehovæ Dei vestri: & pœnitebit Jehovam istius mali quod eloquutus est contra vos. De me autem, ecce me in manu vestra: facite mihi ut bonum & ut rectum videtur in oculis vestris. Veruntamen omnino scitote, si morte afficitis me, sanguinem innocentem vos imponere vobis, & civitati huic, & habitatoribus ejus: nam vere misit me Jehova ad vos, ad proloquēdum vobis audientibus omnia verba ista. *Ierem.* 26. 12. *&c.*

Idem: Cum exiret Hierosolymis, profecturus in terram Benjaminis, à quodā præfecto prehensus & accusatus quod ad Chaldæos deficeret, respondit, *Falsum est, minime deficio ad Chaldæos.* Nihilominus tamen percussus à Principibus, & in foveam conjectus est. *Ierem.* 37. 14 *&c.*

Daniel Propheta: Edicto impio quum non paruisset Daniel, urgentibus regni proceribus in foveam leonibus obtruditur, & servatur à Deo. Regi autem ad foveam inclamanti, Daniel respondit. Deus meus misit Angelum suum qui occlusit os leonum, ut non læderent me: nam coram eo puritas inventa est in me: & coram te, o rex, maleficium non commisi. *Dan.* 6. 23.

Anonyma: Vercellis, Ligurum urbe, à viro uxor adulterii accusata, dū torqueretur, cōstanter crimē semper negavit. Juvenis autē, quo cum adulterasse dicebatur, tormentorum impatiens, quod non patrarat, patrasse se fassus est. atque ob eam rem a nobus à cōsule morte damnatis, prodigio veritas detecta est. Juvenis enim mēdax, gladio percussus, caput semel ictus amisit: septies autem cum femina gladio percussa esset, non cæsim modo verum etiam jugulo pūctim petiro, ferrum retro, ab ejus carne velut à silice semper resiliit, præterquam in extremo ictu. Tunc pro mortua ut sepiliretur elata, in loculo vitam recepit, in hæc verba prorumpens, *Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo.* Anus quædam interim, quæ Ecclesiæ sustentabatur opibus moritur, & in tumulo illo componitur. Quo delusus carnifex, qui incerto rumore septies percussam revixisse intellexerat, eamque ad supplicium denuo rapere conabatur, abiit. Illa clam secto crine, cum virginibus quibusdam virili habitu rus abducta & curata fuit: neque tamen nisi Evagrii intercessione apud Imperatorem vitam & libertatem impetrare potuit. *D. Hieronym. ad Innocentium.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Innocentiæ puritatem, verum omnium virtutū fontem, amplectimur: quam Christianū populum decere, vel maximum ex eo constat, quod Dominus Noster suos adhortatus, subjungat quasi concludens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et iterum alio loco oves eos nominat, & agnos: oves quidem, ut innocentia Christiana ovibus æquetur; agnos, ut agnorum naturam simplicem, mentis simplicitas imitetur. *Matth. cap.* 10.

Albuquertius Pro Rex Indiæ: Veniat & ex ultimis orbis finibus Albuquertius. qui, dum gravis tempestas ingrueret, & qua vehebatur, navis in discrimine esset, vidit puerum à quis in navim defluentibus pene suffocatum. quo, & simul animo arrepto, *Hujus,* ajebat, *innocentia fretus, confido me Christi benignitate è fluctibus emersurum.* Audiit Christus, adfuit, & emersit. *Osor. lib.* 8. *de Reb. Eman.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad legem bonum esse, valde angusta est innocentia.

Arduam optat generi humano rem, optat qui innocentiam.
Aurum ut igne sic judicio innocentiam probes.
Criminis non attonatur nomine horrido innocens.
Est supervacua innocentes inter eloquentia.
Heu quam multos innocenteis morum evertit pravitas!
In malis solatium ingens præbet innocentia.
In periculis vel ingens præsidium innocentia est.
In potentia spem, accusat innocentiam improbus.
Innocens damnatus unus, omnium periculum est.
Innocens est, non nocet qui leviter, sed qui nihil.
Innocens est quisquis testis, nemo conscientia.
Innocens nemo est, nequitia juncta ubi potentia est.
Innocenti vita longa, noxio brevissima est
Innocenta defensor, sit vindex & sontium.
Innocentium est, saxorum mortem obire jactibus.
Innocentia usque & usque profovente se excubat.
Innocenter acta vita, vita vel longissima est
Innocentia est triumphus, non peccare ubi licet.
Innocentiæ festina proxima est correctio.
Innocentia index, vocis ac vultus securitas.
Innocentia tributa vox, malo silentium est.
Innocentiam malo pressam haud dolore quei veles?
Innocentia securus esto, haud eloquentia.
Leve ubi dominatur libido præsidium innocentiæ est.
Mille vexat innocentes qui nocentem unum fovet.
Ne impiorum potior sit pollentia quam innocentium!
Nec sibi alteri ve vera noxia innocentia est.
Nemo fit nocens repente: per gradus virtus abit.
Nil agunt contra innocentes improbi, nil certe agunt.
Nil tam innoxium est omnino, quin nocere aliqua queat.
Nō manu linguaq; tantum, sis sed & corde innocens.
Occidendi cum scelestis minime sunt innoxij.
Omnium salus vocanda est plurium innocentia.
Optimi peccando pervenere ad innocentiam.
Oreplectitur quandoq; novij innocentia.
Per gradus certos recedit ab homine innocentia
Pessimis est censere censu, haud innocentia viros.
Plus periculi quam honoris nunc ferre innocentia est.
Plus periculi, quam honoris vulgor est innocentia.
Prætextu premi nocentis insontem, exemplum grave est.
Quisq; verbis, nemo factis cultor innocentiæ est.
Roberi fraus juncta quamvis innocentiam opprimunt
Sapius periclo exposita, fidit innocentia.
Si tuorum abes periculis, minuis innocentiam.
Tantum ubi, si criminosa est in homine innocentia?
Vera nec sibi alteri ve noxia innocentia est.
Vir bonus malit perire quam innocentem perdere.
Vt dolor miserum hominem reddat, innocentia est opus.

¶ Jambica.

A nemine oppugnatur innocens miser.
Ab homine per gradus abit Innocentia.
Aliquando laus est temporum, Innocentia.
Contra innocentes improbi nihil agunt.
Et glorioſum pro innocentia mori est.
Et misericordia proxima innocentia est.
Etiam innocens inani cribro aquam hauriat.
Etiam innocentem sape perdidit pudor.
Habenda pro innocentia imprudentia.
Imitatio culpæ aliena, haud innocentia est.
In rebus humanis summum innocentia est.
In famis haud fit interemptus, innocens.
Invicta vis semper sua innocentia est.
Laus Principum rarissima, Innocentia est.
Loco parum tuto stat Innocentia.
Magnum in periclis præsidium innocentia est.
Male accipit Potentia Innocentiam.
Manu scelesta, esse animus innocens potest.
Multi innocentes sunt rerum ignorantia.
Non rara jam, sed nulla est innocentia.
Nullum excipit tribunal innocentia.
Nunquam latet quem prodit innocentia.
Nunquam suum jus desit innocentia.
Pie Deo litamus innocentia.
Purgatum oportet quemque, sit ut innocens.
Putet innocentem se esse civitas, erit.
Periculoſum vivere innocentia.
Plerunq; pro innocentia imprudentia est.
Saltem timor sit custos innocentia.
Scelesta manus est; innocens animus mihi.
Securitatis mater innocentia est.
Securius nil usquam innocentia est.
Tibi innocens sit, quisquis pro te nocens.
Vera innocentia ne quidem inimico nocet.

Inopiæ.

¶ Sententiae Graecorum.

Libanius: Si quis me roget, quod maximum humanorum malorum esse censeam; Inopiam dixerim. nec primus, opinor, hanc profero sententiam. sed in eo multos poëtas, multosque oratores sequor, qui rei naturam perspexerunt, & serio accusarunt. Cur enim cunctati fuissent eam accusare, quæ & Diis odio est, & cœlo detrusa? Nam quando Homerus aureum Diis pavimentum esse refert, opulentiam apud ipsos fatetur esse, & opum splendorem. Iidem etiam urbibus quas amant, divitias concedunt. Huic rei argumento est, quod Rhodiis, canente Pindaro, aureus imber è cælo fluxerit. Porro Thucydidem audis dicentem; abjectum primo Græciæ statum fuisse donec pecuniis destituta fuit. Proinde cernere licet urbes opibus carentes abjectas, viles, inamœnas incultasque esse. Neque enim urbs valido muro circumdaretur, nec spatium ejus plurimum terræ occuparet, neque templa construeret magnifica, nec ædes splendidas, mihi adhæc magnæ opes suppeterent. Quod si bello prematur oppidum inopia vexatum, unde salutem huic sperare licet? cum neque armorum copia sit, neque navium nec triremium; neque classis ductorum: neque auxilium externum accedat, neque commeatus adsit militantibus. Sed ne pax quidem læta potest egenis esse, egestate oblectationem quam securitas habet, opprimente. Jam vero si inops celebs maneret, solitudine affligeretur. at si parem sibi duxerit, geminum sibi paraverit incommodum. præterea si nascantur liberi, acrior penuriæ sensus erit: & ob id lachrymandum, quod locupletibus festos dies facit: ut inopes liberos videre non optent, sed orbitatem potius à Diis poscant. Qui autem nati sunt liberi ad serviles detruduntur artes, manibus sibi victum comparantes: se enim liberalis disciplinæ particeps fieri paupertas non permittit: non oratoriam facultatem acquirere: non sapientiæ studio incumbere; neque pauper ob largitiones in urbem illustris & conspicuus est: neque suppeditare potest, neque instruere navē, nec famem solvere, ex iis quæ intus condita habuerit, inopes etiamsi prudentia præstent, atque utile consilium adferentes accedant, contemnuntur propter fortunam, & obtemperantes non habent. Quare pauper licet ductor exercitus sit, perinde illi est. atqui nullos habet qui copias ipsi permittant. inops legatione fugens, quamvis justissimè obeat munus, in suspicionem incidit sordium. In summa virtutes (si quæ adsint pauperibus, quod rarum est) inopia splendere vetat. quin ut plurimum, improbitatis est magistra; dum pravum esse cogit egentem. Ex horum numero sunt qui è tumulis lucrari audent, & loculos defunctorum effringere: ex his sunt qui parietes fodiunt, fures, sacrilegi, qui neque homines reverenter neque Deos metuunt: hi dextras armant in desertis adversus viatores, eosque jugulant, quibus nihil habent quod objiciant, vilis cujusdam vestis gratia aut pauxillularum drachmarum. Istis depositum committere lubricum est: norunt enim fraudare, ac proinde pejerare. Pauper honore affectus non multum ab inhonoratis differt: cum linguam à fortuna ut canit Theognis, ligatam habeat. Ac pauperes per urbem ambulant mœsti, fixis in terram oculis, obstipo capite: non quod jacturam fecerint alicujus è domesticis: sed ingemiscunt potius ut pejora laborantes, decedentes sedibus, divertentes in vias; hoc ipso contenti, si nihil mali patiantur.

Porrò corporibus ita sunt affectis, ut ægroti appareant: animis vero ita constituti, ut similes iis sint qui destinati sunt ictibus. Inopi filia calamitas est, & nullibi procus: inupta miserabilis res est: oportunitate ipsa magis infortunium arguente. Iam vero in prætoriis si pauper injuria læsus persequatur, calumniari videbitur: quod si in jus vocetur, etiam innocens facile condemnatur. Excessit é vivis? de sepultura solicitudo est, & parentes illachrimantur non tam morti, quam quod honeste corpus sepelire non possint. Servitus nihil quiddquam tale est? at enim servus dormit in utramvis aurem, heri sui cura nutritus, & alia adeptus quibus corpus teget. Inops autem liber pervigilat in somnis, ut quærat unde alatur: acerbam admodum dominam habens egestatem, quæ cogit esurire. Dira res est morbus hominibus, & adversa valetudine premi. Verum undiquaque solatium adest locupleti: & medici & medicamenta, & cura arsque frequens.

At pauper ægrotans gemino colluctatur morbo. Ceterum qui inopiam accurate perpenderit, levius esse cum opulentia ægrotare, quam in summa rerum penuria, bene valere, affirmaverit.

Vituperio Inopiæ.

Libanius: Atqui hæc prius in prætoriis crimina non erant, non esse opulentum, aurum non possidere, non coëmisse terram: sed planè contrarium; ingentem pecuniarum cumulū coacervasse, & agros multos colere, sed ex templo opibus aliis multis eminere. *Declam.* 29.

Lucianus: Nā quæ paupertatis causa facis, ô chara Adrastia, nemini exprobravero. Ignoscendum enim, si quis fame coactus, depositō à cive accepto, dejeravit se non accepisse: aut si quis impudenter pesi-

petitimo vero mendicat, & furatur, & publicanorum more rapit. Hau equidem ista dico Nequaquam enim invidiosum est, quod inopem quoquo modo depellis: sed illud intollerabile tandem, quod bau per cum sis, in solas hujusmodi voluptates, ea omnia profundi, quæ per impudentiam acquiris. *E Pseudologista.*

¶ Romanorum.

Frontinus: L. Cæcilius Metellus, quia usu navium, quibus elephantes transportaret, deficiebatur, junxit dolia, constravitque tabulamentis, ac super ea positos, per Siculum fretum transmisit.

Annibal, cum ad prælati fluminis transitum elephantes non posset pellere, neque navium aut materiarum, quibus rates consterneretur, copiam haberet, jussit ferocissimum elephantum sub aure vulnerari, & eum qui vulnerasset, transnato statim flumine procurrere: elephantus exasperatus ad persequendum doloris sui authorem, tranavit amnem, & reliquis idem audendi fecit exemplum.

Charthaginensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebantur, crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt. Idem Massalienses & Rhodii fecerunt.

M. Antonius à Mutina profugus, cortices pro scutis militibus suis dedit. Spartaco copiisque ejus, scuta ex vimine fuerunt, quæ coriis tegebantur. Non alienus (ut arbitror) hic locus est, referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile, qui per deserta Africæ itinera, gravissima siti cum exercitu affectus, oblatu sibi à milite in galea aquam, spectantibus universis, effudit, utilior exemplo temperantiæ, quam si communicare potuisset. *lib. 1. Stratagematum cap. 7.*

¶ Poetarum.

P. Syrus Mimus.

Inopia desunt pauca, Avaritia omnia.

Item.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; parvis saxa magna nemo recte collocet.
Contrahit se inops, praterve cuncta patrant divites.
Ducere id laudi quod quondam factum inopia, injuriu est.
Est levis penuria mentis non iniqua si feras.
Nudus unus despoliari nequidem a cetum queat.
Plurimos trahit penuria omnem ad contumeliam.
Promptius nummos inops despexerit quam ditior.
Supplitij tanto plus inopi, quanto vita est longior.
Tam malum est habere nummos, non habere quam malu est.
Tunc sibi felix videtur inopia cum felix cadit.
Tuta est tenuitas; periclo magnæ opes obnoxiæ.

¶ Jambica.

Bonorum inopia adipiscitur sapientiam.
Est sortis, haud vitæ improbæ, indigentia.
Inopia longe onerum omnium gravissimum.
Humilesq; nati dici locupletes student.
Quando enatavit naufragus cum sarcinis?
Sublime pectus est & in censu brevi.
Tenere non est facile nudus qui effugit.

Insaniæ.

¶ Sententiae Graecorum.

S. *Isidorus Pelusiota*: Si Eusebius Episcopus, ut scribis, non cum eo insanire, insaniam esse censet, atque appellat; ne propterea conturberis. Præstat enim, cum sobrius sis, temulentum videri, quam cum temulentia labores sobrium. Quandoquidem enim præ improbitate in furorem raptus, omnino subactus est, idcirco omnes desipere atque à mente deduci cupit: quo nimirum eorum, quæ flagitiose & sceleritate agit, reprehensiones effugiat. *lib. 3. Epist. 272.*

Hierocles: Non potest vel non insanire qui Deo vacuus sit; vel Deo vacuus non esse, qui in dementiam incidérit. Est enim necesse & dementem Deo carere; & Deo carentem insanire. Utriq; autem, tanquam bonorum studio nequaquam excitati, innumera damna patiuntur; facinoribus deorsum rapientibus, tanquam Cylindris ad alia atque alia delati; nec habentes in quo seipsis utantur, qui in omni fortuna segerant intemperanter: nunc quidem propter opes contumelios: nunc vero penuria rerum improbi; & ad latrocinia corporis viribus, ad blasphemias autè earundè imbecillitate, atque morbis, conversi: liberorum præterea orbitatem molestè ferentes; eorum autem numerum, si copiosus sit, bellorum prætextum, atq; sordium, facientes. Deinde ut semel dicam; nihil est in vita, quod amentibus in damnum non cedat, qui sponte malitiæ angustiis premantur undique: neque ad lucem divinam intendant oculos; neque ea audire velint, quæ verè bona sunt: ita in mortales affectiones ruant; ut in vitia tanquam procella rapiantur. At istorum una liberatio est, reversio ad Deum; quam soli nanciscuntur, qui animi oculum, atque aurem, ob bonorum recuperationem excitat: quique malo, quod naturam nostram comitatur, ea vitute medetur, quæ ad superiora deducit. *cap. carm. 56. Pythag.*

¶ Romanorum.

Terentius Varro: Ut arquatis & veternosis, quæ lutea non sunt, æque ut lutea videntur: sic insanis sani, & furiosi? videntur esse insani. *apud Nonium.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2. sc. 2. v. 98.

——— *atra bili percita est:*
Nulla res tam delirantes homines concinat cito.

Plautus Menæchimis. 2. sc. 1. v. 34.

——— *Dij illos homines qui illic habitant perduint!*
C. Insanit hic equidem, qui ipse, maledicit sibi.

Plautus Menæchmis. 5. sc. 2. v. 120.

Heu hercle morbum acrem & durum! Dij vestram fidem,
Vel hic qui insanit, quam valuit paullo prius?
Ei de repente tantus morbus incidit.

P. Syrus Mimus:

Insanus omnis furere credit ceteros,

¶ Apologi:

De Insano sapientiam vendente. Fab. 184.

Insanus quidam urbes peragrans, alta voce clamabat, sapientiã se habere venalem: Cuidam autem oblato argenteo eam petenti, colaphum incussit, longumque filum dedit, dicens eris sapiens, si quousque hoc filum protentitur, ab insanis & furiosis abfueris.

Fabula indicat, nullum cum insano habendum esse commercium. Abstemius.

¶ Monosticha Trochaica.

Dij vestram fidē: hic qui insanit quam valuit paulo prius.
Etiam sunt qui quem vi cogant, validus ut insaniat.
Interest nil quam ex honesta causa quis insaniat.
Nil intractabilius est insano, nil morosius.
Sæpe alium insanire dicunt, ultro qui ipsi insaniunt,
Sæpe inops est mentis gnatus matre mentis compote

¶ Jambica.

Ærumna multa & mater est insaniæ.
Aliquando & insanire jucundissimum est.
An non fere mater magna quis vis desipit?
Bacchæ obsequaris; una rem solvas plaga.
Curanda vel quam vis in vita insania est.
Etiam insanire occipimus ex injuria.
Frus ulterius insania res optima est.
Insanientem nemo pœnis afficit.
Insaniunt quos urget iracundia.
Non respicit vires suas insania.
Non semper esse apud se, qui volunt, queunt.

Inscitiæ.

¶ Sententiae Patrum

S. *Isidorus Pelusiota*: Quemadmodum haud tutum est cum homine pugnaci desertum peragrare: eodem modo haud facile est cum homine indocto sermones eruditos movere. Ut enim ille omnibus corporis viribus in solitudine utetur, si quid quod ipsum offendat, dictum aut actum fuerit: sic iste, nisi omnia ad ipsius inscitiam dicta fuerint, omnes & philosophicos sermones, & probos viros et virtutis amantes ex orbe terrarum explodit & eliminat. Solet enim ut plurimum fortitudinis speciem exhibere temeritas: ac nunc eam passim præsidentem invenias. Nam nec Ecclesiam, nec Rempublicam, nec ipsum imperii statum sine ea regi atque administrari perspexeris. Ex quo & mala exuberant, & servilis quædam humilitas imperium ubique arripuit. Quamobrem fer animo forti stultum atque inconsideratum hominem: quandoquidem libenter sustines, tu qui sapiens es in Domino. *lib. 1. Epistola 322.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Arsenius Abbas: *Scire aliquid laus est, pudor est nihil discere vel le*, ajebat magnus Cato. Sunt tamen qui etiam Inscitiæ suos fructus & emolumenta adscribunt. Et quidem Abbas Arsenius, percontanti Evagrio monacho Græcarum literarum peritissimo, cur monachi Ægyptii rudes alioquin & indocti, tantis esset virtutibus ornati præ aliis; responsit: *Nos, qui alienis confidimus laboribus, non possumus ita tamquam ex propriis fructū percipere: ij vero qui in propriis laboribus occupantur, merito etiam propriis fructus colligunt.* Sur. tom. 4. in Vita.

S. Antonius: Fama nominis ejus permoti quidam Philosophi, ea ad eum venissent, & velut indoctum despexissent; ad illos conversus, *Quidnam* inquit, *prius est sensus, an littera?* item: *Sensusne ex litteris, an e converso ex sensu littera?* Asserentibus autem sensum esse auctorem & inventorem literarum, *Ergo*, intulit Antonius,

NIUS, *cui ſenſus incolumis eſt, hic litteras non requirit.* Athanaſ. in vita.

S. Auguſtinus: Quid ille? audiverat mira narrantem Potitianum de converſione quorundam aulicorum ex lectione vitæ S. Antonii: & Alipium qui fors aderat, invadens, *Quid*, inquit, *ſurgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris ſine corde Ecce ubi volutamur in carne & ſanguine.* Coll. ex lib. 8. Confeſſ. c. 8.

Dominicus Idiota: Erat is religioſæ & laudabilis vitæ, at plane inſcius. cui cum aliquando Gerardus à Nazaretho vellet literarum elementa tradere, eaque addiſcere ei eſſet perdifficile, dicebat: *Vere magis Deo placere poteros juſte vivendo, quam ſi tempus perdidero horum quidquam inutiliter addiſcendo.* Gerard. à Nazareth, capite Sexto.

Anonymus: Roganti cuidam, cur inſcii & indocti uſq; adeo amplectantur ſuas commentatiunculas, & ſi quid forte opportunius dicant; *Miraris?* inquit. *Quodnam quaſo animal impenſius amat ſuos fœtus, aſino & ſimia?* Appoſite certe, inſcios aſinis & ſimiis cõparabat. Ita enim eorum perſonam induens Perſius, cavillatur:

Non ego cum ſcribo ſi forte quid aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra eſt.

Auct. Serm. convival.

¶ Monoſticha Trochaica.

Impudensque pertinaxque maxime eſt Inſcitia.
Ne quidem Deo inſcientiæ ulla eſt excuſatio.
Non poteſt ferri ſapientem jactat ut ſe inſulſitas.
Non ſibi conſtare, ſignum eſt evidens inſcitiæ.
Ridet ad res ſerias inſcitia ignorantium.
Sæpe qui omnia ſcire ſe ait, ſolus neſcit omnia.

¶ Jamblica.

Ægre tegas inſcitiam inter pocula.
Audacius nil uspiam inſciria eſt.
Conſenſum habet nullum omnis inſcitia.
Inſcitiæ an quid eſſe audacius poteſt?
Inſcitia undiq; obſita eſt erroribus
Inſcitia comes ferè impudentia eſt.
Inſcitia temeritas prima filia eſt.
Neſcire quædam magna pars ſcientiæ eſt.
Nullum malum ſupra malum eſt inſcitia.
Peccare ſe qui neſcit, haud vult corrigi.
Qui non gerunt laudanda amant inſcitiam.
Quid vis facile fallax præterquam inſcitiam.

Inſidiarum.

¶ Sententiæ Patrum.

Egeſippus: Craſſo cum exercitu profligato, Parthi lætiores tranſeundum in Syriam crediderunt, quos ſtrenue inſidiis excepit Caſſius, & commiſſæ ſibi provinciæ finibus repulit, non ſine gravi detrimento hoſtium: cum effuſæ venientes, quod neminem ſibi obſiſtere auſurũ arbitrarentur, locis præventos. anguſtioribus occupaviſſet. denique fuſis ſuorum pluribus bellum deſeruarunt. *lib. 1. cap. 21. de exc Hieroſ.*

Egeſippus: Movit igitur iter magno dedecore exercitus; ſollicito ubique & parato agmine ſuſpectans inſidias, quia virtute ſe ſuperiorem videbat. *cap. 3. lib. 5. de exc. Hieroſ*

Egeſippus: Nec mirum ſi Judæi dolos intexant, fraudes ſtruant, qui ſe judicent impares fortitudine. Sed ut inferiorum eſt niti inſidiis; ſic fortiorum cavere ne virtuti illudat dolus. *cap. 7. lib. 5 de excid. Hieroſ.*

Io. Sarisberienſis: Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. *ſub finem cap. 10. lib. 3. Policratici.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Audita re, mox caſtellum Aſſyrius occupat, & numeroſo cum equitatu, multisque curribus, in vicis illic frequentibus inſidias locat. Gadatas, quum prope ab his vicis abeſſet, exploratũ quoſdam præmittit. Aſſyrius animadverſo, exploratores advenire, currus quoſdam productos caſtris, duos tresve, cum paucis equitibus, fugere jubet: quaſi qui & territi, & numeri pauci eſſent. Ea quũ exploratores viderent, non ipſi ſolum perſequebantur, ſed etiam Gadatæ innuebant. Is deceptus, totis viribus inſequitur. Aſſyrii quũ Gadatam capi jam poſſe putarent, ſtatim ex inſidiis ſurgunt. His Gadatæ milites conſpectis, ut par erat, fugiunt: illi contra, quemadmodum fieri ſolet, inſequebantur. Atque heic Gadatam is feriẽs, qui has ei ſtruxerat inſidias, aberrat ille quidem à vulnere letali: ſed icto tamen humero, vulnus homini inflixit. *capite 29 libro quinto Cyropædiæ.*

Lyſias: Et, ſi inſidias ipſi feciſſem, ita ne veniſſem imparatus, ut neque amicos, neque domeſticos, neque alium hominem quempiam aſſumpſiſſem? præter hunc puerum, qui opitulari mihi non poterat; prodere vero quæſtionibus ſubjectus poterat, ſi quid deliquiſſem. Quare, adeo rerum imperitus fui, ut cum inſidias facere vellem Simoni, obſervare neſcierim ipſum, ubi ſolum aggrediut nocte ac die licuiſſet: ſed huc venerim, ubi plures ipſum videre, pſique ſuccurrere poterant, quaſi adverſum me omnia procuravcim, ut inimicis quam maxime ludibrio eſſem. *cap. 9. apologiam Smonem.*

Heliodorus: Intellecto adventu Perſarum, occupant inſidii loca quædam occultãdis copiis idonea, & exceptos hoſtes vincunt pars collatis ſignis, & à fronte prælium ineuntes, pars à tergo ex inſidiis cum clamore incautos Perſas adorti &c. *lib. 6 Æthiopicor.*

Heliodorus: Vindicabit ſe Achemenes de Arſace, conſcius omnium alioqui flagitiorum acſcelerum ipſius, & cui nihil ad inſidias faciendas comminiſci ſit opus, quod ſæpius multi exacerbati ſunt auſi, ſed ex veris liceat habere expeditam ultionis rationem. *libro 7. Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Frontinus: Romulus per latebras copiarum parte diſpoſita, cum ad Fidenas acceſſiſſet, ſimulata fuga temere hoſtes inſequutos eò perduxit, ubi ocultos habebat milites: qui undique adorti effuſos & incautos ceciderunt.

Quintus Fabius Maximus Coſ. auxilio Sutrinis miſſus adverſus Hetruſcos, omnes hoſtium copias in ſe convertit deinde ſimulato timore, in ſuperiora loca veluti fugiens receſſit, effuſeque ſubeuntes aggreſſus, non aciem tantum ſuperavit, ſed etiam caſtris exuit.

Sempronius Gracchus adverſus Celtiberos, metu ſimulato, continuit exercitum: emiſſa deinde armatura levi, quæ hoſtem laceſſeret, ac ſtatim pedem referente, evocavit hoſtem: deinde inordinatos aggreſſus, uſque eo cecidit, ut etiam caſtra caperet.

Quintus Metellus Coſ. in Sicilia bellum gerens adverſus Haſdrubalem, ob ejus ingentem exercitum 130. elephantos intentior, diffidentia ſimulata, intra Panormum copias tenuit, foſſamque ingentis magnitudinis ante duxit, conſpecto deinde exercitu Haſdrubalis, qui in prima acie elephantos habebat præcipit haſtatis, tela in beluas jacerent, protinuſque ſe intra munimenta reciperent: ea ludificatione rectores elephantorum concitati, in ipſam foſſam elephantos egerunt: quo ut primum illaqueati ſunt, parti in magnitudine telorum confecti, partim retro in ſuos acti, totam aciem turbaverunt. Tunc Metellus, hanc operiens occaſionem, cum toto exercitu erupit & aggreſſus a latere Pœnos cecidit, ipſisque, & elephantis potitus eſt.

Tamiris Scytharum regina, Cyrum Perſarum ducem, æquo Marte certantem, ſimulato metu elicuit ad notas militi ſuo anguſtias, atque ibi repente converſo agmine, natura loci adjuta, devicit.

Ægyptii conflicturi acie in eis campis, quibus junctæ paludes erant, alga eas conſerverunt, commiſſoque prælio fugam ſimulantes in inſidias ſevocaverunt, qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhæſerunt, circumventique ſunt.

Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere ſe Romanis equitibus ſimulans, uſque ad locum voraginoſum & præaltum eos perduxit: & cum ipſe perſolidos ac notos ſibi tranſitus evaderet Romanos ignaros locorum immerſoſque limo cecidit.

Fulvius Imperator, Cymbrico bello collatis cum hoſte caſtris, equites ſuos juſſit ſuccedere ad munitiones eorum, laceſſitiſq; barbaris, ſimulata fuga regredi: hoc cum per aliquot dies feciſſet, avide inſequentibus Cymbris, animadvertit caſtra eorum ſolita nudari: itaque per partem exercitus cuſtodita conſuetudine, ipſe cum expeditis poſt caſtra hoſtium conſedit ocultus, effuſisque e eis ex more repente adortus, & deſertum proruit vallum, & caſtra cepit.

Cneus Fulvius cum in finibus noſtris exercitus Faliſcorum, longe noſtro major caſtra poſuiſſet per ſuos milites quædam procul à caſtris ædificia ſuccendit, ut Faliſci nos id feciſſe credentes, ſpe prædæ diffunderentur.

Alexander ex Epirotis adverſus Illyrios collocata in inſidiis manu, quoſdam ex ſuis habitu Illyriorum inſtruxit, & juſſit vaſtare ſuam, id eſt, Epiroticam regionem: quod cum Illyrii viderent fieri, ipſi paſſim prædari cœperunt, eo ſecurius, quod præcedentes veluti pro exploratibus habeant, ꝙ quibus ex induſtria in loca iniqua deducti, cæſi fugatique ſunt.

Leptenes quoque Syracuſanus adverſus Carthaginenſes vaſtari ſuos agros, & incendi villas caſtellaque quædam imperavit. Carthaginenſes à ſuis id fieri rati, & ipſi tanquam in adjutorium exierunt, exceptique ab inſidiatoribus fuſi ſunt.

Maharbal miſſus à Carthaginenſibus adverſus Aphros rebellantes, cum ſciret gentem avidam eſſe vini, magnum ejus modũ mandragora permiſcuit, cujus inter venenum ac ſoporem media vis eſt, tunc prælio levi commiſſo, ex induſtria ceſſit, nocte deinde intempeſta, relictis intra caſtra quibuſdam ſarcinnis, & omni vino infecto fugam ſimulavit: cumque barbari occupatis caſtris, in gaudium effuſi, medicatum avide merum hauſiſſent, & in modum defunctorum ſtrati jacerent, reverſus cepit eos, ac trucidavit.

Hannibal, cum ſciret ſua & Romanorum caſtra, in eis locis eſſe, quæ lignis deficiebantur ex induſtria, in regione deſerta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit: qua velut præda Romani potiti in ſummis lignationis anguſtiis, inſa lubribus ſe cibis onerarunt: Hannibal reducto nocte exercitu, ſecuros eos & ſemicruda graves carne, majorem in modum vexavit.

Tyberius Gracchus in Hiſpania certior factus, hoſtem inopem commerico laborare, inſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſeruit, quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperanter repletum gravemque, reducto exercitu, ſubito oppreſſit.

Hi quĩ

Hi qui adversus Erythreos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco ædito deprehensum occiderunt, & vestem ejus militi suo dederunt, qui ex eodem jugo Erythreos signo dato in insidias evocavit.

Arabes, cum esset nota consuetudo eorum, qua de adventu hostium interdiu fumo, nocte igne significare instituerant, ut sine intermissione ea fierent præceperunt, adventantibus autem adversariis intermitterent: qui cum cessantibus luminibus existimarent ignorari adventum suum, avidius ingressi oppressique sunt.

Alexander Macedo, cum hostis in saltu æditiore castra communisset, seducta parte copiarum, præcepit his, quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, speciemque præbent totius exercitus: ipse per avias regiones circumducta manu, hostem superiore aggressus loco depulit.

Memnon Rhodius rex, cum equitatu prævaleret, & hostem in collibus se continentem, in campos vellet deducere, quosdam ex militibus suis, sub specie perfugæ misit in hostium castra, qui affirmarent exercitum Memnonis jam perniciosa seditione furere, ut & subinde aliqua pars ejus dilaberetur. Huic affirmationi, ut fidem faceret, passim in conspectu hostium jussit parva castella munire, velut in ea se recepturi essent, qui diffidebant: hac persuasione solicitati qui in montibus se continuerant, in plana descenderunt, & dum castella tentant, ab equitatu circumventi sunt.

Harridas rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, majorem aliquanto exercitum habēte, molitus imbelles suorum, in vicinam regionem Ætoliæ famam sparsit, tanquam urbes ac res suas Ætolis concederet. Ipse cum his qui arma ferre poterant insidias in montibus, & locis confragosis distribuit. Illyrii timentes, ne quæ Molossorum erant, ab Ætolis occuparentur, velut ad prædam festinantes, neglectis ordinibus accelerare cœperunt, quos dissipatos, nihil tale expectantes, Harridas ex insidiis fudit, fugavitque

T. Labienus C. Cæsaris legatus, adversus Gallos, ante adventum Germanorum, quos auxilio his venturos sciebat, confligere cupiēs, diffidentiam simulavit, positisque in diversa ripa castris, profectionem edixit in posterum diem. Galli credentes eum fugere, flumen quod medium erat, instituerunt transmittere. Labienus circumacto exercitu, inter ipsas superandi amnis difficultates eos cecidit.

Hannibal, cum explorasset, negligenter castra Fulvii Romani ducis munita, ipsum præterea multa temere audere, prima luce cum densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionum nostrarum vigilibus ostendit, quo Fulvius repente movit exercitum, Hannibal per diversam partem castra ejus occupavit: & ita in tergum Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidavit.

Idem Hannibal, cum inter Fabium dictatorem & Minutium magistrum equitum divisus esset exercitus, & Fabius occasionibus imminueret, Minutius pugnandi cupiditate flagraret, castra in campo qui medius inter hostes erat, posuit: & cum partem peditum in confragosis rupibus celasset, ipse ad evocandum hostem misit, qui proximum tumulum occuparent: ad quos opprimendos cum aduxisset copias Minutius, insidiatores ab Hannibale dispositi, subito consurrexerunt, & delessent Minutii exercitum, nisi Fabius periclitantibus subvenisset.

Idem Hannibal, cum ad Trebiam in conspectu haberet Sempronii longi Cos. castra, medio amne interfluente sevissima hyeme Magonem & electos in insidiis posuit. Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sempronii credulitatem, adequitare vallo ejus jussit: quibus præceperat, ut ad primum nostrum incursum per nota refugerent vada. Hos consul & adortus temere, & secutus, jejunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigere fecit. Mox tempore, & inedia affectis Hannibal suum militem opposuit, quem ad ignibus, oleoque & cibo foverat: nec defuit partibus Mago, quin terga hostium in hoc ordinatus cæderet.

Idem ad Trasimenum, cum arcta quædam via in radices montis & campos patentes duceret, simulata fuga per angustias ad patentia evasit, ibique castra posuit, ac nocte dispositis militibus, & per collem, qui imminebat & in lateribus angustiarum prima luce, nebula quoque adjutus, aciem direxit. Flaminius velut fugientem insequens, cum angustias esset ingressus, non ante providit insidias, quam simul à fronte, lateribus, tergo circumfusus, ad internecionem cum exercitu cæderetur.

Idem Hannibal, adversus Junium dictatorem, nocte intempesta sexcentis equitibus imperavit, ut in plures turmas segregati per vices, sine intermissione circa castra hostium se ostentarent. Ita tota nocte Romanis in vallo statione ac pluvia, quæ forte continua fuerat, inquietatis confectisque, cum receptui signum jam Junius dedisset, Hannibal suos requietos reduxit, & castra ejus invasit.

Epaminundas Thebanus, in eundem modum, cum Lacedæmonii Athmon vallo ducto Peloponesson tuerentur, paucorum opera levis armaturæ, tota nocte inquietavit hostem: ac deinde prima luce vocatis suis, cum Lacedæmonii se recepissent, subito universum exercitum, quem quietum habuerat, admovit, & per ipsa munimenta destituta propugnatoribus irrupit.

Hannibal directa acie ad Cannas D C. equites Numidas jussit transfugere, qui ad fidem faciendam, gladios & scuta nostris tradidere: & in ultimum agmen recepti, ubi primum concurri cœpit, strictis minoribus (quos occultaverant) gladiis, scutis jacentium assūtis, Romanorum aciem cecidерunt.

Japyges P. Licinio proconsuli pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt, qui recepti, & in postrema acie collocati, terga Romanorum ceciderunt.

Scipio Aphricanus, cum adversa haberet bina hostium castra, Syphacis & Carthaginensium, statuit Syphacis, ubi multa incēdiis alimenta erant aggredi nocte, ignemque injicere, ut ex ea re Numidas quidem ex suis castris trepidantes cæderet: Pœnos autem, quos certum erat ad succurrendum sociis procursuros, insidiis dispositis exciperet, utrumque ex sententia cessit.

Mithridates à Lucullo virtute frequenter superatus, insidiis eum appetiit, Adathante quodam eminente viribus subornato, ut transfugeret: & fide pacta hosti, facinus perpetraret: quod is strenue quidem sed sine eventu conatus est: receptus enim à Lucullo in gregem equitum, non sine tacita custodia habitus est: quia nec credi subito transfugæ, nec inhiberi reliquos oportebat. Cum deinde frequentibus excursionibus, promptam & enixam operam exhiberet, fide acquisita tempus elegit, quo missa principia quietem omnibus castrensibus dabant, prætoriumque secretius præstabant: casus adjuvit Lucullum. Nam qui ad vigilantem usque admitteretur, fatigatum nocturnis cogitationibus illo tempore quiescentem invenit. Cum deinde, tanquam nunciaturus aliquid subitum ac necessarium intrare vellet, & pertinaciter à servis valetudini domini consulentibus excluderetur, veritus, ne suspectus esset, equis quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus.

Sertorius in Hispania, cum apud Lauronem oppidum, vicina castra Pompei castris haberet, & duæ tantummodo regiones essent, ex quibus pabulum peti posset, una in propinquo, altera longius sita, ea quæ in propinquo erat, subinde à levi armatura infestari, ulteriorem autem vetuit ab ullo armato adiri, donec persuasit adversariis, tutiorem esse, quæ erat remotior: quam cum petiissent Pompejani Octavianum Græcimum cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, & decem Hispanorum levis armaturæ, & Tarquinium Priscum cum duobus millibus equitum ire jubet ad insidias tendendas pabulatoribus: illi strenue imperata faciunt. Explorata enim locorum natura, in vicina silva nocte prædictas copias absondunt, ita ut in prima parte leves Hispannos, aptissimos ad futura bellorum ponerent: paulo interius scutatos, in remotissimo equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur, quiescere omnes silentio servato in horam tertiam diei jubet: cū deinde Pompejani securi servatique pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque, qui in statione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur, emissi primum Hispanni velocitate gentili in palantes effunduntur, & convulnerant confunduntque, nihil tale expectantes: prius deinde quam resisti his inciperet, scutati erumpunt è saltu, & redeuntes in ordinem consternunt, vertuntque: fugientibus equites immissi toto eo spatio, quo rediebatur in castra persecuti cæduntur: curatum quoque, ne quis effugeret, nam reliqui 250. equites præmissi facile per compendia itinerum effusis habenis, antequam ad castra Pompei perveniretur conversi, occurrerunt eis qui primi fugerant. Ad cujus repentinum Pompejo immittente legionem cum Lælio in præsidium suorum, subducti in dextrum latus velut cessērunt equites, deinde & cum ita legionem hanc tergo infestarent, cū jam etiam à fronte qui pabulatores persecuti erant incursarent, sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo elisa est, ad cujus præsidium Pompejo totum aducente exercitū Sertorius quoq; è collibus suos instructos ostendit, efficitque, ne Pompejo expediret: ita præter duplex damnum, eadem solertia illatum, spectatorem quoque eum cladis suorum contivit: hoc primum prœlium inter Sertorium & Pompejum fuit, decem millia hominum de Pompei exercitu amissa, omnia impetimenta: Livius autor est.

Pompejus in Hispania, dispositis ante, qui ex oculto aggrederentur, simulato metu, deduxit instantem hostem in loca infesta: deinde ubi res poposcerunt, conversos & in fronte & utriusque lateribus ad internecionem cecidit, capta etiam duce eorum Perpenna.

Idem adversus Mithridatem in Armēia, numero & genere equitum prævalentem, tria millia levis armaturæ, & 500. equites nocte in valle sub virgultis, quæ inter bina castra erant, disposuit: prima deinde luce in stationem hostium emisit equites ita firmatos, ut cum universus cum exercitu hostium equitatus prœlium inisset, servatis ordinibus paulatim cederent, donec spacium darent consurgendi à tergo, ob hoc dispositis. quod postquam ex sententia contigit, conversis qui terga dedisse videbantur, medium hostem trepitantem cecidit: ipsos etiam equos pedite cominus accedente confodit, eoq; prœlio fiduciam regi, quam in equestribus copiis habebat, detraxit.

Crassus bello fugitivorum apud Cathenam bina castra cominus cum hostium castris vallavit: nocte deinde commutatis copiis manente prætorio in majoribus castris, ut fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit, & in radicibus prædicti montis constituit: divisoq; equitatu præcepit L. Quintio partem Spartaco objiceret, pugnaque eum frustraretur: parte alia Gallos Germanosque ex factione Casti & Gannici eliceret ad pugnam, & pugna simulata deduceret, ubi ipse aciem instruxerit. Quos cum barbari insequuti essēt, equite recedente in cornua, subito acies Romana adaperta cum clamore cucurrit, triginta quinq; millia armatorum eo prœlio interfecta cum ipsis ducibus Livius tradidit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex & viginti: multa spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.

C. Cassius

C. Cassius in Syria, adversus Parthos ducens aciem, equitem ostendit à fronte, cum à tergo peditem in confragoso loco occultasset, dein cedente equitatu & per nota se recipiente, in præparatas insidias perduxit exercitum Parthorum, & cecidit.

Ventidius Parthos & Labienum alacres successibus victoriarum, dum suos ipse per simulationem metus, continet, evocavit: & in loca iniqua deductos, aggressus per obreptionem, adeo debellavit, ut destituti Labieno provincia excederent Parthi.

Idem adversus Pharnastanis Parthos, cum ipse exiguum numerum militum haberet, illis autem fiduciam ex multitudine videret increscere, ad latus castrorum, octodecim cohortes in obscura valle posuit, equitatu post terga militum collatio. Tum paucos admodum milites in hostem misit, qui ubi simulata fuga hostem effuse sequentem, ultra locum insidiarum perduxere, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnastanem interfecit.

C. Cæsar suis & Afranianis castris contrarias tenentibus planities, cum utriusq; partis plurimum interesset, colles proximos occupare, idque propter saxorum asperitatem esset difficile, tanquam Ilerdam repetiturum, retro agmen ordinavit, faciente inopia fidem destinationi. Intra brevissimum deinde spacium, exiguo circuitu flexit repentè ad montes occupandos. Quo visu perturbati Afraniani, velut captis castris, & ipsi effuso cursu eosdem montes petiere: quod futurum cum prædivina et Cæsar, partim peditatu, quem præmiserat, partim à tergo sub missis equitibus inordinatos est adortus.

Antonius apud forum Gallorum cum Pansam Cos. adventare comperisset, insidiis per silvestria Æmiliæ viæ dispositis, agmen ejus excepit, fuditque: & ipsum eo vulnere affecit, quo intra paucos dies exanimaretur.

Juba rex, in Aphrica bello civili Curionis animum simulato regressu impulit in vanam alacritatem: cujus spei vanitate deceptus Curio, dum tanquam fugientem Saboram regium præfectum persequitur, devenit in patentes campos, ubi Numidarum circumventus equitatu, perdito exercitu, cecidit.

Melanthus dux Athenienſium, cum provocatus à rege hostium Xantho Bœotio, descendisset ad pugnam, ut primum cominus stetit, mique (inquit) Xanthe, & contra pactum facis, adversus solum enim cum altero processisti. cumq; admiratus ille quisnam se committeret, respexisset aversum uno ictu confecit.

Iphicrates Athenienſis ad Cherronesum, cum sciret Lacedæmoniorum ducem Anaxibium, exercitum pedestri itinere ducere, firmissimam manum militum eduxit è navibus, & in insidiis collocavit. naves autem omnium, tanquam onustas milite, palàm transnavigere jussit ita securos & nihil expectantes Lacedæmonios à tergo ingressus itinere oppressit, fuditque.

Liburni, cum vadosa loca obsedissent, capitibus tantum eminentibus, fidem fecerunt hosti alti maris, ac triremem, quæ eos persequebatur, implicatam vado ceperunt.

Alcibiades dux Athenienſium, in Hellespontо adversus Numidarum & Lacedæmoniorum ducem, cum amplum exercitum & plures naves haberet, nocte expositis in terram quibusdam militum suorum, parte quoque navium post quædam promontoria occultata, ipse cum paucis profectus, ita ut contemtu sui hostem invitaret, eundem insequentem fugit, donec in præparatas insidias induceret: aversum deinde, & egredientem in terram, per eos, quos ad hoc ipsum exposuerat, cecidit.

Idem navali prœlio decertaturus, constituit malos quosdam in promontorio, præcepitque his, quos ibi relinquebat, ut cum prœlium commissum sensissent panderent vela. Quo facto consequutus est, ut hostes aliam classem in auxilium supervenire ei arbitrati, verterentur.

Memnon Rhodius, navali prœlio cum haberet 200. naviũ classem, & hostium naves elicere ad prœlium vellet, ita ordinavit suos, ut paucarum navium malos erigerent, easq; primas agi juberẽt: hostes autem procul conspicati numerum arborum, & ex eo navium quoq; conjectantes, obtulerunt se certamini, & à pluribus occupati superatique sunt.

Timotheus dux Athenienſium, adversus Lacedæmonios navali acie decertaturus, cum instructa classis eorum ad pugnandum processisset, ex velocissimis navibus viginti præmisit, quæ omni arte varioque flexu eluderent hostem, ut primum sensit, deinde minus agiliter moveri adversam partem progressos prælassatos facile superavit. *lib. 2. Stratagem. cap. 5.*

¶ Apologi.

Aphthonius: Sagittarius in aquilam collimabat, & missa sagitta. confixit aquilam. cumque conversa ad sagittam aquila, eam quoq; pennatam suis videret esse pennis, Multis, inquit, suæ propriæ facultates & res insidias & periculum creant.

¶ Emblematis.

Batillius. 147.
Insidiæ insidianti pernitiosæ.

Aspicis ut concham Polypus dum captat hiantem,
Inde flagella pedum capta referre nequit,
Sic quas insidias alijs, qua damna parabis,
Conversum exitio cedet id omne tuo.

Camerarius 82. Centur. 2.
Undique insidiæ.

Protrahit abstrusis mustela cuniculum ab antris.
Et quis se tutum speret ab insidijs?

¶ Monosticha Trochaica.

Barbara statim veterano insidiæ patent duci.
Colloquio simulato vel ducem opprimas cautissimum.
Ficta ubna vigatione Troja pessum Hellas decet.
Ficta adæque hostem quam vera decipis formidine.
Hostibus passim insidiari jus & fas: suis nefas.
Insidias supra volantes prodidere & alites.
Pecoris objectu frequenter insidijs hostem induas.
Plura triplo, o dux doloſe perpetra quam viribus.
Plurimum Ducis potest in pralio mendacium.
Qui scrobem alteri paravit, corpore implebit suo.
Sæpe fossa fraudulenta militum haurit agmina.
Sæpe qui calo putatur est tribunus hostium.
Tenuit ad multas oves lupa, ut vel unam devoret.

¶ Jambica.

Apti struendis insidijs festi dies.
Camporum aperta fraudium extra sunt metum.
Dolum struenti si potes struas dolum.
Etiam insidias detegere est auxilio canum.
Formido ficta, strenue hostes excipit.
Formido vana sæpe pro vera valet.
Interfici jure insidiator vir potest.
Ibat iuventus capta, dum Trojam capit.
In saxa ducas perfida classem face.
Insidiarti cur non contra insidias veris?
Magis nocent insidiæ quo magis latent.
Nullas metuit insidias, nullas qui facit.
Objectu pecoris hostem in insidias agas.
Saltus nemusque opportunissimum est dolis,
Si peragi aperte res nequit, tendas dolos.
Silvestre iter dolis patet noctu ac die.
Suspecta multum insidiarum silvestria.
Trojam occupavit ficta ab nagi vatio.
Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.

Insolentiæ.

¶ Sententiæ

Clemens Alexandrinus: Cum fecisset Solon, Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν πολυς ὄλβος ἐπῃτυι.

Nascitur ex nimiis opibus petulantia multa,

eodem modo scribit Theognis:

Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν κακῷ ὄλβος ἕπηται.

Nascitur ex nimiis opibus petulantia pravis.

Unde etiam Thucydides in historiis: Εἰώθασιν ὑπὸ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, φησιν, οἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ὀλιγίστου ἀπροσδοκήτως εὐπραγία ἔλθῃ, εἰς ὕβριν τρέπεσθαι. *Solent autem*, inquit, *permulti homines quibus maxime res secundæ aliquanto ſper evenerunt fieri insolentes.* Philistus quoque similiter eadem imitatur, sic dicens. Τὰ ὑπὸ πολλὰ καὶ τὰ λόγου τοῖς ἀνθρώποις εὐτυχοῦντα. ἀσφαλέστερα παρὰ δίξαν καὶ κακοπραγίαν εἰώθασι γὰρ μάλιστα οἱ παρὰ δόξαν ἀπροσδοκήτως εὖ πράσσοντες, εἰς ὕβριν τρέπεσθαι. *Multa autem quæ convenienter rationi feliciter succedunt hominibus, sunt & ad famam & ad rerum adversarum cautionem tutiora. Quibus enim prater ſpem & expectationem res secundæ accidunt, solent evadere insolentes. lib. 6. Stromatum.*

Quintilianus: Insolentiæ opinio ferè immeritam quoq; potentiam carpit *Declam. 9. § 24. pr.*

C. Tacitus: Rebus secundis etiam insolescunt egregii duces. *lib. 2. Histor. cap. 7.*

¶ Apologorvm.

Babrias Περὶ Ταύρου καὶ Τράγου. Fab. 40.
Ἠλαυνε Ταῦρον ἐξ ἑῆς κοίτης Τράγος.
Οὐ θὴς Λέων δίωκεν εἶπεν ὁ τένων.
Εἶπερ μὲ Λέοντος ἐστρέει φόβος.
Ἐγνως ὅσον Ταύρου τε καὶ Τράγου σθένος.
Epimythion.
Πρὸς τὸς κατηδεχομένους ὑβριζεσθαι ὑπὸ μικρῶν, ἀλλὰ φόβον ἐπὶ ἐρων μειζόνων.

De Tauro & Hirco.
Expellebat Taurum ex suo cubili Hircus,
Quem ferus Leo insectabatur, ait autem suspirans,
Nisi me Leonis timor perterreret,
Scires quanta Tauri & Hirci vis sit.
Affabulatio.
In eos qui affici iniuria ferunt à parvis, metu aliorum maiorum.

Babrias Ἀρνὸς καὶ Λύκου. Fab. 50.
Πυργῳ σφηκύπτων Ἀρνὸς ἔσωθε Λύκον,
Ὡς ἐχθρὸν, ὡς κάκιστον, ὡς μεγὸν φόνε,

A v iij

Ἀτὰρ δὲ βλέψας φησὶν ὁ σκώπτεις σύμε.
Πυργὸς δ', ὃς ὁπλίζει τὸ πρῶτ μέγα θάρσος.
Epimythion.

Καιρῷ μὴ θρασύνεσθαι.

Agnus & Lupus.

De turri prospiciens Agnus irridebat Lupum.
Vt inimicum, ut pessimum, ut plenum cadis.
Sursum vero aspiciens dixit, non irrides tu me
Sed turrim, quæ armat te ad magnam audaciam.

Affabulatio.

Tempore non insolescere.

¶ Emblematis.

Batillius. 145.

Parata nocenti ultio.

Lilia dum pedibus premit hic calcata proterviùs,
Dente latens illi stringit echidna pedes.
Sic solet insanos Nemesis compescere læsa,
Semper enim offensas vindicat illa suas.

¶ Monosticha Trochaica.

Feminam vis insolescat? obruas præconiis.
Florem ut exijt, radixq; flaccet insolentiæ.
Gnata maior est secundæ sortis insolentia.
Hoc minus quoq; insolesco quo mage est res prospera.
In dicendo inque audiendo omne insolens quod est cave.
Insolens fere putatur, sit licet minus, potens.
Insolens florere longum non solet potentia.
Insolens nimis potestas ante fructum decidit.
Insolentiæ parens est, nata incuria, impunitas.
Insolescit valde egestas ad repentinas opes,
Mortuo barbam leonis vel pavens vellat lepus.
Pauperem haud decet, propritim divitem insolentia est.
Quo beatiore sorte es, insolesce & hoc minus.
Quo quis est indignior, hoc idem est & insolentior.
Sæpe cladibus triumphos mutat insolentia.
Sive molle est sive durum, dum sit insolens, nocet.
Turpius nil orbe toto est insolenti paupere.
Vix est ut non insolescant summi amici Principis.

¶ Jambica.

Anima pusilla est insolescere laudibus.
Anteambulo ruina est insolentia.
Barbam lepus vellit leoni mortuo.
Ex insolenti maior ingruit metus.
Felicitas, caussa omnis insolentiæ,
Rebus secundis adsita insolentia est.
Rebus quietis crescit insolentia.

Videantur plura titulo *Arrogantiæ, Ambitionis, Divitiarum, Potentiæ, Superbiæ, Iactantiæ, Petulantiæ.*

Insomniorum.

¶ Sententia Græci Patris.

Synesius: Ac in eo universum initiationis negotium consistit, propterquam nullus unquã de paupertate conquestus est, quasi hac parte minus divitibus haberet. Atqui nonnullæ ceremoniæ, quæ ad futurorum prævisionem pertinent, quemadmodum Athenienses Trierarchas, ita Antistites suos, maximo ex censu delectos postulant, opusq; est ingenti admodum sumptu, & imprimis fortuna, quo vel Cretica aliqua herba, vel avis Ægyptia, vel Ibericum os comportetur, aut si quid aliud ejus generis prodigiosum in occulto maris terræq; sinu provenit ac nutritur,

Quaq; subit terras & qua Sol prodit ab ortu.

hæc enim & his similia pleraq; de iis feruntur, qui externam divinationem profitentur, quibus præstandis, cujusdam privati hominis fortunæ sufficiant? At insomniũ videt, cum is qui Medimnos quingentos possidet, tum qui trecentos duntaxat habet: Videt secundi census civis non minus quam qui prædium victus gratia extremis in finibus colit: quin & remex similiter, & mercenarius, qui cum aliis tributum pensitat, æque ac qui ab inquilinis exigit: nihil Deo interest quis Eteobutades sit, aut novitius aliquis servus. Et quod in ea divinatione populare est, humanitatis est plenissimum, quod simplex, & artificii expers, admodum sapiens, quod minime violentum est, religiosum, quod non aquam, aut saxum, aut hiatum terræ duntaxat occupat, hoc vero longe est divinissimum: quod autem ne in una quidem actione districti ac impediti ob ejusmodi divinationem simus, hoc primo sane loco commemorari oportuit.

Nemo enim magni aliquod momenti negotium, quod in manibus haberet derelinquens, domũ sese dormiendi caussa recipit, quasi ita cum insomniis pepigerit: verum tempus illud quod animali necessario in naturam impendendum erat, cum non possit illa perpetuo esse vigiliæ actionibus intenta, idipsum hominib. adfert, quod vulgo dici solet majorem opere ipso accessionem, voluntarium cũ necessario connectens, & ad id quod est, ut bene sit adjiciens. Contra vero futurorum præsagitiones aliæ, quæ variis ex rebus, & instrumentis arcessũntur, si cum maximam vitæ partem obtineant, nonnihil cæteris vitæ necessitatibus, & actionibus temporis impertiant, præclare nobiscum agi putandum est: Quarum rerum si aliqua penitus destinare, ægre admodum ad eam adjumenti aliquid ex divinatione compares: non enim omne tempus, neq; locus omnis ceremoniæ istius præparationem admittit, neq; perpetuò commodè illius instrumenta circumferri possunt: Ut enim nihil aliud sit, certe ea ob quæ repleta & angustata supplicii loca sunt, plaustri sunt, aut concavæ navis onera: quibuscum aliæ ceremoniarum partes sunt descriptores & testes: Sic enim verius est dicere. Postquam ætas nostra cum plurima per legum ministros publicavit, à quib. in vulgus elata, prophanæ plebis spectacula & acroamata esse cœperunt.

Præterquam igitur, quod miserrimum sit, ad hæc sese demittere, ut opinor, & invisum Deo (quippe non sponte sua venientem expectare quemlibet, sed contentione, ac impetu emoliri, violenter compellentibus simile est, quod etiam inter homines impunitum esse legislator noluit.) Sed præter hæc, quæ molestiæ habent vel plurimum, hoc insuper iis accidit, qui ea ratione futurorum cognitionẽ ambiunt, ut in agendo sæpius interrumpantur, utq; cum longinquã in regionem proficiscuntur, velut artem suam domi relinquant. Non enim parum negotii est quocunq; pergas commeatus ad eam necessarios convasare: divinationis vero per somnium quisque sibi instrumentum esse potest. Atq; ita, ne si velint quidem oraculum relinquere suum possunt, quod & manentibus domi una permanet, & peregrè euntibus comes est, in militiam simul proficiscitur, rempubl. simul administrat, simul agriculturam ac mercaturam exercet: quam neq; invidiæ reipublicę leges coercent, nec ut maxime velint possunt; cum nullum habeant ad eos qui utuntur convincendos indicium. Quanquam quid demum flagitii dormientes committamus? Neq; sanè tyrannus ullus videri à nobis insomnia ulla vetuerit, non, inquam, nisi & somnum è regno suo penitus exterminaverit: sed stulti hominis est, dum ea, quæ fieri nullomodo possunt, jubet: impii porro dum naturæ atq; Deo contraria jura decernit. Quãobrem ad eam & mulierculæ, & viro, & seni, & adolescenti, pauperi item, ac diviti, privato, & magistratui, urbano peræquè, ac rustico, opifici ac oratori contendendum est. Non genus ullum, aut ætatem aut conditionem, aut artem repudiat, omnib. ubiq; in promptu est, parata ad nutum futurorum interpres, optima consultrix, tacita: eadem sacrorum antistita & initiata, quæ bonum quidem renunciat, ut diuturnior voluptas sit, fructu boni præcepto; Imminentia autem mala detegit, quæ præcaveri ac propulsari queant. Quicquid enim spes, qua hominum genus alitur, jucũdum ac suave proponit, quicquid in metu is est carum, atq; utile, id omne in somniis reperitur, nec ab ulla re æquè in spem inducimur.

Atqui totum hoc sperandi genus tam est in natura hominum abundans ac salutare, ut elegantioribus Sophistis illud in ore sit, ne vitam quidem homines esse toleraturos, si in eodem quo antea statu perseverarent, facile enim iis molestiis quæ hominum vitam circumstant, fatigatum iri, si non spem in eorum naturã Prometheus indidisset, velut constantiæ medicamentum, quod cum degustaverint, id quod in expectatione est eo certius putant, quod apparet: atque hæc tanta vi prædita est, ut qui compedibus vinctus attinetur, simul atq; gestienti animo, sperare permiserit, è vestigio solvatur, & milites, & dimidiæ centuriæ præfectus sit, & paulatim centurio, inde imperator evadat, tum vincat, sacrificet, coronetur, mensam apponat, eamq; si libeat, Siculam, aut si malit, Persicam: interim compedum & vinculorum obliviscitur, quandiu imperator esse vult. Atq; illud omne vera est somniantis visio, & vigilantis insomnium: in eandem enim rem subjectam concurrunt, phantasiæ scilicet naturam, quamquidem quoties simulachra fingere volumus unum illud emolumentum affert, quod vitam nostram hilaritate perfundat & animam vaga & inconstanti spe deliniens, ab molestiarum sensu reficiat, ac recreet. Cum autem suapte sponte spem nobis aliquam proponit (quod quidem dormientibus evenit) somniorum promissionem tanquam aliquod à Deo pignus accipimus.

Ideo nonnunquam posteaquam aliquis animum ad majora tractanda, quæ sibi per somnium oblata fuerant, comparavit, duplicẽ ex eo fructum reportat, ut & ante rei adeptionem voluptatem percipiat, & cum ea sibi contigerit, scienter uti possit, quod eam tanquam vitæ suæ convenientem, longe antea meditatam, cogitatamq; habeat. Quamobrem à Pindaro celebratur spes, cum ita de felici homine loquitur (quod ipsi jucunda cor permulcens juvenum altrix conjuncta sit spes, quæ maxime mortalium versatilem animum gubernat) merito quispiam negarit de ea quæ vigilantibus accidit, fallaci atq; irrita, quam nobis ipsis effingimus. Sed universum hoc exiguæ partis insomniorum præconium à Pindaro commemoratum est.

Ergo divinatio per somnium, quæ cum arte clarum aliquid, & manifestum quærit, firmiorem spem præbet, ita ut deterioris generis minimè esse videatur. Sed Homeri Penelope duplices somniorũ portas proponit, dimidiasq; fallaces esse abstruit, quod somniorum imperita esset: quod si illorũ artẽ calluisset, omnes profecto per corneas fores eduxisset. Argumento est, quod cõjuncta, & in manifesta hærens insciticia circa eam utique visionem inducatur, cui perperam fidem abrogabat,

Anserum erunt mihi turba proci: Ioßis ales Vlysses
Ipse ego sum.

At is sub eodem erat tecto, & cum eo per visionem loquebatur. in quo mihi perspicuè dicentem Homerum audire vidor, non esse de somniis desperandum, neq; utentium imbecillitatem ad naturã esse eorum quæ videntur transferendam. Propterea neq; Agamemnon recte somnia fallacia redarguit, perperam prædictam illãm victoriam accipiens.

Te subet ille coma insignes armare Pelasgos
Prorsus: ita Priami lata oppida prendere possis.

Progreditur itaq; quasi primo impetu urbem invasurus, cum malè prorsus illud intellexisset, quod ita demum ait, si ad unum Græcos omnes armatos educat. Atqui interim Achilles, & Myrmidonum Phalanx, præcipuum exercitus robur, à prælio abstinebat. Sed de somniorum laude satis multa, nunc finem prædicandi faciamus.

At enim parum abfuit quin ingrati animi crimen susciperem. Nam quod illa quidem divinatio aptissima sit, ut & nobiscum naviget, & domi maneat, & mercatum eat, & exercitui simul præsit, & omnia cum omnibus ad exitũ perducat. Hæc sunt quæ paulò antè commemoravi, quæ vero sunt ab ea in me collata beneficia nondum in cõmune proposui. Quanquam nihil est quod communiter cum hominibus æque ac Philosophari perficiat, multaq; quæ vigilantibus intellectu difficilia occurrerant, dormientibus partim omnino aperit, partim ad dissolvendum una aliquid suppeditat. Ejusmodi enim aliquid contingit ut nunc interroganti similis, nunc invenire ipsa, atq; excogitare videatur, mecũ vero non raro lucubrationes quasdã perfecit: Siquidem & sententiam sæpe præparavit & dictionem accommodavit, & hæc inducto aliud ejus loco supplevit; Interdum universam verborum structurã redundantem, & vocum nouitate turgentem æmulatione recentis eloquẽtiæ, ab vetere Atticorum lingua degenerantis, interventu Dei castigans, illa partim aliquid dicentis, partim quid sit illud dicentis; partim tumulos veluti quosdam protuberantes dejicere monstrantis, ad molestiã me revocavit, & tumorem omnem compressit. Alias item cum Venationi operam darem, machinas mecum ad capiẽdas feras excogitavit, quæ callidè discurrere, atque occultari solent: deficienti vero, & jam reditum paranti, constantiam imperavit mihiq; felicem fortunã ad certum diem promisit; ut deinceps libentius fidem adhibentes foris pernoctaremus: moxq; ubi præstituta dies advenerat, aderat & cum ea fortuna, quæ mihi ferarum retibus implicatarum & jaculis peremptarum greges indicabat.

Ac mihi quidem vita omnis in libris ac Venatione posita est: nisi si quando legationem susceperim, quod utinam nunquam mihi cõtigisset, ut ne tres in vita execrabiles & detestandos annos vidissem. Sed & tunc plurima ab ea, maximaq; sum beneficia cõsecutus. Namque cum præstigiatorum, animasq; ex inferis sollicitantum Magorum insidias in me irritas fecit, mihi eas indicans, & ex omnibus periculis eripiens: tum publica negotia mecũ gessit, ut quam optime civitatibus succederent, & ad Imperatoris colloquium me unum omnium qui unquam extitêre Græcorum audacissimum produxit. Aliorum quidem alii inter Deos curam suscipiunt: hæc a. omnibus adest, unicuiq; benignam se Deam exhibens, & ad vigilantium curas semper aliquid solerter excogitat. Usq; eò sapiens est quiddam anima vulgarium ac forensium sensuum fluctibus vacans, qui in eam alienas res varias, ac multiplices introducũt. Nam quas habet rerum imagines, & quascumq; ab mẽte excipit, sola cum est, iis præbet, qui ad interiora conversi sunt, & quæ à divina parte manant, traducit. Cum ea quippe sic affecta mundanus Deus cõversatur, pro eo quod ex eodem fonte utriusq; natura derivata sit. Quapropter genera hęc insomniorum diviniora sunt & vel penitus, vel maxima ex parte clara atq; perspicua, minime artis indigentia: sed hæc solis iis cõtingunt, qui virtutem in vita sectantur, sive prudentia insitam, sive moribus insitam. Quod si cuiquam alteri vix illud quidem accidit, fieri tamen aliquando potest, omnino tamen non exiguæ alicujus rei gratia insomnium aliquod ex præstantissimis illis generibus vulgari homini objiciatur.

Reliquum aũt, & frequens, & tralatitium genus illud sane fuerit, quod involutum, & obscure abumbratum est; ad quod ars est aliqua comparãda. Nam cum ortum ut ita dicam absurdum & inusitatum sortiatur tum quasi ex ejusmodi proveniens, obscurissimum progreditur. Sic enim ea sese res habet: Quæcumq; in rerum natura sunt, omnium quæ sunt, fuerunt & futura sunt (quando & hæc existendi quædam ratio est) simulachra quædam ex ipsorum substãtia proveniunt. Nam cum unumquodq; eorum quæ sensu percipiuntur, forma sit cum materia conjuncta, deprehensa a. sit materiæ a nobis in composito fluxio; ratio utiq; ipsa convincit simulachrorum naturã derivari, ut utraq; ex parte, ab ejus quod eodem modo semper est, dignitate, quæ perpetuo oriuntur, degenerent. Horum omniũ fluentiũ simulachrorum phantasiæ spiritus, clarissimum est speculum. Cum enim temerè oberrantia, & à suo statu dilapsa præ naturæ suæ incõstantia. tum quod à nulla re agnoscantur, in animales spiritus inciderint, quæ simulachra alioqui sunt, sed in natura fixam ac stabilem habent sedem, iisdem adhærescunt, & in iis, tanquam in certa domo cõquiescunt. Cæterum præteritorum, utpote quæ jam reipsa extitêre, perspicua simulachra mittuntur, donec longinquitate temporis paulatim evanescant. Præsentium vero, tanquam adhuc manentiũ, vitalia magis atq; clariora sunt: futurorum demum incertiora minusq; distincta: sunt enim progressæ quædam nondum præsentium voluntationes, naturæ imperfectæ germina velut exiliẽtia, atq; erumpentia reconditorum seminũ indicia. idcirco arte ad futurorum cognitionem opus quoniam adumbrata ex iis simulachra prodeunt, neq; manifestè, velut ex ipsis, quæ reipsa sunt imagines: natura nihilominus admirabili constant, itaque sese habent, quod ex rebus productis ortum habuerunt.

Verũenimvero tempus jam est ut de artè ipsa nihil dicamus, quãnam ratione comparetur. Equidem optimum fuerit sic divinum spiritum præparasse, ut mentis, atq; Dei contemplatione dignus habeatur, nec ut vagorum, atq; errantium sit simulachrorum receptaculũ. Optima vero educatio est, quæ Philosophiæ beneficio habetur, quæ perturbationes animi sedat, ac tranquillat, à quibus semel agitatis, spiritus quasi sedes occupatur, deinde moderato, ac frugali victu, qui minimè animali stimulos addat, minimeque in extremum corpus compellat. Alioqui ad primum usq; corpus agitatio ipsa perveniat, quod tamen pacatum, & quietum esse oporteat. Verum quoniam optare id quidem cuilibet facillimum est, efficere omnium difficillimum, nos aũt id volumus, ne cui sit inutilis somnus; age, finem aliquem infinitis in rebus, ac terminũ investigemus, hoc est artem aliquam simulachrorum considerandorum instituamus. Sic autẽ sese habet. Non secus quam qui mare navigant, si forte prius aliquando scopulus aliquis occurrerit, indeq; prætervecti civitatem hominum viderint quoties eundem scopulum intuentur, eandem quoq; civitatem observant. Aut velut in ducibus contingit, quos tametsi nondum videamus, ex præcursorib. tamen venturos cognoscimus, quoniam cum iidem apparuissent, semper antea sunt cõsecuti; ita simulachris identidem futurorum actionem annotamus: præcurrunt enim iisdem eadem, & similia similibus. Uti ergo gubernatoris vitiũ est, eodem apparente scopulo, nõ agnoscere, neq; posse dicere, quãnam prope terram navigium in solo versetur: & ejusmodi temere navigat: sic cui eadem sæpius oblata visio est, si non id observaverit cujus fuerit casus, aut fortunæ, aut actionis præ nuncia, inconsideratè, ut navigio gubernator, sic ille vita utitur. Et nos etiam in summa aeris tranquillitate tempestates prædicimus, cum circa Lunam aream viderimus, quod sæpe ea conspecta, tempestas secuta sit.

Vnà ubi ventos pronunciat, atq; serenum:
Interrupta quidem ventos, consumpta serenum:
Aut hiemem geminus Lunam dum circulus ambit:
Maioremq; triplex hyemem feret area: quadq;
Nigrior est, & rupta magis, hac sævior instat:

Ita in omnibus & Aristoteles, & ratio ipsa docuit. Sensum quidem memoriam, hanc experientiam, experientiam demum artem procreasse: iisdem & nos vestigiis ad somniorum cognitionem gradiamur. Atq; hujus quidem observationis infiniti libri à quibusdam coacervati sunt.

Ego vero ea omnia derideo parumq; prodesse arbitror. Neq; enim velut infimum corpus, quod nihil aliud est, quam eorum, quæ vulgo elementa dicuntur, concursus, generalem quandam artem, ac rationem admittit, quæ naturæ suæ coæquetur quod ut plurimum ab iisdem rebus eadem patiatur, cum leve admodum insit in congeneribus corporibus inter se discrimen, idq; quod in iis præter naturam sese habet, maleq; affectum est, latére non possit, nec illud tanquam normam adhibeamus. non ita inquã in phantasiæ contingit spiritu, sed secundum primã ipsam naturã, aliud ab alio differt: alius quippe alteri sphæræ cõvenit, prout ampliori mole, ac velut massa constat.

Felices nimium, reliquis & sorte priores
Sunt animæ, ad terram quæ summo ex æthere fusæ:
Hæ quoque felices, & inenarrabile prorsus
Stamen habent, à te quæ Rex splendente, vel ipso
Ab Iove proveniunt, filo cogente subactæ.

Et hocipsum est quod Timæus innuebat, unicuiq; animæ cõtubernale sidus attribuens: at illæ à natura degenerantes, plus minusque, prout quæq; infelicitate quadam graviore, aut leviore momento deprimitur, spiritum inquinant. ita porro affectæ in corporibus habitant: vitaq; omnis earum per peccata, & spiritus ægritudinem traducitur: quod huic quidem ob insitam nobilitatem præter naturam evenit, animali vero secundum naturam, quod ab ea sic affecta est animatum: nisi forte naturam illius, ordinem illũ, ac seriem esse dixerimus, in quo, à seipso, uti vitio, ac virtute usus fuerit, collocatur. Nihil enim tam varium est, ac versatile quam spiritus.

Quomodo igitur in reb. adeo natura, & lege & affectione dissimilibus eadem ab iisdem repræsententur: Non ita sane, neq; fieri istud unquam potest. Qui enim accidere unquam possit, ut turbida aqua, & pellucens, ac consistens; item & agitata, ab eadem forma similiter afficiantur. Jam vero si perturbatio ista alio modo in alio contingat, pro colorũ diversitate, & agitationes vario modo figurentur, unum erit utiq; genere ipso ab exacta, accurataq; specie aberrare. Quod si discrimen reperiatur sive Phemonoe alrqua, sive cuipiam Melampus, aut alius quilibet de ejusmodi rebus in universum pronunciare ac constituere velit, rogemus ipsum, fierine natura possit, ut rectum ac distortum speculum idque quod ex dissimili materia constat, similem ejus quod ostenditur effigiem repræsentet, Verum illi opinor disputationem de spiritu ne attigere quidem: illud autem quod ei affine est quocumque se habeat modo, omnium canonem atque normam esse voluerunt. Neque ergo illud penitus tollo, esse aliquam in omnibus iis quæ inter se differunt convenientiam, ac similitudinem, sed obscurum si distrahatur, obscurius evadit. Adde quod, ut ante dictum est; futuræ rei præsilientis quodammodo simulachrum per sese cognitu difficile sit. Præterea longe

operosius

operosius est in uniuscujusque moribus communi aliquod simile visui describere: Ob hæc minimè sanè sperandum est, posse communes omnibus leges definiri; sed pro artis materia seipsum unusquisq; habeat. Inscribat memoriæ, quasnam res, & quando sit expertus, quibusq; antegressis visionibus, facile circa hæc quæ cum usu atq; utilitate exercentur habitus comparatur. Exercitationem enim utilitas in memoriam redigit, præsertim cum materiam subinde nacta fuerit. Quid autem somniis esse potest abundantius? aut quid ad pelliciendum efficacius, quæ etiam stultos invitant ut de ipsis aliquid cogitent. Ideo turpe est eos, qui quintum & vicesimum ætatis annum attigêre altero adhuc vate opus habere, nec à se pleraque artis hujus præcepta collegisse.

Et vero consultum quidem fuerit quæ vigilantibus, ac dormientibus visa contingunt perscribere, nisi ad inveti hujus novitatem rustice atq; inurbane se civitas gerat. Alioqui libet nobis ad ea quæ diurna acta dicuntur additis nocturnis, ut quidem appellamus, actis, habere, utriusq; vitæ monimenta; Vitam enim phantasiæ quandam oratio modo nostra definiebat, nunc mediocri meliorem, nunc deteriorem pro sanitate spiritus, aut ægritudine. Sic igitur si in observationem illam qua novis indies incrementis augescit ars, incumbamus serio, nulla re nobis è memoria affluente, fuerit hæc honesta alioqui & elegans oblectatio, semetipsum tam vigilantem, quam dormientem historiæ commendare: Præterea qui procurandæ linguæ desiderio tenentur, nescio an aliud argumentum invenire possint, quod multiplicem æque eloquentiæ facultatis exercitationem recipiat. Nam si diurna acta, hoc est Ephemeridas, præclaras esse magistras Lemnius Sophista doceat, de qualibet re appositè, beneq; dicendi, quod ne minima quidem aspernantur, sed neceſſario se ad omnia tam gravia, quam levia demittant; quomodo ad dicendi exercitationē & argumētum nocturna quæq; acta non magno in pretio habeantur? Hoc autem, quam spissum opus, ac laboriosum sit, facilè intelligat qui cum visionibus orationem adæquare cōtenderit, à quibus & quæ natura sunt conjuncta separantur, & quæ natura separata conjunguntur, efficiendumq; est, ut quæ alicui visa objecta non fuerint, eadem illi beneficio orationis objiciantur. Neq; factu leve, aut contemnendum est, peregrinam in anima, & inusitatā motionem in alterum posse transfundere: Cum autem per phantasiam & quæ sunt, à natura sua depelluntur, & quæ nullo modo neq; sunt, neq; esse possunt natura, in naturam introducuntur, quænam tandē vis, ac facultas naturam appellatione carentem iis qui nihil apud se simile cogitarint, repræsentare possit? Phantasia vero non ea tanquā varias imagines, nec simul omnia, nec cum tempore exhibet. Refert autem ea, utut sese habent, & ab insomnio ministrantur. videre enim nos putamus, quicquid ei collibuerit. Quorum omnium in describtione non turpiter, sed perpetuo cum decore versari, absolutissimam demum vim oratoris requirit. Siquidem illa juvenili quadam licentia in animos etiam nostros & affectus invadit, plus aliquid opinione sola suggerens; Neq; enim erga ea quæ videmus affectu caremus, sed partim vehementer assentimur & adhærescimus, partim non minus aversamur, crebræq; circa hæc incātationes, ac præstigiæ in dormientes erumpunt. Voluptas verò tum longe blandissima obrepit, adeo ut in vigiliam etiam amores odiaque hominum animis imprimantur.

Quare si quis non mortuum & inanimum sonare quidpiam velit, sed cujus gratia orationis vis quæritur, præstare studeat, ut eosdem affectus, easdemq; opiniones, in auditorem trajiciat, vivis profecto, & animatis verbis opus est. Jam enim aliquis una & victoriam obtinet, & ambulat, & volat, & universa recipit, phantasia: oratio vero qui recipiat? dormit alter per somniū, per somnium videt, surrexitq; dormiens, ut putat, & somnium jacens adhuc excussit, & de viso insomnio, prout novit, aliquid philosophatur, & hoc ipsum somnium est: sed illud duplex: postea fidem nō adhibet, creditq; quod præsens est, verum esse visum, & viva esse quæ duntaxat apparent. Deinceps ergo validum prœlium oritur, & adversus semetipsum aliquis certamen somniat, relinquere gestiens, atque excitari, & suiipsius experimentum capere, & fraudem deprehendere, Ac Aloidæ quidem, quod contra Deos Thessalicos montes, tāquam muros objicerent, supplicio sunt affecti. Dormientem vero nulla lex Adrastiæ prohibet, quominus & Icaro felicius à terra sese subvehat, & Aquilas volatu transcendat, quin ipsos quoq; supremos orbe exuperet. Ergo aliquis eminus terram intuetur, & eam etiam quæ in Luna nō videtur observat. Licet vero insuper & cum sideribus colloqui, & cum occultis in mundo diis versari. Atq; hoc quod dictu difficile est tunc nullo negotio peragitur. Manifeste sese exhibent dii, nec ulla tamen rei hujus invidia est: Paulo post enim ad terram non venit, sed in ea jam est, nam nihil adeo somniorum propriū est, ac intermedium supprimere, & sine tempore quodvis efficere, inde cum ovibus colloquitur & balatum esse sermonem existimat, & loquentes audit, usq; adeo nova, & ampla est argumētorum copia, si quis ipsi committere orationes suas audeat, ego enim & fabulas suspicor ex insomniis licentiam accepisse, quibus & pavo, & vulpes, & mare interdum loquuntur.

Sed hæc exigua sunt, si cum somniorum libertate conferantur, & tamen quantumvis exigua somniorū pars fabulæ sint, Sophistæ eas ad eloquentiæ copiam, & apparatum amplexi sunt. Quanquam iis quibus artis initium à fabula deductum est, consentaneus finis somnium esse potest, idq; insuper accedit, quod nō frustra, ut in fabulis, lingua exerceatur, sed & animo sapientiores efficiamur: Quæ cum ita sint, comparet se quisquis otio & vitæ cōmoditatibus abundat, ad ea describenda, quæ vigilantibus, ac dormientibus contingunt, partem in eo tempore aliquam, atq; otii collocet, unde eximius quidem ex scripti sententia fructus colligitur, ut divinandi vis, quam tantopere prædicavimus, acquiratur; qua re nulla utilior excogitari potest.

Sed neq; rejicienda dictio est, quoddam velut rerum consectariū: hic philosopho ludus fuerit aliquid de contentione remittenti; quē admodum Scythæ arcus suos relaxare solent; Et oratoribus hunc declamationum ad pompam & ostentationem factarum, velut Colophonem præscribemus. qui non satis oportunè videntur dicendi facultatem in Miltiadis aut Simonis laudibus exercere, aut pleriſq; aliis nomine carentibus, aut in divite, ac paupere à se invicem in Reipub. administratione dissidentibus. pro quibus senes aliquādo in theatro rixantes videre memini: & erant illi tamen ex philosophis gravitatis, ac majestatis plenissimi; ac uterq; quantum conjici poterat barbæ pondo aliquot trahebat. Sed nihil illis tanta gravitas obstitit, quin sibi mutuo convitiarentur, & fremerent, & indecorè manus agitarent, cum prolixè de iis viris sermones instituerēt, quos tum quidem necessitudine cum iis aliqua conjunctos arbitrabar, ut autem ab aliis postmodum edoctus sum, ne in vivis quidem fuerant ne dum erant necessitudine quidem conjuncti, neq; ullo modo in rerum natura extiterant. Ubinam enim gentiū extaret Resp. quæ ei, qui se optimè gessisset, præmium illud decerneret, ut civem contrarias in Reip. administratione partes sequentem interficiat? Quanquam qui nonagesimū annum agens in ficto argumento contendit quodnam in tempus disciplinarū veritatem differt? Omnino vero declamationis, atq; exercitationis nomen intellexisse mihi non videntur, quod sese alterius gratia tractari profiteatur: illi vero præparationem ipsam pro fine habent, viamq;, tanquam illud quo tendere oporteat, amplexantur. Certamen enim justum ex ipsa exercitatione faciunt. Quemadmodum si quis consertis in Palæstra manib. Pancratii nomine in Olympicis à præcone proclamari vellet.

Tanta in hominibus cum mentis siccitas, tum verborum inundans copia reperitur; ut nonnulli sint, qui tāetsi nihil habeant quod dicant, dicere tamen possint, cum fructum ex seipsis capere aliquem eos oporteret, uti Alcæus & Archilocus fecere, qui uterq; facundiam suam in propriæ vitæ descriptionem contulit. Unde & eorum memoria, quæ illis jucunda, aut molesta contigerunt, insequentis temporis est successione propagata. Neq; enim vana, & inania consectantes lucubrationes ediderunt, velut recens illa sapientum natio in confictis argumentis facere solet, neq; opes suas in alterius præconium insumpserunt, uti Homerus, & Stesichorus, qui Heroū quidem genus Poēmatibus suis glorioſius atq; illustrius reddiderunt, nosq; ad studium virtutis inde utilitatē aliquam cepimus: ipsi autē quod ad se pertinet neglecti jacuerunt, de quibus nihil aliud dicere possumus, nisi quod elegantes poetæ extiterunt. Quare quisquis famæ apud homines & existimationis in posteros proferendæ cupiditate flagrat, conscius; sibi ipsi est, posse immortali memoria dignas res tabulis inscribere audacter novam illam, & inusitatam nostram scribendi rationem ingrediatur, seq; temporis memoriæ committat. Præclarus is custos est, quoties favente Deo aliquid ejus fidei commendatur. *lib. de Insomniis.*

Instabilitatis.

§ SENTENTIÆ ORATORUM GRÆCORUM.

Aristides: Nec regnum est firmum, nec opes stabiles; atq; infinitæ mutationes tam publicè quam privatim, atq; adeo non urbibus modo, verum etiam totis gentibus contingunt. *Oratione de pace prior.*

Aristides: Quis est ita prudentiæ vel omnis expers naturæ, qui malit eo qui facile mutetur, nec in eadem sententia diu maneat, nec in proposito perseveret, quam qui semper bonus & constans sit, uti? quis cum tali vel affinitatem, vel cōtubernium, vel aliud quidquam, quam cum alio contrahere, vel rem ullam communicare malit, qui ne ipse quidem quid velit sciat, verum instar Euripi sursum ac deorsum feratur, secumq; ipse pugnet. *Orat. de concordia ad Rhodios.*

Libanius: Quid hæc? senex vir non in iisdem permanet? neq, ea quæ pulcrè se habere judicavit servat? neq; morum firmitatem ostēdit, neq; veretur ne quis Euripum cavillando nuncupet. Atqui si juniorum alicui id contigerit, pessimus fuerit. *Declam. 51.*

§ APOLOGI.

De Arundine, nidulum ab avicula petente. Fab. 155.

Arundo ægrè ferebat, quum cæteræ non solum arbores, verum etiam herbæ interdum nidos avium sustinerent, se eo honore privari. Rogavit ergo aviculam quandam, ut in ipsa nidificaret. Cui illa: facerem, inquit, nisi instabilitati tuæ diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.

Fabula indicat, res nostras viris instabilibus minime committendas. Abstemius.

Institutionis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Nazianzenus: Minoris est negotii rudi adhuc animæ veritatem primum, instar ceræ nondum signatæ, imprimere, quam super literas, hoc est, pravas doctrinas ac dogmata pium sermonem scribere, ita ut posteriora cum prioribus confundantur & perturbentur. Neq; enim ut planam viam tritamq; calcare præstat, quam asperam nullisq; pedum vestigiis impressam, arvumq; colere aratro jam sæpe proscissum & emollitum; ita cõmodius quoq; fuerit animum pingere, cui vitiosa jam aliqua doctrina impressa sit, improbæq; literæ altissimè consignatæ. Alioqui pio scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, ut & priores formas deleat, & probatiores dignioresque quæ maneant, ipsis substituat. *Orat.* 1.

D. Nazianzenus: Tanti duco esse momenti certum sibi vitæ genus constituere, ut totius vitæ vel rectè vel male traducendæ fundamentum in eo positum esse putem. *Orat.* 23.

D. Nazianzenus, de Herone: Nostram vitam omnibus, ut ita dicam, suffragiis statim elegit, nequaquam passus mentem suam ad deteriora transversam agi, aut comptæ orationis elegantia distrahi, ob quam ii qui Gentilium placita profitentur, animos attollũt. Hoc autem primum philosophatur, ut ex duobus nostris vitæ generibus, utrũ præstantius sit, atq; & sibi, & omnibus Christianis fructuosius, intelligat: quod perfectissimi animi ac sapientissimi esse judicaret, privatæ utilitatis cum publicis commodis conjunctam habere rationem. neq; enim quenquam nostrum sibi soli natum esse, sed omnibus etiam, qui ejusdem naturæ participes sunt, atq; ab eodem, & ab eadem procreati sunt. Cum autem privatam vitam & solitariam, atq; à vulgi commercio semotam & alienam, magnam quidem & præclaram, atq; humanis rebus sublimiorem esse videret, cæterum intra eos, qui hoc vitæ genere cum laude fungerentur, defixam esse, atq; charitatis communionem & humanitatem repudiare, idq; præterea incommodi habere quod eorum virtus, qui sic viverent, explorari non posset, quippe quæ non in rebus gerendis exerceretur, nec cum aliis in comparationem veniret: eam contra, quæ hominum societate & frequentia gaudet, præterquam quod multa quotidie occurrunt, in quibus virtutis suæ periculum facere queat, ad multorum utilitatem etiam esse diffusam, atq; addivinam dispẽsationem prope accedere, quæ universam rerum molem condidit, amicitiæq; vinculis constrinxit, genusq; nostrum propter vitii accessum à bono deturbatum atq; dejectum, per familiaritatem illam vitæque consuetudinem, quam nobiscum habuit, ad pristinam dignitatem, revocavit: hæc, inquam, cum animo volveret ac perpenderet, simulq; Græcorum, qui pallio & promissa barba, gravitatis speciem præ se ferunt, fastum atq; insolentiam reprimere operæ pretium esse censeret: quidnam facit? & quonam pacto philosophiam tractat? Medius quodammodo inter illorum vanitatem, & nostram sapientiam incedit, atque illorum quidem habitum & larvam nostrorum autem veritatem & sublimitatem profitetur. *Orat.* 53.

D. Greg Nyssenus: Ut qui alicujus nationis sermonem discere instituit, minime per se satis est, ut à se ipse erudiatur: sed ab iis, qui illius sermonis periti sunt instituitur: atq; hoc pacto brevi & ex audiendi consuetudine progressus, peregrini sermonis particeps efficitur: sic opinor, si hæc vita nõ naturæ via progreditur, sed novo quodam instituto aberrat, eam perfecte à nemine posse percipi, nisi optimo viro duce utatur: atq; alia omnia, quæcunq; huic vitæ studia proposita sunt, rectius ab eo perficerentur, qui illis deditus est, si à doctoribus magistrisq; scientiam illarum rerum perciperet, quarum studio tenetur, quam si per se ad rem aggrederetur. Non enim perspicuum est institutum istud, sic ut necesse sit judicium eorum quæ in rem nostrã futura sunt, nobis permittere: quandoquidem rerum ignotarum experientiam tentare periculo non caret. Quemadmodum enim medicinam prius incognitam ex usu rerum homines invenerunt, quibusdamq; observationibus ejus præcepta brevi patefecerunt, ut cum rerum, quarum periculum factum est, exemplo esset cognitum quid prodesset, quidve noceret, id hoc modo in artis rationem redactum sit: quodve à majoribus ea de re præceptum fuit, id sit postea diligenter observatum: nunc vero qui ad hanc artem se contulit, non necesse habet suo periculo medicamentorum vim cognoscere, num venenum sit, an remedium: sed cognitas res cum ab alio discat, ipse medendi munere perfecte fungetur: pari ratione de animorum medicina dicendum est. *cap.* 23. *de Virginitate.*

D. Chrysostomus: Nunc Satanica quidem cantica, & saltationes vestri deligunt pueri, sicut coqui, & obsonatores, & qui choros agunt. Nemo autem novit psalmum: sed res videtur esse pudenda, ridicula, & subsannanda. Illinc conservantur omnia mala, in quali enim terra steterit planta, talem fert fructum. Si in arenosa & salsa, talem. Si in dulci & pingui, rursus similem. Sic fons quidam sunt documenta. Doce eum canere psalmos illos plenos Philosophia: utpote statim de moderatione & temperantia, imo vero ante omnia de consuetudine non habenda cum malis. *Homilia* 9. *ad Colossenses.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Fabricatum Martius campus militem suscipit, quem simulacrum mentitæ dimicationis animavit: nec pedem retorquet à classicis, cui buccinarum clangor, & ministeria belli inter pacis blandimenta crepuerunt. Usu enim virtus nutrita grandescit, & de institutione nascitur periculorum tolerantia, consummati roboris viros principia viderunt timentes. Bene est, si rhetorum dextera, & libertas illa linguarum formatos Grammaticorum fornace enses accipiat: qui ne manifestis cedant ictibus, frequens contulit imago feriendi. In hac cautione opus est, ut supra ætatis immaturæ naturalem pene licentiam artis crescat affectio: & de continua per pedagogos, & indicta necessitate clari operis spontanea cura prosiliat, ostendit tamen ad bonam voluntatem se tendere, qui ut cogatur adquiescit. Jam pene in studio habet honestatem, quem non offendit sollicitudo monitoris. *Paraneſi didaſc.*

Ennodius: Ergo si nota sunt vobis bona germinis nostri, inserenda suggerite: ut quod nitet in semine cultura melioret. habeat cespes radici obsecundans poma, quæ tribuat. Non sunt peregrina, non fugitiva quæ poscimus. Si Elæis & Olympicis confligtibus nutritur oculeus de parentibus æstimatus; nos adhuc proficientium creatorum muniamur exemplis. *Dictione* 13. *m.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Xenophon: Indicia bonæ indolis Socrates colligebat ex eo, si celeriter adolescentes discerent illa, quibus animum adjicerent; quæq; didicissent, memoria tenerent; omnesque artes expeterent, quibus & domus, & civitas præclare gubernari posset; ac ad summam, per quas tum ipsis hominibus, tum reb. humanis recte uti liceret. Nam si tales instituerentur, existimabat non ipsos modo bonos esse, suasque domos recte gubernare: sed eosdem posse tum cæteros etiam homines tum civitates beare. Non eodem vero modo ad omnes accedebat, sed eos, qui natura se bonos esse arbitrarẽtur, doctrinam autem contemnerent, docere solebat, illas naturas, quæ viderentur esse præstantissimæ, in primis institutione indigere: quum quidẽ ostenderet equos generosissimos, qui & animosi & acres sunt, si ab ineunte ætate domentur, utilissimos & præstantissimos fieri: sin relinquantur indomiti, effrænatissimos: & canes à natura optimos, qui laborioſi sint, & feras adgrediantur, si recte educentur, optimos fieri, ac ad venationes aptissimos: sin absit educatio, ineptos reddi, ac furiosos, & contumacissimos. Itidem ajebat homines optimæ indolis, qui & animis essent firmissimis & in efficiundis iis, quæ molirentur, efficacissimi: si quidem instituti essent, & quæ agenda sint didicissent præstantissimos atq; utilissimos fieri, quod & plurima & maxima bona conficerent: at si tum institutionis, tum doctrinæ expertes manerent, fieri pessimos ac nocentissimos, Nam quum dijudicare non possint, quæ sint faciunda, sæpenumerò prava moliuntur: quumque magnifici, ac vehementibus animis præditi sint, difficulter contineri ac abduci ab instituto possunt. Quo fiat, ut plurima maximaq; mala committant.

Quod si qui ob divitias elatis essent animis ac se nihil institutionis egere ducerent, quippe qui opes sibi suffecturas putarent ad impetrandum, quæ vellent, & ad consequendũ honores ab hominibus, eos ita sanam ad mentem revocabat, ut diceret: stultum esse, si quis existimet posse se absq; doctrina tum utiles tum noxias res discernere: itemq; stultum esse, qui discrimen horum ignorans, ac propter opes quidquid velit sibi comparans, posse se putet agere, quæ ex usu sint: stolidum item, qui quum nequeat agere, quæ sint ex usu, nihilominus prospere se agere putet ac res ad vitam omnes vel recte sibi, vel idoneè comparatas esse: stolidum deniq; qui quũ nihil sciat, ob divitias fore se putet hominum opinione bonum: vel quum bonus non sit, nihilominus in existimatione futurum. *cap.* 2. *lib.* 4. *Memor.*

Libanius: Socrates quoniam multos videbat, filios quidem suos perinde ac mancipia nutrire, neq; animũ instituere, neq; corpus exercere, undequaq; opes cogere, quasi una esset ad felicitatem ansa; ut instrueret mala mente præditos, increpabat & cõmutabat, & dedocebat, ac suadebat ne quæ scire deceret ea ignorarent; neve in iis quæ pluri um attentionis repoſcerent, segniter se haberent: in iis autem quorum tanta ratio habenda non erat, elaborarent, hoc vero fuit ejus qui ipsos opulentos & mentis compotes esse vellet. *Decl.* 29.

¶ Poetarum.

Aristophanes Nubibus v. 957.

Dicam igitur de disciplina veterum, qualis fuerit, cum
Ego justa loquendo florerem, atq; modestia legibus esset
Sancita: ibi nefas primum, aliquem puero auscultare loquenti:
Deinde in via oportebat recto ipsos ire gradu ad Cytharadũ
Vicatim nudos, confertos: etsi imbrem ningeret atri
Modios furfuris. Ibi carmen discere docebat Cytharadus
Non compressantes femora. & vel de Pallade, Dea metuenda,
Vastatrice urbium: vel clamorem, altum longeq; vaganteꝫ
Concentum intendere: ita ut patres jam nunc olim instituissent.
Sin autem scurriliter aliquis caneret, aut flecteret ore
Infractam vocem, qualem nostri, difficilem undiq; flexum
Edunt, imitatus Phrynim: continuo flagris male cæsus
Tergum & dolatus, pœnam dabat: ut qui Musas aboleret.
In ludo autem residentes, pueri objiciebant fenum intus,
Ne quid monstrarẽt turpe sui his, qui extrinsecus aspiciebãt
Tum,

Tum, quando iterum consurrexissent, omnem rursus arenã
Converrebant: ne pubis vestigium amanti remaneret.
Nullus tum puer infra umbilicum ungebatur: sed ibidem
Ros & lanugo pubetenus efflorescebat, ut agnis.
Nullus vocens subigebat molliculam adversus amantem:
Nec seipsum quisquam oculorum obtutu, incedens, prosti-
tuebat.
Nulli raphano vesci licitum in cœna: nulli vel anethum,
Vel apium, herbas seniorum fas praripere: obsonia nulli
Edere aut deliciari, neq; pedes alternare licebat.
IN. Prisca hæc sunt, & Jovialia & annis obsita, plena ci-
cadis,
Nuga Cecidæ & Buphoniorum. Jv. atq; hæc scilicet illa,
Quibus in hac Marathone viros pugnaces mea doctrina fi-
desque
Produxit: tu vero nostros homines illico tegumentis
Involui perdoces: ut ego suffocer, sicubi oportet
Illos saltare chorum in Panathenais: clypeumq; uti peni
Prætendendo, negligat saltationem. Proin' ô adolescens
Bono animo es, neq; tibi elige sermonem multo potiorem.
Etenim sic disces odisse forum: & balnea unquam intrare,
Suffundásq; pudore ob turpia: tum si quis crimine ladat,
Exardere. & senioribus assurgere, quando ingrediuntur.
Neq; malè facere parentibus, & nihil usquã admittere turpe
Adeocq; pudoris vivum exemplum in te dare: sed neq; lectũ
Intrabis saltatricis, ne dum ictus in hias, meretrix te
Malo petat: & exinde bona de fama tu excutiaris.
Neq; patri responsabis quicquam: neq; vetulum, lapetumq;
Dices, nec senium exprobrabis es, qui te eduxit alumnum.
IN. At tu, si huic morigerere, adolescens: tũ sane, per Bacchũ
Similis eris Hippocratis filiis stupidis: bardumq; vocabunt.
IV. Imo nitidus versaberis in ludis, & floridus usq;:
Nec profitues nugacissima verba foro: qualia nostri:
Neq; trahere in jus, propter misero litigioso malignum
Parvumq; negotiolum: sed enim in Academia sub olivis
Sacris spatiaberis, inter coæquales, calamo redimitus.
Milacemq; redolebis, & ocium & inditapopulna capillis
Folia, Vere novo gaudens, cum platanus ulmusq; susurrant
Quod si hæc facias ego quæ dico:
Animumque his advortas dictis:
Pectus habebis semper nitidum,
Vultum lucentem, humeros magnos,
Exilem linguam, anum grandem,
Penem exiguum. At si eadem, quæ alij
Faciunt, facias: semper habebis
Vultum pallentem, humeros parvos,
Pectus gracile, ingentem linguam,
Penem magnum, parvumque anum
Et longum decretum: quod tibi
Persuadebit, ut omne id honestum
Ducas, quicquid erit turpe: & ad hæc
Fœdo Antimachi
Itidem opplebere flagitio.

¶ Emblematum.

Batillius 35.

Quanto plus conferat institutio & educatio quam genus.

En quam diversi, nati ambo parentibus iisdem,
Diversa hic animi dant documenta canes?
Venandi ad studium teneris formatus ab annis,
Emissam insequitur dum celer ille feram,
Hic alter contra deses nutritus in aula,
Projectos rapido dum petit ore cibos.
Sic genus excolitur studiis, sic degener exit
In vitium culta Nobilitatis honos.

Batillius 42.

Ingenium doctrina & literis formandum.

Lambendo informem velut ursa reducere fœtum
Paulatim in formam, quantam habet ipsa, valet:
Sic vim animi innatam ingenua vis promovet artis,
Roborat & mentem cultus & ingenium.

Camerarius 59. Centur. 2.

A teneris assuescere multum. Canes duo Lycurgi.
Vincit naturam consuetudo atque reformat,
Cui quisque assuevit, deditus esse solet.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; cultura in lolium quoq; abit ubertas tritici.
Descendunt præcepta, teneris qua imprimuntur, altius.
Et sine institutione res homo immanissima est
In malum indurata frangas promptius quam corrigas.
Liberos docere se vi non colent nisi ultimi.
Margaritas ante porcos nemo sanus miserit.
Nil eget majore cura quam puerta chorus
Nil patri constat minoris quam docendus filius.
Nobilis natura duci se magis vult quam trahi.
Non facit bonos natura, recta at institutio.
Non omnem frugem arborem ve quilibet profert ager.
Optime vivat necesse est, institutus optime.
Pessime vivat necesse est, institutus pessime.
Planta honesta sponte in altam crescit illico arborem.
Plus docet parens hora una filium, quam anno exterus.
Stulte liberos voto ambit, qui jam natos negligit.
Testa quos recens liquores imbibis, semper sapit.

¶ Jambica.

Bene instituta vita fructus optimi est.
Bona institutione nil utilius.
Docere solus ille qui didicit potest.
Et recta pabulum est anima institutio.
Felicitatis institutio est caput.
Melius facile equos nobiles frenum regit.
Mercurius ex ligno omni non exsculpitur.
Noli ante porcos margaritas mittere.
Ne culleo toto seras, seras manu.
Primi liquoris testa odorem diu tenet.
Puero palatum ulli prius, quam os instruas?
Tenella fingas: non reformatur senex.
Tenerum quod est, omne adplicatur proximis.
Vix pauperis nati bona institutio est.

Integritatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Inquinas integritatem laude si tollis probi.
Integer quidem laudatur omnibus, sed spernitur.
Integer vitæ nec armis indiget, nec artibus.
Nil patres dicas ve quod palam eloqui non audeas.
Nulla laus ibi integrum esse, nulla ubi corruptio est.
Sæpe Jupiter neglectus integrum incesto addidit.
Tuta in orbe jam parum ipsa vi sua est integritas.
Vivent is Dei est imago sanctior vir integer.

¶ Jambica.

Integra vita haud dignatur, sed pauperat.
Integritas vix jam superstes nomine est.
Integritatem qui probi laudat, notat.
Ludo ac joco est potentibus integritas.
Rarissima est in paupertate integritas.
Tam sæpe virtus non superat, quam integritas.

Intemperantiæ.

¶ Sententiæ Græcorum.

Orosius adversus Paganos: Dei clementiæ est, quod vivimus, quod autem misere vivimus, intemperantiæ nostræ. *cap. 3. lib. 2.*

Xenophon: Socrates quum existimaret, temperantiam esse bonũ ei, qui præclarum aliquid gesturus esset: primum ipse ad familiares suos hominum omnium se maxime exercitatum in hoc esse declarabat. Deinde disserendo omnium maxime familiares suos ad temperantiam impellebat. Itaq; semper & ipse meminerat illorum quæ ad virtutem conducerent, & familiares suos omnes commonefaciebat. Equidem scio ipsum aliquando ad Euthydemum de temperantia quoq; hujusmodi quædam disseruisse. Dic mihi Euthydeme, ait, num pulchram & amplã tum viro tum reipub. possessionem esse putas libertatẽ? Maximam, inquit ille. Qui ergo voluptatibus quæ percipiuntur, vincitur; ac per eas, quæ optima sunt, facere nequit: eum ne tu hominẽ esse liberum putas? Minime, ait. Fortassis enim hoc tibi videtur esse ingenuum, facere nimirum optima. Ergo quosdam habere, qui vetent, quo minus agas talia, putas esse alienum à libertate? Omnibus sane modis, ait. Igitur intemperantes tibi modis omnibus esse videntur illiberales? Videntur profecto, inquit, & merito quidem. Utrum vero videntur homines intemperantes tibi tantũ impediri, quo minus longe pulcherrima perficiant, an etiam cogi ad designandum turpissima? Nihilo mihi minus, inquit, ad hæc cogi videntur, quam in illis impediri. At quosnam illos esse putas dominos qui optima quidem impediũt, ad pessima vero cogunt? Longe pessimos, ait. Et quam esse pessimam servitutẽ arbitraris? Eam, ait, quæ apud dominos pessimos serviatur. Ergone homines intemperantes servitutem pessimam serviunt? Ita mihi videtur, inquit. An non etiam videtur tibi ab hominibus sapientiam, bonum longe maximũ, arcere intemperantia, & in contrarium eos conjicere? Non videtur tibi prohibere, quominus aliquis rebus ex usu futuris animum adtendat, easq; discunt, dum pertrahit nos ad res voluptarias, ac sæpenumero bona malaq; sentientes percellens facit, ut loco melioris id quod pejus est, eligamus? Fit hoc, inquit. Cæterum prudentiam mi Euthydeme, cui minus convenire dicemus quam intemperanti? Nam prudentiæ opera sibimet adversantur. Id etiam fateor, ait. An

autem putas aliquid eſſe, quod magis nos impediat, quo minus ſtudiis rerum honeſtarū dediti ſimus, quam intemperātia? Minime, inquit. An quid homini putas eſſe nocentius, quam quod efficiat, ut noxia præferat utilibus, ac illis quidē operam impendere, hæc vero negligere ſuadeat: deniq; cogat illis nos contraria facere, quæ ſolent homines prudentes? Nihil, ait. Ergo temperantiam conſentaneum eſt hominib. eſſe cauſſam contrariorū illis, ad quæ intēperantia nos impellit? Omnino, ait. Igitur etiam cauſſam hanc contrariorum cōſentaneum eſt optimā eſſe? Eſt ſane, inquit. Ergo videtur, mi Euthydeme, temperantia quiddam eſſe homini optimū. Et merito quidem ait, ô Socrates. Illud autem, mi Euthydeme, num tibi ad animū aliquando accidit? Qualenam id eſt? inquit. Quod ad ea, quæ jucunda ſunt, ad quæ quidem ſola nos perducere videtur intemperantia, minime nos illa poſſit deducere; ſed quod ipſa temperantia longe māxima voluptatis ſit cauſſā. Qui hoc? ait. Quonam intemperantia nō ferens, ut tolerentur fames, ſitis, rei venereæ cupiditas, vigiliæ, (per quæ tantum ſuaviter comedere, bibere, venerem exercere poſſumus, itemq; ſuaviter quieſcere ac dormire, expectantes ac ſuſtinentes, donec illa quam jucundiſſime fiant) quo minus maxime neceſſariis & continuis voluptatib. egregie fruamur, impedit: temperantia vero, dum ſola facit, ut quę diximus, toleremus, etiā ſola voluptatem memoratu dignam excitat in iis, quæ recenſuimus. Omnino vera dicis, ait. Quinetiam ex diſciplina rerum honeſtarum & egregiarum, & ex eorum ſtudio, quib. aliquis recte corpus ſuum moderetur, ac familiā recte adminiſtret, & amicis patriæque proſit, & hoſtes ſuperet, de quibus maximæ non utilitates modo, ſed etiam voluptates exiſtunt, ſane fructum percipiunt temperantes dum ea faciunt: cum intemperantes nullius horum participes fiant. Nam cui dicere poſſimus hæc minus convenire, quam qui ea minime facit, occupatus quærendis voluptatib. maxime obviis? Tum Euthydemus: Dicere mihi, ait, videris mi Socrates, omnino virtutē ad eum qui à corporis voluptatibus ſuperetur, non pertinere. Nam quid intereſt, ait, mi Euthydeme, inter hominem intemperantem & intemperantiſſimam, belluam? Nam qui non cōſiderat optima, & omnino facere quærit ea, quæ jucundiſſima ſunt, quid ille differt ab inſipientiſſimis pecudibus? Soli temperantes res optimas conſiderare poſſunt, eaſq; tum verbis tum reipſa ſecundum genera ſecernere; ac bonas quidem eligere, à malis autem abſtinere. Atq; hoc modo dicebat viros præſtantiſſimos ac feliciſſimos effici, maximeq; ad diſſerendum idoneos. Ajebat etiam διαλέγεσθαι id eſt diſſerere, ex eo dictum eſſe, quod convenientes communiter conſultent, dum res ſecundum genera diſcernunt. Itaq; enitendum eſſe, ut ad hoc ſe quam paratiſſimum quiſq; reddat, eiq; rei maxime ſtudeat. Nam ex eo fieri homines præſtantiſſimos, & imperio digniſſimos, & diſſerendi peritiſſimos. *lib. 4. cap. 26. Memorabilium.*

Lyſis Pythagoricus: Ex Intemperantia igitur progerminant ſcelera & temulentiæ ac perditiones, & abhorrentes à natura voluptates, atq; impetus quidam vehementiores, ad mortem & præcipitia impellentes. Jam enim quibuſdam vim adhibuerunt libidines, ut neq; à filiabus abſtinerent, & violantes legem, patrem, civitatem atq; regem, & educentes cubitos quaſi captivos ad extremum exitium vim & violentiam rapiunt. *Epiſt. ad Hipparchum.*

¶ Poetarum.

Prudent. Pſychomachia 5.

Ite ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia damna falerni
In menſam cyathis ſtillantibus, uda ubi multo
Fulcra mero, veteriq; torentmata rore riganſur.

¶ Apophthegm. Sacror.

Salomon: Omnem in cibo damnat intemperantiam, *Proverb. 23. 19. 20. 21. & 27. 7. & 28. 7.*

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Deſcriptis noviſſimi ſeculi periculis, ad diſcipulos ſuos converſus dixit, Cavete vobis ne quando graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & repentè vobis ſuperveniat dies noviſſimus. Nam ut laqueus invadet in omnes qui habitant in ſuperficie totius terræ. Excubate igitur omni tempore, rogantes ut digni habeamini qui effugiatis iſta omnia quæ futura ſunt, & conſiſtatis coram Filio hominis. *Luc. 21. 34. 35. 36.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Macarius Abbas: Quemadmodum omnes appetitiones ſedat Temperantia, & efficit ut rectæ rationi pareant: ſic huic inimica Intemperantia, omnem animi ſtatum inflammat, cōturbat, incitat. Unde Macarius accedenti ad ſe è fratribus cuidam ſub meridiem, qui præ æſtu aquam ad reſtinguendam ſitim poſtulabat, ejuſdem intemperatum bibendi deſiderium temperavit, dicens: *Umbra tibi ſufficiat: multi namq; nunc iter agentium, aut navigantium, hac revelatione privantur.* Socrat. Trip. hiſt. lib. 8. cap. 1.

Alphonſ. Arag. Rex: Neq; caruit hac laude Alphonsus: qui, contemplatus quam inſatiabilis eſſet humanus animus, &

—— quod nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus vivat:

dicebat: *A diu olim, Iove, Neptuno, & Plutone, omnia trifariā ſorte diviſa, & quiſq; ea contentus, quæ ſibi obtigit. Homini vero, neque quod ſatis, neq; quod minus, ſatis unquam eſt.* Panorm. lib. 4. de Geſtis Alphonſi.

¶ Monosticha Trochaica.

Criminis cuiuſque mater eſt intemperantia.
Nec ſibi alteri ve prodeſt tempore ullo intemperans.
Proximo, & Deo eſt iniquus, & ſibi una, intemperans.
Quidquid partum erat virtute, intemperantia perit.

¶ Jambica.

Graviſſimum eſt malorum intemperantia.
Intemperantem amici agrum coerceant.
Intemperantia ubi eſt abeſt prudentia.
Modeſtia hoſtis ſuus eſt intemperans.
Natura ab uſu incontinenti inflectitur.
Nulla modum in re ſervat unquam intemperans.
Parens voluptatum hercle intemperantia es.
Vita eſſe longa non poteſt intemperans.

Interceſſionis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Nihil inter petitionem & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non ſplendidæ & eximiæ gemmæ, non cætera, quibus hominum mentes ad lenitatem & ad clementiam inflectuntur. *Orat. 17.*

D. Nazianzenus: Forte dicturus es, Quid hoc? rurſus ad nos Gregorius rurſus, rurſus epiſtolas? rurſus poſtulationes? ô inexplebilem cupiditatem quam ipſi excitavimus! Ne quæſo tibi hoc accidat. Quorſum enim ſunt portus: an non eorum qui tempeſtate jactantur? Quorum pharmaca? an non eorum qui morbo laborant? quibus quæſo ne priveris: inque eo magis, quod gratia & auctoritate apud te valere credimur: non enim jam poſcimus, ſed expoſcimus. nimirum gratia gratiam ſemper provocante. Nicobulus per ſummam improbitatem vexatur: quod perinde eſt ac ſi dixiſſem, nos, hic quippe nos recreat & reficit. Oppreſſis igitur manum porrige, ut tibi Dei quoque manus porrigatur, qua ut homo opus habes: atque omni amicitiæ & prudentiæ, & potentiæ genere, una cum Deo in rebus noſtris utere. Nam neque ignitum ferrum multis lapidis pulſibus opus habet, ut inſitus ignis in apertum proferatur; verum ſimulatque percuſſum eſt, confeſtim ignis fulget atque emicat, nec tibi longiore deprecatione opus, idque pro nobis &c. *Epiſt. 48.*

D. Io. Chryſoſtomus: A pluribus oratus facilius cedit, & gratiam tribuit *Homil. 1. Epiſt. ad Philemon.*

Mox: Non modo à pluribus rogari, verum & ad plurimos offerre preces, multum habet vitium ad impetrandum.

D. Io. Chryſoſtomus: Nihil tantam impetrandi vim habere ſolet, quantam non ſimul omnia petere. *initio Homiliæ 3. Epiſtola ad Philemonem.*

Statim poſt: Qui in afflictione poſitus ſeipſum negligit, ut aliorum proſpiciat commodis, omnino meretur audiri.

Syneſius: Interpellationis moleſtiæque cauſſam tute tibi tribuito. Cum enim manifeſtum omnibus eſſe voluiſſes, omni me apud te honore ac pretio eſſe; cunctis ad me qui in aliqua calamitate ſunt curſum aperuiſti. Noſti igitur quemadmodum ſis facturus, ſi & me à multis & de multis te à me deſinere ſollicitari oporteat? quam vis moderata omnia cumprimis & æqua poſtulet is pro qua ſcribimus, eſtq; ut omnes norunt, qui ea impetret digniſſimus, minime tamen ea à te conſequatur, non ſecus ac ſi & ipſe peſſimus eſſet, & peſſimus tecum de rebus ageret. Quin etiam cum ad te poſtulaturus ſcilicet adiero, famulis tuis præcipe mihi ut ob os januam occludant. Poſtquam iſtud à te factum alii viderint, alii ab iis audierint, deinceps ego & tu magna in pace verſabimur; quoniam nemo de cætero ad me confugiet, nec æruminas ſuas apud me deplorabit: Quod ſi iſtud facere reformidaveris, nec ejuſmodi quicquam in te homines animadvertere volueris, fac quotidie ſæpius de hominibus bene mereri ſuſtineas, tuis per me, ac Deum ſupplicibus. Verum hoc utique ſcio: nequaquam tu bene merendo fatigaberis. Quare neque ego conſentaneas naturæ tuæ occaſiones procurando. *Epiſtola 29.*

Syneſius: Auferre longe erat, quam non concedere moleſtius. *Epiſtola 67.*

Syneſius: Tametſi non omnia mihi eripere fortuna poteſt, vult tamen quæcumque poteſt:

Quæ natis me orbavit multiſque boniſque.

Sed optima quæque velle & injuria oppreſſis adeſſe mihi nunquam eripiet: abſit enim ut animum quoque meum expugnet. Odi itaque injuſtitiam: hoc enim licet, prohibere autem vellem equidem: verum & hoc ex eorum genere eſt quæ mihi erepta ſunt: iſtudque ante liberos à me ſublatum eſt.

Fortes fuerunt primitus Moleſii.

Fuit tempus illud, cum ego amicis meis eſſem utilis, & tu me alienum bonum appellares, potentiorum ſcilicet in me obſervantia ad alio-

ad aliorum commodum abutentem. Erantque illi manus meæ, nunc omnibus deſtitutus relinquor, niſi ſi tu quidpiam potes. Nam & te cum virtute in bonis deputo quæ auferri nequeunt. Ac tu ſane ſemper & potes plurimum, & poſſis, poteſtate tua quam honeſtiſſime utens: Nicæus autem & Philolaus præſtantiſſimi juvenes, & cognati, quemadmodum rerum ſuarum domini revertantur, curæ ſit omnibus, qui te obſervant & privatis & magiſtratibus. *Epiſtola* 80.

Syneſius: Maximini filius laceratur à delatoribus in Cyrenem graſſantibus, niſi vires induis ipſe. Quidquid igitur Anthemio, aut alteri cuilibet pari autoritate pro nobis ac veritate loqui perſuaſeris, tuum hoc utique erit, ejuſque quidquid factum fuerit, cauſa eſſe exiſtimaberis. *Epiſtola* 118.

Syneſius: Ullyſſes Polyphemo ſuadebat, ut ſe ſe è ſpelunca dimitteret. Vereratur enim, ajebat, ego ſum, oportuneque tibi admodũ ſubſidio fuerim, cui marini illi amores non ſatis ex voto reſpondent. Etenim ego cantiones quaſdem ſcio & nexus & amatorias illecebras, quibus vel tantillum Galatea reſiſtere non poteſt. Tantum hanc amovere januam ſuſtine, vel ſaxum iſtud ingens potius: mihi enim vel promõtorium eſſe videtur. Ego vero ad te revertar, cum dicto citius puellam adegero: quid dixi adegero? Ipſam illam multis præſtigiis adductu facilem præbebo. Orabit te, & obſecrabit: Tu vero delitias ages, & illũdes. Verumtamen neſcio quid interim ejuſmodi ſcrupulum injicit, ne vellerum ſuccidorum fœtor delicatæ puellæ, ſæpiuſque de die lavanti ingratus ſit. Conſulto itaque feceris, ſi omnia componens everras, & eluas, ac ſuffias cubiculum: multòque adhuc conſultius, & coronas paraveris, ex hedera, & ſmilace, quas tibi, tuiſque delitiis imponas. Sed quid etiam reſtuas? non jam fores emoliris?

Ad hæc igitur Polyphemus cachinnum extulit, quantum potuit maximum manuſque complosit. Et Ullyſſes quidem præ gaudio illum ſui compotem non eſſe arbitrabatur, quod ſe ſuis delitiis potiturum ſperaret. At ille mentum ejus leniter demulcens: O Nemo, dixit, Vaferrimus homuncio mihi videris, & rerum uſu attritus. Verum aliud comminiſcere, nec enim ipſe fugam inde capeſſes.

Ac Ulyſſi quidem (etenim injuria ſane afficiebatur) ſua omnino calliditas erat profutura. De te vero qui audacia Cyclopem, factis Siſyphum refers, juſtitia pœnas ſumpſit, lexque conſtrinxit, quibus utinam numquam illudas. Quod ſi omnino legibus ſuperiorẽ te eſſe neceſſe eſt: at egò non is ſim, qui eas ſolvam, aut carceris fores effringam. Etenim Reip. penes Epiſcopos eſſet adminiſtratio, eoſdem ipſos oporteret nequitiæ eſſe vindices: quandoquidem publicus gladius non minus quam lauſtralis aqua, quæ in templorum veſtibulis collocatur, civitatis eſt piaculum,

Sic veterum decus audimus, famamque virorum.

Hunc in modum factitabant, quoad optimum videbatur eundẽ pro communi bono vota facere, idemque uti contingeret procurare. Nam & Ægyptii, & Hebræum genus longo tempore ſacerdotũ imperio uſi ſunt. Sed poſteaquam utriuſque vitæ factum eſt divortium; & alia ſacris, alia principatui eſt attributa: aliique negotiis geredis, nos fundendis præcibus præpoſiti ſumus: quibus lex vetat manum ad jura legeſque porrigere, & vel ſceleratiſſimum interficere: quonam modo quiſquam iis conceſſerit manum homini veteratori contra jura porrigere? At ego quantum in me eſt, omnem lapidẽ moveo, idque & privatim & communibus in ſacris oro, ut injuſtitia ſuperior juſtitia ſit, & civitas ab omni nequitia repurgetur. Hoc autem idem eſt, ac male malum perire & te, & alium quemlibet tui ſimilem. & hoc argumentum tibi ſit, qualiſnam futurus fuerim, ſi quid mihi facere licuiſſet, qui quod nihil liceat, dira tibi imprecor. *Epiſtola* 121.

Syneſius: Cum illud perſpicuò ex rebus ipſis, factiſque didicerim, te egregium ac præclarum caput ad omne humanitatis officium eſſe propenſum, libenterque ſupplicibus manum velle porrigere: ad ipſum te provoco, Equum, ut ajunt, ad campum hortari me exiſtimans. Tibi vero magis quam antea, vir amiciſſime, præbendum humanitatis tuæ ſpecimen eſt, quanto & miſerabilior perſona eſt, in quam beneficium contuleris. Mulier quippe eſt, & ad viduitatem redacta mulier: Deinde paſſa cum pupillo filio, quæcumque paſſa eſt. A quonam vero injuria ſit affecta, & qua in re, & quomodo, ipſa tuæ probitàti declarabit. Quamobrem vir eximie, vide ut mulierem defendas, cum pro eo quod honeſtũ eſt, tum quod tuis moribus conſentaneum, tum mei denique gratia. Ero enim omnium, quæ in illam contuleris, beneficiorum particeps, propterea quod, & cognatione conjuncta mecum eſt, & apud nos ſub honeſta matre caſte ac pudice eſt educata. *Epiſt.* 154.

Syneſius: Quæ juſta ſunt, ſocios & adjutores deſiderant. Atque hi demum qui iis auxilium præbuerint, felices habendi ſunt, cum pro æquitate laborent. Quamobrem te horum patronum ac defenſorem elegi, qui & animo & arte ſubſidium afferas. Ac quod ad me attinet, de quibuſcunq; poſſum bene mereri ſum paratiſſimus: Tu vero occaſionem aliquam præbe. Amicitiam enim ſenties, quam neque ipſe contemnas, nemo vero fortaſſis irrideat. *Ep.* 155.

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Quis modus eſſe poteſt mortis, ſi cum judex ſententia feriat, non ſit qui reo ſupplici interceſſione ſubveniat. *Homilia* 15.

¶ Philosophor. Oratorumq; Græcorum.

Euripides: Venit ad nos pellenſis ſenex una cum ſuis adoleſcentibus & is quidem ô rex optime mihi ſupra modum jucundus fuit aſpectus, qui viderem & propter quem accidiſſet, ut id fieret. Honeſtus etiam tibi abſenti, magnamque gloriam ferens & Zelum apud omnes meos neceſſarios & Athenienſes quotquot viderunt autem plurimi neque fuit eorum quiſquam qui non tuam humanitatem ſuſpiceret, manamque fortunam optaret. Circumvenerat enim ſenex non ita multis ante diebus hic ſorditatus, comaque demiſſa. Ita ſpem exiguam ac tenuem de vita filiorum habebat, & ecce repente comptus & ornatus cum duobus adoleſcentibus ſacrificia diis faciens, meque in cœlum laudibus extollens & complectens quod filiorum ſalutem ſibi reſtituiſſem, urbemque Athenienſium quod ejuſmodi cives aleret. Ego vero multa etiam alia dicere habeo. Sed nolo, ne cum oſtendam quãto magis hoc beneficio tibi metipſi profueris, quam ulli mortalium, ob hoc minorem tibi gratiam videar habere. Confiteor autem me maximum à te beneficium accepiſſe, & conaturum pro hoc pulcherrimo facto magnam multamque tibi gratiam relaturum, quod neque timidi ſenis illius ſpem quam miſer in nobis habuit, neque noſtram quam in te poſitam habebamus, fefelliſti. *Epiſtola ad regem Archelaum.*

Dionyſius Sophiſta: Epiſtola quidem à me ſcripta eſt. Beneficium autem non peto ſolus, ſed multi hoc negotium una mecum ſuſcipiunt. Videbis igitur, ut neque epiſtolam petentibus prætermittamus, neque qui petierunt à vobis per me repulſam patiantur. *Ep.* 19.

Heliodorus: Hoc primum humanitatis judicium exhibetis, ut ſuadendo potius quam vi, id quod æquũ eſt obtinere conemini. *lib. Æthiopicorum primo.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Spurinna expoſuit Reguli mandata: preces ſuas, ut decet optimum virum, pro diſſimilimo, parcè. *lib.* 1. *Epiſt.* 5. *ipſo medio.*

Plinius Iunior: Ex duobus eligam id potius, in quo non ſolum ſtudio tuo, verum etiam judicio ſatisfaciam. neque enim tantopere mihi conſiderandum eſt, quid vir optimus in præſentia velis, quam quid ſemper ſis probaturus. *lib* 1. *Epiſt.* 7.

Plinius Iunior: Extendarem præces, niſi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epiſtola feciſſem. rogat enim & quidem efficaciſſimè, qui reddit cauſſas rogandi. 2. *fine Ep.* 23.

Symmachus: Ex uſu venit, ut opem deſiderantes ad ſuffragia probata confugiant. Horum unus Euſebius eſt, qui adoleſcentiæ prolapſus errore &c. *lib.* 3. *Epiſt.* 25.

Plura requiruatur è titulo *Commendationis.*

Interpretationis.

¶ Sententiæ.

Themiſtius: Nihilominus anno mihi opus non erit ad notitiam conſuetorum verborum, ut olim Themiſtocli Neoclis filio. nam cum is non recta in animo agitaret, jure neminem optabat interpretem habere eorum de quibus coram rege diſſerere cogitabat. Ego vero deſiderarem omnes homines miniſtros & explanatores eſſe ſermonis quem inſtituo. adeo ſententiæ eorum quæ dicenda ſunt potius confido quam vocabulis. *Orat.* 16. *initio.*

Cornelius Tacitus: Militaris gloriæ cupido nigrata iis eſt temporibus, quibus ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala. *cap.* 5. *Vita Agricolæ.*

¶ Poetarum.

Terentius Phormione 4. ſc. 4.

—— Nihil eſt Antipho.
Quin male narrando poſſit depravarier.
Tu id quod boni eſt excerpis; dicis quod mali eſt.

P. Syrus Mimus.

Maledictum interpretando facies acrius.

¶ Apologi.

Canis. Avienus. 7.

Haud facile eſt pravis innatum mentibus ut ſe
Muneribus dignas ſupplicio putent.
Forte canis quidam nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia ſed pavida ſummittens verbera cauda,
Concitus irato vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas ſimulata lateret
Juſſerat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus, & nexu crepitantia ſubligat æra,
Quæ facili motu ſigna cavenda darent.
Hæc tamen ille ſibi credebat munera ferri,
ſimilem turbam deſpiciebat ovans.

Tanc insultantem senior de plebe superbum
Alloquitur talis singula voce movens:
Infelix, qua tanta rapit dementia sensum.
Munera pro meritis si cupis ista dari?
Non hoc virtutis decus ostentatur in ære,
Nequitiæ testem sed geris inde sonum.

¶ Monosticha Trochaica.

Accipiuntur ferme verba ut sunt animi audientium.
Durius si interpretaris quidq; nemo est innocens.
Ex cujusq; affectione, & facti interpretatio est.
Improbo probove pendet plurimum ab interprete.
In bonum interpres benignus omne mutat quod malum est.
In malum interpres scelestus omne mutat quod bonum est.
Interpres sibi utique iniqua haud est Cupido in re sua
Mollius si interpretaris quidque nemo innoxia est.
Militat pro rege quavis legum interpretatio.
Non probanda, at ponderanda Interpretum sententia.
Prudentissimos quoque fallit, facti interpretatio.
Pythio absque, interpretari oracla non est Pythia.
Verba legis pauca, at ejus lata interpretatio est.

¶ Apologorum.

Alia atque alia est rei ejusdem interpretatio.
Benigne interpretandum est in pœnalibus.
Est aliud esse vatem, aliud interpretem.
In deteriora vergit interpres metus.
Inimici famam non ita ut nata est ferunt.
Interpres vulgus veritatis pessimus.
Interpretando injurias accenderis.
Nil est malum nisi boni interpretatio.
Quivis sui est profecto interpres optimus.
Spectat atque odit que turba quod fecit nefas,
Vulgus sinister moris interpres boni est.

Invasionis.

¶ Apophthegmatum sacror.

Anonimus: Quum Vindocindus, dux Saxoniæ, Danorum arma, coacto datoque gentis concilio, adversus Carolum magnum & Franciæ regnum tentaret, dicens ad bellum Hispanicum omnem pubem Gallicam abesse, in vacuam Franciam arma ferenda, non tantum inde gloriam prædamque parari posse, sed ita affligi evastarique ferro ignique Franciam, ut in futurum de salute sua potius, quam de externorum Imperiorum excidio cogitationes suscipiat: unus è proceribus gentis, Vindocindi dolis detectis, inter cætera scitè dicta, subjecit, Scio præsentem objici prædam, sed illa hamata est: qua qui pasti fuerint, mox ipsi prædæ sint. Nunquam Francia tam milite vacua est, ut non viris, equis, armis, telis, sit ab externa vi munita. citius ex terra edentur armati, ac lapides animabuntur, quam juventus desit Franciæ, quæ pro patria dimicet ferro. Eam quiescentem lacessere minime è re nostra est: & quãto majores copias eduxit Carolus, tanto magis reditus ejus, si ultro lacessimus, est extimescendus, &c. *P. Æmelius lib. 2. hist. Francorum, in Carolo Magno.*

¶ Monosticha Trochaica.

A domo sua remota qui occupat, raro tenet.
Cum prius tua es tutatus tunc aliena invadito.
Fortior semper putatur qui tua invadit prior.
Fortioris est bella telluri hostica.
Fortioris est invadere hosticos quam pellere.
Hostibus supervenientis, nox illunis, optima est.
Negligentes involandi semper est occasio.
Plus animi est damnum inferenti, quam repugnanti.
Plus expectato conturbat hostium adventus recens.
Vincere propulsando vim, non inferendo, est Herculis.
Vis tuis hostem excutere? ejus res obside.

¶ Jambica.

Addidit ferè formidinem qui provocat.
Ferme repens est Barbarorum incursio.
In præparatos impetum quis fecerit?
Non expedit concutere felicem statum,
Nunquam absque clade bellica est supinitas.
Qui provocare audet, videtur fortior.
Supervenis cum clade negligentibus.
Tutissimum est inferre, cum timeas gradum.
Victor recedit, qui improvisus advenit.

Inventionis.

¶ Sententiæ.

D. *Greg. Nazianzenus*: Magnum ad inveniendum vim dolor habet. *Orat.* 19. *in funere patris.*

Ausonius. Alius alio plura invenire potest: nemo omnia. *præfatione Edilij* 10.

¶ Monosticha Trochaica.

Alteri potest optare quis quod jam ipse perdidit
Gloria inventi redire debebet auctorem ad suum.
Invenire plura alius alio potest: nemo omnia.
Non tam aliquid facile invenire est, ipsummet quam perdere.
Odi eum clam qui repertis solus incubat bonis.
Perdita invenire res vel omnium dulcissima est.
Sæpe excogitata alieno supplicio, expias tuo.

¶ Jambica.

Inventa si non reddis illico, rapis.
Inventio amissorum, jucundissima est.
Pro deposito illud omne habe quod invenis.
Quis architectus invidet opersbus suis?
Quod invenis, nec illico reddis rapis.

Invidiæ.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

D. *Nazianzenus*: Muscæ, inquit ille, cum in oleo moriuntur ac putrescunt, ipsius suavitatem corrumpunt, livor autem ea quæ recta sunt; inficere volet ille quidem, sed non poterit. omnium enim rerum fortissima est veritas. *Orat.* 13.

D. Nazianzenus: Utinam ex hominum vita livor interiret, invidorum tabes, venenum eorum, qui eo laborant, solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul & æquissimus illud, quia bonis omnibus infestus est, hoc, quia dominos suos exest & conficit. Non enim iis, qui nos laudibus primi extulerunt, mali quicquam imprecabor. neque enim, quis laudum finis futurus esset, perspectum habebant. nam alioqui non nihil quoque maledicentiæ adjuxissent ut invidiam reprimerent. Hæc & luciferum obscuravit, ob mentis elationem prolapsum (indignum enim atque intollerandum ducebat, se, cum divinus esset, non Deum quoque existimari) & Adamum, per voluptatem & mulierẽ circumventum, è paradiso expulit. Adductus est enim, ut deitatem sibi invideri crederet, dum à scientiæ ligno arceretur. Hæc & Cain ad inferendam fratri necẽ impulit: quod purius sanctiusq; sacrificium æquo animo ferre non potuisset. Hæc & mundum immundè atque incomposite se gerentem aquis texit, & Sodomitas igne obruit. Hæc & Dathan, & Abiron, adversus Mosen furore elatos, in terram defodit, & Mariam, quæ adversus fratrem tantummodo murmuraverat, lepra inficit. Hæc & Prophetarum cruore terram contaminavit, & sapientissimum illum Salomonem per mulieres perculit. Hæc & illum laqueo dignum Judam exigua pecunia illectum, proditorem efficit, Herodem puerorum interfectorẽ, & Pilatum Christi carnificem. Hæc & Israelem cribravit. ac dispersit, ne nunc quidem adhuc è peccato suo emergentem. Hæc & Apostatam tyrannum in nos excitavit; cujus carbones adhuc molestiam inferunt, licet flammam ipsam effugerimus. Hæc & præclarum Ecclesiæ corpus dissidit, in diversa & contraria studia dissectũ. Hæc & Hieroboam illum peccati servum in nos concitavit, & linguæ vinculum imponit. *Oratione* 27.

D. Greg. Nyssenus: Occulta invidiæ mala indicantur, quamdiu latere videtur neque se palam exerit per operta signa facici. quæ enim desperatorum lethalia signa sunt, ea sæpe in eo qui invidia contabescit, existunt. Oculi aridi, intra palpebras tabidas & extenuatas recedentes! supercilium contractum; ossa loco carnium translucentia. At quænam morbi causa est? Quod frater nimirum vel propinquus & necessarius, vel vicinus, in animi tranquillitate ac lætitia vivit. O novas injurias. crimini dare, quod non adversa fortuna conflictetur ille, cujus rebus secundis dolet: non ex eo quod ipse ab illo acceperit aliquid incommodi injuriam æstimans; sed quod ille sine cujusquam injuria, ex animi sui sententia vivat, & in rebus secundis versetur. Quid passus es infelix. libenter dixerim ad eum: Qua accepta injuria extabescis, acerbis oculis successus prosperos invidens vicini? Quid habes quod de eo conqueraris? quod crimini des? si ille corpore decorus, si eloquentia ornatus? si genere superior est? si aliquo magistratu inito splendidus ac magnificus in dignitate conspicitur? si aliqua pecuniarum ei copia accessit? si propter prudentiam, in verbis eius auctoritas inest? si propter beneficium a multitudine observatur? si ob liberos sibi placet? si uxore delectatur? si ex reditibus atque proventibus domus splendide ac magnifice vivendo clarescit? cur hæc tibi tanquam cuspides telorum in cor

incidunt

incidunt: complodis palmas, digitos complicas, cogitationibus angeris, ex intimis præcordiis doloris significantia ducis suspiria; injucundus tibi redituum atq; proventuum fructus, acerba mensa, focus subtristis; paratæ ac faciles aures obtrectantibus ei qui secunda fortuna utatur. Quod si aliquid dextri ac fausti dicatur, clausæ sermoni sunt aures. & cum ita animatus sis, simulatione morbum involvis? quomodo amicitiæ persona per fictam benevolentiam in te formatur? cur faustis appellationibus excipis, salvere ac valere jubens, contraria in animo clam imprecans? talis erat Cain, qui idcirquod Abel probaretur atque placeret, in rabiem ac furorem versus est: invidia quidem intrisecus ad cædem hortabatur, simulatio vero carnifex erat amicum enim quendam, mitem ac benignum vultum fingens, procul ab auxilio atque præsidio parentum, illum in campum produxit; atque ita deinde cæde invidiam detexit. Qui ejusmodi igitur morbum ejicit ex vita humana, ac benevolentia pariter & pace colligit eos, qui genere conjuncti sunt, & ad amicitiam atque concordiam homines reducit, an non divinæ revera potentiæ opus facit, mala quidem ex humana natura expellens, pro iis autem bonorum communionem introducens? idcirco filium Dei pacificum nominat; quod veri filii imitator existit, qui hæc hominum vitæ largitur. *Oratione 7. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyssenus: Quemadmodum ignis, si sub paleis occultatus sit, initio quidem proxima quæque cremando corrumpit; flamma vero palam non editur, sed fumus quidem gravis & acris odoris intrinsecus violenter coarctatus evolvitur: quod si aliquem flatum cermeantem nactus fuerit, tunc in claram pariter & apertam flammam excitatur: itidem invidia quoque cor quidem velut palearum quendam acervum condensatum ignis in modum peredit & absumit; ac morbum quidem præ pudore occultat, non tamen penitus in perpetuum absondi potest: sed velut fumus quidam gravis & acerbus, acerbitas invidiæ in iis, quæ circa habitum accidunt, apparet. Quod si quæ calamitas eum, cui invidetur, invaserit, tunc illius dolorem voluptate atque lætitia excipiens morbum prodit. *Ora. 7. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyssenus: Videtur mihi invidiæ & simulationis vitium, multo gravius esse odio; quanto occultum malum etiam aperto atrocius est. Etenim ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat, neque ex adverso incursus est; sed miti pariter ac mansueto habitu non prævidentes, neque circumspicientes nos observant: tale est invidiæ atque simulationis vitium in iis, quibus intrinsecus quidem in profundo cordis odium veluti ignis quidem latenter nutritur; externus vero vultus ad amicitiæ simulationem effingitur. *Orat. 7. de beatitudinibus.*

D. Greg. Nyssenus: Sed quæ omnes res præclaras intuetur invidia, etiam nostrum bonum acerbo oculo contuita est; ac quæ per orbem terrarum obambulat, etiam per nos ambulavit. cum capite autem una adempta sunt honorata ac dignitate præstantia sensuum nostrorum instrumenta *de morte Meletij.*

D. Chrysostomus: Morbum invidiæ sedato; & si minus proximũ, at certe te ipsum à malis infinitis eximito. Quid bellũ cogitationibus tuis infers? quid animam perturbatione comples? quid tempestatem cies? quid cælum terris mare cælo misces? qui sic affectus, poteris peccatorum veniam postulare? nam si qui adversum se admissa, aliis non remittunt, iis Deus peccata non condonat; quam tandem peccatorum condonationem iis largiturus est, qui in eos injurii sunt, à quibus nulla ipsi tentati sunt injuria. summæ enim malitiæ argumentum hoc est. &c. *Hom. 7. ante finem ad Romanos.*

Idem sta tim post: Ut signa quis edat, ut virgo permaneat, ut sobrius sit, ut humi etiam decubet, atque ejusmodi virtutibus vel ad ipsos Angelos accedat, omnium tamen sceleratissimus fuerit, invidia si laboraverit; & adultero, & scortatore & prædone & sacrilego iniquior.

Idem post pauca: Bello quidem pernitiosior est invidentia. nam qui bellum gerit, sublata belli causa inimicitia desinit. At invidentiæ morbo quis laborat, amicitiam nunquam iniret. & præterea aperto ille marte rem agit, hic autem adumbrato. Ille honesta quadam ratione bellum excusare potest: hic autem aliud nihil quam insanit, animo præditus satanico. Cuinam igitur hujusmodi animum contuleris? cui viperæ, cui serpenti, cui lumbrico, cui cantharo? hoc certe animo neque deterius, neque sceleratius quicquam. hoc enim malum, hoc, inquam, malum Christianorum conventus subvertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam manum armavit, perfecitque ut justo sanguine dextra madesceret: hoc naturæ leges à suis compagibus motas revellit, hoc morti valvas adaperit, & execrationem illã ad opus deduxit, ac neque parturiginum, neque parentum, neque alterius cujusvis rei memorem esse miserum illum permisit.

Chrysostomus: Nunc autem multa quidem membra, unum autẽ corpus. Hæc ergo nos quoque cogitantes, omnem expellamus invidiam: & neque iis invideamus, qui majora habent dona; neque eos contemnamus, qui minora. Sic enim Deus voluit. ne ergo resistamus. Si autem adhuc conturbaris, cogita quod tuum munus ille nõ potest implere. Quamobrem etiam si sis minor, in hoc illum superas: & si ille sit major, in eo à te superatur. & sic fit æqualitas. Nam & in corpore ea quæ sunt parva, non parum videntur conferre: sed & magnis sæpe obsunt, quando absunt. Quid enim est in corpore vilius pilis? Sed si si hos viles abstuleris à superciliis & cilus: omnem visus deleveris speciem & dignitatem, & oculus non amplius apparebit tam pulcher. Atqui leve est damnum. sed tamen sit quoq; perit omnis formæ decor. Neque vero solum perit formæ decor, sed & multum decedit de lusu oculorum.

Nam unum quodque nostrorum membrorum & propriam habet operationem, & communem & pulchritudo similiter est in nobis & propria & communis. Et videntur quidem hæc esse divisa, & sunt tamen exactè connexa. & si alterum perierit, alterum quoque simul interit. Considera autem. Sin lucentes oculi, & gena subridẽs, & labrum rubicundum, & nasus rectus, & porrectum supercilium: sed tamen si quodlibet ex iis peremeris, perimes etiam communem omnium pulchritudinem, & apparebunt omnia tristitiæ plena, & turpia quæ prius erant pulchra. Nam si vel solam summam nasi partem contriveris, in omnia summam infuderis deformitatem. Atqui est unius membri mutilatio. Et in manu similiter, si unius digiti unguem exemeris, videbis idem fieri. Si velis autem videre idipsum evenire in operatione: tolle unum digitum videbis cæteros magis otiosos, & suo munere non fungẽtes similiter. Cum ergo communis turpitudo sit unius membri jactura, & pulchritudo ejus conservatio: ne efferamur, neque insultemus propinquis. Nam propter illud parvum membrum & quod magnum est, est pulchrum & decorum. & per palpebras ornatur oculus. Secum itaque bellum gerit, qui cũ fratre belligeratur. Non enim ad illum solum pertinet damnum sed ipse quoque non parvum accipiet detrimentum. Ne hoc ergo fiat, sicut nostri; ita propinquorum quoq; curam geramus: & hanc corporis imaginem nunc quoque transferamus ad ecclesiam, & proideamus omnibus tanquã nostris membris. Nam in ecclesia quoque multa sunt membra & diversa: alia quidem sunt præstantiora & honoratoria, alia vero minora & inferiora. *Homilia 30. ad Corinthios. 1.*

Chrysostomus: Neque enim iis quæ valde exuperant & excellunt, sed iis quæ parum sunt altiora solemus invidere. *Homilia 30. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Invidus est veluti quidam fucus, qui perdit alienos labores: & ipse quidem nunquam studet surgere; flet autem quando viderit alium surrexisse, & omnia facit ut ipsum dejiciat. Hanc ergo affectionem cui nam comparaveris? Perinde mihi esse videtur: ut si quis piger asinus, & carnium pondere gravatus, cum equo volucri conjunctus, nec ipse velit surgere, & pondere carnium ipsum conetur detrahere. Nam iste quoque, quemadmodum à profundo hoc somnio liberetur, neque cogitat, neque studet: nihil autem non facit ut eum qui evolat in cælum supplantet & dejiciat; ut qui sit perfectus æmulator diaboli. Etenim ille cum videret hominem in paradiso, non ipse studuit mutari, sed illum expellere è paradiso. Et rursus cum vidisset ipsum sedentem in cælo, & alios illas festinantes, eadem meditatur; eos qui illuc festinant supplantans, & hinc majorem sibi fornacem congerens. Ubique enim hoc evenit. Is quidem cui invidetur, si sapiat, evadit splendidior: qui autem invidet, plura sibi mala accumulat. *Homilia 31. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Neq; enim lignum & lanam insidens tinea & vermis sic solet erodere, ut invidiæ febris ipsa invidorum ossa exedit, & animi temperantiæ affert interitum. *Homilia 31. fine ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Nihil perinde invidia æstuat, ut id hominum genus, quod egestate laborat. *Hom. 20. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Livoris est non addere quod deest, sed de pleno etiam aliquid detrahere, totumque corrumpere. *cap 3. ad Gal.*

D. Chrysostomus: Considera mihi supplicium invidiæ. Inimicos tuos lætitia afficis: & illum ipsum qui est in bona existimatione, quem vis molestia afficere, magis exhilaras, & invidens magis ostendis eum laudari & bene audire: nam alioqui non invidisses: vel potius ostendis quod crucieris. Atque me quidem pudet ex his adhortari. Sed quoniam tanta est nostri animi imbecillitas, vel ex his castigati & eruditi, ab hoc pernitioso vitio liberetur. Doles quod laudetur & in bona sit existimatione. Cur ergo invidens auges ejus laudem & bonam existimationem? Vis eum cruciare? Cur ergo ostendis te dolere? Cur de teipso prius exigis pœnas, quam de eo quem non vis laudari & in bona esse existimatione. Ei inde est duplex voluptas & lætitia, & tibi cruciatus: non solum quod magnum eum ostendis, sed etiam quod alteram ei procreas voluptatem & lætitiam, teipsum crucians. Et rursus de iis quibus doles, ille lætatur te invidente. Vides quam graves nobis plagas infligimus, & non sentimus? Est inimicus. Atqui cur inimicus? quam tibi fecit injuriam? sed tamen inimicum reddimus illustriorem, & nos ipsos magis punimus. Hoc rursus nos ipsos cruciamus, si senserimus quod ille cognoverit Nam ille quidem fortasse non lætatur. nos autem putantes eum lætari, rursus propterea dolemus. Cessa ergo invidere. cur tibi ipsi imponis vulnera? Hæc cogitemus ô dilecti, nempe duplices coronas eorum qui non invident: laudes scilicet ab hominibus, & laudes à Deo, & mala quæ oriuntur ex invidia, & sic feram poterimus extinguere, & coram Deo laudari, & in bona esse existimatione, & eadem assequi quæ ii quorum est bona existimatio. *Homilia 11. ad Colossenses.*

Basilius Seleuc: Invidia cædis parens, honesti studii semper sauciatur. *Oratione 8. a. m.*

Basilius Seleuc. Invidia grave malum est, plenumque simulationis. Ea orbem terrarum infinitis opplevit malis: ex hoc vitio factum, ut tribunalia compleantur: ex hoc æmulationes, & pecuniarum cupiditas, & ambitio, & inanis gloria Hinc itinera latronibus infesta obsidentur, & per mare piratæ volitant: hinc in mundo cædes, hinc genus humanum dissidiis laceratur. Quodcunque videris

malum

malum ab invidentia profectum esse cognosces, quæ & in ecclesias grassata est, & jam pridem mala plurima importavit. Hic morbus auri sitim peperit, omnia sursum deorsum agit & justitiam corrumpit: Dona enim excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Hic ingenuos à libertate in servitutem redegit; hoc de malo quotidie differimus, nec hilum proficimus, feris ipsis deteriores evadimus, orphanos dispoliamus, viduas nudamus, pauperes injuriis oneramus, diras diris accumulamus. *Orat. 42. quasi sine.*

S. *Isidorus Peluſiota*: Cum in nulla alia re bona, aut boni specie habente, lenis est invidia, verum acerba & truculenta: tum vero in virtute, quæ boni naturam proprie sortita est, consolationem prorsus omnem respuit. Ac quidem invidia flagrare, molestiæ quidem expers fortasse nulla fuerit, at minime præclarum & luculentum. ita se gerere, ut merito ipsi non invideatur, velim nec mihi unquam nec amicis contingat. Oportet autem eum, cui invidetur, invidiæ malignitates prudenti animo perferre. *Lib. 2. Epist. 224.*

S. Isidorus Peluſiota: Haud mirum istud videri debet, quod qui invidiæ facibus inflammantur, ne beneficiis quidem meliores fiunt. Acceptis enim beneficiis magis irritantur, quia sibi benignitate opus esse agnoscunt. *lib. 3 Epist. 43*

§ Latinorum.

Zeno: Nihil humanæ invidiæ malo perniciosius accidere potest. quod malum lædit parum quidem etiam eos, in quos intenditur: gravius vero, & pernitiosius eos prius, à quibus procedit affligit: sicut enim ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit, & consumit: & sicut ajunt viperas dilacerato, & exeso illo ipso materno utero, quo conceptæ sunt, nasci, ita & invidiæ natura illa ipsam ante omnes, qua concepta est, vel ex qua generatur, animam consumit, & perdit: tristitia namque, & mœror quidam de prosperitatibus proximorum est invidiæ vitium: & ideo nunquam deesse potest invido mœroris occasio.

Si ager proximi opimis fructibus lætus sit: si abundet successibus facultatum: si lætetur animo, & prosperitatibus gaudeat, hæc omnia, velut pabulum quoddam sunt & nutrimentum languoris invidiæ. nec differt nudo homine, eo quod potest telis undique incursantibus transfodi. Si virum fortem videat, & robustum: unũ istud est vulnus invidi. decorum alium vidit, & forma præcipuum: aliud istud invidi telum est. Virtute animi clarus est quis, & prudentia cæteros eminens, sermonis quoque prolatione, ac virtute magnificus? secat hoc quoque maxime invidum, & interna mente discrutiat.

Alius augescentibus divitiis suis consulte utitur, & censum sibi à Deo datum communem cum indigentibus facit, misericordia clarus efficitur, & in omnium laude humanitatis beneficiis celebratur? omnia hæc cor invidi fodiunt. & eo sævior est vis doloris, quo eum ne proferre quidem, aut publicare potest. sed est quidem semper in gemitibus, & mœrore, ac mente confusus, & totus malo vitii grassantis assumptus. nec interrogatus tamen potest indicare languorem: erubescit enim enuntiare in publicum, quia tabescit invidia, quia amici bonis, successibus proximi ipse consumitur, quia fratris bona sua mala sunt. hæc enim dicturus est sine dubio, si velit, quæ vera sunt, dicere. Verum quoniam erubescit horum aliquid confiteri, recondit, & celat intrinsecus morbum ipsa ejus interna viscera consumentem.

Neque ergo medicum languoris sui assumere, neque remedii aliquid invenire potest, cum præcipue omnes scripturæ repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possint ista curari: sed inde quidem remedium non requirit. Unum autem solum sibi remediũ putat, si forte ei, cui invidet, infaustum aliquid accidat: si aliquid lapsus occurrat. Hoc tantummodo ad languoris sui remediũ ducit, si eũ, qui paulò ante clarus, ac beatus habebatur, infelicem videat, & dejectum. tunc jam & amicus efficitur: tunc & fletus suos sociat: tunc & lachrymas mutuatur, cum eum, cui invidebat, flentem viderit, & lugentem: & gaudere quidem cum gaudente non pertulit: nũc vero gaudio flet cum flente: non enim humanitatis gratia tanquam communis casus mortalium miseratur, nec abstergit animo prioris vitii maculã, sed ut graviore lapsu sensum doloris infligat.

Si forte accidat filii orbitas, tunc amplius in defuncti laudibus commoratur: & mille præconiis magnificat puerum, ut vultu decorus, & acer ingenio, ut ad omnia aptus, & commodus: & laudat ipse defunctum, cujus viventis laudem ne ab alio quidem prolatam ferebat audire. sed in hoc ipso cum laudat, si videat etiam alios vel similia, vel etiam præstantiora sentire, continuo conversus morbũ demonstrabit invidiæ. Miratur, & laudat divitias: sed post ruinam, decorem vultus, & corporis robur, in languoris macie, & tabe ægritudinis prædicat: & in omnibus inimicum se præsentium servat, amicum vero pereuntium. Quid igitur hoc morbo tetrius? quid humanæ vitæ pernitiosius? quid tam naturæ inimicum? quid tam Deo ipsi adversum? *Sermone de Livore.*

Zeno: Fugiamus Livoris vim, quæ prima adversari Deo docuit: quæ parricidii extitit mater: quæ naturæ jura confudit: quæ ignorantiam consanguinitatis invexit: quid enim contristaris ô homo, cum nihil mali perpessus sis? quid impugnas eum, qui tibi videtur in bonis degere, cum te in nullo defraudaverit? quid si aliquid etiam tibi profuit? nihil aliud agere videris, quàm tuis metipsis bonis, & utilitatibus invidere. *Sermone de Invidia.*

Zeno: Sicut aridam quamque fragilemque materiam studium nobis est procul ab igne statuere, ita oportet, quantum fieri potest, ab omnibus invidorum non solum amicitiis, verum etiam fabulis, & colloquiis segregari, & velut à malignis, & venenatis jaculis occultari: non enim possibile est aliter incurrere in invidiam, nisi notitiæ, & familiaritatis obtentu: quoniam quidem secundum Salomonis sermonem invidia viro ab amico suo est: vere enim ita se res habet: non enim Ægyptio invidet Scytha: aut Britãno Indus æmulatur, sed unusquisque gentis suæ hominibus, & contribulibus invidet: & non ignotis quibusque, sed vicinis, & proximis, ac familiaribus suis. immo vero his, qui vel artificii ejusdem, vel officii, vel operis existunt. Amat etiam proximas ætates morbus invidiæ: nonnunquam & in propinquo sanguinis, atque inter ipsa sæpe fraternæ germanitatis jura grassatur. & prorsus sicut rubigo propria ferramẽti corruptio est, & ita amicitiarũ propria corruptela pestis invidiæ est.

Sed & illud in causa hujus languoris vel admirari jam quis poterit, vel laudare, quod quanto amplius creverit, tanto fit perniciosior ei, cui crescit: sicut enim omne jaculum, quod vehementius fuerit intortum, si forte in aliquod solidum, & durum corpus illiserit, in eum continuo, qui jecerat repercussum jaculum retorquetur, ac resilit, ita etiam invidentis motus, & animorum telum, cum nihil nocuerit eum, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur: nemo namque tristitia sua unquam imminuere bona proximi potuit, æmulans tamen seipsum tabo conficit invidiæ.

Et ego quidem arbitror venenatis, & mortiferis serpentibus morbi hujus esse venena graviora: nam ab illis ajunt, cum prius morsus corpori defixerint, per vulnus dentium venena diffundi: invidiæ autem virus interdum etiam se aspectu infunditur oculorum, nonnunquam etiãm solo concipitur auditu: continuo namque, ut viderit quis, vel audierit ea, quæ non vult de his, quibus invidet, statim dilabitur, statim corruit, statim tabescit: & quamvis decori vultus, & quamvis solidi ac sani sit corporis, repente velut ictus venenati serpentis morsibus consumitur, & tabescit venenis noxii rheumatis per oculos usque ad cordis arcana penetrantibus, ac viscerum interiora vastantibus. *Sermone de Livore.*

Zeno: Nihil his inimicitiis difficilius quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt. quoniam quidem his, qui ex aliis occasionibus inimici sunt, si alter forte aggrediatur alterum beneficiis vincere, continuò ferocitas mitigatur in invidum autem si beneficia conferantur, multo amplius inflammatur: & quanto plura fuerit consecutus, tanto majoribus incendiis conflagrabit. magis enim irascitur & dolet, quod ab eo boni aliquid consequitur, quem nolit quidquam boni vel habere, vel posse præstare. Quam feram belluam, quos venenatos serpentes mores isti non superant? Canes beneficii memores videas: leones ceteræque feræ mitescunt, & vincuntur ad gratiam. soli invidi beneficiis gravius inflammantur. *Sermone de Livore circa medium.*

Zeno: Sed ipso quoque interdum vultu non minus invidi declarantur: abstrusior namque his oculus: obscuriores genæ: demissum, & triste supercilium: animaque ipsa passione dejecta, & penitus incurvata nusquam veritatis judicium in negotiis servat. Nullum virtutis opus apud illos habetur in laude: non sermo ullus honestus eis videtur, aut gratus. nihil apud eos nobile, nihil clarum probabitur: sed sicut vultures jocunda quæque, & amœna loca transeant: & suavissimis odoribus respirantia transvolant prata: ad fœtida vero quæque cadavera, & loca tetris repleta nidoribus convolant. Et sicut muscæ omisso sano corpore, si cubi vulnus est, concitæ, præcipitesque conveniunt, ita & invidi, si quid ab aliquo in hac vita bene gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum est, nihil prorsus vident, nhil retractant.

Si cubi autem quid aut culpabiliter gestum, aut incauto sermone prolatum, ut accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant, & notitiam viri non ex bonis gestis, dictisque, sed ex minus probabilibus fieri volunt. quo malo quid nequius? quid tetrius? quid pernicioſius dicam? Omittere, & reticere ea, quæ laude digna sunt, rimari vero, si cubi quid inveniat, quo opus virtutis ex accidentis culpæ occasionibus criminetur? Denique isti tales magnanimum quemque virum protervum vocant: constantem vero, & patientem sine sensu doloris appellant: sobriũ acerbum dicunt: justum crudelem: prudentem callidum vocant: liberum arrogantem criminantur: liberalem vero luxuriosum dicunt: parcum avarum nominant; & omnes prorsus virtutum species decolare contrariis, & à malitia assumptis appellationibus gestiunt ita ut sæpe etiam invidos, quibus ipsi invident, nominent. *Sermone de Livore ipso medio.*

Zeno: Quomodo vel vitandus invidiæ morbus, vel fugiendus? Primo, ut mihi videtur, statuere debemus apud animos nostros, nihil magnificum, neque expetendum quicquam esse in rebus visibilibus, non opulentiam magnipendere, neque florentis gloriæ tumorem mirari, non robur, & valetudinem corporis: nihil enim eorum, quæ temporalia sunt, & prætereunt, opinandum est bonum neque omnino horum aliquid, quæ videmus: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Ideo ergo eum, qui affluit divitiis, dignum non putemus invidiæ: neque is, qui sublimitate præcellit, æmulatione dignus habendus est pro magnitudine potestatis, crastino nusquam futuræ. sed neque corporis virtus, & magnificum cum robur ad invidiam veniat, unius

febriculæ

febriculæ coloribus resolvendum: nisi si forte quis velut virtutis organis his utatur ad utiles, atque optimos actus: is enim, qui indulta sibi corporis fortitudine abutitur ad impia, ac proterva ministeria, nihil aliud est, quam si quis acceptum ad hostem repellendum gladium in suum vertat exitium.

Quod si quis concessas sibi à Deo facultates in ministeriis indigentium, & pauperum sustentatione dispensat, iste non invidia dignus est, sed amore: qui deliciis, & voluptatibus suis necessitatem pauperum prætulit: & communem suum victum cum fratribus fecit. Tum deinde eminet quis per prudentiam: & accepta gratia verbi Dei scripturæ sensum aperit, & obscuritates divini, & prophetici sermonis exponit. quis unquam talibus adversetur? quis divini muneris beneficia feralis invidiæ labe contaminet? maxime si ea, quæ dicuntur, per Sancti spiritus donum & gratiam depromantur? & ab hoc etiam auditorum favor, & collaudatio prosequatur? Sic habete, quasi tuum sit istud bonum: & tibi per fratrem à Deo doctrinæ destinatum sit donum, si tamen libenter, promptèque suscipias. Tum deinde venam quidem fontis largius profluentem nullus obturat: nec à solis splendore ullius inhibetur obtutus: & nemo invidet alii solem videnti, nec supra cæteros, sed cum cæteris habere eis sufficit participium lucis, & tu verbo spiritali in Ecclesia profluenti, & per gratiam Sancti spiritus pietatis dogmata proloquenti non cum lætitia admoves, & adjungis auditum: & strueris, ac proficis, sed mordet te, & stimulat audientium favor: ut nemo proficeret tantum, ut nemo laudaret. Et quæ erit hujus rei excusatio apud cordium nostrorum judicem Deum?

Si ergo, ut diximus, abundat quis in facultatibus, utimur autem eis tam commodè, quàm sermo divinus edocuit, communem sibi censum cum indigentibus ponens, cum invidia talis iste, sed charitate dignus est, & amore. Si verò è contrario agat, ideòst, ut facultatibus, quas honestè dispensare debuerat, abuti per luxuriam, ac turpitudinem properet, nec sic quidem omnino invidia, sed misericordia dignus est: quoniam quidem nec laude aliquid dignum, sed probris, & vituperationibus gerit. Similiter & is, qui abundat in verbo, si quidem per gratiam Spiritus loquitur, si vitæ suæ merito commendat & probat, vera esse, quæ prædicat; si non refragantur doctrinæ verbis gesta doctoris, si denique Spiritus sancti voluntati ministram tantummodo exhibet linguam, invidere talibus, & adversari nihil aliud est, quam dicere, nolle Dei mandata hominibus innotescere; nolle homines de morte ad salutem, vitamque revocari. Si verò is, qui loquitur, non secundum Deum loquitur, nec per gratiam domini docet, sed verba profert humani tantummodo ingenii arte composita, nihil in ipsis divini Spiritus, nihil, quod cor fodiat, conscientiam pulset, lachrimam moveat: si denique vita, moresque doctoris prolatis refragantur eloquiis; si aliena sunt ab actibus, & moribus suis ea, quæ alios docet, nequaquam (quæso) erga tales excitetur invida: reclamat enim his continuo Apollonius sermo, & in os eorum ad faciem retorquetur dicens, Qui doces aliũ, te ipsũ non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchãdum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium committis quin immo miseratione, ut diximus, & luctu digni sunt isti.

Tu verò audi commonentem te David per Spiritum sanctum, & dicentem, Noli æmulari inter malignantes: neque æmulatus fueris facientes iniquitatem: quoniam sicut fœnum citò arescũt, & sicut olera hærbarum citò decident. Decet ergo servum Dei neque viris bonis invidere, & super falsis, ac simulatis dolere: æmulationem potius ad imitanda bona, quam invidiam capere. Si vidisti sobrium, si prudentem, si sapientem, si constantem in certaminibus pietatis; si quidem & tu talis es, dilige & illum, quasi alterum te: si verò aliquid tibi deest, imitare eum, cujus vitam laudabilem vides. Hoc autem studii modo, & apud temetipsum proficies, & apud eos, qui te vident, laudabilis eris: hæc enim est natura virtutis, ut per arbitrii libertatem à quocunque volente, & laborante facile possit acquiri: in nobis namque potestas hujus studii sita est: nam divitias, pulchritudinem corporis, robur, & cætera hujusmodi, quæ putantur esse corporea bona, non est in nostra potestate, ut habere possimus; sed majus bonum, quod vere bonum est, id est virtus animi meritò ab omnibus, qui recte judicant, cunctis bonis corporeis præferendum est. Cur quod summum, & verè bonum est, & in nostra positum potestate, negligimus imitari? pro his verò bonis, quæ falsa sunt, nec bona jure dicuntur, tam intentis studiis agimur, ut pro his perniciosissimæ cladi succumbamus invidiæ. *de Livore circa finem*

Salvianus: Invidiam procul à nobis esse jussit Christus nos e contra non extraneis tantum, sed etiam proximis invidemus, nec solum inimicos sed & amicos nostros livore perfundimus: adeo prope in omnium sensu hoc malum regnat, adeo esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido non habet; nam semper admodum cibo, nunquam detrectatione saturamur. Sed forsitan levis pœna hujus labis. Detrahens, inquit Scriptura sacra, eradicabitur. gravis profecto & tremenda animadversio, sed tamen nulla correctio. dummodo enim unusquisque hominum alium lacerare non desinat, tanti putat, ut etiam sibi ipsi non parcat: sed digna plane mali istius retributio est, quæ solum persequitur auctorem. illi enim nil nocet penitus cui detrahit, tantummodo eum punit cujus ore procedit. *libro tertio de gubernatione Dei.*

Orosius: etiam inter nos sæpe inimicorum oculis videri solet, eos quos execrantur, nihil non pravum, nihil non turpe, nihil non sub sicivum, nihil non in vulnus suum dicto factove agere; & hoc tamen pene simpliciter. In tantum enim captum cor obliquat invidia, ut rectum natura non videat. *Mox*: Flentes hæc dicimus, ut sanemus qui vitioso oculo hæc vident, & confusi caligine nequitiæ, in id cadunt, ut minus videndo plus videant; cum tamen id quod est, ita ut est, videre non possint. *lib. 4. adver. Paganos cap. 6.*

S. Valerianus: Felicem plane illum, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspicit. nam satis bono loco est illius causa, qui aliena laborat invidia: quia non livet homo nisi melioribus, nec invidiæ subjacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus evexerit. Illos verò plus quàm miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant, & iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. Bene istos sua tela puniunt: ut videatur mihi ipsa invidia aliquid habere discretionis, cum auctoris sui cor repercutit, & male conscium pectus cruento jugiter livore consumit. *Homilia 13.*

S. Valerianus: Nostis quantis malis invidia subjaceat, quæ dum aliis livet, ipsa se percutit. *Homilia 16.*

Chrysologus: Invidus simulat semper, semper mentitur. *Sermone 4. m.*

Idem: Et quandò invidus non avarus, quando quidquid habet alter, se computat perdidisse? *Sermone eodem*

Chrysologus: Non sic nubes cælum, mox diem, solem caligo, quomodo mentem cæcat & tenebrat invidia. *Sermone 48. pr.*

Chrysologus: Invidia omnibus malis pejor: quos cæperit, liberari nequeunt: quos vulneravit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutem. Invidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui nescierit, mala nescit: hanc qui fugerit vivit. Invidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu. *Serm. 48. f.*

Chrysologus: Superseminavit zizania. Ut quid? ut periret dominica messis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? nisi quod invidiæ spiritus, hominum damnum suum computat lucrum; & quod perierit hominibus, hoc sæstimat acquisivisse. *Sermone 97. principio.*

Chrysologus: Invidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, sæculorum venenum, causa funeris. Hæc in principio ipsum angelum ejecit de cælo. Hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit. Ipsa hunc seniorem fratrem paterna sede clusit e domo. Hæc Abrahæ progeniem, populum sanctitatis, ad auctoris sui cædem, ad mortem sui Salvatoris armavit. Invidia intestinus hostis non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed in ipsam cordis arietat arcem: & antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis animam prædo capit, & adducit inclusam. Si ergo volumus cælestem mereri gloriam, si paradisi beatitudinem possidere, si æterni patris inhabitare domum, si volumus rei cælestis patricidii non teneri pervigili fide, luce spiritus terras invidiæ pellamus, & excludamus insidias, invidiã totis armorum cælestium viribus comprimamus: quia sicut nos Deo jungit charitas, à Deo invidia sic sejungit. *Sermone 4.*

Chrysologus: O qualiter oculos claudit livor, quantum judicium cordis nequitia præjudicata confundit: ò quam dure amputat obstinatio rationem: sensus humanus perversus audire non potest, quod semel statuit odisse, malis bonitas exosa, justitia injustis inimica. Hinc est quod homines mendaces cognoscere nequeunt veritatem, judex animus invenire verum non potest inter nuncia falsitatem, judex animus invenire verum non potest inter nuncia falsitatem, judex animus invenire verum non potest inter nuncia falsit

placuit tristitiæ & apparenti prosperitate alicujus initium. Si enim de tyranni vel perversi civis, apparenti quis prosperitate tristatur, nequaquam deturbatur invidiæ macula. Nam & bonis displicet cum in perniciem multorum succedit his, qui ad mala creduntur proniores. Si ergo livor bonis affligitur alienis, planum est quod à charitate plurimum distat, quæ sua non quærit, sed quæ proximorum. Charitas in bonis nihil suum, in malis reputat nihil alienum: malis compatitur alienis, bona sua diffundit in proximos. Nam & animos unit ut idem velint, idemque nolint. Ait magnus pater Augustinus: Tolle invidiam: meum tuum est, & tuum meum. Et forte non erit aliquid meum vel tuum, si omnia nostra erunt. Ipsa enim est quæ, quod sibi vult abesse, idem proximo abesse desiderat, & si non absit infeliciter cruciatur, & sæpe in eo quod non desiderat, dum illud proximo videt abesse, torquetur. Recte quidem, cum & Ethicus dicat, quia

Iustius in Vidia nihil est, quæ protinus ipsum
Autorem rodit, excrucians animum.

Nec leve tormentum credas quo nullum gravius potuerunt Siculi excogitare tyranni. Pestem hanc, licet poëtici nube figmenti, Naso depinxit eleganter quidem & vere:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, suffusa est lingua veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores,
Vixq; tenet lachrymas, quia nil lachrymabile cernit,
Nec fruitur somno, jugulantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitq; & carpitur una,
Suppliciumque suum est.

Non est autem minus vera descriptio, licet rei incorporali corporis compositionem autor adscribat, cum in eo figuræ, quæ sarcophegia, vel sarcographia dicitur, vis consistat, quod rebus incorporalibus corporis lineamenta licenter adtribuit. Hoc quidem potius adtendendum, quod nulla vis beneficii aut naturæ, flammam restinguit invidiæ. Nam & Palladis viribus & forma, motam describat invidiam, & sororis felices thalamos, soror stimulata ferre non potuit, & ut promissam numini vel germanæ fidem servaret, nullo precio potuit inclinari.

Sæpe mori voluit, ne quicquam tale videret:

Ad parricidii facinus, ut fratrem, patriarchas excitavit invidia, ut nec impune revelare licuerit gratiam, quam spiritus innocenti monstrabat in somnis. Ergo servitute damnatur innocens frater, pater orbitate, & ut dispositionem gratiæ Dei evacuet, in se famem, servitutis jugum, calamitatem exilii, calumnias Ægyptiorum, sævitiam Pharaonis à justo judice iniquitas impetravit. Manus Joseph in laboribus servierunt, successio eorum in luto & latere, ipsisque paleis reputatur indigna. Videas multos ejusdem livoris stimulis urgeri, ut quos possunt obices opponant gratiæ, & dispositionē altissimi nitantur impedire. Si forte quasi somniando conjiciunt alicujus provectum, obstant, reluctantur, ut quasi fratrem Hismaelitis exponant; si non occidāt, incrustant ipsam sinceritatem, & ut proprium prætexant scelus, innocentis tunicam ostendunt cruentatam. Hanc enim in multis video descriptionem, qui ad omnia felicioris auræ momenta utuntur, sibique vellent adversari fortunam, dum alii gravius læderentur. Et ut Æsopo vel Avieno credas, videbis qui sibi oculum alterum erui gaudeat, dum utroque privetur proximus. Nec est qua via declines invidiam, nisi miserrimus fias. Celebre namque est ab antiquo proverbium, quia sola miseria nescit invidiam. Fortunaque hominis miserrima est, cui non invidetur. Fertur Plato cum ei condiscipuli inviderent, Socratem interrogasset, qua ratione posset hominum declinare invidiam: Cui Socrates, Esto inquit ut Thersites. Dum ergo torquentur invidi, alios miseriæ suæ volunt esse participes, undique quærentes ut noceant, & ipsam innocentiam, quandam putant esse mortis imaginem. Unde Maro, ut ab uno discas omnes, notans invidum ait:

Et si non aliqua nocuisses mortua cessas.

Quo nihil minus decet Philosophum, aut virum authoritate vel moribus gravem. Unde Socrates, non ille ātiquus, sed quem autorem gestorum Cassiodorus in tripartita laudat historia; Quod inquit, Julianus tonsores & coquos palatio expulit, non modo Imperatoris, sed & philosophi opus egit. Ut autem detraheret, atque dilaceraret, neque philosophi, neque principis fuit. Cum enim ex quacunque causa cessant opera, decurritur ad malitiam detrahendi. Hæc est utique indubitata proles invidiæ, & charitatem abesse manifesto judicio protestatur. Et nunc quidem bona aliena prævertit, nunc minuit: mala autem fingit quæ non sunt; aut magnificat & extollit, si quasi sunt. Charitas non agit perperam, at hæc sola perversitate lætatur. Cum apostolus vitia gentium multa enumeret, noviſſime & quasi in culmine malorum, sive profundo rectius dixerim, posuit detractores, eosque tanquam singulari nota divinæ bonitatis hostes exprimens, quasi solos deo odibiles esse, pronunciat. Veruntamen illos Deo odibiliores inter ceteros esse crediderim, qui latenti odio, ut magis noceant, eisque credatur fidelius, laudes prædicant alienas, amicitiam simulant, subjicientes tamen in calce sermonis vel modicum, quod præcedentibus titulis adversetur:

Felix & nato, felix & conjuge Proteus:
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

Numquid tanti parricidii labes, omnes non modo fortunæ dotes, sed quamvis magnificos virtutis titulos grandes non oblitterat? Tale est illud Oratoris: Julium Fortunatum fateor virum fortem & quem constat strenue egisse quam plurima: quo tamen pacto judicium repetundarum apud judices justos evaserit, mirarer quidem, si vis eloquii ejus mihi esset incognita. Hoc nonne venenum est, & quodammodo spem boni operis, & ut dicam, virtutis vitam extinguit? Et quidem quos deteriores dixerim, Gnatonicos an detractores? non satis liquet. Utrumque tamen vitium apud antiquos invenio morte mulctatum. Nam & Athenienses Timagorum inter officia salutationis, Dario Regi more gentis illius adulantem, capitali supplicio affecerunt: & Lacedæmoniorum senatus, Caristolum interimi jussit, eo quod magnorum virorum carpere facta maluit, quam palam constantia virili arguere. Hoc enim apud bene compositos semper licuit, ut quisque suo judicio uteretur, palamque reprehenderet, quod nequaquam recte factum videretur. Siquidem hanc reprehendendi licentiam, charitate subnixam, libertas approbat, & tyrannica dumtaxat rabies perhorrescit & impedit. Ceterum detractores & invidos sic in curia videbis abundare, ac si in eam totius orbis sententiam confluxerint. Non est cætus conviventium, nisi religiosissimus sit, quem livoris stimulus non attingat. Utique tamen qui illustrioribus, clarescunt meritis, acrius invidiæ toxicato dente roduntur.

Vrit enim fulgore suo qui prægravat artes.
Infra se positas extinctus amabitur idem.

Sed quæ ceteris servi dominos, prælatos subditi insequuntur. Nam sicut servorum, ita & subditorum genus plerunque querulum est, & aut se injuste premi, aut indigne remunerari studia, aut officia maleadministrare causatur. Raroque invenies, qui in aliquo non detrahat præsidenti, etsi interdum omnia recte gerantur. Comicos relege, revolve tragicos, familiam fere semper patrisfamilias videbis ingratam. At non modo in curia, sed in schola, sed in claustro, sed in capitulo morem hunc, si tamen domestica vitia sunt moribus aggreganda, miraberis obtinere. Venerabilis pater Gilbertus Herefordensis Episcopus, mihi referre consuevit claustralium morem, quē in se ipso se fatebatur expertum. Cum enim monasterium ingressus esset, fervens adhuc igne, quem de novo conceperat, magistratuum suorum ignaviam arguebat. Nec mora, promptus in modico miseratione complicum motus est. Nondum tamen pepercit majoribus. Paulo post ad priores ascendit: prioribus compatiens, carpere non cessavit Abbates. Factus est & ipse Abbas, & propitius in coabbates, Episcoporum cœpit vitia intueri. Tandem & ipse Episcopis parcit. Nec tamen ipsum invidiæ vitio arbitror laborasse: sed vir prudens, quod hominibus quodamodo ingenitum est, eleganter expressit. Et forte hoc sibi præfatus pater imposuit, ut sic laborantium turbæ sponte consertus, benignius audiretur. Sane Julius Cæsar, audita Catonis morte, tandem compassus est laboribus & ærumnis extincti, & egregium civem rebus humanis deflevit exemptum. Publice tamen cōfessus est, quod & Cato virtuti ejus inviderat, & quod ipse Catonis gloriæ invidebat. Quæ vero ad gratiam sine invidia via expeditissima sit, senex docet in Andria, dum filium omnibus obsequi, neminem lædere refert. Ait quoque sequendæ beatitudinis pater Augustinus, quia dentem canium vel evitabis cautissima humilitas, vel retundet solidissima veritas. Alia siquidem virtute, nemo detractionis declinat aculeos, liberæ tamen reprehensionis medelam, sana mens minime aspernatur. Licet jure convitia puniantur, famosique libelli. Nam

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est.
Iudicium que

est, & adversus convitiatores jam pridem lex est accepta, chorusque de inepta licentia præsumentium, & abutentium,

Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Libri 8. *nugarum Curialium cap.* 24.

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Lysias: Atqui quisquis invidet eis, qui ab aliis digni misericordia existimantur, à qua tandem pravitate vobis hujusmodi videtur alienus? Si enim pecuniæ causa id facit, calumniator est: sin autem ut inimicum suum me ulciscitur, opinione sua fallitur. Nunquam enim propter ejus imprbitatē ipso aut amico aut inimico usus sum. *Capite* 1. *Orat.* 23. *ad Delationem &c.*

Anacharsis: Invidia & stupor evidentissima pravi animi sunt argumenta. Invidiam enim consequitur dolor, ex amicorum & civium fœlicitate natus. Stuporem spes vanorum & inanium verborum. Scythis non probantur, homines, ejusmodi, sed gaudent aliorum prospera fortuna, & ea quærunt, quæ consequi posse facilè putent. Odium vero & invidiam & omnes molestas animorum perturbationes, tanquam hostes persequuntur omnique robore se sustentant. *Epist.* 4. *ad Medocum.*

Xenophon: Quum autem quid esset invidia, consideraret: dolorem esse quemdam reperiebat, non in amicorum adversis rebus, nec in secundis hostium: sed eos solum ajebat invidere, qui amicorum fortunam prosperam iniquo animo ferrent. Quumque mirarentur

centur nonnulli, posse aliquem in ejus successu prospero, quem diligeret, percipere dolorem: commonefaciebat eos, esse quosdam sic adfectos ad alios, ut si cum miseriis eos conflictari videant, negligere ipsos non possint, omninoq; calamitatibus eorum succurrant: contra, si secundæ res ipsorum sint, doleant. Atque hoc viro prudenti non usuvenire, sed fatuis. *cap.26. lib.3. Memorab.*

Dio Prussæus. Num propter hæc & similia habitus est inter Græcos sapiens Hisiodus, & nequaquam illa indignus opinione, quod non humana arte poemata fecerit & cecinne, sed habita cum Musis consuetudine, earumque discipulus factus: quod quidem necesse est, quandoquidem ita omnia musicè atque sapienter prolocutus est, nihilque frustraneum aut inane, inter quæ videlicet illi versus sunt. Quinam?

Succenset figulus figulo, fabrique vicissim
Fabro, mendicus mendicoque invidet alter,
Cantori & cantor, vilisque poeta poetæ.

Multa quidem & alia Hesiodi videbuntur optime scripta de hominibus atq; diis, & propemodum majoribus de negotiis, quam sunt nunc dicta. Ergone & hac pronunciavit verè, & juxta humanæ experientiam naturæ? Vis igitur hæc diligentius consideremus? Et quomodo nos tanta sustinebit turba, de nis differentes? Quid? nonne docta, & de doctis huc venerunt audituræ faterentur ipsi, ut mihi videntur. An Hesiodum malum censent atque parvi precii? Nequaquam. Sed de invidia & æmulatione non libenter audient fortasse. An qui sint ita mutuò contra se affecti, & quas ob causas, non illis utile est audire? Omnium sane utilissimum. Utile igitur jam & periculum facere virorum.

Age verò, propter aliud ne hosce ait Hesiodus conspicuos, atque morose mutuo affectos, quam quod quisq; minus lucri faceret ex sua arte quamcunque facit, si multi essent similes? Ob nihil aliud. Utrum ergo figulo prodest nullum alium esse figulum civitate in eadem & vico, coquo autem illud non prodest? quod illi liceret carnes vendere quanticunque vellet indigentibus, etiamsi admodum tenuis sacrificulus aut seniculus emat? Perspicuum, quod & coquo. Quid autem infectori, nonne soli melius est artem exercere infectoriam, quam cum aliis ejusdem artis æmulis, quo qualescunq; vendat tincturas mulierculis? Contentæ enim erunt clientes, etiam si paulo fuerint meliores, quam quales ipsæ ruri consueverunt qualitercunq; inficere, neque requirent artificiose imbuta & purpurea. Quomodo enim quærerent? Age lenoni nonne lucrosius meliusq; ad negotiationem est, solum habere hanc vitæ speciem, solumque male audire, quam cum aliis? Ut solus nempe in civitate alat & exerceat hujusmodi pecora, similiter & in Pythæam & in alios mercatus eat & circumducat? Et lenoni sane mihi videtur prorsus utile esse, si rari sint ejusdem artis opifices. Num ergo & de omnibus simpliciter, qui eandem artem faciunt, ita pronunciavit, quod invicem sibi sint detrimento, impedimentoq; in parando victu? De omnibus ut verisimile est.

Sed non decuit opinor singulos commemorare. Etenim etiam in aliis moris illi est, de toto dicere negocio sub uno aut tribus. Verbi gratia, quum dicit, bovem non perire absque vicini pravitate, non hoc videlicet dicit, quod tantum bos non pereat, nisi vicinus sit malus: ovis autem non pereat, latere queat: neq; capra pulchra, & abundans lactis, geminosq; pariens: sed manifestum quod tanquam intelligentibus poemata atq; legentibus ea dicat. De omnibus igitur ita eum brevibus unoq; sermone dixisse dicemus ejusdem artificii æmulis, quod neq; se invicem ament, neque prosint sibi? Prorsus. Age vero, per Deos, navicularia ars est: an minus quam figlina, aut culinaria, hoc habere nomen digna videtur? Non minus. Fortassis igitur in magna navi multa habente vela, atque onera multa, & hominum vectorum magnum cœtum, unus nauta prospere ageret, eique prodesset neminem alium in navi esse, qui nautica vel minus vel plus sciret: si vero multi sint, inutiles invicem erunt, adque damnum; atque propter hoc odio se invicem prosequentur plures nautæ. Hoc quod ad nautas pertinet, aliud est. At gubernator opinor gubernatorem non feret, simul videns navigantem. Utrum quum valida fuerit tempestas, neque valuerit tenere clavum vel ob senectutem, vel ob maris violentiam, an neque tum amat alium gubernatorem neque optat præsto esse aliquem successorem, neq; quum dormire illi fuerit necesse multis exactis cõtinuis diebus atque noctibus pervigilio: an etiam tunc similiter odit, suumq; existimat detrimentum, si alius in navi est gubernator? Non tunc fortasse odio habere posset. Cur enim faceret?

At nos non agimus de arte nautica, neq; de rebus marinis, Esto. At medicus super terram medetur, artemq; exercet non minorem quam fabri lignarii. Quid igitur? Nunquid tibi videtur solus artem velle scire in magna aliqua civitate, præsertim quumm multi ægrotarent? Quid vero prohibet, quo minus solus esse vellet, aliis quidem fortasse incommode, qui non possent ab uno omnes medicinam consequi, at illius ars ita esset preciosior? Neq; enim dici potest quot quantasq; mercedes consequeretur, si solus inter tot ægrotantes medicinam callens veriaretur. Cæterum de medico tibi dico, non mente capto. Quid tandem? Mente capti esse tibi videtur, multum honoris concupiscere, multasque accipere pecunias? An si ipse lethargo laboret, aut insania corripiatur, gaudet quod neminem habeat qui curare possit, aut dare mandragoram ad bibendum aut aliud pharmacum salusiferum, ut solus habeat in civitate honores atque mercedes? Si vero una cum ipso & pueri ægrotent: & uxor, omnesque amici valde periculose, num etiam tunc optaret neminem alium inveniri medicum qui opem ferat: aut sit quis præsto sit, succenseret illi juxta Hesiodum, atque inimicum existimaret servatorem suum, pariterq; charissimorum?

Age, si talis res accidat qualis circa Ægyptios medicos accidit. Illi enim sanantes Darium Persam, postquam ei ex equo decidenti talus emotus erat, non poterant eum ex sua arte sanare, sed in vigilias magnosque dolores eum conjecerunt, trahentes articulum, vique cogentes. Hos ergo jussit custodire, ut torti interficerentur. Audiens autem inter captivos esse Græcum quendam mederi conantem ei vocato ex desperatione jussit, si quid posset, succurreret. Erat autem Demodocus Crotoniata, qui optimus tum temporis inter Græcos medicus habebatur, qui & confestim eum fecit obdormire, deinde cataplasmata imponens, lavansque, atque alia ad curam pertinentia diligenter faciens, paucis diebus sanum effecit. Quum jussisset autem eum Darius accipere quicquid vellet, medicos rogavit sibi dimitti: eoque rogante, dimissi sunt. Utrum igitur tunc invidebant Demodoco: inimicumque putabant eum respectu, quo (ut Hesiodus ait) figuli & fabri, utile sibi censentes, si nemo alius medicus præsto fuisset, regemque sanasset: an valde diligebant, eique gratiam habebant? Par sane erat gratiam habere.

Atqui sunt in civitatibus thoracum & galearum fabri, atque cementarii hastarumque artifices, aliique plures: an igitur his prosit, unum tantum in una civitate artis esse opificem, an multos, libenter ergo audirem. Manifestum enim quod hostibus invadentibus & neque mœnibus stantibus neque omnibus armatis, cogerentur inermes atque mœnibus indefensi, subire discrimen. Itaque capta civitate, non fortasse hi interficerentur: capti autem & vincti, gratis cogerentur hostibus operari, pro eo quod antea deliciantes magno vendidissent thoracas & galeas, hastasque: cognoscerentq;, quod non recte neque in bonum invidebat succensebatque ob artem laminarius laminario, neque faber fabro, quodque neque melius neque conducibilius erat, unum solum aut cum paucis artis fuisse opificem. At vero solis esse, non semper aliis ferè melioribus prodesse ait Hesiodus, sed solis figulis & coquis & infectoribus lenonibusque. Igitur æmulatio atque invidia, atque neminem alium facere velle idem opus, culinarium quiddam est, & infectorium, atque figulinarium: atq; insuper lenonibus potius conveniens quam medicis aut gubernatoribus, atque aliud quippiam majoris operæ facientibus. Esto. Cæterum si gubernatoribus atque medicis, aliisque quorum fecimus mentionem, non bonum est inter paucos ejusdem opificii sectatores vivere: an vero prudentibus sapientibusque viris conducibilius, meliusque est, ut soli videantur? Nequaquam. *Orat.77.*

Dio Chrysostomus: Præterea ad hoc quod vir prudens magnanimus est, & ægritudine vacat, accedit, quod etiam humanus sit, virtutemque sciat sibi prodesse, tam suam ipsius quam proximi: & nunquam supra horum quenquam, neque viliorum quidem, aliud alias de se sentiat, neque spectet quam quæ sunt communia omnibus bona. Accedit ad hæc omnia, quod rerum aliarum propter quæ invidia atque æmulatio mutua inter vulgares oriri solet, neque admiretur prorsus quicquam, neq; studio dignum existimet: sicuti heri de divitiis dicebamus. Quare neq; invidere queat ulli aurum vel argentum, vel pecora, vel ædes, vel aliud horum de quibus dicebamus, ut inquit alius poeta, non suam ipsius sententiam demonstrans, sed hominum recitans opinionem,

Quales & vitam bene agunt, ditesque vocantur.

Quod nempe divites illi vocentur tantum, sed juxta veritatem non sint. Esto. Proinde generosus atque absolutus vir pecunias spernere nobis videtur. At de gloria forsan contendat, aut invideat iis quos majoribus à vulgo honoribus coli videat, majoresq; laudes nancisci? An eum non ignorare dicemus, gloriam esse laudem a vulgo; si autem à vulgo, manifestum quod ab ignaris? Nequaquam sane par est hoc eum ignorare.

Age, an bonus tibi videtur tibicen lætari ob artem & arroganter de se sentire, ab artis musicesq; laudatus imperitis? Et si circumstantes eum pueri & subulci atq; pastores admirarentur, plauderentque ob id ipsum efferri, atq; illorum laudem maximo precio dignam existimare? Atqui hoc manifestavit Thebanus ille tibicen, qui neq; theatro valde advertit animum, neq; judicibus artis tibia canendi inexpertis: atq; hoc quum de præmio victoriaq; certaret, attamen ne modicum quidem decentem rhythmum transgredi ausus est, dixitque, se sibi canere & Musis.

Quid igitur putas Orpheum illum Musæ filium, si verus est qui de eo fertur sermo, magis gavisum, quum aves ad ipsum canentem advolarent, feræque à voce moverentur, astarentq; mansuetè ac quiete, si quando auspicaretur canere, præterea & arbores unà cum fructibus atque floribus accederent, ac lapides moverentur atque coirent, ita ut magni lapidum acervi prope ipsum coadunarentur: an magis quum hæc videret fieri, delectatum atque gloriatum esse, existimantem sese ad musices fastigium perveniisse, quam quum mater eum Calliope citharizantem laudavit, dixitque caput illi demulcens, satis musicam didicisse, atq; artis esse sapientissimum. Ego enim arbitror, maluisse se vel à Philammone laudari de musica, aut si quis alius erat illo seculo cithara canendi peritus, quam ab universis simpliciter feris atque avibus: quin neq; olores succlaman-

tes concordantesque quicquam curasse, quod non novissent artem scientiamque canendi.

Qualem denique sanitatis testem vellet assumere vir prudens, an medicum, & circa corporum curam expertum: an multas hominum myriades nihil intelligentium, qui eum (si ita res ferat) plenum videntes ob morbum, atque tumentem & lividum, beatum dicerent: tanquam Polydamanta Thessalum, & Glaucum Carystium, existimantes eum bona corporis præstare habitudine? Sed de arte quidem tibia aut cithara canendi, deq; præstantia luctandi, aut cæstibus pugnandi præ omnibus aliis, jucundissima est peritorum laus, artes scientibus, omnique digna studio: de prudentia vero & justitia, omnique virtute, poterit ne delectare virum prudentem, illiusque explere animum laus stolidorum, hominumq; vulgarium? Et utrum putas architecturæ peritum, & directum quid operari volentem, non libentius habere, & plus de rectitudine credere, si uni regulæ id applicet, atque una amussi exploret, quam si multis atq; in æqualibus lignis dirigat atq; dimetiatur.

Age per Jovem, nunquid audisti, pictoris jocosi factum, qui picturam quandam equi in publico proposuerat admirabilem, atque accurate factam? Ajunt enim eum puero præcepisse, observaret spectantes si quid reprehenderent aut laudarent, idq; retentum memoria sibi renunciaret. Spectantium autem aliud dixisse de pictura, atque reprehendisse hunc quidem, opinor, caput, illum autem coxas, alium vero crura, ut si talia facta essent, multo pulchrius haberent. Pictorem autem his de puero auditis, aliam fecisse picturam juxta vulgi opinionem atque consilium, jussisseque eam collocari juxta priorem. Fuisse autem magnam inter eas differentiam. Illam enim accuratissimè factam in omnibus: hanc autem turpissime ridiculosissimeque, atque omnibus potius quam equo fuisse similem. Manifestum igitur, quod si quis valde opus habeat vulgi laude, credibiliorem existimans illius laudem aut vituperium quam suam sententiam, ita singula facturus sit, atque conaturus talem se exhibere, qualem volet vulgus, certumque est, quod similis futurus sit, pro illo priore equo doctè atque ex unius arte facto, admirabili alteri atque multorum artificum opificio, neque ipsis illis placenti artificibus, tametsi ex omnium consilio atque arte composito. Quemadmodum fabula ait Pandoram non ab uno deorum formatam, sed communiter ab omnibus, alio aliud donante & apponente: opusq; neque sapiens neq; bonum factum, sed omnigenum variumq; accipientibus evenisse malum. Ubi autem deorum turba atq; populus communiter fingens operansq; non potuit bene atq; irreprehensibiliter operari, quid dicendum est de homine, vitaq; ex humana opinione formata & effecta?

Perspicuum est igitur, hominem revera prudentem nihil attendere vulgarium sermoni, neq; observare laudem ab illis profectam. Itaque neq; magnam, neque preciosam, neq; bonam (ut summatim dicam) existimabit eam unquam. Quum autem bonam non existimet, ut invideat eam habentibus impossibile est. Nequaquam igitur hujusmodi nobis est vir generosus, & temperatus, castigatusque, qui divitias & laudes, coronasque Olympiacas atque Pythicas, & literas in columnis, scriptaq; populorum atque regum testimonia persequatur, quo spectabilis sit atque notus: sed qui frugalis sit, & absque fastu (quantum fieri potest, vitam exigat, dejectus castigatusq; ipse à semetipso, atque suæ sententiæ inhærens, nullo extrinsecus ornatu indigens, neque adjecto honore, neq; phaleris, neque pennis: quemadmodum mali stipendiarii pennas cristasque assumentes, nec non in scutis Gorgonas, hastisq; strepentes, deinde fugiunt parvo apprendente periculo. Quales multos videre queas etiam inter beatos illos existimatos, hotpitum exceptores atque oratores, sophistasque, in theatris, & apud discipulos, atque in castris per singula tabernacula gloriantes, quando in meridie compotarint, se contra centum ducentosque Trojanorum staturos: hos autem ipsos unius hominis insecutio persecutioque universos planè in fugam agit, haud uni ex illis conferendos.

Quin neque etiam voluptates aliquas ciborum aut potus aut rerum venerearum, aut mulieris pulchritudinem; aut pueri florentem ætatem admiratur, neque desiderat, aut magna censet: neque beatos prædicat his fruentes satrapas atque dynastas: neque hercle cerdones quosdam, atque sub umbra victum quærentes, quod sint locupletati partim ex arte, partim ex dominorum furtis: neque semetipsum miseretur ob penuriam absentiamq; horum bonorum, quæ neutiquam felicium esse arbitratur. Ergone ille ob hæc invideat, omniq; pacto insidietur, optetque eos perire? An concedere debemus, generosum magnanimumque virum canibus equisque similiter atque aliis bestiis affectum esse, quæ se continere non possunt, si aliæ saturentur & futuant, sed indignantur sæviuntque atque irascuntur fruentibus, promptæque sunt ad insiliendum, mordendumq; atque lædendum quovis modo, adque inter se bellum gerendum?

Præterea de voluptatibus, an illud quoque sic habere dicere debemus, quod harum quicquam confiteatur studio dignum: Sardanapalumque imitandum existimet, qui vitam dicitur transegisse, conviviis atque stupris dans operam cum eunuchis atque mulieribus: atque ob hæc illum æmuletur, ut hircorum, asinorumque consequatur felicitatem? Neq; enim fas est, talia de modesto unquam & erudito viro cogitare. Quare si neque propter gloriam, neque propter pecunias, neque propter ciborum potuumq; aut rerum Venerearum voluptates, se vel alium beatum esse putat, neque omnino horum quicquam pugna dignum, aut precioſum: non ille utiq; dissideret cum quoquam ob hæc, neque cuiquam hæc invideret, neque arenam in littoribus, neque fluctuum strepitum sonumque iis, qui in littoribus habitant, neque si cui aurum ultro è cœlo sinum impleat (quemadmodum Daneæ olim ajunt, in turri ahenea custoditæ, aurum repente è supernis influxisse ob ipsius pulchritudinem) neque si torrentes cuiquam irruant, aurum plurimum atque frequens afferentes tanquam limum: quemadmodum opinor Crœso ajunt antea Pactolum per medias accedentem Sardeis promptas pecunias attulisse, majus tributum atque vectigal quam universa Phrygia & Lydia, Mæonesque & Mysi, atque universi habitantes intra Halyn. Neque accipientem illud à Crœso donum Alcmæona æmulatus est neque Solon, neque ullus alius illius sæculi sapientum virorum: cui ferunt Lydum permisisse, ut thesauros ingressus, auri auferret quantum vellet: eumque ingressum, admodum viriliter sese donatione regia impleviſſe, tunicamque talarem succinctum, sinumque expleviſſe muliebrem laxumque, & calceamenta data opera magna atque cava induxisse. Denique & comam ampliatam barbamq; auri frustis atq; os impleviſſe, buccasq; utrasque, atq, ita vix potuisse egredi tanquam canentem tibia Semeles dolorem, risum atq, spectaculum Crœso Lydisq; exhibuisse. Atq; erat tunc Alcmæon nulla dignus drachma, ita ingrediens.

Neque igitur super his, ut dixi, quenquam æmularetur: neque si quem videret esse admirationi, laudibusque celebrari à decem aut viginti hominum millibus. Neque æmulari vellet plausibus exceptum atque mitris, exultantemq; atque superbientem sicut equum ob victoriam, commitatuque majori honoratum quam iponsi honorantur: ipse autem abjectior esset mendicis, desertiorque projectis in viis, nullusque haberetur precii apud ullum, quemadmodum olim habitos ajunt Megarenses: eo quod non possit inservire, neque ad gratiam colloqui, utpote austerus natura, veritatisq; amicus, nihilq; abscondens. Neque sic tamen similiter afficietur figulis atque fabris, cantoribusque: neque invidebit ob inopiam, aut ob ignominiam, neque suos immutabit mores, adulator aut impostor factus pro generoso veracique. Proinde quid tandem beati quidam coli volunt ab hominibus libertatem professis, eosque qui philosophi nominantur ante suas videri januas humiles & despectos: & non quemadmodum Circe suam volebat habitationem à timidis perterritisque leonibus custodiri? Nequaquam igitur illi Leones erant eam custodientes, sed miseri fatuique homines, deliciis atque desidia perditi.

Quare quum quis philosophum aliquem viderit circa palatia atque vestibula adulantem atque humilem, operæ precium erit illorum recordari Leonum, canibus similium famelicis, timidisque, rugientium acutissime, utpote à pharmacis perditorum. Cæterum jam est nescio qualis hujusmodi cupiditas. Sexcenti enim sunt, qui sponte adeoque alacriter divites colant atque potentes, omnesque vincant adulatores, atque perite, & artificiose id facientes. Itaque non erit hujus rei inopia quærentibus ab hominibus bonæ indolis. Verum hoc simile est, alii conatui hominum valde libidinosorum, qui licet magna mulierum suppetat copia, per contumeliam atque scelus concupiscunt sibi mulieres ex viris fieri, acceptosque pueros castrant. Unde multo pejus, atque infelicius eunuchorum genus emergit, infirmiusque quam muliebre, atque muliebrius. Cæterum qui ad veritatem robustus est atque magnanimus, nunquam tale pateretur, neque suam ipsius libertatem, fandique audaciam honoris ignominiosè aut potentiæ aut pecuniarum gratia proderet. Neque etiam invideret immutatis aliterque cultis propter hujusmodi donaria: sed putaret similes esse iis qui ex hominibus in serpentes aut alias bestias transformantur: illos quidem non æmulans, neque invidens cibum, sed è diverso deplorans miseransque, quando propter dona tanquam pueri crines tondent, eosque canos. Ipse autem suum officium conabitur custodire honestè atque firmiter, nunquam suum relinquens ordinem: virtutem autem atque temperantiam colens semper atque augens, omnesque ad has inducens partim persuadendo & exhortando, partim conviciando & exprobrando, si quem eruere possit ex insipientia malisque cupiditatibus, & incontinentia atque deliciis. Privatim unumquemq; cohibens, & congregatos admonens quotiescunque opportunum fuerit alium blandis alium solidis sermonibus, donec illi (opinor) vita suppetet: oblectatus hominibus, non bubus, neque equis, neq; camelis, neque ædibus, sanus pariter in sermonibus atque factis, innoxius cum viæ comitibus, & cum quocunque mare fuerit ingressus: innoxius quoque in dandis consiliis, atq; bonus sacrificantibus visus, nullam excitans seditionem neque cupiditatem, neque lites, neq; invidiam, neque turpia lucra, sed commonefaciens temperantiæ justitiæq;, & concordiã augens, inexplebilitatem vero atq, impudentiam mollitiemq; ejiciens quantum possibile fuerit: multocaduceatoribus atq; præconibus, qui in bellis inducias portant, sanctior.

Vult quidem, atq; magno incumbit studio quantum potest, succurrere omnibus: superatur autem ab aliis interdum hominibus atq; studiis, nihilq; parvum valet omnino. Quod reliquum est, suum ipsius animum sermone expurgat, conaturque exhibere minime servilem, multo magis de libertate pugnans, contraq; dolores ac opiniones, omnesq; homines, cum paucis quibusdã idem volentibus quam Lacedæmonii quondam angustiis occupatis, pugnaverunt pauci numero, contra omnes ex Asia, tres continuas dies atque noctes, quo ad ex unius hominis proditione circumventi, eodem

in loco

in loco sunt interfecti, qui Spartam volebant liberam conservare mœnibus carentem. Corpus autem exercet, atque assuefacit pro suis viribus ad perferendos labores, neque deliciari sinit lavacris & unctionibus atq; unguentis, dum mollius atque debilius fiat, tanquam malum instrumentum.

Hæc autem nonnulli videntes, propter simplicitatem atque insipientiam eum his studere ajunt. Cumq; valere sinat divitias & honores, perpetuasque voluptates: contemnunt eum, atque insanire judicant, afficiuntq; ignominia. Is autem illis non irascitur, neque fert difficulter: sed est, opinor unicuiq; benevolentior quam pater, quam fratres, quam amici. Quin etiam suis civibus & amicis & consanguineis reverentiam quidem exhibet, sed nihil abscondit, tanto magis, familiariores sibi atq; necessariores ducit: & quantum fieri potest, intendit sermones, vehementioremq; admonitionem adhortationemq; & sibi & illis adfert. Neque enim medicus, cui sit necesse patrem aut matrem aut suos liberos curare ægrotantes, aut etiam seipsum propter aliorum medicorum penuriam atq; absentiam secare aut urere, eo quod liberos amet, & patrem matremque revereatur, hebetiori secat ferro, neque tepidiori igne uret: sed contra quantum fieri potest, valenti ac vigenti. Proinde Herculem ajunt, postquam non potuit sanare corpus acerbo correptum morbo filios advocasse primos, jussisse e cremare clarissimo igni. Illis autem cunctantibus, seque avertentibus, convitiis eos objurgasse, ut molles, seque indignos, matrique similiores, ita dicentem, ut ait poeta:

Quo vertitis cultus modo ignaviſſimi,
Genereque non digni meo, ſtatua magis
Genetricis Ætolæ? ——

Quare philosophum primo secum, cumque charissimis atq; propinquissimis liberrime atq; audacter agere convenit, nihil cunctantem aut remittentem in sermonibus. Corrupto enim & ægrotante corpore, multo pejor est anima corrupta: non hercle à malis pharmacis aut potibus, neq; à veneno quopiam ex edente, sed ab ignorantia atque pravitate, & superbia, invidia quoq; & ægritudine, atque sexcentis cupiditatibus. His morbus atq; hæc affectio difficilior est, quam Herculis, multoq; majore atq; clariore indiget incendio. Ad cujus medelam atque liberationem absque excusatione hortari convenit & patrem & filium, & cognatum & alienum, & civem hospitemque. *Orat.* 78.

Aristides Rhetor: Est absurdum qui cæteris humanitate & magnanimitate tantum præstet, eum invidiæ opinionem, quod ad sermones attinet, sibi comparare. *non longe ab initio Orationis 2. Platonica, pro Quatuor Viris.*

Philostratus: Ego sapientem virum periculis subjacere majorib. arbitror, quam qui in mari navigant, aut qui in pugna præliantur invidia namq; ipsum comitatur & loquentem & tacentem, & contentione utentem & remittentem, sive aliquid agat, sive agere omittat, sive salutet, sive non salutet. *lib. 1. Apollonii cap. 22.*

Philostratus: Invidentia, injustitiæ magistra, ad mala facinora mentem ac manum impellunt. *lib. 6 Apollonij cap 5.*

Simplicius: Invidia dolor est, ob alienum bonum ortus: & æmulatio fervor quidam voluntatis exæquendi se cum eo, quod bonum habetur. Nascuntur autem hæ perturbationes ex eo, quod quivis homo ipsius naturæ impulsu honoris est appetens, nec paribus de dignitate vult concedere. Itaque si qui sunt infirmioribus ingeniis, qui ipsi nihil proficere possunt, proximum quemque deprimendo æquare illum aut etiam superare contendunt, & successibus aliorum dolent, quæ est invidia. Nam ad eum qui cum bene agitur, vel agi videtur, invidia velut arrepit, in primis vel genere, vel studio, vel fortuna parem. Nemo enim vel prorsus eminenti vel omnino inferiori invidet, neque cum talibus certat quispiam. In quibus vero aliquid animi & nervorum est, hi inflammari aviditate ferunt, ut illos strenue progrediendo vel æquent, vel superent, cum quibus sibi certamen instituerunt. Quare invidia semper est vitiosus affectus: æmulatio vero cum virtutem spectat, bona est, & cognata boni amoris: cum autem res externas, mala, nec invidia melior. Si ergo & invidia & æmulatio opinione boni excitantur, honos vero & potentia & celebritas nominis, quæ vulgo in bonis habetur, bona non sunt, cum bonum in rebus nostræ potestati subjectis sit collocatum, constat, in iis invidiam & æmulationem nihil habere loci, si quidem veritas spectetur. *ad cap. 27. Epict.*

Libanius: Simul atq; repente divitis domum ingressus sum, plurimis animo sum percussus jaculis per oculos: conspiciebam hemicyclum, seu dimidiatum cathedræ orbem, elaboratum, tapetas in sedibus, mensam ex argento, coquum, pincernas, pateras aureas, scutellas & lances, varia opsoniorum fercula. vinum Thasium, gregem ministrorum, sedulitatem cum silentio. hæc ipsa porro accurate acriterq; intueri sum conatus, & intuendo mœstitia sum affectus: ad omnia alliciebar: undequaque feriebar: continere certè me non poteram, quo minus spectarem, & ea contemplans peribam. quocirca cum alii convivæederent & biberent: ego sudabam, volutabar, caput conterebam, cibo non participabam, repellebam pocula interdum etiam vehementius suspirans dolorem argui: ut risum etiam convivis jam temulentis excitarim. Enim vero tantum jam vini erat, quantum aquæ: tibicinæ exinde, & concentu aures personab ant ad intempestam usque noctem. dumtaxat mihi aliquid animi residuum erat, & mecum ita loquebar: hic ille est, hic vicinus, hic inops, meus sodalis? deceptio hæc est, & præstigiatorum ars, & oculorum fascinatio, qua cernuntur ea quæ non sunt. optabam, Senatores, Neptunum concutere terram, & domum subvertere, & conclave virorum bibentium facere sepulchrum. Ipse lubens primus terra obrutus fuissem subsequente me divite. mersis mero jam convivis, neq; erigere se valentibus, discessi, spectator tantum cœnæ factus, & cum projecissem me in grabatum, non à fortuna cultum auctumq; magnam partem insomnis jacui, ejulans. aliquantulum autem soporis cum admisissem, de vicini apparatu somniabam, atque ut à somno, excitatus sum, cum clamore, ô vigiliam illam horrendam! ô acerbiora insomnia! rogabat mulierula, quid dolerem; ô infortunata, respondi, ignoras res vicini? acta superant vim rationis; non patior mutationem, ensem quis præbeat, meipsum interfecero, non ita: imo loco gladii venenum suppedit, publice epotum, hoc flagitaturum dixi: hoc etiamnum efflagito. date vero, & hoc molesto solvite me spectaculo vicini bonorum. *Declam.* 8.

Libanius: Verum est quod dicitur, invidiam pulcris rebus obsistere, & nimiis prosperitatibus numen indignari. & res humanæ mutationi utiq; obnoxiæ esse debent. *Declam.* 11.

Libanius: Ne quæso, ne invidentium morbo laboretis; qui beneficos cunctantur honorare, non quod ingrati animi labem & culpam vereantur, sed quod beneficium accepisse erubescant. *Declamat.* 31.

¶ Romanorum.

Calpurnius Flaccus: Sic est livoris ingenium: omnia suspicantur, qui nihil audiunt. *Declamat.* 22. *f.*

Quintilianus: Quo non penetras, livor improbe! quidve scabræ malignitati clausum est? invidit pauperi dives. *Declam.* 13. *§.* 4.

Symmachus: Solet bonis livor obstrepere. *lib.* 9. *Epist.* 92.

Symmachus: Scio naturæ humanæ vitio, probitatem subjacere livori. *lib.* 10 *Epist.* 34. *pr.*

Symmachus: Me munivit invidia apud aures enim sacras locum postea non habebit convicta mendacii. *lib.* 10. *Ep.* 34. *f.*

¶ Poetarum.

Plautus Milite 3. sc. 2. v. 26.

Quoniam æmulari non licet, nunc invides.

P. Virgilius in Culice.

Ne quisquam propria fortuna munere dives
Iret in invectus cœlum super omne, propinquo
Frangitur invidiæ telo.

Petronius Arbiter.

Cui vultur jecur intimum pererrat.
Et pectus trahit intimasque fibras,
Non est quem Titum vocant poetæ,
Sed cordis malo, livor atque luxus.

Joann. Sarisberiensis, fine prologi Policratici.

Tu fugias quos livor edax felicibus hostes
Sic facit, ut virtus flectere nulla queat.
Muneribus fortasse tuis placabis avarum:
Ladere quo cesset invidus, esto miser.
Alterius misera gaudet mens invida sorte,
Cunctaq; vicini commoda, damna putat.

¶ Apologorum.

Æsopi Fabula agricola & vulpis: Agricola improbus cum invideret proximi fœturam segetis, quæreretque quo pacto corrumpere posset ejus labores; captam vulpem, alligata face, in vicini segetem dimittit. At illa, non qua missa erat excurrens, volente sic Deo, ejus qui dimiserat combussit segetem.

Æsopi Jupiter, Prometheus, Minerva, & Momus: Jupiter Prometheus & Minerva cum efformassent, Jupiter quidem Taurum, Prometheus hominem, Minerva domum; judicem delegere Momum, qui opificia reprehendens, dixit: erasse Jovem, Tauri oculos in summis cornibus non collocantem, ut ubi feriret videre posset. Prometheum vero, quod hominis præcordia foras non appendisset, ut occultarentur minime mali, manifestaque fierent singula, quorum recessus habent & latibula. Tertio vero dixit, oportuisse Minervam rotas ædibus suppositisse, ut si quis forte malo cohabitaret vicino, facile discere posset. Jupiter autem eiistam ob invidiam offensus, ex Olympo ejecit.

De Vulpe & Lupo. Anonymus.

Ditat præda lupum, ducit Lupus otia longa
Facta cibo, vulpes invidet, ista movet.
Frater ave, miror cur tanto tempore mecum
Non fueris, nequeo non memor esse tui.
Ille refert, pro me vigilet tua cura, precari
Numina ne cesses, ne mea vita ruat.
Fraude tamen munita venis, falsoq; venenum
Melle tegis, dolor est copia nostra tibi.
Extorquere paras aliquid, furtumq; minaris:
Sed mea furtivam respuit esca gulam.
Spreta redit spretam stimulat dolor, apta dolori
Fraus subit, ad pecorum transvolat illa ducem.
Hunc monet his verbis, tua gratia muneris ipsa
Sit mihi, namque lupum dat mea cura tibi.

Hostem perde tuum, tuto jacet hostis in antro
Vir fuver, antrapetit, & necat ense lupum.
Ista lupi consumit opes, sed floret ad horam
Vita nocens, vulpes casse retenta gemit.
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuisse nocivo,
Iure cado, cuius concidit arte lupus.
Vivere de rapto vetam rapit, invidus instans
Alterius damno, in sua damna ruit.

Invidus & Avarus. Avienus.

Iupiter ambiguas hominum pradiscere mentes
Ad terras Phœbum misit ab arce poli.
Tunc duo diversis poscebant munera votis,
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His sese medium Titan scrutatus utrumque
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait:
Praslandi facilis: nam quæsperaverit unus
Protinus hæc alter congeminata feret
Sed cui longa jecur nequeat satiare cupido,
Distulit admotas in nova damna preces.
Spem sibi confidens alieno crescere voto.
Seque ratus solum munera ferre duo.
Ille ubi captantem socium sua pramia vidit,
Supplicium proprii corporis optat, ovans.
Nam petit extinctus ut lumine degeret uno.
Alter ut hoc duplicans vivat utroq; carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
Invidiaque malum retulit ipse Iovi,
Qui dum proventis aliorum gaudet iniquis
Latior infelix & sua damna cupit.

¶ Emblematum.

Junius Emblemate 9.

Palma caput tollit cælo ardua, cuius ad ima
Rana loquax, stabulantur & hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recte est.
Degeneres, atque invida lingua.

Batillius 119. Emblem.

Invidia virtutis comes.

Vt segetem, canas quum jam producit aristas,
Florentem rodit Cantharis utque rosam,
Sic quo celsa magis se tollit in athera virtus,
Invidia tanto huic officit umbra magis.

Batillius 130.

Invidia invidenti maximè noxia.

Vt quæ intus rabidis exæstuat ignibus Ætna,
Nil nisi seipsa suis ignibus Ætna vorat,
Sic se non alios animi fornacibus urit,
Pœna se addicens invidus ipse sua.

Camerarius 53. Centur. 1.

Per oppositа.

Livor iners stimulos generosis mentibus addit,
Sic per fœda rosis allia crescit odor.

Camerarius 86. Centur. 1.

Hinc redit ad vires.

Invidiæ ut virus vincas, imitare lacertam,
Vt chamæmelo hæc, pectore te abde bono.

Camerarius 41. Centur. 3.

Audentius obstat. Ciconia, vespertilioni aggerens folia platani.

Virtuti invidia est hostis. Verum illius omnes
Sincera insultus despicit integritas.

Camerarius 75. Centur. 4.

Vix Hercules.

Exemplo sit tibi diram qui contudit hydram,
Sternere latsvagam qui cupis invidiam.

In invidos. Embl. 63.

Livorem refugæ ferunt sagittæ
σοφοὶ consimilem, sagitta si quid
Collimet solidi, resultat, & non
Scopum, sed miserum ferit magistrum:
Sic & pectore masculo, & cachinnis
Spretus invidus, in suum retorquet
Sagittas animum, sibique pœna est,
Quisquis invidia movetur, ille
Scopum præbuit invidi sagittis.
Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegm. Sacror.

Moses Dux Israelitarum: Quum Eldad & Medad Prophetarent in castris, concurrit minister quidam, & illud renunciavit Mosi: loquutusque Josua filius Num, minister Mosis à juventute sua, dixit, Domine mi Moses, cohibe eos, Cui dixit Moses, An invides tu mea causa? Atq; utinam totus populus Jehovæ essent Prophetæ, indente Jehova Spiritum sum illis. Num. 11. v. 28. 29.

Salomon: Quantum malum sit *Invidia* ostendit Salomon, Prov. 24. 4. *est putredo ossium*, Prov. 14. 30. bonis non est invidendum neque malis; Prov. 3. 31. 32. 33. & 23. 17. 18. & 24. 1. 2. & 27. 4. Vide item Prov. 23. & Eccles. 4. 4.

Iesus Christus Dominus noster: Damnat invidiam, *Matth.* 9. 11. 14. & 20. 1. 15. 21. 15. *Luc.* 19. 39. Idem facit Joannes Baptista, *Ioan.* 3. 27. & Paulus, 1. *Corinth.* 11. &c. Et Jacob. *cap.* 3. 16.

Basilius Magnus: Nullus perniciosior affectus animis hominum innascitur quam invidia.

Quemadmodum bonus caret omni invidentia, sic contra calumniator eam perpetuam habet comitem.

Anton. & Maximus Ser. de invidia.

Gr. Nazianzenus: De invidiæ effectis loquens, ait, Hæc & Luciferum (diabolum, nunc principem tenebrarum) obscuravit, ob mentis elationem prolapsum: indignum enim atque intolerandum ducebat, se cum divinus esset, non Deum quoq; existimari: & Adamum, per voluptatem & mulierem circumventum, è paradiso expulit. Adductus est enim, ut Deitatem sibi invideri crederet, dum à scientiæ ligno arceretur. Hæc & Cain ad inferendum fratri necem impulit, quod purius sanctiusq; sacrificium æquo animo ferre non posset. Hæc & mundum immundè atq; incompositè se gerentem aquis texit, & Sodomitas igne obruit. Hæc & Datham & Abiron, adversus Mosem furore elatos, in terram defodit, & Mariam, quæ adversus Mosem tantum murmuraverat leprâ infecit. Hæc & Prophetarum cruore terram contaminavit, & sapientissimum illum Salomonem per mulieres perculit. Hæc & illum laqueo dignum Judam, exigua pecunia illectum, proditorem effecit, & Herodem puerorum interfectorem, & Pilatum Christi carnificem. Hæc & Israelem cribravit ac dispersit, ne nunc quidem adhuc è peccato suo emergentem. Hæc & apostatam tyrannum (Julianum) in nos excitavit, cujus carbones adhuc molestiam inferunt, licet flammam ipsam effugerimus. Hæc & præclarum Ecclesiæ corpus discidit, in diversa & contraria studia dissectum. *Orat. 27. de seipso, &c.*

Chrysostomus: In ejus homiliis & alii scriptis hæc scitè dicta in Invidiam occurrunt.

Est prima hominis clades.
Telum diaboli.
Virtus mortiferum animos occupans.
Fera venenosa & immunda.
Morbus voluntatis.
Malorum omnium mater.
Omni venia & excusatione indigna.
Radix homicidij.
Invidia est invidi pœna.
Subvertit Christianorum conventus.
Avaritia morbum peperit.
Iustitiam corrumpit.
Profert maliloquia & obtrectationes.
Sibi sola nocet.
Cum benignitate pugnat.
Peperit hæreses, & fraternam manum armavit.

Invidia propriis insidiatur commodis, & invidum tabefaciens mille involvit calcamitatibus.

In clero major quam in laicis.

Naturæ leges motas à suis revellit compagibus, & morti adaperit valuas.

Invidi multo magis seipsos, quam eos quibus invident, perturbant & cruciant.

Invidi adversa aliorum fortuna, ut scarabæi alieno stercore nutriuntur.

Invidus multo magis quam fornicator à cœlo fidelium exterminandus.

D. Cyprianus: Trium Theologorum Græcorum scitè dictis de invidia, trium Latinorum pauca quædam addimus. Ex D. Cypriani sermone de Zelo & livore sequuntur.

Per Invidiam diabolus inter initia statim mundi, & periit primus & perdidit. Stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse id, quod prius fuerat, amisit.

Exinde invidia grassatur in terris dum livore periturus magistro perditionis obsequitur: dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est, Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.

Hinc novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia & livore persequitur. Tantum valuit ad consumationē facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur.

Qualis est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem: id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum propriū bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam admovere pectori suo carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores qui intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiæ ungulis pulsent? Non cibus talibus lætus, non potest esse jucundus: suspiratur semper, & ingemiscitur, & doletur: dumq; ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.

Si de Sacramento crucis & cibum sumis & potum, lignum quod apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendi pectoris amaritudinem.

Paradi

Paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cæleste regnum, ad quod non nisi concordes atq; unanimes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sunt pacifici, qui nativitate cælesti, & lege divina ad similitudinem Dei Patris & Christi respondeant adunati.

D. Ambrosius: Invidiæ causa fuit, beatitudo hominis in paradiso positi. *Lib. de Paradiso, cap. 12.*

Prosperitatem citò sequitur invidia. *Lib. 1. de Abraham, cap. 7.*

Consideremus qualis vir justus esse debeat, si invidia fuerit exorta. Primum, declinet eam: melius est enim sine lite abire quam resistere cum jurgio. Deinde, ut talia possideat, quæ secũ auferre possit, ut in nullo teneri ab adversario possit obnoxius, sed dicat, Cognosce si quid tuum est apud me. *Lib. 2. de Iacob & vita beata. cap. 5.*

Frustra opem misericordiæ cælestis expectes, si alienæ virtutis fructibus invideas. Aspernator enim Dominus invidorum est: & ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. *Lib. 4. Commentar. in Lucam, cap. 4.*

D. Augustinus: Invidiæ diabolicæ, qua mali invident bonis, nulla alia causa est, nisi quia illi boni sunt, isti autem mali. *Lib. 15. de civitate Dei, cap. 5.*

Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam in qua est interimit & consumit. Et sicut ajunt viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno utero in quo conceptæ sunt nasci: ita & invidiæ natura illam ipsam animam à qua consumpta est & consumit & perdit. *Serm. de tempore, 84. qui magna parte ex Cypriani sermone de zelo & livore descriptus est.*

Vide præterea. *Serm. 18. ad fratres in eremo*, ubi de invidia cavenda Augustinus agit. Extat tom. 10.

§ Apophthegmatum Christianor.

Belisarius Iustin. Imp. Præfect. Aggredimur, *-quo Siculi non invenere Tyranni Majus tormentum,* ——— Invidiam, dirum homini exitium. Cujus vivum exemplar est Belisarius. dum namque subactis Vandalis, actoq; de Persis triumpho, Justiniano Imp. suspectus redderetur, oculis ejus jussu orbatur. At is tugurium ad viam regiam construi curavit, ubi stipem à prætereuntibus sibi erogari, hac verborum formula postulabat: *Viator da obolum Belisario: quem Virtus extulit, cæcavit* Invidia. Procop. & Crinit. lib. 9. cap. 6.

Carolus V. Imp. Quid autem magnus ille Carolus? Postulabat ab eo Dux Gandiæ Borgia, sæculum deferendi facultatem; & nõ obstante quod prudenti ejusdem cõsilio opus haberet Imperator, impetravit. Tum adstantes ita compellans Carolus; *Ego de hoc facto*, ait, *sic sentio: plures eius æmulos futuros, quam imitatores.* Legerat fortassis illud Silii Ital. lib. 1. Bell. Pun.

Dum malus obtrectat facta immortalia livor,
Non sinit adjutas ductoris crescere laudes.

Ribadin. in vita Borgiæ, lib. 1. cap. 10.

Anonymus: Habebat hic Demeam, hominem invidum, sibi familiarem. de quo rogatus, cur ita demisso, in terram vultu & lumine incederet; *Quia*, inquit, *alterius prosperitate dolet.* Hoc enim invidorum proprium; obstipo capite lumine terram figere, & exporrecto labello aliorum felicitatem trutinari. *Ex relatis dicti.*

§ Monostichia Trochaica.

Asperis locis adhærat musca, transit lævia.
Assecla sanorum hominum est Invidentia.
Beneficio non mitigatur invidus.
Civis agenti in prosperare quisquis civi invidet.
Cor comest suum aura quam afflat tristis invidentia.
Cujus ad bonum dolemus, ejus & voluptatem malum est.
Dentibus vescentium cur invides edentulus?
Dextra datum sinistra qui excipit, binis nocet.
Dextra invidia, hominum damna computat lucrum suum.
Duplici malo tenetur quisquis alteri invidet.
Erubescit publicare habeat quonam invidus.
In bono non est, nedum ut sit in Deo, invidentia.
In tenebris quod solus at invidus, diem haud videt.
Ingenii est pusilli amicorum invidere commodis.
Invidentia profecto suspicacissus nihil.
Invidere non felici, pravitatum maxima est.
Invidia atque odium vel sola sunt nocendi semina.
Invidia est inimica semper alienis successibus.
Invidia hostem agit felicis, calamitosum præterit.
Invidia insidiisq; regna summa ubivis subjacent.
Invidia insidiisque semper subjacet potentia.
Invidiam vis fugere? longè segrega te ab invido.
Invidia magis sibi ipse nexius quam ulli alteri.
Invidus muto cani par, dente mordet abdito.
Invidus non lætus est cum lætis, flet cum flentibus.
Invidus quidem est aliis malus, at sibi est vel pessimus.
Invidus sibi hostis ipse est: quod doleat sibi invenit.
Invido nunquam dolendi justa deest occasio.
Morbus invidia etiam ætates armat in se proximas.
Mortuo solet favere quisque, vivis invidet.
Ne quidem suos dolores narrat alteri invidus.
Nemo nobis, quisq; nostris rebus invides bonis.
Nil aliud sunt quam tormenta sibimet homines invidi.
Nil aliud sunt quam, sibi ipsis pestis ac crux invidi.
Nil ista est firmum, ut resistas semper invidentiæ.
Nobili virtute & ipsam vincere invidentiam est.
Omnis virtutum ac vitiorum cuncta miscet invidus.
Non alia unde mente duplex quam de invidia nascitur.
Non deest unquam doloris invidenti occasio.
Non habent expresse amore invidiam, expressa timore habent.
Non potest homini invidiosum id esse quod Dei offerunt.
Non potest invidia vinci conflictu, fuga potest.
Non diesq; jam tot annos cursitant, nec invident.
Nulla sic res invidiosa est, quam justitia gloria.
Ordo Apollini dicatus nescis invidentiam.
Per virtutum odia ad perennem cursitant famam invidi.
Pestilentior nulli aque quam sibi invidentia est.
Plus quam febris, plus quam cancer, invidus qui vis sibi est.
Pralium adversus secunda perpetuum invidentia est.
Proximis mage invidemus usque quam non proximis.
Pugna cum præstantiore perpes Invidentia est.
Quam mage invido obsequeris, hoc mage in te erit ferus.
Quæis bona ipsi caremus, invidemus cæteris.
Quidquid eminet, necesse est invidia excipiat Notos.
Quod sibi deest fere alteri invidentia detrahit.
Sic ut ignis: nulla in igne prorsus invidentia est.
Solo adspectu, solo visu virus invidia influit.
Spernitur præsentium invidia, cum timentur ultima.
Tolle invidiam, & quod habeo tuum est, quod habes contra meum est.
Tristatur bonis, malisq; gaudet invidentia.
Tu malum rescu prius meum, ipse quam bonum tuum.
Velle idem, non solum amoris causa, & invidentia est.
Vix ulla invidia infra Regum magnitudinem jacet.
Vt ferrum rubigo sic animam invidentia exedit.

§ Jambica.

Ad invidiam perducta, finis jam imminant.
Ad prapotentes serpit invidentia.
Ærugo ferrum, invidia perimit invidum.
Alius bonum ipse quo caret malus invidet.
Carere invidia difficile est in prosperis.
Cui invidetur, esse non solet diu.
Ecquando Sol invidit unquam vesperæ?
Est invidorum semper ut culpent bonos.
Est pejor omni pralio invidentia.
Et cedo invidiæ, dummodo absolvar crimine.
Etiam invidia recenti est impar innocens.
Excæcat omnes animis invidentia.
Expers quietis omnis invidentia est.
Faber faber, mendicus mendico invides.
Felicitas summa, invidere nemini.
Felix cui invidetur ob non turpia
Figulo invidet figulus, fabro malè vult Faber.
Fons atque origo omnis mali invidentia est.
Fortuna quam effert, invidentia degravat.
Gravium beneficiis inflammantur invidi.
Haud invidendum alsi bonum, ipse qua cares.
Homini suas urinas & lynx invidet.
Indus Britanno haud invidet, aut Gallus Scytha.
Invidia ab arte haud nascitur, sed moribus.
Invidia fere habet matrem superbiam.
Invidia magnis addita est virtutibus.
Invidia mater fraudis ac calumnia est.
Invidia, morbus omnium gravissimus.
Invidia nulla cujusquam bono bono est.
Invidia rebus usque summis adsita est.
Invidia semper pulcris adversaria est.
Invidia sui sapientia privat hospites.
Invidia tantum oblatratrix felicium est.
Invidia telis interit tandem suis.
Invidia testis certa profitentium est.
Invidia vincit quamlibet clementiam.
Invidia virtutis ardua adversaria est.
Invidia ut ignis non nisi excelsa appetit.
Malum omne quod vides, ab invidentia est.
Miratur & quibus maledicit invidus.
Molestior certè hoste aperto est invidus.
Nemo invidere cuipiam juste potest.
Nemo invidet re non agenti in prospera.
Nil aliud est, tormentum quam sui, Invidus.
Non convenit Livor cum cum virtutibus.
Non invidet major minori sed pari
Nulli invidia cara est annona in prosperis.
Nunquam Deum nulla cepit invidentia.
Opulentitatis proles invidentia est.
Parens avara sordium invidentia est.
Parum alteri, nunquam sibi, invidus nocet.

Paſci hordeo non fert equum canicula.
Penes indigentes plurimum invidentia eſt.
Plureis opes torquent alienæ quam ſuæ.
Præclara quæque rodit invidentia.
Pravoſterum judicium eſt Invidentia.
Quæ porriguntur dextera, læva haud cape.
Quod conſequi invidia haud valet illud deſpicit.
Referta ſunt nunc omnia heu invidiæ.
Rubiginem alit ferrum: fraudem odiumq; invidus.
Si pauper es nolis invidere diviti.
Simulatione turgida invidentia eſt.
Solum invidiam beneficiis gravius efferas.
Stulti invident cunctis, bonus vir nemini.
Subeunda res invidia ſolum ob maximas.
Tormenta ſua amat ſunt ſibi homines invidi.
Viri probi eſt non invidere cupiam.
Virtus ubique obnoxia invidentiæ eſt.
Vita invidiam: ipſa nil periculoſius.
Vix invidiam ulla effugerit felicitas.
Vultur cadaver quæritat, ſtigma invidus.

Invocationis

¶ APOPHTHEGM. SACRUM.

Diſypatus: Andronicus Imperator, ſævus ac crudelis inter cæteros, Diſypatum Georgium magni templi lectorem, propterea quod de Andronici ſævitia liberius eſſet quæſtus in carcerem conjecit, immani ſupplicio eum de medio tollere conſtituens: ac omnino feciſſet, niſi ſaniora conſilia & pericula quædam imminentia eum deterruiſſent. Diſypatus autē in carcere manus ad Deū extendebat, dicens, Educ è cuſtodia animam meam, ut nomē tuum prædicem: & cum Jona, Nunquid amplius ſanctum tuum templum reſpiciam? Et iterum, Deleto me Domine ex Andronici memoria: ſim ignotus apud eum omni tempore, ne recordetur nominis mei, donec è libro viventium deletus fuerit. Numen non cunctatum eſt, nec præces ejus aſpernatum, ſed illæſum Diſypatum eduxit ex carcere, Andronico paucis diebus poſt extincto. *Nicetas Choniates, annal. de rebus geſtis Andronici, lib. 1.*

Ioci.

¶ PHILOSOPHORUM.

Xenophon: Mihi vero memoratu digna eſſe videntur, quæ ab honeſtis & præſtantibus viris non tantum ſerio, ſed etiam inter jocandum aguntur. *initio Convivij.*

¶ Sententiae Poetarum.

Ariſtophanes Ranis v. 514.

Siſte gradum an tu convertas iſtud ſeriam
In rem, joco quod ex te fecerim Herculem?
Abſit: ne ineptias, mi ſerve Xanthia.

Plautus Amphitr. 3. ſc. 2. v. 31.

Cur dixiſti, inquies? ego expediam tibi:
Non edepol quo te eſſe impudicam crederem:
Verum periclitatus animum ſum tuum:
Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Equidem joco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi cauſſa: id hunc rogato Soſiam.

Plautus Amphitr. 3. ſc. 2. v. 39.

——ſi quid dictum eſt per jocum,
Non æquum eſt id te ſerio prævortier.
A. Ego illud ſcio quam animo doluerit meo.

Plautus Pœnulo 3. ſc. 1. v. 38.

Nimis iracundus es tu: equidem hæc vobis dixi per jocum,
A. Per jocum item dictū habeo quæ nos tibi reſpondimus.

Plautus Pœnulo 5. ſc. 3. v. 50.

Opinor hercle hodie quod ego dixi per jocum,
Id eventurum eſſe & ſeverum & ſerium,
Ut ha inveniantur hodie eſſe hujus filiæ.
A. Pol iſtud quid jam certum eſt

L. Annæus Seneca.

Carmina mortifero tua ſunt ſuffuſa veneno,
Et ſunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non femina dentes,
Haud puer, haud ætas undique tuta ſenis.
Vtq; furens totas immittit ſaxa per urbes
In populum: ſic tu verba maligna jacis.
Sed ſolet inſanos populus compeſcere ſanus:
Et repetunt motum ſaxa remiſſa caput.
In te nunc ſtringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Muſa furit.
Dum ſua compoſitus nondum bene concutit arma
Miles, & è noſtra lancea torta manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena jocis
Sed tu perque jocum dicis vinumq; quid ad rem,
Si plorem? riſus ſi tuus iſta facit?
Quare tolle jocos. non eſt jocus, eſſe malignum.
Nunquam ſunt grati, qui nocuere, ſales.

¶ Monosticha Trochaica.

Dicta per jocum, non æquum eſt ſerio prævortier.
Immodica offendunt, ſuaves ſunt temperata argutia.
In rebus nimis ſeveris nec jocandi ullus locus.
Lumen ingenij probi ipſo elucet & aliquod in joco.
Multa ſerio geruntur, quæ minus ſunt ſeria.
Plus ſales mordere fuerunt ſæpe quam convitia.
Quæ multum trahunt à vero ſunt odio facetiæ.
Scomma aliis creat dolores, at ſibi pericula.
Si quid dictum eſt per jocum, iniquum id ſerio prævortier.

¶ Jambica.

Adverſus miſeros minimè humanus eſt jocus.
Aliud jocus longe, aliud eſt malignitas.
Aufer jocos, nec ſeria ipſa intelligas.
In prapotentes jacta, hærent facetiæ.
Moderata ſunto, aut nulla ſunto ſcommata.
Ob ſcommata ecquis peior unquam redditus?

Iocoſe Dictorum.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

Claudius Viexmontius: Poterat ſub aliis præſens titulus contineri: at quia urbano Joco ſua elegantia & lepos non deeſt, hunc etiam ſub brevitate tranſcurrimus. Claudium Viexmontium referunt, dum confeſſionem cujuſdā excepiſſet, qui clandeſtinas dæmonis ſuggeſtiones detegere trepidabat, jocatum: *Noli tu eſſe fidelis diabolo ſecretarius, quippe qui times, ne fidem apud eum perdas, ſi peccata ab eo ſuggeſta, in confeſſione prodas.* In Inſtitut. de ſal. Pœnit. peccator.

S. Franciſcus: Cōmemorat de iſto Navarrus, quod rogatus qua perrexiſſet homicida, qui juxta eum tranſierat; manus per manicas emittens, reſpondit: *iſtac non tranſivit.* videlicet per manicas. Unde concludit cum Adriano Navarrus: Qui ſic iniquè interrogatur, poteſt optime reſpondere quod neſcit, intelligendo non eo modo ſe ſcire, quo illud dicere teneatur. *In Manuali cap. 12. num. 8.*

Ludovicus XII Gall. Rex: Lubens hunc inſero, ejuſque jocos laudo. Narrabat apud eum Alexander vir doctus, ex veterum monumentis, ſacerdotes olim ſolitos & cane & capella abſtinere: ut nō attingere modo, ſed ne nominare quidem eis liceret. & ille; *Peſſime*, inquit, *hoc ſervatur ab Alebretis filio* (erat is S.R.E. Cardinalis) *qui & capra carnibus, Biarnenſium imitatus mores, pro deliciis alitur, & agmen canum venandi gratia ſuſtentat.* Paul. Æmil. in vit.

Idem: Referenti cuidam, Valentinum Borgiam a Conſalvo contra juſiurandum retentum, & vinctum miſſum ad Ferdinandū; *Ergo*, ait, *poſt hac pro Punica Hiſpanicam fidem ſumus celebraturi.* Idem.

Alphonſus Aragon. Rex: Claruit etiam hoc dicendi lepōre Alphonsus. quo Virgiliana lectione occupato, & quidē ubi de Didonis morte agitur, dum forte terræmotus concitatus eſſet, aliis obſtupentibus, *Anne*, dicebat, *mirum vobis videtur, ſi in morte tam celebris Regina terra intremiſcat?* Panor. lib. 1. de Geſt. ejuſd.

Minacius: Quidam hoc nomine, dum aleæ jactu pecunias & veſtes perdidiſſet, nudus ante tabernam conſedit, graviter ejulans. Cui è familiaribus unus: Cur in tantum ploras? quid habes? Ille, *Nihil*, inquit. Cur ergo ploras? ſubintulit alter. *Ideo*, inquit Minacius, *quod nihil habeam.* Pog. in Facetiis.

Decoctor Anonymus.

Dum ſua Decoctor ſubeuntem limina furem
Quærere ſperatas nocte videret opes:
Nocte quid in noſtris circumſpicis ædibus? *inquit*
Hic ego nil media cernere luce queo.

Anonymus: Habebat hic ancillam obeſam & præpinguem, cui pro deliciis erat frequens uſus ſalis & vini. rogatus ille, cur ea ita perpetuo ſiſteret & excitaret ſitim; ait:

Ne caro pinguis, ſale non condita, putreſcat,
Noſtra vorat multum Phyllis obeſa ſalis.
Hinc ne concipiat duros veſica lapillos,
Se liquido ſemper perluit illa mero.

Collig. ex G. Sabini Poematib.

Iræ.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

D. Greg. Nyſſenus: Poſtquam vel verbum, vel factum, vel ſuſpicio moleſtior, minuſq; jucunda iracundiæ morbum cōmoverit, & ſanguis circa cor efferbuerit, & animus concitatus

tatus fuerit in ultionem quemadmodum fabulæ per medicamento-
ru n quandam potionem in brutorum animalium ſpecies naturam
tranſmutari fingunt: ita virum repente videre licet aprum, aut ca-
nem, aut pantheram, aut aliam quampiam ſimilium ferarum ab ira
factum eſſe. Oculi ſanguine ſuffuſi ſunt: capillus erectus ſurgit &
inhorreſcit. vox aſpera ac verbis irritata; lingua perturbatione tor-
pens, & non ſubſerviens motibus inteſtinis; labia conſtricta & non
articulatè verba exprimentia, neque cohibentia in ore præ pertur-
batione innatum humorem, ſed indecore ſpumam ſimul cum vocé
expuentia: tales manus, tales pedes, talis corporis diſpoſitio tota;
uno quoq; membro, prout animi motus fuerit, ita diſpoſito pari-
terq; affecto. *Homil. 2. de beatitudd.*

D. Greg. Nyſſenus: Vides eorum qui à Dæmone vexantur, affectus
in iis qui ab ira victi ſunt, apparere. ſanguine ſuffuſi ac diſtorti eorũ
qui à Dæmonio vexantur oculi, lingua præceps; aſpera loquela, acu-
ta ac latratui ſimilis vox. Cõmunia hæc tum irę, tum dæmoni: quaſ-
ſatio capitis, manuũ ſtolidi motus, concuſſio, & quaſi æſtuatio cor-
poris totius; pedes inſtabiles, una utriuſq; morbi per ejuſmodi acci-
dentia deſcriptio eſt. Tantum alterum ab altero variat, quod unum
quidem voluntarium malum eſt, alterum abſq; voluntate accidit,
in quibus exiſtit. At quanto miſerabilius eſt, ſi præter animi ſenten-
tiam alicui quippiam accidat, quam ſi proprio motu in calamita-
tem incidat? Ac morbum quidem ex Dæmone accidentem, ſi quis
animadverterit, non poteſt non miſerari: ex ira vero provenientem
vecordiam ſimulatque vidit, imitatur, damno ſibi ducens, ſi ſuo
morbo non ſuperaverit eum, qui prior ægrotare cœperit, &c. *Ora-
tione 7. de beatitudinibus.*

D. Chryſoſtomus: Quibuslibet de cauſis irritari, hominis eſt puſil-
lanimis, moroſi, miſeriq; : quemadmodum ex adverſo, in gravibus
cauſſis ſupinum ac negligentem eſſe, viri eſt inertis ac ſomniculoſi.
Homil. 1 ad Galatas.

Chryſoſtomus: Reconciliare ante noctem, & recens malum extin-
gue. Nam ſi nox apprehenderit; nõ poterit dies ſequens, malum no-
ctu quoq; coactum & congregatum extinguere. Sed & ſi majorem
partem reſecuerit, totum autem non poſſit; dat rurſus ſequẽti nocte,
ex eo quod eſt relictum majorem rogũ faciendum & quomodo Sol,
ſi quod erat aeris in nubem coactum & condenſatum per noctem, nõ
poterit calore diurno mollire & diſpergere occaſionem præbet tem-
peſtatis, dum nox reliquias apprehenderit, & eas rurſus aliis vapo-
ribus aluerit: ita etiam in ira. *Homil 14. ad Epheſ.*

Chryſoſtomus: Quomodo in urbem importata quædam ſæviſſima
& immaniſſima belua, quandiu quidem continetur in factis carceri-
bus, etiamſi efferetur & vociferetur, neminem poterit lædere: quan-
do verò iræ dominatus invaluerit, perfractis quæ interjecta erant re-
pagulis, & poterit exilire; omni tumultu & conturbatione replet
civitatem, & omnes abigit: Ita etiam in bili; quandiu quidem con-
tinetur ſuis animis, nobis nullum magnum facit malum: poſtquam
autem rupta, quæ eam continebat membrana, nihil vetat quo mi-
nus de cætero in univerſum diffundatur naturam, tunc, etiamſi
ſit res admodum parva in quantitate, propter exuperantem in qua-
litate virtutem, omnia alia elementa ſuo inficit vitio. Nam & inven-
to ſanguine, qui eſt propinquus & loco & qualitate efficiens acrio-
rem qui eſt in illo calorem, & quidquid eſt propinquum, ab ea quæ
eſt in humore ſymmetria & moderatione terminos tranſiliens, &
bilem reddens, his freta auxiliis deinceps etiam in alia membra bel-
lum gerit: & deinde cum omnibus ſuam indiderit amaritudinem,
mutum efficit hominem, & facit expirare, animam expellens. Cur
hæc à nobis omnia adeo exactè & accurate dicta ſunt? Ut cum ex
ſenſerit amaritudine ſenſerimus intolerabile vitium amaritudinis,
quæ cadit ſub intelligentiam, & quod toti quæ eam parit animæ,
primum affert interitum omnia ſurſum & deorſum pervertens: vi-
temus ejus experientiam. Nam quomodo ipſa totum elementum;
ita illa incenſis cogitationibus, eum qui captus fuerit abducit in ge-
hennæ barathrum. Ut hæc ergo exactè perſcrutantes hoc malum fu-
giamus, & beluam frenemus, vel potius radicitùs evellamus: pare-
amus Paulo, qui dicit: Omnis amaritudo, non expurgetur, ſed tolla-
tur à vobis. *Homil. 15. ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: An neſcis incẽdia illa eſſe graviſſima, quæ cum in-
tus alantur, non apparent ſingulis qui circumſiſtunt? & vulnera quę
non exiſtunt & non apparent ſuperficie? & febres quæ interna adu-
runt? ita etiam ira eſt gravior quæ depaſcit animam. *Homil. 15. fine,
ad Epheſios.*

Chryſoſtomus: Nihil ad ultionem æque incitatur atq; pueri ani-
mus. Nam quoniam rationis egeſtatis eſt is animi motus ac pertur-
batio: magna autem egeſtas rationis, & conſiderationis magna de-
fectio eſt in illa ætate, merito ab iræ tyrannide oppriuntur pueri, &
tanta tyrannide, ut ſæpe quum ad terram ſe alliſerint & ſurrexerint,
aut iraſcentes genu pulſent, aut ſcabellum everrant, & ita dolorem
ſedent & iram extinguant. *Homil. 5. ad Coloſſ.*

Chryſoſtomus: Scitis autem quam ſit gens Ægyptiaca ſummè ad
iram proclivis, & quæ minime ignoſcat. cum autem acceſſerit prin-
cipatus & poteſtas, major eſt ira quæ excitatur. *init. Hom. 2 ad Theſſ.*

Iſidorus Peluſiota: Multi te ut injuriarum memorem traducunt,
mali armis, hoc eſt iracundia, utentem quam Creator animæ opi-
tulatricem adhibuit, ut corporis ignaviam ac mollitiem corroboret.
Quam obrem, ſi vera loquuntur, conſtat te Creatoris ſcopum igno-
rare: ut qui & ferro ad cædem, & pulchritudine ad fraudem, & lingua
ad convitium abutaris, & bonorum datorem malorum authorem
facias. Fac igitur frænum iracundiæ quam occyſſime injicias, ne te
in exitium præcipitem agat. *lib. 1 Epiſt. 280.*

S. Iſidorus Peluſiota: Blaſphemiâ uſq; adeo clamor, & indignatio
& ira gravior eſt, ut etiam priorem hac illam magnus atq; ingenti a-
nimo præditus Paulus collocarit. Quod autem blaſphemus ille dic-
tus ſit, atq; intelligatur qui Deo contumeliam infert, nemini ũn-
quam incognitum fuit. Quare cum irâ, quæ blaſphemia gravior eſt,
& per quam omne malorum genus in mundum irrepſit, labores:
aut hanc quoq; de te, aut cum blaſphemus appellaris, mœrorem
animiq; cruciatum ne concipe. *lib. 1 Epiſt. 328.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quemadmodum vinum, cum ultra ſatietã-
tem infunditur, omnes ſenſuum meatus, ac cerebri membranas im-
plet, mentemq; in dementiam convertit: ad eundem modũ iracun-
dia extra metas ſuas proſiliens, mentem tumulentiã reddit, eam vi-
delicet furore afficiens, ac ſobrietatis & vigilantiæ ordinem per con-
tumeliam & petulantiam infringens. Quapropter ab utroq; abſti-
neamus: nec per potum aut iracundiam mentis arcem obſideamus.
lib. 1. Epiſt. 479.

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam cum iracundia rationis, quæ auri-
gæ munere fungitur, habenas infregit, hominis mentem extra natu-
ræ terminos, plerunq; tranſverſam agit: idcirco Paulus hujuſmodi
lapſui excogitata, non modo optima, ſed etiam celerrima medicina,
his verbis uſus eſt, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: hoc
eſt, antequam Sol in occaſum vergat, naturam agnoſcite, furorẽ ex-
tinguite, arrogantiam comprimite, cognationem ac propinquitatẽ,
quæ etiam feris dominatur, complectimini: ne nox interjecta mor-
bum immedicabilem efficiat. Nam tum diabolus, idoneum tempus
nactus, ea, quæ contigerunt, magis inflammat, ad ultionem irritat,
ad inimicitiã extimulat, ad acculationes excitat, injuriarũ memo-
riam parit innumeraq; hinc mala procreat. Nam quod divus Paulus
ut hæc excinderet, diſſidentes quam occiſſime inter ſe recõciliari juſ-
ſerit, ex eo patet, quod mox ſubjunxit, Nolite locum dare diabolo,
qui exiguos affectus magnos occulte reddit, eaq;, quæ facile curari
poſſunt, vix aut etiam nullo modo curabilia efficit. *lib. 2. Epiſt. 189.*

S. Iſidorus Peluſiota: Locus hic, Iraſcimini, & nolite peccare, mul-
tiplicem mihi ſenſum habere videtur. Poteſt enim & abſolute ac de-
finite intelligi, & per conſilii modum, Verbi gratia: Iraſcimini, &
quam ob cauſam iraſcimini. Quapropter ne iraſcamini, ut ne pecce-
tis. Poteſt item & illud ſignificare: Quoniam acris affectus iracundia
eſt, quæq; animã mire ſurripere queat. (perſæpe enim rationi præ-
currit, ac præter voluntatem pene procreatur) idcirco ratione, aut
inſequenti conſideratione hanc ſedate, non in ultionem prorumpẽ-
tes, ſed in lenitatem atq; clementiam deſinentes. Deniq; illud quo-
que deſignare poteſt: Iraſcamini huic affectui qui vobis moleſtus
atq; infeſtus eſt, ac præſertim voluptati: & non peccabitis. Nam ſi vos
fractos ac diſſolutos inveniat, nullo negotio vos ſuperabit: ſi autem
vigilantes ac ſobrios, ipſiq; iraſcentes, quãprimum diſcedet. Quan-
doquidem autem divinum oraculum non ſimpliciter iraſci, ſed fru-
ſtra ac temere vetuit (licet enim etiam utiliter iraſci, cum id vel ob
Dei gloriam fit, vel ob eos, quibus injuria infertur, vel ut proximi
ad meliorem mentem revocentur. Nam & Moſes, vir alioqui ſuma
lenitate præditus, in eos, qui vitulum effecerant, ira exarſit, eoſq;
funditus de medio tolli juſſit: & Phinees iis, qui ſtupri crimine ſe de-
vinxerant, natus eſt, eoſq; lancea interemit: & Elias Judæis, eoſque
fame attrivit: & Paulus Elymæ, & Petrus Ananiæ & Saphiræ, & pa-
ter filio, & magiſter diſcipulo ignavia torpenti iraſcitur: nec quiſ-
quam iracundiam hanc eſſe dixerit, verum philoſophiam & curam
ac ſolicitudinem) poteſt etiam imperandi modo exponi. Quoniam
enim cum injurias ulciſcimur, modum quoque in ulciſcendo exce-
dimus: cum autem vel de divina gloria, vel de vindicandis eorum,
qui læduntur, injuriis, agitur, tum vero cautionem & quietem fin-
gimus, mutique ac torpidi ſumus, atque ita affecti, ut nihil inter
nos & ſaxa interſit: propterea, inquit, juſte quidem iraſcamini, hoc
eſt cum vel divina gloria agitur, vel proximorum emendatio, vel
injurias aliis illatas ulciſci oportet: at nolite peccare, nimirum vel
aliena peccata, quorum conſcii eſtis, occultantes, vel ad privatas
injurias vindicandas hoc adjumento abutentes. Ob eam enim cau-
ſam nobis ira inſita eſt, non ut nos quoque peccemus, verum ut
peccantes prohibeamus: nec ut ea turbidus motus ac morbus ſit, ve-
rum ut vitioſarum affectionum medicina. Hoc autem medicamen-
tum in venenum commutamus, dum eo ad ea, quæ minime decet,
abutimur *lib 2. Epiſt. 239.*

S. Iſidorus Peluſiota: Magnopere miror, qui fiat, ut belluæ qui-
dem, quæ ſuapte natura truces & agreſtes ſunt, adhibita humana
induſtria, meliores perſæpe fiant: homo autem, qui naturalem ea-
rum feritatem in naturæ repugnantem lenitatem immutat, à natu-
rali ſua manſuetudine ac facilitate in feritatem, quæ ab ipſius natu-
ra remota eſt, degeneret: id videlicet, quod ferum & agreſte eſt, mi-
te ac placidum reddens: ſe ipſum autem, hoc eſt mitem ac manſue-
tum, ferum atque immanem reddens. Leonem enim curat, ac
lenem & placidum efficit: iracundiam autem ſuam leone truculen-
tiorem & immaniorem reddit. Atqui duo maxima impedimenta
ſe ſe illic objiciunt, alterum quod ratione careat, alterum quod feras
omnes iracundiæ ardore ſuperat. Et tamen ſapientiæ divinitus ho-
mini conceſſæ facultate ipſam quoque naturam vincit. Qui igi-
tur in belluis naturæ vim frangit, quid tandem eſt, quamobrem
ipſe in ſeipſo una cum natura voluntatis quoque ac liberi arbitrii
bonum prodit? Nam qui leoni, id quo ipſius naturam ſuperat,

largitur, idem tamen sibiip sine ea quidem, quæ ipsius naturæ consentanea sunt, servat: verum indomitas bestias in humanam nobilitatem inducere studens, se ipsum ab imperii solio deturbat, atque in illorum furorem ac rabiem præcipitem agit. Hæc ei, de quo ad me scripsisti, perpetuo accine. Sic enim fortasse, agresti iracundia devicta & cicurata, posthac cum mitissimo proborum virorum grege in gratiam rediturus est. *lib.* 3. *Epist.* 208.

S. Isidorus Pelusiota: Corporis quidem voluptates lepidæ sunt, eamque vim habent, ut hominem velut præstigiis quibusdam illiciant, ac rationem è principatu exturbent, atque omnia sursum & deorsum misceant. At si ira rationi suppetias ferat, ac tanquam stipator regi obedientem se præbeat, facili negotio illæ opprimentur. Justa enim ira adversus eas excitata minas haudquaquam sustinebunt: verum irrito conatu abibunt, victoriam rationi, quæ victrix esse debet, concedentes. Atque hoc est quod Psaltes quidem monuit, tu autem intelligere cupis. Irascimini, & nolite peccare. *lib.* 3. *Epist.* 338.

¶ Latinorum.

Orosius: Expers consilii furor dolorem virtutem putat: quantumque meditatur ira, tantum promittit audacia. *lib.* 2. *adversus Paganos cap.* 16.

Ennodius: Liberior justo iracundia, plus quam alios lacessit auctorem. *Apologo pro Synodo.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Primum ne censeamus Iram in cælo Deorumq; concilio esse. neque nos ullus poëta decipiat, tale quid nugando. nam si beati sunt Dei, quod in confesso est, dissidere certe & beatitate simul potiri nefas. atqui ira seditiones excitat; qui igitur necesse non fuerit res Deorum ab ira puras liberasque esse? Nam ipsos poëtas audimus canentes, Deos placidè vivere, non irascendo, nec sibi invicem succensendo. quomodo enim istud esset placidè vivere? Quocirca Aten Noxamque ajunt cælo excidisse, ut nihil consuetum & affine sibi apud Deos faceret. Atqui mirarer sanè si Noxam ineptam censerent ad conversandum secum, Iram tamen diligerent, ex qua non minora mala exoritura noverant. Quin istam quoque projecissent, aut unà cum illa, aut ante illam, aut statim post illam. At neutram potius expulissent: imo neque ab initio admisissent. Deorum enim fuit, opinor, providere prius quam patiendum esset, quod erat futurum. Non igitur irarum æstus hominum est, studiosorum duntaxat. Neque enim cernere est germanam colentes philosophiam ab ista perturbatione abripi: sed hunc primum sapientiæ studii fructum esse animadvertimus, alienum prorsus ab ira animum exhibere. Proinde iræ quidem incumbentem nec sermonibus philosophicis addictum, minime philosophari asseveramus. Eum autem qui superior est ira, illamque coercet, tametsi non admodum aliis in virtutibus sic exercitatus, in summo gradu collocamus. usque adeo certaminum est maximum iram vicisse videri. quæ cum aliis damnum infert, tum vel maxime cultori suo.

Consideremus id hoc modo. Pater iracundus, liberis intollerabilis est, dum contumelia afficit, trudit, ferit. ac plerique talem adversati, vagari ac medicari maluerunt, atque alienas domos sibi magis familiares duxerunt. Quod si iram à liberis in uxorem transtulit, protinus expulsam res suas habere jubet. Si pergat ad famulos, multos fecerit fugitivos; nonnullos etiam homicidas. his enim malis eximi sufficit aliis enim pœnam exposcere visum est, & nocte expectata ictuum ac flagrorum pœnas ensibus sumpsere. Præterea mulier ad iram proclivis, & viro & domo, & commodis quæ in his sunt seipsam privarit. liberi autem quod gravissimum & maxime impium est, parentes percusserunt, & accusationem instituere ausi sunt, & judices viderunt; & nusquam venia concessa est. Ira vel famulum seipsum ignorare persuasit, ut fortuna sua altius oculos & vocem tolleret: itemque manu agitata non juxta legem, pristinum & ergastulum pro egregio commento obtineret.

Ita etiam amicitiæ jura discindere consuevit, dum iratum quidem ad omne convitium induxit; contumelia vero affectum loco amici inimicum præ dolore reddens. haudquaquam enim facile est iræ effectus perferre, nec juvenibus, nec senibus, nec viris, nec mulieribus, nec ingenuis, nec servis. Vicinus iracundus, tam ruri quam in urbe magna propinquo clades. etenim ne tantillum quidem cum talibus viris quiescere licet: semper clamore, & tumultu, & convicios is verbis & rixis exagitari usu venit. quæ si nox oppresserit; dies redit pridiana ea reducens. ut æquissimum quemque oporteat, vel tacite suspirare, quod non admodum facile est, vel mutatis moribus insciè & indecorè se gerere. Idem etiam Ducem redderet inertem, & minus alacrem fidentemque exercitum: atq; illum quidem quod artem non adhibeat adversus iram: hunc quod non libenter tali ductori se committat. Graves quoque sunt adolescentium choro doctores ira perciti: cum neque illi concinnè instruere possint, animo perculsi sermonibus ira prolatis: neque isti accuratè discipli. nas percipiant: sed ægrotare se fingentes sæpe domi maneant, iram in se irrumpentem timentes. Idem quoque athleta pateretur, qui in talem ludimagistrum inciderit. Quin etiam ipse ira commotus in certaminibus, eorum loco quæ ipsi ab arte injuncta sunt, occurrentibus temerè utereturs.

Jam in nave, ira nautarum vectorumque inter se, tempestatis ac procellæ instar foret navigio. Auriga abreptus ira deteriores efficeret equos, dum cruciatibus à frenis excitatis, cogeret impingere & calcitrare. Atque in armento boum idem usuveniret ob affectum bile bubulcum. At populus ferocior & iracundior, sæpe rerū conducibilium perceptione destituitur, quando ii qui talia dicere habent, metu conticescunt; & quas pœnas ab hostibus exigere oporteret, eas à suis gaudet exposcere.

Verum ne judex quidem domesticorum bonus fuerit cum ira concertantium. non enim leges sequitur, sed animo indulget. Rex quamdiu quidem est clemens subditis, re ipsa Regis nomine dignus existit quod si truculentus iræ laxet habenas, ac proinde aliorum pecunias diripiat, alios finibus exterminet, quosdam in vincula cōjiciat, nonnullos interficiat; in Tyrannum devolvitur, quamvis id nomen abhorreat, regiumque sibi vindicet. Placet itidem mihi legatus, qui clamores, quiritationes, & fastus eorum ad quos venit non acerbè fert. qui vero exæstuat ira, cito hostibus auxiliatus abit; dum firmum rerum suarum statum debilitat, infirma autem illorum, stabilita pollere ostendit. Nam etiamsi omnibus iis, quibus optata consequi licuit, maxime comparatis advenerit, ira superveniens meditata cuncta dissipavit, eòque ipsum redegit, ut par illi sit qui nihil prorsus animo & cogitatione præceperit. *Vis asperio ira.*

Libanius: Aliena à nuptiis est ira: aliena à victimis: aliena à comessationibus: aliena à conviviis. at enim horum singula quæque in serenitate mutuaque oblectatione lætitiam constituunt. atqui ingruente ira, tumultus ac bellum unà subit; unde sibi invicem molestiam parere necesse est. Ad hæc corpore affecto ægrotantem auxilio destituit. Medicum etiam nominis celebritate privat. Enimvero si æger quidem molestum se præbeat ei qui medicamenti meminerit: medicus autem ab ægroto resiliat, doleris ob ea quæ audiverit. ille profectò opitulantem morbo nullum habuerit: hic accusatores plerosque nanciscetur, ut ægrotantis proditor. Ut quæ adeò autem hic animi æstus natura nocet iratis, ut quamvis alia omnia quæ beatitudinem efficere putantur, illis à fortuna concessa sint, ipsi tamen semetipsos infeliciores ærumnosis faciunt. Grave profecto est in mœrore animi vivere. hæc si quidem mœstitia despondere animum seque ipsum prodere cogit. hoc vero proprium eorum est qui erroris culpæve alicujus conscii sunt. atqui errare identidem, iræ opus esse arbitror. cum rationis judicium perpellitur, animique furor tyrannidem exercet. Iracundum semper vociferari necesse est. & cor quidem veluti salire & micare videri; caput autem quasi dissidere: neque puram & liquidam vocem edere posse. oculis igne rutilantibus. Plerisque etiam iræ vis vehemens, periculosi morbi initium attulit.

Ab his duntaxat solis æque divina atq; humana despiciuntur. ac modo terræ imprecantur, modo cælo. horum quoq; opificem maledictis incessunt. Et quæ vir mentis compos in sibi infensum non protulerit: ea dum leviter effutiunt in præstantiores; Jovis fulmen formidare dedignantur. Dirum est cedere lucro, & pecunias cogere unde minimè fas est. Sed enim hoc est ex aliorum detrimento, commoda augere sua. atque ira prius cultorem suum quam alios onerat mulcta. Damnosum est corporis pulchritudine capi vincique. Sic tamen affectus, primum quidem exigua diei parte cum amasio collocutus, ad præclariora opera se confert. Deinde forma quam suspiciebat detrita, morbo levatur. At qui hoc insito furoris æstu excandescit, & ubique se profligat & morte sola conquiescit. Vinolenti certe reprehensione digni sunt: & qui usque ad temulentiam crapulamque bibunt. atque illi sane, cum potui indulsêre, sunt injucundi: sed antequam biberint, tales non sunt: ut si quæ ipsos necessitas à bibendo averteret, aliis priores non essent. At irâ superatum, quæ fabrica à tam potente domina abduceret? Ceteroquin in temulentis pessimum est, quod mente depravata in iram labuntur. Ira Medeā adversus liberos armavit: Ira Procnem contra Itim, qui nihil deliquerat, instigavit: adjunxitque aliam sævitiam, dum filium patri ad cænam apposuit. Iræ acta fuere quæ Thebani patrarunt in Argivos, qui ob Cadmeam procubuerant: quando mortuos sepultura privantes sibi impietatis famam paruerunt, aliaque pericula crearunt. Achillis iram, ob quam Ilias extitit, nemo homo est qui non noverit. propter quam Achillem latuisse cernimus, atque amoribus suis imprecatum fuisse: quod hinc prima mali labes & occasio malorum nata esset. Ira Tydeo obstitit, quo minus immortalitatē adipisceretur. Ira Cambyses tot tantosque commisit errores. Ob irā Athenienſium civitas decem strenuis ducibus seipsam privavit. Et clarum illum Alexandrum, in bellis invictum, ira criminibus non parvis obnoxium statuit. Verum si quis omnes ab ira multatos recensere vellet, quæ fieri & indagari nequeunt, quærere aggrederetur. Quapropter ab hoc quidē absistam: ut vero superior sim ira, à Diis petam. *Vis superior ira.*

Libanius: Succensentium iræ adversus eos qui infensi molestique fuere, miseria eorum qui provocarunt solvuntur. *Declamatione* 14.

Libanius: Verum si filio condonaveris quod stupraverit filiā meā quia non potuerit ferre amorem: da etiam patri puellæ veniam quā iram sustinere non valuit; iram inquam, justissimam, quæ ad necessitatē vehementius instigat quā amor. Etenim hic dat consulendi spaciū & secū loquendi: ira a perturbato corde propè ad insa-

niam; commotum adigit, & donec ipsi satisfecerit, efferveſcit. hæc me ſtimulavit: hæc cunctari non permiſit; hæc me judicem fecit. ecquid enim aliis opus fuit judicibus in ejuſmodi caſu? *Declamatione 23.*

Libanius: Quando igitur nulla ex parte honeſta excuſatio longioris ægritudinis tibi relinquitur; depone odium, & lenitate iram exorna. nam qui opportune clementiam oſtendit, non ſinit iracundiam à ratione alienam eſſe videri. Sin autem quis deſinenter ſuccenſere appareat, in ſuſpicionem venit affectus in ipſo inſiti. *Orat. Patrocli ad Achillem ſupra reconciliatione cum Agamemnone.*

Simocatta: Terminos etiam marinis fluctibus ac tempeſtatibus fabricator deſcripſit, atque littoribus pelagi unda quaſi frenis arcetur, & arena quædam in exigua Epiro atque mari quaſi inter duas acies intercapedo eſt. Non enim permiſſum eſt mari ut vicinã terram affligat, Recurrit autem ad ſe ipſam unda furens, & æſtuãs maximam impreſſionem telluri minata. Terminos igitur, ô Antipater animo tuo deſigna. neque miniſtram iræ manum ſuppedita. Itaque ſi cum manibus conjunctim etiam lingua philoſophetur, is eſt perfectæ virtutis extremus terminus. Quod ſi hanc reprimere & compeſcere non potes, injuriis animum aſſuefacito, & erudito, ſi latrantibus canibus vis comparari. Sic enim etiam indignabundum mare, ultra ſpumam & fluctuationes iram non effert. *Euagoras Antipatro Ep. 4.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Odia altiſſimè ſedent, cum aliquis iis quos contempſit iraſcitur. *Declamat. 305. a. m.*

Quintilianus Senior: Cum dico iratus eſt, ſuccurrat vobis quidquid non experimentorum in civitate, ſed in ſcenis fabularum eſt: quam multa fecerit hic affectus, quam multos tranſverſos velut tempeſtate quadam egerit. *Declamat. 338. med.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Quis forte te placidum externis facilemque putabit,
O pater, in ſobolem qui tantas concipis iras?

D. Nazianzenus Carmine 54. de ſilentio.

Vtile quin etiam freno compeſcere linguam,
Cum gravior pectus concitat ira tuum.
Nam lingua domita fluctus quoq; concidit ira,
Non equidem prompte, concidit ille tamen.
Nam tu ſi tumidam linguam rapidoq; furentem
Impete conſtringas, ira moleſta cadet.
Extincto ductore fugam gravis ira capeſcit:
At citò compoſitus fluctibus unda ſilet.

Prudent. Pſychomach. 3.

——ira tumens ſpumanti fervida rictu.
Sanguinea intorquens ſuffuſo lumina felle
Vt belli ex ſortem teloq; & voce laceſſit,
Impatiensq; mora conto petit, impetit ore,
Hirſutas quatiens galeato in vertice criſtas.

Ariſtophanes Ranis. v. 1012.

Sed cave vir inclyte,
Ne ira te male impulſum,
Extra oleas rapiat.
Pro in contractis ab alto
Naviga velis, raptemq;
Promove magis magisq;:
Atq; ubi vento ſecundo
Aura conſtans
Flabit, hoc time tibi.

Plautus Aſinariæ 2. ſc. 4. v. 43.

Quam mox mihi operam das? L. ehem, optime, quamdudum tu adveniſti?
Non hercle te proſideram. quæſo ne vitio vertas
Ita iracundia obſtitit oculis.

Plautus Truculento 4. ſc. 2. v. 55.

——Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.
De nihilo eſt ei te iraſci, qua te flocci non facit.

Terentius Hecyræ 3. ſc. 1.

Non maximas quæ maximæ ſunt interdum iræ, injurias
Faciunt. nam ſæpe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,
Cum de eadem cauſa eſt iracundus factus inimiciſſimus.
Pueri inter ſeſe quam pro levibus noxiis tragerunt?
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmũ gerunt.
Itidem mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia:
Fortaſſe unum verbum hanc inter eas iram concaverit.

Terentius Hecyræ 5. ſc. 1.

Videndum eſt, ne minus propter iram hanc impetrem, quã poſſum;
At ne quid faciam plus, quod me poſt unius feciſſe ſatius ſit.

Auſonius de hyſtrice.

——Additur armis
Calliditas parcusq; ſui timor; iraq; nunquam
Prodiga telorum; cautè contenta minari,
Nec niſi ſervandæ jactus impendere vitæ.
Error abeſt; certum ſolertia deſtinat ictum,
Nil ſpatio fellente modum.

Claudianus, de iracundo.

In jaculum quodcunq; ferit dementia mutat.
Omnibus armator rabies pro cuſpide ferri.
Cuncta volant dum dextra ferox in vulnere ſævit.
Pro telo geritur quidquid ſuggeſſerit ira.

Incerti poëtæ

Iratus, recolas quod nobilis ira Leonis,
In ſibi proſtratos ſe neget eſſe feram.

¶ Apologorum.

Babriæ Περὶ Δορκάδ☉ καὶ Λέοντ☉ θυμωθέντ☉ Fab. 4.

Λέοντα Δορκὰς ὡς ἰδὲν μεμηνότα,
Ὦ μοῖρα θηρῶν, εἶπεν, ἀθλιωτάτη,
Εἰσωφρόνῳ γε, λυσκάθετ☉ εἰ Λέων,
Πῶς νῦν μανεὶς ὑ μεστὰ δακρύων δρᾷσεις.

Επιμύθιον.

Οτι ἐξεστίαν ἔχοντα ὐ δεῖ θυμοῦσθ.

De Caprea, & Leone furente.

Leonem Caprea vidit furentem,
O fatum ferarum, ait, miſerrimum,
Si compos mentis, intollerabilis es Leo,
Quomodo nunc furens nonplena facies lachrimarum?

Affabulatio.

Quod non oporteat eum, qui poteſtatem habet excandeſcere.

¶ Emblematum.

Had. Junius Emblemate 46.

Getulus Leo non ſic aliud, quam metuit
Tadam flammiuomam, quam rabies ſæva cadit,
Sidit trux animus vel facibus luciferis
Cæleſtis ſophiæ, aut ſupplicij terriculis.

Batillius. 145.

Potentiorum ira non commovenda.

Aerior ardeſcit gladio irritata, furitque
Flamma magis, quanto eſt exagitata magis.
Haud aliter ſævit laſuq; exæſtuat ignis
Regibus iratis Principibusq; viris.

Batillius. 156.

Ira cohibenda

Nec vane inſani noſtro apposuiſſe leonis
Vim ſtomacho fertur filius Iapite:
Huic adhibe frenos, hunc tu compeſce catenis.
Vel tua te prædam fecerit ira ſuam.

Camerarius 5. Centur. 2.

Viri ſuſcitat ira. *Rhinoceros ursum jactans.*

Non temere cæcam vir fortis fertur ad iram,
Iuſta ſed indignè laſſus in arma ruit.

Camerarius 10. Centur 2.

Iram prudentia vincit.

Si licet obiecto ſagulo tractare leonem,
Quid tandem eſt, iram nolle domare ſuam?

Camerarius 47. Centur. 2.

Facti fortaſſe pigebit.

Concitus ira Aper in truncum ſe reddit inermem,
Ira ultrix quoties in ſua damna ruit?

Camerarius. 47. Centur. 3.

Rabie ſuccenſa tumeſcit. *Gallinaceus Indicus.*

Quam deforme malum fervenți accenſa furore
Iraſit, iratis Indica monſtrat avis.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

David: Sapienti Abigailis oratione delinitus, dixit ei, Benedictus ſit Jehova Deus Iſraelis, qui miſit te hocipſo die obviam mihi: & benedictum conſilium tuum, benedictaque tu ipſa, quæ continuiſti me hoc ipſo die ne inirẽ cædes & vindicaret me manus mea. Nam certe ut vivit Jehova Deus Iſraelis, qui cohibuit me ne malo afficerem te, niſi feſtinans veniſſes obviam mihi, certe non relictus fuiſſet Nabali uſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. Ita David Abigailem dimiſit cum pace, &c. *Sam. 25. 32. &c.*

Salomon: Fontem iræ, id eſt iracundiam, deſcribit, Proverb. 19. 19. & 22. 24. 25. & 26. 23. & 29. 22. & 30. 33. vetat eſſe iracundum, Eccle. 7. 9. pingit iram, Proverb. 14. 17. & 27. 3. cohibenda eſt, Proverb. 12. 16. & 16. 32. & 17. 14. & 19. 11. Serit lites, Proverb. 14. 29. & 15. 18. quomodo placanda, Prov. 15. 1. & 20. 3. & 21. 14. & 21. 10.

D. Paulus Apoſtolus: Iraſcimini, inquit, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nec date locum diabolo. Epheſ. 4. 26. unde ibidem 3. 1. & Coloſ. 3. 8. & 1. Timoth. 2. 8.

D. Iacobus Apoſtolus: Sit, inquit omnis homo velox ad audiendũ, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. *Iacob. 1. 19.*

Baſilius magnus: Iracundia, inquit, eſt fervor ſanguinis qui circumfuſus eſt cordi, ex evaporatione ſuccorum conſtans: ira autem eſt libido ulſciſcendi, & viciſſim moleſtiâ afficiendi. Itaque illa celerem habet perturbationem & motionem, hæc autem diuturniorem.

Ira quid inſipientius? Si iram contineas, pudore affeciſti injuriam facientem, reipſa temperantiam oſtendens.

Ira excitat rixam, rixa parit convitia, convitia ictus, ictus vulnera, & sæpe vulnera mors consequitur.

Dum te ulciscris, & par pari refers cõvitiatori, quid excusationis habes? an quod prior ille irritat? sed istud qua venia dignum est? non enim scortator in meretricem transferens culpam quod ipsum ad peccandum invitarit, condemnationem vitat. *Anton. & Maximus Sermone de ira, &c.*

Chrysostomus: Nihil, inquit, æque mentis puritatem & animi sinceritatem turbat, ac immoderata ira quæ magno fertur impetu.

In vehementiore ira summum est adhibendum studium & cautio: est enim affectus tyrannicus. Sæpe enim non sobrios pervertit, & in barathrum exitii detrudit.

Prompta ferè per omnem vitam iræ est ægritudo.

Iracundus es? esto in peccata tua talis: objurga animum tuum, flagris cæde conscientiam, vehemens esto judex & acerbus in propriis peccatis: hoc enim est iræ lucrum: & ob hanc causam Deus eam nobis indidit.

Ubi ira fuerit, ibi non habitat Spiritus sanctus.

Si quis tibi injuriam & convitium facit, considera cruciatum quo ille cruciatur, & non solum non irasceris, verum etiam lachrimas fundes nec enim quisquam in febricitanti irascitur, inflammationem patienti, sed miseretur omnino & lachrymis eum persequitur. Quod si eum ulcisci vis, tace, & magnam periculosamque inflixisti plagã. Sin vero morsus refers convitia, ut vero existimari possint quæ in te dicuntur, tu tibi author es. Cur enim dives qui sit, si quis eum pauperem dicat, ridet? quia paupertatis non est sibi conscius. Si igitur contumelias rideremus & convitia, maximam daremus significationem eorum quæ nobis objicerentur nos non esse conscios. *Eodẽ Sermone Antonij & Maximi de ira, &c.*

Evagrius: A cibo & potu abstinens, immoderate autem ira commotus, similis est navi per mare vagant i, cujus dæmon sit gubernator. *Ibidem.*

Cyrillus: Quæ bestia tam sæva & immanis est ut iracundus & iræ immoderatæ tanquam tyranno cuidam parens? Aut quod mare adeo vehementibus ventis agitatum & impulsum ad saxa illiditur, ut homo effrenis & asper, quique nullo modo retineri potest, quin iræ pareat, & totas perturbationi habenas? *Ibidem, & Serm. de temerario, &a.*

Anonymus: Quatuor ex rebus ira nascitur: ex dandi ratione & accipiendi: ex eo quod quis suæ morem gerat voluntati: ex studio litium: & ex prudentiæ opinione. *Ibidem.*

Basilius magnus: Neque veneranda canicies, neque virtus vitæ, neque propinquitas generis, neque preterita beneficia, neque aliud tale quicquam apud iratos magni æstimatur.

Irati non prius desistunt quam per magnum & insanabile aliquod malum ira ipsorum veluti bulla erumpat, & inflammatio discutiatur vel diffletur. Neque enim gladii acies, neque ignis, neque aliud quid quam eorum quæ maxime timentur, iræ furentem animum coercere potest: non magis quam eos qui à dæmonibus occupati tenentur, à quibus irati nihil prorsus neque habitu neque animi affectione differunt. Cum enim, ulciscendi libidine, quempiam dolore afficere cupiũt, tum iis sanguis circa cor effervescit, quasi calore ignis agitatus, & ebuliens: at quum in extrema cute efflorescit, aliam iratispeciem demonstrat, familiarem & notam omnibus veluti personam in scena immutans. *Anton. & Maximus, Serm. De temerario & iracundo, &c.*

Dionysius Alexandrinus: Ira, inquit, gubernatore maxime opus habet: nam si gubernatore careat, sursum & deorsum agitata fluentibus & procellis, animam totam quasi scapham fundo carentem evertet, corpore simul everso. *Eodem Serm.*

D. Hieronymus: Irasci vini, inquit David, & nolite peccare. Hoc quid velit intelligi Apostolus plenius interpretatur, Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus non in die judicii, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum Sol testis occubuit? *Hieronymepist. ad Castoriam matert.*

Ephraim Syrus: Est memoriæ proditum, Ephraimum Syrum, vitæ & doctrinæ eximiæ monachũ, quanquam ãtea iræ moderari nõ poterat: tamen ex eo tempore quo monasticam vitam colere cœpit, nunquam visum esse à quoquam ira incensum. Itaq; cum multis diebus, uti solebat, jejunasset, minister qui ei obsonium deferebat, ollam fregit. Quem cum Ephraim videret pudore & metu perculsum: Quin bono animo es, inquit, atque eamus ad obsonium, quoniam illud ad nos non venit. Quare circiter ollæ fragmenta accumbens, cœnavit. *Sozom. eccl. hist. lib. 3. cap 15.*

Anonimus: Ob hanc causam, inquit, voluptatem illecebras amputo, ut materiam etiam præcidam iracundiæ. Etenim hanc novi pro voluptatibus perpetuo decertare, tranquillum mentis meæ statum turbare, intelligentiæ vim afferre. *Socrat. hist. eccl. l. 4. c. 18.*

Agathon abbas: Sanctè gloriatus est, se nunquam cæpisse somnũ, nisi prius & suam adversus alios, & aliorum adversum se indignationem placando sopivisset, implens illud breve quidem sed multæ perfectionis præceptum, Diverte à malo & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Eundem dicere solitum accepimus, iracundos Deo atque hominibus esse odio. Sicut enim humilitas pacem conservat, ita iracundia concitat lites & concordiam dissipat. *Marullus, lib. 3. cap. 6.*

Constantinus Magnus: In Nicena Synodo libellos supplices episcoporum privatas causas agentium non lectos spectantibus cunctis concremavit: indignum dicens, illos qui fratres essent inter se digladiari, & hæreticis ansam invadendi ovilis præbere: neq; se cõmissurum ut servos Dei judicando impius judicaretur. Sapienter equidem ãbitionem istorum, quibus nimium deferebat, extinguere conatus est. At pium Imperatoris propositum istorum petulantia superavit, justo Dei irati judicio, superbiam mercenariorum multorum severè ulciscentis. *Eusebius.*

Theodosius Imperator: Iram adeo in potestate habuit Theodosius, ut neminem eorum unquam à quibus læsus fuisset, ultus sit, neque eum quisquam succensentem viderit. atque aliquãdo ex familiaribus cuidam dicenti, neminem ab eo illorum morte mulctatum esse, qui injurii ei fuissent, respondens: Utinam, inquit, eos in vitam revocare possem, qui jam dudum mortui sunt. Ad aliũ quendam cadem prope referentem, dixit Nihil esse novi, si quis, homo quum sit, è vita excedat. Unius autem Dei esse, eum qui semel mortuus sit per pœnitentiam ad vitam revocare. *Nizeph. eccl. hist. lib. 14. cap. 3.*

Sulp. Severus: Præclara, inquit est virtus, iracundia non moveri: & ubi durior pugna, ibi glorioſior est corona. *Dialogo primo.*

Alphonsus VI. *Hispaniæ rex:* Toletum urbem deditione acceperat, incolumitatem pollicitus Saracenis, & in majore basilica religionis eorum exercitium. Interea Constantia regina cum Bernardo Archiepiscopo Toletano noctu basilicam hanc seu Mesquitam intrant, purgant, & divino cultui consecrant. Saraceni regis fidem accusare, implorare. Rex summa celeritate in urbem venit, certo cõsilio de authoribus supplicium sumendi: & quia sciebat multos intercessuros, præsentibus Saracenorum legatis juravit, nihil se eorum quæ pro Regina & Archiepiscopo peterentur facturum, Ergo Regina & Archiepiscopus Clerum & omnes religiosos cum regis filia cilicio induta præmiserunt. Quos cum Rex vidisset, descendit de equo, ut sacris solitam reverentiam exhiberet. At cum filiam conspexisset, Vah (inquit) matri comes eris in morte. filia vero, Peto ergo, inquit, ut Reginam tibi terreno regi non parentem, sed cœlesti regi fidelem simul & Archiepiscopum illico interficias. Rex tam pia sagacitate devictus ad filiam ait, Liberasti à morte matrem, sed perpetuo maritali consortio carebit. Vix verba expleverat, & vidit universos Saracenos utriusq; sexus obvios supplicantes ut Reginæ & Archiepiscopo veniam daret, asserentes, ex veteris oraculi fide id ipsum nutu divino factum esse. Ergo Rex acquievit precibus supplicantium, & lætam intravit civitatem. Mox basilicam ex Mesquita consecratam devote visitans, in medio portæ Reginam sacco indutam, & archiepiscopum pontificalibus ornatum invenit, clamantes, Peccavimus in te, ô Rex, sed oramus peccati causam, & finem respice. Rex igitur manus præsulis deosculans & reginam amplectẽs, petiit regale palatium. *Roderic. Toletan. lib. 6. rerum Hispan. & Marinaus lib. 7.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iohannes Abbas & Pesius Anachor: Iram, quam Insaniæ initium nuncupavit Ennius, in proscenium post Jocos adducimus, quod hi plerisque aliquando subitæ iracundiæ causa & fomes. Ioannes monasterii in Scythia Abbas, cum ad Pesium Anachoretam visendum venisset, ab eoque inquisivisset quantum in solitudine (in qua per annos 40. vixerat) profecisset; responsum hoc ab eo accepit: *Solomniaperlustrans, numquam meadspexit manducantem.* cui illicò adjunxit Ioannes: *Neque me iratum.* Haud minoris meriti existimans non irasci, quam corpus quotidiano jejunio atterere. Bene monet Statius *8.* Theb.

——Ne frena animo permitte calenti.
Da spatium tenuemq; moram: male cuncta ministrat
Impetus.

Marul. lib. 3. Ebor. De pace & concord.

Pastor Abbas: Mirum, quantum primores illos Eremi incolas & Anachoretas deterruit Iracundia, & ad eam proclivitas. Rogabat Pastorem familiarium quispiam, quo sensu illud Evangelii accipiendum esset, Qui irascitur fratri suo sine causa, &c. Qui justæ iræ causam definivit hoc modo: *Tum demum ex causa irascetes, si à Deo timeas separari: qui ob alias injurias irascitur, sine causa irascitur.* Quam remoti ab hoc sensu ii, quibus ob atomum excitatam bilis finditur. Ita ut

—— Arcadiæ pecuariarudere credas.

In vitiis P P. Marul. suprà.

Monachus Ægyptius: Illum prioribus subnecto, utpote ejusdem cum illis sensus. Interrogatus enim, cur in tantum se omnibus corporis voluptatibus subtraheret; respondit: *Vt hac ratione omnem Iræ causam præcidam. Ira enim ut de voluptatibus generatur, ita etiam voluptatum suppressione sopitur.* Nic. Call. lib. 11. hist. Eccl. cap. 43. ex Evagrio.

¶ Monosticha Trochaica.

Ægrotatioque longa reddit iræ obnoxios.
Ante rugit, dente sæva quam leo invadat feras.
Clausa sunt aures ei ira queis procax alte obstrepit.
Charitate amoris ignis, ignis iræ odio rubet.
Consilii recti hostis ira mentis aciem obnubilat.
Corpore immortales iras in mortali quei geras?
Est quidem boni viri ira tarda, sed gravissima est.
Expugnat patientiam omnem ingens mali insolentia.

Feminæ

Feminas inter vel unum verbulum iras concitat.
Gaudio fruitur perenni ira quem non commovet.
Haud prius quiescit ira quam malum aut det aut ferat.
Immortalem iram fovere minime mortales decet.
Impetu vesano multa vertit iracundia.
In luto qui est, effert unum si pedem, infert alterum.
Ira cogit perpetrare multa mortales mala.
Ira cum sole orta, eodem cum sole haud male occidat
Ira magnitudinem animi perdit aut mores bonos.
Ira non furit viritim, & totas gentes lancinat.
Ira nulla, certe amantum perseverat longius.
Ira plurimis nocet, cultori at maxime suo.
Ira sæpe currit ad nos; nos ad illam sapius.
Ira semper est timenda Principum minoribus.
Ira totas ades, ira tota vertit oppida.
Ira trux nobis dat robur; ira vires duplicat.
Ira tunc demum senescit ubi halstum ultimum trahit.
Ira tunc frenanda summe, cum patimur summum malum.
Iram amici sodalis fac feras; non est suus.
Iram si vetes clamare, pennas ejus amputas.
Iracundia mentiendi non habet modum suum.
Iracundia calore quod fit non statim & ratum est.
Iracundiam putato cotem fortitudinis.
Iracundiam vitare nescis? saltem temperes.
Iracundus esse non vis? ne sis curiosior.
Irrevocabilior cujusq; est ira, quo est obscurior.
Judicium sibi erspi ira sit licet prævium, haud sinit.
Justius die exsequares cuncta iratus postero.
Mansuetudinis laus summa tunc, cum ira est justissima.
Ne quidem ira captus liber est, ne dum sit ut potens.
Nec se nec suos agnoscit ira cui mala imperat.
Ira qua rationem ejurat res agit nullas bene.
Nil potest sani ingredi unde exiit ira furor.
Non adest ira decorum, non adest modestia.
Non decet mortalis iras æternas ut gerat.
Non potest dolere integre, quem ira grandior tenet.
Non regi vult; hoc habet mali omnis iracundia.
Non statim ut ventus quievit cessat undarum tumor.
Non tegit sese ira, habet sat, alterum si læserit.
Nulla adfectio est in qua non sint in ira semina.
Nulla laus est, vinci ab ira multa ea laus vincere est.
Obsidet mentem feram ira; at eruditam præterit.
Obviam qui it irascenti, eum incitat, non mitigat.
Obvium omne telum præsens irati est insania.
Optimi sunt ex quorum nil supereſt iracundia.
Parvis abjectisque ingeniis bilis atra haud accidit.
Perdit ignem ferrum candens flumini si intexeris.
Pertinacia ira honesta plus est pœnitentia.
Pessima omnium ira quæ se vindicat silentio.
Plumbea ira ditiorum, omnis plumea est.
Plus suum auctorem ira vexat, quam quibus vult pessima.
Plus turbatur pectus ira, quam Notorum vis mare.
Publico irascare iniquæ crimini; stulte tuo.
Pulchra res ira imperare, pulcra res cupidini.
Qui suam aurem præbet iræ, justa nunquam percipit.
Quidquid ira vetet, vel ipsa non care emi animæ putat.
Quo feret grave hoc, quile vius tam animo iracundo.
Sæpe iras conferre in unum publicus cogit dolor.
Sermo lenis & feralem laxet iracundiam.
Sermo mollis sopit iram, sermo durus excitat.
Si potes resistito iræ, sin minus ipsi cedito.
Si semel sapiens irasci cœperit, non desinet.
Si vetes clamare, pennas iracundiæ auferas.
Summa acerbitas est ira prorsus implacabilis.
Temperes saltem impetum iræ si cavere non potes.
Verbulum vel unum iram inter feminas concivverit.
Vt vinum sic iramentem temulentia occupat.
Vultu etsi tegas, male dissimularis iracundiam.

¶ Jambica.

Ætatibus est ira siccis fortior.
Alius facit male ira, at maxime sibi.
Alios sibi omnes ira adfectus subjicit.
Aliquando in unum conveniunt ira & timor.
Anima vel ipsa redimit ira quod petit.
Animi pusilli est, non magni iracundia.
Celerrima per iram via ad insaniam est.
Consilium in ira non habetur; est furor.
Cum sis homo, ira temperare noveris.
Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi.
Dat ipsa pœnas ira, pœnas dum exigit.
Dat ira pœnas ferme pœnas dum exigit.
Dum ladat ira, nudat ipsa se, haud tegit.
Durare nescit ira erga miserrimos.
Errata multa excusat iracundia.
Est ira sola justa quæ ira rascitur.
Et causa morborum ira pluribus fuit.
Et plurimum valet prima indignatio.
Etiam proborum suavis iracundia est.
Etiam voluptatem ira habet suam efferæ.
Expectorat cunctam ira vim prudentiæ.
Extinguere oleo ignem nequis: eum excitat.
Fel est suum formica, fel serpho suum est.
Felicitas nutricula iracundiæ est.
Generosa mens motus capit facilimos.
Homines apud se non sunt, præ iracundia.
Immodica ira est, fit parens insania.
In mortuos quoque trux est Iracundia.
In pauperem ira divitum est acerrima.
Incenditur pudore item iracundia.
Infesta aliis est ira, sibi infestissima est.
Instilla ira indoctis eloquentiam.
Inter parum nimiumque nil ira, heu, tenet.
Invictæ res ira atq; inexpugnabilis.
Ira est dolor, dolorum imo ira maximus.
Ira undiquaque suggerit quod pessimum est.
Ira ac dolori si vires ne dedere.
Iræ furentu impetum quis sustinet?
Iræ puerorum acres magis sunt quam graves.
Iræ remedium maximum dilatio est.
Iræ remedium præsentaneum mora est.
Iram esse ibi puta est ubi vox altior.
Iram facilius tollat quis quam temperet.
Iram gerere in promptu, mera insipientia est.
Iram prudenti exstinxeris absentia.
Iram retro sæpe egit misericordia.
Iras Achillis Græcia haud parvo luet.
Iras in unum publicus confert dolor.
Irascimur omnes diutius quam ladimur.
Iratus ab demente distat tempore.
Licetur ipsa vel vita ira quod cupit.
Miseria quam vis solvit iracundiam.
Multos repens peremit iracundia.
Nec ira amicum, nec inimicum respicit.
Nec pace, nec bello ira cuiquam profuit.
Nil sapienti tunc licet cum irascitur.
Nil non præceps patrat mali iracundia.
Nox vera animi, ira est, cernere verum nam vetat.
Nulli imperat diu ira cuicumque imperat.
Nunquam bene ferrum irato homini committitur.
Nunquam pluit nigra absq; nube Jupiter.
Nusquam inveni quietam excandescentiam est.
Omnes diutius irascimur, quam ladimur.
Orationem omnem ira prima rejecit.
Orationem omnem ira prima respuit.
Pene innocens est, ira nocentem quem facit.
Pericula dum vult ira inferre ipsa incidit.
Potest mederi oratio iracundiæ
Potentior ferè ira nobis quam preces.
Præceps in iram haud exitum facit bonum.
Prorumpit ira in bella ferme Principum.
Qua noceat ira, non qua caveat aspicis.
Quædam est voluptas ira excandescentia.
Qualis leæna, talis ira femina est.
Quem vicit ira, fortis haud dici potest.
Quid aliud iracundia est, quam insania?
Quid ira quaso quam initium est insaniæ?
Quis est in ira qui regi se fert sua?
Quis justa in ira vir sibi ipsi temperet?
Rationis expers ira rapitur quo libet.
Res ira vana est, destituta viribus.
Sæpe aliud usus, sæpe aliud ira expetit.
Sæpe in furorem grandis ira vertitur.
Sermo asper & remissum ad iram concitat.
Si quando Rex irascitur, quævis tremunt.
Speranda nulla ab ira gratia est bona.
Tenere in ira nemo se magna potest.
Vbi ira cunq; ibi nec umbra gaudij est.
Vincetur ira tota, carpta partibus.
Vives beatè vacuus iracundia.
Vis tollere iram? tollito arrogantiam.
Vix compos animi est qui ardet iracundia.
Vix quispiam ira indulget absq; insania.
Vix sunt apud sese homines præ iracundia.
Virtutis ira calcar est, sed improbum.

Itineris.

¶ Sententiae Graecorum.

Xenophon: Tu tamen mi Chrysanta, inquit, ita jam ne feceris, quemadmodum nonnunquam venandi studio facere consueviſti. Nam in somnis totam sæpe noctem in hoc negotio exigis. At nunc militi modice capiundi somni facultas est concedenda

denda. Neque vero, quia tu montes pererras, etiamsi neminem hominum ducem itineris habeas, cursu sequi solitus quacunque feræ præcesserint, idcirco nunc etiam per loca penetratu difficilia sic iter feceris: sed impera ducibus, ut nisi aliqua longe brevissima via fuerit, perfacillima ducant. Nam exercitui via facillima celerrima est. Neve item, quia tu montes cursu pervagari es adsuefactus, jam quoque curriculo præveris: sed festinatione mediocri præcedito, quo sequi te possit exercitus. Etiam bonum fuerit, quosdam ex robustissimis, & inprimis alacribus interdum cohortandi causa subsistere: quumq; cornu processerit, incitandis ad festinandum aliis multum momenti adferet, si gradatim incedentibus his, omnes illi currere videantur. Hæc quum Chrysantas audisset, ad elationem incenso Cyri mandatis animo duces itineris accipit: atque abiens, quum iis, qui profecturi cum ipso erant, faciunda imperasset, quieti se dedit. Quumque tantum somni cepissent, quantum ad mediocritaem satis esse videbatur, ad montes perrexit. *lib. 2. Cyropædiæ c. 35.*

Xenephon: Nos cum equis & viris quibusq; valentissimis, trium dierum commeatu instructi, pergamus. Quando quidem levius & utilius nos oneraverimus, tanto sequentibus hisce diebus proximis jucundius & pransuri, & cœnaturi, & dormituri sumus. Nunc vero iter hoc modo instituamus. Primum tu Chrysanta loricatos ducito, quando plana & lata via est: cohortiumque præfecti omnes in fronte tibi sunto, & cohors quælibet ita procedito, ut singuli singulis succedant. Quippe catervatim & celerrime & tutissime iter fecerimus. Loricatos ea de caussa præire jubeo, quod exercitus ea pars maxime gravis sit. Gravissima vero si præeant, facilius omnia sequantur necesse est, quæ leviora sunt. Quod si pars expeditissima noctu præeat, mirum non est, divelli copias. Tunc enim id quod prima est in acie, celerius aufugit.

Post hos Artabazus Persas, qui cetrati sunt, & sagitarii, ducat: post eos Andramias Medus, peditatum Meditum: post eos peditatum Armeniorum, Embas: post eos, Artuchas Hyrcanios: post eos, Thambradas peditatum è Sacis: post eos, Damatas Caduſios. Atq; omnes hi sic ducant, ut cohortium præfectos in fronte habeant, cetratos ad dextram, ad lævam agminis sui sagitarios. Nam si hoc modo incedant, etiam paratiores quemlibet ad usum fuerint. Post hos, inquit, calones cum impedimentis omnium sequantur, quorum præfecti dent operam, ut omnes convasent prius omnia, quā somnum capiant, ac mane cum impedimentis loco constituto adsint, & ordine sequantur. Post impedimenta Persas equites Madatas Persa ducat, & centuriones equitum itidem in fronte habeat. Quilibet autem centurio cohortem ducat singulatim, perinde atque peditum etiam præfecti faciunt. Post hos Rambacas Medus equites itidem suos, & post eos tu Tigranes tuas equestres copias. Reliqui deinde magistri equitum ducant eos, cum quibus ad nos quisque venit Secundum hos Sacæ ducunto. Caduſii quemadmodum ultimi venerunt, ita etiam postremo sint in agmine: tuque Alceuna ductor eorum studiose curam gerito in hoc quidem tempore omnium, qui ultimo sunt in agmine. neque permittito, ut quisquam equites tuos sequatur.

Date vero etiam operam vos præfecti, & omnes, qui sapitis, ut cum silentio progrediamini. Quippe noctu magis auribus, quam, oculis, singula tum percipi, tum agi oportet. Quin & majoris res est negotii, sedatuque difficilior, si perturbatio noctu incidat, quam interdiu. Quapropter & silentium teneri diligenter, & ordines servari necesse est. Nocturnæ vero excubiæ, quoties noctu castra movenda vobis erunt, semper quam brevissimæ constituendæ sunt, & frequentes: ne cui vigiliæ in excubiis, si diuturniores sint, in itinere noceant. Quum autem proficiscendi tempus erit, cornu signum est dandum. Deinde singuli à necessariis rebus instructi, ad viam Babylonem versus ineundam adeste. Quisquis vero progredi cœperit, semper à tergo iter faciendum hortetur. *cap. 26. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Nocte media cornu signum est datum. Quumque Cyrus Chrysantæ dixisset, illum in itinere mansurum ante exercitum: adparitoribus suis secum sumptis, egrediebatur. Paulo post aderat Chrysantas, & loricatos ducebat. Itaque Cyrus datis ei ducibus itineris pedetentim ut pergeret, jussit: donec nuntius adesset. nec tum enim viam omnes ingressi erāt. ipse consistens eodem in loco, quemlibet advenientem ordine progredi jubebat: cunctantem vero, missis nuntiis, arcessecat. Quum omnes essent in itinere, misit equites ad Chrysantam, qui omnes in viam jam esse nunciarent: utque propterea celerius ducendo progrederetur. Ipse profectus equo ad partem anteriorem, tacitus ordines inspectabat: & quos quidem composite & cum silentio videbat incedere, ad eos adequitans, quinam essent, interrogabat: eoque cognito, illos collaudabat: sin quosdam tumultuari animadverteret, comperta rei caussa motum sedare nitebatur. Restat indicanda ejus adhuc una cura diligentiaque nocturna, quod ante copias universas pedites quosdam expeditos, eosque non multos præmisit, qui & conspicerentur à Chrysanta, & Chrysantā conspicerent: ut auribus captando, & alio quodam modo si persentiscere aliquid possent. Chrysantæ significarent, quidquid offerre occasio videretur. Erat autem quidam, qui his præfectus imperabat, & eos instruebat. Ac si quid esset operæ prætium, significabat: sin autem, indicando minime molestus erat. Et nocte quidem hac iter hoc modo fecerunt. Quum vero illuxisset, quosdam Caduſiorum equites propterea, quod eorum pedites ultimi pergerent, apud eosdem reliquit: ne ab equitibus hi nudi progrederentur: reliquos in anteriorem partem prætervehi jussit, versus quam & hostes erant: ut si quid uspiam ei se opponeret, eum instructo robore occurrens dimicaret: sin alicubi conspecti essent, qui fugerent, ut quam expeditissime persequerētur. Et erant apud eū semper instructi, si persequendum esset, qui persequi deberent: & quibus esset apud eum manendum. Nam universos ordines dissolvi nunquam patiebatur. Hoc modo Cyrus exercitum ducebat. Neq; tamen ipse uno tantum loco utebatur, sed alias alibi circumvectus inspectabat, ac si quo esset opus, id curabat. Sic ergo Cyri agmen pergebat. *cap. 28. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Quum vero pergens in itinere Babiloniorum urbem adspiceret, atq; ei via qua incedebat, ducere propter urbis ipsa mœnia videretur: arcessito Gobrya, Gadataq;, aliane via esset, interrogabat: ut tam prope ad mœnia non accederent. Et Gobryas: Sunt, inquit, mi domine, permultæ quidem viæ: sed existimabam equidem, te quam proxime jam ad urbem ducere velle, quo ipsis commonstrares, exercitum tibi nunc & numerosum esse, & præclarum. Nam quum is etiam minor esset, ad murum ipsum accessisti, & nos illi haud multos numero spectabant. Nunc tametsi paratus sit Assyrius, quemadmodum ajebat, ad paratum ab se fieri ad pugnam: scio futurum, ut si copias tuas conspexerit, imparata ipsi sua videantur. Ad hæc Cyrus ait: Videris mihi, mi Gobrya, mirari: quod id temporis, quo multo cum minori exercitu veni, ad ipsa usque mœnia duxerim: nunc majoribus copiis instrnctus, ducere sub muros nolim. Verum id tibi mirum ne sit, ait. Non enim idem est adducere, & præterducere. Omnes enim sic instructas copias adducunt, uti se quam optime pugnaturos arbitrantur: at qui sapiunt, sic abducunt, ut quam tutissime, non quam celerrime abscedant. In prætereundo autem, exporrigi plaustra necesse, & impedimenta quoque cetera multum laxari: atque hæc omnia tegi armatis, nec uspiam impedimenta hostibus ab armis nuda conspici. Sic vero procedentibus copiis, necesse est aptos pugnæ milites juxta debiles & imbecillos collocari. Si ergo velint ex munitione conferti hostes in aliquos prætereuntes impetum facere, ubicunque tamdem manus conserent, multo validiores erunt in conflictu, quam qui prætereunt. Præterea quum longum agmen trahitur, etiam subsidia ferri non nisi lōgo ex intervallo possunt: qui vero extra munitionem erumpunt, brevi spatio ad illos, qui prope absunt, & excurrere possunt, & rursus absedere. Quod si non minori ex intervallo præteribimus, quam ex quo nos conspecturi sunt, & uti nunc extensis ordinibus procedimus: multitudinem illi nostram conspicient, & omnis multitudo propter armatos adtextos formidabilis adparet. Quod si nobis hoc modo incedentibus, tacitè nos invadent: quia multò eos ante prospicimus, imparati minimè deprehendemur. Quin potius ne quidem nos adgredientur, quum ipsis procul à muro erit recedēdum: nisi secum universis copiis suis futuros toto exercitu nostro superiores, existimaverint. Nam receptus, res quædam est plena formidinis. Quæ quum dixisset, visus est iis, qui aderant, recte dicere, & Gobryas ita, uti jusserat, ducebat. quumque præteriret urbem exercitus, sic abscedebatur: ut semper Cyrus postremum agmen firmius efficeret. *cap. 38. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Quibus illi auditis, ad iter se comparabant: Cyro sacris operam dante. His ubi ritè litatum esset, motis castris, cum exercitu progredi cœpit. Ac primo quidem die metatus est castra loco, quam potuit proximo: ut si quis alicujus rei esset oblitus, eam inquireret: & si quis esse sibi re aliqua opus animadverteret, eam adhuc sibi compararet. Et Cyaxares quidem cum tertia parte Medorum remansit, ut domi solitudo non esset. Cyrus quam celerrimè poterat, faciebat iter, primo equitibus loco tributo; ante quos & exploratores & speculatores semper ulteriora in loca, quæ ad speculandum essent commodissima, præmittebat. Hos impedimenta sequebantur, & in planicie quidem multos plaustrorum & impedimentorum globos faciebat. Hos à tergo sequebatur phalanx, ut si quid impedimentorum à tergo relinqueretur, præfecti supervenientes curarent, ut in progressu non impedirentur. Sicubi vero angustior erat via, milites armati receptis in medium impedimentis, hinc & illinc incedebant: ac si quod his obstaculum alicubi objiceretur, milites alii ad ea loca delati sua his opera non deerant. Plerumque vero sic cohortes iter faciebant, ut impedimenta sua apud se haberent. Nam clitellariis omnibus erat imperatum, ut quisque propter cohortem suam progrederetur, nisi quid rei necessariæ impediret. Atq; etiam clitellarius quisque præibat, ac signum centurionis sui habebat, quod militibus ejusdem cohortis notum esset. Itaque catervatim faciebant iter, & vehementer in hoc intentus erat quilibet, ne qui suorum à tergo relinquerentur. Quod quum facerent, necesse non erat, ut mutuo se quærerent: & omnia præsto, magisq; salva erant: & ea, quibus esset opus, citius milites habebant.

Ceterum speculatores antegressi, quum viderentur in planicie videre quosdam, qui pabulum & lingna sumerent, & aspicerent itidem jumenta, quæ hujusmodi alia portarent, atque interim pascerentur: & remotiora loca intuendo, animadvertere sibi viderentur vel fumum, vel pulverem in sublime ferri: de his omnibus intelligébant, hostium copias alicubi esse in propinquo. Itaque speculatorum præfectus statim quemdam mittit, qui Cyro ista nunciaret. Is ubi hæc audisset, jussit, ut illis ipsis in speculis manerent, ac quidquid semper novi conspicerent, sibi renunciarent. Præterea equitum cohorte ulterius missa, darent operam mandat, ut quosdam illorū in ea planicie comprehenderent, quo certius id, quod esset, cognosci posset. Ac faciebant hoc illi, quibus id erat negotii datum. Cyrus

ipse

ipse copias reliquas ibidem subsistere jussit, ut præparent ea, quibus opus esse arbitrabatur, antequam omnino congrederentur. Primum vero edixit, uti prandérent: deinde ut suis in ordinibus manerent, ac providerent, quid imperaretur. Pransi quum essent, equitum peditum, curruum duces, atque etiam machinarum, impedimentorum, plaustrorum præfectos convocavit. Hi dum convenirent, interea qui in planiciem excurrerant, homines comprehensos adducebant. Quumque à Cyro interrogarentur ii, qui capti erant: ajebant se hostium ex castris esse, ac processisse, partim pabulatum, partim lignatum, prætergressos primas excubias. Etenim propter exercitus multitudinem omnium esse penuriam. Quibus auditis Cyrus: Et quanto, inquit, intervallo hinc exercitus abest? Parasangas duas, ajunt illi. Hinc Cyrus: An de nobis erat, inquit, apud ipsos aliquis rumor? Erat profecto, inquiunt, & quidem magnus: nimirum ita vos advenire, ut jam prope abessetis. Quid igitur? ait Cyrus, quum id audirent, an gaudebant? Quod quidem eorum causa quærebat, qui aderunt. Non profecto, respondent illi, non sane gaudebant, sed admodum etiam anxii erant. Jam vero, ait Cyrus, quid rerum agunt? Delectus eorum habetur, inquiunt, atq; in hoc tum heri, tum nudiustertius etiam occupati fuerunt. *cap.* 17. *& seqq. lib.* 6. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Quum alius diceret Socrati se longo itinere conficiundo defessum esse: num quid oneris gestasset, interrogabat. Minime, ait, præter vestem. Num solus ibas, an & pedisequus te comitabatur? Comitabatur, inquit. Vacuus erat ille, an quid gestabat? Gestabat, inquit, tum stragula, tum alia vasa. Et quo pacto is, ait, itinere perfunctus est? Melius me, inquit, uti quidem mihi videtur. Quid ergo? subjecit Socrates, si tibi gestandum fuisset ipsius onus, quo te pacto nunc adfectum putares? Male profecto, inquit. Immo ne gestare quidem id potuissem. At tanto minus laboris perferre te posse, quam puer possit tuus, qui tibi esse viri videtur exercitati?

Xenophon: Rursus quum quidam iter ad Olympiam reformidaret: Quamobrem, inquit Socrates, profectionem hanc metuis? An non etiam domi totum fere diem obambulas? Ita quoque dum eo proficiscens ambulaveris, prandebis: quumque rursus ambulaveris, cœnabis & quiesces. An nescis te, si ambulationes, quibus quinq; vel sex diebus uteris, extendas, facile Athenis Olympiam venturum? Atque etiam gratius erit, si uno die præcipies iter, quam si serius eas. Nam cogi quem, ut itinera, quam par sit, longiora faciat, molestum est: at unum diem amplius in itinere cõsumere, magnam recreationem adfert. Quo fit, ut potius sit festinandum in faciundo itineris initio, quam ipsa in via. *cap.* 36. *lib.* 3. *Memorab.*

Lysias: Nequaquam igitur horum vestigia vobis insequenda sunt, quos ab itinere recto videtis aberrasse. *cap.* 7. *Orationis* 24. *de populari statu.*

Onosander: Si quando per angustias, aut prærupta & avia loca ducendus exercitus; perutile erit, copias nonnullas præmittere, montium verticibus, angustiarumque faucibus præoccupandis, ne si prius illic hostes consederint, transitionem arceant. Quod etiam observandum, si hostium metuetur impressio. Nam utile quidem est, aliquid semper in illos moliri ac tentare; sed ab illis quoque cavere plane necessarium est. Nec solum Imperator invadendis hostium finibus avidè imminere debet, sed providè suos etiam, ne usurpentur, occludere. *cap.* 7. *Strategici.*

Heliodorus: Quando quidem immensum intervallum, ad terram quæ speratur à nobis, conficiendum restat; age notas aliquas componamus, per quas & præsentes arcana cognoscemus, & si quando ut sejungamur acciderit, absentes nos vestigabimus mutuò. Bonum est enim erroris compendium, amicorum tessera, quæ inventionis causa asservatur. Collaudabat hæc Chariclia, & visum est, si à se invicem separarentur, ut templis aut statuis insignibus, hermis & lapidibus in triviis, Theagenes quidem Pythicus, Charicha verò Pythias inscriberent, ad dextram an ad sinistram abierit, ad hanc urbem, pagum aut gentem, diem insuper & horam exprimentes. Quod si convenirent, sufficere quidem ut alter ab altero tantum conspiciatur, nullum enim tempus obscurare in illorum animabus amatorias notiones posse. Attamen Chariclia paternum annulum secum expositum ostendebat: cicatricem autem in genu, ex vulnere inflicto à silvestri sue Theagenes. Porro verborum tesseras, illa quidem facem, hic palmam ut haberet, inter se constituerunt. *lib.* 5. *rerum Æthiopic.*

Heliodorus: Nihil est periculi cum inermi iter facere ei qui gladium habeat, & sit munitus armis. *lib. Æthiop.* 2.

Philostratus: Jucundius ambulabimus, si nos confabulationes aliquæ deduxerint. *lib.* 8. *Apollonii cap.* 5.

Leo Imperator: Ubi in vestra ipsorum ditione cum exercitu iter fit, militibus præcipiendum est, ut neque prædentur neque populentur terram. Multitudo enim militum si quando licentiam habeat, solutè in omnia irruit: objecta enim antè oculos præda, ad cupiditatem inescatur. Ex quo fit, ut vestri sæpe vobis inimici atque adversarii sint.

2. Ne tardes in vestra cum exercitu ditione commorando, cum jam in hostilem terram irruere decreveris: nam & proprias fruges absumes, & amicos magis quam inimicos lædes. Celeriter igitur copias traducito, idque potissimum si in frugiferam & fructuosam hostium regionem irrupturus es.

3. Frequentem exercitum, nisi hostes immineant, in unum locum ne cogas: otiosi enim milites ad seditiones & perversas cogitationes se adjungunt.

4. Sin usus aliquis hoc requirat, vel adnomii, id est, nominum describendorum causa, vel alicujus alterius rei gratia, ut cogantur in unum milites quanta maxima celeritate potes, copias vel divide vel exerce, & in rebus bellicis occupatos tene, quemadmodum in capite De exercendis militibus, præscripsimus. Otium enim & desidia, insolitas atque intemperantes fere cogitationes pariunt.

5. Si bellum expectes, in acie exercitus instructus prodeat, sive per drungos, id est, cohortes milliarias, sive per turmas, sive per integras acies iter faciat. Nam in acie esse milites non solum in hostili terra, sed etiam in sua, perutile est, & tutiores eos, magisq; exercitos reddit.

6. Unumquenque drungum seu cohortem milliariam assuefacito, ut illorum impedimenta à tergo eam sequantur, cum privatis & suis insignibus, neque aliena admisceantur. Quando enim in nostra regione hostes neque adsunt neque expectantur, vel drungatim vel turmatim ambulent, nec in unum locum conducantur, ut ne fame premantur, neq; facile ab hostium speculatoribus numerentur, & pastus jumentorum omnes exedant.

7. Propinquis jam hostibus, ante sex vel septem aut etiam decem dierum pugnam, cumq; propè castra ponuntur, si in ignota loca iter faciendum sit, neq; indigenæ ductores adfuerint, metatores sive mensuratores præmittes ut loca anticipent, si nullus hostium timor impendeat, qui castrorum ambitum ante unum diem dimetiantur, in quo castra ponentur, & certam quandam mensuram cum proportione justa unicuiq; turmæ tribuant.

8. Idem faciunt & anticensores: horum etiam officium est, aquarum pastionumq; vim & copiam advertere.

9. Si per aspera admodum loca iter futurum est, aut præcipitia, aut per avia & condensa loca, aliquot ex exercitu præpara & præmitte, qui quoad fieri potest planam & directam viam efficiant, ut ne equi affligantur. Hi qui ad hoc negotium asciti sunt, neq; speculationibus, neq; ullis aliis muneribus faciendis interviant.

10. Prodeunte exercitu, primus ante eas tu universi exercitus imperator: & anteeas honoris tui causa, propter multorum timorem, cum universa expeditione tua & cohortibus tuis: extrema autem omnium impedimenta tua eant.

11. Ad hunc modum unusquisque tum turmarcha, tum drungarius, id est, tribunus minor prodeat, hanc aciem servans, sive conjunctè omnes ambulent, sive seorsim. In fluviorum transitionibus aut aliorum ignotorum locorum, antecessores præmitte, qui prius loca explorent, eaq; qualia sint nuncient, ut quibusdam idoneis Præfectis statim præmissis, diligenter asserues transitum.

12. Sin admodum lubrica difficiliaq; loca fuerint, teipsum oportet primum eò transire, deinde ibi consistere & commorari, donec omnes sine offensione transierint.

13. Hoc enim virum nobilissimum & clarissimum patrem nostrum Regem Basilium fecisse cognovimus, quando contra Germanitiam Syriæ civitatem copias duxerat, & Paradisum fluvium anticiparat, qui lampadibus in medio constitutis, ipse sua ipsius præsentia atque ope, universum exercitum facile & sine offensione traduxit, qui sæpe manum illis afflictis porrexerat, & quosdam ex periculis eripuit.

14. Hæc, si hostes non immineant, Imperator facies: sin propè fuerint, tum in propria statione permaneas. Unusquisque autem præfectus suiipsius cohortis aut turmæ curam suscipiet, donec omnes qui sub imperio ejus fuerint, transeant, ut ne alius alium antevertendo, se mutuò perturbent atq; affligant: tum enim fortassis aliqua incommoda orientur.

15. Quando autem per regionem aliquam transieris quæ sub ditione nostra est, parcas & faveas agris cultis: idemq; militibus præcipe, sive loca culta & vitibus consita, sive horti fuerint, ne per medium horum locorum transeant, ut ex legibus præscriptisq; nostris municipes atq; agricolæ illæsi conserventur.

16. Si fieri potest ut per inculta loca eas, illuc longo intervallo transi. Sin necessitas ipsa urgeat ut per hæc eas, uniuscujusq; turmæ præfectis præcipies, ut ibi consistant, & cautionem diligentem adhibeant, donec omnes milites qui sub illorum potestate sunt, transierint, & præfecto tum proximo loca hæc illæsa tradant, sicq; discedant.

17. Similiter etiam proximus illi faciet, & unusquisq; etiam præfectus ordine suo: sic & ordinis conservatio tum tua, tum præfectorum, tum militum adhibebitur, & agricolæ fructus illæsus erit.

18. Quando imminere labor belli, vel difficilis & in omes partes circumspiciendus transitus esse videtur, si feræ aut mansuetæ bestiæ occurrerint, aut in conspectu illorum prodierint, venatione & insectatione illarum milites tuos prohibebis: magna enim turba, magnusq; clamor ex eo esset, & equi illorum sine ulla necessitate affligerentur.

19. Quando pacis tempus, & nulla belli expectatio est, tunc venatio admodum utilis militibus est.

20. Si parvum exercitum contra hostes duxeris, per habitata loca ne ducas, neq; in tua neq; in hostium regione, ne forte speculatores facile advertant, & hostibus nuncient: sed per alia quædam loca incognita eos ducas: idq; in tua ipsius ditione facies, si quando exercitum ducis.

21. Quando per hoſtilem terram iter facit exercitus tuus, incende, vaſta, populare terram illorum, nam pecuniarum egeſtas frugumq; inopia, hoſtes imbecilliores, bellumq; infirmius facit: quemadmodum contrà iſtarum rerum affluentia, illorum vim incitat contra nos, atq; adauget.

22. Si longo tempore in hoſtili terra commoraturus es, tot taliaque vaſtato, quo qualiumq; tu non egebis Ad exercitus tui ſumptus quod neceſſarium erit reſervabis.

23. Quando omnes copias coegeris ſimul, neque in noſtra ditione, neque in ulla regione ſub imperium noſtrum ſubjecta diu præſtolare: nam & noſtras fruges vaſtabis, & amicos magis quam inimicos lædes. Celeriter autem, ſi aliquod periculum impendeat, à noſtra ditione ad hoſtilem terram traducito: nam ſi fuerit ea opima, fertilis ac locuples, ubertatem commeatus & cæterarum rerum affluentiam habebis: ſin ejuſmodi non fuerit, tuam tamen integram conſervabis, & multa in hoſtili terra, quanquam admodum fructuoſa non ſit, ad alendum tamen exercitum idonea invenies.

24. Ubi in hoſtili terra fueris, haud permittes milites tuos ad omnem prædam inordinatè excurrere: ſæpe enim ab hoſtib. circumventi, magnas & graves clades accipient.

25. In tua ipſius terra cum exercitu proficiſcens, cogitabis de annona & mercimoniis, tum terra tum mari, ut ad vos ſine incommodo perveniant: tum enim copioſe & affluenter ea omnia, quorum in exercitu aliquis uſus eſt, ad vos aſportabunt.

26. Quando per anguſtias aliquas, aut per arduos avioſque montes profecturus es, præmitte ex tuis qui juga montium & loca ibi æditiſſima occupent, & qui aditus anguſtos & minus patentes, quas clauſuras nominant, anticipent, ne hoſtibus prævertentibus, & in ipſis anguſtiarum faucibus & montium faſtigiis conſidentibus, vel iter omnino impediatur, vel ſine magna offenſione confici non poſſit.

27. Hoc idem etiam tu provide, ſi quando hoſtilem incurſionem in tuam regionem futuram formidas: aliqua enim militum manu ad anguſtias occupandas miſſa, illos aditu prohibebis, & permulta incommoda illis afferes.

28. Si longum aliquod iter, & multorum dierum viam tum in tua, tum in hoſtili regione confecturus es, primum aſſuefacito milites, ut in regione tua dum ſint, ordinem ſuum in manipulis, quæ contubernia quoque vocantur, & ſtationem teneant, antegredientes ſequantur, ut hoſtilem in terram cum venerint, & nec opinatis de improviſo incurſionibus appetiti ſint, minus tumultuentur, & alii ad alios confuſe accurrentes, ſibiipſis nullo præſidio ſint, ſed ab hoſtibus multa mala tum propter ſui perturbationem, tum propter hoſtium impetum accipiant. Conſueta enim hac ordinis conſervatione, tum ad res omnes ſuſcipiendas erunt idonei, tum ad bellum ipſum parati, præſertim ſi ſignum aliquod habeant, & aſpectu ipſi ſe inter ſe agnoſcant.

29. Per anguſtias tales quam minime potes ducito exercitum, ſed per ſpatioſa loca, in quibus non prementur anguſtiis locorum implicati, ſed ubi à latere produci in longitudinem poſſunt: facilè enim inſidiis circumveniri, & hoſtium ſubito interventu opprimi poſſunt, qui ita locis incluſi ſunt, ut ad aliquid præclarum ſuſcipiendum impediantur.

30. Si enim ex adverſo hoſtes veniant latius inſtructis copiis, facile fundentur & diſſipabuntur tui, quemadmodum cum in bello ab hoſtibus circuncluſi eſtis.

31. Sin à latere per medias copias hoſtes incurrant, facilè diſtrahuntur & ſeparantur copiæ. Quod ſi ad phalangem redire voluerint, & utrinq; quaſi aciem inſtruere, infirmum tum prælium erit, quia confeſtim hoc ab illis fieri non poteſt.

32. Sin à tergo invadant, æque præſens periculum eſt, ac fuiſſet ſi eos qui in fronte ſunt invaſiſſent.

33. Quod ſi aliquod ſubſidium eſſe contingat, inutile tamen illud atque inefficax erit. Nam cum qui à tergo ſunt opem ferre iis ſtudent qui in fronte collocantur, aut contra qui in fronte ſunt, iis qui à tergo ſunt ſuccurrere volunt, tarda tamen & ſera progreſſio hæc ſolet eſſe, ac plerunque inutilis.

34. Exercitus contractus & quadratus, aut non ita multum oblongus, ad omnem occaſionem atque eventum firmus, utilis atque tutus eſt.

35. Sæpe enim non contractis, ſed diſſipatis copiis, qui primi è montoſis locis in campeſtres deſcendunt, animo hæſitant ac perturbantur, atque eos quos à tergo vident, hoſtes eſſe putant, ut ad confligendum cum ſuis quaſi cum hoſtibus ſe præparent, atque etiam ad manus conſerendas & bellum inferendum pene veniant.

36. Impedimenta univerſa, operas, ſarcinas, atq; omnem apparatum in mediis copiis collocato.

37. Si à tergo aliquam hoſtium incurſionem vel videas vel metuas, eos qui à tergo ſunt æque firmos & paratos facito, atq; eos qui in fronte collocati antegrediuntur, atque ad ea quæ uſu venire poſſunt æque inſtructos.

38. Præmittes etiam ad loca exploranda equites quoſdam, præſertim ſi ſylvoſa ſint, aut collibus aut montibus incluſa, per quæ tranſeundum eſt. Sæpe enim hoſtium latentes inſidiæ, ſummam rerum labefactant & dejiciunt.

39. Nam campeſtribus & planis locis, oculis omnia luſtrare poſſunt. Et pulvis magnis interdiu excitatus, aut ignes & faces noctu accenſæ, hoſtium ſæpe adventum produnt.

40. Si ad pugnam milites tuos producere volueris, duc eos interdiu ſolum: ſin celeriter contendere, & hoſtium expectationem antevertere cupias, noctu quoque eos ducas; ſi id fieri tuto poſſe videbitur.

41. Ante belli tempus remiſſe ac pedetentim incedito: ubi hoſtes in conſpectum prope venerint, cum celeritate quadam inſtructis copiis in illos irruito: longa enim ſæpe ante pugnam de bello cogitatio, fortium virorum animos langueſcere facit, & animi ſolitudo vires corporis plerunq; abſumit.

42. Anguſtas & difficiles in hoſtium regionibus vias ſi longæ admodum fuerint, tamen pedites facile tranſire ſine moleſtia poſſunt: de qua re paulo poſt loquemur.

43. Equites in hoſtili regione, meſſis potiſſimum tempore, incircumſpecte temereq; vagari latius, niſi id neceſſitas requirat, minime permittimus. Quod ſi locus aliquis fuerit ad unius miliaris longitudinem, in quo pedites ire poſſunt, deſcendant tum equites, & libere pedibus eant.

44. Anguſta & difficilia loca ea nomino, quæ unam tantam viã & tranſitum habent. Sin plures ſint aut fieri poterunt, tranſitus ſatis bonus eſſe putandus eſt.

45. Si opportune difficilia quædam atque anguſta loca tranſiiſti, per quæ tibi iterum redeundum eſt, ſi condenſa & ſylvoſa fuerint, & non immenſæ alicujus longitudinis, primo tranſitus tui, quoad ejus fieri poteſt, cæde, purga, dilata locum: ſin arduus præcepiſque locus fuerit, quique latior reddi non poteſt, præmitte aliquos, quemadmodum ante dictum eſt, ex peditibus, qui eum locum occupent; homines ſatis multos atque idoneos, aut ſi uſus ferat, equites qui ad reditum tuum ea loca reſervent & cuſtodiant. Vel ſi quando neceſſitas exigit, utrunq; facias, id eſt, cæde, purga, & ſubſidia ibi idonea relinquito.

46. Qui iter per anguſta loca cum tuldo, id eſt, impedimentis, vel aliqua cum præda faciunt, in duas partes ſive acies ſe dividant, & in alterum cornu acuminata deductione procedant. Acuminata autem deductio, id eſt, ὀξεῖα παραγωγὴ dicitur, cum in fronte exilis parvaque multitudo ſint, dein latius ſe ad extremum agmen fundat, atque ibi latiſſime pateat. Hoc autem faciunt maxime, cum præda in manibus illorum eſt. Si pedites fuerint, facilius illis iter tranſituſq; expeditior per ea loca erit. Sin equites, ex equis deſcendant, & medium tuldum, id eſt, impedimenta reliquumq; apparatum in medio habeant.

47. Talibus in temporibus & locis diphalangia, id eſt, duplicata acie ex juſto hominum numero, tum ante tum retro quaſi ancipitis gladii acie inſtructa, ſi qui ſuperſint, ii ad tuldum ſive impedimenta, & ad prædam, ſi quam habent, conſervandam deligantur, iique multi & boni aptiſti, id eſt, rerum caſtrenſium cuſtodes quatuor in partibus duplicatæ aciei, quemadmodum locus poſtulat, collocentur, & ſequantur ea, ut repellant atque abigant eos, qui ad auferenda aut diſturbanda impedimenta invadunt, ut integra minimeque perturbata ad cuſtodiam prædæ atque impedimentorum collocata acies conſervetur, neque ab incurſoribus iſtis perfringatur: fieri enim non poteſt, ut qui in diphalangia, id eſt, duplicata acie inſtructi ſunt, ſimul ordine conſervato, impedimenta & prædam cuſtodiant, & cum hoſtibus dimicent. Quocirca quatuor in partibus collocare oportet homines, præter hanc diphalangiam, & à tergo potiſſimum, qui fortiſſimi ſunt, ſic enim facile aſpera quævis atq; avia loca tranſiri poſſunt.

48. Equitum, ubi deſcenderint & pedibus ambulaverint, equos, ſi pedites alii prope non adfuerint, longe ab illis in medio quodam loco ſepara, neſi prope eſſent, & inopinatus quidam timor ſubito impenderet, ad equos ibi ſtatim qui in acie jam ſunt accurrerent: quæ res ſine magna certe offenſione fieri non poſſet.

49. Sin captivos aut prædam aliquam abigant, & hoſtes eos perſequantur, captivos, vinctos, reliquamque prædam illigatam in unam aut duas partes divides, & ante te hoſtibus objicies, quà incurſionem hoſtium fore putas, ut illis quaſi ſcuto aut propugnaculo uſus, hoſtes jaculando abſtineant: aut ſi id facere nolint, tamen captivos & prædam potius feriant quam milites.

50. Si neceſſitate aliqua, aut improviſo aliquo caſu, vel anguſtiis incluſus vel aliqua perturbatione implicitus fueris, unde teipſum ſine aliquo ingenti periculo expedire non poſſis, melius eſt communi conſenſione, vel partem prædæ, vel totam etiam prædam hoſtibus dimittere, & ſecure ſine damno diſcedere, potius quam prædæ, cauſa in aliquod periculum venire.

51. Sin hoc modo tecum ad pactionem venire noluerint, tum captivos ipſos in hoſtium conſpectu trucidabis, atque adeo vel in eo loco tibi permanendum, & regio undiq; populanda vaſtandaq; eſt, vel ſaluti tuæ conſulendum, & acie inſtructa de exitu & evaſione cogitandum eſt.

52. Omnino hoc conſilium in primis tibi ſequendum eſt, ne exercitum aliquo admirabili atque inopinato labore in iis anguſtiis, quæ potiſſimum aliquem longitudine viæ habent, meſſis tempore propter ſylvæ denſitatem exerceas, ſi hoſtes tum te perturbent, niſi ſi forte prius vel illos repuleris, vel ſumma illius loci juga milites tui occupaverint.

53. In equestri itinere & planis campestribusq; locis, antè & pòst equites ad speculandum constituendi sunt, atque extra eos nullus peditum sit.

54. Castra, id est, aplicta prope illos sint, ne longum spatium si discesserint, pedites conspiciantur.

55. Currus peditum ordine quodam procedant, sive post singulas turmas, sive post singula contubernia: post dextrum cornu primò, deinde post sinistrum, tum post sinistrum medium, & deinceps post dextrum medium: neque confusi aut permisti currus ambulent.

56. Si propè hostes fuerint, singuli armati arma gestent, neq; ea in curribus relinquant, ut sint ad prælium parati: & in periculosis temporibus omnes res ita instructæ sint, ac si in ipsa acie essent, ut si nec confusè nec inordinatè prodeant, ubi acies instruenda sit, in promptu atque in procinctu sint.

57. Si multi hostium fuerint equites, & ii prope ad te accedant, ne propterea castra transferas, & novum iterante bellum commissum suscipias, sed tres aut quatuor dies ante conflictationem ipsam, castra in eo loco pone ubi pugnaturus es, & ibi tutò te ad illud tempus collocato.

58. Si incursionem in hostilem terram cum peditatu facturus es, idque per condensa atque angusta loca, quamvis in eo loco pugna gravis futura sit, neque magnum equitatum, neque multa impedimenta, neque multa arma tecum feras, ut loricia, id est, galeas, cassides, clibania, id est, thoraces, sed scuta scutati solum habeant & contaria, id est, hastas longas, & spathas, & tzicuria. Leves autem habeant scuta parva, rhictaria, jacula, tzicuria parva, & si quid aliud tale leve atque expeditum est. Secures multas habere in sagmariis, id est sarcinis, ad omnem usum paratas oportet.

59. Pedestrem scutatorum aciem non directè solùm in fronte collocabis, quemadmodum in planis expositusq; locis, sed in duas aut quatuor partes divides eos, id est, unumquodq; contubernium ad duorum vel quatuor hominum altitudinem, pro ratione multitudinis tuæ, & pro usu præsente: partes autem istæ divisæ, & a se separatæ, procedant ad unius lapidis jactum.

60. Sin equites & tuldum sive impedimenta quoque ibi affuerint, impedimenta statim post pedites locabis, deinde equites post impedimenta: à tergo equitum quidam scutati leves collocabuntur, ad extremas partes defendendas, adversus omnes nec opinatas incursiones.

61. Leves alios emittes ex acie usque ad unius signi numerum, cum paucis equitibus: alios ad latera hinc atque illinc collocabis, ad pervidendum & explorandum, num aliquæ ibi insidiæ sint positæ, & ad arbores circumcirca tam idoneè cedendas, ut manibus, si quando tum usus tulerit, in transitum hostium dejectæ, aditu in angustiis atq; itinere illos prohibeant, & magnum negotium transgredi festinantibus faceſſant.

62. Ad hæc perlustrare cum levibus & paucis equitibus, & hostium insidias, si quæ in via collocatæ sint, repellere, & tum aciem instructam illac deducere oportet.

63. Ubi rariora & laxiora loca fuerint, equites & speculatores anticipent: ubi condensa & aspera, tum pedites ea occupent.

64. Leves non in frontem directè, quemadmodum scutatos, sed per duos aut tres, aut quatuor leves jaculatores cum scutis suis locabis, ut tempore hoc desiderante, tum protegere scutis, tum jaculari etiam possint: unumq; sagittarium singuli hi minuti manipuli habeant, quibus cæteri bene conservabuntur.

65. Tales drungos, id est, cohortes milliarias non una in acie, vel directè duces, sed ordine altius atque altius incedent, ut tergora antegredientium sequentes defendant. Quod si contingat anterioribus, ut ab hostibus retardentur, & propter difficultatem loci admodum vexentur, tum isti à tergo de improviso intervenientes, & altiore in loco quam hostes sunt positi, suis succurrant. Necesse enim levibus semper est, ut adversum inimicos altiora loca anticipent.

66. Levibus etiam præcipies, ut longius ab acie quam buccina exaudiri potest, ne discedant: auxilio enim destituti admodum premerentur.

67. Quatuor partibus in fronte ad eundum collocatis, si locus tam anguitus sit ut per eum ita transire nequeant, duas partes in diphalangiam conferes.

68. Sin ne duas quidem partes spacium loci capiat, tum unam partem quasi integram aciem ad cornu procedere faciant, reliquis levibus ita uti ante dixi collocatis.

69. Postquam angustias loci transierint, tum quemadmodum ante fecerunt, in quatuor partes ad cornu, id est, anteriorem frontem procedant.

70. Si multitudo hostium adventaverit vel ante vel ad latus, in quam partem videris hostes se velle convertere, eam partem ad frontem, ad aciei initium deducito: hoc est, si ad lævam aciei appareant, hac summa parte aciei in ipsa acie consistent, moveant se reliquæ tres partes, & suis in locis ordinatè juxta hanc partem semper instruantur.

71. Sin ad dextram venerint, eædem reliquæ partes vultus suos vertentes consistant.

72. Si ante medias partes sive unam sive duas hostes venerint, vel in dextram partem declinantium, vel ad frontem venientium, reliquæ tum duæ partes venientes similiter instruantur, & acies in frontem obliquata fiet.

73. Si magnitudo loci permittat pedites sic hostes suos invadere, ut equites quoq; hostes suos circundare possint, recte est: sin minus, hæc acies instructa densataq; eat.

74. Armatorum sive scutatorum contubernia rara & alta facere oportet, ut objectas arbores facile transeat, & si opus fuerit densari possint.

75. Si locus eos non capiet, universa tum acies instructa consistet & leves quidam adversus hostes procedent, & adjumento illis erunt scutati aliquot atq; equites qui proxime fuerint.

76. Præcipies autem, quando adventantibus, quemadmodum fere fit, clamor fieri solet, ne tum misceant se milites & ad illam occurrant partem, sed scutati suam teneant stationem, leves autem contra clamantem hostem excurrant. Neque tamen qui in anteriore parte sunt, ad latera decurrant, neque qui in lateribus sunt, ad cornua contendant, sine præfectorum imperio: sed unumquodque latus suis, hoc clamoris tempore, si usus sic ferat, succurrat, ut si premantur, ad scutatorum aciem se referant, ne ab hostibus lædantur.

77. Tuta igitur peditum & idonea itinera esse possunt, si, ut prædiximus, in condensis asperisq; locis ad cornu, id est, ad longitudinem quandam angustiorem instruantur, sive quatuor partes, sive duas solas loci amplitudo capiat: in laxioribus autem & magis spatiosis locis, & ad frontem acie in latum porrecta, & laxioribus latitudine contuberniis, altitudine densioribus.

78. Illud pro certo teneas, in condensis locis eos qui rhictaria sive menaula, id est, jacula longiora manu conjiciunt, magis necessarios esse sagittariis ac funditoribus, atq; ideo multi leves exercendi ad hæc tela sive jacula manu conjicienda sunt.

79. Sagittarii in acie instructa præstabiliores sunt, & in asperis, arduis, angustis atque expositis in locis.

80. Jaculatores extra aciem instructam, in condensis locis utilissimi sunt. Atque hæc itineribus faciendis diligenter observanda sunt.

81. Priusquam omnes castra posuerint, aciem neque pedestrem neq; equestrem dissolvas, neq; priusquam fossatum undiq; munitum sit, & speculatores exierint.

82. Præcipies autem ut perfectè cognoscant buccinæ sonum, ut ubi consistere eos jubet, consistant: & ubi alia buccina procedere eos imperat, procedant. Ad hunc igitur modum de itinere exercitus faciendo disputatum sit. Restat ut de tuldo sive impedimentis pauca dicerà nus.

1. Tuldi sive impedimentorum cura tibi suscipienda est: neque enim temerè ac fortuito disiicienda sunt, sed ubicunq; relinquuntur, in tuto sunt collocanda.

2. Neque rursum in bello in circunspectè ducatur: persæpe enim militum administri, persæpe liberi atque cognati, quos charos habent, cum tuldo sunt. Quod nisi in tuto sit, anxietate animorum sæpe vexantur milites, & solicitudine in diversas partes distrahuntur.

3. Unicuique enim prudenti viro præter suum ipsius damnum, dolori est etiam inimici prosperitas. Itaq; cum suum ipsius damnum oculis intuetur, vel omnino bello abstinet, vel ad pugnandum languidior fit.

4. In primis autem congregato tuldo, & publico jam prælio imminente, multitudinem palicariorum, id est, eorum qui præfectis & militibus operam dant, eo deducere non consulo, neq; in sua terra bello expectato, neq; in aliena: sed pauci sint, iiq; quantum fieri potest firmiter muniti.

5. Totidem autem retineas, quot ad singula contubernia administranda & jumenta gubernanda satis sint. Id fiet tum ad varietatem illorum cognoscendam, tum ad acierum rationem percipiendam, ne jumenta perturbatè confusa, sumptus importunos & perturbationes varias adferant.

6. Hos tempore prælii, si pedestris acies non adfuerit, ac reliquos qui ad tuldi custodiam constituuntur, cum ea oportet relinquere, sive in sua, sive in aliena terra bellum geratur. Tutissimum autem est hos in bello esse, quemadmodum postea dicemus ubi de aplicto, id est, castris, verba facimus.

7. Ipsa autem sagmaria, id est, sarcinas reliquosq; apparatus, quæ andrestа vocant, cum ipso tuldo relinques.

8. In incursionibus reliquisq; invasionibus hæc teneant secum milites, & usq; ad diem ipsum belli committendi bene munita habeant ac roborata.

9. Ipso conflictationis tempore andrestum, id est, apparatum prope habere minime necessarium est, sed in fossato sive castris relinquatur. Persæpe enim tumultu aliquo facto, animis concidunt, si pauca palicaria, id est, pauci ex administris capti fuerint.

10. Sin pedestris acies adfuerit sive in regione tua, sive in inter capedine inter tuam & hostilem terram, ubi bellum sine ulla dilatione aut intermissione futurum est, ad aliquem firmum locum, ubi & pastiones & aquæ futuræ sunt, triginta aut quinquaginta millibus ab eo loco inutile tuldum & superfluum relinquito, & supervacanea jumenta reliquaq; arma quæ ipso belli tempore utilia non erunt, omnia traduces.

11. Quoſdam in medio intervallo tuldi & prælii collocabis, homines notos omnibus, neq; obſcuros, neq; ſceleratos, eoſq; in media via inſtrues. Illos præfecto tuldi (ſemper enim peculiarem aliquem præfectum habere debent) oſtendes qui ſint, ut in belli exitu ſignificari illi poſſint, utrumne manendum in illo loco, an ad aliquem munitiorem locum procedendum, an potius ad exercitum commigrandum illis ſit.

12. Proficiſcentes ad prælium à tuldo ſagmaria auferant, & ſagmam duplicem, aut duplicem tentam, id eſt, duplex tentorium, alterum quidem pro integumento, ſi uſus ferat, alterum pro tenta ſive camarda habeant.

13. Commeatus paxamadii ſive biſcocti, aut alterius cujuſquam expeditæ rei habeas viginti aut triginta libras, & tum caſtra ponas quocunque volueris loco & foſſato, quando ad præliandum cum hoſtibus contendunt.

14. Foſſatum vel lapidum vel laterum aggere etiam munias, quanquam ad unum ſolum diem ibi commoraturus es.

15. Unumquodq; bandum, id eſt, cohors, fœnum aut paleas unius diei ſecum circumferant, ut ſi, quod uſu venire poteſt, aliqua offenſio belli cõtingat, ſi vel redeat exercitus ab eo loco, vel ibi permaneat, habeat tamen jumentis ſuis unius diei pabulum: neque in tanto belli ardore vel ad paſtionem ire, vel fœnum ſecare, quibus rebus lædi ab hoſtibus poſſent, vel vagari & circuncurſare ad pabulum cõparandum, hoſtib. jam imminentibus, vel diſcedere jam, in tanta hominum jumentorumq; fame & miſeria, atque adeo interire cogantur.

16. Si diſcedat exercitus tuus, nulliuſq; rei indigeat, exures fœnum, omneſq; fruges agrorum, & ſic proficiſceris, propter hoſtes, qui poſt te venturi timentur.

17. In omni itinere, hoſtib. imminentibus, in medio exercitus tui tuldum habeas, ne ſi aliquo rejiciuntur, ab hoſtibus invadantur

18. In itinere, quemadmodum ſupra præſcripſimus, non confuſe milites & permiſtè cum tuldo ambulent, ſed diſtinctè & ſeparatim, ut poſt turmam ſuam tuldum cum viris ad id conſtitutis, quos cuplictos nominant, ſeorſim procedat.

19. Habeat autem tuldum, quemadmodum antè memoravimus ſeparatum aliquem præfectũ, qui univerſum illud gubernet & dirigat in omnes partes: ante univerſum exercitum, ſi ex hoſtili terra diſcedis: poſt univerſas copias, ſi hoſtilẽ regionem invadis: hinc aut illinc, ſi alicui è lateribus times: in medio, ſi omnia tibi æquè ſuſpecta ſint. Atq; hæc de tuldo ſive impedimentis, paucis tibi explicavimus, ſive in currib. inter pedites, ſive in ſarcinis inter equites, ſive aliqua quapiam præparatione in permiſta turba, ut nulla ex parte, quoad ejus fieri potuit, aliquid abeſſet. *cap.* 10. *rei tactica.*

¶ Romanorum.

Vegetius: Qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt plura in itineribus, quam in ipſa acie pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes & hoſtẽ cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minus armatus minuſq; attentus eſt miles, & ſuperveniente impetu vel fraude repente turbatur. Ideoq; omni cura, omniq; diligentia providere debet dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel ſi nõ facile, at ſine damno repellat illatum. Primum itineraria omnium regionum, in quib. bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta: ita ut locorum intervalla, non ſolum paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina, ad ſinẽ deſcripta conſideret: uſq; eo, ut ſolertiores duces, itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tãtum adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolum conſilio mentis, verum aſpectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis locorumq; gnaris, ſeparatim debet univerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Præterea ſub periculo eligendarum viarum duces idoneos, ſcienteſq; percipere, eoſq; cuſtodiæ mancipare, addita pœnæ oſtentatione vel præmii. Erunt enim utiles, cum intelligent, nec fugiendi ſibi copiam ſupereſſe, & fidei præmium, perfidiæ parata ſupplicia. Providendum quoq;, ut ſapientes exercitatiq; quærantur, ne duorum aut trium error diſcrimen pariat univerſis. Interdum autem imperita ruſticitas plura promittit, & credit ſe ſcire quæ neſcit. Sed cautelæ caput eſt, ut per quæ loca vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus, ignoretur. Tutiſſimum namq; in expeditionibus creditur, facienda ab hoſtibus neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet. Securum iter agitur, quod agendum hoſtes minime ſuſpicantur. Verum, quia exploratores altrinſecus miſſi, profectionem ſuſpicionib. vel oculis deprehendunt, & interdum transfugæ proditoreſq; non deſunt, quemadmodum occurri ingruentibus debeat, intimetur. Dux cum agmine exercitus profecturus, fideliſſimos, argutiſſimoſque cum equis probatiſſimis mittat, qui loca, per quæ iter faciendum eſt, in progreſſu, & à tergo, dextra, levaque, perluſtrent, ne aliquas adverſarii moliantur inſidias. Tutius autem operantur exploratores, noctibus quam diebus. Nam quodammodo ipſe ſui proditor invenitur, cujus ſpeculator fuerit ab adverſariis deprehenſus. Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites: impedimenta, ſagittarii, calones, vehiculaq; in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum ſubſequatur. Nam ambulantibus, interdum quidem à fronte, ſed frequentius à tergo ſuperventus infertur. A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda ſunt. Nam inſidiatores tranſverſos frequenter incurſant. Illud quoque præcipuè ſervandum eſt, ut ea pars, ad quam hoſtis venturus creditur, oppoſitis lectiſſimis equitibus, & levi armatura, necnon etiam peditibus ſagittariis, muniatur. Quod ſi undique circumfunduntur inimici, undique debent præparata eſſe ſubſidia. Ne vero repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi ſunt milites, ut parati ſint animo, ut arma in manibus habeant, ne neceſſitate ſubita terreantur: proviſa enim non ſolent eſſe formidini. Antiqui diligentiſſimè præcavebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & ſagittariis clamore pavefactis, pugnantes milites turbarentur: ne diſperſi longius aut conglobati amplius, quam expedit, impedirent ſuos, hoſtibuſque prodeſſent. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta ſub quibuſdam ſignis ordinanda duxerunt. Denique ex ipſis calonibus (quos galearios vocant) idoneos ac peritos uſu legebant, quos non amplius quam ducentis ſagiſſariis pueriſq; præficerent. Hiſque vexilla dabant, ut ſcirent ad quæ ſigna deberent impedimenta colligere. Sed pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo dividuntur, ne conſtipati lædantur in prœlio, ambulante exercitu. Ut locorum varietas advenerit, ita deſcriptionis ratio varietur. Nam in campis patentibus equites magis ſolent impugnare, quam pedites. At vero in locis ſilveſtribus vel montuoſis, ſive paluſtribus pedeſtres magis formidandæ ſunt copiæ. Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis feſtinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies, aut certe tenuetur. Continuo enim hoſtes inter prolata pervadunt. Interponendi ergo ſunt exercitatiſſimi campidoctores, vicarii, vel tribuni, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes accelerare compellant. Nam qui multum præceſſerint, ſuperventu facto, non tam redire, quam effugere cupiunt. Qui vero extremi ſunt, deſerti à ſuis vi hoſtium ac propria deſperatione ſuperantur. Sciendum etiam, quod adverſarii in his locis quę ſibi oportuna intelligunt, ſubſeſſas occultius collocant, vel aperto Marte impetum faciunt. Sed ne ſecreta noceant, ducis præſtat induſtria, quem omnia prius convenit explorare. Deprehenſa quoq; ſubſeſſa, ſi circumveniatur utiliter, plus periculi ſuſtinet, quam parabat inferre. Aperta autem vis ſi præparetur in montibus, altiora loca præmiſſis ſunt præſidiis occupanda, ut cum hoſtis advenerit, reperiatur inferior, nec audeat obviare, cum tam à fronte quam ſupra caput ſuum cernat armatos. Quod ſi anguſtæ ſint viæ, ſed tamen tutæ, melius eſt præcedere cum ſecuribus ac dolabris milites, & cuni labore vias aperire, quam in optimo itinere periculum ſuſtinere. Præterea noſſe debemus hoſtium conſuetudinem: utrum nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, laſſis ſupervenire conſueverint. & id vitare quod illos facturos ex more putamus. Jam vero utrum peditibus, an equitibus, utrum contatis, an ſagittariis amplius valeant, utrum numero hominum, an armorum munitione præcellant, ſcire nos convenit: & ordinare quod nobis utile, illis docetur adverſum. Tractare quoque, per diem, an per noctem iter expediat inchoare: quanta locorum intervalla ſint, ad quæ cupimus pervenire: ne æſtate aquæ penuria obſit euntibus, ne hyeme difficiles aut inviæ occurrant paludes, majoreſque torrentes: & impedito itinere circumveniatur exercitus, priusquam ad deſtinata perveniat. Ut noſtra commoditas eſt, ſapienter iſta vitare: ita ſi adverſariorum imperitia vel diſſimulatio occaſionem nobis dederit, non oportet dimitti, ſed explorare ſollicitè, proditores, ac transfugas invitare, ut quid hoſtis moliatur, in præſenti, vel in futurum poſſimus agnoſcere: paratiſq; equitibus ac levi armatura ambulantes eoſdem clam, vel pabula victumq; quærentes improviſo terrore decipere. *lib. 3. de re militari cap. 6.*

Frontinus: Æmilius Paulus Coſ. cum in Lucanos juxta littus anguſto itinere exercitum duceret, & Tarentini ei claſſe inſidiati, agmẽ ejus ſcorpionibus aggreſſi eſſent, captivis latera euntium prætexuit, quorum reſpectu hoſtes inhibuere tela.

Ageſilaus Lacedæmonius, cum præda onuſtus ex Phrygia rediret, inſequerenturque hoſtes, & ad locorum opportunitatem laceſſerent agmen ejus, ordinem captivorum ab utroque latere exercitus ſui applicuit: quibus dum parcitur ab hoſte, ſpacium tranſeundi habuerunt Lacedæmonii. Idem tenentibus anguſtias Thebanis, per quas tranſire habebat, flexit iter, quaſi Thebas contenderet: exterritis Thebanis digreſſiſq; ad tutanda mœnia, repetitum iter, quod deſtinaverat emenſus eſt, nullo obſiſtente.

Nicoſtratus dux Ætolorum adverſus Epirotas, cum ei aditus in fines eorum anguſti fierent, per alterum locum irrupturum ſe oſtendens, omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciem remanentis exercitus præberent, & ipſe cum cætera manu, qua non expectabatur aditus, intravit.

Autophradates Perſes, cum in Piſidiam exercitum duceret, & anguſtias quasdam Piſidæ occuparent, ſimulata vexatione trajiciendi, inſtituit reducere: quod cum Piſidæ credidiſſent, ille nocte validiſſimam manum ad eundum locum occupandum præmiſit, ac poſtero die totum trajecit exercitum.

Philippus Macedonum rex Græciam petens, cum Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Ætolorum veniſſent acturi de pace, retentis eis, ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit, ſecuriſq; cuſtodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas trajecit.

Iphicra-

Iphicrates dux Athenienſium, adverſus Anaxibiũ Lacedæmoniũ in Helleſponto circa Abydon, cum tranſducendum exercitum haberet per loca, quæ ſtationibus hoſtium tenebantur, alterum aũt latus ejus tranſitus abſciſſi montes premerent, alterum mare ablueret, aliquandiu moratus, cũ incidiſſet frigidior ſolito dies, & ob hoc nemini ſuſpectus, delegit firmiſſimos quoſq; : quib. oleo ac mero calefactis, præcepit ut ipſam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita cuſtodes anguſtiarum inopinatus oppreſſit à tergo.

C. Pompeius cum flumen tranſire propter oppoſitum exercitum hoſtiũ non poſſet, aſſiduè producere & reducere in caſtra inſtituit: deinde in eandem perſuaſionem hoſte perducto, ne ullam viam ad greſſum Romanorũ teneret, repente impetu facto tranſitum rapuit.

Alexander Macedo, prohibente rege Indorum Poro trajici exercitum per flumen Hydaſpem, adverſus aquã aſſiduè procurrere juſſit ſuos: & ubi eo more exercitationis aſſecutus eſt, ut Poro adverſa ripa caveretur, per ſuperiorem partẽ ſubitò trãſmiſit exercitum. Idemq; Indi fluminis trajectu prohibitus ab hoſte, diverſis locis in flumine equites inſtituit immittere, & tranſitũ minari: cumq; expectatione barbaros teneret intentos, inſulam paulo remotiorem, primum exiguo, deinde majore præſidio occupavit, atq, inde in ulteriorem ripam tranſmiſit. Ad quam manum opprimendã, cum univerſi ſe hoſtes effudiſſent, ipſe liberovado tranſgreſſus, omnes copias cõjunxit.

Xenophon, ulteriorẽ ripam Armeniis tenentibus, duos juſſit quæri aditus: & cum à citeriore repulſus eſſet, tranſiit ad ſuperiorem. Inde quoq; prohibitus hoſtium occurſu, repetiit vadum inferius, juſſa ibidem militũ parte ſubſiſtere, ex qua cum Armenii ad inferioris vadi tutelã rediiſſent, per ſuperius tranſgrederetur. Armenii credentes decurſuros omnes, decepti ſunt à remanentibus. Hi cum reſiſtente nullo vadum ſuperaſſent, tranſeuntiũ ſuorum fuere propugnatores

P. Claudius Coſ. primo bello Punico, cum à Rhegio Meſſanam trajicere militem nequiret, cuſtodientibus fretum Pœnis, ſparſit rumorem, quaſi bellum injuſſu populi incœptũ gerere nõ poſſet, claſſemq; Italiam verſus ſe agere ſimulavit: digreſſis deinde Pœnis, qui ſemq; Italiam verſus ſe agere ſimulavit: digreſſis deinde Pœnis, qui profectioni ejus habuerant fidẽ, circumactas naves appulit Siciliæ.

Lacedæmoniorum duces, cum Syracuſas navigare deſtinaſſent, & Pœnorum diſpoſitam penitus claſſem timerent, decem punicas, naves, quas captivas habebant, veluti victrices, primas juſſerunt agi à latere junctis ac puppe religatis aliis qua ſpecie deceptis Pœnis, tranſierunt.

Philippus cum anguſtias maris, quæ Cyaneæ appellantur, tranſ navigare propter Athen. claſſem, quæ opportunitatem loci cuſtodiebat, non poſſet, ſcripſit Antipatro Thraciam rebellare, præſidiis quæ ibi reliquerat, interceptis, ut ſequeretur omiſſis omnib. quæ epiſtolę ut interciperentur ab hoſte, curavit. Athenienſes arcana Macedonũ excepiſſe viſi, claſſem abduxerũt. Philippus nullo prohibente anguſtias fretis liberavit. Idem quia Cherroneſum, quæ juris Athen. erat, occupare prohiberetur, tenentibus tranſitum non Bizantiorum tantum, ſed Rhodiorum quoq;, & Chiorũ navibus, conciliavit animos eorũm reddendo naves, quas ceperat, quaſi ſequeſtres futuros ordinandæ pacis inter ſe atque Byzantios, qui cauſa belli erant: tractaq; per magnum tempus poſtulatione, cũ de induſtria ſubinde aliquid in conditionibus retexeret, claſſem per id tempus præparavit: eaq; in anguſtias freti imparato hoſte ſubito evaſit.

Chabrias Athenienſis, cum adire portum Samiorum, obſtante navali hoſtium præſidio, non poſſet, paucas è ſuis navib. præter portũ miſſas, juſſit tranſire, arbitratus, qui in ſtatione erant, perſecuturos: hiſq; per hoc conſilium evocatis, nullo obſtante portum cum reliqua adeptus eſt claſſe. *lib. 1. Strat ag. cap. 4.*

Idem: Q. Sertorius in Hiſpania, cum à tergo inſtante hoſte flumen trajicere haberet, vallum in ripa ejus in modum cavæ lunæ duxit, & onerãtum mãteriis incendit, atq; ita excluſis hoſtibus fluvium liberè tranſgreſſus eſt.

Similiter Pelopidas Thebanus, bello Theſſalico tranſitum quæſivit, namq; caſtris ampliorem locum ſupra ripam amplexus, vallum cervolis, & alio materiæ genere conſtructum incendit: dumq; ignibus ſubmoverentur hoſtes, ipſe fluvium ſuperavit.

Q. Luctatius Catulus, cum à Cymbris pulſus unam ſpem ſalutis haberet, ſi flumen liberaſſet, cujus ripam hoſtes tenebãt: in proximo monte copias oſtendit, tanquã ibi caſtra poſiturus: ac præcepit ſuis, ne ſarcinas ſolverent, aut onera deponerẽt, ne quis ab ordinibus, aut ſignis diſcederet: & quo magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in conſpectu erigi juſſit, igneſq; fieri, & quoſdam vallum ſtruere, quoſdam in lignationem, ut conſpicerentur exire: quod Cymbri verè agi exiſtimãtes, & ipſi caſtris delegerunt locum: diſperſiq; in proximos agros ad comparanda ea, quæ neceſſaria ſunt manſuris, occaſionem dederunt Catulo non ſolum flumen trajicendi, ſed etiam caſtra eorum infeſtandi.

Crœſus, cum Halim vado tranſire non poſſet, neque navium aut pontis faciendi copiam haberet, foſſa ſuperiori parte poſt caſtra deducta, alveum fluminis à tergo exercitus ſui reddidit.

Cn. Pompeius, Brunduſii, cum excedere Italia & transferre bellũ propoſuiſſet, inſtante à tergo Cæſare, conſcenſurus claſſem, quaſdã obſtruxit vias, alias parietibus interſẽpſit, alias intercidit foſſis, eaſq; ſudib. erectis præcluſas operuit cratibus, humo aggeſta, quoſdã aditus, qui ad portum ferebant trabibus tranſmiſſis, & in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole tutatus. Quibus perpetratis, ad ſpeciem retinendæ urbis raros pro mœnib. ſagittarios reliquit, cæteras copias ſine tumultu ad naves reduxit: navigantem cum mox ſagittarii quoq; per itinera nota digreſſi, parvis navigiis conſecuti ſunt.

Cn. Duillus Coſ. in portu Syracuſano, quẽ temerè intraverat, objecta ad ingreſſum catena clauſus univerſos in puppim retulit milites, atq; ita reſupina navigia magna remigantium vi concitavit, levatæ proræ ſuper catenam proceſſerunt, qua parte ſuperata, tranſgreſſi rurſus milites proras preſſerunt, in quas verſum pondus decurſum ſuper catenam dedit navibus.

Lyſander Lacedæmonius, cum in portu Athenienſium cum tota claſſe obſideretur, obrutus hoſtium navibus, ab ea parte qua faucib' anguſtiſſimis influit mare, milites ſuos clam in littus egredi juſſit, & ſubjectis rotis ad proximum naves portum Monœcium trajecit.

Herculejus legatus Sertorii, cum in Hiſpania inter duos montes abruptos longum & anguſtum iter ingreſſus, paucas duceret cohortes, comperiſſetq; ingentã manum hoſtium advenire, foſſam tranſverſam inter montes preſſit, vallumq; materia extructum incendit, atque ita intercluſo hoſte evaſit.

C. Cæſar bello civili cum adverſus Afraniũ copias educeret, & recipiendi ſe ſine periculo facultatẽ non haberet, ſicut cõſtiterat, prima & ſecunda acie furtim à tergo ad opus applicata, quindecim pedũ foſſam fecit, intra q̃ ſub occaſum Solis armati ſe milites ejus receperũt.

Pericles Athenienſis, à Peloponenſib. in eum locum compulſus, qui undiq; abruptis cinctus, duos tantũ exit⁹ habebat, ab altera parte foſſam ingẽtis latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſa: ab altera militem agere cœpit, tanquã per eum erupturus. Ii qui obſidebant, cum per foſſam, quã ipſe fecerat exercitum Periclis non crederent evaſurum, univerſi à milite obſtiterunt. Pericles pontibus, quos præparaverat foſſæ injectis, ſuos, qua non reſiſtebatur, emiſit.

Lyſimachus ex his unus, in quos opes Alexandri trãſierunt, cũ editum collẽ caſtris deſtinaſſet, imprudentia a. ſuorum in inferiorẽ deductus, vereretur ex ſuperiore hoſtiũ incurſum, triplices foſſas intra vallum objecit: deinde ſimilib. foſſis circa omnia tẽtoria ductis, tota caſtra confodit: & intercepto hoſtium aditu, ſimul humo quoq;, & frondib. quas foſſis ſuperjecerat, facto impetu in ſuperiora evaſit.

Cn. Fonteius Craſſus, in Hiſpania cum tribus millibus hominum prædatum provectus, locoq; iniquo circumventus ab Haſdrubale, ad primos tantum ordines relato cõſilio, incipiente nocte, quo tempore minimè expectabatur, per ſtationes hoſtium prorupit.

L. Furius, exercitu perducto in locum iniquum, cum conſtituiſſet occultare ſollicitudinem ſuam: ne reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquã circuitu majore hoſtem aggreſſurus, converſoq; agmine ignarum rei quæ agebatur exercitum incolumem reduxit.

P. Decius Tr. bello Samnitico, Cornelio Coſſo coſ. iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, ſuaſit ut ad occupandũ collem, qui erat in propinquo, modicã manum mitteret, ſeq; ducẽ iis, qui mittebantur, obtulit: avocatus in diverſa hoſtis dimiſit conſulem. Decium autem cinxit, obſeditque. Illas quoq; anguſtias, noctu eruptione facta, cum eluctatus eſſet, Decius incolumis cum militibus conſuli acceſſit.

Idem fecit ſub Attilio Calatino coſ. is cujus variè traditur nomen. Alii, Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatũ ſcripſerunt. Hic cum dimiſſum exercitum in eam vallem videret, cujus latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit, & accepit trecentes milites, quos adhortatus, ut virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit, & ad opprimendos eos undiq; deſcendit hoſtis, longoq; & aſpero prœlio retentus, occaſionem conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

L. Minutius coſ. in Liguria dimiſſo in anguſtias exercitu, cum jam omnib. adverſaretur Caudinæ cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipſorũ quam propter equorum deformitatẽ deſpiciendos, juſſit adequitare faucib. quæ tenebantur. Primò intenti hoſtes ne laceſcerentur, ſtationẽ objecerũt: de induſtria Numidæ ad augendum ſui contemtũ, labi equis, & per ludibriũ ſpectaculo eſſe affectaverunt, ad novitatẽ rei laxatis ordinib. barbari in ſpectaculũ uſq; reſoluti ſunt. Quod ubi animadvertunt Numidæ, paulatim ſuccedẽtes, additis calcaribus per intermiſſas hoſtium ſtationes eruperunt: qui deinde cum proximos irruerent agros, neceſſe Lyguribus fuit avocari ad defendenda ſua, incluſoſq; Romanos emittere.

L. Sylla bello ſociali apud Eſerniam inter anguſtias deprehenſus, ad exercitum hoſtium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de cõditionibus pacis agitabat ſine effectu: hoſtem tamẽ propter inducias negligentia reſolutum animadvertens, nocte profectus, relicto bucinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, & quarta vigilia commiſſa, cum ſequeretur, incolumes ſuos cum omnibus impedimentis tormentiſq; in tuta perduxit.

Idem adverſus Archelaum præfectum Mithridatis in Capadocia, iniquitate locorum & multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem: interpoſitoq; tempore etiam induciarum, & per hæc avocata intentione, adverſarium evaſit.

Haſdrubal frater Annibalis, cum ſaltum evadere non poſſet, faucibus ejus obſeſſis, egit cũ C. Nerone, recepitq; dimiſſum ſe Hiſpania exceſſurum, cavillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit, quibus omnibus non omiſit per anguſtos tramites, & ob id neglectos dimittere per partes exercitum: ipſe deinde cum reliquis expeditis facile effugit.

Spartacus foſſam, qua erat à M. Craſſo circundatus, cæſis captivorum pecorumq; corporibus noctu replevit, & ſupergreſſus eſt. Idem cum in Veſuvio obſeſſus, ea parte qua mons aſperrimus erat, ideoq; incuſtoditus, ex vimine ſilveſtri cathenas conſeruit, quib. demiſſus non ſolum evaſit, verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit,

ut aliquot cohortes, gladiatoribus quatuor & septuaginta cesserint. Idem cum à L. Varino Procos præclusus esset, palis per modica intervalla fixis ante portam, erecta cadavera, adornata veste atque armis, alligavit, ut procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis, imagine vana deluso hoste, copias silentio noctis eduxit.

Brasidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Atheniensium multitudine numero impar deprehensus, claudendum se præstitit, ut per longum coronæ ambitum extenuaret hostilem frequentiam, quaque rarissimi obstabant, erupit.

Iphicrates in Thracia cum deprello loco castra posuisset, explorasset autem ab hoste proximum teneri collem, ex quo unus ad opprimendum ipsos descensus erat, nocte paucis intra castra relictis imperavit, ut multos ignes facerent, eductoque exercitu & dispositio circa latera prædictæ viæ, passus est transire Barbaros: locorumque iniquitate in qua ipse fuerat, in illos conversa, parte exercitus terga eorum cecidit, parte castra fecit.

Darius, ut falleret Scythas discessu, canes atq; asinos in castris reliquit, quos cum latrantes rudentesq; hostis audiret, remanere Darium credidit.

Eundem errorem objecturi nostris Lygures, per diversa loca bubalos laqueis ad arbores alligaverunt, qui deducti frequentiori mugitu speciem remanentium præbebant hostium.

Hanno ab hostibus clausus, locum irruptioni maximè aptũ, aggestis levibus materiis incendit, tum hoste ad cæteros exitus custodiendos avocato, milites per ipsam flammam eduxit: admonito ora scutis, crura veste contegere.

Hannibal, ut iniquitatem locorum, & inopũ instante Fabio Maximo effugeret, noctu boves, quib. ad cornua fasciculos alligaverat sarmentorum, subjecto igne, dimisit, cumq; ipso motu adolescente flamma turbaretur pecus, magna discursatione montes, in quos actum erat, collustravit: Romani qui ad speculandum concurrerant, primo prodigium opinati sunt, deinde cum certa Fabio renunciassent, ille de insidiarum metu suos castris continuit, Barbari obsistente nullo profecti sunt. *lib 1. Stratagem. cap. 5.*

Idem Frontinus: Fulvius Nobilior, cum ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, & cognovisset à perfugis, hostes novissimum agmen ejus aggressuros, fortissimam legionem primo ire, ultimo sequi jussit impedimenta, ita factũ pro occasione amplexi hostes, diripere sarcinas cœperunt. Fulvius legionis de qua supra dictum est, quinq; cohortes in dextram partem viæ direxit, quinq; ad sinistram, atque ita prædationi intentos hostes, explicato per utraque latera milite, clausit, ceciditque.

Idem hostibus tergum ejus in itinere prementibus, dum flumine interveniente, non ita magno ut transitũ prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocavit, ut hostes paucitate contemta audacius sequerentur: quod ubi factum est, legio, quæ ad hoc dispositа erat, ex insidiis hostem aggressa vastavit.

Iphicrates in Thraciam cum propter conditionem locorum, longum agmen deduceret, & nunciatum ei esset, hostes summum id aggressuros, cohortes in utraq; latera secedere, & consistere jussit, cæteros suffugere & iter maturare. Transeunte autem toto agmine, lentissimos quosq; retinuit, & ita passim circa prædam occupatos hostes, jam etiam fatigatos, ipse requietis & ordinatis suis aggressus fudit, exuitq; præda.

Boii in silva Litana, qua transiturus erat noster exercitus, succiderant arbores, ita ut ex parte exigua sustentatæ starent, donec impellerentur, delituerãt deinde ad extremas ipsi, ubi, ingresso silvam hoste, proximas ulteriores impulerunt, eo modo propagata pariter supra Romanos ruina, magnam manum elisserunt *lib. 1. Strat cap. 6.*

Petronius Arbiter: Cursim Ascultor persequi cœpi: sed nec viam diligenter tenebam, quia nec quo loco stabulum esset sciebam, itaq; quocunq; ieram eodem revertebar. *Satyrico.*

Plinius Iunior: Iter commodè explicui, excepto quod quidam ex meis adversam valetudinem ferventibus æstubus contraxerunt, &c. *Epist. 1. lib. 8.*

Io. Sarisberiensis: Cum tibi cordis mei angustias denudarem & de temporis ac vitæ jactura conquererer, omnia me, quoad Deus aliud revelaret, statumq; meum reformaret in melius, forti animo perferre præcepisti, suadens ut more laborãtium, qui cantilenis & vocum dulcedine laborum tædia propulsant aut minuunt, rerũ temporisq; dispendia compensarem. Nam & itinerantibus via facilior videtur & brevior, si jucundæ narrationis sensibus, aut vocis dulcissimæ modulis recreetur. Sic & me lectionis, aut alterius officii studio jubes insistere, & si aliud nihil conceditur, de meipso & variis fortunæ formis conqueri, saltem mihi & Musis. *lib. 3. Policr. prolog.*

¶ Poetarum.

Oppianus lib 3. ἁλιευτ. v. 500.

Mugil ubi ipsum herbæ attigit halitus,
Occurrens primo quidem remotus ab hamo,
Obliquè oculis cernit dolum, similis viro
Illi, qui in trivio multum tritis, cum in ea incidерit,
Stat meditabundus: cor autem ipsi alias lævam,
Alias dexteram cogitat in viam procedere.
Spectat vero in utramq; partẽ, animus a. ipsi veluti fluctus
Volvitur, admodum autem sero unum appetit consilium.

Oppianus lib. 1. Venat. v. 451.

—— Et homines quidem versuti
Oculis lustrant, & observant vias.
Naribus autem canes quavis vestigia designant.

Plautus Mercatore 1. sc. 2. v. 6.

—— Hac hic disciplina pessima est,
Currenti, properanti haud quisquã dignum habet decedere
Ita tres simitu res agenda sunt, quando unam occeperis,
Et currendum, & pugnandũ, & ante jurgandũ est in via.

¶ Monosticha Trochaica.

Absq; pugna vincit, arcta qui occupavit montium.
De die, hostium index pulvis, flamma de nocte ignium est.
Hostem à tergo cave, frequenter à tergo supervenit.
In via si primus es, sint resciula tua ultima.
Militari in re, viarum maximus fere est labor
Nullus in locis angustis usus multitudinis.
Per loca ampla militem duc, non per arcta vel scabra
Persequentes vis morari? per viam aurum spargito.
Qua facillima est via, illa mili. celerrima est.
Regia à via haud declines ad sinistram aut dexteram.
Sæpe rerum summa vastant hostium in viis dolis.
Saltuum expugnare nullo exercitu est angustias.
Sarcina sat in tuto sunt, si medio harent agmine.
Stat loco virtus jugoso, prona est ad vitium via.
Tutus est miles quadrato qui facit viam agmine.

¶ Jambica.

Angusta caute transeunda sunt loca.
Angusta sunt loca, unus est queis transitus.
Conversum in orbem jam agmen obrui nequit.
Duci itineris extra vincla cur habeas fidem?
Et lubrica lapsus timetur in via.
Incede rectam si vir es justus viam.
Locis nives diutius harent asperis.
Ne cum viro unquam carpseris viam malo.
Per plana semper duci exercitus nequit.
Porta itineris cuicumq; vel longissima est.
Satius recurras, quam porro curras malè.
Securè iter agitur omne, quod hostes latet.
Semper palearum tecum aliquid circumferas.
Sub fasce inire injusto iter, miles, tuum est.
Tergo magis quam fronti prospice in via.
Tutum est iter, quod more initur prælij.
Via ad vitium plana est: virtus in arduo est.
Viaticum leve, heu, onus gravissimum est.
Ultra Herculis columnas ire nemini est.

Iucundi

¶ Monosticha Trochaica.

Allicit magè auditorem res jucunda quam utilis.
Assequi cupita, res est omnium suavissima.
Cur jucunda, sed læsura deinde, in aures accipis?
Delectatio unum & Error sæpius ferunt jugum.
Dulce nil cuiquam aut jucundum est extra fines patriæ.
Dulce quid mihi ac jucundum dum contingat, sufficer.
Nemo delectatur una re: hoc modo, illud mox placet.
Nil jucundius bona spe, fama, conscientia.
Nulla vita est, cogitanti de fato, jucunditas.
Nulla vita est quam suavem non faciat prudentia.
Omnibus te fac jucundum, verum utaris optimis.
Optimum quod est, ad usum jucundissimum sui est.
Quærimus jucunda cuncti, displicet quod utile est
Quo magè unda dulcis, hoc & major oris est sitis.
Sæpe fronte sub severa mens latet jucundior
Suavius profectus vivunt pauperes quam divites.

¶ Jambica.

Aliquando & insanire jucundissimum est.
Amœnitas nimia animos hominis effæminat.
Jucunda pueri avent non qua sint usus.
Jucunda stultus semper præferet utili.
Jucunditatem morbi sensus respuit.
Jucundius nil nosse quam bona omnia.
Meliora semper præferenda suavibus.
Nil dulcius jucundiusq; patria,
Nil suavius quam alienis de rebus loqui.
Non omnibus sunt omnia æque suavia.
Putamus omne quod nescimus dulcius.
Quis optima haud præponat jucundissimis?
Quo justior vita est, eo est jucundior.
Securitas cui est, ei est jucunditas
Securitas cui abest, ibi abest jucunditas.
Si rara sunt, magis delectant suavia.
Sunt præferenda utilia amœnioribus.

Judicis

Iudicis.

¶ SENTENTIAE PATRVM. GRÆCORVM.

D. *Nazianzenus*: Illud vero an non in Philosophi hujus (Juliani Imp.) doctrina laudabile, quod adeo ab ira alienus erat, ac turbulentis animi permotionibus sublimior (instar nimirum eorum Regum, qui tranquillitatis & constantiæ laude quõdam florebant, nec etiamsi quid molestiæ ipsis accidisset, vultum tamen ullo modo immutabant, aut perturbationis vestigium ostendebant) ut quod dum judicis munere fungeretur, aulam clamoribus ac membrorum strepitu impleret, non aliter ac si ipse esset cui vis & damnum inferretur, ac non aliis potius hæc patientibus succurreret, ne oratione quidem complecti velimus. *Orat. 4 Heliteutica.* 2.

D. Greg. Nyssenus: Hæc est justi judicii exactissima definitio, non ex se aliqua affectione dare responsum iis qui in judicio contendunt; sed primum audire eos qui subeunt judicium, & deinde in eos ferre sententiam. *Homilia 7. in cantic. cantic or.*

Chrysostomus: Est ejus qui suo juri valde confidit, ipsum qui accusatur constituere judicem eorum quæ dicuntur. *Homilia 24. ad Corinthios 1.*

Isidorus Pelusiota: Præclarus ille Cyrenius mercatum rursum exornat. Non enim tribunal dixerim, nisi probæ duntaxat minimæque adulterinæ pecuniæ, quam pro furtis accipit. Rectius itaque feceritis, si ipsi quidem proventus minimè feratis, vobis ipsis autem restitui minimè nectatis. Vestra enim felicitas, infelicitas ipsi erit. *lib. 1. Epist.* 176.

Isidorus Pelusiota: Præposterus favor haud acutè cernit: odium autem nihil omnino cernit. Quapropter si ab utraque lemâ purus atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre: verum illata crimina justo & integro judicio committe. Quandoquidem Deus etiam, qui omnia scit antequam oriantur, pro sua humanitate defendere, ac Sodomorum clamorem perspicere voluit: hinc videlicet nos ad res accuratè perscrutandas ac perpendendas erudiens. Multi enim ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt, ut tuas inimicitias persequentem & ulciscentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, orthodoxè quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est, illiùsque mentem ac sententiam imitatur. ut enim ille perspicuum adversum divinitus afflatum, ac Deo charum virum Joannem, furorem effudit: sic etiam iste gloriari ac se jactare expetit: etiamsi alioqui latum sit inter eos, qui accusantur, discrimen. *lib. 1. Epistola* 310.

Idem: ille, mea quidem sententia, justissimus controversiarum judex est, non qui homines amplissimis dignitatibus ornatus pertimescit, verum qui imbecillioribus, id quo carent, pro eo atque æquitas postulat, subministrat: atque in honoribus id cuique, quo dignus est impertiit, omnibus quod æquum est, in causarum disceptatione tribuit, jus videlicet ubique mensuræ loco adhibens. *lib. 2. Epist.* 207.

S. Isidorus Pelusiota: Paupertas, cum supplicibus verbis contẽptis ad accusandum se convertit, atque calamitate ad negotium aliis facessendum abutitur, adversariique & accusatoris, non supplicis & opem implorantis speciem assumit, misericordia haudquaquam digna est. Unde etiam ipsemet justitiæ fons his verbis utitur: Non misereberis in judicio. Ejus enim calamitate commoveri oportet, cum orat atque obsecrat: at cum accusat & criminatur, non itẽ. Non enim gratiã postulat, sed se injuria affectum affirmat. *lib. 2. Epistola 269.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud quod à Legislatore dictum est, Non misereberis pauperis in judicio, non inhumanitatis, ut existimas, sed benignitatis & justitiæ plenum est. Duas enim maximas res præstat: unam, quod pauperes ad negotium aliis facessendum minimè acuit: altera, quod eos, qui inique judicant, ac divitibus & copiosis hominibus victoriæ calculum porrigunt, maximopere terret. Nam si iis, qui cum truculenta, & admonitione nægrè admittente, paupertatis bellua colluctantur, cum obsecrationis loco aliis litem intendunt, minimè gratificari atque indulgere oportet, multo profectò minus iis qui præ luxuria & delitiis contumeliam egentibus inferunt. *lib 2 Epist.* 271.

S. Isidorus Pelusiota: Si paupertatem judicio disceptantem misericordia prosequi nefas est (neque enim jus lædi æquum est) qui victorem calculum divitiis iniquè tribuunt, atque justitiæ lancem quæstu labefactant, ac nautantem reddunt, quo tandem cruciatu affici non mereantur? Nam cum ea, quæ persæpe necessitate adducta negotiis se se involvit, veniam minime consequatur (oportet enim eam deprecari atque obsecrare, ac non accusare) qui præ luxu & deliciis jus contumelia afficienti victoriæ calculum tribuit, quam tandem veniam consequetur? *lib 2. Epist.* 277.

S. Isidorus Pelusiota: Eos qui de rebus judicant, accutissimo ingenio esse oportet, ut & eorum, qui loquuntur facũdiam, & eorum, quæ dicuntur, probabilitatem ac verisimilitudinem missam facientes, sensa ipsa introspicere, atque hinc expiscantes, veritatem haurire queant. *lib. 3. Epist.* 9.

S. Isidorus Pelusiota: Integri judicis non est, ob ejus qui deliquit amplitudinem & dignitatem juris religionem contemptui habere. *lib. 3. Epist.* 152.

S. *Isidorus Pelusiota*: Qui autem semen porrexerit, is profecto eorum quæ exorta sunt: autor habendus est. Ac proinde, cum omnes penè in deserto vitulum effecissent, quidam pœnas dederunt: hoc est ii fortasse qui scelus auspicati fuerant: quidam autem veniam consecuti sunt, ii nempe qui per fraudem & imposturam illorum vestigiis institerant. Neq; enim tam facinus ipsum exploratur, quã qua mente perpetratum sit. Siquidem judex ille etiam ad ipsas usq; cogitationes grassatur. *lib. 3. Epist.* 152.

Idem: Sunt homines, qui ob ingenii tarditatem, causarum jura consequi nequeunt. Sunt rursus, qui pro ingenii quidem celeritate consequuntur, verum ob pecuniæ studium cauponariam exercent, auro calculum suum prodentes, ac justitiæ lancem muneribus labefactantes. Sunt denique, qui eum pudore, blanditiisque ac terrore corrumpunt. Quocirca judicem opus est, & sagacem, & integrum esse, pudoreq; ac blanditiis & metu superiorem. Nam cuivis horum affectuum succumbat, totam judicii religionem obteret. Cum igitur & jus invenire difficile sit, & cum inveneris, minimè labefactare difficilius, non est cuiquam committendum, ut judicis munus arripiat. Quod si Zosimus, ut ad me scripsisti, cum & tardi ingenii sit, & pecuniarum, ut si quisquam alius, cupiditate flagret, id sibi temerè assumit, ut disceptantibus jus dicat (tametsi jus pretio addictum habuisse deprehensus, & ab iis ipsis, inter quos controversia erat, improbatus, & ab omnibus persæpe clamoribus exagitatus) ne tibi mirum istud videatur. Nam si aliis vitiis victis & profligatis huic uni cessisset, esset fortasse quamobrem quisquam miraretur. Cum autem, ut abs te dictum est, à turpissimis quibusque vitiis facile superatus hoc quoque teneatur, minime mirum id videri debet. *lib. 3. Epist.* 175.

S. Isidorus Pelusiota: Illud, Noli fieri judex, nihil multiplex nec scitum habet, verum perspicuè clamat: Quoniam non facile dijudicari potest quid æquum sit (multi enim ob ingenii tarditatem id minimè assequuntur: multi rursum, quamvis ob mentis acumen id assequantur, tamen pecuniarum, vel metus, vel pudoris, vel amicitiæ, vel odii causa id pervertunt atq; corrumpunt) idcirco ne committe, ut in hujusmodi negotium te projicias, quod & percipi vix potest, & cum illud inveneris, minimè labefactare atq; corrumpere, difficilius adhuc est. *lib. 3. Epist.* 274.

S. Isidorus Pelusiota: Qui nec favore, nec odio, nec muneribus adducitur ut jus labefactet, hic meo quidem judicio & optima est justitiæ regula, & incorruptus eorum, de quibus controversia est, judex ac disceptator. *lib. 3. Epist.* 315.

Idem: Prudentia, cum pecuniarum amorem expulit, certissima & verissima res est ad quam justitia exploretur. At si hunc admiserit, jus quæstui habere ac sententiam adulterare minimè recusabit. *lib. 3. Epist.* 396.

S. Isidorus Pelusiota: Malum quidem est injustè agere: Sed injustam ferre sententiam, id verò longè est deterius. Alterum enim spem auxilii relinquit ei qui injuria affectus est: Alterum vero hanc ipsam spem aufert, & injustum factum corroborat. Quapropter neque injustè agamus, neque, si fortè judices eligamur, injustè calculum feramus. *lib. 4. Epist.* 84.

S. *Isidorus Pelusiota*: Et potentiæ inexplebilem cupiditatem, & paupertatis curiositatem castigans legislator, sanxit: Non misereberis pauperem in judicio: non quasi qui crudelitatem doceat, sed qui maleficium reprimat & coerceat, ne homines paupertate ad curiositatem abutantur. Si autem pauperi, qui cum belluâ non facilè rationis imperium sequente colluctatur, misericordiam (in judicio) tribui interdixit: multò certè magis divitum insatiabiles cupiditates eod. præcepto compescere voluit. *lib. 9. Ep* 89.

S. Isidorus Pelusiota: Si quidem neq; id quod justum est, facile est investigatu, neq;, ubi indagaveris, non prodere (alii namq; per hebetudinem atque socordiam id non inveniunt: alii vero tametsi satis acuto sint præditi ingenio ad id quod jus dictat investigandum, tamen per eorum illiberales animi motus nt, ut id prodant, aut metu, aut ignaviâ aut divitiis aut amicitiâ aut odio corruptum) merito sententiarum scriptor hoc dedit consilii: Ne quæras fieri judex. *lib. 4. Ep.* 214.

¶ LATINORUM.

Salvianus: Romani statuunt non adulterandum, & primi adulterant, statuunt non furandum, & furantur: quamvis penè non possum dicere quod furentur, non enim sunt quæ agunt furta sed latrocinia, punit enim judex in alio peculatum, cum sit ipse peculator; punit rapinam, cum ipse sit raptor; punit sicarium, cum ipse sit gladiator, punit effractores claustrorum & ostiorum, cum ipse sit eversor urbium; punit exspoliatores domorum, cum ipse sit exspoliator civitatum atq; provinciarum. Atque utinam illi tantum qui in potestate sint positi, & quibus jus exercendorum latrocinniorum honor ipse largitur illud gravius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt & privati iisdem ante honoribus functi. tantum eis adeptus semel & privati iisdem ante honoribus functi. tantum eis adeptus semel honos dat beneficii, ut semper habeant jus latrocinandi. adeo etiam cum destiterint administrandam potestatem habere publicam, non desinunt tamen ad latrocinandum potestatem habere privatam, ac sic levior est potestas illa quam habuerunt judices, quam hæc, quam privati habent: in illa enim sæpe eis succeditur, in hac nunquam. *lib. 7. de gubern. Dei.*

S. Salvianus: Sergius Galba cum ob difficultatem negotii & invidiam facti sui, parum non modo in caussa, sed & in eloquentia spei poneret, arte usus est; ut judicum animos quos inflectere precum ambitione non poterat, rerum tentaret affectu. itaque consumptis jam cunctis oratoriæ artis ingeniique subsidiis, cum purum se promisisse intellexisset, parvulum quem secum habebat, Galli, ut illis temporibus videbatur, clarissimi & nuper mortui filium, & parvas ante subsellia auditorum indoles suas in consessu iudicum conspectuque produxit: quos cum laturis sententiam disceptatoribus oratione flebili commendaret, fractæ affectu omnium mentes & inclinatæ sunt; quid plura? factum est ut inflexis cunctor. sensibus, daret misericordia humanitati, quidquid ambitioni veritas denegarat. O affectus humani quanti estis! quantum valetis! qui etiam in judicio locum habere potuistis. Discite parentes, discite vel hoc saltem exemplo frangi atqui molliri, certe etiam illic misericordia valuit, ut locum esse misericordiæ non licebat. laturi sententiam judices, qui nil nisi ex veritatis officio pronunciaturos juraverant, excludere tamen misericordiam nec post sacramenta potuere; in tantum humanitate moti, ut dum alieno negotio consulunt, suum pene obliviscerentur. *Epist. 4.*

Egesippus: Bonus judex circumscriptum se esse mendaciis dolet, & eò est fallenti infestior quam appetitior; quod temerè se impulsum ut falsis crederet, ulsciscendum arbitretur. *capite 7. libri. 4. de excid. Hierosolymitano.*

Chrysologus: Miser est qui relicto judice frustra carnificis requirit favorem; qui nec vexare, nec parrere, nec minuere potest tormẽta, nec addere: sed facit totum addictus ipse verbero ad jus & arbitrium judicantis. *Sermone 17. f.*

Chrysologus: Reatus redundat ad judicem, si pœna percellit innoxium. *Sermone 112. m.*

Chrysologus: Facile deviat â justitia, qui in caussis non Deum, sed hominem cogitat. *Sermone 127. m.*

Chrysologus: Judex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, urget reos, percellit noxios, conscios corripit, addicit complices, sententiæ dat detectos. Infantes quid? Quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt, & quibus actus nullus est, unde culpa? Sumpserunt mortem, qui vivere nescierunt, non tempus affuit, non excusavit ætas, silentium non defendit, quibus apud Herodem solum quod nati sunt, hoc fuit crimen: & re vera quomodo non redderent naturæ creditum, à quibus causa exigebatur authoris? infelix homo, qui sibi ad accusationem paravit omnia: ad excusandum spaciũ non reliquit, sed totum paravit ad pœnam. Quis excusabit quem pulsat innocentia, infantia impetit, lac ut sanguis accusat? *Sermone 152.*

Ennodius: Semper venerandorum judicum ancipitem credimus fuisse sententiam de confusione peccati. Ibi cognitoris, quo potissimum vergeret, hæsit deliberatio, ubi dubia extitit sors delicti. Nam definitionem æquitati congruam sicut vitia manifesta exigunt, ita obscura suspendunt. Quando in luce est facinus, quid spei remanet addicendo? *Dictione 20. pr.*

Ennodius: Penè absolutus ad judicia venit, pro quo orbis illacrimat. *Apologo pro Synodo.*

Io: Sarisberiensis: Anne credis Samuelem accepisse aliquid nonnomine sportularum? hoc enim prætextu non tam judices quam judiciorum caupones, qui nequitiam suam colorare nituntur, quærentes scillicet aliqua emolementa negotiorum, quorum pro parte onera portant. si emolumentum esse non licet, sit saltem compensatio sumptuum & damnorum. hi tamen rari sunt. Quis enim erubescit dicere, Quid mihi dabis, ut tibi justitiam faciam? nam ut pro seipsa exhibeatur, frustra expectas, Nonne simile est, ac si dicatur, Quid vultis mihi dare, ut me ipsum abnegem, officium prodam & Dominum vendam. *sine cap. 16. Policrat. lib. 5.*

Io. Sarisberiensis: Causam, inquit Job, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Oportet enim judicem cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, neque ante obviare alicui, quam causa sit legitimis rationibus plenissimè limitata. Ut enim ait Ethicus; ad pœnitendum properat quisquis citò. *lib. 5. Policratici cap. 6.*

Io. Sarisberiensis: Adeo regnum pecuniæ invaluit, ut desperetur de fide judicis qui repellit munera offerentis. si pacisci detrectas, pollicentis videris odisse causam. Et fortasse vel munere vel affectu crederis præcorruptus, si permanere vis incorruptus. *lib. 5. Policratici cap. ultimo.*

Io. Sarisberiensis: Tria sunt quæ præ ceteris etiam prudentum omne judicium subvertunt; amor munerum, acceptio personarum, facilitas credendi. nam ista moveri, & justitiam dispensare, nullus omnino potest. *cap. 23. lib. 8. Policratici.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Æschines: Ait Euripides se jam multarum rerum fuisse disceptatorem; asseritque judicia non è testimoniis, sed è studiis, familiaritatibusque feciſse: illuc respicientem, quæ fuisset rei quotidianæ vitæ consuetudo, & ut suam familiam gubernasset; quasi eodem modo & rempub. esset administraturus; & quorum commercio gavisus esset: denique pronunciare non dubitat, talem eum esse quales ii sint, quorum consuetudine delectetur. *Oratione in Timarchum.*

Lysias: Permagni facerem, viri, si tales in hoc negotio vos erga me judices præberetis, quales in vestra caussa futuri essetis, si eandē accepissetis injuriam. Satis enim mihi constat, si eodem sitis erga alios animo, quo erga vos ipsos, vestrum neminem fore, qui rerum indignitate non doleat, qui non eorũ pœnas qui talibus dediti sunt flagitiis, leves existimet. *cap. 1. apologiæ pro cæde Eratosthenis.*

Lysias: Et horum quidem causa, Judices, apud vos agitur; vestra verò apud universum populum, qui studiose observat, quænam futura sit vestra de se sententia.

Lysias: Mementote vos ad jusjurandum violandum, & ad leges conculcandas ab deprecatoribus erudiri: dumque ii nimis studiosè delinquentibus succurrunt, ad eadem desideranda & patranda plures allicere. *cap. 5. Orat. 13. in Alcibiadem.*

Lysias: Pluris itaque oportet facere vos ipsos & vestrum jusjurandum quam quempiam deprecantem. Et quidem, Judices, si cui mulcta videtur gravis, aut lex severior; cogitandum erit, vos non ut leges feratis; sed ut secundum leges latas judicetis, huc veniſse; neque ut flagitiosis misericordiam impertiamini, sed ut ipsis potius indignemini, & toti Reipubl. opitulemini. Scire enim vos convenit; quod si pauci delictorum pœnas pendant, multos emendabitis ex iis qui se periculo commissuri sunt. *Oratione 2. in Alcibiadem cap. 3.*

Lysias: Adhæc Athenienses, si sententiis vestris ipsos liberaveritis, non vobis habebunt gratias, sed impendiis & pecuniis suis, quas furto sibi pararunt: Idcirco vos odium illorum vobis comparabitis, nam salutem pecuniis suis acceptam referent. Etenim Athenienses & Halicarnassæi & alii, qui ab his injuria sunt affecti, si in hos acriter animadverteritis, existimabunt se ab his quidem afflictos, à vobis autem esse refocillatos & restitutos. Quod si hos judicio vestro servetis, vos cum proditoribus suis sentire arbitrabuntur. *cap. ultimo Orationis 27. adversus Ergoclem.*

Lucianus: Accipe, Mercuri, hoc pomum, & in Phrygiam proficiscere ad bubulcum illum Priami filium (pascit autem in Gargaro montis Idæ cacumine) ac illi dic. Jupiter jubet te, Pari, siquidem ipse formosus es, & rerum amatoriarum doctus, sententiam ferre inter Deas, quænam illarum sit formosissima. Certaminis autem præmium, ea quæ vicerit, pomum accipiat. Porrò tempus jam est ut & ipsæ ad Judicem abeatis. Ego verò arbitrium rejicio ut qui vos ex æquo amem: ac si modo fieri posset, vos omnes libenter victrices viderem: in primis cum necesse sit, cum qui pulchritudinis præmiũ uni adjudicabit, in plurium odium omnino incurrere. Quare equidem ipse vobis idoneus judex non sum. Verum Phrygius ille adolescens, ad quem proficiscemini, regia quidem stirpe est prognatus, & Ganymedis hujusce consanguineus. Cæterum simplex est & mõtanus: neque quisquam illum hac cognitione indignum merito putaverit. *Ven.* Ego quidem Jupiter, etiamsi Momum ipsum præstituas nobis Judicem, præsenti animo iturasum, ad documentum mei præbendum: quid enim in me ille reprehenderit? Sed etiam hisce hominem placere oportet. *Iun*: Neque nos, Venus, timemus quicquam, non si isti tuo Marti arbitrium permittatur. Sed recipiis fuerit. *Iup.* Num tibi etiam, filia. hæc probantur? Quid ais? à vertis te, & erubescis? Vobis quidem virginibus proprium ad talia verecundari: sed tamen annuis. Abite igitur, ac videte quæcunque victæ fueritis, ne Judici fiatis infensiores, nec adolescentulo mali quicquã inferatis. Neque enim fieri potest, ut æqualiter omnes formosæ sitis. *Merc.* Procedamus ergo rectà versus Phrygiam: ac ego quidem præibo: vos autem non lentè sequimini me, & bono animo este. Novi ego Paridem hunc: adolescens est formosus: cæterum amori deditus, & ad talia disceptanda maximè idoneus: neque ille malè judicaverit. *Ven.* Hoc quidem omne bonum est, & è re mea est quod dicis, justum videlicet esse nobis Judicem. *Iudicio Dearum.*

Aristides Sophista: In judiciis quam justum & æquum se præbuerit nemo facile dixerit. nam nec Rhadamanthus nec Æacus justius hac in re sese gesserunt. quin imò jus non semper nec ubique sit cum æquitate conjunctum, ipse jus exacte novit (quipqe qui ejus auctor sit ac legislator?) & justitiæ executione nihilominus humanitatem suam confirmat: adeo ut exactissima justitia summæ humanitati apud ipsum sis æqualis. cujus est rei caussa, quod ille non aliis interpretibus juris cognitionem accipiat, sed ad eam in qua institutus est, rerum præclarissimarum scientiam, adjuncta legum experientia, sic ut nihil eum scripti juris effugiat, ita demum de rebus omnibus judicet. quapropter omnes ab eo jus suum consequũtur, nec ejus judicia quisquam calumniatur, sive actor caussa cadat, sive reus vincatur; verum uterque æquo animo & hilari discedit: nec aliter de re judicata sentit is qui caussam obtinuit, quam qui litem perdidit. *Laudatione Marci Aurelij Antonini Philosophi.*

Aristides: Neque Carnifex judici se præfert aut comparat, quod ipse, aut saltem & ipse, homines occidat: verum novit sese quidem cum sit minister id necessario facere; illum vero pro potestate sua de rebus judicare. *Oratione 1. Platonica de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Prævidi ac prædixi fore, ut nisi quis totam audiret orationem, non tantum, quo decebat, honore non prosequeretur, verum nec de re ipsa quicquam cognosceret. Quocirca jubebam ad finem usque auscultare, quisquis controversiam totam cogniturus, & rectum atque æquum suffragjum laturus esset. Nec enim ita judices, vir optime, judicant, nec prooemio alicujus vel narratione audita discedunt, neque his omissis, ad aliquod argumenti genus conveniunt, aut ut testimonium aliquod, vel repetitionem dictorum audiant: verum ab initio ad finem postquam auscultarunt,

ita

ita demum sententiam ferunt: id quod etiam illis, ut arbitror, conducit. Quin nec vos, per ipsos jurisjurandi præsides, deos cũ olympia celebratis, ita præmia propositis, ut alterius omnia auscultetis, alterius initium tantum, aut aliquid ex medio, vel ex fine. *Oratio 3. Platonica*:

Epictetus: Si rectè judicare voles, neminem cognoscito, neque accusatorum neque reorum, sed ipsum jus. *apud Stobæum.*

Libanius: Ut si armis placuisset propter arma decertare Ajacem, vincere Ulyssem necesse fuisset: ita re ad verba deducta, mirandum non est Ulyssem sententias obtinuisse. Quippe cum nunc quoque cernere sit quotidie multos in judiciis, qui cum bono jure advenerint, & discedant inferiores, non quidem judice pecunia corrupto, sed occupante hunc arte quadam eo qui causam dicit. *Pregymnasm. de armis Achillis.*

Libanius: Atqui opus est opinor, eos qui rectum judicium facere volunt, omnibus è medio sublatis, ad unum illud intueri, utrius causa justior sit. ac si quidem hujus Justiorem esse comparerint, ei suffragium ferant; si meam, mihi. *Declamat.* 21.

Libanius: Par est quemque vestrum, qua ira accenderetur tale quid perpessus in propria persona, talem exhibere etiam nunc in judicio adversus istum dando. *Declamat.* 22.

Libanius: Tametsi valde infesso omnes in reum ipsum essetis animo, & communis Prætorii curiæve hostis foret: haudquaquam malevolentiæ gratificari fas esset. At enim, Judices locus hic non odii & gratiæ est: neque huc conveniistis, ut eum qui alibi molestus fuisset ulciscerémini: aut illi qui antea benemeritus fuisset gratiam redderetis: verum ex rebus ipsis ob quas judicium institutum esset, aut servaturi, aut pœna affecturi. Nam cum id Solon penitus perspectum haberet, & censeret è litigantibus alios apud amicos judicantes rationes reddituros, alios autem apud infestos: ne jus ulla ex parte læderetur, jusjurandum constituit: quod non permittit gratiã aut simultatem, aut alium iniquum prætextum obstare judicio. & nunc sanè odit quispiã Socratẽ: sed juravit se minime indulturum iracundiæ. At Dii sententiam intuentur, quam qui non justam statuit, juramento subdidit & se, & liberos, & domum, & genus posterum: & exiguæ voluptatis magnas subiit pœnas. Ne quæso hoctãtum quis videat, quod Socrate interempto, ejus loquendi libertate solutus exit: verum illud etiam cum animo agitet, quænam ipsum fama sit exceptura, & quæ spes. Nam in theatro comœdias audientem ridere, & una urgere male audientem, & poëtæ gratificari: ne illa quidem honesta sunt: sed non usquequaque aliena à Dionisiis videantur: & risus est periculi expers: in foro autem iis qui tradit se actori, & omne verum esse censet, & conturbat, & nihil explorat, atque ad accusatoris ordinem è suo migrat, gravius quam expetitur mulctato seipso, & damno potius accepto quàm illato recedit. Etenim ille periculi cõsortes non habet: hic autem omnibus deinceps suis calamitatem invehit. *Declamat.* 29.

Libanius: Quid porro quis de multo formidabilioribus magistris diceret, ô Dii, vobis, inquam, qui judicatis & non verbis tantum justa facere consulitis; sed actis, dum publicatis, & expellitis, undecim viris traditis, & neci? nihil neque improbos ab inferenda injuria coercit, neque vos ab illis condemnandis. Sed hi quidem hodierno die moriuntur, alii postridie, in iisdem deprehenduntur. nec ullum legislator unquam invenerit supplicii genus tam acerbum, quod omnes justos efficiat. *Delamat.* 29.

Libanius: Quid porro quis de multo formidabilioribus magistris diceret, ô Dii, vobis, inquam, qui judicatis & non verbis tantum justa facere consulitis; sed actis, dum publicatis, & expellitis, undecim viris traditis, & neci? nihil neque improbos ab inferenda injuria coercit, neque vos ab illis condemnandis. Sed hi quidem hodierno die moriuntur, alii postridie, in iisdem deprehenduntur. nec ullum legislator unquam invenerit supplicii genus tam acerbum, quod omnes justos efficiat. *Delamat.* 29.

Libanius: Grave admodum fuerit nos mutos & elingues, quasi nullo mœrore affectos stare, & inferiores effici ipsa accusatorũ spe: cum præsertim amicitiæ officia sint obeunda, & vos qui judicatis perjurio liceat eximere. nam qui contumelioforum fraudem valere non sinit, eos qui decernunt, diligentes jurisjurandi observatores efficit. *Declamat.* 29.

Libanius: Perturbatus reverentia parentis, si ipse mihi defuero, Judices, vos tamen periclitanti succurrite, & à vobismet ipsis quæ desunt supplete. nam, ex fide jurisjurandi decernere, hoc est iis inhærere quæ undiquaque apparent; etiamsi is qui dicit minimè possit seipsum servare. *Declamat.* 38. *penè initio.*

Heliodorus: Atqui, inquit Hydaspes, cum negotium hoc judicium, &, non injuria potius videbitur, si cum captiva, ego qui sum rex, in judicium descendero. respondit Sisimitres, fastigia dignitatis non respicit æquitas, sed is regnat in judicio qui probabilioribus vincit rationibus. Ceterum cum indigenis, inquit rex, & non cum peregrinis, controversias Regum judicandi, facultatem vobis lex dat. Sisimithres autem: Non vultu, inquit, tantum, & extrinseca specie, justa apud moderatos ponderantur, sed potius justitia. *libro 10. Æthiopicorum.*

§ Latinorum.

Quintilianus Senior: Non semper judicum culpa nocens damnatur. Aliquando testis corrumpitur: aliquando parum diligenter caussa defenditur: aliquando reo nocet & ipsa fiducia. *Declamat.* 266. *fine.*

Quintilianus Senior: Dispiciendum tibi fortasse fuerit, ad quem venires: diligentius excutiendi mores. Nulla judici libertas est, nisi pronunciare licet, utrum voluerit. Fortasse erraverim in dispiciendis causis; minus prudentiæ habuerim juvenis: ego nihil aliud debeo quam fidem. An tu ea conditione litigabas, ut pronunciare pro te necesse esset? *Declamat.* 300. *Principio.*

Item: Male audire plerumque judicum nimia severitas solet: nec unquam in convitium nisi asperæ sententiæ veniunt. Ideo absolutos publica illa acclamatio prosequitur. à damnato tristes recedunt; & victricis quoque partis silentium est. Absolvi. Si hoc invidiosum, si hoc crimine sum est, quomodo me putem potuisse defendi, si damnassem? *Declamat.* 300. *ante med.*

Quintilianus Senior: Non semper erroris odium penes cognoscentes est. aliquando caussa profertur negligentius, negligentius aliquando defenditur. Si matrem meam nunc audias, dicet se ad illos judices venisse securam, & obstetisse sibi fiduciam prioris sententiæ. Utitur in defensione claris ac nobilibus exemplis: damnatos mihi Camillos, & Rutilios narrat. *Declamat.* 300. *subfinem.*

Quintilianus Senior: Fecerunt judices, quod parentes nostri fecissent. id pronunciarunt, in quo victus gratias ageret. *Declamat.* 309 *fine.*

Quintilianus: Quod major pars, inquit, judicum statuerit, reus patiatur. Duo ignominiam statuerunt, duo exilium, tres mortem petitur ad mortem. minus recte. nam ego existimo majorem partem esse, in qua plures idem sentiunt, eandem pœnam pronuntiant, in eadem verba jurant. &c. *Declamat.* 365.

Quintilianus: Cur prudentior sit judex in deprehendendo scelere, quam reus in admittendo, hoc esse in caussa puto; quod alter tantum pro se cogitat, alter pro parte utraque. *Declamat. 1. § 11.*

Quintilianus: Liberè itaque dixerim C. Mari: quam de fortissimo milite sententiam feras, magis tua interest. Hujus quidem gloriæ nihil plus adjici potest, quam si pro re honesta moriatur: hunc mirabitur sola virtutum incorrupta testis vetustas: hoc factum patres liberis vel post pœnam præcipient. Tu cogita, quid de te sensisse homines sciant. Hoc exemplum in neutram partem potest taceri. cogitare certum est id quemque cum judicat, probare quid in re simili ipse fecisset. *Declamat. 3. § 9.*

Quintilianus: Unum oro, judices, ne cui minor dignitate vestra videatur caussa litis meæ. Ante omnia enim non debetis expectare, ubi pauper magna perdiderim; sed quantulum est quod abstulerit mihi dives, minus est quod reliquit. *Declamat.* 13. *pr.*

Quintilianus: Sed & judicum cura, quando malignior circa redituram reum? quam multis placet illa de dissimilitudine pronunciationis auctoritas? & severior videtur diversa sententia. *Declamat.* 17. *§ 8. f.*

Plinius Iunior: Est lege cautum, ut reus ante peragatur, tuncque de prævaricatore quæratur: videlicet quia optimè de accusatione fides æstimatur. *lib. 3. Ep. 9.*

Plinius Iunior: Non minus imperspicua, incerta, fallaciaque sunt judicum ingenia quam tempestatum terrarumque. *lib. 1. medio Epistolæ 20.*

Symmachus: Non patet suspicionibus judicatum à quo nemo dissentit. *lib. 1. Epist. 72.*

Symmachus: Justitia quidem suffragium non requirit, amicitiarum plerumque respectu, caussarum celeritas adjuvatur. *lib. 2. Epist. 10.*

Symmachus: Æquum esse arbitror, ut statutis tuis adesse digneris. *lib. 2. Epist. 33. f.*

Symmachus: Urbium populorumque luctamina, quoniam sunt majora privatis, judicio augustiore censenda sunt. *l. 10. Epistola. 53. p.*

Symmachus: Superat ut crimine non probato, in accusatorem formidata reis pœna transiret. Sed cum me Africani militia pariter atque incauta adolescentia permoveret: malui judicium de eo dementibus reservare. Alia est enim conditio magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententiæ si sint legibus mitiores: alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere. *lib. 10. Ep. 63. f.*

§ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

Non animos etiam mihi gratiam judicis effert.
Iudicibus si quidem recti tenuissima cura est,
Perpaucisq; viris. nam partem in utramq; scelesti
Iustitiæ persæpe solent inflectere libram.

Aristophanes Vespis v. 546.

Quid enim sene præsertim judice possit felicius esse.
Vel delicians aut terrificũ aut magis omni ex parte beatũ
Quem primo mane cubili egressum propè subsellia servant
Homines grandes & cubitorũ quatuor? hic protinus ad me
Aliquid veniet, molliq; manu præsens qua maxima facta
Fecit, mihi suppliciter accidit, & miserè multa quiritans
Dicet, Rogo te, miserere pater, si quis tu forsitan inter
Vertisti imperitum & egeres vel in armis conducia curans:
Merito ille meo nisi salvus abisset, nec me vivere sciret.
B D E. Etiam hoc de supplicibus memoris volo commendare tabella.
P H. Hinc ingressus, precibusq; oneratus, & omni fortiter ira
Detersa, (abiere foris promissa omnia) nihil exsequor intus.
Tantum auribus accipio miseras cupientum & audire voces.
Age quæ non blandimenta potest judex audire forensis?
Hos pauperiem deflere suam videas, atque addere mœstos

Alia

Alia prater malæ donec propria meis ostenderit aqua,
Illi fabellas dicunt, aut Æsopi ridiculum quid.
Alij, ut tollant mihi risum, animumq; hilarent dicteria fundunt:
Si nos minimè ista movent, tractos pueros ascendere cogūt
Atq; mulieres natosq; manu ducunt: aures mihi prona,
Balat tenera ætas illa simul: vicem at illorum pater ipse
Me veluti deum trepidus rogat, ut veniam culpæ impeteret hujus
Si gaudes voce agni, te vox moveat clamosa puelli
Quod si me porcelli juverint, moveat me filia virgo.
Tunc igitur nervos animi paulisper laxamus & iram.
Hoc ne est latè regnare & divitias suspendere naso?
B D. Sequitur caput hoc, mihiq; scribetur, Opum contemptus in isto est.
Sed quæ bona jactabas Hellados ut Rex, narrare memento.
P H. Puerorū ætas quoties spicitur licet inspexisse verenda,
Quin si reus Orgus venerit intro, non ante faceſſet
Quam nobile ex Nioba lectum recitet memorabile dictum.
Tum tibicem si victor litis abit, grates agit ipsis.
Iudicibus, & egressis canit, ori circum pelle ligata
Sin cui moriens pater hæredis legasit fortè puella
Curam, tum primam ceram nos multum plorare jubentes
Et recludentes impositum concha de more sigillum
Nuptum damus hanc illi qui nos melius persuaserit omnes.
Atque hac nobis impunè licent quæ non prætoribus ullis.
B D. Equidem magni facio & laudo quæ tu veneranda locutus,
Verum improbè agis quum sic prohibes & testamenta resignas.
P. H. Deinde Senatus populusq; ubi magnæ super anxius hærens
Sciscunt ut judicibus nobis tradatur causa reorum:
Hic Eathlius, clypeiq; sui abjector Colaconimus ille
Se nostra negant prodere, potius plebem tutarier ajunt
Nulla in populo potior quam vis unquam sententia vicit.
Nisi lite prius prædamnata ad subsellia judiciorum,
Sed & ipse Cleon clamore valens modo non obroderegaudet
Imo servat versatque manu nos, & muscis procul arcet.
At tu nec tantillum ista tuo faceres jucūda parenti,
Rursumq; Theorus qui Rhetor verè est Euphemius alter
Inpelvi spongiam habens nobis crepidas absterget & ungit.
Nunc dispice tot bona, tum quæ spernenda putes vel retinenda
Quæ servitium esse ministeriumque probare ipse ante volebas.
B D. Age te dictis satia, mox desieris: prorsus quæ patebit
Tuus ille magistratus, podex superans (ut fama) lavacrū.
P H. Sed quot fueram oblitus quodq; eximium est longeque suave
Quum redeo domum precium rèferens, venientem tum simul omnes
Me complectuntur ob argentum, atque inprimis filia grandis,
Lotum permulcet aquis, ungitque pedes, fertque oscula prona
Pappansque & adulans lingua triobolium expiscata lucellum est.
Tum mihi mulier palpum obūciens, intritam præparat offam.
Propterq; sedens invitat quasi cogens, & talia fatur,
Hoc exede, sorbe, ego talibus oblector, ne me sit opus te
Respicere, & condum promum quando volet apponere cœnā
Iaciens maledicta, & murmura rodens, ne rursum terat offam.
Hæc munimenta malorum hæc sunt mihi propugnacula & arma,
Sin fundere vina negas mihi, defertur cantherius iste
Plenus Bromij, tum pandus defunde hinc, at rudit hianti
Ille ore, tuum in sinum, grande quid & dignum milite pedens.
Nonne imperium magnum obtineo,
Et regno Iovis velut æquale.
Nec de me aliter quam Iove dicunt,
Nam si turbas fortè movemus
Omnes dicunt prætereuntes.
Quale tonat judiciale forum!
Iuppiter ô Rex, sin fulgur agam,
Nobiliores atque opulenti
Poppysma edunt penè cacantes.
Tu me inprimis metuis valdè,
Testor Cererem, metuo, sed ego
Peream si quid metuam te.

Aristophanes Vespis v. 725.

Verè sapiens fuit is, qui judicium non ferre vetavit,
Nisi utriq; auditis, nunc etenim victor longè esse videtur.

Ibidem v. 914.

Præjudicare per Deos, nolis, ô pater,
Vtrasq; partes audias prius. P. sed ô bone,
Res ipsa clamat omnibus clarissima.

Terentius actu 1. scena 5. Phormionis.

—— Iudices
Sæpe propter invidiam adimunt divīti,
Aut propter misericordiam addunt paupert.
DE. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? PH. functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obstupefecit pudor.

Terentius Phorm. 1. sc. 5.

Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac vicit; nostrane ea culpa est an judicum,
Qui sæpe propter invidiam adimunt divīti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi.
DE. An quisquam judex est, qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? PH. functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad judices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui;
Ita eum tum timidum obstupefecit pudor.

¶ Apologi.

De Lupo & Vulpe. Anonymus.

Respondere Lupo, de furti labe tenetur
Vulpes: eam vocitat, hic petit, illa negat.
Simius est judex; docti non erat acumen
Iudicis, arcanum mentis in ore legit.
Iudicium fingit; poscis quod poscere fraus est,
Visq; fidem dere, quam negat ipsa fides.
Tu bene furta negas, te vita purior usus
Liberat; hanc litem pax domat, ira cadit.
Simplicitas veri, fraus est quæq; puerpera falsi.
Esse solent vita, consona verba suæ.
Sordibus imbuti, nequeunt dimittere sordem,
Fallere qui didicit, fallere semper amat.

¶ Emblematum.

Batillius. 191.

Judiciorum libra.

Linea ut hæc media est spatiumq; æquale figura
Quam dimetitur, parte ab utraq; facit,
Qui populo dat jura, pari cum pondere justam
Iudicij libram si premat usq; sui.

Batillius. 192.

Bonus & incorruptus judex.

Altero hic occluso collimat luminis orbe,
Signatum ut feriat certa sagitta locum.
Collimet judex animumq; oculosq; manusq;,
Expendat meritis fausq; nefausq; suis.

Batillius. 193.

Audi partem.

Qui sedet hic ostro summi velatus honorū,
Clamosiq; regit civica jura fori,
Sic pronas affert auret in verba loquentis,
Alteram ut obturet, constituatq; reo.
Tali cuiq; sua est tutissima judice, nulli
Atque etiam nullo causa teunte, perit.

Judicis corrupti Embl. 68

Aranearum tela magnis rumpitur
Muscis, minores strangulat.
Rei potentes iudicum sententiam
Orè ducunt munerum.
Qui nil habet quo torqueat Leges miser
In pelle pauper plectitur.

Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Iethro Socer Mosis: Sedente Mose ad judicandum Israelem, cum adstaret populus ipse Mosi, à mane illius diei usque ad vesperam, aspiciens socer Mosi, quicquid ipse faciebat populo, dixit, Quid hoc est quod facis huic populo? cur sedes tu solus, & totus hic populus sistit se contra te à mane usque ad vesperam? Respondit Moses, Venit ad me hic populus ad consulendum Deum. Cum est inter illos negotium, venit quisque ad me ut judicem inter utrumque: & nota facio statuta ipsa Dei & leges ejus. Dixit vero socer Mosis ad eum, Non est bona hæc res qualem tu facis. omnino decides, cum tu, tū populus hic qui est tecum: nam gravis est hæc res supra te, non poteris eam præstare solus. Itaque attende voci meæ, consulam tibi, & erit Deus tecum: esto tu pro hoc populo erga Deum ipsum, ut tu referas eorum res ad Deum ipsum, & commonefaciens eos de statutis ac legibus ejus, notam facias eis viam ipsam per quam ambulaturi sunt, id est, opus ipsum quod sunt facturi. Tu autem provideto

ex toto

ex toto hoc populo de viris strenuis, timentibus Dei, viris veracibus, osoribus turpis lucri, quos constituas super eos, præfectos millenis, præfectos centenis, præfectos quinquagenis, & præfectos denis: ut iudicent populum hunc omni tempore, sitque ut omnem rē quæ magna erit referant ad te, omnem vero rem quæ parva erit iudicent ipsi: sic leva à te onus, ut ferant tecum. Cumque feceris hanc rem, & præceperit tibi Deus, poteris consistere, etiámque totus populus hic ad locum suum redierit cum pace. Auscultans itaque Moses voci soceri, fecit quidquid dixerat. *Exod.* 18. 13. 14. *&c.*

Moses Dux Israelitarum: Accipiens primores tribuum Israeliticarum, homines sapientes & cognitos, constituit istos primores Reip. præfectos millenis, centenis, quinquagenis, denis, & tribuum moderatores: præcepitque iudicibus, dicendo. Ubi audiveritis causas inter fratres vestros, iudicate iustè inter virum & inter fratrem eius, etiam inter peregrinum ei. Ne suscipite personam in ullo iudicio, æquè parvum atque magnum aditote, ne metuitote à quoquā, nam iudicium ipsum Dei est, &c. *Deuteronom.* 1. 16 17.

Salomon: Justitia *iusta* esse *Deo grata & hominibus* dicit Salomon, Prov. 21 11. & 31. *& perversa, odiosa esse Deo*, Prov. 17. 15 & 18. 5. Eccles. 3. 16. 17. *In iudiciis acceptio personarum ne fiat*. Prov. 24. 23. & 28. 21. *Dona ne accipiantur*, Prov. 15. 27. & 17. 8. 23. *Favor absit & præcipitatio*, Prov. 18. 17. *Iudicia non corrumpantur*, Prov. 17. 26.

Iosaphat rex: Revocatis subditis suis ad Jehovam Deum maiorum ipsorum, constituit iudices per omnes civitates Jehudæ munitas, cuique civitati, dicens iudicibus, Videte quid sitis facturi: non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Jehova, qui vobiscum futurus est in rebus iudiciariis. Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate ut faciatis: non enim est apud Jehovam Deum nostrum iniquitas, aut acceptio personarum, aut sumptio muneris. 2. *Chronic.* 19. 6. 7.

Theotimus: Theotimus Scytharum episcopus, urgentibus Theophilo Alexandrino & Epiphanio, ut Origenis scripta damnaret, respondit, Ego nec eum, qui iam olim bene obdormivit, contumelia afficere volo: nec rem blasphemam aggredi ausim, ut reprobem quæ maiores nostri non reprobarunt. *Socrat. lib. 6. cap. 12. Sozomen. lib. 7. cap. 25.*

Constantinus Imperator: In iudicando, inquit, non est nitendum coniecturis, sed res gestæ sunt accurate pervestigandæ. *Theodoret. eccl. hist. lib. 2. cap. 27.*

Episcopi Orthodoxi: Liber quidem adversus Gentiles scriptus quum ad Julianum Apostatam perveniisset, ille ridens, episcopis orthodoxis scripsit, Legi, intellexi, improbavi. Ac episcopi rescripsere: Legisti quidem, sed non intellexisti: nam si intellexisses non improbasses. *Sozom eccl. hist. lib 5 cap. 17*

D. Augustinus: Interpellatus à Christianis, vel à cuiusque sectæ hominibus, causas eorum audiebat diligenter ac pie: cuiusdam vero sententiam ante oculos habebat, dicentis, se malle inter incognitos quam inter amicos causas audire: eò quod de incognitis, pro quo arbitrata æquitate iudicaretur amicum posset acquirere: de amicis vero, unum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. *Possidonius de vita Augustini, cap. 19.*

Ammonius: Ammonius & Dioscorus, cognomine Longi fratres, Imperatrice Eudoxia jubente quum ad Epiphanium Episcopum, hæreseos utrum que illorum insimulantem accessissent, & Epiphanius illos, quinam essent, interrogaret, Ammonius respondens, Longi, inquit, Domine. Cæterum an unquam in scripta aut sectatores nostros incideris, scire percupio. Atque illo negante, rursum Ammonius, Quid ita igitur, eos censes hæreticos, quorum sententiam non exploraveris aut redargueris? Quo dita audivisset Epiphanius respondit. At nos, ille intulit, contra fecimus. Nam & cum discipulis tuis fuimus, & scripta tua legimus, & ex eis illud maximè quod Anchorati inscriptionem habet. Quum autem multi convitiatrices acuerent linguas, ut id proscinderent, & tanquam hæreticum calumniari aggrederentur, nos optima ratione Patrem defendimus, atque illius scripta veluti rectissimè composita propugnavimus. Proinde minimè conveniebat ut nos indicta causa, veri quadam similitudine adductus rejiceres, quos ipse non condemnasti: aut talem referres gratiam eis, qui tecum sunt in rebus bonis & honestis conjuncti. Epiphanius hisce verbis ad pœnitentiam conjectus modestius homines accepit & dimisit. *Niceph. eccl. hist. lib. 13. cap. 13.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Ad Judicium properamus, & Judicem: qui, ut sol non alius pauperi est, alius diviti, sed omnibus communis; ita nec personam spectare debet, sed rei æquitatem. Reprehensus Coæternus, Dei Filius apud homines agens, quod Sabbato curasset; *Nolite*, respondit, *secundum faciem judicare, sed justum iudicium iudicate*. Judicare dignè de subditis nequeunt (inquit Greg. in Moral.) qui in subditorum causis, vel gratiam vel odium sequuntur. *Ioan. cap. 7.*

Idem: Quin & verum illud Terentii esse, iudicem videre oportere, ne quid accusandus sit; idem clare edocuit, dum ad eum Scribæ & Pharisæi adducunt mulierem in adulterio deprehensam. inclinàs enim se deorsum, digito scribebat in terram: cumque perseverarent interrogantes, erexit se, dixitque: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Quo audito, unus post alium abiit. Natura quippe Apophthegmatis est, compescere aliis insultantes. *Ioan. cap. 8.*

Cæcus Evangelicus: Tantum autem meritò iudicare cuilibet licere, quantum in seipso expertus est; docuit suo exemplo Caecus ille Evangelicus, qui à Domino visum recepit. Judæi quippe eum vocantes, compellant, Da gloriam Deo, nos scimus quia homo peccator est. qui respondit: *Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo video*. Joan. cap. 6.

Liberius Episcopus: Rogabat hunc Constantinus Imperator, subscriberet proscriptioni & excommunicationi Athanasii. qui prudenter & discrete, *O Imperator*, inquit, *iudicia Ecclesiastica decet cum maximâ præferri iustitiâ*. Trip. hist. lib. 5. cap. 17.

Alphonsus Arag. Rex: Clementissimus etiam Alphonsus, nunquam ita mansuetudinis & noxiæ lenitatis ingressus est fines, ut iudicii æquitatisve planè sit egressus. Quare cum equitum suorum quispiam multa per luxum & libidinem absorbuisset, & graviter ære alieno opprimeretur; intercedentibus aliis, ne quod ære non posset, corpore lueret; respondit: *Si tantum pecunia in fuit regis aut patriæ commodum expendisset, audirem. nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par est ut corpore luat*. Panorm. de Gest. eiusd.

Trochonus Præses: Habeat inter cæteros locum Trochonus Gratianopolitani Senatus Præses. Erat vir nobilis, qui furore potuve percitus, rusticum ense districtum aggrediebatur. Hic fugam capit: at frustra, altero instanter eum contequente quid faciat? machæram, quam fortè secum habebat, educit: minas adiiciens iustæ defensionis. Alter vitæ prodigus, innocentem urget & pellit: donec ab eo ipso, & loco & vita per machæram pellitur. Res ad Trochonium iudicem delata: qui, æquitate causæ attentâ, *Licuit*, inquit, *machæræ se contra ensem tueri*. & id rectè. cum liceat vim vi repellere, adhibito (ut dicunt Canonistæ) inculpatæ tutelę moderamine, *Eiusdem Trochoni, in Decretu Curiæ*.

Princeps Anonymus: Adiiciam & aliud facetum. Quoddam Princeps ad venationem egrediente, Astronomus qui forte in illius aula, rogatus qualis aura futura esset, serenam prædixit. quod audiens colonus, pluviam asserit, idque evidentibus signis. Vix nemora ingressus Princeps, densissimus imber oboritur. Laudat itaque colonum suum; &, *Ita censeo*, inquit *astrorum cursui posthac intendas: tu vero* (ad astronomum versus) *ad rastra te promptius conferes*. Idem Georgius Sabinus ita expressit:

Dixerat Astrologus cælum sine nube futurum,
Principe silvarum lustra petente suo.
Dixerat è contrà ruiturum nubibus imbrem,
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat Princeps nemus ilice densum,
Cum subito pluvia præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps, ipsumq; doceri
Astra: sed Astrologum sumere rastra iubet.

¶ Monosticha Trochaica.

A conatu haud ab effectu quamlibet rem iudices.
A parente destituti iudicis sunt in fide.
A prætorio præfectis nulla est appellatio.
Absq; provocatione iudicium tyrannicum est.
Abstinere à iudicando sine quis, te iudica.
Abstineto munere omni, ceu Deum donariis.
Absurdum est accusatoris fungi officio ac iudicis.
Actionem denegare est eius, qui potest dare
At quæ iusta sunt dicenda, quod vis tempus convenit.
Admodum periculosa res est esse iudicem
Æquè amor bene iudicat, quam iudicat Malignitas.
Alterum audi ubi q; servant iudices absentibus.
Ante causas indigentum quam personas inspice,
Audias duo omnem oportet antequam damnes reum.
Aurum quo vergit, sententia eodem inclinat iudicium.
Calculos suos pretio omnes nundinantur iudices.
Credit ijs facilius iudex quos libentius audijt
Condemnare qui potest, idem potest absolvere.
Cui damnato gratulandum est, eius die lenius.
Culpa iudicum non semper damnata innocentia est.
Damnat ipse se, nocentem qui eripit iudex reum.
De proborum moribus quoque improbi ipsi iudicant.
Dextera excipe albicantes haud nigros, Rex calculos.
Dona plus examinant, quam iusta quæ sint, iudices.
Disparis in contentione causa vincit iustior.
Esse iudex, esse testis, in foro haud potes simul.
Etsi opertum, at hercle iustum, iudicium ipsius Dei est
Ex meis dictis sensu non tuo me iudices.
Excolunt avaritiam odio iudices vel gratia.
Gratia habent suspicionem iudicata amantium.
Gratiæve odijve nullus ad tribunal est locus
In culpas facile itur, ubi est venalis signoscentia.
In foro viros illustres quarites ac curia.
In potentum crimina iudex haud inquirit acriter
In suam rem hercle impudenter litem vertant iudices.
Ipsi ubi iudex festinat, in morâ periculum est.
Iudicis subire partes auctor iniuria haud potest.
Iudici quandoq; sontem gratia eripit reum.
Iudicem fugit cui nulla culpa conscientia est.

Iudicem innocens corrumpere haud solet, nocens solet.
Iudices apud abstinentes caussa vincit iustior.
Iudices legi inhonestum ex censibus pecunia.
Iudices legi haud honestum est ex modo pecunia.
Iudices velo levato publicant sententias.
Iudicum est servare puras & Deo & legi manus,
Iudicum fovore quos vis calculos corruperis.
Iudicum fluunt virtutes Principum de moribus.
Iudicum ordo perpetuus nimia utsq; impotentia est.
Iudicum ne mitior sit legibus sententia.
Iudicandus non hominum quis est sed rerum ponderc.
Iudicare de re aliena promptius quam de sua.
Iudicare nil potes quam iudicij qua sunt tui.
Iudicare non ex factis, verum è caussis ius monet.
Iudicare vis? adhiberationem atq; experientiam.
Iudicata auctoritas rei legis omnem vim obtinet.
Iudicata inter alios res aliis non prajudicant.
Iudicati plus periclum iudicato ipso gravat.
Iudicum est servare malle quam ferire ac plectere.
Iudiciũ haud probũ est Amantis, probus as quam Ametis.
Iudicium leve est amoris, levius calumnia est.
Iudicij severitatem frangit usq; affectio.
Iudicij specie suam explent cupiditatem Principes.
Iudicia hodie non iudicia sunt, latronum at impetus.
Iupiter rem iudicatam in terris, iterum iudicat.
Ius bonis civile reddas, terreas Iudex reos.
Iure iudicet de cunctis est qui melior omnibus.
Livida dant principatum pessimis non optimis.
Magna iustitia pars est in Iudicis patientia
Multa iudici haud persuadet eloquens sed abrupit
Ne loquentium personas, sed causam consideres.
Nemo est absolvi qui possit, nisi qui causam dixerit.
Nemini pronuntiandum rebus est de incognitis.
Nescis quam meticulosa res sit res ad iudicem.
Nil vetat quin qui male scribunt iudicent tamen bene.
Noctem amat fugitque lucem, iudicem qui sqis timet.
Nolo, volo; volo, nolo rursum, puerilis sententia est.
Nomen est potentia Rex: Iudex est sapientia.
Non caret dolo qui imperio iudicis non paruit.
Non iudicijs inter se homines dissident, verum togis.
Non reum actorem ve iudex, sed legem adspicit bonus.
Non revocat iudex tabellam de reo ut semel tulit.
Non statim sunt falsa, vera qua probare non potes.
Nulla iudici est libertas nisi pronunciet quod libet.
Nulla tarda hominis de morte iudici est cunctatio.
Omnis iudex pracorruptus verum examinat male.
Ordo iudicum perennis ne sit, aut vacivibus!
Pauper an dives sit, caussam non personam perspice.
Peior est iudex tyranno, lege iustum qui opprimit.
Perdit se suosq; cunctos perfide qui iudicat.
Pessime quam quisq; fecit, totus est tam maxime.
Pœna plerumq; innocentis, iudicis ignorantia est.
Pœnitentia id Deo est quod Iudici innocentia.
Ponitur persona amici, iudicis cum assumitur.
Prætor ibi desideratur, caussa ubi cognitio est.
Principes magni seipsos iudices solum ferunt.
Quando iudicat tyrannus, Vis ei haud Lex adsidet.
Qui plus æquo se tuetur, iudici suspectus est.
Quomodo legum imperitus nomen gesset iudicis?
Regnet una in iudicando opinio, non veritas,
Sape cogita quid possit Iudex non quid debeat.
Sape iudex propter invidiam quid adimit diviti.
Sape iudex propter misericordiam addit iudex paupcri.
Sape ruina est innocentis, ignorantia iudicis.
Si male amor, profecto peius iudicat invidentia.
Tam malum capi suadela iudices, quam munere.
Æ reo quem rex accusat iudici: iam funus est.
Vbi tu verbum non respondes, iudex iusta qui sciat?
Vi cave obtinere & armis, quod potes per iudicem.
Vir probus ius atq; verum respicit, cum iudicat.
Vix in altero damnant quo delectantur iudices.
Vnius cuius que caussam, ubi crimen natum est audias.
Vt sententiam dixisti iudex esse desinis.

¶ Jambica.

Ad iudicem ire plena res periculi est.
Ad iudices quis mendicantem traxerit?
Ægro aut seni vocato in ius, plaustrum dato.
Aliena melius iudicat quis quam sua.
Alster inimici aliter amici iudicant.
Amans de amante iudicans, non iudicat.
Attende non quisnam, sed quidnam dicitur.
Aurem iudex absenti servat alterum.
Aurum igne tentes; iudicio innocentiam.
Bene iudicati pertinax constantia est.
Condemnat ipsum se, alterum qui iudicat.
De mistagogo mysta queinam iudices?
Damnare nemo qui damnandus est potest.
Decernito nil parte inaudita altera.
Est iudicare onus grave atque incommodum.
Est judici omni noxia juracundia.
Et judicem corrumpere eloquentia est.
Et judicum testes sunt conscientia.
Etiam securis ad tribunal sistitur.
Examinanda purpura est ad purpuram.
Examinare vera non est omnium
Excusat à judicio morbus sonticus.
Fortuna raro; Ratio semper judicat.
Forum ac tribunal quid? statio Calumnia.
Haud esse lege mitior judex potest.
Haud vocanda est in forum gens rustica.
In judicando multitudo non placet.
In judicijs, mora sunt pro innocentia.
In judicio sape homines impedit pudor.
In posterum qui prospicit iudex sapit.
Incognita nemo, ut nocens, caussa cadat.
Iudex bonus improbanda damnat non odit.
Iudex bonus partem quoq; audit alteram.
Iudex honesta vulgus est malus rei.
Iudex simulq; testis esse non potes.
Iudex reum paribus absolve calculis.
Iudicium eadem de caussa iterum haud redditur.
Iudicium nulli denegandum civium est.
Judicij libram inclinat fermè affectio.
Judicio amantis nil quidquam indulgentius.
Judicia acerba vastant urbem, haud corrigunt.
Listem facit tuam si iniques judicas.
Nemo Dei tribunal evitaverit.
Nemo esse iudex atque actor simul potest.
Nil partibus iudex debet prater fidem.
Non iudicant homines prius, quam pœnitet.
Non iudicantur de vita sed creditur.
Non nolle tantum est eius, velle qui potest.
Non tam malus iudex alis es quam tibi.
Omnis mali extat caussa iudicium malum.
Peccata morte, nullum agnoscunt iudicem.
Pecunia in iudicijs plurimum potest.
Periculose amicum amicus iudicat.
Post iudices, in cœlio Dei iudicant.
Prætori habetur pro nullo omne quod parum est.
Probabilitas pro iudicandi regula est.
Probationem occulta qua sunt exigunt
Qui iudicari non vult, se iudicet.
Qui iudicat absq; affectu, recte iudicat.
Qui iudicat, plane locum tenet Dei.
Qui transilit stateram, Astrea fit reus.
Quis esse iudex carnifex q; idem potest?
Quod iudicatum est, creditur iam veritas.
Regis voluntas pro iure omni iudici est.
Res iudicata, res censenda iam sacra est.
Securitas invisa iudici est reum.
Si iudicas ad iustitiam omnia referas.
Stulte facit faba iudicem, haud scientia.
Sus Parmenonis visam vicerit suem.
Tantum Deo esse iudice contentum arduum est.
Transferre ad alium nemo ius gladij potest.
Tribunal emptum, iurerursus venditur.
Turpe alterum damnare cum ipse sis reus.
Vbi crimen admissum est, caussam illic audias.
Vita modum ultro imponit, qui iudex sus est.
Verim q; testem audire oportet iudices.

Iudicis Corrupti.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

Innocentius VI. *Pon.* Abduci nonnumquam, imò plerumq; hoc ævo, Judices, & excæcari largitionibus potentum, testis est experientia. Quod suis tribunalibus vitium proscribere conatus Innocentius, sacri palatii auditoribus stipendia constituit, ne muneribus pellecti, contra æquum decernerent. Dicebat autem: *Fœmelici non facile alieno cibo abstinent, si quovis modo oblata sit edendi facultas.* insinuans quod in Sermonibus Horatius, *Malo verum examinat omnis*
Corruptus iudex.
Platina in Vita.

Alexander Severus Imp. Re & nomine Severus iniustitiæ vindex & ultor iste. Intellexerat Vetronium Thurnium virum genere nobilem, munera ab his & illis accipere, quibus multa se apud Cæsarē posse persuadebat. eum itaq; cōprehensum & palo alligatū, fumo suffocari iussit, & per præconē clamari: *Fumo punitur. qui fumos vendidit.* Et mirū in modū suo favore prosequebatur eos,

—— est animus quibus
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubiisq; rectus,
Vindex avara fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ.
Ex Chron. orbis refert Georg. Richterus.

Iudicii non temerè ferendi.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

Nicodemus: Sapientiam Judicis ex eo spectari, ut non solum quid possit, sed quid debeat etiam, neq; quantum sibi permissum, sed quatenus commissum, ponderet; auctor est Tullius. His enim perpensis, non temere quis ad ferendum de quopiam JUDICIUM se ingeret: quod etiam sentiebat olim NICODEMUS. Nam cum Pharisæi multa de Christi operibus ex servis Pontificum audissent, audirent inviti, eos acrius perstrinxêre, seductosq; esse, imò & maledictos inclamavêre. quibus NICODEMUS (ille, qui venerat ad Iesum nocte) *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ex ipso, & cognoverit quid faciat*? Non temerè ergo, sed ex causæ & æquitatis cognitione procedendum insinuat. *Ioann. cap.* 7.

Moyses Abbas: Quid de illo? accersebatur ut de fratre quid deliquerat, sententiam diceret. Venit, saccumq; arenâ plenum humeris detulit. Rogatus, quidnam illud esset; *Peccata*, inquit, *mea sunt, quæ vix ferre prævaleo, minimè ergo aliena judicavero.* Jac. de Vorag.

Pastor Presbyter & Monachus: Venit ad PASTOREM religiosus quispiam, de cœnobio exire contendens, eò quòd cum fratre, qui malè apud quosdam audiebat, remanere nollet, cui ille: *Ne facilè malum credideris, quod audivisti.* cumq; alius se ex relatu viri fidelis id accepisse assereret, adjecit: *Si fidelis esset, numquam id tibi dixisset. Idem.*

S. Franciscus: Idipsum nobili exemplo etiam testatus est FRANCISCUS. qui, dum iter agens, incidisset in hominem miserum & nudum, ingemuit, ejusq; nuditati cõdoluit. At frater illi comes; Quid, inquit, mœrore consumeris pater? et hic indumentis indiget, abundat forsan cõcupiscentiis. FRANCISCUS amoris fraterni non dissimulator, jussit protinus suâ se tunicâ detegeret, & pauperem contigeret, addens: *Disce non tam temerè de proximo tuo judiciũ ferre.* ab eoq; veniam supplex peteret, mandavit. *Fulgos. & alii in vita ejusd.*

Iudicii.

¶ SENTENTIAE PATRUM GRAECORUM.

Nazianzenus: Julianus Christianos omni libertate & fiducia spoliare, eosque ab omnibus conventibus, foris, publicis cætibus, ipsisque adeo tribunalibus arcere constituebat. Neque enim fas esse quenquam his uti, qui ad aras ante propositas thura non adolevisset, tantamq; tantulæ rei mercedem pependisset. O leges, & legislatores, & principes, qui quemadmodum cæli pulchritudo, & Solis lumen, & aeris fusio, communi & perenni beneficentia omnibus patent, sic legum quoq; usum liberis omnibus hominibus ex æquo proposuistis! quem tamen ille Christianis eripere in animo habebat: ut nec per vim oppressis, nec iis, qui pecuniarum atque opum detrimento, aut ullo alia malo, tam parvo quam magno, legibus interdicto, affecti fuissent, injurias suas judicio persequi liceret: verum patriis ipsi finibus pellerentur, & interficerentur, respirationeq; etiam, ipsa pene prohiberentur. Quæ, ut iis, qui patiebantur, majorem gloriam, fiduciamque apud Deum afferebant, ita iis, qui faciebant, majorem iniquitatem & infamam comparabant. Porrò quam scita & acuta ratio carnificis illius & patroni, legum transgressoris & legislatoris, aut, ut aptius loquar, inimici & ultoris, quemadmodum noster sermo loquitur: Hoc enim lege nostra sanciri, ne injuriam acceptam ulciscamur, nec litem intendamus, nec quicquam omnino possideamus, propriumque ducamus: verum alibi vivamus, ac præsentia, ut vana & inania, condemnamus & pro nihilo putemus. Nec verò cuiquam licere malum pro malo referre, nec si quis colaphum in genam unam impegerit, alteri parcere, verum eam quoque percutienti porrigere; ac præter pallium tunicam etiam exuere oportere. Adjiciet autem fortasse, eam quoque illud proscribere, ut pro iis, à quibus injuriam accipimus, preces ad Deum adhibeamus, iisque, qui nos persequuntur, optima quæque exoptemus. *Oratione tertia, qua est in Iulianum steliteutica prior.*

D. Nazianzenus: Constantius Imp. inutili pœnitentia in extremo vitæ spiritu affectus; cum nimirum, ob alterius sæculi tribunal, æquus rerum suarum unusquisque judex est. *Oratione* 21. *de D. Athanasio.*

D. Greg. Nyssenus: Nolite judicare ne judicemini. Iis verbis non aufertur nobis facultas humanè benigneq; judicandi, sed interdicitur ne gravius & asperius judicando condemnemus. Leviora igitur fac aliorum pondera, ne in eadem damnationis trutina actiones tuæ deprimantur, quando vitâ nostra tanquam in lance Dei judicio examinabuntur. Tu qui corpore indutus es, & in carne vivis, cave ne medicæ artis curationem abjicias & asperneris. nam licet commoda fruaris valetudine, non tamen semper ita liber ab omni futurus es morbo, ut opera medici nunquam indigeas. Animum habes ad res terrenas caducasq; propensum, quamdiu oblitus sui impletur corporis affectionibus. proinde noli misericordiam denegare, ne veniam ipse non invenias, quando ipsam desiderabis. *Oratione de judicio.*

D. Gregor. Nyssenus: Operæ judiciariæ, dum sexcenta atq; infinita iniquitatis & injustitiæ patrocinia excogitant, variis peccatis subserviunt. Judex aut sua sponte ad quæstum justitiæ libram detorquet, aut contra voluntatem nimia subtilitate ac diligentia supervacanea veritatem confundentium deceptus, quod injustum & iniquum est decernit, comprobat ac confirmat. *Homilia de Orat. ad Deum.*

D. Chrysostomus: Omnes homines, ut thronum non conscendant, ut carnifices, ut fidiculas, ac compedes minimè habeant attamen & ipsi quoque eos quos peccare intelligunt, judicant in colloquiis, in communibus cœtibus, in conscientiæ calculo, ac pronunciare quidem nullus audeat, quod adulter supplicium non mereatur: sed alios, ait, judicant, non seipsos.

D. Chrysostomus: Et illud perpendas quod multorum sententia sit corrupta, corruptumq; judicium: imò non solum corruptum, sed & quod subitò marcescat. nam etiamsi ad horam admirentur, puncto tamen temporis vix præterito, omnium obliviscuntur. *Homil. 17. ad Romanos.*

Chrysostomus: Nolite judicare Quid ergo, non oportet doctores & magistros hoc facere? Oportet quidem in peccatis manifestis, & de quibus constat, idq; in tempore convenienti; cum tunc doleant mordeanturq; & ægrè ferant: non sicut isti tunc faciebant, ob inanem gloriam & arrogantiam. Heic enim non dicit de peccatis de quibus constat: sed de eo quod hunc vel illum isti aut alteri præferrent, & eorum vitæ facerent comparationes. Is enim solus scit ea exactè & accuratè judicare, qui est nostra secreta judicaturus, quænã majus & quænam minus mereantur supplicium & honorem: nos autem ea judicamus, ut se res repræsentarit. Si enim in iis, inquit, in quibus ipse peccavi, nihil apertè novi, quomodo fuerim dignus, qui pro aliis feram sententiam? Quomodo autem qui mea exactè & accurate nescio, aliena potero judicare? Si hoc autem Paulo usu veniebat, multo magis nobis Hæc enim dicebat, non ut se ostenderet nulli affinem esse reprehensioni: sed ut ostenderet, quod etsi quis esset apud eos talis qui non peccasset, ne is quidem dignus esset qui vitam aliorum judicaret; & quod si is qui sibi nihil est conscius, se dicit esse reum, multò magis ii qui sibi sunt conscii rerum innumerabilium. *Homil. 1. ad Corinth.* 1.

Chrysostomus: Quid, inquit, si extrinsecus aliqui apparent boni, & admirandi? Non externa judicat ille judex, sed etiam arcana adducit in medium. Duabus ergo vel tribus potius de causis, nostrum non est accuratum & exactum judicium. Una quidem, quod etiam si nullius rei simus nobis conscii, opus tamen habemus eo qui accurate & exacte nostra arguat peccata. Altera autem quod nos plura latent ex iis quæ fiunt & absconduntur: & hoc ante omnia, quod multa ex iis quæ fiunt ab aliis, nobis quidem videntur bona, non fiunt autem ex recta animi sententia. Quid ergo dicitis; Iste aut ille nihil peccavit, & hic isto est melior? Hoc enim non licet pronunciare, ne de illo quidem qui sibi nihil est conscius. Qui enim judicat secreta, ille est qui exacte & accurate judicat. Porro autem multa bona quidem facimus, sed non ex recta animi sententia. Multos enim laudamus: non illos volentes ornare & præclaros reddere, sed per illos alios mordere: & quod fit quidem, bonum est: laudatur enim qui recte facit: est autem corrupta animi sententia: fit enim ex mente satanica.

Hoc enim sæpe fecit quispiam non fratri gratulans, & de eo lætans, sed alium ferire desiderans. Rursus quispiam magnum admisit peccatum: alius quispiam eum volens supplantare, dicit eum nihil fecisse, consolantur eum peccantem, confugiens ad id quod est commune naturæ. Sed hoc sæpe facit, non volens ignoscere, sed segniorem reddere & socordiorem. Rursus sæpe increpat, non ut arguat & admoneat, sed ut proximi peccatum publice proferat & traducat. Consilia autem ipsa homines quidem non norunt; scit autem is qui exacte scrutatur corda, & omnia illa producet in medium. Et ideo dicebat; Qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quando ergo etiam dum nobis nihil sumus conscii, non possumus esse mundi à criminationibus; & in quibus boni aliquid agimus, id non recta agimus animi sententia: cogita, quantum homines fallantur in judiciis. Hæc omnia non possunt quidem homines assequi, sed solus oculus qui somno non laborat: & si homines decepimus, nunquam illum fallemus. *Homilia* 11. *ad Corinth.* 1.

Chrysostomus: Qui judicio contendunt, nihil æqui requirunt, atq; ut ii qui judicant magnam juris curam gerant. *Homil.* 16. *ad Cor.* 1.

Chrysostomus: Manifesta crimina non egent multo probationis apparatu. *cap.* 1. *ad Galatas.*

Chrysostomus; Cur quæso cum Aaron & soror ejus ambo murmurassent, illa sola dedit pœnas? Ne mireris: nam si in externis dignitatibus, etiamsi innumerabilium criminum accusetur quispiam,

non prius ducitur in judicium quam deposuerit magistratum, ne ille simul cum ipso probris afficiatur, multò magis in magistratu spirituali quicunque is sit, operatur Dei gratia. *Homilia 3. ad Colossenses.*

Chrysostomus: Quando ergo dixerint Græci, cur nunc venit Christus, ne sinamus eos hoc dicere, sed rogemus num recte se gessit. Quomodo enim si venisset ab initio, & se non recte gessisset, non sufficisset tempus ad excusationem ac defensionem: Ita quoniam se recte gessit, non est æquum ut temporis à nobis exigatur ratio. Neque enim à medico, qui morbum curavit, & sanitati ægrotum restituerit, exigit quispiam rationem curationis: neq; ducem exercitus victoria potitum examinat, cur in hoc tempore, & cur in illo vicerit. Nam si non rem recte gessisset, erat interrogandus: quum autem rem recte gesserit, est excipiendus. Quæ est enim, dic quæso, fide dignior, tuane ratiocinatio & calumnia, an rei perfectio? Vicitne an non? hoc ostende. Superiorne fuit an non? ad finem ne perduxit quæ dixit, an non? Hæc sunt de quibus reddenda est ratio. *Homilia 4. ad Colossenses.*

D. Chrysostomus: Nempe & in privata domo, & in foro, & omnibus omnino in locis leges ac judicia videas. In domo pater familias servos quotidie judicat, pœnasq; peccantibus infert; peccataq; partim punit, partim remittit. In villa rursus villicus & uxor diebus singulis judicia exercent. In navi gubernator de vectoribus judicat; in castris dux milites discutit, plurimaq; in hunc modum judicia invenies. In artibus magister jura discipulis dictat. Omnes denique & seorsum & communiter se invicem judicant. nusquam videas juris rationem non haberi, sed omnes ubique pœnas scelerum dare. *2. ad Timoth. Homil. 3.*

D. Io. Chrysostomus: Vis judicare? tua judica. Nemo te accusat, si teipsum condemnes: accusat autem si non judices. accusat si teipsum non arguas: accusat stuporis. Vides quempiam irasci, irritari, aut aliquid aliud facere grave & indignum? statim etiam tu quoque cogita, quæ sunt tua, & ita nec illum valde condemnabis, & à peccatorum onere te liberabis. Si sic vitam nostram componamus, si eam sic exerceamus, si nos ipsos condemnemus, non multa forte peccata admittemus, multa autem bona & præclara faciemus, si mites simus & modesti. *Homil. 21. fine ad Hebr.*

S. Isidorus Pelusiota: In probo tuo imperio, vir sanctissime, nec dives ad aliorum perniciem pecuniarum vim possidet, nec qui in paupertate vivit, causæ ex æquo dicendæ potestate ob egestatem privatur: verum is quidem qui juris & æqui opibus munitus est, veritatis thesaurum possidere judicatur: qui autem his caret, etiamsi Crœsi thesauros habeat, inops esse censetur: ac neque sermonis facultas incorruptam prudentiam à recto judicio abstrahit, nec oratoris eloquentia veritatem eludit: verum anima tua firma consistit, purum jus iis, qui in judicium adducti sunt tribuens. Porrò cum in ferendis sententiis talis sis, benignitate rursum magis teipsum superasti, quam quantum justitiæ laude alios præteris. Ac propterea vicem suam lugent urbes eæ, quæ tyrannide opprimuntur: quarum una est Pelusium. Etenim contraria experientes, eos quidem qui tibi subsunt, beatos judicant: se autem miseros & infelices. Nam qui sexcentis suppliciis dignus est, si opes habeat, conspicuus apud illos & potens est: qui autem virtute floret, si pauper sit, non modo inter infames censetur, sed etiam insidiis appetitur. In judiciis autem quo aurum vergit, illuc etiam sententia propendet: ac jus quidem violatur, iniquitas autem dominatur, atque in omne contumeliæ genus prorumpit. Quæ cum ita sint, Deum precare, ut aut ejusmodi pestes ad meliorem mentem se convertant, aut ii, qui ipsis subsunt, in libertatem asserantur. *lib. 2. Epist. 101.*

S. Isidorus Pelusiota: Quemadmodum cineri atque ardentes pudicitiæ amatores ex sua castitate de aliis etiam, quamvis minimè tales sint, puras sententias ferunt, nec impudicum quendam esse arbitrantur: eodem modo qui libidinis œstro tanquam rabie quadam agitantur (quorum te quoque unum esse ajunt) ex petulanti sua libidine alios, etiam qui non sunt, tales esse judicant. Utrique enim ex suis moribus de aliorum quoq; moribus calculum ferunt. *lib. 3. Epist. 307.*

S. Isidorus Pelusiota: Tum denique recta justitiæ regula servatur (ô virtutis illius, quæ à præfecto requiritur verissimum examen) cum accusationem disceptatio sequitur, disceptationem probatio, probationem sententia, pro criminis qualitate supplicium constituens. *lib. 3. Epist. 365.*

S. Isidorus Pelusiota: Peccatum venia gravius admittis, vir optime, dum Eusebii tyrannidem magis quam æquitatem colis atq; observas. Quamobrem aut cum eo consuetudinem habens gravissimi ac penè incurabilis morbi sensum ipsi ingenera: aut ipsius improbitatem obterens, ab eo te remove. *lib. 3. Epist. 407.*

§ Theologorum Latinorum.

S. Salvianus: In hac vita hominum, si judicandum se aliquis ab humana hac potestate, & rapiendum ad tribunal terrenum esse cognoverit, advocatos requirit, patronos adhibet, officialium atq; apparitorum gratiam favoremq; mercatur, & hæc omnia metu judicii futuri agit: cum tamen eventum judicii comparare non possit: ideo etsi victoriam emere ipsam non valet, spem tamen victoriæ magno emit. *lib. 3. contra Avaritiam.*

Egesippus: Erat in civitate Zacharias qui odisset improbos, nec se misceret flagitiosis, dives opum quarum illi abundantiam, vel ad dissolvendam factionem suam efficacem opinabantur, vel ad prædam sibi uberem: hunc proditionis crimine accersendum putarunt, at ille ab hujusmodi integer conscientia, adesse sibi cœpit cum libertate, ut non solum dilueret objecta, verum reos ipsos maximorum adstrueret flagitiorum. Apud septuaginta viros dicebatur negotium. absolvunt omnes; quia nihil quod adfine esset sceleri proferebatur. verum illi irruentes, & ipsum præcipitant in profundum, & perturbant, judices, non solum cum injuria sed etiam cum periculo: ut eorum exemplo cæteri in reliquum caveret, constantiam in judicando adversa eorum voluntate adsumere rursus tamen ne quis absolveretur, ipsi irarum suarum executores, quos libitum erat, sine judicio necabat. *capite decimo lib. 4. de excidio Hierosolymitano.*

Chrysologus: Et nos fratres, quoties res turbat, fallit species, facit color negotii interna nescire, declinemus judicium, subtrahamus vindictam sententiam fugiamus; dicamus Deo totum, ne dum facilè innocentum fortè gestimus in pœnam, ipsi nobis noxiam sententiam proferamus. *Serm. 145. ante med.*

Io. Saruberiensis: Equidem dici solet, & verum est, quia in manu Principis est, ut possit mitius judicare quam leges, cum & qui legem tulit, derogandæ vel abrogandæ illius habeat potestatem. Legi ergo quam figulus tuus cælo imposuit, auctor cæli contradicere nō audebat? Interpositam inter jus & æquitatem interpretationem, soli Principi & oportet, & licet inspicere. Ubi aliud jus suadet, aliud æquitas quæ in publica utilitate versatur, Principis quærenda est interpretatio, quæ generalis est & necessaria. Ubi de scripto & sententia dubitatur, mens est inquirenda auctoris. *libro 2. Policratici capite 26.*

Io. Saruberiensis: Et quidem judices sacramento legibus alligātur jurati, quia omni modo judicium cum veritate, & legum observatione disponent. Ipsoque jure cautum est, ut sacrorum Evangeliorum scripturæ terribiles, ante sedem judicalem deponantur, ibiq; ab initio litium, ad finem usque permaneant, nec amoveantur, nisi sententia recitata, quo totius cōsistorii latitudo, Dei ipsius repleta præsentia omnibus ad sacrosanctas scripturas metum incutiat, & reverentiam, & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Omnes quoque carnis & sanguinis, religio judiciaria, propellit affectus, evacuans iram & odium, metum & amicitiam: quia, ut ait Julius Cæsar, haud facile animus verum providet, ubi ista proficiunt. Hinc & illud proverbium, authore Cicerone, apud antiquos celeberrimum: Exuit personam judicis, quisquis amicum induit. Æquitas enim cui judex obsequium debet, odii siniſtram, aut amoris dextram nescit. Nam à veritate non licet in judiciis declinare. Ut vero plurimum indulgeatur amicitiæ, amico interdum dilationis gratiam facit.

Hoc tamen ipsum raro, & non nisi causa cognita. Porro dum causa anceps est, dilatio protelatur, si non contentionis, saltem decisionis. Nam judicia festinata, pœnitentiam pariunt. Unde & Græci cum urgentur ad sententiam antequam de causa liqueat, respondent patres suos solem apud antipodes non vidisse; sed expectasse semper, donec & ipsis oriretur. Dicunt enim præproperum esse viatorem, qui antequam lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris, luceq; remota, diætam aggreditur. Sed nec judicem terreat autoritas litigatorum, Pythagoræ in longissimum tempus sit dilata petitio, & Alexandri Macedonis in castrensi judicio sit causa damnata. Quod & ille acceptum habuit judicibus agens gratiam, quorum in eo fidem probaverat, quod justitiam omni potentaui præferebant. Nihil vero præclarius de Alexandro illo, quem publica opinio magnum asserit, in aliqua historia meo judicio reperi. Mihi quidem semper, ut tamen pace eorum loquar; qui temeritatem virtuti præferunt, ditissimo Alexandro pauper Pythagoras maior erit. *lib. 5. Policratici cap. 12.*

Io. Saruberiensis: Constat rem ambiguam sine temeritate diffiniri non posse. Sunt autem multæ captiosæ quæstiones, quæ tutius & commodius præsertim in iudiciis differuntur, quam accelerentur. Unde & apud Dialecticos genus hoc Tractus appellatur, & à Græcis dicitur Ζητησις, ubi quicquid verum esse statueris, falsum reperitur. Etsi plerumq; in his per exceptionem doli mali possit res temperari, & æquitas ipsa iuris interdum queat mitigare rigorem, nisi urgentissima rerum necessitas cogat, in talibus sententiam expedit differre, quam ferre. Fere à puero didicisti, quia in quæstionibus quæ habent positiones implicitas, & quæ latenter involvunt contraria, laboriosa solutio est, nisi forte te antiquo Nestore reputes cautiorem. Ne credas somnio; Agamemnoni dictum est in somnis, dum in excidio Troiæ Græcia laboraret. Huius quoque somnii interprætationem, Jovi censuerunt Græcorum sapientissimi reservandam. Laborantes vidi quamplurimos, dum quæritur an qui dicit, ego mentior, verum dicat. Sed neminem vidi qui Scyllam vitaret & Charybdim, nisi debilem aut propitiū sustinuerit, hostem. At in litigosis disputationibus & declamationibus scolasticis, sine periculo, isto ista versatur. Sed ubi ad forū ventū

est

est, in quo inanis ostentatio ingenii conquiescit, & seria dumtaxat agitantur, sine periculo litigatorum, aut judicis, in sententiæ calculo non erratur. Nec est, ut opinor, quicquam utilius, quam periculum differri, si omnino vitari non potest. Iniquissimum tamen est, jurgia protelari, cum alterutrius litigantium periclitatur utilitas, & rei difficultas moram non contrahit. Quicquid igitur expediri potest, accelerandum est; quod consultiore tractatu indiget, differendum. *sine cap.* 12. *lib.* 5. *Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Ut rerum veritas citius illucescat, litigatores ipsos, personas videlicet principales, non ante ad litem judex admittit, quam ei præstito sacramento faciant fidem, quod justitiæ suæ insistent, & calumniam omnem procul facient. Actor quidem juret, non calumniandi animo litem moviisse, sed existimando bonam habere causam, & quod nihil in tota lite faciet calumniose, ut nec probatio, nec dilatio frustratoria exigatur, sed id solum quod justitia videtur exigere. Reus autem jurabit, quod putans se bona instantia uti, pervenit ad reluctandum, & quod in nullo litis articulo calumniose versabitur, id solum à judice, vel adversario exigens, quod pro veritate putat ex necessitate justitiæ exhibendum. Uterq; vero juramenti sui extrema clausula hoc complectetur, ut jurent se nihil dedisse, aut promisisse, aut daturos esse, vel per se, vel per mediam personam, sine judicibus, sive aliis quibuscumq; personis pro ea causa, exceptis his, quæ advocatis, & quibusdam aliis certis personis de juris indulgentia præstari licet. Quod si actor sic jurare recusaverit, exclusus a lite cadit ab actione, tanquam improbus litigator. Reus vero detractans subire juramentum, habetur pro confesso, & sententiam damnationis expectat Sed & ipsi patroni causarum, quo fidelior possit esse examinatio, ab ipsa contestatione litis, juramento arctantur ad veritatem & fidem, jurantes quod cum omni virtute sua, omnique ope, quod justum & verum examinaverint, clientibus suis inferre procurabunt, nihil studii relinquentes prout cuique possibile est, & quod ex industria sua non protrahent lites. Nam eas oportet à judicibus infra biennium vel triennium terminari. Ipsos quoque advocatos pari distributione partibus exæquabit, sive eos petierint, sive non, ut æquo Marte possit causa procedere.

Hæc autem paritas, & in virtutis merito, & vivacitate ingenii, consilii profunditate, & opinione scientiæ, & nominis autoritate consistit, ut hæc omnia, si fieri potest, apud partes quadam æquitatis lance librentur. Quod si unius præ cæteris est fama hilarior, ex officio judicantis prout poterit parti adversariæ compensubitur. Qui tamen alicujus litigatorum arcana prænovit, non patrocinabitur adversario, nisi forte citra convenientiam judicis, separatim cum pluribus alter tractaverit, ut alteri paris defensionis copia subtrahatur. Nec est qui à judice monitus, sine excusatione probabili, possit cuicumque parti patrocinium denegare, nisi forum sibi præcludi velit, ut postmodum in causis agendis minimè audiatur, Si vero prævaricatus fuerit advocatus, in convictum oportet, pro qualitate commissi pœnam gravissimam exercere. Munus siquidem patrocinii fidelissimè implendum est, & sine adversariorum injuria. Rationibus namque, non probris contendendum est, & ex edicto principis patitur opinionis dispendium, quisquis negotio derelicto, procax in adversarii sui contumeliam aut palam pergit, aut subdole. Sed licet patrono merces ex causa honorarii debeatur, concinnatorem vel redemptorē litium esse non licet, ut certæ partis emolimentum cum gravi damno litigatoris, & quadam deprecatione peciscatur. Quicquid autem patronus allegaverit præsente domino, perinde est habendum, ac si proferatur a domino, nisi ex continenti, id est, infra proximum triduum contradixerit.

Licet autem patronum vinci contigerit, in nullo læditur fama ejus, si nihil omisit ex contingentibus, & clientis sui justitiam fideliter fovit. Non enim cogitur patrocinari mendacio. Si quid vero læsionis affert causa, in litigantes cadit, sive civiliter, sive criminaliter actum sit. Hoc autem quicquid sit, sententia diffinitiva declarat, quæ reos condemnat, vel absolvit, & interdum in ipsos autores consultissimè acerbitatis effundit aculeos. Nam ut de civilibus taceatur, in quibus tamen est eadem invenire, accusatorum temeritas tribus modis detegitur, tribusque subjicitur pœnis. Aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. Est autem calumniari, crimina falsa intendere: Prævaricari, vera abscondere. At in universum ab accusatione desistere, tergiversari est. Sed lege Remia calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicii, ita tamen ut postquam reus absolutus fuerit cum de accusatoris consilio & mente constiterit, si justo errore lapsus est, absolvatur: Si vero in evidenti calumnia deprehensus est, pœna legitima condemnetur. Quod ipsius pronunciationis manifestatur verbo. Nam si pronunciatum est, non probasti, pepercit actori. Si vero calumniatus es, condemnavit eum: & licet de pœna infamiæ nihil subjererit, tamen potestas legis adversus eum exercebitur, adeò ut importet infamiam. *libro quinto cap.* 13. *Policratici.*

Io. Sarisberiensis: Quidquid à præsentibus patiar, spero auctore Deo, & charitate qua urgeor ad scribendum mihi præstante fiduciam, quod labori meo gratia non deerit posterorum odio siquidem vel amore in partem alterutram præsentium plerunq; judicia prolabuntur. *prologo lib.* 8. *Pol.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Lysias; In Areopago quidem sanctissimo justissimoque judicio, qui delictum confitetur, morte mulctatur: qui negat nisi argumentis convincatur, absolvitur. quapropter non idem sentiendum est de iis qui negant, & qui confitentur. *cap.* 5. *in Andocidem.*

Aristides Rhetor: Qui de aliis judicare solent, seipsos ignorare non possunt. *Orat. contra criminantes quod non declamaret.*

Philostratus: Dicendi artificium, si judiciis manifestum sit, dicenti calumniam affert, tanquam eos decipere volenti qui judicaturi sunt. Sin autem occultum latensque fuerit artificium, facilius quod volet assequetur. Judices enim latere, quod quis eloquens sit, vera perfectaq; est eloquentia. Sapienti autem viro sese defensuro (neque enim in judicio accusabit sapiens ea quæ reprehendere palam potest) & alius dicendi modus convenit à forensibus oratoribus; & ut oratio præparata quidem sit, dissimulet autem præparationem; & puram esse oportet, non tamen adeo nudam ut superbiæ suspicionem nimiam afferat. Captandæ autem misericordiæ ratio omnis abesto. qui enim suppliciari pro se non permittit, quid is pro captanda misericordia dicere curabit? *lib.* 8. *Apollonij cap.* 2. *fine.*

Philostratus: Turpissimum est & à legibus alienum de iis judicare de quibus antea sis persuasus, aut de iis antea persuaderi, quibus judicium sis laturus. Ego, rex, de me male sentire te animadverti: in quo majore injuria à te afficior quàm a calumniatore quæ enim probaturum se esse pollicitus est, tu ante quam audieris credidisti. *lib.* 7. *Apollonii cap.* 14.

Halicarnassæus: Non enim si ea qua Thucydides aliiq; viri polluerunt, ingenii vi ac præstantia deficimur, idcirco fit ut ea quoq; quæ illis fuit, considerandi & judicandi facultate careamus. Nam neque de Apellis, aut Zeuxidis, aut Protogenis, aut aliorum pictorum, qui fama claruerunt artibus judicare non licet iis quos earum artium scientia cum his ipsis minime conferri potuisse constat: neque de Phidiæ, aut Polycleti, aut Myronis operibus cæteri opifices sententiam minus ferre potuerunt, cum ab eorum tamen laude longe distarent. ut illam rationem prætermittam, quod sæpe usu contingit, ut homo insçius atque idiota, si quid sit judicandum iis in rebus quæ sub sensum cadunt, ne artifice quidem ipso sit inferior. huc enim omnis ars intendit hinc; judicandi sumit initium. *cap.* 4. *de judicio Historiæ Thucydidis.*

Arrianus: Vide tu qui in jus ambulas, quid tueri velis & ubi velis proficere? Nam si voluntatem naturæ consentaneam conservare studes, omnia tibi tuta sunt, omnia opportuna, negotium non habes. Si ea quæ in potestate tua, quæ sui juris naturaq; libera sunt, custodire iisq; contentus esse volueris, quid præterea curabis? Quis enim iis dominatur? Quis eripere ista potest? Si voles verecundus esse & fidelis, quis te non sinet? Si neq; prohiberi neq; cogi voles, quis te coget ea appetere, quæ tibi non placent? Quis aversari quæ tibi nō videtur aversanda? Quid vero? Statuet ille quidem inter nonnulla, quæ terribilia videntur. Ut autem tu ea sic feras, ut aversaris, efficere qui potest? Cum igitur penes te sit appetere & aversari, quid adhuc curas? Hoc tibi exordium esto, hæc narratio, hæc confirmatio, hæc victoria, hæc peroratio, hæc gloriatio. Quapropter Socrates ad eum qui submonuerat, ut se ad judicium pararet: Quid ergo, inquit, non tibi videor per omnem ætatem ad istud me parasse? Qua ratione? Conservari, inquit, id quod penes me fuit. Quo modo ergo? Nihil unquam injustum, vel privatim vel publice feci.

Quod si externa etiam tueri voles, corpusculum, reculam & dignitatulam: jam tibi dico protinus, ut te quavis ratione pares. Jam meditare, quod & judicis sit ingenium, & adversarii. Si amplectenda sunt genua: genua amplectere. Si plorandum: plora. Si gemendum: geme. Cum enim tua semel rebus externis subjeceris: deinceps servito, nec repugnato, neq; aliquando nobis servire velis, aliquando nolis, sed simpliciter totoq; pectore aut hæc, aut illa sequitor: aut liber, aut servus, aut eruditus aut ineruditus, aut strenuus, gallus aut degener esto: aut sustine verba usq; ad mortem, aut animum despondeto statim. Absit ut multis plagis jam acceptis, tum denique deficias.

Quod si hæc turpia sunt: continuo rem explica: ubi sita est natura malorum & bonorum? Ubi & veritas. Ubi veritas & natura, ibi est & cautio. Ubi veritas & natura, ibi est etiam fiducia. Nam quid putas? si externa tueri voluisset Socrates, in judicio dicturū fuisse? Me quidem Anytus & Melitus occidere possunt, lædere autem non possunt: adeone stupidus fuisset ut nesciret hanc viam non eo ferre sed alio? Quid ergo est? Nec rationem istud habet, atque insuper irritat. Sic meus Heraclitus, cum de agello negotiolum Rhodi haberet, & judicibus probasset causam suam: progressus ad perorationem, neq; orabo vos, inquit, neque curo quid sitis pronunciaturi. De vobis potius quam de me fit judicium, atq; ita negotiolum evenit. Quid opus isto fuit? Tantummodo ne ora, noli autem adjicere, te non esse oraturum: nisi forte ferat tempus, ut de industria sint irritandi judices. Id quod Socrati usuvenit. Quod si & tu talem per orationem paras, quid exspectas? Cur te judicio sistis? Nam si in crucem tolli cupis, exspecta, aderit crux. Sin parere judici & probare causam studes, cætera ordine facienda sunt, quæ is locus postulat, decora tamen personæ tuæ conservato. Ea quoque ratione ridiculum est, jubere se moneri. Quid te moneam?

Efficе ut meus animus, quicquid evenerit, ad id se accommodet. Istud quidem perinde est, ac si illiteratus dicat: Dic mihi quid scribam, ubi nomen aliquod propositum mihi fuerit. Nam si ego dicā,

ut Dion ſcribendus ſit: deinde vero alius ei non Dionis, ſe Theonis nomen proponat: quid ſcribet? verum ſi ſcribendo exercitatus fueris, artem calles, & ad ea omnia quæ dictabuntur ſcribenda es paratus. Sin minus: quid ego nunc te moneam? Nam ſi quid aliud res ipſæ poſtularint, quid dices aut facies? Hoc igitur univerſale memento, atque ita non egebis admonitione. Quod ſi rebus externis inhiaveris, neceſſe te erit ſurſum ac deorſum volutari, domini arbitratu. Quis autem eſt dominus? Is qui ea in poteſtate habet, quæ à te vel expetuntur, vel fugiuntur. *lib. 2. cap. 2. Epict.*

Iulianus Imp. Iracundia vos decepit & furor, qui atrociſſima quæq; ſolet committere, ubi mentem domicilio ſuo exturbavit; unde repentino impetu elatus nefarium facinus induxit, non veritus ea committere quæ in aliis meritò reprehendebatis. Juſtè irati ſacram urbem ſcelere polluiſtis; cum liceret eum ſententiis judicum permittere: Sic enim non cædes, non ſcelus ullum fuiſſet, jus & æquitas adhibita eſſet, quæ & vos penitus conſervaret, & impietatis auctorem punires, & cæteros comprimeret, qui Deos contemnunt qui urbes iſtas & florentes populos pro nihilo ducunt, qui crudelitatem erga illos exiſtimant potentiæ ſuæ additamentum. *Epiſt.* 10. *ad Alexandrinos.*

Iulianus: Auſus eſt populus, ut canes, hominem diſcerpere, neq; pudore afficitur: neque manus puras ac ſanguine vacuas ſervat, ad Deo offerendum. At enim dignus erat Georgius, qui talia pateretur. Imò longè fortaſſe graviora, inquam, & acerbiora. At veſtro nomine. Fateor, ſed à vobis non concedo. Sunt enim leges, quas obſervare omnes & colere debebatis: ac ſi privatim à nonnullis violarentur, publicè quidem certe rem bene adminiſtrari, legibus obtemperari, inſtituta majorum ſancta & ſacra haberi conveniebat. Præclarè eſt vobiſcum actum, viri Alexandrini, quod me regnante talia commiſiſtis, qui partim verecundia in Deum, partim avi mei, & avunculi mihi cognominis, qui tum ipſi Ægypto, tum veſtræ civitati præfuit, recordatione, fraternam erga vos charitatem conſervo. Certè in bono & ſevero imperio, cujus auctoritas non cõtemnatur, facinus inſolens populi ferri non ſolet, ſed tanquam gravis morbus aſperiore medicina ſanatur. *Ep.* 10.

Iulianus: Hoc reliquum eſt iis qui afficiuntur injuria, quò ſe tueantur ac ſervent, judicem eum nanciſci qui rectè judicare & velit & poſſit: utrum vis defuerit iſtorum, ut judex fallatur aut præjudicetur, æquitatem perire eſt neceſſe. Verum quando judex eſt qualem optamus, dicendi autem poteſtas non eſt, prohibitis præſertim oratoribus, poſtulant facultatem dicendi, ſibi concedi, neq; illius inertiam qui tum civitatis cauſſam agebat, tantæ fraudi ſibi in poſterum eſſe, neq; abſurdum videri debet revocatio judicii, utile enim eſt populo commoda & opportunitates aliquas negligere, ut in poſterum pacem atq; otium redimat. *fine Epiſt. 36.*

Libanius: Si vero qui fateatur crimina, ait oportere nos expectare ſententiam judicum: non prorſus mihi videtur noſſe qua de cauſa fora & prætoria homines approbaverint. Non ut cum eo advenimus, omnibus manifeſta accuſemus: (ſi quidem nullus judex quæ ſcit ab alio dicente diſcere vult) ſed ut quæ clara non ſunt crimina, dilucida argumentorum vi reddantur iis qui ea ignorabant. Etenim obſcura judicium requirunt: at in perſpicuis ſola relinquitur pœna. *Declamat. 5.*

Libanius: Æquitatem certe meam ex eo quod nunc fit, vobis intueri licet, judicio diſcepto, cum integrum ſit manu decernere. *Declamat. 22. princ.*

Libanius: Etſi adverſaria multos vobis patronos, pecuniis noſtris conductos, objecerit, atq; ipſe uſquequaque deſtituar dicendi imperitus; tamen cum veritatem mihi adſtipulantem habeam, & veſtram jus dicentium pietatem perſpicuam vobis viricidæ iſtius crudelitatem puto redditurum. *Declam. 44.*

Helsodorus: Omnis cauſſa quæ in judicium venit, rex, duobus maximis & præcipuis argumentis niti conſuevit, probationibus ſcilicet quæ ſcriptis continentur, & teſtium confirmationibus. utrumq; tibi exhibebo. *lib. 10. Æthiopic.*

Helsodorus: Judicem legitimum definimus eum, qui æquitatis patronus ac defenſor eſt. *lib. 10. Æthiopic.*

Alcinous: Quoniam eſt quiddam quod judicat, quiddam quod judicatur, neceſſe eſt aliquid etiam ex utriſq; fieri, quod quidem judicationem vocare poſſumus. Itaq; ipſam judicationem κριτηριον non inepte quis appellaverit: communius autem, id quod judicat. Hoc autem duplex videtur eſſe. Unum à quo, alterum per quod judicatur id quod judicatur. Quorum illud intellectus eſt qui in nobis, hoc autem quo iudicatur, inſtrumentum naturale ad judicandũ accõmodatum: primario quidem vera, ſecundo tamen & falſa. Neq; hoc aliud quicquam eſt quam ratio naturalis. Quod ſi liquidius etiam explicare velimus, eorum quæ eſſe dicũtur, judex appellari poterit philoſophus, à quo res ipſæ dijudicantur: Judex item ratio, per quam verum etiam judicatur: quod modo inſtrumentum appellari diximus. Jam vero duplex eſt ratio: Una penitus inexpugnabilis ac vera: altera pro rerum cognitione nunquam fallens. Prior in Dei poteſtate eſt, in hominis nequaquam. Secunda & in hominis. Sed & hæc duplex eſt. Una ad intellectus, altera ad ſenſuum ſpectat objecta. Et prior quidem, ſcientia, & quæ ſcientiam gignit ratio eſt, altera verò opinio. Et illa certitudinem quidem ac ſtabilitatem habet, quippe cum circa certa ac ſtabilia verſetur principia: hæc veri ſimilitudinem & opinionem, utpote quæ circa mutationi obnoxia.

Scientiæ verò circa intelligibilia, & opiniones circa ſenſibilia, intellectio ac ſenſus principia ſunt. Senſus autem affectio eſt animæ per corpus, primario, facultatis perpeſſæ internuncia. Quando autẽ animo per inſtrumenta ſenſuum rerum forma ſentiendo fuerit impreſſa, & ita quidem ut temporis non delatur ſpatio, ſed diuturna conſervetur ac firma; hujus conſervatio, memoria nuncupatur. Memoriæ autem ſenſuſq; conjunctio, eſt opinio. Quoties enim aliquid quod primo ſenſus movere poteſt nobis occurrit, ab eoq; ſenſus in nobis efficitur, & à ſenſu memoria, ac deinde rurſus idem ſenſibus noſtris objicitur, memoriam præcedentẽ cum ſequente ſenſu componimus, & in nobis ipſis jam dicimus, Socrates, equus, ignis, cæteraq; hujuſmodi. Atq; hæc opinio nuncupatur, quoties præcedẽtem memoriã cum recente ſenſu componimus. Quoties aũt inter ſe conveniunt ea ac congruunt, opinio vera exiſtit: ſi diſſonant, opinio falſa. Nam ſi quis dum Socratis memoriã habet, in Platonem ipſum incidat, putetq; ſe ob quandam ſimilitudinẽ, Socrati rurſus occurrere, ac poſtea acceptũ à Platone ſenſum, quaſi à Socrate acceperit, cum Socratis quam ſervavit memoria componat, falſa naſcitur opinio.

Id autem in quo ſenſus atq; memoria fiũt, cum cerea tabula Plato comparat. Cum vero ea quæ per memoriã ſenſumq; opinione ſunt concepta, anima cogitatione refingens, ad ea reſpicit, tanq; illa à quibus ita manarunt, picturam quãdam ac imaginationem interdum Plato nominat. Cogitationem vero, animæ quaſi ſecũ agentis colloquium. Sermonem a. quod à cogitatione per os unà effluit cum voce. Intellectio vero eſt operatio intellectus, prima intelligibilia contemplantis. Quæ duplex videtur eſſe: Una animæ, quæ priuſquã deſcenderat in corpus, ſua tum intelligibilia contuetur: Altera ejuſdẽ, poſtquam in hoc demerſa eſt corpus. Quarum prior, quæ ante demerſum in corpore fuit animũ, hoc ipſum proprie vocabatur Intellectio: altera vero, cũ jam in corpore verſatur, ſicut prius intellectio, ita tum naturalis dicitur notitia: cum nihil aliud ſit, quã intellectio quædam in ſubjecta jam corpori anima. Quoties ergo intellectionẽ rationis ad gignendam ſcientiam accõmodatę dicimus principium, non eam de qua nunc loquimur intelligi volumus, ſed eam potius quæ ſeparato adhuc à corpore erat animo: quæ quidem, ut diximus, nunc intellectio, nũc naturalis dicitur notitia. Atq; hãc ipſam Plato cum ſcientiam ſimplicem, tum animæ alam, nonnunquã vero & recordationẽ nominat. Ex iis deniq; ſimplicibus ſcientiis naturalis ſcientiæq; effectrix conſtat ratio, quæ nobiſcum naſcitur.

Cum itaq; ſit duplex, & quæ ſcientiam & quæ opinionẽ gignit ratio; intellectio item & ſenſus: neceſſe eſt & iis objecta quædam ſubjici; intelligibilia videlicet & ſenſibilia. Et quoniam intelligibilium quædam prima ſunt, ut ideæ: quædã ſecunda, ut quæ in materia ſunt, ſpecies, & ab illa ſeparari nequeunt: intellectio quoq; duplex erit, primorũ una, altera ſecundorum. Rurſuſq; quoniam in ipſis etiam ſenſibilib. quædam prima ſunt, ceu qualitates, ut color, albedo: alia ſecundũ accidens, ut album, coloratum; & quod concretum eſt, ut ignis, mel: eodem quoq; modo ſenſus primus primorũ erit, ſecundus ſecundorum. Prima intelligibilia intellectio judicat, nõ ſine ratione ea, quam ſcientiã gignere diximus, per cõprehenſionem quãdam ſine diſcurſu. Secunda vero eadem effectrix ſcientiæ ratio, non ſine intellectione. Senſibilia autẽ, ea quæ prima ſunt & ſecunda ſenſus judicat, non ſine ea ratione tamen quæ cum opinione eſt cõjuncta. Id vero quod concretum eſt, ratio eadem illa, non ſine ſenſu tamen.

Cumq; intelligibilis mundus primum ſit intelligibile, ſenſibilis vero concretũ quiddam: illum intellectio cum ratione, id eſt non ſine ratione dijudicat, hunc ea quæ cum opinione cunjuncta eſt ratio, non ſine ſenſu. Et cum contemplatio ſit & actio, recta tamen ratio haud eodem modo diſcernit quæ cõtemplationi & quæ actioni ſunt ſubjecta. Etenim contemplatione quid verũ, quid falſum, in iis quæ ad actionem pertinent, quid proprium, quid alienum, quid hoc ſit quo agitur, conſiderat. Ex eo enim quod inſitam pulchri nobis boniq; notionem habemus, ratione utendo, eamq; ad naturales illas notiones veluti ad definitas quaſdam normas referendo, bonane an mala ſint ſingula, dijudicamus. *cap. 4. lib. de Platonis doctrina.*

¶ Latinorum.

Quintilianus Senior: Omnes moræ judiciorum, longæ nimium, & pro nocentibus compoſitæ ſunt. *Declam. 249. m.*

Quintilianus Senior: Nulla præſcriptio, inchoata judicia peragi vetat, ſi inchoari aliquando prohibet. *Declam. 250.*

Quintilianus Senior: Abſolutus eſt quidem reus, ſed innocentem ſe eſſe accuſatori nondum perſuaſit. *Declam. 254. m.*

Quintilianus Senior: Forum quoddam templum mihi pacis videtur, in quo jura exercentur. *Declamat. 274. fine.*

Quintilianus Senior: Nihil judicium magis trahit quam diffidentia petitoris. *Declamat. 306. a. m.*

Quintilianus Senior: Accuſator hic quandoquidem fecit rem pœnitentia dignam, fortius defendetur ab alio, & majore cum verecundia patronus confitebitur, ſi quid confitendum eſt. Et quoties cauſſa plus juris habet quam pudoris, ad eum transferenda eſt quæ non erubeſcit. *Declamat. 313. Sermone.*

Plinius Iunior: Actione tertia commodiſſimum putavimus plures cõgregare, ne ſi longius eſſet extracta cognitio, ſatietate & tædio quodam juſtitia cognoſcentium ſeveritaſq; langueſceret. alioqui ſupererant minores rei, data opera hunc in locum reſervati. *lib. 3. Epiſt. 9. med.*

Plinius Iunior: Fas eſt nõnunquam quærere Regulũ, quod libera tempo-

tempora petebat, quod audituros corrogabat. postquam obiit, increbuit passim & invaluit consuetudo, binas vel singulas clepsydras interdum & dimidias, & dandi, & petendi, nam & qui dicunt, egisse malunt quam agere; & qui audiunt, finire quàm judicare: tanta negligentia, tanta desidia, tanta deniq; irreverentia studiorum periculorumq; est. An nos sapientiores majoribus nostris? nos legibus ipsis justiores quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi & supra modum tardi? nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religiosius judicamus, qui pauciorib. clepsydris præcipitamus causas quam diebus explicari solebant? Equidem quoties judicio, quantum quis plurimum postulat aquæ, do. etenim temerarium existimo, divinare quam spatiosa sit causa inaudita; tempusq; negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cum primum religioni suæ judex patientiam debeat; quæ pars magna justitiæ est. At quædam supervacua dicuntur. etiam; sed satius est & hæc dici, quam non dici necessaria. præterea an sint supervacua, nisi cum audieris, scire non possis. *Epist. 2. lib. 6.*

Symmachus: Tune, inquies, audeas de philosophis judicare? Licet alienas spectare virtutes. Nam & Phidiæ Olimpium Jovem, & Mironis buculam, & Policleti Caneforas rudis ejus artis hominum pars magna mirata est. Intelligendi natura indulgentius patet. Alioqui præclara rerum paucis probarentur, si boni cujusq; sensus etiam ad impares non veniret. *lib. 1. Epist. 23.*

Symmachus: Orationem meam tibi esse complacitam nihilo sequius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis Senatus audivit. Adjecisti sacramenti pondus; & in bona verba jurasti: ut qui scires in suspicionem gratiæ venire amantium judicata. Nam ubi certa est amicitia, ibi fides laudis incertior. *lib. 1. Epist. 46.*

Symmachus: Forte amor mei stilum tuum coëgit in gratiam. Fit enim sæpe ut judicii severitatem frangat affectio, & amicorum facta dictaq; ea indulgentia censeamus, qua plerumque singuli etiam vitia nostra diligimus. *lib. 1. Epist. 72.*

Symmachus: Eusebius adolescentiæ prolapsus errore, notatusq; judicio exploratissimum remedium veniæ Imperialis implorat. cujus hæc summa est, ut judicati remissione, famæ suæ vulnus excludat. *lib. 3. Epist. 35.*

Symmachus: In causis quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet. *lib. 10. Epist. 41. p.*

Symmachus: In causis appellationum malo jus potestatis infringere, quam interpretationum dubia sustinere; præsertim conscius haud iniquæ judicationis: cui nonnihil honoris eveniet si æternitatis vestræ oraculo roboretur, Domine Imperator. *libr. 10. Epist. 46 pr.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 3. præceptis ad Virgg.

Nec vere turba captans popularis amorem
Turpe quid admittas: nec recti desere curam.
Si licet hoc illis odio, quos improba vita
Delectat, cura qua sunt dignissima laude;
Si tamen illa tuis meritis comes esse recuset,
Non te discruciet mendax oratio: verum
Prompta per assuetos vestigia figito gressus:
Quamlibet oblatrent, at quæ impura resolvant,
(Ladere nil unquam, quod sit cœleste, valebunt)
Ipsorumque oculos livor justissimus urat.

Aristophanes Equitibus v. 1033.

Amice audi prius, post deinde judica.

Aristophanes Nubibus v. 619.

——*Sed & cum sacrificare oportet, vos reos*
Quæstioni accipitis, & judicia exercetis fori.

Aristophnes Ranis v. 684.

Resonatq; ut luscinia heu miserum hoc.
Quod sit perituru,
Quam vis paria sint vota.

Plautus Asinariæ 4. sc. 2. v. 11.

——*Me honestius est uxori ejus*
Quam te palam hanc rem facere: ne illa existimet
Amoris caussa percitum id fecisse te
Magis quam sua caussa.

Plautus Mostellar. 5. sc. 1. v. 51.

Quod agis, id agas. quid tu porro vis serere negotium?
Nescis tu quam meticulosa res sit ire ad judices.

Terentius Phorm. 2. sc. 2.

At tu qui sapiens es, magistratum adi:
Judicium de eadem caussa iterum ut reddant tibi
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hic de eadem caussa bis judicium apiscier.

Terentius Phorm. 2. sc. 3.

Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptu est.

Terentius Phormion. 5. sc 7.

Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neq; jam id celare posse te uxorem tuam:
Nunc, quod ipsa ex alio audiura sit Chreme,
Id nosmet indicare, placabilius est.

Petronius Arbiter.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam numnis vendere verba solent.
Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atq; eques in caussa qui sedet, empta probat.

Iudicii Divini.

¶ SENTENTIÆ PATRVM

D, *Nazianzenus*: Tametsi Deus jam adductum haberet & paratum contra Julianum arcum, per vim tamen tantisper expectabat, dum tota ipsius improbitas, quasi sub putridus & malignus quidam morbus, erupisset. hic enim divini judicii mos est, ut vel per pœnitentiam salutem afferat, vel justius puniat. *Orat. 4. Stelitevtica altera contra Iulianum.*

D. Chrysostomus: Hominum quidem judicia sæpe falluntur: Dei autem sententia nec reprehendi unquam potest nec corrumpi. *Homilia 10. ad Corinth. 1.*

S. *Isidorus Pelusiota*: Si ea in te prænotio est, ut, quæ extremo judicio servantur, tibi explorata sint, non absre ante judicium homines condemnas, ut qui inani opinione tua, quid in pectoribus conditum sit, compertum habeas. Sin autem naturæ libenter peccantis, ut homo, pars quædam es, atque ad examen omninò venturum te esse expectas, ut vitæ actæ rationes à te exigantur, Dei judicium ne præripe: atq; id potius stude, ut eos, qui peccant, ad pœnitentiam voces, quam ut ad desperationem impellas *lib. 1. Ep. 339.*

Orosius: Cito Dei ira in misericordiam vertitur, & cœptæ ultionis major forma quam pœna, in mensuram plenitudinis reputatur. *lib. 7. adversus Paganos cap. 22.*

¶ Poetarum.

Prudentius hymno matutino.

Nec lingua mendax, nec manus,
Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator adstat desuper
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quidquid est
Humana quod mens concipit.
Hunc nemo fellit Iudicem.

Plautus Rudentis prologo, ubi Stella loquitur.

Qui est imperator Deum atq; hominum Iupiter,
Is nos (Stellas per gentes alium alia disparat,
Hominum quei facta, mores, pietatem & fidem
Noscumus, ut quemq; adiuvet opulentia,
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quiq; in iure abiurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Iovem.
Quotidie ille scit, quis hic quarat malum,
Qui hic litem adipiscipostulant periurio,
Mali res falsas qui impetrant apud Iudicem,
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat,
Maiore multa multat quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis ex scriptos habet.
Atq; hoc sceleste illis in animum inducunt suum,
Iovem se placare posse donis, hostiis,
Et operam, & sumptum perdunt, id eo fit, quia
Nihil ei acceptum est à periuris supplicij.
Facilius si quis pius est, à Diis supplicans,
Quam qui sceleste est, inveniet veniam sibi.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

Moses Dux Israelitarum: Quum Nadab & Abihu, seniores filii Aaronis, munus suum transgressi ab igne è conspectu Dei exeunte exanimati sunt, dixit Moses Aaroni, Illud est quod loquutus erat Jehova dicendo, In propinquis meis sanctificabor, & ante conspectum totius populi glorificabor. sed conticuit Aaron. Jussit deinde mortuos efferri extra castra, edixitq; Aaroni & filiis ejus, Capita vestra ne nudate, neque vestimenta vestra discindite, ut non moriamini, & contra totum hunc cœtum Deus effervescat: sed fratres vestri, tota familia Israelis deflebunt hoc incendium quod incendit Jehova. Neq; à porta tentorii conventus exite ne moriamini: nam oleum unctionis Jehovæ super vos est. *Levit. 10. vers. 3. 6.*

Nathan & David: Post adulterium, homicidium, & alia tetra flagitia à Davide perpetrata, Nathan Propheta à Deo missus, proposita Davidi parabola accommoda, & quid juris esset expiscatus, eum ad facti sui conscientiam revocat, & Dei castigationes æquissimas denunciat. Tum dixit David ad Nathanem, *Peccavi Iehovæ*: quapropter dixit Nathan ad Davidem: *Etiam Iehova transtulit*

peccatum tuum: non es moriturus. Tantummodo quia plane irritasti Iehovam per inimicos ejus in hac re: similiter iste filius, qui natus est tibi, omnino moriturus est. Deinde abiit Nathan domum suam. 2. Samuel. 12. *v.* 2. 13. &c.

Iesus Christus Dominus noster: Annuntiantibus ei quibusdam de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis, respondit Iesus, dicens, Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quodtalia passi sint. Nequaquã dico vobis: imò nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis, &c. *Luc* 13. *v* 2. *&c.* Subitæ & maximæ sunt hominum calamitates & pœnæ. Justa item est Dei longanimitas, a qua tamen non abest Nemesis erga eos qui non convertuntur.

Idem: Præteriens Iesus quum vidisset quendam cæcum à nativitate, quum interrogassent eum discipuli dicentes, Rabbi, quis peccavit, hic, an parẽtes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus, Neq; iste peccavit, neq; parentes ejus, (ut cæcus nasceretur) sed oportet opera Dei manifesta fieri in eo. *Ioan.* 9. *v.* 3.

Theodoretus: Clemens, inquit, & benignus Dominus misericordia & justitia velut libra & lancibus hominum facta ponderatis, cum videt aliquem magnitudine scelerum benignitatis suæ modum superasse, debito eum coercet supplicio, ne longius ad perniciem prolabatur. *Theodoret. eccl. hist. lib. 5. cap.* 1.

Anonymus: Monachum quendam virum pietate præstantem, Alaricho Romam proficiscenti ferunt obviam factum, eumque admonuisse, ne ex tam atrocibus maleficiis, neve ex cæde & sanguine lætitiam caperet. Cui Alarichus, Ego (inquit) invito plane animo eò proficiscor. Sed est quidam, qui mihi quotidie molestias exhibet, imò verò vi impellit, sicq; me alloquitur: *Iter capessito, urbem Romam vastato.* Socrat. hist. eccl. lib. 7. cap. 10.

Sulp. Severus: Satis, inquit, superq; sufficit ut episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellantur: novumque est & inauditum nefas ut causam Ecclesiæ judex seculi judicet. *Sacr. histor. libr.* 2.

¶ Apopetregm. Christianor.

Henricus Moguntinus Antistes: Justum Judicium justitiamq; commendavimus. At ut quilibet discat non reputari apud Deum insontem, si quis ea violat aut contemnit; exempla mira & supra fidem, sed a fidis scripta, proponam. Frederico Ænobarbo Imperante, Henricus Moguntiae Praesul, vir imprimis pacis cupidus, Romæ accusatus, tamquam ad tale munus prorsus inutilis & ineptus: idque instigantibus per Arnoldum, qui ei successit, malevolis. Eò ventum, ut duo Cardinales Moguntiam missi, de causa inquisiverint, Henricum damnaverint, & Episcopatu abdicaverint. Tulit Henricus, neque quidquam questus, quam, *Injuste judicastis: Iesum Christum aquissimum judicem appello, apud quem me exhibebo: Venite.* Illi joco illudentes, Cum præcesseris, inquiunt, sequemur. nec vanè. iste enim post annum fere & dimidium vita functus: quem hi uno die secuti. *I. Lipsi. Mon. Polit. lib. 2. cap.* 11.

Abbas Herveldensis: De hoc etiam memoriæ proditum non absimile priori exemplum. Erat Burchardus Halberstadiensis Antistes, qui iniquam diu litem cum Abbate Herveldensi, manu magis quam jure sustinebat. neque spes illi aut potentia, adversario resistere. Ecce paucis ante mortem diebus, quam & rei illius vexatio conscivérat, vel saltem acceleraverat, Comitem Palatinum ad se vocat; & per eum extrema hæc Antistiti denuntiari rogat: *Scio me lege meliorem, lite tamen imparem simul cum vita cedere. ad Deum judicem appello. Paret ergo se, ut causa coram eo tribunali dicatur, ubi gratia & potentia aspretis, sola justitia potest polletq;.* Neque diu post Abbas interiit, & Antistes cum equum conscenderet, velut fulmine ictus concidit, desitque hac voce: *Abripior ad divinum tribunal judicandus.* Lambertus Schasnaburgensis, circa annum M. LIX. I. Lipsi. supra.

Petrus & Ioannes Carvajalii. At notior res, & cognomine prodita in Ferdinando quarto Hisp. rege. Erat is in judicando præceps & rigidus. quò factum, ut duos fratres in occulta cæde suspectos, at suspectos tantum, nec convictos, de edita rupe præcipites dari jusserit. Cum id fit, clamant & vociferantur: *Insontes morimur, at quoniam Regii aures iustissimæ defensioni obstructæ sunt, eum ad summum Iudicem provocamus, diemq; trigesimum ab isto qui nobis ultimus, dicimus.* Dicta nihil valuerunt: sententia tenuit; etiam ipsorum vadatio, nec tempore nec die fallax. Quis neget divinum illud, & serium monitum:

Discite iustitiam moniti, & non temnere Divos?

I. Lipsi. ibidem.

Fredericus Rom. Imp. Claudebam, sed Fredericus intervenit, ut etiam personã suam exhibeat in hoc theatro. Principe immiti & crudeli nihil apud eum magis exosum. unde dixisse eum ferunt: *Vae vobis Principes.* & causam reddens, *Quales*, dicebat, *se dum vixere aliis praestiterunt, tales, cum moriuntur, in se iudices experturi.* & quid mirum? nam

Si quis qua fecit patiatur, iustissima pœna est.

Æn. Sylv. de Dict. Alphonsi.

Iudicii Extremi.

¶ Sententiæ Oratorum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Mitto dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus hujusce vitæ indulgentia & impunitas eos tradit: ita ut satius sit nunc castigari ac purgari, quam ad cruciatum illũ transmitti, cum jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim, qui Dei memor hic est, morte superior est, idque à Davide optimè dictum est: ita his, qui è vita excesserint, non est in inferno confessio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam & actionem, illic rerum gestarum censuram concludit. Quid faciemus in die inductionis (terret me quidam Prophetarum) hoc est divinæ ad nos expostulationis (sive in montibus & collibus, quemadmodum audivimus, sive quæcunq; tandem illa, & quocumque loco futura sit) cum nos coarguet, atque ex adverso stabit, peccata nostra, hoc est acerbos & amarulentos accusatores nobis in faciem statuens: acceptaq; beneficia cum iis, quæ inique admisimus, ex adverso conferens, & cogitatione cogitationem terberans, & actione actionem examinans, & imaginis, vitio contaminatæ atq; consumptæ, dignitatem à nobis exposcens, postremò nos abducet, à nobismetipsis condemnatos, hucque adductos, ut ne id quidem dicere queamus, nos inique supplicio affici: quod quidem hic apud eos, qui pœnas luunt, nonnumquam hanc vim habet, ut eorum condemnationem & cruciatum leniat. Illic autem quis patronus? quæ causificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quæ consilii solertia tribunal illud circumscribet, ac rectum judicium eludet, quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesq; cum vitiis ex adverso expẽdit, ut, quod propendet victoriam obtineat, atq; ab ampliore parte sententia stet, post quam non jam provocatio supereſt, non sublimior judex, non alia opera, per quæ quispiam pœnam deprecetur, non deficientibus lampadibus oleum, à prudentibus virginibus aut à vendentibus acceptum, non divitis illius pœnitentia, flammæ ardore liquescentis, ac propinquis suis correctionem requirentis, non deniq; præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus: sed & solum, & postremum ac formidabile illud tribunal erit, magisq; etiam justum quàm formidabile, imò, ut rectius dicam, idcirco formidabilius, quia justum. *Orat.* 15.

Basilius Seleuc. Quæ vis oculorum tanta, quæ terribilem judicii diem sustinere possit, quando terra perturbabitur, & mare prolata ex Adamo hominum corpora reddet exæstuans, quando cum Angelis homines jactabuntur præsentem terrorem minimè ferentes? Nam velut accedente rege cælum torquebitur; confestim apparitores obtenta pro foribus peripetasmata contrahent: sublato vero ex oculis cælo erunt in prospectu angelicarum virtutum ordines cum fulgore, mille millia procurrent & decies mille millia: conspicitur verò descendens Dominus, dum nimia luce circa se præfulgurat universa. Quis ejusmodi spectaculo spectando par erit? quis terrori moderabitur? Nam si fulgur crebrò intermicans non ferimus, & non rarò splendor intuentem solo affligit, quid tum dicet, qui eum ipsum, qui jacit fulgura, viderit emicantem? quin tubarum sonitus mortuos è sepulcris ciebunt, quin monumenta & loculamenta disrumpentur, & captivos amittent, quando de intentione, de factis, de animi cogitationibus judicia exercebuntur, quin diabolus vinctus producius violentissimarum cogitationum rationem in judicio reposcetur, quando hominum greges in partes distrahentur, quam quisq; partem sortietur? quis erit aut cum Christo judicante, aut cũ reo prædatore animarum! quin simul vivi, ac mortui confluent? omnium enim una erit evocatio. *in transfigurat. Domini circa finem.*

Chrysostomus: Afflictio & anxietas adversus omnem animam hominis perpetrantis malum. hoc est, ut dives, ut consul, ut imperator sis, neminem veretur judicii ratio: nullus enim hic locus ipsis dignitatibus relictus est. *Homil. 5. ad Roman.*

D. Chrysostomus: Unusquisq; in suam ipse conscientiam descendens, peccatis suis diligenter expensis, exactam vitæ anteactæ rationem sibi reposcat: ut ne tum ipsi damnemur, cum orbis universi judicium ruet. Nam illud quidem judicium terribile, horrendum tribunal, timoris plenæ ejusdem quæstiones ac disquisitiones. Igneum flumen rapitur, frater non redimit, redimet homo? Eorum enim te meminisse velim, quæ in evangelio dicuntur, angelorum circumcursantium, concla is clausi, lampadum extinctarum, potestatum in fornaces trahentium: & præterea illud perpendito: Si nostrum cujusquam occultum crimen aliquod hoc ipso die in medium delatum, huic modo confessui innotesceret: nonne heret ut ille interire, ac terram sibi potius dehiscere, quã tam multos peccati sui testes habere mallet? quidigitur tum nobis fiet miseris, cum omnia orbi universo palam facta, in tam aperto, tamq; illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subjicientur? Enimverò, proh dolor, undenam ipse territare vos cogor? Nempe ab hominum opinione: cum id facere convenientius fuerit à Dei terrore, & sua ipsius condẽnatione. Qui enim, obsecro te tũ futuri sumus, cũ vincti trendentab. in exteriores tenebras dentib.

abduce-

abducemur? seu potius, quid facturi sumus (quod ipsum omnium terribilissimum est) cum Deum offendemus, illique occurremus? Nam si quis est, qui sensu ac mente præditus sit, is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quam adverso Deo stare. hoc verò cum nobis grave non sit, propterea ignem ille nobis comminatus est æternum. Etenim oportebat tum demũ nos dolore affici, non cũ supplicio afficimur, sed cum delinquimus. *Homil. 5. in Roman.*

Chrysostomus: Justusne est hic Deus, ac cuique quod meretur tribuit; an contrà sceleratos homines florere atque in delitiis versari vult, probos autem contraria omnia habere? Minimè, inquies: nam ne homini quidem hoc acciderit. Ubinam igitur, qui virtutem in hac vita coluerunt, bonis fruentur? ubinam rursus improbis pœna constituta erit; si nulla posthac vita, nulla merces, aut pœna futura est. *Homilia 9. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Placetne aliunde doceam horrendum in altero ævo tribunal esse? Conscientiæ tuæ januam aperi: ac judicem in animo tuo velut pro tribunali sedentem intuere. Quod si tu, quamvis præpostero tui amore affectus, te ipsum tamen condemnas; nec iniquam sententiam ferre sustines: an non multò majori curæ jus Deo erit, atque incorruptum ille de omnibus judicium feret? Sed temere hæc omnia ferri sinet, inquis. Et quis tandem hoc dixerit? Nemo profecto. Nam & Græci, & barbari, & Poëtæ, & Philosophi, & omnes denique mortales, in hoc nobiscum, etsi dispari modo, consentiunt; ac quædam in inferis tribunalia esse ajunt: usque adeo perspicua & indubitata hæc res est. Quid autem affertur, inquis cur Deus heic in improbos minimè animadvertat? Nimirum ut longanimitatem suam ostendat, nobisque per pœnitentiam viam ad salutem muniat; ac non universum mortalium genus funditus deleat; eosque qui per optimam vitæ mutationem salutem consequi poterant, priusquam ad eam perveniant, de medio tollat.

Nam si flagrantibus peccatis homines confestim pœnis ac morte afficeret: quo tandem modo salutem accepisset Paulus, quomodo Petrus, Principes inquam illi, ac summi totius orbis magistri? Quonam modo David salutem ex pœnitentia percepisset? Quonam modo Galatæ, aliique plures? At pergis quærere: quid cautæ est, quamobrem ne ab omnibus in hac vita pœnas expetit, sed ex omnibus illis paucis tantum supplicia infert; nec rursus in altero ævo de omnibus pœnas sumat, sed de aliis heic, de aliis illic? Nempè ut per eos quos heic plectit, vel stupitissimum quemque excitet; & per eos, quorum impunita scelera reliquit, illud efficiat, ut futura expectemus. An non vides plerosque heic flagitiorum suorum pœnas luere; ut eos qui turris ruina oppressi sunt, ut eos quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis commiscuit, ut Corinthios eos qui ob indignè percepta mysteria præmaturam mortem obierunt, ut Pharaonem, ut Judæos qui à Barbaris trucidati sunt, ut plerosque alios; & tum & nunc, & perpetuo? Rursus alii multi, nullis heic scelerum pœnis persolutis, è vita discesserunt; ut dives ille qui Lazari tempore vixit, aliisque complures. Hæc porro eam ob causam facit: partim ut ex eorum, qui futura non credunt, animis soporem excutiat; partim ut eos, qui segnitie laborant, diligẽtes ac studiosos reddat. Deus enim justus est judex, & fortis, & longanimis: nec per singulos dies iram inducit. Quod si ipsius longanimitate abutamur: erit dies, cum jam ne tantillum quidem temporis longanimitatem adhibebit, verum statim supplicia inferet. Quæ cum ita sint, provideamus: ne dum ad unicum momentum (momenti enim instar est hæc vita) delitiis indulgere volumus, infinitorum seculorum pœnam nobis accersamus: verum ad momentum potius laboremus, ut perpetuis coronis cingamur. *Homilia 9. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Existimemus igitur diem illum extremum nunc adesse: ac suam quisque nostrum conscientiam consideret, singatq; animo, adesse jam judicem, omniaque detegi atque in medium proferri. Neque enim sisti tantum nobis necesse est, sed etiam manifestari. Quid? An non erubuistis? an nõ mente excessistis? Quod si nunc re nondum præsente, effecta dumtaxat, atque animo adumbrata, conscientia nostra pœnè nos examinat: quid tandem faciemus, cum dies ille venerit, cum totus orbis terrarum affuerit, cum angeli & archangeli, cum densa spirituum agmina, atque omnium cursus & raptus in nubibus, & acies tremoris plena, cum tubæ aliæ atque aliæ, & continuæ illæ voces? Nam ut etiam nulla gehẽna sit: tamen in tanto splendore rejici, & cum ignominia secedere; quantum tandem tormentum existimandum est? Etenim si imperatore cum suis urbem ingrediente, suam quisque nostrum paupertatem intuentes; non tantum ex hujusmodi spectaculo voluptatis, quantum ex eo, quod earum rerum, quæ circum imperatorem sunt, nullo modo participes efficimur, nec prope eum, qui rerum potitur, sumus, mæroris capimus: quid tum futurum est? An vero leve tormentum esse censes, non adscribi ad illum chorum? ad arcanam illam gloriam non admitti? ab illa celebritate, ac bonis, quæ nullo sermone explicari possunt, procul ac longè projici? Cum verò tenebræ insuper sint, & dentium stridor, & ejusmodi vincula quæ frangi nequeant, & vermis immortalis, & ignis nunquam extingendus, & oppressio atque angustia, & linguæ conflagratio, quemadmodum illa Divitis: cum ejulemus, & nemo audiat; ingemiscamus ac præ dolorum acerbitate rugiamus, & nemo attendat; in omnes partes oculos convertamus, & nusquam sit qui solatium ferat: quo tandem loco eos constituemus, qui in tanta calamitate versabuntur? Quid illis animis miserius? quid miserabilius? Nam si cum in carcerem quendam ingressi sumus, atque alios squalore confectos, alios cathenis vinctos ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspicimus, animis commovemur ac perhorrescimus, nihilq; non facimus, ut ne in eum locum incidamus: cum ad ipsos gehenæ aculeos obtorto collo trahemur, quinam futuri sumus? Non enim vincula illa ferro confecta sunt, sed igne perpetuo ardente: nec nobis æquales ii, qui cruciandis nobis præficientur (quos etiam sæpenumero placare queas) sed angeli quos ne obtueri quidẽ possis; propter eas, quas Domino intulimus, contumelias, ira flagrantes. Nec vero, ut in hac vita, cernere est, alios qui pecuniam, alios qui alimenta, alios denique qui cohortatorios sermones afferant, consolationemque aliquam adhibeant: verum omnia illic venia carent, etiamsi adsit Noë etiamsi Job, etiamsi Daniel; & propinquos ac necessarios suos excruciari videat: iis auxilio esse non audet. Nam tũ omnis illa commiseratio, quæ nobis à natura imposita est, extinguitur. Quoniam enim ita fieri potest; ut improborum parentum justi sint liberi, ac contra proborum filiorum mali parentes: ideirco ut pura atque omni mœrore vacua lætitia sit, nec ii qui bonis illis fruuntur commiserationis necessitate distorqueantur; hunc quoq; commiserationis affectum in eis extingui affero, ipsosq; una cum Domino adversus viscera sua iracũdia jacendi. Nã si vulgares etiam homines, cum filios suos improbitati addictos esse vident eos abdicant, atq; à familia excindunt: multo sane magis id tum justis usu venturum est. Quocirca nihil est, cur quisquam sibi læta polliceatur, nihil ipse laude dignum gerens: quamvis sexcentos etiam justos avos numerare queat. *Homilia 10. ad Corinthios 2.*

Chrysostomus: Si non est judicium, neque merces ac remuneratio, neque tribunal, quamobrem fuimus hoc ornati dono, nempe ratione, & omnia habemus subjecta? Cur nos quidem imperamus, illa autẽ parent? Vides quemadmodum undique urget & incitat diabolus, ut nobis persuadeat Dei Donum ignorare. Servos miscet cum dominis. sicut quidam plagiarius, & servus ingratus, nititur ingenuum ad eandem deducere vilitatem, & abjectionem, ad quam deductus est is qui offendit: & videtur quidem de medio tollere judicium, tollit autem quod sit Deus. Semper enim talis est diabolus. Fraudibus dolisque & insidiis, non directo proponit omnia, ut caveamus. Si non est judicium, Deus non est justus (Secundum hominem dico) Si Deus non est justus, nec est Deus: Si Deus non est, temere feruntur omnia, nihil est virtus, nihil vitium. Sed nihil horum dicit aperte. Satanicæ cogitationis vidisti animum? quemadmodum ex hominibus velit nos bruta facere, vel potius feras ac bestias, imo vero dæmones. Ne ergo persuadeamus. Est enim judicium, ô miser & infelix. Scio undenam venias ad hæc dicenda. A te multa admissa sunt peccata: offendisti: non est tibi dicendi libertas & fiducia: existimas rerum naturam tuis esse verbis consequentem. Interim me dedam delitiis. Cur peccatis addis peccata? si cum peccatis credideris esse gehennam, abibis luens pœnam peccatorum. Sin autem hoc quoque impium addideris, & impietatis & hujus cogitationis ultimum dabis supplicium; & quæ tibi frigida & vana fuerit consolatio, erit tibi argumentum perpetui supplicii. Esto, peccasti. Quid alios quoque hortaris ad peccandum, dicens non esse gehennam? Quid decepisti simpliciores? Cur populi manus dissolvis & enervas? quantum quidem in te est, omnia sunt eversa. Neque viri probi & ex virtute viventes erunt meliores, sed ignavi ac desides: neque mali desistent à vitio. *Homilia 2. ad Colossenses.*

D. Chrysostomus: Supervacuũ est quærere diem consummationis. quid enim dic quæso, hinc lucri fit? Ponamus esse consummationem post viginti annos, post triginta, post centum. Quid hoc ad nos? Non unusc ujusq; consũmatio est finis vitæ suæ? Quid de inani fine curiose es sollicitus & veluti parturis? sed quod in aliis, in hoc quoq; id nobis accidit. Quomodo enim in aliis propriis dimissis, curamus communia, dicentes, ille est scortator, hic est adulter, ille rapuit, alius fecit injuriam, rerum autem suarum nullum habet rationem, sed omnia curat magis quam sua. Ita hic quoque, mittentes unusquisq; suum finem curare, volumus communem scire dissolutionem. Quid enim tibi est cũ illa commune? Si hunc finem rectè præparaveris, ab illo fine tibi grave nihil accidet. Sit longe, sit prope, hoc nihil ad nos. *Homilia 9. ad Thessalonicenses.*

S. Asterius: Docemur veniente Sponso, neminem oleo alieno, id est aliorum ritè factis suum ad commodum atque fructum uti. Suis quisque factis quasi veste quadam amictus est, sive splendida illa ac preciosa, sive vili ac paupertina, nec exuere eam fas & aliâ permutare, nec omnino vel ex dono vel commodato Judicii tempore exornari. manet quisque qualis revera est, sive bonorum egenus, sive dives & copiosus. *Homilia de Oeconomo iniquitatis.*

Isidorus Pelusiota: Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Hoc divino oraculo justa remuneratio designatur, quæ humanitate quidem ac misericordia temperatur, ad ciendam iis pœnitentiam, qui peccatis delectantur (inclinabit enim ex hoc in hoc, hoc est, ex benignitate, in illud supplicium quod sceleribus debetur.) At nenos negligentiæ atque inertiæ dediti, eum justitiæ prorsus oblivisci, cogitatione nobis fingamus, idcirco adjectum est, Verumtamen fæx ejus non est exinanita Quoniam si salutem omnino aspernentur, vim numinis ultricem ad extremum haud latebunt. Bibent enim inquit, omnes peccatores terræ: Judicij scilicet poculum: idq; meritò. *Epistola 6. libri primi.*

S. Isidorus Pelusiota: Significasti per literas, ac scire cupere, quænam veni labri illius, quod Dominus ad areæ suæ purgationem su-

mit, vis ac facultas sit. Hic igitur, ni me opinio fallit, sensus est. Aream nomine universam orbis terrarum Ecclesiam intelligit, in qua omnem humanæ naturæ messem cogit. Ventilabri autem vocabulo justum judicium appellat, quod quidem eum, qui cuique aptus sit, gradum distinguens ac definiens, paleares quidem, ut ita dicam, ac dissolutos homines, quique ad omnem peccati ventum huc illucq; jactantur, flammis addicit: eos autem, qui operum puritate, ac pœnitentiæ fructibus abundarunt, in horreum congregari justus judex ait, hoc est piis, seque dignis, operariis atque agricolis congruens domicilium. Quam etiam salutarem mansionem nuncupat. Illic enim verè mansio est. Nam præsens vita tentorium vile est: quod simulatque compactum ac fixum est, eodem temporis puncto solvitur. *lib.* 1. *Epist.* 65.

Isidorus Pelusiota: Hæc verba, *nuda & aperta Heb.* 4. 13. translatione ducta à victimis, quæ ad sacrificium adhibentur, à Paulo ingenti sapientia prædito viro, scripta sunt. Quemadmodum enim illæ, cum pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarumque interne partium statum & affectionem indicant, atque ad ossium omnium & membrorum indagationem dissecantur: ut omnia, ob rei, cui adhibentur, puritatem expurgentur: eodem etiam modo in magno illo Domini die actionum nobis incognitarum & obscurarum patefactio cuncta denudabit, dissectionique similis apparebit. Neque enim quisquam latere poterit, verum omnes in apertum adducentur. *lib.* 1. *Ep.* 94.

Isidorus Pelusiota: Quid adversum se ipsos Domini judicium impii homines attrahunt? Quid gehennæ ignem Dei hostes accendunt? Consumationis diem, inquiunt, Dominus ignoravit. Absit. Verũ inutiles quæstiones explicare recusabat. Alioqui quonam pacto horam aut diẽ ignorare poterat seculorũ effector, in quo thesauri omnes sapientiæ siti sunt? Non erat ignorantis, ipsa quoque extremi dici signa & terrores prædicere, eumque velut præsentem certis notis atque insignibus describere. Verum ut jam dixi, vanæ percunctationis explicationem ac sententiam minimè declarandam duxit. Quid enim, dic quæso, utilitatis attulerit, finis mundi diem explorare habere? Ad vero eundem ignorare conducit, ut omnem diem illum esse existimantes, parati ad eum simus, vigilantes, ac Dominum nostrum expectantes. *lib.* 1. *Ep.* 117.

Isidorus Pelusiota: Per id, quod vivos ac mortuos judicandos esse ait scriptura, illud significatur fore, ut anima & corpus simul in judiciũ veniant, nec alterum ab altero disjungatur, verum quemadmodum in hac vita communem conjunctionem habuerunt, sic etiã futurum judicium subeant. Quod si alio quoque modo hunc locũ tibi explicari quæris, sic habeto: vivo, hoc consectati sunt, secernere, ipsisque immortales mercedes persolvere: eos autem, qui peccatis immortui sunt, datumque sibi talentum in sua socordia perinde atque in sepulchro defoderunt, judicare, atque cruciatu afficere. Quod si aliam adhuc explicationem poscis, ea erit hujusmodi: judicare eos qui tum vivi relicti fuerint, & eos, qui ante ipsos vitam cũ morte commutarint. *lib.* 1. *Ep.* 222.

Isidorus Pelusiota: Mansuetam ac lenem, atque opem nobis ad amictum & integumentum afferentem, ovem à dextris Dei collocandam esse divinum oraculum ait: asperum contra, & voracissimum atque agrestem hœdum ad sinistram abjiciendum. Quibus verbis eædem vitæ significantur, quæ congruentem utraque sibi statum nanscisceuntur. Ac proinde alterum odio habeamus ac detestemur: alteri mordicus hæreamus. *lib.* 1. *Ep.* 288.

Isidorus Pelusiota: Contumeliarum ac suppliciorum magnitudinem spectatorum atque consciorum multitudine ponderare homines consueverunt. Etenim easdem contumelias & cruciatus haud multis inspectantibus illatos, haud æquè graves & acerbos existimant. Cum igitur hæc ita se habeant, tecum reputes velim, quonã animo futuri simus, cum coram omni humano genere, atque angelorum agmine, nobis reddendæ rationes erunt: quo tempore præsertim nullus impudentiæ locus erit, peccatis videlicet umbrarum instar nos sequentibus. *lib.* 1. *Ep.* 333.

S. Isidorus Pelusiota: Si divini gregis es, scriptura sacra te doceat ea, quæ in hac vita geruntur, judicii minimè expertia esse, verum ad horrendum examinis diem servari. Si autem Judaicarum partiũ es, Esaias, vir maximo animo præditus illud te doceat, quod Dominus ignis instar veniet, & tanquam procella currus ejus, ut reddat ultionem in furore, & ejectionem in flamma ignis Quod si ethnicæ classis ac religionis amatorem quodammodo te profiteris, atque ob præposteram animi propensionem veram pollicitationem contemnis, Platote atque ipsius Cocyti & Phlegethontes, atque rapidi flammivomorum amnium fluctus ad meliorem mentem te adducant. *lib.* 1. *Ep.* 379.

S. Isidorus Pelusiota: Quodnam Salvatoris oraculum, optimi viri, aut quinam sermo in opus non exiit, ut eum quoque, quem de judicio habuit rejiciatis? Nam si illi in irritum cesserunt, ne huic quidem fides adhibeatur. Si autem omnes evenerunt, quid est quãobrem huic fidem arrogare, recusatis? Si quidem eã, quæ contigerũt, futurorum eventum spondent. Quod si me breviter oracula quædã (omnia enim haud facilè, imo etiam fortasse nec possibile est) in medium afferre vultis, nec hoc qudem facere gravabor. Dixit Hierosolymam captum iri: & capta est. Dixit, celeberrimum illud Tẽplum eversum iri: & ita contigit. Dixit Apostolicam prædicationẽ victoriam adepturam: & adepta est. Dixit se & filiis majori, quam patres venerationi fore, & patribus dulciorem quam filii, & uxoribus suaviorem quam mariti, & res ipsa subsecuta est. Dixit fore, ut Judæi dispergerentur: & quemadmodum fugitivi quidam & verberones dispersi sunt. Dixit fore, ut Ecclesia quidem oppugnaretur, at non expugnaretur: & luculenta, tum in terra, tum in mari ipsius trophæa sunt. Dixit se perspicuum facturum id quod mulier ea, quæ unguentum effuderat, fecisset: & neminem id facinus fugit. Dixit fore, ut quacunque terram Sol hic lustrat, eandem quoque prædictio Evangelica peragaret, & peragravit. Neque enim ulla est natio, aut ullus extremus recessus, qui eam non audierit. Dixit se piscium captores, hominum piscatores effecturum: & ad hunc usque diem rete homines captat. Crucem & mortem prædixit, & hoc impletum est. Resurectionem & ascensionem prædixit: & extitit. Verum si oracula omnia in medium proferre coner, nec si sermonem quidem finire velim, id queam.

Cum igitur hæc omnia dixit, atque in finem adduxit, hic de clarissimo suo secundo adventu atque incorrupto judicio locutus fidẽ non nanciscetur: Et quis tandem eorum qui mente ac prudentia minimè destituti sunt, hoc ferat? Nam si oracula illa opus minime excesserunt, ne huic quidem fides arrogetur. Si autem cuncta eum, quẽ par erat, finem acceperunt, quid afferri potest quamobrem huic toli fides denegetur? Quin ne hoc quidem, quod non parvi, sed meo quidem judicio, maximi momenti est, prætermittam, nempe cum in his rebus, in quibus hominũ opinio ab ipsius verbis dissidebat, fidem invenerit, quid est causæ cur in iis, in quibus cum eo multis probe convenit, ipsius verbis diffidatur? Nam quod divina natura ad res nostras descendisset, tantámque, ad ministrationem obiisset, tot miracula designasset, vitiosasque perpessiones per passionem curasset ac mortem extinxisset, cum minime crederetur, per res ipsas demonstrationem accepit.

Non enim, si simplex homo extitisset, mortales omnes post mortem subegisset, nec infinitum deorũ examen ex orbe depulisset, nec celebribus oraculis silentium indixisset, nec piscatores universæ terræ magistros creasset, nec feras & inhumanas nationes cicurasset. Quod autem cum judicium fore prædixerit (quæ res apud plurimos & clarissimos quosque doctorum virorum extra controversiam est, ac præterea æqua & consentanea, rationeque præditis congruens, ac divinæ providentiæ conveniens, & de rebus hujus vitæ, quæ plerisque præposterè fieri videntur, eam purgans) fidem tamen hoc minime inveniat, haud sane scio. Nam cum ea, quibus fides detrahitur evenerint, quonam tandem pacto non eveniet, quod fidem nãciscitur? Cum enim in iis in quibus dessidebat, falsi minimè convictus sit, in ea re, in qua concors est, dignus profectò est, cui fides habeatur. Nam cum ea, quæ rationalem omnem investigationem superabant, facta sint, quod rationi consentaneum est multo magis fiet. Iis enim effectis quæ rationem excedunt, id quod cum ratione conjunctum, atque consentaneum est, profecto etiam continget. *lib.* 2 *Ep.* 157.

S. Isidorus Pelusiota: Etsi nec homines erubescis, nec famæ atq; existimationis rationẽ ullã habes: at eã tamẽ, quæ hujusmodi flagitia divinitus consequitur, pœnam fac pertimescas. Quanquam enim ea in præsens moratur atque conquiescit (ad pœnitentiam scilicet invitans) tamen aliquando post, eos, quos ne tanta quidem benignitas ullo pudore commoverit, acerbius persequetur. Ac multi ne in hac quidem vita invictam illam manum effugerunt, verum ejusmodi calamitatibus correpti sunt, ut ipsas quoque tragœdias magnitudine sua obscurarent. Multi autem qui hujus vitæ tormenta effugisse videbantur, in amarulentiores alterius vitæ cruciatus inciderunt, nimirum vi illa scelerum vindice juste ipsis pœnam remetiente. *lib.* 2. *Ep.* 261.

S. Isidorus Pelusiota: Divina justitia, vir erudite, quæ in futura vita scelerum omnium pœnas omnino exactura est, hic quoque persæpe mentes eorum, qui ipsam fallere conantur, fallit, eosque qui ipsam effugere moliuntur, per ea ipsa, quæ agunt, in suos casses incidere cogit. Usque adeò sapiens ac potens est, atque ejusmodi, ut nulla ratione circumscribi, fucusque ipsi fieri possit. Nam quod à Platone sub Socratis persona dictum est, Cum illuc venerimus, quod certum ac perspicuum est, sciemus, non de judicio dictum est, perinde ac de eo ipse ambigeret, absit (nam hoc dogma certum apud eum & indubitatum est:) sed de eo, quod Socrates rectè philosophatus esset. Nam cum nonnullos qui philosophiæ munus summa cum laude obiissent, commemorasset, ne sibi ipsi, si testimonium sibi ipsi adhiberet, invidiæ aliquid conflaret, his verbis usus est: Quibus ipse quoque, pro virili quidem mea, nihilo inferior fui, verum omni ratione in eorum numero esse studui. An autem rectè studuerim, & num quid à nobis præstitum sit, cum illuc venerimus, perspicue sciemus Quæ quidem verba non multum dissimilia sunt his Pauli verbis, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui vero judicat me, dominus est. *lib.* 2. *Ep.* 279.

S. Isidorus Pelusiota: Non dubium, sed clarum atque cognitum, & verum, ab omnibusque viris eruditis, & sacris scripturis confessum, atque omnino futurum extremi judicii dogma pectore conditum habere sane debebas, ab iisque abstinere, quæ dum judicium minimè fore existimas, committis: ut hac ratione, & te ipsum pœna, & eos, qui te intuentur, offensione, & nos mœrore, & languentes ac trepidos desperatione liberes. *lib.* 3. *Ep.* 2.

S. Isidorus Pelusiota: Quod ij, qui eadem scelera perpetrarunt non eandem hic pœnam persolvant, hoc generalis judicii dogma confirmat. Quod autem non omnes illic serventur, hoc crassiores ac segniores

segniores homines expergefacit', ut qui omnino pœnas illic daturi sint, etiamsi supplicium in hac vita effugerint. Nam si nemo pœnam illic subiturus est, quid afferri potest, cur hic daturi sint? Quod autem justi viri atq; omni virtutũ genere florentes, multas hic acerbitates pertulerint, hoc paratas ipsis in altero ævo coronas indicat. Quod vero nonnulli quoque ex ipsis honore affecti fuerint, hoc ob eos, qui peccato delectantur, factum est: ne scilicet virtutem calamitatum causam esse arbitrantes effuso cursu eam fugiant. *lib. 3. Epist. 201.*

S. Isidorus Pelusiota: Quoniam igitur judicium & poetarum, & oratorum, & historicorum, & philosophorum celeberrimi quique prædicant (nam quod ex aliqua parte hic habetur judicium, generali fidem conciliat) nemo judicio temerè arq; inconsulte diffidat: verum, si virtuti studeat, coronas: si autem vitium perpetret, supplicia expectet. *lib. 3. Epist. 413.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Sæculi vicinus est finis, & ad judicii litus captulæ nostræ retia jam propinquant, pisces, hoc est homines, qui profundo sæculi discursu feriato ac libero vagabantur, siccitate litoris, hoc est, finis propinquitate turbati, tota se rerũ dispensatione collidunt: videntes impias gentes triumphis succedentibus ampliari, angustiari captivos toto orbe populos Christianos: impios prosperis gaudere successibus, pios malorum continuata successione calcari: subdi dominos servituti, dominari dominis servos: rebelles filios in parentes, senes juvenibus esse contemptui: omnemque naturæ statum, vitæ ordinem deperiisse. *Serm. 47. in.*

Chrysologus: Si de judicis potestate solicitus est, qui semper de apparitoris turbatur & contremiscit adventu: & mandati meritum de persona venientis æstimat, & metitur: & quamvis bene concitus paret, donec cautas venientis agnoscat & intelligat qualitatem: quid faciet, quo pavore trepidabit, cum potestatem supernam senserit hominis imbecilla natura, cum respexerit homo angelum, & divinæ sedis ministrum viderit. *sermon. 88. pr.*

¶ Principum.

Basilius Imperator: Immota fide persuasum habe corruptione obnoxium esse mundum, quippe quem ortum habuisse constat, sed post corruptionem rursus ad incorruptam integritatem esse reversurum: nihil enim eorum quæ à Deo creata sunt, in nihilum unquã abibit, etiam si peccati lapsus, & nos & omnem simul creatam naturam mortali dissolutioni adjudicavit. Ea autem ratione incorruptibilem esse mundum admittens, confitetur etiam redivivam mortuorum suscitationem, & justam expecta judicationem omnium quæ quisq; in vita sua gesserit: nihil enim mali impunitum Dei justitiam effugiet, nihil boni non suo præmio coronatum latebit. Sic enim statuere apud te debes, neq; interitura unquam esse bonorum merita, neq; malorum supplicia finem habitura; quoniam utraq; perpetuo duratura sunt, & neutrius finis ullus unquam futurus est. *Cap. 4.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Iesus Christus: Et hoc quidem occultum Dei Judicium, aliud erit longè majus, longe horribilius, publicum illud, quo omnes nos adstabimus ante tribunal Christi, ut referat quisque prout gessit in corpore: &, ut Manilius,

Quæsitor scelerum veniet, vindexq; reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis.

Cujus judicii districtam discussionem crebris parabolis insinuavit ejusdem futurus judex Christus: idq; vel maxime, ubi ad Pharisæos conversus, dicebat: *Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij.* Intelligunt autem per verbum otiosum, illud, quod justæ necessitatis aut piæ intentionis ratione caret. *Matth cap. 12.*

Rex Anonymus: Legimus in vita S. Josaphat, fuisse Regem potentissimum, qui vitam in luctu & mœrore peragebat. Miratus id indignatus frater, eum increpat. ille ingemens responsum supprimit, & non ita diu post, mittit de nocte tibicines ad fratris ædes, qui horribiles ederet clangores (hoc enim illo ævo solenne erat, quoties in aliquem capitis sententia ferretur.) Quid faciat hæc inaudiens frater? turbatur, clamat: & atro habitu sumpto, ac cinere consperso capvt, primo mane ad regiam adproperat, Regis ad pedes supplex provolvitur, delicti, si quod esset, veniam postulat. Cui Rex: *Si tu tantum metimeas fratrem tuum, quem numquam lasisti, numquid ego merito timere debeam diem illum, quo coram supremo Iudice, quem toties offendi, mihi erit comparendum? Si tu in tantum horrueris tubam illam humanã, quæ non horreat divinam, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Præclarum, & vere imitandum Regis exemplum. Refert Bernard. de Busto in suo Rosario. item Spec. Exempl.

Iuramenti.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

D. *Greg. Nyssenus*: Duplex est juramenti operatio. aut enim quispiam ei qui audit firmat fidem veritatis: aut alius per juramentum affert necessitatem ut mentiantur. *Homil. 4 in Canticum Canticorum*

Isidorus Pelusiota: Si nostri gregis es, ac sub bono illo pastore ceseris, ferarum naturam ac similitudinem abjura, atque ipsius voci obtempera, qua ne omnino jures, prohibet. Porrò ne jurare, ne jusjurandum quidem ab alio exigere est. Nam si jurare minimè vis, ne ab aliis quidem, ut jurent, extorque. idq; duplici de causa: nimirum aut quia veri studiosus est qui interrogatur: aut contrà, quia libenter mentitur. Si enim ille vera loqui solet, omnino etiam nullo interposito jurejurando vera loquetur: Si autem mendax est, jurans etiam mentietur. Quapropter duplici hoc nomine jusiurandum haudquaquam exigendum est. *lib. 1. Ep. 155.*

Idem: Eorũm, qui rectè atque ex virtute vivunt, sermo (vir admirande) jurejurando quovis majorem fidem nanciscens, audientium omnium calculis coronatur. At vehementer amari velle, à vehementi amore proficiscitur. Quamobrem si sermonibus nostris fidem haberi volumus, rectè vivamus. Si autem diligi, diligamus. *lib. 2. Ep 148.*

S. Isidorus Pelusiota: Adhæc improvide atque indefinite jurat, filiæ ejus feminæ, quæ infelix illud drama adornaverat, quæque digna matrimonii ejus præmia se conciliaviſse putabat, quicquid petiisset, se præbiturum: non autem addiderat hanc limitationem, recta se justaque petenti daturum: sed adeò inconsideratum & incircumspectum habet judicium, ut etiam regni mediam partem ipsi promitteret: non cogitans, gravius esse justitia quam regno excidere. Insuper sub liquidi jurisjurandi prætextu omnes perjurii terminos excedit. Præstat enim in iis, quæ habent atrocitatem facinoris, malè promissa benè rescindere, quàm malè videri servantem esse jurisjurandi. *lib. 4. Ep. 96.*

¶ Italorum.

Salvianus: Jussit Salvator, ut Christiani homines non jurarent, plures invenias qui sæpius pejerent, quam qui omnino non jurent. *lib. 3. de gubernat. Dei.*

¶ Philosophorum Oratorvmqve Græcorum.

Xenophon: Socrates quum aliquando senator esset, ac sacramentum senatorium præstitisset, quo comprehendebatur, ut secundum leges sententiam diceret, atque etiam præses populi factus esset, qui contra leges novem prætores, Thrasyli ac Erasinidis collegas, una condemnatione morte multari petebat, decretum, adjuncto suffragio suo facere noluit. Quumque populus ei succenseret, multique potentes minarentur: nihilominus pluris fecit jurisjurandi religionem, quam studium gratificandi populo contra jus & fas, aliorumque minas vitandi. Etenim Deos putabat hominum curam gerere alia quadam ratione, quam vulgo existimetur. Nam pleriq; putant Deos quædam scire, quædam nescire. Socrates autem arbitrabatur Deos omnia, quæ vel dicerentur, vel agerentur, vel clam deliberarentur, scire. Eosdem ubiq; adesse, ac de rebus humanis omnia mortalibus significare. *lib. 1. Memorab. cap. 4.*

Phalaris Hippolytioni: Facio tibi potestatem, ut petis, ad me veniendi. Cæterum juramento tibi me nullo obligo, nihil te mali passurum, sed fide. Quod si pollicitationi verborum meorum fidem non habes, jam revera mihi injuriam facis, & non cum accusaberis. Cum enim noris cumq; à me fidem datam, violatam esse, quasi hujus me criminis condemnans, jusjurandum requiris. Et quid interest quod ad religionem pertinet jusjurandum confundas an fidem. Nam utrumque animi sententia comprobat & confirmat. Vale. *Epist. 41.*

Lysias: Si saperent, juramentum illud quod ad civium perniciem spectabat, nequaquam pium ac ratum existimarent, sed ob commoda Reipubl. violanda putarent. *cap. 12. Orat. in Eratosth.*

Epictetus: Jusjurandum recusa, si fieri potest omnino: sin minus, quantum potes. *cap. 44. Enchiridij.*

Simplicius Ob res humanas, quod perinde est ac si parvas & viles dicas, Deum producere, contemptum ejus quendam innuit. recusandum igitur est jusjurandum, siquidem fieri potest omnino, & labor ac mulcta quævis quam possis luere, toleranda potius quam jurandum. sin id aliquando necesse fuerit, ut vel amicum è periculo eripias, vel pro parentibus aut patria spondeas, quidvis perpeti præstabilius fuerit, quam pactionem religione numinis sancitam violare. *ad cap. 44.*

Hierocles: Soli qui virtutes possident, etiam sancte jurare in hujus vitæ rebus possint: cùm malitia perjurii parens, morum instabilitate jusjurandum conculcet. Qui enim unquam, qui pecuniarum cupiditate dicitur, in eis accipiendis, vel dandis, jurisjurandi sanctitatem servabit? Qui rursum, qui incontinens est, aut timidus, in eodem constiterit. Annon potius uterq;, cum superiorem fieri se posse putabit, in quibus existit inferior, ibi Jurisjurandi deposita religione mortalia & infirma, cum divinis commutabit? At quibus virtutum recte stabilita est possessio; ab iis etiam sancte colitur & conservatur jurisjurandi religio. Fuerit autem cultus ejus servandi optima ratio & cura; si eo nec frequenter utaris, nec temere, nec quibuslibet in rebus; nec ad sermonis amplificationem, nec narrationis confirmationem, atque fidem: sed, quantum fieri potest, rebus tantum necessariis simul, atq; honorificis adhibeatur; eoq; tempore, cum earũ nulla salus alia, quam ex sola jurisjurandi veritate expectatur. Inveniens

nitēt verò fidē isthæc apud eos, qui audiunt; si congruū jurijurando modū adhibuerimus, sique suspicionem omnem, non iis solum, qui juramento abstinent; sed qui utuntur etiam, sustulerimus, quidquam in mortalium rebus veritate majus nobis haberi. *cap 2. carminum Pythag.*

Hierocles: Qui jusjurandum colere præcipit; non solum, non pejerare; sed à jurejurando etiam abstinere docet. Jta enim perjurio semper vacabimus, si jurejurando nunquam abutamur. Jurandi siquidem consuetudine in perjurium facile prolabitur. Continget autem, ut abstinentiam sequatur observatio. Aut enim non juratur; aut cum juratur, sanctè juratur, & justè. Consuetudine deinde nec præcurrit lingua nec cupiditatum intemperantia mens labitur. Hanc enim primus reget, qui probus sit: illam autem, jurandi abstinentia consuetudine comparata. Est autem divina honori, de quo dictum supra, congrua valde juramenti sanctitas, tanquam sit pietatis comes perpetuus, eidemque semper conjunctus. Fuit enim etiam jusjurandum divinæ legi custos attributus in ipso universi ornatu. Legem igitur mandatorum ejus observatione ipse honora: & jusjurandum cole frequenti ejus abusu devitato; ut ex relicta jurandi cōsuetudine, sanctè jurare consuescas. Non enim pietatis pars est exigua, jurandi sanctitas. *Ibidem.*

Libanius: Ergo nos qui illa novimus, isthæc credemus? quasi ignoraremus, omne jusjurandum ex metu Deorum vim suam accipere. sed numinis, despectionem fides nulla sequitur. Si ergo Agamemnon Deos veritus fuisset, neutiquam adeo insolenter contumelia usus esset; verum numine prorsus contempto, ne ipsa quidem juramenta formidaret. Nam sicut qui obvium audet feriri, multo liberius maledicta in illum contulerit, absque ulla cunctatione, utrumque enim ejusdem audaciæ est. eodemq; modo qui Deos spernit, facilius falsa juraverit, si jusjurandum exigatur. utrumque nimirum ejusdem insolentiæ est. *Orat. Achillis ad Vlyssem.*

Libanius: Socrates, inquit, docet pejerare: is qui tum quidem, cum futurum esset ut sancte juraret, per Deos jurabat, verum ad alia quædam recedens, & in juramentis consuescens, non facile ad nomina Deorum accedebat. *Declamat. 29.*

Simocatta: Laudo tuam prudentiam, & summam rerum peritiam amo: etenim quasi è trypode Pythico futura mihi prædixisti, & acutius Lynceo profundiores & abstrusas res vidisti. Callimachus nos reliquit, avolavit in sublime elatus celerrimè sacietatis alis. Fugit nos scelestissimus, & sarietas ei potior cupiditate fuit. Tu verò me plurimis præmonebas. Jurejurandis ne fidem habeas Galatea. Nihil habent amatores promptius quam juramenta. Juvenes enim amatoribus dediti, voluptatibus ebrii, etiam bene consultandi facultatem auferunt, & faciunt, loquunturque quicquid amatores jusserint. Non enim sponte concitata, aut voluntaria rerum cupiditate tenentur. perfidia tutior apparet fide, & ad dolum sacramentum interpositum dignissimus est machinator. *Ep. 33.*

¶ Poetarvm.

Plautus Amphitr. 1. sc. 1. v. 280.

Per Iovem juro me esse; neq; me falsum dicere.
MAt ego per Mercurium juro, tibi Iovem non credere
Nam iniurato scio plus credet mihi, quam iurato tibi.

Plautus Rudente 1. sc. 3. v. 14.

——Heus tu! iamne habes vidulum?
L. Habeo. G. propera. L. quid properabo? G. reddere argumentum mihi.
L. Neq; edepol tibi do, neq; quidquam debeo. G. quæ hæc factio est?
Non debes? L. non hercle vero. G. non tu iuratus mihi es?
L. Iuratus sum, & nunc iurabo. si quid voluptati est mihi:
Iusiurandum res servanda non perdenda constitum est.
G. Cedo sis mihi talentum magnum argenti, periuriſsime.
D. Gripe, quod tu istum talentū poscis. G. iuratus est mihi
Dare. L. Libet iurare: tum meo pontifex periurio es?

Terentius Hecyræ 5. sc. 4.

Myrrhina ita Philippo dixit, iureiurando se meo
Fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum

Terentius Hecyræ 5. sc. 1.

Aliud si scirem, quei firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quam iusiurandum, id pollicerer tibi, Laches,
Me segregatū habuisse, uxorē dum duxit, à me Pamphilū.

Ausonius Edyllio 2. ubi pater ejus loqitur.

Iurare, aut falsum dicere, par habui.

Guntherus lib. 3. v. 510.

Iuramenta petis? regem iurare minori.
Turpe reor. modo ius & reverentia verbo
Reges inesse solet, quis iur amine maior.
Non decet in labijs versari lubrica regis.
Nec decet ore sacro mendacia credere regem:
Sancta & plena suo sunt regia pondere verba:
Dicta semel, nullum patiuntur iure recursum.

Guntherus lib. 8. v. 703.

Iuramenta metu, mortis ve dolore coacta,
Præcipue ne quis multis nocitura loquenda.
Publicet, aut in se crudeliter acta queratur,
Nullius meriti vel ponderis esse iubemus.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Duces Israelitici populi: Quum pepigissent fœdus cum Gabaonitis, Deo in consulto, & postea consilium Gabaonitarum seu dolum, quo sibi suisque cautum fuerat, cognovissent, eos à populi violentia diligenter conservarunt, eo quod juramento Gabaonitis promisissent duces cœtus per Jehovam Deum Israelis: quamvis murmurarent totus cœtus, contra ipsos Duces. Dixerunt enim ad totum cœtum, Nos juramento promisimus eis per Jehovam Deum Israelis: ideo nunc non possumus tangere eos. Hoc faciamus eis, ut servemus in vita eos: ne sit super nos indignatio, propter illud juramentum quo juravimus eis, &c. *Iosue 9. 19. &c.*

Patriarchæ & alij Fideles sub Lege: Juramentorum propter graves causas. nempe gloriam Dei & proximi ædificationem, à piis conceptorū formulæ variæ, quæ Domini sacram Majestatem summa cū animi demissione cultā respiciūt, multis locis veteri testamēti extant, *ut Ruth. 17. 1. Sam. 3. 17. & 14. 39. 44. 45. & 17. 59. & 19. 6. & 20. 12. 13. & 24. 7. & 25. 22. 26. 34. & 26. 16. & 28. 10. & 2. Sam. 2. 35. & 49. & 10. 11. & 12. 5. & 14. 11. 19. & 19. 13. & 1. Reg. 2. 23 24. & 17. 1. 12. & 18. 10 15. & 22. 14. & 2. Reg. 2. 2. 4. 6. & 3. 14. & 4. 30 & 5. 16. 20. & 6. 31.*

D. Iacobus. Apostolus: Ante omnia autem, inquit, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neq; aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non: ut non sub judicio decidatis. *Iacob. cap. 5. 12.* Christus & Jacobus tradunt tertii præcepti explicationē, adversus perversa pseudodoctorum sententiam, qui obliquas sive indirectas jurandi formas excusabant.

Orthodoxi Episcopi: Orthodoxi confessores, ab Hunericho rege Vandalorum, Ariano crudelissimo, ad certum locum vocati jussi fuere jurare in chartam involutam & complicatam, proposito præmio restitutionis Ecclesiarum, familiarum & opum suarum. Verum uno ore & spiritu universi exclamabant: Et diximus, & dicimus, & (Deo dante) dicturi sumus, esse nos Christianos. Ecclesiæ ministros, qui fidem Apostolicam, unam & solam novimus veram, eamque confitemur. Sed & Hortulanus & Florentinianus episcopi, reliquorum nomina addiderunt, Nunquid mentis usque adeo parū sanæ videmur, ut in rem nobis ignotam temere juremus? *Victor. hist. de persecut. Vandal.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Iesus Christus: Juramentum, quod omnis controversiæ est finis, cum reverentia adhibitum, licitum semper fuisse & sanctum, ex usu omnium gentium & tribunalium evidenter constat. quamvis in vanum & sine causa usurpatum, reprehensibile sit: obligans nihilominus, in re honestâ, jurantem. Significavit utrumque Evāgelii auctor Christus, dum visis turbis in montem secederis, eas doceret, inquiens: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, &c. Sit sermo vester, Est, est; Non non. quod autem his amplius est, à malo est.* Quo loco non vetuit ne quis juraret (ut nostri Anabaptistæ fingunt) sed duos Pharisæorum errores correxit, qui putabant quavis occasione jurandum per creaturas; & tale juramentum non esse obligatorium. Dicit ergo nullo juramento jurandum, nisi necessitas compellat. quia quod extra necessitatem adhibetur, à malo, id est, diabolo est introductum: ut explicat Maldonatus. *Matth. cap. 5.*

D. Ludovicus Franc. Rex: Hujus doctrinæ sedulus imitator iste, ftequenter dixisse commemoratur: *Libens lubensque candentis ferri adustionem paterer, si juramenta eo pacto regni mei finibus proscribere possem.* Audivit hæc qui vitam ejusdem conscripsit Jonuilus, & refert. *cap. 83.*

Idem: Eodem auctore accepimus, dum ad pactum cum Saracenis de captivorum redemptione stabiliendum, genus quoddam juramenti pietāti Christianæ dissentaneum exigerent, recusasse se eā formâ juraturum. Instantibus vero Proceribus, eo pacto juraret, nisi captivos omnes periculo vellet expositos: *Integrum*, inquit, *eius sit facere quod lubet: ego malim certe pius Christianus occumbere, quam irato Deo beataq; Virgine vitam ducere.*. Ibid. cap. 46.

Marcellus. II. *Pont*. Et is Pontificatu inito, rogatus à Cardinalibus, ut de more illi diplomati subscriberet, quo iuramento obligaretur, se certum tantum Cardinalium numerum assumpturum; ratus non esse sufficientem iurisiurandi necessitatem, renuit, dicens: *Res dpræstituru sum, verbis nolim.* Onuph. Panor. in Vita.

Constantinus Mag Imp Juraverat apud illum Arrius, se nunquā eis opinionibus adhæresurum, propter quas eum Alexander Episc. ejecerat. Libertati itaque ab Imperatore restituitur, hoc dicto: *Si recta est fides tua, bene juraſti: sin autem impia, & tamen juraſti, Deus de cælo de te ferret judicium* & ita Imperatore elusо, abiit.: at Dei ultionem non evasit. *Theod lib. 1. Eccl. hist. cap. 14.*

Iutha Othonis II. Filia: Exemplis quæ de Juramento scribere cœpimus, Jutha Othonis ii. filia finem imponet. Nutriebatur apud Ratisponā in Cœnobio religiosarum virginum Untriebatur apud Ratisponā in Cœnobio religiosarum virginum Udalrici regis Bohemiæ filius, eam virapuit, & matrimonio iunxit. Detestātus illud facinus Imperator, Jureiurando affirmat exercitum se in Bohemiam ducturum, & Udalricum, eiusque filium pœnas sceleris daturum. Castra movent, hinc Otho, illinc Udalricus: cum Jutha (victo magnitudine periculorū muliebri pavore) per media tela patris colloquium, priusquam furor ardeat

ardeat amplior, expoſcit. Impetrat non alloquium tantùm, ſed & pacem: at iuſiurandum quo ſe obſtrinxerat, urget pater. Cui illa; *Vana eſt religio quæ ſceleri locum facit & criminibus ſacramenta non addunt.* Prudenter notabat iuramenta impia ſervanda non eſſe. *Munſterus de Germ. lib. 3. cap 499.*

¶ Monosticha Trochaica.

A bono nec exigamus jusjurandum, nec malo.
Admodum eſt avarus qui ipſam jurat ob pecuniam.
Exeat domo jurare ſi quis vult per Herclem.
Haud unquam temerè aut frequenter jureturando utitor.
Iuramenta detudicans eſſe deſinit prius.
Iusiurandum iniquitatis eſſe vinculum nequit.
Iusiurandum inventum eſt ut nos expediamus crimine.
Iusiurandum reſervandæ, non perdendæ conditum eſt
Iureiurando frequenter hoſtem in naſſam illexeris
Multi per Deum iurantes, ſe obligant periurio.
Naturalis tureiurando interit obligatio.
Nemo eſt qui frequenter iurat, quin aliquando peieret.
Nemini iurare fas, quam commatis viro boni.
Nil magè eſt pium quam abire à iureiurando impio
Non habenda iuramento, rebus ipſis ſed fides.
Peierat, iurare cauſſas quiſquis audet ob leves.
Per Deos iurant mortales, per Stygem iurant Dei.
Principis pro iuramento verbum ſimplex eſt probi.
Qui frequenter iurat, an non in via eſt, ut peieret?
Qui libenter iurat, an non aſſecla eſt periurij?
Sanctitas iurisiurandi, pars pietatis eſt bona.
Sanctius quam iusiurandum nil eſt quei firmes fidem
Summi habet vim iuramenti vita rectè agentium.
Tantundem eſt pietatis, iusiurandum frangas an fidem.
Tunc iurandum, cum nihil fert commodi periurium.
Tutius Iovis per genium peieres quam Principis.
Vir fidem affert iuramentis, non fidem ipſa dant viro.
Vis ſua omnis iuramentis ex timore oritur Deum.
Vix feret iurare quemquam deditum periurio.

¶ Jambica.

Contra hoſtem inimico nec iurato creditur.
Et iuramenta ridet, qui ridet Deos.
Fallas pueros talis, iuramento viros.
Fidei bona iuramentum ſanctiſſimum eſt.
Fidei facit iacturam ſæpe deierans.
Iis maximè nunquam qui iurant creditur.
Iurare cauſſas ob leves, periurium eſt.
Iurare falſum nemo qui eſt malus timet.
Iurare noli, cauſſa iuſta ſit licet.
Iurare non ſolet patronus teſtium eſt.
Iurare noli, peierare ſic nequis.
Magiſter eſt iuramentum fallaciæ.
Meus arbitratus eſt lingua quid iuret mea.
Noli ciò iurare, vel res ob leves.
Quandoque etiam licet iurare pro altero.
Qui iusiurandum violat, is violat Fidem.
Qui ſæpe iurat, propriam deſtruit fidem.
Qui ſæpe iurat, ſæpe oportet peieret.
Quid eſt iuſiurandum? emplaſtrum aris alieni.
Regi probo vel iniurato creditur.
Talis pueros, ſacramentis fallas viros.
Tantum ſemel iurabit in vita Hercules.
Tranſactionis iuramentum implet vices.

Iuris.

¶ SENTENTIAE GRAECORUM.

Synesius: Quando ius reddere convenit, niſi eo tempore, quo maximè Dei ope indigemus? *fine Epiſt. 42.*

Ariſtides Orator: Neque vero decet ſingulos quantum poſſunt rapere, atque id legem vocare; verum ſuumquemque conſequi, atque ea diſtribuentem, legem colere, idque ſolum ius dicere, & eius contrarium iniuriam. *Orat. 1. Plat. de rhetorica.*

Libanius: Non rectè finxit Homerus in Iliade, plebeios quidem vapulare ab Ulyſſe, quando reducere claſſem aggrederetur: magiſtratus autem dictis coërcitos, & iis lenibus: neque enim fortunis ius definiendum eſſe. ſed ſi quidem maleficium erat plaga indigens, naves retrahere, oportuit omnes verberari. quod ſi erratum reprehenſione modo dignum fuit, non hos quidem increpari; his vero obſequi oportuit: ſed in utrisq; orationem ſufficere non enim profecto meliores erant indole: ut præditos auctoritate, à vulgo diſcerneret propter virtutem in moribus ſitam itaque ius diſtingueret. nam fas eſt eos etiam qui inter plebeios numerantur probos eſſe, & fortuna aliis præſtantes vitio ſqualere. at vero qui Caſſandram ante oculos Minervæ decoravit, & maximarum calamitatum auctor exercitui extitit, non unus è populo, ſed è ductoribus quidam fuit. Quare ſi Ulyſſes hoc ita eſſe ignorabat, prudens non erat. Qui ergò audatur? Quod ſi hic neminem percuſſit, ſed id poëta finxit, Ulyſſes quidem iniuriam accipit, reliqui verò læduntur. *Declamat. 29.*

¶ Romanorum.

Plinius: Magnificum eſt civibus iura; quid hoſtibus reddere? ſpecioſum certam fori pacem; quid immanes compos ſella curuli victoriſque veſtigio premere minacibus ripis tutũ quicumque; quid ſpernere barbaros fremitus, hoſtileque terrorem non armorũ magis quam togarum oſtentatione compeſcere? *cap. 56. panegyr. ad Traian.*

Quintilianus Senior: Pro iure loqui nemini non licet. *mox*: Loquar pro lege, loquar pro æquitate. *Declamatione. 280. m.*

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Nubibus v. 896.

——— *Nihil eſſe aio ius.*
IV. Quid? num ius nihil eſſe inquis?
IM. Age, dic tu, ubi ius eſt? IV. apud Deos.
IN. At ſi illic eſt, quomodo Iupiter.
Conſtrictum, ob patrem non peſſime
Periit? IV. ehem, eone procedit
Hocce malum? date mihi vos pelvim.

Plautus Pœnulo 3. ſc. 2. v. 9.

Hodie iuris doctiores non ſunt, qui lites creant,
Quam ſunt hi, qui ſi nihil eſt litium, lites ſerunt.

Auſonius in Monoſyllabis.

Lex, naturali quam condidit imperio ius:
Ius genitum pietate hominum; ius certa Dei mens:
Mens, quæ celeſti ſenſu rigas emeritum cor.

¶ Monosticha Trochaica.

Aliud eſt iniuriam facere, aliud tueri ius ſuum.
An ne hoc quidem ego adipiſcar quod ius publicum eſt?
Arduum ius reddere æquum mille mille civibus.
Aut nihil licet contra ius, aut in privato omnia.
Ecquid eſt quod tuto contra vim fieri absque vi queat?
Fas apud Deos, apud homines ius eſt quidquid Rex iubet.
Fructuoſum interdum iure de ſuo decedere.
Haud iniqua ſemper eſt iuris cum vi copula.
Integrum renunciare cuilibet iuri eſt ſuo.
Ius æquum eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod latum omnibus.
Ius apud bonos natura plus valet, quam legibus.
Ius civile ab æquitate ſegregare, haud eſt probi.
Ius minimè illud invidioſum eſt, proderit quod alteri.
Ius nihil aliud natura eſt, ipſum quam ius gentium.
Ius quidem multũ poteſt, ſed non plus quam arma Martia.
Ius quidem ſummum opponatur hoſtibus: civi æquitas.
Ius tenere ſummum non eſt temporum in periculis.
Iuris in ſcientia haud lis, lis in ignorantia eſt.
Iura quædam non lex nobis ſed natura tradidit.
Litigioſa eſt ignoratio iuris, haud ſcientia.
Mos valens. errorque vulgo diſſipatus, ius facit.
Mox tenetur quicquid contra ius & fas ſemet movet.
Nil minus in foro ferendum, iura quam fallacia.
Non debet per alterum iniqua conditio inferri alteri.
Non ex regula ius, regula ipſo ex iure ſumitur.
Non ubique ſque eſt, loci eius ius tenet. ſi lex vetat.
Obrutum ius eſt, ubi prior habitus eſt potentior.
Publiceque privatimque ſemper ius attendito.
Quæ pro ſe introducta ſunt, ea cuique licet contemnere.
Quei minus mihi idem ius æquum eſt eſſe quod mecum tibi eſt?
Quiſque iuris & retinendi & demittendi herus ſui eſt.
Quod morbis medicina præſtat, hoc ius controverſis.
Ruſticus ignorare impune ius poteſt & femina.
Sæpe iniurias exercet per ius circumſcriptio.
Sunt Deum magis ſpectanda iura quam mortalium.
Vis iniqua haud eſt in ullum, ius pati æquum qui abnuit.

¶ Jambica.

Aliud fori ius, aliud eſt triclinij.
Aptatur ad ea ius quæ frequenter accidunt.
Etiam ſuis ipſum patronis ius eget.
Fortuna ubique ius ſibi iniuſtum facit.
In dextera poſitum omne ius eſt Herculi.
In iure toto ſpecies generi derogat.
Ius eſſe non poteſt, niſi eſt aquabile.
Ius eſſe nullum armis potentius poteſt potentius.
Ius eſt id, utile quod de eſt qui plus poteſt.
Ius eſto cuncta quod probant ſuffragia.
Ius eſto idem Titio fuit quod Accio.
Ius ibi nequit valere vis ubi valet.
Ius moribus conſtat magis quam legibus.
Ius ſæpe ſummum, ſumma malitia eſt ac ſcelus.
Iuris periti haud apti bello, ſed foro.

Iura omnibus sunt urbis aqua libera.
Malitia summa, iusque summum, sunt idem.
Nescire sua turpe nobili viro.
Nil est laboris iura iustis reddere.
Nil iure eis opus est qui possunt cogere.
Non deficit multis ius, sed probatio.
Potentior iure est potior qui munere est.
Pro jure ubique stat Fortuna gentium.
Quod dulce præter jus est, in fel vertitur.
Renunciare quisque juri quid suo.
Sejus & æquum spernit à malo procul.
Se vindicare jure, dives pudet.
Spectanda ubiq; in jure maximè, æquitas.
Sub jure summo summa sæpe injuria est.
Summum q; jus & summa sæpe malitia est.
Valent ubiq; jura plus quam dextera.
Vbi exulat jus, ibi regit descordia.
Vis imperare juri? eidem obtempera.
Vis jura vincit fucus innocentiam.
Vt desiere gratia & odium, jus valet.
Vt jura paci, sic & bello sunt sua.

Iurisprudentiæ.

¶ APOPHTHEG. CHRISTIANOR.

PEtrus Aldobrandinus Card. Iudicibus, qui IURIS SCIENTIA carent, Midæ auriculas affingebant veteres. neque aliud ad stolidos judices ornamentum devenire potest. Quantum vero Reipub. utilitati, imo & necessitati, conferat hæc scientia; docuit CARDINALIS ALDOBRANDINUS. Ille enim, *Facillimum est*, inquiebat, *sine Iurisprudentia jus ipsum pervertere: difficillimum etiam jus dicere, nisi cognoscatur.* Heinricus Farnes. supra.

Idem: Juris scientiam in Actione magis quam cognitione consistere dicebat. Rogatus namque, quem inter Principes maximè justum existimaret; *Eum*, ait, *qui vitæ potius exemplo populũ, quam voce testimonio instruit.* Ibidem.

Iussorum.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Dedecus negligere jussa, crimen at contemnere.
Iussa herorum iniqua, servi ne quidem ipsi perferunt.
Iussa si facit libertas servitutis est genus.
Non tam quod jussum est quam eum qui jusserit considera.
Publica saluti adversis quæ jussis obtemperes?
Vltione digna non est jussa contumelia.

¶ IAMBICA.

Damnum videtur dare is, qui jubet dari.
Divina iussa exsequere: minime examines.
Iussum exequi famulatus est confessio.
Iussa facere servitutis est confessio.
Obmurmurautem quisnam servum sufferat.
Qua non iubetur fieri, ea facere nil vetat.
Quid iusserit attende, non qui iusserit.
Sceleste quis non iussa spernat Principis?

Iustitiæ.

¶ SENTENTIÆ ORATORUM GRÆCORUM.

Clemens Alexandrinus: Est ergo, justitia quadrata, omni ex parte æqualis & similis, in verbo, in facto, in abstinentia à malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam ullo modo claudicans, ne videatur injustus & inæqualis. Quatenus ergo est aliquis justus, est omnino is quoque fidelis: quatenus autem est fidelis, nondum est etiam justus Justitiam dico quæ fit per profectum & consumationem, per quam is qui est cognitione præditus, justus dicitur. Jam vero Abrahæ qui factus fuerat fidelis, reputatum est ad justitiam, ut qui processerat ad id quod est fidei maximum & perfectissimum. Non enim qui abstinet solum à mala actione, est justus, nisi præterea perfecerit ut & bene faciat, & cognoscat, propter quam causam abstinendum quidem sit ab his, illa vero sint agenda Per arma justitiæ dextera & sinistra, dicit Apostolus justum transmitti ad summam hæreditatem, ab his quidem munitum, illis vero etiam agentem. Non enim solum armaturæ tegumentum, & abstinentia, à peccatis, sufficit ad perfectionem, nisi adsumpserit etiam opus justitiæ, eã quæ ad beneficiendũ est operationem. Tunc autem ambabus utens manibus is qui est cognitione præditus, in justitia revelatur, jam ex hoc quoque non secus ac Moses, facie animæ glorificatus, quam quidem prius diximus corpus quod formam & characterem tribuit iustæ animæ. Quomodo enim lanæ quæ indita mansit tinctura, in reliquas quoque lanas proprietatem transmittit & mutationem: ita etiam in anima transit quidè labor, manet autem quod est bonum & honestum: & quod jucundum quidem est relinquitur, quod turpe autem est abstergitur. Hæc sunt enim qualitates, quæ utrique animæ formam & characterem tribuunt, ex quibus una quidem cognoscitur glorificata, altera vero condemnata. Certe sicut Mosi ex justa operatione, & ea quæ continentur ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quædam coloris species: ita etiam justæ animæ divina quædam vis bonitatis inhærens per inspectionem, prophetiam, & administrantem operationem, quasi intelligentis illuminationis, perinde atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum justitiæ signaculum, lucem animæ unitam per charitatem quæ nullo spatio disjungitur, quæ Deo afflat & Deo afflatur. *Libro sexto Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Imago enim valdè divina & Deo similis, est viri justi anima, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur & collocatur dux mortalium & immortalium omnium, Rexque & genitor omnium, bonorum revera lex & præscriptum, & verbum æternum. qui & privatim singulis, & communiter omnibus est unus servator. Hic est revera unigenitus, & omnium Regis & omnipotentis patris gloriæ figura, quæ ei est cognitione præditus imprimit perfectam contemplationem ad sui imaginem, ut sit jam tertia divina imago, quæ quoad ejus fieri potest assimulatur causæ secundæ, eique quæ est revera vita, per quam veram vitam vivimus: veluti nobis describentes eum qui est cognitione præditus, qui versatur in iis quæ ut firma ac stabilia, & nec murari possũt nec alterari. Sibi ergo & suis imperans, firmam ac stabilem possidens comprehensionem divinæ scientiæ, germanè actyncrè accedit ad veritatem. Eorum enim quæ intelligentia percipiuntur cognitio & cõprehensio, jure dici potest firma ac stabilis scientia: cujus ea quidem pars quæ versatur in rebus divinis, hoc habet munus ut contideret quæ sit prima causa, quid vero sit per quod facta sint omnia, & sine quo factum est nihil: & quænam sint ea quæ sunt ut penetrantia, quæ autem ut continentia: & quæ sint conjuncta, quæ vero ut disiuncta: & quemnam habeat ordinem unumquodque eorum, & quas vires, & quod ministerium afferat unumquodque. Et rursus humanis, quid sit ipse homo, & quid sit ei secundum & præter naturam, & quemadmodum rursus agere vel pati oporteat, & quænam sint ejus virtutes, & quænam vitia, & de bonis & malis & mediis: tum quæcunque de magni excelsique animi virtute, de prudentia & temperantia, & de ea quæ est supra omnes omni ex parte perfecta & absoluta virtus, iustitia, tractari solent.

Ac prudentia quidem & justitia utitur ad parandam sapientiam: fortitudine autem, non solum in ferendis casibus, sed etiam in eo quod resistat voluptati & cupiditati, dolorique & iræ: & in summa, cuivis rei quæ nos vel vi vel fraude aliqua illicit. Non enim vitia & honesta sustinere oportet, sed & persuaderi ut ea sustineamus, quæ sunt terribilia. Invenitur autem dolor quoque utilis, & in medicina, & ad erudiendum, & castigandum: & per eum corriguntur mores ad utilitatem hominum. Fortitudinis autem species sunt, tollerantia, mentis sublimitas, magnitudo animi, liberalitas, magnificentia. Propter quam causam, nec reprehensionem, nec vulgi malam famam apprehendit is qui est cognitione præditus, neque gloriis subjicitur, neque assentationibus: & in sustinendis laboribus sive agit aliquid quod oportet, sive casus omnes magno & forti animo superat, revera vir videtur inter alios homines. Et rursus conservans prudentiam, & moderatus ac temperans inquietæ animæ, ea quæ præcipiuntur excipit tanquam quæ sibi conveniant: ea vero quæ sunt turpia, ut aliena aversatur, & veluti mundanus & supermundanus, ornatè & decorè se gerens, & nullo modo delinquens. Maxime quidem dives, ex eo quod nihil concupiscat, ut qui paucis egeat, & cujusvis boni magnis abũdet copiis, propter boni cognitionem. Ejus enim iustitiæ est primum munus, amore complecti eos qui sunt ejusdem generis, & cum eis agere & versari, & in terra & in cœlo. Ea ratione lubeter quoq; impertit & communicat si possideat: & cum sit comis ac benignus, summo odio habet malos, quodvis maleficium perfectè abhorrens & aversans. Oportet ergo discere esse fidelẽ & sibi & proximo, & parère præceptis. Hic est enim Dei servus, qui sua sponte se subjicit præceptis: qui autem non jam propter præcepta, sed propter ipsam cognitionem est mundus corde, is est Dei amicus. Neque enim nascimur natura virtute præditi, neq; ea postquam sumus nati, ut aliquæ aliæ partes corporis, accedit postea naturaliter. nam sic non esset voluntarium, nec laudabile: sed nec ex eorum quæ quotidie eveniunt usu accedente & consuetudine sicut sermo, virtus perficitur (vitium enim propemodum hoc modo ingeneratur) sed nec ex arte aliqua, sive ex iis quæ proponunt sibi quæstum, sive ex iis quæ pertinent ad curam corporis, accedit cognitio. Sed nec ex liberalibus disciplinis: bene enim cum eis agitur, si tantum possunt præparare animam & ei ministrare. Nam leges civiles malas actiones forte possunt reprimere: sed neque ad persuadendũ comparatæ orationes, cum verlentur in superficie, stabilem efficient permansionem veritatis quæ constituit scientiam. Philosopia autem Græca veluti præpurgat & præparat animã ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem.

Hic

Hic est verus athleta, qui in magno stadio, nempe pulchro hoc mundo, coronatur, veram assecutus victoriã adversus omnes animi perturbationes. Nã & agonotheta est omnipotens Deus, & qui brabia seu præmia distribuit est unigenitus Dei filius: spectatores autẽ sunt angeli & Dii: variumq; & ex omni genere pugnæ cõstans certamen, non est adversus carnem & sanguinẽ, sed adversus spiritales potestates quæ per carnes operantur vehementes vitiorum & affectionũ motus. Qui hæc magna superaverit certamina, & imminentẽ veluti prostravit tentatorẽ, potius est immortalitate: falli enim non potest Dei sententia in justissimo judicio. Ac vocatũ quidẽ est theatrum ad certamen, in stadio a decertant athletæ: & ex his utiq; superat qui aliptæ paruerit. Omnibus enim omnia à Deo proposita sunt æqualia, & est ipse alienus à reprehensione: misericordiam a. consequitur is qui potest, & potens est is qui voluerit. Hac ratione mentem quoq; accepimus, ut sciamus quod agimus: & illud, Nosce teipsum, hic est scire propter quid orti simus: orti autem sumus ut eligeremus obedire præceptis ad hoc ut vellemus esse salvi. Hæc est Nemesis, per quam Deum non licet effugere.

Est ergo officium hominis, Deo parẽre, qui varia annunciavit salutem per præcepta. Grati a. animi significatio est confessio: benefactor enim prior incipit benefacere. Qui autem cum iis quas oportet considerationib. prompto & alacri animo acceperit, mandata & custodierit, is est fidelis. Qui a. pro accepto beneficio pro viribus refert gratias per charitatẽ, is jam est amicus. Una est autem ab hominib. præcipua gratiæ relatio, ea facere quæ Deo sunt optima. Nam tanq; proprii fœtus, & in aliquo cognati effectus, magister & servator accipit utilitates & correctiones hominũ ad propriam gratiã & honorem: sicut etiam damna & offensiones quas accipiunt ii qui ipsi crediderunt, tanquam ingrati animi in se admissa crimina, propriaq; probra & dedecora existimat. Quod enim aliud probrum ac dedecus Deum attigerit? Quocirca nec possunt omnino referri gratiæ pro dignitate salutis, si conferantur cũ utilitate quæ à Domino proficiscitur. Sicut a. qui vexant possessiones, dominos injuria afficiunt, & qui milites, eorum imperatorem: ita Domini est contemptio, eorum qui sunt illi dedicati, vexatio. Sicut enim Sol non solum cælum, & totum mundum illuminat, super terram & mare resplendens, sed etiam per fenestram & parvum foramen, vel in intima penetralia domorum lucem emittit: ita Verbum undiquaq; effusum, vel minima respicit ex iis quæ in vita geruntur. *lib. Stromat.* 7.

D. Nazianzenus: Ne magnopere justus sis, nec supra modum sapiens. Par etenim justitiæ atq; sapientiæ detrimentũ affert, acris, tã in actione, quam in sermone, animi impetus, à bono nempe & à virtute propter excessum excidẽs. Hanc enim defectus, & excessus, peræquè labefactant, non secus ac regulam additio aliqua aut subtractio. Nemo igitur sapientior sit, quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior nec præcepto divino sublimior, Id vero qua tandem ratione consequemur. Nempe si modesti & compositi esse curemus, naturæ leges cõprobemus, rationẽ ducem sequamur, ordinem & disciplinam non aspernemur. *Orat.* 26.

D. Greg. Nyssenus: Justitiam ajunt nonnulli esse habitum tribuẽtem unicuiq; id quod æquum est, & quo quisq; dignus est. verbi gratia: si quis pecunias distribuendi potestatem adeptus, & æqualitatẽ respiciat, & pro modo indulgentiæ sumentium & participantiũ elargitionem temperet, justus dicitur. Item si quis judicandi potestate accepta, non ad gratiam alicujus & odium sententiam ferat, sed naturam causarum sequens & supplicio dignos afficiat, & innocentes sententia sua absolvat & servet, reliquarumq; controversiarum verum judicium faciat, etiam hic justus dicitur. Item qui subditis tributa indicit, cum pro modo virium tributum imponit, & paterfamilias, & prætor civitatis, & gentium rex; si quis horum convenienter & commodè subditis præsit, nulloq; impetu atq; appetitu ratione carenti, occasione potestatis moveatur, sed recte subditis jus dicat, & ad voluntates & studia subditorum, ingenium & consiliũ suum accommodet & temperet: hujusmodi omnia rationi ac definitioni justitiæ tribuunt & assignant ii, qui habitu tali, id quod justum sit, definiunt *Orat. 4. de beatitudinib.*

D. Chrysostomus: Si quidem injuriam facias, est perspicuũ, quod non sis justus. Sin autem injuria afficiaris, & feras, hoc enim est maximè justi: nihil opus habes externis legibus. Et quomodo, inquis, ferre potero injuria affectus? Atqui Christus præcepit quod est eo majus. Non solum enim jussit injuria affectũ ferre, sed ei etiã affatim erogare qui facit injuriam; & patiendi alacritate superare cupiditatẽ ejus qui malefacit. Non enim dixit; Ei qui vult judicio contendere, & tunicam tuam accipere, dimitte tunicam; sed cum illa da etiam pallium. Vincè enim, inquit, eum malè patiendo, non malè faciendo. Hæc est enim aperta & clara victoria. *Homil.* 16. *ad Cor.* 1.

D. Chrysostomus: Justus dicitur qui nihil habet quod reprehendatur, nam in forensib. quoq; judiciis illum dicimus justum qui injuriam accepit, nec reddidit. Si ergo nos quoq; in horrendo judicio potuerimus alter apud alterũ videri justi, poterimus aliquẽ assequi benignitatẽ. nam ut apud Deum quidẽ videamur, nõ potest fieri, quidquid ostenderimus: ipse n. jure semper est superior. *Hom 13. ad Eph.*

S. *Isidorus Peluſiota:* Hæc & dicito, & facito, per quæ & sis & existimeris non modo piissimus, verum etiam justissimus. *lib. 2. Ep* 87.

S. Isidorus Peluſiotæ: Qui regulæ eos, qui regulæ non sunt, admovent, ob eamq; causam eum, qui alios quoq; formare atq; ad regulam dirigere meretur, examinant, rectum de rebus judicium habere minimè mihi videntur. Quoniam enim per spontaneum morbum vitiatam eam animi partem habet, in qua rationi sedes est, idcirco fit, ut in rerum quoq; judicio deinceps errore labantur. Justo quippe ac forti viro, ac sceleratis formidabili, fastum ac supercilium attribuunt: hinc scilicet omnibus virtutis studiosis cursum ad eam interrumpere molientes. Siquidem virtutem propinqui vitii nomine appellare minimè dubitant. Quocirca ejusmodi homines leonem quoq; reprehendant, quod rigidum quendam ac regium, nõ autem simiarum similem, vultum præferat: ac contra histriones & scurras laudent, quod absurdum risum excitent. *lib.* 3. *Epist.* 99.

S. Isidorus Peluſiota: Pleriq; mortalium (vereor enim dicere omnes: etiamsi hoc Scriptura dicere videatur) non quod virtutẽ amplectantur, sed quod iniquioribus seipsos comparent, per deteriorum collationem, opinionis errore justos se esse fingunt: non ipsa per se Dei mandata expendentes, ac suam vitam ad eorum normam componentes, verum cum aliorum languore atq; socordia suam vivendi rationem conferentes. Eaq; de causa dictum est illud, quod à me tibi explicari cupis, Omnis vir justus sibi esse videtur. Etenim ad ea quidem, quæ alii rectè atq; virtute gerunt, cæcutit: eorum autem vitia liquido perspicit: non secus videlicet ac vultures, prata persæpe atq; hortos prætereuntes, cadavera volatu petunt. Subjunxit itaque, Dirigit autem corda Dominos, hoc est eorum, qui inanem hujusmodi opinionem ex animis suis ejecerunt: aut eorum, qui ad divina mandata vitam suam exegerunt: aut deniq; eorum, qui supra hominum conditionem sese extulerunt, ac per optimam vitæ rationem ad præstantiorem dignitatis gradum evecti sunt, juxta illud Scripturæ, Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. *libr.* 3. *Epistol.* 237.

S. Isidorus Peluſiota: Quandoquidem quo sensu illud dictum sit, Noli esse justus multum, a me tibi exponi cupis, duplicem horum verborum interpretationem esse arbitror: nempe ut vel hoc significent, Noli jus tuum severè ac rigidè persequi, verum per bonitatem id exupera. Justum enim est ab alio minimè lædi: philosophicum autem, acceptam injuriam æquo animo ferre. Vel hoc: Medium virtutis iter tene. Siquidem ipsius excessus & defectus à recta via abducentes, in peccata desinunt. Quòd autem huc spectet sapientissimum hoc præceptum, ex eo, quod deinceps sequitur, constabit. Nec supervacaneè sapiens sis, ut ne obstupescas. Quod quidem, ut opinor quidam ex celeberrimis illis septem sapientibus furatus, aut certè tentia collapsus (furtum enim est alienorũ verborum surreptio: collapsio autem fortuita rerum similitudo) illud pronunciavit, Modus optimus. Alius autẽ hoc traducens, Ne quid nimis, dixit. Porro non in virtutibus duntaxat, sed etiam in pietate hoc valere perspicias. Pietas enim impietatem & superstitionem interjecta utramq; abdicat. *lib* 3. *Epist.* 320.

Ibidem: Quoniam, qua ratione virtutes mediocritates sint, ex me quæsisti, illud scito, quod prudentia inter simplicitatem & malitiam consistat: liberalitatis item inter luxum & tenacitatẽ: eodemq; modo animi magnitudo inter vanitatem & humilitatem: ac deniq, fortitudo inter temeritatem & ignaviam. Quamobrem nobis faciendũ est, ut extrema fugiamus, ac media conjectemur. *lib.* 3. *Ep.* 321.

¶ Theologorum Latinorum.

Chryſologus: Fratres, hic præceptio cælestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summovere inanem gloriã sic justitiam vult celare. Justitia quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriã non requirit, a Deo genita cælum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta semper à Deo solo ut glorificetur expectat. Sed hæc est justitia, quæ ex Deo est, illa verò justitia quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit sæculo, Deo non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipsa non videns vult videri. *Serm.* 9. *ex Matthæi cap.* 6.

Zeno: Vera justitia omnium fons materq; virtutum, præter cæteras tota se ad alienas utilitates colligit atque explicat; sciens, quid Deo principaliter debeatur, nihil sibi ipsa concilians, nihil proprium derelinquens, nisi quod fideliter sine ulla jactantia ejus fungitur voluntate. Est autem in publicum tota prominens, atque diffusa: sic tamen, ut sentiri se magis cupiat, quam videri: planè cauta, ne quam declinet in partem: ne in aliquo se ipsa reprehendat: ne opere cœpto unquam deficiat. Hæc captivorum juga redemptionibus frangit: incarceratis medendo plus carcerem novit blanda pervigil cura: ægritudinem cum ægro partitur: abjecta cadavera intecta, inhumataq; esse non patitur: In pauperes, miserosque sua necessitate neglecta pietatis largitur: furtim semina spargit: nec rogari se permittit, nec vicaria laudis remunerari mercede. hoc damnum grave: hoc æstimat crimen: nam nihil relinquendo sibi, beata cupiditate antecedit avaritiam: homines enim illa possidet: ista Deum. Adhuc accipite, ad propriam sedem, palmamq; propositam quanto amore, qua devotione festinet. Si quis eam provocat in judicium, ut ejus auferat tunicam, libens illi pallium quoq; cõcedit. maledicitur & benedicit: cæditur, & gratias agit: jugulatur, & non repugnat: pro percussoribus suis Deum insuper exorat. Una illi sola principalis solicitudo, ac maxima est cautio, ne quid mundo debeat: ne quid horum dignè patiatur. *Serm. de justitia.*

Ennodius: Prima res est sancto conveniens sine dubitatione proposito, sponte pro justitia facere, quidquid alii solent monitis

exhibere, sed honestati proxima vel secunda, rectis suggestionibus non gravari in qua parte etsi principem locum non possidet qui monetur; habet tamen Dei gratiam, quod veritatis insinuationibus non repugnat. *Lib.* 3. *Epist* 1.

Ennodius: Nunquam habuit in affectu constantiam, cui facere aliud de pollicitatione non licuit. Sæculi conversatio legum metu continetur. Dei famulos, quod bonum est exhibere convenit non formidini sed amori. *lib.* 5. *Ep.* 13. *a m.*

Ennodius: Credo ad justitiam pertinere, ut quod à vobis expecto, primus exhibeam. Decet enim, ut qui bona opera præstolatur, inviter exemplo. *lib.* 8. *Epist* 6. *pr.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Quum longo ex intervallo Athenas venisset Hippias, forte Socrati aderat dicenti ad quosdam, mirum esse, quod si quis sutorem aliquem, vel fabrum, vel artificē ærarium, vel equitem docendum locare velit, non desinit loca, ad quæ illo ire jusso, possit hoc impetrare: (ajunt quidem aliqui, si equum ac bovem quis recte velit institui, omnia plena iis esse, qui hos docere velint) ac si quis vel ipse justitiam discere cupiat, vel filium domesticūve doceri, nō esse, quo accedere possit, ut cōsequatur. Quæ quū audivisset Hippias, tanquam irridens Socratē ait: Num adhuc tu, mi Socrates, illa ipsa dicis, quæ ego de te jam olim audivi? Et Socrates: Immo quod hoc etiam gravius est, inquit, mi Hippia, nō modo semper eadē dico; sed etiam de iisdem. Tu vero fortasse, quod doctrinæ magnam copiā habes, de iisdem numq̄ eadem dicis. Certe inquit, semper aliquid novi proferre conor. Nam & de iis, ait Socrates, quæ scis? verbi gratia, de litteris; si quis te roget, quot & quales sint litteræ vocabuli Socratis, antehac alia, itidemq; nunc alia dicere conaris? vel de numeris si qui rogent, an bis quinq; sint decē, nōn eadē nunc, quæ & prius, respondes? De his, ait, mi Socrates, perinde ac tu quoq;, semper eadem dico. Cæterum de eo, quod justū est, nunc me dicere posse omnino arbitror, ad quæ neq; tu, neq; quisquā alius respondere queat. Magnum profecto, ait bonū reperisse te refers, si quidē judices diversa statuere desinent, & cives de iis, quę justa sint, d sceptare, experiri jure, dissidere: denique civitates ipsæ discordes esse de iis, quæ æqua sint, bellaq; gerere desinent. Atque quidem quo pacto discedere abs te possim prius, quam te, qui tantum bonum inveneris, audierim, non video.

At tu profecto, inquit, non audies prius, quam ipse pronuntiaris, quid esse justum statuas. Nam sufficit tibi alios irridere, interrogāti & convincenti omnes: quum ipse nemini rationē reddere velis, neq; sententiam tuam ulla de re proferre. Quid vero mi Hippia? inquit, an nescis me illa, quæ justa putem, numquam non indicare? Et cujusmodi ea, inquit, ratio tua est? At si non oratione, ait, saltim reipsa demonstro, non tibi res ipsa videtur fide dignior esse, quum sit oratio? Multo magis profecto, ait. Nam pleriq; quum justa dicant, injusta patrant: at qui justa facit, injustus esse nequit. Sensistine vero umquam, me vel falsum testimonium perhibuisse, vel calumniatum quemquam, vel amicos aut rempublicam in dissensiones impulisse, vel aliud quidpiam injusti designasse? Minime equidem, ait. Ab injustis autem abstinere, non justum esse arbitraris? Patet, ait, mi Socrates, etiam nunc id operam te dare, ut quo minus sententiam de justitia tuam proferas, declines. Non enim ea dicis, quæ justi faciūt, sed ea quæ non faciunt. Ego vero, ait Socrates satis idoneum esse justitiæ specimen arbitrabar, nolle quid injuste designare. Quod si hoc tibi non videtur, considera, num magis hoc tibi placeat. Nam equidem aio id, quod legibus sit consentaneum, esse justum.

Tunc, mi Socrates, quod legibus est consentaneum, idem cum justo esse dicis? Dico equidem, ait. Non enim animadverto, quid legibus consentaneum, quid justum dicas. An civitatis leges, inquit, nosti? Novi, ait. Et quas putas illas esse? Quæ nimirum, inquit, cives de agendis, vel non agendis, composita conscripserunt. Ergo legibus consentaneus erit, ait, qui secundum hæc in republica sese gerit: alienus autem à legibus, qui in ea delinquit. Omnino, inquit. Igitur etiam ille, qui his obtemperat, justa facit: injusta vero, qui non obtemperat? Omnino. Ergo qui justa facit, justus: qui injusta, injustus est? Cur non? Itaq; legibus consentaneus, justus est: qui vero alienus est à legibus, injustus.

Tum Hippias: Quo pacto aliquis, ait, mi Socrates, vel leges, vel obœdientiam in servandis legibus, rem magni faciendā putare possit, quum eas auctores ipsi sæpenumero improbatas mutent? Non enim bellum, inquit Socrates, sæpenumero civitates suscipiunt, ac rursus pacem faciunt? Omnino, ait. Ergone quid aliud facere te putas, inquit, quum legibus obtemperantes vituperas propterea, quod antiquari possint; atq; si hostes recte ac decore se gerentes reprehendas propterea, quod pax fieri possit? Num & illos, qui alacriter in bellis succurrunt patriæ, vituperas? Minime equidem, ait. An non Lycurgum Lacedæmonium, ait Socrates, non animadvertisti alia, te nulla Spartam à rebuspublicis cæteris diversam reddidisse, quam quod in ea maxime perfecerit, ut legib. cives pareant? An item nescis magistratus in rebuspubl. optimos esse, qui maxime sunt auctores civib. ut legibus obtemperent? Etiā civitas, in qua maxime legibus parent cives, tum pace recte constituta est, tum bello inexpugnabilis.

Quinetiam concordia maximum rebuspublicis bonum esse videtur, & ut plurimum in eis Senatus ac optimi quiq; cives suti concordes sint, hortantur: & ubiq; in Græcia moribus & usu receptum est, ut jurent cives, velle se concordiam colere: quod etiam sacramentum ubiq; præstatur. Existimo autem sic illud fieri, non ut de iisdem choris cives judicent, non ut tibicines eosdem laudent, non ut eosdem poetas deligant, non ut eisdem delectentur: sed ut legibus pareant. Nam si cives in his persistāt, urbes potentissimæ beatissimæq; fiunt. At sine concordia nec civitas recte gubernari poterit, nec domus recte administrari. Privatim vero qui possit aliquis vel minus à republicā multari, vel magis honorari, quam si legibus obtemperet? quo pacto minus pro tribunalibus vinci possit? quo pacto magis vincere? cui quis potius fidem habebit, ut apud eum vel pecunias, vel filios, vel filias deponat? quemnam civitas universa fidi digniorem putare possit, quam eum, qui legibus se conformem præstet? A quo vel parentes, vel propinqui, vel domestici, vel amici, vel cives, vel hospites magis id impetrare possint quod æquum est? Cui potius hostes vel inducias, vel fœdera, vel conventa de pace credant? cum quo potius societatem coeant, quam cum homine legum studioso? Cui potius socii vel ducis munus, vel præsidiorum magisterium, vel civitates credant? A quo potius aliquis bene promerendo gratiam se initurum existimet, quam à legum studioso? At de quo potius bene promereatur aliquis, quam à quo se gratiam reportaturum arbitretur? Cui quis vel magis amicus esse velit, vel minus hostis, quam homini tali? Cui quis velit minus bellum facere, quam cui esse cupiat amicissimus, ac minime hostis, & cujus amicitiam societatemque plurimi expetant, inimicitiam vero pauciissimi? Equidem, mi Hippia, demonstro idem esse, quod legitimum sit, & quod justum. Tu si contrarium sentis, velim me doceas.

Ego vero, subjecit Hippias, non profecto videor iis contraria sentire de justo, quæ tu, mi Socrates, protulisti. An vero quasdam mi Hippia, inquit, non scriptas leges esse nosti? Eas, ait, quæ ubivis locorum eodem modo observantur. Hasne dicere potes, ait, ab hominibus esse conditas? Qui possim? inquit, quū homines universi convenire non possint, nec eodem sermone utantur. Quosnam igitur, ait, leges has condidisse arbitraris? Equidem, ait, has leges hominib. à Diis ferri existimo. Nam apud homines universos hoc primum lege receptum est, Deos esse colendos. An non & parentes ubiq; locorum receptum est honore prosequendos esse? Etiam hoc, ait. Non & illud, quod neq; parentes cum liberis, neq; liberi cum parentibus consuescere debeant? Illa mihi lex, ait, mi Socrates, non jam amplius esse Dei videtur. Quamobrem? inquit. Quod animadvertam, nonnullos hanc non observare. At enim, ait Socrates, etiam alia multa contra leges committunt. Verum qui leges divinitus conditas violant, pœnas dant, quas homo nulla ratione potest effugere, quemadmodum nonnulli leges latas ab hominibus transgredientes, quo minus pœnas dent, vel latendo, ut vim adhibendo effugiunt. Et quam ait Hippias, pœnam effugere, mi Socrates, non possunt tum parentes, si cum liberis, tum liberi si cum parentibus misceantur? Maximam profecto, ait. Nam quid hominibus liberos procreantibus accidere majus possit, quam si male procreent? Quo vero pacto, inquit, male procreant hi, quos nihil vetat bonos ipsos ex bonis liberos suscipere? Quia non tantum, ait, bonos esse necesse est, qui ex se invicem procreant: sed etiam corporibus vegetis. Num tibi semina illorum, qui ætate sunt vegeta, seminibus eorum esse similia videntur, qui ad ætatem vegetam necdum accesserunt, vel jam prætergressi sunt eam? Nequaquam, ait, esse similia videntur. Utra igitur sunt meliora? Perspicuum est, inquit, illorum meliora esse, qui sint ætate vegeta. Ergo illorum, qui hac ætate non sunt, corpora minime probantur. Ita videtur, inquit. Ergo sic procreandum non est. Nequaquam, ait. Ergo hi dum liberos procreant, ita procreant, ut minime decebat. Mihi sic sane videtur, ait. Quinam igitur alii male gignunt, si non hi? Sentio tecum, inquit, hac etiam in parte.

Quid autem? de bene nobis facientibus vicissim bene merendum esse, an non ubivis gentium legibus consentaneum est? Est, inquit. Et cōmittitur etiam adversus hoc. Quo fit, ut & illi, qui in hoc delinquunt, pœnas dēt, ab amicis bonis deserti, & coacti eos quærere, quibus odio sunt. An non qui benefaciunt illis, qui opera ipsorum utuntur, amici boni sunt; at qui vicissim de illis bene non promerentur, licet ob ingratitudinem suam eis se odio esse sciant, tamē quod horum operam in primis utilē sibi videant, eosdem studiose quæritant? Profecto, inquit, mi Socrates, hæc omnia divina esse videntur. Nam leges ipsas delinquentum pœnas continere, id vero mihi cujusdam se præstantioris legislatoris videtur, quam ut in hominē cadat. Num igitur existimas, mi Hippia, Deos justa præscribere legibus, an vero à justis aliena? Nequaquam à justis aliena, inquit. Non enim facile quis alius extra Dexum justa sancire potest. Ergo etiam Diis, mi Hippia, placet idem & justum esse, & legitimum. Hujusmodi quædā quum & diceret, & faceret, reddebat illos, qui conveniebant ipsum, justiores. *cap.* 20. *& seqq. lib.* 4. *Memorabilium.*

Xenophon: An vero licet hominibus sic uti, quemadmodum aliquis vult? Non, sed apud hos etiam qui novit legitima, secundum quæ debemus uti consuetudine mutua, legitimus scilicet erit. Ergo qui hoc modo se gerunt erga se invicem, illi hominibus ut decet utuntur? Cur non? Num vero qui sic eis utuntur, ut oportet, recte utuntur? Omnino, ait. Ergo qui recte utuntur hominibus, illi etiam res humanas recte agunt? Ita vero consentaneum est, inquit. Num igitur qui legibus parent, justa faciunt? Omnino, inquit. Scis autem qualianam justa dicantur? Quæ leges jubent, ait. Ergo qui faciunt à legibus scriptura, tum justa faciunt, tum quæ fieri debent. Cur non? An vero justi sunt, qui justa faciunt? Sic arbitror, inquit. Ergone putas legibus aliquos parere, qui nesciant, quæ leges jubent?

jubent? Non puto, ait. At qui sciant quid faciundum sit, eosne putas arbitrari, faciundum id non esse? Non puto, inquit. An aliquos nosti, qui alia faciant, quã quæ fieri debere putant? Minime, inquit. Ergo qui sciunt, quæ legitima sunt erga homines, justa faciunt? Omnino, ait. Qui igitur justa faciunt, justi sunt? Qui tandem alii? ait. Ergo recte definiemus, si eos esse justos definiverimus, qui sciunt, quæ legitima sint erga homines? Sic mihi videtur, ait. [illegible]o. *lib.* 4 *Memorabilium.*

Xenophon: Justitiam vero subjecit mater, quo pacto, mi fili, discres heic, cum illic magistri tui sint? Ibi Cyrus respondisse fertur: Equidem accurate mea mater hanc teneo. Qui tenes? inquit Mandana. Quoniam me magister, ait, ut exquisite justitiæ peritum aliis etiam judicem dedit. Atq; adeo quadam aliquando in lite plagas accepi, quod recte sententiam non tulissem. Erat autem hujusmodi causa, puer grandis, cui tunica parva erat, puerum quemdam alium parvum, qui magnam habebat tunicam, exuit: ac suam quidem illi injecit, illius autem ipse vestem induit. Judex his ego datus ambobus esse melius judicavi, ut tunicam uterque sibi congruentem haberet. At heic me verberibus magister adfecit, quod diceret ita faciendum esse, si quando de eo quod congrueret judex constitutus essem. Ubi vero judicandum fuerit, utrius sit tunica, tum spectandum esse, quæ possessio justa sit: eumne qui vi quid abstulit, an qui elaboravit, aut emit, æquum sit possidere. Deinde subjiciebat id esse justum quod legitimum esset: quod autem legibus adversaretur, pro vi habendum. Quare judicem secundum legem ferre sententiam jubebat. Sic igitur ego mea mater, accurate jura omnia teneo, quod si quid præterea mihi est opus, avus hic meus docendo adjiciet.

At enim mi fili, ajebat illa, non eadem apud avum, & apud Persas esse jura constat. Nam hic omnium apud Medos se dominum constituit: apud Persas autem æqualitas justa ducitur. Ac tuus adeò pater primus ex præscripto facit, quæ facit civitate, & ex præscripto accipit: ac modus ei, non animi libido, sed ipsa lex est. Quapropter (tibi cavendum,) ne quum domum veneris, flagris cæsus pereas, si pro regio imperio tyrannicum edoctus ab hoc revertaris: cui quidem hæc inest opinio, plus oportere unum quam alios omnes habere. Immo vero mea mater, inquit Cyrus, longe pater tuus acrior est ad docendum, ut minus habere quis, quam plus, malit. An non vides, eum Medos omnes docuisse minus habere quam se? Quare bono animo esto, quando pater tuus, ut alium neminem ita ne me quidem sic edoctum ab se dimittet, ut plus cæteris habere cupiam. *cap.* 16. *lib.* 1. *Cyropædiæ.*

Xenophon: Justitia est honestas. Est profecto inquit Antisthenes, & quidem ea, de qua minime dubitari debeat. Nam fortitudo & sapientia nonnunquam & amicis, & reipublicæ videntur esse noxiæ: verum justitia ne parte quidem minima cum injustitia miscetur. *cap.* 9. *Conviv.*

Xenophon: Tum excandescens Charicles: Quando, inquit, ignoras hoc Socrates, edicimus tibi quiddam intellectu facilius, prorsus uti cum juvenibus ne colloquaris. Et Socrates: Itaque ne sit ambiguum, ait, an aliud faciam, quam præscriptum sit: definite mihi, ad quot usque annos existimandum sit, homines esse juvenes. Tum Charicles: Quosq;, ait, senatoribus esse non licet, nimirum hominibus istis necdum prudentiam cõsequutis. Adeoq; cum iis, qui annũ trigesimum non attigere, ne colloquitor. *cap.* 11. *lib.* 1. *Memorab.*

Aristides Rhetor: Qui justitiæ student, in pace ac fœderibus cernuntur maximè quãdoquidem in bellis nemo sui est compos, quin fortunæ sit & occasionis particeps. *Orat. Leuctrica* 4.

Aristides Rhetor: Nam equidem & legum lationem & sententiæ dictionem, & rerum justarum comprobationem, & consultationem & suffragationem, & ipsam erga Deos pietatem, ac reliqua similia, ad unum communem justitia referri, cunctos consensuros arbitror *Orat.* 2. *Platonica pro Quatuor viris.*

Epictetus: Ut rectum recto non eget, sic neq; justum justo. *apud Stobæum.*

Philostratus: Darius Cyri filius & Artaxerxis pater, cum suspicaretur adesse vitæ finem, tradunt Justitiæ sacrificantem talia fuisse precatum: O domina, si qua es usquam! quibus verbis satis ostendit, se jam dudum justitiam exoptasse, neque adhuc illam aut cognoscere, aut acquirere potuisse: quod ex eo satis constat, quia filios adeo stultè educavit, ut sibi invicem arma inferrent, eorumque alter vulneraretur à fratre, alter verò interficeretur. *lib.* 1. *cap.* 19.

Philostratus: Hæccine, inquit Jarchas, justitiæ opera esse censes? Censeo, inquit, nec solùm justitiæ. sed & humanitatis. non perdere enim hominum vitam, & mercatorum facultates non dispergere, pecuniarumq; cupiditatẽ vincere, præsertim cum essem nauta, multas mihi virtutes complecti videtur. Ad hæc subridens Indus: Videris, inquit existimare justitiam quandam speciem esse, injuriam nõ inferre, quod & omnes Græcos existimare video. *lib.* 3. *Apoll. cap.* 7.

Philostratus: Cum ob virtutem urbe pulsus esset Aristides, & abiens, muros jam esset egressus, rusticus quidam illi occurrens petiit ut damnatorio calculo nomen suum inscriberet, quo uteretur adversus Aristidem: cum ipse neq; hominem novisset, nec accusationem omnino ullam, sed solum invidia tangeretur, quod illum audierat esse valde justum. *lib.* 7. *Apollonij cap.* 10.

Heliodorus: Expone quæso mortis modum quam metuo ne usitato more sit mortua, & effugerit mortem qua digna fuerit! Non omnino deseruit nos, inquit, justitia, secundum Hesiodum: sed quamvis interdum aliquantisper conniverit in sceleribus hominum in longum tempus ultionem protrahens, tamen in ejusmodi nefarios acrem injicit oculum quæ & de conscelerata Demæneta supplicium sumpsit. *lib. Æthiopic.* 1.

Hierocles: Justitia colenda factis atq; verbis. Nihil igitur blasphemum in divitiarum amissione, aut morborum doloribus dices. Sed nec vicinis etiam bona eripies, aut aliis damna molieris si enim animum justitia tueatur, debita præstabimus erga Deos, erga homines erga nosmetipsos denique. Est vero justitiæ mensura optima, prudentia ipsa. id enim re vera justum est quod prudentiæ finibus continetur. *cap.* 14.

Libanius: Præclarum quidem est justitiæ operam dare, præclarum quoq; est eam prædicare. De hac vero quid majus quis dicere posset, quam quod Diis est amica, qui eam exercent, & cum ea degunt? At enim in aliis dissident atq; huic quidem arma, alii æreæ opera, alii nuptiæ, alii alia sunt curæ, omnes autem justi esse volunt, atq; sunt. Jupiter certe Diem justitiæ patronã assidere sibi fecit: quasi non aliter pulchrè regnum cæleste, neq; terrarum imperium administraturus esset. E Semideis porro quicumq; vitam huic virtuti consentaneam instituerunt, hi & beatiores dum viverent mihi fuisse videntur, & cum ex hac vita ad aliam cõmigravere, felicius degisse. Nam quis de Minoe non audivit, ut sub terra judex est constitutus, eorum qui eo proficiscuntur. utq; iis qui juste & pie vixerunt præmia largiatur: improbos vero mittat ad locum supplicii? Æacus autem ejus quidem ex eodem patre frater, mente vero & consilio inferior, plus tamen valuit pietate in communi Græcorum infortunio & fame ex ariditate nimia exorta Græcos liberavit.

Et quid opus est in his antiquis immorari? cum etiam nunc res vigeat ac percelebris existat. Primum igitur justi, Diis sunt amici, Ideoq; merito ab iis quorum sibi amicitiam conciliarunt, bona possunt impetrare, salutem, sanitatẽ, divitias aliaq; ejusmodi quæ pulcherrima & maxima censentur. At si contingat ut tales sint pauperes, justitia quę in eorum animis est, summam habet felicitatẽ, his quippe laudari & suspici apud vulgus usuvenit, potius quam opulentis & pecunias largientibus. Et quod Homerus de dicendi peritis ait, illos Diis pares incedere per forum: hoc jure optimo quis de justis dixerit. Hos siquidem omnes re vera reverentur quasi numina. Cætus quidam est & consultatio de eo quod expedit. qui consident attenti pendent à justorum ore loquentum, neq; enim eorum sententiam depravat pecuniarum suspicio. Legationem tempus poscit? justos eligunt mittuntq; cum sciant hostes non adeo multa largituros; ut legati ob illa, rerum utilitatem sunt prodituri.

Quinetiam potestates & imperia, aliis non tradunt, iis quidem certe qui saluti suæ consulunt; Ducis consilium plus valere existimantes, quam exercitum. Quis non talis viri affinitatem optaret? quis non ejus amicitiam affectaret? Quem vero non pudeat cum tali bellum gerere? Cum justus accusatoris partes agit, fidem facit: vocatus in judicium, absolvitur, ac testibus quidem non indiget pluribus, quia mores testium loco sunt. Quod si adversus quem testimonium dederit, contra reum sententia feretur. Porro si legationem ad oraculum mittere oporteat, ecquis ante justum eligeretur: perspicuum enim est, ea quæ per hos geruntur grata Diis acceptaq; esse.

Præterea, qui vel de agro fundove, vel de pecuniis controversantur, designatis judicibus neglecti ad viros justos confugiunt. His etiã terra fruges producit, & mulieres pariunt. His lubenter quisq; navigationes se comitem adjungeret: quod vel ipsum mare curam haberet navigii, quo vir justus vehitur. Hic totius urbis salutem procurat: non solum quæ optima sunt consulendo, sed & animorum æstus in civibus sedando.

Jam vero princeps aliquis toti civitati crimina demitteret, justum reveritus. Cæterum justi numquam abdomini inservirent; veriti ne ventris saburra mores labefactaret, & ab honestarũ rerum possessione dejiceret atq; ad fœdas illicitasq; voluptates alliceret. Ad hæc viventes eo victus genere quo justi gaudent, morbos etiam evitarent. Arbitror vero etiã si prędones, in quos incidissent, facultates eripuissent, fore ut multi ipsis tot & plura restituerent: hanc largitionem deputantes in lucro. Deinde alii male locupletati, & qui voluptatib. indulserunt in vita: trepidantes ad Orcũ proficiscuntur, quod sciant veterum malorum hic commissorum ibi supplicia expendi.

Atqui justus hinc migrat cũ gaudio, & hanc pulchram peregrinationẽ appellat. ejusq; animo & floris & auræ obversantur; eidẽ ejus qui obiit nomẽ placet: veluti Aristidæ Lysimachi filio: solisq; justis, præclara quidẽ sunt quæ hic cõtingunt: pulchriora vero quæ sub terra accidunt. Ac sepulturæ certè cum laudib. mandantur, & ad tristes illos Deos se conferunt: cum eorũ quidã liberis suis benevolentiã ab omnib. cũ pecuniis reliquerint, alii solã loco divitiarũ benevolentiã. Gnavus & strenuus vir, nisi justus etiã fuerit, violentas manus civib. inferet. Orator justitia neglecta, calamitas est ejus opera utentibus. Temperantia vero nunq; exerceretur, nisi præeunte justitia. Omnino quæ cum hac virtute societatẽ habent, & possessorib. & aliis profuerunt, quæ ipsa privata sunt & fruentibus mala, cæterisq; qui cum illis versantur, existunt. *Encomio Iustitiæ.*

§ Romanorum.

Plinius Iunior: Erat expeditũ, omnib. remittere æqualiter, sed nõ satis æquũ. Mihi a. egregiũ in primis videtur, ut foris ita domi, ut in magnis ita in parvis, ut in alienis ita in suis, agitare justitiam. nam si paria peccata, pares etiã laudes, itaq; omnib. quidem, &c. *lib.* 8. *Ep.* 2.

Symmachus: En quo redacti sumus! Justitiam perdidi dum expecto vindictam. *lib.* 2. *Epist.* 30.

Symmachus: Ratio quidem justitiæ seriò semper habenda est. Sed circa nobiles probabilesq; personas plus debet esse moderaminis, ut perspiciatur in discretione judicium. *lib. 9. Ep. 37.*

¶ Emblematum.

Batillius. 190.

Justitia.

Astræa hæc virgo est, nec me sententia fallit,
Iudicioque harent pignora certa meo.
Sublimis terra caput inter nubila condit,
Huic geminæ & lances. adstat & inde leo.
Discant iustitiam moniti, & non temnere Diuæ
Numina, qui populo reddere iura solent,
Attollant mentes resupino ad sidera cultu,
Ad summum intenti respiciantque Deum.
Inquirant causas, legumq; examina servent,
Et sustis pensent omnia ponderibus,
Vimque minasq; omnes illis atque omnia supra
Sint animi, obiectos excutiantque metus.

Camerarius 8. Centur. 4.

Cognosce, eluge, matura. Justitia insidens Delphino.

Quid virgo hæc delphino equitans in fluctibus errat?
Numquid & in vasto iustitia est pelago?

Camerarius 72. Centur. 2.

Fit suavior.

Dum premitur iustus, fit gratior hostia Olympo.
Sic quoque fit morsu suavior agna lupi.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Salomon: Laus *Iustorum* extat Proverb. 10. 7. & 13. 9.
Os eorum quid efficiat, Prov. 11. 13. 14. & 12. 5. & 18. 4. Eccl. 12. 11.
Utilis & certa *merces*, Proverb. 11. 18. & 18. 30.
Benedictiones in hac vita. Affatim foventur, Prov. 10. 6. & 13. 25. & 21. 20. Excellunt in consiliis, Prov. 12. 26. Dominantur improbis, Prov. 21. 12. & 26. 10. Voti fiunt compotes, Prov. 10. 24. 28. Manet eorum semen, Prov. 2. 21. 22. & 10. 28. 30. & 13. 22. Evadunt ex afflictione, Proverb. 11. 8. & 18. 10. & 16. 7. Eorum peccatum est sanabile, Proverb. 24. 16. Eccles. 7. 21.

Abraham Patriarcha: Orta contentione inter pecuarios ejus & Loti nepotis pecuarios, dixit Loto, Ne quæso sit contentio inter me & te, aut inter pastores meos & pastores tuos: nam viri fratres sumus. Nonne universa hæc terra tibi est exposita? separa te, quæso, à me: quod si sinistram versus discesseris, dexteram petam, sin autem dexteram versus, sinistram petam. *Genes. 13. 7. &c.*

Samuel: Quum Agagum regem Hamaleki ad se adduci jussisset, dixit ei, Quemadmodum orbavit mulieres gladius tuus, sic orbabitur inter mulieres mater tua: dilaniavitq; Samuel Agagum coram Jehova. *1. Samuel. 15. 33.*

David. Milites qui parvâ manu Davidem comitati fuerant in expeditione bellica & prospera admodum adversus Hamalekitas, quũ omnem prædam bello partam sibi retinere vellent, aliis exclusis qui in itinere manserant propter virium defectum, dixit David, *Ne facite sic, fratres mei: præterquam quod tradidit nobis Iehova hæc, servans nos & tradens turmam quæ venerat contra nos in manum nostram: præterea quis auscultet vobis in re hac? namprout est pars descendentis in prælium, ita etiam est pars residentis ad impedimenta: pariter partiuntor.* Quod fuit à die illo & deinceps: nam imposuit illud statutum & judicium Israeli usque in hunc diem. *1. Sam. 30. 23. 24. 25.*

Assuerus rex: Amane Judæorum hoste prudentia & pietate Esteræ reginæ eversо, Harbona aulicus dixit Assuero regi, Ecce patibulum quod paravit Aman Mardochæo qui loquutus fuerat bonum pro rege, stat ad domum Amanis altũ quinquaginta cubitos. Tunc edixit rex, *Suspendite istum ex eo.* Itaque suspenderunt Amanem, ex eo patibulo quod paraverat Mardochæo, & æstus regis sedatus est. *Ester 7. &c.*

Ludovicus cognomine Sanctus Galliarum rex: Is quum fortè aliquando ex Psalmis Davidis preces ad Deum conciperet, & aliquis qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, intervenisset, & Rex quasi aliud agens annuisset, mox vero incidisset in versiculum Psalmi 106. ubi dicitur, Beati qui faciunt justitiam in omni tempore, protinus revocari jussit eum cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit, memorabili edita sententia, Principem qui potest punire crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si id ipse perpetrasset: ac pietatis opus esse, non sævitiæ, justitiam facere. Ita est sanè: nec (ut inquit Seneca) pinguior victima mactari Deo nequit, quàm homo sceleratus, rectеque dicitur, Is qui parcit malis, nocet bonis. Factum & dictum Ludovici extat in *Annalibus Franciæ.*

Maximilianus I. Imperator: Maximilianum, primum hujus nominis Cæsarem, ferunt loca destinata ad supplicia sontium, venerabundum cum hoc solenni dicto, Salve Justitia, præterire solitum. *D. Philipp. Camerarius, cap. 76. meditationum historicarum.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Paulus Apostolus: Commendemus etiam virtutum omnium dominam atq; Reginam Justitiam. sine quâ (ut habet Cicero in Officus) nihil præclarum, nihilq; laudabile homini evenire potest. Unde eam in seipsum exerceri optabat Gentium Doctor Paulus: qui Festo se roganti, an Hierusalem ascendere vellet, & ibi judicari; fortiter respondit: *Iudæis non nocui. Si enim noxii, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori.* Act. cap. 25.

Martinus V. Pont: Nullum tam crebrò, quam Justitiæ nomen ex ejus ore prodibat. unde sæpius ad Satrapas suos, urbiumq; Rectores, illud regii Vatis usurpabat: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Plat. in Vita.

Petrus Aldobrandinus: Card. Veritatis testimonio inductus, solitus est dicere: *Neq; Iustitia sine Principis auctoritate neq; Principis auctoritas sine Iustitia quidquam valet.* Nihil enim aliud est Justitia, quàm vis & robur Atlantis, quo mundum suis humeris sustentat. *Henr. Farnes. supra.*

Idem: Interroganti, quid de Justitia sentiret; respondit: *Ars est & vivendi & vincendi.* illa quippe.

——*Vtilibus rectum præponere suadet,*
Communesq; sequi leges, iniustaque numquam
Largiri sociis.

Ibidem.

Iustinus Bizantii Imp. Inter priores haud indecorè se offert Justini Imperatoris, licet ævo longè prioris, virtus. Cum enim esset corpore morbido, ac raro jus diceret, injuria & lites creverant. quid ageret? Præfectum plena potestate ad coercendũ deputat. Qui sumptis factæ potestatis insulis, pro Tribunali sedebat. accusatur primo vir nobilis, & in Aula gratiosus. Is spernit se sistere, & in Aulam pergit. Pergit etiam Præfectus, & ad Principem (apud quem hic reus) intrepidè querelas defert, & simul insignia acceptæ potestatis. Hic Imperator, non secus ac Vespasianus olim, *Tu*, inquit, *quodes. esto & jus tuum in me, quidni meos? exerce. Duc si pecca si sequor: duc, quis hic alius, sequetur, vel trahetur.* Præfectus oculos & manus in Senatorem conjicit, eumq; judicio convictum verberibus afficit, & magno ære mulctat. Ira paucis diebus vim & vitam Justitia recepit. *Coll. ex Mon. Polit. I. Lipsi. cap. 10.*

¶ Monosticha Trochaica.

Arma justitiæ sinistra sunt æque atque dextera.
Esse nulla injustitia absque justitia potest sua
Et solo & cœlo perennæ permanet justi decus.
Fructus justitiæ haud finitur cum vita mortalium.
Heu, quis est qui hodie tuetur justitia potentiam.
Infamari ob injustiam ipsam, gloriosa infamia est
Iustitia est diffusa, tota prominens in publicum
Iustitia quidquid negatur esse justum non potest.
Iustitiam opprimit vel error judicis vel gratia.
Iustum item se dat videndum rebus in justis minus.
Iusta fac cum infamia, ipsa pro te conscientia est.
Iusta qua sunt persequare vel periclo nominis.
Iusta quis quæso dicit, at quis quaso justa istem patrat?
Iusta qui facit, deesse non potest esse Deus.
Iuste agit bonus ob honestum, juste agit malus ob metum.
Iustus est, injuriosus qui esse non vult cum potest.
Iustus esto erga Deos, vivosq; homines & mortuos.
Iustior quisq; hoc censetur quo fere est potentior.
Maxime omnium communis iustitia est usu suo.
Ne quidem parva ulla constet absq; iustitia domus.
Nec stulto justitia, iniquum nec sapientia convenit.
Nemo justus est amore, nemo non justus metu est.
Nemo sponte justus est, sed justus est imbellia.
Nemo tam est iustus-ut ubiq; dicat atq; agat bene.
Nil aliud iustitia est quam cultura unius Dei.
Nil potest patrari iniqui ubi iustitia præsidet.
Noctem amat, fugit q; lucem, iudicem qui quis timet.
Nulla laus ibi esse iustum, vix ubi delinquitur
Sede vix una moratur Iustitia atque Opulentia.
Sensus iustitia esse non quit, si non sunt iniuria.
Sentiri magis cupit iustitia quam videri
Temperans iustusq; nullis non litat virtutibus.
Tempus haud ullum est vacare iustitia quo debeas.
Tolle iustitiam, omne honestum & omne sanctum tollitur.
Vita humana quæ subsistat absque iustitia diem?
Vita iustorum est velut fax in mari versantibus.
Vt Deum donu fruamur iustitia est opus nimis.
Vtilitates se ad alienas tota iustitia explicat.

¶ Jambica.

Alsiũ magis iustitia prodest quam sibi.
Colenda sunt iusta atq; honesta ab omnibus.
Commune iustus urbis est tota bonum.
Etiam bonitas iustitia proxima adsidet.
Fac iusta: nam vir cura iustus est Deum.
Facto atque dicto iusta quæ sunt percolas.
Haud maior est quis me. si haud est & iustior.
Hoc iustius puta quod est & fortius.
Iustitia cunctas virtutes complectitur.
Iustitia defectu excessuque æque nocet.
Iustitia nil est quam Dei potentia.
Iustitia nil ex se petit usum quam sui.

Iustitia non est, quæ videri potest examine.
Iustitia nulla postulat suffragium.
Iustitia reddit unicuique quod suum.
Iustitia Regis, pauperum solatium est.
Iustitia sola maximus cultus Dei est.
Iustitia summa, summa sit injuria.
Iustitiam adauges si pecuniam erogas.
Iusti viri fructus viret perenniter.
Iusto esse facile est, cui vacat pectus metu.
Iustum videri, haud esse, insuſtitia ultima est.
Iustum virum dies deprehendit longior.
Iustum virum dies explorat longior.
Iusti ac potentes obtinent quidquid volunt.
Iusti pares Diis per forum omne obambulant.
Iustis viris impune non resistitur.
Iustissima utique vita felicissima est.
Medicinam anima quis esse iustitiam neget?
Nullo nocere iusta possunt tempore.
Nullus sine iustitia usus fortitudinis.
Nunquam Dei iustus caret præsentia.
Pulcerrimum est idem quod est iustissimum.
Quarenda item iustitia per famam malam.
Quam vis quaat nulli iustitia iniuria est.
Qui iustitiam colit, pulcrè litat Deo.
Quo iustior quis est, hoc esurit magis.
Scit abstinere iustus & licitis bonis.
Semper Themis, semper Dice lovi adsident.
Servanda vel iustitia adversus infimos.
Sine iustitia, aut pace aut bello firmum nihil.
Sine iustitia esse ipsa insuſtitia non potest.
Sine iustitia esse non potest concordia.
Sine iustitia imbecillis es prudentia.
Sine iustitia nihil valet prudentia.
Vbi iustitia est, ibi est item potentia.
Vena iustitia, pietas sunt & Æquitas.

Iuventutis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECOR.

D. *Nazianzenus*: Juvenis est Philosophus? Advertus vitiosos animi motus viriliter se geret, atque hoc commodi ex juvenili ætate percipiet, ut iis affectibus quibus hæc ætas obnoxia est, non indulgeat, sed in vigenti corpore senilem exhibeat prudētiam, majoremq; ex hac victoria voluptatis sensum capiet, quam qui coronam in Olympiis adipiscuntur, victoriam enim feret in communi orbis terræ theatro, & quidem victoriam minime venalem. *Orat.* 28.

D. Chrysostomus: Licet esse senē in juventūte. Sicut enim sunt vitiis juvenū senes, ita & virtutibus senū juvenes. Utq; illic pilus dealbatus neminē servat, sic nec hic niger impedit. Sed tamē nec juvenis liber est à reprehensione. Nam juveni tunc solum danda est venia, quando vocatur ad rerum administrationem, quum sit imperitus, quum tempore opus habeat & experientia. Quando autem oportet ostendere virilitatem temperantiæ, nequaquam, neq; quando oportat pecuniis imperare. Est enim ubi juvenis magis reprehenditur quam senex. Nam senex quidem multa opus habet curatione, quū eum imbecillum, reddat senectus. Juvenis autem quum possit, si velit, sibi sufficere, quamnam assequetur veniam, quando magis rapit quam senex, quando acceptæ magis est memor injuriæ, quando non magis defendit quam senex, quando multa loquitur importunè, quando contumelia afficit, quando maledicto appetit, quando inebriatur? Si autem in temperantia & continentia existimat se non posse reprehendi, vide eum hic quoque multa habere adjumenta si velit. Nam etsi cupiditas & libido ei magis sit molesta quam seni, sunt tamen multa quæ poterit magis facere, quam senex, illam incantare bestiam. Quænam ea sunt? Labores, lectiones, vigiliæ, jejunia. Cur autem hæc nobis dicis qui non sumus monachi? Hæc mihi dicis. Dic Paulo, quando dicit, Vigilantes in omni patientia & oratione. Quando dicit, Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Non debet enim mundanus seu secularis plus quam monachus, nisi in hoc solum quod cohabitat cum uxore hic datur ei venia, in aliis autem minimè, sed omnia eum oportet facere æquè atq; monachus. *Homil.* 8. *Epi. ad Hebraos.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum tu & ingenii acumine polleas, & Scripturarum sensum sagaciter perscruteris, nihil est quod te latere possit. Nam cum omnia in juvenili ætate præclarè collegeris, requietem in senectute habes. Imperfectum meum viderunt oculi tui. *libr.* 1. *Epist.* 331.

¶ ITALORUM.

Zeno: Nonnullileves, & instabiles juvenes vana cogitatione mētis inflati, si quando forte per silentium temporis, & nocturnā quietem falsis imaginibus per cogitationem mente conceptis describunt sibimetipsis excelsas dignitates, præclara conjugia, liberorum felicitatem, prolixam senectutem, obsequia subjectorum, clientum famulatus: & cum in re nihil sit, vano cogitationis tumore supra omnes homines efferuntur. Ingentes domos intra momentum extruunt, easq; subitis, & sola mente conceptis facultatibus replent. Immensa terrarum spatia, & agros uberes occupant: & tanta possessionum jura defendunt, quanta nutu vagæ mentis incluserint. Sed & fructum earum extructis latius horreis vanitatis recondunt. Addunt nihilominus greges, armenta, servitia, magistratus: regni etiam ipsa, & imperii fastigia summa præsumunt: gerunt bella: movent classica: trophæa statuunt: ducunt triumphos, & per totius regni curas inani solicitudine debacchantur, ita ut in manibus tenere omnia, & nusquam comparentibus, tanquam præsentibus se perfrui arbitrentur. Proprius est languor iste totius otiosæ & desidis animæ videre somnia vigilantem. *de præcepto, Attende tibi.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Libanius: Solusne ego hæc feci, aliorum vero juvenū nemo? Non ne hæc sunt adolescentiæ affinia? transilire quæ ex officio sunt? ignorare aliquid eorum quæ decora sunt? Nonne his venia ob omnibus parata est, non tantum parentibus, sed etiam aliis, & civibus & peregrinis, quorum non pauci multas sæpe temerarias actiones tulerūt, unius tantū ætatis ratione habita? Et non liberis tantum, sed & servis jam id jus utiq; veniam concessit. & quidam, opinor, herus leniter se gerere in errato famuli juvenis visus est. nam juventus similis sanè est mari agitato: senectus autem tranquillitatis quieti. Id porro non apud nos quidem ita fieri consuevit, verū apud Barbaros venia caret: Sed ubicumq; genus hominum est, ibi quoq; junioribus pro excusatione ætas est. Age vero si quis seniorum temulentia ac vinolentia laborare, & pro scorto certare, & ferire ac plagas accipere deprehenderetur: nunquid hoc majorē faceret accusationem, quod cum sapere oporteret, atq; ætas facillimam ipsi temperantiam redderet; longævus juvenum peccata committeret? deinde sensibus veniam non tribuemus, quod juniorum istud sit: rursus autem juvenibus non condonabimus, modestiam in ipsis per omnia requirentes? expugnamus igitur omnino cunctis veniam, tum quia his nefas sit capere. tum quod illis infensi sumus. Quamobrem Neocles, viri Athenienses, potentior sit humana natura: ab omni crimine purus, & à quibuscunq; vult, puer. at vos in memoriam revocate acta in adolescentia, eruntamen non in parentum odium incurristis, neq; ex patriis bonis expulsi estis: neq; facile à procreatoribus vestris alieni facti estis. mirum autem mihi est, si temulentis hominibus & tristitia affectis atq; ira percitis venia tribuatur, ob unum quodq; istorū peccantibus: at juventuti non condonetur, quæ maxima sanè est temulentia, atq; fortissima, ut ratio vera dictat. *Declam.* 21.

¶ POETARUM.

Chilo apud Ausonium.

Grata senectus homini, qui parilis iuventa.
Illa iuventa est gravior, qua similis senecta.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Acta cui bene est iuventus, & senectam aget bene.
Annis est iuventa, qua data est via impetu ruit.
De iuventa ne desperes: in diem est mutabilis.
Dicere aliud quam sentire, non iuvenum est, magis senū est
Discite o iuvenes futura quæ viris sunt usui
Ecquis se prudentiorem existimet iuvenis sene?
Fortunam magnam iuventæ capere difficillimum est.
Haud verecunda est iuventus ubi pudore egent senes.
Iunior cum sis, senum quid occupare munia?
Iuniorum ad res philosophas impetus durant parum.
Morbus est iuvenū gravis, cum haud suppetunt dictis data,
Ne iuvenis sese penetret damni ubi conciliabulum est
Nemo non didicisse maluit iunior quam discere
Nil in iuventute otiosa inveneris immanius.
Nil minus decet iuventam quam tumor superbia.
Non tam se regunt suosq; iuvenes quam senes.
Noxius cibus iuventa usus est calorem qui excitat
Nulla cos ibi est iuventa, nulla ubi adversaria est.
Possunt & senes diu vivere, & iuvenes cito mori.
Quem Dij amant penetrat Orcum iunior: non fit senex
Quis caloratas iuventa rexerit prima impetus?
Quisquis a Deis amatur in iuventute interit.
Rarus admodum triumphus est iuveni de moribus.
Sicut equulei, sic iuventa haud displicet petulantia.
Stulta fer senex iuventa, teq; retro respice.
Tam clara in iuvene est quam rara sobrietas, nec nō pudor.
Turpius nil est iuventa quam obloqui maioribus.

¶ IAMBICA.

Ætas honestat opera quavis iunior.
Alios habet mores iuvenis, alius senex.
Annis iuventa multa disce bona
Annis iuventa sis memor senilium.
Benè est iuventa quam regis clavus senum
Charus Deo haud diurnat: iuvenis occidit.
Cuivis iuventus opportuna iniuria est.
Cunctis sua est rebus iuventus florida.
Dum iuvenis es, para rem, senior utere
Expers iuventus esse amat molestia.
Expers iuventus esse consilij solet.
Facilis iuventa, senecta difficillima est.
Fera bellua est iuvenis sine præceptoribus.

In omnibus statim juventa proficit.
Intra juventam obit diem charus Deo.
Juvenilis aetas floribus simillima est.
Juvenilis ardor impetu primo furit.
Juvenum odiosus est senex in coetibus.
Juventa facile transit à bono ad malum.
Juventa senilis mortis instantis nota est.
Juventa totâ, tota temulentia est.
Latitia juvenem, frons decet tristis senem.
Magnam juventas vix fortunam sufferat.
Mirè juvenem verecundus decet pudor.
Nihil juventa pulcrius modestia.
Nocet juventa plurimum cunctatio.
Obediant juvenes, seniores imperent.
Pare senentium imperatis junior.
Parere juvenem convenit majoribus.
Penè est juventa turpe, haud facere fortiter.
Peiora iuvenes facile praecepta audiunt.
Qui juvenis es, lubenter audias senes.
Quid corde juvenis simplici felicius?
Rarò juventa amplectitur quod optimum est.
Res serias juventa quàm respuit.
Semper juventus circumfert superbiam.
Semper senecta rectè à juvene ceditur.
Stultè juventus: se sapientem censeat.
Tacere juvenem quam loqui est decentius.
Tota usquequaq; juventa temulentia est.
Vix consulit juventa in longitudinem.
Vnum juvenem cognoris, omnes noveris.
Vt graminis flos, sic juventa item occidit.

FINIS LIBRI NONI.

POLYANTHEÆ
TOMI SECVNDI
LIBER X.

Laboris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

IVus *Chrysostomus*: Quando magnum aliquod & præclarum opus gerere voluerimus, ne hoc consideremus quod magni sit laboris, sed ad lucrum aspiciamus. Eum enim qui à bello ac victoria & cæde revertitur, necesse est etiam fuisse cruētatum, sæpe autem etiam habere vulnera. *Homil. 43. ad Cor. 1.*

D Chrysostomus: Ut si studium ac diligentiam adhibeamus, etiam quæ intoleranda videntur, facilia & levia erunt: ita si desidia & ignavia laboremus, etiam quæ levia ac tolerabilia sunt, difficilia ac molesta nobis apparebit. *Homil. 10. ad Corinthios 2.*

D. Chrysostomus: Si secularia commoda, quum sint mortalia & corruptibilia, homines non absq; laboribus ac sudoribus assequuntur, multo minus illis spiritualia ac digniora provenient otio desidiaq; torpentibus. Sed inquies, At plurimis ista sæpe hæreditario jure proveniunt. Et si sic illa proveniant, horum tamen custodia laboribus perpetuis, angoribusq; non vacant: verum laborare illos, atque in ærumnis agere necesse est, & quidem non minus, quam qui illa initio quæsierunt. Omitto enim interim referre, ut plurimi post labores plurimos, & ærumnas spe sua frustrati sunt, in ipso portus ore vento contrario aliqua ex parte irruente atq; inter medias spes inferente naufragia. Verum enim apud nos nihil hujusmodi est. Deus enim pollicetur, spesq; non confundit. An vero ignoratis & vos, qui negotiis secularib. inversamini, quam multi post labores innumeros fructus omnes studiorum suorum amiserunt: quum autē morte prærepti sunt, aut rerū mutatione delapsi, aut morbo longiore vexati aut calumniis invidorum, atq; adversantium pressi, aut quoslibet casus alios perpessi sunt, cujusmodi sæpe mortalib. obvenire necesse est? Ex quibus profecto omnib. id fit, ut vacuis proficiscantur manibus. Cæterū tu mihi contra eos numerare perges, qui minimis laboribus multa bona quæsiere. Quænam ista bona sunt? pecuniæ sc. copia, magnificentia domus, soli infinita jugera, mancipiorū greges argenti atq; auri pondus immensum, hæc tu appellare bona non erubescis, neq; suffunderis, homo quū sis, cui de cœlestibus philosophari fas sit? Non, inquam, erubescis terrenis solum rebus, & cōmodis inhiare mortalibus, cui ad fruendū patet, si volueris, cœlum: eaq; appellas bona quæ indignissima, simul atq; vilissima sunt? Nempe enim si bona hæc dicimus, & eos qui ea possident, bonos itidem vocare debemus. Nam qui bonum aliquod habet, quomodo potest ipse non esse bonus? Quid ergo? Si qui ista possident, immodica habendi cupiditate aliena diripiant, num eos dicemus bonos? Si enim bonæ divitiæ sunt, hæ vero ex cupiditate, iniquisq, cōpendiis oriuntur: quanto ille auctores sunt, tanto qui eas possidet, melior fieri putandus est, atq; ea ratione ille erit optimus, qui cupidissimus fuerit. Si a. divitiæ bonæ sunt quæ ex cupiditate incrementa suscipiunt, eò quisq; bonitate præstabit, quo plura possiderit. Quod quam sit absurdum, quamq; à ratione dissentiat, omnibus perspicuum est, nisi forte absq; cupiditate opes congeri possent, atq; innoxiæ possideri. Sed id profecto fieri nulla ratione potest, ut pernicioſissima hæc perturbatio innoxia sit, atq; id Christus dicens, definit sua sententia: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Quid igitur, inquies, si patri hæres quoq; succesſerit? Injuste profecto coactas acceperit opes: neq; enim ex Adam majores sui traxere divitias, fieriq; potest, ut & alii plures ætate præcesſerint, atque inter plurimos inventum esse quempiam, qui injuste aliena susceperit. *Homil. 12. ad Tim. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Demiror qui fiat, ut cum Platonem admireris, ejus tamen & cōsilia & præcepta parvi pendas. Ille enim virtutis surculos non sine labore ac sudore nasci & crescere ait, aūt quonam pacto haud scio, genus vitæ laboris expers susceperis. *lib 2. Ep. 256.*

S. Isidorus Pelusiota: Illud ignorare videris, eum, qui rabida corporis vitia perpetuò vincit, ob ejusmodi trophæa exultantē, præ voluptate ne labores quidem sentire. *lib 2. Ep. 267.*

¶ LATINORUM.

S. Valerianus: Et verè habet hoc ratio ut aspera quæq; & difficilia rudis animus expaveſcat. sed quid facimus, quod nulla delicioſis mi litibus virtutū patet janua? Quis autem fructus laboris esset, si per plana discurreres? aut quādo te ad locum paratum veniſſe gauderes, si sine injuria corporis pervenires? Quis unquam otioſus trophea compoſuit? aut quis circumstantibus undiq; hostium legionib. ad victoriam dormitando pervenit? Parum laudis habet virtutum corona quæ ex labore non descendit: potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Quando fuit ut agricola horrea sua otioſus impleret? aut quis unquam legitimo tempore agri sui fructum recepit, nisi prius multiplicato rudem terram sulco confecerit. Hæc est a. magnarum ratio virtutum, ut quāto plus homo laborat, tanto plus mercedis adquirat. *Serm. 2. de Via arcta.*

S. Valerianus: Nihil est quod non labor exuperet, si tamen in alteram partem, ut assolet, animus non declinet. *Homil. 3. de Via arcta.*

¶ PHILOSOPHORUM ORATORUMQVE GRÆCORUM.

Crates Hermaisco: Sive expetendus est labor, labora, sive fugiendus est, labora ut ne labores. Nam abstinendo à labore non vitatur labor. Contrariò verò etiam fugatur. *Epi. 4. ad Hermaiscum.*

Xenophon: Socrates nec corpus quidem ipse suum negligēter curabat, ac si qui curarent negligenter eos minimè laudabat. Itaq; improbabat, si quis nimio cibo refertus labores immodicos susciperet; magisq; probabat, si quod animus lubenter admisisset, id laborādo cōficeretur. Nam ejusmodi habitū valetudini non parū conducere, ac animi studium haudquaquā impedire ajebat. *li. 1. Memorab. c. 5.*

Epictetus: Diogenes ullum laborem bonū esse negavit, cujus finis non esset fiducia, & animi potius quam corporis robur. *apud Stob.*

Aristides Rhetor: Commoditas omnis ac voluptas labore paritur, & res maximæ fortissimis debentur. *Orat. Sicula priore*

Philostratus: Quidquid non laboranti tibi accesserit, id ne carum neq; jucundum putare debebis. *lib 6. Apollonij cap. 5.*

¶ ROMANORUM.

Cl Mamertinus: Hercules post adoptionem etiam cælitum, Juventutæq; connubium, perpetuus est virtutis adsertor, omniumq; fortium virorum laboribus favet, & in omni certamine conatus adjuvat justiores. *cap. 3. genethliaci Maximiani Imp.*

Symma-

Symmachus: Non est meæ verecundiæ rapere gratiam laboris alieni. *lib.* 4. *Ep.* 41.

¶ Poetarvm.

Nonnus lib. 13. Dionysiacorum.

Robuste Bacche, tuus pater te iubet pietatis
Indocile vertere genus Indorum.
Sed tuis manibus pugnacem thyrsum extendens,
Cælo digna perfide: neq; enim Iovis aula cælestis
Te sine laboribus exceptura est; neq; tibi Hora
Cum nondum pugna veris portas aperient cali
Mercurius vix venit in cælum, cum baculo
Oculæ fulminantem à pedibus usque ad comas
Argum accidit, & Martem solvit a vinculis.
Delphynem vero domuit, & æthera inhabitavit Apollo.
Neq; tuus genitor Iupiter in altis regnans
Sine laboribus pervenit in cælum, princeps astrorum
Si non prius ligasset interminatores cæli.
Tartareo Titanas abscondens in specu.

Martialis lib. 1. Ep. 108.

In steriles campos nolunt juga ferre iuvenci.
Pingue solum lassat; sed iuvat ipse labor.

¶ Philosophorvm Græcorvm.

Æsopi iuvenca & Bos: Juvenca bovem labore defatigatum intuita, miserum prædicabat. Solemni vero incidente festo, bovem quidem jugo solverunt, juvencam vero ut mactarent comprehenderunt. quam videns bos subrisit, ajens, ô juvenca ideo otiabaris, ut mox mactareris.

Phædrus Fab. 81. Formicæ & Muscæ.

Nil agere quod non prosit fabula indicat.
Formica & Musca contendebant acriter,
Qua pluris esset: Musca sic cœpit prior.
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta pragusto Deum,
Moror inter aras, templa per luxu omnia,
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Labore nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit rustica?
Est gloriosus suæ conditus Deum,
Sed illi qui invitatur non qui invisus est.
Aras frequentas, nempe abigeris quo venis:
Reges commemoras & matronarum oscula:
Superba tactus tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo eum opus est nil habes.
Ego granum in hyemem cum studiose congero,
Te circa mixtum video pasci stercore:
Æstate me lacessis, cum bruma est, siles:
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumen domus
Satis profecto rettudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

¶ Emblematvm.

Had. Junius Emblemate 35.

Hic dum viget, duro labore exercitus,
Ephebus, hinc senex beato Copia
Cornu fruens, opum & dapis lata satur;
Iuvenem parare commonent, uti senem.

Batillius 14.

In labore multum adjumenti ad vitam.

Tu qui desidiam colis atque ut inotia natus,
Ignavis votis tempora cuncta trahis,
Aspice, formica latis quanto agmine campis
Sub rectum ustidua grana reperta vehunt.
Scilicet haud ignara hiemis, tristisque senectæ,
Qua tum prompta sibi sint alimenta, parant.

¶ Apophthegm. Sacrorum.

David: Labores, inquit, manuum taurum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit, *Psal.* 128. 2.

Homo nascitur ad laborem, ut avis ad volatum. *Cap.* 5 7.

Salomon: Labor est *necessarius*, inquit Salomon, Proverb 16. 26. & 20 13. Eccl. 6. 7. *Neque obstat*, Eccl. 3. 9. & 5. 14. 15. 16. *est suspiciendus*, Eccl 4. 7. 8. & 10. 15. *quorum sit utilis*, Eccl. 10 16. *Vtilitas eius*, Eccl. 5. 11. *Affert divitias & principatum*, Prov. 12. 11. 14. 23. 24. & 21 5. 17. & 22. 29. *eius benedictio est à Deo*, Prov. 16. 20. & 23. 4. 5. *eo frui est donum Dei*, Eccles. 3. 13.

D. Paulus Apostolus: Qui furabatur, inquit, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. *Ephes.* 4 28.

Operam date ut quieti sitis, & vestra negotia agatis, & manibus vestris operemini, sicut præcepimus vobis. 1. *Thessal.* 4. 11.

Cum essemus apud vos denuntiabamus, quod si quis non vult operari, nec manducet. Et ipsos obsecramus in Domino Jesu, ut cũ silentio operantes, suum panem manducent. 2. *Thessal.* 3. 10. 12.

Gr. Nazianzenus: Labor inquit, sanitatem adfert. *Orat.* 20. *in laudem Basilij.*

Dico, inquit, hoc ipsum amplius laborare amplioris mercedis loco habendum esse, his quidem certe qui animo sunt non omnino illiberali & sordido. *Orat.* 40. *in S. Baptisma.*

Christo annuente nihil potest livor: Christo abnuente nihil potest labor. *In distichis Iambicis & elegiacis.*

Chrysostomus: Sicut, inquit, semper intentum esse laboribus dolorem adfert & succumbere facit: ita subinde remittere ad ignaviã inducit. Modus ubiq; optimus. Dei creaturæ id nos docent: ut dierum & noctium vicissitudo testatur. *Homil.* 11. *in Genes. cap.* 1.

Corona quæ pro virtute & ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc seculo nobiscum dissolvitur, sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia secula. Et labor quidem exigui temporis: merces autem laborum finẽ non habet, neque cedit tempori neque marcescit. *Homilia* 42. *in Genes. cap.* 18. & *Homilia in Psalmum* 7.

Omnibus laborantibus dulcis est finis: & servi Dei libenter de consumatione seculi requirunt. *Io. Matth. cap.* 24. *hom.* 48.

Post peccatum labor ortus est, postea sudor, postea pudor, & timor, & non habere dicendi libertatem & fiduciam. *In 1. ad. Corinth. cap.* 6 *Homilia* 18.

Basilius Magnus: Non putandum est, inquit, pietatis & religionis propositum otii esse prætextum & laboris fugam: sed magis certaminis & majorum laborum, ac potentiæ in tribulationibus materiam, &c.

Ut necessarius est omnibus quotidianus cibus: ita necessarium est, ut quisque pro sua facultate operetur. Nec enim frustra de se ipso dixit Apostolus, Neq; gratis panem commedimus apud quenquam, sed in labore & molestia noctes & dies operantes, &c.

Quoniam sunt qui operandi studium prætextu precum & psalmodiæ detrectant, sciendum est quod in aliis quidem nonnullis rebus unicuique suum est tempus proprium & peculiare: ad precandum vero & ad psallendum, quemadmodum & ad quædam alia, tempus quod vis accommodum est, ita ut interea dum manus ad operandum moventur, etiam lingua si fieri potest, sin minus vel corde saltem laudetur Deus, & præcationes inter operandum absolvãtur: ut hoc pacto & gratias agamus ei qui manibus operandi facultatem, & menti sapientiam ad percipiendam operandi scientiã & materiam largitus est, &c. *In Asceticis, cap.* 37. Sequenti capite agit de artificiis monachorum professioni congruentibus.

D. *Ambrosius*: Labor, inquit, & diuturna meditatio cum Dei gratia dat perfectam prudentiam. *Lib.* 6. *Epist.* 42.

Anonymus. Ex veteribus patribus quidam dixit, *Monachum, si non laboret, profraudatore & fure habendum esse*. Socrat. hist. eccl. lib. 4. cap. 18. Is si vitæ huic terrenæ restitueretur, fraudatorum & furum numerum fateretur esse innumerum.

Antonius Eremita. In Eremo cum fratribus ludebat Superveniens autem ex improviso venator, eo spectaculo videbatur offensus. Tum Antonius venatori imperavit, ut intento arcu sagittam emitteret. Cum paruisset ille, alteram, item tertiam, quartam similiter emittere jussit. Admirante illo, & nervi laxitatem causante, Sic quoque fratres mei, subintulit, inter media honesti lusus quiete refocillandi sunt, ut ad laborem redeant alacriores. *Gilb. Cogn. lib.* 9. *Narrat.*

¶ Apophthegmatvm Christianor.

Agaton Abbas: Amplectimur illud, sine quo nihil mortalibus dedit vita, vendidêre dii: cujus memoria dulcis, finis iucundissimus. de quo interrogatus aliquando Agathon, utrum antecelleret laborem custodia interior, an vero è conversõ; respondit: *Homo arbori similis, cuius velut folia, sunt labor corporalis; fructus, custodia interior.* In Vitis SS. PP.

S. Ephram: Nullus etiam hunc Labor deterruit, quem tam seria vox commendat & ornat. ita enim Religiosum consodalem affari solitus: *Ne molestus tibi sit labor: nam multi etiam nihil agentes, a negligentia & torpore turbati sunt Disce igitur operans, ne discere cogare mendicans.* Idem in illud, Attende tibi, cap. 5.

S Eustachius: Missos à Trajano milites, hospitio & convivio excepit: hospiti vero pro solutione solicito; *Nec vereare*, inquit, *mea servitus & hæc manus exoluent mercedem.* Quam bene cum Apostolo de se dicere potuit, Nullius vestem concupivi, sed ad ea quæ mihi opus erant, ministrarunt manus istæ. *Sur. tom.* 6. *in Vita.*

S nex Anonimus. Scisciranti cuidam; quid esset humilitas, quæve ejus viæ; dixit: *Humilitas magnum quid est & divinum; via vero eius, Labores corporei.* Doroth. Doctr. 2.

¶ Monosticha Trochaica.

A labore pendet uno, quidquid uspiam boni est.
Absque magnis magna nulla compares laboribus.
Absque magno nil labore vita dat mortalibus.
Ad Deum referenda cuncta sunt laborum insignia.
Ad volatum avis, ad laborem gens Iapeti condita est.
Coguntur alijs parare lucra, qui nolunt sibi.
Cum labore quæsitorum dilgens custodia est.
Dies hic tertius, cum nihil egi: die quarto moriar fame.

Dignitatum spe laboris sublevantur tædia.
Discreto labore fortes & segnes distinuerit.
Est comes Minerva Ergana veste plautus aurea.
Est necesse ut is laboret, vult bene esse qui sibi.
Est quies sua è labore, ex otio est suus labor.
Et laboranti perenne Numen adjutorium est.
Et mutatio laboris lassitudinem levat.
Ex laborum acerbitate voluptatum fructus metas.
Fortibus viris labores non nisi obsonij loco.
Heu, quam plurium labores sæpe in irritum cadunt.
Horreum ejus non repletur qui laborem despuit.
Hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.
Improbi Athleta labores in coronas desinunt.
Improbo labore parta, facta casu ne putes.
Laudis est parum in corona, quæ ex labore haud provenit.
Ingenium omnium à labore proclive ad libidinem est.
Lassitudo non fatigat quos spes aut metus tenet.
Luxus ac labos uniu non sunt contuberni.
Maximo comes laboris juxta merces maxima est.
Mollia labores omnes longa consuetudine
Nesciunt soli laborem, fructus ejus qui obtinent.
Nil amentius labore cui non est finis suus.
Nil sine ingenti labore vita dat mortalibus.
Non ideo labor vitatur, labore si abstines.
Non potest durare longum perpetuo mora labor.
Non sibi eruunt opes sed alius metallarij.
Nulla major est voluptas quam laboris filia.
Optimus laborum est, corpus atque animũ qui una excitat.
Parvulo labore multum comparatur otij.
Plus gravat labor coactus quem subis ultroneo.
Pone terminum labori, pone curæ; aut interis.
Præmio attendas laborum, non item laboribus.
Quassamus caput si magnus incassum cocidit latos.
Quemlibet leves laborem iugi consuetudine.
Qui laborat huic laboris nata cedit gloria.
Qui labores spernunt, spernunt hos laborum præmia.
Quo laboris plus tulisti, maius est & gaudium.
Quo labor prolixior, hoc laus maior & victoria est.
Quod magno impetras labore, industrie decet geras.
Ridiculũ est in re laborem impendere haudquaquam ratã.
Sæpe post multos labores nil loco promovimus.
Sine labore custodiri sors secunda non potest.
Suavius labore partum est, sponte quam quod obtigit.
Vllasi beatitudo est, per laborem provenit.

¶ Jambica.

Adest laboranti adiutorium Deus.
Adsunt mala ultro: bona labore compares.
Æquum laborem subeat æquagratia.
Animos generosos nutrit & firmat labor.
Citra laborem nil boni cuiquam obvenit.
Deus labores adjuvat mortalium.
Docto labori dulce præfertur lucrum.
Est & honesti nominis labor parens.
Et pulcra pulcris obtines laboribus.
Faber labori defit, haud labor fabro.
Finis laborum, gloria ac lubentia est.
Firmat labor corpusque animumque; ex est quies.
Frangit nucem primum esse qui vult nucleum.
Homines prius metus fatigat quam labor.
Ignobilis manet laborem qui fugit.
Immixtus est cunctis labor virtutibus.
Indignus est bonis laboris transfuga.
Iuvenis labora, ut otieris iam senex.
Labor parens Opulentiæ atque Gaudij est.
Labor assiduus animorum frangit impetus.
Labor viris probis loco est obsonij.
Labor virum decet, voluptas belluam.
Laboris acti memoria iucundissima est.
Laborem amando vitam habebis commodam.
Labore Dei nulla non vendunt bona.
Labore multo multa pares gaudia.
Labore pulcra res egent quam maxime.
Labore quid vis improbo à Deis emas.
Labore quid vis sedulo expugnabile est.
Labore virtus crescit ac pecunia
Laboribus Dij nobis vendant omnia.
Laboriosa virtus est; vitium est iners.
Laborioso vix supersunt tempora.
Longum laborum tempus auget copiam.
Magnus labori cuilibet par est amor.
Minimo labore rem conficias maximam.
Mire laborem strenuus levat comes.
Molam fugit quicunque, farinam fugit.
Mutatio laboris, instar otij est.
Ne Dijs quidem cuncta obveniunt spontanea.
Nemo laborum fructus spernit obvios.
Nescit labor premiditatus lassescere.
Nil absque labore hominis potest obtingere.
Nil dormienti serium à Deo obvenit.
Nil invenitur rerum, in quo perit labor.
Nobis manus movenda; sed cum Pallade.
Nulli labores sunt onerosi amantium.
Nullus labor cupientibus sit arduus.
Obsonij loco labores sunt viris.
Oleum in lucerna illo fluit ubi exuritur.
Omnem laborem spes edulcat fructuum.
Omnes aquam pertuso haurimus dolio.
Omnis labor est hominum in supervacaneis.
Omnis labor levatur assuetudine
Parum labores, ut quiescas, perpetim.
Parvus labor non fert coronas aureas.
Quem continens non conficiat tandem labor?
Qui nil laborat, is nil cum est opus tenet.
Qui vult quod vult; ista dat se res, ut operam dabit.
Qui vis labor levatur assuetudine.
Quod quæritur labore, mox deprenditur.
Quod sæpe vis non perficit, vincit labor.
Semper parit quicunque latitam labor.
Sibi laborat ipse, amico qui suo.
Sibi laborat qui laborem non fugit.
Sudore virtus gaudet, acquarit virum.
Tandem & pudorem vincit improbus labor.
Tandem & labore gloria ingens provenit.
Transit labor, manet laboris præmium.
Vincit pudorem sine expers suo labor.
Viros labor, munditiæ feminas decent.
Virtutis eadem servat efficax labor.
Vis esse felix? incuba laboribus.

Lachrymarum.

¶ Sententiae Patrvm. Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Juliani conatus ulteriores Dei benignitate inhibiti atq; repressi sunt, Christianorumq; lacrimis, quas multas multi profuderunt, hoc unum adversus persecutorẽ medicamentum habentes. *Oratione 3.*

Nazianzenus: Quod tandem armatorum apparatus, ac machinarum inventiones, quot virorum myriades & instructæ acies, ea perficere potuissent, quæ nos præcibus solis, & Deus voluntate sua perfecit? *Oratione 4.*

D. Greg. Nyssenus: Quemadmodum risus signum, in animo est alacritatis latentis: ita etiam dolor in corde delitescens, per fletum & lamentationes manifestatur; ac vulnerum animi tanquam sanguis lachrimæ sunt. *in funere Placillæ.*

Basilius Seleu: Peccatum lacrimis curatur, peccatum lamentis expurgatur; animæ illuvies oculorum fontibus extergitur. *Oratione 17. circa finem.*

D. Chrysostomus: Quoties rebus perplexis ac desperatis de repente obortis vincimur, deinceps ad lacrimas vertimur. *capite 4. ad Galatas.*

Chrysostomus: Linguam præcurrebant lacrimæ; his sperabat Anna se Deum esse flexuram. ubi sunt lacrimæ, omnino etiam ibi est afflictio. ubi autem est afflictio, illic quoque est multa philosophia & attentio. *Homilia 24. ad Ephesios.*

Chrysostomus: Ac ne mihi dicas, quid utilitatis afferunt meæ lachrymæ iis, pro quibus hoc facio? Nam etsi illis nihil prosimus; ac certe nobis ipsis proderimus. Nam qui sic pro alienis dolet; multo magis pro suis dolebit: qui aliena luget; is certe vitia, & prolapsiones suas non sine lacrimis abire sinet: ac potius haud cito peccabit. Nos vero, quod omnium gravissimum est, jussi aliena peccata flere, ne in nostris quidem ullum pœnitentiæ signum damus; sed sine ullo doloris sensu cadimus; & omnia curamus magis; omniæ magis expendimus, quam peccata nostra. Ideo gaudemus gaudiũ hoc mundi inutile; quod cito perit, quod sexcentas parit ægritudines. Mœreamus igitur mœrorem gaudii auctorem; & ne gaudeamus gaudium ægritudinis parentem. Emittamus lachrymas multum voluptatis seminantes; & non rideamus risum, qui stridorem nobis dentiũ gignat. Afflictemus nos Afflictatione illa, unde requies existit, & ne delitias quæramus, ex quibus ærumna, & dolor. Ad breve tempus in terra laboremus; ut perpetuo nos oblectemus in cælis. In caduca hac vita nosipsi afflictemus, ut in infinita illa requietem consequamur: non diffluamus delitiis in hac brevi, nec in illa infinita suspiremus. An non videtis quod homines hic etiam rerum ad hanc vitam pertinentium causa angantur? Existima te quoque unum ex illis esse, & fer ærumnam ac dolorem, spe futurorum bonorum nutritus. *Homilia 1. ad Colossenses.*

Chrysostomus: Memor lacrimarum tuarum, ut gaudio adimplear. Multi etiam deflent ex voluptate: ita etiam res est voluptatis, ejusque valde intensæ. Ita non sunt graves ac molestæ lacrimæ quæ proficiscuntur ex hoc mœrore, sed multo meliores illis quæ sunt propter mundanam voluptatem. *Homilia 12. ad Coloss.*

Chrysost.

Chrysostomus: Nihil ita purgat peccata, ut lacrimæ; & pulcram ostendit faciem eamque corpoream. eum enim qui videt attrahunt ad misericordiam: eam nobis faciunt gravem & honestam. Nihil est jucundius oculis qui sunt lachrimi. hoc est membrum omnium in nobis nobilissimum & speciosissimum, atque adeo ipsius animæ membrum. tanquam ergo ipsam videntes deflentem animam, ita flectimur. *Homilia* 12. *ad Coloss.*

S. Isidorus Pelusiota: Christus (ô Philosophiæ simulachrum) Ob Lazarum lacrymas profudit: maxime quidem in hoc quoque, quemadmodum & in aliis rebus regulas nobis ac terminos figens, ut ne bacchantium more præ mœstitia præcipites agamur. Ii quippe qui eum conspexerunt, dixerunt, Ecce quomodo amabat eum. Quoniam autem minimè consentaneum fuisse dixisti, ut is lachrymas emitteret, qui Lazarum ad vitam rediturum esse prænoscebat (nos enim omnes ea de causa mortuos lacrymis prosequitur, quod eos haud statim revicturos esse expectemus) vide an quod dicturus sum exactam hujus rei causam attingere queat: Salvatoris amicus erat. Amicus porro cum esset: omnino vir probus erat. Neq; enim puræ & labis omnis experti justiciæ charus fuisset, nisi justus extitisset. Deus enim non favore, sed judicio, ad amandum duci solet. Cũ autem justitia præditus esset, atque ex hujus vitæ stadio cum laude atque gloria excessisset, non est dubium, quin in requiete atq; honore esset. Quoniam igitur ipsum ad suam gloriam à morte ad vitã excitaturus esset, collacrymavit his propemodũ verbis utens: Eum qui portum jam appulerat, rursum ad fluctus & procellas voco: eũ, qui jam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco. *lib.* 2. *Ep.* 173.

Synesius: Equidem nescio quid de iisce calamitatibus dici oporteat, quæ in oculis omnium versantur. Nam neque sermonem instituere vacat iis, quibus flere necesse est, neque rerum acerbitati par inveniri potest oratio.

Quanquam nonnullos etiam ingruentium malorum magnitudine perculsos lacrymæ ipsæ defecerunt. Sed cum flentes Deus respiciat, & ista scire conveniat eos, qui Romanorum imperium administrant: ad quoscunque potes eorum scribe, qui de hac re ad Imperatorium consessum referre possint *Catastasi Pentapol.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Semper lacrimæ, sicut dolore magno, ita producuntur & gaudio: quæ utique interni pectoris exponunt & testantur affectum. *Sermone* 46. *in.*

Chrysologus: Habet hoc natura corporis humani, ut producat lacrimas vis gaudii, vis mœroris. Quoties enim viscera, aut lætitiæ aut tristitiæ nimio arctantur impulsu, oculi in lachrimas mox erumpunt. *Sermone* 64. *ante finem.*

Chrysologus: O quanta vis in lacrimis peccatorum. rigant cœlum, terram diluunt, extingunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. *Sermone* 93.

Ennodius: Quisquam ne ad inferendam violentiam currens lacrimas comites habet; & qui studet esse formidini, vultum timentis ostendit; *Apologo pro Synodo.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Manipularius ipse, facetæ illius de manipulo narrationis auctor: Nimirum Aglaitada, inquit, si ad fletum commovere te conati essemus, quemadmodum nonnulli tam carminibus, quam orationibus commenti miserabilia quædam lacrumas ciere nituntur, admodum nos reprehendisses: quando nunc quidem, quos ipse non ignoras, exhilarare te, non lædere velle, tam contumelioſe nos habes. Jure quidem id profecto, ait Aglaitadas. Nam mea sententia quiddam longe minoris æstimandum efficit, qui risum amicis excitat: quam cui eos inducit, ut sedentes plorent. Quod quidem à me vere dici, tu quoque reperies, si recte rem existimabis. Nam fletu parentes indere modestiam liberorum suorum magistri puerorum animis disciplinas honestas studeut. Leges etiam, dum eo cives adigunt, ut sedentes plorent: ad justitiæ cultum eos impellunt. Illos vero, qui risum excitant an dicere possis vel corporibus aliquid adferte commodi: vel animos ad rei privatæ publicæve administrationem magis idoneos efficere? Heic vero Hystaspes: At tu Aglaitada, inquit, si me audias: in hostes illud tanti æstimandũ fidenti animo expendes, & efficere conaberis, ut sedentes plorent: nobis autem, amicis hisce tuis, aliquid risus, utilis illius rei, largieris. Nam hujus apud te magnam repositam esse copiam scio. Neq; enim vel ipse risum expendisti, quam quod eo non utaris, vel amicis & hospitibus, tua quidem sponte quod fiat, aliquid ejus præbes. Itaque nihil prætexere potes, quo minus risum nobis impertias. Et Aglaitadas: Tunc etiam Hystaspa, inquit, ex me risum elicere conaris? Ibi tum is, quem diximus, manipularius: Demens fuerit profecto, ait. Nam ex te quidem, ut arbitror, facilius quis ignem excusserit, quam risum elicuerit. Heic & alii, qui genium ipsius nossent, riserunt: & leniter subrisit etiam Aglaitadas ipse. Quem Cyrus exhilaratum videns: Injurius es, inquit, manipularie: quod dum huic, ut rideat, persuades: hominem maxime serium nobis corrumpis, præsertim qui adeo risui sit infestus. *cap.* 14. *lib.* 2. *Cyropedia.*

Libanius: A natura rationes exposcere non licet. sed sicut respirare, & esurire, & gaudere, & ridere, & tristem ac mœstum esse, & ægrotare; atque alia id genus patis non est jus violare; ita neque obluctum & lacrymas licet pœnæ obligatum esse. videsne eos qui ad monumenta mortuos exsequuntur? hi lachrymantur, sed damnantur? cernis eos qui à medicis secantur: istos plorantes nemo criminatur. quot autem oratores, dum meminere sociorum afflictorũ, lachrymas inter verba profuderunt? quot etiam populi colonorum miserias audientes, ad luctum se contulerunt? quapropter si omnino lachrymari inter crimina numeras, multos nocentes non persequeris. quod si in aliis res hæc non subit animadversionem, curiosus & supervacuus es in eo quod adest. age vero dic mihi utrum superior sis mœrore in doloribus: an dolore affectus postea pœnas à te exigi placidè ferres? verum non ita naturam superas, neque adeo stupidè te habes. quocirca, ne qua licentia ipse vis potiri, hac alium defraudes. prorsus ad leges ferendas ingressus non es: sed ut olim cõditis adhæreres doce ego lachrymas cum criminibus imprimis connumeratas. *Declamatione quadragesima & altera.*

Heliodorus: Ad hæc lachrymabat ipse; lacrimabant & ii qui aderant; denique in fletum cum voluptate quadam temperatum, transmutatum fuerat convivium. vinum enim proclives quodamodo in lacrimas efficit. *lib.* 5. *Aethiopicorum ferè extremo.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Interim quis miratur flere hominem? hinc infantia incipit: in hanc necessitatem plerumque fortuna deducit. quis enim est dies, qui non triste aliquid & flebile minetur? Si nullam aliam rationem lacrimarum haberemus, conspectus tamen hominum, & ratio mortalitatis poterat elicere fletus. Hæ amicitiæ, hæ propinquitates, hi congressus, hæc studia laudesque intra breve temporis momentum occident atque labentur. Quotusquisq; transit dies quo non funus accipiamus. *Declamat.* 316. *a f.*

Calpurnius Flaccus: Tacuit & flevit. O mira & muta sententia! Omnes sciunt lacrimas ex uno misericordiæ fonte manare, in amore vel maxime. nam iisdem oculis quibus amatur, & fletur. miser ille quem nullo accusatore punisti, miserior illa quam te vindicare simulasti. *Controversia* 16.

¶ Poetarum.

Prudent. contra Homuncionitas.

Gaudia concipiunt lacrimas: dant gaudia fletum.

Plautus Asinariæ 3. sc. 3. v. 29.

—— Sed num fumus est hac mulier quam amplexare?
A. Qui dum? Li. quia oculi sunt tibi lacrimãtes eo rogãti.

Plautus Pseudolo 1. sc. 1. v. 73.

Quin fles? P. pumiceos oculos habeo; non queo
Lacrimam exorare ut expuant unam modo.
C. Quid ita? P. genus nostrum semper siccoculum fuit.

Terentius Adelph. 3. sc. 2.

Hera! lacrimas mitte, ac potius quod ad hac rem opus est porro prospice.

Petronius Arbiter.

Iam turba portũ libera, ac bello carens
In vota properant, fletibus manant gena,
Mentisq; pavida gaudium lacrimas habet.
Quas metus abegit.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad lacrimas citius venire par est quam convivia.
Cui lacrima manãt de corde haud facile in risum solvitur.
Cum miserrimum sit flere, quam miser id cui non licet?
Ejulare forte fas est feminis; viro est nefas.
Fas plebi ejulare, regi flere honeste non licet.
Fletus est parum pudicus propero amori qui datur.
In dolore ficto sola non procedunt lacrima.
Lacrima magis fundenda corde sunt quam corpore.
Lacrimam non opprimas imperio, sed magis incites.
Mitte lacrumas, ac potius quod ad hanc rem opus porro est prospice.
Nemo cum lacrimis facit calumniam aut injuriam.
Modo in mœrore flemus; flemus & in gaudio.
Quam cttissime exaresci lacrima alienis in malis.
Quid opus est deflere partes? tota vita est flebilis.
Sape sub lacrimis severis gaudium ingens delitet.
Si queat tacere, fletum sape vitet femina.
Sortis infaustæ verecunda execratio fletus est.
Tam nucibus fleunt amissis pueri, quam parentibus.
Turpe viris virginalem me ore prolatum edere.
Vulnerati animi, ceu sanguis crudior, sunt lacrima.

¶ Jambica.

Ad lacrimas nil femina proclivius.
Ægrum omne flendo ducitur mortalibus.
Ægrum à dolore lacrima fusa vindicant.
Apud Deum hilaritas obtinetur lacrimis.
Celerrime omnium ipsa arescunt lacrima.
Communis est lacrima & mœrori & gaudio.
Creatque morbum intus retenta lacrima.
Cum flenda cernam & audiam, flendum negas?
Est morte quavis vita pejor flebilis.

Et gaudii sunt & doloris lacrimæ.
Etiam lacrimæ pertrahi in extremis solent.
Etiam vetustate ipsæ arescunt lacrimæ.
Facile illacrimatur alteri qui vis bonus.
Fere indices lacrimæ sunt pœnitentiæ.
Flentes peracris lumine aspicit Deus.
Fletus palam, non est dolor, ostentatio est.
Fletus silens plus sæpe quam ulla vox movet.
Haud quisquam honeste, flere quod voluit, potest.
Homo lacrimans natus, moriturque lacrimans.
Imperio lacrimas excites, non opprimas.
In lacrimis, à lacrimis solatium est.
In morte regis rara civi lacrima est.
Ira esse non potest ubi ejulatio est.
Lacrimæ dolorem non sequuntur; indicant.
Levat dolorem & ejulatio altior.
Levat dolorem, si malis das lacrimas.
Lacrimis dolorem quam vis ingentem egeras.
Lacrimavit Priamus sæpius quam Troilus.
Mors sola nescit claudere oculos flentium.
Nil est supra lacrimas veras amarius.
Nil tam cito aret, quam ploranti is lacrima.
Nolentium exstant tanquam pignora lacrimæ.
Non posse flere, causa flendi maxima est.
Omnis dolor fere effluit cum lacrimis.
Omnis tyrannis est illacrimabilis.
Omnes volente plorant vel rident Deo.
Plerique fundunt lacrimas ostentui.
Pœnis ubinam subjacent & lacrimæ?
Prius dole ipse, flere si vis alterum.
Qua corrigi desperas stulte fleveris.
Quod fructus arbori hoc dolori lacryma est.
Si flenda patimur, levia perpessa sumus,
Si flere misero non licet, flendum est magis.
Siccat quoque oculos pervicax clades malis.
Summo in dolore lacrima nulli profluit.
Sunt judices lacrimæ utique pœnitentiæ.
Turbis salus est impetrata lacrimis.
Vna edita sunt horâ vita ac lacrimæ.

Largitionis.

§ SENTENTIAE GRAECORUM.

D. *Nazianzenus*: Quod maximum ac pulcerrimum est, ad animi magnitudinem, gloriæ quoque contemptus accedebat; quæ res mea quidem sententia, omni exemplo præstantior ac sublimior est. Nam animi quidem in pecuniis magnitudinē apud alios quoque facile reperire est, sive eas spectes, quæ in publicas & urbanas ambitiones perditè effunduntur, sive quæ Deo per pauperes fœnori dantur, solæque iis, qui eas expendunt, reconduntur: at qui gloriam ex ea re collectam alteri concesserit, haud ita facilime reperiemus. Permulti siquidem ad sumptus prompto animo faciendos sola honoris cupiditate ducuntur. Ubi autem largitio arbitri s caret illic quoque langueſcit, & obtunditur. *Orat.* 19.

Isidorus Peluſiota: Etsi apud Deum rei atque obnoxii sunt, ut inquis, Sacerdotes illi, qui rebus sacris improbe utuntur: at ipse tamen hoc ignora: ne & largitionis propositum contumelia afficias, modum ac rationem, qua ea expenditur, curiose perscrutans (perinde videlicet ac si ob eam causam dederis, ut ipsius rationem exposcas:) & illos, in quos id beneficii contulisti, rationum in futurum referendarum necessitate liberes. Quemadmodum enim qui ostentationis studio boni aliquid agunt, per hujusce vitæ plausus ac laudes futuri præmii detrimento mulctantur: eodem modo qui eos, qui subeundo illic judicio, rationibusque referendis obnoxii sunt, hic prius excutiunt atq; examinant, eos illic crimine ac supplicio liberant. *libro* 1. *Epistola* 187.

Phalaris Antisthenī & Theotimo: Munerum à me missorum, Antisthenes quidem partem suscepit, Theotimus vero non item. Proinde alteri gratiam habeo, alteri vero non succenseo. Nam alter, qui admisit, nihil meas opes diminuit, alter me nullo damno affecit. *Epist.* 47.

Phalaris Naxſicli: Ego quidem, quod jam tibi sæpe numero scripsi, quamvis Hermocrates, aut alius quispiam vetuerit à me profecta dona suscipere filiani Philodemi nubentem, tamen ea remisi donoque dedi. Et par mea laus, immo splendidior est, quod cum ejusmodi cognatis ego Tyrannus, nulloque cognationis vinculo attingens contendam Qui vero largitionibus me persuadere per convitium exprobrant, his ita responsum volo, non posse eos, qui beneficio devincti sunt pro benevolentia vim reponere. *Epistola quinquagesima nona.*

Philostratus: Conversus ad Ægyptios Vespasianus Imp. Ex me, inquit, perinde atque ex Nilo quæcunque vultis haurite. *lib 5. Apollonij cap.* 19.

§ ROMANORUM.

Cornelius Tacitus: Largitio, & profusio sine modo sine judicio, non est idem. *lib. 1. Histor. cap.* 30. 52. *& 3. Histor. cap.* 55.

Idem: Largitionibus nullam spem aliam habent, quam in rebus novis. *lib* 15. *Analiticorum cap.* 35. 2 *lib.* 1. *Histor. cap.* 21.

Plinius Iunior: Cum subitæ largitionis comes sit pœnitentia; tanto laudabilior munificentia nostra fore videbatur, quod ad illā non impetu quodam, sed consilio trahebamur. *lib.* 1. *Epist.* 8.

Plinius: Aliò me vocat numerosa gloria tua, aliò autem? quasi vero jam satis veneratus miratusque sim, quod tantam pecuniam profudisti, non ut flagitii tibi conscius ab insectatione ejus averteres famam, nec ut tristes hominum mœstosque sermones latiore materia detineres. Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti; nec tibi benefaciendi fuit causa, ut quæ male feceras impune fecisses. Amor impendio isto, non venia quæsita est, populusque Rom. obligatus à tribunali tuo non exornatus recessit, obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens, securusque securis; quodque antea Principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis objectabant, id tu tam innocens populo dedisti quam populus accepit. *cap.* 28. *panegyr ad Trajan.*

Cl. Mamertinus: Illud vero cujus miraculi est, neminem ullam in tanto rerum paratu sensisse dispendium, in omnia pecuniam ab Imperatore depromi, & quoddam versa vice provinciis pendi tributum, illinc ad universos fluere divitias quo prius undique confluebant? ut in maxima quæstione sit, à quo accipias Imp. qui sic omnibus largiaris. Sed qui vitæ tuæ instituta rationemque cognoverit, facile fontem hujus copiæ inveniet. maximum tibi præbet parsimonia tua, Auguste, vectigal. quidquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur. Huc usque solus hic fructus imperii putabatur, ut Imperator à ceteris civibus, non fortibus factis, nec splendore gloriæ, sed magnitudine sumptuum seperaretur. inde nihil necessariæ substructionum ædibus molęs, ingentesque aulicorum catervæ legionum sumptum facile vincebant. quin etiam prandiorum atque cœnarum magnitudines Respub. sentiebat: cum quæsitissimas dapes non gustu, sed difficultatibus æsti marentur, miracula avium, longinquimaris pisces, alieni temporis poma æstivæ nives, hibernæ rosæ. Hæc cuncta animus voluptatum victor abjecit. neque enim comparandæ sunt picturatæ marmorum crustæ, & solido auro tecta laquearia ei, qui majorem animi partem in nuda humo cubet, & cælo tantum tegatur: neque turbæ institutorum ad delitias ministrorum ei cui tam pauca sint ministranda; neque tempus epularum ei qui sæpius statarium prandium, ad necessitatem humani corporis capiat, gaudēs castrensi cibo, ministro obvio, & poculo fortuito. *cap.* 11. *Oratione ad Iulianum Aug.*

Simmachus: Soli omnium potestis æternæ urbis expensas à defectu sumptuum vindicare, D Imperator. Majestati autem vestræ subditæ potestates, tantum mediocribus causis valent ferre medicinam: magnarum vero rerum mole superantur. Ad vos igitur salutaria numina convolamus, & opem largam P. R. imploramus ærario, cui jam diu solitorum nihil vectigalium decretæ provinciæ cōtulerunt. Atque ideo justus est metus, necessaria deserantur, quæ hactenus personæ tenues, alieno, ut queruntur, ære toleraruntur. Super hæc etiam reverendus Ordo consultus, cum per se mederi afflictis rebus nequiret, opem vestræ perennitatis oravit. *lib.* 10. *Epist.* 50. *pr. Imperatori Theodosio.*

Latinus Pacatus: Quin ego (si fas piumque mortalibus existimare cælestia) nullam majorem crediderim esse Principum felicitatem, quam fecisse felicem, & interceſſisse inopiæ, & fortunam vicisse, & dedisse homini novum fatum. Itaque Imperatori propriam majestatem bene æstimanti, non tam illud suum videri debet quod abstulit, quam quod dedit. nam cum inter ipsum volvantur omnia, & ut ille qui cūcta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris recipit è terris; ita quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem, & rei ac famæ bene consulit munificus Imperator, lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram. *capite* 27. *Panegyrici Theodosio Aug. dicti.*

§ POETARUM.

P. Syrus Mimus.

Dicere flere femina in mendacium.
Mulebris lacrima, condimentum malitiæ est.

Guntherus lib. 3. v. 498.

Millia quinque tibi librarum debita poscis:
Poscenti debere nego: largitio Reges
Non extorta decet: captivos ista reosque
Sors premit, extortis redimant sua tempora nummis,
Munera magnorum lata atq; ultronea Regum.
Esse volunt. ut dans plus gaudeat accipiente.
Hoc est, gratuitum quod possum dicere, solum,
Quo plus ille dato, quam gaudeat iste recepto.
Hunc mihi munificæ morem liquere parentes,
Hunc retinere libet: nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo, sed pacta recuso.
Nil nisi gratuito manus hæc dare novit, & ultrò.

§ FABULA.

Phædrus Fab. 32. Juvenci, Leonis & prædatores.

Attende, cur negare cupidis debeas;

Modestis

Modestis etiam offerre quod non potierint.
Super iuvencum stabat dejectum Leo:
Prædator interv̄enit partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum rejicit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque v̄iso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: non est quod timeas, ait.
Et quæ debetur pars tua modestiæ
Audacter tolle. tunc d̄iviso tergore,
Silv̄as petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus & laudabile.
Verum est v̄iditas dives, & pauper pudor.

¶ Monosticha Trochaica.

De tuo da; qui de alieno largus est, palam rapit.
Dignitatis v̄irtutisq; largitio obl̄iviscitur.
Ecquando perstrurus parce d̄istribuit pecunias?
Fructus est nullius ipsa quæ se jactat largitas.
Largior cum sit avarus, ilico excedit modum.
Largitas ad v̄itam æternam proprium est v̄iaticum.
Largitate ampla favores plebis amplos ambias.
Magna cuiv̄is absque raptu largiri haud queas diu.
Nulla damna largiendo sentijt adhuc Deus.
Si placere v̄is, frequenter largiare; ars artium est.
Temperantiam expugnabit quamlibet largitio.

¶ Jambica.

Fere populum corrumpunt congiaria.
Iam nulla fit largitio ni si ob arbitros.
Incauta fundo destituitur largitas.
Largiri aliena pro suis, turpissimum est.
Largitur ultro qui se, v̄ilem se facit.
Largitio ineptæa est, quæ indignis accidit.
Largitione tempus non corrumpitur.
Pecunias per honestæ Rex recte erogat.
Quod alteri largitus es, semper tuum est.
Res haud sua largitio per facillimæ est.
Regnum auspicari à largitione, v̄ix bonum est.

Lassitudinis.

¶ Sententiæ Patrum

Chrysologus: Cælestis natura ignorat lassitudinem, nescit laborem *Sermone. 75. m.*

¶ Philosophorum.

Aristoteles: Fessi aut ægri, egentes, amantes, sitientes, universè dictum, cupientes & non assequentes, iracundi sunt & moveri faciles. *lib. 2. Rhetoric. cap. 2.*

Seneca: Forum, advocationes, judicia fugere debemus, & omnia quæ exulcerant iræ vitium: æque lassitudinem corporis. consumit enim quidquid in nobis mite placidumque est, & acria concitat. ideo quibus stomachus suspectus est, processuri ad res agendas majoris negotii bilem cibo temperant, quam maximæ movet fatigatio, sive quia calorem inedia compellit, & nocet sanguini, cursumq; ejus venis laborantibus sistit: sive quia corpus attenuatum & infirmum incumbit animo. certe ob eandem caussam iracūdiores sunt valetudine aut ætate fessi, fames quoque & sitis, exiisdem caussis, vitanda est. exasperat enim & incendit animos. Vetus dictum est, A lasso rixam quæri; æque autem & ab esuriente, & à sciente, & ab omni homine quem aliqua res urit. *lib. 3. Iræ cap. 9.*

Seneca: Senes difficiles & queruli sunt, ut ægri & convalescentes, & quorum aut lassitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor. *lib. 2. Iræ cap. 19. f.*

¶ Poetarum.

Plautus Mercat. 1 sc. 2. v. 23.

—— *Genua hunc cursorem deserunt.*
Perij seditionem facit lien, occupat præcordia.
Perii! animam nequeo v̄ertere nimis nihils tibicen sim.

¶ Monosticha Trochaica.

Ex defatigatione corporis, morbos time.
Impedire lassitudo aut officium aut fidem nequit.
Lassitudine haud tenentur persecutores Lucri.
Membra balneo fov̄entur, sed magis lyræ sono.
Neminem lucrum fatigat, neminem v̄ictoria.

¶ Jambica.

Bos fatigatus fortius figit pedem.
Curare lassos semet æquum est de v̄ia.
Etiam inv̄enias quietem lassitudine,
Gestatio æque lassat quam ambulatio.
Haud sentiunt v̄incentes lassitudinem.
Lasso viro ingens adjicit robur merum.
Lassum caveto; à lasso rixa quæritur.
Primum animo quisque deficit, dein corpore.
Quam maxime excit bilem fatigatio.

Latrocinii.

¶ Sententiae Patrum. Græcorum.

D. Chrysostomus: Prædones, non tum cum ipsorum latera perfodiuntur, sed cum parietes ipsi perfodiunt aliisque mortē adferunt, lacrimis ac misericordia digni sunt. *Homilia 9. ad Romanos.*

S. Isidorus Pelusiota: Est & pax quoque aliqua omni pugna difficilior. nam latrones quidem inter se paciscuntur contra eos qui nulla re ipsos læserunt armati &c. *lib. 4. Epist. 36.*

S. Isidorus Pelusiota: Alii in desertis, alii in urbibus latrocinia exercent. *lib. 4. Ep. 11. ante finem.*

¶ Italicorum.

Cyprianus: In Latronibus est utcunque aliqua scelerum verecundia, avias fauces & desertas solitudines deligunt; & sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte velet. *ad Demetrianum.*

Salv̄ianus: Latrones hoc quidem proverbio uti solent, ut quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. *fine libri 8. de gubernatione Dei.*

Egesippus: Laborabat Syria Ezechiæ latronis incursionibus; quibus ille prædatoriæ manui principes totam infestabat provinciam, atque omnibus locis infensus erat. quem Herodes correptum jugulari jussit, multosque prædonum interemit: quod ei maximam virtutis gloriam peperit, & uberem apud Syros gratiam. Unde in urbibus ac vicis canentium vocibus celebratur, quasi pacem ac quietem publicam multo post. tempore reformavisset. *cap. 26. lib. 1. de excid. Hieros.*

Idem: Adversum latrones prælium adoriundum putavit, qui totam percurrentes regionem, non minore quam bellica incursione, locorum incolas attrivere. *cap. 30. lib. 1.*

Egesippus: Inopia pecuniæ & egestas solet indigentibus suadere latrocinium. *cap. 44. lib. 1. excid. Hieros.*

Egesippus: In ipsis Hierosolymis aliud latronum pullulavit genus, qui vocabantur siccarii, non jam secretis abditi, nec tenebris nocturnis insidiantes sine aliquo præsidio commeantibus, sed luce diei atque in medio urbis & turmæ stipamine, percutiebant quoscunque proprius accesserant; breves manu gladios gerentes, conferto populo permixti, ubi adhærentem finxerant, cadebat imprudens cæco vulnere, ut querelam mors præveniret. funus in promptu, sed percursor latebat &c. *lib. 2. cap. 6. excidii Hieros.*

Egesippus: Sephoritanis contributa subsidia militaria, regionis finitima incursabant, auctoritatem latrocinandi liberam sibi belli specie vindicantes, quod imperio Romano à Judæis inferebatur. *cap. 7. lib. 3. excid. Hier.*

Egesippus: Simon civis erat Gerasenus, robustus juvenis, quem Princeps Sacerdotum Ananus perculerat propter nequitiæ commēta, pulsumque eo, quem inhabitabat loco, in alias regiones concedere coegit. At ille, cui nullus inter quietos & modestos locus, contulit se se ad consortia latronum, ipsis quoque in principio suspectus, ne eos factione circumveniret, facile postea morum se infudit societate. Populabatur cum his ea, quæ essent finitima munitionibus, quod illi ulteriora petere non præsumebant, sed quasi in foveis latitantes, insidiabantur præter meantibus sine ullo excursu, quasi domestico latrocinio contenti. Id Simon animi immodicus tolerare diu nequivit, brevique multorum quæsivit manum, pollicens servis libertatem, liberis præmia, perditis remunerationem. Ita confluentibus plurimis ad deprecandi licentiam, expugnare munitiones, occupare urbium populos ausus, terribilis omnibus erat, receptaculum sibi in vico, cui nomen Ajacis murus, paravit. *lib. 4. cap. 22. excid. Hieros.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Libanius: Comprehendite autem cogitationibus vestris universa, quæ humana audacia efficere solet, & cum eo de quo nunc quæritur, quælibet maleficia conferte. reperietis enim omnium quæ scelerata habentur, hoc esse gravissimum. Nā si quis interroget, quodnam facinus pessime oderitis? Dicturi sitis, ut opinor, adulteria & sacrilegia, & delicta erga sepultos. Sed illa ad hoc parva videntur esse. Captus aliquis forma, injustus est ille quidem, sed venia dignus. Vis illi definitus allata, neque facile est adversus amorem potentiā opponere. Jam & mulier corrigere morem illum poterit. Nam multæ seductæ aliquando, mox ad meliora se converterunt. Sanè est animus talium impudicus, sed à feritate abest. Huic autem quid possit veniam conciliare? Quis Deus coegit? Quæ caussa oblata fuit, quæ speciem aliquam haberet? Quin etiam illos leges nullis è cæti-

bus

bus excludunt: cum his autem communicare quicquam, loco maleficii ponunt. Atque eum quem corporis forma cœpit, non omnino etiam certum est, hominem interfecturum esse. Sed qui cædem patravit, illud etiam facinus aggredi non sit subiturus. Neq; profecto is qui marito uxorem eripit, mulieri etiam hoc facto vitam adimit. Verum à quo uxor marito spoliatur, is ne ipsam quidē jam superstitem videtur relinquere, Tetra res est, sepulchra effodere: nō tamen ita tetra, ut hominem occidere. Mortui enim contumeliæ, qua afficiuntur, nullo dolore tanguntur. eorum enim quæ geruntur, sensu carent. At ille qui plagam excipit, quæ patiatur ignorare non potest. Quo igitur eorum qui hoc, quam qui illud patiuntur, major est dolor, eo sceleratior habendus qui hoc quam qui illud perpetraverit. Quid quod iste qui nunc homicidii caussam dicit, sepulchri etiam perfossi scelus comprehendit? Nam cæsis, & bona abstulit: hoc nonne est privare illos sepultura? Quod si verum dicendū, magis impius iste quam ullus sepulchrorum perfossor, quantum quidem ad hamatorum attinet contumeliam. Hoc enim genus non obstat, quo minus fiant justa mortuis: sed quibus facta sunt, eos nudant. Homicidiæ vero, etiam prius quam terra injecta sit alicui, quem quidem ipsi intremerint, insepultum illum abjiciunt. Quo sunt igitur remotiora ab injuriæ sensu ea quæ post mortem alicujus accidunt, eo mitiores perfossores isti quam homicidæ putandi. Sed dixerit aliquis, sacrilegii majus esse scelus. Sacrilegi enim iis quæ sunt diis consecrata, manus admovent. An non vero homo divinū bonum est, multo præciosius quam pateræ. Paternæ etiam, quorum consecratione offeruntur diis? nunquid hominum? Jam sacrificia unde? Unde carmina? frequentationes, aræ, templa, luci Deorum? ipsa simulachra quorum opera sunt? proinde ne judicetur minus improbus spoliatoribus horum, is qui perdit auctores. Ad tyrannidis nomen quoque horrescitis. & sapitis quidem, ut ego existimo. Quid igitur hujus malorum metum tantum incutit? Anne bonorū publicationes, exilia, injusta vincula? Immō potius illa cicuta, quæ cives auferat. Sic enim in animum inducitis, exules restitui: spoliatos facultatibus, illas recipere recuperareque posse: mortis vero esse medicinam nullam. Quod caput igitur est tyrannidis, hoc iste in æquabili Repub. designavit. Estque hujus illius opus, quo tyrannis maxime sit metuenda, quid usum cicutæ ense expleverit: quod genus mortis cruciatus habet maximos. Ergo adulterii reo infensos esse vos, & vehementer irasci perfossoribus sepulchrorum, par est. Quos si dilexeritis, nondum satis supplicii cepisse creditis. Nunc vero hic residetis, & orationem adhuc nostram requiritis, qui petulantes odistis, qui fures punitis. Quid igitur obstabit, quo minus civitas pereat, in licentia cædium? Atque huic maleficiorum generi quo pacto poteritis infensi esse, si lenes erga deprehensos esse non dubitabitis? *contra Homicidam in Progymnasm.*

Heliodorus: Scientes igitur quod non de uxoribus neque de liberis agatur (quod vel solum plerisque ad excitandos animos ad prælium suffecit:) tametsi & hæc minoris momenti, & alia quæcunque victores manent, si vicerimus habere licebit) sed de vita & animabus nostris (neque eum unquam pactis bellum inter prædones compositum est, neque fœderibus finitum sed aut superstites esse victores, aut mori victos, necesse est) ita cum inimicissimis animo & corpore incitati concurramus. *lib. Æthiopic* 1.

Heliodorus: Missis nuncus in prædonum pagos Petosiris, pecuniæ magnam vim & pecudum proposuit præmium iis qui Thyrannidem vivum adduxissent. Quibus illecti latrones, neque in ipso fervore belli memoria lucri amissa, postquam eum quidam agnovit, multorum morte vivum adepti sunt. Sic omnino prædonum genti, animabus ipsis pecuniæ, majore precio æstimantur, & amicitiæ nomen ac necessitudinis ad unum lucri finem destinatur. *sub finem lib. Æthiopicorum primi.*

Heliodorus: Cur non potius virginem sine sanguine adipiscaris exædibus meis? servatur, inquit, & apud prædones conscientia erga notos officii atque humanitatis. tua igitur caussa parco, ne tibi ea res difficultatem & laborem pariat, cum à te hospites amissi reposcerentur. *libro quinto rerum Æthiopicarum.*

Heliodorus: Ad venationem, inquit, profectus est. qualem? iterum quærente. feraruni, inquit, immanium, quæ vocantur quidem. homines & bucoli, ceterum latrociniis exercendis vitam agunt, & difficulter circumveniri possunt, tanquam lustris & cavernis, paludeutentes. *lib. Æthiopicorum secundo.*

Æneas Sophista: Ille equitabat bona spe vectus. Ex barbaris qui amicitiam præ se ferunt, latrones immanissimi hunc incidentes plagis afficiunt & tormentis cruciant. ac strictum gladium intendentes mortem omnino minati sunt Postremo pecuniis ereptis, gratiam habere jusserunt, quod fortunā tantum non etiam vitam amisisset. Dice autem volucris & allata quosdam ex autoribus injuriæ comprehendit. Audit dux. Indignabatur, semper majori odio fures prosequens, quam hostes manifestos, & quidem merito. Hic enim procul venientes cavere possunt. Illi vero amicos ex insidiis aggrediuntur, ac jussit ut pauperi damnum arciretur, ac tantum reciperet quātum ereptum esset. Dux quidem sic imperavit. At pauper adhuc egestatem luget. Sed illis latrocinandi consuetudinem finite, huic egestatem. Saluto magnificentissimum ac sanctissimum ducem. *Epist.* 23.

¶ Romanorum.

Cicero: Quod est aliud beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, ii se dedisse vitam, quibus non ademerunt? *Philip.* 2.

Suetonius: Gloriabatur Remnius Palemon etiam latrones quondam sibi, propter nominis celebritarem peperciſſe. *libro de illustribus Grammaticis* § 26.

¶ Poetarum.

Oppianus lib. 2. ἁλιευτ. v. 407.

Vt aliquis latro, prædatoria arte.
Cogitans pernitiosa, justitiæ cultum nunquam observans,
Vespertinus augustis perculsum in vijs
Virum aliquem prætereuntem ab epulo insidijs excipit.
Et ille quidem vino gravis raptat ante, humidū quiddam
recinens,
Non bene sobrium resonans carmen atque hic clam
A tergo percutit eum & collum manibus cruentis
Rapit insuper urgens, declinatque eum in ferum somnium
Non procul à morte, & vestimenta omnia deprædatus
Abit, maleque lucrosum gestant & illicitam prædam:
Tales etiam versutis machinationes sunt polypis.

Prudent. contra Marcionitas.

Non aliter quam cum incautum spoliare viantem.
Forte latro aggressus, prædæ prius immemor, ipsum,
Ense ferit, dominum, pugnæ nodumque moramque,
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Iam non obstanti locuples de corpore, prædo.

Plautus Menæchmis 5. sc. 7. v. 15.

O facinus indignum & malum, Epidamnii cives,
Iterum meum hic in paccato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit?

¶ Monosticha Trochaica.

Arborum truncū latrones occultant ferrum suum.
Corpore à latrone salvus si quis evasit sat est.
Haud decet sua latronem supervenire dextra.
Etiam latro ille est qui arborem ense dat neci.
Latronum incubare abruptis, ni dularique in petris.
Mendicare turpis est res, sed prædari turpior
Non minus latro est cujus telum indumento eluditur.
Nulla erit latrocinatum secta si desit fides.
Omne fas nefasque lusus est maris prædonibus.
Prædo nullus est, amico qui carere omni queat.
Prædo ubi est nemo secure rebus utitur suis.
Pro sui tuitione latro impune occiditur.
Purus es latrone cæso, noctis & furunculo.
Quam diu ad latus ferrum est non desiet pecunia.
Quinam eum non timeat qui paratus est occidere?
Regem fieri de latrone, res est vel facillima.
Se latro dedisse vitam vult, quibus non abstulit.
Si receptor haud sit, latro diu latere non queat.
Viribus confidit hostis: latro stat locis suis.

¶ Jambica.

Alio modo cum prædone, alio cum hoste agas.
Et factio latronum habet leges suas.
Etiam togatis sua sunt latrocinia.
Latrocinari gloria est, non dedecus.
Latrocinari dedecus, non gloria est.
Latrocinium tenebris abscondi solet.
Latrunculorum ac furum votum, fallere est.
Magni latrones parvos adfigunt cruci.
Manuarij latro pudorem perdidit.
Nullum sua absque prædā latrocinium est.
Nullus latro ullas lacrimas magni facit.
Spoliant latrones longe à receptaculis.

Laudis, & Laudationis.

¶ Sententiae Patrum Graecorum.

Nazianzenus: Cyprianus fere nos effugit, ô ingens damnum! idq; vos passi estis, qui eum maxume omnium suspicitis, anniſque honoribus festisque celebratis. Cyprianus, inquam, cujus vel etiamsi alioqui oblivionis vitio laboremus, meminisse tamen necesse fuerat: si quidem optimi potissimum viri memoria colendi sunt; iisque quorum meminisse non modo pium, sed utile ac fructuosum. *Orat. 18. initium.*

D Gregorius Nazianzenus: Vellem libertatem oratio haberet, apud alios te pingens, ac non tē præsente hæc expenderentur, ubi laude tuas majore ex parte imminuere cogor, ne inaddulationis suspicionem incurram. *Oratione 19. in funere patris.*

D. Nazianzenus: Neque alioquin pium nec tutum est, cum impiorum hominum vita memoriæ prodatur, pietate præstantes viros silentio transmittere, idque in ea civitate quam vix etiā multa virtutis exempla servare possint, quippe, ut circos & theatra, ita res quoque divinas pro ludo habeat. *Orationis 21. in Athanasium.*

D. Nazianzenus: Machabæi laudandi sunt ac verborum honore celebrandi, non ut ipsorum gloriæ quicquam accedat (quid enim iis oratio afferre possit, quorum gloria ipsis actionibus rebusq; gestis utitur?) sed ut gloriam consequantur, qui eos laudant, ac virtutem

tutem æmulentur qui audiunt; ejuſmodi nimirum commemoratione quaſi ſtimulis quibuſdam, ad earundem rerum ſtudium excitati. *Orat. 22.*

D. Nazianzenus: Studium & munus eſt philoſophiæ, ut de vita humana præclare mereatur, prima porro bene merendi ratio eſt, rerum honeſtarum commendatio. Laus enim zelum parit; zelus autem virtutem virtus porrò beatitudinem: hæc verò rerum expetendarum culmen eſt, ad quod omnis probi viri agitatio tendit. *Orat. Vigeſima tertia.*

D. Nazianzenus: Si quis alius tuarum laudum prædicator eſt, omnino vel mecum eſt, vel poſt me, uſq; adeo me tibi devinxit pietas tua, atq; adeo ſincere & ex animo ſum tuus, nec mirum ubi amplior vitæ conſuetudo eſt, illic quoq; amplius eſt experimentum, ubi autem uberius eſt experimentum, illic quoq; perfectius eſt teſtimonium. *Epiſt. 26.*

D. Nazianzenus: Sinobis hoc nomine ſuccenſes, quod te minus quam tua virtus meretur, ſuſpicimus & admiramur; omnib. quoq; mortalibus ſuccenſeas oportet. neq; enim alius quiſquam dignè te laudavit, aut laudaturus eſt, præter te tuamq; in dicendo ſublimitatem: ſi quidem fieri poſſet, ut quiſpiam laudes ipſe ſuas prædicaret, idq; ſermonum lex ferret. Quod ſi contemptum tu nobis objicis, quin potius inſaniam? *Epiſt. 10. extremo.*

D. Nazianzenus: Nulla oratio ſanctæ illius (Baſilii) & beatæ animæ laudibus par inveniri poteſt, niſi mihi amor imponit, aut etiã mœror cum deſiderio permixtus. *Epiſt. 38.*

D. Greg. Nyſſenus: Quomodo igitur memoriam ejus agemus, (aliquis fortaſſe dicet) ſi cum laudum celebrationibus id non fiet? qua ratione lex ſcripturæ implebitur, quæ dicit, Memoriam juſtorũ cum laudum celebrationibus agi oportere, ſi per veras quidem laudes non poſſunt? Sed fortaſſe ratio aliqua non deerit, qua ille noſtrarum laudũ honoris & præmii non penitus expers relinquatur. Quæ igitur eſt ratio? Quis ignorat, quod omnis oratio ab operibus diſjuncta vana per ſe ſit, & non ſubſiſtat? at natura operum in ſubſtantia atq; veritate id quod dicitur, oſtendit & repræſentat. Igitur oratione potior fuerit ea laus, quæ per opera præſtetur & repræſentetur. Hoc vero quid eſt? Ut per memoriam illius vita noſtra melior quã eſſe ſolet, efficiatur. Quemadmodum enim cum in pala annuli optima quædam inſculpta forma apparet, ſigillo impreſſa cera inſitum ſculpturæ decorem in ſeſe transferet, totam ſignaculi effigiem ſuis expreſſam referens figuris: ac nemo bene diſpoſitum & artificioſum ſculpturæ decorem oratione ita deſcriptum exhibere poſſit, utis qui in cera effictam atq; efformatam pulchritudinem oſtendit: eodem modo ſi alius quidem nuda oratione celebret virtutem magiſtri, alius vero ſuam ipſius vitam illius imitatione exornet, efficacior quam oratio ſublimis, fuerit ea laus, quæ per vitam repræſentetur. Sic igitur, fratres, etiam nos ſobrietate ſobrium imitantes factis noſtris, virtutem pro dignitate laudemus, & itidem in cæteris omnibus miraculum ſapientis participatione ſapientiæ repræſentetur. *in laudem D. Baſilij.*

Idem: Qui medici diſcipulus fuit, aut geometræ, aut rhetoris, indignus cui fides habeatur magiſtri artis laudator erit, ſi oratione quidem ſcientiam præceptoris admiretur; in ſeipſo autem nihil admiratione dignum oſtendat. Dicet enim aliquis ad eum; quei dicis medicum tibi fuiſſe magiſtrũ, cum ipſe medicinæ ignarus ſis? aut quomodo te diſcipulum geometræ dicis, imperitus geometriæ. Verum ſi quis in ſeipſo ſpecimen artis, quam didicerit edat, ſua ſcientia artis præceptorem ornat honeſtatq;. Ita etiam nos, qui Baſilio magiſtro nos jactamus & gloriamur, vita diſciplinam oſtendamus; ad illud enitentes & evadentes, quod ipſum clarum & magnum Deo fecit atq; hominibus. *ſine ejuſdem Orat.*

D. Greg. Nyſſenus: Enimvero ſi mentio eorum, qui virtute excelluerunt, cum nullo lucro conjuncta eſſet, nullumq; audientibus inde ad bonum afferretur adjumentum, ſupervacuum forſitan, ac nullum operę pretium eſſet, nulla propoſita utilitate, & eandem rem fruſtra commemorando, & aures ne quicquam obtundendo laudãdi cauſſa orationem in medium efferre: ſed quoniam ejuſmodi munus orationis, ſi rectè & commodè adhibeatur, commune audientiũ emolumentum erit, tanquam fax è mari adnavigantibus ad ſeſe dirigens eos, qui in caligine per pelagus oberrant: pari ſtudio utriſq; & vobis auſcultantibus, & mihi dicendi ad hanc rem opus eſſe puto. Perſpicuum eſt enim, quod vita ejus per virtutem tranſacta veluti fax quędam animis noſtris per commemorationem affulgens, viam tad bonum tam commemoranti, quam audientibus patefacit. Natura enim id nobis hominibus quodammodo inſitum eſt, ut quicquid laudabile, & in pretio habetur, ad id noſmet adjungere & accommodare velimus, idque acquirere ſtudeamus. Et argumentum quidem orationis tale eſt: mihi verò argumentum tractare conanti nullum & utrocumq; eventu periculũ impendet ſive cum magnitudine rerum una aſſurgere ſublimitate ſua oratio valuerit, ſive non. Parem enim, utrumcumq; horum evenerit, laudem is qui celebratur, aſſequetur. Nam ſi aſſequuta quidem oratio miracula fuerit, rerum præclarè geſtarum commemoratione prorſus obſtupefaciet auditores, ſin autem à tergo relicta oratio magnitudinem rerum minus aſſequi potuerit, etiam hac ratione gloria ejus, cujus laudes perſequimur, clareſcet. Præſtantiſſima enim viri laus eſt, ſi ejus virtus major eſſe demonſtretur, quam laudantium facultas dicendo aſſequi poſſit. *in Vita Thaumaturgi.*

D. Gregor. Nyſſenus: Quare neque laudibus Greg. Thaumaturgi adjiciemus, neque majores in ſubſidium præconiorum aſſumemus, ſcientes quod illa vera ſit laus, quæ eorum qui laudantur propria non ſit. proprium autem dicimus, quod prorſus in perpetuum ita permanet, ut adimi auferrive non poſſit. Quoniam igitur cum omnia nobis eripiantur, divitiæ, claritudo, gloria, honor, deliciæ, atq; luxus, voluptas & oblectatio, cognati deniq; atq; amici, ſolus ille habitus & affectus, quo vel cum vitio, vel cum virtute conjuncti ſumus, ita nobis inhæret, ut ſeparari & auferri non poſſit: ſolum beatum habendum eſſe judicamus, qui virtute præditus ſit. *de Vita S. Gregorij Thaumaturgi.*

D. Greg. Nyſſenus: Conſideremus admirandum illum Dei virum prohibiturum non fuiſſe ne laudaretur, niſi laudibus ſe dignum cognoviſſet. nam nullus niſi valde inſignis atque ſuſpiciendus, cum adhuc in vita maximis virtutibus præcellat, memoriam ſui oblivione apud poſteros deleri jubeat. Et quemadmodum Paullus, licet de ſe ipſo dixerit, Non ſum dignus vocari Apoſtolus, non tamen ideo effecit, cur minus Apoſtolus vocaretur; imo quanto ipſe ſubmiſſius de ſe ſenſit, tantò majorem conſecutus eſt gloriam. Sicque magnus noſter hic Pater, quoniam prudenter ac cautè ſeipſum laudibus indignum cenſuit, ideo deinceps laudibus celebrari promeretur. *Orat. de Vita S. Ephræm.*

Idem paullò poſt: Veræ laudes in iis conſiſtunt, quæ in nobis ipſis ſunt poſita: atq; illis debentur præmia quæ ex noſtra proficiſcuntur voluntate. Genus atq; nobilitas, tum ab ipſo parta, tum ab majorib. ſuſcepta, parentumq; gloria ac ortus, & educatio, & ætatis incrementum & corporis forma, & conditiones & artes, & vituperationes ſunt falſæ & laudes ineptæ.

Adhuc de eodem: Ab omni vana atq; mundana abhorrẽs gloria, cum in hac adhuc peregrinaretur vita, ſi à quo quam ſe laudari animadvertebat, ægro id animo ferens, aliumq; alias colorem capiens, atque oculos in terram demittens, tenui ac ſubtili madebat ſudore, altoque ſilentio, tanquam verecundia linguam præpedientem, corripiebatur.

D. Greg. Nyſſenus: Cum ſingulæ præclari ipſius animi dotes uberem ad laudandum materiem exhibeãt; tum illud cumprimis, quod laudibus nõ afficiatur: optabat quippe non videri, ſed bonus potius eſſe. Ex quo quidem vel ſolo, licet aliud nihil laude dignum præſtitiſſet, collaudari profectò mereretur. Adeo enim laudib. ſe delectari ajebat, ut eo vinculo vituperationem ex illis manantem obſignari maluerit atq; evitare. *de Vita S. P. Ephram Syri.*

D. Greg. Nyſſenus: Hæc ſunt quæ tibi, Patrum optimè, mundiq; doctor clariſſime, laudum preconia audax lingua, ut vilia munuſcula offert: nõ ea quidem pro dignitate, neq; ut indigenti tibi: quam.n. afferre queat gloriam oratio, quæ laudati meritis planè ſuperatur? verũ propter viventium potius utilitatẽ. nam bonorũ præſtantiumq; virorum encomia, maximam pleriſq; conſolationem & cohortationem ad meliora adferunt. *Orat. de Vita Ephram Syri.*

D. Greg. Nyſſenus: Laus rerum rectè geſtarum affert majorem animi alacritatem ad id quod eſt melius. *Homil. 3. in Cantic. Canticorum.*

Chryſoſtomus: Væ vobis, inquit Chriſtus, quando laudaverint vos omnes homines: & valdè meritò. Si enim cuivis arti, non quoſvis, ſed ipſos opificès judices requiris, quomodo virtutis probationem multis committis, & non præ omnibus uni illi: qui cum omnia ſciat, ſolus etiam vel exturbare, vel coronare poteſt? Hoc itaque Chriſti verbum inſcribamus & parietibus, & januis & menti, dicamuſque continuè nobis ipſis: Væ nobis, ſi quando laudaverint nos omnes homines. Nam ipſi etiam laudatores te poſtremò velut vanæ gloriæ, vani honoris, præconiique quod ab ipſis fit, ſtultè amantem vituperabunt. Deus autem non ita, ſed cum viderit te ejus, quæ ab ipſo fit, gloriæ cupidum, tum te potiſſimum laudabit, celebrabit, prædicabit. homo verò aliter: nam is, poſtquam pro libero ſervum te acceperit, plerumque verbulo tibi falſum laudem gratificatus, veram abs te mercedem aufert, & ſibi magis, quam quemvis emptitium, ſubjicit: habent enim illos præceptis ſuis obedientes qui illorum dominantur, tu vero etiam ſine præceptis ſervis. Neque enim expectas ut quicquam præcepti ab illis audias, ſed quamprimum cognoveris tantum, quo pacto gratificari queas, omnia facis, ipſis etiam nihil præcipientibus. Quanta igitur gehenna digni non erimus, qui cum flagitioſis hominibus atq; eo delectamur, ut etiam cum nihil præceperint ſerviamus: Deum tamen nullo non die præcipientem & adhortantem, neq; ſic etiam audientes colimus?

Quod ſi omninò gloriæ laudumque factus es amator, fac laudem quæ ab hominibus eſt fugias, atque tunc verè innumeris laudibus & apud Deum, & apud homines frueris. Nihil enim ſolent æquè admirari, atque eum qui nec celebrari, nec laudari ſuſtinens, omnia iſta contemnit. Quod ſi nos ita ſolemus, multo magis qui omnium Deus eſt. Quando vero is te gloricaverit ac laudaverit: quis, quæſo te fuerit beatior? Quantum enim inter gloriam & ignominiam, tantum inter cœleſtem illam gloriam & hanc humanam eſt differentiæ. Imò multò hac infinito plus. Si enim iſta nulli collata, turpis eſt ac deformis: cogita quanta futura ſit turpitudo, ſi quando eam ad alterius collationem exquiſierimus.

Quemadmodum enim prophana mulier in proſtibulo conſiſtens, ad quæſtum ſui copiam facit: ſic & qui vanæ gloriæ

dediti sunt. Imò turpius etiam quam istiusmodi mulieres. Illæ siquidem quosdam amatores suos contemnere sæpenumerò solent: tu vero teipsum quibusvis, & fugitivis, & latronibus, & furibus exponis. Ex illis quippe & ejusmodi theatra, unde laudemini constituta sunt. Et quos seorsim in scipsis nevantillo quidem dignas æstimas: illos collectos tuæ ipsius saluti præponis, teq; ipsum omnibus istis viliorem esse decernis. Quomodo enim non es vilior, qui illorum opus habes præconio, quique tibi teipsum sufficere non putas, nisi gloriam aliunde capias? Non consideras, dic quæso, præter ea quæ dicta sunt, & istud: quod cum illustris fueris omnibusq; conspicuus, si peccaveris, innumeros habiturus sis accusatores; ignobilis verò si fuisses, securior multò mansurus. Verum est, inquies: sed vicissim, si rectè fecero, innumeros quoque habebo, qui admirentur. Atqui istud utiq; grave est, quod hic vanæ gloriæ morbus te non solum cum peccaveris, sed & cum rectè quid gesseris, damno afficit: illic quidem quam plurimos subvertens, heic vero omni prorsus virtutum mercede spolians.

Grave quidem fuerit, omniq; ignominia plenum, in politicis rebus gloriam sectari. Cæterum cum in spiritalibus quoq; hoc idem feceris quis veniæ locus tibi erit relictus, sine tantum quidem honoris Deo tribuere velis, quantũ ipse à domesticis habes? Servus quippe ad oculos heri sui respicit, mercenarius operator ad operis sui dominum præmia daturum, discipulus ad præceptorem. Tu vero omninò contrarium facis: Deum qui remunerat, dominumq; relinquens ad conservos respicis; etiamsi scias quod Deus recitè factorum tuorum etiam in futurum recordetur, homo tamen ad præsens tantum: & cum habeas in cælo theatrum constitutum, spectatores tamen in terra tibi colligis. Athleta quidem ubi certat, ibi & probari cupit, tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Et quidnam poterit hac amentia pejus fieri? videamus autem, si placet, & coronas. Illa quidem ex arrogantia constat, ista verò ex invidia quæ adversus alteram est concepta, quædam ex ironia & adulatione, propter pecunias alia, nonnulla etiam ex servili ministerio. Et quemadmodum pueri ludentes ex fœno coronas invicem imponunt, coronatum autem sæpenumerò ejus rei ignarum post tergum irridentes: ita sanè & nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant: atq; ita quid aliud fit, quam quod & nobis invicem fœnum coronantes imponimus? Et utinam nihil aliud quàm fœnum? Nunc autem multo etiam nocumento plena est hæc nostra corona: nam omnia rectè facta perdit, considerata itaq; ipsius utilitate, damnum istud effugito. Sed dic quæso, quot velis habere laudatores? cẽtum? seu bis, seu ter, seu etiam quater totidem? imò si volueris pone vel decies, vel vigesies totidem: quin sint duo millia, aut etiam quatuor, vel si ita placuerit, innumeri qui applaudant, nihil tamen illi omnes à graculis desuper garriẽtibus different. Imò si Angelorum theatrum perpenderis: apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumq; præconium aranearum textura fumoq; & somniis infirmius. *Homil. 17. ad Romanos.*

Chrysostomus: Laus quæ est apud homines & diffluit, & sæpe non à bono animo proficiscitur: quæ est autem à Deo, & manet perpetuo & manifesto resplendet. nam quando qui scit omnia antequam oriantur, & ab omni perturbatione liber judicat; tunc indubitata & citra ullam controversiam est virtutis demonstratio. *Homil. 11. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Qui de aliis quidem magnum quid dicit, intrepidè loquitur & securè, qui aũt necesse habet seipsum laudare, quando etiam seipsum citat testem, pudore afficitur & erubescit. *Homil. 38. ad Corinth. 1.*

Chrysostomus: Nihil perinde auditorum animos offendit, ut cum quis magna & eximia quædam de se prædicat. *Homil 11. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Non est paris laudis, à reprehensione liberum esse, & laudum ornamentis abundare. *Homil 12. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Qui aliquem laudat, nisi probationem quoq; afferat, adulari videtur. *Homil. 12. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Perdifficile est magnamq; prudentiam requirit ex suarum laudium prædicatione nullam invidiam sibi conflare neque enim quidquam permultos auditores perinde offendit, ut cum quis seipsum laudat. *Homil. 22. ad Cor. 2.*

D. Chrysostomus: Quidam in domum aliquam se contulit, honorificeq; exceptus est. Pro eo atq; Deo gratiæ agendæ erant, quia membrum tuum honore afficitur, ac Deus celebratur, tu contra omnino facis. Apud eum enim, à quo honore affectus est, ipsi obtrectas: ita ut ambo simul subvertas, tibiq; insuper ipse ignominiæ notam inuras. Ecquid causæ est, ô miser, & ærumnose, cur, quum fratrem, vel apud viros, vel apud mulieres, laudatum audieris, mœstitiam inde contrahas? Incrementum laudationibus affer: Ita fiet, ut tibi quoq; ipse laudem concilies. Quod si laudes deprefferis, prius de teipso male loquutus eris, ut qui pravam opinionem tibi collegeris, atq; insuper illum altius adhuc evexeris. Quum eum ab alio laudari audis, fac eorum, quæ dicuntur, sis particeps, si non vita & virtute, at hoc certe nomine, quod ipsius virtutibus gaudeas. Laudavit eum quispiam? Admirare tu quoq;, ac prædica. Sic te ille ut probum ac benignum laudibus efferet. Non est quod metuas, perinde atq; per alienarum virtutum prædicationem tuas dejicias. Hoc enim in reprehensionibus atq; obtrectationibus locum habet. Pervicax enim suapte natura hominum genus est. Ex quo efficitur, ut quum quis te, de eo, quem laudat, male loqui videt, laudibus proinde suis cumulum addat: ut hac ratione te pungat. Atq; accusatores, & secum ipse tacitus, & apud alios criminatur. Vides quantam fœditatem nobis ipsi accersimus? quo pacto gregem perdimus ac discerpimus? Quamobrem tandem aliquando membra efficiamur: tandem aliquando unum corpus. Atq; is quidẽ in quem laudes cõferuntur, laudes eas propulset, & in fratrem encomia transferat: qui autem alterius laudes audit, ipsi gratuletur. *Homil. 27. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Ex his verbis illud edocemur, ut si necessitas quædam nos in hujusmodi narrationes adegerit, ea quæ à nobis rectè & cum laude gesta sunt, brevissime perstringamus, quemadmodum à Paullo quoq; factum est. *Homil. 27. ad Cor. 2.*

Chrysostomus: Liberè jam & audacter Apostolus vitium hujusmodi notat, quo videlicet omnes erudiat, ne nisi summa necessitas urgeat, quisquam suas laudes prædicet; quippe cum Paulus, necessaria etiam causa coactus, in sapientem tamen se appellarit. *Homil. 27. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Verum & illud initio dixi, neminem ideo solere laudari, ac ne commemorari quidem, quod crimina non admittat. neq; enim si quis aliquem temperantiæ nomine laudare velit, ita dicet, minimè illum esse mœchatum; sed hoc offeret, à propria etiam uxore se continuisse, omninò enim abstinere se tantum a pravis actionibus nunquam in laudatione ponimus, nisi ridiculi haberi velimus. *Homil 6. ad Philipp.*

D. Io. Chrysostomus: Laudes repellimus aliarum laudum desiderio, ut iterum majora assequamur encomia, ut in majori habeamur admiratione. Nos igitur non admittentes laudes, ut eas augeamus hoc facimus; & omnia à nobis fiunt ad gloriam, non ad veritatem, propterea sunt omnia vana, omnia inania, omnia dubia. *fine Homiliæ 27. Epist. ad Hebræos.*

S. Isidorus Pelusiota: Recte quidem, ut mihi persuadeo, novos ecclesiæ ministros instituis: male autẽ eosdem laudas. Vide ne hujusmodi laudibus inflectantur, contentionisq; suavitate spolientur, aliisq; hoc inanis opinio atq; arrogantia afferat, ut intentionis animiq; nervorum jacturam faciant. *lib. 1. Epist. 202.*

S. Isidorus Pelusiota: Permulta habuissem, quæ in Apostolicum dictum scriberem, nisi majores, quam pro mea tenuitate, laudes ad me misisses: quæ etiam parum abfuit, quin ut silerem effecerint. Quare desine quæso ad hunc modum laudare. Nam alioqui & stultos ignavos ac supinos reddes: & prudentibus ac cordatis ruborem excitabis. *lib. 2. Epist. 4.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum luculenta laus ab omnibus tibi excitetur, vigilandum tibi est, ut eam insequentibus recte factis firmes ac stabilias. *lib. 2. Epist. 170.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui dum conjectos in utilitatem oculos habent, nihil tacendum esse putant; non rerum præclare gestarum magnitudinem, ut silentii causam obtendunt; sed veritatẽ, ad cujus laudes prædicandas, ne disertissimi quidẽ homines se accingere verẽtur, cõmendare ac laudib. afficere nituntur. Egregiis enim rebus, si non digne, at saltem quantum satis est, laudatis, animi sui ad ea, quæ cõmemoratione digna sunt, propendentis argumentũ atq; conjecturam iis quoq; qui post futuri sunt, relinquunt. *lib. 2. Epist. 206.*

S. Isidorus Pelusiota: Inexplebilis es, ut apparet, eos amans, in quibus virtutis splendor elucet. Inexpugnabili enim affectu, quẽadmodum audio, illud Psalmistæ canis, Mihi autẽ nimis honorati sunt amici tui Deus. Tanta enim vis amoris erga ipsos est, ut eos etiam, in quibus nullum virtutis vestigium extat (neq; enim ad eorum similitudinem accedimus, tametsi fortasse videamur) multis ac variis laudibus cumules. Ac tibi quidem, etiam si nos tales minime simus, recõdita merces erit. Nos autem si, ne his quidem laudibus affecti, meliores hinc afficiamur, majores pœnas subituri sumus. Quare ne hoc nobis accidat, immodicis laudibus nos ornare desine. *lib. 2. Epist. 210.*

S. Isidorus Pelusiota: Qui experimento famam superat, cujusque aspectus & præsentia rumorem antecellit hic demum meritò laudes etiam vincit, sermones coarguens, ut dignitate sua inferiores. Verum quoniam, etsi sermones vincuntur, mente tamen victoriam adipisci oportet, audendum est, ac faciendũ, ut laudes eas, quæ probis & virtute præditis viris insunt, exponamus, ac literis mandemus. Triplex enim hinc cõmodum oritur, nempe ut & syncero animi affectu virtutem cõplectamur (nemo enim impius viros probos laudare sustinet) & ab invidia puri atq; immunes simus, utpote eorũ, à quib. superamur, virtutum prærogativas minime prementes & occultantes: ac denique improbi ac pudore suffundantur, aut ad officium revocentur. Quorum utrumq; ipsis utile est. *lib. 2. Epist. 220.*

S. Isidorus Pelusiota: Breviter dicere volo, quod perspicuis verbis eloqui nolo. Si malas esset, qui ab insidiantib. contumelia afficitur (scis de quo loquar) eos, a quibus nunc maledictis incessitur, summos laudum suarum præcones nunc haberet. *lib. 2. Ep. 226.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem tum demũ is qui laude afficitur ampliorem gloriã percipit, cum is qui orationẽ habere aggressus est, prius etiam quã loquatur, victũ se esse prædicat: idcirco ipse quoq; clarissimi viri Eustathii virtutib. commemorandis imparem me esse agnoscens, conticescam. *lib. 2. Epist. 245.*

S. Isidorus Pelusiota: Palinodiam, ut dici solet, cano, A scopo enim, aut, ut verius loquar, à sententia aberravi: quippe qui haud talem te invenerim, qualem cum esse crederem, laudibus afficere conabar. Hoc autem non meum crimen est, sed tuæ mutationis, quæ in pejora studia deflexit. Nam ipse quidem, quoniam laudantibus fidem habeo, & iis, qui laudantur, faveo

(pro-

(propensionem enim quandam ad bonum atq; honestum habeo.) Ideirco adductus sum ut iis, qui te laudibus extulerunt, fidem arrogarem. Cupio quippe omnes ita se gerere, ut laudem consequantur. Tu verò commutata vitæ ratione teipsum, non me coarguisti. Verum si de tua salute desperarem, non hæc scriberem. Quoniam autē optimam mutationem expecto, idcirco scribo, teque moneo, ut ad veterem virtutem teipsum referas. *lib.* 3. *Epist.* 62.

S. *Isidorus Pelusiota*: Quandoquidem mens nostra laudem præstantissimi Episcopi Hermogenis argumentum, ac rerum ab eo præclarè & ex virtute gestarum amplitudinem capere nequit, idcirco mihi velim ignoscas. Nam qui aliqua etiam duntaxat ex parte prædicandis ipsius laudibus vix par sum, quonam tandem pacto omnes ipsius laudes oratione persequi possem? *lib.* 3. *Epist.* 132.

S. *Isidorus Pelusiota*: In laudum pii Episcopi certamen descendere minimè fortasse dubitassem, nisi illud veritus fuissem, ne si ipsius virtutib. inferiorem orationem haberem, ipsius gloriam imminuerem. Quoniam autem omnis dicendi facultas argumenti magnitudini cedit, idcirco ipse quoq; silentio me haud immeritò condemnavi. Quanquam illud scio, quòd si is, cujus laudes prædicantur, à veritate testimonium habeat, veritatis possessio ex dicentis imbecillitate nihil detrimenti capit. Etenim in singulari virtutum magnitudine, non is, qui infra rerum dignitatem substitit, eum, quem laudandum suscepit, dedecore affecit, sed ipsius potius splendorem auxit: quod scilicet seipsum rerum magnitudine obrutum demonstrarit. *lib.* 3. *Epist.* 256.

S. *Isidorus Pelusiota*: Vehementer tibi mirum videri dixisti, quidnam sit causæ, quamobrem Pharisæus ob verborum arrogantiam apud Deum offenderit: Iob verò qui plura & sublimiora dixit, gloriam assecutus sit. Audi itaque breviter. neque enim aliter possem. Pharisæus ille, quia nemine concitante ac stimulante magnifica de se prædicabat, altiusq; quam universus terrarum orbis, de se sentiebat, meritò in Dei offensionem incidit: siquidem superbiæ morbo laborabat. At qui in gloria & splendore est, virtutes suas occultat, cum autem maledictis incessitur, eas, ut illatas criminationes propulset, commemorat, (quemadmodum clarus ille atq; omni laude præstantior Iobus fecit) ab omni culpa remotus est, ea nimirum in eos rejecta, qui eum accusarunt iniquè. Frigidum enim atque insulsum ut est, ita etiam videtur; laudes suas prædicare, cum nulla urget necessitas. At si quis, quæ minimè convenit, audiens in hujusmodi sermones invitus incidat, in eos, qui hanc necessitatem attulerit, culpa quoque conferri debet. Ac propterea divina sententia eum, qui nullius contumeliis incitatus, justum sese pronunciarat aliosque omnes condemnarat, ac ne præsentem quidem publicanum veritus fuerat, repudiavit: eum autem, quem necessitas ad hoc impulerat (quid enim, quod ad stimulandum ipsius animum facere posset, amici prætermiserant?) amplissimis laudibus coronavit. *lib.* 3. *Epist.* 278.

S. *Isidorus Pelusiota*: Et si, ut abs te scriptum est, oratio plausum peperit: at etiam orationi plausus robur comparavit, quippe qui parenti adminiculi loco fuerit. At quoniam sæpenumerò usu venit, ut plausus orationi quidem robur comparet, verum Oratoris mores inficiat & labefactet, ad supinitatem videlicet ac socordiam eum tanquam porrecta manu ducens, prudentiam tuam moneo, maxime quidem ut Deo, qui hujusmodi gratiam largitus est, gratiam habeas, quod si etiam laudare vis (negas enim fieri posse ac Orationi plausus tandem non rependatur) Orationem quidem arbitratu tuo laudans, ne nimias adversum me laudes contexas, ut ne me supinum atq; ignavum reddas. *lib.* 3. *Ep.* 382.

S. *Isidorus Pelusiota*: Consimili modo mihi peccare videntur, & qui ad maximas virtutes silentio veritatem produnt (livore enim hoc est, gravissimo, atque prudentum virorum judicio veniæ experte affectu contabescunt) & qui eos, qui omni commemoratione carere merentur nimis promptè ac temerè laudibus afficiunt. Siquidem adulatorum notam atque infamiam sibi inurunt, qui castigatione opus habent, laudare aggrediuntur. *libro tertio Epistola* 383.

S. *Isidorus Pelusiota*: Vehementer lætor, te gaudere narrationibus de Josepho. Nam qui castos homines ac temperantes præconiis effert, is hoc ipso ostendit, se castitatis amatorem esse. Illa enim virtutis genera maximè solemus laudare, erga quæ maximè germano ac sincero amore ducimur. *lib.* 4. *Epist.* 78.

S. *Isidorus Pelusiota*: Sapientissime vir, Qui ad gratiam laudant, & ad odium vituperant alios, non sunt in hominum numero habendi: sed illi, qui certo judicio & amant & reprehendunt. Quæ causa quoque est, cur Psalmorum scriptor virum justum prædicans, inter alia quibus excellit, etiam hoc apposuit eique tribuit: Disponet sermones suos in judicio. Sano enim judicio nihil est quod comparari queat. Hoc enim qui carent, & suis obsequuti cupiditatibus, eos quidem quos reprehendere oportebat, adulantur; eos autem qui laudari merebantur, reprehendunt, illi verò servili admodum sunt ingenio præditi; ac potius in brutarum pecudum classem meritò referendi. *lib.* 4. *Epist.* 173.

Synesius: Nihil mirum tibi sit, si quando eundem laudare ac vituperare mihi contigerit. nam non iisdem de causis utrumq; instituitur. res ipsæ laudantur ac vituperantur. *Epist.* 67.

Basilius Seleuc. Stella manifestabat inopinato natum infantem, magi relicta à tergo Babylone, fasciatum perquirebant, Simeon vociferabatur: Nunc dimittis servum tuum, Domine. Aliunde Anna vates vaticina excita gratia. Propter hos Joannes omnibus ostendebat clamitans: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Tanti sunt testes: ipse de se conticescit. Novit enim opportunum silentium in contentam vocem erumpere. Quando verò ipsum quoque deinceps tempus ad docendum vocabat, miraculis primum oculos dictorum testes excitat, & comparat, tuncque verbis adaperit thesaurum, etsi nunquam evidenter demonstret, neque sic adseveret, Ego sum filius Dei vivi: sed quomodo? Quem me dicunt homines esse. *Orat.* 25. *m.*

¶ Theologorum Latinorum.

Zeno: Idonea laus non est cui principatum adimit peræquatio. *Serm. de patientia, ante fin.*

S. *Valerianus*: Non sine injuria partis alterius est, quotiescumq; opus est vocis præconia virtutum meritis exhibere: quia cum homo meliora laudat, deteriora castigat. non enim dubiè stultus notari se æstimat, si bonorum judicio sapiens laudatus abscedat. Sed quid facturi sumus, qui non possumus nec bona sine malorum increpatione disponere, nec mala sine bonorum commemoratione damnare? Dabit ergo veniam, qui se in hoc opere injuriam æstimat accepisse. melius est enim, ut mala conscio pudore confusa discedant; tantum ut ea quæ sunt laudatione digna non lateant. *Homil.* 14. *initio.*

Chrysologus: Oratores magni, & excellentes ingenio, quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, avos, atavosque commemorant, ut ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam. Major est innata gloria, quam quæsita: præcedit quod venit ab origine, quod sequitur ex labore. gloriam beatius est habere, quam quærere: hinc est, quod Evangelista ut extollat Joannis gloriam, Zachariæ patris, Elisabeth matris genus dicit, avos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. *Serm.* 80. *m.*

Ennodius: Boni Imperatoris est, probatam in acie militis animare virtutem; ut fortitudo laudis pabulis invitata, in secundis congressibus dediscat lucis affectum. Cujus robur ducis præconio non nutritur? quibus se denegant etiam minus valida tyronis membra conflictibus, quando rectoris testimonio videt sibi non perire quod gesserit? Sola via est qua ad præliandum crescat intentio, quotiens bene gesta non delet oblivio. *lib.* 4. *Epist.* 1. *pr.*

Ennodius: Secretis debitam laudem claudo penetralibus, ne quod apud externos faciendum est, apud vos importunitate raucescat. *lib.* 4. *Epist.* 35. *m.*

Ennodius: Quod radiat luce meritorum, styli ubertate celebrandum est. Nam nec Deus respuit officium imperiti, & contentus ipse quod tribuit, à rusticantibus verborum diademata non requirit. *lib.* 3. *Epist.* 29. *m.*

Ennodius: Hæc etsi non diligis, debes tamen pro ingenii tui ostentatione laudare. Possumus credere te bonum fieri, si audiamus quæ honesta sunt prædicantem. *lib.* 8. *Epist.* 11. *f.*

Ennodius: Nolo apud te, quæ de te sentio verborum importunitate producere. *lib.* 9. *Epist.* 12. *a. m.*

Ennodius: Ne senescat claritudo operum, advocanda sunt linguarum exercitia. Quid egeris, ne vetustas tibi vindicet, obliget catena referentium, disciplinarum enim quietem vos tribuetis, per quas vobis continget æternitas: *Panegyr. Theoder. capite primo m.*

Ennodius: Amaverunt præcessores tui insciti am, quia nunquam laudanda gesserunt. *Paneg. Theod. cap.* 21. *m.*

Ennodius: Nunquam assumebat arrogantiam de labore: & cum omnia digna essent præconiis quæ gerebat, dispendium virtutis credidit fuisse laudatum. Sic totum de ejus actibus opinionis luce radiabat, ut nihil præberetur aspectui. *de B. Antonio cap.* 6.

Ennodius: Ipsas eminentissimas, ut putantur, in sæculo vana inflatione personas si quis ventoso nimium studuerit elevare præconio, aut intra gestorum terminum inopia eloqui continere, utrumque apud eas judicetur ingratum. In laudibus enim ipsis turpe est illa cudere, quæ nec ille, de quo narrantur, agnoscat: sic injuriosum, & dolore dignum putatur, illud præterire silentio, quod relatio vera possit attollere. Etenim res bene gestæ veterum nostrorum pro referentis apud nos accipiunt facultate virtutem. Nam veræ aut perit notitiæ, aut attenuatum transit ad posteros, quod ad explicandum pauper verborum vena susceperit: & illæ haud justo liberior laudatio tantum decerpit gloriæ, quantum falsitatis adjecerit. Fit vero plerumque, ut fide carens cumulus minuat probè facta multorum, & sit vana narratio, quæ crescit ex mendaciis: intempestiva & mendica nimium, quæ non pertransit ad terminum. *in Epiphanii Vita.*

Ennodius: Quædam actuum nobilitas est, dignum inveniri laude magnorum. *Dictione* 2.

Ennodius: Minor laus est docere bene, nisi opere docenda monstraveris. *Dict.* 9. *sub finem.*

Ennodius: Quando debitas beneficiis reddimus gratias, credo quod abjuramus jactantiam necessariis obsequendo. nullo enim arrogantiæ tumor honestatis velatur indumento, cum non gloriæ militant verba, sed sanguini. Aliud est enim, ut laudaris dicere,

aliud dicere, ne carparis. Ibi mens avara famæ est subjecta jactantiæ: hic servata ratione jure in locum gloriæ redigit, quod ex dictionis sudore contigerit. Justis namq; & superfluis declamationibus, & si pari favor sermone, discretis tamen mentib. exhibetur. uno quidem tyranni laudationes, & bonorum principum ore celebrantur, nec est aliqua inter ejus qui meretur præconia diversitas, & illius qui usurpat. Quod nisi gravia judicantū ingenia dicendi causas expenderent, nullum daret hæc, quæ etiam indignis contingit, acclamantium aura discrimen. Susceptarum secretā dictionum ab audientibus non examinantur lingua, sed pectore. In summa, aliud est recitantem blandè & libenter audire: aliud affectum, quo recites, approbare. *Dictionis 10. initio.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Phalaris Melitensibus: Non quod honores vestros ô Melitenses contemnerem, remisi ad vos legatum obsignatos eos ferentem. Res verò perpetratæ laudari me non patiuntur. Vos autem forsitan, qualem ipsi me videri vultis, talem & à reliquis existimari creditis. Ego verò certum habeo, apud cæteros omnes me pravum & iniquū haberi. Apud vos autem etiam probus & justus judicor, neq; sanè possum hinc istam famam in alios quoque disseminare sed multò magis propter hominum falsas opiniones vobis ero detrimento, quod pessimum, nisi ipsi quoq; tales essetis, nunquam laudibus affecissetis. Quoniam igitur & vos injuria in malitiæ vituperationem incurreretis, ego verò nihil in memetipso moderatior aut æquior putarer, suscipiendos mihi honores esse non sum arbitratus. *Ep. 117.*

Xenophon: Licet equidem sciam, non esse facile, laudationem Agesilai virtute ac gloria dignam scribere: nihilo tamen minus erit mihi hoc conandum. Non enim æquum videri possit, eum propterea, quod perfecta virtute bonitateq; præditus fuerit, nec minores meritis laudes consequi. *initio de Vita Agesilai.*

Dio Prusæus: Pluris æstimatur si dux militem mortuum laudet, pluris etiam est laus à magistratu omni quàm à plebeio. *Oratione Vigesima nona.*

Dio Prusæus: Metuo ne ipse corrumpar propter vestram suspicionem, & revera existimem in me ipso aliquid esse studio dignum. Magna enim intelligentia virtuteq; videtur opus esse, quando admirantur unum multi, ab aliisq; putant differre: si se modestè modo gesturus est vir ille, nihilq; stultum passurus, neq; animum multorum sermonibus sublaturus, tanquam alis. Quemadmodum Achillem finxit Homerus, propter arrogantiam sub armis elatum & incitatum:

Huic verò facta sunt ala, alteque levarunt.
Pastorem populi.

Quanta autem sit vulgarium hominum potentia ad persuadendum quicquid velint, maxime à pueris quis discat, quum hominem modestum pueruli sequuntur, dicētes eum mente captum esse. Primum enim abit indignans apud se: deinde resistens semper, & conviciis impetens unumquenq; & persequens illud ipsum patitur de mentis statu dejectus, Famamq, repressit Deum esse, eamq; non solum virorum, verumetiam puerorum. Videtur mihi autem & sophistarum genus hinc olim crevisse. Quum enim multi adolescentes otiosi, unum admirantur, saltantes sicuti Bacchæ circum Dionysum: planè necesse est hunc hominem brevi quodam tempore permultis aliis videri, quod dicat aliquid. Ferè enim, quemadmodum parentes infantulos loqui docent, cum gaudio excipientes quicquid dixerint: qui & ex hoc confidunt, magisq; in dies accedunt, manifestiusq; loquuntur, & tandem earum didicere vocem quibus cum cōversantur, sive Græci fuerint, sive barbari: ita & sophistas necesse est auditorum sententiam recipere, ut talia & dicant & cogitent, qualescunq; illi tandem fuerint, Sunt autem plures stolidi planè infelices. Hoc quidem fortasse haud magnum est periculum, siquis sibi atq; alius videtur eloquens esse, circumagitq; stultorum hominum multitudinem, quemadmodum Orphea ajunt & quercus & saxa & lapides; quum verò ille qui ipse stultus sit, & timidus, & libidinosus, nihilq; differat a pecudibus virtutis sibi aliquid putat convenire & probitatis, hoc vero prorsus intolerandum, & sævissimæ omnium dementiæ insaniæque est. Porrò quando quis talem deprehendat famam quandam, talisque exoriatur sermo qui inflare possit, oportet circumfusum exilire nudum in vias, omnibusq; ostendere, quod nullo sit melior. Et siquis subsequatur, discipulus esse cupiens, eum repellere cædendo & jaciendo glebis & lapidibus, ut stultum & pravum. Dico autem de omnibus. Sunt enim qui bene & utiliter negotium exequuntur, quibus oportebat libamina & thura offerre. *Orat. 35.*

Dio Prusæus: Illud sane manifestè scitis, quod neq; populum neque senatum, neq; hominem satrapam, aut dynastam aut tyrannum amare aut sermonibus colere ego queam; nisi eum apud me ipsum prius laudaverim, illiusque animi approbaverim mores. *Oratione quinquagesima.*

Dio Prusæus: Vehemens me subit admiratio, ô viri, quod aliquis neq; approbans neq; diligens quempiam, deinde surgit, & oratione eum collaudare non veretur. Quin jam quibusdam longum recitavit, summaq; diligentia compositum encomium. Fieri enim non potest, quin talis homo turpissimorum facinorum sibi conscius sit, invidiæ, pusillanimitatis: & quod postremum est, servitutis. Dicitur igitur non absurde à veteribus, servilem sermonem dixisti. Age vero quomdo non sit servus, qui coram tot simul hominibus alia, atq; sentit, facit: atque hoc non simpliciter, sed adhibita cura & apparatu, atq; adulatur sæpius homini, admiraturq; eum quem non diligit? Moderatum est enim, ita dicere. Atqui quod omnes omnia apud vos laudibus eveḥant, scitis haud dubiè. Quare ego congratulor, vosq; beatos censeo, si ita omnes à nobis amantur. Hoc enim consequens est. Vellem autem, ut sicut in senatu & concionibus multa audire licet encomia, ita liceret etiam in foro atque aliis conventibus: & quemadmodum qui se exercent, nullum locum fugiunt, ita & nos utrobiq; encomia aggrederemur. Nunc autem præter locum ejusmodi sunt dicta. Quare si quis in concionem veniat hospitum, heroum quorundam aut sapientum putabit hanc esse civitatem: si verò ingrediatur forum, putabit quale nihil dicendum est. Ipsi enim nostis.

Quid igitur, dicet quispiam, surrexisti ad objurgandum laudantes? Non ego hercle: sed ut, quantum fieri posset, non hoc in loco essemus humani, & bonorum amantes, sed similiter in omni loco & tempore. Hujus equidem laudem ita video completam a vobis, ut nullum patiatur hyperbolen. Æquum est autem & vos laudare. Videmini enim mihi multum ab omnibus populis differre. Atque ego hoc non dicerem, nisi etiam sentirem ita. Alii enim ad solam utilitatem respiciunt, atque eos qui ipsis dant, aut dare possunt, laudant. Vos autem & propensum animum atque voluntatem magni facitis. Neque ego hoc dico, quod non iste & fecerit multa & magna (fecit enim) sed quod vobis sufficerit & illius voluntas.

Præterea alii quidem minima quæ fiunt approbant, nempè quæ sumptu quodam indigent: vos autem maxima intelligitis, quatenus æquum est. Est autem omni ex parte majus, quam expensas facere, curam gerere civitatis, seq; manifestum facere quempiam quod vobis sit benevolus. Adhæc, plurimi quidem admonitores, etiamsi vel sermone id faciant, oderunt: eos autem qui cum voluptate quadam adulantur, admirabiliter approbant. Apud vos autem è diverso fit: qui maxima libertate utitur, peccantesque objurgat & refrenat, is maximè diligitur.

Quis igitur non talem diligat civitatem & rempublicam, in qua honores pluris æstimantur, quam publicæ erogationes: qui cum benevolentia admonet, plus amatur quam qui cum adulatione cōcionatur? Multi autem propensiores sunt ad moderandum & corrigendum alios, quam ad colendum & tractandum delicatè. Aut quis non vos obstupescat, atq; istum beatum censeat, quod ob hujusmodi judicatus sit vestro dignus magistratu? Atq; equidem magnum illi certamen erga vos initum esse cerno. Cui enim tota civitas atq; populus voluntariè permisit ut ipsum erudiat, & quem præfectum delegit communis virtutis, cuiq; maximum dedit magistratum modestiæ & disciplinæ, ut videat qui honestè vivat unusquisque, quomodo non huic magnum propositum sit certamen, ut nulla in re inferior appareat vestra opinione? Considera tu verò ipse, ut scias neminem veterum, neq; eorum qui semper habiti sunt in admiratione, tantum à suis civibus honorem adeptum esse. Pericles enim ille, quem audimus apud Athenienses fuisse, quum civitas adhuc floreret, exercitui quidem præfectus est: at non dignus existimatus, qui semper gereret magistratum, præsertim eum qui non in argenti administratione, neq; in ædificiorum cura consisteret, sed in eo ut boni essent cives, & admoneret si vellet delinquētes, pro sua virili faceret meliores. Quippe non attulissent eum illius seculi homines, propter suam ipsorum contumaciam.

Quanto igitur vos, qui ipsos traditis in disciplinam, jubetisq; erudire, meliores estis iis, qui etiam si quis à se ipso hoc propensus sit facere, indignantur, & non solum non honorant, verum etiam interficiunt accusantē, quemadmodū illi Socratem? Quod igitur aut hujus aut vestrum honestius encomium quis dicat? Qui postquā sensistis hunc ephebos & adolescentes reddidisse meliores, statim putatis & vos meliores facere posse? Atq; hercle sanè, non ephebis tantum opus est eruditione & virtute, adultis autem non, & toti civitati: quēadmodum si quis medicus pueris quidem & adolescentulis existimet opus esse medicina, viris autem non.

Quin etiam magnanimitas vestra ad conferendos honores, quomodo non admirandæ sit civitatis? Cui enim honestorum virorum non propensum animum exhibuistis? Cui non imagines? Cui non statuas? Nonne privatim quisq; eos data dextera excepistis? Aut quis non delectetur, quum talia fiant? Aut quis non promptus sit, pro virili bene vobis facere? Proinde equidem puto, me quoq; istius laudem, ut potui, dixisse. Encomium enim illorum qui quem approbant, honorantq;, constat & illius honestissimam esse laudem. *Orat. 52.*

Lucianus: Ego Luciane, inquit mulier, alias quidem magnam erga me perspexi tuam benevolentiam, & honorem ex libro à te cōscripto. Non enim me tantis laudibus eveheres, nisi cum benevolētia hoc scriberes. Ego verò, ne nō scias, hoc sum animo. Non temerè assentatorib. delector, at qui sunt hujusmodi, mihi videntur esse prestigiatores, & minimè libero ingenio. Cæterùm inter laudes, maximè quando quis molestis, & immoderatis amplificationibus me extollit, erubesco, & ferè aures obturo idque subsannationi potius, quam laudi simile existimo. Nam tolerabiles eatenus sunt laudes, quatenus is qui laudatur, singula quæ dicuntur, inesse sibi cognoscit. Sed quicquid præter hoc additur, alienum est, & manifesta assenta-

assentatio. Atqui permultos novi, inquit, qui gaudent, siquis eos laudando, etiam quæ non habent, orationi adjecerit: puta, si senes ob ætatis vigorem beatos prædicarit: aut deformibus, Nirei vel Phaonis formam tribuerit. Putant enim suas formas à laudibus immutatum iri, & fore ut denuo repubescant, ut de se Pelias putavit. Sed non ita se res habet.

Laus enim magni æstimaretur, si re ipsa, hujusmodi hyperboles beneficio, frui possemus. Nunc verò mihi videntur illi hoc modo affecti, quo deformis aliquis qui apposita sibi formosa larva, pulchritudine superbiret, quam quivis tollere, & atterere potest: unde magis diridiculo esset, nativa facie detecta, quam ascitia forma occultaverat. Aut per Jovem, quo pusillus aliquis, qui cothurnis indutis, de proceritate contenderet cum iis qui ex planitie toto cubito essent proceriores. Nam & hujusmodi cujuspiam mentionem faciebat. Ajebat viri illustris uxorem, alias quidem pulchram & honestam, sed pusillam, & cui multum de justa statura deesset, à quodam poeta carmine laudari, quod inter cætera, cum formosa, tum procera esset: cujus longitudinem populo comparabat. Illam vero laude ista lætari, quasi ad modulos crescceret, & manum concutere. Poetam autem idem sæpe canere, cum hac laude delectari videret. Donec aliquis ex præsentibus ad aurem admotus ipsi dixit, Heus tu desine, ne mulierem surgere facias.

Dicebat etiam Stratonicen Seleuci uxorem, assimile quiddam, sed longè magis ridiculũ fecisse. Eam poetis pro talento certamen proposuisse, quicunq; suam comam melius laudaret, quãquam calva erat, & ne paucos quidem crines habebat. Attamen sic affecto capite, cui ex longo morbo id accidisse omnes norant, execrandos illos poetas audiebat, qui capillos ejus Hyacinthinos dicebant, & crispos quosdam cincinnos nectebant, & apio, quanvis nulli prorsus essent, comparabant. Tales igitur omnes deridebant, qui se assentatoribus traderent. Addebat etiam non solum in laudibus, sed etiam in picturis plerosq; assentationem captare, & decipi velle: qui illis potissimum, inquit, pictoribus gaudent, à quibus formosiores effingantur. Esse quoque nonnullos qui artificibus injungunt, ut aliquid nari detrahant, aut nigriores oculos pingant, aut aliquid aliud, quod inesse sibi cupiverint. Deinde eos nescire se alienas imagines coronare, & sibi nullatenus similes.

Hæc & ejusmodi dicebat, alia quidem quæ tuo libro mandaras collaudans, sed hoc unum non ferens quod eam cum Deabus Junone & Venere comparaveris. Nam hæc me, inquit, imò humanam omnem naturam superant. Cæterum ne illud quidem optavi, ut Heroinis illis, Penelope, Arete, & Theanoni, nedum præstantissimis Deabus comparares. Etenim Deos metuo vehementer & expavesco. Quare vereor ne ut Cassiopea laudem illam expetivisse videar: quanquam illa cum Nereidibus contendebat, Junonem autem & Venerem venerabatur. Quocirca Luciane, jussit ut ista corrigas aliquis se testaturam Deas, hæc à te se invita scripta esse: scias verò tu, molestum sibi esse libellum illum qui sic ambulat, ut à te non admodum piè, nec sanctè de Diis est compositus. Existimabat etiam fore ut impium facinus commisisse videretur, si pateretur se similem dici Cnidiæ & Hortensi Veneri. Præterea tibi in memoriam revocabat ea quæ sub libri finem de ipsa dixisti, modestam vocans, & fastus expertem, quæ supra modum humanum sese non efferat, sed terræ proxima volet.

At tu his dictis, mulierem supra cœlum ipsum extollis, ita ut cum Deabus compares. A te etiam postulabat, ne Alexandro imprudentiorem se putares, qui architecto pollicente se totum Atho transformaturum, & ad ejus simulachrum accommodaturum, ita ut totus mons Regis imago fieret, duas urbes manibus tenentis, prodigiosam pollicitationem non admisit, sed ausum illud majus ipso ratus, compescuit hominem non credibiles Colossos effingentem: jussitq; ut suo loco intactum Atho relinqueret, neq; montem adeo magnum ad corporis exigui similitudinem imminueret. Alexandrum autem magnanimitatis nomine laudabat, eumq; sibi hoc facto statuam Atho majorem dicebat erexisse in animis hominum, qui ejus rei semper memores essent futuri. Non enim abjecti esse animi honorem adeò incredibilem contemnere. Quare se tuum figmentum laudare, & Imaginum commentum: sed similitudinem non agnoscere: non enim tantis ac talibus esse dignam, ne propè quidem: ac neque mulierem ullam, quamcunque tandem aliam. Itaque tibi honorem hunc remittit, tuaque archetypa adorat. Tu verò, humanis laudibus ipsa in decora: nec pede major sit calceus, ne illo, inquit mihi inambulanti os obturet: Illud etiam tibi dicendum dedit in mandatis. Multos, inquit, dicentes audio: quod verum-ne sit vos viri scitis, Ne Olympicis quidem victoribus licere statuas corporibus majores erigere, sed Hellanodicis curæ esse, ut unus quidem veritatem excedat, & statuarum examen, athletarum admissione fieri accuratius. Itaq; vide, ne ementitæ mensuræ accusemur: ac deinde nostram imaginem subvertant Hellanodicæ. Hæc quidem illa dicebat. Tu verò perspice Luciane, quomodo librum hunc transformes, atq; talia demas, nec in numen pecces, velut illa gravissimè hæc ferebat, interque legendum subhorrescebat, ac Deas ut sibi essent propitiæ, rogabat. At certè illi ignoscendum, quòd animo fuit muliebri.

Atqui, ut verum dicam, etiam mihi ipsi tale quid dicere visa est. Ac primum quidem audiens, dum scripta intueor, delictum non animadverti: sed postquam illa mihi indicavit, ipse etiam similia de jis sentire cœpi. Ac mihi simile quid accidit, quod in iis quæ intuemur usuvenit. Siquid proximè sub oculis constitutum contemplemur, id nequaquam exquisitè dignoscimus. At si justo intervallo distantes intueamur, omnia liquidiùs apparent, quæ bene, quæque secus se habent. Ergo hanc, cum sit homo, Veneri, & Junoni assimilare, quid aliud est quam Deas ex professo extenuare? siquidem in ejusmodi comparationibus, non tam quod parvum est collatione crescit, quam quod majus, imminuitur, dum ad id quod humilius est, pertrahitur. Exempli gratia, si duo simul incederent, alter prægrandis, alter pumilio, deinde ipsos adæquare oporteret, ne alter alterum statura superaret, nequaquam breviore semet quantumvis extendente hoc fieret, etiamsi sese in summos pedes maximè erigeret. At si statura pares videri debeant, major ille caput demittet, ac se humiliorem reddet. Similiter & in id genus imaginibus, non tam major fit homo, si cum Deo comparetur, quam necesse est imminui Deum, ad id quod est inferius, reflexum. Et siquidem terrestriũ penuria, orationem ad cœlestia extenderes, minus vitio verteretur, quod per impietatem hoc fecisses.

At tu quanvis tam eximias mulierum formas haberes, cum Venere, & Junone ausus es ipsam comparare, cum nihil opus esset. Quare hoc nimium atque invidiosum demas Luciane. Neq; enim hoc tui est moris, qui ad laudandũ alioqui non eras facilis ac promptus. At nunc nescio quo pacto derepente mutatus es, hoc abunde faciens: & qui laudum hactenus fuisti parcissimus, earundem evasisti prodigus. At ne te pudeat jam editam orationem retractare: quandoquidem & à Phidia sic factum fuisse dicunt: quum apud Eleos Jovem construxit. Stabat enim ille post fores, ubi primum opus expansum ostendit, unde eos qui vel reprehenderẽt, vel laudarẽt quippiã exaudiebat. Cæterum alius nasum, utpote crassiorem, alius faciem, utpote longiorem, alius aliud reprehendebat. Deinde tum discessissent spectatores, intus inclusus Phidias denuo effigiem corrigebat, & ad vulgi sententiam accommodabat: siquidem populi tam numerosi consilium non leve censebat, imo necesse esse ut plus viderent multi quam unus, etsi Phidias foret. Hæc ab illa tibi affero, eademq; ipse te moneo, qui tui amicus sum & studiosus.

Luc. Hactenus Polystrate te tantum rhetorem esse ignoraveram. Itaque orationem ita prolixam, accusationem ita gravem adversus meum libellum protulisti, ut mihi nulla spes defensionis amplius supersit. Verumenimvero non ex judiciario more feciſtis, in primis vero tu, quum indicta causa librum condemnasti, cui deerat patronus. Facillimum autem illud est, ut opinor, juxta paræmiã, Solum currentem vincere. Itaq; nihil mirum, si victi fuimus, neq; effusa nobis aqua, neq; respondendi facultate concessa. Quin potius illud est omnium absurdissimum, quod ipsi & accusatores, & judices eratis. Utrum ergo vis, si eam decretis acquiescens, an juxta Himeræum illum poetam, retractationem conscribam? aut mihi copiam facitis provocandi ad aliud judicium?

Pol. Sanè per Jovem, siquid justi habes quod dicas. Non enim contra adversarios, ut dicis, sed apud amicos defensionem suscipies. Ego vero in hac causa tuis à partibus stare sum paratus.

Luc. At molestum illud Polystrate, quod ea non præsente verba faciam. Id enim longe foret satius. Nunc vero mihi jusso respondere necesse est. Sed si talis apud illam internuncius mihi fueris, qualis illius apud me fuisti, aleam jacere audebo.

Pol. Quod ad hoc attinet, confide Luciane, fore ut me tuæ defensionis actorem non malum habeas, si paucis dicere coneris, quò facilius omnia recorder.

Luc. Atqui longissima oratione mihi opus erat, adversus accusationem adeò vehementem: tamen in tui gratiam, defensionem præsecabo. Itaque hæc illi meo nomine renuncia.

Pol. Nequaquam Luciane: sed tanquam illa præsente orationem habeto. Deinde apud ipsam te imitabor.

Luc. Proinde, quãdo ita tibi videtur Polystrate: illa quidem præsto est, eaq; dixit videlicet, quæ tu ipsius nomine mihi renunciasti. Nobis autem exordienda est secunda oratio. Atqui, non verebor enim tibi dicere quod mihi accidit, nescio quomodo rem hanc mihi magis metuendam reddidisti: & ut vides, jam sudo, & metuo, eamq; tantum non videre puto, quæ res multum me perturbavit. Incipiam tamen: cum ea jam præsente nulla sit fugiendi facultas.

Pol. At, per Jovem magnam vultu præ se fert benevolentiam, viden' ut est hilaris, & mansueta. Quare orationem confidenter aggredere.

Luc. Ego te fœminarum præstantissima, magna immodicaque laude prosequutus, non video factum esse ut te tantum laudaverim, quantum ipsa hoc de te encomium protulisti, dum honorem qui numini tribuitur magni facis. Istud enim, omnium quæ de te dixi, ferme est maximum. Ac veniam deprecor, quod etiam hanc imaginem tibi non ascripsi, quæ me per ignorantiam latebat: non enim aliam ante ipsam delineassem. Itaque ista ratione quidem, nedum laudando nimius fui, sed longè inferiora quam pro dignitate dixisse mihi videor. Igitur considera quantum sit illud quod prætermisi, quam insigniter magnum ad demonstrationem bonorum morum, & recti judicii: quod quicunq; numen non perfunctorie colunt, etiã humanis in reb. optimi sint. Quocirca si omnis oratio esset retexẽda, & emendandum simulachrum, ex ea nihil auferre auderem, imò & hoc adderem tanquã totius operis caput & verticẽ. Quo nomine me tibi magnam gratiam debere confiteor. Cum enim animi tui moderationẽ laudarim, & quod nihil sublime, nihil fastu plenũ tibi indidit præsens rerũ amplitudo, tu his in oratione mea reprehẽsis, lau-

dum veritati fidem attuliſti. Nam quod laudes iſtiuſmodi non præripis, ſed earum te pudet, majoreſq; dicis quam ut tibi conveniant, modeſti & popularis animi eſt argumentum. At quanto magis erga laudes ita affecto es animo, tantò ſummis laudibus digniorem te reddis. Etq; res in Diogenis ſententiam ferme tibi cecidit. Qui interrogante quopiam quo pacto quis gloriam cõſequi poſſet: ſi gloriam inquit contempſerit. Ipſe etiam dicerem, ſiquis me interrogaret, quinam potiſſimum laude digni ſint, quicunq; laudari nolunt. At hæc aliena fortè ſunt, & extra rem. Verùm de quo inſtituenda mihi defenſio, illud eſt, quod te cum Cnidia, & hortẽſi Venere, cum Junone, & Minerva, formam tuam effingendo; comparavi. Ea ne modum excedere, & pede latiora tibi viſa ſunt? De his ipſis igitur dicam: quanquam vetus eſt hoc verbum, rationibus reddendis non eſſe obnoxios poetas & pictores: puto etiam laudatores, eoq; magis, ſi humi & greſſim, ut nos, at non præter modum ferantur. Laus enim res eſt libera. Neq; modum ullum ad magnitudinem, aut brevitatem, ipſi leges præſcripſere. Sed illud tantum ex omnibus reſpicit, quomodo ſummè admirabitur, & inſignem faciet eum quem laudet.

At ego viam hanc non ingrediar, ne id inopia conſilii facere tibi videar. Illud verò dico, ejuſmodi nobis eſſe laudativarum orationũ occaſiones, quomodo imaginibus & comparationibus laudatorem uti oporteat. Et ferme in hoc ſita eſt bene effingendi ſumma. Illud verò rectè effictum, ſic potiſſimum judicabitur, Non ſiquis cum ſimilibus comparaverit, neq; ſi cum eo quod vilius eſt compoſuerit, ſed ſi quod laudatur, ad excellentioris archetypum, quoad fieri poteſt, extulerit. Exempli gratia, ſiquis canem laudando, diceret eſſe vulpe aut fele majorem, nunquid illi laudandi rationem tibi videtur noſſe? Non utiq; dixeris. Sed neq; ſi lupo parem eſſe diceret, neque ſic magnificè laudaret. Sed ubi tandem quod laudis eſt proprium, abſolvitur? Si canis dicatur magnitudine & robore, leoni eſſe ſimilis, ut Orionis canem laudans poeta, leonis domitorem appellat. Nam hæc utiq; canis perfecta laus eſt. Rurſus ſiquis Milonem Crotoniaten, aut Glaucum Caryſtium, aut Polydamantem laudare volens, eorum unumquemq; muliere robuſtiorem eſſe diceret, nonne deridendum putares ob inſulſam laudationem, ſiquidem etſi cum viro aliquo præſtantiorem dixiſſet, neq; hoc ad laudem ſuffeciſſet? At quomodo celebris poeta Glaucum laudavit? non dixit Pollucem manus adverſarias cum ipſo conſeruiſſe: neq; ferreum Alcmenæ filium. Vides qualibus Diis ipſum aſſimilarit? quin potius ipſis imaginibus expreſſit. Et neq; Glaucus indignatus eſt quod cum inſpectoribus athletarum Diis collatus laudaretur, neque illi ulti ſunt vel Glaucum, vel poetam, prout in laude impium: ſed ambo celebres, & in honore apud Græcos fuerunt: ille roboris nomine Glaucus: poeta vero & rerum aliarum, in primis vero carminis hujus ratione. Nec verò mireris, ſi & ipſe cum effigiem fingere vellem: altiori, quod laudanti erat neceſſarium, uſus ſum exemplari, ratione id ſubjiciente.

Quandoquidem autem adulationis mentionem feciſti, quod aſſentatores odiſti, laudo te, nec aliter fieri conveniebat. Sed enim volo tibi laudatoris opus, & adulatoris nimietatem diſcernere, & definire. Itaq; aſſentator utpote proprii compendii cauſa laudans, nulla veritatis ratione habita, omnia ſupra modum laudanda putat: multa mentiens, deq; ſuo addens, adeo ut Therſiten Achille formoſiorem facere, & Neſtorem eorum qui ad Ilium militarunt natu minimum dicere non vereatur.

Quinetiam jurare auſit Crœſi filium auditus acumine Melampodem antecellere, Iphnea verò viſu Lynceũ, dummodo lucri aliquid ex mendacio ſe capturum ſperet. Porrò laudator, mentiri nolit, aut aliquid ex iis quæ neutiquam inſunt, addere: ſed quæ bona habet à natura, quanvis non ſint admodum magna, per comparationem auget & majora oſtendit. Et dicere auſit laudando equum, natura levẽ, ut ea ſcimus eſſe animantia, & curſu velocem, Ille per intactæ ſegetis; vel ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas. Rurſus non dubitaret dicere, Procellipedum curſum equorum.

Quinetiam ſi domum eximiam, & optimè extructam laudet, dixerit. Talis & intus erat magni Iovis aula ſuprema. At hunc verſiculum aſſentator, etiam de ſubulci tugurio id diceret, ſi modo aliquid à ſubulco accepturum ſe ſperaret. Veluti Cynæthus Demetrii illius Poliorcetæ aſſentator, abſumptis omnibus aſſentandi rationibus, Demetrium tuſſi vexatum laudabat quod ſcitè ſpueret, & excrearet. Non ſolum autem hac nota à ſe invicem diſcernuntur ambo, quod non dubitẽt aſſentatores mentiri in eorum qui laudantur, gratiam. Laudatores verò dotes quæ inſunt, extollere conantur. Sed hac re invicem differunt, quod aſſentatores, quoad fieri poteſt, Hyperbolis utuntur: laudatores in iis ſibi temperant, & intra terminos manent.

En tibi ex multis pauca aſſentationis, & veræ laudis indicia: ne laudatores omnes ſuſpiceris, ſed utrumq; diſcernas, & propria menſura metiaris. Age itaq; ſi videtur, ea quæ à me dicta ſunt ad utriuſq; canonem expende, ut intelligas huic-ne an illi ſint ſimilia. Nam ſi deformem aliquam Cnidio ſimulachro ſimilem dixiſſem, revera præſtigiator, & Cynætho adulantior exiſtimarer. Sed ſi dixi eam, quæ talis eſt, qualem norunt omnes, non admodum longo intervallo diſtabat auſum.

At dices fortaſſe, aut potius jam dixiſti: pulchritudinem quidem laudare tibi liceat. Sed enim immunem ab invidia laudem tribuere conveniebat: non autem Deabus hominem me comparare. Ego vero, jam enim adducar ut verum eloquar, te ô præſtantiſſima, neque quam cum Deabus comparavi, ſed cum eximiorum artificum operibus, ex lapide, ære, aut ebore confectis. At quæ ab hominibus ſunt facta, cum hominibus comparare non puto impium, niſi Minervam illud eſſe exiſtimaſti, quod Phidias effinxit, aut cœleſtem Venerem illud, quod non multis abhinc annis Praxiteles Cnidi fecit. At vide ne indecorum ſit talia de Diis ſentire: quorum imagines veras nulla humana induſtria imitatione aſſequi poteſt, ut ſentio. Quod ſi etiã te illis aſſimilaſſem, meum hoc non eſſet: neq; primus hanc viam aperui, ſed multi, & eximii poetæ, cum primis verò Homerus civis tuus, quem mihi patrocinaturũ proferam: aut fieri non poteſt, quin mecum vincatur. Quare ipſum interrogabo, aut te potius illius loco. Etenim memoriæ mandas, quod præclarè facis, elegantiſſima carminum ejus, quid tibi videtur illud ubi de captiva Briſeide ſic loquitur, aureæ Veneri ſimilis Patroclum lugebat. Deinde paulò pòſt ac ſi non ſufficeret, ſi ſoli Veneri ſimilis eſſet, addit, Sic itaq; eſt mulier lachrymans effata Deabus Conſimilis. Ergo cum talia dicat, illumne odiſti, & librum projicis, an illi libertatem in laudando permittis? At non des, tamen tanta ſæculorum ſeries ipſi conceſſit. Ac nemo inventus eſt qui hujus rei illum arguerit, neq; qui Imaginem ejus flagris cædere auſus ſit, neq; qui obeliſcis adſcriptis nothos verſus notarit. An licebit illi mulierem barbaram, idq; plorantem, aureæ Veneri comparare?

Ego verò ut pulchritudinem taceam, quoniam audire non ſuſtines, Dearum imaginibus non comparaverim mulierem hilarem, & ſæpe ridentem? Quod homines Diis ſimile habent. In laudando autem Agamemnone, vide quantum Diis pepercerit, & quam accommodate Imagines deprompſerit, ut illum oculis & capite Jovi ſimilem eſſe dicit, balteo Marti, pectore Neptuno, membratim dividens hominem ad tantorum Deorum imagines collatum. Rurſus hunc homicidæ Marti ſimilem eſſe ait, & alium alii. Deiformem Phrygem illum Priami filium, Deo ſimilem ſæpe Achilleum. At rurſus ad muliebria exempla redeo. Ipſum enim audis dicentem, Dianæ ſimilis, vel aureæ Veneri, Item, qualis Diana it per montem. Nec ſolum homines Diis aſſimilat, ſed etiam Euphorbi comam Gratiis aſſimilavit, idq; ſanguine imbutam. Denique tam multa ſunt id genus, ut nulla poeſeos ejus pars non ſit divinis Imaginibus exornata. Quocirca aut illa deleantur, aut ſimilia audere nobis liceat. Adeò verò liberum eſt quod Imaginibus, & ſimilitudinibus illuſtratur, ut Dearũ etiam laudes à rebus inferioribus promere Homerus non dubitarit. Itaque Junonis oculos bovinis aſſimilavit: alius quiſpiam Veneris palpebras violis ſimiles dixit. Ecquis, etiam eorum qui in Homerica poeſi minimum ſunt verſati, roſeis digitis Auroram ignorat?

Atqui mediocria ſunt quæ ad formam pertinent, ſiquis Deo ſimilis dicatur. Verum quo ſunt numero, qui Deorum appellationes imitati ſunt; Dionyſii, Hephæſtiones, Zenones, Poſidonii, Hermæi, agnominati. Latona quoq; fuit quædam Evagoræ Cypriorum regis uxor. Nec tamen indignata eſt Dea, quæ non ſecus ac Nioben, poterat eam in lapidem convertere. Omitto Ægyptios, qui quanvis mortalium omnium ſint ſuperſtitioſiſſimi: divinis tamen nominibus ad ſatietatem utuntur. Itaq; penè omnia è cœlo illis deſumpta ſunt. Quare nihil eſt quod ob laudem hanc pertimeſcas. Nam ſiquid in Deum hoc libello eſt peccatum, à culpa es immunis, niſi & in audiendo culpam eſſe putes. At me ulciſcentur Dii, quandoquidem Homerum, alioſque poetas ante me ulti ſunt, At Philoſophorum præſtantiſſimum, qui hominem Dei imaginem eſſe dixit, necdum puniverunt. Quanquam autem multa adhuc habeo tibi dicenda, hujus tamen Polyſtrati gratia finem faciam, ut dicta recordari poſſit.

Pol. Haud ſcio, Luciane, num id adhuc poſſim. Nã longa fuit tua oratio, & effuſam aquam prætergreſſa. Eorum tamen conabor meminiſſe. Et ut vides, hæc adipſam obturatis auribus jam deferre propero, nequid interlabatur quod eorum ordinem confundat, deinde mihi à ſpectatoribus exibilari contingat.

Luc. Iſtud ſanè tibi curæ erit Polyſtrate, ut perſonam optimè agas. Cæterùm ego quandoquidem fabulam tibi ſemel tradidi, nunc e medio diſcedam. Poſtea verò pronunciatis judicum ſuffragiis, iterum adero, viſurus quem finem hoc certamen habiturum ſit. *Pro imaginibus.*

Epictetus: Agrippinus ob hoc laude dignus eſt, quod cum vir eſſet præſtantiſſimus, nunquam ipſe ſeſe laudavit: ſed & cum ab alio laudabatur, erubeſcebat. *apud Stobæum.*

Arrianus: Cum aliquem angi video, dico: Quid iſte ſibi vult? Niſi aliquid earum rerum quæ penes ipſum non ſunt, vellet, non augeretur. Quapropter citharœdus, etiam cum ſolus cantat, non angitur. Neq; enim tantum bene cantare vult, ſed laudari etiam: id quod jam penes ipſum non eſt. Ergo ubi ſcientia præditus eſt, ibi fiduciam quoq; habet. Quemvis imperitum artis adducito, non curabit eum ubi autem rem neq; novit, neq; meditatus eſt, ibi angitur. Quid vero iſtud eſt? An neſcit quid ſit populus? aut cujuſmodi ſit laus popularis? Atqui & infima ferire didicit, & ſummam chordam. Laus autem profecta à multitudine quæ ſit, & quam in vita vim habeat, neq; ſcit, neq; cogitavit. Ergo neceſſe eſt eum & contremiſcere, & expalleſcere. *cap. 13. lib. 2. Epict.*

Arrianus: Miſer, iſthæc ipſa diſcis tremens; & anxius es ne quis tẽ contemnat: ſciſcitaris, ne quis aliquid de te dicat. Quod ſi quis tibi dixerit, orta diſputatione de præſtantiſſimo philoſopho, quendam dixiſſe, unum illum eſſe te; animula tua, quæ antea digiti longitudine erat, nunc duos cubitos excedit. Si quis autem alius dicat, Nihil

agis,

agis, non eſt operæ prēcium illum audire: quid enim ſcit? ſtatim velut attonitus aſtas, palles, vociferaris; Ego ei demonſtrabo qui vir ſim, quātus philoſophus. Ex his ipſis cernitur, quidvis per alia demonſtrari? *cap. 2. lib. 3. Epict.*

Arrianus: Cur orator quamvis ſciāt ſe recte ſcripſiſſe: quæ ſcripſerit memoriæ ſe mandaſſe, & ſuavitatem vocis adhibuiſſe: tamen adhuc æſtuat? Quia non contentus eſt exercitatione. Quid ergo vult? laudari ab iis qui adſunt. Ad facultatem igitur declamando exercitatus eſt, ad laudationem autem & vituperationem non eſt exercitatus. Quando enim ē quoquam audivit, quid ſit laus aut vituperatio? quæ ſit utriuſque rei natura? quæ laudes expetendæ ſint? Quæ vituperationes fugiendæ? Quando autem in ea ſe declamatione exercuit, quæ ſit his rationibus conſentanea? Quid ergo adhuc miraris, ſi ubi didicit, ibi vulgo antecellit: ubi autem ſe non exercuit, ibi nullam præ plebe prærogativā habet? Sic citharœdus novit pulſare citharam, bene cantat, ornatu inſigni eſt amictus, & tamen theatrum ingrediens tremit. Nam illa quidem novit: populus autem quid ſit, non novit, aut populi clamor ac derisio. Imo ipſum æſtuare quid ſit, ignorat utrum noſtrum opus ſit, an alienum, ſedari poſſit, nec ne. Quapropter, cum laudatur, inflatus exit. Ubi autem deriſus eſt, inflatiuncula illa compungitur & ſubſidit. Tale quiddam & nobis accidit. Quas res admiramur? externas. Et dubitamus qui fiat, ut timeamus? ut æſtuamus *cap. 16. lib. 2. Epict.*

Arrianus: Nonne dudum quendam contra animi tui ſententiā laudaſti? non adulabaris ſenatori illi. Velles nō tuos liberos eſſe tales? abſit. Qua igitur gratia laudabas & colebas? Ingenioſus eſt adoleſcens & audiendi cupidus. Unde iſtud? me admiratur. Veram cauſam attuliſti. Quid vero putas? nonne iſti ipſi clanculum te contemnunt. Cum enim homo nullius honeſtæ vel actionis vel cogitationis conſcius, Philoſophum invenerit, qui dicat Magno es ingenio, ſimplex & candidus, quid eum dicere putas, niſi, Quanam iſte in re opera mea eget? *cap. 23. lib. 3. Epict.*

Simplicius: Multæ ſunt cauſæ, cur ab hominibus laudari nos cupiamus: nam alii facinoribus ſuis commemorandis gloriam venātur; alii ob eloquentiam, alii ut doctores officiorum, alii propter frugalitatem celebrari volunt; inepte tamen: dummodo cogitet, frugalitatem celebrari volunt; inepte tamen: dummodo cogitet, quanto ſint mendici nobis frugaliores, quantoque tolerantiores. Et ut hoc habeamus aliqua laude dignum; quot alia bona non habemus, quibus alii ſunt præditi? *ad cap. 70. Epict.*

Ariſtides Sophiſta: Ego vero nec tempus ullum ſatis longum duco, nec orationem nullam video quæ Regi poſſit eſſe digna, eumque ſatis laudare. nec tamen ideo debemus torpeſcere. Cum enim in ſacrificiis non ad Deorum dignitatem reſpiciamus, ſed pro noſtris facultatibus gratiam illis referamus; multo minus in rege laudando debemus eſſe meticuloſi, ſed animose ad ipſum laudandum accedere. quamvis enim minor quam pro ipſo, non tamen erit noſtris viribus inferior oratio. *In M. Aurel. Ant. Philoſophum Aug.*

Ariſtides Rhetor: Quoniam vero æqualem Urbi orationem vovere non licuit (alioqui rurſus alio & majore fortaſſis voto fuiſſet opus, ut orationem in tantam ſublimitatem, quanta eſt urbis moles, efferre poſſemus) eas tamen laudes, quæ viribus noſtris convenirent, polliciti ſumus: quando & alii quæ ſibi ſunt æqualia, etiam Deis æqualia ſolent ponere. Vos itaque magnæ urbis cives, ſi quid vobis, ne votum fallamus curæ eſt, conatum adjuvate; ut hoc etiā dicere poſſimus, in tales primum viros nos ſtatim incidiſſe, à quibus aliquis (quamvis ineptus ante ſit) cum Euripide, dexter continuo concinnuſque reddatur, ac poſſit etiam viribus majora dicendo tractare: Urbē deinde cum celebrent atque celebraturi ſint omnes, hoc tamen minus quam quitacent efficere, quod ſilentio quidem nec major illa nec minor quam ſit reddatur, ſed integra cognitioni maneat: orationes vero contrarium propoſito ſortiantur effectum; quandoquidem non poſſint exactè id quod admirantur verbis exprimere. Quin ut ſi pictor pulcrum corpus & ſpectabile depingere aggreſſus, poſt in opere peccet, præſtare utique nihil pingere, vel ipſum corpus præbere ſpectandum, quam id male expreſſum proponere, quivis dicat: ita & urbi huic contigit, ut ei multa quæ miranda ſunt orationes detrahant, & perinde faciant propemodum, ac ſi quis exercitum alicujus, ut Xerxis, numerum magna cum admiratione enūncians, decem deinde vel viginti militum millia, & equites aliquot ſe vidiſſe dicat, qui vix milleſimam totius rei, quam admiratur, partem expleant. *Encomio Romæ.*

Ariſtides Rhetor: Sicut Homerus laudans dixit: [Ante fugit fortis, fugat autem fortior ipſum: & rurſus, Optimus eſſe virum longe Telamonius Ajax, Donec Pelidem, qui fortior, ira domabat. & validi fuerant, validis & cominus ibant. & alibi, Monticoliſque feris cædem patrare parati:] ita nos quoq; in laudando nos gerere convenit, actum quem volumus, quique meritus ſit, prædicare, tum neminem immeritò traducere, neque contractum cum aliis odium fidei apud alios occaſionem fore credere, ſed ita nos jam facere, ac ſi quis, amicis communibus in convivio pugnantibus, cum neutris velit ſe jungere quamvis injuriam pati videantur, verum autores rixæ ſedare, quantumque poſſit, in gratiam redigere conetur.

Ariſtides Rhetor: Soli porrō Urbi Athenarum duo hæc evenerunt contraria: quod cum plurima de ipſa & præclariſſima homines dixerint, minimas tamen omnium laudes ſit conſecuta. Ut enim præter ceteras admirationi fuit, ita nihil de ſe pro dignitate dici audivit. ita cum prius mirarer audire me ſapientiæ curiam, & Græciæ Larem atque columem, & ſimilia, quæ de urbe canebantur, nunc mihi ea minora videntur omnia. quin ſi civitas ulla Deorum miniſtra & cognata, vel humanæ naturæ ſimulacrum vocari debet, hæc id nominis jure obtinebit. *ſub. finem Panathenaicæ.*

Philoſtratus: Promptior eſt humana natura ad ea laudanda, quæ efficere ipſe non poteſt. *lib. 8. Appollonij. cap. 3.*

Philoſtratus: Si Plauſu ſtolido delectaris, & Cyconiæ accedentes ad nos plaudunt tanto ſapientiorem ac moderatiorem gentem illarum exiſtima populo Athenienſium, quod pro ſuis plauſibus nihil mercedis petunt. *Epiſtola 4. ad Epictetum.*

Philoſtratus: Qui initiati ſunt ſacris Rheæ, audito organorum ſono furore corripiuntur. Sed illa quidem Cymbalis & fiſtula efficiuntur. Te vero ſic terrent Athenienſes cum plauſus edunt, ut obliviſcaris quis ſis aut quibus parentibus ortus. *Epiſtola 15. ad Epictetum.*

Libanius Baſilio: Nunc tandem eum eſſe me cenſeo, quem vulgo dicunt. Nam cum Baſilius mihi laudem tribuerit, adverſus omnes manifeſtæ ſigna victoriæ teneo: & quoniam tuum calculum accepi, licet mihi jam elatis greſſibus ſuperbiſq; veſtigia ferre, proinde ac oſtentator aliquis omnes per me nihil faciens

Libanius: Eis qui magnos jure ſpiritus ducunt, laudes non tam ab ipſimet ſumi, quam à rebus geſtis teſtimonium produci convenit. *Achillis, oratione contra Ulyſſem.*

Libanius: Ut Apollinis Pythii oraculo Socrates habitus eſt mortalium ſapientiſſimus, exinde æmulatione dignus beatusque habitus eſt, non alius interim majores ſpiritus non tulit quam antea, neque inflatus fuit eo teſtimonio, cum alioqui invidentes ei cederent in cujuſvis rei cognitione. *Declamatione 29.*

Julianus Cæſar: Veritatem in omnibus ſequar: à qua ſi quis aberret ſponte, turpiſſimæ adulationis notam effugere non poteſt: & hoc inſuper iis quos collaudat tribuit, ut ne in cete, is quidem pro merito commendari videantur. *in Conſtantij Aug. Paneg.*

Julianus Imp. Omnes ferè qui in literis verſantur, aut carmine, aut ſolutā oratione præconia celebrant: quorum alii paucis comprehendere ac complecti audent omnia, alii ad aliquam rerum geſtarum partem adhæreſcentes, ſatis ſibi eſſe exiſtimant, ſi vel ab hujus dignitate non aberraverint. *Panegyrico 1.*

Themiſtius: Mihi vero tametſi auditu jucunda ſit, magnique à me laus illa fiat, quæ ſincera ſit atque ſimplex; cujuſmodi mihi perpetuo à vobis impenditur, ſuapte nimirum ſponte ac ſine ambitu conceſſa; nequaquam tamen hujus rei cauſſa advenio &c. *Orationis 4. initio.*

Themiſtius: At magnus Imp. eam rationem excogitavit, cum ego uni cederem, nec manus ſubjicerem, ſed aures. Etenim laus alioqui ſuave, ac validiſſimum donum eſt, à quocumque proficiſcatur. Nam & Sirenes in ſcopulis exitii inferendi gratia laudantes, verſutum Ulyſſem propemodum illexerunt, ac in poteſtatem habuerunt. Cujus vero vel nutus ipſe ad ſalutem ſatis eſt, hic cum libellum commendatione plenum ſcribit, quem non, licet ferreum, atque adamante ſolidiorem emolliat, ac ſibi ſubjiciat? Quoties vero Auditorii illius mihi venit in mentem: cum vos ego, quibus cum laudem illam communicabat; cum libelli hujus ſic tanquam oraculi interpretem conſidero, quanta cum modeſtia ſtans Bacide, atque Amphil, eō diſertius, & clarius eas literas explicaret; voſque interim, quaſi in ludis, Togati, ac permutatis calceis, in ſellis conſidentes, pene ad ſingula verba clamores attollereris proſiliētes, atq; in voces varias erumpentes, his, inquam, omnibus in unum collectis, atque conflatis, ego ne reſiſtere, ac diſſimulare ſuſtineam? At Zeno ille Stoicorum Princeps, vir alioqui gravis, & magniloquus gloriabatur tamen atque efferebat ſeſe, quod cum peregrinus atq; è Phœnicia oriundus eſſet, ob inſignem eruditionem, atque ſcientiam, civis eſſet ab Athenienſibus factus

Ego vero adeo ſcilicet infelix, & in Ariſtotelis doctrina rudis, ac peregrinus ſum, quem ego mihi vitæ, ſapientiæque Ducem propoſui; omnem ut à quocunque & cujuscunque gratia collatum honorem viro bono ingratum eſſe, ac nihili faciendum exiſtimem. Nec eorum verborū recordor, quibus vanitatem à magnanimitate hoc modo ſeparat. Sic enim alicubi diſputat: Circa ampliſſimos honores, quemadmodum & cætera omnia, quæ dicuntur bona, aliam immodicam, atque infinitam cupiditatem, aliam moderatam, & rationi conſentaneam hominibus ineſſe. Jam quiſquis ob populares ſtrepitus, & plauſus inflatur, ac ſupercilium attollit, pro eo quod in Theatris atque Circis multum in eos pecuniæ profudit, vanum hunc eſſe, eoq; vitio detineri, cui nomen illud impoſitum eſt. Quicumque vero ſtrepitus illos contemnit, nec multum ab eo fragore differre exiſtimat, quem illi ſi littori fluctus emittunt, cæterum bonorum virorum de ſua virtute ſuffragium, nulla adulatione ſuffuſum, maximo in precio habet; hunc demum magnanimum eſſe, atque alta mente præditum. Quando & Sophronifci Filius ille Socrates populi furorem pariter, ac laudem, nihil unquam æſtimavit. Idem tamen de Apollinis teſtimonio gloriabatur, eoque potiſſimum nitebatur, ac ſibi propterea cū Apollini reſponſi hujus, tum à Chærephonti interrogationis nomine referendas gratias putabat. Et extat Heroicis numeris à Socrate conditum in laudem Apollinis Proœmium. Quod ſi forte id ambitioſè fieri à me dixeritis, quod cum Pythio Imperatorem conferam: hoc quidem minime vobis Chryſippus, ac Cleanthes conceſſerint, reliquaque omnis è Porticu Philoſophorū natio, qui quidem eandem eſſe hominis Deique virtutem, ac veritatem aſſeverant. Mihi vero, quod ad Deos attinet, fa-

vendum linguæ, est juxta Herodotum dicens: Etenim lignum erat. Xenophontem autem è Socratis disciplina scio dubitasse nihil, quin Agesilaum Spartæ Regem prædicaret, longoque volumine gratiam referret, pro eo quod is exuli sibi inter Elidem, atque Arcadiam, non longe à Scillunte, agrum quendam impetrasset. Sed hoc insuper certissimè scio, Spartiatem illum, & si alioqui laudis cupidus, ac magnanimus fuerit, humanitate tamen, ac clementia tantum fuisse vero Rege inferiorem, quantum regno ab eodem superatur, si quid adhuc Lysandri illam carnium divisionem recordamini. Sed nec beneficii par ratio est, Arcadium agrum gratis exercere, aut perpetuam, ac nunquam senescentem laudem fuisse consecutum. Ac vel ipse fortassis Archidamus relatam à Xenophonte gratiam munere isto præstantiorem fuisse ingenue fateretur.

Erat enim illa Oratio à Philosopho scripta; hoc autem, si ipsimet, qui acceperat, habenda fides est, nihil præter triticum, hordeum, tempestivos fructus, capreas, atque apros, ad venandum, & jaculandum. Ideo mihi difficilior multo, quam Xenophonti compensatio est. Nam antea quidem divitiæ, Magistratus, Præfecturæ, bonorum Principum dona inter homines habebantur: Libri vero ingenii monimenta, & literæ Philosophiæ opera, ac dona censebantur. Jam vero quod unum penes artes, ac doctrinas erat, quo rependere gratiam possent, hoc ipsemet Imperator usurpans modo beneficii loco largitus est, Non jam itaque possum, quemadmodum Isocrates Theodori Filius, delitias agere, ac simulatione uti, idque allegare: Ampliora multo dona mea, & validiora esse: neque aut temporis diurnitate senescere, aut certo loco, ac spatio definiri.

Quicquid enim de doctrina magnum, atque insigne prædicavero, hoc in ipso munere Principis reperitur. Reliquum igitur mihi esse videtur, uti equos, vestes, Pincernas, nudi, atque consiti agri jugera conquiram, eaque Principi pro illa oratione conferam: quãdo utrique invicem opera, atque officia permutanda sunt. Verum minimè illud quidem: sed audendum pro virili parte mihi est: quoniã opes omnes ridiculæ atq; extremæ inopiæ loco sunt, minoresq; multo, quam stilla si cum Oceano comparetur, non modo quas ego possideo, verum etiam quas Pater unquam, & Mater, imo quas Paphlagones simul omnes habuerunt. Oratione vero si cum oratione contendero, quædam mihi (nisi id nimium audax dictu est) injecta spes est, fore ut non longo adeo intervallo relinquar: nec sententiarum, ac verborum ornamenta dico (his enim magis Imperator, quam corona, aut purpurâ refulget) Verum dicam ego vobis, quid sit, quo me sperem in eo certamine superiorem futurum. Sic enim existimo: veriorem nostram, quam Imperatoris orationem judicandam. Huic enim ejus qui laudatur meritum prætergredi, ac transcendere ob humilitatem, ac vilitatem necesse est. Mihi vero abunde magnum certamen in ipsa veritate constitutum est. *Oratione* 14.

Procopius Sophista: Æmulatus suma tuam fœturam Ejusmodi partus edere noviti. Fœlicium enim parentum liberos, fœlices efficitis- musico quodam latice, sapienter divina proferens. Ejusmodi ad vos venit doctissimus Muselius quem laudibus venere cupiens cum quæ insunt ei, dicendo exprimere non possim, solam arbitror taciturnitatem sufficere ad laudandum. At si quid mihi credis, Agamemnonis de te vocem usurpabo. Age sic amice Teucer, neque loqui parces. *Epistola* 54.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Nunc revractis pudoris ac referentiæ terminis, omnia patent omnibus; nec inducuntur adolescentes, sed irrumpunt, sequuntur auditores auctoribus similes, conducti, & redempti mancipes. convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ quam in triclinio dantur. ex judicio in judicium pari mercede transitur: inde jam non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est Laudicæni & tamen crescit indies fœditas utraque lingua notata. Heri duo mei nomenclatores (habent sane ætatem eorum qui nuper togas sumpserunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti constat ut sis disertissimus. hoc pretio quamvis numerosa subsellia implentur; hoc ingens corona colligitur; hoc infiniti clamores commoventur, cum μισόχορος dedit signum. opus est enim signo apud non intelligentes; ne audientes quidem: nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Si quando transibis per basilicam, & voles scire quomodo quisque dicat; nihil est quod tribunal ascendas, nihil quod præbeas aurem: facilis divinatio. scito eum pessimè dicere qui laudabitur maximè. Primus hunc audiendi modum induxit Largius Licinius; hactenus tamen ut auditores corrogaret. ita certe ex Quintiliano præceptore meo audisse memini. narrabat ille, Assectabar Domitium Afrum, cum apud Centumviros diceret graviter & lente: audiit ex proximo immodicum insolitumque clamorem. admiratus reticuit. ubi silentium factum est, repetit quod abruperat: iterum clamor; iterũ reticuit: & post silentium, cæpit idem tertio. noviissime quis diceret quæsivit; responsum est, Licinius. tum intermissa caussa, Centumviri, inquit, hoc artificium periit: quod alioqui perire incipiebat, cum periisse Afro videretur: nunc vero prope funditus extinctum & eversum est. *lib.* 2. *Epist.* 14.

Plinius Iunior: Est quidem jucundum quod Artemidorus me cum apud alios, tum apud te tantis laudibus cumulat: vereor tamẽ ne modum excedat, quem benignitas ejus non solet tenere. nam in hoc uno interdum, vir alioqui prudentissimus, honẽsto quidem, sed tamen errore versatur, quod pluris amicos suos quam sunt arbitratur. *libro* 3. *Epistola.* 11.

Plinius Iunior: Officium Consulatus injũxit mihi, ut reip. nomine Principi gratias agerem. quod ego in Senatu cum ad rationem & loci & temporis ex more fecissem; boni civi convenientissimum credidi, eadem illa spatiosius & uberius volumine amplecti: primũ ut imperatori nostro virtutes suas veris laudibus commendarentur: deinde ut futuri Principes, non quasi à magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti. nam præcipere qualis esse debeat Princeps, pulcrum quidem sed onerosum ac prope superbum est: laudare vero optimũ Principem, ac per hoc posteris, velut è specula lumen quod sequantur ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil. *libro tertio Epistola.* 18.

Plinius Iunior: Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc inprimis exolevit. nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. *libro* 3. *Epist.* 20.

Plinius Iunior: Tu lauda Marcellinum, ut ego statim feci. quãvis enim abunde sufficiat illi quod est & à Principe & à Senatu probatus, gaudebit tamen testimonio tuo. Omnes enim qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum assensio ac laus à minoribus etiam profecta delectat. Quod si cognoverit factum suum isto usq; penetrasse, necesse est laudis suæ spatio, & cursu, & peregrinatione lætetur, etenim nescio quo pacto vel magis homines juvat gloria lata quam magna. *fine Epist.* 12. *libri* 4.

Plinius Iunior: Recitatione finita multum ac diu exosculatus adolescentem Pisonem, qui est acerrimus stimulus monendi laudibus incitavi; pergeret quã cœpisset, lumenque quod sibi majores sui prætulissent, posteris præferret. Gratulatus sum optimæ matri, gratulatus & fratri. *Epist.* 17. *lib.* 5.

Plinius Iunior: Recitabatur liber absolutus. hunc duo aut tres, ut sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutisq; similes audiebant. non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique assurrexerunt; saltem lassitudine sedendi. Quæ tanta gravitas quæ tanta sapientia? quæ imo pigritia? quæ arrogantia? quæ sinisteritas, ac potius amentia, in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas, ad quem tanquam amicissimus veneris? Disertior ipse es? tanto magis ne invideris: nam qui invidet, minor est. denique sive plus, sive minus, sive idem præstas, lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem: quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari. Inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuã gloriam quam maximũ videri quem præcedis vel exæquas. Equidem omnes qui aliquid in studiis faciunt venerari etiam mirarique soleo. est enim res difficilis atque fastidiosa, & qui eos à quibus cõtemnitur, dedignatur. *Epistola* 17. *lib.* 6.

Plinius Iunior: Ais quosdam apud te reprehendisse, tanquam amicos ex omni occasione ultra modum laudem. Agnosco crimen, amplector etiam. quid enim honestius culpa benignitatis? qui sunt tamen isti qui amicos meos melius norint? sed ut norint, cur invident mihi felicissimum errorem? ut enim non sint tales quales à me prædicantur, ego tamen beatus quod mihi videntur. Igitur ad alios hanc siniſtram diligentiam conferant: nec sunt parum multi, qui carpere amicos suos judicium vocant. mihi unquam persuadebunt, ut meos amari à me nimium putem. *Epist.* 28. *lib.* 7.

Plinius: Legi tuum librum identidem repetens ea maxime (non enim mentiar) quæ de me scripsisti, in quibus quidem percopiosus fuisti. quam multa, quam varia, quam non eadem de eodem, nec tamen diversa dixisti? Laudem pariter, & gratias agam? neutrũ satis possum, & si possem, timerem ne arrogans esset ob ea laudare, ob quæ gratias agerem *Epist.* 31. *lib.* 9.

Plinius Iunior: Illud etiam me, non ut ambitiosum, sed tamen juvat, quod adjicis, me teque & gratiarum actione, & laude celebratos. est enim ut Xenophon ait, ἡδὺ γὰρ ἄχθομαι ἐπαίνοις; utique si te mereriputes. *lib.* 7. *Epist.* 32.

Plinius Iunior: Si laudatus à te, laudare te cæpero, vereor ne nõ tam proferre judicium, quam referre gratiam videar. &c. *Epistola.* 8. *libri* 9.

Plinius: Annotasse vos credo, Patres conscripti, jamdudum me non eligere quæ referam: propositum est enim mihi Principem laudare, non Principis facta. nam laudabilia multa etiam mali faciunt; ipse laudari nisi optimus non potest. quare non alia major, Auguste, gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias, nihil velãdum est, nihil omittendum. ecquid enim est in principatu tuo quod cujusquam prædicatio vel transilire vel prætervehi debeat? quod momentum, quod temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? nonne omnia ejusmodi, ut is optime te laudasse videatur qui narraverit fidelissime? *cap.* 56. *panegyr. ad Trajan.*

Plinius: Etiam cum suffragator nomina honore quo solent exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, & ex ore Principis ille Senatorius assensus audiebatur: quodque apud principem perbibere testimonium merentibus gaudebamus, perhibebatur à Principe. faciebas ergo cum diceres optimos; nec ipsorum modo vitæ à te, sed judicium Senatus comprobatur; ornarique se, non illos magis quos laudabas lætabatur. *capite* 71. *fine Panegyr. ad Trajanum.*

Plinius:

Plinius: Cum multa illo die dicta sunt sapienter & graviter, tum vel inprimis, *Crede nobis, crede tibi*. magna hoc fiducia nostri, majore tamen tui diximus. alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit; introspiciat modo vitam, seque quid mereatur interroget. proinde dabat vocibus nostris fidem apud optimum Principem, quod apud malos detrahebat. quamvis enim faceremus quæ animantes solent, illi tamen non amari se credebant sibi. *cap.* 74. *panegyrici ad Trajanum.*

Eumenius: Ut apud ipsos immortales Deos, quamquam universos animo colamus, interdum tamen in suo quemque templo ac sede veneramur: ita mihi vas esse duco omnium Principum pietatem meminisse; laudibus celebrasse præsentem. *fine cap.* 1. *panegyrico Constantino Aug. dicto.*

Eumenius: Ut in prædicandis laudibus patriæ meæ verecũdia modum fecit, ne arroganter insurgerem, ita in commemorandis ejusdem malis, & meus dolor, & tuarum aurium consuetudo cohibebit: nihil enim libenter audis nisi quos pro tuis gratularis. *capite* 5. *gratiarum actione Constantino Aug.*

CL. Mamertinus: Hi cives & populares tui silere me non sinunt, nec patiuntur ut quisquam alius auspicatissimo die apud te ac de te loquendi munus usurpet quam is qui ampliſſimo sit præditus magistratu. putant aliquid adjicere ad splendorem laudum tuarum Consulis nomen; & recte putant. adjicitur enim laudum dignitati honor laudandus. *cap. 2. Panegyrici Iuliano Aug. dicti.*

CL. Mamertinus: Ut quisque in provincia improbissimus erat, ita maxime Cæsaris rebus inimicus, vitandis legum pœnis de novo scelere remedia quærebat, & quia defendere admissa flagitia non poterat, in ultorem juris invidiam congerebat. & cum sancti Principis mores atq; instituta falsarum vituperationum licentiam submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam dignitatem laudum titulis peragebant; in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illam jactantes; Julianus Alemaniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis & cineribus excitavit: illæ provinciæ obsessæ, oppugnatæ, ferro ignique vastatæ, beatores sunt his oppidis quæ habet sine hoste Constantius: æstates omnes in castris, hiemes in tribunalibus degit. ita illi animi spatia divisa sunt, ut aut barbaros domitet, aut civibus jura restituat, perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis & gloriæ refutarentur.

Invenerunt accusandi genus quod nullus refelleret. Sed quid, oro vos, Principē nostrum facere debuisse censetis? Romanas urbes hostibus dederet, nec animum fratris offenderet? provincias firmissimas utilissimasque reipub sub obtutibus suis vexari ac deripi sineret, ne quid Augustus quod nollet audiret? flagitiis administrantiũ non modo frena laxaret, sed etiam stimulator accederet, ne inter Principes faceret morum dissimilitudo discordiam?

Nobilem Etruriæ adolescentem ferunt, cum propter eximiam formæ dignitatem, multarum in se feminarum amores excitaret, faciem suam ad obliterandam pulchritudinem vulneribus sauciasse. Sed facile fiunt juveni. dignitati corporis decore animi præponentem, & candorem decolorare & oris nitorem altè impressis cicatricibus devenustare. Num aliquid hujusmodi adversus amorem civiũ facere debuit Julianus? at ne potuit quidem; nisi forte existimamus patientes vulnerum formas esse virtutum. scilicet & candorem æquitatis potuit obumbrare, & à temperantia purpuram sancti ruboris abolere, cervicem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prudentiæ! Deinde nisi ille adolescens severam manũ propriis vulneribus intulisset, dies & mora, & non longa ætatis successio, omnem illum florem corporis peremisset. at in virtutibus Principis nostri, quanto ætas prolixior, tanto pulchritudo præstantior &c. *capite quinto Panegyrici Iuliano Imp. dicti.*

Latinus Pacatus: Dum obsequio interpretor impudentiam; dum in eundem hominem non puto convenire gaudium & silentium, duas res diversissimas junxi, metum & temeritatem. quin & illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem nullus adigebat. nõ enim jam coacta laudatio, & expressæ metu voces periculum silẽtij redimunt. fuerit abieritque tristis illa facundiæ ancillantis necessitas; cum trucem Dominum auras omne plausuum publicorum ventosa populuraritate captantem, mendax assentatio titillabat, cũ gratias agebant dolentes, & tyrannum non prædicasse tyrannidis accusatio vocabatur. nunc par dicendi tacendique libertas, & quam promptum laudare Principem, tam tutum siluisse de Principe. libet igitur redditam post liminio securitatem loquendo experiri; libet, inquam, quia neminem magis laudari Imperatorem decet, quam quem minus necesse est &c. *capite secundo Panegyrici Theodosio Aug dicti.*

Symmachus: Nostrates viri, qui inter se aliarum rerum sæpe dissentiunt, belle jam concordem sententiam super hujus laudem tenuerunt. *lib.* 1. *Epist.* 9. *m.*

Symmmachus: Etsi plerunque vera est apud parentes filiorum prædicatio; nescio quo tamen pacto detrimentum meriti sui patitur, dum personarum spectare gratiam judicatur. Quæro igitur incertus animi quæ mihi nunc potissimum super tuo genero verba sumenda sint. si parce morum ejus decora attingam, liventi similis æstimabor: si justè prosequar, oro proximus blandienti. *libro primo Epistola* 19.

Symmachus: Interim parcius loquar. res enim quæ ad omnes pertinet, nunquam uno teste contenta est: & mihi magnopere convenit ita meminisse gloriæ tuæ, ne verecundiæ oblitus existimer. *lib.* 1. *Epist.* 49. *f.*

Symmachus: Vereor protelare testimonium meum, ne magis laudis ejus obsecutus judicer quam pudori. nam quorum mens honesta est, eorum imbecilla frons est. *lib.* 1. *Epist.* 84.

Symmachus: Studium quod scribendis orationibus exhibeam, præmio laudis auxisti. Vetus quippe sententia est, artes honore nutriri. Quis autem tam cumulatus honor quam palma dicendi? Ergo etsi intelligo, quod nostri amore fallaris, tamen titulum præclari testimonii albo calculo veterum more signabo. Non enim mihi ex ore jejuno tributa laudatio, sed de facundiæ penu boni judicii fructus arrisit. Vereor indulgere verbis præconiitui, ne gratificandi operam mutuam credamur adniti. *lib.* 1. *Epist.* 90.

Symmachus: Nisi verecundia tua verbis meis poneret modum, latius evagerer. atque ideo sermo interim parcus erit, memoria vero prolixior. *lib.* 1. *Epist.* 97. *f.*

Symmachus: Neque enim gaudere dignum est, si qua mihi laus ex alterius errore proveniat. *lib* 2. *Epist.* 55.

Symmachus: Jam servabo epistolæ terminos. nam vereor ne hæc ipsa afferant fastidium præclaræ verecundiæ tuæ, cum æquare non possint vicem gratiæ. Illa potius gaudia te munerentur, quæ meritorum securitas parit. Nolo ex verbis cuiusquam speres tanti beneficii solutionem. Præ cæteris nosti solum conscientiæ bonæ præmium satisfacere posse magna præstantibus. *lib.* 4. *Epist.* 7. *f.*

Symmachus: Longius pergerem, nisi tuus nobilis pudor par virtutibus ceteris, laudis onera vitaret. Ergo igitur verborum modicus, dum singulari verecundiæ tuæ obsequor. Sed præcelsa sublimitas tua teneat definitum, meam gratiam quæ parca sermonis est, in animo redundare. *lib.* 4. *Epist.* 12. *f.*

Symmachus: Tu etiam Sericis voluminibus Achemenio more infundi litteras meas præcipis. Magna sunt auctoritatis tuæ pondera, nec possum pretiosum putare quod tu iuratus allegas: sed dum me rursus inspicio, labascit fides, & refragatur testimonio conscientia. Ita quod credibile persona Judicis facit, diffidentia respuit audientis. Igitur solus ambigua submovebis, si amorem tuum posthac parcius loqui de laudibus meis iusseris. *lib.* 4. *Epist.* 34. *m.*

Symmachus: Scio quid de me sentias: sed certus iudicii tui nunc recuso laudari. Æmulare arte quod te tacitus admiror, quia plus habet ponderis recta veneratio. Relinquamus verborum blanditias novis inter se amicis. Illos iuvent alterna præconia usque ad fidem fœderis. Nostra caritas adyto pectorum recondatur. Ipsa habitatio crodis in operto est. Inde me tua cura respiciat. *lib. quarto Epistola 42. principio.*

Symmachus: Possem bona fide adiicere maiora. sed tuæ aures licet fratrum laudibus gaudeant, communionem tamen glorioſi testimonii per verecundiam non ferunt. *lib.* 4. *Epist.* 52. *m.*

Symmachus: Natalitio munere nostrum hilarastis animum, vestrum probastis. de quo me profixè scribere verecundia vestra non patitur. copiosior tamen in sensibus manet gratia quam sermone proferatur. *lib.* 6. *Epist.* 48.

Symmachus: Curam in me diligentiæ tuæ usu probatum crescere in dies gaudeo. Cui impense verbis gratias agerem, si in laudis potius affectione quam sincera pietate faceres. *libro* 7. *Epist.* 32. *fine.*

Symmachus: Acceptam gratiam & mente contineo, & ore contestor. Facit autem verecundia tua, ut de hoc parcius loquar affectum enim non verba desideras. *lib.* 7. *Epist.* 96.

Symmahus: Tu vero, ut es amicorum diligens, Bibliotheculæ nostræ carminum tuorum divitias intulisti. Quid hoc dignum repẽdam, tenuis ipse facundiæ & paupertini ingenii? Tradam publicæ admirationi quæ legenda misisti. Et quanquam laudator impar, bonum sæculi publicabo. Nihil ex hoc derogabitur operis tui gloriæ. Nam & Homerum novimus à dissimilibus prædicari. Careret quippe fama magnorum virorum celebritate, si etiam minoribus testibus contenta non esset. *lib.* 8. *Epist.* 22.

Symmachus: Alexandrum, sicut loquuntur historiæ, gravis momordit invidia, quod Achilli fortissimo ævi sui Homerum fortuna tribuisset &c. *lib.* 9. *Epist.* 67.

Symmachus: Aliquando quidem tibi spectanda est sententia, quos decet de Patribus iudicare. Mei ingenii exilitas etiam parva miratur. Quare velim credas nihil tibi ex meo testimonio honoris accedere. Nam etsi laudari ab laudato viro vetus dictum est: nostri tamen mediocritas non multum famæ tuæ claritudinem iuvat. *lib.* 9. *Epist.* 101.

Symmachus: Tua igitur palma laus temporum est. de qua plenè & indulgentius loquerer, nisi obsequerer, singulari verecundiæ tuæ: & mihi oppido præcaverem, ne laudatus proxime ab excellentia tua, fœneratam gratiam viderer retulisse; hoc est, quod aiunt, mutuum scribere mulos. cui proverbio ne videar esse confinis, præconia virtutum tarum presso dente perstringo: præclaræ conscientiæ tuæ pendendum relinquens quid vel ipse merearis, vel quid ego debeam. *lib.* 10. *Epist.* 1. *f.*

Symmachus: Illustrior laus est de cælesti profecta iudicio. *lib.* 10. *Epist.* 25. *f.*

Symmachus: Laudari à laudato viro rara est merces ingenii. *Epistola.* 6. *Anstuarij.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carm. 3. præcept. ad Virgg.

Magna quidem tua sit pietas, præclaraque virtus:
Nec tamen ideirco pietatis laude tumescas.
Laudem etenim captans hominum famamque caducam,
Egregiam laudem amittes nomenque perenne.

D. Nazianzenus Carmine 3. præceptis ad Virgg.

Si quem criminibus fœdum aut errore vagantem
Prætereas, ne ideo esse putes virtutis in arce:
Non etenim summa est prauos præcellere laudi.

D. Greg. Nazianzenus carm. 50. Nicobuli ad filium.

Namque tuis dictis haud credo: nec mea mentem.
Laus fallet. Suspecta etenim laus cuncta propinqui.

Nazianzenus Carmine 62.

Σπεύδε μὴ εἶναι ἄριστος, ἀφ' ἁνδάνῃς, ὅισιν ἄριστον
ἠὲ κακὸν τέρπειν, δυσκλεὲς ἐστιν κλέος.

Esse bonus cura, prauis ne quære placere.
Gloria nam fœda est velle placere malis.

Plautus Curcul. 2. sc. 3. v. 85.

Laudo. P. laudato, quando illud quod cupis effeci.

Plautus Epidici 3. sc. 4. v. 8.

Non reperisti, adolescens, tranquillum locum,
Vbi tuas virtutes explices, ut postulas.
Num strenuiori deterior si prædicat
Suas pugnas, de illius ore fiunt sordida.

Ibidem v. 15.

—— *Imo si audias*
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
M. Pol ego magis unum quæro, meas cui prædicem.
Quam illum qui memoret suas mihi. P. hic non est locus.
Proin tu alium quæras, cui centones farcias.

Plautus Milite 4. sc. 2. v. 53.

—— *Magnum me faciam nunc,*
Quia illac me collaudat.

Plautus Trucul. 2. sc. 6. v. 6.

Non laudandus est, cui plus credit qui audit quam qui videt.
Non placet cum illi plus laudant qui audiunt quam qui vident.
Pluris est oculatus unus testis, quam auriti decem.
Qui audiunt audita dicunt; qui vident plane sciunt.
Non placet quem scurræ laudant, manipulares mussitant.
Neque illi quorum linqua gladiorum aciem præstringit domi.
Strenui nimio plus produnt populo, quam arguti & cati.
Facile sibi facunditatem virtus arguta invenit.
Sine virtute argutum civem, mihi habeam pro præfica,
Qua alios collaudare absentes, sese vero non potest.

Terentius Adelphis act. 2. sc. 3.

O mi germane, ah vereor coram in ore te laudare amplius,
Ne id assentandi magis quam quod habeam gratum, facere existumes,
Æ. Age inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos Ctesipho.

Terentius Adelph. act. 4. sc. 3.

Ego in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum à nobis ortum est, corrigo.
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant.
Sibi fieri injuriam, si quam fecere ipsi: ultro expostulant,
Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agü gratias.

Phoca Grammaticus, de Virgilio.

Cæsaris hic placido nutu repetuntur agelli.
Hu auctus meritis, cum dignam rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere posset.
Prædia dat Cæsar, quorum brevis usus habendi.
Obtulit hic laudes, quas sæcula nulla silescant.

Ausonius in monasyllabis.

Insinuat calo, Diisque inserit emeritos laus.

¶ Apologorvm.

De Vulpe & Corvo. Anonymus.

Vulpe gerente famem, corvum gerit arbor, & escam
Ore gerens corvus, vulpe loquente, silet.
Corve decore decens, cygnum candore parentas,
Si cantu placeas, plus ave quaque places.
Credit avis, pictaque placent præludia linguæ:
Dum canit ut placeat, caseus ore cadit.
Hoc fruitur vulpes; insurgunt tædia corvo,
Asperat in modico damna dolore pudor.
Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
Gloria; vera parit tædia, falsus honor.

De Vulpe carnem leporis cani laudante. Fab. 86.

Vulpes cum fugaretur à cane, & jamjam esset capienda, nec ullâ aliam evadendi viam invenire se posse cognosceret: Quid me, inquit, ò canis, perdere cupis, cujus caro tibi usui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cujus carnem suavissimam mortales esse commemorant. Canis igitur motus consilio vulpis, omisso vulpe leporem insecutus est, quem tamē ob incredibilem ejus velocitatem capere non potuit. Paucis post diebus lepus conveniens vulpem vehementer eam accusabat (verba enim ejus audiverat) quod se cani demonstrasset. Cui vulpes: Quid me accusas lepus, quæ te tantopere laudavi? Quid diceres, si te vituperassem?

Hac indicat fabula, multos mortales sub laudationis specie alius perniciem machinari. Absternius.

¶ Emblematis.

Camerarius 63. Centur. 2.

Gloria finis. Canis leporem occisu relinquens.

Cuncta facis bene, dum finis tua gloria facta.
Laudem veneris, ceu canis hic leporem.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iesus Christus Dominus noster: Laudis mundanæ captatoribus dicebat, Væ vobis cum bene dixerint vobis homines: idem enim fecerunt pseudoprophetis patres vestri. *Matth. 5. & Luc. 6.*

Clemens Alexandrinus: refert assentatores quosdam beatum quendam Sapientem prædicasse, illum vero dixisse ad eos, si me laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem me ipsum cogitabo. Si vero laudare non desinitis, ex laude vestra meam conjicio impuritatem. *Apud Anto. & Max. Serm. de laude.*

Gr. Nazianzenus: Nimia honorum excellentia quosdam ita affici asserit, ut decorum etiam deserant & contemnant. *Item.* Nihil alienum quod non sit justum laudetur: nec nostrum vel domesticū rejiciatur, si est honestum: utroque enim modo æquitatis violaretur ratio, si vel illi laudarentur, vel hi silerentur. *Ex eodem Serm.*

Chrysostomus: Qui laudat (inquit) improbitatem, pœnitentiæ remedio eam fraudat.

Non solum exercere & æmulari virtutem, sed etiam exercentes alios laudare & admirari, mercedem non exiguam confert.

Quemadmodum non modo qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos, ejusdem aut gravioris quoque participes erunt supplicii: ita qui bonos laudant & admirantur, consortes erunt coronarum quæ illis destinatæ sunt. Exemplum autem & argumentum in scriptura habemus: dixit enim Dominus ad Abraham, Benedicentes tibi benedicam, & execrantes te execrabor.

Laus propter egregia facta auget animi cupiditatem ad meliora in illis qui aliquid bene gesserunt. *Eodem Antonij & Maximi sermone.*

Theodoretus: Multis, ait, hominibus sæpe nocet laudatio. Laxat enim animi vigorem, & cursum impedit. Et aliquis ipsum curriculi finem se consequutum existimans (hæc enim persuasio per laudem se insinuat) currere desinit, & victoriam perdit. *Ibidem.*

D. Cyprianus: In proprias laudes, inquit, odiosa jactatio est: quanvis non iactatum possit esse, sed gratum quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur. *lib. 2 epistola 2. ad Donatum.*

Clerus Romanus: Minus (inquiunt Presbyteri & Diaconi veteris Ecclesiæ Romanæ, epistola quadam ad D. Cyprianum) est decoris nunquam ad præconium laudis accessisse, quam de fastigio laudis ruisse. Minus est criminis honoratum bono testimonio non fuisse, quam honorem bonorum testimoniorum perdidisse. Minus est, sine prædicatione virtutum ignobilem sine laude iacuisse, quam exhæredem fidei factum laudes proprias perdidisse: ea enim quæ in alicuius gloriam proferuntur, nisi anxio & sollicito labore serventur, in invidiam maximi criminis intumescunt. *D. Cyprian. lib. 2. epist. 7.*

Dionysia Africana: Generosa Matrona, Dionysia Africana, quum à carnificibus spoliata flagris cæderetur, intrepide eos reprehendit, dicens, Ministri diaboli, ea quæ ad contumeliam facitis, laudi mihi sunt. *Victor de persecutione Vandalica, lib. 3.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Constantius Monachus: Haud parum est & exiguum, esse laudabilem, & laudari nolle; sed arduum & excelsum. Quo in genere emicuit super alios Constantius Anchaonitanæ Ecclesiæ Monachus. nam cum è longinquis terris quidam, eum videndi gratia, advenisset, ostensumque sibi despexisset, eo quod staturâ esset pusilla & brevi, (quasi corporis vitium animi virtutibus officere posset) irrisorem suum osculo excipiens, *Quam lator*, inquit, *quod tandem nactus sim hominem, à quo jure parvipendendus existimor. Ego sanè ut habitu, ita et virtute pusillus sum.* Quo facto dictoque satis declaravit, quantum ab humanæ gloriæ concupiscentia abesset, qui sic exultabat contemptus & irrisus.

Sic qui favoris gloriam veri petit,
Animo magis, quam voce laudari volet.

Greg. Dial. lib. 1. cap. 5.

Constan-

Constantinus Magnus: Et hunc beatum dicebat quidam Antistes, qui hic in terris dignus esset, cui rerum summa committeretur, quique in cælis cum Dei Filio regnaret. At is ejusmodi sermonem indigne ferens, *Noli*, inquit, *hæc verba in vanum fundere: Deum potius orato, ut & in hac & in futura vita, ejus famulatu inveniar dignus.* Euseb. de Vita ejusd. lib. 4. cap. 48.

Alphonsus Rex Arag. Etiam inter hos sibi locum & laudem vendicat ALPHONSUS. Mirum in modum eum extollebat è Proceribus unus, quod esset regis filius, regis frater & nepos, verum ille: *Nihil minori apud me loco est. Laus enim illa non est mea sed majorum. à me itaque elicienda, si qua erunt ornamenta.* Panorm. lib. 2. de Alphonso.

Ioannes Huniades: Simili mente iste. Vocaverat Huldricum Ciliæ Comitem, ad se veniret in castra at is renuit; Egon, inquiens, Comes & Princeps ad te hominem novum? Erat enim JOANNES non ita pridem in nobilium collegium adscitus. cui ille: *Non tuis majoribus, sed tibi me comparo: quamquam nec illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatis titulo accepto, majus lumen posteritati mea comparavi.* Significabat cum Alphonso, gloriosius à se ipso inclarescere, quam ab avis ataviscque suæ claritatis radios desumere *Panorm. supra.*

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

A malis nequis laudari si mali nil feceris.
A quocunque laus profecta, dulce donum atque approbū est.
Alma laus fructu perennipensat ærumnas breve.
Alteri cur credis? intus ipse te considera.
Arbor irrigatione, laudibus virtus viret.
Arduum æque est gloriosos laudare atque inglorios.
Arduum laudare non est digna laude qui gerunt.
Cum laudandus haud laudatur, tunc laudatur maxime.
Culpat efficacius quam laudat gens mortalium.
Debitum Deis thus, laudes debita mortalibus.
Dulce nil æque est quam amantem laudæ festa persequi.
Ejus ad laudem inclinamus, cujus amor nobis bono.
Equus improbus laudare sustineat viros bonos.
Est præconium laus vera, falsa laus convitium est.
Et palam Reges laudamus qui fecere injurias.
Falsa laus precibusque expressa, non est laus; infamia est.
Frigidum est laudare se nulla urget cum necessitas.
Grata per se qui celebrat adjuvat solem face.
Heu quam plurimi fraudantur laude debita sibi!
Immodicas laudes meretur jure quem modica gravant.
Indiget præcone nullo, præco virtus est sui.
Indignum cave celebres dissitarum gratia.
Inimicorum nullum pejus est genus laudantibus.
Interdum quoque quæ improbamus laude longa tollimus.
Ipsemet tuas caveto publices adoreas.
Laus meretrix est: fugaces prensat, obvios fugit.
Laus prece extorta impudēti, laus minime est, infamia est.
Laus propria ante judicem, non laus est; testimonium est.
Laude dignum perpusilla est, præterire inglorios.
Laude dignus est pusilla qui miseros tantum anteit.
Laude dignus qui sponte ad id ruit quod est bonum.
Laude inique divisa datur quod judicio jungitur.
Laude maxime insolescit, laudis indignissimus.
Laude nemo plus tumescit laude quam omni qui rara.
Laudibus labore partis plurimo nemo invidet.
Laudem homine, sorte ab ulla quod dari aut rapi nequit.
Laudamus palam Laborem, sed Voluptas clam placet.
Magna laus parva rei, non est laus, suggillatio est.
Magna virtus non nisi amplo prosequenda encomio.
Malumus falso laudari omnes, quam jure corripi.
Mater est supinitatis laus simulque ignavia.
Maxime laudamus, minime quem laudare cogimur.
Maxime viris bonis laus debita est ac gloria.
Mortuis secure ponas laudes, vivis non item.
Nauta se mileque laudant absque ullo prorsus modo.
Nec probris vulgi inclinare, nec tumesce laudibus.
Nemo in altero celebrat, quam quod ipse in se probat.
Nemo laude dignus esse debet, quam cui cor sapit.
Nemo non honore gaudet, nemo non encomijs.
Nemo plus laudis meretur quam qui eam usque respuit.
Nemo plus laudis meretur quam qui eam usque respuit.
Neminem laudare suevit improbus quin & notet.
Neminem laudare tuto quam jam mortuum potes.
Non carere culpa sed florere laudibus bonum est.
Non cibi modo potusque, laudis ast item est sitis.
Non placet quem scurræ laudant, manipulares mussitant.
Non sat est bonos laudare & amulandi sunt nimis.
Non sat est palam laudari, arcana si male audiunt.
Non satis tutum est laudare publice superstites.
Non statim illico est laudandus qui beatus publice est.
Nulla laus est non patrare, quod patrare non potes.
Nulla laus potest probo esse, purgitat qua crimina.
Nullum honestius laborum pramium est præconio.
Numini ut thus, sic honeste laus viris cedit bonis.
Ore qui felicem amicum laudat, corde ei invidet.
Parce alios quicunque laudat, laudis est & inops sua.
Plus laudatur qui nocere, quam prodesse qui potest.
Pravitas laudata, res est ferre nemo quam queat.
Pro labore multiformi donum epos levissimum est.
Promptius laudanti aliquem quam criminanti credito.
Promptius quamcunque laudem parias, quam custodias.
Quem nequis laudare verbis, lauda eum silentio.
Qui malum laudat, non laudat; turpitudinem exprobrat.
Qui per se placitura laudat, solem facibus adjuvat.
Quilibet vivos laudare non solet sed mortuos.
Quisque laudari optat, etsi laude dignum nil agat.
Quisque tantum laudat, quantum posse sperat adsequi.
Quod laudabile est privatim, & publice laudabile est.
Quod nequit dari eripive, dignum in homine laudibus.
Quorum laudes negliges, eorum & culpas neglige.
Quos nimis laudas, manis inflat arrogantia.
Sape blanda, raro vera est largior laudatio.
Res hiatus magnos oris maxima desiderant.
Sape sub laudatione turpis est irrisio.
Semper adsuetis laudari, injuria est silentium.
Stultitiam cassis alienam cur nutris præconis?
Tam malum est laudare pravos, quam tacere de bonis.
Tam malum indignos laudare, quam dignos reprendere
Turpe ab eis tibi est laudari quos laudare ipse haud potes.
Turpius amittere laudem quam non adsequi.
Turpius laudare parce quam insectanter argui.
Vena præsens veterum docuit virtutum præconia.
Vera laus, clam possideri, quam precario petit.
Vera laus est quæ datur cui ubi magistratum exuit.
Vera laus prensat fugaces & secutores fugit.
Vera laus sperni præoptat, quam peti vocatibus.
Vera sunt sudor quæ longus elicuit præconia.
Veras adsequuntur laudes, qui falsas non quæritant.
Vir bonus se laudat ipsum, cum alterum laudat bonum.
Vituperari impense præstat, quam laudari frigide.
Vivum adulator celebrat, circumspectus mortuum.
Vnum & unicum virtutis laus celebris pramium est.
Vtiliora sunt laudatis sape, quæ contempseris.

¶ JAMBICA.

A turpibus profecta laus infamia est.
Aliquando laus defensio, haud superbia est.
Aliquando laus non hominis est, sed tēporum.
Aliquem satis laudant amici cum tacent.
Aliquem satis laudant inimici cum tacent.
Animo magis quam voce laudantur probi.
Animo magis quam voce laudari velim.
Audire laudes nemo non cupit suas.
Avidi laudis, pecuniæ sunt prodigi.
Bonis viris laus detur, ut thus Numini.
Corrumpit aures quaslibet laudatio.
Corrumpitur laus est ubi assentatio.
Credas tibi, laus sape aliena fallitur.
Cui non gravis laudantis est oratio?
Dic laudem amici potius, & de re sile.
Dic laudem amici potius, ipse quam tuam.
Difficilius laudem retineas quam occupes.
Dignos sua fraudare laude est improbum.
Dulcissimum est laudare eum quem diligis.
Dum respuunt laudari plures, appetunt.
Effusa gens in gloriam quæque est suam.
Etiam inseritur venenum inter præconia.
Etiam natura ad laudem indoctos provehit.
Etiam probo est molestum, laudari nimis.
Exceptione qua caret, laus maxima est.
Exorsa laudum multus obsidet labor.
Facile invenis laudem, ipsam at agre possides.
Fiunt mali pejores si laudaveris.
Fuco ferè circum lita est laus Principum.
Haud indiget pompa virtus præconij.
Homines libenter laude dicunt de sua.
Id optimum est laudes habet quod omnium.
In majus omnia attollere, est laudantium.
Inflata laude pravitas mox rumpitur.
Latatur anima intrinsecus laudem ad suam.
Laudare eundem & ladere ecquisnam potest.
Laus alma quavis sublevat molestias.
Laus displicere, queis probrari opprobrium est.
Laus exterorum, verior quam civium.
Laus falsa, laus non est, est exprobratio.
Laus ingeniorū hominum, laus jucundissima
Laus improborum aperta contumelia est.
Laus libera est, nullisque vincta legibus.
Laus liberorum, Rege laus dignissima.
Laus ore amici prompta, laus suavissima.
Laus ore inimici prompta, laus verissima.
Laus proficit, cum antiqua vincuntur novis.

Laus segniores usque quaque homines facit.
Laus vera, & humilis sape contigit viro.
Laus vera ut ornat, falsa sic & arguit.
Laudem abnuit una ut consequatur alteram.
Laudem ad bonorum etiam utitur Deus malis.
Laudem haud merentur quæ exprimit necessitas.
Laudem haud meretur quod natura dat bonum.
Laudes amici duxeris laudes tuas.
Laudes malorum, extrema sunt convitia.
Laudes suas audire res dulcissima est.
Laudes suas quis non libenter audijt?
Laudum est abunde si probatus quis sibi est.
Laudum suarum dona quis contempserit?
Laudabile absque justitia esse nil potest.
Laudandus haud est à nullo qui carpitur.
Laudatur ille qui quis displicet malis.
Laudare in os adulator coram adsolet.
Laudare in os non laus sed assentatio est.
Laudare se ipsum, pretium conscientia est.
Laudare, stimulus est monendi acerrimus.
Laudare vis virtutem? laudato probos.
Laudare dulce, si mereri te putes.
Laudari utique est honestum à laudato viro.
Laudet libenter alios, laudem qui cupit.
Laudatio mercedis est satis bonæ.
Laudatio persape nil quam irrisio.
Laudatio vel stricta dignis sufficit.
Laudato parce, vituperato parcius.
Laudator atque adulator, nonne est idem?
Laudatur in laudato filio pater.
Mali est, alterius invidere laudibus.
Merces bonorum an ulla est, quam laus postuma?
Mirum in modum laus dum vitatur quæritur.
Mortales omnes sese laudari expetunt.
Nec laus hominem mutat nec maledicentia.
Nil absque virtute uspiam laudabile est.
Non indiget præconio ullo merx bona.
Pejor malus fit quam magis laudaveris.
Præclara laus honestat insignes viros.
Præclara merita haud indigent præconio.
Profecta laus à laudato, acceptissima est.
Quanquam bonum nõ facimus, laudamus tamen.
Quavis gravatur laude nobilis pudor.
Quibuslibet melior opibus laus publica est.
Quicunque laudat se, est Deo illaudabilis.
Quis pessimum laudaverit quam pessimus.
Sub laude sape & acris accusatio est.
Suis gravatur quisque laudibus probus.
Summi loco beneficij laus regia est.
Tandem ex satietate imponito laudi modum.
Vacare somno laus Themistoclem vetat.
Vera refulget laude qui falsam fugit.
Viduus amore nemo quem laudat nimis.
Virtus egena laudis citra pulverem est.
Vltronea laus laudum omnium suavissima.
Vt vera laus ornat, sic non vera arguit.

Laudis propriæ.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

D. *Nazianzenus*: Sororem laudans, domestica prædicabo: non tamen quia domestica, ideo falsò, sed quia vera, ideo laudabiliter: vera autem, non modo quia justa, verum etiã quia nota. Nec vero ad gratiam, etiamsi cupiamus, loqui conceditur: quippe cum auditor, tanquam peritus quidam arbiter, inter orationem & veritatem stet, ut immeritas laudes improbans, ita merita efflagitans, si modo probus & æquus sit. Quocirca non hoc vereor, ne ultra veritatis metas prosiliam: sed illud contra, ne infra veritatem subsistam, ac procul à rei dignitate remotus, laudatione mea gloriam ipsius imminuam. quandoquidem difficile est, tum actionem, tum sermonem, ipsius laudum ornamentis adæquare. Proinde, nec, quidquid alienum est, laudetur, si iniquum sit: nec quidquid proprium & domesticum est, contemnatur, si honestum & eximium: (ne alioqui, & illi lucro sit, alienam esse, & huic propinquitas detrimento cedat. Utrinq; eim æquitatis ratio læderetur, si & illi laude afficerentur, & hi silentio premerentur) quin potius veritate, tanquam regula & canone, utentes, nec quicquam aliud spectantes ex iis, quæ plerique & viles homines solent, ita demum ea & laudabimus, & silentio prætermittemus, quæ laudem aut silentium promerẽtur.

Illud autem omnium absurdissimum fuerit, si, cum propinquos aliqua re fraudare, vel convitiis incessere, vel accusare, vel quoquo modo lædere minimè pium esse censeamus, imo scelus illud, quod in homines genere conjunctissimos perpetratur omnium maximũ esse judicemus, Oratione tamen eos fraudantes (quæ bonis viris maximè debetur, & per quam immortalem eorum memoriam reddere queamus) æqui aliquid nos facere arbitremur majore mq; improborum, qui nos ad gratiam loqui criminantur, quam bonorum qui meritas laudes exposcunt, rationem habeamus: cumque nos ab externorum laudibus prædicandis ea causa non deterreat, quod eorum virtus nobis haudquaquam perspecta & testata sit (quamquã id multo æquius fuerat) amicitia tamen, ac subeundæ multorum invidiæ metus, nos impediat, quo minus notos laudemus, eosque potissimum, qui extremum vitæ diem clauserunt, & à quibus gratiã inire studere nimis jam serum sit: quippe qui, ut alia omnia, ita laudatores etiam & vituperatores reliquerunt. *Oratione* 11. *in funere sororis.*

D. Nazianzenus: At enim imprudens ipse in meas laudes prolapsus sum, quas ne ab alio quidem unquam prædicari sustinuit. *Oratione* 20.

S. Salvianus: De quo adolescente aliquid fortasse amplius dicerem, nisi propinquus meus esset. hoc enim fit ut minus dicam, ne de me ipso dicere videar de illo plura dicendo. *Epistola prima.*

¶ ORATORUM GRÆCORUM.

Halicarnassæus: Mirum mihi sane videtur, Periclem, omnium qui tunc essent Oratorum maximum, ignorasse, quod mediocribus etiam ingeniis satis est exploratum: eorum qui se præter modũ laudant, orationem auditoribus esse permolestam: idque in illis præsertim concionibus, quæ vel in judiciis vel ad populum habentur: in quibus non de præmiis, sed de pœnis est periculum. tum enim non solum aliis molestiam, verum etiam, dum multitudinis invidiam concitant, infortunium sibi parant. Nam qui eosdem & judices habet, & accusatores: in hoc ipso, ut eos ad audiendum sibi benevolos reddat, infinitis lacrymis ei opus est, *cap. 55. de judicio Historiæ Thucyd.*

Aristides Rhetor: Quid quod uterque, Simonides & Pindarus, Hymnos triumphales in se ipsos palam, ut in alios quoslibet conscripserunt. nondum enim te terra protulerat, verum etiam liberis hominibus hæc licebant. Hoc sane modo athletas quoque ipsos objurgaveris, qui triumphales hymnos à poetis accipiũt. nã hi quoq; se ipsos laudant quodammodo, dum poetas data pecunia adhortantur, & ad extremum hymno confecta laudes suas ad tibicinem in choro canunt. Eos quoque qui trophæa erigunt, arrogantiæ sic accusaveris. etenim his quoque ita licet dicere: Heus vos, quid vultis? satis est vicisse. quorsum vero titulus; Athenienses de Thebanis, vel Persis: Lacedæmonii de quibusdam: aut aliud simile, aut eradenda sit inscriptio. &c. At poetæ soli sic de se senserunt, inquies Oratores itaque considera &c. videatur locus, citat enim Herodotum, Thucydidem, Periclem, Hermocratem, Demosthenem, Socratem, Iphicratem, Epaminondam. *Oratione de paraphtegmate.*

Aristides Rhetor: Atque ut scias, antiquum prorsus & Græcum esse hunc morem de segloriandi, & absque hac gloriatione, nec rem ullam inter homines memoria dignam geri, nec sermones haberi eximios, nec aliud fieri quidquam: vide qualia te quantaque fugerunt exempla &c. producit enim Homerum, Hesiodum, Ulyssem, Nestorem, Jovem ipsum &c. *Oratione de parathegmate.*

Aristides Rhetor: Atque ita per omnes & poetas, & oratores, & imperatores, & quicunque alicujus in Græcia pretii fuerunt, ostendimus gloriationem necessariam rem, & præstantioribus quasi naturã insitam esse, ac recte à Demosthene dictum esse, pro studio suo quemque necessario de se sentire. *fine orationis de parathegmate.*

Libanius: Se ipsum laudare non existimo esse hominis mente præditi. Alios vero contemnere ac dictis incessere, pusilli animi est. *Vlysses ad Trojanos.*

Themistius: Nec est auditu res adeo ulla intollerabilis uti sui ipsius commendatio, præsertimque eruditionis nomine, de qua laudantibus aliis erubescere convenit eos, qui vere illius compotes sint. Etenim cum homine quæstui dedito versari est quidem ingratum, qui nihil aliud laudare velit, præterquam divitias, aut cymbia, atque pocula, aut Purpuram. Aut ornamenta aurea. Sed & miles aliquis gloriosus tædium afferat, cujusmodi in Commœdia solet, sed nihil æque fastidium, & nauseam parit, atque admirando extollere & impense extollere solertiam suam & acumen ingenii, docilitatẽque, & eruditionis copiam, atque memoriam. Tum tot ac tot enumerare Aristotelis, Platonis libros, idque & semper, & omni loco, ac tempore, sive ad lavandum tecum invites, vel ad cenam voces, vel de Aeschylo perconteris, sive quæ insula Simonidis Melici poetæ patria fuerit. Nec istos absque illa importunitate salutare licet, sed statim Dodonæum Cymbalum sonat. *Oratione* 1.

¶ ROMANORUM.

Plinius Iunior: Hujus cũctationis meæ caussæ non tam in scriptis quam in ipso materiæ genere consistunt. est enim paullo quasi gloriosius & elatius. onerabit hoc modestiam nostram, etiamsi stylus ipse fuerit pressus demissusque; propterea quod cogimur cũ de munificentia parentũ nostrarum, tũ de nostra disputare. Anceps hic & lubricus est locus, etiã cum illi necessitas lenocinetur. Etenim si alienæ quoq; laudes parũ æquis auribus accipi solent, quàm difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis differentis? nã cum ipsi honestati, tum aliquanto magis gloriæ ejus prædicationiq; invidemus: atq; ea demum recte facta minus detorquemus & carpimus

pimus quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur. Qua ex cauſſa ſæpe ipſe mecum; nobiſne tantum, quidquid illud eſt compoſuiſſe, an & aliis debeamus, ut nobis. Admonet iſtud quoque, quod pleraq; quæ ſunt agendæ rei neceſſaria, eadem peracta nec utilitatem parem nec gratiam retinent. *lib.* 1. *Epiſt.* 8.

Symmachus: Derides, quod de me aliqua juſto indulgentius prædicavi? Eſt hæc vera atq; digna reprehenſio. Omnis quippe oſtentatio non caret ſuſpicione mendacii quia quidquid aſſumitur, proprium non putatur. dehinc jactantia avara laudis multum decoquit de pudore. *lib.* 1. *Ep.* 1. *f.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus de vita ſua.

Αἰσχύνομαι γὰρ τοὺς ἐμοὺς εὐφημίους,
Κἂν ἄλλος εὖ λέγῃ με. τοῦτ' ἐμὸς νομός.
Etiam mearum quippe me laudum pudet,
Licet alter etiam me canat, mos hic meus.

¶ Emblematum.

Batillius. 140.

In ſuas ipſorum laudes prædicantes.

Hoſtem ubi ſupposuit pedibus, ſibi lata triumphum
Criſtata arguto gutture cantat avis.
Stulta ſua multi peragunt praconia laudis,
Dantque aris ipſi pinguia tura ſuis.

Idem 141.

Laus in ore proprio.

Vt quem longa premunt facui jejunia ventris,
Qui propè jam & victu deficiente, perit,
Ipſe ſuo rabidos confert in corpore dentes,
Brachiaq; atque artus devorat ipſe ſuos:
Haud aliter laudis quem non expleta libido
Exſtimulatq; furens ambitioſa fames,
Ipſe ſuis ſeſe ſua per praconia paſcit
Laudibus, & proprio turpiter ore ſonat.

Lectionis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

Clemens Alexandrinus: Neque verò verebuntur noſtri commentarii uti iis quæ ſunt pulcherrima ex philoſophia, & iis quæ præcedũt diſciplinis. Non enim ſolum propter Hebræos, & eos qui ſunt ſub lege, par eſt fieri Judæum, ſed etiam propter Græcos Græcum, ut omnes lucrifaciamus. Et in Epiſtola ad Coloſſenſes: Admonentes, inquit, omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto. Quanquam alioqui commentariorum deſcriptioni convenit ſplendor contemplationis. Jam verò ipſa quoq; bonarum diſciplinarum copia eſt veluti quoddam condimentum athletæ cibo permixtum, non delitias quidem captantis, ſed bonum appetitum aſſumentis, laudis amorem. Pſallentes quidem certè, nimis intenſum gravitatis ſonum modulatè remittimus. Quemadmodum autem qui volunt alloqui populum, hoc ſæpenumerò faciunt per præconem, ut ea quæ dicuntur magis exaudiantur: ita hic quoq; cum ad multos habenda ſit à nobis oratio quæ ſolitam præcedit traditionem, adducendæ ſunt opiniones & voces quæ eis in ſingulis reſonant, per quas ii magis convertentur qui audient. Et, ut paucis dicam (in multis enim margaritis una eſt: in multa autem piſcium piſcatione unus eſt callionymus) tempore autem & labore eluceſcet veritas, ſi bonus obtigerit adjutor. Per homines enim divinitus plurima beneficia ſuppeditantur. Atque omnes quidem qui viſu utimur, ea quæ objiciuntur illi contemplamur, ſed alii aliorum gratia. Jam nõ ſimiliter ovem contemplatur coquus & paſtor. Ille quidem an ſit pinguis diligenter ſcrutatur: hic verò lac ovis obſervat an ſit generoſum. Mulgeat quidem aliquis, ſi cibo egeat: vellus tondeat, ſi ei tegumento opus ſit. Sic mihi etiam procedat fructus bonæ Græcorum doctrinæ. Nullam enim exiſtimo ſcripturam adeò feliciter procedere, cui nullus omnino contradicat: ſed illam exiſtimandum eſt eſſe rationi conſentaneam, cui nemo jure contradicit. Hic & actio ſimul & inſtitutum eſt admittendum, non quod eſt à reprehenſione alienum, ſed quod nullus jure reprehendit.

Non ſtatim autem, ſi quis non principaliter efficit, hoc facit quod id devitet: ſed id agit divinam quandam ſapienter adhibens diſpenſationem, & ſe rebus accommodans, & in omnem partem verſans. Neq; enim qui habet virtutem, viâ ad virtutem amplius opus habet: neq; qui valet viribus, eget inſtauratione. Quemadmodum enim terram prius rigant agricolæ: ita etiam nos, eo quod bibi poteſt ex Græcorum ſcriptis, id quod eſt in eis terreſtre prius irrigamus, ut ſuſcipiat ſpiritale ſemen quod dejicitur, & id facilè poſſit alere. Continebunt autem hi libri, qui dicuntur στρωματεῖς, id eſt, ſtragulæ variæ contextæ, admixtam veritatem philoſophiæ decretis, vel potius coopertam & abſconſam, ſicut teſta operitur id quod eſt in nuce eſculentum. Fidei enim ſemina, ſolis, ut exiſtimo, convenit ſervari fidei agricolis.

Non me autem latent ea etiam quæ ab aliquibus imperite omnia metuentibus jactantur, qui dicunt oportere in iis verſari quæ ſunt maxime neceſſaria, & quæ fidem continent: externa autem & quæ ſunt ſupervacanea tranſilire, quæ nos fruſtra conterunt & detinent in iis quæ ad finem nihil conferunt. Alii autem philoſophiam etiam cum maximo malo & ad hominum perniciem veniſſe in vitam exiſtimant, ut quæ profecta ſit à maligno aliquo inventore. Ego autem quod vitium quidem malam habeat naturam, nec alicuius boni eſſe agricola unquam poſſit, in his totis oſtendam libris, qui dicuntur στρωματεῖς, tacitè ſignificans, aliqua ratione divinæ quoque providentiæ opus eſſe Philoſophiam. De commentariis autem, qui in temporibus neceſſariis, Græcorum complexi ſunt opinionẽ, tantùm reſpondeo iis qui reprehendi ſtudio delectantur. Primum quidem, etiamſi ſit inutilis philoſophia, ſi inutilem eam confirmare eſt utile, jam utilis eſt. Deinde nec fieri poteſt, ut ii Græcos condemnent, qui nuda de eorum decretis dictione utuntur, ſi non una ſigillatim ad ea aperienda deſcendant uſq; ad cognitionem. Eſt enim vel maxime fide digna probatio quæ eſt cum experientia, quoniam vel perfectiſſima invenitur demonſtratio, eorum quæ ſunt damnata, cognitio. Multa itaq; licet ad finem non conferant, artifici tamen ornamentum afferunt. Et alioqui varia ac multiplex doctrina, & variè probat id quod adducitur, & catechumenis admirationem afferens, ea quæ ſunt præcipua dogmata, ad eorum qui audiunt perſuaſionem, & ad veritatem conſtituit.

Eſt autem fide digna ejuſmodi oblectatio, per quam ab aliis vituperatam ſtudioſi admittunt veritatem, ad hoc ut neque ipſa Philoſophia vitæ perniciem afferat, cum ſit rerum falſarum & malorum operum artifex, quam nonnulli falſo affirmarunt eſſe evidentem veritatis imaginem, donum Græcis datum divinitus: neq; nos à fide avellamur, à fraudulentæ artis veluti quibuſdam decepti præſtigiis, ſed ut ita dicam, majori adhibito munimento exercitationem aliquam fide demonſtrativam utcunque comparemus. Quinetiam ipſorum quoque dogmatum, dum inter ſe conferuntur, veritatem oppoſitio conciliat unde conſequitur cognitio, non quòd primum obtineat philoſophiæ locum, ſed quod per eum fructum qui capitur ex cognitione, veræ comprehenſionis firmam ac ſtabilem ſuſcipiamus perſuaſionem, propter eorum quæ intelliguntur ſcientiam. Taceo quod libri hi multiplici ac varia doctrina in unum corpus coagmentati, volunt ex arte celare ſemina cognitionis. Quemadmodum ergo qui ſtudio tenetur venationis, poſtquam quæſiit, veſtigavit, indagavit, canes qui curſu perſequerentur emiſit, feram capit; ita etiam apparet verum dulcedine quæſitum, & labore paratum. *lib.* 1. *Stromatum.*

S. Iſidorus Peluſiota: Audio te in divinorũ librorum meditatione verſari, eorumq; teſtimoniis commodè ad quoſvis uti, verum avaritiæ ſtudere, atq; in aliena bona inſano quodam impetu ferri. Ac mihi valdè mirari ſubit, qui factum ſit, ut divinus amore te minimè ſauciarit, nec ex aſſidua lectione, voluntatis atq; inſtituti mutationem effecerit: qui non modò aliena concupiſcere vetat, ſed etiam propria ſpargere monet. Quare aut legens agnoſce, aut non agnoſcens lege. *lib.* 1. *Epiſt.* 27.

S. Iſidorus Peluſiota: Ipſe quoq; Paulus, divinus ille vir quantum vis ſpiritualibus donis ornatus eſſet, Lectioni tamen nõ parvam dedit operam. Quamobrem etiam conſpicuo illi alumno ſuo ſcripſit: Attende lectioni. Grave enim atque acerbum eſt ei qui divinam ſapientiam guſtavit, hac privari, memoria non ſolum nulla nova acceſſione aucta, ſed etiam illa quæ fuit per oblivionem oblitterata ac pereunte. Hæc enim facultas vel maximè præ cæteris, niſi in dies ſingulos excolatur, abire ſolet, ignaviæ & ſocordiæ atq; cunctationis impatiens. Quod cum ignorent multi, ac potius ſuam ruditatem foveant, litterarum ſtudioſos ac ſapientes derident ac traducunt neſcientes Sapientiam ſapientibus diſcipulis maximè gaudere. *lib.* 4. *Epiſt.* 88.

¶ Latinorum.

Io. Sariſberienſis: Legem legi jubet Regi Deus. Legem ſiquidem habere in mantica parum prodeſt, niſi fideliter cuſtodiatur in anima. Legenda eſt ergo omnibus diebus vitæ ſuæ. Ex quibus liquido conſtat, quam neceſſaria ſit Principibus peritia literarum, qui legem Domini quotidie revoluere lectione jubentur. Et forte quod ſacerdotes legem quotidie legere jubeantur, non frequẽter invenies. Princeps vero quotidie legit, & diebus vitæ. Quia qua die non legerit legem, ei non dies vitæ, ſed mortis eſt. Hoc utiq; ſine difficultate illiteratus non faciet. Unde & in literis quas regem Romanorum ad Francorum regem tranſmiſiſſe recolo, qui hortabatur ut liberos ſuos liberalibus diſciplinis inſtitui procuraret, hoc inter cætera eleganter adjecit, quia rex illiteratus eſt quaſi aſinus coronatus. Si tamen ex diſpenſatione ob egregiæ virtutis meritum, principem contingat eſſe illiteratum, eundem agi litteratorum conſiliis, ut ei res rectè procedat, neceſſe eſt. Aſſiſtãt ergo ei Nathan propheta, & Sadoch ſacerdos, & fideles filii prophetarum, qui eum à lege Domini divertere non patiantur, & quam ipſe oculis & animo non oſtendit, linguis ſuis introducant, quaſi quodam aurium oſtio literati. Legat ergo mens principis in lingua ſacerdotis, & quicquid egregium videt in moribus, quaſi legem domini veneretur. Nam & vita & lingua ſacerdotum, quaſi quidam vitæ liber eſt in facie populorum. Eo forte ſpectat, quod exemplar legis à ſacerdotibus Leviticæ tribus jubetur aſſumi; quia prædicatione eorum debet poteſtas

commissi magistratus gubernaculâ moderari. Nec expers omnino lectionis est, qui etsi ipse non legit, quæ leguntur ab aliis fideliter audit. Qui vero neutrum facit, quomodo in contemptu præcepti quod præcipitur fideliter adimplebit? *libro 4. Policratici capite Sexto.*

Io: Sarisberiensis: Omnes legendas scripturas probabile est, nisi sint reprobatæ lectionis: cum omnia non modò quæ scripta, sed etiam quæ facta sunt, ad utilitatem hominis, licet eis abutatur interdum, instituta credantur. *Mox*: Hoc lectione semper quærendum est, ut homo se ipso melior jugiter fiat.

Deinde post pauca: Dummodo vitia fugias, quod volueris lege. Sicut in escis carnalibus quædam sunt qui digeruntur; quædam vertuntur in crudos humores; alia per vim expulsivam ejiciuntur omnino; quædam sunt quæ sanis, si tamen modestè sumantur, conferunt, & obsunt ægrotati vis; quædam debilioribus faciunt minus, tamen conducunt sanis & sanativis (nam hæc ipsa non adeo naturam roborant, delicatiora siquidem minus nutriunt, magis communia, & alimenti, ut ita dixerim, pinguioris:) sic & in libris sunt quæ omnibus prosunt, dum tamen legantur modestia dispensante; ut quæ nihil continent nisi ædificationem fidei & morum; sunt quæ solidioribus animis faciant, habenda quidem à lectione simplicium; sunt quæ natura bonæ mentis omnino ejiciant; sunt quæ degerant in usum morum aut eloquentiæ; sunt quæ indurent animam, & in fide & bonis operibus solam faciant eruditatem. Vix autem invenietur scriptum, in quo si non in sensu vel in verbis, non reperiatur aliquid quod prudens lector emmittit.

Ceterùm libri catholici tutius leguntur & cautius, & gentiles simplicioribus patent: sed in utrisque exerceri, fidelioribus ingeniis utilissimum est. nam exquisita lectio singulorum, doctissimum; cauta electio meliorum, optimum facit. Interim apes imitandi; ac quicquid diversa lectione quæsivimus è vario florum genere, convertamus in usum virtutis, ut omnia in ordinem gerendorum, rationis judicio digerente coalescant. nam & in animo melius distincta, servantur, & ipsa distinctio non sine quodam fermento, quo conditur universitas, in unius saporis usum varia libamenta confundit; ut etiamsi apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum nosceretur, appareat: quod in corpore nostro facere videmus, sine omni opere, nostram naturam. Alimenta quæ accipimus, quamdiu in sua qualitate perseverant & solida innatant, malo stomacho oneri sunt. at cum ex eo quod erant mutata sunt, tum demum in vires transeunt. sanguis enim ex divino mandato diducitur, dum vitia declinantur. Sic ergo legantur, & auctoritas non præjudicet rationi. nam & urtica dum legitur rosa quamque manum tangentis urit. *lib. 7. Policratici cap. 10.*

Io. Sarisberiensis: Fertur dixisse Aristippus; Est indulgere vitiis à legendi studio temperare. *libro septimo Policratici sine cap. 13.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Arrianus: Memento non imperii solum cupiditatem & opum reddere humiles, & aleis obnoxios, sed etiam tranquillitatis, otii, peregrinationis & studiorum. omnino enim qualiscunque res externa fuerit, pretium & æstimatio subjectos alteri facit. Quid igitur interest, utrum Senatorium gradum appetas, an aversëris? Quid interest inter cupiditatem imperii, & imperii fugam? Quid interest utrum dicas, Male habeo, non est quod agã, sed libellis cadaveris instar sum alligatus: an vero, Non est mihi otium legendi? Ut enim salutationes & imperia, res externæ sunt, & non nostri arbitrii: sic etiam libellus. Age, dic mihi, qua gratia legere cupis? Nam si in ipsa lectione acquiescis, & delectatione ac cognitione illinc frigidus es, & miser. Sin eo refers, quo oportet: quid aliud istud est, tnisi prosperitas? Eam si lectio tibi non confert, quæ est illius utilitas. At eam confert, inquit: eaquere molestè fero, me ea fraudari. Quæ vero ista est prosperitas, quam quivis impedire potest, non dico Cæsar, sed Cæsaris amicus: sed corvus, tibicen, febris, alia infinita? Prosperitas autem nihil æque proprium habet, ac perpetuitatem, & omnis impedimenti remotionem. *capite quarto lib. 4. Epict.*

Arrianus: Propter hoc non possum te dicere industrium, si audiero istud solum aliquem legere aut scribere, tametsi aliquis adjecerit, totas noctes. Nondum hoc dico, nisi cognovero quò ista referantur. Neque enim tu industrium eum dicis, qui propter puellam vigilat. Ergo ne ego quidem, eum qui multa legit. sed si gloriolæ causa id fecerit, ambitiosum, dico: si pecuniæ gratia, avarum, non industrium. Si vero ad rationem suam laborem istum retulerit, ut illa naturæ pareat: tum demum industrium dico. Nunquam enim è communibus istis, vel vituperationes, vel laudationes petendæ sunt, sed è decretis. Hæc enim sunt cujusque propria, quæ actiones quoque vel turpes, vel honestas efficiunt. Horum memor, delectare iis quæ adsunt, & in iis acquiesce quæ tempus fert. Si qua vides eorum quæ didicisti ac meditatus es, ad rem abs te conferri, delectare iis. Si malitiam & convitiandi libidinem deposuisti, aut saltem minuisti: si petulantiam, si temeritatem, si luxum: si iis rebus, quibus ante movebaris, non moveris: si non eodem modo quo prius affectus es: quotidianam festivitatem celebrare potes, hodie quod recte versatus sis in isto opere, eras quod in alio versaturus. Quanto major tibi causa est rei divinæ faciendæ, quam si consulatum aut magisterium equitum esses adeptus? Hæc à teipso tibi conferuntur, & à Deo. Illud memento, quis sit qui ista largiatur, & quibus, & quas ob res. *cap. 3. lib. 4.*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Sui cujusq; generis auctores diligenter eligendi. ajunt enim multum legendum esse, non multa. qui sint hi; adeo notum provocatumque est, ut demonstratione non egeat. *Epist. 9. libr. 7.*

Plinius Iunior: Eam reverentiam tum literis, tum scriptis tuis debeo, ut sumere illa, nisi vacuo animo, irreligiosum putem. *Libri 9. Epist. 35.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

S. Bernardus: Ille Prophetarum & Apostolorum scripta, quibus inhærebat assiduus, magno in pretio habebat. &, *Verè*, ajebat, *hi sunt fontes veritatis, quibus per devotam meditationem inhærendo plus proficiunt homines, quàm longos commentarios evolvendo.* Proinde apud amicos jocari solitus, *Nullo ego, præterquam quercubus & fagis, magistro sum usus.* Auct. vitæ, lib. 1. cap. 4.

¶ Monosticha Trochaica.

Credimus magis quæ legimus, certè meminimus magis.
Lectionis indeficiens cura parens peritiæ est.
Lectione animum, labore corpus exercet sagax.
Lectione magis firmanda multâ mens quàm plurium.
Multa minimè circumspectus, providus multum legit.
Non legit sed negligit, qui quæ legit non percipit.
Post cibum haut leget scribetq; est imbecille cui caput.
Scire ac legere supervacua, satius longè est, quàm nihil.

¶ Jambica.

A lectione plurima Eruditio est.
Etiam suis libris legendis est modus.
Multum legas, non multa: sic doctior.
Qui nil legit nil novit aut intelligit.

Legationis.

¶ Sententiæ Patrum. Græcorum.

D*Chrysostomus*: Pro legatione fungor in catena. Ubi fungeris legatione? apud homines inquit. Papæ! quanta Dei benignitas? misit è cœlis qui pro ipso fungerëtur legatione pro pace: & eos captos vinxerunt homines, & ne jus quidem publicum reveriti sunt, quo ei qui legatione fungitur nihil unquam fit mali. *Homil. 24. ad Corinth.*

Chrysostomus: Legati quicumq; ii fuerint, propter dignitatem legationis, multum honorem consequuntur. Vide enim. veniunt in mediam barbarorum regionem soli inter tot hostes; & quoniam magnam vim habet jus legationis, omnes eos honorant, omnes eos tuto emittunt. Et nos ergo suscepimus munus legationis, & à Deo venimus: hæc est enim dignitas episcopalis. *Homilia tertio fine ad Coloss.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Prævaricati sunt legem omnium hominum, ipsorum etiam Barbarorum: quoniam apud ipsos quoque, qui nesciunt humanitatem, inviolabiles legati habentur: dum vindicta cœlestis reformidatur, & tanti sceleris ultor Deus timetur. Hoc ergo admiserunt adversarii nostri, quod nec humanæ nec divinæ leges inultum relinquunt. Egrediamur ergo, non pro finibus aut spoliis, sed pro divina injuria præliaturi. Incitet nos ad bellum, non conjugii aut prolis charitas, sed præsumpta protectio Dei. Non arbitria nostra, sed divini juris eis præcepta exequamur sacra, quod & pro his vindictam reposcamus, quos inviolabiles esse oportere religio jubet. Inter arma hostilia legatio sola pacis sequestra est: exuit hostem, qui legatione fungitur, quorum nunc sanguis clamat ad Deum, & vindictam reposcit. Festinemus igitur ad prælium, dum ultorem habemus Deum cæsorum vindicem. Illi pro nobis melius præliantur. Et circumfusi Angelorum legionibus, in acie prætendunt. *cap. 32. lib. 1. de excid. Hieros.*

Ennodius: Si negligentius in suscepto fructus officio, per animi tædium, sociorum commodis institisset, capitale mereretur exitium quale est enuntiasse hostibus interna patriæ, pro quibus segnius cessasse sacrilegium fuit? *Dictione 14.*

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Xenophon: Cyrus autem, qui audisset Chaldæos ad Indum sæpe proficisci, recordatus venisse ad Medos ab hoc quosdã, qui, quid rerum apud ipsos gereretur, explorarent, eosdẽq; deinde ad hostes etiã abiisse

habuisse, ut illorum quoque res specularentur: scire volebat Indum, quæ ab se gesta fuissent. *cap. 16. lib. 3. Cyropadia.*

Xenophon: Id temporis etiam illi venere, qui pecuniam ab Indo adferebant: ac renuntiarunt, Indum ei talia quædam mandare: Gratum mihi est, Cyre, te mihi significasse, quibus tibi rebus opus esset. Equidem mihi tecum hospitii jus esse volo, & pecunias tibi mitto. Quod si etiam aliis tibi sit opus, mitte qui adferant. Præterea mandatum est iis, qui à me ad te veniunt, ut quidquid jusseris, faciant. Quæ cum audisset Cyrus: Jubeo igitur, ait, ut alii vestrum iis in tabernaculis hei cremaneant, in quæ vos recepistis, atque harum pecuniarum custodes sint, & jucundissimam sibi vitam agant: tres autem vestrum ad hostes profecti, quasi adsint ab Indo societatis ineundæ gratia, cognitis istic rebus omnibus, quid dicant, quidve faciant, quamprimum & mihi in Indo renuncient. Atque in his si mihi egregiam operam navabitis, majores etiam vobis gratias habebo, quam quod pecunias adtuleritis. Nam exploratores servis similes nihil aliud, quod sciant, renunciare possunt, quam quæ nota sunt universis. At ejusmodi homines, quales vos estis, sæpenumero etiã consilia cognoscunt. Quæ cum Indi lubenter audiissent, & hospitio tunc à Cyro liberaliter accepti fuissent: paratis rebus suis, postridie proficiscebantur, sancte polliciti se, ubi de hostibus quantum maxime liceret, didicissent: quam fieri posset celerrime, redituros. *cap. 10. lib. 6. Cyropadia.*

Apollonius Ephoris & Lacedæmonijs: Viros equidem vestros vidi, barba nulla præditos, lævis candisque brachiis & cruribus, mollibus subtilibusque vestimentis indutos, annulis compluribus & pulcherrimis ornatos, calceamentis Jonicis. Quare legatorum nomen cognoscere non potui. Literæ vero Lacedæmonios dicebant esse, *Epistola. 70.*

Halicarnassæus: Quæ civitatum principes & sentire & dicere de sua patria apud alias civitates consueverunt; ea omnes communia esse arbitrantur ejus civitatis quæ eos legasset. *cap. 51. de judicio historia Thucidideæ.*

Aristides Sophista: Hæc cum esset legationis summa, obiit eam Alexander Macedoniæ rex: illi autem adeo non admirati sunt hæc promissa, ut legatum quidem juris hospitalis prætextus illæsum servaverit, quanquam nec sic omnino securum dimiserunt, nisi ante solis occasum terminos regionis esset egressus: admonentes insuper ne quid in posterum simile ad Athenienses referret, nisi morte legationem vellet luere: simul etiam eum per regionem deducendum curantes, ne cum quoquam rem aut sermonem haberet. *Oratione Panathenaica.*

Libanius: Pulcrè scitis operam legatorum irritam, incrementum indignationis apud eos qui miserunt, futurum. nam qui æquitate erga injuriam inferentes usus est, posteaquam fastiditus fuerit, ininfensior molestiorque fit, quam ii qui ab initio ad manus venere; contumelia, præter iniquè acta, concitatus. Ideoque si à molestiis & acerbitatibus incepissemus, & opus eventui respondisset, postea fortasse poscentibus fœdera concessissemus; & graviter affectos facillimum fuit, mitigare. *Oratione Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Iis qui ad quoscunq; legatione funguntur, summum videtur infortunium ea non obtinere pro quibus venerunt. *Oratio. Vlyssis ad Trojanos.*

Libanius: Legati dedecus ad omnes qui miserunt pertinet. *Oratione Patrocli ad Achillem supra reconciliatione ejus cum Agamemnone.*

Libanius: Paridi nihil superesse, præter impudentiam, multis ex rebus perspicuum esse puto. Nos tamẽ jure linguæ prius quam manibus utimur, plurimis de causis. primum enim non statim ad arma ruere, magis a. verbis experiri, possis ne quod jus est obtinere, id est profectò homine dignius. Deinde non æquũ arbitramur, quæ unus peccavit, horũ nomine ab universis pœnam sumere: quod tamen bello cõstituto necesse est accidere. non enim ibi vacat insontibus parcere, sed intereat necesse est quisquis ceciderit. Hoc uti ne contingeret, ne ve quispiam in eas res præcipitaretur, quibus gravari nollet non recusamus legatione & suffragiis controversiam dirimere. Ad hæc a. nõ mediocre momentũ in bellicis rebus afferre credimus divinum favorem. hunc videmus adesse, non iis qui plus audent, sed qui causa sunt meliore. eamq; ob rẽ animo moderantes, à legatione facinus initium, ut siquidem hæc ad finiendam controversiam suffecerit, nulla præterea re sit opus: sin aliter, divino auxilio propter causæ æquitatẽ freti, ita demum ad secunda convertamur. Utraq; itaq; considerate: atq; conferentes cum disceptatione prælium, cum verbis arma simul & ad præsentẽ felicitatem respicientes, id quod potius est eligite. Oportet enim. Trojani, in hujusmodi negotio neutiquam indiligenter consultare; cum illud non ignoretis, si semel peccatum sit, non fore vobis iterum de integro statuendi facultatem. *Oratione Menelai pro Helena rapta.*

Heliodorus: Aderant legationes variæ cum donis, ad gratulationẽ ob victoriam partã declarandã. interuncius itaq; Harmonias regem percunctabatur, utrum omnes sine discrimine, an ordine, & ex una quaq; gente delectos, denique si seorsim adducere juberet. Hic autẽ, cum ordine & distincte dixisset, ut etiã singuli pro dignitate honorẽ consequantur. Rursus internuncius: Igitur, inquit, rex primus fratris tui filius Meroebus veniet. *lib. 10. Aethiopic.*

¶ Romanorum.

Quintilianus: Sed legatus fuisti: quod tamen ipsum quid est aliud quam rempubl. tractare? Rem autem qui male agit, aut arbitror, lædit. An existimas hanc legatis dari peccandi licentiam ut quæcunque scelera in eo officio commiserunt, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimium invidendam hujus legationis conditionem, si tibi & famem remisit & legem. *Declamatione 12. § 10. pr.*

Quintilianus: Faciat fortuna quod voluerit, legatus à præcepto non recedat. *Declamatione 12. § 30. pr.*

¶ Apophthegm. Sacrum.

Anastasius Imperator: Hormisda Rom. Pontifex Ennodium Ticinensem Episcopum, cum Fortunato, Venantio & Vitali, legatum misit ad Anastasium Imperatorem Constantinopolitanum, qui eum ab hæresi revocarent. At ille naviculæ absque velis remisque impositos perdere conabatur: jussitque Papæ hoc responsum ferre, *Imperatoris proprium esse, imperare, non imperata pontificijs accipere.* Itaque Hormisda Imperatorem diris devovit. *Nauclerus, Volum. 2. Generat. 18.*

¶ Monosticha Trochaica.

Ad manus primum est veniendum ubi irrita est legatio,
Dedecus legati ad omnes spectat à quibus venit.
Extera etiam inter gentes legatorum jus sacrum est.
Exteris legationum sancta jura; haud civibus.
Impetrandum est, Oratores mittere ut Romam queas.
Indignationem acerbat & legatio irrita.
Non iners legatus est, qui cuncta qua vult obtinet.
Optimus legatus est, qui plura quam vult obtinet.
Pacem si petas, oliva ramulo ut gladium inseras.
Prater imperata dicat nil legatus, nil patrat.
Qui nocet legationi publica, omnibus nocet.
Sape plus oratione comi quam bello impetres.
Sola ad exteros sua est, non ad cives legatio.
Sola pacis est sequestra in hostico legatio.
Verba legati ore prompta, haud ejus sunt, sed publica.

¶ Jambica.

Caduceator bellum verbis inchoat.
Dignationi & barbaris legatio est.
Et sancta ubique est hostium legatio.
Etiam inter hostes jus legatorum sacrum est.
Ferro bene intermisceas caduceum.
Hastam manu hac feras, illa caduceum.
Ius gentium violat, legatis qui nocet.
Legationis specie, speculatorem agas.
Legatus ipsis nec violatur barbaris.
Plura occupes facundia quam prælijs.
Redundat in regem legati injuria.
Sacra est ubique religio caducei.

Lenitatis.

¶ Monosticha Trochaica.

Deteram apprehendit ansam vir bonus lasam malus.
Improbi affectum exacerbat, nam remollit lenitas
Improbos vincere non est lenitate; provocas.
Lenior nemo alteri est, quam qui sibi est severior.
Nemini æquè sic jucunda mansuetudo quam sibi est.
Pœnitentia haud laberat, aut reatu lenitas.

¶ Jambica.

Etiam in Deis laudamus mansuetudinem.
Puni malos: haud flectet ipsos lenitas.
Quo grandior quis est, hoc & sit lenior.
Securitas summa est in mansuetudine.
Tutatur & severitatem lenitas.

Lenocinii.

¶ Sententiae Philosophor.

Io. Saresberiensis: Apud illos ars est suam pudicitiam prostituere, alienam violare, vel oppugnare. Nec quidem simpliciter suam, cum matrimonii temerentur jura, & conjugis adulterium conjunx procuret. Dum egreditur sponsa de thalamo suo, conjugem noli maritum credere, sed lenonem. Producit eam, libidinosis exponit & si spes dolosi nummi refulgeat, affectus callida simulatione prostituit. Filia namque decentior, aut si quid aliud in familia placeat ditiori, publica merces est, exposita quidem si emptorem inveniat. Sed licet justus dolor eos aliquatenus cruciet, qui tori participes admittunt, aut faciunt; ægritudo tamen utilitatis compendio mitigatur, ut saltim doloris dissimulat cruciatum. Si enim res serio agatur, si libera donentur cunctis

judicia, non est dolor ille, quo corpus suum quis videt aliena libidine pollui. Cetera namque peccata extra corpus sunt; sed qui fornicatur, in corpus suum peccat. Hoc, inquit, os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ut jam non duo sint vir & mulier, sed una caro. hoc untique sine dolore non scinditur, neque sine invidia communicatur,

Non bene cum sociis regna Venusque manent:

& sicut nulla fides regni sociis, ita nec tori. Certe facilius est, regni divitias, quam affectionem conjugii alii cedere. Atqui nec isti conjuges sunt, sed lenones. Tunc deinde omnia creduntur exposuisse divitibus, cum fidei fidem faciat fides violata. Sed quid filias & uxores, quod licet iura prohibeant, tamen quoque modo natura permittit, exponi queror, aut prostitui? In ipsam naturam quasi gigantes alii Theomachiam novam exercentes, insurgunt. Filios offerũt Veneri, eosdemque in oblatione pupparum virgines præire compellunt. In illis etenim ætatis maturitas expectatur; at in his sufficit alienæ impudicitiæ voluptatem posse expelli. *libro 3. Policratici cap. 13.*

Xenophon: Et Socrates: Primum inquit, velim inter nos conveniat, quod lenonis sit officium. Tum quod interrogavero, ad id respondere prompte: ut sciamus, de quibus inter nos conveniat. Num ita vobis etiam videtur? Maxime vero, inquiunt. Atqui uti semel dicebat, Maxime vero: ita hoc ipsum in respondendo deinceps retinebant. Ergo vobis boni lenonis esse videtur, inquit, ut quem, quãve perduxerit, eum eamve gratos iis efficiat, quibuscum consuescunt? Maxime vero, aiunt. An non igitur unum quiddam est, quod ut placeant, facit; nimirum si & capillorum, & vestis ratio decori legem servet? Maxime vero, ajunt. Etiam scimus, posse hominem iisdem oculis tum amice, tum hostiliter aliquos intueri? Maxime. Quid vero? an non eadem voce licet tum verecunde, tum audacter loqui? Maximè. Quid? nonne quidam sermones odiosi sunt, alii ad amicitiam impellunt? Maxime. Ex his igitur quæcunque ad placendum conducunt, ea bonus leno suos docere debet. Maxime. Num autem potior is fuerit, qui uni reddere gratos potest, an vero qui pluribus? Huic in duas partes divisis omnibus, alii manifestum esse dicebant, potiorem esse, qui plurimis efficere gratos posset: alii subiiciebant. Maxime. Socrates, quum hac etiam in parte convenire diceret: Quid si quis, inquit, ut toti civitati quidam placeant, efficere possit, an non omnibus ille numeris bonus leno fuerit? Id quidem manifestum est, aiunt omnes. Ergo si quis eos, quibus ipse præsit, tales efficere studio suo possit, an non optimo iure ob hanc artem elato sit animo, atque etiam optimo iure mercedem debeat amplã accipere? Quum his etiam universi adsensi essent: Talis scilicet, inquit, est mea quidem sententiâ hic Antisthenes. Tum ille: Mihine tribuis, inquit, artem hanc Socrates? Profecto, ait. Nam te video etiam in huius pedisequâ probe exercitum esse. Quænam illa est? Ars lenonum sive perductorum, ait. Et graviter id ferens Antisthenes: Ecquid, ait, tale me commisisse scis Socrates? Scio equidem, inquit, te Calliam hunc ad doctum illum Prodicum perduxisse: quũ illum ardentem amore philosophiæ cerneres, hunc vero pecunia indigentem. Scio item te perduxisse eumdem ad Hippiam Eleum, à quo etiam artem memoriæ didicit. Et ex eo quidem tempore magis amoribus esse deditus cepit, quod pulchri quidquid viderit, eius numquam obliviscatur. Nuper adeo quod hospitem quoque Heracliensem apud me prædicando effecisti, ut ipsius ego cupidus essem conciliasti eum mihi: quo quidem nomine tibi gratiam habeo. Nã mihi per esse bonus honestusque videtur. An non item Æschylum illum Philiasium apud me prædicando, meque apud ipsum, eam in nobis adfectionem animi excitasti; ut nosmet amantes mutuo, quæreremus cursitando, perinde atque canes solent? Hæc quum ego te facere posse videam, bonum esse lenonem arbitror. Nam quia agnoscere potest eos, qui sibi futuri sint utiles: ac potest efficere, ut illi se mutuò expetant; is mihi videtur & urbes amicitia coniungere posse, & nuptias commodas conciliare, utque magni viri præcii sit, tum apud civitates, tum amicos, tum socios, efficere. Et tu mihi, quasi qui non satis recte audieris, dixisse me lenonem esse te bonum, succensuisti. Ego vero, subiecit ille, non iam amplius. Nam hæc si possim, nimirum animus meus divitiis constipatus erit. *cap. 21. conviv.*

¶ Postarvm.

Plautus Asinariæ 1. sc. 2. principio.

Hoccine hoc fit, foras adibus me ejici?
Promerenti optime hoccine precii redditur?
Benemerenti mala es; malemerenti bona es.
Ego pol te redigã eodem unde orta es, ad egestatis terminos.
Ego edepol te faciam, ut quæ sis nunc, & qua fueris, scias.
Qua prius quam istam adij, atque amans ego animum meum isti dedi.
Sordido vitam oblectabas pane, inpannis inopia.
Atque ea si erant, magnas habebas omnibus gratias.
Eadẽ nunc cum est melius; me cujus opera est, ignoras mala.
Reddam ego te ex ferra fame mansuetam: mespecta modò.
Nam isti quid succenseam ipsi nil est, nil quidquam meret:
Tuo facit jussu, tuo imperio paret. mater tu, eadẽ hera est.
Te ego ulsciscar, te ego ut digna es perdam, atque ut de me mereas.
At sceleste, vident ut ne id quidẽ me dignum esse existimet.
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato supplicet.

Plautus Asinariæ 1. sc. 2. v. 6.

—— capitis te perdam ego & filiam,
Perlecebra, pernicies, adolescentum exitium.
Nam mare, haud mare est. vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi: hic elui bonis.
Ingrata atque tristia esse omnia intelligo,
Quæ dedi, & quod benefeci.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. v. 52.

Aliam nunc orationem despoliato prædicas.
Longe aliã te præbes, inquam, nunc atque olim cum dabã.
Tum mihi ades quoque arridebant cum ad te veniebãtua.
Me unicè unũ ex omnibus te atq; illã amare ajebas mihi.
Ubi quid dederã quasi columba pulli in ore amba meo
Usque eratis: meo de studio studia erant vestra omnia.
Usque adhærebatis: quod ego jusseram, quod volueram
Faciebatis: quod nolebam ac vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audiebatis prius.
Nunc neq; quid velim, neq; nolim, facitis magni pessume.
L. Non tu scis? hic noster quæstus aucupij simillimus est.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum:
Aves assuescũt: necesse est facere sumptũ, qui quærit lucrũ.
Sape edunt: semel si capta sunt, rem solvunt aucupi.
Itidem hic apud nos adis nobis area est, auceps sum ego,
Esca est meretrix; lectus illex est, amatores aves.
Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,
Osculando, oratione vinnula, venustula.
Si papillam pertractavit, haud id est ab re aucupis.
Suavium si sumpsit, sumere eum licet sine reditus.
Hæccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?
A. Tua ista culpa est, qua discipulum semidoctum abs te amoves.
L. Remeato audacter, mercedem ubi eris nactus: nunc abi.

Plautus Asinariæ 3. sc. 1. v. 18.

Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audaciss imã?
Quoties te vetui Argyrippum filium Damaneti
Compellare aut contrectare, collo quive aut contui?
Quid dedit? quid deportari jussit ad nos? an tu tibi
Verba blanda esse aurum reris? docta dicta pro datis?
Ultrò amas, ultrò expetisis, ultrò ad te accersi jubes.
Illos qui dant, derides; eos qui deludunt, daperis.
Ante id expectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem si moriatur mater sua?
E castor nobis periclum magnum & familiæ porenditur,
Dum ejus expectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo, nisi mihi huc argenti affert viginti minas,
Na ille ecastor hinc trudetur largus lacrimarum foras:
Hic dies summus est apud me inopia excusatio
P. Patiar, si cibo carere me jubeas, mater mea.
C. Non vero te amare qui dant, qua amentur gratia
P. Quid si hic animus occupatus est mater, quid faciam? mone. C. hem!
Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua.
P. Etiam opilio qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem quei spem solatur suam.
Sine me amare unum Argyrippum animi gratia quẽ volo.

Plautus Cistellariæ 1. sc. 1. v. 40.

—— Et ego & tua mater amba.
Meretrices fuimus: illa te. & ego hanc mihi educavi
Ex patribus conventicijs: neque ego hanc superbia caussa
Repuli ad meretricium quæstum, nisi ut ne ego esurirem.
S. At satius fuerat eam viro dare nuptum potius. L. eja!
Hæc quidem ecastor cotidiè viro nubit, nupsitque hodie,
Nubet mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si hæc non nubat, lugubri mihi fame familia pereat.
G. Necesse est, quo tu me modo voles esse, ita esse mater.
L. Ecastor haud me pœnitet, si ut dicis, ita futura es.
Nam si quidem ita eris, ut volo, nunquam ætate Hecale fies.
Semperque istam, quam nunc habes ætatulam obtinebis,
Multisque damno, & mihi lucro sine meo sape eris sumptu.
G. Dij faxint! L. sine opera tua nihil horum Dij facere possunt.
G. Equidem hercule addam operam sedulo.

Plautus Curcul. 1. sc. 1. v. 23.

Num quid tu, quod te, aut genere indignum sit tuo
Facis aut inceptas facinus facere Phadronẽ?
Num tu pudica cuipiam insidias locas?
Aut quam pudicam oportet esse? P. neminẽ
Nec ne ille sirit Iupiter. PA. ego item volo.
Ita tuum conserto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probra.
Semper curato ne sis intestabilis.
Quod amas, amato testibus præsentibus.
P. Quid istuc est verbi? PA. caute ut incedas via.
P. Quin leno bis habitas. PA. verum hic prohibet, ne

Quin quod palam est venale, si argentum est emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas, nupta, vidua, virgine,
Iuventute, pueris liberis, ama quid lubet.
Plautus Curcul 1. sc. 1. v. 63.
Alias me poscit pro illa triginta minas,
Alias talentum magnum: neq; quidquam queo
Æqui boniq; ab eo impetrare. PA. injurium es
Qui quod lenoni nulli est, id ab eo petas.
Plautus Curcul. 4. sc. 2. v. 8.
—— *Egone ut ab lenone quidquam*
Mancipio accipiam, quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abjurent, si quid creditum est. alienos mancipatis,
Alienos manumittitis, alienisque imperatis.
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet istis ulli.
Item genus est lenonum inter homines, meo quidem animo
Vti muscaq; culicesque, pedesque, pulicesque.
Odio, & malo, & molestiæ, bono usui est is nulli.
Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet.
Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur.
Eum rem fidemq; perdere, tametsi nihil fecit, ajunt.
Plautus Mercatore 1. sc. 1. v. 40.
Principio atq; animus ephœbis ætate exijt,
Atque animus studio amotus puerili est meus,
Amare validè cœpi hic meretricem illicò
Res exultatum ad illam abibat jam patris.
Leno importunus dominus ejus mulieris,
Vi summa quidq; ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare pater hac me noctes & dies,
Perfidiam, injustitiam lenonum expromere,
Lacerari validè suam rem, illius augerier.
Summo hac clamore: interdum mihi se colloqui
Abnuere: negitare adeo me natum suum.
Conclamitare tota urbe, & prædicere,
Omnes tenerent mutuanti credere.
Amorem multos illexe in dispendium.
Intemperantem, immodestum, injurium,
Trahere, ex haurire me ab se domo.
Rationem pessimam esse, ea qua ipsius optima
Omnes labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri:
Convitium tot me annos jam se pascere.
Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese ex templo ex ephebis postquam excesserit,
Non ut ego, amori neque desidiæ in otio
Operam dedisse: neque potestatem sibi
Fuisse, adeo cohibitum arcte esse se a patre,
Multo opere immundo rustico se exercitum.
Neq; nisi quinto anno quoq; posse tum visere
Vrbem: atq; extemplo inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.
Ibi multo primum se familiarium
Laborâsse, cum hac pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis,
Tibi deniq; iste pariet latitiam labos.
Postquam recessit vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse, atque ea pecunia
Navim metretas qua trecentas tolleret,
Parasse, atq; eapse merces vectatum undique.
Adeo dum quæstum haberet peperisset bona.
Me idem decere, sicut deceret me, forem.
Plautus Persa 2. sc. 2. v. 63.
—— *Omnes sunt lena levi fide,*
Neq; tipula levius pondus est, quam fides lenonia.
Plautus Persa 3. sc. 3. v. 2.
Toxile, quid agitur? T. eho, lutum lenonium,
Commixtum cœno, sterquilinium publicum,
Impure, inhoneste, injure, illex, labes popli,
Pecunia accipiter avide atq; invide,
Procax, rapax, trahax, trecentis versibus
Tuas impuritias traloqui nemo potest.
Plautus Persa 4. sc. 4. v. 32.
Esne tu huic amicus? T. tanquam Dij omnes qui cælum colunt.
D. Tum tu mihi es inimicus certus. nam generi lenonio
Numquam ullus Deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
Plautus Pseudolo 1. sc. 1. v. 97.
Vt literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis flevêris argenteis,
Quod tu istis lacrimis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras.
Plautus Pseudoli 1. sc. 3. v. 38.
Quid agitur Calidore? P. amatur atq; egetur acriter.
B. Miserear, si familiam alere possem misericordia
P. Eia! scimus nos quidem te qualis sis, ne prædices
Plautus Pseudolo 1. sc. 3. v. 71.
Non est usui quisquam amator, nisi qui perpetuat data,
Detq; usque: quando nihil sit, simul amare desinat.
C. Nihil ne te mei miseret? B. inane cadu: dicta non sonant?
Atque ego te vivum salvumq; vellem. P. eho, an jam mora tuus est?.
B. Illico vivit amator, ubi ille lenoni placet.
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia.
Nam istoc, quod nunc clamitare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere.
Plautus Pseudoli 4. sc. 2. v. 19.
—— *Hominem ego hic quæro malum,*
Legirupam, impium, perjurum, atque improbum. B. me quæritat:
Nam illa mea sunt cognomenta, nomen si memores modo.
Plautus Pseudolo 4. sc. 6. v. 31.
Me nunc commoror, cum has fores non ferio,
Vt sciam sitne Ballio domi. B. Venus mihi hac
Bona dat, cùm has huc adigit lucifugas, damni
Cupidos, qui se suamq; ætatem bene curant,
Edunt, bibunt, scortantur illi sunt alio ingenio atq; tu,
Qui neq; tibi bene esse patere, & illis quibus est invides.
Plautus Pseudolo 4. sc. 6. v. 23.
Prada hac mea est: scortum quærit, habet argentum
Iam admordere hunc mihi lubet.
Dum datur, dum calet, devorari decet. nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali, populi strenui
Damno mihi, improbi usui sunt.
Plautus Rudente 2. sc. 2. v. 15.
—— *Pol haud miranda facta dicis.*
Si Deos decepit & homines lenonum more fecit.
Plautus Rudente 3. sc. 2. v. 36.
Quis hic est qui Deos Deasque parvipendit?
T. Fraudis sceleris, parricidij, perjurii plenissimus,
Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus:
Vno verbo absolvam, leno est. quid illum porro prædicem.
D. Edepol infortunio hominem prædicas donabilem.
Plautus Rudente 4. sc. 1. v. 4.
Nam lenones ex gaudio credo esse procreatos,
Ita omnes mortales, si quid est mali lenoni, gaudent.
Plautus Trucul. 1. sc. 1. v. 30.
In disciplina, in adibus lenoniis,
Priusquam unum dederis, centum qua poscat, parat.
Aut aurum perist, aut conscisset pallula est,
Aut empta ancilla, aut aliquod vas argenteum,
Aut vas aenum aliquod, aut lectus dupsilis,
Aut armariola Græca, aut aliquid semper est
Quod pereat, debeatq; amans scorto suo.
Atq; hac celamus nos damna una industria,
Cum rem fidemq; nosque nosmet perdimus,
Ne quid parentes nec cognati sentiant.
Quos cum celamus, si fuximus conscios,
Quei nostræ ætati tempestivè temperent,
Vnde anteparta demus post partoribus,
Faxim lenonum & scortorum ut plus est, minus,
Et minus damnosorum hominum quam nunc est, siet.
Terentius Phorm. 3. sc. 2.
Adeon' te esse incogitantem atq; impudentem, Phædria,
Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis?
Ego te complures, adversus ingenium meum menses tuli
Pollicitantem, & nil ferentem, flentem: nunc contra omnia
Reperi, qui des, neq; lacrimes: da locum melioribus.

¶ Monosticha Trochaica.

Corporis alieni leno tam male audit quam sui.
Illico vivit amator, ubi ille lenoni placet.
Improbi alunt viros lenones, pauperant viri boni.
Lena qua vult esse frugi, non bene agit cum amantibus.
Mussitanda injuria adolescentium est lenonibus.
Non tipula levius pondus, quàm fidei est lenoniæ.
Numquam ullus Deus propitius generi lenonio fuit.
Pestis, pernicies communis leno adolescentium est.
Portitorum sunt simillima januæ lenoniæ.
Quasi piscis, itidem est amator lenæ: nequam est nisi recens.
Sunt lenoniæ manus oculatæ: credunt quod vident.

¶ Jambica.

Capiti corona, forma lenæ femina est.
Monstrare juveni recte, non lenonium est.
Tractantur inter aras lenocinia.
Vah! leno iniqua adolescentem non vult loqui.

Legis.

§ SENTENTIÆ PATRUM GRAECOR.

Clemens Alexandrinus: Eſt autem legis ferendæ peritus, qui id quod convenit, unicuiq; animæ parti, & ejus factis tribuit. Moſes autem, ut ſemel dicam, erat lex animata, quæ ratione bona ſeu verbo bono gubernabatur. Subminiſtravit itaque bonam Reipub. adminiſtrandæ rationem. Ea autem eſt bona educatio hominum in ſocietate. Jam vero facultatem tractavit judiciariam, quæ eſt ſcientia peccata propter id quod eſt juſtum, corrigens. Ejuſdem autem cum ea ordinis, eſt puniens facultas, quæ tenet ſcientiã moderandarum caſtigationum. Cum ſit autem caſtigatio, eſt animæ correctio. Verſatur autem, ut ſemel dicam, tota Moſis inſtitutio, & in docendis iis qui poſſunt eſſe boni & honeſti, & in iis venandis qui ſunt eis ſimiles: quæ quidem fuerit ars imperatoria. Qui autem verſatur in recte utendo iis quæ ratione ac verbo capta fuerint, ea fuerit legum ferendarum ſapientia. Ejus enim, ut quæ ſit maxime regia, eſt proprium & acquirere & uti. Solum itaq; ſapientem Philoſophi, regem, legislatorem, imperatorem, juſtum, ſanctum, Deo amicum prædicant. Si hæc autem in Moſe invenerimus, ut ex ipſis oſtenditur ſcripturis, recte perſuaſi dixerimus, ſapientem revera eſſe Moſen.

Quemadmodum ergo paſtoralem artem ovium curam gerere dicimus: ita enim paſtor bonus animam ponit pro ovibus: ita etiam legum ferendarum artem dicemus, virtutem hominum comparare, humanum bonum pro viribus excitantem, ut quæ gregis hominum curam gerat & providentiam. Quod ſi grex qui à Domino dicitur allegorice, nihil eſt aliud quam grex hominum, idem erit bonus paſtor & legislator. Unius gregis, nempe earum quæ ipſum audiunt ovium, unus eſt curator, nempe is qui perditam & quærit & invenit, lege & ratione: ſi quidẽ lex eſt ſpiritalis, & quæ ad ipſam ducit beatitudinem. Quæ enim ſpiritu ſancto facta eſt, eſt ſpiritalis. Is autem eſt revera legislator, qui non ſolum bona & honeſta profitetur, ſed ſcit etiam. Hujus lex quoq; eſt, qui ſcientiam habet juſtum ſalutare, vel potius, lex eſt juſſus ſcientiæ. Potentia enim & ſapientia eſt ratio ſeu verbum Dei. Et hic ipſe rurſus eſt legum expoſitor, per quem lex data eſt, qui eſt primus expoſitor divinorum præceptorum, qui ſinum patris explicat ac exponit, filius unigenitus. Deinde qui legi quidem parent, quod habeant aliquam ejus cognitionem, neq; poſſunt non credere, nec ignorare veritatem. Qui autem non credunt, & in factis & operibus minime eſſe volunt, ii quoque ſi ulli alii ſe veritatem ignorare fatentur.

Quæ nam eſt ergo Græcorum incredulitas? num nolle credere veritati, quæ dicit Legem per Moſen datam eſſe divinitùs? cum ipſi ex iis quæ apud ſe ſcripta ſunt Moſen honorent, & Minoëm referant ad Jovis antrum venientem, novem annorum ſpacio Leges à Jove accepiſſe: & Lycurgum ſcribant aſſidue Delphos euntem ad Apollinem, leges ab eo didiciſſe: & Plato & Ephorus, & Chamæleo Heracleotes in opere de ebrietate, & Ariſtoteles de Republica Locrorum, Zaleucum Locrum leges à Minerva accepiſſe, literarum monimentis mandarunt. Qui autem Græcorum leges, ut maximè fide dignæ videantur pro viribus efferentes, ad Deos referunt, ad Moſaicæ prophetiæ ſimilitudinem, ſunt ingrati, ut qui non fateantur veritatem & exemplar, archetypum eorum quæ à ſe narrantur. Nemo ergo propter ſupplicia inſectetur legem, ut non bonam & honeſtam. Non enim qui aufert morbum corporis, beneficio afficere videbitur, qui autem ab injuſtitia animam conatur liberare, non majorem videbitur curam gerere, quo eſt anima corpore præſtantior. Sed pro ſanitate quidem corporis, & ſecari & uri, & medicamenta potare ſuſtinemus, & qui hæc adhibet, & ſervator vocatur & medicus, & nec ei invidet, nec male vult ægrotus, & ut artis dictat ratio partes quoque aliquas reſcindit, ne ſanæ partes una cum eis intereant, nec tamen quis medici artem criminis arguerit. Animæ autem gratia, non ſimiliter tolerabimus aut exilia, aut mulctas, aut vincula, ſi modo quis ex injuſtitia ſit reſtituendus in juſtitiam? Lex enim eorum qui ei parent curam gerens, ad pietatem in Deum inſtituit, & dictat ea quæ ſunt facienda, & propulſat unumquodq; peccatum, pœnas imponens iis quæ ſunt mediocria. Cum autem viderit aliquem ita ſe habere, ut videatur immedicabilis, utpote qui ad extremam provehatur injuſtitiam: tunc aliorum jam curam gerens, ne ab ipſo corrumpantur, tanquam aliquam partem à toto corpore reſecans, ſic eum qui eſt hujuſmodi, occidit ſaluberrime.

Judicati autem à Domino, inquit Apoſtolus, caſtigamur, ne cum mundo condemnemur. Prædixit enim Propheta: Caſtigans caſtigavit me Dominus, morti autem non tradidit me. Ut enim te ſuam doceret juſtitiam, caſtigavit te, inquit, & tentavit, & fame & ſiti te afflixit in deſerto. Ut cognoſcerentur omnes juſtificationes & judicia ejus in corde tuo, quæcunq; ego tibi præcipio hodie, & ſcias in corde tuo, quod ut ſi quis homo caſtigabit filium ſuum, ita caſtigabit te Dominus Deus noſter. Quod autem exemplum corrigat, jam malus, inquit, videns malum puniri, ipſe vehementer caſtigatur. Nam generatio ſapientiæ eſt timor Domini. Eſt autem maximum & perfectiſſimum bonum, quando à male faciendo & à re male gerenda, ad virtutem & bonam actionem poſſit quis aliquem traducere: quod quidem lex facit. Quare etiam quando in immedicabile aliquod malum ceciderit, ab injuſtitia & avaritia obſeſſus aliquis, beneficio afficietur ſi interficiatur. Lex eſt enim benefica, quæ alios quidem poteſt juſtos ex injuſtis facere, ſi modo velint audire, alios vero liberat à malis præſentibus. Eos enim qui temperatè & juſtè vivere elegerint, immortales ſatagit reddere. Noſſe autem legem eſt bonæ mentis. Et rurſus: Viri mali legem non intelligunt: qui autem quærunt Dominum, intelligent in omni bono. Oportet autem eam quæ adminiſtrat providentiam, eſſe & dominam & bonam. Utriuſq; enim vis procurat ſalutem: illa quidem, ſupplicio caſtigans, ut domina: hæc vero, per beneficentiam commodans, ut benefica. *lib.* 1. *Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Clarum eſt ergo omnes quoque alias virtutes quæ ſcriptæ ſunt apud Moſem, præbuiſſe Græcis principium totius locimoralis, magni, inquam, animi virtutem, & temperantiam, & prudentiam, & juſtitiam, fortitudinem & tolerantiam, & honeſtatem, & continentiam, & quæ eas ſuperat religionem. Sed de pietate quidem eſt cuilibet manifeſtum, quod ſupremam & antiquiſſimam cauſam docet colere & honorare. Eadem quoque lex exhibet juſtitiam: docens etiam prudentiam per abſtinentiam à ſimulachris ſenſilibus, & ad univerſorum effectorem & patrem evocationem. Ex qua quidem, tanquam ex fonte aliquo, ſententia, augetur omnis intelligentia. Sacrificia enim iniquorum, ſunt Domino abominatio: vota autem eorum qui recta via incedunt, ſunt ei accepta. Deo enim magis eſt accepta juſtitia quam ſacrificium. Talia ſunt etiam ea quæ ſunt apud Eſaiam: Quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, & univerſa victimarum mactatio? & cætera quæ ſequuntur. Solve omne vinculum iniquitatis: hoc enim ſacrificium eſt Deo acceptum. Cor contritum & quærens eum qui formavit. Trutinæ doloſæ abominatio coram Domino: ſtatera autem juſta eſt Domino accepta. Hinc ſuadet Pythagoras, ſtateram non tranſilire. Doloſa autem juſtitia dicta eſt, profeſſio hæreſeum. Et lingua quidem injuſtorum peribit, os autem juſtorum diſtillat ſapientiam. Sed enim ſapientes & prudentes, ſtultos appellant. Longum autem fuerit de his virtutibus teſtimonia adducere, cum univerſa eas celebret ſcriptura.

Quoniam autem magni quidem animi virtutem definiunt ſcientiam eorum quæ ſunt gravia & non gravia, & eorum quæ ſunt intermedia: temperantiam autem, habitum, quæ eligendo & vitando ſervat judicia prudentiæ: adjungitur magni quidem & excelſi animi, virtuti, & tolerantiæ, quam appellant fortitudinem, ſcientiam eorum quæ ſuſtinenda & quæ non: & celſitudo mentis, ſcientia eorum quæ accidunt, ea tranſcendens. Quinetiam temperantiæ, cautio, quæ eſt declinatio cum ratione. Cuſtodia autem præceptorum, cum ſit innoxia eorum obſervatio, eſt ſecuritatis vitæ acquiſitio. Nec poteſt eſſe quis tolerans abſque magni animi virtute, neque continens abſque temperantia. Se autem invicem conſequuntur virtute: & apud quem ſunt virtutum cõſequentiæ, apud eum eſt etiam ſalus, quæ eſt ejus quod recte habet conſervatio. Jure ergo ſi de his virtutibus adhuc tractaverimus, de omnibus conſideraverimus: quoniam qui habet unam cognoſcendo virtutem, omnes per mutuam habet conſequentiam.

Jam continentia eſt affectio, quæ non tranſilierit ea quæ viſa fuerint ex recta ratione. Continens autem eſt is qui continet eas appetitiones quæ ſunt præter rectam rationem: vel qui ſeipſum continet, ne appetitione efferatur præter rectam rationem. Temperantia autem ipſa non ſine magni animi virtute, quandoquidem ex præceptis oritur, ſequens Deum qui ordinavit, & prudentia, & quæ divinum ſtatum imitatur juſtitia, per quam cum ſimus continentes, mundi ad pietatem ac religionem, & quæ Deum conſequenter ſequitur, actionem tendimus, aſſimilati Domino, quoad ejus fieri poteſt à nobis caducis & morti obnoxiis. Id autem eſt, juſtum & ſanctum fieri cum prudentia. Deus enim nullius rei indiget, & perturbationibus non eſt obnoxius: unde nec eſt proprie continens. In eum enim nulla unquam cadit affectio aut perturbatio, ut eam ſuperet. Noſtra autem natura, quæ eſt obnoxia affectionibus & animi perturbationibus, opus habet continentia, per quam dum exercetur ut paucis indigeat, conatur habitu ad divinam naturam accedere. Vir enim bonus paucis indiget, ut qui ſit in confinio naturæ mortalis & immortalis: egens quidem & propter corpus, & propter ipſam generationem: paucis autem egere doctus, propter ſuſceptam ratione continentiam.

Quamnam enim habet rationem, quod lex viro prohibet, ne veſtem induat muliebrem? An non nos vult eſſe viros, & nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effœminari? Vult enim eum eſſe maſculum qui veritati dat operam in ferendis laboribus & perpeſſionibus, & moribus, & in ſermone & exercitatione, noctu & interdiu, & ſicubi teſtimonio ſeu martyrio opus ſit, quod procedat per ſanguinem.

Rurſus, ſi quis, inquit, domum à ſe nuper ædificatam nondum habitavit, aut vitem nuper plantatam operatus, fructus nondum fuit particeps, aut ſibi deſponſæ virgini nondum nupſit, eos vult humana lex eſſe immunes à militia, & prudenter, ut decuit Imperatorem, ne dum avellimur à cupiditatibus, ignavo & dejecto animo demus operam militiæ: ſunt enim liberi

ab appe-

ab appetitionibus, qui citra ullam excusationem quævis gravia pericula adeunt: humane autem quoniam incertos bellorum causas reputans, iniquum esse duxit, ut hic quidem suis non frueretur laboribus, ea perciperet quæ sunt eorum qui laborant. Videtur autem lex quoque indicare animi magnitudinem, statuens oportere eum qui plantavit fructum percipere, & eum qui ædificavit habitare, & eum qui puellam ambiit, uxorem ducere. Is enim qui se exercuerūt spes non reddit irritas ex ratione cognitionis: nam & mortui & viventis boni viri spes non perit. Ego eos qui me diligunt, amo, inquit sapientia: qui autem me quærunt, inveniunt pacem. Et ea quæ sequuntur.

Quid vero an non mulieres Madianitarum sua pulchritudine pellantes Hebræos à temperantia per incontinentiam deduxerunt ad impietatem? Meretriciis enim illecebris à gravi & honesta exercitatione ad meretricias voluptates forma inescātes, ad sacrificia idolorum, & ad externas mulieres veluti quodam furore percitos deduxeruut. A mulieribus autem simul victi & voluptate, à Deo quidem defecerunt & à lege: & propemodum universus populus in hostium manus venit ac potestatem, muliebri strategemate, donec ipsos in periculum adductos exemit timor admovens. Jam vero ii qui reliqui erant, magno & lubenter pericula adeunte animo, pro pietate ac religione certamen suscipientes, evaserunt hostibus superiores. Sapientiæ ergo principium est religio. Intelligentia autē est rerum sanctarum cura & providentia. Nosse autem legem est bonæ mentis.

Qui ergo existimarunt legem efficere timorem in quem cadit perturbatio, nec sunt intelligentes, nec legem revera perceperunt. Timor enim Domini vivificat. Qui autem errat, affligetur in laboribus quos non considerat nec reputat cognitio. Mystice profecto Barnabas: Deus qui est universi mundi Dominus, inquit, det etiam nobis sapientiam & intelligentiam, scientiam, cognitionem justificationum ejus, tolerantiam. Efficiamini ergo à Deo docti, requirētes quid à vobis quærat Dominus, ut inveniatis in die judicii horum insidiatores. Dilectionis & pacis filios appellavit ex cognitione.

De elargitione autem & communicatione cum multa dici possunt, sufficit hoc dicere, quod lex prohibet fratri fœnerari: fratrem nominans non eum solum qui ex iisdem natus parentibus, sed etiā qui fuerit ejusdem tribus, ejusdemque sententiæ & ejusdem verbi particeps: non æquum censens ut ex pecuniis usuras legamus, sed laxis manibus & animis gratificemur egentibus. Deus enim est talis doni conditor. Joan. 5. qui lubenter largitur, satis magnas accepit usuras, ea quæ sunt apud homines preciosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemq; & gloriam. An non hoc tibi videtur esse præceptum humanitatis, sicut illud, Mercedem pauperis ipso die reddere; doces oportere sine mora exsolvere mercedem ministris. Remittitur enim ut opinor, ad id quod sequitur faciendum pauperis alacritas, si desit alimentum. Præterea fœnerator, inquit, ne ingrediatur domum debitoris, vi pignus accepturus, sed ille quidem jubeat extra proferre: qui vero habet, ne recuset. Et in messi ea quæ à manipulis excidunt tollere prohibet possessores, sicut etiam in metendo jubet aliquid insectum relinquere, per hoc possessores valde exercens ad communicationem & magnificentiam, ex eo quod ex propriis aliquid dimittant egentibus, pauperibus autem præbens materiam sibi quærendi victus. Vides quomodo lex Dei simul annunciat justitiam & bonitatem, qui omnibus alimenta abunde suppeditat: & in ipsis vindemiis regredi ut carpant ea quæ sunt relicta, & uvas quæ excidunt colligere prohibet. Eadem etiam præcipit iis qui colligunt oleas. Jam vero decimæ quoque fructuum & pecorum, docebant & pios esse in Deum, & non esse lucro omnino deditos, & proximos humanitatis efficere participes. Ex his enim ut puto, & primitiis alebantur sacerdotes.

Jam ergo intelligimus nos per legem erudiri ad pietatem & communicationem, & ad justitiam & humanitatem. An non enim septimo quoque anno jubet agrum relinqui ociosum? pauperes autē iis qui divinitus producti fuerint fructibus securè frui præcepit, agrū colente natura volentibus Quomodo ergo non est bona lex, & magistra justitiæ? Et rursus quinquagesimo anno jubet eadem facere quæ septimo: præterea reddens unicuique proprium, si cui casu aliquo ablatus esset fundus: & eorum cupiditatem qui possidere desiderant, dimenso utendi fruendi tempore circumscribens: & eos qui propter longam paupertatem pœnas dederunt, nolens perpetuò puniri. Eleemosynæ autem & fides custodiæ regiæ. Benedictio autem in caput ejus qui elargitur, & qui miseretur mendicorum beabitur, quoniam charitatem ostendit in sibi simílem, propter eam habet charitatem in opificem humani generis. Habēt autem ea quæ prius dicta sunt, alias quoque magis naturales expositiones, de quiete & receptione hæreditatis, sed non dicta sunt in præsentia.

Multis autem modis intelligitur charitas, per mansuetudinem, per benignitatem, per tollerantiam, per invidiæ & æmulationis vacuitatem, per odii remotionem, per injuriæ oblivionem. Est ejusmodi in omnibus ut dividi & discerni non possit, sua lubenter communicans. Rursus si videris, inquit, jumentum necessariorum aut amicorum, aut eorum quos cognoscis hominum, errans in solitudine, abduc ipsum & redde, & si procul abfuerit dominus, postquam servaveris cum tuis donec redierit, redde. Naturalem docet societatem, nempe ut inventum existimemus depositum, & ne simus memores injuriæ ab inimico acceptæ. Præceptum Domini, quod est revera fons vitæ, facit declinare à laqueo mortis.

Quid vero, annon jubet diligere advenas, non solum ut amicos & cognatos, sed etiam ut nos ipsos & animo & corpore? Jam vero gentes quoque honoravit, & nec in eos qui male fecerunt infenso est animo. Aperte itaque dicit, non abominaberis Ægyptium, quoniam fuisti advena in terra Ægypti: vel gentilem, vel quemvis etiam mundanum vocans Aegyptium: & hostes, etiamsi muris immineant, conantes urbem capere, nondum hostes vult existimari, priusquam missis ad eos legatis ad pacem provocaverint

Quinetiam ne cum captivā quidem vult libidinosam esse consuetudinem. Sed cum ei, inquit, permiseris triginta diebus ut vult lugere, cum ejus postea vestes mutaveris, tanquam cum uxore legitime cum ea congredere. Non erit enim amplius libidinosa consuetudo. Sed nec mercenariam, tanquam meretricis, sed propter solam liberorum procreationem vult esse consuetudinem. Vides unà cum continentia humanitatem? Domino amanti captivam, non permittit explere voluptatem, sed præstituto spatio resecat cupiditatem: & præterea tondet etiam captivæ pilos, ut probrosum aversetur amorem. Si enim ei suadet ratio ut uxorem ducat, eam retinebit etiam si turpis evaserit. Deinde si quis expleta cupiditate, noluerit amplius cum captiva habere consuetudinem: neque eam ei licere vendere constituit, sed neque amplius habere ancillam, verum vult esse liberam, & liberari à servitute, ne si alia fuerit ingressa mulier, ei grave aliquid & intollerabile accidat è zelotypia.

Quid vero inimicorum quoque jumenta onere pressa allevare & erigere præcipit, eminus, nos docens Dominus, non amplecti exultationem in malis, neque inimicorum insultare miseriis, eisque lætari, ut in his exercitatos pro inimicis quoque doceat orare. Neque invidere, & propter proximi bona dolore affici convenit, neq; propter mala proximi, gaudii usuram percipere. Quod si alicujus, inquit, inimici errans jumentum inveneris, contentionis interno relicto incendio, ipsum adduc & redde. Injuriæ enim & oblivionem consequitur vera vitæ probitas: & eam, inimicitiarum dissolutio. Hinc perfectè & integrè deducimur ad concordiam, ea vero nos veluti manu deducit ad beatitudinem. Et si aliquem ex moribus inimicum existimaveris: eum autem vel à cupiditate, vel ira citra rationem decipi deprehenderis, converte ad vitæ probitatem. Jam ne videtur humana lex & benigna, quæ est pædagogus ad Christum? & Deus idem bonus cum justitia, ab initio usque ad finem unoquoq; genere aptè usus ad salutem? Miseremini, inquit Dominus, ut misericordiam consequamini: remitti te ut remittatur vobis: ut facitis, ita fiet vobis: ut datis, ita dabitur vobis: ut judicatis, ita judicabimini: ut benigni estis, ita vobiscum agetur benignè. Qua mensura metiti fueritis, remetietur vobis. Præterea eis qui victuri serviunt, infamiam omnino irrogari prohibet: & iis qui propter debita redacti sunt in servitutem, septimo anno dat omnino inducias. Quinetiā prohibet supplices dare ad supplicium. Est ergo verissimum illud eloquium: Sicut probatur aurum & argentum in fornace, ita Dominus eligit corda hominum. Et vir quidem misericors est longanimis, & in quolibet qui est sollicitus, inest sapientia. In virum enim intelligentem cadit sollicitudo: & qui est sollicitus ac curam gerit, vitam quæret: & qui Deum quærit, inveniet cognitionem cum justitia. Qui eum autem rectè quæsiverunt, pacem invenerunt.

Mihi autem videtur etiam Pythagoras suam in animantes rationis expertes mansuetudinem à lege accepisse. Ecce enim iis quæ in ovium & caprarum gregibus boumque armentis nascuntur, protinus uti interdixit, ne prætextu quidem sacrificiorum patrum & matrum gratia, hominem ad mansuetudinem vel ex infimis à brutis animantibus educes. Concede, inquit, matri fœtum vel septem primis diebus. Si enim nihil fit sine causa, & enixis animantibus lac redundat ad fœtus nutriendos: qui à dispensatione lactis fœtum avellit, naturam afficit contumeliā Erubescant ergo Græci, & si quis est alius, legem insectari, si ea quidem vel in bestias benigna sit: illi autem etiam hominum fœtus exponunt, quanquam longè ante & propheticè eorum feritatem lex per hoc præceptum exscinderet. Si enim fœtus bestiarum à matre separari prohibet ante lactis effusionem, multo magis in hominibus crudeli & immani menti præparat remedium, ut etsi naturam, disciplinam certè non negligant. Hœdis enim & agnis eis impleri per illum est. Et aliqua quidem fortasse fuerit excusatio ei qui fœtum à matre separat: infantis autem expositionis quænam causa fuerit? Ab initio enim oportebat ne uxorem quidem ducere, ei qui non cupiebat procreare liberos, potius quam per voluptatis intemperantiam, filii fieri homicidam. Rursus autem benigna lex prohibet eodem die fœtum & matrem sacrificare. Hinc etiam Romani, si qua mulier prægnans fuerit damnata capitis, non prius permittunt ut supplicium subeat quam pepererit, Aperte itaque quæcunque uterum gerunt animalia, ea lex non prius mactari permittit, quam pepererint, eminus retardans hominū ad injuriam faciendam propensionem. Ita vel usque ad bruta animantia extendit benignitatem, ut cum eam in iis quæ sunt diversi generis exercuerimus, longe majori humanitate utamur in iis quæ sunt ejusdem generis.

Quia. in aliquorum animantium vētres ante partum calces impingunt, ut contemperata lacte carne vescantur, matricem quæ est creata ad generationē, faciūt sepulchrū fœtus qui gestatur in utero, cū lex aperte jubeat: Sed neq; coques agnū in lacte matris suæ. Non

fiat enim, inquit, id quod est viventis nutrimentum, interempti animalis condimentum: neque quod est vitæ causa, opem ferat ad consumptionem corporis.

Eadem autem lex edicit, nec alligetur os bovi trituranti. Oportet enim operarium dignum censere nutrimento. Et prohibet simul in aratro conjungere bovem & asinum: fortasse quidem etiam conjectans, quam nulla sit inter eas animantes convenientia: simul autem significans, nullum oportere ex diversis gentibus injuria afficere, neque jugo subjungere, si nullius alterius rei eos possimus insimulare, quam quod sint diversi generis: quod quidem culpa caret, nec fit vitio, nec ex vitio proficiscitur. Mihi autem videtur quoque significare allegoria, verbi culturam non esse ex æquo communicandam mundo & immundo, fideli & infideli: quoniam bos quidē est mundus, in immundis autem reputatus est asinus.

Redundanti autem quadam humanitate bona lex utens, nec quæ sunt domesticæ mitisque materiæ arbores docet esse excindendas, neq; segetē ante messem tondendā ad pernitiem: sed neq; fructum mitē omnino interimēdū, neq; terræ neq; animæ. Neq; enim agros hostium permittit excindere. Jam vero qui sunt etiam studiosi agriculturæ, in his quoque possunt utilitatem à lege accipere. Jubet enim arbores nuper plantatas, tribus annis ordine sequentibus fovere & alere, superfluas quæ adnascuntur exscindendo propagines, ne nimis gravatæ opprimantur, & ne alimento minutatim diviso imbecillæ fiant propter inopiam, arareque & circumfodere, ut nihil prope germinans ac pullulans prohibeat incrementum: & fructū non sinit imperfectum colligi ex imperfectis, sed post triennium, cum quarto anno Deo consecrarit primitias, postquam arbor perfecta fuerit. Fuerit autem hæc agriculturæ figura, modus doctrinæ, docens oportere exscindere peccatorum propagines, & quæ una cū genitali fructu pullulant inanes herbas cogitationis, donec perficiatur & firmum fiat germen fidei. Quarto enim anno, quoniam tempore quoq; opus est ei qui stabiliter per catechesin instituitur, quaternio virtutum Deo consecratur, cum tertia jam sola conjungatur cum quarta Domini hypostasi. Sacrificium autem laudis super holocausta. Hic enim, inquit, dat tibi vires faciendi virtutem. Sin autem res tibi illuminatæ fuerint: cum vires acceperis, & acquisieris, fac tibi in cognitione virtutem. Per hæc enim ostendit & bona & dona à Deo tuppeditari, & oportere nos cum ministri facti simus divinæ gratiæ, seminare Dei beneficia, & eos qui appropinquant, bonos & honestos reddere. Ut quam maxime quidem temperans, continentes: qui est autem magni & excelsi animi, fortes, & sapiēs, intelligentes, & justus, justos efficiat. Hic est qui ad imaginem & similitudinem est cognoscendi potestate præditus, qui Deum imitatur quoad eius fieri potest, nihil prætermittens eorum quæ faciūt ad eam quæ contingere potest similitudinem, continens, sustinens, juste vivens, imperans animi perturbationibus, ea quæ habet impertiens pro viribus benefaciens & verbo & opere. Hic est, inquit, maximus in regno, qui fecerit & docuerit, Deum imitans, eo quod gratificetur consimiliter. Sunt enim communiter utilia Dei bona. *lib 2. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Adhæc quomodo illud animadvertis, omnium sapientissime & ingeniosissime, atque ad virtutis arcem & verticem Christianos coarctans, quod in legibus nostris, alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt, alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio & volūtate posita sunt: ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore & præmiis afficiantur: qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant? Etenim si fieri posset, ut quam optimi omnes essent, atque ad summum virtutis fastigium pervenirent, hoc quidem præclarissimum & perfectissimum esset. Quoniam autem divina ab humanis dirempta sunt, atquē alii quidem nullo non virtutis genere excellunt, alii autem bene secum agi putant, si vel mediocritatem assequantur: quæ hæc tua ratio est, dum ea judicas & præscribis, quæ non omnium sunt: aut eos pro damnatis habes, qui non custodiunt? Quemadmodum enim quisquis supplicio haud dignus est, nō idem statim laudem & prædicationem meretur: eodem modo nec quisquis laude & prædicatione dignus non est, idem confestim pœnam quoque commeretur: sed philosophiæ nostræ viriumque humanarum finibus nosipsos continere, sicque id, quod recte & ex virtute geritur, exigere debemus. *Oratio. 3. in Iulianum stelitentica prima.*

D. Nazianzenus: Fidem fefelli, haud sponte ac libenter: verū quod lex legem superarit, ea nimirum quæ parentes colere jubet, sodalitatis & familiaritatis legem. *Epistola 5.*

D Greg. Nyssenus: Non est æqui legislatoris ea jubere quæ natura non capit nec admittit. nam id perinde est, ac si quis æqualia traducat ad aëriam vitam, aut contra ad aquam deducat ea quæ in aëre vivunt: sed convenit ad proprias & naturales vires aptam & accommodatam esse legem. *Hom 2. de beatitud.*

D. Chrysostomus: Lex porro ad naturalium interitum datur, sed ad correctionem emendationemque perversæ secundum voluptatē actionis. idque non nesciunt profani etiam judices, tum universa hominum natura. ea enim non tantum coërcent mala quæ ab ignavia proficiscuntur. quæ naturæ cohærentia sunt, ea non prohibentur se convellere, neque enim licet. *Homilia 12. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Si jussisset Deus gravia, & quæ non possent fieri; posset fortasse quispiam proferre legum difficultatem. Si autem sunt admodum facilia; quidnam habemus quod dicamus, si ne eorum quidem ullam habemus rationem? Non potes jejunare, neq; virginitatem exercere. Atqui potes, si velis: & nos accusant ii, qui possunt. Nec tamen adeo severus & rigidus fuit in nos Deus: neque hæc jussit, neque lege constituit; sed dimisit in libero arbitrio & electione auditorum. Potes autem esse temperans in matrimonio, & potes non inebriari. Non potes omnes abjicere pecunias. Quamquam potes: & ostendunt qui fecerunt. sed tamen ne hoc quidem jussit. Sed jussit non rapere, & ex facultatibus egenis opem ferre. Si quis autem dicat, quod nec uxore sola potest esse contentus; se ipsum decipit & fallit, & eos accusant qui absque uxore sunt continentes. Quid vero, dic quæso, non potes non probro & maledicto appetere? Non execrari non potes? Atqui ea facere est grave, non autem non facere. Quam ergo habemus excusationem, quæ sint adeo levia & facilia non servantes. Non potest dici nos habere ullam. *Homilia 9. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Vis scire quam sint corrupta vulgi judicia, inutilia & ridicula, & quod alia quidem sunt hominum insanorum & emotæ mentis, alia infantium lactentium? audi: ego tibi ab alto dicam repedita judicia, non populi solum, sed etiam sapientissimorū qui ab initio esse videbantur legislatorum. Quis enim vulgo videri potuerit esse sapientior eo, qui dignus est habitus, qui leges ferret civitatibus & populis? Sed tamen his sapientibus non videtur esse malum scortari, neque pœnam mereri. Nulla certe lex externa id punit, neque trahit in judicium: sed & si pro iis traxeret; vulgus irridet, neque fert judex. Rursus alea ludere est apud eos liberum à supplicio, neque apud eos pro his quispiam dedit pœnas. Inebriari & helluari non solum non est crimen, sed etiam præclarum esse facinus vulgo est existimatum, & in cœnis militaribus, de eo acerrimè contenditur: & qui maximè egent sana mente & robusto corpore, ii maxime sunt dediti temulentiæ, & corpus enervantes, & animæ tenebras offundentes. Neque hoc peccatum ullus puniit legislator. Quid pejus est hac insania? A sic ergo affectis hominibus cupis laudari? & non te abscondis? Nam etsi omnes qui sunt ejusmodi te admirarentur: non te oporteret erubescere, & præ pudore vultum tegere; quod tibi applauderent homines, qui sunt adeo depravato & corrupto judicio.

Rursus blasphemia legislatoribus non videtur quidquam terribile. Nullus quidem certè, qui Deum blasphemarit, tractus est in judicium, & dedit pœnas. Sed si vestē quidem sit quispiam suffuratus, aut crumenam secuerit; & latera ei lacerantur, & sæpe morte afficitur: qui autem Deum blasphemat, non insimulatur ullius criminis ab externis legislatoribus. Etsi ancillæ quispiam vitium attulerit, qui habet uxorem; nihil esse videtur externis legibus, neque vulgo. Vis etiam alia rursus audire, quæ eorum ostendunt amentiam? Nam hæc quidem non puniunt: alia autem ipsi quoque legibus statuunt. Quænam autem sunt illa? Theatra congregant; & meretricum choros illic inducentes, & pueros scortantes: & qui iniuria ipsam afficiunt naturam, totum populum in loco superiore faciunt considere; sic civitatem recreantes; sic magnos reges, quos semper propter trophæa & victorias admirantur, coronantes.

Atqui quid est hoc honore frigidius? quid voluptate illa iniucundius? Ex his ergo quæris factorum tuorum laudatores? et cum saltatoribus mollibus, & mimis, & meretricibus vis dic quæso, laudari? Et quomodo non fuerint hæc extremæ amentiæ? lubenter enim eos rogarem. Estne grave & indignum leges naturæ evertere, & illicitos & nefarios inducere concubitus? Omnes dicent esse grave & indignum. Videntur quidem certè hoc quoque punire flagitium. Quid ergo illos inducis cinædos & exoletos? Neque solum inducis sed etiā innumerabilibus & ineffabilibus honoras muneribus. alibi eos quī talia audent puniens, heic autem tanquam de republica bene meritis & pecunias insumis, & publicis impensis eos alis. At sunt, inquit, infames. Quid ergo eos erudis? Cur reges per infames honoras? cur civitates enecas? cur autem in eos tam multa impendis? Nam si sunt infames, infames oportet expelli. Nam cur eos fecisti infames? An ut laudaris, an qui eos condemnaveris? ut qui condemnaris scilicet.

Deinde ut qui condemnaris quidem, eos facis infames: curris autem eos visurus, tanquam qui sint honesti bonæque famæ & existimationis; & admiraris, & laudas, & applaudis. Quid opus est dicere fraudes & imposturas, quæ sunt in equorum curriculis, & quæ in pugnis ferarum? Sunt enim illa omnia plena stuporis & dementiæ. Docent assiduè populum immisericordem, sævum & inhumanum: & exercent ad videndum homines discerpi ac dilaniari, effluere sanguinem, & ferarum crudelitatem omnia confundere. Hos autem omnes morbos ab initio induxerūt sapientes illi legislatores: plauduntque & admirantur civitates. *Homilia 12. ad Corinthios 1.*

Chrysostomus: Mortem lex ministrabat, non autem pariebat. Nam peccatum id erat, quod mortem efficiebat: lex autem mortē invehebat, ac peccatum indicabat; non autem faciebat. Malum enim apertius detegebat, non autem ad malum impellebat. Neque ad id ministrabat, ut peccatum fieret, aut mors existeret; sed ut pœnas daret is qui peccasset. Ac proinde hac quoque ratione peccatum delebat. Nam dum ipsa peccatum adeo formidandum esse ostenderet: proculdubio hoc etiam faciebat, ut ipsum fugiendum esse videretur. Quēadmodum igitur is, qui ensem in manus sumit, ac sonti caput amputat, iudici pronuncianti ministrum se præbet; neque ipse est qui interemit, etiamsi alioqui ipse sit, qui caput abscindit; nec rursum is, qui sententiam profert, ac sontem condemnat, sed ejus, de

de quo ſupplicium ſumitur, improbitas? eodem modo heic quoque non lex erat, quæ necem afferebat; ſed peccatum ipſum erat, quod & interimebat & condemnabat. Hæc porro, in ſontem animadvertens, vim illius ſuccidebat, nimirum ſupplicii metu eum coërcens. *Homilia 7. ad Corinthios 2.*

Chryſoſtomus: Si ſervanda lex eſt, tota ſervanda eſt. quod ſi non eſt neceſſe ſervare totam, ne partem quidem ſervare neceſſe eſt. *cap. 2. ad Galatas.*

Chryſoſtomus: Lex jubet omnia fieri quæ in ipſa ſcripta ſunt, ac non facientem punit. *cap. 2. ad Galatas.*

Chryſoſtomus: Legis præcepta inter ſe cohærent. Et qui ex libero deſcriptus eſt in ſervitutem, non amplius facit quæ vult, ſed omnibus ſervitutis legibus obſtrictus eſt. Itidem accidit in lege: ubi puſillam aliquam legis partem receperis, teque ipſum jugo ſubmiſeris, totum illius dominatum tibi accerſiſti. Idem fit in hæreditate mundana. Qui nihil attigit, ab omnibus liberatus eſt negotiis, quæ ſequuntur defuncti hæreditatem. Quod ſi paulum aliquid attigerit, etiam ſi non acceperit omnia, omnibus tamen ſeſe obſtrinxit, qui partem attigit. Idem accidit in lege: non ob hunc tantum, quem dixi, modum, verumetiam ob alium quendam. Legis enim partes invicem cohærent. *cap. 5. ad Galatas.*

Chryſoſtomus: Quemadmodum equi freno mori geri, omniaq; ex ſeſe facientes, non opus habent ſcutica: ſic & anima quæ impulſu ſpiritus recta facit non eget admonitrice lege. *capite ſexto ad Gallatas.*

Chryſoſtomus: Si apud homines quiſpiam quidquam fecerit iniquum, amandatur à conſpectu regis. & ſi unum ex iis quæ ſunt conſtituta ſit tranſgreſſus: & ſi accuſans ſit calumniatus, perdit magiſtratum. & ſi adulterium commiſerit & ſit convictus, redditur indignus, & quamvis innumerabilia rectè geſſerit, perit: & ſi cædem fecerit, & probatum fuerit, hoc quoque ad eum perdendum ſufficit. Si hominum leges adeò exactè ſervantur, multò magis leges Dei. *Homilia 4. ad Epheſios.*

D. Chryſoſtomus: Cogita quantum fuerit homines efferatos jã natura, ad humanam vitæ rationem adducere. Niſi lex fuiſſet, neq; etiam gratia data eſſet: quapropter? quoniam pontis inſtar fuit. Etenim quoniam minime fas erat de infimo loco in excelſum aſcendere; facta eſt ſcala. Et quamvis, iſthuc pervenit, non amplius ſcalæ egeat; non propterea tamen illam ſpernit; ſed potius ei gratias habet. Ipſa enim fuit, quæ illum eò adduxerit; ut ſui poſthac non egeat; ac tamen pro hoc ipſo, quod illius non eget, beneficium ſe illi debere merito fatetur: ſine illa enim non aſcendiſſet. Idem de lege dicendum eſt. Evexit nos in ſublime: ergo lucrum erat: ſed jã ipſam putamus damnum: quomodo? non quoniam damnum eſt: ſed quoniam longe potior gratia. Nam quemadmodũ fame laborans pauper, quamdiu quidem ſolum argentum habet, eo arcet famem; poſtquam vero aurum invenerit, ſi utrumque retinere non liceat, damnum putat retinere argentum, atque illo dimiſſo aurum capit; dimittit autem, non quod damnum ſit argentum (non enim eſt,) ſed quoniam utrumque ſimul habere non licet; ſed neceſſario alterutrum eſt relinquendum: ita & hic. Non igitur lex eſt detrimentum, ſed legi inhærentem deficere à Chriſto: quamobrem quum nos abducit à Chriſto; tunc damnum eſt: quod ſi adducat, non item. *Homilia 11. ad Philipp.*

D. Chryſoſtomus: Quemadmodum, inquit, fræno legitime utitus non is equus qui laſcivit, neque qui mordet, ſed qui illo pulchrè agitur: ita & is lege utitur legitime, non qui literæ neceſſitate ſobriè ac juſtè vivere cogitur. Quis autem illa legitimè utitur? Qui hoc novit, quod ipſa non indiget. Nam qui ad id virutum culmen evaſit, ut non legis metu rectè factis inſiſtat, ſed virtutis tantum gratia: hic ea legitimè atque ſecurè utitur. Si quis ea ita utitur, ut non metuat eam, neque penitus timeat, ſed futurum magis ſupplicium ſemper ante oculos volvat: hic ea itidem legitimè utitur. propterea juſtum hoc in loco appellat eum, qui virtutis actibus pollet: ille quippe rectè lege utitur, qui ab ea erudiri opus non habet. Quemadmodum enim literarum apices pueris proponuntur: porro qui eas docet, non ex ipſis excellit, verum aliundè peritiæ gloriam promeretur, atque ex ea eruditione præſtantius utitur literis: ita & qui legem tranſcendit, nihil opus habet doceri lege. Qui enim non metu ipſam exequitur, ſed ex virtutis deſiderio, hic illam dignus cæteris ac præſtantius implet: neque enim pari conditione is qui ſupplicium veretur, & qui honorem appetit, legem implet.

Non ſimiliter eam ſervat, qui ſub lege, & qui ſupra legem eſt: nã ſupra legem vivere, id tandem eſt ea legitimè uti. Ille enim ritè ea legitimè utitur, qui majora quam ipſa præcipit, perficit: qui ab ea erudiri non patitur. Lex enim ut plurimum circa ſcelerum interdicta verſatur. At id juſtum neminem facit, ſed ſola bonorum operum exercitatio. Quicumque igitur ſervorum more à malis abſtinent, hi legis deſtinatione fruantur: idcirco enim ea impoſita eſt, ut puniat tranſgreſſores. Illi itaque non ea utuntur, niſi tantum ne pœnas exolvant. Vis enim, inquit, non timere poteſtatem? Bonum fac: ac ſi dixerit, lex enim malis ſuppliciorum denunciatrix eſt. Cæterum ei, qui coronis digna peregerit, ad quid erit utilis lex? Ad nihil profecto, quemadmodum & medicus, confecto vulneribus, non ſano, neque bona valetudine prædito. *Homil. 2. ad Timoth. 1.*

Baſilius Seleuc: Quo in prætio ſit legislator, obſervatione legis propala. Perſpectum tuum habeam animum, & amoris tui vim in pretio habeam. *Sermone 3. in. loquiturque Deus Adamo.*

Mox: Ideo terrorem mortis cum lege tibi obtuli, contra nefariam appetentiam auxilio futurum; & ſi mens ad eam inclinet, terrore objecto firmatur. eſt enim temperantiæ nervus prævaricationis metus. tu vero non terrore, ſed amore honorem mihi defer.

Baſilius Seleuc: Lex ſupplicium intentabat, & contra Davidem gladium acuebat. nec enim lex novit peccatum ex æquitate expandere; ſed ſolum de eo quod criminoſum apparet judicat: priorum rectè factorum, & ſi permulta ſint, nulla tangitur reverentia quod actum eſt vindicat. *Oratione 29. ante finem.*

Iſidorus Peluſiota: Creator terminum naturæ impoſuit: ac mecum lex malè feriatis minata eſt. Quocirca qui præſcriptis finibus ſe continent, naturam honore proſequuntur. Qui autem legem propulerunt, metum acceperunt.

Natura legitimum concubitum habet: ſcortatio autẽ inſidioſam rabiem excogitavit. Quamobrem qui inique, ac rapido quodam furore, naturæ limites exceſſerunt, hos legis terror ad pudicitiæ ſtudium erudivit. *lib. 1. Epiſt. 295. & 296.*

S. *Iſidorus Peluſiota*: Non abſona nec à Legis mandato aliena Lex Evangelica nobis tradidit. Nam cum illa peccati eventum ac perpetrationem vetet, hæc mali principium, hoc eſt cupiditatem, prohibet: ut per quam ad actionem quiſpiam facile prolabatur: qua ſublata & extincta, nullus actioni locus patet. *lib. 1. Epiſt. 458.*

S. Iſidorus Peluſiota: Ex his quoque quæ dicturi ſumus (ô prudentiæ delubrum) quid inter divinas & humanas leges diſcriminis ſit perſpicue intelligere queas. Etenim divina oracula, ea, quæ honeſta & conſentanea ſunt, ſancientia, in principio atque in prima ætate virtutis magiſtros præficiunt, quo videlicet improbitati aditum intercludant. Nam hæc demum optima doctrinæ ratio eſt, non cum prius vitium dominari permiſeris, poſtea in eam curam incumbere ut eliminetur: verum ſtatim ab ipſo initio quidvis agere ac moliri, ut ne ipſi aditus ullus ad humanam naturam pateat. Ad externi legumlatores tum denique eam componunt ac moderantur, cum depravata fuerit. Non enim ad virilem ætatem provectis pœnas mirari oportebat, verum puerilem ætatem agentes effingere atque cõponere. Sic quippè fortaſſe minis poſtea haudquaquam opus habuiſſent. Nunc vero perindè fit, ac ſi quis ei qui à latronibus obtruncandus eſſet, nec opem ferat, nec quonam pacto ex eorum manibus elabatur, dicat, vulneribus autem confectum ac penè exanimem ulciſcatur: aut quemadmodum ſi medicus quiſpiam, nec ſano & incolumi ad præcavendum morbum adjumentum ullum porrigat, nec ægrotare incipienti, aliquid quo morbum propulſet, dicat aut faciat, corrupto autem atque ita affecto, ut nulla ratione curari poſſit innumera remedia præſcribat.

Quod ſi multi has potius quam illas leges pertimeſcunt, haud mirandum eſt. Nam hæ quia pœnam quam celerrimè inferunt, craſſiores terrent: illæ autem, quia rarò in hac vita, omnino autem in futura, cruciant, contemnuntur. Futurum etenim paucis duntaxat quibuſdam, hoc eſt iis qui ocultatiore mente ſunt, ac rerum naturã planè perſpicuunt, conſpicuum eſt. Nam plerique etiamſi verbis confitentur, factis tamen negant. Per ea enim quæ faciunt. ea, quæ cogitant, prædicant: quippe qui non modo corporis ingentem curam gerunt, cum interim animum negligant, ſed etiam cernentibus quidem hominibus quominus peccent, pudore deterrentur: Deo autem non modo inſpectante, ſed etiam omnia complexu ſuo continente, adeò non erubeſcunt, ut etiam citra omnem metum peccent. Nec verò id duntaxat permultorum furorem ac rabiem oſtendit: ſed id etiam quod dicturus ſum. Nulti enim per Deum jurantes, perjurii crimine ſeſe devinciunt: per filiorum autem caput ne jurare quidem audent. Quænam igitur his in hac vita ſatis digna pœna excogitari queat? Nulla omnino eſt. Ac proinde meritò illic pœna denunciata & ſuſpenſa eſt. *lib. 2. Epiſt. 188.*

S. Iſidorus peluſiota: Lex optimum eſt integritatis documentum, non eos, qui rectum iter tenent, corrigens, verum eorum, qui petulanter ſe gerunt, impetus reprimens. Ob idque etiam Paulus dixit, Juſto non eſt poſita lex. At verò Evangelium cohortatio eſt ad philoſophiam, quippe quod proborum virorum cupiditatem, non tam metu quam promiſſis erigat. Quamobrem qui huic obſequuntur, non legis timore, ſed ejus, quod melius ac præſtantius eſt, electione, virtutem mordicùs retinent. *lib. 2 Epiſt. 288.*

S. *Iſidorus Peluſiota*: Incidi aliquando in hiſtoriam Perſicam, talia quædam complectentem: Quod pueri quidem didicerint, nullum mendacium neque dicere neque audire, neque id juſtum quod utile ſed id utile quod juſtum eſſet, exiſtimare: & dare quam accipere, utilius eſſe. Cum autem iam in virorum claſſem adſcribendi eſſent, iusiurandum dabant, oppidò quidem pauca verba ſed vim ac poteſtatem maximam complexum, omnemque Græcorum philoſophiam ſuperans. Jurabat enim unuſquiſque in hæc verba: Ego contemnam quidem omne malum lucrum: contemnam voluptatem corporis: contemnam inanem gloriam, æmulabor autem virtutem, & colam divinum numen, & parentes: vera dicens, & bona agens: neque horum quicquam violabo ſciens & volens. Si igitur divinas litteras, quod earum fulgorem velut ii qui lippitudine oculorum laborant, ſolem, ferre nequeas, nec ipſe legis, nec legi à filiis tuis permittis: at hæc ſaltem meminiſſe, & ipſe te & tuos liberos adſuefacito. Credo enim fore, ut ab hiſce permoti in divinos quoque ſermones tandem incidatis. *lib. 4. Epiſt. 198.*

Synoſius: Timoris vacuitas maxima, eſt legum timor. Te vero puduit videri eas ſemper metuere. Quare inimicos reformida, ac

cum iis etiam judices, si non furentur: sin furentur quidem, tu vero non amplius dederis: nihilominus cavendum. Pro legibus enim irascuntur, cum largitores insuper nacti fuerint. *Epistola* 2.

Synesius: Nec ibi vitalem mihi vitam arbitratus sum ubi privati quidam manus haberent legibus potentiores. *Epist.* 47.

§ LATINORUM.

S. *Salvianus*: Minoris criminis reatus est, legem nescire, quam spernere. *fine lib.* 4. *de gubernatione Dei.*

Salvianus: Non aliter nos de Dominica lege querimur, quam queri de optimo medico impatiens ægrotus solet; qui cum ingravescere sibi morbos vitio suo fecerit, imperitiam medentis accusat. quasi verò curare ullam infirmitatem præcepta possint, si eis non obedierit infirmus; aut sanare quemquam observantia valeat quam medicus ei imperat, si eam sibi ægrotus ipse præstat. Quid juvat stomachum abstinentia si statim dulcia sequantur? Quid conferunt phrenetico silentia circumstantium, quem statim suus clamor occidit? aut quid prodesse poterit antidotum cui superfunditur venenū. Sanare nos non potest legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum. *lib.* 5. *de gubernatione Dei.*

Salvianus: Magis ii peccant qui scientes negligunt legem Dei, quam qui non faciunt nescientes. *initio libri septimi de gubernatione Dei*

Salvianus: Ecce, quid valeant statuta legum: ecce quid proficit definitio sanctionum, quæ illi spernūnt maximè qui ministrant. sanè ad parendum humiles abjectique coguntur: compelluntur jussis obtemperare pauperculi, & nisi obtemperaverint puniuntur. eandem enim rationem habent in hac re quam in tributis. soli jussis publicis serviunt, sicut soli tributa solvunt: ac sic in ipsis legibus, & in ipsa justa rerum præceptione maximum injustitiæ scelus agitur; cum ea minores quasi sacra observare coguntur, quæ majores jugiter quasi nulla conculcant. *lib.* 7. *de gubernatone Dei plusculum à fine.*

S. *Salvianus*: Cuncti qui oderunt mandatum sacrum, causſam odii in se ipsis habent. omne fastidium, non in præceptis legis sed in moribus suis. lex quippe bona est, sed mores mali. ac per hoc mutent homines propositum & affectum suum. si enim mores probabiles esse fecerint, nihil eis quod lex bona præcipit, displicebit. quādo enim bonus quis esse cœperit, non potest non diligere legē Dei: quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus. *fine lib. quarti contra avaritiam.*

Egesippus: Mori pro lege patria, insigne est immortalitatis. *cap.* 45. *lib.* 1. *de excidio Hierosol.*

Zeno: Forte aliquis dicat, lex spernenda est, quia justo necessaria non est, peccatori verò molesta est. Absit imò potius veneranda est; quia veritatis speculum, quia rigida quædam dilectionis est forma. quidquid enim à justo didicit, id facere injustum quoque compellit: bifariè inclita, unum glorificando, alium corrigendo. *de Spe Fide & Char.*

Chrysologus: Ecce, non immitationem delictorum lex fecit esse, sed copiam: non per se fratres, sed per eum, qui legem per imbecillitatem ferre non poterat. Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ solis a Deo creata est oculis, sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest, & ferre claritatem: ita & lex fratres, quæ per se satis justa erat, & satis sancta, dum ab homine fragili severam exigit disciplinam, magis magisq; oneravit & prodidit delinquentem. Et hoc quare fratres? Ut per gratiam & veniam conditoris rediret ad vitam, qui per tumorem & ignorantiam, cum male de innocentia gloriaretur in debitum parentis deducebatur ad pœnam.

Morbus igitur latebat occultus, per quem omnium secreta medullarum, & venarum meatus in ipsorum vitalium tendebant exitium, & quandam συγκρισιν in omnibus generabant internis. Venit lex quæ & vulnus proderet, & tandem vetusto languori supernum advenire medicum nunciaret. Venit lex quæ mandatorum fomentis in cutem produceret, quod in altum lethaliter sæviebat. venit lex ut gladio præceptorum velut apostema longi temporis aperiret: & collectam diu saniem salutaris subinde siccaret effusio. Nec tamen per se, fratres, aut vulnus claudere, aut ægrotanti perfectam addere valebat ipsa sanitatem. Quod ubi vidit ægrotus, & tandem statum suum miserandus agnovit, cœpit tendere festinus ad medicum: ut quod per legem proditum, & per ipsam diu fuerat ampliatum, tanti medici peritia curaretur, & gratia. Ampliatum vulnus dicimus fratres, quia post incisionem, putredo, fætor, horror, vexatio ipsi vulneri abscisione generatur: & sic per curam deterior miserandi facies ipsa languoris, quam fuerat ignoranti periculum cum lateret. Venit ergo medicus: & jam fesso curis, & curationum vexationibus perdefesso solius verbi authoritate subvenit. *Sermone* 112. *m.*

Chrysologus: Lex reum abstringit, arctat obnoxium, punit & interficit criminosum. *Serm.* 115 *m.*

Chrysologus: Aurum avaritia non est, sed avaritiam non cognovi, nisi per aurum. Pulchritudo corporis non est concupiscentia sed formæ decus concupiscentiæ me rapuit, & perduxit ad lapsum. Sic ergo ipsa per se mala non sunt, quæ à Deo ad utilitatem, ad salutē, ad gratiam sunt creata, sed per ea delinquendi datur occasio. Ergo avaritia aurum accusat, ebrius vinum, lascivus aut lepidus, formæ vult esse quod contigit ad ruinam. Ita & lex quæ à Deo data fuerat ad salutem, quæ erat per se cælestis & sancta, facta est per hominem mortiferi hominis ad ruinam. *Sermone* 116. *m.*

Ennodius: Visitatores, inquiunt, & aliis Episcopis ipse dedit, & justum est, ut facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen, latorem juris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis & mentis est, quæ hominem viventem sine lege castigat: propriè moribus impendit, cui necessitati nō debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare. sedis istius præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reservavit exa ini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. *Apol. pro Synodo.*

Io. Sarisberiensis: Æquitas, ut juris periti asserunt, rerum convenientia est quæ cuncta coæquiparat ratione, & in paribus rebus paria desiderat, in omnes æqualibus, tribuens unicuique quod suū est. Lex vero ejus interpres est utpote cui æquitatis & justitiæ volūtas innotuit. Unde & eam omnium rerum, divinarum & humanarum, compotem esse. Chrysippus asseruit: Ideoque præstare omnibus bonis & malis, & tam rerum quam hominum, principem & ducem esse. Cui Papinianus, vir quidem juris experientissimus, & Demosthenes, orator præpotens, videntur suffragari, & omnium hominum subjicere obedientiam, eo quod lex omnis inventio quidem est, & domum dei, dogma sapientum correctio voluntariorum excessuū, civitatis compositio, & totius criminis fuga; secundum quā decet vivere omnes, qui in politicæ rei universitate versantur.

Omnes itaque legis necessitate servandæ tenentur adstricti, nisi forte aliquis sit, cui iniquitatis licentia videatur indulta. Princeps tamen legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse debet, qui non timore pœnæ, sed amore justitiæ æquitatem colat, reipublicæ procuret utilitatem, & in omnibus, ailorum commoda privatæ præferat voluntati. Sed quis in negotiis publicis loquetur de principis voluntate, cum in eis nil sibi velle liceat, nisi quod lex aut æquitas persuadet, aut ratio communis utilitatis inducit? Ejus namque voluntas in his vim debet habere judicii: & rectissimè quod ei placet in talibus legis habet vigorem, eo quod ab æquitatis mente ejus sententia non discordet. De vultu tuo, inquit, judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Judex etenim incorruptus est, cujus sententia ex contemplatione assidua, imago est æquitatis. Publicæ ergo utilitatis minister, & æquitatis servus est princeps, & in eo personam publicam gerit, quod omniū injurias & damna, sed & crimina omnia æquitate media punit. Virga quoque eius & baculus, adhibita moderatione sapientiæ, contractus omnium & errores ad viam reducit æquitatis. *lib* 4. *policrat. cap.* 2.

Io. Sarisberiensis: Omnium legum inanis est censura, si non divinæ legis imaginem gerat; & inutilis est constitutio Principis, si non Ecclesiasticæ sit conformis. *lib.* 4. *policratici cap.* 6.

Io. Sarisberiensis: Legat rex assiduè legem, ut discat timere Deum. Causſam legitimæ observationis lex ipsa subjungit; ut discat, inquit. diligens namque lector, legis discipulus est, non magister: neque ad sensum suum captivatam retorquet legem, sed menti ejus & integritati sensus suos commodat. *lib.* 4. *Policratici cap.* 7.

Io. Sarisberiensis: Constantinus, Theodosius, Justinianus, & Leo, & alii Christianissimi principes, Principem possunt instituere Christianum, in eo namque præcipuam operam dabant, ut sacratissimæ leges, quæ constringunt omnium vitas, scirentur & tenerentur ab omnibus; nec illarum esset quisquam ignarus, nisi aut publica utilitate erroris dispendium compensaret, aut miseratione ætatis, aut sexus infirmitate, legitimæ acerbitatis evitet aculeos. Illorum utique gesta, virtutum incitamenta sunt. Verba quot sunt, tot sunt institutiones morum. denique vitam, vitiis subiugatis & captivatis, quasi arcum triumphalem consecratum posteritati, & magnificæ virtutis titulis erexerunt. *libro* 4. *policratici cap.* 6.

Io. Sarisberiensis: Sed quæ verba Rex tanta diligentia custodiet? Utique quæ recepta sunt lege, ut apud Principem iota vel apex legis non cadat in terram, quod non ille propriis vel manibus subiectorum excipiat. Sunt autem præcepta quædam, perpetuam habentia necessitatem, apud omnes gentes legitima, & quæ omnino impunè solvi non possunt. Arte legem, sub lege, sub gratia, omnes lex una constringit. Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris; & quod tibi vis fieri faciendum, hoc facias aliis. Procedant nunc dealbatores potentum, susurrent, aut si hoc parum est, publicè præconentur principem non esse legi subiectum, & quod ei placet, non modo in iure secundum formam æquitatis condendo, sed qualitercumque legis habere vigorem. Regem quem legis nexibus subtrahunt, si volunt & audent exlegem faciant, ego non modò his retinentibus, sed mundo reclamante, ipsos hac lege teneri confirmo. In quo enim, inquit, qui nec fallit nec fallitur, iudicio iudicaveritis, iudicabimini. Et certe iudicium gravissimum in his qui præsunt fiet, eo quod mensura bona, confecta, & coagitata, & superfluens refundetur in sinus eorum. Nec tamen dispensationem legis subtraho manibus potestatem, sed perpetuam præceptionem, aut prohibitionem habentia, libido eorum nequaquam arbitror supponenda. In his itaque dumtaxat quæ mobilia sunt, dispensatio verborum admit-

admittitur; ita tamen ut compensatione honestatis aut utilitatis, mens legis integra conservetur. *lib. 4. Curial. nugarum. cap. 7.*

§ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Heraclitus: Audio Ephesios legem contra me laturos iniquissimam & ab omnibus legibus abhorrentissimam. Lex enim nulla duntaxat in unum statuitur sed judicium. Nesciunt Ephesii quo discrimine judex & legislator distincti sint Et. hoc quidem melius siquidem incertum est, quisnam sit facturus. Judex vero conspicit ob oculos in judicium adductum, cui pœna constituitur. *Epistola ad Hermodorum.*

Plato: Consulo autem præterea & tertiò vobis quoque jam tertiis idem prorsus eademque ratione: ne Sicilia, neve civitas ulla aliquibus hominibus, sed legibus duntaxat subjiciatur, ut nostra fert sententia, neque enim dominantibus ipsis neque servientibus id utile est, neque eorum filiis aut natis natorum: sed pernitiosorum omnino hominum est id aggredi. Angusti vero & illiberalis animi est ejusmodi lucra præripere: nihil vel in præsens vel in futurum tempus bonorum justorumque vel divinorum humanorumve intelligentis. *Epistola 7.*

Plato: Consulere tamen tibi & urbium conditoribus possum quod nunc me referente, inquit Hesiodus putare quidem fallax quiddam esse difficile-ve intelligere. Nam si putant aliqui legum quarumlibet positione civitatem bene quandoque constitui posse, nisi sit aliquis cum authoritate præsidens civitati, quotidianæ omnium vitæ moderator, adeo ut sit temperata & fortis tam in servis quam in liberis, non rectè putant. Proinde si sine jam apud vos viri hac potestati digni, id fieri posset. Sin a. ad disciplinã opus sit aliquo: neq; qui doceat, neq; qui doceatur, ut opinor, apud vos sũt: reliquũ est deos precari. Nam ferè quæ ante hoc tempus fuerunt civitates, sic ab initio constitutæ sunt: ac postea bene excultæ pro opportunitate magnarum rerum tum bello tum pace, quando in hujusmodi temporibus vir clarus & probus magnam adeptus fuerit potestatem. Prius autem ipsa promptissimè curare oportet atque necesse est: cõsiderare tamen ea qualia dico: neque temerè aggredi quasi leviter peragantur: cogitare verò quid commodè fieri possit. *Epistola 11. Laodamanti.*

Xenophon: Proditum est, Alcibiadem prius, quam viginti natus esset annos, ac Pericle tutore suo, civitatis præside, de legibus, in hanc sententiam disseruisse. Mi Pericles, ait, dicito mihi, possis ne me, quid lex sit, docere? Omnino, inquit Pericles. Et Alcibiades: Ergo me per Deos immortales, hoc doceto. Na equidem, qui prædicari quosdam audiam, quod legum observantes sint; jure tribui laudem hanc illi non posse puto, qui, quid lex sit, ignoret. Tu vero, mi Alcibiades, rem non difficilem flagitas, ait Pericles: qui cognoscere cupias, quid lex sit. Etenim omnes hæ leges sunt, quas plebs in unum congressa probatas scivit ac promulgavit: declarans, quæ faciunda sint, quæ non. Utrum autem ea faciunda sanxerũt, quæ bona sunt, an quæ mala? Profecto bona, mi adulescens, ait Pericles, minimeque mala. Jam si non plebs, sed, uti paucorum in dominatu sit, pauci quidam congressi, quid faciendum sit, conscripserint; ea vero quid erunt? Nimirum, subjecit ille, omnia, quæcunque pars ea, quæ summam in republica potentiam obtinet, instituta de iis, quæ agenda sint, deliberatione scripserit; lex adpellantur. Jam si tyrannus etiam civitate potius quæ civibus agenda sint, perscripserit: num & ea lex sunt? Nimirum, ait Pericles, quæcumque tyrannus imperans perscribit, ea quoque lex adpellantur. Quid autem, inquit Alcibiades, vis est, & legum eversio, mi Pericles? an non quum fortior imbecilliorem non persuadendo, sed vim adferendo, quodcumque sibi videatur, facere cogit? Equidem ita puto, ait Pericles. Ergo quæcumque tyrannus non persasis civibus perscribit, atque ut illi faciant, cogit: nonne aliena sunt à lege? Id mihi videtur, inquit Pericles. Nam hoc retracto, nimirum legem non esse, quæcumque tyrannus suis non persuasis scribat. Quæ vero pauci, multitudine non persuasa, sed rerum potientes scribunt, num vim esse, vel non, dicemus? Tum Pericles: Videntur, inquit, illa omnia, quæcumque non persuadendo quis cogit aliquem facere, sive scribat ea, sive non, vis potius esse, quam lex. Ergo quæcumq; plebs quælibet iis superior, qui locupletes sunt, non persuadendo scribet, vis erunt potius, quã lex. Tum dixisse Pericles fertur: Nos etiam, mi Alcibiades, quum ista ætate essemus, peracres in hujusmodi rebus eramus. Nam & meditabamur ejusmodi, & argutabamur, qualia tu mihi nunc meditari videris. Et subteciisse Alcibiadem: Utinam, mi Pericles, id tẽporis tecum essem versatus, quum ingenii acrimonia te ipsum in his rebus superabas. *cap. 14. lib. 1. Memorabilium.*

Lysias: Ego unamquamque civitatem ideo leges statuere existimo, ut si quibus de rebus ambigamus, ab his consilio petito, quid faciendum sit sciamus. *cap. 11. apologia pro cade Eratosthenis.*

Lysias: Videtis Athenienses fieri non posse, ut & Andocides & leges patriæ incolumes serventur: sed duorum alterum est necessarium, ut aut leges aboleantur, aut vir hic tollatur è medio. eò enim venit audaciæ, ut dicat legem quæ de se lata est, abolitam esse &c. *cap. 3. contra Andocidem.*

Lysias: Postquam Nicomachus legum scriba factus est, quis nescit quibus injuriis rempublicam oppresserit? Constitutis ipsi quatuor mensibus, ut Solonis leges describeret; pro Solone seipsum legislatorem fecit: pro quatuor mensibus, sex annos magistratum tenuit. Quotidie autem precio accepto has leges fixit, illas refixit; eòque redacti fuimus, ut ex ejus manibus leges nos recipere oporteret; parteſq; adversæ in judicio contrarias producerent leges, quas à Nicomacho se accepisse affirmabant. Cum autem magistratus ei mulctam irrogaret, ac in jus traheret, leges tradere recusavit; ita ut respũb. in gravia prius incideret incommoda, quam rerum gestarũ rationem redderet. *cap. 1. fine Orationis 29. in Nicomachum.*

Lysias: Audio ipsum jactare, quod si esset peccatum, lex de eo procul dubio lata esset, quemadmodum & de aliis delictis: nec putat vos scire, quod propter sceleris magnitudinem de eo nulla sit lex scripta. Quis enim aut rhetor aliquando cogitavit, aut legislator timuit, civium aliquem fore, qui tanto se delicto contaminaret? *cap. 8. Orat. 30. in Philonem.*

Lysias: Athenienses legum arbitrio bonos honorabant; & improbos puniebant; quod existimarent, ferarum esse inter ipsas vi aliam ab alia superari: homines decere, lege finire æquitatem, oratione persuadere, re ipsa his suam præbere operam, qui & à lege reguntur, & oratione instituuntur. *cap. 6. Orationis 31. funebris.*

Aristides Sophista: Cum in Deos injuria non caderet, itaque nec legibus indigerent, homines contra solos Jupiter ex omnibus animalibus instituit legibus; cum ne mutuis cædibus interirent, tũ ne rapinæ fierent & injuriæ, sed justitia violentiam coërceret: quas quidem leges tum tulit Jupiter cum verecundiam & justitiam in terram demisit, unà cum aliis Deis, qui hominum curam gererent, & vitam eorum tuerentur. *Hymno in Iovem.*

Aristides Rhetor: Si quis ex vobis quærat, quæ sit maxima legis & plebisciti differentia; leges justitiam semel inventam in omne tempus communem statuere dixeritis, plebiscita necessitatem sequi, & quemadmodum aliis temporibus aliter se res habent, ita plebiscita sententiasque pro temporibus constitui ac solvi: & recte quidem, nam illa ratione cum civibus agimus sic ut idem semper locum habeat, hæc ad exteros & belli aleam sunt inventa: quo fit ut nihil sit in iis firmum nec immobile, neque quod aliquando solvi non debeat. quid quod si leges etiam ipsas cum nocent, abrogari posse leges ipsæ tradunt, plebiscitum sanè de navigatione atque expeditione factum corrigi poterit. *Orat. Siculæ posteriore.*

Aristides Orator: Leges salutis publicæ caussa, & ad jus cujusque vindicandum positæ sunt, earumque ars secundum ipsum, nos & omnes homines bona & honesta justitiæque conjuncta censetur, à justo nimirum non separata. Si quis igitur nos interroget: Quot vero leges olim latæ sunt, quæ nihil æqui, & omnia continerent gravissima, quot autem legum perperam latarum sunt in judiciis convicti? quot etiam leges latæ, quasi essent perniciosæ, sunt abolitæ? utrum ergo legum artem non omnino honestant, propter tales esse leges dicetis, an omnes quæ vel latæ sint, vel unquam ferentur leges, bonas & justas esse, quoniam omnino honestam esse artem ipsam oporteat; nonne respondebimus leges virtutis ac justitiæ causa institutas; alias verò istas non tam leges ac jus esse quam quod Ἄνομον Demosthenes seu injuriam vocet, idque quod prohibent leges, & cujus impediendi caussa sunt inventæ? *Orationes 1. Platonica de Rhetorica.*

Aristides: Leges aliud non habent propositum, quam ut maximè quidem nemo lædatur à quoquam; aut saltem qui deliquerint, pœnas iis quos læserunt. *Orationa prima Platonica de Rhetorica.*

Aristides Rhetor: Pythia multis ac sæpe respondit, optime geri ea, quæ secundum civitatis leges fierent. *Oratione 2. Platonica pro quatuor viris.*

Philostratus: Hæc à me legum gratia dicta sunt, quas nisi dominas esse Regi putaveris, Domitiane Imperator, ipse procul dubio non dominaberis. *lib. 8. Apollonii cap. 3.*

Dio Prusæus: Lex autem est dux vitæ, & civitatum præfectus communis, negociorumque justa regula, juxta quam quicque dirigere oportet eodem modo: sin minus, parvum erit, & curvum. Hãc qui observant, salvi permanent, qui autem transgrediuntur, primũ quidem se ipsos perdunt, deinde & aliis sese exemplum & imitamẽ iniquitatis atque violentiæ exhibent. quemadmodum, inter navigantes qui faces turrium observant, ii maxime salvi evadunt, portusque inveniunt, ita qui secũdum legem vivunt, tutissime per vitam transeunt, commodamque sedem nanciscuntur. Consiliario etenim jam quis homine usus pœnituit eum, at non lege. Tanto autẽ civitatibus utilior est quam mœnia, quod absque mœnibus multæ civitates perdurant, absque lege autem nulla civitas potest habitari. Non solum autem conducit mortalibus verum etiam diis. Nam mundus semper eandem legem immotam custodit, nihilque sempiternorum hanc transgreditur. Unde puto & regina meritò hominum atque deorum vocata est, violentiam dissolvens, injuriasque destruens, dementiamque ad modestiam reducens, & malitiam puniens, privatimque & publicè omnes indigentes commodo afficiens, injuriam quidem pasis succurrens: de aliqua autem re hæsitantibus indicans quid oporteat fieri.

Quum quis enim accidente sibi re quapiam difficili, quærit quid sit utile, nihil illi opinor opus est advocare amicos aut cognatos: sed venire ad leges, deque eo sciscitari. neque enim illa proprium considerans commodum, pejus illi consuluerint, vel ignorans quid sit optimum, vel propter occupationes quasdam: neque quod illis hujusmodi curæ non sint, consultores repudiaverit. Nam è diverso omnium similiter curam habet, vacatque ad aliorum negotia, nihilque proprium aut peculiare illi est. Et tanto quoque deorum di-

vinationibus utilior est lex, quanto plures deorum responsa non intellexerunt: cumque se putarent juxta illa facere, contrarium fecerunt, unde etiam puto in calamitates inciderunt. A lege autem nihil est tortuosum aut ambiguum, sed omnia simpliciter quæ indigentibus cõveniunt, eloquitur. Quumque sit omnium princeps & domina, absque armis & viditionem retinet: sed contra ipsam vim destruit, atque cum suadela atque spontaneis præsidet. Quum enim antea persuasit & probata est, ita demum lex fit, suamque vim consequitur.

Tantum autem habet robur atque potentiam, qui ipsa est quæ etiam diis fert suppetias Sacrilegos enim transgredientesque erga ipsos pietatem, punit. Atque illam quidem nemo potest afficere injuria. Omnis enim quicunque legem transgreditur, non illam, sed seipsum damno afficit. Tantæ autem justitiæ atque humanitatis plena est, qui etiam infortunatis utilior fiat, quam genere propinqui: & injuriam passis, fortior quam suum ipsorum robur: & patribus quam filii, benevolentior, & pueris quam parentes, & fratribus quam fratres. Multi igitur à charissimis injuria affecti. ad hãc confugiunt. Et tametsi lex nullo à quopiam beneficio affecta sit, omnibus tamen benefaciens, aliis persolvit beneficia, & parentibus à liberis mutuam refert gratiam, atque iis quoque qui privatim aliquid cui benefecerunt, ab iis qui beneficia acceperunt, denique & iis qui publice erogaverunt, à civitate.

Pulcherrimè autem & alia fecit beneficia, coronas & præconia. primasque sedes reperiens, quæ præbentibus nullo constant sumptu, accipientibus vero maximo digna precio existunt. Quamcunque autem etiam utilissimam rem voluerit, eam confestim magnã preciosamque facit. Hæc est, quæ oleastrum ita magnum, tantoque dignum studio reddidit, atque apia & pinum, viridisque frondis coronam. Hæc est, quæ tria illa verba quibus quisque prædicatur, multis bonis viris preciosiora effecit, quam vita est. Hæc est, quæ conventus congregat, quæ Deos honorat, quæ virtutem auget. Hæc est, quæ mare tutum, terramque pacatam facit, Jovis revera filia, invictam atque insuperabilem fortitudinem habens, tantum omnibus modestia & fide antecellens, ut & mulierum societatem, virginumque venustatem, atque puerorum ætatis florem, & omnes crediderimus. Præterea si virgo causam habeat, lex ei propter modestiam adest. Hæc est adjutrix senectutis, doctrix juventutis, paupertatis auxiliatrix, custos divitiarum. Paci quidem assistit, bello autem adversatur. Quinetiam in hoc ipso plus valet.

Nam præconem etiam ab inimicissimis missum, hæc salvum conservat, custoditque quovis thorace atque scuto fortius, dans illi caduceum, quod legis symbolum est. Propter hanc, mortuos nemo amplius in hostium habet numero. Qui autem inimicitiarum contumeliarumque in illorum corpora specimen edunt, punit notatque ignominia. Tanto autem civitatibus utilior est, quam gubernacula navibus: quod gubernaculo amisso, navis non pereat, nisi tempestate comprehendente: civitas autem salva esse non potest, lege abrogata, etiamsi nihil acerbi extrinsecus accidat. Quemadmodum autem hominum quisque à suo ipsius animo gubernatur, salvaturque: hujus autem dissidium, insaniam, mentisque alienationem adfert: eodem modo si quis auferat legem ex hominum vita, tanquam si (opinor) mentem perdidisset, in perfectam insaniam atque perturbationem redigetur. *Oratione septuagesima quinta.*

Iulianus Imp. Leges parum vobis curæ esse audetis non verbis docere, sed re ac factis demonstrare. Leges enim Principum causa timentur. quare qui principem violare non dubitarit, multo magis leges violaverit. *in Misopog.*

Iulianus Imp: Jam quanta est ista dissimulatio? negas te Dominum esse, neque hoc nomen pati potes; imo etiam irasceris; multique jam te auctore nomen istud de imperio sustulerunt, qui antea enim assueverunt: & tamen nos servire cogis & magistratibus & legibus. Atqui quanto fuisset melius te dominum nostrum appellari, re autem ipsa liberos nos esse sinere. *in Misopog.*

Libanius: Acerbissimum aliis videtur verbera ab infestis viris accipere, & corpus indecorè lacerari. Mihi vero intollerabile est. si lex injuriose spernatur; ut maximi ad læticiam momenti est, suum leges habere vigorem. *Declamatione 12.*

Libanius: Si quid eorum quæ legitima sunt solvitur, patriæ cõmodum magis præcipuum esse, quam scripta multa affero. nam cũ leges ipsas pro utilitate publica condamus, qui injuriam facimus, si, quod publice profuturum sit, legibus præferimus? *Declamatione decima septima.*

Libanius: Qui factis ipsis, iis inservit quibus lex vult, is accuratè legislatoris scopum observat, tametsi literis consonare non videatur. *Declamat. 24.*

Libanius: In genere quid opus esset scribere leges si rebus occurrentibus pro quibus constitutæ sunt, facile ipsas transgrederetur? quei autem ridiculum non fuerit in iisdem prætoriis, alios quidem ut leges despicientes, alios ut legibus obsequentes dare pœnas? *Declamatione 28.*

Libanius: Legislatores certè nihil aliud quam doctores omnes homines arbitrantur; non unius cuiusdam ætatis, neque gentis unius, eorum qui in urbibus versantur: sed juvenum pariter & senum, itemque virorum & mulierum; & civium & externorum; & servorum liberorum. & idcirco primi secundum Deos, honorantur: quia ab ipsis quid factu opus sit discimus, & à quibus abstinendum sit. audimus etiam non hæc tantum; sed munera & mulctas: è quibus, hæ quidem irrogantur immorigeris: illa æquis ac probis tribuuntur. nihilominus nec horum utrorumque expectatio ad improbitatem excidendam sufficit: verum quidam minitantur; Anytus autem injurius est: alii pollicentur. at Anytus honoris cupidus non est; quin mavult precio propius calumniari, quam commodis privatus admirationi esse. qua propter omnibus flagitiis audacter perpetratis, post leges, & damnosam inobedientiam, debacchatus est quis in Solonem, aut Draconi convitiatus est: & cum dirum statuisset, si fati functi conspicerentur, priusquam pœnas luissent, jussit inutiles existimare: ac legislatores pestes nemo dicit, imo illos servatores censemus; sed legum violatores punimus. *Decla.* 29.

Libanius: Quis vestrum nescit, quod pernitiosas leges abrogare ex legibus ipsis concessum est? Etenim qui eas condiderat, ea mẽte scripserat: qui autem comperit non esse ejusmodi, abrogavit; lege ipsum ad se vocante. quippe si non conduco utentibus, quo consilio scripta fuerant, neque reipsa pollicitum firmo: amore quæ scripta sunt, in causa; ne prævariceris. Cur hoc remedium adhibere Reipublicæ nullo unquam, superi, tempore intermisimus, novas pro veteribus leges condentes? unde illam antiquavimus, hanc scripsimus: & antiquius scitum cessit præstantiori? Quot Draconis, quot Solonis, quot Clisthenis abrogavimus? At enim quod conducibilius est, plus deteriore pollet: atque ejus loco occupato, vice illius ratum stabilitur & dicerem verò & enumerarem vobis leges sigillatim, tam quæ improbatæ damnatæque sunt, quam quæ earum loco latæ fuerunt. nisi Senatus Areopagiticus idoneum exhiberet testimonium, qui non omnia nunc quæ prius tenet, nec his illa in re contradicit: dum censet cedendum esse legibus recentioribus, quæ quidem meliores sint. *Declamat.* 30.

Libanius: Qui leges scripserunt, quæcunque ex iis quæ aguntur facile contingere non solent, nullibi signanter determinarunt. verbi gratia de temperantia legem sancientes, muherisque adulterium, & vim virgini illatam punientes, non adjungunt, Si filiæ vitiatæ pater convictus fuerit, aut si adolescens matrem suam deperierit; patiatur quod æquum est. quia non facile hæc flagitiosa attentantur. quod si patrarentur, valde perspicuum est, auctorem pœnam subiturum, cum minora delicta plectantur. Sic ergo lex quæ munera iis statuit qui hostes repellere consueverunt armata manu, de oratoribus siluit, cum tam audax facinus ipsorum artem excedere putaret. Quamobrem si, ut incredibile, hoc fuit in lege prætermissum, non injuria præmium peto majoris audaciæ specimine edito, quam editur à celebribus & probatis per arma; repulso scilicet hoste vi & facundia oris. Etenim cum minor virtus (eam dico quæ manibus perficitur strenuitate) munus à legibus obtineat minimè par est, ut major mercede careat. verum si præstantior honoretur, non inferiorem prorsus honorari convenit. *Declamatione.* 31.

Libanius: Unum tantum est quod vereor, Judices, ne quia is quidem qui legem scribit, juvenis & filius est, qui autem ei intercedit, senior & pater, id noxæ sit eis quæ rectè scripta sunt. Verum nisi multos jam profectos ætate vidisse tis juvenum peccata committere; itemque multos juniores melius quam longevos excogitare quod in rem est, pulchrè tempus pro judice constitueritis. Sed quoniam firmiora sunt ingenia, quam numerus annorum; quid mirum si & pater extra decorum fertur, & filius melius sentit & dicit quam pater? *Declamatione 34.*

Libanius: Hoc si prabare non potes, legem ne contamines. nam legis contagium est, additamentum. *Declamat.* 37.

Basilius Imperator: Referant mores tui legem vivam, non scriptam, subjectis: ita enim immortalem regni tui memoriam posteris relinques, si & ipse bonis legibus antecessorum obsequaris, & in administratione Reipublicæ, eas nunquam prætergrediaris: & quæ subditos observare coges, ipse multo etiam magis ea servandi legẽ necessariam tibi dices. Si enim positas à majoribus leges in Republica gerenda repudiaveris, nec minores edictis tuis, quasi oraculis, postea obsequentur. ita fiet ut edicta Principum alia ab aliis invicẽ subversa, confusione ac perturbatione, Rempublicam totam impleant: qua ex juris eversione, sæpè ante hac usu venit, ut nationes totæ in extremam pernitiem præcipites abierint. *cap.* 32.

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Quis credat ejus conditionis esse jura nulla, ut aliquid non liceat, & necesse sit? *Declamat.* 245.

Quintilianus Senior: Diligentissime majores. hanc videntur excogitasse legem maleficii sc. inscripti actionem; quod cum scirent nullam tantam esse prudentiam, nullam immotam, certam divinationem, ut omnia quæcunque ingeniis majorum excogitari unquam potuissent, providentia caventium videret, hac lege omnẽ malitiam, veluti quadam indagine cinxerunt; ut quidquid aliarum legum effugisset auxilium, quasi extrinsecus circumdaretur. *Declamatione 252. a. m.*

Quintilianus: Quoties de jure populi agitur apud populum, cui mutare, cui obrogare, cui ferre quas velit leges, accipere quas velit rogationes liceat, nunquam se ipse diminuet. *Declamat. 254. a. m.*

Quintilianus Senior: Qui tribus rogationibus contradixerit, nec tenuerit, ignominiosius sit. Lex manifeste justa. Quis majore ignominia dignus est, quam homo inquietus, qui publicis utilitatibus ter obstiterit? qui ne metu quidem ignominiæ ad silentium cõpelli, saltem tertiò potuerit? *Declamat. 263. pr.*

Quinti

Quintilianus Senior: Interim hoc dico, Judices, pernicioſiſſimam eſſe civitati hanc legum interpretationem. Nam ſi apud judicium hoc ſemper quæri de legibus oportet, quid in his juſtum, quid æquum, quid conveniens ſit civitati: ſupervacuum fuit ſcribi omnino leges. Et credo fuiſſe tempora aliquando, quæ ſolam & nudam juſtitiæ haberent æſtimationem. Sed quoniam hæc ingeniis in diverſum trahebatur, nec unquam ſatis conſtitui poterat, quid oporteret, certa forma ad quam viveremus inſtituta eſt. Hanc illi auctores legum verbis complexi ſunt: quam ſi mutare & ad utilitates ſuas pervertere licet, omnis vis juris, omnis uſus eripitur. Nam quid inter eſt nullæ ſint, an incertæ leges? *Declam.* 264.

Quintilianus Senior: In comparatione legum, illud potentiſſimè dicamus, eam legem magis eſſe ſervandam, quæ Deorum gratia ſcripta ſit quàm quæ hominum. *Declamat.* 274.

Quintilianus Senior: In legum comparatione quæri ſolet, an privata altera, altera publica ſit: & utrum militaris altera, altera pertinens ad civilia officia: & utra utilior & magis neceſſaria civitati ſit. *Serm. Declamat.* 274.

Quintilianus Senior: Deflecti jura, ne pro defenſione quidem æquum eſt: legem vero mutare ut occidas, & crudeliter interpretari jus quod à magiſtratibus ſcriptum eſt, cujus animi eſt? *mox:* Nihil minus ferri oportet in civitate quam ut lex decipiat. *Declamatione* 313. *pr.*

Quintilianus Senior: Non accuſavi te, inquit, capitis, ſed injuriarum. Primum igitur hoc intueri vos oportet, ſi quid damnatione, ſi quid ultione dignum non habet, juſtum debet judex ſequi, debet ſequi proximum. Nulla tanta providentia potuit eſſe eorum qui leges componebant, ut ſpecies criminum complecterentur. Nam & ſemper caventes nequitia viciſſet: & jus ita multiplex atque diffuſum eſſet, ut pro incerto haberetur ignotum. Fecerunt ergo ut rerum genera complexerentur, & ſpectarent ipſam æquitatem. Multa ergo invenientur frequenter, quæ legum verbis non teneantur, ſed ipſa vi & poteſtate teneantur: quale hoc eſt. Sane enim concedam in præſentia tibi, non illud judicium capitis: ſi tamen eandem vim habuit, quam judicium capitis, eandem pœnam habere debet. Fingamus enim plura eſſe ſcelera, ſicuti ſunt, quæ morte punienda ſint. Nam cum lex etiam eum qui falſo accuſaverit, occidi velit: manifeſtum eſt occidendum eſſe eum, qui templa incenderit, occidendum eſſe eum qui patriam prodiderit. Quo modo non intereſt qua lege harum accuſaveris: quoniam id demum jure de quo quæritur, comprehenſum eſt, ut qui capitis accuſaverit, pœnam patiatur. Ita nihil intereſt, quod genus judicii fuerit, ſi eventus eodem rediturus fuerat. *Declam.* 321.

Quintilianus Senior: Leges ipſæ etiam citra defenſiones non parem rationem habent. Scripta eſt altera Deo, altera homini, Æquum eſt priorem eſſe rationem religionis. *Declamatione* 324. *princip.*

Quintilianus Senior: Neq; adverſus leges eſſe exiſtimo, quidquid pro opinione ac dignitate civitatis patiamur, & cui nulla lex ſcripta ex contrario extat. *Declamat.* 339. *p.*

Quintilianus Senior: Quidquid lege factum eſt, vindicari lege non ſolet. *Declam.* 372 *a. f.*

Quintilianus Senior: Nec ulla lex reducit, quem aliqua excluſit: & ſemper potentior eſt lex ea quæ vetat, quam quæ permittit. Hoc etiam in magiſtratuum poteſtate ſervatur: & plus poteſt tribunus plebis qui vetat, quam omnes qui jubent. in permittente enim libera poteſtas: in vetante, pœna eſt. Deinde hæc lex publica eſt, ad omnes pertinet. Potentius eſt quod in albo lego, quam quod in teſtamento. *Declam.* 374. *m.*

Quintilianus Senior: Si quid ex lege inclinandum eſt, ſpecta ut quam minimum ex eadem pereat. *Declam.* 276. *m.*

Quintilianus Senior: Lex ubi perire vult hominem, aperte ſignificat, ut, Deſertor occidatur &c. *Declamat* 383. *fine.*

Quintilianus: Ex omnium ſcelerum comparatione, nihil eſt deteſtabilius hominibus, qui leges ipſas faciunt nocentes. *Declamat.* 11 §. 6.

Quintilianus: Magnam partem mortalium fortuna demiſit à legibus, nec ulla jura tam triſtia ſunt, ut ea in adverſis patiantur homines: Ego cum me neceſſitas rapit, ſic habeo queri, quaſi relinquat. Excuſatæ ſunt parentibus liberorum calamitates, & ſi quem lex iſta deprehenderit, in alterius fatum tranſeat neceſſe eſt tanquam orbitatem. Quid enim ſi me detinente matre alter è latere revocaret? & ſi bella militem poſcerent, ſi legatum patria dimitteret, veluti ad propriam deſcendam neceſſitatis meæ complorationem? Si me damnatum pœna conſtringeret videlicet effringeres carcerem mater, injiceres carnifici manum, & perituri filii jugulum autoritate juris operires? *Declamatione decimaſexta* § *quinto*

Symmachus: Auguſtius eſt regenti, ſibi quam ſubditis modum ponere. Aque utinam privata avaritia mentem laboris intelligat, & mores de legibus trahat. Neque enim latet quid ſponte cæteros velit facere, qui ſuſpecta compendia primus exhorruit. *Mox:* Frigent jam diu apud homines criminoſos vetera decreta, quorum vigor cum latoribus ſuis occidit. Tantum denuo legibus ſeveritatis addendum eſt, quantum flagitia creverint. *lib. ſecundo Epiſtol.* 13.

Symmachus: Valeo quantum ſinit animus æger. Quod utinam leges æquè mecum valerent, quarum ſanitas ab ipſis plerumque corripitur quibus curanda mandatur. *Libro nono Epiſtola* 106.

Symmachus: Omnium beneficiorum, quæ tribuit potior fortuna ſubjectis, certa ſunt tempora, DD. Imperatores. Solæ leges, quæ in bonum commune procedunt, nunquam patiuntur occaſum. Agit divinis ſanctionibus veſtris gratias Ordo reverendus, etiam nomine poſterorum, quibus Reſp. emendata tradetur. *lib.* 10. *Epiſt.* 21.

Symmachus DD. Theodoſio & Arcadio: Quæſo igitur ut leges percenſeatis, quarum plerumque duritiam pro clementia veſtra decretis moderationibus temperaſtis. *libro decimo Epiſt.* 47. *fine.*

Symmachus: Dies noctesque ſollicitor, ut prompto obſequio divinæ clementiæ veſtræ juſſa promoveam. Siquidem non licet longa comperendinatione differri, juſtitiæ ac legibus amica decreta, D. Imperator. Unde cauto opus eſt, exiſtimationem meam per alios allata præceptis tarditas devenuſtet. *libro decimo Epiſtol.* 49.

Symmachus: Certum atq; dilucidum eſt, nihil eſſe tam familiare legibus quàm veſtra decreta, D. Imperator. Sed executorum prava interpretatio, dum ſupplicantibus favet, plerumq; juſſa corrumpit. *lib.* 10. *Epiſt.* 55. *pr.*

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Concion. v. 737.

Τι δ' ουχι πειθαρχειν με τοις νομοις δει;
Quid autem, non obedire legibus oportet?

Plautus Ciſtellariæ 2 ſc. 1. v. 56.

——— *Æqua lege pauperi cum divite*
Non licet.

Ennodius Epigr. 108.

Vincula ſolvit amor quæ quondam nexuit alter:
Non niſi per legem cedit lex priſca ſequentem.

Guntherus lib. 8. v. 468.

Ipſe quidem quamvis divino munere Princeps,
Sunimus in orbe ferar, legumq; immunis & expers
Non ſervire quidem cogar, ſed condere jura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta
Conſiliis: noſtro non agre ſpondeo juſſu,
Vel ſancire novas, vel priſcis legibus uti.
Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum,
Aut regale puto, quam legis jure ſolutum,
Sponte tamen legi ſeſe ſupponere Regem.
Gratia ſit magno, qui temperat omnia Regi,
Vndiq; bellorum tumidos ſuppreſſimus æſtus,
Bellatrix poſitis Alemannia conticet armis,
Et vetus Italicis deſerbuit ira furoris.
Sed veterum leges, diſtinctaq; regia longo
Juſtitio ſuppreſſa ſilent, quæ Carolus olim,
Quæ noſter vulgavit Otho: veſtigia juris
Pauca ſi Italicus agnoſcit fiſcus in oris.
Conſulite in medium, quas me vel ferre recentes,
Vel ſenium paſſas leges renovare velitis.
Ac primum moneo, quicquid ſtatuiſſe libebit,
Vtile ſit, juſtum, naturæ, moribus aptum,
Temporis atq; loci patiens, & prorſus honeſtum.
Aſſ ego quicquid erit, tota virtute tuerі,
Et ſancire paro: nec me regnante licebit
Has cuiquam noſtras impune laceſſere leges.
Ac ſi quis tumidus præſumpſerit obvius ire,
Supplicium præſens, manifeſtaq; pœna docebit,
Non magis invictum bello, quam legibus eſſe.

¶ Emblematum.

Adeod Seba. Dolium ruptis circulis diſſiliens.

Solvuntur compacta licet bene dolia, firmis
Conſtricta ni ſint circulis.
Sic legum pœnis quæ non firmata tenetur,
Corruat oportet civitas.

Batillius 197.

In plebem vim habent leges, in potentes obmuteſcunt.

Perrumpunt corvi quas texit aranea telas,
Queis ſe, innexa pedes, ſolvere muſca nequit:
Ferrea non aliter Leges ſunt vincula plebi,
Stuppea ſed magnis vix retinacla viris.

Camerarius 99. Centur. 3.

Violentior exit.

Innodat culicem, ſed veſpa pervia tela eſt,
Sic rumpit leges vis, quibus hæret inops.

¶ Apophthegm. Sacror.

Conſtantinus Magnus Imperator: Poſt baptiſmum receptum legem tulit, ut qui poſthac per blaſphemiam Chriſto maledicere, aut quenquam, qui ejus cenſetur nomine, injuria afficere auderet, dimidiam bonorum ſuorum partem amitteret. Deinde quicun-

que egerent, & Christianorum sacra colenda susciperent, eis sumptus & vestitum ex imperiali ærario præbitum iri. *Item*; Senatu convocato, sanxit ne de cætero dii esse vel dicerentur, vel crederentur, non Deos hominum esse, sed potius homines illorum Deos esse dictitans. Et quum seipsum ea in re apertum manifestumq; haberent exemplum, ut Dominum nostrum Iesum Christum ut Deum verum certumq; in cælis regnantem adorarent & colerent. Constituit præterea, voluntarium & non coactum baptismum esse: neq; metu humano ad Christianorum cultum quemquam accedere, sed volentem casto maturoq; consilio sacro illorum numero aggregari debere. *Niceph. eccl. hist. lib. 7. cap. 34.*

Variæ leges ab eodem Imper. latæ ad propugnationem orthodoxæ fidei & pacis honestatisq; publicæ conservationem describuntur à Nicephoro, *lib. 7. eccl. hist. cap. 41. 42. 43. 46. &c.*

Gr. Nazianzenus: Neq; navigantibus tutum est, inquit, extra portum appellere, neq; viventibus vitam sine legibus degere.

Leges observans, metum ejicies: extra metum est quicunq; paret legibus.

Duo sunt quibus regimur, natura & lex. Fortior autem est natura quam lex. *Antonius & Maximus, serm. de lege.*

D. Augustinus: Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen ultrix malè vivendi disciplina præpostera est, nisi cura præcedens bene vivendi doctrinam prætendat. Sic igitur quod adversus vos leges constitutæ sunt, non his benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. *Contra Petilianum.*

¶ Apophthegm. Christianor.

Pius II. Pont. Ad leges me converto, sine quibus nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, neq; mundus ipse diu potest. quas non ita ab omnibus æqualiter observari, quæ tamè omnes æqualiter obstringebant, indoluit quandoque Pius V. Pont. & veterum illud usurpabat: *Leges sunt velut aranearum tela, quibus musca irretiuntur, quas & hirundines perrumpunt.* Hinc vulgus etiam non ineptè per aranearum telas ac retia, Hieroglyphicè, Legum notat inæqualitatem. Auct. Serm. mem.

Pius V. Pont. Haud aliter iste, licet ætate in hoc sacro ordine prior, dixisse fertur: *Leges sancta sunt, & vaganti frena licentiæ imponunt: ea tamen in plebem vim habent, in potentes muta sunt.* Platina in vita.

Liberius Pont. Ille item Constantio Imp. sibi dicenti, hæreticarũ Ecclesiarum communionem amplecteretur, & sic Romam, quâ exulabat, rediret; respondit: *Iam Roma fratribus valedixi. nam leges Ecclesiasticas observasse, plurìs faciendum censeo, quam Romæ habuisse domicilium.* Theod. lib. 2. cap. 17.

Lavacrius Prases Francia: Neque tantum Legum observantiam in pretio habuisse laudem meretur; sed & iniquas præcavisse, suam gloriam habet. Ita Ludovico XI. Gall. Rege exitium Curiæ Parisiorum minitante, nisi latas à se leges iniquissimas promulgarent & approbarent; re intellecta, Regem adeunt Patres. quos cum ille rogaret, Quanam de causa huc advenistis? aliorum nomine Lavacrius, *Vt mortem*, respondit, *oppetamus potius, quam iniquas leges ferri patiamur.* Rex tali responso permotus, leges scriptas sua manu dilaceravit. *Bodinus in Method. Hist. cap. 6.*

Carolus Magnus: Quid verò ante illum Carolus, quem fortitudo, constantia, pietas, Magni nomine apud posteros decoravit? Ille capulo cui insignia propria insculpta erant, edicta signabat. dicebat enim; *Ejusdem est & confirmare & defendere leges.* Corozet. de Dict. Fact. memorab.

¶ Monostichа Trochaica.

A feris non discrepant homines soluti legibus.
Absq; muris urbes multæ sunt, nulla absq; legibus.
Ad magistratum tutela tota legum respicit.
Ad vindictam injuriarum, scripta leges omnium.
Altior nulla esse debet legibus bonis manus.
Altiores spiritus quam leges gerunt divites.
An videtur posse rescindi quod sit factum legibus?
Applicanda leges rebus potius, quam res legibus.
Asperat leges tyrannus, Rex & ipsas mitigat.
Cæteris leges quidem Rex dat, sibi sed accipit.
Civitas decreta mutans sæpe, non vacat probro.
Civitas leges bonas audit improba audit rhetoras.
Civium non est tyranna lex, parens est civium.
Cuncta prospere ita succedunt legibus qui obtemperant.
Difficulter valde leges dixeris felicibus.
Dii Deæq; quam malum est extra legem viventibus.
Divites potentiores omnibus sunt legibus.
Divites suspendium ipsis ultro mandant legibus.
Diviti licet nocenti, a lege nil periculi est.
Exteras admisce leges patriis si sunt probæ.
Fors casusq; sunt parentes legum & uni & unici.
Heu, quam multa confirmamus ipsis scelera legibus!
Heu! quo non se est effusura victrix legum audacia.
Imperat lex, lex permittit vindicat lex, lex vetat.
Imperat vere imperator, legibus cum subjacet.
Imperent leges oportet Principi, haud Rex legibus.
Improbus se contra leges munit ipsis legibus.
In mari hoc vita, leges sunt nobis instar anchoræ
In viros legum esto, non virum in leges auctoritas.
Ignotum magis servatur quam quod lex vetat.
Insigne immortalitatis lege pro patria mori est.
Iure nunquam ipso legi lex alteri contraria est.
Iura lege solvas nulla qua natura conabitur.
Lex decepta opitulatur, at non decipientibus.
Lex ex Charitate pendet, non ex Lege Charitas.
Lex minime est habenda, qua paris mali plus quam boni.
Lexque Pax q; sunt sorores Æquitatis unicæ.
Lex quidem civi timenda, sed mage hercle infamia.
Lex regina est omnium immortalium ac mortalium.
Lex sæpe innovata, quamvis sit bona, est peior mala.
Lex tabellis haud credenda, sed animo atq; moribus.
Lex, Timor, Ratioque, morbos publica res eximunt.
Lex ubi est, rogatione non opus legis nova est.
Lex ubi nulla est, nec ulla ibi est prævaricatio.
Legis est quicunq; amicus, est amicus & Dei.
Legem urbis æquus cujusq; semper est rutissimum.
Lege firmandum perenne omne omnibus quod perplacet.
Lege non licet frui aqua pauperi cum divite.
Legibus boni obsequuntur ultro, haud invitè, ut mali.
Legibus bonis fundare civitates, arduum est.
Legibus crucem minatur ditior, pauper vovet.
Legibus loci parere oportet, in quo vivimus.
Legibus lues vir ingens est orator improbus.
Legibus manus maiores sunt ubi, urbs ibi perit.
Legibus misce cruentis oleum misericordiæ
Legibus modum haud facit rex, lex modus fit regibus.
Legibus paret libenter non metus caussa bonus.
Legibus præbere se, alter innocentiæ est pudor.
Legibus præferre vim, non regium at tyrannicum est.
Legibus quicunq; paret postus extra omnem est metum.
Legibus recens creatis vix statum acquiescimus.
Legibus Rex es solutus, sed non conscientia.
Legibus submittere fasces: maius id regnes decem est.
Legibus submittere principatum, imperio maius est.
Liberi esse quei possimus legibus servi sumus.
Mores leges perduxerunt in potestatem suam.
Multum honoribus favemus, plus adhuc sed legibus
Natio leges communes nulla habet cum cæteris.
Nemo non servire gestit servit ut rex legibus
Neminem lex judicat nisi noverit quid fecerit.
Nil valent nisi & custodes nacta sunt leges bonæ.
Nil valent prosuntq; leges, has nisi usurpaveris.
Non minus ducis est superare consilio, quam præliis.
Non modo lex scripta sed non scripta item impios tenet.
Non potest lex esse prava, longa quam pronat dies.
Non potest pro lege haberi rarius quod accidit.
Non quæunt florere leges ipse rex quas non colit.
Non rescindi posse videtur id quod factum est legibus.
Non scelus timor legum aufert, sed sceleris licentiam.
Nulla ferri lex potest sit omnibus qua commoda.
Observatione legum indigna vita vilisas
Obtinet vim legis, omnes esse quod legem voluit.
Omnium legislatores sunt magistri publici.
Omnis expers vis timoris esse? legem ipsam time.
Optima est lex longo ab avo qua novas vires trahit
Optima leges sunt morum pessimorum filia.
Optimarum origo legum a moribus trahitur malis.
Optimis lex nulla scripta est: sunt enim ipsis lex sibi.
Posse rescindi non videtur quod sit factum legibus.
Promptius pro legibus plebs pugnet quam pro mœnibus.
Publicare corruptissima & leges sunt plurima.
Quæ minus eadem histrioni sit lex, qua summo viro?
Qui sermone parco utuntur, legibus haud multis egent.
Qui timet jus atq; legem: cætera omnia haud timet.
Quid bonas habere leges prodest, si non utimur?
Quidquid lege factum est, lege vindicari non solet.
Quis dictorum refrenet impetus sine legibus?
Quis simultatem ob privatam obstaculum sit legibus?
Quod phaselo clavus, hoc lex ipsa civitatibus.
Rege præstat non bono uti, quam nec rectis legibus.
Repudiata lex popularis & populi est suffragiis.
Sanitas legum fere ipsis pendet a custodibus.
Sæpe lex servata verbis, ipsa re pessumdatur.
Semper legi antiquiori lex novissima abrogat.
Si tuas leges servari vis legum serva Deo.
Talis est fere lex qualis auctor est qui eam tulit.
Tam proborum quam improborum lex fidelis arbitra est.
Ter delinquit auctor legem si quis peccat in suam.
Verba queis sunt pauca, multis haud egent ii legibus.
Viverent probi bene etsi nulla in orbe lex foret.
Vna lege qui tenetur, & reus quoque omnium est.
Vnde leges exsulant, inde exsulat concordia.
Vrbs anima statim privatur, legum ei aufers ut bonum.
Vrbium servato leges, nec coronam carpito.

¶ Jambica.

A lege abest odium omne & omnis gratia.
Aliquando leges vincimus pecunia.
Arancarum similes Leges cassibus.
Arancarum telis leges compares.
Auctoritas legum omnis est à moribus.
Carent fere leges suo proœmio.
Commune lex est civitatibus bonum.
Contaminat legem omnis omnem adjectio.
Cunctis adaque civibus lex prospicit.
De lege reddi ratio quavis non potest.
Decisio legum, legum interpretatio est.
Decreti habet vim Principis concessio.
Donum Deum lex omnis immortalium est.
Et dignitati legibus est antiquitas.
Et inter arma legibus vis est sua.
Et urbium ruina privilegium est.
Et lex quoque ipsa est abroganda, si nocet.
Etiam alligatur ipse Princeps legibus.
Etiam Imperatori ipsamet lex imperat.
Etium suis pirata paret legibus.
Etiam via legum impugnant leges mali.
Fac ne tuis sis peior ipse legibus.
Felicibus statuere leges arduum est.
Firmissima est lex fama quam ratam jubet.
Habenda verba Principum pro legibus.
Haud consulit lex singulis, sed publico.
Haud lege eget qui injuriosus nemini est.
Honesta lex jubet, vetat contraria.
Honesta res obtemperare legibus.
In gratiam leges rogantur pauperum.
In pauperum lex omnis lata gratiam est.
Interpres & legum adsuetudo est optima.
Ius atq; fas legum omnium est Saturnius.
Iustum est teneri lege facti quem sui.
Lex alia solvo est, alia prvato viro.
Lex constituta est omnibus, semel mori.
Lex est data homini, ut quareretur gratia.
Lex fert malis panas, bonis fert pramia.
Lex imperet, rex subsit illi ceu Deo.
Lex ipsa & auctor omnis & dux ordinis.
Lex ipsa, justi est atque injusti regula.
Lex jure legi nusquam contraria est.
Lex mobilis peior fere lege est mala.
Lex nulla factum, cuncta lex mentem petit.
Lex omnis absq; auctoritate mortua est.
Lex scripta non est Regibus: Lex sunt sui.
Lex sit brevis: lex imperet, non disputet.
Lex surdares, lex res inexorabilis.
Lex universos respicit non singulos.
Legis vicem ratio omnis rectior obtinet.
Legis vigorem habet placet quod principi.
Legis voluntas vim rationis obtinet.
Legique semper pugna cum superbia est.
Legem priorem lex novissima abrogat.
Legem pudor privatus facere non potest.
Legem timeto, nil timere si cupis.
Leges bona nascuntur moribus è malis.
Leges bona virtute civium vigent.
Leges ferenda omnes sunt gratia optimi.
Leges habere cui bono est, nisi uteris?
Leges hodie reguntur, heu, non regunt.
Leges leguntur sape, sape fadera.
Leges loquuntur omnibus loco omni idem.
Leges priorum qui servat, stabilit suas.
Leges qui sequitur, esse immitis non potest.
Leges quidem timemus, at Reges magis.
Leges quis inter arma & Ltuos audiat?
Leges vetusta leges & rectissima.
Legum bonarum constat Orbis fructibus.
Legum est magnus quicumq; dextra carnifex.
Legum omnium est ruina privilegium.
Legum sequenda sensus est, haud litera.
Legitime id omne fit quod fit pro legibus
Mars est tyrannus, lex regina est omnium.
Metu parum valente nil leges valent.
Mores mali leges fere creant malas.
Mores ubi mali, leges ibi pessima.
Multum valet contra leges necessitas.
Mutare leges arduum est domesticas.
Nata bona leges malis è moribus.
Natura causam prava legibus dedit.
Natura legem divisit bonam à mala.
Natura rerum tota constat legibus.
Nescire legem, haud tam malum est, quam spernere.
Nil lata lex prodest, nisi usurpaveris.
Nil tam proprium imperii est quam vivere legibus.
Non imperant solum leges, etiam docent.
Nulla esse legibus altior debet manus.
Nullas habere malim leges quam irritas.
Nulli bono lex est bona, si non utimur.
Olim libido Regum erat pro legibus.
Paret latronum quisque legibus suis.
Pauciss imas leges requirat vir bonus.
Populi salus, suprema lex reipublica est.
Populo bene est, ubi leges omnibus imperant.
Postrema lex semper priore plus valet.
Praire nostris, non perire, lex jubet.
Praestat mori, volare quam legum sacra.
Pro commodis leges statuta publicis.
Pro lege longam habeto consuetudinem.
Pro lege ubivis mos valet vetustior.
Qua civitas non gubernatur legibus?
Quis praferat leges hominum cœlestibus?
Quod corpori mens, est idem Lex urbibus
Quod legibus factum est, rescindi non potest.
Quod plebs statuit, omnes Quiritis jus tenet.
Raro statu leges in uno permanent.
Republica corrupta, leges plurima.
Res absque lege inutilis est publica.
Res est potens lex, cum magistratus habet.
Regis voluntas legis instar est sacra
Regum voluntas lex legum primaria est.
Robusta lex, signum eruditi est Principis.
Sapientius nil esse oportet legibus.
Semper bonos lex servat atque veritas.
Servit Deo quicumque servit legibus.
Stultis Voluptas, sobriis lex est Deus.
Tempus facit leges idemque destruit.
Tutela legum Patres una imo unica.
Vbi exulat lex, exulat concordia.
Vbi timor, legum est ibi observantia.
Vna loquuntur voce leges cum omnibus.

Liberalitatis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Nonna solas tutas atq; ab omni surreptione immunes opes ducebat, eas Deo & pauperibus effundere; ac præsertim consanguineis, qui fortunis suis tanquam flore quodam excidissent: quibus, quod necesse esset duntaxat præbere, non calamitatis depulsionem, sed monimentum esse judicabat: liberalius autem & prolixius eos juvare, id demum firmi honoris ac perfectissimi solatii esse. *Orat. 19. in funere patris sui.*

D. Chrysostomus: Quo melior is fuerit qui liberalitatem tuam senserit, hoc tibi splendidior ab illius cura ac studio laurea texitur. *Homil. 11. ad Roman.*

Chrysostomus: Neq; enim donorum amplitudine vel tenuitate, sed donantium animo ac voluntate liberalitas æstimat. *Homil. 16. ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Liberalitas & hilaritas ferè inter se pugnant. atque is quidem qui multum tribuit, sæpe mœrore afficitur. hic contra, ne doleat parcius tribuit. *Homil. 19. ad Corinth. 2.*

S. Isidorus Pelusiota: Etiam si hac liberalitate in propinquos ac necessarios tuos usus fuisses, ne sic quidem parvæ laudis esset, bona tua cum iis, qui genere tecum conjuncti essent, communia habere, sed tamen illud fortasse aliquid ex munificentiæ laude detraxisset, quòd naturæ quoque necessitas accedere videretur. Nunc autem, præcisa illa causa (nam hominis defuncti filii, quos tu beneficio affecisti, ne tibi quidem noti erant, nisi eos calamitas cõmendasset) mens plane laudem gloriamq; sibi vendicat. *lib. 2. Epist. 78.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Divitiarum servus, non dominus, est avarus. aut misericors tot servos se probos habere quot nummos. *Serm. 54.*

Io. Sarisberiensis: Ut liberalitatis ingenuæ facies denudetur, modus ille largiendi nobilior & laudabilior est, & absque omnium contradictione optimus, qui spem remunerationis excludit, siquidem ad retributionem dare, a liberalitate alienum est, & consentaneum avaritiæ. nam fœnerator ut plus recipiat, interdum aliquid prælargitur. Vis hominem videre liberalem? vis veram & fructuosam largitatem audire? deflecte oculos ad eum qui vermibus scatens jactet in sterquilinio, & testa fluentem de corpore saniem radit. Audi quid loquatur vir justus, timens Deum & recedens à malo: Non utique dicit cithara & lyra, & psalterium & sambuca, & omne genus musicorum in conviviis meis. Non dicit, Epulabar quotidie splendidè, gustus per omnia elementa

quærens; sollicitudine multa contrahens unde conficerentur stercora, aut venter distentus facile in libidinem despumaret. Non dicit, Induebar purpura & byssо, opereve plumario, affectans quod * Locis acus complexum pectine Serum, falsis inanis vitæ obduxit imaginibus, & vestibus fulgebam deauratis, circumdatus varietate. Non dixit, Ad me confluebant undique Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne, venatores, clamosi, dulcorarii mendaces, histriones vani, parasiti edaces, meretrices dolosæ, rumigeruli falsi loqui, & relatores aut concentores inanium fabularum. Non dicit, Leones, ursos alebam, & simias, & hujusmodi monstra, aut probra natura. Quid ergo? nonne sunt quibus nostræ ætatis liberalitas illustratur. nunquid sine his largitas esse potest? Homerus, inquit, meus a junctura sua cadat, & brachium meum ossibus conteratur, si negavi quod volebant pauperibus; si oculos viduæ expectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eo; si foris mansit peregrinus, & ostium meum non patuit viatori &c. Uter tibi videtur liberalior hic, an Antonius, qui liberalitati satisfieri non posse credidit, nisi gulam & totius luxuriæ vitia procuraret. Videsne quia multiplici potest via, avaritiæ suspicio frugaliter declinari. *cap.* 13. *Policratici lib.* 8.

¶ Philosophor. Oratorumque Græcorum.

Phalario Paurolæ filio: Non hercle multas pecunias abs te peti arbitror: sed me ipsum pauperiorem existimo, quam ut benignitati filii possim inservire. Tu verò in ea quæ dicis, liberè sumptus facito. Sic enim largiendo, citius amici te deficient, qui capiant, quã petitiones apud patrem irritæ fuerint. Quantò enim magis præcedunt magnificæ largitiones: tantò magis sequitur, ut ista liberalitate digna præsto sint & suppetant. Quod si semel strenuè facere ingressus sit, eventum fortuna rectè moderabitur Neque te pudor detineat: sed libere ad me sermone sic utitor, ut qui non pauca libenter dem filio, quippe propter quem universa comparaverim. Tantum enim abest, accusare me tuam in amicos animi promptitudinem, ut etiam incredibile gaudium ex eo percipiam, & moneam ut te tanta benevolentia & humanitate dignum geras, ne solum in præsenti sis magnificus: sed eadem manente fortuna, semper hanc voluntatem conserves. Et quod tibi damus, generose Paurola, id verò libenter facimus & in beneficii loco ponimus sumptum tam exoptatum & liberalem. *Epist.* 68.

Xenophon: Gobryas, amici, nos universos hospitio exceptos liberaliter habuit. Itaq; si rite Diis eximia pro more selegerimus, & reliquo exercitui, quantum satis erit, ac deinde prædam aliam huic dabimus: recte facturi sumus, ut statim constet, conari nos bene de nobis promerentes vicissim benefaciendo vincere. Quod ubi auditum esset, & comprobatum & celebratum fuit id quidem ab omnibus, sed unus tamen hujusmodi quiddam protulit: Maxime, mi Cyre, faciendum hoc nobis est. Nam mea quidem sententia, Gobryas hic nos mendicos quosdam esse arbitratus est, quia Daricis onusti non venimus, nec aureis è pateris bibimus. At si hoc fecerimus, fortassis adgnoverit, posse homines etiam absque auro liberales esse. Ite igitur, inquit, atque ubi Diis debita Magis tradideritis, & quæ exercitui sufficerint, selegeritis: cætera Gobryæ arcessito donate. Quamobrem acceptis illi rebus omnibus, quibus opus erat, cætera Gobriæ dederunt. *lib* 5. *Cyropæd. cap.* 18.

Lysias: Pater præterea etiam privatim quorundam tenuioris fortunæ civium filias & sorores nuptum locavit; nonnullos ab hostibus captos redemit; aliis denique pecuniam in sepulturam dedit. Atque hæc ideo fecit, quod existimaret viri boni esse, subvenire amicis, etsi nemo id unquam esset sciturus. *cap.* 16. *Orationis de Aristophanis bonis.*

Iulianus Cæsar: Verũ non omittenda tua illa in privatos beneficia adeò ut liberalem te propterea ac magnificum Imperatorem appellemus. Nam cum plerosque nactus esses, qui dudum suis facultatibus spoliati essent, quod eorum patrimonium iure, partim iniuria summa cum calamitate dilapsum esset, simul atque summæ rerum præfectus est, alios quidem tanquam bonus quispiam iudex prioribus delictis emendatis, in pristinorum bonorum possessionem restituisti; aliis verò perinde atq; æquus arbiter quæ pridem adempta iis fuerant iterum reddidisti, temporis diuturnitatem existimans ad pœnam iis sufficere, qui ea forent perpessi. Quæ verò de tuo iisdem illis conferens ditiores eos omnibus illis fecisti, qui se pridem divitiarum copia iactabant, quid attinet modo oratione complectentem hæsisse parvi in srebus ac contemnendis videri. *in Const. Aug. paneg.* 1.

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: Nec est quod verearis, ne sit mihi onerosa ista donatio. sunt quidem omnino modicæ facultates, dignitas sumptuosa, reditus propter conditionem agellorum, nescio minor an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur: ex qua velut è fonte, liberalitas nostra decurrit. quæ tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat: sed temperandã in aliis, in te verò facile ratio constabit, tametsi modum excesserit. *lib.* 2. *Epistol.* 4. *fine.*

Plinius Iunior: Ex literis tuis cognovi, speciosissimã te porticum sub tuo filiiq; tui nomine dedicasse: sequenti die in portarum ornatum pecuniam promisisse; ut initium liberalitatis esset, consummatio prioris. *initio Epist* 12. *lib* 5.

Idem: Quod superest, Deos precor, ut animum istum tibi, animo isti tempus quam longissimum tribuant, nam liquet mihi futurum, ut peracto quod maximè promisisti, inchoes aliud, nescit enim semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat. *fine ejusd. epist.*

Plinius: Cum senatui populoq; Rom. liberalitatis gratior repræsentari nulla materia posset, quam si abstinentissimi fidelissimique custodis Principalium opum facultates adjuvare contigisset. *mox*: Utiq; cum sit utile Principis benignitatem promptissimam ad laudem præmiaq; merentium illustrari ubiq; & maxime iis locis quib. incitari ad imitationem præpositi rerum ejus cura possent, & Pallantis spectatissima fides atq; innocentia, exemplo provocare studium tam honestæ æmulationis posset, ea quæ proximè acta, in æs inciderentur, idq; æs figeretur ad statuam loricatam D. Julii &c. *libr.* 8 *cap.* 6. *Epistolarum.*

Plinius Iunior: Laudas Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam, & ipse laudo, si tamen non in hos solos, volo enim eum qui sit verè liberalis, tribuere patriæ propinquis, affinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus, non ut isti qui iis potissimum donant qui donare maxime possunt. hos ego viscatis hamatisq; muneribus, non sua promere puto, sed aliena corripere. Sunt ingenio simili, qui quod huic donant, auferunt illi, famamq; liberalitatis avaritia petant. Primum est autem suo esse contentum, deinde quos præcipue scias indigere sustentantem foventemq; orbe quodam societatis ambire, quæ cuncta si facit iste, usquequaq; laudandus est: si unum aliquod, minus quidem, laudandus tamen, tam rarum est etiam imperfectæ liberalitatis exemplar. ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur. *Epist.* 30. *lib.* 9.

Plinius: Augeo Patres conscripti Principis munus, cum ostendo liberalitati ejus inesse rationem. ambitio enim & jactantia, & effusio, & quidvis potius quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat. *cap.* 38. *paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Cogitanti mihi, eundem te collationes remisisse, donativum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia temperasse, interrogandus videris satisne computaveris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas Principis, ut tot impediis, tot erogationibus sola sufficiat. nam quid est caussæ, cur aliis quidem, cum omnia raperent & rapta retinerent, ut si nihil rapuissent defuerint omnia, tibi, cum tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia supersint. *cap.* 41. *paneg. ad Trajanum.*

Plinius: Liberalitatem jucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. *cap.* 43. *panegyr. ad Trajanum.*

Symmachus: Quid quod hanc liberalitatem cumulastis amplissimo testimonio? cujus ego honestamentum præopto muneribus. nam qui opibus illaudatus juvatur, necessarium magis donum quã justum præmium videtur adipisci. *lib.* 1. *Epist.* 3.

Symmachus: Kalendas, anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenuis dicavit antiquitas, DD. Imperatores. Hujus instituti usum munificentiæ festinatione prævertitis, seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus admovetur. Felix me hercule sæculum, quo Principes cohibere diu nesciunt tribuenda devotis, cum sibi debita cunctentur exigere. Quid ergo primum, quid potissimum prædicem? promptam ne numinis vestri & celerem largitatem, an circa absentes memorem diligentiam, an quod sacrum munus auxisti honore verborum? Dicam, ut res est, curasse clementiam vestram, ut tanquam coram locatus, & alloquiis Principum fruerer, & augusta in ipsis donis ora venerarer. Quando mihi continget, expressa potius & viva gaudia capere de vobis? Quantum veritatis est bonum, cujus species & imago mirabilis est! Ago igitur atque habeo gratias, & meam vicem, qui solvendo par non sum, cœlestibus de lego virtutibus: illæ clementiam vestram dignis processibus munerentur. Nos colimus, nos amamus, quod scitis omnibus rebus esse præstantius: qui ideo saluta-riter Rempubl. regitis, ut hæc sola mereamini. *libro decimo Epistol.* 20.

¶ Apologorvm.

Æsop. Lupus & Equus: Lupus juxta arvum quoddam iter faciens, hordeum reperit. quo cum in cibum uti minime posset, relicto abiit. Equo autem factus obviam, eum ad arvum illud vocavit, aiens ut repertum hordeum non comederit, sed ipsi reservaverit, ubi dentium ejus strepitum audisset. Cui equus subjiciens, Heus tu ait, si Lupi hordeo vesci possent, ne tu unquam aures ventri præposuisses.

Phædrus Fab. 23. Canis fidelis.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam tu meam præcludere,
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

De Ava-

Dē Avaro nimis agros cuſtodiente. Fab. 180.

Vir quidam, extremæ avaritiæ emit prædia admodum feracia, & omni fructiferarum arborum genere referta, quæ priori domino ampliſſimos fructus reddebant, quamvis immunita eſſent, & cunctis viatoribus pervia. Ratus igitur novus dominus, ſi melius coleret, & diligentius cuſtodiret, uberiores fructus ſe inde capturum: optimè colere cœpit, & denſis vepribus & parietibus clauſit, cuſtodeſq; diligentes appoſuit: verùm poſt hanc diligentem cuſtodiam agri parum fructus illi reddebant. Conſultus autem Deus, unde hoc acciditſſet, ita reſpondit:

Ipſe malitiæ cauſa es, qui ſæpibus agros,
Parietibuſq; arctis obſtructos undique ſervas,
Multa dedi quondam, quia multi multa petebant,
Vni ſeruit ager tibi nunc, cur tanta requiris?

Fabula indicat, liberali viro Deum multa largiri, quò multorum indigentiæ valeat ſubvenire. Abſtemius.

¶ Emblematis.

Camerarius 78. Centur. 2.

Arbitrii mihi jura mei. Felis impatiens carceris.

Invicta latum pro libertate paciſci,
Gentis erat quondam gloria Teutonicæ.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iacob Patriarcha: Eſau cum obviam factus eſt Jacobo fratri ex Meſopotamia cum locupletiſſima familia redeūti, amplexatus eum ruit in collum ejus, & deoſculatus eſt eum: ita fleverunt. Deinde ab uxoribus ancillis & liberis Jacobi ſalutatus, quæſivit à fratre, Quæ tibi eſt tota acies iſta (caprarum nempe, ovium, camelorum, &c. à Jacobi ſervis deducta) cui occurri? Reſpondens Jacob dixit, Hos greges obviam miſi ut invenirem gratiam in oculis Domini mei. Dicēti verò Eſauo, Eſt mihi ſatis, mi frater, eſto tuum quod tuum eſt, dixit Jacob, Ne quæſo recuſes, ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis: ſed accipito è manu mea, quandoquidem contemplatus ſum faciem tuam, ac ſi contemplatus eſſem faciem Dei, & benignè excepiſti me. Accipe quęſo donum meum quod adductum eſt ad te, cum liberaliter egerit mecum Deus, cumq; ſit mihi ex omnibus. Inſtitit ergo apud eum, ita ut tandem acceperit. *Geneſ.* 34. 4. &c.

Iſraelitæ: Filii Iſraelis mente promptiſſima atq; devota obtulerunt ad faciendum opus tabernaculi, & quicquid ad cultum & ſacras veſtes erat neceſſarium. Ideo artifices dixerunt Moſi, Plus affert populus quam neceſſe ſit. *Exod.* 36. 5.

David: Quum veniſſet David in Siceleg, miſit de præda quam ex Amalekitis debellatis & fugatis reportarat ſenioribus Jehudæ amicis ſuis, dicendo, Ecce vobis benedictio (i. donum) de præda hoſtium Jehovæ. 1. *Sam.* 30. 26.

Idem: Accerſito Mephiboſetho Jonathanis filio dixit, ei, Ne time-to: nam omnino exciturus ſum erga te benignitatem, propter patrem tuum, & reſtituam tibi totum agrum Saulis patris tui: tu verò ſumpturus es cibum in menſa mea ſemper. Deinde Sibæ, Mephiboſethi ſervo dixit, Quicquid erat Sauli & toti familiæ ejus do filio domini tui. 2. *Sam.* 9. 11. 13.

Sobi & ſocii ejus: Quum veniret David Machanaiima, fugiens à facie Abſalomi, Sobi, Macir, Barzillai, cubilia, pelves, vaſa nctilia, triticum, hordeum, farinam, etiam ſpicam toſtam, fabas, lentes, etiā toſtas, mel, butyrum, parvas pecudes, & caſeos armentitios attulerunt ad Davidem & ad populum qui erat cum eo, ut comederent: dicebant enim, populus iſte famelicus, & laſſus, & ſitibundus eſt in hoc deſerto. 2. *Sam.* 17. 27. &c.

David & Arauna: Quum juſſus eſſet David ſtatuere altare in area Araunæ Jebuſæi, & accedentem ad ſe Davidem rogaret Arauna, *Quare venit Dominus meus rex ad ſervum ſuum*? & dicente David. *Emptum à te iſtam aream, ad ædificandum altare Iehovæ, ut cohibeatur plaga à populo*, dixit Arauna, *Accipiat & offerat Dominus meus rex quod bonum videtur in oculis eius: do tibi hos boves pro holocauſto, & has tribulas & inſtrumenta boum in ligna. Iehova Deus tuus acceptum te habeat.* Reſpondit autem rex Araunæ, *Nequaquam: ſed omnino emam abs te pretio: neq; offeram Iehovæ Deo meo holocauſta gratis.* Quapropter emit David aream illam, &c. 2. *Samuel.* 24. 18. &c.

Exempla Liberalitatis regina Seba, Cyri, Artaxerxis, Aſſueri, & aliorum quorum fit mentio in Sacris & Eccleſiaſticis libris, qui liberales admodum fuerunt, quando fuit opus, non deſcribimus: ne ea cum apophthegmatum locis noſtris confundere velle videamur.

Hazaria & alij. Quum Iſraelitæ deducerent Samariam captivos è cognatis ſuis ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum cum multa præda, ad vocem prophetæ Hobedi ſurgentes è primoribus Ephraimitarum Hazaria, Berecia, Jechizkija, & Hamaſa adverſus venientes ab illa militia, dixerunt eis, Non eſtis adducturi hanc captivorum multitudinem huc, quia in reatum graviſſimum cederet nobis, &c. Ita derelicta ſunt captivi & præda ante iſtos principes & totam congregationem. Et ſurgentes homines quidam qui expreſſi fuerant nominatim, prehenderunt multitudinem illam captivam, & omnes nudos eorum induerunt ex ipſa præda: quumq; induiſſent & calceaſſent, cibumq; & potum dediſſent, atque unxiſſent eos, deduxerunt aſinis quemq; labantem eorum, adduxeruntq; eos Jerichuntem, in civitatem palmarum, juxta fratres eorum: deinde reverſi ſunt in Samariam. 2. *Chron.* 28. 12. &c.

Iudas: Nehemias poſt reditum ex Babylone expoſtulantem populum, ſervitutis æris alieni, & bonorum oppignerationis onere liberari curat. Convocatis enim divitioribus qui fratres ſuos emebāt quos poſtea divenderent, dixit eis, Non eſt bona res hæc quam facitis: an non in timore Dei noſtri ambulaturi eſtis, potius quā in probro iſtarum gentium inimicarum nobis? At etiam ego, cognati mei & pueri mei exacturi eſſemus ab eis pecuniam aut frumentum. Remittamus, quæſo, onus iſtud. Reſtituite quæſo eis hoc ipſo die agros eorum, vineta, oleas, ac domos eorum: præterea centeſimam pecuniæ, aut frumenti, muſtiq; aut olei, quam exacturi eſſetis ab eis. Qui dixerunt, Reſtituimus, & ab eis non repetemus: ſic facturi ſumus quemadmodum dicis. *Nehemi.* 5. 9. &c.

Zachæus: Converſus ad Chriſtum, quem lauto convivio excepérat, dixit ei, Ecce dimidium facultatum mearum. Domine, do pauperibus, &c. *Luc.* 19. 8.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Intuitus vidit divites dona ſua immittentes in gazophylacium. Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam conjicientem illuc minuta æreola duo: & dixit, Vere dico vobis, Vidua hæc pauper conjecit amplius quam omnes. Nam omnes hi ex eo quod ſibi redundat, conjecerunt quæ donarent Deo: hæc autem conjecit ex penuria ſua totum victum quem habebat. *Luc.* 21. 1. &c.

D. Paulus Apoſtolus: Pro Oneſimo Philemonis fugitivo intercedit diligentiſſimè: & inter cætera dicit, Si quid læſit te, aut tibi debet, hoc mihi imputato. Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego dependam, &c. *Epiſt. ad Philemon. verſ.* 18. 19.

Lucia: Ad liberalitatem erga pauperes Lucia virgo matrem Eutychiam hortabatur. Illa, ut vitæ ſuæ finem expectaret, inferente (tum enim ſe quod vellet de opibus ſuis facturam eſſe) Non eſt, inquit Lucia, admodum gratum, ô mater, Deo munus, quod quid offert, ideo offert, quia illius uſum ſuprema ſibi interdicit dies. Da, dum ſana es, ne ſi moriens dederis, invita dediſſe arguaris: rem utiq; volens nolens relinquere coacta. Eutychia laudavit filiæ ſententiam. *Marullus lib. 1. cap. 1.*

¶ Apophthegmatum Christianor.

Petrus Aldobrandinus Card. Rogabatur ille, quodnam beneficium exiſtimaret maximè gratum; & reſpondit: *Quod non fuit petitum.* præclare certè. Quo enim quis ſua ſponte impenſius benefacit, eò magis naturam immortalium deorum attingit. quia

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Henricus Farneſ. ſupra.

Idem: Dicere ſolitus, *Principum* Liberalitate *Muſas eſſe paſcendas*. Muſæ enim quæ honeſta, non quæ quæſtuoſa, ſequuntur. *Ibidem.*

Carolus IX. F. R. Erat hic inter Principes ſui ævi munificentiſſimus. Qui reprehenſus quod pecunias non daret, ſed profunderet; *Regem*, aiebat, *in dando facilem eſſe oportet. Nam populus fluminis inſtar pecunias in fiſcum ceu ad Oceanum defert.* Annal. Franc.

Richardus Britanniæ Rex: Eadem laude clarus Richardus, qui cum apparato convivio adverteret duos equites attentius colloqui, & vaſa quædam ſumptuoſiora adſpicere & mirari; acceſſit, & quibus de rebus verba facerent, ſciſcitatur. confitetur unus; Dicebamus, ait, voto noſtrorum demum fore ſatis factum, ſi duo ex hoc vaſorum numero nobis obtingerent. Cui Rex ſubridens; *Ne ob id contenti eſſe deſinite, en vaſa hæc veſtra ſint* An non hic de illo exclamaret Claudianus, quod de Eutropio;

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert?

Bap. Fulgoſ. lib. 4.

Idem: Natalitiis Salvatoris, dum ſacellum auro gemmiſque exornari curaſſet, & Aquenſis Antiſtes Bonefacii Pont. Legatus in eo rem divinam peregiſſet; jamque paramenta veſteſque pontificias exueret Rex nihil de ornamentis amoveri jubet, apprehenſaque Legati manu, *Æquum*, ait, *mihi non videtur, Pontificium Legatum alienā veſte ornamentuq; ſacrificare: quare quidquid in hac ade eſt ornamentorum, tuum eſto.* Ibidem.

Carolus V. Imperator. Huic in hoc virtutis ſplendore ſimilis Carolus, cujus illa vox: *Regis Liberalitas aptiſſimè cum Sole convenit: nam velut is indurat lutum, & emollit ceram, ita hæc quorumdam animos emollit, quorumdam induratur.* Collig. ex Cyr. in Orat. de Vita ejuſd.

¶ Monoſticha Trochaica.

Corpori quod oculus, hoc in rege liberalitas.
Dat ſatius qui dat merenti non gravatè quod poteſt.
Detrimenta terra neſcit fluminum exeuntium.
Divitias alius dum tribuit liberalis, accipit.
Eſſe immunem mente fas eſt, ſi minus licet manu.
Haud animi rex es excelſi niſi pecuniam deſpicis.
Liberalitas amicis proficua, haud ulli nocet.
Liberalitas amicis proſit, noceat nemini.
Liberalis cura vincit omne natura bonum
Liberalitas ferè exitioſa eſt, adſit ni modus
Liberalitas gemella eſt, verba ſi addis rei bona.
Liberalitas vocari non pote oſtentatio.

Liberalitatis auget usus pulcritudinem.
Liberalitati subita Pœnitentia it comes.
Liberalitate miles fit nimis Duci obsequens:
Liberalis atq; latus mente, rara copula est.
Liberalis est qui quod dat alteri, sibi detrahit.
Liberalis haud est qui aufert uni quod dat alteri.
Munifici rerum suarum non ferunt dandi moras.
Liberalis est qui amicis prodest, nemini nocet.
Nemo existit liberalis in necessitatibus.
Nemo tam est inops, facultas largiendi cui haud siet.
Nescit ut semel incitata est stare liberalitas.
Non modo æris, est & oris grata liberalitas.
Nulla apud Deum res magna est, quã nequeat pauper dare.
Ore malim liberalem quam ære, corsordidum est.
Qui suum alteri largitur, nulli alienа subtrahet.
Rara liberalitatis latitiaq; copula est.
Regem ne fatiget quam cum cessat liberalitas.
Sæpe liberalitate liberalitas perit.
Stare nescit, usq; crescit mota liberalitas.

§ Jambica.

A mente pendet tota liberalitas.
Auferre non est regium, sed addere.
Fovere egentes vera est liberalitas.
Gratissima est virtutum liberalitas.
Non liberalis est, qui non est de suo.
Repente liberalis, intendit dolos.
Semel incitata, non stat Liberalitas.
Sine ratione nulla Liberalitas.
Socordia nutricula liberalitas.

Liberè Dictorum.

§ Apophthegm. Christianor.

S. *Paulus Apostolus*: Multos in dicendo commendavit gratia & venustas, plerosq; commendat & juvat audacia & libertas: præsertim si is qui dicit, justè & cum ratione dicit. quo modo feciſſe Apostolum Paulum Sacræ testantur litteræ: dum enim in carcerem missus, & cæsus ob sanatam puellam Pythonissam, tandem per magistratum dimitti juberetur; *Cæsos*, dicebat, *nos publicè, indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita, sed veniant, & ipsi nos ejiciant.* quasi dicat, Veluti nos publico probro affecerunt, ita & publicè nos inculpatos & insontes ostendant. *Actor. cap.* 16.

Idem: Quin idem in concilium productus, cùm se bona conscientia ante Deum usq; in illum diem conversatum dicere, Princeps Sacerdotum Ananias os ejus percuti jussit. Ad quem Paulus, *Percutiet te Deus paries dealbate*, inquit. *Et tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti.* Actor. cap. 23.

S. Anastasius Episc. De Anastasio autem accepimus, interrogatum, cur ita pecunias suas profunderet, per cavillationem liberè respondisse: *Ideo, ne à communi pernicie lustrino auferatur. Niceph. Gall. lib.* 17. *c.* 36.

Prætextatus Rothomag. Episc. Erat Fredegundis Franciæ Regina, improbitatis omnis & inhumanitatis sentina. Hæc Prætextatum Præsulem, cui eximiam virtutem & vitæ innocentiam invidebat; lethali vulnere percuti jusserat. ac mœsta (ut simulabat) accurrit (crediderim, ut oculos in ejus angore pasceret) questus & iram miscuit, quòd in talem virum patratum esset scelus, & auctor lateret: at Prætextatus vicina morte liberior, *Minimè*, inquit, *latet, fateor me eius scelere percussum quareges occidit.* Per dolum quippe Chilpericum maritum suum occidi curaverat. *I. Lipſ. Mon. Pol. lib.* 2 *cap.* 3.

S. Pelagia. Quid verò viros hîc persequor? quasi hac dicendi libertate constantiáque caruerit fœmineus sexus. Vnicam Pelagiam propono, quæ ad bovem æneum condemnata, ac iussa à Diocletiano vestimenta exuere, magna voce eum appellans; *Recordare*, ait, *uxores pellices q; tuas eadem quà ego carne indutas.* vestibúsq; reiectis, nuda ad succensam machinam properavit. *Metaphraſt. in Vita.*

Sigismundus Imp. Civilia adscribam, & inter ea primùm Sigismundum Imp. Dum namque quidam Constantiæ omnem libertatem ademptam quereretur, inquiebat: *Secùs se res habet. Quin si deesset hic summa libertas, tu numquam tam liberè loquereris.* Indicabat magnæ libertatis signum, liberè posse loqui. *In dictis Sigiſm. apud Æn. Sylv.*

Miles anonymus. Grave illud & serium. iocosum hoc à Ducis Saxoniæ milite profectum:

Tempore quo bellum cum Cæsare Saxo gerebat,
Seria festivo hac res fuit acta ioco.
Bellica Saxonicis quidam Ducis arma secutus,
Miles, *ab adverso milite captus erat.*
Ex quo Cæsareus cupiens resciscere Princeps,
Esset quanta Ducis copia, quanta manus?
Ille suis aquilam qui territat ensifer armis
Saxo tum, quantum roboris inquit, habet?
Miles *ad hæc*, Demiror, *ait*, cur talia quæras:
Cum Duce luctatum méne fuisse putas?

Georg. Sabinus in Epigramm.

Liberorum.

§ Sententiæ Patrum.
Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Et mores ei contigerant & eruditio, domestico habenti virtutis exemplar, in quod oculorum aciem intendens statim optimus erat. Et quemadmodum equorum pullos ac vitulos, simulatque in lucem prodierunt, matribus suis assultare videmus; sic ille patrem cum equino & generoso impetu è propinquo aſſectabatur, nec à summis virtutis illius agitationibus longo intervallo distabat: aut si navis, in ipsa quoq; virtutis adumbratione futuræ virtutis pulchritudinem subindicabat, atq; accuratioris vitæ notas ante accuratioris vitæ tempus præferebat. Illic porrò cùm satis uberem doctrinam collegisset, nec rei cujusquam honestæ ignarum & expertem eum esse oporteret, nec ab apicula, quæ ex quibuslibet floribus utilissima quæq; decerpit, labore ac diligentia, superari, Cæsaream ut scholarum urbis illius particeps esse contendit. *Orat.* 20. *in funere Basilij Magni.*

D. Nazianzenus: Mihi maximum & clarissimum esse videtur felicitas in liberis. Nam qui simul & multos, & probos atq; honestos filios habuerint, in fabulis fortasse reperias: hos autem res ipsa nobis exhibuit; ut qui tales quidem ipsi fuerint, ut etiamsi talium liberorum parentes haud quaquam extitissent, sibi ipsis tamen ad nominis claritatem sufficere potuissent: rursum autem ejusmodi filios in lucem extulerint, ut etiam si ipsi non tanta virtute fuissent, omnes tamen sobolis felicitate superaturi essent. Nam cum unus aut duo cum laude vivunt, id tale est, ut naturæ ascribi queat: ut undique perfecta & ad summum provecta omnium virtus, iis planè, à quibus editi & educati sunt, assignari debet. *Orat.* 20. *in funere Basilij Magni.*

D. Nazianzenus: Æquè ex viro & muliere procreati sumus: unum idemque parentibus debitum filii persolvendum habent. *Orat.* 31.

D. Greg. Nyſſenus: Multi ex meretricibus aut adulteris nascuntur infantes, quos utpote nothos suis ipsæ manibus matres obtruncant, cædeq; flagitium supprimunt. *Orat. contra fatum.*

D. Greg. Nyſſenus: Cùm omnis efficacia divina comitem habeat stuporem & consternationem: tum magnum & inexplicabile miraculum est, cum patrum & proavorum similitudines plene transire animadvertimus in formas liberorum, ac posteros majorum suorum quasi exprimere atque referre figuras. Tunc nimirum artem præstantissimi opificis ac servatoris Dei omnem solertiam in sese complexam cum ingenti stupore admiror, quomodo eorum, quæ nec extent, nec appareant, primorum illorum exemplarium imitamenta arcano mysterio creentur & effingantur, quasi alteros quosdam eos, qui mortui sunt, per efficaciam formarum excitantia. Sæpè autem multarum etiam personarum proprietates simul in uno corpore exprimuntur & effinguntur. Patris nasus, avi oculus, patrui incessus: matris sonus vocis & loquelæ. Atque unus homo spectatur tanquam planta quædam, quæ multarum arborum surculis insitiis in se receptis innumera quoq; fructuum genera decerpentibus & colligentibus præbet. Hæc omnia admirabilia quidem sunt, sed quo pacto fiant nobis ignotum est: opifici autem facilia atq; expedita, & ab ea nullo negotio, ut scimus perficiuntur. *fine Orat.* 3. *de resurrect. Christi.*

D. Chryſoſtomus: Absit ut hoc consideremus, quemadmodum liberos relicturi simus divites, sed quemadmodum virtute præditos. nam si opibus confisi fuerint, nullius rei alterius curam suscepturi sunt, ut qui habituri sint unde morum pravitatem adumbrare possint: nempe à facultatum abundantia: qui si viderint sese illo solatio atq; auxilio destitutos, omnem operam navabunt, ut virtute ipsa magnum paupertati solatium acquirant. Ne igitur opes illis relinquas, ut virtutem relinquas: nam summæ quidem est amentiæ, illis dum vivimus facultatum omnium nostrarum dominium non permittere: ab obitu verò nostro magnam juventutis levitati licentiam relinquere. quanquam dum vivimus ipsi, possumus quidem eos ad rationis calculos vocare, facultatib. non rectè utentes emendare, ac cohibere: vita verò functi, si unà cum orbitate ac juventute, & opum quoq; licentiam addiderimus: fiet profectò ut in infinita præcipitia miseros illos ac calamitosos impellamus, ignem igni adjicientes, & oleum foco instillantes. *circa finem Homil.* 7. *ad Romanos.*

Chryſoſtomus: Nolite provocare ad iram filios vestros, ut multi faciunt, eos exheredantes & abdicantes, & eos gravantes & prementes, non tanquã liberos, sed tanquam mancipia. *Hom.* 21. *ad Epheſ.*

D. Io. Chryſoſtomus: Dixerat filium, dixerat in vinculis genitũ, ut ex eo maximè videretur amabilis, quod esset genit⁹ in pressuris & in tẽtationibus. Quod enim eis filiis maximè afficiamur & inter pericula, vel etiã post evitata pericula gignimus, testimonio scripturæ com

proba-

batur, quæ Benjamin delicatum patri Jacob filium, ex eo manifestat, quod hunc moriens mater ediderit. *Homilia 2. Epistola ad Philem.*

¶ Romanorum.

S. Salvianus: Licet omnes admodum liberi membra parentum esse videantur, non putandi sunt tamen membra eorum esse, à quibus affectu cæperint discrepare: quia morum degenerantium pravitate, pereunt in talibus beneficia naturæ. *lib. 3. de gub. Dei*

S. Salvianus: Paratum inter Romanos Sabinosque bellum, & quod difficilius sedari potest, cæptum, preces quondam & interventus carorum pignorum sustulerunt. cumque una eorum gens esset natura ferox, alia dolore fervens, tantum tamen visio affectus mutui valuit, ut nec Romanus memor esse belli, nec Sabinus posset injuriæ: & illi paullò ante feri ac semibarbari, cognati sanguinis cupidi, sui prodigi, amplecti se mutuo inciperent, qua pignus mutuũ jam habere cæpissent, fieretque unus, uterque populus, quia unus utriusque esset affectus. Nos non in acie stamus, non arma sumimus, non vim inferimus, nec propulsare tentamus; impium fore arbitrantes, si vel in hoc filii parentibus obvient, ne puniantur injustè. Cur rogo, quod illi quondam affectus pro suis obtinuerunt, nostri non queant impetrare pro nobis? an ideo infelicissimi penè omnium, ideo minus meremur veniam, quia repugnare nescimus? quod vultis nos pati patimur: si irascemini, deprecamur, si puniendos creditis, acquiescimus. quid ultioni post ista superest? Certè etsi justas succensendi causas parentes habeant, nihil contingere eis felicius, nihil optatius potest, quam ut sic eis pro reatu filii satisfaciant, ne necesse habeant vindicare. &c. *Epist.* 4.

Zeno: Unicus ille filius solliciti senis, adhuc parvulus, cui pietas & miseratio major debetur, postulatur ad victimam, cui si per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas nasceretur; aut humanus exitus contingeret, vix in ejus casibus pater vivere potuisset, si teneris annis moreretur. hic igitur infas, cujus è vita paternus affectus & maternus pendebat, postulatur ad victimam. *Sermone 2. de Abraham.*

Idem: Parentum circa filium affectus ex tarditate dulcior. *Sermone 2. de Abraham.*

Egesippus: Offendebatur igitur Herodes vel tacito filiorum ingenio, excitatiore quàm paterna pietas pati posset; quæ etiam vultu frequenter læditur. *cap. 38. lib. 1. de excid. Hieros.*

Chrysologus: Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio. Namque ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios. Dissipavit inquit, substantiam suam. Quæ composita fuerant patre moderante, prodigente filio dissipantur: ut vel tardè sapiat, patrem custodem, non incubatorem fuisse substantia. *Sermone primo.*

Chrysologus: Metus locum non habet, ubi à patre filius pietate interprete, desiderat quæ sancta sunt impetrare. *Sermone 70. f.*

Ennodius: Viri fortis progenies armorum faciem inter patris agnoscit amplexus; & dum naturæ obsequitur, discit amare terrorem. *lib. 1. Epist. 18. a. m.*

Ennodius: Quantum docet inclementia, perdidisti testimonium generis, quod opinione mentiris. Veneris non esse filium nil amantem. ordo rerum est, ut prosapiem mores adnuncient, & quo quis auctore in lucem venerit, ejus facta sectetur. Diva Italiæ nescientem respondere beneficiis non agnoscit. Non fama filios, sed conversationis monstrat æqualitas. si diversa sit conscientia, vix credenda est esse soboles quæ vocatur. Te potius Caucasei rigoris prærupta genuerunt, aut conceptum in recessibus montium saxea alvus effudit: & ne dira nutrimentis natura mollesceret, eripientes salutem Cytheris Hyrcanæ tygrides alimenta præbuerunt. nutrivit te illa feritas, quæ trucidat. *initio dictionis 28.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Phalaris Paurolæ: Allata est ad me missa à te corona pondere sexcentorum aureorum, quam fortunæ caussa & ob ejus qui miserat liberalitatem accepi. Qua diem unum redimitus, quo patriis diis gratulatorium sacrificium propugna contra Leontinos inita, afferebam, eandem Erythriæ matri tuæ rursus dono misi. Neminem enim reperi digniorem, quem hoc tam precioso munere ornarem, præter matrem. Tu vero nobis multò pulchrior decentiaque corona fueris, si notis tua studia respondere invenientur. *Epistola. 40.*

Phalaris Erythiæ: Si Tyrannicæ vitæ metu, Paurolam Agrigentum mittere non audes, ignosco tibi & tanquam uxori & tanquam matri quæ charissimo filio timet. Sin autem quia sola & non mecũ una genueris, sola quoque vis eum retinere pessimò de parentum jure judicas. Nam si brevissimè est dicendum, patris magis est filius quam matris: sin benevolentius, utriusque pariter & ex æquo. Quod si aliquando genitori etiam filium. tradere tuam orbitatem existimas: quid sentis de eo, qui ne semel quidem ejus fuit particeps. Quamobrem æquabilius & justiusages si eum ad me miseris non longo temporis intervallo reversurum ad te: sed brevi & ejusmodi apparatus, cujusmodi Phalaridis & Erythiæ filium decet, ut quamvis non mecum, tamen abundantes divitiis & opibus simul vivatis. In quos enim familiariores, quis divitias conferre optet: si filium & uxorem negligat? Ego vero, si erga vos affectus ut æquum est patrem & maritum, mearum pecuniarum non minimam portionem, in vos amicissimos effundere paratus sum: idque statim expedire cupio: cum propter alia, & vel maximè propter imminentem senectutem: tum propter morbum, qui nuper mihi contigit, gravissimum. Admonet enim me ut præsentem diem, extremum vivendi tempus homini constitutum putem. Tutæ vero excreta Agrigentum & hinc rursus profectionis, fidem ad securitatem patris ei benevolentia magis quam matris sollicitudo præstabit. *Ep. 69.*

Phalaris Mnesicli: Fœlicitatem tuam, summo cum gaudio, audimus quamvis filium te vehementer optante filia provenerit. Credimus autem eò tibi chariorem fore, quod loco filii nata sit. Natura enim sic est comparatum, ut filiæ, plus masculinis liberis parentes colant, atque observent. Nostra vero dona sic demum suscipere grata mente videberis, si non solum receperis ea quæ mittimus, verum etiam quibus tibi est opus, de his nos ignorantes certiores per literas feceris. nunc enim & pluribus & magnificentioribus propter filiam opus habebis. *Ep. 90.*

Xenephon: Deos testor, mi Cyre, etiam si talis essem, qualis initio natus sum, liberosque procreassem; haud scio, an filium sic erga me adfectum habiturus fuerim. Nam & alios aliorum filios novi, & hunc ipsum Assyriorum modo regem, multo plus doloris & molestiæ patri suo creasse, quam tibi iam creare possit. *cap. 31. lib. 5. Cyropædiæ.*

Xenophon: Scias frequenter ad nos dixisse Socratem, quod illi, qui liberis suis de multis facultatibus prospiciunt, ut autem boni ac egregii evadant, negligunt; simile quid agant equos alentibus, qui bellicos ad usus eos non instituunt, & multum pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed eorum quæ præstare oportebat, imperitos. Nam equi virtutem ac laudem non in corpulentia, sed audacia peritiaque bellici usus, sitam esse. Eodem modo & illos peccare, qui filiis multos agros comparant, ipsosmet vero negligunt. Nam prædia magni pretii æstimationem habebunt, ipsi viles erunt: quum oporteat è contrario custodientem re possessa longe maioris esse dignitatis ac pretii. Quamobrem si quis filium suum magni pretii hominem effecerit, quamvis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, ut res vel multæ, vel paucæ adpareant quippe animo bono, quidquid possidet, moderatum est: rudi autem & recte non instituto, exiguum. Tu vero non plura, quam necessitas postulat, des filiis tuis; quæ sane recta institutione utentes, ut necessaria, sic satis esse sibi copiosa existimant: imperitis vero præsentem quidem corporis molestiam remittunt, at futuri temporis expectationem metu plenam imminuunt. *Epistola ad Critonem.*

Xenophon: Scis, inquit mi Lyco, te omnium hominum esse opulentissimum? Id ego profecto, ait, ignoro. An igitur fugit te, quod ne regis quidem opes cum filio commutares? Ipso in facinore deprehensus sum, inquit, omnium, uti quidem videtur, hominum opulentissimus. *cap. 10. Convivii.*

Lisias: At postquam infans mihi natus fuit, confidebam tum uxori, & omnia mea committebam, existimans hoc firmissimum nostræ coniunctionis esse vinculum. *capite secundo apologiæ cadis Eratost.*

Aristides Sophista: Faxit Deus ut tu nobilis nobilium filius vestigiis paternis incedas. hoc enim multum à me paucis dictum sit. quippe cum parens tuus omnes reges sapientes sapientia, fortes fortitudine, pios pietate, felices felicitate superet. *ipso fine laudationis M. Aurelij Antonini philosophi.*

Aristides Rhetor: Quæ de multis atque magnis Cimonis laudibus maxima ac pene summa est, & ipsius valdè propria, hanc ei, velut aliud quiddam, volo tribuere. Etenim inter paucos fere, quantum iudico, tum priores tum posteriores huic sermoni resistit, nec illi maledico dat locum, quo traditur, bonis viris quasi fataliter accidere, ut eorum liberi improbi, & virtuti paternæ dissimiles evadant. Nam cum ipse Miltiadis esset filius, & in eius gloriam tanto cum discrimine succederet, non fuit suis dedecori, nec, si nomen patris usurparet, sufficere putavit, quasi cum quis Olympiis, quod patrem habeat Olympionicam, coronam vult obtinere: sed eum tam diligenter est imitatus, & eius factis quasi vestigiis institit, ut etiamsi nemo de historicis cuius esset filius, tradidisset, ex ipsis rebus, quas gessi, de patre licuisset coniicere. *Oratione Platonica 2.*

Arrianus: Epicureus disuadet sapienti ne alat liberos, ob molestias. Num ob murem qui in conclavi alitur in molestiam incidat? quid vero parvum musculum plorantem curat? At scit ubi semel natus fuerit, non iam in nostra esse potestate, ut eum non diligamus, non curemus. At cum neque ovis fœtum suum deserat, neque lupus; num homo deseret? quid vis? stultos nos esse tanquam oves? at hæ non deserunt. feros ut lupos? ne illi quidem deserunt. Age, quis tibi obtemperet, si filiolum suum humi prolapsum plorare videat? Equidem arbitror, etsi mater tua & pater oraculo præsciviss ent te dicturum esse ista, tamen te abiecturos non fuisse. *fine cap. 23. lib. 1. Epict.*

Philostratus: Elephanti omnes transeuntes pullos super dentiũ eminentias gestabant, promuscide tanquam vinculo ipsos complectentes; hæc nullo iubente ex se ipsis naturali quadam prudentiâ ac sapientiâ faciunt. Quid igitur sibi vult insana quorundam sollicitudo, inaniter quærentium, naturalis ne sit, an non, erga filios benevolentia? Hoc enim elephanti etiam clamant à natura ipsis talem benevolentiam datam. neque id sicut alia quædam ab homi-

nibus didicere. hi namque cum hominibus non vixerunt: ſed naturâ ducunturut ament quod pepererunt: propterea illis provident, eoſque nutriunt. Verum non elephantis duntaxat hoc eſt dicendum, quos ego ſecundos ab homine pono: ſed hoc magis in urſis admiror, qui cum feritate ceteras belluas ſuperent, pro catulis tamen omnia faciunt. Idem faciunt lupi, rapinis ſemper intenti. femina autem partus cuſtodit, maſculus pro catulorum ſalute cibos ad ipſam defert. Idem & pantheræ faciunt; quæ propter caliditatem matres fieri gaudent, & tunc maribus dominari volunt, ac domui præſidere: mares patienter omnia ſuſtinent propter catulorum amorem. Animadvertiſti etiam utique in Homericorum leonum aliquo, ut pro ſuis catulis torve intueatur, & vires ad prælium colligat. Tigrim quoque inſigni crudelitate animal ferunt, in hac ipſa regione, & ad naves uſque penes rubrum mare habitantium procedere, catulorum repetundorum gratia, illisque receptis cum gaudio ābire. quod ſi ablatis catulis abeuntes naves adſpiciat, mœſtam in littore ululare. quandoque etiam ob doloris magnitudinem mori. Aves quoque quis non videat pullorum cauſa multa facientes: velut aquilas ac ciconias, quæ nunquam nidos extruunt quin lapides illis imponant; hæc quidem à ſe aquilinum vocatum; illa lychnitē, ut ova fœtum producant, & ſerpentes nidis non appropinquent. Quod ſi & marinas belluas conſideremus, ne admiremur delphinas, quod cum benigni exiſtant, ſuos ament fœtus, ſed Balænas & phocas, & cetera vivipera, quomodo non admirabimur? Cum ergo in Ægis inſula viderim phocam à piſcatoribus comprehenſam, mortuum filium, quem in carcere, ut ſic dicam, pepererat, ita deplorare, ut triduo à cibis abſtinuerit, quamvis omnium belluarum voraciſſima ſit. Balæna autem faucibus filios abſcondit, ſi quando majorem belluam fugere contigerit. Vipera etiam viſa eſt ſerpentes quos peperit, lingua lambere & quaſi expolire. *libro 2. Apollonij capite 7.*

Philoſtratus: Inſignis eſt Archytæ de puerorum educatione ſermo: ſit, inquit, pater filiis virtutum exemplar. quaſi parentes id ipſum ſit ad virtutes ſtudioſius capeſſendas incitaturum, ſi filios ob id ſibi ſimiles futuros cenſeant. *lib. 6. Apoll. cap. 14.*

Iulianus Imp. Vix potui lacrymas continere: & merito, cum apud nos tuum nomen appellari audiviſſem. Commovebat enim mihi memoriam nobilis illius, & omnibus modis admirandi patris noſtri: quem ſi imitari voles, & ipſe felix eris, & vitam tuam, ſicut ille, amabilem efficies: ſin ignavus fueris, tum mihi dolorem afferes, tum te tibi detrimento fuiſſe in perpetuum dolebis. *Epiſt. 34.*

Iulianus Cæſar: At egregius Princeps, qui verè ac ſincerè Deum imitatur, non ignorat apum examina etiam è ſaxis evolare: atque ex amariſſimo ligno longè ſuaviſſimum oriri fructum; ficus, inquam, ſuaves ac jucundas, atque è ſpinis Punicam malum: ac ſi quæ alia ex aliis prodeunt, eorum à quibus propagantur ac gignuntur diſſimilia. Quapropter minimè committendum eſſe putat, ut ea antequam matura fuerint profligentur: ſed expectandum eſſe tempus ſuum, ac permittendum, ut parentum ſtoliditate ac vecordia excuſſa, boni atque frugi liberi ſint. Qui ſi paternorum inſtitutorum imitatores eſſe maluerint, opportuno tempore pœnas perſolvant; non ad alienorum criminum ac calamitatum occaſionem extincti. *Paneg. 3. ad Conſt. Imp.*

Iulianus Cæſar: Igitur quemadmodum te & erga Parentem piè, atque humanè geſſeris, & cum Fratribus perpetuò pacem ac concordiam ſervaveris, ut & alterius ſponte eſſes Imperio ſubjectus, & cum illis caſtè ac temperanter Imperium gereres, dudum à me prædicatum eſt, & nunc rurſum memoria repetendum. Hoc verò ſi quis ab exigua virtute profectum putet, is poſtquam de Alexandro Philippi, & Cyro Cambyſis filio cogitaverit, tùm demùm iſtud ipſum collaudet. Nam ille quidem pene adhuc puer non obſcure illud indicavit, Patris ſe imperium ultrà non laturum: at hic Avum ſuum etiam imperio ſpoliavit. Quare nemo ita ſtolidus eſt, qui non maximum illud eſſe ſibi perſuadeat, eum, qui nihil animi magnitudine, & honeſtatis, ac gloriæ contentione illis eſſet inferior, ita nihilominus ſe erga Parentem, ac fratres temperatum moderatumque præbuiſſe. *in Conſtant.*

Iulianus Imp: Etſi multa à parente tuo præclarè geſta ſint, unũ tamen omnium eſſe præſtantiſſimum audacter dixerim, ceteris ut opinor ſuffragantibus, procreationem ſcilicet tuam, educationem atque inſtitutionem. quibus id rebus omnibus accidit, ut optimo imperio, non ad breve tempus aliquod, ſed quam fieri poteſt longiore perfruantur. itaq; etiamnum imperare is videtur. Quod quidem Cyrus minime conſequi potuit. nam poſt ejus obitum filium multo deteriorem habuit; adeo ut ille Populi pater, alter Dominus appellatus ſit. te verò parente quidem humaniorem multò atque aliis pleriſque in rebus ſuperiorem ſcimus. *Paneg. 1.*

Libanius: Liberos vivere optarem facultatibus partis. verum ſi fortuna utrumque largiens, quæ ſentio dicere me vellet; diteſcere liberis carens, quam cum filiis inopia laborare multò carius eſt. quid enim juvat intuentes invicem lacrimari, quod penuria facere conſuevit? *Declamat. 10.*

Libanius: Securo ſit animo pater, ut nihil à me mali paſſurus. non certe injuriæ memor ero, neque ad ultionem me vertam. abſit ut tam improbus unquam ſim. quin etiam, ſi quis alius inſultet, & ſuccenſebo, ut non permittam. atque hic me filium in his conſtantem experietur. *Declamatione 21.*

Mox: Sed metuis ne quid à Deis ob hæc mihi accidat? ſi quidem certe gravi te contumelia affeciſſem, aut conviciatus tibi fuiſſem, aut eos qui tibi negotia faceſſerent immiſiſſem, ut tunc quoque fortaſſe in parentem peccaſſem, abdicatus ſcilicet. *Declamat. 21.*

Libanius: Qui igitur vos emendatis filios? ut parentes æquum eſt. hic verbis objurgavit, ille menſa arcuit, huic ſcutica ſatis fuit: alter aliquamdiu non eſt allocutus: magnam etiam vim habet truculentus aſpectus, & clamor exertus, & opera domeſticorum bis ter adhibita. Sed aliqua etiam graviore opus eſt animadverſione? Minitare abdicatione: ſed in hac cunctandum eſt. qui enim legem tulit mihi videtur patribus comminationem tantum inſtituiſſe, ſiquidem civitatis curam habet, ut decebat. *Declamatione 21.*

Libanius: Hic ſæpe me audierat dicentem, Memento parentis, atque enitere benevolentiam à Diis immortalibus & ab hominibus tibi comparare: illos quidem reverendo; his autem quandocunque fieri poteſt, benigne faciendo. *Declamat. 22.*

Libanius: Filia mihi perijt, filia vim perpeſſa eſt, filia expugnata eſt. atqui nihil carius parentibus quàm liberi. Videtis etiam homines, non alia ſolum pro ipſis facere terra marique; verum etiam libenter mortem in armis excipere. nec dum hoc magnum eſt; ſiquidem mente & prudentia; ſed & belluas quoque cernimus omnia pro fœtibus quos procrearunt præſtare: ac ſi ipſas quidem ferias, forſan quieſcent: ſed ſi titulos attigeris magnum inſtat periculum, atque abſque noxa abire facile non eſt. Ecquænam bonorum expectationes hominibus à me forent, quive honores mihi propterea ab illis collati, ſi ego tanta in meis intimis negligentia uſus eſſem? Nam quomodo futurum eſſet, ut viderer utilis hominibus, & ad auxiliandum paratus, cum in filiæ meæ cauſſa jus prodiderim. *Declamatione 23.*

Libanius: Pecuniarum Athenienſibus ipſis multa eſt cura, in eoque ſedulo dant operam: animorum vero ut ipſi evadant optimi, eorumque liberi, nulla habetur ratio. *Declamat. 29.*

Libanius: Pater ille abreptus eſt & periit, ô Jupiter & Sol, ob eximiam erga nos benevolentiam: ſolus liberorum amans: qui omnes quotquot unquam fuerunt patres ſuperavit. Nam quis pariter illi filium educavit? quis æque liberaliter inſtituit? quarum nam decentium diſciplinarum imperium eſſe me ſinit? qualium honeſtorum & utilium ſermonum ignarum? Quamobrem omnia præclara & exoptanda mente præditis documenta, virtutem exercendã eſſe, Deos colendos; benignitatem amplexandam: cognatos amandos: egenis ſuccurrendum: reverendos natu majores; ac nihil quidē injuſti peragendum: eorum autem quæ fiunt inſpectricem eſſe juſtitiam cenſendo, ab humanis erratis abſtinendum. ac ſedulò pulcherrima quæque perſequenda: hæc, inquam, atque his ſimilia, patris diligentiâ addiſcens inſtituebar. at quod maximum & auguſtiſſimum eſt documentum, de quo multa quidem à poetis & ſcriptoribus dicta ſunt; plura verò inſtitutores mihi commemorarunt, dum pietatem & numen divinum laudarent; ac beatos & felices illos identidem prædicarent, qui hanc doctrinam factis veram exhiberent: quodnam verò iſtud eſt præceptum? Deos colendos, ut oportet maxime: ſecundum illis parentes obſervandos eſſe: providendum eſſe, curamque adhibendam patribus; omni illis ratione gratum faciendum eſſe: ſenectuti eorum ſubveniendum; referendam illis decentem gratiam: non concedendum ut quiſquam contumeliam iiſdem inferat: ſi quis eos læſerit, perſequendum, etiam ſi periculum immineat: tametſi mori contingat, libenter perferendum. nam ejuſmodi mors omnibus ſtudiis ac votis expetenda, quæ pro patribus obtingit. His ego, judices, diſciplinis inſtructus, in eo operam ac diligentiam adhibebam, id curæ habebam: id agebam; de eo ſollicitus eram. ſi ſuperſtes pater eſſet, ipſemet vobis multam ſollicitudinem, benevolentiam, curas, ſedulitatem enarraret. nullum enim unquam tempus intermittebam, quo minus agerem & dicerem, quæ parentibus conducere exiſtimarem: immò dum hæc præſtarem, meis ipſius commodis conſulebam. nam quicunque parentes ſuos, ut decet, colunt, per ea quæ ſtudioſe faciunt meritam gratiam conſequuntur. *Declamat 4. & 40.*

Themiſtius: Minime arbitror fas eſſe, ut ſapientes & felices virī filios ſuos averſentur. *Oratione prima ſive Exploratore.*

Heliodorus: Non ad hanc ſpem, Athenienſes, hunc educabam: ſed bacillum ſenectutis meæ futurum aliquando ſperans, ut primũ mihi natus eſt liberaliter educatũ, & initiis literarum inſtitutum, cum in tribules & gentiles induxiſſem, in ephæborum album intuliſſem, civem noſtrum etiam legibus affeciſſem, totam vitam meam ob hunc parum tranquille agebam. Ceterum poſtquam horum omnium oblitus, me injuriis primum, & hanc quæ mihi ſecundum leges cohabitat verberibus affecit; ad extremum & gladio armatus noctu advenit, & eatenus tantum ab eo quo minus parricida fieret abfuit, quatenus fortuna reſtitit, inopinato terrore ut ei gladius è manibus comparans, confugi ad vos, nomenque iſtius defero tametſi enim mihi per leges liceret mea manu illum interimere, tamen nolui, idque totum veſtro reliqui arbitrio, melius me facturum exiſtimans, ſi de filio lege, non cæde ſumerem pœnam. *libro primo Æthiopicorum.*

Heliodorus: Primum mihi numinis ira genuinam filiam unà cũ ſponſalibus facibus extinxit; matrem præ dolore quem ceperat ex ejus morte ſimul abduxit, me patria expulit. Sed erant omnia tolerabilia poſt Charicliæ inventionem. Chariclia mihi vita erat, ſpes & ſucceſſio generis, Chariclia ſola ſolatium, & ut ita dicam, anchora. *lib. 4.*

Æneæ

Anon. Sophista: Planè meum eſt etiam hoc; ſi quidem liberorum bona patris eſſe judicantur. *Epiſt.* 17.

Simocatta: Polypodes ajunt in capturæ penuria, ſuas ipſorum ſquamas devorare, quaſi verè paratum cibum infœliciſſima ſua mẽbra. Veſcuntur igitur pernicie ſuarum partium, & propriarum carnium ſe convivas præbent. Nunquid Xanthippe Polypos animo atque ſententia ſummæ rerum eſſe cenſes: Ego vero manifeſtiſſimũ hoc arbitror. Nam contra omnem humanitatem tuum patrem affici injuria, neque naturam reveritus, neque judicium quaſi Barathrum perhorreſcens. At ſi penitentiam egeris, immemorem præteritorum malorum habebis providentiam. Sin avaræ furiæ immutabili damno deſtinatus es, æquilibram lancem tibi numen ponderabit & liberos habebis, qui veras imagines paternæ malitiæ & ſimulacra referant. Sic enim viperæ quoque fœtus maternam ſceleratiſſimè lacerant matricem & nutricem ventrem diſrumpunt. *Ep.* 72.

Baſilius Imperator: Cogitare non ſolum de ſuis, ſed multo etiã magis de ſubditorum rebus, ſolicitudo eſt rege digniſſima: neque enim ſatis eſt bonũ te præſtare iis qui tuæ ditioni ſubditi ſunt: ſed & liberos relinquere oportet, qui quaſi vivæ virtutis imagines ſint cæteris. Quemadmodum enim qui liberos probe inſtitutos relinquit, de toto regno benè meretur: ita qui eos male moratos, nullis litteris excultos ſinit, totam Rempublicam graviter lædit. Obedi ergo, fili, paternis exhortationibus, ut & tibi ipſe proſis, & univerſo regno tuo ad rectam viam præeas, & mihi inſtitutionis tuæ gratiam, bonam videlicet nominis memoriam, perſolvas. *cap.* 60.

§ Romanorum.

Quintilianus Senior: Inter liberos hæc una differentia eſt apud animum patris, quod ſemper majorem locum habet is cujus miſeremur. *Declamat.* 328. *a. f.*

Quintilianus Senior: Tu tamen, inquit, mentitus es patri, & amorem meretricis finxiſti, cum ea pecunia matrem repudiatam aleres. Ita innocentior eram ſi verum dixiſſem? plena eſt hujuſmodi artibus vita, plena ſunt etiam thratra, circumſcribuntur & ſervorum artibus partes, & mendaciis filiorum: & ignoſcunt cum meretricibus pecunia datur, cum aliqua à lenone redimitur ancilla. Dixi amorem eſſe meretricis: acceptam pecuniam matri dedi. innocenter ergo eram, ſi pecuniam matri petitam, meretrici dediſſem. *Declatione* 330. *a. f.*

Quintilianus: Inimicum divitem habeo. adhuc illa odia quæ contra me quotidie acuit, fortius ſuſtinebam ſpe liberorum. jam mihi juvenes erant, jam patrem tuebantur. *Declamatione* 337. *extremo.*

Quintilianus Senior: Ille expoſitus, quem præſidio ſuſtuleram, ille quem vindicem etiam adverſus alienos ſperaveram, tam aperte ſenem patrem pulſaverat, ut ne inficiari quidem poſſet. *Declamatione* 372. *m.*

Calpurnius Flaccus: Expers judicii eſt amor: non rationem habet, non ſanitatem. alioquin omnes amaremus. Nonnunquam incredibiliter peccare, ratio peccandi eſt. Non ſemper, inquit, ſimiles parentibus liberi naſcuntur. Quid tibi cum iſto patrocinio eſt, niſi ut appareat te peccaſſe ſecurius? Miramur hanc legem eſſe naturæ, ut in ſobolem tranſeant formæ, quas quaſi deſcriptas ſpecies cuſtodiunt? Sua cuique genti etiam facies manet. Rutili ſunt Germaniæ vultus, & flava proceritas Hiſpaniæ. non eodem omnes colore tinguntur. Ex altera parte qua confexus & deficiens mundus vicinum mittit orientem, illic effuſiora corpora, illic collectiora naſcuntur. diverſa ſunt mortalium genera: nemo tamen eſt ſuo generi diſſimilis. Quid ergo? inquit. amarit Æthiopem. Eſt interdũ, judices, malarum quoque rerum ſua gratia. eſt quædam formarum voluptas. Miraris ſi aliquis non ſapienter amat, cum incipere amare non ſit ſapientis? da mihi ſanos mulieris oculos. nemo adulter formoſus eſt. perituræ pudicitiæ minima eſt in eo ſollicitudo, quẽadmodum pereat. Proprium eſt profanæ libidinis neſcire quò cadat. Ubi ſemel pudor corruit. nulla inclinatis in vitium animis ruina deformis eſt. Is demum libidini placuit in quem non poſſet mariti cadere ſuſpicio. *controverſia 2. ubi Aethiopem pariens arguitur adulterij.*

Calpurnius Flaccus: Vos duo liberi, omnibus in vita liberis; hunc tertium & ipſi vitæ meæ præfero. Factus eſt mihi ſuo periculo carior. Si mihi non licet pro filio, peribo cum filio. *Cont.* 26.

Calpurnius filius: Dicere me raptorem nemo debebat poſt intervallũ, poſt exiliũ, poſt natum filium. Non eſt, inquit, filius tuus: nuptiis enim ſolennibus non eſt natus. Civis ergo, niſi faces accenderit, & feſcennina cecinerit, pater eſſe non poterit per quam es inhumana: non vis eſſe patrem, qui te fecit matrem? *Controverſia* 45.

Plinius Iunior: Hoc ſolum dico, Aſinium Baſſum dignum eſſe juvenem, quem more majorum in filii locum aſſumas. debent autem ſapientes viri, ut tu, tales quaſi à republica liberos accipere, quos à natura ſolemus optare. *lib.* 4. *Epiſt.* 15. *med.*

Plinius Iunior: Caſtigabat quidam filium ſuum, quod paullo ſumptuoſius equos & canes emeret. huic ego juvene digreſſo: Heus tu, nunquam ne feciſti quod à patre corripi poſſet? feciſti dico? non interdum facis, quod filius tuus, ſi repente pater ille, tu filius, patri gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? non hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi, admonitus immodicæ ſeveritatis exemplo, pro amore mutuo ſcripſi: ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriuſque tractares. cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe: atque ita hoc quod es pater, utere, ut memineris & te hominem eſſe, & hominis patrem. *Epiſtola duodecima libri noni.*

Quintilianus: Maritus & uxor, niſi liberis initiantur, non fortiſſimis corporum vinculis inhærent. *Declamat.* 1. § 12.

Quintilianus: Parentibus circa liberos unus affectus eſt, favere vitæ, timere mortem. non habent patientiam nec juſtæ orbitatis; & inter ſupplicia licet pœnaſque, omnes tamen illis innocentes, omnes miſeri ſumus. *Declamat* 4. § 7. *f.*

Quintilianus: Ægrum redemi? Non habent profectò, non habent diſcrimen liberi, niſi de calamitate; & inter homines, quos natura pietatis æquavit, differentiam niſi de dolore non explices. Non cum uſu nunc noſtro, non cum moribus loquor. Ille anhelat, illius ſunt laſſa ſuſpiria, ad illum ſerius veni? Excogitaſti rurſus fortuna, quod ſupercreſceret charitati, quod poſſet ſacris nominibus accedere. Hic ſolus major eſt affectus quam filios amare, filii miſere. *Declamat.* 5. § 16.

Quintilianus: Si mehercle uterque fuiſſet æger, illum redimiſſem qui prior languere cæpiſſet. Si duo pariter naufragia raperent, illi porrigerem manum, quem jam membrorum contentione laſſatum fluctus hauriret. Si vulneribus confectos remiſiſſet acies, properantius ei clauderem plagas. per quem animam largior ſanguis egeret Ignoſcite Dei pariter atque homines, non poſſum de liberis, poſſum eligere de miſeris. &c. *Declamat.* 5. § 20. *f.*

Quintilianus: Fas eſt mihi etiam invitis parentibus piè facere. *Declamat.* 6. § 5 *f.*

Quintilianus: Si mehercle fas eſt æſtimare, utri plus parenti debeatur ex liberis; non improbè totam poteſtatem ſibi vindicabit affectus, qui decem menſibus ante veſtram incipit diligere notitiam: & cum vos patres gaudium primum faciat oculorum, ante ſunt cõſcientia matres. *Declamat.* 8. §. 6 *f.*

Quintilianus: Sane cedat vobis patribus circa regendas communium pignorum mentes ſexus infirmior. Vos mores, vos vitæ genus, vos matrimonia, cetera ſque actus veſtra perſuaſione firmetis. numquid arrogans conſortium, numquid impotens ſocietas eſt, liberos communes eſſe languentes? Si quis imò pudor eſt, cede nunc tota poteſtate matri. illius ſit in ægri toro proximus locus, hæc adhibeat fomenta, porrigat cibos. ſi quid impatientia, ſi quid flagrantium viſcerum poſcit infirmitas, mater neget, mater indulgeat. illas quas immodicus ardor diſcutit veſtes, hæc ſuper fatigatos reponat artus. illa jactatas toto lectulo manus ſedulo contineat affectu. *Declamat.* 8. § 7. *m.*

Eumenius: Te tantum illein primo ætatis ſuæ flore generavit toto adhuc corpore vigens. inde eſt quod tanta exillo in te formæ ſimilitudo tranſivit, ut ſignante natura vultibus tuis impreſſa videatur. idem enim eſt, quem rurſus in te colimus, aſpectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas. Dolemus quod Conſtantinus exceſſit à nobis; ſed dum te cernimus illum exceſſiſſe non credimus. quampiam quid illum exceſſiſſe dico, cujus immortalia facta vivunt, & in ore omnium hominum oculiſq; verſantur. *fine panegyr. Conſtantino Aug.*

Incertus Penegyriſtes: O divinũ tuũ Maximiane judicium, qui tibi jure adoptionis nepotẽ. majeſtatis ordine filiũ, etiã generum eſſe voluiſti: Divi inquam Conſtantii filium, in quem ſe prima illius juventa transfudit, in cujus ore cæleſtes illius vultus Natura ſignavit, qui adſpectum illius ad Deorum concilia translati, ad huc deſiderantibus nobis ſufficit pro duobus. neque enim forma tantum in te patris Conſtantine, ſed etiam continentia fortitudo, juſtitia, prudentia ſeſe votis gentium præſentant. *Maximiano & Conſtantino Augg. cap.* 3. *fine.*

Idem: Hæc eſt tua, Conſtanti, præter omnes Divos propria immortalitas, quam videmus, filius ſimilis aſpectu, ſimilis animo, par imperii poteſtate. *eadem oratione cap.* 14.

Symmachus: Dum filius meus Græcis litteris initiatur, ego me denuo ſtudiis ejus velut æqualis adjunxi. Repueraſcere enim nos pietas jubet, ut litterarum dulcedinem liberis noſtris labor participatus inſinuet. Tuæ res non in germine, ſed fruge ſunt; cujus eloquentiſſimus juvenis, ut fando comperi, proximis facundiæ calcibus urget parentem. O te beatum, amice, ſi vincêris. Noſtra adhuc inſtitutio molitur florem creare; nec imperari poteſt unico labor. Itaque inter metum & diligentiam lentus pignoris noſtri profectus adoleſcit. *lib.* 4. *Epiſt.* 20. *m.*

Symmachus: Amicitiæ parentum rectè in liberos transferuntur, ut charitas ſemel inita, ſucceſſoribus eorum velut hæreditario jure proficiat. Quo nomine optimi quondam viri Gregorii filium diligendum pariter ac tuendum recipi. Fuit enim mihi cum patre ejus fidum fœdus animorum; ſed religionis debitum tecum opto partiri. Quapropter quæſo ut curam meam pro eo in his quæ uſus popoſcerit, exſequaris. *lib* 7. *Epiſt.* 87.

Symmachus: Scis pro inſita tibi humanitate quid parvulis & parentum ſuffragio deſtitutis benignitatis ac miſericordiæ debeatur. Meritò mihi apud te utendum eſſe non arbitror longo ambitu litterarum pro illuſtris memoriæ viri Severi filiis: qui niſi bonorum Judicium juventur auxilio, prædæ atq; injuriæ ſubjacebunt. Quicquid igitur eorum paſcit utilitas, favor tuus non gravetur impendere: ut publico ſaltim defendantur adjutu, qui familiaribus adminiculis deſeruntur. *lib.* 7. *Epiſt.* 116.

Sym-

Symmachus: Amicorum liberis usui esse debemus: quod etiamsi ipse nescirem, tuo exemplo & imitatione didicissem. *lib.* 7. *Epist.* 124.

Symmachus: Inter cætera parentum decedentium bona, amicitiæ quoque affectanda successio est. Et fortasse studio validiore captanda familiaritatis hæreditas: quia facultates fortuna præstat, charitas judicio fœderat. Volo igitur inter nos promptius convalescat familiæ tuæ propagata conjunctio. *lib.* 8 *Epist.* 42.

Symmachus: Religiosa cura est quæ amicorum liberis exhibetur: præsertim si familiaritas majoribus delata, cumuletur meritis posterorum. In rem præsentem spectat præfata sententia. Nam Lampadium C. M. V. non utique ad se pensi habui, ut solet esse multorum caduca & fragilis affectio: sed ex eo genitos, & in bona paterna nitentes propagato amore complector. Hos tibi trado ab omni injuria vindicandos. Quæso ut vicem meam, si usus tulerit, justus arbiter exsequaris. *lib.* 9. *Epist.* 31.

Symmachus: Ad posteros amicorum curam transferre debemus, ne fides cum hominibus interisse videatur. Exigit igitur à me memoria Petronii ex Consulari, cui lar apud Arimium fuit, ut ejus filios hæreditario amore defendam. Horum domos militaribus habitanda decernitur, & ni publica succurrat auctoritas, extremum patietur excidium. Si quid igitur interventui meo tribues, datis ad Ariminensium magistratus atq; ordines minacibus litteris, arceri ab ea hospites jubeatis, & restituere penatibus parvulorum priscam securitatem. In Judicis enim jubentur esse tutela qui à parentibus deseruntur. *lib.* 9. *Epist.* 45.

Symmachus: Tu quidem paterna affectione pignus commune commendas. Sed illi efficacius studia & amorem bonorum probabilis vita conciliat. Habes juvenem, cujus fruge gaudere debeas: etsi scio patres avaros esse voti, nec ulla filiorum bona putare perfecta, desiderio & cupititate potiore. Forte lætari animum tuum judicas dulci potius nuncio quam fideli. Cum tibi ejus reditum favor divinus adnuerit, illius meritis deprehendes mei testimonii veritatem. *lib.* 9. *Epist.* 59.

¶ Poetarum.

D. Greg. Nazianzenus finæ Carm. 6. de vanit. vitæ.

——Voces audite morientis,
O mea progenies, natos nam dicere possum
Iure meo, quoniam spatium mihi longius ævi
Decursum est, fortisq; mees mors atra propinquat.

D. Greg. Nazianzenus Carm. 2. de Virginitate.

Vera quidem tibi dicta dabo, sed acerba. Quis unquam.
Hoc animo volvit, justum producere natum?
Quæ rursus quisquam possit ratione creare
Deformem vitiis? ab imagine pictor eandem
Picturam ducit: plastes non dispare forma
Proposuit reddit formam: manibusque peritis,
Quoquo mens tulerit, tractatum ducitur aurum.
Exque bono segetem telluris cultor opimam
Semine ferre, solet, nec spem deplorat inanem.
Ast hominis, quidnam jacta semente creabit,
Non liquet, & prolis quanam natura futura est.
Nescius est etenim, qui Paulum laudibus æquat,
Carnificem ne suo producet semine Christi,
Aut Annam, aut Caspham vel crimine prodítionis
Consimilem Judæ, quique in scelus omne feratur.
Rursus qui virtus, ut proditor ille nefandus,
Tantum pectus habet, quis scit Paulumne beatum
Profert, aut Petrum gignet, petramque perennem,
Cui fuit a Christo claves concredita cæli?
Nescit enim genitor natum natam ne creabit.
Sed cohibe rabiem tantum restinguere carnis
Cogitat. Ex uno siquidem fluxere parente
Immitisque Cain, zeloque accensus Abelus,
Gratæque sacra Deo faciens. Esau scelerato,
Et Jacob pietate gravi pater exstitit idem.
Quodque etiam majus, quod eodem patre gemelli
Moribus adversis prorsus studiisque fuere.
Quinetiam Salomon, quo non sapientior alter
Extiterat, tandem thalamis illectus iniquis
Addixit vitiis animum virtute relicta.
At contra Paulus Christum, quem spreverat ante,
Postquam ardorem animi zelus laudabilis acrem
Excepit, toto notum mox reddidit orbe.
Horum quid thalamo tribuemus? nil ego certe.
Non etenim in Veneris lusus & lata ruentes
Oscula, quam cupiunt, dulcis sectatur imago:
Sed veluti damnosa juvat quem tessera, talos
Ille quidem mittit: manus haud tamen efficit ut par
Exeat aut impar numerus, sed forte veluti
Id faciunt lapides inopini sorte cadentes:
Sic neque conubij nexus sontesque probosque
Produxit, verum docuit natura relictus.
Quin si vera cupis cognoscere, quisquis honesti
Corripitur studio, rectique ardescit amore,
Talis ab æterno formator Pneumate, talis
Vi verbi efficitur. pietatis namque sepulta
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor
Inclusus saxis. Ut porro sæpe terendo
Ferrum de rigido solet ignem extundere saxo.
Haud aliter pietas latitans, sermone salutis
Attrita, in medium prodit, clareque refulget.
At qui perfricta facere scelus omne sequuntur,
Sunt mage contusi. namque hoc plus gignit in ævo,
Et mundi fragilis clavus sociusque comesque,
Clavus humi carnem stringens, animamque deorsum
Plumbi more trahens, atque omnis census eisdem
Partibus ad natos hæredes morte parentum
Delabens, vita nec limite longior hujus.

D. Nazianzenus Carm. 49. ad Nicobolum patrem.

Gloria quam posco, genitor carissime, patris
Est mage quam nati, rediens à prole parentis.
Gloria namque patri natorum est fama decusque
Vt rursus nati est gloria fama parentum
Gratia communis, labes communis utrisque.

D. Nazianzenus Carm. 51. ad Vitalianum.

Ast ego quia Christi, mortales quos loquor ignes
Quos patrum natura parens in pectore finxit?
Bellua quæque suæ sobolis deflagrat amore.
Nonne vides ut sævus aper, pardusque bovesque
Pro tenera semper tremulo sint pectore prole?
Nonne vides ut dura gerant certamina? nonne
Vt simul infestæque feræ hominesque lacessant?

Aristophanes Nubibus v. 857.

Sed abi, perge: una cadens; & tu dum patri
Sis obsequans pecca.

Aristophanis Vespis v. 1129.

Quò procreamus liberos & tollimus?
Quando ipse sufforare me nunc postulat.

Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. v. 702.

O Dij! non igitur solum inter homines liberi sunt
Charissimi, & oculis dulciores & vita:
Verum etiam inter aves sævasque feras,
Pisces que crudivoros invictus, (&) nativus
Inest liberorum acutus amor: pro liberis autem
Et meri, & quamlibet miserabilem aruminam
Prompti, minimeque invicti perpeti cupiunt.
Iam aliquis in montibus valde rugientem deprehendit
Venator catulos cingentem leonem,
Pugnantem pro sua prole: neque ille frequentem
Lapidem volantem, neque jaculum curat:
Sed confidenter immutabilem servat audaciam & robur.
Impeditus & depulsus omnibus jactibus:
Nec ille prius, quam moreatur, recedit: sed super liberis.
Semidomitus procumbit: cura autem est ipsi non mors
Tanta, quanta (illud) ne catulos à veneratoribus videat
Inclusos in ferinam ab ipsis confectam cavcam.
Iam etiam recens enixa canis catulorum nutricium ad cubile
Pastor accedens, quam vix antea erat familiaris
Recessit, pertimescens matris bilem latratoriam.
Quali (illa) pro catulis excubat, neque ullam verecundiã
Novit: sed omnibus est horribilis accessu.
Quomodo autem abstractos circa vitulos indignantur
Matres! Non secus ac mulieribus gemunt
Ejulatibus, ipsosque una dolore afficiunt pastores.
Et quidem aliquis ossifraga miserabilem luctũ inaudivit
Matutinum circa pullos, aut aëdonis variam vocem habentis,
Aut etiam in vernas hirundines prope incidit
Lugentes suos pullos, quos ipsis depradati sunt
Ex nido aut homines immisericordes, aut dracones.

Oppianus lib. 3. κυνηγετ. v. 96.

Eximiè lyncum genera caram amant sobolem.
Et perspicaces lynces & oculis flammantes leones,
Pantheraque exitiosa, & tigrides rapidæ.
Harum autem (ferarum) quando pullos novellos in silvis
Furtim rapuerint intrepidi venatores,
Illæ vero postea retro iterum revertentes viderint
Subito vacuasque domos, & desolata habitacula,
Lugent clare ingentem luctum, & sane procul
Ejulatum edunt suspiriosum, veluti patria
Excisa sub hasta, & ardente igne edaci,
Volitantes circum liberos valde plorant mulieres.
Nimirum tantum liberorumque, & recens edita subolis
Amorem in corde instillavit Deus: Neque sane solis
Hominibus, qui cuncta ratione invenerunt:
Verum etiam reptilibus, & piscique, atque etiam ipsis
Feris crudivoris, & in sublimi degentibus
Avium. Tanto videlicet natura fortior est aliis rebus

Quæ

Qualem quidem curam liberorum in fluctibus delphin
Semper agit, glaucusque splendidus, phocaque olida:
Quomodo etiam inter aves amorem perpetuum habent
Suorum liberorum, & ossifraga, querulaque columba,
Aquilinaque secula, & vivaces cornices.
Quomodo item gallina per aedes familiaris hominibus
Quæ nuper peperit, implumes circumsiliens pullos
Accipitrem supra tectum desilientem conspicata,
Acute quidem glocitat statim, & subsilit clarè strepens:
Cervices autem altè erigit in aerem contorquens ingyrum
Et omnibus utrinque suis inhorrescit comis, (i. plumis)
Et alas omnes demittit ad terram: at meticulosi
Sub tegmine bene alato pulli pipsunt teneri.
Ipsa vero & retrò fugat, & aspellit avem impudentem,
Muniens caros pullos, quos etiānum parvulos pascit,
Implumes, solventium comas eorum liberatos vinculo.
Ita autem etiam inter feras terribilesq; leænas,
Pantharaque celeres, & tigrides picta tergo.
Pro liberis prodeunt in aciem, & venatoribus pugnāt.
Quin etiam pro sua prole sustinent domari,
Ex adverso bellatorum consistentes hominum:
Nec unquam horrent sua incertamine sobolis,
Non turbam invadentem sagittariorum juvenum,
Non asmicans & fulgens ferrum,
Neque jactus telorumque celeres, lapidumque confertos.
Satagunt autem vel prius mori, vel liberos eripere.

Oppianus lib. 5. ἁλιευτ. v. 80. de musculo.

——— *obtemperat autem illud aqua pondus.*
Ille enim ante signa usque, & aures, & lumen piscis
Bellua est: illo & audit, illo & videt,
Habenis commissis (ipsi) sua vita adcustodiendum.
Vt autem filius patrem seniorem diligit
Curis senem foventibus educationis præmia (ei) persolvens:
Hunc autem jam membris & oculis imbecillum
Assidue comitans (ei) adhæret, inque vias
Manum præbens & omnibus in rebus ipse (eum) defendēs;
Patri vero senescenti novum robur filij sunt:
Sic ille amore implicat belluam maris
Piscis, tanquam navem gubernans clavo, freno,
Aut abortu primo cognatum sanguinem
Sortitus est: aut ipsum ille volens sociavit animo
Sic neque roboris, neque forma est utilitas
Tanta, quanta animi. Vis autem stolida est inanis.

Nonnus lib. 6. Dionisiac.

——— Μεγὸ τόκοι γαίῃς
Τηλυγέτους διὰ παῖδας, ἀεὶ τρομέοντοι τοκῆες

——— *Qui unam sobolem genuerunt,*
Vnicos ob liberos semper trepidant parentes.

Plautus Asinariæ 3. sc. 1. v. ultimo.

Intro abi. nam te quidem edepol nil est impudentius.
P. Audientem dicto mater produxisti filiam.

Plautus Casinæ 2. sc. 3. v. 45.

——— *Quia enim filio*
Nos oportet opitulari unico. ST. at quamquam unicus est,
Nihilo magis unicus est ille mihi filius, quam ego illi pater.
Illum mihi æquius est, quam me illi, quæ volo, concedere.

Plautus Ciſtellariæ 5. sc. 1. v. 3.

——— *Gaudeo*
Tibi mea opera liberorum esse amplius. D. at enim non placet.
Nihil moror aliena mihi opera fieri plures liberos.

Plautus Epidici 3. sc. 3. v. 50.

Atque hæc stultitia est, me illis vitio vertere
Egomet quod facitis vos in adolescentia.
Cum militabam pugnis memorandus meis.
Eradicabam hominum aures, quando acceperam.

Plautus Mostellariæ 1. sc. 2. v. 8.

Novarum ædium esse arbitror similem ego hominem
Quando hic natus est.
Ædes cum extemplò sunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè, examussim;
Laudant fabrum, atque ædes probant: sibi quisq;
Inde exemplum expetunt, sibi quisq; simile
Suo usq; sumptu, opera ne parcunt sua.
Atque ubi illo immigravit nequam homo indiligensq;
Cum pigra familia, immundus, instrenuus,
Hic jam ædibus vitium additur,
Bona cum curantur malè.
Atq; illud sæpe fit; tempestas venit,
Confringit tegulas, imbricesq; ibi
Dominus indiligens reddere alias nevult.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aer operam fabri.
Nequior jam factus est usus ædium,
Atq; haud fabri culpa, sed inhabitatoris.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi: nunc etiam volo
Dicere, ut homines esse ædium similes arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum.
Extollunt, parant sedulò infirmitatem.
Vt & in usum boni. & in speciem populo
Sint; sibique aut materia ne parcunt,
Nec sumptus ibi sumptus esse ducunt:
Expoliunt, docent literas, jura ac leges,
Sumptu suo & labore nituntur, ut
Alis sibi esse illorum similes expetant.
Ad legionem cum stant, adminiculum eis danunt,
Tum aliquem cognatum suum,
Eatenus abeunt à fabris.
Vnum ubi emeritum est stipendium, igitur tum
Specimen cernitur quo veniat ædificatio.
Nam ego ad id frugi usque & probus fui, in fabrorum potestate dum fui.
Postea quam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illicò oppidò.
Venit ignavia: ea mihi tempestas fuit;
Ea mihi advento suo grandinem imbremque attulit,
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbavit, de exitque me illicò.
Postilla me obtegere negligens fui.
Continuo pro imbre amor advenit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum. nunc simul res, fides, fama, virtus
Decusque deserverunt. ego sum in usu
Factus nimio nequior. atque edepol ista
Hæc tigna humidè putrent. non videor mihi
Sarcire posse ædes meas, quin tota
Perpetua ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.

Plautus Perſa 3. sc. 1. v. 21.

Enim vero odiosa es. V. non sum, neque me esse arbitror,
Cum parva natu rectè præcipio, pater.
Nam inimici famam non ita aut nata est ferunt.

Mox, v. 37.

P. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ prater sapiet quam placet parentibus.
V. Virgo atque mulier nulla erit quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri perverse videt.

Plautus Trinummo 2. sc. 2. v. 20.

Semper ego usque ad hanc ætatem ab ineunte adolescentia
Tuis servivi servitutem imperiis & præceptis, pater.
Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum, pro imperio tuo.
Meum animum tibi servitutem servire, æquum censim.
P. Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
Vtrum id ita ne esse malvelit ut eum animus æquū censeat,
An ita potius, ut parentes eum esse & cognati velint
Si animus hominem pepulit, actum est: animo servivit nō sibi.
Si ipse animum pepulit; dum vivit, victor victorum cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te; est quod gaudeas.
Nimio satius est, ut opus est, te ita esse, quām ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.
L. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum;
Ne noctu irem obambulam; neu suum adimerem alteri;
Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parsi sedulò!
Sarta tecta tua præcepta usque habui, mea modestia.
P. Quid exprobras? benè quod feci ſti, tibi feci ſti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta est fermè: tua istuc refert maximè.
Is probus est, quem non penitet quam probus sit, & frugi bonæ:
Benefacta, benefactis pertegito aliis, ne perpluant.
Qui ipsus sese contemnit, in eo est indoles industria.

Plautus Trinummo 3. sc. 2. v. 46.

Adolescenti huic generis summo, amico atque æquali meo,
Minus qui cautè & cogitatè suam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere. si tu non nevis. P. nempe de tuo
L. De meo: nam quod tuum est, meum est, omne meum est autem tuum.

Plautus Trinummo 5. sc. 2. v. 57.

Si quid tibi, pater laboris. C. nihil evenit, ne time.
Bene rem gestam salvus redeo, si tu modo frugi esse vis.

Terentius Adelph. 3. sc. 4.

——— *ut quisque suum vult esse, ita est.*

Terentius Andriæ 5. sc. 3.

Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectam hujus sollicito amentiā? an
Pro hujus ego ut peccatis supplicium sufferam?
Imo habeat, valeat, vivat cum illa. P. mi pater!
S. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.

Domus

Domus, uxor, liberi, inventi invito patre.
P. Pater licet, ne pauca: S. Quid dices mihi?
CH. Attamen sino audi! S. Ego audiam? quid ego audiã
Chreme? CH. attamen dicat sine. S. age, dicat: sino.
P. Ego me amare hanc fateor, si id peccare est, fateor id quoq;
Tibi pater me dedo. quid vis oneris impone: impera.
Vis me uxorem ducere? hanc ammittere! ut potero feram.
Terentius Heautontim. 1. sc. 2.
——— *in metu esse hunc illi est utile.*
CL. Quid tute tecum? CH. dicam. ut ut erat, mansum tamen oportuit.
Fortasse aliquanto iniquior erat, prater ejus libidinem:
Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?
Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? &
Quod illum insimulant durum, id non est. nam parentum injuria
Vnusmodi sunt fermè, paulo qui est homo tollerabilis.
Scortari crebro nolunt: nolunt crebro convivarier.
Prabent exigue sumptum. & ea sunt tamen ad virtutem omnia
Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi similia. hoc
Scitum est periclum ex alio facere, tibi quod ex usu siet.
Terentius Heautontim. 3. sc. 3.
——— *Quid illum porro credis facturum Chreme,*
Nisi eũ, quantũ Dij dant tibi opis, servas, castigas, mones?
CH. Ego istud pater curabo. SY. Atqui nunc tibi hic asservandus est
CH. Fiet. SY. si sapias: nam mihi jam ninus minusque obtemperas.
Terentius Heautontim. 5. sc. 3.
Egone confitear meum non esse filium, qui sit meus?
CH. Quid metuis? ne non cum velis, convincas esse illũ tuũ?
S. Quod filia est inventa? CH. non: sed quod magis credẽdũ
Quod est consimilis moribus,
Facile convinces ex te natum. nam tui similis est probè:
Nam illi nihil vitii est relictum, quin id itidem sit tibi
Tum pratera talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Terentius Heautontim. 5. sc. 4.
Cave posthac, si me amas, unquam istuc verbum ex te audiam. CH. at
Ego, si memet vis, mores cave in te esse istos sentiam.
CL. Quos? Ch. si scire vis, ego dicã; gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus, crede & nostrum te esse credito.
CL. Non sunt hac jam dicta parentis. CH. non, si ex capite sis meo
Natus, itẽut aiunt Minervam esse ex Iove, ea causa magis
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
Quarũ id quod habes, parẽtes; quod abest non quaris; patri
Quomodo obsequare, & serves quod labore invenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos: pudet
Dicere hac presente verbum turpe. at te id nullomodo
Facere piguit. GL. eheu! quã ego nunc totus displiceo, mihi,
Quam pudet! neque quod principium incipiam, ad placãdum, scio.
Terentius Hecyræ 4. sc. 1.
Adeo ne pervicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo inter nos scires posthac amicitiã fore firmiorem
Potius, quàm esset cũ illo nupta adversum animi libidinẽ Tui?
Ausonius Epist. 1. ad patrem.
Credideram nil posse meis affectibus addi.
Quo venerande pater diligerere magis.
Accessit gratis super his medioque nepoti.
Bina dedit nostris qui iuga nominibus.
Ipse nepos te fecit avum, mihi filius idem,
Et tibi ego, hoc nato nos sumus ambo patres.
Nec iam sola mihi pietas mea suadit amorem.
Nomine te gemini iam genitoris amo.
Accessit titulus: tua quo reverentia crescat:
Quo doceam natum, quid sit amare patrem.
Quippe tibi aquatus videor: quod parvulus iste
Nomine honoratum me quoque nobilitat.
Atque ætas quia nostra eadem. nam supparis avi
Sum tibi ego, & possum fratris habere vice.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis:
Quanta solent alios tempora dividere.
Vidi ego natales fratrum distare tot annis,
Quod nostros avum nomina non onerant.
Pulchra inventa tibi, senium sic iungit: ut avum.
Quod prius est, maneat: quod modo, ut incipiat.
Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.
Leniter hac flueret, hac non properata veniret.
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me nescire tuos, pater optime testor:
Torque putare meos, quot reor esse tuos
Nesciat hoc natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quam pia vota fovens:
Exemploque docens: prævo invenescere natos,
Vt nolint patres se quoque habere senes.
Verum ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hac in ævi tempora grata mihi.
Debeo, quod natus suadet pia cura nepotis,
Addendum patri quo venerentur eum.
Tu quoque mi genitor geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus.
Exiguum quod avus, faveant pia numina divum,
Deque nepote sua fiat avus proavus.
Largius & poserunt producere fata senectam:
Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

¶ Emblematum.

Batillius 153.

Στοργὴ καὶ ἀντιπελάργωσις.

Vbera damnato prabentem lactea patri
Pictam qua natam picta tabella refert,
Cuius non tactos pietatis imagine sensus,
Cuius non penitus mentem animumque capit?

Camerarius 40. Centur. 3.

Hoc pietatis opus. Ciconia.

O rara illustris pietatis imago, parentem
Quando humero gestat ipsa suum!

¶ Apophthegm. Sacrum.

Iacob Patriarcha: Quum videret Rachel se non parere Jacobo, æmulatione percita adversus Leam sororem suam dixit ad Jacobũ, Cedo mihi liberos, sin minus sum mortua. Tunc accensa est ira Jacobi in Rachelem, & dixit, An loco Dei sum ego? qui prohibuit a te fructum ventris? *Genes.* 30. 1. 2.

Ioseph: Jacobo dicente ad Josephum filium, Fratres tui pascunt oves in Sichemis, Veni mittam te ad eos, respondit Joseph, Præsto sum, &c. *Gen.* 37. 13.

Idem. Dixit Joseph fratribus suis & familiæ patris sui, Ascendã ut renuntiem Pharaoni, &c. Accedens ad regem, Pater meus, inquit, & fratres mei cum gregibus suis & armentis suis advenerunt ex regione Cenahanis, &c. *Genes.* 46. 31. & 47. 1.

Mulieres Bethlehemitica: Quum Booz ex Rutha uxore, Noemis socru, filium suscepisset, dixerunt mulieres ad Noemin, Benedictus sit Jehova, qui non destituit te vindice hodie, ut celebretur nomen illius in Israele. Hic erit tibi ut instaurator vitæ, idque sustentando canitiem tuam: quia nurus tua quæ diligit te, quæque est melior tibi septem filiis, peperit eum. *Ruth.* 4. *cap.*

Salomon Rex: Assurgens obviam matri Bathsabeæ, incurravit se honorem habens ei, & sedens in solio suo jussit apponi solium matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. Et dixit ei, Pete mater mea, non enim avertam faciem tuam. 1. *Reg.* 19. 20.

Elias Propheta: Quum invenisset Elisæum filium Saphati qui arabat duodecim jugis antecedentibus eum, & ipse erat cum duodecimo, transivit Elias ad eum, & injecit togam suam illi. Tum relictis bobus, accurrens post Eliam dixit, Osculer, quæso, patrem meum, & matrem meam, ut sequar te. Cui dixit, Abi revertere, nã quid feci tibi? 1. *Reg.* 19. 19. 20.

D. Paulus Apostolus: Præcepta de liberorum erga parentes officio præscribit, *Ephes.* 6. 1. & *Coloss.* 3. 20. Vide Apopht. *de filiis* ubi dicta Salomonis de eorum munere proponuntur.

Macedonius: Theodoretus quum multis precibus à Deo fuisset impetratus, ad Macedonium eremitam accedens, cujus præcibus in lucem exierat, his verbis exceptus est: Natus es, ô fili, cum multis laboribus. Multas noctes Deum hoc unum perpetuo rogavi, ut tui parentes hoc fierent, quod te nato sunt nominati. Vide ergo ut vitam agas dignam istis laboribus, ut qui antequam nascereris Deo fueris solennibus promissis donatus. Quæ sunt autem Deo dicata, omnibus veneranda extant, & à vulgo minimè debent contrectari. Convenit ergo ut tu quoque malos animi motus non admittas. illa autem sola & facias & cogites quæ Deum placant virtutis Legislatorem. *Theodoretus hist. Sanct. Patrum, vita* 13.

¶ Monosticha Trochaica.

A sui parens amari & magnipendi postulat.
A tua operire proli quæ facis parentibus.
Ad patrum laudes novamque aliquam adde, si vir es, tuã.
Adiutrices in peccato matres omnes filiis.
Æger est martyr vegnatus? patitur ingnato parens.
Æquum censeas patres, nos nasci illico a pueris senes.
An putat laudi sibi, gnatum si corruperit pater?
Antefert prolem sibi ipse rebus in cunctis parens.
Approbet mores suos patri, haud regat gnatus patris.
Adscribendi filiorum virtus est parentum.
Audientem dicto mater produxisti filiam.
Carius nil generi humano societate liberum.
Ceteros fallet magis qui insuevit fallere patrem.
Ceteros vincunt, parentes qui vicere filii.
Charior proles parenti prima quam deincipes.
Colligunt natis parentes haud nati parentibus.

Commo-

Commodat natura non dat & mancipio liberos.
Connivere filiorum vitiis, hostium, haud patrum est.
Conspectum fugitant parentum noxiosi liberi.
Corporis mentisq; imago sunt parentum liberi.
Crimen nullumne est parentum majus quam negligentia.
Culmen est beatitatis filius modestior.
Cum loquit jam moliuntur liberi, dulcissimi.
Cum pater cupit misereri, affectum haud crimen cogitat
Cum rogat nato ne parcant, maximè parcit parens.
De parentibus vel ipsum conqueri summum est scelus.
Difficilius inquinare filios quam perdere.
Divites habere natos cuncti aiunt, pauci probos.
Dulce lenimen senectæ sunt parentum liberi.
Ecquis est qui injurias cum parente agat suo?
Ecquis possit pater invito oppignerare filium
E mero dulcis ortum acetum, & omnium est acerrimum.
Ego cum genui tum moriturum sciebam, & ei rei sustuli.
Equidem pater colendus, sed tamen mater magis.
Esto infamis qui parentes non suos matris veris
Et bonis mali creantur liberi parentibus.
Et malis boni creantur liberi parentibus.
Et parenti ibus communis filiorum gloria est.
Et viso parente nudo ipsi erubescunt liberi.
Ex patre improbo creari filium probum potest.
Exitum speret ne fustum contumax parentibus.
Facta patrum clara magnis filios juvat.
Fallere patrem insuetus, tanto audebit cæteros mage.
Filia omnium est parenti caussa magna insomnium.
Filia plurium parentes æstimant quam masculi.
Filia plus patrem, amantq; filij matrem magis
Filiæ suos parentes pluris faciunt quam mares.
Filium facit bene ultrò, quod facit servus metu.
Filius jugis thesaurus bona memoria est patrum.
Filius mores sequatur patris, haud nàtis pater.
Filius natus parenti primus, est carissimus.
Filius nullus parenti odio est, nisi perditissimus.
Filius nutrire matrem prostitutam haud cogitur.
Filius patrem deserre non potest nisi impius.
Filium patris adionem eo ignoscente non novat.
Filius matris quidem est, sed est magis tamen patris.
Filius quod sponte patrat patras id servus metu.
Filii crimen parentis dedecus turpissimum est.
Filii in pœna paterna torquent præcordia.
Filii in te erunt ijdem qualis es patri tuo.
Filii natale nil est festius parentibus.
Falso scelus est parenti proloqui mendacium.
Filium bonum unum habere malim multos quam malos.
Filium nasci sibi omnes malunt quam filium.
Filium parens inauditum interimere non potest.
Filium quo ore objurgabit sipsum est pater nepos?
Filiorum cariores, qui similes parentibus.
Filiorum pro delictis supplicium luunt patres.
Filiorum quisq; optat patri esse quam carissimus.
Filiorum recte facta sunt honori patribus
Filius matres subvenisse in paterna injuria.
Filios inter paterna dividenda æqualiter.
Filios nullos relinqui patria præstat quam malos.
Filios pater ne laudet: plus sat est si non notat.
Filios tales habebis qualis es parentibus.
Fine filius senectam natus est gratissimus.
Fructum in natos redundat, respicit ad patrem labor.
Frustra decimam sobolem, nisi quod vocatur exhibes.
Gnatus si quid polliceatur, id ne sit dubium patri.
Gratiam spectat, parenti filios qui prædicat.
Haud unquam nimis curare filia possunt patrem.
Hectorem hominis & ejus mortis stirpem horreas.
Heu, malis quantum parentes liberis optant suis!
Heu quam sæpe optant parentum fata acerba liberi!
Jactitant vivos sepultos vivi facta mortui.
Immaturis modificare prolis desiderio.
Impium est nefas desciscere à parentum gloria.
Improba ex radice fructus sæpe provenit probus.
In parentum morte fletus filiorum, gaudium est.
Integrum placabilemq; filio præstat patrem.
Judicare de parentum judicio gnatos gravè est.
Judicium patris videtur filio esse injuria.
Justa nunquam detractare: filius potest patris.
Justa injusta prorsus omnia obsequi est fatui, haud patris.
Justum est liberos parentum adesse necessitatibus.
Laus est procreare natos generi monumentum & sibi
Lætus sum, pater, laudari me abs te laudato viro.
Laudibus se ornant parentum, læti quibus nulla est suæ.
Leonem patrem nati faciunt culpa acerrimum sua.
Liberalitate teneas satius gnatos quam metu.
Liberi ad mores parentum suavster deducimur.
Liberi manent, capti à piratis aut latronibus.
Liberi natu priores sunt peiores cæteris.
Liberi patrum antecedunt gloriam cor quem sapit
Liberi pauci meliores sunt suis parentibus.
Liberi per omne tempus sunt dolor parentibus.
Liberi quoq; pro paternis scelaribus pœnas luunt.
Liberi sunt hercle amoris vinculum firmissimum
Liberi vitam parentum damna judicant sua.
Liberi utriusq; sexus, tot vi parentibus.
Liberorum amor sopiri forte sed tolli nequit.
Liberorum animum haud corrumpi plurimùm interest patris.
Liberorum aunt innocentes patribus gratissimi.
Liberorum non minus sunt quam famulorum heri patres.
Liberum parens obitorum hereditates excipit.
Liberis bene est piorum, at impiorum pessum eunt.
Liberis malis relicta non diu prosunt opes.
Liberis mores parentes non tradunt quam quos habent.
Liberis non plurimum auri sed pudoris linquito.
Liberis opem parentes ut ferant, stulte mones.
Liberis parens senex anusq; jam sunt fabula.
Liberis quasi parentum perferenda injuria.
Liberos censere sus est de parentum germine.
Liberos honestiores, quam sint ipsi, optant patres.
Liberos magè amant parentes, quam parentes liberi,
Liberos parens reprehendit alsq; felle opprobrio.
Liberes perdix neci aufert dum volare non potest.
Liberos satius pudore continere, quam metu.
Liberos vult innocentes improbus quam vis parens.
Litigans parens cum prole gaudii caussa est amulis.
Mater in paterna injuriis auxilio usq; est filiis.
Morbus similes suis esse filios volunt patres.
Multi sunt humandi, multi sunt creandi liberi.
Na facili me patre utetur si unquam eris filius mihi!
Natum ex more patris quam illi ex hujus vivere æquius.
Ne patri imprudens faciàs quid quod nolit, sciens cave.
Nemo non gnatos habere nolit optimos suos.
Nemo non præstantiores se sibi optat liberos.
Nemini omni à labe possunt esse puri liberi.
Nemini parentum egestas crimini nato datum.
Nil jucundius parentis filiorum laudibus.
Nil parenti æquè jucundum est quam si juveri liberi.
Nil patri ablatum est in ipsis filios quæ contulit.
Nil sibi aufert, liberorum prospicit qui commodis.
Non boni è bonis creantur usque nec mali à malis.
Non habet parens necesse suo agere pro jura omnia.
Non modo boni parentes sunt colendi, ast & mali.
Non omnes habent natos qui habuere matrimonia.
Non potest cogi à parente natus ad connubium.
Non potest scelus vocari quo patrem gnatus juvat.
Non sibi arbores parentes has serunt, sed liberis.
Noxiorum sub figura liberis damus bona.
Nunquam nimis curare possunt suum parentem filii.
Nulla non Natura adis pro liberis pericula.
O beatum cui politis contigerunt liberi.
Omnium non est parentum gloria adire gloriam
Parta patrum iniqua, natus, imo & expiat nepos.
Patribus prales amatur partus maximè ultimi.
Patricida est qui accusare vel patrem improbum potest.
Patrimonio omni præstat pol parentum gloria.
Pauci gloria sua sunt gaudio parentibus.
Plus amant animalia prolem, quam modo gignunt unicam.
Plus prodesse quam placere filiis malunt patres.
Plus quam ineptè est quæ parentum jactat acta non sua.
Plus sciunt quam nati patres ætate ac sapientia.
Post pietatem natus idem est & pater nutricius.
Propullis aves feroces pugnant contra bestias.
Prolem habere multam eamq; per bonam per arduum est.
Quam mala est soboles Neptuni, tam bona est soboles Iovis.
Quanto sanguinis parentes Natura heu vinclo tenes!
Quem ferat gnatus, parentem ferre qui negat suum!
Qui pater non est, honorat at tamen nomen patris.
Quid jucundius parentum quam manu oculos claudere?
Quidquid debeba marito uxor, reddo filius.
Qui parens non in se morbum nati translatum velit
Quis suos queat volenter devorare liberos?
Quo magis natos amamus, hoc habemus arctius.
Quod te absente filius egit, restitui æquum in integrum.
Se minus curant catellos quam suos ipsa fera.
Semper contra liberos stant pro parentibus Dei.
Semper imperfecta patres filiorum habent bona.
Sunt reconciliationis judicia obvia oscula.
Supplicium quandoq; prolis largiare patribus.
Tam malum est habere gnatos, non habere quàm malum est.
Temperantia ac pudore liberos beaveris.
Terminos ne egredere ætatis, aut concessa filio.
Ultionem matre offensa formidare ex filio est.

¶ JAMAICA.

A filio se gaudeat vinci pater
Adversitate patrum abstrahuntur liberi.

Alitèr parens, aliter amas nutricium.
Amare debes plus Deum quam filios.
Amare nimium, odio est habere liberos.
Anteire patris gloriam nato arduum.
Beatus est, beatus est qui in liberis.
Carissimi natura cuique liberi.
Carissimo parens fere tristissimus.
Catulorum amor in venabula impingit feras.
Contentus est pœna pater mollissima.
Contra parentum morem, natis nil licet.
Custos pater non incubator est opum.
De filiis nec judicat rectè parens.
Deferre mater filium non cogitur.
Deformus esse nemo vult prolis parens.
Donum Dei ingens liberales liberi.
E liberis est gratior qui posterior.
Egone ut te adversum mentiar, mater mea?
Esse in metu, pol, liberis perutile est.
Essentia gaudent nati gignentium.
Et cariores sunt qui similes filij.
Et filiorum noxias luunt patres.
Etiam parentes vincla natura exsuunt.
Etiam parentum alit senium ciconia.
Etiam representat parentem filius.
Etiam suos fœtus propugnant bellua.
Ex fonte eodem dulce amarumque haud fluit.
Ex optimis generantur non nisi optima.
Faciundum id nobis quod parentes imperant.
Fiet tibi, quod feceris parentibus.
Filij paternos fermè retinent spiritus.
Fortuna tristis patri & nato nocet.
Gnatus parenti carior, quam ipse est sibi.
Gnato patris successio necessaria est.
Gnati columna sunt domus nostra mares.
Gratare matri liberis aucta domo.
Haud patribus similes sunt usque filij.
Haud imperatur, à patre, unico labor.
Id ne tu mireris, si patrissat filius?
Imitatione erudias gnatos tui.
In liberis aliquid facere, aquè est ac pati.
Indigna genere nostro te hac admittere?
Injanus est istem inferens parentibus.
Intra fores convicator filius.
Jus fasque patris imperare liberis.
Lasos parentes vindicare filij est.
Laudatur in laudato patre filius.
Laudent parentes filij laudabiles.
Matris prius, posterius officium est patris.
Matres suis vitiis natas coinquinant.
Medea gnatos sola sustulit suos.
Mos est patri gerendus ingrato licet.
Natus fere probi patentu improbus.
Nati parenti jure ceu Deos colant.
Natorum honor haud dubiè patris gloria est.
Natis potius relinquas virtutem, quam opes.
Natura prolis est amans nimis sua.
Ne filius gratus quidem est parens senex
Nec lenis esto nec severus liberis.
Nec vim parenti afferre nec patria decet.
Nefas parentes patriamve cogere.
Nihil Deo cultu parentum gratius.
Nil carius parentibus quam liberi.
Nil est patris nisi mera imago filius.
Nil non agunt pro fœtibus & bellua.
Nil suavius patri sapiente filio.
Non nutrit iram in filium pater bonus.
Non sic parens amatur ut nutricius.
Nunquam exsuit pater patrem, etiam cum exsuit.
Parens haberis, si parenti es filius.
Parentibus nil patriaque dulcius.
Parentibus semper pejores filis.
Partes suorum sunt parentes liberi.
Pascit parentes junior ciconia.
Pater esse disce ex aliis qui serè sciunt.
Patri voluptas summa frugi filius.
Patres amant pecunias ob libers.
Peccare fas est pro parente filiis.
Peccata filij pater redimit osculo.
Perdit parens natos si eis vult parcere.
Perdit parentum natos adsentatio.
Plus filius matri obligatur quam patri.
Plus semetipsis liberos amant patres.
Plus scit pater quid facto opus quam liberi.
Pluris parentes faciunt filia quam mares.
Pol haud paternum istud dedisti, ô Æschine.
Præstat bonum esse, quam bono ortum ducere.
Pro patre non est puniendus filius.
Proles adinstar est vitæ mortalibus.
Proles fere simili parenti nascitur.
Propriis suos redimunt periclis bellua.
Propter Xenophontem notus est Gryllus pater.
Pugnare debet pro parente filius.
Pugnat catellis animal omne pro suis.
Qua filii est, eadem patris gloria est.
Qua filii est, & patris est victoria.
Quacumque peccat filius, peccat patri.
Quid facto opus est plus scit pater quam filius.
Quis non amet sobolem suam etiam mortuam?
Quisnam pater filii unquam invidit laudibus?
Quis non amet parentes quam vis mortuos?
Quotus parentum expectat obitum filius?
Raro parentum ventibus carent preces.
Robur senenti dat patri proles novum.
Serves labore quod parens invenerit.
Si filius peccat, suo peccat patri.
Stultescit omnis liberos circa pater.
Sunt adium columna, liberi maris.
Suscepta proles caussa temperantiæ est.
Tantum onere patribus sentiuntur liberi.
Thesaurus est natis parentum gloria.
Tristem patris luunt fortunam liberi.
Vera parentes sunt Deorum imagines.
Victoriam ultro liberis cedit parens.
Virtus parentum calcar haud lene est probis.
Vivæ parentum imagines sunt liberi.
Vivente nato, vivus creditur pater.
Vt quis suum esse vult, ita est quoque, filium.

Libertatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Chrysostomus*: Quid oro juvat integris gentibus dominari, si servi perturbationum sumus? Quid nocet nulli hominum principari, & si vitiorum tyrannide celsiores sumus? Istud summa libertas, istud imperium, istud regnum atq; potestas: Illa vero omnia misera servitus, quantumlibet coronas innumeras quis habeat. Quando enim illi intus dominorum multitudo imperat avaritia scilicet, ira, libido, & perturbationis reliquæ, diadema quid prodest? Acriore vitiorum tyrannide premitur, quando illum quo minus subditus sit, corona nequit eripere. Quemadmodum si apud Barbaros detineretur servus quispiam rex & illi ad majoris servitutis indicium, neq; purpuram, neq; diadema auferant, sed cum illis insignibus & aquas ferre, & coquere, & alia inferre ministeria jubeant, ad majorem & sui honorem, & ignominiã illius: Ita Barbaris omnibus immanius vitia ista imminent nobis. Nam qui ista contemnit, Barbaros quoq; irridebit: qui vero succumbit, longe ditiora ab his quã à Barbaris patietur. Quippe Barbari quum prævalent viribus, concidunt corpus: hæc vero animam cruciant, & omni ex parte dilaniant. Barbarus victor temporali tradit neci, hæc autem in æternã præcipitant mortẽ. Solus ergo liber est illo, qui libertatẽ intrinsecus habet: cui ille servus est, qui succũbit irrationabilib. vitiis. *Hom. 18. ad Tim. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Pura & numeris omnibus absoluta libertas est, nulla omnino re indigere. quod quidem ut humanæ naturæ cõditione sublimius ac præstantius, divino numini tribuatur. Secunda autem ab ea, paucis opus habere, quod quidẽ homines consequi, atque adid pervenire possunt. Hanc igitur amplectamur: quoniam prima captum nostrum nunc excedit. *lib. 2. Epist. 23.*

S. Isidorus Pelusiota: Nam si quidem id præcepisset Deus Hebræis cum non serviissent, fortassis rem hanc injustam aliquis existimare potuisset. Sin autem eos qui libertate spoliati fuerant, jussit vindicare hanc injuriam ablatis pecuniis, equidem illos (spoliatores libertatis) non solum non injuria ulla, sed ne quidem sat gravi pariq; pœna affectos fuisse dixerim. Qui enim inter se comparari possint, pecuniarum ablatio, & libertatis spoliatio? pro cujus conservatione illi quib. cor sapit, non modo facultates suas, sed etiam vitam ac sanguinem profundere non recusant. *lib. 4. Epist. 87.*

¶ LATINORUM.

Egesippus: Aliis inexpertus bellicorum usus malorum: aliis perfunctoria spes libertatis prædulcis ad experendum, sed plerunq; gravis ad adipiscendum: multis enim dum libertas petitur, servitus accumulatur; & frequenter totum eripitur, quibus vel nomen libertatis remanserat. *lib. 2. cap. 9. excid. Hieros.*

Io. Sarisberiensis: Quid securum erit si etiam virtutes, inter quas præcipuum fere locum libertas obtinet, puniuntur? Romani ergo, sicut aliis præstantiores, ita & reprehensionis patiẽtiores extitere: adeo quidem, ut dummodo in convivijs & locis minus sobriis caveatur, quisquis eam justam tamen horret ac refugit, sobrietatis videatur ignarus. nam etsi contumeliam habeat evidentem vel absconditam, patientia reprehensionis apud sapientes longe glorioſior est quam pœna. Inde lædoriarum & scommatũ, etiam adversus viros summa potestate præditos, exercitium licentiosum magis quam licitum est.

Idem

Idem post multa: Liberum ergo fuit & semper licitum libertati, parcendo personis, dicere de vitiis: quoniam & jus est, quo licet veras exprimere voces, & quod etiam ser is adversus dominos, dum vera loquuntur, Decembrem indulget libertatem. Tunc ergo non impetrata venia, quæ ipso jure competit, linguas acuunt, & quidquid eos toto anno urit, impunè redarguunt, palam detegentes & crimina, dum tamen expletis Saturnalibus citra veniam nequaquam ad accusationem dominorum patronorumve prosiliant. *lib. 7. Policratici, cap. 25.*

Io. Sarisberiensis: Libertas de singulis pro arbitrio judicat, & quæ sanis videt moribus obviare, reprehendere non veretur. Nihil autem gloriosius libertate, præter virtutem, si tamen libertas recte à virtute sejungitur. Omnibus enim recte sapientibus liquet, quia libertas vera aliunde non provenit. Unde quia summum bonum in vita constat esse virtutem, & quæ sola grave, & odiosum servitutis excutit jugum, pro virtute quæ singularis vivendi causa est, moriendum, si ingruit necessitas, philosophi censuerunt. Ad hæc perfectè sine libertate non provenit, libertatisq; dispendium, perfectam convincit non adesse virtutem. Ergo & pro virtutum habitu quilibet & liber est, & quatenus est liber, eatenus virtutibus pollet. E contra vitia sola servitutem inducunt, hominemq; personis & rebus indebito famulatu subjiciunt: & licet servitus personæ quandoq; miserabiliora pareat, vitiorum servitus longe semper miserior est. Quid est itaque amabilius libertate? Quid favorabilius ei, qui virtutis aliquam reverentiam habet? Eam promovisse omnes egregios principes legimus, nec unquam calcasse libertatem, nisi manifestos virtutis hostes. Quæ favore libertatis sunt introducta, noverunt jurisperiti, & quæ ob illius amorem magnificè gesta sunt, historicorum testimonio percelebre est. Cato venenum bibit, ascivit gladium, & ne qua mora protenderet vitam ignobilem, injecta manu dilatavit vulnus, sanguinem generosum effudit, ne regnantem videret Cæsarem. Brutus arma movit civilia, ut urbem eximeret servituti. Ipsaque sedes imperii miserabili maluit bello semper affligi, quam dominum licet mitissimum sustinere. Transeo ad infirmiorem sexum. Conjuges Teutonorum, ob amorem pudicitiæ rogantes victorem Marium, ut dono mitterentur Vestæ virginibus, se quoq; promittentes concubitus futuras expertes; cum minimè audirentur, proxima nocte laqueis sibi spiritum eripuerunt elisо gutture, ne servirent, aut pudicitiæ dispendium paterentur. Si singula hujusmodi referre voluero, tempus antequam exempla deficiet. Libertatis itaq; usus eximius est, eiq; soli displicet, qui moribus servilibus vivit.

Quæ liberè dicuntur aut fiunt, sicut timoris, ita & temeritatis expertia sunt, & dum recta via inceditur, laudem merentur & gratiam. At cum sub imagine libertatis, temeritas spiritus sui profudit vehementiam, reprehensionem incurrit, vulgi quidem auribus gratior, quam sapientissimi cujusq; animo probabilior, utpote frequentius tuta venia aliena, quam providentia sua. Viri tamen optimi, & sapientissimi est, habenas laxare libertati, & quælibet dicta ejus patienter excipere. Sed nec operibus se opponit, dum virtutis jacturam non incurrat. Cum enim per seipsam virtus quæque resplendeat, patientiæ titulus glorioſiori fulgore claresсit. Privernatium quidam, cum interrogaretur, qualem pacem habituri essent captivi Privernales, sibi impunitate donata respondit consuli Romanorum, si bonam dederitis, perpetuam: si malam, non diuturnam. Qua voce libertatis, non modo veniam rebellionis obtinuerunt: Privernates, sed etiam beneficium civitatis Romanæ, quia sic in senatu loqui Privernas ausus est. Philippus quidam adversus ordinem Senatorum libertatem exercuit, segnitiemq; pro rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit: nec tamen senatoria gravitas moveri potuit, sicut nec prudentia Philippi consulis, cum ei à reo diceretur, cui lictoris præceperat injici manum: Non es, inquit, Philippe mihi consul, quia nec ego tibi senator sum. *lib. 8. nugarum Curialium cap. 25.*

¶ Philosophor. Oratorumq; Græcorum.

Apollonius Vespasiano: Græciam (ut ajunt) sub potestatem tuam redegisti, teq; plura putas habere Xerxe. At nescis te minus habere Nerone. Etenim Nero cum haberet, recusavit ac rejecit. *Ep. 48.*

Eidem: Qui jam eâ fama es apud Græcos, quod eis libertatem eripias & servitutis jugum imponas, quid mea consuetudine aut familiaritate opus habes? *Epist. 49.*

Eidem: Nero ludens in libertatem Græcos, vindicavit. Tu serio magnoq; studio sub jugum misisti. *Epist. 50.*

Lysiæ: Si unicuiq; liberum sit facere quod voluerit, nihil opus est aut leges constitui, aut judices deputari, aut belli duces eligi. *cap. 3. Orationis 13. in Alcibiadem.*

Aristides Sophista: Servire præstat quam libertate abuti. *sub ipsum finem Orationis ad Rhodios de concordia.*

Aristides Rhetor: Addis, ne libertatem quidem magnum quiddam esse, verum etiam pleriſq; satius esse servire, quam liberis esse, quis negat? *Orat. 2. Platonica pro Quatuorviris.*

Epictetus: Qui absq; servis esse cupis, ipse servitute liberator. liberaberis autem, si cupiditate solutus fueris. Neq; enim Aristides, neque Epaminondas, neq; Lycurgus, quod divites essent & servos haberent, alius justus, alius Deus, alius servator est appellatus, sed quod quamvis pauperes, Græciam servitute liberassent. *apud Stobæum.*

Arrianus: Neque enim legibus his de rebus est credendum, quæ solis ingenuis eruditi licere statuunt: sed philosophis potius, qui dicunt, solos eruditos esse liberos. Quomodo istud? Sic: Nunquid aliud est libertas, quam ita licere, ut velis vivere? Nihil. Dicite mihi, ô homines, vultis ne vivere in peccatis? Nolumus. Nemo igitur delinquens liber est. Vultis vivere metuentes? vultis mœrentes? vultis perturbati? Nequaquam. Nemo ergo, vel metuens, vel mœrens, vel perturbatus, est liber: Qui autem molestia, metu & perturbatione caret: is eadem via & servitute caret. Quomodo igitur vobis posthac credemus, carissimi legumlatores, cum dicitis: Non sinimus eruditi, nisi ingenuos. Nam philosophi aiunt: Nos non sinimus esse liberos, nisi eruditos: hoc est, Deus non sinit. Quod si quis servum suum ad prætorem adduxerit, nihilne fecit? Fecit. Quid? Adduxit servum suum ad prætorem. Nihilne aliud? Imo. Nam & vicesima pro eo est pendenda. Quid ergo? Is cui hoc accidit, nonne factus est liber? Nihilo magis quam perturbationis expers. Nam tu qui manumittere alios potes, nullumne habes dominum? Non argentum? Non puellam? Non puerum? Tyrannum? Non amicum tyranni? Quid ergo tremis, cum eo loci vocaris? Propterea sæpe vos moneo, hæc meditanda esse, atque in promptu habenda, quibus in rebus magnanimi esse debeamus, & quibus in rebus cauti. Fidentes simus in iis quæ nostri arbitrii non sunt: cauti in iis quæ penes nos sunt. *lib. 2. cap. 1 Epict.*

Arrianus: Socrates ita se docendo exercuerat, ut cum tyrannis, ut cum judicibus, ut in carcere confidenti animo loqueretur. Diogenes item ita se dicendo exercuerat, quo cum Alexandro, cum Philippo, cum piratis cum emptore sui ad eum modum loqueretur, ea enim meditatus erat quæ fiduciam adderent. *cap. 13. lib. 2. Epict.*

Arrianus: Quid mirum, te rem tantam tot & tantis sumtib. mercari? Pro ista, quæ putatur libertas, alii se suspendunt, alii se præcipites dant: est etiam cum totæ urbes perierunt. Tu ob veram, ob insidiarum expertem & tutam libertatem, nihil capias laboris & molestiarum? Cum Deus ea quæ dedit repetit, non ultro reddes? non intelliges? non (ut Plato ait) meditaberis, non modo emori, sed & excruciari & exulare & verberibus affici, omnia deniq; reddere aliena? Eris ergo nihilominus servus inter servos, etsi millies consulatum gesseris, etsi palatium ascenderis. *cap. 1. lib. 4. Epict.*

Arrianus: Qui à voluptate non vincitur, non à labore, non à gloria, non à pecuniæ cupiditate; qui cum ipsi visum fuerit, corpus ipsum conspuit & discedit, cujus servus est? cui obnoxius? *cap. 24. lib. 3. Epicteti.*

Arrianus: Bonum tibi videtur libertas? Maximum. Potest ergo quis maximo bono potitus, miser esse, & adversa fortuna uti? Non. Quoscunq; igitur infelices videris adversa fortuna conflictantes, lugentes: eos audacter pronuntiato non esse liberos. Pronuntio. Igitur ab emtione & venditione, & tali possessionis conditione jam discessimus. Nam si recte ista concessisti: sive magnus sive parvus rex infelix fuerit, non erit liber. Sive consularis, sive iterum consul. Esto. Illud etiam porro mihi responde, num magnum quiddam & generosum, & magni pretii videtur esse libertas? Quidni vero? Fierine potest igitur, ut tanto, tam præclaro & generoso bono potitus, sit humilis & abjectus? Non potest. Cum ergo aliquem videris alteri obnoxium, aut præter animi sui sententiam adulantem: audacter & illum liberum esse negato. Nec tantum si propter cenam id faciat, sed etiã si ob provinciam, ob consulatum. Sed illos quidē minutos servos appella, qui propter minutas res ista faciunt: istos vero, ut digni sunt, magnos servos. Cōcedamus & hæc. Num tibi libertas sui juris, suiq; arbitrii esse videtur? Quidni? Quid igitur ab alio prohiberi & cogi potest: cũ ne dubita negare esse liberũ. Neq; vero avos, & proavos ejus intueberis: nec quæres quid emerit, quid vendiderit: sed si audieris ex animo & cum affectu dicentē, Domine, quãvis duodecim fasces antecedant appella servum. Quod si dicentē audieris, Me miserũ, quomodo mecum agitur? dic, servum. Deniq; si deplorantē, conquerētem, adversis reb. conflictantē videris: dic, servum prætextatum. Sed si horum nihil fecerit, non statim liberum dixeris, sed opiniones ejus & decreta cognosce: num cogi, num prohiberi possint, num successu carere? Quod si talē inveneris, dic servũ, cui Saturnalibus induciæ dētur: dic dominũ ejus peregre abesse, qui ubi redierit, visurus sis quomodo tractetur. Quis veniet? Quisquis potestatē habet, eorum aliquid quæ vult, vel conferendi vel auferendi: Sic tot dominos habemus. Nam res ipsas, ante hos, dominas habemus. Quæ cũ multæ sit, fieri non potest quin ii qui earũ rerum alicujus potestatē habeant, nostri sint domini. Nam ipsum quidē Cæsarē nemo timet: sed mortē exilium, sed ereptionem bonorum, carcerē, ignominiam. Neq; diligit quisq; ipsum Cæsarē, nisi magni pretii fuerit. Sed divitias diligimus, tribunatũ, præturam, consulatũ. Hæc cum diligimus, odimus, timemus: necesse est, eos quorum hæc in potestate sunt, nostros esse dominos. Itaq; tanq; ipsos Deos, illos adoramus. Sic. n. statuimus: in cujus potestate amplissimũ beneficiũ sit, id divinum quiddã esse. Deinde male subjũgimus: In istius a. potestate amplissimũ beneficiũ est: quare Deus quispiam est. Nam si male assumimus illud in istius potestate amplissimum beneficiũ est: necesse est etiã id quod ex his conficitur, perperã inferri. Quid ergo est quod homini præstet, ut nec prohiberi possit, & sui juris ut sit? Nam opes quidē hoc non faciunt, neq, consulatus, neq; provinciæ neq; imperia: sed aliud aliquid est quærendum. Quid ergo est quod scribendi obstacula, atq; impedimenta removeat? Scribendi scientia. Quid citharam canendi? Scientia illius artis. Ergo in degenda vita, etiam vivendi scientia. Sicut autem hæc in genere audivisti, ita etiam particulatim considera. Potestne impedimenti expers esse is, qui aliquid appetit quod alieni

juris est? Potestne non prohiberi? Non potest. Ergo nec liber esse potest. Vide igitur, nihilne habeamus quod in nostra potestate sit, an omnia? An vero quædam nostra, quædam aliena? Quid ais? Corpus integrum esse cum vis, estne penes te an non? Non est penes me. Cũ recte valere? Ne hoc quidem. Cum esse pulcrum? Neq; hoc. Vivere, aut mori? Neq; hoc. Igitur corpus alienum est, cuivis fortiori obnoxium. Esto. At penes te est agrum habere cum voles, & quoad voles, & qualem voles? Non. Servulos autem? Non. At vestes? Non. Domunculam? Non. At equos? Horum omnium nihil Si vero tuos liberos perpetuo vivere vis, aut uxorem, aut fratrem, aut amicos? Ne hoc quidem. Nunquid ergo nihil habes propriũ quod tibi soli pareat, nec eripi possit? Sic igitur istud vide atq; considera: nunquis efficere potest, ut assentiaris mendacio? Nemo. Ergo in loco assensionis nec prohiberi nec impediri potes. Age ut id appetas quod non vis, quis te potest cogere? Potest. Nam si mihi mortem aut vincula minitetur, appetere me cogit. At si vincula & mortem condemnas adhuc eum curabis? Non. Tuum ergo est opus, contemtus mortis: aut si tuum non est, meum est. *cap. 26. lib. 3. Epicteti.*

Arrianus: Liber est, qui vivit ut vult: qui nec cogi, nec prohiberi, nec vim pati potest: cujus appetitiones non impediuntur, desideria non frustrantur: aversationes non sunt irritæ. Quis igitur vivere vult delinquens? Nemo. Quis vivere deceptus, temerarius, injurius, petulans, querulus, humilis, abjectus? Nemo. Nemo igitur improbus vivit ut vult, eoq; nec liber est. Quis vero vivere vult solicitus, meticulosus, invidus, misericors, cupidus & impos voti? quis, ut in ea quæ fugit incidat? Nemo. Habemus ergo improbũ aliquẽ, expertem doloris, timoris, calamitatum votorumq; omnium compotem? Neminem. Ergone liberũ quidem. Hæc igitur si quis audiat iterum Consul, si adjeceris: Tu quidem sapiens es: hæc nihil ad te, veniam tibi dabit. Sin verum dixeris, nihil eum ab iis differre (quod quidem ad servitutem attineat) qui ter venierunt: quid præter plagas expectandũ tibi erit? Quo pacto enim, dicet, ego servus sum? Pater meus liber est, mater libera, nec quisquam eos emit: atq; etiã Senator sum, & Cæsaris amicus, & consularis, & servos multos habeo? Primum senator, optime fortassis: & pater tuus candẽ servit servitutem. Mater quoq; & avus, atq; ordine omnes tui majores. Qui ut maxime liberi fuerint, quid illud ad te? Quid enim, si illi strenui fuerunt, tu degener? illi imperterriti, tu timidus? illi continentes, tu petulans? Et quid ista, inquit, ad servitutem facere videtur, si quid invitus facias, si coactus, si gemens? Istud quidem esto, inquit. Si quis me cogere potest, nisi omnium dominus Cæsar? Ergo unum dominum te habere, & ipse confessus es. Qui quamvis, ut dicis, communis sit omnium, nihil tamen istud te consoletur: sed cognoscito, te magnæ familiæ servorũ esse. Sic etiam Nicopolitæ acclamare solent; Per Cæsaris fortunam liberi sumus. Sed tamen, si placet, in præsentia Cæsarem omittamus. Illud autem mihi dicito, nonne aliquando amasti aliquem? non puellum, non servum? non ingenuum? *cap. 1. lib. 4. Epict.*

Arrianus: Illud memento, si quid extra liberam voluntatem tuã magni feceris, liberam voluntatem amiseris. Extra eam porrò sunt, non modo imperia, sed etiam vita privata: non occupatio tantum, sed otium quoq;. *cap. 4. lib. 4. Epict.*

Iulianus Imperator: Nam illud nullo modo est honestum, neq; approbandum, coercere juvenum petulantiam, & lasciviã corrigere. Id enim eripere ac diminuere caput libertatis est, privare homines facultate, quicquid velint, dicendi & faciendi. Itaq; præclarè vos cum sciretis libertatẽ omnibus in rebus tuendam & conservandam esse, primum vestris uxorib. permisistis, ut liberæ ac dissolutæ vobis essent: deinde eis concessistis, ut liberos vestros educarent, ne tandem vobis acerbius imperare aggrediamur, ac demum illi in servitutem redigãtur: deinde ne, cum robustiores erunt, majores natu vereri doceantur, tandemque consuetudine hac verecundiores erga principes suos fiant: postremò non inter viros, sed inter mancipia censeantur, & dum temperantes, moderati, honesti fuerint, impendentes corrũpantur & pereãt. Quid igitur mulieres? ducunt eos ad suas religiones & cultus voluptate, quæ non hominib. solum, sed etiam pecudibus summũ bonum videtur. Inde, credo, factum est, ut beatissimi sitis, cũ servitutem repudietis, primum in Deos, deinde in leges, postremò in nos ipsos, qui legum sumus patroni ac custodes. Ac sanè inepti simus, si diis civitatẽ tam liberam non curantibus neq; ulciscentibus, ipsi succenseamus & irascamur. Sic enim existimare debetis, communem hanc nobis cum diis injuriam esse factam à civitate. *Antiochensium prosopopœja.*

Libanius: Servis quidem honestis, lenis dominus servitutis jugũ eripit. liberis autem qui infelices sunt, libertas vera mors est. *Decl. 8.*

Dio Prusæus: Concupiscunt quidem homines esse liberi præ omnibus dicuntq; libertatem maximũ esse bonum, servitutẽ vero rem turpissimam, infaustissimamq;: hoc ipsum vero, quid sit liberum esse, aut servire, nesciunt. Quinetiam nihil faciunt prorsus (ut breviter dicam) quo turpem rem & difficilẽ effugiant, nempe servitutem: & quod maximi pendunt, acquirant, nempe libertatem: sed e cõtrario ea faciunt, quibus qui operam dant perpetuò serviant necesse est, & nunquam consequi possunt libertatẽ. Verum tamen hoc fortasse nõ dignum admirari, quod neq; amplecti neq; vitare queant, quid non norunt. Nam si non noviisent ovem & lupum, quod esset utrumq; horum, ut putarent alterum quidẽ utile & bonum possidendum, alterum a. noxium & inutile: non esset admirabile, si ovẽ metuerent, fugerentq; interdum: lupum verò admitterent ac expectarent, ovem esse putantes. Ignorantia enim hujusmodi efficere solet apud ignaros, compellitq; contraria fugere, & persequi quæ volunt, quæq; existimant utilia. Verum age consideremus, quidnam vulgus de libertate & servitute manifestè norit. Forsan enim frustra eos culpamus, quum præ cæteris ista sciant.

Si quis igitur eos interrogaret, quid est liberum esse? diceret fortasse, nemini subjectum esse, sed facere simpliciter quod sibi videatur. Hunc vero respondentem, si quis interrogaret, si quis in choro saltator sit, & non attendat præfecto chori, neq; sit illi dicto audiens, sed canat & dissonet, utcunq; sibi veniat in mẽtem, an hoc putet esse honestum & liberale? contrarium verò huic, si attendat, obediat chori præfecto, & incipiat & desinat canere, quum ille jubebat, an turpe sit & servile? non (opinor) confiteretur. Neq; si quis interrogaret, si navigans nihil curet de nauclero, neq; faciat quæ ille dicat, an putet tale esse liberale? veluti quũ jubeat sedere, ille stet in navi: si incidat sibi, jussus haurire aliquando, aut contrahere vela neq; hauriat, neq; funes attingat: neq; hunc sanè liberum diceret, neq; imitatione dignum, quod faciat quæ sibi videantur. Quinetiam neq; milites esse servos, dicere posset, propterea quod duci obtemperent, & tum surgant quando ille præcipit, cibumq; capiant, & arma accipiant, aciẽq; instruant & invadant & recedant, non aliter quã duce jubente. Neq; decumbentes morbo, eo q; medicis parent, dicent esse servos: quanquam non in parvis, neq; facilibus, illis obediunt, sed interdum famemq; sitimq; perferre præcipiunt. Et si quando medico videantur ægrotum vinculis constringere, confestim constringetur: & si secare, aut urere, uretur & secabitur, quantum illi videtur. & si non obtemperet, omnes qui in domo sunt, medico assistunt, non liberi solum, sed frequenter etiam ægrotantis servi ipsi ligant herum, ignemq; adferunt ut uratur, atq; alia subministrant. Non enim unquam neque Persarum regem Darium possis dicere liberum, quãdo decidens exequo invenationibus, emoto talo obedivit medicis, trahentibus & torquentibus pedem, ut in rectum articulus statũ reformaretur, præsertim hominib. Ægyptiis. Neq; rursum Xerxem, quando recedens ex Græcia, & tempestate jactatus in navi, in omnib. obedivit gubernatori: & præter illius sententiã, non permisit sibi ipsi neq; annuere, neq; locum mutare. Quamobrem, nequaquam nemini obedire, neque facere quod quis velit, libertatem esse, amplius affirmaverim.

Sed dicent fortasse, quod hi suæ utilitatis gratia obediunt: ut navigantes gubernatori, & milites duci, & ægrotantes medico propterea auscultant. Neq; enim alia hi præcipiunt, quam illis utilia. at heri nõ ea servis præcipiunt, quæ illis conferant, sed quę sibi putant cõmodo fore. Quid verò tandẽ? Nunquid igitur utile est hero, ut servus moriatur, aut ægrotet, aut pravus sit? Nemo hoc dixerit, sed contrarium potius, opinor: nempe ut vivat, beneq; valeat, & sit frugi. Hæc eadem autem apparent & servo esse utilia. Itaque herus servo non minus, si quidem habet mentem, utilia illi præcipiet: ea enim & sibi ipsi videntur utilitatem adferre. At enim, pro quo quis argentum exposuit, is ex necessitate servus est. An non multi pro multis etiam liberis exposuerunt argentum: hi hostibus, illi latronibus precia dantes, pro redemptione? Quidam autem suum precium restituerunt dominis, & hi jam tum non sunt illorum servi.

Atqui quem licet alteri virgis cædere, & vincire atq; occidere, & aliud quod voluerit facere, hic illius servus est. Quid ita? Non licet latronibus hæc facere, iis quos cæperunt? Nihilo tamen minus servi sunt. Quid vero? Judicibus non licet punire vinculis & morte, & alia qua videatur pœna, multos eorum qui accusantur, qui tamen nullo pacto sunt servi? Quod si una illa die qua accusantur, servos esse quis dicat, ne hoc quidem est. Etenim unam diem quis dicit quenquam fuisse servum? Verum, uno sermone res cõprehendenda, & demonstranda est: quod, cui licet quod vult facere, liber sit: cui vero nõ licet, servus. neq;, de navigantibus, neq; de ægrotantibus, neq; de militãtibus, neq; de discentibus literas, aut cithara canere, aut luctari, aut aliam quamlibet artẽ, possis dicere. Neq; enim his licet facere ut ipsi volunt, sed ut, & quæ nauclerus atq; medicus præceptorq; facit. Non igitur & aliis licet quæ volunt facere: sed si quis contra positas leges quid fecerit, mulctabitur. Proinde quæcunq; non interdicta sunt legibus, neq; præcepta, qui in his ipse potestatẽ faciendi habet ut vult, liber: è regione qui non habet, servus est. Quid ita? Putasne licere tibi quæcunq; non interdicta quidẽ sunt à scriptis legibus, turpia autem alioqui videntur hominibus, & absurda, puta publicanũ aut lenonẽ agere, aut alia similia, facere? Non hercle dicere possem, talia ne liberis quidẽ licere. nam his proposita est mulcta: nempe odio haberi, & invisum esse hominibus. Quid verò? An immodestis hominib. quæcunq; faciunt per intemperantiã, & stultis quæcunq; per dementiã, vel fortunas negligentibus, non omnia hæc facientibus damnosa sunt? Aut enim in corpore, aut in substantia, aut quod maximũ est, in anima sua damnum accipiunt. Hoc tu quidem vere dicis. Proinde neq; hæc facere licet. Non sane. Breviter autem, perniciosa atq; absurda & inutilia non licere facere: justa vero & utilia & bona, dicendum est, convenire atq; licita esse? Mihi sanè videtur.

Igitur nemini pernicioſa & inutilia facere, absq; mulcta est, neque Græco neq; barbaro, neq; pro quo quis precium dedit, argentumq;. Non sane. Contraria a. similiter omnibus permittuntur: & qui permissa agunt, indemnes vitam degunt: qui vero prohibita, damno mulctantur. Alii num videntur tibi agere quæ licet, quam qui ea dicerunt: & alii contraria, quã qui ignorant? Nequaquã. Ergo prudentibus, quæcunq; volunt facere, licent, contra imprudẽtibus, quæ volunt, non licent. Itaq; necesse est, prudentes & esse liberos, & licere illis facere ut volunt: fatuos autem & servos esse, & quæ non licent,

illis

illis, ea facere, Fortasse. Ergo & libertatem dicere convenit, esse scientiam rerum permissarum & promissarum & prohibitarum: at servitutem, ignorantiam eorum quæ licent, & quæ non licent. Ex hoc sermone nihil prohibet, quo minus & rex magnus, magnam tiaram habens super caput, servus sit, & nihil liceat ei facere eorum quæ facit. omnia enim damnose & inutiliter faciet. Alius autem quispiam, qui servus videtur & appellatur, nec semel, sed sæpius (si ita fortuna ferat) venditus, & sit, & (si hoc contingat) compedes valde crassas habeat, magis sit liber quam rex magnus.

Mihi quidē vehementer videtur absurdum, si quis compedes gestans, aut stigmatis notatus aut in pistrino molens, magis videatur liber quam magnus rex. Quid? fuisti ne unquam in Thracia? Equidem fui. Vidisti igitur illic mulieres liberas stigmatum plenas, & tanto plura habentes, magisq; varia stigmata, quanto honestiores, & ex honestiorib. sunt natæ? Quid tandem istud? Quod nihil prohibet, reginam (ut verisimile est) stigmatis notatā esse, regem a. prohibere putas? An tu neq; de illa gente audivisti, ubi rex in turri valde excelsa custoditur, & non licet illi descendere de turri? Si vero audivisti, non credidisti certè, quod vinctus & circumvallatus rex esse possit. Et forsan audivisti, illos homines admiratos fuisse, quum illis narrasti de rege Persarum, nec tibi credidisse, quod rex quidam sit qui curru circumvehatur, vadatq; quo velit.

At vinctum, non demonstrabis regem esse posse. Inter homines fortasse: quandoquidē rex Deorum primus & antiquissimus vinctus est, ut ajunt, si credendum est Hesiodo & Homero, aliisq; sapientib. viris, qui de Saturno hæc dicunt. Et hercle non ab inimico injustè hæc patitur, sed ab justissimo charissimoq;, videlicet ut regia atq; illi utilia faciente. Sunt a. qui hoc ignorant, & nunquā putant mendicum aut vinctū aut obscurum hominem, posse fieri regem: tametsi audiant de Ulysse, quod quum esset mendicus, & à procis peteret, nihilominus rex fuerit, & ædiū dominus: Antinous a. & Eurymachus, quos Homerus reges appellabat, miseri & infortunati. Sed hæc (ut dixi) ignorant. Signa autē illis circumdant, tiaras & sceptra, & diademata, ne nesciantur esse reges: quemadmodū (puto) pecorib. characteres imprimunt domini, ut cognosci queant. Quapropter Persarum rex, ut solus quidem haberet rectā tiaram, cutavit: & si quis alius hoc fecisset, confestim jussisset eum interfici: quod non possibile sit, neq; utile, inter tot hominū millia duos esse, qui tiaras gerant rectas ut autem rectum haberet animum, & nemo alius prudentia eum superaret, nunquam illi curæ fuit. Non ergo, sicut illud regnum talia habuit signa, ita etiam nunc oportet libertatis talia esse tymbola, & ingredi pileum habentem in capite: aut alioqui non poterimus liberum aut servum dignoscere. *Orat. 14.*

Dio Prusæus: Enimvero nuper veni ad quosdam disceptantes de servitute & libertate, non coram judicibus, neq; in foro, sed sic forte fortuna in ædibus: idq; per multum temporis. Et aderat utriq; viro fautores non pauci. Antea enim de aliis disputaverant, ut mihi videbatur: victus a. in sermonibus alter, & hæsitans, ad convicia se vertit (quēadmodum hoc frequēter solet fieri) & objecit alteri, quod non esset liber. Et illa valde placidè subrisit, dixitque: Unde verò licet ò bone cognoscere, qui sit servus, & quis liber? Inde mehercle, inquit. Scio enim meipsum esse liberū, & hosce omnes: tibi verò libertatis nihil cōvenire. Et quidam qui aderāt, riserunt. Et ille nihil magis pudefactus est, sed quemadmodū galli gallinacei ex plagā excitantur, audaces q; fiunt, ita & ille excitatus est, & audaciā sumpsit ex convicio: percontatusq; est, unde hoc sciret & de se, & de ipso? Quia (inquit) meum patrē scio esse Athenienſem, ut si quem alium, tuum a. servū illius, dicens nomen. Et ille: Quid ergo, inquit, juxta hoc prohibet me in Cynosargi perungi cum nothis, siquidē ex matre sum libera? Fortassis autem & ex cive matre natus sum, & ex patre ex quo tu dicis. An non multæ mulieres cives propter solitudinem & paupertatem, partim ex hospitibus conceperunt, partim ex servis: & quædā tem, partim ex hospitibus conceperunt, partim ex servis: & quædā hoc ignorantes, quædam autem etiam scientes? Et nullus est servus, sed tantum non Athenienſis, ex his qui ita nati sunt.

At ego (inquit) & matrem tuam novi, conservam esse patri. Esto (inquit) tuam a. nosti? Omnino sanè (inquit) & civē ex civibus prognatam, & dotem magnā patri attulisse. An etiam haberes (ait alter) juratus dicere, quod ex eo natus sis, ex quo te illa dicit? Certè Telemachus noluit fortiter asseverare pro Penelope Icarii filia, valde casta habita muliere, q; verum diceret, Ulyssem affirmās ipsius esse patrem. Tu aūt non solum pro te verū etiā pro tua matre, si quis jubeat, jusjurandum præstaturus videris fortasse: sed & de serva quacunq;, ex quocunq; tandē conceperit, uti de ea q̄ dicis matrem meā. Impossibile enim tibi videtur, ex alio viro concepisse libero, aut etiā ex suo hero. Nonne multi Athenienses rem habent cum suis ancillis quidam clanculò, quidam etiam manifestè? Neq; .n. unquam sunt Hercle meliores omnes, qui neq; cum Iardani serva rem habere dedignatus est, ex qua nati sunt Sardienſiū reges. Præterea non videtur tibi, (quod veri simile est) Clytemnestra Tyndari quidē filia, conjunx a. Agamemnonis, non solum cōcubuisse cum Agmēnone suo marito: verum etā eo peregre absente, cum Ægysthō rē habuisse? Et Aërope Atrei uxor, Thyestis amplexa esse cōsuetudinē? Et aliæ multæ tam olim quam nunc, illustrium & divitum virorum uxores, cū aliis concubuisse, & pueros interdum ex illis sustulisse? Quā tu vero dicis ancillam, ita prorsus diligēter fidem suo servasse putas marito, ut cum altero non cōcubuerit? Insuper a. & de te ipso, & de me confirmas, q; uterq; nostrum illius est matris, quæ & existimata & dicta sit mater. Atqui multos Athenienſiū posses dicere, eosq; valde notos, quos tandem cōpertum erat non solum non patris, sed neq; matris fuisse, cujus dicebantur: sed suppositionis, alicundē educatos. Et hæc tu nonnunquā vides ostensa dictaq; à Comœdiarū scriptoribus & in Tragœdiis. & tamen nihil minus fortiter affirmas & de te & de me, quasi optimè sciens quomodo nati simus, & ex quibus. Nescis (inquit) q; lex dat actionē adversus eum, qui quem conviciis incesserit, nec valeat demonstrare manifestè quicquam eorum quæ dicit?

Et ille: Scio (inquit) quod liberæ mulieres supponunt sibi sæpe propter prolis carentiam, quū non possunt ipsæ concipere, volens unaquæq; retinere suum maritum & domum: & pariter nō illis deest, unde pueros alant. Servas verò e contrario, has quidem ante partem, fœtus corrūpere: illas a. postea, quando factum abscōdere possunt: ꝓterea & viris cōscijs, ut ne pura negotia habeant coactæ pueros alere, ad servitutē. Ita hercle (inquit) at præter opinionē Pandionis nothi pueri. Illius .n. pastoris qui erat in Eleutheris, & pastoris uxor non solum non exposuerunt ex ipsis genitos, verum eriā alienos in via repertos pueros, nesciētes cujus essent, sustulerunt, alueruntq; tanquā proprios: neq; unq̄ postea sponte confessi sunt, quod alieni essent. Tu vero fortasse & Zetheum & Amphionē convicijs impetisses ante quam innotescerent, & dejerasse de Jovis filijs tanquam de servis? Et ille ridens valde ironicos, Tragœdos (inquit) vocans ad perhibendum testimoniū. At quib. (inquit) credunt Græci Quos .n. illi demonstrant esse Heroas, illis parui parentāt ut Heroibus, & monumenta illis heroica videas ædificata. Verumtamen cogita, si vis & Phrygiā Priami ancillā, quę Alexandrū in Ida nutrivit ut suum filiū, acceptū, a viro pastore, & pueri educationē non difficulter tulit. Telephum a. Augęs & Herculis aliū, non à muliere, sed à cerva alitū esse dicunt. An videturtibi cerva magis miserari infantem, & cupere nutrire, quam homo, si forte præsto sit? ago dic quæso propter Deos?

Quod si tandē & assentiar tibi illos esse meos parentes, quos tu dicis, unde scis de illorū servitute? An etiam illorum parentes novisti manifestè, & paratus es de utroq; jusjurandum dare, ꝓ ex ambobus servis natus sit uterq;, & præterea illorū majores, & ab initio omnes? Manifestum .n. quod si unus quilibet ex genere liber fuerit, nō jam fieri potest ut ex illis deinde nati recte servi existimentur. Hoc a. fieri non potest, ò bone ut ab omni (ut ajunt) ævo aliquod sit hominum genus, in quo non innumerabiles liberi sint, ꝓcreati, nec pauciores q̄ tot servitutē servierint, & (per Jovem) tyranni, & reges, & vincti, & stigmatis notati, & caupones & sutores, aliarumq; quæcunq; inter homines sunt conditionū fuerint, omniaq; ꝓpera, omnes vivendi cōditiones, omnes fortunas atq; calamitates vicissim sint experti. An ignoras ꝓ hujus gratia heroū generationes statim in Deos referant poetæ, ita ut non amplius examinetur persona? Et plurimos quidem illorū ex Jove dicunt esse natos, ne ipsis & reges & urbiū conditores, clararumq; autores familiarū in ea incidērēt, quæ videntur apud homines esse ꝓbrosa. Quare si ita habēt res hominū, ut nos aliiq; nobis sapientiores dicunt, nihil magis ad te pertinet libertas juxta genus, q̄ ad quēmlibet eorum qui nimis existimantur servi. Quo si non & tu præveneris, referens sursum ad Jovē, aut ad Neptunū, aut ad Apollinem tuos majores, non est ꝓ mihi objicere queas de servitute.

Igitur (inquit) ꝓ ad genus & majores attinet, omittamus, quandoquidē ita tibi, certo expendi non posse, videtur. Fortasse enim apparereres prognatus quemadmodū Zethus & Amphion, & Alexander Priami filius. At te quidē ipsum omnes novimus serviviſſe servitutē. Quid autē? inquit. An videntur tibi omnes qui serviunt servi? An nō multi illorū, quū sint liberi, injuste serviūt, quorū jam q̄dam coram judicib. sese liberos esse demonstrarūt? Quidā vero sustinent usq; ad omne tempus, non habētes unde manifeste ꝓbent de libertate, aut quib. difficiles sunt præsumpti heri. deinde age, nōne Eumæus Ctesii Ormenidæ, hominis planè liberi & divitis, filius, servivit in Ithaca apud Ulyssem & Laertē: quumq; illi liceret, sæpenumero domū abnavigare, si vellet, nunq̄ voluit? Quid vero? multi Athenienses capti in Sicilia, nonne servierunt in Sicilia & Peloponneso, quū essent liberi? Et in aliis multis prælijs qui capti sunt, partim tēpus quoddam, dum invenirent redemptores, partim usque in omne tempus servierunt? Quando etiā Calliæ filius serviviſſe visus est in Thracia post cladem q̄ in pugna Athenienses acceperāt circa Acanthon: ut & postea effugiens redierq; postliminio disceptavit de Calliæ hæreditate, & multum exhibuit negotii cognatis? Ille q̄dem (opinor) mendaciis usus est, non .n. filius, sed equisio Calliæ fuit aspectu vero ꝓsimilis Calliæ adolescentis, qui in pugna mortuus erat, præterea & Græcā linguam accurate & literas noverat. Quin aliis etiā sexcentis hoc evenit. quoniam & ex his qui hic in præsentia serviunt, non despero multos esse liberos. Non enim, si Athenienſium aliquis captus in bello, in Persas abductus sit, aut per Jovem, si in Thraciam aut Siciliam ductus venundatur, dicemus servire, quum sit liber: sin vero Thracum quispiā, aut Persarum, non modo ex liberis illic natus, huc ductus, sed & primatis cujusdam aut regis filius, non confitebimur liberum esse.

Nescis Atheniēsiūm legem, quæ & apud alios multos est, quæ servum effectum ejicit à civium numero? Calliæ vero filium, si quidem verè ex captivitate salvatus est, rediitq; à Thracia, postquam multos illic annos fuisset, & sæpius flagris esset cæsus, nēmo unquam ejecit è civium numero. Quare & lex non ait factos esse servos, qui injuria in servitutem sunt redacti. Quid autem, propter Deos scis me feciſſe, aut passum, unde me servitutem serviviſſe noris? Nempe (inquit) te scio alitum ab hero, & illius fuisse pedisequum, & feciſſe quicquid ille præceperat: sin minus, vapulasse. Ita tua quidem (inquit) & filios patrum servos esse demonstras. Quippe sequuntur multos ex paupe-

ribus ſimulq; in gymnaſium vadunt, & ad cænam, & aluntur omnes à patribus, & cæduntur ab illis ſæpe, & ſunt dicto audientes, quodcunq; illi eis præceperint. Quin etiam propter obedientiam verberumq; paſſionem, & literatorum ſervos eos eſſe dices qui diſcunt, & pædotribas diſcipulorũ eſſe dominos, aut alios aliud quid docentes. Nam & præcipiunt illis, & percutiunt non obedientes. Ita per Jovẽ (inquit) at nõ eſt pædotribis & aliis doctorib. diſcipulos ligandi poteſtas, neq; vendendi, neq; in piſtrinum conjiciendi: at heris vero omnia hæc permiſſa ſunt. Fortaſſe enim ignoras (inquit) quod apud multos & valde legitimè inſtitutos, hæc quæ dicis, patrib. licita ſunt circa filios, & vincire quũ voluerint, & alienare, & quid his immitius eſt: permittitur enim illis occidere, licet neminem occiderint, nec ullius planè criminis ſint accuſati: attamẽ nihilo magis patrũ ſunt ſervi, ſed filii. Deniq; ſi maxime ſervivi, & ſervi à principio jure facti ſunt, quid nunc me (inquit) prohibet, quo minus liber ſim, q̃ quiſquam? Tu verò e contrario, etſi valde ex liberis oriundus es, quid obſtat, quo minus ſervus ſis. quam quisq̃? Ego ſane (inquit) nõ video quomodo liber quũ ſim, ſervus fiam: tu a. liber fieri potes, ſi te herus manu miſerit. Quid ita ô bone? (inquit.) An nemo poteſt fieri liber, niſi ab hero manu emiſſus? Quomodo enim? inquit. Eo modo (inquit alter) quo Athenienſes decreto ſanxerunt poſt pugnã in Chæronæa, omnes ſervos qui militaverant unà, liberos eſſe. Et ſi bellũ diutius protractũ eſſet, neq; Philippus ocyus cũ illis bellũ cõpoſuiſſet, multi Athenis ſervi, & propemodum omnes in libertatẽ veniſſent, non quiſq; ab hero ſuo manumiſſi. Eſto hoc ſanè (inquit) ſi te publice civitas liberum eſſe juſſerit) Quid vero? meipſum (inquit) non videor tibi in libertatẽ aſſerere poſſe? Si quidẽ argentum (inquit) alicunde ſolvas hero. Non (inquit) hoc dico modo: ſed, eo quo Cyrus non modo ſeipſum, ſed omnes Perſas vindicavit in libertatẽ tantam multitudinem, neq; argentum cuiquã ſolvens, neq; ab hero manu miſſus. An neſcis, ô lucernarum opifex fuerit Cyrus Aſtyagis filius: & quando potuit, ſibiq; viſum fuit, liber ſimul & rex factus eſt totius Aſiæ? Eſto (inquit) Me autem (inquit) quomodo dicis ſervum eſſe natum, quando plurimi nonnunquã tradant ſemetipſos, quum ſint liberi in ſervitutem, ſecundum ſyngraphamm interdum, ſuper nulla re mediocri, ſed ſuper omnibus difficillimis?

Hactenus quidem attenderunt ſermonib. qui aderant, quaſi non ſerio dictis magis, quã joco. Poſtea vero contendebant, & videbatur illis abſurdum, niſi nullũ poſſet dici ſignũ, quo quis abſq; ambiguitate dijudicet ſervum à libero, ſed facile queat dubitari & contradici de omnib. Relicta igitur conſideratione de illo, deq; illius ſervitute, conſiderabãt, quis nam eſſet ſervus: & videbatur illis, quod qui proprie poſſideretur ab hero, ut aliud quid ſuarũ rerum, aut pecorũ, ut hero liceat eo uti quãcunq; ad rem vellet, eum recte & dici & eſſe ſervum poſſidentis. Rurſum a. dubitabat is qui de ſervitute contradixerat, quidnam tandem eſſet proprium poſſeſſionis. Etenim domũ & prædium & equum & bovem, multos jam viſos poſſidere multo tempore, non juſtè acquiſita, interdum etiã à patrib. accepta: ita etiã fieri poſſe, ut & homo injuſte poſſideatur. Et jam ſane & ſervos haberi inter res poſſeſſas, quemadmodum & alia univerſa. Et hi quidẽ aliter acquirunt: aut ex commodato, aut ex hæreditate, aut empto: quidam vero à principio eos poſſident qui apud ſe nati ſunt, quos appellant vernas. Tertius a. poſſeſſionis modus, ſi quis quem in bello captum, aut latrocinio natum, hoc modo detineat, redactum in ſervitutem. Qui modus opinor omniũ eſt antiquiſſimus. Nam qui primi facti ſunt ſervi, non veriſimile eſt ex ſervis natos à principio, ſed ex latrociniis & bello captos, atq; ſic coactos eſſe ſervire capientibus. Proinde hic antiquiſſimus modus eſt, ex quo cæteri omnes pendent, valde infirmus, & nihil roboris habẽs. Quando enim cunq; illi potuerint aufugere nihil prohibet eos eſſe liberos, ut qui injuſte in ſervitutem redacti ſint: itaq; neq; prius unquam ſervi erant. Nonnunquam verò non ipſi ſolum effugerunt ſervitutem, verum etiam heros in ſervitutem redegerunt. Et hic jam teſta (ajunt) cadente, omnia contraria fiunt prioribus.

Dixit ergo quidam ex his qui aderant, quod illi quidem ipſi fortaſſe non dici poſſent ſervi: iis vero, qui ex illis naſcerentur & ſecundis & tertiis, proprie jam illud nomen cõveniret. Et quomodo? (inquit). Si enim eo quod capti ſunt, coguntur ſervire, captis magis cõveniret, quam ex illis prognatis. Sin verò eo quod nati ſunt ex ſervis videlicet qui ex liberis ſunt capti, eorum poſteri nõ utiq; eſſent ſervi. Etenim videmus Meſſenios illos, poſt multos annos non ſolum libertatem, ſed & regionẽ ſuam recepiſſe. Poſtquã enim Lacedæmonii in Leuctris victi ſunt à Thebanis, ducto Thebani exercitu in Peloponneſum, cum auxiliis, coegerunt Lacedæmonios & regionẽ Meſſenorũ reddere, & quotquot ex Meſſeniis nati ſerviebant. Prius enim Lacedæmonii, eos qui appellantur Eilotæ, collocaverant rurſus in Meſſenam. Et hæc nemo ait Thebanos injuſte feciſſe, ſed honeſtiſſimè, juſteq;. Ergo ſi quidem hic poſſidendi modus non eſt juſtus, ex quo omnes reliqui habent originem: periclitantur & alii omnes, ut nõ ſint juſti, utq; ſervus nullus revera & juxta veritatem dicatur. At non ita à principio dictus eſt ille eſſe ſervus, pro quo quis argentum ſolviſſet, aut qui ex ſervis appellatis eſſet natus, quemadmodũ multi exiſtimant: ſed multo magis, quemadmodum dicitur liberalis & ſervilis. Inter eos enim qui ſervi dicuntur, multos cõfitebimur eſſe liberales: & inter liberos, multos eſſe ſerviles.

Præterea, quemadmodũ generoſos & nobiles eos à principio nominaverunt, qui bene nati eſſent ad virtutem: neq; curioſe ſunt ſcrutati, ex quib. nam eſſent. Poſtea autem, qui erant ex valde divitibus ſpectabilibuſq; geniti, à quibuſdam nobiles ſunt vocati. Hujus vero manifeſtiſſimum ſignum eſt. In gallis enim gallinaceis, & equis, canibuſq; manſit nomen quemadmodum erat in hominibus quoq; antiquitùs. Quicunq; enim ſpectat animoſum & ſuperbũ & ad curſum bene valentem equum, non interrogans an pater ejus ſit ex Arcadia, an ex Media, an ex Theſſalia, judicat generoſum eſſe equum. Similiter quoq;, qui canum habet experiẽtiam, ſi canem videt velocem & promptã & ſagacẽ circa veſtigia, nihil requirit præterea, utrũ ſit nata in Caria, an Lacedæmone, an aliunde uſquam, ſed dicit generoſam eſſe canem. Idipſum etiam fit in gallis, atq; aliis animantibus. Igitur patet, quòd & in hominib. ita fieri debeat, ut qui bene natus ſit ad virtutem, eum generoſum appellare conveniat, tametſi nemo norit parentes ejus, neq; majores. Atqui fieri non poteſt, ut quis ſit generoſus, ut idem non etiam ſit nobilis: neq; ut quis ſit nobilis, ut non idem quoq; ſit liber. Quare ignobilem omnẽ neceſſe eſt ſervum eſſe. Et ſi quidem moris eſſet ſervitutẽ libertatemq; etiam circa equos dici, & gallos atq; canes, non utiq; alios quidem generoſos eſſe diceremus, alios autem liberos, neq; alios quidem ſervos, alios autem ignobiles. Similiter autẽ & circa homines, haud par eſt alios quidem dicere generoſos & nobiles, alios a. ſervos. Atq; ita demum hic demonſtrat ſermo, quod non Philoſophi nomina transferãt, ſed vulgus fatuorum hominum, propter imperitiam. *Orat. 15.*

Dio Pruſaus: Vos quidem admiramini fortaſſe, abſurdumq; putatis neq; temperati viri officium, quod aliquis omnibus poſtpoſitis quibus vulgus ſtudet, & quodam modo curſu ſuo ferri permiſſis pecuniis & gloriis atq; voluptatibus, neq; agricola neq; nauclerus neque miles, neq; militum dux circumambulat, neq; etiam ſutor neq; faber, neq; medicus, neq; rhetor exiſtens, neq; aliud quid familiare atq; commune exercens, atq; ita abſurde it reditq;, aſtatq; ubi ſibi nihil eſt negotii, ſed utcunque fert caſus animiq; impetus, & curias quidem atq; theatra hominumq; congregationes negligit, concionatur autem ſolus, ſpectatq; non ſaltantes neq; canentes, cæſtibus decertantes, neq; luctantes, ſed ementes atq; ambulantes, loquẽteſque atq; pugnantes, atq; his omnibus aliquando optimè animum attendit, delectaturq; multo magis quàm pueri in certaminibus ac theatris, non locum præoccupans, neq; pervigilans, neq; preſſus à multitudine: aliquando autem neq; audit quenquam, neq; videt, neq; noſſe eos exiſtimat, cogitans quę velit, atq; faciens abſq; timore. Ego autem hoc ſplendidum duco atq; beatum, ſi quis inter ſervos liber eſſe poteſt, & inter ſubjectos ſui juris. Pro qua re multa Lydi cum Phrygibus, multa quoq; Phryges cum Lydis bella geſſerunt, multa etiam Iones atq; Dores, atq; omnia hominum genera.

Tam ſtultus omnes amor cupiditaſque propriis vivendi legibus, ſuiq; juris eſſe, inceſſerat: quod tamen nunquam obtinuerunt, neq; quiſquam illis conceſſit, neq; tum habuere quum propriis ſibi legibus videbantur uti. Univerſi autem Solonis Draconiſq; & Numæ & Zaleuci contendunt legibus, ut has vel non has ſequantur, quum nemo & inter illos ſtatuerit quæ oporteret. Solonem quidem & ipſum ſciviſſe ajunt, quod Athenienſibus autor fuerit eorum quæ ſibi non probarentur, ſed quibus credidiſſet eos uſuros. Certum eſt igitur, pravas eum ſcripſiſſe leges, ſiquidem ſcripſit ut pravis placituras. Attamẽ & ipſe iis utebatur, licet pravæ eſſent ſibiq; non placerent. Proinde manifeſtum, quod horum nulli ſuo jure ſuiſq; vivebant legib. neque ſtuduerunt, neq; bella geſſerunt, quo eſſent liberi. Sed enim copioſam magnamq; ſervitutem intra mœnia includentes, deinde propugnaculis atq; turribus teliſq; propulſarunt, ne extrinſecus ad ipſos ingrederetur. Quemadmodum ſi quis navi convulſa, fluctuq; intus verſante, cuſtodiret, multumq; haberet negotii, ne deſuper incurrat. Sic igitur Trojanos ajunt obſeſſionem paſſos, interfectoſq; pro Helena, quæ apud eos non erat, ſed in Ægypto: idem contigit & his qui pro libertate pugnabant atq; certabant, quã non habebant. Attamen illi dicebant ſe omnia pati pro legibus, atque etiam nunc dicunt in his verſari cauſam, quando vel ipſi calamitate preſſi hiſtoriam conſcribunt, aut ab aliis ſimilia audiunt. Legem autem veram atque ratam manifeſtamq; neque vident, neq; vivendi ducem ſtatuunt. Quapropter quemadmodum in meridie lucente ſole faces accendunt, torreſque ſuſtollunt, & divinum quidem lumen ejiciunt, ſequuntur autem fumum, modicum quendam ignis fulgorem oſtendentem.

Lex igitur naturæ amiſſa eſt, & exolevit apud vos, ô infelices: tabulas autem & literulas atq; columnas cuſtoditis, atque inutiles notas. Et Jovis quidem legem jampridem violaſtis: ne quis autem illius tranſgrediatur, conſideratis: atque execrationem, quam Athenienſes circa Solonis leges ſtatuerunt abrogare volentes, ignoratis propter illius legem magis ratam eſſe. Prorſus enim neceſſe eſt, hanc continentem legem, ſuperiorem eſſe Athenienſium legibus niſi quod in pueros atq; genus delinquentium non animadvertit, ſicut illic, ſed ſuæ quiſq; ſit infelicitatis cauſa. Eum ergo, qui illam ſalvam conſervare conatur quantum poſſit, quantumq; ad ſe pertineat cuſtodire, nunquam equidem dixerim non prudentem eſſe. Vos autem multo magis admiror, miſeroq; ob difficilem atq; iniquam ſervitutem, qua à vobis ipſis copulati detinemini; non uno ſolum vinculo, neque duobus, ſed ſexcentis circumdati à quibus ſtrangulamini multo magis, quam qui cathenis aut numellis aut compedibus trahuntur. Illi enim poſſunt dimitti, aut abſciſſis vinculis effugere: vos autem magis indies vincula corroboratis: atque plura & fortiora efficitis.

Nolite autem, quia non videatis vincula, ideo hunc ſermonem fal-

falsum putare, atque incredibilem. Considerate autem Homerum, vestra sententia sapientissimum, quibus vinculis Martem dicat retineri,

Etsi inter dios sit velocissimus ille.

Nempe tenuibus aranearum telis similibus, quæ nemo cernere queat. Nolite ergo putare, Martem, qui & Deus est, & fortis, à tam tenuibus atque inconspicuis compeditum fuisse vinculis: vos autem omnibus bestiis infirmiores, nunquam inconspicuis capi vinculis posse, nisi ferro atque ære fabrefactis. Corpora quidem vestra, utpote dura, atque penitus ferè irarum plena, talibus opus habent vinculis: anima autem inconspicua planè, atque tenuis naturâ, quomodo talibus vinculis comprenderetur? Vos autem alia solida atque adamantina, juxta Vulcanum ipsum, fecistis, omni machina ad plectendum adhibitâ, ipsoque superato Dædalo arte studioque ut omnis vestri animi pars vinciretur, nihilq; esset liberũ atq; sui juris. Quid .e. erat Gnosiorũ carcer, atq; illud Labyrinthi pplexũ, ad insipientiæ pplexietatẽ, atq; vestigãdi difficultatẽ? Quid Sicula Atticorũ captivorum custodia, quos in saxum quoddam conjecerant? Quid Lacorum Ceadas, atque illa apud Persas turris plena cineris? Aut hercle quid, quod sævi quidam patres (ut poetæ ferunt) carceribus ferreis puellas circum munierunt?

Non mihi amplius videor esse sobrius in sermonibus, quod humanarum calamitatum nimiam fecerim mentionem, turpisque atque difficilis servitutis, in quam redacti estis omnes, unde nullis tenuibus filis nactis exire licet insipientis puellæ auxilio, quemadmodum illum Thesea dicunt ex Creta salvum evasisse: nisi quis Minerva etiam, opinor, assistente, atque salvum conservante evadat. Nã si omnes vellem carceres atq; vincula dicere, mortalium atque miserorum hominum, quibus sua inclusi opera tenentur: an non valde sævus atque perversus vobis poeta viderer, in propriis Tragœdias faciens calamitatibus? Non enim solum, ut qui à vobis censentur malefici, constringuntur collo & manibus pedibusque, verum etiam ventre atque aliis partibus, quaque proprio vinculo atque obligatione comprehensa.

Vincula verò sunt varia atque multiplicia: quæ si quis videat, ut mihi videtur, aspectu delectetur, admireturque excogitationem. Prima enim domina, opinor, ad unamquamque partem, Voluptas est, sæva quidem alioqui & hostilis, & insidiosa aspectu: jucunde tamen atque Sardonium quiddam subridens occurrit, fertque vincula juxta suam naturam, florida molliaque primum, quibus par est vinciri reges aut tyrannos, & omnes quicunque beatorum dicuntur filii. His autem sævius nihil, neque magis inhæret aut constringit. Post hanc autem venit alia, numellam quandam ferens auream aut argenteam: qua collo circumposita, trahit plebeios per terram omnem & mare: trahit & reges, juxta Hesiodum: trahit & civitatum prætores ad portas, ut apariant, prodantque. Ajunt autem & illos ligari, quos destinavit perdere, quosque beatos facere, quemadmodum Cyrus olim Astyagen aureis vinxit compedibus, illius ut avi videlicet curam gerens.

Magnus autem labor foret, omnes vinculorum species recitare: unum tamen dignum est ut non prætereatur, omnium admirabilissimum, maximeque varium, quod sævissima fert domina, idque auro & argento atque omnigenis lapidibus calculisque, animaliũque cornibus atque dentibus & testis, præterea etiam purpureis tincturis atque aliis quibusdam sexcentis, tanquam preciosum atque admirandum monile exornavit, multaque in eo vehicula formasque imitata est coronarum, & sceptra, & tiaras, thronosque excelsos: sicut excellentes artifices, spondas aliquas, aut januas, aut culmina domorũ fabricantes, alia quædam videri machinantur, nempe in ostiorum summitatibus, similiterque columnarum bestiarum capita effingentes. Præterea & sonus in eo est, atque vox varia plausuum & poppysmorum, multumque resonat id vinculum. Hoc injicit oratoribus atque regibus. Cæterum ne procul ipsi auferamur, hanc sequentes imaginem tanquam sermonis simulacrum, sicut Homerus scripsit Achillem Antenoris simulacrum sequentem longius abiisse, hæc sufficiunt. *Oratione 80.*

§ Romanorum.

Quintilianus: Principalis ac maxima dono Deũm concessa libertas; nec hominibus solum, sed ferarum volucrumque sensibus fixa atque ingenita. *Declamatione 6. § 20. pr.*

§ Poetarum.

Prudentius 2. libro contra Symmachum.

Libera sum: luceat proprio mihi vivere more.

Incertus de Catone.

Dextera quid dubitas? durum est jugulare Catonem.
Sed jam liber erit. jam puto non dubitas.
Fas non est, vivo quenquam servire Catone;
Nedum ipsum. vincit nunc Cato, si moritur.

De Porcio Catone Incertus.

Cerne hic ossa sacri semper veneranda Catonis,
Libertate potens, animoque invictus & armis.
Avius incerto peragravit tramite Syrtes.
Libertatis enim dulcedine captus adusta,
Ne sua servitio premerentur colla tyranni,
Fortia crudeli penetravit pectora ferro.

Guntherus lib. 2. v. 141. de Longobardis.

Libertatis amans: pro qua nec tristia rerum
Damna, nec extremam solet exhorrescere mortem.
Nec regis dominive jugo cervice volenti
Subdita.

Guntherus lib. 3. v. 575. ad Romam.

Sed libertatis titulos, antiquaque legum
Tempora commemoras. quas leges, improba, prætor
Teutonicas, aut qua prater mea jura requiris?
Qua tibi libertas poterit contingere major,
Quam Regis servitre tuo?

Guntherus lib. 8. v. 155.

Omnia securi pro libertate feremus?
Sed libertatem contempta nemo salute
Sanus amat. neque enim certa susceptio cladis,
Quam vitare queas, nisi cum ratione salutis,
Libertatis amor, sed gloria vana putatur.
Num quid & in brutis, immansuetisq; videmus
Hoc jus esse feris? uti vasta minoribus ultrò
Imperitare velint, majoribus infima cedant.

§ Apologorum.

Phædrus Fab. 46. Lupi ad Canem.

Quam dulcis sit libertas breviter proloquar.
Canis perpasto, macie confectus Lupus
Fortè occurrit, dein salutantes invicem
Vt restiterunt: unde sic quæso nites,
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Præstare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille: Custos ut sis liminis,
A foribus tuearis & noctu domum.
Ego vero sum paratus, nunc patior nives
Imbresque, in sylvis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo.
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum Canis.
Vnde hoc, amice? nihil est. die quaso tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, & vigilem nox cum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est vagor,
Affertur ultro panis, de mensa sua
Dat ossa dominus, frustra jactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo est abire animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere qua laudas Canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

Canis & Leo, Avienus.

Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
Fertur, & insertis verba dedisse jocis.
Nonne vides duplici tentantur ut ilia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus, ait?
Proximus humanis ducor post otia mensis,
Communem capiens largius ore cibum:
Sed, quod crassa, malum, circumdat guttura ferrum?
Nec custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu meribundus lustra pererras,
Donec se sylvis obvia turba ferat.
Perge igitur nostrin tua subdere colla catenis,
Dum liceat facilis promeruisse dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
Atque ferox animi nobile murmur agit:
Vade, ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compensentque tuam vincula dura famem.
At mea cum vacuis libertas redditur antris,
Quavis jejunus qualibet arva peto.
Hac illis epulas potius laudare memento
Qui libertatem postposuere gulæ.

De Lupo & Cane. Anonymus.

Cum cane sylva lupum sociat. Lupus inquit, amice
Pelle nites, in te copia pulchra patet.
Pro verbis dat verba canis: me detinet heriles
Gratia, cum domino me cibat ipsa domus.
Nocte vigil fures latratu nuncio: tutam
Servo domum; mihi das culmus in æde thorum.
Hac movet ore lupus, cupio me vivere tecum,
Communem capiant otia nostra cibum.
Reddis verba canis, cupio te vivere mecum,
Vna dabit nobis mensa, manusque cibum.
Ille favet, sequiturque canem, gutturque caninum
Respicit, & quarit cur cecidere pili.
Inquit, ne valeam morsu peccare diurno,
Vincula dirurna fero nocte jubente vagor.
Verba lupus reddit, non est mihi copia tanti,
Vt fieri servus ventris amore velim.
Ditior est liber mendicus, dixit servo.
Servus habet nec se nec sua; liber habet.

Libertas prædalce bonum; bona cætera condit.
Quæ nisi conditur, nil sapit esca mihi.
Libertas animi cibus est, & vera voluptas.
Quæ quis dives erit, ditior esse nequit.
Nolo velle meum pro turpi vendere lucro
Has qui vendit opes, hic agit ut sit inops.
Non bene pro toto libertas venditur auro,
Hoc cœleste bonum præterit orbis opes.

De Carduele & puero. Fab. 43.

Carduelis avis interrogata à puero, à quo in delitiis habita, suavibus & largis cibis nutrita fuerat, cur cavea egressa, regredi nollet: Ut meo, inquit, me arbitratu non tuo pascere possim.

Hæc fabula indicat, vitæ libertatem cunctis delitiis anteponendam. Laur: Abstemius.

¶ Emblematum.

Batillius 77.

Libertas.

Clausa Progne cavea objectisque coercita clathris;
Æthereus modo cui parvus axis erat,
Argutâ assiduas depromere voce querelas,
Tangere & appositos abnegat ore cibos,
Nec jam ultra vitam mutata ducere sorte,
Non ultra sortem sustinet agrapati,
Paulatimque ipso, probe eodem & tempore finit
Quo libertatem, tristia fata, loco:
Tantum alias inter volucris dignissima laude,
Quantum illi est vitâ libera vita prior.

Batilius 78.

Libertas Galliæ.

Germanis leges libertatemque reducens
Innumera cinctus castra sequente manu,
Francorum Henricus medio dux agmine Princeps
Vexillo hæc fertur signa habuisse suo,
Qualia formari Brutus curarat in ære,
Libera ut extincto Cæsare Roma fuit:
Germanorum armis repetunt jam pilea Franci,
Alternam jam nunc experiuntur opem.

Camerarius 60. Centur. 2.

Libertas non libera. *Canis qui vinculum trahit*
Quid juvat abruptis in libertate morari
Vinclis, si maneant & tibi colla premant?

Camerarius 86.

Amica non serva. *Hirundo nolens inclatrari.*
Tecta hominis subit, ipsum hominem fugit anxia Progne,
Gratum est hospitium, sed grave servitium.

Catsius Emblemate Ethico 11.

Nimia libertas fit servitus.

Liber eram, nemini, per amœna viret a ferebar,
Nec mihi gratis quies, nec satis una domus.
Pollice distento præ pollice grana placebant:
Sæpe merum pepulit, sæpius unda sitim.
Huc tandem nidore novo me pellicit esca;
Quam miser ut cœpi lingere, captus eram.
Libertas nocuit. fit stulta licentia carcer.
Omnia dum lustrat musculus antra, perit.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Iesus Christus Dominus noster: Dicebat iis Judæis qui crediderant ipsi, Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit. Responderunt ei. Semen Abrahæ sumus, neque cuiquam servivimus unquam, quomodo tu dicis, Vos in libertatem vindicamini? Respondit eis Jesus Amen, Amen dico vobis, Quisquis committit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet in domo perpetuo: filius manet perpetuo. Itaque si vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis. *Ioann. 8. 31. &c.*

D. Paulus Apostolus: De libertate Christiana ejusque cognitione & usu variis locis disserit, nempe Rom. *14. 15. 16.* & 1. Corinth. cap. *7. 8. 9.* Galat *3. 25.* & *4. 31.* & *5. 13.* Vide item. 1. Petri, 2. 16.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Matthias Corvinus: Libertatis (cui proprium testatur Cicero, sic vivere ut velis,) portum ingredimur. & quis inter homines non libens eum subeat? Mattias Corvinus Ladislai Regis Bohemiæ filius, cum in Georgii Pogiebraci (qui postmodü regno successit) potestatem devenisset, multoque apud eum tempore, non indecoro tamen carcere, detineretur: tandem ad Hungariæ regnum adscitus est. mittuntur nuntij in Bohemiam. Quibus auditis, Georgius adolescentem regium sibi cœnanti, præter morem, eximo loco assidere jussit, eoque percunctante & attonito cur ita id fieret; Quid, inquid Rex, mihi exsolveris Mattia, si læti nuntii te reddidero certiorem? Cui ille: *Nihil mihi, ô Rex, libertate aut latius aut gratius evenire potest; quam si concesseris, me æternum tuo honori devinctum scito.* Verè & scitè Comicus.

Liber captivus avi fere similis est,
Semel fugiendi si data est occasio.
Satis est. numquam post illum possit prendere.

Munsterus de German. lib. 3. cap. ult.

Alphonsus Arag. Rex: Verum longè alia Sapientibus Libertas. non corpus tantum, sed animum afficiens: de qua locutus aliquando Alphonsus perhibetur. Percontanti namque quisnam foret liber; assumens illud Horatii, ajebat: *Sapiens sibique imperiosus,*

Quem neque pauperes, neque mors, neque vincula terrent.

In Dictis Alphonsi.

¶ Monosticha Trochaica.

Actionum libertatem amas? ama scientiam.
Admodum sero libertas hominem inertem respicit.
Alterius ne quisquam quærat, esse quis potest suus?
Argumentum libertatis sunt libertini impares.
Capta avis silvam requirit, copta etsi adsit dapis.
Carior bonis humanis est libertas omnibus.
Compedes suas amare est stulti quam vitis aureas
Et nimis jam mox libertatem nimia sequitur servitus.
Fortius pro libertate omnes loquimur, quam cernimus.
Gratior unquam est libertas quam bono sub principe.
Haud sapiens factum est, libertas quo tantillum laditur.
Incorrupta libertati Principum nemo favet
Infelicibus libertas vera, mors est, liberis.
Ius revocandæ libertatis minime patronis datum.
Iure libertatis ardent plus viri quam femina.
Iura circa libertatis plurimum sapientia est.
Liber esse non videtur, qui semper aliquid agit.
Liber esse quei queat devorus voluptatibus?
Liber est in quem parum sortis: imo in quem licet nihil.
Liber est is cui potestas est vivendi ceu cupit.
Liber est is qui creatus est de matre libera.
Liber est, non qui facit quod ipse vult, sed quod decet.
Liber est qui servitutem fugit ipsemet sui.
Liber est supra omnes nulli servus turpitudinis.
Liber est vates suaque sponte, imo ex sui.
Liber haud est, nulla laxat quem a negotiis quies.
Liber incorruptus est res valde odiosa regibus
Liberi culmo teguntur, servitus sub auro habet.
Liberi quidem vocamur nomine; re servi sumus.
Liberi quidem mali sunt, servi sed boni fere.
Libero quodcunque ingratum servitutis præmium est.
Liberum est suique juris quod ratione præditum est.
Liberum id solum putato quod supra spem est ac metum.
Liberis nisi imperet lex, haud erunt diu liberi.
Liberos homines per urbem modico pariter est gradu.
Libertas coacta certè servitutis est genus.
Libertas juxta bonis est ac malis optabilis.
Libertas natura mutis etiam animalibus data est.
Libertas pariter plerisque cum virtute amittitur.
Libertatis est genus odio omnipotentes persequi
Libertatis instar est servire heri potentibus.
Libertatem usurpant voce, rebus qui ulcisci haud querûs.
Libertate solum utuntur servi Saturnalibus.
Multis dum petitur libertas accumulata est servitus.
Nemo a libero obtinet plus quam qui ei nil derogat.
Nemo vindicat sibi se; alius in alium consumitur.
Nil pati non est libertas: nil pati, ipsa est servitus.
Nil time speraque, vere liber esse si cupis.
Non nisi cum ipsa anima libertas occidit viro bono.
Non potest ullis libertas excuti nolentibus
Nulla major est libertas justâ conscientiâ.
Nulla major est libertas, quam servire legibus.
Nulla major est libertas quam obedire Numini.
Nulla se semel catenis ruptis reddit bellua.
Non mihi liber videtur imperat cui femina.
Non placet regni libertas qua corrumpi nequit.
Obvios mordere fuerunt vinculo exuta canes.
Omnium est rerum libertas vere inæstimabilis.
Pauci libertatem, justos magna pars dominos volunt.
Plurimo parari ab auro nulla libertas potest.
Principatus ac Libertas res sunt dissociabiles.
Proque honore libertatis vel famulas armes manus.
Publicam libertatem humilis pectoris nemo capit.
Qui magno æstimat libertatem, omnia parvo alia æstimat.
Quidquid in orbe est libertatis, omne amore subjacet.
Quo voles licet cacabe civitate in libera.
Rebus indigere nullis libertatis maxima est.
Regibus quoque libertatis egregiis placet modus.
Serva legibus libertas, libertatem maxima est.
Servitus vivit sub auro: liberos culmus tegit
Servitute libertatem mutat, impos qui fuit.
Servitute multi oppressi libertatem dum adpetunt.
Servum ut omne turpis est res, pulcra item omne liberũ est.
Sola apud Deum est libertas, non servire crimini.
Tollitur libertas jure non admisso & legibus.
Turpitudini qui nulli servit est liberrimus.

Vera

Vera libertas quietis est amica & otij.
Vile valde est aurum, emi quo dia libertas potest.
Vnicam vel horam dulce libertate vivere est.

¶ Jambica.

An liberum dices qui servit corpori?
Bellum loquendi libertatem destruit.
Benè vita resque libertati impenditur.
Constare nulli gratis libertas potest.
De libertate somniant & servuli.
Domi manere liberum virum decet.
Etiam suus quoque libertati adest modus.
Felicitatum fons libertas omnium.
Fieri suum, bonum est inaestimabile.
Haud liberalis is est donat qui sibi.
Haud facile libertatem herosque misceas.
Haud ulla hominis est liberi aestimatio.
Is liber est qui quo libet cunque ambulat.
Liber manet bonus tamet si serviat.
Libertas est potestas vivendi ut velis.
Malim mori liber quam servus vivere.
Non est honestum aliquid quod non & liberum est.
Non est profectò libertas, nihil pati.
Odium atque amor, liberrima res omnium.
Periculosa libertate, quieta praestat servitus.
Porrò Quirites, libertatem perdimus.
Praestat mori quam libertatem amittere.
Qui liber est, sic vivit ipse uti velit.
Qui nil timet, qui nil sperat, liberrimus est.
Regnet licet, servit tamen vir improbus.
Semper manet liber, mortem qui despicit.
Servire summo summa libertas Deo.
Si libera est urbs, sint & verba libera.

Liberi Arbitrii.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRAECOR.

Clemens Alexandrinus: Verbum patris universorum, non est hoc quod profertur, sed sapientia, & Dei bonitas manifestissima: & rursus omnipotens potestas & vere divina, quæ non est ejusmodi ut intelligentia comprehendi non possit vel ab iis qui non confitentur, voluntas quæ omnia continet sua omnipotentia. Quoniam a. partim quidem infideles, partim vero sunt contentiosi, non omnes assequuntur boni perfectionem. Nam neque fieri potest, ut sine libero animi nostri arbitrio & instituto cõsequamur, neq; universum est positum in nostra voluntate, quale sit quod est eventurum: gratia enim servamur, sed non absque bonis operibus: sed oportet quidem cum natura apti simus ad bonum, ad id aliquod adhibere studium. Oportet autem mentem quoque habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni venatione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque & munda animi affectione, & patris ad ipsum attractione. *libro 5. Stromatum.*

Clemens Alexandrinus: Quemadmodum ergo vel minima pars ferri, lapidis magnetis spiritu movetur per multos annulos ferreos extensa: ita etiam qui sunt virtute præditi, divino spiritu attracti, cũ prima mansione conjunguntur, deinceps a. alii usque ad postremã. Qui a. sunt mali ex imbecillitate, cum propter injustam imbecillitatem in malum habitum inciderint, circumfluunt circumacti animi perturbationibus, humique decidunt ut qui nec teneant nec teneantur. Lex enim hæc ab alto data est, ut qui velit eligat virtutem. Quocirca præcepta quoque quæ & in lege, & ante legem erant, (justo enim non est lex lata) statuerunt, non justis data ut qui elegisset quidem, æternam vitam & beatum præmium acciperet: qui autem rursus vitio esset delectatus concesserе ut versaretur cum iis quæ elegerat. & rursus ut anima quæ assiduè evadit melior ad acquirendam virtutem, & parandam, parandamque justitiam, meliorem locum accipiat in universo, ut quæ per unumquemque profectum extendatur id habitum impatibilitatis, donec profecerit ad virum perfectũ, nempe ad cognitionis simul & hæreditatis excellentiam. Salutares hæ conversiones, pro ordine mutationis, dividuntur, & temporibus & locis, & honoribus, & cogitationibus, & hæreditatibus, & ministeriis, usque transcendentem continuamque in æternitate contẽplationem Domini. Quod est autem amabile, adducit ad sui contemplationem quemlibet, qui se totum applicavit ad cognitionem per dilectionem cognitionis.

Quocirca præcepta dedit & priora & posteriora, ex uno fonte hauriens Dominus, nec eos qui erant ante legem, sine lege esse nihili pendens: nec eos qui non audiebant barbaram philosophiam, ferri effrænatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his vero præbuisset philosophiam, incredulitatem concluſit in adventũ, quo tempore est inexcusabilis quisquis non crederit. Ab alio enim & Græco & barbaro profecta, ad eam quæ est per fidem deducit perfectionem. Si quis autem ex Græcis, prætermissa quæ præcedit Græcorum doctrina, veram protenus invasit, is etsi planè rudis, longo superavit intervallo, cum salutis compendium per fidem elegerit ad perfectionem. Quæcunque ergo nihil impediebant quò minus esset homini liberum eligendi arbitrium, effecit ut ea ad virtutem opem ferrent, ut aliqua ratione iis etiam qui possunt obscurè & exiliter despicere, is qui revera est solus unus omnipotens, bonus appareat Deus, à seculo in seculum dans salutem per filium. Is rursus nulla ratione fuit author & causa mali: ad universi enim salutem, ab eo qui est universorum Dominus, omnia sunt ordinata, & universè & sigillatim. Est ergo officium justitiæ salutaris, unumquodque semper ad id quod est melius, prout conceditur deducere: ad salutem enim & permansionem ejus quod est præstantius, convenienter suorum proportioni morum, administrantur etiam quæ sunt minora. Statim enim quidquid est virtute præditum, mutatur in melius, habens propriam causam mutationis, electionem cognitionis, quam habebat anima in sua potestate. Castigationes autem quæ sunt necessariæ bonitati magni qui intuetur judicis & per propinquos Angelos, & per varia præjudicia, & per perfectum & omni ex parte absolutum judicium, cogunt eos qui doloris sensum paulò amplius exuerunt, duci pœnitentia *lib. 7. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Aptitudinem quidem solam minimè sufficere contendo: rationem enim esse, quæ eam excitet, ut natura in opus prodeat, quemadmodum silex ferro pulsatus, atque ita ferrum fiat. Cum audieris, Quibus datum est, adde, Volentibus datum est, atque iis, qui ea animi propensione sunt. Etenim cum illud audis, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, ut id totum sibipsis ascribant, nec quicquam Creatori, & sapientiæ eorum authori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet. Paulus, quòd ipsum etiam recte velle, divini auxilio indigeat, immò, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa & electio eorum, quæ cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait, Non volentis, nec currentis solum, sed etiã miserentis Dei. Ita, quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo jure totum Deo assignavit. *Oratione 31.*

D. Greg. Nyssenus: Is qui juxta sui imaginem hominem fecit, omnium bonorum materias atque subsidia in natura sui operis deposuerit, ut nulla res bona atq; honesta extrinsecus in nos se inserat & insinuet; sed in potestate nostra sit, ut habeamus quod velimus, tanquam ex cella quadã penuaria, ex natura bonum promentes. per singularia enim & particularia de universalibus docemur, quod non alia ratione potiri quis possit eorum quæ cupit, nisi ipse sibi bonum largiatur, &c. Unde per consequens simul probatur, quod ea inclinatio ac propensio, in malum nulla necessitate extrinsecus expellente innascitur; sed simul atque sumpserimus, malum subsistit, tunc in rerum naturam proveniens cum sumpserimus: extra verò destinatam animi voluntatem ipsum per sese malum, secũdum propriam substantiam nusquã situm reperitur &c. Quemadmodum artis exactæ proba, vera, certaque specula, tales vultum ostendunt effigies qualescunque ipsi vultus sint; hilares quidem alacrium, demissi autem obscuri & inamæni mœrentium ac tetricorũ; nec speculi naturam aliquis culpare possit, si tetra & inamœna, repræsentata fuerit effigies, principali forma propter mærorem collapsa: ita justum quoque Dei judicium nostris affectionibus assimulatur: qualiacunque à nobis commissa fuerint, tales nobis de suo præbens retributiones. Venite, inquit, benedicti, & Ite maledicti. Ecqua necessitas externa in his est, quæ ad dextram quidem collocatis jucundam; ad sinistram verò stantibus acerbam vocem attribuat? an non hi proptera ea quæ fecerunt, misericordiam consecuti sunt; illi vero idcirco quod adversus proximos immites fuere, sævum sibi reddidere Deum? *Oratione 5. de beatitudine.*

Chrysostomus: Quod non crediderint, non fit ex eo qui vocat, sed ex iis qui resiliunt. At oportebat, inquit, vel invitos reducere. Absit. Non enim vim affert, nec cogit. Quis enim ad honores, & coronas, & convivia, & dierum festorũ cœtus vocat invitos, & trahit vinctos? Nemo est. hoc enim est ejus qui facit injuriam. in gehennam mittit invitos: ad regnum autem vocat volentes & libentes. Ad ignem vinctos ducit & ejulantes: ad innumerabilia non ita. Nam hoc ipsa quoque bona vocat in invidiam, & facit ut malè audiant: si tales non sit eorum natura; ut etiam sua sponte accurrant, lubentesque & magnam habentes gratiam. Qui fit autem, inquit, ut non omnes ea eligant? propter suam imbecillitatem. Cur autem imbecillitatem, inquit, eorum non excindis? Dic mihi quomodo & quanam ratione eam oportebat excindere? An non fecit creaturam, quæ docet ejus omnem benignitatem & potentiam? Cæli, inquit, enarrant gloriam Dei. An non misit etiam prophetas? An non etiã vocavit & honoravit? Nonne fecit miracula? Nonne dedit legem & scriptã & naturalem? Nonne misit filium & amandavit Apostolos? Non signa fecit? Non minatus est gehennam? Non regnum promisit? Non quotidie solem suum facit oriri? Non quæ præcepit sunt adeò facilia, ut multi propter philosophiæ abundantiam ejus præcepta superent? Quid vineæ oportuit facere, & non fecit? *Homilia 2. ad Corinth. 1.*

D. Chrysostomus: Liberum animi arbitrium & libera electio magis obtinet principatum quam essentia: & hoc magis est homo quã illud. Non enim essentia injicit in gehennam, neque inducit in regnum, sed ipsum liberum arbitrium & libera electio: & neminem amamus, neque odimus quatenus est homo, sed quatenus est talis, aut talis est homo. *Homilia 8. ad Colossenses.*

D Io. Chryſoſtomus: Ne des in commotionem pedem tuum. Non dixit, ne commovearis, ſed ne des. Dare ergo eſt in noſtra poteſtate, non in alicujus alterius. Nam ſi velimus ſtare firmi, ſtabiles & immobiles, non commovebimur. Quid ergo? Nihil ne eſt in Dei poteſtate? In Dei quidem poteſtate ſunt omnia, ſed non ita ut noſtrum liberum lædatur arbitrium. Si ergo, inquit eſt in Dei poteſtate, cur in nos confert culpam? Propterea dixi, ita ut non lædatur arbitrium. Eſt ergo in noſtra & in ejus poteſtate. Oportet enim nos primum bona eligere: & tunc affert quæ ſua ſunt. Non prævenit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus tum nobis multum affert auxilium. Quomodo ergo dicit Paulus, Non volentis, ſi eſt etiam in noſtra poteſtate: Neque currentis, ſed miſerentis Dei? Primum quidem non tanquã ſuam introduxit ſententiam, ſed id collegit & ex eo quod erat propoſitum, & ex eo quod præmiſſum. Nam quum dixiſſet: Scriptum eſt, Miſerebor cujus miſerebor & commiſerabor cujus commiſerabor, dicit. Non ergo volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dices autem mihi, Quid adhuc queritur? Secundum autem illud licet dicere, quod cujus eſt id quod eſt amplius, cujus dicit eſſe totum. Num noſtrum quidem eſt præeligere & velle: Dei autem eſt perficere, & ad finem deducere. Quoniam ergo quod plus eſt, eſt illius, totum illius eſſe dicit, dicens convenienter humanæ conſuetudini. Nã nos quoque ſic facimus. Ut exempli cauſa dico. Videmus ædes pulchrè ædificatas, & dicimus totum eſſe artificis. Quamquam non totum ſit ejus, ſed & operariorum, & domini qui præbet materiam, & multorum aliorum. Sed tamen quoniam ille quod plus eſt attulit, illius totum eſſe dicimus. Ita hic quoque. Et rurſus in multitudine, ubi ſunt multi, omnes eſſe dicimus: ubi autem pauci, neminem. Sic etiam dicit Paulus, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, Hic autem duo magna & præclara efficit. Unum quidem ne efferamur. Etiamſi curras, etiamſi ſtudium ponas, inquit, ne tuum eſſe exiſtimes quod rectè geſtum eſt. Nam niſi à ſuperis opem adipiſcaris, fruſtra erunt omnia. Sed eſt perſpicuum fore ut aſſequaris id in quo ponis ſtudium, quamdiu curris, quamdiu vis. Non hoc ergo dicit quod fruſtra currimus, ſed quod fruſtra currimus, ſi totum eſſe noſtrum exiſtimamus, ſi non plus Deo tribuimus. Non enim ſuum eſſe totum voluit Deus, ne videretur temere coronare. Neque rurſus noſtrum, ne incidamus in arrogantiam. Nã ſi quum minorem habeamus partem efferimur, & præclare de nobis ſentimus: quid faceremus, ſi totum eſſet in noſtra poteſtate. *Homilia 12 ad Hebræos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Maximè quidem nec naturam nec ſubſtãtiam ſubſtantiæ, ſed qualitatem qualitati (quæ, ut philoſophorum verbis utar, hanc naturã habet, ut accedere ac recedere poſſit. Nã ſubſtantiã qualitatis vehiculũ eſſe ſtatuunt: quæ niſi exiſtat, qualitatẽ minime exiſtere poſſe aſſerunt) comparavit ſcriptura, his verbis utens, An mutabit Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas? & quonam pacto vos poteritis benefacere, cum malâ didiceritis? verum ne quid de his rebus ſubtilius diſcutiamus, illud ipſum dictum, quod proferunt, eam vim habere, ut quod ab ipſis aſtruitur, evertat, planum facere aggrediar. Per id enim quod dixit, cum didiceritis mala, dogma illud, quod irrefutabile eſſe arbitrantur, ſubvertit. Quonam enim pacto ſi hoc à natura inſitum haberent, ut mala noſſent, diceret Propheta, cum didiceritis? Quod ſi didicerunt, dediſcere quoque profecto poterunt. Atque ad eundem modum alia etiam omnia, quæ imperitis hominibus aſtipulari videntur, obtenderentur. Quanquam enim animalis homo non percipiat quæ ſunt Spiritus: at percipere poterit. Eodemque modo quanquam arbor mala fructũ bonũ ferre neqt, at ferre poterit. Neq; .e. idẽ ſunt non poſſe, & poteſtatẽ habitũrũ non eſſe: verum illud præſens tempus ſignificat, in quo ignavus, eſt ignavus: hoc autem futurum, in quo fieri poteſt ut qui paulo ante improbus erat, probus efficiatur. Atque hoc cum res ipſæ clamant, mutationem ſingulis diebus ſubeuntes: & ſcripturæ ipſæ confirmant. Quonam enim modo David lapſus ſeſe erexit? Quonam modo Paulus, cum perſecutor eſſet, hanc culpam ſarcivit, atque ejus, quem inſectatus fuerat, præco inſtitutus eſt? Quonam pacto, Petrus, poſteaquam Chriſtum abjuravit, hujuſmodi labem abſterſit? Quonam pacto oleaſter in bonam olivam inſertus eſt? Quonam pacto Ninivitæ ſalutem conſecuti ſunt? Quonam pacto latro, in paradiſum miſſus eſt? Cognita igitur præeuntis divini auxilii facultate, quiſquis vult, & laborat, atq; omnia movet (neque enim nuda voluntas ſufficit) tum addiſcit, tum fructum edit, tum ſalutem aſſequitur. Quocirca ea omnia, quæ tuarũ partium ſunt, quæque ad peccantium correctionem pertinent, effice. *lib. 2. Epiſt. 72.*

S. Iſidorus Peluſiota: Mirari videris, quî factum ſit, ut Chriſtus proditorem minimè adduxerit, ut virtutem rem bonam eſſe exiſtimaret: idque cum de virtute perſæpe, imo nunquam non de ea in ipſius colloquiis audiſſet. Ego contra miror, quonã pacto cum liberi arbitrii legem perſpectam habeas, hujus rei admiratione tenearis. Neq; enim vi & coactione, ſed perſuaſione ac lenitate, hominũ ſalus comparatur. Unde etiam ſuæ quiſque ſalutis arbitrium habet: ut & qui corona donantur, & qui ſuppliciis afficiuntur, juſtè, quod elegerint, percipiant. *lib. 2. Epiſt. 129.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quandoquidem per literas ſciſcitaris, cum ſcriptum ſit, Nemo rapit de manu Patris mei, qui fiat, ut multi pereant, hoc reſpondeo, neminem quidem eos, qui per ordodoxam fidem, atq; optimam vivendi rationem, ut ſint, conſecuti ſunt, ex invicta illa & niſuperabili manu eripere poſſe: decipere autẽ atq; ita fraudem impellere poſſe: hoc eſt per vim quidem ac tyrannidem neminem à quoquã abſtrahi poſſe: per fraudes a. & impoſturas in errorem agi poſſe. Quod tamen non invictæ illi dextræ, ſed hominum, qui arbitrii libertate prædiți ſunt, languori atque innertiæ adſcribẽdum eſt. Non enim ob ejus, qui cuſtoditimbecillitatem, verum ex eorum, qui cuſtodiuntur, levitate, hujuſmodi exitium contingit. *lib. 3. Epiſt. 122.*

S. Iſidorus Peluſiota: Quoniam eos, qui ita conditi ſunt, ut arbitrii libertatem habeant, invitos & repugnantes ad pietatem trahere, nec honeſtum eſt, nec videtur: idcirco da operam ut ſuaſione, ubi occaſio ſe offert, adhibita, per tuam vitam ac mores, eos, qui in tenebris degunt, illumines. *lib. 3. Epiſt. 363.*

Baſilius Seleuc. Alias animantium gentes, & genera fabricans conditor immobilibus naturæ legibus conſtrinxit; neque ipſis electio eſt, quæ facultatem in utrumq; partiatur, neq; ratiocinationis diſcretio, quæ velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum: ſed ſimul imperat natura ad agendum impelluntur non excuſio curioſè præcepto. Contra homo ratione inſignitus, electionis poteſtate ornatus, & arbitrii libertate refulgens conſilii vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis ſervitute, intentionemque habet ſui dominam, & inviolabili gloriatur agendorum electione. Hinc evenit, ut hoc deligat, illud quod ita viſum fuerit, repudiet: hoc averſetur, ad illud animum adjiciat, & liberrima cum poteſtate voluntatis regnans abundat optionibus ſententiarum. Quare lege poſita Deus agendi neceſſitatem non imponit; ſed quæ ſibi videntur, imperat, & voluntatis poteſtati permittit actionem: & ſi juſſus mandatum prætereat, non ideo naturam demutat, neque neceſſitatis legibus vincit inobſequentem, neque gratiam per vim aufert, neq; intra neceſſitatem dona contrahit, neque naturam pervertens mentem adulterat: ſed ratione in dominatu ſuo relicta pœnis delinquentem ad ſapientiam revocat. Principi verorationi corporis habenas permittit, & animam corpori veluti curriculo aurigã præficiens adhortatur, ut ad curſum virtutis impellat. Tunc igitur ſi ratio ſobria corporis habenas permittit, & animam corpori veluti curriculo aurigã præficiens adhortatur, ut ad curſum virtutis impellat. Tunc igitur ſi ratio ſobria corporis habenas ſuſtineat, curſum currit, quo corona paretur: dormitabunda vero paſſionibus tanquam equis per præcipitia, perque aſpera viarum fertur incogitans, & tandem dejecta, atque ad terram afflicta trahitur pulvere ſordida ſub propriã currus jugum captiva, ac vexata clamat. *Oratione 3. poſt princip.*

¶ Latinorum.

Ennodius: Non erat juſta retributio, quæ aut per ſupplicia refertur neceſſitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi, ad quod trahuntur inviti. Ergo debemus gratiæ quod vocamur: debemus gratiæ quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur. noſtræ tamen electionis eſt, quod beneficia demõſtrata ſectamur. via enim ſcelerum non imperatrix noſtra eſſe legitur, ſed famula. &c. *lib. 2. Epiſt. 19. m.*

¶ Philosophorum Græcorum.

Simplicius: Mortales plurimi fatalem cœli converſionem, ut cæterorum omnium, ſic & appetitionum noſtrarum, itemque opinionis & delectus ſtatuunteſſe cauſam, aſtrologorum ſubnixi teſtimoniis, qui è poſitu aſtrorum in geneſi pronuncient, alium fore voluptuarium, alium avarum, alium Muſarum & ſapientiæ amatorem: & appetitiones prædicant, ſeſe per ætatem oſtenſuras. Qui vera ſi dicant, omnino neceſſe eſſe exiſtere appetitiones fato inſitas, nec ſitum in nobis eſſe ut alias proferamus. Quomodo igitur penes nos erit, hoc aut illo modo appetere, ſi omnino neceſſe nobis eſt, nolẽtibus volentibus uniformiter ad hoc illudve deſiderium incitari. *ad cap. 1. Epict.*

Simplicius: Si malum animus faceret coactus, fortaſſis aliquis accuſaret Deum, qui cùm ſine cauſa cogi permiſiſſet: ac nemalum quidem eſſet quicquam ab invito factum. Sed qui ultro & conſulto aliquid ſuſceperit, ipſe merito in cauſa eſſe videatur. Nam ſi quis dicat, ne permittere quidem illi debuiſſe Deum, ut malum amplecteretur: duõrum alterum dicit: aut, cum ejus natura ſit, ut alias bonum, alias malum amplectatur cogendũ fuiſſe ne unquã malũ amplecteretur: aut ita fuiſſẽ condendũ, ne ejus natura unquam ferret ut malum amplecteretur. Verum prius illud aperte abſurdum eſt. Fruſtra enim delectus, qui noſtrũ opus eſt, fuiſſet factus, ſi illi nunquam licuiſſet in utramvis agere partem. Imo ne delectus quicem relinqueretur, adjuncta neceſſitate. Pugnant enim inter ſeſe delectus & neceſſitas. Quod a. ad alterum attinet, cogitandum eſt, nullum unquã eſſe malum optabile aut expetendum. Deinde ſuader: iſta ratio videtur, liberam hanc animi naturam, quæ ſuapte voluntate & abſq; coactione, alias verum bonũ amplectitur alias imaginarium, è natura rerum eſſe tollendã, aut ut non bonum, aut ut magnum malum: neq; reputat, quot rebus quæ in emundo bonæ habentur, & majus & honorabilius bonum ſit libertas voluntatis. Omnibus enim hæc quæ ſub Luna ſunt antecellit, nec quiſquam eſt, qui aut brutum pecus aut ſtirps eſſe mallet quam homo. Cum igitur minora bona Deus ſuppeditaſſet, an non & id quod illis majus eſt, ſuppeditandum erat? Deinde ſublata è rerum natura propenſione animorum in utramque partem: ornatiſſimas etiam hominum virtutes unà tolli eſt neceſſe, & totam formam humanam. Neq; enim juſtitia & temperantia humana reſtabit, niſi etiam perverti animus poſſit. Quod ni ita eſſet, angelicus eſſet, aut divinus, nec jam humanus

manus. Hac itaque ratione ostenditur, aversionem à bono, & quod secundum eam malum dicitur, esse necessariam: quod absque iis nec humanæ virtutes, nec ipsa etiam hominis forma in rerum natura exstitisset. Quapropter etiamsi aliquis à Deo productam dixerit aversionem istam à bono, quatenus ad tot bona quæ natura perverti queunt, constituenda necessaria est: mali auctorem dicere Deũ jure non putabitur. Nam & medium absessus putrefacientẽ, & corpus urentem & secantem, & partes abscindentem, nemo auctorem morbi, sed sanitatis potius quisque auctorem dicit, quod sine his illi homines curari non potuissent. Atque etiam divina Vindicta, ultrice justitiæ suæ parte, quæ & permittit & auget aliquantisper affectus, eatenus progreditur, quatenus aliter curari non poterant, nisi prius interdum, aut sæpius etiam insaniæ appetitioni morẽ gessissent. Quæ causa est. Cur etiam boni pædagogi non omnibus puerorum cupiditatibus adversentur, sed sæpe connivant, interdũ etiã obsequantur: quasi animus ille, hujusmodi affectus non plane possit evomere, nisi aliquando iis obsecutus fuerit, & ipsa actione satiatus. Neque vero pædagogum vel divinam vindictam mali dicimus esse causam, sed boni, quod boni causa ista fiant. Etenim quæ studia ad modestiã pertinent, modestia: & quæ ad sanitatem, salubria dicemus. Omnis porro actio fine, cujus causa suscepta fuit, informatur atq; perficitur. Itaq; Deus si necessariæ aversionis à bono aliqua ex parte causa esset: merito causa esse male dici non posset. *ad* 34. *cap. Epict.*

¶ Poetarvm.

D. Nazianzenus Carm. 58. de Virtute humana.

Non tantum atheres, charissima sit licet illis
Effigies, virtus contingit munere Patris.
(Nam tua cura etiam studiumq; accedat oportet.)
Nec rursum illa tua tantum modo mente paratur:
Majus enim robur, majorem poscit opemque.
Quippe nec ipse, licet visu præcellat, ocellus
Sole tamen dempto, corpus spectabile cernit.
Ille etenim & nostros oculos illustrat: & idem
Post oculis sese infundit, præbesque tuendum.
Atque Dei, ut virtus homini contingere possit,
Sunt gemina partes, prima & postrema: necesse at
A nobis unam est medsamque accedere binis.
Virtutis namque ille mihi dedit esse capacem:
Et validas idem vires nervosque ministrat.
Ast ego, ut in stadio, non sane præpete gressu
Incedo, meoque haud sano membra labore,
Dum Christus mihi præstat opem, mihi præstat opesque:
Qui facit ut cernam, cursu ferar atque secundo.
Quo sine mortales vanissima ludibria cuncti,
Quo cuncti sine vivacia cadavera, putrida noxis.
Nam neque submoto volitantes athere cernas
Pennigeras volucres: nec demptis fluctibus unquam
Delphinum aquorea poterant regione natare,
Sic quoque præsidio Christi sine tollere gressum
Haud unquam mortale genus queat. Ergo cavendum
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente superba
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te
Fulgeat insignis sapientia: neve virum quem
Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias, tanquam sublimior omnibus, atque
Vicinus metæ: metam nam constitit intra,
Virtutis quicunque viam non prorsus obivit.
Pectore sis trepido, nimium nec lumina tollas.
Detrahit interram fastus: spes tollit ad astra.
Atque Dei in mentes semper furit ira superbas.

Prudent. contra Marcionitas.

Insitò ne aliquis potis est peccare Tonante?
Cui facile est in corde hominis compsnere sensus
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis
Pulsibus, & totum venis infundere honestum.
Nescis stulte, tua vim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescis ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas,
Et super ingenio proprio, laxeque soluto
Iure voluntatis, liceat cui velle sequique
Quod placitum, nulliq; animum subjungere vinclo?
An cum te dominum cunctis quacunque crearat
Præficeret, mundumque tuis servire juberet
Imperiis, cumque arva, potum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet ut indigno, libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Nam quis honos domini est, cujus mens libera non est,
Vna sed imposita servit sententia legi?
Qua laus porro hominis, vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere juste?
Non fit sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, flexoque animi convertere sensus.
Atque nec bonus est, nec collaudabilis ille,
Qui non sponte bonus, quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
Nec tamen est virtus, ni deteriora refutans
Emicet & meliore viam petat indole rectam.
Vnde ait ipse parens, opifex, & conditor Ada;
Vade homo, & afflatu nostri prænobilis oris,
Insubjecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et judex mentis propriæ; mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subjectio & ipsa soluto
Libera judicio: non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniustum fugias justumque sequaris.
Lux comes est justi, comes est nox horrida iniqui.
Eligerem vita, tua virtus temet in avum
Provehat, æternum tua damnet culpa vicissim;
Præstet & alterutra permissa licentia sortem.
Hac pietate vigens, & tanto munere abundans,
Transit propositum fas, & lætalia prudens
Eligit atque volens, magis utile dum sibi credit
Quod prohibente Deo persuasit callidus anguis.
Persuasit certe hortatu, non impulit acri
Imperio.

Prudent. contra Marcionitas.

Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Pervenisse simul bivium, nutante juventa,
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quodnam
Esset iter melius, cum dextrum spinea silva
Sentibus arctaret, scopulosaque semita longè
Duceret aerium clivosa margine callem:
At lævum nemus umbriferum per amœna viret is
Ditibus ornaret pomis, & lene tacentem
Planities daret ampla viam, squalentibus unum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa;
Porro alium campo sese indulsisse sinistro:
Illum sideribus caput immiscere propinquis,
Hunc in canosas subitò cecidisse paludes.
Omnibus una subest natura, sed exitus omnes
Non unus peragit placitorum se grege forma.
Haud secus ac si olim per sugum lactea fortè
Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimina visco,
Sparsit & insidias siliquis vel farre doloso.
Illicium alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam torta retinacula sæta,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast alia, quas nullus amor prolectat edendi
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox ubi tam cœlore volandum, pars petit athram
Libera sideream, plaudens super æra pennis;
Pars captiva jacet laceris & saucia plumis
Pugnat humi, & volucres ne quidquam suspicit auras.
Sic animas cœlis de fontibus unicolores
Infundit natura solo, sed suavibus istic
Devincta illecebris retinentur; & æthera pauca
Conscendunt reduces, multa visco sus inescat
Pastus, & ad superas percurrere non sinit auras.

¶ Emblematis.

Jacob. Catsius, Emblemate sacro. 1.

Qua non urit.

Pars sudis igne caret, rapidis calet altera flammis:
Hinc nocet, illa sam calfacit inde manum.
Ecce! Bonum Deus, ecce! Malum mortalibus offert.
Quisquis es, en tibi mors, en tibi vita patet.
Optio tota tua est; licet hinc, licet inde capessas;
Elige sive jubet vivere, sive mori.
Quod tibi cum Sodomâ? nil hei nisi sulfur & ignis;
Quin potius placidum, Loth duce, Zoar adi.

Libidinis.

¶ Sententiæ Patrum Græc.

D. *Nazianzenus*: Cauponis intemperantia & libido tantam vim habet, ut sapientes etiam alioquin viros furore afficiat, deteriusq; sentire cogat; equulei petulantis & indomiti more rationem secum arripiens. *Orat.* 18 *in laudem Mart. Cypriani.*

D. Chrysostomus: Si quis diligat uxorem ita ut oportet diligere etiamsi sit millies salax & propensus ad libidinem, non sustinebit aliam videre propter suum in illam desiderium. Fortis enim, inquit, ut mors est dilectio. Non aliunde itaque existit indulgere libidini, quam ex eo quod non diligamus. *Homilia* 33. *ad Corinthios* 1.

D. Io Chrysostomus: Unde pecuniarũ concupiscentia amore corporum minor atq; inferior est? primum quia corporum cõcupiscẽtia necessario nobis inserta est; quod indè constat, quia majore cũ labore corrigitur, quippe quod natura est inditum. Secundo quod pecuniarũ quidem apud veteres non magna habebatur: mulierum

verò

verò magna omnino pudicitiæ gratia: atque eum qui uxori legitimæ congrederetur ad fenectutem usque nemo culparet. qui verò pecuniis congerendis instaret, execrabilis omnibus esset. At plurimi quidem ex Philosophis pecunias contempserut; mulieres non ita: adeo amor iste violentior altero. *Homilia 5. Ep. ad Titum.*

S. Isidorus Pelusiota: Cum libido, & corporis robur, & animi vires dejiciat, & adimat: eumque, qui hoc vitio captus est, omnibus illudendum & irridendum propinet, quemadmodum excæcatus Samson docet: ecquid tu voluntariam captivitatem accersis, nec naturale robur illæsum atque integrum servas, verum vitiosis affectionibus conficiendum te ultro præbens, & Deum, quiin vita tua, ubi caput reclinet, non habet, mœrore afficis: & nos, qui pro tua salute vota facimus, oppugnas & injuriam tibi ipsi infers, dum salutaria medicamenta repudias. *lib. 1. Ep. 135.*

Isidorus Pelusiota: Si carnis tuæ cupiditas adversum te furit, ac rapido impetu fertur, eamque inertiæ ac desidiæ æstu inflammasti, ignis futuri memoriam ipsi refrica, & extiguetur. Siquidem libidinosum hujus vitæ incendium ad fornacem illam tendit. *l. 1. Ep. 433.*

S. Isidorus Pelusiota: Equidem illud pium ac sanctum esse existimo divinis oraculis fidem adhibere, eaque studiose sequi, nec simplicem minimeque calidam ambitionem Dominica cautioni anteferre. Quod si quis tantam sibi ipsi pudicitiæ laudem arroget, ut ne continenter quidem fœminas contemplans quicquam inde detrimenti ferat, discat ille humanæ naturæ imbecillitatem, ac divinorũ oraculorum cautionem ac præmunitionem. Atque eos quidem, qui capti ac subacti sunt, ne gravis ac molestus esse videar, silentio prætermittam (nam & omnes sacræ literæ, & externæ tragœdiæ, & quotidianæ fabulæ his exemplis referta sunt:) eos autem qui cura quadam & providentia usi sunt, atque hunc affectum superarunt, (neque enim sine labore ac negotio quifquam pudicitiam consequi potest) in medium proferre conabor. Ac si quidem nonnullos ex iis, qui à fide abhorruerunt, cura quadam & cautione ac non seipsos in ignem projiciendo, hoc ipsum consecutus esse ostendero, eos fortasse, ut qui nihil magni præstiterint, submovebunt ac rejicient. Si autem divinum Paulum testem laudavero, his verbis utentem, Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar, omnis profecto ipsis defensionis ratio præclusa erit: ac fortasse pudore commovebuntur, & cælesti oraculo deinceps obtemperabunt, suæque cautioni ac securitati cõsulendum putabunt. Quanquam autem nos Apostolico testimonio contentos esse oportebat: tamen quoniam ea quoque, quæ ab exteris præstita sunt, ad pudicitiam acuunt, ne hæc quidem oblivione præteribo. Lectione igitur didici, regem quendam, cum Ephesiam sacerdotem, cujus incredibilis quædam ac singularis pulchritudo erat, conspexisset, statim ex Ephesina urbe digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem nefarii aliquid admittere cogeretur. Atqui item Persarum regem Cyrum, Pantheam, quæ admiranda quadã & incomparabili formæ elegantia esse ferebatur, ne videre quidem sustinuisse. Cùm igitur, & res ipsæ, & externi authores salutari oraculo, ut recto ac securo, testimonium dicant (si quidem assiduus conspectus viam ad tactum munit: atque ut etiam in opus minimè exeat, mentem tamen contaminat, eumque qui captus est, adulterum efficit) quis tanta audacia est, ut cum aliena pulchritudine oculos assiduè pascat, se tamen hinc nihil omnino detrimenti capere contendat? Quod si hoc difficile est, maxime quidē illud curandum est, ut crebros & assiduos mulierum congressus fugiamus: si autem necessitas nos traxerit, ut saltem oculos tãquam injecto fræno coerceamus. *lib. 2. Epist. 61.*

S. Isidorus Pelusiota: Evangelicum oraculum haud quaquam ratione caret, verum mente ac prudentia plenum est. Nam cum magnum, ut revera est, esse videatur, cupiditati imperare, majus ac præclarius est providere ne quis hoc morbo corripiatur. Hoc igitur ipsũ moliens Christus his verbis usus est, Quicunque videt mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde suo. Quibus verbis non eum qui obiter ac repente eam vidit, ac vulnere affectus, ac telum statim detrahit, vulnusque curavit, adulterum esse pronunciat. Non enim dixit, qui vidit, sed, Qui videt, hoc est qui ex antecedente cogitatione morbum attraxit, & apud se nutrit, atque ad eam, quam aspexit, identidem commeat, alienamque pulchritudinem curiose perscrutatur, ac per continuum aspectum voluptatem quodammodo carpit.

Enimvero tu quidem tuto rebus tuis consulens, oraculum istud merito pertimescis, atque, ut ipsum tibi exponam, rogas, iisque diffidis, qui eò stuporis atque amentiæ procedunt, ut negent aspectũ, ei, qui cernit, detrimenti quicquam importare. Ego autem, ut te hoc nomine laudo, quod salutis tuæ curam geras, ita de illis hoc dico, præstantiorem esse securitatem, quam periculosam contentionem, piumque & æquissimum esse, divinas leges propriis rationibus antiquiores habere. Quod si quis mihi obtemperandum non putat, Proverbiorum authorem saltem audiat, qui ante oraculum Evangelicum his verbis usus est: Ne oculum tuum in ipsam defigas, verum statim avola, nec moram ullam in eo loco trahe. Et item Scriptorem Panageti, nunc quidem dicentem, in pulchritudine mulieris multi seducti sunt: nunc autem, Ne condiscas alienam pulchritudinem. Non dixit, Ne spectes (potest enim id casu ac fortuito accidere) sed, Ne condiscas, meditatam videlicet cõsiderationem, & curiosum aspectum, atque eum cupiditate conjunctam contemplationem de medio tollens. Amicitia enim, inquit, hinc tanquam ignis exardescit: hoc est, obscœnus amor hinc oritur. Quin externis etiam hominibus, quibus hæc syncerius haud admodum curæ sunt, hoc & consentaneum, & verum esse visum est. Ac Socrates quoq, (nam eorum etiam dicta commemorabo, quoniam ad pudicitiam & castitatem incitant) cum quendam formoso adolescenti osculũ figentem conspexisset, Hic inquit, facile gladiatorum cuspitibus innataret, atque in ignem insiliret, qui scilicet tantum in se ipso incẽdium per osculum excitare minimè dubitarit. Diogenes item adolescentem lascivius, quam virum deceret, ornatum conspicatus, hæc ad eum verba habuit: Si ad viros te confers, miser es: si ad mulieres, iniquus. Etenim per nimium ornandi corporis studium, viri quidem fœminas, fœminæ autem & cinædi viros captant.

Sed & Agesilaus puerum egregia forma, quem amabat, cum ipsum osculari vellet, inhibuit. Alexander vero Darii uxorem ne intueri quidem sustinuit: quod turpe esse censeret, eum, qui viros superasset, à fœminis vinci. Quod si non modo Græcorum sed etiam Barbororum exemplis utendum est, ne hoc quidem facere detrectabo. Cyrus igitur Persarum rex, Pantheam, quæ ipsi assignata fuerat, atque incredibili quadam pulchritudine prædita esse ferebatur, ne conspicere quidem ausus est. Quinetiam eum qui ipsam assiduè cernebat, nec se illo propterea libidinis motu agitari dicebat, ut ne eam assidue perspiceret, admonebat. Ignis enim inquiebat, eos dũtaxat, qui propius ad eum accedat, exurit: pulchritudo autem eos etiam qui procul remoti sunt. Nec vero hac in re mentitus est. Nam ille, qui voluptate superiorem se esse prædicarat, captus est. Ac quia eam nulla oratione permovere poterat (pudicitiæ enim laude præstabat) vim se ipsi allaturum esse denunciavit, quo ad illa tandem de hac re Crum certiorem fecit. Qui cum intelligeret, eum, propterea quod cum ejusmodi fera, cui nullæ vires pares esse queant, inclusus extitisset, in hanc fraudem incidisse ipsi, qui se nullo ex aspectu detrimento affici nimis insolenter gloriabatur, hæc significavit: Si mulieri, quod cupis persuades, per me id licet. Si autem vim adhibes, id minimè patiar.

Cum igitur & Evangelicum oraculum, & Proverbiorum author, & qui sapientiæ librum condidit, & tam Græca, quam Persica exempla in hoc conveniant, omnibus viribus oculos custodire, ac velut invicto fræno coercere oporteat, atque à curioso & impudico conspectu, ut intimas animi partes perstringente, sese abstinere. Maxima enim ex ea in animum improbitas influit. Nam cum ipsius aream occuparit, ac rationem expulerit, totam eam libidini addictam ac mancipatam reddit. *lib. 3. Epist. 66.*

S. Isidorus Pelusiota: Quandoquidem perinde quodamodo facis, ut qui ob deploratam valetudinem hanc potestatem accepit, ut nulli rei cujus cupiditate teneatur, parcat, verum & medicos valere jubeat, & iis epulis utatur, quæ pestem atque exitium excitant, propterea tibi reditus ad pudicitiam arduus esse videtur. At si tu luxui, qui ad venereos stimulos animum tanquam furore quodam adigit (nam hic libidinis radix ac mater est) finem imposueris, impudicitiæ quoque flamma extinguetur. Detracta enim materia, ignis quoque profectò, qui ex ea augetur & excrescit, opprimetur. Quod si tu materiam igni subministras, quonam tandem pacto desinet ac conquiescet? Si quiescentem feram excitas, quis eam sese agitantem ac furentem cicurabit? Hæc igitur, atque his affinia cum animo tuo considerans, luxui ac delitiis sine ulla intermissione operam dare desine. *lib. 3. Epist. 210.*

S Isidorus Pelusiota: Si, qui jejunijs, & humi dormitionibus, aliisque asperioris vitæ generibus, corpus domant, atque hac ratione brutam libidinum potentiam coercent, si à libidine semel subacti deprehendantur, veniam haudquaquam cõsecuturi sunt: libidinem alliciunt, ac per luxum eam excitant (, inter quos nomen tuum vulgo referunt) quam tandem veniam obtinere queant. *libro tertio Epist. 401.*

S. Isidorus pelusiota: Si quidem vestibula tantum, non etiam penetralia attingeret inquinamentum, fortassis sanatu facilis esset affectio. Sin autem ipsam attingit animam, sic quisquam se ipsum decipiat. Quod si quis homines decipiens, dicat: Nemo coronatur, si non legitimè certaverit; legitimum esse existimans certamen aspectum (mulieris) dummodo ab actione (turpi) abstinuerit: discat, Ipsum hujusmodi certaminum præsidem ac judicem dixisse: Quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendum, jam adulteravit eam in corde suo. Legitima igitur lucta est, non eam quam sibi fingit cujusque socordia & anticipata opinio, sed illa potius, quæ ab incorrupto illo judice est constituta. *lib. 4. Epist. 122.*

¶ Oratorum.

Philostratus: Et noctem quidem petebat molliter nimis, enervateque oculos rigans lacrimis. nihil enim tam humile tamque abjectum, quo perditi flagitiosique homines non se demittant. *lib. 1. cap. 9. Apollonii.*

Quintilianus: Neque illa libido fuit saltem vitiis usitata, quæ ad obscœnos veneris impetus formæ cupidine incenditur; sed perditus quidam contumeliæ amor, ac summa flagitiorum voluptas, inquinare honesta. *mox:* Vulgaria sunt irritamenta cupiditatis, formæ, ætas: singularis res est, fortius concubins. *Declamat. 3. § 4.*

¶ Apophthegm. Sacrum.

Paphnutius, abbas: Thaidem nobile scortum ab impudicitia avertere volens, cum ab ea secretiorem congrediendi locum poposcisset, & in abditissimum domus cubiculum ductus, ibi etiam ne ab aliquo conspiceretur, vehementer se vereri diceret: Ne

Ne dubita, inquit illa, nemo hic iam te videre præter Deum potest. Captatâ occasione: abbas interrogavit, An Deum esse crederet, quem latere possit, tũ qui bonis præmia, & malis proponat pœnas? Annuenti, subjunxit, Cùm hoc non ignores, nonne omnium infelicissima es, quæ propter brevissimi tẽporis voluptatẽ, & te & omnes, quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibũsque æternis deputes? Scelerum conscia mulier, statim in lacrymas prorupit: ac deinceps carnis lasciviam frænans ieiuniis, orationũmque fatigationibus domans, pudicè sanctéque vixit. *Sabellic. lib. 5 cap. 2.*

¶ Apophthegm. Christianor.

S. Wolstanus Episc. Vvigorniens. *Qua ruit in Venerem damnis secura* Libido; paucis perstringenda; & quomodo eam in se extinxerint viri sancti, quorum plerosque licet alium in locum transtulerimus prodeunt tamen hic in scenam nonnulli, quorum ductor sit VVolstanus Antistes: in cuius concupiscentiam dum matrona quædam nobilis exardesceret, in tantum ut resistere tentationi nequiret, eique suum desiderium manifestaret; ille, sermone interrupto, factóque crucis signaculo, *Fuge*, ait, *comes Lasciuia, Mortis filia, & Satanæ.* eique alapam summo nisi inflixit, & sic velut alter Joseph, lasciviam muliebrem animo respuens, manu compescuit. *Sur. tom. 1. in Vita.*

S. Vrsinus Presbyter. Mirus & magnus in hoc pugnæ genere Ursinus. qui, dum post legitimum cum coniuge divortium, Nursiæ presbyter ordinatus esset, ita abeâ erat alienus; ut nulla ex causa, ne ad colloquium quidem eam admitteret. Annis autem 40. in tanta continentia constantiáque transactis, cùm gravi morbo correptus, animum exhalasse putaretur: advenit ipsa, & admota ad nares aure, periculum faciebat an adhuc spiraret. res mira. Sensit mulieris attactum; qui se vix sentiebat: & à se absens; mulieris præsentiam considerabat. Atque hanc vocem inexpectatò edit: *Recede mulier, nondum penitùs extincta est, ignis. tolle paleam. In Vita.*

S. Francisci. Quid verò Minorum Pater & Institutor S. Franciscus? Cùm summâ curâ utriusque hominis puritatem servaret, circa conversionis suæ primordia, brumali tempore in fossam glacie plenam se collotenus quandoque mergebat, ut & domesticum hostem superaret, & candidum sui pudoris velamen à voluptatis incendio præservaret. &, *Tolerabilius & viro spirituali incomparabiliter fore* asserebat, *magnum sustinere frigus in carne, quàm carnalis libidinis ardorem vel modicum sentire in mente.* Unde cùm gravis eum carnis tentatio apprehendisset, mirus castitatis amator, depositâ veste, flagello è funibus contexto, in suum corpus desæviebat; *Eia*, inquiens, *frater Asine sic te decet manere. sic subire flagellum. Tunica religioni deseruit, sanctitatis signaculum præfert: furari eam libinoso non licet. si quò vis pergere, S. Bonau. in Vita, cap. 5.*

S. Ludovicus Episc. Tol. Non hominis, sed Angelica putari debet continentia, qua ornatus fuit Tolosanus Praesul. Detinebatur Obses in carcere adhuc ætate florens: cumque custodes suadexint, ut carceris dolores mulierum amplexu solaretur; pro monstro eam vocem accipiens, *Nonne satis est*, inquit, *corpus meum à vobis captum detineri, an animum quoque vinctum vultu? Absit, ut hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulterem voluptate*, summotóque improbo homine, aversum ab omni Venere animum declaravit. *Ex Vita eiusd. amp apud Moretum, c. 14.*

S. Lucia Virgo. Verùm & in fœminis tanto hæc laus erit illustrior, quanto infirmior ad resistendum ille sexus. Et quidem virginatis flos & ornamentum Luciæ, senserat ob oculorum pulchritudinem suæ virginitati periculum imminere, quod eos maximè expeteret insana Tyranni libido. Illos itaque eruit, & ad Tyrannum hoc dicto misit: *Scito nihil amplius in me superesse, quo à te mihi timeam iniuriam.* verè implens illud Euangelii: Si oculus tuus scandalizat erue eum, & proiice abs te. *Sabell. lib. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

Catus impudicorum etiam siliceum emollit virum.
Castus est, libidinari qui haud cupit tunc cùm potest.
Corporis robur virisque animi libido effeminat.
Cuncta persuadere cui vis, non item libidini est.
Est eadem in pannis libido quilibet, quæ in serico
Expulit, libido Reges, expulit Decem viros.
Festuca est libido, raptum flamma fit, raptum cinis.
Ingenium omnium à labore proclive ad libidinem est.
Irritamur ad quamcumque cantibus libidinem.
Irritatur & libido femina conviviis.
Omnis ætas, omnis ordo servus est libidinis.
Per libidinem coimus substituendis prolibus.
Præsidium leve est libidinis in regno innocentiæ.
Publicè nocet ac privatim, vivere pro libidine.
Quo impunitior libido, eo est & effrenatior.
Vis libidinem domare? cogita eius exitum.

¶ Jambica.

Amarus omnis fructus est libidinis
An turpius luxu quid aut libidine?
Avaritiesminus est violens libidine.
Cuivis libido fons origoq; est malo.
Duro labore exstinxeris libidinem.
Equidem voluptas est parens libidinum.
Etiam libido ferreas mentes domat.
Etiam parens libidinum ipsa est cruditas.
Fervet ferè libido in adolescentia.
Gliscit libido non domatur otio.
Libido profana proprìè nescit quo cadat.
Libidini ferè adsecla est infamia.
Libidinosus inutilis est ad omnia.
Nunquam libido usquam ullam finem repperit.
Nunquam libido est absque pœnitudine.
Nunquam libido repperit finem sui.
Semper libido saturitatis adsecla est.
Sequi ferè solet libido crapulam.
Sortis ruentis & libido novissima est.
Sub ore honesto stem libido delitet.

Librorum.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

Clemens Alexandrinus: Utrum autem ne omnino quidem, an est aliquibus permittendum scribere? & si prius quidem, quis est usus literarum? sin autem alterum, aut viris bonis, aut iis qui non sunt eiusmodi. Ridiculum quidem certè fuerit, eorum qui sunt boni ac studiosi scriptis repudiatis, eos qui tales non sunt componentes admittere. Sed Theopompo quidem & Timæo, qui fabulas & maledicta componunt, præterea autem Epicuro quoq; qui est princeps & author impietatis, quinetiam Hipponacti & Archilocho tam turpiter scribere concedendum est, ei autem qui veritatem prædicat, prohibendum est posteris utilitatem relinquere? Pulchrum autem esse & honestum existimo, iis etiam qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere. Ac filii quidem corporum, animæ autem liberi sunt scripta. Jam Patres eos dicimus qui nos catechesi instituerunt. Philosophia autem, humana est, & se lubenter communicat. *initio libri 1. Stromatum.*

D. Nazianzenus: Manibus plaudite, acutè clamate, rhetorem vestrum in sublime tollite. Siluit vobis improba & loquax lingua: nec tamen silebit: pugnabit enim manu & atramento. *sub finem Orationis 32.*

Isidorus Pelusiota: Plurimos libros, ut audio, emisti: atq; opinione locuples es, eorum lectionem ignoras: atq; idem faciens quod ii qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt. Nam libri quoq; tinearum patres & nutritii fiunt, cum vinciuntur. Quare aut opibus tuis utere, aut ingentem eruditionem ne læde, nimirum hic quoque comicos sales colligens: (dum librorum corruptor, aut librorum Sepulchrum, aut tinearum altor appellaris) atq; coram Deo accusationem congerens, ut qui ingens utilitatis talentũ occultaris, quod aliis quidem concreditum atq; elaboratum est, à te autem improbè defossum. *lib. 1. Epist. 127.*

Isidorus Pelusiota: Si ex libri lectione fructum aliquem percepisti reipsa id ostende. Si autem in iis rebus atq; institutis permanes, quę ille reprehendit & insectatur, cum abs te condemnari apparet. Ac posthac nec per literas sermonem ullum tecum conseremus, nec librum postulanti præbebimus, nisi prioris quoq; fructum & utilitatem perspiciamus. *lib. 1. Epist. 481.*

Synesius: Pythagoræ Mnesarchi Samii lex quidquam libris addere aut innovare prohibet; sed eos utut scripti sunt manere jubet, quacunque demum fortuna aut arte scripti sunt. *Oratione de Dione.*

Synesius: Longa te & felix senectus maneat: vir sanctissime ac sapientissime. Nam & alioqui ingens vitâ tuâ lucrum eris, superstes, & maxima scholæ Christi accessio, solemnium librorum numerus una cum annis excrescens. Nam qui hocce anno missus est liber & voluptate civitates affecit, & profuit, hoc quidem sententiarum gravitate, illud vero suavitate verborum. *Epist. 9.*

¶ Latinorum.

S. Salvianus: Sed requirit forsan aliquis, quis auctor sit. Potest hoc quidem quæri & rectè quæritur, si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire: cæterum si infructuosa est, quid necesse est ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio, in omni enim volumine profectus magis quæritur lectionis, quam nomen auctoris. *Præfatione in librum primum de Avaritia.*

Salvianus: Auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ pravitas derogat: omnia enim admodum dicta tanti existimantur, quantus est ipse qui dixit. Siquidem tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac pene tam nulla, ut hi qui legunt, non tam considerent quid legant, quam cujus legant: nec tam dictionis vim ac virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. *prafatione lib. 1. de avaritia.*

Ioh. Sarisberiensis: Cum tibi diversæ provinciæ congestis meritarum laudum præconiis, quasi arcum erigant triumphalem: ego vir plebejus stridente fistula inculti eloquii, librum hunc ad hono-

rem tuum, velut lapillum in acervo præconiorum tuorum conjeci, sciens quia sicut non habet unde placeat ex venustate, sic ex devotione scribentis non poterit displicere. *prolego Policrat.*

¶ Philosophor. Oratorumqui Græcorum.

Xenophon: Quumq; consedisset Socrates propter ipsum Euthydemus: Dic mihi mi Euthydeme, ait, an revera, quemadmodum audio, multa eorum scripta collegisti, qui viri sapientes fuisse dicuntur? Est ita profecto mi Socrates, inquit, atq; etiam modo colligo, donec comparavero mihi quam fieri poterit plurima. Suspicio te profecto, ait Socrates, quod nec auri nec argenti thesauros tibi comparare malueris, quam sapientiæ. Etenim ex hoc patet, quod existimes argentum & aurum homines nihilo meliores efficere; sed sapientum judicia & sententias virtutis opes illis largiri, qui eas adquiverint. Hæc quum audiret Euthydemus, gaudebat; ut qui existimaret videri Socrati, recte sapientiam ab ipso inquiri. *cap. 6. lib. 4. Memorabilium.*

Aristides Rhetor: Templa Deis consecranda sunt, docti autem viri librorum dedicatione honorandi. *Oratione sacrorum Serm. 5. ante finem.*

Halicarnassæus: In scriptis & monumentis veterum versari debemus, ut inde non modo ejus rei quam tractandam suscipimus, materiam, sed etiam rationem imitandi ejus quod cujusque proprium est, nobis comparemus. Animus enim legentis, perpetua observatione similitudinem quandam generis dicendi elicit. Quale quiddam rustici cujusdam uxori accidisse fabula refert. Virum, inquit, agricolam deformem timor invasit, ne liberos similes sui susciperet: quæ formido artem illum pulchros & formosos liberos procreandi docuit. imaginibus enim quibusdam, ut arbitror, venustis & decoris effictis, eas intueri mulierem assuefecit. Deinde cum ea congressus, præclarè imaginum pulchritudinem assecutus est. Exprimendæ etiam orationis similitudo ita demum paritur, si quis imitatione expresserit illud, quod apud unumquemque ex multis videtur esse præstantissimum: quemadmodum si quis multis fontibus rivum quendam deducens, in animum suum derivet. quod etiam exemplo ipso confirmabo.

Zeuxis ob summam pingendi peritiam magna in admiratione apud Crotoniatas fuit. Huic Helenam nudam picturâ exprimere contendenti, nudas conspiciendas ejus loci miserunt puellas: ac posteaquam multis ex partibus excellentissima quaque cogitatione comprehendisset atq; collegisset, ars omnibus numeris absolutâ pulchritudinem construxit. En etiam tibi licet, ut in theatro quodam, formosorum corporum formas spectare, & ex illorum animis decerpere atq; delibare id quod est optimum: licet, inquam, tibi sic multiplicis variæq; eruditionis symbolum colligenti, nullo unquam tempore imaginem interituram, sed perpetuam ac immorcalem artis pulchritudinem informare, ut id quod imitatione expressisti, manifestos & apertos delectus iis qui audiunt suppeditet. *initio Elogiorum Græcorum.*

Halicarnassæus: Ingens sane est non juvenibus modo, sed & senibus in dijudicandis aliorum scriptis periculum. Parandæ enim opinionis scientiæ gratia variè & temerè laudamus, quæ in manus nostras venerũt, & vituperamus. Quo fit eadẽ interdũ & laudari & vituperari, non solum alia ab aliis, verũ eadẽ à nobis ipsis, alias probata, nunc damnata. Quemadmodum numerorum imperiti nunquã eadem numerando conficiunt neq; secum ipsi, neq; cum aliis consentiunt sed hoc inscientiæ argumentum est sibi non constare. Sic & pleriq; in orationibus examinandis negligentiores sumus. Nunquam enim eadem nobis apparent sed interdum laudamus quæ alias reprehendimus, & quæ damnavimus, vicissim laudamus. Rapimur enim visorum phantasia vel ad rei cujusq; dignitatem respectũ habentes, non proprio utimur judicio. Oportet enim ad regulam atq; amussim limatumq; judicium adhibentem recte posse judicare vel in hanc, vel in illam sententiam. *princ. de Orat. examinat.*

Halicarnassæus: Non prorsus omnia quæ apud antiquos scripta inveniuntur, ad imitationem nobis proponere debemus: sed ex illis si quæ sunt dicendi virtutes imitabimur, vitia vero studiose declinabimus. *De judicio Thucydides cap. 1.*

Arrianus: Nunc cum nonnulli deglutire bucellam non possint, volumina emunt, eaque devorare conantur. unde fit, ut aut revomant, aut cruditate laborent, unde vertigines, fluxiones & febres oriuntur. *cap. 26. lib. 1. Ep.*

Arrianus: Librum clarioribus literis scriptum, nemo est quin libentius atq; adeo facilius legat. quare orationes etiam aptis & decentibus verbis compositas, quivis libentius audiet. *initio cap. 23. lib. 2. Epict.*

Dio Prusæus: Quinetiam sunt quidam, qui & viri vitam laudaverunt, multo magis quam poesin. In paupertate enim & peregrinationibus vixisse, & tantum ex poematibus acquisivisse ut suppeteret victus, admirandæ cujusdam fortitudinis & magni animi est. Præterea nusquam scriptum esse illius nomen, neq; in sua ipsum meminisse poesi: tametsi alii omnes, qui vim aliquam habere existimati sunt, aut poesim aut solutam orationem scribentes, & primum & ultimum suum ipsorum nomen inscripserint. Multi quoq; in ipso contextu, & poematibus: sicut Hecatæus & Herodotus & Thucydides. Hic enim non tantum semel in historiæ principio, sed sæpius testificatus est, per singulas hyemes & æstates, quod hæc conscripserit Thucydides. Is autem ita ingenuus erat, & magnanimus, quod nusquam appareat in poesi sui meminisse: sed revera, quemadmodum deorum prophetæ, ex obscuro & adyto alicunde vocem miserit. *de Homero Orat. 54.*

Lucianus: At sane quod tu facis, ei quod voluntate intendis, adversatur. Futurum enim putas ut eruditus videare, si optimos quosque libros omni studio coemeris. Verum hoc tibi deorsum recidit: tuæq; inscitiæ est quodammodo argumentum: tametsi neq; mercaris optimos, sed ut quisq; laudatur, fidem habes: eorumq; qui hęc de libris mentiuntur, es lucrum, illisq; librorum cauponibus, paratus thesaurus. Nam quomodo veteres, eximiosq; à futilibus, putridisq; dignoscere queas, nisi inde conjicias quod arrosi ac mutili: tineasq; his dijudicandis in consilium adhibeas? Nam qui possis hæc liquidò ac certò pervidere? Et ut dem te idipsum judicasse, & quæ pulcherrimè Callinus, & quæ celebris ille Atticus omni cura conscripserint: quid ex hac possessione, ô præclare, capis cõmodi, qui neq; scriptorum pulchritudinem noris, neq; unquã utaris, nihilò magis quã cęcꝰ pueri venustissima facie fruatur? At tu apertis quide oculis, ac per Jovem adjtædium usq; libros vides, & nonnullos percurrendo legis, ut os anteuertant oculi. Nondum tamen hoc satis est, nisi noris virtutem & vitium orationis totius, & scriptorum omnium sensum intelligas, quiq; sit vocabulorum ordo, & quæ ad rectam regulam author exegerit, quæ adulterina, & notha, ac subærata. Quid igitur respondes? num hæc nosse te, cum nunquam didiceris? Unde, nisi ut quondam ille pastor aureum ramum à Musis tu quoque acceperis? Heliconem enim, ubi Musas versari aiunt, neque audivisti puto unquam, neq; in his puer cum esses, versatus es, tibiq; Musarum meminisse nefas est. Etenim ipsas pastori apparere non piguit, aspero hirsutoq; viro, multõq; sole corpus exustum præ se ferenti. Sed ad te qualis es (acre per Libanitidem oro, concede mihi ut non omnia in præsentiarũ apertè dicam) noluissent unquã, sat scio, accedere: sed te non lauro, verùm myrto, aut malvæ foliis cæsum, ab huiusmodi rebus amovissent, ne aut Olmeum, aut Hippocrenen inquinares: quorum aquam, vel à gregibus sitientibus, vel puris pastorum oribus potari convenit.

Quanquam autem es valdè impudens, & in rebus huiusmodi fortis: non tamen ausis affirmare bonis literis te fuisse imbutũ: aut operam dedisse unquam ut libros propiùs familiares tibi redderes: aut hunc præceptorem, aut hunc condiscipulum habuisse. Et nunc illa omnia hoc uno te consequuturum speras, si multos libros congesseris. Si hoc es animo, age conquire quæcunque Demosthenes orator propria manu scripsit: quinetiam Thucydidis historiam, quæ ab eodem Demosthene octies præclarè exscripta reperta est. Jam ut tot possideas libros quot Sylla in Italiam Athenis advexit, quid inde plus ad eruditionem habeas, quanvis his suppositis dormias, & affixos circunferas? Sicut enim adagio fertur, Simia est simia, etiamsi aurea gerat insignia. Librum verò semper quidem habes & legis, nihilque intelligis eorum quæ legis: sed velut asinus micans auribus lyram auscultas.

Quòd si librorum copia doctum redderet eum qui comparasset, magni profectò pretii res esset, vobisque divitibus tantùm propria: siquidem veluti in foro pauperes nos in auctione superantibus, mercari liceret. Et quis cum mercatoribus, & bibliopolis qui tot libros habent & vendunt, de eruditione certaret? Quos si coarguere velis, videris neque illos tibi eruditione præstare: sed quemadmodum tu, barbarè loqui, & cognitione carere: quales eos esse par est, qui inhonesti & turpis contemplatione nunquam sunt versati. Imò tu duos, tresve libros ex ipsis emptos habes: at eos illi noctes diesque præ manibus habent. Cui bono igitur hos emis, si neque cellulas ipsas librorum doctas evasisse ducis, cùm tot veterum authorum scripta complectantur?

Age verò, si videtur responde mihi, vel potiùs, quoniam illud non potes, annue vel abnue ad interrogata: Siquis tibiâ canendi artis ignarus haberet Timotheitibias, aut quas Ismenias septem talentis emit Corinthi, an propterea tibiâ canere posset? an potiùs huius rei, qua nescit ex arte uti, nullus ei erit usus? Rectè quidem abnuisti. Neque enim si Marsyæ vel Olympi tibias possideret, iis caneret non edoctus. Quid? si quis Herculis arcus habeat, nec sit Philoctetes, ut eos intendere possit, & in scopum iaculari, quid tibi videtur iste? num qui dignum sagittario edat opus? Hoc quoque abnuisti. Eodem pacto & qui navim gubernare non novit, neque qui in equitatione se exercuit: ille si navim pulcherrimam, & adversus ventorum & procellarum impetus munitissimam accepit: hic verò Medicum equum, vel centauro satum, vel cappaphorum habet, uterq; ut puto argueretur, utroque uti nescius. Hoc-ne annuis? Crede obsecro, & hoc annue. Siquis quemadmodum tu indoctus, multos libros emat, nonne scommata in inscitiam suam profert? Quid? te piget hoc annuere? Nam clarum utique est hoc argumentum, quique hoc ita fieri cernunt, vulgatum illud protinus inclamant. Quid cani cum balneo?

Fuit non ita multò antè in Asia vir opulentus, cui ex calamitoso casu truncati sunt ambo pedes, frigore ut puto, putrefacti, quum aliquando per nivẽ fortè iter feciisset. Ille igitur miserabilem hanc fortunã perpessus, ut infœcilitatẽ solaretur, ligneos pedes cõparaverat, quib. subligatis, simul innixus famulis, incedebat. Ridiculũ etiãhoc faciebat, qꝰ pulcherrimas crepidas sẽper novas emebat, plurimãq; in hoc ponebat operã, ut speciosissimis calceis ligna, pedes nimirũ ornarẽtur. Ann. hęc facis tu quoq; quicũ mẽte sis clauda & ficulina emis

tamen

tamen auratos ſoccos, quibus ægrè inambularet, etiam qui integris eſt pedibus? Quoniam autem inter alios codices Homerum ſæpius emiſti, legat tibi aliquis ſecundum librum Iliados: nec alia perpendas: eorum enim nihil ad te, præter quam qui hic introducitur concionem habens, homo vehementer ridiculus, torto mutiloq; corpore. Ergo ſi Therſites ille hujuſmodi, Achillis arma ſumeret, putaſne propterea formoſum protinus, fortemq; futurum, qui & fluvium tranſiliat, & alveum turbet cæde Phrygum: poſtea interficiat Hectorem, & ante ipſum Lycaonem, & Aſteropæum, cum ne haſtam quidem humeris ſuſtinere queat? Negabis opinor, & irridebitur ille ſub clypeo claudicans, atq; in faciem præ pondere procumbens, & ſub galea, quum ſuſpicit, oſtendens ſuos illos ſtrabos oculos, & loricam gibbo dorſi attollens, laxaſq; ocreas gerens: deniq; utrumq; dedecore afficiens, eorum armorum & opificem, & dominum. Non vides idem accidere tibi, quum præ manibus habes librum pulcherrimum, cujus aluta eſt purpurea, & aureus umbilicus: eumq; barbara voce legis, deformas, & diſtorques: unde viris eruditis riſum moves: & tamen te laudant aſſentatores, qui tecum verſari ſolent, quanquam averſa facie ſe invicem intuentes plerumque rident.

Cæterum quiddam tibi narrare velim quod in Pythiis factum eſt. Tarentinum quendam, nomine Evangelum, apud Tarentinos non obſcuro loco natum, Pythia vincendi invaſit cupido. Is cum certamen quod nudi meunt, ſuarum non eſſe virium ſtatim judicaſſet, quippe qui neque robore, neq; velocitate eſſet præditus: perſuaſione ſceleſtorum illorum hominum, quos familiares habebat, laudãtes, & ad exiliſſimum: quemq; cantus ſtrepitum applaudentes, adductus eſt, ut crederet ſe cithara & cantu facilè victoriam adeptum. Itaque venit Delphos, præter cætera ornamenta, etiam veſte auro intertexta, & corona pulcherrima aureis lauri foliis plexa, inſignis, cui loco baccarum lauri inſerti erant magnitudine illis pares ſmaragdi. Cithara quoq; mirum in modum pulchra & magnifica, tota ex puriſſimo auro conflata, annulis & gemmis variis exornata, atque inter ea Muſarum, Apollinis, & Orphei imagines inſculptæ, magnæ ſpectatoribus erant admirationi. Cum itaq; veniſſet certaminis dies, tres fuerunt certaturi, obtigitq; ſors Evangelo ut ſecundus caneret. Ille poſt Theſpin Thebanum qui non malè ſuas partes egerat, ingreditur auro, ſmaragdis, beryllis, & hyacinthis totus circunfulgens, ipſaq; purpura quæ inter aurum interlucebat, veſti decus addebat. Quibus cum jam theatrum obſtupefeciſſet, & incredibili quadam ſpe ſpectatores repleſſet, cum omnino jam & citharam pulſare, & occinere eſſet neceſſe, præludit inconcinnum quiddam, & incompoſitum. Tum gravius quam par erat increpata cithara, tres ſimul fides rumpit, & ineptum tenuemq; cantum incipit: ita ut ſpectatoribus univerſis ortus ſit riſus, & ludorum præfecti, hominis temeritate offenſi, eum loris cæſum è theatro ejecerint. Hic vero jucundiſſimum erat ſpectaculum, aureus ille Evangelus, cum à lictoribus per mediam ſcenam traheretur, lachrymans, crura plagis cruentus, humi collapſos interim dum una cum ipſo vapulat, colligens citharæ annulos. Poſt hunc exiguo ſpatio temporis interjecto prodit Eumelus quidam Eleus, pervetuſtam habens citharam, cujus verticilla erant lignea, & veſtem cum ſerto vix decem drachmis æſtimandam. At ille cum eruditè cecinisſet, & ritè ſicut ars poſtulat citharam pulſaſſet, victor proclamabatur, & Evangelum irridebat, qui ne quicquam cithara, aureiſq; annulis ſeſe oſtentaſſet. Eumq; ſic allocutum eſſe ajunt. Tu quidem Evangele aurea lauro es redimitus, quia es dives, ego Delphica, quia pauper. Verum hoc commodi tibi tuus ornatus peperit, quod neminem tui miſereat, quod victus abis: ſed amplius oderint omnes ob ineptas haſce, ſuperfluaſq; delicias. Quadrat in te hic Evangelus, quatenus ne tu quidem ſpectatorum cachinnos curas.

Arbitror autem intempeſtivum non eſſe, ut veterem quandam fabulam Lesbiam tibi narrem. Quando Thraciæ mulieres Orpheũ diſlaniarunt, ajunt caput ejus in Hebrum cum lyra dejectum, rejectũ fuiſſe in nigrum pontum, caputque lyræ innataſſe, illoq; lugubre carmen in Orpheum canente, hanc ventis chordas increpantibus ſucciniſſe, & ſic canendo ad Lesbum deveniſſe: Lesbios autem fluctibus ereptum caput ſepulchro mandaſſe, ubi nunc eſt ipſis Bacchi templum: lyram autem in Apollinis templo ſuſpendiſſe, eamque diutiſſimè aſſervaſſe: donec tandem Neanthus Pittaci tyranni filius, cum hæc de lyra audiſſet, eam & feras, & plantas, & ſaxa demulſiſſe: imò etiam poſt Orphei calamitatem nemine pulſante modulatam fuiſſe, in amorem hanc habendi incidit, & ſacerdoti magna pecuniæ vi corrupto perſuaſit, ut Orphei lyram, altera ſimili ſuppoſita, ipſi daret. Qua accepta putavit ille ſibi non eſſe tutum in urbe interdiu uti: ſed in ſinu occultando per noctem ad ſuburbium ſibi ſoli progrediendum. Quo cum veniſſet, lyram pulſare cœpit, ac chordas perturbat ſtolidus ille, artiſq; imperitus juvenis, qui ſperabat fore, ut divinum aliquod carmen percuſſæ fides redderent, quo cunctos recrearet, & demulceret, & hoc nomine fieret beatus, quod Orphei muſices eſſet hæres: donec ad ſtrepitum congregati canes, qui ibi erant multi, ipſum diſcerpſerunt: ita ut ſolis ad te canibus convocatis, hoc ſaltem cum Orpheo commune habuerit. Quo eventu manifeſtiſſimè oſtenſum eſt, non eſſe lyram quæ demulcet, ſed artem & carmen: quæ ſola eximia à matre collata habebat Orpheus: lyra nihil quibuſvis barbitis obtinente præſtantius. Quorſum vero Orpheum & Neanthum tibi propono? cum noſtra ætate quidam fuerit, & ut puto adhuc ſit, qui Epicteti Stoici lychnum fictilem ter mille drachmis emit: ſcilicet futurum ſperans, ut ſi noctu ad iſtam lucernam legeret, ilico Epicteti ſapientia in ſomnis ad ſe veniret, ſimiliſque admirando illi teni evaderet. Sed nuperrime, quidam alius Protei cynici baculum, quo depoſito, in ignem inſiliit, talento emit. Quod pretioſiſſimum habet monumentum, oſtentatque non ſecus ac Tegeatæ apri Calydonii tergus, & Thebani Geryonis oſſa, & Memphitæ Iſidis capillos. At ille admirandi hujus boni poſſeſſor, te ipſum inſcitia, & ſpurcitate ſuperavit. Vides quam miſero loco ſint res tuæ, cum tuo capiti fuſte revera ſit opus?

Dicitur etiam Dionyſius ineptam & ridiculam tragœdiam feciſſe, ob quam quod riſum continere non poſſet Philoxenus, ſæpe in latomias eſt conjectus. Sed Dionyſius cum ſe derideri comperiſſet, Æſchyli pugilares in quibus ſua poemata ſcribebat, magno ſtudio comparavit, cum putaret fore ut ex his pugilaribus numine afflaretur, & furore poetico corriperetur. Attamen in his longe abſurdiora ſcripſit, quale Doricum illud: ἦκεν ἡ Διονύσια γυνὴ Item illud ὀλίμου γυνὰικὸς χρησίμου ἀπόλεσα. Nam hoc quoq; ex pugilaribus eſt ſumptum. Et hoc ὠὼξ γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βατράχων. Quod in te rectius quam in Dionyſium quadraverit: & propterea illas ejus pugilares inaurare debebas. Nam qua ſpe fretus libros ſemper volvis, coagmentas, ſpolias, croco illinis, & cedro pellibus amicis, umbilicos indis, ac ſi fructum aliquẽ inde ſis percepturus? Scilicet his emptis factus es melior, quippe qui ſic loqueris, ac potius qui pilcibus magis es mutus. Sic autem vivis, ut ne dictu quidem ſit honeſtum: tuaq; obſcœnitas, ut ajunt, atrox omnium odium tibi peperit. Quod ſi librorum hæc eſſet culpa, quam maxime procul ab iis erat fugiendum. Duo a. cum ſint quæ à veteribus ſcriptoribus petas, bene dicẽdi & agendi facultatem, æmulatione optimorum, & devitatione deteriorum, quando neq; illa neq; iſta hinc videris conſequutus, quid aliud quam murib. exercitationem, tineis habitationem, & famulis, utpote codices non curãtibus, plagas emiſti? Qui autem etiam illud non te pudeat, ſi quis viſo tibi præ manibus, ut ſoles habere, libro, cujuſnam ſit rhetoris, aut hiſtorici aut poetæ roget: tu vero ex inſcriptione doctus, aptè reſpondeas: deinde, ut fit, dum ſermo familiaris progreditur longius, ille laudet aliquid, aut accuſet ſcriptorum: tu vero animi pendeas, habeaſq; nihil quod reſpondeas? Nonne optes tum ut tibi tellus dehiſcat, qui tanquam Bellerophon, librum circunfers?

Demetrius Cynicus cum Corinthi conſpexiſſet ineruditum quendam pulcherrimum librum legentem, Bacchas puto Euripidis, ubi nuntius Penthei mala, & Agaves factum nuntiat, arreptum laceravit, Satius eſt, inquiens, ſemel à me, quam à te ſæpius lacerari Penthea. Et quanvis apud me aſſiduò quæſierim, nondum tamen hodie aſſequi potui cujus rei gratia tanto ſtudio libros emeris. Nam fructus & uſus cauſa nemo putare queat, qui te vel mediocriter novit. Non certè magis quam ſi calvus pectinem emat, aut ſpeculum cæcus, aut tibicinem ſurdus, aut pellicem ſpado, aut remum mediterraneus homo, aut aratrum gubernator. Nunquid igitur hac re oſtentas opes, omnibuſque vis hoc palam facere, etiam in res tibi non utiles, ex immenſis divitiis eſſe quod inſumas? Atqui quantum ego qui Syrus ſum, exploratum habeo, niſi te locupletis ſenis teſtamento ſubdolè inſcripſiſſes, libris jam diu venum datis fame periiſſes. Superest igitur ut libros emas, quo veras reddas tuorum aſſentatorum laudes, à quibus illud perſuaſum eſt, te non modo pulchrum eſſe & amabilem, ſed etiam ſapientem, oratorem & hiſtoricum nulli ſecundum. Ajunt autem te orationes etiam in convivio recitare, ac illos terreſtrium ranarum inſtar ſitibundos exclamare, nec potare, niſi prius clamore diſrupti fuerint. Nam neſcio quo pacto facillimè nare traheris, illiſq; in omnibus credis: qui etiam illud aliquando credidiſti te regi cuidam aſſimilem eſſe, quemadmodum Pſeudalexander ille, & Pſeudophilippus fullo, & ſuperioribus annis Pſeudonero, & ſiquis alius eorum qui mendacio ſubditi ſunt.

Nec mirum te inſulſum, ſtolidumq; hominem ſic affectum fuiſſe, & reſupinato corpore proceſſiſſe quum greſſum, habitum & vultum illius imitareris, cum quo te comparare gaudebas: quando ajunt etiam Pyrrhum Epirotam, virum alioqui admirandum, ita ſimili in re ab aſſentatoribus fuiſſe corruptum, ut ſe Alexandro ſimilem crederet: quanquam quod ſcelerati iſti faciebant, omnibus erat manifeſtum. Nam & Pyrrhi imaginem vidi: & tamen ad formam Alexandri expreſſa credebatur. Sed hactenus in Pyrrhum fui contumelioſus, quod te in hoc cum ipſo comparavi. Sed tibi conveniet quod deinceps dicam. Nam Pyrrhus poſtquam ita eſſe in animum induxerat, nemo erat qui non ipſi aſtipularetur & conſentiret, donec vetula quædam Lariſſæa ejus hoſpita, id quod res erat, prolocuta veſaniam hominis repreſſit. Ille enim cum Philippi, Perdiccæ, Alexandri, Caſſandri, aliorumq; regum imagines protuliſſet, rogavit cuinam iſtorũ ſimilis eſſet, planè ſibi perſuadens fore ut ad Alexãdrum veniret. At illa diu cunctata, Batrachioni, inquit, coco. Nam Lariſſę erat coquus, nomine Batrachio, Pyrrho ſimilis. Quem vero referas ex cinædis qui cum ſaltatoribus conſueſcunt, nolim dicere. At hoc probè ſcio, te omnibus nunc ingenti correptum inſania videri, qui illam imaginem tibi cõvenire putes. Nihil igitur mirum, ſi cum ſis adeo ineptus pictor, etiam eruditorum ſimilitudinem referre vis, iis fidem habens qui hoc te nomine laudibus efferunt.

Quorſum vero has nugas? cum cauſa ſit in prõptu iſtius tui librorum coacervandorum ſtudii, tametſi, quæ mea eſt rarditas, nunc demum animadverti. Prudenter enim, ut ſaltem putas, hoc excogi-

tasti, magnamq; spem concepisti, si rex vir sapiens, & doctorum in primis amans hæc intellexerit, & audiveritte libros multos, emere, & coacervare, fore ut nulla planè in re tibi sit defuturus. At ô molliculè putas tantum mandragoræ regi offusum, ut hæc quidem audiat: illud verò nesciat, qualis diurnæ vitæ tuæ sit ratio, quæ compotationes, cujusmodi noctes, quibuscum consuetudinem habeas? An nescis aures, oculosq; multos esse regibus? Et quæ tu facis adeo sunt perspicua, ut & surdis & cæcis sint cognita. Atq; utinam solummodo loquereris, utinam ad lavandum exuereris: vel potius si videtur, non exuaris, sed famuli duntaxat, si te exuant, quid putas non ilico fore manifesta, quę tu noctu perpetras nefanda? Hoc quoque mihi respondè: si vester ille sophista Battus, & tibicen Batalus, aut cinædus Hemitheon Sybarita, qui vobis præclaras illas leges condidit, libidine esse insaniendum, corpus depilandum, hæc ferenda, illa facienda, siquis istorum nunc pelle leonina circundatus, clavam tenens ambularet, quid? Herculem-ne spectantibus habitū iri putas? Non, tametsi illis cæcutiant. Sexcenta enim sunt quæ reclamant: incessus, obtutus, vox, aliqua cervix, ceruſa, mastiche, fucus, quibus vos excolere soletis.

Et omnino sicut in proverbio est, Citius septem elephantas sub alis absconderis, quam unum cinædum. Jam cum leonina pellis hunc non occulat, tu libello contectus speras latere posse? Sed fieri nequit, quin te prodant alia illa vestri indicia. In summa, ignorare te video quod bonæ famæ spes non est à librorum institoribus petenda. sed à seipso, & à quotidianæ vitæ modo capienda. Sed tu existimas advocatos & testes probitatis tibi fore Atticum illum, & Callinum librorum scriptores. Ne putes: sed sævos homines qui te perdent, si Dii velint, atq; ad extremam paupertatem adigent: quem jam oportuisset ad sanam mentem reversum, cuipiam docto viro horum librorum feciſſe copiam, & simul hāc domo nova cessisse: iis etiam apud quos mancipia prostant, partem saltem multorum debitorum reddidisse. Etenim his duobus præcipuè dedisti operam, ut caros libros possideres, & adolescentes validos ac robustos mercareris. Atque hæc omni studio aucuparis: quanquam fieri non potest, ut qui pauper est, utriq; præstando par sit.

Proinde considera quam sit res sacra cōsilium. Æquum enim judico, ut missis iis quæ nihil ad te pertinent, alterum morbum cures: & pro ministris illis, sic tamen ut ne emptione res domesticæ deficiant, ingenuos aliquos adhibeas, quibus neq; tutum sit, si abs te digrediantur, nisi hoc pretio redimas, ut omnia proferant, quæ vos inter comessandum designatis. Qualia nuper pusio tuus obscœnissima de te mane domo digressus narrabat, etiam signa ostēdens sceleris. Ego vero testes facio, quotquot tum aderant, quam ægrè tulerim, ac fere plagas illi inflixerim, tui causa iratus: maximè quum unum atq; alterum rerum similium testem adduceret, qui eadem verbis confirmarent. In hos ergo usus reconde argentum, vir bone, ut domi tutò ista perpetrare possis. Quis enim ab his perpetrandis te avocet? siquidem neq; canis desinat faciè eorum arrodere quum semel cœpit. Sed facile est alterum, ut libros non emas amplius: satis es eruditus, satis es doctus. Nec solum quicquid uspiam antiquitatis extat, summis in labiis habes: sed historiam tenes omnem, & omne orationis artificium, virtutem, vitia, dictionum Atticarum usum: planè doctus es, summeque eruditus evasisti, ob librorum multitudinem.

Nihil enim vetat, me quoq; in te aliquandiu immorari, quando decipi te juvat. Libenter autem ego ex te quærerem, cum tot libros habeas, quem potissimum legas, num Platonis, num Antisthenis, num Antilochi, num Hipponactis? An spretis his Rhetores potius præ manibus habes? dic mihi legisne Æschinis orationem contra Timarchum? an vero jam illa omnia tenes, & nota sunt singula? An in Aristophane, & Eupolide totus es? Legisti Baptas, totamque fabulam percurristi? Nihil-ne eorum quæ ibi dicuntur, te perstrinxit: non iis agnitis erubuisti? Hoc equidem miretur maxime aliquis, quem librum cordi habens attingas, qualibus manibus verses: quādo legas: num interdiu? at nemo te vidit unquam id facientem. At noctu? an quum jam illis es intentus, aut ante exercitia? sed & ante tenebras? Nihil hujusmodi ausis amplius. sed missos fac libros: remque tuam solum age: quanquam hoc quoq; indignum est, debuerasque saltem Euripidis Phædram vereri, qua mulieribus his verbis succensēt.

Nullas tenebras expavescunt conscias,
Timent ne tectam loquantur ædium.

Quod si omnino decrevisti tuo in morbo permanere, i, libros eme, & domi conclusos habe, & partorum bonorum gloria fruere: hoc tibi sufficit. Necdum tangas, nec legas, nec lingua persequaris priscorum virorum orationes, & poëmata, non male de te merita.

Scio me hæc frustrā nugatum, & quod vulgo fertur, Æthiopem lavare. Tu enim libros emes, nec iis uteris, & à viris eruditis irrideberis, qui fructum non captant, ex librorum pulchritudine, magnoque prætio, sed ex scriptorum dictis, & sententiis. Tu verò speras ista opinione posse tuam insciti am curare & obvelare, quocumque multitudine vulgus obstupefacere: nescius medicos imperitissimos idem facere, qui eburneas ferulas, & cucurbitas argenteas, & aurea scalpella comparant: quibus quum est utendum, ne id quidem sciunt, quo pacto manibus sint tractanda. Peritus verò quispiam alius in medium prodiens phlebotomo peracuto, cæterum rubigine pleno, instructus ægrum dolore liberat. Sed ut, quod facis, cum re magis ridicula comparem: respice tonsores istos: & invenies eos qui artem callent, novaculam, forcipes, & mediocre speculum habere: sed ignaros, & rudes, etiam simultos forcipes, magnaq; specula proponant: non tamen latere, quod nihil calleant artis tonsoriæ. Sed hoc illis risu dignissimum accidit, quod pleriq; apud suos vicinos tondentur, ad eorumq; specula comas componunt. Et tu quidem alii cui opus esset, libros commodare posses: uti vero ipse non posses. Atqui nulli commodasti unquam librum: sed id facis quod in præsepe canis, qui cum hordeo non vescatur ipse, neque equum qui potest, vesci sinit. Hæc in præsentia pro libris tantum in te liberè dico: quod ad cætera attinet, quæ abominanda, & vituperanda committis: de his posthac sæpius audies. *Ad indoctum, & multos ementem libros.*

Æneas Sophistæ: Si tuus esset liber & amarem, penes me optimo jure esset. Talis res est amicitia. Nunc ego dominus sum. Tu vero non das. At non per amicum Jovem librum hunc judico, sed substantiam Crœsi facultatibus melior & major possessio esse videtur. Alius enim ligonem amat: Is est colonus. Alii canes cordi sunt: Is venator. Aliud in voluptate telum: Huic equus ludo est. Mihi vero libelli & orationes: sed quod sua possessione majorem reliquis voluptatem affert, hoc ereptum majori dolore afficit quam cætera. Si igitur restitues, credo tibi in animo librum esse inscriptum. Sin minus, videberis non scripta concupiisse, & librum possidere voluisse. Sed quid hæc dico? Non unde sæpe mihi delectatio & voluptas parta est, inde dolorem ac mœstitiam auferam. *Epist.* 1.

Julianus Imp. Quidam equis, alii avibus, nonnulli feris delectantur: ego vero inde usque à pueritia librorum cupiditate arsi. Quare absurdum est, has opes iis relinquere, quorum avaritia nequit auro expleri, præsertim cum facile videar eas illis posse detrahere. Quocirca hoc mihi privatim beneficium dabis, ut Georgii scripta omnia reperienda cures. Multa erant apud illum Philosophica, multa Rhetorica, multa de Galilæorum doctrina: quæ velim penitus extincta esse, sed ne cum his illa quoque pereant, omnia diligenter exquiri volo. *Epist.* 9.

Julianus Apostata: Etenim libros Philosophorum, atque optimorum Historicorum, & Oratorum quamplurimorum, ac Poetarum (quod paucos admodum è patria mecum attulissem, quoniam brevi revisendæ domus spes me, ac desiderium sustentabat) libros, inquam, tot illa mihi dono dedit, ut cupiditatem omnem meam explerem, quæ illorum lectione satiari non posset, Galliam vero ac Germaniam Græcorum mihi librorum Musæum efficeret. Quibus ego donis assiduè defixus, quotiescumque per otium licet, ejus unde ista accepi oblivionem capere non possum. Quinetiam si quando in expeditionem proficiscor, unum ex iis aliquod velut militiæ commeatum deporto, quod ad hoc ipsum accommodatè scriptum olim fuerit. Multa enim veterum prudentiæ, atque experientiæ monimenta cum arte scripta claram & manifestam rerum olim gestarum effigiem exhibent iis, qui per ætatem spectare ipsi nequiverint. Ex quo factum est, ut juvenes pleriq; majorem quam senes multi mentis atq; animi canitiem haberent: quodque unum hominibus ex senectute bonum suppetere videtur, experientia rerum. cujus beneficio prudentius aliquid juvenibus senex dicere potest, hanc juvenibus, qui quidem negligentes non fuerint, monimenta illa conciliant. Sed inest præterea in his egregia quædam morum institutio: modo aliquis optimos quosq; viros, & orationes, & facta sciat, velut exemplaria sibi proponens artifex ad ea fingere animum suum, & ad libros, ac sermones accommodare. Ab quibus nisi omninò sit alienus, sed vel minima ex parte eorum in se similitudinem possit exprimere, non parum inde fructus reportet. Quod cum ego sæpius apud me cogito, non absurdam in his institutionem ac disciplinam colloco; & quoties in militiam abeo, tanquam necessaria cibaria mecum illa defero, quorum multitudinem temporis ratio moderatur. *Orat. 2. in Eusebiam Imperatricem.*

Libanius: Ut iis qui simulachrum spectant, aliis licet admirari, aliis minimè: & partium aliquid carpere: etiam totum si quis velit. Eodemq; modo in poëmatis & orationibus & scriptis numeris solutis alii meliorem calculum, alii aliud suffragium adferunt, ac per Jovem eumdem reperias, quædam hodie proba cēsuisse: postea rursus aliam de ipsis opinionem habere. Nam quod sæpe expensum est magis exploranti naturam declarat. Ac si quis eum trahat in jus pœnas daturum, qui prius à se laudata vituperaret, risum moveret. *Declamatione* 29.

§ Romanorum.

Plinius Junior: Est plane aliquid edendum: atq; utinam hoc potissimum quod paratum est. audis desidiæ votum. edendum autem ex pluribus caussis; maxime quod libelli quod emisimus, dicuntur in manib. esse, quamvis jam gratiā novitatis exuerit. nisi tamen aurib. nostris bibliopolæ blandiuntur. sed sanè blandiantur, dū per hoc mēdacium nobis studia nostra cōmendent. *lib. 1. Epist. 2. ipso fine.*

Plinius Junior: Adnixi certè sumus, ut quamlibet diversa genera lectorum per plures dicendi species teneremus. ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua secundū suam cujusq; naturam non probetur: ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. nam & in ratione convivorum, quamvis à plerisq; cibis singuli temperemus, totum tamen cœnam laudare omnes solemus: nec ea quæ stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis à quibus capitur. *lib. 2. Epist. 5.*

Idem paullo post: Quædam ex his talia erunt ut per partes emendari

dari possunt. Etenim si avulsum statuæ caput aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam æqualitatemq; deprehendere; posses tamen judicare an id ipsum satis elegans esset. nec alia ex caussa principia librorum circumferuntur, quam quia existimatur pars aliqua etiam sine cæteris esse perfecta. *lib. 2. Ep. 5.*

Plinius Iunior: Hominem te patientem, vel potius durum ac penè crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas! quousq; & tibi & nobis invidebis? tibi, maximam laudem: nobis voluptatem? sine per ora hominum ferantur, iisdemq; quibus Romana lingua spatiis pervagetur. magna etiam longaq; expectatio est, quam frustrari adhuc & differre non debes. Enotuerunt quidam tui versus, & invito te claustra tua refregerunt: hos nisi retrahes in corpus quandoq; errones, aliquem cujus dicantur invenient. Habe ante oculos mortalitatem; à qua asserere te hoc uno momento potes. nam cætera fragilia ac caduca, non minus quam ipsi homines occidunt desinuntq; Dices, ut soles, Amici mei viderint. Opto quidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, ut tantum curæ intentionisq; susципere & possint & velint: sed dispice, ne sit parum providum sperare ex aliis quod tibi ipse non præstes. *Mox*: Hoc fructu tanto, tam parato, desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare: quæ cum modum excedit, verendum est ne inertiæ & desidiæ, vel etiam timiditatis nomen accipiat. *lib. 2. Epist. 10.*

Plinius Iunior: Æstate si quid esset Avunculo meo otii, jacebat in sole; liber legebatur: adnotabat exercebatq; nihil enim legit quod non excerperet. dicere enim solebat, nullum esse librum tam malũ, ut non aliqua parte prodesset. *3. Epist. 5.*

Plinius Iunior: Perfectum opus absolutumq; quod est, non tam splendescit lima, quam deteritur. *lib. 5. Epist. 1.*

Plinius Iunior: Tu velim quid de universo, quid de partibus sentias, scribas mihi, ero enim vel cautior in continendo, vel constantior in edendo, si huc vel illuc auctoritas tua accesserit. *Ep. 13. lib. 5.*

Plinius Iunior: Egi ego pro Vareno, non sine eventu: nam bene an male, liber indicabit. in actionibus enim utramq; in partem fortuna dominatur, multum commendationis & detrahit & affert memoria, offensis, liber gratia, liber & secundis casibus & adversis cadit *Epist. 20. lib 5.*

Plinius Iunior: Bibliopolas Lugduni esse non putabam: ac tanto libentius ex literis tuis cognovi venditari libellos meos; quibus peregrè manere gratiam quam in urbe collegerint, delector incipio etiam satis absolutum existimare, de quo tanta diversitate regionum discreta hominum judicia consentiunt. *Epist. 11. lib. 9.*

Plinius Iunior: Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo: est tamen aliquis modus; primum quod nimia cura deterit magis quam emendat: deinde quod nos à recentioribus revocat; simulq; nec absolvit priora, & inchoare posteriora non patitur. *fine Epist. 35. lib. 9.*

Ausonius: Sed cum legeris, adesto mihi adversum eos, qui, ut Juvenalis ait, Curios simulant: & Bacchanalia vivunt. ne forte mores meos spectent de carmine. Lasciva est nobis pagina, vita proba: ut Plinius dicit: Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in Poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram, prurire opusculum Sulpitii, nec frontem caperare esse Appuleium in vita philosophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus extare severitatem, in epistolis ad Cærelliam subesse petulantiam. Platonis Symposion composita in ephebos epyllia continere. Nam quid Anniani fescenninos? quid antiquissimi poetæ Livii Erotopægnicon libros loquar? Quid Evenum: quem Menander sapienter vocavit? Quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vita est, & læta materia. Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris? qui octavo Æneidos, quum describeret coitum Veneris atque Vulcani, γλισχρογαμίαν decenter immiscuit. Quid in tertio Georgicorum de summissis in gregem maritis? nonne obscenam significationem honesta verborum translatione velavit? Et si quid in nostrõ joco aliquorum horum hominum severitas vestita condemnat: de Virgilio accersitum sciat. Igitur cui hic ludus noster non placet, ne legerit, aut quum legerit: obliviscatur, aut non oblitus, ignoscat, etenim fabula de nuptiis est. & velit, nolit, aliter hæc sacra non constant. *præfat. in Centonem nuptialem.*

Symmachus: Credo plane, nec fides cassa est, Rhetorum hanc esse prosapiam nam plerumq; ingenio genus noscitur nec solus vultus aut color asserit posteros in honorem parentum. certiores habet natura vindicias, bene sentiendi ac bene loquendi. Gignuntur non scribuntur heredes. Quod alii docentur, hic natus est. *libr. 1. Epistol. 9.*

Symmachus: Facilius est ardentes favillas ore comprimere, quam luculenti operis servare secretum. Cum semel à te carmen profectum est, jus omne posuisti. Oratio publicata, res libera est. *Mox*: Novi ego quæ sit prurigo emittendi operis quod probatur. nam quodam pacto societatem laudis effectat, qui aliena bene dicta primus enunciat Ea propter in Comœdiis summatem quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen atq; Ambivio cæterisq; actoribus fama non defuit. *lib. 1. Epist. 25.*

Symmachus: Mediocribus scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum invidia nescit ignoscere. *lib. 5. Epist. 85. m.*

Vegetius: Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium studia mandare literis, atque in libros redacta offerre principibus. Quia neque recte aliquid inchoatur nisi post Deum faverit Imperator: neque quenquam magis decet, vel meliora scire, vel plura, quam principem, cujus doctrina omnibus potest prodesse subjectis. Quod Octavianum Augustum, ac bonos dehinc principes libenter habuisse, frequentibus declaratur exemplis. Sic regnantium testimoniis crevit eloquentia, dum non culpatur audacia. Hac ego imitatione compulsus, dum considero clementiam vestram, auribus literarum magis ignoscere posse, quam cæteros, tanto inferiorem me antiquis scriptoribus esse vix sensi. licet in hoc opusculo, nec verborum concinnitas sit necessaria, nec acumen ingenii, sed labor diligens ac fidelis: ut ea quæ apud diversos historicos, vel armorum disciplinam docentes, dispersa & involuta celantur, pro utilitate Romana proferantur in medium. De delectu igitur atq; exercitatione tyronum, per quosdam gradus & titulos antiquam consuetudinem conamur ostendere. Non quo tibi, Imperator invicte, ista videantur incognita, sed ut quæ sponte pro reipub. salute disponis, agnoscas olim custodisse Romani imperii conditores: & in hoc parvo libello, quicquid de maximis rebus, semperq; necessariis requirendum credis, invenias. *Prologo de re militari.*

¶ Portarum.

Martialis lib. 2. Epig. 86.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Martialis lib. 3. Epigr. 9.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Martialis lib. 6. Epigr. 60.

Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur:
Sed fama non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multis tineas pascunt blattasq; deserti?
Et redimunt soles carmina docta coci?
Nescio quid plus est, quod donat sæcula chartis.
Victurus. Genium debet habere liber.

Ausonius Epigr. 9.

Nostro simul Varriis certant Epigrammata nugis.
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum,
Ludat permissis sobria Musa jocis.

Incertus de Corn. Celso.

Distantes medici quandoq; & Apollinis artes,
Musas Romano jussimus ore loqui.
Nec minus est nobis per pauca volumina fama,
Quam quos nulla satis bibliotheca capit.

¶ Emblematum.

Batillius 44.

Digna laboratis respondent præmia curis.

Praxitelis servus labor est, sed gloria felix
Quod jam de Pario marmore surgit opus,
Cui tamen imber edax, cui vel subducat honores
Flamma suos, & quod sternat iniqua dies.
Sed docta durant vivuntq; in sæcula charta,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.
Hinc super ipse sua moliri laude laborem
Discat, & adjectos exigere usque suas,
Ingenua quisquis Phœbi clarescit ab arte,
Cui sunt & dotes, ingeniique vigor.
Quo magè difficilis labor est, hoc & magis idem
Fertilis, & tanto gloria maior erit.

Batillius 48.

In sciolos Doctorum Aristarchos.

Ut catuli, quem non audent invadere, canis
Huic imas vestes morsibus exagitant:
Sic indocta tuos potuit carpsisse libellos,
Docte senex, non te vincere turba potest.

Vivitur ingenio. Emblemate 29.

Regna cadunt, urbes pereunt, nec quæ fuit olim
Roma manet, prater nomen inane, nihil.
Sola tamen rerum, doctis quæsita libellis,
Effugiunt structos Fama decusq; rogos.

Floren. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Salomon: Faciendi multos libros, inquit, nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni. Summa rei est, his omnibus auditis, Deum ipsum reverere, & præcepta ejus observa: quia hoc est totum hominis. *Eccl. 12. 14. 15.*

Theophilus Cyprius: Rogatus à quodã, cur libros Origenis, quos condemnaverat, de integro amplexaretur? respondit, libros Origenis similes esse prato omnibus florum generibus referto. Idcirco, inquit, si quid reperio in illis boni, illud decerpo: sin spinosi, quicquã, hoc, utpote aculeis pungens, missum facio. *Socr. hist. eccl lib. 6. c. 15.*

Dionisius Alexandrinus: Ego in scriptis & traditionibus hereticorum versatus sum, opinionibus eorum impurissimis aliquantum animum meum polluens; utilitatem autem illam ab eis ca-

piens, ut facilius eos apud meipsum refellam atq; repudiem, magisque etiam execrer atque detester. Atque equidem frater quidam presbyter ab eis legendis me arcebat, quod vereretur ne in cœno malitiæ una cum illis involverer, neve anima mea noxam & perniciem contraheret. Eumq; quum vera dicere sentirem, visio quædam divinitus exhibita, & vox me confirmavit. Diserte namq; & clare mandavit, dicens, Omnes versato, quos in manus acceperis, libros. Disquirere enim, castigare, & explorare omnia potes, quæ tibi etiam ab initio fidei complectendæ causa fuit, &c. *Nicephor. eccles. hist. lib. 6. cap. 8.*

Antonius Eremita: Ex sapientibus quidam Antonium Justum conveniens, Quomodo, inquit, in monastica vita perdurare potes, qui consolatione ea quæ ex libris percipitur careas? At liber meus, ô Philosophe, (respondit Antonius) natura ipsa rerum creatarum est. in eis, quum mihi visum est, oracula Dei legere licet. *Niceph. eccles. histor. lib. 11. cap. 43.*

Episcopi quidam: Dicebant respuendam esse eorum librorum lectionem, quæ plus nocitura esset insipientibus, quam profutura sapientibus. *Sulp. Severus, dialog. 1.*

Basilius Magnus: Quomodo libri gentilium & secularium scriptorum legendi sint ab adolescentibus, copiose & eleganter docet, libro qui primo tomo ejus operum extat, cujus epilogus hic est: Memores simus ejus qui dixit, Oportere quemq; optimam eligere vitam, jucunditatem vero illius expectandam esse ex usu rerum optimarum.

¶ Apophthegm. Christianor.

Pius V. Pont. Nullum esse Librum tam malum, qui non aliqua sui parte prodesset, dicebat Plinius. Quo factum, ut Pius Pont. ejus nominis quintus, dum apud eum quispiam magni pretii gemmas supra modum extolleret, manu in Libros extensa diceret: *Ex in his vera gemma.* Corozetus.

Martinus Silicæus Archiep. Tolet. Nec minus laudabile est quod de Archipræsule Martino Silicæo, præclaro suo testimonio adfirmat R.P. Andreas Schottus. Ille enim ut erat prudentia scientiaq; clarissimus, unde & studiorum Philippi II. Hisp. Regis Catholici magister institutus; dum ad bibliopolarum tabernas librorum comparandorum gratia se conferret, haud umquam passus eos per famulos deferri: quin ipse suismet brachiis dulce onus sustinebat. Urgentibus vero amicis, aliis concederet: *Non fecero*, respondebat. *Libri me honorarunt, quid ni eos vicissim gestando honorem?*

Pius II. Pont. Max. Sed non omnium Librorum eadem est utilitas: quidam enim licet honestatis aut modestiæ colorem præ se ferant, turpium flagitiorum veri præcones sunt: &, in Tuscul. Cicero, molliunt animos nostros, nervos omnes virtutis elidũt. Quod cum non ignoraret Pius II. Pont. & meminisset per ætatem juvenilem excidisse sibi quædam non satis modesta, quæ sub nomine Æneæ Sylvii (hoc enim ante Pontificatum gerebat) in lucem prodierant: graviter pœnitens, hoc unicè laboravit, ut isti veluti monstrosi partus supprimerentur: omnesq; rogabat, ut posterius consilium priori temeritati anteferrent. dicebat autem: *Sens magis quam juveni credite. nec privatum hominem pluris quam Pontificem facite. Æneam rejecite, Pium suscipite.* Vos etiam Rectores, vos Patres, pestiferam hanc segetem stirpitus evellite, & memoria retinete illud Ovidianum:

Eloquar invitus, teneros ne tange Poetas:
Submoveo doces impius ipse meas.

Guiliel. Baldesanus in Stim. virt. adolesc. cap. 13. lib. 1.

Iulianus Imp. Apostata: At vero utilium librorum usum & oblectamentum, veluti quodvis aliud bonum, Christiano populo invidebat, postquam à Religione desciviisset, Julianus. utpote jam Deo exosus, cavit ne ulli Galilæorum filii (ita Christicolas vocabat) Poetarum, Rhetorum, aut Philosophorum scripta legere aut penes se retinere præsumerent. Rogatus causam, hanc dedit: *Quia propriis (ut est in Proverbio) pennis vulneramur: ex nostris enim armati conscriptionibus, in nos bellum suscipiunt.* Sozom. histor. Tripart. lib. 6. cap. 17.

Alphonsus Aragonum Rex: Percontanti, quinam forent optimi consiliarii, *Mortui*, inquiebat, Libros designans; *ab his enim sine metu, sine gratia, quæ nosse cupimus, fideliter audimus.* Æn. Syl. de Dict. ejusd.

Idem: Cum de Neapolitanâ arce restaurandâ cogitaret, Vitruvii de Architecturâ librum ad se deferri jussit. Qui cum totus incomptus & illigatus deferretur; *Non decet*, inquiebat, *Librum hunc, qui nos quo modo contegamur instruit, detectum esse.* quare eum usui coaptari, & decenter vestiri mandavit. *Panor. lib. 1. de Gest. ejusd.*

Laurentius Medices: Aliud insuper de Laurentio Medices, à Joan. Brantio nostræ urbis Graphiario ex ejusdem laudatione funebri observatum, adjungo. Ille enim tanto amore Libros & Librorũ cultorès prosequebatur, ut sæpenumerò auditus sit dicere: *Optarem ea mihi à Nicolao Leoniceno & Ioanne Pico* (viris probitate ac eruditione conspicuis) *addi incitamenta ad emendos libros, ut necessariis deficientibus, ipsam tandem supellectilem oppignorare cõpellerer.* Ita divite librorum supellectile gaudebat, quorum non utpleriq; tantum spectaculo, sed & studio perfruebatur.

Thomas Morus: Carceri inclusus, quod Henrici VIII. decretis dissentiret, totos dies revolvendis piorum scriptis transigebat. Invidit rex improbus, & librorum copiam eripi mandat. At ille, obseratis fenestris, soli Deo vacabat. Percontantiq;, quid ita in tenebris moraretur; *Quid me agere vultis?* inquit. *Nonne sublatis mercibus, claudenda est officina?* Libros merces appellat, quod per illos quavis dignitates & honores mercemur. *N. Sanderus lib. 1. de Schism. Anglic. Thom. Staplet. in Vita.*

Anonymus: Venerat ad Collegium quoddam illiteratorum hominum: quorum Bibliothecam, quæ admodum erat instructa, nisi quod libros omnes catena undequaque vinctos detineret, dum ingressus esset, ait:

Haud secus ac duro fugitivos carcere servat
Vestra catenatos Bibliotheca libros.
Quid mirum, si nulla viget doctrina, colendi
Doctrina auctores hic ubi vincla gerunt?

Ex relatis Auctori.

Nobilis Anonymus: Claudebam hoc agmen, nisi alius ut genere, ita etiam hac laude nobilis interveniisset. Hic enim non ita pridem doctam hanc mercem comparaturus, dum ad Bibliopolam veniisset, & is moram solvendi pretii indulgeret, noluit eam sibi gratiam præstari; & in egregium illum sermonem erumpens, *Parum*, inquiebat, *æquum id foret. Aliarum enim mercium, quæ solum corporis aut voluptati aut necessitati deserviunt, pretium honestè ac tuto differatur: at Librorum, quibus animus ipse pascitur ac reficitur, præstantia, præsenti pecunia compensanda est.* ita veræ Nobilitatis, quæ in sola eruditione & virtute consistit, custodes & magistros (Libros appello) æstimare doctus, alios suomet, licet raro, exemplo ad imitandum provocabat. *Ex relatis auctori.*

Aulici Anonymi: Diversi à priori illo hi. Inter aulæ strepitus versabantur assidue, &, ut nobilitas ea solet, armorum non litterarum studio invigilabant. Unde cum Joannes II. Hildesheimensium Præsul, illius muneris suscepisset gubernacula, dictosq; suos Nobiles de Bibliotheca interrogaret, quo otio litterario quandoq; sibi vacare liceret, ostenderunt ei armamentarium, &, *Non hic*, respondent, *aliam Bibliothecam requiras oportet. Ex hac enim libros desumes, quibus & hostem à te repellas, & Episcopatus tuus jura & immunitatem conserves.* Quam dispar eorum mens ab illo, qui ex libris arma & armorum jura se didicisse gloriabatur. *Brusch. in Episcop. German.*

¶ Monosticha Trochaica.

Æschyli Dionysio nil prosunt pugillaria.
Consulas periculose vivos, tuto mortuos.
Cum fide summa magistri cuncta muti perdocent.
Doctior non fis abundes optimis quamquam libris.
E libris peritia hausta, disciplina almum est genus.
Impium est minus furari mortui amictum quam libros.
In librorum lectione maxima est jucunditas.
Liberè atq; tempestivè consulunt semper libri.
Maximè libri delectant liberiq; parvuli.
Mutum adi magistrum, vocis viva ubi penuria est.
Nulla libro oblectamenta dulciora serio.
Pallade absq; parturire luce dignum mens nequit.
Parte prodest qualicunq; pessimus quamvis liber.
Persium non curo legere: Lalium Decimum volo.

¶ Jambica.

Diis templa: libros consecres potentibus.
Discentem onerat librorum turba, haud instruit.
Iam publicata oratio, res libera est.
Liber placebit cui fuit comes labor.
Multum profecit, valde cus Cicero placet.
Mutare dominum non potest notus liber.
Nati magistri cum fide summa docent.
Quo major, hoc & melior est, liber bonus.
Regem ô beatum mortuos qui consulit!
Sine periculo scientia oritur è libris.
Ut vultus in speculo in libro sic mens patet.

Licentiæ.

¶ Sententiæ Patrum

Ennodius: Solent aliquos erigere ad despectum boni operis, patrocinia culparum, & qui de sapore laudis alieni sunt, de licentiæ fruge gratulari. At te quæ istarum rerum invenit sectatorem. *Dictione 20. m.*

¶ Oratorum Græcorum.

Libanius: Ad eum qui dictitat, mihi vires suppetere, brevis oratio sufficit. nam si ea statim facerent homines quorũ illis facultas est, aliquid tyranno contuli, perperam egi, mulctæ sum obnoxius, accipite: at si voluntas operib. non imperat, hoc sane posse nihil promovet. cum nolueris iniquè egisti: itaq; quomodo justum foret in eum animadvertere qui solum potuit. gubernatori facillimum est navem cautibus allisam perdere, numquid tamẽ hoc faciunt gubernatores? minime quare, quia nolunt. sacerdotib. facillimũ est omnibus illudere per execrationes. nũquid verò in hoc delinquunt (saltẽ qui improbi

non sunt) hoc ipso quod possunt? minime gentium. Judicibus non justa decernere facillimum est: sed quia justa potiora sunt, æquam ferunt sententiam. Et quid necesse est alia dicendo persequi? An ad famulum determinentem interficiendum & ad filium suffocandum, & ad semet ipsum jugulandum, magno labore multoque negotio opus est? At quid hoc, Judices, magis expedite fit? igitur quisq; nostrum hoc & illud fecit. quidam vero omnia deinceps? Atqui sic oporteret, sipuidem persuadendi vim haberet ipsa potestas faciendi. Verumenimvero ipse vires homini voluntatem non inserunt: sed voluntas ubique potestati subministrat. *Declamat. 28.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Tu portò quidquid licet, statim putas esse faciendum: quidquid asperrimum leges, quidquid crudelissimũ habent jura, occupas. *& supra*: Ego non. hanc interpretationem istius verbi video; ut jura spectanda sint: sed illud aliquando uti justitia spectetur. *Declamatione 251.*

Calpurnius Flaccus: Nihil ei licet in quem non licet. *Controversia 4. m.*

Calpurnius Flaccus: Libuit & licuit. Cujus hæc, an regis oratio est? erat arbiter judicii sui, sed minister alieni. *Declamat. 16. m.*

Plinius Iunior: Multum licentiæ pravis ingeniis adjicit illa fiducia, Quis enim sciet? *lib. 4. Epist. 25. ante finem.*

Ausonius: Multas & frequentes mihi gratiæ causas, & occasio subinde nata concinnat, & naturæ suæ facilitas benigna conciliat, Paulinefili. nam quia nihil poscente me abundis, magis acuis procaciam quam retundis. *Epist. 22.*

¶ Fabula.

Aesops Hirundo & Aves: Hirundo avium convocata concione, monuit optimum esse ut homines non offenderent, sed pacta amicitia, benevolè erga eos afficerentur. Hirundini contradixit avium quædam; quin potius lini semen disperdamus devorantes, consumamusque? ne inposterum sit, unde retia nectant nobis. Hirundo verò omnium sentiens optimè, sine periculo mansit, in urbibus cõe morata, in ædibus pariens apud homines; nulloque ab iis damno afficitur. Cæteris verò, semen dum comedere sustinent, quasi linum esset malorum causa, pingue scere contigit; indeque meliori de causa ab hominibus capti & devorari. sic hanc sustinentes imprudentiã, penituit non cum hominibus mansisse, sed in aere volasse.

¶ Monosticha Trochaica.

Actibus licentiam omnem Rex tuis extermina.
Arduum est sibi moderari maxima in licentia.
Comminuitur servitute, licentia crescit spiritus.
Cui licet quod vult, fere idem plus sibi vult quam decet.
Cuncta quæ potes, patrare; non est virtus, est furor.
Dat senectus orbitasq; plurimum licentiæ.
Ecquis est qui fas nefasque negligat, quoniam licet?
Est fenestra iniquitatis largior licentia.
Heu miserrimum cui omne quod libet simul licet!
Iam diu usurpata jus fit atque æquum licentia.
In malum magnum nimia, omnis corruit licentia.
Iustitia studium vix ullum est in magna licentia.
Libertas aliud profecto longè quam licentia est.
Mox in omnes, orta à paucis, diditur licentia.
Multa quæ civi cuicunque, non tamen regi licent.
Multa regi illicita nobis quæ licent vel maxime.
Non agendum id est probo omne quod potest quod & licet.
Omne vindicandum, aut remittendum non est, quod licet
Optimos quoque decolorat fortuna licentia.
Orta à paucis mox in omnes diditur licentia.
Pessimum est domi foriq; vivere ex libidine.
Plurimi in suo valoris gallus sterquilinio est.
Plurimum differt libertas ab licentia effera.
Plurimum licentiarum senii præbet gloria.
Pro licito habetur omne quod jam publicum.
Quadam quæ licent, mutato tempore, aut loco, haud licẽt.
Quam minimum ijs libere debet, plurimum quibus licet
Qui nihil facit licenter cum potest, nunquam cupit.
Spiritum induunt hostilem plus quibus licentia.
Suspicatur id libido dulcius quod non licet
Tunc nihil libere, cuncta cum licet, modestia est.

¶ Jambica.

Audacia omnis crescit à licentia.
Circa puteum haud saltatur absque pericula.
Contra bonos malis datur licentia.
Corrumpit omnes longior licentia.
Funestus usque finis est licentia.
Haud cuncta oportet fieri statim quæ licent.
Hoc plus verere, quo tibi Rex plus licet.
Ibi scelus ferè est ubi licentia est.
Id facere laus est, quod decet, non quod licet.
In quem nihil non est licitum, ei nihil licet.
In urbe major quam in castris licentia.
Inertis est nescire, quid liceat sibi.
Injuriarum mater est licentia.
Liceat Neroni facere quod Seneca improbat.
Licentia nimia & adit in magnum malum.
Licentia pejores omnes reddimur.
Magis soluta est post vinum licentia.
Malis, sua est, pro legibus, licentia;
Minima, in fortuna maximâ, licentia est.
Minimum decet libere, cui multum licet.
Nimia in magnum malum & adit licentia.
Non illicitum est in quo haud timemus conscios.
Non omne oportet fieri, fieri quod licet.
Non omne oportet perpetrare quod licet.
Non omne quod licet cuiq; item expedit.
Quando licet probis plus, hoc minus libet.
Reputat malus quid liceat; quid deceat bonus.

Linguæ.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Non vox tatum modò eorum est, qui eam invenerunt, sed omnium, qui ejus sunt paticipes: nec ars ulla aut vitæ studium atque institutum, quodcumque cogitare volueris. Quin potius, quemadmodum in concentu artificioso & musico, alia quidem chorda alium sonum edit, prout videlicet, vel contenditur, vel remittitur, cæterum omnia minus ejusdemque sunt concinnatoris & artificis, atque ad unam quandam concentus elegantiam referuntur: ad eundem modum in his quoque rebus, licet artifex illud atque opifex verbum alium alius cujuspiam instituti vel artis inventorem elegerit, omnia tamen omnibus in mediũ proposuit: ut scilicet per societatem & communicationem ac benignitatem vitam nostram velut vinculis quibusdam astringeret, ac mitiorem redderet. Quid ais? tuum est Græcari? Quid? Nonne Phœnicum sunt literæ, vel ut nonnullis placet, Ægyptiorum, aut his adhuc sapientiorum Hebræorum, qui etiam, Legem in tabulis à Deo inscriptam esse persuasum habent? Tuum Atticè loqui? Quid? Calculis uti, & numerare, & digitis supputare, mensuræ item & põdera, atque ante hæc etiam aciei instructio & res militaris, cujus sunt nonne Eubeorum? si modo Eubæus erat ille multarum rerum inventor Palamedes, invidiaque ob id impetitus, atque adeo in judicium ob sapientiam vocatus, ab iisque, qui adversus Trojanos bellum gerebant, morte mulctatus. Quid igitur? Si Ægyptii, & Phœnices, & Hæbræi, quibus ad eruditionem nostram utimur, si qui Eubæam insulam incolunt, hæc, tanquam sua, juxta tua principia, vendicarint quid faciemus? aut quid ad eos causificari poterimus, nostrismet legibus capti atque constricti? Nonne eos omnino his rebus privari necesse erit, nobisque idem, quod graculo, evenire, hoc est, ut alienis plumis nobis detractis, nudi ipsi ac turpes simus. *Oratione tertia, quæ est in Iulianum stelisteutica prior.*

Chrysostomus: Propterea tibi os & linguam dedit Deus, ut Deo agas gratias, ut proximum ædifices. quod si ædificium destruas, melius est silere & nunquam loqui. *mox*: Hoc os est causa omniũ malorum: imo vero non os, sed qui eo malè utuntur. Hinc contumeliæ, maledicta, blasphemiæ, voluptatum fomites & incendia, cædes, adulteria, furta, omnia ex eo nascuntur. Et quomodo, inquit, cædes? A contumelia ad iram, ab ira ad plagas, à plagis ad cædem deveniſti. Quomodo adulterium? Hæc vel illa te, inquit, amat, boni quidpiam de te est locuta, robur tuum relaxavit. Deinde tibi sic quoque accenditur cupiditas. *Homilia 14. ad Ephesios.*

Isidorus Pelusiota: Tutæ philosophiæ lex, ac certæ & exactæ puritatis regula hæc nobis à divino viro Paulo præscripta est, ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram. Quamobrem si ipsius placita sequi studes, omnino autem sequeris, si Monasticam vitam colere cupis, linguæ celeritatẽm fræno coerce. Maximum enim terrenorum omnium membrorum lingua est, ut quæ ægrè retineri possit. *lib. 1. Epist 325.*

Idem: Charitatis tuæ quæstio ad hunc modum explicari potest. Beatus vir qui non est lapsus in lingua sua, hoc est ille, qui nec verborum obscœnitate ac turpitudine linguam suam commaculavit, nec cuiquam offensionis ansam per contumeliam præbuit. & non est stimulatus in tristitia delicti: nimirum vel pœnitentia ductus ob ea quæ inhoneste ac fœdè locutus est, vel quod aliquem contumeliosis verbis offenderit, ac propterea dolore atque animi compunctione opus habuerit. Optabilior est enim lapsus è pavimento, quam à lingua. Multi quippe, cum cecidissent, resurexerunt: ob prolatum autem sermonem interierunt. *lib. 11 Epist. 459.*

S. Isidorus Pelusiota: Geminam mihi videtur interpretationẽ, partim probabiliorem, partim vero acerbiorem, habere illud abste quæsitum: Lingua ignis est, mundus iniquitatis: maxime quidem, quia versatilis & lubrica est, multaque facile mala loquitur. Nam & accusat, & maledicit, & pejerat, & mentitur, & falsum dicit testimonium, & multos in ignem injustè conjicit, & in gladium & in mare impellit. Mundum autem solet vocare scriptura multitudinem, Nam (& Joannes Evangelista) inquit: Mundus eum non

cognovit: hoc est multitudo seu plebs. Lingua igitur, inquit, aut ignis est, multitudinem iniquè comburens, aut receptaculum multitudinis ignis injusti. Quia vero multi faventes improbitati, & iniquitatem honestâ specie exornantes, dicendi rhetoricâ facultate egregiè valentes in actionibus improbis & injustis, neque destituti orationum pulchram speciē habentium copiâ, non animadvertūt, quod adversus semetipsos calculum ferant, & istiusmodi orationibus specimen suæ animorum inductionis ad res malas propensæ proferunt; idcircò fortassis ipsos reprehendendi caussa hoc dixit: Lingua ignis est, mundus iniquitatis: Quasi diceret: Eloquentiæ & ornatè dictionis fax ubi eos qui graviter lapsi sunt exornat, fucum facere videtur veritati. Quare dicendi facultate non oportet abuti ad improbitatem ornandam, sed ad virtutem decorandam ea transferenda est, quæ quidem etiam absque orationibus suopte splendore prefulget. *lib.* 4. *Epistola* 10.

S. Asterius: Os etiam ac lingua contineantur, ut bona tantum & honesta promant, à fœtidis abstineant; à maledictis, inquam, sycophantiis, calumnia, contentione cum fratribus, ac blasphemia contra Deum; eorumque vice proferant atque enuncient quæcumque pia, quæcumque religiosa, quæ cumque bonorum operū caussæ & incentivum. ad summam, sit os inter ea quæ prosint. *Homilia de Oecon. iniquitatis.*

¶ Latinorum.

S. Valerianus: Falluntur qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius. quam autem ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. nihil enim tam noxium aut malitiosum, quod non viribus ejus minus sit, si se incitata semel lingua commoverit. Multa sunt quidem humani corporis vitia, & satis gravia, sed parum possunt consiliis virtutibusque suis, nisi sceleribus armentur alienis. sicut est crudelitas. quæ impietati servit & portas inferi cruenta mortis lege custodit. quid falsitas posset, si cupiditas otiosa dormiret. nam & ipse mortis exitus minor esset, si aut ferrum deficeret aut venenum. singulare autem malum est lingua, in qua tantum malitiæ robur exultat, ut in perficiendo opere suo alterius auxilium non requirat. Cohibenda ergo est: neque enim impune recedit, cum se in verborum procacitate jactaverit. nam commota flammas evomit, & cum nocere quærit, totum intrinsecus male conscium pectus incendit. *Homilia 5. de oris insolentia.*

S. Valerianus: Facilius, si necesse est, quilibet potest ferre armatas acies, & instructas rebus bellicis legiones, quam labiorum tela infixa pectoribus. Facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata. aut quare aliquis tantum gladio occisorū morti crudelitatis pondus imponat, cum aliquoties minora ibi sint pericula, ubi major est cruoris invidia? Difficilius autē semper sonatur quidquid extrinsecus collisionis includitur. Non difficile est profectò medico ulcera quamvis tumentia in oculis posita, herbarum beneficio castigata mollire. habet & vis veneni remedium suum; quod haustum quamvis in ultimo viscerum sese dominetur, salutaris tamen poculi unda perquiritur: in tantū ut miretur artifex scelerum, superveniente medicina nihil oris sui incantationem valuisse. linguæ verò insanabilis plaga est; quæ quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. *eadem adhuc Homilia.*

S. Valerianus: Quamvis aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate & sobrietate componat; nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat. *fine Homilia 5.*

Ennodius: Cum ceteris animalibus hebetata calligantium crassitudo sit sensuum, vernat in hoc dispositione Dominica hominum factura præstantior, quod sola uberius potest sentire factorem. quæ tamen cernuis est socianda recte pecudibus, si cœlestis ignara muneris, velut elinguis, beneficia divinitus concessa concludat. Nam ut absolvit a crimine in holocaustis mysticis non habere quod offeras: ita digna piaculo res est, offerenda subtrahere. Parili namque judicio censendus est, & qui nunquam loquitur per naturam, & qui quod loquitur, non reddit auctori. Idcirco, Domine stupendi hujus opifex elementi, aliquam tibi à nobis reddi credimus humili satisfactione particulam, quod totum cognoscimus nos debere. *Benedictione Cerei.*

¶ Philosophorum.

Lucianus: Temporibus primi Augusti, etiam tale quid accidisse dicitur. Hic enim cum aliquando litem quandam recte diremisset, hominemque calumniose accusatum maximo crimine absolvisset, ille gratias agens magna voce, gratiam inquit, habeo tibi Imperator, quod malè atque injustè judicasti. Ibi cum qui Augustum circumstabant, indignarentur, hominemque discerpere vellent. Desinite indignari, inquit ille: neque enim linguam ejus, sed animum examinare æquum est. Sic quidem ille. Tu verò, sive mentem spectes, plane benevolum me comperies: sive linguam, ipsa quoque bene ominatur. *prolapsus inter loquendum.*

Simocatta: Cum Peiræum heri noctu peragrarem, tuum amatorem cum Chrysippa conspexi, & adolescens facem tenebat, & ducebat, eos anus Habrocanum. Cum autem comitem præcedentem alloquerer, jussit tuus amator, ut tenebris res lateret. Quare neque juranti neque blandienti fidem habe. Nam utrinque est egregia linguæ delusio. *Epistola* 51.

Simocatta: Loris & flagello dirigimus equos, & navigamus aliquando velis navem explicantes, aliquando ancoris frenantes retinemus. Eadem gubernatio ad linguam adhibenda est Axioche, ut aliquando eam verbis armemus, aliquando silentio reprimamus. *Epist.* 70.

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 4. de animæ calamitatibus.

At rursum in lingua sita sunt per multa venena:
Dimedium vitiq; nam cita lingua tenet.
Iram lingua, malum nudum, evomit; iraq; rursum,
Cum caluit, mentem cogit abire gradu.
Aut contra occultans vulpinam in pectore fraudem,
Vulnerat ex molli leniter ore loquens.

D. Nazianzenus Carm. 54. de silentio jejunii tempore.

At certè lingua nihil exitialius usquam est.
Cursor equus semper, tela parata animis.
Omnia nemo videt: vicinaque sola prehendit
Nostra manus: totam nec pes obivit humum.
Non homicida labore caret: mœchumq; libido
Territat: est odio furibus atque diis.
Est labor in censu: teneo amittoque vicissim,
Vt cui compressa stringitur unda manu.
Æquoreum terrenum & iter, prædoque cruentus,
Invidiaque ardens alter amator opum.
Hæc auri cupidos incommoda cuncta fatigant.
Ærumnas insons denique sonsque ferunt.
At linguam nemo properantem ad verba represit,
Non nix, non scopulus, non homo, non fluvius.
In promptu jaculator, in arca sava sagitta:
Circulum & in crena nervus adactus habet.
Quas animus misit, volitant feriuntque sagittæ
Vivos, victuros, cum superisque homines,
Hæc æque incautos & cautos figit, amicos
Atque hostes, pravos vulnerat atque bonos:
Vicinos, procul & positos, ac denique nil non.
Qui domat hanc, sophiæ culmina prima tenet.
Hæc venire addicta ructat fœdissima multa,
Risum alii visu dignus ut ipse ferat,
Vibratus vibrans, simulacrum nobile turpans
Numinis, auribus hæc plurima tecta vomit.
Sæpe etiam sexcenta levis maledicta profundit,
Quæ, veluti spumam, projicit ira gravis.
Aut rursum facto blandissima pectore fatur,
Atque aliud labris, mente aliudque gerit:
Blanditiis plenæ voces, mendacia, fraudes.
Dicere quis linguæ cuncta venena queat?
Illa domos domibus committit, & urbibus urbes
Protinus. id nullo cumque labore facit.
Committit populum regi, dominumque subactis,
Vt stipulam incendit mox levis igniculus
Illa viros armat, parricidasque thori.
Illa malum insontem reddit, justumque nocentem.
Rursus id invertit, quis rogo tanta potest?
Lingua quidem parva est, at viribus omnia vincit,
O utinam illa malis protinus occideret.
Porro cum stultis fraudem ferat omnibus illa,
Est mage sacrificis exitiosa tamen.

Prudentius passione Romani.

Digna est fidelis lingua quæ sit hostia;
Interpres animi, enunciatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris.

Jo. Sarisberiensis prologo Policratici.

Libera donentur cunctis suffragia, teque
Iste bonum dicat, dicat & ille malū.
Si locus est liber, cur non sit libera lingua?
Nemo satis firmus quem levis aura movet.
Quid facient enses, si te levis aura cruentet?
Verba quidem non sunt verbera: verba times?
Linguarum strepitus solidam non transeat aurem.
Auris ineptanimis, quam sonus erit iners.
Exercent alii linguas: tibi pareat auris:
Lingua quidem prodest, non tamen aure magis.
Illis in lingua mens est: tibi sit cor in aure.
Ospatulum sit eis; auris aperta tibi.
Obice virtutis confringitur impetus oris,
Et lingua stimulo mens male sana perit.
Nemo nisi vanus falso lætatur honore:
Conscia mens culpæ, quam mala dicta movent.
Frons adamante tibi sit durior, igne perusta
Sit cutis, à verbis ne notet ora rubor.

Plena

Plena pudoretamen, qualem decet illius esse,
Qui timeat vitij sorditus esse nota.
Alterius linguam dic quis moderatur habenas?
Vix est qui propria possit habere modum.
Lubrica sæpe cadit, quoniam versatur in udo:
Sæpe cadens labem contrahit atque notam.
Inter multiloquos & gaudia verba serentes,
Esto tardiloquus, estoque pauca loquens.
Dum linguas acuunt alij, tibi calleat auris,
Et sit Dulichio remige surda magis.
Nec tantum valeat temeraria lingua loquentis,
Pectoris ut possit rumpere claustra tui.
Si patiens fueris, nunquam tibi verba nocebunt.
Turbator quetua nemo quietis erit.
Excutiet pacem, quam dat patientia, nullus.
Si licet exeremus, conterit arma tamen.
Vt tantur linguis; tu viribus utere mentis.
Si sapis, a linguis gloria magna venit.
Nam qua sit doctrina viri, sapientia monstrat,
Imbellique manu bella nefanda premit.
Quis ferat armatam, qua sola triumphat inermis?
Armatamq; manum vincere sola potest.
Vir patiens forti melior: minor esse triumphis
Vrbis, quam mentis dicitur, est q; minor.

Plautus Curcul. 5. sc. 3. v. 25.

—— Tibi permittimus
Dum quidem hercle testa judices, ne quisquam à me argentum auferat.
M. Quod ne promisisti? C. qui promisi? P. Lingua. C. eadem nunc nego:
Dicendi, non rem perdendi hac gratia nata est mihi.

Plautus Rudente 2. sc. 6 v. 73.

Quid stulte plorat? tibi quidem pol copia est,
Dum lingua vivet, quæ rem solvat omnibus.

Plautus Rudente 5. sc. 1. v. 47.

Per Venerem hanc jurandum est tibi. L. quid jurem? G. quod jubebo.
L. Prai verbis quidvis, id quod domi est, nulli unquam supplicabo.

Ibidem v. 65.

Si maxime mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobolum;
Mens arbitratus est, lingua quid juret mea.

¶ Apologi.

De Aquila & Testudine. Anonymus.

Pes Aquilæ, prædo testudinis, æra scindit.
Hanc sua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu cornix aquilam præmunit ineptum,
Fers onus, hoc fiet utile, crede mihi.
Quod geris in concha cibus est: tibi subripit illum
Concha cibum; conchamfrange, cibusque cadet.
Vt concham lanies, pro viribus utere sensu:
Hanc, si celsa cadit, saxea frangit humus.
De se tutus homo, subversus turbine lingua
Corruit; & forteis ista procella rapit.

¶ Emblematis.

Had. Junius Emblemate 41.

Pigram quid alvum comprimis cava manu,
Quid uda labra, quid salax inguen Scytha?
Abdominis studium, & gravem luxum fuge,
Linguamque frena prodigam vel maxime.

Batillius 186.

Nescit vox missa reverti.

Elapsa è manibus pennis procul evolat ales,
Inque manus iterum non reditura, fugit,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum:
Sub clavi linguam disce tenere tuam.

Camerarius 44. Centur. 1

Concordia cordis & oris.

Persea fert cordis fructus, folia æmula linguæ:
Outinam in cunctis hæc bene juncta forent.

Camerarius 8. Centuriæ 3.

Dum detonet imber. *Aquila anguem rostro tenens.*

Nubila si fuerint, sapienter comprime linguam,
Tunc loquere, illuxit si qua serena dies.

Camerarius 41. Centur 4.

Quiescens lædit. *Pastinaca piscis aculeus.*

Sæva venenata cautus fuge spicula lingua,
Plus ea quam ferro vulnera facta dolent.

Camerarius 61. Centur. 4.

Prædæ patet esca sui.

Ex lingua vitam, ex lingua haurit Purpura mortem,
Lingua homini & vitam præbet & interitum.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Salomon: Linguâ nullo modo peccandum esse docet Eccles. 5. 5. 6. *Linguæ sapientis laus* proponitur, Prov. 10. 20. &c. & 12. 18 & 15. 4. & 18. 20. 21. & 20. 15. & 21. 23. & 25. 11. *Ejus utilitas*, Prov. 12. 14. *Sobrietas*, Prover. 17. 27. 28. *Lingua sapientum latens auditur*, Eccles. 9. 17. & 10. 12. 13 *Linguæ temeritas fugienda*, Prov. 13. 3. *Linguâ ne præcurrat mentem*, Prov. 15. 28. & 16. 23. & 18. 3. 13. & 29. 20. *De multiloquio*, Prov. 10. 19. Eccles. 6. 11. *Linguæ improborum ruina illis est*, Prov. 14 3. & 18. 7. & 22. 14. *Stulta loquitur*, Prov. 15. 2. 7. *Lites serit*, Prov. 18. 6.

D. Iacobus Apostolus: Si quis, inquit, putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Item*, In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, perfectus est vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus. Lingua modicum quidem membrum est, & sublimia loquitur. Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit! Et lingua flâma est, & mundus iniquitatis: constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans rotam genituræ nostræ, & inflammata à gehenna. Linguam nullus hominum domare potest: malum est quod coercere non possis: plena est veneno mortifero. *Iacob.* 1. & 3. *cap.*

D. Petrus Apostolus: Qui vult, inquit, vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquātur dolum. 1. *Petr.* 3. 20.

¶ Monosticha Trochaica.

A necessitate summa, lingua facta libera est.
Æde eadem non senescunt lingua vera ac subdola.
Continenda ubique lingua; maxime in convivio.
Contra heros mutrire servis saltem in angulis licet.
Frons aperta, lingua parca, clausa mens, regnum tenent.
In temet potissimum armas linguam, ubi armas improbos.
Libera linguâ loquemur ludis Liberalibus.
Liberas amare linguas Regis non nisi optimi est.
Liberas voces profari liberum civem decet.
Libere loqui virile est: servit assentatio.
Libero ore quis loquetur, si negatum id est viris?
Liberum cuique est tacere, liberumque dicere.
Lingua cuique corpore omni sola vivit nequior.
Lingua dicendi, haud perdendi rem nata homini gratia.
Lingua gravius castigatur Persis, ullum quam probrum.
Linguares quidem pusilla, maximi at parens mali est
Linguares quidem est pusilla; at pares nil viribus.
Lingua telo pejor omni: corpori hoc, anima illa obest.
Linguarabies, vilitasque morum ubique est obvia.
Non tam attende lingua, quam quid lingua origo animus velit.
Novit & tempus loquendi, recte qui novit loqui.
Nulla linguæ, vitæ sordes elusit, procacitas.
Optimum in loco tacere est, optimum in loco loqui est.
Plus potest sentire pectus quam queat linguæ eloqui.
Robur omne in lingua cuivis est repostum femina est.
Seminarium est rixarum libera lingua tenor.
Vbi arma non sunt, ibi loquariis liberè.
Victima miseria dant animum ad loquendum liberè.

¶ Jambica.

A mente nunquam lingua desidet probo.
Christum loquenti lingua nunquam defuit.
Cum sæpe lingua aberret, parce ea utere.
Custodienda lingua in mensa maxime.
Est lingua cunctis armis telum promptius.
Frenum adplicare lingua, haud est cujuslibet.
Frequentius multo est loqui male quam bene.
Frustra ligata lingua armatur dextera.
Gustu sapores lingua summa percipit.
In libera urbe ferto linguas liberas.
Infrenis oris fructus, infelicitas.
Liberi oris homines lauda, obnoxiique spernito.
Lingua optima est, lingua est res pessima.
Lingua aurium que maxima est cognatio.
Lingua mala Oscus omnis est, quam vis silet.
Lingua superba triste semper præmium est.
Lingua temeritas demum ad ferrum pervenit.
Magis ligatur lingua victis quam manus.
Mala lingua quem carpit, meliorem esse indicat.
Maliloqua lingua mentis judicium est mala.
Omnes ijs succensent verum qui loquuntur liberè.
Pareſiastes verba liberè facit.
Peculiaris lingua genti cuilibet.
Periculosum est libere lingua loqui.
Perculosum ubiq; est libere loqui.
Plerisque lingua dat malis originem.
Plerosque lingua funditus pessum dedit.
Plures mala sunt homines lingua quam bona.
Quandoque dicunt & mala linguæ bene.
Quem lingua docta, ignava fermè dextera est.

Qui

Quis lubricum linguæ facile ad pœnam trahat?
Saporibus lingua una cunctis regula est.
Sensum tuum sequatur lingua factuum.
Sermone quæ peccamus re ipsa pendimus.
Te patere vinci lingua, si re vincere.
Viros oportet ore libero loqui.
Vix audiunt vocem ullam Reges liberam.
Vocem esse oportet liberorum liberam.
Vt quisque animo est ignarus, ore item est procax.
Vtilius homini nil est, quam rectè loqui.
Vulgo magis male loquimur, quo licet minus.

Litis.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Chrysostomus*: Ipsi quoque patroni externorum judiciorum millies hæc dicunt, melius esse toris lites componere, quam accedere judicem. *Homilia 16. ad Corinthios. 1*

Chrysostomus: Quomodo non est absurdum, si domi quidem sit contentio nullum vocare externum, sed erubescere si quæ fiunt spargantur apud externos: ubi est autem ecclesia arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia foras efferri? *Homilia 16. ad Chorint. 1.*

S Isidorus Pelusiota: Qui paupertate ad negotium aliis libenter exhibendum abutitur, is non modo indignus est qui misericordiam consequatur, sed etiam odium promeretur. Nam pro eo quod quietem agens obsecrare debebat, ipse contra accusationes concinnat. Quam etiam ob causam Scriptura sanxit, ne quis pauperis in judicio misereatur: non quod ei misericordiam impediri nolit, sed quod eum sycophantam agere prohibeat. Nam si ille supplicis specie missa facta, litigatoris personam assumere adeat, jus apud judicem superiores partes ferat. Etenim quidem is qui in judicium vocatus est, ac causam obtinuit, post victoriam ei, qui causa cecidit, facilem ac misericordem se præbere potest: at non item æquum est, ut is, penes quem sententiæ arbitrium ac potestas est, jus ipsum labefactet. *lib, 3. Epist. 298.*

¶ Latinorum.

Chrysologus: Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones: & Christus circa quingentos annos nativitatis suæ causas præstat, ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones? *Sermone 145. f.*

¶ Oratorum Græcorum.

Lysias: Nisi magna res esset, de qua disceptatur, Judices, nunquam hos accedere ad vos permisissem; quod existimarem turpissimum esse, cum familiaribus contendere. Scio enim non solum eos, qui injuriam faciunt nequiores à nobis haberi; sed & illos, qui rea liqua fraudati à propinquis id moderatè ferre nequeunt. Cum igitur Judices, magnis opibus privati sint, &, à quibus minimè conveniebat, gravia passi ad me affinem suum confugerint; non potui ipsorum patrocinium nonsuscipere. Habeo enim horum sororem [in uxorem] neptem Diagitonis: Multis idcirco precibus petii ab ambobus, ac in primis suasi, ut amicorum arbitrio rem permitterent; quod magni faciendum putarem, si horum negotia nulli aliorum essent cognita. Sed postquam Diagiton nulli amicorum fidere ausus est in his, quæ apertis rationibus habere convincebatur, maluitque in judicium trahi, & excogitatis causis aliis negotium facessere, extremaque exspectare pericula; quam æquitate observata, controversiis, quas cum his habebat, liberari: rogo vos, ut pro æquitatis ratione his succurratis. *initio Orat. 32 contra Diogitonem.*

Isæus: Permolestum ut odio te habeant, quibuscum versari conventusque celebrare necesse est. Adhæc cum multis litigare noxiū est. magnam enim partem eos vera dicere multitudo sibi persuadet. *apud Halicarnassæum cap. 11. judicio de Isæo.*

Halicarnassæus: Quotquot de arte præcepta conscripsere, præcipiunt, ut quando cum consanguineis causa controvertitur videant actores, ne ipsi maligni & malitiosi & aliis negotium ultro facescere voluisse videantur *capite 26. de Oratoribus antiquis.*

Iulianus Imp. Cum exiguis admodum terminis vita hominum circumscribatur, jucundum est exiguo saltem tempore tranquillè & quietè vivere: horribile autem & periculosum in ipso fori conspectu causam perire, & ad posteros non definitam transmitti: ut melius esse videatur, boni quocunque modo dimidium obtinere, quā de toto dimicantes perire. At urbes istas immortales, nisi quis integre judicabit, omnemque controversiam dirimet, sempiternas inimicitias gerere necesse est. Grave autem odium esse solet, quod tēporis longinquitas confirmavit. Dixi, ajunt rhetores, nunc de causa, ut æquum erit, statuito. *fine Epist. 36.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Non existimabam tam asperam illam dissensionem, nec veram esse litem, quæ ad filium ducebatur. videbamini mihi quærere intercessorem. *Declamatione 300. m.*

Symmachus: Difficilis est exitus verum jurgiorum. Res enim multis agitata judiciis, & actionum varietate, & cognoscentium motu, & personarum mutationibus implicatur. *lib. 10. Ep. 32.*

Symmachus: Facit plerumque ratio aut fortuna causarum, ut in controversiis alter æquitate, alter jure nitatur. Tunc humano labāte consilio, deliberatio Cognitoris ad clementiæ vestræ recurrit oraculum, D. Imperator. Quod etiam præsentis negocii qualitas deposcit. *lib. 10. Epist. 52. pr.*

Symmachus: Difficile est ut bona causa sit, cujus actio in jus alterius desperatione transfertur. *lib. 10. Epist. 45.*

¶ Poetarum.

D. Nazianzenus Carm. 1. de rebus suis.

Tum circa turbas animum versare forenses,
Litibus atque Dies miseris impendere totos,
Oppositisque gravas dictis miscere tumultus,
Ac legum implicitum laqueis mala plurima ferre.
Hæc labor, hæc infesta acies, Hæc sæpe malorum
Caussam bonam superat. Qui vero legibus esse
Præsidio debent, horum venalis utrisque
Et pretio est addicta fides. ita sit modo dives,
Improbus est meliore loco victorque recedit.
Quis nam inter tales homines, nisi Numinis adsit
Gratia, tot fraudes, quis tot mendacia vitet?
Aut etenim volucris fuga suscipiatur oportet,
Omnia linquantur, malis, aut pectora chara
Multiplici errorum fœdari labe necesse est:
Vt qui se flammæ propius junxere vapori,
Aut flammæ aut fumi referunt in corpore signa.

Plautus Aulularię 4. sc. 10. v. 37.

I refer, dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fures mihi, molestus non ero. i vero refer!

Plautus captivis Prologo v. 63.

Proinde si quis pugnam expectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus, adversarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inpectet non bonam;
Adeo ut spectare postea omnes oderit.

Plautus Persa 5. sc 2. v. 20.

——*Stultitia est cui bene esse licet eum pravorti*
Litibus, posterius isthæc te magis par agere est.

Terentius Adelph. 2. sc. 2.

Vt ut hæc sunt facta; potius quam lites sequar,
Meum mihi reddat, saltem quanti empta est, Syre!

Terentius Phorm. 2. sc. 2.

Etsi facta mihi injuria est, verum tamen
Potius quam lites sector, minas quinq; accipe

Eadem 4. sc 3.

Vides, inter vos si hæc potius cum bona
Vt componantur gratia, quam cum mala.
Herus liberalis est, & fugitans litium.

Ausonius in Monasyllabis.

Vexat amicitias, & fœdera dissociat lis.

Ausonius Edyll. 2. ubi pater ejus loquitur.

Litibus abstinui: non auxi, non minui rem.
Iudice me nullus, sed neque teste perit.

¶ Emblematis.

Catsius Emblemate nuptiali 19.

In amore, mendax iracundia.

Rixa licet subeat, nihil est, mihi crede, periclī:
Mira loquor, tenero lis in amore valet.
Incedens numerat vestigia pauca retrorsum
Histrio, cum docta fortius arre salit.
Quoq; magis nervum retrotrahit ipse Cupido,
Altius hoc pueros missa sagitta ferit.
Prælia pugna duces, lis prælia jugit amantes
Arctius; idque suis Cypria Martis habet.
Adde quod & calidas incendere porfuit iras,
Vt videas quanta bile tumescat amans.
Ira dabit juvenem patulo tibi corde videndum:
Vix aliquis mentem, cum subit illa, tegit.

¶ Apophthegmatum Christianor.

Pius II. *Pont.* Litium & Contentionum omnium, quæ charitatis mutuæ vincula disrumpunt, hostis acerrimus fuit Pius II. Pont. quem de illis non rarò jocatum fuisse, auctor est Platina: *Litigatores sunt aves; forum, area; judicium, rete; aucupes vero, Patroni.* Platina in Vita,

Carolus IX. *Gall. Rex*: Sed & de iis qui lites proscribere studuerunt, Carolus Nonus in Gallia nuper fuit. Is huic prurigini sistendæ pecuniarium vectigal excogitavit, illudq; ita edixit: *Quicumque litem ordietur, dependito in fiscum Regium duos aureos: recipiendos si jure litigasse judicetur; sin aliter, omittendos.* At leve nimis remedium in tam grandia & vetera mala. *I. Lipsi. Mon. Polit. lib. 2. cap. 10.*

¶ Monosticha Trochaica.

Audiente Rege, causas aqua mente perdimus.
Copiam tui haud libenter præbeas jurgantibus.

Est

Est fugienda haud provocanda cuncta lis mortalibus.
Esuriunt quidam aeibis solum, ut satsenter litibus.
Fortis es careque lingua? si sapis, lite abstine.
Lis contentiosa nullo non loco est determinis.
Litis atq; aeris alieni, certa miseria est comes.
Litigans cum plebe, se ipsum, non eam malo afficit.
Litigantis pramium est victoria, haud conscientia.
Litigare cum tyranno vita si caro est, cave.
Litigare ditiorum est, pauperum est quiescere.
Lex ubi pudorque regnant, vis ibi ac lis exulat.
Partium jura ubi eadem sunt, nil est controversia.
Qua lex cogit tacitum caussam tradere adversario?
Stultitia est, bene cui licet esse, eum praforti litibus.
Vis cauis rixare? tenue os inter ipsos abijce.

¶ Jambica.

Damno coercere litis contumaciam.
Et hydra sectio firmior fit corpore.
Incendia summa initiis levibus excites.
Iustoria inopia, litium auget copiam.
Litem antegressam vir sopit prastantior.
Litem facit meliorem constetatio.
Litem in suam rem vertere est turpissimum.
Lites sequi hostitem haud facile est nec utile.
Migrat lis omnis ut migrat pecunia.
Ne quarere litem, fugere litem si potes.
Non est suus qui litigat, sed judicis.
Qui litigat cum Rege, vult sibi malum.
Rerum omnium qua in orbe sunt, lis est parens.
Suavissima omnis post litem concordia est.

Literarum.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

Joh. Sarisberiensis: Jucundissimus cum in multis, tum in eo maximè est literarum fructus, quòd omnium interstitiorum loci & temporis exclusa molestia, amicorum sibi invicem præsentiam exhibent, & res scitu dignas, situ aboleri non patiuntur. Nam & artes perierant, evanuerant jura, fidei & totius religionis officia quæque corruerant, ipseque recti fecerat usus eloquii, nisi remedium infirmitatis humanæ, litterarum usum mortalibus divina miseratio procurasset. Exempla majorum, quæ sunt incitamenta & fomenta virtutis, nullum omnino erigerent aut servarent, nisi pia sollicitudo scriptorum, & triumphatrix inertiæ diligentia, eadem ad posteros transmisisset. Siquidem vita brevis, sensus hebes, negligentiæ torpor, inutilis occupatio, nos paucula scire permittunt: & eadem jugiter excutit & avellit ab animo fraudatrix scientiæ, inimica & infida semper memoriæ noverca, oblivio. Quis enim Alexandros sciret aut Cæsares, quis Soticos aut Peripateticos miraretur, nisi eos insignirent monumenta scriptorum? Quis Apostolorum & Prophetarum amplexanda imitaretur vestigia, nisi eos posteritati divinæ cõsecrassent? Arcos triumphales tunc perficiunt illustribus viris ad gloriam, cum ex quibus causis, & quorum sint, impressa docet inscriptio. Liberatorem patriæ, fundatorem quietis, tum demum inspector agnoscit, cum titulus triumphatorem, quem nostra Britania genuit, indicat Constantinum. Nullus enim constanti unquam gloria claruit, nisi ex suo, vel scripto alieno. Eadem est asini, & cujusvis Imperatoris post modicum tempus gloria; nisi quatenus memoria alterutrius, scriptorum beneficio prorogatur. Quot & quantos arbitraris fuisse reges, de quibus sermo nusquam est, aut cogitatio? Nihil ergo consiliosius est captatoribus gloriæ, quam literatorum & scribentium maximè gratiam promereri. Inutiliter enim eis geruntur egregia, perpetuis tenebris obducenda; nisi literarum luce claresant. Quicquid favoris aut præconiorum aliunde contrahitur, perinde est, ac si Echo quam audis in fabulis, plausus excipiat theatrales; desinit enim cum cæperit. Ad hæc in dolore solatium, recreatio in labore, in paupertate jucunditas, molestia in divitiis & delitiis, fidelissimè à literis mutuatur. Nam à vitiis redimitur animus, & suavi & mira quadam, etiam in adversis, jucunditate reficitur, cum ad legendum vel scribendum utilia, mentis intendit acumen. Nullam in rebus humanis jucundiorem, aut utiliorem occupationem invenies: nisi forte divinitus compuncta devotio orando divinis insistat colloquiis, aut corde per charitatem dilatato, Deum mente concipiat, & magnalia ejus apud se quasi quadam meditationis manu pertractet. Experto crede, quia omnia mundi dulcia his collata exercitiis, amarescunt; eo quidem magis, quo cuique sensus integrior, & ratio incorrupta judicii purioris viget acumine *lib. 1. Policratici prologo.*

Io. Sarisberiensis: Romanos imperatores aut Duces, dum eorũ Respubl. viguit, illiteratos extitisse non memini. nescio quomodo contigit, quod ex quo Principibus virtus languet literarum, armatæ quoquæ militiæ infirmata est manus, & ipsius principatus quasi excisa radix. nec mirum: sine sapientia nullus stare aut esse valet principatus. hinc asseruit Socrates tunc demum respublicas fore beatas, si eas philosophi regerent, aut rectores earum studere sapientiæ cõtigisset. *lib. 4. Policratici cap. 6.*

¶ Oratorum.

Aristides Rhetor: Totus vitæ fructus & quasi summa, in litteris homini consistit. *Oratione in Æsculapium.*

Plinius Iunior: Et gaudium mihi & solatium in literis; nihilq; tam lætum quod his lætius; nihil tam triste quod non per has sit minus triste. itaque & infirmitate uxoris, & meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus, ad, unicum doloris levamentum, studia confugio; quæ præstant ut adversa magis intelligam, sed patientius feram. *Epistola 19. libri. 8.*

Idem: Si quando nunc intende libro meo quem cum hac epistola accipies; quia vereor ne ipse, ut tristis, parum attenderim. imperare enim dolori ut scribere potui, ut vacuo animo lætoque, non potui. porro ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. *fine ejusdem epistola.*

¶ Poetarum.

Phædrus fabella 64.

Noli molestus esse omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

¶ Monosticha Trochaica.

Absque literis incompta natura omnia sunt bona.
Ad mentem bonam per amplis literis nulli est opus
Condiunt secunda, tristes leniunt res litera.
Continentia comites sunt non luxuria litera
Despicit homines Deosque literas qui despicit.
Gemma regis, nobili aurum, plebs argentum litera.
Indicium alta nobilitatis: est novisse literas.
Inter amantes literarum optata sunt comercia.
Ludis omnis sunt nutrices, imo matres, litera.
Litera atque orationes Hyemis sunt fructus macra.
Litera cui sunt opesque curæ met fieri Deus?
Litera & sibi molestis exhibent molestiam.
Litera secunda honestant, litera adversa adjuvant.
Literarum disciplinas gloria atque honos aluns.
Literis molestus ipsis est sibi molestior.
Literis quidem periculum, nulla sed mors imminet.
Literis solere pectus ex amore saucium.
Literas artesque optimum mentis ajo pabulum.
Literas didicisti: quando scis, sine alios discere.
Literæ paucas requirit mens bona: ipsa a se lavit.
Literatos certa vita perpolit modestia.
Mentis est satis superq; literas colentibus.
Multis in literis minore opera sunt quam jactantia
Nulla res fuit beata publica absque literis.
Ornamenta hominum sunt maxima, & solatia litera.
Palladi nocet inocenti qui nocet scolastico.
Parcius peccant honestis instituti literis.
Principem locum adsequare quaque in urbe literis.
Quale mundus absque Sole, tale anima absque literis.
Rari amore literario incalescunt divites.
Sudoris comites sociaq; sunt laboris litera.
Vita nobis à natura est; bona vita est à literis.
Vix potest stomacho valere cui volup sunt litera.
Vix quis inservire possit & libris & conjugi.

¶ Jambica.

An vivere possem, in literis nisi viverem?
Illiterati quod vident id non vident.
Marsupium minimè sequuntur litera.
Præsidia vita sunt aterna, litera.
Qui literas didicere, plus duplo vident.
Quid literarum est dulcius comercio?
Vir literatus duplo acutius videt.

Livoris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

Chrysostomus: Ac sanè præstat serpentem in visceribus provolutum habere, quam invidiam internè serpentem. etenim ille, & medicamentorum auxilio sæpe evomi, & alimenti ope mitigari potest: at invidia, non in visceribus sese volutat, sed in animæ sinu versatur. eaque est hujus morbi natura, ut ægrè deleri atque extingui possit. Ac serpens intus conditus corpora humana haud quaquam attigerit siquidem ipsi alimentum apponatur: at invidia, etiamsi sexcentas ei mensas apposueris, animam ipsam arrodit, undecumque mordens, vellicans, trahens: neque ullum solatii genus reperire est cujus ope atque adjumento furorem compescat, uno dumtaxat excepto, nempe ut ei, qui prosperis rerum successibus utitur, calamitas aliqua accidat. Nam hac demum ratione morbus remittitur. Imò ne sic quidem. Nam etiamsi ille incommodo aliquo afficiatur, alterius tamen res lætas ac secundas cernens, in

iisdem

iisdem doloribus hæret: atque ubique vulnera, ubique plagæ. Neq; enim fieri potest, ut qui in terra degit, neminem videat, quocum prædlarè ac feliciter agatur. Tantaque est hujus morbi magnitudo, ut etiamsi quis lese domi incluserit, priscis etiam hominibus vita functis invideat. *Homilia 27 ad Corinth. 2.*

Chrysostomus: Invidia velut pernitiosa quædam radix, iracundiam, accusationem, arrogantiam, atque alia omnia parit, ab iisq; vicissim amplius augetur *Homilia 28. ad Chorinthios 2.*

¶ Monosticha Trochaica.

A camœnarum viretis livor omnis exulat.
Æs edit rubigo, livor invidum, dis pauperem.
Buperit Livor; malo suo, alteriusque stem bonis.
Est malis multis sibi ipsi livor est vel pessimus.
Est sibi ipsi angina livor; strangulat semet manu.
Hoc magus se livor exeat, quo mage vult male alteri.
In Camœnarum viretis Livor ullus non venit
Mitigat suprema vita pausa lividentem Deam
Lividi dant principatum pessimis non optimis.
Livor atque Tempus omni de re acerbè judicant.
Livor in semet bacchatur dum vult ladere amulum.
Nemini livet profectò, nemini nocet Deus.
Nox Livor vivent ibus modò invidet, sed mortuis.
Non modo vivis molestus livor, est mortuis.
Noxios oculos Liboris splendidum nil effugit.
Optimum in Livore est, ipsi quod sibimet pessimum est.
Plurimi livent: sed antest ceteros inertia.
Plus favet Livor vetustis, quam bonis præsentibus.
Plus nocet livor sibi, ipsis quam quibus male invidet
Quis ferat bene alterum? ipsum ferre livor se nequit.

¶ Jambica.

Ærugo ferrum, corda livor excedit.
Amicus esse non potes si es lividus.
Ecquando non livor bonis trux obstrepit.
Etiam ipse longâ solvitur Livor morâ.
Guttur sibi ipse utraq; augit Livor manu.
Haud livor ullus in virum cadit bonum.
Haud conserit livor manum cum imbellibus.
Honesta Livor ut premat, non opprimet.
Incognitum Liventia, quod utile est.
Livere debet nemo, certè non senex.
Livet ferè clam quisque adulatus palam.
Livor caret mente, auribus livor caret.
Livor pedisequus non est nisi felicium.
Livor stupor que signa sunt anima improba.
Livor suis ipsum sese armis conficit.
Livor suimet semper obstat commodis.
Livor suomet ipse se ferro induit.
Livor supremarum & comes virtutium est.
Liboris exsors nulla vis sapientia est.
Liboris expers ianua est Hyanthidum.
Longaque tandem solvitur livor Mora.
Mordere livor luce functos haud solet.
Multis malus livor, sibi est deterrimus.
Nunquam addidit quid, cuncta livor detrahit.
Nunquam choro comprehenditur livor Deum.
Nunquam Senatui interest Livor Deum.
Plus peregrino homini livor quam civi nocet.
Queis accubat livor vita illis splendida est.
Solenne habet livor, bonis ut obstrepat.
Suismet armis ipse livor interit.
Tandemq; se armis conficit livor suis
Tandem supremo fine livorem domes
Virtutis atque gloria livor comes.
Vivos fatigat, mortuos livor colit.
Vix abstrepit livor malis, bonos terit.

Videantur plura titulo *Invidiæ*.

Loci.

¶ SENTENTIÆ GRÆCORUM.

Aristides Rhetor: Quem ex omnibus Deus, ut saluberrimum & purissimum elegit locum, ac beneficiis suis illustrissimum reddidit, is utrique omniũ est per orbem pulcerrimus. quãquam etenim quibus in singulis locis nati sunt initio, etiam hæc in honore sunt ob hoc ipsum habenda, quod Deos receperint; illud tamen, longè majus est, quod ipsa ab usque Epidauro, huc profectus Deus, maximè amavit hunc locum, atque ostendit eum se, cum delectum, tum ceteris prælatum deinceps incolere. *in Æsculapij puteum.*

Philostratus: Tu autem fortasse minus vitium esse putas in Babylonia quam Athenis; aut in Pythiis, aut olympiis peccare; neque existimas sapienti viro ubique etiam Græciam, neque ullam ei desertam aut barbaram regionem, inani existimatione atque opinione ducendam esse, cum semper in oculis Virtutis vivat; & homines perpaucos adspiciat, cum infinitos penè videat. Quod si quempiam athletam offenderes luctam aut pugillatoriam artem exercentem, num commendatione aliqua dignum putares, nisi cum Olimpia vicisset, in Arcadiam proficisceretur? aut generosum ipsum fortemque diceres, nisi etiam in Pithiis ac Nemeis corpus exerceret? quia ludi celeberrimi sunt, & magno Græcorum studio coluntur. Quod si forte propter captas urbes Philippus, aut filius ejus Alexãder ob victorias, sacra olympia faceret; nũ athletã illum minorẽ corporis curã habiturum aut remissius certaturum arbitraris, quod propterea in Olyntho aut in Macedonia, sive Ægypto certandum esset, & non in Græcia, atque ibidem existentibus stadiis? *lib. 1. Apollonii cap. 22.*

¶ Poetarum.

Plautus Amphitr. 2. sc. 1. v. 16.

Tunc id dicere audes, quod nemo unquam homo ante hac
Vidit, nemo potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?

Plautus Amphitr. 2. sc. 1. v. 55.

Quo id malũ pacto potest (nam mecum argumentis puta)
Fieri? nunc ubi tu hic sis & domi; id dici volo.

¶ Apologi.

Phoedrus Fab. *18* Mulier parturiens.

Nemo libenter recolit, qui lasit, locum.
Instante partu mulier actis mensibus,
Humo jacebat flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus corpus lecto reciperet,
Onus natura melius quo deponeret.
Minimè, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

¶ Monosticha Trochaica.

A loco fortuna prospera, à loco pendet mala.
Cedo, si hac urbe abis, amorem te hei cre lictu rum putas?
Grandis est locus, virtutum qui capit totum gregem
In salo rerum potitur Delphin, in solo interit.
Ingenium bonum malum ve quem facit, minimè locus.
Isthmos occupato, dives esso si vis ac potens.
Laudabilia etiam sordescunt, sedem sortita haud suam.
Non minus loci potest quam temporis importunitas.
Non potest loco teneri qui omni habetur in loco.
Noxium in terris animal, sub undis est innoxium.
Nupta amat locum maritus illi ubi zonam abstulit.
Pro loco mores hominum sunt, stirpumque semina.
Quei locus sit parvus, in quo turba ingens virtutium est?
Quis libens locum frequentet passus est ubi malum?
Sede qua stet, nil moratur mentis excelsa Cato.
Sunt loco in pusillo multi, unus aut alter mali.
Tempore uno idem ut duobus sit locis homo simul?
Vt bonum vultus, locorum sit faciem haud mutaverit.

¶ Jambica.

Bene vivere omni cuilibet positum est loco.
Duobus unus esse non potest locis.
Et in Lucrino seriis sunt Consules.
Etiam in Lucrino vir maneat frugi bonus.
Felicitas felix minus propter locum est.
Felicitatem nullus homini aufert locus.
Fiscus loco, vel magnas spernat copias.
Fortuna belli item mutatur cum loco.
Hominum ingenia asperitas etiam durat loci.
Honestiorem quem locus scamni facit?
Hostem locorum contemnat fiducia.
Loci auxilio persæpe vincit paucitas.
Locum occupas medium? occupas dignissimum.
Magnus videtur nanus e loco edito.
Mentis gravitatem nullus discutit locus.
Multum quidem locus, sed plus virtus juvat
Nemo libenter recolit, qui lasit locum.
Nihil eodem quo genitum est loco manet.
Nil ipsa acerbi affert loci mutatio.
Nullus locus Dei absque providentia est.
Nullus virum locus bonum corruperit.
Omni loco virtus quoque omnis nascitur.
Paludinosis ne moreris in locis.
Plus sæpe quam hostis vexat asperitas loci.
Pro munimento sæpe loci est angustia.
Quam vis vetustum arbustum transferri potest.
Sunt magna multa, maximum sed est Locus.
Virtus loco vincat vel adversissimo.
Vix ulli ingenium commutatur cum loco.

Longa-

Longanimitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Gregor. Nyſſenus*: Si ex animo ſuperbiam exemeris, occaſionem iracundiæ non habebit, contumelia enim & ignominia talis infirmitatis iraſcētibus cauſſa exiſtit ignominia autem non movetur qui ſeſe animi demiſſione moderatur. nam ſi quis cogitationem ab humana fraude puram habeat, & vilitatem naturæ quam adeptus eſt cernat à quali initio ortus ſit, & in quem finem hujus vitæ brevis fluxus atq; curſus tendat. & carni conjunctus ſordes, naturæq; inopiam, quod ea nimirum per ſe ſufficiens non ſit ad ſui conſervationem, niſi copia brutorum animalium ſuppleat quod deeſt: adhæc moleſtias, luctus, calamitates, & omnimodas morbor. formas, à quibus nemo liber eſt: hæc ſi quis puro animi oculo cernat, haud facile ad honorum defectus excandeſcet. nam ad divitias gloriari, aut genus oſtentare, aut ad gloriam ſpectare, aut ſupra proximum eſſe videri quibus complentur honores humani, hæc omnia ſubverſio & dedecus animæ honoris exiſtunt; ut nemo circumſpectus animæ puritatem tali re contaminare ſuſtinuerit. ita autem affectum eſſe, nil eſt quam in profundo habitu animi humilitatis eſſe: qua confecta, nullum iracundia aditum ad eum habebit: ſed quieta erit vita ac placida; quam nihil aliud niſi lenitas eſt *Homil. 2. ſine de beatitudd.*

Chryſoſtomus: Si manſuetudinem oſtenderemus, inſuperabiles eſſemus omnibus, neq; ei et quiſpiam hominum ſive parvus ſive magnus, qui vel tantillum nocere poſſet. Sive enim quis malediceret, te nullo, ſeipſum vero maximo damno afficeret: ſive injuriam inferet incommodum in illius ſinum redundaret, qui injuriam feciſſet. Non vides, quo modo in foro qui injuriam paſſi ſunt, ſplendidi appareant, multaq; fiducia liberè loquantur: qui vero injuriam intulerant, cum pudore ac timore demiſſo ſint capite? Et quid de accuſatione & injuria dico? Etiam ſi gladium adverſus te acuerit inimicus, dexteramq; ſuam in guttur tuum immerſerit: te quidem neq; ſic aliquid læſit, ſeipſum vero occidit. Atq; huic ſermoni teſtimonium feret, qui primus fraterna dextera interfectus eſt. Nam ipſe quidem ad tranquillæ ſedis portum, immortalem adeptus gloriam, conceſſit: alter verò vitam quavis morte miſeriorem vixit, ſuſpirans ac tremens, inq; ſuo ipſius corpore facti reprehenſionem circumferens. Non itaq; iſtud, ſed illud perſequamur. Qui enim malè adficitur, non habet ſtabile domi ſuæ malum. Non enim ipſe malum peperit, ſed aliunde acceptum, in bonum patientia ſua mutavit: malum vero faciens, in ſeipſo malitiæ plagam habet. *Homil. 22. ad Romanos, circa finem.*

D. Chryſoſtomus: Lenitas & patientia ſunt arma quædam inexpugnabilia, & turris quædam quæ rumpi non poteſt, facile propulſans quæcumq; ſunt moleſta & quomodo quæ in abyſſum ceciderit ſcintilla, illā quidem non lædit, ipſa a facile extinguitur: ita quod in lenem ac patientem animam inopinatum inciderit & inexpectatū, ipſum quidem facile deletur & evaneſcit, ipſam autē non conturbat. Rebus enim omnibus validior ac fortior eſt lenitas ac patientia: etiamſi dicas caſtra, etiamſi pecunias, etiamſi equos, etiāſi muros, etiāſi arma, etiamſi quodlibet; nihil dices, quod poſſit cōparari cum lenitate & patientia. Nam qui illis fuerit indutus ac tectus, ab ira ſuperans, ſæpe tanquā vilis & ignavus adoleſcētulus, evertitur, tumultuq; & tempeſtate implet omnia. Hic a tanquā in portu ſedens profunda fruitur tranquillitate: & ſi in damnum injeceris, nō movebis rupem; & ſi contumeliam intorſeris, non labefactabis turrim; & ſi plagas inflixeris, non feries adamātem. Lenis enim ac patiens propterea dicitur Μακρόθυμος, id eſt longanimis, quòd longam quandam & magnam habeat animam. Nam quod eſt longum, dicitur etiam magnum. Sed hoc bonum naſcitur à charitate; & iis qui poſſident, & iis qui acceperunt, magnam afferens utilitatem. *Homil. 33. ad Corinthios* 1.

D. Chryſoſtomus: Ob Deum offenſum, cujus tot in nos beneficia extant acerbos gemitus emittamus: nec quia in juriis à nobis laceſſitus lenem ac longanimem ſe præbet, idcirco fidentem animum præferamus; verum ob id quoq; ipſum diſtorqueamur. Non etiā apud homines cum quis impacta ſibi in dextrā maxillam alapa, ſiniſtram quoq; feriēdam præbet; majorē ultionem ſumit, quā ſi mille plagas adverſario influxiſſet: & cum maledictis impetitus, non modo maledicta non regerit, ſed etiā convitiatori ſuo fauſta precatur; gravius eum ferit, quam ſi ſexcentis eum probris aſperſiſſet. Quod ſi in hominibus hoc uſu venire conſpicimus, ut cum is, quem injuria affecimus, lenem ſe nobis ac facilem præbet, erubeſcamus ipſi: quanto magis in Deo metuendum eſt, qui peccandi finem non faciunt, nec tamen quidquam adverſi patiuntur. Si quidem in capitis ipſorum perniciem ejuſmodi cruciatus aſſervantur, qui nulla oratione explicari poſſunt. *ſine Homil. 11. ad Corinth. 2.*

D. Chryſoſtomus: Quoniam fieri non poteſt, ut homo vivat abſq; defectu, admonet ne rigidi ſint expenſores alienorum delictorum, ſed tolerent etiam proximorum defectus, ut & ipſorum delicta tolerentur ab aliis. Sicut enim in ſtructura domus non omnes lapides eundem habent locum: ſed hic quidem in angulum eſt accommodus, ad fundamenta non item; ille contra ad fundamenta commodus eſt, non item ad angulum: itidem ſanè eſt in corpore quod eſt Eccleſia. Quin & in noſtra carne licet idem cernere: attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requirimus. Nam ex communi facta collectio, & corpus & ædificium conſtituit. *cap. 6. ad Galatas.*

Chryſoſtomus: Longanimitate utimur inter nos: patientia adverſus externos longanimus enim ac lenis eſt quiſpiam in eos quos etiā poteſt ulciſci. Suffert aūt & tolerat eos quos non poteſt ulciſci. propterea rn Deo quidem nunquam dicitur patientia, longanimitas vero & lenitas ſæpe. *Homil. 2. ad Coloſſ.*

D. Chryſoſtomus: Non vides quot dieb. ſingulis Deus blaſphemiis impetitur? quot injurias ſuſtinet & à fidelibus & infidelibus, verbis ſimul atq; operibus? Quid igitur? Num idcirco Solis extinxit radios? Num ideo lunā ſolito curſu coercuit? num diſrupit cœlum, & terræ fundamenta concuſſit? Nunquid exſiccavit mare, ac fontes aquarū areſcere fecit? Num aera & cætera elementa permiſcuit? Nequaquā. Sed cōtra penitus, & Solem oriri facit, & pluvias imbreſq; largitur, atq; ex humo annua alimenta miniſtrat inſenſatis, blaſphemis, ſceleratis, perſequutoribus, non uno tantū die, vel duobus, aut trib. ſed per omnem penitus vitam. Hunc igitur imitare, hunc pro humanis viribus æmulare. Non potes Solem oriri facere? maledictis abſtine: non potes largos imbres perfundere? cōviciis deſiſte: non potes alimenta indigentibus miniſtrare? violentiam fuge, ſufficit ſi hæc Deo offeras munera. Dei nempe beneficia per opera in hoſtes ipſius emanant: tu vel verbis hoc facito, pro inimicis ora: ita patri tuo, qui in cælis eſt, ſimilis fies. *Homil. 6. ad Timoth.* 1.

Iſidorus Peluſiota: Audaces ad omnia & temerarios animos, pericula & perpetui terrores comitantur: lenes contra & manſuetos, laudes & honores, ac præſidentia. Quamobrem, niſi rectum de rebus judicium amentia perdidiſti, ſcelerata parte miſſa facta, ad meliorem te adjunge. *lib 1. Epiſt. 231.*

S. Iſidorus Peluſiota: Revera vir longanimis multus in prudentia. Dictus enim eſt ex eo, quòd amplum quendam & magnum habeat animum, quiq; à nemine redargui poſſit: quin etiam iram, omnib. affectibus & perturbationibus acriorem vehementioremq;, & quæ cogitationes quoq; lateat, & ratiocinationes ſaltu antevertat, freno compeſcere, intraq; ſuos terminos concludere norit. Cui magnanimo ex adverſo etiam oppoſuit puſillanimum, dicens: Puſillanimus autem valde inſipiens eſt. Nam qui ob animi parvitatem ab omnibus animi perturbationibus agitatur, vehementer excors eſt. *lib. 4. Epiſt. 152.*

¶ ORATORUM.

Quintilianus Senior: Sed illud interim vereor, ne tyrānus ex me petat famam lenitatis. habet enim apud malos quoq; multum auctoritatis virtus, & fortitan hoc ille ambitioſe faciet, ut poteſtate contentus ſit. *Declamat. 253. a. f.*

Longævitatis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM

D. *Nazianzenus*: Nonne idem pulvis paullo poſt erimus? nonne ex paucis his diebus qui reſtant, hoc ſolum lucrifaciamus, ut plura mala partim videamus, partim patiamur, partim etiam fortaſſe faciamus; atq; ita tandem ipſi quoq; naturæ lege commune ac firmum & ſtabile tributum pendamus, atque alios ſequamur, alios præcedamus, ab aliis lugeamur, munuſq; lacrimarum, quod aliis contulimus, ab aliis recipiamus? *Oratione* 10. *in funere fratris.*

¶ PHILOSOPHORUM.

Luciani: In ſomnis clariſſime Quintille, hoc juſſus, Longævos tibi donum offero. Quod quidem ſomnium jam olim vidi, & amicis expoſui, quo die filio tuo natu minori nomen indidiſti. Cum autem nulla conjectura potuiſſem aſſequi, quoſnam longævos me tibi offerre juberet Deus: tum quidem à Diis precatus ſum, ut vitam quam longiſſimam, tuq; & tui filii traduceretis, ratus hoc profuturum cum univerſo generi hominum, tum præ cæteris, mihi meiſq; omnibus. Nam boni quidpiam mihi præſignificare videbatur Deus.

Conſideranti autem apud me, venit in mentem, veriſimile eſſe Deos mihi in liberalibus diſciplinis verſanti præcepiſſe, ut profectū ex artibus ingenuis donum tibi offerrem. Ratus itaq; hanc eſſe auſpicatiſſimam tuorum natalitiorum diem, eos tibi do, quos ad longam ſenectutem ſana mente, & integris corporis viribus perveniſſe memoriæ proditum eſt. Etenim ex hoc libello duplicem utilitatem percipere poſſis: unam, animi alacritatem bona ſpe concepta, fieri poſſe ut quam diutiſſimè vivas: alteram, inſtitutionem ab exemplis ſi comperias, eos qui maximam ſui curam habuerūt, cum corporis, tum animi ratione, ad ſummam ſenectutem cum perfecta ſanitate perveniſſe. Homerus igitur Neſtorem Achivorum ſapientiſſimum vitam tribus ſæculis produxiſſe dicit: quem nobis & animo & corpore optimè exercitatum commendat. Et Tireſiam vatem poetæ tragici ad ſex uſq; ætates ævum prorogaſſe perhibent.

Credibile autem eſt virum Diis ſacrum, & puriori victus ratione utentem Tireſiam, longiſſima vita fuiſſe functum. Quinetiam tota hominum genera propter victus rationem diu vixiſſe memorantur: cujuſmodi fuerunt apud Ægyptios ſacri ſcribæ: apud Aſſyrios, & Arabas,

rabas, fabularũ interpretes: apud Indos Brachmanes accuratè Philoſophiæ ſtudiis vacantes. Præterea quos Magos vocant, genus illud fatidicum, Diiſq; ſacrum, apud Perſas, Parthos, Bactrios, Choraſmios, Areos, Sacas, Medos, & pleraſq; alias gentes barbaras, & firma coporis valetudine ſunt præditi, & longævi, quod quia magicam exercent, exquiſitiſſima victus ratione utantur. Quinetiam totæ gentes longiſſimam vitam vivunt. Ut Seres ad trecenteſimum uſq; annum vivere ferunt: cujus rei cauſam nonnulli cœlo, nonnulli ſolo tribuunt: alii victus rationi: ſiquidem univerſam hanc gentem aquam bibere dicunt.

Scriptum etiam eſt Athotas vivere centum & triginta annos. Et fama eſt Chaldæos ultra centum annos vitam prorogare: eoſq; hordeaceo pane veſci, tanquam perſpicacitatis pharmaco: quibus perhibent ob hanc ipſam victus rationem alios quoq; ſenſus quam cæteris omnibus eſſe validiores. Sed hæc de hominum generibus, & gentibus longævis, quas plurimum ætatis ajunt vivere, alii ob cœlum, & ſolum: alii ob victus rationem, alii ob utrumque.

At jure meliorem ſpem tibi præbuero, ſi planum fecero homines quovis in ſolo, & cœlo, ad ſummam ſenectutem pervenire, qui cõvenientibus exercitationibus, & aptiſſima victus ratione utuntur ad ſanitatem. Sermonem autem dividam primo ſecundum hominum ſtudia: & primum regia & imperatoria dignitate claros memorabo: quorum unum, quum religioſiſſima magni diviniſſimi Imperatoris fortuna ad perfectiſſimum ordinem perduxiſſet, maximis beneficiis imperium ſuum cumulavit. Sic enim & tu ſimilem habitum & fortunam longævorum virorum reſpiciens, ſanam longamq; ſenectutem ſperare poſſis: eoſq; imitatus tibi ipſi victus ratione, longiſſimam & ſaluberrimam vitam paraveris.

Numa Pompilius Romanorum regum longè fœliciſſimus, ac Deorum cultui deditiſſimus, ſupra octoginta annos vixiſſe traditur. Servius Tullius quoq; & hic Romanorum rex octogeſimum vitæ annum ſuperaſſe dicitur. Tarquinius Romanorum rex ultimus Cumis exulans, ultra nonaginta annos firmiſſima valetudine fruendo vixiſſe perhibetur. Hi quidem ſunt Romanorum reges, quibus reliquos reges addam, qui longam ſenectutem attigerunt, atque uniuſcujuſq; ſtudia. In calce autem reliquos etiam Romanorum qui ad prolixiſſimam ſenectutem pervenerunt, adſcribam, additis etiam illis qui in reliqua Italia diutiſſimè vixerunt.

Non contemnendum enim argumentum eſt hiſtoria, quo refellantur qui hoc cœlum calumniari nituntur: adeò ut meliorem ſpem habeamus, fore ut voti plenè compotes fiamus, longiſſimam tota terra mariq; dominantem ſenectutem, jamq; in ſuo ſolo regnantem & ſeneſcentem aſſequuti.

Proinde Arganthonius Tarteſiorum rex quinquaginta & centum annos vixiſſe traditur, authoribus Herodoto hiſtorico, & Anacreonte poeta lyrico: tametſi hoc quibuſdã fabuloſum videtur. Agathocles Siciliæ tyrannus anno quinto & nongeſimo obiit, ſicut Demochares & Timæus literis prodiderunt. Hieron quoq; Syracuſanorum tyrannus, duos & nonaginta annos natus, morbo ſublatus eſt; cũ regnaſſet annos ſeptuaginta, ſicut Demetrius Calliſtianus, & alii memorant. Anteas autem Scytharum rex, ad fluvium Iſtrum contra Philippum pugnans occubuit, ſupra annos nonaginta natus. Bardylis vero rex Illyriorum, in bello adverſus Philippum ex equo pugnaſſe fertur, inter nonagenarios cenſus. Teres vero Dryſorum rex, authore Theopompo, anno ætatis nonageſimo ſecundo obiit. Antigonus autem Philippi filius monoculus, rex Macedonum, in Phrygia cum Seleuco & Lyſimacho confligens, multis vulneribus obrutus obiit anno ætatis octogeſimo primo, ſicut narrat Hieronymus qui cum ipſo militavit. Porro Lyſimachus & ipſe rex Macedoniæ in pugna contra Seleucum periit, annum octogeſimum conficiens, ut refert idem Hieronymus. Antigonus vero filius Demetrii, Antigoni unoculi nepos, quatuor & quadraginta annos regnũ Macedoniæ tenuit, vixit autem octoginta, ſicut Medius & alii ſcriptores teſtantur. Conſimiliter Antipater, qui maxima potentia polluit, & multorum Macedoniæ regum tutelam egit, vita ultra octogeſimum annum producta obiit. Ptolemæus Lagi filius, regum ſui temporis fœliciſſimus, Ægypto imperavit annos quatuor & octoginta natus: vivus autem tradidit imperium duobus annis antequam moreretur Ptolemæo filio, cognomine Philadelpho, qui ſucceſſit in paternum regnum fratrum. Philæterus autem qui primus Pergami principatum tenuit & poſſedit cum eſſet eunuchus annos octoginta natus exceſſit è vivis. Attalus cognomento Philadelphus, rex etiam Pergamenorum, ad quem etiam Scipio Romanorum imperator venit, duos & octoginta annos natus è vita migravit. Mithridates rex Ponti, Ctiſtes cognominatus, Antigonum unioculum fugiens, in Ponto mortuus eſt, ætatis anno quarto & octogeſimo, ut Hieronymus, aliiq; ſcriptores memoriæ prodiderunt. Rex Cappadocũ Ariarathes, duos annos & octoginta vixit, authore Hieronymo. Et fortè fieri potuiſſet ætate provectior, niſi vivus in pugna contra Perdiccã captus, cruci fuiſſet affixus. Cyrus major Perſarũ rex, ut indicant Perſarum & Aſſyriorum cippi, quibus & Oneſicritus qui res geſtas Alexandri conſcripſit, aſtipulari videtur, centum annos natus, amicorũ unumquemq; quærebat, quorum quamplurimos cum à filio Cambyſe interemptos comperiſſet: ac Cambyſes hoc ſe illius juſſu feciſſe affirmaret, partim ob filii crudelitatem probro affectus, partim ipſum tanquam legum violatore accuſans, dolorem confectus vitam finivis. Artaxerxes cognomento Mnemon, contra quem Cyrus frater exercitum duxit, imperio Perſarum potiens, morbo ſublatus eſt anno ætatis ſexto & octogeſimo: ſed ut Dinon ſcribit, quarto & nonageſimo. Artaxerxes alter Perſarum rex, quem patrum ſuorum memoria Iſidorus Characenus hiſtoricus regnaſſe tradit, cum annos tres & nonaginta vixiſſet, inſidiis Goſithræ fratris eſt necatus. Sinarthoces Parthorum rex annos nonaginta jam natus à Sacauracis Scythis redux, regnare cœpit, & ſeptem annos regnavit. Tigranes Armeniorum rex, cui bellum intulit Lucullus, ætatis anno quinto & octogeſimo morbo confectus eſt. Hyſpaſines Characus, & regionum rubro mari adjacentium rex, quinto & octogeſimo anno, morbo correptus deceſſit. Teræus qui ab Hyſpaſine tertius regnavit cum vixiſſet duos & nonaginta annos, morbo periit. Artabazus qui poſt Teræum ſeptimus Characenorum regnum tenuit, ſexto & octogeſimo anno redux à Parthis, regnavit: & Mnaſcires Parthorum rex, ſex & nonaginta vixit annos. Maſiniſſa Mauruſiorum rex, nonaginta vixit annos. Aſander è divo Auguſto, pro gẽtis præfecto, rex Boſpori declaratus, circa nonageſimum annum, equeſtri & pedeſtri pugna nulli inferior apparuit: qui ut animadvertit rem militarem Scribonio commendatam, cibo abſtinens diem obiit, cùm tres & nonaginta annos vixiſſet. Goæſus authore Iſidoro Characeno, quo tempore Mano Arabibus imperavit, centum & quindecim annos natus morbo periit.

Tot quidem reges longævos memorarunt majores noſtri. Quandoquidem autem etiam Philoſophi, & omnes qui artibus ingenuis operam dederunt, habita ſui cura, in longam ſenectutem venerunt, eos qui literis proditi ſunt, adſcribamus, ac primum Philoſophos.

Democritus Abderita centum & quatuor annos natus, cibo abſtinens, obiit. Xenophilus Muſicus, ut refert Ariſtoxenus, Philoſophiæ Pythagoricæ candidatus, ultra centum & quinq; annos Athenis vixit. Solon, Thales, & Pittacus qui è ſeptem ſapientum numero fuerunt, centum quiſq; vixit annos. Zeno Stoicæ Philoſophiæ princeps octo & nonaginta: quem ajunt in concionem prodeuntem offenſo pede exclamaſſe, Quid me vocas, & domum reverſum inedia vitam finiviſſe. Cleanthes Zenonis diſcipulus & ſucceſſor, novem & nonaginta annos natus, tuberculum in labiis habuit. Cumq; decreviſſet inedia mori, allatæ ſunt literæ ab amicis quibuſdã, tum ille ſumpto cibo, præſtitit quæ amici poſtulabant: exinde iterum abſtinens, vita migravit. Xenophantes Dexinis filius Archelai Phyſici auditor, unum & nonaginta annos vixit. Xenocrates Platonis diſcipulus, quatuor & octoginta. Carneades recentioris Academiæ princeps, quinq; & octoginta. Diogenes à Tigride Seleucẽſis, Stoicus Philoſophus duodenonaginta. Poſidonius ex Syria Apamẽſis, lege Rhodius, ſimulq; Philoſophus, & hiſtoriæ ſcriptor, octoginta quatuor. Critolaus Peripateticus, ultra duos & octoginta. Plato Philoſophorum ſanctiſſimus, unũ & octoginta. Athenodorus, Sandonius Tarſenſis Stoicus, qui fuit divi Auguſti Cæſaris præceptor, cujus precibus Tarſenſis civitas vectigalibus levata eſt, duos & octoginta annos agens mortuus eſt in patria: & Tarſenſis populus ipſi tanquam heroi ſingulis annis honores tribuit. Neſtor Stoicus Tarſenſis, Cæſaris Tiberii præceptor, duos & nonaginta. Xenophon Grylli filius ultra nonaginta annos vixit. Et hi celebres fuere Philoſophi. Hiſtoricorum autem Cteſibius centeſimo vigeſimo quarto ætatis anno inter ambulandum obiit, ut in Chronicis narrat Apollodorus. Hieronymus qui in bellis eſt verſatus, multoſq; labores pertulit, & vulnera, centum & quatuor annos vixit, ſicut refert Agatharcydes hiſtoriæ Aſiaticæ libro nono: ac hominem miratur, quod ad ſummum uſq; vitæ diem valuerit in colloquiis, & in ſenſibus ad ſanitatem neceſſariis non defecerit. Hellanicus Lesbius octoginta quinq; annos: totq; ſimiliter annos vixit Pherecydes. Timæus Tauromenites ſex & nonaginta. Ariſtobulus Caſſandrenſis ultra nonaginta annos vixiſſe fertur: & quarto & octogeſimo ætatis anno hiſtoriam conſcribere cœpit, id quod ipſe in operis ſui principio teſtatur. Polybius Lycortæ filius, Megalopolitanus rure rediens equo excidit: atq; hinc morbo correptus, anno ſecundo & octogeſimo deceſſit. Hypſicrates Amiſenus hiſtoricus, vir in multis diſciplinis verſatus, duos annos & nonaginta vixit.

Cæterum ex Rhetoribus, Gorgias quem quidam Sophiſtam vocant, octo & centum annos natus, inedia mortem ſibi conſcivit. Hunc interrogatum cauſam tam longæ ſenectutis, & valetudinis in omnibus ſenſibus vigentis, ajunt reſpondiſſe, quod aliorum convivia non eſſet ſectatus. Iſocrates ſex & nonaginta annos natus orationem panegyricam ſcripſit. Jam vero nonageſimum nonum ingreſſus, cum accepiſſet Athenienſes in Chæronenſi pugna à Philippo devictos quiritando, Euripideum verſiculum recitavit, ad ſeipſum referens, Sidonis urbem Cadmus olim deſerens. Quibus cum adjeciſſet fore ut Græcia in ſervitutem redigeretur, è vita deceſſit. Apollodorus orator Pergamenus, divi Cæſaris Auguſti præceptor, quem una cum Athenodoro Tarſenſi Philoſopho inſtituit, totidem quot Athenodorus annos, nempe duos & octoginta vixit. Potamon orator non incelebris, annos nonaginta.

Sophocles poeta Tragicus, devorato uvæ acino ſtrangulatus eſt, cum egiſſet annos quinq; & nonaginta. Hic à filio Jophante ſub finem vitæ in jus vocatus, & deſipientiæ accuſatus, recitavit judicibus. Oedipum Colonæum, hac fabula planum faciens ſe mentis eſſe compotem. Qua audita judices ingenium ejus admirati ſunt, & filium inſaniæ damnarunt. Cratinus poeta Comicus, ſeptem ſupra nonaginta annos vixit: atq; ſub vitæ finem, cum docuiſſet fabulam Pitynen, eaquè victor evaſiſſet, haud multò pòſt eſt mortuus. Philæmon etiam Comicus ut Cratinus, ſeptem & nonaginta annos

nos natus, quiescens in lecto decumbebat. Qui cum vidisset asinum ficus sibi præparatas devorantem, in risum est concitatus: & vocato famulo, multoq; & vehementi cum risu jusso merum asino sorbendum dare, risu suffocatus obiit. Epicharmus quoq; poeta Comicus, annos septem & nonaginta vixisse fertur. Anacreon poeta Lyricus, quinq; & octoginta vixit annos. Stesichorus Lyricus, totidem. Simonides Ceus, supra nonaginta.

Ex Grammaticis Eratosthenes Cyrenæus Aglai filius, quem non modo Grammaticum, sed & poetam & Philosophum & Geometram meritò quis vocarit, duos & octoginta vixit annos. Quinetiam Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, quinque & octoginta annos vixisse fertur. Tot reges, & eruditos viros colligere potui. *Titulo Macrobiorum.*

¶ Poetarvm.

Martialis lib. 6. Epigr.

At nostri bene computentur anni,
Et quantum tetrida tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur;
Infantes sumus, & senes videmur.
Ætatem Priamique Nestorisque
Longam qui putat esse, Marciane,
Multum decipitur, fallitur que.
Non est vivere, sed valere vita.

¶ Monosticha Trochaica.

Ad sua fati qui venit exitum, senex obit.
Cui Dij tam favent sibi ausit ut promittere crastinum?
Cum Deo pugnare noli vita longa si placet.
Cura non est ut diu vivat optimo, sed ut satis.
Vt satis vivamus, animo, ut diu, fato est opus.
In brevi sapiens ætate multa complet tempora.
Intuendum qualiter quis, non & quantum vixerit.
Longa sat homini cuicunque vita, ea uti sciat.
Longa vita, lenta duro servitus in carcere est.
Longus ordo vita summum, non senecta, adfert diem.
Metienda vita ab actu, non tenore temporum.
Multa quis diu vivendo qua haud videre vult videt.
Nemo tam est senex quin annum posse vivere adhuc putet
Nemo tam senex est, unum speret improbè ut diem,
Neminem diurnare inter nos sinunt Dei optimum.
Nestoris vis vivere annos? abstine medentibus.
Nil melius brevitate vita homini natura præstitit.
Non beatior mora fit vita, sed fit longior.
Non diurnat longe in orbe debitum calogenus.
Non diurnat quod meretur longius vita frui.
Non refert quam quis vivat diu, quam vivat bene id refert
Non refert quam sit diu acta vita, quam bene id refert.
Non senecta at longus ordo vita summum adfert diem.
Omnium satur rerum, ei a! vita item fias satur.
Optime agit natura cum his quos in tutum recipit cito.
Optimum quemq; inter nos diurnare haud sinunt Dei.
Parcere illi cui potera nocere magna gloria est.
Pestilentius mortalis vita nil habet mora.
Summa vita curta, rebus longa redditur malis.
Vah, quam multa vita longa prater omnem spem vehit!
Vir bonus sibimet ipse spatium ætatis ampliat.
Vita fabula est: non quam diu, sed bene acta sit, refert.
Vita longa, apud Deum non optima est, sed innocens.
Vita longa, vita multis est referta casibus.
Vita non magis beata sit mora, fit longior.
Vita tam longinqua nulla est, cui finis non sit suus.
Vita tantumdem ampla perdit, quam vel perbrevissima
Vita mensura est honestum, haud temporis prolixitas.

¶ Jambica.

Anni senem non faciunt, mens senem facit.
Carus Deo, vita ipso aufertur limine.
Centum supra annos vita produci nequit.
Cui longa vita est, longum & infortunium est.
Diu vixit, quisquis vixit ad sapientiam.
Est vita longa homini satis, uti si sciat.
Extrema homini ætas, annus est centesimus.
Fere in juventa moritur, quem Dii diligunt.
Haud longa cuiquam vita prodest sed bona.
Longa esse vita non potest scelestibus.
Longævitas non est hominis, nisi ex Deo.
Longævus esse quaris? vive parciter.
Longævus est, quieta cui præsto est salus.
Maturius moriuntur qui placent Deo.
Magno æstimamus omnes tardius mori.
Multam prius vitam optant quam longam boni.
Nil tam dolendum homini, quam vita longior.
Non quam diu vivas refert, sed quam bene.
Non ut diu vivas cura, sed ut satis.
Persape qui vixit diu, vixit parum.
Quacumque natum sepelit, hac vixit diu.
Quam quis bene vivat, refert: quam diu non refert.
Quam stulta vita, longior præsumptio est.
Quem non pudet vixisse, sat vixit diu.
Quis non adhuc victurum annum unum se putet?
Quis quasso flens digressus a convivio est?
Quo longior vita est, eo est cacatior.
Quo carior quis Diis, hoc moritur junior.
Totius instar vita sapienti est dies.
Vita dies vis esse plures? sis pius.
Vitam brevem haud accepimus, sed fecimus.

Loquacitatis.

¶ Sententiæ Philosophorum Græcorum.

Theophrastus: Loquacitas autem, si quis eam definire velit, sermonis intemperantia esse videatur. Loquax vero is est, qui soleat ei qui cum verba facit, dicere, quicquid ille narrare inceperit, Nihil dicis: se rem omnem probe tenere: illum, si operam sibi dare velit, intellecturum. Deinde respondentem interpellans, Tu, ait, ne obliviscaris eorum quæ dicturus eras: &, Factum bene quod in memoriam revocasti: &, Quam juvat interdum sermones mutuos serere! &, Quod præterii: &, Celeriter tu quidem rem percepisti: &, Pridem expectabam an eodem mecum recideres. aliasq; hujusmodi occasiones loquendi captans aucupansq;, ne respirãdi quidem facultatem iisquibuscum loquitur, concedit. Ac postquam singuli sunt ab eo loquacitate ista enecti, tum ad eos accedere non veretur, qui plures unà coierunt, eosq; de rebus seriis agentes, in fugam vertere. Sed & ludos ac palæstras ingressus, ut ne tantum pueri addiscant solet efficere, verba interea cum corporum exercitatoribus seu pædotribis, & ludimagistris funditans. Si quis discedere se velle dicat, comitari ille, & domum usq; deducere ac persequi. Quod si ab aliquo quid sit in concione actum rescierit, id aliis postea narrabit: tum de eo prælio quod prætore Aristophonte nobili illo oratore cõmissum est, longam narrationem contexet. item de ea pugna quæ à Lacedæmoniis ductu Lysandri est pugnata: & si quid ipse unquam pro concione cum aliqua sua laude dixerit. Atque hæc narrans, simul in vulgus invehetur: idque tanto cum audientium tædio, ut eorum alius quæ ab ipso dicuntur oblivioni statim mandet, alius dormitet, alius loquentem adhuc deserat, discedatque. Denique sive adjudicandum cum alio sedeat, judicare: sive ad spectandum, spectare: sive ad cibum sumendum, cibum sumere loquacitate sua confessorem impediet. Quippe, inquit, loquaci durum est tacere: linguam enim tanquam in udo habet: atque adeo præ quavis hirundine garrulus videri ille malit, quam tacere: adeo se irrideri fert patienter: idque vel à puerulis suis, qui somnum petituri jubeant ipsum aliquid sibi narrantem verba facere: ut ita nobis, inquiunt, somnus obrepat. *Ethicis Character.*

Xenophon: Et erat fortasse Cyrus loquacior tum propter institutionem, quod à magistro & factorum suorum rationem reddere cogeretur, & ab aliis poscere, quoties jus diceret: tum quod discendi studiosus, multa semper ex præsentibus, quo pacto se haberent, ipse quæreret: & scisciantibus aliis ob ingenii sagacitatem expeditè responderet. Ideoq; fiebat ut ex omnibus his loquacitas ei colligeretur. Verum ut in corporibus eorum, qui grandiusculi facti sunt in adolescentia nihilominus juvenile quiddam minus adparet, quod annorum paucitatem arguit: sic è Cyri loquacitate non audacia pellucebat, sed simplicitas & propensio quædam ad benevolentiam potius; ut ex eo quis etiam audire plura cuperet quam tacenti adesse. Postquam vero tempus cum statura corporis ad ætatem pubertati proximam produxerat: tum vero & verbis paucioribus, & sedatiori voce utebatur, & adeo verecundiæ plenus erat, ut ad seniorum congressus erubesceret, nec is amplius ei mos esset, ut instar catulorum procaciter in quosvis irrueret. Itaque fiebat, ut quietior ille quidem esset, in congressibus tamen omnino gratus atque jucundus. *cap. 18. lib. 1. Cyropæd.*

Aristides Rhetor: Loquacitas quidem, ni fallor, temerè ac præter decorum nugatur, & frustra declamat. veri autem sermones ad occasiones & res ipsas respiciunt, & ubi decorum observant; ex quo tum fit ut vincant, & animos auditorum teneant. *Orat. 2. Platonica, pro Quatuor viris.*

Videantur plura titulo *Garrulitatis & Linguæ.*

Lucri.

¶ Sententiæ Patrum Graecor.

Nazianzenus: Præponatur Ethnicis ipsis, pecunias despicere atque aspernari, nec undecumque lucrum captandum esse, nec facultatibus injusta ratione quærendis, calamitatis arrabonem accipere. Quomodo igitur Lucrius ipsis constituetur, & sacculus proferetur, & furax Dei vis atque

atque facultas honorabitur, illudq; etiam, ſine ære Phœbum minime vaticinari; nec Obolo quicquam eſſe præſtantius? hæc enim graves eorum ac venerandæ ſunt ſententiæ. *Orat. 3. fine.*

D. Nazianzenus: Eos etiam qui nobis infeſti ſunt, fratrum nomine appellemus, ſi tamen id æquo animo patiantur. Exiguum quiddam concedamus, ut, quod majus eſt, recipiamus, nimirum concordiam. Cedamus, ut ſuperemus. Videte palæſtræ leges athletarum certamina, qui ex eo plerumque, quod humi jacent, iis, qui ſupra ſiti ſunt, victoriam extorquent. Hos æmulemur, non inexplebiliores convivas aut mercatores, qui partim immodicis epulis ingurgitati, partim nimiis mercibus onerata nave, ventrem potius diſruperint, ac navim ſecum demerſerint, quam ut ex hac inexplebili aviditate fructum ullum capiant. Ita, dum parva lucra captant, graviſſimis damnis afficiuntur. *Orat. 14.*

D. Chryſoſtomus: Avaritia eſt fermentum vetus: & ubicunq; ceciderit, & in quamcunq; domum fuerit ingreſſa, eam reddit immundam: & ſi vel pauca lucreris ex injuſtitia, totas fermentat facultates. Propterea ſæpe pauca malè importata, ejiciunt quæ benè erant repoſita, erantq; multa. Avaritiâ enim nihil eſt magis putridum: etiamſi cellæ penariæ impoſueris clavem, ſi oſtium, ſi vectem; fruſtra facis omnia, qui avaritiam peſſimum latronem intus incluſeris, & qui poteſt omnia exportare. Quid verò, inquit, cum multis avaris hæc non accidant, nec ea patiantur? Maximè accident, & ea patientur; etiamſi non ſtatim. Sin autem nunc effugerint, tunc magis formida: reſervantur enim ad majus ſupplicium. Imò verò ſi ipſi effugerint: qui bonorum tamen eorum futuri ſunt hæredes, iſta patientur. Et quomodo inquit, eſt hoc juſtum? Eſt certe valde juſtum. Nam qui ſucceſſit hæreditati plenæ iniquitate; etiamſi ipſe non rapuit, habet tamen ea quæ ſunt aliorum, & hoc planè eſt ei perſuaſum: & propterea æquum eſt, ut patiatur. Nam ſi cum iſte aut ille rapuiſſet, tu accepiſſes; deinde veniens is à quo rapta fuerant, repeteret: num tibi ſufficeret ad defenſionem, quod tu non rapueris? Minimè. Quid enim, dic quæſo, diceres, ſi accuſareris? Quod alius ſpoliavit? Sed tu poſſides. Ille rapuit: ſed tu frueris. Hæc autem ſciunt etiam leges externorum: quæ iis dimiſſis qui rapuerunt & abſtulerunt, ab illis jubent petere, apud quos tua eſſe inveneris. Si ergo eos quidem noris, quib. facta eſt injuria; eis redde: & fac quod fecit Zachæus cum multa acceſſione. Si autem ignoras, aliam quoq; tibi do viam, nec te excludo à remedio; nempe ut egentibus omnia tua diſtribuas: & ſic malum curabis. Si qui autem ad filios & nepotes ea tranſmiſerint, alia pro his mala paſſi ſunt? Et quid dico quæ heic fiant? Non enim illo die hæc dicent, quâdo ambo nudi apparuerint, tam à quibus rapta ſunt, quam qui rapuerunt. Imò verò non ſimiliter nudi. Nam à pecuniis quidem ſimiliter uterq; erit nudus; alter vero etiam plenus criminibus quæ inde orta ſunt. Quid ergo illo die faciemus, quando pro terribili illo tribunali producetur in mediũ & qui injuria fuit affectus, & omnia ſua perdidit cum tu nullum habeas patronum? quid dices judici? Nam nunc quidem judicium hominum poteris corrumpere, illud autem tunc nequaquam; imo ne nunc quidem: etenim etiam nunc adeſt illud judicium. Deus enim videt quæ fiunt, & eſt prope eos qui injuria afficiuntur, licet non vocatus. Nam qui aliquo malo eſt affectus, etiamſi ipſe ſit indignus qui judicetur; tamen quoniam Deo non placent quæ facta ſunt, habet omninò eum ultorem futurum. Quomodo ergo, inquit, iſti aut illi res ſunt ſecundæ, cum ſit malus? Sed non perpetuo. Audi quid dicat Propheta: Noli æmulari in malignantibus, quoniam tanquam fœnus citò areſcent. Ubi enim quæſo eſt poſtquam hinc fuit abductus is qui rapuit? Ubi ſunt ſpes præclaræ? Ubi eſt nomen honeſtum ac venerabile? Non omnia præterierunt? non ſomnium & umbra ſunt illius omnia? Hoc etiam expecta de unoquoque eorum qui ſunt hujuſmodi; tam qui vivit, quam qui poſt illum eſt futurus. Sed ſanctorum virorum res non ita habent: nec eadem poteris in illis dicere; nempe res illorum eſſe umbram, ſomnium, & tabulas. *Homil. 15. ad Corinth. 1.*

¶ Latinorum.

Egeſippus: Syri explorato prius, ſi forte Romani militis deeſſet præſentia, de miſerorum viſceribus execrabile lucrum proferebant; nec tamen in omnibus ſequebatur etiam prœde eventus, ſed in paucis: quo crudelior feritas. quia, non ſolum propter opes, ſed propter ſpem lucri plurimi extinguebantur: cum latrones ipſi & ſæviores piratæ latronibus, à latrocinio temperent, ubi prædam non ſenſerint. ſolius enim barbaricæ immanitatis eſt gratis nocere. nam & ipſæ feræ, ut interficiant, prædam ſequuntur. *fine cap. 24. lib. 5. de excid. Hieroſ.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Lyſias: Cumq; in Adriam navem miſiſſet duorum talentorum merces vehentem, navè proficiſcente, matri dixit, filiorum ejus periculo id fieri: Nave autem incolumi reverſa, lucroq; duplicato, ſuas aſſeruit eſſe merces. Atqui ſi damna & pericula horum eſſe volet; ubi autem periculum evaſerint, ſibi vendicaturus eſt; non difficulter perditarum quacunq; ratione opum ipſe rationem reddet, ut ex alienis facile diteſcet. *cap. 8. Orat. 33. in Diogitonem.*

Epictetus: Qua ratione homo laſſus non fit? Lucrum faciendo. *diſſertatione Hadriani.*

Libanius: Quot tibi vis emam talento corpora? bella quidam ſuſcipiunt; pro aliis in acie ſtant adverſa, ut drachmam vix recipiant. Quid autem qui mare tentant, & parvi quæſti cauſſa magna ſubeunt pericula? Sunt etiam qui alimenti ſolius cauſſa, ut ventris neceſſitatem ſolentur, ſeipſos in aliena crimina conjiciunt. *Declamatione 39.*

Heliodorus: Judico lucrum eſſe pulcerrimum, quod cum nulla jactura præbentis, ditiorem efficit accipientem. *libro quinto Æthiopicorum.*

¶ Romanorum.

Quintilianus Senior: Meæ pecuniæ acceſſio ad me pertinet. *Declamat. 361.*

Idem: An jacturam debeo ſentire, acceſſionem non debeo? *Ibidem.*

Petronius Arbiter: Nemo cælum putat, nemo juſiurandum ſervat; nemo Jovem pluris facit; ſed omnis opertis oculis bona ſua computant. *Satyrico.*

Petronius Arbiter: Unde plani lenatoreſq; viverent niſi aut locellos aut ſonantes æreſacellos pro hamis in turbam mitterent? ſicut muta animalia cibo ineſcantur: ſic homines non caperentur ſpe, niſi aliquid morderent.

Symmachus: Pars hominum compendiis & quæſtibus gaudent. me votiva delectat expenſio, &c. *lib. 2. Epiſt. 78.*

¶ Poetarum.

Ariſtophanes Pluto. v. 367.

Deus bone, ut nihil quidquam ſani eſt uſpiam.
Adeoq; omnes ad unum lucro ſerviunt.

Plautus Aſinariæ 3. ſc. 3. v. 44.

Argenti viginti mina me modo ad mortem appulerunt,
Quas hodie adoleſcens Diabolus ipſi daturus dixit,
Vt hanc ne quoquam mitteret niſi ad ſe hunc annum totum.
Videtin' viginti mina quid pollent, quidve poſſunt?
Ille qui illas perdit ſalvus eſt: qui non perdo, pereo.

Plautus Aululariæ 4. ſc. 6. fine.

Quamquam heic manere herus me ſeſe juſſerat,
Certum eſt, malam rem potius quaram cum lucro.

Plautus Curcul. 4. ſc. 2. v. 45.

Cui homini Dei ſunt propitii, lucrum ei profecto objiciunt.

Plautus Perſa 4. ſc. 3. p.

Cui homini Dii propitii ſunt, aliquid objiciunt lucri.

Plautus Perſa 4. ſc. 6. v. 6.

Lucro faciundo ego auſpicavi hunc diem.
Nihil mihi tam parvi eſt, quin id me pigeat perdere.

Plautus Pœnulo 1. ſc. 2. v. 115.

Ecquid amare videor? M. damnum, quod Mercurius minime amat.
Namq; edepol lucrum amare nullum amatorem ad decet.

Plautus Pſeudoli 1. ſc. 3. v. 29.

Potin' ut ſemel modo, Ballio hunc cum lucro reſpicias?
B. Reſpiciam iſtoc precio. nam ſi ſacrificem ſummo Jovi,
Atq; in manibus exta teneam ut porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.
P. Non poteſt pietate obſiſti huic, ut res ſunt catera.
Deos quidem quos maxime æquum eſt metuere, eos minime facit.

Plautus Rudente 4. ſc. 7. v. 31.

Illuc eſt, quod nos nequam ſervis utimur.
Nam illic cum ſervo ſi quo congreſſus foret,
Et ipſum ſeſe, & illum furti adſtringeret:
Dum prædam habere ſe conſeret, interim
Præda ipſius eſſet: præda prædam duceret.

Plautus Trucul. 2. ſc. 5. v. 8.

Lucri cauſſa avara probrum ſum executa.

Terentius Hecyræ 5. ſc. 3. fine.

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum eſt ferre.

Guntherus lib. 10. v. 70.

Vſq; adeo magnis Ducibus ſervire lucroſum eſt.

¶ Apologorum.

Æſopi Ruſticus & Planta. Planta erat in Ruſtici agro fructum non ferens, ſed paſſerculis ſolum & cicadis refugio erat. Ruſticus ut infrugiferam cædere voluit: Sumpta igitur ſecuri, ictum intulit. Cicadæ & paſſerculi, refugium ne exſcinderet ſuum orabant, ſed ſervaret, ut in eo poſſent canere, & te Ruſtice delectare. At ille nihil curans, ſecundum tertiumq; intulit vulnus. Ut vero arborem cavavit, apum examen unà cum melle reperit; quo guſtato, ſecurim abjecit, plantamq; ut ſacram coluit & curavit.

Babrias Περὶ Οὗτα καὶ ἀλὸς καὶ Σπόγου. Fab. 33.

Περῶν πόπιμον φέρτον ἦν ἀλὸς Οὖτος,
Ἐν ᾧ γ' καὶ πάπτηκε καὶ ἀφιδεὶς βάζ' Ὦν.

Σπόγ-

Σπούγγων δεῖ πείτυ πλήθ' ἕτως ὡς φέρον.
Πετῶν ἐκοντὶ, δυσχερῶς ἀπεπνίγη,
Επιμύθιον.
Ὅτι πολλάκις τὸ σφοδρὸν ἀκέραιον εἰς ζημίαν καταντᾷ

De Asino & Sale, & Spongiis.

Transiens fluvium onus salis portabat Asinus
In quo etiam cecidit levatus onere.
Dehinc quum itidem multum spongiarum ferret,
Cecidit sponte, & infeliciter suffocatus est.

Affabulatio.

Quod plerumque exspectatio lucri in damnum incurrit.

Aphthonius: In cava quercu mel faciebant apes, pastor vero quidam in eas tum cum facerent forte incidens, furari voluit mel. Eæ vero hinc & illinc circumvolantes, illum aculeis pupugere. tandem pastor. abeo, inquit, mellis non opus habens, si oporteat in apes incidere.

Turpe lucrum periculosum est illis qui id sequũtur.

Phædrus Fab. 85. Asini & Porcelli.

Quidam immolasset verrem cum Sancto Herculi.
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.
Hujus respectu fabula deterritus
Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agendum, qui deprehensi perierint,
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

Phædrus Fab. 87.

Invenit Calvus fortè, in trivio pectinem,
Accessit alter aque defectus pilis,
Heia, inquit, commune quodcumque est lucri.
Ostendit illepradam. & adjecit simul:
Superum voluntas favit, sed fato invido:
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus
Quem spes delusit huic querella convenit.

¶ Emblematum.

Batillius. 155.

Conjunctissimorum etiam desiderium ferendum.

Dum nimium credit juvenis Cephisius undis,
Seque umbra vano torret amore sua,
Tabescit sensim, simulacra fugacia captans,
Ardori infelix immoriturque suo.
Spemne aliam sequeris fratrem qui frater ademptum
Non auditurum morte dieque vocas?
Non lacrymis parcens non indulgere labori,
Ceu te illis atque illis insenuisse juvet?

Jactura utilis Emblem. 30.

Cum Tigrium catulos Venator repperit, unum
Prosicat, ut matrem detinuisse queat;
Dum rapit hunc mater, nidumque revisit anhela,
Interea pedibus consulit ille sibi:
Damna hominem quandoque juvant, dum copia rerum
Causa est latroni cur struat insidias.

Flor. Schonhovius.

¶ Apophthegmatum Sacrorum.

Theophilus Imperator: Eo imperante Constantinopoli appulit aliquando ad regiæ portum navis oneraria, pondere sarcinarum gravis, eoque usque ad extremum vinculum demersa. Imperator supernè prospectans, navemque admiratus, per pediſequum, cujus ea sit percontatur. Ut Augustæ esse cognovit, recens à mercatura reductam quam ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent: si quid sarcinarum haberent, id statim efferre jussit, & nihil quod ad Augustam pertineret attingere. Quo facto, pulsis inde nautis, Græco igne injecto navim cum ipsis sarcinis cremavit, Imperatricem maledictis insectatus. Nam cum me Deus, inquit, imperatorem designavit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem, mercaturam privatis hominibus esse concessam, ut ea tolerandæ vitæ occasionem habeant. Quod si nos præter imperii opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, unde nam subditi victum comparabunt? *Zonoras tom. 3.*

¶ Monosticha Trochaica.

A malo lucro cavendum, moribusque ab improbis.
Absurdè tuetur certat qui captando de lucro.
Ad postremum, nil apparet: malè parcum malè disperit.
Cui homini Dii propitii sunt, aliquid obsequii lucri.
Da parum quod sponte sorte, magna ab ipsa quæ ferat.
Damna sunt majora parvis sumpta lucris improbis.
Dissipat privum lucellum; publicum urbes copulat.
Drachmam addendo usque usque Drachma obuloque obulum rem feceris.
E malo lucrum, perennis arram habe infortunij.
Est calamitas, non est fructus, quod partũ in justo est lucro.
Est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrũ.
Est pium quis quæ ad lucellum, idem ad lucellum est impune.
Ex alieno incommodo, non est lucrum, est incommodum.
Factum eius praestare debet ex quo quis lucrum capit.
Frivolus spargit farinam colligit quæ furfurem.
Gaudeas lucro sed absque furti conscientia.
Gutta iniquitatis vel mare inquinat numismatum.
Improbi lucri voluptas curta, sed longus dolor.
Iusta lucra qui non curat, cur iniusta quaeritet?
Iusta quæ sunt lauda, verum lucra sola quarito.
Lata sunt male parta ad præsens, sed mox pernitiem
Lassitudine haud tenentur persecutores lucri.
Lucro inescatus salutem sæpe cacus ad suam est.
Lucrum alius, damnum sibi fecisse, stultitiæ est genus.
Lucra sola sunt, quibus ipsa est liberalitas parens.
Parta iniquè, non modò se; parta iustè devorant.
Parta patrum iniquagnatus, aut sanè expiat nepos.
Pecuniam in loco negligere, maximum interdũ est lucrũ.
Perfidum irritare quaeris serio? gazam obice.
Plurimum semper lucratur qui lucrum in loco abnuit.
Punienda non est quæ fit lucri caussa iniuria.
Quicquid est pium atq; honestum, id lucrosum, id utile est.
Quidquid evenit præter spem, deputa omne id in lucro.
Quidquid in rebus divinis sumis, sapienti lucro est.
Quod nocet fama reiq;, non potest dici lucrum
Quod tibi prodest, nocetq; nemini; lucrum aureum est.
Quotidie lucrum, heu, alienis quaeritur mugitibus.
Scio ego, multos tam lucrum lutulentos homines reddidit.
Sæpe grande damnum apportat homini paullulum lucri.
Sæpe qua lucrosa sperat quis malum ei ingens ferunt
Sapius parvo labori maximum est comes lucrum.
Se suoque spe lucri ultrò devovet diris malus.
Terminum cupiditati fixit ecquis nam sua?
Transferunt libidinem illuc femina unde lucrum venit.
Vnius præda offula & fac offrenare Cerberum.

¶ Jambica.

Ad calamitates lucra ducunt turpia.
Amare lucrum nullum amatorem addecet.
Amicitia bonorum; lucrum maximum est.
Benè moritur, qui duro moritur lucrum facit.
Cui non homini ex alieno incommodo lucrum est?
Cujusque belli caussa princeps est lucrum.
Damnum inferunt pusilla lucra maximum.
Docto labori dulce præponas lucrum.
Etiam lucrum ipsi vim inferat prudentia.
Etiam triumphat lucrum de sapientia.
Iniusta lucra opesque iustas dissipant
Iniusta lucra profuere nemini.
Iniusta nulli unquam accidunt lucro lucra.
Lucrum ac voluptas vix congregantur simul.
Lucrum è malo, non est lucrum, infortunium est.
Lucrum pusillum incommoda infert maxima.
Lucrum omne honestum Creta est, aut Carthagini?
Lucrum omne honestum est nemo per quod laditur.
Lucro salutem quis non permutaverit?
Lucro studemus omnes viles, nobiles,
Lucro suo omnem destruat probum improbus.
Male parta prudens non retinet sed abiicit.
Malum lucrum non divitat, sed pauperat.
Minimum lucrari sæpe lucrum maximum est.
Nemo absque lucri spe scelesta perpetrat.
Nihil lucri est è mortuo cadavere.
Nihil suo latrones ante habent lucro.
Nullis lucrum est, quam ex alterius incommodo.
Nullum lucrum suo expers est impendii.
Omnes ad unum currimus cursim lucrum.
Opes iniquæ arram habe Infortunis.
Pecuniam in loco negligere, est lucrum.
Pennas volantum penna Aquila omnium teris
Permulta suadet & lucrum & timor mala.
Prudentia, & mens sapiens, lucrum maximum.
Solum appetuntur ob voluptates lucra.
Stultus lucro semper, sapiens nunquam studet.
Vel consanguineus fiet ob lucrum improbus.

Luctus.

¶ Sententiæ Patrum Græcorum.

D. *Nazianzenus*: Filij hominum quousque gravi corde, & crasso animo eritis? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? magnum aliquid hanc vitam, & paucos hoc dies multos esse judicantes, ac suavem hãc & amplectendam sepe-rationem, ut graye quidpiam & horrendum aversantes? Non nos i-

pſos noſcemus? Non ea, quæ oculis cernuntur, abjiciemus? Non ad ea, quæ mente & intelligentia comprehenduntur, oculos convertemus? Non, ſi quid etiam mœroris concipiendum eſt, idcirco potius mœrorem ſuſcipiemus, quod incolatus noſter prolongetur (Davidis illius inſtar, tenebrarum tabernacula, & afflictionis locũ, & profundi limum, & mortis umbram res hujus vitæ appellantis) quod in ſepulchris iis, circumferimus, diutius hæreamus, quod, ut homines, peccati morte moriamur, cum Dii facti ſimus. *Oratio. decima in fratrẽ funere.*

D. Nazianzenus: Magnum lugentibus pharmacum illud eſt, quod ab iis, qui eodem dolore affecti ſunt, porrigitur: & qui pari calamitate premuntur, majorem apud eos qui cruciantur, ad conſulandum auctoritatem habet. *Oratione 10. in funere fratris.*

D. Greg. Nyſſenus: Quo pacto poteſt id inter homines præſtari, ut quis non doleat ob defunctum, cum adeò naturalis quædam unicuique adverſus mortem calumnia atque querela inſita ſit? ac neque qui vident morientes, ſpectare facile ſuſtineant, & quibus mors imminet, quoad ejus fieri poteſt, eã refugiãt? quin etiã cũleges quib⁹ utimur ac regimur, ut in maleficiis ita in ſuppliciis hanc extremum judicent, quo pacto quibusve rationibus effici poteſt, ut quis vel in externo & alieno aliquo vitæ ſeperationem & receſſum pro nihilo ducat, ne dum in propinquis ac neceſſariis vitam finientibus? *de anima & reſurrectione.*

D. Greg. Nyſſenus: Quid? an non res digna mœroris eſt, ad eam inquam ego, cum videmus eum, qui paulo ante vivebat & loquebatur, ſine ſpiritu, ſine voce, immobilem repentè factum, omniaq; ei ſenſuum naturalia vaſa & inſtrumenta extincta, non oculis, non auribus, non alio quoquam eorum, quorum apprehenſionem, ſubſidium atque auxilium ſenſus habet, operante, atque officium ſuum faciente? cui ſive ignem, ſive ferrum admovens, ſive gladio corpus incidas, ſive carnivoris feris objicias, ſive humi defodias, ad omnia ſimiliter jacens efficitur. Cum igitur in his conſiſtere mutatio videatur, vitalisque illa cauſſa, quæcunque tamdem illa erat, repentè viſui ſubducta atque extincta, incertum quò conceſſerit, ubi vel lateat, quemadmodum in lucerna extincta fit, cum flamma, quæ modo in ea accenſa erat, neque in elychnio manet, neque aliò quopiam tranſit ac recedit, ſed ad extremum interitum & abolitionem redigetur atque tranſmigrat: qui fieri poſſit, ut tantam mutationem, qui nulla re certa confirmetur, ſine animi dolore ferre poſſit? Exitu enim animæ audito quod quidem relictum eſt videmus: quod autem ſeparatum atque disjunctum eſt, tum ipſum quid tandem ſecundum naturam ſit, tum in quid conceſſerit atque redactum ſit, ignoramus, non aere, non terra, non aqua, non alio quopiam elemento in ſeſe oſtendente illam vim, quæ exceſſerit è corpore: qua egreſſa atque ſubducta, quod relinquitur, mortuum eſt, & corruptioni jam expoſitum. Hæc cum ego dixiſſem manu interim ſilentio imperato magiſtra: Nunquid ejuſmodi, inquit, metus te perturbat, & mentem tuam augit, quaſi anima non ſemper permaneat, ſed una cum diſſolutione corporis, ipſa quoque eſſe deſinat? *De anima & reſurrectione.*

D. Greg. Nyſſenus: Eſt lugendi genus unum, quod beatum vocatur, & in excolenda parandaque virtute non abjicitur, quod quidem ab inſana iſta ſervilique mœſtitia longe diverſum eſt. In hac enim quicumque verſatur, in poſterum pœnitebit, quippe qui è cõſtantia gradu depulſus ſe à perturbatione ſuperari permiſerit. At beatus ille luctus minimè repudiandam pudendamve triſtitiam præbet iis, qui per illum ex virtute vitam ſuam inſtituunt. Dolet enim ex animo, verèque luget is, qui illa bona conſiderat, à quibus excidamus, dum mortalem iſtam ac ſordidam vitam comparat cum immortali illa beatitudine, qua potiebatur antè, quam poteſtate ad bonum abuteretur, quantoque magis in hac vita ejuſmodi luctum intendit, tanto celerius ad optatam poſſeſſionem aſpirat. Nam qui boni jacturã animadvertit, ad illud recuperandum ardentiore ſtudio concitatur. Proinde, cum ſalutare lugendi genus, ut oſtendimus, inveniatur, animadvertite, qui ad mœrorem & luctum eſtis propenſiores, nos non interdicere, quo minus mœreatis & lacrymetis, ſed vobis conſulere, ut pro malo damnatoque luctu bonum & laudabilem complectamini. Itaque nolite mundi luctum triſtitiamque ſuſcipere, quæ, ut inquit Apoſtolus, mortis cauſam affert, ſed eam mœſtitiam ſumite, quæ Deo placet, cujus finis eſt animi ſalus. *Oratione de mortuis.*

D. Greg. Nyſſenus: Quei fieri poteſt, ut affectuum perturbationem ſuperet is qui vivit in natura, non vincatur ab animi dolore ob tale ſpectaculum contracto? cum non ſuo tempore in ſenectute mors contigerit, ſed in prima ætate, morte quidem pulchritudo aboleatur; palpebris vero radius oculorum tegatur; genarum item rubor in pallorem tranſmutetur; os quoque ſilentio detineatur, ac flos in labiis apparere ſolitus nigreſcat: idque non parentibus modo acerbum videatur, verum etiam cuivis intuenti? *in funere Pulcheriæ.*

D. Greg. Nyſſenus: Aptum mihi & conveniens lugentibus remedium, ſilentium eſſe videtur, quippe dolore æſtuantem & effervescentem animum ſpatio temporis ac mœrore intercedente per quietem & taciturnitatem mitigat. Nam ſi quis calamitate etiam nunc animum incendente ſermonem inferat, mœroris vulnus curatu difficilius fiet, mentione rerum acerbarum veluti ſpinis quibuſdam laceratum recrudeſcens. Ac niſi temerarium nimis eſt, ſi ego quoque præceptorem in aliqua re corrigere coner: forſitan haud incommodum fuiſſet, uſque adhuc ſilentium noſtrum obtinere atque durare, ne ad calamitatem oratio demiſſa auribus moleſta eſſet. Non dum enim tantum temporis interceſſit, quo mens ad malum aſſueſcere potuerit. Adhuc recens in animo clades eſt: ac forſitan etiam ſemper recens erit ætati (noſtræ) dolor: adhuc turbatur cor noſtrum: ac veluti mare quoddam turbine calamitatis commotum ab imo fundo evertitur, adhuc æſtuant cogitationes ad mentionem malorum effervescentes. Cum igitur ejuſmodi tempeſtate animus commotus ſit: qui fieri poteſt, ut recto curſu ratio procedat veluti procella quædam, affectu doloris jactata? *in funere Pulceriæ.*

D. Greg. Nyſſenus: Verum rebus acerbis diutius immorati, contrarium ejus ferimus quod oportebat. Veluti ſi quis medicus acceptum ſaucium non modo curare negligat, verum etiam exedentibus quibuſdam & conſumendi vim habentibus medicamentis, inſuper miſerum doloribus affligat atque conficiat. Proinde intumeſcenti vulneri effundenda eſt oratio, quæ ſicut oleum leniendi mitigandique vim habeat. *Oratione funebri Placillæ.*

D. Greg. Nyſſenus: O funus omnis doloris atque moleſtiæ expers. Dum enim ipſius mores ſuſpicimus, conſolationem inde percipimus, Aliorum quippe hominum mors, illis qui relinquuntur, lacrimandi præbet cauſſam: Sanctorum autem lætitiam nobis celebritatemque conciliat. quare nondicenda mors, ſed potius tranſitus, & ad vitam hinc meliorem emigratio. *de Vita Ephram. Syri.*

D. Greg. Nyſſenus: Neque vero id ſolum in nobis gemitu, doloreque dignum putant, qui hinc deceſſerunt, ſed multo magis, quod, cum tam multis ærumnis miſeriisq; referta ſit mortalium vita, tamen eas perferendi conſuetudine ſic affecti ſunt, ut vivendi moram non jam ſi[illegible]ut neceſſariam tolerandam exiſtiment, ſed omni ſtudio contendunt, & exoptant, ut perpetua ſit. Nam cupiditas principatus, & opum, & voluptatum, & ſi quid aliud præterea eſt, quamobrem arma capiantur, gerantur bella, cædes fiant, omnesque miſeriæ voluntariæ contingant, & fraudes admittantur, quid aliud ſunt, niſi cumulus quidam calamitatum, quem vitæ per ſe miſeræ voluntate, ſtudio, ac libidine ſua infelices adjungunt? Cæterum nec lacrymandi vis, nec ulla ejuſmodi affectio adeſt iis, qui ex hac vita migrarunt: & qui à carne, & ſanguine ſejuncti ſunt, non mole, ſed mente conſiſtunt. Itaque non ea jam eſt ipſorum natura, ut nos oculos cernere, aut per ſe monere mortales queant, quo à falſa, quã de rebus habent, opinione deſiſtant. Quamobrem eorum munere mens noſtra fungatur, nosque commoneat. Ab ipſis corporibus, quoad fieri poteſt, cogitatione, atque animo recedamus, exuentesque nos ea affectione, qua carnem complectimur, ita nos ipſi compellemus: ô homo, qui naturæ particeps es, quemadmodum Moſes præcepit, attende tibi, noſce te ipſum, animoque diligenter conſidera, quinam verè iis tu, & quæ circa te videantur, ne quando, quæ extra te ſunt, aſpiciens, putes te ipſum intueri. *Oratione qua decet non eſſe dolendum eorum obitu, qui in fide obdormierunt.*

D. Greg. Nyſſenus: Qui neceſſariam naturæ noſtræ ordinem in iis, qui è vita diſcedunt, calamitatem exiſtimant; & eos qui ex hoc mundo migrant ad cœleſtem patriam, dolore & lacrimis proſequũtur; non videntur mihi hujus vitæ cõditionem conſideraſſe: ſed ita affecti eſſe ut plerique è vulgo, qui conſuetudine quadam homine indigna, quæcunque illis adſunt, ut bona diligunt qualiacunque ſint. Quod tamen, ut ratione cogitationeque ceteris animantibus præſtantes, ad ea tantum propenſos eſſe oporteret, quæ rationis judicium honeſta expetendaque proponeret: nec illa prorſus appetere, quæ conſuetudine & inconſiderata quadam affectione, jucunda & ſuavia videntur. Recte autem temerarium illud dolendi mœrendique ſtudium, quo multi tenentur ex hominum vita depellitur, ſi primum quid verum ſit bonum exquiremus; deinde propriam vitæ quam in corpore agimus conditionem conſiderabimus; poſtremò res præſentes conferemus cum iis quas per ſpem nobis recondita expectamus. *Oratione, non eſſe dolendum ob obitus piorum.*

D. Greg. Nyſſenus: Luctus eſt triſtis animi affectus, qui exiſtit propter privationem rei alicujus, quæ placet & accepta ſit: qui luctus in iis qui cum lætitia vitam tranſigunt cõſiſtendi locum non habet. verbi gratia: prorſus aliquis in vita utitur fortuna; omnia negotia per res fecundas ei jucundo curſu fluunt atque procedunt; uxore delectatur, ob liberos ſibi placet, præſidio fratrum munitus & tutus eſt, auctoritate præditus & honoratus in foro, carus principibus, metuendus adverſariis, ſubditis non contemnendus, facilis amicis, divitiis florens, & iiſdem in delitiis & voluptatibus fruens; ſauvis & jucundus, nullis moleſtiis preſſus, corpore robuſto, omnia conſecutus quæcunque per hunc mundum in præcio eſſe videntur, talis re quaque præſenti prorſus cum delectatione ac lætitia fruitur. Sed ſi aliqua mutatio proſperitatis hujus invaſerit, aut diſiunctionem cariſſimorum, aut damnum facultatum, aut aliquam corporis commodorum, ex aliquo adverſo gravique caſu labefactationem adducent, tunc ſubtractione oblectamenti contraria exiſtit affectio, quam luctum appellamus. Ergo definitio ante prodita vera eſt, nimirum quod luctus ſit acerbus ac dolore capiens quidam ſenſus, privationis earum rerum quibus homines delectentur. *Sermone 3. de beatitudinibus.*

Chryſoſtomus: Sunt mulieres adeo nullo ſenſu præditæ, ut etiã infideles immoderato luctu ſuperent: & aliæ quidem hoc faciunt præ animi perturbatione tenebris offuſæ, aliæ a. ad honeſtationem, ut & externorum effugiant reprehenſiones. *Hom 28. ad Corith. 1.*

D. Chryſo-

D. Chryſoſtomus: At luges; quoniam es deſerta ac deſtituta, & perdidiſti patronum ac defenſorem. Sed nunquam hoc dixeris. Neque enim Deum perdidiſti. Quamobrem quamdiu eum habes; ipſe erit tibi maior & marito, & patre, & filio, & ſocero, Nam & illis viventibus is erat qui faciebat omnia. Hæc ergo cogita, & ſicut David: Dominus illuminatio mea & ſalvator meus quem timebo? Dic; Tu es pater orphanorum, & judex viduarum: & ejus attrahe auxilium; & habebis eum tunc magis tibi providentem quam prius, quo in majorem redacta es inopiam. *Homilia 41. ad Corinthios primo.*

Chryſoſtomus: At perdidiſti filium. Non perdidiſti, ne dicas. Res hæc eſt ſomnus, non mors: eſt migratio, non perditio: eſt peregrinatio à deterioribus ad meliora. Ne Deũ irrites ſed places & reddas propitium. Nam ſi forte animo tuleris, erit hinc & defuncto & tibi quædam conſolatio: ſin contrà, iram Dei magis accendis. Nam ſi ſervo à domino flagris cæſo tu adſtans ægre tuleris dominum magis contra te irritaris. Noli hoc facere: ſed age gratias, ut tibi quoque hac ratione diſcutiatur nubes animi ægritudinis. Dic ſicut ille beatus; Dominus dedit, Dominus abſtulit. Cogita quam multi magis Deo placentes ne omninò quidem habuere filios, neque vocati ſunt patres. Neque ego, inquit, vellem habuiſſe: melius enim fuiſſet non habuiſſe experientiam, quam poſtquam guſtaris voluptatem, ab ea excidiſſe. Ne rogo, ne hæc dicas: ne ſic quoque dominum ad iram provoces. Sed pro iis quidem quæ accepiſti, age gratias, pro iis autem quæ perpetuò non habes, glorifica. Non dixit Job, melius fuiſſet non accepiſſe; quod ne inſipienter & ingrato animo dicis: ſed etiam pro illis agebat gratias, dicens Dominus dedit; & pro his benedicebat, dicens, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum in ſecula. Uxori quoque ſic os obſtruebat, apud eam juſtas afferens rationes, & admirabilia illa verba enuncians: Si bona quidem accepimus à Domino, mala autem non ſuſtinebimus? Atqui gravior poſt hæc fuit tentatio. ſed ille ne ſic quidem fractus erat & enervatus, ſed ſimiliter ferebat forti animo & glorificabat. Tu quoque hoc fac, & apud te reputa: quod non homo accepit, ſed Deus qui fecit, qui magis quam ne ejus curam gerit, & ſcit quid ei conferat; non hoſtis aliquis, neque inſidiator. Vide quam multi viventes vitam non vitalem fecerunt parentibus. Generoſos autem & probos non vides, inquit. Eos quoque video: ſed res quoque eorum minus ſunt in tuto, quam res tui filii. Nam etſi in bona ſunt exiſtimatione, finis tamen eorum eſt incertus: de illo autẽ de cætero non times, neque contremiſcis; ne quid ei accidat, aut aliquam ſuſcipiat mutationem. Hæc etiam cogita de pulchra uxore, & bona domus cuſtode: & pro omnibus Deo age gratias; & ſi perdideris uxorem, gratias age. Fortaſſe te vult Deus adducere ad continentiam: ad majora vocat operum ſepta quæ aſcendas: te voluit liberare à vinculo. *Homilia 41. ad Corinthios 1.*

D. Chryſoſtomus: Qui in luctum aliquem inciderunt, aut aliquẽ ex ſinceris amicis; amiſerunt, aut alioquin malum, aliquod ſubitò obortum ferunt; neque noctu quietem agunt neque interdiu, luctu pectus eorum obſidente. *cap 6. ad Galatas.*

D. Chryſoſtomus: Et illi qui in luctu aliquo ſunt, amicis quidem & cognatis & familiaribus, ac ſæpe etiam patribus conſolationem afferentibus non obtemperarunt neque morem geſſerunt; ſed illo ipſo ſermone ad iracundiam ſunt provocati: ſomno autem quietem indicente, ne oculos quidem attollere valuerunt. nullus enim æſtus eſt, qui æquè animas noſtras cruciet atque acerbitas doloris. *Homil. 2 ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus. Lugeamus, ſed non præter decorum; non vellentes capillos, non brachia nudantes, non lacerantes faciem, non tpullas veſtes inducentes: ſed ſolum in anima lacrymas amaras quiẽ fundamus. Etenim ſine hac etiam pompa eſt amare flere, & non tantum ludere. Nam quæ à nonnullis fiunt, à puerorum luſibus nihil differunt. quoniam enim fletus illi forenſes non ex dolore, quem quidam naturæ conſenſus attulerit, proficiſcuntur; ſed ex oſtentatione, & ambitione, & vanæ gloriæ ſtudio, ideò multæ inveniuntur mulieres, quæ hujus rei artem exercent. Amarè fleas, domi plores, nemine vidente. Id miſericordiæ fuerit. *Homilia tertia ad Philippenſes.*

Chryſoſtomus: Quando amiſeris tibi dilectum unicum filium, in magnis nutritum opibus, & qui bonam de ſe ſpem præbebat, & tibi ſolus futurus erat hæres, noli lugere, ſed Deo age gratias, & glorifica eum qui accepit: & in hoc, Abrahamo nihilo eris deterior. Quomodo enim ille Deo dedit qui juſſerat, ita tu, quum ipſe accepiſſet, non gemuiſti. *Homilia 3. ad Theſſalonicenſes.*

D. Chryſoſtomus: Cur lamentaris, ſi credis eum eſſe reſurecturum? ſi credis eum non periiſſe, ſi eam rem eſſe ſomnum & dormitionem? Propter conſuetudinem, inquit, tutelamque ac defenſionem, & rerum curam, & omne aliud officium. Quando ergo amiſeris filium in immatura ætate, qui nondum poterit aliud agere, cur lamentaris? quid requiris? Bonam, inquit ſpem oſtenderat, & ſperabam fore ut mei curam gereret. Propterea quæro virũ: Propterea filium, propterea plango & lamentor, non quod non credam reſurectioni, ſed quod ſim deſtituta ab auxilio, & amiſerim curatorem & defenſorem, qui mecum habitat, qui rerum omnium erat ſocius, me conſulabatur. Hæc lugeo. Scio fore ut reſurgat. Sed intermediam non fero ſeparationem: affluit multa rerum turba: ſum expoſita injuriæ omnium qui voluerint. Qui prius timebant famuli, nunc deſpiciunt & inſultant, ſi quiſquam eſt oblitus ejus beneficiorum, ſi quis ab eo malè affectus, recordatur injuriæ, iram in me cõvertit. Hæc non ſinunt me ferre viduitatem, nec placidè lugere. Propterea lamentor. Quomodo ergo eas conſolabimur? Quid dicemus? Quomodo earum luctum arcebimus? Primum eas conabor convincere, quod non eſt horum verborum lamentatio, ſed inconſideratæ animi perturbationis. Si enim hæc luges, oporteret eum qui exceſſit perpetuò lugere. Si autem quum annus præterierit, obliviſceris perinde atque ſi nihil acciditſet: non eum qui exceſſit lamentaris, nec ejus tutelam & defenſionem: at non fers ſeparationem, & conſuetudinis interruptionem. Quid dixerint quæ admodum lubenter ad ſecundas convolarunt nuptias? Non enim priores requirunt & deſiderant. Sed ne orationem ad eas dirigamus, ſed ad eas quæ iis exceſſerunt conſervant benevolentiam. Cur luges infantem? Cur maritum? Quoniam illo quidem frui non eſt conceſſum: hoc vero expectavi fore ut amplius fruerer. Hoc autem quantæ eſt infidelitatis, exiſtimare quod aut maritus aut infans te in tuto collocet, nõ autem Deus? Quomodo non putas te eum irritare? Propterea enim eos ſæpe accipit, ne eis ita ſis affixa, ut ab illis ſpem abducas. Deus enim eſt Zelotes, & maximè omnium vult à nobis diligi: idq; quoniam nos valdè diligit. Scitis enim hunc eſſe morem eorum qui inſano capti ſunt amore. Sunt enim valde Zelotypi, & maluerint animam prodigere, quam ab ullo ex ſuis rivalibus exiſtimatione & laude ſuperari. Propter hæc Deus eum accepit, propter hæc, inquã verba. *Homilia 6. ad Theſſalonicenſes. 1.*

D. Chryſoſtomus: Congratulamini, inquit, mihi mea ipſius morte gaudenti. Non igitur lacrymis dignus eſt. juſtorum obitus; ſed lætitia. Si ipſi gaudent, gaudendum cum ipſis eſt. Abſurdum enim fuerit, gaudentibus illis nos lugere: ſed conſuetudinem requirimus, inquit. Commenta iſthæc ſunt & prætextus. Vide, quid Paulus admoneat Philippenſes, gaudete, & congratulamini mihi conſuetudinem requiris? Si tibi quidem ipſi hìc manendum ſit, rectè dicis: ſin autem paulò poſt ad illum qui abiit perventurus es; quam requiris conſuetudinem? Ille enim merito requirat; qui ita ab aliquo divellitur, ut perpetuo ſit abfuturus. Sed ſi idem tibi iter conficiendum eſt, quam conſuetudinem requiris? Eos qui peregrè abſunt, cur non lugemus? nonne paucis emiſſis lacrymis confeſtim poſt unum, aut alterum diem a fletu ceſſamus? ſi conſuetudinem requiris, tantum dumtaxat fleto; quantum ſatis ſit ad oſtendendum, te naturà hominem eſſe: deinde vero gaude, quemadmodum Paulus; qui ita dicebat; nihil mihi moleſti accidit; ſed etiam gaudeo ad Chriſtum abiens: & vos gaudete, inquit, & congratulamini mihi. Gaudeamus igitur & nos quum juſtum viderimus interiiſſe; vel potius quando aliquem etiam ex deſperatis. Nam ille quidem diſcedit, laborum ſuorum mercedem accepturus; hic vero quippiam de peccatorum ſuorum numero detraxit. Sed fortaſſe, inquit, vivens vitam mutaſſet ſuam. At non illum rapuiſſet Deus; ſi vitam ille mutaturus fuiſſet. Etenim qui omnia pro ſalute noſtra facit, ac diſponit, cur non eum ſiviſſet vivere, qui aliquando talis futurus eſſet, ut placeret? ſi ſinit eos, qui non convertuntur, multò magis eos, qui cõvertuntur. Undique igitur fletus nobis amputatus ſit, undique lamenta ſublata. Quæcunque eveniant; de omnibus gratias agamus Deo, omnia ſine murmurationibus faciamus:

Chryſoſtomus: Dic mihi, ſi quis ex tuis neceſſariis tibi perierit, non eos qui propter ejus deceſſum rident, & averſaris, & inimicos reputas: eos autem qui flent & ſimul tecum lugent, diligis? *Homilia 9. ad Theſſalon. 1.*

D. Io Chryſoſtomus: Quando video quæ fiunt in foro, qui planctus & ejulatus propter è vivis excedentes, ululatusque & lamentationes, & alia quæ fiunt indecorè, credite, me pudet Græcorum & hæreticorum qui vident, & nos omnes ut ſemel dicam, propterea irridient *Homilia 4. Epiſt. ad Hebraos.*

S. Iſidorus Peluſiota: Super mortuum plora: quoniam deficit lux ejus. His verbis non hoc vult ſcriptura ut omnes eos qui è vivis exceſſerunt, lacrymis ac luctu proſequamur: verũ ut eum pui improbis actionibus extinctus eſt, nec vivã vitæ rationẽ conſectatus eſt, lugeamus ac deploremus, ut qui à futura luce excederit. *l 1. Ep. 334.*

Baſilius Seleuc. Præter alia mala, hic quoque morbus hodie mulieribus imperat. Oſtentant, quanto ſint in luctu, ut gemant; brachia cruentant, crinem convellunt, altè ſulcos per genas agunt. Quaſdam eò luctus adigit; alias oſtentatio, & ambitio; nonnullus mens adeo profligata eſt, ut nuda brachia medio foro volitent. Quid agis, ô mulier? Indecorè te nudas, cum ſis Chriſti membrum, idque virorum in præſentia, medio in foro? crinem vellis, cies gemitus graves? ſaltas, choros obis, furentium mulierum retines imaginem; & te in Deum offendere non arbitraris? quantæ hæc dementiæ? An non rideant Græci? an non res noſtras pro fabulis habeant? dicent enim: Non eſt reſurectio mortuorum: res Chriſtianorum ludibria ſunt, fallaciæ ſunt, impoſturæ ſunt. Quæ apud eos mulieres ſunt, ita lamentantur, ac ſi poſt vitam hanc nihil ſit reliquum. *Oratione 40. ante finem.*

Baſilius Seleuc. Pudet me Græcorum ſapientiæ, pudet noſtræ. Reſurectionis ignari pro gnaris ſegerunt, qui gnari, pro ignaris: quodque propter Deum non faciunt, ad id non rarò hominum reverentiâ inducuntur. Opulentiores enim mulieres crimen non ſpargunt, neque quod graviſſima reprehenſione dignum eſt, nudare brachia: non quia nunquam nudant; ſed quia pietatis cauſa non id faciunt, verum ne ſibiipſis dedecus afferre videantur. Itaque luctui imperat, non imperat Dei reverentia? an non hæc acerrimam repre-

henſionem

henſionem merentur? Quod enim faciunt opulentiores; pauperiores ob Dei reverentiam faciant. Nunc aliter ſe res habet, & illæ ex vanæ gloriæ aucupio ſapientiam colunt, & hæ animo infracto neq; modum ſervant, neque decus tuentur. *Oratione 40. circa finem.*

Baſilius Seleuc. Quid ergo dicat quis: Homo cum ſim, lachrymare non eſt integrum? Non ego lachrymas prohibeo, verum ne quid in luctu turpe prohibeo. Non ſum uſque adeo ferus, aut inclemens. Scio naturam ſe prodere, & conſuetudinem domeſticam, quotidianamque familiaritatem requirere. Non poteſt non dolore. Hoc Chriſtus exemplo monſtravit: flevit enim propter Lazarum: fac idem: fle; ſed quietè, ſed cum decore, ſed cum Dei metu. Si ſic fleveris; non tanquam minus credens reſurrectionem hoc feceris, ſed quod tuorum diſtractionem minus feras. Quandoquidem & peregrinabundos & abeuntes lachrymis perſequitur, non deſperatione acti. ita quoque tu plora, quem ut in aliam coloniam præmiſeris. *Circa finem orationis 40.*

Idem: Ego vero aliud quidpiam peracerbum audivi, quod multæ quoque per lamentationem, & plangores incenſos maritalis amoris gloriam ſibi comparando amatores prolectent. ô diabolicam cogitationem! ò ſatanicam inventionem! Quouſque terra & cinis quouſque ſanguis & caro? oculos referamus in cœlum; quod ſpiritale eſt, cogitemus. *ſub finem ejusdem orationis.*

Idem: At quomodo, inquis, orbatus filio, & uxore non doleat? Dolere non veto; ſed immodicè dolere. Nam ſi recogitemus à Deo ſublatum eſſe, mortalem habuiſſe nos vel virum, vel filium, mox ſolatio, depotiemur. Nam indignè ferre eorum eſt, qui majus aliquid, quodque ſupra naturam, affectant. Homo natus erat; ac mortalis. Nuncquid edendo, te ali doles? non velis ſine cibo vivere? eadem & cum morte ratio. Immortalitatem ne affectes, cum natus ſis mortalis. Id ſemel ut eveniat, decretum eſt. Non id igitur doleas, non plangas. Quin potius, quæ communi legis præſtituta ſunt, ama. Mœre ob peccata: hoc enim mœrendi genus longè optimum, hæc ſapientia prima. *ipſo fine Sermonis 40.*

Baſilius Seleuc. Maria omnibus relictis qui aſſidebant, lugens, plangens,, non exſpectavit dum ad ſe veniat magiſter, neque dignitatem retinuit, neque dolore prohibita eſt; cum quæ in luctu ſunt mulieres, præter alias miſerias, hac quoque laborent ægritudine, ut præſentem caſum cupidius affectare videri velint, verum nihil illa tale, ſed adſurgens properanter occurrit Jeſu. *Oratione 41. pr.*

Syneſius: Mihi vero corporis imbecillitas ab animi ægritudine occaſionem habet. Paulatim me convicit liberorum morientium recordatio. Eò uſque vivere Syneſium parerat, quouſque vitæ malorum expers fuerit. Poſtea velut coercitus torrens uno impetu decidit, mutatáque vitæ omnis eſt jucunditas. Utinam aut vivere deſinam, aut ſepulchri liberorum meminiſſe. *Epiſt. 13.*

¶ Patrum Latinorum.

Zeno: Cur Chriſtiane de hujus mundi labe in meliora migrantes tam pertinaciter plangis? Proh nefas. Hinc mater ſciſſa veſte, laniatis crinibus, laniatis & genis totum crebris ictibus livida pectus gentili vanitate circa amiſſi cadaver bacchatur inſania: nec Machabeæ matris memoriam recolit, quæ ſpe ſuccincta futurorum Antiocho ſævienti libenter ſemel ſeptem filios, non dicam extulit, ſed ipſa potius feliciter ſuis hortamentis occidit, religioſe confidens Deo filios ſe genuiſſe, non mundo. Hinc uxor amiſſi mariti deſolationem ſe ferre non poſſe teſtatur: frigidumque latus malè dilatato queritur lecto: invidioſis vocibus Deo concinnat invidiam: ſolennia ipſa divina, quibus à ſacerdotibus Dei quieſcentes commendari conſuerunt, profanis aliquotiens ululatibus rumpit: terraque illuvieſuum totum deformans cultum cadaver amplectitur conclamatum: frigentia tepefacit crebris oſculis labra: totum corpus imbribus relavat lachrymarum, crinium ſuorum damno cooperiens: miſerandis affatibus in uberiores fletus incendit etiam eos, quos cauſa non tangit, tanto ambitioſior in dolore, quanto ditior, ſanè poſt momentum miſera, atque utinam ſemel nimimio dolore nuptura. Hìc quemadmodum ſe quis poſſit excuſare, non video: non deeſt enim, qui dicere poſſit: Si eſt reſurrectio, quare plangis? ſi amore mariti facis cur poſtmodum nubis? Execrabilis res eſt fratres, nec conjugio ſervare charitatem nec Deo fidem. *Sermone de reſurrectione.*

Chryſologus: Ingreſſus videt ſymphoniam &c. Numquid tales piaculum de pietate non faciunt, qui ad luctum muſicam, ad funera ſuorum extranea lamenta conducunt? ubi verus planctus non eſt, ibi eſt empta & mercenaria cantilena Mortuum non artifex fiſtula, ſed ſimplex plangit affectio. *Sermone 19. ipſo fine.*

Ennodius: Preſſum pectus angoribus ad amoris verba non erigas. nec quidquam deleneficium lamenta ſentient. res quæ mentem premit, repudiat quod oblectat auditum. *mox*: In ſummis afflictionibus quæri non poteſt vox genuittibus ſubjugata. lacrimarum tempore importuna eſt narratio. *deinde*: Oſtendo tamen ſæpe gravioris mali in luctibus indicem fuiſſe ſermonem; & intercepta taciturnitatis remedia proditore colloquio. Dicam, qui lamentationi ſuæ paginas denegat, in una ætate vult perire quod dolet. Non meretur recordatio fratris, & docti, ut nobiſcum quid de ipſo ſenſerimus, occupat. A feriato ore in planctibus parcus eſt animus. Amati commemoratio quæ mandatur tabellis, viſcera carorum aculeis violenter irrumpit. Nunquam patitur obitum vetereſcere relatio funeris digeſta per literas. *lib. 3. Ep. 2. a. f.*

Ennodius: Duriter officium geſtientis animi ad memoriam triſtium mens recordatione ſtimulanda revocavit Nam ſemper remedium oblivio doloris eſt; quia quod ratione non poſſumus, temporum prolixitate ſepelimus. Bene eſt, quia diuturnitate ſeneſcit afflictio, & magni doloris conſolatio per ſilentium procuratur. Nã in hujuſmodi negotiis plus agitur, nil agendo. Sed quid facio, quia epiſtolæ noſtræ lectio jam obducta cicatricis penetralia reſcindit, & ſepultam immaturi funeris recordationem amara ſorte vivificat. *lib. 9. Epiſt. 28.*

¶ Philosophorum Oratorumque Græcorum.

Phalaris Lacrito: Quod filii mortem, ægro animo pateris totum eſt tibi donandum. atque mihi vehemener dolenti quaſi cujuſdam neceſſarii caſum, majori triſtitiæ eſt. Attamen firmior quadam natura me adverſus hæc obfirmo, quod videam nihil ad rem facere, ſi etiam immodica quiſpiam mœſtitia ſe ipſum enecet. Verum tibi in ejus infortunii ſit maximum ſolatium, primo quod pro patria pugnans in bello, cum dignitate cecidit. Tum quod victori pulcherrimum finem Dii dederint: poſtremo, quod cum nihil unquam in vita peccaſſet, virtutem ſuam morte quaſi obſignavit. Qui enim vitam bene inſtituit, is num ſit aliquando in infamiam lapſurus incertum eſt. Nam homini res plerunque fortuna non cõſilio reguntur. Qui vero purus ab omni ſcelere mortem oppetiit, is in excellentiſſimum gradum exiſtimationis & gloriæ pervenit. Quare ſic ſtatuitum habeto, dignas gratias pro genitura, ſimul & educatione te ab ipſo recepiſſe, quod uſq; ad finem vitæ bonus probuſque permanſerit, & hoc ei viciſſim reddito, ut leniter & moderatè dolorem ipſius cauſſa ſuſceptum feras. *Epiſt. 10.*

Fratri Apollonio: Natura ſic eſt comparatum, ut unumquodq; poſtquam ſuam maturitatem eſt conſecutum, evaneſcat, & aboleatur. Idque omnino ſenectus eſt: poſt quam nemo permanet amplius. Ne vero te triſtem & anxium habeat conjugis in ipſo ætatis flore amiſſio, neque cum mors aliquid dicatur, vitam illa præſtabiliorem exiſtima, cum ſapientes eam omnibus partibus deteriorem judicent. Fratr moraque te præſta communiter quidem philoſophi; præcipuè ve. ò Pythagorii: & Apollonii familiam tuam ſimilem effice. Nam ſi priorem accuſaremus, forſitan eſſet, cur jure refugere videremur. Sin ea ſemper nobis extitit caſta & amans mariti, atque idcirco laude digna, quid impediat, quo minus eandem expectationem atque ſpem de futura concipiamus, quam veriſimile eſt anniſſuram, ut ſe meliorem præbeat, cum prior nulla unquam negligentia elanguerit aut defatigata ſit? Commoveant etiam te res fratrum quæ hactenus in ejuſmodi ſtatu poſita fuerunt, ut maximus natu nullas unquam nuptias expertus ſit. Minimus vero ſpem foveat ſobolis adhuc procreandæ: verum proceſſum temporis. Et nos quidem uni tres nati ſumus, Tribus vero nobis ne unus quidem. Idem autem periculum & patriæ impendet, & ætati venturæ. Si enim nos patre meliores evaſimus, cum alioquin ferè patre ſint deteriores: qui non ex nobis conſentaneum ſit meliores etiam proventuros eſſe? oriantur igitur quibus imponamus noſtra nomina, quemadmodum majores noſtri fecerunt. Prælachr mis plura ſcribere non potui, neque quæ magis in hoc tempus eſſent neceſſaria quam hæc habui. *Epiſt. 62.*

Apollonius Valerio: Mors nulla eſt, cujuſcunque tandem ſit, niſi ſpecie & apparitione tantum: quemadmodum neque generatio cujuſquam eſt, niſi duntaxat apparitione. Nam ipſa converſio ex ſubſtantia in naturam generatio videtur eſſe. Rurſum in iiſdem cõverſio naturæ in ſubſtantiam, mors; cum neque generetur quicquã revera, neque intereat unquam, ſolumque ſub oculorum ſenſum cadat, & poſtea rurſus evaneſcat; quorum illud quidem fit ob materiæ denſitatem; hoc autem ob ſubſtantiæ tenuitatem, quæ cum perpetuo maneat, eadem motu ſolum differt & poſitione. Hæc enim proprietas neceſſario requiritur ad mutationem quæ extrinſecus accedere nullo modo poteſt. Sed totum commutetur in partes, atque rurſum partes in totum vertuntur, unitate convenientiaque ipſius integri. Sin quiſpiam interrogarit quid hoc eſt, quod aliquando quidem videri poteſt, aliquando vero non: aut iiſdem aut aliis: reſpondendum, eſt de ſingulorum hujuſmodi generum ratione. Quod enim impletum refertumque eſt, apparet, propter craſſitudinis reverberationem. Non apparet autem cum evacuatum eſt, propter tenuitatem, materia violenter diffuſa, poſtquam effluxit è continente ipſam æterna menſuratione, neque generationi, neque corruptioni obnoxia. Quid autem omnino non redarguitur neque caſtigatur error, qui iam eouſque progreſſus eſt, ut aliqui quod ipſi patiuntur id agere ſeſe credant. neſcientes eum qui genitus eſt, per parentes & non à parentibus genitum eſſe: quemadmodum id quod per terram enatum eſt, non è terra naſcitur; nec apparentium ulla eſt affectio ſeu paſſio circa ſingula, ſed magis de unoquoque ipſorum. Id vero quo nomine quis rectius appellarit quam primam eſſentiam, quæ ſola agit & patitur, quæ fit omnibus omnia, per omnia Deus ſempiternus, quæ nominibus & perſonis de ſua ſede pellitur & injuria afficitur, idque minus. Tum autem defletur aliquis cum Deus ex homine fit, loci tranſmutatione, non naturæ. Si autem veritatem ſequi volumus, non legenda tibi, ſed honoran-

da

da colendâque mors eſt. Honor autem optimus eſt & convenientiſſimus, ſi Deo legem ſuam relinquas & tu fidei tuæ commiſſis populis imperes, quemadmodum antè feciſti. Turpe eſt tempore, non ratione meliorem fieri: ſiquidem etiam malis temporis diuturnitas finem moleſtiarum ac dolorum adfert. Maxima res eſt, imperium ſufficiens & de maximis. Princeps optimus qui ſibi ipſi priùs imperat. Quomodo verò ſanctum eſſe queat quæ voluntate Dei fiunt, ea deprecari? Si certus in rebus ordo ſervatur: ſervatur autem, & eum gubernat ac regit Deus: qui iuſtus eſt, non volet bona? Id enim libidinis eſt, & ordini repugnat: ea tamen quæ fiunt putabit prodeſſe? Prodi & medere, iudica ſimul & conſolare reos. A planctu verò lachrymiſque sic avocabis. Non privatæ res, publicis, ſed publicæ privatis anteponendæ ſunt. Quales verò genus eſt illud conſolationis. Cum univerſo populo filium luxiſti. Refer illis gratiam, qui communem tecum dolorem ſuſceperunt. Refers autem ſi ſtatim à mœrore deſtiteris. Si non prodeas, amicos non habes. Filium autem quamvis mortuum, etiamnum te ſapiens habere dicet. Quod enim exiſtit, non perit, cum idcirco exiſtat, quod ſemper futurum ſit: aut certè quod non eſt, illud fit. Quomodo verò non alio quopiam quod ſit pereunte fit. Fortè alius diceret, quam impietatem & injuriam excerces. Impius es in Deum, injurioſus in filium, immò in hunc etiam es impius. Quod ſi diſcere, qualis ſit mors, mitte poſt hanc vocem qui me interficiant, quam niſi mordicus tenebis, confeſtim me teipſo meliorem efficies. Habes ætatem, habes uxorem prudentem, amantem viri, omnibus rebus abundas. A teipſo quod deeſt ſume. Romanus quidam ex veteribus, ut conſervaret imperii legem atq; decus, proprium filium morte affecit, & coronatum occidit. Civitatibus quingentis imperas Romanorum nobiliſſimis, ſic es animo affectus, ut quis domum aut familiam conſtanter hoc modo gubernare non poſſet, taceo civitates & populos. Apollonius ſi coram adeſſet perſuaderet, ne Fabulam lugeres. *Epiſt.* 65.

Phalaris Steſichori liberis: Luctus hujus, quod aliud ſolatium præſtantius quis vobis ô filii adferat, quam virtutem parentis propter quem in luctu & ſqualore verſamini. Non enim fletu proſequi Steſichorum: ſed laudibus hymniſq; celebrare oportet. Et breviter, nolim vos, aut lachrymas profundere, aut corpus pulſationib. tundere, quod his affectibus non omnes communiter ſunt deplorandi: ſed ejuſmodi decent homines miſeros & infortunatos, quorum non mors ſed vita lamentabilis extitit. Horum potius interitus lamentatione dignus eſt, non Steſichori qui tot jam annos cum ſanctiſſimis Deabus vitam in choris & Muſarum carminibus tranſegit, quiq; celebrabitur ob honores & coronas. planè enim neq; apud nos neque apud alios homines quicquam his eſt præſtãtius. Immortalis enim Dei vis, quæ in omni re cernitur hæc & non alia mihi quidem videtur. Quare ô liberi magni & admirandi patris, dignè convenienterq; patri ſentiamus. Non enim exiguus vobis labor eſt evincendus, ut ne illo multum inferiores videamini. Nequaquam verò fortunati herois fatum plangite, quod non uno: ſed omni tempore beatum prædicabitur. Neq; verò ex honoribus, quos ei divinos tanquam Deo Himerenſes decernunt, ſplendidiſſimum omnium detrahite, nempe gloriam. Non enim ille, quantum utiq; nos ſcimus, extremum mortis diem moleſtè tulit, atq; cum generoſiſſimos heroas, quod pro gloria mortem oppetiſſent laude extulerat pulcherrimis, poëmatis, quæ vobis quidem omni pecuniâ precioſiora, cæterum honeſtè vivendi exempla ſunt. ipſe, cum ad finem jam fati perveniſſet, imperterritè mortem obiit. Hoc enim ô filii ejus ſcitote, quod cum in noſtram ut hoſtis poteſtatẽ eſſet redactus, nullo timore perculſus, neque ut gravia tormenta percuſſurus animo fractus eſt: ſed multo major fortiorq; animus in ipſo captivo fuit quam in hoſte. Victa eſt igitur Tyrannidis immanitas & acerbitas à Sapientia. Neque enim poteram ullo malo eum torquere. Quicquid enim faciebam, gratificabar. Ego vero qui mille labores ad eũ capiendũ eſſem machinatus, poſteaquã ſuperavi nihil aliud potui, captus ab illo potius, quam gratiam habere, & ſi fortè beneficium à nobis aliquod ſuſcipere vellet. Pro quibus ne gratias quidem mihi deberi cenſeo, tãetſi duodecim annis hoc in eum animo fuerim, Tot enim ſunt, quos ſupervixit. Ego verò me illi obligatum eſſe arbitror, quod tum in cæteris nos confirmarit, tum etiam ad mortem ſolus mortalium animarit, eamq; me mihi putare docuerit. *Epiſt.* 103.

Phalaris Nicocli: Dedimus literas ad Steſichorum, de verſib. Elegiacis, quemadmodum rogaſti, & modum, ut ſcribi oporteret, poſuimus. Ille verò ſe libenter nobis, quantũ in ſuo eſſet ingenio & natura communicaturum promiſit, forte quod putaret ſuam ſapientiam tibi ſolatio in tanto luctu fore. Calamitas igitur inſolabilis eſt, & gravior, quam ut verbis levari poſſit. Duobus enim familiariſſimis nominibus, uno tempore, utrumq; deploras. Nam & nepte cõmatria, & uxore ſpoliatus es fœmina optima, quod ad formam attinet, excellentiſſima, quod ad ſapientiam, ejuſmodi, ut ſecundam etiam poſt ſe palmã omnibus muleribus prereptam abſtulerit. Itaq; mœrore conficeris, animumq; penè deſpondes, & lamentationibus non depoſitis vitam tamen ſalutemq; tibi vendicas. Non enim hoc virtute dignum eſt, ut teipſum ad luctũ ſqualoremq; totum dedas, & miſerias miſeriis cumules atq; augeas: ſed ô Nicocles, cõverſus paulum à triſtitia, refer te ad contemplandam ærumnoſam hominũ vitam, quibus legib. quove ordine ſit conſtituta ac devincta. Naſcimur omnes & ſinguli in immenſas atq; innumerabiles calamitates. Eas cum perpeſſi ſumus ac pertulimus jam moleſtiarũ, peregrinationi ſi nis eſt impoſitus. Jucundam vero judicamus hanc vitam, quatenus nullum incõmodum pejus aut deterius morte formidamus aut perhorreſcimus, mortuumq; lugemus, quiſquis primus diſcedit, cum nos ipſi non longa via ſequamur: atque ſic nobiſmetipſis non has profundere lachrymas ignoramus. Hæc eſt hominum pœna, & in hunc finem omnes educamur, neq; eſt quod quiſquam hominum, aliud atrocius aut magis horrendum ſuorum factorum ſupplicium pertimeſcat. Fatum, hoc totũ hominis eſt, inevitabile, quodq; à nemine ſuperari ludive poteſt.

Me regem vides, quem omnes mortales violentiſſimum uno ore pronunciant. hoc verò, ſi etiam qui nunc ſunt, me potentiorẽ prædicent tamen ſubigere, moderariq; pro meo libito non poſſum. non enim ullã noſtram feritatem aut crudelitatẽ pertimeſcet. Sed diſcedimus, cum fatalis obeundæ mortis ſententia promulgata eſt. Utinã verò in hoc etiam regnũ imperiumq; eſſemus conſecuti, non equidẽ ut noſtrã mortem repelleremus. (Nos enim forte invenientur, qui meruiſſe dicant, ante fatum etiã interire, neq; ſane quicquam horũ voluntati adverſabimur) ſed ut æquiſſimorũ hominũ, longiſſimaq; vita digniſſimorum virorũ, terminum contineremus. Poſteaquam vero contra nos illa, non in illã nos imperiũ poteſtatemq; habemus, leniter moderateq; ferre convenit: non tam ob eã cauſſam, q̃ nihil proficitur lachrymis, quã quoniam ſi geniũ ejus te ſic confici conſumiq; dolore ſentiret, eam quoq; angi veriſimile eſſet, quæ virũ exhilaravit, gaviſaq; ſemper eſt iis de quibus ille gauderet, atque ſic in morte quoq; mœſtitia torqueri: non ſolum mehercle, q̃ uxorem ejuſmodi tu amiſiſſes, verum etiã quod ipſa tanto marito eſſet orbata. Cum igitur tu neq; primus ſis, neq; ſolus, cui malum hoc acciderit, reliquũ eſt, ut humanarũ rerum conditionẽ boni conſulas & leviter patiaris: ſi non propter me, qui jam dudũ propter innumerabiles miſerias ad mortem promptus atq; paratus ſum, at propter naturæ legem æquabilem: quod hoc eſt omnib. commune, tametſi ſummoperè quidam perhorreſcant, atq; his, qui magis à dolore cruciatuq; animorum vacui ſunt, plærumque ſolet evenire, ut diutiſſimè vita ſpirituque communi fruantur. *Epiſt.* 144.

Lucianus: Operæ pretium ſanè fuerit obſervare ea, quæ in luctu vulgo cum dicuntur, tum fiunt. Item quæ dicuntur ab iis qui eos cõſolantur: & ut non ferenda putant lugentes ea quæ ſibi ipſis acciderunt, & iis quos flent. Cum haud quaquã per Plutonẽ & Proſerpinã pernoverint mala-ne ſint iſta, & dolenda, an contra jucundiora, melioraq; iis quibus accidunt. Sed ex more & conſuetudine dolorẽ accerſunt. Itaq; cum mortuus fuerit aliquis, ad hunc modum faciunt. Quin potius volo tibi narrare, quas de morte opiniones habeãt. Sic enim palam fiet quorſum ſupervacanea illa moliantur.

Hominum quidem multitudo, quos ſapientes iſti vocant idiotas, Homero, Heſiodo, reliquiſq; fabularum authoribus ſuper his fidem habentes, & illorum poeſim pro lege ducentes, locum quendam ſub terra profundũ eſſe putant, quem Tartarũ vocant. Eum exiſtimant magnũ & ſpatioſum eſſe, atq; opacum & caliginoſum: qui tamen illis illuſtrari neſcio quomodo videtur, quò ſingula quæ illic ſunt, inſpiciant. Tum regnare in hoc ſpecu Jovis fratrem, cui nomen Plutoni mihi retulit, quidam harum rerum peritus, eò quod mortuorũ copia ſit dives, hoc nomine cohoneſtatum.

Porrò Plutonẽ hunc inferorum remp. & manium vitam hunc in modum conſtituiſſe. Nam ſorte obtigiſſe huic, ut vita defunctis imperaret. Quos ubi receperit, & aſſumpſerit, vinculis inenodabilibus coercet, nulli prorſus permittens ut ad ſuperos redeat, præter quã admodũ paucis ex univerſo ævo, idq; graviſſimis de cauſis. Circumluitur a regio illius, fluviis & magnis, & horrendis, vel ſolo nomine: ſiquidẽ Cocyti, Pyriphlegethontes, atq; hujuſmodi vocabulis appellãtur. Quodq; eſt graviſſimum, præjacet Acherontica palus, quæ prima excipit obvios, quam non poſſis tranſmittere, neq; tranſire ſine vectore. Nam & profundior eſt quã ut pedibus tranſiri poſſit, & ſpatioſior, quam ut tranari queat. In ſumma hujuſmodi eſt, ut nec aviũ manes poſſint eam tranſvolare. In ipſo deſcenſu, portaq; quæ eſt adamãtina, Æacus eſt, regis patruelis, cui mandata eſt cuſtodia: juxtaque ipſum canis triceps, ſævus admodum qui adveniẽtes amicè, pacateq; intuetur: ſed ſiquis aufugere conetur, allatrat, territoſque in ſpecum redigit.

Jam eos qui tranſmiſſa palude ſunt ingreſſi, pratũ amplũ excipit, aſphodelo conſitum: atq; infenſus memoriæ fluvius, ideoq; Lethes nomen ei inditũ. Nam hæc priſcis illis mortalibus narrarunt, qui illinc redierant: nempe Alceſtis, & Proteſilaus Teſſali, & Theſeus Ægeo prognatus, & Homericus Ulyſſes, graves admodum, & fide digni teſtes qui ex fonte illo mihi videntur non bibiſſe, alioqui eorum nõ meminiſſent. Itaq; Pluto, & Proſerpina, ut ajebant illi, remp. adminiſtrant, rerumq; omnium dominatũ obtinent. Quibus inſerviunt, & in adminiſtrando principatu adjuvant, ingens turba, furiæ, pœnæ, terrores, ac Mercurius, quanquã his ſane non adeſt perpetuò. Præfecti autẽ, & Satrapæ, judiceſq; ſedent duo, Minos, & Rhadamanthus, uterq; Cretenſis, uterq; Jovis filius. Atq; hi quidẽ bonos ac juſtos viros, qui cum virtute vitam exegerunt, ubi jam multi collecti fuerint, velut in coloniã quandam emittunt in Elyſium campum vitam optimam ibi victuros. Quod ſi malos aliquos ceperint, hos furiis traditos, in impiorũ locum ejiciunt, pro ratione malefactorũ puniendos. Quo in loco quid tandem mali non patiuntur? torti, exuſti, à vulturibus arroſi, rota circumacti, ſaxa ſurſum volventes. Nam Tantalus in ipſa palude ſtat, in periculũ adductus, ne ſiti moriatur infœlix. Alii verò mediæ vitæ, qui ſunt cõplures, vagatur in prato ſine corporib. facti umbræ, & ad tactum ceu fumus evaneſcentes. Aluntur autem

nostris libationibus, inferiisq; quæ sepulchris inferuntur. Adeo ut sicui nullus sit in terra reliquus amicus, aut cognatus, hic mortuus jejunus ac famelicus inter illos versetur. Hæc adeò validè vulgi animos pervaserunt, ut simulatq; familiaris quispiam mortuus fuerit, primum obolum illi in os indāt, ut sit portitori, trajectionis merces nec illud prius expendant, cujusmodi numisma legitimum sit, ambuletq; apud inferos, & apud illos valeat, Atticusne, an Macedonicus, & Æginensis obolus, neq; multo satius esse non posse naulum solvere: cum sic futurum sit, ut non recipiente portitore, postliminio redeant in vitam. Post hæc lotos eos, ac si tartarea palus nonsatis sit idonea lavandis iis, qui ibi degunt, optimisq; unguentis uncto corpore, quod jam fœtore vinditur, tum coronatos pulcherrimis florib. proponunt splendidè vestitos, ne videlicet per viam algeant, ne-ve à Cerbero nudi conspiciantur.

Accedunt ad hæc mulierum ejulatus, omniumq; lachrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarū cruētatio. Alii vestem discerpunt, & pulverē capiti inspergunt, adeò ut viventes, sint mortuo miserabiliores. Nam illi sæpenumero humi volutantur, capita solo allidūt: hic verò decorus ac formosus, & eximiè coronatus, sublimis propositus est, & excelsus, velut ad pompā adornatus. Deinde mater, atq; adeo pater, ex mediis cognatis progressus, & mortuo circunfusus (nam finge juvenem aliquem, ac formosum esse propositum, quo magis in hunc competat actio fabulæ) absurdas ac stultas voces emittit: ad quas responderet mortuus, si vocem reciperet. Ait enim pater, flebili quadā voce verbū unumquodq; in longum producens, fili jucundissime, periisti mihi, mortuus es, & ante diēpræreptus, misero me relicto solo. Non duxisti uxore, nō genuisti liberos, non militasti, non coluisti agros, ad senectam non pervenisti. Non comessaberis posthac, non amabis fili, neq; cum æqualibus in compotatione inebriaberis.

Hæc atq; id genus alia dicit, ratus filium rebus his etiam post obitum egere, ac desiderare quidē, verum potiri non posse. Sed quid hęc loquor? Quot enim sunt, qui equos ac concubinas, quiq; pincernas in funere mactarunt, qui vestem reliquumq; mundū concremarunt aut cum cadavere sepelierunt, perindè quasi iis illic sint usuri, & apud inferos fruituri? At senex iste luctum agens, hæc omnia quæ dixit, atq; his etiam plura, neq; filii causa tragicè jactare videtur, ut quem sciat non auditurū, etiamsi Stentorem clamore vincat: neq; rursum sua ipsius gratia, ut cui satis erat cogitare, & cognoscere, etiam sine clamore. Nemini enim opus est, ut apud sese clamet. Superest igitur, ut hæc nugetur ob eos qui adsunt: cum nesciat, neq; quid filio acciderit, neq; quo concesserit: imò cum neq; sua ipsius vita, cujusmodi sit, perpenderit. Neque enim ceu rem acerbam graviter ferret, illum ex ea demigrasse.

Filius igitur ita huic responderit, exorato Æaco, & Plutone, quò liceat tantisper è specu proferre caput, & patrē insanientem compescere. Homo infœlix, quid clamas? quid mihi molestus es? desine vellicare comā, & vultus lacerare cutem. Cur mihi convitiū facis, & miserum appellas, & infortunatū, qui jam sim te multò tum melior, tum fœlicior; aut quid acerbi mihi putas accidisse? An quia nō sum factus senex, qualis tu, capite calvo, facie rugosa, incurvus, genib. segnis, in summa totus ætate putris, multis expletis Triacadibus, & Olympiadibus: deniq; & istud, apud testes tam multos delirans? O demens, quid tibi videtur in vita boni, quo non posthac simus fruituri? nimirum potationes, cœnas, vestem, venerea, coq; metuis ne horum penuria peream? Non intelligis, longè bellius esse, non sitire, q̄ bibere? non esurire, quam edere: non algere, quam vestibus abundare?

Age igitur, quandoquidē ignarus videris, docebo te lugere verius. Itaq; redintegrato luctu, clama, fili miser, non amplius sities, nō amplius esuries, nō amplius algebis. Periisti mihi infœlix, qui morbos effugeris, qui febrem jam non timeas, non hostem, non tyrannum. Non te cruciabit amor, nō pervertet coitus, neq; hujus causa bis terve per diem rem tuam dissipabis. O calamitatem! Neq; contemneris factus senex, neq; molestus eris juvenibus, si conspiciaris.

Hæc si dixeris pater, annon putas te multò veriora, magisq; ridicula dicturum, quam illa quæ modo? At vide num hoc te malè habeat, quum caliginē, multasq; tenebras quæ sunt apud nos, cogitas. An metuis ne in monumento suffocer inclusus? Verum in his illud perpēdendum est, oculis putrefactis, atq; adeo exustis (siquidem me paulò post cremare decrevistis) nihil opus fore, nec ad tenebras, nec ad lumen aspiciendum. Atque hæc fortassis utcunq; sunt ferenda. Verum ejulatus ille vester, quid prodest mihi? aut quid planctus pectorum ad tibiæ modos? aut quid mulierum immodica lamēratio? quidve saxum coronis ornatū quod sepulchro imponitur? aut quid valet, quod merum infunditis? Num putatis illud ad nos destillaturum, & ad Orcum usq; permeaturum? Nam de parētalibus, ipsi quoque ni fallor, videtis quod ex apparatu potissimū ad nos redire debuerat, id fumo correptum, sursum in cœlum abire, neq; quicquam juvare nos qui in inferis degimus. Porro quod supereſt, pulvis est inutilis. nisi creditis nos cinere vesci. Non est usq; adeò sterile, & infrugiferum Plutonis regnum: neq; nos destituit asphodelus, ut à vobis cibos huc deportemus. Itaq; per Tisiphonen juro, jamdiu mihi subibat, ea quæ faciebatis, & dicebatis, cachinno excipere: sed prohibebat linteū ac lanæ, quib mihi fauces obligastis. Atq; ita pro fato mors ultima lumina clausit. At per Jovē, si mortuus hæc dicat reversus, in cubitum reclinatus, annon rectissimè dixisse videbitur? Attamen hi stolidi vociferantur, & accersito lamentorū artifice, qui multas calamitates in unum congerat, hoc adjutore, & chorago amentiæ utuntur, ubicunq; cœperit ille, ipsi ad melos ejulatu respondētes. Verum quantū ad lamentationes attinet, omnib. eadem est ineptiēdi consuetudo. At deinceps sepulturæ rationem in varios dividunt modos. Nam Græus exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit, Scytha devorat, condit Ægyptius. Atq; hic quidē (rem à me visam narro) desiccatū cadaver, convivam & cōpotorem adhibet. Fit autem frequenter, ut Ægyptium aliquem indigentē pecunia, liberet egestate oppigneratus in tempore vel frater, vel pater. Nam tumuli, pyramides, columnæ, tituli, ad breve tempus duratura, an non supervacanea, & ludicris similima? Sunt vero qui ludos quoq; instituerunt, ac funebres orationes ad sepulchrū habuerunt, tanquam patrocinātes, ac testimonium mortuo perhibentes apud judices infernos. Præter hæc omnia, est exequialis cœna. Hic adsunt necessarii, qui defuncti parentes consolantur, suadentq; uti cibum capiant, quanquā non illibenter per Jovē ad id compelluntur illi, quippe perpetuum jam triduum enecti fame. Et quo usq; quæso flebimus? sine quiescant defuncti manes. Quod si tibi deliberatum est omnino flēre, vel ob hoc ipsum cibus est capiendus, quo tanto luctui par esse possis. Tum denique, tum ab omnibus duo versus Homerici recitantur.

Nanque cibi meminit Niobe formosa capillos.

Item.

Non lugere sinit defunctum Nester Achivos.

At capiunt quidem illi, sed initio pudibundi, verentesq; ne post chariſſimorum obitum videantur adhuc affectib. humanis obtemperare. Hæc, atq; his longè magis ridicula reperiet, quisquis observarit ea quæ fiunt in luctu: propterea quòd vulgò existiment, mortem summum esse malum. *Lemmate, Luctus.*

Arrianus. Quid ergo angeris? quid vigilas? Nonne statim reputares ubi tuum bonum & malum, sic dicis, Vtrumque in mea potestate est, neque hoc eripere mihi quisquam potest, neque in illa invitum conjicere. Cur ergo non sterto supinus? Res meæ in tuto sunt, alienas vero viderit is qui abstulerit, prout ab eo concessum fuerit, cuius est auctoritas. Quis sum ego, qui eas sic aut aliter habere volo? Num mihi delectus earum concessus est? Nunquis earum procuratorem me constituit? Satis ea mihi sunt, quorum habeo potestatem. Hæc ita sunt administranda mihi, ut quā pulcherrima efficiantur: cætera vero, prout is voluerit cujus est auctoritas. Hæc cui ob oculos posita sunt, num vigilat, & huc atq; illuc vertitur? Quid vult? Quid desiderat? Patroclum, an Antilochum, aut Menelaum? Quando vrro aliquem & amicis immortalē iudicavit? Quando non ob oculos habuit, eras aut perendiè, vel sibi, vel illi esse moriendum? Rectè, inquit. At putabam illum mihi fore superstitem, & filii mei opes auctурum. Stultus fuisti, & incerta pro certis habuisti. Cur igitur non teipsum accusas, sed plorans sedes tanquā puellulæ? At ille mihi cibū apposuit. Vivebat enim stulte. Nunc vero nō potest. At Automedon tibi apponit. Si vero Automedō quoq; mortuus fuerit, aliū invenies. Si olla in qua tibi caro elixabatur, confracta fuerit, fame moriendū erit quod, consuetā ollam nō habeas? Nam aliam emendam curabis. Non, ait, hoc mihi quid gravius contingere possit. An vero istud gravare tibi est? omissaq; propulsatione istius, matrē accusas, quod non prædixerit, ex eo tempore vitam tibi cum dolore exigendā esse: Quid putatis? Annon ex industria Homerū ista composuisse, ut videremus nobilissimos, robustissimos, ditissimos, formosissimos, cū ea decreta non habent, quibus opus est, nihil prohibere quo minus miserrimi sint & calamitosissimi. *Sub finem cap. 10. lib. 4. Epict.*

Simplicius: Cum, inquit, ejulantē aliquem videris, sive filio mortuo aut peregrè agente, sive re aliqua sua perdita: ne te visum id impellat, ut eum ob res externas in malis esse existimes. Neque enim in reb. externis mala nostra sunt, sicut ne bona quidē. Cur ergo iste plorans tanquā malus sit eventus, affligitur? Nec is n. sua natura talis est. Alioqui omnes affligeret eos quib. evenisset. Sicut id q̄ natura calet, omnes eos à quibus attingitur, calefacit. At vero Anaxagoras audito filii sui obitu, placido simul & magno animo: Noram, inquit, me eū genuisse mortalē. Quid ergo affligit istū? Quod opinatur sibi aliquid accidisse mali, id est quod eum affligit. Opinio a. nostra est. Itaq; verum malū eum affligit: verum id non in rebus externis positum est, sed in iis quarū potestas in nobis sita est, ut hoc illove modo res æstimemus. Quid ergo? Vir bonus non afficietur eorū dolore, qui affliguntur, & improbata eorū opinione ipsos negliget? Nequaquā. Sed tempori serviendum, & quadantenus assentiendū illis, cum oratione dolorē præ se ferente: tum, si opus sit, unà gemendo, idq; non simulatè (nec enim bonum virū decet simulatio) sed illud gemendū est, tantā esse hominum imbecillitatem, ut istiusmodi res gemitu dignetur. Est a. animadversione dignum, quatenus ista progredi affectio debeat, ne eo veniatur, ut ipse etiā ex animo propter casum illū ingemiscas. Neq; enim opē ei ferre jam poteris q̄ lamentatur: cui affectui mederi qui vult, cum ut & aliquatenus ab eo affectu retrahat, & aliquo modo eidē subserviat oportet, ipsum in tuto collocatum. Neq; enim is qui omnino in suo statu permanserit, retrahet eū qui ab flumine abripitur, si totus cum eo abripiatur. Qui enim rebus humanis plane exemtus est, cum immisericors videatur, nihil valet apud eum qui angitur. Ei vero qui eodem affectu vincitur: ipsi consolatione est opus. *ad cap. 23. Epict.*

Simplicius: Si filius alterius mortuus est aut uxor, nemo est quin dicat, humanū esse illum casum, facto judicio secundum cōmunes notiones, naturæq; cōgruentes. Nam emori hominē, humanum esse, naturæq; hominis mortalis conveniens. Sed cum suus alicui filius moritur,

moritur, statim auditur, Hei mihi: Me miserum: ploratus, tragœdiæ: quasi nobis solis contra naturam aliquid accidisset. Meminisse autē oportebat, quomodo alio plorante affecti simus: cogitate nos tum, ut rectum est, non re ipsa, quæ naturalis sit & necessariò eveniat, illū turbari, sed suo, quem de re conceperit, actu. Is vero conduplicatus est, tum quod præter rationem & supra quam decet rationis particeps animus mortale corpus diligit, quod moriturum esse consentaneum est: tum quod ita vitam instituit, quasi perpetua ejus consuetudine frui possit. Maxime autem percellit & perturbat, quod inexspectatum accidit. Nam si quidem id meditatum & cogitando quasi familiare factum fuisset, non ita perturbaret atq; doleret.

Cujus rei illud evidens est utiq; argumentum, quod ii etiam, qui casum aliquem acerbissimè ferunt, paulò post ob assuetudinē, quasi nihil tale accidisset, leniuntur & tum notiones naturæ consentaneas promunt: humanum esse, mortale mori necesse: nobis etiam fatum brevi impendere. Jam si post eventum, ob sejunctionis consuetudinem, eam tam facile ferimus: etiam ante eventum, scilicet expectatione sejunctionis, ob assuefactionem, non adeo perturbatis animis excipiemus. Cujus perturbationis illa inprimis causa est, quod talia non continenter ob oculos habemus, nec illis assuescimus: & quod rebus præsentibus complurium hominum animi conformes fiunt, ut in rebus secundis eandem: semper fortunam exspectent, & aliqua molestia objecta, nunquam ea se liberatum iri credant. Altera est, & ea quidem hac non levior, nimius & immodicus talium rerū amor, unde vel cogitatio sejunctionis, illis est molestissima. Nemo enim volens rebus molestis immoratur. Amor igitur in primis moderandus est, verequejudicandum, qui sis qui ames: quid sit quod ames? rem esse alienam, & ipsam consuetudinem talium quoq, rerum asferre satietatem. Missum igitur faciendum, quicquid sit immmodicum: verbis abstinendum, quæ affectionem illam augeant, factisque multo magis. *ad cap. 33. Epict.*

Iulianus Imp. Ajunt Democritum Abderiten, cum nullo modo posset Darium, cui paulò antè uxor pulcherrima è vita excesserat, consolari, se illi mortuam resuscitaturum dixisse, si vellet res ad id negotium necessarias suppeditare: cumque Rex eum juberet nulla sumptus ratione habita, quidquid opus esset, accipere, promissaque præstare: tum paulisper cunctatum dixisse, cætera quidem sibi abunde suppetere, unum deesse, neq; id quemadmodum haberi posset se intelligere: Darium tamen quod totius Asiæ Rex esset, facile fortasse consequuturum. Hic cum rogaret ille, quid tādem tam magnum esset, quod soli regi fas esset scire: tum Democritū respondisse ajunt, Si tumulo uxoris inscriberet nomina trium, quās nemo luxisset, sic demum illam ab inferiis esse rediturā: fore enim ut ejus mortis consuetudine erubesceret. Tum Darius cum hæreret, neminemq; reperiret, cui triste aliquid non accidisset Democritus pro sua consuetudine ridens, Et tu, inquit, ineptissime omnium non vereris lugere, quasi unus tanti mali particeps, cum neminem eorū qui unquā fuerunt, sine privato aliquo dolore vixisse reperias? Verum ista quidem Darium audire conveniebat, hominē barbarum & indoctum, voluptati ac dolori obsequentem: at te & Græcum, & veræ doctrinæ studiosum, à teipso habere decet, ut tibi imperes. Etenim turpe fuerit rationi, non posse imperare, quod imperatura est dies. *Ep. 38. ante fi.*

Procopius Sophista: Quā acerba sunt in nos fortunæ consilia, quæ vel ad gravissimæ Tragœdiæ argumentū sufficere possint. Nondum à miserrima liberorum sepultura requievimus, & matrem attrahit. illi forsitan jucundum & gratū faciens quod charissimis liberis apposuit, at nobis luctum luctu cumulās, & sepultura, graviorem atq; intolerabiliorem efficiens, ac matre proh dolor infātes spoliavit, adhuc à materna papilla depēdentes, sanè lachrymis obeunda sunt hæc & scenam superantia incōmoda, & quæ fabulæ possint fidem confirmare, quod infœlix mulier ex homine sit in lapidem conversa. Erat enim ut apparet Phrygia atq; barbara, & adversus fortunæ potionē non philosophiæ remediis animum præmuniverat, quemadmodū magnum illum Anaxagorā, nunciante quodam ei filii mortem intempestivam, statim dixisse ferunt, ut multò antè præparatum, neq; quicquā magni mali perpessum, ante auditum: Sciebam me etiam mortalem genuisse. Et quidem arbitror conjecturā ex dictis faciens, si quis uxorem etiam nunciasset post puerum mortuam jacere, sine dubio additurum fuisse: Sciebā me mortalē in matrimonio habere.

Quam ob caussam laudo eos, qui primum invēnerunt Tragœdiā, quòd cùm didicissent fortunam sursum deorsumq; jactare res hominum solere, scenam nobis excogitarunt, & alienis malis pulcherrimè domesticorū calamitates prævenerunt. Quid enim est, in nobis ærumnosum quod non tempore præversum sit, & exhibitū Quid verò, novum accidere possit, ꝙ non ad simile exemplum referatur. Sed si fortuna superiores haberi volumus, ad solitæ philosophiæ portū, cōfugiamus, & qui simus, atq; unde venerimus perpēdamus. Et quæ sint rerum nostrarum rationes. Item vinctos nos solvi oportere omnino, cum ei qui vinxit libitum est, & deponendam esse personam, qua nos magni, & egregii Dramatis poeta induit. Hoc enim revera est ejus dicti, Nosce teipsum, admonitio. Hoc tuū officium ô sapientissime, & providentiæ, ut opinor, rationes continuò volventis, atq; arcanis sapientiæ præceptis patientiæ exemplū temetipsum præbentis. Quare ad nos ipsos redeamus. Sed quid agamus, dicētes, Deus ꝙ omnia suū opus perficit. Hæc si cogitaris, & te dignum teipso præstabis, & efficies, ut numē benignis ac propitiis oculis nos aspiciat. *Ep. 38*

¶ Romanorum.

Plinius Iunior: De filio vestro quæ composui, non indicavi, veritus ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem. 3. *Epist* 10.

Plinius Iunior: Est quidem Fundanus eruditus & sapiens, ut qui se ab ineunte ætate altioribus studiis artibusq; dediderit: sed nunc, omnia quæ audiit sæpeq; dixit aspernatur, expulsisq; virtutib. aliis pietatis est totus: & talis est pietas cui ignoscas, laudabilis etiam, si cogitaveris quid amiserit. amisit enim filiam quæ non minus mores ejus, quam os vultumq; referebat, totumq; patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eum de dolore tam justo literas mittes, memento adhibere scalpellum, non quasi castigatorium & nimis fórte, sed molle & humanum. quod ut facilius admittat, multū faciet medii temporis spatium. Ut enim crudum adhuc vulnus medētium manus reformidat, deinde patitur, atq; ultrò requirit: sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat, & clementer admotus acquiescit. *fine Epist. 16. lib. 5.*

Plinius Iunior: Habet quidem Macrinus grande solatium quod tantum bonum tamdiu tenuit, vixit enim cum hac triginta novem annis: sed hoc magis exacerbatur quod amisit. nam fruendis voluptatibus crescit carendi dolor? Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere avocamenta, & cicatricem possit; quam nihil æquè ac necessitas ipsa, & dies longa, & satietas dolores inducit. *Epist. 5 lib. 8.*

Plinius Iunior: Accedit lacrimis, quod absens, & impendētis mali nescius, pariter ægrum, pariter decessisse cognovi, ne gravissimo dolori timore consuescerem. *Epist. 23. lib. 8.*

Plinius Iunior: Quamquam tum maximè tristis, amissa nuper uxore, mitte ad Antejam, rogo ut veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret. *Epist. 13 lib. 9.*

Quintilianus: Quis ex parentibus nescit hac se mortalitatis lege procreare? Sed indigni exitus supra orbitatē sunt. Ideo magis flemus illos quos bella rapuerunt, hausit incendium, naufragia merserunt. Fortius feras inter assidenitū manus inter suorum officia labentes, cum se invicē oscula, cum se satiavere sermones, cum suprema mandata sunt, & se scit pietas omnia fecisse pro vita. *Declam. 8. § 16.*

Quintilianus: Ubi est impatientia patris, qua vix dimittitur cadaver in rogos? qua corpus exanime detinetur amplexu? *Dec. 8. § 23.*

Quintilianus: Certum profecto habetis, neq; audaciam, neque impudentiam, neq; vanitatem unquam querelas habuisse miserorum. Quam verum est quidquid exclamat calamitas: nec ab infelicibus temerè excunt gemitus. *Declamat. 10. §. 19.*

Quintilianus Habet suum mater infelix, molles manus, & mitia fomenta magnis vulneribus admoveas. Quæ se adhæc secari plaga permittit, in summo est. Viri forsitan quomodo fortior sexus sit, & contra dolorem quam imbecillis animus magis pugnat. Itaq; totum istud lugere, femineum est: & simul orbitas imbelle pectus invadit, animus ille qui luctus suos sequitur, incipit indulgentiam sentire lacrymarum. Fidem tuam marite, conjugi flere liceat, satiari gemitu, orbitati permitte quamdiu velit flere. Odi patrem, qui cum filium & ipse perdiderit putat nimis lugere matrem. *Declamatione 10. §. 11.*

Symmachus: Video Consul amplissime, quantum mihi amor tuus honoris imponat. Jubes te adeam, & coram defruar magistratus tui gaudio. Quo pacto istud possim negare nisi ea religione ignoveris qua vocasti? Nam quid agam fortunæ dubius, cum hinc inveterato obsequio honoris tui, hinc luctu amissi fratris impediar? Duæ mihi simul dispares personæ offerunt. Qui fieri potest ut os unum contrariis affectionibus induantur? Proinde animi æquus hujus operis facito mihi gratiam. Fortunati sellam tuam læto agmine prosequantur. Auspiciis tuis quivis fati integer amicus interfit. Me finito interim tempore aut ratione decoquere crudū dolorem. Quid quod etiam parentes mihi in communi mœrore solandi sunt? quorum ærumna geminabitur, si illis tā immaturæ peregrinationis meæ cura ingeritur. Esto igitur promptus ad veniam. Certe si putas arguendū quod desimus, fortunæ meæ potius irascere. Illa injecit manum, illa invitum retraxit. Ita tibi non persuadeat, ut est eadem impotens, me noluisse proficisci. *lib 1. Epist. 95.*

Symmachus: Solet quidem ægritudines animi ratio mitigare, sed fortunæ nostræ tantum vulnus est, ut ei ne tua quidem delenifica & suada facundia cicatricem possit abducere. Fors fuat an dies longa quandoq; hebetet laxatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit. Interim frigent verba solantium, neq; aures applicat cōsiliis bonis surdus ex injuria animus. Tertius hic mihi de optimis fratribus luctus est. Post tot miserias quis non putet me dedidicisse patientiam? At quanto imbecilliores nos ipse casus invenerit, tanto magis doleo. Nunc & illa crudescunt quib. stuporem diuturnitas fecerat. Ictus enim novissimus etiam veteres plagas dolore rescindit. Nec ignoro multa invicti animi exempla posse referri. Pericles amissis recens liberis venit in Curiam: sed patriæ causa cogebat. Anaxagoram Physicum gravis dē filio nuncius à disputationib. non retraxit: sed philosophiæ deferebat calamitatis suæ negligentiam. Pulvillus morte pigneris cognita cadaver efferri jussit: sed hac constantia esse debuit qui Capitolium dedicabat. Vides quis mihi sit animus: & tamen vita ducenda est. Amor enim lucis à natura datus fulcit infirmitatem doloris. *lib. 3. Epist. 6.*

Symmachus: Quis igitur hujus causæ defensor adhibendus est? Fortuna scilicet mea: cujus ut miseria, ita justa purgatio est. Neque enim fas sinit, læta officia obire lugentes, fortasse etiam vestram hilaritatem mea tristitudo contraheret. Siquidem semper fieri amat

ut habitum mentis de amicorum ore ducamus. Quare ignoſe quod deſimus, & apud egregium virum Conſulem fave abſentiæ meæ: cujus honore gloriari noſtrum eſt, auſpiciis intereſſe felicium. *lib. 3. Epiſt. 20.*

Symmachus: Si conditio temporis ſineret, votis me tuis etiam non rogatus ingerem. Qua in re certus animi mei, aſſertionem verborum, ſicuti arbitror, non requiris. Nunc fortunæ meæ qualis in tantum à feſtivis excuſat officiis, ut inſuper ſolatia depoſcat aliena, Ergo quia in manu mea interim non eſt frequentare lætos conventus, tuæ opis erit levare mœrentem. *lib. 5. Epiſt. 98.*

Symmachus: A funeſtis cogitationibus redeas in officia viventium. *lib. 8. Epiſt. 28. m.*

Symmachus: Credo miraris, quod adhuc crudo fortunæ meæ vulnere ſilentium ruperim. Hæc ſolatia, his paſcor, his recreor: etſi illa duco majora, quæ mihi ex tuo pectore & ſermone redduntur. Sed nolo tantiſper exigas litteras longiores. Breves ſunt doloris inducíæ, & mox in miſeras cogitationes recurrunt diſſimulata paululum mala. Ergo tua potius redundet oratio, quæ tibi laudem ſervatæ amicitiæ pariet, & mihi præſentis ærumnæ ſolamen adferet. *lib. 9. Epiſt. 73.*

Symmachus: Turpe atq; impetibile eſt attonito animo & fronte mœſta lætos adire conventus. Quid fortunam deceat agnoſco: cum qua nimis contumaciter agit, qui accepto vulnere ſtatim miſer eſſe diſſimulat *lib. 9. Epiſt. 103. m.*

¶ Portarum.

D. Nazianzenus de vita ſua.

Τίς δ' οὐ σπαράσσετ' ὀρφανούμενος τέκνων,
Orbatus omni prole quis non lugeat.

D. Nazianzenus Carm. 27. lugubri pro anima ſua.

Sæpe ſuum miſere luget nova nupta maritum,
Quem rapit ante diem gravis inclementia fati,
Triſteſq; orditur lacrimis perfuſa querelas:
Ac latere hærentes famula, æqualeſq; vicissim
In lacrimas gemituſq; ruunt, & carmine triſti
Acria ſubjiciunt validо fomenta dolori.
Quin etiam raptum properato funere natum
Extulit illacrimans genitrix, tormentaq; ſæva
Quæ ſenſit pariens, auget graviore dolore.
Eſt alius patriam qui ſedem hoſtilibus armis
Lugeat oppreſſam, flagranteſq; ignibus ædes.

Oppianus lib. 4. ἁλιευτ. v. 254.

Galei centrophori q; non prius fugiunt retrogradi quam ſocium
Tractum viderint, ſimul vero cupiunt perire.
Qualiter autem nuper mortuis filij cadaver ex ædibus
Sepulchrum ad lacrumabile ſui proſequatur parentes
Vnicum, circa quem plurimum fruſtra ſe affligunt.
Vnguibus vero lacerati pra dolore, circa filium ejulantes
Sepulcro inhærent, & non volunt domum
Reverti, ſed commori luctuoſo mortuo:
Sic hi nolunt ab attracto relinqui,
Donec eodem exitio à piſcatoribus interimantur.

Terentius Andria. 1. ſc. 1.

Curabat una funus, triſtis interim,
Nonnunquam collacrimabat. placuit tum id mihi
Sic cogitabam: hic parva conſuetudinis
Cauſſa, mortem hujus tam fert familiariter,
Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam eſſe omnia humani ingenii
Manſuetique animi officia.

Auſonius uxori defunctæ.

Te juvenis primis luxi deceptus in annis
Perq; novem celebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum ſenio lenire dolorem:
Semper crudeſcit nam mihi pœna recens.
Admittunt alii ſolatia temporis ægri:
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita calibe canos,
Quoq; magis ſolus, hoc mage mœſtus ago.
Vulnus alit, quod multa domus ſilet, & torus algeto
Quod mala non cuiquam, non bona partscipo.
Mœreo ſi conjunx aliis bona: mœreo contra
Si mala. ad exemplum tu mihi ſemper ades.
Tu mihi crux ab utraq; venis, ſive eſt mala quod tua
Diſſimilis fueris, ſeu bona quod ſimilis.

¶ Apologi.

De Viro deflente uxorem mortuam. Fab. 103.

Vir quidam pauper defunctæ uxoris mortem multis lachrymis & querelis proſequebatur, ſe miſerum & infelicem vocitans, qui tam probæ mulieris eſſet conſortio deſtitutus, utq; ſuum in uxorem teſtaretur amorem, dicebat in mortem turturis compare privati, in perpetuo cœlibatu velle permanere. Inter lamentandum autem cernens, quod mulieres, quæ ad curandum funus convenerant, veſte nimium ſumptuoſa defunctam induere volebant. Quid facitis, inquit, ſtultæ? Cur tam precioſam veſtem perdere vultis? quid alia uxor, quam ducturus ſum, feret? Tunc omnes, qui aderant, inter luctus & lachrymas vix riſum poterant continere. Qui enim paulò antè cœlibem vitam agere velle ſe dixerat, nunc de alia uxore cœperat cogitare.

Fabula hac indicat, difficile eſſe animi agritudinem verborum ſimulatione celare. Abſtemius.

¶ Apophthegmatum Sacror.

Ieſus Chriſtus Dominus noſter: Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *Matth. 5. cap. verſ. 5.*

Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. *Luc. 6. 21. 25.*

D. Paulus Apoſtolus: Gaudete, inquit, cum gaudentibus: lugete cum lugentibus. *Rom. 12. 15.*

Nolim vos in ignorantia verſari fratres (alloquens Theſſalonicenſes) quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut nec doleatis ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Nam ſi credimus Ieſum mortuum eſſe & reſurrexiſſe: ita etiam Deus eos qui obdormierint in Ieſu ad ducet cum eo. 1. *Theſſal. 4. 13.*

D. Cyprianus: Conteſtatus ſum, inquit, aſſiduè, & publicè prædicavi fratres noſtros non eſſe lugendos acceſſitione Dominica de ſeculo liberatos: cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti: recedentes præcedere ut proficiſcentes, ut navigantes ſolent: deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas eſſe hic atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam ſumpſerunt: occaſionem dandam non eſſe gentilibus, ut nos meritò ac jure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio nõ probemus. Spei noſtræ ac fidei prævaricatores ſumus: ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem, &c. *Ser. de Mortalitate.*

¶ Monoſticha Trochaica.

Ambitioſior in dolore quæque eſt quanto ditior.
Conjugem lugere aliquando non tenetur femina.
Feminis lugere honeſtum eſt, ſat meminiſſe ipſum eſt viris.
Hymnis digna, non lamentis planctibus ve mors boni.
Improbum eſt lugere ſiunt qua natura legibus.
In domo funebri non eſt gratia ulla Muſica.
In lugendo compare uxor anniſpatium compleat.
In peccantium lamẽtis plurimum efficacia.
Lamentatio planctuſq; mortuis fiat domi.
Mors acerbauſq; eſt eorum qui perenne quid parant.
Morte amici flere fas eſt, flere ſed fas cum modo.
Morte non dolet ſuorum gaudio exſilit Laco.
Mortuum lugens amicum invides magis quam amat.
Mortuorum cuuſſa officia haud deſeras vi ventium.
Ne quidem in luctu quieſcit ambitio at q; lacrima.
Nec ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec rurſum fluant.
Non diu tutorem avarum prodigus luget nepos.
Non iam luctus eſt dolor, luctus mera oſtentatio eſt.
Non poteſt ibi eſſe luctus vis ubi ingens gaudijs eſt.
Non poteſt lugere amarè ditis hæres unicus.
Nulla luctus magnitudo eſt Tempus ipſam quin domet.
Prævalet lætitia publica luctui domeſtico.
Quæritur peremptum nemo, quem incolumem timet.
Quis mortem, quam ſtultus, ullam deſleat mortalium.
Rex ubi deſletur, lachryma riſus obtineat vicem.
Sapius quoq; ipſo in luctu luctus exoritur novus.
Sic ferat mortem ſuorum quiſque, quo exſpectat ſuam.
Sumptuoſa menſa luctum non levat, magis gravat.
Sunt fere data jura flendi non modeſta feminis.
Vir prudens luctum ratione ponit, ſtultus tempore.
Vrbis in luctu haud eſt ullus arguat qui injurias.
Vxor non luget maritum quam videris qua cupit.

¶ Jambica.

Æquum eſt ſqualorem immundas fortunas ſequi.
Defuncta non revocantur ullis planctibus.
Domeſticus non curat luctus publicum.
Et feriato lugentes rident die.
Et mortuus deflent catellos bellua.
Etiam decens & luctui imperat pudor.
Etiam dolendi diſciplina homini eſt ſua.
Etiam ſuus doloris in luctu eſt modus.
Extrema gaudii, ſemper luctus occupat.
Ipſas jubet mœrere ſexus feminas.
Lacrimas citò, tardè dolorem ponito.
Luctuſque ſummus perdomatur gaudio.
Lugere Divos, culmen eſt amentia.
Lugere nimium, auget dolorem non levat.
Lugere noli quod nequit mutarier.
Lugere ſtultum eſt, qua mutari non queunt.
Lugere vivos juſtius, quam mortuos.
Lugere vivos, vere res miſerrima eſt.
Mundo gemendus Hercules toto jacet.
Nunquam adgregat ſe luctus reſpuentibus.

Philoſo-

Philosopha cuncta sunt in ade lugubri.
Praestat mori cicuta quam luctu mero.
Quantilla quantis luctibus miscent domos!
Quisnam suos mutatos in melius fleat?
Reparare amicum satius est quam plangere.
Sentire fatum Calitem planctu jubes.
Sodalis haud est luctui silentium.
Tacitè gemenda tristes fortunæ vices.
Thetis quoq; etiam lamentando lessum fecit filio.
Turpe est viro lugere fortis perpetim.
Vel mensa vilis sufficit lugentibus.
Vix exeunt gemitus ficti felicibus.
Vnum ad diem sat est deflere mortuos.

Ludi & Lusus.

¶ SENTENTIÆ GRAECORUM.

Vlianus Imp. Anne aliquis adeo rudi est ingenio, ut serio & accurate jocari & ludere velit? ego verò semper existimavi ludum nil aliud esse, quam animi remissionem & curarum sedationem. *in Caesaribus.*

Iulianus: Semper odi Circenses, perinde ut forum ii qui obstricti sunt ære alieno. itaq; rarò ad eos venio, nempe in Deorum feriis, neque ibi diem cõsumo, quod meus patruelis Constantius, avunculus Julianus, & Gallus germanus ex patre faciebant: sed spectato sexto fere cursu, neq; id magna cum voluptate imò herclè cum molestia ac fastidio, libens discedo. *in Mysop.*

¶ POETARUM.

Palladius I.

Sperne lucrum: versat mentes vesana libido.

Asclepiadius II.

Fraude carete graves: ignari cedite doctis

Eusthenius III.

Lusuri nummos, animos quoque ponere debent.

Pompejanus IV.

Irasci minime placet, optime frater.

Maximianus V.

Ludite securi, quibus as est semper in arca.

Vitalis VI.

Si quis habens nummos venies, exibis inanis.

Basilius VII.

Lusori cupido semper gravis exitus instat.

Asinenus VIII.

Sancta probis pax est: irasci desine victus.

Vobianus IX.

Nullus ubique potest felici ludere dextra.

Euphorbus X.

Initio Furias, ego sum tribus addita quartæ.

Julianus XI.

Plectite truces animos, ut vere ludere possis.

Hilasius XII.

Ponite mature bellum, precor, iraq; cesset.

¶ APOPHTHEGM. CHRISTIANOR.

S. Ioan. Evangelista: Homines quamvis in rebus turbidis, tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxari, docuit JOANNES EVANGELISTA. qui reprehensus, quod matura jam ætate, aliquando cum avicula tempus falleret, jussit Aristarchulum reprehẽsorem, arcum quem humeris gestabat, aliquoties tendere. quod cum feciſſet, & arcus remissior factus esset, ejus causam scisitatur. Qui se nervum arcui detraxisse respondit, ne continua intensione inutilis redderetur. Cui extemplo JOANNES: *Et ego interdum cum alio honesto exercitio relaxor, ut majoribus deinde viribus, oratione & jejunio insistamus.* Appositè Statius lib. 4. Sylv.

——— *Nostra fatiscit*
Laxaturque chelys: vires instigat aliteq;
Tempestiva quies. Major post otia virtus.

Fulgos. lib. 8. cap. 8.

¶ MONOSTICHA TROCHAICA.

Des lusum animo, ad cogitandum melior ut redeat tibi
Des veniam ludis alienis, hanc ut impetres tuis.
Ignavi ludo, ignavi sed feriantur serio.
Ludicris capi haud debebat urbs quæ mater urbium est.
Ludo utendum est, ut satis jam rebus factum est seriis.
Lusibus jocisq; rite triste opus distinguitur.
Quam magis propinqua mors est, dede amori te ac jocis.
Quod labor nummusq; nescit, sæpe lusus auferet.
Vita non minus jocosis indiget quam seriis.

¶ IAMBICA.

Dicique possunt seria à ludentibus.
Et multa ludo promovemus seria.
Haud ludicris ignaros oblectaveris.
Iocularibus prudens amænat tetrica.
Ludicra nunquam præponenda seriis.
Non omnis ætas hominis ludo convenit.
Quandoque sit studii remissio jocus.
Risu jocisq; haud parentatur mortuis.

Videantur plura titulo *Aleæ, Exercitationis, Certaminis, Gymnasii, Otii, Recreationis, Spectaculorum, Scholæ.*

Luminis.

¶ SENTENTIÆ PATRUM GRÆCORUM.

D. *Nazianzenus*: Ac quidem Deus summum & inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus, eo se magis contemplandum nobis præbens, quò accuratiùs animos purgaverimus, eò rursus magis amandum, quo magis, contemplati fuerimus, eo deniq; magis cognoscendum, quo magis amaverimus, sese ipse speculans & comprehendens, ac perexiguo ad externa diffundens.

Lumen porrò hoc dico, quod in Patre & Filio & Spiritu sancto consideratur: quorum opulentia, naturæ identitas est, atq; una eademq; splendoris prosultatio. Secundum lumen est Angelus, primi illius luminis velut rivulus quidam aut participatio per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens: de quo statuere nequeo, utrum pro classis suæ ordinisque ratione splendor ei impertiatur, an potius pro divinæ illuminationis modo hanc vel illam sedem accipiat.

Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum & manifestum est. Φῶς enim, id est, lumen, hominem vocant propter rationis nobis insitæ vim & facultatem. Quo etiam rursus nomine ii inter nos appellantur, qui Deo similiores sunt, propriusque ad Deum accedunt.

Aliud quoque lumen agnosco, nempe illud, quo primigeniæ tenebræ depulsæ, aut certè intercisæ sunt, quod anteres eas omnes creatas, quæ aspectu sentiuntur, productum est: circularemq; item illam siderum conversionem, & supernum splendorem, universum orbem illustrantem. Jam lumen etiam erat primigenum illud mandatum, quod primigeno homini datum est (quandoquidem legis mandatum lucerna & lumen est: & rursus, Lumen præcepta tua in terra) tametsi invida illa caligo irrepens vitium procrearit.

Lumen etiam typicum, atque ad modulum eorum, qui excipiebant, ad mensum, Lex scripta erat, veritatem adumbrans, ac magni illius luminis mysterium: quippe & Mosis vultus, eo perfusus, gloria afficitur. Atque ut plura lumina Orationi demus, lumen igne conflatum id erat, quod Mosis oculos in monte perstrinxit, tum videlicet cum ignis flagrantem rubum perurere atque absumere non poterat, ut videlicet & naturam suam indicaret, & divinam potentiam declararet. Lumen præterea id erat, quod id ignis columna Israeli præibat, ac deserti asperitatem mitigabat. Lumen item, quod Heliam in igneo curru rapuit, nec raptum exussit. Lumen insuper, quod tum pastores circumfulsit, cum lumen temporis expers temporali miscebatur. Lumen quoque pulchrum illud sidus in Bethleem præcurrens, ut & magis viæ dux esset, & lumen illud nobis sublimius, ad nos demissum, nobisque conjunctum velut stiparet. Adhæc lumen erat divinitas illa discipulis in monte velut per transennam ostensa, & quidem ita firma, ut vix eam oculorum acies ferre posset. Lumen item visio illa, quæ paulum fulgore circumfudit, ac per oculorum plagam tenebris animæ medicinam attulit. Lumen etiam illius vitæ claritas, his utique, qui animos suos à peccati sordibus in hac vita perpurgarint: quo tempore nimirum iusti fulgebunt sicut Sol, ac Deus in medio decrum & regum stabit, beatitudinis illius gradus atque dignitates distinguens & dividens. Lumen postremò, præter hæc omnia, proprior & peculiari modo est baptismi splendor. *Orat.* 40.

Idem post multa: Quid lumine dulcius & jucundius, his qui luminis gustum ceperunt? Lux orta est justo, & huic conjunctis læti ia. Et, Lux justis omni tempore. Quin etiam quidam Deum ad hunc modum affatur, Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis, hoc est, ut opinione assequor, ab angelicis virtutibus, quæ nobis ad optima quæque adjumento sunt. Jam Davidem quoque his verbis utentem audis, Dominus illuminatio mea, & salvator meus, quem timebo? Qui etiam nunc sibi lucem & veritatem emitti postulat, nunc ob eam sibi impertitam gratias agit, cum lumen Dei super se signatum esse ait, hoc est, impressa & cognita esse datæ illuminationis signa. Unum illud lumen fugiamus, quod ex sævo igne nascitur.

Chrysostomus: Qui mala agit odit lucem, & non venit ad lucem, qui autem non facit, venit. *Homil. 18. ad Ephes.*

¶ LATINORUM.

Chrysologus: Sine lucernarum solatio, nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. *Sermone 24.*

Idem: Semper ad innocentię testimonium lucernæ nocturno portantur in tempore: & sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus: sociæ semper boni operis sunt lucernæ.

¶ Monosticha Trochaïca.

Cernere haud ausi lucernam Sole viso quidnam agent?
Cuncta in luce se benefacta collocarier volunt.
Detrahit sibi non Soli, si haud lucere dixerit.
Dulcior lux est recurrens, jugiter quam qua manet.
E tenebris cuncta claram tempus ad diem erunt.
Iustitia haud modo Lumen unum est, tota Lumen est.
Lumen ecquis de suomet lumine accendi vetet.
Mors paventium secreta est, fortium lucem expetit.
Pertenebrosa est virtus omnis absq; luce carminum.
Quid face est opus, si luna lumen ipsum dux via est?
Scelera sunt secreta, honesta semper gaudent publico.
Sole oborto grassatorum cessant latrocinia.

¶ Jamb i ca.

Ab omnibus, sua perspici probus cupit.
Adversa lux ea est qua aguntur cum metu.
Amica nox sceleribus, lux virtutibus.
Etiam suum velat facinus tenebris latro.
Gravis mala est lux conscientia est.
Heu quam gravis mala est lux conscientia!
In luce multa quisq; vidit Principum.
In sole cerni sidera ipsa desinunt.
Inimica lux motusque pinguitudini.
Lumen fugito quod savo ex igne nascitur.
Nuda angulos amare nescit Veritas
Nulla orbe toto luce res est pulcrior.
Obscura quantumvis, nunquam virtus latet.
Perdenda virtus non in occulto tibi est.
Perlucet omne vitium vegra domus.
Quam rarus est qui luce quid dignum facit!
Quid dulcius jucundiusque lumine?
Semper suo ipse lumine ignis proditur.
Sol cuncta cernit, cuncta Sol dijudicat.
Sol lippienti tenebras praestat, non jubar.

Lupanaris.

¶ SENTENTIÆ PATRUM.

Salvianus: Quid? impudicitia, atq; impuritas, numquid non ad eversionem Afrorum sola sufficeret? quæ enim pars civitatis non plena sordibus? quæ intra urbem platea aut semita nō lupanar? adeo penè omnia compita, omnes vias, aut quasi foveæ libidinum interciderant, aut quasi retia prætexerant, ut etiam qui ab hac re penitus abhorrerent, tamen vitare vix possent. Latronū quodam modo excubias videres cōmeantium viatorum spolia captantes, qui insidiarum frequentiō densitate, ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac diverticula sepissent, ut nullus fermè tam cautus esset, qui non in aliquos insidiarum laqueos incurreret, etiam qui se de pluribus expedisset. Fætebant, ut ita dixerim, cuncti urbis illius cives cœno libidinis, spurcum sibimet ipsis mutuæ impudicitiæ nidorem inhalantes. sed horrori eis tamen horrida ista non erāt, quia idem omnes horror infecerat. unā enim illis putes fuisse libidinum fornicationumq; sentinam, cænum quasi ex omni platearum & cloacarum labe collectum. &c. *lib. 7. de providentia Dei.*

Salvianus: Leges vandalorum nequaquā illis legibus sunt consentaneæ quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obscenitatis admittant, ut Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes lupanaria ædificantes, timuerunt videlicet ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eos penitus improbitate prohiberent. At isti sic inhibuere scorta ut adulteria, qui & feminas nullis voluerunt esse feminas nisi maritis suis, & viros nullis voluerunt mulieribus esse masculos, nisi uxoribus suis; qui evagari obscenas libidines extra legitimum torum non sinunt, leges suas scilicet ad divinæ legis regulam dirigentes &c. *sub finem lib. 7. de gubernatione Dei.*

Salvianus: Pudeat vos Romani ubique populi, pudeat vitæ vestræ! nullæ penè urbes lustris, nullæ omnino impuritatibus vacant, nisi illæ in quibus barbari esse cœperunt. Et miramur si tam impuri miseri sumus, miramur si ab hoste vincimur viribus qui honestate superamur, miramur si bona nostra possident qui mala nostra execrantur? nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. nemo sibi aliud persuadeat; sola nos morum nostrorum vitia vicerunt. *fine libri septimi de gubernatione Dei.*

¶ Oratorvm.

Alciphron: Dilexisti me Euthybule non abjectam fœminam, neque de ignobilium grege unam, sed honesto patre, honestaq; matre prognatam. Sosthenes Stirensis erat mihi parens & Damophile mater, qui me fidejussione hereditariam inter liberos conjunctos ac genuinos tibi matrimonio conjunxerunt. Tu vero levibus oculis præditus & ad omnem voluptatem libidinemq; Veneream effusus, ignominiam imponis mihi, & communibus liberis qui Galenum Thalassionis filiam amas Hermionitidem inquilinam, quam amantium damno Piræeus hospitio excepit. Accurrit enim amatorio furore ad eam maritima juventus, aliusq; aliud donum adfert. Illa recipit & in Charybdis morem devorat. Ac tu transgrediens piscatorias donationes, Mænidas aut Triglas neq; adfers, neq; donare vis, tanquam senior, & jam olim uxoratus, atque liberorum non prorsus infantium pater, rivales arcere volens, reticula Milesia vestemq; Siculam item aurum dono mittis. Aut igitur omitte superbiam, & à libidine, atq; muliebri amore desiste, aut me ad patrem discessuram scito, qui neq; meam causam negliget & tibi maleficii crimen apud judices intendet. *Panope Eutybulo Epist. 6.*

¶ Poetarvm.

Plautus Pœnulo 4. sc. 2. pr.

Satis spectatum est Deos atque homines ejus negligere gratiam,
Cui homini herus est consimilis, velut ego habeo nunc hujusmodi.
Neq; perjurior, neq; pejor alter usquam est gentium,
Quam herus meus, neq; tam lutens, neq; tam cœno collitus.
Ita me Dii ament, vel in lautum in, vel in pistrino malim
Agere atatem prapeditus latera forti ferro mea,
Quam apud lenonem hunc servitutem colere. quid illuc est genus?
Qua illic hominum corruptela fiunt? Dij vestram fidem!
Quod vis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem venerit.
Equidem, peditem, libertinum furem, ac fugitivum velis,
Verberatum vinctum, addictum, qui habet quod det, ut homo est,
Omnia genera recipiuntur. itaq; in totis adibus
Tenebra, latebra, bibitur, estur, quasi in popina, haud secus.
Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas, nomina insunt cubitum longis literis.
Ita vinariorum habemus nostra delectum domi.
Hac cum hic video fieri, crucior preciis emptos maximis
Apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.

Plautus Asinariæ 1. sc. 3. v. 87.

Modo tecum una argentum affero: facilè patiar catera.
A. Portitorum simillima sunt lanua lenonia:
Si affers, tum patent: si non est quod des, ades non patent.
Interis, si non invenio ego illas viginti minas.
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundum est mihi

Plautus Bacchid. 3. sc. 1. pr.

Pandite atq; aperite properè januam hanc Orci, obsecro.
Nam equidem haud aliter esse duco, quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet.
Bacchides non Bacchides, sed Baccha sunt acerrima.
Apage istas à me sorores, qua hominum sorbent sanguinem.
Omnia ad perniciem instructa domus optimè atq; opiparè.
Qua ut adspexi, me continuò contuli protinam in pedes.
Egone ut hac conclusa gestem clanculum? ut calem patrem
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula?

Plautus Bacchid. ipso fine.

His senes nisi fuissent nihili jam inde ab adolescentia,
Non hodie hic tantum flagitium facerent canis capitibus
Neq; adeo hac faceremus, ni antehac vidissemus fieri.
Vt apud lenones rivales filiis fierent patres.

Plautus Menæchmis 4. sc. 3. v. 20.

Tu huc post hunc diem, pedem intrò non feres, ne frustra sis
Nisi feres argentum, frustra me ductare non potes.

Plautus Truculento 1. sc. 2. pr.

Ad fores auscultate, atque asservate ades,
Nequis advenior gravior abeat quam adveniat,
Non qui manus attulerit steriles intro ad nos,
Gravidas foras reportet. novi ego hominum mores,
Ita nunc adolescentes morati sunt. quin eis
Vt simul adveniunt ad scorta congerrones,
Consulta sunt consilia, quando intrò advenerunt,
Vnus eorum aliquis osculum amica usq; eggerit,
Dum illis agunt quod aguntur caeteri clepta, furantur, harpagant.
Sin videant quempiam se asservare, obludunt, dum custodem
Oblectent per joculum & ludum, de nostro sape edant, quod
Fartores faciunt fit pol hoc, & pars spectatorum scitis,
Pol hac vos me haud mentiri.
Ibi est in pugna & virtuti ae pradonibus pradam capere.

At nos

At nos rursum lepidè referimus gratiam furibus nostris.
Nam ipsi vident, cum eorum agerimus bona. quin & ultrò ipsi aggerunt ad nos.
Plautus Truculento 2. sc. 1. v. 41.
Scio ego plus quam me arbitrare scire. A quid id est obsecro
Quod scias? S herilis noster filius apud vos Strabax
Vt pereat, ut eum illiciatis in malam fraudem & prædā
A. Sanus si videare, dicam, dicis contumeliam.
Nemo hominum hoc perire solet apud nos: res perdunt suas
Plautus Trucul. 3. sc. 2. v. 29.
Tene, in tabernam ducor diversoriam,
Vbi male accipiar mea mihi pecunia.
Plautus Trucul. 4. sc 2. v. 34.
Non licet de obsonio saltem me particeps fieri?
A. Si volebas participare, auferres dimidium domum.
Nam itidem ut Acherunti hic ratio accepti scribitur.
Intro accipimus: quando acceptum est, non potest ferri foras.
Terentius Enunchi 5. sc. 5.
Quis homo pro macho unquam vidit in domo meretricia
Deprendi quemquam? PY. nescio.

¶ Emblematis.

Jac. Catsius Emblemate amatorio 34.
Ludite, sed castè.
Muribus insidias glomeratus Echinus in orbem
Dum struit, effingit qua locat ora specum.
Vicinas mures saltunt impune per herbas;
Ficta sed excurrat si quis ad antra, perit.
Nostra Venus puraque manus, & pectus honestum
Exigit, & tenebras, ac vada caca fugit.
Plectitur obscœnis qui furta tegenda latebris
Cogitur, & cuius gaudia crimen habent.

Luxus.

¶ Sententiæ Philosophorum Græcorum.

D. *Greg. Nyssenus*: Corpus naturæ suæ convenienter movetur, ad eaque, quibus statum suum tuetur atque conservat, impulsu proprio fertur, & trahitur. Exempli gratia cibo, potioneque indiget, ut, quod deperditur vitium, instauretur. itaque cibum potionemque appetit. Rursus natura corporis, quæ mortalis est, procreationis serie fit immortalis: idcirco conveniens illi procreandi appetitus insitus est. Ad hæc cum idoneo pilorum præsidio corpora nostra munita non sint, vestimentis extrinsecus admotis indigemus: cumque caloris, & frigoris, & imbrium vim perferre nequeamus, domos, & tecta nobis construimus. Qui prudenter necessitatem considerat, ejus habita ratione, hæc & alia ejusmodi sine sollicitudine comparat, appetitionique terminum constituit, usum necessarium: domum igitur, vestimentum, conjugium, cibumque naturæ suppeditat, ut rebus necessariis sustentetur. qui vero voluptatum est servus, per necessarios usus vitiis aditum aperit, alimentique loco delitias quærit, pro vestimento sectatur elegantiam ornamentorum: pro ædium usu colit amplissima magnificentissimaque palatia: pro legitima liberorum susceptione, legibus contrarias, atque nefarias libidines aucupatur. Quibus de causis latis portis ingressa est in hominum vitam avaritia, mollities, & otium, & superbia, & ostentatio, multiplexque luxuria. Hæc & horum similia vitia, ut stolones, aut rami quidam inutiles, præter vitæ usus necessarios provenerunt, dum necessitatis terminos transilit appetitus, hominesque non curant, honestis studiis dilatari. Quid enim alendo corpori prosunt argentea vasa, auro gemmisque tanquam floribus distincta atq; exornata? Quem usum auferunt vestes aureis purpureisque filis contextæ, & varia elaboratæ pictura, quâ & prælia, & venationes, & alia res ejusmodi in tunicis & indumentis ab artificibus describuntur: Quæ quidem luxuria semper avaritiam comitem habet. Nam ut vires sibi adhæc parent, rerum cupidarum materiam avaritia subministrat: eademque avaritia infidelitati aditum patefacit, est enim, ut ait Salomon, dolium pertusum, quod qui conantur implere, frustra laborant, & vacuum semper inveniunt. Corpus ergo non affert malorum causas; sed ipsa voluntas, quæ necessarium usum ad absurdas & inutiles cupiditates detorquet. *Oratione qua docet non esse dolendum eorum obitū qui in fide obdormierunt.*

D. Chrysostomus: Et quomodo regnat peccatum, inquies? non à propria virtute, sed à tua socordia atque ignavia. Itaque cum dixisset: Ne regnet, & modum quoq; regni hujusce ostendit, addens ac dicens, ut illi per ejus cupiditates parentes dicto sitis. non enim honos fuerit corpori licentio se omnia gratificari, atque indulgere, sed summa plenè servitus, & ignominiæ intentio. cum enim quæ vult facit, tum demum omni libertate orbatum est. cum autem destinetur prohibiturque, tum vel maximè propriam dignitatem tuetur. *Homilia 11. ad Romanos.*

D. Chrysostomus: Qui mollem & solutam vitam agit, is omnium quidem fortunatissimus esse videtur, omnium autem est miserrimus, dominas permolestas ac tyrannos in animam suam introducens. *Homilia 9 ad Romanos.*

Chrysostomus: Est in potestate tua comedere. mane ergo hanc habes potestatem; & Vide ne hujus affectus fias servus. nam qui ad id quod oportet ea utitur ipse eam habet in potestate. qui autem edit ad exsuperationem & immoderationem non est amplius dominus, sed ejus servus; voracitate & ingluvie tyrannidem in eo exercente. Illorum unusquisque dicebat: licet mihi me deliciis expiere & genio indulgere: ipse vero Apostolus dicit: Non hoc ita facis, ut qui id habeas in tua potestate, sed ut qui sis ipse redactus sub eam potestatem. non habes enim in ventrem potestatem quamdiu fueris prodigus & luxui deditus; sed ipse in te habet potestatem. *Homilia 17. ad Corinthios. 1.*

S. Isidorus Pelusiota: Multos admonitionum modos investigare conor, per quos te è temulentia emergere non modo volo, se etiā opto. Dic igitur, heus tu, per ipsam Dei veritatem te obtestor, an nō gula primos parentes è delitiis expulit? An non satietas Esau primogeniorum jure ac libertate spoliavit? An non superfluus boum ac pecudum esus, Saulem & regno & vita exturbavit? an non carnium & ollarum cupiditas Israëlem in deserto commorantem innumeris tormentis & tentationibus confecit? An non rabidus venter, & carnium ereptio & crapula, & insanus mulierū amor, effecit, ut Ophni & Phinees, sacerdotio, & arca, & tribuum imperio, & gloria, & honore truncati, hostili gladio trucidarentur? An non carnium voracitas ignominiosos sacerdotes, Eliæ tempestate gladio ac nece dignos reddidit? An non ventris appetitus, & carnium desiderium Belisquoque cultores & adoratores per cinerem convictos ac deprehēsos exitio addixit? Ac rursum è contrario, an non jejunium & concubitus abnegatio, Noe ipsiusque filios ex inopinati maris tempestate conservavit? Quippè qui leguminibus vescerentur, uxoresque ad carnalem coitum minime adhiberent. Audi enim scripturam ipsi Noe hoc indicentem: Ingredere in arcam tu & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum. Sejungamini, inquit, viri privatim, & uxores privatim. Per illatas aquas scortatio & lascivia supplicio mulctatur. Vos igitur ne labis quidem ac maculæ expers cubile attingetis. Quod autem ita res se haberet, hinc patet, quod cum ipsi ex arca rursum egrederentur, his verbis utitur, Egredere ex arca, tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum. deletum ac medio sublatum est genus flagitiosum. Vos rursum in vobis ipsis estis: ac pium genus rursum augeatur. An non jejunium Ninivitis, cum brevem ac celerem mortis sententiam accepissent, vitam attulit? An nō jejunium eximiæ virtutis adolescentem Danielem, eosque, qui eadem, qua ille, mente præditi erant, & tyranno & tonante igne superiorem reddidit? An non jejunium ac vitæ sanctitas hoc Joanni præstitit, ut incarnatum Deum babtizaret: ut qui dignam tanto sacramento puritatem adeptus esset? An non jejunium, & nuditas, & chameunia, & corporis maceratio hoc Paulo attulit, ut paradisi arcanorum auditor esset? Quid igitur harum rerum imitatione relicta, malo consilio deteriora complexeris? Quare nisi omnino à te ipso excessisti, Deique oblivione captus es, ad naturam, quæ omnia ea habet, quibus Deus conciliatur, redi: atque eum, qui te creavit, & cruoris sui precio redemit, agnosce: nec committe, ut carnis servituti addictus, salvatorem & benefactorem in judicem & adversarium convertas. *libro 1. Epist. 69.*

S. Isidorus Pelusiota: Ornatus studium, ac lapillorum flores, aurique cum iis connexio, atque intorti crines, & oculorum pigmenta, & pulchritudinis effictio, pravaque circa res hujusmodi artificia, quæ tibi curæ esse omnes referunt, necessarii usus honestati & gravitati contumeliam inferunt, vitiosarum autem affectionum rabiem significat. *lib. 1. Epist. 461.*

S. Isidorus Pelusiota: Ne eum qui moderato cibo uti didicit, luxui indulgere doceas, ne alioqui eum ex pudico lascivum & intemperantem redditum in imum vitiorum gurgitem detrahas. ubi te degere fortasse ipse non animadvertis. *lib. 3 Epist. 155.*

S. Isidorus Pelusiota: Luxus, vir optime, non modo peramabilem, atque imperio & opibus anteponendam sanitatem propellit (hac enim absente nullius momenti illa sunt) sed etiam varios & incurabiles morbos gignit. Quare si tibi sanitas curæ est, fragilitas quoque curæ sit. Siquidem bonæ valetudinis matrem esse inediam, medici non immeritò definiunt. Ego vero quoniam mihi tecum, qui satietati quoque ipsi per saturitatem & ingluviem contumeliam infers, sermo est, hoc tibi nuncio, frugalitatem tibi sanitatis, hoc est rei cum primis charæ & expetendæ matrem fore. *lib. 3. Epist 192.*

D. Asterius: Paria ac gemina prorsus sunt, inutili inanique circa vestes ambitione efferri, ventrique ac gulæ per voluptatem ancillari. Luxus utique & delitiæ cum studio virtutis repugnant, tum socordiæ, profusioni, intemperantiæ, servitiique prorsus consuetudini homines mancipant & addicunt. & quanquā res una atque simplex videatur, si propius inspicias & sigillatim examines, è varia multiplicique colluvie conflata reperietur. deliciari enim absq; magnis facultatibus haud possis. atqui divitias accumulare citra pectum impossibile, nisi alicui sicut Job (quod valde rarum) simul & ditescere & justitiam colere contigerit. ante omnia autem ei cui lautè delicatòque vivere propositum, domo opus est cultius instructa ac pretiosis calculis, lapillis atque auro, sponsarum instar, exornata; tum etiam ad mutationes temporum annique tempestates benè accommodata. commendantur enim hiberna quidem calida, & ad

meridianum conversa solem, æstiva vero Septemtrioni opposita, quo tenues illæ & frigidulæ ab Arcto spirantes auræ perflare eam & permeare commode possint. Adhæc stragula multi prætii veste est opus ad scamna, lectos, culcitas, januas: nam omnia apud hos tales, quamvis inanima, accuratè vestiantur, cum pauperibus interim hominibus integumenta corporis desint. Adde vasa argentea & aurea, sumptuosam emptionem avium Phasianarum, vinique Phœnicii, quod Tyriæ vites, etsi maximè pretiosum, divitibus affatim sufficiunt; omnemque adeo deliciarum apparatum, ab illis ipsis qui usurpant accuratè recensendum. nam ad augescens & inquisitior indies luxus, etiam Indica aromata cibis affundit, magisq; jam coquis quam medicis unguentarii serviunt. Quin & mensæ satellitium perpende, structores, pincernas, dispensatores, & qui his præeunt musicos, musicas, saltatriculas, tibicines, ridiculos, gnathones, parasitos, turbam vanitatis comitem atque pedissequam. hæc ut habeantur, quot pauperes injuria afficiuntur? quot orphani pugnis cæduntur? quot viduis lacrimæ excutiuntur? quot denique miserè dilaniati ad restim ac laqueum decurrunt? ejusmodi profectò mortalium anima, quasi lethæa quadam aqua degustata, sui prorsus obliviscitur, quæ sit & cui conjuncta: a quo cum sperabitur, reputatio subibit eorum quæ in vita sunt patrata, & pœnitentia sera. tunc enim prodest, cum pœnitens emendandi facultatem habet; sublata vero copia rectè faciendi, inutilis est dolor. *Homilia de Divite ac Lazaro.*

¶ Latinorum.

Egesippus: Joannes intus positus, suos ad bellum vitiis exercebat data criminum autoritate. Ferebant studia rapinarum, proborum cupiditates, luxuriæ effusiones, unguentorum odores, calamistris crispabant capillos, stibio oculos depingebant, muliebrem amictum induebant. Nec solum ornasus feminarum, sed etiam muliebris mollitia affectabatur, & illicitarum libidinum passiones, viri muliebria exercere, effeminare vocem, & flexu corporis sexum dissolvere, pascere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellicare barbulam, & in hac dissolutione sevitiam crudelitatis exercere intolerabilem. Denique fracto gressu incedebant, & subito momentanei bellatores reconditos sub conchyliatis chalamytibus gladios occultantes, cum repente nudassent, quæcumque repereant, diloricabant. *lib. 4. cap. 25 de excidio Hierosolym.*

S. Valerianus: Erubescimus illa dicere quo luxuria agente deferuntur, cui descendit excupiditate comercium. Frequenter igitur conjugalis pudor pecuniæ taxatione vilescit; & diu incontaminata virginitas parvo auri pondere prostituta fidem integritatis amisit. tanta est apud aliquantos cupiditas, ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat. nam ita ad corruptionem corporis pecunia pensatur, quasi dignum aliquid comparetur. Infelix profectò est, qui plus cupiditati consulit quam pudori. Damnasse est promissæ hereditatis gratiam, integritatis fecisse jacturâ. Videte sub uno crimine quã difficile commerciũ cupiditatis. hic pecuniam dedit, ut corruptionẽ emeret: illa pudorem perdidit ut compararet pecuniam. nihil enim sine cupiditate agitur cum peccatur. nam si removeas ornamentorũ cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. cesset denique auri desiderium, & nec conjugalis fides perit, nec virginalis integritatas erubescit. *Homilia 20.*

S. Chrysologus: Bella dentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus nos vicisse: & audivimus eo dedisse delictis pectora, qui doria hostibus non dederunt. Proh dolor, victores gentium vitiorum fuisse captivos: nationum dominos turpi servisse criminibus servitute: stetisse inter sævientes gladios, & inter enervato lenocinia corruisse, regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccati: adversas acies contrivisse jejunos, & crapulatos suarum castra dissolvisse virtutum, jacuisse effuso vino, qui jacere effuso sanguine nescierunt. Unde hoc est? unde? quia hoc non est ratio, sed languor: non vita, sed febris: phrenesis, non natura. Nam quotiens ciborum cruditas vitalia dejicit, infirmat stomachum, corrũpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremũ febris gignit incendium, totiens æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis urgetur, salutaria respuit, querit noxia, fugit curam: tunc medici studio parant abstinentiæ remedio subvenire ut sanesur: quod voracitas sauciarat. *Sermone 41. pr.*

Io. Saresberiensis: Antiquas & modernas revolve historias, & planè invenies, quod confusio populorum, armorum collisio, clades hominum, & plaga terribilis, luxuriam semper aut comitatur aut sequitur. Ne longa petantur exempla: Nivicollini Britones irruunt, & jam protendunt terminos suos; & egressi de cavernis suis latebrisque silvarum, plana occupant, nobilium procerum videntibus ipsis impugnant, expugnant, & diruunt, aut sibi retinent munitiones, eò quod juventus nostra

——*qua tecto gaudet & umbris,*

nata fruges consumere, in lucem dormiens, scortationi honesta postponens officia, tota die insectans voluptatem: citharam, lyram & tympanum & vocem organi in conviviis magis agnoscit, quam lituum aut tubam in castris: in qua, aut non fuit, aut erravit Ducis electio, cessavit disciplina, aut languit. nam si manum conferere oporteat, in armatura levi parum habent fiduciæ, in gravi minimum alacritatis. hac itaque onerantur, ut hostem sequi non possint, illa exanimantur; ut eum, tanquam ad vulnus expositi nequeant sustinere. Depopulantur illi fines nostros, dum juventus nostra institutur, & dum nobis miles armatur hostis evadit, & ut dici solet, dum canis mussitat tutas latebras ingreditur lupus. Non est qui comprehendat abeuntem, aut insequatur hostem; eò quod impeditus nec sufficit nec proficit adversus expeditum. Ille tamen non murorum fossarumve petit præsidia, sed locum qui militi meo hic & sibi, etsi non æque totus, tamen accessibilis est. Utique tutus illi, quia miles meus non in propria virtute, sed in præsidio confidit armorum. *lib. 6. Policratici cap. 6.*

Io. Sarisberiensis: Duci in re militari diligentissime prævendum est, Ne Venus & vinum pugnantia pectora frangant. semper enim vincit luxuria, sed eos duntaxat quos ante corrumpit: eoque studiosius fugienda est, quo in clientelam suam altius sævit. Antiochus tantæ luxuriæ & superfluitatis instruxit exercitum, ut etiã gregarii milites auro caligas figerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi dimicant. Gens quoque Parthorum sæpissimè superatur, eò quod luxuriosissima est. Principatus sané quem corrũpit luxuria, diu stare non potest; aut si steterit, opprimente judicio Dei, evomet quidquid immoderatio luxuriæ hausit. Modum siquidem sui nescit, neque ante intemperantiam reprimit, quam eà indulgentiore licẽtia in extremam turpitudinem prolabatur. Assyriorum discute plagas, & historiarum testimonio convinces, regna eorum impulsu luxuriæ esse subversa. Sed & imperium ferè Romanũ exhaustum est & divulsum Nerone imperante, cujus gula ferè omnia devoravit, maculavit libido, exhausit avaritia, fregit ignavia, luxuria cum superbia exinanivit. *lib. 6. Policratici cap. 14.*

¶ Oratorum.

Libanius: Nihil istos moror, qui hic astant & rident, meque morosum ac difficilem vocant. quam enim majorem quis ab ipsis pœnam exposcat, ea quam sufferunt, dum ita perverse & dissolutè vivunt, diffluunt, & ludunt semperneq; unquam seriò agunt, & incõsideratè quidquid in buccam venit nugaciter effutiunt? *Oratione Morosi, Declam. 6.*

Symmachus: Luxuries offendit deam sobriam. *lib. 5. Epist. 85.*

Symmachus: Nunc mutuis invitationibus aut in Baulos, aut in Nichomachi Gaurana migramus, Amicorum subinde mihi affluentium largiter est. Non vereor ne me lascivire intanta locorum amœnitate & rerum copia putes. Ubique vitam agimus Consularẽ, & in Lucinio serii sumus. Nullus in navibus canor, nulla in conviviis helluatio, nec frequentatio balnearum, nec ulli juvenum procaces natatus. Scias nullum esse in luxuria crimen locorum. *lib. 8. Epist. 22.*

¶ Poetarum.

Prudent. Psychomachia 5.

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, extincta jamdudum prodiga fama;
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita delitiis, vita cui causa voluptas.
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, & fractos solvere sensus.
Et tunc pervigilem ructabat marcida canam.
Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto,
Sauciamirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnanti species, non ales arunco
Nervo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur:
Sed viola lasciva jacet, foliisq; rosarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fundit.
Inde eblanditis virtutibus, halidus ilex
Inspirat tenerum labefacta per ossa roneum.
Et male dulcis odor domat ora, & pectora, & arma,
Ferratosque toros obliso robore mulcet.
Deficiunt animos, ceu victi, & spicula ponunt.
Turpiter, heu, dextris languentibus obstupefacti;
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteis crepitantia lora,
Et solido ex auro precioso ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, & radiorum
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et jam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuria servire volens, dominaq; fluentis
Iura patis, ac laxa genarum jure teneri.

Prudentius contra Marcionitas.

Non mirum si membra orbis cõcussa rotantur,
Si vitiis agitata suis mundana laborat
Machina, si terras lues incentiva fatigat:
Exemplum dat vita hominum quo cætera peccent;
Vita hominum, cui quicquid agit, vesania & error
Suppeditant; ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Defluat, impuro ferveſcat ut igne libido;
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit major ab auro.

Inde

Inde seges scelerum, radix & sola malorum;
Dum scatebras fluviorum omnes, & operta metalla
Eliquat ornatus solvendi leno pudoris;
Dum venas squalentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes forte lapillos
Rimata inveniat. nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur femina formam.
Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sutilibus redimita frontis ab arce,
Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas,
Nectitur & nitidæ concharum calculus albens
Crinibus, aureolisq; riget coma texta catenis.
Tadet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dea quæ plasmata fuco
Inficiunt, ut figmentis cutis illita, perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus malefortis, agis, cui pectore in arco
Mens fragilis facilis virorum fluctuat æstu.
Quid? quod & ipse caput muliebris corporis, & rex
Qui regit invalidam propria de carne resectam
Particulam, quæ vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum? cernas mollescere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, & rigidos dura verat ossibus artus.
Sed pudet esse viros: quærunt vanissima quæq;
Queis niteant, genuina levés ut robora solvant.
Vellere non ovium, sed Eo ex orbe petitis
Romanorum spoliis fluitantes sumere amictus,
Gaudent, & durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Illudant variis distincto stamine formas.
Vt quæq; est lanugo ferè mollissima tactu
Pectitur hunc videas lasciva prapete cursu
Venantem tunicas, alium quoque versiculorum
Indumenta novis texentem plumea telis.
Illum pigmentis redolentibus, & peregrino
Pulvere fœmineas spargentem turpiter auras.

Plautus Trinummi Prologo.

Primum mihi Plautus nomen luxuria indidit;
Tum hanc mihi natam voluit esse inopiam.
Adolescens quidam est, qui habitat in hisce adibus;
Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, quei me aleret, nihil video esse reliqui,
Dedi meam natam, qui cum ætatem exigat.

P. Syrus apud Petronium.

Luxuria victu Martis marcent mœnia.
Tuo palato clausus pavo pascitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.
Gallina tibi Numidica, tibi Gallus spadato:
Ciconia etiam grata, peregrina, hospita.
Pietati cultrix, gracilipes, crotalistria.
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitia nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tribacca Indica?
An ut matrona onerata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in strato extraneo?
Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos
Nisi ut scintillent? probitas est carbunculus.
Æquum est induere nuptam ventum textilem?
Palam prostrare nudam in nebula lineâ?

Petronius Arbiter.

Ales Phasiacis petita Cholochis,
Atq; Afra volucres placent palato,
Quod non sunt faciles. at albus anser,
Et picta avis enotata penna,
Plebejum sapit. ultimis ab oris
Attractus scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit probatur.
Nullus jam gravis est. Amica vincit
Vxorem: rosa cinnamum voretur.
Quidquid quæritur optimum putatur.

Petronius Arbiter Satyrico.

Nolo quod cupio statim tenere:
Nec victoria mi placet parata.

Martialis lib. 3. Epig. 61.

Centenis quod emis pueris, & sæpe ducentis:
Quod sub rege Numa condita vina bibis.
Quod constat decies tibi non spatiosa supellex:
Libra quod argenti millia quinq; rapit.
Aurea quod fundi pretio carruca paratus
Quod pluris mula est, quam domus empta tibi,
Hoc animo magno credis te, Quinte, parere?
Falleris: hæc animus, Quinte, pusillus emit.

¶ Emblematum.

Camerarius 46. Centur. 1
Turpibus exitium.

Cantharidum rosa mors. Sic luxus delitiaq;
Eneruant animos eripiuntque virum.

Camerarius 50. Centur. 2.
Non bene conveniunt.

Quid suibus atque rosis? nunquam mens ebria luxu
Virtutis studium esse dicata potest.

¶ Apophthegm. Christianor.

Barnabas Princeps, & Clericus: Deo & virtuti inimicam Luxuriam leviter attingemus, ne dudum illi inhæsse videamur, quæ velut omnis criminis stimulus, numquam manere quietum patitur affectum. Barnabum Principem Luxuriæ inquinamento depravatum, reperit quandoque superveniens forte quasi in ipso actu, ordinarius ejusdem Confessor. turbatur, & pudore suffectus Princeps; Dic pater, inquit, si tecum decumbentem haberes juvenculam, quid ageres? quod insulsum dictum salse & prudenter reprimens, *Quid facturus*, ait, *forem, verè nescio: sed autem quid a me fieri deberet*. Auct. Serm. memor. anonym.

Cacanus Præfectus: Singulari etiam memoria dignum quod sequitur. Erat Cacanus militiæ præfectus Imp. Carolo Magno: qui, occiso Gisulpho Forijulii Comite, de ipso solo terrisque occupandis cogitabat. at oppositi se Romilda cæsi Comitis uxor. Verum ut erat æstu libidinum fervens, ubi Cacanum viribus & specie insignem vidisset, è muris eum vocat, urbes & regna offert, si se ducat uxorem. Lætus hac oblatione hostis, parere per nuncium jurat. Habita ergo in suâ potestate urbe, eaque contra datam fidem vastata, jurisjurandi memor, Romildam in conjugem accipit, unicâ eáque primâ nocte utiter, ac postera die 12. robustissimis militibus prostituendam tradit, & palo deinde affigi; dicens: *Tali digna honore est est fœmina quæ libidinis explendæ causâ patriam in hostium manus tradit*. Quid hic extollam, meritam libidinis pœnam, an injustam cõtra jusjurandum Cacani severitatem? *Gaguinus lib. 4. de Reb. Gall.*

¶ Monosticha Trochaica.

Absque tibia absque mimo, manca comessatio est.
Animi subtile impeditur ac ciborum copia.
Cena dubia est, ubi tu dubites quid sumas potissimum.
Continuare diem noctemque potando, nulli probrum est.
Convenit sagina ventris, non homini, sed bellua.
Corporis servire oportet usui non luxui.
Corpori des quod necesse est, non quod luxus imperat.
Corpori quantum addis, tantum detrahis solertia.
Crimen haud ullum est locorum luxuria turpi in malo.
Deditus ventri gulaque est hostis ipsemet sibi.
Disruptum ganeâ stomachum una sarcit parsimonia.
Dissoluta cui mens luxu, vita somno languida est.
Est parens altrixque luxus omnis agritudinis.
Gracia luxum intulere Persica victoria.
Gratia umbra alieno ex orbe luxus arbores petit.
Haud fit succus atque sanguis omne ventri quod datur.
Heu quam injuria est Saturitas, ac parens tumultuum.
Hoc fuit Campania Pœno, quod Canna Quiritibus.
Iacturam omnis bonorum vispati? servi gula.
Impeditur & ciborum copia animi subtilitas.
Interpellitur sagina quavis abstinentia.
Invenire aves avarum? luxuriosum quærito.
Luxuria fere ante mensem septimum Inopia nascitur.
Luxuria nihil placere nisi omne id quod carum est potest.
Luxuria omni ætati turpis. tum senio fœdissima est.
Luxuria parum illud omne est quod natura est satis.
Luxuriam accuses aliquanto facilius quam vincias.
Luxuriam muniri item ipsam fraudes adversus decet.
Luxuriâ ex nimiâ saginam corporis contraxeris.
Luxurisè consumuntur qua obvenêre perscelus.
Luxus est soli vastatrix, luxus est pestis sali.
Ne mensas sectere aliorum si diu vis vivere.
Ne quæras de quam pretiosis conficias stercus cibis.
Ne quidem venter repletus ipse est somno idoneus.
Nemini gula atque venter hostis est magis ac sibi.
Non diu fide eadem, luxus atque Castitas
Non potest vacare luxu quispiam atque seriis
Nullum avem comesse totam oportet quam ficedulam.
Nulla ove ad sequare fructum ferre quem parvo solet.
Omnibus fandis nefandis præbet ansam crapula.
Organum merum ciborum, non voluptatis, gula est.
Piscis ac vinum efferat senes, juvenes effeminat.
Plurima dapes diversaque haud alũt sed inquinant.
Principum omnium malorum est, indulgere luxui.
Promptius virtus ad luxum, quam hic ad illam transeunt.

Publi-

Publicam luxus priuatus sequitur magnificentiam.
Quam minus ventrem saburras, tam saburratur magis.
Quanto potior quis bibendi in arte, hoc est nequior.
Qui bibunt eduntque tantum, deteriores sunt sue.
Qui vomunt solo ciborum nutriuntur transitu.
Quod propè est parvoque constat, est gula contemtui.
Sape morte strangulatur de repente obesitas.
Savus est à matre fœtum qui gula caussa abripit.
Salva urbs esse nequit ubi pluris pisces quam bos venditur.
Saturitas petulantia atque contumelia est parens.
Si salutis non bibitur, minime medicina populum est.
Sobria dea atque luxus copulæ esse non potest.
Splendidus mente esse nescit est qui victu splendidus.
Stare non possunt diu una Luxus ac Superbia.
Suggeras cibum, jacent torpentque ignava animalia.
Tolle luxum, opumque tolles jugè contubernium.
Turpe vitam insumere circa cochlear ac mortarium.
Turpis at atat omni lxus, sed senso fœdissima est,
Vis nihil fiat avarè? luxuriam omnem tollito.
Vnius luctus luxusque non sunt contubernij
Vis voluptatem ciborum temnere? exitum vide.

¶ Jambica.

Carnosus esse non queas idem & pius.
Comedere piscem luxus ad mare haud solet.
Consumimus luxuria adepta per scelus.
Est bellua par homo qui à ventre vincitur.
Et adsita usque Luxui Insolentia est.
Et caussa morbi non unius crapula est.
Et infidele ventris est commercium.
Etiam est voluptas plenam ad mensam interfici.
Gula ante fert coquos agri cultoribus.
Gula est ferina, sed socors edacitas.
Haud semper est fas vivere Bachanalia.
Hoc turpius luxuriosus quo diutius.
In Luxuria, nil criminis occupat locus.
Luxuria pestis ingens est rei publica.
Luxuria ubi est, ibi est inersia ac timor.
Luxuria ubi valet, virtus ibi non valet.
Luxuria & avaritia sua etiam copula est.
Luxuria rictu Martis marcent mœnia.
Luxuria ubique opes debent ludibrium.
Luxus parens injuria atque ignavia
Luxu vorandi carnis arvinam fovet.
Luxum insolentem puniunt incendia.
Luxum refrenat divitis fastidium.
Luxum refrenat pauperis necessitas.
Luxus ubi sunt & Dei est oblivio.
Malus profecto est quisquis vivit molliter.
Mens est ubi bona esse ibi luxus nequit.
Minimum petit natura, luxus omnia.
Moriente mullo an quidpiam est formosius?
Nitens cutis propalat animum sordidum.
Non nosse ventris turpe mensuram sui est.
Petulantia abesse saturitati non solet.
Potus loquaces efficit, tacitos cibus.
Quale est caput, talis præstatur & labor.
Quemcumque luxus mutat in pejus statum.
Qui luxuriatur an non vivens mortuus est.
Quis condoleret febrienti è crapulâ?
Quod est satis natura, luxuria parum est.
Savissima est pestis cibi diversitas.
Secunda mensa in stomacho avescit debili.
Secunda mensa nil noces stomacho bono.
Stomachi æstuantis rosa nix solatium est.
Tacitos cibus, potus loquaces efficit.
Terit cibos, oculos vorat, edacitas.
Ventris saburra mentis naufragium sua est.
Vita improba luxuriosis mors expedit.

FINIS LIBRI DECIMI.

Mahs. n' ira nuech ot bonus ex Terentio f. 282.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025252